

JOH. JACOBI HOFMANNI LEXICI UNIVERSALIS

CONTINVATIO.

LEXICI UNIVERSALIS HISTORICO-GEOGRAPHICO-CHRONOLOGICO-POETICO-PHILOLOGICI CONTINUATIO.

Præter ADDENDA comprehendens

HISTORIAM ANIMALIUM, PLANtarum, Lapidum, Metallorum, Elementorum,

Rerum Astricarum, præcipuè HOMINIS Negotiorúmque ejus, in omni Ætate, Sexu, Conditione, Ævo,

Recentiori, medio, veteri, ex omnium Gentium, inprimis Hebrææ, Grææ, Romanæ, Monumentis sacris, civilibus, erutam.

OPERA ET STUDIO

IOH. IACOBI HOFMANNI,
Gr. Ling. in Acad. Basil. Profess. Publ.

TOMUS PRIMUS.



BASILEÆ,

Impensis IOHAN. HERMAN. WIDERHOLD, Bibliop. Genevensis.

Typis JACOBI BERTSCHII.

M. DC. LXXXIII.

יהוה
IEHOVA SERVABIT IPSE!

VIRIS

NOBILISSIMIS, AMPLISSIMIS,
EXCELLENTISSIMIS

D.D. NICOLAO PASSAVANT

Pandectarum Professori

Inclytæ ACADEMIÆ BASILIENSIS.

RECTORI MAGNIFICO II.

D. BALTHASARO BURCKHARDO,
D. ANDREÆ MITZIO,
D. THEODORO BURCKHARDO,
Illustris REIP. BASILIENSIS SENATORIBUS.

D. JOH. CONRADO HARDERO, ARCHIGRAMMATEO.
SCHOLARCHIS ACAD. & ECCLES. BASIL. GRAVISSIMIS.

D.D. JOHANNI ZVINGERO, Vet. Test. Prof. THEOLOGIÆ,
D. D. LUCÆ BURCKHARDO JC. Facult. Seniori, JURIUM,
D.D. JACOBO ROT, Anatomices & Botanices Professori, MEDICINÆ,
D. JOH. JACOBO HARDERO, Med. D. Rhetorices Professori, ARTIUM, DECANIS SPECTATISSIMIS.

Cæteris FACULTATUM omnium PROFESSORIBUS

Præclarissimis, Celeberrimis,

Literati Orbis Luminibus fulgentissimis,

DOMINIS FAUTORIBUS COLLEGIS Honoratissimis

totique

UNIVERSITATI BASILIENSI
ALMÆ MATRI STUDIORUM

Gloriæ ac Benedictionis omnigenæ Perennitatem

JOH. JACOBUS HOFMANNUS, G. L. P.

¶ 3 ODE

EPISTOLA

ODE.



D Te, sacratos post Patriæ Patres,
Et summa Rei culmina Rauricæ,
Accedo, MATER, inter astra
Quæ caput eximio coruscum
Fulgore condis: Suscipe, quo soles,
Vultu clientem, nec tibi debitas
Exclude laudes major, isthuc
Aut rigidam haud patienter aurem
Inflecte, largùm sueta rependere
Ausus pusillos, & mediocria
Favoris aurâ promovere
Immeriti subeunte cœpta.
Nam quæ gemello, dic rogo, ditior
Plus lactis unquam fudit ab ubere;
Sive esset instillanda solo
Nixa Deo Pietas, nec ulli
Hoc præter unum obnoxia nomini:
Sive hujus ævi vis Sapientiæ
Tradenda multiformis, atq;
Pansophiæ insinuandus orbis?
Hoc arva primùm patria nectare,
Tuosque cives; mox, velut alveo
Iratus amnis, Universum,
Quà patet omnigenas in oras,
Latè rigâsti: vivifico hoc magis
Succo redundans, quò sitientium
Hunc turba major ore traxit,
Non humili satianda rivo.
Hos inter omni Te poteram frui
Ungue à tenello, gratia Numinis
Sese affatim per te bibendam
Exposuit, voluitque sumi
Non negligenti aut dimidio labro;
Ut delicata est, certa recedere,

Ni

Nì gratus huic obtingat hospes.
Et pretium sibi ponat æquum.
Felicitatis sed bona devius
Præsentis error non semel abstulit;
A sempiternis avocato
Fluxa animo ac peritura sæpe
Sese ingerebant: prisca trinoctii
Quæ vim leonis finxerat astricæ
A lacte Junonis repulsam,
Fonte velut potioris ævi,
In rem recentem fabula transiit.
Sed fessa nunquam parcere Gratia
Occurrit ultro, reddiditq;
Se mihi, meq; Tibi, perenni
Nexu revinctum, ut vindice lumine
Offusa menti nubila dispulit.
Mox arduum munus docendi
Philosophos venerandus inter
Consessus, ambos insimul Ordines
Complexus, æquo Numine, credidit.
A quo remetiri peractum
Promtus iter, relegensq; callis,
Ducente Te, vestigia pristini,
Utcunq; metam stringere cautiùs
Sursum vocantem, Numiniq;
Sub pedibus trepidante Lunâ,
Servire porrò addictiùs, & sacræ
Musis juventæ, quà pote, semitam
Ad astra tentavi preire,
Eloquio, probitate, scriptis.
Sic nata duplex pagina, totius
Per Universi climata transiens,
Quæ cuncta voce Numen unâ,
Tacta, sonant, triplicisq; cœli
Nil esse clamant Principe sanctius,
Nil Sanctitate hac undiq; celsius:
Ab hoc oriri, in hunc revolvi,
Sicut in Oceanum bonorum

Undas minores, condita quælibet,
Ejúsq; nutu ducere spiritum.
Harum una quamprimùm eruditam
Ausa fuit subiisse lucem,
Devota Patrum procidit ad pedes,
Mentisq; fervens obsequium meæ
Testata, post Dei impetratum
Præsidium, Procerum rogavit
Blandè annuentem ritè faventiam.
Succedit illi jam soror altera;
Laboriosæ ut unda vitæ,
Perpetuo irrequieta motu,
Propellit undam: quæ, simul exiit
Manu magistri. Te petit, ô Pia.
(Namq; ursit impulítq; segnem
Officii numeros secundi,
Implere tandem grata necessitas,
Obstricta dudum haud nomine simplici)
Sinuq; Matris parva anhelat,
Ac gerulis genibus foveri.
Et quæ tenellam tollere dignior,
Major tueri, provehere aptior;
Quàm cujus illa virginali
In gremio tepefacta cepit
Vitalis auræ semina cœlica,
Haustusq; primos: cujus ab ubere
Id fluxit omne, si quid hîc est
Ulteriùs superesse digni.
Si quid sequenti vivere seculo,
Tuum est, quod offert; non, reor, abnues
MATER, reciprocante fluctu,
Quod dederas prior ipsa, reddi,
Exasciandum judicii tui
Limâ acriori: quomodo quæ rudis
Jam sordet, arridebit olim,
Auspiciis iterata tantis.
Sic Te perenni crescere gloriâ
Concedat orbis maximus Arbiter,
Felicitate inusitatâ,
Cum Patria Patribusque, mactam.

Et

Et usq; votis cœlitus annuat!
Dissolvat istam nulla dies nivem,
Jam seculis major duobus
Quâ tua frons veneranda canet,
Inter Sorores inclyta cœteras.
Quin porrò sub Te floreat in dies
Magis magisq; missa cœlo
Eusebie, doceatque Numen,
Ut vult doceri: justifico Themis
Lites ad unguem diva clientibus
Mucrone solvat: clara sævæ
Exilium Medicina pesti
Indicat, omni ad limina pristina
Clauso recursu: Nec Sopha desinat
In fonte demersum profundo
Arte suâ edecimare Verum
Cohors novenæ Virginis æmula,
Deumq; linguis dicere plurimis.
Quæ cuncta rumoris benigni
Aura procul ferat ad remoto
Quà pigra gentes Ursa premit gelu,
Quo regnat Auster cardine; flammeus
Quà Solis haud cessantis ardor
Occiduis hebetatur undis.
Et Indus isthæc decolor audiens,
Incocta pravo pectora sentiat
Tandem moveri, tandem aduri,
Igniculi melioris æstu.
Donec, soluto ænigmate seculi
Præsentis, in quo se miserè implicat
Mortalium mens cœca, lucem
Vix oculis dubiâ ampliorem
Cernente, qui subtiliùs hæc licèt
Rimatur; astris cum grege debito,
Qui, particeps perpessionum
Quotidie morientis Agni,
Damnis ab ipsis ducit opes Soli
Ter victor; ipsum de facie Patrem
Videre luminum triunum
Et propiùs dabitur fruisci!

Basileæ, ipsis Kal. Martii, A. C. M. DC. LXXXIII.



PRÆFATIO
ad
LECTOREM.



EXPECTAS, *Lector Benevole*, à fide mea, Operis, hexaëteride proximè elapsâ, LEXICI UNIVERSALIS nomine, operâ meâ editi, Appendicem, paucis, quæ hîc ibi mutanda addendáque, comprehensuram. Et certè id unicè mihi tum propositum erat, cùm eam pollicitus sum, ut, quantâ possem, brevitate, lacunas, si quæ occurrerent, pro viribus complerem, sicque & tibi porrò litarem, & promissorum simul fide, ac tanti oneris, quod unius hominis humeris longè esse gravius sum expertus, ulteriore curâ molestiáque me exsolverem. Verùm, dum in ea incumbo, quæ ad scopum facerent, simul alia sese offerebant infinita, quæ, non minùs Publico profutura, eadem methodo enarrari jure quodam suo postulabant, tantò fidentiùs, quò major utriusque operis futura erat affinitas, & prius, quod *Nominum* pręcipuè *propriorum* seriem exhibet, ut alterum succederet, *Nomina appellativa*, eadem ratione in fronte præferens, enixiùs invitare videbatur. Nempe, *sic fit in rebus humanis, ut omnia debeantur tempori, & aggressi parva, successu operis, majores spiritus sumant: ut Ligus ille Marianus, dum cochleas consectatur, studio legendi paulatim in summum montem egressus, victoriæ viam Imperatorem docuit*; quę magni Auctoris verba sunt. Nec, quantumvis maximè volebam, tantæ rei cogitationem, importuniùs meam imbecillitatem indies obtundentem, excutere fui potis; quo minùs, post varios flexus ac ἐκκλίσεις frustra tentatas, præsertim postquam animum altiori igne ad id incalescere sensi, tandem manus darem & omnibus mentis meæ corporísque viribus in unum contractis, temporis insuper, nimiùm properè nobis elabentis, voluminibus arctè comprehensis, iisq; quæ jam evaserant, tantùm non è fuga retractis, aggrederer, faciente Deo, quod oculis hîc tuis usurpas. Ubi primò habes, quæ circa Historiam, cùm sacram, tum profanam, Gentium omnium ac Personarum, in earum quavis dignitate, professione, religione, sectâ, virtute, rebus gestis, aliísque illustrium; Imperiorum item, Regnorum, Principatuum, Rerumpublicarum, Societatum, Tribuum, Collegiorum, Monasteriorum, &c. circa Genealogiam ac Progonologiam celebriorum Familiarum, quę olim hodiéque floruere: circa Geographiam ac descriptionem locorum veteris novíque Orbis, quorum aliqua

qua ad nos notitia pervenit; Regionum, Urbium, Vicorum, Viarum, singularium quoque Ædificiorum, Regiarum, Templorum, Turrium, Gymnasiorum, Theatrorum, Pyramidum, Aquæductuum, Arcium, Murorum, &c. Montium porrò, Collium, Vallium, Specuum, Fodinarum, Sylvarum, Desertorum: Æquorum quinetiam, Fretorum, Fluminum, Lacuum, Torrentium, Paludum, Sinuum, Portuum, Promontoriorum, Insularum, Peninsularum, Scopulorum, Isthmorum, Ventorum, Turbinum, &c. circa Chronologiam denique, Mythologiam & Philologiam, aliáque in prioribus comprehensa, *Addenda* videbantur. Præterea *Historiam* descriptionémq; Animalium, avium videlicet, quadrupedum, piscium, amphibiorum, reptilium, insectorum, zoophytorum; Hominis inprimis, & quæ in illo, vel circa illum, nobis considerandaproponit Sapientissimus Conditor; Armorum, machinarum, munimentorum, totiúsque Rei Militaris; Aromatum; Artium omnis generis, & Artificum, operúmque insigniorum; Cibariæ Rei; Colorum; Deorum Deárúmque; Dignitatum ac Honorum; Dogmatum; Elementorum, & quæ in iis; Exercitationum; Experimentorum; Fabularum; Factionum; Festorum; Florum; Fructuum; Gemmarum; Hæresium Sectarúmque, inter Philosophos Christianósque vigentium; Hortorum; Idolorum ac Statuarum; eorum quæ Inventa necessitati, commoditati, luxui; Judiciariæ Rei; Lapidûm; Legum; Ludicrorum & Ludorum sacrorum, civilium, publicorum, privatorum; eorum quæ ad Magiam & Sortes; Margaritarum; Mensurarum; Metallorum; Meteororum; Mineralium; Ministrorum utriúsque sexus; Morûm ac Consuetudinum; Musicæ Rei, ut & Nauticę, Nummariæ ac Oeconomicæ; Officiorum; Ordinum; Ornamentorum & Insignium; Partium Domus aliorúmque; Plantarum, arborum sc. stirpium, herbarum, fruticum, radicum; Pœnarum, mulctarum ac suppliciorum; Ponderum; Præmiorum; Rituum ac Ceremoniarum omnigenarum; Sacrorum ac Superstitionum; Statuum & Conditionum; Supellectilis, instrumentorum, vasorum; Temporis ejúsque partium; Titulorum, nominum, prænominum, cognominum, epithetorum; Virtutum ac Vitiorum; Rei tandem Agrimensoriæ, Architectonicæ, Astricæ, Civilis, Medicæ, Rusticæ, Vehiculariæ, Venaticæ, Vestiariæ, aliarum; cum Verbis formulísque solemnibus: omnis ævi, citerioris, medii, veteris, ex omnium Gentium, celebriorum præprimis, Hebrææ, Græcæ ac Romanæ, Monumentis sacris civilibúsque, magnâ curâ ac labore, erutam. Quorum quædam jam in prioribus obiter, ac velut περιούματος vice, adspersa, hîc pleniùs exequi, institutum est; reliqua de novo elaborata, horum omnium origines, naturam, vires, periodos, usum, abusum, in omni vita, Lectori solidæ πολυμαθείας studioso spectanda sistunt; ad quem ut non pœnitendi impensæ lectionis redeant fructus, Deum veneror, qui, pro immensa sua benignitate, miseros nos, quod Apostolus ait, ἐνδυναμῶσαι ἀπὸ ἀσθενείας, inter amoris sui arcana habet, ut sic commodum quidem ad nos salúsque, ad se verò gratiarum actio & gloria omnis, nullo fine terminanda, redundet. Plura enim addere, de Operis scopo ac usu, aliísque huc facientibus, per festinam Operarum morositatem, in præsens non licet. Quæ hîc desiderantur, tempus, cum Deo, feret: quo fine te, *Lector Benevole*, ut si quid in hoc, vel, quod præcessit, Opere, quidquam rerum eò pertinentium vel omissum penitùs; vel mancum mutilúmve; aut etiam minùs ex vero relatum; vel Personarum Rerúmque dignitati non

satis

ſatis conveniens, deprehenderis, pro humanitate tua, non veniam ſolùm dare, ſed & monere, mecúmque neceſſarias communicare notitias, haud graveris, quanto poſſum opere rogo, ingentis id & nunquam obliterandi beneficii loco habiturus. A' Veritatis deviare tramite proclive nobis; ille laudes & decus non pœnitendum jure vindicat ſuo, qui, quà meandum prævius monſtrat viam, facémque præfert: Huic ſecundus ambulat, quiſquis monenti rectiora obtemperat, ſequitúrque preſſo moriger veſtigio, ad alta Veri ſubvehentem limina. Vale.



LEXICI



LEXICI UNIVERSALIS HISTORICO-GEOGRAPHICO-CHRONOLOGICO-POETICO-PHILOLOGICI CONTINUATIO.

A.



Adde: Græcis hæc litera *Ἀυτλὰ*, id est, *comminatio* dicitur, quòd in Sacris passim litera *A* comminationes divinas ordiatur Sixtus Senensis *Biblioth. lib. 3.* Etiam imperfectionis nota est, secundùm *Gloss.* ad Gratiani *Can. postquam* :: *quasi* :: *Ω est ultima litera Græcorum, & A prima & designat Ω consummationem & perfectionem. A initium & imperfectionem, &c.* Macri Fratres *Hierolex.* In ratione numerandi, *quam haud ab omnibus receptam, & si aliquando recepta, dissuetudine jam abolitam*, notat Baronius, 500. designabat, ut cæteræ Alphabeti literæ alios numeros, de quibus vide infrà, in *Numerales Notæ*. Apud Ugutionem *MS. versiculus* iste de litera *A.* occurrit:

Possides A numeros quingentos ordine recto.

Eidem verò literæ, si recta linea superaddatur, 5000. significat. Sed & Musica nota est, & in superscriptione cantilenæ *ut altiùs elevetur*, admonet: ut ex Notkero *in Opusc.* cui tit. *Quid singulæ literæ in superscriptione significent cantilenæ, edito Tom. V. Antiqq. Lect.* Canisii *part. 2. pag. 739.* &c. docet Car. du Fresne *Gloss.* Vide infrà in *Nota Musica*.

A D apud priscos notæ erant, *ante diem* significantes: quod imperiti Scriptores cùm ignorarent, pro *a.d.* scripserunt *ad*. Rectè igitur illud esse animadvertendum, monuit Paul. Manutius, quòd, ubi apud Ciceronem in expressis libris legitur, *Ad 4. Kal. Ad 6. Id. Ad 3. Non.* & similia, in vetustioribus libris legatur, *A. D.* Pratejus apud Joh. Calvinum, *Lex. Jur.*

A. D. P. apud Val. Probum est. *Ante diem pridie. Sic ante diem pridie Nonas.* est quod Græci dicunt, *πρὸ μιᾶς Νωνῶν*. Unde apud Æl. Lampridium *in Alex. Sev. Ex actis urbis ad pridie Nonas*, scribit & distinguit Salmasius: *ex actis urbis* A. D. *pridie Nonas*, &c. Quod etiam ante eum Casaubonus adnotavit, *Not. ad l.*

A. T. M. D. O. Valerio Probo denotat, *Aio te mihi dare oportere*: quæ personalis actionis fuit formula, quia persona rei nominatim in agendo notabatur; & stricti judicii, quia simpliciter, ut Cicero ait, asperè & directò oportere, de certa definitaque summa dicebatur. *Aio* verò antiqui pro *affirmo* & contendo dicebant, auctore Nonio; unde Ciceroni *aientia* dicuntur, quæ Græcis forensi & litigiosâ voce, *κατηγορικὰ*, Hotomann. apud Calvinum *Lexic. Jur.*

A Commentariis dicebantur, qui præerant commentariis, id est, qui in commentarium custodias referebant & velut diarium casuum conficiebant. Hos Asconius, ut & Jurisconsultus; *Commentarienses* vocat, Spiegelius apud Eundem. Vide infrà in voce hac.

A Cubiculo, pro eo qui Principali cubiculo Minister adscriptus est. V. infrà in voce *Cubicularius*: Item *Præpositus Cubiculi*

A Biblis Præpositus, vid. infrà.

A Libellis vocabantur, qui Principi in libellorum supplicum negotio inserviebant Joh. Calvinus *ubi suprà*. Vetus *Inscr.* D. M. QUADRATO. SCRINIARIO. A LIBELLIS id est, *Scriniario libellorum*: ut *Scriniarius ab Epistolis* pro *Scriniarius Epistolarum*. Nempe sic dicebantur, qui in officio scrinii libellorum vel epistolarum scrinium gerebant. Salmasius *ad Æl. Lampridium in Alexandro Severo*. Vide infrà in voce *Scriniarii*, &c.

A Memoria, nomen officii in Imperatoria Aula apud Æl. Lampridium in *Alexandro Severo*, *Post meridianas horas subscriptioni & lectioni Epistolarum semper dedit operam, itaut ab Epistolis & Libellis & à Memoria, semper assisterent. Nonnunquam etiam, si stare per valetudinem non possent, sederent, relegentibus cuncta Librariis & iis, qui scrinium gerebant.* Græcè *ὁ Μνήμης ἐπιστάτης*. Intelliguntur nempe *Magistri Memoriæ*, seu *Proximi Memoriæ*, aut *à Memoria*, qui primi & principes erant in scrinio *Memoriæ*. V. infrà *ad Memoriam*.

A Pedibus, *Ad Pedes*, *Circumpedes*, Pedisequi dicebantur apud Romanos servi, qui Dominum comitantes sequebantur; cùm contrà Amici, obsequium facientes, anteirent, hinc *Anteambulones* & *Antepedes* vocati. Salmasius *ad Treb. Pollionem in Claudio*.

A Pendice, Vide infrà

A Pugione, nomen ministerii apud vett. Romanos non ignobilis, de quo Æl. Lampridius *in Commodo*, *Tuncq; primùm tres Præfecti Prætorio fuere, inter quos libertinus, qui à pugione appellatus est.* Ubi cùm nonnulli, Libertinum hunc reliquorum duorum tantùm ministrum esse volunt, falluntur: major enim contrà hujus, quàm reliquorum dignitas & honor fuit, ut cui pugio, Imperii insigne, esset commissus. Salmasius *ad l.* Vid. infrà in voce *Pugio*.

A Punctis dicebatur, qui præerat reditui aquariorum. Frontinus de *Aquæduct. lib. 2.*

A Secretis, dicti sunt, qui ab ore Principis imperia excipiebant diplomatum scribendorum, edictorumque, quæ in consilio selecto secerni consuevere. *Secretorum Notarii* appellantur Fl. Vopisco *in Aureliano*: *Mnestheum quendam pro notario secretorum habuerat.* Vocem Græci etiam Barbari usurparunt, *Ἀσηκρῆτις* dicentes. Sed & nomen declinabile finxerunt, *ὁ Ἀσηκρῆτις, τοῦ Ἀσηκρήτου*: quemadmodum Latini recentiores *Asecretam* dixere, ex illo *Ἀσηκρήτης*. *Πρωτοασηκρῆτις* iidem quoque appellavere, quem alii *πρωτονοτάριον*, &c. Hodie *Secretarii* Salmasius *ad l.c.* Vid. infrà, ubi de *Notariis Secretorum*.

Aa.

Aaron, Fil. Amram, adde: Obiit anno Mundi 2553. æt. 123. menſ. 7 ante Moſen fratrem: de cujus morte vid. Num. *cap.* 20. 28. & Deuter. *cap.* 10. v 6. Ejus filii duo *Eleaſar* & *Ithamar*, binas conſtituerunt familias Sacerdotales; quarum prior tantùm Pontificalis fuit. Numerorum *cap.* 20. *verſ.* 28. *Et exuens Moſes Aaronem veſtibus ipſius, induit eis Eleaſarem filium ipſius. Et mortuus eſt Aaron ibi in vertice montis.* Turbata autem poſtea ſucceſſio. Heli enim Pontifex *Ithamarides* fuiſſe creditur; ſed hujus poſteri Pontificatu rurſus exciderunt, Salomonis tempore, per Abjatharem. Quo amoto, ad veram ſtirpem honor iſte poſtliminiò rediit, per Zadocum *Eleaſaridem*, 1. Regum *cap.* 2. Vide Franciſc. Burmannum *Synopſ. Tom. I. lib.* 4. *cap.* 8. § 18. & 19. ut & infrà *paſſim*, inprimis ubi de Hebræorum *Pontifice Summo.*

AB

Ab, quintus menſis Hebræorum, partim Junio, partim Julio noſtro reſpondens: Judæis, ut ait Abarbanel, ominoſus & quo hoſtibus ſuis obvii eſſe & expoſiti conſuevere. Illo namque menſe decrevit Deus olim, ut in deſerto morerentur, quotquot obmurmuraverant. Et die nonâ ejuſdem, deſolatum eſt utrumque Templum, tàm primum, quàm ſecundum: Alexandriæ quoque ampliſſima Judæorum Synagoga eſt eâdem vaſtata. Sed & ex Anglia, Gallia & Hiſpania hoc ipſo menſe pulſi ſunt, &c. Idem, apud Bochartum *Hierozoici Part.* 1. *lib.* 3. *c.* 16.

Ab Ægris Cubiculariorum, & *Ad ægros Cubiculariorum*, dictus eſt apud Romanos, qui ægros ex Cubiculariis curabat, Salmaſius *Not. ad Jul. Capitolinum in Gordiano Tertio.*

Ab Epiſtolis, nomen miniſterii aulici, Æl. Lampridius *l. ſuprà cit. in Alexandro Severo, Poſt meridianas horas ſubſcriptioni & lectioni Epiſtolarum dedit operam, ita ut ab Epiſtolis ſemper aſſiſterent*, &c. Gr. Οἱ τῶν ἐπιστολῶν ἀρχοντες: id eſt, Magiſtri Epiſtolarum, qui etiam *Proximi ab Epiſtolis* ſeu *Epiſtolarum* vocabantur, eo quòd in ſcrinio Epiſtolarum primi eſſent ac principes. Vide infrà in voce *Scrinium.* Hi Comitivæ dignitate, ut & reliquorum ſcriniorum Proximi, præfulgebant. *l.* 10. *Cod. Theodoſ. de Prox. Scrin. Ad ſimilitudinem proximorum, qui in ſcriniis militantes Comitum dignitatibus adornantur: hi quoque, qui priores in ſcrinio Diſpoſitionum fuerint & Comitis acceperint dignitatem*, &c. Salmaſius *l. cit.*

Aba, mons, adde: in Caranitide præfectura majoris Armeniæ, Salmaſius *Exercit. Plin. ad Solinum pag.* 624.

Ababa, adde: Ita v. Capitolinus in *Maximinis duobus: Et patri quidem nomen Micca, matri* Ababa *fuiſſe dicitur.* Quæ nomina barbara aliter quoque ſcripta reperiuntur. Regius enim, *Micca* habet & *Habala*: Jornandes *in Rebus Geticis*, *Mecca*, & *Ababa*: *in Regnorum Succeſſ. Micca*, & *Abagua*: Robertus à Porta, *Matha* & *Abala.* Jornandes ex Symmacho, *in Thracia natus, à patre Gotho, nomine Mecca, matre Alana, quæ* Ababa *dicebatur.* Sed & matris nomen aſpirant membranæ, ſcribuntque *Hababa.* Caſaubonus & Salmaſius *ad l.*

Ababilo, aves ignotæ, ſeu potiùs fabuloſæ, quarum mentio in Alcorani *Surata*, cui titulus eſt, *Elephas.* Eo enim anno, quo Mahometes natus eſt, Deum in Abyſſinos, qui Meccham obſeſſuri venerant, immiſiſſe infelix Auctor fingit *aves ababil, à quibus impetiti ſint lapidibus ex ſigil*, id eſt, ex luto prâduro in gehennæ igne cocto, eorumque nominibus inſcriptis, quos ii lapides feriebant. Quæ verò ſint hæ aves *Ababil*, nondum conſtat inter doctos, neque verò conſtabit unquam. Aſſerit *Said Ben Giabir*, avem eſſe, quæ degit & pullos edit inter cœlum & terram, roſtro avis & caninis pedibus. At Achrama vult, avem eſſe viridem è mari ortam, cui caput ſit leoninum. Et Ibnoabas, *ut balſun*, quæ eſt ardeæ ſpecies. Ibada verò Ben Muſa, conjicit eſſe ſturnos: Et Aiſa, ſpecies hirundinum, quales in Mecchano Templo degunt. Quid ſi upupas volucris, quas Hiſpani à Mauris, ut videtur, *edocti ababillas appellant?* quærit Sam. Bochartus *Hierozoici Part. poſter. lib. VI. cap.* 14.

Abacinatus ſeu *Abbacinatus*, apud Sanutum *lib.* 3. *part.* 11. *cap.* 1. *Qui* (Henricus Dandulus Dux Venetorum) *à Græcis fortè* abacinatus *quaſi viſum amiſit.* Italis ſimiliter *Abbacinato*, eſt oculis privatus & excæcatus, præſertim per ferrum candens, aut pelvim ferream, vel æneam (Italis Gallisque *Bacinum* dictam unde vocis etymon) oculis excæcandis objectam. Quem excæcandi morem perantiquum eſſe, conſtat ex Platone in *Gorgia*, & ex Liberio apud A. Gellium *lib.* 10. *cap.* 17. ubi de Democrito Philoſopho ita legimus:

> *Democritus Abderites, Phyſicus Philoſophus,*
> *Clypeum conſtituit contra exortum Hyperionis,*
> *Oculos effodere ut poſſet ſplendore æneo.*
> *In radiis Solis aciem effodit luminis,*
> *Malis bene eſſe ne videret civibus.*

Plutarchus verò *lib.* περὶ πολυπραγμοσύνης, Democritum objectu ac repercuſſu igniti ſpeculi ſibi viſum ademiſſe tradit, ἀπερειδόμενον εἰς ἔσοπτρα πυρωθέντα, καὶ τὴν ἀπ' αὐτῶν ἀνάκλασιν δεξάμενον, *Intuentem fixis oculis ſpecula ignita, hincque repercuſſionem luminis excipientem*, &c. Tranſiit à priſcis ad recentiora tempora; Unde apud Nangium in *Chron.* A.C. 1102. *Henricus Rex Anglorum Robertum Ducem Normanniæ, fratrem ſuum à Hieroſolymis reverſum, regnum ſuum inquietantem, bello victum cepiſſe, & ei lumen, pelvi candente & valdè igneſcente appoſitâ, extinxiſſe* legitur: quam iſtam hiſtoriam his verbis narrat Will. Thorn. in *Chron. lib.* 2. *c.* 8. *Inſtitit ergà Barones ſuos, & impetravit ab eis, quòd prædictus Robertus deberet excoculari & excæcari cum* bacili *ardenti*: Ubi perperam *basili* præfert codex editus: nec enim rectè *batillo* emendat Somnerus; idem autem *bacile* & *bacinum*, ut docet du Freſne. Sic Henricus Dandulus *abacinatus* eſt à Græcis, ut diximus: de quo eodem Joh. Bapt. Egnatius *de Exempl. Virorum Illuſtr. Venetæ Civ. lib.* 9. *cap.* 12. *Qui Legatus*, inquit, *ad Manuelem Imp. miſſus, eius juſſu luminibus planè orbatus eſt, candente laminâ æreâ eius oculis objectâ, quam ille intueri continuò cogeretur*, &c. Imò hodieque in Oriente frequentiſſimum eſſe, Itinerariorum Scriptores docent, præprimis Petrus de Valle & Joh. Baptiſta Tavernier, uterque in *Itinerar. Perſ.* Eâ autem arte & hodierni & vett. hoc in negotio verſari conſuevere, ut, cùm vellent, viſu penitùs privarent; cùm vellent, hebetarent ſolùm, & minuerent, ut ſic non penitùs homines excæcarentur, ſed quaſi per tenebras in poſterum viderent; quod de Henrico Dandulo præfato obſervavit du Freſne *Notis ad Villharduinum num* 34. & ex Sanuto *l. c.* ubi de eo ait, *quaſi viſum amiſit*, colligere eſt. Certè & Ægidius Menagius in *Originibus Ital.* verbum hinc *abacinare*, non à *bacino*, ut Commentatores Boccacii & Jac. Pergaminus, ſed à *bacio*, quæ vox Florentinis locum *opacum* ſonat, deducit. Cui ſententiæ roborandæ facit, quòd μυδρίασιν Græci illum appellarunt oculorum morbum, quo *pupilla effunditur & dilatatur, aciesque eius hebeſcit*, uti deſcribitur à Celſo *lib* 6. *cap.* 6. & Heſychio: fortè propterea, quia qui per μύδρον ſeu *ferrum candens*, excæcabantur, eorum ita exiccabatur omnis oculorum humor, ut illorum acies hebeſceret & viſus dilataretur, proindeque, ſi non eſſet omnis videndi facultas adempta, diffuſo eo ſpiritu, per quem videtur, omnia minora, quàm ſint, viderent. Verùm, licèt certum ſit, evenire ſæpe, ut per μύδρον cæcati, lumine non priventur omninò, ſed quaſi per tenebras videant, prior tamen vocis *abacinare* originatio, quâ à *bacino* deducitur, potior videtur, ut ex antedictis patet. Vide quæ de hac excæcandi homines ratione fusè habent Anna Comnena *Alexiad. lib.* 15. *pag.* 480. Pachymeres *lib.* 3. *cap.* 10. Joh. Villaneus *lib* 2. *cap* 13. *lib* 8. *cap.* 36. &c, qui maximam horum partem ſuggeſſit Car. du Freſne *Gloſſar.* de aliis verò excæcandi rationibus, infrà in *Excæcandi ritu.*

Abaciſta, apud Guil. Malmesburienſem *Hiſtor. Angl. lib.* 2. *cap.* 10. de Gerberto Remenſi, *Abacum certè primus à Saracenis rapiens, regulas dedit, quæ à ſudantibus* Abaciſtis *vix intelliguntur*; Et Fridericum II. *de Vineis lib.* 2. *cap.* 42. *Coniungendo pollicem extenſum pollici & replices indicem ad extremitatem policis, & eris modus, ſecundùm quem* Abaciſtæ *tenent ſeptuaginta cum manu, & alii digiti einſdem manus replicentur in palmam ſub duobus illis digitis, ut firmius ſuſtententur, ad ſimilitudinem tenentis numerum ternarium, & ſic ex replicatione indicis, ſuper pollicem & trium digitorum in palma, ſub illis, tenent manum ad formam* Abaciſtæ, *tenentis ſeptuaginta tria*: dictus eſt, qui *Abaco* operam dat, Ratiocinator, Supputator, Latinis; Λογιστὴς Græcis; Barbaris *Algoriſta*; Italis olim *Abbachiere*, nunc *Abbachiſta*; Ab *Abaco* nempe Arithmetico, ſeu menſa pulvere reſperſa, in quo numerorum notas Arithmetici olim delineabant: Unde Martianus Capella ejuſmodi *Abacum* definivit, *menſulam hyalini pulveris reſperſione coloratam.* Perſius *Sat.* 1.

> *Nec qui abaco numeros, & ſecto in pulvere metas*
> *Scit riſiſſe vafer.*

Ubi de contemptore Philoſophiæ loquitur, qui Arithmeticam & Geometriam ridebat. Figura autem ἐν ἀβακι, *in abaco & ſecto pulvere*, h. e. in abaco pulvere conſperſo & multis lineis Geometricis ac numerorum notis ſecto: & fallitur Vir doctiſſimus, qui *Abacum* Arithmeticis tribuit, *pulverem* Geometris; nam *abacus* pulvere conſperſus utriſque inſerviebat: Ariſtophanes in *Nubibus*,

> Καὶ τὴν τράπεζαν καταπάσας λεπτὴν τέφραν,
> Κάμψας ὀβελίσκον, εἶτα διαβήτην λαβών.

de Socrate loquens. At Logiſtis & Calculonibus *abacus* & æra præſtò erant ſine pulvere. Salmaſius *ad Tertullianum de Pall.* vide infrà in voce *Arenarius.* Hinc pro ipſa arte ſupputandi ſeu ratiocinandi, apud Henr. Knyghton *Chron. lib.* 1. *cap.* 3. *Omnium liberalium artium peritus*, Abacum *præcipuè, lunarem compotum & curſum rimatus.* Quam à Saracenis Hiſpanis didiciſſe, regulisque incluſiſſe, primum legimus Gerbertum Remenſem, apud Guil. Malmesburium *l. cit.* & alibi, ubi eum *Aſtrologiam, Abacum, ceteraſque artes* inde hauſiſſe, memorat. Jan. Gruterus *Inſcript. pag.* 224. & Carol. du Freſne *Gloſſar.* Vide quoque infrà, in voce *Abacus.*

Abacot, pileus Auguſtalis Regum Anglorum, duabus coronis inſignitus, vide Henricum Spelmannum *Gloſſario Archæologico.*

Abacus, quaſi ἀνὰ βάσεως, *abſque fulcro*, menſa Logiſtarum de pariete ſuſpenſa: item tabella numeraria: Cujuſmodi menſam ſeu tabellam numerariam, qualis apud vett. Romanos in uſu erat, delineavit deſcripſitque F. Urſinus, ut & Ciacconius *in Explic. Inſcr. Duillianæ & Lib. de Numm.* ac Ant. Auguſtinus *Numiſm. Dial.* 9.

Dial. 9. Et quidem typus ejus, ab Auctoribus his exhibitus. Romanus est, in quo notæ numerales ad antiquas propiùs accedere videntur: Usus sanè is, quem satis superq; indicant calculi ductiles & reductiles, capitati, undeviginti, oblongis alveolis inserti. Calculi quatuor inferiores, unitatis vim singuli obtinent, applicitis tamen numero intercalato. Superior singularis & unicus, item admotus quinque unitates notat. Alveoli unciarii extra ordinem sex calculos continent, quinque infra, unum supra, qui omnes XI. colligunt, pro recepta unciæ divisione in XII. solemnes partes. Semuncia, sic licus, & semisicilicus seorsim comparent, ut videre est in Icone ejus, à Pignorio quoque exhibita *Comm. de Servis.* Alium Marcus Velserus Augustanus publico dedit, qui sic habet: Adversa *Abaci* pars XIX. foraminibus oblongis vel alveolis est distincta. Quorum, octo superiores singuli singulos claviculos ductiles habent, utrinque capitatos, ne excidant: Septem inferiores claviculos habent quaternos, octavus quinque. Notæ interjectæ Θ. I. X. C. ∞. ccIↃↃ. ccccIↃↃↃ IXI Præter duplicem ordinem istum, ad dextrum latus tres etiam alveoli, quorum S. & Ↄ. signati, singulos, 2. duos claviculos habet. Claviculi itaque XLV. omnino, omnes mobiles. Partis aversæ eadem species, & quod pro foraminum ratione necess., totidem alveoli, claviculi item hinc quoque capitati seu umbellati: cæterum notæ nullæ, nec numeri, I d ad *Abaci* angulos pro pediculis lunulæ quatuor, paulo magis, quàm claviculi extantes, quò hi scilicet liberi duci & reduci queant. Usus, quantum datur intelligi, ut in XIV. alveolis, quibus numeri interjecti, claviculi singuli inferiorum alveolorum, tot sive asses, sive quid aliud, cujus calculus ponitur, significent, quot interscriptus numerus alveoli, claviculus unicus, uno plus quam inferiores omnes simul accepti. Exempli causa, claviculi subl. singuli singulos nam I. unum est; omnes simul quatuor: superior autem quinque significat, ergo junctim novem colligunt. Sit addendus decimus, reducuntur isti claviculi, & primus sub X. movebitur, inde secundus, tertius, quartus ad XL. usque, superior addet L. ut colligantur XC. In centenariis, millenariis & reliquis par ratio, cùm abaci numeri per classes dispositi ad novies centena millia excurrant. Alveolus sub Θ. quinque claviculos habet, totidem unciarum indices: superior una amplius, h. e. sex uncias, exprimit, ut unciæ XI. conficiantur, quibus si duodecima adjicienda explendo assi, reducentur isti & ducetur sub I. unus. In tribus alveolis ad dextrum latus, singularis claviculus S. emunciam notat; singularis item Ↄ. sicilicum, h. e. quartam unciæ partem, nam Demetrius Alabandus Ↄ. sicilici notam esse scripsit: duo demum 2. singuli duellas singulas, id est, tertias unciæ partes. Vide formam hujus *Abaci* Augustani apud Pignorium præfatum *edit. ult.* cui eam inseruit Andr. Frisius, unde priscam calculandi rationem, quemadmodum & ex Volusio Mæciano accuratè disces. De *Abaco* Sinensi, adi Theophil. Spizelium *de Re liter. Sinens.* Atque huc respexisse videtur Solon, apud Laertium, ubi ait: *Tyrannorum familiares calculis persimiles videri: quandoque enim maximi esse quandoque minimi pretii*: quod dictum Orontes, an Orœtes, gener Regis Artaxerxis, ad illam computandi artem retulit, quæ digitorum inflexione constat, apud Plut. *Apophth.* Eminet autem in tabella Vett. novenariis, cuius ea laus est, auctore Marciano *lib.*, ut primi versus finem teneat; comprobatâ etiam à nostris ratione qui notas numerales Arabum, quas *cifras* appellamus, eodem limite arctaverunt. Cui verò ratiocinium in familia obtigerat, *Rationis nator* seu à *Rationibus* dicebatur, huicque muneri in domo Cæsarum præficiebatur Libertus, ut ex vet. marmore Lanuvino patet. Sed à calculis seu lapillis minutis, quos antiqui in manu tenentes numeros componebant, dictus est *Calculator* etvus, &c. Vide Pignorium *l. cit.* & infrà, ubi de *Calculis* ac *Calculonibus*.

Abacus, mensa, in qua vasa & pocula ad cœnam reponi solita. *Glossæ* vett. *Abacus*, *Delphica*, Μαγγανον. *Glossæ* vett. MSS. Corbeienses, *Abacus vel Abax pars capitelli, vel tabula lusoria, vel mensa marmorea in qua antiqui mittebant calices* Juvenalis *Sat.* 3.

> *Lectus erat Codro Proculâ minor, urceoli tres,*
> *Ornamentum abaci: nec non & parvulus infrà*
> *Cantharus, & recubans sub eodem marmore Chiron* &c.

Erant autem istiusmodi *Abaci*, qui uni isterium sustinebant, seu Delphicæ, figuræ rotundæ. Unde *Orbis Lacedæmonius* eidem, pro *Abaco* ex marmore Laconico:

> *Et Lacedæmonium pytismate lubricat orbem*;

quod vulgò, sed malè, de pavimento accipiunt Eruditi. Logistici verò, ut & columnarum *Abaci* quadrati fuere: quam formam parietum quoque *Abacis* fuisse verosimile est, quorum cùm mentio fiat apud Vitruvium *lib.* 4. *cap.* 1 & *lib.* 7 *cap.* 4. de illis quædam addere visum est. Cùm Vett. ad ornatum parietum noti non essent picturæ, quibus hodiè totos parietes obtegimus & obtendimus, ornamentum saltem in communi & promiscuo usu non essent, aliis modis exornare eos fuere soliti, ut videre est infrà in voce *Paries*. Inter quos & hic erat, quòd illos *abacorum* formis speculorumque orbibus ex vitro aut alio pellucido lapide distinguerent, illo & vitreis quadratis insertis inducerent. Et specula quidem, quæ in parietes ornamenti causâ inserebantur, rotunda fuisse, Seneca docet *Epist.* 87. *abacos* autem parietum formâ fuisse quadratâ, verius est. Sic enim alternatim distinguebantur parietes *abacorum* speculorumque divisionibus (de quibus ita Vitruvius *lib* 7 *cap.* 3. *Ipsaq; tectoria abacorum ac speculorum divisionibus inter se prominentes habent expressiones*) h. e. figuris quadratis & orbiculatis prominentibus. Unde *specula* & *abaci* junctim positi, apud hunc auctorem, parietibus decorandis. Ita etiam apud Plinium *lib.* 35. *cap.* 1. *Non placent iam abaci, nec specula in cubiculo mi...entia*, &c. Ita verò utraque inserebantur in parietes & immittebantur ut emblemata in pocula; ut non malè hinc *abaci* speculaque *parietum emblemata* vocarentur. Quemadmodum vitreæ quoque istæ quadraturæ, quibus domum suam induxerat Firmus apud Vopiscum, parietum planè emblemata fuerunt: ita enim in parietes illius fuere immissæ ac insertæ, ut in vas solent emblemata; quam ob causam dicit *insertas bitumine aliisq; medicamentis. Insertas*, id est, immissas in parietem & illigatas *Inserere* namque *in*... est, unde *hac inserta*, ἐμβλήματα. Itaque non sic commissæ sunt & continuatæ quadraturæ hæ, ope bituminis aliorumque medicamentorum, ut unum esset ac continuum vitrum, quo Firmi domus erat inducta, ut voluit vir magnus, sed bitumine insertæ & illigatæ erant, ut in pariete fixæ ac colligatæ tenerentur, &c. Salmasius *ad Vopiscum in Firmo* Vide quoque Bernardinum Baldum *de verborum Vitruvian. signific.* ut & infrà in voce *Paries*.

Aballo: adde: Caput est pagi *Aballonensis*, qui in divisione Regni à Carolo M. factâ. *Avalensis*: in *Capitulis* Caroli Calvi *Avalisus*, vulgò *l'Avallonois* dicitur. In hoc ager Vicelliacus ub. quì ante annos 500. scripsit, Hugo Pictavinus Monasterium Viceliacense, à Gerardo Com. fundatum memorat. Significat autem *Avalon* vet. linguâ Gallicâ & Britannicâ, *pomum*, Hadr. Valesius. *Not. Gall.*

Abannatio, ἀπενιαυτισμὸς Græci, annuum denotat exilium, quod indici olim apud Græcos illis solebat, qui involuntariam cædem commisissent, Budæus *in Annotat. l. aut facta.* 16. §. *eventus, ff. de pœn.* Vide Calvinum *Lexic. Jurid.* Sicariorum enim ἀπενιαυτισμὸς pœna erat mors, & bonorum publicatio. Meminit pœnæ hujus seu exilii Euripides *Oreste*:

> Καλῶς ἔθεντο ταῦτα πατέρες οἱ πάλαι.
> Ἐς ὀμμάτων μὲν ὄψιν οὐκ εἴων περᾶν,
> Οὐδ' εἰς ἀπάντημ' ὅστις αἷμ' ἔχων κυρεῖ.
> Φυγαῖσι δ' ὅσιον, ἀνταποκτείνειν δὲ μή.
> *Rectè statuerunt ista Patres prisci.*
> *In oculorum conspectum non permittebant venire,*
> *Neq; in occursum quisquis sanguinis reus esset:*
> *Exilio mutabant, vicissim verò non occidebant.*

Unde Claudius Saturninus *lib. singul. de Pœnis Paganorum*: *Et ideò apud Græcos exilio voluntario fortuiti casus luebantur, ut apud præcipuum Poëtarum scriptum est*:

> Ἔνθ' τι με τυτθὸν ἐόντα Μενοίτιος ἐξ Ὀπόεντος
> Ἤγαγεν ὑμέτερον δ' ἀνδροκτασίης ὕπο λυγρῆς,
> Ἤματι τῷ ὅτε παῖδα κατέκτανον Ἀμφιδάμαντος,
> Νήπιος, οὐκ ἐθέλων, ἀμφ' ἀστραγάλοισι χολωθείς:

Locus est *Iliad.* ψ. Exilium verò in annuum erat, ex hac lege, Τὸν ἀκούσιον φόνον ... *Qui aliàm casu fortasse necabit, annum extra Patriæ fines exulato.* Quam laudat Scholiastes Euripidis *in Hippol.* Isaacus Tzetzes *ad Lycophronem*, & Hesychius. Intra hoc tempus oportebat homicidam placasse eos, quorum jus erat illum cædis postulare: deinde redibat peractis sacris, quibus à cæde lustrabatur; qua de re hæc sonuit ex: ... *Qui aliquem casu fortuito necasset, in annum deportator donec aliquem è cognatis occisi placaris, reverititor verò peractis sacris & lustrationibus*, apud Demosthenem c. *Aristocrat.* è quo discimus, *Abannationem* seu ἀπενιαυτισμὸν hancce deportationem fuisse; Nam damnato casu fortuitæ, pœnæ pendendæ locus certo spatio circumscribebatur: intra verò hoc annuum tempus oportebat placasse aliquem è cognatis occisi: Hesychius, ... Ulpianus: ... &c. Quanquam &, si ante judicium & *abannationem* adversarios placasset homicida, aut eum ipsum, quem morti dabat, annuo hoc exilio non multabatur, uti docet Demosthenes *c. Nausim*. Item *c. Pantænet.* Hanc αἴδεσιν seu *placationem* sequebatur homicidæ κάθαρσις seu *lustratio*, quæ sanguinis fiebat ablutione ab iis, qui *Pharmaci* dicebantur, Eustath. *Od.* χ. Quin etiam Dominus, si quem servum suum occidisset, quamvis nemo ab illo repeteret, ex his Legibus tenebatur volens ἀπέχεσθαι ἱερῶν ... *abstinere à sacris, & ... & purgari*, Antipho *Orat. c. Choreut.* De his autem fortuitis cædibus, apud Athenienses judicabant Ephetæ in illo Foro, cui à Pallade erat nomen prorsus eodem ordine, quo Areopagitæ de præmeditata cæde judicare consuevere. V. infrà ubi de *Homicidio*. Atque illi, qui in hoc Foro causâ vicerant, inter cæsa porrecta hostiarum, illos Judices, qui secundùm se pronuntiaverant, justè pronuntiasse testabantur: sin aliter esset, sibi & familiæ suæ exitium imprecati, Judicibus optima quæque & faustissima voventes, &c. Istius modi

modi porro imprudentem homicidam, ultra terræ occisi patriæ fines, persequi & exagitare non licebat, ex lege Draconis, memoratâ Demostheni *Orat. c. Aristocrat.* Ἐάν τις τὸν ἀνδροφόνον ἢ ἐξελαύνῃ, ὧν τὰ χρήματά ἐστι, πέρα ὅρου ἐλαύνῃ ἢ φέρῃ ἢ ἄγῃ, τὰ ἴσα ὀφείλειν, ὅσαπερ ἂν εἰ ἐν τῇ ἡμεδαπῇ δράσῃ. *Si quis imprudentem homicidam, qui solum verterit, extra Atticam exagitarit, siremps Lege tenetor, quâ is, qui intra Atticam civem Atheniensem exagitarit.* Itaque inter sicarios reputabatur, & dabatur adversùs illum cædis actio: At non dabatur adversùs eum, qui homicidam detulisset, ἐπ' αὐτοφώρῳ deprehensum occidisset, aut rapuisset in jus ad Magistratum, si homicida iis non abstinuisset, quibus illi erat interdictum: Qua de re ab eodem Dracone legem latam, memorat idem Auctor *ibid.* Arcebantur enim Homicidæ sacris, foro, territorio urbis aliisque, exilii sui tempore, quò si venissent, periculum sibi creabant, licebatque illos deferre ac in jus rapere, &c. At si quis imprudens in certaminibus alium necasset, aut insidiantem, aut ignotum in prælio, aut in uxore, vel matre, vel sorore, vel filia, vel concubina, vel eâ, quam in suis liberis habebat, deprehensum, cædis ergò non exulabat, quam legem descripsit iterum Demosthenes, ubi suprà. Etiam si vis illata vi repelleretur, impune erat ex Lege ibidem memoratâ; cujus causas in *Miloniana* Cicero aperit. Sed & tribunal Φρεαττὺς erat, quod ἐν Φρεαττοῖ vocabatur, in quo jus dicebatur illis, qui, cùm imprudentes aliquem morti dedissent, solum vertebant: si igitur nondum placatis & exoratis occisi cognatis, quibus in jus vocantibus damnati fuerant, accusarentur scientes etiam alium occidisse, de nave causam dicebant, Judicibus in terra sedentibus; quorum sententiâ si damnarentur, pœnas dabant voluntariæ cædis: at si secundis absolverentur suffragiorum calculis, solum nihilominus vertebant ob imprudentem cædem. Judicabant autem & hic Ephetæ, uti apud Harpocrationem legimus. Quòd si tandem is, qui cædem fecerat, sive sciens sive imprudens, protinus se fugæ daret, pedemque strueret, aut omnino ignotus esset, ita ut judicio se non vadaret, judicabatur tamen in tribunali, quod ἐπὶ Πρυτανείῳ dicebatur, Pollux *lib.* 8. In quibus omnibus Tribunalibus præmittebatur in jus vocatio, deinde audiebantur testes, sequebatur contendentium διωμοσία, demum jus dicebant Judices, &c. Vide Sam. Petitum *Comm. in LL. Attic. lib.* 7. *tit.* 1. *de Sicariis*,

Abarca, calceamenti genus Hispanis, quo non olim solùm, sed hodieque utuntur, repandorum calceolorum instar, ex caprina seu boaria pelle confectum, ad aspera & montosa loca peragranda aptum, ac propterea pastoribus ac rusticanis hominibus maximè familiare. A cujusmodi calceo cognomentum *Abarca* inditum tradunt Sanctio Navarræ Regi, qui Regnum iniit A.C. 905. quòd in illud primùm venisset, *indutus & calceatus, ac si esset pastor*, ut est in *Histor.* Pinnatensi. De eodem sic Lucas Tudensis, *Fecit sibi & suis militibus de coriis crudis & ligneis viminibus, rusticorum more, calceamenta, quæ vulgariter Avarcas & Baraliones vocant, & noctè Alpes Roscidæ vallis per nives transiit.* Vide Rodericum Toletanum *de Reb. Hispan. lib.* 5. *cap.* 22. Blancam *Commentar. Rerum Aragonic.* & Sebast. Covarruviam *in Thesaur. Linguæ Castellanæ*, laudatos Carolo du Fresne *Glossar.*

Abasni, adde: [illegible] natus est Mahometes, magno elephante vectum cum multis copiis venisse, ut Mecchanum templum exscinderet, sed ab avibus *ababil*, jactis in ejus militumque capita lapidibus ex *siggil* (ita Turcæ vocant Arabesque lapides in inferorum igne excoctos & induratos, cum eorum, in quos cadebant, nominibus inscriptis) fuisse interfectum, tradit infaustus Alcorani auctor *cap. de Elephante.* Ad quam fabulam Damir quoque Arabs alludit, cùm varias hirundinum species recensens, *Singulare unitatis*, inquit, *est semanua. Hujus speciei multæ sunt in templo Charam Mecchanæ urbis, quæ in templi tecto nidificant, in Abrahami statione, in porta filiorum Seibæ. Quidam asserunt, aves esse ababil dictas, per quas Deus castigavit socios elephantis:* apud Bochartum *Hierozoici part. poster. lib.* I. *cap.* 10. Vide quoque suprà in voce *Ababilo.*

Abacti, pastores latrociniis dediti. Vide *Nov.* 142. *cap.* 2. & Gothofredum *ibid.* & ad *l. si quis* 11. *verb. pastor. C. de accus.* Joh. Calvinus *Lexic. Jurid.*

Abatis, in *Distichis* Magistri Cornuti seu Johannis de Garlandia,

Sunt Anaphos, Piscina, Batos, Abatis, *Cocus, Orcham.*

Ubi *Gloss. A Bato dictum Abatis, est mensura, quâ mensuratur prebenda avena, quæ datur equis in abatia, vel aliis ad hujus officium deputatis.* Hinc *Abatis* nomen officii, Papias: *Abatis subauditur Præpositus, id est, qui batos, id est, mensuras regias, dispersit.* Alibi *A batis, qui præest mensuris. Batus* autem, ut Guil. Brito habet in *Vocab. MS. in Gallico, Provender, sc. præbendarium vas, cum quo avena distribuitur equis.* Breviloquus: *Abatis qui vel cum bato dividit avenam, vel alia frumenta.* Unde Ebrardus Bethun.

Abatis ad cœnam, dat equis Abbatis avenam.

Nempe talis dictus est *A batis*, ut *A secretis*, *A calicibus*, qui sc. bato præest. Cujus munus quale fuerit, bellè describitur, in *Bulla aurea* Caroli IV. Imper. *cap.* 27. *Imperatore vel Rege ipso, in sede regia, sive solio Imperiali sedente, Dux Saxoniæ officium suum agat hoc modo. Ponetur enim ante ædificium sessionis Imperialis vel Regiæ, acervus avenæ, tantæ altitudinis, quòd pertingat usque ad pectus vel antelam equi, super quo sedebit ipse Dux, & habebit in manu baculum argenteum & mensuram argenteam, quæ faciant in pondere* 12. *marcas argenti, & sedens super equo, primò mensuram eandem de avena plenam accipiet, & famulo primitus venienti ministrabit eandem: quo facto, figendo baculum in avenam, recedet & Vicemareschallus ejus, putà de Pappenheim, accedens, vel eo absente Mareschallus Curiæ, ulteriùs avenam ipsam distribuat.* Unde colligitur *Abatis* & Marescallorum idem officium fuisse. Jam verò palàm & publicè in Magnatum ædibus avenam officialibus ac domesticis distribui consuevisse, à Camerariis & Seneschallis, docet ex vet. *Poem.* Gall. MS. *de Parise la Duchesse*, & ex Bertrando Clerico *in Poëm.* de Girardo Viennensi itidem MS. Car. du Fresne. Vid. & Spelmannum *Glossar.*

Abba, vide *Abbas.*

Abbacomites seu *Abbicomites*, Comites dicti sunt ac Nobiles, quibus olim à Regibus datæ erant Abbatiæ & Ecclesiæ jure beneficii, seu, ut aiunt, in *Commendam.* Hinc de Hugone Gerbertus *Epist.* 17. *Scire cupis. an Hugo, quem vestrâ linguâ* Abbacomitem *dicitis, uxorem duxerit.* De eodem Hugo Flaviniacensis *Chron. part.* 1. *cap.* 15. *Cui tamen plurimum restitit Hugo Autissiodorensis, qui* Abbicomes *dictus est, cujus cognatam Constantiam Robertus (Rex) habebat uxorem.* Idem *Abbas-Comes* vocatur Baldrico *Chron. Camerac. lib.* 1. *c.* 70. &c. Factum autem illud, ob Reip. necessitates & tuitionem, à Regibus Franciæ, observat du Fresne, ex *Capitulis* Caroli M. *lib.* 5. *cap.* 181. Concilio Aquisgran. II. *cap.* 3. *Can.* 19. Meldensi, A. C. 845. *can.* 9. Synodo ad Theodonis villam in *Capitul.* Caroli C. *tit.* 2. *cap.* 3. & 5. Ivone Carnutensi *Epist.* 181. &c. Et quidem id primum fecisse Carolum Martellum consentiunt Scriptores omnes, eoque nomine *æternaliter perditum* seu damnatum clamavere quidam, ut est apud Baronium A. C. 889. *num.* 31. Post quem, invalescente sensim usu, complures istiusmodi *Abbates* facti leguntur. Inter quos Maefridus Comes, qui Abbatiam S. Dionysii *regio tenebat jure beneficiario*, sub Lothario Imp. apud Doubletum: Adelinus Comes, qui ex concessione Caroli Calvi *Rector Monasterii S. Petri & S. Bavonis*, constitutus est, apud Miræum *Cod. donat. piar. lib.* 1. *cap.* 18. Isaacus Comes Cameracensis, qui eodem jure regiam ac locupletem Abbatiam S. Gaugerici tenuit, apud Baldricum *Histor. Camerac. lib.* 1. *cap.* 70. ut alios Comites innumeros omittam, quos Monasteriorum atque Ecclesiarum sese inscripsisse *Abbates*, apud Auctores passim legitur. Vide eorum aliquot apud Besliuṁ *Hist. Comit. Pictav. cap.* 1. Atque hi seculares Abbates statuebant *Decanos, qui curam haberent Monachorum*, uti discimus ex Continuatore Aimoini *cap.* 42. Interdum etiam Monachis ipsis præerat Monachus cum nomine ac titulo *Abbatis*: cujusmodi Abbates, *Abbates Monasticos* etiam fuisse appellatos, observat Hemereus *in Augusta Viromanduorum pag.* 114. ex Serm. de *Tumulatione* S. Quintini. Exinde Reges ipsi, qui Proceribus istis successerant, sese perinde *Abbates* inscripserunt: ita Reges Philippus I. Ludovicus VI. atque adeò Duces Aurelianenses *Abbates Monasterii S. Aniani Aurelian.* inscripti leguntur, apud Hubertum *in Histor.* ejusdem Eccl. Qua de re sic *Chron.* Turonense: *Obiit Hugo præpotens Abbas Ecclesiæ beatissimi Martini & Dux Francorum. Inde Galliæ Reges sibi* [illegible] *Abbatis Protectoris S. Martini: & in primo ingressu Regis in Ecclesiam recipitur cruce erectâ à Clero ejusdem Ecclesiæ & præstat juramentum conservationis privilegiorum.* Sed & Duces ac Comites Galliæ eosdem sibi arrogavere titulos, ut hæreditarios, cùm & Monasteriorum bona non modica sibi retinuissent ac asseruissent, ex quo eorum decessores jure beneficiario ab Regibus easdem Ecclesias impetrarant; quas, ut Ducatus ac Comitatus suos, quos eodem jure, h.e. ad vitam possidebant, ad posteros, inclinatâ & profligatâ Regum auctoritate, transtulerunt. Hinc passim legimus, Duces Aquitaniæ *Abbatum S. Hilarii Pictaviensis*, Comites Andegavenses *S. Albini & S. Licinii*, Comites Pontivenses *S. Wlfranni*, Comites Viromandenses *Abbatum S. Quintini*, titulis fuisse usos. Cujusmodi verò Abbatiarum & Monasteriorum invasiones ac usurpationes non semel prohibitas, observat præfatus du Fresne, præsertim in *Capitul.* Caroli M. *lib.* 6. *cap.* 321. Verùm licèt Pontifices ipsique Episcopi erga Reges ac Principes, ut à Monasteriis seculares submoverent, Ecclesiasque Monachorum juri addicerent, subinde instarent; vix tamen id obtinuere, nisi sub initium Capevingorum seu tertiæ Regum stirpis; ut infrà dicetur: cùm ii hac excusatione se tuerentur, res Ecclesiasticas sublatas ex integro restituere non posse, *ne suæ Reip. militiam defraudare viderentur*, ut est in *Epist.* Nicolai I. Pontif. Rom. *ad Odonem Epist. Belvac.* apud Loisellum, &c. Vide Car. du Fresne *Glossar.* ut & infrà in vocibus *Abbas*, *Abbates* & *Archiabbas.*

Abbas, Gall. *Abbé*, Germanis, *Abt* vel *Apt*, à voce Chald. & Syr. אבא, quæ ex Hebr. אב *Pater*, ortum trahit, nomen est dignitatis, in Communione Rom. non Secularis minùs, saltem olim, quàm Ecclesiasticæ. Et quidem, quod posteriores, ut de illis priùs dicam, attinet: Cùm olim non in Ecclesiis solùm, à Catechesium Magistris, sed & in Episcopiis seu Episcoporum domibus, ut & Monasteriis, sacra Sapientia traderetur; posteaque, cùm non omnes Episcopi ad id munus apti essent, cœtus Canonicorum emergerent, qui Collegia Scholasque, quæ in Ecclesiis Cathedralibus

libus erant, regerent, collegiorum præfecti *Præpositi*: Monasteriorum verò *Abbates* dici cœperunt; utrique tamen Episcopis subjecti. Qui omnes, nempe *Episcopi*, *Præpositi*, *Abbates*, ab Imperatoribus Principibusque primitus constitui, & hi quidem *per baculum & ferulam* investiri solebant, usque ad tempora Friderici I. Barbarossæ, quibus Pontifices ad se jus istud traxere. Ita antiquis temporibus, sine Imperatorum Principumque, aut Advocatorum, qui Cœnobiis à Superioribus dati erant, scitu & auctoritate, *Abbatibus*, circa prædia redituusque ad Cœnobia pertinentes nihil licebat, viguitque hæc formula: *Complacuit mihi Abbati N. unà cum consensu fratrum, nec non Advocato nostro N.* Vide infrà in voce *Advocatus*. Successu temporis Episcopi Abbatesque, quorum consiliis frequenter Principes usi, multum auctoritatis in Aulis sensim nacti sunt, factumque inter alia, ut quatuor *Abbates Imperii*, *Fuldensis* vid. *Weissenburgensis*, *Campidonensis*, & *Murbacensis*, an ab Ottone III. an à Carolo IV. crearentur. Donec, lite inter Imperatores Pontificesque de Investitura, acerrimè fervente, hisque tandem prævalentibus, plurima Monasteria Romanæ sedi, excusso non Principum modò, sed & Episcoporum, quibus à primævæ institutionis tempore parere tenebantur, jugo, se submiserunt. Quo pacto, à Pontificibus, Bullas exemtionis *Abbates* nacti, varia insuper privilegia, decimas quoque, consecuti sunt, opibus potentiaque hoc pacto indies crescentes. In quos abusus Bernardus, ipse postea Abbas Claravallensis, graviter sed frustra invectus est. Paulo pòst enim, jus etiam cudendæ monetæ, ut & supremam in criminalibus causis potestatem adepti, tandem in Principum numerum recepti sunt, à Carolo IV. Imp. quæ dignitas Basilio, Cassiano, Benedicto ipsi olim ignota, *Benedictinorum Cœnobiorum Abbatibus*, præprimis collata legitur, apud Stumphium *lib. 5. de Turgovia, cap. 3.* Sed & *Abba*, seu *Abbas*, Secularium olim titulus apud Gallos fuit, etiam Baronibus, Comitibus, Ducibus Principibusq; tributus v. suprà: nempe secundùm Canonistas *Abbas potuit* (quis) *esse, & non Presbyter*: Et Joh. de Turre Cremata super *Distinct. 69. etiam Laicus*, inquit, *potest esse Abbas, V. & dist. 93. à Subdiacono.* Sed nec ipsi Monachi olim Clerici erant, ut *Caus. 16. q. 1. c. 4. & Dist. 93. c. 5.* in *Gloss.* ad verbum *Abbas*. Dispositio autem *Abbatiarum*, penès Reges fuit & Fundatores: statutumque fuerunt à Bonifacio III. qui floruit A.C. 610. ut Clerus & Populus Episcopos eligerent, Reges autem Abbatias conferrent: quas illi ideo suis Nobilibus & Ministris elargiti sunt. Hoc ipsum fecisse videntur Carolus M. & Ludovicus Pius Impp sub initio regnorum suorum, vide Auctorem *vitæ Ludov. Pii*, & Aimoin. *in Gest. Franc. lib. 5. capp. 1. & 36.* Cùm autem Laici, nimiâ suâ rapacitate, non solùm Cœnobia, sed & Episcopatus compilarent, relicto vix Episcopis ac Cœnobitis, unde viverent, Carolus M. An.C. 789. regni sui 21. hæc omnino prohibuit, edicto Aquisgrani hac hac publicato: Paternoque exemplo motus, Ludovicus Pius lege cavit, *ut Episcopi per electionem Cleri, & Populi suæ diœcesis; Abbates ex suis Monachis à seipsis eligerentur.* *Capitular.* Caroli & Ludovici *lib. 1. tit. 84. & 86.* Verum Carolus Calvus, Ludovici filius, itemque fratrem uxoris suæ Bosonem, mox Regem futurum, Abbatiâ S. Mauritii donavit; aliisque alias integrè, alias divisim tradidit, Aimoin. *lib. 5. capp. 24. & 34.* Hinc ipsi illustrissimi bellicosissimiq; Proceres seculares, *Abbates* dicti sunt. Unde idem *cap. 42.* *Gens Normannica peregisset inchoata, nisi Hugo per Gallias* Abbatis *honore præditus, strenuè Remp. gubernans, eorum temerarios compescuisset ausus*: Et Albo in *obsid. Lutetiæ lib. 2.*

Tempestate sub hac Hugo Princeps obit Abbas.

De alio Hugone *Abbate*, Annales Francor. incerti Auctoris in A.C. 881. *Rex*, inquiunt, *in Galliam profectus, Hugonem Hlotharii R. ex Waldrada filium ad se venientem, in suum suscepit dominium, & ei Abbatias & Comitatus in beneficium dedit*, &c. Hoc modo Robertus Comes seu Marchio Parisiorum, sub excessu Caroli Simplicis, A. C. 921. Hugo M. Dux Francorum, sub ingressu Regis Rodulphi An.Chr. 923. & Hugo Capetus, qui Rex Franciæ evasit, A.C. 987. Avus nempe, Pater & Filius, *Abbatum* titulos assumsere, Aimoin. *lib. 5. capp. 42. 43. & 45.* Nec immeritò, cùm opulentissimas Abbatias S. Dionysii, S. Germani à Pratis, S. Martini Turonensis, pariterque alias plures, quasi hæreditariò possiderent. Interim consuetudini huic vehementer ab Ecclesiasticis reclamatum est, Flodoard. *hist. Remensis Eccl. lib. 4. cap. 7.* Nihilominus illa diutiùs perstitit: Unde Suidegerus *in Chron. Dionysiacis*, scribit: *Qui in Chronicis* Abbates *dicuntur, non sunt Monachi, sed Barones, & Proceres seculares, quibus Rex Abbatias fruendas ad tempus concedit.* Paradinus quoque refert *in Annal. Burg. lib. 2.* A.C. 1103. se vidisse monumenta complura, in quibus Proceres Galliæ his nominibus usi sint, *Dux & Abbas: Comes & Abbas.* Idem profert Chartæ veteris exemplar, in quo *H de Bello loco Abbatiam Savigniaci, antecessorum suorum & suam semper fuisse & esse debere*, contendit: è quo liquet, Abbatias alias hæreditariò fuisse concessas. Non deleverunt autem Proceres, quas acceperunt, Abbatias, sed cum *Abbatis* nomine, Monachos emunxerant Abbatiarum proventibus atque pinguedine, prædiis inter milites suos dispartitis, Decanisque aliquando substitutis, qui Abbatiarum curam satis frugaliter administrarent, vide Aimoin. iterum *lib. 5. capp 34. 42. 43. & 44.* Hugo tandem Capetus, postquam Rex factus est, Monasteria cœpit Ecclesiasticis cedere; & succedente in regnum filio ejus Roberto I. A. C. 999. in desuetudinem sensim Seculares hi *Abbates* abiere, ut ex eodem Aimoino patet *cap. 34. dicto*: Mansere tamen eorum apud Scotos Anglosque rudera, usque ad hæc tempora. Neq; verò mos hic intra Occidentis fines sese continuit, sed & inde in Orientem transiit; uti patet ex Joannis Patr. Antiocheni qui sub XII. seculi initium vixit, opusculo haud pridem à Jo. Baptista Cotelerio edito, quo demonstrare conatur, Ὅτι οἱ τὰ Μοναστήρια διὰ δωρεῶν λαμβάνοντες, εἴτε Ἀρχιερατικά, εἴτε Βασιλικά, καὶ ὅτι τὸ μοναστήριον κέρδος ἔχοντες, ἀσεβοῦσι. *Quòd ii, qui pro muneribus Monasteria capessant, sive Pontificalia sive Imperatoria seu Regalia, quiq; lucrum ex iis captent, impietatis rei fiant.* Ubi pauca superfuisse docet Monasteria sua tempestate, quæ viris Laicis ad vitam, vel duorum aut trium hæredum, quo modo apud Gallos precariæ dari solebant, non essent collata à Principibus; graviterq; proin invehitur in ejusmodi Χαριστικαρίους, *i.e. Beneficiarios*, ut vocat. Verùm tantopere hæc consuetudo radices egerat, ut Theod. Balsamo *ad can. 13. VII. Synodi* hæc ipsa Præsulis hujus scripta improbare non fuerit veritus. Jid.

Abbas, Genuensibus dictus est Prætor, seu Rector Populi. Unde in conventionibus initis inter Carolum Regem Siciliæ, & Commune Genuæ A.C. 1307. in *Bibl.* Regia, non semel mentio fit *Nicolai Frambe, Abbatis populi*. Quâ eadem nomenclaturâ prætereà donatus est is, qui Peræensibus seu Galatinis (vid. in voce *Pera & Galata*) conterraneis imperitabat, eò à Republica Genuensi Legatus seu *Consul*, ut aliæ Europæ nationes vocant, missus. Ita enim hac de re Pachimeres *lib. 13. cap. 27.* Γενουΐται μὲν ἐν οἷς κατὰ πόλιν ἀρχὴ στέλλουσι παρὰ τοῦ σφῶν συνεδρίου Ἀββᾶν δεξάμενοι δηλοῖ δὲ ἡ φωνὴ τὸν ἡγεμόνα. Ἔχει δ᾽ οὗτος τοῦ δήμου προστασίαν, ὡς παρὰ Ῥωμαίοις ὁ Πραίτωρ τοῦ δήμου πάλαι. *Genuenses igitur, qui in urbe, jam primùm à suo Senatu* Abbatem *cùm accepissent: Significat autem hoc vocabulum Ducem, habetque talis Præfecturam populi, sicut apud Romanos Prætor olim Urbanus.* Vocis rationem hinc arcessit du Fresne, quòd præcipuæ nobilitatis viros Genuenses olim *Antianos* seu Γέροντας vocaverint, quomodo apud Suidam Δημογέροντες, οἱ τῷ δήμῳ σύμβουλοι olim dicti. Hesychius, γέροντες, ἔντιμοι, *senes, honorati.* *Abbas* autem seu *Abba*, quæ Syriaca vox est, Lat. *Patrem* notat. Augustinus *Epist. 177.* *Paulus dicit Romanis, In quo clamamus, Abba Pater, in uno nomine duabus utitur linguis: dicit enim Abba Hebræo vocabulo Patrem & Latinè nominat identidem Patrem.* Hinc Ebrardus Bethun. in *Græcismo*,

Abba Pater signat, hinc Absalon exit & Abbas.

Et Fortunatus *lib. 3. Poëm.* 10. ad Paternum Abbatem,

Nominis officium jure, Paterne, geris, &c.

Car. du Fresne *Glossar.* Vide quoque eum in *Appendice*, ubi Brixiæ Decurionum Primores & Mediolani Collegiorum ac Sodalitiorum, imò Mercatorum atque Opificum Præfectos, *Abbates* etiamnum appellari, observat ex Octavio Ferrario *in Originibus Linguæ Ital.* & Dante *in Purgat. Cant. 26.*

Abbas Abbatum, titulus insolens & inauditus, quo in Synodo Rom. se ipsum appellavit Pontius Cluniacensis Abbas. Quam ob causam à Joh. Cajetano Papæ Cancellario cùm esset interrogatus, Cluniacenses à Casinensibus, an hi ab illis Regulam accepissent, atque is respondisset, non Cluniacenses modò, verùm omnes in Romano orbe Monachos Regulam S. Benedicti à Casinensi accepisse Cœnobio: Ergo, regessit Cancellarius, prærogativa hæc Casinensi Abbati jure debetur. Petr. Diaconus *Chron. Casin. lib. 4. cap. 62.* Et certè, apud Leonem Ostiensem *lib. 2. cap. 54.* Odilo Cluniac. Abbas, cùm Casinum venisset, & ab Abbate Casinensi Theobaldo Pastoralis baculus ei offerretur in processione, illum accipere renuit, dicens, *contra fas omne se ducere, quempiam Abbatum manu pastoralem præferre virgam, ubi Benedicti Vicarium*, Abbatum *scilicet omnium* Abbatem *adesse contingeret.* Concessisse autem Casini Abbati id prærogativæ, ut cæteros ejusdem ordinis Abbates in consessibus præcederet, discimus ex *Bulla* Paschalis II. Ann. Chr. 1113. in *Bullario* Casinensi *tom. II. p. 130.* & *Charta* Lotharii Imp. A. C. 1137. *Ibid. p. 157.* Etiam Nicolaus I. Pont. Rom. Desiderium Abbatem Casinensem *Vicarium suum* constituit, *ad correctionem omnium Monasteriorum & Monachorum*, intra præfinitos limites, in *Bulla*, quam descripsit Angelus à Nuce *ad lib. 3. Leon. Ostiens. cap. 13.* Et in Canone Missæ, ejus mentio fit, in sua quasi Episcopali jurisdictione, quod nulli alii Abbatum concessum est, Angelus de Nuce *Not. ad Chron. Casinense lib. 1. cap. 4.* &c. In Germania omnium Abbatum Primas Abbas Fuldensis est, qui proin in Comitiis sedet ad pedes Imperatricis, cujus Cancellarius est. Hornius, non Germaniæ solùm, sed & Galliæ Abbatum eum Primatem facit *Orb. Politic. p. 185.* In Britannia Ins. S. Columbani Abbatis successores præcipui fuere olim, eò quòd Britanniæ ille fuisset Apostolus; imò Episcopis etiam antelati. Vener. Beda *Histor. Anglic. lib. 3. c. 4.* *Habere autem solet ipsa Insula Rectorem semper Abbatem Presbyterum, cujus juri & omnis provincia & ipsi Episcopi ordine inusitato debeant esse subjecti.* Sed & Abbati Ord. Cisterciensis, concessu Innocentii VIII. A.C. 1489. præ aliis indultum, ut Sacros Ordines possit conferre, Subdiaconatus sc. ac Diaconatus. Abbas itidem S. Pauli Romæ, ex privilegiis Innocentii III. A. C. 1203. Honorii III. A. Ch. 1218. & Gregorii IX. A. C. 1236. quando ordinatur Sacerdos à Papa, habet facultatem canendi Missam

Missam Pontificaliter in Patriarchico altari ejusdem Basilicæ &c. Fuit & in Ecclesia CP. dignitas quædam, quæ Α'ρχων τῶν Μοναστηρίων dicebatur, cujus meminit Theostericus in *Vita S. Nicetæ num.* 43. & Johannes Cantacuzenus *lib.* 1. *cap.* 50. Unde apud Byzantios Hegumenus seu Abbas Monasterii *Dalmati* dicti, cæteris Monasteriis quoad supremam in disciplina Monastica potestatem præfuisse legitur: quo nomine dicitur idem Dalmatus in Concilio Ephesino, Πατρὸς τῶν μοναστηρίων ἢ Α'ρχιμανδρίτης, πατὴρ μοναστηρίων, *Senior & Archimandrita, Pater Monasteriorum.* Ita *Catholicus* seu *Abbas* & *Hegumenus Universalis* dictus reperitur Eutychius, antequam Patriarchatum CP. consequeretur, quòd omnium in Urbe Imperatoria Monasteriorum cura ei esset demandata, ut tradit in *Vita* illius Eustathius *num.* 18. S. Benedictum tandem Abbatem Anianæ, ab Imperatore cunctis in Regno suo Cœnobiis præfectum, ut *sicut Aquitaniam Gothiamque, ita etiam Francos, salutifero imbueret exemplo*, tradit Ardo illius discipulus *cap.* 8. *num.* 36. V. quoque *Chron.* Farfense *pag.* 671. Plura verò apud Car. du Fresne *Glossar.* & Macros Fratres *in Hierolexico* passim, inprimis in voce *Abbas.*

Abbas Canonicorum, nempe Regularium, aliàs quoque *Abbas Canonicus*, cujus mentio in Concil. Aquisgran II. *cap.* 2. opponitur *Abbati Monachorum can. seq.* V. quoque *Capitul.* Caroli M. *lib.* 5. *cap.* 79. *Præceptum* Ludovici Pii pro Monasterio S. Columbæ Senon. Concilium Parisiense *cap* 37. Ordericum Vitalem *lib.* 6. *Epistol.* 276. *Tom. IV. Hist. Franc.* &c. Refert Molanus *de Canonic. lib.* 2 *cap.* 5. esse quasdam Canonicorum Ecclesias, in quibus *Abbas* sit secularis Præposito dignior (cujusmodi in Diœcesi Leodiensi 12 recensentur in *Chron.* Leodiensi in *Richario cap.* 43.) qui quidem *Abbates* nominetenus ita nuncupentur, nullo cæteroquin Abbatum habitu, atque adeò nec mitrâ nec pedo donati, etsi primum in Canonicorum consessu locum obtineant. Negatque, hanc Abbatum nomenclaturam supremæ Collegiorum Canonicalium dignitati inditam, quòd in iis, ubi superest Ecclesiis vel Collegiis primitus Monachi fuerint, cùm pro certo haberi debeat in plerisque, ubi adhuc ea appellatio viget, tales neutiquam eos extitisse, apud Eund. V. quoque suprà, ubi de *Abbacomitibus.*

Abbas Capellæ Palatinæ, primitus dictus est, qui Palatino Oratorio seu Sacello erat præfectus, *Presbyter* quoque *Palatii*, postea *Capellanus* dictus. *Vita* S. Sulpicii Pii Episc. Bituricensis *num.* 10. de Chlotario R. *Illico Episcopum poscit ut pro salute sua ac exercitus sui licentia daretur, ut vir beatus in suis castris* Abbatis *officio potiretur.* Id est, ut Capellæ Regiæ præesset. Quam eandem *Abbatis* dignitatem Angilberto Archicapellano, sub Carolo M. tribuit Hadrianus Pontif. Idem *Primicerius Palatii* Alcuino *Epist.* 42. *Sanctæ Capellæ Primicerius*, eidem *Epist.* 79. *Sacri Palatii Antistes*, Hilduino apud Agobardum *Epist. ad Proceres Palatii*: *Clericorum* tandem *Summus*, Hincmaro in *Epist. ad Carolum C.* de vita Dionysii, dictus reperitur. Dignitas ejus *Abbatia Palatini Oratorii*, vocatur in *Vita* Desiderii Episc. Cadurc. *cap.* 3. &c. V. Car. du Fresne in voce *Capellani.*

Abbas Cardinalis dictus est apud Auctores, cui privilegium ac nomen *Cardinalis* est indultum: quod obtigisse in perpetuum Abbati Cluniacensi (de cujus prærogativis suprà quoque actum) confert Hugo Monachus Cluniacensis *Epist.* ad Pontium Abbatem Cluniac. ubi Calixtum Pontif. Rom. cùm venisset Cluniacum, *communi suorum assensu assidentium largitum esse Cluniacensi Ecclesiæ speciali & propriæ suæ, ut Abbas Cluniacensis semper & ubique Romæ fungatur officio Cardinalis*; idque Bullâ ac privilegio edito statuisse scribit. Aliâ notione in *Bulla* Urbani II. A.C. 1097. apud Joh. Mabillonium *Vitar. Ord. S. Bened. Tom. IV. pag.* 448. occurrit *Abbas Cardinalis*: *Placuit — ut utrique loco sicut antea fuerat, Abbas Cardinalis restitueretur.* Ibi enim *Abbas Cardinalis*, exponitur Carolo du Fresne *Abbas in Capite*, ut habet *Charta* Guilielmi Episc. Trecorensis, apud Augustinum du Pas in *Stemm. Ponteurensi pag.* 17. Gall. *Abbé en chef, en titre.* Agitur namque de duabus Abbatiis simul unitis & hac Bullâ à se invicem separatis, quibus dati sunt *Abbates* proprii ac *Cardinales*, du Fresne *Glossar.* V. quoque infrà *Episcopi Cardinales.*

Abbas Chorepiscopus, qui Chorepiscopi munus obit, apud Perardum *pag.* 148 &c.

Abbas Palatii, idem cum *Abbate Capellæ Palatinæ*, Vide suprà.

Abbas Præbendarum S. Matthæi, apud Corbejam dictus Radulphus Archidiaconus Pontivensis, in vet. *Charta* Fundationis duarum Præbendarum, in Ecclesia Folliacensi ad Corbejam A. C. 1211. in *Spicilegio* Acheriano *Tom. XIII.*

Abbas Secundarius seu *Secundus* in *Regula* S. Benedicti *cap.* 65. de Præpositis: *Qui æstimantes se secundos esse Abbates, assumentes sibi tyrannidem, scandala nutriunt.* Et apud Sidonium *l.* 7. *Ep.* 17. *Quaso ut Abbas sit Frater Auxanius supra Congregationem, tu verò & supra Abbatem*: dictus est Præpositus Monasterii, seu, ut hodie eum vocant, *Prior*, quòd vices ageret Abbatis primarii. V. Savaronem *ad Sidonium* & Car. du Fresne *Glossar.*

Abbas Superbus, V. infrà *Pica Brasilia.*

Abbates, etiam dicti in Ecclesia Rom. il. quos *Curatos primarios*, Gall. *Curez Primitifs*, appellant. Ex vett. enim instrumentis ait du Fresne constare, Parochiales omnes Ecclesias & civitatis & diœcesis habuisse Ministrum unum maximum, alterum medium, tertium infimum: quorum primus *Abbas, Custos*, & tandem *Rector*; medii *Presbyteri* & tandem *Capellani*; infimus *Sacrista* appellatus fuerit, qui Abbati & Presbyteris inserviens, peregerit minoris in Ecclesia momenti negotia. Additque, *Abbatem* illiusmodi seu Rectorem curam habuisse *in habitu*, eique licuisse per se ipsum ministrare Sacramenta: Sed præsertim illius munus fuisse, ut universæ Parochiæ invigilaret, videretque an Presbyter officio suo ritè fungeretur, ex Michaele Monacho in *Sanctuario Capuano*, & Ughello *Ital. Sacr. Tom VII. pag.* 505. *& seqq.* Aliàs Latinis Græcisque Scriptoribus *Abbates*, in genere, dicti sunt Monachi omnes, præsertim senio ac vitæ sanctimoniâ venerandi: quâ notione hodie *Patres* quoque vulgò appellantur. Lexicon Gr. MS. Reg. Cod. 2062. Α'ββᾶς ὁ γέρων, ὁ πατὴρ, *Abbas Senex Pater.* Hinc *mille Abbates sub uno Archimandrita* esse dicuntur, in *Regula* S. Columbani *cap.* 7. ut & apud Epiphanium *de Locis SS.* Ε'χει δὲ ἡ αὐτὴ μονὴ Α'ββάδες χιλίους καὶ χίλια κελλία, *Monasterium Monachos* seu *Patres mille continet & cellulas mille*: in iis sc. non numeratis qui vulgò Monasterio & Monachis inservire consuevere, &c. Hinc Johannem Ducam Cæsarem, à Byzantiis, quos ille cum Alexio Comneno obsidebat, per contumeliam Α'ββᾶν vocitatum esse, quia propter affectatam tyrannidem à Michaele nepote in Monasterium detrusus & Monachus factus fuerit, refert Anna Comnena *Alexiad. lib.* 2. Sic *lib.* 13. Basilium Monachum Bogomilicæ hæreseos auctorem, τὸν δαιμονιώδη Α'ββᾶν, *Dæmoniacum Monachum*, & Cedrenus Monachum, qui Philippicum imperaturum vaticinatus fuerat, ψευδαββᾶν, *Pseudo-Monachum*, appellant. Ut alios omittam, quos laudatos vide apud Car. du Fresne *Glossar.* Fuisse tamen ex Monachis sanctitate & vitæ integritate illustribus, qui, *Patris* nomen à se amoliti, *Fratrum* compellatione contenti fuerint, docet Bernardus *Epist.* 62. Guigo Prior Majoris Carthusiæ, apud Petrum Vener. *lib.* 1 *Epist.* 25 ipseque Petrus *Epist.* quæ inter Epistolas Bernardi extat 353. Quod etiam probasse videtur Hieronymus *Epist. ad Galat. lib.* 2. & in *Matth. lib.* 4. *nullum Patrem vocandum nisi Deum*, ex Evangelio docens &c. Propriè verò & communiter *Abbates* dicuntur, Præfecti in Monasteriis, ut vidimus suprà; quibus proxima post Episcopos dignitas, quos proinde tam in sessionibus, quam in subscriptionibus, immediatè sequuntur. Quod enim de S. Columbani Abbatis successoribus in Britannia Ins. suprà diximus ex Beda, peculiari illis privilegio est indultum. Ab Episcopis mitrâ, annulo atque sandaliis distinguuntur quorum usu *Abbatibus* (nisi per privilegium speciale, ut infrà videbitur) interdictum. Bernardus *Epist.* 42. *ad Henricum Senon. Archiep. Verùm apertè indicant quidam horum quid cogitent, dum multo labore ac pretio Apostolicis adeptis privilegiis, per ipsa sibi vendicant insignia Pontificalia, utentes & ipsi more Pontificum mitrâ, annulo atque sandaliis: sanè si attenditur rerum dignitas, hanc Monachi abhorret professio; si ministerium, solis liquet congruere Pontificibus &c.* Hinc Petrus Blesensis, qui floruit A.C. 1200. vehementer miratus est Willhelmum, in Sicilia Monachorum Abbatem, Pontificalia indumenta usurpasse: *Detulit mihi*, inquiens *Epist.* 90. *quidam nuntius vester, qualiter Dominus Papa vos mitrâ proprii capitis, aliis ornamentis Episcopalibus insignivit. De benedictione gaudeo, sed insignia Episcopalis Eminentiæ in Abbate nec approbo, nec accepto. Mitra enim & annulus & sandalia in alio, quàm in Episcopo, superba quædam elatio est.* Sed nec in Canone Missæ *Abbatum* ulla mentio (excepto Casinensi, de quo suprà) verùm in Abbatiis quæ sunt nullius diœcesis, vicinior Episcopus, ad quem pro ordinationibus solet recurri, statim post Pontificem nominatur, omisso Abbatis nomine, Gavant. *in Rubr. Miss. part.* 3. *tit.* 8. apud Macrum in *Canon Missæ.* Imò etiam qui Mitræ baculique jus habent, ad distinctionem Episcoporum, Baculo uti debent Abbates pendente velo; neque in sacris solennibus septem candelas, sicut Episcopi, sed sex solùm adhibere possunt, qua de re infrà, in voce *Abbates Mitrati* &c. Porrò antiquitus magnâ solennitate Abbatis anniversarium à Monachis celebrari consuevisse, legimus in *Vita* Euphroniæ. Sanctarum catalogo in Commun. Rom. illatæ: *Una autem die anniversaria, quando ordinatus est Abbas Monasterii — misit Abbas unum de Fratribus ad Paphnutium, ut invitaret eum ad anniversarium* Abbatis, apud Dominicum Macrum *Hierolexico.* De Abbatibus *Imperii* V. infra.

Abbates Canonici dicti, qui Presbyteri, non Monachi fuere, qualis Grimoaldus, undecimus Abbas S. Galli fuisse legitur, apud Stumpfium sub fin. sec. 9

Abbates Episcopi, in Sicilia olim Catanæ & Montis Regalis Abbates vocati sunt, eo quòd, cùm à Regibus Siculis extructa essent iis in locis Monasteria, eorum Abbates postmodum à Romanis Pontificibus Episcopi fere creati, eorumque Ecclesiæ Cathedrales factæ: eâ tamen conditione, ut qui Abbas à Monachis eligeretur, esset & Episcopus. *Bulla* Urbani II. Pontif. pro erectione Episcopatus Catanensis, apud Rochum Pirrum: *Præsenti decreto statuimus — ut quicunque in prædicta Ecclesia à Monachis electus fuerit in Abbatem, idem Populo quoque præesse debeat in Antistitem. — Idemque Abbas & Episcopus & Monasterium regulariter & Clerum & Populum universum Canonicè, Rege Domino opitulante procuret.* Ita Theobaldus primus Montis Regalis Monasterii à Guilielmo

GuilielmoR. Siciliæ A.C. 1176. conditi Abbas, in variis Chartis, *Abbas & Episcopus Regalis Monasterii S. Mariæ novæ*, seu *Abbas & Episcopus* nudè inscribitur, apud eundem. V. *Metropolim* Salisburgensem *Tom.III.pag.*190. & infrà in, *Episcopus Abbas.* Fortunatus *lib.*5.*Poëm.*1. de Cæsario Arelatensi Episcopo:

Qui fuit Antistes Arelas, de sorte Lirini,
Et mansit Monachus Pontificale decus.

Car. du Fresne *Glossar.*

Abbates Exempti, à jurisdictione Episcopi seu Ordinarii & nudè à Romana sede dependentes ex speciali privilegio, acriter exagitantur à S.Bernardo *de Consider.lib.*3.*cap.*3. & 4. ut & Petro Blesensi *Epist.* 68. & 90. De his scribit Matthæus Paris A.C. 1257. statutum fuisse Romæ à Pontifice, *ut quilibet, qui in Abbatem exemptum extunc eligeretur, Romanam Curiam adiret confirmandus & benedicendus.* V. Bosquetum *ad Epistolas Innocentii III. Pont.* quem laudat du Fresne *in Glossar.* & infrà in voce, *Monasteria Exempta.* Istiusmodi *Abbates* autem, qui habent usum mitræ, *mitris tantùm aurifrisiatis, non tamen aureas vel argenteas laminas aut gemmas habentibus uti possunt: sicut non Exempti simplicibus & albis planis, de privileg. in sext. cap.*6. apud Macrum *Hierolex.*

Abbates Imperii, V. infrà *Abbatia.*

Abbates Laici, & *Abbates* Milites, V. infrà in *Laici* & *Milites.*

Abbates Mitrati dicuntur, quibus Episcopalia ornamenta, id est, Mitram, Sandalia, Chirothecas ac Annulum deferendi à Pontificibus Rom. indidem jura indulta sunt; quod non Episcopi duntaxat, quorum privilegiis hoc modo derogatum, graviter tulere, sed ipsi interdum *Abbates* improbavere: Unde ejusmodi *Mitratos* acerbiùs perstrictos legimus à Bernardo *Epist.* 42. Petro Blesensi *Epist.*90. (uti quoque suprà visum) & Thoma Cantipratano *de Apibus lib.*1.*cap.*6. vetusque Episcoporum querela est, *Monachos jura Episcoporum insatiabiliter ambire*, ut est in *Chron.* Casinensi *lib.*4.*cap.*80. & tamen incredibile dictu, quàm latè hoc privilegium indultum legatur. Unde cùm offenderentur Episcopi, quòd in conventibus Ecclesiasticis Abbates, quibus mitræ jus erat, ab Episcopis non distinguerentur, hoc discrimen instituit Clemens IV. ut in Synodis Exemti mitris aurifrigiatis, sed sine laminis aureis vel argenteis gemmisque; non Exempti simplicibus albis & planis, in posterum utantur, uti suprà quoque dictum: in aliis verò locis utrisque iis uti mitris liceat &c. At in Ordine Præmonstratensi Abbates mitrâ aut chirothecis non utuntur, ex communi consilio Abbatum ejusdem Ordinis, *ne forsan ex ipsis supercilium elationis quis sumat &c.* verba sunt Innocentii III. Pontif. *lib.*1. *Epistolar. pag.*118. qui istud Decretum suo firmavit. Possunt autem tales Abbates, qui jus mitræ habent, non tantùm sacras res, in quibus sacra unctio, ut vocant, non adhibetur, benedicere: sed & calices, patenas & altaria portatilia consecrare. Quin cum licentia Ordinarii & cum speciali Privilegio, possunt Confirmationem conferre. In collatione tamen minorum Ordinum, facultas hæc limitata est ad eorum subditos additaque suspensionis pœna ordinantibus & dimissoriales concedentibus, A.C. 1641. Diana *part. VII. tract.*11. *resolut.*41. Sed & limitantur Abbatum facultates, quoad benedictionem paramentorum & similia, nempe *illa tantùm, quæ propriis eorum* Ecclesiis inservire debent. Sacr. Rit. Congreg. decretum à Gavanto, sub die 14. Augusti 1609. relatum, quod ad instantiam Spoletani Episcopi innovatum. sub 30. Sept. 1618. Imò eadem Congr. 28. Augusti 1619. consuetudinem à Tamburino *Tom.I. Disp.* 22. *quæst.* 2.*num.*1. adductam penitùs abrogavit. Porro tales non possunt Ecclesias profanatas reconciliare, nisi cum aqua ab Episcopo benedicta, Idem Tambur. *Disput.*23. *quæst.*10. In sacris quoque solennibus septem candelas in Altari accensas habere iis non licet; cùm hoc Episcopis solùm sit concessum; unde Brancatio Cardin. instante apud Alexandrum VII. septima candela, quam contra edictum Sac. Congr. Rit. 29 Januar. 1628. adhibere cœperant, sic ablata & minutè Pontificaliter celebrandi modus præscriptus est &c. Ita Macri Fratres *Hierolex.* Quando autem mitræ usus primùm Abbatibus concessus fuerit, incertum est. Aliqui id factum volunt, tempore Urbani II. circa A.C. 1091. concessamque primò dicunt Mitram Petro Cluniacensi Abbati, qui tamen ob humilitatem eâ noluerit uti. Alii multo antè, nim. A.C. 1040. S. Justinæ Patavinæ Abbati à Leone IX. id indultum contendunt, quando sc. Pontifex hic à sua Montis Gargani peregrinatione redux, tunc in transitu Casinensis Monasterii ibique in Dominica Palmarum, Sacrum celebrans, ejusdem loci Abbati & Successoribus, sandaliis, dalmaticâ chirothecisque in solemnibus celebrationibus induendi facultatem concessit, ut auctor est Leo Ostiensis *lib.*2. *cap.*82. Sed & antiquiorem hanc prærogativam esse, ex *Bullar. Casin. Tom.I. const.*1. *num.* 2. quidam probare conantur, ibi enim legitur, quòd 4. Kal. Mai. A.C. 643 Theodorus Papa, rogatu à Rotharith, Longob. R. & Gudiberga Regina, id privilegii Bobiensi Abbati confirmaverit, cùm ab Honorio I. jam concessum esset. Quibus tamen non obstantibus, Abbatialem mitram demum cœpisse circa A.C. 1000. cùm à Sylvestro II. Placentino S. Saviani Abbati ea concessa esset, dicunt alii. Imò recentiorem adhuc esse, patet ex verbis Petri Blesensis suprà laudati, è quibus apertè colligitur, Pontificalia indumenta non fuisse ejus ævo Abbatibus communia; floruit autem ille A.C. 1200. V. eosdem Macros &c. Neque verò Pontificum solùm donum hæc mitra fuit, sed interdum quoque illi potestatem Legatis suis dedere, jus mitræ Abbatibus, quos ad id eligerent idoneos, concedendi, cujus exemplum rei ex *Historia* Monasterii S. Nicolai Andegavensis affert du Fresne, citatque porro Goffridum Vindocinensem *lib.*2.*Epist.*17.*Chronicon.* S Sophiæ Beneventan & Decreta Calomanni Hungar. R. *l.*2 *c.*37. V. ejus *Gloss.* Spelmanno *Abbates* Mitrati, seu *Generales*, alias *Abbates Souveraines*: quasi *Superiores*, vel *superiorem non agnoscentes*, ii dicti sunt in Anglia olim, qui in suis Monasteriis, aut intra terminos constitutos, nulli Episcopo subjecti, jurisdictione fruebantur Episcopali, mitramque proin induebant; & Baronis dignitate ornati, Parlamentariis assidebant Comitiis: quod aliis quidem Abbatibus permissum non erat. Sic in Parlamento anni 49. Henrici III. duo supra centum Abbates & Priores brevi Regio convocati leguntur: anno primo Eduardi II. quinquaginta sex vocati sunt: donec decrescente Cleri potentiâ & æstimatione, Eduardi III. ævo, vix trigesimus secundus vel tertius repertus est; quo ipso numero deinceps languescente, tandem subsecuta est Monasteriorum catalysis sub Henrico VIII. V. Henr. Spelmannum *Gloss. Archæol.*

Abbates Regales, qui etiam *Abbates ad Palatium pertinentes*, dicebantur olim, qui Monasteria Regalia, nudè à Rege pendentia, Gr. Βασιλικὰ Μοναστήρια, possidebant. Hi non nisi ab ipsis Impp. aut Regibus, vel certè eorum consensu ac nutu, instituebantur, deligebantur & investiebantur, neque Episcoporum jurisdictioni ullatenus suberant. Cùm verò illorum Abbatiæ ex fundis Regiis dotatæ essent, *in militiam ire & Regalitati servire* tenebantur, ut est in *Diplomate* Henrici Imp. A.C. 1063. pro Monasterio S. Maximini Trevirensis, quod à Duchesnio descriptum est, in *Histor.* Limburgensi *pag.*29. Etiam, perinde ac Episcopi, Buticulario Franciæ centum solidos iidem exsolvere tenebantur, quoties Abbatialis dignitatis confirmationem à Rege expetebant, vel fortè, cùm eidem fidelitatis præstabant sacramentum. Ad id sanè *Abbatem* S. Sulpicii Bituricensis & *Abbatem* S. Dionysii in Francia Aresto A.C. 1265. damnatos esse, docet ex 1. *Regesto* Parlamenti *fol.*147. & *Stylo* antiquo Parlamenti *Part. VI.* §. 36. du Fresne *Glossar.* Et meminit Alexander III. Pontif. Rom. *Epist.* 161. ex iis, quæ habentur *Histor. Franc. Tom. IV.* hujusce præstationis *ab Abbatibus Regalibus*, Franciæ Buticulariis fieri solitæ, licèt frustra contrà reclamarent. Nec omittendum de hocce jure Buticulariorum & de hominiis & Sacramentis fidelitatis, ab Abbatibus, Regibus præstitis, extans insigne *Diploma* in Tabular. S. Genovefæ Paris. quod idem in voce *Monasteria Reg.* his verbis descripsit: *Anno Dom.*1282. *die Jovis in cœna Dom. videlicet* 8. *Kl. April. Frater Guilielmus dictus de Autissiodoro, novus Abbas S. Genovefæ Paris. per provisionem summi Pontificis, comparuit coram Dom. nostro Rege Franciæ Philippo, apud Montem Argi, in Camera ipsius Regis, & obtulit dicto Regi, quòd paratus erat ei facere nomine prædictæ Ecclesiæ, quod debebat. Atque respondit Consilium Regis, quòd homagium debeat facere dictus Abbas & fidelitatem jurare, & Prior & Conventus dicti loci per literas pendentes Regalia petere. Dictus verò Abbas juramentum fidelitatis statim obtulit facere, quod fecit sub hac forma: Allatum fuit Missale, & datum in imaginibus ejus & stolâ collo ejus appositâ, & tunc juravit, quòd Regi in omnibus fidelis esset, & quod secreta Regis fideliter servaret, & quòd Regi bonum & fidele consilium daret, si super hoc requireretur. De homagio autem faciendo & regalibus petendis, dilationem petiit, donec super his cum conventu suo deliberasset: quæ dilatio concessa est ei. Ad hæc præsentes fuerunt Decanus S Martini Turon, tunc Cancellarius Regis & Guillelmus de Crepi Notarius Regis, Dom. dictus Granche Miles, Frater Gaufridus Cancellarius & Frater Legerius Canonicus S. Genovefæ. In Parlamento sequenti circa festum Ascensionis Domini venit dictus Abbas ad Regem in Camera sua, & fecit homagium sub his verbis Gallicè:* Sire, je devien vostre hom liges, & vous promés leauté jusque à la mort. *De Regalibus petendis dixit Abbas, quòd Papa suppleverat per literam, quam miserat ei super provisione sua, quod Conventus & Prior facere debuissent: quod Rex gratanter acceptavit. Pro droituris Curiæ Regis super præmissis solvit dictus Abbas in omnibus ad dictum Magistri Gaufridi de Templo & Magistri Petri de Condé Clericorum Regis* 25. *libr.* Paris. *videlicet ipsi Regi pro Senescallia* 10. *libr.* Paris. *domino Johanni de Acon* 100. *sol. pro Buticularia, Domino Johanni, dicto Praeln* 10. *libr. Paris. pro Cambellanis*: apud du Fresne *Gloss.* V. quoque infrà *Abbatia Liberales.*

Abbatia, ipsum *Abbatis* regimen ac gubernatio, in Concil. Meldensi A. C. 845. *cap.* 10. ut habet Idem: communiter Monasterium, cui *Abbas* præest, vel *Abbatissa.* Hodie *Abbatiatus*, cujusmodi in Imperio varii sunt; qui dividuntur in *Singulares & Collegiales*: eò quòd alii singula suffragia, alii non nisi collegialia ac conjuncta habeant, in Collegio Principum. Singulares dicuntur Germanis *Gefürstete Abteyen*, quia quilibet horum Abbatum Imperii Princeps est; atque inter eos eminet Abbas Fuldensis, qui Cancellarius est Imperatricis, & omnium, non Germaniæ solùm, sed & Galliæ Abbatum Primas; quo nomine non E-

piscopo

piscopo solùm Hildesiano, sed & Archiepiscopo Coloniensi, in Comitiis Imperii, semel atque iterum litem movit, V. infrà in voce *Fulda*. Collegiales iterum dividuntur in *Suevicas* & *Rhenenses*, etsi aliqui eorum ad alios quoque Circulos Imperii pertineant: utrorumq; indiculum dabimus infrà. Præter has verò *Abbatias* etiam aliæ sunt, sed Principum aliorum ditioni additæ atque adeò seculares factæ. Sic inter alias, *Abbatia* Hirsfeldensis cum Præfecturis quibusdam aliis, tit. Principatus, Hasso-Cassellanis Landgraviis accessit vigore pacis Monasteriensis, A. C. 1648. *Instrum.* Pacis art. XV. V. Georgium Hornium *Orb. Polit. pag.* 184. & 257.

Abbatiæ in Imperio Singulares.

Fulda, dignitate potentiâ, divitiis supra reliquas omnes eminens.	Elvanga, *Elwangen.*
Campodunum.	Berchtesgada, *Berchtesgaden.*
Sangalla, quæ *Abbatia* condita fuit A. C. 630. ipsa verò civitas libertatem suam pecuniâ redemit. V. suo loco	Corbeja.
	Prumia.
	Stavelo.
	Weissenburgensis Abbatia: item Luderensis & Murbacensis in Alsatia.

Abbatiæ in Imperio Collegiales.

Suevica,

Weingarden.	*Ewyssalten.*
Salomonswyler.	*Marchtal.*
Schussenrieds.	*S. Peter.*
Petershausen.	*S. Hheimeran*, &

Ursperg.

Rhenenses.

Quedlinburg.	*Herworden.*
Essen.	*Andlaw*

V. L. Otton. Menckenium *Notis ad Horn.* ubi Luderensis & Murbacensis *Abbatiarum* in Alsatia immedietati cautum docet Pacific. Monaster. §. *Teneatur Rex Christianissimus*: notatque inter *Abbates* Principes sedem etiam habere Magistrum Ordinis S. Johannis per Germaniam.

Abbatiæ Liberales, in *Charta* Ottonis Imp. *in Metropoli Salisburg. Tom 3. pag.* 344. aliàs *Monasteria Libera*, item *Regalia seu Imperialia*, ut apud Innocentium III. *lib.* 13. *Epist.* 9 alibique passim, dicuntur Monasteria, quæ in Fiscis Regiis extructa & ab ipsis Regibus dotata, ab omni jurisdictione Episcopali exempta erant, nullique alii præterquam Imperatori aut Regi subjecta. Quorum proin ea quoque prærogativa fuit, ut eorum Abbates non nisi ab ipsis Impp. aut Regibus, vel certè non sine eorum nutu, instituerentur, deligerentur & investirentur: cujusmodi investituras non nisi per baculum, perinde ac Episcopatuum, fieri consuevisse, docet *Charta* Henrici II. Imp. A. C. 1013. apud Ughellum *in Episcopis Faventinis*. Hinc scribit Sugerius *in Ludovico VI.* Adamo Abbate Sandionysiano mortuo, se in Abbatem à toto conventu electum quidem: Sed quia *inconsulto Rege* id factum, electionem hanc à Rege ratam non fuisse habitam. Quia verò Abbatiæ istæ Regales ex fundis Regiis dotatæ erant, hinc earum Abbates *in militiam ire*, aliaque præstare tenebantur, de quibus V. suprà in voce *Abbates Regales*. Sed & id juris competebat Regi in istiusmodi Monasteriis, *quòd utendo jure suo Regio posset Monachum vel Monialem in iis, in principio sui Regiminis, post suam coronationem, ponere*, ut du Fresne docet ex *Registo Parlamenti Olim fol.* 16. Annatas denique talium Abbatiarum ad Regem spectasse, legas apud Eundem, ubi de *Monasteriis Liberis*.

Abbatiola, in *Capitulis* Caroli C. A. C. 853. *cap.* 2. *Missi inquirant de Capellis &* Abbatiolis, *ex casis Dei in beneficium datis*, alibique passim, *Capellam* denotat, sacellum, seu *minus*, ut vulgò in Ecclesia Rom. loquuntur, *beneficium*. Quam in rem observavit Car. du Fresne, in vett. Foris Navarræ, *lib.* 1. & 2. *Curas* appellari *Abbadiados*. Cujusmodi Ecclesiarum Parochialium bona quòd Laici possiderent jureque in iis patronatus gauderent, *Abbates Milites*, item *Abbates Laici*, & nudè *Abbates* olim; postea *Abbatiari* dicti sunt, in Gallia, apud Benehornenses, Bigorritanos & in vicinis provinciis, ubi infinitus illorum numerus est. Horum ædes, à quibus ista jura dependent, ut plurimum Ecclesiis annexæ sunt, censenturque illi Nobiles, atque adeò à *talliis* & tributis immunes sunt, perinde ac agri iis attributi, ut qui quondam bonorum Ecclesiæ pars fuere. Nempe *Milites*, Comitum & Ducum exemplo (de quibus V. suprà in voce *Abbacomites*) bona Ecclesiastica, ut aliis locis, sic quoque in Gallia, invaserunt: eâ inprimis tempestate, quâ bellis intestinis ac Normannorum irruptionibus tota conflagrabat Gallia; vel certè Ecclesiæ ipsæ ac Monasteria bonorum suorum protectores illos elegere; quibus, ut in sui tuitionem ac protectionem eos obstringerent, partem bonorum Ecclesiasticorum ipsasque decimas concessere. Quod idem factum esse apud Hibernos & Wallenses, Silv. docet Giraldus *Itiner. Cambr. lib.* 2. *cap.* 4. *Hæc Ecclesia, sicut & aliæ plures per Hiberniam & Walliam Abbatem Laicum habet. Usus enim inolevit & prava consuetudo, ut viri in Parochia potentes, tanquam Oeconomi, seu potiùs Ecclesiarum Patroni & Defensores à Clero constituti, postea processu temporis auctâ cupidine totum jus sibi usurparent, & terras omnes cum exteriore possessione sibi impudenter appropriarent, solùm altaria cum decimis & obventionibus Clero relinquentes & hæc ipsa filiis suis Clericis & cognatis assignantes. Tales itaque defensores, seu potiùs Ecclesiarum destructores*, Abbates *se vocari fecere, & tam nomen indebitum, quàm rem quoque sibi assignari præsumsere*. V. Cujacium *Feud. lib.* 1. *cap.* 1. Catellum *in Histor. Occitan. pag.* 627. 628. Marcam in *Histor. Beneharnensi lib.* 11. *cap.* 28. & qui hos laudat Car. du Fresne in voce, *Abbates Milites* & *Abbates Laici*.

Abbatissa, Monasteriis Virginum præfecta: *Abbatissæ quæ Sanctimonialibus præesse videntur*, in Synodo Paris. A. C. 829. *lib.* 3. *cap.* 18. quas du Fresne successisse dicit in locum Diaconissarum, quæ in sacris Liturgiis ac Synaxibus sequiori olim sexui præiverint, de qua re alibi. Hæ *Matres Monasteriorum* quibusdam, *Matres Monacharum* Johanni de Janua: *Antistitæ* in vet. *Charta*, quam laudat Hieron. Henningius in *Geneal.* Rhætiæ Curiensis Principis: *Archimandritissæ*, in *Nov.* Justiniani 4 & 109. *Episcopa*, Macro &c. Eas *foràs evagari, aut inter villas residere, quisque voluptatibus deserviat*, prohibet Ludovicus Pius *Epist.* ad Sicharium Archiepiscopum Burdigalensem. De iisdem Fratres Macri *Hierolex.* Abbatissa *nequit sub pœna excommunicationis seu aliarum censurarum subditis præcipere, c. nova ac pœnis & remiss. Imò nec in virtute S. Obedientiæ A. A.* penès *Dianam. Potest tamen ad instar aliorum regul. Superiorum subditis facultatem concedere alienandi & remunerandi, usque ad summam decem scutorum, ex fine ff. quo notat Diana. Quod verò limitat Suarez summ. tom. II. lib.* 7. *cap.* 19. *num.* 45. *Quando nimirum non obstet consuetudo in contrarium vel Prælati prohibitio* &c.

Abbatisvilla, adde: Quorum origo hæc. Scribit Hariulfus *lib.* 4. *cap.* 12 *Hugonem primò Ducem, postea Regem Francorum, ob Barbarorum cavendos incursus*, Abbatisvillam *Centulensibus Monachis abstulisse, castrumque fecisse*, id est, munivisse, *eique Hugonem Militem*, generum suum *præposuisse*, cui & Forestiscellam Centulensium ditioni subtractam tradiderit: *Hugonem porro Advocatum dictum esse, quòd Ecclesiæ S. Richarii Defensor fuisset à Rege Hugone constitutus: quo insigni nomine etiam Angelrannum ejus filium fuisse contentum*; donec Bononiensi Com. victo acie ac cæso, & Adeluâ nobilissimâ Comitissâ, quam in matrimonio Comes habuerat, uxore ductâ, *Comitis* nomen accepit, atque ad successores suos transmisit. Sed & jam antea Ingelardus Abbas Centul. *Abbatisvillam*, Jncram *Encre* & Domnum Medardum seu S. Medardum *Domart*, Villas S. Richarii donasse, vendidisse & oppignerasse legitur. Ex villa postea sub Comitibus suis, in oppidum non contemnendæ magnitudinis, crevit. Sedet ad ripam Summinæ, in finibus Ambianorum, nomenque à re habuit. Vulgò *Abbeville* Hadr. Valesius *Not. Gall.* A S. Richario condita creditur, Morerius *in Diction Histor.*

Abbreviator, nomen officii, in Cancellaria Pontificis Rom. cujusmodi ministri LXXII. ibi sunt *à Summariis Supplicationum* quoque dicti. Munus illorum est, *incumbere ad Bullarum pittacia*, apud Macrum *Hierolex.* dividunturque in tres classes: utpote è quibus duodecim dicuntur *de parco majori*, ac Prælati sunt habituque violaceo utuntur; alii viginti duo vocantur *de parco minori*; reliqui omnes *Examinatores* appellantur; occupati enim sunt in collatione Bullarum. Cæterùm possunt esse Laici ac uxorati. Nomen habent à voce *Breve*, quæ epistolam denotat Pontificiam, vel quia *breviori* stylo formatur, vel à Germ. *Brieff*. In quorum Brevium officio primarius dicitur *Protonotarius Abbreviator*. Etiam *Exceptores* verò, ab *excipiendo*, istiusmodi Ministri in eadem Curia appellantur: quod tamen nomen ad Notarios quoque extenditur, ut quibus in scribendo *abbreviationibus* uti solenne est, in *Hierolex.* Dom. Macricit. V. de abbreviatione Scribarum Notariorumque infrà passim, inprimis in voce *Nota*, *Scribendi modus*, *Tachygraphia* &c.

Abcturium, aliis *Abgatorium* vel *Abgetorium*, idem quod *Abecedarium*, vox recens, contracta quasi ex *Abecetorium*, occurrit in *Libro Sacramentorum* Gregorii M. ubi de Ordine ad Ecclesiam dedicandam: *Deinde incipiat Pontifex de sinistro angulo ab Oriente, scribens per pavimentum cum cambuta sua* Abcturium, *usque in dextrum angulum Occidentis* &c. Ita enim præferre Codicem Remensem, monet Menardus, ubi alii habent A. B. C. unde conficitur *Abcturium* esse *Abecedarium*, seu Alphabeti literas, *Abici* Italis. At Codex Ecclesiæ Senonensis scriptus sub Menardo Archiep. habet *Abecenarium*. Ita ergo in dedicationibus Ecclesiarum literas Alphabeti, in pavimento, describere pedo suo pastorali consuevere Antistites Latini, de quo more agunt præter Menardum Scriptores, qui de *Ritibus Eccles.* scripsere. V. Car. du Fresne *Glossar.*

Abderologus, apud Tatianum Syrum de Demetrio Abderitâ, *Quid dicemus? Nisi juxta communem* Abderologus *est homo Abderis natus*: homo est garrulus & loquax. Erat enim antiquorum proverbium, Ἀϐδηρολόγος, pro *garrulo* & *mendace*. Nam *Abderam* Thraciæ civ. multarum fabularum fuisse inventricem, constat, & de ea concinnè Arnobius *adv. Gentes lib.* 5. *Abdera*, *Abdera*, *quàm sias mortalibus irridenda, talis sit apud te fabula conflata*, V. Dominic. Macrum *Hierolex.*

Abdi, Mahumedi idem, qui Turcis Arabibusque *Alla*, Græcis *Θεός*, Persis *Syre*, Magis *Orsi*, Ægyptiis *Teut*, Latinis *Deus* est,

nempe

nempe Marsilius Ficinus observet *Argum. in Platonis Cratyl.* omnes gentes atque linguas præcipuum Dei nomen quatuor solùm literis pronuntiare: unde Hebræis inprimis celebri isto nomine tetragrammato appellatur. Quem equidem literarum in divino nomine quaternionem etiam à Clemente Alexandr. animadversum deprehendit Pfannerus. *lib. 5. Strom.* V. Tobiam hunc Pfannerum *System. Theol. Gentil. pur. cap. II. § 11.*

Abdicandi jus, inter patriæ potestatis apud Athenienses Jura fuit, quam in rem scripta lex: Τὰς γονεῖς κυρίους εἶναι ἀποκηρύξαι. *Parentibus abdicare liberos jus esto*, apud Demosth. *in Boeot.* Nec v. liberos tantum, quos genuerant, sed etiam adoptivos, ut constat ex Ejusdem *Orat. περὶ Στεφάνου*. Non *abdicabantur* autem, nisi causâ cognitâ & probatâ apud judices. Quintilianus *Declam.* 283. & Lucianus *in Abdicato*. Tum verò Præconis voce pronuntiabatur, μὴ δεῖν negare hunc filium suum esse ampliùs, uti discimus ex Platone *de LL. l. 11.* atque ita excidebant Patris familiâ, Hæs non tamen civitatis jure. Plato *l. c.* Sed & in Patris potestate erat, *abdicatum* reducere, ἀναλαμβάνειν εἰς τὸ γένος. Lucian ubi *suprà*, reducem verò denuo *abdicare* fas non fuisse, tradit Idem. Præcipuæ *Abdicationis* causæ ibidem recensentur, his verbis: [illegible] *Deinde quid est omnium, quod accusas? Quod obsequium, quam curam filio dignam prætermisi? Quando foris cubui? Quas intempestivas potationes, quas comessationes objicis? Qui luxus? Quis leno pulsatus est? Quis accusavit? Nemo profectò. Atqui hæc sunt, ob quæ lex præcipuè permittit abdicare.* At Romanorum legibus *Abdicatio* comprobata non est, uti patet è Rescripto Impp. Diocletiani & Maximiani Augg. *l. 6. C. de patr. pot.* V. quoque *l. 9. C. Eod.* In erim ablegare filios & è conspectu suo abire jubere poterant Parentes, ut exempla apud Val. Maximum liquidò probant, V. Sam. Petitum *Comm. in leges Atticas lib. 2. Tit. 4.*

Abdir, apud Priscianum *lib. 1.* Bdellium, Abdir, *genus lapidis*; idem est cum *Abaddir*: lapis viz. Βαίτυλος, quem pro Jove Saturnus devoravit. Salmasius *ad Solinum pag.* 150. V. quoque in voce *Abadir*.

Abdua, adde: Hic Maximilianus I. Imp. Venetos, qui A. C. 1507. Romam ad coronam petendam ituro transitum negaverant, Papæ Gallisque junctus, acie devictos, universâ ferè continente exuit. Scriptores *Rerum Italic.*

Abecedarium & *Abecenarium*. V. hic suprà.

Abecedarius Psalmus, apud Augustinum *Enarrat. in Psalm.* 118. *conc.* 32. dictus reperitur, cujus versus quilibet à primis literis alphabeti incipit. Cujusmodi est Psalmus ille, quem scripsit idem contra Donatistas, de quo hæc ille *Retractat. lib. 1. cap. 20. Psalmum, qui eis cantetur, per literas feci, sed usque ad V. literam: Tales enim* Abecedarios *appellant*. V. *Vitam* Isidori Hispal. & Car. du Fresne, ut & Macrum, in *Glossar. ac Hierolex.* in voce *Psalmus*.

Abeloniti & *Abeliani*, Hæretici ab *Abele* nomen sibi arrogantes: quem cùm imitari se asseverent, à matrimonio abstinebant, omnia conjugatorum paria, marem & fœminam, adoptabant, illosque hæredes ac successores declarabant, de quibus V. Augustinum *Epist. ad Quodvultdeum*; Fratres Macri *Hierolex.*

Abenna, vel *Abinna*, apud Lucium Ampelium *in Descr. Orbis*, *Ad occasum magnum Mare, idem Atlanticum, quod commerciis totius humani generis peragitur. Hoc intrat in fretum Gaditanum inter duos montes clarissimos, Abinnam atque Calpen, ob impositas Herculi columnas*: idem cum Abila mons est. Sic n. & apud Solinum *cap. 23 pro Calpe & Abila montibus*, scripti omnes Codices habent. *Calpe & Abinna montibus*. Nec aliter apud Marcianum Eustathius *ad Dionysium Perieg.* notat, nescio quem sequutus, Calpen & Abylam eandem esse, quæ verò vocetur *Abenna* à Barbaris, κυνηγετικὴ Græcè dici: unde saltem illud colligitur, *Abilam* & *Abennam* synonyma esse. Salmasius *ad Solinum pag.* 287

Abensperga, V. infrà *Babo*.

Abgatoria & *Abgatorium*, idem cum *Abecedario*, elementum cujuscunque scientiæ. Ita Patritius *Hibernus Apostolus* dictus, libellos quosdam à se conscriptos, doctrinæ Christianæ elementa continentes, appellavit, uti loquimur apud Matthæum Westmonaster. de illo loquentem: *Abgatoria quoque 345. & eo ampliùs scripsit, totidem Episcopos ordinavit*, &c. Est autem formata vox ex tribus prioribus literis Alphabethi, *A. B. C.* quam postremam literam ut *K.* pronuntiant Hiberni: unde factum, ut *Abketoria* primùm ab iis, deinde ad molliorem sonum paulatim deflectente usu, *Abgatoria* & *Abjectoria* dicta sint, du Fresne *Glossar.* V. quoque suprà in *Abecedarium*.

Abib, Hebr. אביב, qui aliàs ניסן *Nisan*, mensis primus anni Hebræorum Sacri, à quo Veris initium, partim Martio partim Aprili nostro, respondet. Arabes *mensem grandescentis segetis*. Græci [illegible] supple [illegible] *mensem novarum frugum* appellant; *abib* enim Hebræis *spicam adhuc recentem* notat. Tum sc. in Judæa ut ait Philo [illegible], *maturescunt segetes ad vitam necessaria*. Ita Delphis unum mensium *Bysium* dici creditum fuisse, quasi Φύσιον, legimus; quia, cùm Ver incipit, τὰ πολλὰ φύεται, *multa nascuntur*. Plut. in *Hellen.* Quare idem *Nisan* quoque appellatus sit V. infrà. Cùm verò anni septimus priùs fuisset hic mensis, post exitum ex Ægypto cœpit pro primo haberi, divino jussu, Exodi *cap. 12. v. 2.* sed in sacris tantùm: civilis enim anni primus mansit *Tisri*, cujus initium circa Autumnum, quemque non anni solùm, sed & mundi fuisse initium, Jos. Scaliger, Sethus Calvisius, Christianus Schotanus, atque alii magno numero asserunt, iis rationibus, quas non refellunt, qui in diversa sunt sententia. Hujus autem mensis *Abib* die XIV. Pascha voluit, mactari Deus Levitic. *cap. 23. v. 5.* ut alia omittam. V. Sam. Bochartum *Hierozoici Part. prior Lib. II. c. 50.*

Abjectio Baculorum, inter ritus olim erat, in reverentiæ signum adhiberi solitos, ad Evangelii lectionem; quemadmodum & *statio ac capitis retectio*: Quæ tria unico versiculo attigit Hildebertus *Op. metrico de sacrif. Missæ*,

Plebs baculos ponit, stat retegitque caput.

Ubi *ista positio* sive *abjectio baculorum*, vel spectat depositionem ensis per accinctos, uti nunc assolet, cùm acceditur ad sacram mensam: Nam præ reverentia, & ad testandam subjectionem, qui accincti sunt, ponunt gladios, quos, non est novum, dici *baculos*; cùm plerumque vagina & operimentum externum ensis, intus abditi, sit baculus viatorius, quâ de re alibi ex Martiali, ipsoque Christo, vetante usum hujusmodi virgæ seu baculi, ense intus abdito velut gravidi, cùm simplicis virgæ usum alibi concedat Apostolis viatoribus. Vel certè *poni baculos*, cùm audiebatur Evangelium, erat, baculum materialem, qui ad manum esset alicui, *abjicere* seu deponere, ad significandum non esse opus alio præsidio, homini Evangelio aures præbenti. Solerius *de Pileo sect.* 2.

Abies, firmissima in operibus, cùm recta statuitur. Plinius *lib. 16. cap. 42. Firmissima in rectum abies, eadem valvarum repagulis & ad quæcunque libeat intestina opera firmissima, sive Græco, sive Campano fabrica artis genere spectabilis, ramentorum crinibus pampinato semper orbe se volvens, ad incitatos runcinarum raptus.* Sic Theophrastus firmam dicit esse ficum, si modò in rectum collocetur, at firmissimam longè abietem hoc modo positam *lib. 5. cap. 7.* Eadem *valvarum repagulis*, l. *paginis*; duplices enim hæ & complicantur replicanturque, ut librorum paginæ: *Et ad quæcunque intestina opera*, &c. Ergo valvæ ex intestino opere, ad quæ sola medulla *Abietis* adhibita, ejecto torulo, h. e. circulo corticeo vel ligni alburno, quod medullam ambit, ut ex Vitruvio discimus. Plinius quoque, ubi de *Abiete*, *Ad Fabrorum intestina opera medulla pectitur optima quadripartitis materiis & mollior quàm cætera.* Talis enim est in eâ parte quâ proxima terræ est, quadruplici nempè venarum cursu fluviata. Dixerunt autem Latini hujusmodi venarum cursus in arboribus *fluvios* ac *fluviari arborem*, quæ venis distingueretur: & quidem quæ quadrifidos earum cursus haberet, ut *Abies*, τετράζοα seu τετράχοα potiùs appellavere Græci, sicut quæ bifidos, δίζοα seu δίχοα: &c. Vide infrà, ubi de *Intestino opere* & plura hanc in rem, apud Salmasium *ad Solinum p. 133. & seqq.*

Abila, adde: Regionis instar fuit & in Regnum contributa, sub nomine *Tetrarchiæ*. Plinius *lib. 5. cap. 18.* De Urbibus Syriæ Decapolitanæ, *Intercursant cinguntque has urbes tetrarchiæ, regionum instar singulæ, & in Regna contribuuntur, Trachonitis, Paneas, Abila, Arca* &c. V. Salmasium *ad Solinum pag. 576.*

Abinna, V. suprà *Abenna*.

Abiolica, adde: In monte Jura, sub Bernensium jurisdictione, in præfectura Ebrodunensi. Observant tamen alii, vicum hunc non antiquum esse adeò, ut Antoninus ejus meminisse potuerit, imò quidam *Sanctæ Crucis* nomen tulisse. Ex vett. enim actis ostenditur, locum *Boles* fuisse, tempore Sabaudiæ Comitum, extirpatum à tributariis quibusdam, unde hodieque incolarum lingua accentum retinet Sabaudicum. Plantinus *de antiq. Helvetiæ locis.*

Abjurandi patriâ ritus, indigitatur apud Ebrardum in *Græcismo*:

Abjurat *patriam, nunquam rediturus in illam*:

ubi *abjurare* est terram, vel provinciam natalem ejurare, relinquere, in exilium abire. Sic apud Arnoldum Lubecensem *lib. 2. cap. 41. Dux per triennium terram abjuravit*, &c. & in *Lege* Friderici I Imp. apud Conradum Urspergensem. *Fines Imperii per annum & diem abjuret*, &c. Apud Anglos inprimis *Abjuratio* vocabatur juramentum, quod qui feloniam commisisset, & servandæ vitæ in Templum aut Cœmeterium refugisset, jurare solebat, perpetuo exilio extra patriam se extorrem fore, quò meritam criminis pœnam sic evitaret, uti discimus ex Willh. Stamfordio in *Placitis Coronæ lib. 2. cap. 40.* ubi addit, eam Legem à S. Eduardo Confessore primitus fuisse institutam. Cùm igitur aliquis capitali crimine perpetrato ad Sanctuarium confugerat, Asyli gaudebat jure: tum verò Coronator seu Judex Coronæ ad reum accedens, ab eo excipiebat delicti confessionem, quâ editâ ut infrà 40. dies regno excederet, imperabat. Sic reus à Sanctuario seu Templo, asyli jure gaudente, excedebat, suâ camisiâ & tunicâ indutus, cum cruce ex ligno confecta in manibus quæ signum erat servatæ per religionem vitæ, ut ait Polydorus Virgilius. *Abjurationis* autem sacramentum his verbis conceptum legitur, apud Stamfordium præfatum: *Hoc audis, Domine Coronator, quòd ego sum latro bidentium*,

sium, vel alicujus alterius animalis, vel homicida unius, vel plurium, & felo Domini Regis Angliæ. Et quia multa mala & latrocinia, vel hujusmodi in terra feci, abjuro terram Domini Regis Angliæ. Et quòd debeo me festinare versùs portum de tali loco, quem mihi dedisti & quòd non debeo abire de alterâ viâ: & si faciam, volo quòd sim captus, sicut latro & felo Domini Regis; & quòd ad talem locum diligenter quæram transitum & quòd non expectabo illic, nisi fluxum & refluxum, si transitum habere potero; & nisi tanto spatio transitum habere potero, ibo quolibet die in mare usque ad genu tentans transire; & nisi hoc potero intra quadraginta dies continuos, mittam me iterum ad Ecclesiam, sicut latro & felo Domini Regis: sic me Deus adjuvet, &c. Prolixiùs de hoc ritu ita habent *Jura & Consuetudines* Normannorum *cap.* 24. apud du Fresne: *Diffugiens autem ad Ecclesiam, vel loca sancta, per octo dies potest in Ecclesia morari; nono autem die ab eo est inquirendum, utrum exponere se voluerit justitiæ Laicali, vel se tenere Ecclesiæ. Quotiescunque enim voluerit, se Justitiario potest reddere Laicali, vel tenere Ecclesiæ. Si autem se tenere voluerit Ecclesiæ, patriam forisjurabit in forma, præsentibus Militibus & aliis fide dignis, qui super hoc, si opus fuerit, valeant recordari. Hoc autem audiant omnes assistentes, quod tu de cætero in Normanniam non intrabis, nec alicui malum vel detrimentum propter hanc prisoniam per te vel per alium dictæ terræ facies, vel habitatoribus ejusdem facere procurabis: Sic Deus & sacrosancta te adjuvent! Hæc verba jurans de se debet exprimere. Et hoc facto ab eo audiatur, per quas partes Normanniæ exire elegerit, & eidem secundùm distantiæ quantitatem terminus competens assignetur exeundi: nec exiens ultra unius noctis spatium in ulla villa poterit immorari, nisi gravi & evidenti infirmitate teneatur, nec ad loca reverti jam transacta, sed per viam ab eodem expressam debet metas exire Normanniæ. Postea verò de eo, ut de forbanizato devitando, vel capiendo, in omnibus agendum est.* Adde *cap.* 82. & plura de hac re V. apud Bractonum, Stamfordium & Rastallum, quos laudat præfatus *Glossarii* Auctor, ut & infrà in voce *Pax Ecclesiæ*. Interim Clericum, ob feloniam profugum ad locum sacrum, ibi mansisse incolumem, neque coactum fuisse, ut Regnum abjuraret, docet idem ex *Provinciali* Eccl. Cantuariensis *lib.* 3, *tit.* 29. Non absimilem apud Danos *Abjurationis* olim viguisse ritum, docet Sueno in *LL.* Castrensibus *cap.* 14. ubi de reo læsæ Majestatis: *Hac itaque forma convenientibus decreverunt, si quem Rex de proditione vel crimine Majestatis, &c. donec ita velificos ventus impleverit, ut intuentium conspectui subduxerit: aut si Favonio non favente remis undas impulerit, donec remotum aspectu cunctorum oculis subtraxerit, in littore tenentur præstolari. Ubi verò paulò longiùs provectum in pelago delitescere existimaverint, classico clangore ternis vicibus vociferantes, antiquæ confœderationis jura ipsi resignare debent. Sin autem in solo natali extiterit, & prædicti sceleris crimen incurrerit, universum militare collegium ad nemoris densitatem eum comitari tenetur, inque nemoris fronte præstolari, donec se adeò recedendo semoverit, opaca qualibet tesqua legens, ut eorum clamorem aut vociferationem exaudire non valuerit. Deinde universa commilitonum legio totis unà viribus trinâ vociferatione validè proclamabit, ne aliâ ad eos viâ redire possit. Quo facto hac lege tenentur astricti, ut, si quisquam commilitonum, uno saltem comite aut telo superior, illi postmodum occurrerit, eumque non invaserit, ejusdem ignominiæ & probrosæ nuncupationis jacturam subire tenetur.* V. quoque Saxonem Grammaticum *lib.* 10. laudatum eidem. Est & *Abjuratio*, inter species purgationis olim usitatæ, de quâ V. infrà in voce *Duellum*.

Ablactandi ritus, convivio solenni die, quo ab uberibus matris removebatur infans, insignis, occurrit Geneseos *cap.* 20. V. infrà, ubi de *Puerperio*: Item in voce *Infans*.

Ablaqueare, corrupto sermone, ut in sexcentis aliis factum est, pro *ablacuare*, h. e. lacus & fossas circa arborum radices facere, ut non obscurè indicant Columella & Palladius, qui *lacuum* & *lacusculorum* passim in ablaqueationibus meminerunt. Sic *laqueata tecta*, pro *lacuata*; lacubus nim. quod genus est ὀροφικὸν ποίκιλον, distincta; & *laquearia* pro *lacuaria*. Unde & *lacuata vestis* Isidoro, quæ lacus quadratos haberet, τῶν πλινθίων διειλημμένη. Et in Italia Sublaqueum opp. cui vicini tres lacus, &c. Facit autem *Ablaqueatio*, ut refrigerentur arborum radices, Plinius *lib.* 17. *cap.* 19. Alicubi ablaqueant, *perflatusque admittunt*. Eâ enim radices afflantur & nudantur: Quomodo omnes arbores, quæ coluntur, ablaqueatione meliores hunt, ut de Myrrhæ arbore inprimis Plinius docet. Unde inter culturæ arborum genera communia, *Ablaqueatio* recensita. Theophrasto *Hist. lib.* 2. *cap.* 8. Fit verò rastro seu σκαφίῳ, unde Solinus hæc duo distinguens, *cap.* 33. ubi de myrrha, reprehenditur a Salmasio *Exercitat. Plin. ad Solinum pag.* 518.

Ablavius Muræna, Præfectus Prætorio, sub Valeriano Imp. cujus ad illum epistola extat, apud Trebellium Pollionem in *Claudio*.

Abocellus, apud Blesensem *Serm.* 42. *Non parcas pauperi exoculent te, & faciant senem abocellum.* Et alibi, ad Judices, *Noli sequi retributiones, ne faciant te senem abocellum: Semicæcum*, Macro: cæcum du Fresne notat, unde Galli *Aveugle*, & Ital. *Avocolare*, formarunt. Cæterùm de Excæcandi variis modis, *infrà* dicetur.

Abadus, quæ Græcè Ἄβοδος apud Auctorem *Itinerarii*, V. Salmasium *ad Solinum pag.* 452. Ut & in voce *Abydus*.

Abolla, pallium erat Philosophicum, longum ac fusum: unde Poëtæ *facinus majoris Abollæ*, facinus est à Philosopho & quidem sanctiorem vitam professo patratum. Hinc etiam cum *Abolla* Cynicos induxit Martialis:

Cœca quem nudi tegit uxor Abolla grabati.

Præterea vestis etiam militaris fuit, sed priore brevior ac pretiosior, purpurea namque. Sic de Ptolomæo R. Tranquillus *in Cajo: ingressus spectacula converiit oculos hominum splendore purpureæ Abollæ.* Pallium porro erat, quo extra urbem Romani usi. Inde Juvenalis

— — — *raptâ properabat* Abollâ
Pegasus, &c.

Et Martialis *lib.* 8. *Epigr.* 48.

Nescit cui dederit Tyriam Crispinus Abollam,
Dum mutat cultus, induiturque togam.

Papias *duplicem amictum* hoc vestis genus fuisse dicit, quod accepit à Servio, qui ad illud Virgilii:

— — *Duplicem ex humeris abjecit amictum,*

Duplicem amictum, inquit, *id est, Abollam, quæ duplex est, sicut chlamys.* Ubi malè Servium Marcellus reprehendit. *Abolla* enim, ut dictum, Cynicorum fuit, quos *duplici panno patientia velat*, apud Horatium. V. Octav. Ferrarium *de re Vestiar. lib.* 2. *cap.* 12.

Abollagium, in *Charta* veteri in Tabular. Castri-Meliandi, *Abollagium nemorum de Nichiers, quod* abollagium *eidem nobili pertinebat, ratione suæ Castellaniæ de Castro-meliandi*: dicitur *Inventio apum*, in Tabulario S. Benigni, apud Perardum *pag.* 95. *Inventionem etiam vasorum apum, ubicunque illis contigisset, dederunt, atque in silvis & planis suis.* Gall. *Troëve de vaisseaux d'els*, in *Consuetud.* Hannoviensi *cap.* 106. *artic.* 13. *Espave d'avettes*, in Turon. *tit.* 1. *art.* 17. *Espave d'abeilles*, *artic.* 54. &c. Jusque est, quod habet dominus Feudi, in apum, quas Galli *abeilles* vocant, examinibus, quæ in silvis nemoribusque vasallorum reperiuntur, apud Car. du Fresne *Glossar.* Aliàs quoque *Abellarium*.

Abominarium, apud Joh. de Janua, *liber, ubi abominationes scribebantur.* Id.

Abominatio Ægyptiorum, Exodi *cap.* 8. *vers.* 26. *Non convenit ita facere, quia* abominationem Ægyptiorum *sacrificaremus Domino Deo nostro* &c. *Et si sacrificaremus* abominationem Ægyptiorum *ante eorum oculos, nonne lapidarent nos?* Denotat *capras, boves & oves*, quibus in abominabilem idololatriam abutebantur Ægyptii: Gentium enim idola *abominationes* appellant Sacri Scriptores, V. Deuteronom. *cap.* 7. *vers.* 25. & *cap.* 12. *vers.* 30, 31. 2. Regum *cap.* 23. *vers.* 13. Esdr. *cap.* 9. *vers.* 1. Esajæ *cap.* 44. *vers.* 19. &c. Vel *sacrificium*, quod Ægyptiis erit *abominationi*, nequaquam perpessuris, ut ea immolemus animalia, quæ ipsi colunt: quo modo accipiunt Chaldæi Interpretes. Unde colligimus, brutorum cultum, jam antequam Israëlitæ ex Ægypto excessissent, apud Ægyptios usurpari cœpisse. Imò Genes. *cap.* 43. *vers.* 32. jam legimus, Ægyptios non potuisse panem comedere cum Hebræis, *quia id Hebræis erat abominatio*: quæ ultima verba sic interpretatur Jonathan, *Quia bestias, quas Ægyptii colunt, Judæi comedunt.* Nec multò aliter Onkelos & Arabs Parisiis editus, *quia eorum cibus his est abominabilis.* Quâ in parte non solùm Judaici, sed & Græcanici, mores, cum Ægyptiacis erant ἀσύμφωνοι. Unde est, quòd apud Athen. *lib.* 7. Comicus Anaxandrides Ægyptios ita deridet:

Οὐκ ἂν δυναίμην συμμαχεῖν ὑμῖν ἐγώ,
Οὔθ' οἱ τρόποι γὰρ ὁμονοοῦσ', οὔθ' οἱ νόμοι
Ἡμῶν, ἀπ' ἀλλήλων δ' ἀπέχουσι πολύ.
Βοῦν προσκυνεῖς, ἐγὼ δὲ θύω τοῖς θεοῖς:
Τὴν ἔγχελυν μέγιστον ἡγῇ δαίμονα,
Ἡμεῖς δὲ τῶν ὄψων μέγιστον παρὰ πολύ.
Ego esse vester non queam commilito,
Quando nec leges, nec mores, consentiunt,
Sed multis inter se intervallis dissident.
Bovem tu adoras, ego quem sacrifico Diis.
Anguillam Numen esse rere optimum,
Quæ mihi putatur esse optimum obsonium.

Proinde nec licuisse Ægyptio Græcum hominem suaviari, ejúsve cultro, veru aut ollâ uti, scribit Herodotus *lib.* 2. *cap.* 41. Quò eodem quoque multi referunt, quòd Ægyptii aversabantur pastores, Genes. *cap.* 46. *vers.* 34. qui nimirum pecora non solùm pascere & saginare, sed & mactare solent. Unde in hunc locum Jarchius Ægyptios pecudum pastores ideo abominari asserit, *quia illas pro Diis habent*, &c. V. Sam. Bochartum *Hierozoici Part. I. lib. II. cap.* 34. & *cap.* 53.

Abonnati, Dominorum feudalium subditi dicuntur, apud recentioris ætatis Scriptores; quorum præstationes ex condicto, pacto vel privilegio ad certam ac definitam pecuniæ, aut alterius rei solutionem sunt limitatæ, ita ut *talliis* ac cœteris servitiis non sint obnoxii, quemadmodum sunt homines de corpore, vel servi, quibus pro libitu onera domini imponunt. Vox conficta ex *bonna*, *terminus*, limes: nam, ut agri certis limitibus definiuntur, ita ejusmodi *abonnatorum* præstationes suis finibus, limitibus, ac conditionibus constant, quas domini servare tenentur. Inde verbum *abonnare*, in *Charta* A.C. 1298. *Ipsum Hugonem & Bertrannam de Tisejo ejus uxorem* abonnamus *& liberos esse volumus*, — — *Ab. quos talliæ, corveia, &c. pro 4. libris cera dicto Priori — In festo S. Remigii*

migii annis singulis persolvendis, &c. Indidem *Abonnagium*, ibid. à quo diversum est *Abunagium*, de quo V. infrà in voce *Bonna*.

Aborras, Græcè Ἀϐόῤῥας, flumen Mesopotamiæ, apud Strabonem *lib.* 16. Ptolemæo χαϐώρας: sicut Χοσρόης & Ὀσρόης idem nomen, *Chosroëne* & *Osroëne* eadem Provincia. Salmasius *ad Solinum*, *pag.* 409. V. in voce *Aborras*.

Abortum promovere, per legem JCtorum Medicorumque veterum. Erant enim, quæ fœtum, antequam in lucem legitimè ederetur, adhuc in utero materno vix conceptum *abortivis* expellere tentabant, infamiæ vitandæ: quod tamen omnes boni detestatione & communi odio prosequebantur. A. Gellius *lib.* 12. *cap.* 1. *Quod cùm sit publica detestatione communique odio dignum, in ipsis hominem primordiis, dum fingitur, dum animatur, inter ipsas artificis Naturæ manus interfectum iri.* Hinc non minùs mulieres, quæ id conabantur, homicidii tenebantur reæ, quàm si editum necassent. Augustin. *Serm. de temp.* 111. *Mulier quæcunque fecerit, per quod jam non possit concipere, quotiescunque parere poterat, tantorum homicidiorum se ream esse cognoscat.* Ut meritò indignentur omnes boni, damnentque Minois institutum, diminuendæ multitudini *abortum* jubentis, moremque incolarum Formosæ Ins. in quâ turpe habitum olim, si fœmina, ante 35. vel 36. ætatis annum, prolem edidisset, ante quod tempus proin *abortum* procurare, patria consuetudo fuit. Puniebatur autem apud Romanos olim hoc crimen, modo exilio, modò capite, *l.* 4. *D. de Extraord. crim. l.* 8. *ff. ad L. Corn. de Sicar. & l.* 38. *de Pœnis:* si nempè fœtus esset ἐξεικονισμένος, *formatus*, in humanam speciem & vitalis. Sed &, cùm semen quoque recens conceptum artibus quibusdam nefariis abigere solerent fœminæ impudicæ, crimen illud non minus homicidii postulat Tertullianus *Apolog. Etiam*, inquiens, *conceptum utero, dum adhuc sanguis in hominem deliberatur, dissolvere non licet. Homicidii festinatio est, prohibere nasci, nec refert natam quis eripiat animam, an nascentem disturbet; Homo est, & qui futurus est, & fructus hominis in semine est*, V. quoque Augustinum *Qu.* 86. *in Exod.* & Theodoret. *Qu.* 48.

Abos, adde: E quo Euphrates ortus, contra Occidentem fluens, ubi Armeniam minorem attigit, è regione urbis Sinaræ aliquot millibus supra Zimaram, repentè ad Meridiem detorquet alvei sui recturam. Est autem *Abos*, uti & Niphates, pars & fragmentum montis Tauri, quæ recto fere jugo eum perpetuant ab Occidente, ubi Taurum penetrat Euphrates, ad Orientem, ubi nascitur, ut habet Strabo, ubi de fontibus Euphratis. V. Salmasium *ad Solinum*, *pag.* 61. *& seqq.*

Abra, Gr. Ἄϐρα, ancilla, seu famula honoratior, Gall. *Fille de Chambre*, cujusmodi ditiores ad honesta servitia seu ministeria domi suæ alunt *Gloss.* Græc. MSS. Reg. Ἄϐρα ἡ οἰκογενὴς καὶ περὶ χεῖρα θεράπαινα, *Abra domestica & circa manum famula. Chronic.* Casauriense. *lib.* . *Dum puella cum lenone dulcibus alloquiis frueretur*, Abra *involvebat circa calcaria longam camisiam, quâ erat indutus. Vita* S Gudilæ *virgin. cap.* 2. *Præeunte ejus* Abrâ, *cum laterna prævii luminis.* In libro inprimis Juditæ crebrò occurrit; Unde apud Anshelmum, ubi de Juditha, *Cùm horrendum Assyriorum Principem, qui innumeris manipulorum millibus, equitatu & peditatu gloriantibus, orbem trementem terruit, ab ira comitante circumvenire moliretur:* pro *ab ira*, unâ voce *Abra* legi jubet Gronovius *Observat. in Eccles. cap.* 8. Domnizo de *Vita* Mathild. *lib.* 1. *cap.* 1.

Regiam claram, famulam simul ejus & Abram
Alta Canossa tenet.

V. quoque infrà in *Dula*. Sed & pro *concubina* vocem sumi, legitur apud Hesych. Ἄϐρα, δούλη, παλλακή. Ἄϐραι, νέαι δοῦλαι, *Abra*, *ancilla, pellex*. Abræ, *juvenculæ ancillæ*. Unde *Vetus Pœnitentiale* MS. *Qui uxores habent, contineant se abris* 40. *dies ante Paschа & Natale Domini & omni Dominica*, apud du Fresne *Glossar.* Nempe facilior in talibus utpote semper ad ministeria domestica præsentibus, dominorum lapsus; veteri præsertim ævo, quo ista in ancillis commissa Leges non vindicabant. Cùm libidinem in ministras cauponæ, potantibus ministrantes, commissam, nec ipse Constantinus M. licèt jam Christianus, vindicandam censuerit, *l.* 29. *Cod. de Adult.* Quemadmodum & alienæ ancillæ illudere, utut non omnino impunitum, extra tamen legis Juliæ periculum erat. *l.* 6. *princ. D. eod.* V. Brissonium *ad L. Jul. de Adult. pag.* 103-107. &c. V. Pfannerum *Theol. Gentil. cap.* XI. §. 24.

Abracadabra, adde: Fuit autem ille *Abraca* seu *Abracax* Basilidi summum Numen, à quo reliqui dimanarent, aliis *Abraxas*. V. *infrà*.

Abracax, Basilidi Hæretico, qui sub Hadriano Imp. vixit, summus fuit Deorum, à quo Dii omnes reliqui ortum suum arcesserent, quique Angelos septem, cœlorum septem Præsides, ac præterea eorum trecentas sexaginta quinque virtutes contineret, juxta anni dies; idque ob septem literas, numeralemque eorum valorem, quæ simul collectæ numerum CCCLXV. conficiunt. Complures vidisse se du Fresne refert gemmas, nominis hujus *Abracax* inscriptione notatas, quas Basilidianis amuleti vice, contra morbos malosque Dæmones, inserviisse ait, atque inter eas præclaram inprimis illam, in Musæo Canonicorum Regularium Sanctæ Genovefæ Paris. in quâ hæc verba: ΑΒΡΑCΑΞ. ΑΔΩΝΑΙ. ΔΑΙΜΟΝΩΝ. ΔΕΞΙΑΙ. ΔΥΝΑΜΕΙC. ΦΥΛΑΞΑΤΕ. ΟΥΛΠΙΑΝ. ΠΑΥΛΕΙΝΑΝ. ΑΠΟ. ΠΑΝΤΟC. ΚΑΚΟΥ. ΔΑΙΜΟΝΟC. Hoc est, ABRACAX. ADONAI. DÆMONUM. DEXTRÆ. VIRTUTES. SERVATE. ULPIAM. PAULINAM. AB. OMNI. MALO. DÆMONE. Idem hanc in rem Auctores citat Baronium *ad A.C.* 120. *num.* 10. Gassendum de *Vita* Peirescii, Chiffletium, &c.

Abrahamus Patr. adde: In Saturno cultum fuisse, discimus ex Eusebio *Præp. Evangel. lib.* 1. *Saturnus igitur, quem Phœnices Israëlem nominant, quemque post obitum in astrum ejusdem nominis consecrarunt; Cùm iis in locis regnaret, ac filium unigenam ex Nympha quadam indigena, nomine Anobret haberet, quem propterea Jeoud dixere, vocabulo hodieque unigenam notante linguâ Phœnicia, cumque in gravissimum belli periculum regio incidisset; illum ipsum regio ornatum habitu in ara ad hoc extructa immolavit.* Ubi tria hæc videmus; Israëlem esse Phœniciæ Regem vetustissimum, eundem ac Saturnum: fuisse Israëli filium μονογενῆ *unigenam*, unde *Jeoud* dictus sit Phœnicibus: illum esse à parentibus immolatum. Quæ non aliunde originem duxere, quàm quòd Israëlem nepotem Porphyrius (is enim *l. c.* loquitur) confuderit cum avo Abrahamo, cui mandatum, ut sacrificaret Deo filium μονογενῆ. Sic enim est Genes. *cap.* 22. *vers.* 1. *Accipe filium tuum, unicum tuum.* Ubi *unicum* Hebraicè dicit יְחִיד, *Jehid*: quod valdè convenit cum Phœnicio *Jehoud*. Nempe hæ linguæ solâ differebant dialecto; & sanè *in Orphaicis* etiam, sive *Onomacriticis*, Abrahamus vocatur μονογενής. Ubi *Abrahamus* & *Isaacus* confunduntur, uti superiùs *Abrahamus* & *Jacobus*. V. Gerh. Joh. Vossium *de Orig. ac Progr. Idolol. lib.* 1. *cap.* 18. Eidem non minùs, ac Orpheo & Christo sacra fecisse Alexandrum Severum legimus, apud Æl. Lampridium: *Si facultas esset, si non cum uxore cubuisset, matutinis horis in Larario suo (in quo & divos Principes, sed optimos electos & animas sanctiores, in queis & Apollonium, & quantum Scriptor suorum temporum dicit, Christum, Abraham, & Orpheum, & hujusmodi Deos habebat ac Majorum effigies) rem divinam faciebat.* Quanti apud Mahometanos hodieque sit, Persas inprimis, V. apud Schich-Sadi Poetam Persicum *in Pers. Rosarum Valle*, & P. de Valle *Itinerario, Tom. II. & III.*

Abraheth, Rex Abasenorum, in Arabia Felici intima, eo ipso anno, quo natus est Mahometes, magno elephante vectus, cum multis copiis venisse, ut Mecchanum templum exscinderet, sed ab avibus *Ababil*, conjectis in ejus milites lapidibus in inferorum igne excoctis & induratis, repulsus legitur, in Alcorano *Azoarâ* 115. *cui tit. Elephas.* V. suprà.

Abraxas, adde: Fortasse ab Ægyptiis & Græcis id haustum, qui nomen Nili fluminis, in suis characteribus, symbolicè itidem numerum anni dierum comprehendere affirmabant. Hoc pacto,

N.	50.
E.	5.
I.	10.
Λ.	30.
O.	70.
Σ.	200.
Summa	365.

V. *Hierolexicon* Dominici Macri.

Abrech, Hebr. אַבְרֵךְ, nomen, ut Onkelos ait, ex אָב *ab*, i. *Pater*, & רַךְ *rech*, h. e. *Rex* compositum; Pharaonis jussu, ante Josephum Ægypti Proregem, acclamari solebat. R. Juda conflatum arbitratur ex אָב *pater*, & רַךְ *tener*; ut *Pater* dicatur, ratione senilis prudentiæ; *tener*, propter juvenilem ac teneram ætatem: Nam 30. duntaxat annorum erat, quum ad præfecturam Ægypti fuit evectus. Et quamvis, quia בָּרַךְ *barach*, interdum significat *geniculare* seu *genu flectere*, eo Aquila & vulgatus Interpres, transferat *genuflecte*, idque favente etiam Aben-Ezrâ: tamen B. Hieronymus *Quæst. Hebr. in Genes.* hanc de *Patre* *tenero* expositionem disertim præfert isti; de *adgeniculatione*. Nec ulla appellatio Josepho accommodatior, quàm *Ab* seu *Patris*: quippe qui Nutritius fuit totius Ægypti; quales per tralationem *Patres* dicti: ut nutrix Plauto *altera mater*. Hinc ipse Josephus Geneseos *cap.* 45. *vers.* 8. ait fratribus suis se constitutum esse לְאָב לְפַרְעֹה *in Patrem Pharaonis*. Et ab hâc origine, sequentibus temporibus ortum est *Apis* nomen, quo Josephus in sacris nuncupatus est ab Ægyptiis: *is* enim solùm vocis productio est, *Ap* verò, ex Hebr. *Ab*, ortum. *Patrem* designat. V. Gerh. Joh. Vossium *de orig. & progr. Idolol. lib.* 1. *cap.* 20.

Abrenuntiare Diabolo & pompis ejus, solennis est formula, in Baptismo usitata jam ab antiquo. Cùm enim quis baptizandus ad Ecclesiam venit, priusquam immergeretur, interrogatus Ministro: Utrum abrenuntiaret Diabolo & pompis ejus, respondere tenebatur, *Abrenuntio*. Ἀποτάσσομαί σοι Σατανᾶ, καὶ τῇ πομπῇ σου, καὶ τῇ λατρείᾳ σου *Abrenuntio tibi, Satana, & pompæ tuæ, & cultui tuo*; apud Johannem Chrysostomum *ad Antioch. Homil.* 21. V. quoque Cyprianum *Epist.* 7. Tertullianum *de coronâ Milit.* Alios. Car. du Fresne *Gloss.*

Abrincatui, adde: Sedes habent hi pop. ad Senunam & Sevam flumina, & in Notit. Imp. *Abrincateni* passim inter legiones Pseu-

do. comitatenses 18. appellantur; urbs autem eorum *Abrincata*: *Praefectus militum Dalmatarum Abrincatis*, in tractu Armoricano: sic apud Gregorium Tur. *lib.9.cap.20.* Orderico *Abrinca* dicitur *lib.5.* Tertium tenet locum in prov. Lugdunensi 2. juxta vett. Notit. Gall. situsq; ejus sic describitur à Brittone *Philippidos libro* [illegible]

— — *Obsedit* Abrincas,
Colle sitas inter Sevam Seunamque supino,
Pisciferos amnes, multo salmone feraces.

Hodieque montana urbs est marique proxima: caput pagi *Abrincatini*, vulgò l'*Avranchin*, V. Hadr. Valesium *Notit. Gall.* Nec omittendū, quatuor fluvios apud Abrincatuos, in colle Brimbalio, *la buse de Brinbal* oriri, suo quemque alveo in diversa decurrentes, Sevam, de quo suprà, Vitiam, Egranniam & Nigram aquam, de quibus V. *suis locis.*

Abruptio corrigiae, inter calceandum, mali apud Romanos olim ominis fuit loco, adeò ut suscepta negotia vel relinquerent penitùs, vel in aliud tempus differrent: ut disertè testatur, Cicero *de Divin. lib.2. Quae si suscipiamus, pedis offensio nobis & abruptio corrigiae, & sternutamenta erunt observanda.* Portendere nempè omen hoc Veteres credebant, rem susceptam haud feliciter progressuram, aut sinistro aliquo casu interturbatum iri: quemadmodum iis, quibus in itinere corrigiam calceamenti contingit abrumpi, non parvo id impedimento est itineri retardando. Unde qui Sacram paginam *Glossâ*, quae dicitur *Ordinaria*, illustravit, locum illum Isajae *cap.5. vers.27. Non rumpetur corrigia calceamenti ejus*, appositè sic interpretatur, *Non impedietur in itinere Dominus*: ut eum significet, re nullâ retardandum, quin brevi sit in hostes iracundiae suae tela, vindice dextrâ, contorturus. Et haec ratio est, cur veteres Tabellarii atque Cursores excalceati sua legantur munia obiisse, apud Stobaeum: quod idem Classiariis injunxit Vespasianus apud Suetonium *cap.8.* V. B. Balduinum *de Calceo, cap.21.*

Absagi, pop. ad Caucasi radices, memorati Anastasio *in Hypomnesti.* per Sirmondum in 8. edit. *pag.145. Ad Orientem Pontici maris, apud ipsum pedem Chaucasiorum montium, juxta* Absagorum *& gentem Alanorum, quasi signis quinque à praedio Zichacorio, id est, prima domo Gregorii veri amici Christi, Patritii & Magistratus ejusdem Alanorum.* Ab his *Absari* flumen per Armeniam postea transire, auctor est Plinius *lib.6. cap.4. & 9.*

Absconsa, apud Lanfrancum in *Decret. cap.4. Tunc accensâ candelâ*, in absconsâ, *unus eorum in dormitorio debet circumire lectos omnium.* Liber *Ordinis S. Victoris MS cap.36.* aliique ejusdem vocis meminerunt, quâ notatur caeca laterna, quâ Monachi ut plurimum utuntur in obeundis dormitoriis. Per aphaeresin *Consa*, & *Sconsa*, non semel: in *Consuetud.* Floriacensis Coenobii, *vitâ S.* Gosvini *lib.3. Monasticoque* Anglico *Tom.III. pag.172.331.* apud Car. du Fresne *Gloss.* V. quoque infrà in *Baccha.*

Absconsae Stellae, apud Firmicum, *Stellae quinque matutinae fiunt, aut vespertinae occidentales seu* absconsae, *quae à Graecis* ἀφανεῖς καὶ ἐσπεριναὶ dicuntur, *aut* ἀκρόνυχοι: vespertinae occidentales sunt, quae vesperi occidunt; eaedem *Synodicae* appellatae, quòd tunc sint in synodo cum Sole, & *absconsae*, quia radiis Solis occultantur. At diversae ab his acronychae, quae tunc oriuntur, cùm Sol occidit. Salmasius *ad Solinum, pag.721.*

Absens, V. infrà *Absentus.*

Absentatum vinum, apud Ael. Lampridium in *Heliogabalo, Condito piscinas & solia temperavit & rosato atque absentato*, (ita enim habet optimus codex, cùm vulgò legatur *absinthio*) *vulgus ad bibendum invitavit*, &c. pro *absinthiato*: Sic enim tum scripsisse Latinos argumento sunt Graeci recentiores, qui vocem hanc Latinam usurpantes nunquam aliter fere scribunt, quàm ἀψινθᾶτον. Latini igitur, ut hinc apparet, *absentatum* vel *absinthatum* proferebant, non *absinthiatum*. Sed & *absentum* iidem dixere pro *absinthium*, uti in libro vetustissimo MS. Appuleji *de Herbis*, legit Salmasius: qui proin apud eundem Lampridium paulo antè, ubi verba haec: *pro nasturtiis & apiastris & facelaribus*, adjutus à Codice Palatino, qui habet *pro nascentis*, reponendum judicat. *pro absentis & apiastris & facelaribus.* Apulejus certè *libr. de Remediis salutar.* quem in vetustissimis membranis scriptum idem habuit Salmasius, sic omnibus locis exaratum praeferebat: *In remedio est absenti succus decocti inspersus vel sedi.* Et paulo pòst: *Differentia in his, sicut in pomis, acres sunt ut origani, nasturtii, sinapis: amari verò*, absenthi, *centauriae.* Et ita alibi passim, *Absentum* vel *Absenthum* Latini protulerunt; non ab eo, quòd Graeci ἀψίνθιον, sed ex eo, quòd iidem ἄψινθον quoque dicerent. Hinc ergo *Absentum* & *Absenthatum*, Graecisque recentioribus Ἀψινθᾶτον, ut Alexandro Tralliano *lib.8.* Οἶνος [illegible] &c. V. etiam infrà.

Absentem se facere, formula vetus, quae saepius occurrit in *Charta* Mathildis Com. quam descripsit Baronius ad A. C. 1102. alibique pro *devestire* se de re aliqua, exuere possessione, & eam in alium transferre. Sic *absens* pro *absento* seu excommunicato, in *Capitulis* Caroli M. *lib.7. cap.215.* ubi de Devota peccante & poenitente: *Priusquam in Ecclesia admittatur ad orationem, ad nullius convivium Christianae mulieris accedat. Quòd si admissa fuerit, etiam haec, quae eam receperit, habebitur absens.* Id est, abstinebit pariter ab ingressu Ecclesiae seu habebitur pro excommunicata: apud Car. du Fresne *Glossar.* V. quoque infrà *Absentus.*

Absentum. V. suprà *Absentatum.*

Absida, vel *Absidia*, Gr. Ἀψὶς, fornicis curvatura. Gloss. Gr. Lat. ἀψὶς, *forfex, arcus, fornix.* Per *p* scribitur, apud Hieronymum *ad Ephes. lib.2. In summo coeli fornice, & ut ipso verbo utar, apside*, &c. quod Graeco magis conveniens est. Uti autem cameram, & trullum, sic *apsidem*, legimus olim musivo pictam; cùm contrà solo pavimentum ubique videamus assignatum: Quam differentiam Codinus religiosè observat; cùm enim eodem opere (tessellatione enim & musivum & pavimentum contexebatur) sola, camerae & parietes decorarentur; [illegible] vocat, quod in solo ponitur, [illegible], quod in parietibus; in cameris verò & pendentibus [illegible]. Unde Anastasius *in Hadriano, Fecit autem & in Patriarchio Lateranensi triclinium majus super omnia triclinia, nomini suae magnitudinis decorata, ponens in eo fundamenta firmissima, & in circuitu laminis marmoreis ornavit, atque marmoribus in exemplis stravit & diversis columnis cum vasibus & liliis simul postibus, decoravit cameram cum* apsida *de musivo.* Et apud Eund. *ibid.* videbis *apsidam de musivo ornatam & apsidas duas dextra laevaque super marmore & picturâ splendentes & in pavimento marmoreis exemplis stratis.* Ubi marmorea exempla pavimento, musivum *absidibus* disertè assignat, Salmas. *ad Spartian. in Pescennio Nigro*, &c. In specie, in Ecclesia Rom. *Absida* dicitur, pars aedis sacrae interior, in qua Altare collocari solet; sic appellata, quòd sit quodammodo separata à Templo & proprio fornice tecta ac convoluta. Gregorius Turon. de *Vitis* Patrum *cap.7. Ante Altare, Basilicae fundamenta jecit, erectâque* absidâ *miro opere construxit & transvolvit.* Petr. Damianus *lib.3. Epist.8. Tenet sc. claustrum post* absidam *Ecclesiae tuo duntaxat habitaculo dedicatum*, &c. id est, retrochorum, seu potiùs, presbyterium. Hugo Flaviniac. *Chron. pag.112. Reliquias Hierosolymitanas in principali* absida *locis congruis venerabiliter collocavit*, V. quoque Zixilanem in *Vita* S. Ildefonsi Episc Tolet. *Analecta* Joh. Mabillonii *Tom.1. pag.108.* & quae in hanc sententiam pluribus collegit Car. du Fresne *Glossar.* Dominico Macro, lateralis est Ecclesiae pars post Altare haemisphaerica, ex Paulino *Epist.12.* ad Sever. & Greg. Turon. in *Vita* Gregorii, & quoque *Concha, Parapsis, Tribuna*, &c. vocatur. Aliquando pro ipsa sede Episcopali accipitur, quae in ejus medio collocari solet: quo sensu vocem capi vult, apud Augustinum *ad Albin. Dicebam ego, quibus poterram, qui nos in absidem honoratiores & graviores ascenderant.* Hincque *Absis gradata*, Pontificalis sedes, utpote eminentior ob multitudinem graduum, apud Eund *Epist. 203. ad Max. Transit honor hujus seculi, transit ambitio: In futuro Christi judicio nec* absidae *gradatae, nec cathedrae velatae*, &c. quem thronum velari consuevisse, scribit Pacianus, *Epist.11. ad Symphor.* &c. V. eum in *Hierolex.* & infrà quoque in *Cathedra* ac *Exedra*: ut & in *Concha, Diatreta, Tribuna, Trichorus, Trullus*, &c. Etiam feretrum vox haec notat, in quo reliquiae conduntur: fortè propterea, quòd in *absidem* seu cameram desuper convolvatur. *Gesta* Coss. Andegavensium *cap.3. num.26.* Absida *siquidem, quam deferebant, erat fusilis ex auro & argento, quod dicitur electrum, spissitudine duorum digitorum, actoremque operis B. Perpetuum insculptor designaverat, suffragio literarum*, &c. Agit autem ibi de Relatione corporis S. Martini, &c. Hinc *absidatus*, h.e. cameratus, concameratus, in absidis seu arcùs formam tectus. *Gloss.* Lat. Gr. *Arcuatus*, τοξωτὸς, [illegible], ἀψιδωτός: Sic *Porticus absidata*, apud Victorem *Descr. Romae reg.4.* & Senatorem *lib.4. Epist.51.* du Fresne *Gloss.* De *absidibus*, quae lances erant rotundae escariae: quandoque & tabulae, V. *l. cum aurum 19.6.* & ibi Gothofredum *ff. de aur. & arg. legato.*

Absinthiatum vinum, apud Ael. Lampridium in *Heliogabalo: Condito piscinas & solia temperavit & rosato atque absinthiato:* Nempe prodigium hoc luxuriae, quoties aquam piscinae aut balnei non juberet infici unguentis aut croco, ut antè dixerat Lampridius, temperari praecipiebat vino variè condito; ut sunt rosatum, *absinthiatum*, quae subjiciuntur, & quod propriè *conditum* dixere. Quo facto *vulgus ad bibendum invitavit*, ut sequitur: Erat enim moris, ut cùm exiissent Vett. è solio, biberent aliquantulum, reficiendis viribus; sed hoc fere divites & qui delicatiùs se curabant. At hic cùm ad balneas suas populum promiscuè admitteret, eundem quoq; ad bibendum invitabat, *& ipse cum populo tantùm bibit, ut in piscina eum bibisse intelligeretur, viso, quòd unus bibisset.* Pro *absinthiatum*, alios legere *absentatum*, diximus suprà.

Absis, Graecè Ἀψὶς & *Absida*, fornix est, arcus, haemisphaerium & quod in curvamen arcuatum constituitur. Hinc arcus Imperatorum triumphales Graeci *Apsidas* vocant. Rhodigin. *Antiqq. lect. lib.18. cap.10.* Apud Ecclesiasticae rei Scriptores, modò significat Episcoporum subsellia, V. Augustin. *Epist.23.* modò Chorum vel Presbyterium, ut vocant, id est, locum in Ecclesia cancellis inclusum, Clericorumque coetui destinatum: apud Leonem Marsican. *lib.1. cap.19.* Greg. Turon. *lib.10. cap.31. & 32. Canonem 3.* Synodi Carthagin. aevo Augustini habitae: modò Fornicem, vel Loculum arcuatum ligneum, quo super altare polito, simulachra conservabantur, ut patet ex Ruperto *de Casibus S. Galli cap.9.* & Ekkehardum Jun. *cap.6.* modò Atrium vel porticum Ecclesiae, Angl. *à Church-Porch.* V. *Spelmannum Glossar.* & hic in *Absida.*

Absolvere defunctus, in Communione Rom. est dicere *Collectam* mortuorum, *Absolve Domine animas fidelium defunctorum.* Odo Episc. Paris. in *Praeceptis* Synodal. § 7. *Sacerdotes, audito Parochianorum suorum obitu, statim* absolvant *eos, cum Psalmis pro defunctis, & collectis:* Hinc in *Statutis* Ordinis de Sempringham *pag.* 781. *Patres & Matres, fratres & sorores, & consanguinei defuncti Fratrum nostri Ordinis, in annuo Capitulo, in conventu nominativo debent absolvi*, &c. Et in *Vita* S. Gilberti Institutoris ejusd. Ordin. *Recitatis Sanctorum passionibus &* absolutis *defunctis*, apud Car. du Fresne *Glossar.* Quid autem *Collecta* sit, dicemus infrà.

Absolutè ordinari, dicebantur olim in Ecclesia Rom. qui non uni alicui certæ civitati, vel pago ascribebantur, cujus Ecclesiæ inservirent, sed simpliciter in Sacerdotum numerum allegebantur: Quod vetitum Concilio Londinensi A.C. 1125. *Nullus in Presbyterum, nullus in Diaconum, nisi ad certum titulum, ordinetur: Qui verò* absolutè *fuerit ordinatus, sumtâ careat dignitate.* Ut & jam prius in Concil. Chalcedon. *can.* 6. Hinc irritæ postmodum factæ istiusmodi ordinationes, & *ἰδικῶς* seu *specialiter* omnes ordinari cœpti, atque in ipsis Presbyterorum & Diaconorum, ut & Subdiaconorum ordinationibus, ab Episcopis, nominati statim tituli sunt, quibus ii ascriberentur, &c. V. Car. du Fresne in voce *Titulus.*

Absolutio, in eadem Communione, dicitur deprecatio brevis in fine Psalmorum cujuscunque nocturni, ante lectionum recitationes; ita dicta, quia tunc terminabatur nocturnum, & cùm essent tria nocturna in officio, tunc psallentes ter discedebant à Choro, ad quiescendum, sicque tribus *absolutionibus* dividebatur Matutinum. Vel ita dicta est, quia in ea à Domino munditia cordis, ad rectè lectiones percipiendas, poscitur. *Absolutiones* verò, in horis Canonicis positæ dicuntur; Scilicet, ad Primam, duæ sunt, una, quæ *Absolutio Capituli* dicitur; altera quæ *Absolutio lectionatica* seu *brevis*, quia finitâ Primâ solebant congregari in Capitulo Monachi, ubi audiebant aliquam S. Scripturæ brevem lectionem, postquam auditores à Capitulo discesserunt, obtentâ Superioris benedictione: quodquidem hodie in Choro fit, & *lectio brevis* dicitur, estque veteris illius & longioris lectionis particula. Sed & *Absolutio* vocatur illa, quæ profertur circa cadaver, vel tumulum, de qua V. Domin. Macrum *Hierolex.*

Absolutionis Dies, vulgò *le Jeudi Absolu*, Feria dicitur in Ecclesia Rom. quinta, ante Pascha, quâ Pœnitentes absolvi solebant. Johannes Episc. Abrincensis *de Officio Eccl. pag.* 41. *Ipso die horâ sextâ Populus ad Ecclesiam conveniat: si Episcopus fuerit, convocatio pœnitentium &* absolutio, *chrismatis & olei consecratio, juxta Episcopalem ritum ordinetur; ubi verò defuerit, inprimis tam Clerus, quàm Populus, prostrati in terra cum lachrymis & gemitu absolutionem criminum à majori Sacerdote accipiant*, &c. Car. du Fresne *Glossar.*

in *Absoluto*, in *libris* Coloniarum, *Cæterùm in* absoluto *remansit*: terminus est Agrimensorum; pro *Absolutum.* Apud illos autem *absolutum* dicitur, quod assignatum ac limitatum non est. Sic *in soluto*, pro *solutum*, quod idem cum *absolutum.* Dicebantur autem *relicta* ac *soluta*, illa loca, quæ propter sterilitatem relinquebantur, nec assignabantur, aut mensuris vel limitibus obligabantur. Aggenus, *Hæc autem sunt loca, quæ in soluto dicuntur, quæ aut in saxosis & sterilibus locis sunt, aut in paludibus, ubi nulla potuit exerceri cultura.* Pingues enim agri tantùm, aut illi, in quibus cultura exerceri poterat, assignatione dividebantur ac metabantur. Virgilius:

> *Impius hæc tam culta novalia miles habebit?*
> *Barbarus has segetes?*

Unde *metatus ager*, de assignato vel opimo & pingui, apud Horatium,

> —— —— — *Videas metato in agello?*
> *Cum pecore & gnatis fortem mercede colonum.*

V. Salmasium *ad Solinum p.* 682.

Absolutoria Literæ, apud Hug. Flaviniacensem in *Chron. pag.* 254 dicuntur, quæ re confectâ. Missis ac Legatis dantur, cùm domum remittuntur. In *Concil.* verò Burdigalensi, A. C. 1262. *c.* 1. quibus Pontifex excommunicatum, ab excommunicatione à se *absolutum* esse, denuntiabat: apud eundem *Glossarii* Auctorem.

Absterforia, in ministeriis sacris Ecclesiæ Rom. Visitatio Thesaurariæ, S. Pauli Londin. A.C. 1295. *Duo* absterforia *de panno lineo, cum extremitatibus cordatis de serico, ad extergendum digitos post Perfusionem in majori altari*, &c. apud Eund.

Abstinentes, apud Cyprianum seu Auctorem *de Singular. Cleric.* *Quid per hypocrisin vult ab hominibus* abstinens *dici & in secreto carnibus & ebrietate distendi?* Iidem videntur, qui *continentes*, vel qui jejunia observabant, & à certis ciborum generibus abstinebant: In *Vitâ* S. Praject. Mart. poster. *num.* 7. videntur *pœnitentes* hac voce intelligi. Apud Philastrium verò *de Hæres.* sic dicuntur Hæretici, in Hispania, Gallia & Aquitania, *separantes persuasionibus conjugia hominum & escarum abstinentiam promittentes*, &c. Idem. V. quoque Macrum in *Hierolexico.*

Absynthium, in *Consuetudin.* Floriacensibus *pag.* 405. *His tribus diebus post cymbali pulsati sonum, qui voluerit, bibet de* absynthio *melle confecto, quod Refectorarius antè præparavit, & posuit in cyphis singulorum.* Potio est mellita, Monachica, ut interpretatur du Fresne *Glossar.* V supra *Absinthiatum.*

ad *S. Abundum*, vulgò *S. Aon*, vel *Saint Haon*, locus est Galliæ, in pago Bellojocensi, non procul ab Ulsco castello *Ursé*; inter Rodumnam Segusianorum ad Ligerim & Montem Maurilionis *Montmorillon*, Massonus. Inter loca Cluniaco subjecta, Hadr. Valesius *Not. Gall. in voce Carus Locus.*

Abyssini, adde: Antiquissimis temporibus ex Arabia in Africam transierunt. *Abessinos* certè Arabiæ Fel. populos fuisse, & in Æthiopiam Africanam transgressos esse, ex Uranio Stephanus testatur. Arabes eos vocant *Habaßi*: ipsi autem sese Chaldæos profitentur & eâ in sacris linguâ utuntur. Regum eorum catalogus quidem extat, sed antiquissimi admodum in obscuro sunt. Reginam Sabæ, quæ ad Salomonem accessit, eorum ordini per errorem insertam ait Hornius, sed non desunt Viri eruditi, qui Abyssinorum illam Imperatricem fuisse contendant. Minùs controversum est, quod de Candace idem habet, de qua Actorum *cap.* 8. namque ex Strabone, Plinio & Dione Cassio discimus, fuisse sub Ægypto Æthiopum Regnum *γυναικοκρατούμενον*, cujus Reginæ communi nomine *Candaces* fuerint appellatæ: atque ab hac, per Enuchum ejus à Philippo baptizatum, Christianam Religionem se accepisse, hodieque gens gloriatur. Sub Justiniano dein I. Imperatore, Rex Æthiopum Axunitarum Adad seu David memoratur, ad fidem Christi itidem conversus: à quo tempore illa Æthiopia inter medios Barbaros, Religionem Christianam, sed innumeris permixtam erroribus, retinuit, &c. Pendunt autem *Abyssinis* tributa Saraceni, Ægyptii & Turcæ; cujus causam cum quidam asserant hanc esse, quòd, cùm fontes Nili in Abyssina sint, ipsumque illud flumen, à cujus incrementis pendet fertilitas & salus Ægypti, per eam labatur, eo intercluso & averso universam Ægyptum fame urgere possent: Hornius fabulosum id esse ait, Aliis non adeò id absurdum censentibus, cùm fontes fluvii in apice montis sint, & facili negotio in aliam partem deflecti possent, deducique. Hodie tamen majorem partem Habassiæ Turcæ aliique in Africa Barbari occuparunt, sic ut ex tot provinciis vix quatuor supersint Imperatori, qui *Presbyteri Johannis* titulo Europæis notus est. V. Georg. Hornium *Orb. Imper. & Polit.* Regis titulus, *Dilectus à Deo*, &c. *Imperator Magnæ Æthiopiæ, Magnorum Regnorum & Ditionum Dominus, Rex de Xoa, de Caffate, de Fatiger, de Angote, de Barru, de Baalugarze, de Aden. de Vangue, de Gojame, de Damaraa, de Vagnemedri, de Ambeda, de Vagne, de Tigrimahon, de Sabaym, de Bernagaes, & Dominus usque ad Nobiam finem Ægypti.* Quæ tamen loca pleraque, utpote a mari & commerciorum usu remotiora, tabulis Geogr. non designantur, vel interstinguuntur, V. Auctorem *Hist. Orbis Terr.* &c.

AC

Acacia, Græcè Ἀκακία, arbor quibusdam, quæ propriè & absolutè Dioscoridi *Αἰγυπτιακὴ ἄκανθα. Ægyptia Spina*, è cujus siliquis, foliis & fructu succus multiplicis olim usus, in Medicina, hodie in totum ignotus est. Propriè ipse succus seu *ἐγχύλισμα* Spinæ Ægyptiæ, cujus usu deperdito succus prunorum successit: Unde est, quòd *Acaciam* infimæ Græciæ Medici *succum prunorum* interpretantur. V. de hac Arbore, è qua 18. remedia petita olim & succo ejus, latè differentem Salmasium *ad Solinum pag.* 539. & seqq.

Acacia, Innocentia est, apud Tertullianum *de cultu fœmin. cap.* 6. Sumta dein vox pro involucro pergameno, quod loco sceptri olim ferebat Byzantinus Imp. ad instar antiqui codicis, pulvere fartum, in mortalitatis, quam cum cœteris communem haberet, memoriam: idque quoties solenniter & imperiali veste indutus prodiret. Dictum autem sic sceptrum illud, quòd mortis recordatio innocentiam hominis quàm maximè conservet. Dominic. Macer *Hierolex.* Car. du Fresne ait, fuisse saccum ex panno purpureo confectum, codici similem, terrâ vel arenâ plenum, cujus arcanum sic prodi à Codino, ubi de Imperatore: *Crucem in dextrâ semper portat, in sinistrâ verò pannum sericum codici similem, ligatum mantili, habetque intus terram vel arenam, & vocatur* Acacia: *quasi dicas illud, Imperatorem humilem esse ut mortalem, neque propter Imperii fastigium efferri, neque se tumidum jactare debere.* Quam eandem significationem *Acaciæ* adscribit Simeon Tessalonicensis, qui quod *χῶμα* Codinus, *terram* vel *arenam*; *χοῦν*, *pulverem* vocat. Hocce sanè schemate *Acacia* depingitur in Michaëlis Palæologi Imp. effigie, quam du Fresne exhibet *Dissertat. de inferioris ævi Numismat.* licèt in aliis Theodori Lascaris jun. ejusdem Michaëlis & Andronici sen. imaginibus, quas ex Codice Augustano *Historiæ* Georgii Pachymeris delineari curavit Hieron. Wolphius, voluminis speciem præferat. Uti ergo, quod Consules & Impp. primi in nummis, dextrâ interdum, quandoque sinistrâ, chartaceo volumini simile gestant, mappa videtur fuisse, vel etiam codicilli Consulares, seu Magistratuum omnium insigne: Sic aliud longè fuit in extrema Græcia, *Acacia* nempe; de qua dictum &c. V. quoque infrà in vocibus, *Mappa*, item *Volumen.*

Academia, adde: Ab *Academia*, ubi Plato docere solitus est, *Academica* secta nomen habuit, quæ loci quoque nomine subinde

venit. Unde *Academia* triplex apud Auctores, *Vetus, Nova* & *Media*. Plato *Veteris* princeps fuit, quæ demum sic vocari incepit, postquam Arcesilas alteram induxit. Fuit illa mixta ex Heraclitica, Pythagorica & Socratica: unde illis, qui uno Socrate contenti erant, miscellâ hac corrumpere Philosophiam genuinam Plato visus fuit, V. Laërtium *in Platone*, Hesychium Illustrem, Apulejum *de dogm Plat.* &c. Decem verò sunt Dialogi, quibus omnem Philosophiam comprehendisse existimatur, teste Jamblicho: *Agnovit is unum esse Deum, summum opificem universi: sed præter eum statuit Deos duplices, Dæmones & Heroas: quibus & ipsis sacra fieri jussit*, V. Augustinum *de C.D.lib.9. cap.8. & 11.* Idem *mundum cœpisse arbitratus est, sed materiam ejus Deo coæternam statuit*: quem errorem à Platone Hermogenes hæreticus hausit. *Ideas porrò asseruit*, Peripateticis impugnatas ac à SS. Patrum non paucis rejectas: qua parte creditur Gnosticis præivisse, V. Irenæum *adv. hæreses lib.2. cap.19.* Tertullianum *de Anima* &c. Valentino inprimis, qui circa A.C. 150. è Theogonia Hesiodi 30. Deos & è Platone Ideas mutuatus, cum Johannis hæc Evangelio miscuit. Nisi fortè malè de Ideis intellectus Plato est. Ei in *Academia* successit Speusippus, cui Xenocrates Chalcedonius, Polemo Atheniensis, Crates Atheniensis & Crantor Solensis. Hujus discipulus Arcesilas *Mediæ* auctor ἀκαταληψίαν & ἐποχὴν induxit, docuitque: *Nihil percipi posse, eoque in omnibus esse cohibendum assensum.* Sic, cùm Philosophia *ad summum jam incrementum pervenisset*, verba sunt Lactantii *lib.3. cap. 6. repentè extitit Academia tanquam senectus ejus, quæ illam* (ignorantiâ introductâ) *confiteret jam deflorescentem.* Discipulus Arcesilæ fuit Lacydes, Lacydi Telecles & Evander, cui Hegesippus Pergamenus Laërtio *Hegesilaus* Clementi, ultimus Academiæ mediæ assertor successit: Qui enim Hegesippum excepit Carneades Cyrenæus, *Novam* is seu Tertiam Academiam fundavit: quæ à media duplici ratione differebat. Primò enim Arcesilas è rebus verum sustulit, Carneades aliquid verum aut falsum esse fassus est, saltem negavit in nobis κριτήριον seu artem judicandi verumque à falso discernendi esse, V. Cicer. *in Lucullo.* Dein Carneades quidem assensum cohibuit ob rei incertum, non tamen negavit aliquid esse probabile, aut contrà: quale nihil Arcesilas, V. Cic. *Acad. Qu lib.4.* Post Carneadem docuit Clitomachus Carthaginensis, in quo successio Academiæ novæ desiit. Quidam triplici huic Academiæ addunt quoque *Quartam*, cujus Philo & Charmidas Clitomachi successores auctores fuere, quæque paulo propiùs ad veterem accessit: & *Quintam*, ab Antiocho fundatore, qui veterem Academiam instauravit, nisi quòd de κριτηρίῳ Stoicis accederet, *Antiochiam* dictam. Post hunc, qui sequentibus seculis Platonis dogmatis insisterent, pro *Academicis* Platonici dici maluerunt, V. infrà suo loco, & plura in hanc rem, apud Vossium *de Philosoph. Sectis. capp.12.13.14.15.* & Georg. Hornium *Histor. Philosophicæ libro. 3. cap.20.* ex Rossæi *Archeol.*

Acamantis, adde:

Δῆμοι Tribus Acamantidis.

Agnus.	Hephestiadæ.
Cholargia Cephale.	Hermus, seu Hermi.
Cholargus Cholargi.	Itea.
Cicyana.	Prospalta.
Erisidæ.	Sphettus.

Thoricus.

Acanthina vestimenta, memorantur Varroni apud Servium, *Cùm dempti sunt aculei, ex his implicitis mulieres multiplicem conficere vestem; hinc vestimenta* acanthina *appellata.* Nempe ab *acanthio* herba illis nomen, utpote quæ texi consuevere ex lanugine, quâ folia acanthii solent obduci, de quo V. Plinium *lib.24. cap.12.* Unde Servium corrigit Salmasius, vestes in similitudinem *acanthi* ornatas & confectas hac voce accipientem & sic intelligentem versum Poëtæ:

Et circumtextum croceo velamen acantho.

Hic enim *acanthus* purpura est, quæ extremam vestis oram circumibat. Namque virgæ illæ, quæ in circuitum vestis eunt, ad oram infimam currentes, non ῥάβδοι solùm, & κλάδους & σωλῆνας Græci, sed & ἀκάνθας dixere. Hesychius, Ἄκανθος περίῤῥαμμα ὑφασμένον καὶ ζῶον καὶ φυτὸν καὶ πτηνόν, *Acanthus circumtexta fascia seu lorum seu virga, & animal & planta & volatile.* V. Salmasium *ad Vopiscum Aurelian.* Cardui autem genus *acanthium* est, araneosâ habens lanugine obducta folia. Oribasius, Ἐπ' ἄκρων δὲ ἀκανθώδεις ἐξοχὰς ἔχει, καθ' ὃ ἀραχνώδης ἐστὶ χνοῦς. ὃ συλλεγόμενος καὶ ἐφ' ἐν τῇ Συρίᾳ βομβυκώδεις γίνεται. Et multo ante eum Plinius, *Foliis aculeatis per extremitates & araneosâ lanugine obductis, quâ collectâ vestes etiam quædam bombycinis similes fiunt in Oriente.* V. Sam. Bochartum *Hierozoic. Part. poster. Lib.IV. cap. 23.* & Salmasium præfatum *ad Solinum p.537.*

Acanthus, Græcè Ἄκανθος, seu Ἀκανθῶν πόλις, Urbs Ægypti, non procul à Memphi, in eodem latere, Libyco viz. ab arbore Ægypti celebri, quæ ἄκανθος, h. e. *Spina*; nomen adepta, quòd in ea esset spinæ Thebaicæ ingens lucus. Stephanus, Ἄκανθος, Μέμφιδος ἀπέχουσα σταδίους τριακοσίους εἴκοσι καὶ δύο, ἐν ᾗ τῆς ἀκάνθης τῆς θηβαϊκῆς ἄλσος ὑπερμέγεθες. *Acanthus Memphi distans stadiis trecentis viginti & altera, in qua spinæ Thebaicæ sylva ingens.* Ubi *alteram* vocat, quia prima, quæ ibi recensetur Urbium, hoc nomine in Thracia erat. Conserebat arbor hæc, unde Urbi nomen, flores Coronariis & Medicis, in totum diversa ab Acacia, spinosa & ipsa arbore, in eadem Ægypto nascente, quæ succum è foliis & fructu expressum dabat multi usus in Medicina, ut diximus, V. Salmasium *ad Solinum pag.532. & seqq.* Fuit & herba topiaria ejus nominis, *Pæderos* quoque dicta, de qua idem *pag.535. 565. & 1128.* Sed & limbus vestium, *Acanthus* dictus, occurrit apud Virgilium, ubi *velamen croceo acantho circumtextum*, tunica est per extremitatem oræ infimæ limbum habens croceum, ad instar *acanthi*, flexibilis virgulti. Hinc Hesychius, Ἄκανθος, περίῤῥαμμα ὑφασμένον, &c. V. eundem *pag.300* & suprà quoque in *Acanthina*.

Acapna ligna, Græcis Latinisque, quæ fumum non emittunt accensa, aliàs *coctilia*, Ulpiano *l.167. de verbor. signific. ligna cocta ne fumum faciant*: cujusmodi tabernam Pater Pertinacis Imper. in Liguria exercuisse & coctilia parasse ac vendidisse, legitur apud Jul. Capitolinum in *Vita* Imp. hujus. Artem hoc modo *acapna* parandi paucis Theophrastus describit *Histor. l.5.* Δριμύτατος, inquit, ὁ καπνὸς συκῆς καὶ ἐρινεοῦ καὶ εἴ τι ἄλλο ἔγχυλον, αἰτία δ' ἡ ὑγρότης· φλοϊσθέντα δὲ καὶ ἀποβρεχθέντα ἐν ὕδατι ἐπιῤῥύτῳ καὶ μετὰ ταῦτα ξηρανθέντα, πάντων ἀκαπνότατα καὶ φλόγα μαλακωτάτην ἀφίησι. *Acerrimus fumus ficûs — & si qua alia arbor succi plena; causa autem humiditas. Cùm verò accensa irrigantur flumine & postea exsiccantur, omnium maximè acapna evadunt & tenerrimam emittunt flammam.* Erant & aliæ rationes istiusmodi ligna parandi: Nam, ut Cato docet, *cocta sole & conspersa amurcâ fumum non faciunt.* Atque isti fuerunt, quos olim admiratus Anacharsis dixit, τὸν μὲν καπνὸν ἐν τοῖς ὄρεσι καταλείπειν, τὰ δὲ ξύλα εἰς τὴν πόλιν κομίζειν, *Fumum quidem in montibus relinquere, ligna verò in Urbem deferre.* Fere enim, qui coctiliariam faciebant, degebant in montibus aut sylvis, ut Pertinacis pater in Apennino. Brevia autem fuere hæc ligna, neque multum à carbonibus diversa; & non manu, ut ligna, sed batillis tractari solita. Unde legimus apud Trebellium Pollionem *in Claudio*, *Coctilium quotidiana batilla quatuor*, &c. V. Salmasium *ad loca cit.* & infrà, in *Batillum*, seu *us*, item in voce *Coctilia*.

Acathistus Hymnus, vigilia maximè solennis, in Sabbato quintæ hebdomadæ Quadragesimæ, in honorem B. Virginis, observata, in Ecclesia Græca, in memoriam multiplicis liberationis à Barbarorum incursionibus; quam ejusdem Sanctiss. Virginis apud Deum pro Urbe CP. intercessioni adscripserunt. Gr. Ἀκάθιστος, id est, *sine sessione*; totâ enim illa nocte stando celebrabatur, dum in honorem Deiparæ hymni laudesque incessanter canebantur. Ita enim Gretserus ex Bibliothecæ Bavar. quodam M.S. *Civitas verò illæsa permanens, intercessione Deiparæ quotannis, ex illo tempore hymnum gratiarum agendarum causâ concinit, diem illum* Acathiston, *quasi sessionis expertem nominans.* Domin. Macer *Hierolex.* Franciscus Junius hanc vigiliam institutam censuit, in memoriam itineris Mariæ Virginis, unà cum Josepho, Bethlehemum. Sed ex Græcorum *Triodio* aliter apparere, refert *ibidem* Carolus priofrater.

Acaunum, Monasterium in loco vallis Penninæ vel Sedunensis *Acauno*, quod illustre fecerunt Sepulcra Martyrum legionis Felicis Thebæorum, Mauritii commilitonumque ejus ibi occisorum, Exsuperii, Candidi, aliorumque, quos Gregorius *Sanctos Agaunenses* vocat. Extruxit illud Sigismundus Burgundionum R. fil. Gondobadi, domibusque & Basilicis magnificè ornavit, ac prædiis locupletavit. Gregor. Tur. Fredegarius, Aimoinus &c. Hodie incolis *S. Mauritzen in Vallis*, Gallis *S. Maurice*, aliàs *S. Mauris* & *S. Morits*. Extiterunt in Monasterio duæ olim Basilicæ, altera S. Johannis Apost. & Evang. altera B. Mauritii cœterorumque Commartyrum. Significat autem *Agaunum* vett. Gallis *saxum* vel petram. & Cluverio ac Simlero *Tarnaja* vel *Tarnada* vicetur; in Tab. Peutingeriana. V. infrà in voce *Agaunum*.

Acca, Hagustaldensis Episcopus, obiit A.C. 740. inter Sanctos relatus. In Cod. 141. *Bibl. Sangerman.*

Accabussare, vox citimæ ætatis, apud du Fresne, in *Statutis* MSS. Massiliensis Urbis *lib.5.* contra eos, qui ludendo jurant: *Et si illos 12. denarios dare & solvere non poterit*, accabussetur, *penitùs indutus cum vestibus, quas tunc detulerit, in portu Massiliæ, vel in vallato, quod est in Portali Callatæ, usque ad Portale S. Martini, tot vicibus, quot juraverit.* Idem quod *immergere*, in mare demittere, Gr. καταποντίζειν, Gall. *bailler la Cale*: est enim Occitanis, *Cabussa*, *faire la culbute*, prono capite prolabi. Pœna in meretrices & lenones vulgò decreta, etiamnum apud Burdigalenses, quâ ii in cavea ferrea inclusi in mare demittuntur & subtus navem denuò submerguntur. V. *Consuetud.* Solensem *tit 16. artic 6.* & quæ de hac pœnæ specie observat Cleriacus *ad LL. maris Oleronensis*, laudatus prælato du Fresne *Glossar.*

Accendones, V. infrà *Acoluthi*.

Accendones, apud Tertullianum *de Pallio cap ult. Verùm &* accendones *& omnis gladiatorum ignominia togata producitur* ex correctione Salmasii, cùm priùs legeretur *& cerdones*: Lanistæ sunt; quo modo eos vocare Tertulliano libitum est, quòd gladiatores *accenderent* & excitarent ad pugnam. Idem *ad Martyres: Nec tantus ego sum, ut vos alloquar: Sed tamen & gladiatores perfectissimos, non tantùm Magistri & Præpositi sui, sed etiam idiotæ, & super vacui qui-*

qua

quæ adhortantur de longinquo, ne sæpe de ipso populo dictata suggesta, protulerint. Ubi Magistri & Præpositi gladiatorum lanistæ sunt, qui eos de propinquo adhortabantur & accendebant, dictataque illis suggerebant. Ideoque & cum gladiatoribus productos dicit heic Auctor, ut pugnaturis adsisterent, & ad fortiter faciendum incitarent. *Accendones* itaque sunt [illegible], ab *accendo*, ut *Comedones* à *comedo*, &c. Virgilius:

Accendamque animos insani Martis amore.

Et alibi:

Ære ciere viros, Martemque accendere *cantu*, &c.

Togati hi fuere, ut & gladiatores; unde togam inter gladiatoria Commodi instrumenta & ornamenta recenset, in *Pertinace* Jul. Capitolinus: quorum hi tamen, cùm pugnarent, illas deponebant. V. Salmasium *ad Tertullianum l.c.*

Accensi, Magistratuum apud Rom. ministri erant, qui accirent: unde Ælii versus:

Ubi primùm Accensus clamavit meridiem, &c.

Livius de Decem-Viris Consularibus: *Penes Præfectum Juris*, inquit, *duodecim fasces erant, Collegis novem singuli* Accensi *apparebant.* Non autem solùm accire ad Prætorem, sed etiam, molestis interpellatoribus silentium imponere, eorum erat, unde Cicero *Epist. ad fratrem: His rebus nuper C. Octavius jucundissimus fuit, apud quem primum Lictor quievit, tacuit* Accensus, *quoties quisque voluit dixit & quàm voluit diu.* Dabatur autem id muneris Libertis. Hinc idem ad Appium cùm scribit, Pausaniam, Lentuli libertum, *Accensum* suum vocat. V. Thom. Dempsterum *Antiquit. Rom. lib. 7. cap. 48.* his apud Anglos similes ii, quos vocant *Bayliffs errant*, Thom Goduyn *Antholog. Hist. Rom lib. 3. sect. 2. cap. 6.*

Accensor, idem cum Delatore. Gloss. Lat. Gr. *Accensor*, [illegible], [illegible], [illegible]. In Gloss. verò Gr. Lat. [illegible] est *Lator, institutor.* Ubi du Fresne judicat legendum *Delator*: quia apud Hesychium, [illegible] dicitur esse [illegible], *Magistratus Athenis eorum, qui crimina deferebant.* Postea translata vox, ad denotandum *Acolythum*, cui incumbit cura accendendi lumina in Ecclesia. Hesychius, [illegible], [illegible], [illegible]: Græcis recentioribus [illegible]. Hinc apud Honorium Augustodun. *lib. 3. cap. 64. Acolythus, qui est accensor luminum*, V. infra in voce *Acolythus*, & plura in hanc rem, apud Car. du Fresne *Glossar.*

Acceptor, vox Latio veteri cognita, teste Sosipatro *lib. 10.* in usum dein revocata à Scriptoribus medii ævi & in *LL.* antiquis frequens: in Salica *tit. 7. §. 1. 2. 3.* Burgund. *add. 1. cap. 11.* Longobard. *tit. 104. §. 18, 19, 20.* &c. *accipitrem* notat, qui Hebr. [illegible] *nets*, quòd ejus volatus velocissimus sit. Unde Græcis modò [illegible], modò [illegible], modò [illegible] [illegible], Hesiod *in Oper. vers. 210.* Homer. *Iliad. o. vers. 237.* & *Odyss. v. vers. 86.* Unde de Francisci I. Regis Gall. accipitre, qui una brevi nocte, à Villeriæ castro, Londinum se contulit & notis suis agnitus, ad dominum remissus est, Thuanus *de Re Accipitr.*

——— ——— *Fugit ille per auras*
Perfidus emansor, rapidisque per aera pennis
Torrentis properat, volucrique citatior Euro,
Et Tartessiaco dum Sol lavat æquore crines,
Rursus & Eoi mortales lampade tingit,
Oceanum supra fertur Tamesimque Britannum,
Londini & fessus tandem super astitit arce.

Quam ob causam, apud Ægyptios, *accipiter* ventorum fuit symbolum, ut testatur Orus *lib. 2 cap. 14.* nec defuere, qui ob id ipsum Soli eum fuisse consecratum dixerint, Eust. *Od. o.* & proin [illegible] Græcis nominatum. Quemadmodum idem *sacer ales* Virgilio *Æn. 11.*

Quàm facilè accipiter saxo sacer ales ab alto.

Quamvis alii ideò sic dictum malint, quòd Ægyptiis ex sacris animalibus nihil fuerit tam sacrum, quàm ibis & accipiter: utpote apud quos, si quis aliud animal invitus necavisset, ad Sacerdotum arbitrium multabatur, at *quisquis ibim aut accipitrem necaverat, sive volens aut invitus necasset, eum mori necesse erat.* Herodot. *Euterpe.* Quin hodieque *Sacrum* censent, inter accipitrum aut falconum species; quam tamen vocem non Latinam, sed Arabicam, esse, docet Bochartus, ex *Sakara*, quod *acutè videre* denotat &c. Est autem hæc avis venatui aptissima, ob ipsam hanc pernicitatem: unde *Accipitrariæ* venationis mentio jam apud Ctesiam in Photii *Excerptis, Indi lepores & vulpes venantur non canibus, sed corvis, milvis cornicibus & aquilis*: quod ex eodem Ctesia pluribus explicat Ælianus *lib. 4. cap. 26.* Et in *Mirabilib.* docet Aristoteles, quâ arte, circa Thraciæ Amphipolim [illegible], *ex pagis & agris finitimis ad aviculatum aucupium egredientes pueri, accipitres in aucupii societatem assumunt.* Quod idem narrat Antigonus *Histor. 14.* V. quoque Plinium, *lib. 10. cap. 8. & 43.* Gesnerum *in Avibus pag. 24.* ex Græca Paraphrasi Oppiani *Ixeutic.* Apuleium *Apolog. I.* Jul. Firmicum *Mat. l. 5. c. 7. & 8.* Alios. Unde non *absre dicitur quis*, cur Chrysostomus ad locum Hiobi *c. 39. vers. 26.* Accipitres posuerit in censu [illegible], *rerum inutilium, quæque frustra videntur esse?* Et respondere quidem posset, magnum virum, ut erat severus admodum virtutis custos, rigidusque satelles, potuisse hujusmodi aucupia habere pro superfluis, & iis accensere, in quibus tempus inutiliter teritur. Sed, quod fortè verius, pleraque hæc parùm sunt ad rem, neque *accipitrarii* aucupii vetustatem satis arguunt. Nam quæ ex Ctesia de Indis, ex Philosopho de Thracibus, ex Plinio de Cratero afferuntur, rudimenta sunt artis, eaque solùm apud Barbaros, nondum apud Græcos recepta. Et apud Martialem *lib. 14. Epigramm. 216.*

Prædo fuit volucrum, famulus nunc aucupis, idem
Decipit & captas non sibi mœret aves:

ut & Oppianum *l.c.* Accipiter aves decipit, aut percellit, nondum capit. Et in Appulejo, aucupandis avibus quæritur: non ut ipse capiat, sed ut captantibus adsit. Solus Firmicus, qui sub Constantino vixit, aucupii hujus disertè meminit, sed de mendo non sine ratione Bocharto suspectus. Interim certum est, illud non diu post Chrysostomum floruisse: Namque meminit ejus, qui statim sequitur, Prosper *de Vita contempl. lib. 3. cap. 17.* & Sidonius Apollinaris passim, inprimis *Panegyr. ad Avitum Imp. & Consul. A. C. 456.*

Quid volucrum studium, dat quas natura rapaces
In vulgus propè cognatum? Quis doctior isto
Instituit varias per nubila jungere lites?
Alite vincit aves, celerique per æthera plausu
Hoc nulli meliùs pugnator militat unguis.

Exinde crescente luxu, cùm in Gallia Clerici quoque canes & accipitres alerent, vetuerunt id multa Concilia toto VI. Seculo, Agathense *can. 55.* Epaonense *can. 4.* & Matisconense II. *Can. 13.* Unde patet, errasse Leandrum & Pancirollum, qui Friderico Barbarossæ, Pandulfum item Collenutium, qui Henrico VI. Imp. aucupii hujus inventum tribuunt. Sam. Bochartus *Hierozoici Part. poster. Lib. II. cap. 19.* &c. Cùm autem *Accipitris* variæ sint species, *Sacer* inprimis sic dictus memorabilis est. & illa, quam *Albasak* Arabes vocant, avis pulcherrima, minima rapacium, quæ passeres venatur; aut etiam, secundùm Damirem attagenes, columbas & turtures, nisus sc. seu sparverius: ut & ille, quem *triorchin* seu *buteonem* appellant, de quibus V. *suo loco.* In *LL.* Alamannorum *tit. 99. §. 20.* occurrit *Acceptor, qui aucam mordet*, qui *Ganshapich*, voce Germ. dicitur in *L.* Bajuvar. *tit. 20. §. 2.* Ibid. *Accipiter qui gruem mordet*, Germ. *Cranichhapich*: in *L.* iterum Bajuvar. *tit. cit. §. 3.* *Acceptor*, qui anates persequitur, *Anetapich*; cujusmodi anatum hostes *Lanarios* Galli vocant, ut observat Albertus M. *de Animal. lib. 23. cap. 8.* &c. apud du Fresne *Glossar.* Nec omittendum, migratoriam quoque avem esse *Accipitrem*, saltem plerasque ejus species, solo buteone & æsalone exceptis, quos semper apparere tradunt, Philosophus *Histor. lib. 8. cap. 3.* & Plinius *lib. 10. cap. 8.* Atque hinc verba illa Hiobi *cap. 39. vers. 26 An per prudentiam tuam plumescit accipiter, expansis alis suis versùs Austrum*: nonnulli sic reddunt, *Nunquid per prudentiam tuam volabit accipiter alis ad Austrum expansis?* ut sensus sit, *An providentiæ tuæ debet id imputari, quòd ingruente hyeme, ad Australes Mundi plagas volat accipiter?* Sed &, uti aquila, ita etiam accipiter, Solem inconnivis oculis intueri traditur, neque inde quidquam offendi. Ælian *lib. 10. cap. 14.* ob quod ipsum, Ægyptii Horo, i. Soli vel Apollini, avem hanc sacram esse voluere &c. Plura hanc in rem V. apud Bochartum *Hierozoic. d. Part. II. lib. II cap. 19.*

Acceptoria Ars, ab *Acceptor*, id est, *Accipiter*, Glossæ vett. Latino-Græcæ, *Acceptor* [illegible], [illegible]: Vox frequens in antiquis Legibus, nec Lucilio neglecta, qui dixit:

Exta acceptoris & unguis.

Ars est accipitraria, quam non fuisse ante Frider. Barb. existimavit Blondus, qui circa An. C. 1246. captâ jam Parmâ, *aves rapaces & cicures, præter usitatas in Italia multas, in queis falcones, chiivones, astures & gerfalchi albi*, populo in spectaculum conspiciendas dedisse Imperatorem refert. At ex antiqq. Legibus constat, non solùm inventam eam esse ante 1000. plus hinc annos, sed pro more etiam nostri seculi & disciplinæ, à Gallis Germanisque fuisse illustratam, V. in *L.* Salica, *tit. 7. §. 1. 2. & 3.* in *Legg.* Ripuariis *tit. 36. §. 11.* in *Legg.* Frisonum, Bojorum *tit. 20. §. 1.* &c. Imo tantum admirationis in hoc voluptatis genere posuere olim veteres, ut lege etiam prohiberent, ne quis spatham vel accipitrem suum in ipsam capitis redemtionem cogeretur dare; scilicet cùm hic non minus esset vitæ solatium, quàm illa libertatis vindex atque præsidium: Quin & ipsos, qui vel canem vel accipitrem alterius furtim subtraxissent, omni ludibrio & dedecore sugillandos decernerent: Burgundiones in *LL. suarum Additam. 1. tit. 10.* Imò & majorem adhuc hujus artis antiquitatem loqui videtur, quòd in Notitia Occ. Imperii, Ordo militum, qui *Sagittarii Venatores* dicti sunt, auspicium nominis sui, accipitrem gerunt in clypeo, pro insigni. Taceo Gaufredum I Brit. D. iter Romam carpentem, à muliere, cujus gallinam accipiter ejus invaserat, lapidis ictu necatum, A. C. 1008. Certè Rex Angliæ Alvredus, inter bella, omnem venandi artem egisse, Aurificesque & Artifices suos omnes, Falconarios, Accipitrarios, Caniculariosque docere non desiisse legitur, Henr. Spelmannus *Glossar. Archæol.* V. suprà *Acceptor.*

Acceptorium, nomen libri, in *Epist. 41.* Bonifacii Moguntin. Archiep. *Libellum quendam habes, qui non est major acceptorio duarum*

rum septimanarum, quem ego legere cupio. Ubi videtur intelligi, inquit du Fresne, tot foliis constitisse librum, quem sibi dari cupiebat, quot officium Ecclesiasticum duarum septimanarum continebat: At cur id *Acceptorium* appelletur, negat se planè assequi, nisi legendum sit *Exceptorio* aut *Excerptorio*, in *Gloss.*

Accessus, seu *Accessio*, de Mari, cùm crescit, Lat. *Venilia*, V. *ibi.* Item de Nilo. Seneca, *Nilus autem per quatuor menses liquitur, & aqualis illi accessio est.* Quod Herodotus de eodem flumine loquens, πλήθειν vocat, unde vox πλῆθος orta: *Κατάρχεται μὲν ὁ Νεῖλος πληθύων ἀπὸ τροπέων τῶν θερινέων ἀρξάμενος ἐπὶ ἑκατὸν ἡμέρας, πελάσας δ' ἐς τὸν ἀριθμὸν τοῦτον τῶν ἡμερέων, ὀπίσω ἀπέρχεται ἀπολείπων τὸ ῥέεθρον, Incipit quidem Nilus à Solstitio æstivo abundare per centum dies: Cùm verò in hoc dierum spatio accesserit* (id est, excreverit) *tum retro redit ac residet.* V. Salmasium *ad Solinum pag.* 436.

Acciajolus Rainerius, Dux Athenarum, quas, postquam Impp. Græcis subfuerant, ab Arragonibus occupatas, his eripuerat, cùm uxor ejus Eubois nullam ei prolem masculam peperisset, filium nothum reliquit Antonium, cui moriens Bœotiam cum Thebis, Venetis verò Athenas legavit; quod factum tempore Petri Zani Venetæ Reip. Ducis. Sed iis rursus potitus Antonius, Nerium successorem habuit. V. Franc. Rossæum *Archæol. Att. lib.* 1. *cap.* 7. Fuit & Francus *Acciajolus*, ultimus Athenarum Dux, quem Mahometes II. intellecto id agi, ut Athenæ Principi Bœotiæ traderentur, à Zogane, Peloponnesi Præfecto, in vincula conjici jussit. Idem *ibid.* V. quoque Chalcocondylam *lib.* 9. &c. & in voce *Acciolus.*

Accipiter, apud Ægyptios venti fuit symbolum, teste Oro *lib.* 2. *cap.* 15. ob summam volatus ejus celeritatem, quâ id imprimis accipitrum genus, quod a palumbis necandis Φασσοφόνος vocatur, præstat, ut Porphyrius docet *de Abst.* 3. Victoriæ item, uti & Noctua, cui suppetias ferre solet, V. Pierium *Hieroglyph. lib.* 20. & 21. Apud Tentyritas, Ægypti gentem, pro Numine cultus est, Ælian. *Histor. Animal. lib.* 10. *cap.* 24. [illegible] Quod idem de Philarum incolis (hæ in confinio Ægyptiorum atque Æthiopum sitæ sunt) tradit Strabo *lib.* 17. Quare tum Tentyritas, tum Philæos, capit Vossius, cùm Cicero *de Nat. Deor. lib.* 3. *Accipitres* ait *Barbaris esse pro Diis.* Causam cultûs subjicit Diodorus Sic. *lib.* 2. quia Ægyptum purget à cerastis, scorpiis, aliisque animalibus. Unde & apud Hermopolim simulachrum fuit Typhonis, equi fluvialis, cui *Accipiter* insisteret cum serpente depugnans, teste Plut. *de Isid. & Osir.* Contrà Coptitæ, qui crocodilos venerabantur, Accipitres, tanquam Numinis sui hostes, agebant in crucem, ut idem Ælianus refert, rationem utriusque cultus hanc adferens, [illegible] *Ac illi quidem crocodilum assimilant aquæ: & propterea etiam venerantur. Hi verò* Accipitrem *comparant igni: & idcirco adorant.* E quibus patet, non injuriâ à quibusdam vocari in dubium, quod Strabo ait, avem hanc à tota Ægypto coli. V. Vossium *de Idol. lib.* 3. *cap.* 100. De venatione, quæ fit ope *Accipitris*, in voce *Acceptor, Falco*: item *Prothieracarius.*

Acclamandi ritus, Principibus aliisque, olim atque etiamnum usitatus est. De Principibus V. tum *alibi*, tum suprà, in voce *Abrech.* De Philosophis Rhetoribusque dicemus in voce *Sophos*: pauca tamen & hic prælibaturi. Formulam proponit Cicero *de Orat. lib.* 3. *Benè & præclarè! Bellè & præclarè!* vel, ut Græci, καλῶς, σοφῶς, ἀπλάτως. V. Plut. *de Audit.* Exemplum habes apud A. Gellium *lib* 1. *cap.* 5. ubi de Musonio Philosopho. Idque, usque ad adulationem, fiebat. Philostr. *in Alexandro Seleuciensi*: [illegible] *Ita bene compositus Atheniensibus videbatur, ut & bombo sive acclamatione etiam tacentem illum exciperent, laudantes decorem ejus staturam.* Addebant nonnunquam, nutum, gestum, manuumque plausum. Quintilian *Institution. lib.* 5. *cap.* 2. *At nunc*, inquit, *proni atque succincti ad omnem clausulam non exsurgunt modo, verùm etiam excurrunt, & cum indecora exsultatione exclamant.* Unde & Themistius Euphrades *Orat.* cui tit. *Sophista*, [illegible] *Putatis ne igitur, ô Viri, me adhuc indigere vestro plausu vel acclamationibus, quibus etiam exultando me copiosè semper soletis excipere, quando verba ad vos habeo.* Imò plaudendi quoque & *Acclamandi* Ars fuit apud Romanos, ita ut concentum quendam ederent, uti discimus ex Plinio *initio Panegyr.* Tacito *Annal. lib.* 16. Suetonio *in Nerone cap.* 20. V. Jac. Oiselium JC. *Notis in Gellium loco cit.* & *lib.* 9. *cap* 15. & *hic infrà.*

Acclamatio, applausus festâ vociferatione à Populo repetitus, occurrit *l.* 1. *C. de Quæstor. & Magistr. officior. Qui Quæsturæ honore viguerunt, acclamatione solitâ excipiantur.* Item *l.* 3. *in pr. C. de offic. Rect. prov. Similiter justissimos & vigilantissimos judices publicis acclamationibus collaudandi damus omnibus potestatem, V.* Gothofredum *ad hanc l. verb. prosperamus processus*, ubi, *Provinciarum Rectoribus prodeuntibus* quoque *acclamari* solitum fuisse, legitur. De acclamatione Senatus, legas apud Vulcatium Gallicanum *in Avidio Cassio*, ubi de Antonino Pio, *Hanc opus communem Senatus his* acclamationibus *prosecutus est* &c. Nempe mos *acclamandi*, è Theatris primùm in *Fora* (is locus erat [illegible]) inde in Senatum translatus est, contra veterum disciplinam. Quod ubi semel factum, quidquid in Theatricis illis acclamationibus fieri consueverat, idem & in istis; quamvis non dubitemus, ægrè initio & paucis auctoribus, modicè ac verecundè à Conscriptis Patribus morem fuisse admissum: Sed, ubi accessit usus & consuetudo, facilè vetustas ipsa omnem deformitatis hujus sensum in hominum etiam sapientissimorum, animis extinxit, semelque consuetudo recepta auxit indies, ut ad ravim usque, & uti Victor alicubi loquitur, usque *ad vocis defectum*, clamaretur. Græci vocarunt ἐπιβοήματα, item κρότους, istiusmodi vociferationes. Et *acclamare* reddiderunt κροτεῖν, ἐπιβοᾶν, ἀνβοᾶν, ἐπιφημίζειν: ἐπιφωνεῖν quoque atque ἐπικροτίζειν Evagrius, quibus tamen verbis non quamcunque acclamationem, sed immodicam solùm illam indigitavit. Non temerè autem, quid quisque vellet, acclamabant; sed, ut in choris, erat aliquis cujus vox cæteris præiret; hic formulam *acclamationis* concipiebat, reliquâ turbâ nil nisi acceptas ab eo voces reddente. Ars verò adhibita & in concipiendis acclamationibus, quas ideo Plinius Secundus *Cantica* appellavit: & in acclamando; modulatione enim quadam utebantur, canentibus non absimiles. Atque ut in rusticis quibusdam cantilenis fieri videmus, ut idem repetatur sæpius; sic qui acclamabant, non semel aut iterum, sed sæpius eadem verba resonabant. Unde id in Actis adnotatum quoque, atque hinc apud *Historiæ Aug.* Scriptores legas sæpe, *Dictum quinquies, dictum vicies* & similia. Trebellius verò in *Claudio*, etiam sexagies atque octuagies idem acclamatum observat; adeò illa tempestate mos acclamandi invaluerat. Formulæ porrò *acclamandi* aliæ erant solennes & communes; aliæ certis negotiis propriæ. Capitolinus in *Maximo & Balbino*, *Inde in Senatum itum est: ubi post illa, quæ communia solent esse fausta, dictum est* &c. Appellat *communia fausta*, voces usurpari solitas in omni acclamatione fausta. Quæ [illegible] acclamationes nihil aliud nisi vota erant & laudationes; ferè autem à votis incipiebant, ut inter alia, in elegantissima illa narratione, quæ habetur in *Cod.* Theodosiano *lib.* 7. *tit.* 20. *Præfectorum & Tribunorum acclamationes ita incipiunt: Auguste Constantine Dii te nobis servent: vestra salus, nostra salus: verè dicimus, jurati dicimus.* Interdum & versibus acclamatum: qualis illa apud Tertullianum acclamatio,

De nostris annis addat tibi Jupiter annos &c.

Quamvis autem hic mos satis vetustus sit, ipsæ tamen acclamationum formulæ & earum exempla non inveniuntur, apud vetustiorem alium Capitolino, & cæteris *Historiæ Aug.* Scriptoribus. Cujus rei causa, quòd omnes, quæ in his libris proferuntur acclamationes, ex Actis publicis ab Auctoribus descriptæ sunt. Lamprid. in *Alexandro Sev. Addam acclamationes Senatûs, quibus id decretum est, ex Actis Urbis a. d. prid. Non. Martias.* Non sunt autem eæ in Acta publica cœptæ referri, ante Trajani tempora; cujus honori hoc primùm fuisse delatum, docet Plinius *Panegyr.* Post illa verò tempora etiam Historici factas cuique Principi acclamationes cœperunt in literas referre, idque magno studio & diligentiâ, ut videre est apud Auctores præfatos, & Dionem in iis, quæ apud Xiphilinum reliqua sunt. Migravit dein mos hic è Senatu in alios quoque civiles cœtus, neque Principibus solùm, sed & Quæstoribus, & Rectoribus provinciarum acclamari cœptum, uti vidimus. Imò & in omnibus Ecclesiasticis conventibus idem olim est factitatum: Vetus enim Ecclesia & *acclamandi* morem usurpavit & illas ipsas etiam formulas retinuit, quas habent Auctores sæpius laudati diversis locis. His populus in sacris Conventibus utebatur, his & Patres ipsi in Synodis suis. Atque ut Senatorum acclamationes in Acta publica relatæ, numero etiam adnotato, quoties quidque dictum fuisset: Sic & vetus Ecclesia, cùm in Acta Synodica (Πράξεις ipsi & Πεπραγμένα, dixere, tum in alia Gesta Ecclesiastica, habitas acclamationes per Notarios suos pari diligentiâ referebat. Ita in *Actis* ordinationis Eradii, cùm illum Augustinus jam senex apud clerum & populum successorem sibi dixit: post ista Augustini verba, *Presbyterum Eradium successorem mihi volo*, sequuntur ista: *A populis acclamatum est: Deo gratias, Christo laudes:* dictum est vicies ter. *Exaudi Christe, Augustino vita:* dictum est sexies decies. *Te Patrem, te Episcopum*, dictum est octies. *Cumque reticeretur, Augustinus Episcopus dixit, non opus est* &c. mox, *A Notariis Ecclesiæ, sicut cernitis, excipiuntur quæ dicimus; excipiuntur, quæ dicitis: & meus sermo & vestræ acclamationes in terram non cadunt. Apertiùs ut dicam, Ecclesiastica nunc gesta conficimus. Sic enim hoc esse, quantum ad homines, confirmatum volo.* A populo acclamatum est trigesies sexies, *Deo gratias, Christo laudes: Exaudi Christe, Augustino vita:* dictum est tredecies & sub finem: *Hic mihi responsione vestrâ opus est — de hac assertione aliquid acclamate. A populo acclamatum est, Fiat*, dictum vicies quinquies. *Dignum est, fiat: justum est:* dictum vicies octies. *Fiat, fiat*, dictum quaterdecies. *Olim dignus, olim meritus*, dictum vicies quinquies. *Judicio tuo gratias agimus*, dictum tredecies. *Exaudi Christe, Eradium conserva*, dictum octies decies. Quæ planè gemina sunt iis, quæ in Claudium Imper. Senatores dixere, cùm illi Imperium deferretur, apud Trebellium

bellium Pollionem. Eodem modo in Actis Synodi Ephesinæ Oecum. III. Cœlestino & Cyrillo, duobus Christianæ Religionis columinibus, acclamatum est venustissimè: Αὕτη δικαία κρίσις, [illegible] Κελεστίνῳ [illegible] Κυρίλλῳ Κελεστίνῳ τῷ [illegible] συνόδου. Κελεστίνῳ [illegible] ἡ σύνοδος. Κελεστίνῳ τῷ φύλακι τῆς πίστεως, εἷς Κελεστῖνος, εἷς Κύριλλος, μία πίστις τῆς συνόδου, μία πίστις τῆς οἰκουμένης. Quibus non dissimiles, quas in alia Synodo habitas refert Evagrius *lib. 2. cap. 17.* Ibidem non multo aliter in Dioscoridem acclamatur, quam apud Lampridium in Commodum mortuum, [illegible] &c. V. Acta Conciliorum, ut & infrà in voce *Kirieeleison* & *Polychronion*. Earum verò *acclamationum*, quibus excipere atque adeò interpellare soliti Episcopos concionantes & in Patrum scriptis, & in eorum vitis crebra est mentio. Ac videtur admirandæ sanctitatis Vir B. Augustinus cum morem non invitus tulisse atque adeò non improbasse, quod ex *lib. 4. de Doctr. Christ. cap. 26.* aliisque locis, intelligere licet. Non ita Johannes Chrysostomus: qui Vir divinus, ut erat austeriore ingenio, morem tot seculorum improbavit damnavitque. Extant integræ homiliæ, quibus id unum agitur, ut plausus omnes & acclamationes de concionibus sacris tollantur; quod cùm Vir ille tantus neque auctoritate neque facundiâ suâ potuisset obtinere, ipso tandem temporis tractu correctum esse & è piorum synaxibus sublatum, hodiè videmus: magno argumento, non quidquid olim factum est, id semper esse melius. Salmasius *ad Scriptores Hist. Aug* passim, inprimis apud Volcatium Gallicanum V.C. *in Avidio Cassio.*

Accubare, apud Jul. Capitolinum *in M. Antonino Philos. Duodecimum annum ingressus, habitum Philosophi sumsit: & deinceps tolerantiam, quum studeret in pallio & humi cubaret, vix autem matre agente, instrato pellibus lecto accubaret*: propriè de tricliniaribus lectis, quæ & *Accubita* dicebantur & *Accubationes*; cùm *cubare*, de cubicularibus lectis diceretur. Sed & de lucubratoriis lectulis *accubare* usurpatum, de quibus multa *ad Suetonium* Salmasius: neque dubium, de iis Capitolinum intelligendum esse. *Accubitationes de rosis ac liliis & quidem purgatis*, habes apud Æl. Spartianum *in Ælio Vero*. Ubi *accubitationes* tamen vel *accubitus* legi debere, monent Casaubonus ac Salmasius, V. infrà.

Accubita seu *Accubationes*, Græcis ἀκουβιτα, quod *Reclinatoria* vertit Wilramus Abbas *in Cant. Cantic. cap. 2.* Lexico Gr. Ms Regio, definiuntur, [illegible] *lecti molles in altum aggesti*; & Balsamoni *in can. 74.* Synodi Trull. ut & Johanni Episc. Citri in *Respons.* ad Cabasilam, *Accubitum* vocatur, [illegible] *Omnis lecti apparatus editior & delicatus.* [illegible] vocavit Plut. in *Romulo* &c. du Fresne *Glossar.* Occurrit vox apud Æl. Lampridium *in Heliogab. Nec cubuit in accubitis, nisi quæ pilum leporinum haberent, aut plumas perdicum subalares &c.* Nempe *Accubita* recentioribus dicta sunt, quæ Vett. *triclinia.* Juvenalis vetus Interpres *ad Satyram 4. Apud Vett.* Accubitorum *usus non erat, sed in lectulis discumbentes manducabant.* Ubi Vett. *lectos tricliniares* & posteriorum *accubita*, quasi penitùs diversas res facit: quia ipsius ætate *Accubitorum* forma longiùs recesserat à lectis convivialibus priorum, Sed initio nihil admodum ab iis differebant. Postquam verò ab usu recesserunt Triclinia, & forma eorum mutata & pro Tricliniis *Accubita* & *Stibadia* dici cœperunt. Unde Hieronymus Ezech. *cap 46.* *Accubita* vertit, *quæ Aquila*, inquit, *stibadas interpretatus est.* Tum figura eorum semicircularis cœpit, atque inde *Sigma* nomen invenit: cujusmodi lecti, non secus ac triclinia, semper unum mensæ latus a convivis liberum præstitere, quà viz. fercula inferebantur, ne supra humeros & capita accubantium aut inter latera, cum magna incommoditate convivarum, inferenda essent. &c Quò omninò respiciens vetus ille Interpres, *Accubita*, id est, *Sigmata*, tricliniis opposuit. Fuere igitur discubitorii lecti *Accubita*; Sed viliores & levioris operæ, quales erant militum in castris. Suidas, Στιβάδες [illegible] ΑΚΟΥΒΙΤΟΝ [illegible] Interim etiam delicatiores lectos ad discumbendum sic fuisse dictos, nec Latinis tantùm, sed etiam Græcis Scriptoribus. constat liquidò ex d. *can. 74.* Concilii in Trullo, & observatione Patrum *ad illum can.* Ait Canon, [illegible] Quæ verba ita exponuntur in *Pandectis* Juris Can. Gr. [illegible] &c In *Epist.* Valeriani Aug. ad Zozimianum Procur. Syriæ, *Accubitalia Cypria* sunt, quibus instruebantur & insternebantur Accubita; *vestes de catacliticis* Tertulliano de *Pallio cap. 3.* *Catacliza* enim, [illegible] sunt, *Accubita*, tori nempe, quibus ad mensam accumbitur: nam [illegible] est ad mensam accumbere, & κατάκλισις, *accubitio.* Quæ tricliniares aut accubitales vestes, quia pictæ utplurimùm & auro purpuraque insignes erant, ut patet ex Luciano *in Convir. Lapitharum*; [illegible] *Accubitus purpurâ substrati*: & Corn. Nepote apud Plinium *lib. 9. cap. 39. Qua purpura* (Tyriâ dibaphâ) *quis non jam tricliniaria facit?* Imò nec de purpura tantùm illa, sed & auro clavata, ut & mantelia, quibus mensa sternebatur & mappæ: quorum mentio multis locis apud *Histor. Aug.* Scriptores, &c. Hinc Tertullianus *l. c.* pavoni tribuit *plumam vestem & quidem de cataclisis*; sed de hâc re V. infrà suo loco. Quemadmodum porrò cœnationes olim à numero lectorum distinguebantur, erantque œci alii τρίκλινοι, alii πεντάκλινοι. ἑξάκλινοι & ita deinceps: sic postea fuere [illegible], atque ita alia. Luithprandus *Histor. lib. 6. Est domus juxta Hippodromum, Aquilonem versùs, miræ & altitudinis & pulchritudinis, quæ* Decaenneacubita *vocatur: quod nomen ab re, sed ab apparentibus causis sortita est: δέκα enim Græcè, Latinè decem: ἐννέα: novem: cubita aut* (Salmasius mavult, *Accubita autem*) *à cubando inclinata vel incurvata possumus dicere.* Sed & Cœnationes ipsas dixere *Accubita.* Anastasius de *Vitis* Pontificum *in Gregorio III. Accubita quæ sunt ad B. Petrum in ruinis posita, à fundamentis noviter restauravit atq; depinxit.* Sic iterum *in Leone III* & IV. Porrò, etiam ad alios, quàm ad Græcos Latinum hoc verbum transiisse, è Rabbinorum scriptis apparet, in quibus אקובטין sunt *Accubita.* V. Salmasium *ad Lamprid. l. c.* atque infrà, in vocibus *Sigma* & *Stibadium*, quas idem, quod *Accubita*, Vir Clar. significare ait.

Accubita, cœnaculum Romæ, ubi Pontifex olim Romanus festivitatibus quibusdam solennibus epulum Clero dabat: Meminit ejus Anastasius Biblioth. in *Leone IV.* qui hoc ædificium à Leone III. Antecessore suo erectum restauravit, cujus vestigia unà cum tribuna musivo depictâ adhuc extant, in latere posteriore Domus Pœnitentiariæ Lateranensis Basilicæ & ex diligentia Cardin. Barberini Antiquitatum restauratoris vigilantissimi ac Græci Latinique prisci ritus studiosissimi, perdurant. De hocce itaque cœnaculo *Ordo* Romanus refert, quòd in Paschæ festivitate, antequam Pontifici caterva famularetur, ad Vesperarum celebrationem in Lateran. Basilica, *descendebant Primates Ecclesiæ, ad Accubita, invitante Notario Vicedomini, & bibebant ter.* Dominic. Macer *Hierolex. V. suprà*

Accubita Novendecim, Gr. [illegible], locus in Aula CP. V. *suprà.*

Accubitalia, vestes erant, quibus *Accubita* vel tricliniares lecti sternebantur: quæ cujusmodi fuerint, diximus supra: Hinc *Accubitalia Cypria*, apud Trebellium Pollionem in *Claudio.* Et videntur quoque mantelia venire eodem nomine: quod valdè suadet similis locus *Epistolæ* cujusdam Valeriani Imper. ubi *Mantelia Cypria* nominantur, &c. V. Salmasium *Not. ad Tertullian. de Pall.*

Accubitalia Triclinia, refectoria Monachorum vocantur Orderico Vitali *lib. 2. pag. 412.* Athanasius de imagine Berytensi: [illegible] Κυρίου ἡμῶν. *Christianus quidam sumsit in ædibus cellulam a quodam, in qua habitans è regione Refectorii, ibi collocavit imaginem Domini nostri.* Hinc *Accubitus* appellata triclinia, majoribus ædibus sacris adjuncta, in quibus Pontifices præcipuos è Clero & Laicis convivio excipiebant, post sacra peracta. de quibus V. aliquid suprà, & multa alia, apud Car. du Fresne in *Constantinop. Christiana*, ubi de *Tribunali XIX accubituum* agit prolixè In *Charta* Conradi Imp. A. C. 1145. *Accubitus vastatorii* occurrunt significantque, jus prandii seu pastum, Gall. *Droit de giste & de past*, de quo infrà in vocibus *Pastus, Prandium Procuratio.*

Accubitorium, locus in quo accumbentes vescebantur. De eo vet. Schol. Juvenalis *Sat. 5. v. 17. Apud veteres* Accubitoriorum *usus non erat, sed in lectulis manducabant discumbentes; tres autem lectuli erant, in quibus discumbebant, unde triclinia appellantur.* Posterioribus seculis inter Græcos usurpata dictio, unde in Lexico Meursii ἀκουβιτον, ex Ælio Lampridio *in Commodo* & Suida, nec non ex Paulo Diacono, *in rebus Leonis & in Leone Constantini fil.* observatum est. V. suprà *Accubita.*

Accumbendi ritus. Majores nostri, inquit Servius, *sedentes epulabantur*, more à Laconibus & Cretensibus accepto, Varrone teste. Imò & apud populum Dei id in usu fuisse, antiquissimis temporibus, ostendit Burmannus *Comm. in lib. Ruth.* Et Isidorus *lib. 20. cap. 11. Apud veteres*, inquit, *non erat usus accumbendi; unde & considere dicebantur.* Postea, ut Varro habet *de Vita Pop. Rom. viri discumbere*, mulieres *sedere*, quia turpis visus est in muliere accubitus: Sequentibus demùm temporibus, etiam mulieres cum viris *accumbere* incepere, Val. Maximus *lib. 2. cap. 1.* quod demum videtur factum, post Asiam devictam, Græciamque. Ritum accumbendi hoc modo describit Lipsius *Antiq. Lect. lib. 3. In cœnaculo mensa collocabatur rotunda, humilis: inferiorum quidem hominum tripes & ex simplici ligno: Lautiorum citrea aut acerna, aut laminâ argenteâ intecta, quam per eburneos fabrefactos, in modum Pardi aut Leonis, sustinebat. Circum mensam tres utplurimum lecti erant, ex quo Triclinii nomen; vel duo etiam, quod Plautus Biclinium, posterior ætas, à Vespasianorum imperio, Sigma vocare cœpit. Quod cum esset in formam hemicycli, aut lunata testudinis extructum, vocari placuit nomine literæ Græcæ. Illi porrò lecti*

Inster-

Acerra, ara fuit, finitore Festo, quæ ante mortuum poni solebat, ut in illa defuncti amici quotidie odores incenderent. Alii dicunt, arculam fuisse thurariam, ubi viz. thus reponebant. Sic Glossarium vetus, *Acerra thuraria*, λιβανωτρίς. De illa, *legem XII. Tabb. neve acerra adhiberentur*, interpretatur Hottomannus: de Aris potiùs accipiendum id dicens, ut vetet lex, aras, quæ proxime sepulchra fierent, cum thure incensisque odoribus obiri. Thom. Dempsterus *Antiqq. Rom. lib. 8. cap. 6.*

Acervandi lapides in via mos, olim crebro in usu. Phornutus *de natur. Deor. cap. 1.* de Mercurio, *In viis*, inquit, *collocatur, ac Trivius & Dux dicitur &c. dein lapides accumulant Mercuriis, quisque ex prætereuntibus unum adjiciens: sive id tanquam utile quiddam ac commune ob ipsum faciens, ut via purgetur, sive testans Mercurium, aut ut ei honorem significet, si nihil habeat aliud, quod ei offerat, aut ut Mercurii collocationem prætereuntibus facias manifestiorem, ut innuat ex parvis partibus constare orationem.* &c. Sed de hac veterum superstitione, satis infrà dicemus, ut & in voce *Mercurius* jam aliquid dictum. Simile quid faciunt Mahometani peregrini ad sepulchrum Pseudo prophetæ sui: Ibi enim ad puteum, in quo absconditus fuerat Sergius Monachus Apostata & Hæreticus, ex secta Basilidis an Manetis? quisque eorum lapidem projicere tenetur, ex hac occasione. Cùm in hoc puteo Monachus lateret, propè prædicante Mahomete & columbam inde emitteret, quæ ad aurem ejus granum frumenti capessere rostro assueta, *Spiritus S.* esse & Pseudoprophetæ divina oracula insusurrare à miserrima turba, credebatur: Mahometes, ne id agnosceretur, operâ humanâ patratum, jussit, ut unusquisque de multitudine circumfusa, lapidem in puteum projiceret. cùm non deceret (ut seductor ajebat) quenquam eo, unde Spiritus S. in columbæ specie prodiisset, uti illumque ingredi. Quo pacto, perfidi socii dolo, Sergius in puteo lapidibus obrutus est, mansitque ab eo tempore ad nostram ætatem hic ritus, ut quisquis peregrinationem hæc in loca suscepisset, in rei memoriam, lapidem eodem dejiceret. Dicitur autem puteus ille *Birsemsem* Arab. h. e. *puteus resonans*. Sed & incolæ terræ *Guadagnoli* in Italia, prope Polum, in Diœc. Tiburtina in more habent positum, ut in ingressu illius lapidem conjiciant in acervum. ubi famosum quendam viarum grassatorem humatum esse tradunt. V. hac de re plura apud Car. Macrum in *Hierolexico*. Orpheus *Hymno de Mercur.* juxta versionem Natal. Comitis *Mytholog. lib. 5. c. 5.* de spelunca Mercurii, inter alia sic canit:

At quemcunque virum ducit prudentia cordis,
Mercurij ingredier speluncam, plurima ubi ille
Deposuit bona, stat quorum prægrandis acervus.
Ambabus valet hic manibus sibi sumere, & illa
Ferre domum: valet hic vitare incommoda multa.

Quem *lapidum acervum grandem*, & scientiarum cumulum; ut & quæ de bivio ac trivio Mercurii sapientiam largiente ibidem habet, à Salomone suffuratus videtur eidem Macro. Proverbior. enim *cap. 26. acervi* & Eccles. *cap. 2. bivii* mentionem ait fieri, sed de his hic infra.

Acervus Lapidum, in viis Mercurio olim sacer erat: unde & Mercurius dictus. Isidorus in *Gloss. Mercurii lapidum congeries, in cacumine collium.* Nempe viator quisque in *acervum* mittebat lapidem, ut sic cresceret, ac facilius viam monstraret, eaque lapidum congeries Mercurio (viarum Præsidi, unde & in biviis, triviis, quadriviis Hermæ) erat sacra; quia in via indicanda præstaret vicem linguæ, Mercurio dedicatæ. Quam verò rationem Gentiles sint commenti, de jactu lapidum a Deorum singulis, cùm Mercurius interempti Argi reus ageretur, eam ex Anticlide vide sis, apud Didymum *ad Odyss. π. versu 471. annotatione extremâ*, in illud,

Ἤδη ὑπὲρ πόλιος, ὅθι θ' Ἑρμαῖος λόφος ἐστίν,
Jam ad locum urbi imminentem, ubi Mercurialis est acervus.

Item apud Etymologici M. auctorem, voce Ἑρμαῖον, ubi Xanthum ejus historiæ laudat testem, Lydiacorum Scriptorem, Straboni, Plinio, Hephæstioni, Aliis, memoratum. Fluxit ab hoc ritu Proverbium apud Hebræos. *Spargit lapidem in Merkolis*, de quo Drusius *Proverbior. classe 1. lib. 2. Prov. 34.* V. Proverb. Salomonis *cap. 26. v. 8.* ubi pro *Mercolis*, sive *Markolis*, habes *Margemah*, quâ de re dictum, in voce *Mercurius*. Vocavere autem *Acervos* hosce ἑρμαίους λόφους, teste Didymo, ubi *suprà*. Ἕρμακας vocat Nicander in *Theriacis*:

Τῶν οἱ μὲν λιθακῇσι καὶ ἕρμακας ἐνναίοντες.

Ferarum, inquit, *sive serpentium aliæ in rupibus & lapidum cumulis latitantes sive adolescentes.* Ubi sic Scholiastes, *Hermakas, Mercuriales ac lapidosos locos: sive Hermakas, lapides coacervatos in honorem Mercurii.* Neque verò apud Græcos solùm, sed & apud Indos atque Arabas, hæc lapides jaciendi viguit consuetudo: hodieque in usu est apud Muhammedanos, non quasi eam Muhammedes tradiderit, sed quia apud Saracenos repertam non mutavit. Quâ de re Auctor Christianus, qui Arabicè adversùs Muhammedanos scripsit, sic habet, apud Vincentium Bellovac. *Speculi Histor. lib. 4. Duarum Indiæ gentium, quæ vocantur Zechiam & Alberachuma, antiqua consuetudo fuit, nudos & decalvatos, magnisque idololatibus personatus simulachra Dæmonum circumire, angulos quoque osculari & projicere lapides* in acervum, *qui quasi pro honore Diis extruebatur: Inde est, quòd in libro Salomonis dicitur: Qui projicit lapidem in honorem Mercurii. Faciebant autem hoc bis in anno, Sole existente in primo gradu Arietis, & rursum, cùm esset in primo gradu Libræ, h. e. initio Jovis & Saturni. Hæc ergo consuetudo cùm ab Indis ad Arabas descendisset, eamque suo tempore apud Mecham, in honorem Veneris, Mahumed celebrari reperisset: sic illam manere præcepit, cùm tamen cætera idololatriæ vestigia removerit. Illud verò soli Veneri in illa celebratione dicitur exhiberi solitum, ut lapilli retrò, id est, sub genitalibus membris, projicerentur, eò quòd Venus illis maximè partibus dominetur. Unde id adhuc hodie fit, in domo Dei illicita, quam vocant.* E quibus videmus, ritum, qui à gentibus aliis in honorem Mercurii fieri solebat, eum à Saracenis præstitum esse honori Veneris. Fortè propterea, quòd Orienti Mercurius, quatenus rationis Præses, Sol crederetur; quatenus orationis, putaretur Hecate sive Luna, quæ & Venus Orientis. Cùm igitur gentes aliæ Mercurium colerent, quatenus Sol esset: Saraceni sive Arabes coluère eundem, quasi foret Venus sive Luna; ut quam in præcipuâ dignitate haberent. V. Gerh. Joh. Vossium *de Idolol. lib. 2. cap. 32.*

Acetabula, Græcis ὀξίδες & ὀξυβάφα, item ἐμβάφια, seu τρύβλια, vasa, quæ embammati continendo serviebant, Pollux. Item candelabrorum scyphi. Candelabra enim Vett. fiebant in modum lancis vel *Acetabuli*, uncinum in medio habentia, quibus infigebatur candela, cum pediculo, quo manu retinebatur. Unde, quod unico tantùm constabat *acetabulo*, Μονοβάμβυλον, quod ex duobus, Διβάμβυλον vocarunt recentiores Græci: qui βάμβυλον vel βάμβυλον fecerunt, ex Lat. *bammatum*. h. e. ὀξυβάφιον. Salmasius *ad Solinum pag. 375.* Cœterùm *Acetabulum*, inter mensuras liquidorum, sesquicyathus erat. V. *Collegii Rom. Soc. Jesu Musæum pag. 22. edit. Amstelodami A. C.* 1678.

Acetaria, dicta sunt olera, quæ cruda ex aceto & sale edebantur, Græcè τραγήματα: ut &, quæ *aceto* & sale condiebantur; cujusmodi condimenta ὀξύγαρα Græcis. Hæc malè confundit cum *Frigidis Mensis* Veterum Hieron. Mercurialis: hoc enim nomine comprehenderunt Veteres omnes cibos, qui crudi esus sunt, quique operâ ignis non indigent, ut manducentur; ἄπυρον τροφὴν & ἄπυρα Græci vocant. Inter quos locum habuere ostrea, echini & lactucæ crudæ, aliaque acetaria, quæ unà cum pomis in epilogo cœnæ usurpari consueverunt; donec illa ab extremo agmine in frontem migravere, à secunda mensa in primam, istis ordinem suum servantibus, ut Plutarchus notat *Symposiac. Quæst. l. 8. cap. 98.* *Acetariorum* dein nomen proprium factum, τῶν σερίδων, *intuborum*, nempe quæ cocta ex aceto edebantur, namque & de coctis oleribus, ex aceto edi solitis, vocem *Acetariorum* usurpatam esse tradit Dioscorides. Cùm verò Plinius disertè *Acetaria* à Latinis appellata dicat, quæ absque ignis operâ semper essent parata: Sic Salmasius *Acetaria*, à *Salgamis* & *Oxyporis* distinguit, ut *Acetaria* dicat, omnia olera, quæ recentia ac cruda ex aceto vescerentur; *Salgama*, quæ sale & aceto condita servarentur: *Oxypora* tandem, quæ ex pluribus speciebus composita unà tritis mixtisque, quibus etiam addebatur acetum, V. eum *ibidem pag. 1273.* & infrà quoque in voce *Escaria*.

Acetum, præcipui olim in condimentis usus, Inde ὄξος per excellentiam Græcis dictum: nec Silphii minor commendatio. Unde ὄξος & σίλφιον jungit Aristophanes *in Avibus*.

Ἀλλ' ἐπικνήστω, τυρὸν, ἔλαιον,
Σίλφιον, ὄξος καὶ τριμμάτιον
Καταχεῖτέ μοι ταχύ.

Et Lynceus Samius Theophrasti, apud Athenæum, describens Ptolomæi convivium, memorat *vulvam aceto & lasere conditam*, in eodē pulpamento condiendo junctum utrumq; fuisse docens. Quæ causa, quòd Aristophanes stylum Euripidis, quòd nimis concinnè & opiparè esset conditus, ὀξίνην & σιλφιώδη, *acetatum & laseratum*, vocare fuerit solitus &c. Illud verò aquâ dilutum vini fuit loco Militibus olim Romanis aliisque pauperioris fortis hominibus: Unde genus quoddam ejus Patresfamiliâs vini numero habuisse, dicitur *l. 2. ff. de op. leg. l. 1. & 9. de tit. Vin. vel ol. leg. & alibi.* Qui milites cum sequiore ævo ad vinum prolaberentur, Pescennius Niger, priscæ frugalitatis retinens, *jussit vinum in expeditione neminem bibere, sed aceto universos esse contentos*, apud Spartianum. Idem servorum fuit potus, de quibus dicemus infrà. Captivos quod concernit, Georgius Monachus de Manasse Judæorum Rege, Καὶ δήσαντες, inquit, αὐτὸν ἐν πέδαις χαλκαῖς, ἀπήγαγον εἰς Βαβυλῶνα καὶ ἦν δέσμιος ἐν τῇ φυλακῇ καὶ ἐδίδοτο ἐκ πίτυρα ἄρτος βραχὺς καὶ ὕδωρ ὀλίγον σὺν ὄξει ἐν μέτρῳ πρὸς τὸ ζῆν αὐτὸν μόνον. Et vinctum cum pedicis æneis, adduxerunt Babylonem & erat vinctus in carcere, porrigebaturque ei exiguus è furfure panis & aquæ parum cum aceto, ad mensuram, ut animam utcunque traheret. Reficiendis item miseris adhibebatur, quos supplicii pavor exanimaret: quemadmodum hodieque deliquium animi patientes ejus usu refocillari videmus, Inde & in Historiâ Passionis legimus, è militi-

bus *currentem quendam*, quum acceptam spongiam implevisset aceto & circumposuisset *calamo, dedisse ei, ut biberet*, Matth. *cap.* 27. *versu* 48. Quamvis non eo fine, quem diximus, sed potus loco, Christo acetum impii præbuerint, non humanitatis officium, sed barbaræ immanitatis specimen exhibituri, ut implerentur Prophetiæ. Hinc Lucas *cap.* 23. *versu* 36. verbo *ἐνέπαιζον*, *illuserunt*, sceleratam eorum mentem ostendit. Quum autem non legamus, in monte Calvariæ ullam fuisse habitationem; & modico saltem intervallo cum locum ab urbe sejunctum fuisse constet, non abs re quærunt aliqui, unde illud *vas aceto plenum*, cujus mentionem facit Johannes Evangelista? Respondet Nonnus & existimat, propinquas domos aliquas fuisse, ubi sit vas illud repertum, vel in alios usus paratum, vel in gratiam fortasse puniendorum,

—— Καὶ ἕτοιμον ἔην παρὰ γείτονι χώρῳ,
Ὄξεος ἔμπλεον ἄγγος.
—— Et paratum erat in vicino loco
Aceto vas plenum.

Additque Maimonides, pleraque omnia ad supplicii apparatum necessaria ab hominibus piis solita fuisse parari privato studio sumtuque; Nempe vas, spongiam, *acetum*, arundinem, hyssopum. V. Isaac. Casaubonum *Exercit.* 16. *num.* 88. Cleopatram ex duobus per omne ævum maximis unionibus, alterum *aceto* in tabem resolvisse liquefactumque sic absorbuisse, videbimus alibi, & agnoscit vires has aceti, præter Vitruvium *lib.* 8. *cap.* 3. Plinius *lib.* 23. *cap.* 1. Mox alios quoque pretiosam hanc ingluviem imitatos legimus. De Clodio, Æsopi Tragœdi filio, Horatius *lib.* 2. *Sat.* 3.

Filius Æsopi detractam ex aure Metellæ,
Scilicet ut decies solidum absorberet, aceto
Diluit insignem baccam, &c.

V. quoque Salmasium *ad Solinum pag.* 1115.

Achæmenidæ, non populus Persidis, ut voluere Plinius & Solinus, sed familia vel tribus fuere, apud Pasagardas. Patronymicum enim hoc nomen est, ab *Achæmene*, qui ad Perseum genus suum referebat, unde *Ἀχαιμενίδαι* tribus, è qua reges Persidæ originem duxerunt. Fuit autem ille *Achæmenes* Astyagis pater, Cyri avus, uti patet ex ordine, quo Majores suos Xerxes recenset, apud Herodotum. Perseus verò, ad quem ipse principium originis suæ referebat, per filium vel nepotem suum Persen, genti *Persarum* nomen dedit: Inde iidem *Περσεΐδαι βασιλεῖς*, *Persidæ Reges*, apud Apollodorum *Biblioth. lib.* 2. qui, utpote ex Achæmene oriundi, *Achæmenidæ* appellati sunt. Hos Cambyses, apud Herodotum, quum Magi Regiam occupassent, præcipuè compellat, & obtestatur, ne post ejus mortem Regnum ad Medos iterum transire paterentur, aut in Magorum potestate relinquerent. Stephanus *Ἀχαιμενίαν* appellat *μοῖραν*, hoc est, *φυλήν*: Strabo *Ἀχαιμενίδας φῦλον*, & Persidis interiora colere dicit, usque ad Carmaniæ fines, cum Patischorensibus & Magis &c. V. Salmasium *ad Solinum pag.* 1182. & 1183.

Achæorum statio, apud Plinium *lib.* 4. *cap.* 11. *Deinde promontorium Cherronesi Mastusia, adversum Sigeo, in cujus fronte obliqua Cynossema, ita appellatur Hecubæ tumulus, Statio Achæorum*: non est statio Achivorum *bellantium*; Namq; illa in Asia apud Sigæum, ubi & *Achæorum Portus*, de quâ idem *lib.* 5. *cap.* 30. & *Mela lib.* 1. *cap.* 18. *Heic Sigæum fuit oppidum: hic Achivorum bellantium Statio.* Sed de statione id accipiendum Achivorum *discedentium*; quam Achæi Troiâ captâ, quum classem solvissent ab Iliacis littoribus, in Cherroneso fecerunt. Ibi n. aliquot dies commorati sunt, dum Polyxenam Achillis Manibus immolant & alias res ad discessum necessarias constituunt. *Argumentum Hecubæ* Euripidis, *μετὰ τὴν Τροίας ἅλωσιν ἄραντες οἱ Ἕλληνες, καθωρμίσθησαν ἐν τῇ ἀντιπέρας χερσονήσῳ τῆς Θρᾴκης, ἧς Πολυμήστωρ ἦρχεν.* Ibidem Hecuba necem Polydori filii in oculos Polymnestoris, qui eum occiderat, vindicavit, & ipsa quoque ibidem mortua, tumulum sortita est, nomine *Κυνόσσημα* &c. Cœterùm *Achæi* origine Phthiotæ fuere, hocque nomine Græcos semper intellexere Romani. V. Eundem *ibid. passim*, imprimis *pag.* 142. 167. & 808.

Achaiæ flos, *Ἀχαΐας ἄνθος*, dicta *anchusa* est, V. *ibi.*

Acharbas, vir Didonis, apud Solinum *cap.* 27. *Acervas* Justino, *Sichæus* Virgilio, Græcis *Συχαῖος*. Latini *Sicharbam* dixere. Idem *ibid. pag.* 323.

Acharius, vel *Flavius Acrinus*, Severini adversùs Alanos Equitum Magister, Ferrariam condidisse dicitur; ortus ex Cajo Actio, quem ex Romanis Civem Atestinum circa A. C. & gentis Guelphicæ posterioris, cujus ab Azone certa deductio, Auctorem fuisse, quidam asserunt. V. *Actius Cajus.*

Achates, delitium Arsinoës, de quo V. Salmasium *ad Solinum pag.* 829.

Achates Gemma, reperta primùm in Siciliæ fluv. *Achate*, inde nomen accepit, Solinus *cap.* 5. Ausonio *Dorus* vocatur, ubi de Arsinoës templo,

Spirat enim tecti testudine Dorus Achates. &c.

Quia Sicilia Doricè loquebatur, in qua primùm lapis repertus. Communiter rubentibus & albis venis distinguitur, rotisque quibusdam aquariis & versatilibus in Germania politur ac teritur. [illegible] Orpheo dicitur præstantissimus inter omnes & maximâ potentiâ præditus, ut qui leonis impetum frænare ac sistere posse creditus est. Gestatus ad custodiam gestantis proficit eumque gratiorem reddit, Servio *ad Æn* 1. quod tamen de jaspide Plinius affirmat: qui, unius coloris, Athletas invictos præstat, eidem. Indici nemorum & animalium facies reddunt, hinc magno in pretio: Salmasii *Achates* rufforum crinium globum graphicè repræsentat. Ex eo, ut & Porphyrite columnæ quoque fiebant. Lucanus

— stabatque sibi non segnis Achates
Purpureusque lapis &c.

V. Salmasium, *ad Solinum passim*, imprimis *ad cap. cit.* ubi inter alia de Magico ejus usu varia congessit. Ut & hoc super addam: In *Musæo* Kircheriano Romæ, ostenduntur *Agathæ* albæ & nigræ & variis ductibus intermixtæ, è Senensibus agris. Orientalis, ex Persia; glauco-cyanei coloris, ex Sicilia; viridis, ex Boëmia; violacei, ex Belgio allatæ. Item alia Elliptica, ad speculum levigata, in qua miro venarum flexu Heroicæ viraginis effigies cernitur, *Gonæam* vocant. V. *Collegii Romani S. I. Musæum Amstelodami editum A.C.* 1678.

Achazi Solarium, de quo Jesaiæ *cap.* 38. *vers.* 8. Salmasio, res singularis fuit, & visendæ potius raritatis gratiâ constitutum, quam ad ullum usum moremque colligendarum horarum institutum. Vett. enim Judæi nullam Solariorum ad hunc usum notitiam habuere, sed à Romanis demum accepere: Sic Ægyptii & Babylonii & Græci antiquissimi, Gnomonica & Sciotherica vasa habuerunt, sed quæ Astrologis potiùs Astronomisque servirent, quàm Populo, ut quæ æquinoctiales tantùm indicarent diei partes &c. V. eum *ad Solinum pag.* 658.

Acheropoëta, ex Græco *Ἀχειροποίητον*, *non manu facta*, apud Anastasium *Biblioth.* in *Stephano* III. *Stephanus procedens in Litania, cum sanctissima imagine Jesu Christi, quæ* Acheropoëta *nuncupatur*: dicitur imago, quam Salvatoris nostri esse volunt, mirabilis; quam à Divo Luca inchoatam & ab Angelis perfectè absolutam fuisse, in vetustis Basilicæ Lateranensis monumentis haberi, tradit Dominicus Macer, additque confirmari ex Joh. Lateranensi Diacono, apud Onuphrium Panvinium *in opusculo MS.* in quo de hac Basilica loquens ista habeat: *Super hoc altare est imago Salvatoris mirabiliter super quadam tabula depicta, quam Lucas Evangelista designavit, sed virtus Domini Angelico perfecit opificio.* Idem ait, in *Ceremoniali MS.* Benedicti Sancti Petri Cannonici, in Angelica S. Augustini de Urbe Bibliotheca conservato legi, *quòd in die Paschæ, antequam Papa ad Basilicam S. Mariæ Majoris pro solemnì missa celebranda transferebatur, Capellam S. Salvatoris ingrediebatur, ubi album pluviale deponebat, & unà cum Diaconibus & Cardinalibus paratis suscipiebat sacra paramenta, usque ad dalmaticam, ac mox hanc figuram Salvatoris detegebat, ejus pedes osculando & altâ voce dicebat*: Surrexit Dominus de Sepulchro, Alleluja; *ac se ponebat in sede: deinde Diaconorum Prior osculabatur eosdem figuratos pedes & ad Papam accedens, pro susceptione Pacis, Papa proferebat*, Surrexit Dominus verè. *Tunc Prior*, Et apparuit Simoni, *respondebat. Idem Diaconus, Cantorum Primicerius, Basilicæ Prior — faciebant: quo finito, Pontifex induebatur planetâ & pallio, cum mitra in capite & ad dictam Marianam Basilicam perequitabat. In vigilia verò Assumtionis Deiparæ ejusdem Redemtoris iconem, herbâ ocymo & aquâ ad pedes lavabat Pontifex ac illam processionaliter ad eandem Basilicam propriis suis manibus deferebat.* Quem morem, usque ad Pii V. tempora durasse, scribat Sebast. Fabrinus *tract. de Jubilæo Anni Sancti* 1660. *cap.* 18. Idem Macer pergit: *Creditur esse hanc eandem iconem, quæ nunc in Sancto Sanctorum asservatur, quò fœminæ ingrediendi facultatem non habent, & antiquitus solus Papa introibat ad celebrandum.* Nempe hodie Imago non comparet, & super illa acriter disceptant Bened. Millinus *tract. de Oratorio S. Laurentii* & Franciscus Grisendus: Thomas quoque Aquinas, *Angelici Doctoris* titulo in Rom. Ecclesia insignis, relationi de admiranda hac icone non magnopere fidit, cùm 3. *part. quæst.* 25. ait: *Unde & B. Lucas* dicitur *depinxisse Christi imaginem quæ Romæ habetur.* V. Macrum utrumque *Hierolex.* & Salmasium *ad Solinum p.* 806. *Viri Principes.*

Achilles alter, Maximus Imp. dictus est, apud Jul Capitolinum in *Maximinis.*

Achilles Germanicus, cognomen, ob res fortissimè gestas Alberti Electoris Brandenburgici, quo

Plura suis nemo commisit prælia signis,
Plus neque diverso laudis ab hoste tulit.
Belliger unde tuus, Germania, dictus Achilles
Omnibus invicto nomine terror erat.

Georg. Sabin. Natus is est A.C. 1414. patre Friderico I. Elect. obiit A.C. 1486. Pater, præter complures alios, Johannis, qui *Electoralem* lineam continuavit, & Friderici, qui *Franconicam priorem* orsus est, V. Phil Jac. Spenerum *Sylloge Geneal. Histor.*

Fridericus *Achilles*, filius Friderici Ducis Wirtenbergici, defuncti A.C. 1608. virtute & literis probè excultus, *Consultatione de principatu provinciarum Europæ*, habitâ & vulgatâ innotuit, cùmque per corporis molem ad exteros ei ire non liceret, Geographicis ac Historicis studiis aliisque artibus ingenium exercuit. Habitandum per fraterna pacta accepit Neostadium, ad Cocharum, nephritide

phritide & catharris enectus, A. C. 1631. Ejus frater maximus natu fuit, Joh. Fridericus. V. Phil. Jac. Spenerum *Syll. Geneal. Hist. in Famil. Wirtembergica.*

Achillis Statua, in Sigeo fuit, ubi & *Achilleum*, quo nomine Strabo tumulum Achillis, Plinius oppidum, agnoscit. Habuit autem statua hæc aurem foratam & elenchum inde pendentem. Servius *ad Æneid.* 1. *Sanè apud Sigeum Achilli statua fuisse dicitur, quæ in ima, id est, extima auris parte elenchum more fœmineo habuerit.* Et Tertullianus *de Pallio*, de eodem loquens, *Aurem quoq; foratus effeminatus, quod illi apud Sigæum statua servat.* Porrò ore tantùm imago Achillis expressa, non integra statua fuit. Hinc *vultus* dicta Ampelo *de Marium Ambitu*; h. e. imago ore vel pectore tenus expressa. &c. V. Salmasium *ad Solinum p.* 870. & infrà in voce *Clypeus*, item *Strongyle*.

Achillis Tumulus, in Sigeo. *Ibid.*

Achimitenses, apud Liberatum Diaconum in *Breviar. cap.* 18. *per quendam Monachum Achimitensem* &c. alter *Acymetenses*; ita enim meminit *Cyrilli Abbatis Acymetensis* Nicolaus I. Pont. Rom. *Epist.* 10. *Aquimitenses* quoque, namque Monasterium *Aquimitum* memorat Gelasius Pont. *lib. adv. Nestorium & Eutychem*, Monachi fuere Byzantini, qui rectiùs *Acœmeti* appellantur, ex Gr. Ἀκοίμητος, de quibus V. infra *suo loco*.

Achiropictos, pro Ἀχειροποίητος, vox hybrida, occurrit in *Charta* Tancredi Siciliæ R. apud Ughellum *in Archiep. Rossanensibus*, *Ingressi venerabilem Ecclesiam Archiepiscopatus Rossani, in qua reverenda imago Sanctæ Dei genetricis Mariæ, quæ dicitur* — Achiropictos, *colitur* &c. De ea sic Carolus du Fresne, *Ita*, inquit, *appellabant quasdam Deiparæ imagines, quas, divinitus, nec arte humanâ pictas putabant, de quibus Commentarium scripsit Jacobus Gretserus*, in *Glossar.* V. quoque supra in voce *Achiropoeta*.

Aciarium, medio ævo, dicta est indurata ferri acies, Græcè ἀτζάριον. Nam στομῶσαι, *indurare*, Glossæ exponunt. Imò *indurare aciem*, Plin. *lib.* 34. *cap.* 14. unde *Acier*, Gallorum, de Chalybe. V. Salmasium *ad Solinum pag.* 1078. & *seqq.*

Acilia lex, à C. Acilio, Tr. Pl. anno U. C. 556. C. Cornelio Cethego, Q. Minutio Rufo Coss. lata, jussit, *Ut quinque Coloniæ in oram maritimam deducerentur*: Duæ ad ostia fluminum Vulturni Liternique: una Puteolos, una ad castrum Salerni, his Buxentum adjectum: tricenæ familiæ in singulas. *V. Liv. lib.* 32. Item *Acilia* Calpurnia lex. anno U. C. 684. à M. Acilio Glabrione & C. Calpurnio Pisone Coss. sancita, ambitum compescuit, his verbis: *Ut qui ambitus damnati essent, neque Magistratum capere, neque in Senatum legi liceret, & pecunia mulctarentur.* Cic. *pro Muræna, pro Cornelio* & *in eum* Asconius Causam ferendæ legis indicat Dio *lib.* 36 Hæc postea, ut cum pœna ferretur, licentiâ ambitus ob Catilinæ & Antonii audaciam augescente, censuit Senatus C. Julio Cæsare, Cajo Martio Figulo Coss. anno V. C. 689.

Acilisene, Græcè Ἀκιλισηνή, præfectura Armeniæ majoris, sita inter Taurum montem & alveum Euphratis, cùm recto cursu ad Occidentem pergit, priusquàm ad Meridiem avertatur: de qui V. pluribus agentem Salmasium *ad Solinum*, *pag.* 620. ut & in voce *Acilisena*.

Acipenser, Græcè ἔλοψ quibusdam dictus, ob similitudinem quandam cum eo, marinus est piscis, maximo olim in pretio. Plin. *lib.* 9. *cap.* 17. *Apud antiquos piscium nobilissimus habitus* Acipenser, *unus omnium squamis ad os versis contrà quàm in nando meat.* Nempe pisces omnes secundâ squamâ natant, solus *Acipenser* in nando meat, contrà quàm habet squamam, nam ad os versa est. Idem, *Acipenserem rarum inventu ætate suâ*, scribit, & tamen in pretio non fuisse miratur. Cicero rarò quoque admodum capi, tradit *de Fato*: *Allatus est fortè Scipioni* acipenser, *qui admodum rarò capitur, sed est piscis, ut ferunt, imprimis nobilis.* Martialis quoque rarum illum facit, & solùm Imperatorum mensis dicatum:

Ad Pallatinas Acipensem mittite mensas,
Ambrosias ornent munera rara dapes.

Qui cùm longè sit ab ætate Plinii, imò ferme eadem vixerit; mirum est, qui Plinius scripserit, nullo in honore fuisse suo tempore. Sammonius apud Macrobium testatur, præcipuam huic pisci auctoritatem fuisse, in convivio Cæsaris & à coronatis ministris, cum tibicine, introferri solitum fuisse dicit. Plinii etiam meminit, nec in dubium revocat, quin verum sit, quod ab illo dicitur, additque, *Apud antiquos autem in pretio fuisse ego testimoniis palàm faciam, vel eo magis quòd gratiam ejus video ad epulas quasi postliminio rediisse.* Imò non rediit, sed semper fuit. Disertè quippe testatur Martialis, qui Trajani vixit Imperio, hunc cœnis Imperatoriis ablegandum esse, utpote qui plebeii palati non esset, quin & rarum fuisse innuit. E quibus apparet, Plinii temporibus parùm cognitum fuisse hunc piscem, quem proin malè quidam cum Sturione confundunt, pisce multis in locis obvio. Archestratus galeum Rhodiensem vult esse seu catellum, V. *infrà*. Ab acumine rostri, quod antiqui *pesnam* pro *pennam* dixere, vox orta; est enim parvus, sed porrecto rostro, uti videre est apud Athenæum. V. Salmasium *ad Solinum pag.* 1315. & 1316.

Acna, recentioribus *Acra*. V. suprà *Acena*.

Acœmeti, Græcis Ἀκοίμητοι dicti sunt Monachi, apud Byzantinos, quòd in eorum Monasteriis divinum Officium noctu diuque, nullo interposito cessationis intervallo, celebraretur & cantaretur, divisâ hunc in finem in tres cœtus Monachorum Sodalitate, ita ut peracto, à primo, in Ecclesia officio, secundus & mox tertius succederet: sicque nullâ horâ Ecclesia à laudibus & canticis vacaret. Auctor instituti, secundùm Nicephorum Callistum *lib.* 15. *cap.* 23. Marcellus fuit Apamiensis, cujus festum agunt Græci 29. Decembr. secundùm Synaxar. & auctorem *Vitæ* Marcelli, Alexander Abbas, cui ille in eâ dignitate successit, Καὶ τότε μὲν ὁ θεῖος Ἀλέξανδρος πρὸς τῷ ἱερῷ οἴκῳ τοῦ μεγάλου ἐν Μάρτυσι Μηνᾶ τὴν ἄσκησιν ἐπεδείκνυτο. ὕστερον δὲ καὶ πρὸς αὐτοῖς τοῦ Πόντου στόμασι σεμνὸν ἱδρύεται φροντιστήριον, ὃ δὴ καὶ νόμον εἰσήγαγε, καινὸν μὲν, ἀλλὰ τὰ ἀπαράλλακτα κάλλιστον, μηδέποτε τὸν εἰς Θεὸν ὕμνον τὸ σύνολον διακόπτεσθαι, ἀλλὰ τῇ συνεχείᾳ τῶν λειτουργούντων ἀνελλιπῆ τὴν ἀσίγητον καὶ ἀκατάπαυστον τῷ Δεσπότῃ ἐπιτελεῖσθαι δοξολογίαν, *Et tum quidem sanctus Alexander juxta ædem sacram inclyti Martyris Menæ asceticam exercebat. Postea verò ad ipsas Ponti fauces insigne extruxit phrontisterium: ubi morem instituit, novum illum quidem, sed undiquaque pulcherrimum, ne unquam hymni in Dei laudes decantandi deficerent, sed continua ministrantium successione silentii quietisque expers Domini glorificatio perageretur.* Florebat verò Alexander hic A. C. 420. de quo etiam videri potest Anonymus in *Vita* illius *cap.* 5. apud Bolandum 15. *Januar.* Monasterii autem τῶν Ἀκοιμήτων, *Acœmetorum*, seu *Non dormientium*, Constantinopoli, meminerunt passim Scriptores, Theodorus Lector *lib.* 1. Evagrius *lib.* 3. *cap.* 18. 21. Theophanes, Cedrenus *in Leone*, Alii. A Græcis dein continuos ejusmodi & incessantes in Ecclesia cantus ac Officii celebrandi mos, ad Monachos Occidentales transiit, viguitque jam antiquitus in Eccl. Rom maximè in Monasterio Agaunensi, à Sigismundo Burgundiæ R. erecto ac fundato. Ita enim in *Charta* dotationis, seu potiùs, in Synodo Agaunensi, Victorius Episc. Gratianop. *Rectè enim*, ait, *mihi videtur, ut secundùm plenissimam devotionem Domini Regis & psallendi institutionibus, fiant novem Normæ, id est, Granensis, Isiana, Jurensis & Melvensis, & cæteræ, ut succedentes sibi in officiis Canonicis id est, Nocturnis, Matutinis, Prima, Tertia, Sexta, Nona & Vespertina, in hac die noctuque indesinenter Domino famulentur.* Sed & ipse Dagobertus, in Monasterio S. Dionysii à se constructo & fundato, *ordinem Psallentium, instar Monasterii Agaunensium & S. Martini Turonensis, ut ibidem laus Dei perenniter haberetur, instituit*, ut scripsit Andr. Silvius in *Chron.* Marcianensi. Idem de Monasterio S. Benigni, à Guntranno R. itidem ad Agaunensis Monasterii imitationem, constructo formatoque tradit *Chronicon* Divionense MS. ut & de Monasterio Luxoviensi, cujus S. Columbanus auctor fuit, Bernhardus in *Vita* S. Malachiæ, V. quoque *Chartam* Pipini R. pro Monasterio S. Dionysii, apud Doubletum *pag.* 703. & *Præceptum* Regis Chlodovæi pro eodem. S. Althelmus *de laude Virgin. cap.* 26.

In queis nempe decem Monachorum millia florent,
Cantibus assiduis & Psalmis, carmine crebro. &c.

Epitaphium Raimberti Episcopi Virdunensis,

Te veteres potis struxêre, novosque resumis
Hac ædes mores, in qua noctuque diuque,
A Monachis laudes divinæ vociferantur, &c.

Sic itaque ejusmodi Monachi Græcis Ἀκοίμητοι dicti sunt, quòd diu noctuque psallerent in Ecclesia, nullaque horâ vacarent à laudibus divinis, quos ex eo *laudis perennis* nomine agnoscunt Scriptores Latini. Ἀκάματος ὑμνολογία dicitur, Ignatio Diac. in *Vita* Nicephori Patr. CP. ἄπαυστος ψαλμῳδία, Johanni Euchaitæ *pag.* 32. 33. quam ille in Ecclesia Sophiana à Constantino Monomacho institutam ait: *indeficiens psalmodia*, in *Vita* S. Agilberti Abbatis Centulensis *cap.* 2. *num.* 16. *sic ad mensam sic ad lectos, sic ad omnia omni tempore exibant* (Monachi Centulenses) *ut indeficiens psalmodia in Ecclesia Salvatoris omni tempore permaneret.* Ita & lucernas ἀκοιμήτους appellarunt Græci, quæ in templis perpetuò arderent, ut est apud Ignatium Diac. in *Vita* S. Nicephori Patr. *num.* 7. Pachymerem *lib.* 2. *cap.* 21. Anonymum *de locis Hierosolym.* Alios. Hinc perperam vir doctus *de Monachis primis. Eccl. lib.* 1. *cap.* 9. censuit, dictos *Acœmetas*, quòd insomnes & nunquam conniventes oculis perpetuis se vigiliis exercerent. Sed & Macer cum Studitis malè hosce Acoemetos confundit, uti inferiùs pluribus videbitur. V. hanc in rem omnino Car. du Fresne *Glossar.* & suprà, in *Acœmeti* ac *Achimitenses*.

Acolytus, proximus in Ecclesia Rom. Hypodiaconatui gradus, unus ex quatuor Ordinibus minoribus, ut patet ex Synodo Romana Sylvestri *can.* 7. ubi Episcopo parere jubetur Presbyter, Diaconus Presbytero, Diacono Hypodiaconus huic *Acolytus*, Acolyto Exorcista, cui Lector. Dictus à Gr. κωλύω, *prohibeo*, quasi *Non prohibitus*, secundùm Dominic. Macrum *Hierolex.* seu potiùs ἀκολουθέω, *sequor*, ut vult ejus Frater; sunt enim hi velut famuli Ecclesiastici, vilioribus Ecclesiæ ministeriis deputati, ut cereis deferendis &c. Sed ita *Acoluthi* scribendum. *Gloss.* Gr. Lat. Ἀκόλουθος, *sequutor, pedissequus consequens*, Hesychius, Ἀκόλουθος ὁ νεώτερος, παῖς, *Acoluthus junior, puer.* Certè *Acoluti* nominantur Gregorio *lib.* 7. *Indict.* 2. *Ep.* 7. &c. Sustinebat antiquitus *Acoluthus* patenam involutam,

luram, sicut modò Subdiaconus facit; à quo eam Archidiaconus accipit, & osculatam dat uni ex Diaconis tenendam, *ad confractionem in ea faciendam. Microl. de Eccles. observ. cap.* 18. Similiter & fistulam in manu habebat, per quam hauriebat tunc populus vinum in Eucharistia. Hodie officium ejus est, cùm Missa celebratur, cereos ferre accensos, & cum cereo itidem ardente Diaconum, ad canendum Evangelium accedentem, sequi &c. Quæ omnia *Ordo* Romanus & *Liber Sacrament.* S. Gregorii his verbis complectitur: *Acolyti, cùm ordinantur, primùm quidem ab Episcopo doceantur, qualiter in officio suo agere debeant; sed ab Archidiacono accipiant ceroferarium cum cereo, ut sciant se ad accendenda Ecclesiæ luminaria mancipari: accipiant & urceolum vacuum (ad effundendum vinum in Eucharistia, ita* Codex *MS.* Senonensis Eccl.) *dicente sibi Episcopo: Accipite urceolum ad suggerendum vinum & aquam in Eucharistiam sanguinis Christi* V. hanc in rem Auctores citatos Carolo du Fresne *Glossar.* Eorum mansio seu exedra juxta Templum, aut secretarium ejus, *Acolyti* quoque vocatur; Anastasius Biblioth. in *Gregorio* IV. *Fecit enim juxta Acolyti pro quiete Pontificis hospitium parvum* &c. Romæ tria genera *Acolytorum* reperiri, *Palatinos* sc. qui Pontifici inserviant; *Stationarios*, qui adsistant in Templis, ubi stationes celebrantur, & *Regionarios*, qui administrent cum Diaconis, in urbis regionibus, habes apud Macros *Hierolexic.* Et quidem de primis ita *Ceremoniale* Rom. *lib.* 3. apud du Fresne *Glossar. Acoluthi Sedis Apostolicæ ordinarii, qui cùm Pontifex apud lectum paramenti & similiter in Ecclesia est celebraturus & induitur sacris vestibus, circumstant genuflexi, & ornamenta subministrant Diaconis Cardinalibus* &c. Inter officia aulica CP. *Acoluthos* fuisse, discimus ex Codino, qui Præfectum *Barangium*, id est, militum Byzantinæ cohortis Imperialis, appellatum sic fuisse tradit. V. quoque in vocibus *Ambo*, *Anagnosta*, *Archiacoluthus*, *Ceroferarius*, *Cubicularius* & *Famma*.

Acone, Græcè Ἀκόναι, apud Theophrastum *Histor. Plantar. lib.* 9. *cap.* 18. vicus Mariandynorum; Solino *Acone*, portus Heracleæ: Nempe vel portus Heracleæ, vel non longè ab Heraclea fuit, in regione Mariandynorum, in quibus etiam Heraclea Pontica sita erat. Unde *aconito* nomen volunt nonnulli. Et certè in *Aconæis cautibus* nasci tradit Nicander,

—— Ἐν δ' Ἀκοναίοις
Τῆλε λίην ἀκόνιτον ἀειθάλεσιν ὀχθήσασιν.

Ubi Ἀκοναῖοι ὄχθοι sunt Heracleotici agri, ab *Aconis* loco dicti: in quarum cautium summitate ac vertice plurimum ac præstantissimum *aconitum* provenit. Sed aliud etymon suggerit Ovidius,

Quæ quia nascuntur durâ vivacia caute,
Mortales aconita vocant. &c.

de quo V. Salmasium *ad Solinum pag.* 881. *& seqq.* ut & infrà in voce *Cos*.

Acontias, V. infrà *Jaculus*.

Acorum, legitimus antiquorum calamus aromaticus, de quo V. Salmasium *ad Solinum pag.* 1049.

Acra Lepte, Drepani sinus prominentia; in sinu Arabico, in parte Troglodytarum, apud Plinium *lib.* 6. *cap.* 29. Significat autem Græca vox Ἄκρα, summitatem, eminentiam, sed & portum ut plurimum naturalem, sub littorum prominentiis positum. Unde Παταρηὶς ἄκρα, apud Dionysium,

Τὸν δὲ μετ' ἀντολίην δολιχὸν δεδιδήσεται ὑγρὸν
Τρηχὺς ἀπὸ μεγάλης παταρηίδος ἐκδεδε ἄκρης.

Certè promontorii Patarei ex Veteribus nemo meminit, sed *portum Patarensem* intelligit Dionysius. Scylax, Πάταρα πόλις καὶ λιμήν. Similiter, portum Telmissensium, Strabo vocat ἄκραν τελμησσίδα. Idem Scylax, Τελμισσὸς πόλις καὶ λιμήν. Nempe portubus ut & promontoriis sinus finiuntur. Sic Mela, Side portu & Tauri prom. sinum Pamphyliæ vastum claudit. Sinus Lyciæ alter Crago prom. & Telmissi portu includebatur. Strabo ἄκραν τελμισσίδα appellat, sub qua portus. Ita & Patara prominentiam aliquam editi litoris habuisse videtur, quæ portum efficiebat. Hinc ἄκραν Παταρηίδα vocat Dionysius, intra quam Chelidonias ait esse sitas. Idem *alibi* canit, Issici sinus ad Occ. terminum esse ἄκραν Παταρηίδα,

Σῆμα δ' ἔχει Ζεφύροιο Παταρηίδα τηλόθεν ἄκρην.

Ergo intra illum terminum ad Orientem sitæ Chelidoniæ, in sinu, qui disterminatur Patarensi portu, ab una parte, ab altera Tauri prom. quo modo ibi littus χερσόνησον, ubi sita sunt Patara; in cujus peninsulæ extremo Portus Patarorum ἄκρα Dionysio dictus: Quia peninsularum ejusmodi vel littorum χερσονησιζόντων partes extremas in mare exeuntes, etiamsi nullos habeant impositos montes, ἄκρας quoque Græci vocarunt. V. Salmasium *ad Solinum pag.* 784. & 785.

Acrabatanus, Æthiopiæ lacus, prope Esamenam aut Astaboram fluv. cujus accolas pepulit σκορπίων πλῆθος ἄμαχον, *Scorpionum multitudo inexpugnabilis*; ubi perperam *Ἀκρίδας*, pro *Akrabatas*, ab Æliano vocari *Histor. lib.* 17. *cap.* 40. censet Bochartus. *Acrabatam* enim à scorpionibus dictum contendit, cùm עקרב, *acrab*, pro scorpione, non solùm ab Hebræis & Syris sed & à Chaldæis, Arabibus & Æthiopibus usurpetur. Sed & Græci Asiæ partem à scorpionum copia, nominarunt Σκορπιοφόρον χώραν, ut ex Ptolemæo constat: Nec desunt, qui Scorpianos populos indidem dici conjectent, apud Stephanum, tanquam ex Herodoto, quod tamen non probatur eidem Bocharto *Hierozoici Part. poster. lib.* IV. *cap.* 19.

Acredula, Cic. eadem cum ulula, quâ expressit ὀλολυγὼν Arati,

Et matutinis Acredula vocibus instat.

Ὀλολυγὼν sane Theophrasti, quæ in summis jugis sola canit, ulula est: dicta ab *acri* & acuta voce, quam edit, qualis est mulierum ejulantium, καὶ ὀξείᾳ φωνῇ ὀλολυζουσῶν. Itaque fallitur Isidorus, qui *agredulas* uno loco exponit ranas parvas, in sicco vel in agris commorantes; quas ab *agris* dictas putavit: & alio *infimiam* esse scribit. V. Salmasium *ad Solinum pag.* 318.

Acrides, quarum mentio Matthæi *cap.* 3. *v.* 4. ἡ δὲ τροφὴ αὐτοῦ ἦν ἀκρίδες καὶ μέλι ἄγριον, Isidoro, Pelusiotæ, viro docto & proxima Palæstinæ loca incolenti, *Epist.* 132. ζῶα εἶναι, ὡς νῦν ἔστιν ὁρᾶν ...... ἀκρίδας, *non sunt animalia Scarabæis similia, ut imperitè quidam existimant*: Subjicit autem, ἀλλ' ἀκρέμονες βοτανῶν ἢ φυτῶν, *sed summitates herbarum & aliarum plantarum*, putà fruticum & virgultorum vel arborum. Verum omnino falsus est Vir pius & doctus: nam diversissimæ res Græcis sunt ἀκρίδες & ἀκρόδρυα, quas duas voces ut ipse confunderet, contra omnem Græcorum usum loquendi, ea sola ratio videtur effecisse, quòd sciebat, inter alimenta eorum, qui erant rigidissimi jejuniorum observatores, fuisse ἀκρόδρυα, h. e. *fructus arborum*. Hinc Epiphanius *extremo lib.* 3 austeritatis intendendæ circa jejunia varios gradus commemorans, ultimum facit eorum, qui abstinerent diebus stationum, etiam ἀπὸ ἀκροδρύων καὶ ἑψημάτων, *à fructibus & jusculis olerum*, id enim est ἕψημα, ut docet Casaubonus *ad Athen. lib.* 4. *c.* 6. Multo minus ἀκρίδες hæ Johannis herbæ fuere genus, Monachis in Syris apponi solitæ, ut Jac. de Vitriaco *Histor. Hierosolym. cap.* 53. à Surianorum quodam Monacho se accepisse scribit. Locustæ itaque fuere, quarum aliquas edules fuisse, non in Judæa solum & aliis regionibus Orientis, sed etiam in Græcia, & opposita Asia, multis jam probarunt Viri eruditi. Et certe apud vett. Poëtas non solùm ἀκρίδες ponuntur, inter viles pullatæ plebeculæ cibos, sed etiam σέρφοι, quod vilissimum insecti genus, formicis, ut volunt Grammatici, affine est. Conjungit utrumque Nicophon Poëta antiquissimis, in *Fabula*, quam inscripserat, Ἀφροδίτης γοναὶ, *Veneris ortum*; ubi vilissimum describens victum, Ἀνεφίδιον, inquit, ταυτὶ τὰ τραγήματ' ἐσθίειν, σέρφους, ἀκρίδας, πάρνοπας. Item Aristophanes, qui inter res edules, & *serphi* & *locustæ* meminit. Imò Theophylactus *Epist.* cujus initium, τὸ πτωχὸν, caricas & locustas oppidò lautum inter rusticos fuisse convivium docet: Εὐωχεῖ χθὲς τὸν Τρυγίαν Λαμπρίας. ἰσχάδες γάρ εἰσι μοι καὶ ἀκρίδες τὸ ὄψον, ὁ δὲ ...... ἐπεὶ ...... ἰσχάδων ...... καὶ τὰς ἀκρίδας ...... ὁ δὲ Τρυγίας ἐπεχήνει. Cicadas quoque, locustis simillimum animalculum Musicum, in cibi usum verti consuevisse, testis est Ælianus *Histor. Anim. lib.* 12. *cap.* 6. ut alia omittam. V. Isaac. Casaubonum *c. Baron. Exercit.* XIII. *n.* 7. & infra in voce *Locusta*.

Acris odor, idem cum acuto, Gr. δριμύς: de quo V. Salmasium *ad Solinum p.* 12. 82.

Acrodrya, Græcè Ἀκρόδρυα, & ὀπώρα, sic distinguuntur Græcis Scriptoribus *Rei Rusticæ*, ut Latinis *Nuces* & *Poma*. Ἀκρόδρυα enim ea vocanda propriè censent, quæ foris lignum habent, quæque eadem κάρυα dicta; Quâ voce omnia *Acrodrya* Atticos insigniisse, ex Athenæi Epitomatore notat Salmasius: Sic namque is, οἱ Ἀττικοὶ καὶ οἱ ἄλλοι Συγγραφεῖς, κοινῶς πάντα ἀκρόδρυα κάρυα λέγουσι; ubi tamen incertum, an per ἀκρόδρυα intelligat omnes omninò fructus arboreos, qui foris lignum habent, an eos tantùm, qui exteriorem habent corticem ligneum & intus id, quod edule. Auctores Geoponicûn hoc sensu accepere, de iis sc. qui τὸ ξυλῶδες foris habent, quo in genere nuces omnes sunt. Alii ἀκρόδρυα, de omnibus arboreis frugibus usurpant. At Theophrastus, qui ἀκρόδρυα à malis & nucibus separat, eo nomine *baccas* & fructus sylvestres censuit. Quâ de re V. eruditè dissentem Salmasium *ad Solinum pag.* 168. *& seqq.*

Acrolita, vel *Acrolitha* statua, apud Trebellium Pollionem in XXX. *Tyr. Hujus uxor Calphurnia* (Titi nempe) *fuit sancta —— cujus statuam in templo Veneris adhuc videmus Acrolitham* (priùs legebatur *Argolicam*) *sed auratam*; Gr. ἀκρόλιθος ἀνδριάς, *statua* est *lapidea*. Sic *monolithas* columnas dixit Laberius, τὰς μονολίθους: *cùm provincias dispoliavit, columnas monolithas labella lenis*. Similiter ita quæ *Acrolitha statua*, ὁ ἀκρόλιθος; ἀκρόλιθον ξόανον in *Epigrammate* Græco nondum edito:

Μὴ κ' ὄψιν ἄνθρωπε τὸ χλαῖνιον, ἀλλὰ θέασαι,
Οὕτως ἀκρολίθῳ χαίρει τρόπῳ ξοάνου.
Ne extra homo lænulam, sed considera
Sic acrolithæ & me modum statuæ. &c.

Salmasius *ad l. cit.*

Acromata, apud Æl. Lampridium *in Alexandro Sev. Nanos & nanas & moriones & vocales & exoletos, & omnia acromata, & pantomimos Populo donavit.* Ita in vet. editione legebatur, nec aliter præferunt scriptum libri manu exarati: In *Notis* quoque Senecæ acro-

dromata legitur & *acromaticus*. Idem ergo quod *Acroamata*, ut ἀκούσματα pro ἀκροατήρια. In vetustissimis enim membranis *Glossarum Græcolatin.* quæ servantur in Biblioth. Puteana, *Auditorium est*, ἀκροατήριον. Alter *Auditores*, in vetusta quadam περιηγήσει ex Græco versâ. *Ecce similiter Ladicia, Circenses & Tyrus & Berytus & Cæsarea. Sed Ladicia mittit aliis civitatibus agitatores optimos. Tyrus & Berytus mimarios. Cæsarea Pantomimos; Heliopolis Choraulas maximè, quòd à Libano Musæ illis inspirent divinitatem dicendi, aliquando autem & Gaza habet bonos auditores.* Ubi nemini dubium potest esse, inquit Salmasius, quin apud Græcum Scriptorem fuerit: Ἐκεῖ καὶ ἡ Γάζα ἔχει ἀγαθὰ ἀκροάματα, quod ille vertit, *Auditores*. V. Salmasium *Not. ad Æl. Lamprid. l.c.*

Acronius, adde: Etiam *Underfee* dicitur lacus hic Acronius; & quidem, *Acronium* dici vult Vadianus, apud Melam, *quòd gelu numquam obduretur*: Græci autem Oceanum glacialem *Cronium*, i. Saturnium & frigidum tardumque appellarunt, auctoribus Ptolomæo & Plinio *lib. 4. cap. 13.*

Acronycha Stella, Græcè ἀκρόνυχος, dicitur quæ ἀκρονύχως oritur, seu *vespertinum ortum* facit, habetque Solem adversum in contraria parte occidentem. Quamvis enim ἀκρονύχιον Græci recentiores de utroque noctis tempore acceperint, tam matutino, quàm vespertino; quia utrumque tempus τὸ ἄκρον τῆς νυκτὸς constituit: adeoque ἀκρονύχιας vocarunt, ortus & occasus siderum matutinos vespertinosque. Jo. Tzetzes *in Hesiodi ἔργα*,

> Τὰς ἀκρονύχους οἱ μαθεῖν θέλοντες βίβλους,
> Ἀνατολὰς τε καὶ δύσεις τῶν ἀστέρων.

Vett. tamen Græci magis propriè ἀκρονυχίας, de primo noctis ineuntis tempore usurparunt, quàm de extremo finientis. & ἀκρονυχεὶ oriri ea sidera dixerunt, quæ vesperi oriuntur, non quæ matutino, stellas ipsas, quæ in ortu vespertino sunt, ἀκρονύχους vocantes. Hesiodus ἀκροκνεφαῖον vocat,

> Ἀρκτοῦρος προλιπὼν ἱερὸν ῥόον Ὠκεανοῖο
> Πρῶτον παμφαίνων ἐπιτέλλεται ἀκροκνεφαῖος &c.

V. Salmasium *ad Solinum p. 720.*

Acropolis, adde: Sacra erat Atheniensium *Acropolis* Minervæ, quæ proin Catullo *in Argonaut.* dicitur Diva,

> —— —— *retinens in summis urbibus arces.*

Superstes est hodieque, & valido tenetur Janizerorum præsidio. De illa Hugo Favolius *Hodæp. Byz. lib. 3.*

> *Arx tantùm celebris hoc tempore montis eodem*
> *Quæque impôsta jugo est, vastas prospectat in undas*
> *Æquoris, & circùm dispersa mapalia. & omnes*
> *Externo indigenas nocuò tuetur ab hoste.*
> *Nobilis arx, toto quâ non est altera Grajo*
> *Nota magis regno, validisque instructior armis &c.*

In fastigio turris Lunulæ eminent Turcicæ auro longè lateque splendentes; herbæ etiam genus quoddam peculiare, quæ noctu insigni fulgore micet, in latere montis, cui Acropolis insidet, prognasci memoratur. Pars muri, *Pelargica* olim dicta, ab Hyperbio & Euryalo, qui, quòd peregrè advenissent, πελαργοὶ i. *ciconiæ*, vocati sunt: altera pars, quæ *murus Cimonius*, à Cimone Miltiadis fil. arci circumdata est. Accessus erat per unicam portam, porticu celebri, quæ *Propylæum* dicta, insignem. V. Franc. Rossæum *Archæolog. Atticæ lib. 1. cap. 2.*

Acrostichia, in *Constitut. Apostol.* *Alius quidem Psalmos David canat, populus verò initia versuum, quæ dicuntur* Acrostichia, *succinat.* Ἀκρόστιχα enim initium versuum significat. V. Coel. Rhodiginum *Antiqq. Lectionum lib. 13. cap. 39.* & Macrum *Hierolexic.* De *Acrostichide* Sybillina JESU CHRISTI nomen præferente, quam visam Ciceroni & in suos libros translatam refert Eusebius, V. judicium Casauboni *Exercitat. 1. §. 10.* & Tobiæ Pfanneri *in Systém. Theologiæ Gentilis purioris Cap. 1. §. 10.* Meminit certè, præter Dionysium *lib. 4.* Cicero *de Divinat. lib. 2.* ἀκροστιχίδος, in Sibyllinis carminibus obviarum, quæ quanquam in falsitatis suspicionem argumentumque trahi soleant, à crimine tamen isto certè Christiani alieni, quos Ciceronis ætas nondum habuit: quâ ratione illorum cadit argumentum, qui pia fraude istiusmodi carmina à Christianis supposita fuisse contendunt. Memorabilis autem inprimis *Acrostichis* illa, quam ex Carminibus Sibyllæ Erythrææ de Judicio extr. Eusebius affert, de *Vita* Constantini *lib. 5.* sive *Orat. ad Cæt. Sanctor. cap. 18.* & Augustinus *de Civ. Dei lib. 18. cap. 23.* sic sonans:

> Ἰδρώσει γὰρ χθών, κρίσεως σημεῖον ὅτ᾽ ἔσται.
> Ἥξει δ᾽ οὐρανόθεν βασιλεὺς αἰῶσιν ὁ μέλλων
> Σάρκα παρὼν πᾶσαν κρίναι καὶ κόσμον ἅπαντα.
> Ὄψονται δὲ θεὸν μέροπες πιστοὶ καὶ ἄπιστοι,
> Ὕψιστον μετὰ τῶν ἁγίων ἐπὶ τέρμα χρόνοιο.
> Σαρκοφόρων ψυχὰς τ᾽ ἀνδρῶν ἐπὶ βήματι κρινεῖ.
> Χέρσος ὅτ᾽ ἄν ποτε κόσμος ὅλος καὶ ἄκανθα γένηται.
> Ῥίψουσι τ᾽ εἴδωλα βροτοὶ καὶ πλοῦτον ἅπαντα.
> Ἐκκαύσει δὲ τὸ πῦρ γῆν, οὐρανὸν ἠδὲ θάλασσαν,
> Ἰχνεύον ῥήξει τε πύλας εἰρκτῆς Ἀΐδαο.
> Σὰρξ τότε πᾶσα νεκρῶν ἐς ἐλεύθερον φῶς ἀφίξεται
> Τοὺς ἁγίους, ἀνόμους τε τὸ πῦρ αἰῶσιν ἐλέγξει.
> Ὁππόσα τις πράξας ἔλαθεν, τότε πάντα λαλήσει,
> Στήθεα γὰρ ζοφόεντα θεὸς φωτῆρσιν ἀνοίξει.
> Θρῆνος δ᾽ ἐκ πάντων ἔσται, καὶ βρυγμὸς ὀδόντων,
> Ἐκλείψει σέλας ἠελίου, ἄστρων τε χορεῖαι.
> Οὐρανὸν εἱλίξει, μήνης δέ τε φέγγος ὀλεῖται.
> Ὑψώσει δὲ φάραγγας, ὀλεῖ δ᾽ ὑψώματα βουνῶν.
> Ὕψος δ᾽ οὐκέτι λυγρὸν ἐν ἀνθρώποισι φανεῖται.
> Ἶσα δ᾽ ὄρη πεδίοις ἔσται, καὶ πᾶσα θάλασσα
> Οὐκ ἔτι πλοῦν ἕξει. γῆ γὰρ φρυχθεῖσα κεραυνῷ,
> Σὺν πηγαῖς ποταμοί τε κοχλάζοντες λείψουσι,
> Σάλπιγξ δ᾽ οὐρανόθεν φωνὴν πολύθρηνον ἀφήσει,
> Ὠρύουσα μύσος μελέων καὶ πήματα κόσμου,
> Ταρταρέον χάος δείξει, τότε γαῖα χανοῦσα.
> Ἥξουσι δ᾽ ἐπὶ βῆμα θεοῦ βασιλῆες ἅπαντες.
> Ῥεύσει δ᾽ οὐρανόθεν ποταμὸς πυρὸς ἠδὲ γε θείου, κτλ.

Quæ Latinè refert Augustinus *lib. cit.* meliùs atque ad *acrostichi* formam sic reddidit Valesius *version. Eusebii d. l.*

> *Judicii signum, tellus sudore madescet,*
> *E cælo tunc Rex veniet per secla futurus,*
> *Scilicet ut totum præsens dijudicet orbem.*
> *Visurique Deum infidi sunt atque fideles,*
> *Sublimem in carne humana sanctaque caterva*
> *Cinctum, completo qui tempore judicet omnes.*
> *Horrida tunc tellus dumis sylvescet acutis,*
> *Rejicient simulachra homines aurique metalla.*
> *Inferni portas facto simul impete rumpent*
> *Squallentes manes & purâ luce fruentur.*
> *Tetros atque bonos index tunc flamma probabit.*
> *Voce patens facinus, quod gessit quisque, loquetur,*
> *Subdolaque humani pandentur pectoris antra.*
> *Dentium stridor erit, gemitusque & luctus ubique,*
> *Et Sol astrorumque chorus percurrere cælum*
> *Insimul absistent, Lunæ quoque flamma peribit.*
> *Fundo cernentur valles consurgere ab imo.*
> *In terris nihil excelsum spectare licebit,*
> *Lataque planities montes æquabit: & æquor*
> *Intactum rate stabit: adustaque fulmine tellus,*
> *Unà deficiet flagrans cum fontibus amnis.*
> *Stridula de cælo fundet tuba flebile carmen*
> *Supremum exitium lamentans, fataque Mundi.*
> *Et subito Stygium chaos apparebit hiatu:*
> *Reges divinum stabunt cuncti ante tribunal.*
> *Undaque sulphureæ descendet ab æthere flammæ.*
> *At cuncti in terris homines mirabile signum*
> *Tunc cernent oculis, sanctis optabile signum:*
> *Omnibus id justis vitæ est melioris origo:*
> *Rursus vesani dolor atque offensio Mundi &c.*

In hac *acrostichide*, ex primis versus cujusque literis, componuntur hæc verba ΙΗΣΟΥΣ ΧΡΙΣΤΟΣ ΘΕΟΥ ΥΙΟΣ ΣΩΤΗΡ, ut Christophorsonus, Eusebii Interpres, felicior isto, cujus interpretatione usus Augustinus est, congruarum literarum vocibus versum quemque inchoans, Valesius item, reddidere, JESUS CHRISTUS DEI FILIUS SERVATOR. Ex quarum quinque vocum initialibus literis, alia ἀκρόστιχις oritur, ΙΧΘΥΣ i. e. PISCIS: quo nomine mysticè Christum intelligi, Augustinus monet *d. l.* V. *ibid.* Leonh. Coquæum: eò quòd in hujus mortalitatis abysso, velut in aquarum profunditate, sine peccato esse potuerit, quemadmodum nihil salsedinis à marinis aquis pisci affricatur. V. omnino Pfannerum ubi *suprà*.

Acrostolium, Græcè ἀκροστόλιον, in nave dicitur summa pars proræ, sicut ἄφλαστον, Lat. *Aplustre*, summa pars puppis: Græci tamen τὸ ἄφλαστον etiam ἀκροστόλιον exposuerunt, h. e. *proræ summitatem*. Est a. prora propriè pars navis anterior, quæ à carina usque ad catastroma pertingit, quæ veluti facies & frons navis est. Quæ ad proram verò addita in altum eriguntur, ea ad ornamentum potiùs ac decorem navis, quàm ad usum adfiguntur; recurvata nempe ligna, quæ ad ornandas ejus extremitates insurgunt. Κόρυμβα Græci vocant & ἄφλαστα; sed in puppi propriè ἄφλαστα, in prora κόρυμβα, cujus pars summa ἀκροστόλιον, ut dictum. Supra ἀκροστόλιον verò tabula erat πτυχὶς vocata, item ἐπωτίδες, ubi nomen navis inscribi solebat, & oculi navis pingi. Sic Κῆτος, nomen navis, quâ Andromeda abducta est, juxta Cononem, ab insigni navis ceto &c. V. Salmasium *ad Solinum pag. 572. & 573.* & infrà in voce *Parasema*.

Acrotadus, adde: Salmasius legi jubet *Aradus* vel *Cassandras*, V. eum *Exercit. Plin. ad Solinum p. 18.*

Acroteria, Græcè Ἀκρωτήρια, in ædibus, V. infrà *Pinnacula*.

Acta, strictè propriéque dicuntur gesta ab eo, qui togatus in Rep. cum potestate imperioque versatus est. Sic apud Ciceronem *Philipp. 1. Acta Cæsaris* & *Acta Gracchi*. Inde quæ per Magistratum gesta in literas publicas relata sunt. V. Plin. Jun. *Epist. ad Valerian.* *Acta* κατ᾽ ἐξοχὴν sæpe, *Acta* publica & *commentarii Principis* seu *Magistratuum*: Æschines Δημόσια vocat γράμματα. *Acta*, igitur libri seu tabulæ erant, in quibus scribebantur res gestæ Principis, aut populi, aut etiam Leges, Cic. 1. & 2. *Philipp.* &c. Postea consuetudine sermonis factum, ut literæ omnes, de quorumlibet Judicum sententiis perscriptæ, *Actorum* nomine censerentur. Item quodcunque apud Jus dicentem, ad causam sive publicam

blicam sive privatam pertinens, gestum, ejusque auctoritate literis mandatum esset, Imp. *l.* 7. *C. de eden.* Gr. ὑπομνήματα, Gall. *Regesta.* V. Calvinum *Lexic. Jurid.* Scribi autem olim consuevere *Acta*, in linteis libris, ut dicetur suo loco. V. quoque in voce *Elephantini libri*; & asservabantur in Æde Saturni, de quo etiam *infrà.*

Acta Conciliorum, unà cum Canonibus, colligi & recitari cœpere, postquam nudi priùs Canones in unum corpus fuissent congesti: qui modus colligendi multum profuit ad historiam & seriem rei gestæ. In iis enim plerunque recensentur disputationes & argumenta de dogmatibus fidei, quæ ab Hæreticis & contra eos ventilata sunt. Cujusmodi collectores noti fuerunt ab ultimâ antiquitate. Socrates *Histor. Eccl. lib.* 1. *cap.* 5. Ἐπειδὴ τὰ ἤδη ἐγγραφέντα ἐν ὑπομνήμασιν ἐκεῖνα τὰ κοινῇ δόγματα, *Jam verò, quæ communi omnium sententiâ decreta erant, cùm cujusque manu subscripta essent, rata habebantur & in commentarios referebantur.* Exemplum mox subjicit, Σαβῖνος ὁ τῶν ἐν Ἡρακλείᾳ τῆς Θρᾴκης Μακεδονιανῶν ἐπίσκοπος, συναγωγὴν τῶν διαφόρων συνόδων ἐγγράφως ἐξέδωκε, πεποιημένος. *Sabinus Macedonianorum, qui Heracleam civitatem Thraciæ incolunt, Episcopus, cum ea quæ variæ Episcoporum Concilia scriptis ediderunt, in unum volumen collegit* &c. E quibus discimus, cùm ante hunc Sabinum Episcopi jam varia Concilia scriptis complexi edidissent, illum *Acta* hæc omnia & Concilia in unum volumen compegisse. Non tamen ex fide; subdit enim Socrates: Quin etiam nonnulla deditâ operâ prætermisit, quædam etiam pervertit; quæ autem ad eum exitum, quem sibi proposuerat, facere videbantur, omnia diligenter excerpsit &c. Postea *lib.* 2. *cap.* 13. Σαβῖνος μὲν ὁ τῆς Μακεδονίου αἱρέσεως —— τὰς παρὰ Ἰουλίου ἐπιστολὰς ἐν τῇ συναγωγῇ τῶν συνόδων οὐ τέθεικε. *Sabinus, erroris Macedoniani propugnator, —— Epistolas Julii in collectione rerum in Conciliis gestarum, nequaquam intexuit,* &c. Hinc itaque Synodicarum Collectionum duo genera facit Christ. Justellus *Præfat. ad Cod. Can. Eccles. Afric.* unum, quod *Conciliorum Acta*, ad dogmata & fidei doctrinam spectantia & συναγωγὴ τῶν συνόδων vel συνοδικῶν Socrati dicta, *Histor. Eccles. lib.* 3. *cap.* 21. continebat: alterum, quod Canones Conciliorum, ad disciplinam Ecclesiasticam sacramque πολιτείαν pertinentes ac Βιβλίον Κανόνων, in Calchedonensi Concil. *act.* 4. 11. & 13. nuncupatos, complectebatur. Unde frequens Διαλαβόντων & Κανόνων distinctio, apud Græcos *Ecclesiasticæ Historiæ* Scriptores. Ac Synodalium quidem Gestorum monumenta supersunt pauca &c. Hactenus Justellus. V. quæ hanc in rem habet Gerh. *von Mastricht Histor. Juris Ecclesiastici num.* 143.

Acta Pilati, V. infrà *Pilati Acta.*

Acta Zone, apud Pomponium, Ζωνία ὄρη Nicandro. Eminentia autem littora & prominentia, Græcis Ἀκταί. Poëta, Ἀκτῇ ἐπὶ προὐχούσῃ. Sic locum quendam Ephesi, collis nempe jugum urbi imminens, τραχεῖα Ἀκτή, h. e. *Asperam Actam*, vocat Hipponax apud Strabonem,

> Οἴκει δ' ὄπισθε τῆς πόλεως ἐν Σμύρνῃ
> Μεταξὺ τρηχέης τε καὶ λεπρῆς Ἀκτῆς.

Qui posteà Πριὼν appellatus. V. infrà in *Prion.*

Actæa, adde: Idem quoque Cereris epitheton fuit, quæ *Attica* etiam dicta.

Actæon, filius Aristæi, adde: Hujus, ut & Diomedis Thracis, fabulam enucleans, Theo-Sophista *Progymnasm. cap.* 6. Διομήδης δὲ ὁ Θρᾷξ, inquit, ἐν ἱπποτροφίαις ἀναλώσας ἐλέχθη ὑπὸ τῶν αὐτοῦ ἵππων ἀπολωλέναι, κατὰ δὲ τὸν αὐτὸν λόγον καὶ Ἀκταίων ὑπὸ κυνῶν. *Diomedes autem Thrax quòd in equis alendis bona sua consumsisset, ab equis devoratus dictus est: quemadmodum à canibus Actæon.* Neque aliter de *Actæone* Palæphatus, qui proin *præda canum* non minus eleganter dicatur, quam *præda caballorum*, Prætor ille Ludos edens apud Juvenalem *Sat.* 11. *versu* 193.

> *Interea Megalesiacæ spectacula mappæ,*
> *Idæum solenne colunt, similisque triumpho*
> *Præda caballorum Prætor sedet —*

Nempe Prætor hic, dum triumphantis ritu habituque Circensibus præsideret, magnum se virum putabat, quum reverà esset *caballorum Præda*, h. e. prodigâ illâ impensâ in equis aurigisque alendis, exercendis, producendis comederetur miser, patrimonium exhauriret, interiret &c. V. Joh. Frid. Gronovium *Observationum lib.* 4. *cap.* 14.

Actarius, pro *Actuarius* seu Commentariensis, occurrit in vet. *Inscr.* apud Baronium ad 27. Martii. ACTARIUS LEG. VII.

Actio Missæ, quid sit in Ecclesia Rom. V. infrà *Canon Missæ.*

Actiones Synodorum, à Synodorum sessionibus distinguendæ, cùm in uno interdum consessu plures causæ vel *actiones* explicari soleant. Sic in Synodo quidem Calchedonensi sex primæ sessiones, totidem omnino actiones continent, singulæ singulas. At sessio septima tres actiones complectitur, septimam, octavam & nonam. Octava iterum unicam actionem, nempe decimam. Denique Synodi universæ sessiones, sive ut Liberatus *cap.* 13. vocat, Secretarii, fuere duodecim, *Actiones* verò sexdecim. Sirmondus *ad Facundum Hermian. lib.* 5. ex eodem Liberato, apud Car. du Fresne *Glossar.*

Actius præn. Cajus, ex Romanis civis Atestinus fuisse fertur, circa A. C. 390. Ex cujus posteris Forestum, Aquilegiæ adversùs Attilam defensorem: Acharium, de quo suprà: Marvellum Valentiniani III. Ducem, adversùs Vandalos, Sabinianum Illyrici præfectum, aliosque enumerant, serie continua usque ad Azonem, Guelficæ posterioris lineæ conditorem. Alii verò *Actiam* stirpem in Caji trinepote Bonifacio, & ejus filio Valeriano, qui A. C. 590. prælio Longobardorum in Francos cecidērit, defecisse statuunt, V. Phil. Jac. Spenerum *Sylloge Geneal. Histor. in fam. Guelfica.*

Actor, honestissimo præ reliquis servis loco atque gradu, apud Romanos, fuit, utpote qui in rei dominicæ procuratione primas sibi vindicabat. Rabanus Maurus *de institut. Cleri lib.* 1. *cap.* 10. *Quoniam enim Actor prudens & bonus scit, quid sit domini sui census & omnis substantiæ modus, & redigit apud se totius possessionis instrumenta originalia.* Irenæus *adv. Hær. lib.* 4. *Quis igitur erit fidelis Actor bonus & sapiens, quem præponet dominus supra familiam, ad danda eis cibaria in tempore.* Appulejus *Metam. l.* 8. *Servus quidam, cui cunctam familiæ tutelam dominus permiserat suus* &c. Ejusdem meminit Plautus *Asinar. actu* 2. *sc.* 4.

> *Nam si sciet noster senex, fidem huic non esse habitam,*
> *Succenseat, quoi omnium rerum ipsus summam credidit.*

Hinc familiæ contradistinguitur, apud Columellam, *de re Rust. lib.* 1. *cap.* 7. *Ita fit, ut & Actor & familia peccent.* Et hi videntur fuisse, quos Æl. Donatus *Majores domûs* appellat. Quòd enim apud Terentium Demipho ita Getam alloquitur,

> ——— D. *ob!*
> *Bone custos salve! columen verò familiæ:*

Id ille ita interpretatur, *Columen culmen, an columen Columna? Unde Columella apud veteres dicti servi majores domûs. Lucilius* 22.

> *Servu' neque infidus domino, neque inutilis quoiquam*
> *Lucili, Columella hic situ' Metrophanes.*

Ita enim legendum hoc distichon. Huc que referenda sanctio Theodorici R. apud Papinianum *tit.* 4. qui pretium occisi *Actoris* centum solidis taxavit. Neque aliunde fuit Julii Pauli JC. sententia, existimantis, animadvertendum esse severissimè in eum, qui Actorem corrupisset, ut qui posset rationes dominicas intercidere, vel adulterare, vel etiam rationem sibi commissam turbare. Imò, *ubi servus* qui Actum domini gessisse diceretur, *in commissum ceciderat, non venaebatur; sed pro eo, viri boni arbitratu, æstimatio dabatur, ex rescripto D. D. Severi & Antonini, lib.* 16. *ff. de Publ. & Vectig.* Quod & Justiniano Aug. observatum, §. *Pæna. Instit. de injur.* nec injuria sane, ideoque rectè Juvencus *Histor. Evang. lib.* 3. servos, à Patrefamiliás missos, ad colonos agricolas, ut vineti fructus perciperent, *Actores* interpretatur:

> *Tum longinqua petit, sed fructibus tempore certo*
> *Actores famulos mittit, quis portio salva*
> *Cultorum, certa ruris mercede daretur.*

Quoniam verò unus non omnia poterat, adjutoribus suis non carebat *Actor.* Scævola *l.* 40. *ff. de Statu lib. Item quæro, an ea quæ exacta sunt per adjutores ejus (Actoris) neque Calendario illata sunt, aut fraudulenter acta, huic ascribi possint, cùm esset hic præpositus*; Calendario nempe præponebatur aliquando servus quispiam, ut pecunias domini exigeret crederetque, qui à *Calendario* dictus est. *Actor* verò secundarum in familia, *Dispensator* fuit, sive *Prorogator*, de quo Irenæi locus laudatus intel igendus, V. *suo loco.* Item à *Prumino* dictus; quò & illi pertinent, qui diurna asservabant, *ab Ephemeride* nomen adepti. V. Laur. Pignorium *Comm. de servis.* Reperiuntur *Actores rerum*, *Actores bonorum*, *Actores prædiorum fundorumque*, apud Columellam *lib.* 1. *cap.* 7. & *cap.* 8. Apud Suetonium habemus *Actorem summarum*, qui rationibus dispungendis præerat; illaque observabat, de quibus V. Titum Popmam *lib. de Operis servorum, aliisque.*

Actores Ecclesiæ, dicti propriè, qui res, bona, possessiones & facultates Ecclesiarum administrabant, veluti earundem Oeconomi vel Villici: seu, ut Pithœus in *Comitibus Campaniæ* censet, *Advocati & Defensores Ecclesiarum.* Quâ ratione occurrit vox apud Justinianum in *Nov.* 2. Gregorium M. *lib.* 1. *Epist.* 9. & 53. Marculfum *lib.* 2. *form.* 4. Flodoardum *Histor. Rem. lib.* 2. *cap* 17. 18. Alios, laudatos præfato *Glossarii* Auctori: quem V. etiam de *Actoribus Regis, Fisci Regis, Provinciarum & Villarum.*

Actores Templi, iidem cum Exorcistis, V. *infrà.*

Actuarii, propriè olim appellati, qui annonam à susceptoribus accipiebant, dato pittacio, in quo continebatur, quantum accepissent, eamque dein militibus erogabant, ut du Fresne colligit ex *tit. Codicis* Theodos. *de Erogatione militaris annonæ. l.* 11. 16. 24. 28. & *tit. de Numerariis & Actuariis l.* 3. 5. 10. 14. 15. Erant autem tot *Actuarii*, quot numeri militares, ut docet *lex* 16. *de Erogat. milit. ann.* Meminere eorum Ammianus *lib.* 20. & *lib.* 25. Eutropius, Aur. Victor & Trebellius Pollio in *Victorino*, apud quem Pæanius vocem *Actuarii*, proprium hominis nomen esse putans, Ἀκτουάριον vertit, cùm Γραμματέα τοῦ στρατοῦ debuisset, Casaubonus ad

ad l. V. quoque Schott. Aur. Victorem. Ab hujusmodi autem *Actuario, cujus uxorem stupraverat composita factione Agrippina, percussum esse Victorinum*, tradit Pollio. Pratejo, apud Joh. Calvinum *Lex Jurid. Actuarius*, cujus meminere Impp *in l. Actuarii & l. pen. C. de erog. mil. ann. & l. Actuarios C. de num. & Actuar. Nov.* 108. alibi, Græcis Ὑπομνηματοφύλαξ seu Ὑπομνηματογράφος, est actorum scriptor sive custos, quique ratiocinia pertractat: Quorum quidam ærarii Comitum *l. 3. C. de div. offic.* alii Palatinorum numerorum rationes tractant, *d. l. Actuarii*: alii Præfecti Prætorio: alii Scholæ, de quibus *d. Nov.* 108. &c. *Actuarius verò limes*, apud Agrimensores, dictus est ab *actus* latitudine, qui viam populo dans agrum per jugera discriminabat Nam duo *actus* (ita illis πλέθρον, seu *agri spatium certum*) quadrati (quorum quilibet finitur pedibus 120) jugerum faciebant, cujus eadem erat latitudo cum unius actus longitudine, V. Salmasium *ad Solinum pag.* 677. 678. Hinc *Actuarii pali* Hygino, qui defigebantur inter centenos vicenos pedes, sic dicti ab *actus* longitudine, quæ per 120. pedes porrigebatur, du Fresne *Gloss.*

Actus, V. hic suprà.

Actus Apostolorum, apud Anastasium in *Sylvestro* Pontif. & in *Chron. Besuens.* Liber Canonicus N. Testam. idem cum *Actis Apostolorum*, V. suo loco. Sic apud Thuribium Astoricensem Episc. in libris Apocryphis recensentur *Actus S. Thomæ, Actus S. Andreæ, Actus S. Johannis, quos sacrilego ore Leucius conscripsit.* Car. du Fresne *Glossar.*

Acuanitæ, Hæretici, quorum seductor *Acuas*, Manetis discipulus, cum Manichæis communia habuere deliria, Baronius A. C. 277. *num.* 42.

Acuarii, memorantur Anastasio *Bibl.* in versione Synodi VIII. *act.* 9. Οἷον ἱππιατροὶ, σταβλιτανοὶ, ἱππιατροὶ &c. *Acuarii, stabularii, veterinarii seu Medici equarii*, apud Car. du Fresne *Glossar.*

Acubicula, in *LL.* Francorum Basileæ editis *lib.* 1. *cap.* 75. *Feminæ (in die Dominico) opera textilia non faciant, nec capulent vestitus, nec consuant, vel* acubicula *fiant*: Meursio est ab ἀκουβίλον Gr. de qua voce V. suprà. Sed in mendo hunc locum cubare, advertit Spelmannus ex *Capitulis* Caroli M. *lib.* 1. *cap.* 81 ubi, cùm eadem verba legantur, pro *Acubicula*, extat *Acupictile*; quam genuinam esse lectionem ipsa verba, quæ præcedunt, satis indicant. Contra Legem hanc recentiorum militat consuetudo, inquit Car. Macer, qui tenent, penicillo & acu pingere in die festo non esse prohibitum. V. eum, cum fratre Dominico, in voce *Acupictile*, & Car. du Fresne in *Acubicula.*

Acumetense, seu *Acumitense* Monasterium, V. suprà *Adimitense.*

Acupedes, Latinis vett. dicti sunt, qui Græcis ὀξύποδες, quasi *acutipedes*. Inde *acupedium* Festus interpretatur, *cui præcipuum erat in currendo acumen pedum*. Gloss. *acupedium*, ὀξυποδία. Sic Pindarus ἀκμὰν ποδῶν, i. e. *acumen pedum*, eleganter dixit. Et quidem ὀξυποδεῖν, propriè de fullonibus dictum, dum saltu illo suo fullonio vestimenta condensant. Glossæ. *addensator*, ὀξυποδιστής. Aliæ *Glossæ*. Ὀξυποδία, *acupedum addensatio*. Titinnius *argutari pedibus*, de fullone, quod idem ac ὀξυποδεῖν: Sic *argutarii canes* vel *acutarii* in L. Salica sunt *acupedes*, quos & *vertagros* dicebant. Quia autem fullones, dum vestimenta cogerent & densarent, saltabant, hinc *densare* hodieque Galli dicunt pro *saltare*. Nam & qui saltant, ὀξυποδοῦσι: quam ὀξυποδίαν & micationem argutationemque pedum in saltantibus, Homerus eleganter expressit,

Μαρμαρυγὰς θηεῖτο ποδῶν. ——

Equi quoque ψαλλίζοντες, & tolutim badissantes, ὀξυποδοῦσι & crebris densisque saltibus terram feriunt ac crura altiùs tollendo quasi saltitant. Inde *tricenarii* dicti, quòd gressibus intricatis & minutissimè cribratis incedant: nam crebrâ genuum inflexione & alternis crurum voluminibus, gradu per minutias fracto, incessum suum celeriter impediunt expediuntque; non verò longis & extentis passibus plenoque gradu spatium carpunt, quod cantherii faciunt. Suidas, ἄγειν βαδίζειν ait. Hesychius, ψαλλίζει, ὀξυποδεῖ. V. infrà ubi de *Asturconibus, Tolutariis & Tricenariis equis.*

Acupictile, in *L.* Francorum *lib.* 1. *cap.* 75. emendatâ, uti visum, item apud Anastasium Bibliothec. in *Leone IV.* opus est *acu pictum*: Isidorus *Origin lib.* 19. *cap.* 22. *Acupicta vestis, acu textilis, aut acu ornata. Eadem & Phrygia.* Virgilio *Pictum acu*, Æn. 11.

Pictus acu tunicas ——

Aliàs Grupl. *pictum* &c. Unde *Acupictura*, cujus Artifex Hesychio dicitur Βελονοποικιλτὴς, ὁ τῇ ῥαφίδι ὑφὴ ποιῶν καὶ ζωγραφῶν; quo de artificio pluribus agemus infrà in vocibus, *Babylonicum, Phrygio, Pingendi acu artificium, Plumarii* &c.

Acus, Gr. βελόνη, Bellonæ inventum, ut Hygino placet, matronis in componendis crinibus adhiberi solita est; hinc *crinalis* dicta Apulejo *Milesiar. lib.* 8. Item *discerniculum*, Varroni *lib.* 4. *de L. L.* Nec dirimebat modò illos, ac discernebat, juxta illud Claudiani *Epithal. Hon. & Mariæ*,

Ipsa caput distinguit acu —— ——

Sed & in cirros contorquebat, quò comtiores essent feminæ, pulchrioresque ingenui pueri, aut ipsæ Deorum effigies. Hinc & *acus Magnæ Matris*, inter septem paria, quæ Imperium Rom. tenebant, memorata Servio *ad Æneid. lib.* 7. *vers.* 187. Eadem *calamistrum quoque dicitur, quòd, calefacta in ignito cinere capillos ornet* &c. Porrò picturæ inserviebat seu verius texturæ vestium; Plin. *lib.* 8. *cap* 48. *Pictas vestes jam apud Homerum fuisse, unde triumphales natæ: acu facere id Phryges invenerunt, ideoque Phrygiones appellati sunt.* Inventio itaque in Phrygia, usus in Assyria, & præsertim Babylone; Plin. *ibidem. paulò post, colores diversos picturæ intexere Babylon maximè celebravit.* Unde Βαβυλώνιον περίβλημα, *Babylonicis coloribus variegatam vestem*, hæreditariò obvenisse M. Catoni, refert Plutarchus *in ejus Vita.* &c. V. Thomam Dempsterum *Antiqq. Rom. lib.* 5. *cap.* 35. & hîc infrà.

Acus, in *Ordine* Rom. *Pallio superinduitur & configitur per acus in planeta retrò & ante*; & alibi non semel, ubi de Pallio Pontificis sermo est: item apud Brunonem Signiensem *de Vestim. Episcopalibus, Acus autem non ad pungendum, id est, non propter hujus vitæ compunctionem, ut quidam putant, sed ad planetam palliumque jungendum inventæ sunt. Quædam enim ansulæ antiquitùs in planetis positæ erant, quibus acus inserebantur, & pallium simul cum planeta firmabant, ne à suo loco pallium moveretur: Aciculam* notat seu *spinulam*, Gall. *Espingle*, quâ Pallium Archiepiscopale constringitur seu configitur. Propriè verò *Acus* pars fibulæ dicitur, quâ illa clauditur & adstringitur: Trebell. Pollio *in Claudio, Fibulam auream cum acu Cyprea unam.* Ubi, malè *Cypria* quidam legunt: non n. ab ullo Cypriorum artificio dicta est, sed ab *cypro*, h. e. *ære cyprio*, quod nunc *cuprum* vocamus, V. infrà, in *Acus cyprea*, & *Fibula.* Fortunatus *lib.* 8. *Poëm.* 4.

Chrysolitha auratam fibula claudit acum.

Salmasius ad *l. c. Pollionis* & du Fresne *Glossar* &c. Inter minimas vilissimasque res Menandro, in qua tamen pravâ concupiscentiâ peccari posse agnoscit, tanti habens affectûs voluntatisque sanctitatem, ut ne hujus desiderio delibari voluerit. Unde gravissimum compescendæ libidinis illius præceptum, apud Pfannerum *System. Theol. Gentil. Cap. XI. §.* 27.

— *Μηδὲ βελόνης, ὦ φίλτατε,*
Ἐπιθυμήσῃς ποτ' ἀλλοτρίας.
Neve acum, charissime,
Alterius unquam concupiscas.

Et,

Μηδὲ βελόνης ἅψῃ παρ' ἀλλοτρίας Παμφίλη,
Ὁ γὰρ θεὸς βλέπει σε, πλησίον παρών.
Acum nec ipsam Pamphile attingas velim:
Namque aspicit propinquus hoc semper Deus.

V. quoque Justinum Martyr. *lib. de Monarch.* & Clementem Alexandr. 5. *Strom.* &c.

Acus Crinalis, V. *suprà.* Ea etiam ad suendas coronas adhibita videtur, ex Tertulliano *de Pall. cap.* 4. *Vetus jam hydræ Centaurorumque sanguis in sagittis pumice spiculi excludebatur, insultante luxuria, ut post monstra transfixa coronam forsitan suerent.* Dicit enim hic Auctor, sagittas illas Herculis, figendis monstris olim adsuetas, apud Omphalem suendis corollis fuisse adhibitas, deterso prius sanguine, quo erant infectæ, indigitans, Herculeas illas sagittas apud Omphalem in acus vicem & usum versas esse: Adeoque per *spiculum* intelligit crinalem acum, quæ ex majorum genere erat. Hæ cùm obtusiores essent, acuebantur pumice vel cote, non secus ac graphia: Spiculum autem pro *acu* crinali aut discriminali, etiam apud Marcianum Capellam est:

Crinale spiculum pharetris deprome Cupido
Libens capillum solvere.

Et in Græcis *Epigramm.* pumicem, Gr. κίσηρα, in instrumento τῶν χειρῶν, semel atque iterum reperias. V. Claud. Salmasium *Not. ad Tertullianum loc. cit.*

Acus Cyprea, apud Trebellium Pollion. *fibulam auream cum acu cyprea unam*, in *Vita* Claudii; ita enim habet Codex Palatinus, ut Gruterus testatur, cùm aliàs nullo sensu legatur *Cumacum Cypriam*: non ab ullo Cypriorum artificio dicta est, sed ab *cypro*, h. e. ære cyprio, quod nunc *cuprum* vocamus, nempe æs rubrum; Spartiano in *Pescennio cyprum* dictum. Ita enim in vett. libris, *Nam & ex ære vel cypro cancelli superpositi esse dicuntur.* Inde hoc loco *acus cyprea*; cuius multa apud Marcellum mentio: *Lacertum viridem, quem Græci sauron vocant, capies, per ejus oculos acum cupream cum licio, quàm longo volueris, trajicies.* Idem alibi, *Lacertam viridem excæcatam acu cuprea, in vas vitreum mittes, cum anulis argenteis, ferreis & electrinis.* Item, *ranunculum viridem acu cuprea pungito & sanguine ejus excepto palpebras continge.* Sed & aliis locis apud eundem, & *acus cuprea* & *anuli cuprei* & *vasa cuprea*, memorantur. Salmasius *ad Trebellium.*

Acus Discriminalis, dicta est *quæ capillos mulierum ante frontem dividit*, Non. Qui ornatus *discrimen* dictum Latinis, ut Græcis διάκρισμα & διάκρισις. Et quidem *acu* hac omnes mulieres crinem à fronte dividebant, etiam illæ quæ operosiùs ornabantur; atque hoc discrimine Mulieres à Virginibus distinguebantur: nam Virgines cirratæ erant, & crinem in vertice concumulatum & colligatum gerebant, absque ulla διακρίσει, mulieres cum crinibus erant iisque à fronte divisis. Tertullianus *de Virgin. Simulque se mulieres intellexerunt, vertunt capillum, & acu*

lasciviore comam sibi inferunt, crinibus à fronte divisis, apertam professa mulieritatem. Præter hanc v. acum *Acus Crinalis* erat seu comptoria, *qua ornatorum crinium compago retinebatur, ne laxiùs flueret*, Isidor. De ea Martialis,

Tenuja ne madidi violent bombycina crines,
Figat acus sparsas sustineatque comas.

Nempe illâ omnes annuli comatum in capite jam ornato fixi continebantur, ne fluerent laxiùs. Idem,

Unus de toto peccaverat orbe comarum
Annulus incerta non bene fixus acu &c.

Aliàs nihil prohibet, quin eadem *Acu crinali* ac *discriminali* usi sint, tum ad capillum distinguendum ac à fronte dividendum, tum ad annulos & sertas crinium retinendas. Quòd verò *calamistrum* cum *Acu* crinali idem facit Nonius, assensum non impetrat. Quamvis n. ad torquendos etiam capillos eâ uti potuerint, diversa tamen res fuit & diversi usûs utrumque. Acus namque crinalis aurea erat, distinguendis ac continendis capillis; calamistrum v ferreum, iis ex ferro torquendis ac vibrandis. Quam in rem plura V. apud Salmasium *ad Solinum pag.* 761.

Acus Semiramis, V. in vocibus *Acupictile*, *Babylonicum*, *Plumarii.*

Acûs Foramen, V. infrà, in *Camelus.*

ad *Acuta*, V. infrà *Ad acuta*

Acutarii seu *Arguarii* canes. V. suprà *Acupedes.*

A Cutheis, scriptis *de Gestis Spalatinorum*, usque ad A. C. 1452 *Edit.* à Johanne Lucio *in Hist. Dalmat*: du Fresne in *Nomenclat. Scriptorum med. & inf. ætatis.*

Acuti Cyprii, apud Palladium, clavi sunt ærei: ex Cypro, vel ære Cyprio facti; de quibus V. Claudium Salmasium *ad Solinum pag.* 1078.

Acutiator, in *Gloss. Augustis*, *Samiarius*, *cotiarius*, *acutiator*. Hinc *acutiari*, Gr. ἀκόνεσθαι. Dosiades in βωμῷ nondum edito:

Μαλλὸς ὄνυξι ἀκονᾶ Μαξίων ἀκονᾷ.

V. Salmasium *ad Vopiscum in Aureliano*, & infrà in *Samia testa.*

Acutum, in coloribus, idem cum *claro & excitato*, Græce ὀξὺ ἄνθος & λαμπρόν quum viz. color lumine intensiore & clariore excitatur, quod fit, cùm plus luminis, quam coloris, inditur, Sicut contrà, cùm color nimis oneratur & saturatur, tum fuscior & obscurior, atque adeò tristior evadit. Quod Græci βαθύ, βαρὺ, κατακορὲς &c. Latini *adstrictum, plenum, saturum* &c. vocant. Interdum tamen, quia pleniori ac saturatiori colori etiam accedit lumen intensius ac vegetius, ista discrimina confunduntur. V. infrà *passim.*

A D.

Ad, sæpè locorum nominibus præponitur, ex familiari loquendi formula, quâ nos *ire ac pergere* dicimus *ad quædam loca*: cujusmodi exempla passim proferunt *Itineraria* vett. Antonini & Hierosolymitanum & Peutingeri *Tabulæ*. Ita apud Marcellinum *lib.* 17. Mediolani locus occurrit *ad Innocentes* appellatus: Et Pontes in Pictonibus castrum, *ad Pontes* vocari scribit Anonymus in *Miraculis S. Eutropii Episc. Santonensis n.* 12. Eodem loquendi more recentiores Græcos loqui, ostendit du Fresne *in Descript. S. Sophiæ num.* 18. qui & Dafnense Palatium ad Antiochiam, ἐπιδάφνην dictum, quasi ἐπὶ τὴν Δάφνην, credere jubet. Sic docet Sponius in *Itiner.* Græciæ, Thebas *Stiva*, Constantinopolim *Stimbol* vel *Stanbol*, Lemnum Ins. *Statimeni* Athenas *Setina*, à peregrinis vocari per errorem; cùm incolæ *S' tiva*, *S' timbol*, *S' ti Lemnos*, *S' Athina* quidem pronuntient, cùm iter ad hæc loca indigitant, pro εἰς Τίβα, εἰς τὴν πόλιν, εἰς τὴν Λῆμνον, εἰς Ἀθήνας: aliàs Thebas *Thiva* vocent &c. Adde suprà, si placet, Theosterictum in *Vita* S. Nicetæ Hegumeni *num.* 2.

Ad Acuta, apud Tertullianum *de Pallio cap.* 5. *Si pergam ad acuta utcum, plus toga læsere Remp. quàm lorica*: idem est ac *acutis*. Quasi dicat, si pergam acutis & decretoriis armis totum pugnare, non prolusoriis ac hebetibus Ovidius,

Ponite jam gladios hebetes; pugnetur acutis.

Idem,

Mox ubi prolusit rudibus puer ille sagittis,
Spicula de pharetra promsit acuta sua.

Sic *ad certum pugnare*, eidem Tertulliano *adversùs Marcionem lib.* 3. *His proluserim quasi de primo adhuc & de longinquo: sed hinc jam ad certum & cominus pugnaturus, video aliquas etiam nunc producendas, ad quas dimicandum erit, lineas.* Acuta nempe tela, præpilatis & exercitoriis heic opponuntur. Uti autem *ad acuta* dicitur pro *acutis*; ita *ad plumbatas cædere*, in vet. passione, pro *plumbatis*: & apud Vegetium, *ad fundam lapides jacere, ad cornu infundere, ad harundinem perforare* &c. Salmasius *ad Tertull. l. c.*

Ad Ægros cubiculariorum, qui ægros ex cubiculariis curabat: Idem *ab Ægris* dictus est, Salmasius *ad Jul. Capitolinum in Gordiano tertio.*

Ad Aleam, ad tabulam, ad latrunculos ludere, dixêre recentiores, pro *aleâ ludere*, *tesseris*, *latrunculis*: Flav. Vopiscus in *Proculo. Nam cùm in quodam convivio ad latrunculos luderetur.* Sic *ad Judices ludere*, apud Spartianum in *Severo*, *Nullum alium inter pueros ludum nisi ad Judices exercuit.* Sic *ludere ad tabulam*, dixit Paulus Diaconus *de gestis Langobardorum lib.* 1. *cap.* 20. *Horum itaque viribus Rex indubitanter fidens, dum ipse securus ad tabulam luderet.* Ubi *ad tabulam ludere* est quod Græci recentiores dixere τάβλιζειν, &c. Salmasius *ad Vopiscum.* V. eundem *ad Lampridium in Heliogab.*

Ad Digitum pugnare, pro *digitis pugnare*, dixere Vett. quod uno verbo, *micare*. Quintilianus *lib.* 8. *cap.* 5. *Contra eandem sororem gladiatoris, cujus modò feci mentionem*, ad digitum *pugnavi.* Ita in vetustissimo & optimo codice Bongarsii legit Salmasius, cùm vulgò edatur; *At digito pugnavi.* Incertus auctor vet. Epigrammatis, *ad digitum concurrere* dixit,

Lex erat ad digitum positâ concurrere palmâ.

Quem versum de micatione idem accipiendum judicat. *Decernere digitis*, apud Calpurnium *Eclog.* 2.

Et nunc alternos magis ut distinguere cantus
Possitis, ter quisque manus jactate micantes;
Nec mora, decernunt digitis.

Igitur *ad digitum pugnare*, & *digitis pugnare*, idem; ut *ad manum saltare* & *manibus saltare*, quod est χειρονομεῖν, *gesticulari*, Pantomimorum proprium: *ad tibias canere* pro *tibiis canere*. Lampridius in *Heliogabalo*, *Ipse cantavit, saltavit, ad tibias dixit*, &c. Salmasius *ad Fl. Vopiscum in Carino.*

Ad Fiblas seu à *Fiblis*, V. infrà in *Fibula.*

Ad Fistulam dicere, Appul. *lib.* 6. item *ad tibiam*, apud Æl. Lampridium *Heliogab. Ipse cantavit, saltavit, ad tibias dixit.* &c. est fistulâ canere, & tibiis. Gr. πρὸς αὐλὸν φθέγγεσθαι, & αὐλῷ φθέγγεσθαι, &c. Salmasius *ad l.*

Ad Fratre suo, pro *ad fratrem suum*, apud Jul. Capitolinum in *Vero.* V. Salmasium ibi, & *ad Æl. Lampridium in Heliog.*

Ad Judices ludere, puerile ludi genus, apud Spartianum in *Sever.* V. infrà *Judices.*

Ad Manum saltare, χειρονομεῖν, Pantomimorum fuit, V. in hac voce.

Ad Mauros, pro *Præfecto Maurorum*, apud Jul. Capitolinum *in Gordiano tert.* ubi sic legit Salmasius, *Quid facerem, quòd ad Mauros me venderet & consiliis cum Gaudiano & Reverendo & Montano habito, vel laudaret aliquos, vel vituperaret.* Nam *Præfectus à Mauris*, & *Præfectus ad Mauros* & *Præfectus Maurorum*, dicebatur: Sicut *Procurator à rationibus ad rationes & rationum: Præpositus à fiblis, ad fiblas & fiblarum* &c. Videtur autem hic *ad Mauros*, vel Præfectus Maurorum, multum in aula potuisse, sub puero Gordiano, eo tempore, quo mater ejus & Imperium & Imperatorem ipsum regebat, Salmasius *ad l.*

Ad Memoriam dictare, apud Flav. Vopiscum in *Caro*, *Junius Calphurnius qui* ad memoriam *dictabat, talem ad Præfectum Urbis super morte Cari epistolam dedit*: dicebatur, qui memoriæ dictator erat, & ὑπαγορεύων τῆς μνήμης Græcis dicebatur. *Parere ad memoriam*, dixit Spartianus, V. infrà in *Parere*. Sic *procurare ad alimenta & procurare ad vicesimam*, dicebatur qui alimentorum erat Procurator, & vicesimam procurabat &c. Salmasius *ad Vopiscum.* V. quoque infrà in *Memoria* & *Scrinium.*

Ad Pedes, à *Pedibus* & *circumpedes*, servi pedisequi sunt; sicut *anteambulones* & *antepedes*, dicti amici, obsequium facientes. Sed & cursores sic appellatos reperimus: Inter servos enim erant olim ad hoc ministerium deputati, quorum mentio frequens apud Scriptores *Histor. Aug.* aliosque passim. Sic Severus nunquam nisi servis suis cursoribus usus legitur: inter aulici quoque ministerii obsequia cursores fuisse, sub posterioribus Imperatoribus, discimus ex Corippo,

—— —— Jamque ordine certo
Turba decanorum, cursorum, in rebus agentûm.

Hinc mentio *L.* 10. *Cod. de div. offic. Decaniorum partis Augustæ, cursorum partis Augustæ*: ubi magnus Cujacius cursores interpretatur veredarios. Sed cursores pedibus omnino obsequium præstabant & mandata perferebant; Unde & *Extropedes* quoque vulgò dicti. *Glossæ, Extrapes*, ταχυδρόμος, δρομεὺς ἢ κούρσωρ: At veredarii in equis currebant, suntque quos hodie *Currerios* Galli vocant. Cursores hodieque habentur in comitatu ac ministerio Principum, quos iidem vulgò *Valets de pied*, h. e. Servos *à pedibus*, vocant. Claudius Salmasius *ad Lampridium in Alexandro Severo.*

Ad Responsum, dicti olim οἱ τῶν ἀποκρίσεων μνημονεῖ, quas πρόσωπα qui faciebant, erant Secretarii, vel à Secretis. Hinc qui Vopisco in *Divo Aureliano* dicitur *Notarius Secretorum*, is Zosimo vocatur τῶν ἔξωθεν φερομένων ἀποκρίσεων μνημονεύς: id quod erat propriè munus Secretariorum. Locus autem, ubi Princeps τὰς ἔξωθεν φερομένας ἀποκρίσεις audiebat, Ἀποκρισιάριον vocabatur, uti discimus ex Cedreno. Iidem *Apocrisiarii*, item *Referendarii* quoque appellati sunt: nam μήνυσις & ἀναφορὰ & notaria res eadem. Græci recentiores Ῥεφερενδαρίους eos vocarunt: atque ita rectè apud Suidam Ῥεφερενδάριος ἀξίωμα Ῥωμαϊκὸν, ἤγουν ὁ ἀναφορεὺς; ubi Ῥεφερενδάριος est, pro Ῥεφερενδάριος, quo modo vocem hanc scriptam se legisse, in vetustissimo codice Epigrammatum Græcorum, ait Salmasius, *Not. ad Flavium Vopiscum l. c.* &c.

Ada, Plinio *lib.* 3. *cap.* 19. *Addua*, Straboni *Adua*, aliis *Adda*, fluvius.

fluvius est Italiæ, qui in jugis Rhæticis seu Braulio monte ortus, inde Occasum recto tramite petit, ac Larium lacum ad latus ingreditur. V. Stumpf. *lib.* 10. *de Rhætis cap.* 7. & suprà in voce *Abdua*.

Adad, seu *David*, Rex Æthiopum Axumitarum, ad fidem Christi conversus est, principatu Justiniani I. Imp. à quo tempore Æthiopia illa inter medios barbarus religionem Christianam, sed innumeris deformatam erroribus, retinuit. Georg. Hornius *Orb. Imp.*

Aderatio, ἐξαργυρισμὸς, ab *aderare*, pretium addicere, ære æstimare, ad æris pretium redigere, Gr. ἐξαργυρίζεσθαι, item ἀπαργυρίζειν. Glossæ, *Aderat*, ἐξαργυρίζεται, ἀποχαλκίζει: illis enim χαλκὸς etiam pro argento sumitur. Unde ἄχαλκοι pauperes ac malè nummati; & ἀχαλκεῖν, nummorum penuriâ laborare. In Epigramm.

——— Εἴ γε ἀχαλκῶ,
Μικρὰ παιδεύω, ὅσσα τε χιλιάδων &c.

Est igitur *aderatio*, taxatio & æstimatio rei. *Glossæ* præf. *æstimatum*, τὸ σύνοψιν, ἤτοι ἐξαργυρισμὸν. ἤτοι διατίμησιν: ubi notandum, σύνοψιν ita Græcè dici, ut *conspectum* dixit A. Gellius *lib.* 19. cap. 10. *Ostendebatque depictas in membranulis varias species balnearum, ex quibus cùm elegisset unam formam speciemque interrogavit quantum esset pecuniæ conspectum ad totum opus absolvendum*. Pecuniæ nempe *conspectus est* διατίμησις & summa pecuniæ, ad eatum balnearum absolutionem: Glossæ. σύνοψις, *taxatio*. Salmasius *ad Treb. Pollionem in Claudio*. Hinc *Aderata annona*, *l.* 31. *Cod. de Erogat. milit. annonæ*, cùm sc. annonæ in ære persolvuntur, &c. V. quoque Casaubonum *ad Theophrasti Charact. pag.* 332. & Jac. Gothofredum *ad l.* 28. *Cod. cit.*

Adalingi, seu *Adelingi*, V. infrà: aut *Ethelingi* seu *Edlingi*, vox Saxonica, Nobiles denotat & natalium splendore illustres, in *Gloss.* Keronis, L. Angliorum & Werinorum *tit.* 1. 3. 4. 5. ubi trifariam hominum conditionem apud Saxones distributam observare est, in *Adalingos* seu Nobiles, Liberos & Servos; quod Nithardus confirmat *lib.* 4. Ex *Athel*, seu *Ethel*, nobilis; à qua voce sine dubio Anglosaxonica illa, *Ethelredus*, *Athelstanus*, *Ethelbaldus*, *Ethelulfus*, *Ethelstanus*, Regum Anglosaxonum familiaria nomina, ortum cepere. Ab hac igitur originatione dictos putant *Adelingos*, Regum præsertim filios & hæredes, qui ipsis successuri erant. uti discimus ex LL. Eduardi *cap.* 35 *Rex verò Edwardus Edgarum filium secum retinuit, & pro suo nutrivit: & quia cogitabat hæredem eum facere, nominavit*, Adeling, *quem nos dicimus Domicellum. Sed nos indiscretè de pluribus dicimus; quia Baronum filios vocamus Domicellos, Angli verò nullum, nisi natos Regum*. In LL. Hœli Boni, *Urchrichiad*, i. *Edling, qui post Regem habet succedere* &c. Sic apud Simeonem Dunelm *de Gestis Angl. A. C.* 866. *Elfredus, id est, Clito Adeling*. Apud Henricum Huntindon. *lib.* 5. *Beorfight filius Brithnodi Adeling*. Et *lib.* 6. *Quidam Anglorum Eadgar* Adeling *promovere volebant in Regem* &c. Hinc *Aedlingaege* Insula, id est, *Nobilium Insula*, dicta est, apud Roger. Hovedenum A.C. 887. & in *Charta* Alfrici Regis in *Monastico* Angl *Tom. I. pag.* 103. *Ad Insulam Clitonum, quæ Anglicè usitato nomine Aedlingaeg nuncupatur*: unde *Clitones & Adelingos* synonyma esse colligitur. Car. du Fresne *Glossar.* qui & hanc in rem laudat Orderic. Vitalem *lib.* 12 *p.* 855. 869.

Adam, nomen primi hominis, adde: Eum horâ sextâ vespertinâ, conditum fuisse, Origenes meditatur *tract.* 35. *in Matth.* quam opinionem sequitur Theophylactus *in Matth.* & alii, qui eadem horâ Christum, *alterum Adam*, cruci affixum fuisse, opinantur: unde Theophylactus, *Quâ igitur horâ Deus hominem condidit, eâdem & lapsum curavit*. Et Cyrillus Hierosolymit. *Quo tempore eversio fuit, eodem rursus facta est reparatio*, Catech. 14. Atq; hac horâ (quæ una ex septem horis Canonicis est in Ecclesia Rom.) ab antiquis Patribus magis fervidas preces fundi consuevisse, tradit Domin. Macer in *Hierolex.* in *Hora Canonica*. Feriâ seu die hebdomadis sextâ eundem lapsum esse, quâ Christus lapsum morte suâ reparavit, asserit idem, atq; propterea in qualibet feria sexta quadragesimali institutum esse a Pio V. ut Psalmi Pœnitentiales recitarentur, addit: qua de sententia vide judicium Caroli fratris ejus, in voce *Psalmus*. Sepultum fuisse in monte Golgotha, ubi Dominus noster crucifixus est, Augustinus habet *Serm.* 71. *de Temp. Et dignum erat, fratres, ut sanguis ille pretiosus etiam corporaliter pulverem antiqui peccatoris, dum dignatur stillando contingere, redemisse videatur*. Hieronymus verò Adamum in civit. Hebron tumulatum esse, statuit: V. eosdem Macros in *Golgotha*. In memoriam lapsus ejus & hinc ortæ corruptionis, quæ totum genus humanum pervagatur, *Cinerum diem* in eadem Communione celebrari, refert Rupertus *de divin. offic. lib.* 4. *cap.* 10. Inprimis verò Halberstadiensium in Saxonia festivitatis hujus ritus is memorabilis, quem Æn. Sylvius in *Europ.* suâ hoc modo memorat *cap.* 2. *Inquirebant*, inquit, *in hac die scelestiorem civium, quem lugubribus indumentis vestiebant, ac capite velato in Ecclesiam conducebant, utique, peractis divinis officiis, illum expellebant. Hic per totum Quadragesimæ tempus nudis pedibus in civitate perambulabat omnesque Ecclesias visitando, minimè ingrediendo nec cum ullo unquam loquebatur; erat tamen alternatim ad mensam inter Canonicos invitatus; dormiebat post mediam noctem, tandem postea ab omnibus peccatis & enormitatibus commissis absolvebatur & deinceps* Adam *appellabatur*, &c. V. eosdem Auctores in voce *Cinerum dies*. Plura de hoc generis humani Auctore ac Capite, statu ejus utroque aliisque huc pertinentibus, V. inprimis apud Francisc. Burmannum *Synops. Theol. Christ. Part. I. lib.* 2. *loc.* 8. *capp.* 1. *& seqq.*

Adamantis fragmentis, auro inclusis, sculpi alias gemmas, Plinius auctor est: hodie *Adamante* in minutissimum pulverem contrito cæteras gemmas poliunt Gemmarii. Sed & *Adamas* à duritie, sicut ipsum ferrum, ob eandem rationem, lapis ille Cyprius dictus est, quo adamantes ipsos ac reliquas gemmas scalpi, sic ut quæ ferro resistunt, hujus scalpturæ cedere cogantur, scribit Solinus *cap.* 52. Imò nec scalpebantur solùm hoc lapide gemmæ, signaculis faciendis, sed & perforabantur, ut filo ad monilia inseri & collo suspendi possent &c. V. Salmasium *ad Solinum pag.* 1101. & infrà ubi *de Cotibus Armeniis ac Cypriis*.

Adamantius, Præfectus Urbi: quidam legunt *Amantius*. V. epigraphen *l.* 12. *& text. in l.* 13. *C. de ædif. priv.* Joh. Calvinus *Lexic. Jurid.* Item cognomentum Origenis, de quo sic Photius *Biblioth. Origenem Adamantium cognominatum ex eo tradunt, quòd rationes, quas collegerat, adamantinis quibusdam quasi vinculis non absimiles viderentur*. Unde sumtâ occasione, aliqui Scriptores, ut Augustinus, Sophronius Episc. Hierosolym. & Epiphanius, duos fuisse Origenes crediderunt: qua de re V. Macrum in *Hierolexico*.

Adamas, Græcè Ἀδάμας, de variis dicitur. De ferro, & lapide Cyprio, uti vidimus; de auri nodo ac flore seu spuma: De lapide galactite, quo Magi olim vel Deos evocabant, vel Manes eliciebant; item quo Deorum mentem inflectebant & pacatam hominibus eorumque sacrificiis reddebant: quem proin ἀνανχίτην & ἀδάμαντα appellatum Orpheus scribit:

Τὸν μὲν παλαιγενέες μὲν ἀνανχίτην ἀδάμαντα
Κλεῖον, ὅτι γναμπτὴν μακάρων νόον, ὄφρ' ἐθέλοιεν
Λίσσομένοις ἱερῇσιν ἐπιχθονίων ἐλεαίρειν.
Quem veteres quidem anancitem adamantem
Vocabant, quoniam inflectit Beatorum mentem, ut sacrificia
Aspicientes velint terrigenarum misereri.

De herba quadam summæ in Vett. itidem Magiâ efficaciæ, ut qui admotâ, Leones hiatu laxo resupinari, scribit Plinius *lib.* 24. *cap.* 18. quæ hanc ob causam *adamantis* dicta. De gemma imprimis principe, quam non inter gemmas solùm, sed etiam in rebus humanis, maximum pretium habere scribit Plinius *lib.* 37. *cap.* 4. proximum margaritis, tertium smaragdis locum tribuens. Alios tamen primas margaritis, secundas *adamantibus*, tertias smaragdis, opalis, carbunculis, topaziis, concedere, notat Salmasius *ad Solinum, pag.* 239. Ejus eximium ac præstantissimum genus in crystallo, secundum & illi proximum in auro nasci, dicitur Solino ubi suprà: Sed fallitur, Plinium non satis assequutus, qui cùm scripsisset, optimum genus adamantis in auri metallis nasci, mentionem subjicit Indici, *non in auro nascentis, sed quadam crystalli cognatione*. Ubi non crystallum matricem adamantis, sed nascendi saltem modo & facie crystallo similem esse Indicum hunc adamantem, docet; namque & inter cautes nascitur & colore translucido & laterum sexangulo nitore in mucronem turbinatus est, ut crystallus. Aliàs toto orbe divisis regionibus nascuntur & temperaturâ in totum diversis. Crystallus in rigentibus locis, glacie multis annis duratâ firmatur; *Adamas* calidis regionibus, & intra biennii spatium, quod mirabile est, perficitur. In India, quæ *Adamantum patria est*, crystallus non invenitur: In Scythia contrà Crystallum ferente, nullus Adamas &c. Sed nec in aurifodinis reperiri adamantis, ullus Vett. meminit; & Diodorus qui *libro* 3. multis exponit rationem fodiendi auri & lavandi & molendi, & coquendi, quæ in χρυσωρυχείοις Ægyptiis vigebat, ad confinia Arabiæ & Æthiopiæ, adamantem, in illis auri metallis inveniri, nullo verbo prodidit. V. quæ de his habet Tavernier *in suo Itiner. Indiæ*. Hodie Indi magni faciunt Adamantes de *Rupe veteri* cognominatos, præcipuè quos Natura perfecit, nullâ arte politos: *Naifes*, q. *Nativos* iis dictos: quis n. ambigere queat, quin ex Latino dictio illa descenderit. V. quæ de gemmarum hac nobilissima Salmasius habet *ad Solinum passim*, ubi *Adamantes Indicos* invictos esse igni, hinc ἀνικήτους Diodoro appellatos, at durissimum hunc lapidem in minutissimum conteri pulverem, addit.

Adamus Wenceslaus, Dux Teschinensis, patri Wenceslao *Adamo* A. C. 1569. successit. Hic in aulâ Christiani I. Elect. Saxon. educatus, postea in bello Turcico strenuè se gessit, & A. C. 1617. supremus Silesiæ Capitaneus constitutus atque seq. anno mortuus est; postquam ad Rom. communionem transiisset: in qua etiam, qui ei ex Elisabetha Curlandica natus est, Fridericus Wilhelmus adolevit, qui nostrâ memoriâ morte sua totam Micislai, Superioris Silesiæ Ducum satoris, lineam terminavit, Speneras *Sylloge Geneal. Histor.*

Adani Inf. Ptolemæo νῆσος Ἀδάνου, hinc *Adan* absolutè apud Plinium, & ex eo Solinum *cap.* 56. *Ab Indica promontoria ad Malichu Insulam afformat esse quindecies centena millia passuum: à Malichu ad Scenum, ducenta viginti quinque millia, inde ad Inf.* Adan, *centum quinquaginta millia* &c. Ex Græco Ἀδανὸς vel Ἀδανὶς. Hesychius, Ἀδανὶς ἀστεροειδὴς Ἀδανὰ ὡς νῆσον ἀγαθὰ. unde nomen proprium Ἀδανος, qui fortè primus hanc Inf. detexit. Plerisque enim illis Insulis Arabici sinus & Rubri maris nomina imposita sunt ab Alexandrinis Mercatoribus, qui in Indiam navigabant; aut à gubernatoribus vel etiam ducibus, quos mittebant Ptolemæi Reges, ad ea maria exploranda & navigationem Indicam periclitandam. Unde pleræque earum ab iis cognominatæ sunt, qui primi eas detexerunt, aut navem ad eas adpulerunt vel in eas descenderunt. V. Salmasium *ad Solinum pag.* 1165.

Adcrescentes, in *l.* 11. *Cod. Theodos. de Re milit.* & *l.* 6. *et* 7. *de Tyron.* & *l. un. de Classic.* dicti potissimùm milites χραδάζοντες, seu, qui non militabant, sed, militaribus numeris adscripti, in locum legitimorum militum amissorum subrogabantur, ut ita numerus si quando esset imminutus, repararetur: ad quarum *LL.* illustrationem adhibendus omnino Auctor vetus subditus *Notitiæ* Imperii *cap.* 5. *Supplementa* appellantur *in l.* 9. *Cod. Theodos. de Tyron. l.* 3. *de Tabular.* & apud Ammianum *lib.* 21. Gall. *les Recrues*, milites sc. qui in locum amissorum adcrescunt. Adde *l.* 7. *Cod. Theod. de Censu*, du Fresne *Gloss.*

Addanis, Marciano fluv. Carmaniæ [illegible], quem Ptolemæus Ἀδάνον, Arrianus *in Indicis* Ἀναμιν vocat, καὶ πλώσαντες σταδίους ἑκατὸν ὁρμίζονται πρὸς τὸν ποταμὸν Ἄναμιν. ὁ δὲ χῶρος Ἁρμόζεια ἐκαλέετο. *Et navigantes stadia centum, appellunt ad fluvium Anamin: regio autem Armozea dicebatur.* V. Salmasium *ad Solinum p.* 11. 70.

Addensator, ἐξωποδιστής, *Gloss.* id est, *fullo.* Aliæ *Gloss.* ἐξωποδίω, *acupedium* (qua de voce V. *suprà*) *addensatio.* Ὀξυποδεῖν namque seu *argutari pedibus*, propriè de fullonibus dictum, dum saltu illo suo fullonio vestimenta condensant. Titinnius de fullone, *Terra hæc est, non aqua, ubi tu solitus argutari pedibus, cretam dum compescis vestimentaque lavas.* Quia autem illi, dum vestimenta cogerent & densarent, saltabant, hinc *densare* hodieque Galli dicunt, pro saltare; illorum enim *danser* est à Latino *densare* &c. Salmasius *ad Jul. Capitolinum in Maximinis.*

Addere Circenses, apud Æl. Lampridium in *Commodo*, *Circenses multos* addidit, *ex libidine potiùs, quàm religione & ut dominos factionum ditaret:* Ubi minus rectè in membranis, *edidit.* Contrà eædem *in Antonino Pio*, *Circenses additi*, non ut vulgò *editi*; est vel dies ejus *ludi*, seu *spectaculi*, multiplicare, vel bigarum adjectione & missuum multitudine, seu multiplicatione spectaculum protrahere, quod interdum fieri consuevisse vel Suetonii unius varii loci declarant. Addam unum ex ejus *Nerone: Neq; dissimulabat velle se palmarum numerum ampliare: quare spectaculum multiplicatis missibus, in serum protrahebatur, ne dominis quidem jam factionum dignantibus, nisi ad totius diei cursum greges ducere.* Casaubonus *ad Lampridium.*

Addextratores V. infrà *Adextratores.*

Adäirdaga, vox Syriaca, *piscem magnificum* denotans; unde *Atargatis*, quæ aliàs *Derceto*, & sub piscis specie colebatur. V. Salmasium *ad Sol. p.* 574.

Principes Viri.

Adelbertus, ultimus Italiæ Rex, ab Ottone I. Imp. captus ac in Bavariam relegatus est; quo facto Italia Imperio German. est subjecta A. C. 969. Hornius *Orb. Imper.*

Adelbertus, Dux Alsatiæ, filius Ethiconis seu Athici, (qui Ducatum hunc, à Theodorico R. nactus, Ehenhemii habitavit) fundator fuit templi, quod B. Stephano Argentinæ dicatum: Pater Eberhardi, fundatoris Monasterii Murbacensis A. C. 724. Luitfridi, qui Comites Neckergavios & Suntgavios profecit, ac Masonis. Fratrem habuit Ethonem seu Hettonem, à quo Austriaca familia orta. V. Phil. Jac. Spenerum *in Fam. Austr.* & infrà in voce *Albertus.*

Adelfatum, Ἀδελφᾶτον Græcis recentioribus, congregatio est & confraternitas, ab Ἀδελφὸς, *frater. Ii enim omnes etiam fruentur rursus iis, quæ sibi adsunt, præfecturis & œconomiis & ministeriis, ac muneribus & officiis, quæ illis adsunt, quæ dicuntur Adelphata*, Balsamon *can.* 17. *in Trull.* ubi alia vocis notio. In donatione *MS.* facta Monasterio Casinensi à Tertullo, ubi fit mentio fratris ejus Faustini, legitur: *Unà cum Faustino nostro exadelpho charissimo*, apud Dom. Macrum *in Hierolexico.* In *Vita MS.* Magnobodi Episc. Andegav. *cap.* 26. *Adelphi* dicuntur Monachi, *Fratres*, Gr. ἀδελφοί. V. Meursium in Ἀδελφᾶτον, citatum Carolo du Fresne *Glossar.*

Adelingus, à Saxon. *Ædel*, vel *Ædelan*, id est, *nobilis*, egregius: Anglosaxonibus olim usurpatum pro Regia Sobole, & Regum successore, quem Galli *Domicellum* vocabant, apud Marculfum: Scriptores Latini ejus ætatis *clitonem:* Britanni *urchriphiad* &c. Ex Canuti tamen Legum veteri Interprete, & Lambardo recentiore, etiam Regni Magnates, præsertim Comites & illustriores: imò ex Nithardo *lib.* 4. omnem Saxonicam Nobilitatem, sub *Adelingorum* appellatione censitam olim, colligit Spelmannus *Glossar. Archaeol.* quod nec dum apud Germanos antiquatum. Est autem *Ling*, Saxonica paragoge, pro filio vel juniore: unde *Eadmunling*, filius Eadmundi, *Salingi*, *Harlingi*, *Carlingi*, à Sala, Harleo, Carolo, profecti: *Nordalingi*, (ita Normanni dicti sunt) quasi filii Aquilonis: hodie ab Anglis Dani *Easterlingi*, quasi *Orientis Soboles*, appellantur, Idem. V. quoque suprà *Adalingi.*

Adelphii, adde: Item *Euchitæ & Precatores*; Iidem etiam *Adelphiani* quibusdam.

Adempram, vel *Adempriuum*, Cæsari Nostradamo in *Histor. Provinc. pag.* 398. jus quoddam fuit, à Comitibus Provinciæ subditis suis impositum, ad expensas faciendas, pro maritandis seu nuptum collocandis filiabus, pro expeditionibus Hierosolymitanis obeundis & pro terris acquirendis: quo casu eadem esset vis vocabuli, ac *Auxilii*, de quo infrà. Sed non solius Provinciæ terminis circumscriptam hanc vocem esse, cùm in Occitania, atque adeò in Hispania etiam, *Adempra* nota fuerint, sumique ut plurimum pro qualibet præstatione, docet du Fresne. Origo vocis, ab *adimendo seu ademptis* rebus, accersitur Dion. Salvaingo in *Tract. de Jurib. domin. cap.* 40. Et certè legitur in *Charta* Wilhelmi R. Rom. A. C. 1252. in *Probat. Histor.* Sabaud. *Nec non adempta, quæstus, tallias, alias exactiones consuetas* &c. Ita *ademptio* in vet. *Charta*, apud Columbum *in Episcopis Sistaricensibus lib.* 3. *num.* 13. idem sonat, quod *tolta*, apud præfatum du Fresne *Glossar.*

Adeps, Judæis olim interdictus, utpote res Deo sacra ac devota. Levitici *cap.* 3. *vers.* 16. *Omnis adeps Domini erit.* Et *versu* 17. *Nullum omnino* adipem, *nec sanguinem comedetis.* Et Levit. *cap.* 7. *vers.* 23. *Non comedetis ullum* adipem *bovis, aut ovis aut capræ.* Et *vers.* 25. *Quisquis comederit adipem ex iis pecudibus, ex quibus offertur, quod igne absumendum est, è populis suis exscindetur ille, qui comederit.* Proinde Heli Sacerdotis filiis objicitur, ut grave crimen, quòd victimarum carnes rapiebant, antequam *adipem* adolevissent, 1. *Sam. cap.* 2. *vers.* 14. 15. &c. Et quidem, in holocaustis tota victima igne absumebatur, in pacificis & peccatis viscera solùm & *adeps*, quod etiam in Agno Paschali obtinebat, ut alia omittam. Interim circa legem hanc observant Magistri, 1. ejus violatæ reum esse, non qui per errorem, sed qui per superbiam, comederit, idque כזית *quantum oliva crassa est.* 2. Non omnem omnino *adipem* probiberi, sed solùm bovis, ovis & capræ, quæ tria animalia Deo offerebantur. Levit. *cap.* 7. *vers.* 23. 25. 3. Prohiberi sub pœna mortis *adipem*, quo teguntur exta, renes & ilia, quem adoleri jubet Deus Levit. *cap.* 3. *vers.* 9. 10. Unde analogicâ ratione concludunt, eum adipem prohiberi, qui carnem ambit, non qui in media carne latet, &c. Quæ, ut & hujus generis alia, habentur apud Maimonidem *tr. de vetitis cibis cap.* 7. §. 1, 5, 8. &c. Duplex autem apud Hebræos *Adipi* nomen, vulgare חלב *cheleb*, & minùs aliàs obvium פדר *peder*, quod occurrit Levit. *cap.* 1. *vers.* 8, 12. & *cap.* 8. *vers.* 20. ubi de bove, hædo & agno, seu ariete, res est. E quibus posterius hoc, non simpliciter *adipem* notat, sed *adipem à carne sejunctum*, à verbo פרד *parad*, quod *separare* est, per metathesin, Levit. *cap.* 3. *vers.* 9. & *cap.* 4. *vers.* 35. ut in unum collectus & in ignem conjectus alat flammam, quâ victimæ reliquæ partes citiùs & faciliùs absumantur. Qua ipsa de causa, ut post Talmudicos observant Selomo & Kimchius, in victimæ capite, cùm in ignem conjiciebatur, *adeps tegebat locum decollationis*, qui alioqui tabo & sanguine diffluens potuisset flammam extinguere: cujus ritûs vestigia sunt Exodi *cap.* 29. *vers.* 17. ubi viscera capiti & membris, & Levitici *cap.* 19. *vers.* 20. ubi *adipes* victimæ pectori superponuntur. Ut Græci, Jovi facientes sacra, apud Homerum, *Iliad.* β. *vers.* 423.

Μηρούς τ' ἐξέταμον, κατά τε κνίσῃ ἐκάλυψαν.
Femora inciderunt & adipe cooperuerunt, &c.

Gentiles verò ab *adipis* esu non abstinuisse, discimus ex eodem Poëta *Il.* χ. ubi, ut Astyanactem molliter vixisse doceat, dum pater ejus Hector in vivis fuit, ait:

Μυελὸν οἶον ἔδεσκε καὶ οἰῶν πίονα δημόν,
Solùm adipe agnino vixit, pinguique medullâ.

V. Sam. Bochartum *Hierozoici Part. prior. lib.* II. *cap.* 45. Ad usum luminum & condiendos cibos adhibitum recentiori ævo *adipem*, discimus ex *Descrips.* bonorum Monasterii Sanctimonialium Deiparæ Suession. A. C. 858. *Adipis modii* 100. *ad diversa Monasterii luminaria & ad condiendos cibos Sanctimonialium vel super venientium hospitum.* Et *Charta Carol.* C. pro Monasterio Sangermanensi, *Et pro modiis viginti adipis.* A quo tamen abstinentiam certo tempore, imperant *Statuta* Cluniacensia Petri Venerabilis *cap.* 15. *Statutum est, ut omni die Adventus Domini, exceptâ primâ Dominicâ* ab adipe, *qui in* 12 *lectionum festis usu esse solebat, omnes abstineant.* Et quidem de *adipe* seu sevo in conficiendis candelis suâ ætate adhibito, testatur etiam Augustinus *de Morib. Manich lib.* 2. *Quid de* adipe *respondebitis qui prope omnes Italas lucernas illuminat?* apud Car. du Fresne *Glossar.*

Adextratores, Cencio Camerar. in *Ceremoniali MS.* dicuntur, Papalis mitræ delatores, quia ipsi ad Papæ *dextram* incedebant, quando equitabat ad Ecclesiam aliquam visitandam, Dominic. Macer in *Hierolex.* Meliùs *Addextratores*; namque *addextrare* vel ad-

addextrare, apud elterioris ævi Scriptores, tegere latus dextrum, ad dextram cujuspiam stare, incedere, considere est. Baldricus in *Chronico* Camerac. *lib.* 3. *cap.* 58. *Eam* (Imperatricem) *in processionem Dominus Episcopus addextravit.* Clemens IV. Pontif. Rom. apud Odoricum Raynaldum A. C. 1311. *num.* 11. *Cùm ipsi Pontifex equum ascenderit, teneat stapedium sellæ ejus, & arrepto fræno aliquantulum ipsum addextret.* Sic *Sponsam addextrare*, habet Bernardus *Serm. in Cantic.* 77. *num.* 1. hodieque *Addextrare* Florentini dicunt, pro *andar à la staffa de Prencipi*, id est, Principi ad equum inservire, Car. du Fresne in voce *Addexterare.*

Adgeniculandi Confessoribus ritus, apud Tertullianum occurrit *de Pœnit. cap.* 9. *Presbyteris advolvi, charis Dei adgeniculari*; ubi de iis, qui publicam pœnitentiam agebant, sermo est, quique ad Ecclesiæ fores, ad Sacerdotum pedes sese prosternebant; item ad Confessorum, qui, in tormentis quoque fidem confessi, tanquam Martyres habebantur. Hos enim per *Charos Dei* intelligi docet Cyprianus *Epist. ad Demetr. Deo charos domo privas.* Sic prostrationis Epiphanio à populo exhibitæ, meminit Hieronymus; *Pedes deosculans & fimbriam vellens, Epist. ad Pammachium* &c. Quæ eadem reverentia hodieque in Ecclesia Rom. à Patribus vocalibus Dominici, quem sui pro Sancto habent, religiosè observatur: *Statim enim ac electus est eorum Generalis, dum suam possessionem capit in sessione sui stalli ad Chorum; omnes pedes ejus osculantur*, Macer *Hierolex.* Sed de hac re infrà pluribus agetur in vocibus, *Genu, Osculum, Pes.*

Adherbas, apud Justinum *lib.* 18. auctore Græco quodam dictus est Elisæ maritus: id enim Punicum nomen *Adherbal*, Græcâ terminatione. Sic Gronovius ibi legi vult, cùm aliàs habeatur: *Elisæ maritum, quem Sichæum Virgilius, Acerbam vel Acherbam tradunt.* V. ejus *Observat. lib.* 4. *cap* 10.

Adites, vocitantur Atrici à Jurisconsultis atque liminarchæ fœminis excubantes: Fœminæ verò dicuntur *Atricæ.* Plautus, *Similiter tum atrica clementer non fota est*, inquit, *munere occupavit.* De his Atricis Maro,

Armiger antè fuit, fidusque ad limina custos.

Ubi Servius, *Æditüus fuit, ingenti honore; illic enim & epulabantur & Deos colebant: census autem omnis illic servabatur.* Quod & Plautus docet in *Asinar.* in qua introducit *Sauream servum Atriensem in tota familia plurimum posse.* Hi, quia Principis limen curabant, *ad limina*, etiam dicti sunt &c. Joh. Calvinus *Lexic. Jurid.* V. infrà de his plura, in voce *Atrienses.*

Aditialis cœna, ab *aditu*, apud Salmasium *ad Capitolinum in Antonino Philos.*

Aditu frequenti sepulchra honorandi ritus, memoratur eidem Capitolino *ibid. Tantum honoris Magistris suis detulit, ut imagines eorum aureas in Lærario haberet, ac sepulcra eorum* aditu, *hostiis, floribus semper honoraret.* Ita membranæ Palat. atque tria hæc verba propria juris monumentorum, *itus, aditus, ambitus.* Hinc illa in titulis sepulchrorum incidi solita: *Itu, aditu, ambitu, coronare, sacrificare* &c. Et, *itu, ambitu, sacrificium faciendi.* Item, *itum, aditum, ambitum, coronare, vesci, mortuum atque ossa inferre ut liceat.* In aliis, *huic monumento iter*, aditus, *ambitus, debetur ex sententia Erotis Aug. Lib.* Et in alio, *ad hoc sepulchrum itum*, aditum, *omni tempore permissum est, ab Q. Episynchano.* Nempe frequenti *aditu*, veteres monumenta eorum honorabant, quos in vita habuerant charos, iisque sacrificabant, & rosis ac floribus ornabant. Propertius,

——— *Memento*

Hoc iterum ad lapides sæpe venire meos &c.

Hinc Libertos ingratos *aditu* etiam, ac accessu sui sepulchri prohibebant, ita in titulo caventes: *Sibi & suis Libertis Libertabusque & posteris eorum, excepto Hermete Liberto, quem veto propter delicta sua* aditum, *ambitum, ne ullum accessum habeat in hoc monumento.* Salmasius *ad Capitolinum l. c.*

Adjutor, ab *adjuvando*; quo modo dicti sunt olim, qui Magistratibus seu potiùs Officialibus quibusvis, levandi laboris causâ, adjungebantur, ut iis vel ægritudine præpeditis vel multitudine negotiorum obrutis, opem ferrent, *l.* 10. *Cod. de numerar. lib.* 12. *l.* 3. *Cod. de divers. offic. lib.* 12 & in *Notitia* Imp. Rom. persæpe. Gr. Βοηθοί. Suidas, Ἀντὶ τοῦ παρὰ Ῥωμαίοις βοηθός. *Gloss.* Gr. Lat. *Adjutor*, Βοηθός. Senator *lib.* 6. *Epist.* 6. Adjutor *etiam Magistri nostris præsentatur obtutibus, ut vicariâ sorte beneficii eligamus ejus præsidium, qui nobis præstat fidele servitium. Adjutores & Primicerii diversorum officiorum*, in *l.* 20. *Cod. Theodos. de Palatinis sacr. largit.* V. hic paulo infrà. Occurrit etiam *Adjutor* in Coquina Regia, in *Ordinat.* Hospitii Ludovici IX. Reg. Gall. A. C. 1261. &c. apud du Fresne *Glossar.*

Adjutores diversorum officiorum, apud Auctores, occurrentes.

Adjutor Comitis rei privatæ in *LL.* 16. 17. 20. *Cod. Theodos. de Palatin.* & *l.* 4. *de Executor.*

Adjutor illustris Comitivæ sedis, in *Collat.* 1. Carthagin. & apud Paulinum *Epist.* 39. *sub fin.*

Adjutor Commentariensis, *l.* 25. *Cod. Theodos. de custodia reor.* qui Βοηθὸς κομενταρησίου dicitur Prochoro de *Rebus* gestis S. Johannis Evang.

Adjutor Commentariorum officii V. Cl. & Spectabilis Proconsulis, in *Collat.* 2. Carthag.

Adjutor Sacri Consistorii, Gr. Βοηθὸς τοῦ θείου Κονσιστωρίου, in Concilio Calchedon. *act.* 14.

Adjutor Cornicularii, in *Not.* Imp. non semel, in vet. *Inscr.* apud Gruterum 561. 11. &c. In *Collat.* 1. Carthagin. fit mentio Exitiosi *Adjutoris Cornicularii.* Inscr. nondum edita, in loco *Catoura*, dicto, haud procul Aleppo: ΑΦΙΕΡΩΣΕ. ΙΜΙΛΔΙ[illegible] ΡΗ. ΓΕΙΝΩ. ΤΩ. ΕΚ. ΟΥΛΠΙΑΣ. ΡΗΓΙΑΝΗΣ. ΚΑΙ. ΑΙΜΙΛΙΟΥ. ΠΤΟΛΕΜΑΙΟΥ. CΤΡΑΤΕΥCΑΜΕΝΩ. ΕΤΗ. Ε. ΒΟΗΘΩ. ΚΟΡΝΙΚΟΥΛΑΡΙΩΝ. ΥΠΑΤΙΚΟΥ. ΖΗCΑΝΤΙ. ΕΤΗ. ΚΑ. ΜΗΝΕC ΑΜΕ. ΧΡΙΠΤΑΝΗ ΜΟΥΤΟΥΓΜΕΤΟΥC, apud du Fresne.

Adjutores electi de Scriniis, in *Not.* Imp.

Adjutor Eleemosynæ in *Codicillo* Philippi Pulchri R. Franc. apud eund. du Fresne *Glossar.*

Adjutor ab Epistolis, dicebatur is qui Magistrum seu Proximum ab Epistolis adjuvabat, Salmasius *ad Lampridium in Severo.*

Adjutores Fourreriæ, in *Ordinat.* Hospitii S. Ludovici Galliæ R. apud du Fresne.

Adjutor à Libellis, in vet. *Inscr.* opem ferebat Magistro Libellorum. Salmasius *d. l.*

Adjutor Magistri Officiorum *l.* 3. *Cod.* Theod. *de Agentibus in reb.* &c. Βοηθὸς τοῦ μεγαλοπρεπεστάτου Μαγίστρου τῶν θείων ὀφφικίων, in Concilio Calchedon. *act.* 3.

Adjutores à memoria, seu *Memoriales de Scriniis*, in *Not.* Imp. *Adjutores Scrinii Memoriæ*, in *Nov.* Constitut. Justiniani *de Adjutor. Quæstor.* editâ à Franc. Pithœo: dicebantur, qui Magistro Memoriæ opitulabantur. Salmasius *d. l.*

Adjutor Numerorum V C. & Spectabilis Vicarii, in *Collat.* Carthagin. 2. *cap.* 1. & *Collat.* 3. *c.* 109.

Adjutor Palatinorum officiorum, in *l.* 4. *Cod. Theodos. de Execut.* *l.* 17. *de Palatinis*, idem qui *Adjutor Magistri Officiorum.*

Adjutor Præfecti Annonæ, in vet. *Inscr.* apud Gruterum.

Adjutor Præfecti Prætorio, in *l.* 8. *Cod. Theodos. de Numer.*

Adjutor Præfecti Urbis, seu *Urbani Officii*, in *l. ult. Cod. de Offic. Præf. urb* & apud Symmachum *lib.* 10. *Epist.* 36.

Adjutor Præsidis, in *Actis S.* Nestoris Episc. & Martyris, *num.* 6.

Adjutor datus Prætori peregrino, in vet. *Inscr.* apud Gruterum 399 6.

Adjutor Primicerii Tribunorum Notariorum in *Notit.* quæ subjecta est *Novellæ* 8. Brissonius in *Prætermiss.*

Adjutor Provinciæ, apud Valerium Probum de *Notis.* ADI. P. *Adjutor Provinciæ, vel Patriæ, vel Populi.*

Adjutor Quæstoris, Βοηθὸς ὑπὸ Σχενδάριον: de quibus *Nov.* 26 Ministri Quæstoris, quos sibi ex scriniis memoriæ, libellorum & epistolarum, elegit propositis S. Evangeliis. *Officium Quæstoris* dicuntur *Nov.* 130. V. *Novell.* integram de *Adjutoribus.* Calv. *Lex. Jur.*

Adjutores Quæstoris sacri Palatii, in *l.* 15. *Cod. de Proxim. Sacr. Scrin.*

Adjutor à rationibus, qui Proximo Rationalium adjungebatur. Salmasius *loc. cit.*

Adjutor à tabulis, seu *Adjutor Tabulariorum*, qui proximo Tabulariorum opitulabatur, Salmasius ubi suprà.

Adjutores de Schola Numerariorum, in *Not.* Imperii.

Adjutor Secretorum, Gr. Βοηθὸς τῶν θείων σηκρέτων, in Concil. Calchedon. *Act.* 1.

Adjutor Tutelæ, quem solebat Prætor permittere Tutoribus constituere iis, qui non possunt sufficere administrationi tutelæ *l. solet.* 13. *ff. de Tutelis.* Brissonius apud Calv. *Lex. Jur.*

Adjutor Urbani officii, V. *Adjutor Præfecti Urbis.*

Adjutrix, legio prima; cognom. Legionis Rom. cujus meminerunt Impp. in *l. ult. C. de apparitor. Præfecti Prat.* & *l. ult. C. de castr. pecul. lib.* 12. in qua, *Adjutrice nostræ Reip.* pro *Adjutrice nostra Reip.* vulgo perperam legitur, Brissonius in *Prætermiss.*

Adlentare barbam, est eam mollem reddere ac flexibilem, apud Cantipratanum. Gloss. Isid. *Lentandus, flectendus.* Quod officium erat non ignobile in aula Gr. unde Order. Vitalis *lib.* 7. de filiabus Roberti Wiscardi: *Officium illarum erat, dum Imperator* (CP. Alexius Comnenus) *de strato surrexisset, manusque suas ablueret, & mappulam & pectinem eburneum afferre, & barbam Imperatoris pectere.* V Academicos Cruscanos in voce *Allentare* & præf. Auctorem *Glossar.*

Admanuenses, in Concilio Oscensi æræ 636. *can.* 1. *Quòd si quidquam malum de quoquam* (Clerico) *fama dictaverit, per veram & certissimam Clericorum probationem, vel virorum* Admanuensium — *omnia argutissimè perquirantur*: videntur esse, qui manu jurant, seu manibus sancta Evangelia tangentes. Nam *jurare super sacra*, id est, Evangelia, vetantur Clerici, ut quorum assertio pro Sacramento erat: unde *Fide digni* dicti sunt. Car. du Fresne *Glossar.* V quoque infrà, in voce *Fidedigni.*

Admezatores, in Regno Neapolitano & Sicilia, Arbitri sunt, ex privatorum consensu electi, ad decidendas supremo jure quæstiones & lites, *qui nullam aliam jurisdictionem habebant, nisi quæ ab eligentibus conferebatur eisdem*, ut est in *Constitut* Friderici *lib.* 1. *Constitut. Siculat. tit.* 79. quos idem Imper. in posterum fieri prohibuit. Vox ficta ex Italico *Mezzo*, id est, medius, Gall. *Mediateur*; cujusmodi Judices seu Arbitros Aristoteles *μέσους* & *μεσιδίους* vocat. Eandem *Μεσάζοντα* apud Byzantinos fuisse dignitatem, vult Meursius; sed du Fresne *Μεσάζοντας*, Curiæ CP. officiales, quorum operâ Princeps utebatur in expediendis negotiis aut

aut certè, quibus intermediis, ad Principem patebat accessus, dictos fuisse contendit; quod apud Francos olim Referendariorum fuit munus. Colligit autem id ex Cantacuzeno *lib. 3. cap. 15.* & *lib. 4. cap. 29.* ubi vocem *μεσάζω* ita sumit: ex Niceta item in *Man. l. 1. c. 13.* & Ducâ *Hist. Byzant. capp. 21. & 22.* ubi Vezirios Turcicos *μεσαζόντων* appellatione donat, quòd nempe per eos Turcici Sultani res omnes, quà privatas, quà publicas conficiant. V. Eum *Glossar.*

Adminiculator, ab *adminiculando* dictus, officium olim erat in Ecclesia Rom. pro defensione viduarum, pupillorum aliorumque hujusmodi humanâ aliâ ope destitutorum, erectum. *Stephanum Adminiculatorem*, quem post Cardinales Primicerium & Secundicerium nominat, Luithprandus habet *Histor. lib. 6. cap. 6.* Aliàs *Conclamator* & *Defensor*. V. in his vocibus. Macer *Hierolex.* Carolo du Fresne septimus fuit ex Officialibus Romanæ Ecclesiæ, viduarum, pupillorum egenorumque curam gerens; quod munus hodie *pauperum Advocatus* obit, ex Panvinio. V. eum in *Glossar.* ut & infrà, ubi de *Pauperibus*.

Administrator, qui provinciam *administrat*, Præses: apud Æl. Spartianum in *Pescennino Nigro*, *Administratio. Hic tamen fuit auctoritatis, ut ad Marcum Antoninum primùm, dein ad Commodum, scriberet, quum videret provincias facili* administrationum *mutatione subverti*: id est: *Administratorum*. Sic infrà idem *Orationes*, pro *Oratoribus* habet; uti *Regna* pro *Regibus* Florus, *pulsis Regnis*: *Matrimonium Cæsaris*, pro *conjuge Augusti*, Marcellus: *Præfecturam*, pro *Præfecto*, Valerianus *Epist. ad Ablabium P.P.* apud Pollionem in *Claudio*. Sic *Ludus* pro Ludione, unde Lanistæ *Λυδοτρόφοι* in optimis Glossar. & in Aula CP. Cura Palatii, pro eo *qui Palatium curat* &c. Salmasius *Not. ad Spartianum & Pollionem*. Apud Legulejos Anglos, *Administrator* dicitur is, cui defuncti bona administranda ab Ordinario committuntur, cùm nulli extant executores Testamentarii, quorum quidem bonorum usque ad eorum valorem tenetur, & non ultra, nisi ea dissipasse convictus fuerit. Hic si decesserit, ad hæredes ejus non transit administratio, sed alius ob Ordinario decernitur ac eligitur *Administrator*. V. Rastellum *in Exposit. vocum LL. Anglic.* quem laudat du Fresne in *Glossar.*

Admirabilis, *Admiralius*, *Admiratus*, V. in *Admirallus*, *Amir* & *Amiras* infrà

Admissionales Ministri, Lampridio *in Alex.* memorati, fuere, qui Suetonio *Vespas. cap. 14.* *ex officio Admissionis* dicebantur; *Trepidum cum interdicta aulâ sub Nerone, quærentemque quidnam ageret, aut quò abiret, quidam ex officio Admissionis simul expellens, abire Morboniam jusserat.* Officium eorum exprimit Macrobius *Saturnal. lib. 1. cap. 7.* *Dum ista narrantur, unus à famulitio, cui provincia erat admittere volentes dominum convenire, Evangelum adesse nunciat cum Dysario*: Proin & turbæ officiosæ, saltem in aula Cæsarum, talium aliquem præfuisse, judicat Pignorius, V. infrà, ubi de *Officiosis*. Seneca, *à Sallustio & Cocceio & Duilliis, suam cohortem primam interioris Admissionis, ex adversariorum castris conscriptam esse*, memorat. *de Clem. cap. 10. lib. 1.* Unde non unicam tantùm fuisse *Admissionem* discimus: quod idem pluribus innuit, *de Benefic. lib. 6. cap. 33.* *Est propriùm superbiæ magno æstimare introitum ac tactum sui liminis & pro honore dare, ut ostio suo propiùs assideas, ut gradum prior intra domum ponas, in qua deinceps multa sunt ostia, quæ receptos quoque excludant.* Nec alios, quàm *Admissionales*, innuit molestus ille nugator, apud Horatium *lib. 1. Sat. 9.*

——— ——— *Haud mihi deero:*
Muneribus servos corrumpam, non, hodie si
Exclusus fuero, desistam.

In aula Cæsarea his *Magister Admissionum* præerat, Ammian. *lib 15.* *Summissis verbis sit Ursicini mentio, ut consilii rei bellicæ præstantissimi frustraque gravi injuriâ lacessiti & per* Admissionum Magistrum, *qui mos est honoratior, accito eodem, ingresso consistorium offertur purpura* &c. Qui & *Magister* simpliciter dictus est, unde apud Cassiodorum *Variar. lib. 6.* legitur formula Magisterias dignitatis. Corippus certè *lib. 3.*

Ut Lætus Princeps solium conscendit in altum,
Membraque purpureâ præcelsus veste locavit,
Legatos Avarum jussos intrare Magister,
Orantes, sese vestigia sacra videre
Clementis domini; quos voce & mente benignos
Imperat admitti.

Idem paulo post:

Verùm ut contracto patuerunt intima velo
Ostia & aurati micuerunt atria tecti,
Cæsareumque caput diademate fulgere sacro
Tegazis suspexit Avar.

Velum nempe obtendebatur foribus cubiculi Imperatorii, ut oculos arceret; qui mos à Romanis Principibus ad Barbaros quoq; fluxit, ut de Theodorico Wiligothorum R. legimus apud Sidonium Apollinarem *lib. 1. Epist. 2.* Hinc, cùm apud Auctores laudentur, Vespasianus, M. Antoninus & Alexander Severus Impp. *quòd salutarentur patente cubiculo, ministris Admissionalibus remotis*: dicitur de Alexandro in specie, quòd salutari consueverit, *patente velo*. Magistro verò ipsi, quem diximus, is videtur adsignatus vicarius, quem *proximum Admissionum* vocat Ammianus *lib. 18.* & *Adjutorem Magistri* Cassiodorus *Variar. lib. 6.* V. Laur. Pignorium *Comm. de Servis*. Affines *Admissionalibus* servis, Scrutatores fuere, in aula à Claudio primùm instituti, qui ad Principem salutandi vel qua alia causâ venientes excuterent. Suetonius *Vespas. cap. 14.* *Salutatoribus scrutatores semper appositis & quidem omnibus & acerbissimos: quos tamen Vespasianus, iterùm sustulit* &c. Hinc *Admissionales Cancellarii* dicti in *Not.* Imp. ut quidam volunt, tametsi Edita *Admissiones Cancellarii* præferat, ita ut diversa fuerint officia. Aliàs *Admissionales Palatini*, qui unà cum Palatinis scriniorum & Largitionalibus Palatinis separantur à ministris Castrensibus *lib. 7. Cod. Theodos. de privilegiis eorum qui in sacr. Pal.* *Quique in scriniis militant, quique inter Agentes in rebus planum vigiliarum munus exercent.* Admissionales *etiam & qui sub Castrensis officio quiq; Comitatensibus sive privatis largitionibus obsecundant*, &c. Eorum munus, *Officium Admissionis* dicitur Suetonio *in Vespas. cap. 14.* *Officium Admissionum*, *l. 11. Cod. de Privil. eor. qui in sacr. Pal. m.* & *Officium Admissionalium l. ult. C. de div. off.* Nam plures erant, eorumque divisa munia, uti dictum, ita ut alii aliis in causis ac negotiis ad Principem admitterent, ut ille Homiles dicitur *Legationum Admissionalis*, apud Herennium Philonem *Leg. ad Caium*. Salmasio quatuor erant *Admissionum* decuriæ, quibus singulis singuli præerant Proximi, quorum unus quisque illius decuriæ, cui præerat, *Magister* dicebatur. Omnes autem erant sub *Magistro Admissionum*, cui quatuor illæ decuriæ cum suis Proximis parebant: quod & in aliis Augustæ domûs officiis in usu fuit, *Not. ad Flav. Vopiscum in Caro*. Ipsum autem Admissionum officium, sub dispositione Magistri officiorum, ponitur in *Not.* Imp. Rom. Brissonius in *Prætermiss.* &c. V. quæ hanc in rem præterea congessere Theodorus Marcilius, Pancirolus, Savaro, Henricus Valesius, Jacobus Gotofredus, du Fresne *Glossar.* Alii.

Admonitor, in ordinationibus Conciliorum, non rarò dicitur, qui recentioribus *Magister Ceremoniarum*, quòd omnia ea, quæ agenda essent, *admoneret*. Macer in *Hierolex.* Cum *Portitore præcepti* conjungitur, in *l. 7. Codic. Theodos. de Execut.* *Compulsor, Exactor*, Admonitor *Portitorve præcepti*. *Agens in rebus* &c. apud du Fresne *Glossar.* Hinc *Admonitoria* Epistola, quâ Judex absentem in jus citat; quòd eam *Admonitor* adferat, Lindenbrog. *Form.* 116. apud Eundem.

Admortizatio, translatio prædiorum in manum *mortuam*, seu prædiorum acquisitio, facta à Monasteriis & Collegiis religiosis vel etiam Laicis, quæ semel acquisita, in commercio, mutationibus aliisque prædiorum oneribus obnoxia esse desinunt, nec adventitia feudorum commoda producunt, e. g. *Laudimii*, *Wardæ Maritagii*, *relevii* &c. Quæ translatio seu acquisitio fieri non potest, nisi Principis ac domini consensus intervenerit; cui de damno *Manus mortuæ* tenetur cavere, tertiâ totius pretii parte semel exsolutâ. Nam ex Lege communi sacræ Basilicæ prædiorum incapaces sunt &c. Extant tamen complures *Chartæ*, paulo ante annum 1300. ut ait du Fresne, quibus Superiores, seu, uti hic vocantur, *primi & secundi domini feudales*, prædia huic Ecclesiæ concessa *admortificant*, ita ut ea in posterum in *manu mortua teneant*, additâ tamen clausulâ, *quantum in eos est*, *vel quantum ad ipsos pertinet*: qui certè superiorum dominorum in ejusmodi prædiis, Ecclesiis concessis, consensus propterea necessarius est, quòd inde feudorum servitia minuuntur. In hujusmodi verò *Amortizationibus* quale jus fuerit Prælatorum Franciæ, qui *Pares* sunt, observat idem ex *Regesto* Pariamenti: 1277. *Quatenus Prælati Pares admortizare possunt, Constitutio per Philippum III. in hunc modum: Ordinatum fuit per Consilium Domini Regis, Rege præsente, quòd Archiepiscopus Remensis & Episcopi Pares Franciæ admortizare non poterunt suum domanium, nec feuda, quæ ab ipsis tenentur immediatè: sed sua retrofeuda poterunt admortizare. Alii verò Episcopi, qui non sunt Pares, nec domanium suum, nec feuda sua, nec retrofeuda poterunt admortizare*, &c. V. Car. du Fresne *Glossar.* ubi tamen aliud Arestum ex eod. *Regesto* A. C. 1290. affert, sic sonans: *Quòd si Comes Nivernensis aliqua Ecclesiis & piis locis caritativè admortivit, vel posuit in manibus burgensium, vel personarum ignobilium, ob remunerationem servitiorum, vel ob aliquam aliam gratiam sine receptione alicujus pecuniæ, hoc sibi sustinebitur. Sed si aliquid admortivit, vel in manibus burgensium, vel personarum ignobilium posuit, pro pecunia, dominus Rex utendo jure suo potest & poterit ad eadem assignare.*

Adnumista, ille erat, cui incumbebat milites in libello signare, quæ nota *Adnumium* dicebatur. Dominic. Macer. *Hierolex.*

Adobatus Miles, in *vett. Statutis* Patavii, quæ extant in publico Urbis tabulario, occurrit, præcipitur enim ibi, ut qui electus fuerit Potestas Vicentiæ, *faciat se fieri Militem adobatum*: est miles, qui ceremoniis consuetis militiæ dignitatem ac cingulum est adeptus; à verbo *adobare*, quod armis instruere, militare cingulum alicui conferre, significans, ex voce *adoptare* ducit originem: nam qui aliquem armis instruit ac militem facit, eum quodammodo in filium adoptare credebatur. Senator *lib. 4. Epist. 2.* *Per arma*, inquit, *posse fieri filium, grande inter gentes constat esse præconium: quia non est dignus adoptari, nisi qui fortissimus*

mereatur

mortuo agnosci. Eundem ritum *adornare armis* appellat Order. Vitalis *lib.3.pag. 467. Deinde ab eodem Duce decenter est armis adornatus*, &c. V. plura in hanc rem, apud Car. du Fresne *Glossar.* & infrà, in vocabulo *Miles.*

Viri Principes, ex Familia Oldenburgo Dan. &c. Palatina

Adolfus seu Adolphus, D. Slesvici, familiæ SchaWenburgicæ, filius Gerardi Holsati, ad sceptrum Daniæ, post mortem Christophori Palatini, vocatus, ob ætatem sese excusavit, Danisque Christianum, ex sorore Heduige nepotem, commendavit; qui regnum nactus A.C. 1448. seqq. annis in Dania & Norvegia coronatus est, primus hujus nominis: inter cujus posteros Johannes *Adolphus* & Christianus *Adolphus*, Duces Holsatiæ, in familia Sonderburgica à Spenero memorantur: ut & imprimis

Adolphus, frater Christiani III. Dan. Regis, qui familiæ Gottorpino—Holsaticæ conditor, Carolo V. in obsidione Metensi militavit, Diethmarsos A. C. 1559. non sine sanguine domuit, in divisione hæreditatis Johannis fratris, præter Dietmarsiam, Ins. Femeram, Nordstrandiam & præfecturam *Tunderen* obtinuit: Pater, ex Christiana Hassiaca Johannis *Adolphi*, qui Archiepiscopatui primùm Bremensi, tum & Lubecensi Episcopatui præpositus, primus ea in dignitate maritus, obiit A. C. 1616. relictis Friderico, à quo Gottorpina linea continuata, Johanne, qui lineam Euthinensem condidit, & *Adolpho*, qui A.C. 1631. prælio Lipsiensi, à Rege Sueciæ captus vitâ mox excessit, ex vulnere.

Adolfus cognom. *Simplex*, fil. Rudolfi Elect. Palatini, successit Patri A.C. 1319. Sed, naturâ quietis amantior, brevi pòst fratri Rudolfo cognom. *Cæco*, cessit: cujus post 26. annos tertius frater Rupertus successor fuit. In eadem familia *Adolphus* Johannes, filius Johannis Casimiri, Ducis Bipontini, frater Caroli Gustavi, Sueciæ Regis, in Polonia fraternis auspiciis militavit: Dein in Prussia rem gessit, adhuc superstes.

Adolfus, fil. Gerhardi cognom. *Bellicosi*, Comitis Oldenburgici cum fratre Ottone, Canonico Bremensi & Colon. bello Dietmarsico periit A.C. 1500.

Adolfus Wilhelmus, Dux Vinariensis, filius Wilhelmi, frater Joh. Ernesti, qui Vinariæ habitat, Suecis in Dania militavit, ac Isenacum sortitus est, maritus Mariæ Elisabethæ, filiæ Augusti Ducis Guelferbytani, haud pridem defuncti, &c. V. Phil. Jac. Speneram *Sylloge Geneal. Hist.*

Comites Principesque Nassovii.

Adolfus, primus qui in illustri hac familia memoratur (quo superiorem tamen Dietericum Textor recenset, liberorum decade florentem) Hassiæ Præfectus, Comitatui Nassoviæ regendo præfuit annos 21. sub finem seculi VII. Ex uxore Clodunda, Weibrechti Saxoniæ Ducis filia, genuit Weibrechtum Nidæ Comitem & Dietericum, in Comitatu Nassoviæ, Patris successorem.

Adolfus, filius secundo-genitus Georgii, ex Johanna (Philippi Com Bannerae fil.) Isabellam sibi junxit (Henrico Com. Sancto-Paulini & Isarlopii genitam) atque ex ea suscepit Isabellam, Johannam, & Othonem: quo in nuptiis interemto, ad Othonem propatruum Comitatus devolutus est, à quo vulgatæ genealogiæ series initium capit.

Adolfus, fil. Johannis Com. ex Margaretha (fil. Engelberti Com. Marcarum & Cliviæ) paternam avitamque ditionem adjectâ Dietzâ auxit, allatâ ipsi à Jutta, Gerhardi Comitis Dietzensis filiâ ac hærede. Sed utrique genita cognominis matri filia Godofredo Com. Diepstenii & Coningstenii maritò, Comitatum Dietzensem, dotis loco attulit. Obiit A. C. 1420. Frater Engelberti minoris natu, qui Bredam, Polanam & Leccam, matrimonii jure, obtinuit.

Adolfus, filius Johanne (qui Cattimelibocensi Comitatu & reducto Dietzensi Nassoviæ fines auxit) geniti Guilielmi, ex posteriore ejus uxore, Juliana Stolbergia, frater maximi natu Guilielmi Auriaci, Belgicæ libertatis auctoris, bello egregius; sed præmaturâ morte extinctus est. Prima militiæ rudimenta bello inter Suecos Danosque coorto posuit: inde Cæsari in Hungaria contra Turcas fortem navavit operam. In Gothanæ arcis obsidione postea Augusto, Saxoniæ Electori, præstò fuit. Fratris tandem Ludovici, *laudatissimi Ducis*, ut eum Grotius vocat, in expeditione Groningana Frisiacaque comes, ante ipsa hostium tormenta globo trajectus est, circa A. C. 1573.

Adolfus, filius Johannis Com. ex Magdalena Waldeccia, priore ejus conjuge (frater major natu Joh. Mauricii Americanâ expeditione inclyti) natus A. C. 1586. Belgicâ quoque militiâ inclaruit, sed brevis ævi itidem. Cùm enim animosiùs, quàm cautiùs, pugnaret, in mediam hostium aciem irruens, occisus est A. C. 1608. æt. 22. Noviomagi, cui gubernando præfectus erat, sepultus.

Adolfus, ex filiis Ludovici Henrici Com. Nassoviæ & Catharinæ Com. Sayno-Witgensteniæ, natus A. C. 1629. cum fratre Philippo, Canonicus Magdeburgensis, in Groningana Academia Studiis operam navavit. Uxorem sibi junxit Elisabetham Carolam Holzapfeliam, &c. Atque hi omnes surculi fuere Lineæ Dillenburgicæ.

Adolfus Com. Nassoviæ, lineæ Weisbadensis, filius secundo-genitus Walravii, lineæ hujus Auctoris, ex Adelheida (Dieterici Com. Cattimelibocensis fil.) frater Dietheri sive Theodori, Archiep. Moguntini, Patri in Comitatu successit, Imperator postea Rom. V. suo loco. Ex Imagina Gerlaci Com. Limburgii fil. pater fuit Henrici (qui maturè obiit) Ruperti, qui ductâ Guttâ Wenceslai Bohem. R. filiâ, socero fortem operam navavit, Regum monumentis illatus; Gerlaci, qui in Nassovia ditione Patrem excepit; walravii, qui Mathildem Ludovici Com. Palatini filiam conjugem meruit; *Adolphi*, Patre Imper. nati: Adelheidæ, Monasterium ingressæ Imaginæ & Mathildis, quæ Rudolfo Bavariæ Duci Com. Palatino nupsit. E quibus Gerlaco cùm tres essent filii, Gerlacus, *Adolfus* & Johannes: primus Archidiaconus fuit Moguntinus, reliqui duo hæreditatem ita diviserunt, ut *Adolfus* Patri in Comit. Weisbadensi & Idstenio succederet, Johannes verò Weilburgæ Comit. obtineret, unde in duas lineas familia divisa est.

Adolfus I. modò dictus, contractiori quàm Pater Avusq; limine habitans, obiit A. C. 1370. postquam ditioni novennium præfuisset. Suscepit ex Anna, Friderici Burggravii Norimbergensis fil. *Adolfum*, Spiræ primùm Episcopum, inde Archiepiscopum & Electorem Moguntinum: Johannem, Archiep. ibidem ac Electorem; Gerlacum & Johannam Henrico Com Waldeccio nuptam.

Adolfus II. Gerlaco præfato genitus, ex uxore Bertha Com. Westerburgii fil. decessit A. C. 1426. Pater, ex Margaretha, Bernhardi Marggravii Badensis fil. *Adolfi*, qui Patruis duobus in Archiep. & Electoratu Moguntino successit, Johannis, Margaretæ Cœnobii Novi Antistitæ; Annæ Eberhardo Epstenio nuptæ & Agnetis Conradi Bidenbachii Toparchæ uxoris.

Adolfus III. filius natu major Johannis modò memorati, ex Maria (Engelberti Com. Dillenburgici fil.) frater Philippi, qui sub Maximiliano I. exercitum duxit, Wisbadensem domum otio prope languescentem & intra agri sui terminos conclusam, operâ consilii Maximiliano I. Imp. dandi & præfecturâ provinciarum Gelriæ ac Zutfaniæ feliciter gestâ, splendidiorem reddidit; defunctus A. C. 1504. Ei ex Margaretha Com. Hanoviensi nati sunt Philippus, qui primus Comitum Wisbadensium Lutheri reformationem amplexus est, & Margaretha, Ludovico Weilburgensi agnato elocata.

Adolfus IV. Philippo prædicto genitus, A. C. 1518. uxorem sibi junxit Franciscam filiam Ducis Limburgensis; successoremque habuit fratrem Balthasarem, in cujus nepotibus linea extincta & ditiones ad Ludovicum Com. Nassoviæ weilburgensem ac Sarapontanum devolutæ sunt. Cyriacus Lentul. in *Geneal. Principum Nassov. Ms.*

Adonai, adde: Hoc nomen enunciant Hebræi, quoties in nomen Dei tetragrammatum, quod ineffabile dicunt, incidunt. Per idem jurant, quoties sanctissimo Sacramento se volunt adstringere. Hinc in *Gemara* Babylonia *tit. Shebuoth fol.* 35. a. leguntur ista: *Adjuro vos ego* (si quis nempe sive in Foro, sive alibi deferret alicui generatim juramentum) *jubeo vos, interdico vobis* falsum dicere (dum adjuramini) *hinc illi sic adjurati obligabantur* (assentiendo nim. etenim de juramento per Numen ipsum sic verba capiebantur) *sed si adjurarentur, per Cœlum & Terram, liberi erant, nec juramento ejusmodi obligati. Per Aleph Daleth* (Adonai) *per Jod He* (Tetragrammaton seu *Jah*) *per Sadai, per Zabaoth, per Gratiosum, per Misericordem, per Tardum ad iram, Beneficentissimum seu per omnia cognomina, obstringebantur.* Joh. Seldenus *de Synedriis Vett. Hebræorum lib. II. cap.* II.

Adonia, celebrata olim à Babyloniis, Syris ac Ægyptiis, in quibus Venus *Salambo* appellata est, ut quod epitheton erat proprium Veneris, ademptum *Adonium* plangentis. Hinc *Salambonem exhibere*, quâ phrasi de Heliogabalo utitur Æl. Lampridius in *Vita* ejus, *Salambonem etiam omni planctu & jactatione Syriaci cultus exhibuit*; est Venerem imitari, dum Adonidem luget ac plangit. *Quod*, addit Lampridius, *omen fuit imminentis ei exitii.* Quemadmodum & de Juliani adventu Antiochiam Ammianus Marcellinus ait *lib.* 22. *Evenerat iisdem diebus, annuo cursu completo*, Adonia *ritu veteri celebrari, amato Veneris, ut fabulæ fingunt, apri dente ferali deleto, quod in adulto flore sectarum est indicium frugum. Et visum est triste, quòd amplam urbem Principum domicilium introeunte Imperatore tum primùm, ululabiles undique planctus & lugubres sonitus audiebantur.* V. infrà in *Salambo.*

Adonis, adde: Ejus simulachrum asservatur, in Musæo Kircheriano Romæ. V. *Collegii Rom. S. I. Musæum, editum Amstelodami A. C.* 1678. Plura infrà in *Tamuz.*

Adoptiva fœmina, in Concilio Bracarensi *I. cap.* 15 *&* in *Collect.* Canonum Martini Bracear. *cap.* 32. adscititia, *συνείσακτος* est. Car. du Fresne *Glossar.* V. infrà in voce *Agapetæ Sorores*, item *Sorores devotæ.*

Adoptivi Filii, vel saltem *Filioli*, dicti olim, qui baptizabantur; ut Patrinus *Patris spiritualis & adoptivi* appellatione insigniebatur; namque *adoptari per Baptismum*, dicebatur is, qui ad Baptismum ab aliquo offerebatur, pro quo ille spondebat apud Ministrum baptizantem. Hinc idem Patrinus in signum velut adoptionis legitimæ, munus aliquod eidem filiolo, tanquam successionis suæ portiunculam, conferebat, quod *filiolatum* vocabant. Hesychius, Υἱοθεσία, ὅταν τις ἑαυτῷ υἱὸν λαμβάνῃ κ. (alii

emen-

emendant (ῥωμ) ἄγιον βάπτισμα. Monachus Sangall. *lib.* 2. *cap.* 29. de baptiz. Normannis: *Qui à primoribus Palatii quasi in* adoptionem *filiorum suscepti* &c. Sic de Heroldo Danorum R. Rembertus in *Vita* Anscharii Archiep. Hamburg. *Ipse* (Ludovicus Pius) *de sacro fonte suscepit, sibique in filium adoptavit.* Dudo de *Actis Normannorum lib.* 3. *pag.* 10.

Quin & adoptivam prolem susceptus ab alma,
Extollensque salutiferi baptismatis undâ, &c.

V. quæ hanc in rem congessit Car. du Fresne in *Dissertat.* 22. *ad Joinvillam pag.* 274. & infrà *passim*.

Adorandi ritus. Iserat apud Vett. qui describitur Minucio Felici in *Octav. Cæcilius simulacro Serapidis denotato, ut vulgus superstitiosus solet, manum ori admovens, osculum labris impressit.* Hinc Plinius, *in adorando, dextram ad osculum referimus*; & Apulejus in *Apolog. Nulli Deo ad hoc ævi supplicavit: nullum templum frequentavit: si fanum aliquod prætereat, nefas habet adorandi gratia manum labris admovere.* Unde *labratum osculum* ejus, qui sic in *adorando* manum labris admovebat & osculabatur, V. infrà in voce *Labratum osculum*. Atque ita Numina sua olim, Deorumque simulacra venerabantur. Inde ritus ad Impp. translatus est, Principesque. De Persis Trebellius Pollio in *Triginta Tyrannis*, ubi Zenobiæ mentione factâ, *Adorata*, inquit, *est more Persarum*: quod tamen Heliogabalum cœpisse, vetuisse A. Severum Lampridius refert. Sed & Impp. Romanos *adoratos* esse certum, quamvis non eodem, quo Persæ modo. Unde *adoranda sacra purpura* tam frequens in libris mentio; & *sacros vultus adorare*, sæpius legitur apud Auctores, &c. Salmasius *ad Trebellium*. Quam in rem plurima congessit Jacobus Gotofredus *ad leg. un. Cod. Theodosiani de Præpositis sacri cubiculi.* V. quoque infrà, ubi *de Salutandi ritu*. Addam hic saltem, quæ Calvinus *Lexic. Jurid.* suggerit: *Adorare*, inquit, *Principem ejusque purpuram, est venerari, salutare, ad Principis genua accidere, genua flectere l. manu labris admotâ, & tactâ dein Principis purpurâ, vel genu complexo* &c. *l. unic. de Comit. & Tribun. Schol. lib.* 12. *C.* Sic *adorare Principis æternitatem*, legimus *l.* 2. *de fabric. lib.* 11. *C.* Priscus venerationis istiusmodi apud Israëlitas gestus erat, *in faciem procidere*: quem à Cyro institutum inter suos, ait Arrianus *lib.* 4. hodieque in Oriente observari, novimus; apud Europæos, jam Principibus Regibusque genua flectuntur caputque submittitur &c. *Adorare Imbres* Seneca dixit, missilia Principum, quæ, Ludis ferventibus, in populum venerabundum spargebantur, de quibus *suo loco*: V. quoque hic infrà.

Adorare, est ex origine vocis *ori admovere*, seu *osculari*; Unde Hiobus *cap.* 31. *vers.* 16. & 27. *Si vidi Solem, cùm fulgeret, & osculatus sum manum meam ori meo* &c. id est, *si Solem adoravi*: Nempe in osculo præcipuus semper *adorandi* ritus collocatus est. Plenior autem gestus adorantium talis erat, ut, velato capite, dextrâ manu labris admotâ, priore digito in erectum pollicem residente, corpus dextrovorsum circumagerent, ut ex Lucretio *lib.* 5. Macrobio *Saturnal. lib.* 1. *cap.* 8. Plutarcho *Quæst. Rom.* 10. Apulejo *Asini lib.* 4. Minucio Felice, aliisque liquet. Qui salutandi mos à Diis ad Cæsares postea transferri cœpit, ut visum; & Vitellius quidem, *miri in adulando ingenii, primus C. Cæsarem adorari ut Deum instituit. Cùm reversus ex Syria non aliter adire ausus esset, quàm capite velato, circumvertensque, deinde procumbens.* Diocletianus dein sibi non tantùm eum honorem deferri voluit, quod & sub insecutis Principibus ex parte mansit, verùm etiam, gemmarum ornamenta suis calceamentis addidit, ut sibi, tanquam Deo, divini honores per pedum oscula deferrentur: ritu à Pontificibus Romanis sequentibus seculis recepto, & ad hanc nostram ætatem observato. Qua de re sic Balduinus *de Calceo cap.* 27. *Cùm Pontifices primùm agnoscerent, universos passim Christianos ad suorum pedum oscula procurrere, crucem calceis suis adsui curaverunt. Quo factum, ut Christiani homines, eum honorem, quem Pontifici per pedum ejus oscula lubentes ibant delatum, cruce in ipsius sandaliis perspectâ, in Christum præsertim referrent, atque adeò ipsum ore contingere impressisque labiis suaviari viderentur.* Quod autem dictum *de velato capite*, confirmatur ex Plauto *Amphitr. Act.* 1. *Sc.* 1. ubi, ab Alcmena parturiente, Dii operto capite invocantur: *Curculione* item *Act.* 3. *Sc.* 1. ubi quidam operto capite Æsculapium salutat. Sic Alopius vates, apud Val. Flaccum *lib.* 5. Manes venerando, caput obnubit: & respexit eò Lucretius *lib.* 5.

Nec pietas ulla est, velatum sæpè videri,
Vertier ad lapidem atque omnes accedere ad aras:
Nec procumbere humi prostratum, & pandere palmas
Ante Deûm delubra.

Idem apud Hebræos quoque olim ac Romanos obtinuit: quorum hi omnibus Numinibus sacra faciebant capite tecto, præterquam Saturno, Herculi & Honori, cujus rei causas investigat Plutarchus *Quæst. Rom.* 11. & 13. & quia hic erat mos patrius Romanorum, ritum illum Saturno sacrificandi *institutum peregrinum*, *Saturnal. lib.* 1. *cap.* 10. ac *Ritum Græcanicum*, *lib.* 3. *cap.* 6. vocat Macrobius. Contrario planè more *Christiani* adorant, capite nudo. V. Soletium *de Pileo sect.* 2. &c. De situ *adorantium* Orientem versùs, aliisque huc pertinentibus, dicemus alibi, inprimis ubi de *Invocatione & Precandi ritu*.

Adoris potio, apud Arnobium, ubi de Baubo, quæ hospitio Cererem accepit: *Adulatur officiis mitibus, reficiendi corporis rogat curam ut habeat, sitienti adoris aggeris potionem civium, Cyceonem quem nuncupat Græcia*; uti ex vet. Codice Regiæ Bibliothecæ lectionem veram restituit. Salmasius, cùm in editionibus ineptè legeretur, *sitienti ardori*: est cyceon, h. e. potus farinâ vel polentâ commixtus. Ovidius de eadem anu verba faciens,

—— —— *lymphamque roganti*
Dulcè dedit, tostâ quam coxerat antè polentâ.

Ubi *tostam antè polentam*, vocat farinam, ex hordeo priùs tosto, quæ in vinum addebatur. V. Salmasium *ad Solinum pag.* 328. & infrà in voce *Polenta*.

Adpunctari, vulgo Gallis dicuntur, quibus salarium constitutum est: Commoda enim & salaria militiæ, quæ *solatia* appellant Impp in *Codice*; Justinianus *puncta* dixit, *Cod. de Advocatis divers. judic.* Salmasius *ad Spartianum in Hadriano*.

Adramire, in sacramentis ac testimoniis, apud recentioris ætatis Scriptores, vox frequens: significat, cavere, promittere, obligare se coram Judice, rem quampiam se facturum, v. g. juraturum, testes adducturum, aut duello jus suum probaturum. Unde phrases, *Testimonia seu testes adhramire*, *Vadium adhramire*, *Arramire bellum seu duellum*, apud Auctores laudatos Carolo du Fresne *Glossar.* Vocis originem Beslius ab *Affirmare*, Wendelinus à *Rama* seu *Ramallum*, quod est locus, in quo judicia exercentur, deducit. Bolquetus *ad Epistolas Innocentii III.* ab *arrha* arcessit, quod qui *adhramibant* facturos se quidpiam, arrham dabant, seu mittebant, fortè chirothecam aut festucam, ut est in formula L. inter *Formulas* incerti Auctoris: quam sententiam videtur amplecti Bignonius *Notis ad L. Salic.* ub. *adrhamire* idem vult esse, quod *arrer* apud Gallos, ab *arrha data*, apud Eundem.

Ad Responsum, V. suprà in *Ad*, ac infrà in *Responsales* & *Responsum*.

Adriane, in *Itiner.* Antonini, urbs Cyrenaicæ; de qua sic ibi: *Beronice* M. P. XXX. Adriane M. P. XXIX. *Theucira* XVIII. *Ptolemaïs* XXVI. eadem cum *Hadrianopoli*, in *tabula* Peutinger. ubi legimus, *Bernicide* XXVIII. *Hadrianopolis* XXV. *Tauchira*, *Ptolemaide*. Una est ex duabus illis urbibus, quæ *Hadrianopolis* nomine propriè, nec unquam aliter appellatæ sunt: altera enim in Thracia fuit. XXIV. *M. P.* distans a Plotinopoli, de qua consule vetus *Itin.* & *Tab.* Peutinger. Aliàs septem aliæ fuere urbes, quarum cives pro *Adrianopolitis* sese jactaverunt & ita appellari voluerunt, quæ tamen sub prioribus nominibus, quæ ante Adrianum Imp. habuerant, remanserunt. Certè Teïi Thraciæ *Adrianopolitæ* dicti: Stratonicæa quoque urbs Macedoniæ, *ἐπικληθεῖσα ὑπ' Ἀδριανοῦ καὶ Ἀδριανοῦ πόλις κληθεῖσα*, *restaurata ab Adriano & Hadriani urbs dicta.* Neocæsaria, urbs Pontica, cives Ἀδριανοπολίτας. Mursa urbs Pannoniæ, *ἔργον Ἀδριανοῦ*, *opus Adriani*. Palmyreni quoque in Syria *Adrianopolitæ* appellati sunt, ab Imperatore *Adrianopolitæ*: quibus adde *Adrianos* urbem Mysiæ, Philostrato memoratam: quam tamen Salmasius eandem esse ait, cum *Adrianotheris* &c. V. eum *ad Spartianum in Hadriano*, ubi habet: *Et quum titulos in operibus non amaret, multas civitates Adrianopolis nominavit, ut ipsam Carthaginem* (quæ tamen nova appellatio ne eo quidem adhuc vivente, obtinuit) *& Athenarum partem.*

Adrianotheræ, urbs Mysiæ non magna, aliàs *Adriani*, ab Imp. præfato. Meminit ejus Philostratus, Ἀριστείδην Ἀδριανοὶ ἤνεγκαν, οἱ δ' Ἀδριανοὶ πόλις οὐ μεγάλη ἐν Μυσοῖς, *Aristidem Adriani tulerunt, quæ urbs non magna in Mysia.*

Adrodere, vox propria τῶν παραχαραττόντων, potiùs τῶν χαραττόντων, quos *des Rogneurs de monnoyes* Galli dicunt. *L.* 1. *Cod. Theodos. de Ponderat. Emptio venditioque solidorum, quos excidunt aut diminuunt, aut (ut proprio verbo utar cupiditatis) adrodunt, tanquam leviores vel debiles nonnullos repudiantibus impeditur*, apud Eund. Hinc de bello Monetariorum, sub Aureliano, verba faciens Victor, quod Eutropius *vitiatis nummis* dixit, Suidas, *διαφθείραντες τὸ νόμισμα*, reddit, *quòd nummariam notam corrosissent.* Ubi *nummariam notam*, dixit pro *nummis*. Alii *nummorum formam*: Cato in *Distich.*

Dilige denarii, sed parcè dilige, formam.

Non tamen idem penitus, *vitiare* & *corrodere* pecuniam: *Corrodere* enim est exteriorem circulum *abrodere*; vitiare autem *adulterare* est: adeoque solâ adrosione seu corrosione ponderis quantitas minuebatur, absque mixtura vilioris metalli, quod fiebat, cùm adulterabatur pecunia. Sed nec soli παραχαράκται nummos *adrodunt* & pondus imminuunt, verùm etiam ærugo id facit & nummos reddit leviores. Cassianus Monachus *Collat.* 1. *cap.* 22. *Sint illa, quorum pondus ac pretium ærugo vanitatis arrodens exagio Seniorum adæquari non sinit, ut numismata levia atque damnosa, minusque pensantia recusemus.* Idem *cap.* 21. *Si meriti ejus pondus inanis imminuerit & arroserit gloria*: Alibi quoque *imminuere* & *arrodere* conjungens. Hinc *asperi nummi* dicti, quos ærugo nondum adrosisset, in quibus character vetustate obsoletus & evanidus non esset, sed integer & solidè expressus appareret &c. Salmasius *ad Vopiscum in Aureliano*.

Adro-

Adrumentina seu *Hadrumentina Colonia*, apud Æl. Spartianum in *Didio Juliano*, *Maternus* (avus) *ex Adrumentina Colonia*: mel. *Adrumetina*, ut in Palatino codice legit Salmasius; Nam *Adrumetum* Latinis, ut Græcis Α'δρύμητον, V. in hac voce.

Adrus seu *Isrus*, seu *Hesrus*, dictus est olim, qui postea *Arotius* fluv. Galliæ in Æduis, in agro Augustodunensi. V. *Arotius*.

Adscriptitii, V. infrà *Ascriptitii*.

Adsessores, Gr. πάρεδροι, V. infrà in voce, *Paredri*.

Adsessoria, libri erant, de iis rebus scripti, quas agi viderant Juriscon. cùm *Adsessores* essent: à Putcolano, *l. nam & nocere. 12. ff. de pæll. & l. lex. § hac lege ff. in Jur.* Pratejus, & Brissonius, apud Joh. Calvinum *Lexic. Jurid.* Munus verò Adsessorum & functio, *Adsessura* dicitur *l. fin. ff. de Proxenet.* de voce *Adsestrix* V. Gothofredum *ad l. 16. C. de evict.*

Adstrictus color, idem cum *presso* seu *fusco* seu *austero*, quem Græci αὐστηρὸν vocant. Plinius *lib. 9. cap. 38.* de confectione purpuræ, *Buccinum per se damnatur, quoniam fucum remittit. Pelagio admodum alligatur, nimiæque ejus nigritiæ dat austeritatem illam nitoremque qui quæritur cocci. Ita permistis viribus, alterum altero excitatur, aut astringitur.* Sic *adstrictus* color, qui & pressus idem ac nigricans, *excitato* opponitur. h. e claro & acuto, quem Græci ὀξὺν dicunt, qui tamen duo colores, licèt in gradu colorum invicem opponantur, in eodem tamen simul esse possunt, sed diverso respectu. Tyria enim purpura nigrior & *adstrictior* adspicientibus apparebat, suspicientibus autem excitatissimum nitorem ac lumen affulgebat. Plinius eodem loco, *Laus ei summa color sanguinis concreti nigricans aspectu, idemque suspectu refulgens.* At excitatus & dilutus, ut & *adstrictus* & dilutus, simul esse nequeunt, nec in uno morari. Excitatus igitur & pressus seu *adstrictus*, licèt inter se diversi, ex æquo tamen utrique diluto contrarii sunt: excitatus & acutus color in cocco, pressus & *adstrictus* in purpura, *nigrantis rosæ* ut Plinius ait *colore sublucens*. Tyria purpura utrumque habebat, acumen lumenque cocci & nigritatem saturitatemque purpuræ nigræ: neutrum habebant dilutiora, ut conchylium &c. Salmasius *ad Tertullianum de Pallio cap. 3.*

Aduatici, adde: Hos ex Cimbris Teutonisque procreatos scribit Cæsar & præter cætera oppida atque castella, unum oppidum egregiè naturâ munitum habuisse, positosque fuisse, inter Eburones Regnum Ambiorigis ac Cativulci, & Nervios. Eosdem contra populum Rom. conjuravisse & in communi Belgarum concilio ad id bellum pollicitos esse 19 millia armata, *lib. 2.* prodit. Ibi enim *Aduaticos* pro *Catuacis* legendum esse, non dubitat Hadr. Valesius *Not. Gall.* Dion *Atuaticos* eos vocat, finitimosque Nerviis fuisse, & Cimbris, à quibus orti animo ac virtute similes, ait. Quæ propria illorum sedes, ambigitur. V. Auctorem paulò ante laudatum.

Advena, in L. Longobard. *Capit.* Car. M. & Caroli C. &c. Sunt alienigenæ extranei, qui vulgo *Albani*, Gall. *Aubains*, qui dimisso proprio domicilio aliò migrant & alibi sedes figunt. In hos præcipuum dominorum jus illud fuit, quòd, si nullis relictis liberis morerentur, eorum bona domino cederent. Eosdem vestigare & sequi poterant domini priores & in patriam revocare &c. Carolus du Fresne *Glossar.* V. quoque infrà *Albani*.

Adventus, nomen viri, cui olim suum *Polyhistora* Solinus dedicavit, uti ex præfatione ejus patet: qui quis fuerit, ignoratur. Sanè Romanum hoc nomen, cujus & apud Herodianum mentio, qui tamen Ἀδουεντον vocat, Græcorum more. Quemadmodum *Advena*, in *Basilicis* & *Basilicorum Glossis* Ἀδβένας est. V. Salmasium *ad Solinum pag. 3.*

Adventus, sacrum tempus quod Natale Domini præcedit, constans 4. septimanis, in Eccl. Rom. licet non idem semper fuerit hebdomadum & Dominicarum numerus: nam in Missis Ambrosianis *de Adventu Domini* sunt sex Dominicæ & prima subsequitur festum S. Martini &c. Meminit ejus Rupertus *de Divin. off. l. 3. c. 1. Tempus, quod Dominicæ Nativitatis memoriam antecedit, ideò Adventum nuncupatur, quia totus ejus Ecclesiasticus Ordo juxta contemplationem Adventus Domini dispositus est. Advenire autem rectè Dominus dicitur, qui ubique est invisibili præsentiâ Majestatis, sed assumto, quod visibile est nostrum, usibus carnis visibilem se ostendit* &c. apud Car. du Fresne *Glossar.* Secundùm Dominic. Macrum incipit tempus hoc à S. Andreæ festo, apud Latinos, à die 14. Nov. verò apud Græcos, quod etiam antiquitus in Eccl. Rom. observatum ait, undè *S. Martini Quadragesima* fuerit dicta. Idem addit, in Concilio Matisconensi, per hoc tempus feriâ 2. 4. & 6. jejunium fuisse institutum, hancque morem in Galliâ primùm introductum à Ruperto Episc. Turon. ex *Hist.* ejus *lib. 10. cap. 31.* dein quotidiè à quibusdam jejunari cœpisse, privato consilio, ex Odoric. Rin. in *Annal. Eccles.* donec circa A. C. 1270. Urbanus V. Pontificatus sui initio omnibus Clericis in Curia sua versantibus quotidiani hujus jejunii necessitatem imposuerit. Reliqua, quæ de *Adventus* addit, sic habent: *Hoc temporis spatium aliquâ mœstitiâ, ob memoriam secundi Adventus — veneratur, proinde in Missa non dicitur*, Gloria in excelsis Deo: *nec te Deum in matutino — Diaconus & Subdiaconus planetis plicatis parantur — At propter memoriam — Adventus — incarnationis — non relinquitur* Alleluia, *quæ lætitia Dominicâ præcipuè tertiâ ejusdem ostenditur, permittendo nempe Diacono Subdiaconoque tunicellis indui & Cardinalibus à violaceis coloribus feriarè & rosaceis vestiri, imò antiquitus in hac Dominicâ ipsemet Pontifex solenniter celebrare solebat. Item* Dominica vacans *dicebatur quarta Adventus — quia tunc Pontifex relictis aliis occupationibus, solùm largiendis eleemosynis incumbebat — Propter hanc fixam vacationem, si vigilia Nativitatis in hac Dominica occurrerit, nona lectio non legitur de homilia Dominicæ, neque Evangelium ejusdem dicitur in fine Missæ — quia in præcedenti Sabbato jam dicta fuere. Quare in Adventu consueta commemorationes non dicuntur — in Hispania cooperiuntur imagines* &c. V eum in *Hierolexico*, In eadem Eccl. *Adventio* dicitur translatio reliquiarum aucti alicujus, apud Adonem Vienn. At *Jocundus Adventus*, est tributum Domino exsolvi solitum, cùm primùm ad aliquam dignitatem pervenit, ut cùm ad Regnum Reges evehuntur. *Computus* Thesaurariorũ Franc. A. C. 1316. *Pro dono facto Regi ratione* jucundi adventus *sui & exercitus Flandriæ* 500. *lib. Tur.* apud Eundem, qui hanc in rem laudat Cognatum *Histor. Tornac. l. 4. cap. 15.* Concilium Lateranense IV. *can. 57.* & Chopinum *de Sacr. Politia l. 1. tit. 8. §. 13.* additq; ab Episcopis etiam exactas ejusmodi præstationes in eorum *jocundo Adventu*, legi in *Gestis* Abbatum *S.* Germani Autissiodor. *cap. 18.* in *Constitut.* Siculis *lib. 3. tit. 18.* & apud Hubertum in *Probat. Histor.* Ecclesiæ S. Aniani *pag. 62.*

Adversaria, ab *adversa*, sicut *Opistographa*, ab aversa parte, dicebantur schedæ, in quibus extemporalia scripta & nondum emendata olim adlinebantur; rationes inprimis ac diurna, quæ postea in mundam chartam, & quæ ab una parte tantùm scribebantur, transferebantur, V. Scaligerum *lib. de Papyro adv. Guilandinum.* De la Cerda sic postea vocari ait Commentaria alicujus textus seu scripturæ, eo quòd hæ notæ fiebant in eo libro, ex parte textui oppositâ: hinc ipse suum opus *Adversaria sacra* appellavit, Dominic. Macer *Hierolex.*

Adula: adde: Principem inter Rhætica juga locum tenet, diciturque Α'δούλα Straboni *lib. 4.* Illius summitas *der Vogel*, aut *Vogelberg*, Rhætis *colmen del ocello* aut *ocello*, vel *Monsteu del vocello*, Italis *monte del Uccello* vocatur, annotante Gaudardo. Secundum alios *Mons S. Bernardini*; *Braliam* simplicitas nuncupat vernacula, Simler. Vigenereus Gotthardi, Crispaldi & Lucumonis montes sub *Adula* comprehendit. V. Joh. Baptistam Plantinum *Helv. Antiq. & Nov.*

Adulta Nox, apud Avienum *in Arateis*,

> — *Vel duri sideris index*
> *Scorpius exoriens sit tempore noctis* adultæ,
> *Hic matutino veniens prorsùs æquore Chelam*
> *Erigit ex pelago*,

Ubi scorpium exorientem, *noctis adultæ* tempore facit: est illud tempus seu illa pars noctis, quâ ea finem accipit, adveniente die. Scorpius enim matutinus oritur. Quo sensu idem *maturam noctem* posuit, de noctis supremo tempore, quod Aratus dixit ἀκρόθι νυκτός. Mira tamen hæc locutio videtur, *adultum & maturum* vocare quod extremum est atque ultimum. Repugnat enim Vett. Latinorum usus, quibus *Adulta nox* potiùs de media nocte dicitur; quemadmodum *adulta æstas* & *adulta hyems*, inter primam & extremam media est. Sic *Matura dies*, Virgilio, plena est, ac clara, dubiæ & incertæ luci, qualis sub crepusculo est, opposita. Sed Gr. τὸ ἄκρον vocant, non solùm quod *extremum* est, verùm & quod *perfectum* & in summo perfectionis constitutum. Res n. omnes, ubi certum statumque floris sui cacumen ascenderunt, postea decidunt ac retro feruntur. In eo acumine dum sunt, ἀκρότητα suam obtinent. Sic ætas ea demum perfecta est, quæ modum habet nec ampliùs perfici potest. Quia autem plures sunt ætatum differentiæ, in singulis hoc ἄκρον & τέλειον consideratur: sicque virilis ætas ea demum matura est, quæ ampliùs non habet, quo virilior fieri possit. Senectus etiam maturitate suâ censetur, quam ubi assequuta est, in decrepitam fertur. Unde *matura senectus*, & *maturi senes* Poëtis, &c. Omnia tandem, quæ ἐν ἀκμῇ sunt, etiam ἐν τῷ ἄκρῳ consistere videri debent: & sanè utrumque ab eadem origine. Inde igitur est, quòd Avienus maturam *& adultam noctem* ἀντὶ τοῦ ἄκρου καὶ τελείου *noctis* posuit, quia omne maturum & *adultum* etiam ἄκρον. V. Salmasium *ad Solinum pag. 719. & 720.*

Adultera, priusquam convincitur, suspecta est: de qua Lex sic sonat Numer. *cap. 5. vers. 12. Si viri cujuscunque uxor declinaverit, & — immunda facta fuerit — adducet vir ille uxorem suam ad Sacerdotem, adducetque cum ea sacrificium pro ea — adducet itaque illam Sacerdos & stare eam faciet ante Dominum. Assumet quoque Sacerdos aquas sanctas in vase fictili & de pulvere, qui fuerit in pavimento Tabernaculi, tollet — & ponet in aquam* &c. V. infrà, ubi de *Amaris aquis* & *Zelotypia*. Maritum autem Zelotypum, eum hîc intelligunt Magistri, qui præmonuerat uxorem, ne deinceps in secreto esset cum aliquo, sive patre ejus, sive fratre, nedum aliis plus dissitis, sive gentili sive servo, idque coram testibus; quæ nihilominus cum ipso, de quo præmonita erat, in secreto esset occultata, idque testibus item probaretur. *Quantillo tempore pullum fœmina possit, id est, quantillo tempore ovum* (gallinæ) *& as-*

sari posset & *absorberi* &c. Adulterio ritè probato, pœna mors fuit apud Hebræos, at non idem mortis genus cuilibet *Adulteræ*: Quod enim adulterium committebatur in uxore, quæ filia Sacerdotis non erat, eaque aut nuptâ, aut tantùm desponsatâ, strangulatione puniebatur, Levit. *cap.* 20. *vers.* 10. & Deuteron. *cap* 22. *vers.* 12, 23. Verba Legis sunt, *Morte interficiatur, tam adulter, quàm adultera.* Si desponsata esset virgo, necdum nupta, lapidatio utriusque pœna erat. Ubi verò Sacerdotis erat filia, ipsa comburenda, adulter autem strangulandus erat, Levit. *cap.* 21. *vers* 9. Et quidem de adultera desponsata, nec dum nupta, juxta Hebræorum placita, capiendum illud, quod habetur in historiola illa sacra *Adulteræ* in Evangelio Johannis *cap* 8. *vers.* 4. *Magister, hanc deprehendimus in ipso facinore adulterii. In lege autem nostra Moses præcepit, ut hujusmodi fœmina lapidaretur*: de qua periocha fuse agit Seldenus *Uxor. Hebr. lib.* 3. *cap.* 11. &c. Uti verò capitali supplicio plectebantur adulteri, apud Judæos, sic juxta Philonem *lib. de Josepho* etiam nullibi non capite plecti jure potuere; saltem deprehensi à deprehendentibus Certè Solonis lex erat, ἐὰν δ' ἐπὶ μοιχὸν λάβῃ, ὅ, τι ἂν βούληται χρῆσθαι, *Si quis adulterum deprehenderit, de eo quodlibuerit, statuat.* Et de maritali jure velut hîc receptissimo, Cato *Or. de Dote*, apud A. Gellium *lib.* 10. *cap.* 23. *In adulterio uxorem tuam si deprehendisses, jure necares*; cui consonæ XII. Tabb. *Mœchum in adulterio deprehensum impune necato.* Atque aliæ, quæ citra sunt mortem pœnæ, pro deprehendentis arbitrio irrogatæ, uti discimus ex Scholiaste Aristophanis *Pluto*, Juvenali *Sat.* 10. Martiali *lib.* 3. *Epigramm.* 43. Aliis. Unde illud Syncerasti apud Plautum in *Pœnulo Actu* 4. MI. *Quid agis?* SY. *facio, quod manifestò mœchi haud ferme solent.* MI. *Quid id est?* SY. *refero vasa salva.* Cujusmodi jus, mœchum deprehensum mutilandi, apud Anglos quoque olim viguit, non alii tamen, quàm marito, concessum. Etiam de deprehensis impunè occisis, à Patre sive naturali, sive adoptivo, idque ex lege Julia, luculenta sunt in jure Cæsareo testimonia; quod juris marito illic negatur, nisi in domo sua deprehendantur & adulter persona infamis sit. Atque non judicatos ita impunè necari adeò postea receptum est, etiam inter Christianos, ut generali nomine *Legis mundanæ* in Jure Pontificio designetur, *Caus.* 33. *quæst.* 2. c. 6. Et quæ morem planè receptum redolent, occurrunt apud Hincmarum in *Respons.* de divortio Bosonis & uxoris suæ & Nicolaum I. *Epist* ad Rudolfum Archiep. Bituricensem. Certè ab Jureconsultis admitti solet, ut planè licitus, in Foro saltem contentioso: An in foro quoque conscientiæ, quæstio est celebris, negantibus quidem omnino Viris consultissimis & cædem ejusmodi peccatum esse, asserentibus &c. Porro in *Partitas* quoque Hispanorum *Legesq;* Lusitanorum, receptum est heic jus vetus Cæsareum, uti item in populorum aliquot aliorum mores. Imò & ex jure Justinianeo, si suspicetur vir quempiam uxoris suæ pudicitiæ insidiari, & post tres denuntiationes, quibus omnimodus uxoris & insidiantis congressus vetetur, *invenerit eum convenientem suæ uxori quidem in sua domo aut ipsius adulteri, aut in popinis, aut in suburbanis, permittitur licentia marito propriis manibus talem perimere*, *Aut. Coll.* 8. *tit.* 18. *cap.* 15. Utut autem se res habuerit, jus illud deprehensos occidendi, quod prædicat Philo, neque in Susannæ pro deprehensâ habitæ historiâ, neque in adulteræ in Evang. Johannis causâ, omnino admitti videtur. Quod verò ad illa Philonis attinet, quibus adulterium morte passim multandum, uti apud Ebræos, asseri videtur: certè, dum vixit Philo, ne Ægyptiis quidem, inter quos ille, pœnæ ejusmodi usus erat forensis, uti nec Atheniensibus aut Romanis, ut de aliis taceam. De Ægyptiis disertè Diodorus *Biblioth. lib.* 1. *cap.* 78. *Adulterium apud eos vi commissum, genitalium abscissione; sine vi, mille plagis adultero, narium detruncatione adulteræ irrogandis punitum*, licet seculis vetustissimis adulteras quasdam à Sesostri R. vivicomburio plexas idem memoret *Ibid. cap.* 59. Athenis autem si quis reus peractus ἐπὶ τῷ ἐγκλήματι, ἐξὸν ἐγχειρίδιῳ χρῆσθαι ὅ, τι ἂν βούληται, *Judicium erat in eum pro arbitrio animadvertere, excepta pœnâ gladii*, uti disertè legitur apud Demosthenem *Orat. in Neæram.* Utrum autem ex jure Cæsareo veteri pœna adulterii forensis esset vitæ amissio, sæpè disputatum est; sc. an à Lege Julia aliaque vetustiori. Sed à Viris doctissimis demonstratum, ex jure recepto pœnam ejusmodi non irrogandam fuisse, antequam ab Augustis Christianissimus exciperetur; Sed relegationem, aliamve citra mortem coërcitionem. Quamvis certum sit, ab Augusto etiam suas Leges egrediente adulteros morte punitos aliquos, ut & postea ab Opilio Macrino, qui *adulterii reos semper vivos simul incendit junctis corporibus*, ut de eo Julius Capitolinus. Vulgò autem habetur Constantinus M. auctor primus Legis, de morte adulteris ex jure Cæsareo irroganda. Et sanè in Codice Justinianeo occurrit rescriptum ejus ad Evagrium de accusatoribus adulterii, ad cujus calcem adjicitur, *Sacrilegos autem Nuptiarum gladio puniri oportet*, circa A. C. [illegible]6. V. *l.* 30. *quamvis C. tit ad leg. Jul. de Adult.* Constantius dein ac Constans culeum aut vivicomburium introduxere: sub Valentiniano & Valente, Cethegus Senator adulterii reus delatus *cervice periit abscissâ*, uti refert Ammianus Marcellinus *lib.* 28. quâ eadem pœnâ fœminas aliquot illustres tunc temporis, ob idem crimen, adfectas, addit. Leo tamen & Majoranus Augg. relegatione perpetuâ in reos animadverterunt, circa A. C. 459. donec Justinianus jus hoc de morte puniendis adulteris constans voluit esse ac perpetuum. Orientali autem jure Cæsareo recentiori ὁ μοιχὸς καὶ ἡ μοιχαλὶς ῥινοκοπείσθωσαν, *Adulter & Adultera nares præcidantur*; Sic Harmenopulus *Prochir. lib.* 6. §. *ult.* Addit Michael Attaliates *Synopsi tit.* 70. τυπτομένους καὶ κουρευομένους, *verberatis & tonsis*: Etiam *adulteram* exulem fieri bonisque spoliandam. Seculis recentioribus morte, verberibus, multà aliterque pro variis gentium moribus atque aliter punitur id crimen: & ubi cognitio ejusdem ad Forum spectat solùm Pontificium, excommunicatione & pœnitentiæ solennis sive ritu ipso publico seu redemptione, V. plura hanc in rem apud Joh. Seldenum præfatum in *Uxore Ebraica lib. III. cap.* 11. *& seqq.* & infrà in *Adulterium.*

Pœnæ Adulterorum apud varias gentes.

apud *Anglos*, adulterium viveri emendari sanxit Henricus I. *cap.* 11. *&* 12. At *LL.* Edmundi R. *cap.* 4. Adulter ut homicida punitus. Canutus vero adulterum exilio, adulteram narium auriumque truncatione, punivit, in *LL. part.* 2. *cap.* 6. *&* 50. V. quoque suprà.

apud *Aragonenses*, secundùm Foros antiquos, *si conjugatus aut conjugata erant deprehensi in adulterio, amittebant vestes suas & solvebant 60. solidos de calumnia. Si conjugatus cum conjugata — solvebant dictam calumniam duplicatam — aut flagellabantur.* Michaël del Molino *Repertor. Foror. Aragon.*

apud *Bohemos*, pœna decapitatio fuit, teste *Vitâ* S. Adalberti Episc. Pragensis *num.* 9.

apud *Francos*, adulteri nudi per urbem aut villam traducebantur, quod *trotari* apud eos dictum, V. suo loco.

apud *Hispanos*, adulteri castrabantur, Luc. Tudensis de Bamba R. V. Luithprandum *lib.* 6. *cap. ult. LL.* Ælfredi R. c. 25. Saxonem Gram. *Histor. Dan. lib.* 5. *pag.* 77. &c.

apud *Mahometanos*, mulier quatuor testibus Musulmannis convicta, detineri jubetur in ædibus suis, ad mortem usque in Alcor. *Azoarâ Lat.* 8. At *Azoarâ* 34 centum sunt ictus, quibus in adulterio deprehensi flagellantur. Sequitur in Alcorano, quod pœnam auget, *Adulter minimè ducat, nisi adulteram aut associantem seu participem facientem, nec ducat adultera nisi adulterum aut associatorem. Hoc enim credentibus seu Musulmannis est interdictum.* V. infrà in *Associans.*

apud *Polonos*, cum adhuc pagani essent, adulter *in pontem mercati ductus per folliculum testiculi clavo affigebatur & novaculâ prope posita, hic moriendi sive de his absolvendi dura electio dabatur*, Ditmarus *lib. ult. pag.* 106.

apud *Saxones*, *olim si mulier maritata — adulterium perpetrasset, aliquando cogebant eam propriâ manu per laqueum suspensam vitam finire: & super bustum illius incensæ & concrematæ corruptorem ejus suspendebant. Aliquando congregato fœmineo exercitu, flagellatam eam mulieres per pagos circumquaque ducebant virgis cædentes & pungentes minutis vulneribus cruentatam & laceratam de villa ad villâ mittebant & occurrebant semper novæ flagellatrices, usque quò eam aut mortuam aut vix vivam derelinquerent*, Petrus Opmerus in *Chronologia pag.* 345. V. quoque Tacitum *de Moribus German.*

in *Ungaria*, adulteras vivas defodere, moris est.

apud *Wisigothos* olim, *Adulter & Adultera* marito adducebantur: cui, si adulter filios non haberet, hujus bona cedebant, ut extat in *L. Wisigothorum lib.* 3. *tit.* 4. §. 1. 3. 12. Ut alias gentes in præsens non attingam. Addam saltem, in Cantio, prov. Angliæ, Regem olim *adulterum*, Archiepiscopum *adulteram* habuisse, & illum quidem 8. sol. 4. denarios persolvere coactum fuisse; hanc verò tantundem &c. Domesdei apud Carol. du Fresne *Glossar.* V. etiam, quod hîc laudat, *Chronicon Besuense pag.* 672.

Adulterare monetam, non idem cum *adrodere*, ut vidimus suprà. Multis verò modis monetam *adulterabant* olim hodieque Monetarii, aut miscendo & adulterando inter se metalla, ut aurum argento, argentum ære, æs plumbo: aut adulterinam monetam clam exercendo, ut sub Constantino fecisse, testis est *lex* 2. *Cod.* Theodos. *de falsa mon.* aut secernendo separandoque metalla, ut argentum ab ære, quemadmodum Monetarii quidam sub eodem Constantino fecerunt, ut indicat *l.* 6. *tit. eod.* his verbis: *Comperimus nonnullos Flaturarios majorinam pecuniam non minùs criminosè, quàm crebrè, separato argento ab ære purgare.* Majorinæ enim illæ pecuniæ argento ære mixto flabantur. Flaturarii autem argentum separabant, & æs solùm in figuranda moneta exhibebant, in quo non mediocre compendium faciebant Monetarii; quæ separatio vulgò *flagnatio* dicta est, teste Isidoro in *Gloss.* ubi legimus, *flagnare, metalla secernere* Ipsa verò adulterina pecunia & falsâ cusione formata, *paracharaxima* dicitur Cassiano & *paracharaxi*mi *nummi*, V. infrà. Quonam autem horum modorum vitiata fuerit pecunia, sub Aure-

Nano

liano Imp. incertum; certè *fuit sub eo Monetariorum bellum, Felicissimo rationali auctore: quod acerrimè severissimeque compescuit, septem tamen millibus suorum militum interemtis*, apud Flav. Vopiscum, ad quem vide *Notas* Is. Casauboni & Claud. Salmasii.

Adulteri, Scriptoribus Ecclesiasticis dicuntur, qui civitatis Episcopo adhuc superstite, ejusdem Episcopatum invadunt aut quempiam ad Episcopatum promoveri patiuntur; Episcopo adhuc vivente. Episcopus enim spirituales nuptias cum Ecclesia sua contrahere ipsis dicitur. Liberatus Diaconus *cap.* 14. *Cumque super hoc multa dubitatio processisset, volentibus civibus neminem penitùs ordinare, ne* Adulteri *viderentur (Dioscoro quippe vivente) novissimè in Proterium universa sententia declinavit.* Et *cap.* 17. *Porrò Hæretici, ut jam dictum est, Petrum latenter instituerant, quem jussit Zenon Imperator expelli, tanquam hæreticum & Adulterum* &c. apud Car. du Fresne *Glossar.*

Adulterium, primus inter Gentiles pœnâ affecisse legitur Hiectus Argivus, apud Alexandr. *Genial. dier. lib.* 4. *cap.* 1. quem alii *Hiettum* vocant, V. Pausan. *Bœot.* Ægyptii *Adulteros* mille plagis cæsos castrarunt, Laur. Rhodomannus in *Diodor. Siculi lib.* 2. *cap.* 3. quorum severitatem Romanos quoque sequutos esse, innuit Hor. *Satyrâ* 2. *lib.* 1. *v.* 46.

——— Quin etiam illud
Accidit, ut cuidam testes, caudamque salacem
Demeteret ferrum.

Apud alios tanti flagitii pœna erat, membrorum detruncatio artuumque mutilatio & præsertim aurium nariumque, ut ipso vultu sceleris atrocitatem loquerentur; Adr. Turnebus *Adversar. lib.* 28. *cap.* 46. Martialis *lib.* 3 *Epigr.* 83.

Quis tibi persuasit nares abscindere mœcho?

Combustione porrò punita esse *Adulteria*, patet ex sacris, V. Genes. *cap.* 38. Mosaica postea lex lapidatione illa ulta est, V. Ezech. *cap.* 16. *vers.* 38. quam pœnam simpliciter *mortem* vocari, probant quidam, ex Levitici *cap.* 10. *vers.* 19. *Morte plectatur.* Alii tamen generali hoc vocabulo suffocationem, utpote mitius mortis genus, cùm favores ampliandi sint, hic intelligunt. Apud Græcos pœna in viris ῥαφανίδωσις & παρατιλμὸς fuit, quò alludit Juven.

——— Quosdam mœchos & mugilis intrat.

Fœminas verò templorum aditu arcuerunt, quæ si matronarum habitu incederent, cuique obvio vestes illarum dilacerare jus erat. Apud Romanos antiquissimis temporibus, cognati unà cum viro de adultera judicarunt: juxta legem à Romulo latam, *Adulterii convictam, vir & cognati, uti volent, necanto.* Insequutus dein Numa aliam, super eodem crimine, legem tulit, cujus capita: *Pellex aram Junonis ne tangito, si tanget, Junoni crinibus demissis agnam fœminam cædito*, apud Festum Pomp. *lib.* 14. M. Fabius matronas stupri damnatas pecuniâ multabat, T. *Liv. Dec.* 3. *lib.* 5. Alii relegatione, V. Sueton. in *Augusto cap.* 65. dotis amissione, V. Sen. *Controv.* 8 *lib.* 2. gladio, V. Sueton. *in Julio cap.* 48. deturbatione è Saxo Capitolino V. L. Senec. *lib.* 1. *Declam.* 3. &c. Tandem ab Augusto lata Lex Julia est, coërcendis adulteriis stuprisque, Sueton. *in eo cap.* 34. in cujus laudem Horat. *lib.* 4. *Carm. ode* 5.

Nullis polluitur casta domus stupris,
Mos & lex maculosum edomuit nefas,
Laudantur simili prole puerperæ,
Culpam pœna premit comes.

Ejus capita hinc inde dispersa collegit Barn. Brissonius, illaque eleganti commentario explicavit. Sequentibus temporibus, veluti obsoletam, postliminii jure reduxit Domitianus. Unde Martialis *lib.* 6. *Epigr.* 2.

Lusus erat sacræ connubia fallere tædæ,
Lusus & immeritos exsecuisse mares.
Utraque tu prohibes Cæsar.

Pœna, relegatio. Ancyrana Synodus *Can.* 7. *Adulterum à participatione sacrorum mysteriorum exclusit septem annis integris.* Moscovitæ in partes dissecant; Nonnullæ gentes *ferreis catenis collo adulteri saxa alligabant ut, omnibus ludibriis expositus solo terrore fragiliorem sexum à corruptela arceret*, Olaus M. & ex illo Corn. Scribonius Graphæus *Epit. lib.* 6. *cap.* 12. Apud eosdem *lib.* 14. *cap.* 6. *Mulier adulterans, testimonio sex virorum deprehensa, perdit dotem, & quidquid secum tulit in cohabitationem viri:* quæ lex non barbara, sed Romana videri posset, V. *suprà.* Plato adulterum Magistratu arcendum censuit, *de Legg.* 9. *lib.* 8. De vett. Germanis Tacitus *de mor. Germ. Adulteriorum pœna*, inquit, *præsens & maritis permissa. Accisis crinibus nudatam coram propinquis expellit domo maritus, ac per omnem vicum verbere agit.* &c. Plura V apud Thom. Dempsterum *Antiqq. Rom. lib.* 8. *Paralip. ad cap.* 24. Berneggerum *Quæstion. in Tac. Germaniam* 103. 104. *&c.* Adjiciam hoc unum, quod ne inter milites quidem adulter recipi potuerit, apud Romanos, ut habet Menander *JC. C.* 3. *ff. de Re milit.* Plura hanc in rem retrò dicta sunt.

Adunatus, μονόχωρος ἐν πινάκι, in vett. *Gloss.* Gr. Lat. *Adunatus in tabula*, id est, ad unum redactus calculum, ὁ μονωθεὶς, cum uno calculo solo relictus: cui calculus unus in suo loco sedeque relictus est: cœteris à collusore captis. In ludo enim tum calculorum tum tesserarum, quam πεττείαν Græci dicunt, lineæ, in quibus disponebantur calculi, χῶραι vocabantur. Hinc μονόχωρος, tam in tesseris, quàm in latrunculis, lusor ille, qui omnibus suis calculis spoliatus & victus abibat, utpote qui ad unum esset redactus. Unde Aristæneto in *Epistolis* nomen infelicis aleatoris ac tablistæ, μονόχωρος *lib.* 1. *Epist.* 23. Porrò loca illa in alveo seu tabula lusoria, etiam νόμους appellare consueverunt. Etymologicum magnum, πρὸς τὸν νόμον, ὃς ἔχει παλαμήδειος ἀβάκιον, *ad loca, quæ habet Palamedis tabella.* χωρομάνδρα quoque vocabant: Latini *mandras*. Martialis,

Mandris & vitreo latrone clausus.

Auctor Panegyrici,

——— Hic ad majora movetur,
Ut citus & fractâ prorumpat in agmina mandrâ.

Item *septa, vallos, capsos, carceres*, &c. Salmasius *ad Vopiscum in Proculo.* C. du Fresne vocabulum hoc unum est ex nominibus *locorum* in tabula; alia fuere *Antigonus, Divus* &c. ex Agathiæ *Epigramm lib.* 1. *Anthol. cap.* 61.

Advocare, in *LL.* Inæ Regis, apud Bromptonum *cap.* 52. 59. in *LL.* Ethelredi *part.* 2. *cap* 9. *part.* 3. *cap.* 10. & in *LL.* Eduardi R. Saxonicis *cap.* 2. est rem factam agnoscere, seu in se suscipere, Gall. *advoüer*: furto inprimis venditam. Erat enim olim in more positum, ut si quis rem furto surreptam mercatus, eandem alteri vendidisset, atque is porro rem illam cuiquam alienasset, idemque fecissent alii præterea plures; Domino tamen per leges liceret, rem suam ubivis deprehensam suo sibi jure vindicare. Tum verò ejus, quem penès erat res deprehensa, partes erant, venditorem proferre, causæque illum *advocare*, ut is venditionem præstaret atque in se susciperet. Is demum causæ advocatus alium citabat aliquem atque ita alio alium advocante, in ipsum tandem furti auctorem culpa transferebatur, quod ipsum Francî Vett. dicebant, *Voucher à garantie*; quod idem est ac *Appeller son garant.* A cujusmodi rerum venditarum *advocationibus*, translata postmodum vox est, ad id, quod quis ut suum, aut à se factum, agnoscit. Concilium Lugdun. A. C. 1274. *cap.* 22. *Recognoscendo seu profitendo ab illis ea, tanquam à Superioribus se tenere, sive ab ipsis eadem advocando, prout in quibusdam partibus Gallicanis vulgariter dicitur advouer. Chron.* Nangii *A. C.* 1296. *Nihil ab eo se tenere in feudo aut quoquo modo alio advocabat*, &c. apud Car. du Fresne *Glossar.* Alias *Advocare*, est Advocatum postulare, vel sub Advocati patrocinio se collocare, Gall. *s'Advoüer de quelqu'un.* In *Charta* Margaretæ Comit. Flandriæ pro Eccl. Tornac. A. C. 1250. *Ita tamen quòd dictus Episcopus & successores sui, nos & successores nostros Comites Flandriæ, qui pro tempore fuerint, si indiguerint auxilio*, advocabit, *nec alium dominum secularem poterunt advocare*, &c. Hinc *Advocati Ecclesiarum*, qui jura, bona & facultates Ecclesiarum tuebantur: quibus id muneris conferebatur, ut essent, qui in publicis judiciis eorum causas defenderent & actoris vel rei partes agerent. Hos tum primùm post Consulatum Stiliconis institutos, innuit Synodus Carthagin. *can.* 99. *pro causis Ecclesiæ*; à diversis muneribus, *Defensores & Causidicos*, quoque dictos. Erant autem ex ordine *Scholasticorum*, id est, *Advocatorum, qui in actu erant — defensionis causarum*, ut est in Cod. Canonum African. *cap.* 97. antiquitus: Nam Ecclesia suos antea Defensores habebat, sed ex ordine Ecclesiastico, qui etiam *Oeconomi* dicti, atque inde Defensorum Laicorum origo manavit, cùm aliàs Clerici Laicorum Forum terere & litibus causisque vacare vetarentur. Postmodum id muneris attributum viris militaribus ac potentibus, ut essent, qui non linguâ duntaxat, sed & armis jura tuerentur Ecclesiarum, quarum protectionem in se recipiebant. Hoc modo Ecclesia Rom contra Longobardos, Reges Franciæ & Impp. Occidentis sibi *Advocatos* delegit. Unde Carolus M. *Advocatus S. Petri*, in *Vita* ejus: Pipinus *Defensor Romanus* apud Baron. A. C. 761. *num.* 18. Conradus Imp. *Advocatus Pacificus*, apud Brovverium *Antiqq. Fuldens. lib.* 3. *cap.* 17. Fridericus I. *Eccl. Rom. Defensor*, apud Radericum &c. dicti occurrunt. Quem morem imitatæ reliquæ, quæ sub ipsis Principibus suorum interdum hostium & usurpatorum patebant injuriis, suos quoque sibi *Advocatos* sumsere. Et primitus quidem eligebantur illi in præsentia Comitum, ab ipsis Episcopis seu Abbatibus, ut est in *L.* Longob. *lib.* 2. *tit.* 47. *§.* 2. 4. 7. facultate hoc faciendi Ecclesiis indultâ à Regibus Principibusque, cum hujusmodi Formula, quæ habetur in *Charta* vet Caroli R. Franc. pro Frotario Archiep. Burdegal. & Ecclesia S. Juliani, in Comit. Brivatensi, *Liceat eis qualemcunque suâ sponte elegerint*, Advocatum *habere, ipsumque* Advocatum, *nemo præsumat temerario ausu distringere, sed nostro coram Comite Palatii res jam prælibati Martyris, videl. S. Juliani, absque alicujus inquietudine vel morarum dilatione liceat inquirere* &c. V. & alias, apud *Auctores*, magno numero laudatos Carolo du Fresne in *Glossar.* Interdum petebantur *Advocati* ab ipso Principe, à quo deligebantur, vel ab ipsis ultrò dabantur, vel ab ipsis Episcopis, aut tandem à Pontifice: Nonnunquam Ecclesiarum fundatores ipsi earum *advocatiam* sibi posterisque reservabant, ut videre est in *Chron.* Montis Sereni A. C. 1127. Tenebantur autem *Advocati in illo Comitatu*, in quo erant Ecclesiæ, *propriam*

habere hæreditatem, uti cavetur in *Capitulis ex L.* Salica & Gumbada *cap.* 14. Itaque per hos Epiſcopi, Abbates & Sacerdotes, in jure reſpondebant, atque in prima litis conteſtatione juramentum calumniæ ſubibant: unde *L.* Longob. *lib.* 2. *tit.* 47. §. 8. ſingulis Epiſcopis, Abbatibus & Abbatiſſis conceſſit, ut duos *Advocatos* haberent, *unum qui cauſam procuret, alterum qui ſacramenta deducat.* Intererant igitur Comitum placitis & ut Patroni, Eccleſiarum ſuarum jura tuebantur. Eorundem in diſtractionibus ac alienationibus rerum Eccleſiaſticarum requirebatur conſenſus: ac donationes aut reſtitutiones Eccleſiæ cùm fierent, illas habebant ratas. Munus denique illorum erat, Monaſterii bona *ab omni rapina & indebitis exactionibus illæſa* conſervare, ut eſt in *Charta* Eberti Bambergenſis Epiſc. in *Metropoli* Salisburgenſi *tom. II. pag.* 29 Abbatibusque à conſiliis eſſe, in rebus majoris momenti, uti legimus in *Chron.* Lauriſham. *pag.* 74. Sequentibus temporibus *Advocati* ipſimet judicia exercuere jusque dixere Eccleſiarum ſuarum vaſallis; Ter autem in anno, quemadmodum Comites, *placita* ſua ſeu *malla* tenebant, quæ *tria generalia placita* dicuntur, in *Charta* Adalberonis Epiſc. Metenſis A. C. 1065. apud Meuriſſium. Quæ ne gratis tenere viderentur, conceſſa iis eſt ex recepto uſu tertia *bannorum* ſeu mulctarum pars, quæ in reos & injuſtè litigantes decernebatur: ita tamen, ut nihil præterea poſſent exigere, cùm partes duæ aliæ in uſus Eccleſiæ cederent; quæ quidem tertia pars Judicum ſemper fuit in mulctis judiciariis, ut conſtat ex *L.* Bajuvar. *tit.* 2. *cap.* 16. Unde paſſim *Tertii banni Advocatorum* mentio in vett Tabulis. item *tertii denarii*, *tertiæ partis compoſitionum*, *tertiæ partis legum* &c quo modo tertia hæc pars conſueverat appellari. Præter hanc verò partem, tenebantur Eccleſiarum Præſules, dum hæcce obirentur placita, *Advocatis* famulisque eorum certa ac definita præbere cibaria, ut docet du Freſne ex *Charta* Henrici III. Imp. pro Monaſterio S. Maximini Trevir. apud Nicol. Zylleſium & ex *Juribus* Bambergenſis Eccleſiæ pro Advocatia, in *Metropoli* Salisburgenſi *tom.* III. *pag.* 90 Sed *Advocati* levioribus ejusmodi commodis ac emolumentis non contenti, alia inſuper jura in Eccleſiarum prædiis non ſibi duntaxat aſſeruere, ſed & ipſa interdum uſurpavere prædia, tantumque eorum rapacitas ac tyrannis crevit, ut ſæpe à Principibus ſummoverentur, aliis ſubſtitutis: unde *damnoſi & cupidi* appellantur in *Capitulari* 1. Caroli M. A. C 802. V. quoque *L.* Longobardorum *lib.* 2. *tit.* 47. §. 1. Ut igitur eorum exactiones & uſurpationes coërcerentur, Principes operâ identidem Pontificesque adhibuere Hinc in Concilio Remenſi A.C. 1148. *can.* 6, & Lateran. ſub Innocentio III. *cap.* 45. *Præter jus & beneficium antiquitus conſtitutum ſibi aliquid accipere vel uſurpare* vetantur. Inde etiam proviſum, ut ratæ haberentur *Advocatorum* præſtationes, quæ *legitima Advocatorum jura* dicuntur Ditmaro *lib.* 2. *pag.* 22. & ut in Diplomatibus, in quibus de eorum inſtitutione agitur, deſcriberentur ea, quæque habentur in *Geſtis* Abbatum Laubienſium *p.* 663. in *Codice* Donat. piar *cap.* 95. *in Hiſt.* quoque Guinenſi *p.* 191. apud Hemereum in *Auguſta Viromand. pag.* 96. &c. Quibus adjunge *Bullam* Nicolai Pontif. ad Theodoricum Virdun. Epiſc. exſcriptam Carolo du Freſne in *Gloſſar.* Nonnunquam autem eorum ſtipendia erant, pro lubitu Abbatum, uti diſcimus ex *Chron.* Montis — Sereni A. C 1127. Tandem verò, cùm eò devenit rerum ſtatus, ut cuilibet ſua jura armis & bello proſequi ac tueri liceret, Epiſcopi cæterique Præſules, quibus arma ferre in Conciliis toties fuerat interdictum, non jam *Advocatis*, qui res ſuas in placitis ac mallis defenderent & tutarentur, opus habuere, ſed militibus ac proceribus, qui ſuos in prælium vaſſallos poſſent educere. Hinc ut *Advocatos* ſuos ac Proceres, quos ad ſui tutelam adſciſcebant, magis ſibi devincirent ac obſtringerent, bonorum Eccleſiarum ſuarum partem indulsêre, quæ clientelari jure ab ipſis Eccleſiis in feudum poſſiderent, & hac ſaltem ratione, tanquam Eccleſiarum vaſſalli, earum bellis intereſſe tenerentur. Sic *totam terram S. Crucis* (Eccleſiæ Aurelianenſis) *Fulco Epiſc. pro adjutorio ſui Hugoni potentiſſimo Belvacenſi dederat*, A. C. 652. apud Hadoindum Epiſc. Cenom in *Teſtam.* cujus Briſſonius meminit. V. præter alios Juſtellum in *Hiſtor. Turenenſi p.* 19. Quapropter fidei ſacramentum ſeu hominium Præſulibus Eccleſiarum *Advocati* præſtabant, cujus rei multa apud Auctores mentio. Neque tamen id ſemper obtinuit: nam interdum *Advocati*, ratione Advocatiæ, Regi vel Principi obnoxii erant, ſi nempe ab eo Eccleſiis eſſent dati. Cùm enim Princeps jure Monarchiæ Eccleſiarum omnium Regni ſui *Defenſor* ſit & *Advocatus*, ſi quem iis tutandis Advocatum deſtinat, Regius is omninò vaſſallus eſt. Potiori jure ſi Rex ipſe *Advocatus* inſtitutus fuerit & electus ab Eccleſia, vel Eccleſiam conſtruens ac dotans, Advocationem ſibi reſervarit & alii commiſerit: tunc enim *Advocatus* delegatus Regem, ut *Majorem Advocatum* Dominum agnoſcit &c. Ejusmodi igitur *Advocatorum* erat, neceſſitate compellente, res & facultates Eccleſiarum bello tutari, earumque milites ac vaſallos in aciem educere; præterea, ſi in legalem expeditionem ſubmonerentur Epiſcopi & Abbates, eorum vaſallis ducem ſe præbere: in quibus occaſionibus, quid iis ad apparatum expeditionis præſtandum eſſet, definitum erat. Hinc apud Malbrancum *de Morinis lib.* 8. *cap.* 46. in *Charta* Balduini Com. Flandriæ A.C. 1056. pro Monaſterio S. Martini, legit du Freſne: *Ut quicunque* Advocatus *fuerit in Regalem expeditionem iturus, unum baconem & unam penſam caſeorum & unum equum ad ſeumariam, vel pro his unam marcam argenti ab Abbate accipiat.* Sed & eorum erat, Eccleſiarum vexilla, cùm in propriis Eccleſiarum bellis, tum etiam in Regalibus expeditionibus, deferre. Unde de *Advocato* Tornacenſis Eccleſiæ diſtichon hoc extat, apud Buzelinum *Gallo-Flandr. l.* 3. *c.* 9.

Signifer Eccleſiæ vexilli munere grato,
Et Caſtellanus feudum capit à Cathedrato.

V. infrà in voce *Signifer.* Interdum verò *Advocati* ipſi advocationes ſuas aliis in beneficium ſeu feudum dabant, vel quòd potioris longè dignitatis eſſent, quàm ut Eccleſiarum & Monaſteriorum expeditionibus intereſſe poſſent, ut Reges ac Principes; vel quòd propriis bellis diſtricti aliis vacare non poſſent: vel potiùs, quòd Eccleſiæ prædia in longinquis eſſent regionibus, aut in exterorum Principum territoriis jacerent. Equo factum, ut tot eſſent fere *Advocati*, quot majora Eccleſiæ prædia: atque hi minores Advocati, qui ab Eccleſiarum Advocatis prædiorum tutelas in ſe recipiebant, *Subadvocati. Subdefenſores*, *Proadvocati*, *Secundi Advocati*, *Poſtadvocati*, *Viceadvocati* &c. dicti paſſim leguntur: ſicut contrà primores illi Advocati, quibus hi clientelæ ratione obnoxii erãt: *Majores & Principales & Summi Eccleſiarum Advocati*, vocabantur. Ita in *Hiſtoria* Landgraviorum Thuringiæ c. 143. Rudolfus Saxoniæ D. *Advocatus Generalis* nuncupatur Archiepiſcopi Moguntini. Verùm cùm ejusmodi Subadvocatorum multitudine ac exactionibus gravarentur Eccleſiæ, abrogati tandem illi ſunt in Concilio Remenſi A.C. 1148. *can.* 6. &c. V. plura in hanc rem apud Car. du Freſne *Gloſſar.* & Auctores ei laudatos.

Advocata Evæ, apud Irenæi interpretem *lib.* 4. *cap.* 19. *Quemadmodum Eva per Angelicum ſermonem ſeducta eſt, ut effugeret Deum, prævaricata verbum ejus: ita & hæc* (Maria ſc.) *per Angelicum ſermonem Evangelii ſuaſa eſt, ut portaret Deum obediens ejus verbo. Et ſicut illa ſeducta eſt, ut effugeret Deum, ſic hæc ſuaſa eſt obedire Deo: ut Virginis Evæ Virgo Maria fieret* Advocata. *Et quemadmodum aſtrictum eſt morti genus humanum per Virginem, ſolvatur per Virginem* &c. conſolatrix eſt, ſeu ea, in qua habemus conſolationis aliquam materiam. Sic enim Interpres hic vetus verbum Græcum παρακαλεῖν accepit, pro *conſolari*: quemadmodum Tertullianus Græciſſans, *advocare languentes* dixit, *c. Marc. lib.* 4. *cap.* 14. & *advocationem* ac *riſum* conjunxit. *de Patient. cap.* 11. *c. Marc. l.* 4. *cap.* 5. &c. V. quæ notavit Rigaltius in *Gloſſario Tertulliani.* Accepit autem Eva cum poſteritate ſua in B. Virgine conſolationem maximam, quatenus ex ea *ſemen* illud exortum eſt, *quod ſerpentis caput contrivit.* Chamierus *Panſtrat. Tom. II. lib.* 8. *cap.* 5. Et A. Rivetus *Apolog. pro Sanctiſſ. Virgine Maria lib.* 1 *cap.* 2.

Advocati Urbium ac Regionum, quoque occurrunt paſſim, apud Scriptores. Sic Berchtoldus Dux Zeringenſis, *Dei & Imperiali gratiâ Thuregici loci legitimus Advocatus* ſeu *Kaſtvogt* (quaſi *Caſtri tutor*) inſcribitur in *Charta* A.C. 1187. & A.C. 1210. Henricus Com. Lovanienſis *Comes & Advocatus patriæ Brachbantenſis* dicitur, in *literis* A.C. 1086. apud Miræum *Notit.* Eccleſ. Belg. *cap.* 109. Theobaldus Com. Ferretenſis ab Adolfo Rom. R. *Terræ Alſatiæ Advocatus inſtitutus eſt, qui eam contra Gallorum inſultus tueretur*, in *Annalib. Colmar. ad* A.C. 1293. Dux Rudolfus — *Advocatus terræ in Suevia*, dicitur apud Henr. Rebdorffenſem &c. Quò etiam pertinet, quod habet Raymundus *de Agiles*, dum ait, captis Hieroſolymis, cùm de Rege creando ageretur, Epiſcopos reſpondiſſe. *Non debere ibi eligi Regem, ubi Deus paſſus & coronatus eſt — ſed eſſet aliquis* Advocatus, *qui & civitatem cuſtodiret, & cuſtodibus civitatis tributa regionis divideret & reditus.* V. Dodechinonem A.C. 1100 apud quem Godefridus *S. Sepulchri Advocatus* dicitur, Albertum Aquenſem *lib.* 5. *cap.* 2. & Laurentium Leodienſem in *Hiſtor.* Epiſcop. Virodunenſ. *pag.* 293. At non deſunt, qui pleroſque ex Proceribus iſtis exiſtimant hoſce ſibi arrogaſſe titulos, non quòd revera has provincias, ut earum *Advocati*, regerent; ſed quòd Monaſteriorum ac Eccleſiarum in iis ſitarum defenſores ac Advocati eſſent. Quemadmodum Albertus Auſtriæ Marchio, Leopoldi filius primogenitus, *factus* legitur *Advocatus omnium Monaſteriorum terræ Auſtriæ*, in *Hiſtor.* Cœnobii Melicenſis, id eſt, Marchio: ita ut Dux Zeringianus Eccleſiæ Zurigenſis, Comes Lovanienſis Eccleſiæ Nivellenſis in Brabantia ſua, *Advocati* fuerint, &c. V. Car. du Freſne. Etiam alii quidam *Advocati* occurrunt, *Matriculares*, Eccleſiæ matricis Cathedralis, in vet. *Charta*, apud Wigulcum Hondium in *Metropoli* Salisburg. *tom. II. pag.* 254. *Advocati Cameræ & Imperii*, qui publicæ pecuniæ functionem & procurationem Imperatoris vice gerebant; *Advocati* hinc *Fiſci* & tandem *Fiſcales* dicti: qui erant ſub *Cameræ nuntiis*, quorum cum Ducibus æquata habebatur poteſtas, apud Goldaſtum *Tom. I. Rerum Alamannic. pag.* 180. *Liberi Advocati* mentio fit, in *Chron.* Senonienſi *lib.* 2. *cap.* 17. apud eundem du Freſne *Gloſſar.* ut de *Advocatis* ſive Cauſidicis vett. Romanorum nihil hic addam, niſi hoc quòd *Togatorum* nomine non rarò veniant apud Auctores: cujus appellationis quæ fuerit cauſa, V. infrà in voce *Togati.* Hinc *Advocaria*, Gall. *Advouerie*, penſitatio, pro protectione Domino præſtari ſolitâ &c.

Advo-

Advocatia, apud Baldricum in *Chron. Camerac. lib.* 1. *cap.* 10. *Abbatis* Advocatiam *imploravit*: est protectio seu tuitio. Alias denotat *Advocati* munus, jus, officium, in *lib.* 1. *Feud. tit* 1. §. 1. alibique. Sic *Advocatiæ* Imperii mentio fit in *Chron.* Casin. *cap.* 35. Porro, præstatio quæ fit Advocatis, in *Charta* Everardi Archiep. Salisburg. A. C. 1231. in *Metrop.* Salisburg. *Tom.* III. *pag.* 65. Etiam, Advocati infeudati districtus, in *Speculo* Saxon. *lib.* 1. *artic.* 35. §. 2. & apud Albertum Stadensem A. C. 1089. Jus quoque præsentandi Ordinario aliquem ad Beneficium vacans, Angl. *Advowson*, in Littletone *sect.* 10. 180. V. infrà *Advocatus* & *Patronus*. Tandem, datio Campionis, qui *Advocatus* & *Advocator*, Gallis *Avoué* dicitur, in *Charta* Blanchę Com. Campaniæ de divisione terrarum, inter filias Baronum A. C. 1212. in *Tabular.* Campaniæ Thuani. Vide quoque infrà in *Vicaria*, namque & sic nonnunquam vocem sumi, docet Car du Fresne *Glossar.* De *Advocatia provinciali Alsatiæ*, Germ. *Landvogtey Hagenau*, (quia Hagenoja inter X. Alsatiæ urbes huc pertinentes præcipua fuerat) quam Sigismundus Imp. Palatinis oppigneravit, Maximilianus I. bello Bavarico durante, iis ereptam suæ adscripsit genti; ab illis tamen & posthac retentam, Carolus V. cum præfectura Ortenaviæ, 80000. floren. & 10000. nomine expensarum Lucemburgicis iterum vindicavit. V. Phil. Jac. Spenerum in *Familia Palatino-Bavar.* & apud Chiffletium *in Alsatia vindic. cap* 9.

Advocatus Ecclesiæ Spelmanno duplex: alius causarum Ecclesiæ, alius soli: Hic hæreditarius, ille dativus. Causarum *Advocati* à Principe dabantur, ad respondendum in colloquiis judicialibus, *Can.* 99 Synod. Carthag. *Post Consulatum Stiliconis inducta est Advocatorum defensio, pro causis Ecclesiæ.* Capitul. Caroli, *lib.* 5. *can.* 31. *Defensores Ecclesiarum, versus potentias singularium vel divitum ab Imperatore sunt poscendi*; V. quoque *lib* 7. *can.* 308 Ecclesiæ *Advocati* ratione soli, sunt ipsi fundatores seu hæredes, hodie *Patroni* dicti: quod genus advocationis etiam fœminis competit ex jure Can. quæ & ideò *Advocatæ* dicuntur, & in illis Ecclesiis jus præsentandi habent. *Advocati* Monasteriorum seu Cœnobiorum, erant Tutores religiosi, congregationibus à Principibus Regibusq; constituti, ne qui divino cultui destinati essent, politicis vacare negotiis cogerentur: In Cod. Theodosiano *Procuratores*, ab aliis *Vice-Domini*, seu *Oeconomi*, Germ. *Kastenvogt* seu *Schirmsherren* dicti Horum munus erat, non solùm Cœnobia, sed etiam eorum jura possessionesque tueri, villis servisque imperare, Monasterii nomine juramenta exigere, quæ ad vitæ alimoniam & censum Cœnobiorum pertinebant, curare, reditus omnes in numerato habere, ut belli necessitate ingruente, quantum Principibus quodvis Cœnobium pendere necesse haberet, in promtu esset, & si quæ alia: quibus ideirco de judiciorum fructibus & emolumentis pars aliqua cedebat, neque Conventui, citra illorum consensum, bonorum immobilium quidquam alienare licebat. Dignitas hæc, non nisi maximæ autoritatis Viris à Principibus olim collata est, unde Hugonem Ducem, qui postea Rex Francorum evasit, generum suum cognominê, *Advocatum Ecclesiæ S. Richarii constituisse*, refert Hariulfus *lib.* 4. *c.* 12. additque, *insigni hoc nomine, etiam Angelramnum ejus filium fuisse contentum*; qui demum, Bononiensi Comite victo acie ac cæso, & Adelbertâ ejus uxore sibi junctâ, Comitis nomen accepit, quæ Comitum Pontivorum origo, &c V. Hadr. Valesium *Not. Gall. in voce Abbatisvilla*: & de *Advocatis* pauperum, suprà in voce *Administrator*. Reperitur & *Advocatus* provincialis, apud Historicos, Germ. *Land-vogt.* Sic Fridericum VII. ex familia Zeringio-Teccia, apud Carolum IV. Imp. gratiosum, *Advocatum* provincialem Sueviæ & Alsatiæ factum esse legimus, quæ dignitas ad filios quoque ejus transiit, apud Phil. Jac. Spenerum *in Fam. Badensi.* Plura de voce hac, V. apud Henr. Spelmannum *Gloss. Archæol.* & *suprà.* Hinc *Advocatissa*, mulier nobilis, cui jure Feudi Advocatio alicujus Monasterii competebat &c.

Advocatus, etiam passim pro Patrono, cui jus competit præsentandi Ordinario ad Beneficium vocans. Cùm enim sæpè Monasteriorum Fundatores *Advocatiam* sibi posterisque reservarent, inde postmodum manavit jus Patronorum, quos *Advocatos* alii vocant, qui jus habent præsentandi, ut dicetur infrà, ubi de *Patronatûs jure*: V. quoque quæ retro dicta sunt, in voce *Advocare*. Item Tutor, Ballivus, qui nomine tutorio, res pupilli administrat ac tuetur. Sic in *Charta* Petri Decani Trecensis A C 1207. *Notum facimus, quòd charissima Domina nostra & Advocata nostra Blancha* &c. Gall. *Avouerie* vel *Vourie*: Car. du Fresne *Glossar.*

Advocatus Fisci, V. infra in *Fiscus* & Fisci *Advocatus.*

Adytum, templi apud Gentiles locus, quem adire non licet: τὸ ἀνέκρυφον μέρος τοῦ ἱεροῦ. Item Βῆμα seu Βωμὸς Græcis. Cæsar *de Bello Civ. lib.* 3. *Pergami in occultis & remotis templi, quò præter Sacerdotes adire fas non est, quæ Græci ἄδυτα appellant.* Ubi Rhellicanus interpres, *Græca vox* ἄδυτον, *secretum & penetrale sacrum dicitur.* Jul. Firmicus, *in Adytis habent idolum Osiridis sepultum.* Hinc oracula reddebantur; Seneca *Thyeste Actu* 4. *scen.* 1.

Responsa dantur certa, dum ingenti sono
Laxantur adyto fata.

Ad imitationem Sancti Sanctorum in Templo Salomonico, à simia Dei Satana, excogitatum. Diversum tamen videtur à *Penetrali*, ubi honoratiorum cadavera recondi, & pretiosissima quæque abdi solebant, ut metus præsentis Numinis sacrilegos deterreret: Item à *Delubro*, ubi sacrificaturi se abluebant. Isidor. *lib.* 15. *cap.* 4. & somnia captabantur. Virgilius *Æneid. lib.* 8. &c. V. Dempsterum *ad Rosinum* & Salmasium ad *Solinum pag.* 1212. ubi Adyta hujusmodi plerunque subterranea fuisse addit: ut & infrà in voce *Crypta*. Neque verò secretior ædis solùm paganicæ, sed & Templi apud Christianos pars, solis sacrorum Ministris pervia, sic dicta est, recentioribus Græcis Βῆμα. Leo Ostiensis *Chron. Casinensi lib.* 3. *cap.* 31. *Fecit & cancellos ex ære ante altare, inter chorum & Adytum, hinc inde statuendos*, apud du Fresne *Glossar.* V. infrà *Bema.*

A E.

Æa, Colchidis Urbs, adde: Manilius *lib.* 5.

—— *Quantum Phasis, quantum Æa recessit.*

Sic enim legendum esse, non *Ææa*, dicit Gronovius *ad Livium*: imò omnes illos locos, ubi *Æa* dissyllabon, vitiatos esse docet Heinsius *ad Ovidium.* V. Joa. Frid. Gronovium *Observ. lib.* 4. *c.* 21. Eam postea *Dioscuriadem*, tandem *Sebastopolin*, dictam esse discimus ex Stephano in voce Διοσκουρίας, & Arriano in *Periplo* Ponti Euxini. Plinius tamen & Æan & hanc Sebastopolim à Dioscuriade facit diversas, apud Salmasium *ad Solinum pag.* 193. Sanè Dioscuriada, quasi suo adhuc tempore notam, memorat Ammianus &c.

Æantis, adde: Nomen habet ab Ajace Telamonio, in cujus, licet peregrini, honorem, Alcmæon Atheniensium Archon, qui antiqua nomina Tribuum novis mutaverat, tribum illam sic appellavit.

Δῆμοι, i. Populi seu municipia Tribûs Æantidis.

Aphydna.	Rhamnus.
Oenoë seu Marathon.	Titacidæ.
Persidæ.	Trichorithus &c.

V. Roussæum *Archæol. Attic.*

Æantium, oppidum Troadis, adde; Imò in Rhœteo littore, ubi Ajax sepultus, unde ei nomen, sicut in opposito littore Sigæo, Achillis Fanum ac sepulchrum fuit. Solinus *cap.* 40. *In Rhœteo (corrige Sigæo) littore Athenienses & Mitylenæi, ad tumulum Ducis Thessali, Achillion oppidum condiderunt, quod propemodum interiit; dein interpositis quadraginta fermè stadiis in altero cornu ejusdem littoris ob honorem Salaminii Ajaci, alterum oppidum, cui Æantio datum nomen est, Rhodii exstruxerunt.* Strabo, ut Achillei oppidi non meminit, sic nec *Æantii*, fortasse quia nulla tunc oppida hoc nomine: Sed Αἰάντειον nomen esse littoris ait, in quo fuerit tumulus Ajacis &c. Quâ de re V. Salmasium *ad Solinum pag.* 870.

Æbutianus, Præfectus memoratur Lampridio in *Commodo*, *Præfectus etiam Æbutianus inter hoc est interemptus: in cujus locum ipse Cleander cum aliis duobus quos ipse delegerat, præfectus est factus.* Sic enim legendum, cùm aliàs *Ebutianus* habeatur, monet Salmasius.

Æchmalotarchæ, Græco nomine, ראשי גליות Hebr. *Principes exilii* seu *captivitatis*, etiam *Capita tribuum*, *Est. cap.* 1. *vers.* 5. & *cap.* 8. *vers.* 16. & *cap* 9. *vers.* 1. dicti sunt apud Hebræos, qui Populo in captivitate Babylonica detento præfuere. Ipsa enim captivitas levis fuit, & populus in ea tam leniter habitus, ut & sedes haberent agrosque sibi assignatos, quos colerent atque inde vitam sustentarent. Jerem *cap.* 29. *vers.* 5. & suis moribus non solùm vivere permitterentur, verùm etiam regimen quoddam proprium haberent, sub *Capitibus Tribuum* seu *Æchmalotarchis*: qui præter ordinem quoque in commune bonum præfecturis fungebantur & res populi apud Regem procurabant, ut de Daniele Sociisque ejus legimus, Daniel. *cap.* 2. *vers.* 48, 49 & 3. *vers.* 30. & *cap* 5. *vers* 29 & *cap.* 6. *vers* 29. Ordinariò verò ius dicebant: quæ disciplina imitatio sic erat imperii & jurisdictionis civilisque obedientiæ, sed scholastica potiùs quàm forensis, interim mixta. Cujusmodi doctorum consessus non solum ראשי בית *Cathedræ*, sed & ipso nomine *Sanhedrin* seu Synedrium postea appellabantur. Unde Salomo Ben Wirga verba faciens de Principibus Ebræorum in Babylone & Persidæ vetustis, *Comperi*, inquit, *in Doctorum — responsis, tempore, quo Israëlitæ quærerent, sibi constituere Principem (quem Nasi vocant & Caput Exilii) congregatos cunctos Academiarum Rectores & universos Populi Rectores & Presbyteros, & Judices qui in regno essent, Babylonem ivisse ibique ædibus magnis — exceptos esse. Illic sedes — splendida, in qua collocandus Princeps & binæ sedes à dextra ejus & sinistra Rectori Academiæ Suræ & Rectori Academiæ Pombodithæ* &c. apud Seldenum. Et de Principibus his Gemara Babylonia *ad tit. Sanhedrin, cap.* 1. *fol.* 5. 1. *Traditur, juxta illud, Non recedet sceptrum à Jehuda, præfuisse Æchmalotarchas seu Principes captivitatis, qui gubernarent Israëlitas sceptro; atque juxta illud ibi. Et legislator è medio pedum ejus, posteros Hillelis, qui legem publicè docerent.* Ubi glossa rectè, *Gubernant seu coërcent populum, quatenus sic facultas eis permissa est à Regibus Persidis* &c. V. Joh. Seldenum *de Synedriis vett. Ebræor. Lib. II. cap.* 4. §. 10. & *cap.* 7. §. 5. Extendebat se autem jurisdictio illorum; non in duas tantùm illas tribus simul incarceratas conjectas, *Judæ sc. & Benjamin*; sed & in multos Israëlitarum

rum, qui se antè Judæos appellaverant, 2. Chron. *cap.* 31. *vers.* 1. & *cap.* 34. *vers.* 17, 18. quibus etiam se adjunxerunt multi è X. tribubus in Media degentibus, teste Josepho: verbo Judæos omnes, quod nomen, non de tribu Juda duntaxat, sed reliquis quoque Israëlitis, qui cum Juda agebant, usurpari cœpit in ipsa hac captivitate, vel proximè ab ea, Franc. Burmannus *Synops. Theol. Christ. Part. I. lib. 4. cap. 36. §. 4, 5, 6.* Hi porro *Æchmalotarchæ* ex tribu solùm Judæ eligebantur, mansitque institutum hoc ab antiquissimis temporibus, ad hodierna usque tempora, in urbe *Bagdad*, si fides habenda Rabbinis, atque inter hos Benjamino Tudelensi, qui prolixè admodum hac de re agit in suo *Itinerar.* Nec obstat historia de Hyrcano captivo, qui è tribu Levi, Josepho narrata *lib. XV. cap.* 12. ejus enim facti peculiaris erat ratio & jus extraordinarium. Nam alioqui certissimum est, caput Babylonicæ Captivitatis non potuisse tunc creari, nisi è tribu Juda & familia Davidica. Et observant Magistri differentiam inter hunc, & *Nasi*, id est Synedrii Principem in Terra sancta; quòd *Æchmalotarcha* Babylonius necessariò crearetur è posteris David, quum *Nasi* è qualibet tribu potuerit institui. His verò, solutâ captivitate & reducto in patriam Populo, successere *Duces*, quorum primus Zerubbabel, ultimus Janna Hyrcanus fuit, de quibus V. infrà *suo loco.* Uti autem Judæi τῆς παλαιᾶς διασπορᾶς i. *priscæ dispersionis*, Æchmalotarcham habuere Principis loco in partibus Orientis; sic prorsus οἱ τῆς ὑστέρας διασπορᾶς, *postremæ dispersionis* Judæi, qui Hierosolymis solo æquatis fuere superstites & per omnes Mundi plagas sunt divisi, *Patriarchas* habuere, quibus parerent, ceu legitimis Principibus & à Davide ortis: qui quidem non creabantur, sed nascebantur. De quibus V. Origenem περὶ ἀρχῶν *lib.* 2. *cap.* 1. Epiphanium *Disputat. c. Ebion.* & Theodoretum *Dial.* 1. quorum hic probè observat, non è tribu Juda tales fuisse, licèt pro talibus vulgò haberentur &c. Isaac. Casaubonus *Exercitat. c. Baronium* 1. §. 2.

Ædes, postquam in cavernis habitandi priscos mortales tædium cepit, è luto fabricari cœperunt, inventore Doxio, Celei fratre, qui circa tempus illud, quo sub Josepho Prorege Ægyptus floruit, hirundinum in nidis construendis industriâ accuratius observatâ, idem in domibus conficiendis, experiri statuit. Postmodum eo usque luxus crevit, ut ex ebore Achabus Israël. R. ex auro, Nero Imp. ut alios omittam, ædificare non dubitarint. Qua de re cùm & alibi dictum sit, addam pauca de laxitate *Ædium* apud Vett. quæ tanta, ut aliquot servorum myriadas non difficulter continerent. Seneca certè *Epist.* 90. *capacia populorum tecta, domos instar urbium,* non semel inculcat. Ejusdem hæc sunt *Epist.* 114. *ubi luxuriam latè felicitas fudit, cultus primùm corporum esse diligentior incipit; deinde supellectili laboratur: deinde in ipsas domos impenditur cura, ut in laxitatem ruris excurrant, ut parietes advectis trans maria marmoribus fulgeant, ut tecta varientur auro, ut lacunaribus pavimentorum respondeat nitor* &c. Quæ eadem Juvenalis carmine expressit, *Satyr.* 4. *vers.* 5.

Quid refert igitur, quantis jumenta fatiget
Porticibus? quantâ nemorum vectetur in umbrâ?
Jugera quot vicina Foro, quas emerit ædes?

Nec verò non respondebant hisce spatiis aulæ æmulæ urbium, capaces populi, & Cœnationes & Porticus & Vestibula, Atria, Peristylia, Bibliothecæ, Pinacothecæ, Basilicæ & alia ad decorem Majestatis perfecta & publicorum operum magnificentiam comparata. Verbo, domorum ea fuit amplitudo, *ut domini* (prout temporis conditio exigebat) *quibusdam membris uterentur, quibusdam non, l. penult. ff. de usu & habitat.* V. Pignorium *Commentar. de servis* Neque verò in Urbe tantùm, sed & ruri laxitatis extremæ *Ædificia* prisci possidebant, adeoque cùm aulas habitarent illustres viri, instar urbium: in villis, velut more Persarum, regias quasdam construxisse, Strabo auctor est. Hinc Plinius *lib.* 23. *cap.* 15. nihil illis magis mirandum fuisse in toto terrarum orbe testatur, atque addit montes perfossos, valles coæquatas. Quin & maria constrata Sallustius refert. De Lucullo, quem *ob injectas moles mari & receptum suffossis montibus in terras mare, haud infacetè magnus Pompejus Xerxem togatum vocare assueverat*, ut loquitur Paterculus, V. etiam Plinium *lib.* 9. *cap.* 54. & Varronem *de R. R. cap.* 17. Et hæc complures privati factitabant: de Gordianorum villa, audi Capitolinum, *Extat Gordianorum villa viâ Prænestinâ, ducentas columnas uno peristylio habens, quarum 50. Carystiæ, Claudianæ 50. Synnadides 50. pari mensurâ sunt. In qua Basilicæ centenariæ tres: cætera huic operi convenientia* &c. De Insulis quæ erant *Ædes* grandiores, sic dictæ, quòd non jungerentur communibus parietibus cum domibus vicinis, quales Sex. Rufus & P. Victor olim Romæ non paucas recensuerunt, V. infrà Quod verò de servorum multitudine diximus, confirmatur ex Athenæo, Romanorum quosdam eorum 1000. quosdam 2000 habuisse, nec ut quæstum ex iis facerent, sed ut asseclas haberent, scribente; Jac. Oiselius JC. *Not. in A. Gellium lib.* 1. *sub fin.*

Addam de Ædibus, Constitutio Hadriani Imp memoratur, apud Spartianum in *Vita* ejus, *Constituit inter cætera, ut in nulla civitate domus aliqua transferendæ ad aliam Urbem ullius materiæ causâ diruerentur.* Unde colligunt quidam, promulgatam ab Hadriano fuisse, de non diruendis ædificiis aliquam constitutionem: cujus tamen cùm hodie in libris Juris Civ. Roman. mentio extet nusquam, judicat Josias Mercerus ad illud Senatusconsultum, verba Spartiani referenda esse, quod Hadriano imperante quinto ejus anno Coss. Aviolâ & Pansâ factum est. Cavêre Patres eo decreto, ne ea quæ *ædibus* juncta sunt, tollere, negotiationis & promercii causa vendere, emere, legare liceret: Item, ne cui domum suam, qui demoliretur, vendere liceret aut legare; Auctores sunt, Paulus *l.* 52. *de contr. empt.* Ulpianus *l.* 41. *de leg. primò*; item alii multi: nam hujus S.C. frequens in Digestis mentio. Sed & multo antè Vespasiani lege idem fuerat cautum; ut testatur Alexander Severus *l.* 2. *Cod. de ædif. priv.* Nec novum est, ut ab Imperatore jus dicatur constitutum, quod eo imperante Ordo amplissimus decreverit &c. Hoc itaque ait Spartianus, constituisse Hadrianum, ne transferendæ ullius materiæ causâ ad aliam urbem, in ulla civitate, domum aliquam diruere fas esset. Materiæ autem in aliam urbem solitæ transferri sunt, tigna, marmora, typi, & quod mireris, parietes ac parietum partes. Plinius, *lib.* 35. *cap.* 14. *Lacedæmone excisum lateritiis parietibus opus tectorium, propter excellentiam picturæ ligneis formis inclusum, Romam deportavere, in Ædilitate, ad Comitium exornandum, Murena & Varro. Quod opus cùm per se mirum esset, translatum tamen magis mirabantur.* V. Salmasium *ad Spartianum, l. c.*

Ædiles, adde: Athenis Ἀστυνόμοι dicti sunt, à quibus Cratetem, quòd præter morem sindonem gestaret, reprehensum esse, refert Laertius.

Ædiles Plebis, Ludorum maximè gratiâ creati, V. Gronovium *Observat. lib.* 4. *c.* 21.

Ædilis, apud Varronem Nonio laudatum, *Quum illò venis, vides Gallorum frequentiam in Templo, qui dum esset cœnæ hora, eamque adlatam apponeret Ædilis signo ejus, Deam Gallantes vario decinebant studio:* Æditimus est seu Æditimus, ὁ Νεωκόρος. V. Salmasium *ad Solinum pag.* 1087. Hinc *Ædilitas*, in *Charta* Folcuini Episc. Tervanensis, anno Ludov. Reg. 26. apud Folcardum *in lib.* 1. *Miracul.* Bertini *c.* 7. *Ædilitatem seu custodiam ipsius Basilicæ* &c. Et in alia Lietberti Episc. Camerac. A. C. 1066. *in Histor.* Camerac. Joh. Carpentarii: *Ædilitatem verò & Præpositturam, quæ mei juris erant —— huic Ecclesiæ contuli:* Custodis Templi munus ac dignitas est, in Collegiis Canonicorum in Ecclesia Rom. Car. du Fresne *Glossar.*

Æditui vel *Æditimi*, apud Gentiles, ædium sacrarum custodes, Adr. Turnebus *Adverf. lib.* 14. *c.* 12. Græcè Νεωκόροι: item Ἱεροφάνται, quam vocem Latinam fecit Scævola JC. *l.* 20. *ff. de ann. leg.* Ἱεροφάνται i. *cæremoniarum sacrarum Doctores*, dicti leguntur, apud Jul. Pollucem *lib.* 1. *cap.* 1. *num.* 31. &c. Atque à nonnullis cum Nomophylacibus confunduntur. C. Suetonius *Augusto*, *c.* 3. *se esse possessorem ac velut Æditumum soli quod Divus Augustus nascens attigisset.* V. Thomam Dempsterum *Antiqq. Rom. c.* 31. Ædiles quoque dicuntur Varroni apud *Nonium*, ut suprà vidimus. In Ecclesia Rom. *Æditimus* seu Ostiarius, gradus Ecclesiasticus est: cujus meminit Frodoardus in *Hadriano Pontif.*

Amplius Æditimus *locupletem dotibus ædem.*

Unde *Æditimare*, in vet. Insc. *Æditimavit ann. X.* apud du Fresne *Glossar.*

Ædui, adde ex Valesio: *Edui* dicuntur Cæsari, Straboni & Plutarcho in *Cæsare* Ἔδουοι, *Edui* quoque Melæ ac Plinio, nonnunquam & cum aspir. *Hedui.* Cœteri, quos sequi meliùs, *Æduos* scribunt. Habuere Ligerim, vel potiùs Elaver & Ararim terminos; cùm multa essent Æduorum oppida ad Ararim, ad Ligerim autem Noviodunum. Primi omnium inter Galliæ gentes plurimis Senatusconsultis *Fratres Pop. Rom.* appellati sunt, Cæs. & Eumenius *in grat. act. Constantino Aug.* &c. nomine ingenuâ & simplici charitate, & vetere ac perpetuâ erga Romanos fide quæsito. Primi quoque Senatorum in urbe jus adepti sunt, Tacit. & à fœdere antiquo cum Romanis, *Ædui Fœderati* Plinio vocantur. Iidem post Massilienses, primi ansam Romanis intrandæ atque occupandæ Galliæ Narbonensis dedere, cùm apud eos de Allobrogum Arvernorumque injuriis essent conquesti, Florus *lib.* 3. *cap.* 2. Nec Galliam Narbon. modò, sed etiam Celtas, Belgas & Aquitanos omnemque adeo Galliam Romanis tradidere. Quippe cùm Galliæ totius factiones essent duæ, atque alterius principatum tenerent *Ædui*, alterius Arverni ac Sequani, ortoque inter ambos bello, à Sequanis, qui Germanorum auxilia advocaverant, *Ædui* bis victi acie gravi jugo premerentur: *Princeps Æduus Divitiacus Romam ad Senatum venit, & recusato consessu, qui offerebatur, scuto innixus peroravit, impetrataque ope, Romanum exercitum, Cæsaremque cis Rhodanum primus adduxit*, Eumenius suprà laudatus: quod idem docet Cæsar *de bello Gall.* ubi *Æduis eorumque clientibus Segusianis* cœterisque, millia hominum armatorum XXXV. ad Alesiam obsidione liberandam à Gallis esse imperata, refert. Et certè etiam postea, sub Imperatoribus Romanis Augustodunum, caput *Æduorum*, fabricam habuit loricariam, ut patet ex Not. Imp. Erant olim clientes illorum Senones, Segusiani, Ambibareti, Aulerci Brannovices & Brannovii, Cæsar *lib.* 7. Etiam Mandubii, in eorum finibus fuere: Ambarros quoq. necessarios ac consanguineos Æduorum fuisse, scribit idem *lib.* 1. quos Livius inter *Æduos* ac Allobroges ponit, ac

cum

cum illis Alpes transgressos, in Italia sedem cepisse ait, *lib.* 5. Bojos Gallos demum, qui in agrum Noricum transierant, Norejamque occupaverant, reversos in Galliam & unà cum Helvetiis victos à Cæsare, eorumque reliquias, permissu victoris, in *Æduorum* finibus collocatas fuisse, legimus. Nec omittendum, quod Cæsar scribit. *Bellovacos omni tempore in fide atque amicitia civitatis Æduæ fuisse*, ob idque Divitiaco deprecatore apud ipsum usos fuisse. Nihilominus Ædui clientibus suis Segusianis, & Augustodunum Æduorum Lugduno Segusianorum (quod Metropolis caputque totius Galliæ Lugd. seu Celticæ factum est à Romanis) postpositum est, ob dignitatem Coloniæ, quam à Romanis, Galliarum dominis, Galliæ Celticæ urbibus cunctis præponi oportuit. Sed & dici potest, fuisse quidem Lugdunum in agro Segusianorum, non ideò tamen eam urbem horum, sed Romanorum fuisse, cùm colonia fuerit Romana. Divisa autem fuit & distracta gens in duas Provincias: Quippe caput *Æduorum* Augustodunum, præterea Cabillonum & Matisco oppida illorum, prov. Lugdunensi primæ, à Romanis sunt attributa; at Noviodunum *Æduorum*, seu Nivernum, Lugdunensi quartæ vel Senonicæ: quod in aliis quoque usu venit. A' pecuniâ imprimis & opulentia commendantur, à Tacito *Annal. lib.* 3. unde ii *pecuniam, arma, gratuitò insuper commeatus*, detulisse Valenti, Vitellianarum partium Duci, leguntur: & Sacrovir, cùm Augustodunum occupavisset, *arma juventuti dispertiit*: 40. *millia fuere*. V. præfatum Valesium *Notit. Gall.*

Ægæon, gigas, idem cum Briareo. Scholiastes Apollonii, Κάτω δὲ ἐν τῷ Τιτανῶν φησὶ, ὅτι Αἰγαίων γῆς μὲν παῖς ὢν ὑπὸ Ποσειδῶνος, καταποντωθεὶς τὸ κατὰ λεγόμενον ὑπὸ τοῦ Ἀπόλλωνος μέρος Αἰγαῖον, τὸν αὐτὸν καὶ Βριάρεων καλεῖ. Idem paulo pòst, Βριάρεως δὲ καὶ Αἰγαίων καὶ Γύγης ὁ αὐτὸς λέγεται. *Briareus autem & Ægæon & Gyges idem appellatur.* Hunc ex Eubœa profugum, in *Phrygiam se recepisse*, ibiq; obiisse tradit Tarræus *ad Eund.* Post fata, divinis honoribus cultus est, à Carystiis & Chalcidensibus, deditq; Carysto nomen *Ægæa*, unde mari vicino *Ægæi* quoque appellatio data. V. Salmasium *ad Solinum pag.* 178. & in voce *Ægæon.*

Ægæon, Græcè Αἰγαῖον & Αἰγαίων, apud Valer. Flaccum,

— *Quanto fremitu se sustulit Ægæon.*

& Statium,

— *Quas spumifer adsilit Ægæon:*

pro *Ægæo* mari. V. Salmasium *ibid. pag.* 825.

Ægeis, adde:

Municipia Tribus Ægeidis.

Alæ Araphenides.	Erechthia:
Araphen.	Ericria.
Bate.	Gargettus.
Chollidæ.	Ichria, seu Icarius.
Colyttus.	Jonidæ.
Cydantidæ.	Phegæa.
Diomea.	Philæde.
Echria.	Plothea.

V. Alex. Rossæum *Archæol. Attic.*

Ægesta, Hippotæ filia, mater fuit Ægesti (quem *Acesten* vocat Virgilius) ex Crimniso flumine in canem converso, Servius *ad Æneid. lib.* 1. Idem *ad Æneid.* 6. rem sic narrat: *Hippotes filiam suam Egestam, ne ad cetos relegaretur, superpositam naviculæ, & misit, quò fors tulisset: quâ delata ad Siciliam, Crimnisus fluvius concubuit cum ea versus in canem, unde Acestes natus est, vel, ut quibusdam videtur, Egestus. Hujus rei ut esset indicium, nummum effigie canis percussum habuerunt.* Strabo Αἴγεστον Trojanum nominat, qui à Philoctete missus, in Siciliam, *Ægestam* matris nomine condidit. Dionysius Halicarn. similiter Αἴγεστον vocat & Αἴγεσταν urbem ab eo conditam. Certè Αἴγεστος nomen apud Græcos proprium. *Ægestei*, pop. Thesprotiæ, apud Stephanum sic dicti, à Duce quodam *Ægesto*; & Αἴγεστος Numitoris filius, apud Dionysium. Item alius *Ægestus*, apud eundem, Deûm Penatium Pontifex Lavinii. Ab hoc itaque *Ægesta* filio, urbs *Ægesta* condita est, de qua V. *suo loco*, & plura apud Salmasium *ad Solinum pag.* 111. & 112. ubi *Ægestam* urbem, ab *Acesta*, diversam esse docet.

Ægestus, Græcè Αἴγεστος, Virgilio *Acestes*; Dux Trojanus, *Ægestæ* Urbis in Sicilia conditor. V. suprà *Ægesta*

Ægeus, pater ex Medea Achæmenis, unde *Achæmenidæ*, familiæ Regiæ in Persia olim nomen. Steph.

Ægialus, primùm dicta est Sicyon, ab *Ægialeo* R. quæ postmodum ab altero Rege Sicyone, nomen accepit. Eusebius apud Salmasium *ad Solinum pag.* 142.

Ægidianæ, dictæ sunt Constitutiones Marchiæ Anconitanæ, quas, in Statu Ecclesiastico (ut vocant) jus Generale facere, extra verò eum non valere, docet Albericus Gentilis *de Libr. JurisCon. cap.* 3. V. quoque infrà, ubi de *Regulis Cancellariæ.*

S. *Ægidii*, villa Galliæ, ad Rhodanum, vulgò *S. Gilles*, Monasterio veteri insignis, quod *Monasterium S. Ægidii in valle Flaviana* vocat Ludovicus Aug. *in Statuto de Monasteriorum oneribus.*

Ægircius, adde: Dicitur quoque *Ægritius.*

Ægophthalmos gemma, dicta est in qua glaucum cingitur albicante colore, ut in caprarum oculis. Sicut in gemma, quæ *Pelliucius* vocabatur, color albicans nigram pupillam ambit: *Lycophthalmos* v. quatuor colorum est, ex rutilo sanguinea: in medio nigrum candido cingitur, ut luporum oculi; quibus per omnia similis. Plin. *lib* 37. *cap.* 11. &c. V. Salmasium *ad Solinum pag.* 706.

Ægri, bis ac ter de die ab Adriano visitati, apud Spartianum in *Vita* ejus: *Ægros bis ac ter de die, & nonnullos Equites Romanos ac libertinos visitavit, solatiis refovit, consiliis sublevavit*, &c. Ubi *solatia* pro *salariis* ac alimentis non solùm sequior & posterior ætas; sed etiam illa, quæ optimæ & antiquæ propior, accepit. Exempla passim obvia & jam pridem ab eruditis Viris hoc observatum, in *Cod.* Theodos. *solatiis pro mercedula præstitis.* Cassiodorus *Variar. l.* 5. *Hoc sollicitudo nostra prospexit, ut acceptis mercedibus competentibus pedaturam murorum omnes in commune subeatis, qui vicinitate jungimini: quatenus accommodato solatio securius impleatur, quod paucis inexplicabile fortasse cognoscitur* Sed hoc Cassiodori loco *solatium* pro mercede male accipi, docet Salmasius. Commoda autem & salaria militiæ, *solatia* appellant Impp. in *Cod.* Justinianus etiam *Puncta* dixit. *Refrigerium* etiam pro solatio vel salario dixerunt, & *refrigerare.* Tertullianus, *refrigerare indigentibus*; & ἀνάψυξις in Novellis Justiniani pro salario. V. Salmasium *ad Spartian.* qui etiam paulo pòst de eodem Imper. *ægros milites in hospitiis vidisse*, addit: ubi *videre* pro *visere* esse, monet Casaubonus *ad l.* Ab *Ægris* Cubiculariorum, dictum fuisse, qui ægros Cubiculariorum curabat, vidimus suprà, in voce *Ab.*

Ægyptiaca πεττεία, longè operosior & ingeniosior Palamediacâ, una cum hac Græcis in usu fuit. Hæc enim solis quinque calculis, quos πεσσοὺς Græci dicunt, ab utraque ludentium parte tractabatur, absque tesseris: illa verò tota Philosophicè & ad rationem Astronomicam composita fuit & excogitata, quæ tesseris calculisque in tabula duodecim lineis exarata ludebatur, quam propterea Romani 12. scriptorum appellabant. Hinc narrat Plato in *Phædro* primos omnium Ægyptios invenisse ἀριθμόν τε καὶ λογισμὸν καὶ γεωμετρίαν καὶ ἀστρονομίαν ἔτι δὲ, πεττείας τε καὶ κυβείας καὶ δὴ γράμματα. Ubi Græci Commentatores monent, πεττείαν minimè à Platone designari Græcis usitatam, cujus Palamedes auctor; Sed τὴν τῷ λεγομένῳ πεττευτηρίῳ, id est, *tabulæ*, quæ duodecim lineis conscribillata cursum Solis ostendebat per XII Zodiaci signa. Atque hæc fuit omnino Veterum tabula, in qua tesseris calculisque ludebatur: quem quidem ludum philosophiâ multâ refertum esse sic adstruunt; Tabulam enim terrenam istam, quam calcamus, Mundi plagam significare; duodecim scriptis, sive duodecim lineis (δώδεκα γραμμὰς quidam vocarunt) XII. Zodiaci signa denotari; per septem tesseras, quæ in pyrgo habebantur, septem Planetas repræsentari; per pyrgum, altitudinem cœli. Quem tamen ipsum ludum & hanc ipsam φιλόσοφον πεττείαν plerique Auctores non Ægyptiis, sed Palamedi tribuunt, & ab eo primum inventam scribunt. Suidas, Τάβλα (sic enim recentiores Græci τὸ πεττευτήριον vocant, ex Lat. *Tabula*) παιδιᾶς ὄνομα. ταύτην ἐφεῦρε Παλαμήδης εἰς διαγωγὴν τοῦ Ἑλληνικοῦ στρατοῦ σὺν φιλοσοφίᾳ πολλῇ. *Tabula, lusus nomen: cujus inventor Palamedes cum multâ sapientiâ imbuit, ad oblectationem Græci exercitus*, &c. Cùm itaque Hesychius πεττείαν ἀπὸ τῆς κυβείας distinguit, manifestò simplicem illam intelligit, quæ meris calculis, absque ullo tesserarum jactu, exercebatur: quum verò alio loco πεττείαν interpretatur διὰ κύβων πεττείαν, de ista duplici accipit, in qua & tesseræ jactabantur, & ad earum jactum calculi movebantur: de qua etiam accipiendi Auctores, quoties πεττοὺς loco κύβων, & πεττεύειν loco verbi κυβεύειν, usurpant. Hesychius, πεσσοῖς, πεττοῖς, βόλοις, κύβοις. Inde apud Aristænetum πεσσοὶ sunt tesseræ: In hoc enim ludo πεττοὶ sunt tesseræ; in illo altero simplici sunt ψῆφοι, h.e. calculi, &c. Salmasius *ad Fl. Vopiscum in Proculo.* Plura V. infrà passim, inprimis in voce *Tabula Lusoria.*

Ægyptiaca Præfectura, titulus honorarius, sine re, nonnullis conferri olim ab Imp. solitus. Sic apud Æl. Spartianum in *Hadriano, Dacia Turboni credita, titulo Ægyptiacæ Præfecturæ* (h.e. ait Salmasius, infulis Præfecturæ Ægyptiacæ) *quò plus haberet auctoritatis, ornato.* Ubi videmus Daciæ præfectum etiam titulo hujus Præfecturæ participare Adrianum, h. e. insignia illi deferre Præfecti Augustalis. Quemadmodum ornamenta Consularia cùm alicui deferebantur, non Consulem eum factum designabant, nisi titulo tantùm & nomine tenus. Fuit autem hoc Tiberii institutum, ut referunt Tacitus & Tranquillus, provinciæ alicujus præfecturam alii deferre, nomine tenus, alii eam regendam credere. Ægyptiacæ verò Præfecturæ honor illis defertur, quia inter præfecturas Ordini Equestri proprias, Augustalis Ægypti præcipua fuit dignatio. Neque novum est, ut alicui & insignia & salaria majoris ordinis virtutis ergò decernantur. V. *Epistol.* Valeriani Aug ad Procuratorem Syriæ de honoribus Aureliani Tribuni Leg. ubi inter alia, *Hæc autem omnia idcirco specialiter, non quasi Tribuno, sed quasi Duci, detuli, quia Vir talis est, ut ei etiam plura deferenda sint.* V. Salmasium & Casaubonum *ad l.*

Ægyptiaca Ταρίχευσις, seu *ratio condiendi mortuos*, talis erat. Non lavabant solùm cadavera, eaque ungebant pretiosis unguentis & fasciis involuta condebant in sepulchro, quod de Judæis legimus, sed exenterabant insuper & condiebant, ut in plura secula servari possent. Unde hodieque *mumia* sepulchrorum in Ægypto reperiun-

reperiuntur & eruuntur, de quibus *infrà*. Sic autem odoribus condita domi apud se in conclavibus, ei rei destinatis, inclusa ligneis thecis vel loculis asservabant: quia periculum à fœtore nullum. Quos loculos *ξυλίνας θήκας ἀνθρωποειδέας* vocat Herodotus. Sed & *θῆκαι* dicebantur; unde *θηκαῖον οἴκημα* idem vocat. Aëtius *γλωσσόκομον* nominat *lib. 16. Τὸν σμαραγδὸν ἐν Αἰγύπτῳ ἐπὶ τῶν νεκρῶν σωμάτων ταφῇ θέλοντες καὶ σκηνώματα αὐτῶν φυλάχθῆναι, διὰ τὸ μὴ ἐν τάφοις αὐτὰ ἀποτίθεσθαι, ἀλλ' ἐν γλωσσοκόμοις.* V. Salmasium *ad Solinum pag.* 1208. & pleniùs hac re infrà, in voce *Grammaticus.*

Ægyptiaci Dies, inter Christianos prohibiti, *Non observetis dies, qui dicuntur* Ægyptiaci, *aut Calendas Januarii, in quibus cantilenæ quædam & comessationes & ad invicem dona dantur, quasi in principio anni, boni Fati augurio. 26. quæst. 7. can. 16.* Prolixius de iis in *Epist.* Bonifacii Episc. ad Zachariam Pontif. Rom. in Tom. III. Concilior. *pag. 429. col. 2. edit. Ven. anni* 1585. ista leguntur: *Sicut affirmant* (Porticani) *se vidisse annis singulis in Romana Urbe & juxta Ecclesiam S. Petri in die vel nocte, quando Calendæ Januarii intrant, paganorum consuetudine Choros ducere per plateas, & acclamationes ritu gentilium & cantationes sacrilegas celebrare & mensas illâ die vel nocte dapibus onerare & nullum de domo sua ignem vel ferramentum vel aliquid commodi vicino suo præstare velle. Dicunt quoque, se vidisse ibi mulieres pagano ritu phylacteria & ligaturas in brachiis & in cruribus ligatas habere & publicè ad vendendum venales, ad comparandum aliis offerre.* Non obstante enim interdicto, de quo suprà, manserat hæc superstitio Romæ, usque ad tempora Zachariæ: Imò hodieque ibidem tanta servorum insolentia est, ut quasi de jure sibi debitum istiusmodi proventum, quem *Mangio* vocant, exigant. V. Dominic. Macrum *Hierolex.* in voce *Strena.*

Ægyptii, Belgis hodie dicuntur, qui aliàs *Zigeuni*. V. in hac voce.

Ægypilla, gemma Ægyptia quædam, Ugutio.

Ægyptiorum Christianorum Festa, V. infrà ubi de *Cophtis.*

Ægyptiorum Sacerdotes, V. infrà, *Prophetæ.*

Ægyptus, adde: Dicta quibusdam à Rege hujus nominis, sive à Nilo, quem Homerus *Αἴγυπτον* vocat, quòd *ὑπὸ τῷ αἰγὸς ὕπτιος*, *sub Capri signo supinus*, uti Goropio Becano placet. Eam à Sept. distendunt Med. terr. pelagus atque Nili ostia: ab Or. Erythræi maris cingulum concatenatis veluti montibus in Æthiopiam usque extensum: à Mer. horrida catarractarum præcipitia: ab Occ. cùm sabulosus Libyæ Oceanus, tum continuata montium series, Erythræis ferè parallela, in explicatæ fasciæ formam, juxta Strab. aut meliùs, in extensi brachii figuram, cujus manum seu palmam Delta Niloticum refert, & variâ fluminis divaricatione, veluti manum in digitos dispescit. Divisa olim fuit in 30. Nomas seu Præfecturas: Postea in *Inferiorem*, quam Geographi *Delta* appellant, *Mediterraneam & Superiorem.* Pinguedo soli tanta, ut incolæ ejus luxuriam arenâ solo mixtâ temperare cogantur. Ejus historia hæc: Primorum Regum Dynastias, exhibet Kircherus *Oedip. Tom. I. Synt. 1.* Iis deletis Persæ sceptrum regni hujus capessiverunt; Inde, intercedentibus paucissimis, & tributariis Persarum, ad Ptolomæos devolutum est & partem Quartæ Monarchiæ constituit. Expiravit dein, regnante Cleopatrâ, & provincia Romanorum esse cœpit; ac diviso horum Imperio Græcis paruit, usque ad A.C. 704. quo *Ægyptii* denuo sibi Regem crearunt, è genere Muhammedico, quem *Calipham* dixere: à quo deinde & Successores ejus hoc sumpsere nomen, usque ad an. 1053. quo Almerico Christiano, Hierosolymorum R. Calipham urgente, ille Sultani Syriæ R. auxilium imploravit, à quo missus Sarraco, pulsis Christianis, Calipham simul in vincula conjecit Regnumque usurpavit, jubens se in posterum, non Regem, sed à Principis sui nomine *Sultanum* vocari. Sic nomen hoc ibi primùm auditum, & postea inter servos, qui regnum ad se traxere, ac tandem Mammeluchos conservatum est, usque ad A.C. 1517. quo in fidem accepto, sed paulo pòst ab ea recedente Sultano Tommanbajo, Selimus Turc. Imp. *Ægyptum* iterum in provinciam redegit, Tommanbajum verò Alcairi publicè suspendio peremit, V. P. Martyr. *Leg. Bab. l. 3.* Leunclav. *Pand. n. 27. &c.* Et de rebus Ægyptiacis plenissimè differentem Athan. Kircherum *in Prodromo Ling. Coptica & Oedipo Ægypt.* ac *Obelisco Pamphylio.*

Ælia & Helia, duæ gentes Romanæ, quæ cùm à plurimis confundantur, factum, ut in libris citimæ vetustatis, ubi de Adriano Imp. sermo, *Helius*, non *Ælius*, scribatur. Sic *Helius* Verus, *Helius* Spartianus, *Helius* Lampridius, in iisdem semper. Cùm de nomine e. g. Adriani vel ideo ambigi non possit, quòd *Æliam* urbem & alia multa ejusdem appellationis loca, ab eo, constet esse denominata. Mirum verò, quod Græcorum vetustissimi Critici de hoc nomine observant: quia Hadrianus dicebatur *Ælius*, propterea & cæteros Augustos *Ælios*, & Augustas *Ælias* appellari. Orion *Αἴλιος ὁ Ἀδριανὸς βασιλεὺς ἐκαλεῖτο. ὅθεν Αἰλίους χρηματίζειν εἰς νῦν καὶ Αἰλίας, αἱ βασιλίδες*, *Ælius Adrianus vocabatur, unde ab ipso Imperatores* Ælii *& Imperatrices* Æliæ *audiunt.* Quod ut verè de Imperatoribus sui temporis dixerit Orion, qui juvenis sub Hadriano (cui & panegyricum scripserat,) proximos tantùm Augustos vidit, quos scimus Hadriani nomen assumpsisse: at de uxoribus Imperatorum excusari vix potest. Cùm neq; Sabina Hadriani neq; Lucilla Ælii Veri, neq; Faustina Antonini Pii, aut altera Faustina Marci, *Æliæ* reperiantur nominatæ, neq; in scriptis historiis, neq; in sculptis lapidibus aut nummis. Casaubonus *ad Spartianum in Hadriano.* V. quoq; in voce *Ælius.*

Ælia, nomen urbium haud paucarum, quas *Ælias Hadrianas* appellavit Adrianus Imperat. quorum & in scriptis vett. & in saxis adhuc memoria durat. Imò etiam non defuere aliæ, quæ per ambitiosam levitatem *Hadrianopoles* aut *Ælias* sese ultro indigitarent. Erat enim illis temporibus usitatissimum hoc adulationis genus, quo novorum semper Augustorum gratiam civitates captabant: quod observat Dio carpitque, notans, in potestate Senatus hoc fuisse antea, non in arbitrio civitatum, *quas jam videas*, inquit, *nominibus, quæ sibi ipsæ pro libidine imponunt*, catalogos nominum suorum contexere, *lib 54* Idem ibid.

Ælia lex, lata à Q. *Ælio* Tuberone Trib. pl. P. Corn. Scipione Afric. 2. T. Sempronio Longo Coss. An. 559. U.C. voluit: *Ut Latinæ coloniæ duæ, una in Brutios, altera in Thurinum agrum deducerentur.* Liv. *lib. 34. & 35.* Alia à *Q. Ælio* Peto Cos. cum M. Junio Penno sancita, an. U.C. 598. hæc fuit: *Ut quoties cum populo ageretur, Augures de cœlo servarent, Magistratus & obnunciandi & legislationi intercedendi potestatem haberent.* Hujus, ut & Fusiæ, crebra apud Auctores mentio est. Fuit & lex *Ælia Sentia*, lata à Sexto *Ælio* Cato, C. Sentio Saturnino Coss. anno Urb. cond. 756. *Ut, qui servi pœnæ causâ vincti à Domino, quibusve inusta notæ fuerant, quive propter noxam torti nocentesve inventi, quive traditi, ut ferro aut cum bestiis pugnarent, quive in custodia fuissent: ii manumitterentur, non cives Romani, sed dedititiorum numero essent.* i. ut ne connubium, neque commercium, neque testamenti factionem haberent, Dempsterus *Antiqq. Rom. lib 8. cap. 15.*

Æliæ Calendæ, occurrunt apud Æl. Lampridium in *Commodo*, *Assumtus est in omnia Collegia Sacerdotalia Sacerdos, XIII. Calendas Invictas, Pisone & Juliano Coss. Profectus in Germaniam* XIV. Calendas Ælias, *ut postea nominavit iisdem Coss.* pro *Calendis Juniis*, Cùm enim Commodus nova mensibus nomina impositum iret, uti Januarium *Ἀμαζόνιον*, Februarium *Ἀνίκητον* seu *Invictum* &c. sic Junium *Ælium* appellasse legitur, apud Dionem. V. Salmasium *ad d. l.*

Viri illustres.

Ælius Adrianus Afer, Adriani Imp. pater, *consobrinus Trajani Imp.* fuit, Spartianus in *Adriano.* Nempe Ælio Ælii Hadriani Imp. avo conjux fuit Ulpia M. Ulpii Trajani soror, Trajani Aug. amita: hinc Trajanus Imp. & pater Hadriani Cæs ut ex fratre & sorore nati amitini invicem fuerunt; quos etiam *consobrinos* nominare Latini assuevere, ut & Jurisconsultus notat. Junxit is sibi Domitiam Paulinam Gadibus ortam, atque ex ea Hadrianum genuit Imp. & sororem ejus Paulinam, nuptam Serviano. *Ibid.*

Ælius Celsus, inter Nobiles Senatoresque, jussu Severi Imp. occisos. Ælius Spartianus in *Severo: Occidit autem sine causæ dictione hos nobiles, Mummium Secundinum, Asellium Claudianum, Claudium Rufum* —— Ælium Celsum, *Julium Rufum* &c.

Ælius Corduenus, apud Auctorem præfatum in *Pescennio Nigro*, Dux milit. sub Commodo fuit non incelebris; qui sic de Pescennio: *Pescennium fortem virum novi & ei tribunatus jam duos dedi: ducatum mox dabo, ubi per senectutem* Ælius Corduenus *Remp. recusarit.*

Ælius Gordianus, inter Alexandri Severi Imp. Consiliarios recensetur Ælio Lampridio, *Et ut scias, qui viri in ejus consilio fuerint, Fabius Sabinus — Domitius Ulpianus — Ælius Gordianus Imperatoris pater, & ipse revera vir insignis, Julius Paulus* &c. Ubi cùm locus maximè inquinatus sit, censet Salmasius, olim apud Auctorem fuisse scriptum, *Ant. Gordianus Gordiani Imp. fil. & ipse Imp. vir insignis*; adeoque de alio aliquo Gordiano somniare, qui istâ tempestate vixerit & in consiliis fuerit Alexandri Severi, præter hunc Gordianum Imp. & Imperatoris filium, ineptum esse judicat, atque de filio magis quàm de Patre hæc capit; cùm n. Pater etiam sub Alexandro fuerit & apud illum plurimùm valuerit, & Proconsul in Africam missus sit, ratio est, quòd hunc Gordianum inter Jurisconsultos medium collocat, quasi qui & ipse Jurisconsultus fuerit. Quod de Gordiano filio verum, quem & Præturam Urbanam Alexandro auctore tenuisse, refert in ejus *Vita* Capitolinus, idemque ipsum de jure quoque respondisse, addit. *Ælius* autem, pro *Antoninus*, temerè irrepsit; ita enim ejus illud nomen scriptum in vetere nummo argenteo Salmasii: IMP. M. ANT. GORDIANUS. AFR. AUG. P.M. TR. COSS. PP. Salmasius *ad Lampridium.*

Ælius Junius Cordus, apud Scriptores *Historiæ* Aug. passim reprehenditur, tanquam *λεπτολόγος* & Scriptor minutiarum, ut in *Clodio Albino* à Julio Capitolino: & in *Gordianis*, itemque *Maximo & Balbino*, quæ vitæ ab eodem Auctore scriptæ sunt. De eo sic idem in *Opilio Macrino*, *Ejus, qui vitas aliorum scribere orditur, officium est digna cognitione perscribere. Et Junio quidem Cordo studium fuit, eorum Imperatorum vitas edere, quos obscuriores vi-*

debat

debat: qui non multum proficit. Nam & pauca reperis & indigna memoratu, asserens se minima quæque persecuturum: quasi vel de Trajano aut Pio aut Marco sciendum sit, quoties processeris, quando cibos variaveris & quando vestem mutaveris & quos quando promoverit; quæ ille omnia exequendo, libros mythistoriis replevit &c. V. in voce *Cordus Ælius.*

Ælius Maurus, Phlegontis Tralliani Libertus, memoratur Æl. Spartiano in *Severo Imper. Legisse me apud Ælium Maurum, Phlegontis Tralliani libertum, memini Septimium Severum immoderatissimè, quum moreretur, lætatum, quòd duos Antoninos pari imperio Reipub. relinqueret.* Ubi in Palatino est, *Phlegontis Adriani libertum.* Et quidem Phlegon hic Adriani Imperat. fuit libertus: qui, ut videtur, *Adrianus* etiam vocatus est, ex Patroni nomine; proin fortè scriptum, *apud Ælium Maurum Phlegontis Hadriani liberti libertum.* Salmasius *ad l.*

Ælius Serenianus JC. inter Papiniani discipulos & eos, qui Alexandro Severo Imp. à consiliis fuere, recensetur Lampridio in *Alexandro Sev. — Catilius Severus, cognatus ejus, vir omnium doctissimus, Ælius Serenianus omnium vir sanctissimus, Quintilius Marcellus &c.* Idemque Cæsari Baronio, cum Cappadociæ Præside, cujus meminit Firmillianus Episc. Cæsareæ in Cappadocia *Epist. ad Cyprianum:* Casaubonus *ad Lamprid.*

Ælius Verus Cæsar, post adoptionem ab Adriano Imp. dictus est, qui antea L. Cejonius Commodus Verus dicebatur, gener fuit Nigrini, Adriano formâ commendatus. Ob hujus adoptionem Imperator ludos Circenses dedit & donativum populo ac militibus expendit: ipsum Præturâ honoravit ac statim Pannoniis imposuit, decreto Consulatu cum sumtibus; eundem secundùm mox Consulem designavit. Quem cùm minùs sanum videret, sæpissimè dictavit, *In caducum parietem nos inclinavimus & perdidimus quater millies H.S. quod populo & militibus pro adoptione Commodi dedimus.* Quod paulò pòst eventus docuit: accepto enim largiùs antidoto (acriore cathartico) ingravescente valetudine, per somnum periit, ipsis Kal. Jan. quare ab Adriano votorum causâ lugeri est vetitus, ne auspicatissimi diei religio luctu vitiaretur. Post obitum ejus, Imp. valetudine tristiore ingruente, adoptavit Arrium Antoninum, qui postea *Pius* dictus est, V. Ælium Spartianum in *Adriano.* Vitam ejus idem Auctor scripsit, ubi inter alia, *Nihil habet in vita sua memorabile*, inquit, *nisi quòd tantùm Cæsar est appellatus: non testamento, ut antè solebat, neque eo modo, quo Trajanus adoptatus est; sed eo prope genere, quo nostris temporibus — Maximianus atque Constantius Cæsares dicti sunt: quasi quidam Principum filii viri & designati augustæ Majestatis hæredes,* &c. Postea tamen, *Provinciæ, cui præpositus fuerat, non defuit. Nam benè gestis rebus vel potiùs feliciter — medii Ducis famam obtinuit.* Et in seqq. *Memor familiæ suæ, comptus, decorus, pulchritudinis regiæ, oris venerandi, eloquentiæ celsioris, versu facilis, in Rep. etiam non inutilis.* Leviora sunt quæ addit, ut quòd tetrapharmacum invenerit, quòd lectum eminentibus quatuor anaclinteriis primus fecerit, quòd cursoribus suis exemplo Cupidinum alas apposuerit eosque ventorum nominibus vocitaverit &c. Pater fuit Antonini Veri, qui adoptatus est à Marco. Statuæ ei, jussu Adriani, per totum orbem colossеæ positæ, templaque in nonnullis Urbibus facta sunt. Idem.

Ælius Xifidius, Præfectus Ærarii, sub Valeriano Aug. cujus ad illum de Consulatu Aureliani epistolam, historiæ suæ inseruit Flav. Vopiscus in *Vita Aureliani Imp.* Sic meminit Ælii Cesetiani Præfecti Urbis sub Tacito Imp. idem auctor in *Tacito*: *Ælii* Sabini Historici, Jul. Capitolinus, in *Maximino Jun.* *Ælii* Scorpiani Consulis, idem Vopiscus in *Probo*: *Ælii* Varronis in *Firmo* &c.

Ælurus, sive Felis, ab Ægyptiis cultus, teste Herodoto *Euterpe*: qui addit, mortuum domi, solitum saliri atque ita Bubastim deferri, ut sacra in urbe sepeliretur. De cultura quoque testis Cicero *de Legg. lib.* 1. & *de Nat. Deor. lib.* 1. ac *Tusc. Quæst.* 15. Diodorus *Sicul. lib.* 1. Juvenalis *Sat.* 15. & Plut. *Sympos. lib.* 4. *quæst.* 5. Etiam cultum hunc inter alios, memorat Clemens Rom. vel alius vetus, sed supposititius, Scriptor, *Recognit. lib.* 5. *Alii Ægyptiorum bovem, qui Apis dicitur, colendum tradidere, alii Hircum, alii Gattas, nonnulli Ibim, quidam Serpentem, Pisces quoque & Cepas & Cloacas, crepitus ventris pro Numinibus habendos esse docuere,* &c. Ubi per *Gattas* planè *Æluri* seu feles intelligendi: quo pacto posterioribus seculis loquuti sunt. Imò & Græcis similiter sed mixo-barbaris γάττος & γάττα *felis*, ut ex Callimachi Scholiaste patet; atque idem liquet ex Evagrio *lib.* 6. *cap.* 24. ubi ait: Αἴλουρον γάτταν ἡ συνήθεια λέγει, *consuetudo pro fele Cattam dicit.* Vide Gerh. Joh. Vossium *de Idol. lib.* 3. *cap.* 74.

Æmilia Clara, mater Didii Juliani Imperat. ex Petronio Didio Severo, Æl. Spartianus *in Didio.*

Æmilia Lex, cujus auctor M. *Æmilius* Dictator. 1. anno Urb. Cond. 309. lata. *Ne censura, quæ usque eò quinquennalis fuerat, plus quàm annua ac semestris esset.* Livius *libr.* 4. & 9. Alia à Cn. Genutio Aventinensi, L. *Æmilio* Mamertino Coss. anno Urb. cond. 309. lata, voluit: *ut qui Prætor Maximus esset, Idibus Sept. clavum pangeret,* Liv. *lib.* 7. Alia, mortuo Sullâ, à M. Æmilio Lepido Coss. lata, *ciborum genus & modum præscripsit*, A. Gellius.

S. *Æmiliani*, vulgò S. *Emilion*, aliàs S. *Melion*, castellum Galliæ, dominantibus in Aquitania Anglis, una erat ex *filiabus*, ut vocabantur, *civitatis Burdigalæ*: cujus Major & Jurati, urgente bello, quosdam è suis hisce oppidis & castellis præficere solebant, Hadrianus Valesius *Not. Gall.* Vide quoque *Æmilianus.*

Æmilianus, Asiæ Proconsul, sub Imp. Severo, cum Nigro, qui Byzantium tenebat, ab Imperatore hostis appellatus; dehinc victus in Hellesponto à Severi ducibus, Cyzicum primùm confugit atque inde in aliam civitatem, in qua eorum jussu occisus est. Æl. Spartianus *in Severo.*

Viri Illustres.

Æmilius Junctus Cos. cum Attilio Severo, principatu Commodi, in exilium actus est, Lampridius *in Comm.* *Juncus* vocatur Ulpiano *l.* 28. *Dig. de fideicomm. libertat. Factum est Senatusconsultum,* Æmilio Junco & *Julio Severo Coss.* Alibi Consulum horum nulla mentio; quare utra lectio sit verior, pronunciare non licet. Casaubonus *ad Lampridium.*

Æmilius Lætus, Præfectus Prætorio, sub Commodo, deterruit hunc, ne urbem incendio deleret, apud Eundem.

Æmilius Parthenianus, memoratur Volc. Gallicano *in Avidio Cassio*, ubi affectatores tyrannidis, jam inde à veteribus historiæ tradidisse dicitur.

Æmimontum, vox Græcorum recentiorum Αἱμιμόντον, originis merè Latinæ, facta est ex *Æmo monte*, quâ Thraciæ provincia monti huic subjecta indigitatur: Cui proin illi hanc appellationem ab *Æmimonto* quodam, qui primus in illis locis regnaverit, frustra ajunt inditam, Salmasius *ad Solinum pag.* 1331.

Æmus, mons Thraciæ, vide infrà *Hæmus.*

Ænautæ, Græc. Ἀειναῦται, quasi dicas, *Semper-nautæ*, Magistratus quidam apud Milesios, inquit Hesychius. Plutarchus in *Quæst. Græcan.* sic fuisse quosdam ex potentioribus apud Milesios appellatos ait, qui conscensis navibus de maximis rebus consilia agitare consueverint, procul à terra; dein cùm ratam habuissent aliquam sententiam, fuerint reversi. Joh. Calvinus *Lex. Jurid.*

Ænea, apud Gregorium M. *lib.* 10. *Epist.* 40. *Pervenit ad me, quia in ea Ecclesia, quæ* Ænea *dicitur, sæpè in Hierosolymorum urbe, vestra Ecclesia jurgia nascuntur.* Ab *æneis foribus* seu valvis, nomen accepit; juxta Altaserram. C. du Fresne verò legit è Νέα, ἡ Νέα, i. e. nova Ecclesia. Vid. Luithprandum *lib.* 3. *cap.* 8.

Æneades, Græc. Αἰνειάδης, apud Virgilium *Æneid. lib.* 3.

Æneadasque meo nomen de nomine fingo:

nomen urbis, quæ aliàs Αἶνος, in Chersoneso, cui nomen *Pallene*, ab *Ænea* conditæ: quam durasse usque ad Imperium successorum Alexandri M. dirutam dein à Cassandro, & *Æneadas* Thessalonicam, tum recèns exstructam, translatos, ait Dionysius Halicarnass. Vide Salmasium *ad Solinum pag.* 161. & infrà in voce *Ænos.*

Ænea Fulloniæ, apud Plinium *lib.* 21. *cap* 10. *Hippophæston nascitur in spinis, ex quibus fiunt æneæ fulloniæ*: ex spinis contexebantur ad vestes pectendas & radendas; non ex *ære*. Ad linum porro pectendum simile instrumentum non ex spinis fiebat, sed ex ferro: quod tamen idem *Ænas* vocat, *lib* 19. *cap.* 1. ubi de lini medulla, *Et ipsa tamen pectitur ferreis æenis, donec omnis membrana decorticetur.* Vitiosum igitur utrumque & corruptum, pro *Inea*, de qua voce *infrà.*

Æneum Frumentum, memoratur in *l. un Cod. Theodos. de frum. Carthagin.* in qua traditur, illius pensitationi fuisse obnoxia certa *corpora* seu prædia vel agros, atque adeò Magistratus seu Duumviros, Carthagine. Sed quale illud fuerit, omnino non constat, cùm apud alios Scriptores vox hæc non reperiatur. Vid. quæ in hanc rem habet Jacobus Gothofredus. *Ærariæ* verò annonæ, quæ adæratæ in pretiis exhibebantur, occurrunt *LL.* 34. 35. 36. *Cod. Theodos. de Erogat. milit. annon.* Car. du Fresne *Glossar.*

Æneus Serpens seu *Saraph*, Dei jussu in deserto erectus est, ut morsi à *Seraphim*, id est, Hydris seu Chersydris, ut interpretatur vocem Bochartus, Israelitæ, ejus aspectu sanarentur, Numerorum *cap.* 21. *vers.* 9. Hinc Christum adumbravit, Johannis *cap.* 3. *vers.* 14. cujus rei rationes afferuntur variæ. Putà primò, serpentem illum serpentum, qui morsu adurebant, figuram quidem, venenum tamen non habuisse: prout in similitudine carnis peccati fuit Christus, Roman. *cap* 8. *vers.* 3. quamvis à peccato immunis. Secundò, *æneum* fuisse, non aureum, & è viliore metallo conflatum, ut nobis Christum exhiberet, in quo *non fuit forma, neque decor*, Esaj. *cap.* 53. *vers.* 2. Tertiò, divinum Christi robur significari æris firmitate & perennitate. Unde Poëta,

Exegi monumentum ære perennius.

Quartò, inter omnia metalla æs maximè sonorum. Unde Claudianus,

Non te progenitum Cybeleius ære sonoro
Lustravit Corybas.

Itaque per æs rectè designari Christum crucifixum & prædicationem crucis, cujus *sonus ivit per omnem terram*, Rom. *cap.*10. *vers.*18. Sed duo potissimum hic observanda. Nempe I. Christum in crucem fuisse subvectum, sicuti serpentem in perticam, Johann. *l. citat.* & *cap.* 12. *vers.* 32. ubi de crucifixione Christi vox *extolli* & *attolli*, alludendo ad evectionem serpentis in perticam, occurrit: Hinc & holocausta, Hebr. עולות, Gr. ὑψώσεις, dicebantur; quia sursum attollebantur sicque significabant fore, ut Christus, pro peccatis se offerens, exaltaretur in cruce. II. A Dæmone inflicta vulnera, Christi in crucem sublati solo aspectu, fidei viz. de qua Hebr. *cap.* 11. *versu* 1, 27. perfectè sanari; uti solus serpentis aspectus Israëlitas à morte tum eximebat: Si qui enim in Israël cæcutirent, aut oculos ultrò averterent, spem salutis non habebant ullam. Sed neque alterius aspectu, verùm proprio Israëlitæ sanabantur, uti nos, ex fide nostra, non aliena vivimus, Hebr. *cap.* 11. *vers.*4. Tamen uti saluti esse potuit visus etiam imbecillus: ita ex morte nos eripit fides adhuc infirma, modò vera sit ac sincera. Atque ut semel morsus & viso serpente sanatus, si rursus mordebatur, ad idem remedium confugiebat: ita, si post restitutionem denuò in peccata labimur, eadem succurrit fides, quæ priùs. Proinde, ut illi, tam præsenti auxilio freti, anguium morsum & aculeum parùm timebant: sic fidelis, qui Christo nititur, Dæmonum insultus nihili faciens, cum fiducia exclamat, *O mors, ubi est victoria tua? ô sepulchrum, ubi est stimulus tuus?* 1. Cor. *cap.* 15. *vers.* 55. Israëlitas tamen, nemo dixerit, hujus medicinæ fiduciâ tam fuisse protervos, ut serpentes ad morsum ultrò provocaverint: ita cavendum, ne Christi gratiâ & auxilio freti, in tentationes sponte incidamus. Interim serpens hic, utut gratiæ Dei illustre symbolum, tamen per se nihil poterat, Auctor libr. Sapientiæ *cap.* 16. *vers.* 7. Sed CHRISTUS *vitam habet in se absconditam*, Coloss. *cap.* 3. *vers.* 3. & *vivificat quoscunque vult*, Johann. *cap.*5. *vers.* 21. Serpentis aspectus solis Israëlitis fuit salutaris, fides in Christum & Judæis & Græcis, Galat. *cap.*3. *vers.*28. Ille intuentes à corporis morte sic eximebat, ut morti tamen adhuc essent obnoxii: Hic, nempe Christus, tam ab animæ, quàm à corporis morte, in æternum nos liberat, Joh. *cap.*11 *vers.*26. In diem unum aut alterum duravit *ænei* serpentis virtus, at *Jesus Christus heri & hodie idem est, ac in secula*, Hebr. *cap.*13. *vers.* 8. Itaque serpentem æneum colere nefas fuit; & tam eximium divinæ virtutis monimentum meritò contrivit Ezechias, cùm Israëlitas ei adolere animadvertisset, 2. Regum *cap.*18. *vers.* 4. *At eum* (Christum) *adorant omnes Angeli*, Hebr. *cap.*1. *vers.*6. Proinde, cùm contritus fuerit serpens æneus, quem colebant Israëlitæ, contrà illi conterentur, qui debitum Christo cultum denegabunt, Psalm. 2. *vers.* 9. *&c.* Licet autem Moses non dicat, in quo præcisè loco *Æneus serpens* erectus fuerit, probabile tamen est, locum illum fuisse *Phinon* seu *Phunon*, memoratum Numer. *cap.*33. *vers.*43. qui Idumææ locus fodinis æris valde insignis fuit, & Patribus *Phano, Phoenen, Fenon, Metallo-fenon* scribitur, unde *Phanesia* vel *Phoinesia* metalla, etiam profanis scriptoribus celebrata, ut dicemus infrà suo loco. Neque fortasse sine mysterio in his ipsis fodinis, ubi tum Israëlitæ degebant, sumtum æs, ex quo conflatus fuit serpens æneus. Sic enim significari potuit, corpus, quod assumsit Christus, non aliunde fuisse allatum, sed ibi natum & formatum, ubi in carne manifestatus est. Sam. Bochartus *Hierozoici Part. poster. lib. III. cap* 13.

Ænigma, in vet. *Gloss. Moneta*, ut auctor est Jac. Gotofredus. At in *Gloss.* Isidori, est *figura sive typus, sive species*, nempe monetæ. Certè ita usurpat etiam Prudentius in *hymno S. Laurentii*. Car. du Fresne *Glossar.* Cæterùm *Ænigmata*, ab implicatione *Sirpi* dicuntur. V. *ibi*.

Ænipontana Familia, V. infrà *Oenipontana*.

Ænon, adde: Locus hic non confundendus cum *Ænan*, ut Baronius facit, propterea quòd utramque vocem significare *fontem* dicit Hieronymus. Hic enim ipse duo loca situ separata commemorat, quorum alteri nomen *Ænan*, alteri *Ænon*: habet autem id ab Eusebio, cujus verba *de locor. nom. in S. Script.* hæc sunt, *Αἰνὰν, ἣ ἐστιν ἐν παρόδῳ Θαμνᾶ, ἔρημος νῦν τόπος, ἔνθα ἡ Αἰνὰν παρακειμένη τῇ Θαμνᾷ εἰς δεῦρο οἰκουμένη μεγίστη πόλει, κειμένη μεταξὺ Αἰλίας καὶ Διοσπόλεως. πηγὴ δὲ ἐστιν ἐν τῷ Αἰνὰν λεγομένῳ τόπῳ, παρ' ᾗ εἴδωλον ἐν πηγῇ τοῖς ἐγχωρίοις τιμώμενον. Ænan, desertus nunc locus est, propinquus Thamnæ, etiamnum habitatæ ingenti urbi, inter Æliam & Diospolim. Fons autem est, in eo loco apud quem idolum fuit, incolis in veneratione.* Hæc Eusebius de *Ænan*, inter loca Mosi memorata, respiciens locum Genes. *cap.* 38. *vers.* 14. ubi LXX. vocem Hebr. *Henaiim* verterunt Αἰνάν; Hebræi verò, ut Hieronymus monet, non pro loci nomine accipiunt, sed bivium interpretantur: propriè est *τὼ ὀφθαλμὼ, τὼ κρήνα, duo oculi vel duo fontes*. De *Ænon* verò idem Eusebius ita: *Αἰνὼν ἐγγὺς τοῦ Σαλὴμ, ἔνθα ἐβάπτιζεν ὁ Ἰωάννης —— καὶ δείκνυται εἰσέτι νῦν ὁ τόπος ἀπὸ η. μιλίων Σκυθοπόλεως πρὸς νότον πλησίον Σαλὴμ καὶ τοῦ Ἰορδάνου, Ænon prope Salem, ubi baptizabat Johannes —— & ostenditur etiamnum locus, 8. mill. Scythopoli, Meridiem versùs, prope Salem & Jordanem.* Sic ergo *Ænan* fuit prope Diospolin sive Lyddam, ab ea parte Jordanis, quæ mare respicit: *Ænon* verò vicina Scythopoli ad alteram Jordanis ripam sita, non procul à flumine. Sed & appellatione multùm differunt: *Ænan* enim Hebræis est *Henajim*; at *Ænon*, apud Syrum & Arabem Interpp. scribitur *Hennon*; Hebr. עינים & עינון. Vide Isaac. Casaubonum *Exercitat. XIII. c. Baron.* §.25.

Ænos, adde: Imò longè ante *Æneam* condita est (contra Chersonesum Thracicam, in Melane sinu, ad ostia Hebri fluminis) utpote quæ auxilia ad Trojam miserit. Callimachus & Euphorion à socio Ulyssis dictam scripsere illic sepulto, eo tempore, quo missus est ad frumenta portanda, ut refert Servius. Habuit in propinquo Polydori tumulum, à Polymestore occisi, qui eam Cherroneson obtinebat, &c. Cum *Ænea* ergo urbe, quæ aliter *Æneades*, confundunt hanc *Ænum* Auctores. Sed nec *Ænus* ab *Ænea*, verùm *Ainea*, dicenda fuisset: mansit porro urbs *Ænus* usque ad extrema Græciæ tempora, ut ex Ptolemæo patet; cum *Ænea*, à Cassandro, conditâ Thessalonicâ, cum aliis oppidis vicinis destructa jam esset. Salmasius *ad Solinum pag.* 161.

Ænus fluv. adde: Apud Venones tribus lacubus in Juliis Alpibus oritur, teste Dan. Eremita.

Æolium Instrumentum, quod, sine ullo humano contactu, solo fortioris venti impulsu chordas radentis, adeò admirabile soni genus efficit, ut solâ naturæ industriâ auditores in stuporem det. Namque hi mox campanarum clangorem è longinquo se percipere autumant, mox videntur ex sufflatu organi tibias cantantes audire: dubiique hærent, an experti cujusdam Tubicinis, Citharœdique ludentis jocos sonoros percipiant; asservatur in *Musæo* Kircheriano. Ejus construendi rationem præscribit Auctor *de Magia Phonotactica Machinam.* 10. & in *Phonurgia*, hoc modo: Ex ligno tiliæ resonantissimo, quibus fidicina instrumenta confici solent, instrumentum conficiatur 5. palmos longum, latum duos, profundum unum; hoc dein 15. chordis æqualibus ex animalium intestinis vel etiam pluribus paucioribusque instruatur. Porro modus concordantiæ sit non per tertias aut secundas, sed debent omnes chordæ in unisono, aut per octavas unisonæ, aut omnes in uno tono concordes esse. Modus applicationis talis sit, ut, ubi ventus spirare maximè solet, per strictissimam rimam valvularum aut portarum cogatur transire, cui rimæ retroponatur instrumentum, ut necessariò ventus chordas radat. Auctor tunc absque ulteriori dispendio fenestras aperit, atque valvis fenestræ semipalmari spatio apertis, queis *Æolium Instrumentum* insertum, adeò insolitum harmoniæ genus exhibet solius venti impetu, ut nemo, nisi arcani conscius, unde sonus ille harmoniacus oriatur, ne conjecturâ quidem assequi possit. Vide quoque *Musurgiam* Auctoris, & Georg. de Sepibus in *Collegii Rom. S. I. Musæo pag.* 51. Ibidem Magnes est *Æolius*, piscis volans, quam *hirundinem* vocant *marinam*, flantem ventum intra cubiculi laquearia designans. *Pila* item *Æolia*, &c *pag.*4.

Æora, Græc. Αἰώρα, festum in honorem Erigones, Ægysthi ex Clytemnestra filiæ, celebrari apud Athenienses solitum. Ita enim, præter alios quosdam, censet Etymologici magni Auctor. Plerique tamen illud institutum ferunt, in memoriam Erigones, filiæ Icarii, quæ ob pietatem in patrem, in cœleste Virginis signum conversa dicitur. Hygin. *fab.* 216. Vide Hesychium in Αἰώρα, Vossium *de orig. & progressu Idolol. lib.*1. *cap.*13. Meursium imprimis *Græcia Feriata lib.*1.

Æquatis Velis procedere, Vid. infrà *Pariare vela*.

Æqui Dii, pro *ambiguis*. Observatum sæpe à Viris doctis, *suos, meos, nostros*, Deos, loca, tempora, pro secundis & faventibus incepto nostro; *alienos*, pro adversis & qui malo damnoque sint; *communes* tandem seu *æquos*, pro ambiguis, quibus aut pars utraque aut neutra fidit, Latinis dici. Ovidius *Metamorph. lib.*15. ubi Jupiter ad Venerem,

Nos in bella suos fortissimus ultor habebit.

Tibullus *lib.* 3. *Eleg.* 3.

At si pro dulci reditu quæcunque voventur,
Audiat aversâ non meus *aure Deus.*

Auctor *Ciris*,

Nunc tremere instantis belli certamina dicit,
Communemque timere Deum.

Tacitus *Annal. lib. I. Non hic sylvas, non paludes, sed æquis locis æquos Deos.* Iis locis, ubi neutra pars habet aliquid iniqui, omnia cætera æqualia, parem fortunam, parem aleam & reliquum Virtutis certamen. Inde *lib.*16. *Exutusque omnibus fortunis & in exilium actus, æquitate Deûm erga bona malaque documenta.* Quasi dixisset, *æquis Diis erga bona malaque documenta*, h. e. utraque sine animadversione, sine præmio pœnave merita transmittentibus. Hoc enim erat, in quo maximè ii providentiam culpabant. Val. Flaccus *lib.*14.

Atque eo non oculis Divûm pater ampliùs æquis
Sustinuit.

Commovebatur enim, nec in promiscuo erat illi, quid fieret: secus ac de Diis Tacitus. Malum fuerat documentum Egnatii, qui patronum prodiderat & scelere fruebatur: bonum Asclepiodoti Cassii, qui labentem amicum non deseruerat & bonis publicatis in exilium pellebatur. More igitur pagano cœlum vituperat & crimen

accu-

acutæ Fati. *Æquitate Deûm*, i.e. per æquitatem, per patientiam Deorum, immotis Diis, neque ad præmium aut pœnam flexis, &c. Joh. Frid. Gronovius *Observ. lib. 4. cap. 17.*

Æquilibrator Regis, nomen muneris, quo insignitus donationem factam Majori Monasterio à Roberto de Sabulio (*Sablé*) & uxore A.C. 1067. subscripsit quidam Baldricus, statim post Episcopos: quem subsequuntur, Ingenulfus Magister Pincerna, Radulfus Dapifer, Walerannus Camerarius, &c. ubi *Æquilibrator* aut *Æquilibrator Regis*, Carolo du Fresne is est, qui aliàs *Magister* Regis seu Pædagogus dicitur. Tum enim Philippus R. vix ætatis annum attigerat 13. aut 14. Sic autem appellatus fortè, quòd puerum herilem in *æquilibrio ac harmonia*, ut loquitur Tullius, seu vitæ æquabilitate, contineret: cujusmodi munus illius est, quem *Gouverneur du Roy*, hodie Galli dicunt; quemque olim *Bajulum*, in Aula præsertim CP. dixerunt. Carolus du Fresne *Glossar.* Aliàs *Æquilibrator* Latin. qui *Zygostates* Græcis, qua de voce vide suo loco.

Æquinoctia ambo, Cynocephali sedentis hieroglyphico indigitari consuevere, apud Ægyptios: Ea enim hujus animalis natura est, ut per æquinoctia duodecies in die urinam reddat, æquali semper inter duodenas vices observato spatio; quod similiter facit in duabus æquinoctiorum noctibus, uti legitur apud Orum Apollinem. Hinc à Trismegisto diei æquinoctialis in XII. partes divisio tradita: factumque postea, ut in horologiis suis aquatiis Ægyptii cynocephalum exsculperent, cujus ex veretillo aqua proflueret, quò justè duodenæ illæ partes diei *Æquinoctialis*, totidemque noctis dividerentur. Ne verò aqua prolixiùs efflueret, quàm par esset ad justam horæ mensuram servandam, aut rursus æquo parciùs manaret, avulso è cynocephali cauda pilo, ad ejus instar tenue ferrum parabant, quo attemperabant aquæ fluxum, ut habet idem Orus. His itaque rebus atque hujus animalis magisterio edocti Ægyptii diem naturalem æquinoctialem XII. horarum fecerunt & noctem similiter æquinoctialem totidem, adeoque horarum XXIV. verum diem, quo & nox comprehenditur, qui fit uno cœli circumactu. Atque hic dies est Astrologorum, quem Umbri quidem olim, ut & hodierni Mathematici à Meridie incipiunt: Babylonii verò & Ægyptii olim Astrologi ab Ortu Solis auspicati, eum viginti quatuor partium seu horarum æqualium constituebant, easque partes à die in noctem continuabant. Quo modo soli dies Æquinoctiales duodecim partibus constabant, noctesque totidem; etenim cùm 24. horæ junctim in νυχθήμερον computantur, omnium horarum par est intervallum. At cùm duodecim horis omnis dies divisus notatur, crescendi ac decrescendi inter ipsas horas alterna mutatio est, ut rectè Hyginus scribit, *de limit. constit.* Post Horologia verò & Horas inventas, omnis dies duodecim partes habere cœpit, quas *Horas* dixere, &c. Ægyptios Græci quoque antiquissimi Astronomi secuti, in disciplina rerum cœlestium, ex arte Gnomonica dirigenda, eandem cum illis viam instituerunt, & diem similiter divisum in 24. partes æquales observarunt, ex quibus 12. partes diebus Æquinoctialibus Solis attribuerunt. Quæ sunt *δώδεκα μέρεα τῆς ἡμέρης*, quæ Græcos à Babyloniis sumpsisse cum *polo* & *gnomone*, scribit Herodotus. Nam πόλος & γνώμων, non aliis tunc quàm Mathematicis serviebant, nec alias diei partes designabant. Et quidem Solstitia & *Æquinoctia*, & quæcunque alia exploravere ex umbrarum momentis, ad æquinoctialis gnomonis umbras & per 12. diei Æquinoctialis partes, ea deprehendisse constat. Quæ certè fuit apud illos vetustissimos Græciæ Astronomos magnopere exagitata multumque desudata investigatio Solstitiorum & *Æquinoctiorum*. Inter quos Anaximander, ex umbrarum ratione & arte gnomonica, cùm Æquinoctia & Solstitia investigasset, Lacedæmone gnomonem statuit, quo illa ostenderentur. Meton dein Atheniensis Heliotropium Æstivum constituit in Pnyce: cujusmodi Heliotropia, ad formam Horologii descripta, & quæ *Horologia Æquinoctialia* vocare posses, alii postea certatim erexere. Sed ista, ut dictum, horarum adhuc usu ignorato, solis Mathematicis usui erant, nullius planè usus in vita civili, nisi quatenus Populus ex iis discebat, quando futuri essent Solstitiorum & Æquinoctiorum dies. Quod tamen & ipsum sciri non parvi momenti, nec parvi usus est, in rebus Rusticis procurandis. Ideo publicis locis Urbium ejusmodi machinæ ab Astrologis ponebantur, ut Populus ex iis disceret, quo die *Æquinoctia* & Solstitia essent observanda, quot dies adhuc superessent usque ad illud & illud Æquinoctium sive Solstitium, quot dies ab alterutro præteriissent. Cæterùm ad partes diei observandas, tempusque prandii aut cœnæ statum cognoscendum, aut cujuscunque negotii, cui tempore condicto esset occurrendum, aliâ methodo, ex umbra videlicet pedibus metienda, utebantur, &c. Quam in rem vide plura apud Salmasium *ad Solinum, pag. 732. & seqq.*

Æquitas, seu Justitia, cum libra & cornucopiæ, pro Virgine Astrica plerisque habita est: Aliis Isidem vel Cererem eam facientibus; item Fortunam, quæ omnes cum cornu copiæ fingi pingique consuevere, &c. Vide Gorlæum *Dactylioth.* & Salmasium *ad Solinum, pag. 1236.* ut & infrà passim, inprimis in voce *Virgo*.

Aër, quàm vastum corpus sit, argumento est, quòd (ut Tycho Brahe se observasse scribit) ab Terra usque ad Lunam sint semidiametri terræ 52. quomodo is, ut colligit Christoph. Rothmannus, major erit centies millies globo terræ aquæque. Ejus usus multiplex, cùm sustollere mentes humanas deberet ad cultum ejus, qui Aëra creavit; contrà evenit, ut mirâ cæcitate Vett. deprimerentur iis, ad venerationem creaturæ: nec vulgares solùm animæ, sed etiam maximi nominis Philosophi; inter alios Anaximenes Milesius & Diogenes Apolloniates, quem utrumque solidè refellit Cicero *de Nat. Deor. lib. 1.* Præter illos integræ gentes divinum honorem elemento huic exhibuerunt, Assyrii nempe & Arabes, ut testatur Herodotus *libr. 1.* qui & auctor est, vocatum iis Ἀφροδίτην οὐρανίαν, *Venerem cœlestem*. Quamvis hoc nomine tum Lunam, tum *Aëra*, cultum fuisse, ostendat Vossius. Ægyptii, per *Aëra* Minervam intellexerunt, teste Eusebio *Præpar. Evangel. libr. 3. cap. 2.* Græcis & Romanis, *Aër*, consideratus ratione potentiæ activæ, *Jupiter*: ratione passivæ, *Juno* dictus est, Senec. *Quæst. Natur. libr. 3. capit. 14.* Nempe ut Athenagoras *Legat. pro Christianis* refert, Ἀέρα διφυῆ ἀρρενόθηλυν τὸν Δία λέγουσι. *Aëra duplici naturâ præditum masculofœminam Jovem vocant.* Ideo Horatius *lib. 1. od. 1.*

—— Manet sub Jove frigido
Venator.

Virgilius, *Georg. lib. 1.*

Et jam maturis metuendus Jupiter uvis, &c.

Pertinetque ad Jovem, quatenus *Aër* est, Dijovis & Diespiter, Varro *de LL. lib. 4. olim Dijovis & Diespiter dictus, h. e. aër & diei pater.* Et paulò pòst: *Idem hic Diespiter dicitur infimus aër, qui est conjunctus Terræ, ubi omnia oriuntur, omnia aboriuntur.* Vide quoque Aul. Gellium *lib. 5. cap. 12.* Junonis verò nomine, quamvis Luna etiam ac Terra præfatis gentibus fuerit intellecta, ut plurimum tamen Ἥρα seu Juno *Aër* fuit, imò ex ἀὴρ, trajectis solùm literis, illa dicta est. Fuit autem superior pleniorque *Aëris pars*, Jovis; inferior ac crassior, Junonis nomine culta. Et fortè *Sospita* hinc ea dicta, quòd in aëre, quem attrahimus, valetudo multùm sit sita: at Ἀργεία, sive *Argiva* nuncupata est, quia Argis Dea esset tutelaris, ut cui Inachus terram hanc dicasset. Et verisimile est, hinc cultum Junonis promanasse ad Græcorum alios, atque inde opinionem ortam, Junonem Argis natam esse. Quia autem Juno muliebre Numen, eo & fœmina Junonis Argivæ sacris præerat primaque Sacerdotio functa dicitur filia Pirantis: sive ejus nomen fuerit Callirrhoë, sive, quod multò verisimilius, Callithoë, ut *Phoronidos* Scriptori dicitur apud Clem. Alexandrinum *1. Strom.* vel Καλλιθύῃ, ut ex Plutarcho vocatur Eusebio, *Præp. Evangel. lib. 3.* aut Καλλιθυία, quemadmodum est apud Theonem in *Aratum*. Vide Gerh. Joh. Vossium *de Idol. part. 2. capp. duobus ultimis.*

Nomina, quibus Aër olim cultus.

Diespiter dictus est infimus apud Græcos Aër.	Ἀφροδίτη, ob aëris perspicuitatem, Juno dicta.
Dijovis.	Minerva, apud Ægyptios, aër purissimus.
Juno, supremo & purissimo proximus.	Sospita apud Rom.
Jupiter, supremus & purissimus, aliàs *Æther* dictus apud Romanos.	Venus Urania, apud Ægyptios & Arabes.

Aër, quoque olim censitus. Æl. Spartianus in *Pescennio Nigro*, *Idem Palæstinis rogantibus, ut eorum censitio levaretur, idcirco quòd esset gravata, respondit, Vos terras vestras levari censitione vultis, ego verò etiam aërem vestrum censere vellem.* Id nempe etiam avaritiâ Principum tandem factum est; impositò non Judæis solùm, sed in universum omnibus, tributi genere, quod ἀερικὸν de aëris censitione dictum est, vide Jacobum Cujacium *Observation. lib. 10. cap. 7.* Tangit vectigal hoc Tertullianus, cùm ait: *Nec tam execrabile esset nomen Publicanorum apud Dominum nisi extraneum, vendentium ipsius cœli & terræ & maris transitus*, apud Salmasium *ad Spartian.*

Aër, in communione Roman. dicitur velum, quo cooperitur calix; aliâs *Agnus*, fortè ab imagine agni, quâ id insignitum. Dominic. Sacer *Hierolex.*

Aër Balneorum, Græcis dictus est, qui ex aqua remittitur, prout est temperata, modò tepidus, modò calidus: ad quem calefaciebant se, quibus domi foci parandi non erat copia. Aristophanes,

—— Εἰς τὸ βαλανεῖον τρέχε,
Ἔπειτ' ἐκεῖ προσφοιτῶν ἑστάναι, θέρου·
Κἀγὼ γὰρ εἶχον τὴν στάσιν ταύτην ποτέ.
—— Ad balneum curre,
Dein ibi in apice stans, calefac te,
Namque & ego tenebam stationem istam aliquando.

Ubi Scholiastes, Λέγουσι, ait, ὅτι οἱ πολλοὶ ἐλαττοῦσι τὸν ἀέρα τῶν λουτρῶν, εἰς ἑαυτοὺς αὐτὸν ἕλκοντες, *Dicunt, multos imminuere aërem balneorum, ad se illum trahendo.* Alexander Trallianus *lib.* 3. Ἐπὶ γὰρ τῶν τοιούτων ἐν πυριβολαῖς λουτρά, οὐ βλάψεις, ἀλλὰ καὶ ὠφελήσεις τὰ μέγιστα. ... μᾶλλον εἰς τὸν ἀέρα τῆς θερμῆς εἰσιέναι συμφέρει τούτοις ὕδατι ψυχρῷ κεχρῆσθαι τοὺς πόδας. Et paulo pòst, Εἶναι δὲ χρὴ καὶ τὸν ἀέρα τοῦ λουτροῦ εὔκρατον. *Oportet enim esse* aërem balnei *temperatum*, & V. Salmasium *Not. ad Flav. Vopiscum* ubi de Aureliano *Thermas, ait, in Transtiberina regione Aurelianus facere paravit hyemales, quòd aquæ frigidi aëris copia illic deesset.* Ubi *aquam frigidi aëris* vocat, quæ frigidum aërem emittit, id est, *frigidam.*

Æra seu *Era*, item *Hera*, Scriptoribus mediæ ædatis supputatio est, numerus, computus: eò quòd Vett. *æra* vocabant in rationibus, quæ vulgus hodiernum *Item* appellat, quod primum est in notatione *æra*. Rufus Festus in *Breviar. Rer. gest. Pop. Rom. Morem sequutus Calculonum, qui ingentes summas æris brevioribus exprimunt, res gestas signabo, non eloquar.* Faustus Rejensis *de Spiritu S. lib.* 1. *Sacer numerus dicitur, quia trecenti in æra sive supputatione signum Crucis* &c. Isidorus, *Per singulos Evangelistas numerus quidem Capitulis affixus adjacet; quibus numeris subdita est æra quædam minio notata, quæ indicat, in quoto Canone positus sit numerus, cui subjecta est æra: v. g. si est æra prima, in primo Canone &c.* Hinc abusivè *Æra* pro capitulo, apud Bernaldum Presbyter. *de reconcil. laps. pag.* 272. Hincmarus, Remensis *in ferculo Salomonis.*

Hac ut vobis nulla desit, Karle, gratia,
Versuum mensura pandit atq; ærarum quantitas, &c.

V. infrà in voce *Hera.* Atq; hinc rationem annos numerandi Hispanis olim familiarem, *Æram* dictam nonnulli volunt. Alii tamen à voce *Æs* deducunt, quòd in ære signato nota currentis anni imprimeretur. Quidam probabi lius censent, dictionem hanc coaluisse, ex literis *A. ER. A.* id est, *Annus erat Augusti*, hujus enim Imperatoris principatu hic computus annorum cœperat. At Baronius *Notis ad Martyrolog. Rom.* adhærens Dioni Cassio, opinatur ab *ære* collato hoc vocabulum ortum: Namq; Augusti temporibus ex Hispania tam ingens monetæ copia collecta fuerat, quæ non solùm triumpho, sed & ad resarcienda Urbis mœnia ac ædificia sufficeret. A qua proin locuplete Hispanicæ gentis pensitatione, *Æra* cœpit dici annorum computus, quià memorabili hoc facto initium sumsit, & in Hispanicis Conciliis frequenter occurrit. Incepit autem hæc *Æra* Car. Macro, in Consulatu Appii Claudii & Norbanis Flacci: desiitq; in Regnis Hispaniæ non simul & semel: sed in Aragonia A. C. 1359. in Castella, sub Johanne I. R. qui tum Segoviæ Curiam habuit, A. C. 1383. in Lusitania deniq; A. C. 1415. à quo tempore *æra* seu anni Christi publicis instrumentis cœpere apponi. V. *LL. Partidas* seu Alfonsinas *Part. III. tit.* 3. *l.* 7. At cur ab eo anno initium sumserint, multa Viri docti congessere, tametsi vix inter se conveniant, cùm veram rationem assequi haud promtum sit. V. Auctores hanc in rem laudatos Carolo du Fresne *Glossar.* & in voce *Era.* Addam saltem ex eodem du Fresne, quod is de *Æra* Hisp. in *Codice Ms.* Bibl. Thuan. scriptum reperit. *Ut cognoscas, quota sit Era quolibet anno, annis Domini Jesu Christi adde* 28. *& numerus, qui collectus fuerit, erit Era. Verbi gratiâ modò currit annus I. C.* 1274. *adde illis* 28. *& resultabit iste numerus* 1302. *talis erit præsentis anni, scilicet anno* 1274. *mutatur autem in Calendis Ianuarii, &c.* Abrogatâ itaq; hac *Ærâ*, cœpit *Æra Christi* apponi, quæ, notante Baronio, primùm adhibita est A. C. 527. quando post Justinianum Imp. Fasti Consulares defecerunt: primusq; fuit Dionysius Exiguus, qui privatim *à Nativitate Domini* annos hoc anno numerare orsus est, ut pleriq; sentiunt. At Paulus Diaconus *ab Incarnatione* suum computum *lib.* 17. notaverat, jam ab A. C. 492. sic enim ibi: *Cessante jam Romanæ Urbis imperio, utilius aptiusq; mihi videtur, ab annis Dominicæ Incarnationis, supputationis lineam ducere.* V. infrà in vocibus *Incarnatio & Nativitas*, & plura hanc in rem, præter Auctores præfatos, apud Macros in *Hierolexico.* Tandem *Æra* quivis annus dictus est. Luithprandus *in Legat. Armiger hujus* (Imperatoris CP.) *sagittâ calamo immissâ, æram in Ecclesia ponit, quæ prosequitur, quo nimirum tempore imperare cœperis, & sic æram, qui id non viderunt, intelligunt.* Sic apud Dudonem *de Actis Normann. lib.* 3 *pag.* 11. *Transactâ deniq; duarum horarum intercapedine.* Quomodo Francos olim annos numerâsse, colligitur ex *Charta* Hugonis Episc. in Tabular. Ecclesiæ Gratianopol. quæ sic clauditur: *Facta carta ista 4. Cal. Augusti, anno ab Incarnatione Domini millesimo centesimo, Lunâ* [illegible]. *Indictione* 8. *Era millesimâ centesimâ octavâ*, apud du Fresne, & Salmasium *ad Solinum pag.* 686. ubi de modo Vett. rationes suas per *æra* explicandi & mensuram areæ per *æra* & calculos colligendi agens, *æram* apud Epaphroditum & Vitruvium Rufum, semper poni pro *numero dato*, atq; hinc apud Nonium *æram*, de numeri nota exponi, docet. Inde *æream podismis suis adarare*, in Arcerianis *Fragm* h. e. mensuram ejus per æra & calculos colligere, sicut Vett. consueverunt Agrimensores & Geodætæ, hodieq; faciunt quidam Arithmeticæ imperitiores *Ibid.*

Ærariæ Annonæ, v. suprà *Æneum frumentum.*

Ærarium, locus est pecuniæ publicæ, ad futuras necessitates, asservandæ destinatus. Nomen ei ab ære, cujus, auro argentoq; nondum invento, usus fuit. Differt à Fisco: quòd *Ærarium* populi, *Fiscus* Principis sit. Ei apud Romanos Tribuni primitus præerant; postea Quæstores: donec sub Imperatoribus novi Magistratus orti sunt, in quorum cura pecunia publica esset. Nam à Quæstoribus ad Prætores, ab his sub Augusto ad Senatores, deniq; sub Claudio ab istis ad Quæstores munus denuo devolutum est. Asservarunt illud Romani in æde Saturni, quòd *ab ipso primùm tabulæ & imagine signatus nummus*, Tertullian. *Apologet. adv. Gent. cap.* 10. primusq; templum illud huic usui addixit Val. Publicola, vel ob reverentiam sacri loci, vel quia tutissimus is mons erat. Duplex autem *Ærarium* erat, Unum quod *Vulgare* Dempsterus, alii *Largitionum sacrarum* seu *Thesaurorum publicorum* vocant, quòd, in exteriori Fano, communis Reip. census & ordinaria tributa in eo reconderentur: Alterum *Sacrum* seu *Sanctius*, ad ultimos Reip. laborantis casus aurum vicesimarium celans, quod, in penitiore ædis recessu asservabatur. In quo tabulas simul publicas custoditas, patet ex Cicer. *Act* 3. *in C. Verrem.* Hoc initio bellorum civilium Pompejanorum Consules, urbe excedentes, clauserunt, clavibus secum ablatis: Sed Cæsari in urbem ventitanti, nihil prius visum agi dignum, quam eo effracto rapere, quidquid opulentiæ fuerat congestum, V. Appianum Alex. *Bell. Civ. lib.* 2. Florum *lib.* 4. *cap.* 2. Cicer. *ad Atticum lib.* 7. *epist.* 12. *&c.* Fuisse autem à Cæsare rapta *auri pondo* 4136 *argenti pondo prope* 900000. prodit Freculphus *Chron. tom.* I. *lib.* 7. *cap* 8. ex P. Orosio *lib.* 6. *cap.* 15. *Militare* quoq; dictum est. Præter hæc duo, fuit etiam *Ærarium* largitionum seu rerum privatarum Augusti & Augustæ &c. V. Thom. Dempsterum *Antiqq. Rom. lib.* 7. *cap.* 31. *& Paralip. ad illud caput.* Apud Persas quoq; publicam pecuniam Magnatibus asservandam committere, moris fuit: Unde Tyridates *pecuniæ custos* memoratur Curtio *lib.* 5. Et de Dario ad constructionem Templi Hierosol. pecuniam permittente, loquens Josephus *Antiqq. Iudaic. lib.* 11. *cap.* 4. ἐκ τοῦ βασιλικοῦ γαζοφυλακίου, *ex regio ærario*, illam depromam esse scribit. Nata autem hæc vox, ex celebri thesauris regiis reponendis oppido Gaza: Unde hujusmodi custodes Γαζοφύλακες dicti. Asservabatur & hæc pecunia plerunq; in templis. Hinc templi Hierosolym. opulentiâ Pompejus illectus huc venit, thesaurosq; diripuit. Græciæ quoq; totius *Ærarium* in ins. Delo fuit, & templum Delphici Apollinis, propter opes in eo depositas, à Brenno Gallorum Duce petitum, narrat Justinus *lib.* 24. Locupletarunt, ut & illud addam, Romani *Ærarium*, ex devictorum hostium pecuniis: annuis sociorum pensionibus: hæreditatibus, quarum vicesimam extranei, qui hæreditatem adibant, ærario pendere tenebantur: ex prudenti opum administratione &c. Manumissi quoq; vicesimam ei solvebant. At Constantius Imp. *Opes, cùm à privatis possidentur, apud eos fructum, in arcis verò Principum clausas, steriles esse ac infructuosas* judicavit. Apud mediæ ætatis Scriptores, *Ærarium* seu Fiscus, synonyma. Æl. Spartianus in *Adriano, Damnatorum bona in fiscum privatum redigi vetuit, omni summa in ærario publico recepta. In Fiscum privatum*, εἰς τὸ βασιλικόν; quasi alius esset Fiscus, præter privatum Principis. Nempe *Fiscus & Ærarium* hic synonyma, & *privatum Ærarium* ac *privatum Fiscum* appellant hi Auctores, τὸ βασιλικὸν ταμιεῖον, publicum autem, Populi Ærarium, cùm propriè *Fiscus* de Principis ærario dicatur. Sic Volcatius Gallicanus *in Avidio Cassio, Bona proscripti Antoninus in privatum ærarium congeri noluit, quare Senatu præcipiente in ærarium publicum sunt relata:* Et Dio aliiq; Scriptores Græci, τὸ βασιλικὸν τῷ δημοσίῳ opponunt, privatum nempe Ærarium publico. Salmasius *ad l.*

Ærarium Majus, apud Lampridium in *Antonino Diadumeno*, *Die qua natus est, pater ejus purpuras tum fortè Procurator jam Ærarii majoris inspexit* &c. est *Ærarium sacrum*, cujus Præfectus aurum, argentum quod ex provinciarum tributis cogebatur, vestes, omnes species publicas, quidquid deniq; sanctiori Principis ærario inferretur, curabat. Sub eo Præfecti baphiorum, textrinorum, Magistri lineæ vestis, Magistri privatæ, Murileguli, Gynæciarii: unde non mirum, si Macrinus hic, cùm hanc procurationem ageret, inspectionem purpurarum probationemq; curæ habuit. Statius Papinius de hoc munere ita,

——————— *Iam creditur uni*
Sanctarum digestus opum, partaq; per omnes
Divitiæ populos, magniq; impendia mundi:
Quidquid ab auriferis ejectat Iberia fossis,
Dalmatico quod monte nitet, quod messibus Afris,
Verritur, æstiferi quidquid terit area Nili.
Quodq; legit mersus pelagi scrutator Eoi,
Et Lacedæmonii pecuaria culta Galesi,
Perspicuæq; nives, Massylaq; robora, & Indi
Dentis honos, uni parent commissa Ministro.

Ubi per *sanctas* illas *opes* nihil aliud intelligere possumus, quàm *sanctius*, ut dicebatur, *vel sacrum Ærarium*, cujus Præfecto, omnia, quæ hic recensentur, suberant; atq; insuper Monetarii; addit enim,

Ausonia

Ausoniæ quidquid crepat igne moneta.

Quod idem omnino ejusdem officium fuit, posteriorum quoque Impp. ævo, sed nomen mutatum: nam pro *Ærario sacro* dixere *Largitiones sacras*, & Præfectum ærarii sacri *Comitem Sacrarum Largitionum*, magnifico planè vocabulo, quasi ad nullam aliam rem Ærarium Princeps haberet, quàm ad largiendum. Sic res etiam privatæ Principis, *Largitiones* dicebantur: atque hæ non tantùm in auro & argento, gemmis ac vestibus reliquisque mobilibus consistebant: sed etiam in domibus palatiisque, prędiis & possessionibus rebusque soli erant positæ. Ut olim igitur duo æraria, *publicum & privatum Principis*, sic sub posterioribus Impp. duæ largitiones, *sacræ & privatæ*; tamque publicum, quàm privatum, *Principis ærarium* dictum est. Hinc de Comite sacr. Largitionum Claudianus,

Huic sacræ mandantur opes, orbisque tributa,
Possessi quidquid fluviis evolvitur auri &c.

idem planè dicens, quod Statius; *sacras* sc. *opes*, quas ille *sanctas opes*: nisi quòd Statii tempore *Ærarii sacri Præpositus* dicebatur; Claudiani verò ætate, *Præpositus* vel *Comes sacrarum largitionum*. Hinc *Sacris Largitionibus inferre*, pro *ærario inferre*, & *largitionales tituli*, in *Cod.* Theodos. species omes publicæ, quæ Ærario inferebantur. V. infrà, ubi de *Largitionibus*. *Sacrum ornamentum* dixit pro *Sacro Ærario*, *Lex 4. Cod. de Discuss.* E'αν ἐν ἱερὸν κομισθῇ τὰ χρήματα δημόσια ὁ λογιστὴς αὐτὰ εἰς τὸ ἱερὸν *ornamentum deponere*, id est, in sacrum ærarium. *Vestiarium* Gr. Βεστιάριον dici, notat Cujacius: &c. V. Salmasium *ad Lampridium*.

Ærarium Saturni, occurrit apud Jul. Capitolinum in *M. Antonino Philos.* ubi de hoc Imp. *Liberales*, inquit, *causas ita munivit, ut primus juberet apud Præfectos Ærarii Saturni unumquemque civium natos liberos profiteri, intra tricesimum diem nomine imposito.* Ibi enim Acta publica servabantur, de quibus accuratissime Viri docti. Idem Auctor in *Gordianis*, *Filium Gordianum nomine Antonini illustravit, cùm apud Præfectum Ærarii more Rom. professus filium, publicis Actis ejus nomen insereret.* Non verò Marcus hujus instituti primus auctor, sed vetus inventum in melius reformavit. Et hoc dicebatur, *natos liberos profiteri*, nomine sc. illo & illo eos deferre; nec nomen tantùm, sed etiam cognomen Actis publicis inserere. Casaubonus & Salmasius *ad l. cit.* Plura hac de re nos alibi passim.

ad *Ærarium* in beneficiis deferre, V. infrà, *Beneficiorum liber.*

Ærarius Mergus, Pertinax Imp. ex Lucilio, ob avaritiam, dictus est. Jul. Capitolinus in ejus *Vita*, *Avaritiæ suspicione privatus non caruit, quum apud vada Sabatia oppressis fœnere possessoribus, latiùs suos teneret fines. Denique ex versu Luciliano* Agrarius mergus *est appellatus.* Pro quo, legi jubet Salmasius *Ærarius mergus*: Sic enim dictus est Lucilio fœnerator quidam improbus, quòd fœnore & ære alieno homines mergeret, Satyricè simul & Poëticè: allusione factâ ad *mergi* etymon. Obærati autem & oppressi ære alieno homines, *ære alieno mersi* dicuntur Scriptoribus Latinis; & ita sæpe in Jure. Sic apud Plutarchum dicuntur βεβαπτισμένοι ὑπὸ τῶν δανείων, qui ære alieno mersi vix emergere possunt. Id itaque Pertinaci nomen adhæsit ex Lucilliano versu; non quòd latiùs suos teneret fines, sed quòd oppressis fœnore possessoribus id faceret eosque mergeret usuris, *Ærarius* seu *Ærarius mergus* dictus est. Et quidem eleganter Lucillius fœneratorem & tocullionem, qui debitores ære in fœnus dato mergeret & opprimeret, *ærarium mergum* appellavit: nam *mergus*, qui mergit, à mergo; ut *promus*, qui promit, à promo: *condus* qui condit & similia sexcenta. *Mergere* verò pro perdere & profligare, eleganter etiam de bonis ac de censu dixit Plinius *lib. 9. cap. 16.* *At nunc coci triumphatorum pretiis parantur & coquorum pisces: nullusque propè jam mortalis æstimatur pluris, quàm qui peritissimè censum domini mergit.* Imò nec *mergere* tantùm, sed etiam *necare* & *trucidare* fœneratores dicuntur. Ausonius,

— Velox inopes usura trucidat, &c.

Salmasius *ad Capitolinum l. c.*

Ærarius Missus, dicebatur olim in Circensibus, missus vigesimus quintus, quòd de collatione Populi exhiberetur. Viginti quatuor enim certamina seu missus quaternarum quadrigarum unâ die exhiberi legitimum ac solenne fuit, quibus sic nonaginta sex quadrigæ currebant, olim a. vigesimus quintus addebatur, (ut ita centum currus per diem certarent) qui *Ærarius*, ut dictum, appellatus est. V. infrà in voce *Missus*.

Ærei Clavi & Panes. V. infrà.

Æreolus nummus V. infrà *Chalcus*.

Aereum Vectigal, V. suprà *Aer*.

Aërinus Color, Græcis τὸ ἀερίζον χρῶμα, idem cum cœlino seu cœruleo, liquidus in translucido est: Ovidius,

Aëris ecce color, tum cùm sine nubibus aër,
Nec pluvias tepidas concitat Auster aquas.

Et talis est flante Boreâ. Hinc *aërinæ* oves, apud Tertullianum *de Habitu Mul.* *Non placet Deo, quod ipse non produxit, nisi si non potuit purpureas & aërinas oves nasci jubere.* Ubi malè vulgò *Aerinas* excudunt & *virides* interpretantur, quo nomine color nullus dictus est. Variis enim coloribus florum Ver pingitur, non solo viridi herbarum. *Calina* vestis, pro eodem, Cypriano. Sic ἀερίζουσα ἴασπις Græcis & *calina* eadem, quæ viz. cœlo autumnali matutino similis, *Boreas* quoque, ob causam præfatam vocata; *Turkesia* hodie dicitur. Quæ gemma felix habetur & boni omnis etiamnum: olim etiam pro amuleto gestata est. Hinc Dionysius Ἠερίζουσαν ἴασπιν canit esse,

Ἐχθρὴν Ἐμπούσῃ καὶ ἄλλοις εἰδώλοισι.
Inimicam Empusæ aliisque spectris.

Orpheus ἀεροειδέα ἴασπιν vocat & multa de *Aërinæ* Jaspidis potentia ac felicitate narrat &c. In pæderote verò gemma, non usitatum hunc *aërinum*, sed suo quodam modo viridem magis, quàm cæruleum aëris colorem, commendat Plinius. V. Salmasium *ad Solinum pag. 202. & 566.*

Æro, apud Plin. de Templo Ephes. *lib. 14. cap. 1.* *Summa miraculi, epistylia tantæ molis attolli potuisse. Id consequutus est ille* æronibus *arenâ plenis, molli pulvino, super capita columnarum exaggerato paulatim exinaniens imos, ut sensim totum insideret;* ubi *heronibus* vulgo, seu *eronibus*: Græcæ verbum originis, ὁ αἴρων, *sportam* vel *fiscinam* notat, quâ aliquid tollitur, vel fertur. Infima Græcia προφορέαν vocavit. Donatus, *Phormio non à formula, sed à phormione sparteo, quem eronem trivialiter dicimus & pro consuetudine.* Græcè etiam φορμὸς &c. Nempe ut Epistylia tantæ molis attolli & supra pulvinos, h. e. capita columnarum, imponi possent, hanc rationem iniit Ctesiphon. *Ærones* arenâ plenos tam multos congessit, ut ex his mollem veluti montis clivum statuerit, eumq; super capita columnarum exaggeraverit; per eum clivum moles Epistyliorum perducta ascendit ad summum. Cùm in summo fuit, æronibus nempe illis imposita, ut sensim tota moles in cubili sederet, exinanivit imos ærones: quo pacto paulatim epistylia subsidebant; donec, omnibus vacuefactis, in suo cubili tota moles posita quievit. V. Salmasium *ad Solinum pag. 817.*

Aëromantia, V. infrà *Hydromantia*.

Æruscatores magnæ Matris, Gr. Μητραγύρται. dicti fuere olim Galli, Cybeles Ministri, eò quòd stipem mendicando cogerent. Sed & idem in Isidos sacris factum esse, discimus ex Ovidio *de Ponto lib. 1. Eleg. 1.*

Ecquis ita est audax, ut limine cogat abire
Jactantem Phariâ tinnula sistra manu?
Ante Deûm Matrem cornu tibicen adunco
Cùm canit, exiguæ quis stipis æra negat?

Nempe unum idemque Numen Cybele ac Isis fuit, ut ostendit pluribus Vossius de *Idolol. lib. 2. cap. 56.* Romæ autem non nisi ad paucos, eosque præfinitos dies, colligere hanc stipem licuit: idque, ne implerent animos superstitione, quam rationem adfert Tullius *de LL. lib. 2.* Atque *Æruscatio* ejusmodi etiam Carthagine obtinuit B. Augustini temporibus, ut ex eo ostendit Vossius *cap. præc.* Habebant verò tintinnabula, quorum sonitu homines in se averterent: Unde Romæ Sacerdos Deæ Syriæ cum pera ac tintinnabulo, inter antiqua monumenta, hodieque visitur, More non absimili apud Italos hodiernos, qui *D. Antonii fratres* nuncupantur, & passim eleemosynam colligentes statim atque in vicos pervenerint, tintinnabula movent. Inprimis autem veteribus illis Isidis mendicabulis comparandi, Religiosi quidam seu Hypocritæ inter Turcas Saracenosque, qui vitam solitariam, inter lupos, cervos, ursos, aquilas, aliasque istiusmodi feras, degere amantes, in cellis suis, harum quasdam alunt, ut viri sanctitate præditi appareant, reipsâ tamen, ut in solitudine cicurandis domitisque illiusmodi animalibus, tempus & otium fallant: Cùm verò à prætereuntibus parciùs sibi eleemosynas offerri vident, latebris suis relictis petunt civitates, ursum vel cervum manu ducentes, è quorum collo pendet tintinnabulum, quò eos, qui daturi quid sunt, convocent &c. V. Hieron. Magium *de Tintinnabulis cap. 7. ubi istiusmodi Religiosi iconem habes, edit. ult.*

Æs, ab *aëre*, sine quo vox sonusq; fieri non possunt, ut è vocis definitione, apud Aristotelem, Avicennam aliosq; patet. Gal. Martius Narniensis *lib. de doctrina promiscua.* Nullum namq; ex metallis perinde ac *æs* sonorum: Unde *Dodonæum æs*, Proverbio dictum, in hominem improbæ atque importunæ loquacitatis: Ausonius,

Nec Dodonæi cessat tinnitus aheni.

In sacris vim habere non modicam olim creditum. Ideo Sacerdotes *æris cultris* utebantur, ut ex Non. Marcello discimus: & Ovidius *in Metamorph.* Medeæ *falcem æneam* attribuit. Idem in *Fastis*, *æris tinnitu* Inferorum umbras in sacris Lemuralibus ab anu expelli dixit. Alexander quoq; Aphrodisæus *in suis Problem.* ait, *æris sono* malos Spiritus depelli, eamq; ob rem in Lunæ defectu æra moveri fuisse in more positum: quemadmodum etiam Livius, Ovidius, Lucanus, alii, deficiente & quasi laborante Lunâ *æra* concuti, scriptum reliquere, annotante Cœl. Rhodigino *Antiqq. Lect. l. 19. c. 10.* Utrumque in usum nobilia olim *Temesæa æra*: de priori, Ovidius *Fastorum lib. 5.*

Rursus aquam tangit, Temesæaque concrepat æra,
Et rogat, ut tectis exeat umbra suis:

de posteriori, V. Hadr. Junium *Animadvers. lib. 3. cap. 11.* Inter Christianos etiam esse, qui *æris* tinnitu dæmones fugari credant, docet Polydorus Virgilius *de Invent. rerum lib. 6. cap. 12.* Unde,

 cùm

cùm ventorum aut grandinis injuria timetur (ab his enim, Dæmonum operâ, vineis, arboribus, frugibusque calamitas non rarò invehitur) campanæ plurimis in locis pulsari solent: an quòd campanarum, utpote divino cultui consecratarum, strepitu illi terreantur? an quòd *æris* sonus, äerem maximè diverberans, scindens & confringens, tempestatum ventorumq; vim dissipet? V. Hieron. Magium *de Tintinnabulis cap.* 14. Sed sint ista superstitioni affinia, probat imprimis in sacris *Æris* usum, quòd in Tabernaculo Temploque Hierosolymitano *Æs* frequenter adhibitum legimus, præter aurum, argentum, serici ac lanarum fila aliaque. Namque in Atrio occurrebat *Altare æneum*, Exodi *cap.* 40. *verse* 29. de quo infrà, in voce *Altare*. Ponè illud, Tabernaculum versùs, stabat *Labrum æneum*, cujus loco *Mare æneum* struxit Salomo, 1. Regum *cap.* 7. *vers.* 23. ex quo aqua 12. siphonibus promanabat; ut duodecim Sacerdotes, ad ingressum Tabernaculi, ex eo lavare possent, Exodi *cap.* 30. *vers.* 18. Sustinebant illud 12. boves ex ære, erantque & alia minora lavacra ei adposita abluendis victimarum carnibus, 1. Regum *cap.* 7. *verse* 23. & 2. Chron. *cap.* 4. *vers.* 2, 6. Imò, quamvis in utroque Tabernaculi Thalamo, supellex omnis ex auro esset, tamen & in ipso Adyto seu Sancto Sanctorum, Cherubinorum, qui è Propitiatorio [illegible]ebant, ex eodem cum illo auro confecti, pedes, quorum extrema pars vitulinum calcem referebat, instar lævigati *æris* refulsisse, tradit Ezechiel *cap.* 5. *verse* 8. *& cap.* 10. *verse* 4. &c. De *Æneo* serpente, diximus suprà.

Æs Captum, apud Plinium, ubi de Siccio Dentato, *à Fisco æris X. capti æris XX millibus*; est æs captivum seu prædaticium, è præda nimirum ac nondum in Ærarium publicum redactum: quod æs militibus ante triumphum solebant elargiri Imperatores, pro cujusque dignitate ac meritis. Nempe duplex hic Dentati præmium, & quòd à Populo donatus ex Ærario decem millibus æris & quòd ab Imperatore suo viginti millibus. V. Salmasium *ad Solinum pag.* 48.

Æs Corinthium, res plerisq; valdè nota, nec à maxima Scriptorum parte origo ejus longiùs arcessitur, quàm ab excidio Corinthi urbis, quæ à L. Mummio Achaico diruta est, V. ibi. Plinius *lib.* 34. *cap.* 2. *Ex illa verò antiqua gloria Corinthium maximè laudatur. Hoc casus miscuit, Corintho, cùm caperetur, incensâ.* Sic Florus *lib.* 2. *cap.* 16. Orosius *lib.* 5. *cap.* 30. Isidorus, ridiculè in Hannibalem pridem fato functum transferens Corinthi à Romanis captæ gloriam, *lib.* 16. *cap.* 19. Alii. Sed mirum est, hanc fabellam tot habuisse assertores, cùm invicto argumento eam refellat Plinius ille ipse, qui primus evulgavit quique uno ante Corinthum captam seculo desiisse observat nobiles illos fictores, quorum omnia signa *Corinthia* appellantur: Quin horum unum Phidiam annis plusquam trecentis hanc cladem præcessisse. Quid quòd hujus narrationis neque vola nec vestigium est in Strabone, qui de Corintho tam multa habet, nec in Aristidis *Isthmicis*, nec in Pausaniæ *Corinthiacis*, nec in Dionis Chrysostomi *Orat.* 37. quæ tota in Corinthi est laudem, nec in Græcorum ullo alio; Solùm in Plutarchi libro *de Pythiæ Oracul.* Alii Corinthi domum unam arsisse dicunt, in qua cùm auri argentique nonnihil esset, æris autem magna vis, confusa illa in eandem massam, ex eo metallo, cujus major inerat pars, *Corinthii æris* nomen acceperint. Alii Ærarium quendam fabrum Corinthi fuisse, qui cùm incidisset in thecam auri plenam eamq; sibi abstulisset, ne id resciretur metuens, dissectum in minutas particulas aurum paulatim æri admiscuerit, admirabilemque illam temperaturam effecerit, quâ magnas sibi opes comparaverit postea. Sed neutri rem accidisse dicunt tùm cùm excisa est Corinthus: Plutarchus verò utramq; sententiam, ut fabulosam, rejiciens, æs asserit non casu ita misceri. Nec desunt, qui aurichalcum, cujus mentio apud Hesiodum est aliosque Pöetas vetustissimos, Corinthii æris speciem fuisse putent. In quo numero fortasse fuere Bibliorum Interpretes Syrus & Arabs; quorum ille ex *ære Corinthio*, hic ex *ære Græco*, fuisse refert omnia vasa, quæ fecit Hiram Regi Salomoni pro domo Dei, 3. Regum *cap.* 7. *vers.* 45. Unde saltem id colligas, ex eorum sententia Corinthium æs fuisse in usu, non Ezechielis modò, sed & Salomonis ævo, quo tempore Templum condidit, id est, annis plus nongentis ante Corinthi excidium &c. Materia huius *æris* fuit ex ære, argento & auro simul conflatis, idque diversâ ratione, prout æramentario visum. Proinde tria illius genera censent Plinius & Isidorus, candidum argento nitore quàm proximè accedens, in quo illa mixtura prævaluit; alterum, in quo auri fulva natura: Tertium, in quo æqualis omnium temperies fuit: In quibus *hasmal*, (quæ vox apud Ezechielem Prophetam semel atq; iterum occurrit) fortè seu Χαλκολίβανος, Corinthii species secunda appellari potest, in qua auri cum ære mixtura prævalet &c. V. Sam. Bochartum *Hierozoici Part. poster lib.* 6. *cap.* 16.

Æs Coronarium. In Cyprii æris generibus, *tenuatur in laminas, taurorumq; felle tinctum, speciem auri in coronis histrionum præbet*, ita Plinius *lib.* 34. *cap* 8. Inde nomen adeptum, teste Isidoro *lib* 16. *cap.* 19. Græci Χολόβαφον vocant, & χολοβάφινον, id est, *felle tinctum*. Pollux, Χολόβαφος χολοβαφίνη, [illegible] *pelvæ oi 'Aττικοὶ* [illegible], *Cholobaphus*, *Cholobaphina*; *ita enim in ludis scenicis colorem auro similem Attici appellabant*. Hesychius, Χολόβαφα, τὰ χρυσῷ ἐμφερῶς βεβαμμένα, *Cholobapha, quæ in auri speciem tincta sunt.* Nicander de dracone in *Theriacis vers.* 143.

—— —— —— [illegible]
[illegible] χολόβαφος.
Infrà autem barba
Sub mento est cholobapha,

Id est, χρυσίζων, *aurum referens*, ut ibi Scholiastes habet. Proinde Philosophus ferè initio *lib.* 1. *de Sophisticis Elench.* elenchum veri Syllogismi speciem habere dicit, quomodo lithargyrina & stannea videntur esse argentea, τὰ δὲ χολοβάφινα χρυσᾶ, *cholobaphina autem aurea*, &c. Huic *æri* cùm in singulas uncias sex addebantur auri scrupuli, id est, quatuor æris partibus quinta, fiebat Pyropum æs, ita dictum, quòd ignem fulgore suo referret; de quo V. infrà, in voce *Pyropum*.

Æs Demonesium, V. infrà *Æs Sicyonium*.

Æs Ductile, ex Fusili. *Æs* enim omne primùm funditur, dein ducitur. Non omne tamen ductile est, uti de *Caldario ære*, è quo Caldaria fiunt, scribit Plinius. Et quidem olim cùm funderetur, in massas panibus similes formabatur, quod hodieque fit: cujusmodi panes Græci [illegible] appellabant. Unde [illegible] χαλκὸς, qui alias χυτὸς, i. *fusilis*, Polluci. Panes dein illi æris fusilis in alias fornaces transferebantur, atque ibi igne multo & crebro flatu molliebantur, ut *Æs ductile* fieri posset, quod etiam in regulas ducebatur malleis. Sic [illegible] Græcis dicebatur & ἐλατὸς, *Battutile & Ductile* Latinis: *Regulare* item, ut videre est apud Isidorum. Hi verò panes dum ferruminabantur, i. stringebantur ac indurabantur, in regulas Æris Ductilis, *in clavos ferruminari* dicti sunt, Plin. Erant autem regulæ illæ teretes, instar regularum, quibus modii cumulus apud Vett. deruebatur. Porrò, panibus æris aquâ infusâ refrigeratis, *Flos Æris* oritur, quemadmodum *Squama Æris*, Græcè λεπὶς, decutitur ex regulis æris, quum clavi ex ære fiunt. Clavi enim fiebant ex illis regulis, & quæcunque alia opera ex ære ductili procudebantur. Hinc *clavorum Cyprinorum* meminit Palladius, & *Acuum Cypriorum* Innocentius &c. V. Salmasium *ad Solinum pag.* 1077. & 1078. ubi inter alia de *floris Æris* adulteratione, quæ [illegible] χαλκοῦ, h. e. *ramentis ex scobe æris*, fiebat, ut scobs vendi posset, ex Plinio & Dioscoride.

Æs Factitium, ex Alumine, in Museo Kircheriano, Romæ: ut & ex Antimonio. Ibidem *Æris* mineralia argentei, atri coloris, argento & plumbo temperati, V. *Collegii Rom. Societ. Iesu Musæum p.* 41. & 42.

Æs Indicum, in *Mirabil* Philosopho sic describitur: *Ajunt æs esse in Indis tam lucidum & purum & rubiginis expers, ut colore ab auro non dignoscatur. Sed & inter Darii pocula esse aliquot batiacas, de quibus aliter, quàm ex olfactu, dijudicari non possis, utrum ærea vel aurea sint.* Græcè, φασὶ δὲ καὶ ἐν Ἰνδοῖς τὸν χαλκὸν οὕτως εἶναι λαμπρὸν καὶ καθαρὸν καὶ ἀνίωτον ὡς μὴ διαγινώσκεσθαι τῇ χρόᾳ πρὸς τὸν χρυσὸν, ἀλλ' ἐν τοῖς Δαρείου ποτηρίοις βατιακὰς εἶναί τινας καὶ πλείους, ἃς εἰ μὴ τῇ ὀσμῇ [illegible] χαλκοῖ ἢ χρυσοῖ. Ubi *batiacas*, vocat Persica pocula ex eo facta Philosophus. Sic à Hipparcho βατιάκας & à Philemone βατιάκιον, inter pocula memorantur, apud Athenæum *lib* 11. V. infrà in voce *Batiaca*. An ejusdem æris mentio, Esdr. *cap.* 8. *vers.* 27. ubi inter vasa Deo consecrata, censentur *vasa duo æris flavi, boni, pretiosa ut aurum* LXX. habent σκεύη χαλκοῦ στίλβοντος, Vulgata & Castalio, *Vasa æris fulgentis*; Arabs, *vasa æris fulgurantis*; Syrus, *vasa æris Corinthii*, Junius, *Instrumenta ex aurichalco præstante*. Sed Pagninus, *vasa æris flavi*, & Arias *aurei coloris*. An in eodem numero habendum illud æs, ex quo mare Æneum & vasa sacra conflavit Salomon, si versè scribit Josephus *Antiqq. lib.* 7. *cap.* 6. fuisse τὸ χρυσοῦ κρεῖττον, *auro præstantius*; Sed hoc ille de suo finxit, cùm Scriptura solùm vocet, נחשת ממרט *æs tersum*, 1. Regum *cap.* 7. *vers.* 45. An illud forte *Hasmal* Ezechielis, certè auri fulgorem, ut vidimus, tam perfectè expressit, ut ab eo non potuerit solo visu dignosci. Sam. Bochartus ubi suprà.

Æs Mosynæcum, Philosopho λαμπρότατον καὶ λευκότατον, *splendore & candore excellens*, Bocharto visum est orichalcum album; quippe duas has orichalci characteristicas notas habens. Nec absurdè adeò album describitur, aureum ei colorem plerisq; tribuentibus. Ita enim eximius Pöeta.

—— *auro squallentem alboque orichalco.*

Et frustra est Servius, qui *album* dici tradit, *auri comparatione*; namque Græci tam nativum, quam factitium orichalcum, album describunt. Hesiodi vetus Scholiastes: Ὀρείχαλκος, τὸ λευκὸν χάλκωμα. Et in eundem Tzetzes, *præparatione quadam* orichalcum, *cùm naturâ sit rubrum, album fieri*, refert: Cujusmodi præparatione orichalcum in Phrygiæ urbe Andiris fieri consuevisse, testatur Stephanus post Strabonem *lib* 13. Et fortasse Hebræis orichalcum inde *nechoseth lebana*, h. e. *æs album* dicebatur, atque ex eo facta fuerit Græca vox χαλκολίβανος, quam Hieronymus *aurichalcum* reddit, Apocal. *cap.* 1. *vers.* 15. &c.

Æs

Æs Persicum, V. *suprà Æs Indicum.*

Æs Phennesium, è quo serpentem æneum conflatum esse conjicit Bochartus, V. *suprà Æneus.*

Æs Pyropum, V. *infrà Pyropum.*

Æs Regulare. V. *suprà Duchale.*

Æs Sicyonium, ob rationem mox sequentem, meliùs *Demonesium*, quòd è Demoneso Ins. prope Chalcedonem, veniat. pro orichalco esse habitum, ex Aristotele patet, qui in *Mirabil.* Ἔστι δὲ inquit, *αὐτόθι χαλκὸς κολυμβητὴς ἐν δυοῖν ὀργυιαῖς τῆς θαλάττης, ὅθεν ὁ ἐν Σικυῶνί ἐστιν ἀνδριὰς ἐν τῷ ἀρχαίῳ ναῷ τοῦ Ἀπόλλωνος, καὶ ἐν Φενεῷ οἱ ὀρείχαλκοι προσαγορευόμενοι.* Ἐπιγέγραπται δ' αὐτοῖς, Ἡρακλῆς ὁ Ἀμφιτρύωνος Ἦλιν ἑλὼν ἀνέθηκεν. *Est autem ibi æs, quod urinando è fundo maris effoditur, ad duas orgyas alti: Ex quo est Sicyone statua in veteri templo Apollinis, & quæ orichalca vocantur in urbe Pheneo, quibus inscriptum est, Hercules Amphitruonis filius, Elide capta dedicavit.* Ubi verba hæc, οἱ ὀρείχαλκοι προσαγορευόμενοι, Æs hoc pro orichalco habitum esse, evincunt. Bochartus *loco cit.*

Æsalo, inter accipitris species, avis perspicacissima, nisi nos fallant Arabum Poëtæ: hine ob oculorum præstantiam Jobo commendata, *cap. 28 vers. 7. Semita, quam non novit avis, neque conspicatus est* עין איה *oculus aja*, quo nomine alii quidem vulturem, aut milvum, Bochartus verò *æsalonem* intelligit. Idem, unà cum buteone, semper apparet, teste Plinio *lib. 10. cap. 2.* cùm aliàs inter migratorias aves Accipitrum pleræque species censeantur. Sam. Bochartus *Hieroz. Part. prior. Lib. I. cap. 3 & part. poster. lib. II cap. 19.*

Æsculapius, Siciliæ Procurator, Olympiodoro memoratur; qui statuam consecratam in Sicilia collocatam, ad ignem Ætnæ compescendum & barbaros transitu freti prohibendos, referens: eâ postmodum ab *Æsculapio* hoc eversâ, Siciliam multis damnis affectam esse per barbarorum incursiones & ignis Ætnæi exundationes, addit. V. infrà, *Consecratio.*

Æstimatio Capitis, V. infrà *Wira.*

Æstiva, Servio ad *Georgic. l. 4.* sunt loca umbrosa, in quibus per æstatem pecora vitant Solis calorem. Et Luctatius *ad illud Papinii Statii ex Thebaidos lib. I.*

— *Umbrosi patuere* æstiva *Lycæi:*

Æstiva, inquit, *dicuntur stabula, tempore æstatis umbrosa*, &c. Apud Recentiores idem vox notat, sed in singulari fœminina est. *Charta* Sanctii Regis Aragonum æræ 1053. apud Martinezium *in Hist. Pinnatensi lib. 2. cap. 27. Hæc est carta, quam facio de illa* æstiva, *quæ dicitur Leserim &c.* Tabularium S. Petri Generensis, apud Marcam in *Histor. Benebarn. lib. 9. cap 3. Garsias Arnaldi Comes Bigorrensis dedit B Petro totam tertiam partem mercati Lurdensis & dedit duas* Estivas, *scilicet Garenderam & Marentam.* Tabularium S. Savini Levitanensis apud Eund. *cap. 9. Prædictam vallem Abbas & Monachi S. Savini liberam & quietam possideant — neque nos neque successores nostri — bestias suas, qualescunque sint, nisi per voluntatem Abbatis S. Savini ad* Estivas *illius vallis introducant*, &c. Unde *æstivare* pecora dicuntur, quæ in *Æstivis* seu pascuis æstate pascunt. Varro *de R. R. lib. 1. cap. 1. Itaque greges ovium longè abiguntur ex Apulia in Samnium* æstivatum &c. *Charta* A. C. 1127. apud eundem Marcam *lib. 5. cap. 29. Ut armenta eorum in Alpibus liberè possint æstivare*; quod *Estiver le bestail ès montagnes*, in *Consuetud.* Arvernensi & Marchensi *art. 361.* Gall. dicitur: cui opponitur *hiverner le bétail de foin & de pailles*, pecora domi pascere fœno ac palea. Hodieque apud Occitanos *Estibadou* & *Estivandie*, coloni appellantur partiarii & medietarii, ab *æstivis*, in quæ pecora sua illi abigunt. V. Carolum du Fresne *Glossar.* in *Æstiva* & *Æstivare.*

Æstiva Cœna, apud Tertullianum *de Anima cap. 32. Themmus & piscis fui (inquit) cur non magis pepo tam insulsus & chamæleon tam inflatus? Planè ut piscis, ne aliqua sepulturæ conditio repuleserit, assum se maluit in Ætnam præcipitando atque exinde in illo finita sit metensomatosis, ut* æstiva cœna *post assum:* (ubi de Empedocle loquitur, qui in ignivomam Ætnæ voraginem se projecit & ut Pythagoricæ transmigrationis assertor à Tertulliano ridetur:) proverbialis locutio est cum duabus vocibus sequentibus, *post assum*; quam Pamelius *in Figur. Proverb. Tertull.* sic exponit, ut dicat, antiquos in cœna solitos fuisse apponere quasdam assatas linguas, de quibus ipse autumat locutum fuisse suum Auctorem. Macro verò *Æstiva cœna*, est in his verbis æstuans ac ardens rogus, qui *inferorum* seu *funeris cœna* apud vett. Romanos appellabatur. Unde Catullus cecinit,

Vidistis ipso carpere è rogo cœnam.

Et Persius,

— — *Sed cœnam funeris hæres*

Negliget iratus.

Sic enim Empedocles jam assus in flammis Ætnæ, se in *æstivam* & ardentem funeris cœnam exhibuit, &c. V. Macrum utrumque *Hierolexic.* in voce *Themmus.*

Æstivalia, in Clement. de *Statu* Monach. *cap. 1.* Æstivalibus *largis aut botis altis pro calceamentis utantur*: ocreæ sunt, calceorum species, quibus æstate utebantur. *Gloss.* Lat. Gall. *Ocrea heuse, ou estivaux. Glossa* ad Clementinam, *Æstivalia in vulgari vocantur stivali & sunt calceamenta corii, quibus in æstate utor & optima sunt apud S. Severinum. Botis altis; quæ capiunt supra talos & aliquid de crure, & ligantur quandoq. & hos vocat infrà subtelares* (sotulares) *corrigiatos.* Hinc per aphæresin *Stivale*, apud Cæsarium *Miracul. lib. 10. cap. 29.* & in *Gestis* Legationis Ambassiatorum Ludovici Ducis Andegav. ad Judicem Sardiniæ A. C. 1378. *Ocrea sive Stivalia de corio albo, more Sardico — obtulerunt.* Unde Italorum *Stivali* & Germ. *Stiffel*: Galli hodie *Bottes* dicunt. V. Car. du Fresne *Glossar.* & Macrum *Hierolexic.* in voce *Bota.*

Æstivum Aurum, apud Juvenalem *Sat. 7.*

Ventilat æstivum *digitis sudantibus* aurum,

Quum vix ferre queat majoris pondera gemmæ.

Non est *Semestre aurum*, quod Vir magnus voluit: multum enim differt utrumque. Delicatum & mollem hic notat Poëta, Crispinum, qui, cùm vix ferre posset majoris ponderis gemmam, annulos faciendos curabat ex auro leviore, per æstatem præsertim gestandos, ne digitos in sudorem darent graviores: inauditæ & inusitatæ mollitiei argumentum *Æstivum* igitur *Aurum*, de annulis levibus; ut Vestes sericæ *levitate æstivæ* Plinio, & *æstivè viaticatus* Plauto, qui levi viatico instructus est. At *Semestre aurum* annuli sunt, quos Tribuni semestres gerebant, pro insigni suæ dignitatis, ut suo loco videbimus. V. Salmasium *ad Solinum pag. 450.*

Ætas, nudè, quę vulgò *Majoritas*, dicitur, cùm quis suę tutelę est. Unde qui nondum ætatem hanc attigit, *infra ætatem esse* dicitur, in *L.* Longobard *lib. 2. tit. 29. § 2, 3, 4. &c. Intra ætatem constituti*, in *lib. 3. Cod. Theod. de Sponsal.* Aliàs *Ætas perfecta*, 25. annorum, in *L. ult. Cod. de His qui ven. æt.* & alibi passim; contrà *imperfecta*, pupillaris, in *lib. 3. Cod Theodos. de Sponsal.* & *ultim. Instit. de Atiliano tutore* &c. Etiam *plena ætas*, majoritas, ætas 21. annor. Quoniam Attach. *cap. 91. § 2. De hærede verò cùm sit 14. annorum, vel ultra, usque ad plenam ætatem, si se maritaverit sine licentia domini sui, &c.* In *Charta* Johannis Regis Hierosolym. A. C. 1214. apud C. du Fresne, *Scire vos volumus, quòd consuetudo antiqua & per jus approbata talis est in Regno Franciæ, quòd nullus ante viginti & unum annos potest vel debet trahi in causam de re, quam pater ejus tenuerit sine placito, cùm decessit.* V. *Jus Feudale* Saxonum *tit. 18. § 2. Legitima* quoque *ætas*, quæ apud Longobardos fuit annor. 19. in *L.* Longobard *Lib. .. tit. 29. § 1* & *LL.* Luithprandi R. *tit. 74. § 1.* In specie, *Ætas Baroniæ* in *Charta* Matthæi D. de Montmorenciaco A. C. 1274. quâ quis nempe a tutela liber Baroniam seu terram suam tueri potest; ætas itidem 21. annorum. In vet. verò *Consuetud.* Franciæ *lib. 2.* in masculo est 15. ann. in fœmella 14. Hæc *Ætas plena* in Burgensibus est, *cùm hæres denarios discretè sciverit numerare & pannos ulnare & alia negotia paterna exercere; Sic non definitur tempus, sed per sensum & maturitatem suam*, apud Bractonum *lib. 1. cap. 37.* In Milite, quem vulgò *Chevalier* Galli dicunt, est 21. annorum completorum, ita ut 21. attigerit, apud Eundem *ibid.* in Fœminis, quoad Feudum Militare, est 14. annorum completorum, in Regiam Majest. *lib. 2. c. 41. § 3.* seu 15. annorum, ut vult Bractonus *l. c.* Quoad matrimonium autem, 12. annorum expletorum, in *LL.* Luithprandi R. *tit. 86.* &c. V. Car. du Fresne *Glossar.* Nec sine gravi ratione Juvenes ante 25 *ætatis* annum ad honores publicos non admittunt *LL.* Civiles, namque animorum impetus tales nondum regere apti sunt, nec ullam adhuc rerum experientiam habent. Cicero, *Juvenibus nec animus rebus gerendis occalluit, nec usum dedit benè suadendi.* Unde hodieque in Imperio Romano Electorum filii ad hæreditarii Electoratus administrationem non admittuntur, ante annum ætatis 18. In Imperatore tamen ætas definita non est: electus enim est Otto III. puer; Henricus III. anno 2. Henricus IV. anno 8. Fridericus II. anno 20. Wenceslaus anno 15. Carolus V. anno 19. plerumque tamen & hic ætas matura attenditur. &c. V. plura infra in voce *Major.*

Æthale & Ilva, velut diversæ urbes & Insulæ recensentur Ptolemæo, quæ sub diversis nominibus eædem erant. Salmasius *ad Solinum* 485. Vide in voce *Æthalia.*

Æthiopia, adde: *Æthiopiæ* non minùs, ac aliis Zonæ Torridæ partibus, quotidiana totorum ferme quinque mensium pluvia incumbit, cujus causas ex Æthiopicis montibus, iis maximè, qui, inter Æquatorem & Tropicum hibernum collocati, Australem Æthiopiam triplici veluti catenâ in Orientem, Meridiem & Occidentem deductâ distendunt, eruditè arcessit Athan. Kircherus *Oed. Ægypt. Synt. I. cap. 7.* Possident autem *Æthiopiæ* Christiani Reges magnam partem Africæ mediterraneæ, genusque suum receptis gentis traditionibus ad Salomonem Israëlit. Regem sapientissimum referunt, è quo Maquedæ Reginæ Sabæ filius *Meilech* prognatus fuerit, à quo hodierni Reges orti, vide Dam. à Goes *de Mor. Æthiopum.* Hinc porro inter primos, qui Christo nomen dederint, se collocant: & alii quidem Philippum Apost. alii Matthæum, alii Eunuchum Reginæ Candacis (quod commune Reginarum nomen fuisse, ex Plinio patet) primum eorum statuunt Evangelistam. Solus Scaliger Christianismi Æthiopici incunabula refert ad annum 15. Justiniani, quod ex Cedreno quoque Baronius habet, ad A. C. 543. Sed id vel de Æthiopiæ, quæ multis hodie constat regnis, parte vel restauratione aliqua intelligendum. Censet enim Hottingerus *Topogr. Eccl. c. 3. n. 7.*

initium

initium Christianismi Lacasæ, quod Reginæ, de qua Act. cap. 8. nomen fuit: Incrementa Abrahamo & Azbæ fratribus Kaρεφλω Naleko & sequentibus aliquot deberi; prout Zara-Jacobo imperante, Regni res, i.e. politicæ fuerant florentissimæ. Æthiopes porrò iis pollnere viribus, ut soli causam Christianorum contra Muhammedanos cum successu egerint, cujus rei insigne exemplum occurrit *Histor. Sarac.* Elmac. *pag.* 83. in Cyrenio (Girgasum Regem Æthiopiæ fuisse, conjicit Ludolfus) qui centies mille equitibus nigris, rem Christianam ita juvit, ut clementiùs per Ægyptum Christiani haberentur. Aliud exemplum habet Pocock. *In Specul. p.* 63. Superiori seculo amplissimi Imperii hujus status multùm declinare cœpit. Cùm enim Liban-Dinghil à Granio, Rege Adel imperio suo penè fuisset exutus, per Legatos, Emanuelis Lusitaniæ R. ope imploratâ, missis copiis, ut & filius ejus Claudius, qui A.C. 1540. rerum potitus est, ita est adjutus, ut à rebelli subdito liberatus restitueretur. Quâ occasione, edita non modò apud Lusitanos Patris, sed ipsius etiam filii Claudii confessio est, ne Judaismi suspicio illis fraudi esset, ex circumcisione, abstinentia carnis suillæ, &c. orta. Mox Claudius quoque, qui Granium vicit, pacemque Æthiopibus restituit, Lusitanis auxiliatoribus distribuit agros, relicto exercitio libero Religionis: Quâ ratione & Patribus Societatis in Regnum patuit aditus, Æthiopibus aliquandiu non multum molestis, donec initio hujus seculi Susneus, Basilidis filius, Minæ Regis nepos, cæso cum liberis Rege Jacobo, Regnum occupavit. Tum demum Regis aucupati gratiam eidem persuaserunt, ut novâ Religione novum regnum stabiliret, quod & factum est: ritibus Ecclesiæ Roman. passim, plebe multùm fremente, introductis. Sed Basilides filius, qui A.C. 1632. successit, pristinos ritus reduxit, Metropolitâ secundùm priscum morem, ex Ægypto, ab Alexandrino Patriarcha, petito. Catalogum Regum V. apud præfatum Dam. à Goës, *Scr. Hispan. T. II.* Habent autem Reges sedem aulæ incertam, nec plus triduo uno in loco commorantur, nec proles regia in comitatu est, sed seorsim in monte Amara educatur, ne oneri sit subditis & seditionibus occasio præcidatur. In ritibus cibi capiendi, id peculiare habent, quòd tres patinæ simul cibo apponantur, una piris, altera igni, tertia cinere instructa: Quarum hac mortis, istâ inferni, illâ redemptionis memoriam sibi refricari dicunt. Vid. Nicol. Godignum *de mor. Æthiopum* Lud. de Vretta *Historia Ecel. Politica, Natural y Moral de los grandes, y remotos Reynos de la Etiopia*, Auctorem anonymum *Hist. orbis terr. Geogr. & Civ.* &c. & de linguâ *Æthiopica*, in voce *Africa.* De *Æthiopum* verò variis Ritibus, infrà in voce *Baptismus, Campana, Hebdomas Major, Sabbathum Enoch,* &c. De Jejuniis inprimis Filesacum *de Quadrag. cap.* 11.

Æthiopis, Poëma Arctini Milesii, Pöetæ celebris, quem Hieronymus ad 3 Olymp. refert, *Eumelus Poëta, qui Bugoniam & Europam: & Arctinus, qui Æthiopiam composuit & Ilii Persin.* Heliodori verò *Æthiopica* sunt. Vide infra.

Aëtites, Lapis est, qui è nido aquilarum sumitur, cujus latissimè genera describit Plinius, *lib.* 36. *cap.* 21. Sanè nihil gemmeum habet, sed omnia lapidis, non colore, non lævore, non nitore ullo commendandus. Interim sine hoc lapide aquilas non fortificare scribit Plinius. Eum ergo, ad partus facilitatem conciliandam, aut faciendum ne abortiva pariant aut ὑπηνέμια, nido suo inferunt. Inde duplex hæc virtus lapidi ipsi inesse creditur, ἐγκύμων enim est & φυλακτήριον τῶν ἐμβρύων. Tertia à Dioscoride additur, τὸ κλεπτέλεγχον, *quòd fures redarguat*, pani impositus. Est autem *aëtites* hic rotundus, subrutilus & candidus; cæterùm adeò frigidus, ut igne vinci non possit: quam ipsam ob causam adhiberi ab aquilis, ait Servius, ne nimio calore suo coquant ova, quibus incubant, &c. Alius est *Aëtites*, seu potiùs *Aëtitis*, inter gemmas Plinio, à colore Aquilæ, quæ candidam habet caudam, cognominatus: quos duos perperam confundit Solinus *cap.* 37. utriusque in unum virtutes conferens, his verbis: *Aëtites & fulvus est & tereti positione, alterum lapidem intrinsecus cohibens: cujus crepitus sonorus est, cùm movetur, quamlibet tinnitum illum non internum scrupulum facere sed spiritum scientissimi dicant. Hunc aëtiten Zoroastres præfert omnibus, maximamque illi tribuit potestatem. Invenitur aut in nidis aquilæ aut in littoribus Oceani: in Perside tamen plurimus. Subnexus spem uteri defendit à fluctibus abortivis.* ad quem locum vide Salmasium, *Exercit. Plin. ad Solinum pag.* 712. & *seqq.* & infrà in voce *Gangites*

Aëtius, sic corrige: Dux 60000. Hunnorum, Italiam ingressus est, A.C. 425. sed mox à Valentiniano III delinitus, Hunnis ad sua remissis, in Imperatoris gratia tantum brevi valuit, ut *Galliarum Patricius* quod nomen dignitatis erat à Constantino M. institutæ, crearetur. Hic Comiti Bonifacii (qui de Imperio egregiè meritus, ad Principatum Lybiæ Occid. & ingentes in Africa opes ascenderat) favorem nomenque insigne, sibi officere ratus, illum apud Imperatorem rebellionis reddidit suspectum, tantumque effecit, ut neci is traderetur; sic, æmulo remoto, potentior. Missus in Gallias, Francos inde pepulit, qui Clodionis R. auspiciis, partem ejus ad Rhenum satis amplam occupaverant, A.C. 428. sequente anno, ab Arelati obsidione, non minùs feliciter Gothis summotis. Hinc tanta ejus existimatio, ut *Dextra & Fulcrum Imperii* vulgò audiret: cui cumulus accessit, cùm Attilam Gallias ingressum, Francorum Gothorumque auxiliis subnixus, ingenti prælio vicisset. Unde cùm Romam esset reversus, quartâ vice Consul factus, cum Studio A.C. 454. tanto cum plausu populi exceptus est, ut ægrè id ferens Imperator, mox calumniatoribus ejus patuerit; quorum machinationibus contra Ætium irritatus tandem propriâ manu eum necavit, teste Cassiodoro ad A.C prædictum. Procopius tamen mortem ejus paulò aliter narrat *lib.* 1. Hoc certum est, insigni hoc tibicine remoto, Imperium tantopere concussum esse, ut ab eo tempore in pristinam gloriam redire neutiquam valuerit. V. quoq; Prosperum *in Chron.* Idacium, Gregor. Tur. *lib* 2. *cap* 7. & 8. Victorem &c. Fuit autem *Aëtius* primùm Consul, cum Valeriano, A.C. 432. secundùm cum Sigesvultrio A.C. 437. tertiùm cum Symmacho A.C. 446. Unde Britonum literæ *Ætio ter Consuli* inscriptæ, de quibus V. in voce *Anglia.*

Aëtoma, Græcè Ἀέτωμα, fastigium domûs, in quo statuas olim & imagines constitui solitas fuisse notat Vopiscus *in vita Floriani*: Spartianus *trichorum* vocat. Cujusmodi fastigia cùm prius Templorum ac Ædium sacrarum propria essent, primus Cæsar fastigium habere cœpit in domo sua, inter alia divinitatis insignia, quæ illi fuere attributa: quod insequentes cum Cæsares imitati sunt, & postea etiam alii Proceres usurparunt, ut ex Statio constat. Privatorum verò domus tecta plana habuere, non in altum hoc modo surgentia trichora, vel triangulari specie. Vide Salmasium *ad Solinum pag.* 1213. & infrà passim, inprimis ubi de tectorum *Fastigiis*, ut & in voce *Trichorum.*

A F

Afer, adde: cognomentum Patris Hadriani Imperat. Xiphilinus, ἦν δὲ Ἀδριανὸς γένος μὲν Ἀδριανοῦ Ἄφρου υἱὸς, *Erat autem Adrianus genere quidem Adriani Afri filius.* Non igitur ortu, sed cognomento sic dictus est, & constat satis, multas gentium Romanarum familias hoc cognomen frequentasse. Adrianum verò stirpis Italicæ, aut, ut dicam verius, Italo-Hispanicæ fuisse, vel Dio docet, cùm Hadrianum Τραϊανοῦ πολίτην, sicut Spartianus in *Severo, Trajani municipem* vocat. Et Xiphilinus fortè scripsit, ἦν δὲ Ἀδριανὸς Σπανὸς μὲν γένος, Ἀδριανοῦ δὲ Ἄφρου υἱὸς, Hispaniam enim Græci modò Σπανίαν dicunt, modò Ἰσπανίαν, &c. Unde malè Cedrenus de hoc *Afro*, ἦν δὲ Ἄφρος τὸ γένος, *Erat autem gente Afer.* Namque & Suidas illum sic ὀνομαστὶ, *nominatum esse*, diserte ait. Casaubonus *ad Spartianum.*

Affatomie, in vett. *Gloss.* apud Pithœum dicuntur *donationes, quæ fiunt, festucâ in sinum ejus, cui donabatur, projectâ*, quâ scil. ille in possessionem rei sic mittebatur V. L. Salicam *tit.* 48. qui inscribitur: *De Affatomie.* Sub Ludovico Pio Imp. dubitatum esse, quid hæc vox sibi vellet, colligitur, ex ejus *Capitulari* 3. A.C. 819. *cap.* 10. ubi definitur *traditio*: *De Affatomia, dixerunt quòd esset traditio.* Car. du Fresne *Glossar.* Dicitur etiam *Affatimia*, apud Marculf. in *Formul.* Unde *Affatimire* vel *Adfatimire*, seu, ut habet Editio Heroldi, *Adfatimire*, in L. Ripuar. *cap.* 49. id est, donare per *Affatimiam*, seu per *Adfatimum*, ut est *cap.* 48. & 49. *Epistola adfatima*, occurrunt in *Formul.* ex Lindenbrog. 10. id est, Chartæ donationis, apud eundem *Glossarii* Auctorem. Vid. quoque Dominic. Macrum in *Hierolexico.*

Affectiva Imaginum adoratio, dicitur in *Histor. Miscella* & apud Anastasium, uti Theophanes anno 10. Leonis Isauri habet, σχετικὴ τῶν σεπτῶν εἰκόνων προσκύνησις, *relativa venerabilium imaginum adoratio*: quæ *affectu & charitate animæ nostræ ad vultum faciei imaginis aptatur*, ut ait Synodus Rom. sub Stephano IV. Pontif. *act.* 4. de qua multa habet Car. du Fresne, *Not. ad Alexiadem p.* 2, 3. & in *Descr. Ædis Sophianæ.* Sed quid de Imaginum cultu sentiendum, diximus in voce *Iconomachi.*

Affidati, apud citimæ ætatis Scriptores dicuntur *Advenelitii*, qui se domini alicujus patrocinio ac tutelæ, fide datâ ac sacramento interposito, addicebant & commendabant: unde & *Commendati* & *Recommendati* dicuntur, in *Constitut.* Siculis *lib.* 3. *tit.* 7. & 8. ubi homines demanii *affidatos* vel *recommendatos* habere nulli licet, nisi licentiâ à Principe impetratâ, aut jure hoc jam antè quæsito; cujusmodi Jus in eo regno Barones habebant. *Charta* Willhelmi R. Sicil. A.C. 1179. apud Ughellum *Tom. VII. pag.* 984. *Potestatem indulsimus ad opus ipsius Ecclesiæ* 25. *homines* affidandi, *juxta usum & consuetudinem Ecclesiarum & Baronum illarum partium, qui potestatem habent homines affidandi.* Quibus affine aliquid habebant Clientes Romanorum & Soldurii Gallorum vett. A verbo *affidare*, quod est fidem suam alicui obstringere, fidem dare, fide datâ, pollicitari, promittere, obligare se; de quo, ut & de derivatis ejus variis multa congessit Car. du Fresne *Glossar.* in voce *Affidare*, & *Affiduciare*

Africa, adde: Longitudo *Africæ* inter promont. Viride, quod maximè occidentale est, & *Cap. Guardafuy*, quod orientalissimum, est 80. circiter graduum: Latitudo inter prom. Hermeticum & Caput Bonæ Spei est ferè graduum 70. In Africa mediterranea, apud Vett. Numidiæ, Libyæ, Æthiopiæ, Garamantum audiebantur nomina, ac hodienum describuntur Biledulgeridia, Nigritarum regio, Abyssinia, & si quem specialiora capiunt nomina,

mina *Borno*, *Barnagasso*, *Medra*, *Ambiancantiva*, *Tigremahon*, *Vangue*, *Belegnanze*, *Agag*, *Xoa* & *Goyam*. Sed mera in hisce adhuc obscuritas est. Cujus causa, quia pleraque ista loca à mari eoque commerciorum usu remotiora sunt, ac proinde à nostris minus frequentantur; Accedunt deserta maxima, præcipitia ingentia, Solis fervor, animalium noxiorum vis prodigiosa, aliaque quæ accessum peregrinantibus difficilem præbent. Ne dicam ipsos incolas impedimento advenis esse, tum ne inopia, cum qua plerique illorum conflictantur, aliis innotescat, tum ut urbes, quæ maximam partem solo situ munitæ sunt, maneant inexploratæ. Commendantur ex Africæ linguis, Coptica, Æthiopica & Songaica. Quarum prima, ex antiqua Ægyptiaca & Græca conflata est: altera Abyssinis, in meditullio regionis, usitata, duplex, una vulgaris est, altera Chaldaicæ affinis, quâ in sacris utuntur & historias scribunt. Tertia, nempe Songaica, in usu est apud Astomos olim dictos, incolas nempe regionum Scombayæ, Musmundæ, Zenetæ, Gumeæ, Guzulæ, Heæ & Sus. Ad litora verò maris Rubri & Mediterranei Arabica viget. Auctor anonymus *Historiæ Orbis terrarum Geogr. & Civ.*

Africa propriè dicta, adde: Romanorum tempore à Proconsule regebatur, nec sub dispositione Vicarii, sed ne sub Præfecto quidem Prætorio Africæ fuit: cùm reliquæ provinciæ Africæ latè dictæ, *Consulares Byzacii*, *Numidiæ*, *Præsidiæ Tripolitanæ*, *Mauritaniæ Sitifensis*, *Mauritaniæ Cæsariensis*, *sub dispositione Viri spectabilis Vicarii Africæ fuerint*, ut habet *Not. vetus provinc. Rom.* Nempe sub dispositione Vicariorum Provinciæ Consulares & Præsidiales ferè omnes, quarum etiam Rectores iidem fuberant; nullæ verò Proconsulares erant: quum Proconsules longè supra Consulares ac cæteros Rectores essent. Habuit solum annonæ Præfectum, ejus sub dispositione &c. Vide Salmasium *ad Solinum pag.* 806.

Africanæ, pro pantheris apud Plinium *cap.* de Pantheris, ubi, postquam docuit illud genus in Africa Syriaque esse creberrimum, addit: *Senatusconsultum fuit vetus, ne liceret* Africanas *in Italiam advehere*; ubi per *Africanas* solas intelligit pantheras. Quo modo capiendus Servius *ad illud Virgilii*,

—— —— *Inpelle Libystidis ursæ*:

Aut revera ursæ, inquiens, *aut feræ Africanæ*, pardi nempe aut pantheræ; non leonis, ut putabat Lipsius: Inde *Libycæ pelles* pretiosæ, pantherarum scil. & pardorum, quas sola macularum varietas commendabat. Salmasius ad *Vopiscum in Aureliano*. Vide quoque infrà *Libycæ feræ*.

Africanæ Gallinæ, apud Varronem *de R. R. lib.* 3. *sunt grandes variæ, gibberæ, quas Meleagridas appellant Græci. Hæ novissimæ triclinium genianum introierunt è culina, propter fastidium hominum. Veneunt propter penuriam magno.* Ubi cum Meleagridibus easdem facit; quod & Plinio tantum non visum est. Certè magnam cum illis similitudinem habuerunt. Columella, *Africana est, quam plerique Numidicam dicunt, Meleagridi similis, nisi quòd rutilam galeam & cristam capite gerit, quæ utraque sunt in Meleagride cærulea.* In capite scil. tuber habent, sive gibbam rutilam, unde *gibberas* eas esse Auctores ajunt: at in Meleagridibus Græcorum insigne corporeum, velut clavus rotundus è capite exit, quod maribus ultra rostrum propendet, dum in venerem incitantur & fœminas ambiunt. Sed & patriâ differunt, Meleagrides enim è Bœotia, *Africanæ*, è Numidia: porro, *virus ingratum*, Africanarum proprium est, de quo vide Plinium. Interim, cùm Græci Numidicas gallinas parùm videantur novisse, magis notas propioribus Romanis; si qui Græcorum vett. famâ ad se perlatas memoraverunt, *Μελεαγρίδας* eas nominarunt, ob similitudinem præfatam. Hodie Galli *Indicas* vocant gallinas illas, quas Vett. Meleagridas, non quòd ex India primùm advectæ, sed quia quidquid ex transmarinis locis affertur, *Indicum* vulgò solet appellari: *Africanas* verò *Gallinas Guineæ* vocitant. Vide Salmasium *ad Solinum pag.* 871. & 872. ut & infrà, ubi de gallinis *Numidicis*.

Afrodito, pro *Afroditopolis*, in vet. *Itinerario*: quo modo recentiores sæpe loquutos deprehendimus. Sic enim *Antino*, Græcè Ἀντινὼ, pro *Antinopolis*, *Pano* pro *Panopolis*, *Lato* pro *Latopolis*, *Heracleo* pro *Heracleopolis*, passim habent. Hieronymus *adversf. Jovinianum l.* 2 *Unde & urbes quoque apud eos ex animalium vocabulis nuncupantur: Leonto*, Cyno, *Lyco*, *Busiris*, *Thmuis, quod interpretatur hircus.* Salmasius *ad Spartianum in Adriano Cæs.*

AG.

Agaclytus, libertus Veri, auctoritate & potentiâ pollens. Jul. Capitolinus *in Marco Antonino Philos. Multum sanè potuerunt liberti sub Marco & Vero, Geminas & Agaclytus*: cui *Patronus dedit, invito Marco, Libonis uxorem*, Idem Capitolinus *in Vero*.

Agadoth, seu *Midraschim*, Rabbinis dicuntur; qui Græcis *λόγοι διεξοδικοὶ*, explicationes uberiores & prolixiores: Caninius vocem vertit, *Extensio*: Dicitur autem *Extensio*, inter varias Scripturarum interpretationes, homiliarum id genus, cùm Scripturarum mysteria auditoribus explicantur. Et quidem Elias quoque in *Tisbi* sic est interpretatus, הוא לשון משנה, *id est, dictio extensionis*. Casaubono tamen magis probatur, quod idem Elias alibi adnotat, vocem esse deductam ab Hebr. נגד *indicavit, explicuit*. Nam & res & vox originem videntur habuisse, à præcepto Dei, apud Mosen Exodi *cap.* 13. *versf.* 8. cujus versiculi prima vox est והגדת *vehig gadtha*, id est, *& annunciabis*. Cui voci respondet apud Paulum, in explicatione Sacramenti antitypi, *καταγγέλλετε*, *annunciate*, 1. Cor. *cap.* 11. *versf.* 26. Vide Isac. Casaubonum *Exercitat. XIV. ad Annales Ecclesiast. Baronii* §. 7.

Agages seu *Jacchæ*, populus interioris Africæ ferocissimus, regnum *Congo*, circa A. C. 1560. aggressi, illud ingenti cæde exhaustum tandem occuparunt, sub Rege Congi Alvaro I. qui cum suis, qui cladi superstites erant, in exiguam Insulam *Zaire* fluminis compulsus, extremas ibi sustinuit ac ineffabiles miserias, barbaris interea toto Regno atrocissimè grassantibus. Qui rumor cùm pervenisset ad Sebastianum Portugalliæ R. misso cum copiis Francisco *de Govia*, bellum intulit Jacchis tam felici successu, ut paulo pòst totâ Congo expellerentur. Sic restitutus Alvarus, obiit circa annum Chr. 1580. Causam regni tam miserè vastati referunt Congenses, in susceptam sub Johanne II. Lusitaniæ R. religionem Christianam; Lusitani potiori jure, in eandem contemptam ac neglectui habitam. Georg. Hornius *Orb. Imp. pag.* 467. Plura V. infrà passim, inprimis ubi de *Congensi Regno*.

Agagula, in *Gloss.* Isidori, Lenocinator, pantomimus; idem fortè cum *Acolo*, in iisdem, ubi *Ministerialis domus Regiæ* definitur. Car. du Fresne *Glossar.* Vide infrà in voce *Ministelli*. Ejusdem fortè notionis *Agaga* est, in *Fragm.* Petronii de Cœna Trimalcionis, *Non omnia artificia servi nequam narras; agaga est, at curabo, stigma habeat.*

Agallochum, Græcis ἀγάλλοχον vel ξυλαλόη, aloë est aromatica, ab excellenti odore *Arbor Paradisi* vulgò dicta: unde thymiamatum vice adoleri, scribit Dioscorides. Pro citro arbore Atlantica, ex qua fiebant mensæ citreæ, à Græcis quibusdam acceptum fuisse, discimus ex Auctore Anonymo *Περὶ ὀσμῶν τῆς γῆς*. Fortè quòd *agallochum* maculas similes habet ligno citri, unde Dioscorides *ξύλον ποικίλον* esse dicit &c. qui etiam lignum ejus pro diapasmate Veteribus fuisse addit. V. Salmasium *ad Solinum pag.* 1054. *& seqq.* ut & infrà ubi de *Aloë aromatica*.

Agalma, vox Gr. Ἄγαλμα, παρὰ τὸ ἀγάλλεσθαι, simulachrum est, *gratum exemplar, vel afferens gaudium*, uti monet Spelmannus in *Gloss.* In 2. Concil. Niceno, statuam animalis alicujus denotat, ad differentiam imaginis, quæ creaturam rationalem repræsentat, ac *icon* dicitur, secundum Mercrum *Hierolex*. Propriè statua quæcunq;. In *Gloss.* MS. Agalma dicitur *apocphragisma vel imago sigilli, ἄγαλμα simulachrum.* Martianus Capella de Pallade *lib.* 6.

Quam docto assimilans habitu, *qui* agalmata *fingunt.*

Charta Edgari Regis pro Westmonasteriensi Ecclesia A. C. 968. *Ego Dunstanus hanc libertatem crucis* agalmate *signavi*. Dudo Dec. S. Quintini *Præfat. ad Acta Normannorum*,

Alloquio celebris, virtutum agalmate pinguis, &c.

Aliud quid videtur vox sonare, apud Ragnerum Monachū Cellensem *in Mirac.* S. Gisleni *Corpus sindone munda diligentissimè circumvolutum & sub* agalmatis *clave firmissimè obseratum, in eadem urna, deponitur.* Ubi *Agalma clavis* fortè est sigillum clavi impressum, cujusmodi passim habent Antiquariorum scrinia, du Fresne *Gloss.* Sic paulo antè, *crucis agalma*, &c. V. quoque infrà, ubi de *Clavibus signandi ritu*, alibique. Inde *Agalmatotheca*, quas in Atrio unà cum Pinacothecis aliisque elegantiarum receptaculis asservare consuevisse Romanos vett. docet Laur. Pignorius *comm. de Servis*.

Agapæ, convivia erant fraterna Ecclesiastici cœtus priscis temporibus, ex collatis donis, instructa, ad Christianam charitatem fovendam, & pauperes recreandos, quod utrumque ipsa vox, quæ Græca est, notat. Earum mentio Judæ *versf.* 12. *Οὗτοί εἰσιν, ἐν ταῖς ἀγάπαις ὑμῶν σπιλάδες*, *Hi sunt in* Agapis *vestris maculæ*: ubi alii reddunt, in *epulis*. Erasmus, *inter charitates vestras*. Illas pulchrè describit Tertullianus in *Apolog. cap.* 39. ubi, inter alia, *Cœna*, inquit, *nostra de nomine rationem sui ostendit, vocatur enim ἀγάπη, id quod dilectio penès Græcos est.* Sublatæ sunt ob abusus Concilio Laodiceno A. C. 364. V. ejus *can.* 28. Conc 5 *& 6* Constant. A. C. 692. *can.* 74. *Quòd non oporteat in Dominicis locis vel Ecclesiis, eas quæ dicuntur* Agapas, *i. charitates facere: & intus in æde comedere & accubitus sternere.* Et Distinct. 42. *cap.* 1. *Qui fideliter* Agapas *i. convivia pauperibus exhibent*. In eadem *Distinct.* occurrit quoque *Agape*, non semel. Quandoque etiam pro Cœna Domini vox usurpata reperitur, Spelmannus *Gloss.* Secundùm alios *Agape* seu convivium sacrum, non unius generis apud Vett. fuit. Instituebant enim hi *Agapas*, trium imprimis rerum gratiâ, *Nuptiarum* viz. in quibus invitabatur ipsemet Episcopus, dicebanturque *Agapæ Nuptiales* seu *connubiales*; *Festivitatum* sanctorum Martyrum, quæ appellabantur *Agapæ Natalitiæ*, & fiebant in templis, & *Funerum* seu *Exequiarum* tandem, quæ *Agapæ Funerales* nominabantur; de quibus ultimis Clemens *lib.* 8. *Const.* (ut dicuntur) *Apostolic. C.* 44. *qui in exequiis mortuorum ad convivium funebre invitati estis, ordine & timore Dei epulamini, ut possitis preces pro defunctis exhibere Deo.* Earum magnificentia à S. Paulino, de Aletio, qui pro Rufina uxore, in Basilica Vaticana, eas celebrarat, scribente, his commendatur: *Patronos animarum nostrarum pauperes, qui totâ Româ stipem meritant*,

multitudinem in Aulam Apostolicam congregasti (pauperes enim, inter alios his conviviis fuisse adhibitos, docet Origenes *in Hiob. lib.* 10.) *Pulchro equidem tanto operis tui spectaculo pascor. Videre enim mihi videor tota illa religiosa miserandæ plebis examina, illos pietatis divinæ alumnos tantis influere penitùs agminibus, in amplissimam gloriosi Petri Basilicam, ut pro jannis atrii, & pro gradibus campi spatia coarctentur. Epist.* 81. &c. Postea, ut dictum, abusu invalescente & hæc & illa convivia, omnesque *Agapæ* desierunt, Conciliorum interdicto; Remanet tamen simile quiddam hodieque in Orientali Ecclesiâ, ubi Festivitatum & Funeralium tempore, convivia sacra publicè exhibentur, quamvis non intra Templa, sed penès ipsa sub dio, vel in privatis quoque ædibus, juxta id, quod Gregorius *lib.* 9. *Epist.* 71. Anglis noviter ad finem conversis perscripserat; permittendo eis sc. ut non longè *à templis, in tuguriis virentibus frondibus fabricatis, talia convivia recolerentur.* Cujusmodi convivium sumtuosissimum Montis Libani, cui ipsemet interfuit, Dominic. Macer describit, habitum A. C. 1624. cùm Papæ nomine ad Patriarcham accessisset. Celebratum id fuit in Basilica Patriarchali *Deiparæ Assumptionis*, præsentibus Episcopis, magnâ Clericorum catervâ & innumerabili Populi confluxu: cùm solo hoc die in Cœnobio isto manducandæ carnis & animalium mactandorum facultas concedatur. At Patriarcha cum cæteris Monachis & Episcopis ejusdem Ordinis, seorsim comederunt; Antonii enim Abbatis Regulam secuti etiam tum à carne, adeoque in perpetuum indispensabili lege abstinent, &c. Etiam verò in ruralibus Insul. Melitensis Ecclesiis, quum festum aliquod celebratur, solent, post Vesperarum solennitatem, buccellas unà cum fructibus populo distribuere: Græci autem placentas & subcinericeos panes distribuunt; at in exequiis dant frumenti granum coctum & benedictum, quod condimentis variis edulcare solent, & Κόλυβα vocant, quo de ritu vide infrà in voce *Coccia*, & plura hanc in rem apud Macros Fratres in *Hierolexico*: Addo saltem, quòd & in aliquibus Galliæ Hispaniæque locis *Agapas* adhuc in usu esse, refert Casalius, & videtur tale aliquid colligi posse, ex lapide S. Ildefonsi Altaris in Æde sacra Hispanorum S. Jacobi Romæ, ex iisd. &c. Quia verò communibus illis conviviis, de quibus suprà, pauperes adhibebantur, eorumque quodammodo causâ illa peragebantur; hinc factum, ut postmodum *Agape*, pro eleemosyna sumeretur. Unde B. Augustinus Fausto Manichæo respondens, qui Christianos sacrificia vertisse in *Agapes* & idola in martyres &c. calumniabatur, *Agapes nostræ*, inquit, *pauperes pascunt, sive frugibus, sive carnibus. l.* 20. *c. eum, capp.* 4. & 20. Et vett. *Glossa ad can.* 7. Concilii Laodiceni, convivium pauperum *Agapen* vocant. Herigerus Lobiensis in *Vita* S. Ursmari:

Indicens Agapen *simul & Jejunia crebra*, &c.

Inde *Agapen ad ostium ponere*, in *Vita* Vodali Benedicti *num.* 5. *per singulos dies Agapen facere pauperibus*, in *Vita* Alberti Abbatis Cambronensis *num.* 13. ut alia omittam. V. Car. du Fresne *Glossar.* & Auctores illi magno numero hanc in rem laudatos, Salmasium inprimis *de Jure Attico & Rom. cap.* 3. & 4. Apud eundem discimus ex Marculfo *lib.* 1. *Form* 51. vocem *Agape*, id est Latinè *Charitas*, titulum etiam fuisse olim honorarium: Ita enim hic, *Uberem strenuitatis vestræ* Agapen *erga nos potissimo jure flagrantem literarum serie non omittimus excitare.* Vide Jonam *Præfat. in Vitam S. Columbani.* Ita & Græci Ἀγάπην non semel usurpant, docente Meursio, &c. Plura hanc in rem V. apud virum Cl. Joh. Casp. Suicerum *Thesaur. Eccles.* in hac voce.

Agapetæ vel *Agapetes*, Gr. Ἀγαπηταὶ, nomen, quo Clerici olim notati, quòd cum mulieribus ac virginibus, quas domi suæ sub *Agapetarum* seu *Dilectarum* appellatione illi detinebant, prava commercia habere dicerentur. Papias, *Agapeta, Lenocinator & qui cum fœminis illicitè conversatur procaciùs Clericus.* Nempe erant *Agapetæ* virgines seu viduæ, quæ sub specie cœlibatus ac virginitatis, nuptiis nuntio misso, cum Clericis in eadem domo habitabant, ac, ne qua pravi commercii suspicio esset, sese invicem *Dilectos* & *Dilectas* appellabant, vel etiam *Fratres* ac *Sorores*. *Agapeta* nempe Ugutioni, *Ancilla dicitur, quæ Christo nubere vovit.* Græci eas συνεισάκτους vocant. Hieronymo dicuntur *Adoptivæ Sorores, Epist.* 27. *ad Eustoch. Sorores devotæ* aliis, &c. Hi Constantinopoli inprimis, charitatis Christianæ prætextu, sub eodem tecto habitabant: quod non tantùm à Viris sanctis reprehensum acriter, sed & aliquot in Conciliis damnatum est. Hinc S. Hieronymus *Epist.* 22. *ad eandem. Unde in Ecclesiam* Agapetarum *pestis introiit? unde sine nuptiis aliud nomen uxorum? imò unde novum concubinarum genus?* Idem *ad Oceanum, de Vita Clericorum.* de Clericis agit, *qui* Agapetas *ampliùs quærunt, quàm Christum.* Nuntium itaque tandem Clerici hi Sororibus hisce dilectis mittere coacti sunt, D. Chrysostomo initio muneris sui, ex Imperatoria sede, illos magno cum zelo exigente. Neque verò solùm viri istiusmodi *Agapetas* secum habuere, sed & fœminæ domi suæ suos *Agapetos*, quod itidem illis prohibitum. Julianus Antecessor *Constit.* 3. *ex Novell.* 6. *Nulla autem facultas Diaconissis tributa est, habere secum quosdam velut fratres sive cognatos, sive quos dicere solent*, Ἀγαπητούς. Vid. Epiphanium *Hær.* 63. & 79. Chrysostomum *Serm. c. Concubinarios*, & quæ notarunt Pithæus *ad Julianum Antecessorem*, ac Jacobus Gothofredus *ad leg.* 44. *Cod. Theodos. de Episcop.* laudati Carolo du Fresne *Glossar.* ut & Macrum *Hierolex.*

Agaso, domesticus, adsecla, buccellarius, scurra, παράσιτοι sunt. *Glossæ* vett. Βουκελλάριος, Βουκελλάριος ὁ παρεστήκων τοῖς ἄρχουσι; ubi ὁ παρεστήκων Græcis dicitur, quem Latini *statorem* vocant, qui semper stat ad domini jussa paratus, nec ab ejus latere desistit: Hinc παραμένων & παμμένων, servi nomen, in Comœdiis Græcis & apud Latinos Comicos *Parmeno*, idem cum *agasone* seu *scurra*, quem posterior ætas *buccellarium* vocavit. Sed & pro quolibet servo *Agasonem* usurpatum esse, docent optimæ *Glossæ*, apud quas ita legimus, *Agaso*, δοῦλος κτηνῶν παραμένων, *servus, in jumentorum curâ occupatus.* Hinc Joh. de Janua, *Agaso propriè dicitur, qui curat jumenta*: sed ridiculum, quod addit, *quasi agens somarium.* Maximè verò specialiter, Ugutioni sic vocatus minister domesticus asinorum. Unde Græcismus,

Est Asinorum Pastor Agaso *boumque bubulcus.*

In leg. 2. *Cod. Theodos. de Cohortalib.* *Agasones* dicuntur *Servi & ministri* Stationariorum. Vide Salmasium *ad Æl. Lampridium in Heliogabalo & Severo*, ac Car. du Fresne *Glossar.*

Agasyllis, Hammoniaci arbor, dicta est apud Dioscoridem, Καλεῖται δὲ αὐτοῦ ὁ λίβος ὁ ξύλινος ἀγασύλλις: quam falsò *Metopon* vocat Plinius *lib.* 12. *cap* 23. *Ergo Æthiopiæ subjecta Africa Hammoniaci lacrima stillat in arenis suis, inde nomine etiam Hammonis oraculo, juxta quod gignitur arbor, quam Metopon appellant, resinæ modo aut gummi.* Vide Salmasium *ad Solinum pag.* 351.

Agathe, urbs Galliæ, adde: Dicta autem *Bona Fortuna* videtur à Massiliensibus, quorum ἀποικίαν illam Strabo vocat, cùm in agro Volcarum Tectosagum capto conderetur, ob alicujus prælii felicem eventum: sicut iidem Nicæam vocavere, ob victoriam ex Liguribus relatam. Sed jam Plinii ætate, conditoribus suis non amplius paruit. Nimirum Massiliensibus dedentibus sese Cajus Cæsar abstulerat omnia, præter libertatem, & suis eos agris oppidisque spoliaverat. In vett. Not. inter provinc. Narbonensis primæ civitates octo, nunc quinto loco, nunc & sæpius quarto loco ponitur *civitas Agathensium*, post Narbonem viz. Tolosam & Beterras. Notitia autem Galliæ veterrima, quæ Honorii principatu composita videtur, ejus non meminit, quòd forsan tum civitas aut sedes Episcopatus nondum erat. Certè non ante Messallæ V. Cl. Consulatum, seu anno Chr. 506. quo in hac urbe Concilium habitum est in S. Andreæ basilica, quæ hodieque major urbis est Ecclesia, Episcopatus Agathensis quisquam meminit. Huic autem Synodo interfuit atque subscripsit *Sophronius Episcopus civitatis Agathensis anno* 22. *regni Alarici Regis.* In Gothorum enim regno, id est, in Septimania vel Gothia, sitam, memorat Gregor. Turon. *Histor. Franc. lib.* 6. *cap.* 9. & Appendix Chronici Fredegarii, inter *regionis Gothicæ urbes famosissimas*, illam ponit: quam cum Nemauso & Biterris Carolus Dux & Princeps Francorum Saracenis ademit. Vulgò *Agde* dicitur. Vibius Sequester *lib. de Flum.* meminit *Cyrtæ* fluvii Massiliensium, juxta Agatham, in mare Gallicum effluentis, quem Galli linguâ patriâ *Araurarim* vocabant, incolæque nunc *Erau* appellant. Fortè enim Massilienses, cùm urbem conderent, flumini Agathensi Græcum dedere nomen, & à flexuosis recursibus, quasi κυρτὸν vel incurvum, illud *Cyrtam* dixere. Insulam urbi proximam cognominem Ptolomæus habet, sed nulla est nunc ei adjacens, præter *Blasconem*, vulgò *Brescou*, nisi fortè hæc ipsa à Massiliensibus linguâ suâ *Agathe* quoque vocata fuit: Hodie verò Blasco ins. continenti juncta, injectâ mari mole, & urbi pro portu est, Hadr. Valesius.

Loca Diœcesi Agathensi contenta.

Agatha, *Agde.*	Marcellianum, *Marceilhan.*
Araura sive Cesero ad Araurarim fluvium à Monasterio S. Tiberii, *S. Tiberi*, & corruptè *S. Tuberi* dicta.	Mesva, *Meze.*
Florentiacum, *Florensac.*	Montaniacum, *Montignac.*
Lupianum, *Loupian.*	Pinetum, *Pinet.*
	Piscenæ, *Pezenas.*
	Villa-magna, *Ville-maigne*, Monasterio veteri illustris, &c.

Agathe, nomen gemmæ, vide suprà *Achates.*

Agathodæmones, apud Lampridium *in Heliogabalo, Ægyptios dracunculos Romæ habuit, quos illi* (dicere volebat *Phœnices*) Agathodæmones *vocant*: cognomen nempe Græcum hoc draconum fuit. Philon Bybliensis apud Eusebium *de Præpar. Evangel. lib.* 1. *cap.* 7. postquam Phœnices & Ægyptios, auctore Taauto, docuit draconum & serpentum naturæ divini aliquid attribuisse: Φοίνικες δὲ, inquit, (τὸ ζῶον) ἀγαθὸν δαίμονα καλοῦσιν· ὁμοίως καὶ Αἰγύπτιοι Κνὴφ ἐπονομάζουσι, *Hoc autem animal, Phœnices* agathodæmona *vocant, & Ægyptii similiter Cneph appellant.* Et Servius in hæc Poëtæ, de vipera. *Georg. lib.* 3.

——— ——— *Cœlumque exterrita fugit.*

Id est, inquit, *tectis gaudet, ut sunt* ἀγαθοὶ δαίμονες *quos Latinè Genios vocant.* Quò Lucanus alludens, de draconibus dixit *lib.* 9.

Flu

Vos quoque, qui cunctis innoxia Numina terris,
Serpitis aurato nitidi fulgore dracones, &c.

Et Sir & Isidori *Sirene* (imò Siren) *Sirenæ*, ait, *sunt in Arabia serpentes cum alis.* Et Eucherius, *Sirenæ in Esaja dæmones, aut dracones magni, cristati pariter & volantes.* Et multo antè Hieronymus in Esa. *cap.* 13. *vers.* 22. *Sirenæ autem* תנים *vocantur; quas nos aut dæmones aut monstra quædam vel certè dracones magnos interpretati sumus, qui cristati sunt & volantes.* Melius *Sirenes* dixissent, quas Poëtæ multo aliter describunt, &c. Atque hinc fortè Arabicum nomen *Agadaimon* ortum, quo draconis aliquod denotari genus, Avicenna refert. Istiusmodi verò dracones delitiarum causâ aut superstitionis domi ali consuevisse, ex *loco citato* Lampridii patet, & multa in hanc rem dixit Casaubonus *ad Suetonium edit.* 2. *lib.* 3. At quod de aliis addunt Auctores, meritò rejicit Bochartus, cùm fabula hæc à Mythologis Poetisque solis originem traxerit: apud quos tamen *alatorum draconum* nomine, vel ob cursum obliquum ac verè serpentem, vel ob insignia, quibus illustres erant, naves indigitari, Eruditis notum. Vide Samuelem hunc Bochartum *Hierozoici part. poster. lib.* 3. *cap.* 14. & infrà passim.

Agathos-Dæmon, apud Ptolomæum, ubi de Nilo, Μέγα Δέλτα καλεῖται, καθὸ ἐκτρέπεται ὁ μέγας ποταμὸς καλούμενος Ἀγαθὸς Δαίμων, ἐκρέων διὰ τοῦ Ἡρακλεωτικοῦ στόματος, εἰς τὸν καλούμενον Βουβαστικὸν, ὃς ῥεῖ διὰ τοῦ Πηλουσιακοῦ στόματος, *Magnum Delta vocatur, ubi diverticulum facit magnus fluvius, dictus Agathos-Dæmon, qui per Heracleoticum ostium defluit; Bubastiacum amnem ex se faciens, qui effluit per ostium Pelusiacum*: major est Nili pars, quæ per ostium Heracleoticum sive Canopicum in mare exit. Idem *Agathos-dæmon*, ἐκτρέπει εἰς Βουβαστικὸν fluv. qui exit ostio Pelusiaco, h. e. diverticulum ex se facit, cui nomen est Bubastiaci fluminis; qui proin amnis ἐκτροπὴ tantùm est, ab auctore flumine deducta: quæ postea alias atque alias subinde ectropas generat, quæ per diversos exitus in mare devolvuntur. Vide Salmasium *ad Solinum pag.* 477.

Agathyrsus, Geloni frater, Herculis filius, Steph. à quo pop. *Agathyrsi* nonnullis dicti sunt, de quibus V. Salmasium *ad Solinum pag.* 189. & in voce *Agathyrsi*.

Agedincum, opp. Galliæ, in finibus Senonum, ubi *sex legiones in hibernis collocasse* se, refert Cæsar *Bell. Gall. lib.* 6. Ibidem sequenti anno *duas legiones atque impedimenta totius exercitus reliquit.* Idem. Non modò enim propter magnitudinem munitionesque urbis, sed etiam propter opportunitatem loci ad Icaunam, inter Ligerim & Sequanam positi, valde Romanis placuit ac pro armamentario proque castris nonnunquam *Agedincum* habitum est. *Agedicum* Ptolomæo dicitur, aliis *Agendicum*, sed proprio ac incorrupto nomine caput hoc Senonum *Ageincum* vel *Agetincum* vocatum est olim: quo nomine postea deposito, Gentis suæ appellationem suscepit. Unde Ammianus Marcellinus *lib.* 6. *Senonas* vocat, *oppidum opportunum.* In *Notit. Gall. vett.* in prov. Lugdunensi Senonia seu Lugdunensi quarta collocatur, diciturque *Metropolis civitas Senonum*, vulgò *Sens*, contracto Senonum nomine. Hic Decentius Cæsar Magnentii August. frater, cognitâ ejus clade, è fascia laqueum sibi ad elidendas fauces confecit, periitque: ibidem Amphitheatrum quoque fuisse, principatu Aureliani, docet *passio* Columbæ Virginis, &c. Vide Hadrianum Valesium *Notit. Gall.*

Agedincum, adde: Valesius habet, ad Crosam fluv.

Agenda, æ, vox Ecclesiæ Rom. Dicuntur autem *Agenda*, munia Canonica, statutis temporibus agenda, ut officium (quod dicitur) Matutinum & Vespertinum. *Capitular.* Caroli *lib.* 6. *cap.* 214. *Si quis Presbyter, in consulto Episcopo*, Agendam *in quolibet loco voluerit celebrare, ipse honori suo contrarius existit.* In plurali neutro reperitur, apud Bedam, *in vita* Augustini: *Per omne Sabbathum, à Presbytero loci illius*, Agenda *eorum solenniter celebrantur.* A verbo *agere*, de quo *Glossar.* R. Johannis apud Lydium: *Ut facere* significat *sacrificare*, sic agere *Matutinas & Vespertinas horas dicere*, Vide Spelmannum *Glossar. Archæol.* Carolo du Fresne, *Agenda*, in Ecclesia Romana, officium Missæ seu sacra Liturgia; sic dicta, quòd vett. *agere Missas* dicerent: nam *Missa* generatim primitus quodvis officium erat. Benedictus *in Reg. Cæteris verò Agendis ultima pars ejus orationis* (Dominicæ) *dicatur, ut ab omnibus respondeatur; Sed libera nos à malo.* Idem *cap.* 3 Agenda *Matutina & Vespertina non transeat*, &c. In specie, Sacra notat, quæ pro defunctis ibi celebrantur; ut & officium vel Missam pro defunctis. Qui notione aliquando simpliciter *agenda* dicitur: Beda *in d. Vita* Augustini, Angl. Apostoli, *Per omne Sabbathum à Presbytero loci illius*, Agenda *illorum solenniter celebrantur.* Et Anastasius Biblioth. *in Leone II.* Pontific. *Hic fecit constitutum — ne Mauri quondam Episcopi* (Ravennatis) *anniversitas aut* Agenda *celebretur.* Aliquando *Agenda Mortuorum* seu *Defunctorum* in Synodo Carthagin. II. *can.* 9. apud Gervasium Tilleberiensem MS. *part.* 3. *de Otiis Imperial. cap.* 18. *Dum* Agendam mortuorum *sedulus orator passim deambulando cantaret.* Et apud Reginonem *de Ecclesiast. Discipl. Similiter ordinem & preces in exequiis atque Agendis defunctorum*, &c. Hinc *Agendi dies*, in quibus *Agenda* seu Ecclesiastica officia peraguntur: & *Agenda dies*, id est, officium diei seu Festi, apud Car. du Fresne *Glossar.* Vide quoque Macros fratres in *Hierolexico*.

Agennum adde: Hinc *Agennensis* Moneta, quæ *Agenni* cusa, memoratur, in *Charta* Episcopi Agennensis anno Chr. 1246. in Regesto Tolosanæ Cameræ Comput. Paris. apud du Fresne in voce *Moneta*.

Agentes, apud Hyginum, *Limitibus secundùm suam Legem latitudines dabimus & aperiri in perpetuum cogemus. Plurimum enim* Agentibus *præstat actuarii perpetua vectura*, sunt qui limites *agunt*, Agrimensores. Salmasius *ad Solinum, pag.* 678. Aliàs *Agentes*, qui rebus *agendis* præsunt & à Proceribus iis præficiuntur. *Agentes potentum*, in *Concilio* Aurelian. IV. *can.* 26. *Agentes Monasterii*, in *Chron.* S. Vincentii de Vulturno *pag.* 687. *Agens Regis*, in *Charta* Odoardi Dom. Hamensis Anno Chr. 1328. In genere, Officiales ac Ministri Regii, quorum munus *Actio* inde appellatur. Gregorius Turonensis *libro* 6. *cap.* 19. *Mittit nuntios Comitibus, Ducibusque & reliquis* Agentibus, *ut collecto exercitu in Regnum germani sui irrumperent.* Hodieque titulus in usu, de infimo Legatorum genere, qui res Principum, aliquo in loco sedem fixam habentes, *agunt* ac procurant. Vide Car. du Fresne *Glossar.* & hic *infrà*.

Agentes in Rebus, dicti olim, qui Principis jussis obsecundabant, eorumque mandata in provincias deferebant: *Magisteriani* quoque appellati, quòd sub Magistro Officiorum militarent, Græcis Μαγιστριανοί; Item *Castrenses*, in *Gloss.* Græc. Καστρήσιος, ἀγγελιαφόρος: qua voce significatur, qui mandata Principis exequeretur; ad quod officium Magisteriani vel *Agentes in rebus* maximè adhibiti sunt. Vide infra *suo loco*. *Principes* quoque: Nam ex *schola Agentium in rebus* Principes mittebantur, ad gubernanda officia civilium administrationum: hinc Πρίγκιψ in *Gloss.* Legalibus exponitur ἔξαρχος τῶν πολιτικῶν ταξεωτῶν, &c. Successerunt autem in locum Frumentariorum, seu Γραμματηφόρων, qui non tantùm cursus publici procuratores & prosequutores fuere, sed etiam exigendis vectigalibus operam dederunt & compellendis ad solutionem pensionum provincialibus. *Lex* est in *Cod. Theodos. tit. de exactionibus*, quæ ita habet: *Neque* Agentes in rebus, *neque sacrarum vel privatarum largitionum officia Palatina, ex quacunque causa, ex quocunque titulo Fiscalis debiti, cùm ad provinciam mittuntur, possessores per se audeant convenire sive id ex præterito reliquum trahatur, seu præsentis temporis tributum solvi conveniat.* Quam legem Honorius & Theodosius tulerant, admonitu Legatorum Achivorum: sed eandem paulo pòst abrogarunt, antiquâ consuetudine restitutâ, ut largitionum titulorum exactio per *Agentes in rebus* & Palatina obsequia celebraretur. Vide *Legem seq. tit.* quo suprà. Curiosi quoque, qui olim cum Frumentariis iidem, postea ex corpore *Agentium in rebus* ad cursum regendum, sumpti sunt, sublatis scil. Frumentariis; neque cursum tantùm publicum procurabant, sed & vectigalium exigendorum curam habebant: instituti à Diocletiano, qui, Frumentariis penitus sublatis, Curiosos ex corpore *Agentium in rebus* per singulas provincias misit, ad curas agendas, & idem munus obeundum, quod olim Frumentarii; quos *ad explorandum annuntiandumque, si qui fortè motus existerent*, institutos ait Victor. Vide infrà ubi de *Curiosis* & *Frumentariis*; ac plura in hanc rem, apud Salmasium *ad Histor. Aug. Scriptores passim, maximè ad Spartianum in Hadriano*, & Jacob. Gotofredum ad *tit. Cod. Theodos. de Agentibus in rebus, ubi copiosè de eorum Munere, Scholis ac Privilegiis.*

Ager, dictus, in quam terram quid *agebant*, & unde quid *agebant*, fructus causâ, Donat. De eo cavit lege Solon, ne Athenienses sui, quantum agri vellent, tantum compararent, Μὴ κτᾶσθαι γῆν ὁπόσην ἂν βούληταί τις, *Agrum, quantum voluerint, ne possidento:* Cujus meminit Aristoteles *Politic. lib.* 2. *capite* 8. causamque illius aperit, nempe bonorum æqualitatem habere vim aliquam ad civilem societatem. Sed malè est, quòd modum agri, de quo legem tulerat Solon, planè ignoramus. Apud Romanos vett. Lex Stolonis vetabat, plus *D.* jugera habere. M. Varro *de R. R. lib.* 1. *cap.* 2. *Nam Caj. Licinium Stolonem & Cn. Tremelium Scrofam video venire: unum, cujus Majores de modo agri legem tulerunt. Nam Stolonis illa lex, quæ vetat plus D. jugera habere Civem Romanum.* Vide Samuelem Petitum *Comment. in LL. Attic. lib.* 5. *titul.* 2. Postmodum verò multùm mutavit, *agrorumque* dividendorum causâ gravissimæ seditiones ortæ sunt. Vide infrà, ubi *de Agrariis Legibus alibique.* Quemadmodum & de ritu *Agros* lustrandi, in voce *Ambarvalia*. De *Agrorum* limitibus ac terminis fusè agit Salmasius *ad Solinum*. Apud Hebræos primitiæ omnium fructuum *Agri* Deo sacri erant, Numer. *capite* 18. *versu.* 13. licèt distinctè tantùm *frumenti, olei, vini & tonsuræ ovium* mentio fiat, Deuteronom. *capite* 18. *versu* 4. Unde religiosiores ipsa etiam *olera* & hortorum herbas in eum censum vocabant, Matth. *capite* 23. *versu* 23. Præcipua autem oblatio erat primitiarum *Areæ*, quos simul ac maturuissent fruges, ad Templum deferre mos erat, quæ propriè *Primitiæ* appellabantur. Imò & fructuum omnium, quibus primitias offerebant, etiam sol-

solvebant Decimam, Deuteron. *cap.* 14. *verſ.* 22. V. infrà, ubi de *Decimis, ac Primitiis.* Apud Romanos, in familiâ rusticanâ, fuit quoque *Agris colendis præfectus*, Laur. Pignorius *Comm. de servis &c.*

Agger Itinerarius, apud Ammianum *lib.* 18. & 19. *Agger publicus, l.* 2. *Cod. Theodoſiani, ut quis in palat. maneat & l.* 4. *&* 5. *Cod. eod. de Itinere mun.* Iter est publicum seu via militaris, quæ etiam simpliciter *Agger* dicta est, in *Gloſſ. Agger, ſtrata via publica*; & apud Servium *ad* 5 *Æn. Agger eſt media ſtratæ eminentia coaggeratis lapidibus ſtrata.* V. infrà in voce *Via*, & plura in hanc rem, apud Bergerium *de Vijs Imperij*, laudatum Carolo du Fresne *Gloſſar.* Salmasio *ad Solinum*, *Aggeres* dictæ sunt omnes viæ publicæ stratæ, tam in Urbe, quàm extra Urbem. Equidem intra Urbem, in ijs *Aggeribus*, juxta domos arbores plantatas, ut in tecta scanderent Zizyphaque imprimis ac tuberes ad hunc usum expetitas fuisse; Malum item Medicam vel citrum, addit. Ita certè Plinius, ubi de Zizyphis ac tuberibus, *Divi Auguſti noviſſimis temporibus in caſtris ſata, baccis ſimiliora quàm malis; ſed* Aggeribus *præcipuè decora, quoniam in tecta jam ſylvæ ſcandunt.* V. Salmasium *d. l. pag.* 609 Pulchram istiusmodi viæ publicæ descriptionem habes apud Paulinum Petronium *de vita Martini lib.* 4. *verſ.* 153.

— quà publicus Agger
Porrigit erectam per plana jacentia molem:
Ut via conſtratis ſolidata atque edita ſaxis
Vergeret infuſos in concava ſubdita nimbos,
Et gravis in duro non ſideret orbita colle;
Merſaque ne luteum ſorberent plauſtra profundum:
Sed ſummæ vix dorſa viæ vertigo rotarum
Raderet, haud ullo ſignans veſtigia ſulco,
Sed procul impacti tinnitus prodere ferri &c.

Aggeres Nili, *in Cod. tit. de Aggeribus Nili non rumpendis*, Plinio *moles* dicuntur: Solino *cap.* 32 *tumuli*: *Ubi ingreſſus Leonem ortus Sirios excitavit, emiſſis omnibus tumulis totam fluctuationem erumpere &c.* Tumulus enim idem, quod *Agger*; hinc tumuli in Nilo aggeres sunt, quæ Græcis Χώματα vocantur, ad emittendas aquas aut avertendas fieri solita. Diodorus *lib.* 1. Τοῦ γὰρ ὕδατος ... δεχομένων ... χώματα, καὶ τοῦτο ... ἀνοίγοντες, ... Dicit autem, *ubi ingreſſus Leonem*, Solinus rectiùs dixisset, *Sole Leonem tranſeunte*, ut Plinius de Nili exundatione verba faciens. Per totum enim Leonis signum Nilus abundantissimè intumescit, nec consistit, prius quàm in Virginem Sol transgrediatur. Unde Ægyptii τὴν ἀνάβασιν Nili picto Leone repræsentabant, ut scribit Orus. V. eundem Salmasium ubi suprà *pag.* 431.

Aggeſtum Terræ, in viliorum sepulchris. Cùm enim non omnium esset, sepulchra habere ædificata, tam in Judæa, quàm in terra Græca & apud Romanos: vilior turba cadavera sua tactâ scrobe defodiebat & *aggeſtâ* desuper humo cumulabat; quod *Aggeſtum terræ* Latini *Tumulum*, Græci χῶμα vocabant. Super illud autem statuebatur cippus lapideus, Græcè στήλη, qui nomen & elogium defuncti, τὸ ἐπίγραμμα, (quod erat inscriptio monumentalis) continebat. Sic tumulus cum cippo ad memoriam defuncti imposito, dicebatur Μνῆμα, Atticis Σῆμα &c. Qua de re V. plura *infrà*, ut & apud Salmasium *d. l. pag.* 1219.

Aggravatio, in *Statutis* Synodalibus Nicolai Episc. Andegavensis A. C. 1272. *cap.* 4. Apud Carolum du Fresne *in Gloſſario*, est repetita ac iterata excommunicatio. V. quæ suprà diximus in voce *Anathema*.

Agiaſmus, Gr. Ἁγιασμὸς, hodiernis Græcis dicitur ritus ille seu ceremonia, quâ cujuslibet mensis primâ Dominicâ renovant aquam benedictam, eaque populum aspergunt; id est, *Benedictio* seu *Sanctificatio*: Desistunt autem duobus mensibus, Januario sc. ob solennem benedictionem Epiphaniæ, in qua baptismum Christi celebrant, & Septembri, quo hanc benedictionem transferunt, in decimam quartam ejus diem, propter festum Exaltationis S. Crucis; ubi in aspersione loco aspergilli frondibus ocymi utuntur. Dicunt enim, super spatium telluris, ubi crux Christi fuerit defossa, ocymum crescere, ideo Βασιλικὸς, id est, *Regium* dictum, quòd jussu Helenæ crucis inventricis inde esset evulsum. V. Dominic. Macrum *Hierolex.* in voce *Aqua Benedicta*.

Agiloſfingi, dicti sunt, qui erant de genere Ducum Bavariæ, in *L.* Bajvvar. *tit.* 2. *cap.* 20. è quibus omnes Bavariæ Duces olim sumebantur, §. 3. Meminit eorum *Chron.* quoque Fredegarii *cap.* 52. *Quidam ex Procevibus* (Austriæ) *de gente nobili* Ayglolfinga, *nomine Chrodoaldus*, ap. Car. du Fresne *Gloſſar.*

Aginnenſes, ab *Aginno* Galliæ in Occitania urbe, dicti sunt, qui aliàs *Waldenſes*: apud Robertum de Monte in *Chron. A. C.* 1178. citatum eidem.

Agioſimandrum, Græcis recentioribus aliisque Christianis sub Turcica tyrannide degentibus, dicitur instrumentum ligneum, quod campanæ loco, in convocandis cœtibus, adhibere coguntur; cùm campanarum usus, ne fortè sono earum ad rebellionem homines concitentur, à Turcis prohibitus sit. Ab ἅγιος, *Sanctus* & σημαίνω, *ſignifico*, quasi Ἁγιοσήμαντρον, *ſacrum lignum*, Cujusmodi lignea instrumenta Vett. jam in Orientali Eccl. fuisse in usu, docet Macer ex Synod. VII. ubi dicitur de Anastasii martyris reliquiis: *Cùm ſanctæ civitati* (Cæsareæ) *reliquiæ appropinquaſſent, omnibus ea res fuit declarata & ſignificata. Itaque lætitiâ magnâ profuſi omnes ſurgentes ſubitò, ligna que ſacra pulſantes invicem obvii facti ſunt.* Sed in funeralibus tantùm fuisse adhibita, colligunt quidam ex Cæsario *lib.* 1. *cap.* 4. ubi ait: *Percuſſaque tabulâ, cùm tam Abbas, quàm cæteri Fratres, ad ejus exequias convolaſſent*, &c. V. eundem Macrum in *Campana*; & infra, in *Simandrum*.

Agioſyderum, V. infrà *Hagioſiderum.*

Agiſulfus, Longobardorum Rex, tempore Gregorii M. Pontif. Rom. pacem cum Romanis fecit: in cujus memoriam composuit Pontifex introitum, *loquetur Dominus pacem* &c. qui in Missa SS. Gervasii & Protasii in Communione Rom. habetur, quòd eo die pax conclusa. V. Macrum in voce *Introitus*. Aliis *Agilulfus*, V. in hac voce.

Agitare, apud Lampridium in *Commodo*, *Voluit etiam in Circo quadrigas agitare*, verbum Circensibus Ludis proprium. In his enim *Agitatores* dicti aurigæ, *qui agitandi munus exercebant*, in *l.* 3. *Cod. de Scenicis*, qui quos Curules in Circo agebant & agitabant, *Gloſſ.* Gr. Lat. ἐλάτης ἵππων, *Agitator &c.* Cujusmodi homines, ut & Pantomimi ac Histriones, recensentur inter homines viles ac infames, in *l.* 4. *Cod. de Spectac* lique omnino sunt, de quibus ista habet Concilium Arelatense I. *can.* 4. *De* Agitatoribus, *qui Fideles ſunt, placuit eos, quandiu* agitant, *à communione ſeparari.* Eadem statuuntur in Arelat. II. A. C. 452. *can.* 20. ubi *Agitatores* sive *Theatrici* dicuntur, &c. Nempe plerique tales Magicis artibus uti credebantur, ut adversariorum suorum equos in certamine frangerent, & impedirent, sicq; palmam consequerentur; quod ex *l.* 9. *Cod. de Maleſic.* colligitur, ut & ex S. Hieronymo in *Vita* Hilarionis, Ammiano item *lib.* 26. & Senatore *lib.* 3. *Epiſt.* 51. Car. du Fresne *Gloſſar.* V. & hic in voce *Agitator*.

Agitator servus, inter eos erat Romanis, è quibus dominus non voluptatem solùm, sed & lucrum facere, operas illorum locando, consueverat: Tales enim erant, præter alios Artifices, Gladiatores, *Agitatores*, Funambuli, Palæstritæ, Alii. Et quidem *Agitatoris* servi meminit Paulus *JC. l.* 43. *ff. de Action empt. Planè, ſi in tantum precium exceſſiſſe proponas, ut non ſit cogitatum à venditore de tanta ſumma, velut ſi ponas, Agitatorem poſtea factum.* Quæ verba is intelliget, qui apud Suetonium legerit *Cajo cap.* 55. *Agitatori Cythico comeſſatione quadam in apophoretis, vicies HS. collata*: & in Vett. monumentis notaverit præmia decreta *M. Aurelio Dioceli Agitatori factionis ruſſatæ.* Pignorius *lib. cit.* V. suprà ut & ubi de Lud *Circenſibus, Factionibus &c.*

Aglibolus, & Malachbelus, Dij Palmyrenorum, quæ Arabiæ olim civitas: Illorum mentio in vet. Inscr. apud Gruterum pag. 86. ΑΓΛΙΒΩΛΩ ΚΑΙ ΜΑΛΑΧΒΗΛΩ ΠΑΤΡΩΟΙΣ ΘΕΟΙΣ, *Aglibolo & Malachbelo, Patriis Diis*, quæ Palmyrenæ inventa est. Sed, cùm de utroque apud vett. Scriptores silentium sit, animales, an naturales fuerint Dii, in obscuro est. Etymon eorum nemo hactenus attulit. Vossio *Aglibolus* videtur ex Arabicis אג על בל *ag, al, bal*, h. e. ad verbum, *pone ſuper corde*: Sententia est, *Pone cogitationem*, sive *Animum, adhibe.* Quam Arabicorum istorum mentem esse, docent Abenezra & Dav. Kimchi. sic illius Dei nomen fuerit sive ex eo, quòd Deus cogitet de nobis; ut ita providentiam signet divinam: sive etiam, quia cogitationes nostras expleret; unde *renes ſcrutari* dicitur in Scripturis: sive, quia assiduè cogitandum de Deo omnibus; ut nomen hoc homini commendet Dei cultum. Sed & deduci posset ex עָגוֹל *agul*, id est, *rotundus*, & בַּעַל *baal*, h. e. *potens dominus.* Ut sit potens rotundi sive Orbis terrarum, vel orbium ætheriorum seu cœlestium dominus. Sanè Hebræis similiter Deus בַּעַל שָׁמַיִם *baal ſchamaim*, h. e. *dominus cœli*; pro quo Phœnices Βεελσάμην, quod itidem est Κύριος οὐρανοῦ, ut ex Philone Bybliensi cognoscimus. At *Malachbelus* fortasse ex מֶלֶךְ *malech*, i. e. *Rex* & בַּעַל, *baal*, i. e. *dominus*: ut valeat *Dominum ac Rectorem Univerſi.* V. Gerh. Joh. Vossium *de Idolol. lib.* 2. *cap.* 26. Salmasio, eorum in antiquo monumento simulachra in marmore sculpta habentur virili habitu, crispo crine succincta & tæniata, eorumque alterum Lunam pictam in humeris habet & cothurnis innexum est, hastile manu gestans. Sunt nempe, addit, *Sol & Luna*; nam & Lunam marem Deum esse credebant masculinoque eam nomine ac sexu nuncupabant plerique Orientis populi, ut videre est in hâc voce: Et quidem Μαλάχβηλον, Solem esse planè sibi persuadet Salmasius, Ἀγλίβωλον Lunam; sed quare ita dicti sint, ambigit, *Notis ad Vopiſcum in Aureliano.*

Agmantum, villa Galliæ, memorata Aimoino *libr. de tranſlatione SS. Martyrum Georgii & Aurelii in Gallias*, A. C. 858. ubi scribit, Usuardum & Odilardum Monachos, jussu Hilduini Abbatis, eorum non multo antè sub Habdaraghmane Rege cæsorum corpora domum detulisse, & in munitissima Cœnobij sui (sancti Germanensis) villa *Agmanto*, ubi tum pars major fratrum Monasterii S. Germani, metu Nortmannorum, residebat, loca-

lis

lis inclusa collocasse. Vulgò Romanè Hadr. Valesius *Not. Gall.*

Agminales equi, seu *Paraveredi*, ut habetur in *l. 4. & 6. Cod. Theod. de curs. publico*, olim dicti sunt, qui gregatim, ἀγεληδὸν, *agminatim*, prope civitates nutriebantur & habebantur ad cursus publicos. Mentio eorum quoque in *l. 18. D. de muneribus & oner. Patrimoniorum munera duplicia sunt: nam quædam ex his muneribus & possessionibus sive patrimoniis indicuntur*, veluti Agminales *equi vel mulæ & angariæ atque veredi*. V. hic passim, imprimis ubi de *Angariis*, *Cursu publico* & *Paraveredis*.

Agnensis pagi, mentio fit *in Vita S. Pauli*, sicut & Leonis pagi, id est, *d'Ack & de Leon*: in Britannia min. V. Hadr. Valesium *in voce Batha*.

Agnes, filia Alberti I. Imper. uxor Andreæ, Hungariæ Regis, post Patris obitum, in Helvetia plerumque commorata, sæpè militibus fratris Alberti cum Helvetiis pacis arbitram egit, hisque specie sanctitatis imponere conata est. Ut enim versuta erat, quoties fratres imparatos videbat, inducias aut pacem conciliavit, ut interea illi militem comparare, & se commodè adversùs Helvetios instruere possent, cùm interea præ se ferret, non alio nisi pacis studio & Helvetiorum commiseratione, ista à se fieri. V. Simlerum *Descr. Helvet.* Spenerum *Syll. Geneal.* &c.

Agnifer, cognomen Præcursoris Domini. *Præfat. Missalis* Hierosolymit. Eqq. Argentorati impressi A. C. 1505. qui liber in Cardin. Brancatii Bibl. Romæ asservatur. *In honorem & gloriam Omnipotentis Dei & gloriosæ Semper-virginis Mariæ nec non* Agniferi *Præcursoris D. Johannis Baptistæ*. Sic autem is dictus est, quòd in pictura *Agnum fert*, in signum immaculati illius, quem digito monstravit, exertâ manu; quam antiquitus Antiochiæ asservatam, posteaque Rhodiis Equitibus, à Bajazete Turcarum Imp. muneri missam esse, hodie verò in Conventuali Ecclesia Melitæ, inter cimelia sacra, servari, dicunt quibus talia scribere credereque volupe est. V. Macros Fratres in *Hierolexico*, ut & infrà in *Agnus Dei*.

Agnina, in *Gloss. Gr. Lat.* ἀρνακίς, apud Annam Comnenam *Alexiad. lib. 8. pag. 230.* ἅμα ἡλίῳ ἀνατέλλοντι ἀρνακίδας ἐδόμεθα. *Sed Sole oriente inpinam seu agninam comedimus*; laudatam Carolo du Fresne *Glossar. Agnina* pellis unà cum lana, in vestium usum maximè commendata Medicorum filiis, ut quales vestes, *pinnæ* seu ἀρνακίδες Græci dixere, non solùm plus caloris quàm ovillæ conferant, sed & dorso renibusque plurimùm prosint. Cujusmodi vestimentum rheno est, si vocis origo servatur; nam Græcè ῥὴν *agnus* est. Et אמרא *imra* Chaldæis non solùm *agnum*, sed & vestis limbum, cui ἀρνακίς assuebatur, significat. Sic Psalm. 133. *vers. 2.* in Chaldæa paraphr. *Sicut unguentum bonum, quod effusum super caput, descendit super barbam — quod descendit super* agnum *vestis ejus*, id est, super oram vestis ejus agninâ pelle suffultam. Græci habent, ἐπὶ τὴν ὤαν τοῦ ἐνδύματος, quod ferè idem est. Nam ὤα, ὠά, ὦα, primo μηλωτὴν, *vellus* significavit, seu *ovis pellem cum lana*. Secundò sic dicta est *ora vestis* cum hujusmodi pelle assutâ; hoc enim moris fuisse prisci, docent Etymologus & Cyrillus in *Lexico* nondum edito. Hinc Eustathius in *Iliad.* ε. Οἱ παλαιοὶ ἐς τοιαύτας οἴας δέρμα προσηράπτον, ἵνα αὐτῶν τέλειον τὰ ἄκρα τῶν ἱματίων. *Prisci etiam talibus ovillam pellem adsuebant, ut quàm minimè inferiora vestium attererentur*, &c. Sed *lana* potior in vestibus usus fuit. Unde Salomon Proverb. *cap. 27. vers. 26.* *Agni in vestitum tuum*: ubi agnorum nomine non *vellera* vel *agnaliis*, i. *agninæ pelles*, intelliguntur, ut loco cit. aliàs hircis hic eos non opponeret Rex Sapiens, quo modo opponit, cùm addit, *& hirci sunt in pretium agri*. Pelles enim caprinæ, æquè ac ovillæ in vestium usum adhibentur & utrisq. commune nomen melotæ. *Agni* igitur *in vestitum tuum* i. *agnorum lana*, vel ovilla. Quamvis enim alicubi etiam è pilis caprinis panni texi consueverint, tamen id infrequentius est, neque in Judea receptum fuit. Et quidem agni nomen Chaldæum אמר *immar* à lana deductum est, quæ in matribus quidem villolior est. Theocritus *Idyll. 12.*

— Ὅσσον ὄις ἀρνὸς λασιωτέρη ἐστί,
Quanto ovis agno suo villosior est.

Sed in agnis est tenuior & tactu mollior, atque eo ipso plus in pretio. Proinde Martialis *lib. 5. Epigramm. 38.*

Puella senibus dulcior mihi cygnis,
Agnâ Galesi mollior Phalantini.

Aut *Phalantini* potiùs, quia ad Galesum amnem Tarentum condidit Phalantus, &c. Sam. Bochartus *Hierozoici Part. prior. L. II. cap. 43.* V. quoque infrà in *Pallium*.

Agno. monetam auream signavere Franci, jam inde à Ludovici IX. temporibus. Et quidem *Denarii aurei cum Agno*, Gall. *Denier d'or à l'Aignel*, typum exhibet du Fresne *in Gloss.* ubi de *Moneta*. Philippus dein Rex, cæteris monetis prohibitis, præter Turonenses, Parisienses & Burgenses, *Florenos ad Agnum* cudi jussit, A.C. 1313. Similiter sub Ludovico Hutino, omnis moneta præter auream cum agno vetita est, A.C. 1314. sub Philippo postea Magno & Carolo Pulchro; ibidem *Denarius cum Agno*, in usu fuit cum inscript. KLS. REX, sub Agno, circa A.C. 1323. Exin Johannis R. principatu iterum cusi sunt denarii, in quibus effictus *Agnus*, quem *Dei* dicunt, sub cujus pedibus scriptum, JOH. REX, cum Inscr. AGNVS DEI QVI TOLLIT PECCATA MVNDI MISERERE NOBIS. in aversâ parte cruce florigerâ expressâ, cum 4. liliis, uno sc. in angulo quolibet, Gall. *Deniers à Aignel d'or fin.* Sub eodem *Semisses Denariorum ad Agnum*, vulgò *Demi-Deniers à l'Agnel*: Post quem, sub Carolo VI. *Agni* aut parvi *Agni*, Gall. *Moutons ou petits Moutons*, vett. *Agnis* similes prodiere, præterquam quòd sub Agno scriptum est K F. RX. De quorum omnium valore aliisque huc pertinentibus V. Carolum du Fresne *loco cit.* ut & infrà in voce *Multo*.

Agnorum juge sacrificium, in V. T. celebre fuit, quo viz. agni duo in dies offerebantur, unus manè, alter vesperi. Exodi *cap. 29. vers. 38.* donec id morte sua CHRISTVS, cujus victimam æternæ virtutis pro nobis offerendam id sacrificii Israëlitis significaverat, abolevit, juxta prædictionem Danielis *cap. 9. vers. 26. 27.* Erat autem agnus sacrificio aptus, jam ab octavo die. Ita namque statutum in Lege Exod. *cap. 22. vers. 30.* *Septem diebus sit cum matre sua & die octavo reddes illum mihi*, V. quoque Levit *cap. 22. vers. 27.* Quibus Mosis legibus confer hæc Plinii *lib. 8. cap. 51.* *Suis fœtus sacrificio die quinto purus est, pecoris die octavo.* Itaque, cùm in lege toties *agnum anniculum* Deus sibi postulat offerri, non significatur agnus præcisè ἐνιαύσιος, sed agnus ab octavo die usque ad annum completum. Bochartus *Ibid. cap. 46.* Anno verò secundo tales hostias ideo non accepit Deus, quia tum demum puræ & intactæ esse desinunt, cùm libido tum accendi in iis soleat, Aristoteles *lib. 5. cap. 14.* Ut igitur non aberrarent hic Judæis, pecorum natalia ephemeridibus suis inscripsisse, credibile judicat idem Bochartus *Ibid. cap. 50.* quem de *Agnis* in genere, *Agno* inprimis *Paschali* fusè agentem, V. *lib. d. cap. 43. & seqq.*

Agnus, adde: Phrynichus, referente Stephano, ad Attalidem tribum refert; quam sententiam confirmat *Inscr.* XIII. *Tribuum*, cujus meminit Sponius. Sed, cùm Attalis unà fuerit ex recentioribus Tribubus, facilè fieri potuit, ut *Demus* hic vel Acamantidi, vel Demetriadi, quæ postea *Ptolemais* appellata est, demum fuerit, ut Attalidi tribueretur. Nomen ei ab arbore *Agnuscastus*, cujus magna ibi copia. Hinc ortus, *Agnusius* dictus est. *Inscr.* Athenis,

ΛΥΣΙΚΛΗΣ ΒΙΟΤΤΟΥ ΟΗ
ΘΕΝ ΕΧΟΡΗΓΕΙ ΟΙΝΗΙΣ
ΦΥΛΗ ΠΑΙΔΩΝ ΕΝΙΚΑ
ΠΑΜΦΙΛΟΣ ΑΓΝΟΥΣΙΟΣ
ΕΔΙΔΑΣΚΕΝ ΚΗΦΙΣΟΔΩ
ΡΟΣ ΗΡΧΕΝ.
LYSICLES FILIVS BIOTTI OE
ENSIS EDIDIT LVDOS OENEIDIS
TRIBVS JUVENTVS VICIT
PAMPHILVS AGNVSIVS
COMPOSVIT CEPHISODO
RO ARCHONTE.

Uti interpretatur Jac. Sponius *Itinerar. Græciæ Tom. III.*

Agnus, Græcis vocatur calicis in Eucharistia velum, fortasse quia in eo *Agnus* pingebatur. Idem & *Aër* dictum, ut vidimus. Hinc Germanus Patr. C P. in *Theor. Velum, Aër sive* Agnus *est, & dicitur esse vice lapidis, quo munivit Joseph munimentum, quod obsignavit.* Eodem velo antiquitus apud Latinos Græcosque Sacerdotis faciem moribundi cooperiri fuisse solitam, refert Gregorius Pontif. cognom. *Magnus, in Evangel. Homil. 37.* Domin. & Car. Macri *Hierolex.* in *Velum*.

Agnus Aureus inter ornamenta Ecclesiarum recensetur, apud Anastasium *in Vitis Pontif.*

Agnus Dei, in Communione Rom. precatio dicitur in Missa, à Sergio Papa ordinata: quam tamen aliqui antiquiorem faciunt, id solùm Sergio tribuentes, quòd ter *Agnus Dei* in Missa proferri voluerit, cùm antea semel tantùm diceretur. In hujus prolatione, omnes, qui sunt in Choro, genua flectunt, &c. V. Macros Fratres *Hierolex.* in hac voce, ut & in *Genuflexio*. Sed & numismata sacra ex cera confecta, in eadem Communione, *Agnus Dei* vocantur, eò quod *Agni* figuram, in symbolum Christi patientis, habent impressam; cujus rei historiam verbis Sirmondi *ad Ennodium*, sic tradit du Fresne: *Mos erat, ut ex cereo Paschali, qui Sabbato Sancto conceptis precibus sacratus fuerat, particulæ decerperentur, ac populo die Dominicâ post Albas, post S. Communionem distribuerentur, unde suffitum in ædibus suis facerent, vel agros vineasque munirent adversùs Dæmonum præstigias, aut contra fulgura ac tonitrua. Qui quidem mos olim extra Urbem duntaxat; Romæ enim cerei Paschalis vice ceram oleo perfusam benedicebat Archidiaconus, inde particulas in Agnorum effigiem expressas afferebat, populo similiter, die quâ dictum, dividendas. Unde origo postmodum data cereis Agni cælestis imaginibus, quæ à Pontificibus ipsis augustiore ritu consecrari cœperunt*; ut passim *Ordo* Rom. Alcuinus *de Officiis div.* Durandus *Ration. lib. 6. cap. 79.* Amalarius, Alii. *Chron.* Dolense editum à Labeo, A.C. 1306. *Clemens PP. V. — Agnus Dei magnam copiam consecravit.* Et narrat Zucchius in *Histor.* Mogunt. *Gregorium M. Theodelinda Agilulfi R. uxori bina istiusmodi numismata — misisse auro alligata, quæ adhuc in ea civitate asserventur* &c. Cùm verò antiquitus distribui consueverint,

 ut Ama-

ut Amalarius scribit, *infra Octavam Paschæ* & variè variis temporibus consecrari: hodie Papa primo Pontificatus sui anno illa benedicit, deinde quolibet septennio eodem ritu defungitur, ad Octavam Paschæ. Sacrista tamen, auxilio Clericorum & Religiosorum ea ante annum præparat ac Pontifex feriâ tertiâ Paschæ indutus amictu, albâ, cingulo, stolâ & mitrâ, aquam benedicit, infundens balsamum & chrisma, dicitque aliquas preces in Ceremoniali descriptas; dein linteo præcinctus, cum Cardinalibus similiter assistentibus, immergit illa in aqua benedicta, ac extracta extendit supra munda mantilia, ut exsiccentur; ubi Papa illis denuo benedicit. Postea in capsis reponuntur & conservantur, usque ad Sabbatum in Albis; quo die, dicto in Missa *Agnus Dei*, & peractâ communione, Subdiaconus accedit ad ferendum pollubrum his numismatibus refertum, præcedente cruce & ad portam sacelli Pontificii perveniens, altâ voce hæc verba intonat: *Pater sancte, isti sunt Agni novelli, qui annuntiaverunt vobis Alleluja; modò veniunt ad fontes, repleti sunt charitate, Alleluja.* Eadem verba repetit in medio Sacelli & tertiò tandem ante solium Pontificis: quæ postmodum Papa Cardinalibus primò distribuit, qui intra suas mitras ea recipiunt: Inde donantur Episcopis aliisque Prælatis: quas ceremonias Gregorium M. instituisse narrat VValfridus cap. 22. exponit Albinus Flaccus *de divin. Offic.* Virtutes, quas præfata Ecclesia Rom. hisce numismatis cereis tribuit, eadem planè sunt, quas *Agno illi immaculato, qui tollit peccata Mundi*, soli adscribunt sacræ Pandectæ; ut ex versibus videre est, quos unà cum tribus *Agnus Dei*, Græcorum Imperatori dono misit Urbanus V. ita sonantes:

Balsamus & munda cera cum chrismatis unda
Conficiunt Agnum; *quod munus do tibi magnum.*
Peccatum frangit, ut Christi sanguis, & angit,
Prægnans servatur simul & partus liberatur.
Dona defert dignis, virtutem destruit ignis,
Portatus mundè, de fluctibus eripit undæ.

Hinc *in sacris solummodò constituti possunt ea tangere*, ut habet Azor *cap. 9. quæst.* 31. eaque coloribus ornare sub pœna excommunicationis, ex *Constitut.* Gregorii XIII. de anno 1572. prohibetur: uti nec vendere illa licet, Riccius. *Lucubr. Eccles. lib.* 1 *cap.* 9. &c. V. Fratres Macros in *Hierolex.* ut & Car. du Fresne *Glossar.* Bullis Ethnicorum successisse Baronius ait *ad A. C.* 58. *sect.* 76. *Cùm infantibus suis Gentiles bullas ad avertendas fascinationes vel turpiculâ consignatas, vel aliis superstitionibus auctas collo suspenderent, ad eas abolendas placuit, superstitione in Religionem mutata, ex ejusmodi sacris ceris bullas confici, quas, Agni Christum referentis imagine insignitas, geniti in Christo gestarent.* Patres vero VI. Concilii Constantinopolitani, Christi imaginem in *Agnis* sculptam improbarunt, dicentes: *Quod sint figura & umbra Legis veteris, jubentque ut Agnus Dei humana tantùm figurâ repræsentetur.* Unde Caranza, *Prohibuerunt spiritum Sanctum in columba figurari & Magos sub stella & Christum sub veteri agno, sed humana formâ.* Adjiciam hoc unum de vocis priori significatu, quod Alcuinus habet: *Sergius PP. instituit, ut tempore confractionis Dominici Corporis*, Agnus Dei *à Clero & Populo decantetur.* Et quod Baronius, postquam ter ut proferretur, institutum esset, ter quoque *Miserere mei* in fine fuisse additum; donec ob continua schismata & calamitates ediceretur à Johanne XXII. ut tertiâ & ultimâ vice subjungeretur, *dona nobis pacem*: veterem tamen in Basilica Lateranensi hodieque retineri, in *Annalib. Eccles.* ad A.C. 701. ex Auctoribus citatis.

Agnus Dei, effictus in moneta Joannis Franciæ R. V. *suprà.* Cujusmodi monetæ, Galliæ Regibus olim usitatæ, originem accessit Peirescius, ab insigni hoc vexillorum præcipuo, quo crucesignati contra Albigenses in bello usi. Namque inde *Agnus Dei*, pro insignibus, toti etiam Franciæ Clero, & compluribus Ecclesiis Cathedralibus, ipsique urbi Tolosanæ mansit. Sed & Hispaniam suos habuisse *Agnus Dei*, memorant Covarruvias *de Vett. numismatum collatione cap.* 5. *num.* 9. & Mariana *lib. de Ponderibus & Mensuris cap.* 22.

Agnus Paschalis, illustris CHRISTI venturi, in Vet. Test. typus, V. infrà *Paschalis Agnus.* Hic illud solùm indigito, quo pacto *Agnus* ille in furno accenso assatus DOMINI nostri crucifixionem repræsentaverit. Non enim solùm assandus erat *Agnus*, ut figuraret ardorem iræ divinæ in impios, quo Messiam torreri oportuit, ad expianda electorum delicta, quorum se vadem stiterat, unde graves illæ querelæ, *Psalm.* 22. *vers.* 15, 16. Sed & ipse assationis modus magnum hic momentum habuit, qui in Maimonide sic describitur, *lib. de Paschate cap.* 8. *sect.* 10. *Cùm eum assant, à medio ore usque ad pudenda transfigunt eum veru ligneo & subjecto igne in medio furno suspendunt.* Illum igitur ut assarent, non versabant in veru ferreo, more nostro, sed veru ligneo transfixum suspendebant, quod Christum in cruce pendentem utcunque referebat. Maximè si hæc Justini vera sunt, *Dial. cum Tryphone*, Τὸ γὰρ ὀπτώμενον πρόβατον, σχηματιζόμενον ὁμοίως τῷ σχήματι τοῦ σταυροῦ ὀπτᾶται, εἷς γὰρ ὄρθιος ὀβελίσκος διαπερονᾶται ἀπὸ τῶν κατωτάτω μερῶν μέχρι τῆς κεφαλῆς, καὶ εἷς πάλιν κατὰ τὸ μετάφρενον, ᾧ προσαρτῶνται καὶ αἱ χεῖρες τοῦ προβάτου. *Agnus enim assus, in figuram cruci similem conformatus, ad ignem torretur. Nam veru unum ab infimis partibus ad caput usque adactum perfigitur & aliud rursus ad interscapilium, cui appenduntur agni manus (seu pedes anteriores.)* Quidni verò illi hac in parte credimus, viro non solùm sancto, sed & rerum Judaicarum peritissimo, ut qui Sichemis, Patre Samaritano, natus est, Sam. Bochartus *Hierozoici Part. prior. lib.* 2. *cap.* 50. Similem planè assandi agnum seu ovem ritum hodieque, apud Tartaros quosdam, solenni in festivitate, perdurare, memorat Joh. Baptista Tavernier *Itinerar. Pers. & Ind. Part. I.* ejusque iconem operi suo inseruit, quam quis credat ex ipsis Justini verbis expressam.

Agnus Paschalis, in Ecclesia Rom. hodie dicitur, qui *juxta Romanam auctoritatem in Pascha benedicitur, non ad altare, sed ad communem mensam*, ut est in Micrologo *cap.* 54. Benedictionis formulam exhibet *Ordo Romanus.* Car. du Fresne *Glossar.*

Agoga, fossæ Hispanis dictæ, in quibus aurum excoquebatur apud Plinium, vox Græca: Græcis enim nominibus adeò concepta erant omnia auraria [illegible] in Hispania vocabula, ut fossas etiam vocaverint *agogas*. Aurum vero ipsum fossione sic quæsitum dixerunt *arrugiam*, pro *arigam*, quod itidem ex Græco ἀγωγή; & distinguitur à ramentitio, quod *ψῆγμα* dicebant & ἐκ ψήγματος. V. quæ hanc in rem affert Salmasius *ad Solinum pag.* 1076.

Agonales Salii, dicti sunt duodecim Sacerdotes, quos Numa Pompilius Marti cognom. *Gradivo* consecravit: iidem *Palatini*, à monte cognomine, item *Quirinales* appellati sunt, V. in voce *Salii.* Quemadmodum & montem Quirinalem *Agonalem* quoque vocatum legimus.

Agones Capitolini, à Domitiano Imp. primùm instituti sunt, die 22. ejus & Sergii Cornelii Dolabellæ Consulatu, exemplo ludorum Olympicorum. Celebrabantur proin similiter quinto semper anno, certabantque in iis omne genus Artificum. In illis & Statius, post incredibilem totius urbis expectationem, tandem Thebaidem suam recitavit: Sed coronam non impetravit. Unde Juvenalis,

—— —— *Sed cùm fregit subsellia versu,*
Esurit, intactam Paridi nisi vendat Agaven.

Hunc agonem caveas confundas cum agone Albano, ab eodem Imper. instituto. Nobilior enim Capitolinus, adeò ut Romæ non per lustra, sicut antea magnum annum, ut vocabant, sed per Capitolinos agonas supputarent: quod usque ad tempora sua obtinuisse, memorat Capitolinus: Cæterùm semper agon ipse Romæ mansit, ut in eo Poëtæ, Rhetores aliique ab ipso Imperatore coronam capesserent: Unde fortè laureatorum Poëtarum mos manavit. Donabantur autem, qui in agonibus Capitolinis vicerant, corona & ramo lemniscatis aut torque involutis: Secundorum verò coronæ & palmæ sine lemniscis erant: ut ex Ausonio liquet,

Et quæ jamdudum tibi palma Poëtica pollet,
Lemnisco ornata est, quo mea palma caret.

Sed & distinguendi sunt *Agones* hi tum à ludis Capitolinis, qui, annitente Camillo, in honorem Jovis Capitolini, pro Capitolio à Gallorum furore servato, à Senatu Rom. instituti leguntur apud Liv. tum à ludis Quinquennalibus, quos Augustus instituit, in memoriam victi apud Actium Antonii, qui proin *Actiaci* quoque appellati sunt, V. Thom. Dempsterum *Antiqq. Rom. lib.* 5. *cap.* 18. *&c.*

Agones Iselastici, *Periodici &c.* V. *infrà.*

Agonistarcha, in vett. Gymnasiis, is fuisse videtur, qui certaminum publicorum Præfectus erat, quive in Amphitheatris & Gymnasiis, ubi Athletæ, in publico, ludos prodituri, prius exercebantur, munus suum obibat. Ejus habetur mentio in hac vetusta inscriptione, apud Ligorium:

APOLLINI. INVICTO.
SACRUM.
M. AURELIUS. M. AUG.
LIB. APOLLONIUS.
AGONISTARCHA. COM
MODIANUS.

Diversus certè erat à Gymnasiarcho, & Xystarcho; quorum ille inter Gymnasiorum Ministros primum, hic secundum obtinebat locum, ut & à Præfecto ludi, Gymnaste, Progymnaste, Pædotriba, de quibus omnibus V. accuratè disserentem Hieron. Mercurialem *de Arte Gymn. lib.* 1. *cap.* 12.

Agonistici, Donatistarum sectæ in Africa ramus, qui pervagati ad castella oppidaque tempore nundinarum, fingendo se justitiæ ministros esse, varia scelera committebant. Horum meminit Optatus Milev. *lib* 3. *Præcones per vicina loca & per omnes nundinas misit Circumcelliones, Agonisticos nuncupans.* Iidem *Montenses*, Romæ præcipuè, nuncupati sunt, eo quòd in montibus cœtus suos haberent. *Circuitores* quoque, *Circelliones, Cotropitæ, Coropitæ &c.* dicti sunt V. Macros Fratres in *Hierolex.*

Agonotheta, Gr. Ἀγωνοθέτης, apud Æl. Spartianum, in *Adriano Cæs. Multa in Atheniensibus contulit & pro* Agonotheta *resedit*, in Ludis nempe Liberalibus, seu Dionysiis, quæ ille celebraverat jure Magistratus, quem olim maximum apud Athenienses gesserat, id est, Archontis. Scribit enim Pollux τὸν Ἄρχοντα præsidere Liberalibus solitum: Ὁ δὲ Ἄρχων διατίθησι μὲν Διονύσια καὶ

Θαρ-

Θαργήλια μετὰ τ' Επιμελητ. Archon celebrat Dionysia seu Liberalia & Thargelia, cum Curatoribus. Addit Dion, de eodem Adriani jam Cæsaris facto, verba faciens, *ἐν τῇ ἐσθῆτι*, sc. *ἰδίᾳ*, id est, in *veste*, quam de more gestare Archontes consueverant, quoties Dionysiis præsiderent. Cujusmodi vestem Suetonius in *Domitiano* vocat *Græcanicam togam ἀναβόλαιον* & eodem planè modo ac Tertullianus Togam ... vocat *Pallium teres*: quia Toga Romanis, quod Græcis Pallium. Suetonii verba sunt, *Certamini præsedit crepidatus purpureaque amictus togâ Græcanicâ, capite gestans coronam auream*. Sed apud Græcos, pro genere ludorum, diversa *Agonothetæ* vestis erat; Nam in alia Musicis præsidebant, in alia Gymnicis ut alibi Dioni notatum. Neque verò ubiq; *Agonothetæ προκαθίζουσιν* seu *præsidebant*: nam in Ludis sacris universæ Græciæ communibus seu Panelleniis, Hellanodicis præsidentibus, ad lævam sedebant Athlothetæ. Casaubonus & Salmasius *Not. ad Spartian. in Gloss. Gr.* at *Ἀγωνοθέτης, Munerarius* dicitur, de qua voce multa habet P. Faber *Agon. lib. 1. cap. 8.* Apud recentiores verò Scriptores, pro *Agonista*, bellatore seu pugile, vocem sumi, docet du Fresne *Glossar.*

Agoranomi. Vide infrà in *Foro*, item *Sitophylaces*.

Agotus, vulgò *l'Agout*, amnis Galliæ, in Aquitania, alluit Vaurum *la Vaur*, multosque amnes defert in Tarnem, qui in Garumnam cadit, V. Hadr. Valesium *Not. Gall. in voce Apamiæ*.

Agraria, adde: Primùm à Sp. Cassio tertiùm Consule anno U.C. 277. promulgata proferri non potuit, neque unquam sine maximis Reip. motibus fuit agitata. Ejus varia fuere capita, sed præcipuum id, quod possessores vetere agrorum possessione exturbabat: ut illa Licinia Tribunicia, *ne quis plus D. jugera agri possideret, cætera plebi divideret*; cam pertulit anno 385. atque mox, quòd filium emancipando, mille jugerum possideret & legi fraudem fecisset, sua lege X. mill. æris damnatus est Auctor. Ab hac deinceps quieta civitas fuit usque ad T. Gracchi Tribunatum, qui legem Liciniam, quantumvis nobilitate, quæ per eam sedibus patriis movebatur, refragante, pertulit, anno U.C. 620 &c. Plura V. apud Th. Dempsterum *Antiqq. Rom. lib. 8. cap 8.*

Leges Agrariæ præcipuæ.

Appuleja, lata anno U.C. 653	Licinia anno 377.
	Ælia Licinia.
Bæbia.	Livia.
Cassia an. 267.	Martia.
Cornelia an. 673.	Rubria, post captâ Carthaginem.
Flaminia an. 525.	Sempronia duplex an. 620.
Flavia.	Servilia an. 690.
Julia an. 691.	Thoria.

Titia &c.

Agraria, vigiliæ seu excubiæ. Modestus de *Vocabulis Militar. Sive ad vigilias vel* agràrias *faciendas, sive ad opus aliquod, vel ad cursionem campi exeunt milites* &c. Scriptor Tacticus, post *Notit. Imp. cap. penult. Vigiliis & agrariis exercendis.* Hinc *vigilias* & *Agrarias* jungit quoque Vegetius *lib. 2. cap 22. & lib 3. cap. 8* facitq; mentionem *Stationum agrariarum*, Ammianus *lib. 14. 6. 25. 31.* A verbo *agrare*, quod idem ac compositum, *peragrare*, περιαγρεῖν, περιέρχεσθαι, & apud recentiores Græcos ἀγραρεύειν *circuire*. Hesychius, ἀγραρεύει, περιέρχεται, &c. Inde *Agrarienses*, in *l. ult. Cod. Theodos. de Lusoriis Danubii*, navigii species: sic dictæ quòd *agrarias*, id est, vigilias & excubias exercerent. Quomodo Byzantini quoque ἀγράρια vocabant naviculas aut lembos quibus Imperatores fretum CP. emetiebantur, cum peregrè ibant & in suburbana palatia secedebant, de quibus non semel Constantinus Porphyrog. *de Administr. Imperii cap. 51.* & Anna Comnena *lib. 6. & 7.* Sed & erant *Agraria*, naves piscatoriæ: ἁλιευτικὰ ἀγράρια, apud Theophanem; eadem quæ Nicetæ, *τὰ πρὸς ἰχθύων ἄγρας, piscium capturæ inservientes, in Isaacio Angelo lib. 1. num 6.* Car. du Fresne *Glossar.* V. quoque Henricum Valesium de vocis etymo, & Salmasium *ad Spartian.*

Agrariæ Viæ, quæ & *Vicinales*; V. infrà, *Publica via.*

Agrarius Mergus V. suprà *Ærarius.*

Agrestis, nomen proprium Panis, in *libro de Agror. Fin. Nam omnis possessio tres Sylvanos habet, unus dicitur Domesticus, possessioni consecratus: alter dicitur* Agrestis, *Pastoribus consecratus: tertius dicitur Orientalis, cui est in confinio lucus positus, à quo inter duo pluresvè fines oriuntur.* Sunt enim qui Panem eundem cum Sylvano faciant; sed *Domestici* epitheton nil ad Panem, qui totus erat rusticus Deus. *Agrestis* vero pastoralem significat & proprium Panis est, qui *ovium custos* Poëtæ dicitur & *curare oves oviumque Magistros*. Apud Athenienses certè Ἀγραῖος vocabatur, id est, *Agrestis* vel *Pastoralis*: Sed & Aristæi apud Arcades idem epitheton fuit, ubi Ἀγρεὺς & Νόμιος Ἀπόλλων, *Agrestis* vel *Pastoralis Apollo* cognominatus est, ut interpretatur Servius. Hunc verò *Faunum Agrestem* appellatum Ovidio Vir eruditus ex istis autumat,

— Nec dum degrandinat, obsit
Agresti Fauno supposuisse pecus.

Sed recta ibi lectio, *Agresti Fano* &c. Salmasius *ad Solinum pag.* 414. qui interim Silvanum & Pana diversos esse, pluribus *ibidem* probat.

Agrioleontes, legit apud Capitolinum in *Gordiano III.* Scaliger, ubi alii habeant *Archoleontes*: intelligi que hoc nomine Leones feros, qui mansuetis opponuntur: & certè videtur locus sic vetus, qui sic habet: *Fuerunt sub Gordiano Romæ — leones mansueti 60. — agrioleontes* (ut Scaliger legit) 10. Sed non probat viri lectionem Salmasius, cùm Vett. codices habeant, *argoleontes*. Unde is, mutatâ unâ literâ, scribit, *Argoleontes*, h. e. ... Leones: quorum meminit Alexander *Epist.* ad Aristotelem, V. *infrà.*

Agrippa M. Sic repone:

Reges Judæorum.

Agrippa I. Magnus, cogn. *Herodes*, fil. Aristobuli ex Berenice, Romam missus, paulo ante mortem Herodis Antipæ, Patrui sui, ingenio & manu liberali, plurimorum in Tiberiana aula, Antoniæ inprimis, quæ Drusi uxor erat, animos sibi conciliavit. Sed quia supra sortem largus erat, sumptibus impar Româ discessit, quò cum postea reversus esset, quòd amicitiam cum iis, qui Tiberio suspecti erant, contraxisset, in vincula conjectus est. Inde à Cajo Caligula liberatus, auream pro ferrea catenam accepit; quam, ut se gratum testaretur, in Templo Hierosolymitano appendit, & ditiones Philippi, concessu Imperatoris, occupavit. Accessere posteà, quæ Herodes Antipas possederat, quibus Claudius Imp. Samariam Judæamque superaddidit, Josephus *Antiqq. Judaic. lib 18. & 19.* Ut rem genti faceret gratam, S. Jacobum Apost. gladio interfecit, & Petrum in carcerem detrusit, *Act. cap. 12.* Tandem, cùm bellum meditaretur contra Sidonios Tyriosque, Cæsareæ, ab adulatore populo, honoribus divinis mactatus, cùm minimè refragaretur, neque gloriam Deo cederet, ab Angelo percussus, vermibus esca vivus factus est, A. C. 40. ...

Agrippa II. fil. Herodis Agrippæ, ultimus Judæorum R. successit Patri anno æt. 17. sub tutela Cuspii Fadii, ei à Claudio Imp. additi, à quo Chalcidem quoque nactus est. A.M. 4011. C. 49. cui postea alias quatuor urbes Nero adjecit. Vir fuit prudens, Hebræè Latineque doctus, maritus Berenices, de qua Juven. *Sat. 6.* Cum hac Cæsaream venit, ut S. Paulum Apost. qui ibi captivus detinebatur, videret audiretque, V. Actor. *cap. 25. vers. 3.* Postea, ob lenitatem suam, in tantum suæ gentis pervenit odium, ut lapidibus in eum conjectis illum pellerent, postquam futuras calamitates præsagâ mente illis prænuntiasset. Romam itaque delatus cum uxore, Vespasiani consilio, sententiam novi Principis de bello Judæorum sciscitatus est. Postea, creato à legionibus Imperatore Vespasiano, per occultos suorum nuntios excitus ex urbe ignaro adhuc Vitellio, celeri navigatione ad Vespasianum se recepit. Sub eo Hierosolyma excisa; ipse Tito & Vespasiano honoratus, Romæ obiit, post excidium Urbis an. 30. C. 100. V. Joseph. *Antiqq. Jud. lib. 20. Belli Jud. lib. 2. & 3.* Egesippum *lib. 4 cap. 21.* Tacit. *Histor. 2. 81.* Dion &c.

M. *Agrippa* Consularis, patruus Severi Imp apud Æl. Spartianum in *Vita* hujus.

Agrippiana Septa, locus Romæ, apud Æl. Lampridium *in Alexandro Sev. Basilicam Alexandrinam instituerat, inter Campum Martium* & Septa Agrippiana, *in latum pedum centum, in longum pedum mille, ita ut tota columnis penderet.*

Agrippina, uxor Germanici, adde: Ejus icon asservatur in Musæo Kircheriano Romæ, ut legitur in *Collegii Romani Soc. Jesu Musæo edito A.C. 678. Amstelodami.*

Agrippus Histrio, cujus meminit Jul. Capitolinus in *Vero, Habuit & Agrippum histrionem, cui cognomentum erat Memphi, quem & ipsum è Syria, velut tropæum Parthicum adduxerat, quem Apolaustum nominavit*: aliis scribitur *Agrippas* seu *Agrippinus*. Sed nomina hæc purè Romana sunt; hic verò histrio de gente Syrorum: Unde & *Memphis* illi cognomentum, & *Agrippus* nomen. Ἄγριππος autem nomen Græcum, sed & Ἀγρίππας potuit dici, aliter tamen libri omnes. An verò *Agrippus* hic idem sit cum Apolausto, cujus mentio in *Inscr.* vet. Romani lapidis, V. infrà.

pro *Agrorum* fructibus, preces ad Deos Ethnici saniores fudisse passim leguntur; quam eandem in rem sacrorum Solennia publicè instituta, Romæ Feriæ Sementinæ, Arvalia (quæ qui curabant, *Fratres Arvales* dicti) alia, ut R. Hospinianus pluribus docet *de orig. Festor. cap. 8. fol. 52. & seqq.* V. quoque Car. Sigonium *de antiq. Jure Civ. Rom. lib. 1 cap. 19.* & Jac. Gotofredum *Dissertat. de interd. Christian. cum Gentil. num. 1. pag. 9.* Sed & messes opimas feracesque vindemias eos à Diis suis petiisse, Arnobius auctor est *adv. Gentes lib. 6.* Istiusmodi precum formula illustris occurrit, apud Ovidium *Faster. lib. I.* ubi curam agrorum Diis, qui (ut isti putabant) iis erant præfecti, commendans, precatur:

Frugibus immensis avidos satiate colonos,
Ut capiant cultûs præmia digna sui.
Vos date perpetuos teneris sementibus auctus,
Nec nova per gelidas usta sit herba nives.
Cùm serimus, cœlum ventis aperite serenis,
Cùm latet, ætheriâ spargite semen aquâ.
Neve graves cultis, Cerealia dona, cavete,
Agmina læsuro depopulentur aves.
— — Crescat semen rubiginis expers,
Nec vitio cœli palleat ægra seges.

Et neque

Et neque deficiat macie, neque pinguior aequo
Divitiis pereat luxuriosa suis.
Et careant loliis oculos vitiantibus Agri,
Nec sterilis culto surgat avena solo.
Triticeos fœtus, passuraque farra bis ignem,
Hordeaque ingenti fœnore reddat ager &c.

V. Tob Pfannerum *System. Theol. Gentil. purior. cap.* 16. § 14.

Aguilara, nomen dominii in Castellano Regno, sub propelo Com. ex familia Arellanorum In hac enim Joann. Ramirus *de Arellano*, gratissimus Henrico II. R. ab ipso, dominiis *de las Cameros, Aguilar* &c. donatus est: in cujus posteris Alfonsus Ramirus Comes I. *de Aguilar* creari meruit; pater Alfonsi Ramiri, qui Dominos *de Clavijo* & *Miraflores* genuit; ac majoris natu Caroli *de Arellano* Com. *de Aguilar*; qui ex Joanna *de Zuniga* Petrum Ramirum suscepit Quo & Annâ cognatâ natus Philippus Ramirus I. pater fuit ex Maria de Zuniga Philippi Ramiri II. qui sibi junxit Joannam Manriciam, atque ex ea pater fuit Joannis Ramiri, Joannæ & Mariæ, Phil. Jac. Spenerus *Theatr. Nobil. Europ. Part. II. p.* 57. & infrà in Familia *Arellana*.

Agula vel *Agala*, moneta in *Gloss.* Arab. Lat. apud du Fresne *Glossar.*

Agulani, recensentur passim à Scriptoribus Rerum Hierosolymitanarum, inter populos, qui Saracenis vel Turcis parebant tùm, cùm Franci Syriam sunt ingressi; Sed an hæc appellatio gentis sit an sectæ, incertum; cùm & illi Publicanis ac Azymitis jungantur, quæ indubiè sectariorum sunt nomina. De *Agulanis* id unicè prodit Guibertus *Gestorum Dei lib* 5. c 8. *Eorum siquidem, quos* Agulanos *appellant, tria numero millia extitisse feruntur, qui neque gladios, neque lanceas aut sagittas, nulla penitùs arma formidant, quia omni ex parte cùm ipsi, tum equi eorum, ferro adoperiuntur. Hi nihil armorum prorsus in bellis, præter enses, usui habent.* Quibus consona refert Robertus Mon. *lib.* 5. & Baldricus *lib.* 5. apud Eund.

Agusta, in libris ante 600. annos scriptis, corruptè pro *Augusta*. Unde oppidum *Famagosta* Hispaniæ, quæ olim *Fama Augusta*. Sic *Arantia*, pro *Aurantiis* &c. V. Salmasium *ad Solinum pag.* 45. & *infrà passim*.

Agylæus Henricus, Nomocanonem Photii Latinè vertit, post Gentianum Hervetum: quæ ambæ versiones Latinè primò prodierunt, sine textu Græco; Sed posterior illa *Agylæi* duplici nomine præ illa Herveti commendatur. Namque & plenior est, utpote ex pleniori exemplari Græco facta; & magis accedit ad stylum Jurisconsultorum. Unde quamvis Græcè & Latinè editus Nomocanon Parisiis primùm est, cum interpretatione Gentiani præfati & *Commentariis* Balsamonis, ex Typogr. Reg. Henricus tamen postea Justellus in *Biblioth. Juris Canon. Vet.* accuratiùs eundem, Græcè itidem & Latinè, ex Interpretatione *Agylæi*, edidit, unà cum iisdem Balsamonis *Commentariis*, additis diu desideratis Photii *Prolegomenis*, ab Usserio Archiep. Armachano & aliis ex *MSS.* citatis: *ita tamen ut quæ in ea deficerent, versione novâ supplerentur; quæ cum Græco non omnimodè congruerent, emendarentur; mutatis etiam nonnullis, quæ minùs propriè in rebus Theologicis viderentur expressa*, ut ipse Justellus ait in *Præfat.* V. Gerhardum von Mastricht *Histor. Juris Eccl. num.* 244.

A H.

Ahori, Græcis Ἄωροι, juvenes dicti sunt, quos ante tempus mors immatura rapit, ut fructus qui acerbi adhuc & immites avelluntur. Babrius,

Τὸν ἴσον ἄωρος ἐκτανόντα τ ζωῆς.

Aliter ἀτάωροι, quod πρὸ ὥρας obeant; cùm πρὸ μοίρας dicantur βιαιοι, qui violento exitu decedunt: Hinc in Magicis sacris differentia τῶ Βιοθανάτων & τῶ Ἀώρων. Tertullianus *de Anima, Aut optimum est hic retineri secundùm* Aoros, *aut pessimum secundùm Biothanatos, ut ipsis etiam vocabulis utar, quibus auctrix opinionum istarum Magia sonat, Ostanes & Dardanus & Damigeron & Nectabis & Berenice. Publica jam literatura est, quæ animas etiam justâ ætate sopitas, etiam probâ morte disjunctas, etiam promtâ humatione disjunctas evocaturam se ab inferûm incolatu pollicetur.* Opinio n. multorum fuit, non receptos Inferis, qui funere acerbo prærepti essent, nec eos, qui violento genere mortis erepti forent, nec illos, qui sepulturæ honore caruissent, sed animas solùm maturâ ætate solutas & supremitatis honore donatas. Et quidem *Aoros* tam diu in superis errare ac vagari credebant, donec in morte reliquum tempus exegissent, quod in vita non impleverant. Horum autem, ut & βιοθανάτων animas solas in Necyomantia magicis artibus evocari quidam opinabantur, quia de propinquo evocarentur, nec avellendæ essent ex intimis Inferorum sedibus. Aliam reddit rationem idem Scriptor *Quòd credibile videatur, eas potissimùm animas ad vim & injuriam facere, quas per vim & injuriam sævus & immaturus finis extorsit.* Sic *Aori* diversi à Biothanatis; aliquando tamen in eundem hominem concurrit & violenta mors & immatura, ut simul ἄωροι sint & βιοθάνατοι; quemadmodum de Didone Virgilius,

Sed quia nec Fato, meritâ nec morte peribat,
Sed misera ante diem.

Quodnam verò illud tempus sit, ante quod qui decedunt, πρὸ ὥρας decedunt, aliaque huc pertinentia, V. apud Salmasium *ad Solinum pag.* 1119.

A I.

Aja, Ins. Galliæ in Aquitania, cellam olim habuit, ad Cluniacum pertinentem. Vulgò, *Isle d'Ais*: estque in Oceano Santonico ac Diœcesi Santonica, non multùm dissita à Castro Allione, *Castel Aillon*. V. Hadr. Valesium *Not. Gall. in voce Oja*.

Aja, apud Hebræos accipitris species est, quam Vett. *Æsalonem*, Germani *Smirle*, Galli *Esmerillon*, appellant. Nomen ei à clamore; uti enim aquilarum clangere est, milvorum jugere vel lipire, accipitrum pipare & crocitare corvorum: ita *Jaja* secundùm Arabes, hujus avis proprium est, unde ipsa Hebræis dicta videtur איה, *Aja*. Quod minimè novum esse, docet Varro *de L. L. lib.* 4. *Pleræque* (aves) *à suis vocibus, ut hæ, upupa, cuculus, corvus, hirundo, ulula, bubo: item hæ, pavo, anser, gallina, columba.* Inter Accipitris sacri species tertio loco recensetur Damiri, de quo fic inter alia: *Quidam nomine Behram Giur primus eum ad venationem adhibuisse dicitur. Cùm sc. eo præsente avis hæc alaudam insequuta fuisset, & ei colluctata, cum illa sese efferens & demittens, nec relinquens, donec cepisset: id ille admiratus avem erudiri jussit & postmodum ad venationem eâ usus est.* Alberto *lib.* 23. *cap.* 14. quantitate *minimus est* (inter accipitres) *nulli tamen animo & audaciâ cedit* &c. *Itaque Guilielmus Falconarius refert, se harum avium aliquando operâ gruem cepisse. Alioquin enim alaudas & similes aves tantùm capere potest.* Sed oculorum inprimis perspicaciâ pollet, unde si quis vivaces oculos habet & maximè perspicaces, eum vulgato adagio *Smerillonis* oculos habere Galli dicunt; quia tales hæc habet avis. Et Arabum quoque Poetæ oculos sui *Juju* multùm commendant. In quibus Anonymus apud Damirem, *Juju celer & pernix, cujus oculi sunt verè fuaves & pupillæ tanquam torno expolitæ, plusquàm sapphirus.* Et Abu NaWas, *in libr. de Aucupiis*, de eadem ave verba faciens, id ipsum mirè laudat verbis, quæ in hocce distichon compegit Bochartus, *Hierozoici seu de Animalibus S. Script. Part. II. lib. II. cap.* 10.

Cassus atque oculis nunquam fallentibus usus,
Et quod venator non videt, ille videt

Unde de ejus oculo legimus Jobi *cap.* 28. *vers.* 7. *Semitam non novit avis, neque eam vidit oculus ajæ.* Ubi de fodinis agit, unde hominum industriâ metalla eruuntur: quæ cùm in intimis terræ visceribus lateant, *harum semitam*, inquit sacer Scriptor *non novit Ajis*, id est, avis non quævis, sed *avis rapax*, quod genus multo perspicacius est. Hæc in priore disticho, & in altero huic parallelo, *Neque eam vidit oculus τοῦ aja*, id est, *smerillonis*, licèt illa avis inter rapaces etiam oculatissima sit, & tam cernat acutum, quàm aquila, aut serpens Epidaurius, &c. Plura hanc in rem V. apud Auctorem præfatum.

Ajax alter, Maximinus, qui postea Imperator, à militibus ob fortitudinem cognominatus est. Jul. Capitolinus *in Maximinis*, *Tunc ille à militia discessit & tamen retentus est per amicos Heliogabali, ne hoc quoque illius famæ accederet, quòd virum temporis sui fortissimum, & quem alii Herculem, alii Achillem, alii* Ajacem *vocabant, ab exercitu suo dimoverit.*

Aila, adde: Græcis enim variè scribitur, Ἀιλα, Ἀιλανα, Αἰλανα, Ἔλανα. Ἀιλαν oc. t Glauco *in Arabicis* & Strabo *libr* 16. Hinc sinus Αἰλανίτης, & Ἀιλα quoque: qui Ἐλανίτης aliis, & pop. Ἐλανῖται. Avienus de sinu Arabico,

Et tamen Eoos paulum inclinatur ad axes,
Usque in belligeri confinia flexus Elani:

Quem sinum inter Syriam & Arabiam Felicem intimum fundi scribit Dionysius; *Syriæ* nomine Arabiam Petræam intelligens, quæ Syriæ sive Judææ contermina est. Episcopi *Ailensis* Petri, in Concilio Nicæno mentio fit. V. plura de hac Urbe ac sinu inde denominato, apud Salmasium *ad Solinum pag.* 482.

Ailath Urbs, quæ *Aila*.

Ain, idem cum *Carolo*. Flor. Wigorniensis *pag.* 590. de Ludovico Balbo R. Franc. *Pater sibi uxorem Adelheidam conjunxit, quæ post mortem Viri genuit filium nomine* Ain, *id est, Carolum.* Quò fortè & ista Alcuini pertinent, de quodam Anglo-Saxonum R. Poem. 3

Tertius accepit sceptrum regnator opimum,
Quem clamant 'N *incerto cognomine gentes,*
Qui nunc Imperium Saxonum jure gubernat.

V. Car. du Fresne *in Glossar. & Appendice.* An vox *primogenitum* sonat? *Ainescia* certè pars hæreditatis, quæ ad primogenitum, ætatis privilegio, pertinet, dicitur, apud mediæ ætatis Scriptores; & Gallis *Aisné*, primogenitus est. V. infrà de *Primogenitis*.

A K.

Aketon, apud Thom. Walsinghamum in *Eduardo* III. *Induitus autem fuit Episcopus quadam armaturâ quam* Aketon *vulgariter appellamus*: Sagum militare est, quod alias *Gambezonem* vocabant, ex Gall. *Hoqueton* aut *Hauqueton*; seu potiùs ex Cambrico-Britannico

tannico *Aëlvam*, lorica, dupla, duploides, apud Boxhornium: *Hoqueton*, ex Gr. Χιτὼν, dictum vult Perionius. Eadem notione *Acton* occurrit, in *Statutis primis* Roberti I. Scot. R. apud du Fresne *Gloss.*

A L.

Ala, tabella, in qua juxta Græcorum ritum erat forma ordinationum scripta, quæ incipit, *Divina gratia*, &c. Patriarcha verò manu sinistrâ *alam* accipiens, legit. in *Archieraт. part* 7. apud Macrum *Hierolex.* Alia vocis notio est, in *Telonco* Monasterii S. Bertini, *Omnis vasculus sive vini, sive cerevisiæ, sive alæ — dabit* 2 *den.* Hic enim cerevisiam notat, Danis, ut auctor est Pontanus, *Oel*, & Anglis *ael* vocatam: Unde *Godale* Teutonum, quasi *Good ael*, proba cerevisia, in *Regesto* Cameræ Comput. *sign* 123. *fol* 10. *Foragia Godalarum seu cerevisiarum, quæ nos Episcopus habebamus in villa Tornacensi, unà cum jure ad nos Episcopum ratione dictarum godalarum spectante*, &c. apud C. du Fresne *Glossar* in voce *Celia.*

Alabaster, apud Plinium de rosa *cap* 21. *v.* 4. *Quo mox intumescentes & in virides* alabastros *fastigato, paulatim rubescens dehiscit ac sese pandit in calices, medio sui stantes amplexa luteos apices*; Floro pyramis est, qui etiam *calathos*, quos ille *calices*, vocat:

> *prima dies ostendit spicula florum,*
> *Altera Pyramidas nodo majore tumentes,*
> *Tertia jam calathos.*

Nempe rosa primùm in *alabastros* fastigatur, dein in calices se pandit. Salmasius *ad Solinum pag.* 102.

Alabastra, Græcè Ἀλάβαστρα & Ἀλαβάστρων πόλις, oppidum Ægypti, in Arabica & Orientali ejus parte; *Alabastrum* quoque: quod in eo *alabastri* formarentur ex lapide, qui vicinis in montibus cædebatur. Fuere autem *alabastri* unguentaria vasa, ex onyche lapide, quem ἀλαβαστρίτην etiam inde appellarunt, quòd in alabastros cavaretur, facta. Salmasius *ad Solinum pag.* 558. ubi Phrygiæ urbem falsò a quibusdam hoc nomine insignem adstrui, addit. Hinc *Alabastris* reg. apud Epiphanium Vide hic infrà.

Alabastrum propriè idem est, quod φορεῖον vel φέρετρον, vas vel instrumentum alicui rei gerendæ ac sustinendæ aptum, Atticè ἀλάβαστρος, pro ἀλάβαστρον. Unde & ἀλάβαστροι perticæ vel fustes gerendis oneribus accommodæ; & ἀλάβαστοι: vasa quoque unguentaria & inde lapis *Alabastrites*, qui & onyx, candidus & mellei coloris est, & in vortices maculosus. Isidorus. *Alabastrites lapis candidus intersinctis variis coloribus.* Cui, quantum ad varietatem colorum, Synnadicum marmor simile facit Strabo, columnas ex eo monolithas tradens, παραπλήσιοι τῷ ἀλαβαστρίτῃ λίθῳ κατὰ τὴν ποικιλίαν. Fuit autem Synnadicus lapis candidus, sanguineis vel rubris maculis interstinctus; ob hanc proin macularum similitudinem & quòd in eundem usum converteretur, *onychites* quoque ac *alabastrites* dictus. Ex eo veteres vasa excavabant, & eodem nomine appellabant, postea verò cùm è vitro aliave materia ejusmodi vascula confici cœpissent, etiam hæc *Alabastra* dicta sunt, prorsus ut *pyxis* dicebatur etiam aurea ac argentea, teste Seneca; quæ tamen propriè è buxo fiebat, & nomē à re invenerat Sic quum *æris* antiquior notitia fuerit atque usus, quàm ferri, ejus appellatio etiam ferro tributa est, & ut eleganter Grammatici Græcorum dicunt ὁ σίδηρος χαλκὸς καλεῖται ἀπὸ τοῦ χαλκοῦ ἰσχύοντος. Sic ἀνδριὰς, βιβλίον, πίναξ, aliaq; sexcenta. Proin rectè Epiphanius, communem usum respiciens, ἀλάβαστρον μύρου è quo, in Evangelica Historia, Dominus unctus est, ξεστὴν ὑάλινον, id est, *urceolum vitreum unguenti*, interpretatur. Similiter enim Etymologici M. Auctor, postquam dixisset, ἀλάβαστρον esse ἀγγεῖον λίθινον ἐν ᾧ μύρον ἀπετίθετο, *Alabastrum esse vasculum lapideum in quo deponebantur unguenta:* addit mox ἢ ὑάλινον, ἢ μυροθήκη, *vas è vitro, vel unguenti repositorium*; è qualibet materia. Confirmat sententiam Epiphanii, quòd Marcus expressè notat, id vas, quando unctus est Dominus, fuisse confractum: καὶ συντρίψασα τὸ ἀλάβαστρον κατέχεεν αὐτοῦ τῆς κεφαλῆς; quod si observasset *Annalium* Auctor, intellexisset planos fuisse atq; impostores, qui olim Constantino vas unguentarium venditârunt, quasi illud ipsum esset, è quo Christus fuerat unctus. Nam præter lapidis, aut potiùs vitri fragmina, nullæ potuerunt antiqui illius *Alabastri* esse reliquiæ. Unde à Theodosio M. vas illud, velut adulterinum, è medio sublatum esse, memorat Suidas: Κάτωθεν τοῦ φόρου βικίον μύρου ἀλείψαν τὸν Χριστὸν καὶ πολλὰ ἕτερα παράδοξα, ταῦτα μὲν παρὰ Κωνσταντίνου τοῦ μεγάλου, ἀφανισθέντα δὲ ὑπὸ τοῦ μεγάλου Θεοδοσίου. *In parte inferiori Fori erat vas unguenti, quo est unctus Christus, & multa alia miraculosa monumenta, à Magno quidem Constantino eo loci posita: sed à Theodosio Magno deleta.* Vide Isaac. Casaubonum *Exercitat.* 14. Neque verò potoria solùm & unguentaria vasa, sed etiam columnæ ex *Alabastrite* lapide fiebant & pavimenta. De columnis vide Plinium, qui plures & ampliores se vidisse fatetur *lib.* 36. 8 & 37. *c.* 22. De pavimentis Lucanus,

> — *Stabatq; sibi non segnis Achates,*
> *Purpureusque lapis, totaque effusus in aula*
> *Calcabatur onyx.*

Ubi ex achate & porphyrite lapide columnæ, ex onyche pavimenta, &c. Cum autem varii coloris fuerint *Alabastritæ*, viliores candidi habebantur, contrà probabantur quàm maximè mellei coloris, in vortices maculosi atque non translucidi, uti videre est apud eundem Plinium. Optimi è Carmania veniunt, pessimi è Cappadocia, &c. V. Salmasium *ad Solinum p.* 558. & *seqq.* Hodie *Alabastrum* vocatur genus candidissimi marmoris, quale Parium est vel Lygdinum, non à candore, sed ab unguentorum alabastris, quasi *alabastrum*: Huic enim rei plurimùm inserviebat & inter alabastritarum genera etiam candidum reperiebatur. Formam verò *Alabastri* unguentorum quod attinet, non malè ea referebant formam balani productioris vel φοινικοβαλάνου Zosimi (quod Arabibus dici ait *Natif*) seu inaurium, quæ Græcis ἐνώτια dicta. Quâ formâ etiam uniones reperiuntur, velut guttæ aquæ cadentes & tractim suum pondus sustinentes, &c *ibid. p.* 1314

Alabons, locus in itinere à Mediolano, per Alpes Cottias Arelate, Vapincum inter & Secusteronem, memoratus Æthico, nunc vulgò *Talart* dicitur, Simlerus, V. & Valesium *Not. Gall.* Ecclesia ejus ad Mon. Lugdunense *apud Insulam Barbaram*, Gregorio Tur. Epitc. celebratum pertinet.

Alacris mons, vulgò *Alibermont*, in Caletis, Galliæ regione, prope Arcas, sylvâ amœnissimâ ejusdem nominis clarus: à quo tres vici S. Nicolai, S. Jacobi & B. Mariæ, *Alacris montis* nomine censentur, Hadr. Valesius *Ibid.*

Ala, in avibus, quod in piscibus pinnæ; in navibus remi, qui inde occasione sumtâ quoque reperti sunt. Hinc ob *alarum* velocitatem Accipiter ventorum symbolum & Soli olim sacer fuit. Imprimis verò columbarum *alæ* celebres quas proin sibi David optat *Ps.* 55. *v.* 7. ut celeri fugâ se subducat ex imminenti periculo. Ubi R. Kimchius notat *Reliquas omnes aves, cùm volando fessæ sunt, super petram aut super arborem fugere & capi: sed columbam cùm est fessa, alarū unam comprimere, & alterâ volare, sicque evadere nec capi*, apud Bochartum *Hieroz. part. post. l.* 1. *c.* 2. &c. Earum motum maximè observatum in auguriis & auspiciis notum. Unde Propertius *lib.* 4. *Eleg.* 1.

> *Hoc neque arenosum Libyci Jovis explicat antrum,*
> *Aut sibi commissos fibra loquuta Deos.*
> *Aut si quis motas cornicis senserit alas,*
> *Umbraque nec Magicis mortua prodit aquis.*

Plaudunt autem propriè, cum *alis* aves. Virgil. *Æn.* 5.

> *Jam vacuo lætum cœlo speculatus & alis*
> *Plaudentem nigra figit sub nube columbam.*

Quæ vox postea in scenam translata. Vide Gasp. Barthium *Animadvers. ad Statium* 3. *Thebaid.*

Alæ Æxonides, locus Atticæ, ad Tribum Cecropidem pertinens, haud procul Athenis, prope Æxonem, unde ei nomen. Græce Ἁλαὶ Αἰξωνίδες, unde Ἁλαιεύς, qui de hac demo. *Inscr.* Athenis, in theatro Bacchi,

ΝΙΚΩΝ
ΛΥΣΙΟΥ
ΑΛΑΙΕΥΣ.

V. quoque *Inscriptiones* Gruteri, laudatas Sponio *Itiner. Græc.*

Alæ Araphenides, Græcè, Ἁλαὶ Ἀραφηνίδες, locus itidem Atticæ, pars Ægeidis tribus, Braurone, & Marathone non procul, ubi Templum olim & statua Dianæ Tauricæ, cujus meminere Euripides & Callimachus. *Ibid.*

Alæ Cursorum, occurrunt primùm apud Spartianum in Ælio Vero Imp. ubi *Cursoribus suis exemplo Cupidinum alas apposuisse, eosque ventorum nominibus sæpe vocitavisse, Boream alium, alium Notum, & item Aquilonem aut Circium, cæterisque nominibus appellans*, legitur Erat tamen jam ante Militum πτεροφόρων, id est, *pinnigerorum* seu *pinnirapórum* ordo, quibus Impp. & Præsides provinciarum, pro tabellariis cursoribusque utebantur. de quibus vide quæ scribit Casaubonus *ad Suetonium lib.* 2. Allusit huc eleganter magnus Rhetor Aristides *Panegyr in Roman*, ubi postquam dixit, Romanum Imp *universum Orbem* literis regere sedentem, addit: Αἱ δὲ ἐπιστολαὶ μικρὸν ὕστερον ἢ γραφῆναι καὶ παρῆσαν, ὥσπερ ὑπὸ πτηνῶν φερόμεναι, *Literæ verò vix scriptæ sunt, cùm jam ad volarunt, velut alis perlatæ.* Sed de hac re plura infrà passim, imprimis ubi de *Pinnis* & *Pinnatis literis.*

Alæ Draconum, Vide infrà. *Alati Dracones.*

Alæ in Templis, propriè sunt ad latera Ædis, columnarum ordines sive porticus, apud Vitruvium, Unde hodieq; columnata Templorum latera *Alas* Galli vocant, *les Ailes des Eglises.* Strabo parietes sic vocat, qui utrimq; pronaum circumcludebant, de Templo quodam apud Thebas Ægyptias: Τοῦ δὲ προνάου καθ' ἑκάτερον πρόκειται τὰ λεγόμενα πτερά, ἔστι δὲ ταῦτα ἰσοϋψῆ τῷ ναῷ τείχη δύο. Sed Vitruvius περίπτερον, *alis circundatum* id tantùm genus ostendit, quod columnas in fronte & postico & circa ædem utrinque haberet. Aliàs περίπτερος ναὸς, etiam Græcis dictus est, qui in circuitu deambulationes haberet, quas πτερώματα Græci appellavere, &c. V Salmasium *ad Solinum pag* 1218. & infrà passim.

Alæ in Vestibus, Græcis πτερὰ & πτέρυγες, anguli dicuntur, seu γωνίαι, cujusmodi duas ab utroque latere pallium habebat, in parte inferiori, duas in superiori, inde *quadrangulum* vel τετράγωνον: Propriè tamen sic vocabantur anguli, qui circa imum vestis, ab *alarum* similitudine. Aperti siquidem & divisi in medio vestimenti partes ab utroque latere fluitantes, avium alas haud malè referunt; ut in amiculis Spartanarum Virginum & tunicis Carthaginensium quadratis. Unde Servus Plautinus in *Pœnulo* quendam sic tunicatum, *avem*, ab hujusmodi *alis* appellat,

> *Sed quænam illæc avis est, quæ cum tunicis huc advenit*, &c.

Vide infrà in voce *Pterygia.*

Alahgabal, nomen Syriaci idoli, unde Antoninus Heliogabalus Imp. Rom. nomen habuit. Scaligero & Casaubono signi-

ficat *Deum montis*, sed cujus montis ille Deus fuerit, aut à quo monte ita sit appellatus, non explicant satis. Quòd enim Casaubonus sic fere Carmelum Deum fuisse dictum illud idolum, quod in monte Carmelo positum erat, opinatur: Sed ubi mons *Gabal* aut *Gabalus*, à quo nomen acceperit hic *Alagabalus* Deus? Scaliger itaq; volebat, Deum istum peculiare Gabalitarum nomen fuisse sed ratione caret, Deum, quem Emisseni colerent, *Gabalitarum Deum*, fuisse appellatum: & tutelare Numen Gabalitarum dici, quod in Emissena Urbe templum haberet. Fuit autem *Alagabalus* peculiaris Emissæ Deus, & in ea urbe Heliogabalus, qui Emissenus quoque erat, ejus Sacerdotem egit. Nempe Emisseni Solem colebant in montis effigie, quem montem cœlo delapsum credebant, hinc *Alagabal* dictus Sol apud illos, quasi *Deus mons*. Ejus enim simulachrum erat ingens rude saxum ac impolitum, in modum plane montis vel rupis. Herodianus, λίθος ἐστι μέγιστος κάτωθεν περιφερής, λήγων εἰς ὀξύτητα· κωνοειδὲς δὲ αὐτῷ σχῆμα, διοπετῆ δὲ αὐτὸν σεμνολογοῦσιν, ἐξοχάς δέ τινας βραχείας καὶ τύπους δεικνύουσιν. *Lapis est ingens, inferiore parte orbicularis, sed in acumen fastigiatus, coni autem ei figura est. Credunt eum cœlitus delapsum, & eminentias quasdam breves ac typos ostendunt.* Quæ planè montis seu monticeili effigies. Sequitur, Εἰκόνα δὲ Ἡλίου ἀνέργαστον εἶναι θέλουσιν οὕτω βλέποντες, *Iconem Solis non elaboratam esse volunt. sic aspicientes, &c.* Extructum autem in præfata urbe Idolo huic templum magnificentissimum est, à Phœnicibus. Unde Festus Avienus, ubi urbis hujus meminit, inter alia,

Denique flammicomo devoti pectora Soli
Vitam agitant. Libanus frondosa cacumina turget,
Et tamen his certant summi fastigia templi

Et quidem non extra Urbem, ut quibusdam doctis visum; sed in ipso Urbis meditullio. Vopiscus in *Aureliano*, *Emessam victor Aurelianus ingressus est, ac statim ad templum Heliogabali tetendit, quasi communi officio vota soluturus. Verùm illic eam formam Numinis reperit, quam in bello vidit sibi faventem. Quare & illic templa fundavit* — *& Romæ Soli templum posuit, majore honorificentiâ consecratum, &c.* Solem enim, non Jovem, ut nonnulli voluerunt, hoc nomine ab Emissenis cultum esse, lapides docent, in quibus conjunctim, SOL. ALAGABALUS, nominatur: nummi item, quorum hæc inscr. SACERD. SOLIS. DEI. ELAGAB. & Dio ac Herodianus Ἥλιον sine ulla dubitatione interpretantur. E qua ipsa voce discimus, plerasque Orientis gentes, sed præ reliquis Emissenos, Solem præcipuo cultu olim veneratos esse. Ut enim Athenienses τὴν Θεὸν simpliciter cùm dicerent, Minervam intelligebant; sic isti Solem communi nomine אלה *Deum* dixerunt. In unaquaque autem urbe peculiare cognomen habebat: Sicut enim Emissenorum *Elagabalus* fuit; sic Palmyrenorum *Malachbelus* & *Aglibolus*, Babyloniorum *Belus* aliarum gentium hoc Numen aliter dictum est. Eidem *Alagabalo* Heliogabalus Imp. jam factus, qui priùs in urbe Emissa sacerdos ejus fuerat, in eo loco vel vico, in quo olim fuerat Faustinæ Templum ab Antonino Marco fundatum, templum sumtuosissimum extruxisse, legitur apud Spartianum, in *Caracalla*. V. infrà in voce *Alala*: & plura in hanc rem apud Casaubonum & Salmasium *ad Lampridium in Heliogabalo*, & Flav. Vopiscum *in Divo Aureliano*; ut & in vocibus *Elagabalus* & *Heliogabalus*.

Alala, vicus sub Tauri montis radicibus, in quo Faustinæ primùm templum à Marco Antonino; postea Alagabalo Deo aliud ab Heliogabalo jam Imp. factum est. Spartianus in *Antonino Carac. sub finem*: *Habet templum — in quo* (loco) *postea filius hujus Bassiani Heliogabalus Antoninus sibi, vel Jovi Syrio, vel Soli (incertum enim id est) templum fecit.*

Alamandina, seu *Alavandina*, apud recentiores, gemmæ sunt, quæ *Alabandinæ* olim dictæ, ab *Alabanda*, Cariæ urbe, de quib. Plin. *l.* 37 *c.* 2.

Alamanni, seu *Alemanni*, non una Germanorum gens, sed convenæ ex variis gentibus collecti. Quibusdam quasi *Alman* i.e. *toti viri* dicti sunt: alii sic appellati videntur ab Hercule Alemanno, quem à Germanis antiquitus cultum Historiæ testantur; cujus idolum *Almoun*, in Augia maj. insula prope Constantiam servatum diu fuit, donec Maximiliani I. Imp. precibus Oenipontem translatum est. Sunt etiam, qui à *Manno*, Tuisconis filio, nominis arcessunt originem. Sed non tanta ejus antiquitas, creditùrque ortum circa A.C 200. cùm Antoninus Caracalla *Alamannicus* jam dicatur, circa A.C.214. apud Æl. Spartianum. Primùm autem hoc nomen sumsere, circa Hercyniam sylvam, habitantes Germani, qui consilia de Romanorum jugo excutiendo agitantes, mox socios nacti sunt Rheni accolas, Vindelicos item & ex parte Helvetios, quos sub Rhætia provincia ulteriùs contineri fastidium cepit. Hi itaq; postquam in unum coierunt, neque ulla harum gentium nomine suo decedere vellet, communiter se *Alamannos*, quasi *Aller Manner*, appellavere. Paulo pòst longè lateque nomen eorum & potentia excrevit, circa utramque imprimis Acronii lacus ripam: & pars ea Vindeliciæ, quam Alamanni Romanis eripuerunt, *Alemanniæ* nomen adoptavit, quod Helvetiæ quoque contigit, quam Rusâ fluv. tenus in potestatem redegerunt: Romanis perpetuò infesti, quorum arces hinc inde in Helvetia imprimis, non paucas subverterunt, circa A.C.300. Sed victi postea à Constantino Chloro, prope Aventicum, trans Rhenum retrocesserunt, arcibus à victore, quò aditu arcerentur, magnâ curâ refectis. Ab eo tempore aliqua quies, imò & Erocus, Rex eorum, in aula Constantini honoratus degit, circa A.C.309. verùm mox rebellantes, à Constantino M. iterum domiti sunt brevi. Cum hujus dein filio Constantio, Gunnomado & Vadomario fratribus, Alamannorum Regibus, res primò, dein fœdus fuit. Donec, ob crebras irruptiones, Alamannis Lintsgoviam Sueviamque incolentibus, bellum indixit, illosque ingenti prælio superatos denuo repressit, circa A.C.357. Nihilominus Lugdunum usque paulò pòst excursione factâ, in reditu intercepti & magna ex parte à Ducibus Constantii cæsi sunt, circa A.C.360. quo tempore primùm vicos suos, cæsis arborum ramis, munire cœperunt. Sed Barbetione, uno ex Ducibus Rom. post hæc superato, animos resumsere, septemque illorum Reges, Chonodomarius, Vestralpus, Urius, Ursicinus, Serapius, Suomorus & Hortarius, junctis viribus Rhenum transgressi, Alsatiam rapuere, à Juliano prope Argentoratum acie superati, & Chonodomario capto, Vadomarium quoque victor paulo pòst in Helvetico solo deprehensum cepit, atque in Hispaniam relegavit. Hinc iterum quies, donec in Alsatiam de novo irruptione factâ, à Gratiano Imp. sunt repulsi. Post Valentinianum III. tandem *Alamanni*, victis Romanis, in Helvetia firmum fixere pedem, & genti Gallicæ mores linguamque suam miscuere. A quo tempore Helvetia, in *Burgundicam* (nam Burgundiones sub Honorio Helvetiam ingressi, alteram ejus partem suam fecere) & *Alamannicam* dividi cœpit: obtinueruntque hi pop. duas regionis totius partes, ab ortu Rusam fl. versùs; in quibus Turgovia, Pagusq; Tigurinus, *Pagi Alemannici* nomine diu celebris: & urbes Aventicum, Bada, Cæsaris Solium, Certiacum, Vitodurum, Constantia, Arbor felix, &c. utramque gentem Rusâ seu Ursâ fluv. dirimente. Seqq. temporibus à Chlodovæo Francorum R. prælio ad Tolbiacum victi & sub jugum redacti sunt. A.C. 499. è cujus filiis Theodoricus Franciæ Or. ac *Alamanniæ* Rex salutatus est, quo titulo alii quoque, qui ei successere, usi sunt. Sub Childeberto R. Luithfridus Dux Sueviæ & *Alamanniæ* creatus est: cui Uncelinus, sub finem seculi 6. Sigebertus A.C.630, aliique successere, inter quos Dietboldus, Odiloni Bavar D. junctus, Francicum jugum, sed frustra, excutere conatus est. Carolinorum dein familiâ declinante, à Conrado Imp. A.C.916. Burcardo I. Ducatus concessus est: quo in Italia cæso, Hermannus I. ei est suffectus: quem excepere gener Ludolfus Saxo A. C. 948 Burcardus II. A. C. 957. Otto fil. Ludolfi A.C.966. Conradus A.C.982. Hermannus II. qui Sueviæ, *Alamanniæ*, ac Alsatiæ Ducatum tenuit, A.C.997. Hermannus III fil. A.C. 1004. Ernestus I. A.C.1012. Ernestus II. fil. A.C.1020. quo extincto A.C 1038. sub Henrico III Imp. Ducatus *Alamanniæ* Sueviæque Imperio est unitus. Quæ post hæc gesta, Vide apud Stumpfium *lib.* 4. *de Helvetia*: & plura de gente, apud Ammianum Marcellinum, Procopium *Hist. Goth.* Herm. Contractum *in Chron.* Fredegarium, Aimoinum, Walafridum Strabonem, &c.

Alamannicus, cogn. Antonini primùm Caracalli Imp. de victa ea gente. Æl. Spartian. in *Vita* ejus, *Quum Germanici & Parthici & Arabici & Alemannici* (scribe *Alamannici*, ita enim perpetuò Græci Ἀλαμαννοὺς) *nomen adscriberes, nam Alemannorum gentem devicerat.* Ita Aur. Victor de eodem. *Alamannos gentem populosam, ex equo mirificè pugnantem, devicit.* Atque hæc antiquissima hujus gentis in Historia Rom. mentio est: Nam id nomen ante hæc tempora obscurum, aut penitus ignotum, nedum quidem in magna celebritate versabatur. Quam ob causam scribit Fl. Vopiscus in *Proculo Tyr. Nonnihil tamen Galliæ profuit: nam Alemannos, qui tunc adhuc Germani dicebantur, non sine gloriæ splendore contrivit.* Ubi in eo quidem errat Vopiscus, qui *Alamannorum* gentem, seu nomen potius, ante Proculi tempora innotuisse negat; inde tamen rectè hoc colligas, nondum tum temporis fuisse multum celebre. At ipsius Vopisci ævo notissimi erant: ut de quibus multa Ammianus Marcellinus in Constantini rebus & seqq. Augustorum. Sic Arnobius, æqualis Scriptor, aut natu non multo Vopisco grandior, eorum meminit: *Si Alamannos, Persas, Scythas idcirco voluerunt devinci, quòd habitarent & degerent in eorum gentibus Christiani.* Nisi fortè hoc ita concilies, ut dicas, multo quidem ante Proculum de nomine cognitos fuisse *Alamannos*, sed pro certa duntaxat Germanorum gente, quam prope Mœnum Caracallus devicit: postea verò, & non nisi demum post Proculum, ab hac populosa gente toti Germaniæ nomen inditum, ita ut Germani omnes *Alamanni* dicerentur quod nondum factum erat, cùm Proculus Imperium arriperet. Casaub & Salm. *d. l.*

Alaminus, nomen officii, apud Saracenos, de quo sic Vitalis Ep. Oscensis *de Magistratibus Saracenorum Hispan. Est etiam inter Saracenos Officialis, qui* Alamin, *id est, fidelis, linguâ Arabicâ appellatur, qui debet causas minimas, non excedentes duos solidos terminare, & exercet in Curia Zavalachen apparitoris officium vel sagionis. — Ideo dictus Fidelis, quia fideliter debet jura Regis perquirere*, apud C. du Fresne *Glossar.*

Alani, adde: De illis sic Valesius. *Alani* Scythica gens, Tanais antè, tum Danubii accolæ, exciti à Stilicone unà cum Vandalis in Galliam sese effudere. Præerant iis Goar & Respendial Reges: è quibus Goar ad Romanos cum suis transiit, ac in Gallia remansit, ubi Jovinum Mogontiaci Imperatorem salutandum curavit. Reliqui adjunctis Vandalis & Suevis, ductu Respendialis, Hispaniam intrarunt, A.C.409. Qui in Gallia remansere, Valentiniani Principatu, in duas partes videntur esse divisi, & alteri ad Ligerim, alteri ad Rhodanum, in agro Valentino, sedem cepisse, hi Sangibano, illi Eocarico R. parentes. Certè Constantius de Vita S. Germani [illegible] ferocissimum

cissimum Alanorum Regem ac idolorum cultorem vocat, & cum equitibus suis ferratis ad coërcendos Armoricos rebelles ab Aëtio missum esse dicit; quem idem fortè cum popularib. circa ripam Ligeris collocavit, ut metu finitimorum Barbarorum Armorici in fide continerentur. Hi postea se ita Britannis, in tractum Armoricum transgressis, immiscuere, ut multi Britannorum Reges ac Duces præter cæteros *Alani* vocati sint, nec ullum hodieque in ea provincia notius sit nomen. Nec alios Alanos designare voluit Sidonius *lib. 4. epist. 1.* quum *paludicolas Sicambros* i. Francos, *Caucasigenas Alanos & equimulgos Gelonos*, viz. Taifalos memorat: quorum ferociam ti... eri à Gallis ait, stoliditatem belluinam ineptientium ac subitò sine causa irascentium rideri atque contemni. Alteri Alanorum parti præfuit Sangibanus vel Samgiba, quem Prosper scribit, tractum Valentinum desertum ab Aëtio locum dominii accepisse, & an. 442. resistentes possessores agris expulisse: & quem Aurelianos. ubi cum Alanico præsidio erat ab Aëtio positus, Attilæ tradere voluisse, ac instructâ acie adversùs hunc, tanquam virum suspectum, in medium agmen unà cum suis collocatum esse. tradit Jornandes. Iidem cùm finitimam partem Galliæ incursionibus postea vastarent, Majorianum Aug. expeditionem in illos parantem, à suis interfectum esse, idem est auctor. Hactenus Valesius *Not. Gall.* De primis Alanorum sedibus, ita Procopius Cæsar, *Goth. Hist. lib. 4. Quidquid terrarum de Caucaso ad Portas Caspias extenditur, Alani tenent, gens libera & Persis plerunque socia in Romanos hostiumve alios.* Idem *Hist. lib. 1.* Scirros & *Alanos*, Gothicam nationem facit. Vid. Hug. Grotium *Hist. Suecorum, Gothorum & Vandalorum.*

Alanicus, inter cognomina Justiniani Imper. sic dicti ab *Alanis* devictis: quos Ptolomæus in parte Scythiæ collocare videtur. Capitolinus, in Daciæ parte; Josephus, inter Tanaim & Mæotidem; Plinius & Marcellinus in Sarmatia Europæa. Joh. Calvinus *Lexic. Jurid.* Cum horum Rege Pharasmane, qui *de imminutis stipendiis querebatur*, non sine motu, pacem composuisse Adrianus Cæs. legitur apud Spartianum. Jam nempe à Domitiano malum id in Remp. introductum est, ut annuis muneribus gentium barbararum pacem redimerent Romani: quod perniciosissimum exemplum retinuere omnes deinceps Principes in utroque Imperio. Sed consuluerunt existimationi suæ Rom. Impp. utcunq; , cùm pensionem ejusmodi annuam, quæ verum erat tributum, honestiore vocabulo *stipendium* nominarunt, aut *munus*: Herodianus *συντάξεις*. Eosdem dein *sæpe molientes refrænavit* Antoninus Pius, apud Jul. Capitolinum. Cum iisdem postea & Marco Antonino res fuit; apud Eund. *Gentes omnes ab Illyrici limite usque Galliam conspiraverant, ut Marcomanni, Narisci, Hermunduri — Rhoxolani, Bastarnæ*, Alani, *Peucini* &c.

Alanus, Episc. Autissiodorensis, inter auctores *Collectionis Decretalium* secundæ. Hujus enim tres memorantur Auctores, Gilbertus & *Alanus*, qui Bernardum Circam imitati, collegerunt Decretales eorum Pontificum, qui post Bernardum hunce (primum Collectorem) vixere. Quibus nomen & gloriam præripuit Johannes Gallensis seu Vallensis, Volterris natus, qui 12. annis post primam collectionem (quæ circa initium seculi XIII. facta est) Pontificum, Bernardo inferiorum, Decretales seu Rescripta, ex utriusque, Gilberti & *Alani*, collectionibus congessit; quibus etiam Cœlestini III. addidit, ut infrà videre est. Mastricht *Hist. Juris Eccl.*

Alapa, apud Phædrum *lib. 3. Fab. 5.* ubi de Tiberio Imp. cùm in Misenensem villam venisset,

Ex alticinctis unus Atriensibus,
— — — — — —
Ab roscido capit ligneo conspargere
Humum æstuantem, jactans officium come:
Sed deridetur. Inde notis flexibus
Præcurrit illum in Xystum, sedans pulverem.
Agnoscit hominem Cæsar, remque intelligit.
— — — — — —
Tum sic locuta est tanti Majestas Ducis:
Non multum egisti; & opera nequaquam perit,
Multo majoris alapæ mecum veneunt:

Græcè *ῥάπισμα*, manumissionis signum, quæ via vindicta fiebat. Dicere vult Imp. Libertas, quam istâ tuâ sedulitate ambis, tam exiguo pretio à me neutiquam datur. Nam cùm dominus servum hoc modo manumittere vellet, tenebat vel caput, vel aliud membrum servi, dicebatque, *hunc hominem liberum esse volo*; & cum dicto eum circumagebat, significans se ei potestatem facere abeundi quò vellet, simulque *alapam* infligebat. Unde Claudianus:

In civem rubuere genæ.

Et Persius *Sat. 5.*

— — *Heu steriles veri, quibus una Quiritem*
Vertigo facit, &c.

Vide Marcilium *ad hanc Sat.* Brissonium *Antiqq. lib. 5. cap. 11.* Sigonium *de Antiquit. Juris Civ. Rom. cap. 6.* Alios. Cujus ritus vestigia etiam sequenti ævo occurrunt. Hinc *Alapa* apud recentiores, ictus appellatus est, qui tyronis ad dignitatem militarem promovendi collo aut humeris, ense vel gladio, quo *Miles*, & sic quasi liber fiebat. infligebatur. Militaris nempe ordo, quo quis donabatur, facultatem dabat utendi armis militaribus suiq; juris militem efficiebat: Magnum *Chron.* Belgicum A. C. 1247. *Plerique milites moderni temporis patrimoniis intendentes, omissis sumptuosis solennitatibus, saltem per infractum colaphum militarem consequuntur dignitatem.* Lambertus Ardensis. *Eidem Comiti, in signum militiæ gladium lateri & calcaria sui militis aptavit, & alapam collo ejus inflixit*, &c. Sic de militari inauguratione Wilhelmi Com. Hollandiæ in Regem Rom. electi, qui à Bohemiæ R. in æde Coloniensis urbis præcipua, Militari cingulo instructus est, legimus apud Joh. de Beka in *Ottone III. Episc. Traject.* circa annum Chr. 1247. *Illis itaque dictis Rex Bohemiæ grandem dedit ictum in collo tyronis, ita dicens: Ad honorem Dei Omnipotentis te militem ordino, ac in nostro collegio te gratanter accipio.* Similiter Franciscum de Carraria, *Imperator sedens in equo fecit militem, & cum palma eum percutiens super collum ait: Esto bonus miles & fidelis Imperii*, apud Auctorem, *Historiæ Cortusiorum. lib. 11. cap. 2.* Triplicis percussionis meminit Ceremoniale Rom. *lib. 1. sect. 7.* de Milite, à Pontifice facto, *Tum accipiens illius ensem nudum, ter Militem percutit planè super spatulas, dicens: Esto Miles pacificus, strenuus & Deo devotus.* Quam trinam percussionem observat etiam du Fresne, in *Actis* Parlamenti Paris. A. C. 1415. ubi enarrant, quemadmodum Sigismundus Imp. qui causis dijudicandis, Caroli V. R. permissu, in suprema Curia præsidebat, Guidonem Pastellum *Militem* fecerit, quòd de Senescalli Bellicadrensis officio, cum Guilielmo Signeto Milite litiganti, objiceretur, nondum militare adeptum cingulum, cùm Senescallus aut Baillivus nemo fieri posset, nisi esset Miles, &c. Sed ex *Actis* potiùs id honoris ab Imp. Signeto contigisse patet. Istiusmodi autem *Alapas* Galli *colees* appellant, quòd collo infligerentur: primumque ritus auctorem Mythologi quidam famosum illum Arturum Britannum faciunt. Vide Auctores magno numero præfato *Glossarii* Auctori laudatos. Apud eundem Ebrardus Beth Breviloquum secutus, dicentem, *Alapa est faciei percussio, sicut colaphus colli*, habet,

Dic alapam malæ, colli colaphumque, &c.

Alapam dare. Vide suprà. Sed & *Alapam dandi*, & aurem torquendi in testimonium, ritus alius occurrit in *LL.* Ripuarior. *tit. 60. § 1. Si quis villam — ab alio comparaverit, & testamentum accipere non potuerit, si mediocris res est, cum 6. testibus — si magna, cum 12. ad locum traditionis accedat, & sic eis præsentibus pretium tradat & possessionem accipiat, & unicuique de parvulis* alapas *donet, & torqueat auriculas, & postmodum testimonium perhibeant.* Quod fortè propterea factum, ut testes postmodum, cùm in rei gestæ testimonium advocarentur, in memoriam revocarent, se ibi loci *alapis* cæsos aut auribus vellicatos esse, apud Eund. Vide quoque infra in voce *Auris.*

per *Alapam* seu *Colaphum* contrario ritu servos sibi fecit Joculator quidam, qui dux viæ fuerat Carolo M. pergenti in Italiam, contra Longobardos. Cùm enim hic ab Imperatore veniam nactus esset petendi quod vellet, in monticulum quendam ascendens, cornu inflavit suum, & quàm longè sonus pertigisset, agros hominesque sibi dari postulavit. Nec frustratus est ejus votum Carolus: itaque descendens is, *per viculos & arva, & interrogans, quos inveniebat, Audisti, inquit, sonitum tubæ? Cui si dixisses, Etiam audivi, dabat illi mox colaphum dicens, Tu, inquit, es meus servus.* Quo pacto satis amplum dominium sibi quæsivit: Servi autem, quos hoc pacto suos fecit, *à cornu* ejus *Transcornati* dicti sunt, ut Idem ex *Chron.* Novaliciensi docet.

Alapista, apud Arnobium, mimus est ac ludio; cujusmodi homines, ludis comœdiisque exactis, sibi invicem *alapas* infligebant, ut spectatores ad risum commoverent. Unde *Alapistarum strepitus*, apud Arnobium; ita enim restituit Scaliger, pro *solapistarum strepitus*. At *Alapator*, *καυχητὴς* exponitur, in *Excerptis vett. Glossar. p. 275.* quia petulantes ac jactabundi colaphos aliis gaudent incutere. ut ait Vossius, apud Eundem, *Glossar.*

Alati Dracones, apud Poëtas passim occurrunt. Lucan. *l. 9. v. 731.*

— — *ducitis altum*
Aëra cum pennis —

Hinc currum Cereris alatis draconibus vehi finxere: Orpheus in *Hymno Cereris*,

Ἅρμα δρακοντείοισιν ὑποζεύξασα χαλινοῖς.
Currui (volucrium) draconum fræna subjungens.

Ovidius *Metamorphos. lib. 5. Fab. 11.*

— — *geminos Dea fertilis angues*
Curribus admovit, frænisque coërcuit ora.
Et medium cœli terræque per aëra vecta est.

Et *Fastorum lib. 4.*

— — — *Inque dracones*
Transit & alifero tollitur axe Ceres, &c.

Quo ipso curru Triptolemus in Scythiam vectus, Lynceo Scythiæ R. dixit apud Ovidium, *d. l.*

— — *veni nec puppe per undas,*
Nec pede per terras; patuit mihi pervius æther.

Nempe Cereris,

[illegible]
[illegible]
Currum per aërem agitans serpentinum,
Vario squigerorum draconum dorso flagellabat.

Ita

Ita Nonnus *Dionysiac. lib.* 13. Eum enim *alatis* draconibus vectum, per totum terrarum orbem, misit Ceres, ut frumenti usum hominibus indicaret, uti docent Hyginus *Fab.* 147. & *Astronom. lib* 7 *in Ophiucho*, Servius *in Georgic. lib.* 1. Alii. Similiter Medeam, hujusmodi currum à patre Sole accepisse, tradunt Euripides in *Medea*, Apollodorus *Biblioth. lib.* 1. Ovidius *Metamorph. lib.* 7. *Fab.* 2. 5. 20. 21. &c. Neque mirum, hoc eodem curru quandoque Circen vehi, cùm illa Solis quoque filia & Medeæ soror fuerit. Hinc, in Apollonio *Argonautic. lib.* 3. illa in Italiam venit,

—— —— *Πατρὸς ἐν ἅρμασιν ἠελίου.*

Et Valerii Flacci *lib.* 7.

—— —— *Ut aligeri rapuere dracones*, &c.

A Poëtis Mythologisque transiit opinio ad alios. Hieronymus certè *in Esaj. cap.* 13. *Cristati sunt*, inquit, *& volantes*. Augustin. *de Genesi ad lit. l.* 3. *c.* 9. *Dracones autem – in aëre sustolli perhibentur*. Alii. Quibus ex recentioribus accedunt, Jovius *l.* 18. *Asserunt Georgiani Regni incolæ, his in vallibus dracones gigni alatos*. Scaliger quoque, *Quædam genera draconum* alas *habent*, ut alios omittam. Sed alis iisque cartilagineis tam vastam molem attolli, nemo facilè in animum sibi induxerit: Maximè cùm nihil tale Philosophi tradant, nec Historici fideles. Nam, quòd ajunt, Strabonis *lib.* 16. Indicis ac Libycis draconibus alas tribui, habetur quidem in Xylandri versione, at in Græco textu longè aliud est: Neque iis *πτερὰ*, *alæ*, sed *πόαν ἐπιφυομένην λέγουσι*, *herba innasci dicitur*. Quod ex Iphicrate videtur sumtum, qui ejusdem Strabonis *lib.* 17. in occidua Æthiopia *δράκοντας λέγει μεγάλους, ὥστε καὶ πόαν ἐπιφύεσθαι*. Nec à mystico dracone, qui in cœlo, id est, in summo aëre, cum Michaële pugnasse dicitur, Apocalypseos *cap.* 12. *vers.* 7. ad naturalem valet argumentatio. Quamvis ille ipse draco mysticus alas habere nusquam legatur. Quin *ἄπτερον* esse, ex eo colligas, quòd mulierem aquilinis alis avolantem non insequitur, sed, quod unum potest, aquarum vim in eam evomit, *vers.* 14, 15. Ut in aquilæ cum dracone pugna apud Nicandrum in *Theriacis*, cùm aquila volatu ex periculo se eripit,

—— *Ἰνδάλλεται δὲ περὶ ἀΐσσουσα δόκευε*
Σπειρηδὸν, καὶ λοξὸν ὑποδρὰξ ὄμμασι λεύσσων.

— *Volantem circumcirca frustra insequitur* (draco)
In spiras convolutus, obliquis & torvis oculis illam intuens.

Elatam enim in sublime non potest attingere, &c. Poëtarum ergo id commentum est. Sed *draconum* nomine naves illis indigitari, docent illi ipsi Vett. ut in Eusebii *Chron.* Philochorus, cùm, sub Eleusinis Rege Celeo, Triptolemum tradit, *longâ navi delatum urbibus frumentum distribuisse, & per* alatum serpentem, *navem significari, cùm figura sit aliqua ex parte similis*. Adde, si lubet, *Draconis* nomine potuisse insigniri navem, quæ pro insigni draconem habuit: ut, apud Plutarchum de *Virt. mulier.* pirata Chimarrus à Bellerophonte occisus, *ἔπλει πλοίῳ λέοντα μὲν ἔχοντι πρῴραθεν ἐπίσημον, ἐκ δὲ πρύμνης δράκοντα*, *vehebatur navi, quæ in prora leonem, & in puppe draconem habuit pro insigni*. Et apud Euripidem *in Iphigenia, in Aulide*, Bœoticis navibus pro signo fuit Cadmus

Χρύσεον δράκοντ' ἔχων *Κάδμος ναῶν κορύμβοις.*
Aureum draconem habens, In navium rostris.

Quò pertinet, quòd in Fabulis, qui draconibus vehuntur, non nisi è maritimis, nec nisi ad maritima loca proficiscuntur. Sic Ceres, Proserpinam quærens, cùm totam Siciliam absque draconibus peragrasset, etiam insulæ littora tandem adiit,

Quò simulac venit, frænatos curribus angues
Junxit, & æquoreas sicca pererrat aquas;

Apud Ovid. *Fastor. lib.* 4. Et Circe ex Colchide draconum curru vehitur in prom. Italiæ Circejum: Medea, liberis cæsis, Corintho Athenas: Triptolemus Athenis Patras, Achajæ maritimam urbem, ubi Eumeli filius Antheas, exemplo Triptolemi, dracones jungere ausus, de curru excussus periit, id est, naufragium fecit, cùm navigandi imperitus mare attentasset, uti legimus apud Pausaniam *in Achaicis*, &c. V. Bochartum *Hieroz. Part. post. l. III. c.* 14.

Alaudæ, dicuntur Suetonio, *in Julio*, Galli Legionarii, cui Legioni nomen ab *alauda*, quâ Galli galeritam avem indigitârunt. Vide Salmasium *ad Solinum pag.* 547.

Alba, fluv. Gall. in Briegio, ab angusto alveo *Albeta* dictus, vulgò nunc *Aubete*, aliàs *Aubetin*. Alluit Basilicam *Basoche*, Ameliacum, vulgò *Amilly*; & infrà Columbariense Castrum in majorem Mucram devolvitur. Est etiam *Albeta* fluviolus, in Biturigibus Cubis, vulgò dictus *l'Aubois* vel *Aubois*, qui Ligeri recipitur. Est porro *Alba* fluviolus, *Albe* vel *Alve* nuncupatus Arduennensibus, qui in Urtam effluit. Item amniculus *Alve*, qui in Mosellam labitur, post Lesuram Ausonio memoratus. His omnibus à colore aquarum nomen videtur inditum, unde & Tiberis *Albula*, *Albisque* Germaniæ fluv. Hadr. Valesius *Not. Gall.*

Alba, fluv. Germaniæ celebris, qui aliàs *Albis*. Spartianus *in Didio Juliano*. *Ibi Cauchis, Germaniæ populis, qui Albim fluvium accolebant*. Ubi Codex Palatinus *Albam*: Excerpta autem Spartiani *Albam* habent. Vopiscus quoque *Albam* vocavit, in *Probo*: *Cæsis prope quadringentis millibus qui Romanum occupaverant solum, reliquias ultra Nicrum fluvium &* Albam *removit*.

Alba, species vestis seu tunicæ, à candore sic dicta. Trebellius Pollio in *Divo Claudio*, *Vestes diversas* 16. Albam *subsericam paragaudem triuncem unam*. Nempe familiare est, in re Vestiaria, ut solis adjectivis sine substantivis nominentur: sic dicimus *ποδήρη*, *ὀλόβηρα μονόλωρα* & similia, apud Latinos. Ita igitur *Albam* hic Gallienus & paulo antè Valerianus, *Albam subsericam unam, cum purpura Sarcubitana*. Intelligendum autem, non *togam*, ut cùm prætexta dicitur, sed *tunicam*; uti declarat Vopiscus in *Aureliano*, *cùm darentur tunicæ subsericæ lineæ paragaudiæ*. Et vetus Chronologus, qui Fastos Siculos congessit, *Φορέσας στιχάριν, ἄσπρον παραγαυδὴν, καὶ αὐτὸ ἔχον χρυσᾶ ταβλία βασιλικά*: nam *στιχάριν*, *tunicam*, dixerunt, ut est in *Gloss.* *ἄσπρον* *album* significat; *στιχάριν* verò & *παραγαυδὴν* corruptus est hellenismus, cujus exempla passim obvia in recentiorum libris, pro *στιχάριον* & *παραγαύδιον*. Subserica autem fuit hæc tunica, id est, cujus stamen solum erat sericum: nam holosericæ vestes in privatorum usu non erant. Morisque erat ornare istas tunicas *albas* subsericas vel purpurâ, ut illa fuit, cujus facta mentio à Valeriano; vel paragaude, ut apud Pollionem. Vide Salmasium & Casaubonum *ad l.* Sed & longè postea *Albas* fuisse promiscui usus, ex eo colligitur, quòd Laicis in Monasteriis degentibus tribuat Lanfrancus Cantuar. Archiep. *Epist.* 13. Quin etiam *Alba*, pro muliebri amictu usurpari videtur, apud Bertham Monialem in *Vita* Adeleidis Virg. *num.* 27. Tandem in Ecclesia Rom in Clericorum usum cessit. Papias. *Alba, vestis est Sacerdotalis linea & stricta, quæ Camisia dicitur & Poderis & Talaris & Subucula*. Et quidem ad certum tempus restrictum. Concilium Carthagin. IV. *can.* 4. *Diaconus tempore oblationis tantùm, vel lectionis*, Albâ *utatur*. Albis tamen promiscuè in Templo & extra, Clericos fuisse usos, docent Leo IV. *de Cura Pastor.* Riculfus Episc. Suessionensis in *Statutis* A.C. 889. *cap.* 7. & Rhegino *de Vita & convers. Presbyteri cap.* 66. ubi Presbyteri vetantur in Alba, *quâ in suo usu utuntur, Missas cantare*. Porro *Albas* ejusmodi Sacerdotales opere Phrygio interdum exornatas, colligere est ex Ekkehardo *de Casibus S. Galli cap.* 10. *Inter quæ præter casulas sericas, cappas & stolas*, Alba *est illa Philologiæ nuptiis insignis*; quales sc. descripserat olim Martianus Capella, &c. *Alba* verò hæc vestis, quia ex lino albo conficiebat. Græci tamen ex serico varii coloris, ferèque cœrulei utuntur; præcipuè Episcopi eorum: quo colore ex antiquis Romæ musivis picturis apparet, etiam Papam uti consuevisse; sed revera tunicella hæc erat, ab *Alba* distincta, quæ albæ superinduebatur. Ante amictum Ambrosiani & Maronitæ *albam* induunt; de *Alba* nigri coloris, loquitur *Sacerdotale* Alberti Castellani, ubi in die Parasceves sic disponit: *Parantur etiam quatuor Sacerdotes, vel duo ad minus, induti camisiis nigris cum amictu, cingulo ejusdem coloris*. Antiquitus in manicis, in pectore, humeris & fimbriis *albæ*, etiam textilia frusta assuebantur, quem usum hodieq; retinent in eadem Communione Regularium Ecclesiæ & Pontificia Capella, quod etiam ponitur in amictu à Regularibus S. Bonifacii Ferentin. Episcopi alba in Cathedrali Viterb. asservata, istiusmodi frusta Attalica habet, ac etiam in ejusdem amictu similiter, in quo Gothicis literis minutisque margaritis tetragrammaton nomen Dei efformatum visitur, &c. Vide plura hanc in rem apud Auctores laudatos Dominico Macro in *Hierolexico*, & Car. du Fresne *Glossar.* Hinc *Albas gerere* & *esse in Albis* & *Albati*, dicuntur ibidem Clerici, dum *Albis* induti procedunt vel officia Ecclesiastica peragunt, apud Eosdem. V. quoque Henr. Spelmannum *in Glossar.*

Alba, quoque dicitur vestis candida, quam induebant olim recèns baptizati, impuritatis & innocentiæ, quam profitebantur, symbolum: *ἐσθὴν φωτεινὴν*, in *Martyrio* Bacchi jun. *pag.* 84. Statim enim, atque de fonte nudi egrediebantur, stolâ albâ induebantur. Lactantius *Carm. de Resurr.*

Candidus egreditur, nitidis exercitus undis.

Paulinus *Epist* 12.

Inde parens sacro ducit de fonte Sacerdos,
Infantes niveos corpore, corde, habitu, &c.

Ordo Romanus hæc verba Episcopi addit, unicuique baptizatorum stolam dantis albam, *Accipe vestem candidam & immaculatam, quam perferas ante tribunal D. N. Jesu Christi, in vitam æternam*. Octo dies integros in *albis* baptizatos fuisse postea, cum cereis ardentibus, repræsentatos, refert Concilium Rothomag. vel potiùs præcipit A.C. 1059. *can.* 19. V. quoque Conradum Urspergensem ad A.C. 1124. Datas autem fuisse *Albas* sumtu Ecclesiæ, innuit Gregorius M. *lib.* 7. *Ind.* 1. *Epist.* 2. V. iterum du Fresne *Glossar.* & *ad Alexiadem*. Dum itaque duraret hoc octiduum, *in Albis positi* & *Albati* dicebantur recèns baptizati. Paul. Warnefridus *de Gestis Longobard. lib.* 6. *cap.* 15. de Theodoaldo Rege Anglosax. *Cùm Romam venisset, à Sergio PP. baptizatus — adhuc in* Albis *constitutus, ad regna cœlestia migravit*. Ejusdem Regis Epitaphium,

Fonte renascentis quem Christi gratia purgans
Protinus albatum *vexit in arce poli*.

Postea verò deponebant Sabbato, ante Octavas Paschæ. *Ordo Rom.* *Ab ipso die ad Sabbathum ante Octavas Paschæ, quo die* alba *tolluntur vestimenta à nuper baptizatis*. Alibi, *Sabbato infra* Albas Albati, *qui in Sabbato sancto baptizati fuerant, albis — exuuntur*. Mox sequitur *benedictio aquæ ad albas deponendas*. Proin dixit Jobius Monachus apud Photium non sine ratione, *Ἐκ δὲ ὀγδόης τῶν βαπτιζομένων λαμπροφορεῖν*, cùm octavo albas deponerent

nerent. Galli hunc ritum *Desauber* dicebant: quæ vox non ita pridem in Picardia adhuc obtinuit, ubi, octavo post infantium baptisma die, agebantur convivia & singulis totius fere agnationis pueruli erogabantur placentulæ, idque *Desaubage* appellabant &c. Atque inde etiam *Albæ* hebdomas, quæ Pascha subsequitur, appellata est. Rabanus *de Instit. Cleric. cap.* 10. *Quos septem dies Albas vocitamus, propter eos, qui in sancta nocte baptizati, albis per totam hebdomadam utuntur vestibus.* In *Epist.* 9. Gelasii I. & apud Johannem Diac. in *Vita* Gregorii M. *lib.* 4. *cap.* 81. *Albæ Paschales.* Ipsa quoque Dominica, quæ Albarum hebdomadem subsequitur, *Alba* vocatur. Vetus *Pœnitentiale* MS. *A Pascha usque in Albas &c.* apud eundem du Fresne. V. quoque infrà in voce *Dominica in Albis.*

Alba Firma, V. infrà *Firma*

Alba Linea, Cassiodoro, ubi omnia minima maxima Circi notat, memoratur, in Circo, *non longè ab ostiis in utrumq; podium quasi regula directa præduci solita, uti quadrigis progredientibus inde certamen oriretur, ne, dum se præripere conantur elidere, spectandi voluptatem viderentur populo abrogare.* Sed quid hoc nomine velit, quærunt Eruditi. In Circo enim Romano nullus hujusmodi lineæ usus esse potuit: cùm equi & currus intra carceres continerentur, repagulis vel cancellatis foribus oppositis coërciti, priusquam signum daretur emittendi; signo v. dato, uno eodemque tempore laxatis repagulis, è carceribus effusi sese proriperent exilirentque. Olympiæ quidem emittendi currus & equi ejusmodi lineâ prætentâ seu funiculo cohibebantur, ne ante signum datum exirent, utque in æquo limite continerentur: Sed ibi nulli erant ὕσπληγξ, h.e. *carcerum repagula & fores*, saltem primitus, ut in Circo Romano. Nisi fortè per *Albam Lineam* cretam Circi intelligat, quæ nihil aliud fuit, quàm linea in solo ipso ex creta, quasi ad regulam, ducta ac directa. Certè *Albam* suam *Lineam* non *longè à carceribus præductam* ait, qui omninò locus cretæ in Circo fuit. Addit, *Ut quadrigis progredientibus inde certamen oriretur:* Sic à cretæ loco certamen auspicabantur, utpote qui non longùm abesset à carceribus. Unde Chrysostomus λευκὴν, h.e. *cretam*, pro Circi principio posuit, à quo certaminis initium, Ἀπὸ δὲ λευκῆς τῆς ἀρχῆς μελετῶμεν. Et fieri potest, ut Cassiodorus lineam hanc Circi cum linea stadii, quæ βαλβὶς γραμμὴ & ἄφεσις dicta, unde cursus auspicium sumebatur, confuderit. Sed nec cretam ideo in Circo notatam fuisse volunt Vett. ut certamen & cursus inde auspicaretur, verùm ad victoriæ metam ac finem designandum. Hinc *cretam* palmæ locum interpretatur Sohnius &c. V. Salmasium *ad eum pag.* 915. *& seqq.*

Alba Longa, adde: Initium regni *Albani* cœpit, anno post captam Trojam 32. ætatis Ascanii 22. à quo, ad Procam usque, undecim Reges præfuere, Sylvius I. qui post Ascanium regnavit an. 29. Æneas Sylvius 31. Latinus Sylvius 51. Alba 39. Capetus, quibusdam Atys dictus, 26. Capys 28. Calpetus 13. Tyberinus S. Agrippa 33. Alladius, aliis Romulus Sylvius vocatus 19. Aventinus 37. Post quem Procas regnavit an. 13. relictis duobus filiis Numitore (e cujus filia Romulus Remusque nati) & Amulio, V. Dion. Halicarnasseum, Thom. *Dempsterum Ant. Rom lib.* 1. *c.* 1. *&c.*

Alba Spina, ὀξυάκανθα Dioscoridi, Vett. ad vivas sepes faciendas inserviit: nec hodieulla communior in hunc usum. Auspicatissimam nuptiis fuisse, Plinius refert *lib.* 16. *cap* 18. quod & Varro confirmat, apud Nonium his verbis *de Vita Pop. Rom. lib.* 1. *Quum à nova nupta ignis in face afferretur foco ejus sumptus, quum fax è spina alba esset, ut eam puer ingenuus afferret.* Cujus rei causa, non tantùm, quòd qui Sabinas rapuerant, ex ea faces habuere; sed etiam quòd ad omnia alia felix & fausta crederetur arbor. Porro baccis illius coronarii utebantur, Theophr. *lib.* 6. *cap.* 11. ut & flore. Plinius *lib.* 21. *cap.* 11. *Coronarii quidem & Spinæ flore utuntur: quippe cùm spinæ albæ cauliculi inter oblectamenta quoque condiuntur.* Sed & veneficia arcere credebatur, *in domibus aut villa sata*, Idem Plin. Unde Ovidius,

Virgaque tanalis de Spina sumitur alba.

Et,

Sic fatus virgam, quâ tristes pellere posset
A foribus noxas, hæc erat alba, dedit &c.

V. in hanc rem plura, imprimis de fruticis hujus variis speciebus, apud Salmasium *ad Solin. p.* 273 *&* 524. Fr. Pomey *Albæ Spinæ* florem sic describit: *Flos hic penè rotundus, specie ciceris, eximii candoris, extantibus è medio tenuibus filis, rubro præpilatis, nusquam solitarius nascitur ac singulus sed collecti unum in globum, unoque nixi surculo, unà efflorescunt bene multi; ita conferti, ut nihil æquè; æquabili ac celsitate, ut nullus emineat, sed ad libellam exacti videantur à natura. Horum candor flosculorum, in hunc modum stipatorum, gratissimâ viriditate foliorum, incisurâ multiplici amœnissimè fruticantium, excitatur tam pulchrè, nihil ut esse possit jucundius ad aspectum.*

Alba Vestis, Regiæ olim dignitatis insigne, non minùs ac purpurea. Ideirco notat Valerius Max. *lib* 1. *cap.* 6. *Imperatoribus in prælium e(x)euntibus, paludamentum* album *aut purpureum dari solere.* Et de *alba* veste, quâ Herodiani Dominum induerunt, rectè notat Jansenius, colorem hunc olim receptum in Regum insignibus. Itaque licèt scribat Hieronymus *in Matth. cap.* 27. Veteres Reges ruso quodam limbo esse usos: certissimum est tamen, diademata Regum fuisse *alba*, ut observavit Casaubonus *ad Sueton. lib.* 1. *cap.* 79. & propterea in Pompejo fasciæ cretatæ ac candidæ sermonibus occasionem præbuerunt, quasi ille Regnum affectaret, Sicut idem ostendit *ad Eund. lib.* 2. *cap.* 82. Sed & Sacerdotii insigne *alba vestis*, apud Gentes erat; & cùm sacris operabantur, tam Sacerdos, quàm ille qui sacrificium exhibebat, albati fuere. Unde Athenis Prytanes sacra faciebant λευχειμονοῦντες καὶ ἐστεφανωμένοι, *vestibus albis induti ac coronis cincti*, eodemque habitu Curiam ingrediebantur, an litassent, renuntiaturi, teste Plutarcho *Consol. ad Apollon.* & Theophrasto *in Character. Ethic. capite de* Μικροφιλοτιμίας. De *vestibus albis* Pontificis Max. apud Hebræos, V. infrà in voce *Pontifex*, & plura hanc in rem apud Isaac. Casaubonum *Notis ad Theophr. l. c.* & *Exercit.* 16. *n* 73.

Albæ, apud Æl. Lampridium in *Anton. Heliogabalo, Pisum cum aureis, lentem cum ceraunis, fabam cum electris, & orizam cum* albis *exhibens.* Mox, *Albas præterea in vicem piperis piscibus & tuberibus conspersit:* margaritæ sunt, *quas rubensis maris grana candentia* vocat Tertullianus, *de Resurr. carnis* Hinc Suidas, Ἄλβα οἱ μαργαρῖται. Anastasius in *Leone IV. vestem auro textam habentem historiam, qualiter beatus Petrus prædicavit ad S. Rom. Ecclesiam, cum gemmis albis, id est, margaritis septem & cum gemmis prasinis undecim &c.* ubi, ut *prasinæ gemmæ* sunt smaragdi, sic *albæ* margaritæ. Ibidem, *Crucem ex auro purissimo, ex diversis gemmis hyacinthinis, albis & smaragdis miræ magnitudinis ornatam.* Item in *Leone V. Sed isdem præfatus & magnificus Præsul fecit ex auro purissimo & miræ magnitudinis margaritis & gemmis hyacinthinis & prasinis ornavit* Ita enim ubique tria hæc genera gemmarum jungit: *albas*, prasinas, hyacinthinas, h.e. margaritas, smaragdos & hyacinthos. V. eundem in *Gregorio* IV. in *Sergio*, in *Nicolao I.* in *Sergio II.* &c. Venantius,

Crystallum, electrum, aurum, ostrum, concha alba, smaragdus.

Alibi,

Ordinibus variis alba, *smaragdus inest.*

Et,

Quando pavimentis alba, *topazus inest.*

Sic enim ille Poeta loqui solet & sic asyndetos efferre, ut variis locis apud illum videre est, Salmasius *ad Lampridium.* Ratio nominis in promtu, quippe *margaritarum dos omnis*, ait Plinius, *est in candore, magnitudine, orbe, lævore & pondere.* Nec est, quòd quis regerat, non omnes margaritas candere, cùm in aliis rufus, in aliis aureus seu fulvus emineat color, ut apud eundem Plinium alicubi legimus, Androsthenem item Athenæo memoratum & Eustathium *Il.* λ. Nam margaritarum candere maximè proprium, atque proin in illis alii colores non solùm infrequentes, sed & vitiosi sunt. Itaque, licèt margaritarum quædam rufæ, fulvæ & gilvæ sint, nemo tamen aliquid rufum, aut fulvum, aut gilvum, *ut margaritam esse*, dixerit. Nec obstat, quòd Threnorum *cap.* 4. *vers.* 7. Jeremias de Nazaræis dicit, ante captivitatem Babylonicam, *corpore rubros fuisse præ peninim*, quâ voce margaritas indigitari erudite Bochartus ostendit. Namque, uti *rutilare* apud Latinos, sic אדם *adam*, apud Hebræos, non *rubere* solùm, sed & *splendere*, significat: eo quòd utrique colori, candido & purpureo, hoc commune est, ut admixti luminis multum habeant. Itaque Propheta hic verbo אדמו Judæorum Nazaræos rubuisse non significat, sed *canduisse*, & *luxisse*, ut margaritas, quas a candoris luce & splendore, nomen habere multi putant; quia μαίρειν & μαρμαίρειν *splendere* est, & μαρμαρυγὴ *splendor.* Unde ut μάραγδος & σμάραγδος, vel cum prosthesi *smaragdos*, ita etiam μαργαρίτης, uti volunt. Proinde Nonnus *lib* 34 margaritam appellat λίθον ἅλιον μαρμαίρων, *lucidum maris lapidem*: & Arabicè *lala* & *darra*, *lucere* est; unde *lulu* & *dorra*: quorum illud *margaritam* in genere, hoc propriè *unionem* sonat. Conchæ quoque margaritiferæ priscum nomen *berberi*, quod ad Indorum linguam pertinere vult Androsthenes, Bochartus Phœnicum potiùs vocabulum esse credit, propè ejusdem originis. Phœnices enim in Indiam navigare cœperunt, ante tempora Salomonis: & Phœniciâ linguâ *barar*, clarum, purum, nitidum esse significat. Hinc Esai. *cap.* 49. *vers.* 2. *Sagitta expolita & nitens.* Cantic. *cap.* 6. *vers.* 10. *clara ut Sol.* ubi utrobique verbum hoc. Itaque, ut à *barar*, primâ geminatâ, *barburim*, dicuntur, I. Regum *cap.* 4. *vers.* 23. ita & *berberi* dici potuit: quod certè nomen maximè convenit conchæ margaritiferæ, quæ reliquas nitore, claritate & puritate longè superat, maximè in interiore parte &c. Atque hinc margarita lapis διαφανὴς τῇ φύσει, *naturâ pellucidus*, Isidoro Characeno διαυγής, quod idem est, dicitur. Et Pisidas *vers.* 118. de æthere vel cœlo ait,

Προέρχεται δ' ὡς νυμφίος ἐστολισμένος
Ἄστρων διαυγεῖς μαργαρίτας ἐκφέρων.
Procedit verò in Sponsi modum exornatus,
Astra gestans, ut pellucidas margaritas

Quod tamen quo sensu capiendum, V. eundem Bochartum *Hierozoici Part. post lib.* 5. *cap.* 6. *&c.*

Albamarla, opp. Galliæ, in diœc. Rotomagensi, olim Comitivæ, nunc Ducatus titulo illustre, ad flum. Auciam vel Aucum, vulgò *Eresl(e)am* dictum, in confinio parœciarum Rotomagensis & Belloyacæ, veteri Cœnobio Benedictinorum & suis pannis insigne; vulgò

Ducis, à Sigismundo Imp. socero suo primùm Moraviam tenuit, hinc post ejus mortem Bohemiæ Ungariæque regnum. Post quæ A.C. 1438. Imperium etiam accepit, ter uno anno coronatus. Vladislaum Polonum è Bohemia amovit, factiones astrivit; advocatus à Georgio Serviæ Despota Amurathem ad solvendam Albæ Græcæ obsidionem coëgit, sed in reditu, ex esu peponum soluto ventre, obiit, A.C. 1439. Pater Ladislai posthumi, Hungariæ Regis. Successor in Imperio fuit Fridericus III.

Principes varii.

Ex Familia Austriaca.

Albertus vel *Adelbertus*, cognom. *Dives*, filius Werneri III. Habspurgii Comitis, maritus Itæ Brigantinæ *de Pfullendorff*, Landgravii Alsatiæ titulum primus gessit. Pater Rudolfi, quo geniti *Albertus Sapiens*, (pater Rudolfi I. Imp.) & Rudolfi cognom. *Taciturni*, e quo ultimi Comites Habspurgii, Lauffenburgii & Kyburgii orti sunt. Albertus hic Sap. lectus Dux expeditionis Christianæ adversùs Saracenos, ad Accaron extinctus est.

Albertus I. Dux Austriæ, V. *Albertus I. Imp.*

Albertus II. cognom. *Sapiens*, vel *Contractus*, quòd ex veneno fraude Medici sumto debilitatus esset, initio Canonicus Passaviensis, demum duxit Johannam, ultimi Com. Pfirtensium Ulrici hæredem; inter agnatum Johannem & Helvetios pacem fecit. Sed A.C. 1351. aliud illi ortum bellum cum Tigurinis, quam ob causam hi fœderi accessere. Cum Venetis etiam in Foro Julio & Marchia Tarvisina ipsi res fuit, A.C. 1353. & cùm bellum recrudu- isset A.C. 1357. pace factâ. Wirtenbergicum quoque Com. Comitatum Hohenbergensem infestantem, repressit: Cæterùm aucupii, quam regiminis, ut scribunt quidam, studiosior. Pater fuit Rodolfi cognomento *Ingeniosi*, Friderici cognom. *Splendidi*, Alberti III. Austriacæ & Leopoldi Tirolensis lineæ conditorum.

Albertus III. cognom. *cum tricâ*, quam vel ipse uxori reliquit, vel ex itinere redux abscidit. Cum Henrico Schaumburgio & Bohemis bellum gessit: Pater filii Nothi Leopoldi, Matheseos Viennæ Professoris & *Alberti*, de quo infrà.

Albertus IV. cognom. *Patiens*, seu *Mirabilia mundi*, fil. prioris, cum Jodoco Moraviæ Marchione rem habuit. pari cum Patre fato dysenteriâ extinctus. Omnium artium peritus & eruditorum Mæcenas. Eo genitus

Albertus V. V. *Albertus II. Imp.*

Albertus, è familia Tirolensi, (cujus Leopoldus Alberti Sap. filius auctor fuit,) fil. Ernesti Stiriæ Principis, ex Cimburgi Masovia, fœmina robustissima, cognomen *Mitis* seu *Placidi* tulit. Fundator Academiæ Friburgensis, a Friderico III. Imp. fratre, perpetuo discors, inprimis ob Ladislai hæreditatem, bellum sexennale gessit; A.C. 1463. in Comitiis Ratisbonensibus a fratre, qui postea ejus hæres fuit, proscriptus.

Ex Familia Palatino-Bavarica.

Albertus, fil. minor natu Ludovici, (cui pater fuit Otto fil. Ludovici Imp. ex Margareta Hollandica) cum fratre Wilhelmo, qui obiit A.C. 1378. Hollandiam cum Comitatibus junctis adiit: Pater Wilhelmi & Johannis episcopi Leodiensis, contra quem Jacoba Wilhelmi filia, incontinentia suâ satis famosa, Comitatus sibi vindicavit.

Albertus, cognom. *Pius*, filius Ernesti, (quem Johannes, auctor familiæ Monacensis, progenuit:) Bavariæ Dux, educatus apud Wenceslaum Imp. quod linguæ Bohemicæ non esset ignarus, a majori Procerum hujus regni parte, spreto Ladislao Alberti II. Imp. filiolo, Rex electus, noluit cum pupilli injuria regnum capessere, Bohemos ad fidem legitimo Principi servandam cohortatus. Obiit A.C. 1460. ad extremum appositus curis, Musicâ & nonnunquam venationibus se oblectans. Eo, præter alios, natus

Albertus, cognom. *Sapiens*, Bavariam unione partium divisarum, & successione Landshuto-Ingolstadiensi, quæ bello Bavarico vindicata, auxit. Nec parum Maximiliani I. Imp. affinitas, ac domus Palatinæ, bello illo afflictæ, calamitas domus hujus æmulæ consiliis profuit. Eo geniti Wilhelmus, Patris successor, Ludovicus, qui ambo acerrimi Lutheri hostes, & Ernestus, Aventini discipulus. Wilhelmo natus est

Albertus, Ferdinandi I. Imp. gener, Pontifici & Jesuitis, quibus Monachii, Ingolstadii & Landshuti collegia splendidissima extruxit, addictissimus. Nihilominus A.C. 1556. suorum precibus, cùm idem Ferdinandus Imp. suis quoque subditis concessisset, indulsit ad tempus, ut cœnâ Dominicâ integrâ, & carnibus urgente necessitate, diebus vetitis, uterentur. Postea quoque in Calicis negotio ad Pontificem scripsit, A.C. 1564. Legatosque habuit in Concilio Tridentino. Præses Comitiorum Ratisponensium, loco Soceri, fuit A.C. 1556. Ladislao C. Hagensi A. C. 1567. sine masculis mortuo, feudum a Maximiliano II. Imp. impetravit. Ei successit fil. Wilhelmus, à quo *Wilhelminæ lineæ* nomen: reliqui filii fuere Ferdinandus, qui cùm imparibus nuptiis sibi copulasset Mariam Petenbeckiam, ex ea Comites Wartenbergios sevit, & Ernestus, Episcopus primùm Frisingensis & Hildesheimius, dein Leodiensis, & tandem Archiepiscopus ac Elector Coloniensis.

Albertus, filius minor natu Wilhelmi præfati, frater Maximiliani, Electoralis lineæ auctoris, lineam *Albertinam* condidit. Natus A.C. 1584. nepotis a morte fratris curator fuit & Electoratus administrator. Ob uxorem Mechtildem fil. Georgii Ludovici Landgravii Leuchtenbergici, eam postea successionem nactus, aliis in Bavaria acceptis commutavit. Ejus filii, *Albertus Sigismundus* natus A.C. 1623. Episc. Frisingensis fuit, & hoc major Maximilianus Henricus, natus A.C. 1621. ad Electoratum Coloniæ & Episcopatum Leodiensem, evectus est, quo utroque etiam num defungitur.

Ex Familia Saxonica.

Albertus, cognom. *Degener*, Dux Saxoniæ, fil. Henrici cognom. *Illustris* (qui mortuo Henrico Thuringiæ Landgr. suæ gentis ultimo A.C. 1249. Landgraviatum sibi vindicavit) uxorem Margaretam, filiam Friderici II. Imp. in gratiam pellicis Cunegundæ ab Eisenberg, pessimè habuit: Misniam, Osterlandiam & Lusatiam, in qua patruo filii Margaretæ successere, sibi asseruit, civitatesque in verba filii Ludovici Apitii, ex Cunegunda suscepti, ut jurarent, frustra adigere conatus est. Captus postea à filiis, sed interventu Rudolfi I. Imp. liberatus, Brandeburgicis & Anhaltinis adversùs filios incitatis, cruentum his movit bellum, quod compositum est A.C. 1290. Post quæ re desperatâ ditiones vendidit Adolpho Imp. qui tamen contra filios infelix fuit, uti & successor ejus Albertus I. horum tandem causâ triumphante. Decessit Erfordiæ, in Monasterio, in summa rerum egestate, A. Christi 1314. Eum in Principatu excepit filius Fridericus cognom. *Admorsus*, vel *Fortis*, Germ. *der Freudige*.

Albertus, fil. Ernesti, Electoris Saxon. Electoratum Moguntinum, sed brevi tempore, gessit, vicennis mortuus A.C. 1484. Item fil. Johannis Ducis Vinariensis, Isenaci habitavit.

Albertus, cognom. *Animosus*, *Rolandus*, *Dextra Imperii*, Friderici cognom. *Placidi*, Electoris Saxon. filius secundò genitus, frater Ernesti El. *lineam Albertinam* cœpit. Ipse militari laude clarus, de Friderico III. Imp. & ejus fil. Maximiliano optimè meruit, Matthiâ Hung. R. ad æquas conditiones vi compulso. Maximilianum dein à Belgis captum in libertatem asseruit, cujus in Belgio *Locum-tenens* relictus, contra reliquos rebelles & Gallos quoque non parum egit. In virtutis præmium & sumtuum solatium Frisiâ ei cum Groninga concessâ, quam hæreditario jure Imperii vicarius regeret, bellis continuis cum Frisiis implicitus, obiit. Pater ex Sidoniâ, filia Georgii Podiebradii Boh. R. Georgii Henrici (quo natus Mauritius Electoratum in hanc lineam intulit) & Friderici.

Ex Familia Brandeburgica.

Albertus, cognom. *Achilles Germanicus*, aliis *Ulysses*, fil. Friderici I. Electoris Brandeburg. fratri Friderico cognom. *Ferreo*, in Electoratu successit. Bello Bohemico sub Cæsare tyrocinia posuit, A.C. 1428. inde Vratislaviensibus, adversùs Polonos, Dux datus est. Tum Ludovico Gibboso contra Patrem fortiter adstitit, A.C. 1444. Principum dein 17. auxilio Norimbergenses, à super. Germaniæ civitatibus adjutos, aggressus, 8. præliis victor, uno victus est. In bello Moguntino, Adolfo Nassovio contra æmulos adstitit, A.C. 1461. ab Imperatore belli Dux constitutus, sed anno seq. ad Giengam victus est. Inde A.C. 1470. Fratris successor, a Pomeranis, ut Stetinensem & Pomeraniæ Ducatus à se in feudum acciperent, impetravit. Sequenti anno Imperialium copiarum ad Novesium, contra Carolum Burg. Dux fuit. Obiit A.C. 1486. Miles fortissimus, & hastiludiorum quoque peritissimus: Auctor insuper Legum fundamentalium domus, & confraternitatis cum Saxonibus ac Hassis. Calvaria ejus Hailsbronnæ, ubi sepultus, ostenditur, in cujus continuo osse nullæ suturæ, imo nec vestigia, apparent. Ejus filii, Johannes Electoralem lineam continuavit & Fridericus Franconicam ortus est.

Albertus, cognom. *Alcibiades Germanicus*, fil. Casimiri, Culmbacensis lineæ auctoris, Friderico præfato geniti, conjunctis studiis fere semper cum Mauritio Saxone, æquali suo, Cæsari militavit: fœderis dein contra Joh. Fridericum El. Sax. & Philippum Hassiæ Landgr. icti Dux, A.C. 1547. Rochlitiæ captus est. Inde liber Magdeburgum A.C. 1552. cum Mauritio obsedit; cujus, cùm adversus Cæsarem moveret, iterum comes sociusque fuit. Re postea ad transactionem spectante, Magistrum Teutonicum, Norimbergenses, Bambergensem, Herbipolitanum, Spirensem, Vormatiensem, Episcopos: Moguntinum item ac Trevirensem Archiep. ditionibus miserè incendiis & ferro vastatis, ad iniquas adegit conditiones: tanto sui terrore sparso, ut quacunque incederet, diffugerent, aut mutatâ veste ordinem dissimularent Sacerdotes: Nec Passaviensi transactione voluit comprehendi. Tum Lucemburgensis Duc. & Lotharingia vexata, Regis Franciæ nomine prætenso: tandem Cæsari reconciliatus, Aumalium ad Mussipontem vicit cepitque: cùm autem per Franconiam iterum grassari inciperet, ei à Ferdinando R. Rom. bellum denunciatum, ipseque prælio ad Sivershusam, à Mauritio superatus est A.C. 1553. Nihilominus continuato bello, ad Brunsuicam iterum profligatus, moli succubuit: novaque proscriptione A.C. 1554. territus, in Galliam se recepit: tandem, Regis intercessione, acceptâ publicâ fide, in Germaniam redux A. C. 1557. ex tædio

Aerum-

fortunæ, & vita intemperanter acta morbo contracto, decessit Pfortshemii, A. C. 1557. V. Sleidan. *lib.* 25. Thuanum *lib.* 11. *&* 19.

Albertus, prioris patruus, initiò Magister Ord. Teutonici cùm esset, nec homagio se Regi Poloniæ obstringere vellet, bello à Rege petitus A.C. 1521. post impetratas inducias, nec obtenta auxilia, Ordinibus etiam provinciæ pacem & cum ea Religionem Evangelicam expetentibus, se submisit, parte Borussiæ, in feudum Ducatus nomine ad hæredes transmittendum, acceptâ; parte Regi relictâ. Ipse Religioni Evang. nomine dato, Academiam Regiomonte instituit; Fratribus è Bohemia pulsis locum perfugii dedit; In religione Osiandrismo, in aula, Scalichii, Funccii, Horstii, aliorumque senis facilitate abutentium machinationibus turbatus, obiit A.C. 1568. Pater *Alberti* Friderici, quo extincto A.C. 1618. Borussia Georgio Wilhelmo Electori collata est, V. Thuanum *lib.* 38. *&* 63. Sleidanum *lib* 20. &c.

Ex Familia Brunsuicensi.

Albertus, cognom. *Magnus*, fil. Ottonis Ducis Brunsuicensis, frater Johannis Luneburgicæ fam conditoris, hanc continuavit. In bello Ottocari Boh. R. adversùs Henricum M. Misniæ, à quo captus est, Sophiæ Brabantinæ adstitit: Lubecenses quoque contra Johannem Com. Holsatiæ defendit. Eo, præter alios, geniti, Henricus cognom *Mirabilis*, lineam Grubenhagiam & *Albertus* cognom. *Pinguis*, Brunsuicensem. orsi sunt. Pater hic fuit Magni cognom. *Pii*, Ottonis cognom. *Largi*, & Ernesti Goetingensis. Magno, inter alios. natus *Albertus* Archiep. Bremensis, quòd Hermaphroditus esset, à Decano contumeliosè accusatus est, V. Spenerum *Sylloge Geneal. Hist.*

Ex Familia Wandalica.

Albertus, fil. Johannis cognom. *Theologi*, Dux Megapolitanus, cum fratre Johanne, Imperii Princeps est creatus, à Carolo IV. Imp. A.C. 1348. Bello adversùs Ludovicum Romanum, March. Brandeburgicum, ob Stargardiam (quod datâ ei conjuge filiâ suâ Ingelburgi compositum) tum ob Rugiam adversus Barnimum, Bogislaum & Vratislaum Pomeranos, feliciter gesto celebris: Pater, inter alios, fuit *Alberti*, ad regnum Sueciæ, adversus Magnum Smeeck vocati, quo geniti Ericus & *Albertus*, ambo improles.

Albertus, cognom. *Formosus*, fil. Magni, Dux Megapolitanus, belli quàm pacis amantior. Cum fratre Henrico, adversus Lubecenses, inde Carolo V. in obsidione Geldriæ militavit. Post mortem Friderici Daniæ R. in regno cum Christophoro Oldenburgico, partes Christiani II. captivi, & Hafniam contra Christianum III. defendit, sed dedere se & veniam petere coactus est. Pater, inter alios, Johannis *Alberti*, & Ulrici, Episc. Suerinensis, qui & ipsi docti & literarum amantes, simul Rostochiensem Academiam, à Johanne & patruele ejus *Alberto* A. C. 1415. fundatam, insigniter dotarunt. Iisdem, quidquid in Politia & Ecclesia Megapolis salubriter institutum habet, refert acceptum Et Joh. Albertus quidem Ducatum omnem, ad normam Augustanæ Confess. reformavit, tum A.C. 1552. fœderi pro defensione Religionis & libertate Landgravii icto dedit nomen ipseque expeditioni interfuit. Post hæc cum urbe Rostochio, ut & fratre Ulrico, ipsi res fuit; obiit A. C. 1577. Pater ex Anna Sophia Brandeburgica Johannis & Sigismundi Augusti; quorum ille in ipso ætatis flore A.C. 1592. abreptus, filios reliquit Adolfum Fridericum, Suerinensis & Joh. *Albertum*, Gustrovianæ, linearum auctores. Ex quibus hic Reformatis accessit, extinctus A.C. 1636. Pater autem fuit, ex Eleonora Maria Anhaltina, Gustavi Adolfi nati A. 1633. quem tutor patruus Matri invitæ ereptum in Augustana Confess. educari curavit.

Ex Familia Anhaltina.

Albertus I. cognom. *Ursus* seu *Pulcher*, fil. Ottonis [illegible] seu Divitis, ex familia Ascania, contra Sorabos fidam operam cùm Imperio præstitisset, à Conrado III. Imp. Marchiam Brandeburgicam, antiquis Marchionibus ex familia Stadensi & Pribislao Heneto extinctis, accepit. Postea cum Henrico Leone, cum cujus Patre Henrico ob Saxoniam contenderat, universam Slavicam nationem perpetuis bellis vexavit, & tantùm non exhausit. Eidem Principatus Brandeburgicus & vicinia omnem fere cultum suum ac nitorem debet: Pater fuit, ex Sophia Reineccia, quam A. C. 1169. moriens viduam reliquit, præter Sigfridum Archiep. Bremensem, Anselmum Episc. Havelbergensem & Henricum Præpos. Magdeburgensem, Ottonis Brandeburgicæ & Bernardi Saxonicæ lineæ, conditorum.

Albertus II. fil. Ottonis I. præfati, fratri Ottoni II. in Electoratu successit: Friderico II. Imp. gratissimus, cum Pomeranis Boleslao ac Casimiro bellum habuit. Pater ex Mechtilde Lusata Johannis & Ottonis III.

Albertus I. fil. Bernardi, (cujus Pater Albertus Ursus quoque fuerat) educatus in aula Friderici II. Imp. huic in expeditione sacra astitit A C. 1228. & ad Pelusium fortiter se gessit. Idem cùm Lubecam à Waldemaro Imperio vindicaret, Imperatori militavit: antea quoque A.C. 1223. ad preces Volquini Episc. in Livoniam, domandis Gentilibus, exercitu ducto. Gener fuit ex Helena fil. Ottonis IV. Imp. cum eo à Comite Suerinensi captus. Obiit A C. 1260. Pater, præter alios, Alberti II. qui lineam Electoralem Saxonicam, in familia Ascania, continuavit & Johannis, qui LaWenburgicam condidit.

Albertus II. Patris in Electoratu Sax. successor, cum Gunthero Archiep. Magdeburgensi bellum variâ Fortunâ gessit. Periit secundùm aliquos, in solennitate coronationis Alberti I. Imp. turbâ oppressus. Eo, inter alios, ex Agnete Rudolfi I. Imp. filia natus est Rudolfus successor, & Albertus Episc. Pataviensis.

Albertus III. filius Wenceslai Electoris, fratris Rudolfi III. in Electoratu successor, A.C. 1418. cùm A.C. 1422. in saltu Lochaviensi venaretur, & cum uxore Offega Olsnicia in casa rustica divertisset, orto incendio, ex quo nudus aufugere coactus est, tantum concepit terrorem ut paucos intra dies extinctus, Electoralem hanc lineam terminaret, dignitate in Misnicam familiam translatâ.

Albertus I. Princeps Anhaltinus, fil. Sigfridi, Servestanæ lineæ auctoris, ex Catharina Gleichia: genuit ex Elisabetha Brandeburgica Woldemarum seniorem, qui A.C. 1367. prælio Magni Torquati Brunsuicensis adversùs Hildeshemios cecidit, & Albertum Juniorem.

Albertus II. cognom. Junior, fil. prioris, Pater fuit Johannis quo natus

Albertus III. cognom. *Claudus* Cœthensis lineæ conditor. Hic cum fratre Sigismundo, pro Marchia Brandeburgensi, quam Sigismundus Imp. Burggravio Norimbergensi concesserat, 60000. aureos accepit. Eo genitus, præter alios,

Albertus IV. & Adolfus. cujus filii Wilhelmus ordini Minoritarum addictus ac Adolfus Episc. Lersburgensis (cui Lutherus theses suas de *Indulgentiis* inscripsit) lineam clausere.

Ex Familia Piastea.

Albertus, Dux Monsterbergicus, gener Johannis, ultimi ex familia Sagano-Glogovia, sub finem sec. 15. Idem nomen fuit trium vett. Tecciæ Ducum; sex Principum ex vet. familia Ascania: Marchionis Anspacensis, A.C. 1620. Joachimo Ernesto geniti; Comitis item Leonstenii, qui Eques Hierosolymitanus, Græciam, Syriam, Ægyptum ac Arabiam perlustravit; Supremus dein Equitum Præfectus Philippo II. Hisp. R. in Belgio & Gallia; Regi dein Galliæ adversùs Condæum militavit, extinctus A.C. 1587. &c. De quibus omnibus V. Phil. Jac. Spenerum *Syll. Geneal. Histor.*

Comites Nassoviæ.

Albertus Georgii, Johanne cognom. *Seniore* geniti, filius, ex priore ejus uxore Anna Amalia Saræpontana, natus est Dilleburgi A.C. 1595. Studiis probè imbutus, ad militiam animum applicuit, turmæque Equitum præfectus, in Belgio Fœderato, obiit globo ictus A.C 1626.

Albertus, Philippi Com. Weilburgensis, ex Anna Com. Mansfeldia (fil *Alberti*) filius, Saræpontanam ditionem, Adolfo ultimo illius rami extincto, hereditario jure ad se devolutam. Weilburgensi ditioni denuo junxit, postquam illa avulsa inde fuisset ab A.C. 1429 quo Philippo Weilburgi & Sarbrugii Comite geniti Philippus & Johannes paternam hæreditatem divisere. Obiit A.C. 1616. ex Anna Guilielmi Auriaci Princ. sorore, Annæ Amaliæ (quæ Othoni Com. Solmæ Sonnenwaldensi nupsit) Julianæ, Catharinæ, Ludovici, Georgii Philippi, *Alberti* (ante se peracta mortui) Guilielmi (cui uxor Isenburgica obtigit) Elisabethæ (Georgio Witgenstenio elocatæ) Julianæ, Annæ Sibyllæ (Petro Ernesto Baroni Criechingensi in uxorem datæ) Johannis Casimiri (cui Elisabetha. Georgii Landgr. Hassiæ fil. uxor obtigit) Magdalenæ, Annæ Ottiliæ (quam Guilielmus Com. Witgensteinius sibi junxit) & Ernestæ, parens: è quibus Ludovicus Patri successit. Cyr. Lentulus *Geneal. Princ. & Comit. Nassov MS.*

Viri celebres.

Albertus Magn. adde: *Ei Maximi cognom. Gymnasiorum omnium consensus, nisi publico voto Christiana verecundia restitisset, deferebat*, Jovius. *In dicendo Gothicum sapit & Barbarum: inter Peripateticos tamen nominis celeberrimi*, Rhodigin. *Vir eruditionis admirandæ, quem divinarum rerum pauca, humanarum fortè nulla latuerunt*, Sixt. Senensi. *Necromantiæ immeritò accusatus*, Labbæo. Dominicanus quibusdam fuit, ex nobilissima Dynastarum Bolsatensium familia, Lauingæ natus, Guil. CroWæus *Elencho Scrips. in S. Scripturam.* Ejus *in utrumque Test. Commentaria* extant inter Opera fol tomis 21. Lugd. 1651. Id.

Albertus, V. quoque *Adelbertus*.

Albexis, inter vestimenta sacra; *Charta* Ferdinandi I. Hisp. Regis æræ 1101. apud Yepezium *in Chron. Ord. S. Bened. tom. VI. Mantos duos aurifusos, alio alguexi auro texto, cum aliis Gratisco, inde misso Cardeno, casula auro fusa, cum dalmaticis duabus auro fusis, & alia*, Albexi *auro texta*, apud Car. du Fresne *Glossar.* in voce *Alguexis*.

Albi Denarii, *Blans Deniers*, moneta Gallica; in grossorum speciem, cusi sub Joanne R. Franc. cruce erant insigniti pedatâ & duplici Inscr. in aversa parte, templo coronato & Inscr. TURONUS CIVIS, cum limbo liliato. Quorum Typum exhibet Car. du Fresne in voce *Moneta*, Qui eorundem semisses *Demi Blans Deniers* memorat. Similis sub Carolo V. prodiit moneta, nudam Crucem præferens, & Inscr. FRANCORUM REX. &

SIT NOMEN DNI BENEDICTUM: in aversa verò parte literam K. coronatam inter duo lilia, & DEI GRATIA, in limbo liliato. Typum habes *ibid.* Sub Carolo VI. cusi sunt *Albi Denarii cum Scuto*, Gall. *Blancs deniers à l'Escu*; crucem majorem pedatam inter binas coronas & bina lilia præferentes, cum Inscr. SIT NOMEN, &c. & in postica scutum cum 3. liliis & Inscr. KAROLVS FRANCORVM REX. Typum idem exhibet *Ibid.* Sub Henrico VI. R. Angliæ, *Albi Denarii* ibidem excusi sunt, cum binis scutis Franciæ & Angliæ. *Blancs deniers à 2. escus de France & d'Angleterre*, tempore Caroli VII. Regis, qui tum difficili bello cum Anglis implicitus erat. Crucem hi nudam præ se ferebant & caudatam, inter lilium & Leopardum; infrà, HERICUS, in circulo, SIT NOMEN &c. In postica, duo scuta juncta, & suprà HERICUS & in circulo coronulam & FRANCOR ET ANGLIE REX. In quibusdam lilium vel leopardus extitit, loco coronulæ &c. ut videre est apud eundem, qui etiam meminit *Alborum*, item *Alborum cum Corona*, Gall. *Blans à la Couronne*, sub Carolo VII. *Alborum cum K. coronato*, Gall. *Blans au K. couronné*, sub Carolo VIII. ut & *Magnorum Alborum* variæ formæ, sub Ludovico XI. eodem Carolo VIII. Ludovico XII. & Francisco I.

Albici, adde: *Eos* Jul. Cæsar *de bello civ. lib.* 1. & 2. vocat, *barbaros homines, qui in Massiliensium fide antiquitus erant, montesque supra Massiliam incolebant.* Ac ibidem ait, Albicos *non multum Romanis virtute cessisse, homines asperos & montanos, exercitatos in armis; & crebras per* Albicos *eruptiones factas esse ex oppido Massiliæ: Massilienses que cum propiùs eras necessariò ventum, ab scientia gubernatorum atque artificiis ad virtutem montanorum confugisse.* Incoluerunt autem hi pop. montes Salyorum, à vicinitate Massiliæ ad Cebennas trans Rhodanum ferè pertinentes: *Ἀλβιεῖς, Albiaci*, Straboni. Iidem *Reji* quoque, & ab Apollinis cultu, *Apollinares* dicti sunt: Trogo atque Justino *Segoreji* quoque, nec non *Ligures*, *lib.* 43. ubi scribit, *Phocenses urbem Massiliam in finibus Regis Segorejorum condidisse.* Idem, postquam descripsit insidias à Commano Segorejorum R. Senani vel Nanni Regis filio & successore Massiliensibus structas, addit: *Ita patefactis insidiis Ligures comprehenduntur.* Erant ergo inter Ligures Transalpinos seu Gallos atque fortè illorum celeberrimis ultra Alpes Salyis attributi. Caput gentis erat *Albece* vel *Albece Rejorum Apollinarium*, quod oppidis Latinis Plinius adnumerat. In vet. *Inscript.* apud Sirmondum vocatur *Colonia*: & *Pont. col. Rejor. Apollinar.* memoratur. In vett. *Not.* prov. Galliæ, in provinciæ Narbonensis secundæ civitatibus tertia, quota nunc est, recensetur. Recentiores *civ. Regensem* vocant. secundamque nominant inter sedes Aquensi Burgundiæ Archiepisc. suffragantes, vulgò *Riez*. Hadr. Valesius *Not. Gall.* V. quoque in voce *Reji*.

Albidia, semel atque iterum Wilhelmo Brittoni *Philipp.* nempe *lib.* 4. & 9 dicitur Anglia, quæ *Albion* olim. Carolus du Fresne.

Albiga, adde: Populi rectiùs & antiquiùs *Albienses*, quàm *Albigenses*; quorum quod vetus nomen fuerit, incertum, cùm nec Strabo, nec Plinius, nec Ptolomæus eorum meminerit. Positi quidem inter Rutenos sunt & Cadurcos, ad neutram tamen gentem pertinuisse videntur. *Equites cataphractarii Albigenses* in *Not.* Imp. & vet. *Inscript.* apud Goltzium reperiuntur: & memoratur in vett. *Not.* prov. & civ. Galliæ *civitas Albiensium*, atque inter octo provinciæ Aquitanicæ primæ civitates quarto loco ponitur; quam recentiores in septimum rejiciunt. Ex Episcopis ejus Sabinus subscripsit Concilio Agathensi Anno Chr. 506. & Concil. Aurelianensi quinto, Ambrosius, misso Viventio: Diogeniani meminit Paulinus Presbyter, apud Gregorium Tur. qui Salvii quoque mentionem facit. Extant & literæ Constantii ad Desiderium Caducorum Antistitem, &c. Servat urbs hodieque vetus nomen, diciturque *Alby*: incolæ ejus adeoque tota gens *Albigenses*, Gall. *les Albiegois*: *Quos tributo, quo in dando vino & annona gravabantur, sed liberalitate relevavisse* dicitur, Ludovicus Pius, tum Rex Aquitaniæ, anno Chr. 796. Postea nomen gentis transiit etiam in nomen sectæ, Vide infrà.

Albigensis Diœcesi contenta loca.

Albiga seu Albia.	Insula.
Blavia, *Blaye*.	Rapistagnum, *Rabastens*.
Castrum-novum Liviense, *Chateau-neuf de Levi*.	Regalismons, *Realmont*.
Confluentes, *Confolens*.	Valentia.
Galliacum, *Gailhac*.	Vaurum, *Vaur*.
	Villa nova.

Ex illa verò detracta est Diœc. Castrensis, pagi *Albigensis* vetus portio, in qua eminent:

Castrum seu Castra, sedes Episc. nova, *Castres en Albigeois*.	Rupes curva, *Roque courbe*.
Ferrariæ.	Mons rigidulus aut Mons reductus, *Montredon*.

Albigenses, adde: Gall. *Albejois*. Ita enim habet titulus Chronici Guilielmi de Podio Laurentii, *Incipit Chronica Magistri Guilielmi de Podio Laurentii super historia negotii à Francis, Albigensibus vulgariter appellatis, Albejois*, &c. apud du Fresne.

Albingauni, apud Flavium Vopiscum *in Proculo Tyr. Proculo patria. Albingauni fuere, positi in Alpibus Maritimis: domi nobilis, sed Majoribus latrocinantibus, atque adeò pecore ac servis & iis rebus, quas abduxerat, satis dives. Fertur denique eo tempore, quo sumsit Imperium duo millia servorum suorum armasse.* Vide *Albingaunum*.

Albini & *Albani*, Tectores, parietes tectoriis seu incrustationibus inducunt, *Glossæ Gr. Lat. Κονιατὴς, Dealbator*, Albinus, *tector*. *Ἀσβεστωτὴς, Dealbator.* Eorum opus *Albarium* Vide suprà *Albarii* & infrà *Album opus*.

Albiniana, locus Æthico memoratus, aliàs *Albimana*, item *Albaniana*, ab Albino aliquo dictus, vulgò nunc *Alfen* vel *Alpen*, vicus ignobilis Hollandiæ, inter Lugdunum Bat. & Trajectum, Vide *Albimana*, Cluverius *Albamanos* & *Albinianos* nuncupat, ac Prætorium Agrippinæ *Roomburg*, vicum propinquum Lugduno, exponit.

Albinus Imperat. adde: Familiâ fuit nobili, Adrumetinus tamen ex Africa. A' Commodo per literas Cæsar esse jussus, Imperium nihilominus invitus accepit, & structas sibi esse à Severo insidias intelligens, conflictu habito cum ejus Ducibus potior fuit. Post autem Severus ipse, quum id egisset apud Senatum, ut hostis judicaretur *Albinus*, contra eum profectus, acerrimè fortissimeque pugnavit in Gallia, non sine Fortunæ varietate. Denique, cùm solicitus Augures consuleret, responsum illi est, venturum quidem in potestatem ejus *Albinum*, sed non vivum, nec mortuum: quod & factum est. Nam, quum ultimum prælium commissum esset, innumeris suorum cæsis, plurimis fugatis, multis etiam deditis, Albinus fugit, &, ut multi dicunt, se ipse percussit: ut alii, à servo suo percussus, semivivus ad Severum deductus est. Filium habuit unum, cui Severus primò pepercit, postea verò eum cum Matre percussit, & in profluentem abjici jussit. Mores ejus quod attinet, pessimi fuerunt, si Severo hosti credimus: at ex Marci Epistolis constat satis, virum eum utilem fuisse. Gulosus fuit Cordo, at militaris disciplinæ adeò retinens, ut delictis nunquam pepercerit: in vestitu nitidissim'. agricolandi peritissimus, ita ut etiam *Georgica* scripserit. A Senatu tantum amatus est, quantum nemo Principum, &c. V. Jul. Capitolinum in *Clodio Albino* & infrà, in voce *Clodius*, quod illi prænomen fuit; unde & *Clodius* simpliciter dictus est.

Albion Nova, adde: Ejus Rex Elisabethæ Reginæ se ac suos subjecit, ac Draconi coronam imposuit; sed, propter nimiam distantiam, atque etiam regionis inopiam, Anglos ab eo tempore ejus curam omnino abjecisse, refert Georgius Hornius *Orb. Imp. pag.* 483. & 484.

Albis, Vide suprà *Alba, vestis candida*

Albius, mons: pars est Alpium Helveticarum, inter Tigurum & Tugium: ubique pascuus. Memoratur in *lit.* Ludovici Im. *Albifius* Raperto Thuricensi, S. Galli Monacho, nominatur. Joh. Bapt. Plantinus *Helv antiq. & nov.*

Albo castellum est montanum Galliæ, non longè à Rhodano inter Viennam & Tegnam positum, vulgò *Albon* A quo Dalfini Viennenses *Albonis Comites* se vocavere. *Daufins de Viennois & Comtes d'Albon.* Hadr. Valesius.

Albo seu *Albus*, Ugutioni *liber est, in quo Sanctorum nomina scribuntur.* Hariulfi *Chron.* Centulense *lib.* 4. *cap* 17.

Abba Angelrannus loculo quæ paucula nostro
Contulit, hic retinet scriptus qui cernitur albus:

apud du Fresne *Glossar.*

Albo-galerus, pileus erat apud Romanos, solius Flaminis Dialis; factus ex hostia alba, Jovi cæsa, quæ *Idulis* dicebatur. Illi adfigebatur apex virgulâ oleaginâ. Ejus nomen ex antiquis monumentis exhibet Thomas Dempsterus *Antiqq. Roman. lib.* 3. *cap* 15.

Alborak, Mahumetis jumentum, quo Mecchâ Hierosolymam vectus est noctis unius parte decimâ, unde in cœlum usque evectus, rediit Meccham, post multa cum Deo & prioribus Prophetis habita colloquia; ut fabulantur Arabes. Nempe *ponebat*, ut iidem ajunt, *passus ad finem prospectûs sui*: Unde probant superasse septem cœlos septem passibus, quamvis quingentorum annorum itinere singulos ab invicem distare dicant. Equo id alii, alii asino, mulo nonnulli similius fuisse putant: plerique coloris albi, qui colorum nobilissimus est. Sternax autem & contumax fuisse addunt, cùm illud Mahometes conscendit, quia nullum hominem sessorem antea habuerat: At plurium sententia est, Abrahamo etiam & Ismaëli, & Prophetarum aliis illud inservisse. Sed cùm inter Jesum & Mahometem diu quievisset, nempe per annos fere sexcentos, non facilè se submissurum fuisse dicant, nisi à Gabriele monitum quem à tergo vectum fuisse quidam asserunt: quod tamen alii negant, ut hanc prærogativam soli Mahometi vindicent; qui proinde die resurrectionis eadem vecturâ peculiari Prophetam hunc suum usurum dicunt. *Alborak* autem est *ἀστραπαῖος*, sic dictus, *quòd fulgure velocius.* V. delirium hoc Arabicum, inter cœtera eorum animalia monstrosa, narrantem Sam. Bochartum *Hierozoici Part.* II *lib.* 6.

Albretum, adde: Hinc nomen Familiæ *Albretana*, seu *Lebretana*, cujus

cujus antiquus splendor est. Primus in ea legitur Amaneus A.C. 1050. pater filii cognominis, in expeditione Hierosolymitana: Inprimis autem claruit Arnoldus Amaneus, quem Carolus V. Rex à partibus Anglicis ad se abstraxit, & filius ejus Carolus Comes Trecensis atque Conestabilis Galliæ, Carolo VI. unicè charus, & prælio Azincurtiano cæsus A.C. 1415. Hujus filius Carolus genuit Johannem & Arnaldum: quorum hic Dominus *de Orval* fuit, filiusq; ejus prætensionem in Niverniam & Rhetelіam à conjuge accepit, atque filiabus reliquit; Ille Alanum Magnum genuit, Johannis, cui Regnum Navarræ conjux Catharina Foxia attulit, fortuna adversa eripuit, Patrem. Johanne satus Henricus titulum Regni retinuit & ad filiam Johannam, Antonii Borbonii uxorem, Henrici IV. Regis Franciæ matrem transmisit: cujus Majores exhibet Spenerus præfatus *Theatro Nobil. tom.2.* Alia linea *Albretanorum de Miossens*, quam ab Ægidio Alani M. fratre derivant, & in ea Cæsar Phœbus, Marescalli dignitate inclytus, in Gallia superest, Idem *in Ind.*

Albucio, vulgò *Aubusson*, locus Galliæ, in finibus Lemovicum, unde nobili Familiæ *de Albucione*, Gall. *d'Aubusson*, nomen. Vicecomitis Albucensis excommunicati, mentio fit in Concil. Lemovicis habito A. C. 1134. Marchionis hujus loci, apud Gerardum Episc. Cadurcensem in *epist. ad Fridericum Imp.* Dictus fortè ab *Albucio* primo possessore. Vales.

Albukir, si Alkazuinio Scriptori Arabi credimus, sunt aves albæ, quæ quotannis certo tempore conveniunt ad montem *Gebal attair* nomine, quasi *montem avium* dicas, in Ægypti Thebaide prope Ansenam (id est, Antinoum) urbem Mariæ Ægyptiæ, matris Abrahami, filii Prophetæ, & super eum montem volant. In hoc autem foramen est (seu potius pedica) in quod omnes & singulæ caput immittunt eximuntq;, dein in Nilum descendentes subinde redeunt, unde venerant, neque id facere desinunt, donec una earum in foramine retineatur. Tum verò agitatur & manet suspensa. Quo facto reliquæ statim avolant, nec in monte earum ulla ampliùs visitur, usque ad idem tempus anni sequentis. Interea avis, quæ suspensa est, postquam multâ agitatione se liberavit, avolat & avibus sui generis denuo jungitur; Sed hæ in illam irruentes, rostrisq; suis diverberantes, ad foramen redire cogunt, ubi iterum suspenditur, illis rursus discedentibus. Addit Sacerdos Abubecrus Dauliensis, illius urbis ex oculatis testibus se audivisse, aves duas hærere in foramine, cùm annus est fertilis, unam cùm est medius, nullam cùm est sterilis Quæ fere ad verbum Alkazuinius, sed de more suo fabulosè, cùm neque alii Arabes, neque Coptitæ *in Lexicis* & *Nomenclatoribus* suis hujus avis uspiam meminerint. Sam. Bochartus *l. c. cap. seq.*

Albula vel *Albeta*, Vide suprà in voce *Alba* fluv. Apud Gregorium verò in *Reg. lib. 12. Epist. 7.* quid vox hæc notet, Vide suprà in *Albæ*.

Album, minùs est quàm candidum, quod τῶ λευκῶ λευκότερον, Salmasius *ad Solinum pag.* 380. V. infra ubi de *Candido*.

Album, Græcis recentioribus ἄσπρον, monetæ genus, Vide infrà *Asprum*.

Album opus, seu *Albarium*, opus est Albariorum seu Albinorum & à Tectorio in eo differt, quòd qui parietes dealbant, opus etiam tectorium faciunt: nam & Tectorium est omne opus Albarium, non tamen omne Tectorium *Album* est, sed illud duntaxat, quod nudâ calce constat. Tectorium fit arenatâ calce, vel marmorato; Albarium calce merâ. Græci tamen κονιατὰς vocant tam Albarios quàm Tectores: Ita Hesychius & alii, du Fresne *Glossar.* in voce *Albini*, ex Salmasio *ad Solinum pag.* 1229. *a.*

Album Prætoris, *in Clement. de Judiciis c.1 ad instar Edicti, in albo Prætoris*: locus erat dealbatus, ubi Prætoris Edicta affigi solebant: Gloss. *ibid.* apud Macrum *Hierolex.*

Albus, moneta argentea in Britannia Armoricana, tempore Alani Ducis, circa A.C. 1087. valens sex denarios Turonenses; de ea sic Chronographus quidam *lib.1. Histor. Brit. Tum temporis currebat in Britannia moneta argentea, valente qualibet* Albo *argenteo sex denarios Turonenses; & parvi denarii nigri currebant tunc in Britannia: in qua quidem moneta alba erant insculpta duæ herminæ circa crucem, & in pila tres herminæ; in cujus quidem moneta margine seu circumferentia, erat sculptum sic,* Moneta Alani, Dei gratiâ Britonum Regis. Sic *Albus*, apud C. du Fresne, ex Ægidio Aur. Vallis Mon. in *Hugone* Episc. Leod. *cap. 111. Reddit is millia librarum* alborum, *& centum libras Leodienses ad opus Ecclesiæ*, & ex *Chron.* Valcidorensi, *Pro quo habemus ad gujonagium suum 40. solidos alborum*: moneta est argentea minutior, Gall. *Blanc*, Italis *Biancho*. Vide Bizarri *Persica pag.* 453. ut & hic in vocibus *Albi*, *Asperi*, item *Blancus*.

Albus Mons, Germ. *Blanckenberg*, Gallis *Blamont*, quasi *Blancmont*, oppidum est Lotharingiæ, cujus Comes Henricus memoratur, in *Chronico* Senonensi. Item *Montblanc*, prope Glannatevam, Hadr. Valesius *Not. Gall.*

Alcala, nomen in Hispania familiæ Ducalis, accessit Comitibus *de los Molares* & Marchionibus de *Tarifa*, oriundis è stirpe Henriciorum, *Henriquez*, è quibus Petrus filius alter Friderici Castellæ Admiralis, ab uxoribus Beatrice & Catharina (quæ germanæ & filiæ Perafani *de Ribera* erant) successionem & nomen *de Ribera* suæ domui, cum officio supremi Judicis Andalusiæ intulit. Ejus ex Catharina præfata filius Ferdinandus Henricus de Ribera, *de los Molares*, ex Agnete Portocarrera suscepit Ferdinandum *D. Alcala*; quo & Johanna Cortesiâ natus Ferdinandus M. Tarifæ, ex Anna Gironia, genuit Ferdinandum, Duc. *Alcalæ*, maritum Beatricis, filiæ Christophori de Mora Marchionis *de Castell-Rodrigo*, Petrumque Gironium, maritum Antoniæ Portocarreræ, March. *Alcala de la Lameda*. Spenerus *Theatr. Nobil. Europ. Tom. I.* Petrus verò præfatus, ex Antonia uxore, genuit Annam Mariam Luisam Portocarreram Duc. Alcalæ, March. Tarifæ, Com. *de los Molares*, quæ nupsit Antonio Johanni Ludovico *de la Cerda D. de Medinaceli*, Idem *Tom. 3.*

Alcaydus, nomen Judicis, apud Saracenos Hispanicos, quem *Justitiam* Hispani Christiani suis in urbibus appellare consueverunt. Vitalis Episcop. *de Magistratibus Saracenorum. In quibusdam locis Judices, in quibusdam* Acaydi, *dicti Justitiæ nuncupantur. Charta* Lorbanensis, apud Sandovallium *in Favila*, *Christiani habeant suum Comitem, de sua gente, & illi component rixas inter illos & non mutabunt hominem. sine jussu* de Alcayde *seu* Alvacide *Saraceno, &c.* A' Saracenis postmodum transiit vox & dignitas ad ipsos Hispanos Christianos. Unde *Alcaidus Honoris*, seu *Meretricum aut Uxoratorum*, qui de meretricibus, ac adulteriis cognoscebat, Officialis olim quidam in Aragonia dictus est. Aliter *Alcalis*, in *Charta* Adelfonsi Regis Aragoniæ, apud Blancam *p.* 640. & in Concil. apud Pennam Fidelem An. Chr. 1302. *can.* 13. ubi *Alcades vel Majorini vel alii Rectores civitatum*, memorantur. Vide Oihenartum *Notit. Vasconiæ lib. 2. cap. 6.* &c. Michaëlem del Molino in voce *Alcaydus* & *Adulterium*, laudatos C. du Fresne *Gloss.*

Alces, apud Solinum *cap. 20.* ubi de Germania, *Est & alces mulis comparanda, adeò propenso labro superiore, ut nisi recedens in posteriora vestigia pasci non queat. Scandinavia insula à regione Germaniæ emittit animal, quale alces, sed cujus suffragines, ut elephantis, flecti nequeunt. Propterea non cubat, cùm dormiendum est*, &c. Græcis est ἡ ἄλκη, & αἱ ἄλκαι, Pausan. Cujus animalis etiam meminit Capitolinus in Sylva Gordiani, *Oves feræ C. Alces X.* Sed mirum, quantum de eo inter se Auctores dissentiant. Plinius, *ni proceritas aurium & cervicis distinguat, jumento similem* facit. Solinus, mulis comparari vult: jumentum nim. pro mula accepit. Præterea quod de labro ejus adeò propenso addit, Plinius de Machli memorat, quæ fera est Scandinaviæ Insulæ, similis *Alci*. Cæsar figuram *Alcis* capreæ facit similem, eadem pellis varietate, sed magnitudine paulo antecedentem. Pausanias *Alcis* figuram describit, ἐλάφου καὶ καμήλου μεταξὺ, *inter cervum & camelum mediam.* Ubi quod ait ἐλάφου, *cervi*, utcunque cum Cæsare convenit: Nam capreæ & cervi, nisi magnitudine, haud ferme distant, & varietas pellium in capreis & hinnulis eadem. Quod addit de facie καμήλου, *cameli*, id cum Plinio facere videtur, qui proceritatem cervicis Alci tribuit. Cæsar porro *Alces* cornibus mutilas tradit. Pausanias contrà, ἄλκαι μὲν γὰρ καὶ κέρατα ἐπὶ τῶν ὀφρύων ἔχουσιν οἱ ἄρσενες, τὸ δὲ θῆλυ οὐ φύει τὰ κέρατα, *Alces quidem & cornua in superciliis habent mares, famellæ verò nequaquam.* Qua in parte cum Cæsare magis convenit Plinio, quàm cum Pausania: etenim narrat, exceptâ cervicis proceritate & aurium, jumento similem esse, nihil dicens de cornibus. At in eo diversi Cæsar & Plinius, quòd hic machlin nullo suffraginum flexu esse prodit, Cæsar *Alcem*: cœtero non dissimilem esse Machlin Alci idem Plinius fatetur, &c. Qua de re vide plura apud Salmasium *ad Solinum, pag.* 232. Cornua *Alces* & duo ungues, asservantur in Museo Kircheriano Romæ: cujus editor ita de hoc Animali scribit: *Alces, Germ. Elends, vulgò Gran bestia, animal est speciei cujusdam mediæ inter equum & cervum, quod Olaus M. Onagrum vocat; nares habet & aures prominulas, cornua fere taurina, cervo paulo altior & cursu velocior. Desertorum Russiæ fera est. Juvenis captus adeò mansuescit, ut non solùm canum more dominum olfaciat & sequatur, verùm cibum potumque humanum ambiat. Ungues ejus adeò medendi robore pollent, ut ab universo Populo expostcantur; ejus unguibus lupus vel tactus fertur exanimari. Ungues contra epilepsiam præstantissimi, si pars in annulari sinistræ manus digito asservetur, aut deferatur, aut ex eo annulus conficiatur, pag.* 29.

Alcheria, al. *Alqueria* seu *Alquaria*, voces propriæ Maioricensibus, apud quas *Alqueria* significat *lugar de pocas casas como de muchas*, Beled. id est, villam paucorum domorum, quam Galli *Hameau* vulgò vocant. Origo vocis ab Arabibus seu Mahometanis, qui, dum Baleares Ins. possidebant, villas appellarunt voce Arabicâ, deductâ ab *Alquehir, que es lo mesmo que casa de fuera*, ut ait Joh. Dametus *in Historia general del Regno Balearico, pag.* 272. unde etiam origo nominis urbis celeberrimæ, *Cayri*. Neque aliunde Vascones hauserunt suum *alcaterria*, quibus id idem sonat, ut auctor est Oyhenartus. Hinc *Alcaceria* vel *Alcahria*, ex Hisp. *Alcaçar*, vox itidem Arabica, ut habet Sebastianus Cobarruvias, quæ fortem domum, castellionem, domum regalem sonat, quasi *domus Cæsarea*, domus Regis. Pactum initum inter Jacobum R. Aragonum & Nobiles Aragonenses, de conquirendis Balearibus Insulis, datum Barcinone A.C. 1229. 5. Kl. Sept. *Et nos similiter habeamus partem omnium prædictorum, secundùm numerum Militum & hominum armatorum, qui nobiscum fuerint, retentis nobis* Alcaceriis *& staticis Regum, in civitatibus, ultra debitam portionem nobis competentem.*

in MS. Charta: sed apud Dametium prædictum *l. c.p.* 103. habetur *Alcabris: pag.* 208. *Alquerils*, &c. Paulo aliter tamen de vocis notione disserit Michaël del Molino in *Repertorio Fororum Aragon.* voce *Feria*: *Et sciat, quia* Alcaçaria, *de qua fit mentio in dicto foro antiquo, est quidam locus, seu quædam platea parva, in qua Judæi congregabantur, ad emendum & vendendum vestes & supellectilia domus & alia mobilia,* apud Car. du Fresne *Gloss.*

Alchymia & *Chymia*, hodie dicitur, quam Veteres Χημείαν, item Χημευτικὴν passim vocavere. Eadem ἱερὰ τέχνη, *sacra Ars*, appellata; cujus & Pythagoram scientem fuisse volunt. Unde Lexicon hujus Artis in antiquis libris sic inscribitur, Λεξικὸν τῆς ἱερᾶς καὶ θείας τέχνης. Et alibi ἱερὸν τέχνην interpretantur τὴν χρυσοῦ ποίησιν, *auri effectionem.* Cujus inventores Ægyptios faciunt Zosimus, Stephanus, Cleopatra & alii Græci Archemistæ, uti recentiori ævo istiusmodi flatores dici cœpere. Nominis ratio in incerto: Interim, cum omnium rerum, quæ ad hanc scientiam pertinent, vocabula, ab usu & consuetudine communi submoverint Auctores sui & peculiarem sibi Dialectum vindicaverint, solis Mystis tanti arcani intellectam; conjicit Salmasius, fornaculam sive caminum, in quo argentum & aurum fundebatur, quod ore hianti & patulo esset, χύλιον vocavisse, id est, χάσκοντα, unde χυμεία dein ipsa ars. Sed & Auctores Artis hujus Græci Χύμην quendam, vel Χήμην Prophetam nomine miris laudibus celebrant & inter præcipuos nominant, qui divinam hanc scientiam repererunt & amplificarunt; Zosimus inprimis Panopolita, qui illius sæpe meminit. Unde ab hoc *Chime* fortè vel *Cheme* Propheta, ut alibi vocatur, χυμεία nomen accepit. V. Salmas. *ad Solin. p.* 1097. & infrà in voce *Chemia* & *Chymia.*

Alcimus Avitus, repone: *Alcimus* Ecdicius Avitus, Isicii Senatoris ac postea Viennensis Archiepiscopi filius, Aviti Imp. nepos, Apollinaris Valentinæ Eccl. Episcopi frater, Patri suo in Antistitio Viennensi successit, ex Labbæo Adde, Alcimus *veteri Avitorum familiâ fuit, cujus atavus, proavus, pater, avunculus, frater, dignitatibus Ecclesiasticis clari fuere*, Illyric. *Cat. test. ver.* Præfuit Conciliis Epaonensi A.C. 517 & Lugdunensi, & Sigismundum Burgund. R. ab Arianismo ad fidem convertit, Baron. *in Annal.* Obiit die 5. Febr. A.C. 523 Opera ejus in 8°. Parisiis prodiere, A.C. 1643.

Alcoranus Arabicus, quo usus est Solimannus Imp. Turcarum, asservatur in Musæo Kircheriano Romæ, uti refert Auctor *Collegii Rom. S.I. Musæi, pag.* 10.

Alcuinus, adde: Aliis *Albinus*, item *Albinus Flaccus Alcuinus*, Eboraco oriundus, ubi etiam docuit, fuit S. Ludgeri Magister, Bedæ Ven. contemporaneus, Caroli Regis Francorum, a quo in Gallias evocatus fuit, Præceptor, Abbas primo Cantuariensis, dein Turonensis, Baron Bellarm. &c. Opera ejus in fol. prodiere Parisiis A C. 1617. & alibi. Obiit paralysi. die Pentecostes Maji 19. A.C. 804. in Cormeriaceno Cœnobio sepultus, Labbæo.

Aldenardum, adde: Dicitur etiam *Aldenarda*, Wilhelmo Britoni *Audenardenum castrum*, incolis *Oudenaerde*: origo vocis ex *alden* & *arda*, quasi dicas *Vetera pascua*: Incolæ enim pascua *arden* vocant. Hadr. Valesius *Not. Gall.*

Aldermannus, Saxon. *Ealdermann*, i.e. πρεσβύτερος. *Senior*, Magistratus species. Apud Anglo-Saxones, multipliciter occurrit. 1. Pro *Seniori* vel *Superiori*, in quavis præfectura; ita Principes & Rectores provinciarum, Comites, Præsides, Senatores, Tribunos, generali nomine, appellabant *Aldermannos.* 2. Pro particularibus Magistratibus: Sic reperitur apud Histor. *Aldermannus totius Angliæ*, *Aldermannus Regis, Comitatus, Civitatis, Burgi, Castelli, Hundredi & Novemdecimorum*: de quorum potestate facilè non est definire, interim omnes, pro more suæ classis, Jurisperitos fuisse, liquet è LL. Divi Eduardi, *cap* 35. *Aldermannus* olim simpliciter dictus est Æthelstanus, Dux Orientalium Anglorum (qui præ insigni potentia *Half-king*, i.e. Semirex, appellatus est) nec non filii ejus Æthelvvoldus & Aeilvvinus, qui clariori etiam titulo, *Aldermannus totius Angliæ* salutatus est, ut ex Epitaphio ejus, in Ecclesia Ramesiensi, quam A.C. 969. fundavit, patet Ubi idem fortè titulus hic designat, quod inferiori seculo *Capitalis Angliæ Justitia*, V. infrà in voce *Justitia.* *Aldermannus Regis* nuncupatus videtur, vel quòd à Rege constitutus esset, vel quod judicia Regia exerceret in provincia sibi credita, non ut perpetuus Magistratus, sed per occasionem delegatus, eorum instar, quos olim Missos dominicos vel Justitiarios ad Assisas hodie Angli appellant. *Aldermannus Comitatus*, propriè fortè fuit Prætor seu Justitiarius Comitatus, (quales apud Salicos *Sagibarones*) Archiepiscopo & Satrapa inferior, Episcopo verò æqualis. Delictorum enim in Episcopum & *Aldermannum* par contumacia, par pœna fuit, ut liquet ex *LL.* Alvredi: par item capitis æstimatio in *LL.* Æthelstani. Unde medium locum is tenuit, inter Satrapam seu Comitem & Vicecomitem, summæque fuit dignitatis, qui Episcopo tum in æstimatione tum in munere junctus, cum eo simul Comitatum regebat, illo secundum divinum, isto secundum humanum jus, judicia publica exercente. Sic et in Comitatu simul consedisse videntur, Comes, qui Reip. partes tueretur, Episcopus, qui Ecclesiæ, & *Aldermannus*, qui legem diceret & exponeret. Penès eundem fuit, arma tractare, & suæ ditionis vires ciere, ut contumaces frangeret, & justitiam publicam promoveret, ex Alvredi LL., *cap.* 38. De furibus etiam cognoscere, ex *LL.* Inæ MS. *cap.* 34. Nec eo inconsulto sedem cuiquam mutare licuit, ex *LL.* itidem Alvredi *cap.* 33. *Aldermannorum Civitatis, Burgi seu Castelli*, officium: *Leges & libertates & jura & pacem Regis, & justas consuetudines Regni, & antiquas à bonis prædecessoribus approbatas, inviolabiliter, & sine dilatione, modis omnibus pro posse suo servare: Cùm verò inopinatum vel dubium vel malum contra Regnum vel contra coronam Domini Regis, fortè in ballivis suis subitò emerserit, pulsatis statim campanis, convocare omnes & universos*, &c. ex LL. Divi Eduardi Confessoris, *cap.* 35. Quæ tamen ad Prætores potiùs, quos Majores & Ballivos appellant, quàm ad *Aldermannorum* ordines (hodie in usu in quavis Civitate & Burgo) referenda existimat, Henr. Spelmannus *Glossar. Archæol.* Vix enim hi Ordines apparuerunt Richardi I. tempore quo novis ministeriis antiqua nomina induci cœpere. *Aldermannus Hundredi* seu Wapentachii, sequitur, & *Aldermannus Novemdecimorum* quorum hic inde dictus est; quòd sicut in Decania, Decanus novem præfuit hominibus, sic in duplici Decania, ipse Vicenarius novendecim reliquis est præpositus: ille, quòd toti centuriæ imperitabat, fortè idem cum Hundredi Præposito, & qui hodie dicitur *Senescallus Hundredi*; Plura vide apud præfatum Spelmannum. Hinc *Aldermannia*. apud Wilhelm Thorn. *in Chron.* A.C. 1178. *Nicolaus Abbas cum consensu sui Conventus concessit & dimisit cuidam Magistro Nicolao*, Aldermanniam *de Westgate, quæ tum ad istud Monasterium pertinebat — reddendo inde annuatim — 10 lib. sterlingorum pro omnibus servitiis.* Præpositura est, seu Præfectura castri vel villæ, Gall. *Prevosté.* qua voce notant ejusmodi villas & prædia quæ ad Monasteria aut Canonicorum Collegia spectant & Monachis aut Canonicis ad vitam vel ad certum tempus cum reditibus conceduntur, Car. du Fresne in *Glossario*

Aldia, mulier subdita. *Tradimus cum omnibus — servis & ancillis*, Aldiis & Aldiabus, *colonis & coloniabus*, in quodam *Privil.* Caroli M. apud Torrigium *de Vatic. Cryptis.* ubi Auctor hic notat, *Aldium* & *Aldiam* in conditione differre à servis seu mancipiis & colonis; & eosdem esse ait, cum clientibus & comitibus, Italicè *Massari* & *Soccii* dictis. Dominico Macro *Aldius* & *Aldio* est servus, factus liber, cum hypotheca aliqua servitutis erga Dominum, cujus filius, *Aldio* & filia *Aldia* seu *Aldiana* dicti: quæ omnia nomina in *Donatione* Henrici I. pro Navarræ Ecclesia habentur, *Cum servis & ancillis, aldionibus & aldianis*, apud Baronium ad A.C. 1014. Carolo du Fresne *Aldius* fuit ex genere servorum, tametsi peculiaris & propria fuit servorum species, ab aliis nim. servis diversa: unde inter servos crebrò censentur in *LL.* Longobard. *l.* 1. *tit.* 6 §. 4. *tit.* 7. §. 17. *tit.* 8. §. 1, 2, 3. alibiq; passim. Papiæ *Aldius* dicitur, qui *adhuc servit patrono. Gloss.* Veteres quas Lindenbrogius laudat, *Aldius, statu liber. Aldius est libertus, cum impositione operarum factus.* Quæ posterior descriptio firmatur ex *L.* Longob. *cit. lib. tit.* 25. §. 53. *Si Aldius cujuscunq; in casa alterius nesciente domino suo fugerit, cùm inventus fuerit, sic debet dare homo ipse, qui eum habuerit, operas, quomodo de servo.* Atque inde ejusdem conditionis dicuntur *Aldii* in Italia, qui *Fiscalini* & *Liti* in Francia, ead. *L. lib.* 3. *tit.* 20. habebantque Patronos, perinde ac Liberti *lib.* 2. *tit.* 35. § 3. & *tit.* 44. §. 1. 4. Manumittebantur autem, seu ab operis eximebantur, non in Ecclesia, ut Servi, sed per chartam, *lib.* 2. *tit.* 34. §. 5. Salmasio iidem qui *vassi* seu *ministeriales*; antiquioribus *castrenses*; *hinc*, inquit, *vassi & ministeriales, Aldii & ministeriales*, sæpe junctim ponuntur in vett. Longobardorum *legibus.* Hique erant propriè *castrenses* & militares ministri, qui & *fideles* & *homines* & *ministeriales*; qui dominos suos ad bellum euntes sequi tenebantur iisque præstò semper adesse, V. cum *Not ad Lampridium in Alexandro Severo*, & infrà, in voce *Ministerialis.* De etymo vocis V. Dominicum *de Prærogat. Aldiorum lib.* 1. *n.* 8. Ab eadem origine *Aldionarii* dicti sunt, quos inter officiales Regios recenset *Charta* Caroli M. quæ extat in Chron. Farfensi *p.* 653. *Ducibus, Comitibus, Castaldiis, Vicariis, Centenariis*, Aldionariis, *vel reliquis fidelibus nostris.* Ubi videntur longè potioris conditionis fuisse quam *Aldii* & *Aldiones.* Item *Aldionaricia*, habitacula *Aldionum* & *Aldiarum*, quæ cum ipsis possessionibus vænibant, in *Charta* Ludovici & Lotharii Impp. in *d. Chron.* &c. Plura de his V. apud Car. du Fresne *Glossar.* & infrà in voce *Illaldiones.*

Alea, amnis Frodoardo *in Chron.* memoratus, apud Faram in Isaram Belgicum flumen decurrit, vulgò *Ale en Laonnois*: Laudunensem enim agrum irrigat. Verba Frodoardi in rebus anni 912. hæc sunt: *Karolus abnegato sibi introitu Lauduni, resedit super fluvium Saram, & Robertus castrametatus est super Aleam.*

Alea, inventum dæmonis Theuth, ut scribit Plato *in Phædro*: genus est lusus & exercitii adeò crebri receptique, ut inter edicta prætoria illud cautum apud Ulpianum sit, *in eum judicium non dari, quo aleæ ludendæ causâ vim intulerit.* Ejus usum etiam antiquam vocat Justinianus Aug *l.* 7 *C. de aleator. & aleæ lusu*: quod ultimè descripsit Joh. Saresberiensis *Polycrat. lib.* 1. *c.* 5. Alea, *exciso regno Asiæ, inter manubias eversæ urbis, non sub una tantùm specie migravit ad Græcos. Hinc tessera, calculus, tabula, senio, unio, dardana pugna, tricolus, monarcha, orbiculi, taliorchus, vulpes, quorum artem utilius est dediscere, quàm docere. Quis enim non erubescat, si fortis suæ gratiam virium non debeat, sed taxillis*, &c. Juvenalis *Sat.* 14. *initio.*

Si damnosa senem juvat alea.

Eam pro quolibet ludo, in quo Fortuna & casus dominantur, accipiunt, adeoque etiam pro *tesseris* ac *talis*. L. Sen. *in Claud. Apotheos*,

Cùmque recollectos auderet mittere talos,
Lusuro similis semper, semperq; petenti
Decepere fidem refugi: digitosque per ipsos
Fallax assiduo dilabitur alea furto.

Cui quoque, ut & latrocinio comparatur. ab Aristotele *Ethic. ad Nicom lib 4 cap.1*. Certè Romanis legibus penitus interdicta, dato Ædilibus negotio, animadvertendi in *Aleatores*, ut qui in disciplinam civium publicam peccarent. Martial. *lib. 5. Epigram.85*.

Arcana modò raptus è popina,
Ædilem rogat udus aleator.

Sed tempore Saturnalium saltem eâ ludere licuisse, videtur innuere Horatius *lib.3. od. 24*.

Nescit equo rudis
Hærere ingenuus puer,
Venarique timet, ludere doctior,
Seu Græco jubeas trocho,
Seu malis vetitâ legibus aleâ.

Lusere tamen eâ viri Principes, M. Cato & Artaxerxes, Plut. *in Vitis*. Augustus, Sueton. *cap. 71*. Eutrop. & P. Victor. Claudius Cæsar, Sueton. cap. 33. Domitianus Aug. apud eundem *cap. 21* Verus apud Jul. Capitolinum. Theodoricus quoque Gotthorum R. qui *lucrum inter domesticos partiebatur, ut gratiam promereretur*. Sidonius Apollin. *lib.1. Epist 2. &c.* Hinc prov. *Jacere aleam*, V. Thom. Dempsterum *Antiqq. Rom. lib.5. paralip. ad cap.1.* & hic infrà.

Alea lusus, cum ludo calculorum malè à nonnullis confunditur, putantibus πεσσοὺς seu πεττοὺς Græcorum, Latinorum *calculos* esse. Calculorum enim lusus, idem cum Latrunculorum, apud Græcos Latinosque solis calculis peragebatur, nullis tesseris: quare *Aleam* non habebat, sed solam artem. Itaque πεττεία est Græcorum, tesseris calculisque constans, artique pariter ac fortunæ obnoxia; quam Romani aliter *Tesseras*, *Tabulam*, *Duodecim scripta*, appellarunt. Adhibebantur nempe tesseræ ad illum lusum, nec in solis calculis res erat posita, ut in ludo Latrunculorum: unde Græci πεττοὺς modò pro calculis, modò pro tesseris accipiunt, ludumque ipsum modò πεττείαν, modò κυβείαν, vocant. Quanquam autem plures *Aleæ* species & artes essent, hanc propriè tamen & per excellentiam *Aleam* appellarunt, quæ cum tesseris & calculis in tabula vel alveo lusorio luditur: de quo ludi genere accipienda sunt, quæcunque in Vett. libris de damnosa & vetita legibus alea dicta occurrunt. Vetustus habetur cento ex Virgilianis contextus versibus & *de Alea* inscriptus, qui totam hanc in tabula calculisque ludendi rationem luculentissimè & elegantissimè exponit: cujus carminis initium ita omnino habet,

DE ALEA.

Artis opus raræ, tua si mihi certa voluntas,
Expediam dictis, donum exitiale Minervæ.
Tu vatem, tu Diva mone. nunc ipsa vocat res,
Et furiis agitatus amor.

Isidorus *Origin lib 18. Alea, id est, lusus Tabulæ, inventa à Græcis, in otio Trojani belli, à quodam milite, nomine* Alea, *à quo & ars nomen accepit.* Sed de *Alea* milite nugæ solennes Isidori. *Lusum Tabulæ* verò cùm vocat, per synecdochen loquitur: In tabula enim lusoria, ut hodie apud nos, sic olim apud Vett. duplex præcipuè ludus ludebatur, calculorum sc. seu Latrunculorum, & tesserarum, quem & *Tabulæ lusum* & *Aleam* & XII *scriptorum ludum* appellabant; quoniam tabulæ pars, quæ tesseris serviebat, duodecim scriptis erat notata, in quibus ponebantur calculi: per quas lineas seu scripta movebantur varioque positus ac situs accipiebant, ex vario tesserarum jactu. Hinc vetus *Epigramma* de Tabula,

Discolor ancipiti sub jactu calculus astat,
Decertatque simul candidus atq; rubens:
Et quamvis parili scriptorum tramite currant,
Is capiet palmam, quem bona fata juvant.

Scriptorum tramitem vocat scripta illa sive lineas, per quas calculi currebant: οἶμα vocat Agathias in *Epigrammate* de eodem lusu: *vias* etiam Isidorus, *cap. de figuris aleæ lib. 16.* τόπους & χώρας iterum Græci; unde μονόχωρος, infelix tabulæ lusor, qui ad unum scil. calculum redactus erat, quique omnes suos calculos amiserat. Nam in hoc lusu vincebatur, qui cum paucioribus calculis erat relictus. imò qui omnes ad unum amittebat. *Capsos* & *Septa* Latini, Græci χαρακώματα, vocarunt quoque hæc scripta, de quibus V. suo loco. Porro, in hoc lusu ars cum fortuna certabat, cùm fortuna ex tesserarum jactu, ars, in calculorum dispositione, posita esset. Licebat itaque, quod fortè malè cecidisset, id arte corrigere, rectè sc. ludendo & peritè calculos ponendo. Hinc illa Comici,

Ita vita est hominum quasi cùm ludas tesseris,
Si illud, quod maximè opus est jactu, non cadit,
Illud quod cecidit fortè, id arte ut corrigas.

Qui proin malè jactarat, malè jacta non dabat, sed artem pro fortuna adhibebat & in melius reponere tentabat, quod infeliciter ceciderat. Contrà Ovidius præcipit amanti, cum amica sua ludenti, ut & malè tesseras jactet & malè calculos moveat, sicque de industria perdat & se vinci patiatur:

Sed ludes numerosque manu jactabis eburnos,
Tu malè jactato, tu malè jacta dato.

Jactabantur tesseræ, dabantur calculi, & ex vario tesserarum jactu variè per scripta & lineas movebantur ac disponebantur calculi; quam πολυδαίδαλον θέσιν calculorum vocat Agathias *Epigramm.* in tabulam Zenonis, ubi toto illo narrat, qualis situs vel ordo ac positio calculorum fuerit, nigrorum alborumque; *ordinem* nominat Quintilianus; τοπικὰς μεταστάσεις τῶν ψήφων, *Epist. 23. lib.1.* Aristænetus, apud quem infelix ex æquo amator ac aleator, quoties cum rivalibus suis luderet, adeò præ amore nihil videbat, ut sæpe ex jactu tesserarum, quem ipse jecerat, non suos, sed adversariorum calculos, moveret ac ordinaret. Quotiescunque autem aliquis hunc lusum ludens calculum dedisset & mox pœnitentiâ ductus, datum reducere ac revocare vellet, licebat hoc ei facere, modò fieri concederet is quicum ludebatur. Cicero, *Ita tibi concedo, quod in duodecim scriptis olim, ut calculum reducas, si te alicujus dati pœnitet.* Quod Græci dicunt ἀναθέσθαι ψῆφον, *calculum reducere*, ut videre est apud Platonem in *Hipparcho*. Unde per metaph. μετανοεῖν, τὸ ἀναθέσθαι est apud Hesychium, &c. Cùm igitur jaci propriè dicerentur tesseræ, dari calculi, hinc *jactus* videtur propriè vocari debuisse tessera, quòd jaceretur; *datus* autem calculus, quòd daretur: at Galli viceversâ hodie *dates* vel *dados* vocant tesseras *jactos* verò calculos. Unde *jacti* vel *jactones* iis hodieque dicuntur calculi quibus in putandis rationibus utuntur. Sed & Græci βόλους, i. *jactus*, non tantùm tesserarum jactus, sed etiam tesseras ipsas nuncuparunt, item βολίδας. *Epigr.* Græcum εἰς τύβλον,

Μήτε σὺ νικήσας μεγαλίζεο, μήτ' ἀπὸ λυθεὶς
Ἄχνυσο τὴν ὀλίγην μεμφόμενος βολίδα.
Neque verò cùm viceris, te magnifac, neque deficiens
Dole, exiguam increpans tesseram.

Et quemadmodum πεττοὺς Græci & pro *tesseris* & pro *calculis* usurparunt, sic Latini etiam tesseras posuerunt, ἀντὶ κύβων & ἀντὶ ψήφων. Glossæ, *tesseræ*, βόλοι, ψῆφοι. Græci quoque recentiores τάβλια tam de calculis, quàm de tesseris, dixere, &c. Calculi verò sive ψῆφοι, quibus in tabula ludebatur, erant rotundi, numero quindecim, tesseræ tres &c. V. infrà. Cùm autem *Aleæ* seu *Tabularum ludi* inventor dicitur Palamedes, ut inter alia videre est apud Sophoclem in *Tragœdia cognom.* non intelligendus is est, quem hactenus descripsimus, sed πεττεία simplex & solis quinque calculis ab utraque ludentium parte tractari solita, absque tesseris. Quinque enim calculos unusquisque lusorum habebat in quinque lineis ponendos, hinc πεσσὰ πεντέγραμμα Sophocli: Sic decem lineas habebat tabula in qua ludebatur & unam præterea medianam, quæ inter decem illas protensa *sacra* dicebatur. Operosior verò illa & ingeniosior πεττεία, de qua hactenus, Ægyptiorum est εὕρημα; tota Philosophicè & ad rationem Astronomicam composita & excogitata, uti diximus, suprà in voce *Ægyptiaca πεττεία*. V. plura hanc in rem apud Salmasium *Not. ad Flav. Vopiscum in Proculo*, & infrà passim, inprimis in *Tabula* & *Tricktracum*.

Alectoria Gemma, seu *Alectorius Lapis*, memoratur in *Excerptis* Solini Metricis,

Est & Alectorius *gallorum in ventre lapillus,*
Ut faba, crystalli specie, pugnantibus aptus.

In ventre n. galli gallinacei crescere ac coalescere dicitur; Sicut Dracontia, in capite draconis. Quòd verò addit, *pugnantibus aptus*, confirmatur à Solino *cap. 1.* ubi de Milone, *Victor omnium certaminum, quæ obivit, Alectoriâ usus traditur, qui lapis specie crystallina &c.* Et Plinio *lib.37 cap 10. Alectorias vocant, in ventriculis gallinaceorum inventas, crystallinâ specie, magnitudine fabæ: quibus Milonem Crotoniensem usum in certaminibus, invictum fuisse videri volunt.* A' voce ἀλέκτωρ, seu ἀλεκτρυὼν, *gallus* in genere & per excellentiam *gallus Persicus* seu *Medicus*, à tiara sive cristâ rectâ, quam capite gerit. Salmasius *ad Solinum passim*, *inprimis pag. 387*.

Alentio, vulgò *Alençon*, opp. est Galliæ ad Sartam flum. cum tit. Ducatus: caput pagi *Alentionensis*, vulgò l' *Alençonnois*. Mentio apud Auctorem *libri de Gestis Consulum Andicavorum*, cùm ait: *Rex Henricus subitò ejectis Consulis Andegavensis Fulconis custodibus, ex arce* Alentionis *castri, suos posuit.* Hodie corruptè dicitur *Alenconium*, V. ibi, & Hadr. Valesium *Not. Gall.*

Aleria, adde: Coloniam in Corsicam deduxit Sulla, *Aleriam*, Marius Marianam: Postquam excisa fuisset à L. Scipione, uti legimus apud Florum *lib.2. cap.2. Lucio Cornelio Scipione, quum jam Sicilia suburbana esset, populi Romani provincia, serpente latiùs bello, Sardiniam adnexamq; Corsicam transiit: Olbiæ hic, ibi Aleriæ Urbis excidio incolas terruit.* Hinc vetus *Inscr.* Scipionis hujus ad portam Capenam haud pridem effossa:

HIC. CEPIT. CORSICA. ALERIAQUE URBE.
DEDET. TEMPESTATIBUS. ÆDE. MERETO,

apud Salmasium *ad Solinum pag.* [illegible]

Avis Superba, apud Martialem *lib.6. Epigramm. 55.*

Quòd semper casiâque cinnamoque
Et nido niger alitis superbæ
Fragras plumbeâ Nicerotianâ.

Phœnix est, V. Claudium Salmasium *ad Solinum pag.* 303. ut & infra in hac voce.

Alesatia, Germ. *Elsass*, hodiè Alsatia, Gallis olim *Aussois*, vel *l'Aussois*, item *Aussay*, nunc *l'Alsace*, regio Germaniæ super. jam inde à Principatu Ludovici Pii, ante annos 830. Ducatus tit. insignis. In Annalibus Bertinianis *Ducatus Helisatiæ* appellatur, ponitúrque inter Ducatum Ripuariorum & Ducatum Alamanniæ. Divisio Regni Lotharii A.C. 870. facta *Elisatium* Basiliensi pago pagum proximum facit, in eoque duos Comitatus ponit, Hadr. Valesius *Not. Gall.* Imò jam à Theodorico R. Francorum, Ethico seu Athicus cognom. *Adelricus*. fil. Leudesii Majoris-Domus, ab Ebroino circa A.C. 680. cæsi, Ducatum Alesatiæ nactus, Ehenhemii habitavit, maritus Bersuindis, cujus soror Blidechildis Chilperico II. R. nupserat. Ei successit in Ducatu hoc fil. Adelbertus, huic fil. Eberhardus, fundator Mon. Murbacensis, A.C. 724. quorum linea brevi extinctâ hæredem dicitur habuisse Guntramnum Habspurgensem, familiæ hujus Augustæ satorem. Hujus enim Pater Hugo Comes, abnepos Ethonis seu Hettonis (qui frater Adelberti D. erat) communis, per tres filios, trium familiarum ex *Alesatica* procedentium, *Lotharingicæ*, *Dagsburgicæ* & *Habspurgicæ* Pater fuit. Adelbertus postea seu Albertus Dives, ex Guntramni prædicti posteris, avus Rudolfi I. Imper *Landgravii Alsatiæ* titulum primus tulit, &c. V. plura in voce *Alsatia*.

Alesia, opp. Mandubiorum, *in colle summo, admodum edito loco* Cæs. *lib.7. cujus collis radices duo duabus ex partibus flumina subluebant*: in vulgatis exemplaribus *Alexia* Ab Hercule ex Iberia per Celticam revertente conditum, teste Diodoro Sic. *lib.* 4. & ἀπὸ τῆς κατὰ τὴν στρατείαν ἄλης, *i. ab ejus expeditionum errore* Ἀλησία, dictum: Liberum perstitit, donec à Julio Cæsare, quem *ibi à Gallis obsessum* Tacitus refert, vi captum & unà cum cœteris Celtis Gallisque Imperio Romano subjectum est, aut, si Floro fides, flammis solo æquatum. Situm est in extremis Æduorum finibus, caput pagi *Alesiensis*, qui hodieque Episcopo Augustoduni Æduorum paret. Hodie *Alesia*, proxima vico Flaviniaco, in Ducatu Burgundiæ; & regione Alsieto, nunc in vici formam redacta, nomen priscum retinet, *Alise* vulgò: estque colli declivi imposita, ad cujus radices amnicum Lutosa, *Loze*, & Osera, *Oserai*, decurrunt, in Brionam *Brenne* Pagus verò *Alesiensis*, vulgò *Auxois*, vel cum articulo *l'Auxois* & *l'Aussois*, recentioribus Lat. corruptè *Alsetum*, castellis & vicis quibusdam cognomen dedit, inprimis Pulliaco vel Paulliaco, *Pouilli en l'Auxois*; Malliaco castello, *Mailli en Auxois*, Sinemuro, *Semur en l'Aussois*; Tejo vel Tiaco, *Ty en l'Osoy*. Meminit urbis, quam *ab alendo* dictam vult, Erricus Monachus *lib. de Vita S. Germani lib.* 4. *cùm sic canit:*

Te quoque Cæsareis fatalis Alesia *castris*
Haud jure abnuerim calamis committere nostris,
Quæ quòd alas proprios pr...pingui pane colonos,
Nominis adjectu quondam signata putaris,
Te fines Eduos & limina summa tuentem,
Aggressus quondam sævo certamine Cæsar,
Nunc restant veteris tantùm vestigia castri.

Alethina, V. infra *Alithina*.

Aletum, civitas olim non ignobilis Galliæ, in prov. Lugdunensi tertia, quæ à Metropoli *Turonica* nomen habet. Ejus meminit *Not.* Imp. his verbis: *Sub dispositione spectabilis Ducis tractus Armoricani & Nervicani Præfectus militum Martensium* Aleto. Vett. autem *Not.* provinciarum Galliæ nullam ejus urbis maritimæ mentionem faciunt, quæ in tractu Armoricano posita, præsidium militare cognomine Martensium habuit, Præfecto suo parentium, & dispositioni Ducis tractus Armor. & Nervic. subjectorum, ut à latrociniis ac prædationibus Francorum & Saxonum, ea tum maria quotidianis incursionibus infestantium, defenderetur. Inter Britannos Episcopos, qui à Nomenoio Regulo virgas & annulos abjicere coacti sunt, Salaconem *Aletensem* memorant, circa A.C. 850. Alberti Episc. meminit Rotbertus de Monte *in Chron.* 1181. ut & Maclovii vel Machavi Britanni, qui & Machutes dictus est. Caput fuit pagi cognom. dictumque videtur Britann. linguâ *Guich-Aleth*, quasi *burgus* seu *vicus Aletensis*. Visuntur hodieque rudera murorum & portus eo in loco, castrumque Solidorum *Solidor*. Diruto verò Aleto, sedes Episc. translata est in peninsulam S. Maclovii, mille plus minus passibus inde distantem & Oceano fere circumfusam, quæ urbs S. Maclovii *S. Malo*, vel *S. Malo de l'Isle* vocitatur. Rinctum fluv. vulgò *Rance* ab uno latere, sicut mare ab altera, *Aletum* olim alluisse, docet Auctor *Vitæ Machutis*, apud Hadr. Valesium *Not. Gall.*

Reges, Principes & Viri celebres.

Alexander III. cognom. Magnus, adde; Eum, ut & Philippum Amyntæ, universi Macedones divino cultu prosequuti sunt. Justinus *lib.24. Nunc orbitatem amissorum filiorum dolebant, nunc excidia urbium metuebant, nunc* Alexandri *Philippique, Regum suorum nomina, sicut Numina, in auxilium vocabant.* Ubi sermo est de Macedoniæ statu, Gallis in eam irrumpentibus, post cladem Ptolomæi Cerauni. Idem ab Jonibus factitatum, apud quos, supra Clazomenios, latere eo, quod Chalcidenses occuparant, fuit lucus *Alexandro M.* sacer: ac certamen etiam communi Jonum nomine peragebatur, quod Ἀλεξάνδρεια dixere, ut de utroque auctor est Strabo *lib* 14. Sed & aras *Alexandro M.* Cæsarique Augusto consecratas, ad Borysthenem, memorat Ammianus Marcellinus *lib* 22. Imò sequiore ævo inter Romanos, luxu in immensum aucto, aurea ejusdem Regis numismata calceis ad pretiosiorem ornatum, jungi consuevisse, discimus ex Chrysostomo, qui *Homil. ad Pop. Antiochenum*, *Quid verò*, ait, *diceret aliquis de circumligantibus aurea Alexandri Macedonis numismata pedibus: Dic mihi, hæne sunt spes nostræ, ut post crucem Domini, gentilis Regis in imagine spem salutis habeamus*: Nempe, etiam Christiani, hos enim Chrysostomus alioquitur, Gentilium imitati luxum ac superstitionem, ad bonum prosperi eventûs omen, Alexandri auream imaginem calceis annexam solebant gestare, quem ritum aureus ille Ecclesiæ Doctor meritò reprehendit. V. Ben. Balduinum *de Calceo antiq. cap.18. & 22.*

Alexander VII. Pont. Rom. adde, quæ infrà habentur in vocibus *Catoptrica Alexandri VII. exhibitio*, ut & *Speculum Ustorium*, Hinc *Alexandrinus* Obeliscus, inter XIII. illos, qui Romæ visuntur, ab *Alexandro* sc. VII. Pontif. cui eum Ath. Kircherus dedicavit, nomen habet. Latera illius sequentibus epigraphis ad quodlibet quatuor laterum abaci ornantur. In quorum uno sic legitur: *Alexandro VII veteris sapientiæ Magistro, Obeliscum ad veterum Ægyptiorum mentem hieroglyphicis notis inscriptum erexit & dicavit*, A.K. In altera facie, *Alexand. VII. P.M. reconditioris eruditionis oraculo Obeliscum hunc Encomiastico symbolorum contextu inscriptum erigit & consecrat* A.K. In tertia, *Alexand. VII P. M. Osiri redivivo Obeliscum hunc arcanis veterum Ægyptiorum notis inscriptum erigit, dicat*, A.K. In ultima verò, *Honori & immortalibus meritis* Alexand. *VII. P. O M. Obeliscum hunc ad Ægyptiacæ sapientiæ normam inscripsit, erexit, consecravit* A.K. . Georg. de Sepibus *in Collegii Rom.* S. I. Musæo p.12. V. quoque infrà *Minervæ obeliscus.*

Alexander, filius Johannis Jun. Holsatiæ D. Sonderburgicæ lineæ conditoris, hanc continuavit: ei in regimine successit fil. Johannes Christianus, pater Christiani Adolphi. Reliqui ejus liberi fuere *Alexander* Henricus, transitu ad Rom communionis sacra & indigno matrimonio contracto notus, Ernestus Guntherus, Georgius Fridericus, Augustus Philippus, initò duarum sororum è familia Oldenburgica, dein Mariæ Sibyllæ Nassoviæ, maritus, Hollandorum primo, inde Imperatoris Leopoldi in Hungaria miles & Phil. Ludovicus, Gen. vigilum apud Cæsareanos eodem bello præfectus, Phil. Jac. Spenerus *Sylloge Geneal. Histor.*

Alexander, filius Ludovici cognom. *Nigri*, (qui Stephani secundo genitus filius & Ruperti Imper. nepos fuit,) Dux Bipontinus, Patri successit; ex morbo pustularum *Claudus* & *Valetudinarius* cognominatus. Agnatum Electorem in Bavarico bello non parum vexavit, communis Pater, ex duobus filiis Ludovico & Ruperto, totidem linearum Bipontinæ & Lucelsteinæ, Idem.

Alexander, seu *Alexandrinus*, cognom. *Æmiliani*, unius ex Triginta Tyrannis Romanorum, de quo sic Treb. Pollio; *Thebaidem totamque Ægyptum peragravit & quatenus potuit barbarorum gentes forti auctoritate submovit. Denique* Alexander *vel* Alexandrinus (*nam incertum id quoque habetur*) *virtutum merito vocatus est.*

Alexander Emesenus, sub Commodo Imp. defectionem molitus, misere periit. Æl. Lampridius *in Commodo. Nec alia ulla fuit defectio, præter* Alexandri, *qui postea se & suos interemit & sororis Lucillæ* Ad quæ verba, *Quis iste*, quærit Casaubonus: *sine dubio Julius ille est Alexander Emesenus, de quo est apud Dionem unum. Sed de illius defectione nihil apud nobilissimum Auctorem.* V. Dionem, ubi de puero ejus delicato, dignam habes lectu historiam.

Alexander Tortagricus IC. Imolensis fuit; Patavii, Ferrariæ & Bononiæ annos prope triginta jus civile interpretatus est, relictisque liberis compluribus, obiit A.C. 1475. æt. 50. Hottomannus apud Joh. Calvinum *Lex. Jurid.*

Alexandra seu *Alexandria*, filia Cassii Tyranni, memoratur Jul. Capitolino in *Marco Antonino Philos. Ipsum Cassium pro clementia occidi passus est, non jussit. Filii autem Cassii, & amplius mediâ parte acceperunt paterni patrimonii & auro atque argento adjuti, mulieres autem etiam ornamentis, ita ut Alexandria filia Cassii & Druncianus gener liberam vagandi potestatem haberent, commendati amitæ mariti.* Et Vulcatio Gallicano in *Avidio Cassio*, qui eadem penè verba cùm repetiisset, addit: *Vixeruntque, non quasi Tyranni pignora sed quasi Senatorii ordinis in summa securitate: quum illis etiam in lite objici fortunam propriæ vetuisset domus, damnatis aliquibus injuriarum, quòd in eos petulantes fuissent.* In quo utroque loco filia hæc Avidii Cassii *Alexandria* vocatur, nec libri variant. Casaubonus tamen in codice Reg. & Puteani *Alexandra* legit, sicque scribi vult; sed parùm refert, inquit Salmasius, *Alexandra*, an *Alexandria* scribatur, cùm utrumque idem sit. Nam Ἀλεξάνδρα, Ἀλεξάνδρεια ut Πηνελόπη, Πηνελόπεια; & Κασσιόπη, Κασσιόπεια & similia. Sic herba, quæ *Alexandra* vocatur, aliis *Alexandria* dicebatur. Stephanus ἐν Ἀθηναῖς, ἔστι καὶ Ἀλεξάνδρεια βοτάνη καὶ φυτὸν, παρ' ἄλλοις δὲ Ἀλε-

ἐδόθη, ὅς ἐκ λελύσεται Ἀλέξανδρος ἐν τοῖς ἀγῶσι. *Est & Alexandria herba ac planta, aliis Alexandra, cujus foliis coronabatur Alexander, in sacris certaminibus* &c.

Alexandrea Laurus. V. infrà *Alexandrina*.

Alexandri Aræ, itineris & victoriarum ejus termini, haud longè à Tanai sive Jaxarte fl. Plinius *lib. 6. cap. 16. Gens hæc obtinet aversa montis Paropamisi ex adverso fontis Indi: includitur flumine Ocho. Ultra Sogdiani: oppidum Panda, ut in ultimis eorum finibus, Alexandria oppidum ab Alexandro magno conditum. Aræ ibi sunt ab Hercule ac Libero patre constitutæ, item Cyro ac Semiramide atque Alexandro: finis omnium eorum ductus ab illa parte terrarum, includente flumine Jaxarte, quod Scythæ Silin vocant: Alexander militesque ejus Tanaim esse putavere:* Atque hæc est Alexandria, quam Ptolomæus Ἀλεξάνδρεια ἐσχάτη vocat, in ultimis Sogdianorum finibus sita. Ptolomæus ad Tanaidem Ponticum, *Alexandri Aras* statuit: Sed hic Tanais ab illo longè diversus, ad quem condita Alexandria ultima. verùm ambiguitate vocis decepti Scriptores. Quâ in rem V. Salmas. *ad Solin. p. 789. & seqq.* & infrà in voce *Tanais*.

Alexandri Jactus, in ludo talorum, ab *Alexandro* nomen accepit; in Alexandri cujusdam Chio oriundi & Ephebi tumulo effigiatus: qui cùm mortem obiisset, hoc ipsum in cippo tumuli expressum fuit novem talis quorum quatuor situ suo jactum, qui vocabatur *Alexander*, referebant: alii quatuor jactum illum exhibebant, qui Ἔφηβος dicebatur, Unus unionem indicabat, qui Græcè χῖος dictus Hinc *Epigr.*

Ὡς οὐ τις Φθιμένοιο ... ἡ τὸ ...

Πνεῦμα διὰ Φθιμένοιο ... ἀρχαῖον.

V. Salmasium *ad Solinum pag.* 1211. & infrà ubi de *Talis*.

Alexandria, adde: Ammiano *lib.* 22. *vertex omnium civitatum*. Plura apud Salmasium *ad Solinum passim*.

Alexandria Commoda Togata, à Commodo Imp. Carthago ridiculè appellata est, ut habet Æl. Lampridius in *Vita* ejus: *Classem Africanam instituit, quæ subsidio esset si fortè Alexandrina frumenta cessassent. Ridiculè etiam Carthaginem*, Alexandriam Commodam togatam *appellavit: quum classem quoque Africanam, Commodianam Herculeam appellasset.*

Alexandriæ Juridicus, dicebatur olim, quem Cæsares Alexandriam mittebant, ad jura reddenda. Sine publico enim consilio, uno Judice contenti vivebant, quem Cæsar dedisset, à quo sub Julio Cæsare, Alexandrini, in Rom. cessère potestatem, ordinatione Ægypti sic per Augustum factâ, ut habet Dio *lib.* 51. qui, cùm hoc ita cavit, videtur ob oculos habuisse vetus exemplum in Campanos editum, cùm receptæ Capuæ victor P.R. Leges imposuit. *Cùm quidem*, inquit Livius, *habitari tantùm, tanquam urbem, frequentarique placuit: corpus nullum civitatis nec Senatum, nec plebis consilium, nec Magistratus esse: Sine Consilio publico, sine Imperio, multitudinem nullius rei inter se sociam, ad consensum inhabilem fore: Præfectum ad jura reddenda ab Roma quotannis missi*. Quod obtinuit usque ad principatum Severi, qui jus Curiæ Alexandrinis concessit Æl. Spartianus in *Vita* ejus. *Alexandrinis jus Buleutarum dedit, qui sine publico Consilio, ita ut sub Regibus, antè vivebant — Multa præter ea his jura mutavit.* Postea ulteriùs itum, & cùm lege Augusti legi in Senatum P. R. civis Alexandrinus non posset; id quoque mutatum lege Antonini Severi F. auctore ibidem Dione: V. de Curia Alexandrina in *Cod. de Decurionibus*, & Casaubonum *ad Spartianum*.

Alexandriani Sodales, apud Æl. Lampridium *in Severo*, ubi de hujus consecratione verba facit. *Dati sunt & Sodales, qui* Alexandriani *appellati sunt: addita & festivitas matris nomine, atque ipsius, quæ hodieque Romæ religiosissimè celebratur natali ejus die*: ab *Alexandro* sic dicti sunt, quemadmodum Marciani Sodales, Antoniniani, Aureliani & similes. Quare malè editum *Alexandrini*; ab Alexandria enim urbe, civis *Alexandrinus*. De Alexandro autem hoc in Deos relato, V. Casaubonum & Salmasium *Not. ad l.*

Alexandrina, dicta olim, quæ à Polymitariis texerentur, quorum stragula, quòd multis ea liciis texebant, *polymita* inde Græcis vocabantur: Hunc enim texendi modum & artem Alexandriæ primùm institutam esse, refert Plinius, ubi ait, *Plurimis verò liciis texere, quæ polymita appellant, Alexandria instituit.* Non acu operabantur autem Alexandrini illi Polymitarii, sicut Phrygiones Plumariique, sed pectine; nam in tela & textoriis instrumentis artem suam exercebant ac per hoc verè proprieque texebant. Interim tantum eorum fuit artificium & industria, ut majore fere varietate eorum opera distinguerentur, quàm quæ acu Babyloniâ aut Phrygiâ picta essent. Hinc Martialis pronuntiare non dubitat, Babyloniam acum Alexandrino pectini concedere debere; quod hoc ejus *Epigr.* testatur, cui lemma impositum, *Cubicularia polymita*:

Hæc tibi Memphitis tellus dat munera, victa est
Pectine Niliaco jam Babylonis acus.

Certum igitur est, hujuscemodi *Alexandrina* polymita, tam varia olim texi consuevisse, tamque variis coloribus & picturis intexi, quàm ipsa Babylonica solebant & Phrygionica opera, quæ acu plumabantur. Nam & in his & belluarum & hominum & avium aliarumque rerum formæ exprimebantur, haud secus atque in Babylonicis. Unde *Alexandrinorum belluatorum* meminit Plautus, in *Pseudolo*, hæc polymita indigitans,

Neque Alexandrina belluata conchyliata tapetia

Et meminit *Alexandrini veli* Anastasius, duodecim phasianos intextos habentis, in *Gregor.* IV. &c. Salmasius *Not. ad Vopiscum in Carino Imp.* Plura in hanc rem V. infrà ubi de *Polymitariis & Polymitis*.

Alexandrina Aqua, seu *Alexandrinæ Thermæ*, Romæ ab Alexandro Severo extructæ, memorantur Æl. Lampridio in ejus *Vita*: *Opera veterum Principum instauravit: ipse nova multa constituit: in his thermas nominis sui, juxta eas, quæ Neronianæ fuerunt, aquâ inductâ, quæ* Alexandrina *nunc dicitur. Nemus thermis suis de privatis ædibus suis, quas emerat, dirutis ædificiis fecit. Oceani solium primus inter Principes appellavit &c.* V. Urbis descriptiones, in Regione IX.

Alexandrina Basilica, instituta Romæ ab eodem Imp. inter Campum Martium & Septa Agrippiana, in latum pedum centum, in longum pedum mille, ita ut tota columnis penderet: quam tamen efficere morte præventus non potuit. V. Æl. Lampridium *d. l.*

Alexandrina Faba, ab Ægyptia distincta, licèt *Alexandria* Ægypti esset. Faba n. Ægyptia, quæ in ponderibus altero tanto pendebat, quàm Græca, verum fuit legumen Ægyptii soli: *Alexandrina* v. quæ in iisdem ponderibus locum habuit, minus quidem pendebat, quàm Ægyptia, at magis, quàm Græca. Quatuor quippe obolos pensabat Ægyptia faba, tres *Alexandrina*, duos Græca. Adamantius *de Ponderibus*, Ὁ Κύαμος ὁ Αἰγύπτιος ἔχει ὀβολοὺς τέσσαρας, ὁ Ἀλεξανδρινὸς ὀβολοὺς τρεῖς, ὁ δὲ Ἑλληνικὸς ὀβολοὺς δύο. Unde apud Neophytum Monachum in *Lexico Herbar.* faba Ægyptia appellatur, ὁ μέγας κύαμος, *magna faba*: & talis nascebatur in tota Ægypto, Alexandrino solo excepto, ubi peculiare fabæ genus proveniebat, minus quàm in reliqua Ægypto. V. Salmasium *ad Solinum pag.* 981.

Alexandrina Laurus, apud Plinium *lib.* 15. *cap.* 30. *Est & Alexandrina, quam aliqui Idæam, alii Hippoglosson, alii Daphnitin, alii caryophyllon, alii hypelaten vocant*: corruptè, pro *Alexandrea Laurus*. Non enim ab *Alexandria* urbe, sed ab *Alexandro* Paride, quòd eâ coronari soleret in agonalibus certaminibus, nomen accepit, hinc *Stephanos* quoq; *Alexandri* dicta, apud Plin. eundē, ubi de daphnoide. Fuisse autem in ludicris his certaminibus exercitatum Paridem, discimus ex hoc Poetæ,

Solus qui Paridem solitus contendere contrà &c.

V. Salmasium, *ibidem, pag.* 404.

Alexandrina Purpura, ab eodem Alexandro Sev. nomen habuit. Lampridius de eo, *Purpuræ clarissimæ non ad usum suum, sed ad matronarum si quæ aut possent, aut vellent, certè ad vendendum gravissimus exactor fuit: ita ut* Alexandrina purpura *hodieque dicatur, quæ vulgò Probiana dicitur, idcirco quòd Aurelius Probus baphiis præpositus id genus muricis reperisset.* Sensus est, clarissimæ purpuræ genus, *Probianum* vulgò ætate suâ appellatum, ab inventore quodam Probo, *Alexandrianum* etiam fuisse dictum, de nomine *Alexandri*, quòd clarissimam purpuram solitus esset exigere. Clara itaque omnis purpura generali appellatione dicebatur *Alexandrina*. quòd claræ purpuræ gravissimus & fastidiosus exactor olim extitisset Alexander: Hinc & illud etiam purpuræ genus longè clarissimæ, ab Aurelio Probo repertum, & vulgò *Probianum* ab eodem dictum, *Alexandrinum* quoque vocabatur: quod erat nomen commune omnium clarissimarum purpurarum jam inde ab hoc Alexandro &c. Salmasius *ad l.*

Alexandrinæ Thermæ, V. suprà *Alexandrina Aqua*.

Alexandrini Sodales, V. suprà *Alexandriani*.

Alexandrinum Opus apud sæpius jam dictum Lampridium, ubi de eodem Alexandro Imp. loquens, ait, *Alexandrinum opus marmoris de duobus marmoribus, hoc est, Porphyretico & Lacedæmonio, primus instituit, Palatio exornato hoc genere marmorandi*: non est marmorationis genus è duobus marmoribus, quod jam Claudii & Neronis temporibus Romæ cognitum est, ut discimus ex Plinio *lib.* 25. *cap.* 1. & iis quæ *ad Manilii Sphæram barbaricam* accuratè disputat Josephus Scaliger, de variis vermiculationis & Musivi operis generibus, quemadmodum & Seneca quoque. Alexandrina marmora crustis Numidicis solita temporibus suis distingui, memorat: Sed novum illius marmorationis aliquod genus, è Porphyretico & Lacedæmonio, Salmasius *Notis ad h. l.*

Alexandrinus calamus, Celso vocatur calamus Indicus, quòd ab India in Arabiam, hinc in Syriam; indeque *Alexandriam* perlatus, ex hac urbe cum cæteris Orientis aromatibus Romam afferretur. V. infrà in voce *Calamus*.

Alexius Aristinus, Diaconus Ecclesiæ CP. ut illum appellat Gilb. Genebrardus *lib. de Trinitate*, inter Græcos Canonistas, Zonaram sequitur. Scripsit Epitomen Canonum, jussu Johannis Comneni Imp. ut observat Leo Allatius *de Collat. Ordd.* quod factum seculi duodecimi anno trigesimo. Inscribitur opusculum, ἐπιτομὴ Ἀρεσίνου σύνοψις τῶν ἱερῶν κανόνων. Ejusdem auctoris fragmentum penès se habere, refert Genebrardus, cujus tit. Σύνοψις τῶν ὅλων ἱερῶν τῶν ἐκτεθέντων παρὰ τῶν οἰκουμενικῶν ἁγίων ... συνόδων καὶ τῶν μεταξὺ τῶν αὐτῶν τοπικῶν. Continet autem opusculum hoc Epitomen tantùm seu Indicem Codicis Canonum Ecclesiæ universæ, servato ordine priorum Conciliorum, Niceni viz. Ancyrani,

tyrani, Neo Cæsarienſis, Gangrenſis, Antiocheni, Laodiceni, Conſtantinopolitani, Epheſini & Chalcedonenſis, omiſsâ tamen numerorum ſerie, additis in principio Canonibus Apoſtolicis; tum Sardicenſibus, Africanis XXII. Trullenſibus tribusque Epiſtolis Canonicis S. Baſilii, ut docet Chriſt. Juſtellus *Præfat. Part. II. Biblioth. Juris Canon. vet.* qui & opuſculum ſeu compendium hoc Canonum Græcè Latineque in eadem *Biblioth.* publici juris fecit. Omniatte collectionem hanc carere, & videri tantùm in ſubſidium memoriæ compoſitam eſſe, judicat Gerh. von Maſtricht *Hiſtor. Juris Eccl. num.* 281. & 282. Poſt *Alexium*, Conſtantinus Harmenopulus, *Epitomen Canonum* edidit, V. infrà.

Alfaquaquus, nomen Officii ſeu Dignitatis, apud Gregorium Lopez *ad LL. Alfonſinas, 2. part. tit.* 31. *L.* 1. Alfaquaquus *ſeu Redemptor captivorum ferat vexillum ſemper erectum, quocunque vadat & per viam Regalem & rectam pergat, non extra, in eaque maneat noctu*, &c. Vox Hiſpan. ſeu potiùs Arabica: ſicut & *Alfarda*, quod in Foris Aragonicis tributum notat Principi debitum, apud Michaelem *del Molino* in *Repertorio*, Car. du Freſne *Gloſſar.*

Alferus, in *Charta* Adelfonſi Imper. Hiſpaniæ, æræ 1188. *Nunio ſancti Petri*: & in alia æræ 1215. *Martinus Gunſalvi ſubſcribunt cum dignitate* Alferi *Imperatoris*, apud Yepezium *Tom. V. pag.* 438. & in *Bibl.* Cluniacenſi *pag.* 1436. Hiſpanis Vexillifer eſt ſeu Vexillarius. Cujus vocis originem ex Latino *Aquilifer* arceſſit Ambroſius Morales *Hiſtor. Hiſpan. Tom II. pag.* 7. Oyenartus in *Notis. Vaſconiæ lib.* 2. *cap.* 4. & alii, quos laudat Ægid. Menagius in *Originibus Ital. pag.* 32. & 951. Sed du Freſne eorum ſententiam præfert, qui eam ab Arabico deducunt, *Alpheres*, id eſt, *Eques*. V. quæ hac de dignitate apud Navarros, agit Oyenartus *d. cap.* Hinc *Alferena*, vexillum Alferi, in vet. *Charta*, apud eundem Yepezium *Tom. VI. pag.* 17.

Alga, Theophraſto Φῦκος i *fucus*; qui duplex θαλάσσιος, ſeu *marinus*, qui in mari quidem naſcitur, ſed propiùs terram aut littora, & πόντιος vel πελάγιος, *qui in alto* creſcit. Non omnis autem marina *Alga* ſeu fucus tingendo aptus: Sed Creticus ſolùm; quem quidem adeò alligari memorat Plinius, ut poſtea elui non poſſit, *lib.* 32 *cap.* 6. Theophraſtus v. Cretico fuco tænias & lanas veſtimentaque *tingi colore pulchriore, quàm purpura, quamdiu recens eſt*, docens, hanc *Algam* colorem remittere, nec retinere, innuit. Unde & Pſeudonymus Democritus, inter eos colores, Φῦκος recenſet, quos φευκτὰς καὶ οὐ ἱεράς vocat, *fugaces neque proin magni æſtimandos*. Tingebantur ergo eo colore lanæ, ſed evaneſcente tinctum ac fugiente. Unde idem Plinius, *fucum marinum conchyliis ſubſterni*, ſicque conchyliatæ veſtis tincturam eo colore præparari, refert, *lib.* 26. *cap.* 10. Atque ab hac *Alga* ſeu *Fuco* marino, tingendis veſtibus idoneo, omnis tinctura *Fucus* Latinis dicta eſt. Alius ab eo, Fucus, quo Mulieres ad expingendas genas utebantur; non enim *Alga maris puniceâ* hoc fine illas uſas eſſe, Dioſcorides docet, ſed Fuco terreſtri Syriacæ radiculæ, de qua V. infrà in voce *Fucus*, & plura hanc in rem apud Salmaſium *ad Solinum pag* 1146. *& ſeqq.*

Algazel, Arabibus dicitur dama *maritinguer*, quam ex Alberto, qui multa ab Arabibus didicit, Geſnerus ſic deſcribit *pag.* 306. *de Animal. Eſt & ſui generis Avicennæ Algazel, quam Albertus damam nominat libro vigeſimo ſecundo his verbis: Dama beſtia eſt magnitudinis capreæ, figuræ & pili. Sicut cervus cornua habens, ſed plana, longa & acuta. Eſt autem curſu velox, vitâ provida, cornupeta in adverſas ſibi beſtias. Arabicè vocatur Algazel.* Atque iſtiusmodi animal Bochartus judicat intelligi poſſe voce Hebr. ראם *Reem* vel רים *Rem*, quam *Monocerotem* vulgò interpretantur; imò *Reem* ſpeciem ejus eſſe. Nam cùm longa habeat cornua, meritò dicere potuit David, in Pſalmis, *Attollet cornu meum uti Reem*: cùm acuta, & iis feriat adversùs beſtias, bene dixit Moſes de Joſepho, *Cornua Reem ſunt cornua ejus, quibus feriet populos*; & rurſus David, *A cornibus* ꝑ *Reemim exaudi me.* Quamvis enim apud nos damæ & capreæ ſint animal pavidum & fugax, non neceſſe eſt, ut ubique terrarum ſic ſe habeant. Hinc de damis Martialis *lib.* 4. *Epigramm.* 55.

Frontibus adverſis molles concurrere damas
Vidimus & Fati ſorte jacere pari.

Et Epigramm. 74.

Aſpicis, imbelles tentent quàm fortia damæ,
Prælia? tam timidis quanta ſit ira feris?
In mortem parvis concurrere frontibus audent,
Vis Cæſar damis parcere, mitte canes.

Quaſi plus periculi ipſæ ſibi mutuo creent, quàm canes infeſtiſſimi &c. V. Bochartum *Hieroz. Parte prior. Lib. III. cap.* 27. & infrà paſſim, inprimis in *Gazella Monoceros, Oryx, Reem.*

Algebra, regulæ numerandi Arabibus dictæ ſunt: Joh. Schelvelius in *Brevi Regular. Algebræ deſcr. Porro harum Regularum inventionem adſcribunt Diophanto Græco Scriptori, qui ut auctor Regiomontanus, libris* 3. *eas deſcripſit, atque ut Latini Rei & Cenſus, ſic Arabes regulas illas vocabulo ſuo appellare ſolent* Algebras. Hinc *Algebra*, Scientia numerorum, de qua ſic Pſeudo-Ovidius *de Vetula lib.* 1.

Sed quia de ludis ſiebat ſermo, quid illo
Pulcrius eſſe poteſt exercitio numerorum?
Quæ divinantur memori plerique per unum
Ignoti notum, ſicut ludunt apud Indos
Ludum dicentes Algebræ, *Almuc grabalaque* &c.

Et *lib.* 2.

Algebræ *memor, qui ludus Arithmeticorum*;

apud Car. du Freſne *Gloſſar.* Idem quoque notat *Algoriſmus*, vox itidem Arabica, Hiſpanis, *Alguariſmo*, de qua V. Clavium *Algebræ lib.* 1. *cap.* 1.

Algeria, adde: Cùm priùs ſub Regno Thremeſeno eſſet, defecit proprio ſibi Rege conſtituto, quorum ultimus, nomine *Selimus*, à celebri illo pirata Horruccio Barbaroſſa A. C. 1515. occiſus eſt. Ita Regno *Algeriæ* potiti piratæ, urbem hanc ab eo tempore in hunc usque diem, commune omnium piratarum Maris Mediterranei receptaculum fecerunt. Georg. Hornius *Orb. Imper. pag.* 473. V. quoque infrà in vocibus *Barbaroſſa* & *Hariadenus*.

Algeſſaſa, inter monſtroſa, ſeu potiùs fabuloſa Arabum animalia, portentoſa illis dicitur bellua, quam Antichriſtus equitaturus ſit, ut res novas inveſtiget. Id enim propriè *giaſſa*. Ibnoſaida & alii latere illam dicunt in Maris inſulis: Abu David Segeſtanus verò in mari *Kolzom*, id eſt, *Rubro* degere, definit, ex triginta illorum hiſtoria, qui ex Mecchę portu *Gioddam* ſolventes, appulerunt ad Inſulam, in qua illis occurrens hæc bellua mira narraverit. V. Samuelem Bochartum *Hierozoici Part. poſterior. Lib. VI. cap.* 13.

Algia, ſaltus Galliæ, in Lexoviis, primùm memoratus Adelelmo, Sajenſi Epiſcopo, *in vita S. Opportunæ virginis*: ſitus eſt inter duos amniculos, ſeu inter S. Petrum & S. Barbaram loca ita dicta, ex una parte, ex altera Condate ac Macerias *Meſſieres*, habetque ad caput vicum *Saltum Algiæ*, vulgò *Saus d' Auge* & corruptè *Soudauge* nuncupatum. Dedit nomen circumjacenti pago, qui, in Normannia ſitus ferè, à Cadomo ad civitatem Lexoviorum pertinet, peregrinis Baſilicam S. Barbaræ, nobile Monaſterium Canonicorum Regularium, petentibus notiſſimus vulgò, quoque *Auge*. Eum memorat Guil. Britto *Philippidos lib.* 6. *his verſibus*:

Non tot in Autumni rubet Algia tempore pomis,
Unde liquare ſoles ſiceram ſibi Neuſtria gratam.

Et *lib.* 5.

— — — — — *Siceraque tumentis*
Algia potatrix.

Proximus urbi Lexoviorum eſt vicus, *Pons Algiæ* dictus, Gall. *Pont d' Auge*, V. Hadr. Valeſium *Not. Gall.*

Algidus axis, id eſt, Borealis. Apud Prudentium *in Symmachum lib.* 5. *verſ.* 534.

Stirps Julæ ductore exercitus audens
Prævaluit, gelido quem miſerat Algidus *axe*:

Hactenus legebatur. Sed unde tantam gloriam *Algido* monti, ut exercitus ab Italia profectus dici queat ab *Algido* miſſus, ut quidem Giſelinus interpretatur, nec aliam mentem verba recipiunt, inquit Gronovius. Aliàs vocabulo hoc Prudentius communi utitur: ut Καθημερ. *Vel ara vel ſaxa algida.* In *Pſychom ſive algida Borrhæ ætas*: ubi idem Gronovius jubet plorare codicem, ex quo oſtentatur: *Boreæ algida ſive*; Græci enim & Βόῤῥας & Βορέας dicunt. At iſto loco Bongarſianus,

— *gelidum quem miſerat algidus axis.*

Quæ lectio propior eſt illi lectioni, quam in membrana Rottendorfii inventam Idem probat:

Prævaluit, Boreæ quem miſerat algidus axis.

Loquitur nempe de exercitu Auguſti in bello Actiaco, qui dicitur à *gelido axe* profectus: quoniam Ægypto oppoſita non modò in Occidentem, ſed etiam Septentrionem ſpectat & propior eſt Italia, V. Johannem Fridericum Gronovium *Obſervat. in Eccleſ. cap.* 5.

Algovia, adde: ab Alamannis nomen accepit, quaſi *Alman-görv*, id eſt, *terra* vel *ager Alamannorum*, Vide Stumpfium *libro* 4. *de Helvet.*

Algozirius, Hiſpanis vulgò *Algozyr*, in Curia Gen. Catalauniæ Cervariæ celebrata, ſub Petro III. Aragon. R. A. C. 1359. idem qui *Alguazilus* vel *Alguazirus*, quo nomine Juſticiarii dignitas, apud Arabes, deſignatur. Rodericus Toletanus, in *Hiſtor. Arab. cap.* 39. *Tunc Rex Iſſem miſit Zabor Juſtitiarium, qui apud eos dicitur Alguazilus*: Vocem retinent etiamnum Hiſpani, apud quos *Alguazil* eſt Officialis Præfecti vel illius judiciorum executor; de cujus functione multa habent *LL.* Alfonſinæ ſeu *Partidæ part.* 2. *tit.* 9. *l.* 20. V. quoque *Repertorium* Michaelis *del Molino* in hac voce, laudati Carolo du Freſne *Gloſſar.*

Alharith, Muaviæ filius, primus apud Arabes aucupii per ſacros auctor fuit. Eſt autem *ſacer*, Gall. *Sacre*, vox Arabica, à verbo *Sakara*, quod *acutè videre* ſignificat, & denotat accipitrum ſeu falconum ſpeciem certam, cujus aucupium ſupra reliquas omnes aves rapaces mirabile eſſe ſcribit Alkazuinius, cùm *ſacri* duo in capreæ oculos involantes, aut eam aliis diverberantes, detineant, donec in venatorum manus incidat. Idem miratur, avem tantillam in gruem inſilire audere &c. apud Bochartum *Hieroz. Part. poſter. lib. II. cap.* 19.

Alhaſira

Alhasir, herba è qua saccharum *Tigala* conficitur, ita enim petendum esse in Officinis CPolitanis, ait Bellonius, *Observationum lib.1. cap.76.* Hoc adeò fervidum est, ut eo vulgò utantur, tanquam efficacissimo psilothro ad coria depilanda. Manat autem id ex ipso frutice, uti disertè testatur Serapio, qui scribit ex oculis & sedibus foliorum exire. Ex genere tithymallorum verò plantam esse tradunt plerique. V. Salmasium *ad Solinum pag.* 1312. & 1313. ut & infrà, ubi de *Sacchare*.

Alica & *Alicula*, genus vestis vel togæ, ex Græco ἄλιξ, ικος, quod Græcis chlamydis fibulatoriæ genus est. Hesychius, *Ἄλιξ, χλαμύδα ἐμπέρονημα, οἱ δὲ περιδα χλαμύδος μακρόχειρα: μακρόχειρον* autem alibi *χειριδωτὸν*, id est, *manuleatam*, interpretatur. Unde *macrochera tunica Severi*, in *Vita* Alexandri. Salmasius *ad Pollionem in Gallienis*. V. & hic infrà.

Alicula, chlamys fuit & quidem puerilis, apud Rom. ac inter vestimenta puerilia ab Ulpiano *D. de auro arg. leg.* recensita. Infantes enim olim, ac pusiones, aut nudi, aut chlamydulâ semitecti incedebant: quam, quia velut alas haberet, *Aliculam* dixerunt. Hinc Martialis *lib.12. Epigr* 84.

Brumæ diebus, feriisque Saturni
Mittebat Umber Aliculam *mihi pauper:*
Nunc mittis alicam, factus est enim dives.

Ubi per *Aliculam* vestem, per *Alicam* verò potionem intelligit, quam à pauperioribus festivo illo die mitti solitam fuisse, docet idem *lib.13. Epigr.* 6.

Nos, Alicam, mulsum poterit tibi mittere dives,
Si tibi noluerit mittere dives, eme.

V. Octav. Ferrarium *de Re vestiaria, part.2. lib.3. cap.1.*

Alienigena, idem cum *Advena* & *Albano*, in *l.2. Cod. Theodos. de Desertor.* in *Regesto* Philippi Aug. Herouvalliano, in *Burgundicis* Perardi *pag.*299. & *Monastico* Angl. *Tom. I. pag.* 618. V. suprà. Leguleiis Anglis vernaculis *Aliens* dicuntur ij, quorum patres, atque adeo ipsi *alieni* extra Regni metas nati, in regnum veniunt commorandi gratiâ. Horum liberi, dummodo *alienigenæ* ipsi non sint ex hostibus Regis, non alienigenæ erunt, sed Angli: similiter, si quis Regnicola cum Regis licentia regno excedat, ejus liberi alienigenæ non erunt. Rastallus apud Car. du Fresne *Glossar.* Pro hæretico *Alienigena* sumitur *can. cave* 18. *qu.1.*

Alimenta, uxori à marito ex officio conjugali præstanda; quod si non fiebat, licuit uxori apud Hebræos (quibus & aliæ gentes in istiusmodi officiis conformes) in Foro adversus maritum eo nomine agere, ubi ex sententia *alimenta* præstituebantur. Et quidem, si tenuioris esset maritus fortunæ & alimenta in universum ex sententia ei essent ita subministranda, decernebatur uxori panis quotidianus, qui diebus singulis profestis שתי סעודות, *binis refectionibus*, seu prandio ac cœnæ, sufficeret; Sabbato autem, tribus: isque sive hordeaceus, sive triticeus, pro loci & temporis ratione. Et pro more eorum, qui è vulgo infimo erant, in eodem loco seu regione, integræ valetudinis ac homines frugi, quantitas ejusdem panis est definita. Adjiciebatur aliud edulii alicujus genus; velut legumina, oleraque, quæ cum pane comederentur, præter fructus & oleum, quod tum cibo inserviret, tum lumini. Etiam vini aliquantulum, ubi contra mores non erat, fœminas vinum bibere. Quin Sabbato caro sive piscium, sive quadrupedum, sive volucrium mundorum, pro more loci, ei insuper debebatur. Qualibet item hebdomade, *obolus argenteus ob necessaria sua*, à marito ei solvendus erat, ut habetur in *Misna tit. Cethuboth cap.5. Gem. Babylon. fol.* 74. seu *ob rerum minutias*, ut ait Jarchius Bretenorius. Angl. *to buy pinnes.* Quo non, ut oportuit, ei præstito, opificium ejus in illius cedebat compensationem, non ut alias, in mariti commodum. Quòd si adeò inops maritus esset, ut neque hæc posset præstare, ex sententia forensi divortio ab illa facto, dotem pro qualicunque bonorum copia refundere cogebatur. Alii autem, qui beatiores erant, ut pro opulentia, qua pollebant, *alimenta* uxoribus præstarent, eodem modo solebat decerni, &c. Quòd si peregrè profecto marito, alimenta sibi à Foro peteret uxor præberi, ante trimestre à peregrinationis initio seu mariti discessu elapsum, sententiam secundùm eam non ferebant: præsumebatur enim, neminem ædes suas rebus familiæ victui per tantillum tempus necessariis vacuas relinquere. Illo autem tempore exacto, involantes ex sententia Fori lictores in bona mariti, ea in alimenta uxoris vendebant; saltem, si libellum dotalem apud Acta uxor edidisset. Imò & uxori ipsi licuit bona ita absentis mariti, ob eandem caussam, vendere, nec in Foro agere; putatis pòst rationibus pretii rei venditæ atque alimentorum, sive redeunte marito, sive cùm exigeret ipsa, post mortem ejus, ab hæredibus, dotem suam. Mariti item in custodiam traditi bona, in uxoris alimenta, vendi jubebat Forum. Quòd si marito peregrè profecto, in alimenta sua mutuò aliunde accepisset uxor; maritus verò redux præstito sacramento se, cùm proficisceretur, domi, quæ alimentis Uxoris sufficerent, reliquisse affirmaret, mutuum ex uxoris bonis erat restituendum: aliter, ab ipso marito &c. V. Joh. Seldenum *Uxor. Ebraic. lib.3. cap.5.*

Alimentaria Compendia, apud Jul. Capitolinum in *Pertinace* Imp. *Alimentaria etiam compendia, quæ novem annorum ex instituto Trajani debebantur, obdurata verecundiâ sustulit:* Græcis ὀφλήματα *Gloss. Compendia,* ὀφλήματα. Videtur hoc dicere Capitolinus: non omnibus *alimentariis* debita fuisse alimenta; sed iis solùm, qui admissi sunt à Trajano primùm ad perceptionem frumentariam, i. quinque illis millibus ingenuorum puerorum, quibus frumenta dari primus Trajanus instituit, uti discimus ex Plinii *Panegyr.* Casaubonus *ad l.* de cujus sententia, plura V. apud Lipsium *Diatr. de Frumentatione*, & hic infrà.

Alimentarii pueri & puellæ, ab Imp. Trajano primitus instituti, ab Hadriano postmodum liberalitatis aliquod incrementum accepere. Pius dein, in honorem Faustinæ, novas puellas ascribi fecit, quas *Faustinianas* appellavit. Post quem Marcus & Verus ob conjunctionem & participationem Imperii, novorum nominum pueros & puellas adscribi præceperunt, apud Jul. Capitolinum in *Marco Antonino Philos. Antonini mox ipse nomen recepit — & Verum eum appellavit — filiamque suam Lucillam fratri despondit. Ob hanc conjunctionem pueros & puellas novorum nominum* (ita enim corrigit Salmasius, pro *hominum*) *frumentariæ perceptioni adscribi præceperunt.* Dicit, *novorum nominum*: Cùm enim darent nomina sua, qui adscribendi erant huic frumentariæ perceptioni, pueri puellæque, ideo *novorum nominum* dicuntur; quòd præter illos & illas, quarum nomina jam habebantur adscripta, quasque jam instituerant priores Impp. novi isti, Marci & Veri jussu, ascribebantur, &c. Salmasius *ad Capitolinum.* Sic coloniarum quoque, municipiorum & aliarum Urbium pauperibus *alimenta* instituere sæpe soliti sunt boni Principes: cujus liberalitatis extant hodieque testes multi lapides. Imò nec solos Principes, sed & privatos interdum, genus hoc liberalitatis usurpasse, testatur de se verba faciens Plinius Jun. *Epistolâ* 8. *lib.* 1. & 18. *libri* 2. V. quoque infrà.

Alimentorum Cura, apud Vett. Romanos, solicitè habita. Unde de Marco Antonino Philosopho Capitolinus, *de alimentis*, inquit, *publicis multa prudenter invenit.* Ad quod caput referri potest, quod antea dictum de novorum nominum pueris puellisque ad frumentationem vocatis, lege ejusdem. Itemque sequentia hæc verba, *Rei frumentariæ graviter providit:* quorum illud pertinet ad alimenta eorum, qui pane gradili alebantur, hoc ad universi P. R. commoda: cui felices Impp summâ curâ procurare ex Ægypto, Africa, Sicilia, frumenti atque aliarum specierum vilitatem. Sed providit Marcus & privatorum alimentis: namque extant *l.8. D. de transaction.* Excerpta ex oratione Marci, quibus multa explicantur, quæ sunt ab illo instituta circa alimenta testamento relicta, aut mortis causâ donata. Casaubonus *ad locum*, qui proin cogitat, an non hic legendum sit, *De alimentis publicis privatisque.* Hinc maximæ dignitatis viris illa commissa; unde Pertinax, juvenis, per oppida & vicos ad viam Æmiliam hinc inde fusos: ætate jam provectâ, post multos & magnos honores, eam curam in Urbe sustinuisse legitur, apud Eund. & de Didio Juliano Æl. Spartianus, *Post Germaniam inferiorem rexit. Post hoc curam alimentorum in Italia meruit.* Nec boni solùm, sed & mali Principes, hac de re maximè soliciti. Hinc classem Africanam, quæ subsidio esset, si fortè Alexandrina frumenta cessassent, instituisse, eamque *Commodianam Herculeam* appellasse, Commodus dicitur, apud Lampridium. Quamvis enim jam ante eum frumenta, ex Africa Romam deveherentur, ille tamen hoc instituit, ut per certos homines, impensâ publicâ, ad instar Alexandrinæ (quam Augustus instituit) Africana quoque curaretur: de quibus V. in Justi Lipsii *Electis* &c. Infrà quoque passim, inprimis ubi de *Frumento*

Alimus, adde: Gr. Ἀλιμοῦς, castrum maritimum prope portum Phalereum; uti discimus ex Strabone & cognomine planta marina, unde illi nomen. Jac. Sponius *Itinerar. tom.* 3. Inde *Alimunsia mysteria* olim non minùs celebria, ac sacra Isiaca, Bacchi orgia, sacra Sabaziorum, Cybeles Deûm Matris, Bonæ Deæ, Corybantia, Veneris Cypriæ, alia: quæ pleraque fœditate suâ, tenebris, & quo curatissimè tegebantur, silentio digna, ipsâ tamen occultatione & sanctitatis qualibuscunque irritamentis venerationem adepta fuere, cùm præsertim plerique arcerentur, qui publico aliquo scelere sese polluissent. V. Athenagoram *Orat. pro Christian.* Clem. Alexandr. *Protrep. pag* 7. *& seqq.* Arnobium *adversùs Gentes lib.*4. Augustinum *de Civ. Dei lib.2. capp.4. & 5.* & *lib.7. capp.* 20. 21. & 26. ex Gentilibus Ciceronem *de Haruspic. Respons.* & ex recentioribus Tob. Pfannerum *Theolog. Gentil. purior. cap.1. §.13.*

Alimus, Græcè ἄλιμος, absque aspiratione, apud Solinum *cap.11.* ubi de Creta Ins. *Herba ἄλιμος dicitur: ea admorsa diurnam famem prohibet: proinde & hæc Cretica est.* Itaque hinc ei nomen; quæ enim sitim & famem arcent pharmaca, ἄλιμα & ἄδιψα vocant Græci, unde ἄλιμος hæc herba. Glycyrrhizam putat esse Salmasius, quam ἄλιμον ab effectu Solinus vocet. Plinius *lib.11. cap.ult. Quædam exiguo gustu famem ac sitim sedant, conservantque vires, ut butyrum, hippace, glycyrrhiza.* Idem *lib.22. cap.9.* de eadem, *Hâc diximus sitim famemque sedari, ob id quidam adipson appellavere eam.* Quod si adipsos dicta, quia sitim sedet, quidni & alimos, *quia famem?* Sed & Athenæus meminit *lib.2.* τῆς ἀλίμου, quam & ἄδιψον vocatam asserit. Verùm ἄλιμος

ibi

& adversùs ficim valebat, cui admiscebatur malva, &c. Vide Salmasium *ad Solinum p. 174. & 175.*

Alinga. ia, vicus Galliæ vetertimus, in Turonibus, ad flumen Ligerim, nunc *Longey*: Ibi post dirutum Fanum, ablutosque vicanos à Martino Episcopo Ecclesiam conditam esse, tradit Gregorius Tur. *Histor. Franc. lib.* 10. ubi eum vicum *Alingavien-sem* vocat: Recentiores *Langiacum* vocavere. Vide Hadr. Valesium *Not. Gall.*

Alingo, oppidum Galliæ, in Vasatibus, ad Garumnam fluv. unde Burdegalam secundo amne defluunt, Gall. *Alengon*; item truncato capite *Langon*. Sidonius Apollinaris *in Epist. ad Trygetium* vocat *Alinganem portum*, docetque eum inter Cossionem Vasatium & Burdigalam Biturigum Vibiscorum positum esse & vix 15. m.p. Burdigalâ distare. V. *Alingonis portus*.

Aliohar. Arabibus margaritum per excellentiam dicitur: nam omnes gemmas vocant *Johar*. Quæ vox planè è Latino detorta est, *Jocarium* & *Jocale*. Etenim hodieque *Jocalia*, Galli vocant supellectilem omnem gemmariam, quâ mulieres oblectantur, inde *Jocalia* & *Jocaliarii* gemmarii. Certè Latini vett. *Joculum* dixere id omne, ex quo aliquis voluptatem caperet, & in quo maximè acquiesceret, Græci *παίγνιον*. Vitruvius *lib. 4. cap. 1. Post sepulturam ejus, quibus ea viva Joculis delectabatur, nutrix collecta & composita in calatho pertulit ad monumentum, &c.* Idem ibid. p. 1123.

Aliphanus, Scyphus parvus, *habens parvam formam ad modum vitri gutturati*. Breviloq. apud Carolum du Fresne *Glossar.* qui etiam addit dici, quasi *alens infantem*.

Alipili, inter Gymnasticos servos, memorati Senecæ, *Epist. 56.* ad vellendos ab aliquibus corporis partibus, & præsertim alis pilos adhibebantur: nisi velimus, ut docti Viri censuerunt, pro *pilicrepis* ac *alipilis*, apud eum *pedicrepos* ac *alipecos* legere, quasi in Gymnasiis fuissent, qui à pediculis purgarent homines; quorum tamen sententiam non probat Mercurialis, cùm Juvenalis certò faciat testatum, fuisse in thermis, qui ab alis pilos avellerent, ubi servos suos describens Persico ait, *Sat. 1. versu 156.*

Nec pugillares defert in balnea raucus
Testiculos, nec vellendas jam præbuit alas.

Atque hi modò volsellis ad id obeundum fuere usi; modò pumices adhibuère: resina dein usurpata (quam in evellendis è virorum corporibus pilis maximum honorem obtinuisse, fatetur Plinius *libr. 14. cap. 20.*) eò tandem ventum, ut, psilothro & dropace adhibitis, pilos arcerent. Plinius Valerianus *libr. 3. cap. 52. Sunt qui vel suis pilis, vel servorum suorum in balneo offendantur, sine ulla quidem ratione. sed illorum quoque persuasioni succurrendum est, & monstrandum, quemadmodum effici possit, uti evulsi pili non renascantur. Omni autem psilothro sic utendum est, ut, priusquam adjiciatur, resinâ pili auferantur.* Et Martialis *libr. 3. Epigramm. 74.*

Psilothro faciemque lævas & dropace calvam:
Numquid tonsorem, Gargiliane, times?

A' quo ministerio in vett. Lexicis *Alipilarius* ὀ παρατιλτής appellatur. V. Hadr. Turnebum *lib. 27. cap. 10.* Quòd autem axillas olim vellerent, & lævigarent cum toto corpore, id mollitiei adscribendum est. Sed & inter fallacias & præstigias venditorum hæc erat, quòd Mancipatii hoc pacto pubertatem venalium averterent. Ad quam turpitudinem prætereà institutæ fuerunt in urbibus officinæ, ubi molles pice obliti à vulsoribus, depiles ac glabri fiebant. Nec aliò pertinebant, in Commodiana supellectili, Samnitica vasa, memorata Capitolino *in Pertinace*: neque malè omnino Ælianus *de Histor. Animal. lib. 13.* Tarentinos notat & Tyrrhenos, ex viris studuisse, ut mulieres facerent: primi quippe Tarentini cutem corporis lævigasse leguntur, apud Athenæum *lib. 13.* Apud Lacedæmonios verò rigidioris disciplinæ tenaces, Ephoros lege & edicto cavisse, ne in balnea inferretur pix, utque omnes depilatores explodetentur, tradit Suidas in *Collectan.* Vide Hieronymum Mercurialem *de Arte Gymnast. libr. 1. cap. 12.* & Laur. Pignorium *Commentar. de Serv.*

Alipta, inter servos olim balneares; ita enim voce Græcâ Latio donatâ dicebantur, qui dominum lavantem ungebant, aliàs *Unctores* dicti. Seneca *Epist. 56. Cùm in Aliptam inertem & hâc plebeja unctione contentum incidi, audio crepitum illisæ manus humeris, quæ, prout plana pervenit, aut concava, ita sonum mutat.* Infrà, *Aliptam cogita, tenuem & stridulam vocem, quò sit notabilior, subinde exprimentem, nec unquam tacentem, nisi dum vellit alas, & alium pro se clamare cogit.* Opelici unctoris meminit Martialis *lib. 12. Epigr. 71.* Panthæ, Secundionis, Erotis, antiqua monumenta: sustulitque hujusmodi minister Commodum Imper. teste Victore: *Ibi per Ministrum ungendi (nam forte is quoque in consilio erat) faucibus, quasi arte exercitii, brachiorum nodis validiùs pressis expiravit.* Allusit huc Horatius *lib. 1. Sat. 7.*

— — jusserit ad se
Mæcenas servum sub lumina prima venire
Convivam, nemon' oleum feret ocyus! ecquis
Audit? cum magno blateras clamore fugisque.

Aliquando verò pro unctorum Magistro, *Alipta*, ut apud Mar. *de tuendâ valetudine*, & Cœl. Aurelianum sæpius videre est: Etiam nonnunquam pro Gymnasta sumitur, quem Julius Pollux *Progymnasten*, Plato verò *Pædotribam* vocat: quamvis alii à Gymnaste Pædotribam distinguant, V. Mercurialem suprà laudatum *de Arte Gymnast. lib. 1. cap. 12.* Erant autem *Aliptæ* instrumenta, strigilis, lintea, guttus. Seneca *Epist. 95. Vetemus lintea & strigiles Jovi ferre, & speculum tenere Junoni. Non quærit ministros Deus. Quid ni? ipse humano generi ministrat.* Juvenalis *Sat. 3.*

— Domus interea secura patellas
Jam lavat, & buccâ foculum excitat, & sonat unctis
Strigilibus, pleno componit lintea gutto.
Hæc inter pueros variè properantur —

Ampulla adhæc & lenticula, cujusmodi Romæ nactus est fictilem *lenticulari* (ut Appul. *Florida* ait) *formâ, tereti ambitu, pressulâ rotunditate*, Pignorius; ejus exemplum, ut & antiquæ strigilis, subjiciens, *Comment. de Servis. V.* ministerium *Aliptæ* egregiè ridentem Epictetum, apud Arrianum *lib. 3. cap. 26.* & plura huc facientia infrà, ubi de *Ungendi ritu*.

Alipta, cognomen Andreæ Cretensis Archiepisc. à Græcis ei tributum, quòd composuisset magnum illum canonem, quo peccatores ad pœnitentiam cohortatus est, & ad superandos spirituales conflictus excitavit. Quam ob causam Feriâ 5. post Dominicam V. Quadrages. ut Rituale Græcorum habet, legebatur, & *Thrênum* dicebatur is canon. Vide infrà in *Dominica Orthodoxiæ*. Quasi, *ad conflictum exercitator*, voce ex Vett. palæstra mutuatâ. Quâ eadem eleganter etiam Gregorius Nazianzenus usus est, quando epitheto hoc sanctos Confessores ornavit, qui pro fide in Christum variis tormentis excruciati vitam nihilominus retinebant & exemplo monitisque suis cœteros ad martyrium fortiter subeundum hortabantur: *Hanc Athletarum nostrorum plerique superarunt, alii ad mortem usque dimicantes, ideo viri relicti, ut victoriæ suæ essent superstites, nec in ipso certamine animam efflarent, sed aliis virtutis* Aliptæ, *vivi Martyres, spirantes columnæ, tacitaque præconia relinquerentur, Orat. in laudem S. Basilii*: apud Macros Fratres *Hierolex*.

Alipterium, Græc. ἀλειπτήριον, Cæc. Plinio *lib. 2. Epist. 17. Unctuarium*, aliàs *Elæothesium*, quarta erat olim Gymnasiorum pars, in quâ luctaturi aliasque exercitationes aut balnea inituri, ungebantur redungebanturque: de quâ prolixè infrà in voce *Unctuarium*.

Aliptice, olim pars Medicinæ, nec in Gymnasiis tantùm aut Circo (nam & Circum suos habuisse *Aliptas*, notat *ad Vopiscum* Casaubonus) sed etiam in Jatrice olim *Aliptæ* noti fuere: qui non solùm ad conservandam valetudinem, vires acquirendas, bonumque colorem conciliandum adhibebantur, sed etiam ad recuperandam sanitatem interdum. Nam & extitisse olim nonnullos, qui longos morbos *Aliptis* tractandos curandosque committerent, docet compositum ex Medico & Unctore nomen, Ἰατραλείπτης. Plinius *lib. 20. cap. 1. Prodicus Selymbriæ natus, Discipulus ejus, instituens quam vocant Jatraleipticen, unctoribus quoque Medicorum & mediastinis vectigalia invenit.* Ubi Jatraliptas *Unctores Medicorum* reddit: quos *Aliptas* contemtim vocat Hadrianus *Epist.* quam Saturnini *vitæ* inseruit Flav. Vopiscus: *Ægyptum — totam didici levem — Nemo illic Archisynagogus Judæorum, nemo Samarites, nemo Christianorum Presbyter, non Mathematicus, non Aruspex, non Aliptes.* Quasi dicat, nullam esse in Ægypto religionem, plures autem esse, nullam artem aut professionem, quæ non Sarapin colat: ab omnibus igitur eum adorari, quamvis diversæ religionis hominibus; omnium etiam Artium professores eidem devotos esse. Illic, inquit, qui Serapim colunt, Christiani sunt: & devoti sunt Sarapi, qui se Christi Episcopos dicunt: nemo illic Archisynagogus Judæorum, nemo Samarites, nemo Christianorum Presbyter, non Mathematicus, non Aruspex, non Aliptes, *qui non Serapin colat*, quæ verba hoc loco subaudienda sunt. Uti autem hic *Aliptas* cum Aruspicibus & Mathematicis conjunxit Hadrianus, ita Medicos paulo antè Vopiscus; cujusmodi in Ægypto, qui utramque hanc simul profiterentur, complures fuisse, eo magis verisimile est, quòd hæ artes & studia ibi plurimùm vigerent. Vide Casaubonum & Salmasium *Not. ad Vopiscum.*

Alirunna, Vide *Alyrumnæ*.

Alisincum, memoratum Æthico *in Itiner* ab Augustoduno Lutetiam Parisiorum, inter Augustodunum & Decetiam, illinc 22. hinc 24 m.p. fortè nunc *Anisi* vocatur, Hadr. Valesius *Not. Gall.* in voce *Alesia*.

Alisontia, adde. Totus est pagi Vabrensis, & nonnullis quoque *Alsia*, dicitur; nomine ad *Alsontiam*, quo in vett tabb. insignitur, proximè accedente. Alluit montem S. Johannis, Lucilíburgum *Luxemburg*, villam Crupstam *Crouchten*, infra *Marisch*, Villare *Viller*: inde Aratto *Atert* auctus, apud Ecleburgum in Suram effunditur. Scaligero malè *Alf* vel *Alb* explicatur; hic enim Gallis *Alve* dictus, ad vicum cognominem effluit in Mosellam, paulo supra *Eltz* fluvioli & Mosellæ confluentem, Latinisque *Alba* nuncupatus est. Habes ab *Alisontia* vel *Alsontia*, vallis proxima nomen, quæ Alisontiâ irrigata, *Alisontiensis* sub Ottonibus dicta est: item pagus Germ. vocatus *Elischowe*, cujus mentio fit in divisione regni Lotharii, inter Baliniacum & Varasch: quod

tempus Dominicæ institutis, ut tertiis temporibus teneatur. Unde & in Dominicis, quæ sunt ab octava Epiphaniæ, usque ad Septuagesimam, & in Dominicis, quæ sunt ab octava Pentecostes, usque ad Adventum, cantatur. De eodem *Regula* Mag. cap 28. *A Paschâ usque ad Pentecosten non licet jejunare, quia Sabbathum Paschæ claudit tristitiæ jejunia & Sabbathum Pentecostes claudit* Alleluja: *& Sabbatum Pentecostes claudit* Alleluja *& aperit jejunia; sed Ecclesiæ clauditur Alleluja, &c.* In Africanis Ecclesiis, non omni tempore, sed Dominicis diebus tantùm & quinquaginta post Domini resurrectionem, *Allelujah* cantari solitum fuisse, in signum lætitiæ, ex resurrectione Domini ortæ, tradit Isidorus. Ut de aliis nil dicam. Quare autem omnes Ecclesiæ ac Nationes totius Universi, quæ linguis tam variis Deum celebrant, in officiis ritibusque diversis, Hebraicam hanc vocem adeò constanter retineant, rationem reddit Beda, cùm ait: *Hoc ideò fit, ut per talis consonantiam devotionis, moneatur admoneatur Ecclesia, quia & nunc in una fidei confessione & dilectione Christi consistere debeat, & ad illam in futuro patriam festinare, in qua nulla est diversitas linguarum, Homil. in I. Dominic. post Pentecosten.* Imò in primitivis Ecclesiæ temporibus non intra Ecclesiam solùm, sed & extra, in secularium ore auditum fuisse hoc canticum, ex Sidonio *lib.* 2. *Epist.* iidem ostendere conantur Macri, cùm ait:

> *Curvorum hinc chorus helciariorum,*
> *Responsantibus Alleluja ripis;*

Sed de nautis Christianis ac fidelibus, adeoque ad Ecclesiam utique pertinentibus, ibi sermonem esse, docet versus sequens,

> *Ad Christum levat amnicum celeusma.*

Unde nauticum hoc celeusma tum fuisse patet. De Agricolis simile quid habet Hieronymus *Epist. ad Marcellam*, *Arator stivam tenens* Alleluia *decantat.* De Militum clamore diximus aliquid supra, & confirmatur id à Polydoro Virgilio, *lib.* 3. *Britann. Anno Chr.* 492. *unâ fide armati, à Germano Episcopo ita instructi, non aliis armis parati, sed solâ triplici prolatione cantici* Alleluja *profuderunt & superaverunt inimicorum exercitum.* Etiam ante nolarum usum hoc signo ad preces & sacra convocari consuevisse fideles, Hieronymus idem refert, *Epist.* 27. *ad Eustoch.* ubi: *Post Alleluia,* inquit, *cantatum, quo signo vocabantur ad collectam, nulli residere licitum erat,* &c. Nec omittendum, quod tradit Franciscus Alvarus *Itinerar. cap.* 41 Monasterium in Æthiopia reperiri, cui *Alleluja* nomen; propterea, quòd in diversorio illo Eremita quidam non modicæ sanctitatis ab Angelis canticum hoc decantari audiverit. Inde enim ait factum, ut Superiorem Monasterii illius, quod tunc de novo erigebatur, quò *Alleluja* id appellaret, rogaverit, apud Macrum utrumque *l.c.*

Allen, vox, quam Ludovicus II. Dux Burbon. Symboli loco usurpavit; quod tamen postea dimisit: vice usurpans ejus vocabulum. ESPERANCE, i.e. *Spes.* Legitur autem vox illa *Allen* characteribus aureis transversariè exarata, in scuto argenteo, in Oratorio, quod superiori Castelli Molinensis Capellæ adjacet & in Capella Burbonensi, ad Luparam, Lutetiæ, V. Orronvillam in *Vita* hujus Ludovici *cap.* 3. & Favynum *Theatr. Honor pag.* 767. citatos in hanc rem Carolo du Fresne *Glossar.*

Alleria, vulgò *Alleres* vel *Allieres*, castellum Galliæ in Cenomanis, memoratum Orderico Vitali *Histor. lib.* 10.

Allifæ, adde: Ad eandem urbem memorabili prælio cum Samnitibus conflixit Fabius Proconsul, uti his memorat idem Livius *lib.* 9. *cap.* 42. *Q. Fabius Proconsul, ad urbem* Allifas, *cum Samnitium exercitu signis collatis confligit, minimè ambigua res fuit. Fusi hostes, atque in castra compulsi: nec castra forent retenta, ni exiguum superfuisse diei; ante noctem tamen sunt circumsessa & nocte custodita, ne quis elabi posset. Postero die vix dum luce certâ, deditio fieri cœpta: & pacti, qui Samnitium forent, ut cum singulis vestimentis emitterentur. Hi omnes sub jugum missi. Sociis Samnitium nihil cautum: ad septem millia sub corona veniere, qui se civem Hernicum dixerat, seorsum in custodia habitus. Eos omnes Fabius Romam ad Senatum misit, &c.* Quod cùm ægre passi essent Hernici, novum hinc bellum ortum, *quod concilium populorum habentibus Anagninis, omnes Hernici nominis populo Rom. indixerunt.*

Alligari Colores, Latinis dicuntur, qui non facilè eluuntur, nec fucum remittunt. Plinius *lib.* 32. *cap.* 7. de alga marina, *Tingendis etiam lanis ita colorem alligans, ut elui postea non possit.* Sic idem alibi de pelagio & buccino, *Buccinum per se damnatur, quoniam fucum remittit. Pelagio admixtum* adligatur, *nimiæque ejus nigritiæ dat austeritatem illam nitoremque qui quæritur cocci.* Græci κατέχεσθαι dicunt & κατοχὰς vocant medicamenta, quæ colorem alligant, ac retinent: Hinc Chemici Græci in rebus tingendis tria requiri sanciunt, τὴν λέπτυνσιν, quâ corpora rarefacienda sunt, ut colorem bibant; τὴν βαφὴν, quæ ipsa tinctura est, & τὴν κατοχὴν, *coloris alligationem*, quum superinducitur medicamentum, quo tinctura alligatur & ex fluxa fugacique hæsura redditur ac permanens. Alii pro κατοχῇ nominant στύψιν: Quidam & quartum addebant, τὴν ἀκτῖνα, Latini *lumen* dicunt, Galli *lustrum*, &c. Qua de re vide Salmasium *ad Solinum pag.* 1146.

Allium, non minùs ac cepe & porrum, inter Ægyptiorum olim Numina: de quibus sic Prudentius *contra Symmachum lib.* 2. *p.* 247.

> —— *Quadrivils brevioribus ire parati*
> *Vilia Niliacis venerantur olusculain hortis.*
> *Porrum & cepe Deos imponere nubibus ausi,*
> *Alliaque.*

Unde irridendi Asclepiadis, qui ista damnans pari stultitiâ æquales Deos coleret, materiam sumens, apud eundem, Romanus Martyr *Hymn.* 10.

> *Adpone porris*, inquit, *religiosas arulas,*
> *Venerare acerbum cepe, mordax allium, &c.*

V. Tob. Pfannerum *Systen. Theol. Gentil. purior. p.* 1. §. 1. Ab ejus esu Veteres gallis gallinaceis pugnaturis animum addidere: unde ἐσκοροδισμένος, pro forti & animoso, ὅτι παροξύνοντες οἱ ἀλεκτρυόνας πρὸς τὰς μάχας, ὅλας ἐμβάπτουσι τῶν σκορόδων, *quoniam galli ad pugnam incitantur, gustato allio*, Auctor Græcus apud Salmasium *ad Solinum, pag.* 1286. Deque gallorum gallinaceorum commissione publica Athenis olim & etiamnum in Anglia, statis temporibus institui solitâ, infrà dicemus.

Allius Fuscus, vir Consularis, inter eos, qui Commodi Imp. jussu occisi memorantur Ælio Lampridio in *Vita* hujus: *Et post eos sex simul ex Consularibus,* Allium *Fuscum, Celium Felicem, Lucejum Torquatum, &c.* De eodem servat hanc inscr. tabula marmorea apud Onuphrium, C. ALLIUS C. F. FUSCIANUS. Casaubonus *Not. ad Lampridium.*

Allobroges, adde: Eorum origo licèt incerta sit, certum tamen est, eos latum imperium & potens habuisse nomen, ita ut illorum regio comprehenderet hodiernam Sabaudiam, Delfinatum & confinales provincias. Ptolomæus enim Viennam *Allobrogum* facit metropolim. Et Cæsar *lib.* 1. eorum extremorum Helvetiorumque finibus proximam Genevam dicit, Joh. Baptist. Planctinus *Helv. Antiq. & Nov.* Certè Cicero *in Orat.* 3. *in Catil.* de *Allobrogum* Senatu ac populo refert, *Homines Gallos ex civitate malè pacata, quæ gens una restat, quæ populo Rom. bellum facere & posse & non nolle videatur, spem Imperii & rerum amplissimarum ultro sibi à Patriciis hominibus oblatam neglexisse*: nimirum *spem Imperii* totius provinciæ Galliæ vel Narbonensis; sicut apud Cæs. *lib.* 7. Vercingetorix Allobrogum *Principibus pecunias, civitati autem imperium totius Provinciæ*, obtulisse legitur. *Cohors VIII. Allobrogum* in vet. *Inscr.* apud Goltzium memoratur: Eorum perduellium 130. mill. apud fluvium Isaram, prælio commisso, adversùs Allobrogum Regem Arvernorumque gentes, ad 6. Idus August. cecidisse, Q. Fabium M. Cons. hincque *Allobrogicum* nominatum, refert Plin. *libr.* 7. *cap.* 50. Quidam *Allobrogum* olim volunt fuisse, quidquid terrarum diœcesibus Viennensi, Genevensi, Gratianopolitanâ ac Mauriennensi continetur: è quibus Viennensis maxima ex parte in Delphinatu est, aliquantulum in pago Vivariensi: Gratianopolitanæ parœciæ major portio in Delphinatu, minor in Sabaudia: Genevensis verò tota in Sabaudia, ut & Mauriennensis tota. Ut appareat, *Allobroges* ex æquo in Delphinatu & Sabaudia sedes habuisse, cui sententiæ accedit Hadr. Valesius *Not. Gall.* in voce *Vienna Allobrogum.* Trans Rhodanum illos habuisse vicos possessionesque, scribit Cæsar *de bello Gall. lib.* 1. quod verum esse vel ex eo apparet, quòd hodieque pars aliqua diœceseos Viennensis, in Helviorum seu Vivariensium finibus jacet, quos trans Rhodanum esse, nemo nescit. *Cicero Allobrox* à discipulis, ob eloquentiam, sæpè dictus legitur, Q. Curtius Rufus Rhetor insignis Romæ, Viennâ Allobrogum oriundus. Unde Juvenalis *Sat* 7.

> *Sed Rufum, atque alios cædit sua quæque juventus,*
> *Rufum, quem toties* Ciceronem Allobroga *dixit.*

Hunc Achilles Statius, inter undecim Rhetores claros, quorum *Vitæ* à Suetonio scriptæ perierunt, in duobus codicibus priscis tertium nominatum, Scriptorem Vitæ Alexandri Magni fuisse scribit.

Allocutiones Sponsales, dicebantur olim Epithalamia, quibus Sponsos ipsos Auctor alloquebatur. Cujusmodi est illud Gallieni apud Trebellium Pollionem *in Gallienis*, de quo ita hic Auctor: *Fuit Gallienus — oratione, poëmate atque omnibus artibus clarus. Hujus est illud Epithalamium, quod inter centum poetas præcipuum fuit. Namque cùm fratrum suorum filios conjugaret, & omnes Poetæ Græci Latinique Epithalamia dixissent, idque per dies plurimos, quum ille manus Sponsorum teneret, ut quidam dicunt, sæpius* (Salmasius legit *excepans*, nempe convivio nuptiali) *ita dixisse fertur,*

> *Ite, ait, ô pueri pariter sudate medullis*
> *Omnibus inter vos, non murmura vestra columbæ,*
> *Brachia non hederæ, non vincant oscula conchæ.*

Tale & illud, quod in vetustissimo codice *Epigrammatum* nondum editorum reperit idem Salmasius, Abiti cujusdam, sub titulo Sponsalis allocutionis, ad hunc modum:

ABITI ALLOCUTIO SPONSALIS.

> *Linea constricto de pectore vincula solve;*
> *Et Domino te crede tuo: nec candida lædas,*
> *Unguibus ora vide, vel ne contacta repugnes.*
> *Est in nocte timor, non est in nocte periclum,*
> *Nec volo contendas, vinces, cùm viceris ille.*

qui primitus Hispanias & Gallias insederunt; alii, quòd ex Arabibus & Saracenis Hispanis genus ducerent, sic appellatos volunt. Pachymeri *lib.11.cap.13.* & Nicephoro Gregorae *lib.7.* Ἀμογάβαροι dicuntur: *Almogavares*, in *LL.* Alfonsinis *part.2.tit.22.leg.2.* ubi ita vocantur Equites, peditum respectu: denique *Armogaires*, in vet. *Charta* Gall. in Camera Comput. Parisiensi. Meminit eorum Jos. Scaliger *lib.1. Epistol.pag.245. Almogavares, sunt milites, quales Martolossi.* Item Lucas Tudensis aerâ 1273. Rodericus Toletanus *de Rebus Hispan. lib.9.cap.16.* Moncada *Histor. Catalan. cap. 7.* Car. du Fresne *Histor. Gallo-Byzantinâ lib.6. cap.24.* & *Glossar.* ubi hos perperam Meursium, cum *Ampsivariis*, de quibus Not. Imperii, confundere addit.

Almus, cognom. Ludovici Pii Imper. Carolo M. geniti, in *Chron.* S. Vincentii de Wlturno, *pag.694.* & apud Leonem Ostiensem *lib.1.cap 18. Ludovicus Imperator, qui cognominatus est* Almus *vel Sanctus.* V. Brissonium *in Formulis pag. 50.* laudatum eidem du Fresne *Glossar.*

Almuserifus, nomen Magistratûs cujusdam Saracenici, apud Mauros Hispanos, memorati in *Charta* Alfonsi VIII. Regis Castellae aerę 1213. apud Anton. Yepezium in *Chron.* Ordinis S. Benedicti *tom. VII. Et vestras tendas nullus Alvacil, neque* Almuserifus, *neque Almoçabet violenter intret.* Car. du Fresne *Glossar.* V. quoque suprà in voce *Almocabal.*

Almutazaphus, apud Eund. Magistratus est, apud Aragonenses, cujus munus est intrare domos & in iis res furto ademtas perquirere, ponderare panes, mensurare vinum &c. Uberiùs de voce agit Michaël *del Molino* in *Repertorio.*

Alnatef, aut *Natef*, Arabibus est bdellium purum aut margaritum purum. Propriè enim *Natef* apud eos nomen est turundae vel coptarii longioris & rotundi, ad instar dactyli vel phoenicobalani; hinc bdellium, *Alnatef*, quia ex genere gummium est, quae dum guttatim ex arbore fluunt, nunc rotundiore formâ, nunc longiore & cylindraceâ concrescunt. Margaritum item *Alnatef*, inprimis ex stalagmiorum genere, quae velut guttae aquae cadentes & tractim pondus suum sustinentes, balani productioris formam non malè retinent. V. Salmasium *ad Solinum pag. 1334.*

Alode seu *Alodium*, Gall. *Aleu*, *Aleu franc* seu *Franc aleu*, praedium est liberum, nulli servituti obnoxium, ideoque Feudo oppositum, quòd hoc semper alicui subjaceat servituti. Item haereditas, quae nobis obvenit, à parentibus, *acquisitae* contraria, quam ideo Beatus Rhen. *Rerum Germ. lib.2.* inseparabilem esse asserit à familia: quin & ideo *ein anlot* vel *anlod* dici Germanicè. Spelmannus Feudum dicit, quod absque Domini licentia, nec ad extraneos olim transiret, nec ad filios aut nepotes: *Alodium*, quod per omnem haeredum seriem discurreret, & cuivis è populo, etiam reclamante Domino, dari posset aut venundari; Propterea que *Alodium* dici existimat, à Saxon. *à leod*, quasi *populare*: Sic ut Feudum sit praedium dominicale, *Alodium* populare. Dicitur etiam *Alodium*, terra libera, quam quis à nemine tenet, nec recognoscit, licèt sit in alieno districtu & jurisdictione: ita quod solum est sub domino districtus, quoad protectionem & jurisdictionem. Apud Goldastum in *Comm. ad Burchard.* ponitur vox simpliciter, pro fundo vel praedio, ac quavis haereditate. Alibi *fundus* dicitur apud Sigebertum, *Res mancipi* interpretantur &c. Henr. Spelmannus in *Glossar.* Carolo du Fresne *Alodis* quivis fundus est. Dudo *de Actis Romanor. lib.2. Dedit itaque filiam suam, Gislam nomine, uxorem illi Duci, terramque determinatam* in alodo *& in fundo, à flumine Eptae* &c. Ubi *fundus*, & *alodus* idem sonant, quod proprium immobile, quo modo Galli dicunt, *Donner en fonds, en heritage, en propre.* Unde Alodium idem esse dicitur, quod praedium, i. possessio, haereditas, à beneficio diversum in eo quòd hoc ad vitam tantùm datur. Et quidem in *LL.* Salica, Bajuvar. Ripuariorum & Angliorum semper *Alodis*, in contextu, per vocem *haereditas* redditur; alibi per *proprietatem, proprium* &c. Hinc phrases, *dare in Alodem, relinquere in Alodem. & bona transire in Alodem* dicuntur, quae in proprietatem dantur, apud Eadmerum *Histor. lib.1. pag.18.* Proin interdum *Alodium* opponitur *comparato*, seu *acquisito*, in *Formulis* vett. apud Bignonium: licèt alias saepè etiam pro *comparato* usurpetur. Porrò *Alodium* nudè positum, saepè pro praedio immuni & quod nulli praestationi aut oneri obnoxium est, usurpatur; imò quod ab omni quoque servitio reali & personali liberum: licèt illius possessor dominum agnoscat, à quo illud tenet in *Feudum honoratum.* *Charta* Bertrandi de Montelauro A.C. 1274. *Vendo—trado, cedo, pro libero & franco & absoluto immuni* alodio, *tamen cum consilio D. Petri Regis Aragonum ac Domini Montispessuli in quo infrà scriptae tenentur in feudo & pro feudo honorato, sine praestatione censûs, usatici, canonis & alterius servitii, tam realis, quàm personalis & alterius cujuslibet generis, omnes res, quas habeo — in decimaria de Terminis* &c. Hinc *tenere in alodium*, in *Consuetud. Pictav. tenir en aleu.* Quod idem aliquando cum adjectione *Alodium liberum* dicitur. Duplex autem illud, alterum *Nobile*, Gall. *Aleu noble*; quod jurisdictionem seu superiorem justitiam habet, & nulli homagio aut servitio feudali, nullisque laudimiis, obnoxium est: alterum *Villanum*, Gall. *Aleu roturier*, quod jurisdictione instructum non est. Quae ambo, etsi *immunia* & *libera* dicantur, à superioritate alterius tamen non eximuntur: unde *Alodium liberum* aliquatenus feudum est, sed immune à servitiis feudalibus; tametsi diversum à Feudo franco quod licèt liberum à servitiis, hominio tamen obnoxium est. Interim saepè *Alodia* nullos agnovisse dominos, colligere est ex vett. Tabulis. Unde inter alia in *Regesto* Comitatus Tolosae, apud du Fresne, extat homagium Bernardi V Com. Convenarum, praestitum Raymundo Com. Tolosano, A.C. 1244. in quo agnoscit, quòd *feuda, quae modò recepit à D. Comite Tolosae, ipse & Antecessores ejus non tenuerant in feudum — imò erat* alodium *proprium* &c. Quare verò *Alodiarii* praedia sua interdum sic in feuda ultro erigi curarent, servitiisque feudalibus sese adstringerent, praeclarè aperit Lambertus Ardensis: *Audierat saepius, & à Patribus suis didicerat, quòd antiqui Nobiles multi in Ghisnensi terra manentes, postquam — Pontivi quondam & S. Pauli atque Ghisnarum Com. Walbertus saeculo valedixit & terram Ghisnensium — dereliquit haeredibus, à viris nobilibus sive Episcopis sive Abbatibus, sive Praepositis, vel etiam quibuscumque Ecclesiarum Praelatis, aut personis, ut majoris militarent nominis auctoritate, & sub majorum protectione in secura pace viverent, similis conditionis dono, & sua in feudum susceperint praedia. Haec autem fuerunt ea, quae per eundem & ad eundem Episcopum de allodiis sive praediis in feudum commutavit Adela* &c. Vocis etymon quod attinet. Cujacius *Alodium* dictum vult q. sine *lode*, quòd ejus possessor sit sine *lode* & nemini sit *Leudes*, id est, vassallus: seu, quòd libera sit possessio, sine recognitione feudi, alienabilis & absque laudemii solutione, quod *Lod* Gallis, ita Macer in *Hierolex.* Budaeus, à *laudatione* auctoris effictum vocabulum censet, quòd qui praedia eo jure habent, *laudare, h.e. nominare auctorem suum non tenentur.* Rhenanus & Vadianus à Germ. *anlode* ut dictù deducunt, quòd ea bona familiis conjuncta essent ex *an* & *lot*, q. *adsortium*, sors quae ad aliquem haereditate pervenit. Alii item à Germ. *lot*, i. *sors*, quasi *alodium* sit praedium, quod sine sorte obvenit: vel etiam à voce *ald* ejusdem linguae, i. *vetus, antiquum*, apud Aventinum: quae notatio Bignonio judice, ad haereditatem & paternam terram significandam, proximè accedit, ut alias originationes Carolo du Fresne memoratas omittam: qui addit, plerosque è doctioribus existimare, vocem esse primigeniam Francicam, quae *praedium*, ac rem proprietario jure possessam, denotet. V. cum eruditè de hac materia differentem, in *Glossar.* Sunt quoque, qui vocis hujus initium ad Caesaris usque aetatem pervenisse olim credant, qui legionem, quam in Gallia conscripsit, à vocabulo Gall. *Alaudam* vocasse legitur, apud Sueton. *in Vita ejus, cap.24.* Hinc *Aloarii* vel *Alodiarii*, qui alodia tenebant, adeoque de praediis suis, inconsultis quibuslibet Dominis, pro libitu statuebant. Inter quos praestantiores erant, qui Gallis *Leudes Francs*, hoc est, *Nobiles*, militiam ex arbitrio tractantes, nullius Domini imperio evocati, nulloque feudali gravamine coërciti sui juris homines; sed qui dominum tamen agnoscebant, & fidelitatem jurantes, censum Domino quantulumcunque augebant. Alii verò de nemine illos tenuisse asserunt: ac si, Hannoniorum more, à Deo & Sole suum accepissent patrimonium. V. Henr. Spelmannum *Gloss. Archaeol.* &c. Sed & sic vocari nonnunquam, qui *alodium* seu praedium Domino obnoxium tenent, docet idem du Fresne, V. suprà.

Aloe, nomen duabus diversissimi generis plantis commune; alteri arbori aromaticae, ad thymiamata vulgo usurpatae: alteri, herbae, ex qua succus catharticus amarissimus eliciebatur, qui etiam ἀλόης nomine censebatur. Isidorus *cap. de Arboribus arom. Aloa in India atque Arabia gignitur, arbor odoris suavissimi ac summi. Denique lignum ipsius vice thymiamatum adoletur altaribus.* At *cap. seq. de Herbis, Aloe, herba amarissimi succi.* Prioris mentio fit, apud Septuaginta in Cantico Canticor. *cap. 4.* item Psalmo 45. & Prov. *cap.7.* ubi semper σμύρνα καὶ ἀλόη, *myrrha & aloe* junguntur. In aliis, καὶ Ἀλώθ, quod est contractum ex *Ahaloth*, voce Hebr. unde *Aloe* & *Agallochum*, quod idem, nomen accepit. Taprobanes incolae, h.e. *Zeilan*, vocant *Aquilam*, apud alios reperimus *Alzilam.* Vulgus *Arborem Paradisi* appellasse videtur, ab excellenti odore. Sic ἀλόης, pro ligno aromatico frequens mentio, apud recentiores Graeciae Medicos, praecipuè in unguentorum ac thymiamatum compositionibus, V. Aetium *lib.16.* in compositione muscati, Regis thymiamatis, unguenti liquidi ὑγρομύρου &c. Ξυλαλόη etiam Graecis haec arbor; quod genus odorati ligni. Arabibus *Hud* simpliciter, h.e. *lignum*, dicitur. Eo vinum quosdam colorare solitos fuisse, Plutarchus tradit *Symp. lib.6 cap 7.* οἶνον καὶ τῇ ἀλόῃ οἱ μὲν ἀλόαις χρώζοντες, ἀποχραινόμενοι κλ. Nisi potiùs hoc de sandalo, vel alio quodam ligno ad tingendum apto, quod ἀλόης nomine comprehenderit Plutarchus, intelligas. Nonnus ubi de ἐπιθυμιάματι D. N. *Aloen* eandem, (quanquam minùs rectè) calamum aromaticum interpretatus est.

Ἰνδῴης ἀλόης ἀναμίγνυται ἱερὸς ἀτμός.

Qua in re fortassè & vocabulum, quo optimam hodie Aloën vocant Indi, suffragari illi videtur: *Calambac* enim dicunt; quibusdam & *Calambus* scribitur. Et fortè jam Nonni aetate haec appellatio obtinuit: Indicae namque omnes species, cum lingua sua, ad nos pervenerunt & parum ab antiquo demutarunt. Porro non alia *Aloë*, quàm haec aromatica, condiendis cadaveribus, ab Ae-

gyptiis adhibita. Etiam Judæi, qui non condiebant quidem, sed tamen plurimis cum unguentis ac aromatibus defunctos suos sepeliebant, eadem usi sunt. Sic ad ungendum & pollingendum CHRISTI corpus, Nicodemus apud Joannem dicitur attulisse *μίγμα σμύρνης καὶ ἀλόης ὡσεὶ λίτρας ἑκατόν*, *versu 39. cap. 19. mixturam myrrhæ & aloës, librarum centum pondere*: quæ ambo *ἀρώματα* dicuntur *versu seq.* Et Mulieres apud Marcum & Lucam dicuntur emisse ac præparasse, *ἀρώματα καὶ μύρα*, inter quæ *Aloë* quoque fuit. Sed & ad suavitatem ori conciliandam, agallochi seu aloës lignum Veteres mandere & decocto ejusdem os colluere solitos, tradit Dioscorides: Unde inter *ἡδύσματα* recenset Aloën Hierophilus Philos. *libr.* [illegible] qui idem Aloën cum myrrha unguentum, quo à balneo ungebantur, composuisse scribit &c. Altera verò *Aloë*, Vulgaris nempe, Medicamentaria seu Cathartica, in Medicina magni usus fuit. Unde Geographus Arabs *Part. VII. Climatis 1. plurimas ejus & præstantissimas virtutes* prædicans, *non esse perfecta medicamina absque illa*, addit. V. de utraque pluribus differentiis Salmasium *ad Solinum pag. 1153. & seqq.*

Alogi, Hæretici, qui Verbum Divinum negabant, atque adeò nec Evangelium Johannis nec Apocalypsin ejus admittebant: quasi *sine Verbo, ἄνευ λόγου*. Item Equi, in *Don.* Constantini, *Concedimus omnia indumenta, & dignitatem regiorum alogorum*: q. *ἄνευ λόγου, sine ratione*. Unde *Alogator*, & *Protologator*, Equitum Dux, Macri Fratres in *Hierol.* De Hæreticis præfatis, V. quoq; in voce *Alogiani*.

Alogaia, in *Gloss. Lat. MS.* Reg. *Convivium Græcè*. Breviloquo, *Convivium sine sermone, quia antiqui silenter prandebant.* In alio *Gloss.* Græc. *MS.* Reg. *ἀλογία* [illegible] Usurpat vocem Augustinus *Epist. 86. Quò possimus Dominica* alogia *referri omnes æquali corde dignè cantare: Saturasti Domine animam inanem* Et infrà, *Quid est autem* Alogia, *quod verbum ex Græca lingua usurpatum est, nisi cùm epulis indulgetur, ut à rationis tramite devietur, unde animalia ratione carentia dicuntur* aloga: *quibus similes sunt ventri deditis, propter quod immoderatum convivium, quo mens, in qua ratio dominatur, ingurgitatione vescendi ac bibendi quodammodo obruitur*, Alogia, *nuncupatur.* Quò pertinet, quòd Justus Lipsius, quoties invitatus ad convivium eò itabat, quærentibus quorsum iret, respondere solitus est, *Pecorutum imus*, ad rationem, Augustino indigitatam, alludens. V. *Fragmenta* Patronii *pag. 44.* & Car. du Fresne *Glossar.*

Alopece, Græcè *'Αλωπεκή*, demus erat Atheniensis, ad Antiochidem tribum pertinens, Cynosarge non procul & Urbi ad Occ. vicinus. Inde oriundum Socratem Philosophum, memorat Diogenes Laërtius; Ibidem Heros Anchimolius tumulum habuit. Jac. Sponius *Itiner. Græcia Tom. III. pag.* 88.

Alpenacum, vicus UnderWaldiorum. in Helvetiis, in parte pagi superiore, vulgò *Alpenach*, Hic, eodem die, quo ad Moregartum pugnatum est, 16. nempe Novembr. A.C. 1315. Straffebergius Comes, (unus ex Leopoldi Ducibus,) qui, Underwaldiorum è monte Brunico præsidio dejecto, in regionem eorum penetraverat, ab iis, postquam se recollegerant, victus est, V. Simlerum *Descr. Helvet.*

Alpes, adde: Sunt *Alpes* Athanasio Kirchero velut nodus quidam catenæ magnæ Montium, quos à Polo ad Polum duci ostendit, ut hac veluti ossaturâ Geocosmus stringeretur ac contineretur. Ducit enim hanc in circulum ordinatam ossaturam à Polo Arctico per Islandiam, Scotiam, Angliam, Germaniam, continuatâ montium serie, rectoque tramite usque ad Alpes: ab his dein novo velut annulari ordine implexos Appennino illos jungi ait, quo totius Italiæ meditullium, haud secus ac spina quædam dorsi, continuatâ serie per Siciliam, montibus Africæ, quos *Lunæ* vocant, connectatur. &c. V. ejus *Mundum Subterraneum Part. I. lib 11. cap 8.* & de *Alpium* admirandis, Joh. Bapt. Plantinum *Helvet. Ant. & Nov.*

Alpes, quoque Pascua montana, quò æstate pecora aguntur & pascuntur, ea sc. quæ in montium convallibus sita sunt. Non enim desunt, qui genuinâ notione, *Alpes*, montium seu collium angustias significare censeant, atque in iis Procopius *de Bell. Goth. lib. 1. pag.* 186. *"Αλπεις δὲ καλεῖν τὰς ἐν τοῖς στενοχωρίαις διόδους* [illegible]. Et Eustathius *ad Dionysium περιηγ. pag.* 42. hanc vocem idem significare ait, quod *ὑψηλά*. Quâ notione occurrit in *Charta* Notherii Veronensis Episc. A.C. 921. apud Ughellum: *Portionem etiam meam de silva, quæ dicitur Forojuliana ibidem addo & campum meum in Luxino ad* Alpes *faciendas*. In alia, A.C. 1168. apud Augustinum *de la Chiesa in Historia Pedemont. cap. 16. A Carolo Episcopo Taurinensi quasdam* Alpes *in valle Lancei sitas acquisivit*, alibique passim. Unde *Alpagium*, jus in Alpibus pecora pascendi, vel pensitatio pro facultate ea adigendi in Alpes, in Tabular. Ecclesiæ Tarentasiensis: Item *Alpaticum*, eadem notione, in Tabul. Eccl. Gratianop. sub Hugone Episc. *fol.* 18. 42. 50. apud Car. du Fresne *Glossar.* V. quoque suprà in voce *Æstiva*.

Alphabetum, in modum crucis bis in pavimento describit Rom. Pontifex, cùm Ecclesiam consecrat Bruno Signiensis *de Consecr. Eccl.* Aliique passim, apud Car. du Fresne *Glossar.* V. quoque suprà, in voce *Abcturium*. Majusculæ *Alphabeti* literæ vel picturæ in Chirographis olim scribi consuevere, quâ parte pergamenum secandum erat, ad vitandam falsitatem: Cùm enim chartæ, tabulæ ac instrumenta (quæ *Chirographi* nomine apud Recentiores veniunt) in duas partes dividerentur ac secarentur, quarum una uni, altera alteri è contrahentibus dabatur: in contractu seu pacto, quod bis in eodem pergameno describebatur, quâ parte dividi ac secari debebat, scribebantur majusculæ *Alphabeti* literæ, vel picturæ exarabantur, per quarum medium pergamenum secabatur, ut fraus omnis præcaveretur. Ut enim scripti seu pacti veritas probaretur, ipsæ postmodum majores literæ dissectæ ac divisæ, an invicem cohærerent, sibique responderent exactè, conferebantur. Idem du Fresne in *Chirographi*.

Alpharaces, equi Arabici, generosi. Vide infrà in voce *Farius equus*.

Alphenus JC. memoratur Æl. Lampridio in *Alexandro Severo*, inter eos, qui in Principis hujus fuere consilio: *Domitius Ulpianus Juris peritissimus — Julius Paulus Juris peritissimus — Pomponius Legum peritissimus*, Alphenus, *Aphricanus, Florentinus — qui omnes Juris Professores discipuli fuere splendidissimi Papiniani & Alexandri Imperatoris familiares & socii, ut scribit Acholius & Marius Maximus.* Ad quem locum notat Casaubonus, ex Pomponio, *Alphenum Varum* sæpe legi in Pandectis, sed antiquissimum, Servii Sulpitii discipulum: huic v. cognominem alium fuisse Alexandri temporibus, aliunde non constare, adeoque jure hic id nominis esse suspectum.

Alphinus, in latrunculorum seu Scaccorum ludo, persona, quam Galli *le Fol*, Itali *Alfino* vocant. Alanus *in Parabolis*,

> *Sic inter stachos* Alphinus *inutilis extat*,
> *Inter aves bubo* &c.

Pseudo-Ovidius *de Vetula lib.* 1. ubi de eodem ludo:

> *Sex species saltus exercent, sex quoque Scaci*,
> *Miles &* Alphinus, *Roccus, Rex, Virgo, Pedesque.*

Infrà,

> *Obliquè salit* Alphinus &c.

Apud Car. du Fresne *Glossar.* V. Hieron. Vidam, qui eleganti *Poëmate* ludum hunc descripsit, & infrà, ubi de *Latrunculis, Scaccorum ludo*, Zatricio.

Alpinus Caseus, in deliciis Antonino Pio, apud Jul. Capitolinum in *Vita* hujus Imper. *Quum* Alpinum *caseum in cæna edisset avidiùs, noctè rejectavit, atque alia die febre commotus est. Tertia die, quum se gravari videret, M. Antonino Remp. & filiam, præsentibus Præfectis commendavit.* Dictus ab *Alpibus*, unde mittebatur. Plinius *lib. 11. cap. 42. Duobus Alpes generibus caseorum pabula sua approbant: Dalmaticæ Docleatem mittunt; Centronicæ Vatusicum.* Sed scribunt heic membranæ *Transalpinum.* Plinius *ibid. Laus caseo Romæ, è provinciis Nemausiensi præcipua.* Casaubonus *Not. ad Capitolinum.*

Alsatia, adde: Eam à Theodorico Francorum R. Ethiconem quendam, ex Majoribus Habspurgi Comitum seculo VII. accepisse referunt; licèt alii Gunthrami demum vel Gonzelini, qui seculo X. vixere, temporibus, eam genti huic, extinctis prioribus Landgraviis, obvenisse autent. *Landgravii* titulo Adelbertus seu Albertus I. cognom. *Dives*, Rodolphi I. Imper. proavus, primùm usus est. Majorem tamen ejus partem Egesheimii Comites, ejusdem cum Habspurgiis, ut videtur, prosapiæ, tenuere; quibus deficientibus, cùm Albertus Hohenbergius; Ludovicus Oetingensis, qui postea portionem suam Episcopo Argentinensi, cui inde titulus, vendidit, & Albertus Habspurgius, Rodolphi pater, hæreditatem eam quoque sibi vendicarent, Albertus Habspurgius, pactâ filio Hohenbergii filiâ Annâ, ut hic jure suo cederet, impetravit, atque ita meliorem Alsatiæ partem sibi gentique acquisivit. Ita per multa secula possessam Galli nuperis Germaniæ bellis, tanquam armorum lege captam, & postea pactionis jure concessam, Regno adjecere. De titulo tamen aliquandiu litigatum &c. V. Tob. Pfannerum *de præcip. Germaniæ Principum Gentibus cap. 1.* & suprà in voce *Alesatia*.

Alsheich, seu *Xeque*, hoc est, *Senior* vel *Presbyter*, titulus honorarius, apud Arabas, non quidem Sanctis, ut quidam volunt, aut, ut alii, illustribus mediæ conditionis, sed tum scientioribus ac doctioribus moraliter, tum Viris in Rep. principibus civiliter tribui solitus. Sic Eben Sina seu Avicenna, Medicus ille celeberrimus, nominatus est, *Alsheich*, i. Senior *Princeps*, seu *Senior & Princeps*, ob singularem, quâ pollebat, scientiam; atque *in Synopsi propositorum Sapientiæ* Arabum, editâ Parisiis 1614. citatur aliquoties nomine *Alsheich*, i. *Senioris & Principis Aben-Sina*. Mahumedes quoque ille Ben David, *in Giaruma* fronte vocatur *Alsheich*, i. Senior *conspicuus* seu *spectabilis*. Et inter Auctores Chymicos habetur *Senior Zadith*, filius Hamuelis ex Arabico olim traductus, qui & simpliciter *Senioris* nomine indigitari solet. Liber ejus inscribitur, *Senior de Chemia*, in quo etiam *Ordinis Seniorum* mentio &c. Notio verò vocis hujus civilis non rarò in Arabum scriptis occurrit, quò spectat Tyriorum ille supremus Magistratus, quem *Senem tantùm appellatum esse*, ait Antoninus *Histor. Part. 2. tit. 17. cap. 9. §. 7.* Alibique legimus, in Phœnicia quosdam *præficere sibi Capitaneum — quem ipsi* (Alsheich, h. e.) *Veterem seu Senem vocent*, in *Fortalitio Fidei lib. 4. cap. de Diversis paganor.* &c. V. Joh. Seldenum *de Synedriis lib. 1. c. 14.* & in voce *Senior*.

Alsina

Alsonia, adde: in Arvernia infer. *Auzon*, Valesius *Not. Gall.*

Alta Petra, Abbatia illustris est Galliæ, in alto monte posita quæ *la Haute-Pierre* vulgò, in Lotharingiensium finibus, inter Medianum Monasterium & Senoniàs, nisi potiùs est *Monstier Haute-Pierre*, cella Cluniacensis, ad fluvium Lupam in Sequanis, Hadr. Valesius *in voce Justina*.

Alta Ripa, adde: vulgò *Alt-rip*: vicus est Valentiniani Aug. ad Olybrium P.V. rescripto nobilis, Valentiniano N.P. & Victore Coss. Valesius *Not. Gall.*

Altanus, in *Glossar.* Saxon. Ælfrici, Vodanum seu Mercurium sonat. V. infra *Wodan*.

Altararius, idem, qui *Altarista*, V. infrà.

Altare, unus erat ex tribus sacrificandi locis, apud Gentes, ab *altitudine* dictus. *Scrobiculo enim Diis Inferis, aris Terrestribus. Cœlestibus autem extructis focis sacra facere Gentiles: unde denominata etiam sunt* Altaria, *ad quæ, cùm sacrificabant, manus in altum porrigebant*, Servius. Erat enim ara humilior, & vix è terra eminebat, imò secundùm quosdam in ea occultata, *Altare* verò supra terram erectum stabat; Græcis Βωμὸς, item Ἔσχαρα ἱερὸν vel ἱερὸς ἔσχαρος, quasi *vallum, vel agger, ex aggestu terræ factus*. Certè Scholiastes Euripidis *in Phœnissis*, notat, ad *Altare* per aliquot gradus fuisse ascensum. Hoc cùm erigebant Græci, quemadmodum & cùm Idolum aliquod consecrabant, solebant fœminæ, certo habitu indutæ, ὀσπρίων ἑψημένων χύτρας περιφέρειν: *ollas coctis leguminibus refertas circumgestare*, Diis offerendas. Aristophan. *in Pluto*,

—— Τὰς χύτρας αἷς τὸν Θεὸν
Ἱδρυσόμεθα, λαβοῦ. καὶ ἐπὶ κεφαλῆς φέρε.
—— *Ollas, quibus Numen*
Dedicabimus, sumens in capite gere.

Communiter autem fiebat *Altare* ex terra congesta, & tum χῶμα, i. *tumulus* vocabatur. Similiter ex cinerum aggestu nonnunquam extruebatur; aliquando ex terra sanguine macerata; dein e lapidibus, & aliquando etiam ex ligno fiebat: Figurà nonnunquam oblongà, quadratà item, sed plerumque orbiculari. Loca, ubi Altaria stabant, *Excelsa* dicta sunt, toties in Sacris Israelitis Ethnicizantibus a Prophetis exprobrata. Unde Sophocles *in Trachiniis*: Τὸ Οἴτης Ζηνὸς ὑψίστου πάγον. In quæ verba Scholiastes: Πᾶς δὲ ὄρος τοῦ Διὸς ἐπονομάζεται, ἐπεὶ ὑψίστῳ ὄντι τῷ Θεῷ ἐν ὕψει δεῖ τὰς θυσίας ποιεῖσθαι τοὺς αὐτῷ θύοντας, id est, *Unusquisque mons Jovis nuncupatur, quia altissimo Deo in altissimis locis sacrificia offerre convenit*, ut nempe eò facilius sacrificantium è propinquiori loco preces exaudirentur. Adde, quòd *Altaria* in sublimibus locis minùs erant profanationis periculo exposita, unde ἄβατα & ἄθικτα eidem Scholiasti dicuntur. V. Franciscum Rossæum *Archæologiæ Atticæ lib.6. cap.3.*

Altare, apud Hebræos, *à quibus Altarium usus ad Gentes transiit*, in Tabernaculo, duplex erat, *Æneum*, in Atrio, & *Aureum*, in Sancto. Et illud quidem, de quo V. Exod. *cap.40. vers.19.* decem cubitos Austrum versùs à Tabernaculo remotum, confectum erat, è purissima cedro, quinque cubitos longum ac tres altum. Obducebatur illud undique laminis æneis; ac medio spatio ærata itidem lamina, foraminibus plena, sacrificiorum cineres egerebat, in circuitu 4. annulos habebat, quibus vectes inserebantur, quoties Arca à Levitis transferenda erat; pariterque quatuor ejus anguli ære muniti, paulò altiùs extra *Altaris* limbum, extabant. Atque ea erant *Cornua Altaris*, sanguinis libationi & victimarum alligationi destinata. *Vincite victimam festivam funibus usque ad cornua Altaris*, Psalm. 118. *vers.27.* V. quoque Exodi *cap.27. vers. 1, 8.* Et hoc quidem fuit *Altare holocausti*, cui inserviebat reliquum instrumentum ejus, Crateres, Lebetes, Forcipes, Fuscinulæ, Palæ &c. Exod. *cap.27. vers.3.* juxtaque illud dispositæ columnæ, cum uncis ferreis, ad excoriandas victimas; duplex item in Templo mensarum lapidearum ordo, quibus vasa aurea & argentea, ad oblationem necessaria & præparatæ sacrificii partes imponebantur, Ezech. *cap 40. vers. 42* Illud, nempe *Aureum*, cedrinis tabulis deauratis constans, unius cubiti longitudinem ac latitudinem habebat, Exodi *cap.30. vers.1. & seqq.* Super quo bis de die suffitus adolebantur, tùm à Pontifice tum à reliquis Sacerdotibus. Semel autem quotannis solemniori modo odores in eo incendebat Pontifex atque illud piacularis victimæ sanguine expiabat ac lustrabat, Exod. *cap.30. vers.10.* dicebaturque *Altare suffitus*: In Templi Salomonici postea Atrio *Altare holocaustorum* a Mosaico, cùm magnitudine, tum materià, differebat: utpote 32. cubitos in infimo ambitu, in supremo verò 24. in longitudine ac latitudine 20. in altitudine 10. continens, ut videre est 2. Chronic. *cap. 4. vers.1.* Non autem, ut prius, ære solùm obductum, sed ex solido ære confectum, ad Sept. varios annulorum ordines habebat, juxtaque columnas quasdam & mensas marmoreas, ad sacrificiorum usum: Medium verò cingebat filum coccineum, ad sanguines discernendos: & subtus duo erant canales, qui victimarum sanguinem in proximum torrentem derivarent &c. V. Franc. Burmannum *Synopsi Theol. Christ. tom.1. lib.4. cap.14. & 15.* *Altare* hoc *æneum, quod fuerat coram Jehova*, usque ad tempora Achazi, Rex hic impius, qui in gratiam Tiglath-Pileseri Regis Assyriæ, aliud erigi curaverat, ad similitudinem illius Altaris, quod Damasci viderat, *longius amovit ab interiore ipsius domus, ne esset inter suum Altare & domum Jehovæ: posuitque illud ad latus sui Altaris, Aquilonem versùs*; 2. Regum *cap.16. vers.14.* adeoque sic ab usu removit: Quemadmodum & Manasses R. *toti exercitui cœlorum Altaria extruxit, in Atriis domus Jehovæ*, 2. Regum *cap.21. vers.5.* Sed hujus filius Josia, utrisque abolitis, *Altare Dei* restituit, 2. Reg. *cap.23. vers.*[illegible] *& seqq.* donec expugnatis per Babylonios Hierosolymis Temploque destructo, illud cum reliqua supellectile in hostium manus pervenit, *cap.25. vers.12. & seqq.* Post elapsum verò captivitatis tempus, *Altare Dei Israelis ad offerendum in eo holocausta*, denuo *extructum est*, Ezræ *cap.3. vers.2.* mansitque, donec exhibito Messiâ, omnibusque umbris impletis, Romani sub Vespasiano Reipublicæ Ceremoniisque Judæis finem imposuere, qua de re alibi.

Altare, hodieque in Communione Romana erigi solet, in eminentiori Ædis sacræ parte, teste Walafr. *de Rebus Eccles. cap.6.* Bedà *lib. de Tabernac.* Ruperto *de divin. Off. cap. 30.* &c. Et quidem antea, ad significandam Christi unitatem, unicum in Ecclesiis erat, quod proin Eusebius in *Encomio* pro Paulino Tyri Episc. *Histor. Eccl. lib. 10. cap. 4.* *Unigenitum Altare* appellavit. Postea in quolibet Templo complura struxere Latini, meminitque tredecim eorum in una Æde Gregorius, *Epist 50. lib.10. ad Pallad.* Lapideum illud omnino esse volunt, *can. Altaria si non fuerint lapidea*: in quo, ubi Episcopus Diocesanus celebravit, nemini eodem die, absque ejus licentia, idem facere licere, ajunt; quam observationem Græci extendunt etiam ad simplices Sacerdotes, ita ut eodem die ad unicum Altare duo Presbyteri sacrum facere nequeant. In majoribus verò Altaribus quatuor Basilicarum Urbis Romæ Patriarchalium, nemini præter Papam celebrare licet; nisi quòd Jacobus quidam, S. Pauli Abbas ex privilegio Bonifacii VIII. A.C. 1301. *Ep. 98.* hanc facultatem pro altari majori ejusdem Basilicæ accepit, à quo tempore Successores ejus, qui Sacerdotii ordinem à Pontifice acceperint, idem privilegii retinent, sed & Cardinales, cùm in uno ex præfatis Altaribus sacris defungi cupiunt, Brevi à Pontifice accepto, ad id idonei habentur. Ipse Pontifex antiquitus, in Sabbato quatuor Temporum Decembris, cùm in Altari S. Petri celebrabat, pro conferendis Eccles. Ordinibus, ab hoc ad aliud Altare deducebatur. *Descendit Pontifex ab Altari (sc. Majori) & vadit ad S. Andream, ibi facit consecrationem; facta consecratione ad Altare revertitur, quia in hoc Altari nulla consecratio fieri debet, nisi à Romano Pontifice*, Benedic. Can. S. Petri *Ceremoniale MS.* in Bibl. S. August. de Urbe. Porro mos erat olim apud eosdem *Altare*, ubi SS. ut dicunt, reliquiæ quiescunt, circumire: qua de re V. infra in voce *Philermus*. Ad quem finem *Altaria* à muro antiquitus separata erant: cujus ritus hodieque Græca Ecclesia retinens est; quæ etiam tanta reverentià Altaria colit, ut ad ea accedere nullis Laicis permissum sit &c. Plura hanc in rem V. apud Macros Fratres *Hierolex.* Sed & *Altare*, partem Templi, in quo erectum altare conspicitur, denotare, discimus ex Gregorio, Turon. *Histor. lib.2. cap.14* Ecclesiam præterea ut ajunt significat, vel obventiones ac reditus Altaris seu Ecclesiæ, maximè decimam Ecclesiasticam, apud Gallos inprimis. Concilium Claromont. A.C. 1095. *can. 3.* *Ecclesiæ, quæ vulgari vocabulo apud eos* (Gallos) *altaria nuncupantur* Unde *Altaria*, vel *Altaria & Decimæ*, conjunctim Decimæ Ecclesiarum dicuntur, quæ ad ipsos Ecclesiarum Præsules pertinent, quasque sæpe à Laicis usurpatas esse, docet *Charta* Philippi R. Fr. A.C. 1076. in *Chron.* Monaster. Johannis de Vineis *pag 50.* *Sed postmodum mors, quæ invasit in Orbem terrarum, quamplurimos Laicos & Pseudo Christianos in tantum excæcavit, ut quidam* Altaria *vel Decimas in beneficia extorquerent, quidam verò in abusum miseræ hæreditatis, converterent. &c.* V. Car. du Fresne *Glossar.* & plura de variis circa hæc Latinorum Ritibus, hic infra. Hinc *Altaragium*, seu *Alteragium*, vel etiam *Altelagium*, obventio Altaris, apud Eund. V. quoq; infrà *Mensa*.

Altare, seu *Ara*, in Circo Olympiaco, memoratur Pausaniæ, ubi de L[illegible]llis. Cùm enim duplex in Circo carcerum ordo esset, qui sortito capiebantur à certaturis, unus ad sinistram primæ metæ, alter ad dexteram; in medio utriusque partis locus erat ejus, qui machinationem movebat, qua omnia ostia aperiebantur: *Altare* nempe, Græcè Βωμὸς, circa mediam proram Circi (*proræ figuram* quippe habuit ἡ ἄφεσις quæ satis lata erat, quæque discriminabat utrumque ordinem ostiorum) Januæ Consulum vel ostio, quod ad medium Circi spatium patebat Romæ, respondens. Ad hujus Aræ vel primarum metarum partem dextram, omnes currus, emittendi ad currendum, stare debebant, quoniam recto cursu ad ultimam metam circumflectendam pertendebant: cùm paulo aliter se res haberet in Circo Rom. uti diximus suprà in voce *Alba Linea*, plura, V. apud Salmasium *ad Solinum pag.902.*

Altare Portatile seu *Viaticum*, Durando *Ration. lib. 1, cap 7. num 34. quòd per viam portetur*: *Altare Gestatile* seu *Gestatorium*, Hugoni Flaviniac. *Chron. pag.*[illegible]66 *Lapis Gestatorius*, Anselmo *lib 3. Epist. 158.* *Tabula Itineraria*, in *Ord.* Rom. *Antimensium* quoque *Balsamoni*, Altariolum est, quod in eadem Communione, loco

loco Altaris omnino lapidei, usurpatur. Atque hoc ab Episcopo consecratum, itidem ex lapide esse debet ac Martyrum habere reliquias, sine quo celebrare nemo potest, nisi Pontificis Rom. dispensatione, qui inter alia privilegia Missionariis Propagandæ Fidei, ut vocant, concedere solet, ut in casu necessitatis absque tali Altariolo sacra conficiant. Debet autem istiusmodi *Altare portatile* quoque spatium habere commodum, *ut calicem & hostiam capiat*, uti loquitur Navarr. in *Manual. cap.25. num. 3.* In duas verò partes divisum ac plicatile, libri instar, Sacro inservire nequit, quia istiusmodi Altariolum symbolum unitatis Christi personalis esse ajunt, &c. Vide Macros Fratres in *Hierolex.* atque infra passim, inprimis in voce *Antimensium*, & *Viaticum*

Altare complectendi ritus, ad fidem faciendam, memoratur in *Chron.* Montis-Sereni An. Chr. 1126. *In Ecclesia B. Petri* Altare complexus, *quasi ad probandum, quòd Henricus pro fœmina commutatus fuisset, ita se obligavit, ut si idem filius esset Henrici Marchionis, ipse sui corporis perderet sanitatem*, apud Car. du Fresne in *Glossar.*

Altare denudandi ritus, in eadem Ecclesia, usitatus est. Fit autem *Altaris denudatio* in Feria 5. Cœn. Dom. quâ nuditatem Christi in passione significari, ait Alcuinus *de Offic. divin.* Meminitque *Ordo* Romanus ceremoniæ hujus Fer. 6. Parasceves observari solitæ: Scilicet ad illa verba Evangelicæ passionis, *Partiti vestimenta mea*; duo Diaconi auferebant Altaris mappam, in quo sic denudato consumebatur Eucharistia à sepulchro delata. Abusus autem ille, quo olim a Sacerdotibus implorabatur divina vindicta, uti refert Gregorius Turon. *de Glor. Martyr. libro 1. cap. 79.* abrogatus est in Concilio Toletano XIII. *can. quicunque 26. quæst 1.* Denudabantur enim Altaria, extinguebantur luminaria ac tandem ipsa Officia divina deserebantur. In Ecclesia Ambrosiana denudantur Altaria Feriâ 6. Parasceves; parietesque velis sanguinei coloris cooperiuntur, &c. Vide Dominic. Macrum *Hierolex.* Nudantur ibidem & lavantur quoque Altaria, in Cœna Domini, uti refert Carolus du Fresne *Glossar.*

Altare lavandi ceremonia, in Communione præfata, non minùs in usu est. Et quidem, in prædicta Feria 5. *lavantur Altaria* hyssopo, vino & aquâ: quorum illud, cùm symbolum unctionis Christo à Magdalena adhibitæ; ista, cùm sanguinis & aquæ è Christi latere pro manantis signa esse velint; ideo Rupertus illos melius facere judicat, qui *Altaria*, ipso die mortis Christi, fer. 6. lavare solent, Romæ tamen in Basilica Vaticana; ut & Dominicani Feriâ id quintâ obeunt. In Ecclesia Græca solus Patriarcha munere hoc defungitur & Metropolitani in suis Ecclesiis, qui aquâ primò benedictâ, dein aquâ rosaceâ, ex *Euchologii* præscripto, Altaria lavant. Aspersionem autem Altaris, quæ aquâ fit benedictâ singulis Dominicis per annum, Baptismum Salvatoris repræsentare dicunt, eamque omittunt, cùm Eucharistiæ Sacramentum in illo expositum est: quemadmodum nec cruce Altare signant in principio Evangelii Johannis, in fine Missæ, eo quòd ipsemet Auctor benedictionum ibi adsit, Gavant, *Part. 4. tit. 19. in rub. Missæ*, apud Dominic. Macrum in *Hierolexico.* Addit du Fresne, in Cœna Domini quoque, nudari & lavari Altaria consuevisse, in *Glossar.* V. supra.

Altare osculatur semper Sacerdos, in præfata Communione, antequam Populum salutet tribuatque pacem: ajunt enim, *pacem à Christo Domino in altari effigiato petendam esse, abs re*, apud eundem Macrum. Et quidem, si ex dispensatione Pontificis reliquiæ in Altari non sint appositæ, Sacerdoti ante introitum Altare osculanti omittenda esse verba illa, *Quorum reliquiæ hic sunt*; & tunc osculandum, quando dicit, *Indulgere digneris*, ait apud eundem Gavant. *Part. 2. titulo 4. in Rub. Missæ.*

Altare velandi mos, similiter apud eos in usu: inprimis notabilis ceremonia fuit, quæ in nocte fiebat Natalem Domini præcedente. Tribus nempe velis cooperiebatur Altare rubro, albo & nigro: è quibus hoc auferebatur, in fine primi nocturni, quo obscuritatem temporis ante Legem [illegible]ficatam fuisse volunt; istud in fine secundi nocturni, in signum temporis Legalis; illud tandem in fine tertii & ultimi, in symbolum Legis Gratiæ, Joh. Beletus *de Divin. Offic. cap. 69.* & Durandus *Ration. lib. 1. cap. 3.* Eadem ceremonia iterabatur ad matutinum Paschæ, post quamlibet lectionem, cùm non nisi tunc unicum habeatur nocturnum. In Hispania, per totum Quadragesimale tempus extenditur velum ante majorem aram, dum in Ferialibus recitantur horæ & canitur Missa, nec retrahitur, nisi cùm Evangelium canitur, in elevatione hostiæ, ut vocant, & calicis; ut & ad postremam super Populum orationem. At in Feria IV. majoris hebdomadæ penitùs aufertur, ad verba illa Evangelii: *Et velum Templi scissum est.* Vide iterum Dominic. Macrum *Hierolex.* & suprà ubi de *Altaris denudatione.*

ad *Altare* jurandi ritus, Vide infrà ubi de *Jurandi ritibus.*

Altari caput imponendi ceremonia, in signum professæ subjectionis & obedientiæ occurrit apud Arnoldum de *Miracul. S. Emmerammi lib. 1. cap. 12.* *Qui capita cum manibus religiosè Altari S. Emmerammi imponentes, professi sunt, se Martyri perpetuos censuales.* Et in *Vita* Virgilii Episc. Juvavensis *cap. 7.* *Ad Juvavense Monasterium specialiter caput suum in servitium Dei declinavit, singulis annis, quoad vixit, in signum subjectionis suæ aliquod obsequium illud persolvendo*, apud Carolum du Fresne *Glossar.*

in *Altari* offerendi ritus, apud Marculfum *lib. 1. Form. 1.* de donationibus, quæ fiebant Ecclesiæ, earum instrumentis super Altaria positis, quò solemniores essent ac ita ipsi Deo eas factas esse constaret: memoratur in *L.* Alemannorum *cap. 1. §. 1.* ubi de donationibus factis Ecclesiæ: *Et qui hoc facere voluerit, per chartam de rebus suis ad Ecclesiam, ubi dare voluerit, firmitatem faciat & testes sex vel septem adhibeat, & nomina eorum ipsa charta contineat, & coram Sacerdote, qui ad eandem Ecclesiam deservit, super Altare ponat, & proprietates de ipsis rebus ad ipsam Ecclesiam in perpetuum permaneant.* Adde *L.* Bajvvar. *cap. 1. §. 1.* Cujusmodi traditionis & oblationis formula extat in Capitul. Caroli Magni *lib. 6. cap. 285.* Vide præfatum Carolum du Fresne *Glossar.*

Altaria Trichora, apud Paulinum *Epist. 12. ad Sever.* *Reliquiæ Apostolorum & Martyrum intra Absidem* trichora *sub* Altaria *sacrais*; quid sint, multis exponit Commentator Paulini. Sed *trichoram* sub *Altari* legendum, monet Salmasius, qui hanc vocem ad *absidem* referens, eam *trichoram* vocari ait, quod esset tribus concavitatibus sinuata, seu quòd illa Absis sive Concha major, tribus concavis recessibus sinuata, duas alias conchulas dextrâ lævaque haberet, ut ex Pauli hisce probat,

— — δύω δ᾽ ἐς κύκλας ἄλλας

Κόγχας ἀμφοτέρωθ᾽ ἀγλαίῃσιν ἐς δίαν ἔχεν.

Et Paulino *eod. Epist.* *cùm duabus dextra lævaque conchulis intra spatiosum sui ambitum absis sinuata laxatur.* Quod enim *Altaria* legi non possit, inde patere addit, quòd unicum tantùm Altare in templis eo tempore haberetur. V. eum *ad Solinum p. 1212.*

Altaris Anniversarium, sicut & anniversarium dedicationis Ecclesiæ, in eadem Communione, antiquitus celebrari consuevit, uti discimus ex Macro in *Hierolex.* ubi de *Altaris* consecratione varia.

Altarista, in *Mirac.* S. Catharinæ Suec. Sacellanus, seu Vicarius Ecclesiæ, qui Altari servit, cuique assignari solent emolumenta, quæ Presbyteris & Curionibus proveniunt, ratione Altaris. Meminit officii hujus Bulla Urbani V. A.C. 1368. apud Waddingum, ubi inter alia hæc habentur: *Te Altararium* (quod idem ac *Altarista*) *altaris Basilicæ Principis Apostolorum de Urbe usque nostrum placitum — constituimus & etiam deputamus, ibi recipiendi omnes & singulas oblationes, obventiones, ac fructus — ad dictum Altare pervenientes*, &c. Vide iterum C. du Fresne *Glossar.* Dominico Macro sic dicitur particularis Canonicus Ecclesiæ Vaticanæ, cui incumbit majoris Altaris ejusdem Templi curam habere, & conservare pallia, ei à Subdiacono Apostolico tradita, illaque in vigilia Apostolorum Petri & Pauli, Altari illi superimponere, quæ postmodum Archiepiscopis concedantur. Idem *Altarista* Episcopis fidem facit ad limina, ut ajunt, sacra venientibus quolibet triennio seu pro Ultramontanis Præsulibus, quolibet lustro; atque etiam ter quavis hebdomade ad minimum cuncta illius Basilicæ altaria invisit. Facultatem insuper habet ab Urbano V. & Innocentio VI. concessam, eandem Basilicam, si fortè per effusionem sanguinis vel alio quovis modo violata ac polluta fuerit, aquâ ab Episcopo benedictâ reconciliandi, ut loquuntur, &c. *Altararius Canonicus* talis dicebatur, circa A.C. 1482. ut patet ex MSS. in ejusdem Basilicæ Archivo conservatis: cui postmodum, ordinatione Sixti IV. Assisius successit, qui inter alia, singulis diebus, vel saltem qualibet septimanâ semel, Altaria Templi hujus visere tenetur. V. Macros Fratres passim inprimis in voce *Altarista.*

Altarium Redemptiones, in eadem sæpius dicta Ecclesia Rom. vocabantur quædam præstationes, quæ dabantur Episcopis, quotiescunque Ecclesiarum, quæ Monachorum juris erant, *Personæ* mutabantur. Nam cùm Ecclesias omnes Episcopi sibi vindicent, eas illi interdum Monasteriis aut Capitulis Canonicorum donabant aut à fundatoribus donari permittebant, retentâ ea præstatione, quæ *Redemtio Altaris* dicta est, veluti in signum dominii, quod Ecclesia matrix sibi reservabat, atque adeo reservatis ipsius Ecclesiæ decimis, Vide infrà in voce *Persona.* Si enim Altaria Congregationibus Canonicorum vel Monachorum *per personas* darentur, *mortuis personis* in manus Episcoporum redibant, nisi essent per eorum scripta vel privilegia confirmata, ut est in Concilio Claromont. A.C. 1095. *can. 7.* Hæc itaque *Altarium redemtio*, venditionis nomine donata est, quòd à Monachis post mortem vel immutatione *personæ* redimi dicerentur: quod prohibitum fuit, salvo Episcoporum censu annuo, eod. Concil. *can. 7.* & Nemausensi A.C. 1096. Imò & jam priùs id vetuerat Leo XI. Pont. Rom. apud Wibertum in *Vita* illius *pag. 86.* *Venditiones altarium anathemate prohibuit: sed constituit ut partes decimarum, ad Episcopum pertinentes, aut quisque Præsul sibi teneret aut cui vellet tribueret; partem autem ad Altare pertinentem proprio Pastori Ecclesiæ gratis concederet.* Eodem facit *Charta* Rogerii III. Episcop. Catalaun. *Altaria hæc habenda personas — eo pacto, ut quando per-*

sona

sine obierit, persona alia à Monachis oblata restituatur, sine muneris acceptione, &c. *Relevationes* quoque istiusmodi redemptiones appellatas esse, eo quòd inventæ hæ essent, instar redemptionum feudorum, quæ *Relevationes* dicuntur, observat du Fresne: atque hoc nomine *Consuetudinem* quandam *inauditam* venisse addit, quâ Vicecomes Thoarcensium Haimericus exigebat ab Abbate S. Albini, *qui noviter onus susceperat Abbatis, equum unum centum solidorum, aut solidos centum pro mutatione & relevatione Abbatis. Dicebat enim — quòd quicunque noviter crearetur Abbas in Monasterio S. Albini, prædictum pro sua ordinatione præjudicium solveret Vicecomiti*, ex vet. *Notitia* apud Charlonyum *ad Historiam Incullismensem* Cortiani. Remota igitur & à Synodis interdictâ redemptione, postmodum *Altaria sub censu annuo* contulere Episcopi, in quem tamen etiam abusum graviter invehitur Gosfridus Vindocinensis *lib. 3. Epist. 12. cùm per annos singulos censum exigerent ab Ecclesiis, annua* seu *plurimorum annorum simonia sit*. Extant *Chartæ* istius abusus testes complures in Tabulario S. Dionysii, & alibi, de quibus, ut & plura in hanc rem, vide apud Car. du Fresne in *Glossar.*

Alteja, fluvius Galliæ, in Picardia, *Autie* accolis, alluit vicum nominis sui, Teuceram *Tieure*, Donencum *Doulens*, Ruminiacum *Rumigni*, Alciacum *Auxi*, Vicum ad Altejam *Vy sur Autie*, Adlullíam *Argoulle*, vicum in tabula Peutingeriana unà cùm Teucera memoratum; Pontes *Pont à Solane*, aliàs *Pont Assolane*, locum Æthico notum inter Ambianos & Gesoriacum, dictumq; suis pontibus, quos plures habet fluvio impositum, hicque in Oceanum effluit. Proximum ei flumen est Quantia *la Canche*. V. Hadr. Valesium *Not. Gall.*

Altena, castellum Germaniæ, in Westfalia, priùs *Wolfeshagen* vocatum, olim sub proprio Comite, ex familia Cliviaca. Hæc enim cùm in *Clivensem* & *Teysterbandiam* lineas esset distincta, in Eberhardo & Ruperto filiis Ludovici, qui obiit An Chr. 8.9. Clivensibus titulus suus duravit, donec ipsi esse deiere. Teisterbandiis non idem nominis sui amor; quippe quo posito An.Chr 863 Theodoricus, ejusque filius Adolfus, ab *Altena* castello; Eberhardus Adolfi frater, à Bergensi terra, denominari maluere, uterque ab Henrico Aucupe vocorum damnati. Displicuit tamen postea & velut consenuit etiam *Altenæ* nomen, quod imperante Friderico II. Adolfus, *Marcani Comit.* vocabulo, comparati sibi Marcâ commutavit. Hodie sub Electore Brandeburgico est. Vide Tob. Planneyum *de præcipuis Germ. Princip. gentibus cap.* 2. ut & in voce *Clivia*.

Altenburgum, adde: Prior etiam *Aldeburgum* vocatur, ubi celebre Colloquium Theologorum habitum est A.C.1568. in quo, præsidente Johanne Wilhelmo Saxoniæ D. ex familia Vinariensi, Wittenbergenses *consensum inter Lutherum & Melanchthonem, in doctrina, vita & morte*, fuisse docuere; Flacciani contrà, Johannes nempe Wigandus, Joh. Cœlestinus, Irenæus, Rosinus, Bresneccerus, Kirchnerus, contenderunt, *in doctrina Lutheri & Philippi dissensum esse, ac discrepantiam tantam, quanta est inter æstatem & hyemem similitudo*. Ita re infectâ discessum, Vide Chytreum *in Saxon. ad Annum Chr.* 1568. Accepit hanc urbem Albertus D. Saxoniæ, cognom. *Degener*, dotis nomine, à Friderico II. Imp. cujus filiam Margaretam duxit: ex arce dein *Altenburgica*, Conradus Kauffungus, Ernestum & Albertum, filios Friderici cognom. *Placidi*, A. C. 1455. noctu abduxit, concepto in herum odio, sed in sylva à carbonariis captus, utrumque mox reddidit, & scelus supplicio expiavit. Nactus est ditionem *Altenburgicam*, in divisione hæreditatis Joh. Wilhelmi, retrò memorati, Fridericus Wilhelmus, ejus major natu filius, qui cum Joh. Georgio Brandeburgico admotus tutelæ Christiani II. administravit Electoratum, in Reformatos acer: Eo, inter alios, natus Fridericus Wilhelmus, fratrum minimus, sed eorundem, & postea Joh. Ernesti patruelis, ex parte hæres, auspiciis Electoris agnati, in Lusatia A.C. 1634. exercitum duxit; Pater ex Magd. Sybilla agnata Friderici Wilhelmi Vide Phil. Jac. Spenerum *Syll. Geneal. Histor.*

Altercatio, nomen Libri Gennadio in *Scriptoribus Ecclesiasticis* laudati, ubi meminit *Libri Altercationis* Juliani Episc. Capuani: Eidem memorantur *Altercationes*, quas Eugenius Carthagin. Episc. *cum Arianorum Præsulibus per internuntios habuit, ab eo conscriptæ.* Sic, qui haud pridem editi sunt a Luca Acherio *Tom. X. Spicil.* Consultationum Zachæi Christiani & Apollonii Philosophi libri tres, hocce titulo inscribuntur, in Codice Lemovic. *Altercatio Apollonii Philosophi cum Zachæo Christiano.* Nempe *Altercatio*, ἀντιβολὴ denotat λόγων, ut *Gloss.* habent Lat.Gr. Dialogum vid. & collationem, sed propriè partium inter se dissidentium, apud Car. du Fresne *Glossar.*

Altilia, peculiari ratione saginata, quæ in mensa Salomonis quotidie absumerentur, indigitari voce *Barburim*, 1. Regum. c. 4. v. 23. *Et erant cibaria Salomonis in dies decem boves — præter cervos & capreas & bubalos &* barburos *saginatos*; Græcis interpretibus. Videtur, unde [illegible] habent, quasi significentur *aves electæ altiles*, eæque gallinacei generis. De qua interpretatione quid sentiendum. V. Sam. Bochartum *Hierozoici part. poster. lib.* 1. *cap.* 19. & infrà in voce *Barburi*. Apud du Fresne, *Altilia* in congregatione ministrari, *Regulâ* S. Aureliani vetitum esse, legimus, quem vide.

Altitudo titulus Regum honorarius, in vett. Tabb. Regum Franciæ, apud Camusatum in *Antiquit. Tricensib.* Beslium *in Comit. Pictav.* Acherium *Spicileg. Tom. XII.* &c. cujus loco Græci ὕψος & κορυφὴν usurpant. Ita enim jam Pindarus *Olymp. od. α.* Τὸ δ' ἔσχατον, inquit, κορυφοῦται βασιλεῦσι. Vide Eustath. *ad Dionys. Perieg. pag* 2. *col.* 2. laudatum sæpius memorato *Glossarii* Auctori. Turcarum Imp. proprius hodie titulus est, *Hautesse* Gall.

Altorfia, adde: Etiam *Altorfum* & *Altorfium* dictum est Olim sub Comitibus celeberrimis; quorum originem quidam referunt, ad Warinum Alemanniæ Principem & *Altorfii* Comitem, filium Eberhardi Alsatiæ Ducis. Hic Warinus pater dicitur fuisse Isenbardi, duodecim Welforum genitoris, è quibus præcipuus Welfo Comes *Altorfi* & Ravensburgi nominatur. Hunc patrem fuisse volunt Juditæ uxoris Ludovici Pii Imper. & Conradi Comitis: quo natus Conradus Dux partium Rhæticarum Jurensium, Comes Lingonum, Regum Burgundiæ conditor, & Ethico vel Henricus, à quo propagata Comitum *Altorfi* gens, cui in Welfo Ducatus Bavariæ accessit. Defecit autem familia in Welfo III. cujus soror Cunigundis, nupta Azoni Atestino vel Estensi, in illam gentem, Welficum nomen intulit. Vide Phil. Jac. Spenerum *in Fam. Guelfica*, & infrà in voce *Welfi*.

Altorfium, vulgò *Altorff*, vicus Helvetiæ, pagi Uraniorum præcipuus, ubi secundùm Stumpfium *lib. 6. de pago Tigur.* publici Gentis conventus haberi solent. Simlerus tamen id Betzelingæ, qui locus mediæ horæ itinere ab Altorfo distat, fieri docet, *Descr. Helvet.* Vide quoque *Altdorffium*.

Altricum, seu *Altriacum*, memoratum in *libro de Vita S. Amatoris Episcopi Autissiodor.* locus fuit seu vicus Galliæ, proximus Autissiodoro, & in conspectu urbis, in quo Episcopi Autissiodorenses sepeliri soliti sunt: hodie *Autri*. Hadrianus Valesius meminit quoque *Altriaci*, ad Axonam, quod *Autry* vocari vulgò ait.

Altum-Villare, vel *Altus-Villaris*, locus & Monasterium Galliæ, ad flumen Matronam, inter Sparnacum & Castellionem. Cujus auctor Nivardus fuit Remorum Antistes, circa Annum Chr. 670. illudque Berchario Abbati, cum Basilica B. Petri, multisque prædiis suis donavit ubi ipse Monachique ejus ex præscripto Columbani viverent, teste Frodoardo. Adso etiam auctor est, Bercharium, Childerico Francorum R. ac Nivardo Episcopo adjuvantibus, in *Alto-villari* Cœnobium, in latere montis, duasque Basilicas condidisse, quæ à Nivardo, præsentibus provinciæ Optimatibus ac Antistitibus, sint, dedicatæ. Vulgò *Haut-villiers*, vel *Auvilliers*. Vide Hadrianum Valesium *Notit. Gall.*

Altus-Mons, Monasterium Belgii, in Hannonia, ad ripas Sabis flum. quò Ansbertum Episcopum Rotomagensem Pippinus Dux ac Princeps Francorum relegavit. Vulgò *Haut-Mont*, locus est Melbodio oppid. Hannoniæ proximus, Monachi Benedicti institutum ac regulas sequuntur, Vide Hadrianum Valesium *Notit. Gall.*

Alvarilus seu *Alvaridus*, Judex apud Arabes, seu Saracenos olim in Hispania. V. suprà in voce *Alcaydus*.

Alvarotus, JC. Patavii natus, Leges ibidem publicè interpretatus est, nonnullisque Commentariis relictis, prope septuagenarius circa A.C. 1453. vitâ excessit. Hotomannus in *Prætermissis*, apud Joh. Calvinum *Lexic. Jurid.*

Reges Congi.

Alvarus I. præfuit, post Henricum R. è cujus Prædecessoribus primus Johannes, sic in Baptismo nominatus, à Johanne II. Portugalliæ R. A.C. 1491. ad Christianam fidem conversus est. Sub eo Agages seu Jacchæ pop. interioris Asiæ ferocissimi, Regnum *Congo* invaserunt illudq; ingenti exhaustum cæde in potestatem redegerunt: Rege *Alvaro*, cum paucis, qui cladi superfuere, in exiguam Ins. fluvii *Zaire* compulso, ubi extremas ac ineffabiles sustinuit ærumnas. Donec, devastati tam horrendum in modum Regni nuntio permotus Sebastianus, Lusitaniæ R. misso cum copiis Francisco Goviâ, Jacchas iterum exturbaret, Alvaro restituto A.C 1560. & *seqq.* Ei successit

Alvarus II. circa A.C. 1580. Georg. Hornius *Orb. Imper pag.* 467. & 468.

Alvarus Didacus, Hispanus, patriâ Methymnensis, sive *de Medina*, Ord. Præd Episcopus Tranensis: *Ingenio candidus, moribus suavis, Theologus insignis & in controversiis de prædestinatione uspiam rimam Orthodoxus*, Twisso c. *Corv. cap.* 10. *sect.* 2. Floruit sub finem seculi præcedentis. Ejus extant *in Esajam Commentarii*, 2. *Tom* 4. *Romæ. A.C.* 1599. 1600. 1609.

Alucitæ tabernales, dicuntur Petronio apud Fulgentium, quos ipsemet *culices*, κώνωπας interpretatur: qui *tabernales*, à tabernis, h. e. *popinis*; quo solo sensu *tabernas*, Hadriani Imp. & Petronii temporibus etiam, ut videtur, appellabant. Notum enim de Hadriano illud,

Ego nolo Florus esse,
Ambulare per tabernas
Culices pati, &c.

apud Spartianum; ubi *tabernas* mox *popinas* interpretatur Cæ-

far. Locus Petronii est, *Nam centum alucitæ tabernales infestabant.* Vide Salmasium *ad Spartianum.*

Alverni, vulgò *Auvers*, vicus non ignobilis Galliæ, in Velocassibus ad Isaram, supra Brivam Isaræ. Ejus mentio in *Actis* Synodi Suessionis habitæ Anno Chr. 862. quum Ludovicus Abbas Monasterii. S. Dionysii *in Alvernis mansos duos*, præter cœtera, Monachis suis attribuit, Hadrianus Valesius *Notit. Gall.*

Alveus, in quo Vett. lavabant, occurrit apud Julium Capitolinum *in Clodio Albino*: *Fuit & aliud signum futuri Imperii. Nam cùm Cæsariana familia hoc speciale habuerit, ut parvuli domus ejus in testudineis* alveis *lavarentur*, *nato infantulo testudo ingens patri ejus munere piscatoris allata est: quod ille homo literatus omen accipiens & testudinem libenter accepit & eam curari jussit, atque infantulo ad excaldationes pueriles dicari, nobilitandum etiam hinc sperans.* Imò non pueri solùm in *alveis*, sed olim etiam viri lavabantur, illâ Vett duritie ac parcitate, cùm balnea nondum luxuries invenisset aut invexisset. Sed & *Alvei* in balneis, qui Græci ἐμβάσεις. Latin. *Descensiones*; recentioribus Græciæ incolis σκάφαι, unde σκαφοδιαιτία & σκαφοδιαιτῶν. Dicebantur & *Tinidæ* vel *Tinidæ*, &c. Pueriles verò *Alveos*, in quibus infantes excaldabantur, quod attinet, & illi σκάφαι & σκαφιστήρια Græcis dicebantur: etiam *scaphisteria* Latinis. *Glossæ*, σκαφιστήριον, *scaphisterium.* Aldhelmo *Capisterium nutricis*, de *Laudib. Virgin.* ubi *Capisterium* est, pro *scapisterium* vel *scaphisterium*: quemadmodum & reperitur *casteria*, pro *scasteria*, hoc est, χαστήρια, apud Plautum & Nonium. Nisi fortè *scaphisterium* magis ibi positum est pro *alveo*, in quo infantilia linteamenta lavabantur. Vide Salmasium *Not. ad Capitolinum loc. citat.* Aliàs *Solium*, & Græcè quoque πύελος. Quâ voce posteriore etiam *Alvei* dicti, quibus cadavera sua Persæ Græci, aliique, qui corpora defunctorum non cremabant, solebant condere. Erant illi ex lapide utplurimum facti, cui natura est corpora citò absumere, qualis fuit Assius lapis, quem & σαρκοφάγον propterea Græci nuncuparunt. Vide infrà in hac voce. Postea tamen mansit σαρκοφάγων appellatio quibuslibet mortuorum loculis, etiamsi ex alia materia fierent; hodieque Galli *sarcueum* quamvis sepulchralem arcam appellant, voce ex *sarcophagulus* detortâ. Porrò hi *Alvei*, ad modulum corporis facti erant, ac totum cadaver, quàm longum erat, recipere potuerunt; hinc ab *urnis*, in quibus cineres cadaverum crematorum apud Romanos condebantur, diversi. Habuere autem similitudinem solii seu alvei, in quo lavabantur, unde nomen. Vulgò Galli dicunt *un Auge*, ex Latino sequioris seculi *Albium*, pro *Alveo*. Sic πύελον, in qua Cyri corpus jacebat, Curtius *solium*, h. e. *alveum*, est interpretatus. Et Florus de Cleopatra, *Ibi maximos — induta cultus in differto odoribus solio, juxta suum se collocavit Antonium.* Similiter *fictilibus soliis multos condi maluisse*, Plinius ait, *lib. 35. cap.* 12. Et in solio, è chernite lapide facto, Darii corpus quievisse, scribit Theophrastus *de Lapid.* Vide quoque infrà in vocibus *Arca* & *Solium*: Et plura hanc in rem, apud Salmasium *ad Solinum pag.* 1203. & 1204.

Alveus Lusorius, memoratur Plinio ex actis triumphorum Pompeji Magni: *Transtulit* alveum *cum tesseris* lusorium *è gemmis duabus, latum pedes tres, longum pedes quatuor*; tertia enim pars longitudinis adjiciebatur ut plurimum in illis lusoriis alveis fabricandis, cujusmodi etiam hodieque forma nostrorum alveolorum est, quæ *tablaria* dicimus. Aliter *Tabula Lusoria*; unde ipse ludus, qui aliàs *Alea*, *Tabula* quoq; appellatus est, quo nomine totam ludi complexionem intelligunt Auctores, tesseris calculisque constantem & in tabula seu alveo lusitari consuetam: Tria namque totum hunc constituebant ludum, tesseræ & calculi, cum tabula lineis XII. conscripta. Græcis Ἀβάκιον & παιδίον πεττευτικόν: Cujusmodi *Alvei* seu Tabulæ vet. Lusoriæ formam, ex *Thesauro Antiqq. Inscript* Gruteri prolatam, subjicit curiosi Lectoris oculis, apud Vopiscum in *Proculo*, Salmasius, cujus inscriptio sic habet mixobarbara:

ΟΔΕ ΠΕΖΗΝ
ΤΟΝ ΙC ΤΑ
ΒΩΛΙΑ
ΙC ΧC
ΝΙ ΚΑ
ΚΕ ΒΟΙΘΙ ΤΟΥC ΓΡΑ
ΨΑΝΤΑC ΑΦΤΟΝ
ΚΑΙ ΠΕΖΟΝ
ΤΑC ΙC ΤΑ
ΒΟ.ΛΙΑ
ΑΜΗΝ.

Quæ verba ita constituenda esse ait: ὧδε παίζοντες εἰς τὰ βόλια Ἰησοῦς Χριστὸς νικᾷ καὶ βοηθεῖ τοὺς γράψαντας αὐτὸν καὶ παίζοντας εἰς τὰ βόλια. E quibus apparet, hanc tabulam Christiani hominis fuisse. Nam & crucem in medio figendam curavit & *Christi*, *nomen* ΙC ΧC. scribendum, parùm Christianè: Impiè quoque *adjutorem illum futurum dicit ludentibus aleam*, legibus vetitam bonisque moribus contrariam; omnibus olim Christianis impermissam, postea que solis interdictam Clericis, ut diximus supra, in *Alea*; & plura infrà, ubi de *Tabula Lusoria*, seu *Tesseraria*.

Alumen, apud Dioscoridem, ἄριστον δὲ ὑπάρχει ἡ σχιστὴ καὶ νέα ὑπόλευκος καὶ λίαν ἄγαν, *optimum est scissile, & quidem recens ac candidum valde.* Quod de *liquido* potiùs accipi vult Salmasius, cujus probatio, *ut sit limpidum, lacteum, sine offensis fricanti, cum quodam igniculo caloris*, Plin. *lib.* 35. *cap.* 15. Inde *exaluminatæ margaritæ*, quæ limpidi sunt & liquidi candoris, ut est liquidum alumen. Eo enim inficiebantur lanæ colore claro. Idem, *Quoniam inficiendis claro colore lanis candidum liquidumque utilissimum.* Unde & margaritæ *claræ* dictæ, quæ exaluminatæ. Sed & pelles *exaluminabantur*, ut candorem clarum acciperent. Idem *ibid.* Unde *aluminatæ*, pelles confectæ & *alutæ*. Servius, *Unde & aluta pellis albus per naturam.* Imò per alumen. Nam & *alutam* Latini *alumen* dixere. Sed & Aluminis genus est, quod inficit, ut galla, hinc fuscis & obscuris lanis coriisque inficiendis legimus adhibitum, &c. Vide Salmasium *ad Solinum passim, inprimis pag.* 1166. Ex *Alumine Æs* factitium, asservatur in Musæo Kircheriano Romæ. Vide Georgium *de Sepibus in Collegii Rom. S. J. Musæo*, & suprà in voce *Æs*.

Alumna, epitheton Cereris, quòd frugum beneficio alantur homines, Martian. Capella *lib.* 1. sive, ut alii volunt, quòd terra omnes nutriat Orpheus *in hymnis*,

> Γῆ μήτηρ πάντων, Δημήτηρ πλουτοδότειρα,
> *Terra mater omnium, Ceres cuncta subministrans.*

Auctor *Carminis ad Messalam*,

> —— —— —— *Communis* Alumna
> *Omnibus injectâ tellus cumulavit arenâ.*

Alyrumnæ, apud Jornandem *de Rebus Get. cap.* 24. *Reperit in populo suo quasdam magas mulieres, quas patrio sermone is ipse* Alyrumnas *cognominat*: Magæ fuere apud Gothos; quo à nomine etiamnum Germani magas *Alrunas* vocant, à voce *Runa*, ut vult Ol. Wormius in *Monum. Danicis pag.* 514. 515 in *Literatura Runica cap.* 3. & in *Fastis Danicis libr.* 1. *cap.* 1. & *libr.* 3. *cap.* 3. ubi *Runas* ait Danos literas suas, figurarum ductibus à cœteris aliis discrepantes, olim generatim vocasse; quarum quibusdam, ad res gestas consignandas & ad scribendum; aliis ad Magicas incantationes ac præstigias, Vett. usos fuisse addit. Hinc verò *Ram Runer* literas istas, h. e. *Runas amaras* seu *acerbas*, utpote in perniciem aliorum plerunque earum abusu cedente, dictas esse asserit: eos autem, qui iis erant instructi, quique Astronomiæ & Magiæ operam dabant, *Runer*; item *Adelruner*, quòd in re literaria cœteris præcellerent, esse appellatos, nomine ipsis quoque fœminis, harum rerum peritis, tributo: è quo vocem *Alruna*, *Alirumna* & *Aliorumna* effinxerint Scriptores, seu potiùs depravaverint. *Runarum* sanè nomen literis omnibus Danicis attributum constat, quas quidem in oblongioribus baculis, *Spioldhefle* dictis, non atramento, pigmento aut colore illevisse, verùm cultellis incidisse, docet præter Fortunatum Saxo Grammaticus *lib.* 4. & Brynolfus *Notis in Saxonem MSS.* apud Car. du Fresne *Glossar.* Vide quoque infrà, ubi de *Runicis Literis.*

Alytarcha, Græca vox Ἀλυτάρχης, *præsidens ad Spectacula*, *Sacerdos erat Antiochiæ, cujus officium* ἀλυταρχία *dicebatur*, Car. Macer *Hierolex.* Occurrit vox in *leg.* 2. *Cod. Theodos. de Equis Curul.* ubi *Alytarchæ* Varino Phavorino, Cujacio & Jacobo Gothofredo dicti sunt, qui ludis, in honorem Deorum celebrari solitis, τοῖς ἀλυτικοῖς, h. e. μαστιγοφόροις præessent. Nam *Rhabdophoros* seu *Mastigophoros* ab Eleis Ἀλύτας vocatos, scribit Auctor Etymologici. At Petrus Faber *Semestr. lib.* 1. *cap.* 18. ab ἀλύειν, quod est *lætari, exultare*, vocabuli originem arcessit, vultque *Alytarchas* appellatos, quasi publicæ voluptatis Arbitros seu *Tribunos voluptatum*, uti quoque appellabantur. Namque in ludis usu veniebat, ut lætarentur, exultarent ac præ gaudio dissolverentur spectatores, Vide Carolum du Fresne *Glossar.* Auctor Etymologici Ἀλυτάρχης ὁ τῆς ἐν τῷ ἀλυτικῷ ἀγῶνι εὐκοσμίας ἄρχων. In Syria Ludorum Præsidem Sacerdotem, sic vocatum esse, notat Cujacius *Observat. lib.* 2. *cap.* 13. apud Joh. Calvinum *Lexic. Jurid.* Vide eundem Cujacium ad *l.* 1. *Cod. de Offic. Com Orient.*

Alzatrec. Mauritanis latrunculorum ludus est, ex articulo Arabico *al* & Græcâ voce Ζατρίκιον, quâ hac ingente recentiori ævo ludum hunc dictum esse, ostendunt Eruditi. Græcis enim deberi hunc ludum nemo ampliùs ignorat; à quibus ad Persas res ipsa cum nomine transiit, quibus *Xatreng* vel *Xatrang* hodieque ludus hic appellatur, Hispani *Axedres* vocant, voce à Mauritanis mutuatâ, qui voces penè innumerabiles è Græco & Latino in suam linguam traduxerunt. Salmasius *ad Solinum pag.* 1130. V. infrà in voce *Latrunculorum ludus*, item *Zatricium.*

Alzila, V. suprà *Aloë.*

A M.

Ama, Græcè Ἄμη, Latinè *Batillus*, seu potiùs *Vatillum.* Duas autem res ἄμη significabat, olim apud Græcos, & instrumentum fossorium, cui simile est & illud quod ad ignem paratum est, & vas tenendæ aquæ aptum, sicut planè & σκάφη & σκαφεῖον: nam σκάφη & ἄμη idem. Postea Græci, ut distinguerent ἄμην, quæ ad ignem ministrat, ab illa, quæ fodiendi est instrumentum, illam πυράμην

[illegible] vocaverunt, hanc vero [illegible] nomen habere, quod prius: donec lapsu temporis [illegible] etiam dici inceperit illud instrumentum, quod propriè *ama* dicebatur, nec igni serviebat, sed [illegible] adhibebatur. Unde ad *Aristophanis* [illegible].

[illegible]

[illegible], inquit Scholiastes, [illegible] igitur fossorium instrumentum: Polluci inter agricolarum *[illegible]*, *lib.* 10. & Isidoro, inter instrumenta hortorum; apud quem perperam eruditi nonnulli viri *amam* accipiunt instrumentum restinguendo incendio, cujus apud Jurecoss. mentio. Gall. *Une pale de fer, ou un hoyau.* [illegible] appellant quoque Græci; Latini *upupam* etiam, vel *opupam*, uti docet Salmasius *ad Plauti locum in Captivis*, ubi de servo in lapidicinas dato, ait Comicus,

[illegible] ubi illò adveni, quasi patriciis pueris aut monedulæ,
[illegible]: anates aut coturnices — — —
[illegible] hæc mihi advenienti upupa, qui me delectem, data est.

Quamvis *upupa* non ea quidem planè forma, nec idem instrumentum cum *ama*: Nam hæc ad terram fodiendam & latior, unde [illegible] exponitur à Grammaticis: illa ad eruendos lapides & acuta, & non malè referens upupæ caput cum rostro, &c. *Hamas* verò, quarum in restinguendis incendiis usus, quod concernit, sunt illæ vasa ampla, ad continendam aquam, quæ siphonibus inde hauriebatur & exprimebatur, ad ignem restinguendum: quam ob rem *siphones & hamas* junctim posuit Plinius. Habebantur hæ aquâ plenæ & siphones juxta parati, in publico positi, unde *dispositas hamas* dixit Juvenalis: quæ nempe cum aqua semper in publico stabant. Vide infrà in voce *Hama*. Adeoque hama vas aquarium & Græcis quoque [illegible]: ut ex Hesychio discimus & diminutivo ejus [illegible]. Cato certè *de R. R. cap.* 135. hamas cum urnis & urceis nominat: & *amarum argentearum* singulis fere paginis mentio est, apud Anastasium Bibliothec. inter scyphos, patenas, & calices; Vide imprimis eum in *Sylvestro*. Papiæ *Amæ sunt vasa, in quibus sacra oblatio continetur, ut vinum.* Quâ notione etiam diminut. *Amula* sumitur, in *Ord.* Rom. alibique passim. Quare Dominic. Macer, *Ama vel Amula*, inquit, *Italicè Ampollina, vas est ad usum Altaris sacrificii.* Addit frater ejus Carolus, *Urceolus, Græci Acratophorum vocant — è quo vocabulo Græci fortasse* [illegible] *vocant vinum Sacrificio destinatum, q. in ama, id est, urceolo positum*, in *Hierolexico*, &c. Est insuper apud recentiores, *Ama*, vas vinarium, & *Hama*, majus dolium vinarium, unde Germ. *Ahme.* Nec omittendum, quod circa significatum *Hama*, quo instrumentum incendio sedando adhiberi solitum diximus intelligi, observat Luc. Holstenius *Notis ad Passion. SS. Perpetuæ & Felicitatis*: qui *Amas* non vult fuisse vasa aquaria, ut Salmasium docere vidimus, sed falces grandiores seu ferramenta recurva, longissimis contis suffixa, qualia incendii compescendi aut extinguendi causâ passim in Gallia alibique conspiciuntur: Quæ causa est, inquit, quod *l.* 12. *Dig. de Instruct. leg.* amas & *harpagones* conjungit.

Amalgalteri, Vide suprà in voce *Amagarari*.

Amalhaloth, Hebr. dicuntur *Psalmi graduum & ascensionis*, qui [illegible] tum canebantur, cùm ascendebantur quindecim Templi Salomonici gradus; quales fuere Psalmi illi quindecim à Psalmo 120. usque ad 135. Vide Buxtorfium *in Lexic. Hebr.*

Amali, gens olim inter Gothos nobilissima, cujus meminit Jornandes *de Rebus Getic. Ordinant super se Regem Alaricum, cui erat post* Amalos *secunda nobilitas.* Et paulo pòst, *Quis namque* de Amalo *dubitaret, si vacasset eligere.* Sub finem, *Hucusque Getarum origo &* Amalorum *nobilitas.* Vide quoque Senatorem *lib.* 4. *Epist.* 39. *lib.* 5. *Epist.* 43. *lib.* 8. *Epist.* 9. *lib.* 9. *Epist.* 1. & 25. *lib.* 10. *Epist.* 2. *lib.* 12. *Epist.* 1. & 3. Atque inde fluxere nomina *Amalaberge*, *Amalafrida*, *Amalarici*, *Amalasuinta*, & similia Principum virorum fœminarumque, in hac celebri gente, apud Jornandem aliosque, qui de Rebus Gothicis scripsere, ut docet Car. du Fresne *Gloss.*

Amantes, Græcè [illegible], pop. Illyrici, originem trahentes à Phocicis Abantibus. Eorum meminit Callimachus,

[illegible]
Qui & Amantinam incolebant Oricum.

apud Salmasium *ad Solinum, pag.* 278.

Amanus, pars Tauri montis, ad Euphratem & Melitenen pertingens, ubi Commagene Cappadociæ adjacet, Strab. *lib.* 11. V. Salmasium *ibid. pag.* 630 in voce *Amana*.

Amaracus, ut & Iris, *herba sunt, quarum succus, id est, oleum, per se unguentum faciunt, quibus flores & alia alii miscent*, Plin. *lib.* 13. *cap.* 1. Cyzicena autem inprimis commendata Veteribus. Hinc *Amaracinum unguentum*, de cujus conficiendi ratione, Vide Theophrastum & Dioscoridem ubi de *Amaraco* & Salmasium *d. l. pag.* 466. & 468.

Amarantus, Plinio auctore, *spica purpurea est verius, quam flos aliquis & ipse sine odore. Mirum in eo, gaudere decerpi & lætius renasci. Provenit Augusto mense, durat in autumnum. Alexandrino palma, qui decerptus asservatur. Mirumque, postquam defecere flores cunctis, madefactus aquâ reviviscit & hybernas coronas facit. Summa ejus natura in nomine est, quae illi marcescat. In nuptias & cytrinorum* [illegible]. *Omnes autem hi flores non fuere in usu Alexandri Magni ætate — manifestum est postea placuisse. A Græcis nomen repertos quis dubitet: non aliter Italiæ usurpante nomina illorum?* &c. *lib.* 21. *cap.* 8. Eum sic describit Franc. Pomey: *Flos est Amarantus, minime flos; cum non turgescat in calycem, nec dehiscat in florem, nec in folia explicetur, nec certam induat, sed in quamvis passim figuram tenerè luxuriet. Cristam* [illegible] *dixeris* [illegible] *& fulvam, innumeris contextam filis saturata purpura, mollissimis* [illegible], *at polite* [illegible] *nitentem splendidamque, ut* [illegible] *bombycinum heteromalli cremesini potius intueri te credas, quam florem, quin etiam tum coloris fulgore, tum nitore staminum, heteromallum vincis & obscuras, ex quo cognomen ei vulgò factum est,* HETEROMALLI VICTOR FLOS. Gall. *Passe velours.* De ordine Equestri, cui ab hoc flore nomen, instituto à Christina Regina Sueciæ, consule modernos Scriptores.

Amariaci, perperam Ptolomæo dicuntur, qui *Anariaci* aliis, populi Mediæ. Meminit eorum Solinus *cap.* 48. *A Caspiis ad Orientem versus est locus, quod Dirum appellatur, cujus ubertati non est, quod usquam comparari queat. Hunc circumsident Tapyri,* Anariaci, *Hyrcani.* Ad quem Vide Salmasium *pagina* 983.

Amartigenia, Græcè [illegible], id est, *Peccati ortus*, seu generatio, nomen libri, quem scripsit inter alios Prudentius Poëta Christianus. Vincentius Bellovac. *Composuit & libellos, quos Græca appellatione prætitulavit, Apotheosis, Psychomachia,* Amartigenia, *id est, de divinitate, Animarum pugnâ, de origine peccatorum.* Dominic. Macr. *Hierol.*

Amarum, in coloribus, idem quod *austerum*, *plenum*, *saturum*, &c. Sic [illegible] Græcis in tinctura vel colore, quod valdè coloratum est. Epiphanius de Smaragdo, [illegible]. *Et Neronianus quidem* amarus, *aspectu*, *vehementer viridis*, h. e. austerus colore & viriditate acerbâ. Similiter Plutarchus, *Vitâ Sullæ*, [illegible], de Sullæ oculis, dixit *meram & amaram glaucitatem*: [illegible] &c. Vide Salmasium *ad Solinum pag.* 201. ubi Isidorum, de viridi colore propriè *amarum* dici asserentem, refellit.

Amastris, Dionysii Tyranni Heracleæ uxor, soror Darii, quem Alexander M. devicit, urbem cognominem ex quatuor pagis composuit, Strab. de qua vide in *Amastris*.

Amatisa, vulgò *l'Amasse*, fluvius Galliæ, inter eos qui Turonicum pagum a Meridie alluunt, Hadrianus Valesius *Notit. Gall.*

Amazenes, seu *Mazenes*, Oaractæ Insul. Regulus, Mithropastem ex Ogyride Ins. desertâ, ad se confugientem, benignè excepit, & dux navigationis usque ad Susa Macedonibus, cum Nearcho, eò profectus est. Arrianus, [illegible]. Macedones verò Oaractam Insulam, ad quam Alexandri naves appulerant, hujus nomine memoriæ ergò appellarunt. Vide Salmasium *ad Solinum p.* 1180.

Amazonia, dicta à Commodo Imperat. Martia, concubina ejus famosa, quâ literas signasse legitur apud Julium Capitolinum in *Clodio Albino*, imagine ejus in signatorio suo annulo insculptâ: *Habebis præterea dandi stipendii — liberam potestatem: quin & super hoc ad Procuratores meos literas misi, quas ipse signatas accipies signo* Amazoniæ: *& quum opus fuerit, Rationalibus dabis, ne te non audiant*, &c. Sic autem appellavit eam, quòd illam pictam in Amazone maximè diligeret: unde & ipse *Amazonico* habitu in arenam descendit atque inter varia cognomina, duo hæc unicè amavit ac constanter retinuit, *Exsuperatorii* & *Amazonii*, cùm alia subinde mutaret ac deponeret. Dio, [illegible]. Atque titulus hic videtur Salmasio intelligi apud Ælium Lampridium in *Commodo*, nomine *effœminati*: *Colossi autem caput demsit, quòd Neronis esset ac suum imposuit: & titulum more solito subscripsit, ita ut illum gladiatorium & effœminatum non prætermitteret.* Ubi fortè per *gladiatorium* intelligit *Exsuperatorii* cognomen, per *effœminatum* verò *Amazonii*, quo ex amore concubinæ suæ vocari volebat. Sed & cùm mensium nomina mutasset idem, Januarium [illegible], id est, *Amazonium* appellavit, uti discimus ex eodem Dione, & Decembrem [illegible], id est, *Exsuperatorium*, contra quam Lampridius habet, qui Novembrem *Exsuperatorium*, Decembrem autem *Amazonium* fuisse dictum, ait: *Menses quoque in honorem ejus pro Augusto Commodum, pro Septembri Herculeum, pro Octobri Invictum, pro Novembri Exsuperatorium, pro Decembri* Amazonium, *ex signo ipsius, adulatores vocabant.* Amazonius *autem vocatus est ex amore concubinæ suæ Martiæ*, &c. Vide Salmasium *ibid. ad loc.*

Amazonicus, inter Tauri montis epitheta, à gente *Amazonum* ei inditum: sicut idem *Moschicus*, *Coraxicus*, *Caspius* & *Hyrcanus*

Hyrcanus à simili causa dictus est. Habet autem Paryadres mons (quod & ipsum Tauri cognomen) à dextra montem Hyrcanum & Caspium, à læva Moschicum, *Amazonicum* & Coraxicum, V. Ptolemæum *in* 5. *Asiæ Tab.* & plura hanc in rem apud Salmasium *ad Solinum pag.* 788.

Amazonius Mensis, dictus est ab adulatoribus Commodi Imp. December, ex signo ipsius & amore concubinæ Martiæ, quam *pictam in Amazone* diligebat: imò propter quam & ipse Amazonico habitu in arenam Romanam procedere voluit. Iidem, in honorem Imper. pro Augusto *Commodum*, pro Septembri *Herculem*, pro Octobri *Invictum*, pro Novembri *Exsuperatorium* dixere, Ælius Lampridius *in vita Commodi*.

Ambacia, adde: Vetertimum est castrum, quod Ludovicus Nublæus Ambaciensis, ab *ambientibus aquis* dictum esse existimat: Est enim posita ad confluentes Amatissæ *l. Amasse* & Ligeris. Valesius verò amniculum hunc *Ambaçam* olim dictum, qui loco nomen suum dederit, putat. Primus omnium ejus meminit Sulpicius Severus *de Vita S. Martini ante ann.* 1160. Gregorius Tur. *de mirac. Martini lib.* 2. vocat *vicum Ambaciensem*, ubi tum pontem navalem Romani operis fuisse refert. Gesta Consulum Andegavensium, tres uno tempore Optimates, in *Ambaciensi castro* fuisse docent, Sulpicium dominum turris lapideæ, Fulcojum de Torinnejo, dominum domus validæ, quæ ab ipso *Mota Fulcoji* dicebatur, & Arnulfum filium Leonis de Magduno, custodem domus Consulis Andegavensis Fulconis Rechin, quæ *Domicilium* vocabatur. Ibidem *Ambacia* quidem oppidum, *Ambacianum*, turris autem lapidea Sulpicii Calvomontensis, apud eam, nunc turris, sæpius arx nuncupatur; etiam locus qui *vetus Roma* tùm dicebatur, infra urbem fuisse memoratur ibidem. Gesta Dominorum Ambacensium, nunc *Ambasiam*, nunc *Ambaquis* vocant, velut ab *ambientibus aquis*; vel ab *ambabus aquis*, i. à duobus fluviis, Hadr. Valesius *Notit Gall.* V. etiam *Ambasia*.

Ambacti, apud Cæsarem *de bello Gall.* ubi de Equitibus Galliæ agit, *Eorum*, inquit, *ut unusquisque est genere copiisque amplissimus, ita plurimos circum se* ambactos *clientesque habet*: Clientes sunt seu servi conductitii. Vox Gallica vetus, Festus: *Ambactus, Ennio, linguâ Gallicâ servus dicitur.* Glossar. *Ambactus*, δοῦλος μισθωτὸς, ὡς Ἔννιος. Remanetque etiamnum in Germania & Belgio vocabuli vestigium: In Civitatibus enim Flandricis passim, aliisq; nonnullis, *Ambachten* ejusmodi corpora dicuntur, quæ unum sibi legunt, cujus auctoritatem perinde atq; capitis sui venerantur. Unde & ii *Ambachten heeren* Belgico idiomate, *Ambactorum* quasi *Dynastæ* intelliguntur aut certè viri tales, penès quos sit rerum summa & in coloniis territoriisque dominatus. Regiones ipsæ in *Ambactias* distribuuntur: unde pro, *in Comitatu Engelberti*, aliquando in Diplomatibus legere est, in *Engelbrechtes Ambachte, vel Ambechte*, ut testatur Freherus *Orig. Palatin. lib.* 1. Apud Kilianum, *Ambacht*, *est officium, præfectura, jurisdictio civitatis*: Lexicon Germanicum vetus apud Lipsium *lib.* 3. *Epist.* 44. *Ambachtmann, ministri.* Quam vocem Somnerus à Saxonico *embehtman*, minister & *embehtian*, ministrare, deducit. At Salmasius *libro de Usuris* nequaquam vocem esse Gallicam contendit, hæcque Festo addita esse, ab illius Abbreviatore & in Cod. MS. haberi post hæc Festi verba: *Am præpositio loquelaris significat circum, unde supra servus ambactus, id est, circumactus, dicitur. V.* Eundem *ad Histor. Aug.* Pithœum *Adversar. lib.* 1. *cap.* 8. Pontanum *in Gloss.* Turnebum in *Adversar.* Cluverium *Germ. Antiq. lib.* 1. *cap.* 8. & 13. Carolum du Fresne *Gloss.* & infrà *Ambascia*.

Ambar, V. infrà *Ambarum*.

Ambarvale Carmen, apud Fl. Vopiscum, *in Divo Aureliano, Veteranis manibus libros evolvite, Fata Reip. quæ sunt æterna, perquirito; patrimis matrimisque pueris carmen indicite*: dictum est quod in *Ambarvalibus* canebatur, apud Rom. cum quo festo minimè confundendum est Amburbium, de quo apud eundem paulo pòst. Apertè enim Servius ambo distinguit, *ad Eclog.* 3. *Virgil. Dicitur hoc sacrificium ambarvale, quòd arva ambiat victima: sicut Amburbale, vel Amburbium, quo urbem circumit & ambit victima.* Idem *ad versum*,

Terq; novas circum felix eat hostia fruges.

Dicit, ait, ambarvale Sacrificium: quod sæpe de porca fœcunda & gravida fieri consueverat. Quæ sacrificia erant annua & pro frugibus fiebant, ac circum fruges hostia ducebatur, de quibus *Ambarvalibus* capiendus est Tibullus *lib.* 2. *Eleg.* 1.

Quisquis adest, faveat: fruges lustramus & agros,
Ritus ut à prisco traditus extat avo.

Nempe *sacrificium Ambarvale* intelligit, quo fruges & arva lustrabantur: quod non animadversum in magnum errorem impulit doctissimum Virum, qui apud Poetam hunc *ead. Eleg.* corrigit:

Tunc nitidus plenis confisus rusticus arvis,
Ingeret ardenti grandia ligna foco.

Ibi sc. *plenis arvis* corrigit pro *plenis agris*; atqui Tibullus ibidem *Ambarvale sacrum* exequitur. *Tunc*, id est, cum fiunt sacra pro frugibus, confisus rusticus plenis agris, id est, novis frugibus plenis & magnam spem præ se ferentibus, foco magnam lignorum copiam ingerit, &c. V. Salmasium *ad Vopiscum l. c.*

Ambarum seu *Ambar*, Græcis similiter Ἄμβαρ teste Aëtio, Gall. *Ambre.* Ital. *Ambracane*, odoramenti genus: *Revulsoque sarcophagi operculo mirifice Virtutis ambare suaviter redolentis Vivificationem demonstrans*, in *Actis* S. Sebastiani Martyr. apud Carolum Macrum *in Hierolex.* Alkazuinio Scriptori Arabi est stercus *bovis aquatilis marini*, qui è mari in terram ascendit, ut fruges depascatur, id est, phocæ, quæ mugitu, maxillâ superiore & naribus, bovem aut vitulum refert. Nempe phocæ creduntur *ambarum* primò devorare, deinde egerere. Unde Pandectarius, *Azel est nomen piscis magni devorantis ambarum.* Ex his Serapionis *cap.* 396. *Mala est & illa* ambra, *quam devorant quidam pisces magni — qui cùm deglutiant eam, occiduntur ab ea, & natant super aquas maris, quos videntes homines de Gingios* (Zingitani) *projiciunt super eos uncos ferreos extrahuntque ipsos de mari & extrahunt ambram de ventre eorum.* Alii verò *Ambarum* volunt ejici à ceto cognomine. Damir, *Et bellua, quæ illud vomit, vocatur Ambar.* Leo Afric. *lib.* 9. Ambarum *à pisce* ambaro *ejici multi volunt.* Piscem autem hunc aut balænam esse dicunt, aut cetum illi mole parem. Hinc Paulus Venetus *lib.* 3. *cap.* 39. ubi de Ins. Madagascaria: *In mari*, inquit, *cete grandia capiuntur, ex quibus* ambarum *colligitur.* Et Scaliger *Exercit.* 104. §. 10. *In Mauritanorum libris hoc inveni, ambar ab incolis Marocci & Fez balænam dici.* Etiam in Evangeliis Æthiopicis Matth. *cap.* 12. *vers.* 14. ita vocatur *cetus qui devoravit Jonam.* Sed obstat, quòd scuta fiunt ex pelle *ambar*, teste Damire; balænis autem cetisque corium mollius est, quàm ut illi scuta queat adhiberi. Itaque hoc phocæ convenit magis, de qua sic Oppianus *Halieutic. lib.* 5.

Φώκη δ' εἰς ἄγκιστρον ... , ὅτι ...
Τέγγλφ... , ...
Τοίη ... , ...
Hispida fallaci phoca haud retinetur ab hamo,
Nec trifida corpus violatur cuspidis ictu;
Nam prædura cutis valida obtegit undique membra.

Sed sive à majore ceto dicas, aut à phoca, sumi *ambarum*, aut etiam à pisciculo, quod Assaphius his verbis asserit; *In mari est animalculum, quod propter odoris fragrantiam illud expetit. Sed est ipsi venenum lethiferum: Et mare cadaver ejicit & ambarum educitur è ventre ejus*, Res Avicennæ meritò suspecta est, qui postquam rejecit, ut parùm probabile, quòd ambarum alii spumam maris, alii stercus animalis, esse asserunt, addit: *Sed quendam audivi, qui ut rem certam asserebat, se juvenem olim maria frequentasse — & cùm, inquit, ad loca maris quædam devenissem, quæ ibi vocant mare Germanicum, circa diem orientem me contuli — ad littus maris. Et cùm mare versùs litora fluctuaret, ambari frusta varia reperimus, & diversorum colorum, quæ omnia illius erant, qui primus occupabat — Accidit autem id semper, per certa temporum intervalla.* In quibus verbis constat agi de mari Balthico, in Æstiis, circa Dantiscum & Regiomontium, ubi succinum quandoque in littora fluctus propellunt; ita ut absque ullo labore possit à quovis colligi. Et quidem, quamvis & alibi proveniat ambarum seu succinum, Germanici tamen ea est copia & nobilitas, ut aliorum famam facilè obscuret: unde è Vett. sunt, qui, præter Germanicum, succinum aliud nullum agnoscant, Tacitus *de morib. Germanor.* & Cassiodorus *Var. lib.* 5. *Epist.* 2. Verisimile vero est, olim in Balthici maris insulis & peninsulis hoc bitumen exsudasse. Ita enim Vett. multi, inter quos Diodorus Siculus, *Galliæ* nomine tam latè sumto, ut etiam Germaniam complectatur: *E adverso Scythiæ, quæ supra Galliam, insula in Oceano est Basilia dicta, in quam, quod electrum vocant, fluctus abunde ejicit.* Et multò antè *Pytheas, à Guttonibus* (seu Gothis) *Germaniæ gente, æstuarium accoli scripserat, Mentonomon nomine stadiorum sex millium, ab hoc diei navigatione insulam esse Abalam* (Basiliam legit Cluverius & cum Succorum Scandinavia eandem facit) *Illo verò fluctibus advehi & esse concreti maris purgamentum. Incolas pro ligno ad ignem uti eo, proximisque Teutonibus vendere. Huic & Timæus credidit, sed insulam Baltiam vocavit*, ut alia omittam, de quibus omnibus Plinium vide *lib.* 37. *cap.* 2. &c. Sed hac de re V. plura infrà, ubi de *Electro* & *Succino*, ut & apud Sam. Bochartum *Hierozoici Part. poster. lib. VI. cap.* 15. Galli *Ambarum* hoc Borussiacum, cujus collectio ad Electorem Brandeburgicum spectat, vocant, *Ambre jaune*, neque quidquam aliud est, teste Joh. Baptista Tavernier, quàm species quædam gummi, quod in mari congelascit & sæpenumero animalcula aliaque gelu suo comprehensa continet. Ejus in Sinensibus usus est non exiguus, inprimis cùm Imperator convivio Proceres excipit. Tum enim inter pompæ epularis præcipua fercula *ambarum* est, cujus varia frusta in ignem conjecta odorem fundunt naribus non ingratum, atque insuper ignem, quem magnopere venerantur, reddit luculentiorem. Petunt autem ambarum Sinenses Bataviâ, Metropoli Hollandorum in India Orientali, &c. Præter hanc ambram aliud *ambari* genus est, quod *griseum*. Gall. *Ambre gris* vocatur, quod quomodo & ubi generetur, obscurum est. In Orientalibus tamen Maribus illud nasci, verosimile est, quamvis ejus aliquid nonnunquam etiam in littoribus Europæis, Britannico inprimis, reperiatur. Maxima

illius

[illegible] copia in littore est prope Meliadam, inprimis in fluviorum & præcipuè ejus, qui *Rio di Sena* appellatur, ostiis, &c. Plura de eo, V. apud præfatum Tavernier *Itinerar. Persell. lib.* 2. *cap.* 13.

Ambascia, recentioribus Latinis idem, quod priùs *Ambactia* vel *Ambaxia*, servitium vel opera mercede conducta; uti *ascellam* iidem pro *axilla* dicunt. In *LL. Burgund. Quicunque asinum alienum extra Domini voluntatem præsumpserit aut per unum diem aut duos in ambasciis suis, jubemus, ut & ipsum & alium talem ei, cujus asinus est, ansigat.* Ab *Ambactus*, quo nomine Vett. Latini denotarunt servum mercenarium, qui huc & illuc circumagitur: *ambagere* enim vetus verbum, pro circumagere, ut *ambire*, pro circuire. Gr. [illegible]; aliter quoque *Ambagus*. Festus, *Ambacti, qui circumeunt & lateribus.* Hinc Italis *Ambasciatore*, Hispanis *Ambaxator*, pro Legato, id est, famulo seu cliente, cui Legati onus imponitur, aut qui res quæpiam mandatas perferenda, ut placet Scaligero, Salmasio *ad Historiam Aug.* Wlcanio, Spelmanno, aliis. Lindenbrogius tamen à Germ. *ambacht*, i. *opera*, vocis originem derivat, cui subscribunt Paulus Merula & Wendelinus ita, ut *Ambasciator* is sit, qui operas suas locat ad obeundam legationem, quod certè quidam perhonorifica Legatorum negotiatione indignum censent. V. præter *Origines Franc. & Belgicas* Ægidii Menagii, Albertum Achärisium, qui ab *ambulare*, in *Vocabular. Ital.* Alios, qui ab Hebræo etymon arcessunt. Ita ergo *Ambascia* idem est quod jussio, seu munus alicui commendatum, Gall. *Commission*: *Ambasciare*, legationem obire seu potius nomine alterius quidpiam efferre, nuntiare, referre: *Ambasciatum*, apud Hincmarum *Epist.* 13. *ad Ludovic III. Reg.* Legati rerum à se actarum relatio; in *Capitulari* verò de Villis c. 16. Legatio ipsa &c. Sed & *Ambasciare* dicebantur Proceres, qui ab Episcopis aut Abbatibus interponebantur, ad donationem aliquam pro suis Ecclesiis ab Impp. aut Regibus impetrandam. Has enim donationes *ambasciasse*, id est, suo interventu obtinuisse, ii dicebantur, eoque nomine Chartis subscribebant, in quibus semper mentio fiebat, has donationes ad illorum preces factas fuisse. *Charta* Caroli C. A.C. 877. apud Miræum *in Donat. Belg. Signum Caroli gloriosiss. Imp. Aug. Domina Richildis Imperatrix ambasciavit* Alia Carolomanni R. Fr. pridie Non. Mart. ann. 5. Regni, Indict. I. *Actum apud Truphiacum villam — Theodericus & Ansecharius Comites ambasciaverunt*; alibique passim: pro quo Aelfryth Reginæ, Eadgari Anglorum Regis uxor, in subscriptione, quæ extat apud Seldenum *ad Eadmerum pag.* 119. videtur usurpasse vocem *Legatio: Ego Ælfryth legitima præfati Regis conjux, mea legatione Monachos eodem loco, Rege annuente, constituens, crucem impressi.* Nam *legatio* idem est quod *ambascia*, &c. V. plura hanc in rem apud Car. du Fresne & Henr. Spelmannum in *Glossar.*

Ambasciator, in Synodo Ticinensi *V. pag.* 14. apud Lindenbrogium, *Paulus Dei misericordia Diaconus & Ambasciator Monasterii.* Et *pag.* 16. *Thomas Dei misericordia Presbyter montis Sinai & Ambasciator*, est qui jussa superioris defert ac capessit. A voce *Ambascia*, cujus meminit *tit.* 1. §. 4. *LL. Salicarum, Si in Dominica* Ambascia *fuerit occupatus*, in editione Basil. ubi alia editio habet, *si in jussione Regis fuerit occupatus* &c. V. Suprà. Hodie *Ambasciatores*, Gall. *Ambassadeurs*, propriè dicuntur Legati primi ordinis, *Charactere*, ut vocant, *representativo* instructi: quales sunt, qui strictè dicuntur, *Legati, Nuntii, Internuncii*, item *ambasciatores*, tam *Ordinarii*, quàm *Extraordinarii*. Quæ distinctio à 200. demum annis invaluit: cùm antea omnes *Ambasciatores*, re apud Principem, ad quem missi erant, confectâ, domum redirent. Ab eo verò tempore, *Ordinarii* dici cœperunt, qui in exteri cujusdam Principis Aula perpetuò manere solent, tum commercio concordiæque conservandæ; tum explorandis consiliis & arcanis illius Principis. *Extraordinarii* v. appellantur, qui unius alicujus negotii causâ mitti aliquò solent: Quamvis *Ordinarius* sæpissimè hic titulis, majoris splendoris ergò, superaddatur. His inferiores sunt *Plenipotentiarii, Commissarii, Missi, Residentes, Agentes Deputati* &c. de quorum omnium juribus, officio, nævis, præmiis, pœnis &c. Vide accuratè agentem Vicquefortium *in lib.* cui tit. *Memoires touchant les Ambassadeurs, & les Ministres Publics, à Cologne* 1679.

Amberta, vulgò *Ambierle*, memoratur ab Agapeto Pontif. qui A.C. 948. Romanæ sedere cœpit, inter loca Cluniaco subjecta. In Æduis est, V. Hadr. Valesium *Not. Gall. in voce Carus locus.*

Ambianum, adde: *Ambianos* Cæsar inter Belgas, qui contra populum Rom. conjuraverant, numerat & 10. m. armata ad bellum pollicitos esse ait, eosque inter Bellovacos ac Nervios ponit, ac utrisque facit finitimos; sicut sunt hodieque, Bellovacos inter & Cameracenses sive Nervios siti. Eisdem ad Alesiam obsidione Rom. liberandam, à Principibus Galliæ imperata esse 5. m. hominum tradit, vulgò *les Amienois*. In Not. Imp. *Equites cataphractarii Ambianenses*, in vexillationibus Comitatensibus numerantur, ut & in vet. inscr. apud Goltzium. Plinius *lib.* 5 *cap. ultimo*, qui agros Galatiæ in Phrygia insedere Gallorum Tolistobios & Voturos & *Ambianos* vocari, scribit &c. infrà Caput eorum *Samarobriva Ambianorum* ab incolis olim vocata est, circa quam cum tribus legionibus hyemavit Cæsar, secum habens Trebatium JCtum, ad quem Cicero scribens & jocans ait, *Una mehercule collocutio nostra pluris erit quàm omnes Samarobrivæ.* Item, *ô castra præclara! Quid tu fecisses, si te Tarentum, & non Samarobrivam misissem.* Claudio Ptolomæo [illegible]; in tabula Peuting. *Samarobriva* prope Teuceram *Tieure*, qui vicus est ad flumen Altejam. Sic autem dicta est veteri Belgarum linguâ, quasi *Samari* aut *Samaræ pons*, hodieque enim apud eam pontes sunt ad Samarum, qui recentioribus *Somona Sumina* ac *Somena* dicitur. Eadem civitas *Ambianensium* vocatur Sulpicio Severo *de Vita S. Martini lib.* 1. ac in vett. Notitiis, inter 12. provinciæ Belgicæ civitates vix 10. obtinet locum, etiam civitati Sylvanectum postposita: sed in recentioribus octavo est, Noviomago, Sylvanectis, Bellovacis Lauduno que prælata: Roriconi Chlodionis Meroveique regia dicitur. In Codice Theodos. *lib.* 8. Valentinianus, Valens & Gratianus Augusti rescribunt *Ambianis*, (nomine gentis, quod veteri deposito urbs assumsit, more multarum Galliæ civitatum) quia in urbe Gratianus à patre suo Valentiniano Augustus, consentiente exercitu, fuerat appellatus. Ex 8. in Gallia fabricis, ultima *Ambianensis spatharia ac scutaria*, fuisse legitur: estque etiam hoc tempore celebre in ea armamentarium, in quo arma tormentaque bellica fabricantur ac servantur. Lati sunt populi hujus fines, inter Caletos ac Morinos. Nam & pagus Pontivus, Suminam inter ac Altejam situs. Comitivæ titulo insignis, & aliqua portio Comitatus Atrebatici, *Ambianorum* finibus ac diœcesi hodieque continentur, nec non pagus Vinemacus *le Vimeu*, inter Auciam & Suminam fluvios jacens, ut & ager inter Altejam & Quantiam. Nam Monasteriolum ad Quantiam ad Ambianos quoque pertinet & cuncta ab Aucia flum. usque ad Quantiam. V. Hadr. Valesium *Not. Gall.*

Loca Ambianorum.

Abbatisvilla.	Leuconaus, seu opp. S. Walarici.
Cadocum *Cayeu.*	Monasteriolum.
Corbeja.	Pinquiniacum.
Carocotinum *Crotoy.*	Pons Remigii.
Duroicoregum *Rue S. Esprit.*	Pontes *Pont-Asselane.*

Ambiliates, adde: Hos unus memorat Cæsar *lib.* 3. cùm ait: *Socios sibi ad id bellum Osismios, Lexobios, Nannetes*, Ambiliates, *Diablintes adsciscunt* De Venetis, Unellis ac Curiosolitibus loquitur. Positi sunt inter Briocenses Maclovienses que, Hadr. Valesius *Not. Gall.*

Ambitio, apud Solinum *cap.* 22. ubi de Britannia, *Navigant autem vimineis alveis, quos circumdant* ambitione *tergorum bubulorum*: est [illegible]. Uti apud Tertullianum *de Pallio*, *tum latioris purpuræ* ambitio *& Galatici ruboris superjectio Saturnum commendat*: Ubi *ambitio latioris purpuræ*, est laticlavi tunica, quâ corpus ambitur ut *Galatici ruboris superjectio*, pallium coccineum, humeris injici solitum. Idem nempe quod [illegible]. Aliàs quid *Ambitio* significet, notum. Unde *Ambitiosum*, quod idem Solinus alibi *necessario* contradistinguit & *pretiosum* ac *carum* intelligit. Quæ enim pretiosa ac magis rara sunt, ea *ambitio* consectari solet. Græci tamen medii ævi [illegible], i. *necessarium*, pro caro & pretioso usurparunt, ut [illegible] λίθοι, *lapides pretiosi*, & [illegible] σμάραγδος, *pretiosus smaragdus* Eò quod, quæ nobis necessaria sunt & sine quibus esse non possumus, meritò magni habenda &c. Salmasius *ad Solinum pag.* 246. *&* 259.

Ambitus Muralis, idem cum *Sepe Murali*, quod vide.

Ambituti, pop. Phrygiæ de quibus Solinus, *cap.* 4. *Galatiam primis seculis prisca Gallorum gentes occupaverunt Tolistobogi. Voturi & Ambituti: quæ vocabula adhuc permanent; quamvis Galatia unde dicta sit, ipso sonat nomine.* Ubi notat Salmasius negligentiam Auctoris, quod in populis Gallorum ex Plinio recensendis, a quibus appellata Galatia est, eos tantùm numerat, qui partem Phrygiæ occuparunt. Nam *Trocmi* Mæoniæ & Paphlagoniæ regionem insederunt; *Tectosages*, partem Cappadociæ uberrimam tenuerunt; ac *Tolistobogi*, cum *Voturis* & *Ambitutis* Phrygiam. Alii tamen Auctores fere omnes tres tantùm veluti præcipuas gentes Gallorum nominant, quæ in Asiam transmigraverint, *Tolistobogos, Trocmos & Tectosages.* V. eum *ad Solinum p.* 877. & infrà *in Galatia.*

Ambla, Gall. *Amble*, Vegetio *Ambulatura*, vox Latina & ex Latinorum consuetudine facta est: uti *resona*, pro resonatione, à resono; *cura*, pro curatione vel curatura, à curo &c. Vegetius *lib.* 4 *cap* 6. *Inter colatorios enim & eos, quos guttunarios vulgus appellat*; ambulatura *enim eorum media est.* Mollem significat ac delicatum asturconum gressum. Græcis [illegible] dictum; quæ vox non tantùm illam cursus speciem notat, quem Galli *trottum* vocant: Sed & mollem illam & ad delicias compositam vecturam, qualem exhibent, cum magna sedentium commoditate ac voluptate, tolutarii vel Asturcones. Hesychius hinc, [illegible] interpretatur, [illegible]; nam Græci βαδίζειν per excellentiam dixere de hoc molli asturconum gressu. Quemadmodum *ambulare* Latini. Unde prædictus Vegetius alibi de iisdem, *Non enim circulis*, inquit, *aut ponderibus prægravant, ut soluti ambulare condiscant.* Plautus *tolutim badissare* dixit: Suidas [illegible], [illegible] βαδίζειν: Sed & βαδίζειν, ut dictum, simpliciter & absolutè. Ad hunc tolutariorum gressum, quòd proximè accedere

deret cursus tripedariorum equorum, ideò φάλαν & ἀμβλίζων etiam illum designabat. Quamvis enim tripedarius & ipse tolutim incedens, cum tortura & succussatione sessoris id faciat, sensim tamen ad levitatem & mollitiem vecturæ, qualis in asturconibus est, edomabatur. Qua in re Parthi olim exercitati, qui hujusmodi trepidiarios seu tripedarios sumere solebant, quos condocefacerent asturconum modo blandè molliterq; vehere, gressuque spisso & minuto sedentem erigere & mollicula grataque succussione commovere: quâ arte postquam edocti erant, mediam quandam ambulaturam nacti sunt, inter asturcones & trepidantes, atque tum *Trinenarii* dicti sunt, &c V. infrà passim, & in hanc rem plura, apud Salmasium *ad Capitolinum in Maximinis duobus*.

Amblava, adde: Nomen est quoque loci, in Tungrorum finibus, qui non procul à Mon. Stabulensi, à fluvio cognom. dictus est. Fuit olim Villa publica, in sylva Arduenna ac subjecta colli planitie posita, Caroli Austrasiorum Ducis, de Neustrasiis victoriâ, ac Regis Chilperici Ragenfredique Præfecti Palatii fugâ, nobilis. Fluvius vulgò *Amblef* vocatur, vicus autem an eodem hodie nomine appelletur, sibi incompertum esse ait Hadr. Valesius *Not. Gall.*

Amblidum, castrum Galliæ, Frodoardo memoratum, *in rebus an.* 947. ubi id à Rotberto & Rodulfo fratribus Remis expulsis detentum, ab Hugone verò, Præsule Remensi, captum atque combustum dicit. Vulgò *Ambly*, adjacet flumini Baro *Bar*, apud Doncherium in Mosam effluenti & Vindenissæ villæ *Vendenesse*, Idem.

Ambo, Walafrido Straboni ab *ambiendo*; aliis meliùs à Gr. ἀναβαίνειν, i. *ascendere*, pulpitum est seu tribunal ædis sacræ, ad quod gradibus ascenditur. Paulus Warnefridus in *Episcopis Met.* in Chrodegango: *Construxit etiam* ambonem *auro argentoque condecoratum, & arcus per gyrum throni ante ipsum altare*. Arabes *Mambar* vocant, præponendo more suo literam *M.* & in illo Evangelii loco, ubi Vulgatus Interpres legit, *Super cathedra Moysi sederunt*, habent illi, *super Mambar* &c. Aliter Latinis *Analogium* quoque, quòd in eo Verbum Dei legatur ac annuntietur: Græci tamen recentes Ἀναλόγιον pluteum illum & repositorium vocant, in quo ponitur liber sustentandus, dum legitur, Ital. *Legio*: Porro *Bema*, *Lectorium*, *Lectricium*, *Pulpitum*, *Pyrgus*, *Suggestus*; *Lampium* item, ut videre est, apud Macros Fratres in *Hierolex*. Patebat ad *Ambonem* duplex olim ascensus, ut ex Silentiario probavit du Fresne *in Descrip. ædis Sophiæ num.* 75. & firmatur insuper ex Durando *Ration. lib.* 4. *cap* 24. *num.* 17. *Dicitur autem* Ambo — *quia gradibus ambitur. Sunt enim in quibusdam Ecclesiis duo paria graduum, sive duo ascensus in illum per medium chori, unus à sinistris, viz. versùs Orientem, quo fit ascensus: alter à dextris, viz. versùs Occidentem, quo fit descensus.* Anastasius *gradum ascensionis* & *gradum descensionis* vocat, in *Sylvestro Pontif.* In *Ambone* autem legebantur Lectiones, Epistolæ & Evangelia, in sacris Liturgiis; & quidem, cùm in *Ambonis* parte superiore duo essent gradus, altior unus inferior alter; in illo Evangelium legebatur, in isto Epistola. *Ordo* Rom. *Subdiaconus verò, qui lecturus est, ascendit in ambonem, ut legat, non tamen in superiorem gradum, quem solet ascendere, qui Evangelium lecturus est.* Neque verò Lectiones tantùm & Evangelia, sed etiam conciones, aliaque quæ ad Populum recitanda vel exhibenda erant, in ambonibus recitabantur & exhibebantur. Martinus I. PP. in Synodo Lateran. *Capitula numero novem in ambone prædicans* &c. *Annales* Francorum ad A.C. 800. *Ipse Pontifex coram omni Populo, in B Petri Basilica Evangelium portans*, ambonem *conscendit, invocatoque Trinitatis nomine, de objectis se criminibus jurejurando purgavit.* De orationibus sermonibusque in *Ambonibus* ad populum habitis, loquitur Epiphanius *Histor. Tripartit. lib.* 10. *cap.* 4. *Episcopus verò, Eutropio sub altari jacente, nimioque repercussus timore, residens super* ambonem, *ubi solebat priùs facere consuetum sermonem.* Iso item Magister *de Miraculis S. Othmari Abbatis cap.* 4 *Quendam Archipresbyterum ambonem conscendere, ac vice sui sermonem ad populum facere jussit.* Sic Socrates *lib* 6. *cap.* 5. Καθεζόμενος ἐπὶ τῷ ἄμβωνι, ὅθεν εἰώθει καὶ πρότερον ὁμιλεῖν, χάριν τοῦ ἐξακούεσθαι, *Residens in ambone, è quo solitus erat priùs ad Populum verba facere, eo fine ut exaudiretur.* Unde Prudentius *Peristeph. Hymn.* 11. *de S. Hippol.*

Fronte sub adversa gradibus sublime tribunal
Tollitur, Antistes prædicat unde Deum.

Sed & coronatos in *Ambone* Impp. testatur Theophanes *pag.* 405. 418. 419. 426. & Auctor incertus post eundem Theophanem *pag.* 431. Imò & è loco hoc sublimi, fervente seditione, à Sacerdotibus deteriori parti faventibus, Populum non raro ad prava consilia & quietem publicam turbandam, incitari, docet Jac. Aug. Thuanus *Hist.* Gallicarum Rer. maximè ubi de Liga, sub Henrico III. Regi Regnoque infesta, &c. Cæterùm, extare adhuc Romæ veteris *Ambonis* formam, in Ædibus S. Clementis, S. Pancratii & S. Laurentii extra muros, testatur Car du Fresne *Glossar.* V. quæ de *Ambone* Ædis Sophianæ idem congessit in *ejusdem Descript. num.* 74. & 75. Salmasio *Ambo* propriè fuit, lapideus suggestus rotundus, in medio Templi, ad instar turris, unde ei nomen. Ventrem enim ampullarum ἄμβωνα Græci vocant, *à tumore umbilicato.* Pollux, τὸ δὲ κύρτωμα ἐγγύτερον ὠνόμαζον ἄμβωνα τῶν χυτρῶν ἀμβώνια καλοῦνται. Unde ἄμβιξ, *olla*, quòd ventrem habet prætumidum & ἄμβων quoque *monilium ascensus*: pars scil *gradus* eminentior. V. etiam infrà in *Umbo*. Suggestum verò istiusmodi sacræ lectioni & Concionibus in Templis Christianorum destinatum, sic describit Paulus Silentiarius:

Ἐν δέ τε πορφυρέοιο καὶ ἴδμεν μέσσα μέλαθρα
Ἀέρος ἴδρυται μάλα κεν ἐς ἀσύλην ἐπιτέτακται,
Πύργος ἀναγρείοντο ἀμοιβαίοις ἴθεσιν βιβλίων
Ὀρθιάδες βαθμοὶ διδυμάονες ἀμβατὸς ἔπεισιν,
Ὡς μία μὲν πολλὰ παντὶ νίκη ἐσθ' ὧδε ἀπέχει ἡώ.
Εἰσὶ γὰρ ἀλλήλων ἑκατέρας, ἀμφοτέρη δὲ
Ἐν τρὶς χώρῳ ἀγαπῇ ἐπισφίγγει κύκλῳ.

V. Salmasium *ad Solinum pag* 704.

Ambolagium, V. infrà in vocibus *Amictus*, item *Anabolagium*.

Ambra, V. suprà *Ambarum*.

Ambreta, Gall. *Ambrette*, flos est, cardui & cinaræ repræsentans florem, sed mole haud paulo minore. Priusquam dehiscat, seseque pandat, sphærulæ exhibet speciem, squamoso scabroque cortice, colore viridi dilutiore. Tum supernè hiascens molliter, tenuiore capillo, depromit diffunditque per ambitum fila, coloris amethystini infernè subalbidi, & velut in cidarim componit & explicat. Denique florem hunc non formâ commendat, sed odor admirandus, tam accedens propè ad odorem Ambari, ut sortitus inde sit *Ambretæ* nomen. Fr. Pomy *in Descript Var.*

Ambro, devorator, in *Gloss.* Isidori. Aldhelmus *de Laude Virg. cap.* 5. *Quum Protoplastus, recentis Paradisi colonus & totius terrestris creaturæ, quam teres vertigo cæli, in modum rotantis fundibuli circumgyrat, rudis possessor, buccis ambronibus* (uti restituit Gronovius, cùm antea legeretur, *lucis ambronibus*) *& labris turcotibus vetitam degustans alimoniam, in gastrimargiæ voraginem crudeliter incidisset.* Idem *de* 8. *Vitiis*, de eodem Adamo loquens,

Dum vetitum ligni malum decerperet ambro.

Et rursus l. c. *crebrâ internecionis strage ambronis Orci faucibus tradidit*: ubi bis jam editum *ambionis*. Confirmat emendationem Viri Cl conjunctio earundem vocum, quæ infrà: *ut insultatores Catholicæ fidei balbis buccarum labiis obmutescant.* Similiter in *Carm*

Assidis ut morsum spernebat basia buccis,
Dulcia sed Christi compressit labra labellis.

Et iterum:

Et superi potiùs Sponsi lentescere labris,
Suavia compressis impendens oscula buccis.

Ubi per varias similitudines colligit, nuptias non contemtim conteri, etsi virginitati postputentur. V. Joh. Frid. Gronovium *Observat. in Ecclesi. cap.* 4. ac Auctores laudatos Carolo du Fresne *Glossar.* Ab *Ambronibus* Galliæ pop. vocem hanc notionemque deducunt Macri Fratres in *Hierolex.*

Ambroniacum, vel *us*, *Ambournay*, Monasterium est non ignobile Galliæ, apud Bugesios, in diœcesi Lugdunensi, ad radicem collis situm, in planitie quâ itur Lugduno Genevam: quod oppido muris cincto originem dedit. Ab *Ambronibus* fortè dictum: Fundator Monasterii Barnardus fuit, qui locum ab Abbate Luxoviensi sibi comparavit, ibique templum à paganis eversum reparavit, Abbatiamque construxit, V. Hadr. Valesium *Not Gall.*

Ambrosia, Festum, adde: Iis apud Romanos successerunt Brumalia, mense Decembri celebrari solita, de quibus in voce *Brumalia.*

Ambrosianum, in Regula S Benedicti, ubi sermo de Matutino est. *Inde sequatur Ambrosianum*: Hymnum significat *Te Deum*, à D. Ambrosio compositum, cujus etiam mentio in *Vita S. Caroli Com. Hymnum Ambrosianum, Te Deum laudamus, cum ipsa antiphonatim decantare cœpit.* V. infrà in voce *Hymni Ambrosiani.* Ab eodem *Officium Ambrosianum* nomen habet, quo Ecclesia Mediolanensis utitur. Item *Ritus Ambrosianus*, de quo Macri Fratres passim in *Hierolexico.*

Ambrosini, Carolo du Fresne dicuntur nummi Dominorum ac Ducum Mediolani, S. *Ambrosii* equo insidentis & flagellum dextrâ tenentis imagine insignes, cujusmodi passim videre est. Cudi cœpere, postquam Luchinus Vicecomes, Mediolanensium copiarum ductor à patruele suo Azone constitutus, victoriam insignem de Leodrisio Vicecom. Azonis patruo, reportavit A.C. 1339. d. 21. Februar. quo in prælio ferunt Ambrosium ab omnibus conspectum, scutica hostes cædentem, ideoque ei Mediolanenses victoriam ascripsisse. Ab eo itaque tempore, in rei memoriam, celeberrimum hunc Antistitem, hac specie, in nummis suis, effingi curarunt Mediolani Urbis Domini. Narrant historiam Bosius, Corsius, Jovius, alii. Antiquior verò memoria est vexilli Mediolanensis, ejusdem Præsulis nomine insignis, nempe jam sub A.C. 1160. in *Hist.* Archiepiscop. Brem. p. 104.

D. *Ambrosius*, adde: Ambrosii fuit filius, quem Pater Patricius Romanus, Symmachus nomine, è Gerhardo Galliarum Præfectus in Galliis genuit è Frangipanorum familia, ut placet Landino, inquit Possevinus. Is è Præfectura Liguriæ atque Æmyliæ factus est Episcopus Mediolanensis: σύγχρονος fuit S. Basilio & Nazianzeno; clarus quinque laudatissimis Imperatoribus, Valentiniano majori, Gratiano, Valentiniano jun. Theodosio M. & Honorio, Pareus. Opera ejus 3. Vol. fol. prodierunt Basileæ A. C 1492. & alibi

& alibi sæpius; ultimò tom. 5. fol. Coloniæ Agrippinæ A.C. 1616. De illo sic inter alia Erasmus: *Sit linguarum ac scripturarum peritior Hieronymus, sit elaboratioris phraseos Hilarius, sit in quæstionibus nodisque explicandis argutior Augustinus; aliis item dotibus excelluerint alii. Sed quem mihi dabis, qui pari sinceritate tractet S. Literas, qui cautiùs vita veris suspecta dogmata, qui sic ubique geras Christianum Episcopum sic spiret paterna viscera, qui summam Præsulis auctoritatem cum summa mansuetudine conjunxerit. Est quem nonsine causa* Doctorem mellifluum *vocant. Hegesippi* auctorem fuisse, sunt qui asserant; inter quos Ludovicus Vives *ad Augustin. de Civ. Dei lib. 21. cap. 5.* Certè hoc duæ præferunt editiones, ut & *MS. Glossarium* Scriverianum. Sed Erasmo vix credibile videtur: Scaligero Auctor est infimæ vetustatis: Barthius increpat Monachorum insuper impudentiam, qui Ambrosium interpretem affinxerint. Gronovius non valdè repugnat, si quis ætate adolescentiori aut in exordiis Pontificatus sui opus hoc lusisse disertum Antistitem contendat: Ita multa apud utrumque germana reperiuntur, quibus bene exactis vix possis pati, quin unum esse & professorum nomen auctoris sui & hujus dissimulantis illud scripti auctorem exclames, inquiens. V. cum *Observat. in Eccles. cap. 1.* Anacephalæoseos tamen, quæ Hegesippo adjicitur, non idem est Autor. Hæc enim 5. Libris *de Hierosolym. Excidio* constans, cento quidam veriùs est, quàm, quod vocatur, *Anacephaleosis*, ex superioris operis particulis hinc inde depromptis consutus. V. eundem Gronov. *cap. 24.*

Ambrosius Catharinus, Politus, natione Hetruscus, patriâ Senensis, Sixti Senensis Præceptor, Dominicanus, primùm Minorensis Episcopus, dein Archiepiscopus Compsanus in regno Neapolitano. Ejus extant *Clavis S. Scripturæ, Enarrationes in 5. pr. capp. Geneseos, in Epist. S. Pauli, in Epistolas Canonicas, Comm. in Apocalypsin* &c. Sixto Senensi, *vir ingenii viribus valens, disciplinarum opibus excellens, & eloquii tam Hetrusci quàm Latini facundiâ præpotens*, Possevino, *vir acris ingenii ac judicii, aliqua tamen ejus non probantur*. Proin & Bellarminus *cautè ejus opera legenda* monet. Obiit senex Anno Christi 1552. Neapoli, Labbæus.

Ambrussum Æthico memoratum *in Itiner.* vulgò *Ambres*, 15. m. à Nemauso, Galliæ locus est, in Volcis Arecomicis. V. Hadr. Valesium *Not. Gall.*

Ambula, vel *Ambulium*, intybum erraticum seu cichorium dictum est, quòd radices longas & multas spargat ac emittat, quæ sub terra proserbunt & vagantur, fieris erraticis atque hac & illac decurrentibus, quibus fruges necantur, suisque radicibus, velut pedibus multis, *ambulet* ac decurrat. Certè *pedes intybi* apud Lucilium occurrunt,

Intybu' præterea pedibus prætensus equinis.

Ubi derideri rusticam cœnam à Satyrico & enumeratis multis herbis, versum illum subjici, observant Grammatici: ipsa verò vox *Ambulii*, apud Plinium *lib. 20. cap. 9. Erraticum apud nos* (intybum) *quidam ambulium* (seu *ambulam*) *appellavere, in Ægypto cichorium vocant, quod sylvestre sit.* Dicta autem hæc herba *ambula*, ut à τειοοο, *restna*, à ἄγω; *ancla*, quæ *anclat*, haurit, *orna*, quæ ornat, limbus nempe vestis. Salmasius *ad Solinum pag. 830.*

Ambulans Statua, quâ methodo confici possit, V. infrà, in *Architæ columba.*

Ambulatio, non tantùm de actu ambulandi, sed & de loco: Ulpianus JC. *Et si fortè voluptarium fuit prædium, viridaria, vel gestationes vel* deambulationes *arboribus infructuosis opacas atque amœnas habens.* Ubi *Gestationes & Deambulationes* loca sunt, in quibus olim Romani gestabantur aut deambulabant, certo passuum numero observato, quem in deambulando Ciceronem adhibuisse, testatur Plutarchus *in Cicer.* Sic in Gymnasiis vett. prope Xystum & duplicem Porticum, hypæthræ *ambulationes* fuisse leguntur; quas Græci παραδρομίδας, Romani Xysta dixere, in quas per hyemem ex Xysto, sereno cœlo, Athletæ prodeuntes exercebantur. Fiebant autem sic, ut essent inter duas porticus sylvæ aut platanones, in quibus ambulationes inter arbores perficiebantur, ibique ex opere signino stationes erant, V. Hieron. Mercurialem *de Arte Gymnastica lib. 1. cap. 6.* In urbe verò, *ambulationi* inprimis inserviebat Porticus Pompeja, item Ovilia, de quibus V. *suo loco*: quemadmodum de *Ambulationis* multiplici specie ac usu, iterum Mercurialem *de Arte Gymn. lib. 5. capp. 11. & 12.* Addam saltem, in Septis *ambulationem* ante cœnam, multo in usu apud Vett. fuisse, ex Thoma Dempstero *Collectan. lib. 6. initio*, & Casp. Barthio *Animadverf. ad Papinium Statium lib. 4. Sylv. 6. ad versus initiales*,

Fortè remittentem curas, Phœboque levatum
Pectora, cùm patulis tererem vagus otia septis,
Jam moriente die, rapuit me cœna benigni
Vindicis.

Ambulator equus, apud Adelbertum Abbatem Heidenheimensem, *Dum reliquias Richardi R. ad Ecclesiam filii sui deferret*, Ambulatorem *abstulerat.* Eckehardum jun. *de Casibus S. Galli, cap. 15.* Ambulator, *cui ipse insederat, alacritatem equorum post se sentiens ex ultare cœpit.* Alios: idem qui *Tolutarius* Senecæ, *Gradarius* Lucillio, *Asturco* Plinio dicitur, cui mollis pedum, alterno crurum explicatu, glomeratio est; Gall. *Haquenee, cheval d'amble*, Italis *Ambiante*, Hispanis *Cavallo amblador.* Non à Græc. ἀμβλύνω, sed quod ipsum nomen disertè præ te fert, à Lat. *ambulare*; quod per excellentiam de istiusmodi equorum gressu, sicut τὸ βαδίζειν, apud Græcos, dici, ostendimus suprà, in voce *Ambla.*

Ambulatores, Gregorio Thessalonicensi dicuntur, qui Balsamoni hodiernisque etiamnum Græcis *Exarchi*, Zonaræ *Periodeutæ*, Synodo CP. *Visitatores*; officium viz. Ecclesiasticum apud Græcos, in Concilio Laodiceno, institutum, pro illis terris ac castellis, in quibus statuere Episcopos non conveniret. Macer *Hierolex.* in voce *Periodeuta*, V. & hic infrà passim.

Ambulatorium, in *Vita S. Aniani Episc. Aurelian.* apud Hubertum: *Pontifex fisus in Domino per muri ambulatorium Sanctorum gestans pignora &c.* pedatura murorum seu mœnium est, ἀξίχα-νος Constantino Porphyrogenn. *de administ. Imper. cap. 29.* Διαβάθρα Harmenopulo, in *Gloss.* Lat. Gr. Δρόμος, Gallis *Rempart*, Car. du Fresne *Glossar.*

Amburbium, apud Flavium Vopiscum *in Aureliano*, *Itum est deinde ad Templum, inspecti libri, producti versus, lustrata urbs, cantata carmina*, Amburbium *celebratum*, *Ambarvalia promissa, atque ita solennitas, quæ jubebatur, expleta est*: Sacrum fuit, quod malè cum Ambarvalibus confundit, qui ad Festum commentatus est. Sanè apud Strabonem Ἀμβάρουιον scribendum; non Ἀμβούρβιον, ut idem ille Vir summus existimabat. Hinc *Amburbiales hostiæ*, quæ circum terminos urbis Romæ ducebantur. Sed apertè *Amburbiale* ab *Ambarvali* Servius distinguit, ut suprà vidimus, ubi de *Ambarvali carmine.* *Amburbium* itaque intelligendum, quoties apud Livium legimus, inspectis libris Sibyllinis lustratam urbem fuisse; Urbs enim *amburbio* vel *amburbiali* sacrificio lustrabatur: ut arva & agri *ambarvali*, Vide Salmasium *Not. ad Vopiscum.*

Ambusta, Græcè πυρίκαυστα, dicuntur Plinio & Dioscoridi, pustulæ ex igne vel aqua ferventi adspersâ in corpore exortæ: unde multa *ambustorum* remedia apud eos. Glossæ, *Ambustus*, πυρίφλεκτος, πυρίκαυστος, & *Assulæ ambustæ* Claudio apud Servium, assulæ circumustulatæ, quibus ad fomites utebantur. E quibus explicanduset titulus *Ambustarum*, apud Valerium Max. *lib. 8. cap. 1.* de duabus mulieribus, quæ neque damnatæ, neque publico judicio absolutæ fuere. Qui damnatur est, penitus conflagrasse intelligitur, qui absolvitur, ex incendio illæsus evadit. *Ambustus* ille censetur, quem accusationis ignis adflavit & contigit ac *circumustulavit*, non etiam consumsit, sed tamen qui necdum omnino liberatus sanatusque habetur, *ambustionis* notis adhuc manentibus. Cùm contra *Fulminatos* dicerent, qui condemnati fuerant. Artemidorus, Καὶ γὰρ τοὺς κεραυνωθέντας οἱ τῷ κεραυνῷ κεραυνοῦσθαι φασί. Juvenalis,

— quam fulmine justo
Et Capito & Numitor ruerint damnante Senatu.

Quod de his intelligendum, quos fulmen occiderit. Nam quos fulmen afflavit tantum & in aliqua corporis parte adussit, nec interfecit, hi *ambusti* propriè dicti sunt: ut Fabius ille, qui *pullus Jovis* dictus, quòd fulmine ictus esset in natibus, toti postea familiæ id cognomen dedit. Et Anchises, apud Virgilium,

— ex quo me divum pater atque hominum rex
Fulminis adflavit ventis & contigit igni.

Id est, *ambusit.* Sed & *ambustos* nonnunquam dixere, quorum totum corpus ambusserat fulgur, ut Phaëtontem & Capaneum. Horatius,

Terret ambustus Phaëton avaras
Spes.

Quod κεραυνόφλεκτον ὑπὸ τοῦ κεραυνοῦ, sicut κεραυνωθέντας, de iis, *qui quoque modo fulmine interiissent*, dixere Græci. Salmasius *ad Solinum pag. 819. & 840.*

Amdenager, unum ex Regnis *Kunkam*, cujus Reges vocantur *Nisi Maluco*, i. *Hasta Regni.* Dicitur autem *Kunkam* totus ille tractus, qui inter Imperium Magni Mogolis & Regna Malabarica situs est, hodieque dividitur in sex Regna; in quibus præcipuum est Regnum *Dekan.* Georg. Hornius *Orb. Imper. pag. 445.*

Ameilianum, corruptè *Amilianum*, incolis *Milhan*, opp. Galliæ est, in Volcis Arecomicis, Diœcesique Nemausensi. Ab *Amelio* nomen accepit. Caput est pagi *Æmiliani*, vel *Amiliani*, qui vulgò *le territoire de Milhau* dicitur, Valesius.

Amellum, apud Virgilium, *Georgic. lib 4.*

Est etiam flos in pratis, cui nomen amello:

Melissophyllum est, quem florem sic describit, paulò post:

Aureus ipse, sed in foliis quæ plurima circum
Funduntur, violæ sublucet purpura nigræ.
Sæpe Deûm nexis ornatæ torquibus aræ.

Nempe melissophylli flore olim coronari solitæ Deorum aræ; aliàs in coronamentis frequens fuit. Idem,

— Huc tu jussos asperge sapores,
Trita melisphylla & cerinthæ ignobile gramen.

V. quoque Plinium *lib. 21. cap. 9.* & infrà in voce *Apiastrum*, plura verò hanc in rem, apud Salmasium *ad Solinum, pag. 101.*

Amfleat, vel *Amfleot*, sinus est maris, Bedæ *Hist. Angl. lib.* 1. *cap.* 33. memoratus, ut & locus ad eum ignobilis à Bononia Civit. sive Gesoriaco Morinorum non multùm remotus. Fortè hodie Ambletolium, vulgò *Ambleteul*, 3. aut 4. leuc. ab urbe Bononia. Designat autem vox *Fleat* vel *Flet*, sinum maris & locum ad sinum positum. Certè Cluverius scribit, æstuaria alternis maris æstibus nunc vacua, nunc aquis plena, quandoque paulatim in lacus redacta, a Belgis maritimis *Vlie* atque *Vliet* vel *Fliet*, à Germanis *Fleet* nuncupari, & hoc nomen cum marinis undis, tum maritimis oppidis ac vicis passim impositum reperiri, nec usquam in Flandria, Selandia, Brabantia, Hollandia nomen illud inveniri, nisi quò æstus pelagi accedere possint. Unde duo castella, ad ostium Sequanæ & Oceani accessus posita, *Honfleu* & *Harfleu*: item portus pagi Constantini, *Barbefleot*, non procul à Cæsarisburgo, ex eadem videntur origine manare. Idem dicendum de fluvio Caletorum *Vitefleu* aut *Vitefleur*, qui Caneum *Cany*, Guitefledam *Vitefleu*, Paludellum *Palues*, Vellas *Veules*, præterlabitur, & ad Clicadentes in Oceanum effluit. Vide Hadr. Valesium *Not. Gall.*

Amfractus, apud Papin. Statium *Thebaid. lib.* 5.

> *Sed nunc Ogygii jussis quando omnis anhelat*
> *Terra Dei, trepidæ velatent in pulvere Nymphæ,*
> *Sævior* anfractu *laterum sinuosa retorquens*
> *Terga solo* —

reflexio, curvatura est, Scholiastes, *Laterum anfractus* Papinius, ut *anfracta aterium*, Varro dixit apud Nonium. Cyrillus *in Lexico*, ἀμφίδρομ@ τόπ@, *amfragosus, amfractus, ambago*. περίοδ@, *amfractus circuitus, ambago*. Sic *Amfractus*, orbes interrupti Equitantis, apud Valerium Flacc. *lib.* 7.

> *Orbibus hos rapidis mollique per æquora Castor*
> Amfractu *levioris equi deludit anhelos.*

Et *anfractus maris*, recto cursui opponuntur, à Lucano *libro* 5.

> *Nec maris* amfractus, *lustrandaque litora nobis,*
> *Sed recti fluctus, soloque Aquilone secandi.*

Et Lucretius de Sicilia, *lib.* 1.

> *Quam fluitans circum magnis* amfractibus *æquor*
> *Jonium, glaucis aspergit virus ab undis.*

A fracto nim. ambitu: *Am* enim antiquitus *circum* denotat. *Amfractus* in Amphitheatro, apud Tertullianum *de Spectaculis cap.* 3. *Vias enim vocant cardines balteorum per ambitum & discrimina popularium per proclivum. Cathedra quoque nominatur ipse in* anfractu *ad consessum situs*: est imperfectus orbis, &c. Vide Casparum Barthium *Animadversion. ad Papin. Statium d. l.*

Amici, item Socii, & *Latini nominis socii*, dicti sunt Principes populique, qui, non quidem in jus civitatis Romanæ recepti, digni tamen habiti sunt, qui fœdere Romanis jungerentur. Utebatur ergo Rex Princepsque talis, istiusmodi titulo: *Amicus & Socius Senatus Populique Rom.* Et gens, *Amici ac Fœderati Pop. Rom.* Hinc & ipsum fœdus *Amicitia* dictum est. Florus *libr.* 4. *cap.* 10. *pari rursus reverentiâ integrata*, inquit, *amicitia*; ubi de Crasso atque Pacoro loquitur: & *lib.* 1. *cap.* 10. utrumque conjungens, *ultro*, inquit, *cum pæne victis amicitiæ fœdera iniit.* Vide in voce *Fœderati*, item *Socii*.

Amici Sponsorum, apud Hebræos, aliàs *Socii* seu *Comites*, Hebr. שושבינים, iidem cum Paranymphis. Gemara Hierosolymit. *Observavit Rabbi Joda morem antiquitus in Judæa obtinuisse, ut constituerentur bini Paranymphi, Socii seu* Amici; *alter Sponsi, alter Sponsæ — tempore nuptiarum seu deductionis — hi locum* (decubitûs) *Sponsi & Sponsæ perscrutabantur quin & — pernoctabant in loco Sponsi & loco Sponsæ* (id est, juxta eos, in thalamo) &c. Unde colligere est, non in nuptiis solùm, verùm etiam ipsi thoro conjugali primâ nocte officiosè adfuisse. Eosdem verò de aliis etiam, quæ apparatum lætitiamque Sponsorum concernebant, prospexisse, ambigendum non est. Ex hisce *Amicis*, alter qui Sponso tempore nuptiarum fidele præstaret officium, innuitur in similitudine illa sacra S. Johannis, *cap.* 3. *versu* 28. Ὁ ἔχων τὴν νύμφην νυμφί@ ἐστίν· ὁ δὲ φίλ@ τοῦ Νυμφίου ὁ ἑστηκὼς καὶ ἀκούων αὐτοῦ χαρᾷ χαίρει διὰ τὴν φωνὴν τοῦ Νυμφίου. *Qui habet Sponsam, Sponsus est*; Amicus *autem Sponsi, qui stat & audit eum, gaudio gaudet propter vocem Sponsi.* Ubi, ex more memorato, dicit Johañes, se, uti paranymphum seu *Amicum* Sponsi, vocem Sponsi insignemq; ejus erga Sponsam, i. Ecclesiam, affectum observasse, atque inde summâ perfusum esse lætitiâ. Certè omnia ita quadrant moribus Judæorum nuptialibus, Vide Dan. Heinsium *Aristarch. Sacr. p.* 879. Et scimus etiam, τοῦ Φίλου seu *Amici* nomen, quemadmodum & *Comitis*, à diffusiori vulgarique significatione delapsum, peculiarem non rarò apud Vett. dignitatem aut officium denotasse, quemadmodum in illo de Zabudo Ben Nathan, 1. Regum *cap.* 4. *v.* 5. *Amicus erat Regis*, in Vulg. ubi Hellenistæ habent, ἑταῖρ@ τοῦ βασιλέως, *Socius Regis* quod idem innuit. Et Paraphrasis Chald. *Amicus* seu *Socius Regis*, ubi eodem pro *Amico* utitur vocabulo, quod Paranymphum etiam, ubi de re nuptiali verba fiunt, significat. Appositè quoque Kimchius, *Amicus Regis, qui ei perpetuò erat comes*, &c. Vide infrà in voce *Paranymphus*. Apud vett. Græcos, *Amicorum* idem nomen fuit usitatusque, Julius Pollux *Onomastic. lib.* 3. *cap* 3. Καλεῖται δὲ ἐκ τῶν τοῦ Νυμφίου φίλων καὶ θυρωρὸς, ὁ ἐπὶ θύραις ἐφεστηκὼς, &c. *Quidam etiam ex Sponsi* Amicis *Janitor dicitur, qui januæ adstans*, &c. Sed & alibi *Amici* singularis in Sacris literis usus indigitatur, 1. Paralipom. *capite* 27. *versu* 33. &c. Vide Johannem Seldenum *Uxor. Ebraic. lib.* 2. *cap.* 16. Apud Romanos, *Amici ad obsequia*, in comitatu anteibant, hinc *Anteambulones* & *Antepedes* dicti, atque hi privatorum etiam erant, de quibus vide infrà: sed celebres inprimis fuere *Amici Principis* seu *Comites Augusti*, quorum meminit in *Hadriano* Cæs. Spartianus, *Quum judicaret, in consilio habuit non* Amicos *suos aut Comites solùm, sed Jurisconsultos.* Sic nempe dicebantur, qui à consiliis Augusti erant, & quidem in interiorem familiaritatem ac contubernium Principis admissi atque adsciti. Spartianus idem supra, *Optimos quosque de Senatu in contubernium Imperatoris Majestatis adscivit.* Iidem Augustum in omnibus processibus, ut vocabant, & expeditionibus bellicis semper comitabantur: ac pedaturam in castris juxta Prætorium accipiebant, à pedibus 60. ad 70. Hinc *Amicos* & *Comites* non Spartianus modò, sed & variæ Inscriptiones vett. junctim posuerunt, inter quas vetus Saxum Mediolani.

C. SENTIO
SEVERO
QUADRATO
C V. COS.
AMICO ET
COM. AUG. N.

Consiliarii quoque Augustorum dicebantur, ut videre est infrà in hac voce: quo nomine & munere usque ad posteriores Impp. mansere. Namque *Comites Consistorii* vel *Consistoriani* dicebantur, consistorium autem, ut notum est, τὸ συνέδριον Principis: Primusque Constantinus, ut volunt, gradus eorum tres instituit, & in primi ordinis, secundi ac tertii illos distinxit; vett. tamen omnium Impp. exemplo, qui *Amicos* totidem classibus & ordinibus distinctos habuere. In primas enim & secundas & tertias admissiones digerebantur, ut ait Seneca, *de Benefic. lib.* 6. erantque primi ac secundi *Amici*. Spartianus *in Severo*, *Moderationis tantæ fuit, ut* Amicos *non solùm primi ac secundi loci, sed etiam inferioris, ægrotantes viseret*; è quibus tere digniores erant, *primæ classis* seu ordinis *Amici*, cum quibus consilia participabat Imperator, quique in secretius atque interius consilium admissi, in quo de Rep. agebatur, Legati audiebantur, & majora alia negotia tractabantur, & hi *Comites intra Consistorium* & *Comites S. Consistorii Consistorianique*, ut diximus, sequiori ævo appellati sunt. Reliquos adhibebat Imp. cum de negotiis ac jure tractaret, vel Romæ & in provinciis causas audiret, in quo numero *Amicorum* Jurisconsultos fuisse, ex Lampridio *in Alexandro* patet. Hinc in *Rescripto* divorum Fratrum, de jure Patron. *Volusius Metianus Amicus noster*; & sic exponendum illud Valerii Probi *de notis liter.* AM. N. Sumebantur autem hi omnes ex Consularibus Viris & Prætoriis & Senatoribus; interdum etiam ex Equitibus: eratque res hæc meri pleniquе arbitrii, ut, quos vellet in Amicorum Comitumve habere numero, ipse deligeret, Sueton. *in Tito*, &c. Atque hi de domo Augusta erant: reliqui Magistratus, qui Augustum non comitabantur, aut qui ab ipso non ordinabantur, *Amicorum* quidem nomine honorabantur ab Augusto, sed non *Comitum*. Nam soli illi *Comites* & *Amici*, qui in comitatu Principis erant, cæteri *Amici* tantùm: vel etiam *Parentes* & *Amici*, vel *Parentes charissimi*. Ita Consules & Præfecti Urbis & Proconsules & provinciarum Rectores, honoris gratiâ ab Impp. appellabantur: Senatores verò, ut de Jurisconsultis diximus, *Amici* solùm. Hinc inter officia domus Augustæ *cura Amicorum* Augusti fuit, de quo alibi. Plura in hanc rem vide apud Salmasium *ad Ælium Spartianum in Hadriano*, & Trebellium Pollionem *in XXX. Tyr.* ut & infrà, ubi de *Comitibus Impp.*

Amicia, Vide suprà *Almucia*.

Amicitia, titulus compellationis, in *Epist.* 71. ex Sugerianis. *Tenere in amicitiam* prædium quodvis dicebatur, qui ultro & ex mera benevolentia sibi concessum & ad libitum tradentis utendum profitebatur. Tabular. Vindocinense Thuani *Chart.* 73. *Illam* (manufirmam) *tenebis de D. Abbate, aut in fevum aut in amicitiam, ita ut recognoscat se nihil juris in ea habere, nisi quantum ei à nobis concessum est ad tempus*, &c. apud Car. du Fresne *Glossar.* Vide quoque eum in voce *Drudaria*, Apud Eundem, *Amicitia* seu *Communia Jurata*, dicitur, cujus vi, oppidi alicujus incolæ, amicitiam sibi invicem sacramento firmabant. Ita porro Communiam Ariensem in Atrebatibus appellabant, ut *Amicos*, quos alii *Juratos*. Hinc *Præfectus Amicitiæ*, *Respector Amicitiæ Insulensis in Chart.* An. Chr. 1238. in *Probat. Histor.* Guinensis *pag.* 515. qui *Rewart* seu *Major Urbis*.

Amicorum greges, ostentationis ergò, aliti olim Romæ: ut divitias & opulentiam jactarent hujus rei studiosi. Martial. *l.* 2. *Ep.* 47.

> *Cinctum togatis post & ante Saufeium,*
> *Quanta reduci Regulus soles turbâ,*
> *Ad alta tonsum Templa cùm reum misit,*
> *Materne, cernis? invidere noli.*

Comitatus iste sit, precor, tuus nunquam,
Hos illi Amicos *& greges Togatorum*
Fasciculenus praestat & Faventinus.

Imò ut haec jactantia se proderet magis, Kalendaria (ut ita dixerim) *Amicorum* excogitata sunt, in quae nomina eorum referrentur. Seneca *de Benefic. lib. 6. cap 33. Nescis, quantum sit pretium Amicitiae, si non intelligis multum te ei daturum, cui dederis* Amicum; *rem non domibus tantùm, sed seculis raram, quae non alicubi magis deest, quàm ubi creditur abundare. Quid? istos tu libros, quos vix Nomenclatorum complectitur aut memoria aut manus,* Amicorum *existimas esse? Non sunt isti Amici, qui agmine magno januam pulsant, qui in primas & secundas admissiones digeruntur; Consuetudo ista vetus est, Regibus Regesque simulantibus. populum amicorum describere.* Cui nescio quid simile stomachans Umbricius habet, apud Juvenalem *Sat.3. versu 183.*

—— —— *Omnia Romae*
Cum pretio quid das, ut Cossum aliquando salutes?
Ut te respiciat clauso Vejento labello?
Ille metit barbam, crinem hic deponit amati.
Plena domus libris venalibus. ——

V. quae alibi de *Officiosis & Salutandi ritu* dicemus. In aula Palatina Liberti erant, qui *Amicorum* Principis gererent curam. Ita enim legimus, in sepulchralibus quibusdam *Epigrammatibus* Romae,

TI. CLAUDIUS. AUG.
LIB. FORTUNATUS. A.
CURA. AMICORUM.

Et,

D. M.
LIBERTORUM.
T. FLAVI. AUG. LIB.
VICTORIS.

Et,

M. ULPIUS.
AUG. L.
A. CURA. AMICORUM.

At haec frequenter dictis causâ facta sunt. *Etenim in Principum domo* (scribit Plinius *Panegyr.*) *nomen tantùm amicitiae, inane scil. irrisumque remanebat. Nam quae poterat esse inter eos Amicitia, quorum sibi alii domini, alii servi videbantur.* Quod utcunque sit, fuit haec tam apud Principes, quàm apud privatos, charitatis & benevolentiae plena compellatio. Hinc illae voces Drusi, apud Vellejum Patercul. *lib. 2. Ecquando propinqui* Amicique *similem mei civem habebis Respublica?* Tiberii, in codicillis, *compotores & coepulones* Pomponium Flaccum & Luc. Pisonem, *jucundissimos & omnium horarum Amicos*, profitentis, apud Suetonium *cap. 42.* Titi Caesaris, *Amici, diem perdidi*, apud Eundem *cap. 8.* &c. Imò, eodem modo Convivii Dominus, apud Lucam Evangel. *cap. 14.* φίλε προσανάβηθι ἀνώτερον, *Amice ascende altiùs.* Ipse Christus Dominus discipulos alloquens, ὑμεῖς φίλοι μου ἐστέ, *Vos Amici mei estis*; Johannis *cap. 15.* & Matth. *cap. 22.* ἑταῖρε πῶς εἰσῆλθες, *Amice, quomodo introisti?* ac alibi: Ubi vox ἑταῖρος, idem quod φίλος; unde forsan magnus Eteriarches in aula Constantinopolitana. Inprimis verò in Persarum R. aula fuisse, qui φίλος βασιλέως, *Amicus Regis* κατ' ἐξοχὴν diceretur, annotavit Eusthathius *ad Odyss. ε.* Neque verò viri solùm *Amicorum*, sed & Matronae, *Amicarum* greges habuere, apud Romanos, uti discimus ex Juvenali *Satyrâ 6. versu 349.*

Nec melior silicem pedibus quae conterit atrum,
Quàm quae longorum vehitur cervice Syrorum.
Ut spectet ludos, conducit Ogulnia vestem,
Conducit comites, sellam, cervical, Amicas,
Nutricem, & flavam, cui det mandata, puellam, &c.

V. Laur. Pignorium *Comm. de Servis.*

Amictus, Anglis olim, *an Amyte*, primum ex sex indumentis Episcopo, in Ecclesia Romana, cum Presbyteris communibus: Sunt autem illa. *Amictus*, Alba, Cingulum, Stola, Manipulus & Planeta, uti habet Innocentius III. *de Myster. Missae lib. 1. cap.10.* Et quidem *Amictus*, vestimentum est, *quo collum undique cingimus*, ait Amalarius *de Eccles. Offic. lib. 2 cap.17. Quo & collum stringitur & pectus tegitur*, ut docet Bruno Signiensis *de Vestim. Episcopi: Qui circumquaque super humeros diffunditur*, Idem Innocentius *loc. cit. cap. 50.* apud Carolum du Fresne *Glossar.* De eo Durandus *lib. 3. cap. 2. Lotis manibus, Episcopus seu Sacerdos celebraturus assumit* Amictum, *quo caput tegitur, quem Pontifex loco Ephod, sive superhumeralis & rationalis habet:* —— *renes & pectus ambit & tegit & omnibus sacris vestibus supponitur, sed omnibus supereminet. In renibus stringitur, duobus funiculis sive chordulis ante pectus ligatur, & super os planetae volvitur*, apud Spelmannum *in Glossar.* Antiquitus enim super caput ponebatur, eodem modo, qui à Religiosis eorum hodieque observatur, replicando illum super planetam: quâ ratione velum, quo in nocte Passionis milites DOMINI nostri faciem velabant, spineam item coronam, ejus capiti impositam, designari consuevisse, ait Thomas *Part. III. quaest. 8. artic. 5.* Maronitae Graeci, & Ambrosiani super Albam induunt *Amictum*, ut de Graecis discimus, ex quadam Sortinorum Archidiaconi *Epist.* ad Episc. Molpherae, ubi de Graecorum vestimentis accuratè agitur; hodierni tamen Graeci eo non utuntur. In Rom. porro communione, Levitae Cardinalis *Amictus*, primò strictior erat, latior verò Cardinalis Presbyteri, ut colligit ex Davantriae, qui vixit ad A.C 1325. *Ceremoniali MS.* Dominic. Macer *in Hierolexico*, ubi etiam disputat, quo casu sine *Amictu* sacra facere liceat Sacerdoti? &c. *Glossar.* Ἀναβολή, *amiculum, amictus. ἀναβόλαιον, amiculum.* Hinc & *Anaboladium*, in vett. *Gloss Lat.* Vide *infrà.*

Amiculum, praeter pallam, etiam muliebre vestimentum fuit, licèt commune cum viris: à circumjectu dictum Festo. Id in viris non dissimile fuisse videtur chlamydi: sive paludamento. Unde vestem superiorem militarem nunquam aliter, quàm *Amiculi* nomine Curtius exprimit, de Dario loquens *lib.3.* de Alexandro alibi: de Philota *lib.6.* Et *Amiculum Sylosontis*, de quo Valer. M. *lib.5. cap.11.* ab Aeliano *Var. lib.4.* redditur, ἡ Συλόσωντος χλαμὺς, *Sylosontis chlamys.* Fuisse tamen & vestem muliebrem, apparet ex eodem Curtio *lib. 5. Feminarum convivia ineuntium in principio modestus est habitus: dein summa quaeque Amicula exuunt, paulatimque pudorem prophanant.* Nec meretricum tantùm, quod Isidorus voluit, sed & honestarum matronarum fuit gestamen. Hinc Livius *lib. 27.* narrat, missam à Senatu Cleopatrae Reginae *pallam pictam cum Amiculo purpureo.* Et *lib. 34. Feminis duntaxat purpurae usum interdicimus; & cùm tibi viro liceat purpurâ in veste stragula uti, matremfamilias tuam purpureum Amiculum habere non sines?* Quodnam autem ejus à palla discrimen, quaeritur: brevius certè fuit, ita tamen ut, si pars ejus laevo brachio aut humero non sustineretur, flueret ac traheretur, Vide Octavium Ferrarium de Re Vestiaria *Part. 1. lib.3. cap. 19.* Apud Graecos, *Amiculum ferale*, vestis erat, quo demortui cadaver, postquam, pro more gentis, ablutum erat, solebat involvi: habebat illud suas κειρίας, i. fascias, quibus manus pedesque defuncti constringebantur, ut patet exemplo Lazari, Joh. *cap.11. v.44* Hinc *feralibus amiculis obstrictus*, Apulejus *Metam. lib. 10.* Conficiebat id diu antè, vel ab uxore, vel ab amicis, adhuc viventis, eratque apud Graecos candicans, nigrum autem Latinis, Franc. Rossaeus *Arch. Attic. lib.5. cap.21.*

Amicus Principis, quasnam apud Romanos dici olim sit solitus, vidimus *suprà.* Inde hodieque mos perdurat apud Gallos, ut Reges, quoties ad Magnates & primi ordinis Proceres scribunt, *Amicos & Fideles* illos, *Amez & feaux* appellant. In *Vita* Ludovici Imperat. An. Chr. 817. *Egiideo* dicitur *Regalium primus Amicorum*: Eghinarto in *Annalibus, inter omnes Amicos Regis primus*, Carolus du Fresne *Glossar.* Hodie *le premier Ministre d'Estat.*

Amida, Japonensium Idolum, tanto apud eos in honore, ut vel, invocato solo repetitoque ejus nomine, se beatos fore, sufficereque ad salutem, si sequentia verba saepius iterentur, *Nami Amida, Buth*, h. e. Felix Amida salva nos, credant. Quandoque illud in rosceto florido collocant & multis circa caput radiis adornant, coronâ precatoriâ (quod omnibus Deastris Japonicis commune) instructum. Asservatur unum horum in Musaeo Kircheriano Romae, ut videre est, *in Collegii Rom. S. I. Musaeo, Amstelodami edito A.C.1678.*

Aminniae uvae, apud Vopiscum *in Floriano, Vitis, quae uvas* Aminnias *albas ferebat, eo anno, quo ille Imperium meruit, purpurascere plurimâ purpurâ capit*: Ita enim vetus scriptura; cùm vulgò *Amineas* legatur. Sed & Graeci Ἀμίναιον οἶνον dicunt. Servius quoque, *ad illud Poetae:*

Sunt & Aminiae vites ——

duplicem eam literam agnoscit. Et certè *Aminnium* potiùs, quàm *Amineum* Vett. scripsisse, testes Grammatici sunt, qui vinum illud *Aminium*, quasi *sine minio* dictum censent, hoc est, sine rubore. Quod quidem verum est, de Aminnia alba; sed in nigrâ qui verum esse potest? Sunt enim Aminniae uvae, albae & nigrae, quo modo Grammaticorum acumen eluditur. Et rectè Vopiscus *loc. cit. vitis quae uvas Aminnias albas ferebat.* Nam si Aminniae nullae nisi albae, nil opus erat *albas* addere Salmasius *Not. ad Vopiscum.* Vide quoque in *Aminea.*

Aminon, Archon Athenis, apud Athenaeum, Περικλῆς δὲ ἀποθνήσκει περὶ τὸ τρίτον ἔτος τοῦ Πελοποννησιακοῦ πολέμου, ἐπ' Ἀμείνονος Ἄρχοντος, *Pericles autem moritur, anno tertio belli Peloponnesiaci*, Aminone *Archonte.* Erat is annus ultimus Olymp. 87. quo Archelaus apud Macedones Regnum accepit. Ejusdem meminit Scholiastes Euripidis, in *argumento* Hyppolyti, Ἡ σκηνὴ τοῦ δράματος ὑπόκειται ἐν Θήβαις Ὀλυμπιάδι ὀγδοηκοστῇ ἑβδόμῃ ἐπ' Ἀμείνονος Ἄρχοντος. *Scena dramatis Thebis est, Olympiade octogesimâ septimâ, Aminone Archonte*; & apud Laërtium, Πλάτων ἐπὶ Ἀμείνονος γέγονε, *Plato Aminone Archonte natus est.* Nempe Ἀμείνων nomen proprium Graecis, ut *Melior* Latinis; aliàs comparativus hic est nominis ἀγαθός. Vide Salmasium *ad Solinum pag.156.*

Amir,

Amir, vox Arabica, *Dominum* notat, 'Aμὴρ Annæ Comnenæ, hodieque pro Duce & Principe, inter Arabes, usurpatur. Inde *Amiræ* & *Amiralii*, apud Saracenos ac Turcas, Satrapæ, nempe urbium vel provinciarum præfecti, atque adeò supremi Sultani, qui Caliphæ suberant. *Martyrium S. Bacchi jun. pag.* 106. ὁ στρατηγὸς ὁ παρ' αὐτοῖς, ὁ τῇ Ἀμηρᾶς ἐπονομαζόμενος, *Exercitus Dux apud ipsos, qui & Amiras appellatur.* Anastasius Bibliothec. *ad VIII. Synod. act.* 1. Hamiram *Græci vocant Principem Saracenorum: interpretatur autem, ut ferunt, linguâ eorum Præpositus.* Ubi *Hamiram* vocat, qui aliâs *Amiras*. Variè enim hæc vocabula apud Scriptores efferuntur: *Admirablis, Admiralius, Admirallus, Admiravius, Admiratus, Admiravisus* seu *Amiravisus* (quo nomine Bagdatensis inprimis Sultanus dictus est, apud Robertum Mon. *Histor. Hierosolym. lib* 5.) *Amiraus* (quem tamen ab Amira distinguit Sigebertus in *Chron. In Regno Saracenorum quatuor Prætores statuit, qui* Amiræi *vocabantur; ipse verò* Amiras *dicebatur vel Protosymbolus*) *Amiraldus, Amiratus, Ammiratus, Ammireda, Amuratus, Hamiras, Miral*, &c. quæ omnia synonyma sunt, & Satrapam Præfectumque denotant, quorum præfecturas seu districtus Ἀμηραδίας vocat Constantinus Porphyrog. *de Administr. Imper. cap.* 15. À Saracenis, voces hæ *Admirallus, Amiraldus, Amiralius, Amirallus*, &c. transiere ad Christianos, qui cùm viderent, Saracenos ita suos classium Præfectos appellare, id nominis postmodum suis itidem classium Præfectis indiderunt, unde Gallorum *Admiral*, Ital. *Amiraglio*, Hispan. *Almirante*. Nam frustra sunt, qui aliunde vocis apud nos originem arcessunt: inter quos Ed. Cokus *ad Littleton. sect.* 439. qui à Saxon. *aen Mereal*, id est, *Præfectus maris*, seu *classis*, etymon derivat. Speciosius est, quòd Macer Arabico-Græcam vocem esse ait, quasi Ἀμὴρ ἁλὸς, in *Hierolex.* Primi autem inter Christianos, summos suarum classium Præfectos sic appellasse videntur Siculi, uti habet Romualdus in *Chron. MS. An. C.* 1149. *Georgium — ab Antiochia adductum, magnum constituit Ammiratum.* Exinde Genuenses, ut colligitur ex Matthæo Paris An. Chr. 1242. *Eis (galeis) præfuerunt Potestas Januæ, quem Admiraldum vocant & Majores civitatis*, &c. Horum dignitas *Ammiratus*, dicta est, quâ donati leguntur apud Siculos, sub Rogerio R. Georgius præfatus, qui *Magnus Ammiratus* dicitur Romualdo, An. Chr. 1152. & Majo, sub Wilhelmo Rege, plures namque tum in eo Regno Ammiratos fuisse, patet ex *Chartâ* laudata Carolo du Fresne in *Glossar.* Vide quoque suprà in voce *Admirallus*, ut & in *Thalassiarchus*.

Amirmumnes, appellati Bagdatenses sunt, atque adeò supremi Sultani, qui sub Chalifa universæ rerum administrationi præerant: Cedreno, Zonaræ & Constantino Porphyrog. Ἀμερμουμνῆς: Annæ Comnenæ Ἀμερμουμνῆ; Latinis Scriptoribus, *Almanuni* & *Amir-Almumenini, Amermumi, Amiralmumin, Amiramomemini, Halmiramomelini, Miramumelini, Mirmumni*, &c. quas voces *Credentium Principem* seu *Fidelium Dominum* significare, apud Arabes, pluribus docuit du Fresne *ad Alexiadem pag.* 371. 372. *Molanus* corruptè habes *Historia Hierosolym. pag.* 1152. apud Eund. *Glossar.*

Amisos, Chalybum urbs, in Galatia Ptolemæo, à Sinope distans 900. stadiis, secundùm Strabonem, hoc est, centum & duodecim mill. pass. cui Eupatoriam à Mithridate adjunctam esse, Appianus auctor est. Nempe *Amisum* ampliavit is & partem eam, quam addidit, à se nominavit. Strabo *libr.* 12. Ὁ δὲ Εὐπάτωρ ἀπέφηνεν ἱερὸν τῆς πόλεως μέρος. Quod utrumque oppidum, victo à Pompejo Mithridate, in nomen *Pompejopolis* transiisse vult Plinius, sed frustra. *Amisus* enim usque ad extrema Imperii tempora nomen suum servavit, ut ex Ammiano discimus; hodieque *Amid* dicitur. Sed & Ptolemæus Ἀμισὸν & Πομπηιόπολιν in eadem provincia recenset ac diversas facit, & satis magno intervallo à se invicem dissitas. Adde, quòd *Amisus* ad mare, Pompejopolis intus fuerit sita. Atheniensium coloniam fuisse Ammianus ait, in *Periplo Ponti*, unde Πειραιεὺς olim dicta est. A Milesiis conditam esse, Solinus memorat, *ad quem* vide Salmasium *pag.* 849. ut & in voce *Amisus*.

Amman, apud Germanos Belgasque Prætor est, Præfectus, Prætor causarum civilium. In *Charta* Balduini Comitis Flandriæ Anno Chr. 1119. in Tabulario S. Bertini subscribunt *Rodolphus* Amman *de S. Folquini Kerca, Alsgerus*, Amman *de S. Georgio, Bernuldus* Amman *de Broburg*, &c. Apud Metenses *Amans* dicuntur regionarii Notarii, qui Acta publica conficiunt & conservant, nomenque desumunt à Parochiis, in quibus habitant. Imò in media Francia, vocem hodieque superesse docet du Fresne ex *Consuetudinibus* Perulæ in Arvernis An. C. 1175. à Thomasserio *lib.* 1. *cap.* 66. *edit.* Hinc *Land Amman*, in Helvetia nomen supremi Magistratus, in Cantonibus illis, qui vicatim habitantur. Vide Jos. Simlerum aliosque, qui *de Rebus Helvet.* scripsere, *& infra*.

Ammaniacum, vicus Tungrorum, inter Leodicum & Hoium positus, sed huic propior, vulgò *Hanu*: ad Mosam. Hic Oda, uxor Arnoaldi seu Boggisi, ex eo Mater B. Arnulfi, primùm Regis Domestici, deinde Metensis Episcopi, marito suo orbata, templum extruxisse Georgio Mart. ibique sepulta esse dicitur. Celebrantur ejus Natales a Leodicensibus 10. Kal. Novemb. Had. Valesius *Not. Gall.*

Ammanus, nomen dignitatis apud Helvetios primariæ, significat eum qui in pagis vicatim habitantibus, Uria, Suitia, Undervaldia, Tugio, Glarona & Abbatiscella, publico Gentis Consilio præsidet; Germ. *Amman*; quasi *Ampt-mann*, à voce Ampt, i. *munus, officium*, & Mann, i. *Vir*. Ut idem sit, quod *officii vir* seu *muneri atque officio alicui publico præfectus*. Dicitur etiam *Landammannus*, Germ. *Landammann*. Vide Simlerum *Descript. Helvet.* & suprà *Amman*.

Ammianus Alexandrinus, bajulus primò, inde Græcis Σακκᾶς cognominatus, quasi *Saccigerulus*; postea sub Clemente Alexandrino literis dedit operam, tanto successu, ut ejus postmodum in Cathedra successor & Origenis Magister evaserit; Theodoretus *de Provid. lib.* 6. Macer *Hierol.* Mel. *Ammonius*, quod vide.

Ammodytes sive Cerastes, serpentis genus, quod in iis, quibus concolor est, arenis latens, ungulas equi mordet, Genes. *cap.* 49. *vers.* 17. & calcaneo hominis insidiatur, Genes. *cap.* 3. *vers.* 15. solisque exertis corniculis, quæ frumenti granis similia sunt, aviculas, quasi ad escam advolantes, intercipit. Sam. Bochartus *Hierozoici Part. prior. lib.* 1. *cap.* 4. Ab arenis *Ammodytes*, à corniculis *Cerastes*; quæ cum hæmorrhoo serpente communia habet; namque & hic cornutus est: sed & insuper, sicut ille, dorsi spinas non habet osseas, verùm cartilagineas solùm, & in utramque partem ita flexiles, ut in incessu nulla possit esse firmitas. Unde Lucanus,

— — *Spinaque vagi torquente cerastæ*, &c.

Vide infrà ubi de *Cerastis*.

Ammonia Juno, adde: Hoc nomine Luna non ineptè intelligitur; ut enim Jupiter Ammon Sol erat, sic Luna Juno *Ammonia* dicta videtur, quam in forma ovis cultam fuisse legimus. Vide Cœl. Rhodiginum *lib.* 18 *cap.* 38. Utriusque nomine desumto ab Hebræâ voce חמה *Hammah*, id est, *calore*. Unde idola, quæ in fastigiis domorum extabant, perpetuo Soli exposita, *Hammanim* dicta legimus, Levitic. *cap.* 26. *versu* 30. Jesajæ *cap.* 17. *vers.* 8. & *cap.* 27 *vers.* 9. Adde quòd, sicut Jupiter Ammon cornutus pingebatur, Lucanus *lib.* 9.

— — *Stat corniger illis*
Jupiter.

Similiter Lunæ cornua affingebantur, Horat. *Carm. secul.*

Siderum regina bicornis audi
Luna puellas.

Dicitur autem *cornigera* Luna, ob radiorum suorum reflexionem, cornua imitantem; & quia, quemadmodum robur cornutorum animalium in cornibus est, ita Luna, ut & Sol, influentiarum suarum vim ac robur in his inferioribus, per radios suos, exerunt, &c. V. Thomam Godvvyn *in Tr. Angl. Moses and Aaron, lib.* 4 *cap.* 6.

Ammonius Alexandrinus, adde: Plutarchum quoque auditorem habuisse, refert Eunapius. Ejus extat *in IV. Evangel. Harmonia*: ubi not. *Ammonii* Harmoniam, quæ extat in Bibliotheca Bignæi, opus esse Tatiani, adeoque inscriptionem ita mutandam: *Sanctorum Evangel. Diatessaron, i. e. Unum ex quatuor, Tatiano Syro, Hæresiarcha, Encratitarum Principe, Auctore*, Possevinus *in Append. Tomi primi*. Cognomentum *Sacci* habuit, quòd ex bajulo evasisset Philosophus, ac tantus quidem, ut parem vix ac ne vix quidem habuerit, inter Aristotelicos, Heereboord.

Amnestia, Græc. Ἀμνηστία, item ἀμνησικακία, Lex erat oblivionis, apud Athenienses, quâ cavebatur, ne quis injurias bello sæviente illatas meminerit, aut vindicaret: Hac nihil ad firmandam pacem bellique intestini restinguenda incendia salutarius invenere. Auctor ejus Thrasybulus fuit, cujus *præclarum hoc quoque*, ut ait Corn. Nepos, *quòd reconciliata pace, cùm plurimum in civitate posset, legem tulit: nequis anteactarum rerum accusaretur: neve multaretur: eamque illi legem oblivionis vocarunt, neque verò hanc tantùm ferendam curavit, sed etiam ut valeret, effecit. Nam cùm quidam ex iis, qui simul cum eo in exilio fuerant, cædem facere eorum vellent, cum quibus in gratiam reditum erat, publicè prohibuit.* Factum id autem, post expulsos triginta Tyrannos & libertatem Patriæ redditam. Æquitatem legis innuit Cicero *de Orat. libr.* 2. *ut enim meritorum*, inquiens, *memoria sempiterna, ita injuriarum brevissima esse debet, quò amicitia immortalis sit, inimicitia mortalis.* Hinc & apud eundem, Themistocles, artem memoriæ profitenti, dixit: *Gratius illum sibi facturum, si se oblivisci quæ vellet, quàm si meminisse, doceret.* Vide quoque Valerium M *libro* 4. *cap.* 1.

Amnibus præcipua veneratio, olim apud Parthos, teste Justino *libr.* 34. *capite* 3. ubi de gentis hujus moribus verba faciens, *In superstitionibus*, inquit, *atque cura Deorum, præcipua amnibus veneratio est.* Ita restituit Gronovius, cùm prius legeretur, *omnibus*: quod falsum. Deorum enim reverentiâ, præter alios populos, præcipuè Orientis, excellere Parthos, nusquam proditum est, neque id his verbis explicaturus videtur fuisse Justinus. Certum igitur genus expressit Numinum, adver-

sùs quæ singularis esset eorum religio: ut etiam cœterarum erat fere gentium. Et quidem *Amnium* cultum à Persis acceperunt tenueruntque. Herodotus *lib.* 1. Ἐς ποταμὸν δὲ οὔτε ἐνουρέουσι, οὔτε ἐμπτύουσι, οὐ χεῖρας ἐναπονίζονται, οὐδὲ ἄλλον οὐδένα περιορῶσι, ἀλλὰ σέβονται ποταμοὺς τῶν πάντων μάλιστα, *In fluvium neque urinam reddunt, neque sputum conjiciunt, neque manus in illo abluunt, neque aliud istiusmodi faciunt quidquam, sed venerantur fluvios omnium maximè.* Tacitus *Annalium lib.* 6. de Vitellio & Teridate, *sacrificantibus, cùm hic more Romano Suovetaurilia daret, ille equum placando amni adornasset.* Plinius de alio Teridate *lib.* 30. *cap.* 2. *Navigare noluerat, quoniam exspuere in maria aliisq; mortalium necessitatibus violare naturam eam fas non putant.* Arnobius *lib.* 6. *Ridetis temporibus priscis Persas fluvios coluisse.* Neque aliter intelligendus Ammianus *lib.* 18. *Reges Ninivæ Adjabenæ ingenti civitate transmissa, in medio pontis Anzabæ, hostiis cæsis extisque prosperantibus transiere lætissimi.* Sic Procopius *Persic. lib.* 2. de Chosroë Daphnen Antiochiæ contemplato, nemusque & fontes admirato, Καὶ θύσας ταῖς Νύμφαις, inquit, ἀπιὼν ᾤχετο, *& sacrificio Nymphis facto discessit.* In *Anthologia* quoque servus, qui dicens introducitur, Πέρσης εἰμὶ καὶ ἐκ πατέρων, *Persa sum ex Parentibus*; addit mox, σέβομαι, δέσποτα, καὶ ποταμούς, *veneror, Domine, etiam amnes.* V. Joh. Frid. Gronovium *Observat. lib.* 4. *cap.* 10.

Amnici Navicularii, ab Aureliano, Romæ instituti. Flav. Vopiscus in *Vita* ejus, ubi in Epist. ad Flavium Arabianum eum inter alia scripsisse memorat; *Nihil mihi magnificentius, quàm quòd additamento unico omne annonarum urbicarum genus juvi: quod ut esset perpetuum, navicularios Niliacos apud Ægyptum novos & Romæ amnicos posui. Tiberinas extruxi ripas, vadum alvei tumentis effodi,* &c.

Amania, in vet. *Glossar.* αἱ ἀκταί: loca sunt amœna, ut actæ, unde *littorum amœna.* V. Angelum à Nuce *ad Leon. Ostiensem Chron. Casin. lib.* 1. *cap.* 17. & Salmasium *ad Lampridium in Commodo.*

Amomia, dictum recentioribus omne id, quo medicabantur corpora ac condiebantur; ab *Amomo*, quod non solùm pretiosissimis unguentis, quæque maximè nares ferirent, addebatur, uti Plinius refert; sed & in funeribus præcipuè locum habebat, ut & myrrha & cinnamum & alia. Persius,

— — tandemque beatulus alto
Compositus lecto, crassisque lutatus Amomis,
In portam rigidos calces extendit.

Ubi tamen *amoma* pro quibuslibet unguentis posuit, quibus corpora ungebant mortuorum. Pro *Amomia*, *Momiam*, & *Mumiam* universa hodie dicit Europa, Vide infrà in voce *Mumia*, & plura hanc in rem apud Claud. Salmasium *ad Solinum pag.* 401.

Amomum, ἄμωμον, dictum Græcis vett. omne aroma, quod sincerum & inculpatum esset, ut πιστικὴ νάρδος in Evangelio dicitur, *quæ sine dolo est*, & minimè adulterata. Sic ἄμωμον λιβάνιον, *thus sincerum*, & ἄμωμον simpliciter. Inde & κινάμωμον appellitavere, quasi κίναμον ἄμωμον, *cinnamum inculpatum*: & *cardamomum*, &c. Unde Avienus *amomum*, pro cinnamomo posuit; contrà cinnamomum, pro *amomo*, Hesychius, cùm πόαν Ἀσσυρίαν vocat. Certè *Assyrium amomum*, apud Poëtam, *herbam esse suavissimi odoris*, Servius ait. Statius in *Epicedio* Pileti Ursi,

— — Phariaque exempta volucri
Cinnama & Assyrio manantes gramine succos:

Assyrium gramen idem vocat; quod & alibi *pingue amomum* appellat; Ovidius *succum amomi.* Quin & Dionysius ipse *cinnamomum*, pro *amomo* videtur accepisse, qui φύλλα ἀμωμοῖο κινναμώμου vocat. Nam *Amomi* folia etiam odore commendabantur, ut tradit Isidorus. At cinnami surculi, non folia afferebantur. Itaque *Amomum* in specie, de herba hac Assyria; quæ integra & radice suâ nixa βοτρυώδης erat & uvæ modo convolutum, sibique cohærens. Plinius *lib* 12. *cap.* 13. *Amomum parvus est frutex, uva instar ex ligno in seipsum convolutus.* Nempe non fructus, ut in vite, botrosus erat, aut reapse botrus, quod nonnulli volunt; sed lignum ipsum fruticis, quod ὑπόκιρρον, id est, *coloris rufi*, laudatur Dioscoridi, uvæ modo implexum in se & convolutum, quod & semine plenum. Ipsum verò, dum colligebatur, quoniam siccum & friabile, hine fragile erat. Idem, *Capiturque cum radice, manipulatim leviter componitur, protinus fragile.* Unde solutum ac dissipatum eligendum Dioscorides præcipit, non convolutum & connexum, quia dum carpitur verum amomum, solvitur & frangitur: at quod adulterabatur, addito gummi efficiebant, ut cohæreret convolveretque se in uvæ modum & sic germanum videretur, Vide omninò Plinium *dict. loc.* Hinc *Amomi uva*, apud eundem, quæ nihil aliud est, quàm *amomum* integrum, non dissolutum, nec friatum in pulverem; cui majus pretium idem ponit: *pretium uvæ in libras denarii sexaginta: friato verò amomo denarii XLIIX.* nempe non solutum amomum & in uvæ figura remanens, cariùs vendebatur: eo quòd dissolutum & friatum magis fraudi obnoxium erat. *Pulveris* verò *Amomi* meminit Ovidius *de Tristibus*,

Ossaque cum foliis & amomi pulvere conde.

Ubi *pulvis amomi*, idem est, cum *Amomo friato* Plinii. Quibus verò usibus *Amomum* inserviret, diximus in voce *Amomia*. Hodie verum *Amomum* ignoratur. Nam qui putant rosam, quam vocant *Hierosolymitanam* aut *Hierichuntinam*, Vett. fuisse amomum, magnopere falluntur. Nec meliùs sentiunt ex Arabibus, qui pedis columbini speciem esse pertendunt. Vide Salmasium *ad Solinum pag.* 400. *& seqq.* ut & Petrum de Valle *Itinerar. Pers.*

Amor, adde: Ejus indicia apud Græcos olim varia erant. Si cui in festivitate solenni sertum, quo capita tum ornari mos, solveretur, indicium id amoris habebatur: Hinc Athenæus. Διὰ τί τοῖς στεφανουμένοις ἐὰν λύηται στέφανος, ἐρᾶν λέγουσι, *Quare si coronis ornatorum sertum vel corolla solvitur, amare dicuntur?* quærit. Sic, cùm aures tinniebant: Unde Sappho, βομβεῦσι δ' ἀκοαί μοι, *bombum edunt aures meæ.* Et Catullus,

— — Sonitu suopte
Tinniunt aures.

Amoris id erat omen. An redamarentur, explorabant crepitu folii, quod Τηλέφιλον appellabant, de quo Theocritus *Idyll.* 3.

Οὐδὲ τὸ Τηλέφιλον ποτεμάξατο πλαταγῆσαν.

i. *sonitum non edidit, non crepuit.* Idem fiebat κοττάβῳ, quem morem à Siculis acceperunt; Callimachus,

Πολλοὶ καὶ φιλέοντες ἀκόντισαν ὕγρον ἔρωτα,
Οἰνοπόται Σικελὰς ἐκ κυλίκων λάταγας.

Vide de his prolixè agentem Franciscum Rossæum *Archæologiæ Atticæ lib.* 4. *cap.* 4. *& seqq.*

Amor Infelix, Vide infrà *Philermus.*

Amor matri præreptus, apud Virgilium,

Quæritur & nascentis equi de fronte revulsus
Et matri præreptus amor.

Vide infrà, *Hippomanes.*

Amoravii, memorati Orderico Vitali *lib.* 13. *pag.* 891. 893. Saraceni Afri sunt, sic dicti fortè, quòd in Africa degeret hujus gentis Amirmumelinus seu Calipha vel magnus Sultanus, quem *Amoravisum* vocatum fuisse, suprà diximus in voce *Amir.* Nec ab iis diversi *Almoravides*, Scriptoribus Hispanis nuncupati, Mauri scil. Africani, qui in Hispaniam transierunt à Rege Sibiliæ Mauro evocati, Alfonso VI. regnante. Meminit eorum Pelagius Episcopus Ovetensis, in *Adelphonso Rege, æra* 1123. *Christi, anno* 1085. *Post hæc cum tantis prosperitatibus ad tantam elationem pervenit, ut* Almoravides *extraneas gentes, quæ ex Africa in Hispaniam per Regem Abenhamet misit, cum quibus prælia multa fecit, & multas contumelias, dum vixit, accepit ab eis.* At qui apud Poëtas Gallos *Amoravisi* occurrunt, Sclavi sunt, Moraviam, nobilem Germaniæ provinciam incolentes, Carol. du Fresne *Glossar.* Ab *Amoraviis*, Afris, mures Pontici, vulgò *Marturus*, Gall. *Martres*, dicti sunt *Amorenses Catti*, de quibus Alderisius agit in *Geogr. Nubiensi pag.* 9 Meminit eorum quoque Petrus Abbas Cluniac. in *Statutis* Cong. Clun. *cap.* 17. *Nihil se habere non parvæ pœnæ eisque adhærentium multitudo putabat, nisi ex pilosis illis & condensis — Numantinorum h. e. juxta modernos* Amorensium *cattorum pellibus contecto multi pretii coopertorio lectus muniretur pariter & ornaretur.* Nempe magnâ copiâ in Africa repertiuntur, unde illis id nominis hæsit. Vide eundem Auctorem ubi suprà.

Amorginum, lini, an coloris genus? Certè Aristophanis illud,

Καὶ τοὺς χιτωνίσκους ἀμοργίνους,

lineas tunicas interpretantur, quòd *Amorgina* vestimenta, ad instar byssi, sive carbasi tenuissima essent. Veteres tamen Critici *Amorginum* coloris genus dixere, nempe purpureum secundùm glossam, ut ait Eustachius: ut non satis constet, utrum ea vox lini speciem, an colorem, an utrumque significet. Octavius Ferrarius *de Re Vestiaria Parte* 2. *lib.* 4. *cap.* 12. Vide in voce *Amorgos*, & qui colorem esse negat, Salmasium *ad Solinum p.* 1215.

Ampeloessa, adde: Regionis instar fuit & nomen *Tetrarchiæ* habuit: quemadmodum & Abila & Arca, & Gabe, & reliquæ urbes Decapolitanæ Syriæ, uti discimus ex Plinio *lib.* 5. *cap.* 18. Sic in Phœnice singulas Urbes totidem Regna fuisse, tradit Strabo, apud Salmasium *ad Solinum p.* 576.

Ampelus, urbs Africæ, in reg. Cyrenaica, proxima Horto Hesperidum, à qua incolæ *Ampelitæ*, qui caulem silphii Delphis dedicarunt, cujus circa Hesperidas ferax regio fuit. Idem *ibid. pag.* 374.

Amphiarai Fanum, Ἀμφιάρειον, situm fuit in itinere, quod Athenis Oropum dirigebat, in loco *Harma* dicto, Gr. Ἅρμα, id est, *currus*, à curru, quo Amphiaraus excidit, uti Dicæarchus habet. At Strabo in Bœotia collocat. Nempe in Bœotia *Mantium* Amphiarai fuit celeberrimum, ut ex Scriptoribus patet: quod è Cnopia (an Potnia) Thebaica traductum in locum eum Oropo vicinum ait. Hoc & ἱερὸν Ἀμφιαράου Græci Scriptores vocant, eoque loci fuisse volunt, quo tellus discessit fugienti Amphiarao ipsumque cum curru absorpsit. Unde & Ἅρμα nomen impositum. Sed ubi hoc acciderit, non usquequaque Veteres consentiebant & Tanagræi quidem id contigisse contendebant, in via, quæ Thebis Chalcidem ducit, quo loco urbs vel vicus Ἅρμα nomine olim extitit, prope Mycalessum; Thebani in agro suo discess-

discessisse terram, quæ Amphiaraum hiatu mersit, dicebant. Accessit tertia opinio, factum id prope Oropum, in loco, ubi Templum postea ejus, Oraculorum famâ diu nobilitatum. Hoc certum, primos Græcorum Oropios honorem Amphiarai memoriæ habuisse, & Templum ei condidisse: erat autem Oropus oppidum ad Mare, in confinio terræ Atticæ & Bœotiorum agri Tanagrici: de quo cùm diu pugnatum esset inter Athenienses & Bœotios, ab Atheniensibus tandem in potestatem redactum & Attici soli factum est. Vide infrà in voce *Harma* & plura hanc in rem, apud Salmasium *ad Solinum p. 146. & seqq.* ubi, post multa in omnem partem agitata, concludit in Harmate Attico Oropiis vicino *Fanum Amphiarai & Oraculum τῶν ἐγκοιμωμένων, somnia captantium; Amphiarai* item *Balnea* seu *Fontem* fuisse.

Amphibalus vel *Amphiballus*, item *Amphibalum* & *Amphibolum*, apud Sulpicium *in Vita S. Martini*, *Nec mora, Sanctus paupere non vidente, intra Amphibalum sibi tunicam latenter eduxit.* Vestis erat utrinque hirsuta ac villosa, eademque cum *Amphimallo*, unde vox deflexa: neque enim ab ἀμφιβάλλειν deducitur, ut quidam censent *Gloss.* S. Benigni, *Amphibalus, byrrhus villosus.* Joh. de Janua, *Amibolus, vestis, quæ est villosa, sicut est sclavina, quæ circumcluditur &c.* Ejusdem meminit Fortunatus *de Vita Martini prædicti lib. 3. cap. 1.*

Qui tunicæ interius non inspiciebat amictum,
Amphibali exterius dum membra obtecta laterent.

Caput etiam texisse, docet *Vita* S. Boniti Episc. Claromont. *cap. 1. Amphibali summitas ipsa* Et *cap. 7. Ut partem* amphibali *mei, quâ caput tegitur, retineat.* *Vita* S. Deicoli Abbatis Lutrensis *num. 20. Antequam sessum pergeret, birrum suum, quem Græci* amphiballum *vocant, deponere voluit, refrigerandi gratia*, &c. du Fresne *Glossar.* Peculiarem fuisse Episcoporum vestem, colligit Dominicus Macer ex *Testam.* S. Remigii, ubi inter alia habetur, *Futuro Episcopo amphibalum album Paschale relinquo*, V. eum in *Hierolexico*, ut & fratrem eius Carolum, qui *Amphibalum* cum *Amphimallo* idem esse negans, cum Heteromallo potiùs convenire, contendit, *Ibid.*

Amphimalla, sive ἀμφίμαλλοι χιτῶνες, vestes sunt utrinque villosæ. Meminit eorum Plinius *libr. 19. cap. 1. Gausapæ patris mei memoria cœpere, amphimalla nostra, sicut etiam villosa ventralia.* V. Octav. Ferrarium *de Re Vestiaria lib. 1. cap. 18.* An eædem cum *Amphitapis*, quarum meminit Lucilius *lib. 1.*

Psilæ atque Amphitapæ *villis ingentibus molles.*

Quæque substernebantur dormientibus. Idem *lib. 6.*

Pluma atque Amphitape, *& si aliud quid deliciarum.*

Item Varro Manio, *Alterum bene acceptum dormire super Amphitape bene molli.* Ita videtur supra laudato Ferrario, qui monet, inter Tapetes & Amphitapetes, Gausapas & Amphimalla probè distinguendum, his verbis: *Ut eadem res planè Gausape & Tapetes, sic Amphimalla & Amphitapetes. Illa ex una parte, hæc utrinque villos habebant;* quod ipsa vox quoque declarat. Vide quoque ejus *de Re Vest. part. 2. lib. 1. cap. 14.*

Amphiprostyla Ædes, Græcè Ἀμφιπρόστυλος, dicta est, quæ in postico columnas habebat & fastigium, uti Πρόστυλος, in fronte. Vocata autem πρόστυλος, quæ contra Antas duas columnas angulares haberet, & supra epistylia & dexterà ac sinistrà in versuris singulas. Posticum verò, ὀπισθόδομος Græcis, in Gentilium Templis dicebatur ea pars, quæ post cellam ædis, ad idem fere instar facta erat, ac πρόδομος seu πρόναος. Salmasius *ad Solinum p. 1217.*

Amphisbæna, adde: De ea Solinus *cap. 27. Amphisbæna*, inquit, *consurgit in caput geminum: quorum alterum in loco suo est, alterum in ea parte, quâ cauda; quæ causa efficit, ut capite utrinque serpat tractibus circulatis.* Ubi quod *de circulatis tractibus* habet, etiam Isidorus confirmat, cùm ait, *Currens ex utroque capite, tractu corporis circulato.* Atque hinc est, quòd Hesychius unum saltem caput *Amphisbænæ* esse, sed geminum videri, ait, ob illam viz. cursus obliquitatem ac circulationem Vide Salmasium *ad d. l. p. 339.* Quòd verò [illegible] *Amphisbæna* Nicander tribuit, h.e. *notis compunctum*, alibi non reperitur. Imò contrà est, nec enim ullâ notarum varietate commendatur. Nisi fortè [illegible] vel [illegible] apud eum legas, quòd tractibus circulatis eat, uti dictum. *Ibid.*

Amphitheatrum, Latinè *Visorium*, quòd commodissimè populus ad ludicra convocatus inde spectare posset, circulari formâ integrâ construebatur, aut ovali & oblongâ, ut in eo gladiatorii ludi & conclusarum ferarum venationes exhiberentur. V. Cassiodorum *lib. 3. epist. 51. Amphitheatrum rotundum est, Theatrum verò ex medio Amphitheatro est, semicirculi figuram habens*, Isidor. Hispalens. *lib. 18. cap. 52.* Unde duobus Theatris in unum coëuntibus Amphitheatrum fiebat, dicebaturque *Cavea* quoque, ab interiore parte quæ concava erat: Item *Arena*, quòd arena spargeretur, ut certantes sine offensione caderent, ut ex Suetonio liquet. Inde phrasis, *in arenam descendere*, i. e. certamen subire; & gladiatores *Arenarii* dicti. Nec vulgari solùm sabulo hic usi Romani, sed *Invenere*, inquit Plinius, *lib. 36. & alium usum ejus lapidis, in ramentis quoque Circum maximum sternendi, ut sit in commendatione & candor, &c.* Aliquando v. & foveæ speciusque sub Amphitheatro, in quibus feræ asservabantur, cùm usus esset, in spectaculum emittendæ, *Caveæ* dicebantur. Adde quòd *Amphitheatra* plena concavitatibus specubusque essent, in quibus, præter feras, aquæ etiam detinebantur, ad Naumachiarum usum postea in locum spectaculi derivandæ, V. Suetonium *in Domitiano*, Thom. Dempst. *Antiqq. Rom. lib. 5. cap. 5.* Lipsium inprimis de *Amphitheatr. cap. 1. & 3.* Quia autem, cum in tam frequenti & copiosa sanguinis effusione facilè fieret, ut lubricum redderetur solum, ab arena petitum remedium est, quæ, ut naturâ est bibula, & absorbere effusum humorem & renovari per intervalla ludorum facili negotio poterat: hinc hodieque *les Arenes*, in variis Galliæ civitatibus dicuntur loca illa, ubi à Romanis olim rerum ibi potitis *Amphitheatra* fuerunt extructa &c. *Amphitheatri* à Vespasiano, ex Tiburtino lapide, in ipso urbis meditullio, extructi, à Tito dedicati & à Domitiano exornati, formam ac faciem, cujus rudera Romæ visuntur, ut de partibus ac forma *Amphitheatrorum* facilius judicare Lector possit, exhibet A. Frisius *ad Hieron. Mercurialem de Arte Gymn. lib. 3. cap. 4.* Orbis illius circuli oblongi, seu potius ovi, formam refert, & si P. Victori fides, gradus Amphitheatri vel graduum pulvilli supra 87000. spectatorum capiebant Ambitus superior & circumjectæ porticus, Lipsii judicio, denis adhuc vel vicenis hominum millibus seu stantibus, seu allatis cathedris sedentibus, locus erat. Universa machina quatuor constabat ordinibus, Dorico, Jonico, Corinthio & Composito, omnibus ita dispositis, ut tardiùs adventantibus accedendi, & citiùs abeuntibus recedendi facultas, sine aliorum incommodo, daretur. Area tota libera erat, nisi quòd in ea alicubi ara cernebatur, Jovi Latiari sacra, ad quam mactatio stata & horrenda unius ex bestiariis: Sub ipsa ara cloacæ subterraneæ fuere, per quas, in usum Naumachiarum, occultè & subitò inductas & eductas esse aquas præfatus Lipsius existimat. Cæterum ex eorum numero, qui cum bestiis pugnabant, vel ad bestias, ut ajunt, damnabantur, Christiani erant: inter quos S. Ignatium fuisse, constans Fama est.

In Amphitheatro Titiano notanda.

Ara, quæ sacra Jovi, ut dictum, Latiari.

Portulæ, per quas immissæ in Arenam bestiæ: Has januas clausas fuisse probabile est, non solùm ad belluas, ne egressus pateret jam solutis; sed etiam ad aquas coercendas cùm iis *Amphitheatrum* impletum.

Podium, cum suis columellis: & in medio suggestus Imperatoris.

Præcinctio sive Diazoma, id est, gradus altior & latior: cujus generis tres fuisse in Theatris Vitruvius docet.

Vomitoria, sive Aditus, i. portulæ quædam quadratæ in ipsis gradibus, per quas in sedilia diffundebantur. Ad eas minuti erant gradus scalares, per quos quisque ad destinata sua ibat subsellia. Spatium medium inter scalares binos *Cuneus* dicebatur, appellatione ab acie instruenda desumtâ.

Foramina, ad transmittendos malos, quæ pauca in præfata icone expressa; Ibant ea in orbem, & externè à mutulis quibusdam mali sustinebantur.

Amphithyron, apud Evagrium *lib 6. cap. 22.* ubi ait, Chosroën Persarum R. Gregorio Episcopo Antiocheno dedisse *Amphithyron Unnicum*, januæ velum est, Ital. *portiera.* Et quidem velum hoc ex utroque latere aperiebatur, ut notatio vocis indigitat comprobatque Simonetta Græcus Auctor *lib. 5 cap. 14.* de eodem velo loquens. Eodem nomine insignivit Chrysostomus velum illud, quod ante portam Sanctuarii trahebatur, tempore Eucharistiæ, Macer *Hierolexico.*

Amphitrope, adde: Non procul Cephissiâ, uti ex Æschine colligere est, *Orat. c. Timarch.* V. Jac. Sponium *Itinerar. Græciæ, part. 3.*

Amphora, mensura apud Romanos liquidorum erat, *Quadrantal* Vett. dicta, capiens urnas duas, sextarios octo & quadraginta, congios octo; &c. ut ex hisce Volusii Metiani videre est: *Quadrantal, quod nunc plerique* Amphoram *vocant, habet urnas duas, modios tres, semodios sex, congios octo, sextarios quadraginta octo, heminas nonaginta sex, quartarios centum nonaginta duos, cyathos quingentos septuaginta sex.* Sic Festus, *Quadrantal vocabant antiqui, quam Græci* Amphoram *dicunt: quod vas pedis quadrati octo & quadraginta capit sextarios.* Et Jul. Africanus in *Fragm.* περὶ μέτρων: [illegible], inquit, ἀμφορεύς, ὃν καὶ μετρητὴν λέγουσι πολλοί, ἡμιαμφόρια μὲν δύο, ἃ [illegible], οἱ δὲ Ῥωμαῖοι [illegible] ὥστε τὸν ἀμφορέα εἶναι ξεστῶν μη. Id est, *Amphora vini, quam & metretam multi vocant, continet semiamphoras duas, quas cadus communi nomine appellant, Romani vero urnas dicunt, ita ut Amphora sit sextariorum 48.* Jac. Oiselius JC. *Not. ad Gell. lib. 18. cap. 1.* Ex lapide Schisto Amphora Romana, asservatur in Musæo Kircheriano, Romæ, &c. Vide etiam infrà *Quadrantal.* Hinc ἀμφορίτης ἀγών, qualis erat *Aiacea* Æginis: qui agon unus erat ex iis, qui non *sacri* erant, sed in quibus certabatur propter præmium aliquod, hinc [illegible] & [illegible] dicti. Et quidem *amphoræ* in eo donabantur victoribus. Salmasius *ad Solinum p. 849.* Sed & in *Amphoris* cineres defunctorum condi consuevisse, legas apud eund. *p. 1204.*

Amphoteroplon, fœnus nauticum est, cùm fœnerator & commeatus & remeatus periculum suscipit. *l. 1. ff. de nautic. fœn.* Sicut *Heteroplon*,

teroplon, cùm commeatus tantùm. Budæus *in Annot. ad l. nihil in terest de nautic. fœn.* Addit Budæus *de Asse. lib.*1. ex Demosthene *κατὰ Φορμίωνα* usuram nauticam non fuisse menstruam, sed unà in omne tempus navigationis & negotiationis constitutione taxatam &c. V. Calvinum *Lex. Jur.* & Petitum *Comm. in LL. Att.*

Amplexu dimitti & recipi charos, moris Romani fuit, adeò ut & jam mortuis idem præstiterint. Statius *Lachrymis Etrusci*,

—— —— tenet ecce seniles
Leniter implicitus vultus, sanctamque parentis
Canitiem spargit lachrymis, animæque supremum
Frigus amat.

Idem *ibid.*

— — quoties lassantem brachia vidi
Planctibus, & prono fusum super oscula vultu
Vix famuli comitesque tenent, &c.

Græcis in usu quoque, apud quos religionis instar fuit. Hinc de Apolline & Coronide, apud Ovidium, *Amplexum cadaveris* velut inter necessaria ponentem, *lib.*2.

Ut tamen ingratos in pectora fudit odores,
Et dedit amplexus, *injustaque justa peregit.*

Et de Jasone, in funere Cyzici, Val. Flaccus *lib.*3.

Fas tamen est conferre genas, fas jungere tecum
Pectora, & exangues miscere amplexibus *artus.*

Bion inprimis, in suavissimo illo Adonidis *Epitaphio*,

Ὡς δ' ἴδεν, ὡς ἐνόησεν Ἀδώνιδος ἄσχετον ἕλκος,
[illegible] : Μεῖνον Ἄδωνι,
[illegible]
Ὥς σε περιπτύξω, καὶ χείλεα χείλεσι μίξω.
[illegible]
[illegible], &c.

De *vivorum complexu* nota omnia; singularia tamen notavit *ad Apulejum* Barthius; quem vide quoque *Animadversion. ad Statium Tom. II. p.* 883. & *Tom III. p.* 357.

Amplissimus Ordo, Senatorius intelligitur, utpote omnium summus atque diligentissimus, 2. §. 1. *l. si decipiendi. ff. ad Senatusc. Vellejan.* Cujus decreta consultaque vocantur SC. *l.*2. *de his quæ ut indign. l.* 15. *ex quib. caus. infam. l.* 2. *Cod. ad Macedon.* Ex quo *Amplissimorum* titulo Consules honorantur *l.*51. *ff. de condit. & dem. l.*1. *§. penult. ff. de appellat.* Etiam *Amplissimam potestatem* & *Amplissimos Judices*, in *Constitutionibus* legimus. *l.* 19. *Cod. de appellat. l.*3. *C. quando provoc. non est, nec.* quo elogio & Præfecti Prætorio ornantur, *in l. ult. §. penult. C. de tempor. appellat.* Brissonius, apud Joh. Calvinum *Lexic. Jurid.*

Ampulla, inter vasa & ministeria Ecclesiastica, apud Latinos. Breviloq. *Ampulla est vas amplum — quod datur ad altare, in quo servatur vinum vel aqua.* Gillibertus Lunic. Episc. *de Usu Eccles. Ampulla cum vino & altera cum aqua.* Anonymus Poeta *de Episc. Eborac.*

Jussit ut obryzo non parvi ponderis auro
Ampulla *major fieret, quâ vina Sacerdos*
Funderet in calicem, solemnia sacra celebrans, &c.

Usus præterea fuit, *ad oleum pro Catechumenis & infirmis* & *Chrisma conservandum.* Capitulare Caroli M. *lib.*1. *cap.*162. *Presbyter in Cœna Domini tres ampullas secum deferat, unam ad Chrisma, alteram ad oleum ad Catechumenos inungendum, tertiam ad infirmos.* Offerebantur autem *Ampullæ* oleo repletæ à fidelibus hac ipsa die, ad Chrisma conficiendum & Oleum benedicendum pro Catechumenis, uti docet Alcuinus *de Divin. Offic.* Carolus du Fresne *Glossar.* &c. De ipsa verò *Ampulla Chrismatis*, sic Durandus *Ration. lib.*6. *cap.* 74. *num.* 17. *Fertur ampulla cooperta sindone albâ, in sinistro brachio; portantem ampullam præcedit lumen: & antecedunt duo Sacerdotes, unus cum thuribulo, alius cum Cruce & in medio eorum Diaconus, cum libro Evangelii & super capita eorum fertur umbraculum seu pallium, & duo antecedunt cantando.* Ibidem *num.*19. *Ampulla statim postquam benedicta fuit, ex parte cooperta & ex parte discooperta, salutatur ab Episcopo & Presbyteris — Salutantur autem quinquies* Ampullæ *ab Episcopo — postquam autem salutata est à Ministris Altaris, cooperitur, ut à nemine nuda videatur & cooperta iterum salutatur — Episcopus ter halat in ampullam, &c.* Verba autem, quibus salutatur, sunt, *Ave sanctum Chrisma*: de quibus ritibus pluribus agit Rivetus *Summa Controv. Tract.* 2. *Qu.*18. Inprimis verò *Ampulla Remensis* in Gallia celebris est, in qua oleum, quo unguntur Reges Francorum, adservari solet. Hincmarus Rem. *Tom.*1. *pag.* 744. & *in Annalibus* Francor. Bertinianis An. Chr. 868. de Chlodoveo, *cælitus illud oleum demissum*, unà cum *Ampulla*, ajunt: addit Flodoardus *Histor. Remensis lib.* 1. *cap.* 13. ubi de ejusdem Regis baptismo, *columbam candidam rostro ampullam* hanc attulisse; præter quos etiam videri potest Aimoinus *Histor. Franc. lib.* 1. *cap.*16. Unde Nic. de Braja in Ludovico VIII. de S. Remigio:

—— —— Cujus prece rorem
Misit in Ampullam *cælestem Rector Olympi,*
Corpus ut hoc lavacro Regis deberet inungi,
Defueretque liquor ibi corpore Regis inuncto.

apud Car. du Fresne *l.c.* Præter *Ampullam* verò hanc, etiam Auriflammæ, & Scuti Liliati, sub hoc primùm Chlodoveo, mentio fieri cœpit, quæ tria cimelia superioribus seculis magni in Gallia æstimata fuere. V. præter Auctores laudatos, Hub. Morum *de Sacris Unction.* Tencurium & Chiffletium *de Ampulla Rem.* Sirmondum *Notis ad Tom. I. Concil. Gallic. A. C.* 446. &c. Du Haillan verò, Historiographus Regius *de Statu & Successu rerum Gallic. lib.* 3. *Gregorium*, ait, *Turonensem, qui circa hæc tempora vivebat, nullo modo meminisse hujus ampullæ, nec miraculi, quamvis alia miracula multa referat*: primique, qui de ea scripsere, Aimoinus & Hincmarus, nono demum seculo vixerunt, &c.

Ampullacia, teste Neophyto, Halimum vocatum Romanis, forte quòd *ampullæ* vitreæ ex ea fierent, vel quòd ampullæ fractæ eâ solidarentur & maltharentur. Ex herbæ enim hujus exustæ cineribus fit *solda*, vitro conflando idonea, uti discimus ex vet. Aristophanis Scholiaste, *[illegible]*. Sed hoc inventum vetus non esse, inde colligitur, quòd Plinii ætate, ex arena & nitro vitrum fundebatur tantùm, unde herbæ hujusmodi nusquam meminit. Salmasius *ubi suprà p.* 1099.

in *Ampullis*, defunctorum olim cineres conditi. V. Salmasium *ad Solinum p.* 1204.

Antrustiones, fuisse videntur classis quædam selecta, cui Reges olim Germanicæ originis plurimùm confisi, patrocinii beneficium, ob juratam fidelitatem, retribuere. Chartam instituendi *Antrustionis* exhibet Marculfus *lib.* 1. *cap.* 18. *de Regis Antrustione.* Origo vocis ab *ampt*, i. munus, officium, & *trusty*, (bodieque apud Anglos) i. fidus: Sic *Antrustio* erit, *fidus in munere*, vel *officialis minister, leudes, famulus, vasallus fidelis.* V. Henr. Spelmannum *Gloss. Archæol.*

Amuleta, Vide infrà *Periapta.*

Amun, h. e. *Occultatus*, Jovis nomen apud Ægyptios; Græci ac Latinè *Ammon* extulere; quo *occultatum* seu *occultationem* significari Manethos Sebennita voluit, apud Plutarchum *de Iside & Osir.* Meminit ejus quoque Jamblichus apud Cœl. Rhodiginum, *Opifex*, inquiens, ex Ægyptiorum Theologia, *Intellectus, qui & veritas est & dominus, atque sapientia, quatenus in genere progrediens, occultam latentium rationum potentiam traducit in lucem,* Amun *Ægyptiâ linguâ vocatur. Quatenus autem sine mendacio peragit omnia, & artificiosè simul cum veritate,* Phtha *nuncupatur. Græci verò hunc Vulcanum nominant, artificiosum duntaxat considerantes. Quatenus verò effector est bonorum, appellatur Osiris, aliasque denominationes habet, propter potentias actionesque differentes.* V. Tob. Pfannerum *System. Theol. Gentil. purior. cap* 1. *§.* 12. E quibus obiter colligas, Sapientiores Gentilium, non tam multos Deos coluisse, quàm uni Deo, propter varias virtutes actionesque, varia tribuisse nomina. Concordat autem significationi vocis *Amun*, ista Templi Saitici Minervæ dicati Inscr. apud eundem Plut. *d. l.* *[illegible]*, *Meum peplum nemo adhuc mortalium detexit.* Nimirum magis quid non sit, quàm quid sit Deus, sciri posse, fortè etiam hoc epitheto indigitare voluerunt Ægyptii. Certè enim, ut Prudentii c. *Symm. lib.* 2. adducam verba:

— Cùm divinis agimus de rebus, & illum
Qui vel principio caruit, vel fine carebit.

—— —— ——

Conjectare animo contendimus, exigua est vis
Humani ingenii, tantoque angusta lacerti.
Quippe minor Natura, aciem si intendere tentet
Acrius, ac penetrare Dei secreta supremi:
Quis dubitet victo fragilem lassescere visu.
Vimque fatigatæ mentis, sub pectore parvo,
Turbari, invalidisque hebetem succumbere curis?

Vide eundem Pfannerum *cap.* 2. §. 33.

Amunclæ, apud Solinum *cap.* 2. *Quamvis Italia habeat hoc præsidium familiare, à serpentibus non penitùs libera est. Denique* Amunclas, *quas Amyclas antè Græci condiderunt, serpentes fugavere*; Eædem cum *Amyclis*, quas Græci in Italia condiderant, sic vocantes à Laconicis Amyclis. Latini enim *Amunclas* dixere, ut Nævius *Rhuncum*, pro *Ῥύγχος*, *Thesaurum* alii ex *Θησαυρός*, &c. Salmasius *ad Solinum, pag.* 86.

Amusthia, seu *Amustia*, in *Vita B. Coletæ*, *Non obstante, quòd propter infectionem ægritudinis, totus pannus involvens suum corpus & tunica & amusthia*: Macro est quædam textura, Italicè *Saja*, Gall. *Amoitie* lanâ, linoque confecta, è qua in usum Monialium infirmarum indusia conficiebant. Carolo du Fresne, tunicæ Monialibus propriæ species, quæ ad genua usque pertingebat; unde quibusdam, quòd ad mediam corporis partem tantùm excurreret, dicta videtur ex Gall. *à moitié.* V. eum in *Glossar.*

Amycteres, apud Strabonem, gens Indiæ monstrosa, *Ἀμυκτῆρες* Græcis, h.e. *enares.* Salmasius *ibid. p.* 1006.

Amygdalinum unguentum, Plinio, *metopon nominatur ex amaris nucibus arefactis & in oesypum contusis aspersis aqua iterumque tusis exprimitur, lib.*13. *cap.*1. quod è Dioscoride habet. Sic autem vocatum hoc unguentum tradunt, quòd in eo conficiendo galbanum admisceretur, *Metopion* Ægyptiis dictum. Unde Plinium, *metopon* arborem Hammoniaci vocantem carpit Salmasius *ad Solinum, pag.* 352.

Amu-

AN.

Anabasii, memorati Hieronymo *adv. Ruffinum lib. 3. cap. 1. Idcircone Cereales & Anabasii tui per diversas provincias cucurrerunt, ut laudes meas legerent?* Veloces fuere nuntii, qui equis curribusque conscensis velociter huc illuc mandata perferebant: à Græc. ἀνάβασις, *ascensus*, Carolus du Fresne *Gloss.*

Anabathra, seu *Anabathrum*, Gr. ἀναβαθμὸς, gradus, dignitas. Pseudo-Ovidius *de Vetula lib.* 1.

> *Ille putas, qui sic adipiscitur hoc anabathrum,*
> *Cujus habet turpem promotio reproba causam*, &c.

In aula Constantinopolitana thronus, cui insidebat Imperator: Codinus *de Offic. Aulæ Constantinopolit. Rursumque ad* Anabathram *veniens, sedit Imperator.* Vide Car. du Fresne *Gloss.* & Macrum *Hierolex.*

Anaboladium, seu *Anabolagium*: Isidoro *amictorium est lineum fœminarum, quo humeri operiuntur, Græcis Latinisque sindon. lib. 19. cap. 25. circa renes alligatum strictè. latitudine diffusum, omne genus continens colorum*, Ugutioni: *lineum tegumentum, quod caput tegit, in Gloss.* Saxon. Ælfrici: *vestis Pontificalis in Ord. Rom.* idem *cum Humerali*, Ibid. *cum Amictu*, Macro. *Pallium ab utroque latere regestum*, τὸ ἱμάτιον ἀναβεβλημένον, seu ἀναβολὴ & ἀναβόλαιον, Salmasio *ad Tertullian. de Pallio*, ab ἀναβάλλεσθαι. Unde τὸ ἱμάτιον ἀναβεβλημένος, & τὸ ἱμάτιον ἀναβεβλῆσθαι, Græcis dicitur, qui pallium sic utrinque regestum gerit. Qui mos pallii gerendi communis olim habitus elegantiorum Græcorum fuit. Partem enim utramque pallii retrorsum jaciebant, ita ut tota, quæ suberat tunica, pateret: pallium verò ipsum cervicibus circumstrictum morosiusque in rigas plicatum & ordinatum, fibulæ morsu in humeris tenebatur. Cùm contrà Philosophi, & præcipuè Cynici, tribonium suum vestientes, totos sese pallio obvolverent; atque partem ejus de sub dextro humero super sinistrum rejicerent, sicque, excluso dextro, obvlato sinistro humero essent. Vide Salmasium *ad d. Auct.*

Anabolicæ Species, apud Flavium Vopiscum in *Aureliano*, *Vectigal ex Ægypto urbi Romæ Aurelianus vitri, chartæ, lini, stupæ atque anabolicas species æternas constituit*: id est, *Embolicæ*. Ἀναβολὴ enim & ἐμβολὴ ejusdem sunt significationis nomina ac utroque indigitatur *onus navis*; quod de embola quidem magis certum, quia magis protritum, cùm *anabola* minus frequenter in eo significatu occurrat: de hac verò minimè dubium est, quin idem significet. Ἐμβάλλειν est *imponere in navem*, idem & ἀναβάλλειν: unde & ἀναβάλλειν, *in equum imponere*; quod munus qui exhibent, Ἀναβολεῖς dicti. Sic ἀναβληθῆναι εἰς ζυγὸν, *in lancem imponi*, apud Athenæum. Adeoque verum est, verbum hoc significare, *onus imponere, onerare*, ut etiam eleganti translatione de bibulis dicatur, qui celocem onerant & vino se implent. Glossæ, *Bibula*, Ποτὰς ἢ ἀναβάλλουσα: inde *celocem onerare*, pro *inebriare se*, apud Comic.

> *Unde onustam celocem agere te prædicem? PS. cum tuo filio,*
> *Perpotavi modò*, &c.

Itaque *Anabolicæ* & *Embolicæ species*, eædem sunt. Et quidem Αἰγυπτίων Ἐμβολὴ, seu, ut alii scribunt, ἐμπολὴ, apud Euripidem Grammatici rectè interpretati sunt ῥῶπον, quâ voce Græci notant minutas merces, &, ut ipsi dicunt, τὸν λεπτὸν φόρτον: cujusmodi inter Alexandrinas merces fuere vitrum, charta, linum, stupæ, aliaque, tum Vopisco hic memorata, tum Marco jam Tullio *Orat. pro Rabirio* Posthumo. *Embolam* autem *sacram*, appellarunt certum frumenti modum, quem necessariò Romæ subministrabat Ægyptus: Quod non primus instituit Aurelianus, sed ipse, ut videtur, Augustus, ut à cujus tempore frequens *Alexandrinæ Classis*, apud vett. Scriptores, mentio est. Sed post Augustum, mu ti Principes circa hanc classem aliquid innovarunt, & videtur Aurelianus frumentis Ægyptiacis alias species adjecisse, quæ pars Embolæ sacræ censerentur; quod postea videtur iterum mutatum. Nam *sacram Embolam* Jurisconsulti nominant τὸν τῆς αἰσίας ἐμβολῆς σῖτον. V. Casaubonum & Salmasium *Notis ad d. l.* & plura hanc in rem infrà, in voce *Embola* &c.

Anacamptica, V. infrà *Anaclastica.*

Anacara, Ital. *Naccara*, crepitaculi seu tympani genus, quod ex una tantùm parte est pelle coopertum, ex alia verò in convexitatem desinit, inservitque equitatui militiæ, apud Orientales inprimis ac Teutones. In *Vita* Ludov. *Tympanis*, Anacaris *& aliis similibus instrumentis horribiliter resonabant.* Meursius *Naccaris* appellari ait, refertque Curopalata, quoties Imperator Constantinopolit. ante prandium per civitatem progrederetur, tubis *anacarisque* populum ad concursum commonitum fuisse; in pomeridiano verò egressu, signa hæc data non fuisse, ne quis fortè ebrius incompositè ac temerè ad Imperatorem accederet, *capite* 5 apud Macros fratres *Hierolex.*

Anaces, Gr. Ἄνακες (ita enim cum Victorio, quàm Ἄνακτες, legere mavult Vossius) juxta receptam sententiam, Tyndaridæ dicti sunt, Castor nempe ac Pollux. Ita enim Plut. *in Theseo*, Τιμῆς ἰσοθέου ἔτυχον Ἄνακες προσαγορευθέντες, *Divinos honores consecuti, qui* Anaces *appellati*. Theodoretus *Græcanic. affect. lib.* 8. Καὶ μὲν δὴ καὶ Τυνδαρίδας Θεοὺς ἐκάλεσαν Ἕλληνες καὶ Διοσκούρους ὠνόμασαν καὶ Ἐφόρους καὶ Ἄνακας, *Et quidem Tyndaridas Deos vocarunt Græci, & Dioscuros nominarunt, & familiares & Anaces.* Ac similiter Tzetzes *in Lycophron.* Eoque Ἄνακας dictos putabat Eustathius *in Odyss. α.* quia Græci ἀνακῶς dicant, pro φροντιστικῶς, ἐπιμελῶς, πεφυλαγμένως, *curiosè, studiosè, cautè*: quod ipsum legas apud Plut. *in Theseo*, quamvis hic arbitretur posse etiam ex eo nomen videri, quia procuraverint ἀνοχὰς, seu inducias; vel ab ἄνω, h. e. *suprà*, quia in cœlis conspiciantur. Unde Horatius *lib. 1. Od. 3.*

> *Sic fratres Helenæ lucida sidera.*

Accuratiùs verò, qui hac de re disserunt, non solos Tyndaridas Ἄνακας docent fuisse dictos, verùm & Tritopatreum, Eubuleum & Dionysum, de quibus sic Cicero *de Nat. Deorum lib. 3. Dioscuri etiam apud Græcos multis modis nominantur. Primi tres, qui appellantur* Anaces, *Athenis ex Jove, Rege antiquissimo, & Proserpina nati, Tritopatreus, Eubuleus, Dionysus. Secundi, Jove tertio nati ex Leda, Castor & Pollux. Tertii dicuntur à nonnullis Alco & Melampus Emolus, Atrei filii, qui Pelope natus fuit.* Nempe ita dixere Veteres viros principes, qui genus ducerent ab Anac sive Ænac, qui & Hebræis, עֲנָקִים, LXX. senibus Ἐνακεὶμ, aliis *Anacim*. Meminit Moses, Numeror. *cap. 13. versu ult. Vidimus gigantes è filiis Ænac*: & Jos. *cap. 11. versu 21. Excidit Enacinos.* Item *cap. 14. versu 15. Nomen autem Hebronis fuerat Cariath-Arbe. Is fuerat homo inter Ænacinos maximus.* Ubi dubium, num maximum staturâ, an dignitate, an utroque dicat? Saltem de dignitate arguit, quòd ab eo urbs nomen accepit. Unde & Josuæ *cap. 15. versu 13. Deditque eis Josue urbem Arbe patris Enac: ea est Hebron.* Et fortasse *Anaces* Spartæ & Athenis descendere ab *Anacim* Palæstinæ, unde à Josua profligati in Græciam concesserint. Non dubium autem, quin qui Ἄνακες priùs, hi Ἄνακτες postea dicti sint: ut hinc etiam, unde Ἄνακτες dicantur, liqueat, nempe T. inserto. Sed Cypriis non tam Reges, quàm eorum liberi ac fratres, sic appellati sunt, teste Athenæo *lib. 6.* & Harpocratione, qui idem proditum ait ab Aristotele, *de Cypriorum Rep.* Facilè autem à vicinis Phœnicibus hanc vocem Cyprii acceperint: Græci verò habeant à Cadmo Phœnice, vel Cananæis, qui, Josuâ Cananæam occupante, in Græciam profugerint. Et fortasse ex his Spartani, qui ab Abrahamo descendisse videri volebant, si Josepho credimus *Antiqq. Judaic. lib. 12. cap. 5.* Nempe partim ex posteris Agaris aut Cethuræ, partim ex Cananæis, à Josua fugatis, fuisse videntur, è quibus ratio facilis redditur, cur Tyndaridas suos Lacones Ἄνακας dixerint. Vide Vossium *de Idolol. libr. 1. cap. 13.* Neque verò solùm Spartanis hi culti, sed & Athenis templum Dioscurorum fuit, quod Ἀνάκειον vocabatur, teste Pausaniâ *in Atticis*, Harpocratione & Hesychio. Idem *ibid.*

Anachoreta, ex Græco, Ἀναχωρητὴς, qui in solitudine degit, *Monachus* ex primævo significatu, *Eremita*. Benedictus *in Regula cap. 1. Secundum genus* (Monachorum) *est Anachoretarum, id est, Eremitarum.* Inter quos tamen discrimen facit Isidorus *de Eccles. Offic. cap. 15. Genus est*, inquiens, *Eremitarum, qui procul ab hominibus deserta loca & vastas solitudines sequi, atque habitare perhibentur, ad imitationem scilicet Eliæ & Joannis Baptistæ. Genus est* Anachoretarum, *qui jam cœnobiali conversatione perfecti, includunt semetipsos in cellis, procul ab hominum conspectu remotis, nulli præbentes accessum, sed in sola contemplatione divina viventes.* Cujusmodi *Anachoretam* Maronitæ Arabico vocabulo *Hhabis*, vocant, h. e. *incarceratum*. *Anachoreticæ* autem vitæ auctor Paulus fuit, ante quem, prioribus Ecclesiæ seculis, nullos fuisse, colligit Scaliger in *Elencho*, ex hoc Tertulliani loco, *Non sumus*, inquit, *sylvicolæ & exules vitæ.* Hoc certum, necessitatem potiùs & persequutionum violentiam Christianis primam in avia loca secedendi occasionem præbuisse, quàm liberam electionem, ut ex Pauli Eremitæ Historia constat. De eorum vita ac conversatione, sic Auctor *Consultationis Zachæi lib. 3. cap. 3. Hi autem, quibus primus observantiæ gradus est, soli eremum — habitant, verisque vocabulis nuncupati singularem transigunt vitam, aut cavatis in habitaculum saxis, subterraneis specubus, à Sole & imbribus temperantes, pane veteri & sine ciborum adjectione vescuntur, sumentes purum è fontibus potum. Vestitus talibus aut pelliceus, aut cilicinus est, & totius vitæ usus in agone mentis & corporis, &c.* apud Car. du Fresne *in Glossar.* Vide & Dominic. Macrum *in Hierolexico*, ut & infrà, ubi de *Eremitis* & in voce *Laura*.

Anaclastica, Græcè Ἀνακλαστικὴ, terminus Optices. Tota enim potentiæ visivæ ratio triplex cùm sit; prima, cùm visio directè fit, *Optica* propriè: altera, cùm visio fit per reflexionem aliaque corpora, quæ species objectas reverberant, *Anacamptica* (à Græco verbo Ἀνακάμπτω); tertia, cùm visio fit per refractionem, mediisque corporibus diaphanis, *Anaclastica*, item *Dioptrica*, dicitur. Quo ordine servato, *Musei* Kircheriani selectiora descripsit Georg. de Sepibus, & primò quidem varia experimenta *Optices*; dein *Catoptrica*, quæ viz. ope speculorum planorum, sphæri-

sphæricorum, cylindraceorum, conicorum, ellipticorum, Auctor præstitit, (ubi visendi *Quadrans Catoptricus, Theatrum Catoptricum, Prospectiva Catoptrica, Machina ectypon Alexandri VII. in speculo monstrans. Cupido Horarius, Octogonon Catoptricum, Proteus Catoptricus*, alia.) Tandem *Dioptrica*, ubi intra crystallinæ sphæræ septum mira ostenduntur, accuratè enarrat, in *Collegii Soc. Jes. Musæo Amstelodami edito A.C.1678.*

Anaclinopale, Græcè ἀνακλινοπάλη, terminus veteris palæstræ, apud Martialem *in Epigramm.* cui lemma *Palæstrita*:

Hunc amo, qui vincit, sed qui succumbere novit,
Et melius didicit τὴν ἀνακλινοπάλην.

Nempe Pancratium sic dicebatur, quòd in eo palæstritæ vincerent velut in terram cadentes ac resupinantes se; hinc ἐς γαῖαν προπεσόντες πυγμάχοι Theocrito in Ἡρακλίσκῳ, vel potiùs παμμάχοι, uti Salmasius censet legendum, dicuntur. Vocantur autem hæ artes pancratiastarum τρόποι χαμαί, item ὑπτιασμοί; ad quos alludens Pindarus, *Isthmion. Od.4.* Pancratiasten, qui arte solâ majorem viribus adversarium superavit, vulpi comparat, quæ aquilæ impetum sustinet ac repellit, ἅτε ἀναπιπτοῦσα, *quasi supina cadens.* Ipsi verò Κυλιστικοὶ dicti, à nexibus humi implicandis & explicandis; unde περὶ τὰς κυλίσεις, i. *volutationes*, plurimùm versari illos, dicit Plutarchus *Symposiac. lib. 2. cap. 4.* Artem porrò eorum *luctam super pavimento*, vocat Anthyllus, apud Oribasium *Collect. 6. cap. 27.* Cui opponitur ἡ ὀρθία πάλη seu ὀρθοπάλη, *lucta erecta*, eidem dicta, quæ à stantibus & erectis peragebatur, ubi vicisse erat adversarium solo dejecisse, ut contra victi ignominia cecidisse, &c. Alia fuit ἀνακλινοπάλη Domitiani, cujus Suetonius meminit. Vide Salmasium *ad Solinum pag.* 190. & infrà in vocibus *Lucta, Pancratium, Volutatoria Lucta*, &c.

Anaclitterium, apud Ælium Spartianum in *Ælio Vero*. *Fertur etiam aliud genus voluptatis, quod Verus invenerat; Nam lectum eminentibus quatuor* Anaclitteriis *fecerat, minuto reticulo undique inclusum, eumque foliis rosæ, quibus demtum erat album, replebat, jacensque* —— *velamine ueitiis facto se tegebat, unctus odoribus Persicis*; pars lecti, ad quam pulvinum ponebant, sustinendo capiti. Lectorum enim cum quatuor essent ἀνάκλιτα, ad caput unum, alterum ad pedes; ad spondas interiorem & exteriorem duo: Illud cui incumbit caput, Græci ἀνακλιντήριον seu ἀνάκλιντρον nominabant, Romani *fulcrum* vel *pluteum*; LXX. Interpp. Geneseos, κεφαλὴν κλίνης. Et erat quidem apud Vett. lectorum genus, ἀμφικέφαλοι, q. *utrinque capitati* dictum, qui duo anaclitteria habebant: at hunc Veri lectum, quatuor habentem, enormis magnitudinis fuisse necessum est, atque adeò ad ejus tempora inauditum. Nam in amphicephalis longitudo solùm desiderabatur ultra communem morem; in isto & latitudo par necessaria: in quo quidem adversis vestigiis jacerent, qui omni ex parte invicem oppositi cubabant, &c. Isaacus Casaubonus *ad l.* Salmasius, mavult *Anaclinterium*, quia Græcis frequentius est ἀνακλιντήριον & ἀνάκλιντρον, quàm ἀνάκλιτον & κατάκλιτον: lectosque duobus istiusmodi pluteis constantes, ἀμφικεφάλους potiùs dicendos censet, quia κέφαλον est cervical seu pulvinus. Pollux, ἐν δὲ τοῖς Δημοσθένους πεντάθλοις χαμεύνη παρακειμένη καὶ κλίνη ἀμφικέφαλος. Nempe, in illa parte lecti, cui caput incumbebat, & quà pulvinus ponebatur, eminentem pluteum ex asseribus compactum erigebant Vett. quod ἀνάκλιτον & ἀνακλιντήριον & ἀνάκλισιν, vocabant: Cujusmodi plutei in hodiernis lectis etiam ad caput fieri solent. Sed & cathedræ ac sedilia, quibus adduntur ejusmodi plutei reclinando, ἀνάκλιτα Græcis; Unde ἀνάκλιτοι θρόνοι Plutarcho. Hodie *Dossualia* vel *Dossuaria* Galli vocant (quòd ad ea dorsum applicetur & acclinetur) istiusmodi ἀνακλιντήρια, &c. Vide quoque Salmasium *Notis ad Spartianum*, & infrà, ubi de *Pluteis* antiquorum.

Anacoli, Græcè ἀνάκωλοι, apud Diodorum de camelis, Αἱ δὲ πρὸς τὰς ταχυτῆτας ἐπιτήδειαι, αἱ δὲ ἀνάκωλοι καὶ λαγαραὶ τοῖς σώμασιν δρομάδες εἰσί, quæ verba Solinus sic reddit *capite* 49. *Sunt alii oneri ferendo accommodati, alii pernicitiores dicuntur, quibus longa crura ac substricta corpora.* Sic ἀνάκωλοι, tunicæ breves, quæ crura non tegunt, sed crurum tenus demissæ ea relinquunt aperta, ita ut iis induti ἀνάκωλοι videantur. Vide Salmasium *ad Solinum p.*987.

Anacrusta, Græcè ἀνακρουστὰ ὑφάσματα dicuntur, quæ sursum impulso pectine à stantibus olim percutiebantur, ac texebantur, de quibus vide infrà, ubi *de Recta Tunica*, & de *Textoria Arte*, item in voce *Sursum*. Sic Laconicæ claves ἀνακρουσταὶ dictæ, quòd claustro immissæ succuterent repagulum, donec ex uncino exiret. V. *Ibid.*

Anactœus, Vide infrà *Anax*.

Anadema, genus mitræ. Jul. Pollux *libr. 7. cap.22. Mitras* & *Anademata* conjunxit. Dionysius Lambinus *ad lib. 4. de Rer. Nat. T. Lucretii Cari*,

Et benè parta patrum fiunt Anademata mitræ.

Anagallis Herba, Vide infra *Anagogitis*.

Anaglypha, Græcè ἀνάγλυφα, vasa cælata, sculpta; quod sculpturæ genus Italis *basso rilievo* dicitur. Eucherius *lib. 3. Regum cap. 17. Anaglypha Græcè, Latinè Cælatura: cælata autem sunt vasa aurea vel argentea signis eminentioribus, extra intusque expressa. Hæc alio nomine sculpta vocantur*, Anaglypha *vasa*. Vetus Interpres Juvenalis *Sat. 14. Hic laeve argentum. Anaglypta sigillis.* Virgilius,

—— *& aspera signis.*

Quod expressit Metellus in *Quirinalibus*,

Qui bibitur scypho vivis signis anaglypho, &c.

Sic *calicis argentei anaglyphi* meminit, in *Sylvestro*, Anastasius Bibliothecarius: *Vitreorum quorundam vasculorum anaglypha subtilitate cælatorum*, Auctor *Vitæ* Odilonis Abbatis Cluniacensis *capite 23. Capsæ opere anaglypho decoratæ*, *Vita* Urbani Episcopi Lingon. *cap. 1. Crucis — anaglyphis ex auro & gemmis mirificatæ*, Ratbertus *de Casibus* S. Galli, *cap. 1.* &c. Quæ *anaglypta in asperitatem excisa*, dixit Plinius *lib. 33. cap. 11. Anaglyphicum metallum* Sidonius Apollinaris *lib. 9. Epist. 13.*

Geruli caput plicantes
Anaglyptico metallo,
Epulas superbiores,
Humeris ferant onustis.

Ubi Macer *Anaglyphitico* male & contrà metri genium legit, in suo *Hierolex*. Vide quoque Car. du Fresne *in Glossario*. Salmasio *Anaglypta* & *Anaglypha*, à vasis prostypis & ectypis distincta erant. Toreuticæ enim Artis cùm duo modi methodique fuisse videantur, una quæ argentum in ipso corpore scyphi excideret & sigillis eminentibus exsculperet; altera quæ sigilla seorsim facta argento vel auro includeret atque illigaret, per illam Artem, quam Ἐμπαιστικὴν vocarunt: Illa *Anaglypha* vocabantur, Plinius *ubi suprà*: *Nunc* Anaglypta, *in asperitatemque excisa circa linearum picturas quærimus.* Vas nempe ipsum argenteum in asperitatem excisum & sigillatum cælabatur, figuris extantibus, unde *anaglyphon* vel *anaglypton* dicebatur. Eodem modo vasa lignea exsculpebantur. De quo modo cælandi capienda ejusdem hæc verba, *Acragamis in templo Liberi Patris, in ipsa Rhodo, Bacchæ Centaurique cælati in scyphis.* Item, *Post hos celebratus est Calamis & Antipater, quique Satyrum in phiala gravatum somnio collocasse veriùs, quàm cælasse, dictus est, Stratonicus.* Eodem referendæ patinæ *corymbiatæ* & *hederaciæ* & *filicatæ*, à genere cælaturæ sic dictæ, quæ corymbos & hederas & filicem herbam in scypho exprimeret exsculptis figuris, &c. Ista verò *Emblemata* & *Crusta* dicebantur: quæ quòd illigarentur & immitterentur vasis & scyphis, eximi iterum poterant ac revelli; cùm *Anaglypha* detrahi nequirent. Sed & *Anaglypha* à *Cataglyphis* distinguenda; quorum illa eminentibus sigillis expressa, hæc depressis sulcis & imaginum cavatis lacunis sculpta: At utraque γλυπτὰ sunt, Latinis quoque *sculpta* & *sculptilia*, &c. Vide Salmasium laudatum, *ad Solinum pag.* 1045. & infrà ubi de *Cælatura*.

Anagnostes, nomen servi literati apud Romanos; memoratur Vatinio *Famil. lib. 1. Dicitur mihi tuus servus* Anagnostes *fugitivus cum Vardæis esse.* Plinio *Lector* vocatur, *lib. 8. Epistol. 1. Encolpius quidem Lector, ille seria nostra, ille deliciæ, exasperatus faucibus pulvere, sanguinem rejecit.* Officium ejus erat, cœnante Domino, serii quiddam prælegere, & fuisse is omnino videtur è Studiosorum illorum cohorte, de quibus subinde mentio fit. Certè in domo Cæsarum Liberti à *Studiis* in pretio fuere. Suetonius in *Claudio cap. 28. At super hos Polybium à studiis, qui sæpè inter duos Consules ambulabat.* Etiam Lemnus nescio quis, apud eundem Imperatorem, eodem munere functus est, ut patet ex vet. hac *Inscr.*

TI. CLAUDIUS
LEMNUS
DIVI CLAUDII
AUGUSTI LIB.
A STUDIIS.

Sed & in privatorum familiis hujusmodi servos fuisse, certum, Pignorius *de Serv.* In Ecclesia Rom. *Anagnosta*, seu Lector, unus est ex quatuor minoribus Ordinibus, Commun. Rom. cujus solius in *Euchologio* Græcorum mentio est; unde, an Ostiarii, Exorcistæ ac Acoluthi, apud Græcos fuerint, nonnullis dubitatum. Vide infrà in voce *Lector*. Hinc *Anagnosticum*, Ἀναγνωστικόν, iisdem id omne est, quod legitur, aut recitatur. Unde pro Epistola, aut quovis scripto, vocem usurpat Ennodius *lib. 1. Epist. 4. & lib. 8. Epist. 5.* Gregorius Magnus *lib. 7. Indict. 2. Epist. 128. Anagnostica ante longum tempus dulcissima mihi vestra excellentia. Neapolitano quodam Juvene veniente, mandare curaverat, ut piissimo Imperatori scriberem*, &c. du Fresne *Glossar.* Vide quoque infrà in voce *Lector*.

Anagogitis gemma, ἀπὸ τοῦ ἀνάγειν, *ab evocandis* Deorum Manium imaginibus, ad quem usum olim adhibebatur. Plin. *libro 37. capite 11.* Anagogitide *in Necromantia dicunt evocari imagines Deorum inferorum: Synochitide umbras evocatas teneri.* Ubi *Anancitide* legit Turnebus, & *anancitin*, hoc est, ἀναγκίτην censebat dictam ἀπὸ τῆς ἀνάγκης, quæ Deos cogeret atque invitos evocaret, &c. Cicero *1. Tusc. Inde ea, quæ meus amicus*

Appius

Appius Necyomantia faciebat : Inde in viciniis nostri Averni lacus:

Unde animæ excitantur, obscura umbra aperto ostio,
Alto Acheruntis falso sanguine, imagines mortuûm.

Εἴδωλα νεκρῶν, *excitantur*, ἀνάγεται, *ex imo citantur* : Inde omnino ἀναγωγὸς λίθος, vel ἀναγωγίς. Unde Auctores Chemiæ herbam *anagallida* dictam ibidem arbitrantur, ἀπὸ τοῦ ἀνάγειν τὰς ψυχὰς, *ab excitandis animabus*. Proprium quidem Magorum, Deos elicere & evocare, sed in alio genere, quàm Necyomantia &c. V. Salmasium *ad Solinum pag.* 1091.

Anagrate, castrum antiquum Galliæ, jam olim dirutum, in eremo saltuque Vosago, proximum Fontanis *Fontaines*, ubi duæ cellæ Monachorum proximæ Luxovio, in diœcesi Vesontiensi, quales nunc à Monachis *Prioratus* appellantur. Hic Columbanus recedisse memoratur, apud Jonam *in vita ejus*. V. Hadr. Valesium *Not. Gall.*

Anagyrus, adde : Hic templum erat Cybeles celebre, locus autem ipse inter Phalerum & Sunium, Lampiâ non procul. Inde Ἀναγυράσιος, *Anagyro* oriundus; in lapide vet. Athenis,

ΕΡΕΧΘΕΙΣ ΑΝΔΡΩΝ ΕΝΙΚΑ
ΕΝΕΤΕΛΗΣ ΜΕΝΙΤΟΣ ΑΝΑΓΥ
ΡΑΣΙΟΣ ΕΧΟΡΗΓΕΙ
ΑΡΑΤΟΣ ΗΥΛΕΙ
ΝΙΚΟΜΑΧΟΣ ΗΡΧΕΝ.

Uti supplet Jac. Sponius,

ERECHTHEIS TRIBUS VICIT
ENETELES FIL. MENITIS ANA
GYRASII EDIDIT
ARATUS CANTICUM COMPOSUIT
NICOMACHO ARCHONTE.

V. apud Eund. duas alias *Inscriptiones, Itiner. Græciæ Part.* 3

Anaitica, Regio Armeniæ, apud Plinium, *lib.* 5. *cap.* 23. ubi de Euphrate, *Finis Xerxenen primùm, mox Anaiticam, Armeniæ regionem à Cappadocia excludens*; Græcè Ἀναιτικὴ, à cultu *Anaitidos*, quam impensè colebant Armenii, nomen accepit. Sed quænam illa sit, incertum : De hac enim regione apud alios nihil. An Acilisene hoc nomine intelligenda? Ita videtur ex Strabone *lib.* 11. Sed hæc magis ad Meridiem vergit, cùm illa sit Septentrionalior. Ἀναία etiam Cariæ Regio, cujus gentile Ἀναιίτης : Sed nec de illa hic accipi potest. Salmasius ad Solinum *pag.* 624. & 625. De Dea *Anaitide*, dictum suo loco.

Analecta, id est, Liber Collectaneorum, Lexicon Græco-Lat. Budæi, Tusani & Constant. excusum à Johanne Crispino A. C. 1562. apud Macrum *Hierolex.*

Analecta, apud Romanos, dicebantur servi, qui cœnæ reliquias, aut ea, quæ ceciderant de mensa, colligere solebant. Erat quidem in plurimis tricliniis, in pariete, foramen proluendi pavimenti causâ excavatum, *l.* 28. *ff. de Servit. præd. urb.* per quod *Analecta* & vina profusa in pavimentum exportabantur, cui profusioni quâ ratione occurrerint, exponit Vitruvius *lib.* 7. *cap.* 4. bibulo nimirum pavimento, *ex carbonibus, sabulo, calce & favillâ mixtis* : Verùm non extante hoc more, aderant servi, qui sputa detergerent, & reliquias subditi colligerent temulentorum. Horatius *lib.* 2. *Sat.* 8.

His ubi sublatis puer, altè cinctus, acernam
Gausape purpureo mensam pertersit, & alter
Sublegit, quodcunque jaceret inutile, quodque
Posset cœnantes offendere.

Ad quæ & similia scobe utebantur, teste Jul. Basso, apud Senecam *lib.* 9. *Controv.* V. quoque infrà, in voce *Scobs*.

Analemma, Græcè Ἀνάλημμα, apud Vitruvium *lib.* 9. *cap.* 4. *est ratio conquisita Solis cursu, & umbræ crescentis, à Bruma observatione inventa, è qua per rationes Architectonicas circinique descriptiones, est inventus effectus in Mundo.* Nempe umbra crescit à Bruma, à Solstitio decrescit; brevissima itaque umbra Brumæ die, ut Solstitii longissima. Cujusmodi umbræ crescentis decrescentisque observatione, non Solis tantùm cursum deprehenderunt veteres Mathematici, sed etiam Mundi magnitudinem, quanta Mundo esset terra, aliaque infinita, etiam multo ante Horologiorum inventionem & horarum observationem; imò ex hac ipsa ratione gnomonica & umbrarum vicibus, Horologia quoque postea prodita sunt & horæ observari cœptæ. Solis enim *Analemmatis* vett. Astronomi, qui Æquinoctiorum ac Solstitiorum veram rationem ope gnomonicorum & sciothericorum organorum indagarent, tum usi sunt; Sic Anaximander Lacedæmone Heliotropium constituit, in quo per gnomonem Solstitia & Æquinoctia designabantur, quod utique *Analemma* fuit, non Horologium, ut quidam volunt. Nam licèt ex umbræ magnitudinibus, ut erant in *Analemmatis* notatæ, rationes sumerentur, horarum Brumalium, Æstivarum, Æquinoctialium, ut & Menstruarum, quæ in Horologiis describebantur, ex Horologiis tamen nunquam horæ per umbræ mensuram collectæ sunt & observatæ &c. Ex illis porro *Analemmatis* desumta methodus illa, cujus vett. Comici passim meminerunt, umbræ pedibus admetiendæ, ad indicandum diei tempus. Gnomonis certè sive styli stata semper magnitudo fuisse videtur, quæ justam hominis staturam non excederet. Hinc illæ locutiones de variis diei temporibus, ἑξάπουν, δεκάπουν σκιά, *sex, decem pedum umbra &c.* Cujusmodi machinæ sciothericæ, à rotunda *poli* forma, cujus med... gnomon infigebatur, πόλοι aliàs dictæ sunt. Quæ eadem *Analemmata* appellata, quòd in suggestibus lapideis & columnis deformarentur. *Sectas pilas* vocat Curtius, Strabo κίονας τετραγώνους, h.c. *pilas quadratas*. Nec obstat definitio Vitruvii allata; Cùm enim locus ipse, in quo istiusmodi ratio Solis cursum observandi, propriè *Analemma* diceretur, per Metonymiam alterum pro altero usurpavit. Quemadmodum idem Parapegma dixit, pro canone ortus & occasus siderum, cùm tabula, in qua descriptus erat, potiùs sic diceretur &c. V. Salmasium *ad Solinum pag.* 739. & *seqq.* ut & infrà, in voce *Polus*.

Analogium, Græcè ἀναλογεῖον, Balbo in *Catholico*, idem quod *Ambo*. Unde Alcuinus *de Divin. offic.* & Remig. Autissiodorens. *lib. de Celebr. Missæ, Defertur Evangelium ad* Analogium, *præcedentibus cereis.* V. suprà in voce *Ambo*. Interdum verò, *Analogium*, vocatur pluteus portatilis, aut inferior, ubi Evangelium & Epistolarum liber ponuntur leguntur que : *Pulpitum* hinc *manuale* dictum, in vett. *Glossis*, quòd ad manum sit & manu, quò opus est, feratur. Suid. Ἀναλογεῖον, ἐν ᾧ τίθενται τὰ βιβλία, *Analogium, in quo reponuntur Biblia* : Curopalates *de Nativ. Christi*, ἔμπροσθεν δὲ τούτου ἀναλογεῖον ἐφ' οὗ ἐπίκειται ἅγιον Εὐαγγέλιον, *Coram ipso Analogium, in quo situm est S. Evangelium.* Coram ipso, h.c. Imperatore. Item alibi τοῦ σταυροῦ ἐπὶ τοῦ ἀναλογείου τεθέντος ἀσπάζεται τοῦτον ὁ Βασιλεὺς, *Cruce Analogio impositâ, osculatur eam Imperator.* &c. Ex pretioso metallo fieri solitum, docet Chron. Francicum *Histor. Franc. Tomo IV. pag.* 96. Analogium *Hispanico metallo fieri fecit fusoriâ arte compactum, cui præeminet deaurata Aquila sparsis alis.* Item festivis diebus in Ecclesia Rom. velo obumbrari consuevisse docet Monachus Pegaviensis, A.C. 1109. *Velamen optimum, quod* Analogio *summis in festis superponitur, in quo Evangelium recitari soles* : quibus isdem *linteum jubet Evangelium poni*, *Acta* Murensis Monasterii *pag.* 29. Ostiarium illud ante Diaconum portare, narrat Udalricus *Consuetud. Cluniac. lib.* 1. *cap.* 12. *Intrat Diaconus albâ & stolâ indutus, & textum Evangelii portans, quem præcedunt, unus Ostiarius Ecclesiæ cum* Analogio, *in quo legatur* &c. Hinc *Analogium Nocturnale*, in quo *nocturni* apud eosdem leguntur, apud Ekkehardum Jun. *de Casibus S. Gall. cap.* 1. laudatum Carolo du Fresne *Glossar.* Sed & Martyrologium seu Necrologium quoque hac voce denotari videtur, apud laudatum Udalricum *lib.* 3. *cap.* 10. quod est *de Præcentore* : *Ipse supervenientes breves Fratrum defunctorum accipit & in* Analogio *notat.* Fortè, quod Martyrologium semper in *Analogio* esse soleat, ex quo promuntur, quæ, ad dies anniversaria seu obitus peragenda. Idem *Gloss.* Auctor. V. quoque Spelmannum *in Glossario*.

Analphabetus, Gr. Ἀναλφάβητος, id est, *Illiteratus*, epithetum Justiniano Imp. attributum, quasi literas ignorasset. Ex Suida Baronius *ad A.C.* 526 *num.* 2. apud Macrum.

Anamelech, repone *Anam-Melech*.

Anancæum, Græcè ἀναγκαῖον, locus carceris, τὸ δεσμωτήριον, in quo rei *vincti* detinentur. Ἀνάγκη enim Græcis, quidquid animum suæ sponsis esse non patitur. Unde affectus omnes ἀνάγκαι & *anancæum poculum* apud Plaut. & ἀναγκοφαγίαν Pugilum, qui hanc ipsi sibi necessitatem imposuerunt, & μοίρας ἀνάγκη, *Fati necessitas*, Horatio &c. In amatoriis etiam rebus vox usitata est, de his qui philtro aliquo per vim in amorem inducuntur: imò & ipsa philtra ἀνάγκαι & φιλανάγκαι dictæ. Inde herba, quâ Thessalas mulieres ad amorum veneficia uti Dioscorides ait, quòd amandi necessitatem faceret, *Catanance* dicta : quo nomine Leontopodium nonnulli indigitari volunt. Porro lymphationes & vani metus, qui mentibus immitti ab irato aliquo Numine credebantur, similiter ἀνάγκαι appellatæ. Unde vanos metus, à Corybantibus immitti solitos, μανίας ἀνάγκας, vocat Orpheus, *in Thymiamate Corybantum*.

Κλῦθι μάκαρ φοβερῶν χαλεπὰς δ' ἀπόπεμπε μανίας,
Παύων φαντασίας ψυχῆς ἐν ταῖς ἀνάγκαις.

Qua de re V. infrà in voce *Corybantiasmus*. Est autem vocabulum μαγείας & γοητείας Magicæ vanitatis, ut videre est infrà in voce *Defixio*. A cujusmodi necessitatum vinculis, vanis terroribus, lymphationibus & aliis Magicis defixionibus, qui solvere credebatur, adamas, ἀναγκίτης itidem dictus est, ut docet Salmasius *ad Solinum pag.* 1085. & *seqq.* V. quoque suprà in voce *Anagogitis*, ut & in *Ambitio*.

Anancitus Gemma, V. hic *Anancæum*.

Anaphlystus, Græcè Ἀνάφλυστος, pars tribus Antiocheidos Athenis, ab *Anaphlysto*, Heroë, filio Trœzenis, dicta. Oppidulum fuit haud procul Athenis, versùs prom. Coliadem, quò reliquiæ Persicæ classis, apud Salamina victæ, sese receperunt. Aliàs olim celebre Panis, Cereris, Veneris Coliadis & Genetyllidum Dearum fanis. Etiam vasa, quæ ibi ex terra picta fiebant, in pretio olim fuisse, memorat Athenæus. *Inscriptio* hæc apud Gruterum extat : ΕΠΙ ΘΕΩΝΟΣ ΑΡΧΟΝΤΟΣ ΚΟΣΜΗΤΟΥ ΔΙΟΝΥΣΙΟΥ ΜΑΡΚΟΣ ΑΝΑΦΛΥΣΤΙΟΣ ΓΥΜΝΑΣΙΑΡΧΗΣΑΣ, *Sub Theone Archonte, Cosmetâ Dionysio, Marcus Anaphlystius Gymnasiarcha.* Alias duas V. apud Jac. Sponium *Itiner. Græc. Part.* 3.

Anargyri, Gr. Ἀνάργυροι, i. *absque argento*, Græcis dicti sunt, ut & ali-

& aliquot Latinis Scriptoribus. Cosmas & Damianus, in Communione Rom. pro sanctis habiti, quòd absque argento ac ullâ mercede, solâ charitate moti, mederentur infirmis. V. Aldhelmum *de Laude Virgin. cap.* 24. Etiam alii sancti Medici hoc elogio insigniuntur, in *Liturgia*, quæ Chrysostomo tribuitur apud Macrum.

Anas, Hisp. fluv. adde: Secundùm Auctorem Anonymum *Hist. Orbis terr. Geogr. & Civ.* oritur in agro Laminitano, lat. 39. fluensque inter urbem, *Cividad Royal*, Calatravam, Meridam, *Badajos*, Olivencam, egreditur ad castrum Alcotim, & in tres sinuatur portus: Ipsum ad Palatium Regium, *Palatjo del Rey*, terræ visceribus se condere, & post 20. milliaria, ad Metallinum, *Metellin*, iterum erumpere pascereque in planitie, quam subluit, plurima pecora, res communiter nota est. Cùm tria maximè memorabilia Hispaniæ Auctorum nonnulli prodant, *Pontem, cui aqua superfluat. Civitatem igni circundatam & Pontem, in quo decem millia pecorum pascantur*; per primum *Aquæductum Segoviæ*, per secundum *Madritum*, cujus muri ex silicibus constant & per tertium, *conditorium* hoc *Anæ* fluv. intelligunt. Sed monet Ortelius, id vulgi opinione potiùs, quàm rei veritate, constare, idque se accepisse ab oculato teste Georgio ab Austria Præposito Harlebecensi; *ad tab. 16. Theatri Orbis Terr.* Interim & Furnerius, cætera satis accuratus eandem rem tradere continuavit, *lib. 7. cap.* 14. & Ricciolus *lib.* 10. *cap.* 7. neque rem impossibilem esse facilè concedet, qui Maris Mediterranei & Maris Caspii ductus subterraneos, Jordanis item ac Lacus Asphaltitis conditionem expenderit. Alia exempla V. apud Athanasium Kircherum *Mund. subterr. lib. 2. cap. 3. sub fin.*

Anastasimos, Græca itidem vox 'Αναστάσιμος, dies Resurrectionis Christi; in Ecclesf. Rom. *Dominica Nova* dicitur nonnullis, aliis per hanc Dominicam Palmarum intelligentibus. V. infrà.

Anastasis, nomen Templi, ab Helena Constantini M. matre Hierosolymis extructi, in quo Crucem ab ea inventam reconditam esse tradit Theophanes. Ejus imaginem in nummo adulterino Heraclii Imp. per tres lampades ad trabem appensas repræsentatam esse, conjicit du Fresne ex eo, quòd in ædibus sacris appendi trabibus auro, argento vel ære obductis, aut iis imponi luminaria: sive ædium parietibus essent infixæ, sive ex se liberæ & à fornice catenulis aut funiculis pensiles, consueverint. Ita namque de hujusmodi trabibus Leo Ostiensis: *Trabem quoque nihilominus fusilem ex ære, cum candelabris numero quinquaginta, in quibus utique totidem cerei per festivitates præcipuas ponerentur, lampadibus subter in æneis uncis ex eadem trabe triginta sex dependentibus* &c. Asservatam autem crucem, in Æde 'Αναστάσεως, seu *Resurrectionis*, longè ante Heraclium (qui eam à Persis recuperavit & in urbem Hierosolymam denuo intulit) palam est; cùm non solùm 'Εκκλησία ἁγίου σταυροῦ, *Ædes sanctæ crucis*, inde dicatur Auctori *Chronici* Alexandrini, sed & qui crucem in ea servarat Presbyter, *Custos Crucis* appelletur Victori Tunnensi in *Chron.* Σταυροφύλαξ Theophani. qui Johanni Moschopulo Σκευοφύλαξ τῆς ἁγίας 'Αναστάσεως, *Custos supellectilis S. Anastaseos* seu Resurrectionis: quod munus, Francis Hierosolymitanum Regnum obtinentibus, *Custodis sanctæ Crucis* titulo insignis, ejusdem Ecclesiæ Canonicus, particulæ sc. ejus ligni, quæ in ea Æde asservabatur. (Nam partem repertæ crucis ad Constantinum fil. misisse, alteram Macario Patr. Hierosolym. auro inclusam commendasse, Helena dicitur) Heraclius igitur, cum Syroe Persarum R. fœdere inito, receptaque cruce, quam pater ejus Chosroes anno 5. Imp. Heraclii expugnatis Hierosolymis in Persas abduxerat, eam in *Anastasi* recondidit, donec Constantinopolim relata est: Reædificasse autem eodem imperante Heraclio Ædem hanc Modestinum Patr. tradit Guillelmus Tyrius. V. Carolum du Fresne *Dissertat. de Inferioris ævi Numismatibus.*

Anastasius, auctor præscriptionis quadraginta annorum *l.* 1. 2. 3. 4. 5. 6. *C. de præscrip. 30. vel 40. annorum.* Gotofredus *ad tit. Cod. eod.* apud Johann Calvinum *Lex. Jur.*

Anates de Faraone, Ægyptiæ, apud Fridericum II. *de Venat. lib.* 1. *cap.* 23. *quæ sunt variæ, ex albo, nigro & rubeo, & habent inter nares & frontem quoddam tenue, carneum rubeum elevatum ad modum cristæ, non tamen incisum, sicut est galli crista*, Car. du Fresne *Glossar.*

Anatarcæ, veteri Geographo, pro *Anariacæ*, quos vide.

Anathema, ut & *Devotio* ac Sacrum, interdum rem pietatis ergò Numini sacratam, interdum diris onustam denotat; cùm sc. utraque devovebatur, hæc ut malorum Vindici, illa ut bonorum Auctori Conservatorique. Unde & Hebræum חרם *Cherem*, seu *Anathema* aut *Devotamentum*, ut Tertullianus vocat *adv. Gnosticos cap.* 2. duplicem hunc usum apud Hebræos obtinuit, idque quadruplici hac notione. Namque aut sacrum significat donarium ipsum, quod Numini seu in sacros usus devovebatur, ut *versu.* 18. *cap.* 27. Levitici; aut id, quod expressè jure belli perditioni devovebatur odiove intestino; aut quod in commissum cadebat; aut demum, quod diris, jure tantùm pacis, onustum. Et quidem, ut de primo vocis significatu nil dicam; secundi generis exemplum illustre habetur, de Hierichunte urbe, Josuæ *cap.* 6. *vers.* 17. *Et sit urbs hæc* anathema *seu* Cherem, *ipsa & omnia, quæ in ea, Domino.* Et statim, *Et vos cavete ab anathemate — omne argentum atque aurum, vasa ænea atque ferrea Domino consecrabuntur venientque in thesaurum Domini.* Ubi urbs illa tota *anathema* erat in pœnam seu vindictam hostium; ita tamen, ut metalla in Victoris potestatem redacta, *anathemata* fierent primi generis, utpote Domino sacra & in sacros usus servanda; cæteræ tam personæ (exceptâ Rahab) quàm res, sive nece, sive incendio, aliove modo disperderentur: idque sub gravissima pœna, ut ex Achanis historia patet. Atque ad hoc genus attinent publica sive Populi, sive Regis, sive Synedrii, anathemata, quibus bellum gesturi, sive prælium ituri, milites suos aliosve, si quidquam imperatum non præstarent, devovebant morti; quemadmodum illud Populi, de eis qui non ascenderent in Mizpa, Judic. *cap.* 21. *vers.* 5. & illud Saulis R. de eis, qui ante noctem quid comederent; 1. Sam. *cap.* 14. *vers.* 25. Eodem pertinet excommunicatio simul & anathema, quo Cuthæi vett. qui Templi instaurationem impeditum iverant, devovebantur, in *Pirke* Rabbi Eliezar *cap.* 38. ubi inter alia, trecentarum buccinarum, quarum sono *Anathema* illud denuntiatum, mentio fit. Tertium *Anathematis* genus visitur in illo, Ezræ edicto, *cap.* 10. *vers.* 8. *Quicumque non adfuerit intra triduum juxta decretum Principum & Seniorum, anathematisabitur universa substantia ejus & ipse disterminabitur ab Ecclesia transmigrationis.* Quarti denique generis, quod jure Pacis diris fiebat, species sunt binæ: altera, ubi diris quis devovebatur, si quid in posterum sive committeret, sive omitteret: altera, ubi quis ob jam commissum quid ita devovebatur. Prioris exemplum est, in illo Josuæ, *cap.* 6. *vers.* 26. ubi maledixit illi, qui Hierichuntem esset instauraturus. Quò pertinet, quod ex instituto Rabbenu Gerson (qui in Gallia floruit circa An. Christi 1070.) literis obsignatis Judæi hodierni apponere solent: Diris nempe devovent eum, qui præter sententiam mittentis eas resignaverit; personæ & loco, ad quem mittuntur, nunc sic, nunc aliter, devotionis formulâ subjunctâ: *In anathema devoveatur alienus per Excommunicationem, Anathema & Separationem Rabbi Gerson Luminis Captivitatis; & panis ejus sit cibus Gentilium, vinum ejus, vinum idololatricum.* Hujusmodi sc. diris alienum, qui resignaverit, devovent; breviter atque more suo, unoquoque vocabulo primo tantùm sui elemento denotato. Ejusdem generis erat, quo *quidam ex Judæis se ipsos anathematizaverunt, dicentes, neque manducaturos, neque bibituros, donec occiderent Paulum*, Actor. *cap.* 23. *vers.* 12, 14, 21. Item, quo devovebantur adjurati, si pejerarent. Etiam, quo admissi in Essenorum sectam se obligabant, ut videre est apud Josephum *de Bello Jud. lib.* 2. *cap.* 12. Denique quod statis temporibus Hebræi vett. in universos Israëlitas, qui capita aliquot Juris sive sacri sive aliter introducti, cautiùs pro re nata observanda, sponte & scienter violarent, tactis Bibliis promulgare consueverunt: cujus formula extat in *Colbo*, libro Rituali Hebr. Atque ejusdem generis anathematismi sunt in Jure Cæsareo, velut ex Hebræorum more memorati. Permisit enim Justinianus Hebræis Legem suam sive Græcè, sive Latinè, legere, *Neque*, inquit, *licentiam habebunt hi, qui ab his, majores omnibus Archipherecitæ aut Presbyteri appellantur, periniis aliquibus, aut anathematismis hoc prohibere, nisi velint, propter hoc, castigari corporis pœnis, &c.* Altera species quarti generis est, quâ ex sententia forensi devovebatur is, qui excommunicatus seu à cœtu Israëlitico, ejusque consuetudine, ritè semotus, intra tempus sibi iteratò præstitutum non resipisceret, sed ex contumacia sua aut neglectu sibi in causa esset, ut excommunicatione interim non solveretur. Et quidem hanc quod concernit, 24. à Talmudicis assignantur causæ, ob quas excommunicandus erat quis seu liberâ cœtûs Israelitici consuetudine arcendus: cujusmodi excommunicationem נידוי *Niddui*, id est, *Separationem* & שמתא, *Shamatha*, i. *excommunicationem*, appellant. Formula, causâ primùm indicatâ, verbis in conceptis hujusmodi erat, *N. sit in Shamata* (hoc enim vocabulum magis proprium ac receptum) id est, *excommunicationi sit obstrictus*: פלוני יהיר בשמתא. Quo fulmine qui feriebatur, privabatur solitæ popularium consuetudinis libertate, usque dum pœnitentiâ ad bonam mentem rediens solveretur. Scilicet nec luctûs ritibus eum uti fas erat, neque censebant eum in numero hominum denario, ubicunque hic numerus necessarius esset, adeóque ita cœtus esse pars desiit, ut, cum novem aliis, decem non conficeret. Quin adjicitur in *Sepher Shulcan Aruch*, *si ita visum esset Foro, licuit interdici ei, ne convivio trium interesset, ne cum decem oraret, nec, si mortuum haberet, quis eum sepeliret, nec, si filium, eum quis circumcideret.* Sed verò ex jure communi seu receptissimis moribus, haudquaquam fas ei erat alteri (præter uxorem & liberos) intra spatium quatuor cubitorum assidere; nec si mortuus esset, plangendus erat. Addunt, super cumulum ejus saxum grande relinquendum, ut lapidandum ejus sepulchrum esse (erat autem *lapidationis* pœna apud illos gravissima) indigitaretur, &c. Quòd si excommunicatus resipiscens solvi se desideraret,

flebat

bebat id hac formulâ, שרוי לך ומחול לך. *Absolutio tibi est, res est tibi permissa*, idque citius, serius, pro delicti gravitate. Sed ut plurimum fiebat excommunicatio ad diem tricesimum; intra quod tempus expectabat Forum, ut ad frugem rediret: ita tamen, ut interim verberibus etiam, pro Fori arbitratu, esset puniendus. Post 30. dierum contumaciam, idem tempus semel iterabatur: at verò, si ante sexagesimum diem excommunicatus absolutionem non peteret, τῷ חרם *Cherem*. i. *anathemate* feriebatur, id est, diris multo gravioribus: Cujusmodi carmen solenne ac horrendum erat, *N anathema sit, seu devotus atque execrandus habeatur. Diræ imprecationes in eum, Juramentum in eum, Excommunicatio in eum.* Quidquid sc. horrendum est, sive Numinis vindictam, sive hominum odium atque aversam consuetudinem spectes, in eum incidat: Atque sic talis omnimodâ fere consuetudine hominum privabatur, fiebatque ei tuguriolum, in quo ab omni hominum commercio remotus aleretur, seu ut de hujusmodi anathemate, sub initia Ecclesiæ Christianæ loquitur Tertullianus *adv. Gentes cap.* 30. *à communicatione orationis & conventus & omnis sancti commercii relegabatur*, &c. V. Plura hanc in rem, *ut de Aposynagogis, de quæstione, an consecratus quispiam nomine anathematis, ut donarii sacri, aut is, qui inter bona in commissum caderet, aut solenniori devotus anathemate, mortis reus eoque nomine ...: de illo item anathematis genere, quo expressè homines, ex jure belli, neci devovebantur: de voto Jephthæ aliisque huc pertinentibus*, apud Joh. Seldenum *de Jure Nat. & Gent. juxta discipl. Hebr. lib.* 4. *cap.* 1 *& seqq.* ut & infra, ubi de *Excommunicatione.* Adde Albaspinæum *Observat. lib.* 2. *cap.* 4. Petavium *in Miscellan. Exercitat. ad Julianum cap.* 13. 14. 15. 16. Joh. Filesacum *ad Vincentium Lirin.* Lindenbrogium, Salmasium *ad Solinum* &c. laudatos Carolo du Fresne *Glossar.* qui id unum ad hanc vocem adnotat, *Anathema* propriâ notione apud Scriptores Christianos significare inflictam ab Ecclesia excommunicationem; non tamen quamvis ἀκοινωνησίαν, sed eam quæ cum execratione & maledictione decernitur & per quam non solum à fidelium communione ac Ecclesiæ ingressu, sed etiam ab omni precum consortio ac publica mentione, convictu, colloquio, salutationeque fidelium, tales arceantur, ex *Capitulis* Caroli C. *tit.* 6. 5. 56. & Hincmaro *Opusc.* 55. adeoque Excommunicationem, quam sequitur *Cherem*, ut de quarto genere Anathematis apud Hebræos usitati, deque posteriore ejus specie, diximus supra.

Anathema sim, Judæis & antiquis Christianis, solennis in jurejurando formula; h. e. *à Synagoga & Ecclesia exclusus sim*: Cujusmodi *anathema* sibi imprecari, καταναθεματίζειν, dixere. Apud Matthæum *cap.* 26. de Petro Dominum abjurante, τότε ἤρξατο καταναθεματίζειν καὶ ὀμνύειν, ὅτι οὐκ οἶδα τὸν ἄνθρωπον, *Anathema sibi ipse imprecabatur, si vidisset hominem*, h. e. à Synagoga exclusus voluit esse, si &c. Hoc enim vox ἀνάθεμα indigitat, longè diversa à voce ἀνάθημα, significante donarium ac rem templis dicatam, nec quamvis, sed eam tantùm, quæ suspendi poterat, aut in excelso & conspicuo loco poni, ut esset Templis ornamento, cujusmodi erant phialæ aureæ & argenteæ, tripodes, acerræ, corollæ & similia. Pollux, Τὰ δὲ ἀναθήματα ὡς ἐπὶ τὸ πολὺ γίγνεται, φιάλαι, ἐκπώματα, θυμιατήρια, χρυσίδες, ἀργυρίδες, ὀπισθόδομα, ἀμφορεῖς. Unde apud Homerum ἀνάθημα pro quolibet ornamento,

> — Τὰ γάρ τ' ἀναθήματα δαιτός,
> *Hæc enim ornamenta convivii.*

At de terra aut agro aut ædificio aut pecore aut arbore vel etiam homine Diis consecratis ac dedicatis Græci non ἀνάθημα dixerunt, sed ἀνάθεμα, Hebr. *Cherem*, atque ea ἀνάθεμα vocarunt, ἀφωρισμένα & ἀνειμένα: Atque inde ἀφανίζειν, pro *perdere* poni cœpit, quia res ei perit, à cujus usibus abscinditur ac Deo vindicatur. Nec mirum tam diversæ significationis ἀνάθεμα & ἀνάθημα esse. Namque non minus in diversa notione ponitur, τὸ ἀναθεῖναι, quod significat *dedicare* & τὸ ἀναθεῖναι, quod denotat *è sua regione ac sede deducere*, ac *removere*, ἀφανίζειν: cujus rei causâ diversa notio præpositionis ἀνὰ utrobique &c. V. Salmasium *ad Solinum pag.* 1089. *& seqq.*

Anatolia, adde: Ab ἀνατολὴ dicitur, i. *Ortus*; quòd Mari Mediterraneo ejusque accolis Europæis ad Ortum objaceat, planè ac hodie nunc Italorum *Levante*, hoc est, *Oriens*, sic habet, cujus nomine partes Asiæ Mari Mediterraneo vicinas ipsasque remotiores ab Occid. Insulas Maris istius, intelligunt. Terminatur ab Ortu Armeniâ & parte Syriæ, cætera Pontus Euxinus, Propontis, Archipelagus & Mare Mediterran. cingunt. Provinciæ olim ejus numeratæ, Primò Pontus & Bithynia. 2. Asia minor, in specie sic dicta (alicubi enim & totam *Natoliam* ita vocatam videre est) eaque comprehensæ Phrygia, Mysia, Lydia, Caria, item Æolis, Doris & Jonia, à Græcis olim habitatæ. 3. Lycia, 4. Pamphylia. 5. Cilicia, quam Belsio aut Lugdunensi territorio in Gallia assimilat Bellonius *Observation. lib.* 2. *cap.* 100. 6. Cappadocia. 7. Galatia & Paphlagonia. Quibus ferè respondent,

Provinciæ Anatoliæ reg. hodie ita dictæ:

Chiutale.	*Menteseti.*
Becsangil, Sarcum & Gremian.	*Carmania.*
	Amasia, Anadole, Suvas & Genech.
Alidinelle.	

Roni, Bolli.

Mediis seculis Impp. Græcorum, aliis divisionibus distracta fuit, tulitque Imperium Trapezuntinum, à Trapezunte, sede regia, quæ hodie *Trebisonde*, ita dictum. In *Chiutale*, aut Ponto urbes sunt *Scutari*, quæ olim Chalcedon, Nicomedia, Prusia seu *Bursa* &c. In Asia min. seu *Sarcum* Smyrna, Auctor Anonymus *Hist. Terr. Orbis Geogr. & Civ.* V. quoque hic infrà.

Anatolica Diœcesis, Græcè Ἀνατολὴ & Ἀνατολικὴ Διοίκησις, Lat. *Oriens* & *Orientalis prov.* non fuit eadem cum Asia Minore, ut quidem Constantinus contendit *de Themat. lib.* 1. nec eadem cum Asiana Diœcesi; sed primis & mediis Ecclesiæ seculis, etiam Arcadio adhuc regnante, nomine τῆς Ἀνατολῆς, seu *Orientis*, provinciæ infra scriptæ XV. intelligebantur, *Palæstina, Phœnice, Syria, Cilicia, Cyprus, Arabia, Isauria, Palæstina Salutaris, Palæstina secunda, Phœnice Libani, Euphratensis, Syria Salutaris, Osrhœna, Mesopotamia & Cilicia secunda*, in *Not. Imp.* sub Arcadio compositâ. Quas etiam omnes sub se habebat ille, qui *Comes Orientis* dicebatur: Magister Militum itidem per Orientem similiter militibus, per universas illas locatis provincias, præsidebat. Eædem in spiritualibus Antiocheno Patriarchæ suberant, qui propterea dicebatur τῆς Ἀνατολῆς Πατριάρχης & τῆς Ἀνατολικῆς διοικήσεως ἔξαρχος. Hinc & Ἀνατολικὴ σύνοδος & Ἀνατολικοὶ Ἐπίσκοποι, qui illi Patriarchæ suberant, nec quicquam habebant commune cum Asianis, qui Constantinopolitanum Patriarcham agnoscebant. *Notitia* vetus provv. *Rom.* decem tantum Orientis provincias numerans, eas sic nominat, *In Oriente N. X. Syria cœle, in qua est Antiochia, Syria Palæstina, Phœnice, Isauria, Cilicia juxta montem Taurum, Cypros, Mesopotamia inter Tigrim vel Euphratem, Euphratensis, Osdroëne, Sophene.* At infimis Græciæ & cadentis Imperii temporibus Minor Asia seu potiùs pars ejus ulterior Ἀνατολικὸν θέμα, i. *Orientalis provincia dicta est*, hodieque *Natolia* appellata: quam Constantinus *de provinciis Orientalis Imperii*, quinque his gentibus constare ait, *Phrygibus, Lycaonibus, Isauris, Pamphyliis & Pisidis.* Altera verò pars ejusdem Asiæ, nempe citerior, Θρακήσιον θέμα, h. e. *Thracensium prov.* est appellata, quæ sub se continebat *Mæoniam, Lydiam, Cariam, Joniam & Phrygiam Minorem.* Qua de re V. pluribus differentem Salmasium *ad Solinum pag.* 804. *& seqq.*

Anare, prov. Regni Parthici, unum ex duodeviginti regnis Parthorum, quorum mansiones recenset, in libello παρθικῶν σταθμῶν, Isidorus.

Anax, apud Gregorium Turonensem *de Gloria Confess. cap.* 8. *Patenam & urceum, qui Anax dicitur, in patriam defferunt*: materiam denotat, è qua vasa conficiebantur, ut colligere est ex *Histor.* Episcoporum Autissiodor. In qua *Anactens*, ut adjectivum, vasis aliis adjungitur. *Cap.* 20. *Missorium* anactenm *pensantem lib.* 30. — *Bacchonicam aliam* anacteam *pensantem* &c. — *Scutellam anacteam &c.* Ubi vasa illa anactea ejusdem fortè materiæ vel operis, atque adeò nominis fuere, ac ea quæ *anacas* vocat Plautus in *Rudente*:

> *Credo hercle anacas datum quod biberet:*

Alii legunt *anancæo.* Certe, ut ab *anacte*, *anacteum*; sic ab *anace*, *anaceum* esse potest. Et Plautinianí vocabuli vestigium agnoscit in *Gloss.* Lat. Gr. du Fresne, ubi pro *Apnades*, ἐκπώματα, ἐκ τοῦ ἀργυρώματος, legit, *Anaces*, ἐκπώματα &c. Sed & Altaserra, apud Gregorium M. *lib.* 4. *Epist.* 40. *anacem* legendum censet, *Unam vero anacem cum duobus parvulis Atticis*; ubi *Attica*, vasa fictilia pariter interpretatur, sic nuncupata ab Attica reg. & ab *Anace*, vocem *Anap* vel *Hanap* Gallicam, pro scypho grandiore, inde deductam putat. Sic itaque videtur *Anax* fuisse materia quædam argentea, vel vas quoddam argenteum, εἶδος ἀργυρώματος, cùm in *Historia* Episc. præfatâ, pondus observetur, pariterque aureorum & argenteorum vasculorum. Ἀγγεῖα χυτρῶν Hippocrati ἰχνία appellari annotat Phavorinus & Ἀττικὰ ἀγγεῖα esse eidem Hippocrati, sed an ea nomenclatura Gregorii adhuc ævo in usu fuerit, incertum, du Fresne *Glossar.*

Anca vel *Anca megareb*, h. e. Occidentis, apud Arabes, avis fabulosæ nomen, quam tantæ molis esse fingunt, ut ova pariat montium instar, & rapiat elephantes, eadem facilitate, quâ mures milvus. Addunt, cùm volat, ex alis ejus fragorem audiri tanquam torrentis, vivere annos mille & cum fœmina sua copulari circa annum vitæ quingentesimum: fuisse autem aliquando inter homines, sed quum aliquando Sponsam unà cum monilibus suis rapuisset, imprecatum ei esse Handalam Saphuani fil. Prophetam illorum temporum, Deumque illam relegasse in insulam hominibus inaccessam, in qua sint elephantes, monocerotes, bubali, tigres, aliæque feræ & aves rapaces: ut alia omittam. Sed fabulam explodit ipse Poëta Arabs, cùm ait: *Probitas & Empusa & Anca tria sunt nomina, quæ non reperiuntur, nec unquam extant.* Interim verum animal esse *Ankam*, sed mole non multo amplioris, quàm vulgus magnarum avium, Ibnocholcan his verbis docet,

docet: *Vidi in Historiis — Azizum, filium Arami, Ægypti dominum, aves peregrinas collegisse — & in iis aucam, quæ ipsi venerat ex Ægypti Thebaide, longa ut ardea — super caput tutelam habens & multicolores pennas* &c. Quin aquilæ speciem alii faciunt: Unde colligere est, licèt ut plurimum fictitiæ avis hoc nomen sit, tamen etiam pro vera ave nonnunquam sumi. V. Sam. Bochartum *Hierozoici Part. poster. lib. VI. cap.* 14.

Ancarius, Judæorum Deus, Martiali *Epigram.* de Theodoro Judæo,

— *jura, verpe, per Anchialum*:

Sic enim legit Js. Vossius, seu *ancarium*; observans in optimo codice Thuanæo, jam ante annos 800 exarato, *Anchialum* legi, cùm vulgò *Anchialum* habeatur. Significat autem vox asinum, qui ὀγκηρὸς est seu ἀχθοφόρος. Unde Lucilius,

Hæc inquam rudet è rostris atque ejulitabit,
Concursans velut ancarius clareque quiritans, &c.

Nempe atrocis hujus calumniæ labe Judæos aspergere conabantur Ethnici, ut asinum pro Deo ab ipsis coli per summam impudentiam scripserint. Primus fabulæ architectus Apion fuit, Grammaticus Ægyptius, sub Tiberio, Cajo & Claudio, qui edito contra Judæos libro asseruit *eos in ipso Templi sacrario asini caput collocasse & id colere* — adderque, *ex Idumæa urbe Dora Zabidum quendam multa quiete ad templum venisse & aureum detraxisse cantherii caput & rursus Doram velociter se contulisse.* Eum secutus Damocritus Historicus *l. de Judæis*, disertè αὐτοὺς χρυσῆν ὄνου κεφαλὴν προσκυνεῖν, *aureum asini caput adorasse*, tradidit. Rationem adjecit Plutarchus *Sympos. lib. 4. quæst. 5* Τιμῶσι δὲ ὄνον ἀναφήναντα πηγὴν αὐτοῖς ὕδατος λιμῶσι, *Asinum, qui olim illis monstraverat aquæ fontem, honore prosequuntur.* Et latius Corn. Tacitus *Histor. lib 5.* quem vide. Unde factum, ut Christianis etiam id objiceretur, ut videre est apud Tertullianum *Apologet. cap. 16.* & Cæcilium Ethnicum in *Octavio* Minucii. Quin & Tertullianus, ubi modò, picturæ meminit à quodam propositæ cum blasphema hac inscriptione, *Deus Christianorum Onocoetes*: ubi Vossius legendum putat, *Onochœrites*, V. infrà. Sed calumnias has Gentilium recitasse refutasse est. Ipsæ enim se destruunt, ut à Josepho & Tertulliano jam olim observatum: quorum ille Apioni Polybium, Strabonem, Nic. Damascenum, Timaginem, Castorem & Apollodorum opponit, qui Hierosolymitani Templi ab Antiocho Epiphane expilati (quo tempore id detectum fuisse finxit Apion) historiam ita referebant, ut de Asini capite aureo in Templi adytis reperto ne γρῦ quidem haberent. Addit, non Epiphanem solùm, sed & Antiochum Theum & Pompejum M. & Licinium Crassum, Titum denique Cæsarem, vidisse Templi penetralia, nec tale quidquam ibi invenisse &c. Jam Tacitum ex ipso Tacito Tertullianus refellit, qui in eadem *Historia* refert, Pompejum in Templo Hierosolymit. nullum reperisse simulachrum. Dum vero anxie multi quærunt, quid occasionem dederit putidissimæ huic calumniæ de asino à Judæis culto, ex Ægyptia lingua (Ægyptius enim fuit Apion) illam accersit Bochartus: quâ cum ΙΙΙΕΩ sit ὁ ὄνος, *asinus*, *videntur*, inquit, *impuri homines* (*horresco referens*) *quod in Scriptura tam frequens est*, פִּי יְהוָה *pi-jao h.e. os Domini, item mandatum aut verbum Domini, ad asinum traxisse* —— *Hic nomen ἀνεκφώνητον Jao scribimus more Vett. Græcos enim ita extulisse nullus est, qui nesciat — proinde id in Patribus frequens* &c. Jam quod de siti additur, putat idem origi[n]em traxisse, ex historia de deserto Elim, in quo, post longam sitim, aquas *Maræ* per miraculum Deus edulcavit tandemque in umbra palmeti tot fontes reperti sunt, quot erant in populo tribus: *Elim* autem legit Josephus Ἠλὶν, *Ilin*, ac si ab asinis nomen haberet, qui Syris ita appellantur. V. eum *Hierozoici Part. I. p. 227.* & in voce *Anchialus*.

Anchusa, Græcis ἄγχουσα, item πορφυρὶς, à colore rubræ purpuræ, Plinio dicitur *præparare lanas coloribus pretiosis*, h. e. substerni coloribus pretiosis, ut conchyliis ac purpuris & cocco. Eâ enim ut & algâ marinâ imbuebantur primò lanæ, ut alii pretiosiores modò dicti superinducerentur. Quemadmodum hodie varantia & guastum coccineis purpureisque substerni solent, ut colorem alligent & faciant tenacem. Sed & radice ejus mulieres olim usas esse, ut ruborem genis conciliarent, docet Hesychius, Ἄγχουσα, ῥίζα ᾗ φοινίττουσι τὰ γύναια: Sanguineo enim colore *Anchusæ* radix imbuit, quam proin in ornatu muliebri quoque enumerat Aristophanes in alteris Θεσμοφοριαζούσαις, quæ non extant, exceptis versibus quibusdam apud Clem. Alexandrinum & Pollucem, quos exhibet Salmasius *ad Solinum pag.* 1148. Ubi notandum, ἀγχούσας & φῦκος ibi distinctè recenseri; contra eos, qui *Anchusam* cum Fuco terrestri (de quo infrà in voce *Phucarium* & *Radicula*) confundunt. Memoratur quidem præter hæc duo παιδέρως quoque, ad eundem usum mulieribus usurpatus, sed eo nomine nil aliud, quàm unguentum ex radice Anchusæ, aut ex radicula Syriaca, *Fucus* dictâ, intelligi docet Salmasius *l. cit.* V. quoque infrà in *Pæderos*. Certè in colorandis unguentis anchusæ meminit Plinius *lib. 3. cap. 1.* ubi de Rhodini confectione; quam τὸ τοῦ Ἀχαιικοῦ εἶδος, i. *colorem Achaicum vel Græcum* vocat Democritus, quòd in Græcia passim nasceretur; cùm Fucus prælatus, qui ei passim jungitur, τὸ τοῦ Συριακοῦ εἶδος, item σμῆγμα,

per excellentiam vocaretur. Quæ duo tamen subinde sibi invicem substituebantur, ut docet idem Salmasius *ad Solinum pag.* 1146. *& seqq.*

Ancilla, quasi *Ancula*. Ab *anclo*, enim vel *anculo* antiquo, id est, *ministro*, primùm *Ancula*, dein *Ancilla*. Argumento Dii illi, quibus nomen *Anculi* & *Anculæ*, tanquam ministri quidam, Fest. Aliis *Ancillæ* dictæ, ab *Anco* Martio Rom. Rege, quòd is magnum fœminarum numerum cepit, vel ab *anculare*, quod est *ministrare*. Item ab ἀγκὼν, i. *cubitus*, quod ipsum ab ἀγκάλη, quia operâ manuum ministrabant. Nonnullis vox est ab *am* & *cillo*, id est, *circum moveo*. Harum non minùs, ac Servorum, ingens apud Vett. fuit numerus; unde apud Scriptores non rarò *ministeriorum catervas*, *turbas* etiam aliquando ac *populos*, legimus. Nota certe apud Tacitum *Annal. lib. 3.* Severi Cæcinnæ querela: *Inesse mulierum comitatui, quæ pacem luxu, bellum formidine moreantur & Romanum agmen ad similitudinem barbari incessus convertant.* Quare Mater Juliani Mart. apud Surium *Tom. 3.* in *publicum legitur prodiisse cum innumerabili familia, utriusque sexus.* Nec hyperbolice quidem Cæcinna locutus est, si Ammianum Marcellinum audimus *lib* 14. qui Matronarum comites recenset Textrices, Coquos, Spadones, & universum promiscuè servitium. Respexit huc Juvenalis, *Sat. 6. versu* 417.

— *Gravis occursu, teterrima vultu*
Balnea nocte subit, conchas & castra moveri
Nocte jubet, &c.

V. Laur. Pignorium *Comm. de Servis*, è quo etiam sequentia decerpsimus & in ordinem digessimus.

Varia Ancillarum, apud Romanos, ministeria.

In Familia Urbana.

Ab argento potorio, ministram habuit Livia, Vibiam Successam.
A cubili.
A cura catellæ, qualis Aurelia erat, Liviæ itidem Aug. *Ancilla.*
Adstetrix, memorata Ovidio *Met. l. 9.* ubi de Galanthide. *Aderat faciendis strenua jussis.*
Ancillulæ ex Æthiopia, *Gaditanæ* &c. V. hic infrà *Puellæ.*
Anteambulatrices, ex officio præibant, cùm Matrona in publicum prodibat, sicut Pedisequæ subsequebantur. Dictæ eædem *Amicæ*, V. suprà in voce *Amicus.*
Crotalistriæ.
Cymbalistriæ.
Cytharistriæ.
Flabelliferæ, inter *Ancillas* conspicuæ erant; quod tamen officium Eunuchi illis in plurimis domibus præripiebant.
Janitrices.
Lanificæ.
Lanipendiæ, quæ inter Lanificas pensa partiebantur, quando ea munera sordere dominabus visa sunt.
Mamma, eadem quæ Nutrix.
Medicæ, quoque in usu fuerunt, quæ videntur Gynæcia curasse & curam adhibuisse Mulierum passionibus.
Nanæ, memorantur Lampridio.
Negotiationi quoque *Ancillas* à dominabus fuisse præpositas, Icti testantur.
Nutrices.
Obstetrices. V. suis *locis.*
Ornatrix, similiter.
Pedisequæ, sequebantur dominas, sicut Anteambulatrices præcedebant.
Penaria, vel penuaria, Græcè ἡ Ταμία.
Περίδρομοι, olim dicebantur in Græcia, ἡ παρασημαίνουσα τὰς ὥρας ταῖς δεσποίναις, Hesych. *quæ nuntiabat horas dominabus.* Sicut enim Proceres Romani pueros habuere ad hoc, qui horas sibi nuntiarent; sic in Græciâ idem obtinuit, Dominæ verò ancillas habebant, quæ hoc munus sibi fungerentur. Nempe cùm horologiis adhuc homines carerent, umbram pedibus dimetiebantur Veteres &c. uti docet Salmasius *ad Solinum p. 634.*
Puellæ in ministerio variæ, nuditate, cantu, saltatione.
Sandaligerulæ.
Sarcinatrix.
Textrices.
Tibicinæ, quæ in convivio epulantium animos oblectabant.
Tonstrices, memorantur Martiali & in vett. Inscr. Earum erat ungues quoque resecare.
Tractatrices, corpus fricabant, Medicarum, ut videtur, ministræ. Namque & Medici Tractatores habuere.
Tympanistriæ.
Vestificæ.
Vestiplicæ.
Vestispicæ.
Umbelliferæ, *distenta suis umbracula virgis* tenebant, ut ait Ovidius *de Arte am. lib.* 2.
Unctrices, Dominas post balnea ungebant &c.

In Familia Rustica.

à Coquina mulieres, pulmentaria rusticis coquebant.
Custodes villæ, ne quid vicini rerum, quæ villâ continebantur, occuparent, dabant operam.
Focariæ, ad culinam pertinebant, quia focus in culina. Sunt qui *Focarias* concubinas interpretentur, non malè, ut colligitur ex Varrone *de Re R. lib. 1. cap.* 1[illegible].
Lanæ & Lanificæ, cum adscriptitiis glebæ, quam incolebant, adsignatis, inhabitabant.
Panicoctrix Chrysologo *Ser.* 99. dicuntur, quæ panem coquebant.
Pistrices: Viros enim mulieresque, ubi non aderat aquæ vis, in pistrinum fuisse conjectos, perspicuum est ex Evangelio [illegible] 17. Ad[illegible]

[illegible] ἀλέβατος ἐπὶ τὸ αὐτό. ἡ μία ἐπιφανὴς [illegible]:

Villica, V. [illegible]

Ancilla Honorum. Treb. Pollioni dictus est Antipater quidam, in *Divo Claudio*: *Non Gallus Antipater, Ancilla honorum & Historicorum dehonestamentum, principium de Aureolo sic habuit. Veniens ad Imperatorem nominis sui.* Ubi alii legunt, *Ancillariorum & Historicorum dehonestamentum*; Vir doctus emendat, *Pater ancillariorum*: sed constanter optimi codices suggerunt, *Ancilla Honorum &c.* Ancillam nempe *honorum* Antipatrum hunc vocat Trebellius, adulatorem & assentatorem summarum potestatum vel ambitiosum. Namque *ancillam* vocabant Latini, qui sordidè adularetur & ambiret vel honores vel honoratos. *Gloss. Ancillula*, ἐργάμαχος, *ancillare*; ubi *ancillula* idem planè est, quod hoc loco *ancilla*. Ἐργάμαχον enim Græci vocant hominem adulantem assentantemque artificem. Eædem *Glossæ*. *Adsentatores*, ἐργαμαχοῦντες, [illegible]. In aliis *Gloss.* ἐργάμαχος, *adulator*, *ambitiosus*. Ita apud Trebellium *Ancillam honorum* accipere possumus, *ambitiosum & honorum cupidum*; cujusmodi homines etiam ἐρίθους Græci vocant: ἔριθος autem, ut nemo ignorat, *ancilla* est lanifica; unde ἐριθεία, *ambitio* exponitur in primo *Glossario*. Sic & ἐριθεύει [illegible], *adsectatores*, in iisdem Glossis exponuntur. Salmasius *ad Pollionem*.

Ancillæ Dei, Moniales seu Monachæ dicuntur, in Concil. Rom. A.C. 721. *Si quis Monacham, quam Dei Ancillam appellamus, in conjugium duxerit, anathema sit.* Et apud Gregorium M. *lib. 6. Epist. 23.* Ancillas Dei, *quas vos Græca lingua Monastrias dicitis*. V. Car. du Fresne *Glossar.* ubi etiam meminit veteris *Epitaphii* in Monasterio S. Victoris Massil. descripti à Joh. Mabillonio *Tom. IV. Veterum* Ord. Benedicti *pag.* 539. *Per hic requiescit in pace Eusebia religiosa magna ancela Domini.*

Ancillarioli dicebantur apud Romanos, qui non liberè uxoribus imperabant, adeoque ut vel consciis iis adulterarentur. Quo de infami maritorum erga uxores obsequio, admiranda sunt, quæ scribit Seneca, *de Benef. lib. 1. cap. 9.* *Conjugibus alienis, nec clam quidem, sed apertè ludibrio habitis, suas aliis permisere. Rusticus, inhumanus, ac mali moris & inter matronas abominandæ conditionis est, si quis conjugem in sella prostare vetuit, & vulgò admissis inspectoribus vehi undique perspicuam. Si quis nullâ se fecit amicâ insignem, nec alienæ uxori annulum præstat, hunc matronæ humilem, & sordidæ libidinis &* Ancillariolum *vocant. Hinc decentissimum Sponsaliorum genus est adulterium & in consensu viduî cælibatus nemo uxorem duxit, nisi qui abduxit, tam raptam.* Usq; adeò quidem, ut *conjugium* *[illegible]* vulgo diceretur *unius adulterium*, *lib. 3. cap. 16.* *Numquid jam ullus adulterii pudor est, postquam eò ventum est, ut nulla virum habeat, nisi ut adulterum irritet? Argumentum est deformitatis pudicitia. Quam invenies tam miseram, tam sordidam, ut ei satis sit Adulterorum par? Nisi singulas horas divisit? Et non sufficit unus dies omnibus. Nisi apud alium gestata est, apud alium mansit. Infrunita & antiquata est, quæ nesciat Matrimonium vocari unius adulterium.* Quæ, licèt horrenda, non tamen tunc nova, aut priùs inaudita erant. Notissima Horatii loca, quibus ob frequentiam adulteriorum omnia mala Romanis obvenire testatur, & ut verus Sapientiæ Magister dehortatur omnes suos discipulos, dum *in Satyris* morum & doctrinæ Præceptorem profitetur. Ad eadem tempora pertinent Ovidii, Propertii, Tibulli amores, quorum omnium illæ celebratæ delitiæ, *Mulieres fuerunt nuptæ &c.* V. Caspar. Barthium *Animad. version. ad Statium Tom. II. pag.* 757. & *Not. ad Tibullum*. Item infra in *Arga*.

Ancillaris vestis, cujus Ulpianus *D. de injuriis* meminit, cùm ait: *Si quis Virgines appellasset, si tamen Ancillari veste vestitas, minùs peccare videtur: multo minus si meretricià veste fœminæ, non matris familiâs, vestitæ essent.* qualis fuerit apud Romanos, non est proditum. Verùm cùm matronæ stolâ & pallâ uterentur, facile est credere, utraque ancillis interdictum, atque ita tunicâ brevior, ad medium crus pertinente, nullâ institâ assutâ, illas usas esse, qualem tunicam meretriciam fuisse docent eruditi. Hoc tamen ancillas ab his distinctas, quòd hæ togatæ insuper, illæ tunicatæ tantùm fuerint. Faber *vestem ancillarem*, atram ac sordidam interpretatur, sed talis etiam fœminarum ingenuarum vilium esse potuit, Octav. Ferrarius *de Re Vestiaria Parte I. lib. 3. cap. 22.* Dii Deæque *Ancillarum*, Anculi Anculæque dicti sunt, V. ibi. De *Ancillis* plura, suprà; De *Ancillis* comæ ornandæ præfectis, quoque in voce *Psecades*, &c.

Ancla, instrumentum, quo aqua hauritur de puteis, quod *haustrum* Veteri appellabant; ab *anclare*, i. *haurire*: ut *orno* ab *ornus*, vox ad Græcos delata, qui ἄντλα vocant institas, quibus vestes ornabantur. *Retarum rodas*, interpretatur Nonius; quo modo etiam *ancla* planè accipitur, in hoc vet. *Epigrammat.* nondum edito:

DE ANCLA.

Pendet & haurit aquas, pendentes tremit undas,
Et fluvium rapitur, a bibit, mirabile factum:
Portat aquas, portatur aquis, sic unda per undas
Vel ritur & [illegible] haurit [illegible] machina lymphas.

Apud Salmasium *Not. ad Vopiscum in Bonoso.* V. quoque eum *ad Solinum* 850. 2.

Anclio, apud Ugutionem *MS.* ubi fortè legendum *Coclio*, du Fresne, V. infrà *Cancularii*.

Anculus, in *Gloss.* Isidori, *ministerialis domus regiæ*: vetus verbum, *ministrum* seu *nuntium* denotat, à Gr. Ἄγγελος; hinc enim *angulus* & *anculus*, ut à Σικελός *Siculus*. Unde *anculari*, ministrare & *ancillari* diminutive. V. infra in *Canculus & Ministerialis*, ut & in *Anculi*.

Ancyra, adde: In hac Synodo provinciali, A.C. 314. habita, scripti sunt Canones viginti quatuor; tot enim tantùm genuini sunt: atque hi primi extant in Codice Canonum. Gerh. von Mastrich: *Hist. Juris Eccles.* § [illegible]. Hanc deinde excepit ac supplevit Synodus Neocæsariensis, itidem provincialis, Neocæsareæ habita, ut quidam conjiciunt, sub A.C. 318. Baronius in A.C. 314. conjicit. Idem *ibid.*

Ancyromachus, navis species sic dicta, *quòd celeritate suâ anchoris & instrumentis reliquis vehendis sit apta*; ut est apud Isidorum *lib. 19. cap.* 1. & Ugutionem. *Glossæ* Isid. *Ancyromagis, genus navigii*, In *Glossis* Ælfrici Sax. corruptè est *Archiromachus*. V. Car. du Fresne *Glossar.* in voce *Achiromacus*.

Andacharius seu *Hadewacker*, vel *Odoacer*, unus ex filiis Hengisti. (qui A.C. 449. Britanniam occupatam de gentis suo nomine, *Angliam* vocavit) in Germania, Itemma produxisse fertur, per illos posteros, Hadvigatum, Hildericum, Bodicum, Bertholdum, Sighardum vel Sigismundum, Saxonum Duces vel Reges. Huic Sighardo Henctorum A.C. 633. victori, filium dant Dietericum R. à Carolo Martello A.C. 722. victum & dein Carolomanno rebellem. Dieterico assignantur Edelhardus, Berthoidus, Wernekinus, bellis adversùs Carolomannum & Pipinum Francos celebres; quæ bella continuavere adversùs Carolum M. Albion & Hermannus Edelhardi, ac Witikindus hodiernorum Saxoniæ Principum conditor, Wernekini filius. V. Phil. Jacobum Spenerum *Sylloge Geneal. Hist. in fam. Witikindea Saxonica.* & infrà in voce *Witikindus*.

Andana, vulgò *Anden*, aliis *Andenne*, vicus est ad ripam fluminis Mosæ, Namucum inter & Hojum positus: ubi Begga Pippini senioris, Præfecti Palatii per Austriam filia, Gertrudis Nivialensis Abbatissæ soror, post Ansigisili mariti mortem clarum Monasterium extruxit: quod hodieque illustre est & vetustate opibusque percelebre Nobilium Canonicarum, vulgò *Secularium* dictarum, collegium: Qualia in Hannonia, Cœnobium Melbodiense Adelgundis & in Brabantia Nivialense B. Gertrudis sunt. Ibi eadem Begga prædicta septem basilicas condidit, virumque suum interemtum sepelivit. V. Hadrianum Valesium *Not. Gall.*

Andecabeo, seu *Anclabeo*, in *Gloss.* Isidori, *Anclabeo vel Auriclabeo, i. Lex Longobardorum*: & apud Ugutionem MS. *Andecabes & Auriclabio, i. Lex Deorum, hac Longobard.* voces sunt incertæ originis & significatûs. Pignorius & Vossius corruptè in locis hisce scriptas esse censent, pro *Andegan vero* & *Arigavero*, & *andigare* dicunt de eo efferri, qui adhuc sanus de rebus suis disponit seu testatur; *arigare*, qui infirmus & æger: unde apud Papiam, *Andigaver & Arigaver, id est, in sanitate & infirmitate.* Sed nec promtum est assequi, quid apud Ugutionem hæc vocabula sonent, *i. Lex Deorum, hac Longobardorum.* Car. du Fresne per *Legem Deorum* intelligi posse judicat Legem Deirorum seu Northambrorum, ita ut *Andecabes* hanc appellari putaverit, *Auriclabea* verò Longobardorum. Vide omnino eum in *Glossario*.

Andegavina, V. infrà *Angevina*.

Andelangus, vox crebrò occurrens in vett. traditionum *Chartis*, hac ferme semper formulâ: *Per festucam atque per* andelangum *tradere, donare*; præsertim in *Formulis* Lindenbrog. *Per festucam, & andelaginem* (nam & hæc formatio vocis est) *& per ramos arborum, tradidi tibi — curtem meam &c.* in *Tabular.* Casauriensi ann. Ludovici II. Imper 25. *Per festucam, wasonem & andelaginem, & sponsionem suprà scriptorum ramos de arboribus — tradidimus*, in vet. *Charta* apud Chiffletium, in *Luminibus Salicis cap.* 6. *Per wasonem terræ & festucam nodatum seu ramo arborum atque per cultellum & wantonem seu andilaginem &c* in *Charta* Mathildis Com. A.C. 1079. apud Fr. Mariam &c. quid denotet, hactenus incertum manet. Malbrandus *cremacul*um interpretatur, aitque, *Solitû fuisse antiquitus in symbolum juris proprii tradere in manus possessoris triticeam spicam, si quid arabile donaretur: vel andelaginem, i. cremacum, si domus vel habitaculum.* Intelligens *andelam* seu sustentaculum focarium, quod vulgò *Landier* vocant Galli; quod tamen aliud est à cremacula. Spelmanno, ex Saxon. *andlang*, venit, quod *fustem* seu baculum *longiorem* videtur indigitare: nam *per fustem* investituræ olim fieri consueverunt. Wendelinus ex Germ. *in handen langen*, quod est, *in manus tradere*, derivat: at in formulis prædictis corporale quidpiam vox significat. Car. du Fresne *Glossar.*

Andelaum, vulgò *Andelot*, oppidum Galliæ, in agro Lingonico, inter urbem Lingonas & Nasium castrum Leucorum, quò Guntchramnum & Childebertum Reges A.C. 587 convenisse unà cum Brunechilde ac Faileuba, pacemque inter se ac pactiones quasdam fecisse, scribit Gregorius Tur. Ejusdem meminit Fres-

dega rlu-

degarius *lib.5.Chron. Anno*, inquiens, 17. *regni Theodorici Lingonas mense Maio exercitus adunatur: dirigensque* per Andelaum, *Nasio castro capto Tullum civitatem pervenit*, V. Hadr. Valesium *Not. Gall.*

Andeliacum, vulgò *Andeli sur Seine*, aut *l' Isle d' Andeli sur Seine*, cum tamen nec in insula situm sit, nec flumen Sequanam, licet ei proximum, attingat, locus Galliæ est venerandæ antiquitatis, ad rivum in Sequanam effluentem. 7. circiter leuc. ab urbe Rothomago. Hic Chrothildis, Regina Francorum, fundavit Monasterium Virginum, quod vulgò *Prioratus B. Mariæ* vocatum est, *le Prieuré de Nostre-Dame d' Andely*, & ante aliquot annos ex cella seu Prioratu veteri Benedictinarum Abbatia evasit. Habet & collegium vetus Canonicorum, *Nostræ Dominæ* titulo insigne, Hadr. Valesius *Not. Galliæ*, ubi hunc locum, in Veliocassibus positum, patriam fuisse Hadriani Turnebi, addit. V. quoque *Andelans*

Andenesium, vulgò *Ancenis*, locus est Galliæ, in confinio Andecavorum atque Namnetum positus, ad Ligeris ripam, proximus Uldoni *Oudon*, vico eidem ripæ adposito: quæ utraque loca, olim Andecaviæ attributa, nunc Britanniæ Armoricæ adscribuntur, Hadr. Valesius *Not. Gall.*

Andes, pop. adde: Hos Jul Cæsar *Comm. lib.* 3. cum Turonibus & Carnutibus memorat, & *lib.* 3 proximos Oceano facit: *P. Crassus adulescens cum legione 7. proximus Oceano in Andibus hyemabat.* Sunt tamen Namnetes Oceano illis propiores, utpote inter Andes ac Oceanum medii. Dumnaci *Andium* Ducis meminit Hirtius *lib.*8. Eosdem *Andos* vocat *lib.* 7. Plinio *Andegavi*: Tacito meliùs *Andecavi*, ut & in priscis Galliæ Regum nummis; Vulgò *Angevins*, gens Comitibus suis primùm, dein & Ducibus illustris. Eorum ager vocatur *pagus Andegavensis*, in Capitulis Caroli Calvi apud Silvacum latis, incolis *l' Anjou*, recentioribus *Andegavia*, maxima ex parte cis Ligerim in Lugdunensi Gallia jacens, nonnulla quoque trans Ligerim oppida, & castella ac loca obtinens, quæ tamen Aquitaniæ non attribuuntur. Et quidem pars minor trans Ligerim jacet, cui unum è suis Archidiaconis Episcopus Andecavorum præfectum habet, qui *Archidiaconus Transligerensis*: quemadmodum alium trans fluvium Meduanam, qui *Archidiac. Transmeduanensis* vocatur. Caput gentis Juliomagus est, V. ibi.

Reliqua Andium celebriora loca, oppida, castella:

Argento castrum, aliàs *Argentonium*, vulgò *Argenton.*	Credo vel Credonium ad Oldam, *Craon.*
Balgeium, aliàs *Balgiacum* & *Baugejum*, vulgò *Baugé*, ad Coanonem *Couesnon.*	Durostallum ad Lidericum *Durestal.*
Balgejum vetus *le Vieil Baugé.*	Flecchia ad Lidericum *la Fleche.*
Bellum Forte in Valle, *Beaufort en Vallée.*	S. Florentii oppidum.
Bellum Pratellum *Beaupreau.*	Lusdium *le Lude.*
Bellum Vadum *Beauvau.*	Monasteriolum Berlaii *Monstreuil Bellay.*
Briesерta ad Sartam *Briserte.*	Mons Johannis *Monte Jan.*
Brisacum, postea Braccum saccum, *Brissac*, ad Albantiam *Aubance*	Mons Renelli *Montreneau.*
Burgulium *Bourgueil.*	Mons Sorelli ad Ligerim.
Calidus Mons *Chaumont.*	Poënceium *Pouancé.*
Calonna *Chalonne*, locus illustris, ad Ligerim sinistrum.	Pons Saeii, aliàs *Pons Seji*, & *castrum de Ponte Seji*, vulgò *les Pons de Sé.*
Camilliacum *Chemillé.*	Rupes fortis *Roche-fort*, ad Ligerim.
Castellum Guntherii *Chasteau Gontier*, ad Meduanam fl.	Salmurus vel Salmurium *Saumur*, ad eundem fluv.
Celsi *Ceaux.*	Secretum aut Segretum *Segré.*
Coccejum, unde nobili familiæ nomen, *Cossé.*	Teotuadum castrum, vel Doadum, & Doeum, *Doué.*
Conaldum *Cunaut.*	Triviæ vel Trevæ *Treves.*
Condate *Conde*, ad Erdræ & alterius amniculi confluentem.	Tulliacum *Tuillé*, &c. quibus omnibus mater & caput præest Juliomagus Andium.

Andesagina, vulgò *Ansene* vel *Ancesne*, locus est Auciæ adjacens, in Neustriæ pago Vinemaco: in quem Lupus Episc. Senonicus à Chlotario jun. Francorum Rege relegatus legitur, V. Hadr. Valesium *Not. Gall.*

Andethanna, adde: Dicitur etiam *Andethannale*, quod nomen Gallicum est, ex duobus vocabulis ignotæ significationis compositum. Hic Willebrordus Episc. Trajectensis, Frisiorum plurimorum ad Christianam fidem conversione insignis, Epternacum Mon. condidit, atque in basilica ejus sepultus est. Unde locus *Epternaci* postea nomen accepit. Donavit illud idem largè Ecclesiis ac villis, quas à Pippino & ejus conjuge Plectrude filioque Carolo Martello, atque ab ingenuis Francis acceperat. Epternaci meminit quoque divisio Regni Lotharii A. C. 870. quod oppidum est & Monasterium in Ducatu Luciliburgensi diœcesique Trevirensi; Postquam autem Abbatia hæc Regalis per 109. an. Monachos habuerat, inducti sunt in eam A. C. 859. seculares Clerici seu Canonici, donec anno C. 974. Otto I Imp. in Canonicorum deficientium locum Monachos rursus substituit, Hadr. Valesius *Not. Gall.*

Andium, vulgò *Andie*, una ex cautibus veriùs, quàm insulis, in Oceano Gallico, Æthico memorata.

Andomatunum, adde: Ptolomæo Ἀνδομάτουνον, Lat. meliùs *Andematunum*, à vet. voce Gall. *Dunum*, collem locumve eminentem significante, nomen accepit; utpote urbs in monte posita, caput Lingonum: Unde recentiores, nomine gentis, ex more *Lingonas* nuncuparunt. Hinc in *Not.* vet. Imperii, *in Gallia Præfectus Sarmatarum Gentilium Lingonas*, reperitur: vulgò *Langres.* In *Notitiis* vetustissimis provinciarum & civ. Galliæ, tertia ponitur inter civitates provinciæ Lugdun. primæ, inveniturque in civ. hac Inscriptio D.M. *Moderato Liberto coloniæ Lingonum*: quæ apud Gruterum inscriptio si vera est, deducta fuerit hæc Colonia, post Marci Antonini principatum, seu post Cl. Ptolomæi ætatem, qui ejus coloniæ non meminit. A Vandalis expugnata, à Geilone Eccl. Lingonicæ Episcopo reparata est, circa A.C. 887. ob persecutionem Nortmannorum; qui quoque Carolo Crasso persuasit, ut *propter nimias Comitum seu Judicum inquietationes, civitatis murum, & 15. pedes intus, 60. extra, ac omnia fiscalia intra eandem civitatem ad jus Comitis pertinentia, Lingonensi Ecclesiæ ejusque Rectorum ordinationi donaret*; & ut jus feriundæ monetæ, à patruo ipsius Carolo Calvo, Isaaco Episc. Lingonensi & Ecclesiæ Lingonicæ, ac Divionensi Ecclesiæ S. Stephani concessum, suis literis confirmare dignaretur, nec jam ad alicujus Judicis seu Comitis, sed ad Lingonicæ Eccl. Rectorum dispositionem ambæ monetæ perpetuò pertinerent. Datæ sunt literæ 18. Kal. Februar. A. C. 887. E quibus magnitudinis suæ initiis ita postmodum Præsules hi crevere, ut ex Comitibus Duces Paresque tandem sint facti, V. Hadr. Valesium *Not. Gall.* ut & in voce *Lingones.*

Andoverpum, adde: Ejus primus meminit Audoënus Episc. Rotomag *de Vita B. Eligii Noviomag. & Turnac. lib.* 2. *cap.*8. ubi incolas ab hoc ad fidem conversos refert. Dicitur etiam *Andoverpæ*, vulgò nunc incolis *Antwerpen*, Germ. *Antorff*, Gallis *Anvers*, Hisp. *Amberes*: in diœc. olim Cameracensi, nunc ipsa Episcopatus sedes. Posita est ad Scaldim fluv. 42. m.p. à mari, cujus tamen æstus eousque accedere consueverunt: in agro Renensi, vulgò *Het Land van Ryen* dicto, cujus caput habetur: per quem fluvius exiguus Nutta vel Nuta, *Neta* nunc appellatus, decurrit & præterlapsus oppidum Liram *Lier*, Rupelâ accipitur. Marchiæ *Antverpsæ* meminit Lamb. Schafnaburgensis *ad A. C.* 1081. quæ hodieque pro Marchia vel Marcha Imperii habetur. Ibi aureos olim nummos percussos esse, patet ex literis Hildolfi Præpositi S. Michaëlis, anno C. 1184. apud Hadr. Valesium *Not. Gall.*

Andrachne, Græcè Ἀνδράχνη, arbor Græcis peculiaris, nec proin nomen habens in Latio, de qua V. Salmasium *ad Solinum pag.* 510.

Viri illustres.

Andreas, Austriacus, adde: Frater Caroli Burgoviæ Marchionis, fil. Ferdinandi Archiducis, ex Philippina Welseria, patricia Augustana, Cardinalis fuit & Constantiensis Episcopus. Inde ab Alberto Cardinali Sponsam petente, in Belgio vicarius relictus, magna cum prudentiæ & moderationis laude munere defunctus est. Post reditum Alberti, petito commeatu, discessit, & per Galliam, dissimulato habitu, perrexit ad Episcopatum. Itum tandem ad annum Jubileum Romam, obiit A.C. 1600. Phil. Jac. Spenerus *Syll. Geneal. Histor.* Ab eo nomen castello, quod eodem anno Carolus Mansfeldius ex humo molitus fuit, hinc Mosæ, inde Vahali incumbens; anno verò seq. à præsidiario milite Germano & Walone 125000. Mauritius florenorum redemit, insigni structurâ & positu ad Hollandiæ tutelam aptissimo; bello præsenti à Gallis vastatum, Gall. *Fort S. André.*

Andreas Cæsariensis, adde: Cæsariæ Cappadociæ Episc. natione Græcus fuit. Ejus *Explanationes* sive *Commentarii in Apoc.* in compendium redactæ, ab Aretha Cæsar. Cappad. Episcopo, Græce extant, Veronæ 1532. Latinè Ingolstadii A. C. 1584. Gr. & Lat. cum *Notis* Sylburgii Heidelbergæ 1585. Gen. 1596. & in Bibl. PP. ut & in fine Tomi II. operum Oecumenii. *Vir fuit eruditus & orthodoxus, nisi quòd eorum opinioni favere videatur, qui Sanctos ante communem carnis resurrectionem in cælos admitti negabant*, Possevinus.

Andria, aliàs *Andra*, olim *Anderna*, vulgò *Andre*, locus Galliæ, in finibus Morinorum & Comit. Gisnensi, Ardam inter & Gisnas, unde Monasterio nomen, quod à Balduino Com. Gisnensi A.C. 1084. conditum, Valesius. Est & nomen fluvii, qui aliàs *Anger*. V. ibi.

Andrisus, vel *a*, vulgò *l' Indrois*, quasi *minor Andria*, fluv. est Galliæ qui Villam-Lupæ *Ville-loin* & Montemthesauri præterlapsus, Andriâ recipitur. Sicut Minor Salera *Petite Saudre*, majorem Saleramauget, minor Crosa *Petite Creuse*, majorem Crosam, Hadr. Valesius *Not. Gall.* V. quoque in voce Anger.

Androclus, adde: partem Ephesi, *Τραχεῖαν* dictam, oppido inclusit. Erat autem illa ἡ ὑπὲρ τὸν Κορησσὸν παρώρεια, *jugum collis* (urbi imminens) *supra Corissum*, ut habet Strabo. Postea ex montanis descendentes circa Dianæ Templum habitabant, quod in cavo ac depresso loco erat conditum, ubi etiam usque ad Alexandri M. ætatem urbis suæ sedem habuere Ephesii. Post Ale-

candrum

xandrum v. Lysimachus urbem iterum in superiora transtulit, quò cùm ægrè migrarent Ephesii, magnis & continuis imbribus supervenientibus urbs eorum antiqua submersa est, diluvium id ipso Lysimacho adjuvante, obturatis cloacarum naribus. V. Salmasium *ad Solinum pag.* 809.

Androdamas, dictus *magnes qui argenti colorem præfert*, Plin. vi & duritie adamantis. Potiùs genus hæmatitis, ferrei coloris, duritie & pondere insignis; nec enim alium *androdamantem* Vett. cognitum fuisse constat. Eum trahere in se argentum, æs, ferrum, idem Plinius docet *lib.36.cap.*20. Unde *ἀργυροδάμας* quoque nonnullis dictus, quòd argentum domaret & ad se raperet: quem argentei coloris esse, solo nomine inducti, nonnulli scripsisse videntur, Salmasius *ad Solinum pag* 565. Nomen illi, *quòd hominum iras ac impetum domaret*, uti tum creditum *Ibid.*

Andromachus, Achæi, qui Achaidem urbem in Aria condidit, pater, frater fuit Laodices, Seleuci Regis uxoris. Salmasius *ad Solinum pag.*984.

Andromeda, adde: Ceto exposita fingitur, quòd rapta esset & asportata nave, quæ *ceti* figuram habebat, uti quidem vult Conon. Navis autem *κῆτος* dicta, quæ protomen ceti in prora præferebat, ὁ *κητόπρωρος*. Eædem naves & *κητίδες* & *κητῶναι* dicebantur. Hesychius, *Κητώνη*, *πλοῖον μέγα ἀκάτιον*. Item *Pristes*; nam pristis est bellua marina. Virgilius,

Velocem Mnestheus agit acri remige pristim.

Vbi Servius, *Vel à tutela*, inquit, *depictâ*, *vel ἀπὸ τοῦ πρίζειν vel κύματα*. Volebat dicere *παρασήμου*. Pristis n. *πρόσωπον* erat belluæ marinæ, quæ in prora navis statuebatur, unde navi nomen &c. V. Salmasium *ad Solinum pag.* 671. & infrà ubi de navium *Parasemis*.

Andromeda, de pellibus arietum vestis, à Gr. *andros*, i. *aries*. Joh. de Gallandia *in Synonym.*

Vestes quæ fiunt de solis pellibus, hæ sunt,
Pellicium, Rheno, quibus Andromeda *sociatur*:

apud du Fresne.

Andron, Musicus memoratur Jul. Capitolino in *M. Antonino Philos. Usus est Magistris, ad prima elementa Euphorione literatore & Gemino Comœdo, Musico* Androne *eodemque Geometrâ: quibus omnibus — plurimum detulit.* Hunc *Tantasidem* dici, in initio operis à Marco conscripti, ubi nominat eos, qui primi ipsum studiis Philosophiæ imbuerunt, conjicit Casaubonus; ita enim ibi Marcus, *καὶ τὸ ἀκούειν πρῶτον μὲν Βακχείου, εἶτα Ταντασίδου καὶ Μαρκιανοῦ*: sed depravatam esse lectionem, nec verò facilem emendatu, judicat, *Not ad d. l.*

Andron, Græcè Ἀνδρών, citerioribus Latinis *Androna*, atrium seu locus domicilii longitudine angustior, in quo Viri plurimùm morabantur, auctore Sexto Pompejo. Festo aliisque, compitum, locus publicus, ubi viri invicem confabulabantur. Gall. *Galeries*: hodie in celebrioribus Emporiis, *Bursa*. Unde Concilium Carthagin. II. *can.*47. & Atto Episc. in *Capitul.cap.*44. *Clericus per plateas & andronas — non ambulet.* Petrus item Damianus *lib.*3. *Epist* 4. *Pecunia per regiones*, andronas *vel angiportus erogatur.* Juxta Vitruvium *lib.6.cap.*10. *ἀνδρῶνας* apellant Græci itinera, quæ inter duas aulas media sunt interposita, *μεσαύλια* &c. V. Car. du Fresne *Glossar.* Macro, locus quoque sic dicitur in Ædibus sacris fortiori sexui destinatus, cùm antiquissimi moris fuerit, separatim in Templis viros fœminasque orare; id quod hodieque religiosè observatur apud Christianos Orientis: ubi mulieres in parte remotiore ac strictim per cancellos separatæ, & januam suam peculiarem habentes, seponuntur. Fuit autem hic Virorum locus in parte Ædis Meridionali; sicut mulierum, in parte opposita Septentrionali. Amalarius *de Eccles Offic.lib.3.cap.*2. *Masculi stant in Australi parte, & feminæ in Boreali, ut ostendatur per fortiorem sexum firmiores Sanctos semper consisti in majoribus tentationibus æstûs hujusmodi: Et per fragiliorem sexum, infirmiores sanctos aptiori loco — Fidelis namque Deus, qui neminem permittit tentari. ultra vires* &c. Idem apud Hebræos olim obtinuisse, contendit Car. Macer, ex Ezechiel. *cap.* 8. *vers.*14. V. utrumque Fratrem *in Hierolex.* & infrà in voce *Transenna.*

Andronicus Cyrrestes, ventorum octo numerum (quos solos antiqui ut præcipuos norunt, tres Occidentales, & tres Orientales inter se adversos, unum Septentrionalem & unum Meridionalem, ut videre est apud A. Gellium *lib.2.cap.*22.) primus instituit sicque divisit. Cujus rei ergò turrim marmoream Athenis collocavit octogonon, in cujus singulis lateribus singulorum ventorum imagines exsculptas contra suos cujusque flatus designavit; supra turrim autem metam posuit itidem ex marmore, cui Triton æneus impositus, ad omnem venti auram versatilis, virgâ, quam manu porrigebat, indicabat quis flaret ventus. Ad quod exemplum hodie in summis ædium fastigiis & templorum obeliscis gallus gallinaceus ponitur ex ære, qui semper rostrum contra ventum flantem habet conversum, V. infrà in voce *Pinnacella.* Formam octogoni hujus Salmasius exhibet, *ad Solinum pag.* 1246. & nomina ventorum ex Vitruvio hæcce, *Solanus, Eurus, Auster, Africus, Favonius, Chorus, Septentrio & Aquilo*; quibus Græca ista nomina addit, *Ἀπηλιώτης*, Εὖρος, Νότος, Λίψ, *Ζέφυρος*, *Ἀργέστης*, Ἀπαρκτίας, *Βορέας*. V. infrà in voce *Octogonon.*

Anemone, ipso veris initio venit in lucem, odoris expers, at non decoris & dignitatis. Ejus cauliculus exilis, lanuginosus, palmaris, circa dimidium, aut sub ipsum cacumen, tribus foliaceis laciniis, sine pediculo pressiùs inhærentibus & aliquantulum surrectis intercinctus. In cacumine florem explicat, latioribus foliis non minùs senis, fere in rosæ amplitudinem circinatum. Aliàs idem flos, multiplici serie foliorum contexitur, sed angustiorum; medio interdum globulo staminibus obsito atque villoso, seminibus pleno capitulatis. Color item multiplex est, ruber, albidus, violaceus, cinereus, varius. Franciscus Pomey *Descript. Var.*

S. Anemundi castrum, Galliæ, haud procul ab urbe Lugduno, in pago Forensi, S. *Anemundi* Episc. Lugdunensis nomine illustre, quem vulgò appellant Chanemundum, *S. Chamond*, & corruptè *S. Chaumont.*

Anensia Juga, apud Plinium *lib.*37.*cap* 2. ubi de crystallo, *Cornelius Bocchus & in Lusitania nasci perquam mirandi ponderis* Anensibus *jugis, depressis ad libramentum aquæ puteis*; uti legit Salmasius: sunt juga, unde *Ana* fluvius oritur, V. eum *ad Solinum pag.* 407.

Anetum, adde: Vulgò *Anet.* Ejus meminit Ordericus Vitalis *lib.*2.

Angaria, vox Persica, per Græcos ducta; id est, quod præter debitum exigitur per Superiores à subditis: sive in pecunia, sive in obsoniis, sive in operibus personarum, equorum, curruumve & hujusmodi. Will. Conquestoris Abb. Rames. *Volo, ut nullis unquam graventur oneribus expeditionum, nec pontium restructione, nec juris apprehensione; sed ab omni* angaria *Regalium ministrorum sint perpetim expediti.* Brito Armoricanus *Philipp. lib.* 12.

Vexavit nullum census exactio, nullum
(ut fieri solet à multis) angaria *læsit.*

Hinc *Angarus*, pro exactore, bidelio seu ballivo. Dicuntur etiam *Angari*, quos hodiè postas vocant: & *Angariæ*. diversoria ubi hujusmodi postæ cursus sistunt. V. Henr. Spelmannus in *Glossar.*

Angariæ, plaustrorum & jumentorum præstationes sunt, & quidem per viam directam, ut *parangariæ* alioversum, ut pluribus docet Gotofredus *ad l.*4. *Cod. de Cursu publ.* hincque pro ipsis carris & plaustris, quæ ad cursum à provincialibus præstabantur. Unde onerum mensura definita in rhedis, *angariis*, & veredis, *l.*30. *Cod. Theodos. de Cursu publ. Ut nemo amplius rhedæ. quàm mille pondo; angariæ, quàm mille quingenta; veredo. quàm triginta, auderet imponere: Et leg.*28. *ejusd. tituli Angarias* à bobus fuisse tractas patet, *leg.*1. *eod. tit. & l.*11. quâ cavetur, ut pro singulis *angariis* bina tantùm boum paria consequantur, quibus Angariarum cursus permissus fuerit. Adeoque *angariæ* illæ plaustra tantùm & carra fuere ferendis oneribus & impedimentis destinata & transvehendis speciebus publicis, quæ non multum celeriter ibant, quia boves ea trahebant. Quam ob causam *angarias & parangarias à cursu* separat *tit. Codicis Theodos. de cursu & angariis*, & *l.* 15. cùm Julianus discursus veredorum & paraveredorum amputasset in prov. Sardinia, *angarias* tamen non submovit, propter publicas species, quæ ad diversos portus erant deferendæ. Salmasius *ad Capitolinum in Antonino Pio.* V. quoque infrà, ubi de *Clavulari Cursu*, quem is, Vehiculario contradistinctum, cum Angariis eundem facit. Sed & *Angariæ*, onera dicuntur agris aut personis imposita, apud Ugutionem & Wilhel. Britonem in *Vocabular. MS.* atque hinc, pro qualibet vexatione, injuria, animi anxietate, aliquando sumuntur. Guntherus *Ligurini lib.* 2.

Hujus ab antiquo Comitatum in finibus urbis,
Solus ab angariis *Italorum pæne solutus*.
Præsidio Ligurum Guido Blandratensis habebat, &c.

Originis Persicæ, ut dictum, vox est: *Angaros* enim, tabelliones Regios eâ linguâ dici solitos, notum; quibus quia concedebatur facultas sumendi ubique equos, obviosque quoslibet ad auxilium præstandum cogendi (id quod hodie apud Turcas in usu esse, non sine maximo iter facientium incommodo, Tavernier docet, *Itiner.*) hinc *ἀγγαρεύειν*, pro *urgere, cogere, onus imponere*, etiam in Sacris, dici cœpit. Huc respiciens Æschylus in *Tragœd.* *ἄγγαρον πῦρ* eleganter vocavit ignem illum, quo in littoralibus pharis constituto signum dabatur, quoties per totam regionem quiddam celerrimè nuntiari esset necesse; quasi *Cursorem Ignem &c.* V. Car. du Fresne *Glossar.* & Macros Fratres in *Hierolex.* At *Angaros* ipsos Persarum Syrorumque (nam & hi illis utebantur) à voce עגור *Agur* dictos vult Bochartus: quæ quamvis hodie pro *grue* non usurpetur apud Arabes, olim tamen sic adhibitam esse, verisimile est, hinc namque verbum *agara*, quod aliquem *ad lares suos postliminiò reverti* vel *aufugere* notat: qui gruum omnino mos est. Illas enim amore patriæ in Scythiam & Thraciam, unde ortæ sunt, quotannis redire, pluribus docet Ælianus *lib.*3 *cap.*13. & 23. Jam verò *Angari* cum gruibus certare credebantur celeritate cursûs: *Φασὶ δέ τινες θᾶττον τῶν γεράνων ἀνύεσθαι ταύτην τὴν πορείαν. Quidam hoc iter gruum volatu celeriùs confici referunt.* Xenoph. *Cyropædiæ lib.* 8. apud Bochartum *Hierozoici Part. poster. pag.*80.

Angelo, adde: Hodie *Angelocopus* & corruptè *Ambelokipous* dicitur.

citur. Fuit castrum seu pagus I. mill. Athenis distans: unde qui erant Ἀγγελῆς appellati sunt, uti docet Jac. Sponius, ex vet. *Inscr.* Prytanum tribus Pandionidis, quæ hodieque superest in ædibus civis cujusdam Athenienfis, & sic incipit:

ΠΑΝΔΙΟΝΙΔΟΣ ΠΡΥΤΑΝΕΙΣ
ΑΝΕΘ.

ΠΑΙΑΝΙΕΙΣ	ΑΓΓΕΛΕΙΣ
ΣΤΡΑΤΩΝ	ΘΕΟΓΕΝΗΣ
ΔΗΣ ΣΩΣΙΓΕ-	ΕΡΕΟΦΙΛΟΥ
ΝΟΥ	ΜΕΛΗΤΟΣ &c.

V. cum *Itinerar. Græciæ Part.* 3 *pag.* 69 & *seqq.* nec non *Part.* 2. *pag.* 172.

Angeli quatuor, in leonis, vituli, aquilæ & hominis specie primò Ezechieli *cap.* 1. *versu.* 10. & *cap.* 14. *versu.* 14. deinde etiam Johanni in Apocal. *cap.* 4. *versu* 7. visi, non Angeli solùm, sed & Archangeli, qui aliis præfecti sint & eorum unicuique pensum suum assignent, fuere, judice Bocharto: qui *ex quatuor fabris,* totidem *cornibus,* id est, imperiis, oppositis, apud Zachariam *c.* 2. *vers.* 1, 2. ex quatuor item *quadrigis,* apud Eund. *cap.* 6. *vers.* 6. porro, ex quatuor *Mundi partibus,* apud Danielem *cap.* 7. *vers.* 2. totidemque *Templi faciebus,* apud Ezech. *cap.* 48. *vers.* 30. novæ tandem Hierosolymæ *lateribus,* apud Johannem Apocalyps. *cap.* 21. *vers.* 13. tot esse Archangelos, tam Ecclesiæ, quàm Terrarum Orbi, præfectos, colligit, per quos inferiora hæc omnia Deus administret atque gubernet. Formas verò quod attinet, per *Leonem* significari vult in *Angelis* robur, generositatem & Majestatem Dei, hostibus terribilem, in iis relucentem; per *Bovem* constantiam, patientiam, firmitatem, & assiduitatem, in obeundo munere, sibi divinitus demandato; per *Hominem,* humanitatem, lenitatem & φιλανθρωπίαν; per Aquilam tandem, naturæ coelestis vigorem, agilitatem, & ad sublimia nisum. Addit, singula hæc animalia eximium aliquid habere: quippe Leo in feras, aquila in aves, bos in domesticum pecus. Homo in omnes imperat & primas tenet. Et ex his duo sunt fera, Leo & aquila; duo mansueta, bos & Homo: illa, ut rebelles terreant; hæc ut piis sint solatio. E' feris Leo in terra sectatur prædam, aquila etiam in aëre & mediis in nubibus; ut hos Spiritus sciamus, non solùm homines aggredi, qui humi repunt, sed & τὰ πνευματικὰ τῆς πονηρίας ἐν τοῖς ἐπουρανίοις. Ephes. *cap.* 6. *vers.* 12. &c. V. prædictum Bochartum *Hierozoici Part. prior. L. III. c.* 6. ut & Comment. Bibl.

Angelica Vestis, apud Florentium Wigorniensem de *Gregorio* VII. Pontif. Rom. *Quia finem vitæ suæ aspiciebat — induebat se* Angelicam *vestem:* ἀγγελικὸν σχῆμα, in *Euchelog.* Græcorum & in *Vita* S. Nili Iun. τὸ ἀγγελικὸν τῶν μοναχῶν σχῆμα, in *Martyrio* Bacchi Jun. alibique passim, habitus dicitur Monachicus. Unde Ἀγγελικὴ ἀκολουθία, in eadem Nili *Vita,* Ordo ad habitum hunce induendum. Monachorum autem habitus hoc elogio ornatus est, quòd & ii dicantur *Angeli* Patribus non semel, eorumque vitam *Angelicam* esse conveniat. Sed & willhelmus ait Abbas Metensis *Epist.* 5. *Multi tales sub Angelico habitu delitescunt, quorum misera est conversatio, tantaque vitæ perversitas &c.* Hunc verò habitum sumere dicebantur morituri Laici, ut ait du Fresne, qui priùs quàm vitâ excederent, Monachicis indumentis involvi postulabant, ut orationum Monachorum essent participes eorumque ad id nomina in Calendario seu Necrologio scriberentur, ex Anselmo *lib.* 2. *Epist.* 21. Aliisque Scriptoribus, quos magno numero hanc in rem laudat, in *Glossar.*

Angelolatria, satis antiqua est. Sanè Jos. Albus *in Jcarim lib.* 3. *c.* 18. eam omnium antiquissimam idololatriam arbitratur, quòd homines, *Angelis* cultum statuerint, tanquam Mediatoribus & sequestris, inter se & Deum. Sed enim hic etiam honor universè damnatur, Deuteron. *cap.* 6. *versu* 13. & *cap.* 10. *vers.* 20. In primis ad Coloss. *cap.* 2. *versu* 18. Paulus, ubi ait, *Nemo vos seducat, volens in humilitate & religione* Angelorum, *quæ non vidit* &c. illud inanis Philosophiæ *vers. præc.* 8. rejectæ, exemplum improbat, quando quis humilitatis prætextu, non rectâ ad Deum & Christum preces suas fundit, sed Mediatores *Angelos,* more Platonicorum, invocat: quibus Spiritus ejusmodi erant *divinæ mediæ potestates,* ut ait Appulejus, *inter mortales cœlicolasque vectores, hinc precum, inde donorum.* Et Colossi quidem, quibus ea scripsit Paulus, Phrygiæ erat civitas, ut metropolis ejus Laodicea. In Phrygia autem & Pisidia obtinuit hic cultus, non Apostolicis modò temporibus, sed etiam tribus pòst seculis. Unde Synodus Laodicena A. C. 364. sic cavit *can.* 35. sive 138. juxta collectionem & interpretationem Dionysii Exigui: *Quòd non oporteat Christianos Ecclesiam Dei relinquere & ire atque* Angelos *nominare, & congregationes facere, quæ interdictæ noscuntur. Si quis igitur inventus fuerit huic occultæ Idololatriæ serviens, sit anathema; quia reliquit Dominum nostrum Jesum Christum, & se Idololatriæ tradidit.* Qua de re sic Theodoretus *ad Coloss.* capite cit. *Qui legem,* inquit, *defendebant, nos etiam ad Angelos colendos inducebant, dicentes fuisse per eos legem datam. Mansit autem diu hoc vitium in Phrygia & Pisidia. Quocirca Synodus quoque, quæ convenit Laodiceæ — lege prohibuit, ne precarentur Angeli, & in hodiernum usque diem licet videre apud illos & eorum finitimos, oratoria S. Michaelis. Illi ergo hoc consulebant, utique humilitate utentes, dicentes universorum Deum nec cerni nec comprehendi, nec apud eum posse perveniri, & oportere per Angelos divinam sibi benevolentiam conciliare.* Illi autem, qui *Angelos* colebant, *Angelici* dicti sunt. quorum meminit Epiphanius *Hær.* 60. & ex eo Zonaras ac Balsamo *ad Can. Concilii Laod. prædictum.* Mirum verò, ambigere Patrem, an non & ita vocari potuerint ab regione ultra Mesopotamiam, quæ Ἀγγελικὴ dicta fuit: Clarius ἴσως perspexit Augustinus *Hær.* 39. *Angelici in Angelorum cultum inclinati, quos Epiphanius jam omnino defecisse testatur.* Et hæc de *Angelis* bonis, quorum veneratio fuit antiquior, de quibus V. quoque in voce *Genius*: postea & mali sibi metu hominibus incusso, delubra arasq; quæsiverunt, sed de iis V. in voce *Dæmon.*

Angeloptes, cognomen Johannis Ravennatis Archiep. inter suos pro Sancto habiti, quem ob continuas *Angelorum* apparitiones, sic vocatum esse, q. *Angelos spectantem,* ait Car. Macer *Hier.*

Angelus, titulus quo Monachi olim apud Patres insigniti, ut vidimus. Quo item Pontifices Rom. aliique Episcopi compellari consueverunt. Justinianus Comes, postea Imperator, ad Hormisdam Pontif. *Comperimus — ad* Angelum *vestrum hinc discedentes iter arripuisse.* Anastasius Biblioth. *Præfat. ad Synodum* VIII. *Domino Coangelico Johanni Pontifici* &c. Sic Honestus *Coangelicus Archiepiscopus Ravennatis Ecclesiæ,* in vet. *Charta* apud Rubeum *Histor. Ravenn. lib.* 5. Johannes Tranensis in Apulia Episcopus ἰσάγγελος, apud Lambecium *Cæsar. Biblioth. lib.* 5. *pag.* 124. quo modo apud Palladium in *Histor. Lausiaca cap.* 43. Theodosius M. ὁ ἐν ἀγγέλοις ἀριθμούμενος, dicitur. Occasio tituli ex Apocalypsi S. Johannis, in qua Episcopi VII. in Asia Ecclesiarum constanter *Angeli* dicuntur. V. ibi, & plura de hoc titulo, apud du Fresne.

Angelus, apud Witikindum *de Gestis Saxon. lib.* 1. *Imperatorem, in primis, mediis & ultimis versantem, videntes, coramque eo* Angelum — *acceperunt fiduciam, magnamque constantiam.* Et *lib.* 3. *In quinta (acie) quæ erat maxima, & dicebatur Regia, ipse Princeps vallatus lectis ex multis militum millibus, alacrique juventute, coramque eo* Angelus, *penès quem victoria, denso agmine circumseptus* &c. Vexilli præcipui, apud Impp. Occidentales, quòd S. Michaelis effigie insigniretur, nomen erat. Ita enim ipse Witikindus, *Hoc vocabulo effigieque signum maximum erat insignitum, lib.* 1. *cit.* V. quoque Conr. Urspergensem. Apud Græcos Impp. sequioris ævi inter varia, quibus in ceremoniis Palatinis & Ecclesiasticis utebantur, vexilla, primum similiter fuit, quod τὸ Ἀρχαγγελικὸν seu S. *Michaëlis,* appellatum est, Codinus de *Officiis c.* 6. apud Eund.

Angelus, nummus aureus Francicus, in *Regesto* vet. apud Eund. Denarius nempe auri puri cum Angelo, Gall. *Denier d'or fin à l'Ange*: in quo effictus *Angelus* togatus & coronatus, draconem pedibus premens, dextrâ crucem florigeram & lævâ scutum tenens, in quo tria expressa lilia, pond. 5. den. 16. gr. & pretii 75. Turon. ponderis 33. & 2. tert. ad marcam Parisiensem. Cusi sunt sub Philippo VI. hi nummi, & vocantur *Primi Angeli* vulgò: præter hos enim, sub eodem Rege, etiam prodierunt *Angeli secundi,* Gall. *seconds Anges,* pond. 5. den. tantùm & pretii 75. Turon. pond. 42. ad marcam Paris. & *Tertii Angelii,* pond. 4. den. 13. gr. pretii 4. lib. 5. sol. Turon. V. Car. du Fresne in voce *Moneta.*

Angelus Ubaldus JC. Perusii natus, Baldi frater, Parisiis jus Civile docuit, magnaque de eo volumina in lucem edidit; Floruit autem circa A. C. 1040. Hotomannus in *Prætermiss.*

Angerona, adde: Non omnis autem silentii præses *Angerona* habita est, sed illius tantùm, quo nomen alterum Romæ taceri tegique, religio jubebat. Unde & eam quidam Numen tutelare Romæ esse tradiderunt, cujus etiam nomen ne publicaretur, arcanis ceremoniarum erat sancitum, haud minus quàm Romæ. V. Plinium, Solinum & qui ad hunc commentatus est, Salmasium *Exercit. Plin. pag.* 8.

Angevina, meliùs *Andegavina,* Gall. *l' Angevine,* dicitur apud Andegavenses in Gallia festum nativitatis S. Mariæ, quòd censuum ac redituum prædiorum in ea provincia solutiones fere omnes in hoc Festum incidant. non verò, quòd illud institutum fuerit à S. Maurilio Andegavensi Episcopo, uti Bordinius censet *Histor. Andeg. p.* 16. cùm ejus celebritatis memoriam primùm auditam in Galliis plerique velint, sub Carolo Calvo, quòd is in *Capitulis* Walterii Episc. Aurel. editis à Cellotio, *cap.* 18. illius meminerit, de ea verò sileant Herardus Turonensis, Hincmarus Remensis, Isaacus Lingonensis & Theodulfus, & ipsi Aurelianenses Episcopi. Car. du Fresne in voce *Festum.* V. quoque Ægidium Menagium ei laudatum in *Origin. Linguæ Franc. pag.* 676.

Angia, adde: Flandris & Hannoniis *Edinghen*; Gallis *Enghien* olim, nunc *Anguien* vel *Enguien.* Primò sub Dominis, dein Baronibus, tertiò sub Ducibus fuit. Unde errant, qui pro Duce *Angiensi,* Ducem Enguienensium vel Anguianum nobis obtrudunt, Hadr. Valesius *Not. Gall.*

Angio, vulgò *Agnon,* fluv. Galliæ, qui Campiniacum *Champigni* & Marginellam *la Margelle,* aliquotque alios vicos præterfluens, dein Tilam auget, Hadr. Vales.

Angledura, vulgò *Angiure,* locus Galliæ, in agro diœcesique Tricassium, Baronis unius è quatuor Paribus Episcopatûs Tricassinâ sedes, ad fluv. Albam: ut Artiaca, Planciacum vel Plancejum & Marcelliacum *Marcilli.* Item locus Leodico proximus, vulgò similiter *Angiure* dictus, Idem.

Anglia,

Angliæ, adde: Ejus recepta Instrumentis publicis divisio, 3. his membris constat, *Angliâ* in specie sic dictâ, Walliâ & Bervvicko ad Tvvedam: è quibus Bervvicki civitatis mentio fit, quia propriè ad Scotiam olim pertinuit, sed postmodum Conquestus jure Anglorum reddita est; in distributione Collectarum tamen Comitatui Northumbriæ annumerari solet. Minores partes sunt Shiræ de qua voce V. suo loco, vel Comitatus 52. Angliæ 39. Walliæ, 13.

Shiræ seu Comitatus Angliæ, ex Camdeno, qui illos hoc ordine proponit.

Cornubia *Cornvall.*	Huntingdonia *Huntingdonshire.*
Devonia *Denshire.*	Northamptonia *Northamptonshire.*
Dorsetia *Dorsetshire.*	Lecestria *Leicestershire.*
Somersetensis C. *Somersetshire.*	Rutlandia *Rutlandshire.*
Wiltonia *Wiltshire.*	Lincolnia *Lincolnshire.*
Hantonia *Hamshire.*	Nottinghamia *Nottinghamshire.*
Berceria *Berkshire.*	Darbia *Derbyshire.*
Surria *Suthry.*	Warvvicum *Warvvickshire.*
Sussexia *Sussex.*	Wigornia *Worcestershire.*
Cantium *Kent.*	Staffordia *Staffordshire.*
Glocestria *Glocestershire.*	Salopia *Shropshire.*
Oxonia *Oxfordshire.*	Cestria *Cheshire.*
Buckinghamia *Buckinghamshire*	Eboracum *Yorckshire.*
Bedfordia *Bedfordshire.*	Richmondia *Richmondshire.*
Herfordia *Herfordshire.*	Dunelmensis Ep. *Bishoprick of Durham.*
Middlesexia *Middlesex.*	Lancastria *Lancasshire.*
Essexia *Essex.*	Westmorlandia *Westmerland.*
Suffolcia *Suffolck.*	Cumbria *Cumberland.*
Norfolcia *Northfolck.*	
Cantabrigia *Cambridgeshire.*	

Northumbria *Northumberland.*

Shiras Walliæ, V. suo loco. Solum, præter ea, quæ jam dicta, croci quoque insigniter ferax est, adeò ut ingentia arva tempore autumnali eo turgeant, & numeratur inter meliora croci genera, quod hic crescit. Tabaci quoq; culturam non minori cum successu in agris Glocestriensibus incolæ tentarunt, sed edictis regiis, quanquam ægrè, inde retracti sunt, ne Coloniæ Americæ quidquam detrimenti hinc caperent. Nec vineas terra respuit, sed illarum negligitur cura, quod non credant nativum vinum ad siceræ suæ (potus ex pomis expressi, vulgò *Cider*) bonitatem surrecturum, & dein vinum Gallicum eodem ematur pretio, quod in vitium curam impendendum esset. Hoc etiam *Angliæ* peculiare est, quòd ciconias nullas & ranas plerunque mutas habeat: Plura horum qui volet, videat Eduardi Merreti *Pinacem Rerum Nat. Britanniæ*, & Joh. Childræi *Britanniam Baconicam*. Regum Angliæ periodos quinque numerant Politici. I. *Britannicam*, à vet. quodam Bruto, usque ad Cæsarem. II. *Romanam*, à Cæsare usque ad Constantinum M. quâ Britannia, Cambr â exceptâ, in Rom. potestate fuit, sed nudata primùm sub hoc Imperatore milite, mox planè relicta. III. *Saxonicam*: Cùm enim discedentibus Romanis, Britanni à Pictis Scotisque mirum in modum divexarentur, illi Anglos & Saxones è Germania in auxilium vocarunt: qui ducibus Hengisto & Horsâ A.C. 449. appulsi, rem primò contra Britannorum hostes egregiè gesserunt, dein ipsos Britannos retrocedere ac in montana Cambriæ se recipere coegerunt, quæ loca hi deinde usque ad Nortmannorum retinuere tempora, veterum morum ac linguæ in hunc usque diem tenacissimi. Tum *Angliæ* nomen increbuit, ortaque est celebris Heptarchia Regulorum Anglo-Saxonum, quam usque ad Nortmannorum tempora utcunque produxerunt. IV. *Danicam*, eam quidem non diuturnam, sed tamen rebus gestis satis illustrem. Postquam enim Dani totis 330. annis, prædandi animo, Angliam variis invasionibus turbassent, tandem Sueno Danorum Rex imperii in Anglia initium fecit, circa A.C. 1012. Quem secutus fil. Canutus, initiò dimidio regno, ex pacto cum Edmundo R. paulo post autem, interfecto hoc, toto potitus est. Sed successoribus Canuti Heraldo & Hardecnuto sensim enervatis ac extinctis, regnum ad Eduardum Confessorem, Ethelredi R. è Saxonum familia filium, devolutum est. V. *Normannicam*, cujus auctor Guilielmus Conquestor, qui ab Eduardo præfato successor nominatus, Heraldo Com. regni usurpatore victo, Angliæ regnum occupavit & ad posteros suos transmisit.

Successores Guilielmi I. Conquestoris, in Anglia.

Guilielmus II. cogn. *Rufus.*	Eduardus III.
Henricus I.	Richardus II.
Stephanus.	Henricus IV.
Henricus II.	Henricus V.
Richardus I.	Henricus. VI.
Johannes.	Eduardus IV.
Henricus III.	Eduardus V.
Eduardus I.	Richardus III.
Eduardus II.	Henricus VII.
Henricus VIII.	Elizabetha.
Eduardus VI.	Jacobus I.
Maria.	Carolus I.

Carolus II.

De quibus V. suo loco. Comprehenduntur autem Regum *Anglorum* jurisdictione, hodie Magna Britannia, Hibernia, iisque adjacentes insulæ Orcades, Hebrides, Sorlingæ &c. Etiam ad Galliam sitæ Garnsea & Jersea; In America N. Anglia, N. Belgium, Virginia, Jamaica &c. in Africa Tingi *Tanger* &c. Maris quoque circa M. Britanniam dominium quæsitum, quam in rem A.C. 1665. flagrante bello Anglico-Belgico nummi fuere cusi, cum inscriptione, QUATUOR MARIA VINDICO: Sed res inter eruditos non sine controversia fuit, nec utroque bello, tum prædicto, tum nupero, scopus obtentus. Imperio Germanico quidem se submisisse *Anglia* legitur, in literis Henrici II. ad Fridericum Barbarossam & tempore Richardi I. captivi, quem *consilio matris suæ Henrico VI. Imp. sicut universorum Domino, regnum tradidisse & investivisse eum per pileum suum*, narrat Roger. Hovedenus, sed res diuturnæ observationis non fuit. Nec tributarium illud Romanæ sedi, sed denarium Petri Romam quotannis missum, eleemosynam solùm fuisse, in sustentationem Scholæ Anglorum Romæ institutæ, demonstrant, Spelmannus *Concil. Angl. T.1. p.230. & 311.* ac Usserius *de Christ. Eccl. Success∫. & Stat c. 7. §. 8. & seqq.* Imò & ante Henricum VIII. qui sese *Ecclesiæ Anglicanæ caput* primus vocavit, radios sacræ Potestatis suæ, qui ante eum fuere, Reges subinde emiserunt, Statuto inprimis duplici condito, *de Mortmaine & Præmunire*: quorum illud tempore Eduardi I. A.C 1279 alterum anno Regis Richardi II. 16. Domini 1339. factum est. Parliamenta *Angliæ* non Dicasteria significant, ut in Gallia, sed Ordines Regni, i. eos, quibus facultas deliberandi & decidendi de publico data est. Suntq; duo Superius, quod Proceres, qui vulgò *Lords*, Scoticè *Lairds* ac compellandi formulâ *Mylords* dicuntur, & Archiepiscopos, Episcopos, Duces, Marchiones, Comites, Vicecomites ac Barones, comprehendit: & Inferius, quod Nobiles ac Civici constituunt. Utriusq; consensu & auctoritate, Regio accedente jussu, Leges regni conduntur, quibus nomen datur *à Statuor Act of Parliament* sed si pars dissenserit, *An ordinance of Parliament* vocatur, nec Legis Universalis titulo donari potest. Inter statuta primas tenet Magna Charta, V. ibi.

Viri ministerio ac gratia Regiâ præcipui.

Richardus Foxius & Reginaldus Brajus, sub Henrico VII.	Robertus C. Essexius sub Elizabetha.
Wolsæus, & Thomas Cromvvelus sub Henrico VIII.	Robertus Car, Georgius Villerius Buckingamiæ Dux creatus, sub Jacobo I. M. Brit. R.
Reginaldus Polus, sub Maria.	

Pop. *Angli*, inter quorum singularia est: Quòd initium annorum suorum ducant à die 25. Mart. quæ consuetudo & in Hispania est recepta: In Instrumentis publicis insuper non tam annos Domini nostri, quàm Regum suorum, numerant: Tormentis in veritatem non inquirunt: Cùm quis per contumaciam in judicio capitali mutus stat, vel illud non respondet, quo judicium ad exitum possit perduci, de cœtero autem in confesso est, illum criminis reum esse, enecant illum supplicii genere, quod *Panam fortem ac duram* vocant; cœterùm bona necati hæredibus relinquunt, quæ aliàs in Fiscum Regium concederent, &c. Patronum olim *Angli* (sicut Portugalli) S. Georgium, Equites inprimis Periscelidis, habuerunt, de quo ordine V. in voce *Periscelis*. Quemadmodum apud Scotos *S. Andreas*, & apud Cambros David *S. Davis*, avunculus Arthuri Regis in pretio fuit. Plura V. apud Auctorem Anonymum *Hist. Orbis Terrarum Geogr. & Civ. passim, inprimis verò cap. 4. de Regno Angliæ.*

Anglicum Opus, cujus meminit Johannes Rubeus in *Vita* Bonifacii VIII. Pontific. Rom. pag. 345. *Quinque aurifrigia, quorum tria sunt de opere Cypresi & unum de* opere Anglicano, *& unum est ad Smaltos* &c. & Leo Ostiensis *libro 2. capite 33. Loculus ille mirificus — argento & auro gemmisque* Anglico opere *subtiliter ac pulcherrimè decoratus*; quid sit, patet ex *Gestis* Guilielmi Ducis Normanniæ & Regis Angliæ *pag.* 211. ubi de Anglorum in artibus solertia: *Anglicæ nationis feminæ multum acu & auri texturâ, egregiè viri in omni valent artificio*, apud du Fresne *Gloss.*

Anglicus, monetæ Anglicæ species, in *Vita S.* Donatiani Episc *Filum argenteum duos* Anglicos *valentem, pro munere tibi apportabis*, Dominic. Macer *Hierolexic.*

Anglischeria, V *Englischeria.*

Anglo-Saxones, è Germania, à Vortigerno Britanniæ R. (post desertam à Romanis sub Valentiniano II. Imp. circa A. C. 430. Britanniam) à Scotis Pictisque graviter afflicto, contra illos evocati, Ducibus Hengisto & Horsâ, non solùm Britannorum hostes fortiter retuderunt, sed & amœnitate Regionis capti, arma in ipsosmet Britannos verterunt, illisque totâ fere Insulâ pulsis, septem constituêre Regna, de quibus V. paulo infrà

Comitatus iste sit, precor, tuus nunquam,
Hos illi Amicos *& greges Togatorum*
Fusciculenus praestat & Faventinus.

Imò ut hæc jactantia se proderet magis, Kalendaria (ut ita dixerim) *Amicorum* excogitata sunt, in quæ nomina eorum referrentur. Seneca *de Benefic. lib. 6. cap. 33. Nescis, quantum sit pretium Amicitiæ, si non intelligis multum te ei daturum, cui dederis* Amicum; *rem non domibus tantùm, sed seculis raram, quæ non alicubi magis deest, quàm ubi creditur abundare. Quid? istos tu libros, quos vix Nomenclatorum complectitur aut memoria aut manus,* Amicorum *existimas esse? Non sunt isti Amici, qui agmine magno januam pulsant, qui in primas & secundas admissiones digeruntur; Consuetudo ista vetus est, Regibus Regesque simulantibus, populum amicorum describere.* Cui nescio quid simile stomachans Umbricius habet, apud Juvenalem *Sat. 3. versu 183.*

—— —— *Omnia Romæ*
Cum pretio quid das, ut Cossum aliquando salutes?
Ut te respiciat clauso Vejento labello?
Ille metit barbam, crinem hic deponit amati,
Plena domus libris venalibus. ——

V. quæ alibi de *Officiosis* & *Salutandi ritu* dicemus. In aula Palatina Liberti erant, qui *Amicorum* Principis gererent curam. Ita enim legimus, in sepulchralibus quibusdam *Epigrammatibus* Romæ,

TI. CLAUDIUS. AUG.
LIB. FORTUNATUS. A.
CURA. AMICORUM.

Et,

D. M.
LIBERTORUM.
T. FLAVI. AUG. LIB.
VICTORIS.

Et,

M. ULPIUS.
AUG. L.
A. CURA. AMICORUM.

At hæc frequenter dicis causâ facta sunt. *Etenim in Principum domo* (scribit Plinius *Panegyr.*) *nomen tantùm amicitiæ, inane scil. irrisumque remanebat. Nam quæ poterat esse inter eos Amicitia, quorum sibi alii domini, alii servi videbantur.* Quod utcunque sit, fuit hæc tam apud Principes, quàm apud privatos, charitatis & benevolentiæ plena compellatio. Hinc illæ voces Drusi, apud Vellejum Patercul. *lib. 2. Ecquando propinqui* Amicique *similem mei civem habebis Respublica?* Tiberii, in codicillis, *compotores & coëpulones* Pomponium Flaccum & Luc. Pisonem, *jucundissimos & omnium horarum Amicos*, profitentis, apud Suetonium *cap. 42.* Titi Cæsaris, *Amici, diem perdidi*, apud Eundem *cap. 8.* &c. Imò, eodem modo Convivii Dominus, apud Lucam Evangel. *cap. 14.* Φίλε προσανάβηθι ἀνώτερον, *Amice ascende altiùs.* Ipse Christus Dominus discipulos alloquens. ὑμεῖς φίλοι μου ἐστέ, *Vos Amici mei estis*; Johannis *cap. 15.* & Matth. *cap. 22.* ἑταῖρε πῶς εἰσῆλθες, *Amice, quomodo introisti?* ac alibi: Ubi vox ἑταῖρος, idem quod φίλος; unde forsan magnus Eteriarches in aula Constantinopolitana. Inprimis verò in Persarum R. aula fuisse, qui φίλος βασιλέως, *Amicus Regis* κατ' ἐξοχὴν diceretur, annotavit Eustathius *ad Odyss. ε.* Neque verò viri solùm *Amicorum*, sed & Matronæ, *Amicarum* greges habuere, apud Romanos, uti discimus ex Juvenali *Satyrâ 6. versu 349.*

Nec melior silicem pedibus quæ conterit atrum,
Quàm quæ longorum vehitur cervice Syrorum.
Ut spectet ludos, conducit Ogulnia vestem,
Conducit comites, sellam, cervical, Amicas,
Nutricem, & flavam, cui det mandata, puellam, &c.

V. Laur. Pignorium *Comm. de Servis.*

Amictus, Anglis olim, *an Amyse*, primum ex sex indumentis Episcopo, in Ecclesia Romana, cum Presbyteris communibus: Sunt autem illa. *Amictus*, Alba, Cingulum, Stola, Manipulus & Planeta, uti habet Innocentius III. *de Myster. Missæ lib. 1. cap. 10.* Et quidem *Amictus*, vestimentum est, *quo collum undique cingimus*, ait Amalarius *de Eccles. Offic. lib. 2 cap. 17. Quo & collum stringitur & pectus tegitur*, ut docet Bruno Signiensis *de Vestim. Episcopi: Qui circumquaque super humeros diffunditur*, Idem Innocentius *loc. cit. cap. 50.* apud Carolum du Fresne *Glossar.* De eo Durandus *lib. 3. cap. 2. Lotis manibus, Episcopus seu Sacerdos celebraturus assumit* Amictum, *quo caput tegitur, quem Pontifex loco Ephod, sive superhumeralis & rationalis habet:* —— *renes & pectus ambit & tegit & omnibus sacris vestibus supponitur, sed omnibus supereminet. In renibus stringitur, duobus funiculis sive chordulis ante pectus ligatur, & super os planetæ volvitur*, apud Spelmannum *in Glossar.* Antiquitus enim super caput ponebatur, eodem modo, qui à Religiosis eorum hodieque observatur, replicando illum super planetam: quâ ratione velum, quo in nocte Passionis milites DOMINI nostri faciem velabant, spineam item coronam, ejus capiti impositam, designari consuevisse, ait Thomas *Part. III. quæst. 8. artic. 5.* Maronitæ Græci, & Ambrosiani super Albam induunt *Amictum*, ut de Græcis discimus, ex quadam Soletinorum Archidiaconi *Epist.* ad Episc. Molphetæ, ubi de Græcorum vestimentis accuratè agitur; hodierni tamen Græci eo non utuntur. In Rom. porro communione, Levitæ Cardinalis *Amictus*, primò strictior erat, latior verò Cardinalis Presbyteri, ut colligit ex Davantriæ, qui vixit ad A.C. 1325. *Ceremoniali* MS. Dominic. Macer *in Hierolexico*, ubi etiam disputat, quo casu sine *Amictu* sacra facere liceat Sacerdoti? &c. *Glossar.* Ἀναβολὴ, *amiculum, amictus.* ἀναβόλαιον, *amiculum.* Hinc & *Anaboladium*, in vett. *Gloss. Lat.* Vide *infrà.*

Amiculum, præter pallam, etiam muliebre vestimentum fuit; licèt commune cum viris: à circumjectu dictum Festo. Id in viris non dissimile fuisse videtur chlamydi: sive paludamento. Unde vestem superiorem militarem nunquam aliter, quàm *Amiculi* nomine Curtius exprimit; de Dario loquens *lib. 3.* de Alexandro alibi: de Philota *lib. 6.* Et *Amiculum Sylosontis*, de quo Valer. M. *lib. 5. cap. 11.* ab Æliano *Var. lib. 4.* redditur, ἡ Συλοσῶντος χλαμύς, *Sylosontis chlamys.* Fuisse tamen & vestem muliebrem, apparet ex eodem Curtio *lib. 5. Fœminarum convivia ineuntium in principio modestus est habitus: dein summa quæque Amicula exuunt, paulatimque pudorem prophanant.* Nec meretricium tantùm, quod Isidorus voluit, sed & honestarum matronarum fuit gestamen. Hinc Livius *lib. 27.* narrat, missam à Senatu Cleopatræ Reginæ *pallam pictam cum* Amiculo *purpureo.* Et *lib. 34. Fœminis duntaxat purpuræ usum interdicimus; & cùm tibi viro liceat purpurâ in veste stragula uti, matremfamiliâs tuam purpureum Amiculum habere non sines?* Quodnam autem ejus à palla discrimen, quæritur: brevius certè fuit, ita tamen ut, si pars ejus lævo brachio aut humero non sustineretur, flueret ac traheretur, Vide Octavium Ferrarium de Re Vestiaria *Part. 1. lib. 3. cap. 19.* Apud Græcos, *Amiculum ferale*, vestis erat, quo demortui cadaver, postquam, pro more gentis, ablutum erat, solebat involvi: habebat illud suas κειρίας, i. fascias, quibus manus pedesque defuncti constringebantur, ut patet exemplo Lazari, Joh. *cap. 11. v. 44.* Hinc *feralibus amiculis obstrictus*, Apulejus *Metam. lib. 10.* Conficiebat id diu antè, vel ab uxore, vel ab amicis, adhuc viventis, eratque apud Græcos candicans, nigrum autem Latinis, Franc. Rossæus *Arch. Attic. lib. 5 cap. 21.*

Amicus Principis, quasnam apud Romanos dici olim sit solitus, vidimus *suprà.* Inde hodieque mos perdurat apud Gallos, ut Reges, quoties ad Magnates & primi ordinis Proceres scribunt, *Amicos* & *Fideles* illos, *Amez & feaux* appellant. In *Vita* Ludovici Imperat. An. Chr. 817. *Egiideo* dicitur *Regalium primus Amicorum*: Eghinarto in *Annalibus*, *inter omnes Amicos Regis primus*, Carolus du Fresne *Glossar.* Hodie *le premier Ministre d'Estat.*

Amida, Japonensium Idolum, tanto apud eos in honore, ut vel, invocato solo repetitoque ejus nomine, se beatos fore, sufficereque ad salutem, si sequentia verba sæpiùs iterentur, *Nami Amida, Buth*, h. e. Felix Amida salva nos, credant. Quandoque illud in roseto florido collocant & multis circa caput radiis adornant, coronâ precatoriâ (quod omnibus Deastris Japonicis commune) instructum. Asservatur unum horum in Musæo Kircheriano Romæ, ut videre est, *in Collegii Rom. S.I. Musæo, Amstelodami edito A.C. 1678.*

Aminniæ uvæ, apud Vopiscum *in Floriano*, *Vitis, quæ uvas* Aminnias *albas ferebat, eo anno, quo ille Imperium meruit, purpurasse plurimâ purpurâ capit*: Ita enim vetus scriptura; cùm vulgò *Amineas* legatur. Sed & Græci Ἀμίναιον οἶνον dicunt. Servius quoque, *ad illud Poëtæ:*

Sunt & Aminiæ vites ——

duplicem eam literam agnoscit. Et certè *Aminnium* potiùs, quàm *Amineum* Vett. scripsisse, testes Grammatici sunt, qui vinum illud *Aminium*, quasi *sine minio* dictum censent, hoc est, sine rubore. Quod quidem verum est, de Aminnia alba; sed in nigrâ qui verum esse potest? Sunt enim Aminniæ uvæ, albæ & nigræ, quo modo Grammaticorum acumen eluditur. Et rectè Vopiscus *loc. cit. vitis quæ uvas Aminnias albas ferebat.* Nam si Aminniæ nullæ nisi albæ, nil opus erat *albas* addere Salmasius *Not. ad Vopiscum.* Vide quoque in *Aminea.*

Aminias, Archon Athenis, apud Athenæum, Περικλῆς δὲ ἀποθνήσκει περὶ τὸ τρίτον ἔτος τοῦ Πελοποννησιακοῦ πολέμου, ἐπ' Ἀμείνονος Ἄρχοντος, *Pericles autem moritur, anno tertio belli Peloponnesiaci*, Aminone *Archonte.* Erat is annus ultimus Olymp. 87. quo Archelaus apud Macedones Regnum accepit. Ejusdem meminit Scholiastes Euripidis, in *argumento* Hyppolyti, Ἡ σκηνὴ τοῦ δράματος ὑπόκειται ἐν Θήβαις Ὀλυμπιάδι ὀγδοηκοστῇ ἑβδόμῃ ἐπ' Ἀμείνονος Ἄρχοντος. *Scena dramatis Thebis est, Olympiade octuagesimâ septimâ, Aminone Archonte*; & apud Laërtium, Πλάτων ἐπὶ Ἀμείνονος γέγονε, *Plato* Aminone *Archonte natus est.* Nempe Ἀμείνων nomen proprium Græcis, ut *Melior* Latinis; aliàs comparativus hic est nominis ἀγαθός. Vide Salmasium *ad Solinum pag. 156.*

Amir,

Amir, vox Arabica, *Dominum* notat, Ἀμὴρ Annæ Comnenæ; hodieque pro Duce & Principe, inter Arabes, usurpatur. Inde *Amira* & *Amiralii*, apud Saracenos ac Turcas, Satrapæ, nempe urbium vel provinciarum præfecti, atque adeo supremi Sultani, qui Caliphæ suberant. *Martyrium S. Bacchi* jun. pag. 106. [illegible], *Exercitus Dux apud ipsos, qui & Amiras appellatur*. Anastasius Bibliothec. *ad VIII. Synod. act.* 1. Hamiram *Græci vocant Principem Saracenorum: interpretatur autem, ut ferunt, linguâ eorum Præpositus*. Ubi *Hamiram* vocat, qui aliàs *Amiras*. Variè enim hæc vocabula apud Scriptores efferuntur: *Admirabilis, Admiralius, Admirallus, Admirarius, Admiratus, Admiravisus* seu *Amiravisus* (quo nomine Bagdatensis inprimis Sultanus dictus est, apud Robertum Mon. *Histor. Hierosolym. lib* 5.) *Amiræus* (quem tamen ab Amira distinguit Sigebertus in *Chron. In Regno Saracenorum quatuor Prætores statuit, qui* Amiræi *vocabantur, ipse verò* Amiras *dicebatur vel Praesfymbulus*) *Amiraldus, Amiratus, Ammiratus, Ammireda, Amuratus, Hamiras, Moral*, &c. quæ omnia synonyma sunt, & Satrapam Præfectumque denotant, quorum præfecturas seu districtus Ἀμηράδας vocat Constantinus Porphyrog. *de Administr. Imper. cap.* 15. À Saracenis, voces hæ *Admirallus, Amiraldus, Amiralius, Amirallus*, &c. transiere ad Christianos, qui cùm viderent, Saracenos ita suos classium Præfectos appellare, id nominis postmodum suis itidem classium Præfectis indiderunt, unde Gallorum *Admiral*, Ital. *Amiraglio*, Hispan. *Almirante*. Nam frustra sunt, qui aliunde vocis apud nos originem arcessunt: inter quos Ed. Cokus *ad Littleton. fol.* 439. qui à Saxon. *aen Mereal*, id est, *Præfectus maris*, seu *classis*, etymon derivat. Speciosius est, quòd Macer Arabico-Græcam vocem esse ait, quasi Ἀμὴρ ἁλὸς, in *Hierolex*. Primi autem inter Christianos, summos suarum classium Præfectos sic appellasse videntur Siculi, uti habet Romualdus in *Chron. MS. An. C.* 1149. *Georgium — ab Antiochia adductum, magnum constituit Ammiratum*. Exinde Genuenses, ut colligitur ex Matthæo Paris An. Chr. 1242. *Eis (galeis) præfuerunt Potestas Januæ, quem Admiratum vocant & Majores civitatis*, &c. Horum dignitas *Ammiratus*, dicta est, qua donati leguntur apud Siculos, sub Rogerio R. Georgius præfatus, qui *Magnus Ammiratus* dicitur Romualdo, An. Chr. 1152. & Majo, sub Wilhelmo Rege; plures namque tum in eo Regno Ammiratos fuisse, patet ex *Chartâ* laudata Carolo du Fresne in *Glossar*. Vide quoque suprà in voce *Admirallus*, ut & in *Thalassiarchus*.

Amirmumnes, appellati Bagdatenses sunt, atque adeò supremi Sultani, qui sub Chalifa universæ rerum administrationi præerant: Cedreno, Zonaræ & Constantino Porphyrog. Ἀμερμουμνῆς: Annæ Comnenæ Ἀμερμουμνῆ; Latinis Scriptoribus, *Almumeni* & *Amir-Almumenini, Amermumni, Amiralmomin, Amiramomenini, Habiramomelini, Miramomelini, Mirmumni*, &c. quas voces *Credentium Principem* seu *Fidelium Dominum* significare, apud Arabes, pluribus docuit du Fresne *ad Alexiadem pag.* 371. 372. *Molanus* corruptè habes *Historia Hierosolym. pag.* 1152. apud Eund. *Glossar*.

Amisus, Chalybum urbs, in Galatia Ptolemæo, à Sinope distans 900. stadiis, secundùm Strabonem, hoc est, centum & duodecim mill. pass. cui Eupatoriam à Mithridate adjunctam esse, Appianus auctor est. Nempe *Amisum* ampliavit is & partem eam, quam addidit, à se nominavit. Strabo *libr.* 12. Ὁ δὲ Ἀμισηνὸς ἐκαλεῖτο [illegible] Quod utrumque oppidum, victo à Pompejo Mithridate, in nomen *Pompejopolis* transiisse vult Plinius, sed frustra. *Amisus* enim usque ad extrema Imperii tempora nomen suum servavit, ut ex Ammiano discimus; hodieque *Amid* dicitur. Sed & Ptolemæus Ἀμισὸν & Πομπηϊούπολιν in eadem provincia recenset ac diversas facit, & satis magno intervallo à se invicem dissitas. Adde, quòd *Amisus* ad mare, Pompejopolis intus fuerit sita. Atheniensium coloniam fuisse Ammianus ait, in *Periplo Ponti*, unde Πειραιεὺς olim dicta est. A Milesiis conditam esse, Solinus memorat, *ad quem* vide Salmasium *pag.* 849. ut & in voce *Amisus*.

Amman: apud Germanos Belgasque Prætor est, Præfectus, Prætor causarum civilium. In *Charta* Balduini Comitis Flandriæ Anno Chr. 1119. in Tabulario S. Bertini subscribunt *Rodolphus* Amman *de S. Folquini Kerca, Alfgerus*, Amman *de S. Georgio, Bernoldus* Amman *de Broburg*, &c. Apud Metenses *Amans* dicuntur regionarii Notarii, qui Acta publica conficiunt & conservant, nomenque desumunt à Parochiis, in quibus habitant. Imò in media Francia, vocem hodieque superesse docet du Fresne ex *Consuetudinibus* Perusæ in Arvernis An. C. 1175. à Thomasserio *lib.* 1. *cap.* 66. *edit*. Hinc *Land-Amman*, in Helvetia nomen supremi Magistratus, in Cantonibus illis, qui vicatim habitantur. Vide Jos. Simlerum aliosque, qui *de Rebus Helvet.* scripsere & infrà.

Ammarium, vicus Tungrorum, inter Leodicum & Hojum positus, sed huic propior, vulgò *Haens*: ad Mosam. Hic Oda, uxor Arnoaldi seu Boggisi, ex eo Mater B. Arnulfi, primùm Regis Domestici, deinde Metensis Episcopi, marito suo orbata, templum extruxisse Georgio Mart. ibique sepulta esse dicitur. Celebrantur ejus Natales à Leodicensibus 10. Kal. Novemb. Had. Valesius *Not. Gall.*

Ammanus, nomen dignitatis apud Helvetios primariæ, significat eum qui in pagis vicatim habitantibus, Uria, Suitia, Undervaldia, Tugio, Glarona & Abbatiscella, publico Gentis Consilio præsidet; Germ. *Amman*; quasi *Ampt-mann*, à voce Ampt, i. *munus, officium*, & Mann, i. *Vir*. Ut idem sit, quod *officii vir* seu *muneri atque officio alicui publico præfectus*. Dicitur etiam *Landammanus*, Germ. *Landammann*, Vide Simlerum *Descript. Helvet.* & suprà *Amman*.

Ammianus Alexandrinus, bajulus primò, inde Græcis Σάκκας cognominatus, quasi *Saccigerulus*; postea sub Clemente Alexandrino literis dedit operam, tanto successu, ut ejus postmodum in Cathedra successor & Origenis Magister evaserit; Theodoretus *de Provid. lib.* 6. Macer *Hierol.* Mel. *Ammonius*, quod vide.

Ammodytes sive Cerastes, serpentis genus, quod in iis, quibus concolor est, arenis latens, ungulas equi mordet, Genes. *cap.* 49. *vers.* 17. & calcaneo hominis insidiatur, Genes. *cap.* 3. *vers.* 15. solisque exertis corniculis, quæ frumenti granis similia sunt, aviculas, quasi ad escam advolantes, intercipit. Sam. Bochartus *Hierozoici Part. prior. lib.* 1. *cap.* 4. Ab arenis *Ammodytes*, à corniculis *Cerastes*; quæ cum hæmorrhoo serpente communia habet; namque & hic cornutus est: sed & insuper, sicut ille, dorsi spinas non habet osseas, verùm cartilagineas solùm, & in utramque partem ita flexiles, ut in incessu nulla possit esse firmitas. Unde Lucanus,

— — *Spinaque vagi torquente cerastæ*, &c.

Vide infrà ubi de *Cerastis*.

Ammonia Juno, adde: Hoc nomine Luna non ineptè intelligitur; ut enim Jupiter Ammon Sol erat, sic Luna Juno *Ammonia* dicta videtur, quam in forma ovis cultam fuisse legimus. Vide Cœl. Rhodiginum *lib.* 18 *cap.* 38. Utriusque nomine desumto ab Hebræâ voce חמה *Hammah*, id est, *calore*. Unde idola, quæ in fastigiis domorum extabant, perpetuo Soli exposita, *Hammanim* dicta legimus, Levitic. *cap.* 26. *versu* 30. Jesaiæ *cap.* 17. *vers.* 8. & *cap.* 27 *vers.* 9. Adde quòd, sicut Jupiter Ammon cornutus pingebatur, Lucanus *lib.* 9.

— — *Stat corniger illic*
Jupiter.

Similiter Lunæ cornua affingebantur, Horat. *Carm. secul.*

Siderum regina bicornis audi
Luna puellas.

Dicitur autem *cornigera* Luna, ob radiorum suorum reflexionem, cornua imitantem; & quia, quemadmodum robur cornutorum animalium in cornibus est, ita Luna, ut & Sol, influentiarum suarum vim ac robur in his inferioribus, per radios suos, exerunt, &c. V. Thomam Godwyn *in Tr. Angl. Moses and Aaron, lib.* 4 *cap.* 6.

Ammonius Alexandrinus, adde: Plutarchum quoque auditorem habuisse, refert Eunapius. Ejus extat *in IV. Evangel. Harmonia*: ubi not. *Ammonii* Harmoniam, quæ extat in Bibliotheca Bignæi, opus esse Tatiani, adeoque inscriptionem ita mutandam: *Sanctorum Evangel. Diatessaron, i. e. Unum ex quatuor, Tatiano Syro, Hæresiarcha, Encratitarum Principe, Auctore*, Possevinus *in Append. Tomi primi*. Cognomentum *Sacci* habuit, quòd ex bajulo evasisset Philosophus, ac tantus quidem, ut parem vix ac ne vix quidem habuerit, inter Aristotelicos, Heereboord.

Amnestia, Græc. Ἀμνηστία, item ἀμνησικακία, Lex erat oblivionis, apud Athenienses, quâ cavebatur, ne quis injurias bello sæviente illatas memineritt, aut vindicaret: Hac nihil ad firmandam pacem bellique intestini restinguenda incendia salutarius invenere. Auctor ejus Thrasybulus fuit, cujus *præclarum hoc quoque*, ut ait Corn. Nepos, *quòd reconciliatâ pace, cùm plurimum in civitate posset, legem tulit: nequis anteactarum rerum accusaretur: neve multaretur: eamque illi legem oblivionis vocarunt, neque verò hanc tantùm ferendam curavit, sed etiam ut valeret, effecit. Nam cùm quidam ex iis, qui simul cum eo in exilio fuerant, cædem facere eorum vellent, cum quibus in gratiam reditum erat, publicè prohibuit.* Factum id autem, post expulsos triginta Tyrannos & libertatem Patriæ redditam. Æquitatem legis innuit Cicero *de Orat. libr.* 2. *ut enim meritorum*, inquiens, *memoria sempiterna, ita injuriarum brevissima esse debet, quò amicitia immortalis sit, inimicitia mortalis*. Hinc & apud eundem, Themistocles, artem memoriæ profitenti, dixit: *Gratius illum sibi facturum, si se oblivisci quæ vellet, quàm si meminisse, doceret*. Vide quoque Valerium M. *libro* 4. *cap.* 1.

Amnibus præcipua veneratio, olim apud Parthos, teste Justino *libr.* 34. *capite* 3. ubi de gentis hujus moribus verba faciens, *In superstitionibus*, inquit, *atque cura Deorum, præcipua amnibus veneratio est*. Ita restituit Gronovius, cùm prius legeretur, *omnibus*: quod falsum. Deorum enim reverentiâ, præter alios populos, præcipuè Orientis, excellere Parthos, nusquam proditum est, neque id his verbis explicaturus videtur fuisse Justinus. Certum igitur genus expressit Numinum, adversus

M. m

sùs quæ singularis esset eorum religio: ut etiam cœterarum erat fere gentium. Et quidem *Amnium* cultum à Persis acceperunt tenueruntque. Herodotus *lib.* 1. Ἐς ποταμὸν δὲ οὔτε ἐνουρέουσι, οὔτε ἐμπτύουσι, οὐ χεῖρας ἐναπονίζονται, οὐδὲ ἄλλο οὐδὲν παρίενται, ἀλλὰ σέβονται ποταμοὺς τοὺς πάντων μάλιστα, *In fluvium neque urinam reddunt, neque sputum conjiciunt, neque manus in illo abluunt, neque aliud istiusmodi faciunt quidquam, sed venerantur fluvios omnium maximè.* Tacitus *Annalium lib.* 6. de Vitellio & Teridate, *Sacrificantibus, cùm hic more Romano Suovetaurilia daret, ille equum placando amni adornasset.* Plinius de alio Teridate *lib.* 30. *cap.* 2. *Navigare noluerat, quoniam exspuere in maria aliisque mortalium necessitatibus violare naturam eam fas non putant.* Arnobius *lib.* 6. *Ridetis temporibus priscis Persas fluvios coluisse.* Neque aliter intelligendus Ammianus *lib.* 18. *Reges Ninivæ Adiabenæ ingenti civitate transmissa, in medio pontis Anzabæ, hostiis cæsis extisque prosperantibus transiere lætissimi.* Sic Procopius *Persic. lib.* 2. de Chosroë Daphnen Antiochiæ contemplato, nemusque & fontes admirato, Καὶ θύσας ταῖς Νύμφαις, inquit, ἀπιὼν ᾤχετο, *& sacrificio Nymphis facto discessit.* In *Anthologia* quoque servus, qui dicens introducitur, Πέρσης εἰμὶ καὶ ἐκ πατέρων, *Persa sum ex Parentibus*; addit mox, σέβομαι, δέσποτα, καὶ ποταμούς, *veneror, Domine, etiam amnes.* V. Joh. Frid. Gronovium, *Observat. lib.* 4. *cap.* 10.

Amnici Navicularii, ab Aureliano, Romæ instituti. Flav. Vopiscus in *Vita* eius, ubi in Epist. ad Flavium Arabianum eum inter alia scripsisse memorat; *Nihil mihi magnificentius, quàm quòd additamento unico omne annonarum urbicarum genus juvi: quod ut esset perpetuum, navicularios Niliacos apud Ægyptum novos & Romæ amnicos posui. Tiberinas extruxi ripas, vadum alvei tumentis effodi,* &c.

Amania, in vet. *Glossar.* αἱ ἀκταί: loca sunt amœna, ut actæ, unde *littorum amœna*. V. Angelum à Nuce *ad Leon. Ostiensem Chron. Casin. lib.* 1. *cap.* 17. & Salmasium *ad Lampridium in Commodo.*

Amomia, dictum recentioribus omne id, quo medicabantur corpora ac condiebantur; ab *Amomo*, quod non solùm pretiosissimis unguentis, quæque maximè nares ferirent, addebatur, uti Plinius refert; sed & in funeribus præcipuè locum habebat, ut & myrrha & cinnamum & alia. Persius,

— — *tandemque beatulus alto*
Compositus lecto, crassisque lutatus Amomis,
In portam rigidos calces extendit.

Ubi tamen *amoma* pro quibuslibet unguentis posuit, quibus corpora ungebant mortuorum. Pro *Amomia*, *Momiam*, & *Mumiam* universa hodie dicit Europa, Vide infrà in voce *Mumia*, & plura hanc in rem apud Claud. Salmasium *ad Solinum, pag.* 401.

Amomum, ἄμωμον, dictum Græcis vett. omne aroma, quod sincerum & inculpatum esset, ut πιστικὴ νάρδος in Evangelio dicitur, *quæ sine dolo est*, & minimè adulterata. Sic ἄμωμος λιβανωτὸς, *thus sincerum*, & ἄμωμος simpliciter. Inde & κιννάμωμον appellitavere, quasi κίνναμον ἄμωμον, *cinnamum inculpatum*: & *cardamomum*, &c. Unde Avienus *amomum*, pro cinnamomo posuit; contrà cinnamomum, pro *amomo*, Hesychius, cùm κάρυον Ἀσσυριακὸν vocat. Certè *Assyrium amomum*, apud Poëtam, *herbam esse suavissimi odoris*, Servius ait. Statius *in Epicedio* Pileti Ursi,

—— —— *Phariaque exempta volucri*
Cinnama & Assyrio manantes gramine succos:

Assyrium gramen idem vocat; quod & alibi *pingue amomum* appellat; Ovidius *succum amomi*. Quin & Dionysius ipse *cinnamomum*, pro *amomo* videtur accepisse, qui φύλλα ἀμωμήτοιο κινναμώμου vocat. Nam *Amomi* folia etiam odore commendabantur, ut tradit Isidorus. At cinnami surculi, non folia afferebantur. Itaque *Amomum* in specie, de herba hac Assyria; quæ integra & radice suâ nixa βοτρυώδης erat & uvæ modo convoluta, sibique cohærens. Plinius *lib.* 12. *cap.* 13. *Amomum parvus est frutex, uvæ instar ex ligno in seipsum convolutus.* Nempe non fructus, ut in vite, botrosus erat, aut reapse botrus, quod nonnulli volunt, sed lignum ipsum fruticis, quod ὑπόκιρρον, id est, *coloris rufi*, laudatur Dioscoridi, uvæ modo implexum in se & convolutum, quod & semine plenum. Ipsum verò, dum colligebatur, quoniam siccum & friabile, hinc fragile erat. Idem, *Capiturque cum radice, manipulatim leviter componitur, protinus fragile.* Unde solutum ac dissipatum eligendum Dioscorides præcipit, non convolutum & connexum, quia dum carpitur verum amomum, solvitur & frangitur: at quod adulterabatur, addito gummi efficiebant, ut cohæreret convolveretque se in uvæ modum & sic germanum videretur, Vide omninò Plinium *dict. loc.* Hinc *Amomi uva*, apud eundem, quæ nihil aliud est, quàm *amomum* integrum, non dissolutum, nec friatum in pulverem; cui majus pretium idem ponit: *pretium uvæ in libras denarii sexaginta: friato verò amomo denarii XLIIX.* nempe non solutum amomum & in uvæ figura remanens, cariùs vendebatur: eo quòd dissolutum & friatum magis fraudi obnoxium erat. *Pulveris* verò *Amomi* meminit Ovidius *de Tristibus,*

Ossaque cum foliis & amomi pulvere conde.

Ubi *pulvis Amomi*, idem est, cum *Amomo friato* Plinii. Quibus verò usibus *Amomum* inserviret, diximus in voce *Amomia*. Hodie verum *Amomum* ignoratur. Nam qui putant rosam, quam vocant *Hierosolymitanam* aut *Hierichuntinam*, Vett. fuisse amomum, magnopere falluntur. Nec meliùs sentiunt ex Arabibus, qui *pedis columbini* speciem esse pertendunt. Vide Salmasium *ad Solinum pag.* 400. *& seqq.* ut & Petrum de Valle *Itinerar. Pers.*

Amor, adde: Ejus indicia apud Græcos olim varia erant. Si cui in festivitate solenni sertum, quo capita tum ornari mos, solveretur, indicium id amoris habebatur: Hinc Athenæus. Διὰ τί τῶν στεφανουμένων ἐὰν λύηται ὁ στέφανος, ἐρᾶν λέγονται, *Quare si corollis ornatorum sertum vel corolla solvitur, amare dicuntur?* quærit. Sic, cùm aures tinniebant: Unde Sappho, βομβεῦσι δ' ἀκοαί μοι, *bombum edunt aures meæ.* Et Catullus,

—— — *Sonitu suopte*
Tinniunt aures.

Amoris id erat omen. An redamarentur, explorabant crepitu folii, quod Τηλέφιλον appellabant, de quo Theocritus *Idyll.* 3.

Οὐδὲ τὸ Τηλέφιλον ποτεμάξατο πλαταγῆσαν.

i. *sonitum non edidit, non crepuit.* Idem fiebat κοττάβῳ, quem morem à Siculis acceperunt; Callimachus,

Πολλοὶ καὶ φιλέοντες Ἀκόντιον ἧκαν ἔραζε,
Οἰνοπόται Σικελὰς ἐκ κυλίκων λάταγας.

Vide de his prolixè agentem Franciscum Rossæum *Archæologiæ Atticæ lib.* 4. *cap.* 4. *& seqq.*

Amor Infelix, Vide infrà *Philermos.*

Amor matri præreptus, apud Virgilium,

Quæritur & nascentis equi de fronte revulsus
Et matri præreptus amor.

Vide infrà, *Hippomanes.*

Amoravii, memorati Orderico Vitali *lib.* 13. *pag.* 891. 893. Saraceni Afri sunt; sic dicti fortè, quòd in Africa degeret hujus gentis Amirmumelinus seu Calipha vel magnus Sultanus, quem *Amiravisum* vocatum fuisse, suprà diximus in voce *Amir*. Nec ab iis diversi *Almoravides*, Scriptoribus Hispanis nuncupati, Mauri scil. Africani, qui in Hispaniam transierunt à Rege Sibiliæ Mauro evocati, Alfonso VI. regnante. Meminit eorum Pelagius Episcopus Ovetensis, in *Adelphonso Rege*, *aerâ* 1123. *Christi, anno* 1085. *Post hæc cum tantis prosperitatibus ad tantam elationem pervenit, ut* Almoravides *extraneas gentes, quæ ex Africa in Hispaniam per Regem* Abenhamet *misit, cum quibus prælia multa fecit, & multas contumelias, dum vixit, accepit ab eis.* At qui apud Poëtas Gallos *Amoravisii* occurrunt, Sclavi sunt, Moraviam, nobilem Germaniæ provinciam incolentes, Carol. du Fresne *Glossar.* Ab *Amoraviis*, Afris, mures Pontici, vulgò *Marturès*, Gall. *Martres*, dicti sunt *Amorenses Catti*, de quibus Aldrisius agit in *Geogr. Nubiensi pag.* 9. Meminit eorum quoque Petrus Abbas Cluniac. in *Statutis* Cong. Clun. *cap.* 17. *Nihil se habere non parva piorum eisque adhærentium multitudo putabat, nisi ex pilosis illis & condensis — Numantinorum h. e. juxta modernos* Amorensium *cattorum pellibus contecto multi pretii coopertorio lectus muniretur pariter & ornaretur.* Nempe magnâ copiâ in Africa reperiuntur, unde illis id nominis hæsit. Vide eundem Auctorem ubi suprà.

Amorginum, lini, an coloris genus? Certè Aristophanis illud,

Ἐν τοῖς χιτωνίοισι τἀμοργίνοις,

lineas tunicas interpretantur, quòd *Amorgina* vestimenta, ad instar byssi, sive carbasi tenuissima essent. Veteres tamen Critici *Amorginum* coloris genus dixere, nempe purpureum secundum glossam, ut ait Eustachius: ut non satis constet, utrum ea vox lini speciem, an colorem, an utrumque significet. Octavius Ferrarius *de Re Vestiaria Parte* 2. *lib.* 4. *cap.* 12. Vide in voce *Amorgos*, & qui colorem esse negat, Salmasium *ad Solinum p.* 1225.

Ampeloessa, adde: Regionis instar fuit & nomen *Tetrarchiæ* habuit: quemadmodum & Abila & Arca, & Gabe, & reliquæ urbes Decapolitanæ Syriæ, uti discimus ex Plinio *lib.* 5. *cap.* 18. Sic in Phœnice singulas Urbes totidem Regna fuisse, tradit Strabo, apud Salmasium *ad Solinum p.* 576.

Ampelus, urbs Africæ, in reg. Cyrenaica, proxima Horto Hesperidum, à qua incolæ *Ampelitæ*, qui caulem silphii Delphis dedicarunt, cujus circa Hesperidas ferax regio fuit. Idem *ibid. pag.* 374.

Amphiarai Fanum, Ἀμφιάρειον, situm fuit in itinere, quod Athenis Oropum dirigebat, in loco *Harma* dicto, Gr. Ἅρμα, id est, *currus*, à curru, quo Amphiaraus excidit, uti Dicæarchus habet. At Strabo in Bœotia collocat. Nempe in Bœotia Μαντεῖον Amphiarai fuit celeberrimum, ut ex Scriptoribus patet: quod è Cnopia (an Potnia) Thebaica traductum in locum cum Oropo vicinum ait. Hoc & ἱερὸν Ἀμφιαράου Græci Scriptores vocant, eoque loci fuisse volunt, quo tellus discessit fugienti Amphiarao ipsumque cum curru absorpsit. Unde & Ἅρμα nomen impositum. Sed ubi hoc acciderit, non usquequaque Veteres consentiebant & Tanagræi quidem id contigisse contendebant, in via, quæ Thebis Chalcidem ducit, quo loco urbs vel vicus Ἅρμα nomine olim extitit, prope Mycalessum; Thebani in agro suo discess-

discessisse terram, quæ Amphiaraum hiatu mersit, dicebant. Accessit tertia opinio, factum id prope Oropum, in loco, ubi Templum postea ejus, Oraculorum famâ diu nobilitatum. Hoc certum, primos Græcorum Oropios honorem Amphiarai memoriæ habuisse, & Templum ei condidisse: erat autem Oropus oppidum ad Mare, in confinio terræ Atticæ & Bœotiorum agri Tanagrici; de quo cùm diu pugnatum esset inter Athenienses & Bœotios, ab Atheniensibus tandem in potestatem redactum & Attici soli factum est. Vide infrà in voce *Harma* & plura hanc in rem, apud Salmasium *ad Solinum p.* 146. *& seqq.* ubi, post multa in omnem partem agitata, concludit in Harmate Attico Oropiis vicino *Fanum Amphiarai & Oraculum τὸ ἐγκοιμητήριον, somnia captantium*; *Amphiarai* item *Balnea* seu *Fontem* fuisse.

Amphibalus vel *Amphiballus*, item *Amphibalum*, & *Amphibolum*, apud Sulpicium *in Vita S. Martini*, *Nec mora, Sanctus paupere non vidente, intra Amphibolum sibi tunicam latenter eduxit*. Vestis erat utrinque hirsuta ac villosa, eademque cum *Amphimallo*, unde vox deflexa: neque enim ab ἀμφιβάλλειν deducitur, ut quidam censent. *Gloss.* S. Benigni, *Amphibalus, byrrhus villosus*. Joh. de Janua, *Anibolus, vestis, quæ est villosa, sicut est sclavina, quæ circumcluditur &c*. Ejusdem meminit Fortunatus *de Vita Martini prædicti lib.* 3. *cap.* 1.

Qui tunica interius non insiciebat amictum,
Amphibali exterius dum membra obtecta laterent.

Caput etiam texisse, docet *Vita* S. Boniti Episc. Claromont. *cap.* 2. *Amphibali summitas ipsa*. Et *cap.* 7. *Ut partem* amphibali *mei, quâ caput tegitur, retineas*. *Vita* S. Deicoli Abbatis Luttensis *num.* 20. *Antequam sessum pergeret, birrum suum, quem Græci* amphiballum *vocant, deponere voluit, refrigerandi gratia*, &c. du Fresne *Glossar.* Peculiarem fuisse Episcoporum vestem, colligit Dominicus Macer ex *Testam.* S. Remigii, ubi inter alia habetur, *Futuro Episcopo Amphibalum album Paschale relinquo*, V. eum in *Hierolexico*, ut & fratrem ejus Carolum, qui *Amphibalum* cum *Amphimallo* idem esse negans, cum Heteromallo potiùs convenire, contendit, *Ibid.*

Amphimalla, sive ἀμφίμαλλοι χιτῶνες, vestes sunt utrinque villosæ. Meminit eorum Plinius *libr.* 19. *cap.* 1. *Gausape patris mei memoriâ cœpere, amphimalla nostra, sicut etiam villosa ventralia.* V. Octav. Ferrarium *de Re Vestiaria lib.* 1. *cap.* 18. An eædem cum *Amphitapis*, quarum meminit Lucilius *lib.* 1.

Psilæ atque Amphitapæ *villis ingentibus molles.*

Quæque substernebantur dormientibus. Idem *lib.* 6.

Pluma atque Amphitape, *& si aliud quid deliciarum.*

Item Varro Manio, *Alterum bene acceptum dormire super Amphitapa bene molli*. Ita videtur supra laudato Ferrario, qui monet, inter Tapetes & Amphitapetes, Gausapas & Amphimalla probè distinguendum, his verbis: *Ut eadem res planè Gausape & Tapetes, sic Amphimalla & Amphitapetes. Illa ex una parte, hæc utrinque villos habebant*; quod ipsa vox quoque declarat. Vide quoque ejus *de Re Vest. part.* 2. *lib.* 1. *cap.* 14.

Amphiprostyla Ædes, Græcè Ἀμφιπρόστυλος, dicta est, quæ in postico columnas habebat & fastigium, uti Πρόστυλος, in fronte. Vocata autem πρόστυλος, quæ contra Antas duas columnas angulares haberet, & supra epistylia & dextrà ac sinistrà in versuris singulas. Posticum verò, ὀπισθόδομος Græcis, in Gentilium Templis dicebatur ea pars, quæ post cellam ædis, ad idem fere instar facta erat, ac πρόδομος seu πρόναος. Salmasius *ad Solinum p.* 1217.

Amphisbæna, adde: De ea Solinus *cap.* 27. *Amphisbæna*, inquit, *consurgit in caput geminum: quorum alterum in loco suo est, alterum in ea parte, quâ cauda; quæ causa efficit, ut capite utrinque secus nitibundo serpat tractibus circulatis.* Ubi quod *de circulatis tractibus* habet, etiam Isidorus confirmat, cùm ait, *Currens ex utroque capite, tractu corporis circulato.* Atque hinc est, quòd Hesychius unum saltem caput *Amphisbænæ* esse, sed geminum videri, ait, ob illam viæ, cursus obliquitatem ac circulationem. Vide Salmasium *ad d. l. p.* 339. Quòd verò ἀστικτώδες εἶδος *Amphisbænæ* Nicander tribuit, h. e. *notis compunctum*, alibi non reperitur. Imò contrà est, nec enim ullâ notarum varietate commendatur. Nisi fortè [illegible] vel [illegible] apud eum legas, quòd tractibus circulatis eat, uti dictum. *Ibid.*

Amphitheatrum, Latinè *Visorium*, quòd commodissimè populus ad ludicra convocatus inde spectare posset, circulari formâ integrâ construebatur, aut ovali & oblongâ, ut in eo gladiatorii ludi & conclusarum ferarum venationes exhiberentur, V. Cassiodorum *lib.* 3. *epist.* 51. *Amphitheatrum rotundum est, Theatrum verò ex medio Amphitheatro est, semicirculi figuram habens*, Isidor. Hispalens. *lib.* 18. *cap.* 52. Unde duobus Theatris in unum coëuntibus Amphitheatrum fiebat, dicebaturque *Cavea* quoque, ab interiore parte quæ concava erat: Item *Arena*, quòd arena spargeretur, ut certantes sine offensione caderent, ut ex Suetonio liquet. Inde phrasis, *in arenam descendere*, i. e. certamen subire; & gladiatores *Arenarii* dicti. Nec vulgari solùm sabulo hic usi Romani, sed *Invenere*, inquit Plinius, *lib.* 36. *& alium usum ejus lapidis, in rubentis quoque Circum [illegible] & candor, &c.* Aliquando [illegible] Amphitheatro, in quibus feræ asservabantur, cùm usus esset, in spectaculum emittendæ, *Caveæ* dicebantur. Adde quòd *Amphitheatra* plena concavitatibus specubusque essent, in quibus, præter feras, aquæ etiam detinebantur, ad Naumachiarum usum postea in locum spectaculi derivandæ, V. Suetonium *in Domitiano*, Thom. Dempst. *Antiqq. Rom. lib.* 5. *cap.* 5. Lipsium inprimis de *Amphitheatr. cap.* 2. *&* 3. Quia autem, cùm in tam frequenti & copiosa sanguinis effusione facilè fieret, ut lubricum redderetur solum, ab arena petitum remedium est, quæ, ut naturâ est bibula, & absorbere effusum humorem & renovari per intervalla ludorum facili negotio poterat: hinc hodieque *les Arenes*, in variis Galliæ civitatibus dicuntur loca illa, ubi à Romanis olim rerum ibi potitis *Amphitheatra* fuerunt extructa &c. *Amphitheatri* à Vespasiano, ex Tiburtino lapide, in ipso urbis meditullio, extructi, à Tito dedicati & à Domitiano exornati, formam ac faciem, cujus rudera Romæ visuntur, ut de partibus ac forma *Amphitheatrorum* facilius judicare Lector possit, exhibet A. Frisius *ad Hieron. Mercurialem de Arte Gymn. lib.* 3. *cap.* 4. Orbis illius circuli oblongi, seu potius ovi, formam refert, & si P. Victori fides, gradus Amphitheatri vel graduum pulvilli supra 87000. spectatorum capiebant. Ambitus superior & circumjectæ porticus, Lipsii judicio, denis adhuc vel vicenis hominum millibus seu stantibus, seu allatis cathedris sedentibus, locus erat. Universa machina quatuor constabat ordinibus, Dorico, Jonico, Corinthio & Composito, omnibus ita dispositis, ut tardiùs adventantibus accedendi, & citiùs abeuntibus recedendi facultas, sine aliorum incommodo, daretur. Area tota libera erat, nisi quòd in ea alicubi ara cernebatur, Jovi Latiari sacra, ad quam mactatio stata & horrenda unius ex bestiariis: Sub ipsa ara cloacæ subterraneæ fuere, per quas, in usum Naumachiarum, occultè & subitò inductas & eductas esse aquas præfatus Lipsius existimat. Cæterum ex eorum numero, qui cum bestiis pugnabant, vel ad bestias, ut ajunt, damnabantur, Christiani erant: inter quos S. Ignatium fuisse, constans Fama est.

In Amphitheatro Titiano notanda.

- Ara, quæ sacra Jovi, ut dictum, Latiari.
- Portulæ, per quas immissæ in Arenam bestiæ: Has januas clausas fuisse probabile est, non solùm ad belluas, ne egressus pateret jam solutis, sed etiam ad aquas coërcendas cùm iis *Amphitheatrum* impletum.
- Podium, cum suis columellis: & in medio suggestus Imperatoris.
- Præcinctio sive Diazoma, id est, gradus altior & latior: cujus generis tres fuisse in Theatris Vitruvius docet.
- Vomitoria, sive Aditus, i. portulæ quædam quadratæ in ipsis gradibus, per quas in sedilia diffundebantur. Ad eas minuti erant gradus scalares, per quos quisque ad destinata sua ibat subsellia. Spatium medium inter scalares binos *Cuneus* dicebatur, appellatione ab acie instruenda desumtâ.
- Foramina, ad transmittendos malos, quæ pauca in præfata icone expressa; Ibant ea in orbem, & externè à mutulis quibusdam mali sustinebantur.

Amphithyron, apud Evagrium *lib* 6. *cap.* 22. ubi ait, Chosroën Persarum R. Gregorio Episcopo Antiocheno dedisse *Amphithyron Hunnicum*, januæ velum est, Ital. *portiera*. Et quidem velum hoc ex utroque latere aperiebatur, ut notatio vocis indigitat comprobatque Simonetta Græcus Auctor *lib.* 5. *cap.* 14. de eodem velo loquens. Eodem nomine insignivit Chrysostomus velum illud, quod ante portam Sanctuarii trahebatur, tempore Eucharistiæ. Macer *Hierolexico*.

Amphitrope, adde: Non procul Cephissiâ, uti ex Æschine colligere est, *Orat. c. Timarch.* V. Jac. Sponium *Itinerar. Græciæ, part.* 3.

Amphora, mensura apud Romanos liquidorum erat, *Quadrantal* Vett. dicta, capiens urnas duas, sextarios octo & quadraginta, congios octo, &c. ut ex hisce Volusii Metiani videre est: *Quadrantal, quod nunc plerique* Amphoram *vocant, habet urnas duas, modios tres, semodios sex, congios octo, sextarios quadraginta octo, heminas nonaginta sex, quartarios centum nonaginta duos, cyathos quingentos septuaginta sex.* Sic Festus, *Quadrantal vocabant antiqui, quam Græci* Amphoram *dicunt: quod vas pedis quadrati octo & quadraginta capit sextarios.* Et Jul. Africanus *in Fragm.* περὶ μέτρων: Ὁ δὲ οἶνος, inquit, ἀμφορεὺς, ὃν καὶ μετρητὴν λέγουσι πολλοὶ, ἡμιαμφόρεια μὲν ἔχει, ἃ καδίσκοι κοινῶς ὀνομάζονται, οἱ δὲ Ῥωμαῖοι οὔρνας ὥστε τὸν ἀμφορέα εἶναι ξεστῶν μη. Id est, *Amphora vini, quam & metretam multi vocant, continet semiamphoras duas, quas cados communi nomine appellant, Romani verò urnas dicunt, ita ut Amphora sit sextariorum* 48. Jac. Oiselius JC. *Not. ad Gell. lib.* 18. *cap* 1. Ex lapide Schisto Amphora Romana, asservatur in Musæo Kircheriano, Romæ, &c. Vide etiam infrà *Quadrantal*. Hinc ἀμφορίτης ἀγών, qualis erat *Aiακεια* Æginis: qui agon unus erat ex iis, qui non *sacri* erant, sed in quibus certabatur propter præmium aliquod, hinc ἀργυρῖται & ἀθλῖται dicti. Et quidem *amphoræ* in eo donabantur victoribus. Salmasius *ad Solinum p.* 849. Sed & in *Amphoris* cineres defunctorum condi consuevisse, legas apud eund. *p.* 1204.

Amphoteroplon, fœnus nauticum est, cùm fœnerator & [illegible] periculum suscipit. *l.* 1. *ff. de nautic. fœn.* Sicut *Hetero-*

teroplon, cùm commeatus tantùm. Budæus in *Annot. ad l. nihil interest de nautic. fœn.* Addit Budæus *de Asse lib.*1. ex Demosthene κατὰ Φορμίωνος usuram nauticam non fuisse menstruam, sed unà in omne tempus navigationis & negotiationis constitutione taxatam &c. V. Calvinum *Lex. Jur.* & Petitum *Comm. in LL. Att.*

Amplexu dimitti & recipi charos, moris Romani fuit, adeò ut & jam mortuis idem præstiterint. Statius *Lachrymis Etrusci*,

> —— —— *tener ecce seniles*
> *Leniter implicitus vultus sanctamque parentis*
> *Canitiem spargit lachrymis, animaque supremum*
> *Frigus amat.*

Idem *ibid.*

> —— —— *quanvis lassantem brachia vidi*
> *Plancibus, & prono fusum super oscula vultu*
> *Vix famuli comitesque tenent, &c.*

Græcis in usu quoque, apud quos religionis instar fuit. Hinc de Apolline & Coronide, apud Ovidium, *Amplexum cadaveris* velut inter necessaria ponentem, *lib.*2.

> *Ut tamen ingratos in pectora fudit odores,*
> *Et dedit* amplexus, *injustaque justa peregit.*

Et de Jasone, in funere Cyzici, Val. Flaccus *lib.*3.

> *Fas tamen est conferre genas, fas jungere tecum*
> *Pectora, & exangues miscere* amplexibus *artus.*

Bion inprimis, in suavissimo illo Adonidis *Epitaphio*,

> Ὡς δ' ἴδε φοίνιον αἷμα μαραινομένῳ περὶ μηρῷ,
> Πάχεας ἀμπετάσασα κινύρετο· Μεῖνον Ἄδωνι,
> Δύσποτμε μεῖνον Ἄδωνι, πανύστατον ὥς σε κιχείω,
> Ὥς σε περιπτύξω, καὶ χείλεα χείλεσι μίξω.
> Ἄχρις ἀποψύχῃς ἐς ἐμὸν στόμα, κ' εἰς ἐμὸν ἧπαρ
> Πνεῦμα τεὸν ῥεύσῃ, τὸ δέ σευ γλυκὺ φίλτρον ἀμέλξω, &c.

De *vivorum complexu* nota omnia; singularia tamen notavit *ad Apulejum* Barthius; quem vide quoque *Animadversion. ad Statium Tom. II. p.* 883. & *Tom. III. p.* 357.

Amplissimus Ordo, Senatorius intelligitur, utpote omnium summus atque diligentissimus, 1. §. 1. *l. si decipiendi. ff. ad Senatusc. Vellejan.* Cujus decreta consultaque vocantur SC. *l.*2. *de his quæ ut indign. l.* 15. *ex quib. caus. infam. l.* 2. *Cod. ad Macedon.* Ex quo *Amplissimorum* titulo Consules honorantur *l.*5. *ff. de condit. & dem. l.*1. *§. penult. ff. de appellat.* Etiam *Amplissimam potestatem* & *Amplissimos Judices*, in *Constitutionibus* legimus. *l.* 19. *Cod. de appellat. l.*3. *C. quando provoc. non est*, nec. quo elogio & Præfecti Prætorio ornantur, *in l. ult. §. penult. C. de tempor. appellat.* Brissonius, apud Joh. Calvinum *Lexic. Jurid.*

Ampulla, inter vasa & ministeria Ecclesiastica, apud Latinos. Breviloq. *Ampulla est vas amplum — quod datur ad altare, in quo servatur vinum vel aqua.* Gillibertus Lunic. Episc. *de Usu Eccles. Ampulla cum vino & altera cum aqua.* Anonymus Poëta *de Episc. Eborac.*

> *Jussit ut obryzo non parvi ponderis auro*
> Ampulla *major fieret, quâ vina Sacerdos*
> *Funderet in calicem, solemnia sacra celebrans, &c.*

Usus præterea fuit, *ad oleum pro Catechumenis & infirmis* & *Chrisma conservandum.* Capitulare Caroli M. *lib.*1. *cap.*162. *Presbyter in Cœna Domini tres ampullas secum deferat, unam ad Chrisma, alteram ad oleum ad Catechumenos inungendum, tertiam ad infirmos.* Offerebantur autem *Ampullæ* oleo repletæ à fidelibus hac ipsa die, ad Chrisma conficiendum & Oleum benedicendum pro Catechumenis, uti docet Alcuinus *de Divin. Offic.* Carolus du Fresne *Glossar.* &c. De ipsa verò *Ampulla Chrismatis*, sic Durandus *Ration. lib.*6. *cap.* 74. *num.* 17. *Fertur ampulla cooperta sindone albâ, in sinistro brachio; portantem ampullam præcedit lumen: & antecedunt duo Sacerdotes, unus cum thuribulo, alius cum Cruce & in medio eorum Diaconus, cum libro Evangelii & super capita eorum fertur umbraculum seu pallium, & duo antecedunt cantando*, ibidem *num.*19. *Ampulla statim postquam benedicta fuit, ex parte cooperta & ex parte discooperta, salutatur ab Episcopo & Presbyteris — Salutantur autem quinquies* Ampullæ *ab Episcopo — postquam autem salutata est à Ministris Altaris, cooperitur, ut à nemine nuda videatur & cooperta iterum salutatur — Episcopus ter halat in ampullam, &c.* Verba autem, quibus salutatur, sunt, *Ave sanctum Chrisma*: de quibus ritibus pluribus agit Rivetus *Summa Controv. Tract* 2. *Qu.* 18. Inprimis verò *Ampulla Remensis* in Gallia celebris est, in qua oleum, quo unguntur Reges Francorum, adservari solet. Hincmarus Rem. *Tom.*1. *pag.* 744. & *in Annalibus* Francor. Bertinianis An. Chr. 868. de Chlodoveo, *cœlitus illud oleum demissum*, unà cum *Ampulla*, ajunt: addit Flodoardus *Histor. Remensis lib.* 1. *cap.* 13. ubi de ejusdem Regis baptismo, *columbam candidam rostro ampullam* hanc attulisse; præter quos etiam videri potest Aimoinus *Histor. Franc. lib.* 1. *cap.*16. Unde Nic. de Braja in Ludovico VIII. de S. Remigio:

> —— —— *Cujus prece rorem*
> *Misit in* Ampullam *cœlestem Rector Olympi,*
> *Corpus ut hoc lavacro Regis deberet inungi,*
> *Deficeretque liquor ibi corpore Regis inuncto.*

apud Car. du Fresne *l.c.* Præter *Ampullam* verò hanc, etiam Auriflammæ, & Scuti Liliati, sub hoc primùm Chlodoveo, mentio fieri cœpit, quæ tria cimelia superioribus seculis magni in Gallia æstimata sunt. V. præter Auctores laudatos, Hub. Morum *de Sacris Unction.* Tenceurium & Chiffletium *de Ampulla Rem.* Sirmondum *Notis ad Tom. I. Concil. Gallic. A. C.* 446. &c. Du Haillan verò, Historiographus Regius *de Statu & Successu rerum Gallic. lib.* 3. *Gregorium*, ait. *Turonensem, qui circa hæc tempora vivebat, nullo modo meminisse hujus ampullæ, nec miraculi, quamvis alia miracula multa referat:* primique, qui de ea scripsere, Aimoinus & Hincmarus, nono demum seculo vixerunt, &c.

Ampullacia, teste Neophyto, Halimum vocatum Romanis, fortè quòd *ampullæ* vitreæ ex ea fierent, vel quòd ampullæ fractæ eâ solidarentur & maltharentur. Ex herbæ enim hujus exustæ cineribus fit *solda*, vitro conflando idonea, uti discimus ex vet. Aristophanis Scholiaste, [illegible]. Sed hoc inventum vetus non esse, inde colligitur, quòd Plinii ætate, ex arena & nitro vitrum fundebatur tantùm, unde herbæ hujusmodi nusquam meminit. Salmasius *ubi suprà p.* 1099.

in *Ampullis*, defunctorum olim cineres conditi. V. Salmasium *ad Solinum p.* 1204.

Antrustiones, fuisse videntur classis quædam selecta, cui Reges olim Germanicæ originis plurimùm confisi, patrocinii beneficium, ob juratam fidelitatem, retribuere. Chartam instituendi *Antrustionis* exhibet Marculfus *lib.* 1. *cap* 18. *de Regis Antrustione.* Origo vocis ab *ampt*, i. munus, officium, & *trusty*, (hodieque apud Anglos) i. fidus: Sic *Antrustio* erit, *fidus in munere*, vel *officialis minister, leudes, fideles, vasallus fidelis.* V. Henr. Spelmannum *Gloss. Archæol.*

Amuleta, Vide infrà *Periapta.*

Amun, h. e. *Occultatus*, Jovis nomen apud Ægyptios; Græci ac Latini *Ammon* extulere: quo *occultatum* seu *occultationem* significari Manethos Sebennita voluit, apud Plutarchum *de Iside & Osir.* Meminit ejus quoque Jamblichus apud Cœl. Rhodiginum, *Opifex*, inquiens, ex Ægyptiorum Theologia, *Intellectus, qui & veritas est & dominus, atque sapientia, quatenus in genere progrediens, occultam latentium rationum potentiam traducit in lucem*, Amun *Ægyptiâ linguâ vocatur. Quatenus autem sine mendacio peragit omnia, & artificiosè simul cum veritate*, Phtha *nuncupatur. Græci verò hunc Vulcanum nominant, artificiosum duntaxat considerantes. Quatenus verò effector est bonorum, appellatur Osiris, aliasque denominationes habet, propter potentias actionesque differentes.* V. Tob. Pfannerum *System. Theol. Gentil. purior. cap* 1. *§.* 12. E quibus obiter colligas, Sapientiores Gentilium, non tam multos Deos coluisse, quàm uni Deo, propter varias virtutes actionesque, varia tribuisse nomina. Concordat autem significationi vocis *Amun*, ista Templi Saitici Minervæ dicati Inscr. apud eundem Plut. *d. l.* Καὶ τὸν ἐμὸν πέπλον οὐδείς πω θνητὸς ἀπεκάλυψεν, *Meum peplum nemo adhuc mortalium detexit.* Nimirum magis quid non sit, quàm quid sit Deus, sciri posse, fortè etiam hoc epithero indigitare voluerunt Ægyptii. Certè enim, ut Prudentii *c. Symm. lib.* 2. adducam verba:

> —— *Cùm divinis agimus de rebus, & illum*
> *Qui vel principio caruit, vel fine carebit.*
> —— —— ——
> *Conjectare animo contendimus, exigua est vis*
> *Humani ingenii, tantoque angusta lat...ri.*
> *Quippe minor Natura, aciem si intendere tentet*
> *Acriùs, ac penetrare Dei secreta supremi:*
> *Quis dubitet victo fragilem lassescere visu,*
> *Vimque fatigatæ mentis sub pectore parvo,*
> *Turbari, invalidisque hebetem succumbere curis?*

Vide eundem Pfannerum *cap.* 2. §. 33.

Amunclæ, apud Solinum *cap.* 2. *Quamvis Italia habeat hoc præsidium familiare, à serpentibus non penitùs libera est. Denique* Amunclas, *quas Amyclas antè Græci condiderant, serpentes fugavere;* Eædem cum *Amyclis*, quas Græci in Italia condiderant, sic vocantes à Laconicis Amyclis. Latini enim *Amunclas* dixere, ut Nævius *Rhuncum*, pro Ῥύγχος, *Thesaurum* alii ex θησαυρός, &c. Salmasius *ad Solinum, pag.* 86.

Amusthia, seu *Amustia*, in *Vita B. Coletæ*, *Non obstante, quòd propter infectionem ægritudinis, totus pannus involvens suum corpus & tunica & amusthia:* Macro est quædam textura, Italicè *Saja*, Gall. *Amoitte*. lanâ, linoque confecta, è qua in usum Monialium infirmarum indusia conficiebant. Carolo du Fresne, tunicæ Monialibus propriæ species, quæ ad genua usque pertingebat; unde quibusdam, quòd ad mediam corporis partem tantùm excurreret, dicta videtur ex Gall. *à moitié.* V. eum in *Glossar.*

Amycteres, apud Strabonem, gens Indiæ monstrosa, ἀμύκτηρες Græcis, h.e. *enares*, Salmasius *ibid. p.* 1006.

Amygdalinum unguentum, Plinio, *metopon nonnullis ex amaris nucibus arefactis & in offam contusis aspersis aqua iterumque tusis exprimitur, lib.*13. *cap.*7 quod è Dioscoride habet. Sic autem vocatum hoc unguentum tradunt, quòd in eo conficiendo galbanum admisceretur, *Metopion* Ægyptiis dictum. Unde Plinium, μέτωπον arborem Hammoniaci vocantem carpit Salmasius *ad Solinum, pag.* 351.

Ana-

AN.

Anabasii, memorati Hieronymo *adv. Ruffinum lib.* 3. *cap.* 1. *Idcircone Cereales & Anabasii tui per diversas provincias cucurrerunt, ut laudes meas legerent?* Veloces fuere nuntii, qui equis curribusque conscensis velociter huc illuc mandata perferebant: à Græc. ἀνάβασις, *ascensus*, Carolus du Fresne *Gloss.*

Anabathra, seu *Anabathrum*, Gr. ἀναβαθμοι, gradus, dignitas. Pseudo-Ovidius *de Vetula lib.* 1.

Ille putat, qui sic ædificitur hoc anabathrum,
Cujus habet turpem promotio reproba causam, &c.

In aula Constantinopolitana thronus, cui insidebat Imperator: Codinus *de Offic. Aulæ Constantinopolis Rursumque ad* Anabathram *veniens, sedit Imperator.* Vide Car. du Fresne *Gloss.* & Macrum *Hierolex.*

Anaboladium, seu *Anabolagium*: Isidoro *amictorium est linteum fœminarum, quo humeri operiuntur, Græcis Latinisque sindon. lib.* 19. *cap.* 25. *circa renes alligatum strictè. latitudine diffusum, omne genus continens colorum*, Ugutioni: *linteum tegumentum, quod caput tegit, in Gloss.* Saxon. Ælfrici: *vestis Pontificalis in Ord. Rom.* idem *cum Humerali*, Ibid. *cum Amictu*, Macro. *Pallium ab utroque latere regestum*, τὸ ἑκατέρωθεν ἀναβεβλημένον, seu ἀναβολὴ & ἀναβάλλειν, Salmasio *ad Tertullian. de Pallio*, ab ἀναβάλλεσθαι. Unde τὸ ἱμάτιον ἀναβαλλόμενον, & τὸ ἱμάτιον ἀναβολάδιον, Græcis dicitur, qui pallium sic utrinque regestum gerit. Qui mos pallii gerendi communis olim habitus elegantiorum Græcorum fuit. Partem enim utramque pallii retrorsum jaciebant, ita ut tota, quæ suberat tunica, pateret: pallium verò ipsum cervicibus circumstrictum morosiusque in rigas plicatum & ordinatum, fibulæ morsu in humeris tenebatur. Cùm contrà Philosophi, & præcipuè Cynici, tribonium suum vestientes, totos sese pallio obvolverent; atque partem ejus de sub dextro humero super sinistrum rejicerent, sicque, excluso dextro, obvlato sinistro humero essent. Vide Salmasium *ad d. Auct.*

Anabolica Species, apud Flavium Vopiscum in *Aureliano*, *Vectigal ex Ægypto urbi Romæ Aurelianus vitri, chartæ, lini, stupæ atque anabolicas species æternas constituit*: id est, *Embolicæ*. Ἀναβολὴ enim & ἐμβολὴ ejusdem sunt significationis nomina ac utroque indigitatur *onus navis*; quod de embola quidem magis certum, quia magis protritum, cùm *anabola* minus frequenter in eo significatu occurrat: de hac verò minimè dubium est, quin idem significet. Ἐμβάλλειν est *imponere in navem*, idem & ἀναβάλλειν: unde & ἀναβάλλειν, *in equum imponere*; quod munus qui exhibent, Ἀναβολεῖς dicti. Sic ἀναβάλλεσθαι εἰς ζυγὸν, *in lancem imponi*, apud Athenæum. Adeoque verum est, verbum hoc significare, *onus imponere*, *onerare*, ut etiam eleganti translatione de bibulis dicatur, qui celocem onerant & vino se implent. Glossæ, *Bibula*, πλωτὰς ἢ ἀναβάλλουσα: inde *celocem onerare*, pro *inebriare se*, apud Comic.

Unde onustam celocem agere te prædicem? PS. cum tuo filio,
Perpotavi modò, &c.

Itaque *Anabolicæ* & *Embolicæ species*, eædem sunt. Et quidem Αἰγύπτιον Ἐμβόλιον, seu, ut alii scribunt, ἐμπολὴν, apud Euripidem Grammatici rectè interpretati sunt ῥῶπον, quâ voce Græci notant minutas merces, &, ut ipsi dicunt, τὸν ἀγοραῖον φόρτον: cujusmodi inter Alexandrinas merces fuere vitrum, charta, linum, stupæ, aliaque, tum Vopisco hic memorata, tum Marco jam Tullio *Orat. pro Rabirio* Posthumo. *Embolam* autem *sacram*, appellarunt certum frumenti modum, quem necessariò Romæ subministrabat Ægyptus: Quod non primus instituit Aurelianus, sed ipse, ut videtur, Augustus, ut à cujus tempore frequens *Alexandrinæ Classis*, apud vett. Scriptores, mentio est. Sed post Augustum, multi Principes circa hanc classem aliquid innovarunt, & videtur Aurelianus frumentis Ægyptiacis alias species adjecisse, quæ pars Embolæ sacræ censerentur; quod postea videtur iterum mutatum. Nam *sacram Embolam* Jurisconsulti nominant τὸν τῆς αἰσίας ἐμβολῆς σῖτον. V. Casaubonum & Salmasium *Notis ad d. l.* & plura hanc in rem infrà, in voce *Embola* &c.

Anacamptica, V. infrà *Anaclastica*.

Anacara, Ital. *Naccara*, crepitaculi seu tympani genus, quod ex una tantùm parte est pelle coopertum, ex alia verò in convexitatem desinit, inservitque equitatui militiæ, apud Orientales inprimis ac Teutones. In *Vita* Ludov. *Tympanis*, *Anacaris & aliis similibus instrumentis horribiliter resonabant.* Meursius *Naccaris* appellari ait, refertque Curopalata, quoties Imperator Constantinopolit. ante prandium per civitatem progrederetur, tubis *anacarisque* populum ad concursum commonitum fuisse; in pomeridiano verò egressu, signa hæc data non fuisse, ne quis fortè ebrius incompositè ac temerè ad Imperatorem accederet, *capite* 5 apud Macros fratres *Hierolex.*

Anaces, Gr. Ἄνακες (ita enim cum Victorio, quàm Ἄνακτες, legere mavult Vossius) juxta receptam sententiam, Tyndaridæ dicti sunt, Castor nempe ac Pollux. Ita enim Plut. *in Theseo*, Τιμῆς ἰσοθέου ἔτυχον Ἄνακες προσαγορευθέντες, *Divinos honores consecuti, qui* Anaces *appellati.* Theodoretus *Græcanic. affect. lib.* 3. Καὶ μὴν καὶ Τυνδαρίδας Θεοὺς ἀνόμαζον Ἕλληνες καὶ Διοσκούρους ὠνόμαζον καὶ Ἐφεσίους καὶ Ἄνακας, *Et quidem Tyndaridas Deos vocarunt Græci, & Dioscuros nominarunt, & familiares & Anaces.* Ac similiter Tzetzes *in Lycophron.* Eoque Ἄνακας dictos putabat Eustathius *in Odyss.* α. quia Græci ἀνακῶς dicant, pro φροντιστικῶς, ἐπιμελῶς, πεφυλαγμένως, *curiosè, studiosè, cautè*: quod ipsum legas apud Plut. *in Theseo*, quamvis hic arbitratur posse etiam ex eo nomen videri, quia procuraverint ἀνοχὰς, seu inducias; vel ab ἄνω, h. e. *suprà*, quia in cœlis conspiciantur. Unde Horatius *lib.* 1. *Od.* 3.

Sic fratres Helenæ lucida sidera.

Accuratiùs verò, qui hac de re disserunt, non solos Tyndaridas Ἄνακας docent fuisse dictos, verùm & Tritopatreum, Eubuleum & Dionysum, de quibus sic Cicero *de Nat. Deorum lib.* 3. *Dioscuri etiam apud Græcos multis modis nominantur. Primi tres, qui appellantur* Anaces, *Athenis ex Jove, Rege antiquissimo, & Proserpina nati, Tritopatreus, Eubuleus, Dionysus. Secundi, Jove tertio nati ex Leda, Castor & Pollux. Tertii dicuntur à nonnullis Alco & Melampus Emolus, Atrei filii, qui Pelope natus fuit.* Nempe ita dixere Veteres viros principes, qui genus ducerent ab Anac sive Ænac, qui & Hebræis, עֲנָקִים LXX. senibus Ἐνακείμ, aliis *Anacim.* Meminit Moses, Numeror. *cap.* 13. *versu ult. Vidimus gigantes è filiis Ænac*: & Jos. *cap.* 11. *versu* 21. *Excidit Enacimos.* Item *cap.* 14. *versu* 15. *Nomen autem Hebronis fuerat Cariath-Arbe. Is fuerat homo inter Ænacimos maximus.* Ubi dubium, num maximum staturâ, an dignitate, an utroque dicat? Saltem de dignitate arguit, quòd ab eo urbs nomen accepit. Unde & Josuæ *cap.* 15. *versu* 13. *Deditque eis Josue urbem Arbe patris Enac: ea est Hebron.* Et fortasse *Anaces* Spartæ & Athenis descendere ab *Anacim* Palæstinæ, unde à Josua profligati in Græciam concesserint. Non dubium autem, quin qui Ἄνακες priùs, hi Ἄνακτες postea dicti sint: ut hinc etiam, unde Ἄνακτες dicantur, liqueat, nempe T. inserto. Sed Cypriis non tam Reges, quàm eorum liberi ac fratres, sic appellati sunt, teste Athenæo *lib.* 6. & Harpocratione, qui idem proditum ait ab Aristotele, *de Cypriorum Rep.* Facilè autem à vicinis Phœnicibus hanc vocem Cyprii acceperint: Græci verò habeant à Cadmo Phœnice, vel Cananæis, qui, Josuâ Cananæam occupante, in Græciam profugerint. Et fortasse ex his Spartani, qui ab Abrahamo descendisse videri volebant, si Josepho credimus *Antiqq. Judaic. lib.* 12. *cap.* 5. Nempe partim ex posteris Agaris aut Cethuræ; partim ex Cananæis, à Josua fugatis, fuisse videntur, è quibus ratio facilis redditur, cur Tyndaridas suos Lacones Ἄνακας dixerint. Vide Vossium *de Idololat. libr.* 1. *cap.* 13. Neque verò solùm Spartanis hi culti, sed & Athenis templum Dioscurorum fuit, quod Ἀνάκειον vocabatur, teste Pausaniâ *in Atticis*, Harpocratione & Hesychio. Idem *ibid.*

Anachoreta, ex Græco, Ἀναχωρητὴς, qui in solitudine degit, *Monachus* ex primævo significatu, *Eremita*. Benedictus *in Regula cap.* 1. *Secundum genus* (Monachorum) *est Anachoretarum, id est, Eremitarum.* Inter quos tamen discrimen facit Isidorus *de Eccles. Offic. cap.* 15. *Genus est*, inquiens, *Eremitarum, qui procul ab hominibus deserta loca & vastas solitudines sequi, atque habitare perhibentur, ad imitationem scilicet Eliæ & Joannis Baptistæ. Genus est* Anachoretarum, *qui jam cœnobiali conversatione perfecti, includunt semetipsos in cellis, procul ab hominum conspectu remotis, nulli præbentes accessum, sed in sola contemplatione divina viventes.* Cujusmodi *Anachoretam* Maronitæ Arabico vocabulo *Hhabis*, vocant, h. e. *incarceratum. Anachoreticæ* autem vitæ auctor Paulus fuit, ante quem, prioribus Ecclesiæ seculis, nullos fuisse, colligit Scaliger in *Elencho*, ex hoc Tertulliani loco, *Non sumus*, inquit, *sylvicolæ & exules vitæ.* Hoc certum, necessitatem potiùs & persequutionum violentiam Christianis primam in avia loca secedendi occasionem præbuisse, quàm liberam electionem, ut ex Pauli Eremitæ Historia constat. De eorum vita ac conversatione, sic Auctor *Consultationis Zachæi lib.* 3. *cap.* 3. *Hi autem, quibus primus observantiæ gradus est, soli eremum — habitant, verisque vocabulis nuncupati singularem transigunt vitam, aut cavatis in habitaculum saxis, subterraneis specubus, à Sole & imbribus temperantes, pane veteri & sine ciborum adjectione vescuntur, sumentes purum è fontibus potum. Vestitus talibus aut pelliceus, aut cilicinus est, & totius vitæ usus in agone mentis & corporis, &c.* apud Car. du Fresne *in Glossar.* Vide & Dominic. Macrum *in Hierolexico*, ut & infrà, ubi de *Eremitis* & in voce *Laura.*

Anaclastica, Græcè Ἀνακλαστικὴ, terminus Optices. Tota enim potentiæ visivæ ratio triplex cùm sit; prima, cùm visio directè fit, *Optica* propriè: altera, cùm visio fit per reflexionem aliaque corpora, quæ species objectas reverberant, *Anacamptica* (à Græco verbo Ἀνακάμπτειν); tertia, cùm visio fit per refractionem, mediisque corporibus diaphanis, *Anaclastica*, item *Dioptrica*, dicitur. Quo ordine servato, *Musei* Kircheriani selectiora descripsit Georg. de Sepibus, & primò quidem varia experimenta *Optica*; dein *Catoptrica*, quæ viz. ope speculorum planorum,

sphæri-

sphæricorum, cylindraceorum, conicorum, ellipticorum, Auctor præstitit, (ubi visendi *Quadrans Catoptricus*, *Theatrum Catoptricum*, *Prospectiva Catoptrica*, *Machina ectypon Alexandri VII. in speculo monstrans*. *Cupido Horarius*, *Octogonon Catoptricum*, *Proteus Catoptricus*, alia.) Tandem *Dioptrica*, ubi intra crystallinæ sphæræ septum mira ostenduntur, accuratè enarrat, in *Collegii Soc. Jes. Musæo Amstelodami edito A.C.*1678.

Anaclinopale, Græcè ἀνακλινοπάλη, terminus veteris palæstræ, apud Martialem *in Epigramm.* cui lemma *Palæstrita*:

Hunc amo, qui vincit, sed qui succumbere novit,
Et melius didicit τὴν ἀνακλινοπάλην.

Nempe Pancratium sic dicebatur, quòd in eo palæstritæ vincerent velut in terram cadentes ac resupinantes se; hinc οἱ χαμαὶ ἀγωνιζόμενοι πυγμάχοι. Theocrito in Περικλύμενο, vel potiùs παμμάχοι, uti Salmasius censet legendum, dicuntur. Vocantur autem hæ artes pancratiastarum τέχναι χαμαί, item ὑπτιασμοί; ad quos alludens Pindarus, *Isthmion. Od.*4. Pancratiasten, qui arte solâ majorem viribus adversarium superavit, vulpi comparat, quæ aquilæ impetum sustinet ac repellit, ἅτε ἀναπιτναμένα, *quasi supina cadens*. Ipsi verò Κυλιστικοὶ dicti, à nexibus humi implicandis & explicandis; unde περὶ τὰς κυλίσεις, i. *volutationes*, plurimùm versari illos, dicit Plutarchus *Symposiac. lib.* 2. *cap.* 4. Artem porrò eorum *luctam super pavimento*, vocat Anthyllus, apud Oribasium *Collect.* 6. *cap.* 27. Cui opponitur ἡ ὀρθία πάλη seu ὀρθοπάλη, *lucta erecta*, eidem dicta, quæ à stantibus & erectis peragebatur, ubi vicisse erat adversarium solo dejecisse, ut contra victi ignominia cecidisse, &c. Alia fuit ἀνακλινοπάλη Domitiani, cujus Suetonius meminit. Vide Salmasium *ad Solinum pag.* 190. & infrà in vocibus *Lucta*, *Pancratium*, *Volutatoria Lucta*, &c.

Anaclinterium, apud Ælium Spartianum in *Ælio Vero*. *Fertur etiam aliud genus voluptatis, quod Verus invenerat; Nam lectum eminentibus quatuor* Anacliteriis *fecerat, minuto reticulo undique inclusum, eumque foliis rosæ, quibus demtum erat album, replebat, jacensque —— velamine ueitiis facto se tegebat, unctus odoribus Persicis*; pars lecti, ad quam pulvinum ponebant, sustinendo capiti. Lectorum enim cum quatuor essent ἀνάκλιντρα, ad caput unum, alterum ad pedes; ad spondas interiorem & exteriorem duo: Illud cui incumbit caput, Græci ἀνακλιντήριον seu ἐπίκλιντρον nominabant, Romani *fulcrum* vel *pluteum*; LXX. Interpp. Geneseos, κεφαλὴν κλίνης. Et erat quidem apud Vett. lectorum genus, ἀμφικέφαλοι, q. *utrinque capitati* dictum, qui duo anacliteria habebant: at hunc Veri lectum, quatuor habentem, enormis magnitudinis fuisse necessum est, atque adeò ad ejus tempora inauditum. Nam in amphicephalis longitudo solùm desiderabatur ultra communem morem; in isto & latitudo par necessaria: in quo quidem adversis vestigiis jacerent, qui omni ex parte invicem oppositi cubabant, &c. Isaacus Casaubonus *ad l.* Salmasius, mavult *Anaclinterium*, quia Græcis frequentius est ἀνακλιντήριον & ἀνάκλιντρον, quàm ἀνάκλιτον & ἐπίκλιτον: lectosque duobus istiusmodi pluteis constantes, ἀμφικεφάλους potiùs dicendos censet, quia κεφάλαιον est cervical seu pulvinus. Pollux, ἐν δὲ τοῖς δημοσθένους [illegible] παρ᾽ ἐκείνοις καὶ κλίνη ἀμφικέφαλος. Nempe, in illa parte lecti, cui caput incumbebat, & quà pulvinus ponebatur, eminentem pluteum ex asseribus compactum erigebant Vett quod ἀνάκλιτον & ἀνακλιντήριον & ἀνάκλιντρον, vocabant: Cujusmodi plutei in hodiernis lectis etiam ad caput fieri solent. Sed & cathedræ ac sedilia, quibus adduntur ejusmodi plutei reclinando, ἀνάκλιτα Græcis; Unde ἀνάκλιτοι θρόνοι Plutarcho. Hodie *Dossualia* vel *Dossuaria* Galli vocant (quòd ad ea dorsum applicetur & acclinetur) istiusmodi ἀνάκλιντρα, &c. Vide quoque Salmasium *Notis ad Spartianum*, & infrà, ubi de *Pluteis* antiquorum.

Anacoli, Græcè ἀνάκωλοι, apud Diodorum de camelis, Αἱ δὲ πρὸς νωτοφορίαν [illegible], αἱ δὲ ἀνάκωλοι καὶ λαγαραὶ [illegible] δρομάδες εἰσί, quæ verba Solinus sic reddit *capite* 49. *Sunt alii oneri ferendo accommodati, alii perniciores dicuntur, quibus longa crura ac substricta corpora*. Sic ἀνάκωλοι, tunicæ breves, quæ crura non tegunt, sed crurum tenus demissæ ea relinquunt aperta, ita ut iis induti ἀνάκωλοι videantur. Vide Salmasium *ad Solinum p.*987.

Anacrusta, Græcè ἀνακρουστὰ ὑφάσματα dicuntur, quæ sursum impulso pectine à stantibus olim percutiebantur, ac texebantur, de quibus vide infrà, ubi *de Recta Tunica*, & de *Textoria Arte*, item in voce *Sursum*. Sic Laconicæ claves ἀνακρουσταὶ dictæ, quòd claustro immissæ succuterent repagulum, donec ex uncino exiret. V. *Ibid.*

Anactrus, Vide infrà *Anax*.

Anadema, genus mitræ. Jul. Pollux *libr.* 7. *cap.*22. *Mitras & Anademata* conjunxit. Dionysius Lambinus *ad lib.* 4. *de Rer. Nat. T. Lucretii Cari*,

Et benè parta patrum fiunt Anademata mitræ.

Anagallis Herba, Vide infra *Anagogitis*.

Anaglypha, Græcè ἀνάγλυφα, vasa cælata, sculpta; quod sculpturæ genus Italis *basso rilievo* dicitur. Eucherius *lib.* 3. *Regum cap.* 17. *Anaglypha Græcè, Latinè Cælaturæ: cælata autem sunt vasa aurea vel argentea signis eminentioribus, extra intusque expressa. Hæc alio nomine sculpta vocantur*, Anaglypha *vasa*. Vetus Interpres Juvenalis *Sat.* 14. *Hic læve argentum. Anaglyfa sigillis.* Virgilius,

— — & aspera signis.

Quod expressit Metellus in *Quirinalibus*,

Qui bibitur scypho vivis signis anaglypho, &c.

Sic *calicis argentei anaglyphi* meminit, in *Sylvestro*, Anastasius Bibliothecarius: *Vitreorum quorundam vasculorum anaglypha subtilitate cælatorum*, Auctor *Vitæ* Odilonis Abbatis Cluniacensis *capite*23. *Capsæ opere anaglypho decoratæ*, *Vita* Urbani Episcopi Lingon. *cap.* 1. *Crucis — anaglyphis ex auro & gemmis mirificatæ*, Ratbertus *de Casibus* S.Galli, *cap.* 1. &c. Quæ *anaglypta in asperitatem excisa*, dixit Plinius *lib.* 33. *cap.* 11. *Anaglyphicum metallum* Sidonius Apollinaris *lib.*9. *Epist.* 13.

Geruli caput plicantes
Anaglyphico metallo,
Epulas superbiores,
Humeris ferant onustis.

Ubi Macer *Anaglyphitico* male & contrà metri genium legit, in suo *Hierolex*. Vide quoque Car. du Fresne *in Glossario*. Salmasio *Anaglypta* & *Anaglypha*, à vasis prostypis & ectypis distincta erant. Toreuticæ enim Artis cùm duo modi methodique fuisse videantur, una quæ argentum in ipso corpore scyphi excideret & sigillis eminentibus exsculperet; altera quæ sigilla seorsim facta argento vel auro includeret atque illigaret, per illam Artem, quam Ἐμπαιστικὴν vocarunt: Illa *Anaglypha* vocabantur, Plinius *ubi suprà*: *Nunc* Anaglypta, *in asperitatemque excisa circa linearum picturas quærimus*. Vas nempe ipsum argenteum in asperitatem excisum & sigillatum cælabatur, figuris extantibus, unde *anaglyphon* vel *anaglypton* dicebatur. Eodem modo vasa lignea exsculpebantur. De quo modo cælandi capienda ejusdem hæc verba, *Acragantis in templo Liberi Patris, in ipsa Rhodo, Bacchæ Centaurique cælati in scyphis*. Item, *Post hos celebratus est Calamis & Antipater, quique Satyrum in phiala gravatum somnio collocasse veriùs, quam cælasse, dictus est, Stratonicus*. Eodem referendæ patinæ *corymbiatæ* & *hederatæ* & *filicatæ*, à genere cælaturæ sic dictæ, quæ corymbos & hederas & filicem herbam in scypho exprimeret exsculptis figuris, &c. Ista verò *Emblemata* & *Crustæ* dicebantur: quæ quòd illigarentur & immitterentur vasis & scyphis, eximi iterum poterant ac revelli; cùm *Anaglypha* detrahi nequirent. Sed & *Anaglypha* à *Caraglyphis* distinguenda; quorum illa eminentibus sigillis expressa, hæc depressis sulcis & imaginum cavatis lacunis sculpta: At utraque γλυπτὰ sunt, Latinis quoque *sculpta* & *sculptilia*, &c. Vide Salmasium laudatum, *ad Solinum pag.* 1045. & infrà ubi de *Cælatura*.

Anagnostes, nomen servi literati apud Romanos; memoratur Vatinio *Famil. lib* 1. *Dicitur mihi tuus servus* Anagnostes *fugitivus cum Vardæis esse*. Plinio *Lector* vocatur, *lib.* 8. *Epistol.* 1. *Encolpus quidem Lector, ille seria nostra, ille deliciæ, exasperatus faucibus pulvere, sanguinem rejecit*. Officium ejus erat, cœnante Domino, serii quiddam prælegere, & fuisse is omnino videtur è Studiosorum illorum cohorte, de quibus subinde mentio fit. Certè in domo Cæsarum Liberti *à Studiis* in pretio fuere. Suetonius in *Claudio cap.* 18. *At super hos Polybium à studiis, qui sæpè inter duos Consules ambulabat*. Etiam Lemnus nescio quis, apud eundem Imperatorem, eodem munere functus est, ut patet ex vet. hac *Inscr.*

TI. CLAUDIUS
LEMNUS
DIVI CLAUDII
AUGUSTI LIB.
A STUDIIS.

Sed & in privatorum familiis hujusmodi servos fuisse, certum, Pignorius *de Serv.* In Ecclesia Rom. *Anagnosta*, seu Lector, unus est ex quatuor minoribus Ordinibus, Commun. Rom. cujus solius in *Euchologio* Græcorum mentio est; unde, an Ostiarii, Exorcistæ ac Acoluthi, apud Græcos fuerint, nonnullis dubitatum. Vide infrà in voce *Lector*. Hinc *Anagnosticum*, Ἀναγνωστικόν, iisdem id omne est, quod legitur, aut recitatur. Unde pro Epistola, aut quovis scripto, vocem usurpat Ennodius *lib.* 1. *Epist.* 4. & *lib.* 8. *Epist.* 5. Gregorius Magnus *lib.* 7. *Indict.* 2. *Epist.* 128. *Anagnostico ante longum tempus dulcissima mihi vestra excellentia. Neapolitano quodam Juvene veniente, mandare curaverat, ut piissimo Imperatori scriberem*, &c. du Fresne *Glossar.* Vide quoque infrà in voce *Lector*.

Anagogitis gemma, ἀπὸ τοῦ ἀνάγειν, *ab evocandis* Deorum Manium imaginibus, ad quem usum olim adhibebatur. Plin. *libro* 37. *capite* 11. Anagogitide *in Necromantia dicunt evocari imagines Deorum inferorum: Synochitide umbras evocatas teneri*. Ubi *Ananchitide* legit Turnebus, & *ananciti̇n*, hoc est, ἀναγκίτην censebat dictam ἀπὸ τοῦ ἀναγκάζειν, quæ Deos cogeret atque invitos evocaret, &c. Cicero 1. *Tusc. Inde ea, quæ meus amicus* Appius

Appius Necyomantia faciebat: Inde in vicinia nostra Averni lacus.

Unde animæ excitantur, obscura umbra aperto ostio,
Alto Acheronte, falso sanguine, imagines mortuûm.

Εἴδωλα ψυχῶν, *excitantur*, ἀναγόνται, *ex imo citantur*: Inde omnino ἀναγίδης λίθος, vel ἀναγωγίς. Unde Auctores Chemiæ herbam *anagallida* dictam ibidem arbitrantur, διὰ τῦ ἀναγαγῆν τὰς ψυχὰς, *ab excitandis animabus*. Proprium quidem Magorum, Deos elicere & evocare, sed in alio genere, quàm Necyomantia &c. V. Salmasium *ad Solinum pag.* 1091.

Anagrate, castrum antiquum Galliæ, jam olim dirutum, in tremo saltuque Vosago, proximum Fontanis *Fontaines*, ubi duæ cellæ Monachorum proximæ Luxovio, in diœcesi Vesonticensi, quales nunc à Monachis *Prioratus* appellantur. Hic Columbanus resedisse memoratur, apud Jonam *in vita ejus*. V. Hadr. Valesium *Not. Gall.*

Anagyrus, adde: Hic templum erat Cybeles celebre, locus autem ipse inter Phalerum & Sunium, Lampra non procul. Inde Ἀναγυράσιος, *Anagyro* oriundus; in lapide vet. Athenis,

ΕΡΕΧΘΕΙΣ ΑΝΔΡΩΝ ΕΝΙΚΑ
ΕΝΕΤΕΛΗΣ ΜΕΝΙΤΟΣ ΑΝΑΓΥ
ΡΑΣΙΟΣ ΕΧΟΡΗΓΕΙ
ΑΡΑΤΟΣ ΗΥΛΕΙ
ΝΙΚΟΜΑΧΟΣ ΗΡΧΕΝ.

Uti supplet Jac. Sponius,

ERECHTHEIS TRIBUS VICIT
ENETELES FIL. MENITIS ANA
GYRASII EDIDIT
ARATUS CANTICUM COMPOSUIT
NICOMACHO ARCHONTE.

V. apud Eund. duas alias *Inscriptiones, Itiner. Græciæ Part.* 3

Anaitica, Regio Armeniæ, apud Plinium, *lib.* 5. *cap.* 23. ubi de Euphrate, *Pluit Xerxenen primùm, mox Anaiticam, Armeniæ regionem à Cappadocia excludens*; Græcè Ἀναιτική, à cultu *Anaitidas*, quam impensè colebant Armenii, nomen accepit. Sed quænam illa sit, incertum: De hac enim regione apud alios nihil. An Acilisene hoc nomine intelligenda? Ita videtur ex Strabone *lib.* 11. Sed hæc magis ad Meridiem vergit, cùm illa sit Septentrionalior. Ἀναία etiam Cariæ Regio, cujus gentile Ἀναίτης: Sed nec de illa hic accipi potest. Salmasius ad Solinum *pag.* 624. & 625. De Dea *Anaitide*, dictum suo loco.

Analecta, id est, Liber Collectaneorum, Lexicon Græco-Lat. Budæi, Tusani & Constant. excusum à Johanne Crispino A. C. 1562. apud Macrum *Hierolex.*

Analectæ, apud Romanos, dicebantur servi, qui cœnæ reliquias, aut ea, quæ ceciderant de mensa, colligere solebant. Erat quidem in plurimis tricliniis, in pariete, foramen proluendi pavimenti causâ excavatum, *l.* 28. *ff. de Servit. præd. urb.* per quod *Analecta* & vina prolula in pavimentum exportabantur, cui profusioni quâ ratione occurrerint, exponit Vitruvius *lib.* 7. *cap.* 4. bibulo nimirum pavimento, *ex carbonibus, sabulo, calce & favilla mixtis*: Verùm non extante foramine, aderant servi, qui sputa detergerent, & reliquias subditi colligerent temulentorum. Horatius *lib.* 2. *Sat.* 8.

His ubi sublatis puer, altè cinctus, acernam
Gausape purpureo mensam pertersit, & alter
Sublegit, quodcumque jaceret inutile, quodque
Posset cœnantes offendere.

Adquæ & similia scobe utebantur, teste Jul. Basso, apud Senecam *lib.* 9. *Controv.* V. quoque infrà, in voce *Scobs*.

Analemma, Græcè Ἀνάλημμα, apud Vitruvium *lib.* 9. *cap.* 4. *est ratio conquisita Solis cursu, & umbræ crescentis, à Bruma observatione inventa, è qua per rationes Architectonicas circinique descriptiones, est inventus effectus in Mundo.* Nempe umbra crescit à Bruma, à Solstitio decrescit; brevissima itaque umbra Brumæ die, ut Solstitii longissima. Cujusmodi umbræ crescentis decrescentisque observatione, non Solis tantùm cursum deprehenderunt veteres Mathematici, sed etiam Mundi magnitudinem, quanta Mundo esset terra, aliaque infinita, etiam multo ante Horologiorum inventionem & horarum observationem; imò ex hac ipsa ratione gnomonica & umbrarum vicibus, Horologia quoque postea prodita sunt & horæ observari cœptæ. Solis enim *Analemmatis* vett. Astronomi, qui Æquinoctiorum ac Solstitiorum veram rationem ope gnomonicorum & sciothericorum organorum indagarunt, tum usi sunt; Sic Anaximander Lacedæmone Heliotropium constituit, in quo per gnomonem Solstitia & Æquinoctia designabantur, quod utique *Analemma* fuit, non Horologium, ut quidam volunt. Nam licèt ex umbræ magnitudinibus, ut erant in *Analemmatis* notatæ, rationes sumerentur, horarum Brumalium, Æstivarum, Æquinoctialium, ut & Menstruarum, quæ in Horologiis describebantur, ex Horologiis tamen nunquam horæ per umbræ mensuram collectæ sunt & observatæ &c. Ex illis porro *Analemmatis* desumta methodus illa, cujus vett. Comici passim meminerunt, umbræ pedibus admetiendæ, ad indicandum diei tempus. Gnomonis certè sive styli stata semper magnitudo fuisse videtur, quæ justam hominis staturam non excederet. Hinc illæ locutiones de variis diei temporibus, ἑξάπουν, δεκάπουν σκιά, *sex, decem pedum umbra &c.* Cujusmodi machinæ sciothericæ, à rotunda *poli* forma, cujus medio gnomon infigebatur, πόλοι aliàs dictæ sunt. Quæ eadem *Analemmata* appellata, quòd in suggestibus lapideis & columnis deformarentur. *Saxeas pilas* vocat Curtius, Strabo κύβοειδεῖς πέτρας, h.e. *pilas quadratas*. Nec obstat definitio Vitruvii allata; Cùm enim locus ipse, in quo istiusmodi ratio Solis cursum observandi, propriè *Analemma* diceretur, per Metonymiam alterum pro altero usurpavit. Quemadmodum idem Parapegma dixit, pro canone ortus & occasus siderum, cùm tabula, in qua descriptus erat, potiùs sic diceretur &c. V. Salmasium *ad Solinum pag.* 739. & *seqq.* ut & infrà, in voce *Polus*.

Analogium, Græcè ἀναλογεῖον, Balbo in *Catholico*, idem quod *Ambo*. Unde Alcuinus *de Divin. offic.* & Remig. Autissiodorens. *lib. de Celebr. Missæ, Defertur Evangelium ad* Analogium, *præcedentibus cereis*. V. suprà in voce *Ambo*. Interdum verò, *Analogium*, vocatur pluteus portatilis, aut inferior, ubi Evangelium & Epistolarum liber ponuntur leguntürque: *Pulpitum* hinc *manuale* dictum, in vett. *Glossis*, quòd ad manum sit & manu, quò opus est, feratur. Suid. Ἀναλογεῖον, ἐν ᾧ τίθεται τὰ βιβλία, *Analogium, in quo reponuntur Biblia*: Curopalates *de Nativ. Christi*, ἔμπροσθεν δὲ τούτου ἀναλογεῖον ἐφ' οὗ ἐπίκειται ἅγιον Εὐαγγέλιον, *Coram ipso Analogium, in quo situm est S. Evangelium.* Coram ipso, h.e. Imperatore. Item alibi τοῦ σταυροῦ ἐπὶ τοῦ ἀναλογείου τεθειμένου ἀσπάζεται τοῦτον ὁ Βασιλεὺς, *Cruce Analogio impositâ, osculatur eam Imperator.* &c. Ex pretioso metallo fieri solitum, docet *Chron.* Francicum *Histor. Franc. Tomo IV. pag.* 96. Analogium *Hispanico metallo fieri fecit fusoriâ arte compactum, cui præeminet deaurata Aquila sparsis alis.* Item festivis diebus in Ecclesia Rom. velo obumbrari consuevisse docet Monachus Pegaviensis, A.C. 1109. *Velamen optimum, quod* Analogio *summis in festis superponitur, in quo Evangelium recitari solet*: quibus iisdem *linteum jubet Evangelium poni*, *Acta* Murensis Monasterii *pag.* 29. Ostiarium illud ante Diaconum portare, narrat Udalricus *Consuetud. Cluniac. lib.* 1. *cap.* 12. *Intrat Diaconus albâ & stolâ indutus, & textum Evangelii portans, quem præcedunt, unus Ostiarius Ecclesiæ cum* Analogio, *in quo legatur* &c. Hinc *Analogium Nocturnale*, in quo *nocturni* apud eosdem leguntur, apud Ekkehardum Jun. *de Casibus S. Gall. cap.* 1. laudatum Carolo du Fresne *Glossar.* Sed & Martyrologium seu Necrologium quoque hac voce denotari videtur, apud laudatum Udalricum *lib* 3. *cap.* 10. quod est *de Præcentore*: *Ipse supervenientes breves Fratrum defunctorum accipit & in* Analogio *notat.* Fortè, quòd Martyrologium semper in *Analogio* esse soleat, ex quo promuntur, quæ, ad diei anniversaria seu obitus peragenda. Idem *Gloss.* Auctor. V. quoque Spelmannum *in Glossario*.

Analphabetus, Gr. Ἀναλφάβητος, id est, *Illiteratus*, epithetum Justiniano Imp. attributum, quasi literas ignorasset. Ex Suida Baronius *ad A.C.* 526 *num.* 2. apud Macrum.

Anamelech, repone *Anam-Melech*.

Anancaum, Græcè ἀναγκαῖον, locus carceris, τὸ δεσμωτήριον, in quo rei *vincti* detinentur. Ἀνάγκη enim Græcis, quidquid animum sua sponte esse non patitur. Unde affectus omnes ἀνάγκαι & *anancæum poculum* apud Plaut. & ἀναγκοφαγίαι Pugilum, qui hanc ipsi sibi necessitatem imposuerant, & μοίρας ἀνάγκη, *Fati necessitas*, Horatio &c. In amatoriis etiam rebus vox usitata est, de his qui philtro aliquo per vim in amorem inducuntur; imò & ipsa philtra ἀνάγκαι & φιλανάγκαι dictæ. Inde herba, quâ Thessalas mulieres ad amorum veneficia uti Dioscorides ait, quòd amandi necessitatem faceret, *Catanance* dicta: quo nomine Leontopodium nonnulli indigitari volunt. Porro lymphationes & vani metus, qui mentibus immitti ab irato aliquo Numine credebantur, similiter ἀνάγκαι appellatæ. Unde vanos metus, à Corybantibus immitti solitos, κενὰς ἀνάγκας, vocat Orpheus, *in Thymiamate Corybantum*.

Κλῦθι μάκαρ φανῶν χαλεπὰς δ' ἀπόπεμπε μανίας,
Παύων φαντασίας ψυχῆς ἐν κενᾶς ἀνάγκας.

Qua de re V. infrà in voce *Corybantiasmus*. Est autem vocabulum μάγον & μανικὸν Magicæ vanitatis, ut videre est infrà in voce *Defixio*. A' cujusmodi necessitatum vinculis, vanis terroribus, lymphationibus & aliis Magicis defixionibus, qui solvere credebatur, adamas, *ἀναγκίτης* itidem dictus est, ut docet Salmasius *ad Solinum pag.* 1015. & *seqq.* V. quoque suprà in voce *Anagogitis*, ut & in *Ambitio*.

Anancitis Gemma, V. hic *Anancaum*.

Anaphlystus, Græcè Ἀνάφλυστος, pars tribus Antiocheidos Athenis, ab *Anaphlysto*, Heroë, filio Trœzenis, dicta. Oppidulum fuit haud procul Athenis, versùs prom. Coliadem, quò reliquiæ Persicæ classis, apud Salamina victæ, sese receperunt. Aliàs olim celebre Panis, Cereris, Veneris Coliadis & Genetyllidum Dearum fanis. Etiam vasa, quæ ibi ex terra picta fiebant, in pretio olim fuisse, memorat Athenæus. *Inscriptio* hæc apud Gruterum extat: ΕΠΙ ΘΕΩΝΟΣ ΑΡΧΟΝΤΟΣ ΚΟΣΜΗΤΟΥ ΔΙΟΝΥΣΙΟΥ ΜΑΡΚΟΣ ΑΝΑΦΛΥΣΤΙΟΣ ΓΥΜΝΑΣΙΑΡΧΗΣΑΣ, *Sub Theone Archonte, Cosmetâ Dionysio, Marcus Anaphlystius Gymnasiarcha.* Alias duas V. apud Jac. Sponium *Itiner. Græc. Part.* 3.

Anargyri, Gr. Ἀνάργυροι, i. *absque argento*, Græcis dicti sunt, ut

& ali-

[illegible] id hac formula, שרוי לך ומחול לך, *Absolutio tibi est, vel est tibi permissa*, idque erat, ut lectius, pro delicti gravitate. Sed ut plurimum fiebat excommunicatio ad dicem [illegible] ultra quod tempus expectabat Forum, ut ad frugem rediret: ita tamen, ut interim verberibus [illegible], pro Fori arbitratu, esset puniendus. Post 30. dierum contumaciam, idem tempus semel iterabatur: si vero, stante sexagesimum diem excommunicatus absolutionem non peteret, vel חרם *Cherem*. i. *anathemate* feriebatur, id est, diris multo gravioribus: Cujusmodi carmen solenne ac horrendum erat, *N. anathema sit, seu devotus atque execrandus habeatur. Diræ imprecationes in eum, Juramentum in eum, Excommunicatio in eum.* Quidquid sic horrendum est, sive Numinis vindictam, sive hominum odium atque aversam consuetudinem spectes, in eum incidat: Atque sic talis omnimodâ fere consuetudine hominum privabatur, fiebatque ei tuguriolum, in quo ab omni hominum commercio semotus aleretur, seu ut de hujusmodi anathemate, sub initia Ecclesiæ Christianæ loquitur Tertullianus *adv. Gentes cap.* 30. *à communicatione orationis & conventus & omnis sancti commercii relegabatur*, &c. V. Plura hanc in rem, ut *de Aposynagogis, de quæstione, an consecratus quisplam nomine anathematis, ut donarii sacri, aut is, qui inter bona in commissum caderet, aut solemniori devotus anathemate, mortis reus eoque nomine occideretur: de illo item anathematis genere, quo expressâ homines, ex jure belli, neci devovebantur: de voto Jephthæ aliisque huc pertinentibus*, apud Joh. Seldenum *de Jure Nat. & Gent. juxta discipl. Ebr. lib.* 4. *cap.* 1 *& seqq.* ut & infra, ubi de *Excommunicatione*. Adde Albaspinæum *Observat. lib.* 2. *cap.* 4. Petavium *in Miscellan. Exercitat. ad Julianum cap.* 13. 14. 15. 16. Joh. Filetacum *ad Vincentium Lirin.* [illegible], Salmasium *ad Solinum* &c. laudatos Carolo du Fresne *Glossar.* qui id unum ad hanc vocem adnotat, *Anathema* propriâ notione apud Scriptores Christianos significare inflictam ab Ecclesia excommunicationem; non tamen quamvis [illegible], sed eam quæ cum execratione & maledictione decernitur & per quam non solum à fidelium communione ac Ecclesiæ ingressu, sed etiam ab omni precum consortio ac publica mentione, convictu, colloquio, salutationeque fidelium, tales arcentur, ex *Capitulis* Caroli C. *tit.* 6. §. 56. & Hincmaro *Opusc.* 55. adeoque Excommunicationem, quam sequitur *Cherem*, ut de quarto genere Anathematis apud Hebræos dicenti, deque posteriore ejus specie, diximus supra.

Anathema sim, Judæis & antiquis Christianis, solennis in jurejurando formula; h. e. *à Synagoga & Ecclesia exclusus sim*: Cujusmodi *anathema* sibi imprecari, [illegible], dixere. Apud Matthæum *cap.* 26. de Petro Dominum abjurante, [illegible], *Anathema sibi ipsi imprecabatur; si vidisset hominem*, h. e. à Synagoga exclusus voluit esse, si &c. Hoc enim vox ἀνάθεμα indigitat, longè diversa a voce ἀνάθημα, significante donarium ac rem templis dicatam, nec quamvis, sed eam tantum, quæ suspendi poterat, aut in excelso & conspicuo loco poni, ut esset Templis ornamento, cujusmodi erant phialæ aureæ & argenteæ, tripodes, acerræ, coryllæ & similia. Pollux, [illegible]. Unde apud Homerum ἀνάθημα pro quolibet ornamento,

— [illegible] ἀναθήματα δαιτός.
Hæc enim ornamenta convivii.

At de terra aut agro aut ædificio aut pecore aut arbore vel etiam homine Diis consecratis ac dedicatis Græci non ἀνάθημα dixerunt, sed ἀνάθεμα, Hebr. *Cherem*, atque ea [illegible] vocarunt, [illegible]: Atque inde [illegible], pro perdere poni cœpit, quia res ei perit, à cujus usibus abscinditur ac Deo vindicatur. Nec mirum tam diversæ significationis ἀνάθημα & ἀνάθεμα esse. Namque non minus in diversa notione ponitur, τὸ ἀνατιθέναι, quod significat *dedicare* & τὸ [illegible], quod denotat *è sua regione ac sede deducere, ac removere*, [illegible]: cujus rei causa diversa notio præpositionis ἀνά utrobique &c. V. Salmasium *ad Solinum pag.* [illegible] *& seqq.*

Anatolia, adde: Ab ἀνατολή dicitur, i. *Ortus*; quòd Mari Mediterraneo ejusque accolis Europæis ad Ortum objaceat, planè ut hodie nunc Italorum *Levante*, hoc est, *Oriens*, se habet; cujus nomine partes Asiæ Mari Mediterraneo vicinas ipsasque remotiores ab Occid. Insulas Maris istius, intelligunt. Terminatur ab Ortu Armeniâ & parte Syriæ, cætera Pontus Euxinus, Propontis, Archipelagus & Mare Mediterran. cingunt. Provinciæ olim ejus numeratæ, Primò Pontus & Bithynia. 2. Asia minor, in specie sic dicta (alicubi enim & totam *Natoliam* ita vocatam videre est) eaque comprehendit Phrygiam, Mysiam, Lydiam, Cariam, item Æolis, Doris & Jonia, à Græcis olim habitatæ. 3. Lycia, 4. Pamphylia. 5. Cilicia, quam Belsi↓ aut Lugdunensi territorio in Gallia assimilat Bellonius *Observation. lib.* 2. *cap.* 100. 6. Cappadocia. 7. Galatia & Paphlagonia. Quibus ferè respondent:

Provinciæ Anatoliæ reg. hodie ita dictæ:

Chiusale.	*Menteseli.*
Becsangil, Sarcum & Oro-	*Carmania.*
[illegible]	*Amasia, Anadole, Suvas &*
Calidimelle.	*Genech.*
Roni, Belli.	

Mediis seculis Impp. Græcorum, aliis divisionibus distracta fuit, subinque Imperium Trapezuntinum, à Trapezunte, sede regia, quæ hodie *Trebisonde*, ita dictum. In *Chiusale*, aut Ponto urbes sunt *Scutari*, quæ olim Chalcedon, Nicomedia, Prusia seu *Bursa* &c. In Asia min. seu *Sarcum* Smyrna, Auctor Anonymus *Hist. Turc. Orbis Geogr. & Civ.* V. quoque hic infrà.

Anatolica Diœcesis, Græcè Ἀνατολή & Ἀνατολικὴ Διοίκησις, Lat. *Oriens* & *Orientalis prov.* non fuit eadem cum Asia Minore, ut quidem Constantinus contendit *de Themat. lib.* 1. nec eadem cum Asiana Diœcesi; sed primis & mediis Ecclesiæ seculis, etiam Arcadio adhuc regnante, nomine τῆς Ἀνατολῆς, seu *Orientis*, provinciæ infra scriptæ XV. intelligebantur, *Palæstina, Phœnice, Syria, Cilicia, Cyprus, Arabia, Isauria, Palæstina Salutaris, Palæstina secunda, Phœnice Libani, Euphratensis, Syria Salutaris, Osrhoena, Mesopotamia & Cilicia secunda*; in *Not. Imp.* sub Arcadio composità. Quas etiam omnes sub se habebat ille, qui *Comes Orientis* dicebatur: Magister Militum itidem per Orientem similiter militibus, per universas illas locatis provincias, præsidebat. Eædem in spiritualibus Antiocheno Patriarchæ suberant, qui propterea dicebatur τῆς Ἀνατολῆς Πατριάρχης & τῆς Ἀνατολικῆς διοικήσεως ἔξαρχος. Hinc & Ἀνατολικὴ σύνοδος & Ἀνατολικοὶ Ἐπίσκοποι, qui illi Patriarchæ suberant, nec quicquam habebant commune cum Asianis, qui Constantinopolitanum Patriarcham agnoscebant. *Notitia* vetus provv. *Rom.* decem tantum Orientis provincias numerans, eas sic nominat, *In Oriente N. X. Syria cale, in qua est Antiochia, Syria Palæstina, Phœnice, Isauria, Cilicia juxta montem Taurum, Cypros, Mesopotamia inter Tigrim vel Euphratem, Euphratensis, Osiroëne, Sophene.* At infimis [illegible] & cadentis Imperii temporibus Minor Asia seu potiùs pars ejus ulterior Ἀνατολικὸν θέμα, i. *Orientalis provincia dicta est*, hodieque *Natolia* appellata: quam Constantinus *de provinciis Orientalis Imperii*, quinque his gentibus constare ait, *Phrygibus, Lycaonibus, Isauris, Pamphyliis & Pisidis.* Altera vero pars ejusdem Asiæ, nempe citerior, Θρακησίων θέμα, h. e. *Thracensium prov.* est appellata, quæ sub se continebat *Mæoniam, Lydiam, Cariam, Joniam & Phrygiam Minorem.* Qua de re V. pluribus differentem Salmasium *ad Solinum pag.* 804. *& seqq.*

Anave, prov. Regni Parthici, unum ex duodeviginti regnis Parthorum, quorum mansiones recenset, in libello [illegible], Isidorus.

Anax, apud Gregorium Turonensem *de Gloria Confess cap* 8. *Patenam & urceum, qui Anax dicitur, in patriam deferens*: materiam denotat, è qua vasa conficiebantur, ut colligere est ex *Histor.* Episcoporum Autissiodor. In qua *Anacteus*, ut adjectivum, vasis aliis adjungitur. *Cap.* 20. *Missorium anacteum pensantem lib* 30. — *Bacchonicam aliam anacteam pensantem &c.* — *Scutellam anacteam &c.* Ubi vasa ista anactea ejusdem fortè materiæ vel operis, atque adeò nominis fuere, ac ea quæ *anacea* vocat Plautus in *Rudente*:

Credo hercle anaceo datum quod biberet:

Alii legunt *anancæo*. Certe, ut ab *anacte, anacteum*; sic ab *anace, anaceum* esse potest. Et Plautiniani vocabuli vestigium agnoscit in *Gloss.* Lat. Gr. du Fresne, ubi pro *Apnades*, [illegible], legit, *Anaces*, [illegible] &c. Sed & Alteserra, apud Gregorium *M. lib.* 4. *Epist.* 40. *anacem* legendum censet, *Unam vero anacem cum duobus parvulis Atticis*; ubi *Attica*, vasa fictilia pariter interpretatur, sic nuncupata ab Attica reg. & ab *Anace*, vocem *Anap* vel *Hanap* Gallicam, pro scypho grandiore, inde deductam putat. Sic itaque videtur *Anax* fuisse materia quædam argentea, vel vas quoddam argenteum, εἶδος ἀργυρώματος, cùm in *Historia* Episc. præfatâ, pondus observetur, perindeac aureorum & argenteorum vasculorum. [illegible] Hippocrati [illegible] appellari annotat Phavorinus & [illegible] esse eidem Hippocrati, sed an ea nomenclatura Gregorii adhuc ævo in usu fuerit, incertum, du Fresne *Glossar.*

Anca vel *Anca megareb*, h.e Occidentis, apud Arabes, avis fabulosæ nomen, quam tantæ molis esse fingunt, ut ova pariat montium instar, & rapiat elephantes, eadem facilitate, quâ mures milvus. Addunt, cùm volat, ex alis ejus fragorem audiri tanquam torrentis, vivere annos mille & cum fœmina sua copulari circa annum vitæ quingentesimum: fuisse autem aliquando inter homines, sed quum aliquando Sponsam unà cum nupilibus suis rapuisset, imprecatum ei esse Handalam Saphuani fil. Prophetam illorum temporum, Deumque illam relegasse in insulam hominibus inaccessam, in qua sint elephantes, monocerotes, bubali tigres, aliæq; feræ & aves rapaces: ut alia omittam. Sed fabulam explodit ipse Poëta Arabs, cùm ait: *Probitas & Empusa & Anca tria sunt nomina, quæ non reperiuntur, nec unquam extant.* Interim verum animal esse *Ankam*, sed in alis non multo ampliorem, quàm vulgus magnarum avium, Ibnocholcanbis verbis

docet,

docet: *Vidi in Historiis — Azizum, filium Arami, Ægypti dominum, aves peregrinas collegisse — & in iis ancam, quæ ipsi venerat ex Ægypti Thebaide, longa ut ardea — super caput tutelam habens & multicolores pennas* &c. Quin aquilæ speciem alii faciunt: Unde colligere est, licèt ut plurimum fictitiæ avis hoc nomen sit, tamen etiam pro vera ave nonnunquam sumi. V. Sam. Bochartum *Hierozoici Part. poster. lib. VI. cap.* 14.

Ancarius, Judæorum Deus, Martiali *Epigramm.* de Theodoro Judæo,

— jura, verpe, per Ancharium;

Sic enim legit Js. Vossius, seu *ancarium*; observans in optimo codice Thuanæo, jam ante annos 800 exarato, *Anchalium* legi, cùm vulgò *Anchialum* habeatur. Significat autem vox asinum, qui ὀγκηςτὴς est seu ὀγκηθμὸς. Unde Lucillius,

Hæc inquam rudet è rostris atque ejulifacit,
Concursans velut ancarius clareque quiritans, &c.

Nempe atrocis hujus calumniæ labe Judæos aspergere conabantur Ethnici, ut asinum pro Deo ab ipsis coli per summam impudentiam scripserint. Primus fabulæ architectus Apion fuit, Grammaticus Ægyptius, sub Tiberio, Cajo & Claudio; qui edito contra Judæos libro asseruit, *eos in ipso Templi sacrario asini caput collocasse & id colere* — adduxitque, ex Idumæa urbe Dora *Zabidum quendam multa quiete ad templum venisse & aureum detraxisse cantherii caput & rursus Doram velociter se contulisse.* Eum secutus Damocritus Historicus *l. de Judæis*, disertè αὐτοὺς ὅτι χρυσῆν ὄνου κεφαλὴν προσεκύνουν, *aureum asini caput adorasse* tradidit. Rationem adjecit Plutarchus *Sympos. lib.* 4. *quæst.* 5. Τὸν ὄνον δὲ ἐμφήναντα πηγὴν αὐτοῖς ὕδατος τιμῶσι, *Asinum, qui olim illis monstraverat aquæ fontem, honore prosequuntur.* Et latiùs Corn. Tacitus *Histor. lib* 5. quem vide. Unde factum, ut Christianis etiam id objiceretur, ut videre est apud Tertullianum *Apologet. cap.* 16. & Cæcilium Ethnicum in *Octavio* Minucii. Quin & Tertullianus, ubi modò, picturæ meminit à quodam propositæ cum blasphema hac inscriptione, *Deus Christianorum Onocoetes*: ubi Vossius legendum putat, *Onochærites*, V. infrà. Sed calumnias has Gentilium recitasse refutasse est. Ipsæ enim se destruunt, ut à Josepho & Tertulliano jam olim observatum: quorum ille Apioni Polybium, Strabonem, Nic. Damascenum, Timaginem, Castorem & Apollodorum opponit, qui Hierosolymitani Templi ab Antiocho Epiphane expilati (quo tempore id detectum fuisse finxit Apion) historiam ita referebant, ut de Asini capite aureo in Templi adytis reperto ne γρῦ quidem haberent. Addit non Epiphanem solùm, sed & Antiochum Theum & Pompejum M. & Licinium Crassum, Titum denique Cæsarem, vidisse Templi penetralia, nec tale quidquam ibi invenisse &c. Jam Tacitum ex ipso Tacito Tertullianus refellit, qui in eadem *Historia* refert, Pompejum in Templo Hierosolymit. nullum reperisse simulachrum. Dum verò anxiè multi quærunt, quid occasionem dederit pestilentissimæ huic calumniæ de asino à Judæis culto, ex Ægyptia lingua (Ægyptius enim fuit Apion) illam arcessit Bochartus: quâ cum ΠΙΕΩ sit ὁ ὄνος, *asinus*; *videntur*, inquit, *impuri homines (horresco referens) quod in Scriptura tam frequens est,* פי יהוה *pi-jao h. e. os Domini, item mandatum aut verbum Domini, ad asinum traxisse — Hic nomen ἀνεκφώνητον Jao scribimus more Vett. Græcos enim ita extulisse nullus est, qui nesciat — proindeid in Patribus frequens &c.* Jam quod de siti additur, putat idem orig. em traxisse, ex historia de deserto Elim, in quo, post longam sitim, aquas *Mara* per miraculum Deus edulcavit tandemque in umbra palmeti tot fontes reperti sunt, quot erant in populo tribus: *Elim* autem legit Josephus Ἠλὶν, *Ilin*, ac si ab asinis nomen haberet, qui Syris ita appellantur, V. eum *Hierozoici Part. I. p.* 227. & in voce *Anchialus*.

Anchusa, Græcis ἄγχουσα, item ὀνοκλεία, à colore rubræ purpuræ, Plinio dicitur *præparare lanas coloribus pretiosis*, h. e. substerni coloribus pretiosis, ut conchyliis ac purpuris & cocco. Eâ enim ut & algâ marinâ imbuebantur primò lanæ, ut alii pretiosiores modò dicti superinducerentur. Quemadmodum hodie varantia & guastum coccineis purpureisque substerni solent, ut colorem alligent & faciant tenacem. Sed & radice ejus mulieres olim usas esse, ut ruborem genis conciliarent, docet Hesychius, Ἄγχουσα, ῥίζα ἣ φοινίττουσι τὰ γύναια: Sanguineo enim colore *Anchusæ* radix imbuit; quam proin in ornatu muliebri quoque enumerat Aristophanes in alteris Θεσμοφοριαζούσαις, quæ non extant, exceptis versibus quibusdam apud Clem. Alexandrinum & Pollucem, quos exhibet Salmasius *ad Solinum pag.* 1148. Ubi notandum, ἄγχουσαν & Φῦκος ibi distinctè recenseri; contra eos, qui *Anchusam* cum Fuco terrestri (de quo infrà in voce *Plucarium* & *Radicula*) confundunt. Memoratur quidem præter hæc duo *παιδέρως* quoque, ad eundem usum mulieribus usurpatus, sed eo nomine nil aliud, quàm unguentum ex radice Anchusæ, aut ex radicula Syriaca, *Fucus* dictâ, intelligi docet Salmasius *l. cit.* V. quoque infrà in *Pæderos*. Certè in colorandis unguentis anchusæ meminit Plinius *lib.* 3. *cap.*1. ubi de Rhodini confectione; quam τὸ τῆς Ἀχαΐας ἄνθος, i. *colorem Achaicum* vel *Græcum* vocat Democritus, quod in Græcia passim nasceretur: cùm Fucus prælatus, qui ei passim jungitur, τὸ τῆς Συρίας ἄνθος, item χρῶμα, per excellentiam vocaretur. Quæ duo tamen sibi invicem substituebantur, ut docet idem Salmasius *ad Solinum pag.* 1146. & *seqq.*

Ancilla, quasi *Ancula*. Ab *anclo*, enim vel *anculo* antiquo, id est, *ministro*, primùm *Ancula*, dein *Ancilla*. Argumento Dii illi, quibus nomen *Anculi* & *Anculæ*, tanquam ministri quidam Deûm. Aliis *Ancillæ* dictæ, ab *Anco* Martio Rom. Rege, quòd is magnum fœminarum numerum cepit, vel ab *anculare*, quod est *ministrare*. Item ab ἀγκὼν, i. *cubitus*, quod ipsum ab ἄγκειν, quia operâ manuum ministrabant. Nonnullis vox est ab *am* & *cilleo*, id est, *circum moveo*. Harum non minùs, ac Servorum, ingens apud Vett. fuit numerus; unde apud Scriptores non rarò *ministeriorum catervas*, *turbas* etiam aliquando ac *populos*, legimus. Nota certè apud Tacitum *Annal. lib.* 3. Severi Cæcinnæ querela: *Inesse mulierum comitatui, quæ pacem luxu, bellum formidine moveantur & Romanum agmen ad similitudinem barbari incessus convertant.* Quare Mater Juliani Mart. apud Surium *Tom.* 2. in publicum legitur prodiisse cum innumerabili familia, ... Nec hyperbolicè quidem Cæcinna locutus est, si Ammianum Marcellinum audimus *lib.* 14. qui Matronarum comites recenset Textrices, Coquos, Spadones, & universum promiscuè servitium. Respexit huc Juvenalis, *Sat.* 6. *versu* 417.

— Gravis occursu, teterrima vultu
Balnea nocte subit, conchas & castra moveri
Nocte jubet, &c.

V. Laur. Pignorium *Comm. de Servis*, è quo etiam sequentia deprompsimus & in ordinem digessimus.

Varia Ancillarum, apud Romanos, ministeria.

In Familia Urbana.

Ab argento potorio, ministram habuit Livia, Vibiam Successam.

A cubili.

A cura catellæ, qualis Aurelia erat, Liviæ itidem Aug. *Ancilla*.

Adstetrix, memorata Ovidio *Met. l.* 9. ubi de Galanthide.
Aderat faciendis strenua jussis.

Ancillulæ ex Æthiopia, *Gaditanæ* &c. V. hic infrà *Puellæ*.

Antecambulatrices, ex officio præibant, cùm Matrona in publicum prodibat, sicut Pedisequæ subsequebantur. Dictæ eædem *Amicæ*, V. suprà in voce *Amicus*.

Crotalistriæ.

Cymbalistriæ.

Cytharistriæ.

Flabelliferæ, inter *Ancillas* conspicuæ erant; quod tamen officium Eunuchi illis in pluribus domibus præripiebant.

Janitrices.

Lanificæ.

Lanipendiæ, quæ inter Lanificas pensa partiebantur, quando ea munera sordere dominabus visa sunt.

Mamma, eadem quæ Nutrix.

Medicæ quoque in usu fuerunt, quæ videntur Gynæcia curasse & curam adhibuisse Mulierum passionibus.

Nanæ, memorantur Lampridio.

Negotiationi quoque *Ancillas* à dominabus fuisse præpositas, Icti testantur.

Nutrices.

Obstetrices. V. suis locis.

Ornatrix, similiter.

Pedisequæ, sequebantur dominas, sicut Antecambulatrices præcedebant.

Penaria, vel penuaria, ... ἡ Ταμία.

Περίδεια, olim dicebantur in Græcia, ... Hesychius: *quæ nuntiabat horam dominabus.* Sicut enim Proceres Romani pueros habuere ad hoc, qui horas sibi nuntiarent; sic in Græcia idem obtinuit, Dominæ verò ancillas habebant, quæ hoc munus sibi fungerentur. Nempe cùm horologiis adhuc homines carerent, umbram pedibus dimetiebantur Veteres &c. uti docet Salmasius *ad Solinum p.*634.

Puellæ in ministerio variæ, ... ditate, cantu, saltatione.

Sandaligerulæ.

Sarcinatrix.

Textrices.

Tibicinæ, quæ in convivio epulantium animos oblectabant.

Tonstrices, memorantur Martiali & in vett. Inscr. Earum erat ungues quoque resecare.

Tractatrices, corpus fricabant, Medicarum, ut videtur, ministræ. Namque & Medici Tractatores habuere.

Tympanistriæ.

Vestificæ.

Vestiplicæ.

Vestispicæ.

Umbelliferæ, *distensa suis umbracula virgis tenebant*, ut ait Ovidius *de Arte am. lib.* 2.

Unctrices, Dominas post balnea ungebant &c.

In Familia Rustica.

à Coquina mulieres, pulmentaria rusticis coquebant.

Custodes villæ, ne quid vicini terrum, quæ villâ continebantur, occuparent, dabant operam.

Focariæ, ad culinam pertinebant, quia focus in culina. Sunt qui *Focarias* concubinas interpretentur, non malè, ut colligitur ex Varrone *de Re R. lib.* 1. *cap.* 10.

Lanæ & Lanificæ, cum adscriptitiis glebæ, quam incolebant, adligatis, ... habitabant.

Panicoctariæ Chrysologo *Ser.* 99. dicuntur, quæ panem coquebant.

Pistrices: Viros enim mulieresque, ubi non aderat aqua, vis, in pistrinum fuisse conjectos, perspicuum est ex Evangelio Lucæ *cap.* 17. ...

[illegible]
Villica. V. sub *hoc*.

Ancillæ Honorum, Treb. Pollioni dictus est Antipater quidam, in *Divo Claudio: Non Gallus Antipater, Ancilla honorum & Historicorum dedecus*; *principium de Aureolo sic habuit, Venimus ad insignem* [illegible] *fui.* Ubi alii legunt, *Ancillariorum & Historicorum dehonestamentum*; Vir doctus emendat, *Pater ancillariorum*: sed constanter optimi codices suggerunt, *Ancilla Honorum &c.* *Ancillam* nempe *honorum* Antipatrum hunc vocat Trebellius, adulatorem & assentatorem summarum potestatum vel ambitiosum. Namque *ancillam* vocabant Latini, qui sordidè adularetur & ambiret vel honores vel honoratos. *Gloss. Ancillata*, ἐριθευόμενος, [illegible]; ubi *ancillata* idem planè est, quod hoc loco *ancilla*. Ἐριθευτὴν enim Græci vocant hominem adulandi adsentandique artificem. Eædem *Glossæ*, *Adsentatores*, ἐριθευταί, *adsentio*, [illegible]. In aliis *Gloss.* ἐριθευτὴς, *adulator*, *ambitiosus*. Ita apud Trebellium, *Ancillam honorum* accipere possumus, *ambitiosum & honorum cupidum*; cujusmodi homines etiam ἐρίθους Græci vocant: ἔριθος autem, ut nemo ignorat, *ancilla* est lanifica; unde ἐριθεία, *ambitio* exponitur in optimo *Glossario*. Sic & [illegible], *adsectatores*, in iisdem Glossis exponuntur. Salmasius *ad Pollionem*.

Ancillæ Dei, Moniales seu Monachæ dicuntur, in Concil. Rom. A.C. 721. *Si quis Monacham, quam Dei Ancillam appellamus, in conjugium duxerit, anathema sit.* Et apud Gregorium M. *lib. 6. Epist. 23.* Ancillas Dei, *quas vos Græca lingua Monastrias dicitis.* V. Car. du Fresne *Glossar.* ubi etiam meminit veteris *Epitaphii* in Monasterio S. Victoris Massil. descripti à Joh. Mabillonio *Tom. IV. Vitarum* Ord. Benedicti *pag. 539. Per hic requiesset in pace Eusebia religiosa magna ancela Domini.*

Ancillariali, dicebantur apud Romanos, qui non liberè uxoribus imperabant, adeoque ut vel consciis iis adulterarentur. Quo de infami maritorum erga uxores obsequio, admiranda sunt, quæ scribit Seneca, *de Benef. lib. 1. cap. 9. Conjugibus alienis, nec clam quidem, sed apertè ludibrio habitis, suas aliis permisere. Rusticus, inhumanus, ac mali moris & inter matronas abominandæ conditionis est, si quis conjugem in sella prostare vetuit, & vulgò admissis inspectoribus vehi undique perspicuam. Si quis nullâ se fecit amicâ insignem, nec alienæ uxori annulum præstat, hunc matronæ humilem, & sordidæ libidinis &* Ancillariolum *vocant. Hinc decentissimum Sponsaliorum genus est adulterium & in consensu viduï cælibatus, nemo uxorem duxit, nisi qui abduxit, jam raptam.* Usq; adeò quidem, ut *conjugium* [illegible] vulgò diceretur *unius adulterium*. *lib. 3. cap. 16. Nunquid jam ullus adulterii pudor est, postquam eò ventum est, ut nulla virum habeat, nisi ut adulterum irritet? Argumentum est deformitatis pudicitia. Quam invenies tam miseram, tam sordidam, ut illi satis sit adulterorum par? Nisi singulas horas divisit? Et non sufficit unus dies omnibus. Nisi apud alium gestata est, apud alium mansit. Infrunita & antiquata est, quæ nesciat. Matrimonium vocari unius adulterium.* Quæ, licèt horrenda, non tamen tunc nova, aut priùs inusitata erant. Notissima Horatii loca, quibus ob frequentiam adulteriorum omnia mala Romanis obvenire testatur, & ut verus Sapientiæ Magister dehortatur omnes suos discipulos, dum in *Satyris* morum & doctrinæ Præceptorem profitetur. Ad eadem tempora pertinent Ovidii, Propertii, Tibulli amores, quorum omnium illæ celebratæ delitiæ, *Mulieres* fuerunt *nuptæ* &c. V. Caspar. Barthium *Animadversion. ad Statium Tom. II. pag. 757.* & *Not. ad Tibullum.* Item infrà in *Arga*.

Ancillaris vestis, cujus Ulpianus *D. de injuriis* meminit, cum ait: *Si quis Virgines appellasset, si tamen Ancillari veste vestitas, minùs peccare videtur: multo minus si meretriciâ veste fœminæ, non matris familiâs, vestitæ essent*. qualis fuerit apud Romanos, non est proditum. Verùm cùm matronæ stolâ & pallâ uterentur, facile est credere, utraque ancillis interdictum, atque ita tunicâ breviori ad medium crus pertinente, nullâ institâ assutâ, illas usas esse, qualem tunicam meretriciam fuisse docent eruditi: Hoc tamen ancillas ab his distinctas, quòd hæ togatæ insuper, illæ tunicatæ tantùm fuerint. Faber *vestem ancillarem*, atram ac sordidam interpretatur, sed talis etiam fœminarum ingenuarum viliorum esse potuit, Octav. Ferrarius *de Re Vestiaria Parte I. lib. 3. cap. 23.* Dii Deæque *Ancillarum*, Anculi Anculæque dicti sunt, V. ibi. De *Ancillis* plura, suprà; De *Ancillis* comæ ornandæ præfectis, quoque in voce *Ifocales*, &c.

Ancla, instrumentum, quo aqua hauritur de puteis, quod *haustrum* Veteres appellabant, ab *anclare*, i. *haurire*: ut *ama* ab *amo*, vox ad Græcos delata, qui ἄμας vocant institas, quibus vestes ornabantur. *Rotarum cados*, interpretatur Nonius; quo modo etiam *Ancla* planè accipitur, in hoc vet. *Epigram.* nondum edito:

DE ANCLA.

Pendet & haurit aquas, pendentes evomit undas,
Et fluvium vomitura bibit, mirabile factum:
Portat aquas, portatur aquis, sic unda per undas
Volvitur & veteres haurit nova machina lymphas.

Apud Salmasium *Not. ad Vopiscum in Bonoso.* V. quoque eum *ad Solinum* 830.2.

Anclio, apud Ugutionem *MS.* ubi fortè legendum *Coclio*, du Fresne, V. infrà *Caucularii*.

Anculus, in *Gloss.* Isidori, *ministerialis domus regiæ*: vetus verbum, *ministrum* seu *nuntium* denotat à Gr. Ἄγγελος; hinc enim *angulus* & *anculus*, ut à Σικελός *Siculus*. Unde *anculari*, ministrare & *ancillari* diminutivè. V. infrà in *Cauculus* & *Ministerialis*, ut & in *Anculi*.

Ancyra, adde: In hac Synodo provinciali, A.C. 314. habita, scripti sunt Canones viginti quatuor; tot enim tantùm genuini sunt: atque hi primi extant in Codice Canonum. Gerh. von Mastricht *Histor. Juris Eccles. §. 12.* Hanc dein excepit ac supplevit Synodus Neocæsariensis, itidem provincialis, Neocæsareæ habita, ut quidam conjiciunt, sub A.C. 318. Baronius in A.C. 314. conjicit eodem *ibid.*

Ancyromachus, navis species sic dicta, *quòd celeritate suâ anchoris & instrumentis reliquis vehendis sit apta*, ut est apud Isidorum *lib. 19. cap.* [illegible] & Ugutionem. *Glossæ* Isid. *Ancyromagus, genus navigii.* In *Glossis* Ælfrici Sax. corruptè est *Archiromachus*, V. Car. du Fresne *Glossar.* in voce *Achiromacus*.

Andacharius seu *Hadwacker*, vel *Odoacer*, unus ex filiis Hengisti, (qui A.C. 449 Britanniam occupatam de gentis suo nomine, *Angliam* vocavit) in Germania, stemma produxisse fertur, per illos posteros, Hadvigatum, Hildericum, Bodicum, Bertholdum, Sighardum vel Sigismundum, Saxonum Duces vel Reges. Huic Sighardo Henetorum A.C. 633. victori, filium dant Ditericum R. a Carolo Martello A.C. 722. victum & dein Carolomanno rebellem. Diterico assignantur Edelhardus, Berthoidus, Wernekinus, bellis adversùs Carolomannum & Pipinum Francos celebres; quæ bella continuavere adversùs Carolum M. Albion & Hermannus Edelhardi, ac Witikindus hodiernorum Saxoniæ Principum conditor, Wernekini filius. V. Phil. Jacobum Spenerum *Sylloge Geneal. Hist. in fam. Witikindea Saxonica.* & infrà in voce *Witikindus*.

Andana, vulgò *Anden*, aliàs *Andenne*, vicus est ad ripam fluminis Mosæ, Namucum inter & Hojum positus: ubi Begga Pippini senioris, Præfecti Palatii per Austriam filia, Gertrudis Nivialensis Abbatissæ soror, post Ansigisili mariti mortem clarum Monasterium extruxit: quod hodieque illustre est & vetustate opibusque perecelebre Nobilium Canonicarum, vulgò *Secularium* dictarum, collegium: Qualia in Hannonia, Cœnobium Melbodiense Adelgundis & in Brabantia Nivialense B. Gertrudis sunt. Ibi eadem Begga prædicta septem basilicas condidit, virumque suum interemtum sepelivit. V. Hadrianum Valesium *Not. Gall.*

Andecabeo, seu *Anclabeo*, in *Gloss.* Isidori, *Anclabeo vel Auriclabeo, i. Lex Longobardorum*: & apud Ugutionem MS. *Andecabeo & Auricabeo, i. Lex Deorum, hæc Longobard.* voces sunt incertæ originis & significatûs. Pignorius & Vossius corruptè in locis hisce scriptas esse censent, pro *Andegauvero* & *Arigavero*, & *andigare* dicunt de eo efferri, qui adhuc sanus de rebus suis disponit seu testatur; *arigare*, qui infirmus & æger: unde apud Papiam, *Andigaver & Arigaver, id est, in sanitate & infirmitate.* Sed nec promtum est assequi, quid apud Ugutionem hæc vocabula sonent, *i. Lex Deorum, hæc Longobardorum.* Car. du Fresne per *Legem Deorum* intelligi posse judicat Legem Deirorum seu Northambrorum, ita ut *Andecabeo* hanc appellari putaverit, *Auriclabeo* verò Longobardorum. Vide omnino eum in *Glossario*.

Andegavina, V. infrà *Angevina*.

Andelangus, vox crebrò occurrens in vett. traditionum *Chartis*, hac fermè semper formulâ: *Per festucam atque per* andelangum *tradere, donare*; præsertim in *Formulis* Lindenbrog. *Per festucam, & andelaginem* (nam & hæc formatio vocis est) *& per ramos arborum, traditi sibi — curtem meam* &c. in *Tabular.* Casauriensi ann. Ludovici II. Imper. 25. *Per fistucam, wasonem &* andelaginem, *& sponsionem suprà scriptorum ramos de arboribus — tradidimus*, in vet. *Charta* apud Chiffletium, in *Luminibus Salicis cap. 6. Per wasonem terræ & fistucam nodatum seu ramo arborum usque per cultellum & wantonem seu andilaginem* &c. in *Charta* Mathildis Com. A.C. 1079. apud Fr. Mariam &c. quid denotet, hactenus incertum manet. Malbrandus *cremaculam* interpretatur, atque, *Soliti sunt antiquitus in symbolum juris proprii tradere in manus possessoris triticeam spicam, si quid arabile donaretur: vel andelaginem, i. cremaculam, si domus vel habitaculum.* Intelligens *andelam* seu sustentaculum focarium, quod vulgò *Landier* vocant Galli; quod tamen aliud est à cremacula. Spelmanno, ex Saxon. *andlang*, venit, quod *fustem* seu baculum *longiorem* videtur indigitare: nam *per fustem* investituræ olim fieri consueverunt. Wendelinus ex Germ. *in handen langen*, quod est, *in manus tradere*, derivat: at in formulis prædictis corporale quidpiam vox significat. Car. du Fresne *Glossar.*

Andelaum, vulgò *Andelot*, oppidum Galliæ, in agro Lingonico, inter urbem Lingonas & Nasium castrum Leucorum, quò Guntchramnum & Childebertum Reges A.C. 587. convenisse unà cum Brunechilde ac Faileuba, pacemque inter se ac pactiones quasdam fecisse, scribit Gregorius Tur. Ejusdem meminit Fres

degarius *lib.5.Chron. Anno*, inquiens, *17. regni Theoderici Lingonas mense Majo exercitus adunatur: dirigensque* per Andelaum, *Nasio castro capto Tullum civitatem pervenit*, V. Hadr. Valesium *Not. Gall.*

Andeliacum, vulgò *Andeli sur Seine*, aut *l' Isle d' Andeli sur Seine*, cùm tamen nec in insula situm sit, nec flumen Sequanam, licet ei proximum, attingat, locus Galliæ est venerandæ antiquitatis, ad rivum in Sequanam effluentem, 7. circiter leuc. ab urbe Rothomago. Hic Chrothildis, Regina Francorum, fundavit Monasterium Virginum, quod vulgò *Prioratus B. Mariæ* vocatum est, *le Prieuré de Nostre-Dame d' Andely*, & ante aliquot annos ex cella seu Prioratu veteri Benedictinarum Abbatia evasit. Habet & collegium vetus Canonicorum, *Nostræ Dominæ* titulo insigne, Hadr. Valesius *Not. Galliæ*, ubi hunc locum, in Veliocassibus positum, patriam fuisse Hadriani Turnebi, addit. V. quoque *Andelans*

Andenesium, vulgò *Ancenis*, locus est Galliæ, in confinio Andecavorum atque Namnetum positus, ad Ligeris ripam, proximus Uldoni *Oudon*, vico eidem ripæ adposito: quæ utraque loca, olim Andecaviæ attributa, nunc Britanniæ Armoricæ adscribuntur, Hadr. Valesius *Not. Gall.*

Andes, pop. adde: Hos Jul Cæsar *Comm. lib.* 3. cum Turonibus & Carnutibus memorat, & *lib.* 3 proximos Oceano facit: *P. Crassus adolescens cum legione 7. proximis Oceano in Andibus hyemabat.* Sunt tamen Namnetes Oceano illis propiores, utpote inter Andes ac Oceanum medii. Dumnaci *Andium* Ducis meminit Hirtius *lib.*8. Eosdem *Andos* vocat *lib.* 7. Plinio *Andegavi*: Tacito meliùs *Andecavi*, ut & in priscis Galliæ Regum nummis; Vulgò *Angevins*, gens Comitibus suis primùm, dein & Ducibus illustris. Eorum ager vocatur *pagus Andegavensis*, in Capitulis Caroli Calvi apud Silvacum latis, incolis *l' Anjou*, recentioribus *Andegavia*, maxima ex parte cis Ligerim in Lugdunensi Gallia jacens, nonnulla quoque trans Ligerim oppida, & castella ac loca obtinens, quæ tamen Aquitaniæ non attribuuntur. Et quidem pars minor trans Ligerim jacet, cui unum è suis Archidiaconis Episcopus Andecavorum præfectum habet, qui *Archidiaconus Transligerensis*: quemadmodum alium trans fluvium Meduanam, qui *Archidiac. Transmeduanensis* vocatur. Caput gentis Juliomagus est, V. ibi.

Reliqua Andium celebriora loca, oppida, castella:

Argento castrum, aliàs *Argentonium*, vulgò *Argenton.*	Credo vel Credonium ad Oldam, *Craon.*
Balgeium, aliàs *Balgiacum* & *Baugejum*, vulgò *Baugé*, ad Coanonem *Covesnon.*	Durostallum ad Lidericum *Durestal.*
Balgejum vetus *le Vieil Baugé.*	Flecchia ad Lidericum *la Fleche.*
Bellum Forte in Valle, *Beaufort en Vallée.*	S. Florentii oppidum.
Bellum Pratellum *Beaupreau.*	Lusdium *le Lude.*
Bellum Vadum *Beauvau.*	Monasteriolum Berlaii *Monstreuil Bellay.*
Brieserta ad Sartam *Briserte.*	Mons Johannis *Monte Jan.*
Brisacum, postea Braccum faccum, *Brissac*, ad Albantiam *Aubance*	Mons Renelli *Montreneau.*
Burgulium *Bourgueil.*	Mons Sorelli ad Ligerim.
Calidus Mons *Chaumont.*	Poënceium *Pouancé.*
Calonna *Chalonne*, locus illustris, ad Ligerim sinistrum.	Pons Saeii, aliàs *Pons Seji*, & *castrum de Ponte Seji*, vulgò *les Pons de Sé.*
Camilliacum *Chemillé.*	Rupes fortis *Roche-fort*, ad Ligerim.
Castellum Guntherii *Chasteau Gontier*, ad Meduanam fl.	Salmurus vel Salmurium *Saumur*, ad eundem fluv.
Celsi *Craux.*	Secretum aut Segreium *Segré.*
Cocejum, unde nobili familiæ nomen, *Cossé.*	Teotuadum castrum, vel Doadum, & Doeum, *Doué.*
Conaldum *Cunaut.*	Triviæ vel Trevæ *Treves.*
Condate *Cande*, ad Erdræ & alterius amniculi confluentem.	Tulliacum *Tuillé*, &c. quibus omnibus mater & caput præest Juliomagus Andium.

Andesagina, vulgò *Ansene* vel *Ancesne*, locus est Auciæ adjacens, in Neustriæ pago Vinemaco: in quem Lupus Episc. Senonicus à Chlotario jun. Francorum Rege relegatus legitur, V. Hadr. Valesium *Not. Gall.*

Andethanna, adde: Dicitur etiam *Andethannale*, quod nomen Gallicum est, ex duobus vocabulis ignotæ significationis compositum. Hic Wilkbrordus Episc. Trajectensis, Frisiorum plurimorum ad Christianam fidem conversione insignis, Epternacum Mon. condidit, atque in basilica ejus sepultus est. Unde locus *Epternaci* postea nomen accepit. Donavit illud idem largè Ecclesiis ac villis, quas à Pippino & ejus conjuge Plectrude filioque Carolo Martello, atque ab ingenuis Francis acceperat. Epternaci meminit quoque divisio Regni Lotharii A. C. 870. quod oppidum est & Monasterium in Ducatu Lucilburgensi diœcesique Trevirensi; Postquam autem Abbatia hæc Regalis per 109. an. Monachos habuerat, inducti sunt in eam A. C. 879. seculares Clerici seu Canonici, donec anno C. 974. Otto I Imp. in Canonicorum deficientium locum Monachos rursus substituit, Hadr. Valesius *Not. Gall.*

Andium, vulgò *Andis*, una ex cautibus verius, quàm insulis, in Oceano Gallico, Æthico memorata.

Andomatunum, adde: Ptolomæo *Ἀνδόματουνον*, Lat. meliùs *Andematunum*, à vet. voce Gall. *Dunum*, collem locumve eminentem significante, nomen accepit; utpote urbs in monte posita, caput Lingonum: Unde recentiores, nomine gentis, ex more *Lingonas* nuncuparunt. Hinc in *Not.* vet. Imperii; *in Gallia Præfectus Sarmatarum Gentilium Lingonas*, reperitur: vulgò *Langres*. In *Notitiis* vetustissimis provinciarum & civ. Galliæ, tertia ponitur inter civitates provinciæ Lugdun. primæ, inveniturque in civ. hac Inscriptio D.M. *Moderato Liberto coloniæ Lingonum*: quâ apud Gruterum inscriptio si vera est, deducta fuerit hæc Colonia, post Marci Antonini principatum, seu post Cl. Ptolomæi ætatem, qui ejus coloniæ non meminit. A Vandalis expugnata, à Geilone Eccl. Lingonicæ Episcopo reparata est, circa A.C. 887. ob persecutionem Nortmannorum; qui quoque Carolo Crasso persuasit, ut *propter nimias Comitum seu Judicum inquietationes, civitatis murum, & 15. pedes intus, 60. extra, ac omnia fiscalia intra eandem civitatem ad jus Comitis pertinentia, Lingonensi Ecclesiæ ejusque Rectorum ordinatiùni donaret*; & ut jus feriundæ monetæ, à patruo ipsius Carolo Calvo, Isaaco Episc. Lingonensi & Ecclesiæ Lingonicæ, ac Divionensi Ecclesiæ S. Stephani concessum, suis literis confirmare dignaretur, nec jam ad alicujus Judicis seu Comitis, sed ad Lingonicæ Eccl. Rectorum dispositionem ambæ monetæ perpetuò pertinerent. Datæ sunt literæ 18. Kal. Februar. A. C. 887. E' quibus magnitudinis suæ initiis ita postmodum Præsules hi crevere, ut ex Comitibus Duces Paresque tandem sint facti, V. Hadr. Valesium *Not. Gall.* ut & in voce *Lingones.*

Andoverpum, adde: Ejus primus meminit Audoënus Episc. Rotomag *de Vita B. Eligii Noviomag. & Turnac. lib.*2. *cap.*8. ubi incolas ab hoc ad fidem conversos refert. Dicitur etiam *Andoverpæ*, vulgò nunc incolis *Antwerpen*, Germ. *Antorff*, Gallis *Anvers*, Hisp. *Amberes*: in diœc. olim Cameracensi, nunc ipsa Episcopatus sedes. Posita est ad Scaldim fluv. 42. m.p. à mari, cujus tamen æstus eousque accedere consueverunt: in agro Renensi, vulgò *Het Land van Ryen* dicto, cujus caput habetur: per quem fluvius exiguus Nutta vel Nuta, *Neta* nunc appellatus, decurrit & præterlapsus oppidum Liram *Lier*, Rupelâ accipitur. Marchiæ *Antverfæ* meminit Lamb. Schafnaburgensis *ad A.C.* 1081. quæ hodieque pro Marchia vel Marcha Imperii habetur. Ibi aureos olim nummos percussos esse, patet ex literis Hildolfi Præpositi S. Michaëlis, anno C. 1184. apud Hadr. Valesium *Not. Gall.*

Andrachne, Græcè *Ἀνδράχνη*, arbor Græcis peculiaris, nec proin nomen habens in Latio, de qua V. Salmasium *ad Solinum pag.* 510.

Viri illustres.

Andreas, Austriacus, adde: Frater Caroli Burgoviæ Marchionis, fil. Ferdinandi Archiducis, ex Philippina Welseria, patricia Augustana, Cardinalis fuit & Constantiensis Episcopus. Inde ab Alberto Cardinali Sponsam petente, in Belgio vicarius relictus, magna cum prudentiæ & moderationis laude munere defunctus est. Post reditum Alberti, petito commeatu, discessit, & per Galliam, dissimulato habitu, perrexit ad Episcopatum. Iturus tandem ad annum Jubileum Romam, obiit A.C. 1599. Phil. Jac. Spenerus *Syll. Geneal. Histor.* Ab eo nomen castello, quod eodem anno Carolus Mansfeldius ex humo molitus fuit, hinc Mosæ, inde Vahali incumbens; anno verò seq. à præsidiario milite Germano & Walone 125000. Mauritius florenorum redemit, insigni structurâ & positu ad Hollandiæ tutelam aptissimo; bello præsenti à Gallis vastatum, Gall. *Fort S. André.*

Andreas Cæsariensis, adde: Cæsariæ Cappadociæ Episc. natione Græcus fuit. Eius *Explanationes* sive *Commentarii in Apoc.* in compendium redactæ, ab Aretha Cæsar. Cappad. Episcopo, Græce extant, Veronæ 1532. Latinè Ingolstadii A. C. 1584. Gr. & Lat. cum *Notis* Sylburgii Heidelbergæ 1585. Gen. 1596. & in Bibl. PP. ut & in fine Tomi II. operum Oecumenii. *Vir fuit eruditus & orthodoxus, nisi quòd eorum opinioni favere videatur, qui Sanctos ante communem carnis resurrectionem in cœlos admitti negabant*, Possevinus.

Andria, aliàs *Andra*, olim *Andernia*, vulgò *Andre*, locus Galliæ, in finibus Morinorum & Comit. Gisnensi, Ardam inter & Gisnas, unde Monasterio nomen, quod à Balduino Com. Gisnensi A.C. 1084. conditum, Valesius. Est & nomen fluvii, qui aliàs *Anger*. V. ibi.

Andrisus, vel *a*, vulgò *l' Indrois*, quasi *minor Andria*, fluv. est Galliæ qui Villam-Lupæ *Ville-loin* & Montemthesauri prætertlapsus, Andriâ recipitur, Sicut Minor Salera *Petite Saudre*, majorem Saleram auget, minor Crosa *Petite Creuse*, majorem Crosam, Hadr. Valesius *Not. Gall.* V. quoque in voce Anger.

Andreclus, adde: partem Ephesi, *τραχεῖαν* dictam, oppido inclusit. Erat autem illa *ἡ ὑπὲρ τῆς Κορησσοῦ παρώρεια*, *jugum collis* (urbi imminens) *supra Coressum*, ut habet Strabo. Postea ex montanis descendentes circa Dianæ Templum habitabant, quod in cavo ac depresso loco erat conditum: ubi etiam usque ad Alexandri M. ætatem urbis suæ sedem habuere Ephesii. Post Alexandrum

xandrum vel Lysimachus urbem iterum in superiora transtulit, quò cùm ægrè migrarent Ephesii, magnis & continuis imbribus supervenientibus urbs eorum antiqua submersa est, diluvium id ipso Lysimacho adjuvante, obturatis cloacarum naribus. V. Salmasium *ad Solinum pag.* 809.

Androdamas, dictus magnes qui argenti colorem prafert, Plin. vi & duritie adamantis. Potiùs genus hæmatitis, ferrei coloris, duritie & pondere insignis; nec enim alium *androdamantem* Vett. cognitum fuisse constat. Eum trahere in se argentum, æs, ferrum, idem Plinius docet *lib.* 36. *cap.* 20. Unde *ἀργυροδάμας* quoque nonnullis dictus, quòd argentum domaret & ad se raperet: quem argentei coloris esse, solo nomine inducti, nonnulli scripsisse videntur, Salmasius *ad Solinum pag* 565. Nomen illi, *quòd hominum iras ac impetum domaret*, uti tum creditum *Ibid.*

Andromachus, Achæi, qui Achaidem urbem in Aria condidit, pater, frater fuit Laodices, Seleuci Regis uxoris. Salmasius *ad Solinum pag.* 984.

Andromeda, adde: Ceto exposita fingitur, quòd rapta esset & asportata nave, quæ ceti figuram habebat, uti quidem vult Conon. Navis autem *κῆτος* dicta, quæ protomen ceti in prora præferebat, ὁ *κητόπρῳρος*. Eædem naves & *κητίδες* & *κήτιναι* dicebantur. Hesychius, *Κητίνη, πλοῖον μέγα θαλάσσιον*. Item *Pristes*; nam pristis est bellua marina. Virgilius,

Velocem Mnestheus agit acri remige pristim.

Vbi Servius, *Vel à tutela*, inquit, *depictâ*, *vel ἀπὸ τοῦ πρίζειν τὰ κύματα*. Volebat dicere *χαράσσειν*. Pristis n. *πρόσωπον* erat belluæ marinæ, quæ in prora navis statuebatur, unde navi nomen &c. V. Salmasium *ad Solinum pag.* 671. & infrà ubi de navium *Parasemis*.

Andromeda, de pellibus arietum vestis, à Gr. *andros*, i. *aries*. Joh. de Gallandia *in Synonym.*

Vestes quæ fiunt de solis pellibus, hæ sunt,
Pellicium, Rheno, quibus Andromeda *sociatur*:

apud du Fresne.

Andron, Musicus memoratur Jul. Capitolino in *M. Antonino Philos. Usus est Magistris, ad prima elementa Euphorione literatore & Gemino Comœdo, Musico* Androne *eodemque Geometrâ: quibus omnibus — plurimum detulit.* Hunc *Tandasidem* dici, in initio operis à Marco conscripti, ubi nominat eos, qui primi ipsum studiis Philosophiæ imbuerunt, conjicit Casaubonus; ita enim ibi Marcus, *καὶ τὸ ἀκούειν ἀρξάμενος μὲν Βακχείου, εἶτα Τανδασίδος καὶ Μαρκιανοῦ*: sed depravatam esse lectionem, nec verò facilem emendatu, judicat, *Not ad d. l.*

Andron, Græcè *Ἀνδρὼν*, citerioribus Latinis *Androna*, atrium seu locus domicilii longitudine angustior, in quo Viri plurimùm morabantur, auctore Sexto Pompejo. Festo aliisque, compitum, locus publicus, ubi viri invicem confabulabantur. Gall. *Galeries*: hodie in celebrioribus Emporiis, *Bursa*. Unde Concilium Carthagin. II. *can.* 47. & Atto Episc. in *Capitul. cap.* 44. *Clericus per plateas & andronas — non ambulet.* Petrus item Damianus *lib.* 3. *Epist* 4. *Pecunia per regiones*, andronas *vel angiportus erogatur.* Juxta Vitruvium *lib.* 6. *cap.* 10. *ἀνδρῶνας* apellant Græci itinera, quæ inter duas aulas media sunt interposita, *μεσαύλας* &c. V. Car. du Fresne *Glossar.* Macro, locus quoque sic dicitur in Ædibus sacris fortiori sexui destinatus, cùm antiquissimi moris fuerit, separatim in Templis viros fœminasque orare; id quod hodieque religiosè observatur apud Christianos Orientis: ubi mulieres in parte remotiore ac strictim per cancellos separatæ, & januam suam peculiarem habentes, seponuntur. Fuit autem hic Virorum locus in parte Ædis Meridionali; sicut mulierum, in parte opposita Septentrionali. Amalarius *de Eccles. Offic. lib.* 3. *cap.* 2. *Masculi stant in Australi parte, & feminæ in Boreali, ut ostendatur per fortiorem sexum firmiores Sanctos semper constitui in majoribus tentationibus æstûs hujusmodi: Et per fragiliorem sexum, infirmiores sanctos aptiori loco — Fidelis namque Deus, qui neminem permittit tentari, ultra vires* &c Idem apud Hebræos olim obtinuisse, contendit Car. Macer, ex Ezechiel *cap.* 8. *vers.* 14. V. utrumque Fratrem *in Hierolex.* & infrà in voce *Transenna*.

Andronicus Cyrrestes, ventorum octo numerum (quos solos antiqui ut præcipuos norunt, tres Occidentales, & tres Orientales inter se adversos, unum Septentrionalem & unum Meridionalem, ut videre est apud A. Gellium *lib.* 2. *cap.* 22.) primus instituit sicque divisit. Cujus rei ergò turrim marmoream Athenis collocavit octogonon, in cujus singulis lateribus singulorum ventorum imagines exsculptas contra suos cujusque flatus designavit; supra turrim autem metam posuit itidem ex marmore, cui Triton æneus impositus, ad omnem venti auram versatilis, virgâ, quam manu porrigebat, indicabat quis flaret ventus. Ad quod exemplum hodie in summis ædium fastigiis & templorum obeliscis gallus gallinaceus ponitur ex ære, qui semper rostrum contra ventum flantem habet conversum, V. infrà in voce *Pinnacella*. Formam octogoni hujus Salmasius exhibet, *ad Solinum pag.* 1246. & nomina ventorum ex Vitruvio hæcce, *Solanus, Eurus, Auster, Africus. Favonius. Chorus, Septentrio & Aquilo*; quibus Græca ista nomina addit, *Ἀπηλιώτης*, *Εὖρος*, *Νότος*, *Λίψ*, *Ζέφυρος*, *Ἀργέστης*, *Ἀπαρκτίας*, *Βορέας*. V. infrà in voce *Octogonon*.

Anemone, ipso veris initio venit in lucem, odoris expers, at non decoris & dignitatis. Ejus cauliculus exilis, lanuginosus, palmaris, circa dimidium, aut sub ipsum cacumen, tribus foliaceis laciniis, sine pediculo pressiùs inhærentibus & aliquantulum surrectis intercinctus. In cacumine florem explicat, latioribus foliis non minùs senis, fere in rosæ amplitudinem circinatum. Aliàs idem flos, multiplici serie foliorum contexitur, sed angustiorum; medio interdum globulo staminibus obsito atque villoso, seminibus pleno capitulatis. Color item multiplex est, ruber, albidus, violaceus, cinereus, varius. Franciscus Pomey *Descript. Var.*

S. Anemundi castrum, Galliæ, haud procul ab urbe Lugduno, in pago Forensi, S. *Anemundi* Episc. Lugdunensis nomine illustre, quem vulgò appellant Chanemundum, *S. Chamond*, & corruptè *S. Chaumont*.

Anensia Juga, apud Plinium *lib.* 27. *cap* 2. ubi de crystallo, *Cornelius Bocchus & in Lusitania nasci perquam mirandi ponderis* Anensibus *jugis, depressis ad libramentum aquæ puteis*; uti legit Salmasius: sunt juga, unde *Ana* fluvius oritur, V. eum *ad Solinum pag.* 407.

Aneum, adde: Vulgò *Anet*. Ejus meminit Ordericus Vitalis *lib.* 2.

Angaria, vox Persica, per Græcos ducta; id est, quod præter debitum exigitur per Superiores à subditis: sive in pecunia, sive in obsoniis, sive in operibus personarum, equorum, curruumve & hujusmodi. Will. Conquestoris Abb. Rames. *Volo, ut nullis unquam graventur oneribus expeditionum, nec pontium restructione, nec juris apprehensione; sed ab omni* angaria *Regalium ministrorum sint perpetim expediti.* Brito Armoricancus *Philipp. lib.* 12.

Vexavit nullum census exactio, nullum
(ut fieri solet à multis) angaria *læsit.*

Hinc *Angarus*, pro exactore, bidello seu ballivo. Dicuntur etiam *Angari*, quos hodiè postas vocant: & *Angariæ*, diversoria ubi hujusmodi postæ cursus sistunt. V. Henr. Spelmannus in *Glossar.*

Angariæ, plaustrorum & jumentorum præstationes sunt, & quidem per viam directam, ut *parangariæ* alioversum, ut pluribus docet Gotofredus *ad l.* 4. *Cod. de Cursu publ.* hincque pro ipsis carris & plaustris, quæ ad cursum à provincialibus præstabantur. Unde onerum mensura definita in rhedis, *angariis*, & veredis, *l.* 30. *Cod. Theodos. de Cursu publ. Ut nemo amplius rhedæ. quàm mille pondo; angariæ, quàm mille quingenta; veredo, quàm triginta, auderet imponere:* Et *leg.* 28. *ejusd. tituli Angarias* à bobus fuisse tractas patet, *leg.* 1. *eod. tit. & l.* 11. quâ cavetur, ut pro singulis *angariis* bina tantùm boum paria consequantur, quibus Angariarum cursus permissus fuerit. Adeoque *angariæ* illæ plaustra tantùm & carra fuere ferendis oneribus & impedimentis destinata & transvehendis speciebus publicis, quæ non multum celeriter ibant, quia boves ea trahebant. Quam ob causam *angarias & parangarias à cursu* separat *tit. Codicis Theodos. de cursu & angariis*, & *l.* 15. cùm Julianus discursus veredorum & paraveredorum amputasset in prov. Sardinia, *angarias* tamen non submovit, propter publicas species, quæ ad diversos portus erant deferendæ. Salmasius *ad Capitolinum in Antonino Pio*. V. quoque infrà, ubi de *Clavulari Cursu*, quem is, Vehiculario contradistinctum, cum Angariis eundem facit. Sed & *Angariæ*, onera dicuntur agris aut personis imposita, apud Ugutionem & Wilhel. Britonem in *Vocabular. MS.* atque hinc, pro qualibet vexatione, injuria, animi anxietate, aliquando sumuntur. Guntherus *Ligurini lib.* 2.

Hujus ab antiquo Comitatum in finibus urbis,
Solus ab angariis *Italorum pæne solutus,*
Præsidio Ligurum Guido Blanduratensis habebat, &c.

Originis Persicæ, ut dictum, vox est: *Angaros* enim, tabelliones Regios eâ linguâ dici solitos, notum; quibus quia concedebatur facultas sumendi ubique equos, obviosque quoslibet ad auxilium præstandum cogendi (id quod hodie apud Turcas in usu esse, non sine maximo iter facientium incommodo, Tavernier docet, *Itiner.*) hinc *ἀγγαρεύειν*, pro *urgere, cogere, onus imponere*, etiam in Sacris, dici cœpit. Huc respiciens Æschylus in *Tragœd.* *ἄγγαρον πῦρ* eleganter vocavit ignem illum, quo in littoralibus pharis constituto signum dabatur, quoties per totam regionem quiddam celerrimè nuntiari esset necesse; quasi *Cursorem Ignem &c.* V. Car. du Fresne *Glossar.* & Macros Fratres in *Hierolex.* At *Angaros* ipsos Persarum Syrorumque (nam & hi illis utebantur) à voce עגור *Agor* dictos vult Bochartus: quæ quamvis hodie pro *grue* non usurpetur apud Arabes, olim tamen sic adhibitam esse, verisimile est, hinc namque verbum *agara*, quod aliquem *ad lares suos postliminiò reverti* vel *aufugere* notat: qui gruum omnino mos est. Illas enim amore patriæ in Scythiam & Thraciam, unde ortæ sunt, quotannis redire, pluribus docet Ælianus *lib.* 3 *cap.* 13. & 23. Jam verò *Angari* cum gruibus certare credebantur celeritate cursûs: *Φασὶ δέ τινες ταύτην τὴν πορείαν καὶ τῶν γεράνων θᾶττον ἀνύειν. Quidam hoc iter gruum volatu celeriùs confici referunt.* Xenoph. *Cyropædiæ lib.* 8. apud Bochartum *Hierozoici Part. poster. pag.* 80.

Angelo, adde: Hodie *Angelocopus* & corruptè *Ambelokipous* dicitur.

citur. Fuit castrum seu pagus 1. mill. Athenis distans: unde qui erant 'Αγγελῆς appellati sunt, uti docet Jac. Sponius, ex vet. *Inscr.* Prytanum tribus Pandionidis, quæ hodieque superest in ædibus civis cujusdam Atheniensis, & sic incipit:

ΠΑΝΔΙΟΝΙΔΟΣ ΠΡΥΤΑΝΕΙΣ
ΑΝΕΘ.

ΠΑΙΑΝΙΕΙΣ	ΑΓΓΕΛΕΙΣ
ΣΤΡΑΤΩΝΙ	ΘΕΟΓΕΝΗΣ
ΔΗΣ ΣΟΣΙΓΕ-	ΕΡΕΟΦΙΛΟΥ
ΝΟΥ	ΜΕΛΗΤΟΣ &c.

V. cum *Itinerar. Græciæ Part.* 3 *pag.* 69 *& seqq.* nec non *Part.* 2. *pag.* 172.

Angeli quatuor, in leonis, vituli, aquilæ & hominis specie primò Ezechieli *cap.* 1. *vers.* 10. *& cap.* 14. *versu* 14. deinde etiam Johanni in Apocal. *cap.* 4. *versu* 7. visi, non Angeli solùm, sed & Archangeli, qui aliis præfecti sint & eorum unicuique pensum suum assignent, fuere, judice Bocharto: qui *ex quatuor fabris*, totidem *cornibus*, id est, Imperiis, oppositis, apud Zachariam c. 2. *vers.* 1, 2. ex quatuor item *quadrigis*, apud Eund. *cap.* 6. *vers.* 6. porro, ex quatuor *Mundi partibus*, apud Danielem *cap.* 7. *vers.* 2. totidemque *Templi faciebus*, apud Ezech. *cap.* 48. *vers.* 30. novæ tandem Hierosolymæ *lateribus*, apud Johannem Apocalyps. *cap.* 21. *vers.* 13. tot esse Archangelos, tam Ecclesiæ, quàm Terrarum Orbi, præfectos, colligit, per quos inferiora hæc omnia Deus administret atque gubernet. Formas verò quod attinet, per *Leonem* significari vult in *Angelis* robur, generositatem & Majestatem Dei, hostibus terribilem, in iis relucentem; per *Bovem* constantiam, patientiam, firmitatem, & assiduitatem, in obeundo munere, sibi divinitus demandato; per *Hominem*, humanitatem, lenitatem & φιλανθρωπίαν; per *Aquilam* tandem, naturæ cœlestis vigorem, agilitatem, & ad sublimia nisum. Addit, singula hæc animalia eximium aliquid habere: quippe Leo in feras, aquila in aves, bos in domesticum pecus, Homo in omnes imperat & primas tenet. Et ex his duo sunt fera, Leo & aquila; duo mansueta, bos & Homo: illa, ut rebelles terreant; hæc ut piis sint solatio. E' feris Leo in terra sectatur prædam, aquila etiam in aëre & mediis in nubibus: ut hos Spiritus sciamus, non solùm homines aggredi, qui humi repunt, sed & τὰ πνευματικὰ τῆς πονηρίας ἐν τοῖς ἐπουρανίοις, Ephes. *cap.* 6. *vers.* 12. &c. V. prædictum Bochartum *Hierozoici Part. prior. L. III. c.* 6. ut & Comment. Bibl.

Angelica Vestis, apud Florentium Wigorniensem de *Gregorio* VII. Pontif. Rom. *Quia finem vitæ suæ aspiciebas — induebat se* Angelicam *vestem*: ἀγγελικὸν σχῆμα, in *Eucholog.* Græcorum & in *Vita* S. Nili Jun. τὸ ἀγγελικὸν ... πανάγιον σχῆμα, in *Martyrio* Bacchi Jun. alibique passim, habitus dicitur Monachicus. Unde 'Αγγελικὴ ἀκολουθία, in eadem Nili *Vita*. Ordo ad habitum huncce induendum. Monachorum autem habitus hoc elogio ornatus est, quòd & ii dicantur *Angeli* Patribus non semel, eorumque vitam *Angelicam* esse conveniat. Sed & Willhelmus ait Abbas Metensis *Epist.* 5. *Multi tales sub Angelico habitu delitescunt, quorum misera est conversatio, tantaque vitæ perversitas &c.* Hunc verò habitum sumere dicebantur morituri Laïci, ut ait du Fresne, qui priùs quàm vitâ excederent, Monachicis indumentis involvi postulabant, ut orationum Monachorum essent participes eorumque ad id nomina in Calendario seu Necrologio scriberentur, ex Anselmo *lib.* 2. *Epist.* 21. Aliisque Scriptoribus, quos magno numero hanc in rem laudat, in *Glossar.*

Angelolatria, satis antiqua est. Sanè Jos. Albus *in Icarim lib.* 3. *c.* 18. eam omnium antiquissimam idololatriam arbitratur, quòd homines, *Angelis* cultum statuerint, tanquam Mediatoribus & sequestris, inter se & Deum. Sed enim hic etiam honor universè damnatur, Deuteron. *cap.* 6. *versu* 13. & *cap.* 10. *vers.* 20. In primis ad Coloss. *cap.* 2. *versu* 18. Paulus, ubi ait, *Nemo vos seducat, volens in humilitate & religione* Angelorum, *quæ non vidit* &c. illud inanis Philosophiæ *vers. præc.* 8. rejectæ, exemplum improbat, quando quis humilitatis prætextu, non rectà ad Deum & Christum preces suas fundit, sed Mediatores *Angelos*, more Platonicorum, invocat: quibus Spiritus ejusmodi erant *divinæ mediæ potestates*, ut ait Appulejus, *inter mortales cœlicolasque vectores, hinc precum, inde donorum.* Et Colossi quidem, quibus ea scripsit Paulus, Phrygiæ erat civitas, ut metropolis ejus Laodicea. In Phrygia autem & Pisidia obtinuit hic cultus, non Apostolicis modò temporibus, sed etiam tribus pòst seculis. Unde Synodus Laodicena A. C. 364. sic cavit *can.* 35. sive 138. juxta collectionem & interpretationem Dionysii Exigui: *Quòd non oporteat Christianos Ecclesiam Dei relinquere & ire atque* Angelos *nominare, & congregationes facere, quæ interdicta noscuntur. Si quis igitur inventus fuerit huic occultæ Idololatriæ serviens, sit anathema; quia reliquit Dominum nostrum Jesum Christum, & se Idololatriæ tradidit.* Qua de re sic Theodoretus *ad Coloss.* *caput cit.* *Qui legem*, inquit, *defendebant, nos etiam ad Angelos colendos inducebant, dicentes fuisse per eos legem datam. Mansit autem diu hoc vitium in Phrygia & Pisidia. Quocirca Synodus quoque, quæ convenit Laodiceæ — lege prohibuit, ne precarentur Angeli, & in hodiernum usque diem licet videre apud illos & eorum finitimos, oratoria S. Michaelis. Illi ergo hoc consulebant, utique humilitate utentes, dicentes universorum Deum nec cerni nec comprehendi, nec apud eum posse perveniri, & oportere per Angelos divinam sibi benevolentiam conciliare.* Illi autem, qui *Angelos* colebant, *Angelici* dicti sunt, quorum meminit Epiphanius *Hær.* 60. & ex eo Zonaras ac Balsamo *ad Can. Concilii Laod. prædictum.* Mirum verò, ambigere Patrem, an non & ita vocari potuerint ab regione ultra Mesopotamiam, quæ 'Αγγελινὴ dicta fuit: Clariùs ἴσως perspexit Augustinus *Hær.* 39. *Angelici in Angelorum cultum inclinati, quos Epiphanius jam omnino defecisse testatur.* Et hæc de *Angelis* bonis, quorum veneratio fuit antiquior, de quibus V. quoque in voce *Genius*: postea & mali sibi metu hominibus incusso, delubra arasq; quæsiverunt, sed de iis V. in voce *Dæmon.*

Angeloptes, cognomen Johannis Ravennatis Archiep. inter suos pro Sancto habiti, quem ob continuas *Angelorum* apparitiones, sic vocatum esse, q. *Angelos spectantem*, ait Car. Macer *Hier.*

Angelus, titulus quo Monachi olim apud Patres insigniti, ut vidimus. Quo item Pontifices Rom. aliique Episcopi compellari consueverunt. Justinianus Comes, postea Imperator, ad Hormisdam Pontif. *Comperimus — ad* Angelum *vestrum hinc discedentes iter arripuisse.* Anastasius Biblioth. *Præfat. ad Synodum* VIII. *Domino Coangelico Johanni Pontifici &c.* Sic Honestus *Coangelicus Archiepiscopus Ravennatis Ecclesiæ*, in vet. *Charta* apud Rubeum *Histor. Ravenn. lib.* 5. Johannes Tranensis in Apulia Episcopus ἰσάγγελος, apud Lambecium *Cæsar. Biblioth. lib.* 5. *pag.* 124. quo modo apud Palladium in *Histor. Lausiaca cap.* 43. Theodosius M. ὁ ἐν ἀγγέλοις ἀριθμούμενος, dicitur. Occasio tituli ex Apocalypsi S. Johannis, in qua Episcopi VII. in Asia Ecclesiarum constanter *Angeli* dicuntur. V. ibi, & plura de hoc titulo, apud du Fresne.

Angelus, apud Witikindum *de Gestis Saxon. lib* 1. *Imperatorem, in primis, mediis & ultimis versantem, videntes, coramque eo* Angelum — *acceperunt fiduciam, magnamque constantiam.* Et *lib.* 3. *In quinta* (acie) *quæ erat maxima, & dicebatur Regia, ipse Princeps vallatus lectis ex multis militum millibus, alacrique juventute, coramque eo* Angelus, *penès quem victoria, denso agmine circumseptus* &c. Vexilli præcipui, apud Impp. Occidentales, quòd S. Michaëlis effigie insigniretur, nomen erat. Ita enim ipse Witikindus, *Hoc vocabulo effigieque signum maximum erat insignitum, lib.* 1. *cit.* V. quoque Conr. Urspergensem. Apud Græcos Impp. sequioris ævi inter varia, quibus in ceremoniis Palatinis & Ecclesiasticis utebantur, vexilla, primum similiter fuit, quod τοῦ 'Αρχιστρατήγου seu S. *Michaëlis*, appellatum est, Codinus de *Officiis c.* 6. apud Eund.

Angelus, nummus aureus Francicus, in *Regesto* vet. apud Eund. Denarius nempe auri puri cum Angelo, Gall. *Denier d'or fin à l'Ange*: in quo effictus *Angelus* togatus & coronatus, draconem pedibus premens, dextrâ crucem florigeram & læva scutum tenens, in quo tria expressa lilia, pond. 5. den. 16. gr. & pretii 75. Turon. ponderis 33. & 2. tert. ad marcam Parisiensem. Cusi sunt sub Philippo VI. hi nummi, & vocantur *Primi Angeli* vulgò: præter hos enim, sub eodem Rege, etiam prodierunt *Angeli secundi*, Gall. *seconds Anges*, pond. 5. den. tantùm & pretii 75. Turon. pond. 42. ad marcam Parif. & *Tertii Angelii*, pond. 4. den. 13. gr. pretii 4. lib. 5. sol. Turon. V. Car. du Fresne in voce *Moneta.*

Angelus Ubaldus JC. Perusii natus, Baldi frater, Parisiis jus Civile docuit, magnaque de eo volumina in lucem edidit; Floruit autem circa A. C. 1040. Hotomannus in *Prætermiss.*

Angerona, adde: Non omnis autem silentii præses *Angerona* habita est, sed illius tantùm, quo nomen alterum Romæ taceri tegique, religio jubebat. Unde & eam quidam Numen tutelare Romæ esse tradiderunt, cujus etiam nomen ne publicaretur, arcanis ceremoniarum erat sancitum, haud minus quàm Romæ. V. Plinium, Solinum & qui ad hunc commentatus est, Salmasium *Exercit. Plin. pag.* 8.

Angevina, meliùs *Andegavina*, Gall. *l'Angevine*, dicitur apud Andegavenses in Gallia festum nativitatis S. Mariæ, quòd censuum ac redituum prædiorum in ea provincia solutiones fere omnes in hoc Festum incidant, non verò, quòd illud institutum fuerit à S. Maurilio Andegavensi Episcopo, uti Bordinius censet *Histor. Andeg. p.* 16. cùm ejus celebritatis memoriam primùm auditam in Galliis plerique velint, sub Carolo Calvo, quòd is in *Capitulis* Walterii Episc. Aurel. editis à Cellotio, *cap.* 18. illius meminerit, de ea verò sileant Herardus Turonensis, Hincmarus Remensis, Isaacus Lingonensis & Theodulfus, & ipsi Aurelianenses Episcopi. Car. du Fresne in voce *Festum.* V. quoque Ægidium Menagium ei laudatum *in Origin. Linguæ Franc. pag.* 676.

Angia, adde: Flandris & Hannoniis *Edinghen*; Gallis *Enghien* olim, nunc *Anguien* vel *Enguien.* Primò sub Dominis, dein Baronibus, tertiò sub Ducibus fuit. Unde errant, qui pro Duce Angiensi, Ducem Enguiennensium vel Anguianum nobis obtrudunt, Hadr. Valesius *Not. Gall.*

Angio, vulgò *Agnon*, fluv. Galliæ, qui Campiniacum *Champigni* & Marginellam *la Margelle*, aliquotque alios vicos præterfluens, dein Tilam auget, Hadr. Valesf.

Angledura, vulgò *Anglure*, locus Galliæ, in agro diœcesique Tricassium, Baronis unius è quatuor Paribus Episcopatûs Tricassini sedes, ad fluv. Albam: ut Artiaca, Planciacum vel Plancejum & Marcelliacum *Marcilli.* Item locus Leodico proximus, vulgò similiter *Anglaure* dictus, Idem.

Anglia.

Anglia, adde: Ejus recepta Instrumentis publicis divisio, 3. his membris constat. *Angliâ* in specie sic dictâ, Walliâ & Bervvicko ad Tvvedam: è quibus Bervvicki civitatis mentio fit, quia propriè ad Scotiam olim pertinuit, sed postmodum Conquestus jure Anglorum reddita est; in distributione Collectarum tamen Comitatui Northumbriæ annumerari solet. Minores partes sunt Shiræ de qua voce V. suo loco, vel Comitatus 52. Angliæ 39. Walliæ, 13.

Shiræ seu Comitatus Angliæ, ex Camdeno, qui illos hoc ordine proponit.

Cornubia *Cornvall.*	Huntingdonia *Huntingdonshire.*
Devonia *Denshire.*	Northamptonia *Northamptonshire*
Dorsetia *Dorsetshire.*	Lecestria *Leicestershire.*
Somersetensis C. *Somersetshire.*	Rutlandia *Rutlandshire.*
Wiltonia *Wilshire.*	Lincolnia *Lincolnshire.*
Hantonia *Hamshire.*	Nottinghamia *Nottinghamshire.*
Berceria *Berkshire.*	Darbia *Derbyshire.*
Surria *Suthry.*	Warvvicum *Warvvickshire.*
Sussexia *Sussex.*	Wigornia *Wocestershire.*
Cantium *Kent.*	Staffordia *Staffordshire.*
Glocestria *Glocestershire.*	Salopia *Shropshire.*
Oxonia *Oxfordshire.*	Cestria *Cheshire.*
Buckinghamia *Buckinghamshire*	Eboracum *Yorckshire.*
Bedfordia *Bedfordshire.*	Richmondia *Richmondshire.*
Herfordia *Herfordshire.*	Dunelmensis Ep. *Bishoprick of Durham.*
Middlesexia *Middlesex.*	Lancastria *Lancasshire.*
Essexia *Essex.*	Westmorlandia *Westmorland.*
Suffolcia *Suffolck.*	Cumbria *Cumberland.*
Norfolcia *Northfolck.*	
Cantabrigia *Cambridgeshire.*	

Northumbria *Northumberland.*

Shiras Walliæ, V. suo loco. Solum, præter ea, quæ jam dicta, croci quoque insigniter ferax est, adeò ut ingentia arva tempore auctumnali eo turgeant, & numeratur inter meliora croci genera, quod hic crescit. Tabaci quoq; culturam non minori cum successu in agris Glocestriensibus incolæ tentarunt, sed edictis regiis, quanquam ægrè, inde retracti sunt, ne Coloniæ Americæ quidquam detrimenti hinc caperent. Nec vineas terra respuit, sed illarum negligitur cura, quòd non credant nativum vinum ad siceræ suæ (potus ex pomis expressi, vulgò *Cider*) bonitatem surrecturum, & dein vinum Gallicum eodem emātur pretio, quod in vitium curam impendendum esset. Hoc etiam *Angliæ* peculiare est, quòd ciconias nullas & ranas plerunque mutas habeat: Plura horum qui volet, videat Eduardi Merreti *Pinacem Rerum Nat. Britanniæ*, & Joh. Childræi *Britanniam Baconicam*. Regum Angliæ periodos quinque numerant Politici. I. *Britannicam*, à vet. quodam Bruto, usque ad Cæsarem. II. *Romanam*, à Cæsare usque ad Constantinum M. quâ Britannia, Cambriâ exceptâ, in Rom. potestate fuit, sed nudata primùm sub hoc Imperatore milite, mox planè relicta. III. *Saxonicam*: Cùm enim discedentibus Romanis, Britanni à Pictis Scotisque mirum in modum divexarentur, illi Anglos & Saxones è Germania in auxilium vocarunt: qui ducibus Hengisto & Horsâ A.C. 449. appulsi, rem primò contra Britannorum hostes egregiè gesserunt, dein ipsos Britannos retrocedere ac in montana Cambriæ se recipere coegerunt, quæ loca hi deinde usque ad Nortmannorum retinuere tempora, veterum morum ac linguæ in hunc usque diem tenacissimi. Tum *Angliæ* nomen increbuit, ortaque est celebris Heptarchia Regulorum Anglo-Saxonum, quam usque ad Nortmannorum tempora utcunque produxerunt. IV. *Danicam*, eam quidem non diuturnam, sed tamen rebus gestis satis illustrem. Postquam enim Dani totis 330. annis, prædandi animo, Angliam variis invasionibus turbassent, tandem Sueno Danorum Rex imperii in Anglia initium fecit, circa A.C. 1012. Quem secutus fil. Canutus, initiò dimidio regno, ex pacto cum Edmundo R. paulo pòst autem, interfecto hoc, toto potitus est. Sed successoribus Canuti Heraldo & Hardecnuto sensim enervatis ac extinctis, regnum ad Eduardum Confessorem, Ethelredi R. è Saxonum familia filium, devolutum est. V. *Normannicam*, cujus auctor Guilielmus Conquestor, qui ab Eduardo præfato successor nominatus, Heraldo Com. regni usurpatore victo, Angliæ regnum occupavit & ad posteros suos transmisit.

Successores Guilielmi I. Conquestoris, in Anglia.

Guilielmus II. cogn. *Rufus.*	Eduardus III.
Henricus I.	Richardus II.
Stephanus.	Henricus IV.
Henricus II.	Henricus V.
Richardus I.	Henricus. VI.
Johannes.	Eduardus IV.
Henricus III.	Eduardus V.
Eduardus I.	Richardus III.
Eduardus II.	Henricus VII.
Henricus VIII.	Elizabetha.
Eduardus VI.	Jacobus I.
Maria.	Carolus I.

Carolus II.

De quibus V. suo loco. Comprehenduntur autem Regum *Anglorum* jurisdictione, hodie Magna Britannia, Hibernia, iisque adjacentes insulæ Orcades, Hebrides, Sorlingæ &c. Etiam ad Galliam sitæ Garnsea & Jernsea; In America N. Anglia, N. Belgium, Virginia, Jamaica &c in Africa Tingi *Tanger* &c. Maris quoque circa M. Britanniam dominium quæsitum, quam in rem A.C. 1665. flagrante bello Anglico-Belgico nummi fuere cusi, cum inscriptione, QUATUOR MARIA VINDICO: Sed res inter eruditos non sine controversia fuit, nec utroque bello, tum prædicto, tum nupero, scopus obtentus. Imperio Germanico quidem se submisisse *Anglia* legitur, in literis Henrici II. ad Fridericum Barbarossam & tempore Richardi I. captivi, quem *consilio matris suæ Henrico VI. Imp. sicut universorum Domino, regnum tradidisse & investivisse eum per pileum suum*, narrat Roger. Hovedenus, sed res diuturnæ observationis non fuit. Nec tributarium illud Romanæ sedi, sed denarium Petri Romam quotannis missum, eleemosynam solùm fuisse, in sustentationem Scholæ Anglorum Romæ institutæ, demonstrant, Spelmannus *Concil. Angl. T. 1. p. 230. & 311.* ac Usserius *de Christ. Eccl. Success. & Stat. c. 7. §. 8. & seqq.* Imò & ante Henricum VIII. qui sese *Ecclesiæ Anglicanæ caput* primus vocavit, radios sacræ Potestatis suæ, qui ante eum fuere, Reges subinde emiserunt, Statuto inprimis duplici condito, *de Mortmaine & Præmunire*: quorum illud tempore Eduardi I. A.C 1279. alterum anno Regis Richardi II. 16. Domini 1339. factum est. Parliamenta *Angliæ* non Dicasteria significant, ut in Gallia, sed Ordines Regni, i. eos, quibus facultas deliberandi & decidendi de publico data est. Suntq; duo Superius, quod Proceres, qui vulgò *Lords*, Scoticè *Lairds* ac compellandi formulâ *Mylords* dicuntur, & Archiepiscopos, Episcopos, Duces, Marchiones, Comites, Vicecomites ac Barones, comprehendit: & Inferius, quod Nobiles ac Civici constituunt. Utriusq; consensu & auctoritate, Regio accedente jussu, Leges regni conduntur, quibus nomen datur *à Statuor Act of Parliament* sed si pars dissenserit, *An ordinance of Parliament* vocatur, nec Legis Universalis titulo donari potest. Inter statuta primas tenet Magna Charta, V. ibi.

Viri ministerio ac gratia Regiâ præcipui.

Richardus Foxius & Reginaldus Brajus, sub Henrico VII.	Robertus C. Essexius sub Elizabetha.
Wolsæus, & Thomas Cromvvellus sub Henrico VIII.	Robertus Car, Georgius Villerius Buckingamiæ Dux creatus, sub Jacobo I. M. Brit. R.
Reginaldus Polus, sub Maria.	

Pop. *Angli*, inter quorum singularia est: Quòd initium annorum suorum ducant à die 25. Mart. quæ consuetudo & in Hispania est recepta: In Instrumentis publicis insuper non tam annos Domini nostri, quàm Regum suorum, numerant: Tormentis in veritatem non inquirunt: Cùm quis per contumaciam in judicio capitali mutus stat, vel illud non respondet, quo judicium ad exitum possit perduci, de cœtero autem in confesso est, illum criminis reum esse, enecant illum supplicii genere, quod *Panem fortem ac durum* vocant; cœterùm bona necati hæredibus relinquunt, quæ aliàs in Fiscum Regium concederent, &c. Patronum olim *Angli* (sicut Portugalli) S. Georgium, Equites inprimis Periscelidis, habuerunt, de quo ordine V. in voce *Periscelis.* Quemadmodum apud Scotos *S. Andreas*, & apud Cambros David *S. Devis*, avunculus Arthuri Regis in pretio fuit. Plura V. apud Auctorem Anonymum *Hist. Orbis Terrarum Geogr. & Civ. passim, inprimis verò cap. 4. de Regno Angliæ.*

Anglicum Opus, cujus meminit Johannes Rubeus in *Vita* Bonifacii VIII. Pontific. Rom. pag. 345. *Quinque aurifrigia, quorum tria sunt de opere Cyprensi & unum de* opere Anglicano, *& unum est ad Smaltos* &c. & Leo Ostiensis *libro 2. capite 33. Loculus ille mirificus — argento & auro gemmisque* Anglico opere *subtiliter ac pulcherrimè decoratus*; quid sit, patet ex *Gestis* Guilielmi Ducis Normanniæ & Regis Angliæ *pag.* 211. ubi de Anglorum in artibus solertia: *Anglicæ nationis fœminæ multum acu & auri textura, egregiè viri in omni valent artificio*, apud du Fresne *Gloss.*

Anglicus, monetæ Anglicæ species, in *Vita S.* Donatiani Episc. *Filum argenteum duos* Anglicos *valentem, pro munere tibi apportabis*, Dominic. Macer *Hierolexic.*

Anglischeria, V *Englischeria.*

Anglo-Saxones, è Germania, à Vortigerno Britanniæ R. (post desertam à Romanis sub Valentiniano II. Imp. circa A. C. 430. Britanniam) à Scotis Pictisque graviter afflicto, contra illos evocati, Ducibus Hengisto & Horsâ, non solùm Britannorum hostes fortiter retuderunt, sed & amœnitate Regionis capti, arma in ipsosmet Britannos verterunt, illisque totâ fere Insulâ pulsis, septem constituêre Regna, de quibus V. paulo infrà

In qua Heptarchia semper penès unum aliquem Monarchiam fuisse, testatur Beda: quæ ambulatoria fuit, & modò penès hanc, modò penès aliam gentem, non successione, sed armis ac potentiâ quærenda. Donec septem hæc Regna in unum tandem coaluerunt, circa A.C. 800. sub Rege West-Saxonum Egberto, qui primus factus Monarcha perpetuus, abrogato Saxonum nomine, universam gentem *Anglos* & regnum *Angliam*, voluit appellari. Fuere autem Regna hæc plerunque electiva, uti patet ex formulâ in electione Regum tum usitatâ quærendi, *An populus consentire vellet?* Unde Reges multi à Parlamento instanter sæpe petiisse leguntur, ut filii sui in Regno succederent: neque unquam, apud antiquos Saxones, juramentum fidelitatis ad Regis hæredes successoresque extensum est. Imò non rarò præteriti sunt vel primogeniti Regum filii, vel propiores agnati; aliis, qui aptiores videbantur, adscitis: ita ut illa formula, *Regi & Hæredibus*, non reperiatur recepta, ante dissidium Eboracensium & Lancastrensium, id est, circa A.C. 1400. Præterea, summam tum potestatem, penès Parlamenta, h.e. Ordines Regni, fuisse, certum est: Namque tempore Alfredi R. leges à Communi Concilio Episcoporum & Senatorum conditæ sunt, testaturque Beda, multis in locis, in Concilio publico servasse *Reges, Sacerdotes privatos* (per quos Populum intelligit) & *Optimates*, suum quemque ordinem, &c. Adeò itaque strictè *Anglo-Saxonum* hi Reges subditis juramento obligabantur, ut in *LL.* S. Eduardi *cap.* 17. quod est de officio Regis, dicatur expressis verbis: *Quod nisi feceris, nec nomen Regis in eo constabit*: Sicque Rex primò præstabat juramentum Ordinibus; deinde demum Archiepiscopus conversus ad Populum quærebat, *An consentire vellent?* uti diximus. Plura hanc in Rem V. apud Georg. Hornium *Orb. Imper. pag.* 312. *& seqq.* Post *Anglo-Saxones*, Dani in Britannia rerum potiti sunt, circa A.C. 1022. donec circa A.C. 1066. Regnum ad Normannos pervenit, in qua familia durat hodieque. Idem *ibid.*

Anglo-Saxonum Regna VII.

Cantii Regnum primum fuit, fundatum ab Hengisto, A.C. 449.

Suthsexiæ Regnum, ab Ella institutum est A.C. 488.

West-Saxonum Regnum, Cerdicium Auctorem habuit A.C. 519.

East-Saxonum Regnum, ab Ina, circa A.C. 547. fundatum, in Regnum Deiræ & Berviciæ; quorum illud ab urbe Deira, nunc *Durham*, hoc ab urbe Bervvica denominatum fuit, subdivisum est.

Nordranthumbriæ Regnum, post hæc originem accepit.

East-Anglorum Regnum, Ussam fundatorem habuit, circa A.C. 575.

Merciorum Regnum, à Penda fundatum est, A.C. 656. V. de hisce omnibus suo loco, & plura apud Hornium præfatum.

Angola, nomen Viri strenui, qui circa A.C. 1500. à Rege Congi deficiens, Monarchiam *Angolensem* constituit Regnoque nomen suum imposuit: postquam, Lusitanorum ope, Regulos minores subegit. Dictus est à magnitudine rerum gestarum, *Inene*, h.e. *Magnus*, præfuitque usque ad A.C. 1506. quo ipsi successit *Tambi Angola*; quem *Quidonge Angola* circa A.C. 1518. excepit, vitâ regnoque usque ad A.C. 1600. extenso. Regum horum potentia tanta esse fertur, ut plusquam millena hominum millia dicantur in aciem posse producere. Idem Hornius *Orb. Imper. pag.* 466.

Angones, linguâ Francicâ, tela seu hastæ dicuntur, quibus Franci utebantur. Eos sic describit Agathias *lib.* 1. *Brevia tela, quæ ipsi* Angones *vocant; cujus pars major ferro obducta est, ita ut ex ligno aliquid præter membrum vix extet: in superiori ferro tanquam hami utrinque sunt, & deorsum vergunt.* Quibus consona habet Eustathius, nec non Etymologici auctor ac Suidas. E qua descriptione, Lipsii in *Poliorceticis* sententia quibusdam arridet, qui Gallorum securiculas describi censuit, quas vocabulis haud multum abludentibus, Belgæ *Haecken*, Galli *Hachet* appellant: *Aichon* seu *Achon* etiamnum securiculas Arverni vocant: vocibus ab *ango* vel *aggo* deductis, ut existimat Vir doctus. Meminit *Angonum* Pachymeres quoque *lib.* 12. *cap.* 30. Ἰταλικοῖς τόξοις καθωπλισμένοις, αὐτοὶ δὲ μετὰ πελτῶν καὶ κοινῶν ἐγχειριδίων δοράτων, ἃ δὴ τὸ παλαιὸν ἄγγωνες ἐκαλοῦντο, τὸν πόλεμον ἀνεθάῤῥουν, *Italicis arcubus armati; ipsi verò peltis & popularibus hastis, quæ antiquitus* Angones *vocabantur, prælium fidenti animo instaurabant.* V. Car. du Fresne in *Glossar.*

Angria, adde: Huic Witikindo nepotem ex Wigperto filio Walpertum, Ducem *Angriæ* & Comitem Ringelhemii, quidam assignant, cujus fil. Theodoricus Ringelhemii itidem Comes, ex filiis Immodo Sabaudorum, Witikindo Ferrariensium, Theodorico Marchionum Brandenburgicorum vett. & Regimberto Oldenburgicorum fuerit sator, Phil. Jac. Spenerus *in Fam. Oldenburgo-Danica.*

Angrivarii, adde: Horum antiquissimi Domini memorantur, Hengistus atque Horsus, fratres, Saxonum Duces, qui seculo circiter sexto ab Anglis contra Scotos Pictosque in auxilium acciti, adeò beneficio isto Anglos in sui amorem pertraxerint, ut ii relicto patrio solo, has in terras migraverint; inde, si Annalibus fides, nominis origo, *Angliæ*, sive *Angl**ariæ*** primùm appellare, quod post in *Angrivariæ* vocabulum abierit: sive, qui *Engelsheim* hactenus dicerentur, leviori mutatione *Angersheim* vocari sueverint. Aliquot inde seculis Witekindus imperio tituloque *Angrivariorum* inclaruit, cui etiam à Carolo terra ista relicta, generoso & usurpato priscis Romanis clementiæ exemplo, quamvis bello victis Regibus Regna solitis reddere: Et post hunc longi ævi spatio iidem *Angrivariæ*, qui Saxoniæ Principes. Donec in Ascaniis diversum evenit; quibus, translata in Misnensem familiam Saxoniâ, *Angrivaria*, in Bernhardi (Alberto Urso geniti & primi ex hac familia Saxonum Ducis) posteritate, ad nostram usque ætatem, permansit, juxta cum iis Westphaliæ terris, quas Henrico Leoni ablatas, Bernhardo Ascanio Cæsar adjecerat. Tob. Pfannerus *lib. de præcipuis Germ. Principum gentibus, cap.* 10. V. quoque infrà, in *Westphalia.*

Anguilla, Hebr. אלבת, pinnas habet, squamis tamen caret, unde immunda olim ex lege. Levitic. *cap.* 11. *vers.* 9, 10. V. Sam. Bochartum *Hierozoici Part. prior. lib.* 1. *cap.* 6. Non aliorum piscium, quàm *Anguillarum*, & quidem fluviatilium, non lacustrium, in *L.* Salica aliisque ejusmodi, mentionem fieri observans Wendelinus, hinc conjicit, non alibi Leges illas esse latas, quàm circa prata Brabantiæ, versùs Hercam, ubi inexhausta ferè anguillarum est piscatio: apud Car. du Fresne *Glossar.* Est autem *Anguilla*, ex piscibus ποταμοδρόμοις, h.e. *qui in mare è fluviis descendunt*, Anaxandridæ *in Civitatibus* dicta τῶν ὄψων μέγιστον, *obsoniorum præcipuum*: ac Erasistrati etiam judicio,

> — — — — Βασιλεύει
> Πάντων τῶν ἄλλων ἀρχὸς καὶ ἡδονῆς ἡγεμονεύει.
> — — — — *Regnat*
> *Hæc epulis cunctis, estque ejus prima voluptas.*

Eadem Epicureo cuidam, apud Athenæum *lib.* 7. τῶν δείπνων Ἑλένη, *Cœnarum Helena*, vocata est: nec Archestratus, apud eundem, dubitat Messanensium prædicare felicitatem, ob *anguillarum* frequentiam. Copaidas celebrat Aristophanes, *Acharnensibus Actu* 4. *Scen.* 1.

> Πρέσβειρα πεντήκοντα Κωπαΐδων κορᾶν
> Ἔκβαθι, τῷ δὲ κ' ἐπιχάριτται τῷ ξένῳ.
> *Egredere, natu magna quinquies decem*
> *Copaidum, huic & grata facias hospiti.*

Ubi priorem versum lepidâ parodiâ effinxit, ex illo Æschyli, *in Armorum jud.*

> Δέσποινα πεντήκοντα Νηρῄδων κορῶν,
> *O domina decies quinque Nereidum.*

Anguillæ Bœotiæ meminit & Antiphanes, *in Philothebæo* apud Athen. *lib.* 14. & Eubulus *in Jone*, apud Eund. *Copaides* autem dictæ, ab lacu & flumine Bœotiæ, prope oppidum Κώπας: quas apud Athen. *lib.* 7. etiam celebrant Dorion, Agatharchides, Eubulus; qui & docet, illas betis involutas comedi consuevisse. Nempe quia beta vi suâ nitrosâ humorem excrementitium detergeat: unde & sale conditur, quem morem esse antiquum ex Hicesio constat, inter salsamenta referente *Anguillas* Macedonicas, *l. c.* Sed varios apparandi modos, ex Apicio disce, vel Barthol. Platina *Rei Culinariæ lib.* 8. *cap. de torta ex anguillis.* V. Vossium *de Idolol. lib.* 4. *cap.* 19. *sub fin.* Ægyptiis verò *Anguilla* etiam pro Numine fuit, ut Herodotus *Euterpe* docet: ob quem cultum lepidè in *Lycone* Comœdia illos risit Antiphanes, apud Athenæum *loco sæpius cit.* cujus verba reddit Grotius in *Excerptis*;

> *Tum rebus aliis ajunt esse Ægyptios*
> *Solertes, tum quòd Anguillam æquiparant Diis.*
> *Quin verò longè est illa Dis pretiosior.*
> *Nam solis precibus nobis se indulgent Dii;*
> *At illam, drachmas solidas cùm dederis decem,*
> *Aut plus aliquanto, olfacere vix tandem licet.*
> *Tantam habet in se animal illud sanctimoniam.*

Eundem morem *ibidem loci* taxat alius Comicus Anaxandrides, *in Civitat.* ubi inter alia, quæ Ægyptiis objectat, ait,

> Τὴν ἔγχελυν μέγιστον ἡγῇ δαίμονα,
> Ἡμεῖς δὲ τῶν ὄψων μέγιστον παρὰ πολύ.
> Anguillam *Numen esse reris optimum,*
> *Quæ mihi putatur optimum esse obsonium.*

V. iterum Vossium *dicto libro cap.* 51.

Anguis, ab ἄχις, quod Siculi Dores dicebant pro ἔχις, n addito more Latinorum, à *serpente* distinguitur Plin. *l.* 8. *c.* 59. *Jam quædam animalia indigenis innoxia advenas interimunt, sicut serpentes parvæ in Tirynthe, quas terrâ nasci produntur: item in Syria angues, circa Euphratis maximè ripas dormientes Syros non attingunt:* ubi *serpentes* ei terrarum, *angues* aquarum sunt. Plerique tamen confundunt. Salmasius, *ad Solin. p.* 344. Ad auguria olim frequenter adhibitus legitur *Anguis*, apud Gentiles. Hinc *Iliad.* β. Calchas, viso dracone, qui octo passeres cum matre devoravit, belli Trojani annos inde auguratus est. *Æn.* 5. etiam *anguis*, qui ad Anchisæ tumulum,

> *Septem ingens gyros septena volumina traxit.*

Septem illis gyris, auctore Servio, Æneæ sui erroris omen ostendit. Et ex Historiis notum est, quid Tiberio Graccho, in Lucanis sacrificanti, portenderint *angues* duo ex occulto prolapsi, qui repentè hostiæ, quam immolaverat, adeso jecinore, in suas latebras se retulerunt: & alii duo *angues* domi comprehensi,

quorum

quorum fœminam ille, occiso mare, emisit. Cic. *de Divin.lib.*1. Syllæ item in agro Nolano ante Prætorium immolanti, quid significaverit *anguis* ab in simaara emersus? Et quid de Roscio puero responderint consulti Haruspices, cùm dormientem illum reperisset nutrix serpentis amplexu circumplicatum? Atque in genere habebatur ominosum, anguem intecto conspici, aut per impluvium decidere de tegulis; quam artem augurandi primus dicitur Telegonus invenisse, apud Suidam. Terentius in *Phorm.*

— — Monstra evenerunt mihi:
Introiit in ædes ater alienus canis,
Anguis *per impluvium decidit de tegulis.*

Aut viam, quà quis iter facturus esset, occursu suo quasi dissecare & interrumpere. Horatius *Carm.lib.*3. *Od.*27.

Rumpat & serpens iter institutum,
Si per obliquum similis sagittæ
Terruit mannos.

Uti apud Heliodorum Calasiris [illegible] *impedimentum aliquod in itinere futurum significari, prædicebat*, cùm crocodilum vidisset, à dextra parte in alteram reptantem. Itaque in pedestribus auspiciis reptile hoc recenset Festus; & apud Hesychium, [illegible] non modò sunt eæ aves, à quibus auspicia petuntur, sed & ὄφεις, *serpentes*. Quin *angues* à Vett. creditos esse vaticinandi peritiam inspirare, discimus ex fabula, de Priami liberis, Helena & Cassandra, in Thymbræi Apollinis fano dormientibus, apud Scholiastem Homeri *Iliad.* η. Cui simile est, quod de Melampode referunt multi Scriptores, dracones ejus aures lambendo, sermonis avium intellectum ei dedisse, quòdque pari superstitione crediti sunt idem consequi, qui draconis carnes ederent. Fortè & eodem referendum, quòd vatum antiquissimus Ophion dictus est מנחש, *Augur*. Unde est, quòd Nonnus *Dionysiac.lib.*4. septem tabularum meminit septem Planetis cognominium,

[illegible]
[illegible] Ὀφίων.
Queis mundi eventus & ineluctabile Fatum,
Purpureis sculpsisse notis memoratur Ophion.

Quin auguriorum præsidem Deum creduntur Græci vett. serpentis formâ coluisse, ac proinde *Pythium* & *Pythonem* dictum; quia *pethen* Hebræis serpentis est species. Unde Python Mosi est אוב *Ob*, voce ab Ægyptiis mutuatâ, quibus *obion* hodieque *anguem* notare, habet Kircherii *Nomenclator cap.* 15. Horus Apollo scribit [illegible], *Hieroglyph.lib.*1. &c. Nempe Diabolus eâ maximè formâ coli voluit, quâ seduxit primos homines. Sam. Bochartus *Hierozoici Part. prior.lib.*1.*cap.*3. *Anguis* jubatus, major solitis, qui se à cauda medium comedit, visus est in Arabia, sub Antonino Pio, ut inter alia adversa, quæ ejus temporibus evenerunt, memorat Capitolinus.

Angusticlavii, Equites Rom. olim dicti sunt. Ut enim latiores clavi purpurei in tunicis Senatorum assuebantur, ita minores sive arctiores Equitum tunicas illuminabant. Unde Paterculus de M. Mæcenate, *Vixit*, inquit, *angusto clavo penè contentus.* Et Statius *Sylv.lib.*6.

Hic parvus inter pignora Curiæ,
Contentus arcto lumine purpuræ,

h. est, *angusto clavo*. Proin idem Equestrem purpuram eleganter *pauperem clavum* appellat. *Sylv. lib.* 5. *ad Crispinum*,

— — Non te series inhonora parentum
Obscurum proavis, & priscæ lucis egentem
Plebeja de stirpe tulit: non sanguine cretus
Turmali, Trabeaque Remi & paupere clavo,
Angustam sedem & Latii penetrale Senatus
Advena pulsasti.

Hinc *Laticlavii* & *Angusticlavii* fluxere. Suet. *Augustum tradit singulis alis binos plerunque Laticlavios præposuisse.* Alibi Patrem suum *Tribunum Angusticlavium* idem vocat, indigitans eum non Senatoris filium, sed Equite prognatum fuisse. Tribunis enim, qui è Senatorum fuere sanguine, ab instituto Augusti tam domi, quàm militiæ, jus lati clavi fuit. Interim Equites insigniores, qui & *Illustres* dicti, jus lati clavi non secus, ac Senatores habuisse, ex Dione notavit Lipsius *ad Tacitum*. Sed ita diu non obtinuisse illud declarat, quòd Præfecti Prætorio, qui ferme ex Equitibus legebantur, laticlavii jus non habuere. Non solùm autem Equites Illustres, sed & eorum filios jus hujus clavi habuisse, ex Ovidio patet, qui, ubi ad ætatem Senatoriam pervenere, cùm nolebant, aut non poterant in amplissimum ordinem adscribi, angustum resumebant. Idem Poëta:

Curia restabat, clavi mensura coacta est,
Majus erat nostris viribus illud onus.

V. Octav. Ferrarium *de Re Vestiaria Part.*I.*l.*3.*c.*14. & in voce *Clavus*.

Anhaltinum, adde: Hinc *Anhaltinæ* familiæ nomen, cujus origo ab Ascenazo, ex Japheti progenie Gen. c.10. v.3. & in specie ab Ascaniis, qui relictâ Bithyniâ & postea Ascania palude ad Bosphorum, cum Cimbris & Caycis in has oras profecti ad Hercyniam consederint, à nonnullis arcessitur. Intermedium ortum solent communiter ab Ursinis Romanis repetere, & quidem ab Ariperto quodam: Alii ab aliquo Saxone, qui aliquandiu in Italia fuerit commoratus, malunt Ascanios deducere: E cujus posteris Albertus II. Ascaniam restaurasse & Bernburgum condidisse fertur: Inter hujus nepotes Otto VI. pater fuit Alberti, cognom. *Ursi* seu *Pulchri*, qui novus quasi gentis conditor, Principatu Brandenburgico familiam auxit: Eo nati, Otto, stirpem *Brandeburgicam* & Bernhardus *Saxonicam* condidere. Quorum illius familiâ A.C. 1322. in Johanne IV. deletâ, Marchia cum Electoratu ab Imp. Ludovico tanquam feudum vacans, *Anhaltinis* & Saxonibus frustra reclamantibus, filio suo Ludovico collata, inde in Lucenbergiam familiam delapsa est: hujus verò stirps diuturnior fuit. Bernhardus enim, de Friderico I. Imp. bene meritus, ab eo Saxoniæ Ducatum obtinuit; perque filios, Albertum, ramum *Saxonicum*, è quo hodierni Principes Lauenburgici descendunt, & Henricos duos, *Anhaltinum* sevit. Ex his junior Ascaniam tenuit, quam liberis ipsius Henricus Senior patruus eorum eripuit. Hic à Friderico II. creatus *Princeps Anhaltinus*, stemma continuavit; Pater inter alios Sigfridi, à quo *Servestana* & Bernhardi, à quo *Bernburgica* linea ortæ sunt. E quibus hæc desiit seculo 15. successore agnato Georgio, cujus filio Woldemaro natus Wolgangus A.C. 1566. cœlebs decessit: Ernestus verò, Woldemari frater, Johannem, Georgium & Joachimum suscepit, quorum hic *Dessaviam*, iste *Hauskerodam*, ille *Servestam* tenuere. Johannes, fratribus sine prole defunctis, pater fuit Caroli, Joachimi Ernesti & Bernardi: è quibus medius, fratrum hæres, unus post plura secula totius Principatus fuit successor. Extinctus hic A.C. 1586. præter filias splendidissimè elocatas, & filios aliquot sine sobole defunctos, quinque habuit filios, totidem Linearum Auctores. *Dessaviensem* enim ramum, Johannes Georgius, *Bernburgicum*, Christianus; *Plazkensem* Augustus; *Servestanum* Rodolfus & *Cothensem*, Ludovicus incepere. V. in voce *Ascania*, & de Principibus ac Principatibus præfatis, quemque *suo loco*. Pfannero, familia hæc cùm jam dudum Comitatum Ascaniæ, Dynastiam Ballenstedti, aliasque ad Hercyniam Sylvam *Comitum* & *Dynastarum* titulo possedisset, postea Marchiam vet. sive Soltquellensem ab Henrico II. Imp. obtinuisse, à Pribislao, Herulorum R. rursus ei ereptam, at Ottoni Diviti, eadem prosapia prognato, à socero Magno Electore Saxonico, qui eam Pribislao rursus eripuerat, redditam, legitur. Secutis temporibus, tota Marchia Brandeburgica Alberto Urso: Saxonia Bernhardo ejus filio, utraque cum *dignitate Electorali* obtigit, quæ tamen ambæ in alias familias transiere, ut infrà dicemus. Mansere ditiones, *Anhaltini Principatus* & *Ducatus Saxo-Lauenburgici* nominibus celebres, in Anhaltinos Principes & Duces Saxo-Lauenburgicos, divisæ; qui, quanquam ejusdem gentis, duas in familias etiam titulo invicem distinctas, abiere; orti à filiis Alberti Bernhardo (cui Albertus Ursus pater fuerat) geniti, Alberto II. Elect. Saxon. & Johanne Duc. Saxo-Lauenburg. Titulos familiæ & gentes eò pertinentes, *Angrivariam, Westphaliæ* quædam, *Ascaniam*, *Servestam*, Bernburgum, Jeueram, & Kniphusiam recenset Tob. Pfannerus *lib.cit.* Primus ex familiâ hac illustri *Anhaltini Principis* titulum à Friderico ut dictum accepit Henricus senior, Bernhardi El. Saxoniæ fil. Alberti Ursi præfati nepos, quò terras *Comitum* atque *Dynastarum* titulo hactenus habitas, celsiori & digno paternâ fortunâ nomine possideret. De reliquis titulis V. hic *passim*.

Aniciacum, villa Galliæ, in Episcopatu Laudunensi, à qua Episcopus hic, qui Dux Laudunensis & Par Franciæ, *Comes Aniciaci* quoque vocatur, vulgò *Anisy*.

Anicium, adde: Hinc in literis Stephani Episc. A.C. 1223. datis, is se *Dei gratiâ Aniciensem Episcopum*, *Domini Papæ Suffraganeum specialem* appellat. Sic in quodam vetertimo *Provinciali* reperitur, inter Episcopos Aquitaniæ *Aniciensem*, sive Podiensem exemtum esse: qui quoque in *Not.* Episcopatuum Galliæ dicitur esse *Domini Papæ*: quia tum Archiepiscopi Bituricensis Metropolitani sui ditioni exemtus erat, & concessâ sibi ab Episc. Romano perpetuâ libertate gaudebat, ei uni peculiari quodam privilegio subjectus: quales vulgò *Independantes* ac *per se subsistentes* dicuntur, V. Hadr. Valesium *Not.Galliæ* in voce *Ad S. Abundum*.

Aniensis Juniorum, apud Livium *lib.* 24. *cap.*7. ubi de Comitiis Consularibus secundis à Q. Fabio Maximo post Cannensem pugnam habitis, *Eo die cùm sors prærogativæ* Aniensi Juniorum *exisset, eaque T. Otacilium & M. Æmilium Regillum Consules diceret, tum* &c. uti reponit Gronovius, cùm antea legeretur *prærogativæ ante juniorum*; tribus Romanæ nomen est, cujus idem Livius meminit *lib.*10. *Et lustrum eo anno conditum à P. Sempronio Sopho & P. Sulpitio Saverrione Censoribus, tribusque additæ* Aniensis *& Terentina.* Cicero quoque *in Orat. pro Plancio*, Senatusconsultum item in *Epistola. Cœlii ad Ciceronem. L. Atejus L.F. An.* quod est, *Aniensi.* Porro *Aniensem juniorum* dicit, ut *l.*27.*c.*6. *Galeria juniorum quæ sorte prærogativa erat, Q. Fulvium & Q. Fabium Consules dixerat* &c. V. Joh Frid. Gronovium *Observ. l.*4.*c.*1.

Anima, corpori nubens, antistitem unam eo excedens Proserpinam habere credita est Porphyrio. Eandem, à corpore solutam, triplici elemento expurgari, statuerunt Gentilium Theologi, quâ de re V. infrà, in voce *Vannus*. Quod verò eam immortalē esse noverant, hinc cultus ejus apud Gentilium non paucos, quem inter decem Idolo-

Idololatrici honoris genera, septimo loco recenset Isaacus Abravanel. Et quidem ab antiquis Persis ac Afris receptus is non est, at solas defunctorum *Animas* Augilæ agnoscebant, gens Africæ, inter Garamantas, & Troglodytas, de qua Mela agit, *lib.1. cap.8. Augilæ*, inquiens, *Manes tantùm Deos putant, per eos dejerant; eos, ut Oracula, consulunt: precatiique, quæ volunt, ubi tumulis incubuere, pro responsis ferunt somnia.* Quod de Nasamonibus, Africæ item populo, Herodotus quoque tradit *Melpom.* ut de aliis taceam. Duûm verò generum hic cultus fuit: quia *Animarum* aliæ privatâ colebantur auctoritate, aliæ publicâ, ut quę Regiâ, vel Optimatium vel Populi auctoritate in Deos relatę forent. Priori modo venerabantur Lares, de quibus V. Apulejum *de Deo Socr.* ubi quadruplicem videas appellationem, *Lemurum, Larium, Larvarum* & *Manium.* Sed sacris quibusdam opus fuisse, ut *Animæ* fierent Dii, indicat Servius *ad Æneid. lib 3.* ubi Lares, *Deos Penates* & *Viales* vocat, qui colebantur feriis Denicalibus, quæ privatæ erant, teste Festo & quotannis recurrebant. Imò & quotidie suum Laribus fuisse honorem habitum domi, discimus ex Plauti *Aulul.*

Huic filia una est; ea mihi quotidie,
Aut thure, aut vino, aut aliqui semper supplicat:
Dat mihi coronam &c.

Qua de re plura V. infra, ubi de *Laribus* &c. Alias verò *Animas* princeps potestas cœlo locavit, sive quia nobili reperto profuissent generi humano, sive quoniam gentis vel urbis fuerent conditores, sive quia bello rem præclare gessissent, V. Lactant. *de falsa Relig. lib. 1. cap.5.* Augustinum *de Civ. Dei lib.8. c.9.* Ciceronem etiam *de Nat. Deor. lib.1.* &c. Cujusmodi Ἀνθρωποδαίμονες dicebantur *Dii Indigetes*, quod nomen primum Æneam sortitum esse legimus: quamvis aliis eo antiquiores coluerint Latini, Herculem, Liberum, Æsculapium, Castorem, Pollucem, Quirinum, Cic. *de LL. lib.2.* Præter quos etiam alii memorantur Vossio *de Idol lib 1. cap.12.* Sub Regibus Romani hominem neminem cœlesti donarunt honore, præter unum Imperii conditorem Romulum, atque, ut videtur, longè tamen inferiore gradu, nutricem ejus Accam Laurentiam. Postea verò, si quis hoc honoris adeptus sit, unica fuit Anna Bovillana: nec tamen è sententia Senatus. Interea Heroas suos magnis sunt dignati honoribus, at non divinis: quæ distinxere etiam Græci, quibus aliud ἐναγίζειν, aliud ἀποθεοῦν. Sed apud hos fere usu veniebat, ut qui priùs heroicis essent honoribus affecti, iisdem postea præstarentur divini, quod & Lampsacæ contigisse, docet Plut. de *præcl. Mulier. factis.* In Heroicis autem honoribus Græcis Romanisque erat, si statuis donarentur: particulatim verò apud Romanos, si effigies ferretur in pompa Circensi, item nomen referretur inter hymnos Saliares; quemadmodum apud Athenienses nomina eorum intexebantur Minervæ peplo, ut alibi dicetur. Eversâ Rep. primus Cæsarum consecratus est Julius, idque ab Augusto, Sueton. *Julio cap.88* post quem consecrati & alii, Plin. *Panegyr.* de quo ritu V. infrà in voce *Apotheosis.* Imò nec soli Cæsares, sed & Augustæ: maresque alii, qui ex Augustea domo fuere, inter divos relati sunt, V. Tertull. *1. adv. Marc.* Et quod mireris, in numismate veteri habemus consecrationem etiam Constantini M. licèt Christiani: In eo enim *Anima* ejus linteo velata, cœtero nuda, in cœlum vehitur quadrigis, brachioque exserto excipitur à brachio altero cœlitus porrecto. Subscriptum verò CONS. h. e. *CONSECRATIO.* Verùm hæc Christiano sensu accipi potest, non de immortalitate in terris à mortalibus collata, sed de cœlorum gloria, donatâ divinitus, V. Vossium *l. c.* Nec minùs defunctorum *Animas* à Græcis cultas esse, adeoque Numina eorum homines fuisse, in cœlum, ob merita evectos, idem docet *capp. sequentibus*, ut & de aliis gentibus, usque ad finem *libri præfati.* In Sacris sæpe *Anima*, pro Homine. Sic in *Histor.* Clementis I. Pontif. *Rom. die illa quingentæ animæ — baptizati:* apud Audoënum in *Vita* Eligii *lib. 2. cap.40. Tanta fuit copia decimæ, ut decima accolarum pars centum animæ ad partem B. Eligii forte devenirent*, alibique passim. Hinc κατὰ ψυχὴν apud Theophanem anno 18. Mauricii, Ἐγὼ δὲ τοὺς αἰχμαλώτους ἀποδίδωμι αὐτῷ κατὰ ψυχὴν νόμισμα ἓν κομιζόμενος αὐτῷ, redditur, *in singula capita:* & *Capitatio animarum*, in *leg.6. Cod. Th. de Conlat. donat.* est ea, quæ pro servis, adscriptis, censitis prædiorum præstatur, quæque ψυχικὴ συντέλεια dicitur in *Constitut.* Gr. Anastasii *leg. ult cap. de Annona & trib.* & *Humana capitatio l. ead.* Sed & Gallis hodieque *Ame* hominem notat. Car. du Fresne *Gloss.*

Anima, Græcis ψυχαὶ, genus animalis lucernas circumvolitantis & flammam appetentis exitio suo. Πυραύστης aliter iisdem dicuntur. *Glossarium* vetus *cap. de avibus*, *Anima*, ψυχή. *tabanus*, μύωψ. *vespertilio*, νυκτερίς. Hesychius, ψυχὴ, πνεῦμα, ζωΰφιον. *Anima, volatile, animalculum.* Interpres Nicandri vetus Φαλαίνας vocari ait ψυχάς: Φάλαινα autem, inquit, Ῥοδίων ἐστὶν ὄνομα. ἔστι γὰρ αὐτὴ τὰ περὶ τοὺς λύχνους πετόμενα θηρία καλοῦσι, *Rhodiense est vocabulum; ita autem appellant animalia, quæ lucernas circumvolitant.* Valerio *in Catholicis*, etiam *vappones*, à *vappa*, cujus ut & vini amantes sunt ac cupidi &c. apud Salmasium *ad Spartianum in Adriano Cæs.*

Animal, ut Græcè ζῶον, ita Hebr. *chaja*, ratione *vitæ* dicitur: non quòd vita sit animalis propria, sed quia illud solum sentit, appetit & movetur. Unde ἔμψυχον, *animatum* Græcis, sæpe idem quod *Animal*: quo sensu Pythagoras τῶν ἐμψύχων ἀπαγορεύων ἅπτεσθαι, *animata degustare prohibuit.* Cujus dogmatis apud Comicos frequens mentio, Antiphanes in Coryco, apud Athenæum *lib. 4.*

Πρῶτον μὲν ὥσπερ Πυθαγορίζων, ἐσθίει
Ἔμψυχον οὐδέν.
Primùm quidem, ut Pythagoræ secta. nr, edit
Animatum nihil.

Alexis apud Eund. *lib.9. in Atthide*,

Ὁ πρῶτος εἰπὼν ὅτι σοφιστὴς οὐδὲ εἷς
Ἔμψυχον ἐσθίει, σοφός τις ἦν.
Ἐγὼ γὰρ ἥκω ἀγοράσας οὐδὲ ἓν
Ἔμψυχον. ἰχθῦς ἐπριάμην τεθνηκότας.
Qui primus dixit Philosophum neminem
Animatum quidquam comedere, sapiens quidam fuit.
Ego etiam venio mercatus animatum nihil,
Emi enim pisces mortuos &c.

Est autem aliud λογικὸν, aliud ἄλογον, 2. Petri *cap.2. versu 10.* quorum hoc, brutum sc. Hebræi dividunt in 4. summa genera בהמה, *Animal quadrupes*; עוף, *avem*; רמש, *reptile*, & דג *piscem*: quæ, ut alias notas διαγνωστικὰς omittam, motus præcipuè distinguit. Graditur enim quadrupes, avis volat, reptile serpit, natat piscis. Græci verò, à reptilibus tam quadrupeda, quamlibet parva, quàm insecta (ab Hebræis sub *Reptilium* nomine comprehensa) distinguunt; Quos sequutus Bochartus illustre suum Opus *de Animalibus S. Scripturæ*, seu *Hierozoicum*, in duas partes divisit: quarum prior, 4. libris comprehensa, post *Animalia* in genere, de *quadrupedibus domesticis & feris*; item *de oviparis*, ut sunt *lacertæ* & *testudines*, agit; posterior sex libris, *Aves mundas, immundas ex lege Dei, serpentes, insecta, aquatica & fabulosa animalia*, persequitur. His omnibus Adamus nomen cuique conveniens imposuisse legitur, Genes. *cap.2. vers.19,20.* quæ proin ad eum adducta fuere, solis merè aquaticis, utpote in diverso elemento agentibus, exceptis. Namque & amphibia, ut ranæ, fibri, phocæ, crocodili, hippopotami, ex aquis excedere poterant, ut tam solenni concilio interessent. E singulis autem speciebus bina solùm huc convenisse vero simile est, quomodo postmodum in arcam Noæ, ut confusio vitaretur: nec sine Deo factum, quòd tam hic, quàm in Arca, lupus cum ove, canis cum lepore, felis cum mure, accipiter cum columba, simul pacatè degebant; Creatore illorum rabiem & horum trepidationem & fugam ad tempus reprimente, ne intempestivis tam diversæ naturæ animalium dissidiis conventus turbaretur. Quo modo autem Animalium tam multæ species in unum locum deductæ sint; An ventis impellentibus, ut in Deserto coturnices? An per Angelos, ut cùm Philippus Azotum transvectus fuit? Aut arcano Dei impulsu, ut in Ægyptum ranæ & cynomyia? &c. nihil opus est quærere. Namque etiamnum ciconiæ & grues ex Boreali plaga in Ægyptum & Æthiopiam certâ anni tempestate volant & post aliquot menses revolant, unde discesserant: Haleces quoque & thynni quotannis ingenti turbâ sedes mutant & in alias sedes transeunt. Nempe idem Deus, qui hanc iis naturam indidit, reliquis etiam animalibus id facilè inspirare potest, ut, cùm res ita postulat in certum confluant locum, tanquam si voce præconis citata ac convocata essent. Aliquid simile attentavit Regum maximus Alexander, qui naturæ animalium pernoscendæ cupidus, de iis commentationem Aristoteli delegavit, octingentis talentis, id est, ex Budæi supputatione, aureorum nostri temporis 480000. per Græciam Asiamque hanc in rem impensis. Quod jam in animo habuisse patrem Alexandri Philippum, & πλοῦτον ἄφθονον, *immensas opes*, ad id exequendum de suo liberalissimè suppeditasse, in Æliani *Variis* legas, *lib.4. cap.19.* Sed quidquid uterque egerit, tamen Aristotelem multa Animalia latuere, de quibus in eximio opere ne γρῦ quidem habet: multa etiam, ex auditu solùm, cognita habuit. Unde scias, quanto hominibus sit potentior Deus, qui uno momento exequitur, quod per plures annos, tantis sumtibus & tot adjutorum operâ, præstare nequiverunt duo Reges potentissimi. Ita igitur *Animalium* conventus habitus est, qualis deinceps nullus alius, præterquam in Arca Noæ, ad quam pariter convenerunt, sed longè diversa de causa. Namque, ut alia omittam, in prima brutorum hac convocatione id præcipuum fuit, quòd eorum ad hominem concursus statim à creatione, fuit voluntariæ subjectionis professio, quasi se domino suo sisterent & in ejus se reciperent clientelam. Hinc in servitutis notam omnibus illis Adam nomina imposuit, nempe ut domini servis solent, quemadmodum Josephi à Pharaone, Danielis & Sociorum à Nebucadnezare, Eliakimi à Necone, nomina mutata esse, ut ex novis nominibus se novis subesse dominis discerent, legimus, Genes. *cap. 41. vers.45.* Danielis *cap.1. vers. 7.* & 2. Paralip. *cap.36. vers.4.* Qua de re, ut & aliis huc pertinentibus, V. præfatum Bochartum *Hierozoici Part. prior. lib.1. cap.9.*

cap.9. Apud recentiores *Animal*, equus aut jumentum, *l.9. Cod. Theodos. de Re milit.* apud Paul. Diaconum in *Heraclio*, Aimoinum *de Miracul. S. Benedicti lib.3 cap.6.* Gaufridum *de Vita S. Bernardi cap.2. num.4.* Alios. Hinc *Animalia publici cursus*, pro equis ad cursum publicum destinatis, *l.8. C. Theod. de cursu publ.* quæ etiam *Animalia publica* dicuntur, *in l.2.10.53.60. Cod. eod.* At *Animal de hoste*, in *Charta* Remundi de Canavellis Domicelli in Comit. Ruscinon. A.C.1298. alibique idem est, quod *Animal mulinum*, Anastasio in *Histor. Eccl. ann.9.* Copronymi, & ζῶον μουλικὸν: mulus nempe vel mula, uti explicat alia *Charta* Berengeri de Canavellis filii Remundi Anno Christi 1308. apud Car. du Fresne in *Glossar.*

Animales & *Lutei*, Origenistis dicti sunt reliqui omnes, qui sacris eorum initiati non erant. Hieronymus *Epist. ad Pammach. & Ocean. de error. Origen. Nec mirum, putant enim me suum esse συμμυστὴν & propter* Animales & Luteos *nolle palàm dogmata proferri. Ipsorum enim decretum est, non facilè margaritas ante porcos esse mittendas, nec dandum sanctum canibus &c.* Ubi perstringit acriter eos, quòd mysteriorum arcanè habendorum prætextu, obtegendæ dogmatum, quorum ipsos pudebat, pravitati abuterentur. Quod de Basilide similiter, turpissimæ improbissimæque doctrinæ auctore, notat Epiphanius *Hær.24.* &c. V. Tob. Pfannerum *System. Theolog. Gentil. purior. cap.I. §.12.* & de Mysteriorum occultatione apud orthodoxos æque ac heterodoxos, infrà passim, inprimis in voce *Mysterium, Norunt Fideles, Silentium.*

Animales Dii, quinam Vett. dicti sint, ex præcedentibus facilè liquet. Nam, si exceperis τοὺς τὸν μοναρχίαν εἰδότας, putà qui solum Israelis Deum colerent, cœteri vel adorabant Naturales Deos; vel *Animales* non naturales; vel in unum conflabant cultum utrumque. Naturales autem appellabant, quando vel tota rerum Natura, vel ejus pars, aut affectio, invocaretur; cujusmodi Dii erant, *Mundus, Æther, Sol, Aer, Aqua, Tellus, Tempestas, Amor* & similes. *Animales* nuncupabant animas à corpore solutas; uti illas *Herculis, Thebani, Castoris, Romuli, Julii Cæsaris*, alias. Unde Servius *ad Æn. 3. Labeo*, inquit, *in libris, qui appellantur de Diis, quibus origo animalis est, ait esse quædam sacra quibus animæ humanæ vertantur in Deos, qui appellantur* Animales, *quòd de animis fiant. Hi a. sunt Dii Penates & Viales.* Et de his V. Vossium ubi *suprà* ut & Salmasium *ad Solinum pag.64.*

Animalia, apud Romanos in publicum producebantur, trium rerum gratiâ: ἐπιδείξεως χάριν, ut spectarentur solùm; vel, ut pugnando spectatores oblectarent, aut denique, ut à Populo non spectarentur tantùm sed & diriperentur: ad quod tertium genus Gordiani venatio pertinet, Capitolino memorata, *Extat Sylva ejus memorabilis quæ picta est in domo Rostrata Cn. Pompeji in qua pictura continentur cervi palmati ducenti mixtis Britannis: equi feri 30. oves feræ 100. alces triginta, tauri Cypriaci centum, struthiones Mauri miniati trecenti, onagri triginta, apri centum quinquaginta, ibices ducentæ, damæ totidem. Hæc omnia Populo rapienda concessit die muneris, quod sextum edebat.* Nempe *Sylva* istiusmodi venatio dicta est, ab eo quòd totus circus ad sylvæ speciem arboribus esset consitus, qui differta omni genere herbaticorum animalium immittebatur populus, qui omnia diriperet, ut videbimus infrà pluribus, in voce hac. Hanc verò cum Pancarpo malè à Viris quibusdam eruditis confundi, docet Salmasius *ad l. c.*

Animalia Herbatica, Græcè ποηφάγα, apud Solinum *cap.27 Inter ea, quæ dicunt* Herbatica, *eadem Africa onagros habet, in quo genere singuli imperitant gregibus fœminarum.* Et Vopiscus *in Probo, Mille struthiones, mille cervi, mille damæ, ibices, oves feræ & cætera* herbatica *animalia, quæ vel ali potuerunt, vel inveniri:* dicuntur ex sylvestribus ea, quæ herbis gramineque vescuntur, ut distinguantur a carnivoris, V. infrà *Herbatica* & ubi de eo venationis genere, quæ *Sylva* dicta est. In Sylva enim *Herbatica Animalia* exhibebantur, ut dictum; at *Animalia* σαρκοφάγα ad Pancarpum, aliud spectaculi genus, pertinebant. Solebat autem missio hujusmodi Animalium sylvestrium fieri discreta per sexus. Unde in *Vitis* Impp. legimus sæpe, *centum leones unâ missione editos & centum leænas.* Apud Vopiscum itidem *in Probo, editi centum Leopardi Libyci: centum deinde Syriaci: centum leænæ* &c. V. Salmasium *ad Solinum pag.313.* De *Animalium* προτομαῖς, in proris navium, pingi solitis, V. infrà ubi de Navium *Parasemis.*

Animalia Munda, & *Immunda*, V. infrà.

Animalia Quatuor, in visione memorata, Ezech. 1. & Apocal.4. V. suprà, ubi de *Angelis*. Hæc picta fuisse in quatuor Judæorum vexillis, de quibus Numerorum *cap. 2. vers.3, 18, 25.* dicunt Judæi. Aben Ezra in *Numer. cap.2. vers.2. Et Antecessores nostri dixerunt, fuisse in Rubenis vexillo figuram hominis, juxta vim symbolicam mandragorarum: & in vexillo Judæ figuram leonis; quia illum Jacob Leoni comparavit: & in vexillo Ephraim figuram bovis; quia dicitur (Deuteron. cap.33. vers.17. de Josepho, patre Ephraim) Primogenitus bovis illius decor est ei: & in vexillo Dan figura aquilæ, ut similis sit Cherubinis, quos vidit Ezechiel Propheta.* Quibus similia habent Chizkuni & Bar Nachman *ad eundem loc.* Sed hoc commento nihil judicat Bochartus putidius. Nam, ut de Juda jam taceamus, inquit, planè absurdum est, quod Rubenitas figuram hominis volunt habuisse in vexillo suo, propter mandragoras à Rubene repertas, quæ sc. fuerint ἀνθρωπόμορφοι, ut Pythagoras appellat: unde Columella,

Quamvis semihominis vesano semine facta,
Mandragoræ pariat flores.

Namque nec mandragora quidquam cum forma hominis commune habet, præter radicem, quæ sæpe bifurcata est, ut sciunt illi, qui viderunt: nec Ruben mandragoram invenit, sed *dodaim*, quæ planè aliud esse, ostendit idem Bochartus peculiari libello. Absurdum quoque illud, Ephraimitas figuram bovis & Danitas figuram aquilæ in vexillis habuisse; illos, propter ultima Mosis morientis verba: hos verò, quia è quatuor Cherubinorum faciebus, quos vidit Ezechiel, una fuerit ἀετοῦ. Agitur enim de vexillis, quæ erexerant Israëlitæ anno secundo ab Ægypti exitu, annis ante Mosis obitum 38. seculis ante Ezechielem circiter novem &c. Imò planè nullas animalium imagines in vexillis suis habuisse Hebræos, ex Josepho colligere est *lib.18. cap.7.* Cùm enim Vitellius in Arabas bellum moturus, vellet è Ptolemaide per Judæam exercitum ducere, ὑπαντιάσαντες ἄνδρες οἱ πρῶτοι παρῃτοῦντο διὰ τῆς χώρας ἐλθεῖν, οὐ γὰρ αὐτοῖς εἶναι πάτριον περιορᾶν εἰκόνας εἰς αὐτὴν φερομένας, πολλὰς δ' εἶναι σημαίαις ἐπικειμένας, *Viri* (*Judæi*) *primarii illi occurrentes, transitum per regionem deprecati sunt, causati patrios ritus non permittere ut inferrentur ullæ imagines, quales Romana signa pleraq; habebant.* Quorsum, si & ipsi imagines habuerunt in vexillis suis? Adde, quod nec in Scriptura, nec in Josepho, nec in libris *de Vita Mosis* apud Philonem quidquam tale habeatur; sed nec in universo opere Talmudico &c. V. Sam. hunc Bochartum *Hierozoici Part. prior. lib.III. cap.5.*

In *Animam* alterius jurandi ritus, Tillio observatus est *lib.1.* ubi inter alia refert, fœdera, quæ cum aliis Regibus Galliæ sanciebant Reges, non ab ipsismet, sed, iis præsentibus, à quopiam ex Aulæ Proceribus ad id delecto *in eorum animam* jurata. Sic Priorem S. Martini de Campis coram Ludovico IX. Sacramento *in illius animam* facto, inducias cum Henrico III. Angl. R. pepigisse A.C.1231. alias item inducias inter eosdem Reges, quendam de Proceribus, pro & coram ipso Henrico jurasse, A.C.1244. &c. Hinc in *Actis* Innocentii III. legitur de Philippo Augusto R. Fr. *Faciens* in animam suam *juramento firmari, quòd honorificè ipsam ut Reginam tractaret.* Adde *Probat. Histor.* Vergiac. *pag.105.* & Matth. Paris *pag.109.* atque is tum usus apud Principes invaluerat, uti docet du Fresne ex *Epistola* Wilhelmi Regis Siciliæ ad Henricum II. Angl. R. apud Rad. de Diceto A.C. 1175. Falcando *lib. de Siciliæ calamitatibus*, *Actis* Hadriani IV. Pontif. apud Baronium A.C. 1155. *Actis* Alexandri III. apud eundem A.C. 1177. *Epistolis* ejusdem Alexandri 51.52. & *Charta* Jacobi R. Majoric. A. 1284. Imò non Regum duntaxat hunc morem fuisse, sed aliorum quoque, patet ex *Actis* Innocentii *præf.* ubi nobilis quidam in *animam Marcualdi* Senescalli Imperii jurat *pag. 3.* Juratum quoque fuisse, *in animam Universitatis*, refert Guilielmus de Podio Laurentii *cap.40* Quam in rem V. quæ eruditè congessit du Fresne *Glossar.* in voce *Juramentum.*

Animas ex Inferis, Magicâ ope evocari posse, ad oracula respondenda, creditum olim inter Gentilium complures. Saniores tamen eorum hac de re meritò dubitantes, solas ἀώρων & βιαιοθανάτων *Animas* ad hoc elici crediderunt, non etiam ad Inferos jam redactas & sedibus beatis receptas. Nempe opinio fuit multorum, non receptos inferis, qui funere acerbo aut violento mortis genere essent erepti; uti nec eos, qui sepulturæ honore caruissent. Hinc *Animas* talium, in Necyomantia, Magicis Artibus evocari quidam opinabantur, quia de propinquo evocarentur, nec avellendæ essent ex intimis Inferorum sedibus, ubi quiescere dicebant animas maturâ morte solutas, placidâ morte separatas, atque etiam supremitatis honore donatas. V. quæ hanc in rem habet Salmasius *Plinian. Exercitat. ad Solinum* & hic passim, inprimis ubi de *Aoris*, *Biothanatis*, & *Necyomantia*.

Animatæ tegulæ, dicebantur Vett. quæ in modum canaliculi factæ erant, & in imo ac summo spiramenta habebant, h.e. foramina. Vitruvius *lib.7. cap.4. Deinde insuper animatæ tegulæ ab imo ad summum parietem figantur, quarum interiores partes curiosius picentur, ut ab se respuant humorem: item in imo & in summo supra camerem habeant spiramenta.* Quomodo in antiquis duobus Palatinæ Bibliothecæ codicibus se legisse, ait Salmasius, cùm vulgò habeatur *hamatæ*. Ad eundem sanè modum *animatoria olla* dicebatur, quæ in summo spiramentum habebat, h.e. quæ pertusa erat. *Glossæ* χύτρα διατετρημένη, *olla animatoria*. Non dissimili genere loquendi, *nares fossæ*, apud Vopiscum in *Probo*: *nares canalis*, apud Vitruvium *lib.7. cap.4.* ἀναπνοὴ σχοινίου, de elice, apud vet. *Glossarii* Auctorem, occurrunt. V. quæ hanc in rem annotavit prædictus Salmasius *Not. ad Vopiscum d. l.*

Animæ Lusitanorum, Dioscoridi Σαρκοκόλλης δάκρυον, *Saracenica lachryma*, eadem cum Bdellio, quod vide.

Animetta, palla dicitur in Ecclesia Rom. quæ calicem tegit; quòd quasi anima in Corporali plicato includatur & conservetur. Jos. Vicecomes *lib.7. cap.5.* Græco Auctori, ψυχίον, à ψυχή, *anima*. Dominic. Macer *Hierolex.* V. infra *Corporale*.

Anitius Lupus, inter viros illustres, Commodi jussu occisos, apud Lampridium in *Commodo*.

Anna, Bovillana vetula, plebem Romanam, cùm in Aventinum fugisset, pavit. Unde Ovidius *Fastorum lib. 3.*

Pace domi factâ signum posuere Quirites,
Quòd sibi defectis illa ferebat opem.

Divinos propterea honores post obitum adepta, non tamen è Se-

natus sententia. Huic enim cùm illa secessio neutiquam placuisset, honores divinos vetulæ huic haberi nolebant, nec negare interim quidquam tempora sinebant. Quare, ut os plebi sublineretur, decrevit, quasi in *Annæ* honorem, ut Martio Mense, qui veteris anni erat primus, sacra cœlesti fierent Numini, quibus rogaretur, ut *annare* & perennare, h.e. annum illum exigere & alios illi superaddere daretur. Itaque ejus festo in conviviis cum voto hoc alii aliis propinabant, sic ut pro cyathorum numero & votis multiplicibus, etiam Nestoris annos biberent: quod ex Ovidii *Fastis* cognoscimus. Atque hoc modo aliò plebs in appellatione hujus Numinis, aliò prudentiores spectabant, neque sacra illa verè anus istius, sed excellentioris potestatis fuere, cujus beneficium putarent annare & perennare. Vossius *de orig. & progr. Idolol. lib.*1. *cap.*12. ubi hoc nomine, non Didonis sororem, quæ apud Æneam exulaverit, cultam esse docet, quippe cùm inter Æneam & Didonem, cujus soror *Anna* fertur, circiter trecentorum annorum intervallum sit; sed anum illam beneficentia in plebem inclytam, de qua dictum.

Annale, in Ecclesia Rom. Anniversarium est, *dies sc. qui pro mortuis celebratur singulis annis*, Ugut. Ut plurimum verò Missas denotat, quæ in eadem Communione per anni spatium pro defunctis celebrantur; & *Annuale* quoque dicitur, du Fresne *Glossar.* Dominic. Macer. in Gallia, festum primæ Classis *Annale*, festum verò secundæ Classis *Semiannale* dici annotat, in *Hierolexico*.

Annales baculi, in quibus fastos suos olim inscribebant Dani, apud Olaum M. *Hist. Sept. lib.* 16. & Olaum Wormium *de Fastis Danicis lib.*1. *cap.*2. & 3.

Annales Livii, memorantur Firmico, ubi de Libero & ejus sacris: *Imitatur te Lycurge & sobrium suum institutum sequitur, nec à salutaribus tuis legibus exorbitat etiam Consul noster Posthumius: nam sicut in Livii Annalibus invenimus, Bacchanaliorum scelera, Æbutio quodam adolescente deferente, detecta sunt.* Quamvis enim libros suos non inscripserit Livius *Annales*: sunt tamen *Annales* revera, sed & aliquid ampliùs. Non enim modò per annos digerit res gestas, sed etiam occasiones, consilia, ordinem rerum gestarum & sequenda fugiendaque explicat; quod non est nudorum Annalium, ut Sempronius Asellio monet, apud A. Gellium, *lib.*5. *cap.*18. Interdum tamen vocabulum laxâ significatione pro qualibet historiâ reperias. Ut cùm Florus: *Quæ nisi in* Annalibus *forent, hodie fabula viderentur.* Sed elegantissimè Maro,

Et vacet Annales *nostrorum audire laborum.*

Ubi alteram differentiam, Gellio quoque observatam, Servius docet & *Livii* rectè proprieque *Annales* dici: *Inter historiam & Annales*, inquit, *hoc interest: Historia est eorum temporum, quæ vel videntur, vel videre potuimus, dicta ἀπὸ τοῦ ἱστορεῖν, id est, videre.* Annales *verò sunt eorum annorum, quos ætas nostra non novit: unde Livius ex Annalibus & Historia constat.* Quod discrimen Tacitus secutus est in duplici opere suo inscribendo, &c. Gronovius *Observat. in Eccles. c.*9.

Annanas, V. infra *Bonjama*.

Annaria Lex, apud Romanos dicebatur, ex qua præfiniebantur anni Magistratuum capiendorum. Æl. Lampridius *in Commodo, Post hæc venia Legis* Annariæ *impetrata Consul factus est.* Cujusmodi *LL. Annales* vocat Cicero *Philipp.* 5. meminitq; earum *de Orat. lib.*2.

Anni Gratiæ, dicti quòd à Natali Christi initium sumant, Jos. Scaliger *in Canonibus Isago pag.*275. ubi observat, Æthiopes æram Martyrum dupliciter putare, aut ab annis expansis Diocletiani, aut à periodis Dionysianis: ab annis enim Diocletiani, abjectis omnibus 732. reliquos esse *annos Gratiæ*. V. eundem *de Emend. Tempor.* Primùm verò *ab Incarnatione Christi*, annos numerare cœpit Paul. Diaconus A.C. 492. *à Nativitate Christi* Dionysius Exiguus A.C. 527. scribitque Ægidius Bucherius in *Chronol. Regum Francor sect.*1. supputationem annorum à Christo nato, in antiquis historiis ante A.C. 750. circiter vix usurpatam; sub Pipino R. demum ejusque filio Carolo M. paulatim in Gallia invaluisse &c. Idem annos Incarnationis computandi mos in Anglia obtinuit, saltem sub Guilielmo Notho; ut ex aliquot *Chartis* colligitur, in *Monastico* Angl. *Tom. I. pag.* 43. 53 &c. Deinceps verò vix ulla in Anglicis diplomatibus annorum nota reperitur, cùm Regia regni annos, cœtera nullos fere præferant. Apud Germanos perinde Nativitatem Christi annum aperuisse, docet Wippo de *Vita* Cunradi Salici. Veneticus item Verc. in *Apolog.* Henrici IV. &c. De aliis gentibus infrà.

Anni Imperii, in nummis Byzantinis, adscribi consuevere, Augustorum eorum, quorum erant, annotante Car. du Fresne, qui id usurpatum in æreis Justini Thracis, Justiniani, Justini Jun. Tiberii, Mauritii, Phocæ, Heraclii & aliquot aliorum, observavit: in aureis verò & argenteis nulli comparent. Scribuntur autem characteribus Romanis: unde errare ait Alemannum, qui in nummis Justini & aliorum, ϛ Græcorum ἐπίσημον, sex denotans, scribi putavit, cùm sit *V.* Barbarum seu, ut à Græco-Barbaris tum effingi solebat, quod ex similibus nummorum inscriptionibus cuivis colligere licet. Quidam verò etiam Indictionem præferunt, ut ille æreus Mauricii, in quo sub *I.* litera, vel columnâ crucigerâ, exaratum, *IND. II. &c. V.* Carolus du Fresne *Dissertat. de Infer. ævi Numismatibus.*

Feminæ illustres.

Annia Cornificia, soror natu minor Marci Antonini Philos. Jul. Capitolinus in *Vita* hujus.

Annia Faustina, consobrina & uxor ejusdem Imperatoris, *Galeria Faustina*, dicitur initio *Vitæ* Marci. De qua cùm multa dicerentur, ob nimiam libertatem & vivendi facilitatem, maritus ea cum animi dolore compressit, Jul. Capitolinus in *Antonino Pio*: Mater fuit duorum marium totidemque filiarum; occisa tandem in Achaja, jussu Commodi. Lampridius in *Commodo*.

Annibalianus, memoratur Vopisco in *Probo*, *Duces præclarissimos instituit. Nam ex ejus disciplina Carus, Diocletianus, Constantius, Asclepiodorus*, Annibalianus, *Leonides, Cecropius — & cæteri, quos Patres nostri mirati sunt, & de quibus nonnulli boni Principes extiterunt, instituti sunt*

Annicerii, Aristippææ Scholæ secta, animadvertentes insitam naturæ humanæ labem, Δεῖν, monuerunt, ἐθίζεσθαι, διὰ τὴν ἐκ πολλοῦ συντραφεῖσαν ἡμῖν φαύλην διάθεσιν, *Oportere in optimis quibusque assuefieri, propter inolitam & insitam nobis vitiosam affectionem*, apud Laertium *in Aristippo*.

Anninsula, locus Galliæ in Cenomanis veterrimo insignis Monasterio, cui à flumine, vel potiùs amniculo præterfluente nomen. Vulgo S. Carilefi Monasterium, *Saint Calés* appellatur, à Carilefo Arverno Presbytero & Monacho Maximi Mitracensis Abbatis discipulo, qui illud, regnante Childeberto maj. Chlodovei filio, consensu Innocentii Cenomanorum Episcopi extruxit, & quò Chilpericus R. Meroveum filium suum Presbyterum ordinatum misit, ut Sacerdotali regulâ erudiretur. Quibusdam Monasterium & locus Monasterii *Anisola* vocatur à fluvio, & olim *Casa Cajani* locus dictus esse fertur; vulgò nunc *Anille*, à nomine loci, nunc *Saint Calais*, ut dictum, à nomine Patroni, Hadr. Valesius *Not. Gall.*

Anniversarium, dies est annua, quâ defuncti alicujus memoria celebratur; Germ. *ein Jahrtag*, Angl. olim *a Yer-day*, item *a mind day*, Rem ab Anacleto primùm, dein à Felice Pontificibus Rom. editam ferunt; qui, Martyrum dignitati consulentes, in eorum memoriam annua sacra instituisse perhibentur. Posteriores autem, sua sibi plerumque *Anniversaria* curabant perficienda: facultates proin & prædia Ecclesiæ elargiebantur, ut pro animabus preces annuè funderentur & pecuniæ cibariaque inter pauperes distribuerentur; Quorum formulas perplures habes Alamannicarum Antiquit. *Tom.*2. *part.*2. *sub tit. Alamannicæ Ecclesiæ anniversarii*: ubi statim in exordio, *Notpertus Abbas piissimus primus inter Abbates* anniversarium *suum observari ordinavit, largitis aliquibus bonis in usum fratribus, in sancto die Paschæ ministrandis. Is etiam de suo instituit* anniversarium *S. Wiboradæ Martyris & Virginis Christi. Postea autem à diebus domini Abbatis Manegoldi*, anniversarii *cœpi sunt in Alamannia ab omnibus utriusque sexus celebrari, circa* A.C. 1262. Quod hodieque obtinet in Ecclesia Rom. Dicitur & *Anniversitas*, &c.

Viri illustres.

Annius Cornicula, adulator Gallieni Imper. de quo Trebell. Pollio in *Gallienis, Ubi de Valeriano patre comperit* (Imperator) *quòd captus esset — dixit ille, sciebam patrem meum esse mortalem. Nec defuit* Annius Cornicula, *qui eum quasi constantem Principem falsò suâ voce laudaret, pejor tamen, qui credidit.* Ubi postrema verba omnia absunt à regio, in quo locus ita conceptus, *Qui eum quasi constantem Principem diceret.* Casaubonus *Not ad l.*

Annius Fuscus, pater Pescennii Nigri Imper. maternus Lampridiæ, fil. curatoris Aquini. Spart.

Annius Libo, Cos. Rom. patruus M. Antonini Philosophi, apud Capitolinum in *Vita* hujus.

Annius Marcus, inter Oratores Græcos, quibus idem Imperator Magistris usus est, apud Eund. Mentio ejus apud Philostratum quoque in *Vitis* Sophistarum, nec enim alius hic Marcus est. Nam & illis temporibus vixit, quibus potuit esse Marci Magister in Rhetoricis, & illâ ætate fuit magno in pretio: Ἠρίσθη αὐτῷ, verba sunt Philostrati, ὁ Ἀδριανὸς ὁ Ἀντιοχεὺς, προσελθόντι ὑπὲρ Βυζαντίων, ἐπιστρεφομένῳ τῆς πόλεως βασιλικὴν γνώμην ἀνιέντος [illegible]. Nec obstat, quòd *Annius Marcus* apud Capitolinum dicitur, Philostrato tantùm *Marcus*: namque & Caninium Celerem & Ti. Atticum Herodem itidem Capitolino memoratos, non nisi *Celerem Herodemque* vocat idem Philostratus. Salmasius *ad Capitolin.*

Annius Severus, socer Gordiani Imp. cui hic *tantum detulit, ut in familiam ejus quasi filium migrasse se crederet, ut nunquam cum eo laverit, nunquam illo præsente sederit, ante Præturam. Cos. cùm esset, aut in domo ejus semper mansit, aut si in Pompejana domo, ad illum vel manè vel serò processit.* Jul. Capitolinus in *Gordianis*.

Annius Verissimus, post Patris Annii Veri excessum, ab Hadriano Imp. vocatus est M. Antoninus Philos. cum antea patri esset cognominis: πρὸς τὴν τοῦ Ῥωμαϊκοῦ ῥήματος ἔννοιαν, *ad vocis Romanæ sensum*, inquit Dio, h.e. quòd esset veritatis amantissimus ac tenacissimus. Proin *Verissimum* eum vocant Justinus, Eusebius, Georgius Mon. & Lampridius quoque. Post virilem autem togam, ad nomen quod initio habuerat, rediit. Idem Capitolinus in *Marco*.

Annius Verus, nomen proavi, avi & patris Marci Antonini Philos. qui primò Catilii Severi, materni proavi, nomen habuit; inde Annius Verissimus, ut modò vidimus, dictus est: tandem, ab avo paterno adoptatus & educatus, *Annius* itidem *Verus*, appellari cœpit. V. Capitolinum *ubi suprà*.

Ann

Anni Domini, in supputatione annorum, quando uti Christiani cœperint, V. infrà, ubi de *Incarnatione* & *Nativitate* J.C. ut & suprà aliquid, in *Anni Gratiæ*.

Annona, apud Romanos Dea τῆς εὐθηνίας καὶ ἐτησίας, *fertilitatis & ubertatis annuorum redituum*. Unde vetus *Inscr.* DIVÆ ANNONÆ, apud Salmasium *ad Solinum pag.* 250. Idem de Pomona factum; quæ *pomorum proventus*, sicut Annona *unius anni fœtus*, propriè fuit, quod de omnibus fructibus, sed inprimis de frugibus dictum, Græcis ὁ ἐτήσιος καρπός. Ad hujus Deæ sacra pertinet, quod legitur apud Appulejum *lib.* 11. *Indidem de sublimi suggestu — renunciat sermone rituque Græciensi ita, λαοῖς ἐτησία*, uti restituit locum Salmasius; quâ voce feliciter ut cunctis eveniret, significatum. Unde gaudio delibuti populares, verbenas & corollas ferentes & exosculatis Deæ vestigiis discesserunt. Salmasius *ad Solinum pag. cit.*

Annona, ab *Annonis*, in eo differt, quòd *annonæ* sint panes, *annonâ* verò etiam aliæ species cellariæ continebantur. Unde legimus apud Lampridium in *Severo*. *Aulicum ministerium in id contraxit, ut essent tot homines in officiis singulis, quot necessitas postularet: ita ut annonas, non dignitatem, acciperent fullones & vestitores, & Pictores, & Pincernæ, omnes Castrenses Ministri, quemadmodum pestis illa instituerat, sed annonas singulas vix binas.* Ad quæ verba, *Annona*, inquit Salmasius, numero singulo cùm dicitur, frumentum significat & vinum & oleum & carnem & capitum & alias ejuscemodi cellarienses species, *V. tit. Cod. Theod. de erogat. militar. annonæ. Annonæ* verò multitudinis numero enunciatæ, panes tantùm significant: & hoc sensu accipiendæ sunt, ubi *annonæ singulæ, binæ* aut *ternæ* dari dicuntur, tot enim panes accipi debent. Apud eundem Lampridium infrà, *Medicus sub eo unus Palatinus salarium accepit; cæteri qui usque ad sex fuerunt*, annonas *binas aut ternas accipiebant, ita ut mundas singulas consequerentur, alias aliter.* Ubi mundas *annonas* non nisi de panibus interpretari possumus. Nec enim de larido aut capito animalium dixeris *mundas annonas*; cùm tamen laridum & capitum, etiam *annonæ* nomine comprehenderentur: sed non *annonarum*, quibus propriè panes denotabantur, ut vidimus. Hinc *titulus Codicis Theodos. de excoctione & translatione annonarum*, solius panis vel buccellarii excoctionem intelligit, ut ex *l.* 1. & 2. ejusdem tituli videre est. Et in *Synopsi Basilicωv* Μηδενὶ παρεχέσθω ἀντὶ τῶν ἀννωνῶν μηδὲ τῷ θείῳ οἴκῳ παρεχέσθω, *Nulli ne divinæ quidem domui frumentum pro* annonis *præbeatur*. ἀντὶ τῶν ἀννωνῶν, id est, *loco panium*, &c. V. infrà, in voce *Annonæ civicæ*. Quanta autem *Annonæ* olim cura habita fuerit apud Romanos, tum in Urbe & provinciis, diximus suprà, ubi de *Alimentorum cura*; tum in castris & exercitu, dicemus infrà, in voce *Annona militaris*. Addam hic saltem locum insignem, qui occurrit apud Livium *lib.* 2. *cap.* 9. ubi de Porsena Urbi Romæ minitante: *Multa igitur blandimenta plebi per id tempus ab Senatu data. Annonæ inprimis habita cura & ad frumentum comparandum missi, alii in Volscos, alii Cumas. Salis quoque vendendi arbitrium, quia impenso pretio venibat in publicum omni sumtu, ademptum privatis. Portoriis quoque & tributo plebe liberata, ut divites conferrent, qui oneri ferendo essent.* Ubi quod de *sale* inter alia dicitur, sic intelligit Turnebus, ut dicat datum plebi salem de publico, onere & sumtu illo in Rempublicam recepto. Sed præter durum loquendi genus, insolentissima foret hæc largitio, in tanta egestate Reipublicæ. Manutius *impenso pretio* exponit, *non soluto*. At id prohibent exempla tot alia, voluntque intelligi, pretio vel maximo, aut quantumvis magno. *Vel* eo sensu, quo aliàs *etiam* aut *& id quidem*. Si nihil aliud, introductio, de qua sequitur, dotatæ Aquilliæ hunc sensum affirmat. Nannius porro, *venibat in publicum, sine omni sumptu ademptum privatis.* Quod sit, venditum fuisse publicè, detractis oneribus itinerum ac vectigalium, ut præter pretium salis nihil sit solutum. Sed ne hoc quidem ex illis verbis potest confici. *Venire in publicum* dicitur, quod emitur pecuniâ ærarii: Ut contrà apud eundem Livium *lib.* 40. *Forum Piscatorium, circumdatum tabernis, quas vendidit in privatum.* Non potest autem esse causa, cur privatis adimeretur illud commercium, quod magno pretio à Republica compararetur. Cur enim Respublica compararet? Dein, plebi consultum est hoc instituto: plebs igitur gravata erat antea, non Ærarium. Sed & postrema verba nihil habent sani. Itaque Gronovius sic censet: Salinas Ostiâ deductâ instituerat olim Ancus. Eæ, ut solent publica, haud dubiè locabantur redemptoribus exercendæ. Qui cùm magno conducerent, atque ideò *Annonam salis* excandefacerent, Patres plebis demerendæ causâ tum non locaverunt salinas privatis vectigal pro eo pensuris, sed mandaverunt operis publicis, quæ in publicum colligerent omne sal, constitueruntque Institores, qui salubriori pretio plebi divenderent. Suetonius *Caligulâ cap.* 40. *Vectigalia nova atque inaudita, primùm per Publicanos; dein, quia lucrum exuberabat, per Centuriones Tribunosque Prætorianos exercuit.* Nempe quod hic fecit avaritiâ & invidiâ in redemtores, id illi indulgentiâ in plebem. Unde verba Livii his verbis ei videntur concepta: *Salis quoque vendendi arbitrium, quia impenso pretio venibat, in publicum omne sumtum, ademtum privatis.* Hoc est, non ad hastam locaverunt sociis, sed ad se receptum Patres Actoribus publicis mandaverunt. *Sumere* enim *in publicum*, ut *redigere in publicum*, *referre in publicum*: qualia passim frequentat Cato *in Oppium*, V. quoque Varronem *de L.L. lib.* 4. Livium iterum *lib.* 26. 42. & 44. In iisdem verbis aliud levamenti genus latiùs patens, *Portoriis quoque & tributo plebe liberata* &c. Qua de re V. plura apud Joh. Fridericum Gronovium *Not. ad Livium d. l.* Sub Impp. *Annonam vastabant*, seu *incendebant*, aut *excandefaciebant*, ut Lampridius in *Commodo* & Varro loquuntur, qui Remp. gerebant, vel avaritiâ moti; vel ut Principibus invidiam conflarent, quemadmodum sub Commodo Cleander, sicut referunt Dio & Herodianus, astu improbo id egit, ut conflata ex ea re invidiâ Commodum opprimeret: quem tamen hæc molientem Papyrius Dionysius *Annonæ* Præfectus astu pari, verùm fine diverso, vexans & ipse annonam perdidit. Nec idoneum verò semper caritatis remedium *vilitas proposita*, ut de Commodo Lampridius refert: Unde Ammianus Marcellinus *lib.* 22. in elog. Juliani: *Inter præcipua tamen & seria illud agere superfluum videbatur, quòd nulla probabili ratione suscepto popularitatis amore, vilitati studebat rerum venalium: quæ nonnunquam secus, quàm convenit ordinata, inopiam gignere solet & famem.* Prudentissimè igitur Alexander Severus, de quo Lampridius: *Cùm vilitatem*, ait, *P. R. ab eo peteret, interrogavit per Curionem, quam speciem caram putarent: illi continuò exclamaverunt, carnem bubulam atque porcinam. Tunc ille non quidem vilitatem proposuit; sed jussit ne quis suminatam occideret* &c. Adhuc meliùs verò Pertinax, *cujus exemplo, cùm ille parciùs se ageret: ex omnium continentia vilitas nata est*, apud Capitolinum, V. Casaubonum & Salmasium *ad h. l.* ut & infrà, in voce *Annonarius*.

Annona Militaris, quàm solicitè curata olim, indicat Lampridius *in Alexandro Severo*, cum de Imperatore hoc, *Annonam*, inquit, *militum diligenter inspexit.* Pro quo verbo *respexit* habemus, quod proprium huic rei, apud Vulcatium Gallicanum in *Avidio Cassio*. *Annona militaris omnis parata est, neque quidquam deest sub bono Duce — arma militum septimâ die semper respexit, vestimenta etiam & calceamenta & ocreas: delicias omnes de castris submovit* &c. Quas species contineret, potissimùm ex Capitolino in *Gordiano Jun.* discimus: *Cujus viri tanta in Rep. dispositio fuit, ut nulla esset unquam civitas limitanea potior, quæ non posset Exercitum Rom. ac Principem ferre, quæ totius anni in aceto, frumento, & larido atque hordeo & paleis condita non haberet.* Servabantur illæ, in urbibus munitissimis, quæ fere capita suarum provinciarum erant, uti refert Marcellinus de Palæis Isauriæ, Procopius de Daris & Nisibi, ubi ἐν πραιτωρίῳ, i. *in Prætorio*, illas conditas narrat: quemadmodum constituit Leo Imp. *l. ult. C. de Offic. Rectoris prov.* In limitaneis inprimis civitatibus, quæ prout magnæ, aut parvæ essent, plurium aut paucorum mensium habebant condita: longè enim major pars militum in limitibus constituta erat; unde tam frequens mentio in *Cod.* Theodos. *primipilariorum ad pascendos milites ad limitem solenniter destinatorum.* Ex limitibus verò vel limitaneis urbibus ad castra deferebantur species hæ, per viciniores limitis provinciales, militesque in limitaneis castris constituti, duas alimoniarum partes ibidem sumebant, tertiam ipsi vehere cogebantur, *l. Julian. Cod. Theodos. de erogat. mil. ann.* &c. Cùm autem per provincias, iter faciebat Imperator, totius *Annonæ militaris* ratio coràm illi exponebatur, atque etiam δείγματα oculis subjiciebantur; quæ posterior ætas *probam* appellavit. Morem aperit Ammianus Marcellinus *lib.* 21. *Joviniano vehiculo insidenti, quod portabat reliquias Constantii ut Principibus solet, annonæ militaris offerebantur indicia & (ut ipsi nominant) proba & animalia publica monstrabantur* &c. V. Casaubonum & Salmasium *ad Spartianum in Hadriano*, ubi illum, etiam in castris, ubi prætenturæ Militum limitaneorum, species annonarias asservari solitas, contendentem, hic refellit, ut & infrà in voce *Condita*, item in *Horreum*. Sed & apud Wisigothos, per singulas civitates atque castella Officiales erant seu Magistratus, *Annonarii* dicti, qui militibus *annonam* sine fraude exhiberent, uti docent *LL. Wisigoth. lib.* 9. *tit.* 2. §. 6. &c. V. infrà.

Annonæ Præfectus, Romæ extraordinarius fuit Magistratus, ab Ædili Cereali, qui ordinarius erat, distinctus. Fuit ejus munus, videre ne plebs annonæ caritate ac inopia laboraret, verùm ut panis suppeteret affatim, pondereque justo ac mundities debitâ veniret. Itaque, si quid ad annonam pertinens, commissum erat, cognoscebat. Mentio ejus fit à Livio *lib.* 4. *& alibi.* Gessit hunc Magistratum Cn. Pompejus M. eo anno, quo Cicero revocatus est ab exilio, ut constat ejus ex *Orat. pro Domo.* Fuit autem primò in urbem annona illata, ex Sicilia & Sardinia, quæ proin *Horrea pop. Rom.* dici amarunt. Auctâ postea Rep. prolatove sub Consulibus Imperio, ex Africa, domita jam Carthagine: sub primis Impp. ex Ægypto, denique declivi jam Principatu, aut potius diviso, è Gallia frumenta in urbem, ad Populi annonam, convehebantur. D. Ausonius in *urbib. de Burdegala:*

— *Toto tibi navigat orbe cataplus.*

Inprimis verò Alexandrinæ frumentationes nobiles fuere, etiam apud Græcos, ut patet ex Athenæo *Dipnosophist.* II. cumque reliqua navigia, quæ ex Africa sub Augusto in Italiam commeabant, Capreas ins. transitura, velo solo contentæ essent, Alexandrinis etiam

iam suppara addere fuit permissum. Sed & ex Hispania fruges petitæ, Claudianus *in Europ. lib.1.*

Teutonicus vomer, Pyrenæique juvenci
Sudavere mihi, segetes mirantur Iberas
Horrea, nec Libyæ senserunt damna rebellis,
Jam transalpina contenti messe Quirites.

Ex his igitur provinciis advecta annona navibus onerariis, dein imponebatur caudicariis navibus, ut per Tiberim in urbem inferretur. Hinc Cappella *de Nupt. Merc. Philolog. ad ostia*, inquit, *Tiberina naves onerariæ appellunt*: dicebanturque qui istiusmodi navigiis præerant, *Codicarii*, sive *Caudicarii*, ut ex inscr. lap. ant. patet: *Mensores Portuenses, quibus vetus fuit cum Caudicariis diuturnumque certamen.* Advectam jam Mensores hi in publica horrea inferebant: quæ vel *pensilia* erant, in editiori villæ parte, vel *subterranea*; quorum illa Vitruvius *sublimia*, hæc Plinius *defossa* vocat: quibus & *ex tabulis ligneis mobilia* fuisse, addendum ex Scævola JC. *l.60. ff. de acquir. rer. dom.* Itaque, nisi ex horreis publicis distribueretur frumentum, esuriebat civitas. Unde crudele illud Caligulæ factum, cùm nonnunquam *horreis præclusis famem populo indixit*, Sueton. *in eo.* Inde annona efferebatur & populo dividebatur, vel per Præfectum frumenti dividendi, qui dicebatur *annonam dividere & dare*, & præterea *regere*, vel per Ædiles. Neque v. semper annona frumentum erat, sed interdum arctiore in penuria panis dividebatur. Quòd si annona defecisset, ut nec in horreis publicis frumentum, nec gradibus panis suppeteret, sæpe oriebantur seditiones, & ab indignante famelicaque plebe, petebantur lapidibus ii, quibus id negotii incumbebat. Lucanus *Pharsal. lib.3.*

— — Irarum causas & summa favoris
Annonæ momenta trahi; namque asserit urbes
Sola fames, emiturque metus, cùm segne potentes
Vulgus alunt.

Victor *in Antonino Pio sub fin. Cùm ob inopia frumentariæ suspicionem lapidibus peteretur.* Ideoque cùm arctissima fuit annona, ut loquitur *in Galba cap.7.* lenitate suâ Imperatores subvenire solebant & commeatuum in urbem subvehendorum curam alicui permittere, Symmachus *lib.10 Epist.31* quod tunc gratuitum & sine pretio, imò interdum & sine mensura hi conferebant, ad aucupandum popularis gratiæ favorem. Quemadmodum autem pecunia ad stateram pendi, non numerari, consueverat olim, ita frumentum plebi dividendum, tessera frumentaria data, non mensurâ, sed pondere primitus erogabatur. Hinc in legg. Xviral. *Vindic farris libra in singulos dies datur.* & Horatius *lib.1. Sat.5.*

— — — Cui satis una
Farris libra foret. &c.

Plura suprà, & apud Thom. Dempsterum *Antiqq. Rom. lib.7. c.38.*

Annonæ Ærariæ, quæ adæratæ in pretiis exhibebantur, *l.15. C. de erog. milit. annonæ.*

Annonæ Civicæ, item *Annonæ Publicæ*, dicti sunt *tit. Cod. de Annonis civ.* panes, qui plebi CP. olim Imperatoriâ liberalitate quotidie distribuebantur. *l.8. eod. tit. Annonas civicas in Urbe CP. scholæ scutariorum & scutariorum clibanariorum divi Constantini adseruntur liberalitate meruisse.* Græci [illegible] dixere. Latini insuper *buccellas*, ut testatur *l. Valentiniani Cod. Theodos. de annonis civ. & pan. grad. Civis Romanus, qui in viginti panibus sordidis — quinquaginta uncias comparabat, triginta & sex uncias in buccellis sex mundis sine pretio consequatur.* Ubi *buccellæ mundæ*, sunt [illegible], Spartiano *Annona munda* &c. Nempe olim frumentum populo dabatur, unde sub Impp. qui Aurelianum antecesserunt, crebra tesserarum frumentariarum mentio: Aurelianus primus *annonam* Populo in pane cocto divisit, quemadmodum idem porcinam quoque primus populo distribuit. Zosimus, [illegible] *Ad hæc & panum munere Romanum honoravit populum.* Bilibres primùm fuisse hos panes, ex Vopisco discimus, & quidem in modum coronæ seu circuli formatos; accessit dein sub eodem Aureliano aliisque Principibus incrementum, ita ut sub Theodosio sex panes quotidie darentur singulis popularibus, quorum quisque sex uncias pendebat; cùm 25. tantùm unciæ in uno pane sub Aureliano præberentur, V. *l.d.* Hi *gradiles* dicti, quod in iisdem gradibus, quibus olim congiaria Populo dabantur, æra dividebantur & missilia omne genus, tesseræ item mittebantur, erogaretur, in Amphitheatri nempe gradibus sive Theatri, de quibus dicemus latiùs, infrà in *Gradiles Panes.* Interim, cùm ex Constantini instituto, Annonæ civicæ Populo in Urbe CP non minùs, ac Romæ, erogari cœpissent, erogatio ea non in Circo aut Amphitheatri gradibus, sed in Foro fieri solita est. Sed & ibi Populus per gradus distinctus & per turmas divisus, cùm in suo quisque loco ac gradu adstaret, panes illos civiles, qui de publico dabantur, accipiebat. Sicut autem olim quibus frumentum dabatur, tesseræ mittebantur, sic postquam panes frumenti vice dari cœperunt, tesseræ etiam datæ sunt, ligneæ viz. [illegible] Polybio, [illegible] Codino, [illegible] *Chron.* Alexandr. &c. V. infrà in *Tessera panaria*: quarum loco jussere Impp. Valentinianus & Valens, ut titulus æneus in gradibus figeretur, in quem & panis modus ac nomen percipientis incidi debebat, V. *l.5. C. Theod. de annon. civ. & pane grad.* Tesseris itaque acceptis ad Forum ibant populares & ibi iisdem ostensis, panem quisque suum accipiebant: hinc [illegible] apud Themistium dicti. Cum his accedebant ad [illegible], seu septa, de lignis constructa, in medio CP. Foro, quod [illegible] vel [illegible] vel [illegible] vocabant, in quibus gradus illi, de quibus dictum; ubi locum suum quisque obtinebat a præfecto Urbis sibi adsignatum. Corippus *de Consulatu Justini Jun. lib.4.*

Jam vicina dies spectandi Consulis omnes
Urgebat turmas arcus statione replere,
Et loca, quæ populis Præfectus deputat Urbis.

Sic stanti in suis arcubus & septis, ac per gradus & ordines divisæ plebi, ab illis ipsis gradibus dividebantur *Annonæ* quotidiè; idque gratis, sicut & vinum & oleum, & porcina, usque ad principatum Heraclii: cujus Imperii anno 8. civibus CP. tributum seu capitatio, panum Civicorum nomine, imposita est, ut pro singulis sc. panibus, quos de publico percipiebant, tres nummulos dependerent. Quod tributum cùm solvissent, eodem illo ipso anno, mense Augusto, ejusmodi omnis *Annonarum civic.* distributio omnino sublata est &c. Non omittendum autem, emolumenta illa civica nemini deputavisse Constantinum, nisi qui domos in urbe haberent, hinc [illegible] seu *possessores* dicti, qui jus hoc panum, propterea [illegible] etiam dictorum, ad posteros suos, ut & venditis domibus, ad emptores transferebant &c. V. Salmasium *Not. ad Vopiscum in Aurelian.* ut & infrà passim, inprimis ubi de *Pane.*

Annonaria Regio, apud Treb. Pollionem *in Tetrico Sen. Eum — Correctorem totius Italiæ fecit, id est, Campaniæ, Samnii, Lucaniæ — omnisque* annonariæ *regionis*: dicta est omnis Italia, ab *annonaria* functione, quam ad exercitum comitatumque Imperatoris alendum, qui semper, aut maxima parte aderat, conferre consueverat. Quam solam olim præstationem cùm agnosceret, postea etiam tributo onerata est. Aur. Victor *in Maximiano Herculio: Parti Italiæ invectum tributorum ingens malum: nam cùm omnis eadem functione moderatèque ageret, quò exercitus atque Imperator — ali possent, pensionis inducta lex nova, quæ sanè illorum temporum modestia tolerabilis in perniciem processit.* Ubi per *functionem*, intellige *annonariam*, per *pensionem*, tributum. Sic in *l.4. Cod. Theod.* pensionem glebalem ab annonaria functione distinguit. Hanc autem functionem etiam urbicaria regio conferebat, ut constat ex *l.14. Cod. Theod. tit. d. Quod de* annonariis *functionibus per urbicarias regiones clementia nostra concessit, etiam in largitionalibus titulis — custodiri mandamus. Et l.3. tit. tributa in ipsis speciebus inferri: Quod peræquè in omni vino, quod ex Urbicaria regione confertur, observandum esse censemus.* Hoc igitur differebant regiones *annonariæ* & urbicariæ, quòd urbicariæ utique & *annonariæ* fuerint, id est, *annonariam functionem* præstiterint: at non omnes *annonariæ* urbicariæ etiam sint appellatæ. Nam omnes Italiæ regiones sic dicebantur propriè, vel quod olim solæ hujusmodi functioni essent obnoxiæ, exemptis urbicariis: vel ut ab urbicariis, i. urbi vicinis ac circumjacentibus, distinguerentur hoc appellationis discerniculo, cùm utræque tamen idem præstationis onus munusque subirent. Hinc, quia ex XVII. Italiæ provinciis nulla tota aut integra intra centesimum ab Urbe milliar. (quo spatio territorium Urbis finiebatur) fuisse reperitur inclusa, sed pars Piceni tantùm ab uno latere & pars Tusciæ ab altero: factum, ut pars illa Tusciæ, quæ urbi propinqua & infra terminos urbicæ jurisdictionis conclusa, *Tuscia urbicaria*, seu *suburbicaria* diceretur, altera verò pars, Italiæ accenseretur & *annonariæ Tusciæ* nomine veniret. Idem de Piceno dicendum. Quam rationem omnino esse putat Salmasius, quare nullæ aliæ ex Italiæ regionibus, præter duas has, apud auctores nominatim dictæ inveniantur *Annonariæ*, aut *Suburbicariæ*. Reliquæ enim, quamvis nulla non *annonaria* esset, istiusmodi adjectione opus non habebant, cùm nulla pars eorum urbicaria esset. Illud verò animadversione dignum, ita semper distinctas & disjunctas fuisse provincias urbicarias ab annonariis, ut satis constet, duas Tuscias, urbicariam & annonariam, quamvis adeò vicinas, ut una magis, quàm duæ provinciæ, censeri possent, nunquam ab uno eodemque Judice administratas esse, cùm tamen *Tuscia annonaria* non sola per se administraretur, sed cum Umbria juncta unum Rectorem acciperet. Quemadmodum *Picenum* quoque *annonarium* nunquam eundem Consularem cum urbicario habuit, sed Flaminiæ junctum ab uno eodemque Præside regebatur, &c. Cùm itaque Trebellius *Tetricum totius Italiæ Correctorem* factum esse dicit, *Italiæ* nomine non Urbs & urbicariæ regiones, sed *annonariæ regiones*, quæ cum Italia incedunt, & Urbi ac Urbicariis contradistinguuntur, sunt intelligendæ. Qui enim totius Italiæ Corrector erat, idem omnis *annonariæ regionis* etiam fuisse Corrector censendus est: uti, qui Urbi præfectus fuit, idem & Urbicarias regiones sub se habuit. Sic Rationalis rei privatæ per urbem Romam, fuit & per urbicarias regiones: alius verò erat Rationalis rei priv. per Italiam, h.e. per *annonariam Regionem* &c. V. Salmasium *Not. ad Trebellium.*

Annonarius, in *LL.* Wisigoth. dicitur *erogator & dispensator annonæ*, i. Officialis seu Magistratus, qui in singulis civitatibus aut castellis militibus *annonam* sine fraude exhiberi curabat. V. *Septd.* In Monasteriis quoque *Annonaria Præpositura* occurrit, cui qui præfectus erat Monachus, annonæ colligendæ & in Monachorum victum erogandæ, vel panis Monachis distribuendi, curam sustinebat: du Fresne *Glossar.*

Annonatores, dicti sunt, qui illarum specierum breves sun [illegible]

rationes conficiebant, Tabularii, in *leg 3. Cod. Theod. de Susceptor.* apud Eund.

Annotinum Pascha, quasi *Anniversarium Pascha*, Romanis dictum, *quia antiquitus apud illos, qui in priori Pascha baptizati erant, in sequenti anno eadem die convenere, suæque generationis anniversarium diem cum oblationibus solemniter celebrabant*, Micrologus *Ecclesiast. Observat. cap. 56.* Agebatur autem ratione Octavæ post Dominicam in Albis: Unde in nonnullis *Sacramentariis* MSS. reperitur post dictam Dominicam, specialiter Missa assignata, cujus tit. *Missa in Pascha annotinum.* Macer *Hierolex.*

Annuale, idem quod *Annale*, de quo suprà. Item, idem nonnunquam cum *Annata*, reditus nempe annuus Præbendæ Canonici defuncti. *Necrologium* S. Victoris Paris. de Ludovico VII. R. Fr. *Annualia quoque regalium Abbatiarum, aliaque multa nobis donavit*, precibus scil. Stephani de Garlanda Archiepisc. Paris. ut est in eodem *Necrolog.* alibi. *Charta* Roberti Abbatis ejusdem S. Victoris in *M. Pastorali Eccles. Paris. lib.* 20. *Ch.* 85. *Super eo, quòd dicti Religiosi dicebant, se percipere debere* annuale *in pane & vino, ubicunque decederent socii D. Episcopi Parisiens* &c. *Charta* Johannis D. Castrivillani An. Chr. 1.60. *Volo, quòd Prior de Marnissa — habeat* annalia *Canonicorum decedentium*, &c. apud Carolum du Fresne *Glossar.* Aliud *Annuitas*, pensio viz. annua, Angl. *Annuitie* Unde *Breve annuitatis*, quo creditor debitorem convenit, cùm pensionem annuam constitutæ pecuniæ percipere non potest, apud Littletonem *sect* 219. laudatum eidem

Annubo vel *Annubius* Poeta de quo V. Salmasium *ad Solin p.* 555.

Annularia Creta, V. infrà *Selinusia.*

Annulatim crispatæ comæ, indigitantur apud Julium Capitolinum in *Pertinace*, *Fuit autem senex venerabilis, immissâ barbâ, reflexo capillo*, &c Hic enim *reflexus capillus* idem est, quod flexus, i. e. οὖλος Gr. seu οὐλόθριξ, quem in *Albino*, *crispum & renodem* dixit. Flectere enim capillum est torquere & vibrare, unde *flexi ingenio suo capilli* Petronio, qui naturâ tales, non arte: Quintiliano, *in annulum ponere capillos*; flexi enim illi annulos & nodos quodammodo exprimunt Unde Arnulfus *de locis sacr. subannellatum* Christi *capillum* fuisse scribit, ubi *subannellatus* est οὖλος: cujusmodi capillum imagini olim Christi affingi consuevisse, apud Suidam legimus. Alii *gradibus capillum frangere* dicebant Quintilianus utrumque, gradus & annulos, conjungens, *lib* 12. *cap.* 10. *Sed me, ait, hactenus cedentem nemo insequatur ultra. Do tempori, ne crassa toga sit, non serica: ne intonsum caput, non in gradus atque annulos totum comptum*, &c. Vide infrà in voce *Gradus.* Aliter tamen *gradus* dicuntur in capillorum compositione, aliter *annuli.* Inflexio namque ipsa atque crispatio capillorum nexiles annulorum orbes imitabatur: Comæ tamen sic *annulatim* crispatæ, non etiam confusæ ac turbatæ & indiscriminatim temereque implexæ habebantur, sed per gradus quosdam positæ & ordine digestæ, ita ut unaquæque annulorum series stationem quasi suam servaret & gradatim alveolatimque alia super aliam scanderet. In quibus exprimendis Latini, *ordinem, stationem, gradus*, solent usurpare: Euripides ὅρμον dixit; Manilius *fluctus.* Nam illa crinium per annulos inflexio & per gradus digestio fluctuum modò extantium, modò subsidentium, & se invicem propellentium undulatos intortosque motus plane refert *lib.* 5.

Illis cura sui vultus frontisque decoræ
Semper erit: tortos in fluctum ponere crines,
Aut vinclis revocare comas, aut vertice denso
Fingere.

Ubi *tortos crines in fluctum ponere*, idem est, quod Quintiliano suprà *in annulos ponere*, & fallitur Vir Incomparabilis, qui aliter accipit Ovidius.

Sustineat similes fluctibus illa sinus.

Alibi namque *sinum* vocat, *annulum* illum & modum tortilem inflexi capilli:

Quàm se præbuerant ferro patienter & igni,
Ut fieret torto nexilis orbe sinus, &c.

Vide Salmasium *ad Capitolinum d. l.* & suprà passim, præcipuè ubi de *Capillis.*

Annuli, originis incertæ, fabulæ illorum vetustatem à rupe Caucasea repetunt & Promethei vincula eò detorquent. Trojanis certe temporibus usum *Annuli* fuisse ignoratum, Plinius affirmat, hac ratione ductus, quòd Homerus eorum nullam fecerit mentionem, cùm & *codicillos missitatos Epistolarum gratiâ* indicet, *Iliad.* ζ. & conditas arcis vestes, ac vasa aurea argenteaque & ea colligata nodi, *non* Annuli, *vinc.* *Odyss.* θ. Et quidem de Græcis hæc verè dicuntur. Nam hos, & præsertim Lacones, ante inventum annuli signatorii usum, lignis à vermibus exesis res quasvis signasse, legimus in Græcorum Commentariis: quæ signacula θριπήδεστα & θριπόβρωτα fuere nuncupata. Sed apud Hebræos & Ægyptios etiam, ante Iliaca tempora, *Annulos* fuisse usurpatos apparet, cùm ex facto Judæ, qui Thamari pignoris loco dedit annulum, Genes. *cap.* 38. *versu* 18 tum ex historia Josephi, qui à Pharaone Ægypti R. *Annulo signatorio* donatus legitur, Genes. *cap.* 41. & apud Josephum *Antiqq. Judaic. lib.* 2 *cap.* 3. Unde mirum, cur Plinius neget, Ægyptios annulis usos esse, *lib.* 33. *cap.* 1. quorum usus ab iis, ut multa alia, ad Græcos manavit, & inde ulteriùs ad vett. Italiæ populos. Nam Sabinos, etiam Romuli temporibus, *Annulos* gestasse, auctor est Dionysius Halicarnass. *lib.* 2. ubi de Tarpeja. A Sabinis transiit mos ad Romanos; nisi fortè hi ab Hetruscis acceperint, cùm inter alia Magistratuum insignia, quæ Tarquinius Priscus à Tuscis debellatis sumsit, etiam annulos ponat, *lib.* 1. *cap* 5. Tardè enim hanc consuetudinem Romanos amplexos, & ne Reges quidem omnes annulis fuisse delectatos constat. Hinc præter Numæ & Servii Tullii statuas, nullam aliam ex iis, quæ Regibus in Capitolio positæ erant, annulum habuisse, auctor est Plinius *loco citato.* Statuas verò annulis ornari solitas esse, Cicero quoque confirmat, cùm *ad Atticum libro* 6. *Epistolâ* 1. ex statua, amictu, *Annulo*, imagine, colligit ejusdem Scipionis statuam esse, & quæ ad Opis, & quæ ad Pollucis ædem posita esset. Fuere autem *Annuli* quidam è simplici metallo, alii è mixto: Nam vel inaurabant ferrum & argentum, vel aurum ferro cingebant, de quorum istis V. Artemidorum Ὀνειροκρ. *lib.* 2. *cap.* 5. de illis Plinium *lib.* 33. *cap.* 1 utriusque generis gestasse videtur Trimalcio, apud Petronium: quos *Samothracios* fuisse appellatos, indicat Plinius *ibid.* Sed & alii erant, quibus cùm circulus totus esset aureus, sigillum tamen gemmæ loco erat argenteum: & contrà, quibus circulus erat argenteus, sigillum verò aureum, cujusmodi videre est apud Gorlæum *Num.* 95. 96. 97. 98. Rursum alii erant solidi, alii cassi ac pervii, Artemidorus *libr.* 2. *cap.* 2. qualibus solis uti Flaminibus Dialibus fas erat, Festus *in Edera* & Aul. Gellius *libr.* 10 *cap.* 15. Item alii sine gemma, Græcis ἄσημοι, ἄλιθοι, ἄψηφοι dicti, Aristot. *Phys. libr.* 3. *cap.* 9. Jul. Pollux *lib.* 6. *cap.* 33. *tit.* 7. Artemidor. *lib.* 2. *cap.* 5. Alii gemmam habebant, eamque vel figurâ aliquâ insignem vel nullâ, Plinius *libro* 33. *capite* 1. Quid quòd duas quoque gemmas (fortè & plures) uni annulo insertas fuisse, videre est ex Epistola Valeriani Imperatoris, ubi *annuli bigemmi uncialis* fit mentio, apud Trebellium Pollionem *in Decio Claudio.* Nullum verò fuit lapidis pretiosi genus, modò aut scalpro aut cælo corrumpi posset, quod antiquis intactum sit relictum, solo adamante excepto: donec, quomodo & is vitiaretur, reperit haud pridem quidam Mediolanensis Jacob. Treccia, qui Philippi Hispaniæ R. gentilitia insignia adamanti summâ arte insculpsit. Interim, cùm omnes fere gemmæ ad usum sigillorum inciderentur aut cælarentur, tres tamen maximè omnium ad hos usus aptabantur, achates, onyx & sarda, eò quòd ceram non traherent pulcherrimeque ac sine labe effigiem exprimerent. Vitreas gemmas in annulis vulgus usurpabat, Plinius *lib.* 35. *cap.* 6. *Annulare*, (color annularis) *quod vocant, candidum est, quo muliebres picturæ illuminantur. Fit & ipsum ex creta admixtis vitreis gemmis, ex vulgi annulis.* Cæterum imagines, quæ gemmis incidebantur, aliæ erant cavæ, quæ scalpro fiebant: aliæ extuberantes prominentesque, quæ cælo, unde & gemmæ *Ectypæ* dictæ, Seneca *de Benefic. libr.* 4. *cap.* 6 Sed nec modus *Annulos* gestandi unus idemque apud Vett. fuit. Dextrâ quidem gestatos, evidenter ostendit Jerem. *c.* 22. *v.* 24. apud Romanos verò, ante usum gemmarum, cùm sculptura adhuc annuli materiæ imprimebatur, sive ex ferro foret, sive ex auro, *gestabatur, ut quisque vellet, quacunque manu, quolibet digito*, Macrob. *lib* 7. At, postquam gemmæ addi cœperunt, sinistra potissimùm manus huic gestamini destinata est: nisi quòd interdum homines supra modum molles & luxuriæ deditι, etiam dextram in subsidium vocabant, si fors sinistra ferendo oneri non esset, Lucian. *Navig.* De læva verò, præter Tertullianum *de Hab mul. cap. ult.* Plin. *l.* 33. *c.* 1. Silium Italicum *lib.* 11. ita Horatius *lib.* 2. *Sat.* 7.

—— —— *Sæpe notatus*
Cum tribus anellis, modò lævâ Priscus inani
Vixit inæqualis

De digitis, ita Plinius, ubi suprà: *Singulis primò digitis geri mos fuerat, qui sunt minimis proximi. Sic in Numæ & Servii Tullii statuis videmus. Postea pollici proximo induère, etiam Deorum simulachris. Dein juvit & minimo dare. Galliæ Britanniæque in medio dicuntur usæ. Hic nunc solus excipitur, cæteri omnes onerantur.* Similiter vett. Græcos annulum habuisse, in digito sinistræ manus, qui minimo est proximus, docet Aulus Gellius *lib.* 10. *cap* 10. Sed & pollice etiam interdum fuisse gestatos, non obscurè innuit Julius Capitolinus, qui Maximinum Cæs. ait fuisse *pollice ita vasto, ut uxoris dextrocherio uteretur pro annulo.* Usus annulorum non minùs multiplex, præcipuus tamen in *signando* fuit. Signabantur autem primò omnes *tabulæ*, quæ pacta conventaque continebant, Seneca *de Benefic. libro* 3. *capite* 15. Et quidem de tabulis Nuptialibus disertè id docet Suetonius *Claudio capite* 29. de Sponsionibus, Plut. *in Pompejo*: de Testamentis, Appianus Alexand. *libr* 1. Dein *Epistolæ* ac *Diplomata*: Unde Achabi R. Samariæ annulo, literas, quibus Nabothus occidi jubebatur, fuisse obsignatas, extat 3 Regum *cap.* 21. *versu* 8. De more Persarum, Vide Esther *cap.* 8. & Xenoph. *Hellen. lib.* 1. ad quem modum Alexander M. *literas, quas in Europam mitteret, veteris annuli gemmâ obsignabat, iis, quas in Asiam scriberet, Darii annulus imprimebatur*, Curtius *lib.* 6. Idem de Cæsaribus Rom. habes apud Justinum *lib.* 43. ubi, quemadmodum apud

vett. Persas, Trogi Pompeji Patrem *sub Cajo Cæs. militasse, Epistolarumque & Legationum simul & Annuli curam habuisse*, tradit: nempe à Cæsare ipsi commissam. Ita in Imper. postea Constantinopolitano Logothetæ: apud Francos, *Referendario* olim, nunc *Cancellario* dicto, custodia ac cura *Annuli* Regii; in Eccl. Græca, annuli Patriarchalis, Chartophylaci, commissa. Porro & aliæ res *Annulis* obsignatæ reperiuntur. De *Templo* obsignato, extat illustris historia, apud Danielem *cap.* 14. In Elide quoque obsignatam esse illam *domum*, in qua tres vacui lebetes Dionysio collocabantur, qui paulò pòst sigillo, quod integrum manserat, revulso, ab ingressis vino pleni reperti sint, tradit Aristotel. *de Miracul. aud.* Sic *fores* Gynæceorum sigillo & pessulo à maritis obfirmari, queritur mulier apud Aristophanem *Thesmophor.* Ad quem modum, *lapidem* illum, qui ponebatur super os lacus, in quem Daniel demissus & bestiis objectus erat, *Rex obsignavit annulo suo, & annulo optimatum suorum*, Daniel. *cap.* 6. *vers.* 17. Quemadmodum & lapis *sepulchri*, in quod Servator noster illatus fuit, à Pharisæis obsignatus est, Matth. *cap.* 26. *versu ult.* Præterea *supellectilem* atque adeò *penum* universam, ab attentis Patribusfamiliâs annulo obsignatam, testatur Plinius *libro* 33. *capite* 1. Plautina materfamiliâs *in Casina*:

Obsignate cellas, referte huc Annulum *ad me.*

Ita *salinum* cum sale. Plaut. *Persâ Actu* 2. *sc.* 2. vini *lagenam*, Martial. *lib.* 9. alia alii obsignata tradunt: Irrisusque ob hanc rem à Parthis suis fuit Venones, Phraatis filius, quòd diversus à Majorum institutis, Græcos haberet comites, & vilem etiam supellectilem annulo obsignaret, Tacitus *Annal. lib.* 2. Sed & *pecuniam* in sacculo, vel cista conditam, si fortè eam vel apud Nummularios, vel in æde sacra deponere volebant, *annulo* obsignavere Veteres, *l.* 1. *§. si pecun.* & *§. si cista sign.* cujus rei illustre exemplum extat apud Appulejum *Metam. lib.* 10. Nec silentio prætereundum, quòd Cn. Pompejus, cùm in Sicilia bellum gereret, audiretque milites flagitiosè vivere, illorum gladiis sigillum impressit, quod qui amovisset, ei pœna infligebatur, Plut. *in Pompejo.* De *votorum*, quæ tabellis inscripta Deorum genibus plerunque affigebant, obsignatione, Vide Jan. Rutgersium *Var. Lect. libr.* 5. *cap.* 5. &c. Signa quod attinet, seu imagines *Annulorum* sigillaritiorum, hæ initiò quidem insculpebantur cælabanturque in ipso metallo, ex quo annuli facti; augente verò luxuriâ, etiam in ipsis gemmis, Macrob. *libr.* 7. *cap.* 17. Etsi autem Claudii Cæs. Principatu nullas admittebant gemmas in annulis cælatas sculptasque, sed auro ipso signare tum moris erat, teste Plinio *lib.* 33. *cap.* 1. non tamen ille mos diu duravit, & paulo pòst tam in gemmis, quàm metallo, imagines fingi celarique jus fuit: dictique sunt qui vel gemmas auro includebant, vel signa gemmis & auro incidebant insculpebantque, Græcis Δακτυλιογλύφοι: In vet. Inscript. *Flaturarii, Sigilliarii.* Porro sculpturæ annulorum gentilitiæ olim ac familiares non erant, ut hodie, sed pro cujusque arbitrio fiebant. Et primitùs quidem, ex Numæ lege, *Deorum* imagines in Annulis sculpi nefas fuit, postea tamen mutato more, Romani cùm aliorum, tum Ægyptiorum Numinum iconas in annulo gestarunt. Plinius *lib.* 2. *cap.* 7. & *lib* 33. *cap.* 3. sic Veneris armatæ effigiem gestabat C. Jul. Cæsar, Dio *lib.* 43. Deæ cœlestis iconem, Asclepiades Philosophus, apud Marcellinum *lib.* 22. ut de aliis taceam. Macrianorum familia Alexandri M. imagine signabat, Trebellius Pollio *in Quieto*: Erasmus Termino, Viglius Zuichemus JC. Belga Pallade. Post Deos, solebant plerunque effigiem alicujus ex *Majoribus* in annulo gestare, qui tamen illis, si degenerarent, detrahebatur, quemadmodum de Africani filio docet Valerius Maximus *lib.* 3. *cap.* 5. Ita Publius Lentulus Sura, in signando, utebatur Avi sui imagine, apud Ciceronem *Catil.* 3. Alii *amicorum*, apud Ovidium *Trist. lib.* 1. *Eleg.* 6. Epicuri, familiares ejus, apud Cicer. *de Finibus lib.* 5. Commodus Amazoniæ (id est, concubinæ Martiæ, quam pictam in Amazone diligebat,) apud Capitolin. Nec amicorum tantùm ac Majorum, sed & *Regum* ac *Principum* imagines gestabantur. Sic Aristomenes Agathoclis imaginem gestavit in annulo, apud Polybium *libr.* 15. Callicrates Ulyssis, apud Athenæum *lib.* 6. Augustus Alexandri M. & ipsius Augusti, Successores ejus, apud Sueton. *cap.* 50. & Dionem *lib.* 51. qui tamen Galbam excipit, & sigillo à Majoribus accepto usum tradit: Chersonitæ Constantini M. apud Constantinum Porphyrogenn. *cap.* 53. Antiochenses, Meletii Episc. apud Chrysost. *Orat. de laudibus Meletii*, &c. Neque in auro solùm, sed & ferro, Imperatorum imagines sculpi consuevisse, discimus ex Nazianzeno *Orat. de Baptism.* Non autem Claudii Principatu fas fuit, imaginem Principis in annulo aureo gestare, nisi quibus admissionum Liberti illud jus dedissent, Plinius *lib.* 33. *cap.* 3. Sed & suâ ipsorum imagine insigniisse Vett. annulos, docet Plautus *Pseudolo Sc.* 1.

Eâ causâ miles hic reliquit symbolum,
Expressum in cera ex Annulo *suo imaginem.*

Præterea, *alia* quoque gemmis insculpta. *Sphinge* Augustus, inter initia, signavit apud Plinium *lib.* 33. *cap.* 1. Mæcenas *ranam* usurpavit, Ibid. *Leonem* ξιφηφόρον Pompejus M. teste Plutarcho: *Canem* ex prora prospectantem Galba, apud Dionem *lib.* 51. Viri apud Ægyptios bellicosi *scarabæum*, Plut. *de Iside*: Areus Lacedæmoniorum R. ad Oniam Pontif. Max. scribens, *Aquilam*, draconem unguibus tenentem, apud Joseph. *lib.* 12. *cap.* 5. Darius Pers. R. in sigillo sculptum habuit *equum*, cujus hinnitu Rex factus est, apud Schol. Thucydidis: Sporus *Proserpinæ raptum*, apud Suetonium *Neron. cap.* 46. Locri Hesperii *Hesperum* stellam, apud Strab. *lib.* 4. &c. Imò & rebus inanimatis interdum signabant: *Quadrigâ* Plinius Jun. *Epist.* 16. *lib.* 10. Polycrates *lyrâ*, apud Clem. *Pædagog. lib.* 3. Seleucus *ancorâ*, Ibid. Chariclea *literis hieroglyphicis*, apud Heliodor. *lib.* 8. Summa, quod cuique in mentem veniebat, hoc vel illo aposphragismate utebatur, plerunque tamen tali, quod sibi conveniret, vel ob eventum quempiam, vel artem, vel munus. Christiani verò vett. annulos suos insignire solebant duabus literis Christi nomen exprimentibus, per primos duntaxat characteres, literâ Græcâ P. scil. decussatâ & scissâ, per medium, ipso X. hoc modo; ☧, cujusmodi aliquot è ruderibus effossos se vidisse ait Cardin. Baronius, ad Annum Chr. 57. qui etiam notat, Sponsalitium Christianorum annulum *Fidei* signum insculptum habuisse, velut mutui fœderis ac concordiæ symbolum. Hactenus de *Annulorum* in signando usu: præterea verò etiam peculiare ornamentum & insigne fuere, quo status hominum olim & ordines Romæ distinguebantur. Et primis quidem ejus Reipub. temporibus, *aureum gestare* ne Senatori quidem jus erat, nisi qui Legatus ad exteras gentes iturus esset: & quidem hi ipsi legatione defuncti, annulo aureo, quem publicè acceperant, in publico tantùm utebantur; intra domos verò ferreis, Plinius *lib.* 33. *cap.* 1. quam simplicitatem priscam retinuisse quoque triumphantes, idem *ibid.* tradit. Postea Senatoribus promiscuè, mox & Equitibus, jus aureorum annulorum fuit: quibus tamen *non licebat iis uti, nisi à Prætoribus donati fuissent.* Acro *ad Horatium Satyr.* 7. *libr.* 2. fitque prima mentio annulorum aureorum, quibus quidem Romani usi sint, apud Livium *libro* 9. anno ab Urb. Cond. 432. Ab illo tempore *Annulus aureus* peculiare Equitum fuit ornamentum, quo à Plebe distinguebantur, Plinius *lib.* 33. *cap.* 2. Dio *lib.* 48. Plut. *in Mario.* Alii: nec domi solùm sed & militiæ, donec gregariis etiam militibus id à Severo concessum, Herodian. *libro* 3. Plebs *argenteis* usa videtur, Plinius *libro cit. cap.* 12. inter servos *ferrum* hæsit: quibus tamen annulus hic ad usum potiùs, quàm ornatum fuit, Appulej. *libr.* 10. Interim etiam è plebe aliqui *aureis* subinde a Magistratu donabantur, Cicero *Verrin.* 3. quo honore Syllà Roscium Comœdum affecit, teste Macrobio, *Saturn. lib.* 2. *cap.* 10. Balbus Quæstor Herennium Gallum histrionem, apud Cicer. *lib.* 10. *Epist.* 31. Idque juris solis Ingenuis, ante Augusti tempora, indultum: hic verò primus eodem honore ornasse legitur Menam & Ant. Musam libertos, Dio *lib.* 48. *&* 53. donec, cùm increbresceret hic usus, & cum vilibus etiam personis communicaretur, à Tiberio constitutum, anno Urb. Cond. 775. *Ne cui jus esset id, nisi cui ingenuo ipsi, Patri Avoque paterno sestertia cccc. census fuisset, & lege Juliâ theatrali in XIV. ordinibus sedendi.* Verùm nec hæc diu constitutio duravit, nam statim, sub Claudio, Senatus Pallanti ejus Liberto, inter alia, *usum aureorum annulorum* decrevit, Plin. *libr.* 8. *Epist* 6. quod & de Icello Galbæ, tradit Tacitus *Histor. libr.* 1. & Suetonius *in eo cap.* 14. ut de Asiatico Vitellii liberto, de servo Verginii Capitonis, de Hetrusco servo Domitiani, aliis, nil addam. Constitutione tandem Justiniani *Nov.* 78. omnibus, etiam Libertinis aurei annuli concessi sunt. &c. Luxum *Annulorum* quod spectat, olim quidem vitio dabatur Viro, plures annulos, quàm unum digitis gestare, Isidor. *lib. penult. cap.* 32. postea verò omnibus digitis gestati sunt. Martialis *libr.* 5 *Epigramm.* 63.

Per cujus digitos, currit levis annulus omnes.

Imò verò uno digito plures. Idem de Charino *libro* 11. *Epigramm.* 60.

Senos Charinus omnibus digitis gerit,
Nec nocte ponit annulos.

Quid quòd etiam in singulis articulis & quidem in uno plures ferebant, teste eodem, *libr.* 5. *Epigramm.* 11. Quæ mollitiei species increpita, à Seneca *Natur. Quæstion. lib.* 7. *cap.* 31. Quintil. *Orat. lib.* 11. *cap. ult.* Clem. Alexandr. *Pædagog. libr.* 3. *cap.* 11. Aristoph. *Nubibus*, &c. Sed & in varietate luxus fuit: Quosdam enim hyeme sola, alios æstate gerebant, hinc *Semestres* dictos Juvenali *Sat.* 7. & quidem æstivi fuisse videntur Heliotropii, Asteritæ, Mithidacæ & Irides, quarum visae delectatio quædam peculiaris est, cùm Soli opponuntur. Reperiuntur & quidam annuli solo die Natali gestari soliti, Pers. *Sat.* 1. tantaque quorundam vesania fuit, ut in *Annulos* fere omne patrimonium profunderent, Tertullian. *de Hab. Mul.* At omnium luxuriam Heliogabalus superavit, qui, ut calceamentum, *ita annulos nunquam iteravit*, Lampridius, &c. Redeo ad *Annulorum* usum, qui insignis jam olim erat in dandis arrhis, ubi inprimis notabilis *Annulus*, quo singulis annis mare sibi despondet Reip. Venetæ Dux: in Episcoporum investitura: in inauguratione

Imper.

Imperatorum, in feudorum confirmatione: Imò & in præstigiis ac incantationibus. Non enim hodie solùm, sed & olim homines fuere malè feriati, qui hujusmodi annulos, stellâ aliqua fortunata ascendente, certis characteribus insigniebant, iisque herbam vel lapidem huic stellæ subditum includebant: quos qui gestaret, cum non solùm perpetuo victorem & ab omni veneno tutum fore; sed etiam cujuscunque vellet, amorem sibi conciliare, malos genios pellere, morbis mederi & multa alia præstare posse, impudenter asserebant. Græci hos *Annulos φαρμακίτας* & *γαμοτρόφους*, Arabes *Talismans* appellarunt, teste Scaliger. *Epist. Gall.* Qualis procul dubio Gygis fuit annulus, de quo Plato *de Rep. lib.* 2. & Cic. *Offic. lib.* 3. Tales & illi, quos Execestus, Phocensium Tyrannus, habuit, quorum strepitu admonebatur de rebus suis, Clem. 1. *Strom.* Talis Eleasari Judæi, quo, inspectante Vespasiano Imper. multos a malo genio obsessos liberasse dicitur Josepho *Antiqq. lib.* 8. *cap.* 2. Celebres quoque sunt septem illi annuli Jarchæ, Indorum sapientissimi Principis, Apollonio Tyanæo dono dati, per quos ille, quamvis jam centenario major, juventutis nitorem prætulit, Philostr. *lib.* 3. Quò & annuli pertinent, quos Timolaus sibi optabat, apud Lucianum *Navig.* Annulus item fatidicus, quo de Valentis successore quæsitum, apud Amm. Marcellinum *lib.* 29. ut & illi, de quibus Antiphanis sonant versus, apud Athenæum *lib.* 3. & Aristophanes *Pluto* loquitur:

> *Οὐδὲν προτιμῶ σου· φορῶ γὰρ πριάμενος*
> *Τὸν δακτύλιον τονδὶ παρ' Εὐδάμου δραχμῆς.*
> *Non facio te hujus: quando gesto hunc Annulum,*
> *Precio drachmæ mercatus ipsum ab Eudamo.*

Nec rara apud Medicos priscos Annulorum mentio est, qui morbis averruncandis inserviebant. V. Marc. Empiricum *cap.* 29. Alex. Trallianum *de Colico aff. lib.* 10. & *alibi.* Cujus generis fuisse videtur annulus S. Eduardi Regis Angl. comitiali morbo laborantibus salutaris, Castro *Chron. lib.* 3. Inprimis autem memorabilis est, in ore cujusdam mulierculæ mortuæ repertus, cujus amore ad insaniam usque captum fuisse Carolum Magnum refert Petrarcha *lib.* 1. *Epist.* 3. Inter gemmas autem, quibus hujusmodi vis inesse creditur, Achatem inprimis ac Jaspidem viridem referunt Auctores: Contrà venena *Annulis* hausere Demosthenes, apud Plinium *lib.* 33. *cap.* 1. Annibal, apud Aur. Victorem: æditimus Jovis Capitolini, apud Plin. *d. l.* Heliogabalum quoque Imperat. mortis causâ habuisse *Annulos*, Lampridius docet. Hic multiplex, cur sumerentur *Annuli*, fuit finis, sed & ponere illos non una suasit ratio. Ad nuntium Caudinæ pacis, *annulos aureos positos* narrat Livius *lib.* 9. Quidam *exequiarum* (Augusti) *die ponendos aureos annulos, ferreosque sumendos censuerunt* apud Sueton. *cap.* 100. adeoque publico luctu aureos saltem gestare nefas habitum. Sed & rei ac supplices, more lugentium, annulos posuisse, discimus ex Livio *lib.* 43. Valerio Maximo *libr.* 8. *cap.* 1. Aliis. Ituri quoque cubitum aut loturi eos deponebant, quorum illud non factum in Charino notat Martialis *l. c.* de hoc Terentius *Heautont. Actu* 4. *sc.* 1. *Et lavatum dum it, servandum mihi dedit annulum.* Vide quoque lepidam historiam de Alphonso Siculo, apud Fulgosum & Egnatium *lib.* 4. *cap.* 8. Morientibus iidem detrahebantur. Plinio *lib.* 33. *cap.* 1. *Gravatis somno aut morientibus religione quadam annuli detrahebantur.* Nempe, ne in pollinctorum manus devenirent; aliàs enim postea redditos iterum digito, & cum cadavere combustos, non obscurè indicat Propertius *Eleg. lib.* 4.

> *Et solitum digito beryllon adederat ignis.*

Ptolomæum quoque Herodis mortui digito annulum detraxisse, & in concionem protulisse: eundemque postea fuisse Cæsari Augusto transmissum, scribit Hegesippus *lib* 1. *cap. ult.* Ipsi quandoque morientes uni ex amicis *annulum* tradidisse leguntur: Augustus Agrippæ, apud Dionem *lib.* 53. Alexander M. Perdiccæ, apud Curtium *lib.* 10. &c. nonnunquam in tesseram traditæ potestatis. Unde Helenam, Adiabenorum Reg. grandiori natu filio Monobazo annulum patris signatorium dedisse, commissâ ipsi Reip. administratione, donec adveniret frater Izates, quem Pater regni hæredem destinaverat, scribit Josephus *Antiqq. lib.* 20. *cap.* 2. Et Johannem Comnenum, cùm videret Matrem id agere, ut in sororem Annam Nicephoro Bryennio nuptam, imperium transferretur, Patri Alexio jamjam morituro *Annulum* detraxisse, hoc pacto sibi imperium firmaturum, legimus apud Nicetam *init. Histor.* &c. Ut nil addam de omnibus ex annulis captari solitis, de probatione per annulum candentem, de proverbiis ab *Annulis* desumtis, de eorum noxio nonnunquam usu, aliisque: Verbum tamen adjiciam de arcula seu capsula, *Dactyliotheca* Græcis dicta, in quam recondebantur annuli. De ea sic Plinius *lib.* 37. *cap* 1. *Gemmas plures, quod peregrino appellant nomine Dactyliothecam, primus omnium habuit, Romæ privignus Syllæ Scaurus. Diuque nulla alia fuit, donec Pompejus Magnus eam, quæ Mithridatis Regis fuerat, inter dona in Capitolio dicaret, ut M. Varro aliique ejus ætatis Auctores confirmant, multum prælatam Scauri. Hoc exemplo Cæsar Dictator sex dactyliothecas in Veneris Genitricis consecravit; Marcellus Octavia genitus, in Palatina Apollinis ædem unam.* Nec omittendum, non è metallo solùm, sed & è succino, & ebore, integrisque gemmis *Annulos* fuisse factos; Annulum enim ex Sarda integra, cum pala aurea & circulo argenteo, exhibet Gorlæus *Dactylioth. num.* 101. & succineorum eburneorumque meminit Artemidorus *lib.* 2. *c.* 5. succinoque multum gavisas esse mulieres, testatur Plin. *lib.* 37. *cap.* 2. Sed nec illud, cùm constitutione Justiniani *Annulorum* usus omnibus fuisset permissus, solis Clericis, nisi essent in dignitate constituti, eos gestare non licuisse ex decreto Concilii Lateran. sub Innocentio III. & Basiliensi sub Sigismundo Imp. habiti. Etiam paucis mentio injicienda Legis priscæ à Solone latæ, *Δακτυλιογλύφῳ μὴ ἐξεῖναι σφραγῖδα φυλάττειν τοῦ πραθέντος δακτυλίου, Annularius expressum annuli, quem vendidit, signum apud se ne habeto*: quâ legislator cavit, ne posset Annularius alio facto simili annulo (signatorio, hunc enim Lex intelligit) fraudem ei facere, cui priorem vendidisset, &c. Vide eruditum tractatum Joannis Kirchmanni Lubecensis *de Annulis.*

Annuli Capillorum, quid sint, supra videre est. Apud Martialem verò paulo aliud quiddam *Annulus comarum est*, *libr.* 2. *Epigramm.* 66.

> *Unus de toto peccaverat orbe comarum*
> *Annulus, incertâ non bene fixus acu.*

Hic enim *Annulus*, non significat *τὸν ἕλικα* crispati capilli, ut aliàs solet, unde capillus *annulatus* & *annellatus*, *ὁ ἑλικώδης*; sed circulum unum, ex tota crinium compage spiratim convolutâ & per multos orbes contexta. Eadem autem acu, qua capillum distinguebant, & à fronte dividebant, mox comptum distinctumque, per *Annulos* & sertas crinium, fixâ eâ & insertâ retinebant, ne tota compages dissiparetur. Salmasius *ad Solinum pag.* 760. At error festinantis esse videtur Gronovio, quum ipse de *Annulo* dicit, quod Martialis *de Orbe*: & de orbe, quod ille de annulo.

Annuli Chirographi, apud Catullum, signatorii sunt, qui in Bithynia fiebant, & ex eo *Thyni* illi dicebantur:

> *Remitte pallium mihi meum, quod involasti,*
> *Sudariumque Setabum, chirographosque Thynos.*

Hinc Thyni annuli, ex politura Bithynica celebres & nominati; de quibus leguntur versus apud Isidorum, ab omnibus fere doctis tacti tentatique, à Salmasio tandem correcti emendatique:

> *Lucentes mea vita nec smaragdos;*
> *Berillos mihi, Flacce, nec nitentes:*
> *Nec percandida margarita quæro:*
> *Nec quos Thynia lima perpolivit*
> *Anellos*, &c.

Idem *Cirographos*, hoc est, *cerographos* mavult legi apud Catullum, hoc est, *ceram imprimentes*, quod annuli signatorii faciunt. Signatorios verò hos *Sigillaritios* vocat Vopiscus in *Aureliano.*

Annuli Consecrati, vide *suprà.*

Annuli Episcoporum, Prælatorum, Pontificum, in Communione Roman. memorantur, in *Chron.* Mauriniacensi *libro* 3. *Ipsos quoque annulos, in quibus ad ipsos* (Episcopos) *pertinens Ecclesiæ desponsatio exprimitur, sine respectu misericordiæ abstulit.* Et in *Charta* Johannis Archiepiscopi Lapuani Anno Chr. 1301. *Item annulum unum Pontificalem de auro magnum*, apud Carolum du Fresne *Glossar.* Cujusmodi annulum aureum, gemmaque pretiosâ ornatum, sed sine sculptura aliqua, vult Durandus *libr.* 2. *cap.* 9. Ponitur autem in Pontificali celebratione, in annulari digito: sicuti Sponsis in Nuptiali Sacro, & Galliæ Regi, quando ab Episcopo Rhemensi inungitur. Protonotariis autem non participantibus & Doctoribus, in eadem Eccl cum annulo celebrare non licet; uti nec Cathedralium Canonicis: penès Ethnicos verò planè nemini. Ovidius *Fastorum lib.* 4.

> *Annulus in digitis in Sacris nullus*, &c.

Cùm Pontifex novo Cardinali titulum confert, annulum digito ejus sapphiro fulgentem inserit, pro quo quingenta Cardinalis scuta solvit, quæ à Gregorio XII assignata fuere Collegio Germanico de Urbe, postea verò à Sixto V. abrogata: tandem Congregationi de Propaganda Fide, per specialem Bullam Gregorii XV. applicata sunt, &c. Dominic. Macer *Hierolexico.* Vide quoque Honor. Augustodunensem *lib.* 1. *cap.* 206. aliosque à du Fresne citatos; de *Annulo Piscatoris* autem infrà.

Annuli *Ἐπίσημοι*, dicebantur qui gemmam habebant Pollux, *δακτύλιον, δακτυλίδιον, σφραγῖδα, σφραγῖδας. Οὕτω γὰρ τοὺς ἐπισήμους δακτυλίους ὀνομάζει τοὺς ἐφ' σμάραγδα ἢ λίθους ἐν αὐτοῖς ἔχοντας.* *Σφραγὶς* namque annuli gemma est; quâ qui carebant, *ἄσημοι* vocabantur: sicut *tunica asema*, quæ carebant purpurâ, clavumque nullum habebant; contrà *ἐπίσημος ἐσθὴς* dicta est, vestis tesseris auro textis vel purpureis clavata, apud Diogenem Laertium in *Aristotele*, Salmasius *ad Lamprid. Alexandr. Sever.*

Annuli Juncei, seu *de Junco*, in *Constitut.* Ricardi Episc. Sarisb. A.C. 1217. c. 55. memorati, adhibebantur olim in nuptiis eorum, qui prius illicitâ copulâ sese conjunxerant: *Nec quisquam annulum de junco vel quacunque vili materia vel pretiosa, jocando manibus innectat muliercularum, ut liberiùs cum iis fornicetur; ne dum*

jocari se putat, honoribus matrimonialibus se adstringat. Quò spectat, quod scribit Brolius *Antiqq. Paris. lib.* 1. eos qui in Foro Eccles. ob illicitam ante initam copulam, *Officialis* judicio matrimonium inire coguntur, in ædem S. Marinæ deduci ibique à Curione, annulo junceo seu ex palea confecto, desponsari: apud Car. du Fresne *Glossar.*

Annuli in Naribus, Hebr. *Nesem*, Genes. 24. 22. ornamenta narium sunt, quibus fœmineus inprimis sexus olim hodieque usus legitur, in Oriente. Hieron. *in Ezech. cap.* 16. dicit esse, *Ornamenta mulierum, & quidem circulos*, (hoc est annulos) *in os ex fronte pendentes, & naribus imminentes.* Augustinus *Quæst. in Genesin*: *Mos*, inquit, *Maurorum est, ut inaures, etiam in naribus, habeant feminæ*, &c. Vide Thom. Bartholinum *libello de Annulis Narium*, & Petr. de Valle *Itiner. Tom.* 2 ubi, ex occasione uxoris suæ, Assyriæ gentis, Babylone ductæ, de hoc Orientalium more prolixè & accuratè disserit: His adde Licetum *de Annulis antiquorum.*

Annuli Pontificales, Vide supra *Annuli Episcoporum.*

Annuli Pronubi apud Hebræos: arcessuntur nonnullis ab ævo Mosaico, vel saltem Esajæ Prophetæ, nixis auctoritate locorum Exodi *cap.* 35. *vers.* 21. & Esajæ *cap.* 3. *vers.* 21. sed in cultu seu mundo tantùm ibi censeri *annulos* manifestum attentius consideranti est. Certè nummulus seu nummuli valor, velut Sponsalitii contractûs sive arra, sive pretium, Sponsæ antiquitus dari consuevit; cujus locum postea cùm viderent Hebræi apud alias gentes *annulum* occupasse in nuptiis, visum etiam iis est eundem non raro adhibere & מזל טוב. quo *Fortunam* precantur *bonam*, in eo inscribere. Sed adhibere non quâ Annulus est, verum tantummodo, quâ pretii seu nummuli locum occuparet, docet Seldenus *Uxor. Ebraic. lib.* 2. *cap.* 14. Vide quoque infrà in voce *Nuptialis Annulus.*

Annuli Regii, quo Reges Imperatoresque utuntur, ad subsignanda sua diplomata, memorantur Agobardo *de insol. Judæorum*, Fausto *in Vitâ* S. Mauri de Theodeberto R. Thegano de *Ludovico Pio cap.* 19. Aliis. Unde formula vulgaris omnibus fere Regum & Impp. diplomatibus adscripta: Et ut inviolabilem obtineat firmitatem, manu propriâ subterfirmavimus & annuli nostri impressione signari jussimus. Erant autem Annuli Regii, tum apud alios, tum apud Francos præsertim, Regum imaginibus & nominibus insigniti, cujusmodi Childerici R. annulus est, qui in ejus sepulchro juxta Tornacum inventus, in Gazophylacio Galliæ R. cui ab Imperatore muneri missus est, asservatur: Ectypum ejus exhibuit Joh. Jac. Chiffletius in *Anastasi*, cujus hæc Inscr. CHILDERICI REGIS. Præterea alter Ludovici Pii, apud Petrum Fr. Chiffletium *in Histor. Tornutiensi p.* 195. cujus hæc epigraphe: XPE. PROTEGE HLUDOVICUM. IMPERATOREM; apud du Fresne *Glossar.* qui penès *Referendarium Annuli Regii curam fuisse* addit.

Annuli Sigillaritii, Vide infrà, ut & *Annuli Chirographi*, ubi de *Signandi ritu.*

Annuli Signatorii, Laconum inventum, qui non contenti clavibus & claustris, in conclavibus, thalamis, œcis, & cœteris interioribus domuum membris muniendis, signacula etiam adhibebant. Et primò quidem hac fini ligna Θριπόβρωτα, h. e. *vermes corrosa* usurpabant, eorumque figuram signaculis, foribus appensis, imprimebant. Postea *Annulos* excogitarunt, qui eundem usum præstarent, & à fraudibus servorum & suppilatione res asservatas vindicarent. Quod tamen quàm nihil Lacydem Philosophum juverit, dicemus infrà ex Laërtio in *Lacyde.* Hos *Annulos signatorios*, malè confundit Lipsius *Annulium lib.* 2. cum *Annulis adjunctas claves habentibus*, quorum duos exseruit *d. l.* in Batavia erutos. Sed nullum in illis impressum sigillum ad signandum aptum: meræque claves sunt cum annulo, ut digito teneri possint, uti pluribus docet Salmasius *ad Solinum pag.* 931. Inprimis *Annulo* obsignabant Vett. quæ seras & claustra non patiebantur, ut armariola, lagenas vini & cœtera ejusmodi κεράμια, Martialis,

Nunc signat meus annulus lagenam.

Sed hac de re infrà pluribus disserendi erit occasio.

Annulo misso, accersiri olim homines solitos, legimus in *L. Bajvvar tit* 2. §. 14 *Si quis jussionem Ducis sui contempserit, vel signum, quale visus fuerit Dux transmittere, aut* annulum *aut sigillum, si neglexerit venire*, &c. V. Theophylactum Simocattam *lib.* 8. *cap.* 11. laudatum præfato *Glossarii* Autori.

ad *Annulum* decursio, vide infrà *Decursio.*

Annulus Piscatoris dicitur, quo Rom. Pontifex in cera rubra Brevia signat; ita vocatus ab imagine S. Petri Apostoli piscantis impressa: estque unum ex tribus Papæ sigillis; quorum alterum *Bulla* dicitur, quo in Cancellaria Apostolica, ut vocant, plumbea Bullæ signantur, habens ex una parte amborum Apostolorum capita, cruce divisa, ex altera verò Pontificis viventis nomen: Tertium *Signum*, in quod aliqua S. Scripturæ sententia inciditur. Dominic. Macer *Hierolex.* De ejusdem usu sic Gerh. von Mastricht: *Appenditur*, ait, *bulla plumbea non nisi arduis diplomatibus; Breve Apostolicum, quod est diploma vel rescriptum Papæ aut Pœnitentiarii M. scripturæ exiguæ, in parvis concessa negotiis in papyro, non habenam, sed in cera rubra imprimitur annulus Piscatoris. Histor. Jur. Eccles.* §. 402. ex Gregor. Tholosano *Syntagm. Jur. Univers. lib.* 15. *cap.* 3. *num.* 24. *& seqq.*

Annum Felicem votis communibus aperiri, dixere Arcadius atque Honorius Impp. *l. un. C. de oblat. votor.* more jam ab ipsis priscis Romanis petito, cujus meminit Lucianus *Tom. III. p.* 650. *Atque hinc erat quidem Anni initium, imò verò tertia dies à Novilunio magno, quando Romani juxta Vett. consuetudinem & ipsi preces quasdam pro toto anno faciunt & sacrificia peragunt pro eo, ac ipsis Rex Numa sacrificandi ritus has constituit.* Unde Gajus *l.* 233. §. 1 *de V. S. Post Kal. Januar. die tertio pro salute Principis vota suscipiuntur*: quod jam Julii Cæsaris tempore cœpisse, discimus ex Dione *lib.* 44. ubi constitutum esse refert, εὐχὰς ὑπὲρ αὐτοῦ δημοσίας καθ' ἔτος ἕκαστον, *Ut quotannis pro ipsius salute publica supplicaretur.* Quem honorem etiam Augusto, post Actiacam pugnam, habitum idem memorat. *lib.* 59. atque id postea solennem in morem abiisse alibi indicat, &c Vide Tob. Pfannerum *System. Theol. Gentil. purior. cap.* 16. §. 19. Sed de *Anni* ante Christum ratione, ritibusque Gentium in auspiciis ejus adhiberi solitis, alibi: adferam paucis, ex Car. du Fresne, quàm diversa etiam post Christum natum apud omnes ferè Gentes ejus ratio fuerit; ut in perlegendis Scriptoribus, quorum quique suam annos numerandi & eorum initia ducendi methodum servant, eò expeditius Studiosa Juventus progredi queat. Digeram autem Gentes celebriores illas, quarum res gestæ scribi meruerunt, literarum ordine cui maximè assuevimus omnes. Plura qui volet, adeat ipsum Auctorem, cui placuit primò tabellam à Christo nato ad annum usque 660. *Glossario* suo inserere, Epochas, Christi vulgarem Dionysianam, Periodi Julianæ, Græcorum, Seleucidarum, Æræ Hispanicæ, Cyclos præterea Solis & Lunæ Julianos, Indictiones, Literas Dominicales & Paschales dies, continentem. Cui subjunxit aliam, comprehendentem præterea Chatajorum, Arabum, Persarum, ac Chovvaretzmiorum Epochas, ex traditione Ulug Beigi, & ad Periodum Julianam & Epocham Christi vulgarem Dionysianam in annis expansis, à Johanne Gravio redactam; è quibus quidem tabulis & latereulis, Lectori statim primo intuitu percipere licebit, ad quem Christi annum ejusmodi minùs protritæ Epochæ referendæ sint.

Annum auspicandi ratio apud varias Gentes varia.

Ægyptii Christiani Ecclesiæ Alexandrinæ, anni sui, quem *annum Martyrum* seu *Epocham Diocletianam* vocant, desumunt à persecutione Diocletiani, quam in A. C. 302. vel 303. vulgò conjiciunt Chronologi. Eàdem Epochâ Abyssini quoque utuntur. Vide præter alios, Joh. Bterum *Disquis. de initio persecut. & epochæ Cirthensis Concilii*: & Henschenium in *Exeg. prælimin. ad Tom. III. Martii. cap.* 2. *num.* 11.

Angli, tempore Guilielmi Nothi & antea menses suos juxta Lunæ cursum computantes, annum orsi sunt ab 8. Kal. Januar. die, quo *Natale Domini* celebratur. Post Guilielmi verò tempora, vix ulla in Anglicis diplomatibus annorum nota reperitur, cùm Regia regni annos, cœtera nullos fere præferant.

Antiocheni seu Syro-Macedones, post Julianam *anni* formam editam, Solares adsciverunt, atque *ab Hyperberetæo* sive Octobri Juliano duxerunt exordium. Petav. Iidem præterea peculiari ratione annos putantes, à mense Octobri duxere ejus initium & ab A. M. 3935. ac Periodi Jul. 4665. quâ quidem ærâ, quam κατὰ Ἀντιοχέας vocat, utitur præ cæteris Evagrius: Vide eundem Petavium *de Doctr. Temp. lib.* 10. *cap.* 62.

Arabum Lunares anni, *ab Hegira* Muhammedis deducuntur, primusque eorum mensis *Moharram*, juxta medium motum Lunæ incipit: & quidem in Annum Chr. 622. incidit eorum annus primus, à Julio incipiens.

Chataiorum Cycli anni componuntur è tribus Cyclis sexagenis: inciditque eorum annus 7. in A. C. prædictum.

Chovvaretzmios quod attinet, anni Epochæ Gelalææ Solar. ab æquinoctio verno sive à merid. prox. seq. ingressum Solis in arietem, in horizonte Chovvaretzmiorum, initium capiunt: inciditque primus A. C. 1079.

Cyprii, annum *à Nativitate Domini*, putarunt. *Charta, Anno à Nativitate* 1378. *Indict.* 1. *septimo Martis secundùm cursum Regni Cypri.*

Franci, supputationem annorum *à Christo nato* ante A. Chr. 750. vix videntur usurpasse: deinceps verò illa invaluit sub Pipino R. & Carolo M. Auspicabantur autem olim annum *à Kal. Martiis.* Et quidem observat Henschenius *de Reg. Dagobertinis cap.* 1. *n.* 3. Gregorium Turon. & Fredegarium annos *à Natali Domini* visos inchoasse, aut saltem more Rom. à Kalendis Januar. nec dum, inquit, receptâ consuetudine, quæ deinde paulatim per omnes Francorum ditiones propagata est, *à Paschate ad Pascha* annos computandi. Iidem tamen, aliique è vett. Scriptoribus, annos *à Passione Domini* interdum numerasse videntur. Sed & annos à *Transitu* seu morte *S. Martini* non semel computat Gregorius Tur. quem mortuum esse A. C. 400, asserit Petr. Franc. Chiffletius *Dissertat. de S. Martini temporum ratione.* Sub alio

an-

tera, Regum Franc. *stirpe*, annos *à Christi nativitate* ordiuntur Scriptores omnes, qui II &III. *Hist.Franc. vol.* continentur: conveniunt autem illi cum Indictionibus. At sub *tertia, à Domini Incarnatione*, h.e. à 25. Martii: neque tamen obstitit, quin Kalendæ Januar. primus anni dies semper habitus sit. Labentibus postea seculis obtinuit, ut non à 25. Martii, sed à Paschate anni numerari inceperint: quod inde manasse existimat du Fresne, quòd antiquitus consuetudo esset, ut tabella Cereo Paschali appenderetur, in qua annus currens describeretur, indeque ejus initium Franci inprimis putarent. Donec tandem edicto Caroli IX. A.C. 1564. cautum est, ut in Galliis, in publicis privatisque tabulis ab Kl. Januar. annorum exordium repeteretur apud Germanos, sæpe à *Nativitate Christi* annum aperuit: Quod tamen non semper obtinuisse, patet ex *Charta* Henrici Imp. apud Chifletium in *Beatrice Cabilon* cum hac temporis nota: *Datum — 5. Kal. Januar. Indict. 13 anno Dom. Incarnat.* 1224. Quippe anno 1224. sumto initio à Kl. Jan. currebat Indict. 12. Græci æras præcipuas habuere tres: *Antiochenam*, quæ à M.C. ad Christi conceptionem aut natalem annos numerat 5493. *Æthiopicam*, quæ 5501. & *Alexandrinam*, Scriptoribus Byzantinis familiarem, quæ 5509 iisdem annos Mundi, ut & Indictiones, auspicantur à Kal. Sept V. Petavium in *Auctario lib.* 8. *cap.* 1.

Hispani, Vide suprà in *Æra*.

Islandi, annum a *festo Natalitiorum Dom* ordiuntur, vet. more, apud Olaum Wormium *Fastor Danic.lib* 1. *cap.* 12 at apud Suenonem in *LL. Castrens.cap.7. à die Circumcisionis*.

Itali, annos à *Nativitate* auspicabantur, ut observat Covarruvias *Tom.II. Resol. variar. lib.1.cap.* 12. §.1.

Judæi, añi Seleucidis (quos *annos contractuum* vocant) & quidem Lunaribus, ut plurimum usi sunt, postquam sub dominatu Græcorum esse cœperunt. Initium eorum à Seleuci R. exordio sumitur, ante C. N. 312.

Mahumedani, Vide *Hegira*.

Persæ, annos suos dierum 365. ab ἐπὸ γενεμοῦ Yezdejerd, ordiuntur: incidit que eorum primus in A. C. 632. à mense *Ferverdin*, Junio respondente, inci. iens

Pisani, initium Anni Incarnationis assumunt novem mensibus ante Nativitatem; sicut Florentini tribus mensibus post Nativ. numerum annorum Incarn. incipiunt quiusus in Curia quoque Rom. servatur.

Syromacedones, Vide suprà *Antiocheni*.

Trevirenses, à 25. Martii ordiuntur, &c V. quoq; infrà in voce *Annus*.

Annuntiatio Deiparæ, festum Ecclesiæ Rom Græcis Χαιρετισμὸς dictum, à χαίρειν. i. *saluto*, propter salutationem Angelicam B. Virgini factam, Vide infrà in voce *Chæritismus*. Item. Εὐαγγελισμὸς, Vide in *Evangelismus*. Incidit in 25. Martii, à quo Trevirenses anni initia ea essere modò diximus. Armeni verò 5. mensis Januarii illud celebrant, tempus anticipantes, quòd in Quadragesima festum celebrare religioni ducunt: Græci tamen, reliqua quidem excludentes, hoc nihilominus, ut & Festum XL. Martyrum, in Quadragesimale tempus, celebrant. Ambrosiani similiter in Quadragesima diem nullum festum habent: & Toletanum olim Concil. ordinavit, ut Festum *Annuntiationis B. Virginis* celebretur ad diem 18. Decemb. cujus rei adhuc indicia quædam supersunt, cùm in feria quarta IV temporum Decembris Missa tota ad mysterium Incarnationis directa, in eadem Communione, l gatur. Ambrosianum *Breviarium* Festum hoc in Dominica ultima Adventus notat. Vide Dominic. Macrum *Hierolex* passim, inprimis in voce *Festum*. Primitus verò Christo dicatum fuit Festum *Annuntiationis*, ejusque mentio, quàm reliquorum, antiquior est. Certè quæ sub nomine Athanasii circumfertur Oratio, illo die habita, hoc Festum unum esse dicit ex *Dominicis* Festis, atque adeò primarium & prorsus venerandum. Et in *Sermonibus* qui apud Augustinum habentur, de eadem Festivitate *Annuntiatio Dominica* appellatur. Unde Johannes Hartus, in *Colloquio* cum Rainoldo, contendit, *Annuntiationis & Purificationis Festa, nequaquam propria ac peculiaria fuisse B. Mariæ, sed alterum conceptionis Christi esse alterum, quo in Templo sistebatur, cap* 8 p 1 8. Inficitque, quia nunc in Ecclesia Anglicana utraque Festivitas adhuc celebratur, *hac ratione nullius Festi solennitate B. Virginem ibi ornari* Postea verò, ut plura alia in B. Virginem sequens ætas Festum transtulit, &c. Rivet.

Annus, quasi *Annulus*; namque

— *in se convertitur annus*:

ab Ægyptiis draconis ore caudam retinentis hieroglyphico fuit repræsentatus; Sacer Jovi, sicut Junoni menses, Plut. *Problem. Rom. cap.77.* Habebat is initiò unius tantùm mensis spatium, quem quia ad Lunæ cursum metiebantur, appellarunt Lunarem. Alii bimestris spatio eum terminabant, inter quos & Ægyptii: qui etiam in tres, aliquando in quatuor illum secabant, Plut. *in Numa*. Sex mensium spatio annum claudebant Cares & Acarnanes: atque hi quidem pro summo Deo Lunam venerabantur, ideo ad ejusdem cursum annos suos circumscribebant. Alii verò ad Solis motum anni cursus metiri sunt, Persæ, Græci, Latini, licèt aliquo discrimine. Romulus diebus 304. mensibus decem, annum comprehendit:

Seu quia tot digiti, per quos numerare solemus,
Seu quia bis quino fœmina mense parit.
Seu quod adusque decem numero crescente venimus,
Principium spatiis sumitur inde novis.

Ovid. *Fastor. lib.* 3. Numa deinde duos menses addidit, eumque diebus 354. circumscripsit: quod quidam Tarquinio Prisco tribuunt. Studio postmodum & curâ Julii Cæsaris cùm Fasti impensius correcti essent, *Annus Julianus* surrexit, mensium itidem 12. sed dierum 365. Hic *magnus* quoque, ad discrimen annorum Lunarium: & *vertens* dictus est, quòd in orbem continuò volveretur. De *Anno Attico*, Vide Petitum *Miscell. lib.*8. Petavium *de Doctr. Temp. lib.* 1. Franciscum Rossæum *Archæol. Attica lib.* 1. *cap.* 10. &c. De *Anno Eudoxi*, qui ex nostris, seu Solaribus annis, octo continebat, Vide Strabonem *Geogr. lib.*4. De *Anno Hippocratis*, qui dierum 360 fuisse dicitur, Marsil. Cagnatum *Observat. lib.* 4. *cap.* 14. De *Metonico*, in voce *Meton*: Per *Novum Annum* apud Scriptores Rom. quidam novum principium Magistratus initi: alii nudè Veris initium intelligi volunt: de *Anno Platonico*, aliisque huc pertinent bus, præter Auctores retro laudatos, Vide Thom. Dempsterum *Antiqq. Rom. cap.* 4. *lib.*4. Addam saltem, Hebræos ante exitum ex Ægypto, Ægyptiorum morem sequutos, incepisse annum à mense *Tisri*, qui partim Septembri, partim Octobri nostro respondet: post exitum, à mense *Nisan*, qui partim Martium, partim Aprilem nostrum refert: Romanos à Martio: Græcos ab Hecatombæone seu Julio nostro: Anglos à 25. die Martii, quod & in Hispania receptum: Venetos à die 1. Martii: Portugallos, & nonnullos Africæ incolas à 29. Augusti, Auctor Anonymus *Hist Orbis Terr. Geogr. & Civ. cap.*4. §.1. Plura hanc in rem vide suprà.

Annus, & Dies, in *Chartis* apponi solebant, ut vim haberent: *Lex Alamann. tit.* 43. *Scriptura non valeat, nisi in qua Annus & Dies evidenter ostenditur* Adde *L.* Baivvar. *tit.* 15. §. 13. *LL.* Burgorum *Scotic. cap.* 9. *Capit.* Carol. M. *lib.* 6. *cap.*147. & *l.*4.§.1. *ff. de Pignor. & hypoth.* In *L.* Friderici I. Imp. apud Ursperg. An. Chr. 1187 significat annum completum, Gall. *An & jour*, &c. *Annus* verò & *vastum*, seu, *Annus, dies & vastum*, pars dicta est prærogativæ regiæ, quâ proventa terrarum & tenementorum ad eos spectantium, qui feloniæ aut minoris proditionis condemnati erant, contra Dominum Feudi, *ad Annum & Diem* vindicabat & præterea vastationem tam terrarum, quàm tenementorum hujusmodi, nisi Dominus Feudi eadem competenti pretio redemisset. Ita ex Covvello, Rastallo, Wilhelmo Thorn. *Monastico* Angl. *Tom.I.* & Fleta *lib.*1. *cap.*28 Car. du Fresne *Glossar.*

Annus Magnus, apud Solinum *cap.*33. *Cum hujus* (phœnicis) *vita, magni anni fieri conversionem, rata fides est inter auctores, licèt plurimi eorum* Magnum Annum *non quadraginta & quingentis, sed duodecim millibus & nongentis quinquaginta quatuor annis constare dicant*. Periodus est annorum 540. quam Manilius Senator apud Plinium, cujus exscriptor Solinus est, Phœnicis vitæ tribuit. Sed alii, mille quadringentis sexaginta uno annis, *Anni* hujus *Magni* conversionem, secundùm Ægyptios, peragi putabant; & totidem annos durare phœnicem, unde opinio illorum, qui 1000. annos ei tribuunt rotundo numero. Et hic certè numerus fuit *Anni Maximi Canicularis* in hac gente; quo nempe caniculæ ortus, à quo annum suum auspicabantur, ad idem principium revolvebatur. Ut enim Ægyptiorum annus, quem Ἡλιακὸς & Θεοῦ Ἐνιαυτὸς & Κυνικὸς & Τέλειος vocabant, trecentis sexaginta quinque diebus & diei quadrante constabat ita *Magnus Annus* eorundem tot annis constabat, quot ille diebus, sc. 365. & anni quadrante, seu tribus mensibus. *Maximus* vero ex annis 4. magnis consistebat, quâ periodo annorum 1461 [illegible] omnium Planetarum & tempestatum fieri vulgò tum Ægyptii, tum Græci omnes, existimarunt. Vide hanc in rem Salmasium *ad Solinum pag.*551. & *seqq.*

Anoexium, Gr. Ἀνοίξιον, Balsamoni dicitur id, quod aliàs *Dedicatio*; Item *Encænia*, Vide ibi.

Anomiani, Hæretici, q. *absque Lege*, Macer. Vide *Anomi*.

Anomœi, Gr. Ἀνόμοιοι, appellabantur olim Ariani, quòd Verbum Divinum ἀνόμοιον Patri, h.e. *dissimile*, item ἀνομοιούσιον, *dissimilis substantiæ*, appellarent: cùm Semi-Ariani, quamvis consubstantialitatem negarent, consimilitudinem tamen admitterent. Vide Sozomenum *lib.* 4. *cap.*13. & 28. ac *lib.*6. *cap.*26. laudatum Macro in *Hierolex*.

Anopæa, Græcis, quæ אנפה *Anapha* Hebræis, nomen Aquilæ, ab ira factum Meminit ejus Homerus *Odyss.* α. *vers.* 320. de Minerva loquens, quam avi huic comparat:

Ὄρνις δ' ὣς ἀνόπαια διέπτατο.
Avis ut anopæa, avolavit:

ob celeritatem hujus avis, quam *inter rapaces velocissimam* esse, ajunt Arabes. Fortè ex Falconum genere, qui *montanus*, Barbaris *montanarius*, Alberto describitur: nulla enim avis in iram pronior. Ita autem is inter alia; *Est hoc falconum genus ferum — iracundum — varò manu tenendum, præterquam in Aurora, & aucupii tempore, & cùm pascendus est — Si præda evaserit, præ iracundia indigna-*

diguatur, ita ut per iracundiam aliquando revocatum se invadat, & caput aut faciem falconarii, vel, cui is insidet, equi dilaniet. Et inferius, *Si per iram immoderatè incaluerit, præcipitat se in mortem.* Item, *Cùm è rupe veniens perdicem sequeretur, & aquila fortè advolans ex adverso illam ei præripuisset, nec falco illam aquilæ denuo extorquere posset, — altissimè tandem conscendit & impetu deorsum facto, caput aquilæ feriens se pariter ac aquilam interemit.* Et paulò pòst, *mirè gaudet feritate suâ — adeòque interdum crudelitati suæ indulget, ut, occidendis avibus occupatus, cibi obliviscatur,* &c. apud Gesnerum. Sed an in Oriente jam olim nota fuerit hæc avis, meritò dubitatur. Alias interpretationes vocis *Anapha*, V. apud Sam. Bochartum, *Hierozoici Part. poster. Lib. II. cap. 30.*

Ansæ poculorum. Pocula quædam ansulis olim carebant, alia *ansas* habebant, nonnulla unâ tantùm parte erant aurita. Julius Pollux *Onom. lib. 6. cap. 18. Phialam verò ancipitem*, inquit, *& auream poculum* (ἀμφωτον) *utrinque ansatum Homerus à forma appellat, sed unicam ansam habens nominabatur Cotyliscus.* Philemon apud Athenæum *lib. 11.* poculum unâ parte tantùm ansatum, *Cissibium* vocavit. Aurel. Macrobius *Saturn. lib. 5. cap. 21.* Carchesium *ansatum* mediocriter fuisse refert, &c. *Ansularum* harum usus, ut qui propinaret, aut porrigeret, unam earum manu teneret, alteram verò is, cui poculum tradebatur, arriperet. Ovidius *Epist. 15.*

Dum stupeo visis, (nam pocula fortè tenebam)
Tortilis à digitis excidit ansa meis.

Inde vasa hæc calices *pteroti* dicuntur Plinio *lib. 36. cap. 26.* quasi *pinnatos* aut *alatos* dicas, quòd ansæ utrinque protensæ alarum speciem referrent, &c. Vide Dempsterum *Antiqq. Rom. lib. 5. Paralipom. ad c. 30.*

Ansegisus, Abbas, adde: Abbas fuit Laubiensis seu Lobiensis (quod est Benedictinorum illustre Coenobium ad Sabim fluv. in dioec. Cameracensi, sed sub ditione Leodiensi) postea Archiepiscopus Senonensis: cujus quanto suo tempore fuerit auctoritas, ex Odoranni Monachi Senon. *Chronico* videre est; *Anno ab incarnat. Christi 881 obiit Ansegisus venerabilis Senonum Archiepiscopus, totius Galliæ & Germaniæ Papa* — *cunctus feliciter — Hic Carolum Calvum unxit in Regem & postquam Primatum totius Galliæ obtinuit, & supremâ moderatione secundus Papa appellari meruit. in Synodo habita in loco — Pontigonis — anno 876 Judæos — & Moniales ab urbe Senonica expulit,* &c. Vide ibidem Epitaphium ejus octosticho comprehensum. Hic itaque *LL.* Ecclesiasticas Caroli M. ut & Ludovici Pii ejus filii & Lotharii nepotis collegit, & in duos; uti seculares *LL.* itidem in duos libros retulit, publicavitque A. C. 827. Imper. Ludovici anno 13 Indict. 5. ut ipse testatur in *Præfationis initio*, quam Capitulis præmisit, ubi totius operis rationem & modum digestionis exponit. Præmittitur libro primo ipsius Caroli M. præfatio lectu dignissima; continetque is Capitula 168. Secundum incipit ipse Collector alia, sed brevi præfatione, quâ monet, se in eum conjecisse Capitula Ecclesiastica, Ludovici Pii & Lotharii Impp. complectitur autem eo Capitula 47 quorum primum est Imperatoris præfatio. Tertium itidem novâ præfatione, ut & quartum, orditur *Ansegisus*, monens se tertio *illa ad mundana augmentum Legis pertinentia, quæ Dominus Karolus Imper. edidit*, & quarto ejusdem argumenti, *quæ — Dominus Ludovicus Aug. & Lotharius Cæsar fecerunt, capitula adunavisse libello*: continet verò tertius Capitula 89 quartus verò 75 Sequuntur tres appendiculæ, &c. His postea 4. libris ab *Ansegiso* non satis diligenter, aut potius non satis plenè collectis, Benedictus Levita libros tres, quintum nempe, sextum & septimum, adjecit, in quos non tantùm prædictorum Impp. Capitula, sed & alia insuper, conjecit, ut infrà videbimus. Vide Gerh. von Mastricht *Historia Jur. Eccles. num. 193. & seqq.*

Viri celebres.

Anselmus, Mantuâ oriundus, Episcopus Lucensis à Gregorio VII. factus, hujus causam contra Henricum Imp. acriter tuitus est: Scripsit varia, obiitque A. C. 1086. Vitam ejus Anonymus quidam, qui ejus Poenitentiarius fuerat, & quidem ipsius verbis, scripsit. ubi inter alia, *Apologeticum unum ex diversis SS. Patrum sententiis compilavit — multos libros propriis manibus conscripsit. In Lamentationes Jeremiæ dulcissimam fecit Expositionem. Psalterium quoque rogatu benedictissimæ Dei Mathildæ exposuit luculenter,* &c. E quibus Apologiam illam scripsit contra Guibertum Antipapam, ut Baronius vocat, qui ab Imperatore & Synodo abdicato Gregorio suffectus erat: Extat illa in Henr. Canisii *Antiq. Lection. Tom. VI.* facitque hæc *Collectio Canonum* utramque fere paginam, in emendatione Gratiani jussu Gregorii factâ, & apud Anton. Augustinum, *de Emendat. Gratiani*: qui eam tamen in dubium videtur revocare, *lib. 2. dial. 5. princ. fere.* Vide quoque Blondellum *Prolegom. Pseudo-Isidori cap. 18. pag. 98.* Uti autem *Anselmus* post Burckardum, ita post eum Ivo Carnutensis, ad colligendos Canones, se accinxit, de quo vide infrà: plura autem hanc in rem, apud præfatum Mastricht *Histor. Eccles. num. 260. 261. & 262.*

Anselmus, in Augusta Salassorum urbe in Alpes sita natus, Benedictinus, ex Abbate Beccensis Monasterii in Normannia Archiep. Cantuariensis, Lanfranci discipulus ac successor. Obiit A. Ch. 1109. æt. suæ 76. secundùm Parcum, Londini, & in Ecclesia Cantuar. ad caput Lanfranci jacet. Ejus opera in fol. prodierunt sæpius, editiones celebriores sunt Colon. Agr. 1612. & Lugduni 1630. Vide quoque in voce *Anshelmus*. Ejus æqualis aut paulo junior fuit *Anselmus* Laudunensis, cognom. *Scholasticus* Gallus: cujus extat *Glossa Interlinearis & Margin.* inter Biblia. *Ingenio acutus, eloquio pressus & Laconicæ cujusdam brevitatis imitator*, Sixto Senensi.

Anser, avis duræ carnis succique mali, olim tamen altiles in pretio fuere: quales idcirco Agesilao Lacedæmonio, quum in Ægyptum venisset, unà cum vitulis dono misere Ægyptii, ut ex Theopompo refert Athenæus *lib. 9.* Fuere & *Anseres* fartiles. Nempe, ut porcellos variis implebant animalibus, ac cupediis ita & *Anseres* rebus variis farciebant, *Δουρείους* hinc dictos; eò quòd equum Trojanum δούρειον Poëtæ vocabant. Diphilus apud Athenæum *lib. cit.*

Δουρεῖον ἐπάγω χῆνα τοῦ φυσήματος.
Flatu tumentem Durio adduco Anserem.

Præcipuè autem in deliciis fuit jecur *anseris*, cujus alimenta lacte fuissent imbuta. Plin. *lib. 10. cap. 22. Fartilibus in magnam amplitudinem crescit: exemptum quoque lacte mulso augetur*: Etiam jecoris causâ potissimùm ficis alebant *Anseres*, unde *συκωτὸν* dixere, Horatius *lib. 2 Sat. 8.*

Pinguibus & ficis pastum jecur anseris albi, &c.

Quam augendi *jecoris anserini* rationem nonnulli, ut ait Plinius, *lib. 10. cap. 22.* tribuerunt Scipioni Metello, Viro Consulari, alii M. Sejo, Equiti: qui ambo vixere ætate Varronis, qui eorum junctim meminit de *Re Rust. lib. 3. cap. 10.* Messalinum verò Cottam primum docuisse torrere *palmas anserinorum* pedum & cum gallinaceorum cristis condire, idem Plin. docet ubi *suprà*. Britannis autem in deliciis erant, quos Græci *χηναλώπεκας*, *fero anseres minores*, dicebant, *Ibid.* &c. *Anserem*, diebus festis adhibuit Alex. Severus apud Lampridium, *Erant decreta* (id est, constituta in sumptum quotidianum) *& carnis diversæ pondo* XXX. *erant & gallinæ una. adhibebatur &* anser *diebus festis.* Contrà Heliogabalus, *canes jecinoribus* anserum *pavit.* Apud Eund. Coeterum Lacydem, novæ Academiæ principem, Arcesilai successorem, fuisse *Anseri* dilectum, memoriæ prodidit Athenæus *lib. 13.* quem proin non ambitiosè minus quàm filium aut fratrem, Philosophus ei sepulturæ dedit. Ælian. *de Animal. lib. 7. cap. 41.* De *Ansere* per quem juravit Socrates, Româ item *Anserum* strepitu servata, *alibi*. In *Epitaphio* vet. Foeminæ cujusdam, cui *Myro* nomen, cùm sculpta essent, arcus, canis, lorum, anser & noctua, cum hac *inscr.*

Μὴ θάμβει μάστιγα, Μύρου ἐπὶ σήματι λεύσσων
Γλαῦκα, βιόν, χαροπὸν χῆνα, θοὰν σκύλακα:

Anser, domus custodem denotavit: sicut *canis*, liberorum amantem; *lorum* ancillarum castigatricem &c. Vide plura de hac domestica ave, apud Gerh. Joh. Vossium *de orig. & progr. Idolol. lib. 3. cap. 84.* & infra *Anca*.

Anses, Semideus, Gothica vox; quâ Proceres suos hæc gens appellavit Jornandes *de Rebus Goth. cap. 13 Magnaque potiti per loca victoria, jam Proceres suos, quasi, qui fortunâ vincebant, non puros homines, sed Semideos, id est*, Anses, *vocavere*. Unde hodieque apud Germanos, *grosse Herren und Hansen* istiusmodi primates Viri appellantur, Vide Loccenium *Antiquit. Sueicar. libro 2. capite 4.*

Anshelmus, adde: Vide quoque *Anselmus*.

Antæ, adde: Congeneres Sclavinis, quos in Romanas Provincias irruentes Justinianus Imper. per Chilbibium Ducem repulit, & misso post aliquot annos Germano, sororis suæ filio, ad internecionem fere delevit, ut meritò ab illis nomen *Antici* adeptus sit, quam vocem Haloander rectè in *tit.* Justiniani, pro *Attico*, restituit. Vide Alciatum *Parerg. lib. 5. cap. 3.*

Antæ, *Antes* & *Anterides*, nonnullis pro synonymis habentur, sed perperam. *Antæ*, enim sunt *παραστάδες*, columnæ quadræ vel pilæ, quæ ad latera ostiorum utrinque ponuntur; nec enim quælibet columna quadrata *Anta* dicta est, sed eæ tantùm, quæ in lateribus ostiorum, ἀπὸ τοῦ ἀντίον. Atque hæ antepagmentis ligneis operiebantur, ornamenti gratiâ. *Antes*, ordines sunt seu *ὄρχοι* cujuscunque rei anteriores & qui frontem spectant: unde & dicti: Ut *Antes vinearum, ὄρχοι ἀμπέλων*. Virgilius,

Jam canit extremos effœtus vinitor Antes.

i. e. Lassus & effœtus vinitor, in extremis *Antibus*; qui inprimis adhuc integer, utpote laborare tum incipiens, quum in extremis vineæ ordinibus labore jam fractus sit; ut enim extremi sunt Antes in vineis, ita & primi ac medii. Sic Cato *de re Mil. Equites quatuor agminibus, pedites duobus* Antibus *ducas*, i. e. duobus ordinibus. *Anterides* tandem, sunt columnæ vel lapides eminentiores, qui interponuntur ad sustinendam structuram, ἀπὸ τοῦ ἀντερείδειν, Vitruvio *Erismæ*: seu pilæ lapideæ muris objectæ & obnixæ, ad fulciendam structuram. Vide Salmasium *ad Solinum pag. 1216.* & hic infrà *in Antis*.

Antanes alter, Maximinus à militibus cognominatus est, apud Capitolinum.

Antarta, Græcè ἀντάρτης, rebellis & tyrannus vel apostata, à verbo

verbo [illegible], quod est *contrà surgere*, cui contrarium est [illegible]. Glossæ, *Delliones*. [illegible], qui locus in *Glossis* hodie corruptissimus circumfertur. Aliæ *Glossæ*, [illegible], *rebellio, perduellio*. [illegible], *rebellatio*. Unde [illegible], bellum ab *antarta* excitatum. Optimæ Glossæ, *Antarium* [illegible]. Pro *Antarta*, recentiores *Intarta* dixerunt, hocque nomine appellarunt Tyrannos, seu rebelles Duces, qui solâ eorum, quibus præerant, auctoritate ac consensu Imperium sumebant: cujusmodi, inter alios fuere Tyranni illi XXX. quorum res Trebellius Pollio succinctè exposuit. Vox frequens apud Anastasium Bibliothec. in *Vitis* Pontificum, &c Vide Salmasium *Notis ad Trebellium in Gallienis & XXX. Tyr.* item infrà, in *Indervei*.

Ante cœnam, in cœnatum conviviis lautioribus erant primi ferculorum missus, qui & interdum iterabantur: cùm secunda fercula, ipsumque velut solidum cœnæ, *cœna* dicerentur, Turnebus *Adversar. lib* 17. *cap.* 10. Casaubono *Antecena* sive *Antecenia* dicebantur, qui Martiali *gustus*, Græcis [illegible], Vide eum *ad Lampridium in Heliogab.* ut & *ad Athenæum.* Sumebantur autem in *antecœna* ostrea, echini, pelorides, sphondyli & similia. Apud Macrobium *lib.* 3. *Antecœna echinos, ostreas crudas, quantum vellent, peloridas, sphondylos, &c.* Lactuca item, de qua Martialis,

——— *affertur protinus ingens*
Inter lactucas oxygarumque liber.

Ubi *antecœnam* intelligit, &c. Salmasius *ad Capitolinum in Gordiano Jun.* V. infrà, *Frigidæ mensæ.*

Anteambulones servi, dominum domo egredientem olim apud Romanos præcedebant, honoris gratiâ & turbam per viam incedenti circumfusam submovebant. Plinius *libro* 3. *Epistolâ* 14. *Eques Romanus, à servo ejus, ut transitum daret, manu leniter admonitus, convertit se, nec servum, à quo erat tactus, sed ipsum Macedonem, tam graviter palma percussit, ut penè concideret.* Sueton *in Vespas. Eadem domum extudit magis convitio, quàm precibus vel auctoritate, dum eum identidem per contumeliam* Anteambulonem *patris appellat.* Senec. *Epist.* 87. *O quàm vellem Catoni nunc occurreret, & aliquem ex his trossulis in via divitibus cursores & Numidas & multum ante se pulveris agentem.* Solebant illi obvios in latus fodiendo dicere, *Date locum domino meo.* Acron *in Hor. Epist lib.* 1. Vide quoque Barn. Brissonium, *de Formul lib* 8 Neque verò servi hi solùm fuere, sed & ad diversos homines pertinuisse hanc operam, indicat Martialis *lib.* 3 *Epigramm.* 6.

Exigis à nobis operam sine fine togatam:
Non eo, libertum sed tibi mitto meum.
Non est, inquis idem: multo plus esse probabo.
Vix ego lecticam subsequar, ille feret.
In turbam incideris, cunctos umbone repellet, &c.

Merces erat, centum quadrantes, Idem *lib. eod Epigramm.* 7.

Centum miselli jam valete quadrantes
Anteambulonis congiarium lassi.

Quos *centum plumbeos* vocat, *lib.* 10. *Epigramm.* 74. Vide infrà in voce *Sportula.* Magno eos fuisse numero, indicat Ammianus, *lib.* 14. cùm illos *prægressum exercitum* vocat: ideoque myriadas servorum comparatas fuisse, ut comitum, *Anteambulonum*, & assectarum copia ne deesset, scribit Athenæus *lib.* 6. Imò & Matronis non defuere suæ, *Anteambulatrices.* Moris enim fuit, ut sine ancillarum præcedentium insequentiumque comitatu Materfamiliâs aut Matrona ordinis honestioris, non prodiret in publicum. Unde Hieronymus *ad Demetriad. virg. Graves*, inquit, *fœminæ & maximè viduæ ac virgines tibi comites eligantur, quarum probata est conversatio, sermo moderatus, sancta verecundia.* Quam ob causam, non levem injuriam eisdem fieri ab iis, qui comites earum abducunt, auctor est Ulpianus, *l.* 15. §. 15. & 16. *de Inj.* Eoq; respexisse quoq; Plautus videtur *Amphitruon. Act.* 3. *sc.* 2.

Valeas, tibi habeas res tuas reddas meas:
Juben' ire mihi comites? JUP. *Sanan' es?* AL. *Si non jubes,*
Ibo egomet; comitem pudicitiam duxero.

Vide Eundem *Mostellar. Actu* 1. *sc.* 1. Sed & Spadones hoc officium teneriori sexui præstitisse, docet iterum Hieron. *Epist. ad Furiam Rom. nobilem viduam*. cùm ait: *Noli ad publicum subinde procedere & spadonum exercitu præeunte, viduarum circumferri libertate*, &c. Vide Laur. Pignorium *Comment. de Servis.* & T. Popmam *de oper. serv.*

Antecanis, qui & [illegible]; diversus à Sirio, qui etiam [illegible] dicitur, & stella est in maxilla majoris canis. Antecanis enim sidus est, quod & [illegible] dixere, quia ante canem majorem oritur, constitutus juxta lacteum circulum; oritur autem Manilio ac Firmico in 27. parte cancri, Aëtio in 14. Julii; Sirius verò stella est, & *canicula* dicitur, oriturque iisdem in prima parte leonis, vel 19. Julii. Quam in rem varia habet Salmasius *ad Solinum p.* 430. & 431.

Antecessor, Græcè [illegible], Tertulliano Spiritus S. dicitur *lib. de Virgine vel. Non enim ab se loquitur, sed quia mandatur à Christo. Hic solus* Antecessor, *qui solus post Christum.* Eidem *Antecessores* alibi Apostoli dicuntur: voce à Romanis mutuatâ, apud quos *Antecessores* sunt Juris Doctores, Magistri & Professores, unde apud Hesych. [illegible]. Quo titulo cohonestatos legimus Theophilum inprimis Institutionum Justiniani Paraphrasten, & Julianum Patritium, Novellarum Græcarum ejusdem Principis Interpretem. Sic inscriptio *Proœmii ff.* dirigitur ad Theophilum, Dorotheum, Theodorum, Isidorum, Anatolium, Thallælæum, & Cratinum, *Antecessores.* Et *l.* 2. *Cod. de vet. jure enucl. Et Dorotheum Virum illustrem & facundissimum* Antecessorem, *quem in Berytiensium splendidissima civitate Leges discipulis tradentem — ad nos deduximus*, &c. Et paulò pòst, *Nec non & Cratinum — optimum* Antecessorem *hujus almæ urbis constitutum.* CP. namque & Beryti Jura publicè doceri solita fuisse legitur *§. hæc autem tria in proœm ff.* Haloander sic dictos vult, à *præeundo* discipulos & quasi porrectâ manu in penetralia Juris deducendo. Potiùs ad exemplum *Antecessorum*, quorum meminit Suetonius *in Vitellio*, id est, Præcursorum, Gall. *Avant-coureurs*, quorum erat ante agmen ire, loca castris metandis idonea deligere, & vias, quibus duci commodè exercitus possit, videre. Vide quoque Hirtium *de Bello Afric.* Dominicus Macer hodieque Lectores Jubilatos in nonnullis Academiis *Antecessores* dici refert, in *Hierolexico.* Vide etiam infrà in voce *Antigrapheus.* Dempstero *Antecessores*, nomen dignitatis apud Rom. Cùm enim Jurisconsultorum hæc apud illos servaretur differentia, ut alii Juris essent Studiosi sive Candidati, alii *Antecessores* sive Sophistæ, alii denique Jurisconsulti sive Juris Auctores: Studiosi assidebant; Candidatorum operâ Principes, in recitandis potissimùm orationibus, uti solebant: Et qui Jus publicè interpretabantur, hi *Antecessores* erant. Jurisconsulti autem populo de jure respondebant

Antecœna, Vide suprà *Ante cœnam.*

Antecustodia, seu *Antegarda*, ex Gall. *Avant-garde*, prima acies, apud Thom. Walsinghamum, in *Gestis* Ludovici VII. R. Fr. *cap.* 12. apud Hieron. Vignerium *in Hist. Alsat.* alibique, quam, ut & *Retrogardam facere*, in exercitu Regis Gall. Senescalli Franciæ officium fuisse, tradit Hugo de Clericis *Tract. de Senescallia Franc* qui *Protutelam* & *Retutelam* vocat. Wilhelmus Britto verò Marescallo Franciæ id juris adscribit, *Philipp. l.* 8.

Cujus erat primum gestare in prælia pilum,
Quippe Marescalli claro fulgebat honore.

Hoc certum, magnæ id dignitatis fuisse; ut ex controversia hinc inter Theobaldum Campaniæ & Fernandum Flandriæ Comites, utri eorum primam in Franciæ R. exercitu aciem regere competeret, ortâ patet, quæ tamen hoc modo ad tempus utcunque sopita est. *Ego Theobaldus -- notum, &c. quòd cùm esset controversia inter me — & Fernandum Comitem Flandriæ -- de* Antegarda *& Retrogarda, in exercitu Domini Regis, faciendis, ita ad preces -- Ludovici Regis — ad concordiam sumus revocati: sc. quòd dictus Comes Flandriæ semel faciet antegardam — eundo in Britanniam & bis retrogardam, quia ego feceram similiter — Deindè — simul faciemus antegardam & retrogardam. Hæc autem omnia fient salvo jure meo & salvo jure F. Comitis Flandriæ, tam in saisina, quàm in hæreditate -- Datum an. gr.* 1230. &c. ex *Tabulario* Campaniæ, apud Car. du Fresne *Glossar.*

Antejuramentum seu *Præjuramentum*, Anglis olim dictum *Juramentum de calumnia*, quod ab accusatis & accusatoribus æquè exigebatur, priusquam in litem descenderent, uti inprimis cautum in *LL.* Æthelstani R. *c.* 23. apud Lambardum. Et ab accusatore quidem in hujusmodi *antejuramento* deficiente reus liber evadebat: ab hoc verò tanto id rigore exigi consuevit, ut vel ad ordalium seu purgationem Canonicam, nisi eo prius præstito, neutiquam admitteretur. V. *LL* Philippi Com. Neoportuensis A.C. 1164. *LL.* Henrici I. *c.* 66. alibique *LL.* Kanuti *c.* 42. & 43. apud Bromptonum & Concilium Triburiense A.C. 895. *c.* 21. apud Car. du Fresne *Gloss.* Saxonice *Aaswaren-ed.* Quod quale fuerit, sic refert Andr. Suenonis Archiep. Lundensis *Daniæ LL. lib.* 7. *c.* 6. *Hæc est forma juramenti, quod candentis ferri judicium antecedit: ut affirmet autor sub jurisjurandi religione, quòd non odii causâ, non lucri gratiâ reo imposuerit furti crimen, sed quia scit eum veraciter rem sibi furti vitio subtraxisse*, apud Eund. in voce *Aaswaren-ed.*

Antelius, idolum, ad ædium fores, olim solitum exponi, q. *ante Solem* vel *versùs Solem* positus. Tertullianus *de Idolol. cap* 5. Antelios *Dæmones ostiorum præsides legimus*, apud Macrum *Hierolexico.* Vide infrà *Anthelii*, sic enim meliùs scribitur.

Antemanica seu *Antemanicia*, in *Gloss.* Arabico-Lat. *ornamentum brachii, quod ante manicam apponitur.* Et in vet. *Scheda* Thuan. *antemanicias paria* 1. &c. pars vestis, quæ ante manicas induitur, Gall. *Avant-manches.* Car. du Fresne in *Glossar.*

Antemissæ Arbores, quas nonnulli, ante possessionum suarum fines intactas solent dimittere, ut magnitudine cæteris antistent, sicque observationem finium præstent, dicuntur Siculo Flacco *de condit. Agror* Frontino & Aggeno.

Antemurale in *Ceremoniali* Cardinal. Paris Crassi *l.* 2. *c* 21. vestibulum Altaris & Presbyterii seu potiùs Bematis, quod Græci *Soleam* appellarunt. Nisi legendum *Ante murale*, id est *ante murum* seu cancellum, qui Presbyterium à Choro dirimit, Idem.

Antepagmenta, veteribus *Antipagmenta*, ab *antè*, valvarum ornamenta sunt, *quæ Antis adpanguntur, id est, affiguntur.* Fest. Quæ proin malè nonnulli confundunt, cum *Antis*: Antæ enim lapideæ, ut dictum, *Antepagmenta* lignea, quæ ornamenti gratiâ Antas operiunt. Vetus Inscr. FACITO ANTEPAGMENTA ABIEGNA LATA S — apud Salmasium *ad Solinum p.* 1217.

Ante-

Antepanni, fasciæ vel zonæ, seu ultimæ fimbriæ, quibus vestis ornatur; Græcis recentioribus ἀντίπανα, item παραγῶνα, i.e. *paratura*, ornaturæ. Vide infrà in voce *Pannus*.

Antepedes, amici obsequium facientes, Isidor. Cùm enim & servi & amici ad obsequia essent, Amici, quòd anteirent, *Anteambulones* & *Antepedes*, servi autem *pedisequi*, *à pedibus*, *ad pedes* & *circumpedes* dicebantur. Agroecius *de Orthogr.* *Circumpedes sunt obsequia servorum, Antepedes amicorum*: Meminit eorum Cassiodorus *in Formula Cura-Palatii*: *Illud quoque considera, quâ gratificatione tractêris, ut aureâ virgâ decoratus, inter obsequia numerosa, &* Antepedes *regios primus videaris incedere.* Et Juvenalis,

—— —— Togati

Antepedes ——

apud Salmasium *ad Trebellium Pollion. in Claudio.*

Anterides, Græcè ἀντηρίδες, ἀπὸ τοῦ ἀντερείδειν, unde & ἀντηρίδωμα. Vitruvio *Erismæ*, columnæ sunt vel lapides eminentiores, qui interponuntur ad fulciendam sustinendamque structuram. Latinis etiam *Obices* & *Tibicines*. Servius, *Antes lapides eminentiores, qui interponuntur, ad maceriam sustinendam.* Item, *sunt eminentes lapides vel columnæ ultimæ, quibus fabrica sustinetur, & appellantur Antes*, ἀπὸ τοῦ ἀντέχειν. Sed *Anterides* hic cum *Antibus* confundit. *Anterides* enim hujusmodi columnæ sunt. Hesychius, ἀντηρίδες τὰ στηρίδια ξύλα ἢ λίθοι ὑποκείμενα. Salmasius *ad Solinum.*

Anteros, genus amethysti, aliis παιδέρως, nonnullis *Veneris gemma*. Sic autem dicti sunt ii amethysti, in quibus ex carbunculo in purpuram refulgeret leniter roseus nitor, ob gratiam speciei & coloris: cùm contrà improbarentur, qui ad viciniam crystalli descendunt, *albicante purpuræ defectu*. Græcè ἀντέρως, h. e. *æquè venustus, ac amor*, contra amorem pulcher. Quemadmodum *Colosseros*, in *Hist. Aug.* ὁ κολοσσέρως, vir est grandis ut colossus, sed venustus & amabilis, ut amor ipse. Non enim hic *pueri amorem*, aut παιδικὸν ἔρωτα, vox notat. At ἱππέρως, in isto,

Τὸν ἱππέρωτα ποτίζει με τὸν πυρετώδη.

τὸν ἱππικὸν, rei equestris amorem designat. Salmasius *ad Solinum pag.* 565. V. quoque infrà in voce *Paederos*.

Antes, Vide suprà *Antæ*.

Antesignani, iidem cum Campiductoribus seu Campigenis, apud Rom. Vegetius *lib.* 2. *cap.* 7. ubi nomina & gradus principiorum Legionis enumerat: *Campigeni*, inquit, *hoc est, Antesignani, ideo sic nominati, quia eorum opera atque virtute exercitii genus crescit campo.* Ubi *genus exercitii, quod crescit campo*, est armatura, quæ tradebatur à Campidoctoribus. Campigenos autem inter principia Legionis enumerat; eosque *Antesignanos* interpretatur, eo quòd Campidoctores & reliqua Legionis principia ante signa pugnabant & *antesignani* vocabantur. Idem *lib.* 2. *cap.* 15. *Sed ante signa & circa signa, nec non etiam in prima acie dimicantes, Principes vocantur, h. e. ordinarii cæterique principales.* Ammianus, *Horum campiductoribus, ut fortium factorum antesignanis, post civitatis excidium, armatas statuas apud Edessam — collocari jusserat Imperator.* Vide Salmasium *ad Lampridium in Alexandro Severo*, & infrà suo loco.

Antestari, quid sit, docet Acron in *Horatii Serm. lib.* 1. *Sat.* 9. *Denuntiantes litem antestatos habebant, quibus præsentibus conveniebat, ut aurem illis tertiò vellerent. Solebant enim testium aures tenere, & ita dicere: Memento, quòd tu mihi in illa causa testis eris, quod est* Antistari. *Aliter, olim qui antestabantur, auriculam tangebant. Idemque Poëta ait,*

Libenter auriculam obtuli.

Aliter: Antestari, *id est, teste uti, quod judicii causâ volo manum injicere. Nam hæc erat consuetudo, si quis vadato non paruisset, ei adversarius aliquem è præsentibus antestabatur, id est, tangebat ejus aurem, & dicebat, licetne antestari? Si respondisset ille, licet: tunc injiciebat vadatus manum in eum, qui non paruisset & ducebat in judicium; aliter si injecisset manum, injuriarum poterat accusari*, &c. Ipse Horatius *d. l.*

—— Et quò tu turpissime? magnâ

Exclamat voce, & licet antestari? *ego verò*

Oppono auriculam. rapit in jus.

Quòd si verò non *antestatus* esset Actor, & manum injecisset, injuriarum reum Lex Decemviralis ideò constituit, ne sine justa causa sic in adversarios sævirent Actores. Ut autem à testimoniis reliquis, sic etiam ab Antestatione servos fuisse solitos repelli, docet Plautus *Curcul.* Sed nec antestatione opus fuit, si reus improbus esset, & intestabilis, unde lenones, fures & id genus alii, sine *antestatione*, ad Prætorem rapiebantur, ne sub prætextu securitatis publicæ, tergiversatione, rapinis, plagiis, furtis indulgerent. Plautus *in Persa.* ubi cùm in Dropalum lenonem manus injiceret. Saturio Parasitus, interrogatus à lenone, anne antestaretur, respondet:

Tuâne ego causâ carnifex

Cuiquam mortali libero aures atteram,

Qui hîc commercaris cives homines liberos?

Vide eundem in *Aulularia*, de Lyconide adolescente; *in Rudente*, de Labrace lenone, &c. Cæterùm si honestior esset persona, quàm ut eam rapi conveniret (erant enim, qui in jus vocari, duci aut rapi ne medio quidem antestationis poterant, ut ex *Epigr.* *l.* 48. *de verb. sign.* colligitur) diem ei dicebat actor, eumq; promissâ pœnâ, quam *multam* Plautus appellat, datisve ni prædia possideret vadibus vel pignore, dimittebat, &c. Vide Joh. Calvinum *Lexic. Jurid.* & suprà in voce *Alapa*, ut & infrà, ubi de ritu *Aurem in testimonium torquendi.*

Anthelii, Θεοὶ ἀνθήλιοι, apud Athenienses, Dii, quorum statuæ ante portas erectæ stabant, perpetuo Soli expositæ, unde nomen ortum, Hesychius & Dionys. Petavius *in Themistium.*

Antheropita, nomen imaginis Domini nostri, apud Anastasium Biblioth. *in Stephano II.* Lege *Acheropita*: intelligitur enim imago ἀχειροποίητος, de qua suprà in *Acheropoëta*. Vide Car. du Fresne *Glossar.* qui Gretzerum laudat libr. *de Imaginibus non manufactis.*

Anthestheria, quæ & *Bacchanalia*, mense Novembri, à Romanis celebrabantur, postridie Kal. V. Rosinum *Antiq. Rom. lib.* 4. *cap.* 4. ut etiam in voce *Anthisteria*.

Anthia, in Peloponn. adde: Græcè Ἄνθεια, urbs memorata Homero, quæ postmodum Θουρία, *Thuria* dicta, vicina Cardamylæ. Solinus *cap.* 7. *Anthia & Cardamyle, ubi quondam fuere Thyrea, unus locus dicitur, in quo anno XVII. regni Romuli inter Lacones & Argivos memorabile bellum fuit*, ad quem locum vide Salmasium *pag.* 139.

Anthrax, Græcè Ἄνθραξ, nomen ardentium gemmarum, quarum principatum obtinet, qui *Anthrax* propriè dictus est. Strabo *lib.* 15. de India, Φέρειν δὲ καὶ λίθους ἡ χώρα πολυτελεῖς κρυσταλλίους, καὶ ἀνθρακίας παντοίους, ὥσπερ καὶ μαργαρίτας: ubi nomine κρυσταλλίων, *gemmas, crystallina facie* & candicantes, uti nomine ἀνθρακίων, *ardentes*, significari, ait Salmasius *ad Solinum pag.* 1093 Habet autem *Anthrax* εἶδος ἐξυφαίνων, *speciem clarè purpurantem*, Epiphan. Vide infrà in voce *Carbunculus* & eundem *pag.* 780. Hinc *Anthracites* apud Solinum *cap.* 37. ubi eum dicit *coruscare velut scintillantibus stellis*. Plinius *Anthracitin* vocat, *In Anthracitide scintillæ aliquando discurrere videntur.* Alia tamen est *Anthracitis*, quam inter carbunculorum genera retulit, in Thesprotia fossilem & carbonibus similem; alius *Anthracites lapis*, è genere hæmatitarum. Fortè Solinus in Plinio legit, *in Anthracia scintillæ discurrunt.* Sed ille *Anthraciam* gemmam dixit, non *Anthraciam* lapidem, τὸν ἀνθρακίαν, &c. Vide Eundem *ibid. pag.* 770. & infrà in voce *Lychnites*, namque & sic Anthracem Græci, qui de Lapidibus scripsere, exponunt, quia luceat, ut lucerna accensa vel ignis.

Anthropophagi, adde: Tales imprimis incolæ Insularum *de Andreman* seu *Andremaon*, in Oceano Indico & Caribani aliique Americæ incolæ, quibus cum vicinis bella gerere & illorum deinde tanquam hostium carnes in cibum suum vertere, voluptas est. Quanquam Hispanorum cadaveribus illi aliquando pepercerunt, ne etiam post mortem nocerent. Verùm nec solùm hostes, sed & advenas quosque, tempestate aut simili casu eò abreptos, hæc sors manet: Unde & justitiam armorum Indis illatorum aliqui hinc arcessiverunt, sed an satis solidè, illi viderint. De more senio aut morbo confectos, defunctos quoque Parentes, consanguineosq; edendi apud Ethnicos, V. Carolin. *Hedendaegsche Heidendom, P.* 1. *c.* 24. §. 1. Ipsis Europæis nostris hanc *Anthropophagiam*, ab Æthiopibus Africæ ad Oceanum Æthiopicum, objectam legimus, *in Hist. Navigat.* Aloysii da Ca de Musto. V. Auctorem Anonymum *Hist. Orbis Terr. Geogr. & Civ. cap.* 9. §. 4. *de Moribus Gentium.*

Anthypatus, apud vett. Romanos, Proconsul, Gr. Ἀνθύπατος: Imp. CP. nudus titulus fuit, quo non modo aulicos suos, sed etiam exteros Principes ac viros illustres interdum donabant. *Chron. Casinense l.* 2. *c.* 2. *A Mariano quoq;* Anthypato, *Imperiali Patricio*, &c. Sic Johannes Dux Amalphitanus, apud Ughellum *Tom. VII. Ital. Sacr.* & Landulphus Princeps Beneventanus apud eund. *Tom. VIII.* inter alios dignitatis titulos, *Anthypatorum* elogio exornantur, V. du Fresne *Glossar.*

Anthyrius, Alexandri M. Miles, post hujus obitum, cùm Obotritis suis, à vestium seu armorum varietate ita dictis, nave, cujus prora gryphem, velum Bucephali caput referebat, in ora Gothica prius, dein Balthica appulisse, & familiæ Vandalicæ, è quâ orti Reges Herulorum Principes Rugiæ, originem dedisse fertur. Sed fabulam hoc sapere, eruditè docet Phil. Jac. Spenerus *Sylloge Geneal. Hist. in Fam. Vandalica.* V. quoque in voce *Antyrius*.

Antiæ, apud Tertullianum *de Pallio cap.* 4. ubi de Hercule, apud Omphalem serviente: *Credo & jubas pectinem passas, ne cervicem teneram inureret stiria leonina: hiatus crinibus infarsos, genuinos inter antias adumbratos*: non sunt, ut quidam volunt, sincipitis leonini crines antependuli aut ejus fronti impendentes; sed vult & fingit Auctor, Omphalem, cùm exuvias illas Herculei leonis sibi aptaret & indueret, hiatum ejus globis crinium muliebrium infersisse, genuinos autem leonis dentes inter *antias*, h.e. inter capillos & cincinnos suos ab utraque parte descendentes texisse. Non enim alii capilli, quàm qui utrinque per tempora & genas descendebant, genuinos leonis poterant adumbrare, & hi *Antiæ* dicuntur. *Gloss. Antiæ, comæ*, διὰ τῶν κροτάφων παρειαὶ γυναικῶν. *Glossæ* S. Benigni Divion. *Antiæ, capilli, quos proximos auribus in capite mulieres componunt.* Græci παρωτίδας vocant; Pollux etiam προκρόσσους & κοσσύμβους; ac Lucianus τὰς παρ' οὖς βοστρύχους. Quo-

ἐκφύησι. Quo sensu Appulejus in *Floridis*, ubi de Apolline: *Crines ejus remulsis antiis & promulsis capronis, anteventuli & propenduli*, ait. In quibus verbis *Promulsa caprone* & *propendula* in frontem: *remulsa antiæ* & *anteventulæ*. Nam qui per genas & tempora dimissi sunt crines, etiam *anteventuli* dici possunt & *antependuli*, ad differentiam eorum, qui colla & cervices flagellant. Sic idem *Milesiar. lib.* 5. *retropendulos* dicit crines, qui cervices pererrant: *antependulos*, qui genas; atque hi sunt, qui *Antiæ* dicebantur. Item alibi, *Adolescens visendâ pulchritudine, crinibus fronte parili separatu per malas remulsis*: de *antiis* omnino loquitur. Comarum igitur alias *ὑπὲρ τῶ μετώπου*, quas Latini *caprones*; alias *ἐκ πλαγίων*, quas *Antias*; alias *ὀπίσω* nutriebantur, quas retropendulas Appulejus vocat, &c. Origo vocis ab *antis*, quæ sunt latera ostiorum: Sed & *antes* cujusque rei extremitates sunt. Salmasius *ad Tertullian.*

Antiani, apud Genuenses & in aliquot Italiæ civitatibus, Patricii ac Nobiles dicti sunt, qui auctoritate, ætate & honore cœteros *anteeunt* atque adeo ipsi Magistratus. *Ἀρχηγέται*, Primates ordinum seu decuriæ Primi, *l.* 1. *Cod. de Episc. audient.* Vide Joh. Villaneum *lib.* 6. *capp.* 51. ac 84. & Car. du Fresne *Probat. Hist. Gallo-Byzantina.*

Antiates, adde. Horum aquæductus, inter opera Antonini Pii, recensentur, apud Capitolinum.

Anticimenon, Gr. *Ἀντικείμενον*, i. *oppositio*, repugnantia, titulus libri S. Bertarii Abbatis Casin. in quo quæstiones & controversiæ utriusque Testamenti continentur, de quo vide Leonem Ostiensem *lib.* 1. *cap.* 32. Impressus fuit, sub Anonymi auctoris titulo, Coloniæ Agrippinæ A.C. 1533. jam verò *Annotationibus* illustratus de novo prodiit, operâ Joh. Baptistæ Marii. Macer.

Anticum, apud Festum, pro *janua*. Item pars Templi, quam Græci *πρόδομον*, *πρόναον* & *προπύλαια* dixere; cui oppositum *posticum* seu *posticium*, pars Ædis sacræ apud Græcos posterior, quam *ὀπισθόδομον* appellavere: In Christianorum enim Templis hæc pars non fuit. Dictum autem *Anticum*, ab *Antis*, de quibus suprà. Erat enim pronaus seu *πρόδομος*, vel parietibus *Antarum* vel columnis ædificatus cum fastigio. Vide hic *passim*, & apud Salmasium *ad Solinum pag.* 1217.

Antidorum, Græcis *ἀντίδωρον*, Domin. Macro, panis est benedictus, ex cujus parte media, quæ cruce obsignata est, secundum Græcorum ritum, aufertur à Sacerdote consecrationis materia, reliquum verò populo post Missam distribuitur. Addit Frater, in lateribus ejus hæc verba esse impressa, *Jesus Christus vicit*: Casaubonus panem *προσφορὰν* sic dictum esse ait. V. Macrum utrumq; in *Hierol.* Casaubonum *Exerc.* 1. *Baron.* & infrà in voce *Panis*.

Antidotum pro acriori cathartico, apud Ælium Spartianum in *Adriano Cæs.* ubi de Cejonio Commodo Vero, quem Adrianus adoptatum *Ælium Verum Cæsarem* appellavit: *Denique accepto largius antidoto, ingravescente valetudine, per somnum periit.* Idem in *Ælio* hoc *Vero*, *potionem* vocat: *Nam cùm de provincia Ælius rediisset — acceptâ potione, quâ se existimaret juvari, Calendis ipsis Januariis periit.* V. Salmasium *ad Solinum pag.* 375.

Antigenidas, Thebanus, primus multiforatilem tibiam *πολύφωνον πλάγιαυλον*, excogitasse legitur apud Theophrastum, cùm ante ipsum tibia paucis foraminibus, & dextera Phrygia quidem uno, sinistra duobus tantùm essent apertæ. Horatius *de Arte Poet.*

Tibia non, ut nunc, orichalco vincta, tubæque
Æmula, sed tenuis simplexque foramine pauco.

Pollux verò id inventi Diodoro Thebano; Athenæus tandem & Pausanias Pronomo, indidem oriundo, tribuunt. V Salmasium *ad Solin. p.* 120. & infrà, ubi *de Musica simplicitate* & in voce *Antigenides*.

Antigonus, locus in altero tabulæ lusoriæ, apud Vett latere. Præter nomina enim numerorum, quæ punctis seu locis tabulæ imposita erant, unus etiam dicebatur, *Ἀντίγονος*, & alter *Δῖος*. Agathias,

— — *μετόπιν δ' ἄλλων*
τὴν ὑπὸ τὸ προμάχων ἀμφιέπουσι Δίός.

Et paulo pòst,

ὀλίγοις Ἀντίγονον Διαμερίμνην.

Ubi *Δῖος* Latinum nomen est, *divus*: quo Romanorum Impp. post mortem appellatos esse, nemo nescit. Nempe Tabulæ ludus ad imaginem belli cùm planè compositus esset, in eoque calculi nigri vel russei cum albis certarent: in uno latere tabulæ locus erat, qui dicebatur *Divus*, quasi Regis Romani sedes; in altero, oppositus & contrarius, *Antigonus*, quod nomen fuit Macedonum Regis: quos semper Romanis adversos & contrarios fuisse notum est. Et quidem, quia albi calculi in dextro latere statuebantur, nigri in sinistro, *Antigonus*, posterius hoc tuitus est & post tertiam decimam lineam, locum quartum decimum occupavit. Duodena enim puncta utrumque latus habebat, invicem sibi opposita, seu duodecim lineas aut scripta, unde XII. *Scriptorum ludus* Romanis dictus est, &c. Salmasius *ad Vopiscum in Proculo*. V. infrà in voce *Tabula*.

Antigonus Sochæus, celebris inter Judæos, Præceptor fuit Sadoci; qui ab Antigono in Pharisaismo solicitè institutus, postmodum ab illo deficiens, Sadducæorum hæresin orsus est. Erat autem Antigonus ille successor Simeonis Justi, qui cùm docuisset, *pietatem nostram non debere esse mercenariam*, discipuli ejus *Sadoc* & Baithus illud sic intelligentes, quasi omnis præmii in altera vita spem præcidisset, eò delapsi sunt, ut *Resurrectionem, vitam alteram*, &c. inficiarentur. Thom. Godvvyn *Tr. Angl. Moses and Aaron lib.* 1. *cap.* 11. *de Sadducæis.*

Antigoria vallis, in Lepontiis, dicitur in reg. dicta *Val de Oscella*, Germ. *Eschenthal*, tractus à fonte Tosæ, qui in Alpibus haud procul à fontibus Rhodani abest, per 3. mill. deorsum vergens; ibi vicus *Bonmat*, ubi Germanicæ linguæ usus. Stumpf. *lib.* 9. *de Lepontiis. cap.* 11.

Antigrapheus, Gr. *Ἀντιγραφεὺς*, in *Gloss. dictator*, *rescriptor* est, non *scriba*, ut quidam vertunt. Tantum enim *Antigrapheus* à scriba differt, quantum dictator à librario. Habebantque *Ἀντιγραφεῖς* sub se librarios & scribas, eosque qui scrinium gerebant. *Novella* Constantini Porphyrogenn. de sportulis Scribæ, *Ἐπειδὴ ὁ Συγκλητικὸς ...* In *Glossis Basilicis*, *Ἀντιγραφεὺς ὁ διαθήκας* dicitur Testamenti dictator, quem *Antecessorem* exponunt, i. Jurisperitum, qui Testamentum dictat; tabellio verò scribit, qui & *Νομικός*. *Ἀντιγραφεὺς* etiam exponitur in optimis Glossis, sicque propriè dicebatur, qui exemplaria inter se contendebat, & si quid in iis vitiosum, corrigebat & emendabat. Quod utique faciebant epistolarum, libellorum & memoriæ *Antigraphei* seu *dictatores*. Nam postquam dictassent, relegentibus librariis & scriniariis, dictata recognoscebant ac corrigebant. *Ἀντιγράφειν* enim *recensere* est ac *rescribere*; dicebatur autem rescribere opus suum Auctor, qui emendandi animo illud recognoscebat. Suetonius in *Julio*, *Existimatque rescripturum & correcturum fuisse*. Atque hoc sensu *ἀντιγραφεῖν* exponit Ulpianus in *Demosth.* *Τὸ ἀντιγράφειν ...*: adeoque verum est, vocem hanc *dictatorem* Latinis denotare, ut Græci recentiores summi Imperii Magistratum in veteri Rep. h. e. *Dictatorem*, *ἀντιγραφέα* verterint, cum ille tamen nihilominus, quàm *ἀντιγραφεὺς* fuerit: quippe quem Dionysius aliique Græci vett. *Μονάρχην* interpretati sunt, &c. Erant autem istiusmodi *Antigraphei* seu dictatores, in Aula Impp. recentiorum quatuor, primus *libellorum*, secundus *memoriæ*, tertius *epistolarum* & quartus *dispositionum*: totidemque scrinia. Anonymus Scholiastes in *Novellas* Justiniani, *Quatuor sunt scrinia — unde & quatuor* Antigraphei *sunt. Nam Magistri*, &c. Ubi à Magistris scriniorum *Antigraphei* disertè distinguuntur, quos malè summus JC. confundit. Magister enim scriniorum omnia scrinia curabat, & sub se *Antigrapheos* omnes habebat, qui quòd ab illo proximi essent, *Proximi* quoque & *Primi* appellati sunt. *Glossæ Basilic.* *Πρόξιμοι*, *πρῶτοι*. *Obsecundatores scriniorum*, eos vocat *L.* 3. *Cod. Theodos. de Proximis*: *Obsecundatoribus sacrorum scriniorum, quorum mentibus ingeniisque committimus, quidquid in alias quoque perennium sæpe proferimus Sanctionum.* Quibus verbis planè *Antigrapheos* expressit, quorum ingenio formabantur Principis sanctiones, epistolæ, responsa & rescripta: mentem enim tantùm, non manum, commodabant, atque inde *dictatores*, citerioribus Latinis *dictati* appellati sunt, &c. Vide Salmasium *ad Vopiscum in Caro*, & infrà, in voce *Proximus*, item in *Scrinia*. Cœterùm, vocem *Ἀντιγραφεὺς* aliâ quandoque notione apud Scriptores etiam reperiri, certum est. Polluci enim *Ἀντιγραφεὺς* est *ὁ τῇ βουλῇ ... καὶ πάντα ἀντιγραφόμενος*; ubi *ἀντιγράψαι*, est *τὸ ἴσον γράφειν*, *exemplum scribere*, unde *ἀντίγραφον*, *exemplum*, *exemplar*: quod etiam *ἀντίβολον* dicebant, item *αὐτόγραφον*, ac *ἴσον*. Sed & *ἀντιγράψαι* Latini quoque *contrascribere* dixerunt; unde *ὁ Ἀντιγραφεὺς τοῦ λόγου* in vet. Inscr. redditur, CONTRASCRIPTOR RATIONIS SUMMI CHORAGI: quem vulgò *Contrarotulatorem* Galli appellant. *Ἀντιγραφεὺς* porro Cancellarium etiam reddit Isidorus in *Gloss.* &c. Sed proprium vocis significatum est, quod diximus.

Antigraphus, meliùs *Antigrapheus*, Vide suprà. Apud Isidorum *Origin. lib.* 1. *cap.* 20. una est è notis sententiarum, quæ *cum puncto apponitur, ubi in translationibus diversus sensus habetur.*

Antillæ, adde: Hominibus Anthropophagis hæ insulæ famosæ sunt; Earum peculiaris descriptio, *Histoire des Isles Antilles de l'Amerique, avec un Vocabulaire Caraibe*, extat Roterodami 1658.

Antimensium, Græcorum recentiorum vox, *Ἀντιμήνσιον*, quasi *vice mensæ*, apud Balsamonem *ad Concil.* 6. *can.* 31. idem est cum *Tabula Itineraria*, de qua in *Ord. Rom.* & *Viatico* Bonifacii VIII *de Privileg. cap. ult.* altariolum nempe, seu altare portatile, quo uti solent, ubi Altaris consecrati copia non est. Manuel Patr. in *Resp.* Antimensia *non in omnibus mensis poni necesse est, verùm in iis tantùm, de quibus nescitur an sacratæ sint — locum enim obtinent Altarium*, &c. Non verò ex lapide sunt, ut Latinorum Altariola, sed confecta ex tela illa, quæ cooperiebat Altare, in die consecrationis Ecclesiæ, & in qua continuis per octavam celebrabatur: discissa dein in partes ab Episcopo & Presbyteris distributa, ut, in defectu consecrationis Altarium, his *Antimensiis* uterentur, V. ea consecrandi formulam in *Euchologio* Græcorum. Aliquando verò vox hæc idem significat, quod *Corporale* Latinis, V. Macros Fratres in *Hierolex.*

ex *Antimonio Æs*, in Musæo Kircheriano Romæ, V. suprà in *Æs*.

Antimo, pro *Antinoopolis*, apud recentioris ævi Scriptores, V. *infrà*.

Antinoeæ Coronæ, vulgò Alexandrinis dictæ sunt, quæ ex floribus *τοῦ λωτοῦ ... αὐτοῦ*, *rosea loti*, erant plexæ: ab *Antinoo*

Hadriani Imp. puero delicato. Nominis originem hanc narrat Athenæus *lib* 3. Cùm in Ægypto esset Hadrianus Imp. & in urbe Alexandriæ versaretur Pancrates. Poëta quidam indigena, obtulit ei τὸν ῥόδεον λωτόν, quem florem Poëticâ adulatione dixit tellurem tum nuper submisisse, ex sanguine Maurusii leonis natum, quem in Libya Ægypto contermina ipse occiderat Hadrianus. Cujus Poëtæ ingenio ac novitate delectatus Cæsar, jussit eum adscribi numero eorum, qui τῆς ἐν Μουσείῳ σιτήσεως participabant, ac sumptibus publicis alebantur. Coronæ hinc ex hoc flore plectæ *Antinoeæ* dictæ sunt. Salmasius *ad Solinum pag.* 975. & 976.

Antinomi, Gr. Ἀντίνομοι, q. *Legis hostes*, dicti sunt Joh. Agricolæ sectatores, quem, *inutilem esse Legem divinam, atque ad ejus observantiam homines Evangelicos non teneri*, docuisse refert Rainaldus in *Annal. Eccles. ad Annum Chr.* 1529. apud Dominicum Macrum *l. c.*

Antinoopolis, urbs in Antinoi memoriam & Adriani Cæs. solatium condita à Græcis, in Ægypto, inque Thebaide, ejus reg. Hegesippus apud Eusebium *Histor. Eccl. lib.* 4. Καὶ γὰρ καὶ πόλιν ἐπώνυμον ἐκτίσαντο Ἀντινόου, *Nam & urbem extruxerunt Antinoo cognominem*: seu potiùs instaurarunt ejus gratiâ, cùm esset antè is locus alii Numini consecratus. *Besam* Deum illum & urbem quoque priores vocabant: quam appellationem diu etiam postea retinuere Ægyptii, altera Græcis relictâ. Unde factum, ut de duobus nominibus unum componerent, & oppidum istud BESSANTINOUM appellarent, teste Photio, ubi de Helladio Scriptore Ægypt. qui civitatis hujus incola erat. Ἀντινόειαν vocat eam Stephanus, qui & *Hadrianopolim* ait dictam: Marcellinus *Antinoum lib.* 22. & Chrysostomus in 2. *ad Corinth.* Recentiores illam *Antino* appellaverunt & Græci Ἀντινώ. Hinc in vet. Ecclesiarum Orientis laterculo, apud Salmasium, in Thebaide priore Ἀντινὼ μητρόπολις, *Antino metropolis*, primum locum tenet &c. V. eum *Not. ad Spartianum.*

Antinous Bithynicus, adde: Ægyptiis novus accessit Deus, cujus quæ Sacerdotes faciebant, cum Servatoris nostri miraculis, impudentissime conferre ausus est, qui aliàs ipse Gentilium risit oracula ac Sacerdotum imposturas. Celsus Epicureus, ac proin hoc nomine accuratè ab Origine refelli meruit. V. quoq; Athenagoram in *Legat.* Tatianum, Tertullianum *c. Marcion* Eusebium, Athanasium, & tot alios. Mantinenses annuis sacris & quinquennali certamine eundem coluere, Pausan. *Arcad.* Fuerat autem is Hadriani Atriensis, teste apud Eusebium Egesippo: quæ causa quòd in comam ejus non omnino conveniat illud Martial. *lib.* 4. *Ep.* 42.

— — *Mollesque flagellent*
Colla comæ:

Cùm sint neque promisso capillo, neque detonso, sed cirrato & leviter diffuso, quem tenorem omnes *Antinoi* icones servant. Atrienses autem perpetuò cirratos fuisse, patet ex Phædro *Fab.* 5. *lib.* 2. V. Laur. Pignorium *Comm. de Servis* & infrà *suo loco.*

Antiocheni Canones XXV. scripti, in Synodo Antiochiæ habitâ, à provincialibus Episcopis, in causâ Athanasii potissimùm, sub Constantio & Constante Impp. ac Julio Papa Rom. A. C. 341. in Codice Canonum Ecclesiæ post Nicænos, Ancyranos, Neocæsarienses & Gangrenses Canones collocati sunt: quos Laodiceni sequuntur, &c. Alios finxit, vel saltem fictos Orbi literato obtrusit, *Canones Apostolicos novem Antiochenos* Lambertus Cruterus, in editione Operum Clementis Romani, quæ prodiit Coloniæ, A. C. 1570. quos ab Apostolis in Synodo Antiochena, in antiquitate Ecclesiastica inaudita, nullique Historico fide digno memoratâ, constitutos vult ac sancitos, qua de re videatur Gerh. von Mastricht *Histor. Juris Eccl. num.* 136.

Antiochia, prov. apud Plinium *lib.* 5. *cap.* 20. *Promontorium, in quo Laodicea libera, Diospolis, Heraclea, Charadrus, Posidium: Deinde Promontorium Syriæ* Antiochia: *intus ipsa Antiochia libera Epidaphnes cognominata*: Et Melam, *In eo prima est reliqua pars Syriæ, cui* Antiochiæ *cognomen additur.* Simpliciter *Antiochia*, apud Plinium alibi, pro *Antiochena* vel *Antiochica*; in qua Cyrrhestica regio. Sic *Antiochia Pisidia*, pro *Pisidica*, in *Tab.* Peutinger. V. Salmasium *ad Solinum pag.* 890. Idem tamen utrumque & quoque seipsum corrigens, *Antiochiam Syriam*, non provinciæ, sed urbis nomen, quæ in Syria sita erat, fuisse, ait *pag.* 1236.

Antiochia, urbs Syriæ, adde: Medio ævo, sub Principe Christiano aliquandiu fuit. Cùm enim Boemundus, Tancredi filius, in hæredii sortem, à Rogerio Fratre Tarenti & Baris Principatus obtinuisset, ut narrat Ordericus Vitalis *lib.* 8. *pag.* 677. *Antiochiæ* Dominus factus, eiusdem *Princeps* appellatus est, quòd, inquit Wilh. Tyrius *lib.* 6. *cap.* 23. anteà *Princeps* vulgò appellaretur, *Tarenti* scilicet. Vide infra in voce *Princeps.*

Antiochianus Præfectus, memoratur Æl. Lampridio in *Heliogabalo*: *Inde itum est in hortos; ubi Varius* (id quoque Heliogabalo nomen) *invenitur — Antiochianus ex Præfectis unus milites — sacramenti admonitione exoravit, ne illum occiderent,* &c.

Antiochis, tribus Attica, ab Antiocho quodam Heroë dicta.

Municipia Tribûs Antiochidis.

Ægilia vel Ægilus.	Anaphlystus.
Alopece.	Atene vel Atenia.
Amphitrope.	Bessa.
Crion.	Pentele.
Leucopyra.	Phalerum.
Melenæis vel Melænæ.	Samachidæ.
Pallene.	Thoræ.

V. Franciscum Rossæum *Archæologiæ Atticæ lib.* 1. *cap.* 7.

Antipater Thessalonicensis, adde: Pisonis, in quem extat oratio Ciceronis & qui Macedoniam proconsule obtinuit, familiarem fuisse, inde patet, quòd ei in multis Epigrammatis partim editis, partim ineditis, adulatur. Epigramma ejus elegantissimum, quo rotas aquarias, quæ molendina versant, suo ævo primùm inventas, describit, affert Salmasius *Not. ad Lamprid. in Heliogab.* Alterum item, non minùs elegans ac venustum, in Antimachi Poëtæ laudes, *Notis ad Spartianum in Adriano Cæs.* ad verba, *Antimachum imitando*, utrumque hactenus ineditum.

Antipater, nobilis toreuta, apud Plinium *lib.* 33. *cap.* 12.

Antipathes, Gr. Ἀντιπαθὲς, inter philtra veterum & res eas, quibus amor conciliari creditus, ponitur nonnullis, qui versus illos Lælii *in Apolog.* Appuleii, ubi pleraque philtra descripsit, sic legunt,

Philtra omnia undique eruunt,
Antipathes *illud quæritur*, &c.

Sed vox planè contrarium notat. Sic enim Græci vocant, quidquid adversùs effascinationes, incantationes & amoris faciendi artes Magicas potenter est efficax: seu quod ἀλεξιφάρμακον est. Unde *Antipathes*, gemma Plinio, quæ contra effascinationes auxiliari credebatur; & corallii genus, ab eodem effectu. Inprimis verò Moly illud nominatissimum, quo Mercurius Ulyssem muniit contra Circes effascinationes, Ἀντιπαθὲς vocitatum est. Sic ergo scribit illos versus Salmasius,

Antipathes illud quæsito,
Philtra omnia undique irruunt, &c.

ad Solinum pag. 942.

Antipempton, apud Anastasium Biblioth. *in Leone III. Fecit aquamanus antipemto deauratas paria duo*; corruptum est pro *Antipente*, ex Græco ἀντὶ & πέντε, Dominico Macro: Carolo du Fresne, pro *Antipephthon*; ex Græco ἀντίπεφθον, id est, ἀντίεφθον χρυσὸν, *aurum recoctum*, quomodo *obryzum* vocabant. Cui sententiæ favet Reinerus *de Inventione Reliquiar. Eutychetis & Acacii*, apud Ughellum; ubi legitur: *Crucem Domini ex auro purissimo fecit admirabili artificio compactam. quod splandoclastum & Antipempton (l. Antipephthon) vocabatur.* Vide eum in *Glossar.*

Antiphona, Cantus Ecclesiasticus alternus, cùm scil. à duobus Choris alternatim Psalmi aut Hymni concinuntur. Isidor. *Origin. libr.* 6. *cap.* 19. & *de Eccles. Offic. libr.* 1. *cap.* 7. Τὰ Ἀντίφωνα, Germano Patriarch. Constantinopolit. *in Sacra Theor.* Concilium Ephes. Καὶ ἀνεστάλη πᾶσα ἡ μοναστήρια, ἄρχοντες Ἀρχιμανδρίται αὐτῶν, ἐξῆλθον ἐπὶ τὸ χαλκοῦν, ψάλλοντες ἀντίφωνα. Concilium Toletan. I. *can.* 9. *Nulla Professa vel vidua, absente Episcopo & Presbytero, in domo sua,* Antiphonas *cum Confessore vel servo suo faciat,* &c. Harum apud Græcos auctor creditur S. Ignatius, à quo formam illam alternâ vice in Ecclesia cantandi, in Ecclesiam primò Antiochenam profluxisse, tradunt Socrates *lib.* 6. *cap.* 8. Nicephorus Calistus *libr.* 13. *cap.* 8. Walafr. Strabo *cap.* 28. &c. aliis, inter quos Theodoretus, & ex eo Sigebertus, Flaviano & Diodoro id tribuentibus. Inde ad Latinos ritus hic transiit, apud quos primus Ambrosius Episcopus Mediolanens. *Antiphonas*, Græcorum imitatus exemplum, constituit, sicque in cunctas Occidentis regiones earum usum diffudit, *ne populus mœroris tædio contabesceret*, Augustinus *Confession. libr.* 9. Justinâ, Valentiniani Imperat. matre, quæ Arianæ sectæ erat addicta, in fideles acriter tum sæviente. Vide Sidonium Apollinar. *lib.* 5. *Epist.* 17. Sigebertum *ad annum Chr.* 387. Rabanum *de Institut. Clericor. libr.* 2. *cap.* 50. Durandum *Ration. lib.* 5. *cap.* 2. *num.* 30. *& seqq.* & Durantum *de Ritibus Eccles. lib.* 1. *cap.* 17. laudatos Carolo du Fresne *Glossar.* Hodie in Ecclesia Romana *Antiphonæ*, in Ecclesiasticis officiis, dicuntur meræ ex variis Psalmis diversorum versuum eclogæ, solennitatis mysterio exprimendo maximè convenientes, quæ Psalmis ipsis concinendis præmittuntur: seu sententiæ, quæ Psalmum antecedunt; quia, ut ait Amalarius *de Eccles. Officiis libr.* 4. ad ejus symphoniam Psalmus cantatur per duos choros, qui ipsâ *Antiphona* conjunguntur: qua de re vide plura hic infrà. Hinc *Antiphonatim* cantare, in *Vita* Caroli Com. Fl. id est, *alternis choris.* Sic Florentio Wigornensi Celestinus Papa constituisse dicitur, *ut Psalmi David.* 150. *ante sacrificium* antiphonatim *decantarentur.* Quod in Ecclesia Lugdun. Nicetium Archiepiscopum instituisse, indicat *Epitaphium* ejus,

Psallere præcepit, normamque tenere canendi
Primus & alternum tendere voce chorum.

Alia *antiphonatim* canendi ratio apud Græcos viget, quam παρακωνάκιον appellat Leo Imperator in *Tacticis capite* 7. §. 12. ubi hæc habet: Γυμνάσεις εἰς τὸ ἐπιτρέχειν ἀλλήλους ἀνὰ δύο ἄνδρας καὶ ὑποχωρεῖν καὶ πάλιν ἀντιλαμβάνειν καὶ ἐξελίττειν πρὸς τὸν τύπον παρακωνακίου. *Exercebis eos, ut viri bini sibi mutuò occurrant cedantque, & lucham declinent atque evolvant, ad modum paraconiacii.* In quem locum Philippus Pigafetta, *Vox militaris*, inquit, *quâ num.* 11. *Imperator utitur, à cantu desumta est, quem Caloceri* ab-

in divinis Officiis sola adhibent, cui Parakmasti nomen est: sic autem hymni vocantur, qui in Sanctorum honorem alternis decantantur hoc modo: Sit Chorus quatuor Calecterorum, qui laudes Sancti alicujus decantent; horum bini primùm cantant, dum tacent: succedunt alteri bini, qui cantandi vices sumunt, similiterque cessant, prioribus cantum resumentibus, tacentibusque rursus, donec alternâ hac sibi invicem canendi cedendique vicissitudine hymnus absolvatur. Quo modo etiam Goarus alternum & ἀντίφωνον istum cantum describit, *ad Eucholog. Græc. pag.* 113. Vide eundem du Fresne & Spelmannum in *Glossar.*

Antiphonæ variì generis in Ecclesia Romana.

Antiphona ad Introitum, quæ etiam *Introitus* dicitur, in introitu Missæ cantari consuevit. Walafr. Strabo *de Rebus Eccl. cap* 22. Vide infrà in voce *Introitus*.

Antiphona Allelujatica, quæ per *Alleluja* clauditur, apud Joh. Abrincensem *de Off. Eccl.*

Antiphona ante Evangelium in Andegavensi Ecclesia dicebatur, quæ in aliquibus solennitatibus canebatur, ante Missæ Evangelium, ad *Benedictus* illius diei assignata, Macer *Hierolex.*

Antiphona invitatoria, quæ replicatur ad Psalmum *Venite exultemus*. Idem. Amalarius *de Ord. c.* 9. *Antiphonæ Invitatoriæ currunt per Dominicas noctes.* V. infrà in voce *Invitatorium.*

Antiphonæ Majores, dicuntur 7. illæ, quæ tempore Adventus, *ad Magnificat*, per septem dies ante Nativitatem Domini cani solent. In Ecclesia Paris. novem sunt, quas ter replicari (exceptâ sextâ, quæ in honorem S. Thomæ Apostoli dicatur) nempe in principio & fine cantici *Magnificat*, & tertiò post *Gloria Patri*, refert Theoph. Raynaldus in *suo Parasceuastico Præl.* 4. In Hispania septem hæ *Antiphonæ*, ex privilegio Gregorii XIII. incipiunt à die 6. Decembr. Ad 17 enim vacant, ob solennem expectationem Virginæ is partus, &c. Extraordinaria ceremonia erat, quam Parisius de Grassis refert in suis *Diariis*, quòd nempe, cùm in Sabbato præcedenti Dominicæ 3. Adventus Papa, in Basilica Vaticana, canebat solemnes Vesperas, dici consueverint *antiphonæ* ad laudes, & suggerente Primicerio intonationem Pontifici illius primæ antiphonæ, *Juste*, &c. Papa à Camerario acceptam auream monetam, in ore Primicerii posuerit: Macer in *Hierolexico.*

Antiphonæ Processionales, quæ in processionibus cantantur, apud præf. Joh. Abrincensem *de Officiis Eccles. pag.* 38.

Antiphonæ Rogationales quæ in Rogationibus dicuntur, apud Eundem *pag.* 55. &c. Quomodo autem *Antiphona* distet à Responsorio, Vide infrà.

Antiphonarium, volumen, in quo *Antiphonæ* totius anni continentur: à Gregorio Magno in Ecclesia Romana ordinatum, ut Bernus refert *cap.* 1. & ab Eligio Presbytero in Gallicanam Ecclesiam introductum, docente Amalario. Agobardus *libro de divina Psalmodia, Necesse fuit omnem sacrorum officiorum seriem, quæ solito Cantorum ministerio, per totum anni circulum, in Ecclesiasticis conventibus, exhibetur — diligentiùs & pleniùs in libello, quem usitato vocabulo*, Antiphonarium, *nuncupant, colligere atque digerere.* De hujus *ordine* librum scripsit Amalarius Fortunatus, qui *Responsorium* quoque, à Responsoriis quæ ibidem continentur, dicitur. *Antiphonarium diurnum & nocturnum*, quorum scil. usus in diurnis nocturnisque officiis, occurrunt in *Chron.* Casinensi *libr.* 3 *cap.* 62. apud Carolum du Fresne in *Glossar.* Apud Spelmannum, Romanum *Antiphonarium* composuisse fertur S. Gregorius, illudque notâ Romana notasse; quod postea Hadrianus Papa, Carolo M. dedit cum Theodoro & Benedicto Ecclesiæ Romanæ doctissimis cantatoribus, ut juxta idem cantum Gallicum emendarent. Quod & factum, & nota Romana deinde *Francica* appellata est. Vide eum *Gloss. Archæol.* ubi inter alia, in Cœnobio obscuro *de Crabhuse*, agri Norfolciensis, duo *Antiphonaria*, circa A. C. 1424. viginti sex marcis i. 52. libris Anglicis constitisse, refert.

Antiphrygium, Innocentio III. Pontif. Rom. mitra appellatur, Vide infrà *Mitra.*

Antipodes, adde: Bonifacius inprimis Episcopus Moguntinus, qui sic ratiocinatus est: *Si essent Antipodes, alii homines, adeoque alius Christus introduceretur*, Nancel. *c.* 1 & Aventinus *Annal. Boior. lib.* 3. Cui cum Virgilius, sanctimonia & eruditione celebris in Bavaria Episcopus, advertaretur, Bonifacius apud Zachariam Pontif. tantum effecit, ut ille ad Utilonem Bavariæ R. literis missis Virgilium Episcopali sede ejiceret. Zachariæ ad Bonifacium Rescriptum habes, in Marci Antonii de Dominis *libr.* 7. *de Rep. Christ. cap.* 5. *num.* 48. Ac Libertus Fromondus quidem in *Ant-Aristarcho* historiam hanc longè aliter, quàm hactenus relata fuit, explicare conatus est: Habet tamen eandem Claud. Fauchetus, Historicus Gallus, *Tom.* 1. *fin.* V. Auctorem Anonymum *Hist. Orbis Terr. cap.* 1.

Antipolis, Transtiberina Romæ regio dicta est, cujus incolæ *Antipolitani.* Plinius *lib.* 3. *cap.* 5. Antipolis, *quod nunc Janiculum; quasi ante* vel *contra civitatem Saturniam seu Latialem, quæ nunc Roma.* Hinc de thynno transtiberino Martialis,

Antipolitani fateor sum filia thynni.

Apud Dominicum Macrum *Hierolexico* in voce *Esox.*

Antipolis, adde: Condita à Massiliensibus, in agro Deceatium, quem armis occupaverant, & quòd Vintio capiti Nerusorum ac Deceatibus cæterisque Liguribus Capillatis esset opposita, hoc nomine appellata est. Auctor enim est Strabo, à Phocensibus Agatham barbaris Rhodani accolis, id est, Volcis: Taurentum, Olbiam, *Antipolim* & Nicæam Salyis ac Liguribus Montanis, velut propugnacula, opposita esse ac objecta. *Oppidum Latinum* Plinius eam vocat. Græcam quidem origine urbem, sed à Senatu Populoque Rom. Latii jure donatam: quæ tamen *Colonia Antipolis*, in nummo Titi apud Goltzium, sed falso forsitan ac supposititio nomine vocatur. Tacito *Hist lib.* 2. *Antipolis Narbonensis Galliæ municipium* dicitur. Atqui si oppidum Latinorum fuit, ætate Plinii, principatu Vespasiani ac Titi, *Colonia* utique eodem Tito Principe esse appellarique non potuit: aut si *Colonia* Titi Aug. jussu evaserat, paulo post, ætate Taciti, imperante Domitiano Titi fratre, aut Trajano, *de Colonia Municipium* vocari nec potuit nec debuit. Ab Amm. Marcellino ponitur in prov. Viennensi, cum Aquis Sextiis & Nicæa, Stœchadibusque ins. quæ loca, postea prov. Narbonensi secundæ ex Viennensi detracta sunt attributa. In Notit. itaque Provinc. & civitatum Galliæ, inter prov. Narbonensis secundæ civitates septem, ultima numeratur; cujus Episcopi, Agrœcius Synodo Agathensi; Eutherius Concilio Aurelianensi 4. Eusebius per Septembrem missum, quinto: Optatus Concilio Paris. quarto: Optatus Matisconensi secundo: Deocarius Concilio Cabillonensi, jussu Chlodovei jun. habito, interfuere. Dein prov. quoque Narbonensi detracta, & prov. Alpium Maritimarum attributa est, &c. Laudabatur olim muriâ *Antipolis*, ut Plinius *lib.* 31. *cap.* 8. & Martialis *lib.* 4 *ac* 13. docent: Erat illa rubra, fiebatque ex primo sanguine thynni adhuc exspirantis, sicut garum Sociorum de scombrorum sanguine. *Thynnum* quoque *Antipolitanum* commendat Martialis: & hodieque illorum captura urbs nobilis est. Theatrum etiam in illa fuisse, indicat vetus Inscriptio à Petro Victorio relata.

Antiquaria Ars, apud D. Hieronymum *Epist. ad Florentium*, ἀρχαιογραφία dicitur, *in Vita* Nili Jun. *pag.* 29. & 137. *Antiquarius* nempe, in vett. *Glossis*, ἀρχαιογράφος, ἀρχαιογράφος. Isidorus *Origin. lib.* 6. *cap.* 14. *Librarii iidem, qui* & Antiquarii, *vocantur, sed Librarii sunt, qui nova & vetera scribunt:* Antiquarii *qui tantummodo vetera.* Itaque *Antiquarii* sunt, qui vetustate libros obsoletos componunt, reparant, describunt, ut est in *l.* 2. C. *Theodos. de Studiis lib. urb. Rom.* & *l.* 10. *Cod. de Proximis sacr. scriniorum.* Hinc *Antiquariorum domus*, in Monasteriis, quod & *Scriptorium* dicitur in *Vitis* Abbatum S. Albani, apud du Fresne *Gloss.* Valentinianum Imper. septem *Antiquarios* ac peritissimos transcriptores, quatuor viz. Græcos & tres Latinos in sua Bibliotheca constituisse, ex eadem *l.* 2. docet Dom. Macer in *Archiota.*

Antirrhinum, vel *Antirrhizum*, herba olim multum ad Magicos usus adhibita. Ad famam enim & dignitatem comparandam aliquid facere, prodidere nonnulli, apud Theophrastum *Histor. Plantar. lib.* 9. *cap.* 21. Εὔδοξον γὰρ φασὶν εἶναι ποιεῖν τὸ ἀντίῤῥιζον ἀλειφόμενον. Dioscorides gratiosos evadere dicit, si qui eo ungantur: Τοῦ δὲ ἀντιῤῥίνου φασὶ φαρμακεύειν [illegible] ἐπιχριόμενον τοὺς ἀλειφομένους ὑπὸ ἐλαίου κρινίνου. Idem v. Theophrastus eo unctos claritatem nominis consequi, scribit, *ibid.* Quam ejus virtutem non uno in loco tripolio perperam ascribit Plinius. Dicitur autem ἀντίῤῥινον vel ἀντίῤῥις, ἀπὸ τῆς ῥὶς ῥινός, quòd vituli *nares* assimilet, &c. Vide Salmasium *ad Solinum pag.* 1067.

in *Antis*, dicebatur Templum, quod *antas* haberet in pronao, Græcè Ναὸς ἐν παραστάσι, Vitruvius *lib.* 3. *cap.* 1. *In Antis erit ædes, quum habebit in fronte Antas parietum, qui cellam circumcludunt, & inter Antas in medio columnas duas supraque fastigium.* At quæ contra Antas duas columnas angulares habuit & supra Epistylia & dextrâ ac sinistrâ in versuris singulas, Πρόστυλος dicebatur, Idem *ibid. pag.* 1216. & 1217.

Antisigma. Isidoro *Originum lib.* 1. *cap.* 20. una est è notis sententiarum, quæ *ponitur ad eos versus, quorum ordo permutandus est, sicut & in antiquis auctoribus positum invenitur. Antisigma cum puncto, ponitur in iis locis, ubi in eodem sensu duplices versus sunt, & dubitatur, qui potiùs eligendus.*

Antistita, nonnunquam occurrit, pro Archimandritissa sive Abbatissa: olim pro uxore Episcopi. Vide in voce *Episcopissa.*

Viri illustres.

Antistius Burrus, seu *Burrhus*, memoratur Julio Capitolino in *Pertinace*, *Byrrhus* Lampridio dicitur in *Commodo*, ubi de eo, *Cleander — tantum per stultitiam Commodi potuit, ut Byrrum sororis Commodi virum, reprehendentem nuntiantemque Commodo, quæ fiebant, in suspicionem Regni affectati traheret & occideret, multis aliis, qui Byrrum defendebant, pariter interemptis.* Capitolinus verò, à Pertinace apud Commodum affectati imperii insimulatum esse, dicit. Onuphrius, sororem ejus Crispinam, Commodi Imp. uxorem fuisse, prodit, sed nullo idoneo auctore. Casaubonus *ad Lampridium.*

Antistius Capella, Literator Latinus, quo Commodus usus est, apud Eund.

Antistius Labeo JC. institutus est à Trebatio, de quo *l. 2. §. post hoc. ff. de orig. Jur.* V. quoque Suetonium *in Augusto cap. 54.* & A. Gellium *lib. 13. cap. 10. & 12.* Ejus libris, qui post mortem editi sunt, *Posteriorum* nomen inditum est: præter quos scripsit etiam *Commentarios in LL. XII. Tabb.* ut idem Gellius testatur. Citatur & à Plutarcho *ἐν Ῥωμαϊκοῖς*, &c. Ob præfractam in sententiis in Senatu dicendis libertatem, quâ ne Augusto quidem ipsi cedebat, insaniæ notâ aspergitur ab Horatio, Imperatori suo blandiente, *Sat. 3. lib. 1. Serm.*

—— —— *Labeone insanior, inter*
Sanos dicatur.

Ad quem locum vetus interpres Marcus ait, *Antistius Labeo, Jurisperitus memoratæ libertatis multa liberè contra Cæsarem dixisse & fecisse dicitur, ab eo latas leges contumaciter reprehendens. Quare in gratiam Augusti eum sic carpit & Insanum nominat: qua in re quidem fuerit Atteio Capitoni suo dispar*, Tacitus docet *lib. 1.* Brissonius apud Calvinum *Lexic. Jurid.*

Antitrinitarii, circa An. Chr. 1570. exorti, tres Personas Divinas una in personalitate subsistere, impiè docere cœperunt. Macer *Hierolex.* Sed & in vet. Ecclesia, ut de Manichæorum duobus principiis & portentosis Æonum Syzygiis, de Valentinianorum & Gnosticorum ingenio, deque Montani Paracleto, quem Spiritui S. opponebat, taceam; *quadruplici* agmine contra sacratissimam veritatem & Christianæ fidei veluti arcem, doctrinam hanc de *Trinitate*, qualem Scriptura nobis tradit, incessere. *Prima* acies fuit Ebionitarum, Cerinthianorum Carpocratianorum atq; Nicolaitarum, qui Christi divinitatem negarunt: quo in agmine etiam fuit Theodotus, coriarius, ac post illum Artemon, & 60. pòst annis Paulus Samosatenus, ab Antiocheno Concilio sede suâ motus: quem Photinus excepit, à Synodo Syrmiensi pariter damnatus. *Secunda* fuit Patripassianorum: cujus duces fuere Praxeas, Tertulliano refutatus; Hermogenes, Noëtus, Sabellius, qui expunctis Personis earumque discrimine, non aliam, quàm trinominem, *Trinitatem* intellexere. *Tertiam* Arius ductavit, qui *Trinitatem* concessit, sed valdè imparem & Filio quidem minorem quandam Deitatem & aliam à Patre essentiam, Spiritui S. autem creaturæ nomen adscripsit. Post quem in diversum abiere Hæretici: Quidam enim cum Ario Filium quidem Patri *ὁμοούσιον*, verbo; reipsâ autem per omnia *ἀνόμοιον*, seu *dissimilem*, quippe creatum & ex non entibus factum, dixere, qui inde *Exoucontiani*, & à sectæ auctoribus *Acatiani, Aëtiani, Anomæi, Eudoxiani, Eunomiani*, & *Ursaciani* appellati fuere: atque cum his idem planè præt. seculo sensit Erasmus Johannes, qui cum Socino super hoc argumento biduum palàm disputavit; idemque fere sentire videtur Episcopius, ut de aliis nil dicam. Alii similem quidem eum per omnia Patri, sed non consubstantialem, asseruere, ut Semi-Ariani. *Quartam* aciem instruebant Pneumatomachi, auctore Macedonio Episc. CP. A. C. 360. qui parte Arianæ impietatis, de Filio, repudiatâ, partem alteram de Spiritu S. amplexus est. Quos omnes Hæreticorum errores imitatus & supergressus est deinceps Mahometes, famosissimus impostor, An. Chr. 620. imperante Heraclio, qui pariter in Essentia Divina unam solùm Personam, & in Christi persona unam tantùm essentiam agnovit. Præterito verò seculo, sepultas jam hæreses vett. ex orco revocavit Michaël Servetus Hispanus; quem secuti Val. Gentilis, Georg. Blandrata, Fr. Davidis, Faustus Socinus, aliique ex isto grege, qui in neganda Divinitate Christi conspirantes, in cultu atque adoratione ejus non leviter dissentiunt: Spiritûs verò S. non Divinitatem solùm, sed & Personam, abnegarunt; ac SS. Trinitatis dogma tartareo ore afflare pro ludo habent; quin & *Antichristi commentum* blasphemè vocant, atque à prodromis ejus Christiano populo obtrusum, Tertulliano præsertim atque Athanasio, quorum is ex Montani Spiritu & fanaticarum mulierum prophetia illud hauserit; hic ex odio in Arium novum dogma procuderit, quod Synodo Nicænæ omnem suam auctoritatem debeat, ut Christus anno 327. demum Deus factus sit, & Spiritus S. anno 340. pluraque alia, calumniantur. Socinianos non longo intervallo sequuntur plurimi Anabaptistæ, sed qui ipsi non satis inter se concordes longè imperitiùs hoc argumentum tractarunt, &c. Quæ adeò variæ hæreseos hujus facies, licèt non uno se vultu ostendant, revera tamen in eandem impietatem conspirant omnes; & Valentini *Æones*, Sabellii *trinominis unitas*, *Arii Creatura*, per quam Deus omnia condiderit, Samosateni, Photini ac Socini *Homo deificatus*, nihil aliud sunt, quàm alternantia unius Veritatis adulteria, uti accuratè docet Fr. Burmannus *Synopseos Theologiæ Christianæ, Part. 1. libr. 1. cap. 35.* Vide quoque passim ubi nominatim de Hæreticis suprà memoratis.

Anto, vulgò *Auton*, locus est Galliæ, ad Rhodanum, 2. leucis à Perogia *Perouge*, memoratus Guidoni Com. Forensi in *literis* datis A. C. 1163. apud Hadr. Valesium *Not. Gall.*

Antonia lex, quam tulit M. Antonius Conf. cum C. Jul. Cæsare ann. U.C. 809. voluit, *ut tertia Judicum decuria è Centurionibus Antesignanis, Alaudis, Manipularibus fieret.* Cic. *Philipp. 1. & 5.* Sueton. *in Augusto.* Alia à Marco Antonio Triumviro lata, *Ne quis ullam ob causam de Dictatore creando referret, neve Dictaturam oblatam reciperet: qui secus fecerit, eum ut necare jus fasque esset*, V. Appianum *lib. 3. de Bell. Civil.*

Antonini ludi Natalitii, Kal. Aprilibus celebrari solebant, Dempsterus.

Antoninianæ Caracallæ, apud Ælium Spartianum in *Antonino Caracalla*, *Ipse* CARACALLI *nomen accepit, à vestimento — demisso usque ad talos — unde hodieque Antoninianæ dicuntur caracallæ hujusmodi, in usu maximè Romanæ plebis frequentatæ:* Non ab *Antonino* inventore sic dictæ sunt, quem quidam & nomen & genus harum vestium excogitasse volunt. Namque ex Gallia vestis in Romanum solum invecta est; saltem *Antoninus* illam talarem fecit, nomine veteri retento: quod tamen postea usu decessit ita, ut post Antoninum caracallæ ejusmodi ad pedes demissæ plebique tantùm Romanæ usurpatæ, non ampliùs sub *Caracallarum*, sed *Antoninianarum* nomine, venirent. Non ergo ab *Antonino*, tanquam ab inventore, sed tanquam ab eo qui in veste hac Gallica aliquid mutavit, nomen id adeptæ sunt. Vide Salmasium *ad d. l.* & infrà in voce *Caracalla.*

Antoniniana Thermæ, seu Lavacrum *Antonini*, quod Antoninus Caracallus quidem, velut perpetuum opus, dedicaverat, & in iis cùm lavabat ipse, tum populum admittebat, sed imperfectum reliquerat; deficientibus porticibus, quas Antoninus Heliogabalus inchoavit, Alexander perfecit: memoratur Lampridio in *Heliogabalo.* Cujus operis quanta fuerit vastitas, suggerit Olympiodorus in Excerptis ad Photium, *Ἦσαν δὲ καὶ λουτρὰ δημόσια παμμεγέθη. Αἱ δὲ Ἀντωνινιαναὶ οὕτω καλούμεναι, εἰς χρείαν τῶν λουομένων καθέδρας εἶχον παρακειμένας χιλίας ἑξακοσίας, ἐκ μαρμάρου κατεσκευασμένας ξεστοῦ. Erant autem & Thermæ publicæ ingentis magnitudinis.* Antoninianæ *autem sic dictæ, in usum lavantium sellas habuerunt mille sexcentas è marmore*, &c. Casaubonus *ad l.*

Antoniniani Aurei, apud Flavium Vopiscum in *Probo*, *Aureos* Antoninianos *centum, argenteos Aurelianos mille*, &c. & Valeriano in *Vita Aureliani, ipsi autem ad sumtus, aureos* Antoninianos *diurnos binos, argenteos Philippeos minutulos quinquagenos, æris denarios centum*: moneta fuere Romana, cui ab *Antonino* Imper. nomen. Sicut enim *Philippei*, modò dicti, Philippi primùm jussu formati fuere, atque ab eo tempore, postquam forma placuisset, retenta ea est appellatio; hoc solùm immutato, ut vultum & nomen nummus referret, non Philippi, sed ejus Principis, qui cudi jussisset: Sic *Antoniniani aurei* primitus appellati sunt, quos Antoninus cudi jussit, servatumque etiam à posterioribus Impp. nomen est. Idem de Valerianeis, alisque dicendum. Casaubonus *ad Trebellium in Claudio.*

Antoniniani Pueri & Puellæ, instituti ab Antonino Diadumeno, apud Lampridium: *Paraverat sanè penulas populo coloris rosei dare Macrinus Imperator, in honorem Antonini filii sui, quæ vocarentur* Antoninianæ — *Congiarium etiam per edictum* Antoninianum *promisit* —— *Verba edicti: Vellem, Quirites, jam præsentes essemus, Antoninus vester vobis congiarium sui nominis daret. Daret præterea &* pueros Antoninianos *&* puellas Antoninianas, *quæ tam grati nominis gloriam propagarent.* Ubi *daret* est, pro *institueret*, seu potiùs *incideret*, ut vetus liber hic legit, id est, reciperet & ascriberet in numerum eorum puerorum puellarumque, quibus ex publico dabantur alimenta. Nomina enim eorum, qui ad illam perceptionem frumentariam participandam admittebantur, in æs incidi consuevisse, docet Plinius de his ipsis pueris, à Trajano primùm institutis, loquens, in *Panegyr. Tu ne rogari quidem sustinuisti & quanquam lætissimum oculis tuis esset conspectu Romanæ pubis impleri, omnes, antequam te viderent recipi, incidi jussisti, ut jam inde ab infantia publicum parentem munere educationis experirentur.* Sed jam Seneca *de Benefic. lib. 4. cap. 28.* de his qui frumentum è publico percipiebant, *Frumentum publicum — accipiunt sine delectu morum, quisquis incisus est*, &c. Salmasius *ad Lamprid.* V. etiam suprà.

Antoniniani Sodales, Antonino Pio post mortem consecrati, occurrunt apud Julium Capitolinum in *Vita* ejus *sub fin. Meruit & Flaminem & Circenses & Templum & Sodales Antoninianos.* Vero itidem dedicati à Marco, apud Eundem: *Flaminem &* Antoninianos Sodales, *& omnes honores, qui divis habentur, eidem* (Vero) *dedicavit.* Sed & ipsi Macro à Senatu, apud Eundem *in seqq.* Imò & Antonino Caracallo, à Macrino, apud Æl. Spartianum: *Hic tamen — à Macrino, qui eum occiderat, timore militum —— inter Deos relatus est. Habet templum, habet Salios, habet* Sodales Antoninianos, *qui Faustinæ Templum & divale nomen eripuit*, &c.

Antoninianus Mensis, apud Capitolinum est in *Antonino Pio*, *Menses Septembrem atque Octobrem* Antoninianum *atque Faustinianum appellandos decrevit Senatus, sed id Antoninus respuit* Ubi Salmasius vult legi *Antoninum & Faustinum*, sicut Julius à Julio, Augustus ab Augusto, dictus est: quod jam ante ipsum censuit Gruterus *ad h. l.*

Antoniniados, nomen libri, cujus meminit Julius Capitolinus in *Gordianis*, *Adolescens quum esset Gordianus, Poëmata scripsit* —— *Scripsit præterea, quemadmodum Virgilius Æneidos, Statius Achilleidos, & multi alii Iliados; ita etiam ille* Antoniniados, *hoc est.*

Anto-

Antoninum Pium & Antoninum Marcum versibus disertissimis, libris XXX. vitam illorum & bella & publicè privatimque gesta perscribens.

Antoninus, cognomen fuit Arriæ gentis: Piusque Augustorum primus id gessit; initiò quidem ut cognomen, cùm adoptatus fuisset à T. Arrio *Antonino* avo materno. Sed, quod priùs ipsi cognomen erat, accedente Pii cognomine factum est nomen, dictusque est, T. ANTONINUS PIUS. A' Pio transiit eadem appellatio ad Marcum, qui non quasi cognomine, sed ut vero nomine, dictus est MARCUS ANTONINUS. Unde Lampridius, *Marcus verum nomen Verissimi habuit: sed hoc sublato atque abolito, non prænomen Antonini, sed nomen accepit.* In Marco autem cœpit hæc appellatio velut symbolum esse Imperii: quod Imperium cùm ille communicasset Vero, etiam hoc nomen illi detulit, ut subjicit statim Capitolinus. Et Lampridius quoque non prænomen, sed nomen *Antonini* ab illo acceptum admonet. Posteriores verò Imperatores, ad Maximinum usque, prænomine hoc usi sunt, tanquam omnibus Augustis debito; qua de re præclarè disserit Alexander Severus, referente Lampridio. Ita factum, ut appellatio eadem pro cognomine, nomine & prænomine, diversis temporibus fuerit habita. Casaubonus *ad Julium Capitolinum in M. Antonino Philosopho.* Nec omittendum, cum nomen hoc Heliogabali vitiis esset *decoloratum*, simulque *Romanum Imperium dehonestatum*, ut loquitur Lampridius in *Alexandro Severo*; huic postea magno quidem ambitu à Senatu P. Q. fuisse unà cum Imperio delatum, sed ab eodem recusatum, ut ibi videre est. Unde idem Auctor bene de Heliogabalo: *Et quoniam hic ultimus* Antoninorum *fuit, neque postea hoc nomen in Rep. loco Principum frequentatum est, etiam illud addendum est, ne quis error oriatur, quum duos Gordianos narrare cœpero, patrem & filium, qui se de* Antoninorum *genere dici volebant, non nomen in illis primum fuit, sed prænomen. Deinde, ut plerisque in libris invenio, Antonii dicti sunt, non Antonini.* Ubi quod de Gordianis habet, non omnino convenire videtur, cum eo quod idem in Vita horum ait: *In plurimis libris invenio & hunc Gordianum & filium ejus pariter Imperatores appellatos & Antoninos cognominatos: alii verò Antonios.* In quibus verbis pro cognomine, nomen *Antoniorum* ipsis fuisse, innuit; quod & in præcedd dixit: *Jam illud satis constat, quòd filium Gordianum nomine,* Antonini *signo illustravit, quum apud Præfectum Ærarii more Romano professus filium publicis Actis ejus nomen insereret.* Id est, filium Gordianum nomine, *Antonini* signo, h. e. cognomine, illustravit. Sic in *Gordiano Jun.* Antoninum *filium suum ipse significari voluit in Senatu,* h. e. filium suum cognominari voluit *Antoninum.* Signum enim cognomen est: Spartianus *in Commodo, Pro Decembri Amazonium ex signo ipsius adulatores vocabant.* Vopiscus *in Aureliano. Huic signum exercitus apposuerat, manu ad ferrum.* Spartianus *in Pescennio Nigro, Quod intellectum non est, nisi quum Bassianus* Antonini, *quod verum signum Pii fuit, nomen accepit,* &c. Salmasius *ad Lampridium.*

Antoninus Bassianus Caracalla, adde: Ejus statua servatur in Musæo Kircheriano, Romæ. Vide Georg. de Sepibus *in Collegii Rom. Soc. Jesu Musæo pag.8.*

Antonium, in divisione Regni Lotharii, A. C. 870. facta, memoratum, M. *Antonii*, qui cum una legione in Atrebatibus hyemavit, nomen fert, hodieque *Antoni* dicitur; vicus est ad Scaldim, non procul ab urbe Turnaco, veteri Monasterio Canonicorum nobilis, Hadr. Valesius, *Not. Gall.* in voce *Condatum ad Scaldim.*

Comites Oldenburgici, &c.

Antonius I. minimus natu filius Johannis Com. Oldenburgici, ex resignatione fratris Johannis A. Chr. 1529. administrationem suscepit. Bello Anno Chr. 1538. Monasteriensibus illato, multa eis damna dedit, demum jussu Commissariorum Cæsareorum Delmenhorstum diu ab illis detentum vi cepit Anno Chr. 1547. & munivit. Inde An. Chr. 1559. agnatis Holsatiæ Ducibus in bello Dietmarsico tulit auxilium, sed cum iisdem An. Chr. 1566. controversiam habuit; cùm hi simultaneam investituram cum *Antonio* peterent, is verò Delmenhorstum suo sumtu & periculo recuperatum assereret, Oldenburgici autem Comitatus non aliter permitteret successionem, quàm si vicissim ipsi de Holsatia & Sleivico idem promitterent. Ei à conjuge Sophia Lauenburgica Harpestedensis ditio accessit. Pater fuit Johannis & *Antonii.*

Antonius II. Guntherus, filius Johannis præfati, ultra 60. annos provinciam magna cum prudentiæ fama administravit, in medio belli æstu utriusque partis favore servato. Ultimus suæ gentis haud pridem vitâ excessit, hærede agnato Daniæ Rege, & in Comit. Oldenburgensi ac Delmenhorstano, successore. Dominium autem Jeverense Princeps Anhaltinus Servestanus, ejus ex sorore nepos: Kniphusii verò dominium nactus est *Antonius* filius, qui ex Ungnadia susceptus, *Comitis Imperii, Domini in Aldenburg, nob. Domini in Varel, Dn. in Kniphausen,* titulum à Cæsare impetravit, & Augustam Witgensteniam uxorem habet.

Antonius, Antonii I. filius minor natu, Delmenhorstanum ramum constituit; pater filiorum filiarumque plurium, quarum hæ illustribus elocatæ matrimoniis, illi cœlibes decessere.

Antonius Ulricus, Dux Brunsuicensis, filius secundo genitus Augusti, ex Christina Elisabetha Barbiensi, Elisabetham Julianam Holsatam conjugem habet. Item filius Friderici Wirtembergiæ D. An. Chr. 1615. nati: de quibus vide Phil. Jacobum Spenerum *Sylloge Geneal. Histor.*

Viri celebres.

Antonius Augustinus, edidit Collectores Decretalium, quorum primus fuit Bernhardus Circa, Papiensis Præpositus: Secundæ collectionis auctores seculo XIII. memorantur tres, Gilbertus & Alanus quidam Episcop. Antissiodor. nec non Johannes Gallensis vel Vallensis: Tertiæ Bernhardus Compostellanus, sub Innocentio III. Quarta, sub eodem, quinquennio pòst concinnata est, V. cum in *Antiqq. Decretalium Collectione.* Quintam, quæ prodiit circa A. C. 1227. auctore Tancredo Bononiensi Archidiacono; non edidit inter suas collectiones: Tholosæ demum A. C. 645. ab Innocentio Cirono, publicatam, &c. V. Gerh. von Mastricht *Histor. Juris Ecclesiastici num. 338.* alibique, ut & infrà, ubi de *Decretalibus*.

Antonius Cucchus, JC. Ticinensis, scripsit *Institutiones Juris Canonici*, quas edidit A. C. 1564. *Notis* verò illustravit Sam. Maresius Theologus Groninganus. Vide infrà, *Marcus Antonius Cucchus.*

Antrum, adde: Insula est amœna, in Ligere fluv. non procul ab hujus ore & ab urbe Namnetis. Nomen ei à densis opacisque sylvis, in medio sui montosa est, longa 24. stadia, habetque proximam ins. atque sibi consimilem, licèt minorem, *Antricinum* vel *Antriginum* dictam. Forsan *Antros* est Pomponii Mellæ ea, quæ hodie *Antrum* dicitur, *quamque ille pendere & attolli aquis increscentibus*, ex vulgi opinione, refert. Hic Hermenlandus Noviomagensis, ex Præposito Pocillatoru Regis Monachus Fontanellensis, Cœnobio à Paschario, Namnetico Præsule extructo Abbas primus præpositus est, principatu Theodorici Francorum Regis & filiorum: quod à Nortmannis An. Chr. 843. post urbem Namnetum direptam, vastatum & incensum esse, docent tabulæ Monasterii S. Sergii, in quibus Monasterium *Antrum* nomine Insulæ appellatur, nec non *Monasterium Insulatum*, quoniam in Insulis Namneticis nullum aliud Monasterium reperiebatur. Vulgò Insula hæc *Aindre*, vel *l'Isle d'Aindre* dicitur. Hadr. Valef. *Not. Gall.*

Antuates, adde: Eorum meminit Cæsar *lib.3.* inquiens, *Cùm in Italiam proficisceretur Cæsar, Servium Galbam cum legione duodecima & parte equitatus, in* Antuates, *Veragros Sedunosque misit, qui à finibus Allobrogum & lacu Lemanno & flumine Rhodano ad summas Alpes pertinent.* E quibus verbis colligit Plantinus, illos eam occupasse vallem, quæ à S. Mauritio ad Lacum usque extenditur, quæque maxima ex parte Bernensibus hodie paret: quod reliquum est trans Rhodanum, Vallesianis. Nominis vestigium eidem remansisse videtur, in viculo Mandamenti, ut vocant, Olonensis, vocato *Anzagne.* Regionem postea *Chablasii* eam nominatam volunt quidam, extenduntque Genevam usque: à *caballis* autem sic dictam, quòd eò equitatus Romanus sese reciperet. *Antuatium* celebriora loca sunt Penne locus & Aquilea, vicus hodieque Gallicè *Aigle*, Germ *Aelen*; Hactenus Joh. Baptista Plantinus *Helv. antiq. & nov.*

Anturnacum, adde: Vero ac sincero nomine *Antunnacum*, vel *Antonnacum*, in Annalibus Mettensibus, inter *fiscos obsequiis Imperialibus debitos*, id est, villas fiscales sive Dominicas, quas *Villas publicas, Villas Regias & Palatia* Gallici Scriptores appellant, numeratur. Ibi Not. Imp. Rom. præter cæteros *Præfectum militum Acincensium*, sub Duce Mogontiacensi fuisse memorat, *Antonacumque* vocat: distinguendum ab *Antennaco*, quod olim *Andesanmale*, postea *Apternacum* seu *Epternacum* vocatum est. Hadr. Valesius *Not. Gall.*

Anulati, pedes servorum Appulejo; in vet. Glossario *anuli*, *οἱ συμποδισθέντες*: ut & damnatorum. *Anulus* enim vel *anuli* instar erat, quo utrorumque pedes vinciebantur, *cippus* seu *cuspus* dictum in vett. Glossis, *ξύλινον σανδάλιον*, *ligneum sandalium*, cujus formam scitè nobis dat intelligendam Eustathius, [illegible] Salmasius *ad Tertullianum de Pallio*, Vide etiam infrà in vocibus *Cippus, Cuspus, Servus.*

Anulus, Vide suprà in *Annulus.*

Anystis, Græcè Ἄνυσις, Cursor celebris. Solinus *cap.1. Anystis Lacon & Philonides, Alexandri Magni Cursores, Elin abusque Sicyone mill. ducenta stadia una die transierunt.*

Anzigi, adde: Iidem & *Anziges*, populus totius Africæ ferocissimus & maximè barbarus. Subfuerunt olim Regi Congensi: sed postquam eo à Johanne II., Portugalliæ Rege ad Christianam fidem converso, baptizatoque A. C. 1491. intra breve tempus, totum ferè Regnum, non fidem tantùm, sed & mores vestitumque Lusitanorum suscepisset, suspecta barbaris hæc peregrinitas esse cœpit, primique *Anziges* obsequium exuerunt, subsequutis mox aliis, uti videre est suprà in voce *Agages*. Vide Georg. Hornium *Orb. Imper. pag. 467.*

AO.

Aori, Græcè ἄωροι, dicti sunt illi juvenum, quos mors ante tempus rapit immatura, ut fructus, qui acerbi adhuc & immites avelluntur; Græci τοὺς ἄωρα θανόντας dicunt. Nempe universo hominum generi certum vivendi tempus præscriptum à Natura & constitutum est, quo completo sponte humana compages dissolvitur. Hoc justæ & legitimæ ætatis spatium alii centum annis, alii paucioribus, alii etiam pluribus determinarunt. Ante quod qui de homine exeunt, *ante diem mori*, Græcè τοὺς ἄωρα dicti sunt θανεῖν. Aliud est τὸ μοίρας θανεῖν, quod de illis, qui violento exitu defunguntur, Græci dixere: de quo utroque mortis genere vide plurima apud Salmasium *ad Solinum p.*1118. *& seqq.* In Magicis inprimis sacris differentia fuit τῶν Βιαιοθανάτων, *qui violenta morte decedunt*, & τῶν Ἀώρων, *qui ante diem*; horum enim inprimis animas, utpote adhuc supra terram vagantes, in Necyomantia evocari quidam opinabantur: imò horum solùm alii, qui ex ipsis Inferis animas elici posse ne inter Gentiles quidem crediderunt. Sed hac de re dictum suprà, in voce *Abori*.

AP.

Apalai, apud Solinum c.49. *E quibus celeberrimi sunt Massagetæ, Essedones, Satarchæ & Apalæi*: Scythiæ pop. quos *Apellaeos* idem vocat *cap.* 19. *Mare autem Caspium, ex altero Ponti latere, ultra Massagetas & Apalæos Scythas esse — dulce haustu Alexandro Magno probatum est.* Græci Ἀπαλαίους vocant. Salmasius *ad Solinum, p.*216. Vide quoque *Apellei*.

Apalar, seu *Apalare*, & contractè *Aplare*, cochlear, item discus: *Pro vera benedictionis causa direximus ad vos* apalareum *unum.* In *Epist.* Pontif. à Gretsero editis. *Hic posuit in apsida Basilicæ suprascriptæ super sedem* apalaream *argenteam pensantem libras centum viginti*, Anastasius Bibliothec. in *Sergio*. Nomen ei ab *hapalis* ovis: Interim, sicut *boletar* antea quidem dictum est, quòd in eo boleti tantùm apponerentur; postea verò omnibus cibis sustinendis serviit & pro quolibet vase escario usurpari cœptum est, unde Martialis:

Cùm mihi boleti dederint tam nobile nomen,
Prototomis, pudet heu, servio cauliculis.

Sic *Apalare*, quod ab ovis hapalis nomen, ut dictum, habuit primitus, non ovis tantùm, sed etiam aliis quibuslibet oblongis capiendis vas aptum significare cœpit. Ausonius,

Jam patinas implebo meas, ut parcior illa
Majorum mensis apalaria succus inundet.

Meminit autem *ovorum hapalorum* Marcellus Empiricus, ut & Apicius, observante Hadr. Turnebo *Adversarior. lib.*27 *cap.*10. & 28. *cap.*5. V. quoque Salmasium *ad Trebellium Pollionem* in *Claudio*.

Apame, sive *Apamea*, Antiochi Soteris mater, ex Seleuco Nicatore; qui *Apameam* Syriæ condidisse & nomen ei uxoris indidisse fertur. Ejusdem in honorem *Apameam* Phrygiæ, filius Antiochus præfatus extruxit. Salmasius *ad Solinum p.*216. Vide etiam in voce *Apamea*.

Apamiæ, adde: antequam urbs hæc à Bonifacio VIII. cujus antè mentio, Episcopatus sedes constitueretur, quod factum circa A.C. 1296. in Monasterio S. Antonini ad Aregiam, quem *Apamiensium* Patronum castro S. Antonini nomen dedisse, refert Valesius: *nobilissimum castrum Apamiarum*, appellatur Petro in *Histor. Albigensium*, qui Abbatis ac Ecclesiæ S. Antonini Mart. apud Apamias quoque mentionem facit: *Villa Apamiensis*, in *Chron.* Simonis Montfortii. Subest Archiepiscopatui Tolosano: alluit eam, Areja vel Aregia fluv. vulgò *Ariege*, qui Garumnâ recipitur, ut & Tarnis: Hunc auget Avario *Aveyron*, qui Calliacum, Segodunum Rutenorum, Villam Francam Rutenorum, castrum S. Antonini, Nigrum Palatium *Negrepelice*, præterlabitur atque Tarni jungitur. V. Hadr. Valesium *Not. Gall.*

Apanarctice, Græcè Ἀπαναρκτικὴ, in Isidori Characeni σταθμοῖς urbs est, caput provinciæ *Apanarcticenes*, ita enim is: Ἐντεῦθεν Ἀπαναρκτικηνή, σχοῖνοι κζ, ἐν ᾗ πόλις Ἀπαναρκτική. Fuit hæc provincia, unum ex duodeviginti Regnis Parthorum, quæ *dict. loc.* enumerantur, nec non apud Plinium, ubi de Parthorum Imperio. Vide Salmasium *ad Solinum p.* 1197.

Apanare, in *Charta* Dominorum Canneti in Provincia Anno Chr. 1328. apud Carolum du Fresne, panem est ac cibum porrigere, pascere: *panem* enim pro quocunque alimento, usurpari palàm est. Hinc *Apaner une fille*, in *Consuetud.* Nivern. *cap* 23. *artic.* 24. alibique, seu *apanager*, in *Consuetud.* Sylvanectensi *art.* 66. &c. apud Eundem est dotem, seu legitimam portionem bonorum filiæ conferre, ita ut in cœteris hæreditatis bonis locum non habeat, iisque renuntiet. Ab eodem fonte *Apanamentum* seu *Apanagium* Gallicis Scriptoribus usurpatur, pro eo, quod ad victum & in alimentum secundogenitis præstatur & conceditur à Parentibus, *Soustenance* vocat Petrus de Fontanis in *Consilio cap.* 34. Nam in pluribus Galliæ provinciis, ut ait Petrus de Vineis *lib.* 6. *Epist.* 25. *Major natu, exclusis minoribus fratribus & cohæredibus, solus in castro succedit, inter nos nullo tempore dividendo.* Quippe Baroniæ seu majora prædia ac feuda divisionem non recipiunt, sed ad solum primogenitum pertinent: qui tamen tenetur *apanagium* fratribus assignare reliquis, pro dignitatis ac natalium ratione. Unde *Apanagium*, divisioni, seu *partagio*, opponitur, in *Pacto* A.C. 1313. quod refertur in *Probationibus Historiæ Cabillonensis*, eidem laudato. Introductus autem is mos, ut nobilium familiarum dignitas integra illibataque splendor permaneret, dum ad unum ex liberis universâ majorum prædiorum perveniente successione, reliqui *apanagio*, seu *provisione*, ut quoque vocatur, contenti vel clericalem aut cœlibem vitam eligerent, vel bella sectarentur (nisi aliunde illos bonis ditari contigerit) sicque feuda illa crebra ac frequenti divisione non minuerentur. Quod exemplo gemino, in familia Montispessulana, illustrat idem du Fresne: ut & de Comitibus Flandriæ idem docet, ex Lamberto Schaffnaburg. Annô Chr. 1071. Neque alia fuit Principum quorundam mens, qui legum condendarum auctoritatem sibi vindicantes statuerunt, ut tota bonorum successio unicum spectaret primogenitum, secundogeniti certis statisque pensionibus pro victu & vestitu ad tempus contenti essent: quod etiamnum in Pontivensi Comitatu & aliis aliquot Franciæ provinciis, obtinet. Inprimis verò id juris Reges usurparunt, non quidem primæ stirpis, cùm Franciæ Regnum tunc non semel inter plures filios divisum legamus, nec secundæ omnino, nam inter Ludovici Pii filios quanta bellorum hinc seges orta, notum: Tertiæ tamen, ubi certis pariter pensionibus secundogenitos contentos esse voluerunt, Regnum unigenito soli attribuentes: ad quem deficiente reliquorum lineâ directâ, bona ipsis, *apanagii* jure, concessa redeunt. Quod quidem ex antiqua Regni consuetudine obtinuisse, probat sæpe laudatus Auctor, ex *Aresto*, è schedis Peirescianis à se descripto, quod vide, si collibitum est, apud eum in *Glossar.* idem moris alibi quoque obtinuisse, vigereque etiam nostro tempore, dicemus infrà, ubi de *Primogenitorum jure*.

Aparctias, adde: Iidem nempe erant hi duo venti, *Aparctias* & *Boreas*, in prima & antiquissima divisione Ventorum quaternaria, ut & in secunda octonaria, cujus auctor fuit Andronicus, de quo suprà. At in duodenaria, quæ sequuta est, & cujus Aristoteles meminit in *Fragm.* περὶ Σημείων, Ἀπαρκτίας seu *Septentrio*, inter Βορέαν seu *Aquilonem* & Thrasciam medius est. Qua de re vide Salmasium *ad Solinum pag.* 1247. *& seqq.*

A paribus, titulus quo Gregorius M. Pontif. Rom. in *Regist. in principiis Epistolarum* utitur, quoties ad homines mediocris conditionis scribit. Macer in *Hierolexico*. Vide infrà *Appar.*

Apathis, apud Plinium *lib.* 7. *cap.* 19. *Exit hic animi tenor aliquando in rigorem quendam torvitatemque naturæ duram & inflexibilem affectusque humanos adimit; quales* Apathis *Græci vocant, multos ejus generis experti, quod mirum sit, auctores, maximè sapientiæ, Diogenem Cynicum, Pyrrhonem, Heraclitum, Timonem, hunc quidem etiam in odium generis humani evectum, &c.* Græcè ἀπαθεῖς: de quibus vide inprimis, ubi de *Stoicis*.

Apaturia, adde: Hujus festi tertio die in Φρατρίαν ascribi apud Athenienses filii soliti sunt, postquam Patres suos illos esse sacramenti religione confirmarunt. Unde, quia priùs quasi ἀπάτορες censebantur, festo nomen datum esse, vult Auctor Etymologici. Xenophon autem *Hellen. lib.* 1. Οἵ τε πατέρες καὶ οἱ συγγενεῖς ξύνεισι σφίσιν αὐτοῖς, *quoniam genitores tum cum affinitate junctis conveniebant*, eadem ratione hoc festum Ἀπατούρια vocatum ait, quà uxor ἄλοχος quasi ὁμόλεκτρος, vel ἄκοιτις quasi ὁμόκοιτις dicta est; V. Franc. Rossæum *Archæologiæ Atticæ, lib.* 5. *cap.* 12.

Apeliotes, idem ventus cum Euro, in divisione ventorum quaternaria; sed ab eo, in octonaria Andronici, divisus: ab Æquinoctiali exortu procedit, Græcè Ἀπηλιώτης: de quo Vide Salmasium *ad Solinum pag.* 1250. *& seqq.* & infrà in *Cacias*.

Apellicon, adde: De ejus hæredibus Strabo, Κατακλείστα, inquit, εἶχον τὰ βιβλία, quòd Aristotelis libros sub clave haberent, nec exire in publicum sinerent. Vide infrà in voce *Cataclista*.

Apellitæ, Hæretici, Angelum quendam Deo superiorem, quem *Deum igneum* appellabant, Israelitarum Legislatorem fuisse, asserentes; Christum verum Deum esse negarunt, &c. ab *Apelle* quodam dicti, de quo vide suo loco. Dominic. Macer in *Hierolexico*.

Apenarii, apud Trebellium Pollionem in *Gallienis*, seu *Apinarii* aut *Apennarii*, ut in quibusdam MSS. legi Casaubonus monet; Meursio ἀπηνάριοι sunt, id est, *aurigæ*, ἀπήνη enim *currum asinis aut mulis junctum* denotat. Vide infrà *Apinarii*.

Apennis, Carolo du Fresne scriptum dicitur, confectum in gratiam eorum, qui incendio aut hostili deprædatione, chartas, quibus possessionum suarum proprietatem & jura ostendere possent, deperdiderunt. Tunc enim coactâ loci plebe ipsoque coram Judice factâ accuratâ inquisitione aliud conficiebatur instrumentum, quo in posterum rerum suarum jura firmarentur: idque duplici facto exemplari, quorum unum in Foro civitatis publico affigeretur, ut omnibus innotesceret; alterum penes possessorem remaneret, quid ad majorem cautelam Regi ipsi, aut loci domino, firmandum proferret. Unde *relatum* & *Chartula relationis* dicitur, in vett. formulis à Bignonio & Lindenbro.

Lindenbrogio editis, quia ex aliorum relatu conficiebatur. Meminit hujus rei Incertus auctor in *Formulis* post Marculfum *cap.* 45. cui tit. *Relatum, quod dicitur Apennis: Mos nobilium Romanorum adsuevit & ratio ejus deposcit, ut si cujuscunque domus igne crementur, is per speciem scripturarum Chartulam relationis, quæ dicitur* Apennis, *recipiat.* Vide quoque *Formulas* vett. secundùm Legem Roman. eidem laudatas *cap.* 28.

Aper, inter cupedias, jungitur lepori, Juvenali *Satyrâ* 11.

> *Sumine cum magno lepus, atque* Aper, *atque Pygargus.*

Quemadmodum igitur in lautitiis minorum quadrupedum primus leporinæ fuit honos; ita in cupediis quadrupedum majorum fuit gloria carnis aprugnæ sive suillæ. Erat interea in utroque animali partium discrimen: Nam in leporibus maximè sapere existimabantur tum anteriori parte armi, tum posteriori coxæ; Aprugnæ autem suillæque deliciæ erant glandulæ & lumbi. Martialis *l.* 7. *Ep.* 19.

> *Ter poscit* Apri *glandulas, quater lumbum,*
> *Et utramque coxam leporis & duos armos.*

Delicatiores etiam porci partes indicat illud Plauti *Carbonar.* apud Festum,

> *Peto pernam, sumen, suere, spetile, callum, glandia.*

Idem *Menæchmis Act.* 1. *sc.* 3. inter scitamenta, quibus de foro obsonarent, refert,

> *Glandionicam, suillam, laridum, pernonidem,*
> *Sinciput, polimenta porcina.*

Adde & varias farturas, de quibus Varro *de L. L. lib.* 4. & dexteritatem coqui illius Alexandri M. qui unicum *Aprum* in tam varia eduliorum genera digessit, ut regiam inde cœnam extrueret, apud Eustathium *in Hom.* Vide quoque Vossium *de orig. & progressu Idolol. lib.* 3. *cap.* 66. *Apri* pelle Tydeum indutum, in Tragœdiis olim introduci consuevisse; *Aprum* verò Σώζοντα in Constantii gemma fuisse sculptum, habes apud Salmasium *ad Solinum pag.* 312. & 1317. De quo, ut & *Aprorum Venatione*, vide infrà in hac voce, nec non in voce *Sapphirus*.

Aperiri foris, ἔξω ἀνοίγεσθαι, dicebantur olim januæ, quæ aperturas habebant in exteriores partes, ut loquitur Vitruvius: quo modo fores *aperiebantur*, apud Atticos antiquos. Nempe qui intus domo exibant, earum aperturam in exteriores partes & versùs publicum projiciebant. Hinc joco apud Comicos, qui intus exeunt, priùs ostium percutiunt & crepitum faciunt, ut, qui extra sunt, admoneantur recedere, ne apertura ostii læderet transeuntes; quod ψοφεῖν θύραν dixere, *crepare ostium* Latini. Terent. *crepuit à Glycerio ostium.* At cùm externus ostium pulsaret intraturus, κόπτειν dicebatur τὴν θύραν. Pandebantur autem foràs pleræque januæ, quæ intus occludi consuevere: sic apud Atticos dictos, ἔσωθεν ἀποκλείονται, ἔξω ἀνοίγονται, *intus obserabantur, extra aperiebantur.* Mediæ verò Græciæ temporibus, quæ sub Imperio Romano fuit, fores ἔσω ἀνοίγονται, id est, *in interiorem partem aperturam inclinabant*: forinsecus tamen habuere adfixas & aptatas seras, quibus occludebantur, &c. Qua de re vide Salmasium *ad Solinum pag.* 934.

Apertio, seu *Apertionis mysterium*, apud Ambrosium *lib. de Initiandis cap.* 1. *Aperite igitur aures & bonum odorem vitæ æternæ inhalatum vobis munere Sacramentorum carpite, cùm* Apertionis *celebrantes mysterium diceremus; Ephpheta; Ephpheta, quod est adaperire, &c.* Qui etiam *de Sacrament. lib.* 3 *cap.* 1. *Ergo quid egimus Sabbato? nempe* Apertionem. *Quæ mysteria celebrata sunt?* *Apertionis*: Ceremonia est Carolo du Fresne, quâ Baptistes accedentis ad Baptismum nares aures que tangens, dicebat, *Ephpheta*, id est, *adaperire*. Vide eum in *Glossario*. Apud Eundem in *Regulâ* Magistri *cap.* 44. *Domine, labia mea aperies*, dicitur *Versus Apertionis*, quo sacra liturgia aperitur.

Aperto capite. Vide infra ubi de *Nuditate*.

Apes & Bombyces, inter utiliora insecta primas facilè obtinent, illi ad cibi obsonia maximè, & lucem noctu in tenebris præstandam & summum in Medicina usum; hæ ad superbissimas vestes ac utensilia. Et quidem *Apes* potissimùm ab admiranda earum industria atque ingenio, labore ac sedulitate ineffabili, incredibili regendi peritia & politia Plinius celebrat: adjungi potest inviolata justitia, concordia, pietas, temperantia, munditia. Mirabile inprimis, quomodo tam pusilla animalcula ex tanta florum diversitate mel ceramque colligant, per longissima intervalla deferant, constipentque ne effluat. Plura genera florum eodem itinere non tangunt, sed à viola in violam spatiantur, donec in alveari se exonerent. Aristodemum Philosophum scribit Augustinus, annos multos insudasse, ut naturam apis investigaret; & Aristomachum Cicero Solinensem annos duodesexaginta nihil aliud gessisse testatur. Hodieque disputant docti, utrum succum ex floribus ducant, qui protinus mel sit, an in saporem convertant: volunt tamen *favos* ex floribus, *ceram* ex lachrymis arborum, *mella* ex rore aëris, siderum exortu potissimùm & arcus cœlestis incubitu fieri. Pavimentum illinunt ex salice & ulmo, ne bestiolæ subeant nocituræ. Regum cellas eminentiore, veluti Regio loco, majori laxitate peramplas fingunt & sepimento, tanquam muro quodam, ad Majestatem tuendam circumvallant. In regiæ autem vicinis cellis, summâ senectute affectæ, tanquam Regis satellites, habitant: proximæ sunt natu minimæ, nondum anniculæ: adolescentes & firmiores per extima versantur. Mella partem, proles aliam atque aliam fuci per favos pascunt, qui erecti & collapsi fulciuntur, quasi pilis fornicatis. Non in rectum fiunt ingressus in domunculas: si quod animal ingrediatur, hostem propellunt, occidunt & evolvunt gregatim. Si duo cohabitent examina, genere favorum discernuntur. A tecto pendent favi; solum non tangunt, ut subeant facilius. Favi per Germaniam octo pedes longi etiam Plinio sunt visi. Trino exercentur opere; quod *in cibum, mel & favum* dispescitur. Cellæ omnes sexangulæ sunt, pro numero & opere pedum, æqualibus lateribus. Cœlo sereno provolant *Apes*, ortâ pluviâ, lapillis sese muniunt contra ventos, uti anseres Taurum transvolantes in Cilicia, ob metum aquilarum. Urinam hominis expetunt, morbo tentatæ, foris dormientes, supinæ jacent, ne ros officiat alis: segnes excitant & morte puniunt. Sunt porro foris & intus munia divisa: operantur intra sexaginta passus & subinde, floribus in propinquo consumptis, speculatores ad pabula ulteriora mittunt: videas flores aggerere pedibus, aquam ore, guttasque totius corporis lanugine: aliæ quærunt mel, aliæ stipant, aliæ struunt cellulas; adolescentes foris, senes intus exercentur. Excipiuntur onera & disponuntur; solicitam castris adhibent custodiam; non insidiantur alienis laboribus. Omnes ut in exercitu vivunt, atque alternis dormiunt & opus faciunt pariter & colonias mittunt. Observatum est, ad Solis occasum eas ad alveare congruere & quasi defatigatas sese ad quietem componere: Tum ante vestibulum excubat cohors prætoria, quæ per alvearis partes exteriores mittit cursores, ut cives colligant, hostium insidias discant, idque subinde, sed breviore continuè spatio, donec manipulares paulatim sese condant, & postrema vigil bis terve ante ostium oberret, adeoque sese recipiat. Duces conficiunt quædam ad vocem, quasi imitatione tubæ habentque inter se signa pacis & belli. Statio interdiu ad portas more castrorum, noctu quies in matutinum, donec una excitet bombo, ad quem mox provolant; & cùm jam advesperascit, in alveo strepunt minus, donec rursus una circumvolet, eodemque, quo excitavit, bombo, veluti quietem imperans, tunc repentè omnes conticescunt. Sunt qui Reges aculeis carere velint, sunt qui negent: concordes in eo, nunquam exeri. Quemadmodum Tribuni militum apud Romanos ferebant enses sine acumine, ut docerent, se milites non occidere, sed corrigere debere. Rege prehenso, totum agmen tenetur, amisso dilabitur; defuncto mœret, aberrantem odoratu sagaci persequitur & reducit, gestat cùm volare non potest. Inter se pugnant nunquam; suâ sorte contentæ in aliud alveare non migrant, adversùs immundos homines acriter insurgunt, ipsæque, quidquid spurcitiæ inter opera oboritur, mox egerunt, &c. Cæterum pennas habent detectas, easque quatuor, Aristoteles memorat & albas; crura sunt scabra, ut flores rectiùs hæreant; lingua prælonga, quam foris gerunt, velut aculeum fungosum & cavum, ut eo simul & gustare & cibum trahere possint; habent dentes & ventriculos in quos congeritur mellis liquor aestus: aculeos infigunt & relinquunt, exinde morituræ. Eventus docuit, *Apum* examina & adversa & prospera significasse. Valerius Maximus certe, *Formicis Midæ*, inquit, *jure meritoque Apes Platonis prætulerim*; In cujus adhuc infantis ore mella eas congessisse, notum: quod de Pindaro quoque, Hierone Parentis jussu exposito; Comate servo Siculo apud Theocritum, aliis, legimus, &c. Vide Auctorem *Sinæ & Europæ cap.* 38. & hic passim, inprimis ubi de *Apiariis*, *Cera* ac *Melle*. ut & in voce *Apis*. De *Apibus* verò *aureis*, in Childerici Franc. R. sepulchro, haud pridem in Flandria, repertis, in voce *Childericus*. Sed & de *Apium decimis*, Vide Ordericum Vitalem *lib.* 5. *pag.* 582. de Jure, quod dominus loci habet in *Apiariis*, in sylvis inventa, Car. du Fresne in voce *Abollagium*, item *Vas apum, de alveariibus. Apum cum ipsis Apibus in hostem projectis*, in *Hist.* Austr. *A C.* 1289. &c. Virgilius *Apum* Rempubl. elegantissimo carmine prosequutus est, *Georgicorum lib.* 4. quod sic incipit *v.* 150.

> *Nunc age, naturas* Apibus *quas Jupiter ipse*
> *Addidit, expediam: pro qua mercede canoros*
> *Curetum sonitus, crepitantiaque æra sequutæ,*
> *Dictæo cœli Regem pavere sub antro*
> *Solæ communes gnatos, consortia tecta,*
> *Urbis habent, magnisque agitant sub legibus ævum:*
> *Et patriam solæ & certos novere penates,*
> *Venturæque hyemis memores* &c.

Apex, peculiariter dicebatur apud Romanos, pileus Flaminis (qui *Flamineum* aliàs vocabatur) per synecd. quod in eo um deminebat Hinc Festus. *Apex*, inquit, *Sacerdotum insigne, dictus ab eo, quòd comprehendere antiqui vinculo apere dicebant, unde aptus is, qui convenienter alicui junctus est.* Filum autem laneum, quo totus *Apex velabatur*, quoque cum tegerebant, ne gravis esset summis æstatis caloribus, *Apiculum* vocabant. Vide Thomam Dempsterum *in Antiquit. Roman. lib* 3. *cap.* 15. Aliàs vox non pilei solùm Flaminici; sed & alterius cujuslibet rei summitatem, notat. Hinc *Apices litterarum*, αἱ κεραῖαι, τὰ ἄκρα.

τὸ χαράδριον: *Apex montis*, ἡ κορυφή. Sic in galea & pileo, τὸ κωνάριον etiam *Apex* dicebatur & *Conum*. Virgilius,

—— *Apicem tamen incita summum*
Hasta tulit.

Ut autem *Apices* diversæ formæ in galeis vett. ita in capite avium diversi generis *Apices* natura posuit, quos sic explicat Plinius *libro* 11. *capite* 37. *In capite paucis animalium, nec nisi volucribus*, apices, *diversi quidem generis*: *Phœnici plumarum serie è medio eo exeunte alia*: *pavonibus crinitis arbusculis*, *stymphalides*, *cirro*: *Phasianæ*, *corniculis*: *præterea parvæ*, *quæ ab illo galerita appellata quondam*: *postea gallico vocabulo etiam legioni nomen dederat alaudæ.* E quibus phœnicis *apicem* Incertus Auctor *coronam radiatam* vocat;

Æquatur toto capiti radiata corona
Phœbi referens verticis alta decus, &c.

Vide Salmasium *ad Solinum pag.* 546. & 547. De *Apicibus* verò *galearum* infrà in vocibus, *Conum* & *Crista*.

Aphesas, apud Papinium Statium *Thebaidos lib.* 3. *vers.*461.

Mons erat audaci seductus in æthera dorso
(*Nomine Lernæi memorant* Aphesanta *coloni*)
Gentibus Argolicis olim sacer ——

Mons est Tharso. Ciliciæ, Lutatio; unde Perseum temerario volatu cœlum petiisse fabulantur Poetæ, cùm, ad extinguendam Gorgonem, Libyam peteret; ἀπὸ τοῦ ἀφεῖναι, ut vult idem. A pastore *Aphesanto* verò sic dictum, scripsit 1. *Heracleidos* Demodocus, uti recenset Auctor de fluminibus, in voce *Inachus*. Sed & in Græcia eum Papinius collocat. Atque Auctor Fluviorum modò memoratus, Inacho adhærere suum *Apesantum* clarè scripsit. Et certè *Apesas* est Pausaniæ, qui de situ ejus in *Corinthiacis* videndus. Ideò in Lutatio *Mons est Argis viciniæ vel Argolicæ*, corrigit Casp. Barthius *Animadvers. ad d. l.* Vide quoque Petrum Gyllium *de Bosphoro Thracico libr.* 2. *capite* 2.

Aphesa, Græcè Ἄφεσις. Prætor apud Romanos dictus est, quòd signum daret in Circensibus emittendarum quadrigarum. A verbo ἀφιέναι, id est, *mittere*, *dimittere*; unde Ἄφεσις, *dimissio*: Ἀφετηρία, in Circo, idem quod ὕσπληγξ, quo nomine indigitantur carceres & repagula, quibus remotis ac laxatis equi prosiliebant. Quorum carcerum fores quòd cancellatæ essent & reticulato opere factæ, hinc ἀφετηρίαν Tzetzes interpretatur κιγκλίδα, Latini quoque *Transennam*, de qua voce *infrà*. Sed & in Stadio ἀφετηρία seu ὕσπληγξ fuit. Et quidem in Stadio ὕσπληγξ repagulum erat sive regula linea, quæ laxabatur & aperiebatur exituris in stadium cursoribus: in Circo ὕσπληγγες, carcerum repagula vocabantur, quibus laxatis equi emittebantur. Certè in Stadio primitus visi ἀφετήριοι Ἑρμαῖ, duo illi Hermulæ, qui utrinque extantes fune demisso repagulum solvebant, inventore Tlepolemo Myrensi, uti infrà pluribus dicemus. Vide Salmasium *ad Solinum*, *pag.* 921. *& seqq.*

Aphidna, adde: Nomen ei ab Heroë *Aphidno*. Sub Thesei Regno, capta est à Castore & Polluce, quòd sororem eorum Helenam raptam Theseus eò deduxisset. Uti verò ad Ægeidem Tribum pertinebat, antequam Leontidi jungeretur, ut notat Harpocratio: sic cùm Hadrianis Tribus, nova & decima tertia, reliquis adjiceretur, *Aphidna* Leontidi Tribui substracta & Adrianitidi addita est. Inde Ἀφιδναῖος, *Aphidnæus*, in vet. *Inscr.*

ΔΗΜΟΚΡΑΤΗΣ
ΧΑΡΙΞΕΝΙΔΟΥ
ΑΦΙΔΝΑΙΟΣ.

apud Jacobum Sponium *Itiner. Græciæ*, *Part.* 3. *p.*97.

Aphrodisias Insul. Græcè ἡ Ἀφροδισιὰς, memorata Solino *capite* 54. *Carmaniæ Persis annectitur*, *quæ incipit ab insula* Aphrodisiade, *variarum opum dives*, &c. Ἀφροδίτης νῆσος, Ptolomæo dicitur, quam in Arabico sinu collocat. Arrianus ex Nearcho *Καταίαν* proprio nomine nuncupat & Mercurio Venerique sacram eam fuisse dicit, ut non minùs Ἑρμαία, quàm Ἀφροδισιὰς, indigitari potuerit: Ἔσχον εἰς Καταίαν νῆσον ἐρήμην ἀλιτενέα. αὕτη ἱρὴ Ἑρμέω καὶ Ἀφροδίτης ἐλέγετο. Desertam fuisse, Nearchus scripsit, ejusdem Arriani, ut & Onesicriti, testimonio: Plinius verò habitatam refert. Vide Salmasium *ad Solinum pag.*1129.

pro *Aphronitris* Eunuchi, apud Ælium Lampridium in *Heliogabalo*, *Eunuchos pro aphronitris dedit*: *dedit quadrigas*, *equos stratos*, *mulos*, *basternas & rhedas*, &c. Ita enim legi posse, cùm vulgata lectio præferat, *Eunuchos pro apophoretis*, censet Salmasius, cùm de piscinis & balneis proximè sermo fuerit. Nitri certè & *aphronitri* in balneis usum fuisse apud antiquos, qui lavantes eo se detergebant ac defricabant, notum. Unde Cyprianus *Epist.* 76. *Neque enim sic in sacramento delictorum contagia, ut in lavacro carnali & seculari sordes cutis & corporis abluuntur*, *ut* afronitris *& cæteris quoque lumentis & solio & piscinâ opus sit*, *quibus ablui & emendari corpusculum possit.* Pro *aphronitris* itaque Alagabalus iis, qui secum unà lavarent, Eunuchos dabat & quadrigas & equos & aureos millenos. Dicet aliquis, quæ *aphronitrorum*? Certè nulla. Sed cùm nullus hoc propudium perdendi profundendique occasionem prætermitteret, populo secum lavanti, *Aphronitrorum* nomine hæc talia dabat, quæ hic commemorantur. Plerunque etenim boni Imperatores balneum, quo usi essent, populo gratis exhibebant, ut omnia scil. quæ ad lavandum opus sunt, sine mercede acciperet, ut de Antonino Pio Capitolinus ait. At hic nepos & gurges, Populo ad lavandum secum admisso, non *aphronitra*, nec quæ balneorum poscit usus, danda curabat, sed pro aphronitris illa, quæ diximus. Sic in conviviis pro pipere margaritas exhibebat, aureos nummos pro pisis, ceraunia pro lentibus, electra pro fabis. Salmasius *Not. ad Lampridium.* Est autem ἀφρόνιτρον, flos nitri, de quo vide eundem *ad Solinum p.*1079.

Apiaria, frequentissima in Podolia, reg. Poloniæ, ubi Apes propter pascuorum ubertatem, odorem suavem, abundantem florem ac saporem jucundum, maximas terræ foveas favis mellis plenis replent, ut immanes quoque ursi, dulcedini mellis inhiantes, in iis quandoque suffocentur, uti docet Olaus M. & elegantissimo carmine in *Utopia* sua Bidermannus Jesuita expressit. Idem de Sarmatarum universa regione, Ambrosius Leo Nolanus refert. In quorum vastis sylvis, cum in abietum cavernis sedes plerunque habeant hæ Veris filiæ, ursi mellis cupiditate felium more ad prædam in arbores enituntur; adversùs quos *Apiarii* malleum ingentis ponderis, ante Apum vestibula, hac arte suspendunt, ut bestia malleum amotum eo vehementius tundatur, quò majore impetu malleum repellit, &c. Contrà *Apis* in Scotia nusquam; etiam advectum inde pulverem seu lapillos si quis alibi sparserit inter alvearia, deserunt favos examina: cùm apud Hibernos passim reperiantur. Vide Auctorem Anonymum *Sinæ & Europæ pag.* 1080. & hic, ubi de *Apibus*.

Apiastri flore, coronatæ olim Deorum aræ, uti diximus suprà, ubi de *Amello*. Est autem hoc *Apiastrum* idem cum melissophyllo, quod proin ab *apibus* nomen habet, non ab *apio*, uti alterum *Apiastrum*, h.e. agreste apium, ἀγριοσέλινον, quod venenatum in Sardinia nascitur, & idem est cum herba Sardoa. Vide Salmasium *ad Solinum p.* 101. &c.

Apiatæ maculæ, in mensis Romanorum citreis, olim notabiles. Nec enim unius generis aut nominis erant *ligneæ illæ maculæ*, *quas tantis facultatibus* veteres illi Quirites *æstimavere*, ut ait Tertullianus *de Pallio*. Aliæ namque tigrinæ, aliæ pantherinæ appellabantur; aliæ pavoninæ, aliæ etiam *apiatæ*: quæ ultimæ non ab apibus vel apiculis, sed ab *apio* nomen habebant, quòd densa grani congeries crispæ apii semen & grana densè congesta referrent, Salmasius *Notis ad Tertull.*

Apicellæ, in *Charta* Wilhelmi R. Siciliæ, apud Ughellum *Ital. Sacr. Tom. VII. p.* 404. *Insuper confirmamus eidem Minorensi Ecclesiæ omnes homines de eadem terra*, *qui dicuntur* Apicellæ, *præfatæ Ecclesiæ pertinentes*, *apothegarios* 2. *& furnarios* 2. *manantes & firmiter præcipientes*, *ut tam homines ipsi*, *qui dicuntur* Apicellæ, *quàm & ipsi* 2. *Apothegarii*, *ei respondeant*, apud Carolum du Fresne *Glossar.*

Apices fastigati Alanorum, apud Isidorum, *Persa brachia ac crura liniamentis*, *caput tiarâ tegunt. Eminent* apicibus fastigatis *Alani*: sunt κυρβασίας οἱ ὀξὺ ἀνεχούσας, seu *pilei acuminati*, cujusmodi fere omnia erant barbarica pilea. Sic tiaræ Persicæ acumen habebant, imò nec tiaræ dici aliàs poterant, cùm τιάρας λόφοι i.e. *apicem* notare dicat Hesychius. Unde in antiquis asteris morum figuris, Cepheus pingitur cum ejusmodi tiara, in anteriorem partem acumine proclinato. Non dissimiles κυρβασίας Scythis donat Herodotus. Atque hinc *Bardaici cuculli*, à Bardæis Illyrici populo. Est autem cucullus propriè tegmen capitis acuminatum, in summo, ex Græca origine, quâ κύκυλλος significat λόφον vel *apicem*: quem *uncum* appellat Martialis, ubi de Lingonico Bardocucullo. Habebant enim hi apicem retro inflexum, non in ante, ut in Persicis & Phrygiis tiaris vel etiam rectum, quo solo Reges insignes erant. Hodieque ita sunt cucullæ Monachorum & Benearnensium cappæ, quas vocant. Et tales fortè olim pænularum sive lacernarum, quas pluvio tempore superinducebant, cuculli, &c. Vide Salmasium *ad Solinum*, *pag.* 556.

Apinarii, memorati Trebellio Pollioni in *Gallienis*, *Cyclopea etiam luserunt omnes* Apenarii, *ita ut miranda quædam & stupenda monstrarent*: Non sunt rhedarii seu aurigæ, Græcè ἀπηνικοί, ut quidam Vir doctus contendit; sed ab *apinis* dicti *Apinarii*, scurræ viz. vel ludii, qui moribus & gestibus fabulas & historias desaltabant in scena & varia miraque in illo genere ostendebant, ut hi *Apinarii*, qui Cyclopea luserunt & totam illam Cyclopis fabulam expresserunt. *Apinas* optimæ Glossæ interpretantur ἀπαλογίας; quæ vox notat argutias, ineptias & garrulitates idque genus alia facetias ac lepores: Unde & ἀπαλόγος, *garrulus*, qui omnia simul effundit & effutit, nec finem facit garriendi blaterandique, ut scurræ solent & vernaculi. Item *sanniones*, unde *Sanniones* & *Sanni*, qui ridiculis moribus quidvis imitantur & ostendunt. *Fabulones* iidem dicebantur, Macrob. *lib.* 2. ubi alii *Sabulones* malè legunt: Scenici enim & Atellani & istiusmodi *Apinarii* ibi designantur. Varro,

Et trihophallica attulit psalteria,
Quibus sonans in Graecia dicteria,
Qui fabularum collocant exordia:
Ut Comici, Cinaedici, Scenatici.

Inde igitur *Fabulones*, à fabulis, &c. Sic itaque *Apinae* nugae sunt, vel ridicula & nugatoria dicta, atque inde *Apinarii* vel *Apenarii* (ut *patenas* pro *patinis* non rarò, *Caena* pro *Catina* urbe, in vett. libris legitur) sunt μωρολόγοι & qui ridicularia quacunque occasione funditant; quique non dictis solum & salibus, sed etiam motibus corporis & gestibus, sunt ridiculi. Quales illi fuere Pollioni memorati, qui totum illud Cyclopicae fabulae argumentum non solùm facetiis ac dictis similibus, sed schematibus praecipuè ac gestibus peregerunt: unde miranda quaedam & stupenda monstravisse, in illo Cyclopeorum lusu dicit Salmasius *ad d. l.* V. etiam infrà, ubi de *Sannis & Sannionibus.*

Apis. Hebr. דברה *debora*, dicta, à mirabili ductu & ordine: politicum enim hoc animalculum est. Reges habens, & populos & urbes & praetoria, de quibus è Graecis potissimùm consulendi Aristoteles, Aelianus & Scriptores *Geoponici*, ut, è Romanis, Varro, Virgilius, Columella, Plinius; & ex Arabibus, Damir & Alkazuinius. Apud omnes autem *apis* καλὸν est καὶ ἔνδοξον, *amabilis & clara*; ut cujus opus, mel viz. ubique nascitur, ut notat Plinius *lib. 21. cap. 23.* & ubique in pretio est, ab ultima Scythia usque ad Afros & Aethiopes. Unde non puduit Aristomachum Solensem, duodesexaginta annos in natura *apis* investigandâ desudasse; nec Philiscum Thasium, in desertis eas colentem, *Agrii* inde nomen sibi contraxisse. Quò pertinet, quòd mulierem frugi ex *ape* natam esse finxere Vett. ut apud Stobaeum *cap. 71.* Simonides:

Τὴν δ' ἐκ μελίσσης, τήν τις εὐτυχεῖ λαβών·
Κείνῃ γὰρ οἴῃ μῶμος οὐ προσιζάνει·
Θάλλει δ' ὑπ' αὐτῆς κἀπαέξεται βίος·
Natam ex ape qui duxerit, felix est:
In hoc enim sola culpa non residet,
Floretque & ab ea augetur res familiaris, &c.

Unde variae illustres foeminae *Apis* nomine appellari non sunt dedignatae. Apud Hebraeos *Debora* duplex, una Rebeccae nutrix, Genes. *cap. 35. vers. 8.* altera Prophetissa, quae judicavit Israëlem, Judicum *cap. 4. vers. 4.* Apud Graecos, Jovis nutrix *Melissa* nympha & *Melissa* Epidamni filia, de qua Stephanus in Δυρράχιον. *Melissa* item Periandri uxor, Regis Corinthiorum; & alia recentior, cujus *Epistolam* edidit Aldus in *Volum. Graecarum Epistolar.* Est etiam id receptum, ut ἐργάτις dicatur, nomine communi proprii vice accepto. *Anthol. lib. 1. cap. 60.*

Αἰθέριαι πτηναὶ νέκταρος ἐργάτιδες,
Aetherei volucres nectaris artifices &c.

Sed & fortitudinis merentur elogium, quam ob causam cum iis infestissimos hostes comparari in Sacris novimus. Certè earum examina multum saepe in bello profuisse, testatus Appianus in *Mithridat.* ubi, cùm Luculliani per cuniculos Themiscyram aggrederentur, Themiscyrii ursos, ferasque alias & σμήνη μελισσῶν, *apum examina*, in operarios emittebant: & Bonfinius *Decad 3. lib. 4.* ubi scribit, Amurathe Albam Graecam obsidente, oppidanos, *apum* examinibus in Turcas immissis, se fuisse tutos. Cui non absimile est, quod refert Wittichindus *de Saxon. gestis lib. 1.* unum ex Ducibus Henrici Imp. à Giselberto Lotharingiae R. obsessum, invasores, objectis apum alvearibus inhibuisse, quorum aculeis equi in furorem acti sessores vel excusserint vel ad pugnandum reddiderint inutiles: ut nil dicam de incolis oppidi *Tanti*, in ditione Mauritaniae Xiatimensi, à Lusitanis, duce Noronha, jam ferme ad incitas redactis, A. C. 1513. de quibus Osorius *de reb. Emmanuelis lib. 8.* Ita, si minùs verum, saltem vero simile est, quod apud Photium scribit Jamblicus de copiis, Rhodanem & Simonidem obsidentibus: Φυγὰς ἡ στρατιὰ, τῷ τῶν μελισσῶν πολέμῳ πιεζομένη, *Copiae diffugiunt, apum pugnâ afflictae.* Neque prorsus incredibile, loca quaedam trans Istrum, ut Herodotus narrat, propter earum multitudinem, hominibus inaccessa fuisse. Hodie inter poenas, quas adultero imponit Judaica gens, haec una est, ut nudus aestate per densam *apum* turmam transeat & illarum aculeis corpus suum objiciat, donec totum intumuerit, idque semel atque iterum, pro delicti gravitate, ut habetur apud Buxtorfium, *Synagog. Judaic. cap. 34.* &c. Plura de *Apibus*, V. suprà in *Apes* & praeter Auctores laudatos, apud Samuelem Bochartum *Hierozoici parte poster. lib. IV. cap. 10. & seqq.* In sepulchro Childerici, Francorum Regis, haud pridem prope Tornacum in Flandria reperto, praeter alia Regiae sepulturae ornamenta, magnum apum ex auro, pollicis longitudine, examen simul eruum fuisse, refert Car. Patinus *Relation. Histor. I.* quae omnia Imperatoris munere Galliae Regis cimeliarchio illata fuisse, addit. Fortè *apes* tumulato Regi additae, in symbolum bellicae fortitudinis, quum animalculum hoc, magnos animos exiguo in corpore versans, belligerum esse, suprà sit visum. Caeterùm de *Apum* Decimis, V. Ordericum Vitalem *lib. 5. pag. 82.* de militaribus earum, *Chartam* Henrici V. Imper. A. C. 1112. apud Nicolaum Zyllesium in *S. Maximino pag. 49.* Capitul. de *Villis cap. 17.* & suprà in voce *Abellagium*, &c.

Apis Natales, toti olim Aegypto festi atque celebres erant: *solemne sacrum* Senecae *Natur. quaest. 4.* ubi de fonte sacro, Phiala dicto: *In hunc ora stipem Sacerdotes, & aurea dona Praefecti, cùm solenne venit sacrum, jaciunt.* Nempe hoc fonte mergebatur *Apis*, ubi diu satis vixerat, Solinus *cap. 32. Apim vocant — statum aevi spatium est, quod ut affuit, profundo sacri fontis immersus necatur, ne diem longiùs trahat, quàm liceblt. Mox alter, nec sine publico luctu, requiritur, quem repertum centum Antistites Memphim prosequuntur, ut incipiat — sacer fieri.* Iis autem diebus, quibus festum hoc Natalium Apis celebrabatur, jaciebant in fontem hunc, quem *fontem Sacerdotum* Plinius vocat, pateras aureas & stipem, Sacerdotes ac Praefecti &c. V. Salmasium *ad Solinum pag. 440.* Iisdem, erant autem VII. quasi pacto castrensi foedere, ab omni saevitia crocodili sic desciscere, ut neminem per eos attingerent, crediti sunt, Bochartus *Hierozoici Part. poster. lib. V. cap. 16.* V. Plura de hoc Aegyptiorum idolo in voce *Apis*, item infrà in *Josephus & Serapis.*

Apium Palladis, Graecè Μελισσόφυλλον. V. suprà in voce *Apiastrum.*

Apiae, Graecis ἀπύαι, soleae sunt; pisces ex planorum genere, quos Graeci etiam σανδάλια dixere, de quibus V. Salmasium *ad Solinum pag. 1228.*

Aplanes, apud Dungalum Reclusum *lib. de Solis Eclipsi*, ad Carolum M. *De novem circulis, qui Aplanem illum ambiunt h. e. maximam sphaeram, in qua 12. Signa videntur infixa, & cui subjectae 7. aliae sphaerae.* Et infrà, *Mundani ergo anni finis est, cùm stellae omnes omniaque sidera, quae* Aplanes *habet, à certo loco ad eundem locum ita remeaverint, &c.* Firmamentum est, ex Graeco ἀπλανής, i. *non erraticus.* Ita enim Macrobius *de Somnio Scipionis lib. 1. Prima, inquit, illa stellifera sphaera quae proprio nomine dicitur caelum,* Aplanes *apud Graecos vocatur, continens & arcens caeteras.* Usurpat vocem quoque Radbodus Episcopus *Carm. in S. Suibertum Episc.* apud Car. du Fresne *Glossar.*

Nonne tuas modulis oblectat dulcibus aures,
Orbibus Aplanes obvius Empyreis?

Aplustre, Graecè ἄφλαστον, summa pars puppis; Homerus,

Ἕκτωρ δὲ πρύμνηθεν ἐπεὶ λάβεν, οὐχὶ μεθίει
Ἄφλαστον μετὰ χερσὶν ἔχων.

Sicut *acrostolium*, prorae. Eminebant autem in puppis summitate pinnae ac cristae, ut in galea: unde in nummis M. Antonii & Hadriani aliisque quampluribus videre est tres pennas ex apice summo puppis surgentes pro insigni; Cujusmodi pennam, ad ornamentum puppi imponi solitam, *Apinstre* quoque vocavit Ennius. In medio *Aplustri* fixum erat lignum rectum, è cujus medio pendebat infula ad ornamentum, seu taenia; pro qua in aliis, ad ornatum *Aplustris*, addebatur penna, in aliis parvum velum. In navis Argoae aplustri triplicis taeniae forma visitur in clypeolo; de pennis jam dictum. Atque hoc στηλὶς χήνιος vocat Auctor *Glossarum* & *Aplustre* Latini, quòd aplustri, i. summitati & apici puppis imponeretur. Quo sensu omnino accipienda *Apinstria*, in hoc versu Ciceronis, Prisciano citati,

Navibus aut summis fluitantia quaerere aplustra.

Et apud Poetam,

—— & toto fluitantia vela theatro &c.

V. Salmasium *ad Solinum pag. 572 & 573.*

Apocalypsis, nomen quoque est variorum librorum apocryphorum, qui eo ab Auctoribus suis insigniti sunt, ut faciliùs incauti deciperentur. Sic meminit *Apocalypsis S. Petri* Eusebius, quem librum damnatum esse refert *Chron. lib. 3. cap. 14.* Sozomenus verò, in Palaestina, feriâ 6. in Parasceve, adhuc suo tempore lectum esse, narrat *lib. 7. cap. 16.* De *Apocalypsi D. Pauli*, V. quae Nicephorus, Sozomenus & Eusebius *lib. eod. cap. 3.* De *Apocalypsi Adami*, quae Epiphanius; de *Apocalypsi Esdrae* quae Nicephorus: *Eliae*, quae Baronius Anno Christi 44. *num. 49.* tradunt. Gratianus quoque in *Decretalibus* trium *Apocalypseon* meminit, *D. Thomae, D. Stephani & Mosis*, de quarum ultima etiam Cassiodorus quaedam habet.

Apocarteresis, à Marcionitis dicta est mors violenta, ex minodia vel laqueo, accelerata, à verbo Gr. ἀποκαρτερεῖν. Tertullianus *c. Marcion. lib. 1. Hypocrita ut apocarteresi probat se Marcionitam.* Idem eandem vocem adhibet *adv. Gentes lib. 1. cap. 46. Lycurgus* apocarteresim *optavit, quòd Leges ejus Lacones emendassent.* V. Macrum *Hierolex.*

Apocatastasis omnium Planetarum. V. suprà in voce *Annus Magnus.*

Apochyma, Graecè ἀπόχυμα, dicebatur is comendorum crinium modus, quo capillus effusus, absque modo & ligatura, spargebatur per humeros, apud Clementem *in Canonibus.* Tertullianus, *aut Parthorum more capillum effunderet.* Poeta,

—— dederatque comam diffundere ventis.

Cujusmodi comam Graeci ἀκερσεκόμην & ἰουλον vocant; quae vi-

serie prolixâ, exporrectâ & effusa dorsa permanat. At cùm crinis colligebatur & in unum sive nodum, sive corymbium constringebatur, ornatus is [illegible] dicebatur, item *corymbium* & *botronatus*. Præter quos tertius ornandi comam modus erat, cùm ea dividua ac discriminata servabatur, non implexa & inflexa, ut in spatalio, nec effusa, ut in *Apochymate*.

Apocopa, adde: Imò legendum apud Stephanum, *ἐν Βαρβαρικῷ μυχῷ*, *in Barbarico sinu*; ad quorum Orientem æstivum situm est Aromatum emporium. V. Salmasium *ad Solinum pag.* 798.

Apocrisiariatus, apud Humbertum *c. Græcorum calumnias*, dignitas *Apocrisiarii* est. Erant autem *Apocrisiarii* Zosimo, [illegible], quos Vopiscus in *Aureliano*, *Notarios secretorum*. Recentiores Latini, barbaros Græcos imitati, *Asecretas*, dixere; alio nomine *ad Responsum*, item *Referendarios*: nam [illegible] & [illegible] idem, Latinis *notaria* seu *notoria*. V. Salmasium *ad Vopiscum*. Joh. de Janua, *Apocrisiarius*, *Secretarius—Cancellarius, quia ipse est Secretarius Regis vel Imperatoris & ejus secreta scit.* Curam habebat annuli Regii, quo diplomata & præcepta Regia subsignabat, Honor. Augustodun. in *Gemma Animæ lib.* 1. *cap.* 185. quod Referendarii munus fuisse, diximus jam. Unde Frigebodus S. Audoënum fuisse *Apocrisiarium Regis* scribit, quem *Gesta* Dagoberti *cap.* 39. & Aimoinus *lib.* 4. *cap.* 41. *Referendarium*, vocat. Sic Ordericus Vitalis *lib.* 12. *initio*, Gelasium Pontif. quem Cancellarii munus antea gessisse ait, *Apocrisiarium Præsulum* mox vocat. Inde *Legatum*, *Nuntium*, vox denotare cœpit. *Glossæ* Basil. [illegible] — [illegible]. Quâ notione eam non semel usurpant, è Latinis, *Chronicon* S. Vincentii de Vulturno, & Guil. Tyrius; è Græcis Theophanes, Cedrenus, Constantinus Porphyrog. Nicetas, Alii. Id autem nominis Legatis inditum, quòd *ἀποκρίσεις*, seu *Responsa* Principum deferrent. Namque Justinianus *Nov.* 25. *τὰ βασιλικὰ παραγγέλματα*, *Regia mandata*, Decessoribus suis *ἀποκρίσεις*, *Responsa*. dicta fuisse, scribit. Unde Procopius *Bell. Vandal. lib.* 3. veredarios ait esse, qui *εἰς τὰς βασιλικὰς ἀποκρίσεις* mittuntur: quo loco *ἀποκρίσεις*, *negotia* appellat; quo etiam nomine à Scriptoribus citerioris ævi indigitata fuisse negotia, quæ inter dissitos à se invicem peragerentur, dicemus infrà. Postea verò in Aula Regum, *Apocrisiarii* munus ad res Ecclesiasticas restrictum est, ubi id officii gerebat, quod CP. *Apocrisiarius Eccl. Rom.* cujus instar erat: nec enim Româ *delegabatur*, sed deligebatur à Rege. *Responsalem negotiorum Eccles.* vocat Hincmarus de *Ord. Palatii cap.* 13. de quo idem sic *cap.* 16. Apocrisiarius, *quem nostrates Capellanum vel Palatii custodem appellant, omnem Clerum sub sua cura & dispositione regebat. Cui sociabatur summus Cancellarius, qui à secretis olim appellabatur* &c. Sed & *Apocrisiarii* hinc dicti, præsertim qui à Pontifice Rom. vel etiam Patriarchis ad Comitatum seu Curiam Principis mittebantur, quò res Ecclesiarum suarum peragerent & de iis ad Principem referrent. Justinianus *Nov.* 6. *cap.* 1. *Sancimus, si quando propter Ecclesiasticam occasionem inciderit necessitas, hanc aut per eos qui res agunt — Ecclesiarum, quos* Apocrisiarios *vocant, aut per aliquos Clericos huc destinatos — nostro Imperio facere aut nostris administratoribus, ut impetrent, quod competens est.* Atque hunc mittendorum de Sede Rom. *Responsalium* (nam sic Latinis *Apocrisiarii*, V. infrà) Constantinopolim morem Hincmarus Rem. *lib. cit cap.* 13. ab ipsis Novæ Romæ incunabulis viguisse tradit, (quod tamen ad tempora demum Justiniani aliis referre visum est) quorum erat, res Ecclesiasticas ibi procurare, & si quæ de fide oborirentur quæstiones aut Ecclesiarum dissidia essent componenda, aliaque ejusmodi negotia peragenda, præstò essent. Addictam iis domum Placidiæ, in qua oratorium extructum erat, quod *Altare sanctæ sedis* appellat Anastasius Bibliothec. quòd in eo sacris Liturgiis more Latinorum vacarent, tradit idem Auctor in *Martino pag.* 49. & 50. V. du Fresne *in CP. Christiana*. Desiit verò mos ille mittendorum in Urbem Regiam *Responsalium* ad aliquod tempus, occasione hæresis Monothelitarum, cujus acerrimi propugnatores erant Sergius, Pyrrhus & Paulus, Patriarchæ CP. imperantibus Heraclio & Constante. Postmodum Vitalianus Papa electus iterum misit, qui Constanti electionem sui significarent, sed mox domum illi reversi sunt. Donec sublatis Schismatum dissidiis Constantinus Imp. à Leone VI. Pontif. *Apocrisiarium* iterum ad se mitti postulavit, sed cum plenæ Legationis auctoritate: cui Constantinum Subdiaconum, sed nullâ Legationis potestate concessâ, misit. Verùm ineunte seculo VIII. cùm Imaginum ferveret dissidium & Iconoclastæ Impp. prævalerent, iterum interrupta in Urbem Regiam mittendi Româ Responsales consuetudo fuit; imò abrupta penitùs. Nam qui, captâ à Francis Constantinopoli, rursum à Pontificibus eò missi sunt Cardinales, non *Apocrisiariorum* duntaxat, sed & *Legatorum*, ut vocant, *à Latere*, vicem agebant, ut pluribus refert Car. du Fresne *Not. ad Villharduinum num.* 104. V. eundem in *Glossar.* ubi quosdam eorum recenset. Hodie Prælati mittuntur, quos Nuntios appellant, & fere cum tit. Patriarchatus vel Archiepiscopatus in partibus infidelium: Car. Macer in *Hierolexico*; V. quoque Dominicum Fratrem ejus *ibid.* ut & in voce *Responsalis*.

Apocrisiarius, quoque officii Monastici nomen est, quod sic describit Udalricus *Consuetud. Cluniac. lib.* 3. *cap.* 12. Apocrisiarius *est, qui custodit Ecclesiæ thesaurum & in cujus manu est, quidquid ad Altaria offertur* &c. Idem *Thesaurarius*, item *Legatus*, dicitur Papiæ: sustinebatque insuper portarum Templi aperiendarum ac claudendarum munus: & *semper in Ecclesiæ morabatur excubiis, ibi dormiebat & legebat*, ut ait idem Udalricus &c. du Fresne *Glossar.*

Apocryphæ Virgines, V. infrà, ubi de *Cataclistis*, item *Reclusis*.

Apodanea, Papiæ dicta est *Ecclesia S. Michaëlis*, *à pedis vestigio ibi impresso* Car. du Fresne *Glossar.*

Apodipnon, Gr. Ἀπόδειπνον, *q. post cœnam*, in Ecclesia Græca vocatur, quod *Completorium*, in Latina, ultima sc. Canonicarum horarum pars, quâ recitatâ totum diei officium completur, *initium Noctis*, in *Regula* S. Columbani. Et quidem apud Græcos duplex est Ἀπόδειπνον, *μέγα* seu *majus*, quod in Quadragesima recitatur, & *μικρὸν*, i. *minus*, pro totius anni cursu: quorum utrumque Completorio Latinorum, quod ad auctorem S. Benedictum refertur, antiquius est. Basilio enim in *Reg interrog.* 37. sic describitur: *Tum primis se jam noctis intendentibus tenebris sequatur [illegible] petitio, ut quies, quam sumus capturi, inoffensa, ac vitio libera sit, quâ horâ etiam necessariò Psalmus nonagesimus* (Qui habitat &c.) recitari debet, &c. V. Macros Fratres in *Hierolexico* & infrà, in voce *Completorium*.

Apodyterium, pars illa Palæstræ seu Gymnasii potiùs, quæ aliàs *Spoliatorium*, quod vide.

Apointi, una ex tribus Solis statuis, apud Peruanos, quibus sacra facere consueverunt, mense Decembri, illis *Rayme*, quo annum ordiuntur, V. infrà *Capactaslayme*.

Apolaustus, adde: Verba Capitolini, *Habuit & Agrippum histrionem; cui cognomentum erat Memphi, quem & ipsum è Syria, velut tropheum Parthicum, adduxerat, quem* Apolaustum *nominavit*. Ubi *Agrippum*, non *Agrippam*, legit Salmasius, librorum consensu nixus. Meminit ejus antiqua Inscr. lapidis Rom. ubi *Memphii* cognomen additur, quæ sic habet:

L. AURELIO
APOLAUSTO. MEMPHIO
AUGG. LIB. HIERONICÆ
CORONATO. ET. TON. DIAPAN
DON. APOLLINIS. SACERDOTI
SOLI. VITTATO. ARCHIERI
SYNHODI. ET AUGG.
L. AURELIUS.
PANNICULUS. QUI. ET.
SABANAS. PATRONO
OPTIMO.

De eo, sub Commodo, occiso, Lampridius: *Sed & Cleandro dignus vitæ finis impositus. Nam quum insidiis illius Arrius Antoninus — esset occisus, nec eam tum invidiam populo sæviente Commodus ferre potuisset, plebi ad pœnam donatus est: quum etiam* Apolaustus *aliiq; Liberti Aulici pariter interempti sunt.* V. Salmasium *ad Historiam Aug.*

Apolectos, apud Plinium *lib.* 32. *cap.* 11. inter genera pelamydum: *Plager, Phycis saxatilium, Pelamys, earum generis maxima* Apolectos *vocatur, durior Tritone*; Sed perperam; *ἀπόλεκτος* enim, sub. *τόμος*, pars grandior & selectior est pelamidis confectæ, quæ dein in cybia quadrata particulatim concidebantur. Hinc rectè idem *lib.* 9. *cap.* 15. *Pelamides in Apolectos, particulatimque confectæ, in genera cybiorum dispartiuntur.* Hesychius *ἀπόλεκτον*, *ἐκλεκτὸν* &c. V. Salmasium *ad Solinum pag.* 1317. & infrà in voce *Cybium*.

Apollinares ludi, adde: Matronæ supplicavere, vulgò apertis januis in propatulo epulati sunt celeberque dies omni ceremoniarum genere fuit. Origo eorum: Ex vaticinio Martii vatis & Sibyllino carmine, Romani admoniti hos ludos Apollini dedicarunt; qui cùm primâ vice celebrarentur & Romani, subitâ hostis invasione perculsi, armis arreptis eum repulissent, postque victoriam in Theatrum reduces, soliciti essent, ne intermissâ religione advenirent iique essent instaurandi, inventus est C. Pomponius libertinus, mimus magno natu, qui ad tibiæ cantum saltabat: quo viso, præ lætitia non interruptæ religionis, acclamatum, *Salva res est*, *saltat senex*; quod in proverbium postea abiit, V. Thom. Dempsterum *Antiqq. Rom. lib.* 5. *cap.* 17. Hospinianum *de orig. Festorum* &c. Præfuit ludis his Prætor is, qui jus populo dabat: Hic in Circo Maximo, cum eos facturus esset, edicere solitus est, ut populus per eos ludos stipem Apollini, quantum commodum esset, conferret, Idem Dempsterus *Ibid.*

Apollinaris, inter conscios cædis Antonini Caracalli Imp. cujus meminit Spartianus in *Vita* hujus: *Conscii cædis fuerunt Nemesianus & frater ejus Apollinaris* &c.

Apollo

Apollo, adde:

Apollinis variæ apud varias gentes epitheta.

Apollo Actiacus, Romæ cultus, idem cum *Palatino*.
Agyæus, Athenis;
Alexicacus, *Ibid.*
Apotropæus, *Ibid.*
Cœlispex, Romæ.
Capitolinus, in Apollonia Ponti urbe, ubi Argonautas Apollini aram statuisse, canit Apollonius *lib.* 2. cultus est; cujus simulachrum seu colossum, à Lucullo Romam advectum, tradit Plinius: *Circa Istrum Apolloniatarum una LXXX. M. à Bosporo Thracio, ex qua M. Lucullus* Capitolinum Apollinem *advexit*, de quo loco V. Salmasium *ad Solinum pag.* 214.
Chochlæus, V. infra.
Clarius, apud Solinum *cap.* 40. *Colophon civitas nobilis Oraculo Clarii Apollinis*: à *Claro*, Colophoniorum oppido, ubi Templum Apollinis & oraculum exstitit, quod ἐν Κλάρῳ dicebatur, nomen habuit, de hoc multa Salmasius *ad Solinum pag.* 810. & 860. V. quoque infra, in voce *Clarius*, item *Mantium*.
Cumanus, memoratur Jul. Capitolino in *Clodio Albino*, cui inter *Imperii signa*, *bos albus purpureis ad plenum colorem cornibus natus est* — *quæ tamen cornua in templo* Apollinis Cumani *ab eodem posita jam Tribuno aiunt fuisse dicuntur*: *quòd*, *quum ille sortem de Fato suo tolleret*, *his versibus eidem dicitur esse responsum*,

Hic rem Romanam magno turbante tumultu
Sistet eques: sternet Pœnos Gallumque rebellem.

ubi *purpurea ad plenum colorem cornua* sunt, purpuræ acutissimæ & verissimæ & intensi luminis, quem Græci κατακορῆ colorem, Latini *plenum* & *saturum*, dicunt. Salmasius *ad l.*
Deliacus, in Delo Ins.
Delphicus, Delphis.
Didymæus, V. infrà. Horus, Ægyptiis.
Hyperboreus, à Scythis colebatur. V. *Hyperborei*.
Medicus, cui Romæ ædem Marcus Fulvius Nob. Censor dedicavit.
Milesius, apud Vitruvium, *Mileti Apollini item Jonicis symmetriis idem Pœnius Daphnisque Milesius instituerunt*: idem est cum Didymæo, cujus templum, quod in Milesiorum agro fuit, idem Pœnius, qui summam addidit manum fabricæ templi Ephesii, symmetriis Jonicis cum Daphnide instituit. Hoc à Xerxe combustum, à Milesiis postea refectum est. V. Salmasium *ad Solinum pag.* 814.
Navalis, idem cum *Actiaco*.
Pæan à Græcis cultus
Palatinus, cui ab Augusto templum Romæ extructum in Palatio: ubi & sortes Sibyllinas sub *Apollinis* hujus basi posuit, quæ antea in Capitolini Jovis æde servabantur. Conflagravit illud, sub Juliano Apostata, eoque incendio penè consumta fuere Cumana carmina, Ammianus *lib.* 23. &c. V. Salmasium *d. l. pag.* 78.
Apollo παρνόπιος & Σμινθεύς, V. *Sminthius*.
Parætonius, idem cum *Palatino*.
Apollo Pythius, V. in voce *Pytho*: item *Delphi*. Idem fanum habebat, *in* τῷ ὄρει Ἐφεσίων, *in finibus Ephesiorum*, ut Creophylus apud Strabonem ait; quod, quia inde oracula quoque reddebantur, nonnullis *Mantium* dictum est. Idem *pag.* 810.
Sandaliarius, cujus in vico 4. regionis simulachrum Augustus dedicavit.
Sosianus, Thuscanicus, } apud Rom.
Thyræus, apud Athenienses.
Tortor, à Romanis cultus in vico, in quo venalia tortorum flagella &c.

V. Thom. Dempsterum *Antiqq. Rom. lib.* 2. *cap.* 7. *& paralipom. ad illud*, Francisc. Rossæum *Archæologiæ Atticæ lib.* 2. *cap* 2. &c.

Apollo, tutela navis Massici, cujus parasemon tigris erat. Virgilius *Æn. lib.* 10.

Massicus ærata princeps secat æquora Tigri.
Et mox,
— — *huic totum insignibus armis.*
Agmen & aurato fulgebat Apolline *puppis.*

V. infrà in vocibus *Parasemon*, & *Tutela*.

Apollodorus, Atheniensis Gramm. De ejus *Bibliotheca Mythica*, quæ nihil aliud erat, quàm Epicus Cyclus, V. infrà in voce *Bibliotheca*.

Apollonia Thynnias, Ins. Ponti in Asia, sic appellata, quòd esset Apollini sacra. In ea namque *Apollini* aram statuisse Argonautas, canit Apollonius *lib.* 2. Meminit ejus Arrianus in Periplo Ponti, ἀπὸ Ῥήβα εἰς Κεφαλὴν ἄκραν ... *A Rhebo Apolloniam usque, Insulam exiguam, parvum distantem à Continente.* Pomponio *Thynnias* dicitur *lib.* 2. *cap.* 7. De qua V. Salmasium *ad Solinum pag.* 215. ubi etiam de *Apolloniatarum* Ins. cujus præter Plinium, nemo alius meminit, judicium suum exponit.

Apolloniatis Regio, inter undeviginti Regna Parthorum, quæ memorantur Isidoro in *libello* Σταθμῶν Παρθικῶν.

Viri celebres.

Apollonius, Rhetor; item alius, Philosophus, sub Vero Imp. *Audivit Scaurum Grammaticum Latinum* — *Rhetores* Apollonium, *Celerem Caninium* & *Philosophos*, Apollonium & *Sextum*.

Apollonius Chalcidenus, Philosophus Stoicus, inter educatores Antonini Pii memoratur Jul. Capitolino, in hujus *Vita*, ubi de eo lepidam hanc historiam adfert: *Quum* Apollonium, *quem Chalcide accIverat*, *ad Tiberianam domum*, *in qua habitabat*, *vocasset*, *ut ei Marcum Antoninum traderet*, *atque ille dixisset*: Non Magister ad discipulum debet venire, sed discipulus ad Magistrum. *Risit eum dicens*, Facilius fuit *Apollonio* à Chalcide Romam venire, quàm à domo sua in palatium. Idem eum *Chalcedonium* vocat in *M. Antonino Philos.* qualem eum quoque Eutropius facit: ac refert, Imperatorem hunc, jam nactum dignitatem Imperatoriam, tanto Philosophiæ studio flagrasse, *ut ad domum Apollonii discendi causâ veniret.* V. Salmasium Notis *ad d. l.*

Apollonius Syrus Platonicus, apud Spartianum in *Adriano Cæs. Habuit autem præsumtionem Imperii mox futuri ex fano quoque Nicephorii Jovis*, *manante responso*, *quod* Apollonius *Syrus Platonicus libris suis indidit*: non est *Apollonius* Chalcidenus, de quo suprà: illum enim Dio accenset τοῖς Στωϊκοῖς λόγοις μεμελετηκόσιν: at iste Platonicus est. Sed fortè Tyanæus alter, Suidæ dictus; Nam *Tyana* ad portas Cilicias sita, cujus brevissimus in Syriam transitus est. Salmasius *ad Spartianum*.

Apologeticus liber, Græca voce is dicitur, qui in Christianæ Fidei veræque Ecclesiæ defensione occupatus est: sic aliquot *Apologeticos* contra Gentes aliosque Veritatis hostes à Patribus editos novimus. Paulo aliter Gregorius M. in suo *Sacramentar.* vocat quasdam orationes *Apologeticas*, in quibus propria sua ἐγκλήματα nævosque confitetur: Nulla enim in divino tribunali major defensio est, quàm propriæ culpæ accusatio. Eadem ratione Ambrosius tractatui, in quo Prophetæ peccatum manifestat, *de Apologia David* titulum fecit. V. Dominic. Macrum *Hierolex.* Sed & *Apologetica* seu *Apologias*, vocant in Latina Ecclesia, excusationes & purgationes, quibus Ministri sacra facturi excusant se, quòd indigni ad tam veneranda & tremenda mysteria accedant: quarum formulæ complures habentur in *libro Sacramentorum* Gregorii modò dicto. *Missa* Rom. edita ab Illyrico: *Quomodo Sacerdos apologetica celebrare debeat*, *antequam ad Missarum celebrationem accedat* &c. Earum loco apud eosdem, hodie *Confessio* seu *Confiteor* dicitur. V. Car. du Fresne *Glossar.*

Apomagdaliæ, Græcè ἀπομαγδαλίαι, quid sint apud vet. Scholiastem Homeri (*Odyss.* κ. *versu* 216. ubi de canibus Poeta,

Ὡς δ' ὅτ' ἂν ἀμφὶ ἄνακτα κύνες δαίτηθεν ἰόντα
Σαίνωσ' (αἰεὶ γάρ τε φέρει μειλίγματα θυμοῦ)
Ut cùm circa herum canes è convivio euntem
Blandiuntur. Is enim semper affert animi delinimenta,

accuratè docet Jul. Pollux his verbis *lib.* 6. *cap.* 14. Οἱ δὲ πάλαι ταῖς καλουμέναις ἀπομαγδαλίαις ἐχρῶντο, ... *Apomagdaliis*, *quas vocant*, *Veteres utebantur. Ea erant*, *quod in pane molle & pastaceum est*, *quo postquam se abstersissent*, *canibus id projiciebant. Unde est quod* apomagdaliam *Lacedæmonii cynadem* (quasi *caninam*) *vocant. Atque id subinnuit Homerus* &c. Atque has panum cupedias, & ut Poeta ait, μειλίγματα θυμοῦ, canes somniare, Piscator apud Theocritum dicit *Idyll.* 21. eodem modo pisces se somniare addens,

— — Καὶ γὰρ ἐν ὕπνοις
Πᾶσα κύων ἄρτον μαντεύεται, ἰχθύα κ' ἐγώ.
Etenim in somnis
Omnis canis panes auguratur, *& ego pisces.*

Ubi vir doctus ἄρτον non probat, & legi mavult ἀγρὸν, *agros.* Sed quorsum id? Nam, ut piscator pisces, quidni canis panes somniet, quorum esu impensè delectatur: præsertim panum his cupediis, de quibus diximus. V. quoque Eustathium *ad d. l.* Hesychium, Plutarchum *in Lycurgo*, Suidam, Rhodiginum *lib.* 28. *cap.* 1. Erasmum *in Adagio*, *Canis vivens ex magdalia*, Alios, laudatos Sam. Bocharto *Hierozoici Parte prior. lib. II. cap.* 55. nec non infrà in voce *Canis*, item in *Magdalia*.

Aponinæ Sortes, memoratæ Vopisco in *Firmo*, *Ipse quoque dicitur habuisse duos dentes elephanti*, *pedum denum*, *è quibus Aurelianus ipse sellam constituerat facere* — *in quâ Jupiter aureus & gemmatus sederet cum prætexta*, *ponendus in templo Solis*, Aponinis (vulgò legitur *Apenninis*) *sortibus additis*: *quem appellari voluerat Jovem Consulem*, *vel Consulentem.* Etiam apud Treb. Pollionem occurrunt in *Claudio*: *Idem cùm in* Aponino *de se consuleret*, *responsum hujusmodi accepit*,

Tertia dum Latio regnantem viderit æstas.

Item, *cùm de posteris suis*,

His ego nec metas rerum, *nec tempora pono.*

Item, *quum de fratre Quintillo*, *quem consortem habere volebat Imperii*, *responsum est*:

Offendent terris hunc tantùm Fata.

Ubi legit Casaubonus iterum pro *Apennino*, uti vulgò editum, *Aponino* vel *Aponi fonte*. V. in voce *Aponus*.

Aponius, adde: Græcus fuit, scripsitque *in Canticum Cantic. Expositionem per paraphrasin*, collectam ex Gregorii Nysseni, Nili & Maximi commentariis: *Vir in S. literis disertissimus*, Sixto Sen. *Eruditionis & sanctimoniæ non vulgaris, ac in cœnobio latitans nyctitorax*, Joh. Fabri *in Epist. dedic.* Eidem *concioni accommodatissimus, in quo nihil est quod tollas.* Floruisse dicitur Bellarmino Anno Christi 812. Aliis 700. Labbæo Anno Christi 680. ubi plura, si lubet, vide. Prodiit *Expositio* ejus in fol. Friburgi Anno Christi 1538.

Apophoreta, Græcè Ἀποφόρητα, dicta sunt dona, quæ in Saturnalibus convivis dabantur domum ferenda, ab ἀποφέρω. *Vespasianus dabat sicut Saturnalibus Apophoreta viris; ita & per Calendas Martias feminis.* Suetonius *in eo cap.* 19. V. Hadr. Turnebum *lib.* 28. *cap.* 32. Idem titulus est Martialis *Epigramm. libri.* 14. seu *ultimi*: ubi statim sub initium docetur, divitum dona fuisse citreos eburneosque pugillares, chartas majores &c. pauperum, quintuplices, triplices, chartas epistolares, candelas &c. Quæ per sortem contigisse, discimus ex *Epigramm.* 40.

Ancillam tibi sors dedit lucernæ &c.

Apud Lampridium *in Heliogabalo*, *Apophorita* est; ubi notat Casaubonus, *Apophoretum* esse munus è convivio auferri solitum, V. infrà, ubi de *Sortibus convivalibus*. Hinc donum quodvis, in muñerum editione & dignitatum votis, significare cœpit, ut apud Symmachum videre est, & ulteriùs patet ex iis, quæ Raderus *ad Martialem*, idem Casaubonus ad *Suetonium*, Beroaldus ad *Appulejum*, Rosueidus *ad Paulinum*, aliique adnotarunt. Tandem pro ipso vase, in quo munera reponebantur, usurpata vox, Isidor. *Origin. lib.* 20. *cap.*4. Paulinus *ad Sever. Epist.* 1. &c. Atque hinc ad feretra, in quibus defunctorum reliquiæ ferri mos, denotanda translata, ut ex Auctoribus citerioris ævi Car. du Fresne *Glossar.* & Macris Fratribus in *Hierolexico*, laudatis, videre est.

Apostatici, Hæretici. V. suprà in voce *Angelici*.

Apostolæum, ædes sacra, prope Chalcedonem, Petro & Paulo Apostolis, dedicata. Imò & quæcunque Ædes, Apostoli alicujus nomen præ se ferens, quemadmodum *Prophetæum*, quæ alicui ex Prophetis consecrata est. Theodoretus *lib.*1. apud Macrum *Hierolex.*

Apostolatus, Gr. Ἀποστολὴ, titulus honoris Episcopis olim tributus. *Epistola* Vitalis & Constantii ad Capreolum Episc. Carthagin. *Ideoque provoluti genibus extremus humiles servi tui sanctum* Apostolatum *vestrum, ut informetis parvitatem nostram* &c. Sidonius *lib.* 6. *Epist.* 4. *ad Lupum Episc. Trecens. Præter officium, quod — eminenti* Apostolatui *tuo sine fine debetur.* Et *Epist.* 7. *ad Fontelum Episc. Vasion. Ego quoque ad* Apostolatus *tui notitiam — accedo.* Atque ita passim apud Hadrianum Pontif. *Epist.*92. Ruricium *lib.* 1. *Epist.* 14 & *lib.* 2. *Epist.* 8. 49. 50. 57. Ennodium *lib.* 5. *Epist.* 17. Avitum *Epist.* 10. 23. 37. 59. Fortunatum *Epist. ad Euphron.* Turon. Episc. *lib.* 3. *Poëmat. Epist.* 44. & 45. *Histor.* Francor. *Tom. I. pag.* 874. &c. Olim enim Episcopi universim omnes *Apostolici*, vel simpliciter, vel adjunctâ *Episcopi*, *Viri* aut aliâ voce, dicti sunt, tanquam *Apostolorum* successores & vicarii quisque in diœcesi sua. Unde Fortunatus ad Gregorium Episc. Turon. scribens, ipsum *Dominum Apostolicum* vocat, in *Prologo ad Vitam S. Martini & ad lib.* 1. *Poëm.* ut & Euphronium Episc. Turon. *lib.* 3. & Nicetium Trevir. *eodem lib. Poëm.* 10. Ita apud Marculfum passim legimus: *Ille Rex viris* Apostolicis *patribus nostris*: Apostolico *illi Episcopo*; aliosque quamplurimos. Atque hinc *Apostolica sedes* Episcopalis quæcunque appellata est. Marculfus idem *lib.* 1. *Form.* 6. *Domino Sancto* Apostolicæ sedis *dignitate colendo illi Episcopo.* V. quoque Sidonium Apollin. *lib.* 6. *Epist.* 1. *ad Lupum Trec.* &c. Verum sicut *Papæ* appellatio, quæ similiter Episcopis omnibus primitus communis fuit, sequiori ævo soli Pontifici Rom. adscripta legitur; ita *Apostolici* elogium idem sibi soli procedente tempore vindicare cœpit, V. Casaubonum *Exercitat. XIV. in Baron.* §. 4. *ann.* 32. *num.* 5. unde factum, ut & *Apostolatus* appellatio tandem ad solam Paparum dignitatem fuerit restricta. Paulus Warnefridus *de Gestis Longobard. lib.*4. *cap.*30. *B. Gregorius — migravit ad Christum — cujus in locum ad* Apostolatus *officium Sabinianus est ordinatus.* Bernardus *Epist.* 38. *Eugenii* Apostolatus *excusat me.* Et inde pro titulo honorario usurpata vox: Honorius Imp. in *Rescripto* ad Bonifacium I. Pontif. Rom. *Petimus, uti quotidianis orationibus* Apostolatus *tuus studium ac vocum tuum — dignetur impendere.* Joh. Sarisber. ad Alexandrum Pontif. *Epist.*110. *Cùm ergo* Apostolatus *vestri culmen nequeamus pro toto visitare*, &c. Similiter *Apostolica Sedes* de sola Pontificia dici cœpit, &c. V. quoque Car. du Fresne *Glossar.*

Apostoli Doctor, nomen dignitatis in Ecclesia olim CP. ad quam, in publicis concionibus, Pauli Apostoli epistolas explicare spectabat. Macer *Hierolex.*

Apostoli, apud Judæos, *qui ad exigendum aurum atque argentum à Patriarcha certo tempore diriguntur*, *l.* 14. *Cod. Theodos. de Judæis.* Coronarium sc. cujus canon anniversarius erat & à Judæis solebat pensitari, du Fresne *Glossar.* Sed & jam antè in hac gente sic dictos fuisse, ait Baronius *ad AnnumChristi* 32. qui pecuniarum, ad Templum sartum tectum conservandum, collectores essent, atque in observatione Legis Mosaicæ urgenda, velut Legati jurisdictionem haberent. E quorum numero Paulus fuisse creditur, quem obtinuisse literas à principibus Sacerdotum legimus, ut si alicubi deprehendisset Christianos, velut Legis hostes, Hierosolymam vinctos abduceret. Unde non absque mysterio suam ad Galatas Epistolam his verbis orditur: *Paulus Apostolus, non ab hominibus, neque per hominem, sed per Jesum Christum.* Quasi dicat, Jam non ampliùs Apostolus sum, à Synagoga missus, sed Legatus Jesu Christi. Atque de his *Apostolis* Hebræorum Epiphanius agit *Hær.* 30. ubi eos magna in veneratione, & dignitate apud suos populares fuisse, refert; duravitque nomen ac potestas ea in hac gente, usque ad principatum Theodosii, qui iis in *C. de Judæis*, titulum & potestatem hujus *Apostolatus* publico Edicto prohibuit, V. Dominicum Macrum *Hierolexico*, & præ hoc Jac. Gothofredum *ad l. d Cod. Theodos.* ubi multa *de Apostolis Judæorum.* Sed & in Ecclesia Christiana, *Apostoli* Papiæ dicuntur *Hæretici quidam hoc sibi nomen sumentes, quia nihil proprium possidentes, nequaquam recipiant aliquid in hoc mundo possidentes.* Eosdem *Apostolicos* appellat Augustinus *de Hæres. cap.* 40. &c. V. in voce *Apostolici*.

Apostolici, propriè dicuntur Episcopi, qui in Apostolorum cathedris successerunt; & quia omnes Episcopi locum tenent Apostolorum, teste Hieronymo *Epist. ad Marcellam*; cui suffragatur Augustinus, *in pede Psalm.* 44. & 12. *q.* 1. *c.* in morem abiit, ut omnes utique *Apostolici* dicerentur: præsertim apud medii ævi Scriptores, ut abunde liquet è Marculfi formulis, circa Ann. Christi 600. conscriptis. Hinc Clodoveus ad Syn. Aurelianensem I. *Dominis sanctis &* Apostolicâ *sede dignissimis Episcopis, Clodoveus Rex.* Et in fine, *Orate pro me DD. sancti, &* Apostolicâ *sede Papæ dignissimi.* Similiter Gunthramnus R. in edicto Concilii Matiscon. ꝯ. ditionis suæ Pontifices alloquutus, *Vos*, inquit, *Apostolici Pontifices.* Unde Episcopalis dignitas etiam *Apostolatus* dicta est: & episcoporum Legati *Apostolici* nuncupati sunt. Subsequentibus autem seculis, *Apostolici* nomen, quemadmodum & Papæ, apud Pontificem Rom. solùm remansit, qui etiam *Apostolus*, præsertim à Gallis, dictus est. Anglorum *Apostolus* S. Gregorius, Francorum *Apostola* Clotildis, Clodovei Regis uxor nuncupata est, quòd ille Anglo-Saxones, ad fidem adduxit: hæc prima apud Francos Christiana, ceteros similiter ad Christum provehi fecit, Magn. *Chron.* Belg. sub Ann. Christi 500. &c. V. Henr. Spelmannum *Gloss. Archæol.* & de voce *Apostolus*, pro classis Præfecto seu Admiralio, in voce *Thalassiarchus*, V. quoque suprà *Apostolatus*.

Apostolici, adde: Sic dictos esse Hæreticos illos tempore Bernhardi, quòd sese successores Apostolorum jactitarent, auctor est Raineius *c. Valdenses cap.*6. apud du Fresne.

sub *Apostolis*, Romæ appellata est Aula Lateranensis Palatii, ex pictura Apostolorum in ejus pariete effigiata: unde Anastasius Biblioth. Nicolaum I. Synodum habuisse *sub Apostolis* refert, Dominic. Macer in *Hierolexico.* Carolus verò hujus frater, per *sub Apostolis Aulam*, ipsam Basilicam Lateranensem, quam *Aulam Dei* nuncupatam esse ait Panvinius, intelligit: sicque dictam vult, vel quòd ibi extiterint Apostolorum Principum capita, vel quòd mos esset, capita eorundem in Conciliis collocare, uti in Concilio Florentino factum fuisse, referunt, Severinus Binius Concilior. *Tom. VIII.* Victorellus *Addition. ad Ciacon. Tom. II. col.* 1155. *lit. A. & B.* Alii.

Apostolium, in *Epistola* Chlodovæi R. Franc. ad Episc. *De captivis quidem captivis laicis, qui extra pacem sunt captivati*, Apostolia, *cui volueritis, arbitrii vestri non est negandum*, Lege *Epistolia*, Car. du Fresne *Glossar.* At *Apostolicum* in Ord. Rom. *Subdiaconus autem, qui lecturus est, sub cura sua habebit* Apostolicum *& Archidiaconus Evangelium*: liber est Epistolarum S. Pauli, quem Ἀποστολικὸν βιβλίον vocat Cabasilas in *Expositione Liturgiæ cap.* 22. V. infrà in voce *Apostolus liber.*

Apostolorum Festum, in Communione Rom. cujus meminit Microlog. *cap.* 55. *Festivitas Sanctorum Jacobi & Philippi & omnium Apostolorum*: ad Kal. Majas celebrari consuevit. Apud Græcos verò, die 30. Junii, h. e. post Apostolorum Petri & Pauli solennitatem. In *Missali* Hierosolymitan. Equitum Argentorati Anno Christi 1505. impresso, reperitur sub die 16. Julii commemoratoria Missa, quando *Apostoli*, ad prædicandum per Orbem, divisi sunt, sub tit. *Divisio Apostolorum.* Quid *Apostolorum* antiquæ picturæ, cum volumine in manu, denotent, V. infrà in *Rotula*; & plura hanc in rem, apud Macros Fratres.

Apostolus, I. Missus, Nuntius: vox Atheniensibus jam olim usitata, quâ vocare solebant hos, quos tanquam provinciarum Visitatores, ad necessitatibus subditorum consulendum, Respublica mittebat. Macer in *Hierolexico.* Apud recentioris quoque ævi Scriptores eâdem notione passim occurrit. Sic Luithprandus, ubi refert, Regis Bulgariæ Oratorem in Aula Imperiali CP.

ex privilegio speciali, inter reliquos Oratores, primum tenuisse locum, propter 'ui Regis cum Imperatore (cujus filiam in uxorem duxerat) affinitatem: *Consonantia*, inquit, *scripta juramento firmata sunt, ut omnium gentium* Apostolis, *id est, Nunciis, pendè nos Bulgarorum* Apostoli *præponantur*, *in Legat.* apud Macrum eundem & du Fresne *Glossar.* V. suprà in voce *Apostolici*.

Apostolus, Liber dicitur in Ecclesia Rom. Epistolarum S. Pauli, qui ad Missam legi solet. Liber *Sacramentor.* Gregorii M. *Deinde sequitur Apostolus*, id est, lectio ex Apostolo. Hincmarus Rem. *Tom II. opusc. 7. pag. 149. Usque ad Evangelium in Missa stare solent & recedunt statim post* Apostolum, *id est post Epistolam, hanc admonitionem nostram — legite*, &c. Similiter in Græca vocem Ἀπόστολος usurpavit Cyrillus Scythopolit. in *Vita* S. Sabæ, Ἅμα δὲ ἐγρήγορε αὐτὸν τὸν ψαλτῆρα διδάξαι με καὶ τὸν Ἀπόστολον, *Simul autem & surgebas eum, ut me psalterium doceret ac Apostolum*. Codinus item *de Offic cap. 6.* ὁ ἀναγνώστης τὴν προφητείαν καὶ τὸν Ἀπόστολον Προκειμενάριος, *Legens Prophetiam & Apostolum Prokeimenarius*. In *Ord.* Rom. *Apostolicum* dicitur, uti vidimus suprà in voce *Apostolicum*: ubi cura ejus Subdiacono, quemadmodum *Evangelii*, Archidiacono commendatur. Sed & alius apud Græcos erat liber, quem Πραξαπόστολον nuncuparunt, quòd præter Epistolas Pauli aliasque Canonicas, Acta etiam Apostolorum contineret. V. de hoc *Typicum* Sabæ & *Triodium*, laudata Carolo du Fresne in *Glossar.*

Aposynagogi, Gr. ἀποσυνάγωγοι, apud Hebræos, in Historia Evangel. memorati, Seldeno sunt hi, qui popularium consuetudine, vi excommunicationis atque anathematis, ita privabantur, ut nec cum aliis conversari, victumque capere, neque illis assidere, aut ulli conventiculo solito, iis interesse liceret: Vocem enim συναγωγὴ, omni modum populi plebisque sive totius sive partis conventum non rarò denotare, ex Pentateucho & Prophetis ostendere contendit, ubi Hellenistæ συναγωγὴ pro קהל, quod *Populi conventum* seu *totum Populum notat* substituunt. V. quæ suprà de *Anathemate* attulimus. Sed plus aliquid, quàm civilem pœnam & sequestrationem à Politicis solùm conventibus hac voce indicari, solidè probant Theologi, quos vide.

Apotactitæ, Gr. Ἀποτακτῖται, Hæretici sic appellati, quòd bonis omnibus renunciarent, q. dicas *Renunciantes*; ut *Encratitæ*, i. *Abstinentes*. Mentio eorum *lib. 7. Cod. Theod. de Hæreticis*. Iidem videntur cum *Apostolis* sive *Apostolicis*, de quibus suprà.

Apotheca, cella propriè vinaria, Gr. ἀποθήκη Gloss. *Horreum*, ἀποθήκη. Nempe *horreum* apud Latinos, non solùm frumenti, sed etiam rerum quarumcunque ταμεῖον dicebatur; & in Horreis militaribus, de quibus suo loco, non frumentum condi tantùm erat solitum, sed vinum, acetum, lardum, fœnum, paleæ & reliquæ species fiscales ac militares. Itaque & Columella *Vini horrea* pro *apothecis* dixit. Salmasius *ad Spartianum in Hadriano*.

Apotheosis, Lat. *Consecratio*, quâ voce Cicero utitur *lib. 1. ad Quintum fratr. epist. 1.* ritus fuit apud Romanos, à Cæs. Augusto primùm institutus, deinde à Tiberio instauratus, quo consecrabantur Imperatores, qui superstitibus filiis vel successoribus moriebantur, sicque *inter Divos relati* dicebantur. Sic Augustum, apud Ausonium *de Cæsaribus*, addidit

— — *Divis mature fenellus*,

Et facetum illud Vespasiani Principis, qui *primâ morbi accessione, ut*, inquit, *puto, Deus fio*. Sic Claudium, Vespasiani filios, Antoninos, Trajanum aliosque divinis post mortem honoribus affectos legimus. Imò & ante Augustum, jam Cæsar Dictator id honoris consecutus est, Sueton. *in eo cap 88. Stella crinita per septem dies continuos fulsit, exoriens circa undecimam horam, creditumque est animam Cæsaris esse in cœlum recepti, & hac de causa simulachro ejus in vertice additur stella*. Verbo, *Omnes Imperatores inter Deos post mortem referri solitos esse*, docet Thom. Dempsterus *in Antiqq. Rom. lib. 3. paralipom ad cap. 18.* Unde Juvenali *Sat. 6. versu 115. Rivales Deorum* dicuntur. In quæ verba vetus Scholiastes, *ridens*, inquit, *quia Imperatores inter Deos referuntur*. Ritus autem hic talis erat. Imperatore vitâ functo, totâ urbe festa celebritas erat. Et primò quidem functum vitâ corpus sumtuoso funere sepeliebant: ceream dein imaginem mortuo quàm simillimam, in Palatii vestibulo, supra eburneum lectum maximum, sublimem & vestibus instratum aureis locabant. Et quidem imago illa ad ægroti speciem placidè decumbebat. Circa lectum verò utrinque magnam partem diei sedebant, à læva quidem Senatus omnis vestibus atris amictus: à dextra verò matronæ, quas virorum aut parentum dignitas honestabat. Hæc ita per septem dies continuos faciebant, Medicis ad lectum quotidie accedentibus inspectumque veluti ægrum deterius se habere subinde pronunciantibus. Dein, ubi jam visus esset obiisse diem, lectum humeris sublatum, Equestris Senatoriique ordinis nobilissimi juvenes, per viam sacram in vetus Forum deferebant, ubi Magistratus Rom. Imperium deponere consueverant. Ibi extructo coloris lapidei tribunali ligneo, super quod ædificium fabrefactum erat, columnis suffultum eboreque variè ornatum & auro, eò allatus est alius lectus consimilis, in quo statuam ceream Principis consecrandi è Palatio allatam, ornatu triumphali, collocabant; puero insigni formâ, quasi Imperator dormiret, pennis pavonis muscas abigente. Accedebant mox ponè lectum superstites Imperatores, Senatus Senatorumque uxores, vestibus lugubribus induti, & in gradibus ad scalarum similitudinem extructis, ex altera Fori parte puerorum chorus, ex altera fœminarum illustrium, hymnos pæanasque in defuncti laudes canebant. Quibus peractis, funebris pompa in foro inchoabatur extra urbem in Campum Martium tendens, quò antequam perventum, Imperator vivus Rostris conscensis defunctum Imperatorem laudabat, cumque lectum de loco, in quo erat, moveri oporteret, omnes simul Senatores in fletum & lamenta solvebantur. Sic lectum à tribunali tollebant Pontifices & Magistratus, qui eum postea nonnullis Equitibus ferendum tradebant, parte Senatorum cum variis mœstitiæ indiciis præcedente, Imperatore verò subsequente. Ita in campum Martium postquam pervenere, quà latissimè ille patet, rogus sive suggestus quidam specie quadrangulâ, lateribus æquis assurgebat, nullâ præterquam lignorum ingentium materiâ compactus in tabernaculi formam: quod interius totum erat fomitibus oppletum, exteriùs autem intextis auro stragulis atque eburneis signis undique exornatum. Super hoc alterum minus, tertium item & quartum, semper inferiori contractius, ac deinceps, positum erat, donec ad supremum, quod omnium erat minimum, perveniebatur: in cujus summo currus erat inauratus, quo, dum viveret Imperator, vehi solebat. Igitur lecto in secundum tabernaculum promoto aromata & suffimenta omnis generis fructus, herbæ & succi odorati, acervatim effundebantur, quo facto Imperator superstes cœterique mortui Imperatoris propinqui ejus statuæ oscula figebant; mox Princeps tribunal conscendit, Senatores verò, exceptis Magistratibus, in tabula parva assidebant, ut tutò simul & commodè, quæ gerebantur, spectare possent: Magistratu & cœteris, pro cujusque dignitate ex ordine collocatis. Tum circa ædificium certâ quadam lege ac recursu omnes Equestris ordinis viri: pedites quoque circa rogum cursibus urbanis & confictis decurrebant. Currus item circumagebantur insessi purpuratis rectoribus, qui personas ferebant Ducum Romanorum Principumque illustrium. Post quæ face sumtâ Imperator eam tabernaculo admovit, mox Consules primò, dein cœteri omnes Magistratus, & alii ordine undique ignem subjecerunt, sic brevi cuncta valido igne correpta. Mox à supremo tabernaculo, tanquam è fastigio quodam, simul cum subjecto igni aquilam dimittere moris erat, quæ in cœlum animam Principis deferre credebatur: unde in nummis quibusdam aquilæ, qui Imperatores, & pavones, qui Augustas, in cœlum subvehunt, expressi videntur. Ex illo, unà cum cœteris Numinibus Imperator defunctus coli cœpit, additis ex S. C. Flamine & Sodalibus, qui ab eo nomen acciperent, temploque in ejus honorem erecto, & nomine mutato, *Divus* insuper Deusque dictus est. Nec consecrandi Augustas, quarum primæ Liviæ hic honor obtigit, longè diversa fuit ratio. Non autem solùm apud Romanos, verùm & alias gentes, hæc benè meritos viros divinis post obitum honoribus afficiendi consuetudo viguit. Sic enim omnes Dii Veterum consecrati sunt, nec publicè illud modò, sed & privatim unicuique id permissum fuit. Et quidem de Hercule, Libero Patre, Castore ac Polluce aliisque Diis Consentibus, res notissima est. De Alexandro M. à Demade inter Deos relato, legimus apud Ælianum *Var. hist. lib. 5. cap. 12.* mulctato centum talentis adulatore, & matre Olympiade ridente: mansit nihilominus is decimus tertius inter Deos Consentes, Pierius *Hieroglyph lib 43.* Eodem modo apud Latinos priscos Æneam Diis ascriptum, & *Jovem Indigetem*: Romulum verò eodem honore mactum, *Quirinum* appellatum esse, referunt Livius *Dec. 1. lib 1.* & Silius Italicus *lib. 15.*

Ledæos referam fratres, vestrumque Quirinum.

Sed hæc aliorum superstitio fuit, quæ vero ambitionis insania, quòd ipse Augustus *se templis & effigie Numinum per Flamines & Sacerdotes coli voluit*, apud Tacit. *Annal. lib. 1.* Quo forsan allusit Virgilius *Eclogâ I.*

Namque erit ille mihi semper Deus:

quasi diceret, *& dum vivis, & dum vitâ functus eris*. Nec solùm ipse voluit jussitque, verùm & modum locumque præscripsit, quod Suetonius innuit *in eo cap. 52.* Imitati eum in hoc insaniæ excessu Caligula, Domitianus &c. factumque inde, ut Cæsares pro Diis vivos etiam Romani colerent, *Deosque* appellarent: quod nomen etiam sub Christianis Principibus aliquandiu mansit, licèt cultum immortali unique Deo concedendum censerent. Hinc Latinus Pacat. *panegyrico Theodos. Deum dedit*, inquit, *Hispania, quem videmus*: Et de Honorio Claudianus *præf. de 3. ejus Consulatu*:

Me quoque Pieriis tentatum sæpius antris
Audet magna suo mittere Roma Deo.

Rescriptaque proin eorum *Oracula* quoque dicta sunt, &c. V. Herodianum *Hist. Rom lib. 4.* Blondum Flavium *Roma triumph. lib. 2.* Bernardinum Reatin. *Annotat. in varia Scriptorum loca c. 16.* Franc. Robortellum *Emendat. lib. 2. cap 38.* Ioh. Rosinum *Antiqq. Rom. lib 3. cap. 18.* & Th. Dempsteri *Paralipomena ad illud &c.* Tabernaculi, de quo supra, formam exhibent numismata Sabin-

Aug. Antonini Pii, Faustinæ Aug. & matris & filiæ, M. Aur. Antonini, L. Aur. Veri, P. Helvii Pertinacis, L. Septimii Severi, & Juliæ Piæ Aug. De Coronis radiatis, quibus statuæ consecratorum circumfulsere, V. Suetonium *in Aug. cap. 94.* & *Caligula cap. 45.* Plinium *in Panegyr. Trajani*, Thom. Dempsterum *Antiqq. Rom. lib I. Paralipom. ad cap. 13. ad regionem quartam, de Colosso Solis & corona radiata*: ut & infrà in voce *Corona*. Quædam saltem ex Vossio hic subnectam, secundùm quem: Apud Romanos, sub Regibus, homo nullus cœlesti donatus honore est, præter unum Imperii conditorem Romulum, atque, ut videtur, longè tamen inferiore gradu, nutricem ejus Accam Larentiam. Florente Rep. si quis honoris id adeptus est, unica fuit Anna Bovillana, nec tamen è sententia Senatus, nec si sacra spectes, ea verè illius anni fuere, ut suprà dictum: Interea Heroës suos magnis sunt dignati honoribus, statuis viz. pompâ Circensi, relatione in hymnos Saliares, qui honos etiam contigit Mamurio Veturio & Luciæ Volumniæ, teste Varrone *de L.L. lib. 5. & 8.* Exuto verò libertate Populo, primus Cæsarum consecratus est Julius, idque ab Augusto, Sueton. *Julio cap. 88.* quem proin in Juliani *Cæsaribus* Silenus vocat *Κοροπλάθην*, *Puparum effectorem*, eò quòd ut homulli faciunt pupas, sic ipse fecerit Deos. Augusto dein, *templum & cœlestes honores decreti*, Tacit. *Annal. lib.1.* Numerioque Attico, qui eum in cœlum euntem se vidisse testatus est (uti Jul. Proculus de Romulo narravit) à Livia datum est decies sestertium, Dio *lib.56.* Post eum consecrati alii, de quibus V. Plinium *in Panegyr.* Nec soli Cæsares Diis illati sunt, sed etiam Augustæ: Livia, apud Sueton. *Claudio cap. 11.* & Dionem *lib. 60.* & Faustina, apud Capitolin. Imò & comperimus, honorem aliis habitum, è domo tamen Augusta: Drusillæ sorori à Caligula, quam cùm Livius Geminius, vir Senatorii ordinis, similiter in cœlum ascendentem spectasse se jurasset, etiam decies sestertium meruit, teste Dione *lib.59.* Mæsæ item, sorori Juliæ II. Severo Cæs. nuptæ, Aviæ duorum Impp. Heliogabali & Severi Alexandri. Sed & mares è domo Augustea, relati in Divos: Geta, Severi filius; ut nil dicam de Hadriani Imp. sordidis & insipidis deliciis Antinoo Bithyno &c. V. Vossium *de orig. & prog. Idol. lib.1.cap.12.* ut & suprà in voce *Anima*, ac infrà, ubi *de Consecratione*.

Apotheosis, titulus libri, quo Prudentius Poëta Christianus, defensionem Divinitatis contra Infideles, complexus est. Macer in *Hierolexico*.

Apoxyomenos, inter signa Lysippi, de quo sic Plinius *lib. 34. cap.8 Plurima ex omnibus signa fecit fecundissimæ artis, inter quæ distringentem se, quem Marcus Agrippa ante thermas suas dicavit, mirè gratum Tiberio Principi: qui non quivit temperare sibi in eo, quanquam imperiosus sui inter initia principatus, transtulitque in cubiculum, alio ibi signo substituto: cùm quidem tanta contumacia Populi Romani fuit, ut magnis Theatri clamoribus reponi Apoxyomenon* (quæ Græca vox Latinè *distringentem se* denotat) *flagitaverit, Princepsque, quanquam adamatum, reposuerit.*

Appanagium, V. suprà *Apanare*.

Appares vel *Apares*, inferioris seculi Scriptoribus dicuntur Epistolæ generales, quæ uno exemplo, paucis immutatis, ad diversos mittuntur. Anastasius in *Hadriano*, *Apparem istius donationis per eundem Ætherium adscribi faciens.* Ubi pro *exemplo*, seu uti dicimus, *copia*, vox sumitur: uti post *Novellam* Theodosii & Valentiniani de Amota militantibus fori præscript. ad Ariovindum Magistrum Mil. *Eodem exemplo Appari viro illustri Comiti Exmagistro Militum & Exconsuli bis ordinario.* Atque hæ quidem epistolæ *uniformes* dicuntur, apud Nicolaum I. Pontif. *Epist. 8. in fin. Epistolæ* autem ibidem 16. titulus hic est: *Nicolaus — singulis quibusdam Senatoribus CP. aparibus.* Ubi vox *aparibus*, non ad vocem *Senatoribus* refertur, ut quidam contendunt (qui voce hac *inferiores* denotari volunt) sed per receptam eâ ætate formulam additur, ut innuatur, uno exemplo dictatas & missas epistolas ad diversos, quæ pluries occurrit apud Gregorium M. interdum uno *p*, interdum gemino; inprimis *lib.1. Epist.4.* quæ ad diversos inscribitur, ubi ista habentur; *Inceptis quidem aparibus, sed circa finem singulis Epistolis, juxta locorum & personarum competentiam, discrepantibus. Data Romæ &c.* Similiter apud Radulfum de Diceto, Epistola, quam Richardus Anglorum R. Nobilibus, quibus Regni curam commiserat, dum sacram obiret peregrinationem, hanc inscriptionem præfert: *Richardus Rex Angl. Willhelmo Cancellario, G. Filio-Petri, W. Marescallo, & H. Bard. & W. Briwer, aparibus.* &c. Origo vocis Salmasio *de Jure Attico & Rom.* est à distinctis vocabulis à & *paribus*, ut sit *ἀπὸ τοῦ ἴσου*, *ἀπὸ τοῦ ἰσοτύπου*, *ἰσοτύπως*, epistola sc. eodem, quo alia, exemplo scripta. Carolo verò du Fresne, à voce citerioris ævi *Appar & Apar* i. similis. Ita enim Papias, *Suppar, Compar*, Appar, *composita*; & Liber *Differentiar.* MS. *Inter Appares & Pares: Appares, quod videtur; (Sic) Pares, quæ obsequuntur.* Cur verò *Aparibus* vulgo scriberetur in ablativo; existimat idem indicari Epistolas *pari* tenore vel certè *aparibus* seu similibus descriptas, singulisque (quibus aliàs generatim inscribuntur) licèt eodem contextu, inscriptas & missas, &c. Vide omnino Auctorem hunc in *Glossar.*

Apparitores Milites, & Tribunis, & Ducibus apud Romanos dabantur, quod postea sustulit Severus: qui tamen quatuor milites ante Tribunum ambulare voluit, ante Ducem sex, ante Legatum decem. Lampridius in *Vita* ejus, *Apparitores denique nullos esse passus est Tribunis aut Ducibus nisi milites, jussitque ut ante Tribunum quatuor &c. hique ad domos suas reciperentur.* Hoc est, apparitionis officio peracto, ad domos suas reciperentur, nec haererent in ministerio Ducum aut Tribunorum, nisi solùm ad apparendi officium. Unde & legi posset, *hique ad domos suas se reciperent.* V. Salmasium *ad Probum*, ubi de Vexillario ei à Valeriano Imp. deputato, & *ad Lampridium l.cit.* Pro *Apparitoribus*, non semel in *Cod.* Theodos. *Apparitiones* habes, alibique.

Appellare è sponso, apud Plinium ubi de cupresso, *Huic patria Ins. Creta, quum Cato Tarentinam eam appellet, credo quòd primùm eò venerit — sed in Tarento quocunque in loco terram moveris quispiam, si naturalis hæc gignitur protinusque emigrat: in illa verò etiam non* appellato *solo è* sponso, *maximeque in Idæis montibus &c.* Gallicè dicitur *Appeller à garant.* Naturalis terra è *sponso appellanda* est, nisi reddit bonâ fide femina, quæ sibi convenientia acceperit: hoc n. quasi spondere videtur soli natura, ut ea optimè ferat, quibus ferendis naturaliter idonea est. At cupressus ubique in Creta felicissimè provenit, etiam in non sua terra, qualis è sponso appellari non potest; nec enim id promittit feliciter reddere, cui gignendo minùs apta est. *E sponso* nempe *appellatur*, qui pro alio spopondit &c. V. Salmasium *ad Solinum pag. 173.*

Appellatores, Anglis Scriptoribus, fures, dicuntur, & in genere, ii, qui crimen aliquod seu feloniam commisere eamque ultro confessi, criminis socios *appellant* vel *approbant*, id est, deferunt: du Fresne *Glossar.* V. etiam infrà in voce *Approbator*. Deducitur vox ab *Appello*, vulgò *Appeale*, quod in jus vocationem seu accusationem denotat, & in criminalibus actionibus, propriè Anglis usurpatur. Aliud est Practicis Aragonensibus *Appellitum* vel *Appellitus* submonitio nempe, seu evocatio populorum ad maleficia vindicanda. V. infrà *Concursus*, item *Juncta*.

Appennagium, V. suprà *Appanagium*.

Appius Junius Sabinus, Consul fuit anno U. C. 837. collega Domitiani: ad quem Consulatum refert vir doctus Juvenalis *Satyras*, sed perperam, omnes enim illas, extincto jam Domitiano, scriptas fuisse, ipsæ de se clarè clamant &c. Salmasius *ad Solinum pag. 448.*

Applare, V. suprà *Apalar*.

Applicare, apud Scriptores citimæ ætatis, idem quod *divertere*, hospitari, appellere; propriè *in campo, in agro, sub tentoriis degere*, quod solenne fuit Wisigothis & Burgundionibus, atque adeò Francis vett. cùm iter agerent, uti observavit du Fresne *Notis ad Alexiadem*, ex *L.* Wisigothor. *lib. 8. tit. 12. §.3.* & *tit 4. §.25.* & ex *L.* Burgundica *tit. 38. §.7.* *Edicto* item Rotharis Regis Longobard. *tit. 10.* &c. Quod etiam firmat Gregorius Turon. de *Vitis* Patrum *cap.17.* *Cùm propinqui ad Urbem, cadente Sole, fixis tentoriis mansionem pararent* &c. Et Auctor *libri de mirac.* S. Dionysii *cap. 10* *Bertrandus quidam Comes iter faciens, tempore æstivo, divertit temerè, in pratum fonti — contiguum, ibique figi jussit tentoria, &c.* Hinc *ἀπλήκτον* recentioribus Græcis pro castris, seu loco, ad quem exercitus *applicat* & ubi tentoria figit. Car. du Fresne *Glossar.* Aliter vox apud Ciceronem *de Oratore lib. 1.* usurpatur, *Quid quod item in Centumvirali judicio certatum esse accepimus: qui Romam in exilium venisset, cui Romæ exulare jus esset, si se ad aliquem quasi patronum applicuisset, intestatoque esset mortuus, nonne in ea causa jus applicationis, obscurum sanè & ignotum, patefactum in judicio atque illustratum est à Patrono?* Ubi *jus applicationis* Hotomanno fuisse videtur, ut qui peregrinus sese in civis alicuius Romani quasi Patroni fidem & clientelam dedidisset, hæreditatem patrono, si intestatò mortuus esset, relinqueret. Id ab Atheniensibus ortum esse tradit Hadr. Turnebus *Adversar. lib. 24 cap 32.* apud quos se peregrini opulento alicui civi in clientelam dabant dicebantque, quod *νέμειν προστάτην* appellatum: quod qui non fecisset, in judicium vocabatur quod dictum est *ἀπροστασίου δίκη*. Inde mos ad Romanos translatus, de quo multa apud Joh. Calvinum in *Lexico Jur.* V. quoque infrà in voce *Cliens*.

Applumbarii Papæ, dicuntur Glossatori Gratiani, qui Pontificum Rom. bullis plumbum aptant, apud Spelmannum *Glossar.* Macer *Applumbacos* vocat, in *Hierol.*

Appositus, in Concilio Moguntino A.C. 1071. est Episcopus intrusus seu contra Canones electus. Car. du Fresne.

Apprenticii, ex Gall. *Apprentis*, Tyrones, discipuli, qui artificii alicujus ediscendi gratiâ ex pacto ad tempus constitutum serviunt. De quibus ita Covvellus *Institut. lib.1. tit.3. §. 10.* *Est apud Anglos certa personarum conditio, servorum instar, libera tamen & ingenua, eorum nimirum, quos* Apprenticios *dicimus, qui ad artem aliquam mechanicam, sive aliàs mercenariam perdiscendam, heris suis conventiis pactisque vel gubernatorum adstringuntur. Hi enim in herorum potestate sunt — & illis acquirunt, nisi aliter conventum fuerit. Hi dominis ipsis obediendo haud pauca* &c. Eorum meminit Thom. Walsinghamus in *Richardo II. pag. 301.* *De Londoniis multi apprenticii, plures servi, sumptis albis capuciis, invitis Magistris & dominis suis*

ule sunt professis ut alios omittam. Hinc *Apprentitii* Juris, qui ediscendarum *LL.* civilium aut Regni causâ, Scholas publicas frequentabant, apud Eund. *Apprentitios ad Legem* etiam dictos, auctor est Spelmannus, qui alios *Apprentitios ad Barras* recenset, quibus sc. post exacta in Scholis Juris studia, cancellos Fori (quos *Barras* vocant) salutare atque illic causas agere permitteretur. De quibus apud du Fresne, Andreas Horn *in Speculo Justitiariorum*,

> *Hanc Legum summam, si quis vult mira tueri,*
> *Perlegat & sapiens si vult orator haberi.*
> *Hæc Apprentitiis ad Barras Ebore munus,*
> *Gratum Juridicis mitto mittis opus.*
> *Horn mihi cognomen, Andreas est mihi nomen* &c.

V. eum in *Glossar.*

Appropriatio, in Foro Eccles. propriè usurpatur in Ecclesia Rom. de Ecclesiis aut beneficiis Eccles. quæ Ecclesiis principalibus aut Monasteriis, a quibus dependent, uniuntur, earum fructibus in proprios Ecclesiæ, cui *appropriantur*, usus redactis. De quo more sic Alexander IV. Pontif. Rom in *Regesto* anni 7. *Epist* 23. ex Bibl. Reg. apud du Fresne, *Accepimus, quòd Religiosorum quorundam non solùm Angliæ, sed & aliorum Regnorum amara cupiditas, qui, ut* tirio *utamur eloquio*, appropriationem *Ecclesiarum parochialium in Regno Angliæ à Sede Apostolica ex falsis causis hactenus obtinuere sibi concedi in eodem Regno, usque adeò latè patet, quòd illud veneno hujusmodi totaliter fere in suis partibus jam infecit: quoniam ex hoc divinus in eis cultus perit, intermittitur hospitalitas, jura Episcopalia detrahuntur, pauperibus clauduntur ostia pietatis, ac proficientibus Clericis, dum spes provisionis adimitur, proficiendi studium minoratur. inter alia quoque scandala, quæ de hujusmodi Ecclesiarum appropriationibus suborta proponitis, signanter exprimere curavistis* &c. V. quoque Auctores eidem Carolo du Fresne laudatos hanc in rem in *Glossar.*

Aprianus Cos. cum Papo, cujus meminit Jul. Capitolinus in *Gordiano tertio*, *Quo mortuo*, Apriano *& Papo Coss. in ejus locum Præfectus Prætorii factus est Philippus Arabs.* Sed Salmasius *Arriano* legit *& Papo*, vett. lapidum Fastorumque fide nixus.

Aprica, dicuntur loca, quæ opportunè Solem accipiunt, quasi *aperica*, quòd Soli sint aperta: Nam *apericum* Vett. dixere. Nec tamen omnis locus Soli expositus, *apricus* dicitur ex Latinè loquentium usu. Non certè, qui adeò Soli patet, ut immodicis caloribus torreatur, sed ubi salubris temperies aëris. Solinus, *cap.* 51. ubi de gente Attacorum, His *temperies prærogativa miram aëris clementiam subministrat. Arcent enim afflatum noxium colles, qui salubri apricitate undique secus objecti prohibent auras pestilentes.* Disertiùs vocis vim aperit locus Justini, ubi de Hierichunte, *Sed non minor loci ejus* apricitatis, *quàm ubertatis, admiratio est: quippe cùm toto orbe regionis ejus ardentissimus Sol sit, ibi tepidi aëris naturalis quædam ac perpetua* apricitas *inest.* Ubi *apricitatem* vocat locum tepidum ac temperatum nec nimio Sole æstuantem; præcipuè verò temperatus hic est, cùm commodùm oritur, qui proin coquendis uvis & perficiendis succis maximè est accommodatus. Hinc *aprici colles*, qui Soli orienti sunt obversi: qui Sol quoniam non est intemperatè calidus, *apricitatem* pro temperie optimi Auctores posuere. Græci Vett. ejusmodi loca *ἀλεεινά* & *ἀλεεινά* vocarunt: est namque *ἕλη* & *εἵλη calor Solis modicus* ac tepidior. Ab ea voce *apricum* locum idiotismo suo Galli vocant, qui à vento, pluvia, cæterisque aëris injuriis seclusus est &c. V. Salmasium *ad Solinum pag.* 990.

Aprilis, ex ordinatione Romuli, secundus anni mensis, quibusdam à Venere, quæ Græcis Ἀφροδίτη; cui tamen nullus dies festus, nullumque sacrificium insigne per hunc mensem à Romanis vett. institutum legitur; Aliis potiùs ab aperiendo, quasi *Aperilis* dictus videtur, quòd ver omnia hoc mense aperiat & hoc tempore cuncta florescant. Fuit in Veneris tutela, habuitque dies 30. ex Romuli & Jul. Cæsaris, 29. verò ex Numæ instituto. Græcis auspicatissimus, habuit apud Hebræos ex parte sibi respondentem mensem *Jiar*, cui à pulchritudine nomen. Ejus Kalendis, apud recentiores Rom. sacra fiebant Veneri cum floribus & myrto, & mulieres sertis myrteis redimitæ lavabantur: Eodem die thure sacrificium à Virginibus Fortunæ virili fiebat, & Venus Verticordia placabatur. Pridiè Nonas Megalesia celebrabantur: Octavo Idus, dies erat consecrationis templi Fortunæ publicæ, in colle Quirinali: Sexto Idus ludi fervebant ob victoriam Cæsaris: Quinto Idus, Ludi Cereris: 17. Kal. Maji seu die 15. *Aprilis* Fordicidia erant; eodemque virgo Vestalis Maxima cremabat vitulos, è quorum cinere in templo Vestæ servato suffimen fiebat, quo populus Palilibus purgaretur: Sequenti die, quo apud Athenienses Munychia, unde mensi nomen, in honorem Dianæ celebrabantur, Oct. Augustus apud Rom. Imperator est salutatus. Die 19. quo apud Athenienses *Διάσια* festum, in Jovis Meilichii honorem, vigebat, erant apud Romanos Equiria, in Circo Max. & vulpes cum stipulis ardentibus in Circo mittebantur. Eodem Cerealia erant: sicut 11. Kal Maji seu die hujus mensis 21. Palilia, & die 23. Vinalia, & die 25. Robigalia, & d. 28. Floralia. V. Joh. Rosinum *Antiqq. Rom lib.* 4. *cap.* 8. Eodem mense, apud Athenienses, exterorum causæ dijudicabantur, V. Franc. Rossæum *Archæol. Att. lib.* 2. *cap.* 10.

Aprisiones & *Apprisiones*, in *Chartis* Caroli M. Ludovici Pii & Caroli C. pro Hispanis, sunt novalia seu arva primùm proscissa ac *aperta*, quæ in solitudinem ab ipsis Regiis Marchionibus redacta, Hispanis, qui se de potestate Saracenorum subtraxerant, à Carolo M. excolenda fuerint data, uti quidem, præter alios, Jac. Gothofredus asserit. ad *Leunic. Cod. Theodos. de Rei vindic.* Vel agri in *portionem* seu sortem dati, tanquam *adportiones*, quos ii postmodum ex eremis & incultis ad cultum traduxerunt, dono præfatorum Impp. illorum possessionem nacti, ut pluribus contendunt Steph. Baluzius *Appendic. ad Capitular. Regum Francor.* & Car. du Fresne in *Glossar.*

Apronianum SC. *l.* 26. *ad SC. Tertull. l.* 1. *liber. municip.* Brissonius apud Calvinum *Lexic. Jurid.*

L. Apronius Cæsianus Consul, anno U. C. 792.

Aprorum Venatio, inprimis Principibus æstimata, ut in qua venatoriæ artis palmam posuerunt: ut de fatali Diocletiani *Apro* legimus, & multa in numismatis rei memoria. Imò nec satis ex ære nummos, marmore statuas talium facinorum Principibus fecisse, sed ad gemmas etiam hoc argumento nobilitandas assentatio laborem protulit: quo ex genere *Sapphirus* est Constantii Aug. Xiphianam venationem exhibens, quã ille in Cappadocia feliciter defunctus est; Sed de hac aliquid infrà dicemus, ubi de *Sapphiro*, ut & in voce *Xiphiana Venatio*. Ingens autem id fuit monstrum, & toti provinciæ formidabile. Sic de Severo Imp. scribit è Dione Xiphilinus, cùm Nisibin venisset, *aprum* reperisse maximum, qui magno impetu cum equitem, qui viribus suis confisus eum conficere conabatur, dejecisset. tandem triginta militum operâ captus cæsusque, & ad Severum fuerit perlatus. Telorum autem ad hanc rem non unum genus, jacula, hastæ, hastilia, conti, enses, cultri, venabula: quorum alia jactu mittuntur & vibrantur, alia manu inferuntur & defiguntur. Nimirum tutior ratio, primò hastis missilibus præludere aut experiri, quæ vulnere debilitent feram, si non sternant. Neque aliter Meleager, apud Nasonem:

> *At manus Oeneidæ variat, missisque duabus,*
> *Hasta prior terra, medio stetit altera tergo.*

Idem insigni in gemma apparet, cujus ectypon à Nic. Fabricio Patavio ad se missum, refert Freherus: nim. eques hastam intentans apro irritato, jam alteram in tergo fixam habenti, non sine literis APR. Et in denario Getæ III viri una parte Diana pharetrata conspicitur, alterâ aper à cane exagitatus, hastile tergo impactum ferens. Militum porro comitumque manus, canes, retia, huic usui: At in sapphiro præfata Constantius solus exprimitur, isque nec eques, sed manùs solùm lacertorumque fiduciâ confisus,

> —— *hostemque irritat ad iram*
> *Splendidaque adversus venabula condit in armos.*

Quod etiam in Nerone, Tito, Commodo, subinde repræsentant nummi. Idem de Anthemio prædicat Sidonius, cui puero ludus fuerit,

> *Invenias agitare feras & fronde latentes*
> *Quærere, deprensas modò claudere cassibus artis,*
> *Nunc toto penetrare veru: tum sæpe fragore*
> *Laudari comitum, frendens cùm bellua ferrum*
> *Ferret & iratos exirent arma per armos* &c.

Quo verò statu corporisque nisu, quâ arte tam metuendus hostis excipiendus, videre est apud Xenophontem *in Cynegetico*, quò avidum hujus rei lectorem remitto; Illud unum, quod inprimis memorabile, hîc addens, de Electore Brandeburgico moderno, Imperii fortissimâ columnâ, Germaniæque gloriâ: quem non modò heroicâ hac venatione magnopere delectari, sed & inusitato animi imperterriti ausu, in feram jam obnoxiam insilire divaricatisque cruribus ei insidentem, illam sub se conficere consuevisse, refert Car. Patinus, *Relat. Histor.* 4. ubi tanto Capiti meritò timens, addit verba illa Veneris ad Adonidem,

> —— *In audaces non est audacia tuta,*
> *Neve feras, quibus arma dedit natura, lacesse,*
> *Fulmen habent acres in aduncis dentibus apri.*

Aprugna, in Tetrapharmaco Ælii Veri, memoratur Æl. Spartiano, in *Vita* hujus, *Nam tetrapharmacum, seu potiùs pentapharmacum, quo postea semper Adrianus est usus, ipse dicitur reperisse, hoc est sumen, phasianum, pavonem, pernam crustulatam & aprugnam.* Ubi *pernam* abesse debere, judicat Salmasius. Item in *Vita* Getæ, *Habebat etiam istam consuetudinem, ut prandia per singulas literas juberet, scientibus servis, velut in quo erat anser*, aprugna (alii legunt *aprunum*) *anas.* Apud Æl. Lampridium in *Heliogabalo*, *aprugnorum suminum* mentio fit: *Psittacis atque fasianis leones pavit — & sumina aprugna per dies decem tricena quotidie exhibuit, cum suis bulbis*; ubi *bulbæ* sunt *vulvæ*, quas in delicatissimis cibis posuere veteres gulones. Sic *bulbam* pro *vulvam* legitur in versibus Nævii apud Macrobium.

> —— —— *heri*
> *Quis apud te? Prænestini & Lanuvini hospites.*
> *Suopte utrosque decuit acceptos cibo.*
> *Alteris inanem bulbam madidantem dari:*
> *Alteris nuces in proclivi profundere,* &c.

V. Sal-

V. Salmasium *ad Historiam Aug.*

Apsis, recentioribus *Absida*, item *Apsida*, Græcè 'Αψὶς, aliter *Camera*, in Basilicis *Concha* dicebatur, locus Sanctuarii, quòd *apside* concameratus esset, cùm reliquum Basilicæ tectum lacunatum fieret. Hodie *Chorum* vocant. Constabat autem tribus concavitatibus intus recedentibus, hinc Ἀψὶς τρίκογχος Paulo Silentiario, quòd sc. tres ἄντυγας haberet. h.e. *circulos dimidiatos*; & quod idem, *Apsis trichora*, Paulino *Epist.12. ad Severum*. Imò non locus solùm Sacrarii, sed & culmina veterum Basilicarum sive Templorum apsidata fuisse, docet ex vet. *Epigrammate* Salmasius, in quo mentio fit *Apsidis* in Templi introitu extra Narthecem. Propriè tamen pro Sacrario sumitur, musivo illudi consuevisse, diximus suprà in *Absida*. V. infrà quoque in *Concha*.

Apta, adde: Vulgientium fuit caput, oppidisque Latinis à Plinio accensetur. Postea Colonia facta est, juxta inscr. in lapide Arelatensi, in qua *Col Apta* nuncupatur. Sic autem à Romanis videtur dicta, quòd *apto* & commodo esset situ: Sedet enim ad ripam Calvonis, qui in Druentiam effluit, opportuno loco inter Segusteronem & Caballionem. *Julia* verò cognominata est aut à C. Julio Cæsare, qui, teste Suetonio, Galliarum potentissimas urbes præcipuis operibus exornavit; aut certè ab Augusto, qui in Julii, à quo adoptatus erat, nomen transiit, & secundùm Dionem, in multas Galliæ Narbonensis Hispaniæque urbes colonias misit. In vett Notitiis provinciarum ac civitatum Galliæ, inter Prov. Narbonensis secundæ civitates septem secunda ponitur, ejusque Episcopus, apud Gervasium Tilberiensem, primus numeratur, inter quinque Episcopos, Aquensi Archiepiscopo vel Metropolitano suffragantes. Dicitur hodieque *Apt*. Ex ejus Præsulibus; Prætextatus concilio Epaonensi, Clementinus Aurelianensi 4. ac & Matisconensi interfuere, V. Hadr. Valesium *Not. Gall.*

Apuleja lex seu *Appuleja*, cujus auctor L. Appulejus Saturninus Trib. Pl. anno U.C. 652. C. Mario V. M. Aquillejo Coss. vim in urbe ac seditionem vindicavit. Carolus Sigonius putat eâdem etiam quæstionem de Majestate perpetuam constitutam esse, V. Joh. Rosinum *Antiq. Rom. lib. 8. cap. 23.*

Apulejus, Ruffinus, Consul Rom. Æl. Spartianus in *Severo Imp.* *Consulatum cum Apulejo Ruffino primum egit.*

Apulia, apud Tertullianum, adnotante Latinio *in Observat. ad illum*, locum denotat obtectum & à pluvia securum; unde etiam prov. Neapolitanæ nomen accessit: Namque & Horatio in *Epod. Siticulosa Apulia* dicitur. Pamelius verò, oriri vocem ex α. priv. & πύλη, ac denotare *locum extra portas* vel columnas, contendit. Cui favere videtur Cyprianus *de Spectac. Quòd Deus etiam extra cameras & gradus & apulias oculos habet* &c. V. Macros Fratres in *Hierolexico*.

AQ.

Aqua, adde: ab Dorico ἄκυς, h. e. *aquus* sive *levis*, Voss. *Orat. Institut. lib 4. cap. 6.* Etsi nec absurde Cæs. Scaliger *in Theophr. de Plant. lib. 1.* ubi & Græcos sic appellasse antiquitus, colligit ex nomine 'Αχελῷος. Ob utilitatem suam multiplicem ac mirandam naturam, tertio inter Elementa loco, post Tellurem nempe ac Ignem, Deorum numero à Gentilibus addita est, uti etiam legas in libro Sapientiæ *cap. 13. versu 2.* Præcipua verò in veneratione apud Ægyptios ac Persas fuit, Plut. *de Isid. & Osir.* Athanas. *Orat. c. Gentes*, Jul. Firmicus *de errore profan. Rel.* Vitruvius *præf. lib. 8.* Laertius *proœm.* Clem. Alex. *Admonit. ad Gentes*, Arnobius *lib. 6.* Agathias *lib. 2.* Herodotus *lib. 1.* & Strabo *lib. 15.* Et proin, ut apud Ægyptios in cœlo Sol, quatenus Lunam suo implet lumine, *Osiris* bonique effector: quatenus verò torret & exurit, *Typho* ac mali auctor: sic in subcœlestibus *Aqua* & *Osiris*, quatenus Nilus attendebatur; & *Typho*, quatenus considerabatur Mare, est appellata. Unde, quod Clemens Rom. *Recognit. 10.* *Aquam* ait Osiridi dicatam, de aqua Nili, non marinâ, quæ *Typhonis & mali principii* nomine intelligebatur, capiendum est. Sed & Canopus Ægyptiorum Numen fuit, nec aliud per eum, quam *Aqua*, significatum est. V. *suo loco.* Ægyptios Libyes sequuti sunt, quibus Neptunum impensè cultum esse, atque ab his venerationem ejus ad Pelasgos pervenisse, Herodotus docet *l. c.* Persis tanta in veneratione fuit *Aqua*, ut iis in flumina mejere vel alvum exonerare, vel inspuere, vel sordidum quid conjicere, atque adeò vel manus vivo flumine abluere, religio esset. Itaque & in expeditione Xerxis Magi, ubi ad Strymonem deventum, albis illi equis litaverunt, Herodot. *lib. 7.* & Tyridates, Euphratem cum Vitellio & copiis transmissurus, equum ei immolavit Tacit. *Annal. lib. 6.* Sed & Assyriorum Atergatis ad *aquas* refertur: ut & Palæstinorum Dagon, & Babyloniorum Oannes. Græci verò inprimis Romanique huic Elemento, variis suo nominibus, divinos honores exhibuere; imò *Aqua* Homero non solùm pro Numine, sed etiam pro Numine primo atque antiquissimo fuit: ut hoc versu ostenditur *Iliad. ξ.*

Ὠκεανόν τε θεῶν γένεσιν καὶ μητέρα Τηθύν.
Oceanumque Deûm patrem, & Thetyn genitricem.

Fuere autem apud illos Numina *Aquarum* partim mascula, quorum principes Oceanus & Neptunus; partim muliebria, in quibus familiam ducebant Tethys & Amphitrite. Præter quæ Numina marina, habebant alia, per quæ humor potabilis signabatur, nempe Διόνυσον sive Liberum vel Bacchum: Fluvios, Fontesq; pro Diis culto: Deabusq;, ut & Stagna & Puteos, quoq; his enim omnibus suas fuisse Nymphas, legimus: de quibus V. *suo loco.* Neque verò apud Scythas, Celtas ac novi Orbis incolas sua *Aquæ* veneratio defuit. Scythis enim, ut Sol & Luna, Aër & Terra; sic *Aqua* etiam colebatur, sub nomine *Thamimasadis*, Herodot *in Melpom.* Fontibus & lignis sacrificabant Carni seu Hessi, Willibald. *cap 8.* & Bohemi, Joh. Dubravius *Histor. Bohem. lib. 1.* Mare pro Deo coluere Peruani, sub nomine *Mammacocha*: ab iisdem flumina quoque ac fontes pro Diis sunt habiti, uti testis est Jos. à Costa *lib. 5. cap. 2. & 4.* &c. V. de his omnibus accuratè agentem Vossium *de orig. & progr. Idolol. lib. 2. à cap. 67. usque ad cap. 83.*

Nomina quibus apud varias Gentes Aqua olim culta.

Amphitrite, Græcis dictum est mare, παρὰ τὸ ἀμφιτρέχειν τὴν γῆν, i. *quia circumquaque terram fluctibus suis atterat*; Uxor fingebatur Neptuni. V. hic infrà.

Atergatis, Assyriorum Numen, supernè mulier, infernè piscis, significabat potestatem à Sole in Lunam, à Luna in elementa tria, præcipuè in *Aquas*, effusam.

Bacchus, Gr. Διόνυσος, aliàs *Liber*, Latinis Græcisque, Ægyptiis *Osiris*, partim erat cœlestis sicque idem cum Sole; partim subcœlestis atque ita idem cum humore potabili: qualis est *aqua* pluvia, fluvialis, fontana ac putealis. Unde patet, cur à nonnullis Liber dicatur *Lunæ filius*.

Canopus, apud Ægyptios, quoque *Aquam* denotabat: cujus symbolum hydria fuit, Appulej. *Milesiar. ult.* quæ quantâ religione ad ejus ædem solita fuerit deferri, V. Vitruvium *præfat. lib. 8.*

Dagon, Palæstinorum Deus, semihomo ac semipiscis, complexu suo, tum Lunam, sive Lunum, ut principium activum; tum Mare, ut passivum, indigitavit.

Liber, V. hic suprà *Bacchus*.

Mammacocha, Mare Peruanis dicitur, hocque nomine ab iis sollicitè colitur.

Neptunus Romanis, Græcis Ποσειδῶν, denotavit Aquam, prout una est ex præcipuis Mundi partibus: Sicut Oceanus, prout rerum principium est

Nereides 50. quarum præcipua Thetis, nymphæ marinæ, varias Maris affectiones indigitabant, vel partes internas.

Nereus, filius Neptuni, æquè latè patebat, ac ipse Neptunus. Namque pisces, qui universè dicebantur Νηρέως τέκνα, Plauto vocitantur *Neptuni pecus*

Nilus, præcipuus Ægyptiorum Deus, idem cum eorundem Osiride ac Græcorum Libero, in S. Script. dictus est *Sihichor* i. *niger*, ab aqua ejus turbida, suffusca ac nigricante, denotavitque principium boni activum: sicut Typhon *aquam* marinam, seu principium mali.

Nympharum vocabulum, propriè conveniebat Deabus *aquarum* præsidibus, quæ et eo dictæ *Hydriades* vel *Ephydriades*.

Oannes apud Babylonios, semipiscis, ad repræsentandam vim, tum Lunarem, tum Marinam, cultus est.

Oceanus, denotabat *Aquam*, ut rerum principium, hinc ipso Neptuno dictus antiquior. Propriè v. indicabat mare externum, Orbem ambiens universum: quemadmodum Neptunus modò nobile Universitatis totius: modò quàvis *aquarum* partem, ac sæpius maris interni, ut Græcis Romanisque notioris, significabat.

Salacia, eadem cum Tethye.

Siris, pro Osiris, truncato vocabulo, Æthiopibus & Ægyptiis quoque Nilus dicebatur.

Tethys, uxor Oceani, Mare itidem Græcis denotabat, à τήθη vel τηθίς, *avia* seu *amita*: ob rationem retro dictam.

Thamimasades, apud Scythas Neptunus vocitatus, hocque nomine humidum hocce elementum cultum est. Originem vocis è veteri Germanorum lingua arcessendam judicat Vossius: cui ista Scytharum erat proxima; quandoquidem ex Asiatica Scythi, Scythiā Europeam, vicinasque magnæ Germaniæ gentes, genus ducere, validis argumentis probari possit.

Thetis, Tethyos, de qua suprà, ex Doride filiâ, neptis, hinc *Oceanine* dicta; quamvis alii *Neptunine* vocare malint, tanquam ex Canache Neptuni filia, Nereo genitam; ex Nereidibus una fuit, per synecdochen tamen partis pro toto Mari usurpatur, apud Maronem *in Pollione*. Quemadmodum, cùm Peleo nupsisse dicitur, id quoque ad connubium Maris ac Terræ pertinet.

Typho, idem Ægyptiis, quod Neptunus Græcis, *Aquam* nempe marinam innuebat: quo quia nihil inimicius Osiridi putabant vel Oro ejus ex Iside filio, cum sic fatebantur, ut nullis dignarentur sacrificiis. V. quoque *suprà*.

Aqua, per annos 441. à Romanis petebatur, aut ex Tiberi, aut ex puteis, aut hauriebatur è fontibus. Verùm Urbe quotidie crescente, & penuriâ ejus laborante, aliæ aquæ in urbem derivatæ sunt tantâ copiâ, ut etiam singulæ fere domus suos habere cœperint fontes. Fiebat id autem hoc modo: Postquam ab

Aqui-

Aquilegè explorata fuit aqua, an facilè ex illo fonte derivari aliò posset, & probata, ducebatur aut formâ structili (ita enim tubos seu canales disertè vocat Cassiodorus *lib. 7. Epist. 6.*) aut plumbeis fistulis, aut canalibus ligneis, aut *fictilibus tubis*, ut loquitur Palladius Æmilianus Taurus *lib. 9. rei Rusticæ cap. 11.* (ubi non subterraneis meatibus, sed altis molibus substructis aquas in urbem invectas fuisse docet) in castellum primùm, qui locus erat aquam publicam recipiens & in varia loca dimittens: ex illo à Castellario seu Castellorum horum custode certâ mensurâ distributa in loca destinata effluebat. Omnis enim apud Antiquos aqua in publicos erogabatur usus, legeque cautum erat, ne quis privatus aliam duceret, quàm quæ ex lacu abundaret, posteris *caducam* vocatam: neque hæc ipsa in alium usum, quàm in balnearum aut fullonicorum dabatur, statutâ vectigali mercede, quæ in publicum penderetur. Jus dandæ vendendæve Censorum fuit, vel, cùm hi non essent, Ædilium Curulium. Tutela sing. aquarum locabatur, eorumque operum probandorum cura fuit penès Consules aliquando, & Ædiles; interdum etiam penès Censores. Postea tota res ad Curatores transiit, quorum primus ab Augusto creatus est Messala Corvinus. Impetratæ aquæ jus neque hæredem, neque emtorem neque ullum novum dominum apud vett. sequebatur, solis Balneis publicis, ex antiquo privilegio, aquâ, quæ semel concessa fuit, perpetuo manente. Duæ autem familiæ erant, quæ aquis operam præberent, una publica, Cæsaris altera: quarum illam Augustus ab Agrippa sibi relictam publicavit, hominum circiter 240. ista, quam Claudius, quum aquas in Urbem perduceret, constituit, 460. continebat: Utraque in aliquot ministeriorum species, Villicos viz. Castellarios, Curatores, Silicarios, Tectores aliosque opifices, diducta. Qui *Aquæductus*, qui anno U. C. 441. ut dictum suprà, vel sub Anco Martio, ut Plinius vult *lib. 31. cap. 3.* inoleverunt, Romæ, violassent, vel aquam alio, quàm leges, statuta publica, Censores vel Ædiles permisissent, derivassent: vel plus aquæ, quàm concessum erat, sumsissent, magno mulctabantur. Primus autem Appius Claudius arcuato opere aquam in Urbem perduxisse dicitur. Arcuum altitudinem definit Procopius tantam, *ut equus per eos fornices opportunè posset transire.* Julius Frontinus *sublevatas ad centum & novem pedes habere Urbis montes altitudine aquasse*, refert Plinius *lib. 36. cap. 15.* Unde Rutilius *Itinerarii lib. 2.*

Quid loquar aërio pendentes fornice rivos,
Quà vix imbriferas tolleret Iris aquas?
Hos potiùs dicam crevisse in sidera montes,
Tale giganteum Græcia laudat opus.

Hæc de Urbano aquæ usu. In Castris autem, ad eam convehendam, si fortè in locis aridioribus & siccis castrametatum fuisset, calones ac lixæ adhibebantur: hinc frequenter fiebat, ut *fluvii aliò ab hostibus derivarentur, quò exercitus siti domitus facilè superari posset*, Herodian. *lib. 7.* quod Gothis contigisse, memorat Claudianus *lib. 6. de Consul. Honorii*:

Uno calle latens, sitiens inclusaque vallo
Ereptas quæsivit aquas, quas hostibus antè
Contiguas alio Stilico deflexerat arcu,
Mirantemque novas, ignota per oppida, valles
Jusserat aversò fluvium migrare meatu.

Plura V. apud Jul. Frontinum, Plinium *lib. 31. cap. 6.* Georg. Fabricium *in sua Roma*, Aldum Manutium *lib. 1. de quæsitis per epist.* Justum Lipsium *Magnit. Rom. lib. 3. cap. 11.* Johannem Rosinum *Antiqq. Rom. libro 1. capite 13. & 14.* Th. Dempsterum *Paralipom. ad caput posterius &c.*

XX. *Aquæ in urbe Roma, ex Rosino.*

Aqua Appia.	Aqua Crabra.
Aqua Anio vetus.	Aqua Sabatina, vel Cimina, Aurelia, Septimiana trans Tiberim.
Aqua Martia, aliàs Auseja.	
Aqua Tepula.	
Aqua Julia.	Aqua Trajana.
Aqua Virgo.	Aqua Alexandrina.
Aqua Halsia, quæ & Augusta.	Aqua Damnata.
	Aqua Annia.
Aqua Claudia Albudina, Cœrulea, Curtia, Augusta.	Aqua Algentina.
	Aqua Severiana.
Anio novus.	Aqua Antoniana.
Rivus Herculaneus.	Aqua Setina.

Aquæductus verò quatuordecim, suo tempore, in Urbe fuisse, scribit Procopius. V. quoque in voce *Aquæ Romæ.*

Aqua Amara, V. infrà *Aquæ amaræ examen*, ut & *Suspecta.*

Aqua Aspersionis seu *Benedicta*, divinitus instituta, regenerationis nostræ Sacramentum est: de qua Basilius *de Spirit. Sanct. cap. 27.* *Consecramus autem aquam Baptismatis.* V. quoque Cyrillum *Hierosolym. Catech. 3.* &c. Præter hanc alia est in Communione Rom. cujus institutionem Alexandro I. Pontif. tribuit Anastasius in *Alexandro*, *Hic constituit* aquam aspersionis *cum sale benedici in habitaculis hominum.* Micrologus *capite 46.* & Honorius Augustodun. *libro 3. capite 27.* *Alexander — constituit, ut sal & aqua benediceretur, ad conspergendum populum & habitacula eorum, quod & nos in omni Dominica, juxta Canones sequimur*, &c. V. Car. du Fresne *Glossar.* Ubi *salis* & *aquæ* commixtione unionem Christi hypostaticam, & *sale* quidem divinam, *aquâ* verò humanam naturam significari, ait Macer: qui addit, in aqua, quæ pro benedicendis Ædibus sacris fiat, misceri vinum & cinerem, sicque alludi ad vinum & cinerem vitulæ rubræ, quibus Moses divino jussu instrumenta Tabernaculi aspersferit. Græci in qualibet prima mensis dominica *aquam benedictam* renovant populumque aspergunt, hanc ceremoniam *ἁγιασμὸν*, h. e. *sanctificationem*, vocantes: Desistunt autem in duobus mensibus, Januario viz. ob solennem benedictionem Epiphaniæ, in qua Baptismum Christi celebrant; & Septembri, in quo hanc ceremoniam transferunt, ad diem ejusdem 14. propter festum Exaltationis S. Crucis. Solentque illi in aspersione, loco aspergilli, frondibus ocymi uti, quòd herba hæc evulsa esset, jussu Helenæ Constantini M. matris, in loco, ubi crucem ab ea inventam dicunt. Latini verò in Templis Altaribusque benedicendis, feriâ 5. hebdomadæ majoris hyssopum adhibent, quòd in Vet. Testam. ejus in sacris aspersionibus olim usus esset, &c. Sed & in bello *Aquam benedictam* usurpari voluit Leo VI. Gr. Imp. ut è *Tacticis* ejus discimus, ubi ante conflictum cum hostibus Duces monet hac aquâ exercitum aspergere; hodieque plumbeæ glandes istiusmodi liquore tinctæ à plurimis adhibentur, teste eodem Macro in *Hierolexico*, quod mira patrandi vim ei credant inesse. Eadem *Aqua* Exorcizata dicitur, quia in illius benedictione exorcizant Dæmones jubentque ut ab ea recedant. Sic *Salem exorcizatum & aquam commixtam*, ac utroque domum aspersam, legimus apud Braulionem Cæsaraugust. in *Vita S. Æmiliani capite 24.* totius Monasterii ambitum *aquâ exorcizatâ* respersum, apud Gordianum Mon. in *Vita S. Placidi Martyris cap. 58.* *exorcizatis aquis* lotum leprosum, apud Marbodum Diac. in *Vita S. Licinii Episc. Andegav.* &c. Car. du Fresne. Formula exorcitandi Aquam hanc ista est: *Exorciso te*, inquit Sacerdos, *in nomine † Dei Patris omnipotentis, & nomine † Jesu Christi, filii ejusdem, Domini nostri & in virtute † Sp. Sancti: ut fias Aqua exorcisata, ad effugandam omnem potestatem inimici, & ipsum inimicum eradicare & explantare valeas, cum Angelis suis Apostaticis; per ejusdem Domini nostri Jesu Christi virtutem* &c. ut in *Pastorali* legitur. Sed institutio ejus Alexandro I. Eruditis videtur recentior, ut cujus Epistola habetur supposititia: cujus occasione Bellarminus de omnibus his Epistolis, quæ vett. Romæ Episcopis tribuuntur: *Aliquos*, ait, *errores in eas irrepsisse non negaverim, nec indubitatas esse affirmare audeam*, de *Pontif. lib. 2. cap. 14.* Occasio nonnullis à Gentilium ritibus arcessitur, apud quos vulgatissimum erat, ut aqua a Sacerdote consecratâ, reliqui homines ac sacrificiorum instrumenta aspergerentur. Unde apud Dionysium Halicarn. *libro 7.* *τὰ ἱερὰ καθαρῷ ὕδατι περιαγνίζειν.* V. quoque Homerum *Il. α.* & Virgilium *Æn. libro 6.* Certè Guilielmus Caullius *de Relig. Rom.* aspergillum depinxit, quali vett. Romani usi sunt: Et marmoreum vas, in quo *Aqua* lustralis, ad Templorum portas, ingredientibus prostabat. Festus quoque loci, ubi aqua circa Templum inclusa conservabatur, meminit, quem *Favissam* appellat. Quò faciunt verba Baronii *Annal. Tom. 1 ad ann. 429. num. 88.* *Vigilias anniversarias habes apud Suetonium in Vespas. cap. 7.* *Lustralem aquam, aspersionem sepulchrorum, apud Juvenalem Sat. 6. & alios: lumina in iisdem parare* &c. Epiphanius verò de Aquæ (extra Baptismum) efficacia in spiritualibus, sic habet c. *Hemerobapt.* *Neque Oceanus, neque omnia flumenta, ac maria, fluviique perpetui ac fontes, universaque ὁ μβροτόκος φύσις, imbripara natura, in unum congressa, peccata delere non potest, quandoquidem non juxta rationem, nec ex præcepto Dei fit.* Historiam de Valentiniano, qui miles adhuc Julianum Fortunæ Templum intrantem sequens, ab Æditiuo guttis istiusmodi aquæ irrigatus est, lege apud Theodoretum *libro 3. capite 16.* V. quoque infrà ubi de *Aspergendi ritu.*

Aqua Fervens, V. infrà *Aquæ ferventis judicium.*

Aqua Formarum, apud Cassiodorum, & apud Josippum Gorionidem כמי פורמת *Aquæ formæ, Historiar. libro 1. capite 2.* dicuntur, quæ per tubos vel arcus deferuntur. Apud Auctores enim Juris Civ. eosque, qui *de Aquæductibus* scripserunt, *forma* interdum est tubus, quo defertur aqua; interdum arcus ipsi sic dicuntur, devehendis aquis, humilioribus in locis soliti extrui: Ut cùm dicuntur *aquæ formarum constructionibus advectæ*, Casaubonus *ad Spartianum in Severo.*

Aqua Fortis, V. infra *Chrysulca.*

Aqua Frigida, V. itidem infrà, ubi de *Aquæ Frigidæ judicio.*

Aqua Incorrupta, in phiala hermeticè clausa, asservatur in Musæo Kircheriano Romæ. Ventricosum vas est, in longitudine quatuor palmorum gracilescens, à Christophoro Clavio concinnatum: qui ei indidit aquam puram & naturalem, è Jordane Romam allatam ac Hermeticè clausam. Hæc jam à sexaginta annis prorsus immutabilem statum retinet & in hodiernum diem incorruptum, ab omni phlegmate aut fæcis contaminatione liberum, nec non ab omni sedimento immunem. Unde colligit Kircherus, omnis putrefactionis & corruptionis causam, Aëris esse inclementiam, V. Georg. de Sepibus in *Musæo Kircheriano pag. 14.*

Aqua Muliebris, Carino apud Vopiſcum dicuntur lavacra muliebria, quas Capitolinus *excaldationes* vocat. His rarò viri utebantur à luxuria alieni, interdum tamen. Lampridius de Alexandro, *Unctus lavabatur, ita ut caldariis vel nunquam vel rarò, piſcinâ ſemper uteretur.* Militibus verò nunquam permiſſum: unde balnea iſtiusmodi *lib.* 1. *Codicis*, vetantur hoſpites poſcere & ab iis exigere, præcipui quoque militiæ duces, notaque ſeveritas Caſſii, apud Volcatium Gallicanum, & Alexandri Severi apud Lampridium, in milites *aquâ* iſtiusmodi *muliebri* uſos. V. infrà, ubi de *Excaldationibus*, & plura hanc in rem apud Caſaubonum *Not. ad Volcatium* modò dictum.

Aqua Reconciliationis in Communione Rom. *Aqua benedicta* dicitur, quâ aſperguntur Ædes ſacræ, cùm reconciliantur. V. infrà, ubi de *Reconciliandi ritu.*

Aqua Sale conſperſa, ſeu *Aqua ſalſa*, adhibita olim à Donatiſtis, quâ ea lavabant, quæ à Catholicis polluta eſſe calumniabantur. Hinc Optatus *lib. 6. contra Parmenianum adv. eos, ò aqua,* ait, *quæ dulcis à Deo creata es, ſuper quam ante ipſius Mundi natalem Spiritus Dei ferebatur? Præſentiâ Moyſi in te amaritudo moritur & à Schismaticis hodie, cum Catholicorum turba, dulcedo tua vexatur.* Ubi eos, quòd aquæ ſalem miſcerent, *vexaſſe dulcedinem* ejus, queritur. V. eum *l. cit.*

Aqua Sancta, quid vocetur in Eccleſia Rom. V. infrà, *Aquæ benedictæ Beneficia.*

Aqua Sapientiæ, in Muſæo Kircheriano. Fecit nempe Auctor globum cryſtallinum, hermeticè ſigillatum, in quo liquores, juxta Elementorum ordinem, quadruplici colorum varietate diſtinguuntur; permixtione verò confuſi tam pertinacis naturæ ſunt, ut immediatè quilibet ſe in ſuam Sphæram recipiat, verum quatuor Elementorum ſymbolum. Ita Georgius de Sepibus *in Collegii Rom. S. I. Muſæo pag.* 46. Plura verò ejuſdem Auctoris in hoc elemento experimenta V. infrà, ubi de *Hydraulicis*, *Hydroſtaticis* &c.

Aqua Separationis, apud Hebræos, dicebatur *Aqua* cinere vaccæ rufæ reſperſa, quâ polluti è morticino purificatio, quæ præ cœteris omnibus ſingularis erat, peragebatur, Numeror. *cap.* 19. *verſu* 19. Nempe vacca hæc tota rufa erat, quam qui comburebat princeps Sacerdotum (ſecundus à Pontifice) per ſeptem dies cum in finem *ſeparabatur* ab uxore. Comburebatur autem, è Templo educta, in monte Olivarum, & ſanguis ejus aſpergebatur. Aquæ verò illius reſperſæ cineres ſervabantur, ut purgandæ immunditiei ex contrectato cadavere contractæ inſervirent. Ad quem ritum David alluſit Pſalm. 51. *verſu* 9. *Expiabis me hyſſopo & purus ero: lavabis me & præ nive albeſcam.* Et Paulus 2. Cor. *cap.* 15. *verſu* 29. ubi de *Baptiſmo ὑπὲρ νεκρῶν*, h. e. eorum, qui purificati à pollutione mortis, in Sanctuarium redibant. Burmannus, *de Munditie & Immunditie legali.*

Aqua Sordida & ſtercorata, ſuper ſponſam jactata, in *L.* Longob. *lib.* 1. *tit.* 16. §. 78.

Aqua Sparſa, caſtellum fuit Galliæ, in inferiori Alverniâ, Montipencerio proximum, à re nomen habens. Fons enim ibi ſeu rivus, cujus aqua *ſpargitur* ac deficit. Vulgò *Aigue-perſe*, pro *Aigue-sperſe*, Hadrianus Valeſius *Not. Gall.* Vide quoque *Aquaperſa.*

Aqua Tepida ſeu *Calida*, in ſacrificio, ut vocant, h. e. in S. Euchariſtia, à Græcis adhiberi ſolita, memoratur Innocentio IV. *Epiſt.* ad Ottonem Cardin. Tuſcul. §. 8. V. Jac. Goarum *ad Euchologium Græc. pag.* 148.

Aquæ Amaræ examini, olim apud Hebræos, ſuſpecta adulterii uxor, ſubjecta eſt, ex Lege de qua Numerorum *cap.* 5. à marito Zelotypo, h. e. qui præmonuerat uxorem, ne deinceps in ſecreto eſſet cum aliquo, idque coram teſtibus; quæ nihilominus cum illo, de quo præmonita erat, in ſecreto fuiſſet occultata, idq; teſtibus item probaretur, *quantillo tempore pollui fœmina poſſet.* Quo modo uxore ſuſpectâ etiam marito interdicebatur, usque dum potatis *aquis amaris* innocentem ſe præbuiſſet &c. Fuere tamen uxorum aliquot genera, quæ, tametſi antecesſerat *præmonitio* & *occultatio*, aderantque teſtes utriusque, potatione nihilominus libera erant; at ejicienda ſine dote & illicita dein perpetuò maritis. In hiſce & Sponſa & Fratria, cujus nuptiæ à Leviro expectabantur; niſi Sponſus præmonuiſſet & poſt nuptias occultaretur uxor cum eo, de quo præmonita fuerat. Item uxor cœci, claudi quoque ac muti, aliæque, de quibus Magiſtri conſulendi. Sed nec ritè ad *aquas* has uxorem adigebat maritus, qui ipſe purus non eſſet; unde, ſi talis uxorem ſuſpectam in examen deduxiſſet, *vim ſuam examinis non exercuiſſe Aquas*, iidem tradunt. V. Gemaram Babylon. *ad tit. Kidoſchim cap.* 1. *fol.* 27. Quæ autem examinis hujus formula fuerit ac ritus; quo item illud ſeculo in deſuetudinem abierit, dicemus infrà, in voce *Suſpecta.* Plura verò qui volet, adeat Joh. Seldenum *Uxore Ebraic. lib.* 3. *capp.* 13, 14, 15.

Aquæ Benedictæ beneficia, in Eccl. Rom. dicuntur in Synodo Exonienſi A.C. 1287. *c.* 29. *fuiſſe à Majoribus ab initio inſtituta, intuitu caritatis, ut ex eorum proventibus pauperes Clerici exhiberentur in Scholis, ibidem taliter proficerent, ut aptiores — fierent ad majora.* Mox addit Synodus, *Statuimus quòd in Eccleſiis quoque à Scholis Civitatis vel Caſtrorum Diœceſis ultra* 10. *non diſtantibus milliaria*, Aquæ benedictæ beneficia, *ſolis Scholaribus aſſignentur.* Deinde jubentur Presbyteri Parochiales Clericos magis idoneos ad ejusmodi beneficium præficere, quibus ſi Parochiani ſubtrahere velint eleemoſynas conſuetas, ad ipſas erogandas compellantur. E quibus colligit du Freſne, agi hic, *de Parochiarum*, ut in Gallia vocantur, *Clericis*, qui etiamnum in aliquot Galliæ provinciis ſtatim poſt peractam Miſſam majorem, *aquam benedictam* in parochianorum domos deferunt, eaque familiam univerſam, præmiſsâ oratione brevi, aſpergunt. Non modò enim populum, ſed & domus ipſas hac *aquâ* aſpergi, ab antiquo obtinuit: V. de Conſecratione fontis & aquæ per domos ſpargendæ, apud Riculfum, Sueſſion. Epiſc. in *Conſtitut. cap.* 5. E quo officio quod obveniebat, *Aqua ſancta* nudè appellatur in *Charta* vet. apud Ughellum *Tom. II.* Hinc *Circuitiones cum aqua benedicta*, inter jura Parœciarum, recenſentur ab Innocentio III. *lib.* 3 *Epiſt.* 31. Nam ſolis Presbyteris Eccleſiarum ſeu Curionibus, jus erat *die Dominico cum pſallentio circumire Eccleſiam ſuam unà cum populo & aquam benedictam ſecum ferre*, ut habetur in *Capitul.* Caroli M. *lib.* 5. *cap.* 210. apud Carolum du Freſne in *Gloſſar.* Quid autem dicatur *Aqua Benedicta*, V. ſuprà.

Aquæ Ferventis judicium, una ex purgationibus olim vulgaribus, quas *Judicia Dei* appellabant: ſeu examen, quo quis de crimine ſuſpectus, quò ſe purgaret, manum in *aquam ferventem* nudato brachio immittebat; atque, ſi illæſam extraheret, innocens; ſi contrà, reus pronuntiabatur. De cujusmodi examine multa præ cæteris habet Hincmarus Rem. *de Divortio Lotharii & Tetbergæ*, *Vicarius ipſius fœminæ ad judicium* aquæ ferventis *exiit, & poſtquam incoctus fuerat ipſe repertus, eadem fœmina maritali thoro ac regio conjugio — reſtituta eſt*, &c. Fuit autem aqua calefacta, in *æno*, id eſt, cacabo, ſeu olla, ſuppoſito igne: unde *ad ænum* ſeu *æneum provocare*, in *Pacto* Childeberti & Chlotarii §. 4. quod aliis *caldaria eſt*, unde *manum in caldariam mittere*, *L.* Longobard. *lib.* 1. *tit.* 33. §. 1. Quemadmodum & *Cacabus* pro examine ferventis aquæ uſurpatur, in *Charta* A. C. 1102. apud Ughellum *Tom. VII. pag.* 864. & apud Johann. Tinnemuthenſem in *Vita* Paterni Epiſc. Venetenſis *num.* 4. Quo ritu verò hoc examen fuerit peractum, diſcimus ex *Ordine Exorciſmi vel benedictionis aquæ calidæ*, quem habent Juretus *ad Ivonis Carnot. Epiſt.* 74. Delrius *Diſquiſit. Magic. lib.* 4. *quæſt.* 4. *ſect.* 4. Pithœus in *Gloſſis ad Capitul. Caroli M.* Lindenbrogius, poſt *Formulas ſolennes*, Goldaſtus *Alamannicorum Tom. II.* Mabillonius *Analectorum Tom I.* Alii: Ita autem is, *Cùm homines vis mittere, ad comprobationem judicii aquæ calidæ, primùm fac eos intrare cum omni humilitate in Eccleſia & proſtratis in oratione dicat Sacerdos has orationes — Quibus completis ſurgatur pariter, & coram hominibus illis cantet Presbyter Miſſam & faciat ad ipſam Miſſam offerre. Cùm autem ad Communionem venerint, antequam communicet, interroget Sacerdos cum adjuratione, & dicat: Adjuro vos &c.* (V. infrà, ubi de *Aquæ frigidæ judicio*) *Deinde imponatur ignis ſubtus caldaria & dicat Sacerdos has orationes, quando ipſa aqua caleſcere cœperit — & qui manum mittit in aquam, ad ipſum examen, dicat orationem Dominicam & ſignet ſe ſignaculo crucis & feſtinè deponatur ipſa aqua fervens deſuper juxta ignem, & Judex perpendat ipſum lapidem inligatum ad menſuram N. infra ipſam aquam more ſolito & ſic inde extrahat eum in nomine Domini, ipſe qui intrat ad examen judicii. Poſtea cum magna diligentia ſic fiat involuta manus ſub ſigillo Judicis ſignata, usque in die tertio, quo viſa ſit viris idoneis & æſtimatis.* Ubi quæ habentur de *lapide inligato*, diſtinctiùs explicantur in *LL.* Adelſtani R. *In aqua fervente accipiat homo lapidem, qui per funem ſuſpendatur in ſimpla probatione, per menſuram palmæ, in tripla autem unius ulnæ; manus verò ſigilletur & aperiatur, ut dictum in conſecratione ferri.* Nimirum Lapis fune deſuper alligatus in cacabum demergebatur, quem reus extraheret, immiſsâ in aquam ferventem manu, vel brachio. Eodem facit vet. Notitia ex Adverſariis Peireſcianis, à Carolo du Freſne excerpta, quæ ſic habet: *Arnulfus — S. Mariæ Monaſterio vineas ſuas poſt mortem filiorum ſuorum Laurentii & Progerii, ſi abſque liberis migrarent à ſeculo, in perpetuum conceſſit. Quibus nullo remanente hærede defunctis, Gaufridus Adelelmi fil. Telbertusque Præpoſitus, Odilans atque Lambertus, ſeſe hæredes illius — aſſerentes, donationem illam irritam* reddere conati ſunt, atque adeò *prædictis vineis, calumniam impoſuerunt, quod in Curia S. Mariæ ante Richildim Abbatiſſam veraces nobilesque perſonæ, quorum nomina ſubterſcribuntur,* APERTA LEGE *probandum fore judicaverunt: qui videlicet calumniatores hominem ſuum Hermaldum nomine — in SS. Trinitatis Eccleſiam, ubi caleſiebat aqua, deduxerunt. Sed Deus — aperto manifeſtavit judicio, illos prædictarum calumniatores injuſtè extitiſſe vinearum. Nam prædictus Hermaldus, Miſſâ celebratâ, corporisque Chriſti ac ſanguinis communione perceptâ, nec non & jurejurando ſuper Sanctorum reliquias pro more perſoluto, ita oculorum lumine privatus erat, ut via ad ſartaginem — accedere potuerit. Immiſſam verò manum ita ex aqua lotam extraxit, ut ipſe non ſolùm in manu, verùm etiam interiùs penè ad intima usque cordis ſe combuſtum conſiteretur, & ille & [illegible] ſui [illegible] ſuum [illegible]. Quod [illegible] in manu,*

ſunt

mortisesse, fissuram permitteret, rogaretur; aiebat, se nullatenus posse præ dolore pati ut aliquid manum illam contingeret. Servatus in manu nuda usq; in diem tertium inflatam admodum & excoriatam, sanieque jam carne putrida effluentem dexteram invitus ostendit. —— *Testes Gaufridus de Mutinensa* &c. V. quoque infrà.

Aquæ Frigidæ, seu etiam *Aquæ Judicium* simpliciter, purgationis olim genus erat, quo criminis alicujus suspectus vel accusatus, in *aquam* demergebatur: ita ut, si supernataret, nocens ac reus; contrà, si in imum delaberetur, innocens judicaretur. Sic apud Gregorium *Decret. lib 5 cap.8.* Presbyter de homicidio infamatus, *judicio aquæ frigidæ suam innocentiam probasse*, dicitur: cujusmodi purgationes, apud medii ævi Scriptores, frequenter occurrunt. Fundamentum earum hoc fuisse, ait Hincmarus Rem. *lib.cit pag.60. Et quoniam —— ostendimus divinâ auctoritate Baptismum esse judicium — quo Princeps mundi mendax foràs ejicitur — divini Viri ad ignota investiganda invenerunt Judicium* Aquæ frigidæ. *In quo ad invocationem veritatis, quæ Deus est, qui veritatem mendacio cupit obtegere in aquis, supra quas vox Domini Dei intonuit, non potest mergi* &c. Idem ad Hildegarium Episc Meldensem, *pag. 6-6. Solertia Christianitatis, inter alia & agenda judicia consistentis, ex antiquo sanxit & frequentavit judicium, quod fit per A*quam, *quodque sub Noë factum fuerat in Arca fidei, liberans innocentes & condemnans noxios.* Adjurabat autem hominem priùs Sacerdos hoc fere modo: *Ut si de hoc furto scisti, aut vidisti, aut bajulasti, aut in domum tuam recepisti, aut consentiens aut consentaneus exinde fuisti, aut si habes cor incrassatum aut induratum, evanescat cor tuum & non suscipiat te aqua, neque ullum maleficium contra hoc prævaleat, sed manifestetur* Quo facto, interdum pluries in aquam demergebantur tales, si plurium criminum suspecti essent. & quidem immergendi colligabantur: In quo judicio qui cadebat, *perire* vulgò dicebatur, ut discimus ex Hincmaro *Tom. 1.pag.* 608. item, ex *Divortio* Lotharii pag.607. *Charta* Philippi Augusti, apud du Fresne *Glossar.* Aliis. Judicii peragendi formam verò paulò proliviùs ita exhibet *Ordo ad Exorcismum Aquæ Frig.* apud Juretum aliosque suprà laudatos: *Cùm hominem vis mittere ad judicium aquæ frigidæ, ob comprobationem, ita facere debes; adduc eos in Ecclesiam & coram omnibus illis cantet Presbyter Missam & faciat eos ad ipsam Missam offerre. Cùm autem ad Communionem venerint, antequam communicent, interroget Sacerdos cum adjuratione ista & dicat: Adjuro vos homines per Patrem. & Filium & Spiritum sanctum, & per Christianitatem, quam suscepistis & per Sanct. Trinitatem, quam docuistis & per istas sanctas reliquias, vel sanctam venerationem quæ in ista Ecclesia sunt, ut non præsumatis accedere ad hoc sanctum altare, nec istam sacram Communionem accipere ullo modo, si hanc causam vestræ reputationis* (h.e. illa vel illa) *fecistis, aut consensistis, aut scitis quis hoc egit. Si autem tacuerint — accedat Sacerdos ad altare & more solito communicet: postea verò communicet illos, qui in aquam mittendi sunt. Cùm autem communicat, dicat Sacerdos ad altare: Corpus hoc & Sanguis Domini nostri Jesu Christi sit vobis ad probationem hodie. Expletâ Missâ, accipiat Sacerdos crucem & Evangelium & incensum & pergat ad locum destinatum cum aspersione aquæ benedictæ, ut probentur. Et cùm venerint ad ipsum locum, det illis hominibus bibere de aqua benedicta,* dicens: *Hanc aquam dedi vobis ad probationem hodie. Postea conjuret aquam, ubi illos mittere debet. dicens ita: Adjuro te aqua* &c. *Dein exuat eos vestimentis suis (& induat eos vestimentis de Exorcista & alliget in eis singulariter sinus rectæ consuetudinis) faciatque eos osculari Evangelium & crucem & posthoc aspergat super unumquemque ex ipsis de ista aqua benedicta & dicat adjurationem sequentem & projiciat eos statim singulariter in ipsam aquam. Hæc autem omnia facere debet jejunus; & neque illi antea comedant, neque ipsi, qui eos mittunt. Sequitur exorcismus* &c. Orationes ipsas, quas *Benedictionis aquæ judicii* indigitat, Gilbertus Lunic. Episc. *de Usu Eccles* V. apud Scriptores retrò citatos. Consonant autem huic Ordini ad exorcismum Aquæ frig. *LL.* Æthelstani Saxonicæ *§. 23.* Codex verò *MS.* quem laudat Mabillonius, hæc subdit: *Hoc autem judicium creavit omnipotens Deus, & verum est; & per Dominum Eugenium Apostolicum inventum est, & — omnes Christiani — eum observare studeant — Ideo enim ab illis inventum est & institutum, ut nulli liceat super altare manum ponere, neque super reliquias vel Sanctorum corpora jurare.* Nec omittendum, coram Sacerdotibus ipsis istiusmodi examen consuevisse peragi, uti testantur *LL.* Edvv. Confess. *cap* 9. Quod improbat Ekkehardus Jun. *de Casibus S. Galli cap.14 Adsciscunt sibi Presbyteros, qui animas hominum carissimè vendant, fœminas nudatas aquis immergi impudicis oculis curiosi perspiciant, aut grandi se pretio redimere cogant.* Quin & ipsis in Ædibus sacris actitata, legere est in *Statutis* Calomanni Hungar. R. *lib.*1. Spectasse autem hoc judicium rusticos aut infimæ sortis homines, *LL.* docent Scoticæ *libro 4. capite 3. §. 4.* cùm per ferrum calidum liberi homines se purgarent. Aliquando tamen & nobiles viros ejusmodi aquæ subiisse judicium, suggerit Hovedenus *pag.* 566. ut & Conr. Abbas *Ursperg.* qui Welphonem quendam Com. sub Conrado II. Imp. *judicio aquæ frigidæ innocentiam suam probavisse*, narrat &c. Tandem id sublatum est, interdicto Ludovici Pii, Friderici I. Imp. & Alexandri II. Scot. R. quòd videretur rebaptizari, qui in nomine Domini aquis immergebatur: proscriptumque, ut & aliæ vulgares probationes, in Concilio Lateranensi sub Innocentio III. *can.* 18. Ne ullus Clericus aut Sacerdos *purgationi aquæ ferventis vel frigidæ seu ferri candentis, ritum cujuslibet benedictionis aut consecrationis impendat* Observat tamen Delrius, in crimine maleficii seu magiæ adhuc examinis hujus reliquias superesse, ita tamen, ut sine ulla Dei invocatione, sine ullo ritu pietatis aliquid præferente, quasi per ludum, Judices eo abutantur, in quibusdam Germaniæ regionibus. Quas enim famâ vel aliorum depositione suspectas habent, eas statim absque ulteriore inquisitione capiunt, captasque extra urbem deducunt & in *aquam frigidam* ita conjiciunt, ut dextra manus sinistro pedi, sinistra verò dextro alligata sit: & si supernatant, veneficas vehementiùs suspicantur & idcirco acriori subjiciunt quæstioni; sin submerguntur, innocentes esse putant. Ad cujusmodi veneficarum examen videntur spectare, quæ habet Auctor *Vitæ* Ludovici Pii A.C.834. *Gerberga — tanquam venefica, aquis præfocata est.* Et Nithardus *libro* 1. *Anno Christi* 834. de eadem: *Gerbergam more maleficorum in Ararim mergi præcepit* &c. Plura V. apud Car. du Fresne in *Glossar.* Loccenium *Antiqq. Sueicar. libro 2. capite 7.* Sibrandum à Sicama ad *L.* Frision. *tit.* 14. ex Jure Frisico vernac. & Kilianum in *Water ordeel:* ut & infrà passim, in vocibus *Ordalium, Purgatio* &c.

Aquæ Convenarum, adde: Vulgò *Aques*, Hadr. Valesius in voce *Convenæ.*

Aquæ Grani, ab aquis calidis seu thermis, & ab Apolline Granno, quasi *Aquæ Apollinis*, vel certè à nomine loci, dictæ sunt, vulgò *Aken* Germanis, *Aix la Chapelle* Gallis, à Basilica maxima, quam Carolus M. Christo Servatori & S Virgini ejus matri ædificavit, ut docent Eginhardus *in Vita Caroli* & Poëta Saxo *Annal. libro* 5. quæque vulgò Christi omisso nomine *Basilica S. Genitricis* seu *B. Mariæ* vocata est. Sitæ sunt in Tungris seu in diœc. Leodicensi. Hic Pippinus Francorum Rex A.C. 765. hiberna habuit & Natalem Domini ac Pascha celebravit. Filius ejus Carolus M. similiter A.C. 788. imò ab A. C. 794. usque ad mortem, per annos 20. ibi semper hyemavit ac sedit, solo excepto triennio: quem Ludovicus Pius est imitatus, qui *Aquas* cœteris villis Regiis prætulit. Factum id inter alia, *ob calidos saluberrimosque fontes*, quos ibidem ebullire notum. Alcuino non semel dicuntur, pro vico aut villa *magna & lata & excelsa urbs*, nec non *secunda Roma, ventura Roma*, seu *altera Roma:* scribitque à Rege Carolo locum altis mœnibus cinctum, *foro, Senatu, arce, theatro, atriis & Æterni Regis templo, balneis* insuper seu thermis ubi *marmoreis gradibus speciosa* essent *sedilia*, ornatum esse & *fontis bullientis rivos in omnes urbis partes esse deductos.* Unde colligitur, loco huic *Romæ* tunc nomen impositum, & Carolum de hacce villa Regia urbem facere, atque ita vocari voluisse: Hinc & ædes, quas ibi condidit, *Lateranas* nuncupavit. Plura V. apud prædictum Eginhardum, & inprimis *de Mansionibus omnium cujusque dignitatis hominum, circa Palatium Caroli constructis, deque Procerum habitaculis à terra mira arte in sublime suspensis, de Basilica item, antiquis Romanorum operibus præstantiore brevi ab eo fabricata, ex omnibus Cismarinis regionibus Magistris & opificibus advocatis*, apud Monachum Sanctgallensem *lib.1. capp. 30. & 31.* Etiam posterioribus temporibus Reges ac Imperatores Romanorum *Aquas* adeò venerati sunt, ut ibi Regni Lotharienfis atque Germanici coronam recipere plerunque voluerint: Ubi nimirum & à Carolo M. Ludovicum, & à Ludovico Lotharium coronatos ac Imperatorii nominis consortes constitutos, & ab eodem Ludovico Pippinum ac Ludovicum, minores filios, Reges appellatos, atque alterum Aquitaniæ, alterum Bajoariæ præfectos esse cognoverant. Gaufridus *de vita S. Bernardi libro 4. capite* 6. suâ ætate sedem Regiam adhuc fuisse docet, & celeberrimâ Caroli M. *Capellâ*, i. Basilicâ, illustrem extitisse. In libro item *de mirac. S. Bernardi* vocatur *Regum sedes, celeberrimus & amœnissimus locus voluptati corporum accommodatior, quàm animarum saluti.* Vide Hadrianum Valesium *Not. Galliæ*, & infrà in voce *Aquisgranum*

Aquæ Mortuæ, adde: Erat hic locus positus inter stagnum Laternam vel paludem Taurum & os Hispaniense Rhodani ad mare, & ob id aquis stagnantibus ac residibus & veluti mortuis, abundabat. Usique sunt olim plurimùm Franci hoc portu, unde apud Guil Nangiacensem Rex Franciæ Ludovicus, Anno Christi 1269. *Lugdunum, Viennam & Belliquadrum pertransiens, ad optatum portum Aquarum mortuarum pervenisse, & intrasse mare, ut Tunetum peteret*, dicitur. Nunc urbs alluitur quidem stagno usque ad muros accedente, cui nomen suum debet; sed à mari 2. m. p. circiter seu semileucam abest, adeoque portu caret, qui arenis à Rhodano invectis obstructus esse dicitur. Malè autem *Fossæ Marianæ* Johanni Olivario vocatur, cùm ista, Mellâ, Plinio, Æthico testibus trans Rhodanum fuerit in provincia Viennensi, *Aquæ Mortuæ* verò citra ostia Rhodani in provincia Narbonensi prima seu Septimania, V. Hadr. Valesium *Not. Gall.*

Aquæ Neri, municipium Galliæ, in agro Burbonensi finibusque Biturigum Cuborum, aquis olim nobile, vulgò *Neris*. Hic Patroclus Biturix Monasterium puellarum, deinde & cœnobium Columbariense in Biturigibus ædificavit, Monachisque loci Abbatem præfecit, teste Greg. Turonensi *de vita Patrum cap.9.*

Aquæ Sextiæ, adde: Aquarum harum calorem diuturnitate temporis defecisse, *nec jam parem esse famæ priori*, scribit Solinus. A' Plinio Urbs oppidis Latinis accensetur, at in nummo Vespasiani nuncupatur, *Colonia Aquæ Sext. leg.XXV.* hoc est, legionis vicesimæ quintæ; à Ptolomæo quoque ὕδατα Σέξτια κολωνία dicitur; quod idem è duobus lapidibus, Arelatensi & Romano, Jos. Scaliger ac Sirmundus probant. *Sextias Bajas* Sidonius vocat, id est, Sextias Aquas ab aquis sinûs Bajani celeberrimis, circa quas duobus præliis C. Marius Teutonos & Ambrones delevisse dicitur, cæsis hostium 200. m. captis 90. In vett. Notitiis provinciæ Narbonensis secundæ *Metropolis civitas Aquensium* appellatur. subjectas sibi habens 6. civitates, Aptensium, Rejensium, Forojuliensium, Vapincensium, Segesteriorum & Antipolitanam. Sed postea, detractâ Antipoli, & Maritimis Alpibus attributâ, cœteræ supradictæ civitates numero quinque, Aquensi Burgundiæ vel Provinciæ Metropolitano Archiepiscopo subjectæ permanserunt. Montana urbs est, & sita ad fluviolum *Arcum*, ut dictum, vulgò *Arc* vel *l'Arc*, orientem, qui stagnum Mastromelam seu Berrense ingreditur & flexu aquarum suarum arcum refert. Incolas ejus Gregorius Tur. *Aquenses*, Theodulfus Aurelianensis Episc. *Aquinos*, hodie *Aquisextienses* eruditi vocant, V. Hadr. Valesium *Not.Gall.*

Aquæ Siccæ, vulgò *Seiches*, locus Galliæ Æthico memoratus, à Verno Sole 12. m. passuum distans, V. Hadr. Valesium in voce *Vernus Sol.*

Aquæ Tarbellæ, adde: Erant in finibus Tarbellorum, in arenis, quas *Landas* vocitant, caput pagi *Aquensis*, & cum Lapurdo seu Bajona malè à quibusdam confunduntur. Habet urbs hæc Tarbellorum præcipua ab aquis nomen, à gente cognomen, interdum & ab Augusto, unde nunc *Aquæ Augustæ*, nunc *Aquæ Tarbellicæ* dicta est. De aquis ejus, ita Plinius *lib.31. cap.2. Emicant aquæ benignè passimque in plurimis terris, alibi frigidæ, alibi calidæ, alibi junctæ: sicut in Tarbellis Aquitanica gente, & in Pyrenæis montibus, tenui intervallo discernente*: quod hodieq; ita se habet. Inter 12. provinciæ Novempopulanæ civitates secunda collocatur & *Aquensium* dicitur *civitas*, in vett. Notitiis, Episcopusque ejus primus numeratur, inter decem Antistites, Auscitano Vasconiæ Archiepiscopo suffragantes, apud Gervasium Tisleberiensem. Vulgò *Aqs*, aliàs *Daqs*, Episcopatûs ac Vicecomitatus antiqua sedes. V. Hadr. Valesium *Not.Gall.*

Aqua in Utta, vulgò *Aix en Otte*, aliis *Aix en Ote*, & *Aix* absolutè, castellum olim Galliæ in sylva Utta, ad rivum in Venenam effluentem, non procul à Sedanto in Utta, ad Ecclesiæ Tricassinæ Episcopum pertinens: ubi Anglos 400. in præsidio fuisse A.C. 1358. & cùm usque ad portas Augustobonæ Tricassium incursionem faciendo pervenissent, à Tricassinis fusos esse, scribit Ægidius: qui addit, ab his qui evaserant, *Aquas* esse incensas atque desertas, Valesius *Not.Gall.*

Aquamanilis, Aquamanile & *Aquiminale*, Græcis Χερνίβιον, malluvium est, quod in templorum vestibulis antiquitus extitisse, indicat Synesius *Epist.121.* ut notat Lydius, & liquet ex Paulo Diacono *in Valentiniano*. Anastasius de Innocentio, A.C.402. *Obtulit — Aquamaniles argenteas, pensantes sing. libras 16 &c.* Glossæ vett. Lat. Gr. *tit. de vasis*: *Aquale*, ὑδροχόιον, V. quoque infrà *Aquamanile.*

Aquagium, Festo *quasi aquæ agium, id est, aquæ ductus appellatur*: fossa nempe, per quam aqua ducitur, in locis palustribus, seu per quam elicitur. *Gloss.* Gr. Lat. Ὑδραγωγεῖον, *Aquarium, Aquagium*, apud du Fresne *Gloss.* Salmasio verò *Aquaria* & *Aquagia* eadem cum Nympheis sunt, Græc. ὑδρεῖα; Latinis aliter *Silani*: salientes videlicet vel fontes manu structi, aquam in publico ejaculantes, &c. *Not. ad Capitolinum*, V. infrà.

Aquamanile, Lanfranco Archiep. Cantuar. *Epist.13. vas dicitur inferius, in quod manibus infusa aqua delabitur. Sicut urceolus vas superius, unde lavandis manibus aqua infunditur.* In Ecclesia Rom. inter ministeria & vasa sacra, occurrit apud Joh. de Janua, *Aquimanile dicitur vas, super quod cadit aqua, quâ abluuntur digiti Sacerdotum, post sumptionem corporis Christi.* Hinc *Aquamanile & urceum argenteum mirabili opere*, habet *Chronicon* Fontanellense *cap.16.* &c. Fuit autem trulleum seu vas, quod vulgò *Bacinum* appellant Galli, in quod aqua ad manus abluendas defunditur; contrà quàm apud Latinos, apud quos *Aquamanale* urceolus fuit, sic dictus Varroni *de Vita P.R. lib.2.* apud Nonium, quòd eo aqua in trulleum infunderetur, quasi *à manando*. Verùm fallitur, judice Scaligero, quia *à manibus* dictum, estque id vas, quod postea *Aquimanile* appellatum. Sed, ut dictum, recentiores pro trulleo vocem hanc usurparunt. Illius etymon attigere, qui per *Aquamanus* vel *Aquammanus* extulere: Innuere enim hi voluerunt eam loquendi formulam, quâ nobis, aut convivis, aquam ad manus lavandas ministrari petimus. Unde in *Gloss.* Lat. Gr. *Aquamanus*, per χέρνιβα effertur, ubi legendum alii volunt χέρνιβον, vel χέρνιβα. Et in *Excerptis* vett. Gloss. *Aquam manibus*, ὕδωρ κατὰ χειρῶν; quod iisdem penè verbis effert Auctor *Colloquii*, id est, *Affer aquam manibus*, ἔνεγκε ὕδωρ κατὰ χειρῶν; quæ loquendi formula vulgaris est, apud Plautum *Truculento* & *Persa*. V. Jac. Cujacium *Observat.lib.2.* & *lib.10. cap.13.* Lydius, Spelmannus, ut vidimus & Vir doctus *ad Epistolas Innocentii III.* ita apud recentiores appellari censent vas illud, quod in Communione Rom. in Ædis sacræ ingressu, aquâ lustrali plenum, collocari solet; sed assensum non impetrant à Car. du Fresne, quem V. in *Glossar.*

Aquarii, Hæretici, adde: Hos imitati sunt seculo 2. etiam fideles non pauci, qui, ne odore vini hostibus ac persequutoribus proderentur, aquam similiter puram in sacra Synaxi adhibebant, cui errori obviam itum est Concilio Africano. Sed & hodie guttas aquæ vino mixtas, in calice, ponunt qui Latinos sectantur ritus; quo pacto indigitari dicunt unionem hypostaticam duarum naturarum in Christo, vino divinam, aquâ humanam, denotantibus; sed præter Christi Domini nostri institutum, ut videre est ex Historia Evangel. & Pauli ad Corinthios priore. Græci quoque, præter aquam, quam in Missæ principio calici infundunt, & aquam è latere Christi manantem designare volunt, infundunt post consecrationem etiam aliquas guttas aquæ calidæ ante communionem, ut indigitent, quemadmodum adnotat Simon Thessalonicensis, etiam in corpore Christi jam mortui remansisse Divinitatis calorem, seu, ut idem subjungit, *Ut labiis admotis & sanguini communicantes ita afficiamur, quasi è vivifico illo latere biberemus.* Quod qui ex officio facere tenetur, *Camisatus* dici consuevit, fortè à Camisia, quæ est alba seu supe pellicium Clericale indumentum. Sed & hæc humanitus excogitata. V. Macros Fratres in *Hierolexico*, & plura de *Aquariis* Hæreticis, infrà in voce *Hydroparastæ.*

Aquarii vel *Aquarioli*, dicebantur olim ministri Lenonum seu meretricum, qui in domo lenonia meretricibus ad lavandum aquas aggererent, vel eas lavantes aquâ perfunderent, ut mediastini solebant in balneis, quos Græci περιχύτας aut παραχύτας vocavere. Spartianus in *Commodo*, *Aquam gessit, ut lenonum minister*, id est, ut *Aquariolus* aut baccario, quo modo vocabantur, inquit Salmasius, οἱ παραβλύσται, qui in lupanaribus aquam ministrabant. Festus, *Aquarioli dicebantur mulierum impudicarum sordidi adseclæ. Vet.* Glossæ, ὑδροφόρος & βαλανεύς & παραβλύστης pro synonymis habent, sicque interpretantur apud Plautum in *Pœnulo* locum, ubi meretricula de meretricularum lavatione ita verba facit,

Bina singulis quæ datæ nobis ancillæ,
Eæ nos lavando, eluendo operam dederunt:
Aggerundaque aquâ duo sunt viri defessi.

Ubi *ab gerundas*, malè quidam, pro *aggerunda*, legunt. Sic enim idem in *Rudente*,

— — reppertì negotium,
Siquidem his ultro mihi aggerunda etiam est aqua, &c.

Iidem Græcis βαλανεῖς, ab aqua jacienda seu effundenda, ἀπὸ τοῦ βάλλειν ὕδωρ. Latinè quoque *Bacariones*, à *bacarione*, quod vasis erat aquarii genus, longiori manubrio: *trullam quidam appellabant* inquit Festus. Eo aquam in balneis hauriebant mediastini, quam super lavantes jactarent & funderent, ad eos eluendos: Gr. ἀρύταινα, item ἀρυτῆρες. Hinc itaque Bacariones *Aquarioli* dicti sunt, quòd hujusmodi munus in domo lenonia obibant & lavantibus ministrabant meretriculis, &c. Salmasius *ad Vopiscum in Carino*, V. quoque infrà in voce *Balliones*. Multum autem in illis lustris aquæ fuisse, testis est M. Tullius passim, *Or. pro M. Cæcina, pro Muræna, in Vatinium: ad Atticum lib.1. Epist.16.* Hinc Frontinus *de Aquaductibus lib.1. Ipsam Marciam splendore & rigore gratissimam, balneis ac fullonicis & relatu quoque fœdis ministeriis deprehendimus servientem.* Erat enim moris, ut, priusquam inde abirent, totum corpus lavarent, Chrysostomus *in ad Corinth. cap.6.* Ad quem morem allusit Auctor Διαταγῶν *Clementinarum l.6.* ubi, quia consuetudo vett. Christianorum tunc fuit, ut, sive ab uxoris geniali lecto prodirent, sive ab impura & scelesta Venere, templa non priùs orationis causâ adirent, quàm corpus lavissent; horum utrumque affirmat supervacaneum: hoc, quia nil prosit; illud, quia non necessarium. Sanè enim hæ lavationes, quarum multi vett. Patrum meminere, imitatione paganorum usurpatæ sunt. Clemens Alexandrinus, οἱ Αἰγύπτιοι μὴ ἀπὸ γυναικὸς ἀλούτους ἱερουργεῖν ..., *Ægyptii lege sanciverunt, ne quis à muliere illotus sacra adiret.* Verba Herodoti sunt, quem lege in *Euterpe*, barbaros reprehendentem, quòd non idem servarent. At *lib.1.* ejusdem consuetudo Babyloniorum eadem, multis exponitur: In *Ritualibus* quoque Judæorum libris de hoc lavationis genere complura occurrunt. V. iterum Salmasium *ad Lampridium in Commodo*. Quia verò istiusmodi *Aquarii* semper mulieribus hisce præstò erant, hinc iis amorum internunciis non rarò Romani sunt usi, teste Juvenali,

— Veniat conductus Aquarius, &c.

Sed nec omittam, etiam Aquarum custodes, Gr. Ὑδροφύλακας, *Aquarios* appellari, *l. penult. de aquaduct. lib.11. Cod.* & apud Frontinum *lib. de Aquaduct.* V. Joh. Calvinum *Lexic. Jurid.* &c.

Cat.

Car. du Fresne notat *Aquarios* seu *Aquariolos* meretricum, in balneis, Νερο-Φέρες dici, in *Passione S. Patricii Episc. num.* 7. 28. April. Ο' δὲ [illegible] [illegible] ἐν τῷ [illegible] ὡς [illegible] [illegible]: &c.

Aquarius, adde: Nota ejus ≈ aquarum fusionem repræsentat: quâ antiqui etiam Chimiæ Auctores marinas aquas designavere. In libro vetustissimo, quibus ea signa explicantur, ostendit hoc modo Salmasius, θαλάσσια ὕδατα, ≈ ὄμβρια ὕδατα. uti videre est apud illum *ad Solinum pag.* 1235. Cæterùm uti Leo Ægyptiis, sic *Aquarius* Romanis anni fuit principium, Idem *pag.* 435.

Aquarum Curator, Græcè Ὑδάτων Ἐπιστάτης, Magistratus Athenis, de quo V. infrà in *Puteus intra Hippicum.*

Aquatio, Græcè ὕδρευμα, apud Ciceronem *de Officiis lib.* 3. *Hoc loco Syracusis est, quidquid est piscium. Hic* aquatio. *Hac villâ isti carere non possunt.* Sicut locus aquationis, ὑδρεῖον. Sed & pro ipso loco *Aquatio* sumta Latinis, uti & ὕδρευμα Græcis, adeoque pro mansione in locis aridis ac incultis: Id enim in his ὑδρεύματα sunt, quod in locis cultis ac habitatis σταθμοί, i. *mansiones*. Mansiones nempe circa ὕδατα vel puteos dispositæ, ad quas necessariò divertendum ac manendum, quòd iter aliâ viâ inexplicabile esset propter aquarum penuriam. Hinc Plinius iter à Copto Berenicen confici scribit, *aquationum ratione dispositis mansionibus, lib.* 6. *cap.* 33. &c. Quemadmodum autem ἐποχαὶ temporum dicuntur certæ notæ ac signa, quibus temporum intervalla distingui solent, quibusque immorari ac stare necesse habent, qui tempora solicitè computant ac Chronica scribunt: Ita τὰς τῶν ὑδρευμάτων ἐποχὰς, *Aquationum mansiones*, vocat Ptolomæus, quibus itineris intervalla distinguebantur, quòd per eà necessariò transeundum viatoribus. Brevissimæ verò illæ sunt, utpote quæ diei unius iter vix superent, & per eas necessariò eundum ac redeundum: quapropter stadiasmum illorum locorum ita compertum idem esse vult, ut nihil magis. Cùm in majoribus distantiis, quas μεγάλας διαστάσεις, item μείζονας ἐποχὰς vocat, talis certitudo locum non habeat. V. Salmasium *ad Solinum p.* 495. & 1184. P. de Valle *Itiner. Tom. IV. ubi iter suum per Arabiæ Desertum enarrat*, & infrà in vocibus *Hydreum* & *Mansio*.

Aquaviva, adde: In qua sec. 15. floruit Julius Antonius *Aquaviva D. de Atri*, fil. Giosiæ *Aquavivæ D. de Atri*, extinctus A.C. 1479. Quo & Catharinâ Ursinâ natus Andreas Matthæus *D. de Atri*, Pr. Tarent. genuit ex Isabella Piccolominea Arragonia, Joh. Franciscum *Aquavivam M. de Bitonto*, maritum Dorotheæ Gonzagæ, patrem Julii Antonii Com. Conversani; qui ex Anna Gambacorta reliquit Joh. Franciscum March. *de Bitonto* (qui in Gallia decessit exul: Pater ex Camilla Caracciola Giosiæ & Annæ Ux. Ludovici *d'Aretio*, Comitis *de Chasteau villain*) & Balthasarem *March. di Bellante*. cui ex uxore Hieronyma Cajetana Aragonia obtigit posteritas, titulo *Marchionum di Bellante* & *Principum di Caserta* &c. V. Phil. Jac. Spenerum *Theatro Nobilit. tom.* 3.

Aqueus Chamæleon, V. infrà *Chamæleon Aqueus*.

Aquifolium, inter arbores infelices, apud Vett. quibus portenta & prodigia comburi solebant, qua de re pluribus agit Salmasius *ad Solinum pag.* 270. *& seqq.* Interim inter pretiosa ponitur ligna Plinio, quæ in laminas secabantur & quorum operimento vestiebatur alia materies, *lib.* 16. *cap.* 43. *Quæ in laminas secantur, quorumque operimento vestiatur alia materies, præcipua sunt, citrum, terebinthus, aceris genera, buxum, palma*, aquifolium, *ilex, sambuci radix, populus.* Idem ex Catone notat *ibid.* vectes *aquifolios*, laureos, ulmeos, fieri debere. Apud eund. *pag* 962.

Aquila, vulgò *l'Aigle*, adde: Orderico Vitali *Histor. Eccl. lib.* 4. vocatur *castrum Aquilæ*, à nido *aquilæ*, in quercu ibi, cum conderetur, reperto. Ejus Auctor Fulbertus eidem dicitur, qui præfato libro illud quoque *Oppidum Richerii* appellat. Oppidulum est, ad flum. Riselam, Hadr. Valesius *Notis. Gall.*

Aquila, ob suam excellentiam, Jovi, ut summo Deorum, olim dicata, ejusque *armigera* dicta est, unde fulmen trisulcum pedibus gestantem fingebant. Hinc *Aquila signum Jovis*, Scholiastæ Cæsaris Germ *ad Arati Phænom.* dicitur, fortè ideo, quia, ut scribit Fulgentius, in præliis aquilam auream, loco insignis, sibi fecit Jupiter, unde finxere Poetæ, ejusce avis ministerio Ganymedem ab eo raptum esse. Sed & jam longè priùs de ea Theocritus dixerat, Διὸς αἰετὸς ἔρνις Ζηνὸς [illegible] σῆμα, *Jovis fausta avis, Jovis hoc signum.* Ajunt autem, Jovem hanc potissimùm sibi avem delegisse, quòd, dum adhuc in cunis esset, in Creta ins. nectar eidem quotidie aquila deferret, ex scopulis; ut ex Oceano ambrosiam columbæ. Vel, ut alii volunt, quod felici aquilæ advolantis augurio victoriam contra Titanas esset consecutus: Vel sanè, quod *aquila* ζῶον βασιλικὸν, *animal regium* sit, uti appellatur ab Æschyli Scholiaste; & supremi inter Deos Imperii, quod in Jove finxere Gentiles, fuerit symbolum. Unde Clearchus Heracleensis Tyrannus, cùm se ab ipso Jove prodiisse, populis vellet esse persuasum, *Aquilam*, tanquam natalium hujusmodi infallibile indicium, præferri sibi voluisse legitur. In auguriis certè illi principatus attributus est, ac jam Homericâ ætate, si à dextris, alis expansis, perstrepuisset, boni ominis putatum. Eadem Tarquinio Prisco imperium, Alexandro M. victoriam, at Tarquinio Sup. & Dionysio Sic. imperii amissionem dicitur portendisse. Etiam Jovis hæc ales aliis prælata est, in Imperatoribus consecrandis. Nam, ut est apud Herodianum *lib.* 4. simul ac Vett. rogo ignem subjicerent, *Aquila* soluta è rogo petebat ætherem, quæ in cœlum animam Imperatoris deferre credebatur: Unde in nummis cernas parte unâ effigiem Imperatoris; alterâ *Aquilam*, cui is insideat, cum inscr. CONSECRATIO SC. Præterea, figurâ ejus significata olim Imperii potentia ac Majestas: quam ob causam regiis sceptris eam effinxere insidentem, Dionys. *lib.* 3. Liv. *lib.* 9. Plut. *in Romulo*; uti & eburneis apud Romanos Consulum ac triumphantium scipionibus. Unde Prudentius *c. Symmachum lib.* 1.

Post trabeas & eburnam Aquilam, *sellamque curulem.*

Qui à quibus eam acceperint, an à Persis, quos Aquilam longiori hastæ impositam vexilli loco in præliis extulisse atque inde Æschylum non alio Xerxem, quàm Ἀετοῦ nomine indigitasse, legimus: an ab Epirotis, de quibus infrà dicetur; non adeò liquidum est: cùm ab ipsis Reip primordiis inter præcipua supremæ dignitatis insignia semper habita sit, tradatque Dionysius Halicarn. eam à Thuscis habuisse Romanos, quibus, post inita pacis fœdera, Regum suorum ornatus præcipuos miserint, hosque inter *sceptrum eburneum aquilâ insignitum*, quod Romani Coss. servaverint deinceps, tanquam præcipuum dignitatis suæ argumentum. A' quo tempore *Aquila*, in insignibus militaribus *præcipuum* primò fuit: cujus custodiam gerebat primipilus sive primus Triariorum Centurio: quem ad honorem fere à primo principe, uti ad hunc à primo hastato pertingebant. Ab hoc itaque *Aquilæ* hujus sese expandentis effigies, hastæ præpilatæ suffixa gestabatur: primùm Legionibus dicata à C. Mario, Plin. teste *l.* 10. *c.* 4. Unde in nummo vet. videas aquilam bicipitem, argumentum legionum duarum in unam coalitarum. Dein, *unicum* esse cœpit, ex quo Marius hic bello contra Cimbros, cœteris Romanorum signis abrogatis, illam solam retinuit: quæ quidem aurea fuit, & in sacrario perinde aureo solebat asservari. Quando verò *biceps Aquila* invecta fuerit, similiter assequi planum non est, cùm nec in Impp. vel Coss. nummis, nec in cœteris rei antiquariæ monumentis uspiam occurrat, præterquam in columnâ Trajani Romæ, ubi militis clypeo insculpta visitur. Et quidem, ut de Orientali Imperio aliquid priùs dicam, cùm de Occidentali nullum sit dubium, (ubi Rex quidem Rom. unicam Imperator bicipitem in insignibus habet) de Romano Diogene Imp. CP. eo prælio, quo à Turcis cæsus est, agnitum ab iis, ex aquila aurea loricæ intextâ, ait Guilielmus Apuliensis, sed an bicipiti, non indicat, *de Gestis Normann. lib.* 1. *pag.* 23.

Indiciis Aquilę, *quòd plus dabat omnibus armis*
Aurea conspicuum loricæ innixa nitorem,
Græcorum dominus cognoscitur.

Et uniceps *Aquila* in insignibus gentilitiis Palæologorum Montferratensium, quâ Imperium CP. designatur, descripta est; in effigie quoque Constantini Palæologi Michaëlis Imp. filii, pallium aquilis cum unico capite inspersum conspicitur. Præterea in prioris Theodori Lascaris, ejusdemque Michaëlis Palæologi Impp. nummis, quos Octav. exhibuit Stradà, si tamen genuini sunt, ulvilli, quibus pedes insistunt, ejusmodi omninò aquilis inspergunter. Ita pariter in Michaëlis Palæologi Imp. pedibus substrato pulvillo, ad utrumque latus, uniceps aquila effingitur: in Andronici verò ad sinistrum duntaxat, in iis sc. eorundem Augg. imaginibus, quas, ex codice Augustano *Historiæ* Georgii Pachymeris, Nicephoro Gregoræ premisit Hieron. Wolphius. Idem tamen Strada Theodori Lascaris jun. nummum alium describit, in cujus pulvillo *aquilæ bicipites*: quomodo etiam effingitur à Wolphio, ex eodem cod. Augustano. Sed & Georgius Phranzes solennem apparatum, quo Venetiis exceptus est Johannes Palæologus Imp. describens, ait, nautarum, qui navem, quâ ille vehebatur, ducebant, pileos bicipitibus aquilis fuisse exornatos: & in ipsius navigii puppi, binos exaratos leones; hosque inter similem aquilam effictam. Testatur etiam Ismaël Bulialdus, etiamnum in eo Palatio, quod Constantini nomen servat, complura scuta cum bicipiti aquila spectari. Sed & præ manibus habere scribit du Fresne *Epistolam* Demetrii Paleologi Despotæ ad Carolum VI. Franc. R. cui adtextum sit sigillum cereum papyro superfusum, in quo *biceps Aquila* totidemque corollæ conspicuæ, ut de calceis eorum nil addam, de quibus V. infrà in voce *Tzanca*. E' quibus omninò confici videtur, Byzantinos ævi posterioris Augustos bicipitem detulisse aquilam auream (in campo rubeo) ususque perinde, ac cœteras nationes armorum insignibus. V. quoque Johannem Cantacuzenum, quo loco navalem Andronici Palæologi Imp. ad Chiensem expeditionem proficiscentis apparatum commemorat, *l.* 2. *c.* 11. A' Romanis verò ad Byzantinos transiisse armorum seu insignium usum certum est, quamvis non certò definiri possit, quando id primùm cœperit. Fuit autem biceps *Aquila* signum Rom. Imperii, in *Orient.* & *Occid.* divisi: quod non jam ætate Constantini M. contigisse dicunt, nec demum imperante Carolo M. quod Ulysses Aldrovandus cen-

fuit: sed in temporibus Honorii & Arcadii, quorum culpâ Imperium sic est debilitatum, ut intra seculum in Occidente, sub Momyllo Augustulo, amissum sit, nec nisi post 324. annos à Carolo præfato instauratum, Gerh. Joh Vossius *de Idolol. lib.3. cap. 16.* Aliis tamen hæc Aquila biceps non est, sed *duæ* sunt *Aquilæ concorporatæ, in campo aureo. expansis invicem alis, dorsa sibi jungentes*, quale signum in columna Antonini quoque se observasse, tradit Lipsius *Analectis ad Milit. Rom. pag. 178.* Applicatque hoc symbolum Henr. Kippingius ultimæ Imperii divisioni, quæ sub Carolo M. introducta, postea que stabilita fuit, tunc cum Otto II. Germaniæ Imp. residuas Italiæ partes, hactenus à Græcis possessas, jure dotis acquisivit, Otto III. bello feliciter gesto retinuit, ut nunquam eas Græci recaperare possent: *Hæc*, addens, *Aquila duplicis origo, in qua comprehenditur Apuliæ Regnum nobilissimum, pars Imperii ejus, quod Græciæ Cæsares in Occidente viribus suis continebant.* V. omnino cum *Juris Publ. lib.2. cap.1. §.13. & seqq.* & hanc in rem plura, ut & egregia quædam de Impp. Germanorum *Aquila*, quæ nigro colore effingitur, fortè quia optimæ aquilæ is color, deprehendes, apud Car. du Fresne *Dissertat. de inferioris ævi numism.* E quo hoc unum superaddimus, Marianum Socinum scribere, Occidentales Impp. bipartita insignia detulisse, in quorum parte altera dimidia aquila, in altera familiæ insignia descripta fuerint, usque ad Sigismundum Imp. qui, cùm Orientalium Impp. videret inclinare potestatem, Saracenis ac Turcis undique in illos irruentibus, primus *Aquilam integram ac bicipitem* in insignibus adscripserit, quod nec Carolum M. ne Græcos irritaret, facere ausum addit. Cui sententiæ favere videtur lemma adscriptum ejusdem Sigismundi sigillo cereo, uti à Marq. Frehero describitur: in aversa enim parte, circa Aquilam hosce versiculos *μυστηριώδες* quiddam sonantes, legi inquit:

AQUILA EZECHIELIS,
SPONTE MISSA EST DE CELIS,
VOLAT IPSA SINE META,
QUO NEC VATES NEC PROPHETA,
EVOLAVIT ALTIUS. &c.

Nigram autem aquilam, quam *ἀετὸν μελανάετον* & *μέλαιναν* vocant Græci, *Valeriam* Latini, qui ideo *Aquilam* nominarunt, quòd *aquilo* i. subfusco esset colore, ad cujus imitationem, nigrum colorem Imperiali aquilæ esse, diximus, Jac. Aug. Thuanus *de Re Accipitr. lib.1.* ita describit:

Optima & ipsa æquans animis ingentibus illam,
Corporis inferior quamvis sit mole, nec ungue,
Aut rostro tantum valeat, digitisve: sed artus
Non meminit suos, animi vi oblita virilis,
Accipitres collata nothos facit. Hanc quoque nostri
Valeriam dicunt, Graji melanaeton, atrum
Quòd referat rostro pennisque, atque ungue colorem &c.

Neque verò Romani solùm Imperii, sed multorum etiam Regum Principumque *Aquila* gentilitium fuit signum. In Persarum certè exercitu, notat Xenophon *Expedit. lib. 1.* regii insignis loco *ἀετὸν χρυσοῦν ἐπὶ πέλτης ἐπὶ ξύλου ἀνατεταμένον*: Curtiusque de acie Codomanni verba faciens, *Inter hæc*, inquit, *Aquilam auream, pinnas extendenti similem, sacraverant Histor lib. 3.* V. quæ suprà jam dicta. Alexander dein M. *Aquilam auream pinnas extendenti similem sacratam cum fulmine trisulco*, in nummis suis cudi curavit, Hub. Goltzio teste *Vol. de Græcia univ Tab.33.* Similem effigiem videmus in nummis Cleopatræ Ægypti Reginæ, apud Petrum Seguinum *de Numism. sel. pag.55.* Apud Romanos, jam ante Cæsares, *signum Reipublicæ* fuit, ut disertè vocat Suetonius *in Augusto cap.94.* & suprà diximus, V. quoque infrà, ubi de *Aquila Consulari*, In ipsis Scripturis Sacris, Regiæ dignitatis signum fuisse, Nebucadnezari Babylonio & Pharaoni Ægyptio, discimus ex Ezech. *cap.18.* Ulteriùs Ægyptii processere, apud quos in divino cultu *Aquilam* fuisse, annotavit Diodorus Sic. *lib 1.* *Τὸν δ' ἀετὸν*, inquiens, *Θηβαῖοι τιμῶσι, διὰ τὸ βασιλικὸν εἶναι δοκεῖν τοῦτο τὸ ζῶον καὶ τοῦ Διὸς ἄξιον. Aquilam venerantur Thebai, quòd animal hoc Regium & Majestate Jovis dignum videatur.* Sed & Romanos Aquilis suis non minorem venerationem exhibuisse, dicemus infrà, ubi de *Aquila Militari* &c. Plura de Regiâ hac ave, V. apud Gerh. Joann. Vossium *lib. cit. passim.* Ulyss. Aldrovandum *Ornitholog. lib. I. pag 92.* Auctorem Anonymum *Sinæ & Europa cap. 37.* & Sam. Bochartum *Hierozoici Part. poster. lib. II. cap. 1. & seqq.*

Aquila, apud Sugerium *de Administrat. sua cap.31.* Aquilam *verò in medio chori ammirantium tactu frequenti deauratam, renovari fecimus*, aliosque recentioris ævi Scriptores, lectrum est seu analogium, in modum aquilæ alas expansas habentis confectum; in quo libri Ecclesiastici, qui in Ecclesia leguntur, reponi solent. Ita enim Hugo Flaviniac in *Chron. pag.165. Instrumentum verò illud, quod paratum est receptui textus Evangelii, Johannes Evangelista in similitudine aquilæ volantis adornat.* Nempe *aquila* hac specie Evangelistam Johannem designari volunt. *Aquila* *istiusmodi cuprea, pretii sexies 20. libr.* meminit *Necrologium* Ecclesiæ Ambianensis, apud du Fresne *Glossar.* ubi *Aiglier* in *Charta* vernac. Guilielmi Com. Hannoniensis Anno Christi 1409. apud Ægid. waldum in *Histor.* Lobiensi *lib.9.* vocari addit. Græci quoq, in ædibus sacris suas habuere *Aquilas.* Euchologium *de Ordinatione Episc pag 305.* *Καὶ παραφέρεται ὑπὸ τοῦ κληρικοῦ ὁ ὑποψήφιος, ἔχων τοὺς ἱερεῖς τοῦ ναοῦ, κρατῶν ἐπὶ χεῖρας αὐτοῦ ἱστάμενος τὰς εἰσόδους τῆς ἱερωσύνης πίστεως καὶ λέγει αὐτῷ ὁ μέλλων χειροτονεῖν τὸν ἀρχιερέα.* Ubi Goarus, judice du Fresne, perperam, *Aquilam in pavimento depictam*, dixit: erat enim analogium, ad quod lecti sacri libelli. *Aquilam* tamen ab analogio distinguit, qui scripsit *Gesta Francorum* usque ad Robertum *MSS.* ex Bibl. Loiselliana, A. C. 1014. *Porro multis ipsam sacratissimam ædem honestavit ornamentis: inter quæ Analogium Hispanico metallo fieri fecit fusoriâ arte compactum, cui imminet aquila alis expansis*, apud Eund.

Aquila Biceps, Imperii hodie symbolum est, uti pluribus suprà vidimus. Ad cujus imitationem Moscorum Tyrannus, Joannes Basilius, qui ab Imperatoribus Romanis ortus videri volebat, itidem *Aquilam Bicipitem*, eamque duplici coronâ insignem, sed non in cœlum, uti Germanorum, verùm terram versus alas protendentem, Moscovitici quoque Imperii insigne esse jussit, uti legimus apud Olearium *Itinerar. Pers. lib. 3. cap. 10.* Joachim. Fellerum *Animadversion. ad Georg. Hornii Orbem Imper. pag. 379.* Seb. Feschium *Dissertat. de Insignibus*, Alios. At in vet. nummo, *Aquila Biceps*, duarum Legionum in unam coalitarum signum est &c. V. *suprà.*

Aquila Consularis, signum fuit Reipublicæ. Suetonius *in Augusto cap 94. Somniavit Jovem Optimum Maximum prætextatis compluribus circa aram ludentibus unum secrevisse, atque in ejus sinum signum Reipublicæ, quod manu gestaret, reposuisse.* Insidebat illa Consulis scipioni aut sceptro eburneo, quod manu tenebat, quoties in Curia Jus diceret. Juvenalis *Sat. 10.*

Da nunc & volucrem sceptro quæ surgit eburno.

Unde est, quòd Augustus Cæsar triumphali quadrigâ vectus, manu gerens sceptrum, in cujus apice Aquila est, cernitur in nummo, apud Petrum Seguinum *in Numism. pag. 102.* Quòd item Domitianus, in equo considens, manuque sceptrum, velut Consulatus insigne, gestans, repræsentatur in nummis; apud Jac. Biæum *Tab.31. num.3.* &c. A quibus autem ad Romanos hoc symbolum devenerit, diximus suprà.

Aquila Militaris Romanorum, quam illi an à Thuscis, uti diximus; an ab Epirotis, quos etiam hoc insigni in bello usos fuisse, nummi loquuntur, acceperint: erat vel aurea, vel argentea, summæ hastæ præpilatæ suffixa expansisque alis, interdum fulmen unguibus tenebat, quasi jaculatura. Servabatur Romæ in Ærario, quod in Saturni Templo erat, indéque depromta educebatur in bellum. Defigebatur autem in terram, cùm in pugna, tum in castris; unde si, cùm opus esset, ægrè avelleretur, ut Crasso Euphratem transituro contigit, pessimi ominis loco habebatur. V. inprimis Dionem *Histor. lib. 40.* Huic porro signo sacellum seu fanulum imponebatur quadratum venerationis causâ: Signa namque militaria Deorum instar coluisse Romanos, locuples testis est Dionysius *Halicarn. lib. 6.* ideoque Tacitus, *Romanas aves propria Legionum Numina*, appellat, *Annal. lib. 2 cap. 17.* & extant nummi Augusti, cum ara accensa intra tria signa militaria; *Aquilam*, Legionis insigne & duo signa cohortium. Sæpius quoque serto hæ Aquilæ cingebantur; & suppositis hastis clypei sive orbes aurei affigebantur, ut videre est in columna Trajani, continentes imagines Cæsarum humerotenus expressas: quas qui gestabant, dicebantur *Imaginiferi.* Ex hac verò castrensi religione ortus est signorum amor & deserendi nefas, hincque maximum ad pugnam incitamentum fuit, signa in hostes aut vallum obsessum jecisse, quo alacriùs repeterentur. Aquilas namque amissas Romanos ægerrimè tulisse, ex historia Varianæ cladis patet &c. V. Feschium suprà laudatum *Dissertat. de Insignibus*, & plura retro in voce *Aquila.*

Aquila Sepulchralis, apud Græcos ac Romanos, *Ἀποθεώσεως* seu *Consecrationis* virorum; sicut pavo, fœminarum, signum fuit. Credebant enim Principum Regumq; defunctorum animas *ἐποχεῖσθαι*, *subvehi*, Aquilarum alis, ad beatas sedes: unde imagines eorum *Aquilis* adjectis ornarunt, uti legimus apud Artemidorum *lib. 2. cap. 20.* Quò alludens fortè Lycophron, Achillem in curru secum Hectoris occisi corpus auferentem, *Ἀετὸν*, i. *Aquilam* vocat. Franc. Rossæus, *Archæol. Attica lib.5. cap.33.* V. suprà, ubi de *Apotheosi*, in voce *Aquila*, sub initium, & alibi passim, ubi de *Consecratione, Exequiis* &c.

Aquila Versa, apud Ditmarum *lib. 3. pag. 29.* *Post hæc autem Imperator omni studio ordinavit expeditionem suam, adversùs Lotharium R. Karolingorum, qui in Aquisgrani palatium & sedem regiam nostrum semper respicientem dominium, valido exercitu præsumsit invadere, sibique versâ Aquilâ, designare: Hæc stat in Orientali parte domus, morisque fuit omnium hunc locum possidentium ad sua vertere Regna.*

Aquila Lignum odoriferum, ac purpurei coloris, in montibus prope *Kiuncheu*, quæ metropolis est Ins. *Hainan* in Sinis, reperitur; quo utuntur Sinenses ad pannos sericos tingendos. Hispani *Lienum* vocant. Auctor Anonymus *Sinæ & Europa cap. 34.*

Aquilam in dorso figurandi, cruentus ritus, Saxoni Grammatico

tico sic describitur *lib.* 9. *Iterrea Sinardus ac Biarnus cum* 400. *navium classe supervenientes bellum Regi manifestâ provocatione significant: idque statuto tempore exequuti, comprehensi ipsius dorsum* plagâ aquilam figurante *affici jubens, servissimum hostem atrocissimi alitis signo profligare gaudentes, nec vulnus impressisse contenti, laceratam sali vere carnem.* Ubi Saxonis interpres Stephanus Stephanius eum viguisse morem scribit, apud Anglos, Danos aliasque gentes Boreales, ut victor, ignominiâ summâ debellatum adversarium afflicturus, gladium circa scapulas ad spinam dorsi adigeret costasque amplissimo per corporis longitudinem facto vulnere, utrimque à spina separaret, quæ ad latera deductæ alas repræsentarent aquilinas, cujusmodi vulnus in *Glossar.* Islandico *Bloderne* sive *Bladugle* & *Blodrisi* appellari addit, apud Eund. in *Addition.*

Aquileja, adde: *Aquilejensis* Patriarchatus origo ad A.C. 570. refertur à Macro, quo Episcopi Veneti, Stiriæ item ac Liguriæ, Episcopo Rom. subjici renuentes, & Paulinum urbis hujus Episcopum, Primatem suum eligentes, eum *Patriarchæ* nomine atque dignitate insignivere, quod nomen tunc primùm in Occidente auditum: confirmataque est, rebus compositis, à Pontifice Rom. continuatio hujus tituli Aquilejensium Præsulibus, & sancitum, ut prima hæc sedes, post Romam, in Italia esset, Ravennas verò tertium locum obtineret. Postea quoque multa privilegia certatim in hunc Patriarchatum ab Imperatoribus congesta sunt, jusque cudendæ monetæ & titulus *Forojuliensis Ducis, Istriæ Marchionis ac S. Rom. Imperii Principis*, concessus. Dum autem lites, de quibus suprà, durarent, Pontifices *Patriarchatus* titulum Gradensi tribuerunt, eumque Aquilejensi opposuerunt, unde inter duos hos Præsules maximæ contentiones ortæ sunt, Longobardis Aquilejensem, Papâ verò & Exarcho Ravennate, Gradensem tuentibus: Sed dignitas hæc tandem in Venetorum Episcopum translata est, à Nicolao V. qua de re V. *suo loco.*

Aquilex, Græcè Ὑδροφάντης, qui aquas opertas & sub terris latentes, inducit terris & in apertum evocat elicitque. Ars ipsa Græcis dicta Ὑδροφαντικὴ, ἀπὸ τοῦ φαίνειν ὕδωρ, *ab aqua elicienda & producenda.* Cujusmodi Artifices, sub Aquario, nasci, canit Manilius *Astronomic. lib.* 4.

Ille quoque inflexâ fontes qui projicit urnâ,
Cognatas tribuit juvenilis Aquarius artes
Cernere: sub terris undas, inducere terris,
Ipsaque conversis aspergere fluctibus astra.

Eorum signa ex arundinibus, quæ aquæ latentis indicium faciunt &c. V. Salmasium *ad Solinum pag.* 738. *&* 1300.

Aquilina, quæ & *Evelina sylva* & *Sylva Eulina*, vulgò *la forest d'Iveline*, vel simpliciter *Iveline*. Sylva Galliæ est; ubi castrum Rumbelitum, vulgò *Rambouilles*, aut *Rambouilles* dictum, quod pago Hurepensi à quibusdam attribuitur, & *le Chasteau de Rambouilles en Hurepois* iis vocatur; item Mons Fortis Amalarici, quæ duo Carnutinæ diœceseos finibus continentur, Hadr. Valesius *Not. Galliæ.*

Aquilina, vulgaris quidem sed mirè gratus flos est, cujus radix digitali crassitudine, colore albo, cum plurimis fibris, folio rotundo, & serrato, viridi in cinereum proclivi: diversis caulibus cubitalibus. Flos est cœruleus, in campanæ figuram natus, ad truncum dependens deorsum; Unciniliacuminati ad pediculum coëunt fere, lata folii fimbria, in hemicyclum extensa, ut exhalationes à radice excipiat, pluviam vitet. Flore evanescente erigitur ramulus & siliquis quaternis quinisve oneratur, quibus minutulum semen, adeò atrum, ut fulgeat, concluditur. Prata & sylvæ hunc florem ferunt, sed horti sativum, duplicato, triplicato folio Est & species alia candidi coloris, superiori per cætera similis; tum alia fusco colore; rarissima est rubicunda, cum variegata, tum illa, quæ multiplicis folii, coloris candidi, in cœlum erigitur. Miraculi vicem præbet idem flos viridis, rubro inspersо. Et flore & ramo hoc utuntur adversùs veneficia, inprimis ubi Sponsus aut Maritus iis tentatur. Maximum flos hortis blandimentum affert. Auctor Anonymus *Asia & Europa cap.* 33.

Viri celebres.

Aquilius Centurio, notus cædibus Senatoriis, sub Didio Juliano, ab hoc missus est, ut Severum occideret, apud Spartianum in *Juliano; quasi Imperator tantus à Centurione posset occidi*, Idem in *Pescennio Nigro*, ubi *notum cædibus Ducum* eum vocat.

Aquilius Gallus IC. Ciceroni familiaris, auctor est formulæ instituendorum posthumorum nepotum, quæ *in l.* 29. *de lib. & posth.* exponitur. Ab eodem *Aquiliana stipulatio* nomen habet. Joh. Calvinus *Lexic. Jurid.*

Aquilo, nomen equi famosissimi, de quo sic Casaubonus *ad Jul. Capitolinum in Vero Imp.* verba, *Volucri equo prasino*: *Hujusmodi*, inquit, *nomina equis curulibus imponebant. Notus Caligulæ Incitatus. In saxis nominantur cùm alii, tum famosissimus quidam Aquilo, & Græci similiter* Αὔρην *equum celebrant.* Archias *Epigramm. in illum,*

Ὁ πρὶν ἀελλοπόδην λάμψας ποτὶ Αὔρης ἴππον.

Aquimiti, V. suprà *Acemeti.*

Aquimola, apud Anastasium Bibl. in *Leone* IV. *Hadriano* alibique, ut & alios citimæ ætatis Scriptores, molendinum est aquaticum, seu mola aquaria, Gr. Ὑδρομύλη, in *Gloss.* Lat. Græc. *Aquamolina*, Gall. *Moulin à eau*: cujusmodi molarum cùm nulla occurrat apud Jurecoss. mentio, conjecerunt nonnulli, recentius esse inventum. Verùm Augusti tempestate, vel paulo ante Augustum, *molas aquis actas*, *Romæ in Tiberi primùm factas*, auctor est Pomponius Sabinus *ad Virgilii Moretum*. V. quoque Plinium *lib.* 9. *cap.* 10. Procopium *Gothic. lib.* 3. Senatorem *Var. lib.* 3. *Epist.* 31. *L.* 10. *C. de Aquæduct. lib.* 11. *cap* 4. *de Canone frumentar. Urb. Romæ C. Theodos. lib.* 14. *tit.* 15. &c. Et quidem *Rosarum aquariarum*, quarum hodie multus usus in *Aquamolinis* & ὑδραλέταις, jam Antipater meminit Epigrammatarius, Ciceroni σύγχρονος, apud Salmasium *ad Lampridium in Heliogabalo*, V. infrà, ubi de *Rosis Aquariis.*

Aquisgranum, adde: Germ. *Aachen*, vel *Aken*, sita est loco depresso & collibus fere cincto; ubi præcipuæ thermæ sunt, Regiæ alteræ, alteræ Corneliæ dictæ, ut locorum intercapedine, sic vi & facultatibus diversæ. Eam Carolus M. ab Hunnis primùm vastatam instauravit, palatio planè regio, temploque Imperatoriâ magnificentiâ extructo: de quo Celtes *Amor. lib.* 3.

Quoque patent celsæ genetricis templa Tonantis,
Sanctius in nostro queis nihil orbe micat.

Quorum illud A.C. 1381. à Normannis exustum fuit, hoc propter arctissimam lapidum congeriem Vulcano resistente. Hanc itaque urbem Carolus M. qui non ob plebejæ fœminæ amorem, ut vult Petrarcha *lib.* 1. *Epist.* 3. Sed loci salubritate allectus post tot victorias & labores exantlatos, ibi frequenter commoratus est, caput & sedem Regni Teutonici peculiari constitutione confirmavit. Unde hymnus Divo Carolo sacer:

Urbs Aquensis, urbs Regalis,
Sedes Regni principalis,
Prima Regum Curia:

Et propter memoriam ejus, (sunt enim qui Constitutionem hanc fictitiam esse asserant) jam à tempore Caroli I. illuc Reges Germaniæ ac Impp. ad primam unctionem & Teutonici regni coronam accipiendam deduci soliti sunt. Palatium insuper Aquense, primum fuit inter Imperatoria palatia, & proin *sedes prima Franciæ* Nithardo: *sedes Regni* Rheginoni, dictum est. Hodieque ibi Imperii regalia symbola ex parte asservantur, Gladius videlicet Caroli M. Persico non dissimilis acinaci, liber Evangeliorum, in ejus sepulchro repertus & Sanguis S. Stephani Protomartyris, aureâ capsâ clausus. Unde cives à vectigalibus in toto Imperio immunes ad externum tribunal trahi nequeunt, possunt bannitos per totum Imperium securè recipere, aliisque, in coronatione inprimis Cæsaris, egregiis gaudent privilegiis. Status Democraticus est, ab A. C. 1450. insigniumque loco habet Aquilam simplicem. V. Limnæum Enucl. *lib.* 4. *cap.* 2. Ob privilegia & religionem, magnis motibus, urbs obnoxia, quos ab origine exponit Thuanus *lib.* 133. privilegiis exuta, Anno Christi 1589. ac dein, quanquam provocaret ad privilegia vicariatus Palatini, à Spinola capta est, A. C. 1614. Rege Hispan. tanquam Duce Brabantiæ, advocatiam Urbis prætendente, Meteran. *lib.* 15. 29. 31. 33. cùm Dux Juliæ olim Advocatus fuerit. Georg. Hornius *Orb. Politic. pag.* 181.

Aquitania, adde: olim *Armoricam* eam dictam esse, refert Plinius *lib.* 4. *cap* 17. quod si verum, sic dictam esse à Gallis credemus, quòd maritima majore ex parte esset; postea à Romanis Lat. nomine nuncupatam *Aquitaniam*, ab aquis salubribus calidis & frigidis, quibus scatet. Ibi enim sunt Aquæ Convenarum, Aquæ Tarbellicæ, Aquæ Siccæ & in Bigerris, in Benearnensi agro Levitaniæque montibus aliæ. Eam Cæsar *Comment. lib.* 1. *à Garumna flumine ad Pyrenæos montes & eam partem Oceani, quæ ad Hispaniam est, pertinere*, tradidit, deceptus relationibus M. Crassi, omnia in majus augentis, cui maxima regionis pars se dediderat obsidesque bis victa miserat: *& lib.* 3. *illam & regionum latitudine & multitudine hominum ex tertia parte Galliæ æstimandam esse* asseruit: cùm tamen ab imo Pyrenæo ad Garumnam fluvium seu Burdigalam iter sit vix 100. m. p. Quem errorem cùm agnovisset Julii successor Augustus, *Aquitaniam* à Pyrenæo ad Ligerim protulit, 14. Gentibus, quæ inter Garumnam & Ligerim habitant, ei attributis, ut auctor est Strabo. Sunt autem gentes illæ, Bituriges Cubi, Arverni, Ruteni, Albienses, Cadurci, Lemovices, Gabali, Vellaci, Bituriges Vivisci sive Burdigalenses, Aginnenses seu Nitiobriges, Ecolismenses, Santones, Pictones & Petrocorii: quot sunt populi prov. Aquitanicæ primæ & secundæ. Hinc Tibullus Aquitanicæ victoriæ Messallæ, à quo Pictones & Bituriges Cubi perdomiti sunt, non Garumnam modò, sed & Ligerim facit testes. Et primò quidem una ac simplex *Aquitania* fuit, inter Pyrenæos & Garumnam ac Oceanum, qualis à Cæsare describitur: etiam diu post promotos ejus ab Augusto ad Ligerim usque terminos, una esse perseveravit provincia. Unde Aur. Victor & Eutropius Tetricum *Præsidem Aquitaniæ* principatu Gallieni fuisse cùm dicunt, totius regionis Præsidem fuisse indicant. Postea Constantini M. ut videtur, ordinatione,

natione, ex una provincia duæ factæ, & *Aquitania* altera, altera à novem populis *Novempopulana* dicta est. Demum remanentibus Novempopulis, prior subdivisa est, in *Aquitanicam primam*, cujus metropolis Biturigæ, & *Aquitanicam secundam*, cujus caput Burdigala facta est. Ex his Novempopulanam provinciam Pyrenaica gens citerioris Hispaniæ Vascones, sub Merovingis Regibus, paulatim occupaverunt, eique *Vasconiæ* indidere nomen: quæ appellatio ad totam aliquando Aquitaniam trahi solet. Hæc Gallis *Aquitaine* primùm, dein corrupto & truncato vocabulo *Guienne* dicta est: quo nomine priùs tota Aquitania, postmodum pars ejus duntaxat est designata; & sub Vesigothorum Regibus, usque ad Chlodovei victoriam, Regnum; tum deficientibus Merovingis Ducatus: & iterum sub Caroli M. posteris Regnum aliquandiu fuit. Regibus postea successere iterum Duces, qui Ducatum Vasconiæ latè patentem suo Aquitaniæ Ducatui tandem adjunxere, Regum Francorum milites & clientes. Reperias autem sæpe apud priscos Auctores *Aquitaniam* à Gallia disertis verbis distinctam. Unde Ausonius *de Arelate*,

— — Populosque alios & mœnia ditas,
Gallia queis fruitur, gremioque Aquitania *lato.*

Imò & Vitruvius, Augusti æqualis, eam à Gallia distinxit. *Cohors prima Aquitanorum equitum*; item *Præfectus cohortis secundæ Aquitanorum*, in vett. Inscr. reperiuntur. Apud *Aquitanos* multis locis ærarias esse secturas tradit Cæsar, & auctor est Scaliger *contra Cardanum*, æris Cyprii in Pyrenæis & Cebennis fodinas esse hodieque, atq; in aliquot Aquitaniæ locis chalybem effodi, V. Hadr. Valesium *Not. Gall.*

Aquitanica vestis, apud Gregorium M. in *Regist. lib. 6. Epist. 36.* quæ alias *Bigerrica*. V. ibi.

AR.

Ara. Tria fuerunt Vett. in sacrificiis loca, per quæ expiationem faciebant, *Scrobiculus*, quo Inferis: *Ara*, qui terrestribus, & *Altare* seu Focus, quo Cœlestibus factum est. Dicta autem est *Ara*, vel ab ardendo, vel à similitudine arearum, quas puras esse oportet, vel à Græco ἀρὰ, *preces*. Varro apud Macrobium ait, illas primùm *Ansas* dictas esse, quòd esset necessarium eas à sacrificantibus teneri. Figurâ erant quadratâ, parùm extra humum extantes, in quibus cùm sacrificabant, cespitem gramineum illis imponere mos fuit: quæ causa, quòd *Aræ gramineæ* Virgilio dicantur *Æneid. lib.* 12. Lex dedicatæ *Aræ*, à Georg. Fabricio recitatur, unde cognosci potest, quâ fere verborum formâ, non solùm in templis, sacrisque ædibus, sed & in *Aris* dedicandis Vett. usi fuerint, V. quoque Adolphi Occonis *Numism. pag.* 46. *&* 47. Cæterùm illas inviolabiles voluere antiqui; hinc Tullius *in aram Tribunatus confugere* dixit: Confugientes itaque in Fana, immunitatem impunitatemque consequebantur, si *Aras* fuissent amplexi. Cujus immunitatis institutio prima fovendæ Reip. utilissima & à civitatum conditoribus ideò introducta fuit, ne *humilioris sortis homines à potentioribus injuriam paterentur*, V. Martian. Aug. *l. 6. C. de his qui ad Eccles. confug.* Sed iis solùm hoc perfugium profuit, qui injuriam alteri non intulissent; Nam *illatâ injuriâ poterant ab ipsa ara avelli*, Callistratus JC. *l. 28. ff. de pœn.* V. Tacitum *Annal. lib.* 3. & Lipsium *Comment. in hunc librum.* Nec in Lario tantùm, aut more Romanorum, sed etiam Græcorum id receptissimum erat. Corn. Nepos hinc *in Pausania, indicem in Fanum Neptuni, quod Tænari est, confugisse, & in Ara consedisse* refert: eandemque *publicæ* pacis vocat, in *Timotheo*. Ab aris autem nemo vi poterat avelli, sed si quis magni sceleris reus eò se recepisset, vel igne admoto sponte inde discedere cogebatur, vel obstructis valvis fame enecabatur, Thom. Dempsterus *Antiqq. Rom. lib. 1. Paralipom. ad cap.* 13. Rosseus tamen *Archæol. Att. lib. 6. cap. 1.* docet, non quamvis *Aram*, templumque quodvis hoc privilegio apud Athenienses fuisse gavisum, sed sex solùm istas, *Misericordiæ viz. Minervæ, Eumenidum, Munychiæ*, & duas in Thesei templis, quorum alterum intra, mœnia, alterum foris erat; Originemq; hujus rei accessit ab Herculis posteris, qui *insidias eorum, quos Avus afflixerat, timentes, Athenis sibi primi Asylum, h. e. templum misericordiæ collocarunt, unde nullus posset abduci*, Servius *ad Æneid.* 8. Porro & juraturi *Aras* tenebant; sive ut ait Tullius *pro L. Corn. Balbo, ut mos Græcorum est, jurandi causâ ad aras accedebant*: Morituri quoque illas amplexabantur. Virgil. *Æneid. lib. 2. vers.* 155.

— — Vos Aræ, ensesque nefandi,
Quas fugi, vittæque Deûm, quas hostia gessi.

Seneca *in Hercule fur. Act. 2. sc. 3.*

Conjugia quoniam pervicax nostra abnuis,
Regemque terres, sceptra quid possint scies.
Complectere Aras, nullus eripiet Deus
Te mihi:

quibus verbis Lycus, ad Megaram, quam intersecturus erat, utitur. Quo sensu accipiendum & Plinii illud *lib. 35. cap.* 10. *Timanthi est Iphigenia, oratorum laudibus celebrata, quâ stante ad aras peritura, cùm mæstos pinxisset omnes, Patris vultum velavit*, &c. V. quoque suprà in voce *Altare*.

Ara Comitii, sub qua defossa Navii Auguris novacula, quâ cotem disciderat, non longè à sacra ficu, in memoriam tantæ rei ibi erecta est, in Comitio viz. ante Curiam, ubi etiam Navio statua togata posita erat. Plinius *lib. 34. cap.* 5. *Namque Attii Navii statua fuit ante Curiam, cujus basis conflagravit incensâ Curiâ P. Clodii funere.* Cicero eam *Puteal* vocat, quo nomine Aras, quæ foramen habebant, dici consuevisse, videbimus infrà in voce *Puteal*. Plura, hanc in rem, apud Salmasium *ad Solinum pag.* 1138. *& seqq.*

Ara Magnetica. Vitreum cœlum Archimedes fabricasse fertur, in quo omnes cœlestium corporum motiones, itinera, intervalla, proportiones tam ingeniosè aptavit, &c. Ei similem non unam, sed tres ostentat Musæi Kircheriani Ara Magnetica, quæ in medio Musæi ambulacro Auctoris ingeniosâ dispositione superbit. Harum vitrearum orbitarum media & grandior fluitantis humidi, pendulum orbis terrarum globum in centro refert, quæ ponderibus ipsa suis librata, magnetis vi, circa suum centrum 24. horarum spatia conficit, sympatheticè Angelo, qui in media aqua fixus manet, indice occurrentia sibi horarum intervalla distinguente. Secundus globus vitreus, cujus exteriorem superficiem diversis coloribus interstincti circuli seu lineæ, Solis ac Lunæ reliquorumque Planetarum vagabundorum circumvolutionem diurnam & nocturnam discriminantes referunt. Genius in medio pendulus, ad suæ motricis virtutis prædominans imperium, impiger circumit, sceptroque in circumferentia sphæræ influxum prædominantis planetæ indicat. Tertia sphæra Zodiacum & reliquas stellas refert: in cujus medio alter itidem genius magnete, uti prior, fœtus, iisdem legibus 24. Meridianorum intervallis totidem horarum spatia, & ad quodvis momentum, nostrum Horizontem influentia sydera fixa ostendit. Fulciunt harum machinarum latera columnæ, parallelepipedæ duæ, ex utroque sc. latere, quarum una ad horarum Italic. altera ad Astronomicarum cursum indies designandum inservit, tanto artificio, ut nihil supra. Sunt porrò adeo adornatæ, ut inter se contrario motu horas indicent, cùm earum unâ Solis simulacrum in levissima chartula, magnete fœta, ascendendo horas indicet, pari passu in altera columna Luna itidem levissima chartula effigiata, descendendo æquis intervallis idem prorsus præstet. Quæ duæ chartulæ moventur motu naturali, progrediunturque mox sursum, mox deorsum, nec tamen ulli rei annexæ hærent, nec rotis devehuntur, nec alio adminiculo externo fulciuntur, ita ut eas liberè abstrahere liceat & in suum locum reponere. Ex parte autem superiore ab unius columnæ coronide, ad alteram naturalis aviculæ est exuvium, artificio intrinsecus ita animatum, ut quatiendo alas, caput & caudam ad vivum movere atque ab una columna ad alteram volare & in utroque termino volatus requiescere videatur. Hæc etiam transitu suo in pulchrè adornata trabe, quæ aviculæ pedes sustinet, divisa horarum spatia indicat. Circumdat tam elegans florum ac frugum corymbus hanc epigraphen: *Mens agitat molem* &c. In aræ demum lateribus utrinque 2. sphæræ cum suis in medio indicibus instructæ cernuntur; à quorum indicum motu totius aræ partes sympathetico motu concitantur, singulaque adæquatis intervallis tum motu naturali deorsum, tum violento sursum, & in linea recta horizontali, demum verò in peripheria è Centro, secundum peripheriæ ambitum, uno eodemque actu moventur. V. figuram, in 2 *edit. Artis Magn. lucis & umbræ* (*pag.* 10. 21.)

Ara Maxima, apud Solinum *cap.* 1. *Suo quoque Numini idem Hercules instituit aram, quæ* Maxima *apud Pontifices habetur — consæptum etiam* &c. ubi alii *suo Nomini* legunt, quasi Herculis nomini hæc Ara fuisset inscripta: uti aliàs moris erat, Inscribebantur enim aræ nominibus eorum Deorum, quibus erant consecratæ, ut Servius docet *ad Æneid. lib.* 3. & Zosimus, *Βωμὸς εὑρέθη, ἐν ᾧ γέγραπται ᾅδου καὶ Περσεφόνης, Ara inventa est, in qua litera hæ, Plutonis & Proserpinæ.* Sed *Ara Maxima* nullius nomen præferebat, hoc saltem nomine proscripta, apud Victorem & Rufum. Meminit ejus quoque Ovidius *Fastorum lib.* 4.

Immolat ex illis taurum tibi Jupiter unum
Victor: & Evandrum ruricolasque vocat.
Constituitque sibi, quæ Maxima *dicitur, aram* &c.

Nempe occiso Caco & recuperatis bobus, quos ille averterat, Jovi Victori, vel, ut alii volunt, Inventori, taurum immolavit Hercules, convivioque adhibitis agrestibus cum Evandro, *Aram Maximam* sibi ipsi constituit. Eam idem in Foro Boario collocat, quod erat in VIII. Reg. Urbis; at P. Victor & Sext. Rufus constituunt illam in XI. Reg. ad Circum Maximum. Quas sententias sic conciliat Dionysius, ut dicat; non quidem in Foro Boario, sed prope illud, inter quod & Circum Max. vicus tantùm unus intercesserit, qui velis tempore ludorum intendebatur, eam fuisse &c. Qua de re V. Salmasium *ad Solinum pag* 9.

Ara

Ara Salutis, *l. in princ. Cod. de his qui ad Eccles. confug.* V. infrà *Asylum*.

de *Ara* dicendi ritus, memoratur Tertulliano *de Pallio cap. 5. Tamen propemodum mihi quoque licebit in publicum prodesse; soleo de qualibet margine* (id est, suggestu lapideo vel terreo, ad fines constituto) *vel Ara medicinas moribus dicere, &c.* Id est, de quolibet editiore loco, ut sunt *aræ*, & margines seu crepidines viarum. Qui enim in publico aliquid dicere volebant, semper ex editiore loco, quasi suggestu vel tribunali pronuntiabant, ut ab omnibus audirentur faciliùs. Unde milites alloquuturis Imperatoribus cespititia tribunalia erigebantur. Circulatores verò & scurræ, qui in triviis & quadriviis plebem congregabant, pro suggestu vel tribunali quaslibet obvias *Aras* occupare soliti erant, ut inde, quæ vellent, ad circumfusam dicerent multitudinem. Lucianus in *Alex. Abunotichite*, [illegible] Ubi inscensâ *arâ* fumorum ille venditor populum alloquitur. Sic Dio apud Philostratum, milites alloquuturus ac moniturus, *aram* in castris conscendit: Sic Cynici, qui nec vitiis, nec personis parcebant, ut [illegible] in luxum hominum clamarent, *aram* aut marginem aliquem inscendere consueverant. Apollonius quoque Thyanus, apud eundem Philostratum, eo ipso die, quo à Stephano Domitianus est interfectus, [illegible] Στέφανε, [illegible] Στέφανε, [illegible], *Conscenso lapide quodam sublimi —— & convocata turbâ, ista dixit, pulchrè Stephane, bene Stephane, percute scelestum, percussisti, vulnerasti, occidisti, &c.* *Aræ* autem in omnibus locis urbis in propatulo extructæ visebantur: quæ proin circulatoribus, mendicis, hariolis, Cynicis & aliis hujusmodi planis ac stultæ plebeculæ concionatoribus, pro tribunali præstò semper erant. Vide Salmasium *ad l. cit.*

Arabægyptii, ab Heroum oppido, ad Meridiem tendenti, in Ægypti parte habitabant. & ipsi [illegible] degentes: quos excipiebant Troglodytæ Æthiopes etiam [illegible]. Vide Salmasium *ad Solinum pag. 486.* Apud eundem varia passim habes de Arabibus *Ascitis*, *Catabanibus*, *Oreis*, *Scenitis*, &c.

Arabarches, erat Alexandriæ Magistratus, qui Judæis præerat Alexandrinis, quibusdam etiam *Alabarches* dictus. Unde in *Epigramm.*

Ἐξ Ἀλαβαρχίας [illegible].

Meminit hujus muneris Josephus *de Bello Jud. lib. 21. cap 5. Primi inter Alexandrinos Judæos, tam opibus, quàm genere, & tum* Alabarchiæ *magistratum gerentes.* Et suprà *lib. 19. cap. 4.* ubi *Ethnarcham* appellat. Vide Hadrianum Turnebum *Adversar. libr. 27. capite 25.*

Arabia, adde: *Deserta*, hodie *Arden*, Babyloniæ ad Occ. adjacet, in qua desertum *Benahali*, seu *Benasfali*, communiter *Mare arenosum* dictum. Eodem Itineraria referunt Medinam & Meccam, loca peregrinationibus Turcarum religiosis celebria. Inter naturalia ipsi propria est rosa, vulgò dicta *Hierichuntina*, quæ in arena ad littora maris hic crescit, non autem Hierichunte, licèt nomen inde ferat. *Petræa*, nunc *Herac* vel *Arach*: in illa quoque deserta *Sin*, *Zur*, *Kedar*, *Cades*. Fuere ibi olim Amalekitæ, Edomitæ, & Midianitæ. *Felix*, proventu thuris & aromatum quorundam gaudet, habetque portus non incelebres *Ziden*, *Sibit*, *Aden*: ex urbibus ejus Mediterraneis insignis est *Aimacarama* seu *Samaraca*, de qua V. le Blanc *p. 1. capp. 2. 3. 4.* Auctor Anonymus *Histor. Orbis Terr.*

Arabia, emporium vel maritimus vicus, in Arabia Felice, qui & ipse Εὐδαίμων Ἀραβία, *Felix Arabia* dictus est. Ptolemæus, Ἀραβία ἐμπόριον. Et Auctor *Peripli*, Εὐδαίμων Ἀραβία [illegible]. Vide Salmasium *ad Solinum pag. 496.*

Arabianus, apud Capitolinum *in Maximo & Balbino, quum & Dexippus & Arabianus Maximum & Balbinum dicant electos contra Maximinum, post Gordianos, &c.* corruptum est, pro *Arrianus*. Salmasius *ad l. c.*

Arabica, recentioribus dicta est pars Ægypti, ubi Troglodytæ Æthiopes, ut & regio omnis, quæ inter Arabicum Sinum, & Nilum est: qui iidem litus quoque illud vocavere *Arabicum*: Missi Theodosii *Arabiam Trogloditicam* appellant, apud Salmasium *ad Solinum pag. 485.*

Arabica gemma, apud Solinum *cap. 33. aspectu eburnea est, nodi abnuit: contra nervorum molestias prodest habentibus.* Plinio inter lapides recensetur *lib. 36. cap. 21. Arabicus lapis, ebori similis, dentifriciis accommodatur crematus.* De quo in dentifriciis ejus usu Dioscorides quoque, Ὀδόντων δ', inquit, [illegible]. Unde Appulejus *in Apolog.*

Calpurniane salve properis versibus,
Misi, ut petisti, munditias has dentium,
Nitelas oris ex Arabicis frugibus,

Dentifricium intelligit ex hoc lapide, qui crematus & in pulverem tritus, tersui dentibus comparabatur *Nobilem pulvisculum* ibidem vocat. Vide Salmasium *d. l. pag. 585.*

Arabici, Hæretici, adde: De *Arabum* circa animarum originem, mortalitatem, immortalitatem, transmigrationem, &c. erroribus consulendus Abrahamus Echellensis in *Hist. Arab. cap. 12 & seqq.*

Arabici Equi, equorum in Africa genus, item in Ægypto, Arabia & Asia tota; pernicitate præstantes, de quibus sic Marmolius *lib 1. cap 23. In tota Europa Barbari vocantur equi è Barbaria advecti: sed in Africa, Ægypto, Arabia totaque Asia, una est equorum species, quos* Arabicos *appellant, ex eorum prosapia, qui in desertis Arabiæ procreantur —— Ii sunt mirè veloces; neque majus ullum est eorum velocitatis argumentum, quàm cùm feram Lampten aut struthiocamelum assequuntur Ideo talis equus mille ducatis aureis aut centum camelis æstimatur: Sed in Barbaria tales pauci sunt. Et certè est hæc Arabum sententia, nullum esse animal, quod struthionem superet cursu:* apud Sam. Bochartum *Hierozoici Part. poster. lib. II cap. 17.*

Arabitæ, Græcè Ἀραβῖται, pop. dicti sunt, fluvii Indiæ *Arabis* accolæ. Stephanus, Ἄραβις ποταμὸς Ἰνδικῆς [illegible], [illegible] Ἀραβῖται, [illegible]. Et sic etiam præferunt vulgaræ editiones Arriani *in Indicis*: Sed Ἀρβῖται *Arbitæ*, & Ἄρβιες; item Ἄρβις, *Arbis*, esse legendum, monet Salmasius, Occurrunt autem *Arbies* primi, ab Indo versùs Occid. navigantibus, post quos Oritæ; quos Arbi fluvio ab Indis dividi, ait Plinius. Ipsi verò his versibus memorantur Dionysio, qui Ἀρβιας eos metri gratiâ vocat:

Ἤτοι μὲν [illegible] ἐπὶ κλίσιν ἠελίοιο
Ὠρείτας τ' Ἀρβιας τε [illegible] Ἀραχώτας.
Certè quidem occidentis ad inclinationem Solis,
Orisasque & Arbias, lineisque indutos Arachotas.

Fluvii verò mentio apud Apollodorum,

[illegible] Ὠρεῖταί τε καὶ Γεδρωσίοι
Οὐκ [illegible] Ἰνδοὺς [illegible]
Ἄρβιος.
Postea autem Orisasque & Gedrosios
Non agnoscimus Indos, quippe habitantes ultra
Arbim

Etiam Ἄρβις urbs in eadem gente, apud Ptolemæum: Ἀρβιτῶν κῶμαι, *Arbitarum vici*, apud Marcianum Heracl. in *Periplo* Gedrosiæ. & Ἀρβῖται ὄρη, *Arbitæ Montes*, quod provinciæ illi nomen. Vide Salmasium *ad Solinum pag. 1176. & 1177.* ut & in voce *Arabius*.

Aracca, vel *Arecca*, urbs Susianæ, sed in confinio Susianæ & Babyloniæ; unde *Areccæi campi* Tibullo, in quibus naphthæ, h. e. liquidi bituminis fontes scaturiebant:

Ardet Areccæis aut unda perhospita campis.

Vide Strabonem de liquido bitumine, *lib. 15.* & alia quædam de hac voce, in *Arach.*

Arachne, adde: Nomen ei ab Hebr. ארג, *arag*, quod de *aranea* dicitur, Esajæ *cap. 59. vers. 5.* & *texere* significat. Bochartus *Hierozoic. Part. poster lib. 4. cap. 23.*

Arachosia, adde: Hodie *Mecran* Hornio, ubi urbes *Cuni*, *Musarna*, *Arbis*. Vide eum in *Orbe Polit. p. 478.*

Arachova, Vide infrà *Cyparissus*.

Aracia Insula, dicta Ἀλεξάνδρου, *Alexandri*, quòd ad eam adpulissent naves Alexandri Magni, memoratur Ptolomæo, inter insulas Persidi objacentes, de qua vide Salmasium *ad Solinum pag. 1140.*

Aractene, Græcè Ἀρακτηνή, pro Ἀρσακηνή, *Arsacene*, apud Strabonem: Vide *Arsacene*.

Aradio, viri fortissimi in Africa nomen, cum quo Probus Imperator singulari certamine pugnavit. Flavius Vopiscus *in Probo*. *Pugnavit & singulari certamine contra quendam* Aradionem *in Africa, eundemque prostravit: & quia fortissimum ac pertinacissimum virum viderat, sepulchro ingenti honoravit, quod adhuc extat tumulo usque ad ducentos pedes terræ lato* (Salmasius legit *alto*) *per milites, quos otiosos esse nunquam est passus.*

Aræ, in Circo utrinque tres olim fuere: Et quidem in superiori ejus parte, [illegible], *supra obeliscum*, ut habet Joannes Lydus, ad Euripum, *Saturni*, *Jovis ac Martis*; infrà, ad eundem Euripum, versùs carceres, *Veneris*, *Mercurii & Lunæ*: Præter quas obeliscus vel Pyramis, quæ in medio, ara erat Soli dicata. Hinc septem spatia conficiebant circa illas septem aras quadrigæ, [illegible], *quòd septem essent Planetarum poli*, ut ait Idem. Fuerunt autem *aræ* illæ trinæ, infrà & suprà collocatæ, metæ, cum triplici apice vel summitate: Nam, ut ait Cassiodorus, ternas summitates singulæ metæ sustinebant; quas [illegible] Græci, item *βωμοὺς* vocabant. Euripum verò dixit infima Imperii ætas crepidinem illam, seu suggestum aut aggerem, qui ab una harum metarum ad alteram pertingebat [illegible], &c. Quam in rem vide Salmasium *ad Solinum*, & hic passim.

Aragonia, adde: Concessere circa A. C. 1470. regna complura, Legionense, Castellanum, Navarræ, in unius Ferdinandi Catholici *Aragoniæ* R. potestatem, qui sic tertiæ Regum Hisp. periodo, *Castellanæ* sc. initium præbuit. Licèt enim *Aragonius* esset Ferdinandus, tamen quia Castella potior erat, ab hac unitis iis Regnis appella-

 tio

tio hæsit. Idem residuum Maurorum in Granata regnum expugnavit. Desiit in Aragonia æra Hispanica A. C. 1358. *Hist. Orb. Terr.* De Aragonum Justitia, Vide in voce *Justitia*.

Aramava, Græcè Ἀραμαύα, urbs Arabiæ, Ptolem.

Arana, Græcè Ἄρανα, inter Indiæ oppida, eid. V. Salmasium *ad Solinum p.* 1005.

Aranea, Hebr. עכביש, *acchabis*, inverso nomine ex שבך, *sabach*, quod *implexum esse* sonat; unde rete Arabibus *sabecha*, & Hispanis *Xabega*. Gr. ἀράχνη, ab Hebr. ארג, *arag*, id est, *texere*. Earum telæ *Horoscopa* eleganter dicuntur Tertulliano *de Pallio*, quòd similes sint sciothericis organis, quibus horæ ostenduntur: nam illa variis in orbem distincta lineis à centro, in quo gnomon, ad circumferentiam ductis araneorum casses planè referunt, Vide ibi Salmasium. Ob fragilitatem verò, cum impiorum molimlnibus conferuntur, Esajæ *cap.* 59. *vers.* 5. 6. quod ad Hæreticos referunt nonnulli Patrum: ad Astrologos alii, ut ad Sophistas Aristo Chius, apud Laertium *lib.* 7. Certè, cùm, quâ horâ Monothelitarum Hæresin Constantinopoli damnaret sexta Synodus Oecumenica A. C. 681. telæ *aranearum* nigerrimæ magnâ copiâ in populum decidissent, id ita acceptum est, quasi Deus tam insolitâ pluviâ significatum voluisset, hæresium sordes ex Ecclesia esse ejectas. V. Anastasium, Reginonem Abbatem, alios. An Davide in spelunca latente, 1. Sam. *cap.* 24. *versu* 4. aditum telâ obsepiens *Aranea*, Sauli eum persequenti suspicionem demserit, ullum mortalium eò latebrarum causâ ingressum esse, ut voluit Chaldæus Interpres; quod idem de Felice Nolano, Presbytero Christiano, Paulinus, Ado & Beda in ejus *Vita* adnotarunt? meritò dubitat Bochartus, quem de *Araneis* fusè agentem vide, *Hierozoici Part. poster. lib.* IV. *cap.* 21. Ridiculum id, quod de Heliogabalo Lampridius refert, ita illum cum servis jocari consuevisse, *ut eos juberet millena pondo sibi aranearum deferre proposito præmio, collegisseque ita decem millia pondo aranearum, ac dixisse, & hinc intelligendum, quàm magna esset Roma*, &c. Apud Caribes, in novo Orbe, *Aranei* dentibus sunt longis & acutis cruribus exiguis, tanti interea corporis, ut dimidium malum citreum adæquent: Telam ii texunt filis adeò firmis, ut iis passeres etiam aliæque volucres irretiantur, fœminisque calanticæ inde parentur, quæ cùm abluuntur, albæ fiunt, Euseb. Nierenbergius, ex Hispanorum Commentariis, *Histor. Natur. lib.* 11. *cap.* 26. Ob similitudinem cum *Aranea*, Dioscorides membranulas tenues, quibus calami aromatici fistula, sicut reliquæ arundines, consepta est, ἀράχνια vocat; præstantissimumque calamum hoc indicio deprehendi ait, si in multas assulas frangatur fistulamque habeat membranulis istiusmodi ἀραχνοειδέσι refertam, apud Salmasium *ad Solinum pag.* 1059. V. quoque in voce *Arachne*.

Aranscarti, in *L. Baivvar. tit.* 12. *cap.* 8. maleficium sortilegorum est, quo aristas seu spicas inanes ac vacuas reddunt, Car. du Fresne *Glossar.*

Arantia, adde: Huc primùm aurea mala ab Hercule, quum ab Hesperidibus rediret, illata, hincque *Arantia*, postmodum *Aurantia*, appellata esse, sunt qui delirent. At nomen *Aurantiorum malorum* vel *Arantiorum*, sub extremis Latinitatis demum temporibus auditum est, quibus nulla jam *Arantia* urbs, nec Phlius fuit. Imò *Arantia* poma corruptè, pro *Auraniiis*, ab *aureo* colore potiùs sic dictis; quæ eadem esse cum aureis Hesperidum malis, dicemus *infrà*.

Arapennis, seu *Arpennis*, idem quod *Arpentum*, Columellæ *libro* 5. *capite* 1. Gallica vox est, mensuramque notat, quâ finitores & agrimensores agros metiuntur, quamque cum *jugero* vel *jornali* Galli vulgò confundunt. Ab *arando*, Isidoro *Origin. lib.* 15. *cap.* 1. Josepho Scaligero ac Salmasio *ad Solinum*, quasi *arvipendis*, quia *arripendio*, id est, funiculo, agros olim metiebantur. *Gloss.* Lat. Græc. *Arvipendium*, σχοῖνος γεωμετρικὸς, *funiculus Geometricus*. Nec obstat, inquit Salmasius, quòd verbum *pendere*, de ponderibus tantùm accipiatur, cùm & certum agri modum *libram* dixerint etiam Veteres, ut Auctor est Hyginus. Vide Carolum du Fresne *Glossar.* ubi diversam *Arapennis* rationem, in variis Galliæ provinciis, pluribus exponit, & infrà in *Arripendium*.

Araphen, adde: Hinc nobili vico nomen, qui dictus *Ala Araphenides*. Vide suprà, & plura apud Jac. Sponium *Itinerar. Græc. Part.* 3.

Arar, adde: Etiam *Sauconnam* dixere fluvium hunc Galli, non multo ante ætatem Ammiani Marcellini; Unde *Sagonna*, *Sagona*, *Saona*, & tandem Gallicum hodiernum *la Saone* factum est. Oritur nobilissimum hoc flumen in monte saltuque Vosago, apud Lotharienses Meridianos, *la Vosge*, alluitque Bonamvillam *Bonville*, Attiniacum *Attigny*, Monasteriolum *Monsterceul*, ad Tria Balnea *Trois Bains*, Castellionem *Chastelion*, Pontem ad Ararim *Pons sur Saone*, Gradicum Castrum *Grey*, Pontem Arlicorum vel Arlejum *Pont Arly*, paulo infra Vincennæ vel Vingennæ *la Vigene* & Araris confluentes. Tum fluviolus Vernelæ *la Verolle*, Selongiam castellum, Miribellium & S. Leodigarii vicum prætérlapsus, Arari accedit; qui postquam Auxonam alluit, Tilâ augetur, Mox Belsus, deinde & Oscara *Ouscho* labitur, & per Colcas *Couches*, Divionem castrum Lingonum, castellum Robur *Rouvre*, & Longam Curtem *Longue-court*, in Ararim influit, contra Latonam *S. Jean de Losne*. Arar dein Surregium attingit *Seure*, Pauliacum *Pouly* & apud Virdunum Dubim amnem celebrem ac illustrem, *le Don*, è monte Jura Sequanisque venientem, recipit: mox irrigat Cabillonum Æduorum & Graunæ vel Graonæ fluviolo nomen aquasque aufert, qui *la Grone* vulgò dictus, Cluniacum *Cluny*, Branciduum *Brancion* ac Finnitatem *la Ferté* præterfluit. Sequuntur ad Ararim Tinurcium vel Trenorcium *Tournus*, Balgiacum *Bangey*, Salix *la Saule*. Matisco Æduorum, Cavinio *Chavignon*, Monsmerulæ *Montmerle*, Trebula vel Triviolum *Trevol*, Vimiacum *Vimy*, Rupesciffa *Roche-taillée*, insula Barbara *l'Isle Barbe*, veteri Cœnobio nobilis, Lugdunum Segusianorum *Lyon*, infra quam urbem apud Atanacum *Alnay* Rhodano miscetur, multis ex utraque ripa amnibus acceptis vix ipso minor. Fluit sic inter provinciam Lugdunensem primam ac Maximam Sequanorum, hosque à Lingonibus & Æduis provinciæ Lugdunensis primæ populis dividit, postquam procul à finibus Germaniæ primæ è Vogeso vel Vosago ortus est. Quare mirandum, quòd *inter Germaniam primam eum fluere*, dicat Ammianus. Fortè decepit eum Virgilius, pastorem de industria ignarum situs fluviorum & *Ararim* in Germania ponentem, introducens *in versu*,

Aut Ararim Parthus bibet aut Germania Tigrim.

V. Hadr. Valesium *Not. Gall.*

Ararat, adde: Mons hic Persis *Agri*, Arabibus *Subalalem* dicitur, testanturque Armeni communiter, arcæ reliquias ibi etiamnum videri in lapideam fere duritiem conversas; imò Scammachiæ, in templo Armenio, crucem spadiceam ex hisce reliquiis confectam ostendunt. Sed hodie terræmotibus fere inaccessus redditus est, Vide Olearium *Part.* 1. *pag.* 190.

Aratio, apud Græcos Romanosque communiter terna. Et quidem, quæ primò *arabatur* terra, *proscindi* dicebatur Latinis, νεᾶν ac ναζειν Græcis: præteratque huic arationi Vervactor, qui proin à Flamine Cereali cùm sacrum Cereri ac Telluri faciebat, inter divos agricolas primo loco invocari solebat. *Vervactum* enim terra est, primò arata, quasi *vere actum*. Cùm secundò *arabant*, vocabant id *redarare*, unde *Redarator* invocatus; item *Iterare*, proprie *ostringere*, Lat. διπολεῖν Græcè: unde δίπολος γῆ talis terra. Tertiò cùm *arabant*, jacto semine, boves *lirare* dicebantur; tunc enim tabellis additis ad vomerem, simul & satum frumentum operiebant in porcis & sulcabant fossas, quò pluvia aqua delaberetur: quæ terra τρίπολος γῆ Græcis appellata. Atque huic arationi *Imporcitor* Deus præfectus erat; post quem Sator sequebatur: semina quippe jaciebant post tertiam arationem. V. de triplici hac aratione facundè ac suaviter canentem Virgilium *Georgicorum lib.* 1. Ubi inter alia,

Vere novo gelidus canis cùm montibus humor
Liquitur, & Zephyro putris se gleba resolvit,
Depresso incipiat jam tum mihi taurus aratro
Ingemere, &c.

Sed & quarta *aratio* nonnunquam adhibita, cùm viz. hyeme arare incipiebant, & proscindebant terram, quam *νέασιν* hybernam Theophrastus vocat. Ejus idem Poëta meminit *allecto loco*:

Illa seges demum votis respondet avari
Agricolæ, bis quæ Solem, bis frigora sensit,
Illius immensæ ruperunt horrea messes.

Dicere vult, illam felicissimè proventuram segetem, quæ *quater* fuerit *arata*, talis enim bis solem, bis frigora sentire dici potest. Qua de re plura habet Salmasius *ad Solinum pag.* 724. *& seqq. ubi totam hanc veteris Rusticationis rationem accuratè exponit.* Vide & hic infrà, ubi de inventore hujus Artis, aliisque quibusdam huc pertinentibus.

Aratro asinum simul bovemque jungere, vetitum Deuteronom. *cap.* 22. *vers.* 10. Nempe etiam asinos *arasse*, constat ex Esajæ *cap.* 30. *versu* 24. & *cap.* 32. *versu* 20. Hinc Josephus *contra Apionem lib.* 2. *Sunt apud nos asini — operibus & ad agriculturam rebus necessariis ministrantes.* Sed & Romani Scriptores *aratores* asinos nobis describunt, Varro *de R. R. libr.* 2. *cap.* 6. Plinius *libr.* 8. *cap.* 43. & *libr.* 17. *cap.* 5. Columella *libr.* 8 *cap.* 1. Apulejus *Apolog.* 1. Alii: è quibus Plinius *cap.* 43. *cit.* Asinum CCCC. nummum emtum Q. Axio Senatori, *opera geruli mirificâ*, *arando quoque* ex Varrone refert. Sed non id asino, quod bovi, robur. Quò respiciens Euclio in *Aulularia* Plauti, *actu* 2. *scen.* 2. ait:

Venit hoc mihi in mentem, Megadore, te esse hominem divitem,
Factiosum, me item esse hominum pauperum pauperrimum:
Nunc si filiam locassem meam tibi, in mentem venit,
Te bovem esse & me esse asellum, ubi tecum conjunctus siem,
Ubi onus nequeam ferre pariter, jaceam ego asinus in luto, &c.

Idem de equo & asino: quò hæc Secundi pertineat *Antholog. lib.* 1. *cap.* 33.

Τίς τὸν ὄνον ἐν ζυγῷ ... ἅμ' ἀρότρῳ ...
Τοῖσιν ἀλωαῖοις ἐξήλασε ἀέθλιον;
Qui, ubi flaventes dives terit area culmos,
Jungitur alipedi ...

Unde

Unde Ulysses, ut crederetur insanus, equum cum asino junxit ad aratrum, apud Hyginum *Fab.* 95. Nicephorum Babylacem *Hist.* 4. Tzetzem *in Lycophron* aliosque Mythologos, &c. Hinc Asinorum, nisi *ubi terra levis*, ut Varro loquitur, nullus usus: Bos propriè *aratro* natus. Hunc verò primùm aratro junxisse Græci nonnulli Cererem volunt: Orpheus,

> *Ἡ πρώτη ζεύξασα βοῶν ἀροτῆρα τένοντα,*
> *Quæ prima junxit boum aratricem cervicem.*

Alii ad Triptolemum, tanquam ab ea edoctum, id referunt, Hyginus *Fab.* 277. nec alius apud Poëtam,

> *—— unciq́ue puer monstrator aratri.*

Quidam ad Buzygem heroëm Atheniensem, Plin. *lib.* 7. *cap.* 56. Nec desunt, qui Minervæ tribuant, quæ *Bongæia* propterea à Bœotis dicta fuerit, apud Phavorinum. Ab aliis creditur Bacchus primus esse hujus artis auctor, Diodorus *lib.* 3. qui ideo cornua ei à Pictoribus ac Poëtis affingi addit. Vide quoque Arrianum in *Indic.* Neque ab eo diversus Osiris, cui idem inventum tribui, tam ex Plutarcho, quam ex Diodoro, constat. In Æschyli *Prometheo vincto*, hoc idem Prometheus ita sibi vindicat,

> *Κἄζευξα πρῶτος ἐν ζυγοῖσι κνώδαλα*
> *Ζεύγλαισι δουλεύοντα σώμασιν θ', ὅπως,*
> *Θνητοῖς, μεγίστων διάδοχοι μοχθημάτων*
> *Γένοιτ' ——*
> *Et jumenta primus jugo subjeci,*
> *Quæ collis jugo insertis & corporibus serviunt, ut*
> *Homines à maximis laboribus sublevent.*

In Hispania, vetustissimus Tartessiorum Rex Abides, boves primò *aratro* domari frumentaque sulco serere, docuit, ut Trogus est auctor *libro* 44. Quò pertinere videtur, *Abidis* nomen aut cognomen potiùs, illi Regi inditum, à Phœnicibus Tartessi jam olim incolis; quia Phœnicio sermone עבד, *abad*, est *terram colere* & עובד *agricolam*, notat, &c. Quam de *aratri* origine litem Servius optimè decidit, ex cujus sententia: *Non unus aratrum in toto orbe monstravit, sed diversi in diversis locis.* Nec est, quòd Græci hoc inventum Cereri aut Triptolemo attribuant, cùm utroque antiquior Moses de agricultura leges tulerit: ut cùm arare vetat primogenito bovis, Deuteron. *cap* 15. *vers.* 19. & bovem ad aratrum cum asino jungere, prohibet loco suprà cit. Et ad cædis expiationem, juvencam decollari jubet, quæ nondum araverit, Deuteronom. *cap.* 21. *vers.* 3. Quid? Quod diu ante Mosen Jobo fuere primò quingenta, deinde mille juga boum, & agricolatio multa, Jobi *cap.* 1. *vers.* 3. & *cap. ult. vers.* 12. Proinde agriculturæ nullus alius auctor agnoscendus, quàm summus Deus, à quo hoc inventum exisse disertè tradit Esajas in *fin. cap.* 28. Prima is artis rudimenta Caino cùm inspirasset, eodem auctore posteriores colophonem addiderunt, boum usi ministerio, quos homini subjecerat, Psalm. 8. *vers.* 7, 8. &c. V. Sam. Bochartum *Hierozoici lib.* 2. *cap.* 32. *part. poster.*

Aratus, nomen unius ex Poematibus, quæ Gordianum Imperatorem, adhuc adolescentem, scripsisse tradit Julius Capitolinus in *Gordianis*.

Araura, sive *Cessero*, locus Galliæ, in agro Agathensi, ad Araurim fluv. (unde ei prius nomen) inter Forum-Domitii & Beterras, Tiberii Martyris, qui cum Modesto & Florentia, Diocletiani ac Maximiniani Principatu cæsus est, (unde nomen posterius) Monasterio insignis. A quo locus quoque dicitur hodieque S. Tiberii, vulgò *S. Uberi*, corruptè pro *S. Tuberi* aut *S. Tiberi*, Hadr. Valesius *Not. Gall. passim.*

Arauraris, adde: Vide quoque *Araurīs*.

Araurīs, recentioribus *Eravus*, vulgò *Erhau*, aliàs *Airau*, notissimus est Galliæ Narbonensis fluvius, qui Ptolomæo *Ἀραυρίς*, Straboni & Mellæ *Arauraris* mendosè, pro *Arauris*, dicitur, *ex Cebennis demissus, juxta Agatham fluit*: *Cyrta* quoque Græco nomine, à flexuosis recursibus, quasi incurvus, à Massiliensibus, qui Agatham condidere, dictus. Oritur in finibus Gabalorum, ut ajunt, & alluit Montanacum *Montignac*, Castellum novum, Arauram sive Ceseronem; inde per Florentiacum *Florensac* & Agatham decurrit in mare, recepto præ cæteris fluvio Larga *Lierge* vel *Lergue*, qui Lutevam alluens, ad Cannetum, Araurim auget. Vide Hadr. Valesium *Not. Gall.*

Arausio, adde: Dicitur *Secundanorum Arausio*, à militibus veteranis secundæ legionis, (quemadmodum Arelatum Sextanorum, Biterræ Septumanorum) quorum fuit Colonia & urbium Galliæ opulentissimis à Mella adnumeratur. In nummo Neronis vocatur COL. ARAUSIO SECUNDANOR. COH. XXXIII. VOLUNT. hoc est, *Colonia Arausio secundanorum cohortis* 33. *voluntariorum.* Ponitur inter prov. Viennensis civitates 14. nono, in *vett. Notis.* in Arelatensi provincia tertio loco, apud Robertum in *Chron.* Episcopusque *Arausicensis* tertius numeratur, inter Episcopos Arelatensi Burgundiæ Archiepisc. suffragantes, apud Gervasium Tisleberiensem. Gallis *Orange*, incolis *Aurange*, Belgis *Oranien*, Caput olim Cavarum, hodie pagi *Arausicani* vel *Arausici*. Ex ejus Episcopis Concilio Aurelianensi I. Faustinus (qui Presbyter potiùs fuit) Concilio Aquilejensi, Gratiani Principatu, Constantius: Epaonensi Florentius, aliis alii interfuere. Vide Hadr. Valef. *Not. Gall.*

Araxates, apud Ammianum fluv. Sogdianæ, fortè Ὀρξάντης est, quem Arrianus *Tanaim* appellatum à Macedonibus narrat, auctore Aristobulo. V. Salmasium *ad Solinum pag.* 791. & infra *Tanais.*

Arbergum, V. *Arolæ Mons.*

Arbor, inter Numina Idololatrarum Cujusmodi cultum antiquissimum fuisse, arguit Judaica superstitio, à Cananæis vett. hausta & ad gentes postmodum aliàs illata. Hinc Hoseæ *cap* 4. *vers.* 13. *Super capita montium sacrificabant & super colles, accendebant thymiama, subtus quercum & populum & terebinthum, quia magna erat umbra ejus.* Et de quercu pariter Ezechiel, *cap.* 6. *versu* 13. *Cùm fuerint interfecti vestri, in medio Idolorum vestrorum, in circuitu ararum vestrarum, in omni colle excelso — subtus omne lignum nemorosum & subtus universam quercum frondosam, locum ubi accenderunt thura redolentia universis idolis suis.* Initia tamen hujus rei sancta fuerunt, Angelo enim Domini, seu potiùs ipsi Domino, offert sacrum sub *quercu* Gedeon, Judicum *cap.* 6. *vers.* 19. Et Geneseos *cap.* 21. *versu* 33. *Abraham plantabat* arbores *& prædicabat ibi.* Postmodum verò usus abusu contaminatus est, uti vidimus, & insuper apud Jeremiam legere est *cap* 17. *versu* 2. Lege hinc divinâ vetitæ sunt *arbores plantari juxta Altaria*, Deuteron. *cap.* 16 *sub fin.* *Non plantabis lucum & omnem* arborem *juxta altare Domini Dei tui.* Contra quam tamen Judæi adeò turpiter insanierunt, ut etiam eversâ Rep. furorem hunc furere non desierint. Ita Juvenalis capiendus *Sat.* 6. *versu* 542

> *Arcanam Judæa tremens mendicat in aurem,*
> *Interpres legum Solymarum, & magna Sacerdos*
> Arboris, *ac summi fida internuncia cæli.*

Quem locum parùm eruditè vetus aliique Interpretes acceperunt. Tot enim Judaica in eo sunt mysteria, quot fere verba, &c. Sed & Numina culta dedicatis *Arboribus*, quibus suspensa ornamenta omnium rerum, quæ grata cuique credebat superstitio, notum. Sic Cereri sacra erat *Laurus*, uti habet Claudianus *de Raptu Proserp. lib.* 3.

> *—— luco dilectior omni*
> *Laurus, virgineos olim quæ fronde pudicâ*
> *Umbrabat thalamos*

Eidem *Quercus*, ornata vittis, tabellis, sertis, apud Ovidium, *libro* 8.

> *—— Lucos ferro temerare vetustos*
> *Stabat in his ingens animoso robore quercus*
> *Una nemus: Vittæ mediam, memoresque tabellæ,*
> *Sertaq́ue cingebant voti monumenta potentis.*

Ut alia omittam. Vide Casparum Barthium *ad Statium* 1. & 9. *lib.* & hic passim, inprimis in voce *Lucus*, nec non *Sacrivæ Arbores.*

Arbor Finalis, apud Siculum Flaccum *de Condition. agror.* alibique, inter agrorum terminos recensetur, unde ei nomen: *Terminales* has arbores vocat Imperat. in §. 6. *Instit. de Offic. Jud.* quæ quòd incisuris aut notis in trunci cortice incisis notabantur, hinc *Notatæ* quoque dictæ sunt eidem Flacco; & *Incisæ*, in *Tabulario* Vindocin. *Ch.* 470, Anno Chr. 1091. Notas autem hujusmodi seu incisuras *Decurias* vocat Papinianus *tit.* 19. *lib. Resp.* quòd in decussem effictæ essent, ut & *L.* Bajuvar. *tit* 11. *cap.* 3. §. 2. *L.* Wisigoth. *lib.* 8. *tit.* 6. §. 1 *lib.* 1. *tit.* 3. §. 3. *Theclaturas*, *L.* Longob. *lib.* 1. *tit.* 26. §. 1. *Charta* Desiderii R. in Bullario Casin. *Tom. II. pag.* 14. *Et deinde per ipsa via percurrentes per arbores teclatas habentes literas Omega, &c.* Vide infrà, in voce *Teclatura.* Interdum notarum loco, clavi in arborum truncis figebantur, unde illæ *Clavatæ* dictæ, apud Gromaticum Arcerianum. An eædem *Signatæ* appellentur, in *L.* Salica *tit.* 29. §. 29. Vide apud du Fresne *Glossar* & hic infrà.

Arbor Metallorum, in Musæo Kircheriano. Ludit mirificè ars in rerum natura, conterit & ad minima redigit quævis metalla, quæ mirâ fermentatione fœta, ac vitreo vasi inclusa paulatim fermentationis incrementum percipiunt, atque in gratam arborem se hinc inde in vitreo vase dilatantem excrescentemque extendunt. Talis *arbor argentea*, in Musæo illo. Vide Georg. de Sepibus in *Collegii Rom. S. J. Musæo, pag.* 46.

Arbores Frugiferæ, in hostico non succidendæ, ex Lege, Deuteronom. *cap.* 20. velut oliva, palma, pomum. Fructus licitè comedebatur; *arbore*, ut in humanos usus fructum postea itidem ferret, servanda. At si arbor omnino sterilis esset, aut si fructum ferret plerunque nocivum aut inutilem, aut adeò intempestivum seu inopem, ut culturæ labores neutiquam compensaret, aut arboribus vicinis, agrove, in quò sata est, esset detrimento, aut pretio eximio venundari posset ejus materies, ex Majorum dictæ Legis interpretatione, etiam in qualescunque usus bellicos excidere seu radicibus evellere licuit. Neque verò militi solùm, in obsidione occupato, id prohibitum, sed simile interdictum civibus etiam cæteris, ex Majorum interpretatione, inculcatum: adeò ut nemini in toto Regno Israëlitico impunè liceret *arborem frugiferam* cædere, דרך השחתה, *ita ut inde corrumperetur* aut *periret.* Idem interdictum ad eos quoq; extensum, qui, aquas inhibendo, arbores frugiferas arefacerent aliove modo infœcundas ultro redderent. Atque ex notissimo hoc apud Ebræos, in ipsis Juris sui capitibus, arborum discrimine, ortum fortè est, quod in Evangelio, de hujusmodi

arboribus atque eorum fructu, eisque quæ bonum non ferrent, succidendis, veluti parœmia cuivis obvia, toties occurrit, &c. Vide Joh. Seldenum *de Jure Natur. & Gent. juxta Disciplin. Ebræor. lib. VI. cap.* 15.

Arbores Fulguritæ, dictæ sunt fulmine percussæ. *Fulguris* enim nomine medium Latinitatis ævum fulmen indigitavit, imò & antiquior ætas:

—— *qui publica fulgura condis.*

In ceremonia inprimis condendorum fulgurum, *Fulgura*, magis dici solita, quàm fulmina, Plinius *lib.*16. *cap.*17. tradit. Non autem condebantur, nisi arâ extructâ, & sacro facto, ut infrà dicemus.

Arbores Infelices, quarum mentio in vet. illa horrendi carminis Lege, *caput obnubito, infelici arbore suspendito*, &c. habitæ sunt olim omnes, quæ fructum nigrum aut nigram baccam ferunt. Tarquitius Priscus *in ostentario Arborario*: *Ficum atrum, quæque baccam nigram nigrosque fructus ferunt, itemque aquifolium, pyrum sylvaticum, ruscum, rubum*, &c. Item quæ spinis infesta gerunt folia vel ramos; quemadmodum pyrum sylvaticum idem inter eas memorat, qui totus spinulentis fastigiis est armatus: uti docet Salmasius *ad Solinum p.*515. & 962. qui iisdem portenta & prodigia comburi consuevisse, ait *pag* 270.

Arbores Sacrivi, Vide infrà in *Sacrivi.*

Arbores Terminales, sicut hodieque apud Persas, ita olim agros, velut & lapides, terminabant, frequentiùs tamen lapis Terminus erat. Reperiuntur *Arbores Terminales* apud Paulum JC. & indiscretè *Arbores lapidesve Terminales* dixere JCti *legg.*1.3. *ff. de Term. moto*, Hinc Ovidius, *tertio libro Fast.*

Termine, sive lapis, sive es defossus in agro
Stipes, ab antiquis tu quoque Numen habes.

Et ex ejus imitatione Tibullus *lib.*1. *Eleg.*1.

Nam veneror, seu stipes habet desertus in agris,
Seu vetus in trivio florida serta lapis.

Arboris, in Candelabris majoribus Ædium sacrarum, in Eccles. Lat. imago. Bernardus *de Vita & moribus Religios. cap.*11. *Cernimus & pro candelabris Arbores quasdam erectas, multo æris pondere, miro artificis opere fabricatas, nec magis coruscantes superpositis lucernis quàm gemmis.* Nempe candelabra istiusmodi, multis instructa luminibus, è terra surgunt, arborum instar, unde & *Arbores* dicuntur. Paulus Silentiarius de candelabris istiusmodi,

Κῶνα γὰ ἢ κώνοισιν ὀρειτρεφέεσσιν ὁμοῖα
Δένδρεά ἐστι καλεῖν.
Illa enim aut pinubus in montibus nutritis similia,
Arbores quis vocet.

Et *versu* 473.

Καί τις ἀνὴρ στέφανον χορεψαίης τε δενδρέων,
Δένδρεα φηγήεντα, λαμπάδα θυμὸν ἰαίνει.
Et aliquis vir coronæ choreæque spectans
Arbores *fulgentes, tristem animum permulcet*, &c.

apud du Fresne *Glossar.*

Arboris in Duello, usus memoratur in *Speculo* Saxon. *lib.* 1. *artic* 56. §. 6. & Wichbild Magdeburg. ubi duelli formam describunt: *Cuilibet eorum* (duello contendentium) *Judex unum, qui* arborem *sub Phalagam ejus ferat, ordinabit, qui ferentes nemini eorum ullatenus impedient. Sed si eorum quis ceciderit, vel fuerit vulneratus, arborem petierit, & judex hoc licentiaverit*, arborem *interponant: postquam circulo pax est nuntiata.*

Arborum Ordines recti, *viæ* dictæ. Virgilius, *Georgicorum libro* 2.

Omnia sint paribus numeris dimensa viarum.

Et suprà,

—— —— *Omnis in unguem*
Arboribus positis secto via limine quadret.

Xenophonti, ὀρθοὶ ἦσαν τὰ δένδρα κὴ ταῖς δέοντα: Ciceroni illum locum vertenti, *Directi in quincunncem ordines.* Quid autem *quincunx* sit, infrà vide. Eodem omnino modo in delineatione ac descriptione urbium condendarum, quæ in solo areæ formabatur, sectio viarum & directio præcipuè spectata, quam Græci *ῥυμοτομίαν* dixere; ut viz. omnia rectis ordinibus dimensa essent. Quâ parte cùm laboraret Athenarum urbs, inde κακῶς ἐῤῥυμοτομημένη dicta est Dicæarcho. Salmasius *ad Solinum pag.* 821. Vide infrà in voce *Ruga.*

Arbosium, locus Burgundiæ Comitatensis, vino suo nobilis. Vulgò *Arbois.*

Arca, urbs Syriæ Cœles, adde: Eiusdem meminit Plinius *lib.*7. de Urbibus Syriæ Decapolitanæ. *Intercursant cinguntque has urbes tetrarchiæ, regionum instar singulæ & in regna contribuuntur, Trachonitis, Paneas, in qua Cæsarea* —— *Abila*, Arca, *Ampeloessa, Gabe.* Ubi *Arcam*, ut & reliquas urbes, regionum instar fuisse singulas & in Regna, sub *Tetrarchiarum* nomine, contributas notat. E quibus Ptolemæus *Arcam* & Cæsaream Phœniciæ tribuit, uti observat Salmasius *ad Solinum pag.*576.

Arca, apud Romanos, Dispensatori, ut ex ea erogaret, credita est. Juvenalis *Sat.*1. *versu* 89.

—— *Neque enim loculis comitantibus itur*
Ad casum tabulæ, posita sed luditur Arcâ,
Prælia quanta illic Dispensatore videbis
Armigero?

Imò adeò indiscreta *Arca* ac Dispensatoris ratio fuit, ut Fabius major *Declam.* 345. conjunctim retulerit: *Ad summum*, inquiens, *in Rep. nostra honorem, non animus, non virtus, non manus mittit, sed* Arca *& Dispensator.* Ideoque Dispensator *Arcarius* & vice versâ *Arcarius* Dispensator appellatus est, Turneb. *libro* 28. *capite* 5. Meminit *Arcarii* Scævola *leg.* 41. *ff. de fideicomm.* & Chrysologus *Serm.* 23. Erastus autem ille, quem *Arcarium Corinthi* vocat Interpres D. Pauli ad Roman. *capite* 16. *versu* 23. Græcè Οἰκονόμος est: ad cujus analogiam *Arcarius*, qui Romano olim Pontifici divina mysteria celebranti aderat, præerat tributis: ut & *Arcarius Præfectorum* Cassiodoro *libro* 1. *Ep.* 10. qui & *Arcæ arbiter.* Cœterùm concinnè admodum Juvenalis loculos *Arcæ* opposuit: hæc enim, sive ærata, Juvenal. *Sat.* 14. *versu* 259. sive ferrata, *Sat.* 11. *versu* 26. stataria fuit, loculi verò mobiles ac gestatorii, quos videtur tractasse quispiam è grege ministrorum, Vide Pignorium de *Servis.*

Arca, custodiæ genus, apud Romanos, clausæ & angustæ, in qua detineri solebant, qui ulteriori examini erant destinati. Cicero *pro Milone*, *Subitò abrepti in quæstionem, tamen separantur à cæteris & in Arcas conjiciuntur, ne quis cum his colloqui possit.*

Arca Cæsarea, Vide in voce *Arcena.*

Arca Fœderis seu *Testimonii*, Hebr. ארון, Israëlitarum velut Palladium, ac præsentis inter ipsos Dei certissimum pignus, in Adyto seu interiori Sanctuarii thalamo collocata, confecta erat è ligno Zitim seu cedro, Exodi *cap.* 25. *vers.* 10. atque intus & extra auro fuit obducta: Longitudine 2. cubitorum & semissis, latitudine & altitudine unius cum dimidio, Exod. *capite* 25. *versu* 10—16. Ambiebatur coronâ seu limbo aureo: quatuorque annulos aureos habebat ad latera, ex quibus vectes duo ex eadem cedro, pariter deaurati, prominebant, ei gestandæ: quod Sacerdotum Kehatitarum ministerium fuit, additis nonnunquam Levitis & multâ cum religione peragebatur. In *Arca* continebantur solæ *Legis Tabulæ*, de novo à Mose edolatæ: coram ea repositum erat *Volumen Legis*, de quo Deuteron. *cap.* 31. *versu* 26. *Urna Mannæ* & *Virga Aaronis*, ad utrumque latus erant dispositæ, Exod. *cap.* 16. *versu* 34. Numer. *cap.* 17. *versu* 10. Porro *Arcam* tegebat *Propitiatorium*, pari cum ea longitudine ac latitudine, è solido auro: sustinens duos Cherubinos frontibus adversis *Arcam* despectantes, inter quos sedes ac thronus Dei erat; qui locum ipsum gloriâ implebat, cujus externum symbolum *Nubes* ac *ignis* fuit. Propria namque Numinis sedes locus erat ille supra *Arcam*, quem Cherubinorum alæ amplexu suo incingebant, quemque nubes illa, augustum in modum, medium adimplebat, Levit. *capite* 16. *versu* 2. Psalm. 99. v 1 &c. Atque hic, visibili signo præsens erat Deus, inde petentibus fundens responsa, Exodi *cap.*25. *versu* 22. eaque fuit illa שכינה seu *gloriosa Dei in terris habitatio*, quam Judæi adeò celebrant. Quæ omnia quid significarint, consule Theologos, Franc. imprimis Burmannum *Synops. Theol. Tom. I. lib.* 4. *cap.* 14. In secundo Templo *Arcam* defuisse ipsi Judæi fatentur, & inter quinque res, quæ in eo defuerint, eam quoque numerant: quam à Josia vel Jeremia fabulantur absconditam; cùm in Templi excidio periisse verius sit. Quod Deus, tum ob peccata populi, tum, ut gradibus quibusdam ceremonias aboleret; denique, ut sub ista domo venturum Eum significaret, qui omne *Arcæ* mysterium impleturus foret, sapientissimo consilio fieri permisit. Tempore autem Messiæ, cum aliis rebus sacris, eam restituendam iidem suaviter somniant, repugnante Jeremiâ *cap.* 3. *vers.*16,17. Idem *ibid.*

Arca Mortualis indigitatur Petronio, *Jubet mariti sui corpus tolli ex arca atque illi, quæ vacabat, cruci affigi*: in Glossis σορός, i. *Sarcophagus*, aliter Græcis λάρναξ, item πύελος, quæ voces synonymæ sunt. Fiebant illæ primùm ex lapide Sarcophago, de quo infrà dicemus; inde & ex alia materia. Sic ex chernite lapide, Darii: ex Porphyretico marmore, Domitiorum, apud Plin. & Suetonium fuere Fictilium, meminit idem Plinius *lib* 35. *cap.* 12. Habebantque alvei formam, unde *Solia* Latinis quoque dicta: Capiebant namque totum cadaver, quàm longum erat; unde Græcis in usu, qui cadavera non cremabant. Sed & Romani in *arcis* ad rogum cadavera deferebant, non tamen omnium. Honestiores enim efferebantur in lectis, qui farciebantur papyro, scirpo, & aliâ omni materiâ combustibili, multisque etiam odoribus differto, & pyræ unà cum corpore cremabantur: Propertius,

Jussisses lectum lentius ire meum.

At tenuiores & plebeji, in *Arca* lignea vel ligneo sarcophago efferebantur, ex paucis tabulis compacto, qui una cum cadavere itidem eadem ustrina comburebatur. De cujusmodi *arca*, quam propriè *sandapilam* Latini vocant, intelligendi Horatius,

Huc priùs angustis ejecta cadavera cellis
Conservus vili portanda locabat in arca.

Et Lucanus.

Da vilem Magno plebeji muneris arcam.

Unde tales arcæ Græcis νεκροφόρα, & νεκροφορικὰ ἄγγεια quoque dictæ. Ab his verò longè diversæ sepulchrales Arcæ, in quibus

bus divites condebantur. Post ultimam enim cadaveris, reliquiæ ac cineres collecti, in urnam aut ollam mittebantur, & terrâ obruebantur ac humabantur, aut intra *arcam* vel monumentum reponebantur, si qui gentilia haberent monumenta. Quo sensu propriè *Arca* est monumentum ex lapide in modum arcæ structum. Seneca *Epist.* 13. *In ipsa Scipionis Africani villa jacens hæc tibi scribo, adoratis manibus ejus & arcâ, quam sepulchrum esse tanti viri suspicor.* Ubi *Arca* monumentum est, quales in finibus agrorum extruebantur, quas pro terminis observabant. Eæ enim arcæ finales ut plurimum sepulchrales erant, aliquando tamen ad finiendos tantùm agros ponebantur. Hinc Seneca suspicari tantùm se dicit, Arcam illam in villa Scipionis, sepulchrum ejus esse. Utriusque arcæ iconem habes apud Salmasium *ad Solinum*; & quidem finales quadratæ & suprà apertæ erant; eædem, si pro sepulchris quoque consecrarentur, arcuato tecto concamerabantur. Ab his iterum diversæ arcæ, in quibus sequiore ævo apud Romanos quoque condita cadavera monumentis illis hypogæis inferebantur: illæ ex multis lapidibus constructæ, hæ ex uno cavatæ erant, & propriè *σορὸς* Græcis dicebantur. De quo *Arcarum* genere sonat vetus *Inscr.* NE QUIS NOS INQUIETET EX ARCA NOSTRA NEQUE ABANTE ALIAM PONAT AUTCOMMUTET. Et altera, quæ Veronæ extat in Sarcophago marmoreo:

P. JULIUS APOLLONIUS SIBI ET
ATTIÆ VALERIÆ CONJUGI OB-
SEQUENTISSIMÆ VIVUS PARA-
VIT. EIUSQ. CORP. IN ARCA
CONDIDIT ET LOCUM SERVIO
DEDICAVIT.

Transferri poterant hæ arcæ & loco moveri, ut videre est, apud Marcianum *Institut. lib.* 3. & Cajum, utrumque *l. Divi ff. de relig & sumpt. fun.* Nec plura corpora recipiebant; à sepulchris proin seu monumentis, quæ plurium arcarum capacia, distinguendæ. Singula namque corpora in suis arcis erant sita, ac sepulta; omnes verò arcæ, intra unum Monumentum, seu generalem *θήκην* omnium in eadem familia defunctorum, receptæ ac conditæ: tum apud Græcos, tum apud Romanos. Condebantur autem cadavera in arcis cum melle. Lucretius *lib.* 3.

Nam si in morte malum est, malis morsuque ferarum
Tractari, non invenio qui non sit acerbum
Ignibus impositum calidis torrescere flammis:
Aut in melle situm suffocari atque rigere,
Frigidu' quum in summo gelidi cubat æquore saxi:
Urgerique supernè obtritum pondere terræ.

Ubi tres modos sepulturæ tangit: qui cremabantur, qui terrâ obruebantur & qui in lapideis arcis cum melle condebantur, &c. Vide Salmasium *ad Solinum pag.* 1202 *& seqq.* & hic passim, ubi de *Exequiis, Funere, Mortuis, &c.* de *Arcis* verò Finalibus etiam infrà in voce *Arcatura.* Addam hic saltem *Inscr.* quæ Spalati prope Templum S. Francisci, visitur, hucque pertinet:

AUR. QUINTIANUS DEC.
COLL. FAB. ET CENT. QUI
VIXIT. ANN. P. M. LI. MENS.
V. D.... VIVUS SIBI POSUIT
ET AUR. JAENUARIÆ CON-
JUGI SUÆ COT. SI QUIS
AEAM ARCAM POST MOR
TEM EORUM APERIRE VO
LUERIT INFER. DECURIÆ
MEÆ X XXV.

ex Jacobo Sponio *Itiner. Græciæ Part.* 3. *pag.* 81. hoc est, *Aurelius Quintianus Decurio Collegii Fabrûm & Centonariorum, qui vixit annis plus minus* 51. *menses* 5. *dies .... vivus sibi posuit & Aurelia Januaria conjugi suæ. Quod si quis eam arcam post mortem aperire voluerit, inferet Decuriæ meæ sestertia viginti quinque.*

Arca Noë, quâ architectura & fabrica *Arcæ* exponitur, in 3. libros distincta, & *res ante Diluvium, in Diluvio ac post Diluvium* peractas, curiosis quæstionibus exponens; prodiit Auctore Athan. Kirchero Amstelodami 1673. *in fol.*

de *Arca* solvere, id est, domo, cui contrarium est, *de scriptura mensæ.* Donatus, *Unde hodie additur in chirographis, domo* ex arca *sua vel ex mensæ scriptura.* Et alibi, *Tunc enim in foro & de mensæ scriptura magis, quàm ex arca domoque vel cistâ, pecunia numerabatur.* Non enim solùm *arca publica* erat, de qua Vopiscus *in Aureliano, est præterea vestræ auctoritatis arca publica*, cujusque fit mentio in *vet. Inscript.* aliter *arca Populi*, ut in alio saxo. *Hoc monumentum si quis donare aut vendere voluerit, inferet arcæ Pop. Rom.* H. S. L. M. N. Neque Pontificibus, præter hanc, Collegiisque variis, tantùm suæ *arcæ* suere: sed privati etiam suas *arcas* habebant, quas qui administrabant dispensabantque, servi *Arcarii* dicebantur. *Arcarium* tamen vett. *Glossæ* exponunt, *ὁ ἐπὶ τῆς δημοσίας τραπέζης*, ubi *mensam* & *arcam* eandem faciunt. Nisi fortè *δημοσία τράπεζα* hic *arca publica* est, & qui ejus ratiocinia tractabat, *Arcarius.* Arca certè Prætorio Præfecti etiam *mensa* dicebatur, &c. Salmasius *ad Lampridium in Alexandro Severo.*

Arcadius, fluvius Cappadociæ, apud Ptolemæum, quem prius *Acheruntem* dictum nonnulli volunt: Sed longè ab Acheronte illum Geographus locat. V. Salmasium *ad Solinum p.* 381.

Arcæ Caletorum, castrum Galliæ, Frodoardo memoratum *ad Annum Chr.* 944. hodiè municipium Normanniæ, Deppæ proximum, *Arques* dictum: quod sylvæ ad mare positæ nomen suum dedit: vocatur enim sylva *Arcensis*, vulgò *la forest d'Arques.* Hic est locus Henrici Magni primâ ex conjuratis victoriâ nobilis. In *Gestis* Guilielmi Ducis Normanniæ & Regis Angliæ cognom. *Conquestoris*, vocatur *Arcense castrum in prealti montis Arcarum cacumine*, Wilhel. Gemeticensi *libro* 1. *capite* 10. *Statio navium apud Hasdans, quæ Archas dicitur*: & fortè *Arcus* primùm hic locus nuncupatus est, sive ab aliquo *arcu* triumphali ibi erecto, sive ab *arcubus* pontis, Deppæ flumini impositi: *Arcas* postea barbaro nomine, ac demum corrupto per aspirationem Germanicam *Archas.* Huic proximus est viculus *Arcellæ*, vulgò *Archelles*, Arcis detractus, à quibus rivo interfluente ac ponte dividuntur, Hadr. Valesius *Not. Gall.*

Arcæ Ecclesiarum, quibus olim Diaconi præfecti erant. Paulinus de *Vita Martini lib.* 4

Protinus adstanti Diacono, quem more priorum
Antistes sanctæ custodem legerat arcæ.

Inde Arcarii, arcarum Ecclesiæ custodes, apud Odonem Abbatem de *Mirac.* S. Mauri *capite* 10. inter quos præcipuus *Arcarius Ecclesiæ Romanæ* memoratus, inter officia Ecclesiastica, Anastasio in S. *Agathone* & in *Constantino Pontif.* &c. apud Carolum du Fresne *Glossar.* Apud Hebræos, tria loca commemorant Scriptores, in Templo, ad recipiendas oblationes, fuisse: Primum, dictum *Musach*, ab Achazo Rege extructum, ubi Principum Magnatumque dona reposita; Alterum *γαζοφυλάκιον*, popularibus oblationibus destinatum: Tertium denique *Corbona*, quod pro eleemosynis Sacerdotibus Templique Ministris inserviverit, Macer in *Corbona.* Apud Marcellum Presbyterum in *Vita* S. Felicis Presbyteri Nolani *cap.* 3. *Sanctæ arculæ* mentio fit, ubi ærarium Ecclesiasticum, è quo sportulæ Presbyteris distribuebantur, intelligit Carolus du Fresne, Cyprianum laudans *Epist.* 34. *&* 66. Vide quoque Meursium in voce *Ἀρκλαι.*

Arcæ Gromaticorum, & Agrimensorum, signa sunt finalia, per possessionum extremitates constituta, sive constructa. Frontinus *de Coloniis: Adrianus ager — finitus per rationem arcarum, riparum*, &c. Vide quoque L. Wisigoth. *libr.* 10. *tit.* 3. §. 3. *& Chartam* Theodemiri Gallæciæ Regis æræ 610. apud Bivarium in *Notis ad Pseudochronicon Maximi, p.* 411. laudatum Carolo du Fresne *Glossar.* Lat. Græc. *Arca: ἄγγος κλεισμένον, l. κιβώτιον.* Papias, *Arca, ab arcendo dicta; fines enim agri custodit eosque adiri prohibet.* Fuere autem illæ formâ quadratâ atque intus cavâ, quemadmodum sunt *arcæ* seu cistæ, unde potiùs nomen; cùm cœteri limites, ut variâ & diversâ figurâ, ita & appellatione, donentur, ab Hygeno *de limitib. constituend. pag.* 222. Interim postea factum, ut appellatio hæc ad cœteros quoque limites significandos extenderetur. Vide Salmasium *ad Solinum pag.* 1106. ut & suprà.

Arcæ Remorum, vel potiùs *Arcus*, vicus est in agro Maceriensi, ad Mosam fluvium in Neustriæ Regnique Lotharii seu Austriæ confinio olim positus, vulgò *Arches*, liber & sui juris: à quo vico Gonzagæ *Principes Archenses* inscribuntur in nummis, qui in Arcensi solo Carolopolim condidere. Villa olim Regia seu Palatium, V. Hadr. Valesium *Not. Gall.*

Arcaa, urbs Palæstinæ, aliàs *Arcis* sive קרית ארכי, cujus mentio apud Chaldæum Paraphrastem librorum sacrorum; quondam *Kiriath-sepher*, postea *Dabir*, dicta. Vide ibi.

de *Arcanis*, seu *pro Arcanis*, dictus est Psalmus 4. (46.) *hoc est, pro his*, inquit Basilius Magnus, *quæ neutiquam evulganda sunt & prodenda. quòd rationem contineant secretorum in mysterio retinendorum, Homil. in hunc Psalmum.* Idem *in princ. Proverb. Verba enim ac mysteria salutis in quemvis sine discrimine jactare & omnes æquè ad hunc thesaurum recipere, nec vitæ moribus purgatos neque ratione priùs & ordine diligente utentes, haud aliter fuerit, quàm in sordidum vas unguentum infundere pretiosum*: Nempe non solùm sancto quodam silentio diviniora dogmata, ne in vulgus publicata vilescerent, involuta, Ethnicorum Theologi tenuere, sed & eandem viam inivere, imò præivere, sacri utriusque Fœderis Scriptores: quod Dei secretum Arcâ Fœderis, à suprapositis Cherubinis obumbratâ & velando honoratâ, significatum olim fuisse, Augustinus ait, *Tomo VII. de Bono persever. lib.* 2. *cap.* 16. Idem dein in prima Ecclesia Christiana observatum, in qua *Catechistarum* & *Catechumenorum* nomen profluxit, à verbo *κατηχεῖν*, *vivâ voce doceo*, dictorum, quòd olim nefas haberetur mysteria literis committere, voce tantùm tradenda, ut Erasmus docet in *Hieron. Apolog. ad Domnion. verb. κατηχούμενοι*, &c. Tobias Pfannerus *System. Theologiæ Gentil. purior. capite* 1. §. 8. *& seqq.* Vide infrà passim, inprimis in voce *Catechistæ*, *Norunt Fideles*, *Silentium.*

Arcarii, ab Alexandro Severo instituti, *qui de arca Fisci munera ederent*, occurrunt apud Ælium Lampridium in *Vita* ejus. Arca igitur etiam Fisci dicebatur. Aliter *Arcarii* dicuntur Cod.

de Susceptor. Præpositis & Arcariis: Ibi enim *Arcarii* sunt, qui suscipiebant arcæ præfectoriæ inferenda. *Arcarios* tamen etiam tribuit Comiti rei priv. *lex* 14. *Cod. Theodos.* Vide Salmasium *Not. ad Lamprid. Vicarius Arcarii*, reperitur in *Inscript.* apud Gruterum 580. 10. *Arkarius Reip. Amerinorum*, 1091. &c. Inter officia Latinorum Ecclesiastica, recensetur *Arcarius Eccl. Rom.* apud Anastasium in *Agathone & Constantino*, alibique apud Scriptores citerioris ævi. Vide quoque suprà in *Arca* & *Arca*. Apud Anglo-Saxones aliosque olim, pro *Thesaurario* Regis sumtam esse vocem, docet Henr. Spelmannus in *Glossario*.

Arcaturæ, apud Cassiodorum *Variar. libr.* 3. *Epist.* 52. *Unde miramur, tanta animositate fuisse litigatum, quod aut terminis testibus, aut jugis montium, aut fluminum ripis, aut* arcaturis *constructis, aliisque signis evidentibus constat esse definitum*: erant hujusmodi arcarum, quæ olim terminorum vicem erant, structuræ. De his ita Frontinus de *limitibus Agror. In Campis verò statuerunt terminos quadratos cursorios & interjectis locis* Arcas *& monumenta, vel alia testimonia.* Sic passim apud Agrimensores, *Arcam in trifinio, in quadrifinio* constitutam legere est, quæ vox nihil aliud significat, quàm terminum in modum arcæ constructum. Frontinus iterum, *Asculanus ager terminis, in modum arcellæ, est demetitus*: Cujusmodi Arcæ finalis figuram, ex veteri Hygini libro, exhibet Salmasius. infrà laudandus. Et hæ Arcæ *finales* tantùm erant; aliquando verò, & *monumentales* simul, & *finales* erant: namque & ipsa monumenta finalia pro terminis plerunque observari solita sunt. Unde & *sepulturæ finales* & *monumentales termini*, in libris Agrimensorum, & *memoriæ in finem constitutæ* occurrunt: certè & Arcæ juxta sepulchra plerunque ponebantur & in ipsis sepulchris arcæ consecrabantur finales; sed de his vide suprà in voce *Arca mortualis*, & plura hanc in rem apud Salmasium *ad Solinum pag.* 1206.

Arceja, nomen corruptum factumque ab Artiaca vel Arciaca, Vide *Artiaca*. Est quoque *Arceja*, vulgò *Arcey*, locus Galliæ in nemore Ottonis, Uttæ sylvæ parte, ubi S. Ebbo, Senonensis Archiepiscopus eremiticam vitam duxit, circa annum Chr. 750. *Arcia* verò *Villa*, Odoranno *in Chron.* memorata, vulgò quoque *Arcey*, proxima est Villæ Novæ Regis, ad flumen Icaunam: à Leotherico Senonum Archiep. S.Petri Vivi Monasterio donata, Vide Hadr. Valesium passim.

Arcellæ, Vide suprà in voce, *Arca Caletorum*.

Arcellina, inter ministeria & vasa sacra, memoratur, in *Charta* Ferdinandi M. Hispan. R. æræ 1101. apud Anton. Yepezium in *Chron. Ordinis Bened. Tom. VI. Tertia verò* (Corona) *est diadema capitis mei aureum &* arcellinam *de crystallo auro coopertam, & crucem auream cum lapidibus*, &c. Fortè *parvam arcam* denotat. Car. du Fresne *Glossar.*

Arcerii seu *Arcarii*, apud Recentiores, Sagittarii sunt, Italis *Arcieri*, Gallis *Archers*, dicti: fueréque olim multùm æstimati *Arcarii* Anglici, ut ex *Chron.* Bertrandi Guesclini *MS.* docet du Fresne in *Glossar.* V. quoque Froissardum *Volum I.* Ducem Clivensem in *Tacticis pag.* 81. &c. De Francis *Arcariis*, vulgò *Francs-archers* nuncupatis, consulendi sunt Monstrelletus *Volum. III. pag.* 13. & Berrius in *Carolo VII. pag.* 165.

Archegetes, Apollinis cognomen, Græcè Ἀρχηγέτης, h. e. *Princeps* seu *Dux*: quo in Ins. Naxo insignis fuit, ubi ei Chalcidenses aram extruxerunt, teste Thucydide *lib.* 6. Servat memoriam ejus *Inscr.* quam Jac. Sponius Hierapoli reperit.

ΑΠΟΛΛΩΝΙ ΑΡΧΗΓΗΤΕΙ.

Vide eum *Itiner. Græciæ Part.* 3. *pag.* 150.

Archemia & *Archemistæ*, Patrum ævo dicti sunt, qui hodie *Alchymistæ* & *Alchymia*, Vide *suprà*.

Archetypon Politicum, ex numismate extractum, & dicitur *Splendor Domus Joanniæ*, quæ est una ex perillustribus & antiquissimis Hispaniæ Familiis; prodiit, Auctore Athan. Kirchero, Amstelodami A.C. 1672. *in quarto*.

Archethyrum, Græcè Ἀρχέθυρον, dicta est prima domûs Janua, quæ in publicum aperitur. Cujusmodi Januæ ædium, ut & Urbium portæ, *serâ* olim vel vecte ligneo firmabantur transverso: ubi βάλανος & βαλανάγρα proin locum habebat, de quibus infrà dicemus, in voce *Balanus*. Ovidius,

Excute poste seram ——

Alio munimine, ferreo nempe obice, interiorum conclavium & œcorum fores firmatæ fuere, ut dicemus infrà, ubi de istiusmodi ferreis *Obicibus*. V. Salmasium *ad Solinum pag.* 915.

Archiabbas, Comes Fulco, dicitur in *Charta*, quam descripsit Gallandus *Tr. de Franco allodio pag.* 295. continentem controversiam, inter Monachos S. Albini & Canonicos S. Licinii Andegav. in qua refertur, utrosque *habuisse Abbates: Monachos, Monachum nomine Hincbertum; Canonicos, Laicum nomine Tetbandum*, & controversiæ Judicem elegisse, *Comitem Fulconem utrorumque Abbatum, Archiabbatem*, utpote, qui prædia harum Ecclesiarum possidebat eoque nomine *Abbatem* sese inscribebat. Nempe istiusmodi Abbates Laici, modò Decanos habebant, qui curam Monachorum gererent, interdum unum ex Monachorum numero reliquis præficiebant. Vide suprà in *Abbacomites*, & plura hanc in rem apud du Fresne *Glossar.*

Archiacoluthus vel *Archiacolythus*, Acoluthorum caput. Luithprandus *Hist. lib.* 6. *cap.* 6. *Stephanus* Archiacoluthus, *cum omnibus Acoluthis ac regionariis.* Cùm enim in Ecclesiis Cathedralibus olim quatuor essent Canonicorum ordines, Presbyterorum sc. Diaconorum, Subdiaconorum & Acolythorum; quilibet horum suis capitibus suberant, Presbyteri Archipresbyteris, Diaconi Archidiaconis, &c. Hodieque *Archiacolythorum* nomen in Ecclesia Capuana durare, observat Michaël Mon. in *Sanctuario Capuano p.* 576. sed illos cum Acolythis nullum neque in Choro, neque in Capitulo ordinem facere, omnesque pro libitu posse amoveri, addit: olim verò ad eum in Festo Innocentium officium ordinare spectasse, Dominic. Macer ait in *Hierolex.* Meminit Benno Cardinalis *Archiacolythi Ecclesiæ Rom.*

Archias, Imp. Corinthiorum, adde: Achæus fuit, & Myscellum quoque in condenda Crotona adjuvit. An ab eodem *Aricia* condita? Ita certè mavult Salmasius, quàm ab Archilocho Poëta, quod Solinus ait, *cap.* 2. Condidit autem Syracusas, circa Olymp. 11. quo tempore Eumelum ἐποποιὸν, Corinthium itidem, floruisse, ex Clemente Alex. discimus. Sed & ab *Archia*, alii Calondam vocitant, Archilochum Poëtam in prælio interfectum, scribit Plinius *libr* 7. *cap.* 29. Vide Salmasium *ad Solinum passim*.

Archiatri, Medici Principis & qui in sacro palatio militant, *tit. un. de Comitibus & Archiatris sacri Palatii*, ad quam, de eorum dignitate, multa congessere Cujacius & Joh. Filesacus *Selectorum libr.* 1. *cap.* 321. Vide etiam Jacobum Gothofredum *ad tit. de Medicis Cod. Theodos.* Altaserram *ad Epistolar. Gregorii Magni lib.* 2. Alios. *Archiatros* Galliæ Regum, à Marcleifo, qui sub Childeberto Rege id munus sustinuit, usque ad Antonium *d'Aquin*, qui hodierni Regis *Archiater* est, ordine recenset in suo *Glossario*, Car. du Fresne, quem vide. *Physicos Regis* nonnullos eorum appellatos esse, reperies *ibid.* Hinc *Archiatriæ dignitas, l.* 8. *Cod. Theodos. de Archiatris*.

Archicancellarius, in *Charta* vet. Lotharii Imp. A.C. 844. apud du Fresne, *Agilmarus venerabilis sanctæ Viennensis Ecclesiæ Archiepiscopus & sacri Palatii nostri Archicancellarius* dicitur, qui cæteris Aulæ vel Palatii *Cancellariis* seu *Notariis* præfuit. *Summus Cancellarius*, Hincmaro *de Ordine Palat. cap.* 16. *A secretis*, & Græcâ voce Latinam æmulante, Ἀσηκρῆτις ac Πρωτοασηκρῆτις, in Aula Græca, de qua vide *infrà*. Maximè autem *Archicancellarii* titulus obtinuit, sub Regibus Franciæ 1. & 2. stirpis, & Imperatoribus postea Germanicis. Qui cùm Italiam & Galliam Arelatensem, solemni Procerum comitatu, frequentes adirent, copias instructas è Nobilibus civibusque collectas, per urbes agrosque distribuebant, ad injurias à corpore Cæsaris & Procerum prohibendas; investituras concedebant, fidem in Comitiis publicis à Proceribus Imperio subditis accipiebant, diplomata scribebant & *Archicancellariis* suis, quos pro numero Regnorum tres habebant, tradebant obsignanda. Quam dignitatem Archiepiscopos Moguntinum, Trevirensem & Coloniensem, jam antequam Electorum Collegio ascriberentur, habuisse, luculenter ostendit Bern. à Mallinckroth *lib. de Archicancellariis Imp Rom. pag.* 33. *& seqq.* Et quidem Moguntino Germania obtigit; Trevirensi Gallia; Coloniensi, Italia: sic ut suam quisque provinciam, prout Imperator sedem mutasset, negotiis gerundis, diplomatis signandis, atque omnium questibus audiendis finiendisque controversiis, administraret: quod ab Ottonis M. ævo repetit Brovverus *Annal. Trevir. lib.* 16. V. Car du Fresne *Gloss.* ubi ex Præsulib. Trevirensibus primum Boëmundum titulum *Archicancellarii* sibi vindicasse, notat ex eodem Brovvero, & Henr. Kippingum *Method. nov Jur. publ. lib.* 2. *cap.* 6. Præter hos occurrit *Archicancellarius Burgundiæ Regni*, dignitas, quâ Archiepiscopus Viennensis in Gallia præfulget, confirmata à Friderico I. Imp. in favorem Stephani Archiep. diplomate A.C. 1157. quod habetur in *Vienna* Johannis à Bosco & Levrii *cap.* 42. &c. du Fresne *ibid.* Item *Archicancellarius* Imperatricis seu Augustæ, dignitas Abbati Fuldensi in Germania concessa antiquitus: ut quam unà cum prærogativa sedis Berthous Abbas jam sub Lothario Imp an & ipse, à Majoribus acceptam, sibi ascripsit: Confirmata certè Henrico Abbati & successoribus ejus legitur, à Carolo IV. *in Diplom.* A.C 1358. quod recitat Goldastus *Constitut. Imp. Tom. II. pag.* 344. illud adjiciens: Abbatem, quoties Imperatricem vel Reginam Rom. coronari aut in veste Imperiali seu Regia comparere contigerit, id tunc habere muneris, ut illius coronam, cùm more vel ordine poscente, à capite ejus deponi necesse est, deponat ac teneat, capitique rursus imponat. V. quoque Christoph. Brovverum *Antiqq. Fuldens. lib.* 1. *cap.* 15. Car. du Fresne *Gloss.* Georg. Hornium *Orb. Politic.* atque infrà, ubi de *Fuldensi Abbate*.

Archicantor, in Ecclesia Rom. Primicerius Scholæ Cantorum. Beda *lib.* 4. *cap.* 18. *Johannes* Archicantor *Basilicæ Vaticanæ, & S. Martini Abbas, tanquam delegatus Apostolicus, ad Synodum Anglicanam, ab Agathone Papa*, A.C. 769. *missus, Britannos cantum, juxta Vaticanum ritum, docuit.* Idem cum *Archiparaphonista*, de quo infrà.

Archicapellanus, qui & *Capellanus* per excellentiam, dicebatur olim, *qui omnem Clerum Palatii sub cura & dispositione sua regebat*, Hincmarus *de Ordine Palatii cap.* 16. Seu, qui Palatinis Oratoriis & Sacellis erat præfectus. Cujusmodi Regum Ministri primitus *Abbates* dicebantur, ut de Angilberto *Archicapellano* Caroli M. legimus,

apud

apud du Fresne, in voce *Capellani*. Habebant hi *Archicapellani*, magnam cum Summis Cancellariis affinitatem, imo non desunt, qui credant, non solùm sub prima & secundâ Regum Franciæ stirpe, sed & sub tertiâ, *Archicapellanos* & *Archicancellarios* eodem functos munere, ut ex Diplomatum subscriptionibus probant, in quibus titulis hisce promiscuè usi leguntur. Adeoque non modò reliquias servabant atque adeò Cimelia & Archiva Regia (quod antiquitus eorum munus fuit) sed Archicancellarii quoque officia postmodum obiere. Quod cùm ægrè paterentur Ecclesiæ Gallicanæ Patres, statutum Concil. Cabillonensi II. A. C. 813. *can.* 44. *Presbyteros villicos esse non debere —— Cancellarios publicos esse, nundinas insolenter peragrare*, &c. Sed & Clericorum causis eos fuisse præfectos, docet Walafridus Strabo *de rebus Eccl. cap. ult.* Ad eosdem Regiæ insuper mensæ benedictionem spectasse, Theodulfus Aurelian. *libr. 3. Carm.* de Hildeboldo Archicapellano, *p.* 185. his verbis docet,

Adsit Præsul ovans animo vultuque benignus,
Ora beata ferens, & pia corda gerens,
Quem sincera fides, quem tantus culminis ordo,
Pectus & innocuum Rex tibi, Christe, dicat.
Stet benedicturus Regis potumque cibumque,
Sumere quinetiam Rex velit, ille volet.

Apud præfatum *Glossarii* Auctorem, è quo etiam nomina *Archicapellanorum* Palatii Francici subjungere visum est.

Archicapellanorum Palatii Francici series.

Rusticus, postea Episc. Cadurcensis, Abbas Palatini Oratorii, sub Chlotario I.
Bertharius, postea Carnutensium Episcopus sub Chlotario II.
Ricolfus, sub Dagoberto.
Launus, Abbas S. Eparchii, postea Episcopus Engolismensis, sub Pipino.
Fulradus, Caroli Martelli ex filio Hieronymo nepos, Abbas S. Dionysii, sub eod.
Andreas, sub Carolo M.
Lindebertus, sub eodem.
Ingelramnus seu Engelramnus Episc. Metensis, similiter.
Hildibaldus, Archiepiscop. Coloniensis, *Capellanus*, *Apocrisarius* & *Archicapellanus S. Palatii*, promiscuè dictus, sub eodem & filio ejus Ludovico Pio.
Angilbertus, Berthæ Carolo M. genitæ maritus, postea Abbas Centulensis, sub Pipino Italiæ R.
Hilduinus, Abbas Monasterii S. Germani Paris. sub Lud. Pio.
Fulco, sub eodem.
Drogo, Caroli M. fil. nothus, Metensis Episcopus, similiter.
Gunthartus, Arch. Coloniensis, sub Lothario.
Ebroinus, Episc. Pictaviensis & Abbas S. Germani de Pratis, sub Carolo Calvo.
Gozlinus, Abbas ibidem, sub eodem.
Joseph, Episc. Eporediensis, sub Ludovico Lotharii fil.
Fridebastus seu Fridebertus, Episc. Pictaviensis, sub Pipino Rege Aquitaniæ.
Remigius, Archiepisc. Lugdun. sub Carolo R. Burgundiæ, Lotharii Imp. filio.
Grimaldus, Abbas S. Galli, sub Ludovico III.
Adventius, Episc. Metensis, sub Lothario R. Lotharingiæ.
Cozbaldus, sub Ludovico R. Bajoariæ.
Granoldus, sub eodem.
Deotmarus, sub Arnulpho R.
Theotmarus sub Arnulpho Lotharingiæ Duce.
Hermannus, sub Zuentibaldo R.
Rutgerus sub eod.
Balduinus, sub Henrico I.
Ratbodus, sub Carolo Simplice, A.C. 917. Postea desiit hæc apud Francos *Archicapellanorum* appellatio, & in *Capellanorum*, dein in *Primorum* & *Magistrorum Capellanorum Regis*, titulum transiit. Hodie *Magistros Oratorii Regii* vocant, de quorum dignitate ac munere, videndus Miramontius *de Præposito Hospitii pag.* 50. &c. In Flandria, *Archicapellani Flandriæ*, titulo gaudet Præpositus Ecclesiæ Brugensis. In Germania *Archicapellanus Imperatricis* cluet Abbas Maximini Trevirensis, uti auctor est Nicolaus Zyllesius *Defens. ejusdem Monasterii, part. 1. sect. 2. §. 4. &c.*

Archithermus, apud Bernardum Mon. *in Consuetudin. Cluniac. MSS. cap.* 15. Præcentor est, qui Choro, dum sacra liturgia peragitur, præest. Gall. *qui tiens le Chœur*, du Fresne.

Archiclavus, in vet. *Charta*, quæ extat *Biblioth. Sebus. lib. 1. cap. 1.* ubi Petrus Apostolus *Archiclavus totius Monarchiæ Ecclesiarum* appellatur: seu *Archiclavis*, apud alios, dignitas in Communione Rom. est Ecclesiastica, eadem cum *Thesaurarii* in Ecclesiis Cathedralibus & Monasteriis: quæ quidem dignitatis appellatio in Ecclesia S. Martini Turon. maximè viguit. Car. du Fresne *Glossar.* Archidiaconali dignitate superiorem fuisse, colligit Macer; ex ordine in subscriptionibus, *Signum Arnulfi Archiepiscopi, signum Guarciloni Archiclavi, signum Jonæ Archidiaconi, &c.* Sed & *Archiclavum*, Regentem interpretatur seu Gubernatorem Ecclesiæ ac Monasterii, vocemque à *clavo* deducit, in *Hierolex.*

Archicomes, titulus Comiti Flandriæ, ob magnam ejus potentiam, datus à Guilielmo Britone *Philipp. lib.* 4.

Flandricus Archicomes, *Francorum Rege relicto,*
Regis ad Anglorum partes jam transtulerat se.

Sed minùs auspicatè, ait Spelmannus *Glossar.*

Archicubernus. Vide Gothofredum *ad l. 64. in princ. ad SC. Treb.* & infra *Archigubernus*.

Archicustos, in Ecclesia Rom. dignitas est in Monasteriis majoribus Ordinis Benedictini. Idem cum *Capicerio*, V. infrà.

Archidiaconus, in Ecclesia Rom. tantæ dignitatis olim fuit, ut *Episcopi Vicarius* in *Ordine* Rom. & *Oculus Episcopi*, in *Epistola* Clementis alibique passim appelletur. Ejus officium inter alia erat, ut Ecclesiasticum thesaurum, unà cum cœteris Ecclesiæ Diaconis custodiret atque dispensaret; uti videre est suprà in voce *Arca Ecclesiarum*. Reliqua exequitur pluribus Ebo Archiepisc. Remensis *Indicul. de Ministris*. Habebant præterea jurisdictionem suam, quæ *Audientia Archidiaconi* dicitur, *lib.* 5. *Capitul. capite* 171. sed quasi *Officiales Episcopi*, uti appellantur Radulfo de Diceto in *Imagin. Histor. pag.* 581. Unde ab eorum sententiis appellabatur ad Episcopum & propterea inter Ordinarios accensentur ab Innocentio III. Pontif. *lib.* 14. *Epist.* 44. At mores eorum in justitia administranda tales erant, ut graviter in ævi sui *Archidiaconos* invehatur Johannes Satisberiensis, ut videre est in *Epist.* ejus 156. Imò jam longè antea *Archidiaconorum cupiditas* notata est, ut ex *Capitulari* A.C. 744. *cap.* 12. & *Addit.* 4. *Capitul. cap.* 145. du Fresne observat. Interdum verò in Ecclesiis Cathedralibus plures *Archidiaconi* instituti, iisque sui districtus attributi leguntur, in quibus visitationes suas quotannis exercerent; atque hi à districtuum suorum appellationibus nomen accepere, Vide infrà in voce *Circumlustrator*. Prærogativas *Archidiaconorum* quod attinet, *Archidiaconus* Ecclesiæ Rom. sedebat coram Pontifice, Baron. A.C. 1097. imò vicarius ejusdem erat in causis Ecclesiasticis, ut ex *Ordine Rom. cap. 7. de Offic. Archidiaconi & 25. dist. can.* liquet. Idem de Jure *Datarii* officium exercebat, *Ibid.* ac officio Magistri Ceremoniarum antiquitus defungebatur. In Ecclesia Anglicana olim *Archidiaconi*, post Episcopos & Abbates, primum habuere locum & Decanos ipsos anteivere: quod hodieque in Ecclesia Galliæ Cadurcensi obtinet: alibi verò Decani præcedunt. In Ecclesia Constantinopolitana, in die Crucis Exaltationis induebatur Archidiaconus Sacerdotali casulâ, ut Curopalata notavit, quia tum officium Sacerdotis, ex ordine Exocatacœlorum, obibat, Vide infrà, & plura hanc in rem apud Carolum du Fresne *Glossar.* & Macros Fratres *Hierolexic.* ut & infrà, in voce *Protodiaconus*. Hinc *Archidiaconatus*, ipsum Archidiaconi munus, quos feudi jure possessos à Viris secularibus, etiam tempore Caroli Magni, patet ex ejus *Capitulari* 1. A. C. 805. *cap.* 15. *Capit.* 4. ejusdem anni *cap.* 2. *lib.* 1. *Capitular.* 110. & *lib.* 6. *cap.* 266. ubi illud vetitum. *Archidiaconatus* quoque *dati ad firmam*, quoad jura spiritualia, meminit *Provinciale* Ecclesiæ Cantuar. *lib.* 5. *tit.* 4. Vide infrà in voce *Procuratio*. Apud Innocentium III. Pontif. *lib.* 14. *Epist.* 122. mentio est *Archidiaconatus Mensæ*, in Ecclesia Pompeiopolitana, cujus curæ erat *mensa* & reditus Capituli ejusdem Ecclesiæ. Etiam *Archidiaconatus super totam Parochiam Croylandiæ*, occurrit apud Ingulfum in *Histor. Croyland.* Cujusmodi *Archidiaconi* in Monasteriis dicebantur *Archidiaconi Abbatum*, ut notat du Fresne: Sed & ipsos Abbates *Archidiaconi* munere nonnunquam functos esse, legitur apud Lupum Ferrar. *Epist.* 80. extatque *Charta* A.C. 1061. quâ Episcopus Abrincensis Abbatem S. Michaelis in Monte *Archidiaconum* suum constituit, in dicto Monte, sub certis conditionibus, apud Jac. Petitum, &c.

Archidiaconus S. Ecclesiæ Romanæ, uti habet Cencius Cardin. in *Ceremoniali*, seu *Primus in ordine Diaconii Sedis Apostolicæ*, uti habet Gregorius Magnus *lib.* 2. *Epist. Præfat.* dignitas fuit, quâ functus legitur Gelasius II. antequam Pontifex fieret, in ejus epitaphio memorata: ut & alii Pontifices, ante Papalem dignitatem impetratam. Abrogata dein, uti refert Panvinius, à Gregorio VII. qui ipsius loco Camerarium instituit, ut arcam & ærarium Ecclesiæ servaret; quod Camerarii potissimum, ut & Diaconorum ac Archidiaconorum olim munus fuit. Occurrunt tamen post Gregorium VII. aliquot *Archidiaconi Ecclesiæ Romanæ*, sub Urbano II. & Innocentio II. apud Eadmerum *lib.* 2. & Guil. Tyrium *lib.* 15. *cap.* 23. meminitque præterea dignitatis hujus Cencius prædictus, apud Baronium A.C. 1191. Carolo du Fresne laudatum. V. & *Diaconus*.

Archiducis titulus, à Scriptoribus passim majoris auctoritatis ad potentiæ Ducibus adscriptus legitur. Sic in *Chron.* Trudonis *lib.* 1. Pipinus sub Dagoberto, *Austriæ seu Austrasiæ infer. Archidux*; Apud Sigebertum A.C. 959. Bruno Archiepiscopus Colon. & *Archidux Lotharingiæ*: apud Dinterum *Chron. lib.* 1. *cap.* 17. *Lotharingiæ & Brabantiæ Archidux*, dictus est. Gilbertus Borbonius Com. Mompenserii à Carolo VIII. Gall. R. *Archidux Cessæ*, in Regno Neapolit. est electus. *Palatinorum Archiducum*. In *Charta* Friderici I. Imp. A. C. 1156. pro erectione Austriæ in Ducatum, apud Miræum *Donat. Belg. lib.* 2. *cap.* 52. mentio fit. Hodie in sola Austriaca Familia titulus hæret, qua de re sic Spiegelius, apud Joh. Calvinum *Lexic. Jurid.* *Archiducis appellationem primùm Bruno, frater Ottonis Imp. ejus nominis primus, insolenter assumsit. Id postea Carinthianorum Principes usurparunt; quibus extinctis, ad Austriacos simul cum ditione transiit*, &c. Vide etiam in voce *Dux*.

Archielectus, id est, in Archiepiscopum electus, dicitur Henricus, apud Cæsarium Mon. Heisterbacensem in *Chron. MS. Archiepiscoporum Coloniensium*, A.C. 1228. du Fresne *Glossar.*

Archiepiscopi vox, à Patriarchis Alexandrinis primùm invecta videtur, qui, cùm primò soli essent in Ægypto Episcopi, creatis subinde

subinde aliis, ut est in Eutychii *Originib.* huncibi titulum vindicarunt. Primus verò hoc usus vocabulo S. Athanasius, *Apolog.* 2. Alexandrum Patr. Alex. sic indigitans. Dehinc in Concilio Ephesino A.C. 431. Cyrillus Hierosolymorum & Cælestinus Romanorum *Archiepiscopi* appellantur. Leo quoque I in Concilio Chalcedonensi: & de Felice Anastasius. *Venerabilis Felix Archiepiscopus sedis Apostolicæ urbis Romæ.* Vide Cujacium *ad Novellam* 11. Morinum *Exercitat. lib.*1. *cap* 10. Alios. Est autem dictus *Archiepiscopus, cui totius provinciæ cura incumbebat,* 9. *quæst.* 3. c. 2. *& seqq.* atque ad eum constituendum *X. vel XI Civitates & unus Rex, decem vel undecim Episcopi Suffraganei,* requiri consuevere, *Can. Scitote* 6. *quæst.* 3. Ipse verò in provinciæ Metropoli residebat, hinc *Metropolita* seu *Metropolitanus* quoque dictus; Item *Primas:* donec multiplicatis in eadem provincia Metropolitis, Primas dein est appellatus, qui cœteris Comprovincialibus præesset. Sed & interdum *Archiepiscopi* vocitati sunt, ipsi Episcopi, quibus pallii jus indultu Pontificis concessum est: cum quibus simile quid videntur habere Græcorum illi Archiepiscopi, quos à Metropolitanis sic distinguit Balsamon *in Medis*, ut Metropolitanum dicat, Episcopos sub se habere, in quos jus exerceat, Archiepiscopum verò nullos: Perinde namque Episcopi hi in Eccles. Rom. nullum jus habent in alios Episcopos, solâ pallii dignitate & Archiepiscopali titulo cœteris superiores. Vide du Fresne *Glossar.* & Macrum *Hierolex.* Qui verò *Archiepiscopalis S. Palatii* dictus apud Scriptores occurrit, idem cum Archicapellano est, &c. De *Episcopi, Archiepiscopi* ac *Patriarchæ* discrimine sic Burmannus: *Cùm primi,* inquit, *Episcopi pares essent, & unum haberent Episcopatum, atque à communi Concilio Ecclesiæ ejusdem provinciæ per Synodos regerentur; dein Metropolitarum seu* Archiepiscoporum *nomina nata sunt: eratque Metropolitanus Episcopus ejus urbis, quæ provinciæ erat caput. Illius officium, Synodos convocare iisque præsidere & recèns electos Episcopos confirmare: ut primitus honore potiùs, quàm potestate, reliquis Episcopis major esset* — *Cùm verò à Constantino plures provinciæ in unam diœcesin redigerentur, supra Metropolitanos constituti sunt Patriarchæ seu Primates, Exarchi Diœcesium dicti &c.* Addit, Cardinales, qui Episcopis ac Archiepiscopis hodie longè præeminent, olim tantùm Presbyteros vel Diaconos septem regionum seu cardinum Ecclesiæ f. i le, *System Part II. p.* 540. &c Hodie in Imperio Rom. *Archiepiscopatus*, sunt vel *Electorales*, ut *Moguntinus*, Cancellarius Imperii per Germaniam, qui jus coronandi Cæsaris sibi vindicat; *Trevirensis*, Cancellarius per Galliam & *Coloniensis*, Cancellarius per Italiam, qui cum Moguntino de jure modò dicto contendit: vel *Non-Electorales*, ut *Saltzburgensis*, Legatus Sedis Rom. & Germaniæ Primas; *Vesontionensis* & *Cameracensis*: Magdeburgicus enim & Bremensis in Principatus seculares sunt conversi. Sed & Vesontionensis ac Cameracensis Galliæ Regi jam addicti sunt. Georg. Hornius *Orb. Politic. pag.* 166. *& seqq.*

Archiereus, per convitium dictus ab Antiochensibus, Ægyptiis, Alexandrinis, Alexander Severus Imp. apud Æl. Lampridium in *Vita* ejus: ex Gr. Ἀρχιερεὺς V. etiam infrà in *Archisynagogus.*

Archieunuchus, Cubiculariorum Regiorum Princeps, apud Joh. Calvinum *Lexic. Jurid.*

Archifrater, dictus Theocharistus in *Collat. S. Maximi Martyr.* apud Baronium A.C. 656.

Archigallus, fuit præses caputque Gallorum, Cybeles Sacerdotum, qui aliàs *Curetes, Corybantes* & *Idæi* quoque *Dactyli* vocati sunt. Tertullianus *de Resurr. carnis*, *Et tamen calicem non dico Venerium, in quem mors aliqua ructares, sed frictricis, vel Archigalli, vel gladiatoris, aut carnificis spiritu infectum, quæro an minus damnes, quàm oscula ipsorum?* Ei in omnes Gallos seu Cybeles mystas summum fuit imperium, primusque is cymbala prælata in illis sacris pulsavit. Juvenalis *Sat.* 9.

Cymbala pulsantis legatum fiet amici:

Ubi vetus Scholiastes, *Archigalli*, inquit, *cymbala percutientes, ac per hoc Gallo, inquit, legetur, id est, legatario donabitur.* Sic intelligendus Claud. *in Eutrop. lib.* 1.

Vel si sacra placent, habeas pro Marte Cybellen,
Rauca Celænæos ad tympana disce furores,
Cymbala ferre licet, pectusque illidere pinu,
Inguinis & reliquum Phrygiis abscindere cultris.

Ubi *Cymbala ferre* rectè dictum, ad *Archigalli* officium designandum, &c. V. Th. Dempst. *in Antiqq. Rom. Rosini l.* 2. *paral. ad c.* 4.

Archigerontes, in *l.* 6. *Cod. de Episc. aud.* Alciato sunt, qui procurant negotia Aulæ Principalis: Hottomannus, levi mutatione *Archigetones* legit, & principes fabrorum intelligit, ab ἀρχιγέτων vel ἀρχιτέκτων Gr. Carolo du Fresne sunt primates plebis Alexandrinæ, seu qui quasi principes summoque honore & loco erant inter artifices, ex Jac. Gothofredo *ad l.* 1. *Cod. de Alexandrinis primat.* Carolo Macro, Decani *senum famulorum Palatini*, ex vocabuli significatu, quasi *Principes senum*, in *Hierolex.* &c Hos Lex prædicta *Christianos* esse vult, unde corruit Accursii suspicio, Christianorum Archipresbyteros, voce hâc denotari, existimantis. De iisdem sic habetur in *Græcis* Juris Cæsarei *Paratitlis*, *Μηδεὶς [illegible] ἀρχιγέρων [illegible] 'Αλεξανδρείᾳ [illegible], ἀλλὰ πάντως Χριστιανὸς [illegible] 'Αυγουστάλιος [illegible]*, *Nullus hæreticus in Alexandria sit* Archigeron, *seu collegii seu ergasteriarum administrator. Sed omninò sit Christianus, interveniente curâ Augustalis & parentis illi officii.* E quibus verbis contendunt nonnulli, indigitari hoc vocabulo Diœcetas & Alexandriæ Corporatorum Præsides, Anglis *Masters or Wardens of Companies* Græcis *[illegible]*, &c. Vide Joh. Seldenum *de Synedriis vett. Ebræorum lib.* 1. *cap.* 14. *p.* 594.

Archigraphus, q. *princeps Scriptorum*, Livius dicitur Albertino Mussato *de Gestis Henrici VII. lib.* 1 *in Prolog.* In *lib.* 4. *de Gestis Italic. post Henricum, Rubr.* 2. *Archigraphus Regiæ Majestatis*, Notarius vel Cancellarius Regius, appellatur. V. suprà *Antigrapheus.*

Archigubernus, Gr. Ἀρχικυβερνήτης, navis seu classis præcipuus gubernator seu præfectus. Javolenus. *l.* 36. *ff. ad SC Trebell. Seju Saturninus Archigubernus testamento reliquit hæredem Valerium Maximum Trierarchum*, apud Joh. Calvinum *Lexic. Jurid.*

Archijustitiarius, supremus Angliæ Justitiarius, apud Radulfum de Diceto, V. *Justitia.*

Archilevita, V. *Levita.*

Archilogotheta, apud Lambertum, indigitatur Heribertus Coloniensis Archiep. in *Vita* ejus, i. *Archicancellarius*, seu *primus Cancellarius*, uti idem dicitur Ruperto Tuitiensi *cap.* 7. apud du Fresne *Glossar.* V. infrà in *Logotheta.*

Archimagirus, in *Vita* S. Vincentii Presb. Græcè Ἀρχιμάγειρος, *Princeps Coquorum*, V. infrà *Coquus.*

Archimandrita, Græcè Ἀρχιμανδρίτης, q. *Princeps mandræ*, de qua voce *infrà*, titulus est Abbatibus tribui solitus olim. Unde *Memphitici & Palæstini Archimandritæ*, apud Sidonium *lib.* 8 *Epist.* 14. Hodieque viget inter Latinos Ecclesiastica dignitas Messanæ in Sicilia, quæ priùs Monachorum Basilianorum erat, jam verò *in commendam* ab Hispaniæ Rege Clericis secularibus concessa est; maximi honoris ac reditus. Aliquando tamen quivis Prælatus sic appellatur. Auctor *Vitæ* Severi Archiepisc. Ravennatis, quæ MS. servatur Romæ, in Bibl. Sanctæ Mariæ Vallicellæ de Urbe, *Qualiter Beatus Archimandrita Severus ejus sepulturæ fuisset divinitus destinatus.* Sic *Nov.* Justin. 5. *Hoc prohibens dilecti Dei Episcopi &* Archimandritæ. Hinc *Archimandritissa*, pro Abbatissa. Vide Dominicum Macrum *in Hierolexico*, & suprà in voce *Abbas.*

Archimea, apud Capitolinum *in Maximinis, Lupi quingenti simul ingressi sunt in eam urbem, in quam se Maximinus contulerat: plerique dicunt Hemonam, alii Archimeam.*

Archimedea Cochlea, V. infrà *Cochlea.*

Archimedea Sphæra, V. infrà *Sphæra.*

Archimedis Cochlea, continuo motu globos sursum ferens, per helices canales vitreos; qui motus perpetuus hydraulicus per rarefactionem peragitur visitur in *Musæo* Kircheriano. V. Georgium de Sepibus *pag.* 4.

Archimimi, præcipui seu principes Mimorum, V. in *Mimus & Pantomimi.*

Archiminister Sacri Palatii Boso Dux, Richildis Augustæ frater, sub Carolo Calvo dictus reperitur in Synodo Ticin. A C. 876. Suppo item, Piceni Comes, sub Ludovico jun. apud Guil. Bibliothecarium in *Hadriano II.* Videtur idem fuisse cum Majore domus, cui apud Romanos Impp. Magister officiorum par erat. Nec alia fortè dignitas *Ministri Imperatoris & Imperii*, quam Matfrido Proceri Palatii & Comiti Aurelian. sub Ludovico Pio adscribit Agobardus, apud du Fresne *Glossar.*

Archimonasterium, titulus Monasterio S. Remigii Remensis, Cluniacensi, Savinacensi & Landavensi, apud Scriptores tributus. V. du Fresne *Gloss.* & *Monasticon* Angl. *Tom. III. p.* 190.

Archinotarius, aliquando idem cum Archicancellario; Sic Hilduinus Archiep. modò *sacri Palatii Notarius summus*, modò *Archicancellarius*, in *Chartis* Hlotarii Imp. Aliàs ab eo distinguitur: Ita in Diplomate Ludovici Imper. filii Lotharii in *Tabular.* Casaur. subscripsere *Ruclemirus Archinotarius*, unà cum *Tractemiro Archicancellario*, apud du Fresne.

Archiœconomus, in *Capitulis* Caroli M. *lib.* 2. *cap.* 29. qui Ecclesiarum œconomis præest.

Archiœnochus, Gr. Ἀρχιοινοχόος, pincernarum seu pocillatorum, aut, ut Hieronymus *Quæst. in Genes. sub finem*, ait, *vinariorum Princeps*; Vide infrà in *Pincerna*, & *Pocillator.*

Archiota, in *Dig. lib.* 50. *tit.* 4 *lib.* 18. §. 10. Græcè Ἀρχιώτης *Archivista* est, inquit Macer, h. e. *Antiquarius*; cujusmodi VII Antiquarios ac peritissimos Scribas in sua Bibliotheca, 4. nempe Græcos, & 3. Latinos, constituisse Valentinianum Imp. discimus ex *C. Theod. l.* 2. *de Stud. Libr. Urb. Rom.* V. quoque Gregorium M. *cap.* 4. *Dial.*

Archipalatinus Præsul, V. suprà *Archicapellanus.*

Archipapa seu *Protopapa*, occurrit in Imperio Orientali, secundas obtinens ab Archisacerdote, apud Codinum *de Offic.*

Archiparaphonista, Gr. Ἀρχιπαραφωνιστής, q. *primus Acclamator*, dicitur in Comm. Rom. Cantor principalis, cui oblationis tempore in sacrificio, ut vocant, aquam præbere incumbebat. Cantores n. quòd canendo occupantur, non adstricti erant, sicut reliqui adstantes, ad offerendum panem & vinum; ideoque à vicino solùm fonte aquam petebant. *Ord. Rom. Deinde descendit Subdiaconus sequens scholam & accipit fontem de manu* Archiparaphonistæ *& defert Archidiacono & ille ex amula infundit, faciens crucem in calice,*

ctio. Idem in *Ceremonialibus* antiquis dicitur *Præcentor*, quia ad ipsum pertinebat Missæ introitum intonare, quod incipiebat per signum egressionis Papæ è sacrario: Tunc enim ad januam accedens, sub Pontificis egressum, mox reliquis ministris altâ voce *Accedite* acclamabat;. quæ ceremonia hodieque viget in Ecclesia Andegavensi, in Gallia, ubi Præcentor, ante introitum, eodem verbo ingressum chori denunciat, & in quibusdam festivitatibus *processionaliter* aquam pro sacrificio ex sacristia defert, in vasculo absconditto sub velo ab humeris pendente, præcedente Subdiacono, uti præscribit præfatus *Ordo*. V. quoq; suprà *Archicantor*, & infrà in *Paraphonista*. D. Mac. *in Hierol.*

Archipater, Baldrico *Chron. Camerac. lib. 1. cap. 84.* dicitur Bruno Archiep. Colon. Guilhelmo item Brittoni Archiepiscopus Remensis *Philipp. lib. 12* Dudo verò *Præf. ad Acta Normannorum*, priscos & famosos Duces hoc elogio insignit, apud Car. du Fresne & Henr. Spelmannum in *Glossar.*

Archipelagus, vocatur illa Maris pars, quæ multis insulis intercipitur: Sic *Archipelagus d'Andeman* seu *Andreman*, vocatur illa Insularum congeries, quæ in sinu Gangetico seu *Golfo di Bengala*, Regno Pegu, Siam & Chersoneso Aureæ obtenditur, usque ad insulam *Nicobar*. Incolæ carne hostium vescuntur, ut describuntur à Vincentio le Blanc *part. 1. pag. 75.* De reliquis V. in *Lexico*.

Archipelagus, pars Maris mediterr. adde: Sic in specie dicitur, vulgo *Archipelago*: olim *Mare Ægeum*, inter Insulas Græciæ, Thraciæ & Asiæ minoris adlabitur. Hic Christiani, ductu Johannis Austrii, Turcicam classem feliciter profligarunt, sec. præt. Thuanus *Hist.*

Archipelagus S. Lazari, adde: Veniunt hoc nomine Insulæ, à sinu Bengalensi, usque ad Moluccas & Philippinas, omnes ubertimo aromatum proventu eoque commerciis Europæorum percelebres. Potiores harum sunt: Sumatra, Java major, Borneum, Moluccæ, Amboina, Banda & Philippinæ, de quibus V. *suis locis*. Addam solùm, incolas Philippinarum, quæ extremum in hoc Archipelago locum tenent, avidius Christianam religionem fuisse amplexos, quàm reliqui Insulanos, & pleroq; jam eam profiteri, Auctor Anonos *Histor Orbis Terr. Geogr. & Chr.*

Archipelagus Maldivarum, adde: Olim *Hippadis mare* dictus est.

Archiphonista, dignitas Eccl. in Communione Rom. *Roze Archiphonista*, *in Charta* Alrici, Episc. Astensis sub An. Christi 1020. apud Ughellum: ubi tamen *Archiparaphonista* legi jubet du Fresne. V. *Archicantor* suprà, & infrà, ubi *de Schola Cantorum*.

Archiphylax, Græca itidem vox: Ἀρχιφύλαξ i. *primarius Custos*: Sic appellabatur in monte Carmelo Generalis totius Ordinis Carmelitarum olim, usque ad A. C. 1121. Tunc enim Aimericus Patr. Antiochenus in Terra S. generale Capitulum congregavit, ubi ad generalatum Bertholdus Latinus vocatus, relictoq; veteri titulo, ad imitationem Occidentalium, *Prior* nominatus est. Dominic. Macer in *Hierolexico*.

Archipirata, apud varios Scriptores, pro Amiralio seu summo Classis Præfecto, V. infrà *Pirata*.

Archipontifex & *Archipræsul*, pro summo Pontifice, item Archiepiscopo, apud du Fresne.

Archippus, nomen Regis, quod ab *Archippe* urbe in Lacum Fucinum dissolutâ, finxit Virgilius *Æneid. lib. 7.*

Quin & Marrubiâ venit de gente sacerdos,
Fronde super galeam & felici comptus oliva
Archippi *Regis missu.*

Nam Marrubii circa Fucinum lacum habitabant. An *Archippe* urbs potiùs ab illo *Archippo* Rege vocata? Sic certè videtur. Nam doctissimus ille Poëta sine dubio ex historia nomen illius Regis sumpsit. Nec obstat, quòd Archippe à Lydorum R. Marsya condita dicitur. Eandem enim urbem, ut varia nomina, sic varios posse habere conditores, notum. V. Salmasium *ad Solinum pag. 59.*

Archipresbyter Cardinalium, apud Bennonem in *Gestis Hiltebrandi pag. 40.* tituli S. Mariæ Majoris nempe, du Fresne. *Glossar.* Romæ unaquæq; ex tribus Basilicis Patriarchalibus suum *Archipresbyterum* Cardinalem habet, quorum vicarii sunt Prælati, quibus jussu Alexandri VII. dimidia pars proventus Canonicalis Archipresbyteri assignata est. In *Ritualibus* antiquis & *Diariis*, tres hi *Archipresbyteri* vocantur *Priores*, quemadmodum etiam tria Ordinum capita in Collegio Cardinalium dicebantur, nim. *Prior Episcoporum*, *Prior Diaconorum* & *Prior Presbyterorum*, quos hodie horum ordinum *Decanos* vocant. Ex his autem *Archipresbyteris* purpuratis quilibet, excepto Vaticanæ Basilicæ, in anni sancti, ut ajunt, principio, portas sanctas suorum titulorum aperit; sicut Pontifex portam ædis S. Petri, & Cardin. Ostiensis portam ædis S. Pauli, V. Macrum *Hierolexic.*

Archipresbyter Franciæ, in *Epistola* Adriani Pontif. apud Flodoardum *Histor. Rem. lib. 2. cap. 17.* Fulradus dicitur Abbas S. Dionysii du Fresne *Glossar.*

Archiprior, pro Militiæ Templi Præfecto. Henr. Spelmannus in *Glossar.*

Archiprotopapatus, apud Gaufredum Vosiensem 1. *part. cap. 65.* *Primo loco ponatur excelsus ille Johannes, qui Regnis imperans magnis, humilitatis causâ Presbyteri sibi nomen aptavit; hujus principatus diversarum copias rerum, qualiterve plures ipsi serviunt Reges &* de Archiprotopapatu, *vel qua de causa pater ejus, Quis est ut Deus, dictus est, epistola Manueli ab eo directa, prodit breviter. V. Presbyter Johannes.*

Archisacerdos, apud Fortunatum *lib. 3. Poëm. 11.* idem quod *Archiepiscopus*: alibi, quod *Archipresbyter*, & *Protopapas*. Dominic. Macer *Hierol.* V. quoque Spelmannum *Glossar.* ubi *Archisacerdotem Sacerdotum*, à Gregorio Naz. vocari Athanasium, *in Orat. ad Heronem*, observat.

Archischolaris, apud Auctorem *de Discipl. Scholarum*, idem fortè qui *Proscholus*, V. ibi.

Archischolus, id est, Magister Scholarum seu Scholasticus, dignitas Ecclesiastica, in *Vita* Lietberti Episc. Camerac. *cap. 2. & 4.* apud du Fresne *Glossar.*

Archiscrinius, Beslio *pag. 291.* in *Charta* Guilielmi Ducis Aquitan. Thesaurarius Ecclesiæ, apud Eundem.

Archiscrutiniarius, officium Monasticum, apud Ughellum *Tom. IV. pag. 1321.* Ibid.

Archiseniores, in *Vita* S. Pharonis *cap. 72.* iidem qui *Archigerontes*, V. *suprà*.

Archisterium, Gr. Ἀρχιστήριον, in *Vita* S. Antonii *cap. 53.* *Ad interius* Archisterium, *propter asperitatem itineris ire non poterant*. Ubi alii *Asceterium* legunt. Aliquando per synecdochen partis, Sedem Episcopalem denotat, cùm sit primariæ Eccl. in diœcesi mansio, ut colligitur, ex *Vita* S. Severi Archiep. Ravennæ, quæ *MS.* in Bibl. Vallicellana de Urbe asservatur; *Quòd moratus ad* Archisterium *Ravennæ accesserit*: ubi fortè intelligitur Pontificis ædes, quæ tanquam principalis Præsulis mansio consideratur. *Archisterium* enim Monasterium, item mansionem, denotat. V. Macrum in *Hierolexico*.

Archistrategus, Ἀρχιστράτηγος, i. *Princeps militiæ*; Græcis Michael Archangelus dictus est: cujus festivitatem illi ad diem 6. Sept. ex Emanuelis Imp. constitutione & Menologio, celebrant. Hinc & vexillum, in quo S. Michaelis effigies, *Archistrategus* Curopalatæ. V. etiam infrà.

S. *Archistratici* Monasterium, in *Charta* anni 1077. apud Ughellum *Italiæ sacr. Tom. VII p. 110.* vocatur Monasterium S. Michaeli dicatum, quem *principem militiæ cœlestis* vocant Patres, Στρατηγὸν & Ἀρχιστράτηγον τῶν ἄνω δυνάμεων, ut modo vidimus, in voce *Archistrategus* Meminit monasterii istiusmodi etiam Ignotus Casin. *cap. 3.* & Luithprandus *lib. 1. cap. 2.* V. quoque Zonaram *Tom. III.* Scylitzen, Nicetam in *Manuele lib. 7.* Gregoram, Codinum, alios. Magno nempe cultu veneratos Græcos S. Michaëlem fuisse, arguunt præ cœteris vexillum, cujus paulò antè meminimus, quod in præcipuis ceremoniis deferebatur, & crebræ ei dicatæ ædes sacræ. Neque minori apud Gallos reverentiâ colitur; quibus pro Regni Angelo tutelari haberi constat, cujusque festum solenniter celebratur, ex Caroli M. fortè instituto, ait du Fresne *Glossar.* V. in voce *S. Michaël.*

Archisubdiaconus, antiquum in Ecclesia Rom. officium, cujus sæpe meminit *Ordo* Rom. *Archisubdiaconus levat calicem & dat eum Archidiacono* &c. idem quod, primus inter Subdiaconos. Macer & du Fresne.

Archisynagogus, per convitium dictus Alexander Severus, apud Æl. Lampridium, in *Vita* ejus, *Volebat videri originem de Romanorum gente trahere, quia eum pudebat Syrum dici: maximè quòd quodam tempore festo, ut solent, Antiochenses, Ægyptii, Alexandrini, lacessiverant eum conviciolis, Syrum* Archisynagogum *eum vocantes & Archiereum.* Apud Flav. Vopiscum in *Saturnino*, Judæis *Archisynagogi* quasi proprii attribuuntur, ut Christianis Presbyteri: Judæis tamen etiam sui Presbyteri, præter Archisynagogos & Patriarchas. *Cod.* Theodos. *de Jud. cœl. & Sam. l. 13. & l. 14.* tit. eod. V. Salmasium *ad Histor. Aug.*

Architæ Columba, tholo crystallino imminens & horas libero volatu indicans, conspicitur in Musæo Kircheriano Romæ; cujus Auctor Architæ volantem columbam hoc artificio est imitatus: Binis columnis suffultam cupulam, quæ extrinsecus in coronæ regiæ ornatum abit, intrinsecum latus plano speculo circumferentiâ circulari totum obtegit. In hujus itaque seu coronæ seu cupulæ specularis superficie reconditur machinula rotatilis (quæ etiam horologium esse possit, horas in speculo [illegible] dispartitas exhibens) Porro huic machinulæ optimi magnetis fragmentum inest, in circumferentiâ speculi positum. Basis harum columnarum architectonico artificio ita est constituta, ut in basis centro, velut in monte positus, Architas, supra fulcrum aciculare, tenuissimo filo levissimam chartaceam columbam, acu magnete animatâ ligatam teneat, tantâ industriâ, ut acus acumen ex aviculæ rostro prominens tanto distet spatio, ut rostrum non possit speculum absolutè contingere, sed tanto solùm distare spatio à superficie speculi, quantum sufficit, ut chartæ foliolum possit inter rostrum & speculi planitiem interponi. Quoties igitur ex motu rotatilis machinæ Herculeus lapis in circumferentiam circumagitur, tum etiam unà secum acum rostro columbæ insertam trahit, quæ & motu occultæ machinæ in orbem, nil remorata fugientem amicum, per tholi gyros, pari volatu consectatur nec quiescit priùs, quàm arcanus

motor subftiterit. Georg. de Sepibus *in Collegii Rom. S. I. Museo pag.* 3. & 10.

Architecton, apud Solinum *cap.* 32. ubi de Alexandria Ægypti: *Quam metatus Dinocrates* Architecton *alterum à conditore in memoria locum detinet*: ex Græco ἀρχιτέκτων, melius eft quàm *Architectus*, quod Græcum eft, fed formatione Latinâ. Sic *Magiftrum Architectonem* habemus apud A. Gellium *lib.*1. *cap.*13. *de* Craffo: *Is cùm in Confulatu obtineret Afiam provinciam & circumfedere oppugnareque Leucas oppidum pararet, fcripfit ad* Magiftrum Architectonem *Eleatenfium, fociorum amicorumque Populi Romani.* V. Salmafium *ad Solinum pag.*476. Fuere autem *Architecti* femper inter Artifices, quibus aliquam vacationem munerum graviorum conditio tribuit, habiti. *V. l.* 6. *ff. de jure Immunit.* Iidem in Brevi fubdito *legi* 2. *Cod. Theodos. de excufationibus Artificum*, primi omnium nominantur. Emolumenta illis auxit Aurelianus Imp. apud Vopifcum, *Decrevit etiam emolumenta Architectis & Miniftris*, Cafaubonus *ad l.* ubi per *miniftros* intelligit eos, qui in difcipulatum fe *Architectis* tradiderunt, de quibus Conftantinus Imp. *l.*1. *fuperioris tituli*, *Tam ipfos* Architectos, *quàm eorum parentes, ab iis quæ perfonis injungi folent, volumus effe immunes, ipfisque qui difcent, falarium competens ftatui.* At aliter longè verba Vopifci Salmafius legit, quem vide. Horum artem, *Architecturam* viz. in tres partes, *Ædificationem*, *Gnomonicen & Machinationem* dividit Vitruvius, ut videre eft apud Eund. *ad Solinum pag.*632.

Archivum feu *Arhium*, *Arceps* &c. Locus, feu fcrinium; ubi Chartæ publicæ affervantur, V. infrà *Chartophylacium*. Etiam *Archia*, apud Tertullianum *c. Marc. lib.* 3. Græcè Ἀρχεῖα, Suid. Vetus *Infcr.* inedita, reperta nuper A. C. 1670. Smyrnæ, in area Confulis Batavi,

ΝΑΙΣ. ΕΡΜΟΥ. ΤΟΥ. ΔΙΟΚΛΕΟΥΣ.
ΑΓΟΡΑΣΑΣΑ ΤΟΠΟΝ. ΨΙΛΟΝ ΚΑΤΕ
ΣΚΕΥΑΣΕ. ΤΟ. ΜΝΗΜΕΙΟΝ. ΤΩ. ΚΑΤΟΙ
ΧΟΜΕΝΩ. ΥΙΩ ΣΩΣΙΜΩ. ΚΑΙ. ΕΑΥΤΗ. ΚΑΙ.
ΤΟΙΣ. ΘΡΕΜΜΑΣΙ. ΚΑΙ. ΠΡΟΚΑΗ. ΤΗ. ΤΡΑΦΕΙ
ΣΗ. ΥΠ. ΑΥΤΗΣ. ΕΞΟΥΣΙΑΝ. ΕΧΟΥ
ΣΗΣ. ΑΥΤΗΣ. ΕΠΙΘΕΤΕΙΜΑΙ. ΣΟΣΟΝ. ΒΙΣΙΝΚΗ
ΧΕΣΘΗΣΕ. ΤΑ. ΙΜΟΝΗ. ΜΙΔΕΝΟΣ. ΕΧΟΝΤΩ.
ΕΞΟΥΣΙΑΝ. ΕΤΕΡΟΝ. ΒΑΛΕΙΝ. ΕΝΤΑΛΛΟΤΡΟΣΑ
ΤΑΥΤΗ. ΤΗΣ. ΕΠΙΓΡΑΦΗΣ. ΑΠΕΤΕ
ΘΗ. ΑΝΤΙΓΡΑΦΟΝ. ΕΙΣ. ΤΟ. ΑΡΧΕΙΟΝ.

apud Car. du Frefne *Gloffar.* Hinc *Archivifta*, V. fuprà *Antiquarius*, & *Archiota*.

Archizupanus, titulus olim Serviæ Principis, apud Cinnamum, Ἀρχιζουπάνου τῆς Σερβίας, *Archizupani Serviorum*, quos Ζουπάνους γέροντας. *Zupanos fenes*, Conftantinus *de adminiftr. Imp. cap.* 29. Ἐκλεκτοὺς τῶν Ζουπάνων, *Selectos Zupanorum*, Anna Comnena *Alexiados lib.*9. *Megajupanus*, Innocentius III. Pontif. in *Actis* &c. vocant V. infrà in voce *Zupanus*.

Archoleon, apud Capitolinum in *Gordiano tertio*, *Fuerunt fub Gordiano Romæ elephanti XXX. & II. — Archoleontes X Camelopardali X.* &c. Quid fit, difceptatur. Egnatius & alii *jubatos leones* hac voce denotari volunt, de quibus Plinius *lib.* 8. *cap.* 16. *Leonum plurium pugnam Romæ princeps dedit Q. Scævola — Centum autem jubatorum primus omnium L. Sulla — poft eum Pompejus M. in Circo DC. ac in iis jubatorum CCCLXV.* Utut enim jubati fint mares leones omnes, tamen in fortioribus illis (nam duo Leonum genera Plinius habet *l. c.*) juba maximè notabilis, quia promiffior, longoque & fimplici villo; atque hi videntur iis hic intelligi. Palatinus codex *Arcoleones* habet, unde mutatâ unicâ literâ fcribit *Argoleones* Salmafius, h. e. *albos leones*, quorum mentio in *Epiftola* Alexandri ad Ariftotelem: *Jam nos vigiliis inquietos quintâ noctis horâ buccina monebat ad quiefcendum. Sed affuerunt albi leones taurorum comparandi corporibus, qui cum ingenti murmure concuffis cervicibus albi jubis in modum fulminum in nos impetum faciunt exceptique ruunt venabulis.* Nempe fubalbi iftiusmodi leones funt & vulgaribus minus flavi. Cujusmodi leonum genus Hebræis ליש *lajis* dicitur, à robore & audacia: unde λῖς Græcorum. V. Salmafium *Notis ad Capitolinum*, & Sam. Bochartum *Hierozoici Part. prior. lib.III. cap.* 1.

Archontes, Magnates aulæ Conftantinopolitanæ, apud Guil. Tyrium *lib.* 20. *cap.* 18. *Ex quo enim in Ægyptum defcenderant ejus Archontes*, & Pachymerem *lib.*9. *cap.* 10. *Quorum uxores* Ἀρχόντισσαι, apud Nicetam *in Ifaac. lib.* 3. *cap.* 11. Ordo ipfe Ἀρχοντικὸν, Annæ Comnenæ *Alexiad. lib* 1. Ἀρχοντικὴ τάξις Cantacuzeno *Proœm. Hiftor.* qui Gallis vulgò *Baronagium* & *Barnagium* &c. V. Car. du Frefne *Gloffar.* & *Not. ad Alexiadem*.

Arcifinius Ager, dictus olim Agrimenforibus, qui nullâ menfurâ, nec ullis limitibus claudebatur, fed montibus aut fluviis, aut viis, aut rivis, aut foffis, aut aquarum divergiis, aut arboribus antemiffis, quas relinquebant agricolæ, aut quodam culturæ genere difcriminabatur. Quomodo fere territoria à territoriis hodie difcriminantur: Agri verò privatorum invicem feparabantur lapidibus, qui in recta linea conftituti erant, quos pro terminis fervabant. Verbo, *Arcifinius ager eft, qui terminatur quidem, non verò limitatur*: quâ conditione jam omnes fere agri funt. Nullus enim ager limitatur hodie, fed terminatur tantùm. Olim verò centurias includebant limites, centuriæ per actus dividebantur; in fingulas centurias lapides terminales ponebantur, qui invicem diftabant ped. II. CCCC. fi centuriæ ducentenis tantùm jugeribus conftarent. In fingulos actus pali defigebantur, qui diftabant à fe pedes 121. quæ unius actus longitudo eft. Quam in rem V. Salmafium *ad Solinum pag.* 680.

Arcifi, vel potiùs *Arcicifi*, pagi tres memorantur, in *Capitulis* Caroli Calvi, hoc eft, *Arcicenfes* vel *Arciacenfes*: quorum uni nomen dedit Arciaca ad Albam, *Arci fur Aube*: alteri *Arcia* vel *Arcifa* ad Albionem in Albam effluentem, *Arcq fur Aujon*: poftremò, Arcia ad Tilam, *Arc fur Tille*, Hadr. Valefius *Not. Gall.*

Arctinus, adde: Hieronymo duo memorantur *Arctini*, unus Arctinus Milefius verfificator omni opere & metro, quem ponit claruiffe tempore primæ Olympiadis. Mox ad tertiam Olympiadem ita refert: *Eumelus Poeta, qui Bugoniam & Europam*, & Arctinus, *qui Æthiopiam compofuit & Ilii Perfin.* Sed fine dubio idem eft uterque Arctinus. Inter Cyclicos Poëtas refertur à Clemente, ut & Lefches, cum quo & vixiffe & certaffe traditus. V. Salmafium *ad Solinum pag.* 854. & infrà, ubi de *Cyclicis* Poëtis.

Arcuatura, curvaturæ funt, feu concamerationes & volutæ, apud Salmafium *ad Æl. Spartianum*, in *Pefcennio, Nigro. Hanc in Commodianis hortis in porticu curva pictum de mufivo inter Commodi amiciffimos videmus.* V. quoque infrà.

Arcula, κιβώτιον, λαρνάξ, in *Gloffar.* Lat. Græc. V. Meurfium in Ἀρκλαι, Joh. Calvinum *Lexic. Jurid.* in *Arcula* & fuprà in *Arca*.

Arcus, in cippo fepulchrali fœminæ cujusdam, cui *Myro* nomen, *in Epigramm.* Græc.

Μὴ θάμβει μάστιγα, Μυροῦς ἐπὶ σήματι λεύσσων
Γλαῦκα, βιὸν, χῆνα, θοὴν σκύλακα.
Ne time flagellum, Myrus in monumento cernens
Noctuam, arcum, *anferem*, *celerem catellam*:

Magiftram domus intentam eam fuiffe notat. Salmafius *ad Solinum pag.* 1221. De *cippis* autem hujusmodi feu *ftelis*, V. infrà.

Arcus, apud Corippum *de Confulatu Juftini Jun. initio lib.* 4.

Jam vicina dies fpectandi Confulis omnes
Urgebat turmas arcus *ftatione replere,*
Et loca, quæ populis Præfectus deputat urbis.

Et paulò pòft,

Roboribus flexis teretes curvaverat arcus
Artificum praducta manus, trabibusque cavatis
Adfigens tabulas pendentes ftruxerat ædes.

Alibique: dicuntur fepta illa, in Augufteone feu Foro Urbis CP. in quibus popularium unusquisque fecundùm ordinem & gradum fuum difpofitus ac diftinctus ftans, quotidie panes accipiebat, de quibus fuprà in *Annona civica*. Idem Corippus *tabulata* vocat *eod. lib.*

Exornatque locos & feftâ fronde coronans
Partes quisque fuas: fixis tabulata virebant
Palmarum ramis, & amica pacis oliva.

Themiftius ἐρωτικῷ *Orat.* 4. ubi de his qui tefferas fuas & κανδήλας ad forum portabant, ut panes acciperent ibidem de gradibus erogandos: πάντες, inquit, ὅσοι ψωμοφοροῦντες, ἐρχονται ἐπὶ τὰς ἀψίδας, &c V. Salmafium *ad Vopifcum in Aureliano*, & *ad Solinum*, ubi ἄρκος Siculis ἶρκος, i. *feptum*, dici ait. Apud Anaftafium *Bibliothec.* vox non femel ornamentum denotat, in ædibus facris appendi folitum & fortè *arcus* formam habens, in *Leone I.* III. *Pafchali* & *Leone IV.*

Arcus Triumphales, olim honoris virtutisque causâ erecti funt iis, qui externis gentibus domitis, fingulares victorias patriæ pepererunt. Ii primùm rudes fuere ac fimplices, idque vel lateritii, ut Romuli: vel ex rudi lapide quadrato, ut Camilli: ex marmore dein facti funt, ut Cæfaris in foro: Drufi cum tropæis, in via Appia: Trajani in ejusdem foro: Gordiani in Viminali: Gratiani, item Theodofii, non longè à via Triumphali &c. cum fuperbis infcriptionibus & incifis victoriarum monumentis. Forma eorum antiquitus femicircularis fuit, unde apud Ciceronem *fornix Fabianus*, qui à Victore *Arcus Fabianus* nuncupatur. Poftea quadrata; ita ut in medio ampla effet porta fornicata, cui ab utroque latere minores portæ additæ. Intra mediæ autem portæ fornicem Victoriæ pependerunt alatæ, quæ tranfeunti Victori coronam demiffæ imponerent. Superior arcus pars fpatia habebat, in quibus, vel qui tubis canerent, vel qui tropæa maximè infignia oftentarent, fteziffe exiftimantur. Quæ magnificentia Augufti temporibus, vel paulo antè, cœpit. Novitium quidem hoc inventum Plinius vocat, verùm non tam de ipfis arcubus, quàm de luxu & magnificentia

tui insolita, intelligendus est. Antiquissimi arcus tres, novitio Plinio quinque memorantur, Georg. Fabricius *in sua Roma cap* 31. Imo quatuordecim in urbe arcus ex Historicis & P. Victore inprimis, enumerat Onufrius Panvinius, sed ante Titum neminem Imperatorum arcum triumphalem statuisse, contendit Bartholom. Marlianus *Topogr. lib. 4. cap.* 17. Sicut autem virtutis ergò primitus *Arcus* hi erecti fuere, ita sequioribus seculis sola sæpe Imperatorum libido eos sibi statuit. Suetonius *in Domitiano cap.* 13. *Janos Arcusque cum quadrigis & insignibus triumphorum, per regiones urbis, tantos & tot extruxit, ut cuidam Græcè inscriptum sit, Arcum & calvitium.* Illum enim, ut Ausonius habet,

— — Calvum dixit sua Roma Neronem.

Habebant *Arcus* à triumphantibus nomina, dictique sunt Septimii Severi, Gallieni, Titi, Fabianus &c. solebantque à Senatu ante diem Triumpho præstitutum extrui. Hinc Roma ad Honorium, apud Claudian. *de* 5. *ejus Conf.*

Ast ego frenabam geminos, quibus altior ires
Electi candoris equos, & nominis Arcum
Jam molita tui, per quem radiante decorus
Ingrediere togâ.

Nec nomina tantùm Ducum seu Imperatorum triumphantium, verùm & hostium devictorum gens, gesta, habitus & spolia iis insculpebantur, velut in omne tempus mansurum tropæum: Unde idem Claudian. *de laud. Stiliconis lib.* 3.

— — Septem circumspice montes,
Qui solis radios auri fulgore lacessunt,
Indutosque Arcus spoliis.

Transiit consuetudo à veteri ad novam quoque Romam, unde Corippus *in Justin min.* arcuum sæpe meminit, sed dubium an Triumphales illi & perpetui, an subitâ lignorum congestione in publica lætitiâ tantùm erigi eaque absolutâ subverti soliti fuerint? Icones *Arcuum triumphalium*, tum in *Antiqq.* Gamuccii, tum in vett. nummis, magno numero exhibentur: aliquas etiam reperias apud Joh. Rosinum *Antiqq. Rom. lib.* 10. *cap.* 29. ad cujus *lib.* 1. *caput* 13. *V. quoque paralipomena* Thomæ Dempsteri.

Arda, opp. Morinorum, ab Arnulfo Selnessensi, ex ruinis castelli Selnessæ Anno Christi 1057. conditum: Vulgò nunc *Ardres*. Nomen accepit à pascuis, ut docet Lambertus Ardensis Eccl. Presbyter, *in Hist. Comitum Ginensium, quam principatu Philippi Aug. scripsit: Ille locus*, inquit, *eò quòd pascuus erat, à pastoribus, ut ajunt incolæ, dicebatur Arda. Dicebant enim pastores ad invicem: Eamus & conveniamus in pasturam, hoc est, in Ardam. Crescentibus autem ibi populis indigenis simul & advenis, crevit villæ situs & amplitudo: crevit & Ardensis nominis bonitas & fama. Arnuldus consensu Balduini Gisnensis Com. de villa sua Ardea* (nam & sic quandoque nominatur) *liberum fecit castellionis oppidulum, XII. Pares vel Barones castro Ardeæ appenditios instituit, Stabinos ibidem ordinavit.* Hæc *Ardæ*, secundùm Lambertum, origo. Idem Robertum Com Flandrensem Arnoldo Ardensi Domino concessisse narrat, ut hæreditario jure cum XII. Flandrensis Curiæ Paribus & Baronibus sederet ac judicaret, honoris eorum & dignitatis particeps ac compar: Ex quo intelligitur, Flandriæ tum hoc oppidum adscribi consuevisse, V. Hadr. Valesium *Not. Gall.*

Ardaricanus, in *Additamento* 2. *L.* Burgund. §. 6. *De monetis solidorum præcipimus custodire, ut omne aurum quodcunque pensaverit, accipiatur, præterquam istas 4. monetas, Valentiniani, Genavensis & Gothicum, qui à tempore Regis adæratus fuit & Ardaricanos.* Monetæ species est: du Fresne legendum conjicit *Alaricanos*, à Rege Alarico. in *Glossar.*

Ardea, adde: Instaurata hæc urbs fuerat post primam deflagrationem, quæ sub Ænea contigit; unde *Ardeæ Rutulorum* meminit Livius sub Tarquinio. Postea verò ab Hannibale denuo eversa ac incensa legitur, apud Servium. Salmasius *ad Solinum pag.* 57.

Ardentes, apud Anonymum *de Miraculis S. Agili cap* 5. *Deus per ejus meritum operatur sanationes & maximè* Ardentium *restinguit ignes*: Dicuntur, qui igneo quodam morbo correpti, toti quodammodo *ardebant*, & membris depastis sensim consumebantur. Morbum hunc Vett. *sacrum ignem* vocabant, h.e. *crudelem & pessimum*, quomodo Donatus *ad* 7. *Æn.* interpretatur. Ipse Virgilius ejus meminit *Georgicor. lib.*3.

— — Nec longo deinde moranti
Tempore, contractos artus sacer ignis edebat.

'Ερυσίπελας Græci vocant, &c. Hinc ædiculæ S. Genovefæ sacræ Lutetiæ Parisiorum, *Ardentium* nomen inditum; quòd sub A. C. 1130. sub Ludovico VI. ad feretrum Virginis hujus, quo ædificata deinceps fuit loco, complures hac lue correpti, sanati traditi sunt, ut est apud Brolium *Hist. Paris. lib.*1. Idem factum esse ad ædem Deiparæ Parisiensis, ait Flodoardus in *Chronico* Anno Christi 1045. Nempe ignis hic sacri plaga, in pestilentiæ modum, sæpius homines, in Gallia maximè, olim pervasit, uti ostendit, plurimis in hanc rem Auctoribus citatis, Car. du Fresne *Glossar.* Gallis *Ardens.*

Ardere, de purpura veri luminis, eleganter Poëtæ dicunt. Valerius Flaccus *lib.*3.

Das pictas auro atque ardentes *murice vestes.*

Quod idem paulo aliter *lib.* 1.

— — medii famulæ convivia tectis
Expediunt: Tyrio vibrat torus igneus ostro &c.

Cujusmodi purpura cæteras sordere faciebat. Vopiscus *in Aureliano* de purpura Indica, *Meministis fuisse in Templo Jovis Capitolini pallium breve purpureum lanestre, ad quod cùm matronæ atque ipse Aurelianus jungerent purpuras suas, cineris specie decolorari videbantur cætera, divini comparatione fulgoris.* Et proin secundùm *ardorem*, purpuræ pretium æstimabatur, unde qui bene culti haberi volebant, prodibant in Solem. Augustus apud Macrobium, *Saturnal. lib.* 2. *cap.* 4. *Cùm de Tyriæ purpuræ, quam emi jusserat, obscuritate quereretur; dicente venditore, Erige altiùs & suspice: His usus est salibus: Ego, ut me Populus Rom. dicat benè cultum, in solario ambulaturus sum.* Quasi dicat, Ergone ego, in quem omnium oculi conjiciuntur, ut tuæ purpuræ claritudo perspici possit, in Solarium ascendam & ita demum dignâ me veste cultus videbor, cùm aliarum purpurarum splendor vel in umbra luceat &c. Sed hoc genus tincturæ, quod per totum terrarum orbem tot secula nobilitatum & omnibus mortalibus fuit notum, adeò penitus interiit, ut nec ratio ejus reparandi supersit ulla. Caspar. Barthius *Animadversionum ad Papinium Statium lib.*4. V. infrà, in voce *Argavan*, item *Lumen*, *Purpura*, nec non suprà ubi *de Alethinis Vestibus.*

Ardesia, Gallis *Ardoise*, lapidis coerulei species, ex quo in tenues lamellas seu scandulas fisso, ædium tecta operiuntur. Martinus in *Vita* B. Mariæ de Malliaco *num.* 32. *Tectum ligneum — in lapidem commutavit, quod* Ardesias *vocant.* Hodie passim in usu, at vett. olim ignota: Refert enim Plinius *lib.* 16. *cap.*10. Romanos usos scandulis seu ligneis assulis & sectilibus asserculis. Ab *ardendo*, ut videtur Philandro *ad Vitruvium lib.*1. *cap.*1. *Nostri utuntur cæruleis in nigro sectilibus laminis crassiore. Is lapis serrâ dentatâ, ut lignum, secatur, assulatimque frangitur, non ut cæteri in cæmenta, Ardesiam vocamus, credo ab ardendo, quòd è tectis ad Solis radios veluti flammas jaculetur.* Ejusmodi testas, ut & figulinas qui conficiunt, 'Οστρακάριοι Theophani dicuntur. Car. du Fresne *Glossar.* V. & infrà in voce *Scaglia*; sic enim & illæ nonnullis dicuntur, ex Italico *Scaglia*, id est, *Squama*; Squamarum enim more in tectis conseruntur. &c.

Ardettus, nomen erat loci, in Græcia, prope fluv. Ilissum, dicti ab Ardetto viro Optimate, qui populum tumultuantem & seditionis manifestum, jurejurandi religione ad pacem & amicitiam servandam adstrinxit. Unde mos ortus, ut postmodum Atheniensium Judices, eodem loci, per Apollinem Patrium, Cererem ac Jovem Regem, jurare tenerentur, se secundùm Leges jus dicturos, iisque in casibus, ubi Lex nil definiret, ex æquo & bono sententiam laturos. Etymologici Auctor, [illegible] *In hoc igitur loco jurabant Judices: Judiciale juramentum.* A consueto hoc jurandi loco, factum postea, ut qui ad juramenta temerè prosiliebant, vel etiam perjuriis infames erant, dicerentur 'Αρδηττοὶ, Hesych. proverbialiter, i. *perjuri.* V. Franc. Rossæum *Archæol. Att. lib.*3. *cap.*3.

Arduenna Sylva, adde: Attingit Rhenum inter ac Mosam Juliacenses, Colonienses seu Agrippinenses, Tolbiacenses, Aquenses, Condrusos, Efliam, Lemburgenses, Confluentinos ac Mogontiacenses, Luciliburgenses & Bublionenses in finibus Trevirorum, Mediomatricos sive Mettenses, cis Mosam Leodicenses, *Tungros* olim dictos, Namucenses, Nervios vel Hannonios, apud quos *Carbonaria* vocatur, Teoraciam, Catalaunenses ac Barrenses Ducales, si Marliano creditur. Valesio Nerviorum, Veromanduorum, Remorum ac Catalaunorum fines stringit. Nam hodieque ad Duodeciacum, Sedanum & Doncherium Remorum oppida, sylva est ingens, *Arduennæ* servans nomen *bois des Ardennes*: & ab oppido S. Manechildis, quod diœc. Catalaunicâ continetur, Verodunum petentibus transeunda est ejusdem sylvæ portio, hodieque *la forest d'Ardenne* nuncupata. Denique ad utramq; Mosæ ripam nobiles supersunt ejus reliquiæ *les Ardennes* dictæ, hinc Mariæburgo, Cimacoq; in Hannonia, Malaberti fonte & Rupe Regia in Remis, atque Monte Cornuto, inde Fumaco ac Orcimonte clausæ: nec procul à dextra fluminis ripa pars alia ejusdem sylvæ cernitur, capite fl. Urbæ, & Andaino sive St. Huberti Monasterio, ac priscâ appellatione nobilis. *Saltus, quibus nomen Arduenna*, Tacitus vocat. Hanc proin falsò Cæsar à Rheno fluvio, *ad Remos millibus amplius D.* (aliàs L.) *in longitudinem patere* ait: cùm pateat millia 160. hoc est, leucas Gall. 50. Nam à Colonia Agrippina abest Bagacum Nerviorum m. p. 110. à Bagaco Nerviorum Durocortorum Remorum 53. mill. In hac sylva aut in Vosago, nec unquam fere alibi quotannis ex more autumnalem venationem peragere consuevisse Carolum M. & Ludovicum Pium Impp. apud Historicos legimus. Sigibertus quoque junior Austrasiorum Rex eam

Forestam suam vocat, apud Notgerum *de vita Remacli.* Adeoque non licebat privatis in ea, utpote sylva Regali ac Dominica, venari ac majores feras occidere, nisi Regio permissu. Hinc Fortunatus ad Gogonem, *lib. 7. carm. 4.*

Ardenna an Vosagi cervi, capreæ, helicis, ursi,
Cæde sagittiferâ silva fragore tonat?
Seu validi bufali ferit inter cornua tempus,
Nec mortem differt ursus, onager, aper?

Imo & filio suo Ludovico in quinque dominicis sylvis venatione interdixisse Carolus Calvus Imp. legitur. Porro quia *Arduenna* sylva regalis erat, hinc Notgerus retro memoratus *loca omnia Arduennæ adjacentia sub Regia ditione fuisse*, id est, fisci seu patrimonii Dominici extitisse, scribit. Adjicit Sigibertum duo condidisse Monasteria in hac sylva, Malmundarium *Malmedi* & Stabulaus, *Stavelo*, quæ nunc extra ejus fines sunt, cultorum ac præ cæteris Monachorum operâ passim excisæ. Nomen ab *Arduenna* sylva accepit pagus seu Comitatus *Ardenna* dictus, in divisione Regni Ludovici Pii inter filios, ubi ponitur inter Hasbaniam & Frisiam Cis Rhenanam, quæ ad Mosam aut etiam Scaldim usque pertinebat. Hinc Comites *Arduennæ & Bullionis*: Miræus Comitatum hunc cum Lemburgensi eundem credit, V. Hadr. Valesium *Not. Gall.*

Arduus, vulgò *Ardre*, fluviolus Galliæ, Glabro Rodulfo *lib. 3. cap. 3.* memoratus.

Area, apud A. Gellium *lib. 4. cap. 5.* *Spatium est ante Deorum ædes, quod in privatorum ædificiis vestibulum vocatur; inde Vulcani area.* Spei item, Minervæ, Fidei, & Capitolini Jovis *area*, apud Suetonium, Plinium, Vitruvium, alios. *Circi area*, apud Ovidium *Fastor. lib. 1.*

Prospicit à tergo summum brevis area *Circum &c.*

Sic *Area*, in campo Martio. Uti enim inambulationis gratiâ Basilicis, Templis, Fanisque Deorum prætensa loca vacua, (ante Pronaum enim erant) *Areæ* dictæ Festo *lib. 1.* quòd nempe essent *æqualitate tabularum strata*, ut loquitur Isidorus *Etymolog. lib. 15. cap. 13.* Ita *Area* in Campo Martio, tyronibus exercendis locus dictus, quidquid sc. inter Tiberim fluv. & septa spatii interjacebat. Horatius *lib. 1. Ode 9.*

—— *Nunc & campus &* Area,
Lenesque sub noctem susurri
Compositâ repetantur horâ.

Quem locum malè nonnulli de Circo Rom. exponunt; ut & illum Claudiani *de 6. Honorii Consul.*

Hic & belligeros exercuit area lusus.
Armatos hîc sæpe choros, pulchrasque vagandi
Textus lege fugas, inconfusosque recursus.

Namque & hic Poëta de campestribus seu militaribus exercitiis loquitur, quæ in Campo Martio, aut veriùs, *Area* illius, fervebant &c. De *Areis* Templorum Marmor Neapolitan. sic habet: *Ab Colonia. deducta. anno. XC. Nonfidio. M. F. M. Pollio. Duovir. P. Rutilio. Cn. Mallio. Cos. operum. lex. II. lex. parieti. faciendo. in. area. quæ. est. ante. ædem. Serapis. trans. viam. qui redemerit. prædes. dato. prædiaque. subsignato. Duumvirûm. arbitratu hoc. opus. omne. facito. arbitratu. Duovir. &. duoviratium qui. in. consiliis. esse. solent. Puteolis. dum ne. minus. viginti. adsient. cum. ea re. consuletur quod. eorum viginti. jurati. probaverint. probum. esto. quod. ei improbaverint. improbatum esto*, apud Wolfg. Lazium *Comm. Reip. Rom. lib. 5. cap. 2.* Unde colligitur, non in urbe modò, sed & in Coloniis Municipiisque Areas sacrarum Ædium vestibulis adjici consuevisse. V. Thomam Dempsterum *ad Rosinum Antiquitatum Rom. lib 1.* ubi de regione Urbis prima, in qua *Arearum* crebra mentio, ut & Salmasium *ad Solinum.*

Arec, urbs in terra *Sinaar*, Babyloni vicina, Genes. *cap. 10. vers. 10.* *Aracca* vel *Arecca* Plinio, urbs Susianæ, in hujus confinio ac Babyloniæ sita. Unde *Areccæi Campi* Tibullo, in quibus naphthæ, h. e. liquidi bituminis, fontes scaturiebant.

Ardet Areccæis aut unda perhospita campis.

In Susiana enim naphthæ liquidæ fontes. Strabo *lib. 15.* de liquido bitumine, ὅτι ἡ μὲν ὑγρὰ, ἣν καλοῦσι νάφθαν, γίνεται ἐν τῇ Σουσίδι, ἡ δὲ ξηρὰ δυναμένη πήγνυσθαι ἐν τῇ Βαβυλωνίᾳ, *Liquidum quidem, quod naphtham vocant, nascitur in Susiana: siccum verò, in Babylonia* V. Salmasium *ad Solinum pag. 194.*

Areca, arbor Indica, palmæ similis, matri nucum Indicarum, quas *Cocos* vocant, sed tamen minùs crassa & foliis quoque tenuioribus. Fructus ejusdem nominis nucem refert, prædurus, nec nisi forcipe dividendus. Ad piperis genus reducitur à nonnullis, sed perperam, quòd sustineat saltem piperis fruticem, labruscæ non multum dissimilem; quin potiùs sylvestris palma reputatur; Lusitanis *Arequero*. Auctor Anonymus *Sinæ & Europæ cap. 34.* Ejus apud Indos frequentissimus usus, infrà indigitabitur, ubi de aromate *Betre.*

Arechis, Dux Beneventanorum, primus *Principis* nomen, in honorarium, seu potiùs feudalem titulum, in Italia, invexit: cùm qui ante eum essent, *Beneventi Duces* appellarentur. Hinc *& ab Episcopis ungi se fecit & coronam sibi imposuit, atque in suis chartis ita in fine scribi præcepit, Scriptum in nostro sacratissimo Palatio*, Leo Ostiensis *lib. 10. cap. 0.* V. infrà in voce *Princeps*, item Ravenna.

Areja, in vett. tabulis *Aregia*, fluvius Galliæ, Apamiam alluit & Garumnâ recipitur. Vulgo *l'Ariege* vel *l'Arieze*, Hadr. Valesius in vocibus *Apamia & Garumna*

Arelatum, adde: Mellæ inter urbes Galliæ Narbonensis opulentissimas numeratur *Sextanorum Arelate*: in vet. inscriptione *colonia Arelate*; *Col. Arelate Sextan.* in nummo Cari Cæs. Ptolomæo in agro Salyum Gentis Galliæ Narbon. ponitur Ἀρελᾶτον κολώνια: Ab Ausonio *Arelatus* vocatur, & inter claras urbes decima collocatur: Eidem quoque *Arelas* truncato nomine, unde vulgatum *Arles*: item *Gallica Roma* nuncupatur. Et fuit quidem *Arelatum* simplex primò ac totum in sinistra Rhodani ripa positum: sed postea Constantinus M. in dextra fluminis ripa novam è regione veteris urbem statuit, atque ambas navali ponte junxit; cujus meminit Ausonius *de claris urbibus*,

Præcipitis Rhodani sic intercisa fluentis:
Ut mediam facias navali ponte plateam.

Prudentius item *de vita & virtut. S. Martini, lib 6.* Cassiodorus *Variarum lib 8.* & Gregorius Turon, *lib. de gloria Martyrum* Quippe Constantinus opportunitate loci, non procul à mari, in capite Galliarum ad maximum flumen positi, & inter Italiam Hispaniamque medii, plurimùm est delectatus: ibique filium Constantinum, postmodum Imperatorem, ex Fausta uxore suscepit, & Episcopos eò conven re adversùs Donatistas jussit: Cumque Præfectos Prætoriis per provincias varios institueret, hanc urbem præ reliquis sedem Præfecti Prætorio Galliarum esse voluit, illique magnis à se operibus exornatæ, ut Cirtæ oppido Numidiæ, nomen suum, ut dictum, imposuit: Certè in constitutione Honorii Aug. *Constantina urbs* vocatur, ibique VII. *provinciæ, ut in Metropolitana, annis singulis habere concilium* jubentur. Nunc, quale primùm, iterum simplex est Arelatum, totum ad sinistram Rhodani ripam, novâ urbe cisrhodanicâ à Gotthis aut aliis barbaris excisâ. Hic olim officina monetæ, & Amphitheatrum ac Circus, crebraque ludorum spectacula: hodieque superest Amphitheatrum, constans fornicibus 56. quod à cavea vel arena, ludis gladiatoriis & ferarum venationibus destinata, vulgò *Arenas* vocant. Palatii *Arelatensis* à Romanis ibi quondam exstructi mentio fit in Eumenii *Panegyr. Constantini*, ubi Maximianus Herculius tertiò usurpavit imperium, & Aëtius Patritius ac Magister utriusque militiæ plerunque habitavit. Ex Not. quoque Imp. Rom discimus, Honorii (cujus ut & Valentiniani specialibus privilegiis & *matris omnium Galliarum* appellatione decorata est) principatu, fuisse *Præpositum Thesaurorum Arelatensium*; *Procuratorem Monetæ Arelatensis*; *Procuratorem Cynegii Arelatensis Viennensis provinciæ*; *Præpositum Barbaricariorum seu Argentariorum Arelatensium, & in prov. Gallia Riparensi*, i. in parte Viennensis ripæ Rhodani apposita, *Præfectum Classis fluminis Rhodani Viennæ sive Arelati.* Fuit Metropolis jam Honorii tempore circa A. C. 417. quo Patroclus ejus Præsul erat; & tamen nonnisi recentiores Notitiæ provinciam Arelatensem à Viennensi separarunt, in qua 8. Episcopos numerant, Arelatensi Burgundiæ Archiepiscopo suffraganeos, qui postea ad quatuor sunt redacti, Massiliensem, Arausicum, Tricastinensem & Telonensem; Avenione Metropoli factâ & Vasione, Cabellione ac Carpentoracte sedibus ei subjectis Arelatoque ademtis. *Album Arelatum* vocat Rogerius Hovedenus, qui in an. 1205. desinit, *Arle le Blanc*: contra Agatham *civitatem nigram* appellatam esse quidam scribunt: quam ob causam, in abdito est. Patria fuit Favorini Philosophi, quem Græcè scripsisse Hadriani Principatu A. Gellius docet, & fuit apud Arelatenses Græca lingua multo in usu: idque propter Massiliæ viciniam. Ibidem Syri & Judæi multi olim; Gothi quoque, Burgundiones & Franci: florens enim hic commercium. Theodulfus Episc. Aurelian. sic de urbe, jam ante annos 850.

Quis bene compositis, nos tandem opulenta recepit
Urbs Arelas, cives quam statuere sibi:
Urbs Arelas, aliis quæ pluribus urbibus extas
Prima, gradu tamen est Narbo secunda tibi.

V. plura de hac urbe apud Hadr. Valesium *Not. Gall.* & de Regno Arelatensi, Nobiliss. inprimis Conringium *tract. de finibus Imperii*, ut & infrà in voce *Boso.*

Arelaunum, sylva Galliæ, pæne tota Sequanâ circundata, in quam, velut locum naturâ munitissimum, duos Reges Francorum, Chlotarium nempe, & nepotem ejus cognominem, in pago Senonico, victum acie à Theodorico Burgundiæ Rege, confugisse legimus: Appellationem traxit ex nomine proximæ villæ Regiæ, quæ non longè aberat à Belsinnaca insula Sequanæ, diœceseos Rothomagensis finibus contentâ. Quibusdam hodie *la Forest de Bretonne.* Ejus quartam partem Dagobertus junior, suggerente Theodoaldo Majore domus, Monasterio Fontanellæ donavisse dicitur, Hadr. Valesius *Not. Gall.*

Arellano, familia illustris, origine Navarrena, è qua Ramirus Sanctius, Dn. de *Arellano*, in Castellam transiit, regnante Carolo II Nav. R. Eo genitus Joh. Ramirus gratissimus Henrico II. Castellano, ab ipso dominiis *de las Cameras*, *Aguilar* aliisque donatus

donatus est. Successit ei filius Johannes, inde nepos Carolus, qui Johannem Ramirum II. successorem & Carolum dominorum *de Ciria & Borotia* autorem, genuit. Iste iterum, ex minori filio Carolo, dominorum *de Alcanedre & Sartaaguda* sator exstitit; Major verò ejus filius Alfonsus Ramirus I. Comes I. *de Aguilar* creari meruit: quo nati sunt. Carolus reliquorum propagator ac Alfonsus Ramirus II genitor dominorum *de Clavijo & Miraflores* Carolus autem præfatus ex Johanna *de Zuniga* Petrum Ramirum suscepit: quo & Anna cognati, natus Philippus Ramirus I. pater fuit ex Maria *de Zuniga* Philippi Ramiri II. qui ex Johanna Manricia dedit Johannem Ramirum III. Johannam & Mariam, qui hoc seculo floruere. V. Phil. Jac. Spenerum *Theatr. Nobil. Europ tom. 2.*

Arellius Fuscus, nomen notissimum Senecæ ævo, inter Declamatores; unde procul dubio oriundus *Arellius Fuscus Consularis* Trebellio Pollioni memoratus, in *Triginta Tyr. in Pisone*, ubi perperam vulgò *Aurelius* legitur: *Quum esset nuntiatum, Pisonem à Valente interemptum, ipsum Valentem à suis occisum. Arellius Fuscus Consularis primæ sententiæ, qui in locum Valeriani* (ad altiora transgressi) *successerat, ait, Consul, consule* &c. Proconsulem fuisse Asiæ. in cujus locum Falconius delectus, refert Flav. Vopiscus in *Aureliano*

Aremberga, adde: Unde familiæ illustri nomen, quæ Marcanæ, seu Cliviæ veteris, ramus fuit. Hujus enim cùm præcipuus ramus is esset, cui Clivia, ac deinceps Juliacensis atque Montana hæreditas, cum titulo Ducali, obtigit: Ex Eberhardo Adolphi, qui Margaretæ Cliviæ maritus atque præfatæ lineæ auctor fuit, fratre alii rami succrevere, *Arembergius*, Bullionius, Lumainius: quorum primus defecit in Margareta, quæ Johanni Barbansonio, ex Lignesia familia (*Lignes*) nupta, *Arembergicum* Comitatum ejus familiæ intulit. Ex eorum filiis Carolus Pr. Comes Arembergæ, ab uxore Anna Croviaca, Ducatum Arschotanum, Principatum Cimacensem ac Portianum aliaque nactus est: (denuo duorum Philippi D. Arschotani & Alexandri Pr. Cimacensis Pater) Alter Robertus Barbansonios propagavit Universis verò Ducatûs Arembergensis axioma ab Imper. collatum est. Alexander præfatus, qui obiit A. C. 1629. ex Magdalena Egmondana, Pater fuit Alberti D. Arembergæ Principis Cimaci, extincti A.C. 1648. quo & Clara Eugenia Arembergia agnatâ, genitus est A.C. 1643. Ernestus Princ. Lignesius, Siciliæ, nomine Hispanorum Regis, factus Prorex. Idem Spenerus. *ibid.*

Aremphæi, apud Melam, aliter *Arimphæi* Latinis, meliùs *Argimpæi*, Græcè Ἀργιππαῖοι, apud Herodotum *lib. 4.* seu Ὀργιμπαῖοι, apud Zenobium, pop. sunt Scythiæ, *Hyperboreis similes, qui & ipsi frondibus arbustorum gaudent; baccas edunt. Juxta viros & feminas tædet crinium. Amant quietem, non amant lædere. Sacri habentur, attrectarique eos, etiam à ferocissimis nationibus, nefas ducitur. Quicunque periculum à suis metuit, si ad A*rimphæos *transfugerit, tutus est, velut asylo tegatur. Ultra hos Cimmerii &c.* Solinus *cap.17.*

Arena, apud Justinum, ubi de Semiramide, *Hæc Babyloniam condidit, murumque urbi cocto latere circumdedit*, harenæ *vice bitumine interstrato*: sola memoratur, cùm in parietibus murisque struendis nunquam locum habuerit absque calce; Et Vitruvius bitumen vice arenæ & calcis in muris Babylonicis interstratum esse dicat, *lib.1. cap.5.* Calce enim & arenâ farciebantur olim parietes & cæmenta continebantur, ut hodieque fit. Hinc Salmasius in Justino scribi vult, *arenati vice bitumine interstrato*. Vocaverunt autem *arenatum*, calcem cum arena mixtam Vitruvius *lib.7. cap.*.. *Sed etiam mortario collocato calce & arenâ ibi confusâ, decuria hominum inducta ligneis vectibus pisant materiam.* Paulò pòst, calcem illam & arenam confusam & ligneis vectibus in mortario subactam. *Arenatum* vocat. Ubi, quidem de arenato loquitur, quo inducebantur parietes supra trullissationem; sed in parietibus quoque struendis, ad cæmenta continenda, similiter eo usos fuisse, h. e. calce & arenâ mixtâ, cujus vicem Babyloniis bitumen præstabat, ex Plinio discimus. *Calx arenata* dicitur in vet. *Inscr. Eosque parietes marginesque omnes, quæ lita non erunt, calce harenata, lito politoque & calce muda dealbato. In qua calx muda dicitur mera & pura, cui arena non admixta.* Unde *albarii & tectorii operis* discrimen notandum: quorum illud harenata calce vel marmorato, illud calce merâ fieri consuevit &c. Salmasius *ad Solinum pag. 1228. & 1229.*

Arena Aurosa, Χρυσῖτις ἄμμος, V. infrà *Aurosa.*

Arenâ, marmora in crustas secandi artificium, memoratur Plinio *lib 36. cap. 6. Crassior enim arena laxioribus segmentis terit, & plus erodit marmoris, majusque opus scabritia politura relinquit. Rursus Thebaica polituris accommodatur, & quæ fit è poro lapide, aut è pumice.* Qua de re V. Salmasium *ad Solinum pag. 1101.*

Arenæ, sequioribus seculis Amphitheatra dicta sunt, hodieque Gallis *les Arenes*: ab *arena*, ludis gladiatoriis & ferarum venationibus destinatâ. V. *Arelatum*; ut & infrà *Arenarius.*

Arenarius, qui in arenam ad pugnandum descendit, *Gloss. in Canon. si testes 4. quæst. 2. & 3. §. si res exigit.* Ab *arena*, quæ propriè gladiatorum; ut *campus*, militum, erat. Vegetius. *nec unquam aut arena aut campus invictum armis virum probavit, nisi qui diligenter exercitatus docebatur ad palum.* Ubi campum ad milites, *arenam* ad gladiatores, retulit Unde *Arenæ*, apud recentiores, passim Amphitheatra dicta, ab *arenis*, in quibus pugnabant gladiatores: S. *Arenarum* Treviris, meminit Aimoinus *lib.3 cap 1. Arenæ* Veronensis, Racherius Episc. in *Qualis conject de Veron. Amphith.* testaturque Panvinius, Amphitheatrum hoc etiamnum *Arenas* dici: *Arenarum* Nemausensium, *Histor.* Wambæ R. & Poldus Albenas, qui, uti hodiè etiamnum hoc Amphitheatrum visitur, figuram ejus exhibuit, in *Antiqq.* Nemausensibus: *Arenarum* Petracoricensium, *Chronicon* Episc Petracor. *Arenarum* Remensium, Marlotus in *Metropoli Rem. lib. 1. cap 5.* Parisiensium ante S. Victorem, *Charta vetus* apud du Fresne. Sic occurrit *Castrum Arenarum* Massiliæ, apud Guesnajum in *Annal. Massil.* citatum Eidem.

Arenarius primus numerorum, V. infrà in *Numerarius.*

in *Arenis* Africæ, cadavera condiri multi asserunt & pro mumia distrahi; certè in calidis locis arena vim habet ἀντισηπτικὴν, quâ res diu à corruptione servat. Bochartus *Hierozoici part. prior. lib. IV. cap.5.* Hinc *Arenarium*, apud Scriptores Christianos, pro cœmeterio, seu cryptis *arenariis*, quarum usus non modò, in humandis defunctorum cadaveribus, è quo nomen inductum est; Sed & persecutionis tempore, ad latebras Christianorum Ita Baronius, A. C. *num.2.* ubi ejusmodi *Arenaria* graphicè describit: in quibus frequentes convenisse Christianos, discimus ex *Actis* Hippolyti, Eusebii & sociorum Martyrum. Prudentius περὶ στεφ. *Hymno I.*

> *Intitas cruore sancto nunc* arenas *incolæ*
> *Confrequentant obsecrantes voce, votis, murmure.*

Ubi Iso Magister, *arenas sepulchra*, interpretatur; apud du Fresne *Glossar.*

Areopagitæ, adde: In hunc Senatum cooptabantur Novemviri sive Archontes, postquam Magistratus gesti causâ dicta rationibusque relatis, innocentes essent deprehensi, ex Lege Solonis: *Τὴν ἐν Ἀρείῳ πάγῳ βουλὴν εἶναι ἐκ τῶν κατ' ἐνιαυτὸν Ἀρχόντων*, Plut. *in Solone & Pericle.* Aliis verò placet 6. tantùm Thesmothetas, post exactum sui Magistratus tempus, in id Consilium quotannis fuisse assumtos, ex Libanio *in Androtianæ Argum.* Unde patet, certo numero *Areopagitas* non fuisse circumscriptos; quanquam, quot essent singulis annis dici posset, quemadmodum in vet. Inscr. apud Volaterranum: ΤΩι ΛΑΜΠΡΟΤΑΤΩι ΑΝΘΥΠΑΤΩι ΤΗΣ ΕΛΛΑΔΟΣ ΡΟΥΦΩι ΦΛΙΣΤΩι ΚΑΙ ΑΡΕΙΟΠΑΓΙΤΗι Η ΕΞ ΑΡΕΙΟΠΑΓΟΥ ΒΟΥΛΗ ΤΩΝ ΤΡΙΑΚΟΣΙΩΝ ΚΑΙ Ο ΔΗΜΟΣ Ο ΑΘΗΝΑΙΩΝ ΕΥΝΟΙΑΣ ΚΑΙ ΕΥΕΡΓΕΣΙΑΣ ΕΝΕΚΑ. Non verò omnes semper *Areopagitæ* in omnibus causis jus dicebant, sed quidam ex illis tantùm, ut in aliis factum est Tribunalibus: Hinc in causa Orestis sedisse finguntur ab Æschylo *Eumenid.* Areopagitæ triginta & unus tantùm Erat verò hic Magistratus perpetuus: neque quisquam eo Senatu movebatur, qui non grande & inexpiabile admisisset nefas. Illi cùm Draco, Ephetis constitutis, omne abrogasset imperium. Solon veteri jure restituto, cum cum Ephetis de cæde judicia reddere voluit, unde quasi de novo primumque Senatum hunc constituisse videtur: Et fortè primus ex annuis Novemviris constituit: voluitque eum suo regere consilio Remp. ut Leges & Majorum instituta servarentur; Ita enim Lex ejus habet apud Plut. *l.c.* *Τὴν ἐν Ἀρείῳ πάγῳ βουλὴν εἶναι ἐπίσκοπον πάντων καὶ φύλακα τῶν νόμων* Hinc nil quidquam, quod alicujus esset momenti, sive in sago, sive in toga, absque illius auctoritate fiebat, Cic. *de Nat. Deor. lib.2.* Ad eundem pertinuit cura viarum, ne quis in illis privatim quicquam ædifici, extrueret, aut obstrueret. Heraclid. *Fragm. de Politiis.* Laudes Senatus Æschylus recenset *Eumenid* Majestatem tamen ejus imminutum ivit Pericles, Ephialtis operâ usus, ut testatur Aristot. *Polit. lib.2 sub fin.* Adeò verò honestè atque temperanter vitam instituerunt hi Senatores, ut Lege caverint, ne quis eorum Comœdiam scriberet: *Μηδένα ποιεῖν κωμῳδίαν Ἀρεοπαγίτην*, Plut. *de Atheniens gloria.* Idem autem Senatus rationes suas quotannis referebat, ex Lege, *Τὴν βουλὴν τὴν ἐν Ἀρείῳ πάγῳ ἐγγράφειν πρὸς τοὺς λογιστὰς λόγον καὶ εὐθύνας δίδοσθαι* *Senatus Areopagiticus apud Logistas rationes suas referto*, Æschin. c. *Ctesiphont.* &c. V. Sam. Petitum *Comm. in LL. Atticas lib. 3. tit. 2.* qui est *de Magistratibus* & Fr. Rossæum *Archæol. Att*

Areopagus, adde: Rudera ejus loci hodieque supersunt, ad Mer. templi Thesei, quod cùm olim in medio ferme civitatis esset, nunc extra Athenarum mœnia est hodieque Græcorum cultui inservit & *Hagios Georgios* dicitur. Fundamenta visuntur in semicirculum, è quadratis saxis prodigiosæ magnitudinis, constructa, super quæ planities 140 circiter passuum, quæ propriè Aula erat augusti hujus Senatus, non multùm eminens. In ejus medio rupi incisum Tribunal, & ad latus utrumque sedilia, quibus *Areopagitæ* olim insidebant sub dio. Propè aliquot speluncæ in rupe videntur, quæ forsan reorum olim receptacula erant. Inter verò locum hunc ac Thesei templum memoratum,

rudera cernuntur Templi S. Dionysio Areopagitæ dicati, cujus domus videtur fuisse, quæ inde haud procul visitur, quæque hodie sedes Archiepiscopi est: uti refert Jac. Spon, qui hæc omnia A.C. 1676. ipse oculis lustravit. V. ejus *Voyage d' Italie, de Dalmatie, de Grece & du Levant tom.* 2.

Arestum, Leguleiis Anglis usurpatur, cùm quis reus capitur, & in carcerem conjicitur, seu vi Brevis, seu à quovis homine: nam reos majestatis, proditores & infractores pacis quivis potest auctoritate propriâ capere atque in carcerem compingere, unde *Arestare*, detinere, Gall. *Arrester*, Rastall. At Gallis *Aresta*, sunt decreta seu judicia forensia, à Judice superiori, à quo nulla datur appellatio, lata, cujusmodi sunt Parlamentorum: quæ sic appellata vult du Fresne, quòd post varias ab inferioribus & pedaneis Judicibus de re quapiam latas sententias, litem & controversiam supremo examine ac judicio definiant & decidant. Et quidem cùm quadruplicis generis & appellationis judicia suprema seu à superioribus Judicibus lata, observare sit in *Regestis* Parlamenti & magnorum dierum Trecensium, *Aresta* nempe, *Judicia*, *Consilia* & *Præcepta* sive *Mandata*; *Aresta* dicebantur judicia, à Judicibus; post Patronorum seu Advocatorum hinc inde orationes auditas, publicè recitata: quorum pronuntiationis formula erat, *Quibus rationibus utriusque partis hinc inde auditis, dictum fuit per Arestum Curiæ* &c. V. Carolum du Fresne *Glossar.* & *Dissertat.* 2. *ad Joinvillam.*

Aretalogi, V. infrà, in *Neanicologi, Scurræ* &c.

Arga, qui uxoris adulterio infamis est, prolemque alienam pro sua educat, *Curruca, iners, inutilis, cessator*, Longob. *lib* 1. *Tit.* 5. *leg.* 1. ubi Boherius *Argam*, interpretatur *cucurbitam*, h.e. *currucam*, Angl. *a Cuckold*, Gall. *concoursé*: nec malè, cùm utrumque vocabulum stupidum & ignavum designet. Vox orta à Gr. ἀργὸς, *piger, iners*; Unde *Argam* seu cucurbitam dixere, qui vel debitum munus non est executus, vel qui illatam hanc injuriam strenuè ultus non est. Excidio fuit nomen *Arga*, per vituperium impositum, Duci & omni Nobilitati, exercituique Forojuliano, dum Rector provinciæ (cui etiam nomen *Arga* fuit) Ducem suo exemplo, ad temerarium cum Sclavis congressum, in fastigio montis castrametantibus, provocavit inquiens: *Memento Dux Ferdulphe, quòd me esse inertem & inutilem dixeris, & vulgari verbo* Arga *vocaveris. Nunc autem ira Dei veniat super illum, qui posterior è nobis ad hos Sclavos accesserit*, apud Paulum Diac. *de gestis Longob. lib.* 6. *cap.* 8. Spelmannus in *Glossario.* V. suprà in voce *Ancillarioli.* Apud Papiam & Isidorum *in Glossis*, Hincmarum item Laudunensem Episc. *Tom. II. pag.* 336. idem *Sarga* dicitur.

Argaman, ארגמן, vel, quod idem est, ארגון, *Argavan*, rubra est purpura, non ex conchylio facta, sed ex illius cochleæ sanie, quæ propriè *purpura* dicitur. Utut enim purpura & conchylium non rarò pro eodem sumantur, quia sunt vicinæ naturæ & in eosdem usus adhibentur, tamen diversas esse concharum species, certum est. Proinde cùm *rubere* purpuram extra controvertiam sit, conchylio glaucum colorem & mari similem, tribuit Plinius *l.* 9. *c.* 36. atque hoc posterius purpuræ genus Hebræis תכלת, *thecheleth* dicitur. Hinc Ezech. *cap.* 27. *vers.* 7. affertur utrumque purpuræ genus ex Insulis Elisæ, id est Græciæ in mari Ægæo; fuitque utrumque in summo pretio: sed *Argavan* paulo pretiosius fuisse, colligas ex eo, quod Danielis *cap.* 5. *vers.* 7, 16, 29. is, quem Assyriorum Rex ad summos honores vult evehere, non vestitur תיכלא *thichlâ*, sed ארגונא, *argavanâ.* V. Sam. Bochartum *Hierozoici part. poster. lib.* V. *cap.* 9. & infrà *passim.*

Argantomagum, adde: V. quoque *Argantomagus.*

Argantomagus, opp. Galliæ, in Biturigibus Cubis, quod Eginhardus, in rebus anni 766. *Argentomagum castrum* appellat, & à Waifario Duce Aquitaniæ destructum, à Pippino verò Rege reparatum esse tradit, & præsidium Francicum ibi collocatum: Situm est ad Crosam minorem. Est & ejusdem nominis castrum ad Argentonem fluvium, quem Toëdus *Toué* in Ligerim defert, vulgò *Argenton l' Eglise*, in confinio Andicavorum & Pictonum, Hadr. Valesius *Not. Gall.*

Argantuaria, Ἀργαντουαρία, in Sequanis ponitur à Ptolomæo, locus clade Alamannicâ & Gratiani victoriâ nobilis, quem *apud Argentariam opp Galliæ XXX. Alamannorum millia bello extinxisse*, Amm. Marcellinus & Aur. Victoris Epitome, docent. In vett. Notitiis provinc. & civitatum Galliæ nunc *civitas Argentariensis*, nunc & sæpius *castrum Argentariense*, in prov. Maxima Sequanorum appellatur: & ad Ecclesiam Rauracensem vel Basiliensem pertinuisse videtur. Postea ergo literâ *O*, sublatâ *Argentuaria* cœpit dici, ac demum sublatâ alterâ literâ *Argentaria* vocata est, corrupto quidem, sed Latini vocabuli speciem præferente nomine. Posita erat autem inter Argentoratum, quod Nitardus cum *Argentouaria* vel *Argentuaria* malè confundit, ac Augustam Rauracorum Basiliæ proximam: quam ob causam Simlerus & Cluverius eam pro Colmaria habent: Albertus verò Miræus *Horburg* interpretatur. V. quoque *Argentuaria.*

Arge, venatrix famosa, quam propterea in cervam fuisse transformatam, fabulantur Poëtæ. Hyginus *Fab.* 205. *Arge venatrix, cum cervum sequeretur, cervo dixisse fertur; Tu, licèt Solis cursum sequeris, tamen te consequar. Sol iratus in cervam eam convertit.* An ex Hebræo commenti hujus occasio: in hac enim lingua cervi boatus creditur esse עריגה, *Ariga*, quia legitur Psalmo 42. *vers.* 2. *Ut cervus* תערג, *glocitat ad fontes aquarum* &c. V. Sam. Bochartum *Hierozoici part. I. lib. III. cap.* 17.

Argentarii, dicti sunt apud Romanos, cives Romani, qui tum Romæ, tum in provinciis, rei nummariæ negotiationem exercebant. Sic Cicero, *Epist. ad Aug.* Avum suum *Argentarium* fuisse, indigitat. Aliter *Nummularii*, *Mensarii*, *Campsores*, *Trapezitæ*, *Collybistæ*, *Mensæ exercitores* Lat. Ἀργυροπρᾶται, Ἀργυραμοιβοί, Ἀργυρογνώμονες Græcis &c. quæ voces synonymæ ferè sunt, nisi quod *Argentarii* majores negotiatores erant, qui non in permutando tantum, ut cœteri, tabernam exercebant, sed qui etjam nummos, tum suos, tum aliorum fœnori collocabant. Habebant illi tabernas ac mensas suas in Foro & apud eos fœnebres pecuniæ deponebantur, quas per partes erogabant, ac collocabant, quarum probatio scripturis probationibusque continebatur, *l.* 4. *prin. l. quædam l. Argentarius de edend.* &c. Sed & ad eos deferebantur pecuniæ, sine fœnore, propter fidem publicam duntaxat, i. ut tutiore loco, quàm privatis in ædibus, asservarentur: nam in æde Castoris reponebantur, uti ex Plauto discimus *Curculione.* Juvenalis,

— Quanto capitis discrimine constant
Incrementa domus, ærata multus in arca
Nummus, & ad vigilem ponendi Castora nummi.

Iidem Auctionibus præerant: contractus quoque, apud eos celebrati, illorum calendariis inscribebantur quos idcirco cogebantur edere postulantibus, *l.* 4. *l.* 6. 9 *§.* 1. & *l* 10. *ff. de ed.* Porro eorum erat spectare pecuniam, an proba sit & locabilis cujusque pretii, unde ἀργυρογνώμονες, ut visum, dicti Primus a. iis Tabernas in Foro extruxit Tarquinius R. uti refert Dionys. Halicarn. *lib.* 3. apud quas auctiones fieri solitæ. Has Hannibal postmodum, velut de Roma capienda certus, vocato præcone ipsas vænire jussit, apud Livium *lib* 26. &c. Hinc *Argentariam facere* vel *exercere*, *l. Argentar.* §. 1. *ff. de eden.* & *Argentariæ Societas l.* 52. *§. cum duo ff. pro soc.* apud Joann. Calvinum *Lexic. Jurid.* Recentiori ævo *Argentarii* dicti sunt, qui ab argento, id est, qui *custodiunt argentum*, Willh. Britoni; *Gloss.* Gr. Lat. Ἀργυροφύλαξ, *Argentarius.* Cujusmodi munus fuit *Argentarii Regis*, in aula Franciæ Regum, penès quem Thesaurarii Regii ex fisco quotannis certam pecuniæ summam deponebant, ad Regiæ domûs impensas, de qua rationes inibat in Camera Computorum: Is autem A.C. 1351. libras 400. pro vadiis percipiebat, ut docet ex *Computo* Stephani de Fonte, *Argentier du Roy*, quod in eadem Camera asservatur, Car du Fresne. Propriè vero Latinis Scriptoribus *Argentarios* fuisse Ἀργυροπρᾶται sive Ἀργυραμοιβοὺς, quos vulgò *Cambiatores*, Galli *Changeurs*, dicunt, probat pluribus Salmasius *de Usuris pag.* 490. ubi etiam *Coactores* appellatos fuisse, ostendit. Aliquando tamen *Argentarii* iidem, qui Monetarii, sunt, atque ita *Præpositos Argentariorum in L.* Wisigoth. *lib.* 2. *tit.* 4. *§.* 4. intelligendos quidam volunt. In *l.* 37. *Cod* Theodos. *de Decurion. Argentariorum* nomine veniunt, qui argento vel auro arma militaria ornabant; iidem fortè cum Barbaricariis, in *Not. Imp.* ubi *Præpositi Barbaricariorum seu Argentariorum* non semel occurrunt. Tandem in *L.* Burg. sic dicuntur, qui argentea opera conficiunt, uti docet du Fresne in *Glossar.* V. Calvinum *Lexic. Jurid.*

Argentatas carrucas habendi potestatem, Aurelianus Imp. privatis concessit, quum antea ærata & eborata vehicula fuissent, apud Vopiscum. Senatoribus idem concessum à Severo prænom. Alexandro, tradit Lampridius. Unde ab aliquo sequentium Impp. sublatum oportuit, ut opus habuerit Aurelianus redonare. *Privatorum* namque vocabulo Vopiscus tam Senatores, quàm Magistratus, comprehendit, h. e. omnes honoratos *Argentata* enim vehicula Senatorum non minùs, quàm Magistratuum. Vetus *Epigramma* Græcum carrucam *argentatam* Præfecto Urbis tribuit: [illegible] ἐπὶ [illegible] καὶ [illegible], uti lemma conceptum est membranis,

Ἄξονος [illegible] ἐν [illegible]
Ἄντυγ[illegible] ἀργυρέης, αἶσχος [illegible]
Axi cælesti insidens desiderio correptus es
Axis argentati, probrum immensum!

Ubi ἄντυγα ἀργυρέην vocat *argentatam carrucam* Urbis Præfecti Salmas. *ad Vopiscum.* Heliogabalus autem contemtis *argentatis* & eboratis & æratis vehiculis, gemmata & aurata habuisse, legitur apud Lampridium in *Vita* ejus. Apud eundem mentio est, sellæ muliebris eboratæ & *argenteæ* &c. V. quoque infrà.

Argentea Regio, Ἀργυρᾶ χώρα, sicut & Aurea [illegible], duæ regiones in India extra Gangem vocabantur, non, quòd solum haberent argenteum, aureumque, ut nonnulli nugantur, sed quòd his metallis fertiles essent. De *Argentea* clarè Ptolomæus, *in descr. Indiæ ultr.* Τὴν δ' Ἀργυρᾶν χώραν, ἐν ᾗ [illegible] λέγεται [illegible]. *Argenteæ regionis, in qua plurima dicuntur esse metalla argenti.* Ubi *argentum* optimus [illegible] vocat. Græci enim [illegible] ἄσημον ἀργυρον dixere *argentum non signatum*, quod in nummis

mis non est, sed in vasis ac poculis: unde absolutè posteriores ἄσημον, pro argento usurparunt; hodieque Græci idem ἄσημο appellant &c. V. Salmasium *ad Solinum pag.* 996.

Argentea Sigilla & Emblemata, aureis nonnunquam scyphis includi consuevere: quemadmodum vicissim aureæ cælaturæ in vasis argenteis, & quidem communiter collocabantur. Quorum prius Verrem factitasse, Cicero ait *Act.*6. de aureis cælaturis in argentum descendentibus, V. Senecam *de Benefic.* Nempe Argentea Pocula & Vasa præcipuè olim scalpta & cælata. Licet enim Cælatura, Græcè Τορευτικὴ, h. e. ars illa, quæ extantes ostendebat figuras, & extra corpus materiei prominentes, interdum totas, interdum dimidiatas, in aureis argenteisque vasis, apud Vett. locum suum ac auctoritatem maximè teneret, præcipuè tamen in argenteis videri amavit. Hodie tantùm scalpitur & cavatur argentum, ex quo pocula fiunt: Cæterùm vasa etiam *argentea scalpta*, in *Hist. Aug.* legimus. Et quidem aut totis figuris extantibus cælabatur *argentum*, quas ἔμβλημα, ἐμπαιστὰ & ὁλόσφυρα Græcis; qualis erat *ille flavus extra pocula caper*, apud Satyricum *Sat.*6. Aut dimidiatis & unum solùm latus ostendentibus, quæ ἀνάγλυπτα Græcis; Gallis *en bosse*, uti de collo & ventre craterum, legimus apud Athenæum *lib.*5. Utraque emptilia erant & de vasis revelli poterant, & aliis rursus illigari. Cicero ubi suprà de Verre: *Patella grandis, cum sigillis & simulacris Deorum.* Et paulo pòst, *Sigillis avulsis, reliquum argentum sine avaritia reddidit.* Ibidem, *Quæ probarant, iis crustæ* (h. e. dimidiatæ figuræ) *& emblemata* (h. e. totæ extantes) *detrahuntur. Sic Haluntini excussis deliciis cum argento puro domum revertuntur.* Ubi *Argentum purum* vocat id, quod sine ullis crustis ac emblematis erat, quæ cælaturâ constabant. Poëta,

Argenti vascula puri.

Aliquando v. *argentum* in ipso corpore scyphi exscindebatur per *Anaglyptarum* Artem &c. V. Salmasium *ad Solinum d. l.* ut & hic passim, inprimis, ubi de *Anaglyphis* & arte *Empæstica*: hæ enim duæ Torenticæ Artis, seu Cælaturæ methodi fuisse videntur. Addam saltem, optimum & præstantissimum, ad cælaturas eligi solitum; unde pustulatum, de primæ notæ argento dicebatur: est autem *in pustula* vel *pustulatum*, opus ἐκτυπωμα, quod vulgò etiam *en bosse* Galli dicunt. Idem *p.* 1048.

Argenti Flos de Spuma, quam ejicit, dum excoquitur, eadem cum λιθάργυρος, de quo V. eundem *Ibid. pag* 1079. *& seqq.*

Argenti Scobs, viis sternendis adhibita, apud Lampridium in *Vita Heliogabali*, *Scobe auri porticum stravit* (hoc luxuriæ monstrum) *& argenti, dolens quod non posset & electri: idque frequenter, quandocunque fecit iter pedibus, usque ad equum vel carpentum, ut fit hodie de aurosa arena.* V. infrà

ab *Argento* Escario, Potorio, apud Romanos, inter nomina ministerii domestici, V. suprà *Ancilla* & infrà de *Servis*.

Argenteclusor, apud Anastasium, V. infrà *Inclusor*.

Argentomum, vulgò *Argentan*, castrum Galliæ, ad Olinam flumen in Sajorum Diœcesi, nobile. V. *Argentomagus*.

Argentoratum, adde: Dicitur hæc urbs *barbaricis cladibus nota*, Ammiano Marcellino, ob fusos ibi, ut dictum, à Juliano Alamannos & Chnodomarium, nobilem eorum Regem, captum. Erant ibi, præter duas alias vias publicas sive militares, tres celeberrimæ, una per Alpes Grajas Mediolanum ducens, altera Lugdunum Batavorum, tertia Augustam Trevirorum: A' quibus quinque viis nonnulli Scriptores eam *Strateburgum* dixere, hoc est, *Burgum*, sive oppidum ripense, *positum in via militari*, quam præter cæteros Eutropius *Stratam* à re appellat, in *Aureliano*, Gallis *Estrade*, vel *l'Estrée*. V. *Strateburgum*.

Argentuaria, adde: V. *Argentouaria*.

Argentum, repertum ab Erichthonio; monetæ aptatum primùm, à Lydis; primò, tricliniis additum, à Carvilio Pollione: eo calceatos homines & jumenta, dicemus infrà. Usus in sacris non exiguus. In Atrio enim Tabernaculi, juxta Altare holocausti duplex hinc inde mensarum lapidearum ordo, quibus vasa aurea & argentea, ad oblationem necessaria, imponebantur, fuisse legitur Ezech. *cap.*40. *versu* 42. In Templo inprimis Salomonico auri Argentique summa ultra fidem erat: Ex *argento* quoque tubæ fuere, de quibus infrà. Ad usum ut transeam profanum, Romani primò *ære*, dein *Argento*, tandem auro nummos signarunt. Et quidem ære illecti, facilè ad *Argentum* traduci potuere: potiori paulatim metallo avaritia digna erat & in compendium opes fuere deducendæ, quia creverant. Ad plebem asses & cerea; noluit ultrà nisi *argento* manus nobilior inquinari: quod quando factum, dicat Plinius *lib.* 33. *cap.*3. *Pop. Romanus, ne argento quidem signato, ante Pyrrhum Regem usus est.* Et distinctiùs: *Argentum signatum est anno Urbis CCCC. LXXXV. Q. Ogulnio & C. Fabio Coss. quinque annis ante primum bellum Punicum.* Varro verò, apud Carisium *Institut. lib.* I. nummum *argenteum* conflatum primò à Servio Tullio, tradit. Quorum utrum sit, nummus ex argento fuit triplex Denarius, cujus nota, ut Volusius tradit, *X.* & partes Denarii Quinarius *V.* Sestertius *HS*. Libella, Sembella, Teruncius; è quibus Denarius Argenteus simpliciter quoque dictus est. Plin. *Notæ argenti fuere bigæ atque quadrigæ, & inde Bigati Quadrigatique*, V. infrà ubi de *Nu*-*mis*. Sed & *Argento* literas signasse olim Clerum, docet Phranzes *lib.*2. *cap.* 0. *Ego cum literis bulla argentea insignibus, & jurejurando firmatis, & multo milite missus sum, ut Athenas & Thebas in potestatem reciperem.* Luitprandus item in *Legat. Tulerunt autem & alias literas argento signatas, atque dixerunt Papam vestrum* &c. Annulos *argenteos* Libertinos gestasse, vult Isidorus, sed apud probatæ fidei Auctores nihil simile legitur. Si tamen conjecturis agendum, iis plebs videtur usa: Plinius enim fœminas plebejas sibi ex argento compedes (ita annulos appellat) fecisse ait, *lib.*33. *cap.*12. *Argentum succedit & auro, luxu fœminarum plebis compedes sibi ex eo facientium, quas induere aureas mos tristior vetat.* Cùm aurum penes Optimates, ferrum inter servos hæserit, V. Joh. Kirchmannum *de Annulis cap* 10. De argenteis Dianæ templis, aliisque *alibi*. Addam saltem, cùm vasa escaria vinariaque apud Romanos ex auro argentoque fuerint, ministrum fuisse peculiarem *Argento præpositum*, cujus meminit Africanus JC. item alium *ab Argento potorio*: quo munere apud Liviam Aug. functa est Vibia Successa, cujus meminit vetus Inscr. Præterea *viatorii* argenti, ut & *balnearis*, meminisse Jurecons. *Scenici* quoque mentionem extare Romæ in hortis Carpensibus, ubi ista legitur Inscr. T. ÆLIUS. AUGUSTORUM. LIB. A. MEMPTUS AB. ARGENTO SCÆNICO &c. de quibus omnibus V. Pignorium *Comm. de Servis.* Hodie nullibi *Auri Argentique* major proventus est, quàm in Regno Peruviano, ejusque prov. celeberrimâ *Potosi*, de qua V. Ath. Kircherium *Mundi Subterranei lib.*10. *sect.*4. *cap.*8. Quanquam aliàs omnis ille tractus Americæ, à Tropico Cancri usque ad Tropicum Capricorni, metallorum feracissimus sit. Sed & in Germania ac Suecia *Argentum* eruitur &c. Auctor Anonymus *Histor. Orbis Terr. Geogr. & Civ. cap.*10. *de Commerciis.* Plura de *Argento*, apud Plinium *lib.*33. *cap.*16. *& seqq.*

Argenti varia epitheta.

Argentum Capillare, in pilorum modum condensatum, ostenditur in *Musæo* Kircheriano Romæ, V. Georg. *de Sepibus* *ni Collegii Rom. S. I. Musæo* *pag.* 41.

Argentum Factum, h. e. signatum, τῷ ἀσήμῳ opponitur, & pecuniam denotat, Manilius.

Et falsi mercator erit per utrinque metalli;

i. *argenti* vel æris, quod utrinque signatum est. Græci enim vett. ἄσημον dixere *argentum non signatum*, quod in nummis non est, sed in vasis ac poculis. Inde verò postmodum recentiores ἄσημον simpliciter de *argento* usurparunt; quod primum fecisse Ptolomæum in *descr. Indiæ ulter.* suprà diximus, ubi de *Argentea Regione*.

Argentum Mensale, ministeriis conviviorum, quæ in Templis fierent, dedicatum à Tacito Imp. apud Vopiscum.

Argentum Purum, V. suprà *Argentea Emblemata*.

Argentum Pusulatum, h. e candidissimum, quod æris admixtione non ruberet; Ut enim aurum argento, æs plumbo, sic *argentum* ære adulterabatur. Martialis, de priori, *Et niveum candens pusula vincit ebur.* Juvenalis verò, de argento ære mixto,

— *Tenue argentum venæque secundæ.* Contra cujusmodi adulteratores, *cavit* Tacitus Imp *ut si quis argento publicè privatimque æs miscuisset, si quis auro argentum, si quis æri plumbum, capitale esset cum bonorum proscriptione*, apud Flav. Vopiscum *l. c.*

Argentum Regis, Gall. *Argent le Roy*, vel *Argent fin*, in vett. Galliæ Regum de Monetarum fabrica & fusione *Statutis*, intelligitur de ea materia argentea, quæ est undecim denariorum & 12 granorum puri argenti, h. e. in qua est pars vicesima quarta æreæ. Namque argentum purum seu *finum* illud est, quod constat 12. denariis puræ seu finæ materiæ argenteę, quanquam adeò purum vix reperitur. V. Car. du Fresne in *Glossario*.

Argentum in fila deducendi artificium, Aureliani Imp. ætate recentius esse, patet ex Fl. Vopisco in *Vita* ejus, *Habuit in animo, ut aurum neque in cameras, neque in tunicas — mitteretur, dicens plus auri esse in rerum natura quàm argenti: sed aurum per varios — filorum & liquationum usus perire, argentum autem in suo usu manere.* Ubi per *fila* intelligit fila aurea, quibus, & subtemine serico, vestes texebantur claræ ac pretiosæ. Spartianus in *Pertinace*, *Vestis subtemine serico filis aureis.* Virgilius,

Et picturatas auri subtemine vestes.

Ubi *subtemen* posuit Poëta, pro trama & filis, ut *ad Pertinacem Spartiani* ostendit Salmasius: Non enim stamen ex auro potest esse. Nondum igitur ætate Aureliani inventum erat *argentum in fila deducere*, & filis argenteis contexere vestimenta, quod sub ultimis Impp. apud Græcos multum in usu fuit: quæ *Syrmatina* dicebantur, à syrmate, h. e. filo argenteo, sic enim vocabant, V. infrà in voce *Syrma*; & plura hanc in rem apud Salmasium *ad Vopisc.*

Argester, adde: V. infrà *Sciron*, item *Thrascias*.

Argi, urbs Italiæ, apud Servium. *Non una est Argos: fuit enim & in Italia, quam Diomedes condidit: quæ primò* Argi, *post Argyrippa, post Arpi dicta est.* Nempe primo Ἄργος ἵππιον est appellata, sed Æoles pro Ἄργος dicebant Ἄρπος, unde *Arpos* Latini pronuntiavere,

tiavere, pro Arbis, Salmasius *ad Solinum p.64.* V. in voce *Arpi*; ut & in *Argyripa*.

Argiavana, arbor seu arbustum, apud Persas, describitur in Thiphasii *libro de discrimine lignor.* his verbis: *Arbor est in Perside, cujus flos insigniter rubet, à qua denominant Arabes, quicquid rubore ipsi simile est. Frequens est arbor illa, circa Esphahan. Rosam producit insignis rubedinis — pulchram visu, sed sine odore. Flos est edulis & dulcis saporis. Aliquantum ex eo sumitur post potum. Lignum habet molle & tenue, ex quo combusto cinerem mulieres nigrum faciunt, quo lineas superciliis inurunt, ut nigriora sint, & venustiore pilo. Codex radicis est inter pharmaca, quæ vomitum provocant, cùm ejus cocti succus bibitur. Narravit mihi, qui hanc attulit, abundare eandem arborem, circa Maja — farikin (urbem Armeniæ non procul ab Amida) Et alius, multam esse in vitibus montis Cordubensis (vel in monte Chyrum nomine, prope Cordubam) in Hispania* &c. A' qua rara & eximia planta, purpuræ nomen datum esse, cùm Auctor contendat, refellitur is à Cl. Bocharto, vocem ארגון, *argavan*, de qua suprà, Hebræam Chaldæamque esse, quâ Daniel & Esdras ante annorum plus duo millia usi, ostendente. Itaque purpura ab arbore nomen non habet; sed arbor à flore, cujus color purpureus est. Vide eum *Hierozoici Part. poster. lib.V.cap.9.*

Argilla, piscis ex mera cartilagine, exceptâ spinâ dorsi, absque ossibus & squamis, à natura compactus, idem cum *Raja*, quod vide.

Argillaria, vel *Argilleria*, oppidum Galliæ, non procul à Domnamanto, *Dormans*, à solo *argilloso* dictum, vulgò *Argilly*. Ejus fit mentio in *Vita* Sanct. Bernardi, apud Hadr. Valesium *Not. Gall.*

Argippei, adde: Mel. *Argippæi*; nomen habent ab equis albis: quia, ut ibidem auctor est idem, circa Scythiæ paludem, Hypanin, *νέμονται ἵπποι ἄγριοι λευκοί*, *feri equi albi pascuntur.* Quemadmodum hodieque equos albos in magno esse honore, apud Tartaros, scribit Paulus Venetus *lib.1. cap.65.* & horum armenta Regem habere, quæ decem millium numerum excedant. Quod mirum non est, si verum, quod idem refert *lib 2. cap.15.* Calendis Februariis, quod anni est initium, magno illi Regi à magnatibus quandoque in xenia offerri alborum equorum centum millia. Equos namque hujus coloris reliquis celeritate præstare, hæc Horatii subinnuunt, *lib.1. Sat.1.*

Sisennas Barros ut equis præcurreret albis.

Hinc in Virgilio Turnus, cum Ænea dimicaturus, poscit equos, Pilumno avo datos ab Orithyia, Boreæ uxore,

Qui candore nives anteirent, cursibus auras.

Accedit candoris gratia: quam ob causam Castor & Pollux, apud Pindarum *Pyth.1.* sunt λευκόπωλοι & Proserpina ibid. *Olymp. 6.* λευκίππος. Solem etiam & Auroram albis equis Poëtæ passim vehunt: & λευκόπωλον ἡμέραν vocat Sophocles *in Ajace μαστιγοφόρῳ vers. 683.* Quin Deorum summus, ipse Jupiter, fertur à Poëtis albis quadrigis vehi. Unde Camillo crimini datum, quòd, de Vejis cùm triumpharet, curru equis albis juncto invectus est, Liv. *lib.5.* & Plut. *in Camillo.* Quanquam, si Propertio *lib. 4. Eleg.1.* fides, multo ante Camillum, in triumpho,

Quattuor hinc albos Romulus egit equos.

Nec post cum exempla desunt, Augusti, de Parthis, apud Ovidium *de Arte lib.1.* & Stilichonis, de Africa, apud Claudianum *de Laude Stilichon. lib.2.* triumphantium. Inprimis autem ad albedinis commendationem in equo pertinet, quòd in libro Apocalypseos *cap.6. vers.2.* & *cap 19. vers.11.* & 14. tam Christus ipse, quàm cœlestes exercitus, albis equis insident. Hinc Onirocriticus Poëta, quem Suidas passim citat,

Ἵππους μέλανας ἰδεῖν πάντως βλάβην,
Ἵππους δὲ λευκοὺς ὄψις ἀγγέλων φάσις.
Equos nigros videre pessimum omen est,
Sed candidorum visio Angelos notat.

V. Sam. Bochartum *Hierozoici Part prior. lib.II.cap 7.* Non itaque ratio desunt, cur *Argippæi*, à candore equorum, nomen sibi adsciverint.

Argolenses. Vide suprà Agrielenses, item Archelenses.

Argolæ ophiomachi, serpentum genus, quos ex Argo Pelasgico in Ægyptum ab Alexandro translatos, ut aspides interficerent, fabulantur. Suidas. Ἀργόλαι εἶδος ὄφεων, οὓς ἤνεγκε Μακεδὼν ὁ Ἀλέξανδρος ἐκ τοῦ Ἄργους τοῦ Πελασγικοῦ εἰς Ἀλεξάνδρειαν καὶ ἐνέβαλεν εἰς τὸν ποταμὸν, πρὸς ἀναίρεσιν τῶν ἀσπίδων: Nempe Hebræum ophiomachi nomen חרגול *Chargol* fortè Vett. scripsere, aspiratione demtâ, unde fabulæ origo. Bochartus *Hierozoici Part. poster. lib. IV. cap.2.*

Argolica statua, apud Trebellium in XXX. *Tyr. Hujus uxor Calphurnia — cujus statuam in Templo Veneris adhuc videmus* Argolicam, *sed auratam*: Casaubono est, statua Argivarum matronarum habitum præferens. Salmasio *Acrolitha* legi vult, V. suprà.

Argonautica, pars Cycli Epici, de quo infrà dicemus.

Argutarii Canes vel *Acutarii*, in *L.* Salica, sunt ἰχνευταί, quos & vertagros dicebant. Vide suprà in *Acupedes*, & infrà, ubi de *Canibus*.

Argyrise Agones, Græcè Ἀργυρῖται, dicta illa certamina, in quibus præmii causâ decertabatur, aliàs χρηματῖται & θεματῖται quoque appellati, qui sacris agonibus opponebantur. Cujusmodi certamina, qui non erant ἱεροὶ ἀγῶνες, in singulis fere urbibus Græciæ celebrabantur. Sic in Marathone, phialæ argenteæ dabantur victoribus: alibi clypei ærei, ut in Junoniis Ludis, qui Argis fervebant. In urbe Pellene Θεοξένια vel Ἑρμαῖα celebrabantur, in quibus læna præmium erat; in Æaciis Æginæ, amphoris donabantur, qui vicerant: In aliis certaminibus tripodes ænei proponebantur &c. Salmasius *ad Solinum pag. 849.* At in Sacris Agonibus seu Iselasticis, præter coronam non aliud præmium erat, unde illi φυλλῖται dicti sunt &c.

Argyrodamas, genus lapidis, sic dictum, an quòd *argentum* domaret ac ad se raperet, quod Plinius tradit de androdamante (quem cum *argyrodamante* confundit.) *l.36.c.10.* An quòd *argentei* coloris esset? Certè videtur *Argyrodamas* appellatus, tanquam *Argenteus Adamas* V. Salmasium *ad Solinum pag. 564.* & 1103.

Aria, adde: Hæc unà cum vicina Margiana optimo vino, ad miraculum usque, fertilis est. Strabo *lib.2. In Margiana sæpe vitis truncum inveniri asserunt tantæ crassitudinis, ut duorum hominum ulnis vix ambiatur, uvam autem bicubitalem. Et* Ariam *huic esse parem, adeoque vini proventu superiorem, quòd in vasis non picatis ad tres usque ætates durat.* Quæ ipsa *lib.11.* fere iisdem repetit verbis Quòd verò coralii apud eos magnam vim reperiri scribit Dionysius, assensum non impetrat, cùm coralium non nisi in mari gignatur, à quo *Aria*, quæ prope Parapanisum, admodum remota est. V. Sam. Bochartum *Hierozoici Part poster lib V. cap.7.*

Aria, incolis *Arien*, Gallis *Aire*, opp. ad ripam Letiæ flum. positum, duabus obsidionibus præt. bello, & tertiâ, quâ bello præsente à Gallis occupatum est, A.C.1676. illustre. Fortè olim ab *area* vel planitie, in qua sita erat, nomen accepit, Hadr. Val *N.G.*

Arialbinum, adde: in *Tab.* Theodosiana, ponitur inter Cambete ac Augustam Rauracorum. Æthicus collocat inter Vindones seu Vindonissam, ac inter Montem Brisiacum: idemque alibi inter Rauracos illud ac Uruncos statuit. Fortè *Mylhusium* potiùs, quàm Basilea, V. *Basilea.*

Ariane, Græcè Ἀριανή, regio Asiæ. V. *Aria.*

Ariaspa, pop. Asiæ, ab urbe *Ariaspa*, in confinio Drangianæ & Arachosiæ sitâ. Eorum meminit Plinius, Prophthasiam oppidum eorum esse tradens, quod in Drangiana ponit Ptolomæus. Postea *Evergetæ* dicti sunt, uti videre est apud Arianum *in Expedit. Alexandri* & Curtium. Salmasius *ad Solinum pag.1175.*

Aribannum, Gall. *Arrierebau*, mulcta est non proficiscentis in militiam edicto licèt publico evocati. Rectiùs *Heribannum*: ni per contractionem fortè dixeris, pro *Arierebanno*; i. *Retrobannum*, seu iterata evocatio. Perinde ac si *Bannum* esset evocatio prima vel simplex; *Aribannum* subevocatio, seu citatio posterior: à Gall. *arriere*, quod & *retrò* sonat; ut dicatur de iis, qui retro manserint post *Bannum* seu evocationem. Sunt autem, quibus vox hæc simplex videtur esse evocatio vasallorum regiorum; composita verò, inferiorum seu plebejorum: aliis, contrà. Dicitur etiam *Arrierebau* pro ipsa cohorte ita conscriptâ, Henr. Spelmannus *Gloss. Archæol.* V. quoque infrà in voce *Heribannum.*

Arida Saginatio, apud Tertullianum *de Pallio cap. 4. Et inter unctio & pulverea volutatio & arida saginatio*: Viro maximo est ξηραλοιφεῖν, Salmasio ξηροφαγία, quæ Athletarum propria. *Saginari* autem de illis inprimis: Ita namque Curtius Dioxippum pugilem, *saginati corporis belluam* vocat. V. quoque Tertullianum *adv Psychicos.* Sic Græcis σιτίζειν, ut est apud Laertium, οἱ δὲ Πυθαγόραν ἀλείπτην τινὰ τοῦτον σιτίσαι τὸν πρῶτον τοὺς ἀθλητάς, *ad hunc modum pugiles saginasse.* Ξηροφαγία verò non illo tantùm tempore de Athletis dicta est, quo ficus aridas esitabant, quod facere desierunt, à quo Pythagoras quidam veterem ἄσκησιν διὰ ξηρῶν ἰσχάδων sustulit & pugiles transtulit ad carnium usum. Tertulliani enim temporibus non ampliùs *aridæ* ficus ad saginationem athletarum sumebantur & tamen *aridam saginationem* & ξηροφαγίαν de athletis sui temporis usurpat. Nempe pulpam tantùm siccam & aridam, nullis sciramentis & jurulentis eblanditam, edebant, unde victum eorum ξηρὰν τροφὴν & στερεὰν Lucianus vocat. *Aridum* enim *victum* pro tenui & minimè uncto dicebant. Cicero *pro Roscio Amer. In rusticis moribus, in victu arido, in hac horrida incultaque vita istiusmodi maleficia gigni non solere.* Carne autem utplurimum bubula & suilla vescebantur: unde illud Diogenis Cynici, qui interrogatus, cur insensibiles essent Athletæ? respondit, ὅτι κρέασιν ὑείοις καὶ βοείοις ἀνῳκοδόμηνται, *quia carne suilla & bubula essent constructi.* Horum porro animalium partes illas ad victum assumebant, quæ minimum succi & pinguedinis habent, quæque maximè aridæ sunt & siccæ: pedesque proin bubulos & suilla acrocolia edebant, κωλῆνα Græcis & κωλῆνες dicta, V. infrà in voce *Colipium*, &c. Sed & xerophagias vett. Christianorum jejunia appellata fuisse notum est: inter quas tamen & ξηροφαγίας pugilum id intererat, quòd Christiani, cùm jejunarent, non modò carnibus abstinerent, verùm etiam omnibus jurulentis & pomis succi vinosioris vinoque in totum, ut alibi Tertullianus scribit, inde ξηροφαγίαι dictæ: at pugiles & athletæ in sua *arida saginatione* carnes quidem edebant, sed sine

ullis

allis condimentis: nec enim scitamenta, nec placentas, nec alias hujusmodi cupedias attingere illis licitum; vino præterea & frigida sese abstinere interdum cogebantur, non semper &c. Salmas. *ad l.*

Aridagamantia, Sylva Galliæ, à qua regiuncula Batpalmis proxima *Arouasia* vel *Aridagamantia* dicitur, cum Monasterio cognomine *Arouage* vel *Arouaise*, Hadr. Valesius *Not. Galliæ.*

Ariel, Hebr. אריאל, propriè est *Leo Dei*, id est, *Leo magnus*, ut *montes Dei*, *cedri Dei*, *luctatiunes Dei*. Fuit autem fortium virorum cognomentum in terra Moab: unde est, quòd Benaja percussisse legitur, *duos Ariel Moabitarum*. 2. Sam. *cap.* 23 *vers.* 20. hodieque apud Arabes vir fortis *Asedollahi*, h. e. *Leo Dei*, appellatur. Marmolius *Africæ suæ lib.* 2. *cap.* 32. *Per Solimani mortem, Arabum imperio successit Omar Ilmomoadi, Abdolmelici filius, quem etiam vocabant Ased-allah, quod leonem Dei significat.* Sed & à Persis Hali, sectæ suæ Principi, idem cognomen fuisse inditum, docet Adam Olearius *Pers. Itin. l. c.* Et tale est, quòd Athletas Græci *Leones* nuncupabant, ut videre est apud Lucianum in *Demonacte*. Inque his Claudiani *de bello Gildon.*

Dictaque ab Augusto legio, nomenque probantes
Invicti, clypeoque animosi teste leones:

Leonum nomine videntur milites intelligi, qui clypeo Leonem appingebant, &c. Idem nomen etiam Altari inditum Ezech. *cap.* 43. *vers.* 15, 16. adeoque Templo & Urbi, Esaiæ *cap.* 29. *vers.* 1. fortè propter Altare, cujus ignis perpetuò accensus holocausta, leonis instar, vorabat, & consumebat &c. V. Sam. Bochartum *Hierozoici Part. prior. lib. III. cap.* 1. alibique passim.

Aries, Hebr. איל *ajil*, à viribus dictus, agno opponitur, qui Græcè ἀμνὸς vocatur quasi ἄμενος, h. e. *sine viribus*. Nominis origo ab איל, id est, *robore*; ita ut איל *aries* & אל *Deus fortis* conjugata sint. Quia vox plur. אילים *elim* & *arietes* & *Deos* notat: Unde est, quòd Ethnicorum vetustissimi Jovem suum finxerunt Κριοπρόσωπον, *arietis vultu*, &c. Illustris Domini nostri typus fuit, quem pro filio in holocaustum Pater credentium obtulit, Genes. *cap.* 22. *vers.* 13. Eum Judæi nugaces creatum volunt ante annos bis mille & ampliùs, nempe sub vesperam diei sextæ creationis: verosimilius à vicino grege aberrasse, & in Abrahamum, Deo rem sic dirigente, incidisse, ne sanctus Patriarcha, qui sacrificandi animo illuc iverat, re infectâ discederet, & ut, filio à morte exempto, haberet, unde Deo testaretur debitam gratitudinem. Cujus historiæ lacinias, sed de more interpolatas, Græci suis fabulis immiscuerunt: Iphigeniam enim narrant à patre Agamemnone Dianæ fuisse oblatam, sed, cùm Calchantis ministerio jamjam esset immolanda, cervam ante ipsam aram divinitus mox comparuisse, atq; ejus vice oblatam esse. Ipsa Iphigenia apud Eurip.

Ἀλλ' ἐξέκλεψεν, ἔλαφον ἀντιδοῦσά μοι
Ἄρτεμις Ἀχαιοῖς —
Sed me subduxit, cervam pro me subjiciens
Diana Græcis.

In Plutarchi *Parallelis cap.* 35. similes fabulæ duæ sunt, una Græca ex Aristodemo, de bucula Helenæ, propter pestem Lacedæmone grassantem, populariumque salutem, immolandæ substituta: altera Romana, ex Aristidis Italicis, de Valeria Luperca, quæ, in remedium grassantis pestis pariter mactanda, simili casu servata sit. V. eundem Bochartum ubi suprà *L. II. c.* 40. De horrendo verò sacro, quo *tipi* aries mactabatur, infrà in *Criobolium.*

Aries, Danieli visus *c.* 8. qui cornibus suis omnes orbis partes ita impetebat, ut nullus ei obsisteret, Persarum Rex est: qui sedisse dicitur *ad Eulæum*, quia Susa, Regni metropolis, ad eum amnem sita erat; & *cornua duo habuisse*, h. e. duo Regna, Medicum & Persicum: *quorum posterius sublimius*; namque Persicum, Medicum Regnum dignitate & potentiâ superabat. Huic hircus oppositus &c. V. ipsam Historiam sacram. Simile quoddam visum obtigisse Sullæ, Plutarchus narrat, in *Vita* ejus; & in Accii *Bruto*, qui à Cicerone citatur *de Div.* 1. Tarquin. Superbus suum hoc somnium narrat,

Visum est in somnis pastorem ad me appellere,
Duos consanguineos arietes inde eligi,
Pecus lanigerum eximiâ pulchritudine,
Præclarioremque alterum immolare me,
Deinde ejus germanum cornibus conniti
In me arietare, eoque me ad casum dari:
Exin prostratum terrâ graviter saucium,
Resupinum, in cœlum contueri maximum.

Qui *arietes consanguinei* L. Junium Brutum & fratrem ejus à Tarquinio cæsum significabant; quorum ille, in Tarquinium insurgens, regno eum spoliavit. V. Bochartum *l. cit. ut* & *c.* 50. ubi de ariete & tauro, à Judæis in Ægyptiorum contemptum, immolare solitis, ex Tacito.

Aries, adde: Princeps Zodiaci signum figuram ab Ægyptiis hanc accepit, in honorem Chami sive Jovis Ammonis, qui ad potentiam significandam arietinis fingebatur cornibus. *Arietem* autem habitum fuisse Jovem Ammonem, traditum Isidoro *Origin. l.* 3. *c. ult.* Sed nec Jovis is solùm, verùm & Minervæ symbolum fuit. Unde Maro *Æneid. lib.* 11.

Supplicia & scelerum pœnas expendimus omnes,
Vel Priamo miseranda manus: scit triste Minervæ
Sidus & Euboicæ cautes, ultorque Caphareus.

Ubi V. Servium. Neque, cùm Minerva sit consilii Dea, obscurum est, cur *Aries* Minervæ sit sidus: quippe ipse est dux signorum, ut ex suo consilio præcedat, cœtera ex ejus consilio sequantur. Hinc Manilius *Astronom. l.* 2.

Consilium ipse suum est Aries, *ut principe dignum est,*
Audit se, Libramque videt, &c.

V. Vossium *de orig. & progr. Idolol. l.* 2. *c.* 36. Quod autem de Jove Ammone dictum, in veteri nummo, conspicitur is cum cornibus arietinis, quibus partim potentia Chami & regni ejus, quod posteri obtinuere; partim etiam ingens denotatur vis Solis: quò & Macrobius retulit *l.* 1 *Sat. c.* 21. *Ideò & Ammonem, quem Deum Solem occidentem Libyes existimant, arietinis cornibus fingunt, quibus maximè id animal valet, sicut radiis Sol.* Fortè & oracula Ammonis istiusmodi cornuum instar, torta flexaque hoc symbolo indigitantur, unde *oracula arietina* dicta. Plaut. *Fret.* apud A. Gell *l.* 3. *c.* 3.

— — *Hoc illud est,*
Quod Arietini *responsum magnis Ludis dicitur:*
Peribo, si non fecero; si faxo, vapulabo.

Certè Ammonis cornua *torta* vocat Lucanus *Pharsal. lib.* 9. *Flexa*, Silius *Punic. l.* 9. V. iterum Vossium *l. c. cap.* 11. Nota ejus in veteri sigillo, apud Gorlæum, est ♈. Meliùs tamen in Græcorum libris ita effigiatus ostenditur. ♈ In quarum notarum illa recta cornua, in hac torta & inflexa exhibentur, qualia omnino sunt *Arietis*. Manilius de hoc signo,

— *Ariesque in cornua tortus.*

V. Salmasium *ad Solinum p.* 1236.

Aries, machina militaris, quâ, inter alias, ad urbium oppugnationem Vett. usi sunt. Ejus descriptio talis: Eligitur abies vel ornus excelsa, cujus summitas duro ferro concluditur, & prolixo, *arietis* efficiens prominulam speciem: Sicque suspensa utrinque transversis asseribus & ferratis quasi ex lance, vinculis trabis alterius continetur: Hanc dein quantum mensuræ ratio patitur, multitudo retro repellens, rursus ad obvia quæque rumpenda protrudit ictibus validissimis, instar assurgentis & cadentis armati. Quâ crebritate, velut reciproci fulminis impetu, ædificiis scissis in rimas, concidunt structuræ laxatæ murorum. Quo genere operis, si fuerit exerto vigore discussum, nudato vallo defensoribus, solutisque obsidiis civitates munitissimæ recluduntur. Ioh. Rosinus *Antiqq. Rom l.* 10. *c.* 17. In ejus locum postea *Helepolis* successit, cujus operâ feliciter usus est Demetrius Poliorcetes. *Aries*, quo Titus, in Hierosolymorum oppugnatione, usus fuisse legitur, rotis vehebatur quaternis; habens ab utroque latere imbricamentum seu compluvium quoddam, sub quo milites, machinæ destinati, tutò laterent. V. Josephum Ben Gorion *de bello Jud.* Amm. Marcellinum *l.* 23. *c.* 3. &c. Adhibuerunt quoque Romani *Arietem* animal, cùm bellum indicerent hostibus. Tum enim Fæcialis illo in hosticum emisso indigitare voluit, brevi terram illam in pascua Romanis cessuram; Unde Prov. *Arietem emittere*, i. pugnam denuntiare, ortum. V. Erasmum *Adag.*

Arietem levare, superstitionis aut inhonesti ludicri species, apud Anglos: cujus mentio in *Inquisition.* Archidiaconorum Lincolnensis diœc. *A. C.* 1233. *cap.* 30. *An alicubi leventur Arietes, vel fiant scotallæ, vel decertetur in prætereundo cum vexillo matricis Ecclesiæ?* Item in Synodo Wigorn. A. C. 1240. *can.* 38. *Ne intersint ludis inhonestis, nec sustineant ludos fieri de Rege & Regina, nec* Arietes levari, *nec palæstras publicas fieri &c.* Sic in *Statutis* Provincial. Walteri Episc. Dunelmensis A. C 1255. prohibentur *levationes Arietum super rotas*, & ludi, quibus decertatur ob bravium exequendum, apud Car. du Fresne *Glossar.*

Arietina Cornua, Jovi Amoni in numis affictâ, uti vidimus suprà ubi *de Ariete Zodiaci signo*. Sed & icuncula Mosis antiquitus expressa in lamina æris rotunda, haud pridem Shenæ, in agro Surreiensi, circa nonum à Londino lapidem, inter rudera reperta est: quæ crassa admodum & ponderis paulo ampliùs dodrantis unciæ; unâ parte verba præ se fert Hebraica, quæ Latinè sonant, *Non erunt tibi Dii alieni coram facie mea*, desumpta ex Decalogo. Alterâ parte Mosis visitur imago, *arietinis cornibus* insignis: Nec capillus ejus, aut aliquod tegmen capitis videtur. An ratio insit aliqua cornutæ illius faciei, quæ Mosi tribui solet, viderint qui operæ pretium duxerint. Sed in figuris ejus cornutis, erigi solent, ut Panum & Satyrorum aut capreolorum, non incurvari, ut *arietum*, atq; Jovis Hamonis, cornua. In pictura sc. Christianorum, qui ex eo, quod in vulgata habetur de Mose, Ex. c. 34. 29. & 35. *Ignorabat, quòd cornuta esset facies sua & videbat faciem egredientis Moysi esse cornutam*, bicornem Mosen pingunt. Sed rident cornua illa Judæi, quibus verba Hebræa sonant, *Splenduit, seu radiavit cutis faciei ejus*. Nec alium existimant Viri docti fuisse Interpretis vulgati sensum, utcunq; Pictores Sculptoresq; atq; ii, à quibus docentur, illum interverterint. Nam lucis radii cornua velut imitantur & Hebr. קרנים tam hæc, quàm illos, notat. Quò facit, quòd disertè Paulus 1 Cor. *c.* 3. *v.* 7. τὴν δόξαν τοῦ προσώπου αὐτοῦ, *Gloriam vultus ejus*, radios illos faciei Mosis nuncupat. Videtur autem lamina hæc potiùs quàm numus Christiani alicujus opus, fortean ideo ante secula aliquod factum, ut officiosi muneris vice inserviret ad Judæos aliquos sive demerendos sive ad Christianismum civiliter invitandos, Joanni Seldeno, qui iconem ejus exhibet, *de Jure Nat. & Civ. juxta Discipl. Ebræor. Lib. II. cap.* 6.

Arimanni, V. infrà *Herimanni*.

Arion, equus in curru Polynicis, apud Statium *Thebaid. lib.6.* præcipuus. Describit ibi ludos curules, quos Archemoro celebrarunt Argivi, & equum hunc, in Polynicis quadriga, solum nominat, excussoq; sessore nihilosecius vicisse victorēq; renuntiatū refert,

— *Nam flavus* Arion
Ut vidit, saliere jubæ, atque erectus in armos
Stat, sociumque jugi, comitesque utrinque laboris,
Secum altè suspendit equos.

Ubi ex ratione antiquorum curruum loquitur, in quibus quatuor equi sub jugo juncti habebantur & duplex erat temo. At ex ratione Circi, quæ tempore Statii obtinebat, *Arion* funalis sinisterior esse debuit: hunc enim tum primarum partium fuisse habitum, infrà dicemus. V. Salmasium *ad Solinum pag.* 899. & Barthium *ad Statium d.l.*

Aristæus, adde: De eo Solinus, *cap.* 4. ubi de Sardinia, *Mox* (nempe post Noracem & Sardum) *Aristæum his regnando proximum, in urbe Caralis, quam condiderat ipse — sejuges usque ad se gentes ad unum morem conjugasse, imperium ex insolentia nihil aspernatas.* Aristoteles contrà, primum omnium in Sardinia imperasse tradit *Aristæum*, quum ea Insula tota multis & grandibus avibus teneretur. Cum Dædalo autem in Sardiniam eum transiisse, Servius tradit: *Hic post laniatum à canibus Actæonem, Thebas reliquit & Ceam Insulam tenuit primò hominibus adhuc vacuam; post eâ relictâ cum Dædalo ad Sardiniam transitum fecit.* Addit tamen, huic opinioni refragari Pindarum, qui canit eum de Cea Insula in Arcadiam migrasse, ibique vitam coluisse, & apud Arcadas pro Jove cultum. Contrà Apollonius Rhodius, *Aristæum* Arcadiâ relictâ Ceon tenuisse, & ibi Jovis *Icmæi* templum statuisse, scribit *Argonautic.lib.2.* V. Salmasium *ad Solinum pag.* 99. ut & *pag.* 414. ubi Ἀγρέα & Νόμιον *Aristæum* apud Arcadas, *Aristæum* dictum esse, addit

Aristagoras, fax belli Jonici, quod à Dario circa Olymp. 70. Jonibus & Græciæ illatum est: A' quo Pherecydes, in eo gerendo & consiliis pro bono Patriæ capiendis, sæpe dissedit. V. Salmasium *ad Solinum p.*845.

Aristarchus Samius, inter eos, qui Gnomonica vel Organica invenerunt, Horologium fecit, *Scaphen* sive *Hemisphærium* à forma dictum, & discum in planitie, ad eundem usum, struxit: de quo V. eundem *ibid. p.*636.647. & 648 ut & infrà, in voce *Scaphe*.

Aristato, in *L. Sal. tit.* 16. §. 4. *Si quis* Aristatonem *super hominem mortuum capulaverit* &c. palla est, pallium, seu stragulum, defunctorum tumbis ac monumentis olim imponi solitum. Eadem *L. tit.* 58. §. 4. Codex Heroldi, *Cheristaduna* habet: ubi Wendelinus *Aristatonem*, Germanicum *Erre-stat* esse ait, quæ vox *honorarium statum* sonat. Pallis autem tapetibusque tegi & insterni solitos Sanctorum, atque adeò nobilium & honoratiorum virorum tumulos, testantur præterea Gregor. Turonensis *de Gloria Confess. cap.*20.21. 30. alibique passim, Avitus Viennensis *Poëmat. lib.3. vers.*253. Helmod. *lib.1. cap.*79. aliique Auctores, laudati Carolo du Fresne in *Glossar*. Hinc mos in Ecclesia Rom. fluxit, mortuorum feretra pallis Ecclesiasticis obvoluta, in Ædem sacram, deferendi. V. infrà in *Palla*, & Guil. Apul. *de Gestis Normann.* qui sic de hoc ritu, ubi sermonem facit de Roberto Guiscardo, celebri Normannorum Duce:

Utile figmentum versutus adinvenit, atque
Mandat defunctum, quòd quemlibet esse suorum
Gens sua testetur, qui cùm quasi mortuus esset
Impositus feretro, parmasque obducere cera
Illitus hunc facie jussus latitante fuisset,
Ut Normannorum velare cadavera mos est.

Aristomachus, Tribunus, memoratur Æl. Lampridio in *Heliogabalo*, *Inde itum est in hortos, ubi Varius* (id est, Heliogabalus) *invenitur — qui subitò militum strepitu exterritus in angulum se condidit — Antiochianus igitur ex Præfectis unus, milites, qui in hortos venerant, & sacramenti admonitione exoravit, ne illum occiderent, quia nec multi venerant & plerique cum vexillo, quod* Aristomachus *Tribunus retinuerat, remanserant.*

Ariston, à Ptolomæo Ægypti R. missus ad explorandum Arabicum Sinum, usque ad Oceanum Indicum, Neptuno Pelagio aram consecravit, in eo loco Arabici sinus, quod *Posideum* appellatur. Ab eo mansioni, *Aristonis mansio* dictæ nomen, cujus mentio apud Auctorem *Itinerarii* vet. laudatum Claud. Salmasio *ad Solinum pag.*1184. Idem nomen fuit nobili cælatori. Plinius *lib.* 34. *cap.*8. *Ariston, qui & argentum cælare solitus est.* h. e. qui scyphos sigillatos ex argento facere, cujusmodi opera τορεύματα Græci dixere.

Arithmi, apud Tertullianum *adv. Gnosticos cap.* 3. *In* Arithmis, *cùm divertisset Israël apud Setthim, abiens libidinatum apud filias Moab.* V. in voce *Numeri*.

Arithmologia, sive de occultis numerorum mysteriis, quâ origo, antiquitas & fabrica Numerorum exponitur, eorumque abditæ proprietates demonstrantur & fontes superstitionum hoc tempore currentium aperiuntur, & acriter confutantur, nomen Libri, Auctore Athan. Kirchero, editi Romæ A. C. 1665.

Arius Pagus, apud Solinum *c.*7. *Atheniensibus Judicii locus Arius pagus*: Græcè Ἄρειος πάγος, item Ἄρειον πεδίον: junctim *Areopagus* est, de qua voce V. *suprà*.

Arma, quid sint, notum: propriè nempe, quæ *armos* tegunt, scuta videlicet, quibùs nos defendimur, sicut tela, à Græco τῆλε, quæ *procul* hostem arcent. Inde latiùs vox extensa. Ærea antiquitus fuisse, ex Homero, Strabone, Pausania, aliis, liquet; quam in rem V. Casp. Barthium *Animadv. ad Papinium Statium Achilleidos lib.1. vers.*413.

Æra domant Tenesa.

Suspendebant ea Vett. si præsenti militiæ idonea non essent, eaque quæ essent usui sumebant è Templis; uti de Cimone legimus, quem, equi sui *frænum* suspendisse in Acropoli Athenarum Minervæque dedicasse, è Templo contrà ejus *clypeum* ibi pendentem refixisse, quòd non equestri, sed navali militiâ jam opus esse cerneret, tradit Plutarchus, in *Vita* ejus. Hinc idem Statius *ibid. versu* 413 de armis,

— *Velluntur postibus altis.*

Eadem postea, peractâ militiâ, Diis suis dicabant. Idem *Sylvar. l.*5. *Protreptico Crispini versu* 148.

Belligeris hæc dona Diis, hæc arma *dicavit,*
Cernis adhuc titulos? Hunc ipse, vocantibus armis,
Induit; hunc Regi rapuit thoraca Britanno.

In exequiis Virorum præclarorum concuti solita, discimus et Livio, qui *motus armorum* vocat *lib.*25. *In vestibulo primorum Castrorum rogum factum esse, armatum exercitum decurrisse, cum tripudiis Hispanorum, motibusque armorum & corporum suæ cuique genti assuetis.* V. funera Romanorum Principum, apud Appianum, Dionem, alios. *Alba* autem Heroibus præcipuis placuisse, ad ostentandam animi puritatem, similiter ex Scriptoribus constat. Hinc Æschylus de Amphiarao,

— ἀσπὶδ᾽ εὔκυκλον νέμων
Πάγχαλκον ηὔδα, σῆμα δ᾽ οὐκ ἐπῆν κύκλῳ.
Οὐ γὰρ δοκεῖν ἄριστος, ἀλλ᾽ εἶναι θέλει,
Βαθεῖαν ἄλοκα διὰ φρενὸς καρπούμενος,
Ἐξ ἧς τὰ κεδνὰ βλαστάνει βουλεύματα.
— *clypeum rotundum vibrans*
Undique æneum, dixit, signum verò non inerat orbi.
Non enim videri optimus, sed esse, volebat,
Profundo sulco animum impressus,
Unde tam præclara oriuntur consilia.

Aliud est illud Virgilii,

— *parmaque inglorius albâ,*

de quo alibi &c. Atque hæc primitiva vocis notio: pro Insignibus, ante annos demum circiter 400. *Arma* dici cœpere; quamvis alii huc trahant varia apud Poëtas loca, ut Æneid. 1.

— — *celsis in puppibus arma Caici.*

Alibi, *Pacem orare manu, & præfigere puppibus arma.*

Et Horatii illud

— *Vejanius armis*
Herculis ad postem fixis.

V. in voce *Insignia* &c. Militaria *arma* alicui dare vel radere, Item *Armis militaribus aliquem donare, cingere, honorare*, apud aliorum seculorum Scriptores passim occurrunt, pro eo quod hodie dicitur, *Equitem auratum creare.* Sermo vetus, à Germanorum ritu deductus videtur, qui traditione scuti & frameæ adolescentes ad militiam aptos solenniter admisere, teste Tacito *Germ. mor.* Ademtio verò eorum, gravissima apud omnes gentes pœna est, ab initio militaris disciplinæ: quâ Anglo-Saxones cum libertatem adimebant. Et Germani quidem non solùm Ethnici, sed & ad fidem conversi, ea religione arma coluerunt, ut nil facerent nisi armati. Epulabantur armati, Consilia armati ibant, pactiones armorum contactu firmabant: Armati etiam jurabant, vel armatâ dexterâ vel super armis interdum honoratioris alicujus, interdum suis propriis, velut Diis Penatibus, V. Aimoinum *l.*4. *c.*26. ubi agit de fœdere, inter Dagobertum Francum & Saxones. Imò *arma* ex more consecrabant; & si consecrata non essent, ea priùs sacranda dare juraturus tenebatur, qui sanctiùs jurandi ritus fuit. Quod obtinuit usque ad Carolum M. qui tandem statuit, ut omne Sacramentum *super reliquias juretur*. V. quoque hic infrà, ut & in voce *Clypeus* &c.

Arma, Arma, clamor militaris concitantis illosque ad *arma* apud Statium *Thebaidos lib.7. versu* 135.

Arma, arma *insani, sua quisque, ignotaque nullo*
More rapit.

Et *lib.*11. *versu* 305.

— — — *Arma,*
Arma prius famuli &c.

Sic Virgilius *Æneid. lib.* 2.

Arma viri, ferte arma viri.

Alii. A' cujus vocis frequentia, nota vox hodie usitata, *Alarm*. V. quæ de hac proclamatione militari eleganter adnotavit Justus Sinserlingius *in Promulside c.*51. & Casp. Bart. *Animadv. ad Statiū l. cit.*

Arma Plena, quæ Militem spectant, Gal. *Armes de Chevalier*, seu omnimoda arma, quænam dicta fuerint, docet Chron. Aulæ Regiæ *cap.*13. *Dicunt, quòd tunc in exercitu Regis Bohemiæ fuerunt 7000. virorum in equis pugnantium, in plenis armis & sub*

galeis

galeis; & Hovedenus A. C. 1181. *Ut unusquisque homo habens centum libras Andegavensis monetæ in catallo, haberet equum & arma militaria plenarie; omnis autem homo habens in catallo 40. vel 30. vel 25. libras Andegavensis monetæ ad minus, haberet albergellum & capellum ferreum & lanceam & gladium: cæteri autem omnes haberent wambasiam, capellum ferreum, & lanceam & gladium, &c.* *Arma* verò dandi, iis cingendi seu *honorandi*, h. e. Militem seu Equitem creandi, armisque Militaribus induendi ritus jam Taciti ævo apud Germanos in usu fuit, uti docet *de moribus Germ.* crebroque occurrit apud medii ævi Scriptores; ubi tamen per *Arma* non raro intelligendus venit ensis solus, quo novus Miles accingebatur. Sed & interdum *omnibus armis* is instruebatur. Ordericus Vitalis *lib.8.* de Henrico postmodum Anglorum R. hujus nominis primo: *Hunc Lanfrancus Dorobern. Episcopus — ad arma pro defensione Regni sustulit, eumque lorica induit & galeam capiti ejus imposuit, eique ut Regis filio & in regali stemmate nato, Militiæ cingulum in nomine Domini cinxit.* Sic Johannes Mon. majoris Monast. de Gaufredo Andegav. Duce Normanniæ, Milite facto: *Induitur lorica incomparabili — calceatus est caligis ferreis — clypeus leunculos aureos imaginarios habens collo ejus suspenditur* &c. Quo Senatoris etiam ista ex *lib 4. Epist.2.* spectant, ubi de *adoptione per arma*, ex qua Militaris dignitas & ordo profluxit: *Damus quidem tibi, equos, enses, clypeos, & reliqua instrumenta bellorum* &c. Hæc *deponere & relinquere* jubebantur, quibus ob crimen aliquod publica imponebatur pœnitentia: etiam *amittebant*, iisque *carere* dicebantur illi, quorum clypei in hostium venerant potestatem, vel qui in prælio fuerant victi. Tunc enim ii, aut eorum liberi, si rursum armis uti vellent, tenebantur de hostibus acceptum dedecus præliando eluere & vindicare; alioquin nec pro Militibus habebantur, nec ad mensam Militum sedere fas iis erat. Nam is mos invaluerat, teste Salanovâ apud Hieron. Blancam, *ut nemo nisi Miles ad mensam Militis sederet*: si qui contrà agerent, Fecialium partes erant, eorum mantile lacerare, uti factum Wilhelmo Com. Ostrevandiæ, in mensa Regis Francorum, apud Guil. Hedam *in Friderico Episc. Ultraject. sub A. C.* 1395. & Johannem à Leydis in *Chron. lib.31. cap.50.* V. Car. du Fresne *Glossar.*

Arma Reversata, apud Thom. Walsinghamum *pag. 192. Inter probra verò, quæ Duci intulerat, arma ejus in Foro sunt publicè reversata*: nota fuit, iis Nobilibus, qui feloniæ damnati ac proin degradandi erant, inuri solita. Si quis enim proditionis reus damnatus esset, continuò ad majorem ignominiam, nobilitate non modò excidebat, sed & ipsius liberi nobilium prærogativâ privabantur atque in hujusce rei signum, arma proditoris publicè *invertebantur*, seu *reversabantur*. Sic habetur in *Chartophylacio* Regio, in Scrinio Navarræ apud Car du Fresne *Chart.* Johannis *de Greilly* Capitalis *de Buch*, A C. 1364. quæ est 6. quâ is captus in prælio Cocherellensi & in libera Regis custodia detentus, ab ea recessurum se non esse profitetur: consensum suum præbens, ut, si secus ageret, pro falso, malo, ac perfido Milite, haberetur, atque in perfidiæ signum arma sua inverterentur: *ses armes fussent mises & tournés dessus & dessous*, &c. V. Seldenum *de Titulis honorariis, pag. 789. 2. edit.* Sed & in exequiis eorum Nobilium, qui lineam suam terminarunt, istiusmodi arma præferri atque depingi, moris est, uti in Belgio & Germania super. in usu esse, exemplis aliquot docet Seb. Fesch *Tract. de Insignibus.*

Arma mutandi, in signum fœderis seu amicitiæ, ceremonia, jam Homeri ævo antiquior est, ut ex historia Glauci & Diomedis patet, *Il. ζ. vers 235.*

Ὃς πρὸς Τυδείδην Διομήδεα τεύχε' ἄμειβεν.

Qui (Glaucus) *cum Tydei filio Diomede arma permutavit*

Sic Ethelredus: *Quid plura? annuit Edmundus & Knutho de Regni divisione consensit — dispositis itaque armis in oscula ruunt — deinde in signum fœderis, vestem mutant & arma, reversique ad suos, modum amicitiæ pacisque præscribunt & sic cum gaudio ad sua quisque revertitur.* Flor. Wigorniensis hocce ritu contractam fraternitatem innuit, dum rem eandem enarrans, *Ubi pace*, inquit, *amicitiâ, fraternitate, pacto & sacramento firmata, Regnum dividitur.* Etiam adoptionem fraternam similiter *per arma* contractam, ex Gaufredo Malaterra *lib. 2. cap. 46.* pluribus ostendit Car. du Fresne *Dissertat. 21. ad Joinvillam*, &c. Vide quoque eum in *Glossar.*

per *Arma* jurandi ritus, V. infrà.

Armadillus, seu Ericius loricatus Americæ, animal est amphibium, durâ undiquaque testâ armatum, quæ velut undis aut squamulis contecta videtur, figuræ oblongæ, circa humeros, & dorso paulo ampliori circa limbum corporis, quatuor pedibus unguibus acuminatis, ceu crocodilus, cui etiam in capite similis est, propius tamen porco. Cauda ei rotunda est, in acumen decrescens, squamosâ itidem & testaceâ armaturâ vestitum. A quo *Armadillus Mexicanus* solo colore differt, quòd alter atro magis nigrescat exuvio, quàm hic, qui totus cataphractus mirâ apparet squamarum varietate spectabilis. Georg. de Sepibus *in Collegii Rom. S. I. Museo pag. 27.*

Armamaxa, adde: Paulò aliter Phavorinus, cùm ait: Ἁρμάμαξα ἡ ἐπὶ τῶν ἀνδρῶν [illegible] ἅμαξα, οἷον ἅρμα καὶ ἅμαξα, ἢ [illegible] τὰς ἄνδρας; quibus verbis innuit vocis notationem, ex ἅρμα & ἅμαξα quiddam conflatum hoc vehiculi genus indigitans: simulque virorum potiùs vehiculum fuisse ostendit. Usus ejus in Cerealibus quoque ludis, in quibus ea, quæ pompam constituebant, sic enarrantur à Tertulliano *de Spectacul. cap.7. Simulachrorum series, imaginum agmen, currus, thensæ*, Armamaxæ, *sedes, coronæ, exuviæ.* Ubi *currus*, magnificentiæ majoris ergò, inanes ducebantur: *thensa* Deorum vehiculum erant: in *Armamaxis* autem viri insignes vehebantur, vel *imaginum agmen*, V. Alex ab Alex. *lib.2. cap.32.* Thom. GodWyn *Anthologia Hist. Rom. lib.2. sect.3. cap.2.*

Armaria, apud S. Sulpitium *de Martino libro. 3. Erigis laquearia, construis conclavia, sculpis ostia, pingis Armaria*: dicebantur, in quibus pretiosiora asservari solebant, quæ proin annulo signabantur. Non enim contenti Veteres clavibus & claustris, in asservandis ac condendis rebus iis, quas cariores habuere, signacula etiam adhibebant, quibus nosci posset, an fraus facta esset clavi claustroque. Quo fine Lacones primùm usi sunt lignis θριποβρώτοις seu verme corrosis: In quorum locum postea successere annuli signatorii, ad signandum ea, quæ custodienda essent & à fraudibus servorum ac suppilatione vindicanda. Præcipuè verò annulo obsignabant, quæ seras & claustra non patiebantur, *armariola*, lagenas vini & cœtera ejusmodi. Salmasius *ad Solinum pag. 913.* V. hic passim, inprimis ubi *de Annulis Signatoriis & Signandi ritu.*

Armaria Bibliothecæ, apud Flav. Vopiscum in *Tacito Imp. Habet Bibliotheca Ulpia, in* Armario *sexto librum elephantinum, in quo hoc SC.* &c. Hinc *Armarius*, Custos Bibliothecæ, apud Recentiores: Item, qui in Ecclesiis & Monasteriis *Cantor* vel *Præcentor* dictus, librorum, præsertim Ecclesiasticorum, curam sibi commissam habet. Udalricus *Consuetudin. Cluniac. lib.3. cap.10. Præcentor & Armarius*: Armarii *nomen obtinuit, eo quòd in ejus manu solet esse Bibliotheca, quæ & in alio nomine* Armarium *appellatur. Hæc est obedientia, quam ex more nullus meretur, nisi nutritus.* V. ibi plura de speciali ejus munere, ut & *lib.1. cap.35.* Meminit quoque *Armarii* vetus Martyrologium S. Martini de Campis: *Armarius cappâ pretiosâ indutus chorum tenebit.* E quibus Card. Bona *Rerum Liturgic lib.2. cap.14. num.5.* apud Udalricum, hoc nomine *Cellarii curatorem* intelligentem, refellit du Fresne *Glossar.*

Armaria Imagines Majorum continentes, apud Romanos, in *Atrio* erant. Quò respexit Val. Maximus *lib.8 cap.15.* cùm ait: *Imaginem in cella Jovis Opt. Max. positam habet, quæ, quotiescunque funus aliquod Corneliæ genti celebrandum est, inde petitur; unique illi instar atrii Capitolium est.* In imaginum postea locum irrepserunt exinde (ut conqueritur Plinius *lib.3. cap.2.*) signa externorum Artificum, æra & marmora, ut etiam notavit in atrio Trimalcionis Petronius. Unde *Officinator à statuis*, item *ab Marmoribus Magister*, inter ministerii domestici nomina, V. Laur. Pignorium *Comm. de Servis.*

Armariolum, in Eccl. Rom. tabernaculum dicitur, in quo hostia conservatur, Dominic. Macer in *Hierolexico*, habet *corpus Christi.*

Armarius, V. suprà *Armaria.*

Armati, V. infrà *Armatura.*

Armatorium, locus ubi *arma* induebant Factiones, vel earum armamentarium: ἀρματώριον τῶν στασίων meminit Credrenus *pag. 448.* V. du Fresne in *CP. Christiana.*

Armatura, Recentioribus armorum exercitatio dicitur seu exercitium militare, quo milites à Campidoctoribus instruebantur in campo. *Glossarium* Rigaltio laudatum, ἀρματούρα, γύμνασμα, μελέτη ὅπλων, Ammianus *lib.14. Multiplex* armaturæ *scientia*: Jul. Firmicus, *Militares armaturas exercere* &c. Quæ cujusmodi fuerint, docet Henr. Valesius *ad eundem Ammian. p.51 & 105.* V. quoque infrà in voce *Armorum exercitium.* Postmodum *Armatura* levis armatura, ut funditores & ferentarii, Salmasio: at Car. du Fresne peculiariter milites dicti sunt, qui in principiis legionum erant adeoque eâ exercitatione probè imbuti, ut auctor est Vegetius: quò spectat Inscr. CANDIDIÆ. URBANÆ. MATERNINUS. PARDUS. ARMATVRÆ. XXII. MARIT. F. C. Imò & milites in Comitatu Imperatoris, quorum duæ Scholæ recensentur in *Notitia Imp.* sub dispositione Magistri Officiorum, *Armatura seniores & Armatura juniores*, quorum dux *Tribunus Armaturarum* dicebatur, uti videre est apud Ammianum Marcellinum *lib.14. 15. & 27.* ubi de Mellobaude & Balcobaude. Nec omittenda Pancirolli sententia, qui illos sic appellatos censet, quòd gravissimis armis seu potiùs omni armorum genere, *Armaturâ* quoque, Gall. *Armeure*, instructi essent, vel certè quod eorum Schola conflata esset ex iis, qui sub Campidoctore armis instituti erant &c. V. Car. du Fresne *Glossar.* ubi insuper, varia armorum genera, quibus Franci olim utebantur, ex *Inventario* Ludovici M. Regis Fr. A. C. 1316. Lectori harum rerum avido, exhibet spectanda. De *Armaturâ* seu *Armatis* Alemannorum, quibus sic dicebantur Milites cataphracti, omnibus armis instructi, Gall. *Gens d'armes*, ita *Chron.* Colmar. *part.2. an. 1298. Habuit secum Australes, qui armis ferreis utebantur. Igitur Rex Adolfus contra Ducem Austriæ, cum magna multitudine venientem, in occursum suum currit cum hominum armata multitudine copiosa.* Armati *reputabantur, qui galeas ferreas in capitibus habebant & wambasia, id est, tunicam spissam ex lino & stuppa vel veteribus pannis consutam*

& desuper camisiam ferream, id est vestem, ex circulis ferreis contextam, per quæ nulla sagitta arcus poterat hominem vulnerare. Ex his armatis centum, inermes mille lædi potuerunt: habebant & multos, qui habebant equos magnos, qui inter equos communes, quasi Bucephalus Alexandri, eminebant. Hi equi cooperti fuerunt coopertoriis ferreis, id est, veste ex circulis ferreis contextâ. Assessores eorum habebant loricas ferreas & caligas, manipulos ferreos & in capitibus galeas ferreas splendidas & ornatas & alia multa, quæ me tædait enarrare. E' quibus facilè percipitur, cur Auctor Anonymus *de Expeditione Asiat. Friderici I.* Alemannorum *gentem ferream in equis ferreis advenire*, & Theophylactus Bulgariæ Archiepisc. *Epist.*16. ex Meursianis, τὸν Φραγγὸν τὸν τράχηλον σιδήρεον, *Francum collo tenus ferreum*: Anna item Comnena Alexiados *lib.*11. eosdem Francos διὰ τὸ ὅπλων βάρος ἰυχειρώτους, *propter armorum pondus, captu faciles* fuisse, scripserint: apud eundem suprà laudatum *Glossarii* Auctorem.

Armeniacus, cognomentum Marco & Vero Impp. ob res in Armenia prosperè gestas, Artaxatis, Armeniæ celebri urbe, per Statium Priscum captis, delatum: *quod Marcus per verecundiam primùm recusavit, postea tamen recepit*, Jul. Capitolinus in *M. Antonino Philosopho*.

Armeniæ Cotes, poliendis limandisque & scalpendis gemmis accommodatæ, V. infrà *Cotes*.

Armeniæ Portæ, apud Solinum *cap.*38. *Ubi dehiscit* (mons Taurus) *hiulcis jugis facit portas, quarum prima sunt*, Armeniæ, *tum Caspiæ, pòst Ciliciæ*: quid sibi velint, V. in voce *Porta*. Sed in ordine errat Solinus, cùm, si Tauri juga ab Occid. in Orientem deducas, primæ occurrant Portæ Ciliciæ, deinde *Armeniæ*, pòst Caspiæ. Eædem & *Armeniæ Pylæ* dictæ, V. Salmasium *ad Solinum pag.*787. & 800.

Armenium Pigmentum, malè à nonnullis cum *Armenico* Terra confunditur: Nec cum *Armenio Lapide*, quo gemmæ poliebantur, scalpebantur & perforabantur, uti infrà dicemus, ubi *de Cotibus*; Sed potiùs cum Arsenico rubro, *Armeniaca Terra* eadem est. Pigmentum verò modò dictum, friabile erat, eoque Pictores utebantur ad cœruleum colorem, unde id Aëtio Ἀρμένιον τῶν ζωγράφων dicitur, & à *bolo Armenia* distinguitur. Qua de re V. pluribus agentem Salmasium *ad Solinum pag.*1154. *& seqq.* ut & suprà, ubi de *Sandaracha*.

Armenorum Jejunia VII. numerantur per annum, quæ *Quadragesimas* appellant, quòd in iis vescantur quadragesimalibus cibis. Et quidem primum vocant *Adæ & Jonæ*, quod est quinque dierum, duabus hebdomadis, ante solennem Paschatis Quadragesimam; in memoriam jejunii Adæ, postquam è Paradiso ejectus est, institutum. Secundum, commune est cum aliis nonnullis Christianis, ante Pascha, quod auspicantur feriâ secundâ, post Dominicam Quadragesimæ. Tertium est novem dierum, ante Festum Pentecostes, h. e. ab Ascensione Domini. Quartum dicitur *Eliæ*, incipitque feriâ secundâ, post Pentecosten, & protrahitur usque ad 50. dies. Quintum est unius hebdomadæ, ante Assumtionem Deiparæ. Septimum est hebdomadis, post inventionem Crucis. Octavum est, 7. hebdomadum, ante Natalem Domini. V. Filesacum *de Quadragesima c.*9.

Armentarius, Myrmillonis nomen apud Solinum, *cap.*1. Armentarius *Myrmillo, & Cassius Severus orator, ita se mutuò reddiderunt, ut si quando pariter viderentur, dignosci non possent, nisi discrepantiam habitus indicaret.* Quinam autem *Myrmillones* dicti fuerint, V. in hac voce.

Armes, apud Valerium Flaccum *lib.* 6.

—— —— pariterque inglorius Armes
Fraude nova stabula & furtis adsuetus inultis,
Depopulare greges, frontem cum cornibus auxit
Hispidus inque Dei latuit terrore Lycei.

Nomen proprium viri est: quare malè alii legunt, *inglorius armis*: peiùs, *inglorius orbis* vel *ordo*, idque de σκευοφόροις calonibus, caculis, intelligunt. Manifestè enim de uno & milite Flaccus loquitur, ideoque in verbis Arontis, pugnam, illi indicentis, ait,

Neve Deum mihi finge: Deus quoque confere dextram:

quæ ad manipulum dicta intelligi non possunt. Est autem *Armes* nomen barbaricum, & extat apud Livium quoque *lib.* 26. Armen *præfuisse Punico præsidio, deditumque Romanis; Antias Valerius, Magonem alii Scriptores tradunt.* Neque differt *Armeus* vel *Armais*, quod Danao prius fuisse, tradit Manethon, apud Josephum, & compositum ex eo *Armamithres*, Assyrii Regis vocabulum. V. Joh. Frid. Gronovium *Observationum l.*4. *c.*15.

Armidoctores, qui & *Campidoctores* Vett. quòd ea docerent milites, quæ campo & bellis erant necessaria. V. infrà.

Armiger, servus ex Virgilio aliisque satis notus:

—— —— Formâ tum vertitur oris
Antiquum in Buten, hic Dardanio Anchisæ
Armiger *antè fuit.*

*Æn.*9. isque pretiosus, si Plinio credimus, de lusciniis loquenti, *lib.*10. *cap.* 29. *Ergo servorum illis pretia sunt & quidem ampliora, quàm quibus olim* Armigeri *parabantur.* Et ex Plauto, in *Casina*, ubi *Armiger* idem cum *Scutigerulo*: scutum enim *Arma* peculiariter appellasse Latinos, Eruditis observatum. Hinc & Anastasius in *Martino* Pontif. Rom. *Armigeri* & *Spatharii* voces promiscuè usurpat: & *Armigeri* in Aula CP. dicti sunt Scholarii, qui pro Palatio excubabant, eo quòd instructi essent scuto; imprimis verò illi, qui Principum ensem & scutum deferebant, quibus ii uterentur, si necessitas ingrueret. Unde in *Glossis* σκουταρίγερος est *insigniarius*, *Armiger*. Et hos Heroibus Poëtæ attribuunt, quos Reges & olim & hodie, in hac saltem parte, æmulati sunt. Testis præter dicta antiqua scalptura pretiosæ illius sapphiri, cujus typum Marquardus Freherus edidit ac illustravit. In ea Constantinus Imp. aprum venabulo excipit; *Armiger* autem telum gestans, feræ impetum formidans, dat se in pedes. Prudentius, de *Armigero* Cæsariano in *Apoth.*

Armiger è cuneo puerorum flavicomantum
Purpurei custos lateris, deprenditur unus.
Nec negat, & gemino gemmata hastilia ferro
Projicit, ac signum Christi se ferre fatetur.

V. quoque Martialem *lib* 9. *Epigramm.*56. Sed & Sidonius notavit, Theodoricum Regem, arcum lateri innectere citra gravitatem regiam judicasse, & tradidisse gestandum puero, *l.* 1. *Epistol.* 2. Hinc & *Armiger*, in aula Constantinopolitana, uti visum: qualis describitur à Corippo Narses *lib.*3.

Armiger interea, domini vestigia lustrans,
Eminet excelsus, super omnia vertice Narses
Agmina.

Nec non *lib.*4. ubi ensem Regium eum detulisse indicat,

Nec non ensipotens membrorum robore constans
Astabat Narses &c.

& apud Curopalatam *Scutarius*, in eadem Aula: ac demum in Turcica, puer ephebus, qui Sultano gerit arcum ac sagittas. A qua ratione notat Lampridius, Commodo imperante, tres Præfectos Prætorio fuisse, inter quos Libertinum, qui *à Pugione* appellatus sit. Fuit certè apud Cæsares minister, qui *arma* custodiret, cujusmodi A. quidam VIBIUS. HERMES. IMP NERONI. A. CUSTODIA. ARMORUM. in vet. monum. legitur. Imò Duces & ipsos, Regibus licèt impares, aliosque, *Armigeris* suis, ut infrà latiùs dicemus, non caruisse discas, ex S. Ferrando *in Parænet.* Cujusmodi *Armigeris* affines fuere Caculæ & Calones, ita dicti, auctore Festo, quod fustibus clavisq; ligneis armari solerent, ad tutelam dominorum. De quibus V. *alibi*. Fuit verò horũ sum̃a olim æstimatio, ut qui primas tenerent in Regum aulis & nonnunquam ad ipsum Regalem apicẽ veherentur: uti de Thiodo, tutore Amalarici constituto, & de Witige, in Theodati R. locum suffecto, legimus apud Jornandem *de Rebus Geticis capp.* 58 & 60. Atque ii perpetuò Principis lateri hærebant, Sidonius *lib.* 2. *Epist.* 2. *Circumsistit sellam* (Theodorici Regis) *comes Armiger*. Ita effinguntur *Armigeri* Lotharii Imp. in ea tabella quam ex Codice Evangeliorum Bibliothecæ Regiæ, delineari curavit Steph. Baluzius *Notis ad Capitularia Regum Franciæ pag.*1280. & Caroli Calvi, in altera tabella, præfixâ Codici Bibl. quem eidem Regi obtulerunt Canonici S. Martini Turonensis, ab eodem descriptâ: sed à Carolo du Fresne eruditè illustratâ. In hac enim, inter alia, proximè Caroli throno, in eadem serie ac linea, qua duo ejus filii Ludovicus Balbus & Carolus, stant Regii duo *Armigeri*, uterque *virgatis sagulis*; & quidem alter, qui ad dextram, *hastam ferream in altum surrectam* dextrâ tenet, lævâ rotundo clypeo innixâ; alter ad sinistram, Regium ensem in vaginam reconditum utraque manu in transversum gerit, quomodo in Galliæ Regum solennioribus occasionibus præferri solet à magno Scutifero, *en Escharpe*, uti habet *Ceremoniale* Francicum. Similiter in tabella ab Ingoberto Scriba exarata, ad Caroli sinistram, duo perinde stant *Armigeri*, quorum alter hastam & clypeum, alter aliud quid gestat. De utroque Ingobertus,

Ad dextram Armigeri *prætendunt arma ministri,*
Ecclesiam Christi invictus defensor in ævum,
Armipotens magnis queis ornet sæpe triumphis.

Caput *ferreâ galeâ cristatus* uterque est, in Lotharii & Caroli iconibus, contra quàm in ea, quam idem Ingobertus delineavit, ubi nudis ac detonsis stant capitibus &c. Etiam in *Chartis* Regum Hispanicorum Armigeros Regum subscripsisse crebrò, observare est apud Antonium Yepezium in *Chron. Ordinis Benedictini*, passim. Posterioribus autem seculis, *Armigeri* potissimùm appellati sunt Nobiles inferioris ordinis, quòd in bellis Militum seu Equitum arma gererent, quò iis in prœliis uterentur. Nam quum graviora Militum arma essent, habebant illi *Armigeros* suos, qui ea deferebant, donec haberent opus: Unde ὁπλοφόρος, & ὁπλοφόρος in vett. *Gloss.* G.L. Quod munus sic bellè describit Auctor *Vitæ* S. Gamelberti *num.*5. *Pater autem, cùm eum nutriret, &, ut moris est, ad usum Militiæ instrueret*, Armigerum *sibi aliquoties fecit, armaque Militaria aut suspendit puero aut præcinxit.* Præsertim verò scuta Militum deferebant & hastas: unde *Scutarii* & *Scutigeri*, Gall. *Escuiers*, appellabantur. Guil. Brito *Philippid. lib.* 2. de Guilielmo *des Barres*, egregio Milite:

Is se clam medio furatus ab agmine Regis,
Armigeri spoliat clypeo latus, & rapit hastam.

Sed & equos dextrarios (de quibus V. suprà in *Armatura*) Militum manu deducebant, donec in prælijs iis indigerent; & tandem Militibus deserviebant eorumque mandatis omnino obsequebantur: unde factum, ut *Armigeri* appellatio ad quosvis servientes postea extenderetur, uti & *Valletorum*, Gall. *Valets*, quemadmodum iidem vocantur, in *Fab.* Merlini, apud eundem du Fresne in *Glossar.* Tonsos fuisse ordinariò *Armigeros*, videtur colligi ex Orderico Vitali *lib.11.* *Gulielmus verò Lupellus à quodam rustico aspero arma sua illi pro redemtione sui dedit & ab eo tonsus instar Armigeri, manu palum gestans ad Sequanam confugit.* Nempe solis Militibus, non verò Armigeris fas fuisse cæsariem nutrire, hic innui videtur; Sed non id ullibi legitur, spectavitque Ordericus fortè famulos domesticos, quos *Armigeros* vocabant. *Armigerorum Honorariorum*, Gall. *Escuiers d'honneur*, meminit Froissardus *Vol. 4. cap. 62.* quo nomine is hodie in Franciæ Regum palatio appellatur, qui Reginæ à manibus est, &c. V. iterum du Fresne ubi suprà, & hanc in rem plura, infrà in vocibus *Scutarius* & *Spatharius*. Henr. Spelmanno *Armiger*, Gall. *Escuier*, vel *militaris* est, vel *civilis*, & dicitur uterque multis modis. Militaris enim nuncupatus est; 1. Qui domini sui arma bajulat, ipsisque eum cingit: ita *Armigeri* Abimelec, Saul, Jonathæ, in sacris; Hectoris, Achillis, Diomedis, apud Poetas mentio fit. Talem à Longobardis *Scilpor* dici, i. *scutiferum*, indicat Paulus Diac. *Longob. lib. 6 cap 15.* Anglo-Saxonibus verò *Sild-cnave* vel *Sild-Knight, scuti minister* nuncupatus est. 2. Qui inter arma Domini sui latus stipat & tuetur; quorum quatuor Proceres duos Equites aurati, habuisse dicuntur. Notissimi certè sunt Audlei Baronis quatuor illi *Armigeri*, in pugna Pictaviensi, Ann. C. 1356. apud Froissardum. 3. Vir nobilis, qui arma tractat militaria, sed equestrem dignitatem nondum est assecutus; qui mos obtinuit in Anglia imprimis & Hibernia. 4. Qui terras tenuere per servitium scuti, h. e. *Scutagium*. Tales enim non *Scutiferi* solùm, sed etiam *Armigeri*, &, quòd loricas induebant, *Loricati* dicti sunt. Hi ad militiam pertinebant, pariterque omnes intercidere. Orti verò sunt eorum loco *Armigeri* quidam civiles, quorum aliqui hanc dignitatem è natalibus assecuti sunt, alii Principis beneficio: quorum illi apud Anglos, sunt Procerum filii omnes, qui Baronum æmuli *Lords i. Domini* appellantur; propriè autem Equitum Auratorum filii primogeniti, & ex ipsis hæredes in perpetuum masculi: Illi à Principe fiunt vel *Scripto* vel *Symbolo*, quum collum alicujus argenteo sigmatico (h. e. torque ex *SS*. confecto) adornaverit eumque argenteis calcaribus donaverit, vel *Munere*. Inter *Armigeros*, qui fiunt, *primarii* habentur quatuor *Armigeri ad corpus Regis*, quorum munus hoc est. Peracto regiæ domus nocturno ministerio, cùm Rex dormitum vadit, cubiculi ejus ostiarius, omnibus circumquaque remotis, *Armigero* (qui hic vice fungitur) cubiculum tradit per ostii annulum. Is strato in ipso ostio cubili jacet, manipulum habens è satellitibus Regis adjunctum, si quid tumultus, vel etiam susurri inter noctis silentium acciderit, delinquentes quantoscunque in custodiam tradit, eoque tempore per alium ministrum in domo Regia nil geritur. Die Principem foris progredientem subsequitur, pallium ejus ferens in capsula; Plura V. apud Henr. Spelmannum *Glossar. Archaeol.* ut & Pignorium *de Servis*, ac Poppmam *de Operis Servorum.*

Armilausa seu *Armelausa*, sagum militare, quod superinduitur thoraci, quasi *Armiclausa*, Isidor. *Origin. lib. 19 cap. 22 quia ante & retro divisa atque aperta est; in armos tantùm clausa.* Vetus Interpr. Juvenalis *Sat. 5.* *Viridem thoraca*, apud eundem Poëta Ω, *Armilausam prasinam* interpretatur. Curtas militum tunicas, ad genua usque pertingentes, ἀρμιλαύσια appellat etiam Mauricius in *Strategic.* quòd ἐπάνω τῶν ὅπλων, id est, *armis superinduuntur*, dicta vult Suidas. *Sclavinam* interpretatur Ugutio & scapulari Monachorum similem facit. Scriverius ab *Armilausis* pop. in *Tabulis* Peutinger. memoratis, vestem hanc dictam opinatur, &c. Atque hinc almuciis Canonicorum *Armilausiorum* nomen a quibusdam inditum est, quòd reliquæ vesti superadderentur, &c. V. Car. du Fresne *Glossar.* Dominicus Macer, *Armilausam* ait esse Monachorum Scapulare, quod ab armis, scapulis & humeris pendet, ac vulgariter *Patientia* dicitur, in *Hierolexico*: sed militarem propriè sic dictam fuisse vestem, etiam ex Paulino *Epist. 3.* Anastasio Biblioth. in *Gregorio II.* Aliis, discimus. Salmasius tamen cum Macro sentit, *Not. ad Trebellium Pollionem in Claudio.*

Armilla, *ab armis*; teste Festo, *Armillas ex auro, quas viri militares ab Imperatoribus donati gerunt, dictas esse existimant, quòd antiqui humeros cum brachiis armos vocabant. Unde Arma ab his dependentia sunt vocata.* Est autem *Armilla* propriè brachiorum decus: Gr. ψέλιον. Cùm verò laxior est fluensque, quales delicatioribus luxuriosisque tantùm in usu, χλιδὼν dicitur. Ex auro ut plurimum formatæ erant, unde *Armillas aureas sexaginta*, inter alia bellicæ virtutis præmia se reportasse, ait L. Siccius Dentatus apud Dion. Halicarn. *Antiqq. Rom. lib. 60.* Sabinos quoque *aureas Armillas* brachio lævo, vulgo habuisse, refert Livius *lib. 1.* Hinc & Galli χρυσοφορεῖν Straboni *Geogr. lib. 4.* Rolvoque Rex Danorum, à distributis ejusmodi ornamentis, dicitur in veteri cantilena, *Hreiter Haddis*, id est, *Spergens aurum*. Nobiliores pretium *Armillis* ex succino mutuabantur, alii ex gemmis margaritisque. De prioribus Juvenalis *Sat. 9.*

En cui tu viridem umbellam, cui succina mittas
Grandia, Natalis quotiens redit.

In quæ verba vetus Schol. *Succina grandia*, inquit, *gemmata sunt Dextrocheria.* De posterioribus Chrysostomus *in laud. Babylæ Martyris*, ubi pompam Cari Imp. describens, inter alia meminit τῶν λίθων τῶν πανταχοῦ ἀστραπτόντων κατὰ τὴν δεξιὰν, *gemmarum ubique fulgentium in dextra ejus*: per quas Dextrocherium ejus seu *Armillam* intellexit Is. Casaubonus. Idem legitur de habitu Indorum, apud Curtium *lib. 9. cap. 1.* Persarum, apud Amm Marcellinum *lib. 23.* &c. Porro è smaragdo factæ sunt, quæ *Viriolarum* peculiare habuere nomen. Nec absimilibus gemmis corallisve *Armillæ* in signo marmoreo distinguuntur, apud Pignorium In *Isiaca mensa*, & in virgine Americana, apud Joh. Laetium. In Maximino jun. *Dextrocherium cum castula de hyacinthis quatuor*, notavit Jul. Capitolinus. Ad annulorum formam effictæ, id præstant, quod digitis annuli: Unde Maximinus uxoris brachiali seu armilla pro annulo usus est, apud eundem. Isidorus tamen *Orig. lib. 19. cap. 31.* id inter utrumque ponit discrimen, quòd annulus rotundâ formâ arctè se claudat, *Armilla* ulterius levi flexu se extendat. Interim & armillæ suus quandoque circulus est extremis se mordentibus, instar annuli: quæ causa, quòd Κρίκοι quibusdam, communi cum annulis nomenclatione, nuncupentur. Sed duplex *Armillarum* forma, arctior illa & immobilis pressè manum ambiens, & laxior: quarum hæc vel simplici orbe alligabat brachium, vel pluribus inter se connexis circulis, doliorum instar: cujus specimen ex Musæo Antiquario Olai Wormii exhibet Bartholinus, in brachialibus elegantissimo opere ita effictis, ut non solùm orbiculari formâ carpum stringant, verùm plurimos continuatâ serie circulos ad medium fere cubitum extendant. Laxior hæc *Armillarum* structura, nec nostro seculo infrequens, nec antiquorum fuit. Talis gemmata erat Paschalini: nec absimilis Rorici, cujus Saxo meminit *Hist. Dan. lib. 3.* Quò referri etiam potest Ungulus Pacuvii apud Festum, singularis *Armillæ* artificii: quæ sic dicta est, quòd annulus ejus cornu in circulo imitetur, vel quòd rudi seculo ungulæ seu cornua, annulorum *Armillarumque* vices sustinuerint: & forsan huc facit, quòd *Corniculis Armillisque* milites donati leguntur, apud Liv. *lib. 10.* Vel etiam à tortuosi flexus similitudine cum cornibus, *Armillam* Ungulum voces. Ponderis has magni ex auro gestasse Sabinos tradit Livius *lib. 1.* Unciam auri in sua exegit à Menæchmo Erotium, apud Plautum *Act 3. sc 3.* Rebecca ad pondus aureorum decem ascendit, Genes. *cap. 24. versu 22* *Armilla* argentea vett. Islandorum in ara asservata uncias 20. pendebat, quam forensi aliquo munere fungentes, juramentum præstituri, contrectabant, referente Arngrimo *de Rep. Island. cap. 6.* Copula *Armillæ* vel tænia fuit vel fibula: quæ ex ebore, apud Petronium, lunatâ fuit formâ, fibularum veterum in morem, hinc *Lunella*, ut videtur, dicta Plauto *Epid. Act. 5. Sc. 1.* Hamus in smaragdina Paschalini armilla, idem præstitit: Clavi quandoque eadem fini adhibiti sunt, de quibus V. Isidorum *Origin. lib. 19. cap. 31.* Quædam & clausulâ jungebantur ad hodiernum morem: Unde apud Capitolinum legit Salmasius, *Dextrocherium cum clausula.* Hæc idem, quod Græcis κατακλεῖς, & φάλαρα. Namque & *Armillæ* φάλαρα tribuit, Aristophanes *Lysistr.* Utrique v. sexui familiaris hic ornatus fuit; Muliebri præcipuè, Thom. Magister MS. ψέλλιον γυναικεῖος κόσμος, *Brachiale, muliebris mundus*: & Festus, Spinter *armillæ genus, quo mulieres utuntur.* A matronis ad scorta transiisse earum usum, conqueritur Tertullianus *de Pallio*; ab his ad Cinædos pervenere: dictæque sunt propriè hæ armillæ mulierum *Viriæ* item *Spatalæ*. Unde mollitiei signum *Armilla*, apud Sen. *lib. an in Sap. cadat injuria. cap. 18.* Prostituxerunt nihilominus à Viris, unde *Viriliæ* Isidoro; nisi *Virilias* virorum, *Viriolas* seu *Virias* fœminarum dixeris. Et primò quidem inter Regum Principumque fuere ornamenta: inde ad milites donaria transiere, Equites inprimis; servis tandem, Dominorum indultu, cessere, unde *Armillata turba* dicuntur cursores servi, apud Suetonium *in Nerone cap. 30.* iisque qui in triumphis ludebant, V. App. Alexandrinum, ubi agit de Scipionis triumpho. Caruerunt iis Virgines, teste Cypriano *de habitu Virg.* & non nisi à sponsis, velut conjugii tesseras, primùm illas sunt nactæ, V. Genes. *cap. 24. & cap. 38. vers. 18, 25.* ubi furtivi amoris indicium fuere; Item apud Plautum *Menaech. Act. 3. sc. 3.* Jul Capitolinum *in Maximino Jun.* Cæl. Rhodiginum *Antiqq. Lect. lib. 8. cap. 33.* &c. Uxores factæ in armario sponsalitias condebant *Armillas*, teste Plauto *loco suprà citato.* Etiam sepulchro inferri solitas, auctor est Scævola. Usus illarum varius fuit: Inserviebant ornamenti loco, conferebant ad memoriam (unde ab iis metaphoram mutuasse Jehovam legimus Exodi *cap. 13. versu 9.* ac Deut. *cap. 11. versu 18.* & Natali die proin offerri solebant, Plaut. *Epid. Act. 5. sc. 1.* & eundem ob finem militibus donabantur.) Ad luxus dein instrumenta migrarunt: ut taceam de illarum in sacris usu. Nam vestibus Aaronicis illas Eruditi tribuunt, & ad expiationem collatæ leguntur Numer. *cap. 31. versu 50.* Rupibus triviisque suspendit Frotho Magnus Danorum R. apud Saxonem *lib. 5.* ad subditorum exploran-

plorandam fidem: quod de Alfredo quoque Anglorum R. refert Matth. Westmonasteriensis ad A.C. 892. Ad insidias mercandas Toroni Canutus R. donavit, apud Snorronem Sturleson *in Chron. Norvegiæ*. Superstitiosæ quoq; Medicinæ inservierunt &c. V. Thomam Bartholinum *de Armillis veterum*. Nec omittendum quòd ad *Armillas* jurare olim Dani milites soliti, apud Ethebredum *l. 4. Histor. Anglic. cap. 3. Eique statuens jusjurandum in earum* armilla *sacra*. Nisi hoc loco *Armilla* genus armorum fuerit: quod conjici potest ex *Capitulis* Caroli M. *lib. 6. cap. 223. Ut armillæ & bruniæ non dentur negotiatoribus*: hac enim lege vetantur arma mercatoribus distrahi, du Fresne *Glossar.* ubi de Armillis vett. Francorum. V. quoque infrà in voce *Bauga*.

Armillaris Sphæra, meliùs *Annularis*, V. infrà Sphæra.

Armilustrium, adde: Ita Paulus, Festi abbreviator, ad quem locum Jos. Scaliger annotat, existimare Centuriatis Comitiis exercitum armatum lustrari solitum, sumpto more ex vetustissimo Atheniensium instituto, apud quos ἐν πεντηκοστῇ Comitium lustrarint. Addit etiam, non esse credibile, tubis in eo sacro canere solitos, sed classico. Incidebat autem in d. 14. Kal. Nov.

Arminia pellis, V. infrà *Herminea*.

Armis ludere, apud Vulcatium Gallicanum in *Avidio Cassio*, *Exercitium septimi diei fuit omnium militum, ita ut & sagittas mitterent & armis luderent*: dicebantur Casaubono, qui se *armis exercerent*; unde & dies ille, quo id fiebat, *armiludium*; sicut *armilustrium*, quo arma lustrabant. Notandum autem, *exercitium armorum* hic à *sagittis* separari, quemadmodum & apud Suetonium in *Domitiano*, *Armorum nullo, sagittarum præcipuo studio*, tenebatur. Sic *arma* & *pilum* distinguit Spartianus in *Hadriano*, *Armisque & pilo se semper exercuit*. *Pilum* autem & *sagittas* conjungit Vopiscus in *Aureliano*. Nempe, si *arma* generaliter accipiantur, certum est & sagittas & pila & alia missilia eo nomine comprehendi: sub *armorum* verò *exercitio*, scutum & gladius tantùm comprehendebantur. Hinc Ovidius jaculandi peritiam ab armis distinguit,

Sunt illis celeresque pilæ, jaculumque, trochique,
Armaque & in gyros ire coactus equus.

Cicero in *Catone maj.* ubi exercitationum militarium genera recenset, *arma* quoque ab *hastis* separat: *Sibi habeant igitur arma, sibi equos, sibi hastas, sibi clavam, sibi pilam, sibi venationes* &c. *Armorum* igitur *exercitium*, tam apud Milites, quàm Gladiatores, in solo clypeo & gladio constabat. Qui proin clypeum scienter vibrare & quatere & obliquis ictibus telorum jactum deflectere, qui gladio dimicare noverat, is in armorum exercitio peritus censebatur. Vegetius *lib. 2. cap. 14.* Pro eodem *arma mulctare* dixit Seneca; *arma movere*, Manilius,

Aut solo vectatus equo nunc arma movebit.

Arma batalare, in Bojariorum *LL.* V. infrà, ubi de *Batalibus*, &c. Olim autem non solùm gladiatoribus, armorum Arte erudiendis, præficiebantur Lanistæ, sed & tironibus, uti habet Suetonius in *Julio*. Postea *Armidoctores* in castris ad eam rem habiti & Campidoctores, qui ex veteranis eligebantur armorum peritis. Armorum tamen scientia longè perfectior in gladiatore, quàm in milite. Hinc qui illam armorum scientiam exactè perdiscere volebant, in ludo Lanistæ dabant operam & gladiatoriis armis exercebant, quod multos quoque Impp. fecisse, patet ex Spartiano laudato, de Hadriano, Vero &c. *Armorum certamen* vocat Quintilianus & gladiatoria arma intelligit *lib. 9. cap. 1.* ubi quid sit *arma avocare*, V. infrà in voce *Flictio*, item *Manus*. Cœtera, tractandorum armorum penè similis ratio: accedere, recedere, in clypeum assurgere & mox subsidere & in arma sua se colligere: impetum in aliam partem minari, in aliam facere & reliqua istiusmodi in utrisque similia. Quòd autem præcipua pars & ars exercitii armorum in scuto scitè tractando, quo & se protegerent, & ictus cautè exciperent, posita esset, ideò *Armorum scientia* hæc appellata est, & *Armorum peritus*, qui illam teneret & *Armis exercere* dictus est, qui illi exercitationi studeret. Naturâ enim prius est se ac sua tegere & tueri, quàm alium petere ac ferire: unde *arma* propriè de scuto & clypeo dicta; quodque *arma tractare* Spartianus & Seneca dixere: Auctorque Panegyrici ad Pisonem, *arma rotare*,

Arma tuis etiam si fortè rotare lacertis,
Inque gradum clausis libeat consistere membris,
Et vitare simul, simul & captare petentem:

Id Vegetius, *Scutum rotare* dixit, *lib. 2. cap. 14.* &c. V. Salmasium *ad Spartianum in Adriano*, & infrà, ubi de Armorum exercitio.

Armorum Benedictio, eorum nempe, qui in sacras expeditiones proficiscebantur, occurrit apud Honorium Augustodunensem *lib. 1. cap 181. Horum* (Sacerdotum) *officium est, Missas celebrare — populum ad Missam vel nuptias vel arma vel peras, vel baculos, vel judicia ferri & aquas benedicere*. Car. du Fresne *Glossar.* V. quoque infrà, ubi de *Vexilli benedictione*.

Armorum Custos, in vett. *Inscriptionibus*, apud Gruterum 518. 5. 546. 9. 569. 7. dictus videtur, non tam is, cui armamentarii, quod ὁπλοφυλάκιον appellat Johannes Cananus *pag. 191.* quàm is, cui armorum in castris servandorum incumbebat cura: cujusmodi *armorum Custodes* singulæ Regiones habebant, 568. 11. apud eundem *Glossarii* Auctorem.

Armorum Exercitium, propriè Romanis dicebatur, quod ense & clypeo fiebat, cujusque ars in feriendo adversario & se protegendo consistebat, ut ad Spartianum in *Hadriano* fusè docet Salmasius, V. suprà in phrasi *Armis ludere*: Sed & ad alia etiam armorum genera extendi potest, quibus olim milites exercebant. Nam *ad omne genus armorum dicuntur exerceri* Vegetio, dum sc. hastile contorquent, sudem vibrant, jacula sagittasque mittunt, ad palum battuunt, Idem *Notis ad Æl. Lampridium in Alexandro Sev.* A quo *Armatura* seu Armaturæ exercitium, uti Vegetius vocat *lib. 1. cap. 14.* haud parùm differebat; contrà quàm Lipsius sensit: hac enim voce indigitat Auctor hic prolusionem & meditationem campestrem, quæ in armis & sub signis fiebat, non secus ac si cum hoste confligendum esset, in qua prolusione discebat tiro & ordines servare & vexillum suum comitari, ad hastam, ad clypeum declinare & reliquos armaturæ numeros & gestus? *Cap. 4. lib. 1. Neque enim parva aut levis ars videtur armorum, sive equitem, sive peditem sagittarium, velis imbuere, sive scutatum armaturæ numeros omnes, omnesque gestus docere, ne locum deserat, ne ordines turbet, ut missile & destinato ictu & magnis viribus jacias, ut fossam ducere, sudes scienter figere norit. Ubi inter armaturæ gestus & numeros* id solùm ponitur, *ne locum deserat miles, ne ordinem turbet*: nam reliqua, quæ sequuntur, *de missilibus jaciendis* & *sudibus figendis* & *fossis ducendis*, ad *armorum* quidem generalem *scientiam* & artem pertinent, non ad *armaturam*. *Prolusionem* vocat illud armaturæ exercitium *cap. 12. campestrem meditationem*, alibi; & à reliquis armorum exercitiis apertè distinguit, *lib. 2. cap. 14.* & *lib 3. cap. 4.* Idem *Artem armaturæ* appellat *militarem artem & artem bellandi*: quæ exhiberi solebat sub Campidoctore, in prolusione campestri & decursione *lib. 1. cap. 23.* ubi milites, qui parùm in illa prolusione profecerant, pro frumento horreum coactos fuisse accipere, legimus. Meminit ejus Livius *lib. 44. Inter cætera*, inquiens, *sexageni ferè juvenes, interdum plures, ab apparatoribus ludi armati inducebantur, horum inductio in parte simulachrum decurrentis exercitus erat, in parte elegantioris exercitii, quàm militaris artis, propiorque gladiatorium usum*. Quos gestus & motus & gyros, progressiones, recessiones, cursus, recursus varios, permixtionesque, evolutiones in armis & sub signis factas, *Armaturæ gestus & numeros* vocat Vegetius, & *exercitium armaturæ*, ipsam prolusionem &c. V. infrà ubi de iis, quos artem docuisse istam olim diximus, *Campidoctoribus* viz. ut & alibi passim.

Armutia, V. suprà *Almutia*.

Arnaldensis, species monetæ, Vicecomitum fortè Leomaniæ, quibus *Arnaldi* nomen familiare. *Charta* Joh. *de Greilly* Senescalli Vasconiæ A.C. 1283. in *Regesto* Constabulariæ Burdigal. *fol. 221. Habuisse & recepisse — à Johanne Episcopo Aginnensi 3000. librarum bonorum Arnaldensium. Regestum* Comitum Tolosæ *fol 30. Mille libræ* Arnaldensis *monetæ*, in *Literis* Arnaldi Odonis Vicecomitis Leomaniæ Anno Christi 1248. apud Car. du Fresne *Glossar.*

Arnaldistæ, de quibus agunt Otho Frisingensis *de Gestis Friderici lib. 2. cap 20.* Bernardus *ad Guidon. Legat.* & Gerhous Reicherspergensis *de Investigat. Antichristi lib. 1.* V. *Arnoldistæ*.

Arniensis Tribus, apud Rom. dicta ab Arno, Thusciæ amne, ut volunt Sigonius & Onuphrius. Meminit ejus Livius *lib. 6. & 29.* C. Claudius Nero, ex tribu *Arniensi*, apud Valerium *lib 2. cap. 4.* A Suburana usque in *Arniensem*, apud Cicer. *Or. in Rullum*, interpretatur Sigonius, à prima tribu ad ultimam. Hanc enim tribum pro ultima habuerunt, non quòd ultimo loco, vel novissimè fuerit addita (inter 35. enim Tribus vicesimo quinto recensetur loco) sed quòd fuerit ab urbe Roma remotissima, Joh. Rosinus *Antiqq. Rom. lib. 6. cap. 19.*

Arnobius, adde: Presbyter Africanus, cujus opera, cum Desiderii Heraldi Animadversionibus, prodiere fol. Parisiis Anno Christi 1605. Videtur tamen Bellarmino, ut & Fr. Feuardentio haud improbabile, Commentarios in Psalmos, esse *Arnobii* cujusdam junioris, qui vixerit circa A.C. 460. vel, ut Tirino & Gerardo placet, 445. De priore Barthius, *si non exstares, densa nox fores in superstitionibus veterum*. Idem dicitur fuisse *Reconditæ eruditionis, styli asperioris*, Dempstero: *Post Tertullianum inter sacros Scriptores doctissimus; ideoque limâ Doctorum dignissimus*, Lipsio: *Patrum Præsul optimus, ille Christianæ Varro Maximus eruditionis*, Heinsio. *Ei Lucretii verba ab usu remotiora mirificè placuisse & quasi in deliciis habita esse*, docet Giphanius *Collectan. in Lucret.*

Arnodi, Græcè Ἀρνῳδοὶ, aliàs Rhapsodi, item Homeristæ, dicti sunt, qui in conviviis apud Græcos, vel ludis publicis Homericos recitabant versus, ramum lauri manibus gestantes; His præmii loco agnus dabatur, unde ipsis nomen, V. Fr. Rossæum *Archæol. Attica lib. 6. cap. 6.*

Comites Nassoviæ &c.

Arnoldus, filius primogenitus Everardi Com. ex Helfenstenii domina, Comitatui post patrem præfuit annos 37. Decessit improlis

prolis, successore Friderico fratre. Sororem habuit Annam, *Arnoldo* Com. Lucelbenio nuptam. Inter majores ejus Walravius itidem Nassoviæ Comes, præter alios *Arnoldum* quoque filium habuit, qui ductâ in uxorem Demhildâ, Toparchæ Arenbergii filiâ, Ludovicum ex eâ suscepit, Arcis Hambergensis & hinc dictorum Hambergensium Weilericiorum Comitum auctorem, Cyr. Lentulus *in Genealog. Nassovia Comitum Principumque MS.*

Arnolphus, cognom. *Malus*, filius Arnolphi Imper. secundùm quosdam, aliis Luitpoldi Bavariæ Ducis filium eum asserentibus, nonnullis quoque Bernardi, qui Bernardi Italiæ R. nepos fuerit, prolem fuisse contendentibus, Dux Bavariæ fuit, Luitpoldi M. Bavariæ Pater, Arnolfi D. Bavariæ avus, Arnolfi C. Schirensis proavus; à quo Serenissimæ fam. Palatino-Bavaricæ origo. Secundùm Blondellum verò, primus auctor familiæ, de quo constet, fuerit *Arnolphus* quidam à Normannis A. C. 891. cæsus, cujus filius Luitpoldus D. Bavariam rexit, ab Ungaris occisus A. C. 908. Hujus filius *Arnolphus* Dux, cùm Conrado I. Imp. vitrico & Henrico I. Aucupi aliquoties rebellis, gravia eum utroque gessisset bella, liberi ejus Ducatu exclusi sunt: è quibus Eberhardus Austriacos vett. Marchiones sevit, quorum stirps in Friderico Neapoli decollato cessavit: *Arnolphus* verò Comes Schirensis fuit, pater Bertholdi, avus Werneri: quo natus Otto I. C. Schirensis & palatio Bavarico præfectus, filium habuit Ottonem II. nepotem Ottonem III. Witelspachii conditorem (unde postea familiæ titulus, Schirensi arce in Monasterium conversâ) cujus fil. Otto IV. pater Ottonis V. fuit, qui Ducatum Bavariæ à Friderico I. Barbarossâ nactus est, postliminio in hanc familiam reducem. Hoc genitus Ludovicus à Friderico II. Imp. Palatinatum quoque consecutus est, quo prognatus Otto cognom. *Illustris*, filium habuit Ludovicum cognom. *Severum*, communem Palatinorum & Bavarorum, quotquot hodiè supersunt, Principum Parentem, Phil. Jac. Spenerus *Syllogi Geneal.*

Arnspecka, Germ. *Arnspeck*, locus Germaniæ, in reg. Holsatia, sub proprio Principe, ex Ducum Holsatiæ familia. Auctor lineæ *Arnspeckia* Joachimus Ernestus est, fil. minimus natu Johannis jun. Christiano III. Daniæ R. geniti: Frater Alexandri, qui Sonderburgiam lineam continuavit: Friderici, qui Nordburgiam & Philippi, qui Glucspurgiam, orsi sunt. Ex Dorothea Augusta agnata numerosæ prolis parens, Idem *in Fam. Oldenburgo-Danica.*

Arnulphinus, Monetæ species, quæ currebat in Provinciæ Comitatu, in Gallia, sub A. C. 1465. valebatque ducatum cum dimidio, du Fresne *Glossar.*

Arnulphorum terra, dicitur Spoleti Ducatus in Italia, ab *Arnulphis* Ducibus. *Extravag. de majorit. & obed. cap. un. Igitur gravia nocumenta, quæ nonnullis civitatibus, terris, castris, intra Patrimonium B Petri in Tuscia, Comitatum Sabinæ, &* Terram Arnulphorum *constitutis, eidem Ecclesiæ Rom. subjectis* &c. apud Marcum Hieronem.

Aroë, adde: Ejus mentio est in numismate antiquo Caracallæ Imp. cujus hæc Inscr. COL A. A. PATR. h. e. *Colonia Augusta Aroë Patrensis*, cum imagine Dianæ cognom. Laphriæ, quæ ibi in veneratione fuit. V. Jac. Sponium *Itiner. Græcia Pars 3.* ubi typum numismatis exhibet, ut & infrà in voce *Patræ.*

Aroëi, apud Plinium *lib. 6. cap. 27.* ubi de Tigri amne, *Arabes Aroëos Adiabenosque disterminans.* L. *Oroëi*, uti, ex vetustissimo libro Rigaltiano, corrigit Salmasius *ad Solinum pag. 616.*

Arola, adde: Hinc *Argona* vel *Aragaria*, quasi *Arola ager*, vulgò *Argovia*, nomen habet. Etiam *Ararim* aliquando hunc fluvium dictum esse, docet Hadr. Valesius, ex Notkero Balbulo Monacho Sancto-Gallensi, circa A. C. 912. defuncto, qui *in Martyrologio* Saloduri meminit his verbis: *Kal. Septembris Natalis S. Virginis Verenæ, Thebææ genere: quæ juxta Ararim fluvium, non longè à castro Solodoro habitavit, in specu artissimo.* Quæ fortè ratio, quòd in Germania *Ararim* locaverit Virgilius. Germanica appellatio hujus fluvii *Ar* est, ex veteri linguæ Celticæ vocabulo Ader contracta, quod hodieque *venam* significat: Quid aliud enim fluvii, quàm *terræ vena*? V. Dan. Eremitam *descr. Helv.*

Aromatica, populo donata, apud Æl. Spartianum in *Adriano Cæs. Roma post cæteras immensissimas voluptates, in honorem socrûs suæ, aromatica populo donavit.* Nempe Parentaliorum die fiebat in plebem divisio specierum variarum, ut vini, olei, aut pecuniæ, cujus moris testes extant infinitæ inscriptiones. Sed *Aromatica donare*, meritò à Spartiano in Cæsare hoc notatum, ut rarum, & antè fortasse inauditum, Casaubon. Aliàs *Aromata* in funeribus accensa, imò thesauros aromatum aliarumque rerum pretiosarum flammis datos legimus. Hinc Statius *Sylvar. lib. 2. Sylv. 1.*

Quid ego exequias, & prodiga flammis
Dona loquar, mœstoque ardentia funera luxu?
Quòd tibi purpureo tristis rogus aggere crevit;
Quòd Cilicum flores, quòd munera graminis Indi,

Quodque Arabes, Phariique, Palæstinique liquores
Arsuram lavere comam &c.

V. eos qui *Funera Romana* illustrarunt; & picturam in *Saturnalibus*, à I. Lipsio propositam &c. Significat autem Ἄρωμα speciem boni odoris spiritu flagrantem: In specie vox de *myrrha*, ut & μύρον, usurpatur. Qua de re V. Salmasium *ad Solinum passim*, ut & infrà in voce *Species.* Unde autem *Aromatum* species quælibet afferantur, dicemus ubi *de Commerciis.* Plura verò de *Aromatibus*, V. in *Histor. Aromatum* Garciæ ab Horto, Proregis Indiæ Medici, quam edidit & *Notis* illustravit Car. Clusius *Exoticorum lib. 7.* & Christoph. à Costa *Exotic. Clusii lib. 9.* Adde I. Bontium *de Medicina Indorum lib. 1.* quo itidem *Notæ in Garciam* continentur.

Aromaticus Calamus, V. infrà *Calamus.*

Aromaticus Unguis, V. infrà *Bdellium, Benjoin*, item *Unguis.*

Aromatitis gemma, Græcè ἀρωματίτης; at Aromatites *lapis*, ὁ ἀρωματίτης, qui myrrhæ colore est, quam per excellentiam ἄρωμα appellatam esse modò diximus. Sic *Aromatites vinum*, quod myrrhâ condiebatur. Plinius *lib. 14. cap. 13. Lautissima apud priscos vina erant myrrhæ odore condita, ut apparet in Plauti fabula, quæ Persa inscribitur, quanquam in ea & calamum addi jubet. Ideo quidam* Aromatite *delectatos maximè credunt.* Et *cap. 16. Aromatitem quoque invenio factitatum tantùm non unguentorum compositione, primò ex myrrha —— mox ex nardo Celtico, calamo, aspalatho, offis in mustum aut dulce vinum dejectis.* Locus autem Plauti est *Persæ Act. 1. Sc. 3.*

Commisce mulsum struthea coluthea que appara,
Bene ut in scutris concaleat, & calamum injice.

Sed nulla hic myrrhæ mentio; nec de vino, sed mulso agitur, an *musso* potiùs legendum? Hinc Plinium crebrâ *murrinæ* apud Vett. mentione deceptum, aromatitem è *myrrha* factitatum asseruisse, docet Salmasius: cùm in *aromatiten* seu *murrinæ*, nihil myrrhæ (quippe cujus amaror notus) additum fuerit, utpote quod semper dulce mansit, speciebus aromaticis dulcedinem ei suam servantibus. Certè *murrinam* inter dulcia, non tantùm inter vina, numerant Comici Latini, qui *Palliatas* scripsere, quod non à *murra*, sed ἀπὸ τῶ μύρου, i. *aromate*, nomen habuit. V. eum *ad Solinum pag. 709. & seqq.*

Arona, vulgò *Aronde*, fluvius est Galliæ, in Isaram, è regione Compendii urbis, decurrens. Ei adjacet Rossontum, vulgò *Resson* & aliquando *Resson sur Aronde*, unus ex novem Archidiaconatibus Ecclesiæ Bellovacensis, V. Hadr. Valesium *Not. Gall. in voce Rossontum.*

Aros herbæ nomen, quam cervas à partu petere, Plinius tradit, *lib. 8. cap. 32. Fœminæ autem ante partum purgantur herbâ quadam, quæ seselis dicitur, faciliore ita utentes utero; à partu duas habent herbas, quæ* aros *& seselis appellantur: pastæ redeunt ad fœtum.* Sed quod de seseli habet, verum est appeti à cervis parituris, non verò ab enixis. De *aro*, non minùs suspecta lectio; quod ursos post latitationem devorare Idem *alibi* tradit. Ubi tamen etiam libri *aron* legunt; è cujus herbæ radice milites Cæsaris panem confecisse, legimus *de Bell. civil. lib. 3.* Quam in rem V. Salmasium *ad Solinum pag. 225.*

Arosis seu *Arosos*, Ἄρωσις vel Ἄρωσος, maximus Persidis fluv. prope Persepolin, apud Arrianum in *Indicis*, quem Strabo *Araxem Persicum* vocat, aliis *Oroatin* dictum esse, ostendit Salmasius *ad Solinum pag. 1181.*

Arotreba, pop. qui priùs *Arotrebri* dicti sunt, Strab. de quibus V. eundem *Ibidem*, ubi de *Arotrebarum* prom. *pag. 176. & seqq.* nec non in voce *Artabri.*

Arpianus, V. suprà in *Arabianus*, & *Arrianus*, apud Salmasium *ad Solinum pag. 159.*

Arqueria, seu *Archeria*, apud recentioris ævi Scriptores, fenestricula oblongior & strictior, in urbium & castrorum muris, per quam sagittarii, vel balistarii sagittas suas aut tela in obsidentes emittebant. Τοξικὰ Harmenopulo *lib. 2. tit. 4. §. 47. 48. 49. 87.* Τοξικαὶ θυρίδες, apud Hieronymum, ex Symmacho *Comm. in Ezech. 40.* ita enim hunc locum capiendum censet Fullerus *Miscellan. sacr. cap. 13.* apud Car. du Fresne *Glossar.* Willhelmus Brito *Philippidos lib 1.*

—— —— —— —— Muros
Subtus fulciri facis, aperirique fenestras
Strictas & longas, ut sirennus arte latenti
Immittat lethi prænuntia tela satelles.

Arræ Proxeneticæ, dicebantur, quæ à proxenetis dabantur Sponsæ deferendæ, & quas Proxenetæ ipsi Sponsarum nomine accipiebant. Proxenetæ autem sunt pater, mater, tutor, aut alii amici, qui in re hac fidem suam interponebant. Connanus *lib. 8. cap. 2. num. 1.* apud Joh. Calvinum *Lexic. Juridic.*

Arræ Regiæ, apud Jul. Capitolinum in *Maximino Jun. Desponsata illi erat Junia Fadilla — quam postea accepit Toxotius — cujus etiam Poëmata extant. Manserunt autem apud eam arræ regiæ, quæ tales erant, ut Junius Cordus loquitur — monolinum de albis novem, reticulum de prasinis undecim, dextrocherium cum ustula de hyacinthis quatuor, præter vestes auratas & opes regias, cæteraque insignia sponsa-*

sponsalitorum. Patre *Sponsalitiæ arræ*, de quibus titulus est in Codice Justinianeo; de quibus etiam in *Novellis* multa, neque est ullius rei, quàm hujusmodi arrhabonum, crebrior apud Græcos Latinosque mentio. *Sponsalia* dixerat Theodosius, ex cujus Codice legem illam sumpsit Justinianus. Fere autem dabatur eorum aliquid, quæ ad mundum, aut potiùs ad ornatum feminarum pertinent, quam ob causam Hesychius *ἀλλόχια*, *ἴσχια*, & *περιδέραια*, quæ sunt diversa monilium nomina, appellat *ἀρ-ῥαβωνισμὸ*, quæ *arrarum* loco, præsertim sponsalitiarum, dari solerent. Idem alibi, *μνῆστρα*, ὁ τῦ γάμυ ἀῤῥαβών. Inde *subarrare*, verbum in *Canonibus* frequens, quo intelligi genus quoddam coëmtionis seu donationis, matrimonii causa inductum, asserentem Virum doctum, carpit Salmasius, docens, *subarrare* nihil aliud esse, quàm *Arras sponsalitias dare*: quas arras quia Sponsus Sponsæ dabat, Sponsus *subarrare Sponsam* dicebatur. Julianus Pontifex in *sec. Decreti parte*, *Si quis desponsaverit uxorem vel subarraverit*. Innocentius III. *cap. 14. de desponsat. impub. Quidam filiam suam circiter XII. annos habentem cuidam nobili desponsavit, qui subarravit eandem, consensu mutuo accedente*. Recentiores Græci *ἀῤῥαβωνίζειν* id dixerunt, & quia arræ ejusmodi in monilibus, ut dictum, plerumque consistebant, *ἀρμόζειν* & *ἐναρμόζειν*, quæ vox in *Jure* Orientali pro *desponsare* ponitur, εἰ δὲ ἁρμόσῃ γυναῖκα, *si quis subarraverit mulierem*, &c. Salmasius *ad Capitolin*. V. infrà *Sponsalitia Arra*.

Arrepti, in Concilio Arausican. I. *can*. 16. & Arelatensi II. *can*. 41. *Qui palàm aliquando* arrepti *sunt — non assumendi ad ullum ordinem Clericatus*: iidem qui *Arreptitii*, Ital. Arretiggi. Græcè *Κατεχόμενοι*, ὑπὸ δαίμονος, item *Δαιμονιζόμενοι*. du Fresne.

Arrhaea, adde: Prope Estamenam est aut Astaboram fluv. cujus accolas pepulit σκορπίων πλῆθος ἄμαχον, *scorpionum multitudo inexpugnabilis*, apud Ælianum *Histor. lib*.17. *cap*. 40. ubi tamen *Ἀῤῥαῖοι* perperam, pro *Ἀκριδοφάγοι*, vocari, judicat Bochartus. *Acrabaten* enim à *scorpionibus* dictum ait: quia עקרב *acrab*, pro *scorpione*, non solùm Hebræis & Syris, sed & Chaldæis, Arabibus ac Æthiopibus usurpatur. V. suprà.

Arria Fadilla, mater Antonini Pii Imp. ex Aurelio Fulvio Cons. suffecto, filia Arrii Antonini bis Consulis. Jul. Capitolinus in *Vita Antonini Pii*.

Viri illustres.

Arrianus, Consul cum Papo, memoratus Julio Capitolino. in *Gordiano tertio*, *Quo mortuo Arriano & Papo Coss. in ejus locum Præfectus Prætorii factus est Philippus Arabs*. Sic enim in Lapp. & vett. *Fastis* hic Consul appellatur; cùm vulgò scribatur, *Apriano*, Salmasius *ad l*. Sic *Arrianus* Historicus, apud ejusdem *Historiæ Aug*. Scriptores, modò *Arpianus*, modo *Arabianus*, corruptè legitur. *Illustres Viri.*

Arrius Antoninus, bis Consul: avus maternus Antonini Pii Imp. apud Jul. Capitolinum in Imp. hujus *Vita*: inter suffectos Coss. nominatur Cassiodoro, in ultimo Domitiani anno. De eo sic Victor, *Nerva, cùm in Curiam à Senatu gratanter exceptus esset, solus ex omnibus* Arrius Antoninus, *vir acer eique amicissimus, conditionem imperantium prudenter exprimens, amplexus eum, gratulari se ait Senatui & populo provinciisque: ipsi autem nequaquam: cui satius fuerat malos Principes eludere, quam tanti oneris vim sustinentem, non molestiis modò & periculis subjici, sed famæ etiam inimicorum pariter & amicorum: qui se cùm mereri omnia præsumant, si quicquam non extorserint, atrociores sunt ipsis quoque hostibus*. Et hoc est quod Capitolinus *l.c*. subjungit, *Qui Nervam miseratus esset, quòd imperare cœpisset*. Proconsul Asiæ fuit, eque ea provincia ingentem integritatis & prudentiæ famam reportavit; Plinius *Epist*. ad ipsum, *Quòd semel atque iterum Consul fuisti, similis antiquis, quòd Proconsul Asiæ, qualis ante te, qualis post te vix unus aut alter (non sinit enim me verecundia tua dicere, qualis nemo) quòd sanctitate, quòd auctoritate, ætate quoque princeps civitatis, est quidem venerabile ac pulchrum: ego tamen te vel magis in remissionibus miror &c*. Nepotem adoptavit, eumque nomine suo appellavit, qui postmodum Imperator *Antonini Pii* nomine inclaruit: Hic itidem Asiæ Proconsul, *solus in suo Consulatu Avum vicisse*, dicitur eidem Capitolino. Sed & tertius fuit *Arrius Antoninus*, Asiæ quoque Proconsul, vir longè clarissimus, qui, Principe Commodo occisus, scelere Cleandri, tantam invidiam Imperatori apud vulgus & omnes bonos concitavit, ut, eam ferre Commodus cùm non posset, Cleandrum plebi ad pœnam donaverit, apud Lamprid. Et hic videtur esse, de quo Tertullianus *ad Scapul. Arrius Antoninus in Asia cùm persequeretur instanter, omnes civitates illius Christiani ante tribunalia ejus se manu factâ obtulerunt: cùm ille, paucis duci jussis, reliquis ait*, Ὦ δειλοὶ εἰ θέλετε ἀποθνήσκειν κρημνοὺς ἢ βρόχους ἔχετε, *O miseri, si mori omnino fides, præcipitia & laqueos habetis*, &c. Casaubonus *ibid*.

Arrius Aper, socer Numeriani Imp. qui, Imperio inhians, generum interemit, ipse paulo pòst à *Diocletiano* occisus, additis verbis: *Hic est auctor necis Numeriani*. Vopiscus in *Numeriano*.

Arrogantes Lacernæ, de purpureis, apud Martialem,

Illas purpureas & arrogantes
Jussit surgere Lectius lacernas.

Improbus enim apud Senec. & *superbus*, apud alios, & *arrogans*, apud Poëtam hic color purpureus, qui pro sua majestate reliquos sibi colores, tanquam minores, ut majori, digniori potentiorique cogat assurgere. Galli *altum colorem* vulgò appellant. Salmasius *ad Spartianum in Pescennio Nigro*.

Ars, seu Artes, pro Grammatica, Q. Rhemnius Palæmo in *Arte Grammat*. *Abunde dictum sit de præpositionibus: nam contra habemus in Artibus plenissimè dicta*. Cledonius, *Quodam tempore dum Ars in Capitolio tractaretur*. Priscianus in *Prologo, ad lib.I. Quid enim Herodiani Artibus certius?* &c. Hinc *Libri Artium*, seu de Grammatica, apud Marium Plotium *Præfat. lib. de Metris*. Arnobius jun. in *Conflictu cum Serapione*, *Dicitur autem crossi librum Artis Rhetoricæ Orator & Grammaticus* Librum Artium condidisse. Habeturque Phocæ Grammatici *Ars de nomine & verbo*, ubi sic preloquitur,

Ars mea multorum es, quos sæcula prisca tulerunt,
Sed nova te brevitas asserit esse meam, &c.

Etiam pro Rhetorica, non semel *Ars* nudè accipitur, apud Quintilianum *lib*. 4. *cap* 1. alibique: de *Facultate Artium*, V. hic paulo infrà, & plura hanc in rem apud du Fresne *Glossar*.

Ars Analogica, quâ de quovis proposito themate, per rerum naturalium analogismos sive symbolicos conceptus, tum expeditè scribendi, tum amplè dicendi materia subministratur: brevi prodibit, Auctore Athanasio Kirchero.

Ars Collybistica, V. infrà *Collybistica*.

Ars Combinatoria, sive *Ars magna sciendi*, quâ Ars Lulliana restituitur & ad omnes Artes & Scientias facili methodo addiscendas, nec non de quocunque argumento proposito discurrendi, porta aperitur: eodem Auctore, in lucem edita est duobus Tom. *in fol*. Amstelodami A.C. 1670.

Ars Magna Lucis & Umbræ, in duos Tomos divisa, quâ lucis & umbræ, in universa Natura, vires effectusque, novâ reconditorum speciminum exhibitione, ad varios rerum usus panduntur, Romæ Anno Christi 1646. *in fol*. Nunc verò, cum augmento multiplici novarum rerum, denuo prodiit, typis Jo. Jansonii à Waesberge Amstelodami A.C. 1671. itidem *in fol*.

Ars Magnetica, quâ Magnetis natura, ejusque in omnibus usus explicatur; ac præterea è viribus Magneticarum motionum, in Elementis, Lapidibus, Plantis, Animalibusque elucescentium, plurima nova hucusque per varia experimenta recluduntur, nomen Libri, Auctore Athan. Kirchero, Romæ primùm, in *quarto*, deinde Coloniæ, ultimò iterum Romæ, cum magna accessione A.C. 1654. *in fol*. editi.

Ars Sanctorum, in Concilio Ænhamensi A.C. 1009. *Can*. 3. *Sagas, incantatores*, Artem sanctorum *exercentes, meretrices egregias mortem induc ntes* &c. Ubi codex editus *artem sem* præfert, Car. du Fresne legendum videtur *sortem*, aut *sortes sanctorum*, quem V. in hac voce.

Ars Veterum Ægyptiorum Hieroglyphica; V. infrà *Hieroglyphica*.

Arsace seu *Arsacia*, ab *Arsace* Partho nomen nacta, urbs celebris est Persiæ, quæ aliàs *Ῥάγαι* quoque, item *Εὔρωπος*. V. Salmasium *ad Solinum pag*.1197. ut & in voce *Arsacia*.

Arsacidæ V. infrà *Assassini*.

Arsena, apud Sanutum *lib.II. part.4. cap*. 11. *Operæ ad illius (navigii) conservationem inposterum, in locum pertrahi copertum — qui locus, ubi dictum conservatur navigium*, Arsena *vulgariter appellatur*: Armamentarium est, vulgò *Arsenal*. Origo vocis nonnullis Turcica est seu Arabica, quibus *Darcenaa* idem sonat, primâ literâ ademptâ. Sed *ἀρσενάλης*, *armamentarium*, jam Constantino dictum est longè ante captam à Turcis CP. Theophilo Michaëlis fil. imperante, ut ex *Inscr*. quæ à Grutero aliisque refertur, constat. Carolus du Fresne ab *Ars* deducit, quæ sequioribus Latinis perinde, ac *ingenium*, machinam denotavit, unde & Gallorum *Artillerie* Albertus Aquensis *Histor. Hierosolym lib.II.cap*.35. *Quidam Longobardus genere, Magister & Inventor magnarum artium & operum*, apud eundem in voce *Ars*. V. quoque in *Artificium* & *Artillator*: ubi, quid *Artilleriæ* vocabulo olim Franci voluerint intellectum, pluribus exponit, ex Guil. Guiardo A.C. 1304. de prælio ad Montem Puellarum agente, Froissardo *Volum. I*. Monstrelleto *Volum. I. cap*. 29. & *Gloss*. Meursii in Ἀρτιλαρία. Sic ergo *Arsena* locus fuerit, in quo *Artes*, i. machinæ bellicæ reponebantur. V. & Jacobum Bourgoing *lib. de orig. & usu vulgarium vocum pag*.12. laudatum eidem du Fresne.

Arsenicum, Græcè Ἀρσενικόν, duplex est, alterum luteum & colore ochræ simile, τῇ χροίᾳ χρυσίζον, unde & *Auripigmentum* dictum, quod in iisdem fodinis, in quibus sandaracha, reperitur: alterum rubrum, τῇ χροίᾳ σανδαρακίζον, aliter *Sandyx*, item *Armenium rubrum*, quod in Ponto & Cappadocia invenitur, & cum Armeniaca terra idem est. Quorum prius tantùm Veteribus cognitum, inter colores picturæ utiles, ex Plinio docet Salmasius *ad Solinum pag*.1155.

Arsenius, Monachus primò, postea Patriarcha CP. sub Theodoro Lascare Jun. *Synopsin Canonum*, ex Conciliis & Patribus in Concilio Trullano approbatis, collegit, circa A.C. 1255. in quâ, accuratâ methodo, universam Canonicæ disciplinæ scientiam, centum supra unum & quadraginta articulis complexus est, tum

in

In fine cujusque tituli Νομικὰ quædam κεφάλαια, *Capita Legum* concordantium adjecit. Quam ob causam *Nomocanonis* quoque titulum, in fine Codicis Græci MS. in Bibl. Gall. Reg. hoc opus refert. Edidit illud Justellus filius, in *Bibliotheca Juris Can. vet. tom.* 2. sub hoc tit. Ἀρσενίου Μοναχοῦ τοῦ ἐν τῷ ἁγίῳ ὄρει Μονῆς τοῦ Φιλοθέου Σύνοψις τῶν θείων Κανόνων. Παρακειμένων ἑκάστῳ κεφαλαίῳ καὶ τῶν ἁρμοζόντων ψήφων τῶν θείων κανόνων. ἀφ' ὧν καὶ ὁ νοῦς εἴληπται; ἃ διερχόμενος ἀκόπως εὑρήσεις τὰ ζητούμενα· πρότερον μὲν διὰ τῶν κεφαλαίων τὸν ἅπαντα νοῦν ἐκμανθάνων. ἔπειτα δὲ ταῖς ψήφοις ἀναζητῶν ἐν τῇ τῶν Κανόνων βίβλῳ. καὶ πλατύτερον περὶ ἑκάστου πληροφορούμενος, εἰς δόξαν τῆς ἁγίας καὶ ὁμοουσίου Τριάδος, Ἀμήν. *Arsenii Monachi ejus, quod est in Sancto Monte, Monasterii. Divinorum Canonum Synopsis. Appositis unicuique Capiti congruentibus divinorum Canonum numeris, ex quibus mens desumpta est. Quæ legendo, nullo negotio invenies ea, quæ ad rem pertinent: primùm quidem ex Capitibus omnem sensum edifcendo; deinde verò numerorum ope, in Canonum libro investigando, pleniùs etiam de singulis certior factus, ad gloriam sanctæ & consubstantialis Trinitatis, Amen.* Vide Gerh. von Mastricht *Histor. Jur. Eccles. num* 365.

Arsinoë, soror & uxor Ptolomæi Philadelphi, adde: Post mortem, nomine *Veneris Zephyritidis* culta, Templum habuit, quod sub exitum Mariti Dinochares Architectus construxit ita, ut testudo tecti magnete concamerata esset. Qui lapis cùm ingenitâ vi ferrum attrahat, simulachrum *Arsinoës* ferro factum in medio aere suspensum tenuit. Plinius *lib.* 34. *cap.* 14. Ubi inchoatum quidem id Templum, non consummatum refert. Meminit tamen Athenæus *l.* 11. vasis cujusdam, Ῥυτὸν dicti, quod Ctesibius, qui ejus auctor fuerat, in Templo Veneris Arsinoës collocaverit, ac ejus Numini dedicaverit. Ejusdem porro *Arsinoës* statuam cubitorum quatuor, ex topazio, (quam gemmam Berenicæ primùm oblatam fuisse, matri Ptolomæi II. dicunt) memorat Plinius idem. Vide Salmasium *ad Solinum passim, p.* 240. 638. 819.

Arsinum vel *Arsineum*. Festo *ornamentum capitis muliebris est*. In *Glossario* ἀρσινεὸν exponitur, quo nomine Græci propriè vocant eum capitis ornatum, quo capillus in duas partes æqualiter discriminatus, duas ferras facit. *Discrimen* Latini dixere. Ovidius,

Longa probat facies capitis discrimina puri

Ubi *purum caput* sic comptum vocat, ut ab alio mulierum operosiore ornatu distingueret, qui etiam discrimen acus admittit. Simplicissimus enim ornatus is erat, capillis in duas partes per medium caput tæniâ divisis, qui longas facies maximè decere credebatur. Possumus tamen & *discrimina puri capitis* de capillo accipere tantùm pexo ac dentibus pectinis discriminato, non verò calamistris intorto, aut in cumulum nodato, &c. Tribus enim modis capilli ἀρσινεὸν fiebat, sc. *vittâ, pectine & acu*: Sed hanc in rem plura dicemus infrà, in voce *Discrimen*.

Artaba, frumenti mensura Persica. Apud Vulgatum, Daniel. *cap.* 14. *vers.* 2. *Et impendebantur in eos, per dies singulos, similæ* artabæ *duodecim*. Ab *Artabazo* Pharacidis fil. Parthorum Duce, vel ab *Artabano*, Hystaspis filio & Xerxis patruo, dicta Herodotus *lib.* 1. *Ita hujus regionis potentia tertiam Asiæ partem æquiparat, & ejus principatus* (quem Satrapiam Persæ vocant) *omnium principatuum longè est optimus, adeò ut Tritachmæ Artabazi filio, qui pro Rege tributum hoc exigebat* (legunt alii, *quem Rex huic tractui præfecerat*) *singulis diebus singulæ argenti plenæ* artabæ *penderentur. Est autem* artaba *mensura Persica capacior, quàm Atticus medimnus, tribus chænicibus Atticis* Vide Macrum utrumque in *Hierolexico*.

Artabasses, apud Flav. Vopiscum in *Probo*, *Creditis etiam auxiliaribus Gallis, cum ea Persarum manu quam nobis* Artabasses *Syrus mancipavit*. Ubi Palat. habet *Artabassis Syrius*: Gr. Ἀρταβάσσης est, sic enim scribebant. Ita *Lyristis* apud Sidonium Apollin.

Alcæo melior lyristis ipso,

hoc est, λυριστὴς, perperam vulgò *lyristes*. Et in *Epigramm.* vet.

Hunc ludum inventor nimium Palamedis amavit,

pro Παλαμήδης. Salmasius *ad d.l.*

Artabasdes, Armenorum Rex, cujus ad Saporem epistola, in *Fragmentis Vitæ Valerianorum*, quam in antiquo exemplari Palatino scriptam, *Notis suis ad Trebellium Poll in Valerianos Patre & Filio*, inseruit Salmasius, ita habet: *In partem gloriæ venio, sed vereor, ne non tam viceris, quàm bella severis. Valerianum & filius repetit & nepos & duces Romani & omnis Gallia, & omnis Africa & omnis Hispania & omnis Italia, & omnes gentes, quæ sunt in Illyrico, atque in Oriente, & in Ponto, quæ cum Romanis consentiunt, aut Romanorum sunt. Unum ergo senem cepisti & omnes gentes orbis terrarum infensissimas tibi fecisti: fortassis & nobis, qui auxilia misimus, qui vicini sumus, qui semper vobis inter vos pugnantibus laboramus.*

Artabis, fluv. Græcè Ἀρτάβις, apud Marcianum Heracleotam in *Periplo* Gedrosiæ, perperam pro *Arbis*, quod vide.

Artace, Græcè Ἀρτάκη, circa Cyzicum urbs, de qua V. Salmasium *ad Solinum p.* 880. Hinc Ἀρτακηνὴ regio, *Artacene*, apud Strabonem *lib.* 16. Vide in voce *Artacene*.

Artacoana, opp Arianæ regionis, apud Plin. Ptolemæus in Aria ponit, & illud sexcentis stadiis ab Alexandria Ariorum distare refert. Nempe Plinius *Arias* hic cum *Arianis* eosdem facit, cùm aliàs distinguantur. Ariani enim Indis vicini sunt, quod de *Ariis* propriè sumtis dici non potest, utpote qui habeant ab Oriente Paropamisadas. Græcè Ἀρτακόανα, pro quo corruptè Ἀρτικαῦδνα legitur, apud Ptolemæum. Vide Salmasium *ad Solinum p.* 796.

Artane, apud Arrianum in *Periplo*, ubi Bospori fauces ponit ad sacrum Jovis Urii, dein Rheban, dein Melænam ponit promont. mox *Artanen*, dein Psilin, postea Calpes portum, & inde Rhoën, & Chelas & Sangarium fluv. mansio est, à fluvio Ἀρτάνῃ nomen adepta, ut pleraque in illa ora oppida & portus nomen à fluviis Pontum intrantibus, accepere. Vide eundem *ibid. pag* 880.

Artaxias, Dux Antiochi Magni, unà cum Thariade ejusdem Regis alio Duce, Armeniam Maj. quum antea brevioribus terminis circumscriberetur, ampliavit, & Regnum ejus postea usurpavit. Iidem ex regionibus vicinis ad suam ditionem multa adjunxere, quæ finitimis populis ademerant, Medis, Iberis, Chalybibus, Cataonibus, Syris; uti videre est apud Strabonem *l.* 11.

Artemisia herba, Βουβάστιος καρδία, *cor Bubastis*, Ægyptiis dicitur, apud Appulejum *Herbar. cap.* 10. id est, herba Dianæ chara, quod & Græcum nomen præ se fert. *Bubastin* autem iidem Dianam vocarunt, quia in historia Gigantomachiæ, cùm Dii, Gigantum metu in Ægyptum fugâ arreptâ, in varias formas se mutavissent, Diana in felem, Ægyptiis Βούβαστιν dictam, conversa, latuisse dicitur. Ovidius *Metamorph lib.* 5.

Duxque gregis, dixit, fit Jupiter, unde recurvis
Nunc quoque formatus Libys est cum cornibus Hammon:
Delius in corvo, proles Semeleia capro,
Fele soror Phœbi, niveâ Saturnia vaccâ,
Pisce Venus latuit, &c.

V. Sam. Bochartum *Hierozoici Part. poster. lib.* 1. *cap.* 10.

Articactus seu *Artictelus*, Gallis *Artichaut*, Siculis olim *Cactus*, hodie *Cacozolè*, Latinis itidem *Cactus*, ut docet Salmasius *ad Tertull. de Pall.* & *Carduus*, κατ' ἐξοχὴν, Græcis κινάρα, ut videre est apud Athenæum *lib.* 2. Unde Columella in *Horto*,

Horrida ponatur Cinara:

hortensis & sativus carduus est, pomum habens sive capitulum, squamatim compactum, aculeatum & pineæ nuci simile, quod intus semen παππῶδες inclusum gerit, ἐγκέφαλον hinc Theophrasto appellatum. Quâ lanugine detractâ, cum semine, quod reliquum est, simile esse dicit Theophrastus τῷ ἐγκεφάλῳ φοίνικος, *cerebro palmæ*, quoad formam viz. non quoad gustum, ut Plinius putavit, *Detractis*, ajens, *pappis tenellisque feminibus edulis est, gustu qualis est cerebro palmarum* Vide verba Theophrasti apud Athenæum *lib.* 2. Lanuginem certè illam hodieque detrahimus & abjicimus, quam *fœnum* vocant Galli, sed non expectatur, donec in semen eat. Pomum itaque edule: sed & caules detracto cortice, de quibus idem Theophrastus, ἐδώδιμοι εἰσι ἀφαιρουμένου τοῦ φλοιοῦ, μικρὸν ὑπόπικροι, ταριχεύουσιν αὐτὰς ἐν ἅλμῃ, *Edules sunt detracto cortice, subamari, & muria condiri condique soliti*. Quia nempe subamari erant, sale macerabantur, neque mandebantur priùs quàm ætatem in sale tulissent. Solus qui vocabatur *pternix*, ἀθησαύριστ⊙ comedebatur, ac recens, quia sic melior: de quo Plinius, *unum caulem rectum habent, quem vocant pternica, eiusdem suavitatis, sed vetustatis impatientem*. Fuit autem non plebejus olim hic cibus, imo prisc is, sicut hodieque nostris ganeonibus, valde expetitus: Unde singulas areas easque parvas carduorum apud Carthaginem magnam & Cordubam reddidisse quotannis sestertium sena millia, notat idem *lib.* 19. *cap.* 8. Quam in rem vide plura, apud Salmasium *ad Solinum, pag.* 12.. ut & infrà in vocibus, *Cactus* & *Carduus*. Genevæ, paulo antè Reformationem, factioni nomen ab hac herba fuisse, narrat Jac Sponius *Desc. Genevæ P.* 1.

Articulejus, adde: Apud Æl. Spartianum in *Hadriano Cæs. Aruncule jus* vocatur: *Quæsturam gessit* (Adrianus) *Trajano quater & Arunculejo Coss.* sed perperam, unde ex Codice Augustano scribi jubet Salmasius, *& Articulejo*. Vetus lapis,

M. ULPIO. TRAIANO. AUG. IIII.
SEX. ARTICULEIO. PÆTO.

De ejus nomine *S. C. Articulejanum* est appellatum, cujus meminit Martianus *l.* 51. *ff. de Fideicommissariis libertatibus*. Vide quoque Isaac. Casaubonum *Not ad loc. cit*

Super *Articulos* manus prosterni, leviorum culparum pœna est, apud Monachos. *Usus* antiqui Ordinis Cisterc. *cap* 68. de Lectore, qui versum dicit pro alio: *Festis vis quidem diebus super articulos manus privatis verò super genua prosternatur, ponens cucullam sub manibus, & sic inclinans revertatur ad sedem. Similiter* super articulos manuum *satisfaciant omnes in loco, in quo sunt, quoties fallaciam in Oratorio incurrerint, non divertentes dextrorsum aut sinistrorsum. Pro nota cantus tantùm non solemus satisfacere* Sic *Humiliare se super genua, vel articulos, cap.* 70. & paulo antè *cap.* 75. V. & *Institutiones* Capituli ejusdem Ordinis Anno Chr. 1256. *cap.* 6. apud Carolum du Fresne *Glossar.*

Artigraphus, Servio qui τεχνογράφ⊙: vox hybrida, sicut *dextrocherium*, *chrysoclavum*, *pseudoforum*, &c. ex Græcis Latinisque nominibus composita. Grammaticum autem notat seu Artis Grammaticæ (quam suprà *Artis* vocabulo nudè sumpto sæpiùs venire diximus) Scriptorem; uti videre est in Caroli Magni *lib.* 2. *de Cultu Imagin. cap.* 30. Sic Donatus apud Anonymum in *Vita* S. Hieronymi; Phocas, Nisus & Gratus Grammatici, apud Senatorem *de Orthograph.* Methodius *in libr.* 9. *Miraculor.*

Miraculor. S. Dionysii in Prologo, *Artigraphi* dicuntur: Quemadmodum Cledonius Grammaticus nobilis Constantinopolit. apud Sosipatrum *de Institut.Grammat Artis Scriptor.* Car.du Fresne in voce *Ars*.

Areisa, apud Plinium *lib.* 2. *cap.* 103. in quibusdam codicibus, fons est, Persiæ, & quidem in Armenia Maj. quem editiones *Arethusam* vocant, Ptolomæus *Aretisam*. De quo Solinus *cap.* 37. *Influit in Arethusam lacum omnia pondera sustinentem: cujus pisces nunquam se alveo Tigridis miscent, sicut nec amnici pisces in stagnum transeunt* Arethisæ, *per quem dissimilis colore volucri meat cursu.* Sic ejusdem indolis cum Asphaltite lacu & Agrigentino hic lacus fuerit. Strabo verò non *Aretisam*, sed *Thonitin* vocat lacum, (Ammianus *Sosingiten*, alii *Thospiten*) cujus alveo Tigris voratur; prope eum bitumen nasci addens. Vide Salmasium *ad Solinum pag.* 695.

Artophorium, Græcè Ἀρτοφόριον, quasi *ferens panem*, in *Euchologio*, *Et reponit eum in Artophorio*: Græcis dicitur vas illud, in quo Eucharisticus panis reconditur; aliter iisdem *πυξίμηλον*, quasi *pyxis ad formam pomi* effictа. Latinis *pyxis* nudè dicitur, Vide infra.

Artotyritæ, adde: In Galatia inprimis vigebant.

Arturum expectare, proverbium apud Anglos, quorum credula adeò fuit olim fides, ut *Arturum* Regem denuo regnaturum persuasum haberent. Ita enim Guil. Neubrigensis *Proœmio ad Histor. Sive etiam gratia placendi Britonibus, quorum plurimi tam bruti esse feruntur, ut adhuc* Arturum *tanquam venturum expectare dicantur, eumque mortuum nec audire patiantur.* Petrus Blesensis *Epistol.* 57.

Quibus si credideris,
Expectare poteris
Arturum *cum Britonibus.*

Vide etiam Nicolaum de Braja in *Ludovico VIII.* Jos. Iscanum *de Excidio Trojano*, Hermannumque Monachum de *Miraculis S.Mariæ Laudun. lib.* 2. *capite* 16. apud Carolum du Fresne *Glossar.*

Arvales fratres, adde: Sacerdotii insigne fuit spicea corona, vittâ albâ colligata, quam primam apud Romanos coronam fuisse, memorat Plinius *lib.* 17. *cap.* 2. Cognoverunt hi Fratres, de finibus & terminis motis; honorque hic non nisi vitâ finiebatur, imò & exules etiam captosque non deserebat. Adrianus tamen Turnebus non ipsos hos Fratres, de agris agrorumque terminis cognovisse, sed Judices, qui de agrorum finibus cognoscerent, mutuatitio nomine, de *Fratrum Arvalium* vocabulo, *Arvales Sodales* appellatos scribit, *Adversar. lib.* 21. *cap.* 1.

Arvares Sodales, in vett. *Glossis*, οἱ ἀπὸ τῶν ἀγρῶν Δεχόμενοι ἀπαρχάς. Vide hic suprà *Arvales*.

Arugia, apud Plinium *lib.* 33. *cap.* 4. ubi de aurifodinis Hispaniæ, *Aurum* arugiâ *quæsitum non coquitur, sed statim suum est.* Et, *tertia ratio opera vicerit gigantum, cuniculis per magna spatia actis cavantur montes ad lucernarum lumina, eadem mensura vigiliarum est, multisque mensibus non cernitur dies*, arrugias *id genus vocant*: Vox è Græco petita, fossione quæsitum aurum, quod à ramentitio distinguitur, notat. Græcè enim ὀρυγμα dicitur: Strabo ὀρυκτὸν vocat, quod in Arabiæ cuniculis effodiebatur; *ὀρυσσόμενον* Agatharchides & Diodorus appellant. Cujusmodi aurum eruebatur quoque in Ægypto Æthiopiæ contermina. Græcis autem nominibus adeò concepta fuisse omnia aurariæ *μεταλλείας* in Hispania, ut fossas etiam vocaverint *agogas*, diximus suprà. Vide Salmasium *ad Solinum pag.* 1076.

Arvina Scrofai, apud Aldhelmum de lampade,

Jamque latex lucens flammas pascebat edaces.
Papyrus in medio radiabat lumine centro,
Clarius & multo, quàm fomes pinguis olivi,
Aut certè in vitro splendens arvina scrofai.

i. e. *Scrofæ*; præter oleum, & sebum, alendis olim lucernis adhibebatur. Nunc suillus hic adeps preciosior, & in cibis est. Joh. Frid. Gronovius *Observ. in Eccles. cap.* 5.

Arvipendium, in Glossis, σχοῖνος γεωμετρικός, *funiculus geometricus.* Vetustiores enim Romani non videntur perticâ sive decempedâ communiter in mensurandis agris usi; unde nec Varro, nec Columella, nec Plinius ad eam rem perticæ decempedæque meminit: funiculo magis utebantur. Certè ab *arvis pendendis*, id est, metiendis, dictum *arvipendium*; pro quo postea *Arvipennium* & *Aripennium* dici cœpit. Unde corrupta vox *Aripennis*, de certo agri modo: quâ semijugerum Gallos vocare, tradit Columella. Bæticis hoc vocabulum tribuit incertus Auctor de mensuris agrorum, qui actum quadratum Bæticos ita appellare notat, ab *arando* scilicet. Atque hinc est Gallorum hodiernorum verbum *arpenter*, & nomen *Arpenteur*, quo illum appellant, quem Vett. *agrimensorem* dixere & *mensorem*. V. Salmasium *ad Solinum p.* 683.

Arum, vocatum Ἄρον, in genere bulbaceo est & *πολύῤῥιζον* dicitur, atque etiam *σκιλλοκρόμμυον* exponitur. Radix ei crassa & rotunda, quæque aliis ad latera adgnatis se propagat: quæ sunt *capita* illa seu *κεφαλαί*, quas dracunculo suo sive Aro tribuit Claudius Iolaus, easque ad instar hydræ capitum, ubi cæsæ fuerint, renasci dicit. Caulis, varietate macularum, serpentes imitatur, & in vulgari Aro *σπιθαμιαῖος* est seu duodecim digitos altus; cùm Arum Ægyptiacum seu Cyrenaicum, quod mollius est, ternos pedes alto caule surgat. Cæterùm Arum commune radicem habet amaram, adeò ut nisi cocta mandi non possit. Ægyptium verò & crudum editur; cujus proin radices culinis Romanis ab Cyrenaica & Ægypto usque inferri consuevere. Vide quæ de hac herba pluribus disserit, præfatus Auctor *ad Solinum passim*, inprimis *pag.* 912. *& seqq.*

Aruncule jus, Vide suprà *Articulejus*.

Arundineæ Scaphæ, memorantur Theophrasto, ubi de Indicis arundinibus circa Acesinem, quas adeò crassas & magnas esse ait, ὥστε ἀκατίοις χρῆσθαι, *ut vulgò lemborum vicem præstent.* Quod ex Onesicrito Strabo confirmat. Hodieque scribunt, circa Gangem, harundines adeò crassas & proceras gigni, ut vix sit homini uni eas brachiis complecti, ex quib' scaphas exiguas (duorum triumve hominum capaces) conficiant, & in Gange navigando utantur indigenæ. Καλαμίνας hinc σχεδίας vocat Isidorus, ubi de urinatoribus concharum: Διὰ τὰς σχεδίας καλαμίνας περὶ ἣν αἱ νῆσοι, ἐξ ὧν κολυμβῶσιν εἰς τὴν θάλατταν ἐπ' ὀργυιὰς εἴκοσι ἀναδύονται διπλῆν κόγχην. *Hinc arundineas scaphas circa insulam esse, è quibus in mare desiliant ad ulnas viginti, reportaturi duplices conchas* (margaritiferas) Salmasius *ad Solinum p.* 1117. *&* 1131. Ab his diversa *Instrumenta scirpea*, quibus *per superficiem aquarum*, Æthiopes usi leguntur Esajæ *cap.* 18. *vers.* 5. &c. Vide quoque hic infrà.

Arundo, in Bucolicis adhibita, quam vocem vide, an Indicis cesserit, quæ sacchari dulcissimum fundunt liquorem, in dubio relinquitur. Has certè & Vett. quoque habuerunt, sed artem inde conficiendi saccharum ignorarunt diu, uti videbimus infrà ubi de *Sacchari.* Nec hodieque illam callerent Sinenses, ni Indus sacrificulus, cujus asinus arundinetum cujusdam ingressus stragem magnam hujusmodi cannarum fecerat, damnum illatum secreti hujus revelatione luere coactus fuisset. Sed præter has, quæ exiguæ sunt, alias habent Indi ac Sinenses *arundines*, crassas usque adeò, ut duabus tribusque manibus stringi nequeant. Ut de iis, in quibus *manna* seu *saccharum Mambu* reperitur, jam nil dicam: in *Chuchen* prov. Sinensi, rivus est prope *Kingning*, magnis arundinum hujusmodi sylvis virescens, quarum quamplurimæ species sunt. Earum omnium ferrea durities: hinc, licèt intus vacuæ sint, suisque nodis ac articulis distinctæ, firmissimæ sunt tamen ac securissimè imposita onera sustinent; altitudo sæpè trium aut quatuor perticarum est. Truncus aut lignum in quibusdam viride, in aliis nigerrimum; quarum hæ plerunque solidæ. Amœnissimum præbent aspectum, tum folia oblonga, formâ gladioli, summitatibus nonnihil inflexis atque incurvis, tum quia toto Anni tempore virides sunt. Licet autem adeò sint duræ, ut diximus, facilè tamen in licia tenuissima, ac veluti membranulas, ab Artis peritis dissecantur, ex quibus *floreas, capsulas, pyxides, pectines, aliaque similia utensilia* minutissima conficiunt subtilissimè. Ex iisdem *domos* suas facilè construunt, iisque pro ædium minorum *postibus* utuntur; ex tenuioribus *hastilia* fiunt, cuspide præferratâ, atque ad sexcentos alios usus adhibentur. Ad *aquarum* inprimis *canales*, ductusque struendos, cùm à natura perforatæ sint, scaphas item, aptissimæ habentur: ac pro *tubis opticis* longioribus, ob lævitatem, rectitudinem ac firmitatem, excellentes prorsus, ac singulares. Cùm recens desecta talis canna comburitur, emittit aquam Medicis plurimùm expetitam: Epota namque putrescentem sanguinem locoque vel casu vel percussione motum, è corpore expellit. Tenera ac primùm nata, antequam folia emittat, cum carne adhibetur pro cibo, veluti rapa aut cocti cardui: quin & aceto macerata toto servatur anno, tanquam condimentum seu obsonium, ob delitias, non secus ac minores per Europam cucumeres aut fœniculum, &c. V. Auctorem Anonymum *Sinæ & Europæ cap.* 34. ut & *cap.* 46. ubi de altero Mose in canna reperto, celebrem habes Sinensium fabulam. Item infrà in vocibus *Calamus, Harundo*, &c.

Arundo Crescens, aucupii genus Veteribus in usu, Vide infrà *Calamus Aucupatorius.*

Arura, apud Evagrium in *Vita* Antonii *cap* 2. *Arura autem ei erant trecentæ uberes & valde optimæ*: Græca vox est, & in genere quidem *agrum satum* segetemque ipsam notat: in specie autem mensura Ægyptia est, & μέτρον γῆς, seu *modum agri*, significat. Strabo enim *lib.* 18. auctor est, Ægyptum olim divisam in Præfecturas, quæ rursum in Toparchias, easque in portiones alias, quarum minimæ, Ἄρουραι dictæ, distributas: Quod etiam attigit Horapollo *l.* 1. *c.* 5. Constitisse autem *Aruram* pedibus quinquaginta, ait Suidas. Instantem annum pingere volentes, quartam *Aruræ* partem pinxisse Ægyptios, habes apud Macrum in *Hierolex.* Propriè v. ἄρουρα, Lat. *arvum*, i. ager aratus, nondum satus, Salmasius *ad Solinum.*

Aruspices, dicti sunt apud Romanos, qui ex victimarum in *aris* inspectione futura prænuntiabant. V. *Haruspices.*

Arx, apud Plinium, *Bizye quondam* arx *Thraciæ Regum*, sedes est regia: unde Stephanus Βασίλειον vocat. Adeoque idem, quod *Regum domus*, apud Melam *lib.* 1. *cap.* 6. *Regia*, apud Alios &c. V. infrà in voce *Regia*. Aliàs *tutissima urbium* Arces *vocabantur*, Solin. *cap.* 1. Cujus vocis etymon quòd ab Arcadibus arcessunt nonnulli, meritò ridentur. Sed nec illi meliùs, qui ab *arcendis* hostibus hoc nomen derivant. Ἄρξ Græcè locus est munitus ac tutus; inde *Arx*. V. Salmasium *ad Solinum pag.* 7.

Arcia, apud Jul. Capitolinum in *Maximinis*, *Nam quum esset Maximinus pedem — esse & prope finis, calceamentum ejus, id est, campagum regium, quidam in luco, qui est inter Aquilejam & Arciam, posuerunt, &c.* Reg. & Palat. habent *Arciam*: videtur loci alicujus prope Aquilejam nomen esse; neque accipiendum de *Arsia* fluv. qui Italiam ab illa parte terminabat, abest enim ab Aquileja longius, Casaubonus *add.*

A S.

As, mensoribus olim pes: Arithmeticis unitas in re nummaria cum unciis suis ad imitationem Græcorum λίτρας τῆς χαλκῆς formatus est; qui partes ejus non nisi numeris exprimunt. Sic unciam seu duodecimam partem δωδέκατον, sextantem ἕκτον, quadrantem τέταρτον, trientem τρίτον, quincuncem τρίτον δωδέκατον, semissem ἥμισυ, septuncem ἥμισυ δωδέκατον, bessem δίμοιρον, dodrantem δίμοιρον δωδέκατον, dextantem δίμοιρον ἕκτον, deuncem δίμοιρον τέταρτον, *Assem* ipsum λίτραν appellavere. In re Testamentaria, tota hæreditas fuit appellata *As*, cujus duodecima pars *Uncia* dicta est: *Duæ unciæ dicebantur Sextans, tres Quadrans, quatuor Triens, quinque Quincunx, sex Semissis, septem Septunx, octo Bessis, novem Dodrans, decem Decunx, undecim Deunx, totum As.* Iterum quælibet Uncia, in sex partes *Sextulas* dictas, erat subdivisa: *Duæ Sextulæ Duellam, tres Semunciam faciunt.* Qui solus constituebatur bonorum defuncti hæres, dicebatur *Hæres in assem totum institutus.* Ex Deunce hæres is dicebatur, cui undecim hæreditatis partes obvenere: ex Quadrante, qui tres portiones nactus est: ex Semuncia illi hæredes vocabantur, quibus vicesima quarta portio cessit: *Sextulâ aspersi* nuncupabantur, qui non nisi septuagesimam secundam partem obtinuere. Et hi omnes *Hæredes ex uno Asse* dicti sunt, Legatariis oppositi; qui autem solus omnia obtinebat, dicebatur *In totum Assem institui.* Originem vocis quod attinet, dicitur *As* & *as*, ex Dorico ἄς, pro εἷς, *unus*, docente Gronovio *libro de Pecunia vet. 4. cap. 17.* sed significationem ampliarunt aut contraxerunt Latini. Vide quoque Bart. Latomum *in Orat. pro Cæcina*, Alex. *Genial. dier. libro 1. cap. 1.* Thomam Godvvyn *Anthologia Histor. Rom. lib. 3. sect. 4. cap. 15.* &c.

As, seu *Assis*, in tesserarum ludo Gallis idem, quod Græcis olim ἄση, id est, ἡ μονὰς, *unio*. Sed & *Assem* pro *uno* vel unitate vett. quoque Latini dixere. *Adjecto asse*, apud Vitruvium, pro adjecta unitate: & apud Hyginum, *accepto asse*, pro accepta unitate; *assem relinquo*, pro unitatem relinquo. In *Gromatico*, *omnis trigonus ductus, octies accepto* asse *facit quadratum*, *cujus latus demitto*, assem *relinquo, fiunt partem dimidiam, facis trigonum*: Glossæ, *as*, ἄσσαρ, *assarium*, νομισμάτιον: quam vocem à Siculis vel Tarentinis Romani vett. sumsere. Εἷς, quod est *unus*, Siculi dicebant αἷς, ut αἰ pro εἰ: αἰθε pro εἴθε, & similia. Tarentini pro αἷς rursum dicebant ἄς, ut ἄπαγμα, pro ἀπόγραμμα. Inde *As* pro *uno* Latinis. *Tesseræ* quoque vocabulum ab iisdem accepere Romani, quam τεσσάρων illi vel τεσσάραν vocabant. Salmasius *ad Vopiscum in Proculo.*

Asa, in condimentis ciborum, apud Indiæ quosdam populos, & præcipuè Cambajæ prov. incolas, sicuti *Laser* apud Vett. unde nonnulli cum *Lasere* veterum eandem faciunt. Certè & modus eam præparandi convenit, ut inveterascere possit ac diu servari. In bubula namque coria illam conjiciunt sanguine bubulo priùs illita & cum tritici farina permixto; quo modo Vett. succum laseris præparasse, ex Plinio discimus. Interim longè aliam ab illo *Asam* esse, ostendit Salmasius *ad Solinum pag. 1025.*

Asabo, Græcè Ἀσαβῶ, mons est, seu potiùs montes ingentes, & prom. ad lævam sinus Persici, apud Ptolomæum & Auctorem *Peripli*: prope quos τὴν Λιβανωτοφόρον, *Thuriferam regionem* ille ponit. V. Salmasium *ibid. p. 494.*

Asana, fluv. Africæ circa Atlantem montem, Solino *cap. 24.* Sed Plinius illum inde ducentis millibus removet. V. Eundem *p. 304.*

Asappi, auxiliares copiæ Turcarum. Cùm enim Turcici exercitus robur in duplici hoc militum genere tantùm consistat, in *Janizaris*, qui pedites, & *Spahis*, qui equites sunt: Præter hos copias habent ex Christianis conscriptas, *Asappos* iis dictos, qui in bello præmittuntur, ut hostium primum impetum suâ cæde morentur, sicque succedentibus mox Janizaris ac Spahis faciliorem ac certiorem victoriam relinquant. V. Joh. Georgium Hornium *Orb. Polit. pag. 32. & 33.*

Asarah, Syriacum nomen, pro luco & luci idolo. Unde leviter deflexum *Athare*, peculiare Numen Damascenorum, apud Justinum, de quo V. infrà in *Athara*. *Ashtoreth* quoq. Numen Sidoniorum sæpius ita indigitatur, ut notatum Viris doctis. Græci. Ἀστάρτην vocarunt, quam & confuderunt cum Atargati vel Derceto perperam: Ἀστάρτη enim Dea Sidoniorum, Atargatis verò vel Derceto Joppensium Numen fuit. Salmasius *ad Solinum p. 574.*

Asarotos, adde: Alias tamen in illius Oeci pavimento figuras pictas fuisse, statim idem Plinius scribit; *Mirabilis columba bibens, & aquam umbrâ capitis infuscans, apricantur aliæ scabentes sese in canthari labro*: Fiebat istiusmodi opus lapillis in varios colores tinctis, iisque quadratis: cùm Lithostrota sectis parvulis marmorum crustis strata essent ex diversi generis & coloris marmoribus, non tinctis. Quæ proin, cùm circa Sullæ tempora originem sumsissent, brevi pòst pavimenta sectilia & tessellata opera expulerunt, quæ ex humo mota in cameras transiere. Vide infrà passim, & de his plura apud Salmasium *ad Solinum p. 1212.*

Asbestos, lapis ferrei coloris, *qui accensus semel extingui nequitur, cum Arcadiæ mittit*, Solinus *cap. 7.* In montibus Arcadiæ nasci, Plinius habet. Qui idem *Asbesti lini* meminit, quod in desertis adustisque Sole Indiæ nasci prodit, sed rarum inventu, ex quo funebres Regum tunicæ fieri solitæ. V. Salmasium *ad Solinum p. 998.* & infrà, ubi de *Lino Asbestino*, item in voce *Carbasa*.

Asbystes, vocatur Triton fluvius, qui in Cyrenaica Græcè Ἀσβύστης, apud Callimachum. Vide Salmasium *ad Solinum p. 381.*

Ascalabotes, apud Ovidium, *Metam. lib. 5.*

— — *variis stellatus corpora guttis.*

Hinc ἀσκαλαβώτης Græcis, qui *stellionem transmarinum* sic vocant. Item γαλεώτης, de quo vide Salmasium *ad Solinum pag. 757.* & infrà in voce *Stellio*.

Ascania, adde: Inter *Ascaniæ* Dominos jam vetustissimis temporibus Radbodus memoratur, ab eodem fortè conditæ, postea dirutæ à Pipino, sed ab Alberto II. Com. *Ascanio*, restauratæ. *Comitis* titulum primus gessit Beringerus, qui cùm Christianis sacris initiaretur, *Caroli* nomen accepit. Eam pòst Albertus Episc. Halberstadiensis, fratris Bernardi Anhaltini odio, Episcopatui asseruit tenuitque frustra Principibus Anhaltinis refragantibus: pactione tandem Westphalicâ in Brandeburgicum Electorem, jure Halberstadiensis Principatus, translatam, *Instrum. Pac. Artic. 11. princ.* V. Tob. Pfannerum *lib. de præcip. Germaniæ Principum gentibus.*

Ascanius, nomen lacus & fluvii in Asia, diei itinere à mari dissiti, quorum hic in Granicum se exonerat. Urbs Lopadium, quam *Apolloniam* vett. esse retur Ferrarius, in fluvii ulteriore ripa sita est, parvi hodie nominis & malè habitata Jac. Sponius *Itinerar. Græc. Part. 2. pag. 184.*

Ascenas, Vide *Ascena*.

Ascensa, seu *Ascensio*, festum Ascensionis Dominicæ: *Versus antiqui* apud Sansovinum & Stringam in *Venetia lib. 1. c. 151.*

Si quis in Ascensa *Domini cùm venerit illuc*, &c.

Vide infrà *Sponsalia Maris*.

Asceta, Tertulliano de *Præscript. Exercitati*, Basilio M. ἀσκηταὶ τῆς ἀρετῆς φροντισταὶ, *Ascetæ & virtutis unicè studiosi*, &c. Inter Judæos olim Pharisæi Esseníque fuere, saltem quoad speciem externam, de quorum disciplina severa, V. Casaubonum *Exercitat. I. contra Baron. num. 8. §. 9.* Inter Græcorum Sapientes, Cynici & Stoici: de quibus suo loco. Ad quorum imitationem, inter Christianos illi, qui austerius vitæ genus elegissent & puriore ac exactiore normâ Christi fidem sibi colendam proposuissent, *Ascetæ* quoque dicti sunt, eorumque institutum modò ἄσκησις, modò *Philosophia* Tertullianus illos *pallium habitare* dixit; Nam, quemadmodum Græci generis haud alii ferme tribonium sive pallium soliti erant usurpare, quàm qui Philosophos profiterentur, Sic inter Christianos habitum illum Philosophicum, hoc est, pallium idque lacerum fuscumque, nemo tunc temporis usurpavit, nisi qui Christianum verè Philosophum agere vellet. Hinc idem *de Pallio sub fin. Gaude pallium & exulta: melior jam te Philosophia dignata est, ex quo Christianum vestire cœpisti.* Et Ambrosius *Epist. 37.* *Et quum ipsi (Ægyptii) capita & supercilia radant, si quando Isidis suscipiunt sacra, si fortè Christianus vir attentior sacrosanctæ religionis vestem mutaverit, indignum facinus appellant.* Ubi non de quolibet Christiano loquitur Ambrosius, sed de eo, qui *sacrosanctæ disciplinæ attentior* esset, per quæ verba omnino *Ascetam* designat, h. e. τὸν ἀσκητικῶς χρηματίζοντα, ut loquitur Socrates *lib. 7. cap. 37.* simulque indigitat, omnes tales vestem mutare olim consuevisse & pallium Philosophi sumere. Quam ob causam ab hostibus Christiani nominis hoc scommate taxabantur, ὁ Γραικὸς ἐπιθέτης, digitoque ostendebantur, non minùs ac Græci Philosophi, malè quoque propter illos audiebant, quòd plerique ex eorum numero Philosophos habitu ementirentur & fingerent, cùm de cætero pura puta mendicabula essent & impostores meri. Quintilian. *lib. 1. cap. 1.* Nec pallio porro tantùm, sed etiam sordibus & squalore insignes utrique. Hinc illud Hieronymi, *Si tunica non canduerit, statim illud è trivio, Impostor & Græcus est.* Non enim tunicam semel sumtam *Ascetæ* priùs exuebant, quàm tota usu detrita ac scissa esset, & de altera habitanda foret cogitandum. Vide Hieronymum in *Vita Hilarionis.* Quam illuviem & squalorem Rutilius Gallus in *Itinerar.* non semel exagitat: De Capraria ita scribens,

Squallet lucifugis Insula plena viris.

Ipsi sese Grajo Monachos cognomine dicunt, &c.

Et alibi, *Infelix putat illuvie cœlestia pasci,*

Seq; premit læsis sævior ipse Deis.

Eunapius etiam, Christiani nominis hostis infestissimus *lib. de Vitis Philosoph.* ubi de Monachis sui temporis dixit ὑώδη βίον, *porcinam vitam*, vivere &c. V. hac de re plura, apud Salmasium *ad Tertullian. l. cit. passim*, inprimis *ad cap. 1.* Uti autem simplicitatem in vestitu, sic in victu miram abstinentiam, ac in capiendo somno duritiem præ se ferebant, uti dicemus infrà. Cujusmodi adstrictiorem vitam Tertulliani ævo amplexi sunt Episcopi Presbyterique & omnes Clerici, ac postea Monachi: penès quos solos institutum hoc tandem remansit. Namque ubi primùm ex malis illis & in arcto positis temporibus, quibus adolescentiam laboriosam

de

& exercitam habuerat, Ecclesia emergere cœpit, multum de pristina severitate remisit: pro paupertate quippe divitiæ intrarunt & divitiarum comes individuus luxus. Tum magnificè ac sumtuosè templa ædificari cœperunt, auroque & argento exornari: exinde ministros quoque nisi mundulè ac nitidè vestitos talibus templis inservire indecens visum. Sic tribonas passim posuere Presbyteri, ut elegantiorem civilemque habitum sumerent, omnesque ex eo tempore birris ac penulis amicti incessere, relictis penès solos *Ascetas* palliis. Dalmatica quoque in locum colobii successit, & colobium cum pallio apud eosdem Ascetas remansit. Non enim diu apud Christianos durasse hanc tribonophoriam, inde apparet, quod cum aliqui, sicut quidam Philosophi sapientiam in tribonio positam credebant, solos veros Christianos existimarent, qui hoc pallium circumferrent, ac præcipuè Constantini ætate Eustathius Sebastenus Episc. contenderet, Episcopos omnes ac Presbyteros ad vetus Tribonii gestamen revocare eosque qui non gestarent, damnaret, in Synodo Gangrensi *Can.* 12. sancitum est: *Si quis virorum propter ἄσκησιν περιβολαίῳ pallio utitur, & despicit eos, qui cum reverentia byrris & aliis communibus vestimentis utuntur, anathema sit.* Qua re factum, ut, *qui sacrosanctæ disciplinæ attentiores esse vellent*, ut supra ex Ambrosio diximus & conversationem Apostolicam imitari, seorsim πολιτείαν instituerint, & à Clero segregem ac separatam vivendi formam, quæ Μοναστικὴ & Ἀσκητικὴ πολιτεία vocata est. Postquam igitur sic ἄσκησις ad certum hominum genus rediit, qui nec Clerici essent, nec Laici, ac certa hujus sectæ πολιτεία est instituta, legibus quibusdam ac regulis fundata, quas sequerentur omnes, qui in cœtum illum aggregari vellent, illi hominum generi pallium, quasi peculiare, relictum, atque *Ascetæ* ac *Monachi* iidem dicti sunt Unde *Ascesis*, γυμνασία μοναχικὴ Isidoro Pelusiotæ *lib.* 1. *Epist.* 92. Christophorus tamen Angelus *lib. de statu hodierno Græcorum, Græcè edito Londini A. C.* 1619. *cap.* 26. *& seqq.* triplicem esse ait apud Græcos Monachorum ordinem, Μοναστικὸν, Ἀναχωρητικὸν vel Καλλιβικὸν & Ἀσκητικὸν, additque *Ascetas* cum Eremitis esse eosdem, &c. Quid autem sub *Ascesi* seu exercitatione hac comprehenderint Vett. docet Philo *Allegoriar. Leg. lib.* 3. τὰς ἀναγνώσεις nempe, μελέτας, θεραπείας, τῶν καλῶν μνήμας, ἐγκράτειαν, τῶν καθηκόντων ἐνέργειαν, &c. *lectiones, meditationes, cultus, pulchrarum rerum studium, continentiam officii ritè faciendi curam*, &c. Uti verò viri *Ascetæ*, sic fœminæ eorum institutum imitatæ *Ascetriæ* dictæ sunt, de quibus vide infrà, ut & in voce *Monastria*. De *Ascetarum* χαμευνίᾳ seu *humicubitione*, vide infrà, in voce *Cama* & *Humi*: de ratione victus, in *Arida Saginatio* alibique: de ἀνυποδησίᾳ, qua plerique olim hodieque usi, ubi de *Nudipedibus*, &c. Plura autem hanc in rem apud Joh. Casparum Suicerum *Thesaur. Ecclesiast. in hac voce*, & Tob. Pfannerum *de Ritibus Ecclesiæ Vet.* Quibus adde, de *Ascesi* vett. Philosophorum, Salmasium *ad Solinum pag.* 1170.

Asceterium, Gr. Ἀσκητήριον, Monasterium, locus exercitio & virtutum rigidiori disciplinæ destinatus: ἀσκητῶν φροντιστήριον, Theodoreto *lib.* 6. *&* 10. Metaphrastes in *Vita* S. Martini, *Ad monasteria & Asceteria, id est, loca, in quibus se exercent, prompto & alacri veniens animo.* Vide *Novellam* Justiniani 59. Casaubonum *Exercit. II. ad Baron. cap.* 13. Alios Vocem mirè depravarunt Scriptores inferioris ævi: Namque *Archisterium, Assisterium, Ascysterium*, aliterque scripsisse deprehenduntur. In specie *Asceterium* dicebatur Collegium Funerariorum, in quibus octo Moniales & tres Acolythi, ad sepeliendos mortuos destinati sese exercebant; institutore Anastasio Imp. ut ex confirmatione ejus à Justiniano facta, liquet: *Reditum funeribus destinatum à divæ memoriæ Anastasio Imp. confirmavit & funeribus deputavit, & dedit singulis cadaveribus, sive singulis lectitis unum* Asceterium, *id est, octo Sanctimoniales & tres Acolythos*, Julianus Antecess. *Novella* 13. apud Macrum in *Hierolex.* Vide quoque infrà in *Metanéa*

Asceticon, Gr. Ἀσκητικὸν, id est, *Exercitium*, titulus fuit libri cujusdam Messalianorum Hæreticorum, quem Concilium Ephesinum damnavit. V. ubi de *Messalianis*, ut & infrà in voce *Precatores*.

Ascetria, Græcè Ἀσκήτρια, apud Balsamon. in *Can.* 63. Trull. *Omnibus autem, qui in secularibus versantur, & iis maximè, qui scenicè tractant, viris ac mulieribus, atque etiam his, qui præsunt, interdicimus, ne Monachi habitu vel* Ascetriæ *utantur*: Carolo du Fresne Monialis est. Gregorius tamen M. à Moniali distinguere videtur *can. de persona* 11 *qu.* 1. *Si quis contra aliquem Clericum, Monachum aut Diaconissam aut Monastriam aut* Ascetriam *habet actionem.* Ubi Gloss. *Ascetriam, i. Inclusam* Hinc eidem du Fresne, *Ascetriæ* sunt fœminæ continentes, quæ à Monachabus differebant, uti *Asceterium* à Monasterio: à Monachabus sc. quæ in solitudinibus domicilia habebant. Has psallere solitas in elationibus funerum, patet ex *L. I.* 45 48. *de Episcop. & Cleric.* &c. Ejusmodi autem *Ascetrias* olim idem pallii genus gestasse, quod Cratetis uxor Hipparchia, apparet ex *Can* 13. Synodi Gangrensis, *Si qua mulier, propter ἄσκησιν, habitum mutat, & pro solito muliebri amictu virilem sumit, anathema sit.* Ubi per *virilem habitum*, pallium intelligi, contra sententiam Balsamonis, rectè docti viri statuerunt. Sed hac de re suprà plura diximus, in voce *Asceta*. V. quoque infrà, in voce *Monastria*.

Ascheton, nomen equi celebris, in curru Amphiarai, apud Statium *Thebaid. lib.* 6. *versu* 463

Nec jam sufficiunt stimuli, non verbera, voce
Nominibusque ciens Pholoën Admetus & Irin,
Fœtalemque Thoën; rapidum Danaeius augur
Ascheton *increpitans* ——

Ἄσχετος Græcis, quod ἰσχυρὸν interpretatur Hesychius. V. Casp. Barthium, *Animadversion. ad Statium d. l.*

Ascia, in intestinis operibus locum habuit, de quibus V. Salmasium *ad Solinum p.* 1034. & infrà ubi *de Intestino opere*.

Ascii, Græcè Ἄσκιοι, pop. apud Indos sic dicti, quòd apud eos Sol mero meridie umbram non faciat, Plin. Quod de Taprobane prodit Diodorus, ex Jambuli relatione. Vide Salmasium *ad Solinum pag.* 1111.

Ascitæ, adde: Macro hæretici sic dicti sunt, ab ἀσκὸς itidem, i. *utris*, dicti; quem perhibentur inflatum & opertum circumire fuisse soliti, bacchantes, tanquam ipsi essent Evangelici utres novi, vino novo repleti, ex Augustino *de Hæres. lib.* 6. Vide *Ascodrogili*.

Asclepiodotus, memoratur Fl. Vopisco in *Aureliano*, *Mirabile fortasse videtur, quod compertum Diocletiano* Asclepiodotus *Celsino consiliario suo dixisse perhibent — quodam tempore Aurelianum Gallicanas consuluisse Druidas, sciscitantem*, &c. Et in *Probo*, *Multa manu suâ fecit. Duces præclarissimos instituit. Nam ex ejus disciplina Carus, Diocletianus, Constantius*, Asclepiodotus, *Annibalianus, Leonides*, &c. *instituti sunt.*

Asclepius, Machaonis fil. adde: Etiam ipse Æsculapius *Asclepius* dicitur, Augustino *de Civ. Dei lib.* 3. *cap.* 17. in Græca fabula Græculum nomen Medico danti. Æsculapius enim Gr. Ἀσκληπιὸς est. Joh. Frid. Gronovius *Observat. in Eccles. cap.* 17.

Ascogephyri, quasi ἀσκογέφυροι, *pontes* dicti sunt, *ex utribus facti*, cujusmodi in usu fuisse Vett. auctor est Plinius *lib.* 6. *cap.* 29. *Arabes Ascitæ appellati, quoniam bubulos utres binos sternentes ponte piraticam exercent sagittis venenatis*: Et Solinus de iisdem, *Bubulis utribus contabulatas crates superponunt.* Sed & Auctor *Peripli* χρῶνται δερματίναις ἐξ ἀσκῶν, *navigiis coriaceis ex utribus*, Ascitas usos esse scribit. Vide Lucanum *lib.* 4. ubi de ponte à Basilo confecto & Anonymum *de Rebus Bell.* subjectum Notitiæ Imp. ubi istiusmodi pontem accuratè describit. Car. du Fresne *Glossar.* Sed quod de Basilo ait, ex Lucano, non videtur huc pertinere, cùm pons ab eo factus non ex *utribus*, sed ex *cupis*, constiterit: Sic enim is,

Namque ratem vacuæ sustentant undique cuppæ,
Quarum porrectis series constricta catenis,
Ordinibus geminis obliquas excipit alnos.

Fuere autem *cupæ*, vasa lignea, transportando vino, rotunda, magna, &c. uti infrà videbimus.

Ascomanni, apud Adamum Bremensem *cap.* 73 *Classis piratarum, quos nostri* Ascomannos *vocant.* Et *cap.* 211. *Ipsi enim piratæ, quos illi Witingos appellant, nostri* Ascomannos, *Regi Danico tributum solvunt*: Piratæ sunt, fortè dicti ad instar Arabum *Ascitarum*, quibus id nominis inditum, quòd utribus seu naviculis ex utribus confectis, piraticam exercerent; voce hybridâ ab ἀσκὸς, i. e. *utris* & *mann*, i. e. *vir*. Nam & *ascum*, pro navicula, Car. du Fresne *Gloss.* Aliter tamen censet Jac. Eyndius in *Chron. Zeland. lib.* 2. Vide quoque Albertum Stadensem *ad A. C.* 788. & *Histor. Brem.* Archiepisc. in *Bezelino*.

Ascriptitii, Deorum genus, apud Athenienses, quos præter duodecim præcipuos (quibus ara communis extructa erat, Βωμὸς τῶν δώδεκα Θεῶν, & per quos jurare solebant, Μὰ τοὺς δώδεκα Θεοὺς) venerati sunt. Ita enim de illis Strabo: Ἀθηναῖοι δ' ὥσπερ περὶ τὰ ἄλλα φιλοξενοῦντες διατελοῦσιν, οὕτω καὶ περὶ τοὺς Θεοὺς, *Athenienses, ut peregrina diligunt, sic peregrinos Deos.* Hinc non prisca solùm coluere Numina, sed subinde nova sibi adoptabant, qualia *Orthane, Conissalum* & *Tychon*: Imò tam ad superstitionem proclives fuere, ut Paulo Jesum illis & Ἀνάστασιν, seu *Resurrectionem* à mortuis annuntiante, Ἀνάστασιν Deam esse opinarentur. Vide Franciscum Rossæum *Archæol. Attic. lib.* 2. *cap.* 1.

Ascriptitii, apud Æl. Lampridium *in Alexandro Severo*, *Jurejurando deinde sese astrinxit, ne quem* adscriptum, *id est, vacantivum haberet, ne annonis Remp. gravaret, &c.* Ubi scribi jubet Salmasius, *Adscriptitium, id est, vacantem* haberet. Sic enim Trebellius Pollio de Balista Tyranno, *Est epistola Valeriani, quâ gratias Balistæ agit; gaudens, quòd ejus consilio nullum* ascriptitium, *id est, vacantem haberet, & Tribunum nullum stipatorem, qui non verè pugnaret.* Milites quidam erant supernumerarii, ad commoda solùm participanda in numeros relati: inventore Claudio Pr. de quo Suetonius *cap.* 25. *Instituit & imaginariæ militiæ genus, quod vocatur* SUPRANUMERUM: *quo absentes & titulotenus fungerentur.* Quibus non dissimiles postea fuere supernumerarii illi Palatini, quorum meminere Impp in *Cod. Theodos. tit. de Palatinis sacr. largit. & rerum priv.* Vide infrà in voce *Vacans miles*. Sed & *Ascriptitii* vel *Ascriptivi*, dicebantur apud Romanos milites, qui supplendis legionibus ascribebantur. Varro de *L. L. lib.* 6. *Dicti olim*, inquit, *qui ascribebantur inermes, qui succederent armatis militibus*, id est, si quis eorum deperisset. Et *lib.* 3. *de Vita Pop. Rom. De Ascriptivis, cùm erant attributi Decurionibus & Centurionibus, qui eorum*

rum haberent [illegible], [illegible] *vocabantur*: [illegible] *quidam vocabant Ferentarios qui depugnabant pugnis & lapidibus, iis armis, quæ ferrentur, non quæ tenerentur*, &c. Alia planè vocis notio est, *in Codice & Novellis*, ut & in *Capitul*. Caroli Magni. *Constitutionibus* Siculis, in *Speculo Saxon*. alibiq; : ibi enim hac voce denotantur coloni, agricolæ, villani, qui aliunde orti, in aliorum Dominorum villas & prædia pergunt, ibique eorundem licentiâ sedes suas figunt, & sub annui census conditione in cœterorum subditorum transeunt statum, ac in album ascribuntur; ita ut perinde & ii distrahi & transferri queant unà cum ipsis prædiis, quæ excolunt: Unde & pro *servis glebæ* habentur. Vide Salmasium *ad Hist. Aug.* & *lib. de Modo Usurar.* ut & Spelmannum in *Glossario*.

Ascus, in suspenso, in *L. Sal.* quid sit, hinc fortè patebit. *Ascus*, navicula seu scapha est, Anglo-Saxonibus *Asc*: secundùm quosdam ex Gr. ἀσκός, *utris*. unde [illegible], ἐξ ἀσκῶν, *navigium coriaceum ex utribus*, de quo suprà in voce *Ascogephri*: Vide quoque in *Ascitæ*. Cujusmodi sunt scaphulæ, quibus in paludibus & stagnis piscatores utuntur, quasque etiamnum *Nascon* & *Ascon* vocari, auctor est Bignonius. Wendelinus inde vocem Flandricam *schuit* seu *schuet*, id est, *scapha parvula*, ortam putat, quæ catenâ jactâ circum arborem in ripa stantem alligatur seraque clauditur, magnâ ejus parte interim, dum illic hæret demersa, ita ut de arbore dependeat. Ita autem *L. Sal. tit.* 23. §. 4. *Si quis ascum de intro clavem repositam & in suspenso pro studio positum furaverit*. Car. du Fresne *Glossar*. ubi loca aliquot in Hollandia & provinciis vicinis, *Ascoloa*, *Ascodilf*, *Ascoburg*, &c. quasi *Portus Ascorum*. *Fossa Ascorum*, *Burgum Ascorum*, &c appellata fuisse putat, aliter sentiente Jacobo Eyndio. Vide suprà in voce *Ascogrephi* & *Ascomanni*.

Asecreta, Latinis factum ex Græco Ἀσηκρῆτις, quod è Latino à *Secretis* ortum; unde etiam Ἀσηκρῆτις Græci barbari dixerunt; quemadmodum & Latini postea unâ voce indeclin. *Asecretis*, pro *a Secretis*: in *Epist*. S. Nicephori Patr. Constantin. ad Leonem III. Pontif. [illegible] *Namque Regiorum secretorum Notarius erat*. Asecretis *autem tales vocare solitæ Latinæ Linguæ novimus pronuntiationem*. Apud Agathonem Diacon. Eccl. Constantinop. *in Epilogo*, Artemius seu Anastasius Imp. [illegible], *Scholæ à secretis prius accessitus*, fuisse dicitur. Carolus M. *de cultu Imaginum lib.* 4. *cap.* 9. *Mox ut Leontius* Asecreta *conspexit, magnum se sui erroris emolumentum invenisse putavit*. Petrus Diac. *Chron. Casin. lib.* 4. *cap.* 63. *Postquam* Asecretis *efficitur, Logothetam illum Imperii statuit*, &c. Secretarius est, quem *Notarium secretorum* Vopiscus in *Aureliano*, [illegible], Procopius *de Bello Pers. lib.* 2. *cap.* 7. [illegible]. *Imperatoris arcana annotantem*, Idem in *Histor. arc.* vocant. Zosimus eundem [illegible], appellat, quod propriè Secretariorum munus, Vide suprà, ubi de *Apocrisiariis*. Corippus *libro* I.

Hinc secreta sacræ tractans Demetrius Aulæ, &c.

Interdum verò *Asecretis* idem, qui *Consiliarius*. Ælfrici *Glossar*. Saxon. *Asecretis vel Principis Consiliarius*, *gerune*. Saxonibus autem *gerine* mysterium est: mysticis enim ac secretis Principum consiliis Consiliarii intersunt. Michaël Psellus in *Vita* Simeonis Metaphr. [illegible] *Et primò quidem secretioribus interfuit actionibus, arcanorumque consiliorum particeps fuit*. Hinc in *Charta* Roberti Francor. R. apud Duchesnium in Probat. *Histor. Montmorenciacæ pag.* 16. *Ad Majestatis nostræ mansuetudinem supplex accessit noster* Asecretis *Manasses Comes postulans*, &c. Inde Πρωτοασηκρῆτις iisdem Græcis, seu Πρωτασηκρῆτις dictus est, quem *Protosecretarium* vocat Anastasius Bibliothecarius in *Vitis* Pontificum. Et Ἀσηκρητεῖον locus ubi Princeps [illegible], *quæ ab exteris Principibus afferebantur responsa*, audiebat. Cedrenus, [illegible], &c. Vide Salmasium *ad Vopiscum loco cit.* & Car. du Fresne *Gloss.* ac *Not. ad Cinnamum pag* 491. 493.

Asellus, piscis marini genus, cujus juxta Bergam Norvegiæ captura celebris est; huic rei peculiari Societate institutâ, in quam qui olim recipi volebant, eos molestæ vexationis genus, *das Garben-spil* dictum, subire necesse fuit. In eo quilibet aliquot horis corbi impositus in fumo suspendebatur, dein in aquam præcipitatus infra navem fune pertrahebatur. Quod cùm sine maximo vitæ periculo, sæpiùs quoque dispendio eius, non fieret, factum ut ritus antiquaretur. Auctor Anonymus *Histor. Orbis Terr. Geograph. & Civ. Cap. de Commerciis*.

Asellus, apud Petronium Arbitrum, *Cæterùm in promulsidari asellus erat Corinthius, cum bisaccio positus, qui habebat olivas in altera parte albas, in altera parte nigras. tegebant asellum duæ lances, in quarum marginibus nomen Trimalcionis inscriptum erat, & argenti pondus*. Idem quod *promulsis* est, vas nempe recipiendo mulso paratum, Græcè ὄνος, quod vasis vinarii erat genus. Unde apud Athenæum *lib.* 4. in verbis Posidonii, ὄνοι γέμοντες οἴνου, *aselli vino pleni*: quod non de animali, ut perperam viri docti censent, sed de vase accipiendum. Aristophanes in *Vespis*,

Κἄν [illegible],
Οἴνου μεστὸν, [illegible] ὄνος [illegible]
[illegible].

Ubi ὄνος, vas est vinarium: quod parùm videntur animadvertisse Interpretes, qui *cantherium* verterunt. Sic vas igitur mulsi *Asellus* Latinis, &, quæ eum tegebat, lanx argentea, *promulsis*: propriè enim hæc non ipsum vas mulsarium, sed mulsi, seu vasis mulsarii, operculum erat. Salmasius *ad Tertull. de Pall*. Item machina bellica, apud Henricum Roslam in *Herlingsberga*:

Non hic unigena fabricatur machina: nomen
Hæc Librilla tenet, quasi saxea pondera librans:
Obtinet illa suis: sed hirundinis hæc: stat Aselli
Illa vocata nota, &c.

apud Car. du Fresne *Glossar*.

Asema tunica, Græcè ἄσημος, dicta apud Romanos quæ *clavis* carebat: σημεῖον enim clavus vestis, σημειωταὶ clavatæ vestes vocabantur, monente Casaubono; & χιτῶνας πλατυσήμους, *tunicas laticlavi*, apud Strab. *lib.* 2. reddit Ferrarius. Lampridius *in Alexandro*, etiam vocat *Tunicas Asemas*, quæ non omninò clavis carentes, exigua admodum purpuræ signa haberent. V. Octav. Ferrarium *de Re Vestiar. lib.* 3. *cap.* 15. Sic ἄσημον argentum, dictum est vett. Græcis argentum non signatum, quod in nummis non est, sed in poculis. Ei opponitur argentum ἐπίσημον, quod *factum*, & eleganter Manilio *perutrinq. factum* h.e. utrinq; signatum, dicitur:

Et Mercator erit facti perutrinque metalli.

Id est, erit [illegible], [illegible], [illegible]. Postmodum verò ἄσημον absolutè, pro argento sumi cœpit, ut videre est apud Ptolemæum *Descript. Indiæ ulter*. Hinc ἄσημο hodieque Græci *argentum* vocant. Salmasius *ad Solinum p.* 996.

Asenath, adde: V. de hac Vossium *de Idolol. lib.* 1. *cap.* 29.

Asgandes, vel *Ascandes*, Tabellarius Regius, apud vett. Persas. Hesych. Ἀσγάνδης ἄγγελος. *Ascandes nuntius*. Plut. in *Alexandro*, Δαρεῖος ἐξ ἀσγάνδου βασιλεὺς γενόμενος. *Darius ex tabellario Rex factus*. Hinc Chaldæi nuntium Persicâ voce appellant אזגד, *Azgad*; in plur. אזגדין, *Azgaddin*: quod vocabulum passim occurrit, in Chaldæis Paraphrastis, Proverb. *cap.* 13. *vers.* 17. & *cap.* 25. *vers.* 13. pro *legato* ac *nuntio*. Equos horum cursorum nudos fuisse volunt, ut expeditiùs currerent: alii splenes eorum fuisse ablatos addunt & plantæ pedis particulas excisas, qua de re V. Bochartum *Hieroz. Pars. II. p.* 237.

Asia Proconsularis, erat *Asiæ minoris* pars citerior, h.e. Asia cis Halym & montem Taurum, in qua Lydia, Jonia, Caria, Mysia, Phrygia minor, & Hellespontus. Hanc proin appellatione τῆς ἰδίως Ἀσίας, *Asiæ propriè dictæ*, solam intellexit Ptolomæus, quia nimirum sola hæc provincia proconsularis, cujus Rector *Proconsul Asiæ* dictus est. Ei postmodum respondit Θρακησίων Θέμα, sicut Ἀνατολικὸν Θέμα ulteriori & magis Orientali, à qua tota Asia minor Ἀνατολὴ dicta est, hodieque *Natolia*. V. infrà, ubi de *Thracensium Præfectura*. Ab ea diversa fuit *Asiana Diœcesis*, quippe quæ Asiam illam includebat omnem, quam Vett. ἰδίως sic vocarunt, tum citeriorem, tum ulteriorem; exceptis illis provinciis, quæ in citeriore Proconsuli parebant. Aliquot enim provinciis hæc imminuta est sequentibus temporibus, quæ Vicario Diœceseos Asianæ attributæ fuerunt. Qua de re V. Salmasium *ad Solinum p.* 802. *& seqq.*

Asiæ Principes, Vide in voce *Asiarchæ*.

Asiagenes, cognomen Græcum L. Scipionis, sicut *Asiaticus* Latinum, ex Asia devicta ei datum, Livius *lib.* 39. *cap.* 44. ubi de aspera illa tristique M. Porcii & L. Valerii Flacci censura: *In equitatu recognoscendo L. Scipioni Asiatico ademtus equus*. Hic scriptæ membranæ Cardin. Barberini & Alex. Petavii clarè: *L. Scipioni Asiageni*. Sic & unus Florentinus vetustior. Nec dubium, quin Livius sic scripserit. Idem namque Græcis Ἀσιαγενὴς, qui Romanis *Asiaticus*: estque satis probabile, utramque appellationem simul natam & pro adfectu Lucii erga nationem perhumanam, hanc juxta gratam illi, itaque usu vulgatam esse. Neque enim adjectio τοῦ γένους semper nativam patriam significat: namque & Apollo Λυκηγενὴς, quasi Λυκιογενὴς, non quòd in Lycia genitus sit, sed quòd ibi potissimùm coleretur. Accedit testimonium Diodori Sic. in *Excerptis*, ubi de Nasica, [illegible]. Unde facilè patet, quomodo nummi explicandi, in quibus scriptum L. SCIP. ASIAG. id est, *L. Scipio Asiagenes*. Et certè Græca natio tum peritior adulandi novosq; honores & titulos patronis suis comminiscendi multò callidior & instructior erat Romanis. Itaque possis suspicari, ab illis initium factum, Romanum nomine Ἀσιαγενοῦς, quod inter illos meritus erat, insigniendi. Imitati Italici, ne minus Asiâ domitâ decus Imperatori suo paraffe viderentur illis, qui fratris auspiciis in Africa res gesserant, Ἀσιαγενῆ *Asiaticum*, reddiderunt. Atque ita ambo, quoniam tum maximè urbs Græca fieri & in Tiberim Ægon se explicare cœpit, inter vulgus creverunt. Joh. Frid. Gronovius *Observation. lib.* 4. *cap.* 25. V. ubi de *Scipionibus*.

Asina Balaami, miraculo loquuta, & de sævitia domini sui que-

sa est, movente Deo linguam ejus per Angelum, & modò ad palatum, modò ad labia, modò ad dentes allidente & inflectente, prout erat necesse & aërem ad sonos formandos requisitum intra fauces comprimente, ne per bellulnos rictus intempesti vè effluerer, V. Numeror. *cap* 22. *verf.* 27. Ut frustra sint Talmudici, *os Asinæ loquens* inter decem res, *post perfectionem Mundi in ascensu Sabbathi, inter duas vesperas*, creatas recensentes, in *Pirke-Aboth fol.* 30. &c. Simile quid tam Historici, quàm Mythologi, referunt passim. Atque in his quidem *Bacchus* asino illi, quo fuerat vectus, vocem humanam dedit, apud Hyginum *in Cancro.* & apud Apollonium *Argonautic. lib.* 2. Phryxi aries, cùm Helle in Hellesponto submersa est,

— αὐδὴν ἀνδρομέην προΐηκεν,
vocem humanam emisit.

Sic, Æliano auctore *Histor. lib.* 4. *cap.* 54. *Ὅμηρος ἵππῳ φωνὴν δίδωσι, Homerus equo vocem tribuit*, Xantho sc. qui *Iliad.* τ. dominum Achillem alloquitur versibus totis decem. Vide quoque Oppianum *Cynegetic. lib.* 1. *versu* 216. & Propertium *lib.* 2. *Eleg. ult.* ubi de Adrasti Arione. Apud Moschum in *Europa*,

— Τὴν δ' αὖτε προσέφωνεν ἐΰκερως βοῦς,
Hic illam alloquutus est bos latis cornibus, &c.

Sed & in historiis apud Eusebium, agnus Bocchore in Ægypto regnante loquutus est. V. etiam Suidam in Τὸ Ἀρνίον, & Ælianum *Histor. Animal. lib.* 12. *cap.* 3. In Julio Obsequente, C. Mario & C. Flacco Coss. *Arimini canis loquutus*: In Valerio *lib* 1. *cap.* 6. *Bello etiam Punico secundo, constitit, Cneo Domitio bovem dixisse, Cave tibi Roma.* Vide quoque Livium *lib.* 35. & 51. Valerium ubi suprà, Plutarchum *in Marcello*, Plinium *lib.* 8. *cap.* 4. Alios. Virgilius non minùs, ubi de prodigiis in morte Cæsaris, *Georgic. lib.* 1.

— — Pecudesque loquutæ
Infandum.

Quæ cùm apud optimæ notæ Historicos tam frequenter occurrant, nemo omnia commentitia esse dixerit: etiam hac in parte Diabolo, simiam se Dei esse, planum faciente. V. Sam. Bochartum *Hierozoici Part. prior. lib.* 1. *cap.* 14.

Asinæus, sinus Peloponnesi, apud Plin.

Asinaria mola, *μύλος ὀνικὸς*, memoratur Matth. *cap.* 18. *verf.* 6. & Lucæ *cap.* 17. *verf.* 2. *Ἀλφεσιβοῶς* sc. quia molarum erant duo genera, *Asinariæ* & trusatiles, Cato *de R.R. cap.* 10. quarum hæ minores erant, ut quæ manu truderentur: illæ verò majores, quas *asinus* perpetuâ gyratione circumagebat. Ovidius *Fastor. lib.* 6.

Et quæ puniceas versat asella molas.

Idque *velato capite*, Appulej. *lib.* 7. seu *oculis linteo velatis*, Lucian. *Asin.* Unde Asinus *Antholog. lib.* 1. *cap.* 33.

Οὐχ ἅλις, ὅττι μύλοιο [illegible] ἄχθος ἀνάγκης
Σ[illegible] [illegible] ἔχω.
Nonne satis fuerat, quòd cæcus & altus in orbem
Noctu diuque molas irrequietus ago? &c.

Vide iterum Bochartum *lib. cit. cap.* 13 & infrà in voce *Mola.*

Asinarii, per convitium dicti olim Christiani non minùs, ac Judæi. Baronius *ad A. C.* 42. *n.* 33. *ad A.C.* 201. *num.* 21. & 22. &c. qua de re vide suprà *Ancharius.*

Asini Sepultura, apud Jeremiam *cap.* 22. *versu* 18. & 19. *Sic ait Jehova de Jehojakimo — non plangent eum, heu frater mi, aut heu soror: non plangent eum, heu domine aut heu decus ejus: Sepulturâ asini sepelietur*, &c. Quid sit, Vide infra, in voce *Insepulti*, item *Tractio Cadaveris.*

Asini Aratores, occurrunt apud Josephum *c. Apionem lib.* 2. Varronem *de R.R. lib.* 2. *cap.* 6. Plinium *lib.* 8. *cap.* 43. qui etiam *lib.* 17. *cap.* 5. *In Byzacio Africæ*, inquit, *illum centena & quinquagena fruge fertilem campum, nullis, cùm siccus est, arabilem tauris, post imbres, vili asello, & parte altera jugi anu vomerem trahente, vidimus scindi*: Columellam *lib.* 8 *cap.* 1. qui scribit, *Hujus animalis tam exiguæ tutelæ plurima & necessaria opera — cùm & facilem terram, qualis in Bætica, totaque Libyâ, sic levibus aratris proscindat*, &c. Vide suprà, ubi de Aratro.

Asini Bellatores seu *πολεμικοί*, indigitantur, 2. Regum *cap.* 7. *verf.* 7, 10. ubi in Syrorum castris, ad Samariam, non equi solùm, sed & *Asini*, reperti leguntur. Quamvis enim ad impedimenta convehenda militi necessarios fuisse dicas, tamen & pugnaturos iis insedisse, legas 2. Samuelis *cap.* 16. *verf.* 2. & fuisse populos, qui ex *asinis* pugnarent, discas ex Æliano *lib.* 12. *cap.* 34. ubi de Saracoris, Οὗτοι [illegible], scribit, *ὄνους ἀχθοφόρους ἔχουσι* [illegible] *πολεμιστὰς* [illegible], *ὥσπερ οἱ Ἕλληνες ἐπὶ τῶν ἵππων, Asinos nec bajulos, nec molitores, sed bellatores habent: & in illis, ut Græci in equis, belli sustinent pericula* Etiam Carmani apud Strabonem *lib* 15. equorum inopiâ ad bellum plerique asinis utebantur. *Asinumque Marti, quem Deorum solum colunt, immolabant.* Sic *lascivientes Persarum asinos, Scytharum equos ruditum eorum non ferentes, percussisse*, tradit Idem *ibid.* Quò referas id, quod in Gigantomachia de gigantibus, clamore asinorum, In fugam conversis, apud Hyginum fabulatur Eratosthenes *Astronomic. lib.* 2. *in Cancro.* Sed & Pausanias in *Phocicis* narrat, Ambraciotas æneum asinum (Marti) dedicasse, victis nocturnâ pugnâ Molossis, quos in insidiis latentes rudens asinus terruerat. Imò apud Arrianum *lib.* 2. *cap.* 18. Epictetus *Asinum* [illegible],

Illum, vocat: & Caliphorum vicesimus primus *Mervanes* dictus est *Asinus Mesopotamiæ*, *eo quòd in bello constiterit, quia bellicus asinus nunquam fugere dicitur*, uti habet Elmacinus *Hist. Saracen. lib.* 1. *cap.* 21. Vide rursus Bochartum *cap.* 13. ubi suprà.

Asini Curules, non minùs olim, ac ab omni ævo equi, fuere: Columella de Asino *lib* 8. *cap.* 1. *Non minima pondere vehicula trahit.* Hinc Esajæ *cap.* 21. *verf.* 7. Propheta meminit רֶכֶב חֲמוֹר *currus asinorum* Ita Masorethæ legunt, & Symmachus, qui *ἅρμα* reddit. Idem *ibid.*

Asininæ Aures digitis formatæ, stupidum aliquem & asinum denotabant. Salmasius in *Tertullianum de Pallio*, ubi de variis digitorum ad aliquem deridendum formationibus, *pag.* 318.

Asininum Lac, ad faciem nitidiorem reddendam olim adhibitum. Lini enim delicatos, vel ad candorem nitoremque cutis conciliandum, vel, ne citò barbati essent, certum Sueton. de Othone narrat, *faciem quotidie pane madido linere consuetum* &c. Mart. *de muliere*,

Deque coloratis nunquam lita mater Etruscis, &c.

Cujusmodi medicamina, quæ præstabant, ne facies Sole læderetur, *[illegible]*, *astivas tutelas faciorum*, vocabant ornatricis Philosophiæ auctores, eaque omnia inungendo peragebantur. Quæ verò faciebant, ut nitor & candor pararetur in facie, *[illegible]*, *unguenta faciem splendentem facientia*, dicebantur: quibus tandem cutis tendebatur, *[illegible]* & *[illegible]*, *tentipellia*, vett. Latinis. Alia autem erant *[illegible]*, alia *σμήγματα*, quibus ad cutem poliendam utebantur: sublatis enim cataplasmatis *σμήγματα* adhibebant. Uti etiam Juvenalis observavit, ubi *Satyrâ* in sequiorem sexum *[illegible]* eleganter *tectoria* vocat:

Tandem aperit vultum & tectoria prima reponit,
Incipit agnosci.

Ubi *tectoria* vocat panem illum, quo madido faciem linebant, & veluti tectorio quodam inducebant, *[illegible]*: quod tectorium seu cataplasma abstergebant, smegmate *ex lacte asinino*, cùm ad mœchos irent. Juvenalis,

— — Ridendaque multo
Pane tumet facies, aut pinguia Poppæana
Spirat, & hinc miseri viscantur labra mariti.
Ad mœchum lotâ veniunt cute. —

Id est, lomento expolitâ, vel smegmate, sublato [illegible]. *Lac asininum* ad hanc rem idem memorat,

Incipit agnosci atque illo lacte fovetur,
Propter quod secum comites educit asellas.

Ubi vetus Interpr. *Asinino lacte faciem linit, ut cutem tendat & candorem eliciat*, &c. Salmasius *ad Æl. Spart. in Hadriano Cæs.* Ea verò smegmata *Poppæana* vocat Juvenalis suprà à Poppæa, Neronis uxore, quæ vel prima lacte tali, vel inter primas, usa est.

Asinis, apud Vett. vehebantur tantùm humiliores, ait Salmasius *ad Lampridium in Antonino Heliogabalo, Sed Semiamirica facta sunt Senatusconsulta ridicula, de legibus matronalibus; quæ quo vestitu incederent — quæ pilento, quæ equo sagmario, quæ asino veheretur.* Unde Chrysostomus *ad Philipp. Homil.* 9. inter conditiones in Episcopo non ferendas, illam quoque ponit: *καὶ ἐπὶ ἵππου φέρεται, Et equo vehitur.* Etiam moris fuisse, ut asino imponerent, quos vellent ignominiæ causâ traductos, exemplum Procopius suggerit *Persicor. lib.* 3. & alibi. Sed *Asinis* vectos esse, non plebejos solùm, verùm etiam nobilissimos, docent in Sacris, Abraham, Moses, Balaam, Prophetæ duo, 1. Regum *cap.* 13. *verf.* 13, 23. Acsa Calebi, Principis tribûs Judæ, filia; Abigail, antea Nabalis, postea Davidis, uxor; Achitophel, Senator regius & Mephibosceth Saulis R. nepos. E Judicibus quoque Israëlis Jair & Abdon. Unde in Cantico Deboræ, Judic *cap.* 5. *verf.* 10. *O qui asinas albas equitatis & judiciis præsidetis!* Neque alio vectore Christus uti voluit, Jerosolymam cum pompa ingressurus, ut qualecunque Regni sui specimen Judæis ederet. Quibus adde, quòd Chrysostomus in *Titum, Homil.* 1. CP. Episcopo, id est, sibi dicit objici, tanquam argumentum nimii fastus, quòd *ἐπὶ ὄνου ὀχεῖται, asino vehitur.* Inter Magnates quoque Arabum Chalid Saphuani filius & Alphadlus fil. Isai Rukaschiensis, *super asinos malebant equitare, quàm super equos*: utpote quòd nullum jumentum minori sumtu alatur, & ad plura inserviat, & incedat mollius, & conscendatur facilius; ut habetur in Damire. Sed & Leo Africanus auctor est, Alkairi matronas *asinis* libentiùs uti, quàm equis, eosque inibi pannis elegantissimis sterni, & molliter incedere edoctos, gradarios equos facilè antecedere, &c. Bochartus ubi suprà.

C. *Asinius* Prætextatus, Cons. sub Gordiano. Capitolinus in *Gordian.*

de *Asino*, vel *Asini capite aureo*, à Judæis culto, fabula unde orta, diximus in *Ancharius.*

Asinorum Caro, saltem in fame, pro cibo fuisse legitur, 2. Regum *cap.* 6. *verf.* 25. ubi in Samaria à Syris obsessa, narratur asini caput siclis 80. venisse. Sic Artaxerxes apud Cadusios in summa fame, sola jumenta concidebat, cùm nihil aliud suppeteret, *ὥστε ὄνου κεφαλὴν μόλις δραχμῶν ἑξήκοντα ὤνιον εἶναι, Ita ut asini caput vix drachmis sexaginta venale esset*, apud Plutarchum in *Artax.* Cùm alioqui vivus asinus totus in Luciano in uno loco venea[illegible], in altero 25.

drachmis. Hodie inter Arabes de Asinorum esu acriter disceptatur: & domesticos quidem plerique prohibent, ferorum verò nemo est, qui non concedat. Quod jam ante Mahumetem apud eos obtinuisse, ex Theodoreto scimus, qui *Histor. Religiosæ cap.* 26. Ismaëlitas ad Christum conversos describit, τῶν τε ὄνων τῶν ἀγρίων, τῶν τε καμήλων τὴν ἐδωδὴν ἀπαρνούμενοι, *onagrorum & camelorum usum abnegantes*, id est, ab eorum deinceps carnibus abstenturos se profitentes. Et quidem domesticorum carnem Galenus ingrati esse saporis ait, *de Alim. Facult. lib.*1. ejusque esu Alexandrinos elephantiam contrahere, *ad Glauc. lib.* 2. Mæcenati tamen aselli fuere in deliciis. Plinius *lib* 8. *cap.* 43. *Pullos asinarum epulari Mæcenas instituit, multùm eo tempore prælatos onagris. Post eum interiit auctoritas saporis. Asino moriente viso* (Corrige, *Lalisionum oriente usu*) *celerrimè id genus defecit.* Est autem *Lalisio* onagri pullus. Idem *cap. seq.* ubi de onagris, *Pullis eorum, ceu præstantibus sapore, Africa gloriatur, quos lalisiones appellant.* Et Martialis *lib.*13. *Epigr.* 97.

Cùm tener est onager, solaque lalisio matre
Pascitur, hoc infans sed breve nomen habet.

Sed & circa Berœam Macedoniæ, Lucianus in *Asino* quendam amico dicit dono dedisse ὄνου ἀγρίου μηρὸν, *agrestis asini femur.* Et apud Simocattam *lib.* 4. *cap.* 7. Cosroes Hormidæ patri captivo, inter regias delicias, mittebat, ὄνων ἀγρίων τῶν μελῶν τὰ ἐπίσημα, *onagrorum membra præcipua*, &c. Bochartus *Hierozoici part. prior. lib. II. cap.* 13. *sub fin.*

Asinorum Ins. vulgò *Gaydaronisi*, insula est in Sinu Saronico, 4. mill. cis prom. *Cabo colonne*, olim *Patroclepa*, quam vide. Eadem *Ebanonisi* Græcorum hodierno idiomate dicitur, h. e. *Insula Ebeni*, quòd magna ibi arboris hujus copia fuerit. Sed à quo tempore Creta Ins. seu Candia bello Turcico afflicta est, multum inde detrimenti ei accessit. Hanc folia quoque habere, contra Pausaniæ effatum, docet αὐτόπτης Jac. Sponius *Itinerar. Græciæ part.* 2. *pag.* 266.

Asinorum Ordo, in Eccl. Rom. dictus est S. Trinitatis seu Maturinorum, quòd, cùm iter agerent, *asinis* tantùm vehi illis liceret, non equis, ut habet Albericus & ex eo Magnum *Chronicon* Belgic. A. C. 1199. Vetus *Chron. Tom. II. Spicilegii*: *Anno Domini* 1198. *Pontificatus Innocentii III. an.* 1. *cœpit & institutus est Ordo S. Trinitatis, quem solebant appellare* Ordinem Asinorum, *eo quòd asinos equitabant, non equos.* Eorundem *Regula*, quæ habetur *Epistolarum* Innocentii III. *lib.* 1. *Equos non ascendant, nec etiam habeant: sed asinos tantùm liceat ascendere datos vel accommodatos, vel de propriis nutrituris susceptos.* Quod tamen postea immutatum in *Regula* iis tradita, à Clemente P. A. C. 1267. *cap.* 2. iisque concessum, ut equis utantur, *dum nimis notabiles non existant. Computum* Hospitii Regis A. C. 1330. appellat eos *les Freres des Asnes, Fratres Asinorum*, apud Car. du Fresne in *Glossar.*

Asinorum Sepultura, V. ubi de *Imbiocandi ritu.*

Asinus, cognomen Gaufredi, apud Aimoinum *de Miraculis S. Benedicti lib.* 3. *cap* 4. *Gaufredus, propter vires, non propter pigritiam,* Asinus *cognominatus.* Item unius ex Saracenorum Caliphis. Vide suprà in *Asini bellatores.*

Asinus, prodest, ut Plinius ait *lib.* 8. *cap.* 43. *operâ sine dubio geruli mirifica, arando quoque, sed mularum maximè generatione.* Vide suprà. At Scythis Marti olim mactatus: quemadmodum eodem Jovi, Marti, Bellonæ & Plutoni litavere Bohemi, teste Cosm. Pragensi *Chron. Bohem.* Ejus veneratio, Judæis à Gentilibus attributa est, non minus ac suis, utrumque falsò. Ita autem de *Asino* Petronius Arbiter,

Judæus licèt & porcinum Numen adoret,
Et cilli summas ad vocet auriculas.

Cillus verò asinus est. Hesych. Κίλλος, ὄνος. De cultu illius sic Democritus Histor. apud Suidam in Ἰούδας: Χρυσῆν ὄνου κεφαλὴν προσεκύνουν, κατὰ τριετίαν ξένον ἀγρεύοντες προσέφερον, καὶ κατὰ λεπτὸν τὰς σάρκας διέξαινον, καὶ οὕτως ἀνῄρουν, *Asini caput aureum adorabant, tertio quoque anno capiebant hospitem, eumque offerebant, carnes item dissecabant minutatim atque ita interficiebant.* Sic ab Apione objectum Judæis est, ab Antiocho Epiphane repertum fuisse caput *Asini* aureum, quod à gente coleretur: Sed eum abunde refellit Flavius Josephus *Op. contra Apion.* Meminerunt ejusdem rei Plut. *Sympos. quæst. lib.* 4. *quæst.* 5. & Tacitus *Histor. libr.* 5. qui ambo hunc *Asini* cultum ex eo traxisse originem dicunt, quòd Judæi, asino monstrante, aquas repererint: quod concinnè satis conjectabat Nic. Fullerus *Miscell. sacr. lib.* 3. *cap.* 8. inde hoc esse, quòd, ut legere est Genes. *cap.* 36. *versu* 24. Ana, cùm pasceret asinos Sibeonis patris sui in deserto, invenerit ימי[illegible] *jamim* (quam vocem quidam *mulos* exponunt) nonnullis *aquas calidas*, aliis *maria*, i. e. *aquarum congregationes* seu *stagna.* Vide Hieronymum *Quæst. Hebr. in Genesin.* Judæorum exemplo Gnostici etiam utrumque animal coluisse dicuntur, [illegible]tem Deum Sebaoth utraque expresserunt figurâ, Epiphan. Imò calumnia hæc de *Asinini* capitis cultu in veros etiam derivata est Christianos, ut indicat Minucius *Octav.* atque inde dicti sunt *Asinarii*, teste Tertulliano *Apologet. cap.* 16 imò à quodam Orci mancipio imago facta legitur auribus asininis, pedum altero ungulato, librum gestans atque togata, cum hujusmodi inscr. DEUS CHRISTIANORUM ONONYCHITES, ut *ibid.* legas & *ad v. Nat. lib.* 1. *cap.* 14. Sed de extrema voce non consentiunt codices, MSS. enim habent variè eam scriptam; *Onocoetes*, propter Vaticanorum Codd. auctoritatem, comprobabat Franc. Junius, ut sit ἀπὸ τῆς τοῦ ὄνου κόρσης, *ab asinino capite.* Jac. Godofredus JC. *Onochoëtes*, quasi dicas, τοῦ ὄνου χοητὴς, *Asini sacerdos*, voce ex eo ficta, quod χοαὶ sint sacrificia: Nic. Rigaltius prætulit Ὀνογενὴς, hoc est, *Asininæ prosapiæ*; alii aliud excogitarunt. V. Gerh. Joh. Vossium *de Idolol. l.* 3. *cap.* 75. & in voce *Anchialus.* At ipsi *Asinum* omnino coluere Gentiles. Certè Asinus, *delicium Gallorum* Cybeles, dicitur Appulejo, ac Phædro de iisdem loquenti, qui asinum suum mortuum excoriaverant ac de pelle tympanum fecerant, Vide Appulejum *Metamorph. lib.* 8. Sed & Romanis pro Numine, ut quibus eandem cum Ægyptiis vecordiam imputans Octavius, apud Minucium Felicem, *Vos*, ait, *& totos* Asinos *in stabulis cum vestra Hippona consecratis: & eosdem asinos cum Iside religiosè decoratis, &c.*

Asius, Philosophus τελεστὴς Suidæ, Dardano Trojam condenti Palladium, ad urbis conservationem & Regni, dono dedit. Ejus sic meminit Johannes Antiochenus, Περὶ Ἀρχαιολ. Τὸ ἐν Τροίᾳ παλλάδιον ζῴδιον ἦν μικρὸν ὑπὸ Ἀσίου τινὸς φιλοσόφου κατασκευασθὲν εἰς φυλακὴν τῆς πόλεως, *Palladium Trojæ animalculum exiguum fuit, ab Asio Philosopho quodam factum ad urbis conservationem.* Vide infra, ubi de *Consecratione.*

Askar, Arabibus bestia est longa 60. cubitos, capite bovis, oculis porci, auribus elephanti, cornibus cervi, collo struthionis, pectore leonis, colore pardi, iliis felis, caudâ arietis, pedibus cameli, die judicii ex antro quodam emersura, cum virga Mosis, quâ piorum facies dealbabit, & singulis inscribet *maumin*, id est, *fidelis*; ac sigillo Salomonis, quo denigrabit vultum impiorum, & singulis inscribet *Caphir*, id est, *infidelis.* Eam belluam ex antro semel eduxisse Deum fabulantur, ad preces Mosis, qui illâ visâ totus cohorruit & rogavit, ut reduceret. Cùm apparebit ultimâ die, Sol consuetum cursum intermittet, nec nisi ab Occasu orietur, &c. Bochartus, *Hierozoici part. poster. lib.* 6. *cap.* 15. *ubi de fabulosis Arabum animalibus.*

Askem-Kalesi, seu *Castrum Askem*, urbs est Asiæ in ruinis, cum portu, Mileto diei & dimidii itinere distans; quam Halicarnassum, priscorum Cariæ Regum sedem, esse, sunt qui contendant, magnâ marmorum & monumentorum antiquorum, quæ illic hodieque reperire est, copiâ nixi: Jac. Sponius verò *Iasi* vel *Jassi* reliquias has esse conjicit, ex Inscriptionibus, quæ ibi ostendit. Theatri ex marmore rudera ibidem supersunt, à Zopatre quodam Epicratis filio in honorem Bacchi extructi, ut Inscriptio Græca præ se fert. Vide eum *Itinerar. Græc. Part.* 1. *pag.* 362. ut & in voce *Jassus.*

Asnath, Vide suprà *Asenath.*

Asomatos, Græcè Ἀσώματος, hoc est, *incorporeus*, cognom. S. Michaëlis, à quo Ædes sacra & Monasterium Caloerorum, inter urbem Athenarum & vicum *Angelokipous*, nomen habet. Sponius *Itiner Græciæ Part* 2. *pag.* 2.

Aspalathus, ad unguenta adhibita & odores. Plinius *libro* 15. *capite* 7. *Vulgaris hæc quoque spina, ex qua inde fulloniæ implentur, radices usus habet, præter spinas, quidem multi. Inter odores & ad unguenta utuntur alia,* Aspalathum *vocantes. Est sine dubio hoc nomine spina sylvestris in Oriente.* Cùm autem in unguentis duo consideranda veniant, ἡδύσματα, scil. & στύμματα, ut infrà videbimus; ad hæc, quæ non aspergebantur, sed decoquebantur, & minùs pretiosa erant, inter alia *Aspalathus* quoque pertinebat. Vide Salmasium *ad Solinum pag.* 396. & 468.

Aspalluca, aliàs *Aspaluca*, vulgò Gallis *Asspe*, Hispanis *Aspa*, locus est Galliæ, in agro Benebarnensi, Æthico memoratus: unde nomen Valli Aspalucensi, *la Vallée d'Asspe*, saltui Pyrenæo subjectæ, in regione prædicta, ad fluv. cognominem. Valesius *Not. Gall.*

Asparagus, inter herbas fruticesve, an inter flores, recenseatur, perinde fuerit, cùm baccæ instar florum esse possint ornamento; neque flore suo ipsæ careant. Hortensis est, ac pratensis, adeoque sylvestris: sed hortensis radicem habet sparsam circa truncum, quæ ineunte Majo in digitalem protuberat caulem, succi plenum, &, nisi subseces, brevi in filamenta diffundendum. Lupuli speciem majusculam & enodem dixeris, quæ mense Julio in validos exurgit calamos, foliis capillaribus fere armatos, infra fœniculi modum: ex juncturis prodeunt flores flavi, quales sunt olivæ; quos subsequitur globulus flavo rubicundus, instar corallii, infantibus adhiberi soliti. Ajunt ex ratura carnis arietis, nisi terrâ obruas, *asparagum* succrescere, tanquam Cadmæos fratres, ex dentibus draconis. Condiuntur autem *Asparagi* sale in acetaria, per omnes anni partes gustui acuendo. Recentiores non amant diutinum focum; unde Druso solitum, quandocunque rem cito citiùs transactam notare vellet, dicere: *Citiùs quàm asparagi coquuntur.* Rubentes baccæ ad calamos filamentis munitos, vel stellas per expansum cœli micantes retulerint. Auctor Anonymus *Sinæ & Europæ cap.* 33.

Aspabare, pop. Sericæ, apud Ammianum *lib.* 23.

Aspasicum seu *Aspasticum*, Gr. Ἀσπαστικὸν, Lat *Salutatorium*, mansio seu cubiculum fuit Ædi sacræ contiguum, in quo Episcopus sacris vestibus indutus, à Clericis obsequio ac manuum osculo, antequam ad sacrum peragendum egrederetur, salutabatur. Theodoretus

doretus *lib. 5. Histor. cap. 18. Posquam Theodosius venit ad Templi ambitum, non ingressus est in divinum templum, accedens autem ad Ambrosium Pontificem in Aspastico eum rogavit.* Quia verò in eadem mansione Peregrini quoque hospitabantur, ideo & *Metatorium* fuit dictum. Item *Diaconicum* seu *Ministratorium*: *Post dictam tertiam & sextam, vadit sanctissimus Patriarcha in metatorium sive Diaconicum & exit ad sanctum Altare, Euchalog.* Græc. Ad hoc sacrarium Græci Sacerdotes, in fine Missæ, antequam Populo benedicant, descendentes de Altari, semoti orant: *Sit nomen Domini benedictum, Sacerdos orat in Diaconico, Liturgia* nomen S. Marci præferens. Vide utrumque Macrum in *Hierolexico.*

Aspectus, apud Publium Syrum,

Grave est malum omne, quod sub aspectu *latet.*

Pro *persona* est: quæ Græcis πρόσωπον, & προσωπεῖον, & μορμολύκεια & πρόσωπα dicta; Recentiori ævo προσωπεῖον. Vetustissimi enim Græci πρόσωπον non dixerunt aliud quid, quàm larvam, quæ ad similitudinem vultus alicujus efficta est. Hodie Gallis *Masque.* V. Salmasium *ad Solinum pag.*655. ut & infrà in voce *Vultus*

Asper, monetæ genus, inprimis Græcis recentioribus, qui *Aspros* vel *Aspra* eos appellant, non eo sensu, quo apud Suetonium *in Nerone, Aurum obryzum & nummum asperum ingenti fastidio exegit.* Hic enim *asperi nummi* sunt, quos ærugo nondum erosisset, adeoque in quibus character vetustate obsoletus & evanidus non esset, sed integer & solidè expressus appareret: Græci vett. ἐπίσημος & ἄκακος vocavere, Salmasius *ad Vopiscum in Aureliano.* Sed monetam significat minutiorem *album* seu argenteam, cum qua Monetam majorem, tam argenteam quàm auream, commutare solent: Græcis enim citerioribus ἄσπρος, *album* significat, ut liquet ex *Chron.* Alexandr *passim,* Theophane, Constantino Porphyrogenn.*de administ. imper pag.* 117. Aliis. *Glossæ* Græc. Lat. ἄσπρος, λευκός. *Asprum.* In iisd. *Aspratura*, κέρμα, id est, *moneta minor*: ἀσπρότης, *asprítudo, candor*, λευκότης, *asprum.* Vide Leunclavium in *Pandectis Turc cap.* 18 Meursium in *Gloss.* du Fresne itidem, & suprà in voce *Albus*, item infrà in *Aspri.*

Aspera Signis vasa, V. supra *Argentea Pocula*; & infrà passim, inprimis ubi de *Cælatura.*

Aspergendi abluendique aquâ ritus, in Sacris olim Israëlitarum frequens fuit: communisque purificationum ratio & quasi caput in balneis constitit, ut infra latius videbimus ubi de *Lotionibus*, in vet. Testamento usitatis Sed & *Sanguinis aspersio*, in consecratione Tabernaculi omniumque vasorum actionum, ut & in purificatione Leprosi, domus lepra infectæ, &c. solennis fuit. Imò leprosum *aqua, sanguine, oleo*, diversis vicibus *aspersum* fuisse, legimus, Levitici *cap.* 14. Quæ omnia *sanguinem aspersionis, meliora loquentem præ Abelis sanguine*, Hebr.*cap.*12. *versu* 24. & *aspersionem sanguinis Jesu Christi*, 1. Petr.*cap.* 1.*versu* 2 Aquam item *puram*, & *oleum gaudii*, sanctificationem viz. à Spiritu Dei in cordibus nostris peragendam, Hebr. *cap.* 10 *versu* 22. Psalmo 45. *versu* 8. & 1. Joh. *cap.* 2. *versu* 27. indigitarunt. Ab Hebræis, ut multa alia, transiit mos (sed in superstitionem planè versus) ad Gentiles, in quorum ceremoniis hæc erat una ex vulgatissimis, ut aquâ consecratâ à Sacerdote, reliqui homines ac sacrificiorum instrumenta aspergerentur. Unde hæ vett Auctorum aut orationes proficiscuntur, ut in Dionysio Halicarn. *lib.* 7 Τὰ ἱερὰ καθαρῷ ὕδατι ἀπορραίνεται, *Res sacra aquâ purâ asperguntur.* Et in Homero *Il.* α.

—— Λαοὺς δ' Ἀτρείδης ἀπολυμαίνεσθαι ἄνωγε,

populos verò Atrides lustrari præcepit.

Virgilius *Æn.lib.*6.

Idem ter socios purâ circumtulit undâ
Spargens rore levi, & ramo felicis olivæ,
Lustravitque viros.

Instrumentum erat *aspergillum*, de quo suprà; *vas marmoreum*, in quo aqua lustralis ad templorum portas, ingredientibus prostabat; locus ubi aqua circa Templum inclusa, *Favissa* dicebatur. Qui ingredientes aspergebat, *Æditus* erat: à quo, cùm miles Christianus, factus postea Imperat. Valentinianus, Julianum Fortunæ Templum intrantem sequens, aspersum se sensisset, *pugnis* eum *contudisse* legitur apud Theodoretum *Lib.*3. *cap.*16. Sed & Ovidius *Fastor.lib.*5. exclamat,

Ah nimium faciles, qui tristia crimina cædis
Fluminea tolli posse putatis aquâ,&c.

Hos postmodum imitati Hemerobaptistæ sunt, qui quotidie, non tam purgandi corporis causâ, quàm peccatis eluendis, se baptizabant: his verbis refutati ab Epiphanio *contra Hemerob Hær.*4.*Jud. Vanum & frivolum est eorum studium. Neque enim Oceanus, neque omnia flumina & maria, fluviique perpetui ac fontes, universaque imbrifera natura, in unum congressi, peccata delere potest, quandoquidem non juxta rationem, nec ex præcepto* Dei, &c. Andreas Rivetus *Summ. Controversi. Tractat.* 2. *Quæst.* 17.

Aspergillum, seu *Aspersorium*, vasis erat genus, quo Sacerdotes apud Roman. aquam lustralem aspergebant: *Lustrica* quoque, Johannes Rosinus *Antiqq. Rom.* Sic hodieque in Communione Romana *Aspergillum* seu *Aspersorium*, vas dicitur, quo aqua, ut vocant, benedicta, porrigitur vel aspergitur. Agathias *Histor. libro* 2. Aspergilla *ex puro auro, quam plurima etiam calices & acerras, & quæcunque mysticis ceremoniis erant consecrata, spoliantes, propriis suis possessionibus adscribebant.* Vide suprà in voce *Aqua aspersionis.* Superiori verò ibidem aqua non porrigitur *aspergillo*, nec etiam Ecclesiæ Titulari, sed osculando illud in manus ejus traditur: Sic etiam indecens habetur, ubi in ingressu Ædis sacræ Clericus adest aut Sacerdos, ut aliquis secularis *Aspergillum* Magnatibus porrigat, quod rigidè admodum in Hispania observatur. Aliquando tamen *Aspergilli* loco hyssopo, aut ocymo utuntur, ut videre est suprà in *Aqua Benedicta.* Vide Macros Fratres *Hierolexic.*

Asperges, Ugutioni *vestis fœminarum vel vestium superfluitas, quod & Firma dicitur, unde Asperginens*, apud C. du Fresne *Glossar.*

Aspersores aquæ, in *Legenda* ... *De iis qui not. infam.* Accursio ii dicti sunt, qui in stadio, quò celerius acriusque in equestri certamine refocillati equi currerent velociusque attingerent metam, equis frigidam suffundebant & aspergebant. Vide quoque Erasmum in *Adag.* & ante eum Alexand Neapolitanum *Genial. dier. lib.*3. Ludovicus Vives eos hoc nomine indigitatos vult, qui in cavea, ubi feræ inclusæ erant, priusquam in theatrum producerentur, feris aquam multis de causis aspergebant, ut ne invicem pugnarent, sese excuterent, politæ in spectaculum prodirent nitidæque emergerent. Sed interpretatio *dictæ legi* repugnat, quæ non feris, sed equis, aquam in certaminibus sacris veteres aspersisse refert, Corasius *Miscell. lib.* 4. *cap.* 4. apud Calvinum *Lexic. Jur.*

Aspersus, piscis genus varii stellatique. Gloss. *Aspersus*, ὁ ... ἰχθὺς ποικίλος. Sic *pardus*, id est, *sparsum*, Græci pro ποικίλον, id est, *varium*, usurpant. *Pallium auro sparsum*, habes apud Lampridium in *Alexandro Severo*, id est, χρυσόπαστον, χρυσῷ πεπασμένον, & καταπάσσειν. Seneca dixit, *auro sparsa laquearia*, pro auratis vel auro pictis: *Albo sparsas pelles*, Virgilius, pro variegatis & albo distinctis, &c. Vide infrà in voce *Sparsus.*

Asphodeli Prata, apud Poëtas, quid denotarint, aperit Gregorius Nazianzenus *Orat. fun. in Basilium M.* de Minoë & Rhadamantho loquens, *Quos*, ait, *Græci* asphodeli *pratis & campis consuere dignos Elysiis, quum in opinionem, quemadmodum & nos, Paradisi devenissent, ex libris, ut arbitror, Mosaicis ac nostris, licèt nomenclatura aberrarunt, aliis nominibus Paradisum ostendentes.* Quod & Tertullianus confirmat *Apolog. cap. ult.* ubi postquam Gentiles gehennam Tartaro, paradisum campis Elysiis imitatos observasset, verso ad Ethnicos sermone, *Unde hæc, oro vos*, interrogat, *Philosophis aut Poëtis tam consimilia? non nisi de nostris Sacramentis, ut de prioribus*, &c. Nempe, uti de aliis mysteriis, ita de Cœlo ac Inferno, quædam per traditionem Ethnici hauserunt, Vide Tobiam Pfannerum *Systemat. Theolog. Gentil. purior. cap.*21. §. 36. Cur autem ἀσφοδελὸν λειμῶνα mortuis beatisque tribuerint Poëtæ, interque eos Hesiodus Ἐργ. καὶ Ἡμερ. *versu* 40.

—— οὐδ' ἴσασιν ὅσῳ πλέον ἥμισυ παντὸς,

Οὐδ' ὅσον ἐν μαλάχῃ τε καὶ ἀσφοδέλῳ μέγ' ὄνειαρ.

—— *Neque sciunt, quanto plus dimidium sit toto,*

Neque quàm magnum in malva & asphodelo bonum:

multum olim disputarunt Veteres, quanquam frustra. Nam quòd apud Eustathium legitur hoc fieri, διὰ τὸ ... dictam, quasi σποδέλον, διὰ τὸ ... *propter mortuorum crematorum cinerem*, ineptum est. Potiùs Ἀσφοδελὸς λειμὼν, illis attributus, quòd extra necessitatem vitæ hujus sint, nec cura rei familiaris illis impendeat, sed victu simplicissimo (in quo summam voluptatem Vett. posuere) vivant: qualis ὁ μαλάχης καὶ ἀσφοδέλου est; quibus ante τὸ ... *legis* seu *concupiscentiæ tyrannidem*, homines vivebant, & sanctissimi quique Philosophorum postea, qui illam in vivendo simplicitatem, quam Poëtæ Βίον ... vocant, sequebantur, Quò Horatius his verbis respexit,

Premant Calenâ falce, quibus dedit
Fortuna vitem: dives & aureis
Mercator exsiccet culullis
Vina Syrâ reparata merce
Diis charus ipsis: quippe ter & quater
Anno revisens æquor Atlanticum
Impunè: me pascunt olivæ,
Me cichorea levesque malvæ.

Hinc itaque mortuis hominibus in tumulo malvam *asphodelumque* serebant, ne deesset illis cibus. Et hoc voluit sibi Porphyrius in quodam *Epigrammate*, ubi tumulum his verbis introducit: Νῶτα μὲν μαλάχην τε καὶ ἀσφόδελον πολύριζον, ἀλλὰ δὲ τὸν ... ἔχω. id est, *Foris quidem malvam asphodelumque habeo: Intus verò mortuum claudo.* Hinc Homerus, quoties campum eum describit, quem *Asphodelum* vocat, his plerunque verbis utitur:

Τῇπερ ῥηΐστη βιοτὴ πέλει ἀνθρώποισι.

Ubi facillima vivendi ratio est hominibus.

Opponunt autem Poëtæ τὸ ῥᾴστα ζῆν, vitæ Regum & injustorum

Prin-

Principum plerumque, & ἡ πολυπλανία ὀδύνη. Negatque Hesiodus, injustos Judices, quid illud sit, scire, & per consequens *malvam & asphodelum* ignorare ait; ex quo tempore Dii vivendi genus, quod sub ἐγκρύψαντες fuit, sub ἐκάλυψαν abscondere cœperint, *d. l.* Atque hæc causa est, cur Lucanus vitæ hanc priscam simplicitatem, *Deorum munera* vocat *nondum intellecta*, *lib* 5. & Claudianus vivendi facultatem vulgò notam esse negat, *in Ruffinum lib.* ., ubi Be tos vocat, quos Homerus μάκαρας, & ῥεῖα ζώοντας; eorumque *ignotam esse* ait *vitam*, sicut Hesiodus *lib. cit.* κρύψαντες γὰρ ἔχουσι θεοὶ βίον, cui similis omnino, sed sanctiori sensu, phrasis, occurrit Colossensium *cap.* 3. *vers.* 3 &c. V. Dan. Heinsium *Not. ad Hesiodum* & de *Asphodelo* plura apud Salmasium *ad Solinum pag.* 109.

Aspides pictæ, in diadematibus Regum Ægypti, invictum imperii robur denotabant. Ælianus, *lib.*6. *cap.* 38. Τῶν ὑπ' ἀσπίδος δηχθέντων οὐδεὶς ... ἐξέφυγε ... Ἔοικε τοίνυν καὶ τοὺς βασιλέας αὐτῶν τοὺς Αἰγυπτίους ἐπὶ τῶν διαδημάτων φορεῖν πεποικιλμένας ἀσπίδας, τὸ ἀρχῆς ἀνανταγώνιστον ... *Eorum, qui ab aspide morsi sunt, nemo à malo* (i. à morte) *traditur fuisse immunis. Unde est, quòd Ægyptiorum Reges in diadematibus pictas aspides ferre audio, ut invictum Imperii robur sic significent.* Ubi rationem hieroglyphici hujus habes, quia nempe invictum *Aspidis* venenum est. Phile *cap.* 59.

> Τῆς ἀσπίδος τὸ δῆγμα δίδωσι' ἐξ θανάτου,
> Μὴ, μὴ, Γαληνὲ, μηδὲ φαρμακοῦ χέῃς.
> *Repentè mortem morsus infert aspidis,*
> *Ne, ne Galene, pharmacum ne infuderis.*

Ipse Galenus *de Theriac. lib.*1. *cap.*8. *In magna Alexandriæ urbe sæpe vidi, quàm cito mortem* (aspides) *inferant. Quoties enim aliquem hujus supplicii lege damnatum, humaniter citoque interimere volunt, admotam pectori bestiam aliquantulum inambulare jubent & hominem hac ratione statim enecant.* Et nota de Cleopatra, *aspidis*, אפעה *ephe*, Hebræis dictæ, morsu se ipsam interimente historia: *Hypnalem*, hoc genus aspidis, quòd somno necet, vocat Isidorus *Origin. lib.*12. *cap.*4. &c. V. Bochartum *Hierozoici part. poster. lib.*I. *cap.*1. & 4.

Aspis, inter Ægyptiorum Numina; Athenagoras *Orat. pro Christianis*, *sub princ. Ægypti*, inquit, *feles etiam, Crocodilos & serpentes &* Aspides *& canes pro Diis habent.* Hinc apud Prudentium *Hymno* X. περὶ στεφάνων, Romanus Martyr, non Romanorum minus, quàm Ægyptiorum hàc in re vecordiam, Asclepiadi Præfecto objiciens, inter alia ait,

> *Pronusque adora, quidquid in terris sacri est,*
> *Deos Latinos & Deos Ægyptios.*

Et paulò post.

> *Veneris probarlo ... imprecare & simiam,*
> *Placet sacratus* aspis *Æsculapii*, &c.

V. Pfannerum *System. Theol. Gentilis cap.*1 §. 1. *num.*2. Hebræis modò פתן *pethen* dicitur, modò עכשוב *achsub*; quorum hoc posterius ab Arab *achasa* ortum, *retorquere* denotat *& reflectere rem ad suum principium*, *aspidisque* naturæ eximiè convenit. Illa enim teste Nicandro *Theriac. vers.* 159. solet κατ' ἐναντίον ἕρπειν, *in contrarium serpere*. Etiam εἰς κύκλους πολλοὺς ἑλιχθεῖσαν καθεύδειν: i. *in plures circulos convolutam dormire*, ait Ælianus *lib.* 17. *cap.* 5. & Aristophanis Scholiastes in *Vespis*. Cujusmodi circulos ἀσπίδας Græci dicunt, Hesych. Atque hinc factum, ut apud eos ἀσπὶς tam pro clypeo, quàm pro serpente, sumatur. Rotundos autem fuisse Græcorum clypeos vel ex Poëta ducimus, à quo Polyphemi oculus orbicularis describitur, *Æneid. lib.*3.

> *Argolici clypei aut Phœbeæ lampadis instar.*

V. Turnebum *Adversarior. lib.* II. *cap* 27. Unde in Homero passim ἀσπίδες εὔκυκλοι & ἀσπίδος εὐκύκλου, ubi Scholion, στρογγύλας, περιφερεῖς. Et Diodoro *lib.* 20. τὸ τῆς ἀσπίδος κύκλον μιμούμενον, *clypei circulum imitatus.* Nempe quia serpens hic spiris suis clypei formam omnino exprimit; hinc nomen ad utrumque notandum adhibitum est. Bochartus ubi suprà *cap.*4.

Aspis Surda, quæ aurem obturat, ne audiat vocem incantantium, Psalmo 58. *vers.* 5, 6. non ideo sic dicitur, quòd hebetioris sit auditus, quàm visus, ut Bustamantius statuit *de Scriptura animant. lib.* 3 *cap.* 11. cùm consulti Naturæ planè contrà asserant, aspidem auditu multo plus quàm visu pollere, Nicander in *Theriac. vers.* 62. Plinius *lib.* 8. *cap.* 23. Sed quia incantatio non plus virium in illa exerat, quàm si surda esset & aurem obturaret. Et quidem integræ gentes hoc serpentum fascino fuere infames, Marsi & Psylli, ut omnibus notum: Ægyptii, apud Ælianum *Histor. lib.* 6 *cap* 33. Melindenses, apud Geographum Nub. *Clim.* 1 *part.* 1. Nigritæ, apud Cadamustum. Peruani, apud Spirillum in *Collectan.* Indi, apud Texeiram *Histor. Pers. lib.* I. *cap.* 29. &c. Extantque jam in vetustissimis Scriptoribus superstitionis hujus vestigia, Orpheo in *Op. de lapidib.* Ovidio *Metamorph. lib.* 7. Platone *de Rep. lib.* 2. Aliis. Inprimis enim hominum carminibus hoc animantium genus moveri creditum; *ut hoc esset argumento, primum hominem à Diabolo fuisse per serpentem in Paradiso seductum*, uti loquitur Augustinus *lib.*11. *de Gen. ad lit. cap.* 28. & *Quæstionum lib.* 65. *quæst.* 44. Hujus verò fascini multa fuere genera; Aliis enim serpentes *manu & tactu* fascinare moris erat; Alii *orbem* describebant, & medicamina adhibebant; Alium fascini ritum his verbis describit Seneca *in Medea Act.*4.

> *Et triste lævâ complicans sacrum manu,*
> *Pestes vocat, quascunque ferventis creat*
> *Arena Libyæ.*

Laminæ etiam, *Lapides*, *Ligna*, *figuræ*, quas vocant, *Talismanicæ*, cum in usum adhibitę: Sed præcipua fascini vis esse credita, in *cantibus & carminibus*, quæ Hebræi לחשים h. e. *susurros* aut *mussitationes*, vocant; quia Magis solenne est, cantus suos inter labia demurmurare, de quibus Psaltes agit *d.l.* Cantu nempe Magico credebantur serpentes, 1. *à cavernis suis elici*, atque evocari: 2. *fugari* porro, cantu illo *sisti, detineri & stupefieri*: insuper, *ab omni veneno expurgari*, ne noceant: Etiam virtus carminis *eos sanare, quos morsu aut tactu serpens læsit* existimabatur. Sed quod præcipuum, Mago cantante, *angues rumpi & medii crepare*, dicebantur. Virgilius *Ecloga* 8.

> *Frigidus in pratis cantando rumpitur anguis.*

Interim quosdam esse serpentes, qui incantari non possint, ex Scriptura videtur posse elici. Nam præter locum dictum, Jerem. *cap.* 8. *vers.*17. minatur Deus, se in Israelitas immissurum *serpentes regulos, contra quos nulla sit incantatio.* Et Eccles. *cap.* 10. *vers.* 11. Salomon obtrectatorem tam perniciosum esse dicit, quàm *si mordeat serpens, qui incantari non potest.* Nempe duobus modis incantationi serpens putatur obluctari, aut cùm *recanit*, seu ἀντᾴδει, id est, cùm contrario sibilo incantationem repellit, Plin. *lib.*28. *cap.*3. aut cùm *ad cantum obsurdescit*, seu aurem obturat, i. cum cantu nihilo magis afficitur, quam si vel surdus esset, vel auribus obtusis. Sive autem recanat serpens, sive ad cantum obsurdescat, non obluctari solùm, sed & Mago periculum creare creditur. Alcimus *de Peccato Origin. lib.*2.

> *Interdum perit incantans, si callida surdus*
> *Adjuratoris contempsit murmura serpens.*

Sive tota vis incantationis, justo Dei judicio, cedat in perniciem auctoris, sive serpens incantatori inferat vulnus lethale. At qui serpentes recanant, vel ad cantum obsurdescant, vel quorum serpentum virus quovis fascino credatur esse potentius, Græcorum nullus explicat; nisi quod Ælianus *lib.*1. *cap.*54. id *Aspidi*, velut proprium tribuit, quod in virus ejus incantationi nulla vis sit. Avicenna vero, post Arabas Philosophos, rem Græcis intactam, accuratè & dilucidè exponit *Tom.* II. *cap. de speciebus Serpentum*, quem vide. Dicam saltem, *surdos* ei dici, quorum virus in supremo gradu intensum est, reguli putà, *Aspidis*, cerastæ, hydri & chersydri. Nempe Diabolo non minùs facile hi compesci possent, quàm quivis alius, si modo permittat Deus: Sed Deus non vult, ut omnia Diabolo in mundo liceant. Adeoque ex præfatis locis non aliud elicias, quàm sæpe Magos frustra esse, sive aspides, sive regulos, sive aliud quodvis serpentis genus cantu suo delinire & demulcere conentur: non verò fingendæ serpentum species, in quas Magorum carmina nihil possint, in alias valida. Quippe in eadem serpentis specie diversus potest esse successus, prout variè Deus dæmoni paredro, à quo tota incantationis vis pendet, habenas aut adducit aut remittit. V. Sam Bochartum *Hierozoici parte poster. lib.* I. *cap.* 6. cui, si placet, adde Salmasium *ad Solinum*, ubi plurima de hoc Serpentis genere.

Aspratura, Gr. κόλλυβος, in *Gloss.* Negotiatio Argentariorum seu ipsa permutatio, Car. du Fresne *Glossar.* V. Salmasium *de Usuris pag.* 454 49..

Aspri, seu *Aspra*, Græcis recentioribus dicitur monetæ minoris argenteæ species, cum qua Collybistæ seu Cambitores majorem, tam argenteam, quàm auream, commutare solent. *Denarium asprum* reddunt *Glossæ* Græco-Lat. δηνάριον, λευκὸν, *asprum*: ubi λευκὸν idem valet, quod *album*, & quod *asprum*; observatque Favorinus, λευκὸν in nummis dici, quod aliàs λεπτὸν, dein drachmam esse, cui opponitur παχεῖα, quæ Achæis δίδραχμον sonat. Sed & notum, Græcos pro λευκῷ etiam in colore ἄσπρον usurpare: Unde fortè minutiores suas monetas argenteas *blancs* Galli vocant. Meminit *Asprorum*, præ cæteris, Vincentius Belvacensis, *Etiam suum habet tributum* (super *tributarios terræ Anaph*) *ad minus quindecim drachmas seu asperos, quæ bene valent triginta sterlingas*: ubi *asperi* drachmis æquiparantur, uti apud Hesychium videre est. Alexius item Comnenus in *Rationali Peræquatorum*: Τοῦ γὰρ νομίσματος ... [illegible] ... κτλ. Ubi ἄσπρα τραχέα sunt *aspri asperi*, recens cusi, non usu detriti: ut *asperi* sumuntur *nummi* apud Suetonium, Persium, alios; unde etiam ejusmodi *Aspris* datam nomenclaturam plerique censent &c. De *Asprorum* duplici apud Turcas specie egit alicubi Leunclavius. V. Car. du Fresne *Dissertat. de inferioris ævi numism.* & suprà in *Asper*.

Asprio, in vet. *Charta* plenariæ securitatis exaratâ Ravennæ, sub Justiniano, apud Brissonium *Formular. lib.*6. *Albiolo ligneo valente*

nummos aureos 40. *farina valentes* asprione *aureo uno*, *similiter cum agnos valente siliquas aureas duas*. &c. monetæ species est, apud Car. du Fresne *Glossar.*

Asprum, Gr. ἄσπρον, i. *album*: unde *asprum vestimentum*. Inprimis moneta sic recentioribus Græcis dicta, quod nomen apud Turcas etiamnum in usu est, Phranz. *lib.* 3. *cap.* 19. *Dedit ei ex vectigalibus frumenti* asprorum *quinquaginta millia*. Æquivalere monetæ Etruscæ, quæ *gratia* vocatur, id est, sex Rom. quadrantibus, legas apud Macrum *Hierolex.* V. suprà *Aspri*.

Assa omnia, ut plurimùm, in Vett. conviviis, V. infrà, in *Assatio*.

Assa Vox, id est, *sola & mera vox & ore solo prolata*. Uti enim ξηρὸν dixere Græci, pro *re sola & nuda*; sic Latini similiter vocem *siccum* usurparunt. Unde *vehicula sicca* apud Jul. Capitolinum in *Maximinis*, i. sola, absque comitatu: *panis siccus*, apud Spartianum *in Antonino Pio*, id est, solus & qui absque pulmento sumitur &c. Ita ergo *assum* vett. Latinis *solum* notat: significat enim tostum & aridum, ac in quo nihil uvidi relictum est, & quod per consequens est *siccum* & solum, Salmasius *ad Capitolinum*. Bochartus itidem *assam vocem* dictam ait, ad imitationem *assæ carnis*; sed hanc ideò sic appellatam docet, quòd hic coquendi modus simplicissimus sit, cùm neque ollâ, neque aquâ, neque ullo saporis alieni condimento ad carnem assandam opus sit, sed *solo* igne, *Hierozoici Part. prior. Lib. II. cap.* 50.

Assar, Syro Interpreti & Hebræis non rarò, idem quod *Assarium* est, hoc autem idem, quod *As*. Glossæ Lat. Gr. *Asse*, Ἀσσάριον. Et alibi, *Sextans* ἓν ἕκτον τοῦ ἀσσαρίου. Origo vocis exhibetur suprà in *As*: valor, ex Budæi supputatione, est quaternorum denariolorum Gallicorum & paulo ultra; seu trium maravediorum, secundùm Cohen de Lara *de Conven. Rabbinismi cum Græco*. Arabs Interpres & Hieronymus, ille quidem *Assarium* follem, hic verò *duos assarios* dupondium, interpretatur. Sed Matthæi *cap.* 5. *vers.* 26. in eodem Arabe *follis* est pro *quadrante*. Et Marci *cap.* 14. *vers.* 42. *duo folles*, sunt pro *duobus minutis*, seu *duabus perutoth*: quæ simul junctæ unum quadrantem efficiunt. Unde apparet eum, de vero nummorum pretio parùm sollicitum, sat habuisse, si pro vili nummo vilem alium, quamvis diversi pretii, poneret. Et verò, *assario* vel *asse* vendi nihil aliud est, quàm vili pretio distrahi. Catullus Lesbiæ,

Rumoresque senum severiorum
Omnes unius æstimemus assis, &c.

Pro *assario* Græci vetustiores *obolum* dixissent. Sic in *Avibus* Aristophanis graviter queruntur aves de quodam Philocrate, qui

—— συνδέων τὰς σπίνας, πωλεῖ ἑπτὰ τοῦ ὀβολοῦ,
Fringillas connectens septem vendit uno obolo,

id est, *duobus assariis*. Vide Bochartum *Hierozoici Part. poster. libr.* I. *cap.* 23. Hesychio *Assarium* idem est, quod λεπτόν, quo nomine *quadrantem* intelligit, sexmillesimam solidi partem. Vett. *Glossæ* ἀσσάριον, νουμμίον, vertunt. Ita Suidæ ἀσσάρια, ὀβολόν, νουμμίον & μικρόν. idem sonant, vel certè pro λεπτοῖς seu minutioribus monetis, confunduntur. Et in *Glossis* Gr. Lat. Ἀσσάριον, *As*, esse dicitur, minimus nempe æris nummus, cùm de numerata in ære pecunia agitur, ut Cujacius observat *lib.* 7. *cap* 33. Sed & de vocis notione ac monetæ valore non sibi constant Græculi isti: quippe in *Glossis* Reg. MSS. ἀσσάριον exponitur [illegible], ita ut *assarium* confecerit quinque vel decem *nummia* ærea, vel certè appenderit: pro pondere enim vocem usurpat Cleopatra *de Ponderibus*, ubi τετρασσάριον Ἰταλικόν, *unciam* vocari, ait: apud Marcellum verò Empir. *de Ponder. & Mens. Tetrassarius semuncia est*; unde colligas, assem unciæ habuisse quadrantem, du Fresne *Dissertat. de Numismatibus inf. ævi.*

Assarion seu *Assarium*, Romanis olim dictum est instrumentum quadratum, ex duobus laterculis æneis compactum, quod ferrei claustri instar habebat: Κλειδίον Græcis. Ut enim antiqui non dissimiles nostris claves habuere, ita & similia prorsus claustra è ferro duplici compacta & quadrata, cum ferreis intus veruculis vel pessulis, qui modo adducerentur, modò reducerentur, ut in Laconicis claustris. Formam istiusmodi κλειδίου, seu *Assarii*, his verbis exponit Hero, Τὸ δὲ λεγόμενον ἀσσάριον [illegible]. Nominis verò ratio in abdito est. Salmasius *ad Solinum pag.* 934.

Assirti, apud Wallos seu Cambro-Britannos purgationis species, qua 300. Sacramentalibus, id est, Compurgatoribus, reus se liberare tenebatur: sublata ab Henrico V. Hent. Spelmannus *Glossar.*

Assatio, modus coquendi antiquissimus, ut ex Homero apparet, qui Diis suis nunquam elixas carnes, sed *assas* solùm apponit. Imò jam longe ante ipsum, Deus Mosi præcepit, ut agnus Paschalis *assaretur ad ignem*, Exodi *cap.* 12. *vers.* 9. Idem & simplicissimus est, cùm solo igne, sine ullo saporis alieni condimento, aut olla, aquaque peragatur. Unde veteri voce *assam carnem*, i. *solam*, dictam fuisse, paulo suprà vidimus. Porro robustiora corpora efficit, & minus temporis requirit, quàm elixatio. Unde apud Homerum *Iliad.* ξ. subulcus,

Ὀπτὰ δ' ἄρα πάντα φέρων, παρέθηκ' Ὀδυσῆϊ,
Omnia assata afferens, apposuit Ulyssi,

utpote re urgente, &c. Bochartus *Hierozoici Part. prior. Lib. II. cap.* 50. Salmasius *ad Vopiscum in Aureliano*, *Convivium de assaturis maximè fuit*, notat, apud Vett. postquam binis vicibus de die cibus capi cœptus, in convivio, h. e. cœna, *assa omnia* adponi consuevisse, quemadmodum hodieque apud nos moris est, qui elixas carnes ad prandium frequentiùs exhibemus. *Assaturæ* autem Capitolini Gr. ὀπτάνια sunt: unde *Assaturarum jura* apud vet. Persii interpretem; rarò enim assaturæ sine jure; quod *intinctum* vel *tuccam* appellabant Latini, ζωμὸν Græci, condimentum viz. & ex multis speciebus gulam irritantibus compositum jus, quod assaturis superinfundebatur &c.

Assertores Romani nominis, apud Trebellium Pollionem in XXX. *Tyr. Ita Gallieno perdente Rempubl. in Gallia primum Posthumius, dein Lollianus, Victorinus deinceps, postremò Tetricus (nam de Mario nihil dicimus) assertores Romani nominis extiterunt.* Ubi vulgò *adsectatores* legitur. V. Gruterum & Salmasium *ad l.*

Assessores, apud Æl. Lampridium in *Alexandro Sev. Assessoribus salaria instituit: quamvis sæpe dixerit, eos esse promovendos, qui per se Remp. gerere possent, non per* Assessores, *addens, militares habere suas administrationes, habere literatos, & ideo unumquemque hoc agere debere, quod nosset*: Consiliarii sunt. Quibus tamen non ab Alexandro Severo primùm salaria constituta esse, discimus ex Spartiano in *Pescennio*: *Addidit Consiliariis salaria, ne eos gravarent, quibus assidebant.* Casaubonus *ad Lampridium*. At in *Vita* S. Sulpitii Episc. Bituric. *cap.* 6. *num.* 27. *Assessores* peræquatores sunt seu censuum descriptores, qui censum per capita aut pro modo facultatum, tributariis imponebant, Gall. *Asseeurs*. V. du Fresne *Glossar.* in voce *Assidere*. In libro Gall. de *Ministris Regis Angl. Assessor ferculorum* dicitur, qui fercula in mensa ponit, Gall. *qui assied les plats*, apud Eund. Inde *Assessoria* in Concilio Albiensi sub Zœno Legato Pontificio *cap.* 14. h. e. *Assessoris* seu Judicis munus, V. *ibid.*

Assia Troadis, apud Plinium *lib* 36. *cap.* 17. *In Asso Troadis sarcophagus lapis fissili vena scinditur*; est regio circa *Assum* vel urbis *Assi* territorium. Unde *Assius* lapis hic dictus est, de quo V. infrà, in voce *Sarcophagus*. Stephanus tres *Assos* habet, quæ tamen una eademque. Nam *Assus Lydiæ*, quam vocat, eadem est cum *Asso Troadis*, eademque *Mysiæ* prope Atarnen, quæ inter Mysiam & Lydiam ab eodem ponitur. Hæc eadem tandem Ἄσσος Æolidis, quæ Mitylenæorum fuit colonia &c. V. Salmasium *ad Solinum pag.* 1203. & 1204.

Assidæi, adde: Ante captivitatem Babylonicam, reperitur apud Hebræos in usu vox חסידים *Chasidim*, (quæ *Assidæi* redditur) voci צדיקים *Tsadikim* synonyma, i. *Justi*: & opponebatur utraque vocabulo רשעים *Reschaguim*, i. *maligni*: in quæ duo hominum genera universa tum gens divisa fuit. Post captivitatem verò *Chasidim* à *Tsadikim* distingui cœpere: quorum hi Scripturæ inhærentes, justitiam sectabantur lege requisitam, illi Scripturæ varia additamenta assuere neutiquam veriti, Sanctitatis eminentiorem, quàm qui Lege requireretur, gradum affectabant. Sic tria erant Judæorum genera, *Reschaguim*, ἀσεβεῖς impii & maligni: *Tsadikim* δίκαιοι seu justi, ac *Chasidim* ὅσιοι vel ἀγαθοί: viri sancti bonique, quorum hi postremi summa erant apud populum in veneratione. Huc fortè alludens Apostolus, cum immensum CHRISTI amorem, pro impiis morientis, pro merito extollere vellet, *Rom.* 5. *versu* 7. ait: Μόλις γὰρ ὑπὲρ δικαίου τις ἀποθανεῖται· ὑπὲρ γὰρ τοῦ ἀγαθοῦ τάχα τις καὶ τολμᾷ ἀποθανεῖν, *Vix pro* justo *quisquam moritur. Nam pro* bono *forsan quis audeat mori.* Ex Assidæis his postmodum, postquam opera illa supererogatoria non amplius, ut adiaphora haberi, sed ut necessaria urgeri cœperunt, suppullularunt Pharisæi, è quibus Esseni prodiere, qui ambo Traditiones non scriptas, velut simpliciter necessarias & ipsa S. Scripturâ magis perfectas, populo obtruserunt. A quibus ut se remotiores testarentur *Tsadikim*, non Traditiones solùm, sed ipsam quoque Scripturam, Pentateucho-tenus, ut quidam volunt, rejicere cœperunt, קראים *Karaim* i. *Textuales* seu *Scripturarii* dicti. Alii tamen eos totam Scripturam, Traditionibus tantùm rejectis, admisisse statuunt: Hi ab hæresi hactenus alieni, processu temporis à Sadoco & Baitho seducti, omnia post hanc vitam bonorum operum præmia frustra expectari, nec sceleri pœnam metuendam, imò nullam planè mortuorum resurrectionem dari delirarunt, sicque in Sadducæos degenerarunt: de quibus, ut & reliquis Sectis suprà memoratis, Vide plura, *in suis locis*.

Assiduitas, V. infrà *Residentia*.

Assis, V. suprà *As*.

Assis Publicus, pro tributo passim occurrit, quod *assibus*, i. solidis, exactio tributi celebraretur. Cassiodorus *lib.* 12. *Quapropter ne lædas urbem amœnitas sua, aut res præmii fiat tuæ dispendii, pe-*

viridariorum & aromatariorum prohibitionem secundùm evectiones concessas, infasse publicum *consistularius imputari.* V. quoque *Cod.* Theodos. *de indub. deb.* ubi *Assis*, *& tributum vel census* idem. *Assem tributarium* vocat idem Cassiodorus ubi suprà, ut & *lib.*4. Quibus omnibus locis *Assis publicus*, pro tributo vel censu publico, dicitur quidem, sed pro solido aureo accipiendus. Nam *Canonicos solidos*, & *Asses canonicos*, dicebant de tributo. Cassiodor. *lib.* 2. *Superbia deinde conductorum canonicos solidos non ordine traditos, sed sub iniquo pondere imminentibus fuisse projectos.* Sic *tressis*, quæ vox *tres asses* significat, pro *tribus aureis* ponitur, in *Nov.* 58. & dupondius, qui duos asses valebat, pro *duobus aureis*, in vet. *Glossario* accipitur. *Dupondius*, διπλῦς χρύσινος. *Assis* igitur ἁπλῦς χρύσινος & *unus aureus.* *Assis* enim totum significat & solidum, unde *ex asse* & *ex solido*, idem erat. Gloss. *ex asse*, ἐξ ὁλοκλήρυ: hinc *solidus* & *assis* idem; recentiores namque *solidum* dixerunt, pro nummo aureo. Cœpit autem *Assis* pro nummo usurpari aureo, quia assis & aurei idem planè pondus erat, duarum sc. drachmarum, &c. Porro *Assem* Vett. etiam τὴν μονάδα dixerunt; unde apud Calculones, *adjecto asse*, id est, *addita unitate*, V. suprà in voce *As*: Et quia *Assis* & *aureus* idem, ac apud Recentiores aureus sex millibus nummorum computaretur, μονάδα quoque, i. *assem*, iidem pro *sex millium numero* usurparunt, uti constat ex Chrysostomo & Anastasio Sinaita, laudatis Salmasio *ad Lampridium in Alexandro Sev.* V. quoque Senatorem *lib.*12. *Epist.*15.

Assisa, & *Assisia*, voces recentioribus Scriptoribus crebrò usurpatæ. Dicuntur autem *Assisæ* Comitia publica, conventus & consessus proborum hominum, à Principe vel domino feudi electorum, qui pro tribunali jus dicunt, lites dirimunt, de rebus ad Remp. spectantibus statuta conficiunt; *Malla publica, Placita*, quomodo Ἕδραι βυλῆς dicuntur Hesychio, du Fresne *Glossar.* Apud Anglos verò *Assisæ* definitur sessio Justitiariorum duorum itinerantium cum Justitiariis Pacis, ut vocantur, in Urbe capitali uniuscujusque Comitatus, bis in anno, ut audiant placita, lites componant & pro tribunali jus dicant. Peragebantur verò *Assisæ* ejusmodi, ut & alia olim Placita, in locis publicis ac patentibus, veluti ante januas Ædium sacrarum, aut in Cœmeteriis: atque ad id deligebantur majores villæ, & quæ populo abundarent, intra Regis aut Domini feudi jurisdictionem, ad majus commodum litigantium. Et quidem in Francia cogebantur, de duobus mensibus ad duos menses, atque indicebantur à Ballivis & Senescallis, in fine cujuslibet *Assisiæ*; interdum per singulas quindenas fiebant. Formulam cogendorum in Francia à Ballivo proborum hominum seu vassallorum feudi, qui *Assisiis* interesse tenebantur, ex vet. *Regesto* exhibet idem du Fresne *d. l.* è quibus si quis deesset, pecunia mulctabatur &c. Sed & *Assisæ* nomine veniebat, quidquid in Assisiis definiebatur inter litigantes, quod pro supremo judicio erat: Maximè verò id, quod statuebatur ad publicum Regni aut vassallorum omnium commodum. Item breve Regium, quo quis ob certa delicta vel crimina, litesve alias, quarum probatio ex instrumentis incerta esset, in jus vocabatur: ideo, quia ab *Assisa* præcipiebatur Vicecomiti, ut 12. juratores submoneret, qui de rei veritate testimonium ferrent. Neque verò pro brevi solùm tali, sed etiam pro ipsa *jurata*, seu pro ipsorum juratorum testimoniis, vox usurpata reperitur: qua notione fuit *Assisa* vel *Magna* seu *Grandis*, vel *Parva* seu *Ordinaria*: quarum illa constabat Militibus numero XII. gladio cinctis & XII. electis illis adjunctis; ista XII. liberis solùm & legalibus hominibus patriæ, per Vicecomitem conscriptis, &c. V. plura hanc in rem apud du Fresne, ubi suprà.

Assisi, in Ecclesia Rom. dicuntur in Ecclesiis Cathedralibus Beneficiati, minores tamen ordine Canonicis, in Ecclesiis Cypriis, qui videntur functi officio Canonicorum, qui aliàs *Vicarii* appellantur: vel quibus assignata est *assisia*, seu pensio annua (namque & hoc nonnunquam significatu vox reperitur) quasi *Pensionarii*. Cujusmodi *Assisiorum* mentio est passim in Conciliis Nicosiensibus nuper editis, in *Constitution.* Nicos. *cap.*9. 30. 31. alibique. V. du Fresne *Glossar.* At Macro *Assisi* dicuntur, qui aliàs *Mansionarii*, eò quòd *assiduè* ministrent Ecclesiæ ex Ant. Nebrissensi in *Vocabular.* Quod officium, addit, Canonico Altaristæ in Basilica Vaticana, translatum est, cùm inter alia singulis diebus, vel saltem qualibet hebdomade, visitare ejusdem Basilicæ altaria teneatur &c. V. eum in *Hierolexico*.

Assitoreth seu *Ashtoreth*, Numen Sidoniorum, quod Græci Ἀστάρτην vocarunt; perperàm eam cum Atargati & Derceto confundentes. Atargatis enim vel Derceto, sub piscis forma colebatur à Joppensibus: Astarte verò Dea Sidoniorum peculiaris, quam alii Lunam, alii Venerem, alii Deûm Matrem esse voluerunt, alii Cœlestem Carthaginensium, nihil de piscis effigie habebat. Ab utraque porro diversa Dea Syria, sic κατ' ἐξοχὴν dicta, quæ peculiare Numen fuit Hierapolitanorum, totum fœmineum, quod idem cum Junone quidam, alii Venerem, alii Matrem Deûm fuisse tradunt. V. Salmasium *ad Solinum d. l. pag.*174. ut & hic *passim*.

Associans & *Associator*, in Alcorano, *Adulter minimè ducat nisi adulteram, aut* associantem, *seu participem facientem, nec ducat adultera nisi adulterum aut associatorem. Hoc enim credentibus seu Musulmannis est interdictum*: Mahometanis est idololatra qualiscunque sic dictus, *quia facit Deum æqualem Deo*, seu *Deo alium associat*, Videsis Antoninum Gigg. *Thesaur. Volum.* 2. *col.* 1089. Inprimis verò Christianos hoc nomine notant, Joh. Seldenus *Uxor. Hebraic. lib.* 3. *cap.*12. In Ecclesia Rom. verò *Associare*, Gall. *Faire pariage*, dicebantur Monasteria & Ecclesiasticæ personæ, cùm, ut à potentum & vicinorum invasione se tuerentur, potentiores in partem dominii suorum prædiorum asciscebant, sicque eorum protectioni ac tutelæ sese committebant. V. Senatorem *lib.* 2. *Epist.* 16. ubi de Tertiis Gothicis, Vignerium in *Originibus Alsat.* aliosque Auctores, laudatos Carolo du Fresne *Glossar.*

Assula, propriè τὸ ἀποτέλεσμα; aliàs *astula*. Paulinus,

> —— *vicis brevis* astula *flammam.*

Festo *fomites*, sunt *assulæ ex arboribus, dum cæduntur, excussæ.* Ita & apud Servium ex Claudio, *Assulæ ambustæ.* Unde *assulatim dedolare viscera*, Plauto; quod *minutatim* exponit Nonius. Sic *assulæ marmoreæ*, apud Vitruvium, quæ ex marmore, dum cæditur, excutiuntur &c. V. Salmasium *ad Solinum pag.*502. & infrà, in voce *Fomes*.

Assumptio, in Ecclesia Rom. dies dicitur mortis Sancti alicujus, quo sc. ejus anima *assumitur* in cœlum. Propriè verò transitus B. Virginis, ut ait Durandus *Rational. lib.*7. *cap.*1. *n.*15. Frodoardus in *Leone IV.*

> *Tandem clara dies Reginæ Adsumtio cœlis*
> *Regiparentis adest*, &c.

Quod Festum celebratur die 15. Augusti, & omnium maximum est in Ecclesia Rom. ac per excellentiam *Dies Dominæ* dicitur, ut habet Baronius *in Martyrologio ad h. d.* De ejus origine ac institutione nihil certi adferunt. Græci non *Assumtionis* nomine, nec græco, quod id significaret, sed Κοιμήσεως, *Dormitionis*, utuntur: quia de *assumtione in corpore* nihil habuerunt certi. *Usuardus & Ado*, inquit Baronius, *cùm hac die celebrari dicant genitricis dormitionem, de Ecclesiæ judicio verba hæc subdunt: Plus elegit sobrietas Ecclesiæ cum pietate nescire, quàm aliquid frivolum & apocryphum inde tenendo docere.* Sed quæ secuta est ætas, hujus sobrietatis limites egressa, eas lectiones ex variis auctoribus, in hujus Festi officio, recitari curat, quæ rem in dubio minimè relinquunt. Et quamvis id apertè non decernit Ecclesia Rom. quòd fuerit B. Virgo in cœlum cum corpore assumta; vix tamen ullus in ea est, qui de eo dubitantem ferat. V. A. Rivetum *Apolog. pro SS. Virgine Maria lib.*1. *cap.*21. *& lib.* 2. *cap.*13.

Assyria Arbor, quæ & *Medica*, & Περσικὴ μηλέα, eadem cum Citrea plerisque Veterum. Sed Virgilius in illa describenda, ingentem arborem eam nobis tradit, quod Aurantiæ potiùs, quàm Citro, convenit. Nam citrum non altè attollitur,

> *Ipsa ingens arbor faciemque simillima lauro.*

ad quem locum Servius, *Sanè etiam hæc probant, citrum non esse. Nam citri arbor multum non potest crescere.* Dicta autem *Assyria* est, quòd primitus in sola Assyria proveniret: postea verò per universam Asiam & Europam, semine inde allato, crebrescere cœpit. V. de illa Salmasium *ad Solinum pag.*949. ut & infrà ubi de *Aurantiis & Citreis malis*.

Assyria Bombyx, V. infrà *Bombyx*.

Assyriæ Vestes, sericæ Vett. V. infrà, *Sericum*.

Assyrii Succi, apud Papinium Statium 6. *Thebaid. versu* 209.

> *Nec non Assyriis pinguescunt robora succis:*

omne genus aromatum est. Virgilius,

> —— *Assyrium vulgò nascetur amomum.*

Martialis *lib.*8 *Epigramm.*77.

> *Si sapis*, Assyrio *semper tibi crinis amomo*
> *Splendeat.*

Idem *Assyrios nidos phœnicis* dicit, omni genere aromatum fartos, Horatius *lib.*2. *od.* 11.

> *Cur non* —— ——
> —— —— *& rosa*
> *Canos odorati capillos*
> *Dum licet*, Assyriaque *nardo*
> *Potamus uncti?*

Catullus, *Fragrantem* Assyrio *venit odore domum &c.* V. Casp. Barthium *Animadversionum ad Statium d. l.*

Assyriorum Gramen, V. suprà *Amomum*.

Assyrium Malum, V. infrà *Citreum*, *Medicum*, *Persicum*.

Astaboras, adde: Nili ramus veteribus creditus, uti probat Bochartus: qui oritur ex locis Avaliti sinui proximis & Mosylo emporio, V. eum *Hierozoici Part. poster. lib.* 1. *cap.*11. Ut & infrà, in voce *Astasobas*.

Astaca, Ammiano inter Parthiæ urbes recensetur, *lib.* 23 *In hac potiora residuis sunt oppida Genonia, Charax, Apamia*, Astaca & *Hecatompylos.* Hinc *Astacene*, Ἀστακηνή, prov. Parthiæ. Plinius *lib.* 2. *cap.* 105. *Similis est natura naphthæ: ita appellatur circa Babylonem & in* Astacene *Parthiæ profluens, bituminis liquidi modo* &c.

Astacani, apud Solinum *cap.*52. Indiæ pop. Græcis Ἀστακανοὶ,

ab urbe *Astacana*: quam Ptolomæus in Bactriana regione recenset. Strabo 'Ασπασίους collocat inter Copheten & Indum; quæ causa, quòd ab India illos excludant ii, quibus placuit Indiam Indo amne determinare, V. Salmasium *ad Solinum* pag 1004.

Astacus, adde: Priorem, quæ in Bithynia, Lysimachus evertit, contemporaneus Zypoëtæ, Nicomedis patris, à quo Nicomedia ferme sub idem tempus condita est incolis *Astaci* eò traductis, uti auctor est Strabo *lib.12.* Κατεσκάφη (loquitur autem de *Astaco*) δ' ὑπὸ Λυσιμάχου τοὺς δ' οἰκήτορας μετήγαγεν εἰς Νικομήδειαν ὁ κτίσας αὐτήν. Atque hinc fortè factum, ut quidam Auctores scripserint, Nicomediam priùs *Astacum* fuisse dictam, quorum opinionem, & illud adjuvisse videtur, quòd non longe ab eo loco, ubi erat *Astacus* sita, condendam curavit Nicomedes Nicomediam. Strabo *Astacum*, περὶ Νικομήδειαν, *circa Nicomediam*, collocat: Memnon Nicomediam ἀντικρὺ τῆς 'Αστακοῦ conditam fuisse scribit &c. Salmasius *ad Trebellium Pollionem in Gallienis*. V. eundem *ad Solinum pag.* 879.

Astagenes, apud Solinum cap.52. perperam pro *Astacanis*, quos vide.

Astanda, V. suprà *Asganda*.

Astaroth, adde: Sicut Sol, ita & Luna, sub variis nominibus culta fuit ab Ethnicis. Hæc enim aliquando *Urania*, respectu luminis sui: nonnunquam 'Αστράρχη, respectu minorum siderum, seu *Planetarum Regina*, aliquando *Ammonia* dicta est, & sub ovis imagine adorata, ut alia taceam. Ita ergo sub *Astaroth* nomine culta est a Sidoniis, in cujus templo Philistæi defuncti Saulis arma suspendisse leguntur, 1.Sam. 31. 10. Hinc Luc. *de Syria Dea*, 'Αστάρτην, inquit, ἐγὼ δοκέω σεληναίην ἔμμεναι, *Astarten Lunam esse opinor*. Nec obstat, quòd quidam Astarten Junonem interpretentur, notum enim hæc Numina non rarò confundi; & elogium, quod Junoni tribuitur à Virgilio,

—— —— *Divum incedo regina*,

Cœli Reginæ, cujus meminit Jeremias *cap.7. vers.*18. & *cap.* 44 *versu* 17. apprimè quadrat: Ut omittam Kalendas seu mensis cujuslibet primitias Junoni sacras fuisse. Imò quemadmodum Jupiter Ammon Sol erat, sub Arietis schemate: ita Juno Ammonia Luna, sub ovis figura, culta. Et certe *Astaroth* idolum hoc planè modò figurant Hebræi Scriptores, ipsaque vox gregem ovium denotat. V. Thom. Godvvyn *de ritibus Hebræor. lib.4. cap.6.* & suprà in voce *Ammonia*.

Astasobas, Græcè 'Αστασόβας, brachium Nili est, sicut & *Astaboras*. Plinius, *Astaboras lævo alveo dictus, hoc est, ramus aquæ venientis è tenebris; dextero verò* Astasobas, *quod lateris significationem adjicit*. Alii utrumque amnem in Nilum influentem faciunt: Cingunt autem ambo Meroën urbem. Salmasius *ad Solinum pag.* 418. & 419.

Aster, Græcè 'Αστὴρ, nomen stellis, floribus, gemmis, aliis commune. 'Αστὴρ enim 'Αττικὸς, flos est, cujus folia stellæ imaginem referunt; unde & ἀστέριον & ἀστερίσκος dictus. Et ἀστέρες, nec non ἄστρα, dicuntur gemmæ, ad speciem sideris aut stellæ relucentes; à quibus diversæ *Asteriæ*, quæ variis guttis stellatæ sunt. Uti ἄστριον, lapis instar plenæ Lunæ refulgens, quasi *parvum astrum*. Sunt tamen qui ἀστέριον & ἄστριον confuderunt. Sed propriè 'Αστέριος, ἀστερίας, ἀστερίτης & ἀστερωτὸς, non *stellæ similiter resplendens*, sed multis maculis, velut stellis sparsum, *stellisque compunctum* ac variatum, notant. Sic Avienus ἀστέριον λίθον interpretatus est, de Jaspide,

—— —— *hic & Jaspis*

Fulva micat stellis.

Et Sandastrum gemmam Plinius memorat, stellarum Hyadum numero ac dispositione stellatam, quæ intus habebat aureas guttas stellantes in tralucido &c. Phalangii quoque genus, ἀστέριον, de quo infrà in voce *Stellio*: plura vero hanc in rem apud Salmasium *ad Solinum passim*.

Aster Samius, genus terræ candidissimæ; quam quidam cum ἀφροσελήνῳ & ἀφροσελήνου confundunt: Avicenna putat esse *Talk* Arabicum, quod hodieque *Talch* dicitur. V. præfatum Auctorem ubi suprà *pag.*1098.

Asteria, gemma candida & contra Solem radios regerens, unde ei nomen. Plinius, *Proxima candicantium est* Asteria, *principatum habens proprietate naturæ, quòd inclusam lucem pupillæ modo quodam continet, ac transfunditur cum inclinatione, velut intus ambulantem ex alio atque alio ipso reddens, eademque contrario Soli regerens candicantes radios, unde & nomen invenit, difficilis ad cælandum.* Sub. autem *gemma*; sicut eadem 'Αστέριος, *Asterites* dicitur, sub. λίθος, *lapis*. Nasci eam prodit Dionysius in montibus Pallenes,

"Ενθα μελαινοτάτοιο κατὰ σχοινιᾶς Παλλήνης
Φύεται 'Αστέριος καλὸς λίθος, οὐδ' ἂν ἀστὴρ
Μαρμαίρων.

Quod de *Astrio* scribit Plinius: quam gemmam nonnulli Σεληνίτην etiam videntur vocasse, quòd fulgore luceat Lunæ plenæ. Sed cùm ista vocabula mirè confundant Auctores, docet Salmasius, lapidis hujus nomen non esse ἀστέριος adject. sed τὸ ἀστέριον dimin. quod parvum ἀστέρα significat. Unde recentioribus Græcis, omnia fere nomina per diminutiones enuntiantibus, ἀστέριον dicitur, h.e. *stella*. Hoc autem nomine indigitari gemmas, quæ *stellarum* instar reluceant, sicut ἀστέριον dici, quæ guttis stellatæ sunt, suprà vidimus. V. eum *ad Solinum pag.*756. & *seqq.* ut & *pag.*1093. ubi *Asterion* & *Astrion*, inter candidas gemmas & crystallo cognatas, referri addit.

Asteriscus, Gr. ἀστερίσκος, ex auro vel ex alio metallo stellula, quæ in Ecclesia Gr. ponitur super patenam, ad sacra dona tegenda, cum pusilla cruce in vertice; ut velum, quo patena cooperitur, sustentetur, ne Eucharisticum panem in patena positum tangat. Denotari hâc ceremoniâ autem volunt stellam felicis ominis, quæ Magos ad Dominum nostrum deduxit superstetitque, ubi ille erat; unde Sacerdos, hanc stellam patinæ imponens, ait: *Et veniens stella adstitit super, ubi erat puer positus*. Dominic. Macer in *Hierolex.* ubi Isacium Haubertum, qui *Observation. ad Euchológ. Asteriscum, quo sacra cooperiuntur, velum fuisse stellâ ornatum*, asserit, refutat.

Asterites lapis, V. suprà *Asteria*.

Astica Regio, 'Αστικὴ στρατηγία, Ptol. cujus incolæ *Astæ*, pop. Thraciæ. In ea Bizye erat, sedes Regum. Stephanus, Βιζύη, πόλις Θρᾴκης, τὸ τῶν 'Αστῶν βασίλειον, apud Salmasium *ad Solinum pag.* 66.

Astile seu *Hastile*, apud Leonem Ostiens. *lib.2. cap. ult. Crucem auream* —— *cum tripode argenteo deaurato & astili onychino argenteo & aureo ornato*: baculus est longior, cui crux, quæ in Communione Rom. in processionibus defertur, infigi solet. *Hastile* dicitur, apud Adamnanum *de locis Scr. lib.* 1. *cap.* 8. *In Cruce lignea, cujus hastile in duas incercisum est partes* &c. Car. du Fresne *Glossar.*

Astipulator, in *Ord.* Romano, dicitur is, cujus licentiâ & consensu Virgo, religionis, ut vocant, habitum sumit, apud Baud.

Astomi, adde: Alii habent, in Africa Mediterr. Cujus fabulæ occasio ab Africanis gentibus cis Senegam desumta est, qui pudori sibi ducunt os suum ab aliis videri. V. le Blanc *part.2. pag.2.* Confer Vossium *in Pomp. Melam lib.3. cap.9.* Quibus adde Auctorem *Histor. Orbis Terr.*

Astra, V. infrà in voce *Stella*.

Astraba, Isidoro in *Gloss. tabella in qua pedes requiescunt*: quo nomine Salmasius indigitatas vult tabellas vel scalas ferreas equis scandendis olim adhibitas, hodieque. Namque scansoria illa inscendendis equis & pedibus sustinendis facta, jam Hieronymi tempore in usu fuisse, dicemus infrà in voce *Stapedes*. 'Αναβολεῖς Græci, eadem qua Stratores olim appellatione, dixere: σκάλας etiam vocat Mauricius *Strategic. lib.1.* Pendebant autem è sella equi & ex ferro erant. *Ibid.* ut & apud Eustathium *Odyss.* &c. Apud Suidam verò 'Αστράβη est τὸ ἐπὶ τῶν ἐφιππίων ξύλον ὃ κρατοῦσιν οἱ ἀναβαζόμενοι, *Lignum, quod est in ephippiis, quod sessores tenent*. Hoc est, sellæ arcus, quem *Arçon* vulgo Galli vocant, vel sella ipsa. Hinc ἐκ τῆς ἀστράβης ἀποσφαιρίζειν, *ex equo deturbare*, apud Nicetam, Gall. *desarçonner*. *Arciones* autem hi ab arcu vocant, quòd in modum arcus incurvi sint, &c. Salmasius *Notis ad Ælium Spartianum in Antonino Caracallo*, ad verba, *Quum illum in equum strator ejus levaret*.

Astrachanum, adde: Urbs à primo conditore nomen accepit; Regnum verò unum ex illis est, quæ ex Zavolhensi Imperio destructo originem duxere, fueréque Reges sub tutela & tributo Crimensium seu Precopensium Tartarorum. Georg. Hornius *Orb. Imper. pag.*437.

Astragalizontes, Græcè 'Αστραγαλίζοντες, ex ære, Polycleti opus. Plinius *lib.34. cap.8. Polycletus* —— *fecit & distringentem & nudum talo incessentem. Duosque pueros, item talis nudos ludentes, qui vocantur* Astragalizontes: *& sunt in Titi imperatoris atrio, quo opere nullum absolutius plerique judicant.*

Astrantia, sive *Ostritium* Herbariorum, aliis *Magistrantia* & *Imperatoria*, verum est Vett. Smyrnium. Utriusque enim caulis fœniculaceus, folia apii in atri colorem languescentia, radix crassa & multa, foris nigricans, intus alba. Utraque in montibus nascitur, & radice liquorem exsudat lentum ac modicè rufum, suavissimi odoris & myrrham optimam redolentis, linguamque vellicantis acrimonia suâ. Unde & *myrrham* succum vocavere Veteres, stacte myrrhâ nihilo deteriorem. Utraque porro stomachum corroborat, menses & urinam ciet, cum polenta trita & imposita carbunculos sanat, ex vino pota rigores discutit, contra rabiosi canis morsum & serpentis ictus efficax est; renumque ac lumborum doloribus opitulatur &c. Hodie quoque *Herbam Benzuini* nonnulli vocant; de qua V. plura apud Salmasium *ad Solinum pag.*1174. & 1275.

Astrapæa, nomen gemmæ, apud Plinium *lib.*37. *cap.*11. *Astrapæa in nigro aut cyaneo discurrunt, è medio fluminis radii.* Græcè ἀστραπαία, ab ἀστραπή, *fulgur, fulgor, fulgetrum*. Idem Salmasius *ibid. pag.*770.

Astrictus color, V. suprà *Adstrictus*.

Astrion, Græcè "Αστριον, quasi *parvum* ἄστρον, vel *parvus* ἀστὴρ, gemma est candida, in Carmania, Media, & Perside nascens; quam Σεληνίτην quoque nonnulli vocavere: non quòd cum Luna cursu sympathiam habeat; Sed quia ex candido translucens melleo colore Lunæ imaginem continet. Salmasius *ad Solinum pag.*756. & 768.

Astrionæ

Astrioces, Græcè Ἀστριώτης, lapis, cui multas virtutes, in Magicis rebus, tribuit Zoroastres, apud Plinium *lib. 37. cap. 9. Celebrans astrioten, mirasque laudes ejus in Magicis artibus Zoroastrem cecinisse.* Cardano, gemma est minimè perspicua, cinerea, stellatis maculis distincta, quæ in aceto, aut vino, sponte movetur, animalium incessu progrediens, nunc antrorsum, nunc retrorsum, nunc in latus. Dalechampius *ad l.*

Astrites seu *Stella Marina*, piscis est, quinos radios habens longitudine palmi, cui cortex durus, hispidus, asper & serpentino colore variatus, flexuosus tamen & radiis ex centro æquis spatiis in circumferentiam paulatim gracilescentibus; cutis non glabra, sed quasi ex meris ossiculis ac spinulis compaginata. Celerrimè natat instarque polypi brachia diducit ac contrahit; os in medio, instar echini, ita ut alimentum singulis quinque radiis subministrare possit. Dorsum supernè in sphæra protuberat, & ipsum hispidum, durum ac asperum: Magis tamen venter glaber est; maculis alternatim, cinericio colore albicantibus & nigredine obfuscatis, intermixtis. Degunt plerunque inter saxorum fissuras & hiatus, tanquam propriis pabuli sui domiciliis, vescuntur quippe maximè humore salsuginoso rupium ostreisque marinis, iisque quæ *mollia* dicuntur, passim insidias struunt & apprehensa tota exugunt ac delumbant. Cujusmodi plures visuntur in *Musæo* Kircheriano Romæ, ut refert Georg. de Sepibus *in Collegii Rom. Soc. Jesu Musæo, pag.* 26.

Astrobolos, gemma oculis piscium similis & *radians candido, ut Sol*, apud Plinium *l. 37. c. 9.* Fortè, *in Sole*.

Astroboris, V. ubi de *Astabora*.

Astrolabia, recentioribus dicta sunt, μετεωροσκόπια Veterum, quæ non solùm de die valent, ut σκιόθηρα, sed & die ac nocte ad intervalla, magnitudines ac loca singularum stellarum signanda, sunt excogitata. Μετέωρα enim *stellas* quoque vocarunt Veteres, & quæ in cœlo ipso sunt, non ea tantum quæ infra cœlum. Hujusmodi autem organa primus adinvenisse Hipparchus dicitur, Plinio *lib. 2 cap. 37. Idemque ausus rem etiam Deo improbam, an numerare posteris stellas, ac sidera ad nomen expingere.* Sed & Σκιόθηρα quadantenus sunt μετεωροσκοπικά, quatenus & Solis motus ex umbris & Meridiani &c. per ea deprehenduntur. Ὡροσκόπια utraque dixit Ptolomæus, ab *horoscopo* indagando, de qua re V. infrà. In *Musæo* Kircheriano *Astrolabia* seu Planisphæria plura ex aurichalco asservantur, è quibus vero quinque eximia sunt, omnibus sui partibus ad diversas altitudines poli aptata, stellarumque fixarum retibus, lineâ fiduciæ, axe atque armillâ suspensoriâ instructissima. Maximum eorum, quod & Latinis characteribus & notis exsculptum est, trium palmorum magnitudinem adæquat. Duo alia, quorum unum Arabum notis & antiquitate visendum; alterum iisdem characteribus insignitum, palmo cum dimidio in diametro constant &c. V. Georgium *de Sepibus in Collegii Rom. S. I. Musæo pag.* 27.

Astrologi seu Chaldæi Assyriis, quales Ægyptiis Sacerdotes. Clemens 1. *Strom.* ubi de Astrica Philosophia ac Fatidica: Προέστησαν δὲ αὐτῆς Αἰγυπτίων μὲν οἱ προφῆται, καὶ Ἀσσυρίων οἱ Χαλδαῖοι καὶ Γαλατῶν οἱ Δρυΐδαι. Quâ arte Berosus inprimis claruit. Plinius *lib. 7. cap. 37. Variarum artium scientiâ innumerabiles enituere —— Astrologia Berosus, cui ob divinas prædictiones, Athenienses publicè in gymnasio statuam inauratâ linguâ statuere.* Hic eam a Babyloniis suis primus in Græciam attulit, & disciplinæ hujus Scholam in Coa Ins. aperuit, teste Vitruvio: circa tempora Alexandri M. si is idem est cum eo Beroso, qui Βαβυλωνικὰ scripsit. Ante eum Eudoxus *Astronomiam*, quam ab Ægyptiis didicerat, Græcos suos docuit, circa Olymp. 103. Certè τῆς Ἀστρονομίας apud Græcos, duos Auctores præcipuos ac primos agnoscit Sextus, Eudoxum & Hipparchum. Vetustiora tamen Eudoxo hujus scientiæ principia ac studia in Græcia fuisse, hinc colligitur, quod Thales, qui obiit Olymp. 58. primus ἀστρολογῆσαι proditur. Scripsit is de Æquinoctiis & Solstitiis, primusque deliquia Solis prædixit: nullam verò partem τῆς Γενεθλιακῆς attigit, quæ Veteribus *Astrologiæ* nomine propriè veniebat; Astronomiam propriè vocantibus τήρησιν τῶν ἐπὶ φαινομένων, *observationem siderum*, ad prædicendas anni tempestates: quæ observatio Nautis ac Agricolis in primis utilis ac necessaria est. Alii tamen discrimen hoc neglexerunt. Unde Thales, ut modò visum, ἀστρολογῆσαι primus dictus & Pherecydes Ἀστρολόγος est appellatus, qui tantum Ἀστρονόμος fuit: Phoci Samii liber inscriptus erat Ἀστρολογία Ναυτικὴ &c. Contrà Manilius *Astronomicῶν* libros suos inscripsit, qui merè Γενεθλιαλογία sunt: Sed Recentiores, *Astrologos* & *Astronomos* iterum, sed alia paulò ratione, separavere, ut videre est, apud Salmasium pluribus hac de re agentem, *ad Solinum pag. 641 & seqq.* V. quoque Gerh. Joh. Vossium *de Artibus Mathematicis*, ut & hic passim, ubi de *Æquinoctiis*, *Gnomonice* Arte, *Horoscopiis* &c.

Astronomi, quinam dicti olim hodieque, V. hic suprà.

Astrum, τὸ Ἄστρον, Græcis antiquis κατ' ἐξοχὴν, *sidus caniculæ* dictum est. Unde Theophrastus, ὑπὸ τὸ ἄστρον fieri incisionem balsami scribit. Et Archilochus, τὸ ἄστρον καταυαίνεται; atque ita semper, apud eundem Theophrastum, ὑπὸ τὸ Ἄστρον, *circa Canis ortum*. Inde ἀστροβολία, *morbus astrorum, cujus causa ab ortu canis*: quam vocem *siderationem* quidem reddidere Latini, ipsam tamen *Sideris* vocem absolutè de canicula non usurparunt, Salmasius *ad Solinum pag.* 560.

Astula, V. suprà *Assula*, ut & infrà in voce *Picea*.

Astur Aureolus, boni gladiatoris nomen, apud Salmasium *ad Pollionem in Claudio*.

Asturco equus, idem cum tolutario, ab *Asturia* reg. nomen habens, mollem & ad delicias compositam vecturam, magna sedentium commoditate ac voluptate, exhibet: de quo molli delicatoque gressu per excellentiam βαδίζειν dixere Græci, ut Latini *ambulare*, unde Gallis *ambler* ortum. Καλπάζειν quoque aliquando *Asturcones* ajunt Græci, sed hoc propriè Tripedariorum equorum est: interim quia horum cursus proximè ad tolutariorum gressum accedit, facileque tripedarii tolutim docebantur & ad levitatem molitiemque vecturæ, qualis est in asturconibus, edomabantur, & his appellatio tributa. Porro ἀξυποδεῖν de *Asturconibus* itidem dicebant, i. minuto citatoque gradu ire & quasi pedibus argutari, quod tolutariorum proprium est. Σακκίζειν item, elegantissimâ tralatione; eorum gradus enim in ambulando perinde minutus ac creber est, quasi sacco colatus esset & eliquatus. Liquores enim per saccum dum exprimuntur, crebris & minutis guttis eunt: haud absimili, imò prorsus eâdem metaphorâ, de minutissimo ac spississimo gradu dixit Plautus, *eum succretum esse cribro pollinario*. Unde & *colatorii* dicti hi equi, apud Veget. a quibus *guttonarios* distinguit, qui iidem sunt cum trepidariis vel trepidantibus, &c. V. Salmasium *ad Capitolinum in Maximinis*. Quales verò equi tricenarii sint, *Traquenier*s Gallis, & quomodo ab *Asturconibus* differant, V. suo loco. Addam hic saltem, de notâ eorum, quâ plerunque insignes esse dicuntur. Indigitat eam Silius *lib.* 16. ubi ludos à Scipione in Africa celebratos describens, sic inter alia,

Proximus à primo distans, quantum æquore currus
Occupat ipse loci distans, sed proximus ibat
Astur Panchates, patrio frons alba nitebat
Insigni & patrio pes omnis concolor albo.

Indicat nempe, *Asturicos* equos vulgò maculâ albâ frontem habere insignitam & pedes plurimos albos &c. Salmasius idem *ad Solinum pag.* 897.

Astynomi, adde: Eorum decem fuisse, legitur apud Aristotelem *de Rep. Athen.* citante Harpocratione: Δέκα φησὶν εἶναι τοὺς Ἀστυνόμους Ἀριστοτέλης ἐν τῇ Ἀθηναίων πολιτείᾳ, πέντε μὲν ἐν Πειραιεῖ, πέντε δ' ἐν ἄστει. Sed numerus est corruptus: Quindecim enim illorum fuere, quot & Agoranomi, Metronomi, Sitophylaces; nempe decem in Urbe, at vero quinque in Piræeo: atque hunc numerum semper esse reponendum vult Petitus. Emendationis causam inde petit, quod Piræeum tertiam Athenarum partem constituebat, ergo quinque tantum erant in Piræeo, in reliqua verò Urbe juxta hanc analogiam, decem. Iterum verò munere hoc fungi non licebat, ex Lege: Ἂν δὶς ἀστυνομήσῃ τις, *Si quis semel atque iterum Astynomus fuerit.* Ut colligere est è Demosthene *in Proœm.* 64. Δεινὸν ἂν γὰρ εἴη εἰ ὠφελοῖ, οὐκ ὑμῖν ὑπέχειν καὶ νόμους παρὰ τούτων δεῖσθαι. ΑΝ ΤΙΣ ΑΣΤΥΝΟΜΗΣΗι ΔΙΣ. V. Petitum *Comm. in LL. Attic. lib. 3. tit. 2.*

Asylum, adde: Statuit autem hoc *Asylum* Romulus, in monte Palatino: idque ad imitationem Cadmi, qui Thebas conditurus similem perfugii locum constituit. Idem mos Crotone obtinuit, ubi si quis ad Deorum aras confugisset, sacer habebatur ac inviolabilis, &c. Unde phrases ortæ: *Ad te tanquam ad Asylum, tanquam ad Aram, confugimus.* V. Alexandr. *Genial. dier. lib. 3 cap. 20.* Primi *Asyla* erexisse Heraclidæ dicuntur: *Postquam enim Hercules migravit è terris, nepotes ejus timentes insidias eorum, quos avus afflixerat, Athenis sibi primi Asylum, hoc est, templum Misericordiæ collocarunt; unde nullus posset abduci*, Servius *ad Æneid. 8.* Quod exemplum postea alii passim imitati sunt, juxta illud: ἔχει γὰρ θὴρ μὲν καταφυγὴν πέτραν, δοῦλοι δὲ βωμοὺς θεῶν, *fera quidem petram perfugium habet, servi verò aras Deorum.* Erantque Athenis sex aræ vel templa hoc immunitatis privilegio nobilitata, viz. Misericordiæ, Minervæ, Eumenidum, Munychiæ, & duo Thesei templa, alterum intra muros, foris alterum. Huc itaque qui confugisset, tutus erat, neque ab ullo mortalium, vi inde abstrahi poterat: Sed ne scelerum licentia sic in immensum cresceret, si quis manifesti criminis reus ad locum talem se recepisset, vel fame necabatur, vel admoto igne sponte eum deserere cogebatur. Plautus *in Rudente Actu 3. sc. 4.*

Ibo hercle aliquò quæritatum ignem,
Ignem magnum hic faciam.

Hinc apud Euripidem Hermione, Andromachæ aram tenenti minatur, πῦρ σοι προσοίσω, *ignem tibi admovebo.* Nec quemque tamen supplicem ignis terrebat, imò ad ipsum ignis locum, focum vid. tuto confugiebant οἱ Ἐφέσιοι, V. Fr. Rossæum *Archæologiæ Atticæ lib. 6. cap. 1. & suprà in voce Ara.* Alia ab hisce *Asylorum* seu Civitatum refugii, quas Deus O. M. Israëlitis in terra promissionis concessit olim, ratio fuit. Non enim ulli malefico ibi impunitas, sed si quis fortuitam commisisset cædem, licebat reo confugere ad Altare, ut patet Exodi *cap. 21. vers. 14.* & 1. Regum *cap. 2. versu 28.* vel, si in loco nimis ab Altari remoto factum contigisset, certa à Deo constituta fuere refugii loca seu civitates, in ter-

ra Canaan, pari à se invicem intervallo distantes, in quibus homo istiusmodi tutas inveniret latebras. Earum fuere sex, *Bezer*, in tribu Ruben, *Ramoth in Gilead* in tribu Gad, & *Golan in Basan*, in dim. tribu Manasse, trans Jordanem: cis eum, *Cades* in Galilæa, in montanis Naphthalim, *Sichem* in tribu Ephraim ac *Kiriatharba* seu Hebron in montibus Juda. Josuæ *cap.* 20. *v.* 7. è quibus tres priores à Mose, reliquæ tres ab hujus successore Josua, huic usui fuere destinatæ. Ad has itaque civitates, ut cædis fortuitæ reus, facilè & commodè pervenire posset, Magistratuum officium erat, viam ad illas ducentem magnâ diligentiâ curare, quò illa apta, larga & plana, nullisque obstaculis impedita esset: quòd si fortè humilior alicubi terra, vel torrente aut fluento aliquo esset intercepta, pontem sterni curabant, quò fugientem nihil moraretur. Latitudo viæ non minor erat 32. cubitorum, & ubicunque illa in bivia findebatur, dirigebat properantis fugam vox *Refuge, Refuge*, conspicuo charactere exarata, quò citra errorem ad *Asylum* perveniret. Fiebat autem quotannis die 15. mensis *Adar*, qui Februario nostro ex parte respondet, ut à Magistratu mitterentur qui viam sarcirent, & aditum ad Civitates tales redderent facilem. Ne autem avidiùs reum insequens vindex sanguinis eum comprehenderet, priusquam in locum destinatum pervenisset, Viri aliquot sapientes obvii procedebant vindici, ut eum à persecutione ulteriori dehortarentur, suaderentque à vi omni abstinere, donec causa à Judicibus fuisset cognita: à quibus si deprehensus esset meditati criminis reus, neci dabatur; sin præter intentionem homicidium commisisse judicatus esset, tutò ipsi intra Civitatis istiusmodi pomœria vivendi venia erat, usque ad mortem Summi, qui tum officio fungebatur, Sacerdotis: qui cùm fato esset functus, plenâ iterum libertate fruebatur talis, & è loco refugii, in quo hactenus exul vixerat, quaquaversum eundi facultatem nanciscebatur. Aliquid divino huic instituto simile, apud Areopagitas, reperire licet, qui eum qui cædem patrasset ἀπενιαυτισμῷ seu annuo exilio punivisse leguntur. V. Rab. Solom. Jarchi *Deut.* 19. Maimonid. *in Rotsach. cap.* 8. *sect.* 5. Masium *in Jos. cap.* 20. Thomam Godwynum *in tr. Anglico, cui tit. Moses and Aaron*, *l.* 2. *c.* 5. *& suprà*.

AT.

Atabala, tympana Mauris usitata; quæ Ταβάλα dixere olim Parthi: tympana nempe ænea ad formam clibani facta, quibus in bello utebantur. Hinc τυμβαλίτας vocavere scyphos ligneos, quòd instar τυμβάλων essent. Fortè ab Æolico θύμβος vel τύμβος, absque aspiratione, quod *cumulum terræ* vel *colliculum*, ad instar aræ eminentem, notat. Salmasius *ad Solinum p.* 1020. V. infrà in voce *Tabaitæ*, item *Tabala*.

Atacora. V. Athacoræ.

Atambor, V. infrà *Tamburlum*.

Atarantes seu *Atrantes*, apud Stephanum, [illegible] ἐν [illegible] *Rhianus autem Achaicorum secundo. Atarantes post eos esse ait, & Atlantes.* Pop. Africæ, Garamantibus vicini; qui nullum proprium inter se vocabulum habent & Solem orientem atque occidentem dirâ imprecatione lacessunt. Ἀφαράντες perperam, apud Stobæum, ut & *Atlantes*, apud Solinum *cap.* 31. ubi illos à reliquis Atlantibus, decem dierum intervallo, removet. V. de illis Salmasium *ad Solinum p.* 410.

Atargatis, dicta à Græcis, quæ nomine Syriaco nonnullis *Athara*, aliter *Derceto*, Δερκετώ: Numen fuit, non Hierapolitanorum, ut illi volunt, qui cum Syria Dea eam confundunt: Sed Joppensium, quam illi coluerunt sub piscis forma, unde & nomen ab *Addirdaga* corruptum. V. in voce *Atergatis*, item *Derceto*.

Atarnitæ, V. *Rhizophagi*.

Atellani, olim propriè Exodiarii fuere, V. in voce *Exodium*: postea cum Mimis vel Mimicis scurris iidem esse cœpere. Unde & *Exodiarius*, pro Mimo, seu mimico scurra, apud Ammianum *l.* 28. *Id enim nunc repertum est pro sonitu laudum impensiore, per applicatos homines ad loquendum, ut in omni spectaculo exodiario, venatori, aurigæ, & histrionum generi omni & Judicibus celsis, itidemq; minoribus, nec non etiam matronis, clametur assiduè, per te ille discat.* Juvenalis vetus Interpres, ad versum,

Urbicus exodio risum movet Atellanæ:

Exodiarius, inquit, *apud Vett. in fine ludorum intrabat, quòd ridiculus foret: ut quidquid lachrymarum atque tristitiæ coëgissent ex tragicis affectibus, hujus spectaculi risus detergeret*, &c. Sed fallitur, cùm Exodiarios in fine Ludorum intrasse scripsit; exodia enim Attellanarum non introducebantur in fine Fabularum, & res erant ab illis prorsus separata. V. quæ hanc in rem suggerit Salmasius *ad Vopiscum in Aureliano*.

Atergus, unicâ voce pro ὀπισθόγραφον, seu ἀπὸ νώτου. i. *à tergo*, in *Glossis* Lat. Gr. *Atergus*, [illegible]. Salmasius ad *Capitolinum in Opilio Macrino*. Macro *Atergo* Opistographum dictum est. in *Hierolex*.

Ateria lex, à Sp. Tarpejo Montano Capitolino, & Aul. Aterio Fontinali Coss. lata A. Cond. urbis 299. fuit: *Ut omnibus Magistratibus mulcta dicendæ jus esset*, cùm antea solis Coss. id liceret. Cumque antea suprema mulcta esset duarum ovium & triginta boum, pretiique varietas hactenus inæqualem faceret mulctæ portionem, hac lege, quæ etiam *Tarpeja* dicta, constituti sunt in oves singulas æris deni, in boves æris centeni V. Dionys. *l.* 10. A. Gellium *l.* 11. *c.* 1. & Festum in voce *Peculatus*.

Aterius, Consul fuit, Collega Spurii Tarpeii, paulo post exactos Reges: sub quibus L. Sicinius Dentatus, fortitudine celebris Tribunatu Pl. functus est, Solinus *cap.* 1. ubi eum A. *Haterium* vocat. Antiquissimos tamen libros absque aspiratione nomen hoc scribere, & Græcis Ἀτέριον dici, observat *Exercitat.* ad eum Salmasius *p.* 47. V. quoque paulo suprà.

Ateste, adde: Sub proprio Principe, ex illustrissima *Atestinorum* vel Estensium Principum familia, cujus originem sunt qui arcessant à Cajo quodam Actio, qui ex Romanis civis fuerit *Atestinus*, circa A. C. 390. V. supra in voce *Actius*. Alii, qui Actiam stirpem in Valeriano circa A. C. 500. prælio Longobardorum in Francos cæso extinctam contendunt, aliam ei successisse arbitrantur, argumento nominum, quæ à Valeriano illo ad Azonem usque deducuntur. Quidquid horum sit, Azo, gentis hujus indubitatus auctor, à quibusdam Hugonis M. Thusciæ filius, è Caroli M. sanguine oriundus, perhibetur: Ex eadem prosapia, Theobaldus & filius Bonifacius Regii Lepidi, Parmæ, Lucæ, Ferrariæ & Mantuæ, extitere *Marchiones*, quorum huic filia fuit Mathildis, à qua *Patrimonium S. Petri*. Ipse Azo, secutus in Germaniam Conradum II. & Henricum III. Augustos, ibi Cunigundam Guelforum priorum hæredem, & post illam, Juditham Conradi filiam, duxit: Pater ex hac Azonis Estensis seu *Atestini* Marchionis, à quo longâ serie reliqui Marchiones, qui præter prædicta, Genuam quoque, Mediolanum, Anconam, Veronam, Mutinam, & alia, diversis temporibus tenuere, descenderunt. Ex his Hercules I. *Dux Ferrariæ* creatus, novo titulo domum auxit, cujus filius Hercules II. & nepos Alfonsus I. eundem Ducatum gessere, donec hic obiit A. C. 1597. sine hærede. Tunc enim Ferrariam sibi Pontifex asseruit, Cæsare Atestino frustra obnitente: qui à Pontifice eâ exclusus, Imperialia tantùm feuda, Mutinæ, Regii Lepidi & Carporum, obtinuit, unde hodierni *Atestini* & *Mutinæ Duces* orti. V. Thuan. *Hist. l.* 119. & Phil. Jac. Spenerum *Sylloge Geneal. Histor.* Præfatus namque Alphonsus I. ex Laura Eustochia, Alfonsum March. Montecchii genuit, qui ex Julia Roborea pater fuit Cæsaris modò dicti. Hic cùm patruele extincto, successionem obtinere non posset, Imperialia tantùm feuda ut dictum, nactus, *Mutinæ Ducis* titulum gessit, demortuus A. C. 1628. Quo & Virginiâ Mediceâ, natus Alfonsus I. obiit A. C. 1644. pater, ex Isabella Sabauda, Francisci, extincti A. C. 1656. cujus, ex Maria Farnesia, liberi supersunt, Alfonsus II. (maritus N. Martinozziæ, neptis Jul. Mazarini Cardin.) Almericus, Isabella (ux. Rainutii D. Parm.) Juliaque Maria. V. Phil. Jac. Spenerum *Theatro Nobil. Eur. Tom. I.* & infrà, in voce *Azo*, ut & in vocibus, *Ferraria*, ac *Mutina*.

Athaci pop. apud Solinum: pro *Athacoris*, qui Ptolomæo Ἀθάκοροι sunt. Ita autem Solinus *cap.* 51. *cui tit. gens Attacorum. Sequitur Attacenus sinus & gens hominum* Attacorum, *quibus temperies prærogativa miram aëris clementiam subministrat. Arcent sane afflatum noxium colles — atque ideo — par illis & Hyperboreis genus visa est. Inter hos & Indiam gnarissimi Cicones locaverunt.* Ubi male ab *Attacis* pop. sinum *Attacenum* dictum vult: cùm nulli tales. Sed *Ataci* vel *Athaci*, pro Ἀθακόροι sunt vel Ἀτακόροι, qui in Serica. Salmasius *ad Solinum pag.* 989. ubi Thuros & Tocharos eis facit vicinos &c.

Athanati, Gr. Ἀθάνατοι, i. *Immortales*; Recentioribus *Athenasi*, militum genus, apud Impp. Græcos. Quemadmodum enim apud Persas olim Legio erat militaris, quam τῶν Ἀθανάτων appellabant, uti docent Auctores laudati Brissonio *de Regno Persar.* ita habebant Byzantini Impp. Persicorum Regum æmuli, suos *Athenasos* seu *Immortales*, quos à Nicephoro Logotheta, qui sub Michaele Duca rerum potitus est, tunc demum institutos refert Bryennius *l.* 4. *num.* 4. Hoc autem illis inditum nomen, quòd pacis æquè ac belli tempore militarent, essetq; eorum cohors *Schola vacationis semper ignara*: uti de peculiari quadam Caroli M. caterva militari dixit Monachus Sangallensis *lib.* 2. *cap.* 26. Unde Anna Comnena *Alexiados l.* 2. de *Athanatis* agens, ait fuisse στράτευμα τῆς Ῥωμαϊκῆς δυνάμεως ἰδιαίτατον, *manus Romanæ potentiæ maximè propria*, quia viz. pacis perinde ac belli tempore inserviebat, Car. du Fresne *Glossar.* qui hanc in rem Rigaltii quoque ac Meursii *Glossaria* laudat.

Athare seu *Athara*, Damasci Regis uxor, quam Syri post mortem sanctissimè coluerunt, sepulchrum ejus pro Templo habentes, uti legimus apud Justinum. Unde patet non idem hoc cum Atergati Numen fuisse, uti censet Strabo *lib.* 16. Sic enim proprium Damascenorum fuerit *Athare*. Utrumque autem nomen è Syriaco leviter inflexum Ἀθάρα, quod pro *Asarah* dictum est, quo nomine non tantùm lucus Hebræis, sed etiam luci idolum passim significatur in Sacris. *Ashtoreth* quoque, Numen Sidoniorum, sæpius ita indigitatur, quam Ἀστάρτην Græci dixere & cum *Athara*, *Atergati* ac *Derceto* confuderunt. Salmasius ubi suprà *pag.* 574.

Athenæ, adde: Græciam in meditullio terræ, in Græciæ medio Atticam sitam esse, hujus umbilicum obtinere *Athenas*, refert Aristides *in Panath. pag.* 171. 172. Condita fuit urbs in excelsa rupe, à Cecrope, cujus nomen primò tulit, *Cecropia* dicta. Dein ἄστυ per excellentiam appellari cœpit, in antiquitatis, de qua cum Argivis perpetuò Athenienses contendebant, monumentum. Unde Terentius, *An in Astu venis?* & cives ἀστοὶ dicti sunt. Processu temporis πόλις nuncupata est, Pausanias *Attic.* item ἀκρόπολις, (quamvis hoc nomine sæpe arx veniat, Minervæ sacra, in editiore urbis loco extructa: in quam neque canibus, διὰ τῦ ἀφροδίσια ἢ ἐννεάδρ., Plut. *Hellenic.* neque capris, nisi in sacrificii usum, aditus patebat:) circuitûs 60. stadiorum. Auctâ postmodum ædificiis urbe, illa distingui cœpit εἰς τὴν ἄνω ἢ τὴν κάτω πόλιν, i. *in urbem superiorem & inferiorem*, quæ propius ad mare accedebat: cui utriq; Piræeum à Themistocle junctum, omniaq; inclusa sunt uni muro, quê Liv. *l.* 31. *inter multa visenda* refert: Propertius vocat,

—— —— *Thesæ brachia longa viæ*:

lib. 3. *eleg* 19. Appianus Alex. *de bello Mithrid.* μακρὰ σκέλη, i. *longa crura.* Portas urbis hujus enumerat decem Meursius *Attic. Lect. Initio*, sed plures sine dubio fuere: quarum pulcherrima fuit *Dipylon* seu Thriasia, velut in ore urbis posita, cœteris major aliquanto patentiorque, teste Livio *Dec* 4. *lib.* 1. Reliquæ fuere, *Piraica*, prope quas templum Chalcodontis: *Hippades*, ubi Hyperidis quievere ossa: *Sacra*, *Ægei porta*, *Melitides*, ubi Thucydides sepultus: *Ceramica*, ubi plurimi Lacedæmoniorum, bello Thrasybuli contra 30. Tyrannos, perierunt: *Diocharis porta*, *Acharnica*, *Diomea*, *Thracia* &c. Quibus idem Meursius *Itoneas* & *Scæas* addit: plures ex Pausania eruere licet. Sita fuit ad Cephissum fluv. qui olim quidem magnarum navium patiens, à Turcis dein, ne hosti urbem invasuro inservire posset, in plurimos rivos deductus est. Historia Urbis sic digeri potest: Post Reges, Archontes habuit perpetuos, per annos 315. his Archontes decennales successere, per annos 70. qui cùm potestate sua abuti cœpissent, instituti sunt Magistratus annui, usque ad tempora Pisistrati; qui dolo satellitium primò, dein tyrannidem nactus est, & Acropoli occupatâ, rerum est potitus, per annos 30. Pisistratum excepere filii Hipparchus & Hippias, quorum priore ab Aristogitone cæso, duravit nihilominus per quadriennium adhuc tyrannis, donec ope Lacedæmoniorum Urbi reddita libertas est, V. Herodotum *l.* 5. Democraticè itaque regi cœpit anno post Cecropem 868. Solone auctore, qui quintum plebis ordinem lege à muneribus publicis exclusit, quam ipsam tamen Aristides postea sustulit. Oligarchiam dein, imminutâ Areopagitarum potentiâ, constituit Pericles, anno 21 belli Peloponnesiaci, traditâ quadringentis rerum summâ: qui tamen paulo pòst ab Alcibiade fasces populo restituere sunt coacti. A' Lysandro post hæc *Athenis* occupatis 30. tyranni imperare cœperunt: quorum nomina, *Polyarches*, *Critias*, *Melobius*, *Hippolochus*, *Euclides*, *Hiero*, *Mnesilochus*, *Chremo*, *Theramenes*, *Aresias*, *Diocles*, *Phædrias*, *Charileos*, *Anætius*, *Piso*, *Sophocles*, *Eratosthenes*, *Charides Onomochles*, *Theognis*, *Æschines*, *Theogenes*, *Cleomedes*, *Erasistratus*, *Phido*, *Dracontides*, *Eumathes*, *Aristoteles*, *Hippomachus* & *Mnesithides*. Horum tanta in cives sævitia fuit, ut magna horum pars Phylen, castellum in Attica, confugeret; quibus cùm caput & dux obtigisset Thrasybulus, superatis Tyrannis libertatem recuperarunt, eamque obtinuerunt per annos 80. donec post mortem Alexandri M. Athenæ, post ingentem acceptam cladem, sub Antipatri jugum redactæ sunt, qui urbi Demetrium Phalereum præposuit, Munychiamque forti tenuit præsidio. Quadriennio pòst defuncto Antipatro, Cassander hic rerum potitus est, qui urbi redditis omnibus, cùm subjectam habere posset, fœderatam sibi esse maluit, illique sibi ipsi, quem vellet, præficiendi facultatem dedit. Ita Demetrius Phalereus denuo *Athenis* præfuit, de Iisque tam bene meritus est, ut trecentæ ipsi statuæ à populo erigerentur. Post quatuordecim verò annos illo expulso à Demetrio, filio Antigoni cognom Poliorcete, hic vetera instituta restauravit, tantamque venerationem sibi conciliavit, ut nomen Archontis in Σωτῆρος ἱερέα mutaret populus, annusque ab ejus nomine diceretur, duæ insuper tribus decem prioribus adderentur, Senatu, qui antea 500. erat, è 600. tum constante. Post obitum Demetrii Antigonus Gonatas, anno regni sui 19. præsidiarios urbi imposuit, per decennium. Cui successit fil. Demetrius, huic Antigonus Doson, quem Aratus Sicyonius cùm pepulisset, urbem iterum liberam esse jussit, quo in statu permansit, usque ad Philippum, penultimum Macedonum Regem: qui urbe occupatâ, inde expulsus est à Romanis, qui, fœdere cum Atheniensibus inito, jure suo illos frui permiserunt. Sed bello Mithridatico, recepto intra urbem Mithridatis duce Archestrato, urbs à Sulla obsessa & expugnata est, nullo non crudelitatis genere in victos sæviente; nihilominus mansit urbi pristini status facies, etiam sub Impp. Romanis, Jul. Cæsare inprimis, Adriano, Antonino, Gallieno: donec imperante Claudio II. à Gothis occupata est, qui cùm immensam librorum vim in acervum congestam flammis jamjam tradituri essent, moniti *Græcos, dum his vacarent, belli studia neglecturos habituros*, abstiterunt. Sub Constantino M. Urbs magnopere æstimata fuit ipseque Imperator Ἀθηνῶν στρατηγὸς appellari amavit; quod Niceph. Gregoras nomen fuisse dicit τῦ μεγάλου δουκὸς, *magni Ducis*, qui postea simpliciter *Athenarum Dux* vocari cœpit: Cum hisce affinitate jungi ipsi Imperatores dignati sunt, nec mirum, cùm non exigua esset illorum potentia. Quomodo dein imperium urbis ad Acciajolos, Nerios, Turcas pervenerit, V. suprà in voce *Acciajolus*. Pop. *Athenienses*, qui primitus divisi erant in duos ordines, quibus *inter gradus dignitatis fortunæque aliquid interlucebat*, Εὐπατρίδας & Ἀγροίκους, Dionys. Halicarnass. *l.* 2. Pollux *lib.* 8. *cap.* 9. tria facit genera, *Eupatridas*, seu Nobiles, quales erant Praxiergidæ, Eteobutadæ, Alcmæonidæ, Ceryces, Cynidæ aliique ex priscis Heroibus prognati: *Geomoros*, & *Demiurgos*, quorum hi opificia exercebant & manuum operâ victum quærebant, illi mediæ inter utrosque conditionis, ex reditibus agrorum commodè vivebant. Aliam postea divisionem instituit Solon; cùm enim *Diacrii* seu οἱ ἐξ ἄστεως, id est, ii qui superiorem Urbis partem incolebant, ad Democratiam; *Pediæi*, qui in plano habitabant, ad Oligarchiam inclinarent: *Paralii* tandem, qui propius mari habitabant, mediam inirent viam, Solon negotii arbiter constitutus, totum Populum in 4. divisit ordines, nempe Pentacosiomedimnos, Equites, Zeugitas & Thetas: qui omnes duodecim implebant Tribus, de quibus *suo loco*. Quales autem hodie urbis hujus olim tam celebris, vel potius ruderum ejus sint incolæ, Favolius exponit *Hodœp. Byz. lib.* 3.

—— —— —— *Duraque coactæ*
Pauperie assuerunt vitam tolerare rapinâ.
Aut passim infestant furto, raptóque propinqua
Æquora piratæ; sed quæ pars æquior, hamis
Fallit inescatos tereti sub arundine pisces.
Aut desolatas exercet vomere terras,
Semper inops misera, infelix, rerum omnium egena.

V. Fr. Rossæum *Archæol. Attica l.* 1. *c.* 2. *& seqq.* ut & suprà in voce *Acropolis*. Addam, Atheniensium olim cibum ficus fuisse, teste Æliano *var. hist. l.* 3. *c.* 39. *Arcades glandes*, *Argivi pyra*, *Athenienses ficus*, *Tirynthii sylvestria poma comedebant*: diei initium sumsisse ab occidente Sole; annum ab Hecatombæone mense, qui Junio nostro respondet, auspicatos esse; Clementiæ Deæ nullum simulachrum fieri voluisse; leges à Dracone & Solone accepisse, noctuam in insignibus habuisse &c. V. quoque Joh. Rosinum & Thom. Dempsterum *in Antiqq. Romanis passim*: quibus adjunge Petitum *Commentar. in Leges Atticas*, & Jac. Sponium *Itinerar. Græciæ Part.* 2. *pag.* 103. *& seqq.* Hodieque ibidem Ecclesia Græcorum florentissima est, sub Archiepiscopo, cui *Anthimo* nomen. Sedes ei in domo superstructâ ruderibus ædium Dionysii olim Areopagitæ, ut creditur, primi Atheniensium Christiani ac Episcopi: Sed reditus exigui, & vix ad 4000. m. Imperialium assurgentes. Subsunt illi Episcopatus quinque, *Salona* & *Livadia*, *Budonitza* in via Larissam ducente, *Talanta* ad Euripum & Ins. Scyros in Archipelago. Porro in *Athenarum* urbe Christianorum Templa sunt 52. quorum quodlibet suum Papam habet, sacella verò aliaque loca sacra, tum in Urbe, tum extra eam, ad 200. V. eundem ibid. ut & de territorio loci que etiamnum ad Urbem pertinentibus infrà aliquid, in voce *Mesogia*.

Athenæ Novæ, urbs Liguriæ quarta Stephano, in quibus cœptum ab Hadriano Imp. aquæductum & ab Antonino Pio consumatum, loquitur Inscriptio, quæ Mediolani extat. Impingunt itaque, qui Athenarum Atticarum partem, quæ maximè ædificiis hujus Imp. exornata fuit, hoc nomine insignitam censent: quis enim credat Inscriptionem Latinam positam esse in Græca urbe. Sed nec quidquam ad rem facit, quod Scaliger observat *Animadversion. in Eusebium*, *cùm locum in Delo Ins. sumtibus Hadriani ædificiis instaurassent Athenienses*, *Novas Athenas vocarunt.* Non enim simpliciter *Novas Athenas* illi loco nomen indiderunt, sed *Novas Athenas Hadrianas*. Stephanus, ἡ Ὀλύμπιος τόπος ἐν Δήλῳ, ὃν κτίσαντες Ἀθηναῖοι χρήμασιν Ἀδριανοῦ νέας Ἀθήνας Ἀδριανὰς ἐκάλεσαν, ὡς Φλέγων ἐν Ὀλυμπιάδων ἑκτῃ ἢ δεκάτῃ. Quod verò *Athenarum* Attic. partem splendidis inprimis substructionibus ab Adriano exornatam spectat, *Adrianopolim* illam vocatam hinc fuisse, tradit Spartianus in *Vita* hujus Cæsaris: *Multas civitates* Adrianopolis *appellavit*, *ut ipsam Carthaginem & Athenarum partem.* Quod hausisse videtur ex versiculis, qui in arce illius urbis inscripti erant,

Αἱ δ' εἰσ' Ἀθῆναι Θησέως ἡ πρὶν πόλις,
Αἱ δ' Ἀδριανοῦ κ' οὐχὶ Θησέως πόλις.
Hæ sunt Athenæ, Thesei primùm Urbs,
Nunc Hadriani, non verò Thesei Urbs.

Salmasius *ad Spartianum*.

Athenæum Romanum, cujus mentio apud Jul. Capitolinum in *Pertinace*, *Pertinax eo die processionem, quam ad* Athenæum *paraverat, ut audiret Poëtam* &c. Lampridium in *Alexandro Sev. Ad* Athenæum *audiendorum & Græcorum & Latinorum Rhetorum vel Poëtarum causâ frequenter processit.* Capitolinum item in *Gordiano*, *Ubi adolevit, in* Athenæo *controversias declamavit, audientibus suis Impp.* & apud Sidonium Apollinarem sæpius, locus fuit, quod nomen ipsum arguit, studiis Minervæ sacer: cujus honori dicatam inibi fuisse aliquam ædem aut cellam ex eo quis conjiciat, quòd etiam Senatum haberi in *Athenæo* mos fuit, uti refert

Dio

Dio extremo Juliano; Senatus autem nisi in Templo & loco per Augures constituto, haberi non potuit. Mirum tamen, causam appellationis petere Dionem, non ἀπὸ τ̃ Ἀθηνᾶς & Minervæ æde, sed ab eo, quòd illuc convenirent homines docti & Minervæ sacris initiati. Quare fieri potest, ut nulla ibi esset Minervæ ædes: sunt enim res diversæ, *Templum* & *Ædes*. Quam sententiam firmat Aur. Victor, cujus sunt de Hadriano ista: *Gymnasia Doctoresque curare occepit: adeò quidem, ut etiam ludum ingenuarum Artium, quod* Athenæum *vocant, constitueret*. Ubi videmus *ludum ingenuarum Artium*, non *ædem Minervæ*, dici: hoc amplius verò ex isto Victoris unico loco discimus, Hadrianum *Athenæi Romani* conditorem fuisse & publicum illud opus struxisse. Casaubonus *Not. ad Historiam Augustam, Capitolinum inprimis*. Ab hoc porro *Athenæo* omnia Auditoria postmodum nomen traxere: in quibus, præter dicta, Ducum Imperatorumque monumenta varia, ut epistolæ, orationes, & similia, quæ ad Historiam facerent, servari recondique consuevisse videntur Salmasio *ad Pollionem in XXX. Tyrannis*.

Athenais, una ex duabus Erythræis Sibyllis: Strabo namque duas Erythræas memorans, unam antiquissimam, cujus nomen non adscripsit, alteram recentiorem refert, *Athenaidem* nomine, quæ Alexandri M. ætate vixerit: utramque ex civ. Asiæ Jonica Erythris oriundam. V. infrà in voce *Erythræa*, & Salmasium *ad Solinum pag.* 79. Idem nomen fuit filiæ Leontii Philosophi, pauperculæ, sed eruditissimæ, quam à Pulcheria sorore sibi commendatam uxorem duxit Theodosius Minor & baptizatam *Eudoxiam* vocavit, ut videre est apud Socratem *Histor. Eccl. l.* 7. *c.* 22. V. quoque *Eudoxia*.

Athene, vel *Atene*, Græcè Ἀτηνή, locus fuit apud Athenienses ad tribum Antiochidem pertinens; quibusdam sub *Æolide*, ait Stephanus. Sed cum nulla hoc nomine tribus esset, *Attalidem* legi jubet Meursius. Ejus memoria servatur, in columna exigua, Athenis, hac *Inscr.* insigni:

ΝΙΚΟΜΑΧΟΣ
ΜΗΝΟΦΙΛΟΥ
ΑΤΗΝΕΥΣ:

apud Jac. Sponium *Itinerar. Græc. Part.* 3. *pag.* 96. Vide quoque *Atena*.

Athenica, apud Pollionem *d. l.* ubi de epistola Claudii Imp. adhuc privati ad Regillianum Illyrici Ducem scripta, *quam ego repertam*, inquit, *in Athenicis* (uti restituit Salmasius, cùm alias legatur, in *Archivis*) *inserendam putavi, fuit enim publica*: Bibliothecæ sunt, sic dictæ, quasi loca *Athenæ*, h. e. Minervæ, dicata. Vox illius seculi, quales non paucas apud Historiæ Aug. Scriptores reperias. In Bibliothecis autem reponi aut custodiri moris erat ejusmodi omnia literaria monumenta, ut epistolas & orationes Ducum ac Imperatorum, & quotidiana vel ephemerides Principum ac Senatusconsulta de Principibus facta aliaque ad eandem rem pertinentia, quæ & publicè ibidem patebant omnibus legenda. Quam ob causam Trebellius hoc loco epistolam illam Claudii sibi in *Athenicis* repertam, *publicam* dicit fuisse. Sic Vopiscus in *Aureliano*, libros linteos, quibus quotidiana illius Principis erant inscripta, ex Ulpia Bibliotheca depromtos se vidisse & habuisse refert. Idem in *Tacito* S. C. de Tacito Augusto faciendo, in libro elephantino, fuisse perscriptum narrat, qui liber in Ulpia Bibliotheca fuerit servatus & in armario ejus sexto repositus. Bibliothecæ igitur & *Athenica* illa studiosis vulgò patebant & literariis hominibus &c. Salmasius *ad Trebellium Pollionem*.

Athenio, dux non obscuræ famæ servorum fugitivorum, qui in Sicilia aliquando rebellaverant: memoratus Jul. Capitolino in *Maximinis*, *Nobilem circa se neminem passus est, prorsus ut Spartaci aut* Athenionis *exemplo imperaret*. V. quoque Appianum *de Bell. Mithrid.*

Athenocles, Mitylenæus, inter nobiles Toreutas, apud Plinium *l.* 43. *c.* 10.

Athenogeron, apud Hieronymum *adv. Ruff. l.* 3. *Neque* Athenogeronta *meum scutica & plagis literas docere contendo*: senex est studiis vacans. V. Macrum *Hierolex.*

Atheos, cognom. Diagoræ & Theodori, apud Ciceronem *de Nat. Deor. lib.* 1. *cap.* 1. *Quid Diagoras*, Atheos *qui dictus est, postea que Theodorus; nonne apertè Deorum naturam sustulerunt?* De Diagora enim Athenagoras, apertè promulgatam ejus hanc sententiam esse, *Nullum planè extare Deum*, memorat. Et Theodorum istum, καταπαῦσαι τὰς περὶ θεῶν δόξας, *omnes de Diis opiniones*, sustulisse, ejusque auditorem Bionem, Deos nihil esse statuisse, Laërtius refert *in Aristippo*. Utrumque jungit Cæcilius apud Minucium Felicem, *in Octavio*, *Uterque*, ajens, *nullos Deos asserendo, timorem omnem, quo humanitas regitur, venerationemque penitus sustulerunt*. Ejusdem impietatis notatus damnatusque Anaxagoras Clazomenius, apud Laërtium; quo alludens Lucianus Jovem Mercurio narrantem introducit, ut in fulmine suo retusâ cuspide duos maximos radiorum ipse fregerit, dum nuper avidiùs in Anaxagoram Sophistam jaculatus fuisset, qui suis familiaribus suaserat, μηδὲ ὅλως εἶναί τινας τοὺς θεούς, *nullo pacto esse ullos Deos, qui ita vocarentur*. Eadem de Theodoro quoque Evemero, &c. quem istis socium addit, Euripide, refert Plutarchus de *Placit. Philos. lib.* 1 *cap.* 7. Meminit ejusdem Theodori Diagoræque Epiphanius *Epit. Oper. c. Hær.* qui Panætii quoque mentionem facit, cui sermones de Deo pro nugis habebantur. Modestiùs aliquantum verbis saltem, Protagoras Abderites, cujus illud apud Laërtium, περὶ μὲν θεῶν οὐκ ἔχω εἰδέναι, οὔθ' ὡς εἰσίν, οὔθ' ὡς οὐκ εἰσίν, *De Diis neque, ut sint, neque ut non sint, habeo dicere*. Quem proin exilium, & ut libri ejus in Foro urerentur, Atheniensium judicio meruisse, testatur idem, ut & Minucius Felix, Alii. Inter recentiores, meminit famosi inter Turcas Athei, cui Mahometis Effendi nomen, Ricautius Anglus *de Statu Imperii Ottom. lib.* 1. *cap.* 14. Inter Italos Lucilii Vanini, Gramondus *Histor. Gall. lib.* 3. *ad* A. C. 1618. Inter Germanos, qui priorum impietatem vicit, Matthiæ Knuzenii Holsati, Joann. Musæus pecul. *Tract.* Quin non singulos tantùm homines hoc malum, sed totas nationes provinciasque, si Scriptoribus credimus, invasit. V. de Borussis vett. Jac. Ouzelium *ad Minucium Fel.* de Chichimecis Novæ Hisp. aliisque Americæ populis, Acostam; de Souldanis, Africæ extrema incolentibus, Herbertum Anglum; de mediæ Africæ gentibus, R. Schanrochium *de Off. sec. Nat. cap.* 16. de Zeilanis & Novæ Terræ habitatoribus, eundem &c. Quæ utcunque se habeant, dari tamen verè serioque *Atheos*, meritò negant Eruditi: Verissimumque illud Aristotelis *de Cælo lib.* 1. *cap.* 3. Πάντες ἄνθρωποι περὶ θεῶν ἔχουσιν ὑπόληψιν, *Omnes homines de Deo existimationem habent*. Neque enim tales ilico fuere, quibus id nomen alii imposuere; cùm sæpe eo notarent, non qui omnino Deitatem abnuerent, sed qui eadem secum de divinis sentire recusarent. Sic Anaxagoras ἀσεβείας delatus est, quia Solem, Dei loco Atheniensibus habitum, μύδρον διάπυρον, *globum ignitum*, appellavit. Evemerus, quia eos, qui tum pro Diis colebantur, homines fuisse, ostendit, *eorum natales, patrias & sepulchra dinumerando*, uti legimus apud Min. Felicem *d. l.* Lucianus, quia fictitios Gentilium Deos adeò salsè exagitavit, ut non minus joco, quàm alii seriâ oratione, eorum vanitatem demonstrasse videri queat &c. Quin ipsos Christianos antiquæ Ecclesiæ eâ maximè criminis opinione, impietatis nempe seu ἀθεότητος, Gentilibus exosos fuisse, ex iis apparet, quæ abluendæ isti criminationi attulerunt, qui Christianorum innocentiam contra Ethnicorum calumnias defendêre, Justinus Martyr, Athenagoras, Tertullianus, Arnobius, Minucius Felix, Lactantius, Alii, ut adeò non omnes pro *Atheis* habendi sint, quos eo nomine delatos audimus. V. Chr. Kortholt *de Calumn. Pagan. in Christianos*. Et utut sint, qui oppresso rationis judicio & obfirmato in impietatem animo, Deum esse verbis inficientur, si tamen innatarum naturâ notionum radices ita exscindere neutiquam potuere, ut istud, quod ore promunt, simulantque, pectore probent, aut saltem non formidine oppositi anxii teneantur. Quam in rem V. multa præclara, præter alios, apud Tob. Pfannerum *System. Theol. Gentil. pur. cap.* 2.

Athera, Ægyptiorum Monachorum pulmentum fuit, descriptum Cassiano *Collat.* 15. *cap.* 10. Hesychio ἀθήρα seu ἀθάρα, edulium est ex tritico & lacte confectum Ægyptiis. Plinius *lib.* 22. *c.* 25. & Dioscorides *lib.* 2. *cap.* 114. medicamentum fuisse dicunt, pulticulam nempe liquidiorem & sorbilem, ex tritico & Zea molitis, inque tenuissimum pollinem redactis, confectam, in infantium usum, du Fresne *Glossar.* Carolo Macro potio fuit hordeacea, quia ἀθὴρ hordei potius quàm frumenti arista est, teste Galeno apud Ruellium *lib.* 1. *cap.* 2. atque in suas partes Plinium trahit, qui *d. l. Hæc decocta* (inquit) *fit medicamentum, quod Ægyptii* atharan *vocant, infantibus utilissimum; sed & adultos illinunt eo. Farina ex hordeo* &c. V. eum in *Hierolexico*.

Athicus, seu *Ethico*, cognom. *Adelricus*, fil. Lendesii seu Leudesii Majoris domus, ab Ebroino cæsi, circa A. C. 680. Alsatiæ Ducatum à Theodorico Francorum R. nactus, Ehenhemii habitavit, ex Berswinde, sorore Blidechildis, Chilperico II. Regi nuptæ, pater Otiliæ sanctis postea adscriptæ & filiorum quatuor, Adelberti Ducis Alsatiæ, Ethonis seu Hettonis Lotharingicæ, Dagsburgicæ ac Habspurgicæ familiarum auctoris, Hugonis & Bataconis, quorum posteri in tertia generatione defecere. Vide Philip. Jacobum Spenerum *Sylloge Geneal. Histor.*

Athletica, Hier. Mercuriali *vitiosa Gymnasticæ species* appellata, hominibus robustis efficiendis (talis enim fuit Milo Crotoniata & *Athleta* ille, quem Olympiodorus τὰ ῥόπαλα comminuere solitum scripsit) quò in certaminibus victoriam reportare ac coronas mereri possent, instituta est; Græcis modò Ἀγωνιστική, modò Ἱεροὶ ἀγῶνες, modò Ἀθλητική, modò Γυμνικὴ vocitata. Et quidem, quatenus hujuscemodi certamina, in honorem alicujus Deorum celebrabantur, Lat. *Sacra certamina*, Gr. Ἱεροὶ ἀγῶνες, dicebantur: eorumque exercitatores *sacrorum certaminum Athletæ* vocati sunt, τ̃ Γυμνικῶν ἀγώνων Ἀθληταὶ nuncupati Xenoph. *de dictis & factis Socr.* Aliter verò appellabantur, quando aut in Amphitheatris aut Circis, ad oblectandum Populum, agones hi peragebantur; aut in Gymnasiis, vel aliis locis publicis, exercitationis gratiâ duntaxat, fiebant. Nomen hoc tamen omnes, secundum Jul. Pollucem *lib.* 3. hujuscemodi certatores commune habuisse reperiuntur, quòd *Athletæ* ut plurimùm vocati sunt, vel à

ſtio, qui ἆθλον, ſive *præmium* erat, vel ἀπὸ τοῦ ἄθλου, id eſt, à *certamine*; niſi potiùs, quod maluit Galenus, dicamus nomen illud ἀπὸ τοῦ ἀθλίου ſive ἀπὸ τῆς ἀθλιότητος, derivari, ad ſignificandas hujuſce generis hominum incredibiles ærumnas: eoque comprehenduntur Palæſtritæ, Pŭgiles, Pancratiaſtæ, alii; qui cùm id ſolum propoſitum haberent, ut ad certamina ſeſe compararent, in quibus interdum totum diem, aut luctari, aut παγκρατιάζειν cogebantur, cibo indigebant corruptu & evaporatu difficili, cujuſmodi eſt cibus ex ſuillis carnibus, quibus ſoli veri *Athletæ* veſcebantur: in hoc à cœteris diverſi, quod ſolùm vincere & coronam aſſequi ſtuderent, cùm alii vel bono habitui corporis acquirendo & ſanitati tuendæ, quod *Gymnaſtica legitima* ſeu *Medica*; vel militari fortitudini & peritiæ acquirendæ, quod *Gymnaſtica bellica* fuit, animum vireſq; attenderent. Uti autem Gymnaſtici ludi à Lycaone, ſic *Athleticam ab Hercule Olympiæ*, inventam fuiſſe, docet Plinius *l.7.c.56.* quæ ars cùm primitus illuſtris fuerit & admiratione digniſſima, longo poſtea temporis intervallo ita corrupta, atq; adulterata eſt, ut dum illius exercitatores ſpe victoriæ & præmii, corpori incraſſando roborique comparando nimium incumbebant, mentem etiam craſſam, ſenſusque omnes hebetes, torpidos ac ſegnes redderent. Unde Plutarchus, Græcos ejus operâ torpentes atque langueſcentes ab armis delapſos, contentos fuiſſe pro ſtrenuis atque bonis militibus, peritos palæſtritas atque *Athletas* dici, conqueritur. Caſſiodorus *Variar.l.5.c.42.* loquens de ſolennibus ludis, qui ab *Athletis* exercebantur, eos ab Athenienſibus, in honorem Dianæ, primùm introductos tradit; ubi etiam, ut fierent, & quâ arte quibusque inſtrumentis adversùs immaniſſimas feras decertarent, morteque præmia conſequerentur, multis exequitur. Primus verò robori & magnitudini artem addidiſſe Theſeum, Pauſanias teſtatur *in Atticis*. Cùm autem plurimis certaminum generibus corporis magnitudinem, robur ac celeritatem ſibi conciliare quærerent *Athletæ*, quinque tamen præcipua erant, in quibus vel ſemper, vel plerunque, tam in ſacris certaminibus, quàm in Ludis, Amphitheatris & publicis Spectaculis, ſed præſertim in Stadio, quod fere ſolis *Athletis* propriè deſtinatum erat, certabant: *Lucta, Pugilatus, Curſus, Saltus* & *Diſcus*. Unde *Luctatores, Pugiles, Curſores, Saltatores*, & *Diſcoboli* nuncupabantur, qui ſeparatim in ſingulis pollerent; ſicut *Pancratiaſtæ*, qui luctâ ſimul & pugilatu. *Pentathli* ſeu *Quinquertiones*, qui omnibus: *Periodon* viciſſe dicebantur ii, qui Pythia, Iſthmia, Nemea & Olympia viciſſent, nomine à circuitu eorum ſpectaculorum mutuato, ut habet Feſtus. Erant poſtmodum *Halteres, Jacula* atque nonnulla alia, quorum quoque certamina *Athletæ* obibant, at in publicis illa Ludorum ſacrorumque Certaminum celebrationibus rarò peragebantur, unâ exceptâ *Monomachia*, quam Græcos Sacerdotes, æſtivo tempore, Pergami exercere conſueviſſe, memoriæ prodidit Galenus *lib.3. de Art.c.13.* Quanti Ars hæc habita fuerit Plinii ævo, docet is *l.16.c.4.* cùm Athletis *ludos ingredientibus omnes aſſurgere, etiam Senatum, eoſque Senatui proximè ſedere, nec non cum Patribus, Avis paternis, à quibusvis muneribus vacare & victores in Patrias triumphantes invehi*, conſueviſſe, refert. Imò *Athletis* ingenuos cædere atque occidere, quòd aliis vetabant Leges, non modò licuiſſe, verùm etiam honorificum fuiſſe, auctor eſt Sextus Empiricus *Hypoth. Pyrrhon.l.3.* Ne dicam quod Euſebius *de Præp.l.5.* multo ſermone damnat veteres, eò ſuperſtitionis atque inſaniæ provectos, ut pugiles quoſdam atque *Athletas* in Deorum numerum referrent. Sapientoribus contra id hominum genus acriter inſectantibus, inter quos Euripides, apud Gal. bo. *art.*

> *Κακῶν γὰρ ὄντων μυρίων καθ' Ἑλλάδα,*
> *Οὐδὲν κάκιόν ἐστιν ἀθλητῶν γένους.*
> *Οἳ πρῶτον οἰκεῖν οὐδὲ μανθάνουσιν εὖ,*
> *Οὔτ' αὖ δύναιντο, πῶς γὰρ ὅστις ἐστ' ἀνὴρ*
> *Γνάθου τε δοῦλος, νηδύος θ' ἡσσημένος,*
> *Κτήσαιτ' ἂν ὄλβον εἰς ὑπερβολὴν πατρός;*
> *Οὐδ' αὖ πένεσθαι, κἀξυπηρετεῖν τύχαις.*
> *Ἔθη γὰρ ἐσθλὰ οὐκ ἐθισθέντες καλὰ*
> *Σκληρῶς μεταλλάσσουσιν εἰς ἀμήχανον.*
> *Cùm mala innumera per Græciam ſerpant,*
> *Nullum deterius* Athletarum *genere eſt,*
> *Qui primùm benè incolere haud diſcunt,*
> *Neque poſſunt etiam; quo etenim modo,*
> *Quisquis eſt gulæ deditus, ventrique indulget,*
> *Divitias parabis, ut alat familiam?*
> *Neque item egeni eſſe & fortunæ inſervire*
> *Sciunt: Nam in malis diu verſati*
> *Moribus, non facilè mutantur in melius.*

Neque tamen defuere, qui Artem hanc Comentariis celebrare niterentur, quales fuerunt Tryphon ac Theon Alexandrinus, qui ab *Athletica*, in qua excellebat, ad Gymnaſticam tandem tranſiit. Ne taceam Platonem, qui cùm *Athleta* priùs fuiſſet, inde ad Philoſophiam ſe contulit. Serv. *ad Æn.7.* & Laërtius *in Vita ejus*. Non verò eadem quocunque tempore præmiorum genera *Athletis* propoſita fuere. Verùm, ut Clemens Alexandr. *Pæd. l.2. c.8.* memoriæ prodidit, primò fuit *Aëris ſeu donum*, ſecundò *plauſus*, tertiò *foliorum* conjectio, poſtremò *corona*, quam iterum, pro triplici eorum gradu, triplicem agnoſcit Imperator *l. Athletas ita c. de Athletis* (à qua occaſione gradus præmiaque Academica non abſurdè deducit An-ſelm. Solerius *de Pileo ſect. 10.*) Vivendi rationem *Athleticam* quod attinet, antiquioribus temporibus veſci caricis, illis præſcriptum fuiſſe, ſcribit Plinius *l.23.c.7.* ut nempe pingueſcerent. Idem Pythagoram primum carnem iis comedendam exhibuiſſe, notat; quod Oribaſius Goræ tribuit, quem, caricarum uſu ſublato, Euramеni Samio primum carnes appoſuiſſe tradit. Quorum utrum ſit, ante Hippocratis certè ætatem carnibus *Athletæ* veſcebantur, & præſertim ſuillis, ut ipſe de Bianse pugile refert *Epidem. l.5. §.70.* bubulis item, ut ex Galeno conſtat, qui ex illis & pane cum caſeo ſine fermento facto, quod *Coliphium* dictum, victitaſſe ſcribit. Thebanum tamen quendam caprinas carnes, alium Apri glandulas manducaſſe, viribusque cœteros omnes ſuperaſſe, ſcribunt Clitomachus Carthaginienſis & Martialis *l.3. Epigr.82.* Porro Plinius Valerianus *nullum Athletarum cibum abſque ſtirbo extitiſſe*, docet *de Rem. l.4. c.27.* Quantum verò cibi aſſumſerint *Athletæ*, innuit Galenus *de dignot. pulſ. l.2.* cùm iis *carnis minas duas p. unum cibum fuiſſe*, narrat: Unde *Athleticus victus* in Prov. abiit notumque quod de Milone Crotoniate ac Heraclide pugile literis eſt proditum. Tertullianus *de Pallio l.2.* meminit ſiccæ ſaginationis *Athletarum*, quæ fortè fuit xerophagia Cœlio & Joh. Caſſiano memorata, quâ ſc. ficus aridas, nuces & nil coctum, nil humidum ſumebant; non placentas, ut ait Arrianus *in Epicteto*, non frigidum potum: & de qua Plautus *Moſtellar. Actu 1.ſc.2.* ubi Adoleſcens quidam ſic,

> *Quo neque induſtriòr de juventute erat*
> *Arte Gymnaſtica, diſco, haſtis, pila,*
> *Curſu, armis, equo. Victitabam volupe:*
> *Parſimonia & duritie.*

In cœna inprimis validiſſimos ſumebant cibos, quos *ambulatione magis quàm ſomno, perficiebant.* Plin. *l.11.c.53.* varietatem inſuper vitabant, Plut. *l.4. Sympoſ. Problem.1.* In ſomno verò, motu ac quiete, adeò nullam ſervabant menſuram, ut qui modò totâ die laborarent, quando ſc. exercitium τέλειον ſive κατεπεῖγον vocatū inibant; modò nocte, modò à cibo, modò antè: quaſi propoſitum in omnibus tenuerint Hippocratis præcepta (*labores, cibi, potiones, ſomni, Venus, omnia moderata*) negligere & id unicè operæ dare, ut ſine regula viverent. Nec major ipſis aëris cura, quamvis Antiqui curarint, ut, ad futura certamina ſe præparantes, in ſalubri aëre exercerentur: ſicut manifeſtum eſt è Xyſtis, quas ideo fabricatas in Gymnaſiis, ſcribit Vitruvius *l.5.c.11.* quò Athletæ in hyeme, ad vitandas aëris injurias, inibi in ſalubriori aëre comodiùs exerceri valerent, quo tempore multas plagas perferebant à Pædotribis, nec non victum haud jucundum, ſed à Magiſtris exercitationum præſcriptum, ſequebantur, Baſilius M. *Hom.54.* Ita Strabo, *veteres conſueviſſe Athletas Ravennam mittere, ut ibi in ſalubriori aëre commodiùs exercitarentur*, literis prodidit. Ab animi affectionibus ut ſibi temperarent, edocti ſunt, & Pyrrhus quidem, maximus certaminis Gymnici præceptor, ſolitus eſt iis, quos exercebat, præcipere, *ne iraſcerentur*, Sen. *de Ira l.2.c.14.* A Venere prorſus abſtinuerunt, ut Plato docet *de LL. l.8.* de Aſtylo, Diopompo Criſſone, Iceo Tarentino verba faciens: & (præter Galenum *de loc.aff. lib 6.* ac Baſilium M. *Hom.52.*) de Blatara, Martialis *l.11.* ſcribit, quem gelidâ corpus perfundere conſueviſſe ait, ut libidinis ſtimulos minùs ſentiret. Imo non ſolum hoc remedio contra Venerem utebantur Athletæ, verùm etiam laminas plumbeas renum & lumborum regionibus eo fine adhibebant, Plin. *l.34 c.18.* & Caſſianus *l.6. c.7.* quò reſpexiſſe D. Paulus videtur, cùm dixit: *Qui in ſtadio currunt, ab omnibus abſtinent*, V. quoq; Chryſoſtomum *1 ad Cor c.9.* atque Ælianum & Clem. Alex. *3. ſtrom.* Addam hoc unum, quod modò memoratus Clemens, *Pædag. l.3.c.5.* quaſi ludens memoriæ mandavit. *Athletas hanc unam honeſtatis imaginem habuiſſe, ut nunquam in publicum ad certandum ſine ſubligaculis prodierint.* Quem morem ab Hercule primùm invectum, ſicut à Palæſtra, Mercurii filia, pudendos locos obtegendi conſuetudinem inter mulieres, quæ curſu aliisque exercebantur, introductam eſſe, memoriæ mandatum eſt. Quanquam Dionyſius Halic. *Antiqq. Rom. l.7.* ſcribat, ex Homero colligi, *Apud priſcos illos turpe habitum eſſe nudos certare, primum autem omnium Olympiade quintadecimâ Acanthum Lacedæmonium, Olympiaco ſtadio decurrentem, totum corpus denudaſſe, pudendis tantùm ſubligaribus campeſtribus obtectis.* V. Hier. Mercurialem *de Arte Gymn. paſſim, inprimis verò lib.1.cap.13. & ſeqq.*

Athmonium, adde: Erat ibi Templum Veneris Uraniæ, extructum à Rege Porphyrione, qui ante Atticum his locis regnaverat; item Templum Dianæ Amaryſiæ, cujus in honorem feſtum cognomine celebrabatur Athenis. Hinc Ἀθμονεὺς, demo ſeu pago hoc oriundus. *Inſcr.* Athenis in Æde *Panagia Gorgopiko*.

. . . ΝΕΥΣ ΧΑΡΙΕΣΣΑ ΑΡΙΣΤΩ
ΝΟΣ ΕΞ ΑΘΜΟΝΝΩΝ.

Indidem Nicias Archon erat &c. V. Jac. Sponium *Itiner. Græciæ Part. 2. pag 183.* & *Part.3. pag.83.*

Athocara, apud Plinium, per tranſpoſitionem, pro *Athacoris*, quos vide.

Athoci, Hæretici memorati *Hiſtor.* Concilior. *Tom. IV.* Seculo XIII. *Animas cum corporibus interire*, docuerunt. V. Tobiam Pfannerum *Syſtem. Theol. Gentilis pur. cap.17 §.11.*

Athribis, adde: Hinc *Athribiticus* amnis, alterum ex diverticulis

Bubastiaci amnis, qui ad tertium Delta se in duos ἀλλαῦς findens, ostium Pineptimi & ostium Athribiticum efficit: quorum hic ἄλλο@ per ipsam urbem *Athribim* in mare effunditur, hinc nomen consequutus. V. Salmasium *ad Solinum p.* 477.

Athyr, Mensis nomen, apud Ægyptios, qui Gr. νοέμβριος. V. *ibi.*

Atidius Cornelianus, adde: V. quoque Jul. Capitolinum in *Vita* hujus Imp. ubi tamen *Atilius Cornelianus* potiùs legendum esse monet Casaubonus, ex antiqua *Inscr.* in qua filius hujus ita dicitur.

Atilia lex, lata, ut videtur Sigonio, ante annum U.C. 565. fuit *Ut mulieribus & pupillis tutores non habentibus à Prætore & majore parte Tribunorum Pl. darentur*; Cui tutores hinc *Atiliani* dicti sunt: Meminit legis Livius *lib.* 39. A Claudio Imp. postmodum abrogata videtur, qui sanxit, ut Consules pupillis utriusque sexus Auctores darent, quod vicissim ab Antonino Phil. sublatum refert Capitolinus, ab eoque Prætorem tutelarem institutum. Alia, lata à L. *Atilio* Trib. Pl. de *dedititiis*, fuit an. 544. U.C. cujus mentio apud Liv. *l.* 26. Item *Atilia* Marcia Lex, quam tulere L. Atilius, C. Marcius T. Pleb. an. U.C. 442. voluit: *Ut Tribuni militum seni deni in quatuor legiones à populo crearentur, quæ antea, perquam paucis suffragio populi relictis locis, Dictatorum & Consulum ferme fuerant beneficia,* Livius *lib.* 9.

Atinia lex, ab Atinio Tr. Pl. lata, sanxit: *Ut, qui Tribunus Pl. esset, dicendæ in Senatu sententiæ jus haberet,* A. Gellius *libro* 12. *cap. ult.* Alia de usucapionibus extat, quâ cautum fuit, *Ut, quod surreptum esset, ejus rei æterna esset auctoritas: nisi in ejus, cui surreptum erat, potestatem revertisset,* A. Gell. *l.* 17. *c.* 7. V. & Cic. *Verrinâ* 3.

Atlantes, adde: Aliis duo sunt populi eodem nomine, decem dierum itinere inter se dissiti, ut apud Herodotum videre est *l.* 4. ubi tradit, à Garamantibus decem dierum itinere salis tumulum reperiri, circa quem habitent homines, *οἳ ἀνώνυμοί εἰσι μοῦνοι ἀνθρώπων, qui soli mortalium nomine carent*: Et hos esse *Atlantes* dicit, qui Solis ortus diris prosequantur. Ab his, decem itidem dierum spatio, alium salis tumulum undique secus habitari ab hominibus, quibus itidem nomen sit *Atlantes*, à monte vicino, addit; qui nomen habeant proprium, sed qui nulla cernant somnia, & ab animalium esu abstineant. Quæ omnia de unis iisdemque *Atlantibus* produnt Plinius, Mela & Solinus. In hac Auctorum diversitate, quid sentiendum, non adeò liquet. Apud Vett. quidem duplex mons *Atlas* ponitur, *Ἄτλας ἐλάττων*, *Atlas minor* & *Ἄτλας μείζων*, *Atlas major*, Ptolem. & Steph. Sed non tanto hi intervallo à se invicem absunt, quantum ab Herodoto inter utrumque populum ponitur. Præterea uterque Atlas ad Oceanum, à quo longè remoti priores Herodoti *Atlantes*. Ideò *Ἄταραντες* priori loco legendum esse, qui aliis *Ἀτάραντες* dicuntur, censet Salmasius, quem vide *Exercit. Plin ad Solinum p.* 410.

Atlantia, Æthiopica gens dicta olim Plinio *lib.* 6. *c.* 30. de Æthiopum gente, *Universa verò gens Ætheria appellata est, deinde* Atlantia, *mox à Vulcani filio Æthiope Æthiopia* Unde & Oceanum Atlanticum, cum Æthiopico, ab Arabico Sinu incipiente, eundem facit. Sed cùm gemini sint Æthiopes, *Δυσμικοὶ, Occidentales* & *Ἑῷοι, Orientales*, de illis solùm verum id esse, docet Salmasius: qui non Æthiopiam, vicinam Indiæ vel Arabiæ; Sed regionem Hesperiorum Æthiopum, quam Carthaginenses olim & Hispani lustraverunt, commercii gratiâ, quæque contra Sinum Atlanticum sita est, *Atlantiam* quoque dictam esse, demonstrat. Certè Occidentales Æthiopes iidem & *Atlantii* & Hesperii; quod cognominis Orientalibus non competit. Mela, de Mari Atlantico, *Prima ejus Æthiopes, media nulli, nam aut exusta sunt, aut arenis obducta* &c. V. eum *Exercitat. Plinianis ad Solinum p.* 1242.

Atlantica Arbor, qualis describitur Solino *c.* 25. ubi de monte Atlante, *Quà Africæ contraversus est, felix nascentibus sponte frugibus, arboribus proceris opacissimus, quarum odor gravis, comæ cupressi similes vestiuntur lanugine, sericis velleribus nihil viliore:* Salmasio non peculiare genus montis hujus fuit, ut Plinius vult; sed citri arbor, tantopere Veteribus ad mensas expetita. Spectabilem enim his proceritatem & frondes cypressis similes Suetonius Paulinus quoque tribuit, apud eundem Plinium. qui primus Romanorum Ducum Atlantem montem transgressus, incognitum sibi esse genus id arborum, quo repletæ sunt imæ montis hujus radices, ibi memorat. Certè, *Atlantica munera*, mensas citreas Martialis vocat, *l.* 14. *Epigramm.* 89.

Accipe felices, Atlantica munera, sylvas,
Aurea qui dederit dona, minora dabit.

Qui *alibi*, citrum *Mauræ silvæ filium* appellat: quòd non in Atlante solùm, sed & in aliis multis Mauritaniæ montibus nasceretur. Magnam autem illam & proceram fuisse arborem oportet, è cujus radice mensæ fierent, quæque materiem suppeditaret contignationibus faciendis satis longam &c. V. præfatum Salmasium *Exercitat. Plin. ad Solinum p.* 294. & 295. ut & infrà, ubi de *Citro.*

Atlanticum Mare, seu *Oceanus Atlanticus*, secundùm Solinum *cap.* 56. incipit à Mosylico prom. *Tempus est ad Oceani oras reverti, represso in Æthiopiam stilo: namque ut Atlanticos æstus incipere ab Occidente & Hispania dudum dixeramus; ab his quoque partibus Mundi, unde primùm Atlantici nomen induat, exprimi par est. Pelagus Azanium usque Æthiopum littora promovetur, Æthiopicum ad Mosylicum promontorium: inde vorsus Oceanus Atlanticus* &c. Sed ab alio Æthiopiæ prom. quod Occiduo Mari incumbit, initium habere Mare *Atlanticum* scribit Mela, *Ἑσπέρου κέρας* illud vocans, his verbis: *Ipsa terræ promontorio, cui Ἑσπέρου κέρας nomen est, finiuntur. Inde incipit frons illa, quæ in Occidentem vergens Mari Atlantico abluitur.* Quod cùm toto orbe diversum à Mosylico; hoc enim ad Orientem, illud ad Occidentem, immani terrarum spatio interjacente; *Atlanticus* porro *Oceanus* totus Occiduus sit: pro *Azanio* vel *Azanico*, à Solino *Atlanticum* positum esse, suspicatur Salmasius, quem de hoc Oceano pluribus disserentem V. *Exercitat. Plin. ad d. l.*

Atlas, fil. Jovis: Sphæram primus invenisse dicitur Plinio *lib.* 2. *cap.* 8. *Signiferi — obliquitatem intellexisse — Anaximander traditur primus, Olympiade quinquagesimâ octavâ. Signa deinde in eo Cleostratus & prima Arietis ac Sagittarii. Sphæram ipsam antè multo Atlas.* Quod non de Sphæræ solidæ fabrica, sed simpliciter de sphærica ratione cœli, capiendum esse, monet Salmasius, *ad Solinum pag.* 823. Certè Diodorus Siculus de *Atlante* loquens, *σφαιρικὸν λόγον* vocat, *sphæricam rationem, lib.* 3. Nempe primus Atlas Mundum vel Cœlum *sphæram* esse intellexit, adeoque sphæricam cœli formam invenit, & τὴν σφαιρικὴν ejus λόγον descripsit. Solidæ verò sphæræ inventionem Archimedi plerique tribuunt, ut infrà videbimus, ubi de *Sphæra.*

Atlas, Agitator celebris in certamine curuli, apud Silium Italicum *lib.* 16. ubi ludos à Scipione celebratos in Africa memorat: ejus currum, qui quarto loco exierat, solo *Campaso* equo (utpote primario, funali nempe sinistro) nominatim laudato exprimit idem:

Campasus antiquo fidebat Atlante *Magistro,*
Ipsumque Ætolo Diomedi condita Tirin-
thi misérat.

V. præfatum Salmasium ubi suprà, *pag.* 897.

Atlas Mons, adde: Eum Romanorum Ducum primus transgressus est Suetonius Paulinus, de quo Vide Plinium, ubi de *Atlante.*

Atmeydan, dicitur hodie locus CPoli, qui *Hippodromus* olim, 550. passuum longitudine, 120. latitud. in quo, tempore Græcorum Impp. Ludi Circenses aliæque festivitates celebrabantur. Columnæ ibi quinque etiamnum visuntur, inter quas pyramis insignis, hieroglyphicis characteribus undique oppleta: in cujus basi Theodosius Imp. conspicitur, cum filiis Honorio & Arcadio totaque Aulæ Imperatoriæ pompa. Ab uno latere loci *Serralium* quoddam vetus visitur, ab altero Mesquita nova Sultanis Achmeti, omnium, quotquot in illa urbe sunt, magnificentissima; exceptâ illâ, quam Mahometis hodienum imperantis mater extruxit: qua de utraque, ut & plura de hodierna Hippodromi hujus facie, V. apud Petrum de Valle *Itiner. Tom. I.* & Jac. Sponium *Itiner. Part.* 1. *pag.* 231. *& seqq.*

Atomus, apud Plinium *lib.* 34. *cap.* 11. thuris genus est, quod & *stagonia*, *Græci stagoniam & atomum tali modo appellant, minorem autem orobiam.* Nempe Indici thuris, de quo ibi loquitur, grana, quòd magna essent, nec rotunda, ea in cubos ac tesseras divisa tamdiu volvebant, in fictili aliquo, donec figuram rotundam recepissent, qualem habebant veri *stagoniæ* & *atomi*: Quibus nominibus propriè appellabant guttas Arabici thuris, quæ perfectæ rotunditatis erant, sicut sponte manaverant. Dioscorides de Thure Arabico, *Πρωτεύει δὲ ὁ ἄῤῥην σταγονίας καλούμενος, στρογγύλος φυσικῶς. ἐστὶ δὲ ὁ τοιοῦτος ἄτομος. Prima autem debentur masculo, stagonia dicto natura rotundo. Est autem hic atomus.* Idem dicebatur & *ἄτμητος*, uti docet Polemon apud Athenæum *lib.* 11. *Στρογγύλος* autem vocabatur thus, masculum & Arabicum. *ἀπὸ τοῦ σταγόνος, à gutta* sc. quòd rotundum guttatim manans efflueret; idem & *ἄτομος*, quòd naturâ, non arte incisionis talem formam acciperet: contra Indicum, quod largiùs manabat, & manualibus plerumque glebis, *ἀσύγχυτος* dicebatur & *ἄτομος*: quòd in quadras scissum artedemum in eam figuram transiret, qualem veri *atomi* habebant. Salmasius *ad Solinum p.* 508. & 509. V. quoque infrà, ubi de *Thure.*

Atornatus, V. infrà *Attornatus.*

Atossa, adde: Fuit & alia hoc nomine, priori longè antiquior, Belochi filia, cui multa à quibusdam ascribuntur, quæ alii Semiramidi tribuunt, V. Photium *cod.* 186. Vixit autem *Atossa* illa annis, post Nini uxorem, quingentis. Unde duplex Semiramis Eusebio, qui prioris mortem refert ad num. 52. posterioris ad num. 582. qui decimus à morte Josuæ, ubi hæc annotantur: *Assyriorum octavus decimus Belochus annis XXV. cujus filia* Atossa, *quæ & Semiramis, regnavit cum Patre annis XV.* Imò & tertiam ejus nominis reperisse, utraque recentiorem, ait Voss. *de Idolol. lib.* 1. *cap.* 23.

Atrabatica Vestes, *Atrabatica saga*, item *birri Atrabatici* Suidæ in vet. *Lexico* Regio & Codino in *Originib.* CP. ab *atro* colore nomen habent, ita τὸ ἐξαμίτιλλον χρῶμα appellari censentibus: quem tamen colorem inter coccinum & muricatum fuisse, scribit vetus Juvenalis Scholiastes. Aliis ab *Atrebatibus* pop. sic dictæ sunt. Carolo du Fresne eædem videntur, quas Itali *Arazze* vocant: V. eum in *Glossario*, & infrà in voce *Sagum.*

Atramentale vel *Atramentarium*, Græcis *μελανδοχεῖον*, item *μελανοθήκη*, quòd in eo atramentum reponatur, ad intingendum calamum; *calamarium* quoque dicebatur, in *Glossis καλαμάριον*: *Caniculum* recentioribus Latinis, voce diminutivâ à *Canum*, quod ex Græco *κανοῦν* ac *κανοῦν*, non tantùm canistrum textum vimine, sed etiam *τρύβλιον* & *παροψίδα* denotavit. Unde *Caniclinus*, dignitas

Palatina

Palatina in Aulâ CPolitana, ὁ ἐπὶ κανικλείου Scriptoribus Byzantinis, cui viz. demandatum erat vas, in quo asservabatur sacrum encaustum; vel secundùm Anastasium *Not. ad Synodum VIII.* atramentum, potiùs *rubramentum*, ex quo Impp. literas phoeniceas exarabant subscribendo. Erat id aureum, gemmis lapillisque distinctum, uti describitur à Niceta *in Manuele lib. 3. num. 4.* V. infrà in voce *Caniclinus*. In *Museo* Kircheriano Romæ, *Atramentarium*, inter alia, ostenditur, quinque è speciebus marmoris elaboratum, à viro illustri Raphaele Masseio Volaterris Auctori muneri missum, Georg. de Sepibus *in Descriptione Musæi hujus pag. 41.*

Atramentum, Gr. Μέλαν, excrementa suo sepia præstat; idem loligo, in metu de se nigrum effundens succum, Germ proin *d' inten-fisch* dicta. Nam licèt Romani & Græci, ex fornacium balinearumque fuligine *Atramentum* facerent, Plin. *l. 35. c. 5.* & Dioscor. *l. 5. c. ult.* Afri tamen ex excremento sive nigro & glutinoso humore in vesica sepiæ latente *atramentum scriptorium* conficiebant: uti vetus annotavit Interpres, *ad illud Persii Sat. 3.*

Inque manus chartæ, nodosaque venit arundo,
Tum querimur, crassus calamo quòd pendeat humor,
Nigra quòd infusâ vanescat sepia lymphâ &c.

V. Vossium *de Idol. l. 4 c. 49.* Sed *Atramento* quidem libri scribebantur, tituli verò & capita librorum rubri erant coloris, quam ad rem minii usus: Hinc vett. Glossæ, *Rubrica, διὰ μίλτου ἐπιγραφή.* Idem in Legum titulis fiebat, Pers. *Sat. 3.* Et Leo Imp. *l. 6. de divers. rescr.* vetat, *sacra Rescripta alio colore, quàm purpureâ inscriptione illustrari.* Quem Græcorum Impp. morem etiam confirmare est ex *Annalibus* Constantini Manassis: & Brissonius *l. de verborum signif.* quo loco agit de Encausto sacro, quod ex muricis seu conchylii colore erat, refert ex *Epitome Chron.* Werveronis Mon. Leodiensis, Palæologum Imp. Ecclesiæ Rom. obedientiam spopondisse syngraphâ, cui conchylii sanguine subscripserit. V. infrà, ubi de *Encausto*. Sic itaq; in scriptione duo hi obtinuere colores, *ater* & ruber, interim non semper liquorem, ad utrumque, adhibebant; Sed instrumento etiam utebantur, quod calami & liquoris vicem præstabat. Sic rubricâ, sic plumbo hodieque scribimus: maximè verò celebrata, creta & carbo, ut vulgatissima. De carbone Plautus *Mercat. Act. 2. sc. 2.*

Implecantur meæ fores elogiorum carbonibus.

De utroque Persius *Sat. 5.*

Quæque sequenda forent, & quæ vitanda vicissim,
Illa priùs cretâ, mox hæc carbone notasti.

Apud Sinas, gentem ingeniosissimam, in *Hoicheu* Sinicum fit *Atramentum* præstantissimum, quod non, uti nobis, liquidum fit, sed in massulas oblongas parallelogrammicas coactum, easque solidas, veluti rubrica est, pulchris florum, animalium larvarumque formis insignitum, literis etiam ornatum, quibus in *Atramenti* laudem carmina quædam explicant, & Artificis nomen inscribunt. Est enim ejus conficiendi in illa gente studiorum amante Ars liberalis, uti & reliquæ omnes, quæ ad studia pertinent. Utuntur verò *Atramento* hoc eodem fere modo, quo nostri Pictores coloribus; ferunt enim in lapide lævigato, aquaque diluunt & penicillo intincto characteres suos depingunt potiùs, quàm scribunt, magis scite ac concinnè, quàm si calamo scriberent: cujusmodi penicilli optimè fiunt, in urbe *Huchen*, Adam. Preyelius *Sin. & Europ. cap. 43.* Eodem cotis instar ad acuendos cultros Sinenses uti, docet G. de Sepibus *d. l.* Et hæc de *Atramento*, quod *librarium* Vitruvius *l. 7. c. 10.* *scriptorium*, Corn. Celsus vocat *l. 6. c. 4.* V. quoque Dioscoridem *l. 5. c. ult.* Plin. *l. 35. c. 6.* Isidorum *l. 9. c. 17* ac Vossium *de Arte Gramm. l. 1. c. 29.* de *impressorio*, quod Typographis in usu, in voce *Typographia*.

Atramitæ, adde: Caput eorum Sabota fuit quod vide.

Atrantes, sive *Atarantes*, V. supra *Atlantes*.

Atrati, dicti sunt apud Romanos, à toga pulla *atri* coloris, qui in luctu erant. Cic. *in Vatinium, Quis in funere familiari cœnavit atratus, cùm ipse epuli dominus Q. Arrius albatus esset?* Atque hoc stante Rep. ita observatum. Sub Imperatoribus autem, cùm jam usus togæ exolevisset, exolevit etiam simul albi coloris usus, & tum pullæ fuerunt plebeiæ vestes omnes. Hinc *pulla paupertas* Calpurnio dictæ & *pullati*, apud Sueton. *in Augusto cap. 44.* pro plebeiis, V. Joh. Rosinum *Antiqq. Rom. l. 5 c. 33.*

Atrax, Princeps fuit Thessaliæ, pater Hippocrateæ, Lutatio *ad Statium lib. 1. versu 106.* qui sui nominis urbem constituit, penès Thessaliam, unde ea tota *Atracia* vocata est, uti diximus in voce *Atrax* & *Atracia*. Stephanus, Ἄτραξ καὶ Ἀτρακία· πόλις Θεσσαλίας τῆς Πελασγιώτιδος μοίρας. ἐκλήθη ἀπὸ Ἄτρακος τοῦ Πηνειοῦ καὶ Βούρας παιδὸς κτισθεῖσα, *Atrax & Atracia: urbs Thessaliæ Pelasgiotidis: sic autem dicta est ab Atrace, Penei & Buræ filio, qui eam condidit.* Inde *Atracium* quoque *venenum*, in Lunæ labore, Valerio Flacco *lib. 6.*

Quamvis Atracio Lunam spumare veneno
Sciret, & Æmoniis agitari cantibus umbras.

Apud Propertium *Atracia ora*, pro remotis, *l. 1. Eleg. 8.* Apud Catullum item, in Smyrnam Cinnæ, *Epigr. 95.* quorum uterq; alludit ad Magicas præstigias. De Lunæ labore & tinnitu, quo illa juvare credebatur, nos infrà. V. Casp. Barthium *Animadvers. ad Papinium Statium d. l.*

Atriensis, servus fuit apud Romanos, qui sicut Ostiarius, seu Janitor ostium, ita is *atrium* tuebatur. Varro *de L. L. lib. 7.* *Si ab æde & tuendo Æditimus est, cur ab Atrio & tuendo, non Atritimus sit potiùs quàm Atriensis.* Servius *ad Æn. lib. 9. v. 648.*

Armiger antè fuit fidusque ad limina custos.

Æditimus, inquit, *fuit, quod in ingenti honore apud Majores fuit: illic enim & epulabantur & Deos colebant. Census etiam omnes illic servabant, quod etiam Plautus in Asinaria, quâ inducit Sauriam servum Atriensem* in tota familia plurimum posse. Et sanè operæ pretium erit legisse ejusdem Fabulæ *Act. 2. sc. ultim.* Idem Grammaticus, *Æn. 1.*

——— ——— *Vocemque per ampla volutant*
Atria.

Ubi, inquit, *& pecunias habebant. Unde qui honoratiores erant, liminum custodes adhibebantur. Ibidem & culina erat, unde & Atrium dictum est, quasi atrum ex fumo.* Ubi quòd *honoratiores* illos fuisse ait, confirmatur ex Cicer. *Parad. 5. Atque ut in magna familia sunt alii lautiores, ut sibi videntur, servi, sed tamen servi, ut Atrienses, alii inferiore loco, ut Mediastini* &c. Quòd ibi ignis ac *fumi* meminit, colligitur ex eodem Cic. *in Pison. Extructâ mensâ non conchyliis aut piscibus, sed multâ carne subrancidâ. Servi sordidati ministrant, nonnulli etiam senes, idem coquus, idem Atriensis.* Quo facit & illud Evangelicum de Atrio Summi Sacerdotis, in quo ad ignem & prunas calefaciebat se Petrus: imò & quæ habentur apud Matthæum *c. 12. v. 29.* & Lucam *c. 11. v. 21.* An verò *Atrium* lacunatum esset, an sub dio, implicita quæstio est. Vitruvius *l. 6. c. 4.* lacunaria haud obscurè in Atriis collocat: cui suffragatur Ovidius *Metam. l. 8.* & *l. 14.* ubi, *Atria* habet *marmore, murice conchisque tecta.* Appulejus quoque *Floridor. l. 4. Sed & Medici*, inquit, *cùm intraverint ad ægrum, uti visant, nemo eorum, quòd Tabulina perpulcra in ædibus cernant & lacunaria auro oblita* &c. At lacunaria & tablina non propriè in, sed circa *Atrium*, visebantur; in porticibus nimirum, quæ impluvium cingebant; *Atrium* verò ὕπαιθρον erat. Ovidius autem, ut & Ausonius annotante *ad Suetonium l. 2.* Casaubono, pro *Aula* usurparunt. De servo *Atriense* ita Phædrus *lib. 2. Fab. 5.*

Ex alticinctis unus Atriensibus,
Cui tunica ab humeris linteo Pelusio
Erat destricta, cirris dependentibus.

Ubi nos docet fuisse illos neque promisso capillo, neque detonso, sed cirrato & leviter diffuso, quem comæ tenorem servant omnes Antinoi (qui ex *Atriensi* Imp. Hadriani Deus factus est, dignus planè, quem Ganymedes consessu dignaretur & reciperet in contubernium Zamolxis, V. Tertullian. *Apologet. c. 13.*) imagines. Erat autem in *Atrio* vel circa, Tablinum, in quo servabantur codices rerum in Magistratu gestarum, Plin. *l. 35. c. 2.* erant Armaria, quę imagines Majorum continerent, Val. Max. *l. 8 c. 15.* in quarum locum postea irrepserunt, ut Plin. conqueritur *l. c.* signa externorum Artificum, æra & marmora, ut & in Trimalcionis *Atrio* notavit Petronius. Neque porro alius, quàm *Atriensis* fuisse videtur, qui *ab Atrio curando* vel *Atrii curandi* appellatur, in antiquo elogio. Nisi dicamus, fuisse recensitorem quempiam officiosorum hominum, quorum catervæ ibi loci disponebantur: aut Nomenclatorem, qui domino salutantium insusurraret nomen. Bibliothecę autem, quarum hic apta omnino statio est, adeò insederant omnes domos, ut in ipsas declamaverit Seneca *de Tranquill. c. 9.* Sed & Pinacothecæ etiam privatim, ad insaniam receptæ sunt, quarum nimium studium improbavit Plinius *l. 35. c. 2.* Et quidem tabulas pictas videntur curasse Pictores. Jam verò *Officinator à statuis*, cujusmodi fuit Eutyches Libertus, & Hermeros Ti. Claudii servus Theamidianus *ab Marmoribus Magister*, faciunt ut credam, apud Cæsares saltem, non Pinacothecas tantùm, sed & Agalmatothecas in deliciis fuisse, privati enim illis *Atria* referserant sua. Hæc de *Atriensi* urbano. *Atriensi* verò rustico injungit Columella *l. 12. c. 3* ut supellectilem exponat, ut curet ferramenta nitidari & liberari rubigine; idque apud parcos & attentos Patresfamilias, qui nollent supervacaneum Supellecticariorum ministerium domi habere. Et hoc non ruri modò, sed etiam in urbe aliquando placuit, cùm Cicero *Parad. 5.* Atriensi compararet illum, qui Matellionem Corinthium cupidè tractabat. Cum *Atriensibus* iidem *Atriarii* quibusdam videntur, Petrus verò Faber *Semestr. l. 2. c. 12.* eos distinguens, illos honestioris conditionis, hos minus honoratos, & veluti priorum vicarios, qui ad *Atrium* tanquam ad ostium ejus observandi gratiâ starent, illudque tergerent, verrerent, spargerent, fuisse tradit, V. Laur. Pignorium, & T. Popmam *de Servis*.

Atrium, prima pars Tabernaculi Mosaici, *Altare* continebat *æneum*, in quo holocausta offerebantur, cum reliquo *instrumento* ejus, crateribus, lebetibus, forcipibus, fuscinulis, palis &c. Ex *c. 27. v. 3.* ac ponè illud, Tabernaculum versùs, *labrum æneum*, cujus loco *mare æneum* extruxit Salomo 1. Regum *c. 7. v. 23* ex quo aqua è 12. siphonibus seu mammis promanabat, ut duodecim Sacerdotes, ad ingressum Tabernaculi, ex eo lavare possent, juxta legem Exod. *c. 30. v. 18—21* Ibidem Populi erat statio, ut in Sacris passim videre est. Cùm verò unicum in Tabernaculo esset *Atrium*, in Templo postea Salomonico varia fuere: Nimirum I *Atrium Sacerdotum*, II. *Israëlis*, 2. Paralipomen. *cap. 4. versu 9.* quod rursus à Josaphato divisum in *Atrium mulierum* & *Virorum*, 2. Paralipom. *cap. 20. versu 5.* quibus Herodis tempore, accessit quartum, pro *Gentilibus* ac *immundis*. Et quidem *Atrium Gentium*, quod primò occurrit, ambiebat Templum instar cœmeterii & 500. cubitos in quadratura sua continebat, ac quatuor egregiis porticibus

ticibus instructum erat, quarum unaquæque triplici columnarum ordine sustentabatur. Appellabatur illud הַר הַבַּיִת *mons Templi*, & חֵל vel *Atrium commune.* Eoque intrabant Ethnici, excommunicati, lugentes & immundi. Post id locus erat, dictus חֵיל *antemurale*, 10. cubitos latus, ab Atrio Gentium septo discretus: *Et fecit lugere antemurale & murum*, Thren. *cap.2. versu* 8. Quò gentili aut immundo accedere non licebat, Actorum *cap.21. versu* 29. Hinc 12. gradibus, dimidii cubiti altitudine, ascendebatur in *Atrium mulierum*; in quo tripudium sacrum & aquæ libatio, in festo Scenopegiæ, peragebatur. Erat illud 135. cubitos longum ac latum, ac in quatuor suis angulis totidem conclavia habebat, viz. *Naziræorum*, *leprosorum*, *lignorum & vini ac olei*: & tres portas, ad Or. portam dictam Ὡραίαν, Actor. *cap 3. versu* 2. ad Austr. & Bor. singulas; quæ suis quoque conclavibus ac porticibus instructæ erant. Atque ad has posita fuere 13. Gazophylacia, V. Lucæ *cap. 21 versu* 1. & Marci *cap. 12. vers.* 41. 42. Inde iterum 15. gradibus ascendebatur in עֲזָרָה, *Atrium Israëlis*; in quibus consistebant Levitæ, Psalmos graduum psallentes, ipsum verò longum erat cubitos 135. latum 11. diversasque portas, variasque circum porticus habebat, & in illarum contignationibus exedras & conclavia permulta, variis usibus inservientia. Et in hoc *Atrium* conveniebat Populus ad cultum & sacrificia, inque eo Prophetæ oracula sua ex altiori suggestu pronuntiabant, 2. Chron. *cap. 24. versu* 20. coll. cum Jerem. *cap. 36. versu* 10. atque ibidem Christus Dominus noster Populum docuit persæpe, V. Matthæi *cap 21. versu* 12. &c. Ex eo in *Atrium Sacerdotum* ascensus erat, gradu uno cubitali: Cui impositum erat pulpitum, quod tribus gradibus dimidii cubiti adibatur, in quo Levitarum canentium chorus. Longum id iterum erat 135. latum 11. cubitos, solisque Sacerdotibus in eo ordinariè versari licebat: in eoque Altare fuit holocaustorum, cum labro seu Mari æneo aliisque minoribus lavacris; unde ad αἴθριον seu Templi vestibulum, spatium erat 22. cubitorum, ubi Sacerdotes ministrare & confiteri solebant. Adibatur verò id 12. gradibus dimidii cubiti: sicque emensis *Atriis*, in ipsum Sanctuarium ac palatium Domini הֵיכָל dictum, patebat ingressus, sed de hoc infrà. V. Fr. Burman. *Syn. Theol. P. I. l. 4. c. 15. §. 5. & seqq.*

Atrium, apud Romanos quoque templis adjici solitum est, Corippus *lib. 3. num. 1.*

— Apostolici subeuntes atria templi.

Hinc *Atrium Minervæ*, in reg. 8. *Atrium Libertatis*, in 13. reg. apud Victorem: quod Gracchus ex multaritia pecunia erexit, Tit. Livius *Dec. 3. lib. 4. in princip.* ubi publica acta signabantur, Idem *Dec. 5. lib. 3.* Dedicatio illius incidit in Eidus April. Ibidem & Bibliothecam fuisse, colligitur ex Ovidio *Trist. l. 3 eleg. 1.*

Nec me, quæ doctis patuerunt prima libellis
Atria, Libertas tangere passa sua est.

In monte Aventino extructum ait Festus Pompon. *lib.* 10. auctorem ejus Asinium facit Pollionem C. Suetonius *in Augusto cap* 29. In eadem reg. 8. *Vestæatrium* celebratur, apud Servium *in Æneid. lib. 7.* quod à templo remotum erat, cùm reliquarum omnium Ædium sacrarum *Atria* ipsis templis contigua essent. Sed & privatorum profanæ ædes iis instructæ erant, de quorum longitudine, latitudine & struendi ratione, V. Vitruvium Pollion. *l. 6. c. 3.* Imò in una domo, plura aliquando fuere. quibus vicina aut juncta cubicula erant. Spatia *Atrii* intercolumniis seu peristyliis distinguebantur, Claudian. *in Ruffin. lib 2.*

— — Purpureis effulta columnis
Atria.

Cereis insuper, æreisve aut marmoreis Majorum imaginibus decorabantur, ut patet ex Seneca *de Benef. l. 3. c. 28.* Plin. *lib. 3 cap. 3.* &c. Hinc Martialis *lib. 4. epigr.* 40.

Atria Pisonum stabant cum stemmate toto.

Imò & pretiosa quæque clarorum virorum monumenta, ibi habebantur: ascendebatur autem in illa certis gradibus; Martial. idem *lib. 12. epigr. 3.*

Atria sunt illic Consulis alta mei:

Solebantque auro sive aureis laminis & bracteis incrustari, ac velis tegi seu suspensis tapetibus ornari: Unde Corippus *de Justino min. lib. 3, num. 7.*

Clara superpositis ornabant atria velis, &c.

Pinacothecis illis seu tablinis, in quibus Majorum imagines Nobilibus concessum erat exponere, claudendis, conservandis ac in funebrem comitatum efferendis, servi præerant, quos ab atrii cura *Atrienses* vocabant: Horum officium, juxta Columellam *de Re R. l. 12. c. 3. supellectilem & ferramenta detersa nitidare, atque rubigine liberare, cæteraq; si refectionem desiderarent, fabris concinnanda tradere.* Meminit Phædrus *lib. 2. fab. 36.*

Ex alticinctis unus Atriensibus,
Cui tunica ab humeris linteo Pelusio
Erat districta, cirris dependentibus.

De iisdem vetus Glossarium Lat. *Atriarii seu Atrienses, sunt custodes atrii.* Fuit autem *Atrium* prima domûs pars, teste A. Gellio *l. 16. c. 5.* (unde malè cum Impluvio confunditur, loco subdiali, in medio ædium) inter vestibulum & ædes, neque prominentes solùm pinnas, sive ut Vitruvius appellat, alas, sed etiam laquearia habebat &c. V. Thom. Dempsterum *Paralipom ad Jos. Rosini Antiqq. Rom. lib. 1. cap. 13.* Apud Græcos, Templorum, Christo dicatorum, *Atrium* Νάρθηξ dicebatur, opposita Sacrario, toti Templi longitudine interjacente; eratque ad Occidentem, sicuti Sacrarium ad Orientem. Porticus nempe vel Atrium, ante Basilicam ad deambulandum factum, tam longum, quàm ipsum Templum latum, continenti ædificio cum Templo & eodem ambitu clausum, ab ipso tamen Templo veluti separatum. Nam Narthecis fores aliæ à Templi foribus, & qui intra Narthecem stabant, extra Templum consistere dicebantur, uti latiùs videbimus infrà, in voce *Narthex.* Ab hoc *Atrio*, αἴθριον in Templis Græcorum Gentilium, diversum quid erat, quamvis posterior Latinitas passim ita vocet. V. infrà *Pronaus.* Sed & αὐλὰς ac αἴθρια privata quoque ædificia Græcorum habuere, apud quos tamen nulla *Atria*, uti apud Romanos &c. Vocatur autem Νάρθηξ, *Atrium*, apud Paulinum *Epist. 33.* ad Alethium: ubi de Basilica loquens, *quæ re*, inquit, *prætento nitens Atrio, fusa vestibulo est.* Sed hac de re V. plura apud Salmasium *ad Solinum pag. 1216.* & seqq. Carolo du Fresne, in Templis Latinorum, *Atria*, inprimis dicta sunt Vett. ea impluvia porticibus cincta, quæ Ædibus sacris obversabantur, in quorum meditullio erat fons perennis aquæ. Anastasius in S. *Symmacho, Ante, fores Basilicæ gradus fecit in Atrio & Cantharum.* Cujusmodi *atrium* Romanâ consuetudine *Paradisum* fuisse dictum, docet Leo Ostiensis *l. 3. c. 26.* Illud autem asyli & immunitatis jure non minùs, ac ipsa Ædes sacra, donatum erat. *Decretio* Chlotarii R. post *Legem* Sal. §. 13. *Nullus latronem vel quemlibet culpabilem — de Atrio Ecclesiæ trahere præsumat. Quòd si sunt Ecclesiæ, quibus atria clausa non sint, ab utraque parte parietum terræ spatium arpennis pro Atrio observetur.* V. quoque *Capitula* Caroli M. *ad L. Sal §. 3. LL.* Edvvardi Confessor. *cap. 6.* Longobard. *l. 1. tit. 40. §. 5.* &c. Porro *Atrium* portis, iisque consecratis erat clausum, *Capitular*, 1. ann. 819. c. 1. *L.* Longob. *l. 1. tit. 9. §. 30. 36.* & *Capitular.* Caroli M. *l. 4. c. 13.* Ibique fidelium erant sepulturæ. Ebrardus in *Græcismo cap. 11.*

Atria dic aulas, eadem & cimiteria dicas,
Et loca sacrorum &c

V. præfatum C. du Fresne *Gloss.* ut & Macros Fratres in *Hierolex.*

Atrogi, Mauris vocatur, pomum citrium seu Medicum, Salmasius *ad Solinum pag.* 950. de quo V. infrà.

Atrophi, apud Plinium *lib. 31. cap. 10.* *Prosunt atrophis, opisthotonis, tetanis*; Græcè ἄτροφοι: propriè sunt pueri macie confecti. Hinc *atrophum* piper, apud Plinium, quod intus inane & cassum, aliàs *brasma* quoque dictum est; quæ vox purè Græca propriè bullam notat & ampullā aquæ scaturientis vel etiam ferventis & bullientis. Hinc enim βράσματα istiusmodi *atrophum piper*, quòd nihil plus intus haberet solidi, quàm illæ bullæ & ampullæ, Salmasius *ad Solinum pag.* 1029.

Attacana, adde: Hinc Ἀττακανοὶ pop. *Attacani*, quos tamen Indiæ adscribunt omnes fere Auctores, ut videre est, apud eundem ubi suprà, *pag* 1004.

Attacenus Sinus, apud Solinum *cap. 51.* *Sequitur Attacenus Sinus, & gens hominum Attacorum, quibus temperies prærogativa mitram aëris clementiam sumministrat* &c. Sed nulli usquam *Attaci*, ut vidimus suprà, in voce *Athaci.* Proin *Attacenum*, pro *Attiano*; & *Attacos*, pro *Attacoris*, Solinum sumsisse, conjicit Salmasius. Sunt autem *Attacora*, Græcè Ὀττοκόρρα & Ἀττακόρρα, quos Ὀττοροκόρρας Ptolemæus vocat & in Serica ponit, ubi urbs eorum itidem Ὀττοροκόρρα: Idem & montis cognominis meminit. Ammiano vocatur *Opurocarra lib. 23.* &c. Vide Salmasium *ad Solinum p. 989.*

Attacoræ, pop. Asiæ, in Serica reg. V. suprà in voce *Athaci*, & hic in *Attacenus Sinus.*

Attacus, Gr. ἀττάκης vel ἀττακὸς, Levitici *c. 11. v. 22.* locustæ species, fortè ἀπὸ τοῦ ἄττειν, *à saliendo*, ut vulgari linguâ *saltarella.* Nisi idem ἀττακὸς, quod ἀστακὸς, Æolum dialecto; quibus πίστις est πίττις, unde *fides*, & βλάστη βλάττη, unde *planta.* Quò facit, quòd inter marinas locustas est ἀστακὸς, *astacus*; quodque in optimis Glossis *lucusta* seu *locusta* redditur ἀκρὶς, ἀστακὸς; Neque aliud sibi volunt Isidori hæc, alioqui valde inepta: *Locusta, quòd pedibus sit longis, velut hasta: unde eam Græci tam marinam, quàm terrestrem*, hastagon *appellant.* Ubi eum apparet frigidas captasse allusiones inter *locustam, hastam* & *astacum* V. infrà in voce *Locusta*, & Sam. Bochartum *Hierozoici Part. II. p. 449.*

Attagen Græcis, Latinis *Rusticula*, Gallis *Gelinotte*, Italis *Francolino*; avis est, ad mensarum delitias expetita. Glossæ Ἀτταγὴν, *Gallina rustica.* Plinius, *Attagen maximè celeber Jonicus & vocalis aliàs, captus verò* [illegible] *tescens quondam existimatus inter raras aves. Jam & in Gallia* [illegible] *que capitur, & per Alpes etiam, l. 10. c. 44.* Eum sic describit Athenæus, Ἀλέξανδρος δὲ ὁ Μύνδιος φησὶν, ὅτι μικρῷ μείζων ἐστὶ πέρδικος, ὅλος δὲ κατάγραφος τὰ περὶ τὸ νῶτον, κεραμεοῦς τὴν χρόαν ὑπόπυρρίζων μᾶλλον, *Alexander verò Myndius ait, paulo majorem esse perdice, totum verò pictum tergo, colore subrufum.* Quæ forma colorque in Gallorum rusticulis est. Nec obstat, quòd Plinius & Martialis Attagenem à rusticula distinguunt: de Jonico enim potissimùm loquuntur, quem ab aliarum regionum ejusdem generis avibus gustu differre, mirum non est. V. Salmasium *ad Solinum p. 150.* & infrà in voce *Rustica gallina.*

Atta-

Attelabus, itidem locustæ species, apud Bochartum ubi suprà.

Attalis, adde: Sic dicta ab Attalo Rege; in memoriam auxilii ab eo adversùs Philippum impetrati; *Tum primùm mentio illata de Tribu, quam Attalida appellarunt*, Livius *Dec. 4. lib. 1.* Ad eam pertinebant οἱ Ἀπολλωνιεῖς, *Apolloniensis*, V. Franc. Rossæum *Archæol. Attica lib. 1. cap. 7*

Attanium, in Isidori *Glossis* & aliis ἀττανίτης, genus vasis; pro quo *Attanuvium* legitur, apud abbreviatorem Festi Paulum: qui poculi fictilis genus interpretatur, quo in sacrificiis olim Sacerdotes usi fuerint. Ex Græco ἄττανον, quod τήγανον significat, *sartago*. Unde ἀττανῖται panes & placentæ. Salmasius *ad Solinum pag. 830.*

Attegia, Latinis idem quod Græcis ἡ σκηνή, item ἡ καλύβη, de qua voce V. infra in *Calyba*: ab *attegendo* vel *attegendo*. Hinc Juvenalis *attegias* vocavit mapalia Maurorum rotunda,

Dirue Maurorum attegias:

De quibus V. infrà in voce *Cohors*.

Attejus Sanctus, Corr. *Attejus Sanctius*.

Attenuatæ Sortes, apud Livium *lib. 21. cap. 62.* inter prodigia recensentur. Græcè ἠλαττωμέναι, vel μειωθεῖσαι, h.e. *minores factæ*. Ovidius,

Attenuant juvenum vigilatæ corpora noctes.

Martialis,

Attenuare nives norunt & Cæcuba nostra &c.

Nempe in ostentis, ut & somniis, omnia majora & auctiora videre, lætum ac prosperum judicant Aruspices & Ὀνειροκρίται: Contrà triste ostentum est, si qua res solito minor & tenuatior defectiorque appareat. Sic quadrigæ fictiles præparatæ in fastigium delubri Jovis Capitolini, quòd in fornace crevissent, felix fortunatumque omen rebus Romanis portenderunt, apud Plinium *lib. 28. cap. 2.* Et Perdiccæ, uni ex Temenidis, panis, qui ejus nomine coquebatur, in furno duplo major factus, Regnum Macedoniæ attulit. Contrà *Prænestina sortes extenuata d. l.* exitum tristem denuntiavere. Quod idem de Somniis judicium, penès Interpretes eorum veteres. Membrum aliquod, aut aliud quodcumque per quietem solito majus & auctius visum læta significat; *attenuatum*, contractum & emaciatum contra. Quò pertinent septem opimæ vaccæ & septem macie defectæ, quas è flumine ascendentes Rex Ægyptius vidit, in Sacris &c. V. Salmasium *ad Solinum pag. 692.*

Atteri, de gemmis, idem quod *poliri*, Græcè τρίβεσθαι est: à quo diversum scalpi, γλύφεσθαι, V. *infrà*.

Attianus, prænom. *Cælius*, inter Tutores Adriani Cæsaris, memoratur Ælio Spartiano in *Vita* hujus: *Ulpium Trajanum & Cælium* Attianum *Equitem Romanum, Tutores habuit*; Ita enim optimi libri, cùm vulgatæ Editiones *Tatianum* habeant. Sed & Xiphilinus Ἀττιανὸν vocat; Unde dubium non est, quin Τατιανὸς, apud Zonaram, sit corruptum. Cum hoc perperam *Titianum*, qui collega Gallicani fuit in Consulatu, eundem nonnulli faciunt: disertè enim distinguit Spartianus infrà, *Atque adeò prope cunctos vel amicissimos, vel eos, quos summis honoribus evexit, postea ut hostium loco habuit, ut* Attianum *& Nepotem & Septicium Clarum, Nam Eudæmonem priùs conscium Imperii ad egestatem perduxit. Polyænum & Marcellum ad mortem voluntariam coëgit, Heliodorum famosissimis literis lacessivit, Titianum, ut conscium tyrannidis, & argui passus est & proscribi.* V. Salmasium *ad Histor. Aug.*

Attianus Sinus, V. *Attianus*.

Attica Terra, apud Zosimum Panopolitam, in confectione admirabilis illius tincturæ, quam ὕδωρ θεῖον vocabant: Τὰ δὲ ὕδατα τοῦ χρυσολόγου ἐστίν, καὶ γῆ Ποντική, καὶ Ἀττικὴ καὶ Ἀρμένιον καὶ βωλοῦν δηλονότι τοῦ κρόκου καὶ τοῦ ἰνδικοῦ τὸ ἄνθος: ochra videtur esse Salmasio, an sil *Atticum*, rubri coloris, quem Plinius limum esse scribit. Quæ duo perperam confundit Vitruvius *lib. 7. cap. 7.* cùm ait: *Ochra — multis in locis, ut etiam in Italia, invenitur, sed quæ fuerat optima Attica, ideò nunc non habetur, quòd Athenis argenti fodinæ cùm habuerunt familias, tunc specus sub terra fodiebantur, ad argentum inveniendum. Cùm ibi vena fortè inveniretur, nihilominus uti argentum persequebantur. Itaque antiqui egregiâ copiâ silis ad politionem operum sunt usi.* V. Salmasium *ad Solinum pag. 1157.* & infrà, in voce *Sil*.

Atticianus Cos. Orphiti collega, sub initia Claudii II. Imp. apud Treb. Pollionem *in Divo Claudio.*

Atticus Cos. cum Prætextato, cùm Gordianus, aperto Jano gemino, profectus est contra Persas. Jul. Capitolinus in *Gordiano tertio.*

Viri illustres.

Attilius Severus Consul, cum Æmilio Juncto, quorum meminit Lampridius in *Commodo, Interfecta & Vitrasia Faustina & Velius Rufus — In exilium autem acti sunt Æmilius Junctus &* Attilius Severus *Coss. & in multos alios variè sævitum.*

Attilius Tatianus, seu *Titianus*, ut aliqui codices habent, affectatæ tyrannidis reus proscriptus est, à Senatu, principatu Antonini Pii, apud Jul. Capitolinum in *Vita* hujus.

Attis Menotyrannus, h.e. μηνοτύραννος in Inscript.

M. D. M. I.

ET ATTIDI SANCTO

MENOTYRANNO

Q. CLODIUS FLAVIANUS

V. CL. PONTIF. MAIOR

XV. VIR. S. F. SEPTEM

VIR. EPULONUM

TAUROBOLIO. CRIOBO

LIOQUE PERCEPTO.

MATRI DEUM MAGNÆ

IDÆÆ SUMMÆ PA

RENTI HERMAE. ET ATTIDI

MENOTYRANNO. INVICTO

CLODIUS HERMOGENIANUS &c.

Cybeles amasius, idem cum Sole creditus, qui verè μηνοτύραννος, *Rex mensium* & anni moderator est. Macrobius *Saturnal. lib. 1.* *Solem verò sub nomine* Attinis *ornant fistulâ & virgâ* (de Phrygibus loquitur) *fistula ordinem spiritus inæqualis ostendit: quia venti, in quibus nulla æqualitas est, propriam sumunt de Sole substantiam. Virga potestatem Solis asserit, qui cuncta moderatur.* Quò facit vetus Inscr. Græca,

Ἄττει δ' ὑψίστῳ καὶ συνέχοντι τὸ πᾶν,
Τῷ πᾶσιν καιροῖς ἡμερσόντεσσι πάντα φύοντι.

Proprium enim Solis, πᾶσι καιροῖς ἡμερσόντεσσι πάντα φύειν. Auctor *Poematis* antiq.

Egregios proceres currum servare Cybelæ,
Quem traherent conducta manus Megalensibus actis,
Arboris excisæ truncum portare per urbem,
Attini castratum subitò prædicere Solem &c.

Huic criobolio, sicut Cybelæ taurobolio litatum: quæ ambo juncta in Inscr. prædicta aliisque vett. monumentis reperiuntur, V. infrà suo loco; Idem cum pileo acuminato & in frontem inclinato pingitur &c. Plura hanc in rem V. apud Salmasium *ad Solinum pag. 1. & 556.* Item *Notis ad Ælium Lampridium, in Vita Antonini Heliogabali*, ut & in voce *Atys*.

Attogatio, in *Glossis* vett. *paradisis*. Casaubonus legit παραδύσεις: sic Toga dicta, quòd tunicis superinduceretur. Græci meliùs ἐπενδύματα & ἐπενδύτας extimarum vestium omne genus appellarunt. *Attogatio* igitur ἡ τηβεννοφορία, cui contrarium apud alios *Extogatus*. Apud Spartianum in *Hadriano*, *Unde hodieque Imperatores sine penulis attogati videntur*, legit Salmasius. Non enim solùm salutatores togati erant, sed & Principes, quoties videbantur: Interdum tamen, qui aulicum spernebant fastigium Impp. etiam in domesticis vestibus, se passos esse videri, discimus ex Capitolino in *Vita Pii*, *Visus est sane ab amicis & cum privatis vestibus & domestica quadam gerens.* Casaubonus *ad Spartianum*.

Attractus, facultas, quam habet dominus feudi, retinendi homines alterius dominii, ita ut à propriis dominis repeti non possint. *Charta* Hugonis Duc. Burgund. A. C. 1172. pro fundatione Capellæ Divionensis, apud Perardum: *Concessi — ut viz. Clerici ei deservientes liberum habeant* attractum, *in villa Divionensi, eodem modo, quo habeo, id est, libertatem retinendi homines, eandem quam habeo in villa Divionensi*; &c. V. Car. du Fresne *Glossar.*

Atturnatus, in Jure Angl. & Normannico, Procurator, qui aliena negotia, ex speciali mandato, in Foro agit & domini sui jura tuetur, qua de re V. Eundem, præter Spelmannum, Rastallum, Littletonem *Sect.* 551. quæ inscribitur *de Atturnement*, alios.

Atymnius vel *Atymnus*, Ἀτύμνιος Scholiastæ Apollonii, Ἄτυμνος aliis, Phœnicis creditus filius, verè autem Jovis erat, Europæ frater; quem Gortyniis in veneratione fuisse refert Solinus *cap. 11.* *Cretes Dianam religiosissimè venerantur — Gortynam amnis Lethæus præterfluit, quo Europam tauri dorso Gortynii ajunt vectitatam. Iidem Gortynii &* Atymnum *colunt, Europæ fratrem, ita enim memorant. Videtur hic & occurrit, sed die jam vesperato augustiori se facie visendum offerens.* Apollodorus verò Atymnium Jovis & Cassiepeiæ filium recenset, propter cujus amorem Europæ liberi certamen & inter se habuerint, & cum Sarpedone, qui illum amabat, in *Biblioth.* Ἔσχε δὲ αὐτοὺς ἐρασθέντας λέγουσιν Ἀτύμνιον τοῦ Διὸς καὶ Κασσιεπείας, καὶ διὰ τοῦτον στασιάσαι. *Nonnulli verò illum* (Sarpedonem) *amasse dicunt Atymnium Jovis & Cassiepiæ, atque propter hunc contentionem fuisse ortam* &c. V. Salmasium *ad Solinum pag. 172.*

Atys, puer Cybeles, adde: Malè, pro *Attis*. *Atys* enim nomen Lydum est, quo aliquot Lydiæ Reges vocati sunt; Pater nempe Lydi à quo Lydia denominata est: Item Pater Manetis, ejusdem Lydiæ Regis: filius Crœsi &c. *Attis* verò nomen Phrygii ephebi, quem dilexit Mater Deûm. *Attidem* namque, & *Attinem* & *Attin* in declinationibus tam Græci, quàm Latini, dixere. Latinam *Inscriptionem* vidimus supra. Alii,

Qui colitis Cybelen & qui Phryga plangitis Attin.

Persius,

Claudere sic didicit versum, Berecynthius Attin.

Macrobius, *Solem verò, sub nomine* Attinis *ornant fistula & virga* &c. *Saturnalium lib. 1.* quem locum V. suprà.

Græca *Inſ.*

Ἄττιν δ' ὑψίστῳ καὶ σκεδάσῳ τὸ πᾶν.

Dio, *Ἐκιθαρῴδησεν Ἄττιν, ἢ Βάκχας*: *Citharâ cantavit Attinem & Bacchas.* *Ἄττης* Nicandro, pro *Ἄττιν*; nam dixit in patrio caſu *Ἄττεω*:

— καὶ ἱερητῆρες Ἄττεω.

Heſychius ita Lacones eum appellare notavit: *Ἄττης, τὸν Ἄττιν λέγουσι οἱ Λάκωνες*, &c. De nominis etymo Arnobius *lib.5. Repertum neſcio quis ſumit Phorbas, lacte alit hircino: & quoniam Lydia ſcitulos ſic vocat, vel quia hircos Phryges ſuis Attagos eloquutionibus nuncupant; inde Attis nomen ut ſortiretur, effluxit.* Quod Auctori ſuo relinquimus; interim *Ἀττάγης hircos* Jonibus ſignificare, ex Euſtathio notat Salmaſius, quem vide *Exercit. Plin. ad Solinum pag.50. & 51.* ut & ſuprà in voce *Attis.*

AV

Avalitæ pop. in Troglodytica Ptolomæo. Hic enim Troglodyticam in univerſum appellari dicit, oram maritimam, quæ ſinui Arabico & *Avalitæ* eſt prætenta, uſque ad montem Elephantem. In qua continentia ſunt Adulitæ, *Avalitæ*, & Moſyli à prom. ſic dicti cognominibus. Nempe in intimo receſſu ſinus Arabici ſinus eſt Ælaniticus, uſque ad ejuſdem anguſtias & fauces, qui locus dicitur *Δηρὴ*, vel *ἡ κατὰ Δηρὴν στενὰ*. Poſt eas anguſtias excipit ſinus *Avalites*, & apertum Mare, in quo Moſylum emporium & Moſylum prom. &c. V. Salmaſium *ad Solinum pag.798. & 1240.*

Avallis, Villa Galliæ, non procul ab Urbe Remis, vulgò *Avaux*, Comitivæ titulo illuſtris. Hic Carolomannus, parte Normannorum, qui prædas agebant, interfectâ, parte Axonâ merſâ, reliquis qui ſuburbana Remorum depopulati erant, ad ſuos redeuntibus, prædam excuſſiſſe memoratur, in *Annal.* Bertinianis circa A.C. 882.

Avalos Guilielmus, è regiâ Anglorum domo oriundus, in Navarra ſedem, ſub Sanctio Abarca R. fixiſſe perhibetur, auctor illuſtris familiæ *Avalos* ſeu *Davalos*. Ejus poſteri inde in Bæticam migrarunt, in qua Ubedæ habitavit Didacus Lopezius Davalus, pater Ruiſii Lopezii, qui cùm Comes ſtabuli Caſtellæ ac primus Comes *de Ribadeo* eſſet, his titulis ac rebus geſtis familiam illuſtriorem reddidit, quamvis ad extremum Anno Chriſti 1422. quòd partes eſſet ſecutus Infantis Henrici D. Villenenſis, gratiâ, bonis & dignitate, exciderit. Fuit autem ter maritus eque ſingulis conjugiis ſobolem procreavit. Primò è Maria *de Fonsecha* genuit Petrum, aliquot liberorum patrem & Didacum Lopezium, qui *Arenas, Colmenar* aliaque à patre obtinuit, ac Ruiſium Lopezium II. Petrum Lopezium *d'Avalos*, Fernandum Perezium *de Ayala* & Inicum Lopezium *de Ayala*, filios habuit. E quibus primogeniti linea cùm deficeret, ſucceſſit Laur Suarezius *de Figueroa*: at alterius poſteritas cum nomine *Ayala & Davalos* ad nos durat dignitate Comitum *de Villalva* ornata. Tertius non minùs progeniem habuit, ut & quartus: è quorum poſteris nomen Davalos etiam familiis *de Roxas* & *Chacon* eſt illatum. Ex ſecundo Conneſtabilis matrimonio cum Elvira de Guevara, natus eſt Beltramus d'A*valos de Guevara*, Comitum Potentiæ ſator, & Ferdinandus *d'Avalos & Guevara*, alius lineæ auctor. Demum ex tertio conjugio natus eſt inprimis ante reliquos Inicus; qui meritis in Alfonſum Aragonium R. Neapolis illuſtris, Com. *de Montedoriſo* & Camerarius Regni, ſedem fortunæ in Italia collocavit, ductâ Antonia Aquinate, M. *de Peſcara*. E quorum liberis Alfonſus I. March Piſcarius, unà cum filio Fernando Franc. *d'Avalos & Aquino*, rebus bellicis geſtis inſignem gloriam ſibi acquiſivere. Alter Martinus & poſt eum tertius Rodericus C. *de Montedoriſo* & hic March. Vaſti fuere, ſed improles. Quartus Inicus March. *del Vaſto* ſeu Vaſti, reliquos Marchiones Vaſti & Piſcarii, atque Principes *de Monteſarchio* genuit, V. Phil. Jac. Spenerum *Theatr. Nobilit. Europ. Tom. 3.*

Avalterræ, apud Matthæum Paris. Anno Chriſti 1249. *Hic quoque Comes Hugo navem mirabilem paraverat in Regno Scotiæ — in qua transfretari cum Bononienſibus & Flandrenſibus. & cum illis, qui vulgariter* de Avalterris *dicuntur, poſſet audacter.* Et in *Additam.* ad eund. Paris, *Orta eſt contentio lamentabilis, inter Flandrenſes, qui dicuntur de* Avaltere *& Francos, illis partibus conterminos*: Sunt eæ provinciæ, quas continet Germania inferior, Germ. *Niderland*, Gall. *le Pays-Bas*, etiamnum dictæ. *Aval* enim idem valet, quod inferior, quaſi *ad vallem*, vel *in valle*. Unde *avalare*, in mari aut fluvio deorſum navigare, vel è montibus aut collibus deſcendere, in *Charta* Philippi Aug. Regis Franc. Anno Chriſti 1207. apud Ducheſnium in *Normannicis pag.*1063. Uti nempe Colonia Agrippina, ut eſt in *Libello provinciarum civitatumque Gall. Germanicæ inferioris Metropolis*, & ab Ammiano Marcellino *lib.15. ſecundæ Germaniæ*, quod idem eſt, *urbs magni nominis* appellatur: ita poſterioribus ſeculis, quæ ei adjacent provinciæ, *Pagus inferior* dictæ ſunt, *Terre d'aval*, vel *Avalterre*, quod idem ſonat, populique ipſi *Avalenſes* ſeu *Avalois*, &c. V. Car. du Freſne *Gloſſar.*

Avario, quibuſdam *Averio*, vulgò *Aveiron* vel *Avayron*. fl. Galliæ, in Rutenis, oritur ex fonte cognominè, quem *Veyron* accolæ appellant; alluitque Calliacum *Cagliac*, Aginnum *Agen*, vicum cognominem capiti Nitiobrigum; Segodunum Rutenorum *Rodes*, Lucum *Luc*, Bellum Caſtellum *Belcaſtel*, Villam Francam *Ville Franche en Roüergue*, Baſtitam *la Baſtide*, Monticulos *Monteils*, Maceriolas *Mazerolles*, Salvitatem *la Salvetat*, Caſtrum Sanctum Marcelli *S. Marſan*, Bellum Podium *Belpuech*, Caſtrum Gueſpiam *la Guepie*, Caſtrum S. Antonini *S. Antoni*, aliàs *S. Antonin*, Caſalia *Caſals*, Nigrum Palatium *Negre Pelice*, Comitivæ tit. illuſtre & Regalem Villam: ac demum Viauro vel Biauro amne *le Biaur*, qui Lauternam *Lezert*, recipit ac quatuor aliis fluviolis auctus, defluit in Tarnem. V. Hadr. Valeſium. *Not. Gall. in vocibus Apamiæ & Ruteni.*

Aucarum vicus, *la ruë aux Oües*, pro quo vulgò dicitur *la ruë aux Ours*, platea Pariſiis, memorata in vet. *Charta* S. Martini de Campis, apud du Freſne *Gloſſar.* Ab *auca*, *i. anſer*. Occitanis *Auc*, *Auco*, *Augueto*: Italis *Oca*; Gallis *Oye*: Occurrit in *Capitulari* de Villis *cap.62. Quid de pullis & ovis vel anſeribus, id eſt, aucis.* Sic *L.* Alamannor. *tit.99. §.20. Accipiter, qui aucam mordet.* Wilhelmus Malmesbur. *Hiſtor. lib.5. pag. 59. Similes pennis aucarum* &c. Unde *Aucarius*, in *Gloſſar.* Ælfrici, *accipiter, falco, qui aucas venatur*; *Aucures*, divini, qui per *aucarum*, ſeu avium volatum divinabant & hariolabantur, in *Gloſſis* Iſidori: *Aucellus* diminutiv. pro qualibet ave (quemadmodum & *Auca* nonnunquam) in *Gloſſis* Lat. Gr. unde Italorum *uccello*, quemadmodum Græc. *ὀρνίθιον* quamvis aviculam notat; Apud Eund.

Auceps, cognomen Henrici I. Imp. quem vide. Eſt autem Heſychio *Auceps ὀρνιθοθήρας*, *qui aves capit*; à Græco verbo *ἀγρεύω* quod medio ævo pro *capere* vel *carpere* uſurpatum eſt: ſeu potiùs *αὔξειν*, hoc enim eo ſenſu frequentius. Sic in *Orneoſophio* vel Accipitraria Græcorum, *ἐξωτικοὶ* falcones vel accipitres appellantur, qui *foris capiuntur* & extra nidum; *Paſſagiarii* Gallis dicti: quibus opponuntur *Nidarii*, Græcis *νοσσοτροφοι*, qui in nido capiuntur & cœteris deteriores habentur. *Ibid.* *Τὰ φαλκόνια ἐξωτικὰ ἀγρευθέντα παρ' ὃ τὰ νοσσοτρόφα, Falcones extra nidum capti praſtantiores ſunt iis, qui in nido* &c. Salmaſius *ad Solinum pag.773.* V. quoque infrà *Aucupium.*

Auctionariæ Tabulæ, dicebantur, quibus ſignificabatur alicujus fortuna haſtâ poſitâ diſtrahi vocique ſubjici Præconis, *auctionis* die conſtituto, apud Ciceronem 2. *Catilin.* & de *L. Agr.* item *ad Qu. Fratrem & ad Atticum lib.12.* Earum proferendarum ratio non una fuit. Juſtinianus, *Novella* 120. *Ære alieno oppreſſæ venerabilis domus diſpenſatores per 20. dies ſcriptum aliquod in publico civitatis loco proponunto & eo modo rem immobilem emere volentes provocanto, ut, qui plus præbiturus eſt, cæteris præferatur.* Altera vis hujus programmatis Impp. Diocletiani & Max. lege ſancita eſt, *l. ſi eo tempore. C. de remiſſ. pignor. ex Rubrio Junio.* Dicta autem eſt *Auctio*, ab *augendo*; Varroni quoque *Sectio*: nempe antiquiſſimis temporibus in partes ſectum debitorem, qui ſolvendo non eſſet, novimus. Anno verò U. C. 429. L. Papyrio & C. Pœtelio Viſolo Coſſ. primùm ligari nexi deſierunt, Conſuleſque, ob inſignem cujuſdam fœneratoris crudelitatem, tulere ad Populum, *ne quis, niſi qui noxam meruiſſet, donec pœnam lueret, in compedibus aut in nervo teneretur; pecuniæ creditæ, bona debitoris, non corpus obnoxium eſſet* &c. Sic poſtea, uti veteri illâ ſectione diverſi Creditores membra debitoris & nexi lacerabant & ſecabant: *ita hac bonorum ejus venditione, bonorum emptores, ut carnifices, ad reliquias vitæ lacerandas & diſtrahendas conveniebant*, Cic. *pro Quint.* Ea autem apud Vett. *auctionis* fuit forma, ut à minima quantitate ad majorem plures licitantes pervenirent, *l. 15. de min.* &c. V. Joh. Calvinum *Lexic. Jurid.* Secundùm Galliæ conſuetudinem, ut annotat Budæus *in Forenſibus*, quarto trinundino auctionem futuram inclamatam oportet, & in juſtos dies proſcriptam, antequam ultima licitatio committatur, quam protinus ſequitur addictio. Singulis verò *auctionum* diebus apparitor debiti quantitatem, ob quam pignora capta ſunt, palàm ſignificat & denuntiat: omnes commonet, ut ea licitentur, pretium ab unoquoque oblatum deſcribit: poſtremò, ubi jam nullum pluris licitari cernit, promulgat eam primam auctionem eſſe; ſecundam in octavum abhinc diem vel moram laxiorem rejicit, niſi divini cultus feriæ id prohibeant, atque tunc proximo profeſto die ſequente *auctio* celebratur. Apud eundem varias *Auctionum* formulas vide: ut & plura in hanc rem, apud præfatum Calvinum *d. l.*

Auctor, primitus videtur dictus ab *auctionibus*, in quibus ei, qui plurimum *auget*, res addicitur, iſque ex ea auctione atque adjectione ſua *auctoritatem* ſibi in rem emptam comparat. Ab *augendo* enim vocabulum deductum Grammatici Vett. teſtantur, qui proin notâ hac AUC. *auctorem* ſignificaſſe leguntur, apud Valer. Probum. Poſtea tranſlata vox ad eos, qui rem quoquo modo abalienarent; ut, quum quæreretur ex eo, qui rem acceperat, unde ſibi jus in eam comparaſſet, *ſuum* illum quaſi *Auctorem nominaret*, qui ſibi ſuam auctoritatem tradidiſſet. Unde *Auctor Latinis eſt, qui aliquid vendit, & auctio venditio: hinc hominis auctor, qui ſponſor eſt pro venditore evictionis nomine*; *Gloſſa*

vett. *βεβαιωτὴς interpretatur, quasi confirmatorem venditionis. Vindex itaque primus erat auctor*, Salmasius *ad Trebellium in Gallienis.* Inde sensim in eos quoque vox se extendit, quorum sententiam & consilium sequimur, quasi jus quoddam ita sentiendi certum, & constitutum haberent. Nam, quum e. g. institutum est, ut Legum, quæ Comitiis centuriatis ferrentur, ante initum suffragium Patres *auctores* fierent, i. ut S. C. aliquid priùs decerneretur, postea illud idem à Populo juberetur, ea Lex hanc vim habebat, ut velut in evictionibus, possessionumque controversiis, possessor suum Auctorem, à quo jus suum adeptus est, laudet: ita Populus consilii sui auctorem ac suasorem Senatum laudare posset, Joh. Calvinus *Lexic. Jurid.* Sic legimus apud Livium *lib. 24. cap. 43. Comitiis perfectis* Auctore *Q. Fabio*: ubi significatur, Consulem principem id consilium dedisse, quod deinde relatione factâ, dictisque sententiis in Senatusconsultum transiit. Et *lib. 7. Consul Popilius Auctor Patribus scribendi alterius exercitus*, dicitur: Cicero quoque *Familiar. lib. 15. Epist. 4. Regem Ariobarzanem, cujus salutem à Senatu*, te Auctore, *commendatam habebam* &c. Non tamen *Auctor* semper idem, qui inventor, sed sæpe approbator, quique aliàs Livio *suasor* dicitur. Apud quem *lib. 2. cap. 56.* inventor *Legis Volero*, sed *Lætorius, collega ejus, Auctor* vocatur, i. *auctoritatem* ei præstans. Sic suprà, *Et hic annus Tribunum Auctorem legis agrariæ habuit.* At inventor ejus Spurius Cassius fuit. Similiter Cicero *ad Attic. lib. 8. Epist. 3. Ille legibus per vim & contra auspicia ferendis Auctor*: de Pompejo loquitur & Julias intelligit. Alibi verò apud eundem Livium *Auctor* idem, qui nuntius est. *Lib. 5. cap. 2. Non vani sermonis Auctorem.* Et *lib. 10. ab Sutrio legati*, Auctores, *concilia Hetruriæ populorum de petenda pace haberi* &c. V. Gronovium *ad Livium.* Porro, Firmico *Auctores* sunt, qui se vendunt & *auctorant* ad Ludum: *nemo enim poterat libertatem amittere, nisi ipse auctor esset factus.* V. Cic. *Orat. pro Dom.* atque inde *Auctorare* se dicebant, qui auctores ipsi fiebant, ut emerentur & sponte suâ in ludum se mittebant. Hi igitur & *Auctores* & *Auctorati* dicti: unde idem *Auctores* & *Audaces*, de quibus infrà, conjungit. Sed Firmici hæc sententia prioribus neutiquam repugnat. Non tamen omittendum, quod Balduinus *ad tit. de Auctor. tut.* à Budæo se audivisse scribit, proficisci hanc vocem à Græco *αὐθεν*, quo Vett. *rationem alicujus potestatem* significaverint, *cui nemo possit refragari*, apud eund. Calvinum. V. quoque infrà, in *Ipse.*

Auctor Alveus, Ammiano eleganter dicitur, ex quo reliqui derivantur: Galli *Magistrum* vulgò vocant, V. infrà *Magister fluvius.* Ita autem is Auctor de Nilo, *Et præter amnes plurimos ex alveo derivatos* auctore, *cadentesque in suppares ejus septem navigabiles sunt & undosi.* — *Heracleoticus, Bolbiticus, Sebennyticus, Pathmiticus, Mendesius, Taniticus & Pelusiacus.* Ubi nominibus ostiorum ipsos amnes appellat: quos Ptolemæus *μεγάλους ποταμοὺς* vocat; è quibus tamen unus per excellentiam dictus est *μέγας ποταμὸς*, ut cœteris major & principalis alveus, *Canopicus* viz. Uti autem *Magistra via*, apud Quintilianum, via regia est, à qua semitæ, quæ secantur aliorsum, *ἐκτροπαὶ* dictæ; sic in fluviis *ἐκτροπαὶ*, *brachia* sunt, quæ ab *Auctore fluvio διαχωρίζονται*; contrà *canales*, qui à fluminibus ad viam traducti. *Diverticula* quoque de fluviis dixere Latini, item *cornua*, ut Græci *κέρατα*; *crines* etiam & *ramos*, ut infrà videbimus. Porro principalis Nili seu *Auctor alveus*, uti circa ostia *Canopicus* & *Heracleoticus*; sic circa Naucratim oppidum, *Naucratiticus* & circa Schediam, in eodem alveo inferiùs sitam, *Schedia fluvius* dictus est. V. Salmasium *ad Solinum pag. 478. & 479.*

Auctoritas, in vett. aliquot *Inscript.* apud Gruterum, 355. 1. 387. 3. Scaligero est *S.C. nondum receptum.* In *Chartis* Regiis atque apud alios Scriptores recentiores passim, Diploma Regis, Imperatoris Pontificisque Rom. notat. Sed & *auctoritates* Principum Rescripta in *Cod.* Theodos. appellari constat, *l. un. de Centurion. l. 31. de Petition. 3. de Re mil.* alibique, Imò pro Edicto Judicis usurpatam vocem, evincit *l. un. Cod. Si certum petatur de Chirogr.* &c. Etiam titulus honorarius Rom. Pontificibus olim tribui solitus fuit *Auctoritas*, uti legimus apud Hincmarum Rem. Flodoardo citatum *lib. 3. cap. 12.* &c. V. Car. du Fresne *Glossar.*

Aucupium, venationis est genus, quod circa volatilia occupatur: estque vel vile vel nobile. Illud, cùm aves illectæ superfusis retibus includuntur, aut virgis viscatis detinentur: quod proin, utpote sordidum & illiberalis otii negotium, Platonis legibus prohibitum est. Et huic illicio Accipiter suo primitus famulabatur. Unde Martialis *lib. 14. Epigramm. 216.*

Prædo fuit volucrum, famulus nunc Aucupis idem
Decipit & captas non sibi mœret aves.

Nempè usi tum Accipitre sunt, non ut prædatrice, quæ ars tum necdum obtinuit apud Romanos; sed ut aves allliceret: quæ illectæ vel virgis adhærebant viscatis, vel, reti superfuso, avolare nequibant, Cujusmodi *Aucupio* scitè Paulus quæstum comparat meretricium, *Asinar. Act. 1. sc. 3.*

Esca est meretrix, lectus illix, aves amatores aves.

Eodem refer, illud *Aucupii* genus, quod fit noctuâ emissâ, vel ramis appositâ: quippe eam de die circumvolant avium cœteræ, ut tum optima sit occasio vel visco vel laqueis vel aliter eas capiendi. Meminit Aristoteles *de Animal. lib. 9. cap. 1.* & Ælian. *de Animal. lib. 1. cap. 29.* V. quoque Chrysostomum *Orat. de prima Dei cognit.* Illud, nempe nobilius *Aucupii* genus, fit dimisso accipitre aliave ave prædatrice, quæ dein in altum alias involet & Aucupi deferat captas. Hæc ars serò cognita est à Græcis & Romanis, sed iis, quos hi Barbaros vocabant, fuit pervetusta. In Thracia enim hæc ars Accipitraria jam ævo obtinuit Aristotelis, ut liquet ex *lib. 9. de Animal. cap. 36.* & *libro περὶ θαυμασίων ἀκουσμ.* Ac de eodem sic Plinius *lib. 10. cap. 8. In Thraciæ parte, super Amphipolim, homines atque accipitres, societate quadam aucupantur. Hi ex sylvis & arundinetis excitant aves; illi supervolantes deprimunt. Rursus captas dividunt cum iis.* Imò de Indis non absimilia Ctesias apud Ælianum *de Animal. lib. 4. cap. 26.* Etiam in excerptis Ctesiæ hæc apud Photium verba habes, *cod. 72. Λαγωοὺς δὲ καὶ ἀλώπεκας θηρῶσιν, οὐ τοῖς κυσὶν, ἀλλὰ κόραξι καὶ ἰκτῖσι καὶ κορώναις καὶ ἀετοῖς. Lepores & vulpes, non canibus, sed corvis, milvis, cornicibus & aquilis venantur.* Ex Romanis meminit primus Jul. Firmicus *lib. 5. cap. 7. & 8.* Unde tamen nihil colligas aliud, quàm Romanis, ætate jam Constantini M. fuisse in usu. Meminit quoque Sidonius Apollin. *Panegyr. ad Aug. Avit.* Nempe, imperantibus in Oriente Theodosio Jun. Marciano ac deinceps. Sed diu postea vix in Occidente notus is mos fuit. Unde est, quòd in Italiam eum primus intulisse dicitur, sive Fridericus Barbarossa, ut est apud Leandrum *in Italia, in Campan. descr.* sive Henricus VI. ut traditum Collenutio *Histor. Neapol. lib. 4.* Antiquissimus verò omnium, qui Artem scripto signarit, est Demetrius Constantinopolit. quem de Græco Latinè reddidit P. Gillius. Est verò & corvorum in hoc *Aucupio* usus: quos primus in venando adhibuisse dicitur Ludovicus Galliarum R. teste Ulysse Aldrovando *Ornithol. lib. 12. cap. 1.* Sed nec hoc venationis genus fuisse Veteribus ignotum, præter ea, quæ è Ctesia attulimus, docet Plinius *lib. 10. cap. 43. Nec non & recens fama Crateri Monocerotis cognomine, in Erizena* (al. Troezena) *regione Asiæ, corvorum operâ venantis, eo quòd devehebat in sylvas eos insidentes corniculis humerisque: illi vestigabant agebantque, eò perductâ consuetudine, ut exeuntem sic comitarentur & feri.* V. Vossium *de Idolol. lib. 13. cap. 97.* & suprà in voce *Accipiter*, ac infrà in *Protohieracarius.* Addam ex eodem *de Philosoph. cap. 7. §. 18.* Leonem Philosophum Imp. Basilii Macedonis fil. qui cœpit imperare Anno Christi 886. librum de *Aucupio* reliquisse: qui MS. fuit in Bibliotheca Ant. Augustini *num. 228.* Ab Aucupio *Aucupes*, servi erant apud Romanos, qui, unà cum Venatoribus, instruendarum gratia quotidianarum epularum habebantur. Enumerat illos Paulus JC. *l. 99. §. 1. ff. de leg. 3.* & refert, *urbanos* fuisse & *rusticos*, domini arbitratu: *Fundorum enim reditus*, ut innuit Celsus, *aucupio plerumque, venatione & piscatu constabat*: Narratque Jul. Capitolinus, Antoninum Pium curasse, ut mensa ejus *per proprios servos*, Aucupes, *piscatores & venatores instrueretur.* Qui tamen hic urbani videntur fuisse ideo, quia instruendarum quotidianarum epularum gratiâ habebantur, uti dictum, ex Paulo *lib. 3. Sent. tit. 7.* Tessera *Aucupis*, apud Propertium *lib. 3. El. 2.* arundo est:

Cassibus impositis venor, sed arundine sumtâ
Faunus plumoso sum Deus aucupio.

V. Laur. Pignorium *Comm. de Servis*, & T. Popmam *de Operis serv.* Meminit autem Fauni hic Propertius, quia *Aucupii* præses Pan sive Faunus Veteribus habitus est, ut & venationis leporum Quæ duo prorsus idem conjungit *Eleg. 11.*

Et leporem quicunque venis, venaberis hospes,
Et si forte meo tramite quæris avem,
Et me Pana tibi comitem de rupe vocato,
Sive petas calamo præmia sive cane.

Et Auctor *Epigrammatis ἀνωνύμου*, apud Salmasium:

Εἴτε σύγ' ὀρνίθεσσιν ἐπὶ καλαμίδα πλέξας
Ἰξῷ ἐρχόμενος, εἴτε λαγοθηρέων,
Πᾶνα κάλει, κεῖνος Πὰν λασίοις ποσὶν ἴχνια φαίνει,
Σύνθετε ἀυλητὸν Πὰν ἀνάγει καλάμου.

Quod is sic vertit:

Seu tu fortè jugis viscatâ fallere virgâ
Tendis avem, lepores sive agitare places.
Pana voca: pedis hic canibus vestigia monstrat
Villosi: structos erigit hic calamos &c.

V. illum *Exercit. Plin. ad Solinum pag. 1088.* Ut & infrà in vocibus *Calamus*, *Figere* &c.

Audaces, apud Claudianum,

Audaces legat ipsa viros, qui colla ferarum
Arte ligent, certoque premant venabula nisu:

Justiniano *Novella* 105. *ἐνδεδωκότες τῇ τόλμῃ*, aliàs *παράβολοι*, homines dicti sunt perditæ ac desperatæ audaciæ, qui operam suam, ut cum bestiis pugnarent, olim locabant. Meminit eorum Firmicus quoque, *Faciet auctores, audaces, periculosos.* V. suprà in voce *Auctor*. Auctoratos verò & mercede conductos illud fecisse,

fecisse, ex Cassiano constat & Cassiodoro *lib.* 5. *Epist.* 42. ubi Pancarpum (ita enim hoc ludi genus vocabatur) describit, his inter alia verbis: *longum est per tot periculorum casus sermonibus evagari, sed apti jungendum est, quod ait de Inferis Mantuanus, Quis scelerum comprendere formas: Quis omnia pugnarum percurrere nomina possit? Sed vobis, quibus est necesse talia populis exhibere, largitate manus fundite præmia: ut hæc miseris faciatis esse votiva* &c. V. Salmasium *Not. ad Julium Capitolinum in Gordianis.*

Audaces, apud Martialem, *Epigramm.* cujus lemma, *Calices audaces*,

> *Nos sumus* audaces, *plebeja toreumata vitri,*
> *Nostra nec ardenti gemma feritur aquâ:*

Calices dicti sunt vitrei, vili admodum pretio venales. Scribit enim Strabo *lib.* 17. Romæ Vitriarios multa commentos esse & ad vitreorum colores & ad eorundem tornandorum facilitatem, tantamque inde vilitatem eorum fuisse, ut vulgò poculum vitreum asse vendaretur: atque his *audacium* nomen datum. Meminit idem Poëta eorundem alibi,

> *Cùm tibi Niliacus portet crystalla cataplus,*
> *Accipe de Circo pocula Flaminio.*
> *Hi magis* audaces, *an sunt qui talia mittunt*
> *Munera: sed gemmis vilibus usus inest.*
> *Nullum sollicitant hæc Flacce toreumata furem* &c.

Quod Epigramma de fictilibus accipiebat Turnebus, cùm de vitreis omnino accipiendum sit. Ab his verò diversi longè erant, Ægyptiaci ex vitro calices versicolores atque *allassontes*, de quibus supra, in *Allassontes*: item calices illi, qui *diatreti* dicebantur. *Audaces* enim, qui plebeii erant & parvo, ut dictum, vænibant, torno formabantur, in quo nullum periculum, at in sculpendis cælandisque diatretis, arte manuque pretiosis, periculum non parvum: Ut ex Martialis iterum verbis patet,

> *Adspicis ingenium Nili, quibus addere plura*
> *Dum cupit, ha quoties perdidit auctor opus* &c.

Salmasius *ad Vopiscum in Saturnino.*

Audientes, apud Cyprianum *Epist* 13. Audientibus, *etiamsi qui fuerint periculo præventi & in exitu constituti, vigilantia vestra non desit.* Et *Epist.* 14. *Optatum inter Lectores doctorem* Audientium *constituimus*: Alios itidem Scriptores Ecclesiasticos, dicti sunt, qui *κατηχούμενοι* Græcis, item *ἀκροώμενοι*; vel, quod, antequam ad Baptismum admitterentur, fidei Christianæ erudirentur mysteriis: vel, quòd, priusquam sacra fieret Liturgia, *Scripturas audirent*: ut est in Concilio Nic. *can.* 11. & *can.* 1. Conc. Niceni Arab. Hinc Theodulfus Aurelian. *de Baptismo cap.* 2. *Catecuminus, Audiens, sive Instructus interpretatur*: in *Collat.* Carthagin. cum Donatistis *cap.* 197. *Ipse est Episcopus, qui rebaptizatus est & factus est Audiens*: in Concil. Wormaciensi *cap.* 27. *Post expletum verò quinquennii tempus, ingrediatur Ecclesiam, sed inter* Audientes *tantummodo sit, vel, dum facultas conceditur, jaceat*, &c. V. Car. du Fresne *Glossar.* Apud Macrum, cum quinque olim essent in Ecclesia publicè pœnitentium gradus, primi *Flentes* seu *Lugentes* seu *Hyemantes* dicebantur; Secundi *Audientes* erant, qui in Narthecem cum Catechumenis admissi (cùm priores extra Templum stare cogerentur) verbum Dei audiendi facultatem habebant, sed ante Catechumenos egrediebantur. Ita enim Balsamo ex Gregorio Thaumaturgo: *Fletus seu luctus est extra portam Oratorii, ubi peccatorem stantem oportet fideles ingredientes orare, ut pro se precentur.* Auditio *est juxta portam in porticu, ubi oportet eum, qui peccavit, stare usque ad Catechumenos & illinc egredi.* Audiens *enim, inquit, Scripturas & doctrinam, ejiciatur & precatione indignus censeatur*, &c. in *Hierolex.* V. quoque infra, ubi de *Catechumenis.* Hinc *Audientium Doctor*, apud Cyprianum *Epist.* 14. *cit.* qui Catechumenos instruebat: quod officium magnæ æstimationis fuisse, inde patet, quòd Origenes, Pantænus, Clemens, alii viri gravissimi, illud Alexandriæ exercuisse leguntur. *Ibid.* Item *Auditio*, locus ille Templi, ubi Audientes constituebantur, V. infrà in *Narthex.*

Audientia, licèt Latinum nomen sit (Cicero namque *de Senect. Audientiam sibi facere* dixit) tamen Canonistæ, ut pleraque alia, non aptè loquuntur, *Audientia causarum, Audientia literarum*, Spiegelius apud Joh. Calvinum *Lexic. Jurid.* Ita enim *Extrav. comm. de dolo & contumac. Facta in* Audientia *literarum nostrarum*, id est, Cancellaria, ut hodie loquimur. Sed & apud Sulpicium Sev. *Histor. lib.* 2. *Episcopis audientiam* (i. judicium) *reservare.* Unde *Audientialis Charta*, quâ quis ad Principis judicium evocatur ac citatur, apud Marculfum *lib.* 1. *form.* 28. &c. Etiam verò tributum vel tributi speciem *Audientia* vox notat, in *Charta* Petri Episc. Salernit. apud Ughellum *Tom. I. pag.* 501. alibique passim: obtinuitque præsertim id nominis apud Aurelianenses, uti docet du Fresne ex *Charta* Ludovici VII. Anno Christi 1178. pro Aurelianensibus ex *Regesto* Philippi Aug. *fol.* 72. & ex Franc. le Maire in *Histor. Aurelian.* ubi *Audientiam* hic reddit *Ouance*, additque, id vocabuli bannitiones & proclamationes denotare, quæ fiebant pro *jure consuetudinum* seu pensitationum, in *Hallis* publicis, ubi Ministri Audientiales, quos *Sergeans Audienciers* appellabant, quoslibet banno publico invitabant, ad solutionem ejusmodi præstationum, quod in hunc modum concipiebatur:

> *Entre vous Bourgeois Marchans,*
> *Qui voulez jouir des Ouances,*
> *Venez suivans les Ordonnances,*
> *Paier le droit des Ouances. Aux Halles.*

Quibus in Hallis, iis, qui ejusmodi *consuetudines* seu præstationes quotannis exhibebant ac exsolvebant, à Domanii Exactore vel Receptore, dabatur carnis porcinæ fragmentum: erat autem jus *Audientiarum* unius trezeni, dicebaturque etiam *Oyance.* At quæ vis hujus vocabuli, non fat liquet: ambigitque du Fresne, an eo olim intellectæ sint eæ præstationes, quæ ab iis, qui ad placita venire tenebantur, fiebant, *Eulogiarum* nomenclaturâ donatæ in Polyptico Floriacensi, *Si ibi sunt Cavaticarii, debent Kal. Octobr. den.* 4 *& unam diem in banno & ad* 3. *Audientias venire cum suis Eulogiis.* Jam verò Ministri isti Audientiales, *Auscultatores* videntur appellari in *Charta* Philippi Aug. A.C. 1287. pro iisdem Aurelianensibus, in ejus *Regesto* Herouvalliano *fol* 103. apud eundem Car. du Fresne *Glossar.*

Audientia Episcopalis, est Episcopi Forum & Judicium: *l.* 9 *& tit. C. de Episc. Aud.* Accursius *Cod. eodem* interpretatur jurisdictionem Episcopi, cujus sententiam probat Azo in *sum. C. eod.* Gothofredo *ad rubr. C. de Episc. Aud.* nec jurisdictio est, ut Accursius; nec diœcesis, ut Haloander vult, quia, uti Foro, ita & apparitione ac executione carent Episcopi: sed judicium atque notio, quæ Episcopo in Clericos ac Monachos competit, apud Joh. Calvinum *Lex. Jurid.* Nempe primùm, ex consuetudine non mala, inter Christianos, sub Principibus Ethnicis, invaluit, (occasionem dante Apostolo 1. ad Cor. 6.) ut clanculum ad Episcopos irent, qui controversias habebant; quod postea sub Principibus Christianis, Constantino inprimis, firmatum, & ex gratia probatum est, ut pacem inter Christianos foverent & redintegrarent, sic tamen ut jurisdictionem haberent nullam, sed in eos, tanquam Arbitros compromitteretur. Quod enim *LL.* tres *de Judicio Episcopali*, Codici Theodosiano allutas, spectat, earum fucum, ut & totius appendicis Codicis illius, à Sirmondo editæ, *totius* eruditè demonstravit Jac. Gothofredus *Notis & Commentar. ad d. Cod. tom. VI pag.* 303. *& seqq.* In hac itaque per gratiam concessa *Audientia*, juxta Regulas Christianæ pietatis & S. Scripturæ, item *LL.* Imperatorum, judicabant; non ipsi Leges ferebant, nec Forum habebant, aut cum strepitu Judicii causas audiebant; ut totum hoc, quod habuerunt Episcopi, tantùm indultum quoddam Imperatorum fuerit, ad resecandas & citò componendas lites. Tandem verò, ut exempla non subsistunt, ubi incipiunt, in jus id versum est, sensim sibi majora arrogantibus & ab Impp. extorquentibus, Romano potissimum: sicque *Audientia* in jurisdictionem, voluntaria aditio in necessitatem, arbitrium in legem transiit. Quod mirum in modum promoverunt *Dictatus* Gregorii VII. quo nomine appellavit is Axiomata & privilegia Sedis Rom. *à nemine Antecessorum attentata*, ut ait Onuphrius, quibus ille, ad Cæsaris exemplum, perpetuam Pontificiæ sedi dictaturam vindicavit. A' quo tempore in immensum crevit jus ecclesiasticum. Nam cùm appellationes omnes sibi Sedes Rom. & cognitionem in causis Episcopalibus aliisque majoribus, solus Pontifex adsereret; jam non tantùm Canones circa dogmata & personas ritusque Ecclesiasticos, uti priùs, occupari, sed & de litibus ac disceptationibus forensibus ordinandis & dirigendis, solliciti esse cœperunt. Sic ut cùm totâ Dionysii Exigui & aliorum antiquorum Collectionibus, nil de litis contestatione & similibus aliis ad processum pertinentibus, legatur; nunc magna pars Juris Canonici absolvatur titulis, *de officio & potestate Judicis ordinarii & delegati, de treuga & pace, de pactis, de transactionibus, de postulando, de Procuratoribus, de Syndicis, de his quæ vi metuque facta, de Arbitris*, similibusque rubricis, ad Ius Civile pertinentibus, hodieque modus litigandi in Jure Canonico præscriptus concinnior perfectior & accuratior sit, quàm qui Jure Civili præscribitur, adeoque in plerisque Tribunalibus receptus. Quare, nec immeritò, ab eo tempore *Canones* perdidere suum nomen, atque *Juris* illud adsumsere; & ad differentiam *Civilis*, prius nomen proprium & substantivum, distinctionis gratiâ, in appellativum & adjectivum *Canonici* commutatum est. Gerh. von Mastricht *Histor. Juris Eccles.* §. 259. & infrà, in voce *Dictatus*, ut & alibi passim.

Auditor, apud Recentiores, varia significat. *Audire* enim, *Judex*, Præfectus Urbi, Præses dicitur, qui cognoscit & judicat, in *l.* 6. *D. de Dote leg. l.* 12. *D. de Instrum. Auditor vice sacra*, *l.* 3. *C. ubi Sen.* Apud Baldricum *Chron. Camerac. lib.* 3. *cap.* 6. P. Diaconum *Chron. Casin. lib.* 4. *cap.* 66. alibique, *Inquisitorem* vox notat, cujusmodi homines de rebus controversis à Judicibus delegabantur, ad earum veritatem detegendam, adhibitis *auditisque* testibus (unde iis nomen) & de illis ad ipsos Judices, quorum judiciis intererant, referebant. In *Chartis* quibusdam apud du Fresne, *Auditor* dicitur, qui instrumenti confectioni aut Chartæ lectioni testis adest. Alibi hoc nomine appellantur, qui postmodum *Notarii* dicti sunt, qui sc. contrahentium voluntates audiunt easque scriptis mandant. Apud Breviloquum,

Auditor in Curia Papæ vocatur, qui vice Judicis alicujus causas audit. Apud Manichæos, *Auditor* secundus horum Hæreticorum gradus fuit; cum primus *Electorum* esset, Vide Augustinum *de Moribus Manich. lib. 2. cap. 18. de Hæres. cap. 47. libro contra Fortunat. l. 20. contra Faustum Manich lib. de Utilit. cred. cap. 1. &c.* Ut & Carolum du Fresne *Glossar.* & statim hic infrà.

Species quædam Auditorum, in Curia Rom.

Auditor Cameræ Papæ, qui *audit negotia super thesauro Papæ, & super his, quæ ad Cameram Papæ pertinent*, Breviloq.

Auditor Contradictoriarum in Curia Papæ, *qui audit impetrantes Rescripta ad lites, vel aliter, ad jus commune pertinentes gratias*, Idem. Insigne officium, quod versatur circa Rescripta, constituendosque Judices extra Rom. Cur. Joh. Calvinus *Lexic. Juris.* apud quem V. plura in hanc rem.

Auditor in Curia Romana. Vide suprà.

Auditor Rotæ, insigne munus. Est autem Rota tribunal ex XII. doctissimis Prælatis, ad decidendas lites compositum, qui *Papæ Capellani* ac *Auditores Rotæ*, dicuntur. His Alexander VII. vestes & cingulum in pileo coloris violacei concessit eosque *Subdiaconos Apostolicos* declaravit, quo nomine Epistolam canunt Papâ solenniter celebrante, &c. V. infra in voce *Rota.*

Auditor S. Palatii, V. *Auditor in Curia Rom.* & plura de his apud Octav. Vestrium *de Rom. Aula judiciis.*

Auditores, in vetusta quadam ἑρμηνείᾳ, ex Græco versa, quam adhuc in membranis jacentem Juretus Salmasio utendam dedit, iidem sunt, qui alias *Acroamata*, Vide Salmasium *ad Æl. Lampridii in Alexandro Sev. verba hæc, Nanos & nanas & moriones, & vocales exoletos & omnia acroamata & pantomimos, populo donavit.* Apud Isidorum verò, *Originum lib. 7. cap. 4* Tertullianum *de Pœnit.* & Nicolaum Pontificem Rom. *Epist. ad Rivoladrum Episcop. in Append. 8.* *Auditores* iidem sunt, qui *Audientes* seu Catechumeni, V. suprà.

Auditorium, Gr. Κατηχουμενεῖον, locus in Æde sacra, in quo consistebant *Audientes* seu Catechumeni; vel locus, ubi fideles verba Concionatorum excipiebant. Concil. Carthag. IV. c. 24. *Sacerdote verbum faciente in Ecclesia, qui egressus de* Auditorio *fuerit, excommunicetur.* Dicebatur is Νάρθηξ quoque olim, ut quidam censent, hodie *Navis*, ubi Homilias suas habuisse Episcopos constat: Et hanc ἀκρόασιν etiam Audientium stationem in Ecclesia, vocat Georgius Thaumaturgus. An eadem pars Templi intelligatur per Ἀκροατήριον, in Concilio Chalced. *Act. 14.* Καθῆσθαι ἐν τῷ ἁγίῳ συνεδρίῳ τῷ κατὰ Ἀλεξάνδρειαν συνελθόντι ἐν τῷ ἀκροατηρίῳ; an verò porticus superiores, quas & *Catechumenia* Vett. appellarunt, ambigit du Fresne. In Monasteriis verò, *Auditorium*, domus est vel cubiculum, ubi excipiebantur advenientes, hospites & salutaturi, *Salutatorium* Ekkehardus jun. *de Casibus S. Galli cap. 16. Abbas autem post Laudes egressus, in* Auditorio *eum salutat.* Idem *cap. 10.* ad introitum Ecclesiæ *Auditorium* statuit. Macro est *Monialium Loquutorium, ubi, quia sæpe inania verba expenduntur, ideò Auscultatrices deputatæ sunt*, in *Hierolex.* Cluniacenses præterea & Cistercienses Monachi aliique nonnulli, locum, in quo conveniebant Monachi, quòd in eo essent Monachicæ Scholæ, ibique Præceptores ac Magistros docentes Discipuli audirent, similiter *Auditorium* dixere. *Statuta* Dunstani, *A primo pulsu vespertinalis synaxis silentium tenentur in Claustro, usque quò Capitulum finiatur alterius diei excepto* Auditorii *loco, qui & adhuc maximè censetur eo nomine quòd ibi audiendum sit, quid à Præceptore jubeatur, non verò fabulis, aut otiosis ibi aut alicubi vacare loquelis oportet, &c.* Et certè, Scholas publicas *Auditorii* appellatione donasse Vett notum, Vide Auctores hanc in rem laudatos Carolo du Fresne *Glossar.* E quo addam de *Auditoriis* Ædium sacrarum, in iis mortuos quoque sepeliri consuevisse. Ita enim legitur in *Charta* Radulfi Delicati ex familia Comitum Vilcassini, in *Tabular.* S. Martini de Campis: *Eodem die, quo uxor sua Hazecha honore debito sepulta est, apud S. Martinum in* Auditorio, *ante Crucifixum, &c.*

Ave, sive *Have* sive *Habe* (*b* enim pro v. sæpe poni Fabius auctor est) *A. N. B.* id est, *Ave charissime nobis*, salutandi formula, quâ utebantur Impp. ἐν ταῖς ὑπογραφαῖς, & inscriptionibus suarum Constitutionum, qualem videmus in Inscript. *l. falsa, S. C. Th. de fals. mon.* & alibi sæpè, ut & in *C. Justinianeo* passim. Præcepta apud Joh. Calvinum *Lexic. Juridic.*

Ave, in moneta aurea, sub Carolo VI. Galliæ Rege cusa, cui nomen *Salutes cum armis Franciæ*, Gallicè *Saluts aux Armes de France*, in quorum aureorum altera parte scutum cum tribus liliis visitur, inter Angelum & Deiparam: in volumine scriptum A V E; suprà, radiis cœlestibus eminentibus. In altera crux plana est inter duo lilia, cui subest litera *K*. Similiter Henricus VI. Rex Angliæ, *Salutes cum armis Franciæ & Angliæ*, Gallicè *Saluts aux Armes de France & d'Angleterre*, cudi curavit, in quibus itidem Angelus & Deipara ponè utrumque scutum, cum volumine continente A V E. inter utriusque capita, & hæc *Inscr.* HENRICUS. DEI. GRATIA. FRANCORUM. ET. ANGLIÆ. REX. In aversa parte crux plana, inter lilium & leopardum. Sed & semisses ejusmodi aureorum dicti *Demisaluts*, sub priore; duo tresses quoque *Salutum*, dicti *Angeli*, vulgò *Angelots*, sub posteriore, prodiere: de quorum omnium pondere ac pretio, V. Car. du Fresne in *Gloss.* ubi typos insuper eorum exhibet.

Ave Maria, seu *Salutatio Angelica*, ut in principio concionis cujusque recitetur, in Ecclesia Romana primus instituisse creditur Vincentius Ferrerius, inter suos pro Sancto habitus, uti refert Rodericus Mendezius Sylva in suo *Catalog. Real ad Annum Christi 1423.* Vide infrà in vocibus *Christianissimus* & *Salutatio Angelica.*

Avellana seu *Pontica nux*, Διὸς βάλανος Græcis, juxta Hermonactem & Timachidam, apud Athenæum: quo tamen nomine *Juglandem* alii, quasi *Jovis glandem* dictam, intelligunt Plin. *lib. 15. cap. 22. Cæteris quidquid est, solidum est, ut in* Avellanis *& ipso nucum genere, quas antea Abellinas patriæ nomine appellabant, in Asiam Græciamque è Ponto venere, & ideo quoque Ponticæ nuces vocantur.* Eadem porro *Heracleotica* quoque, ab urbe Ponti celeberrima appellata est, uti discemus ex Theophrasto *libro 3. capite 15.* &c. Ejus juli inutiles. Idem Plinius *libro 16. capite 29. Ferunt & Avellanæ julos compactili callo ad nihil utiles.* Sunt autem *juli* tales nec flores, nec pro floribus in Avellana, sed ἀποφύσεις quædam & fimbriæ; præter quas flos parvulus in summitate nucis invenitur, crocei coloris acutioris & tripertiti, &c. Qua de re Vide Salmasium *ad Solinum pag. 602. & 1026.* ut & infra in voce *Calva.*

Avellaneda, nomen illustris in Castella veteri familiæ, quod Aldoncia, filia Johannis *de Avellaneda*, qui Johanni II. Castellæ Regi inservit, nupta Didaco I. Lopezio *de Zuniga* Comiti *de Miranda*, in hujus familiam intulit. Ex hoc enim matrimonio natus Petrus *de Zuniga & Avellaneda*, maritus Catharinæ *de Velasco*, pater fuit Francisci I. qui ex Maria Henricia de *Cardenas*, genuit Franciscum II. quo & Mariâ *de Basan* Vicecom. *de Vaduerna* natus Johannes *de Zuniga, Avellaneda & Cardenas*, Dux *de Penneranda*, e Maria agnata, suscepit Didacum II. *de Zuniga, Avellaneda, Basan & Cardenas*, Ducem *de Penneranda*, Comitem *de Miranda*: patrem ex Francisca *de Sandoval & Roxas*, Francisci Marchionis *de Bazmeza*, Catharinæ (quæ nupsit Philippo Johanni Balthasaro de Pacheco Duci *de Escalona*) Mariæ & Johannis Germanorum: Nominis de Zuniga, Avellaneda, & Cardenas; Ex Comitibus de Miranda *de Duero*, in Episc. *de Osma.* V. Phil. Jac. Spenerum *Theatro Nobil. Europ. tom. 2.*

Avena, præter tenuem ac levem folliculum, quo tegitur, bifidum & hiantem, quo semitectum apparet ejus granum, glumam etiam bene spissam sive tunicam crassam & corpori strictè adhærentem habet, quo involvitur: unde μάλιστα πολυχίτων τὸν βρόμον, asserit Theophrastus *Histor. libro 8. capite 4.* Quare Plinius, cùm ait *libro 18. capite 4. Tunicæ frumento plures. Hordeum maximè nudum & arinca, sed præcipuè avena*: aut nescivit, quid esset avena, ut valde verisimile est Salmasio; aut in grano ejus tunicam illam crassam, quo operitur, quasi cutem tantùm consideravit grani. Quo modo inter *γυμνόσπερμα avenam* non male numeraverit. Etenim folliculi illi volantes, quibus ambitur ejus semen, non granum ipsum pressule operiunt, sed nudum ostendunt, &c. Quadrupedum pabulum esse, Hesychius ait, hodieque jumentis pro pabulo præbetur. Unde *Avena*, publicè in Magnatum ædibus, officialibus olim ac domesticis distribui solita est, à Camerariis vel Senescallis, uti docet vetus Poëma MS. Gall. de *Parise la Duchesse*:

Quand ils orent mangé el palais sont entrez,
A une cheminée s'assirent lez à lez,
Li Chamberlains commence l'Avoine à escrier,
Qui or veut de l'avoine, s'en vingne demander:

apud du Fresne, qui hanc in rem quoque Bertrandum Clericum in *Poëmate* itidem MS. de Gerardo Viennensi laudat. *Abatis* id munus fuisse, docet Ebrardus Bethun.

Abatis ad cœnam das equis Abbatis avenam.

Cujus munus graphicè describitur, in *bulla* Aurea Caroli IV. Imp. *cap 27.* ubi de Ducis Saxoniæ officio, in inauguratione Imperatoris agitur; unde *Abatis* & Marescallorum munus idem fuisse, colligitur. V. quæ suprà diximus, in voce *Abatis.* Apud vett. verò Romanos, qui avenam, utpote inter vitia frumenti illis habitam, non serebant, hordeum equis dabatur. Unde apud Comicum, *Demam tibi de hordeo, si tolutim badissas.* Et *Hordearius missus*, quòd quadrigis pro præmio hordeum dabatur. Idem & Græci faciebant, unde κριθῶντα πῶλον dixere. At Germaniæ populos avenam serere, neque alia pulte vivere, traditum Plinio *lib. 18. cap. 17.* quam pultem hodieque in deliciis habent. Idem ab Orientis parte intima gentem esse scribit, ore concreto & naribus carentem, quæ *uno tantùm foramine spirat, potumque calamis avenæ trahit, & grana ejusdem avenæ sponte provenientis ad vescendum, lib. 6. cap. 30.* quod ad Orones, Scythicam seu Germanicam gentem

perperam trahit Solinus *cap.* 19.&c. V. Salmasium *ad Solinum pag.* 217.218. 386.*& seqq.*

Avenarum calamis pastum hauriendi mos, apud gentes quasdam ultimi Orientis, memoratur Solino *cap.*30. *Aliis concreta ora sunt, modico tantùm foramine calamis avenarum pastus hauriunt.* Ubi *potum* reponit Salmasius, ex Mela: *Alii labris etiam cohærentibus, nisi quòd sub naribus etiam fistula est, per quam bibere avenis, & cùm libido incessit vescendi, grana singula frugum passim nascentium absorbere dicuntur*; vocem *avena* pro calamo vel stipula frugis ponente. Ut apud Poëtam,

—— *carmen tenui meditaris avenâ.*

Id est, calamo. Sic enim & Græci *avenam* σίφωνα & σιφώνιον vocant, unde *σιφωνίζειν τὸν οἶνον, calamis vinum haurire*: & apud Lucillium Ciceroni laudatum, vivum, integrum, *sipon cui nihil demsit.* Solus igitur potus calamis *avenarum* hauriebatur ab illis populis, qui ore concreto erant; grana verò frugum, quæ absorbendo edebant, in foramen & fistulam oris ponere consueverant, atque ita sorbere. Vide Salmasium ubi supra *pag.*387.

Avenio, adde: Legatus Apostolicus, qui urbi præest, quovis triennio mutatur. Gallica jurisdictio urbi tam propinqua est; ut ipsius extra amnem suburbia, nomine Villæ novæ *Ville neufe* nota, partem Galliæ faciant. Nec à Gallis neglectim haberi jam docuit Regis Ludovici XIII. in urbem ingressus, quo sese in omnibus pro Rege gerebat. Anno Chr.1622. Præibat primò Conestabilis ense nudo, circumstabant præsidiarii vigiles Galli, Scoti & Helvetii: Stationes militares postmodum renovatæ, *quales in Gallia statis horis, tympanis de more pulsatis & expansis per urbem signis; Tessera militaris, quâ distingui solent excubiæ, ab ipso Rege distributa: Patuere nocte & interdiu sine custodiâ urbis portæ, qui mos in Galliæ urbibus, Rege intromisso; Noxii pœnâ, captivi exempti vinculis, judicio Regis*; Gramondus *lib.* 13. Idem gliscente bello inter Alexandrum VII.& hodiernum Regem, cujus in voce *Avenio* mentio, patebat, cùm Dux Mercurius militem Regium urbi induceret, Pontificio præsidio ejecto, ipsisque operam ei commodantibus civibus, qui jam dudum animum ab Eccles. regimine alienum gesserant. Et quamvis reddita fuit Sedi Romanæ A.C.1664. perstitere tamen cives in alieno suo à Pontifice animo, quod An.Chr.1665. statim fuere testati, cùm Castello occupato, & pulsis urbe militibus præsidiariis ipsum Vice-Legatum in palatio suo obsiderent, Regisque denuo implorarent protectionem, V. Auctorem *Historiæ Orbis Terr. Geogr. & Civ. cap.*3.*de Regno Galliæ*, §.13.

Avennacum, locus Galliæ, in Remis, vulgò *Avenay.*

Aventura, in *Mandato* super Juratis ad Arma, in *Additam.* ad Matth. Paris *p.*149. Hastiludia sunt, seu Equestres decursiones, vulgò *Torneamenta*, V. ibi, & in voce *Fortunium.*

Avera, olim *Avara*, nonnullis *Evura* aut *Evra*, vulgò *Yevre* vel *Evre*, fluvius in Galliæ Biturigibus Cubis; Avaricum, horum caput, quod denominat, primò, dein castrum Mediolanense seu Magdunum ad Averam *Mehun sur Yevre* attingit, inde apud Virsionem castrum in Carem effluit. Duplex est, *Avara major*, de quo hactenus, & *Avara minor*, rivulus *Avrette* dictus, qui cum Utrione *Oron*, & Molone *Moulon*, ad Monasterium Navense seu S. Sulpicii Pii, majore recipitur. Hadrianus Valesius in voce *Bituriges Cubi.*

Averruncus, adde: Ἀποτροπὴ enim Græcis fere est ἀποπομπή, id est, malorum depulsio, quæ fiebat per sacrificia & preces; cujusmodi fieri ἀποπομπὰς dicit Isocrates *Orat. ad Philipp.* ut avertantur mala, quæ nobis à noxiis Diis imminent. Quin festa hujusmodi sacrificiis dicata ἀποπομπαὶ vocabantur, & ipsi Dii, ut dictum, ἀποπομπαῖοι, id est, *Averrunci*, qui mala avertere credebantur. Hesychius, Ἀποπομπαὶ ἡμέραι τινὲς, ἐν αἷς θυσίας ἐτέλουν τοῖς πομπαίοις θεοῖς. Lege, Ἀποπομπαίοις. Θεὸς enim Πομπαῖος unus erat Mercurius, quem in *Ajace* Sophoclis *versu* 844. Ajax ita invocat, gladio suo se confossurus:

—— —— Καλῶ δ' ἅμα
Πομπαῖον Ἑρμῆν χθόνιον, εὖ με κοιμίσαι.
Rogo simul
Pompæum Mercurium subterraneum, ut me suaviter consopiat.

Sed ἀποπομπαῖοι Dii vel Dæmones iidem, qui ἀποτρόπαιοι vel *Averrunci*, de quibus scripsisse Apollodorum *lib.*6. *de Diis*, qui hodie non habetur, ex his Harpocrationis scimus: Ἀποτροπαῖοι ἐκαλοῦντο Θεοὶ, περὶ ὧν Ἀπολλόδωρος ἐν ἕκτῳ περὶ Θεῶν διείλεκται, *Averrunci quidam appellabantur Dii, de quibus Apollodorus libro sexto de Diis disseruit.* Non verò Moses, uti Julianus Apostata, ejus loco Levitici *cap.*16. *vers.*8. in quo de hirco *Azazel*, Græcis ἀποπομπαίῳ, agitur, abusus contendit, quem proin multis refellit Cyrillus *in Julianum lib.* 9. Hic enim ἀποπομπαῖος longè aliâ notione sumitur, & *emissarius* redditur Latinis Interpretibus, Vide infrà in voce *Azazel.* Præter Herculem verò & Apollinem, Dioscuros etiam, & Jovem omnium principem, in hoc *Averruncorum Deorum* censu reperimus: unde natum verbum elegans ἀποδιοπομπεῖσθαι, id est, ἀποτρέπεσθαι διὰ τοῦ Ἀποπομπαίου Διός. Vide Sam. Bochartum *Hierozoici seu de Animalibus S. Scripturæ part. prior. lib. II cap.*56.

Aversum Astrum, apud Virgilium *Georgic. lib.*1.

Candidus auratis aperit cùm cornibus annum
—— *Taurus, &* averso *cedens canis occidit* astro;

de Argo dicitur, quæ instat & incumbit Cani occidenti, utpote extremæ ejus caudæ juncta. *Puppe enim trahitur, non recto cursu,* ut canit Germanicus. Aratus,

Ἡ δὲ κυνὸς μεγάλοιο κατ' οὐρὴν ἕλκεται Ἀργὼ
Πρυμνόθεν. οὐ γὰρ τῇ γε κατὰ χρέος εἰσὶ κέλευθοι,
Ἀλλ' ὄπιθεν φέρεται τετραμμένη.

Ubi ὄπιθεν τετραμμένη, est Virgilio *aversa.* Sic *Aversus Taurus* Manilio, quia similiter à posterioribus oritur partibus & movetur:

Aversus venit in cœlum, divesque puellis, &c.

De occasu nempe Canis loquitur Poëta, qui fit ante diem 7. Kal. Mart. Sole decimam Tauri partem obtinente, quo tempore Robigalia à Romanis instituta, de quibus dicemus infrà. V. Salmasium *ad Solinum pag* 433.

Aves, varia apud Hebræos nomina sortitæ sunt. His namque à *volatu* Avis עוף, *oph*, dicitur & צפור. *tsippor*, quia *manè surgit*: Rapacis nomen proprium est עיט, *ait*, ab *involando* & *vi ruendo* sumtum; ad quod alludit aquilæ Græcum vocabulum ἀετὸς. A Deo è terris, non minùs ac bestiæ agri, productæ sunt Genes. *cap.* 2. *vers.* 19. *Et formavit Deus Dominus è terra omnem agri bestiam & omnem* avem *cœli. &c.* Quod enim multi volunt, *Aves* ex aquis emersisse, ex loco Genes. *cap.*1. *vers.* 20. frustra sunt, ut patet legenti locum: *Et dixit Deus, producant aquæ reptile animatum, Et volucres volent super terram in facie expansi cœlorum.* Ad usum multiplicem, humano generi præstandum. Quædam enim est *Avis, quæ comeditur*, Levitici *cap.*17. *vers.* 13. nempe *licitè*: immundarum namque avium esus in Lege prohibebatur, Deut. *cap.* 14. *vers.*12. in quo numero computat Moses. 1°. *Rapaces & Carnivoras*, ut Aquilam, Ossifragam, Melanæetum, Accipitrem, Milvum, Vulturem, Corvum. 2°. *Nocturnas*, ut Bubonem, Noctuam, Vespertilionem. 3°. *Lacustres* & *Riparias*, ut Larum, Ardeam, Catarrhactem, Pelecanum, Onocrotalum. 4°. *Struthiocamelos*, qui à terra non extolluntur. Et 5°. *Upupam*, quæ in sepulchris & stercore jugiter manet. At mundæ, putà Gallinæ, Columbæ, Turtures, Passeres, Coturnices, non in cibis modò, sed & in sacrificiis concessæ, Genes. *cap.*8. *v.*20. ingluvie tamen & ventriculo priùs ablatis, ut oblatio esset purior, Levitici *cap.*1. *vers.*14,16.&c. Sed & ad lusum & oblectationem exquiruntur *Aves*, pueris maximè & puellis, ut infrà dicemus. At non tam usus, quàm abusus est Avium turpissimus, ex superstitione invectus, tota Augurum disciplina, qui belli, nuptiarum, itinerum similiumque eventus præsagiebant, tum ex *Oscinum* cantu, tum ex *Præpetum* volatu, tum ex *Pullorum* pastu: ac *sinistras* quidem putàrunt prosperas, ut scævum omen, bonum, teste Varrone *de L. L. l.*6. Contrà aves, quæ impedimentum objicerent, Festo teste, vocatæ *Arculæ, Remores, Inhibræ*, vel *Enebræ*, imò & *Volsgræ, Cliviæ* ac *Alteræ*: ab *arcendo, remorando & inhibendo*, item à *vellendo* se, difficultate item, ac quòd priori auspicio, quod felix visum, vitium facerent. Harum disciplinam, tum *Auspiciorum*, ab *avibus spiciendis*; tum *Auguriorum*, ab *avium garritu* dixere, de quibus V. suo loco. Ac vulgò quidem existimatum fuit, *Aves* mentem Deorum tanto nobis meliùs scire, quanto essent Superis propiores. Hinc Ovidius *Fastor. lib.*5.

—— —— *Nam Dis, ut proxima quæque*
Nunc pennâ veros, nunc datis ore sonos.

Alii *Avibus* id à natura fuisse inditum, ut futura prænoscant, credebant: quomodo Augur Amphiaraus apud Statium *Theb. l.*3. *v.* 482.

—— —— *Mirum unde sed olim*
Hic honor alitibus: Superæ seu conditor aulæ
Sic dedit, effusum chaos in nova semina texens:
Seu quia mutatæ nostraque ab origine versis
Corporibus subiere Notos, seu purior axis
Amotumque nefas, & rarum insistere terris
Vera docent.

Sed prudentiores aliter, V. Amm. Marcellinum *lib.*21. ubi non volucrum arbitrio, futura nescientium, auguria auspiciaque colligi, verùm volatus earum à Deo dirigi docet: Quò faciunt hæc Ovidii, *Fastorum lib.*6 *versu* 763.

Sint tibi Flaminius, Trasimenaque litora testes,
Per volucres æquum multa monere Deum.

Vide quoque Ciceronem apud Tullium *de Divin. lib.*2.& Ammianum *l.* 21.&c. Vossius verò judicat verosimilius, Spiritum malum istas alites direxisse, ut hominum animos in superstitione retineret. V. Aug. Niphum de *Auguriis*, Alex. Neapol. *Genial. dier. lib.*5.*c.*13. & ad eum Tiraquelli *Notas*, Peucerum *de Divinat.* Georg. Ragusejum itidem *de Divinat. lib.*2. *Epist* 9. Alios. Interim utcunque de felici vel infelici eventu eorum, quæ in naturâ non habent fundamentum, *Auguralis ars* vana sit: magnus tamen ex *Avibus*, in omni vita civili, præsagiorum usus est, quando ea ratione nituntur naturali Ut cùm Agricolæ, Nautæ, Medici, prævident imminentem tempestatem, & pro ea componunt, quæ animo agitabant; de quo vide Aratum *in Prognost.* Maronem *Georgic. lib.* 1. eorumque Interpretes, Ælianum *de Animalib. lib.* 7. *cap.* 7. ubi serenitatis & tempestatis signa tradit ex gruibus, ardea, noctua, corvo, cornice, graculo, monedula, anate, mergo, rubecula, gallo gallinaceo, aliis. Utrum verò ex galli cantu cognoscere sit horas no-

ctur-

cturnas, dicemus infrà. Nunc illud potiùs addemus quatuor *Avium* inter alias adventu, quatuor anni horas sive tempora cognosci. Quam rem sic Alciatus expressit *Emblem.* 100.

Advenisse Hyemem Fringilla renuntiat ales,
Ad nos vere novo garrula Hirundo redit,
Indicat Æstatem sese expectare Cuculus,
Autumno est tantùm cernere Ficedulas.

Porro non exiguum ab *Avibus* usum ad viatores nocturnos redundare, modò quædam reperiantur, quarum plumæ in tenebris prælucerent viam, indicat Plinius *lib.* 10. *cap.* 47. *In Hercynio Germaniæ saltu inusitata genera alitum degere accepimus, quarum plumæ, ignium modo colluceant noctibus.* Sed fusius rem diduxit Solinus *cap.* 13. quem vide. Hercyniam hanc avem Albertus M. ab *luce* ea *Lucidiam* appellat. Norimbergenses vocant *Behemle*, q dicas *avem Bohemicam*, nempe quia è Bohemia quotannis finitimas in regiones volet. Sed & operam in Epistolis perferendis homini *Aves* præstant. Hinc de tinnunculis Plin. *lib.* 10 *cap.* 37. *Quin & inter nunciæ in rebus magnis fuere, epistolas annexas earum pedibus, obsidione Mutinensi, in castra Consulum Decimo Bruto mittente. Quid vallum & vigil obsidio, atque etiam retia amne prætenta, profuere Antonio, per cœlum eunte nuntio?* Eundem in usum, cornicem adhibuit Ægyptius R. Marres, apud Ælian. *de Animal. lib* 6. *cap.* 7. columbam Barbari, Christianis Tyrum obsidentibus, apud Paul. Æmilium *de Francor. Gestis lib.* 5. & Petr. Justinianum *Histor. Ven. lib.* 2. Etiam Veneres nostræ ac Junones, verba sunt Vossii, aliquid *Avibus* debent, propter margaritas, quibus sic colla brachiaque ornant: margaritæ enim poliuntur columbis præbitæ, ac brevi illis tempore rellectæ, ut Cardanus refert *Rer. Var. libro* 7. *cap.* 34. Adolescentuli quoq; se oblectant aviculis, ut Reguli ille filius, indulgentissimè à Parentibus habitus, de quo Plinius Jun. *lib.* 4. *Epist.* 1. Imò & primam ætatem hisce lusitare sicque se oblectare consuevisse, ostendit Plautus *Capt. Act.* 5. *sc.* 4.

— *Quasi patriciis pueris, aut monedula,*
Aut anates, aut coturnices dantur, qui cum lusitent, &c.

Quò respiciens divinus Vates de crocodilo dicit, Jobi *cap.* 40. *vers.* 24. *An ludes eo tanquam passere, alligabis eum puellis tuis?* Nempe ut eo sese oblectent, quando si passerculus esset ad manum. Quale illud Catullianum,

Passer deliciæ meæ puellæ,
Quicum ludere, &c.

Sed & in aucupiis earum usus, unde πέρδιξ θηρευτὴς, *perdix venator*, apud Sirachidem Ecclesiast. *cap.* 11. *versu* 31. & Aristotelem *Histor. libr.* 9. *cap.* 8. Ut de accipitre, aliisque nil dicam. Vide suo loco. Adde, *Avium* plumas in vestium usum olim hodieque texi consuevisse, ut dicetur infrà, ubi de *Pluma* & *Plumandi arte.* Nec omittendum, quod de *Avium* φιλανθρωπίᾳ legimus. Amore enim complexi, olor puerum Argivum Olenum & Glaucem, Ptolomæi citharistriam, apud Plinium *lib.* 10. *cap.* 22. Anser, Lacydem, novæ Academiæ Principem, Arcesilai successorem, apud Athenæum *lib.* 13 Gallus gallinaceus Secundum, Bithynici R. pincernam, *Ibid* Pavo, in Leucadia, Virginem, apud Coel. Rhodiginum *Lect. Var. lib.* 13. *cap.* 12. & *lib.* 16. *cap.* 23. &c. Imò, eorum in plurimis Magistræ fuere, qua de re alibi &c. Plura *de Avibus* vide apud Sam. Bochartum *Hierozoici Parte prior. Lib.* I. *cap.* 3. & *Part. poster. tota*, ut & apud Gerh. Joh. Vossium *Idolol. lib.* 3. *cap.* 76 & *seqq. cap.* inprimis *ultimo*, ubi de earum apud varias Gentes cultu agens, ciconias à Thessalis; ibin ab Ægyptiis; corvos à Coptitis; aquilam à Thebanis; accipitrem à Tentyritis, alias ab aliis; imò vespertilionem, ab Indis Mexicanis, divinis ceremoniis mactatum esse ostendit. Ut de *Avium* receptaculis aliquid addam: Apud Romanos, cohorte coërcebantur gallinæ villaticæ, rusticæ, Africanæ, galli & capi, quorum curatorem *Gallinarium* recensuit Varro *de R. R. lib.* 3. *cap.* 9. unde Martialis pullos gallinaceos *cortis aves* appellat *libr.* 13. *Epigramm.* 42. *Aviaria* verò cohibebant turdos, pavones, columbas, turtures, luscinias, merulas, anseres, anates, phasianos; quorum omnium custos *Aviarius* dicebatur: singulorum *Curatores* ac *Custodes*. Qui autem in marmore legitur *Aviarius Altiliarius*: Ita enim habet Inscr.

D. M. OLOPLUTIO.
SUCCESSO. PRISCUS.
L. VARI. AMBIBOLI
AVIARIUS. ALTILI
ARIUS &c.

ab Horatio *libro* 2. *Satyr.* 3. *Fartor* vocatur, cujus officium erat, aves opimare & obesare in gratiam lautarum epularum. Romæ itidem,

ANTIGONUS. DRUSI. CÆS.
AVIUM. FARTOR.
PRIMILLA. FECIT.
CONJUGI. B. M.

Unde occasionem arripuit, apud Prudentium, Romanus Martyr, deridendi Præfectum Asclepiadem, *Peristeph.*

Quum Consulatum initis, ut vestræ solent,
Pullos saturi, farre pullos pascitis, &c.

Vide Laur. Pignorium *Comm. de Servis.*

Aufidius Victorinus, bis Consul & Præfectus Urbi, inter condiscipulos & amicos M. Antonini Philosophi, memoratur Jul. Capitolino in *Vita* hujus Imper. *Amavit ex condiscipulis præcipuos Senatorii ordinis Sejum Fuscianum & Aufidium Victorinum.* Ubi membranæ habent, *Laufidium*: scribi vult Casaubonus *L. Aufidium*, quamvis alii huic *Marci*, non *Lucii*, prænomen tribuant. Et paulo pòst: *Imminebat etiam Britannicum bellum & Catti in Germaniam ac Rhætiam irruperant. Et adversùs Britannos quidem Calphurnius Agricola missus est, contra Cattos Aufidius Victorinus.* Ad eundem, Marci extant Rescripta nonnulla: Casaub. *ad Capitolinum.*

Auge, apud Papinium Statium *lib.* 3. *silv.* 1. ubi de Hercule,

Pacatus mitisque veni, nec turbidus irâ,
Nec famulare timens, sed quem te Mænalis Auge
Confectum thyrsis & multo fratre madentem
Detinuit.

filia fuit Alei Regis Arcadiæ, puerpera & mater ex Hercule Telephi, in monte Parthenio, cujus fabulam latè refert Hyginus *cap.* 99. Vide quoque Apollodorum *lib.* 2. Pausaniam *lib.* 8. ut & in voce *Augea.*

Augmentum, in Veterum sacrificiis, Varroni dicebatur, *quod ex immolata hostia desectum cum jecore imponebatur augendi causa*: Nempe postquam ritè exploratum fuisset jecur & probatum, in ara ponebatur. Hyginus, *Ipse Prometheus immolat tauros duos, priùs verò eorum jecinora cùm in ara posuisset, reliquam carnem ex utroque tauro compositam in unum corio bubulo texit.* Quod verò tum in jecore imponendo, quasi auctarii vice, simul imponebatur, *augmentum* appellitabant. Superimponebantur autem Altaribus, in causam augmentorum, cum jecore immolatæ bestiæ, *caro strebula & rumâ & cauda & plasea & iræ & omentum*, uti docet Arnobius *lib.* 7. quas omnes partes ex hostia præsectas, vocarunt *Prosicias* vel *Præsicias*, quam vocem vide. Si quid verò plus adjiceretur, *Magmentum* vocabant, quasi *majus augmentum.* Unde *cana magmentaria*, h. e. canistra, vel lances, quibus magmenta imponebantur, ut in aram inferrentur, &c. V. Salmasium *ad Solinum pag.* 129.

Augures, adde: Nomen habent ab *avibus gerendoque*, quia per illos avium gestus edicuntur, sive ab *avium garritu*, unde & *Augurium*: hic tamen vox in genere sumitur, prout & *Auspices*, seu avium inspectores, & *Aruspices*, qui, aras inspicientes, victimarum exta scrutabantur, ut ex iis futura prædicerent, complectitur. Eorum officium fuit, ex avibus vaticinia observare, signaque rerum futurarum & à Diis monita contemplari. si opportunè evolassent, aut sedes idoneas accepissent, obnunciare: de prodigiis, somniis, auguriis atque oraculis & portentis responsa dare; tum observationes auspiciorum, procurationes expiationesque, vatum libros, portentorum explanationes & monita Deorum edicere. Si quid ingruente fato casurum foret, & quod salvis auspiciis fieret: Quodve augurium lætum, quodve peculiare esset, quod minas cœlestes ingruentesque calamitates aut fatale exitium afferret, præmonere & vaticinari: quæ omnia comprehenduntur *Lege Augurali*, quæ extat apud Ciceronem *lib.* 2. *de Legib.* Novem *Auguribus* Quinto ac Cæno Egulino Tr. Pl. constitutis, licèt Senatus hunc numerum factum esse jussisset, addidit tamen postea Sulla Dictator alios 6. sic ut Collegium eorum, cujus frequens apud Historicos mentio, ex quindecimviris constaret, quorum natu maximus *Magister Collegii* dicebatur. Dignitas eorum tanta, ut cùm cœteris fere omnibus Sacerdotibus, simul ac in judicium ducti & damnati essent, alium substitui moris fuerit, *Augures* hac lege essent immunes: qui sacerdotio, dum viverent, potiebantur, maximorum licèt criminum convicti; cujus rei rationes vide apud Plut. *in Problem. Rom.* 99 *probl.* Idem *Probl.* 73. notat, eos si ulcera haberent inaugurandi causâ sedere prohibitos fuisse. Necessaria illorum præsentia fuit in publicis negotiis: Nec enim Magistratuum Comitia neque legum haberi poterant, nisi *Augures* adessent & probassent, teste Cicer. *lib.* 3. *de Leg.* & *Epist. ad Attic. lib.* 4. *epist. ult.* ubi ait: *Augures tres in ferenda lege Curiata esse oportere.* Creabantur antiquitus à Collegio; post legem verò Domitiam, quâ Sacerdotum subrogandorum jus à Collegiis ad populum translatum est, Tributis Comitiis eligi cœperunt, &c. Antiquissimæ hujus artis primus auctor in abdito est; Apud Barbaras quoque gentes viguisse, notavit Ælianus *var. hist. lib.* 2. *cap.* 31. ad Græcos tradente Telegono pervenisse, prodidit Suidas. At Hetrusci se auctores prædicabant, repertoremque extitisse Tagem quendam, diffusè docet Cicero *de Divinat. lib.* 2. Hinc Ovidius *lib* 15. *fab.* 47.

Indigenæ dixere Tagem, qui primus Hetruscam
Edocuit gentem casus aperire futuros.

Hujus præcepto asini caput præsepibus affigi ruri solebat, ad incommoda arcenda, Columella *de Re R. lib.* 10. Idem *Auguralem* hanc artem scriptis mandasse, dicitur Fabio Fulgentio; qui addit, peculiari nomine *Hetruscæ disciplinæ* hanc artem venisse, eamq; Labeonem 15. voluminibus, quæ *Pagetis & Bacchetidis* appellabat, complexum esse. Fuere porro *Augures* in duplici differentia, quidam enim *minores*, quidam *majores* dicebantur, nempe ex plebe aut Patriciis electi; sive quod idem est, quidam *privati*, quidam *publici*: Quorum hi quidem appellabantur *publici Augures*

Popul. Romani Quiritium, ad distinctionem *privatorum* seu *Imperatoriorum*. Nam & Augusti domesticos habuere *Augures*, qui pro eorum salute excubarent & auspicia captarent; & fortè eâdem libidine vivi habuere *Augures*, quâ mortui Flamines. Species *Augurii*, in quinque sig a, *ex cælo, volucribus, bipedibus, quadrupedibus & diris*, distribuunt, Blondus *lib.* 2. *Romæ Triumph.* Andr. Tiraquellus *in Alex. Neapolit. lib.* 5. *cap.* 19. &c. Ex ventis quoque auguria captata esse, testatur Luctatius Grammat. *ad vers.* 665. *lib.* 3. *Thebaid.* Nomine *Dirarum* omina, offensiones, voces incerto auctore emissas & auditas, occursum denique hominum aliorumque animalium minus auspicatorum, intelligunt eruditi; Plura vide apud Joh Rosinum *Antiqq. Rom. lib.* 3. *cap.* 8. & Thom. Dempsterum *paralipom. ad illud.* Hoc modo autem *Augurium* fiebat: Postquam *Augur*, lænâ indutus, in turre consedisset, vultu Orienti, dextro latere Meridiei obverso, cœlumque in sua *Templa* divisisset; sacrificiis & precibus, quas *Effata* vocarunt defunctus, Numam Pompilium e. g. accedere jussit, & sinistrâ lituum tenens, dextram capiti ejus imposuit, hâc verborum formulâ usus: *Jupiter Pater, si fas sit Numam Pompilium, cujus ego caput teneo, regem Romæ esse, fac uti nobis signa certa ac clara sint inter eos fines, quos feci.* Tum observatis signis, si prospera fuissent, Numa Rex renuntiabatur: sin minus, obnuntiabat Augur, remque Diis non placere testabatur. Nec unicum sufficiebat prosperum signum, sed binâ vice si contigisset, ratum erat; Illa autem habebantur fausta ac prospera, quæ ad lævam apparuissent, cùm dantis beneficium manus dextra lævæ accipientis opposita sit. Unde phrases, *avis sinistra, Intonuit lævùm*, id est, lætum apparuit omen: & Tullius *de divin. lib.* 1. *à sinistra*, inquit, *cornice ratum & firmum fit Augurium.* Similiter in *legg. XII. Tabb. Ave sinistra populi Magister esto.* V. Lipsium *Elect. lib.* 2. *cap.* 2. Thom. Godvvynum *Antholog Hist. Rom. lib.* 2. *Sect.* 2. *cap.* 6. Salmasium *ad Solinum pag.* 441. *&c.*

Augusta, filia Friderici II. Daniæ R. ex Sophia Megapolitana, matris longævitate multum ditata, nupsit Johanni Adolpho Duci Holsatiæ: qui moriens A. C. 1616. filios reliquit duos. Vide Phil. Jac. Spenerum *Sylloge Geneal. Hist.*

Augusta Gaditana, aliis *Julia Gaditana*, dicta est urbs Gaditana, seu Gades, Græcis Γάδειρα, quòd Julius Cæsar & Augustus Coloniam hanc diversis temporibus deduxissent. Vide Salmasium *ad Solinum pag.* 284. & in voce *Gades.*

Augustæ, in purpura parere jussæ sunt (ἐν πορφύρᾳ) instituto Impp. Constantinopolitanorum, quem morem Nicetas Choniates aperit *lib* 5. & Luitprandus *lib.* 1. *cap.* 1. Vide infrà, ubi *de Porphyrogennitis:* Quomodo verò consecratæ olim sint *Augustæ*, suprà in voce *Apotheosis*. De earum vestitu autem aliquid dicemus infrà, ubi de *Aurata veste.*

Augustales, Vegetio *Rei milit. lib.* 2. erant, qui primos ordines in bello ducebant, quòd ab *Augusto* ad id munus essent adjuncti, *l. quinque summates de Decur.* Veriùs tamen hac lege dignitas est, quæ inter Magistratus municipales erat, Alciat. *C. de Dec. l. præd.* Etiam omnes Cæsarei ministri, ad Palatium Principis, hoc nomine veniunt, Spiegelius apud Johannem Calvinum *Lexic. Jurid.* Inprimis verò *Augustalis* dictus est Præfectus Ægypti, qui vicem Regis obtinebat, cuique præfectura & imperium, ad similitudinem Proconsulis, concessum erat, *l.* 1. *de Off. præfect. Aug.* Devictâ enim Cleopatrâ, Ægyptum in certam administrationem redactam & ad eam mitti solitos moderatione & prudentiâ insignes viros, sub *Præfecti* titulo, Strabo auctor est *lib.* 10 quod factum sub Augusto, unde Præfecto pòst nomen *Augustalis*, seu etiam *Præfecti Augustalis*. Huic ad similitudinem Proconsulis, uti dictum, imperium lege Augusti datum est: Nec enim fasces Consulares ingredi Alexandriam licuit, cujus rei Cicero *contra Gabinium* meminit. Namque apud Memphim in aurea columna, Ægyptiis literis scriptum fertur, tunc demum Ægyptum liberam fore, cùm in eam venissent Romani fasces, & prætexta Romanorum. Huic verò Alexandria sedes fuit, ut colligitur ex subscriptione *l.* 1. *Cod. Theodos. de Alexandr. Pl. Primat.* & *l.* 1. *Dig. de Offic. Præf. Aug.* unde non semel Augustalis Præfectus τῆς Ἀλεξανδρείας ὕπαρχος vel Αὐγουστάλιος, *Alexandriæ Proconsul* vel *Augustalis*, dicitur, Socrati *lib.* 4. *cap.* 16. *lib.* 5. *cap.* 16. *lib.* 7. *cap.* 13. Sozomeno *lib.* 7. *cap.* 15. Palladio *in Histor. Laus. cap.* 117. Joh. Moscho *cap.* 71. 107. Liberato Diacono *cap.* 23. Aliis. Præfecturam hanc potentioribus non credere, inter arcana Imperii fuit &c. V. Car. du Fresne *Glossar.* & hîc infrà; ut & Saturnini *Vitam*, apud *Histor. Aug.* Scriptores

Augustalium Ægypti series.

Tatianus I. primus Magistratum hoc nomine iniit, Valentiniano & Valente Augg. III. Coss. cui successere alii: Nempe,
Publius, Modesto & Arintheo Coss.
Tatianus II. Gratiano Aug. IV. & Merobaudo Coss.
Palladius, Valentiniano V. & Merobaudo Coss.
Tatianus III. Valente VI. & Valentiniano Coss.
Adrianus, Eusebio & Olybrio Coss.
Paulinus A.C. 385. & 386. *l.* 10. *C. Th. de Fide Test. l.* 12. *de Susceptor.*
Hypatius, Gratiano V. & Theodosio I. Coss.
Florentius A. C. 384. 385. 386. *l.* 1. *Cod. Theod. de his qui pleb. aud l.* 9. *de Fide testium l.* 112. *de Decurion.*
Erythrius, A.C. 388.
Alexander, A.C. 390.
Evagrius, A.C. 391.
Hypatius, A.C. 392.
Potamius, eodem anno.
Remigius, A.C. 396. cujus mentio, apud Claudianum & Synesium.
Archelaus, A.C. 397.
Callistus A.C. 412. memoratus Theophani *pag.* 72.
Cleopater A.C. 435.
Theodorus, sub Theodosio Jun. cujus mentio apud Liberatum *cap.* 14.
Anthemius, sub Zenone, memoratus eidem, *cap.* 16.
Apollonius, sub eodem Imperatore, apud eundem, *capp.* 17. & 18.
Theodosius, filius Callitopi, sub Anastasio, apud eundem *cap.* 18. *cit.*
Dioscorus, eidem dictus *cap.* 20.
Rhodo, *cap.* 23.
Liberius, *ibid.*
Calliopius, anno 25. Anastasii Imperat. apud Theophanem.
Manuel Armenus, anno 25. Heraclii, eidem memoratus. Vide Carolum du Fresne, ubi suprà in voce *Augustalis.*

Augustalia, dicebatur dies reditus Augusti Romam, rebus in Sicilia, Græcia, Asia, Syria ac Parthia compositis, de quo sic Dio *lib.* 54. *ad annum* 735. *Ob reditum Augusti, ac propter ea, quæ absens egisset, multa ac varia in honorem ejus decreta sunt, quorum ille nihil accepit, nisi quòd Fortunæ reduci aram consecrari, diemque sui reditus inter ferias referri*, & Augustalia *dici passus est.* His feriis ludi etiam peragebantur, dicti *Augustales*, de quibus sic idem *lib.* 56. *Decretum porro est, ne qua ejus imago ullo in funere ferretur, ut natalitiis ejus ludis Consules, quemadmodum Martis fieri solitum, præmia certaminum proponerentur.* Augustalia *Tribuni Pl. tanquam sacri celebrarent. Iique omnia reliqua, eo, quo consueverant fieri, more peregerunt: veste triumphali ludis Circensibus usi: currum tamen non conscenderunt. Præter hæc in palatio Livia peculiares ludos in honorem Augusti fecit, qui ipsi quoque secundo loco ab Imperatoribus perlibentur.* De iisdem Tacitus *Annal. lib* 1. *Tribuni plebei petivere, ut proprio sumtu ederent ludos, qui de nomine Augusti fastis additi*, Augustales *vocarentur: sed decreta pecunia ex ærario,* &c. Vide quoque Plinium *Histor. Natur. lib* 7. *cap* 25 Incidebant autem hi ludi in 4. Idus Octobr. Joh. Rosinus *Antiqq. Rom. lib.* 4. *capite* 14.

Augustalis, Imperatorum Occidentis aureus nummus est, à Friderico II. primùm cusus, dictusque quasi *moneta Augusti. Chron.* Richardi de S. Germano A.C. 1231. *Nummi aurei, qui* Augustales *vocantur, de mandato Imperatoris, in utraque Sicilia, Brundusii & Messanæ cuduntur.* Et infrà, *Mense Junii quidam Thomas de Pando novam monetam auri, quæ* Augustalis *dicitur, ad S. Germanum detulit distribuendam, per totam Abbatiam —— ut ipsa moneta utantur homines, in emptionibus & venditionibus suis, juxta valorem ei ab Imperiali providentia constitutum, ut quilibet nummus aureus recipiatur & expendatur pro quarta unciæ,— annotatâ figurâ* Augustalis *erat, habens ab uno latere caput hominis, cum media facie, & in alio aquilam.* Mentio ejus fit in *Constitutionibus* Siculis passim, & apud Odoricum Rainaldum A. C. 1285. *num.* 35. Vide Car. du Fresne in *Glossar.* & infrà in voce *Augustarius.*

Augustalis Flamen, memoratur in *Inscr.* vet. quæ hodieque Genevæ visitur:

T. JUL. T. FIL. CORN. VALERIANO
PATRONO COLON. IIVIR. AER. IIIVIR.
LOCORUM P. PERSEQUENDOR.
TRIB. MILIT. LEG. VI. VICTR.
PRAEF. FABRU. FLAM. AUG.
PONTIFICI
JULIA T. F. VERA PATRI OPTIMO.

Vide Jac. Sponium *Descript. Genevæ Tom.* 2. *pag.* 297. Pro Deo enim *Augustum* cultum esse, imò ipsum adhuc vivum se pro tali haberi jussisse, diximus suprà, in voce *Anima.* Quò pertinet etiam *Inscr.* ista, quæ Genevæ visitur:

NUMINIBUS
AUG.
ET DOM. DIV.
VICTOR AUG.
LIB. P. P. S.

apud eundem *ibid. pag.* 296.

Augustarius, idem cum priore, *Agostaro* Johanni Villaneo *lib.* 6. *cap.* 22. de quo sic Academici Crustani: *Agostaro, nome di moneta d'oro antica, di valuta d'un fiorino è un quarto d'oro; da una banda della quale era impromtata la testa dell' Imperador Federigo: dall' altra un aquila, al modo degli antichi Cesari Augusti, dal quale ebbe forse tal nome*, i. e. *Augustarius, nomen aurei nummi veteris, valens aureum unum & quadrantem auri; in cujus altera parte caput Imperatoris Friderici, in altera Aquila, cusa est, ad instar vett. Cæsarum Augustorum, à quibus fortean nomen accepit.* Vide quoque *Diarium* Computi Thesauri, incipiens à 1. Januar. 1297. 6. apud Car. du Fresne, qui effigiem istiusmodi *Augustarii* aurei, aurei Hispanici magnitudinis & ponderis, in cujus parte altera expressa ipsius Imperatoris imberbis lutea protome, laureata & paludamento instru-

instructa (quomodo effinguntur vulgò in nummis priores Impp. Constantinop.) cum hac inscr. CESAR AUGUSTUS: in altera conspicitur aquila pedibus insistens, obtorto collo, alisque expansis, cum hisce characteribus, FRIDERICUS, curioso lectori spectandam exhibet in *Glossar.*

Augustaticum, apud Marcellinum Comit. *Augustatico sive dudum Anastasius militibus præstito, donativum quoque hoc Fratre Consule præbuit:* donativum est Augusti, largitio publica ab Imp. populo vel militibus facta. Αὔγου [illegible], congiarium, in *Gloss.* Gr. Lat. Suidas, [illegible] apud Eund.

Augustea, apud Joh. de Janua, *Charta, quæ ab Augusto mittitur, vel genus chartæ sic dictum in honore illius:* corruptè pro *Augusta*, sicut & apud Isidorum *Origin. lib.5. cap.* 10. ubi inter sex chartæ species, quas ordine recenset, primum huic, secundum *Libyanæ*, pro *Livianæ*, locum attribuit. Fuit autem charta *Augusta*, ex genere chartarum majoris formæ, quæ *Hieraticæ* dicebantur, quia his Annales, Rituales, aliiq; libri sacri, ab Hierophantis scriberentur. Nomen ab Augusto Cæsare videtur traxisse, sicut in honorem Liviæ Augustæ, altera *Livia* seu *Liviana* appellata est. Latitudo erat digitor. XIII. sicut Livia XII. & quæ [illegible] Hieratica dicebatur XI. Verùm, cùm ob tenuitatem vix calami mucronem ferret, Claudius Cæsar chartam reperit teniorem Livii, minùs tenuem *Augusta*, quæ ex eo *Claudia* dicebatur, &c. Vossius *de Arte Grammatic. lib.1. cap.* 37.

Augusteon, Gr. Αὐγουστεῖον, item Αὐγουστεῖον & [illegible], dictum erat olim Forum Constantinopolitanum, in quo sparsiones Consulum, quas [illegible] vocabant, fieri consueverant, & in populum missilia jaciebantur è Fori gradibus, quos Αὐγουστείους βαθμίδας vocat Codinus *de Off. Aul. Const.* [illegible] Ex his nempe *Augusteonis* gradibus missilia in plebem spargebantur, in suis arcubus (Vide supra *Arcus*) ac septis stantem, & per gradus ordinesque divisam; quotidie itidem annonæ civicæ eidem dividebantur, ut videre est suprà in *Annona Civica*, & infrà, ubi de *Gradili Pane*, ut & in voce *Panis*.

Augusti & *Cæsaris* distincta olim nomina; dictusque *Cæsar*, cui Imperium suo tempore destinabatur: at *Augustus* appellatus est, qui jam particeps Imperii erat factus. Æl. Spartianus in *Severo Imp. Ob hoc etiam filium ejus Bassianum Antoninum, qui Cæsar jam fuerat, annum decimum tertium agentem, participem Imperii appellarunt milites.* Quod paulo post explicat, *Idem cùm pedibus æger bellum moraretur, idque milites anxiè ferrent, ejusque filium Bassianum, qui unà erat*, Augustum *fecissent*, &c. V. Salmasium *ad loc.*

Augusti duo simul imperare cœperunt primi, Marcus Philosophus & Verus Commodus. Æl. Spartianus in *Ælio Vero: Verus certè cum Marco æquale gessit Imperium Nam ipsi sunt qui primi* duo Augusti *appellati sunt: & quorum Fastis Consularibus sic nomina præscribuntur, ut dicantur non duo Antonini, sed duo* Augusti: *tantumque hujus rei & novitas & dignitas valuit, ut Fasti Consulares nonnulli ab his sumerent ordinem Consulum.* Hoc vult, Verum & Marcum primos unà æquale gessisse Imperium & simul *Augustos* appellatos: adeò ut eorum nomina Fasti sic præscriberentur, *duo Augusti*, non *duo Antonini*; & per *duos Augustos* nemo non intelligi sciret Verum Antoninum & Marcum Antoninum, etiamsi *Antoninorum* nomen appositum non esset, cùm de aliis Augustis accipi non posset, quàm de his duobus, qui primi *duo Augusti* appellati sunt. Cujus rei novitatem tantum valuisse scribit Spartianus, ut ordo Consulum in quibusdam Fastis sumeretur *à duobus Augustis* basisque supputationis poneretur Consulatus Marci & Lucii Veri *duorum Augustorum*; sic ut non solùm dicerent, hoc vel illud accidisse *anno post Consulatum duorum Augustorum tali*, sed etiam priorum temporum res ad nobilissimam hanc Epocham referrent: E.g. Trajanum obiisse *anno ante duos Augustos tertio & quadragesimo.* Aliud verò est, cùm in *Cod. Theodos.* & antiquis Inscript. tempus interdum designari non appellationibus Coss. anni currentis, sed hoc modo, *post Consulatum Honorii VIII. & Theodosii V. A. A.* legimus. V Salmasium & Casaubonum *Not. ad Spartianum*, ut & Marcum ac Verum suo loco.

Augusti tres simul fuere primi, Severus, Antoninus & Geta. Idem Spartianus *in Severo Imper. Ob hoc etiam ejus Bassianum Antoninum, qui Cæsar appellatus jam fuerat — participem Imperii* (h.e. Augustum) *dixerunt milites. Getam quoque minorem filium, &c.* Nempe quinto, vel, ut alii, sexto Imperii Severi anno, Bassianus Antoninus major natu ejus filius, *particeps Imperii* dictus est, à quo tempore duo numerari cœperunt Augusti, Severus pater & Antoninus fil. Deinde accessit tertius, filius minor Geta: quem multo ante, Cæsarem appellatum, Augustum nuncupavit Pater, octavum annum imperans, vel ad summum nonum. Atque hæc illa est *triplex Imperii virtus*, hi illi *tot Augusti*, quos laudat Tertullianus in *florida de Pallio*; quem librum, multo post confecta bella civilia Severo & duobus filiis imperantibus, omnino scripsisse videtur. Etiam Galenus fortè de his tribus Augustis sensit, cùm scriberet *lib. de Theriaca* ad Pison. [illegible] (theriacæ) [illegible] Αὐτοκράτορα [illegible], &c. Casaubonus *ad l.* Eosdem *tres Augustos* vetus Inscr. complectitur, quæ sic habet:

IMP. CÆSAR. LUCIUS. SEPTIMIUS.
SEVERUS PIUS. PERTINAX. AUG.
ARABIC. ADIABENICUS. PARTHICUS.
MAXIMUS. PONT. MAX. TRIB.
POTEST. VIIII. IMP. XI. COS II.
P. P. PROCOSS. ET. IMP. CÆSAR.
MARCUS. AURELIUS. ANTONINUS.
PIUS. AUG. TRIB. POT. IIII.
PROCOS. ET. IMP. P. SEPTIMIUS.
GETA. ANTONIN. VIAS. ET. PONTES.
REST. AB. AUG. MIL.
PAS. XXXI.

Augustodunum, quoque oppid. Galliæ est, in Episcopatu Ebrodunensi, vulgo *Austum*: memoratum Gregorio Turon. inter loca, quorum Ecclesiæ ad Monasterium Lugdunense apud Insulam Barbaram pertinent, V. Hadrianum Valesium *Notit. Gall.* in voce *Juviniacum*.

Imp. Rom. Principesque.

Augustus Cæs. adde: Quæ ejus, Ministrorumque Domini, ut solet, exemplum imitantium, in colendo Judæorum Deo pietas fuerit, testatur Philo *lib. de Legat. ad Cajum Cæs.* [illegible] *Tam sanctè sacra nostra coluit, ut penè omnium domesticorum ejus dona extent in Templo nostro, in quo mandavit, quotidiana mactari holocausta suis sumtibus, Deo sacrata altissimo; quæ sacra in hodiernum usque diem peraguntur, durabuntque perpetuò, monumentum virtutum verè Imperatoriarum.* Quod juge *Augusti* sacrificium tauro binisque agnis, singulis diebus peractum, idem perhibet. Nec impar Marci Agrippæ adversùs Numen, quod Judæi venerabantur, reverentia, &c. Tob. Pfannerus *Theol. Gentil. pur. pag.* 513.

Augustus, Elector Saxoniæ. Filius fuit minor natu Henrici, ex familia Albertina, & cum fratre Mauritio, in tutela agnati Electoris Joh. Friderici educatus est: tum in aula Bohemica, ubi cum Maximiliano postmodum Imp. amicitia contracta, adolevit. Cæsari quoque, sub fratre, in bello Gallico meruit. Cùm administrationem Episcopatus Mersburgici suscepisset, per Georgium Princ. Anhaltinum doctrinam Evangel. introduxit, An. Ch. 1544. Fratre A. C. 1553. mortuo, ipse ex Dania advolans in fidem suam subditos recepit, & cum Joh. Friderico, qui ei ob Electoratum litem intentaverat, amicè transegit, A. C. 1554. Anno sequente solemni conventu Naumburgico, fœdus hæreditarium, Saxonicæ, Brandenburgicæ & Hassiacæ domuum renovatum, & Aug. Conf. conservatio decreta est. In Comitiis dein Augustanis, pacem religiosam per legatos ursit & obtinuit. Naumburgensis ipsi diœcesis collata A. C. 1564. & Gothana executio demandata est, A. C. 1567. ob cujus sumtus quasdam præfecturas detinuit. Inde rerum in Germania fere arbiter: Opes maximas, cùm pace frueretur, congessit & jam senior linguæ Latinæ operam dedit. Fridericum Palatinum Augustanæ confessionis socium agnovit, colloq. Altenburgicum habuit A. C. 1568. post hæc, in Reformatæ religionis assertores acer, Dresdam eos A. C. 1571. evocavit, ubi Consensus Dresdensis editus. Dein A. C. 1574. articulis Torgensibus eos subscribere compulit, quod cùm Wittebergenses Theologi facere recusarent, illos carcere, exilio, morte quoque Cracovium aulæ Saxon. Cancellarium multavit: In Bergensi dein Cœnobio, post varios alios Conventus habitos, Formulâ Concordiæ cusâ Obiit A. C. 1586. Pater ex Anna Danica unici filii Christiani I. quo nati Christianus II El. Joh. Georgius I. El. pater inter alios *Augusti* Administr Magdeburgici, & *Augustus*: cui Rudolphus Imp. feudum Juliaci, Cliviæ & Montium contulit A. C. 1610. sed is seq. anno, nulla ex Hedvige Danica prole susceptâ, obiit.

Augustus, fil. Johannis cognom. *junioris*, D. Holsatiæ, Sonderburgicæ lineæ auctoris, cum fratre Ernesto Cæsari adversus Turcas militans, prælio ad Agriam, cecidit, A. C. 1596. Ejus ex fratre Alexandro nepos *Augustus* Philippus, initiò duarum sororum ex fam. Oldenburgica, dein Mariæ Sibyllæ Nassoviæ maritus, sub Hollandis stipendia fecit, postea in Hungaria prælio ad Leventiam strenuè se gessit: Pekæque commoratur. Ex ejusdem familiæ linea Gottorpino-Holsatica memorandi hic veniunt *Augustus* Fridericus, fil. minor natu Friderici D. cujus fama itinere Persico increbuit: Item Johanes *Augustus*, filius Johannis, cujus lineam Eutinensem vocant, fratris minoris natu Friderici præfati.

Augustus, filius Wilhelmi D. Brunsuicensis, qui Cellensem ramum

mum condidit, A.C.1605. Hanseaticarum copiarum Dux, Brunsuico suppetias venit: post fratres Ernestum & Christianum paternarum ditionum regimen suscepit, Racenburgensis simul administrator. Ei in utroque successit frater Fridericus: quorum ex fratre Georgio nepos est Ernestus *Augustus*, jure familiæ ex pace Monasteriensi collato, Episcopus Osnabrugensis, ex Sophia Palatina egregiæ prolis parens. Sed ante hos dicendus *Augustus* D. Brunsuic. ex Wolfenbuttelana familia, filius minimus natu Henrici, hujus rami conditoris: Hic initio Canonicus Argentin. in ea urbe vixit, inde Hizgeram habitandam accepit. Fratribus dein sine prole præmortuis, ut & agnato Friderico Ulrico Brunsuicensis lineæ ultimo extincto, in Principatu successit: in pace Monaster. obtinuit, ut sua linea, si Cellensis deficiat, ad alternationem Episcopatus Osnabrugensis vocetur: Bibliothecam Guelferbytanam instituit. Obiit haud pridem, Princeps ætate, pietate, justitiâ, literis, supra reliquos sui ævi. Eo nati sunt, ex Dorothea Anhaltina Rudolfus *Augustus*, Sibylla Ursula, Clara *Augusta*, Antonius Ulricus, Ferdinandus Albertus & Maria Elisabetha.

Augustus, filius secundò-genitus Manfredi Ducis Wirtembergici, mortui A.C.1662. nepos Julii Friderici, Julianæ seu Brentianæ lineæ conditoris. Item filius Francisci II. D. Lavvenburgici, extinctus A.C.1656. nullum ex duplici matrimonio filium reliquit: præmisso ante decennium filio Joh. Adolpho. Item Princeps Anhaltinus, rami Plætzkensis auctor, fil. Joachimi Ernesti, ad summam ætatem vitâ productâ, obiit A.C. 1653. Item filius Joh. Christiani D. Lignicii, ex Hedvige Sitschia, impari conditione natus, dignitatem Comitis Lignicii est nactus, Briegensis Duc. sub fratre Capitaneus: A Georgio Wilhelmo, ultimo è Piasteis, A.C.1676. paulo ante mortem per literas Leopoldo Imp. enixè commendatus. Jungendus his quoque Christianus *Augustus*, Princeps Sultzbacensis ex familia Palatina, fil. *Augusti*, Sultzbacensis lineæ conditoris, nepos Philippi Ludovici, qui Neoburgicos Principes sevit. Natus is A.C.1622. studiis operam navavit juvenis; dein, cùm præesset ditionibus, in exules religionis gratiâ munificentissimus extitit: Tandem ab Helmontio ad Latinos ritus A.C. 1656. pellectus, à Patrueli Neoburgico obtinuit, ut jam ditiones suas proprio & summo jure teneat: Frater Philippi Lotharingorum primò, exin Suecorum postea Venetorum, tandem A.C 1664. Cæsaris adversus Turcam miles. V. Philippum Jacobum Spenerum *Sylloge Geneal. Histor.*

Augustus, cognomen Martis, in *Inscr.* vet. quæ Genevæ extat:

MARTI AUG.
SACRUM
SENNIUS SABINUS.

Apollinis item, in numismate Galieni Imp. in quo centaurus cum lemmate, APOLLINI AUGUSTO. Sed & aliorum Deorum, quibus post excessum Augusti Imp. epitheton hoc, velut honoris gratiâ, adjici cœpit. Similiter *Augusta* dicta Juno est in vet. lapide Jaderæ etiamnum extante:

JUNONI AUGUSTÆ
APPULEIA M.F. QUINTA
SUO ET L. TURPILII BROCCHI
LICINIANI FILII NOMINE.

Vide Jac. Sponium *Descr. Genevæ Tom. II. pag.289.* & *Itiner. Græciæ Tom.3. pag. 77.*

Augustus, nomen monetæ, Joachimo Vadiano memoratæ *de Monasteriis Germ. lib.1. p.41. Ergo & Franci Augustorum nomina non in nummis solùm, sed etiam in sigillis suis, ostentarunt: ac nummi quidem per Alemanniam excusi alterâ parte tantùm monetam præferebant, alterâ vacui, id quod hodie in illis fit, quos vulgò denarios, Helvetii alicubi* Augustos, *literâ inversâ cognominant*, &c. E quibus satis patet, hos *Augustos*, cum *Augustalibus* seu *Augustariis*, de quibus suprà, non eosdem fuisse. Car. du Fresne *Glossar.*

Aviaria, Alexandri Severi Imper. memorantur Æl. Lampridio in *Vita* ejus: *Habuit sanè in Palatio unum genus voluptatis, quo maximè delectatus est, & quo solicitudines publicas sublevabat. Nam* Aviaria *instituerat pavonum, fasianorum, gallinaceorum, anatum, perdicum etiam: hisque vehementer oblectabatur, maximè palumborum, quos habuisse ad viginti millia dicitur: & ne eorum pastus gravaret annonam, servos habuit vectigales, qui eos ex ovis ac pullicenis ac pipionibus alerent.* Id est, ex ea pecunia, quam cogebant vendentes ova & pullos ac pipiones palumborum. *Servi hi vectigales*, id est, ii qui reditum hunc curabant, & hoc privatum quoddam vectigal domus regiæ exercebant. Casaubonus *ibid.* Vide suprà in voce *Aves.*

Avicenna, adde: *Avicennæ* seu *Abbenaali* Tomus II. qui & *Canon* dicitur, de Medicamentis simplicium, mineralium, plantarum, fructuum, gummium, animaliumque, ad Medicorum instantes preces, ex Hebraica lingua, ab Ath. Kirchero in Latinam translatus, unà cum plantarum signis, prælum expectat, &c. Georg. de Sepibus *in Collegii Rom. S.J. Musæo p.64.*

Avidius Severus, avus Avidii Cassii Imp. maternus, seu pater potiùs, ut Salmasius docet, de quo sic Vulcatius Gallic. *Ordines duxerat, & post ad summas dignitates pervenerat. Cujus Quadratus in historiis meminit, & quidem graviter, quum illum summum virum & necessarium Reip. asserit, & apud ipsum Marcum Antoninum prævalidum. Nam jam eo imperante periisse fatali sorte perhibetur.*

Avis S. Martini, cornix dicitur, quod circa festum S. Martini hyemalis videri demum incipit. Petrus Blesensis *Epist.65. Si à sinistra in dextram Avis S. Martini volaverit*, apud Carolum du Fresne *Glossar.*

Avis Paradisi, V. infrà, in voce *Manucodiata* &c.

Avium collum laqueo constringendi aucupium Græcis olim notissimum. E quibus Archia Poëta laqueum hujusmodi vocat δειροχίδης ἰσοθεσμόν ἄμμα πετηνῶν, *collo onerosum multis laqueis avium rete.* Et Antipater Sidonius πετηνῶν ἄθραυστον δειραγχίδα, *infractum volucrium colli laqueum.* Item κλαγγευσῶν λαιμοπέδην γεράνων, *clangentium gruum gulæ laqueum.* Et alius apud Suidam, δειραγχέας παγας, *laqueos collum frangentes.* Proinde Homerus *Il.* χ. procorum pellices, quarum

Δειῇσιν βρόχοι ἦσαν ὅπως οἴκτιστα θάνοιεν,
Collis laquei erant, ut miserrimè morerentur:

cum turdis & palumbis confert, qui laqueo implicati sunt, collo nim. adstricti. Samuel Bochartus *Hierozoici libr.2. cap.31. Part. poster.*

Avium σφαγεῖον, in Templo *Hierosol.* V. infrà *Probasticum.*

Aulæum, apud Ulpianum *l. sed & si quid de usufr.* *velut Aulæi*, inquit, *vel alterius apparatus*, ut & Cicer. *pro Cælio*, sæpiùs & usitatiùs in plur. *Aulæa* legitur: quo nomine intelliguntur tapetes, quibus parietes & aulæ ornatûs causâ tegebantur. Quamvis enim Vett. noti non essent psilotapetes, quibus hodie toti parietes obteguntur & intenduntur, in vulgus viz. Attalica tamen *Aulæa*, contegendis etiam parietibus, (cùm alii parietes aut picturis condecorarent & coloribus udo tectorio inductis aut marmore operirent aut deaurarent, ut dicetur infrà, ubi de *Parietibus*) in domibus Magnatum, usum præbuere: inde dicta, quòd in *Attali* R. aula primùm essent inventa. Salmasius *ad Vopiscum in Firmo* & Calvinus *Lexic. Jurid.* Hinc *Aulæa*, pro Tragico ornatu, apud Ausonium *Eidyllio 7.*

— — — Aulæaque Regum.

In Tragico enim theatro palatia Regum cùm erigerentur, tapetibus pensilibus solebant obduci, partim ut scena magnificentiùs ornaretur, partim ut regiarum ædium vera species exhiberetur, quæ etiam Heroicis temporibus tapetibus insternebantur, ut ex Homero elucet. De iis Heliodorus *Æthiop. l.5.* Ἐξέφερον, inquit, τραπέζας, κρατῆρας, τάπητας, παραπετάσματα, Σιδωνίων ἔργα καὶ Τυρίων χειρῶν, *Efferebant mensas, pocula, tapetes,* Aulæa, *Sidoniorum opera & Tyriorum manuum.* Q. Curtius *lib.7. quum post aulæa, quæ lectulos obducerent, staret Rex.* Hyperides apud Julium Pollucem *libro 4. capite 19.*

Οἱ δὲ ἐννέα ἄρχοντες εἱστιῶντο ἐν τῇ στοᾷ,
Περιφραξάμενοι τι μέρος τῆς αὐλαίαις.
Novem Principes convivabantur in stoa,
Circumsepti alterutram partem aulæis.

Virgilius *Æneidos lib.1.*

— — Aulæis jam se regina superbis,
Aureâ composuit spondâ, &c.

Plura vide infrà in voce *Tapetes.* Juvenalis Consulum Prætorumque togam pictam & triumphalem, non ineleganter *Aulæum* quoque vocat:

— — Picta Sarrana ferentem
Ex humeris aulæa *togæ.*

Ubi vetus Interpres: *In tunica Jovis*, inquit, *mappam mittentem in Circo Consulem describit Poëta. Nam tunicam Jovis & togam palmatam dixit, Tyriâ purpurâ confectam, hoc est, Sarranâ.*

Auletici Calami, V. infrà *Aulus.*

Aulici, apud Jul. Capitolinum in *Pertinace*, *Enim verò tantum odium in Pertinacem omnium* Aulicorum *fuit, ut ad facinus milites hortarentur*: Casaubono sunt οἱ Καισάρειοι, qui, teste Dione, cum in Pertinacem eodem, quo milites Prætoriani, essent animo, tamen quòd nudi essent & inermes, inviti se continuerunt, &c. Huic hominum generi negabatur, Tertulliani ævo, *pax*, quæ osculo, piè ante S. Eucharistiam fixo, Christianis dabatur, cum patena; utpote ambitioso, ac invido & paci quietique adversanti: *Circumfertur patena pacis inter fideles, præterquam tamen inter* Aulicos, *quos unanimes esse ac pacificos ambitio non sinit*, *libro de Orat.*

Aulocrene, adde: Plinio *convallis* est, *libr. 5. cap.29.* & *mons*, *ibid.* & *regio lib.16. cap.44.* Solino insuper *fons*, *cap. 40.* quod postremum certè nomen indicat. *Aulocrene* enim propriè significat, *tibiarum* vel *tibiæ fontem*, Αὐλῶν κρήνη. Sed Salmasius apud Plinium legendum esse conjicit, *Aulothrenos*, id est, αὐλοθρηνὸς, sub χῶρος, regio seu *convallis*; vel Αὐλόθρηνος sub ὄρος, *mons.* Cui loco vel monti nomen videtur inditum, à tibiarum fletu, sive quòd Marsyan ibi devictum Satyri defleverunt, Nymphæque & Pastores, quibus charus erat, quique cantum tibiarum ejus desiderabant. Certè tibiæ, quarum inventor Marsyas fuit, θρηνητικαὶ sunt & flebilibus modis aptæ: & de fletu Nympharum, cùm Marsyas in hoc monte victus esset ab Apolline & excoriatus, sic Ovidius *Metamorph. lib.6.*

Illum ruricolæ, sylvarum Numina, Fauni,
Et Satyri fratres & tunc quoque charus Olympus,

Et Nympha flevens, & quisquis montibus illis
Lanigerosque greges armentaque bucera pavit.

Vide Salmasium præfatum *ad Solinum pag.* 834.

Auladi, elegiæ olim modis temperatas canebant. Plut. ἐν ἀρχῇ δ᾽ ἐλεγεῖα μεμελοποιημένα οἱ Αὐλῳδοὶ ᾖδον: quemadmodum & in Comœdiis cantica auctor ipse vel Poëta componebat, modos autem adhibebat aliquis Musicæ artis peritus &c. Dicebantur autem istiusmodi cantica seu carmina Νόμοι, erantque in honorem Deorum alicujus composita & modis Musicis instituta. Constabant porro versibus, & Poëtas auctores habebant, uti pluribus docet Salmasius *ad Capitolinum in Antonino Pio.* Pro *Auladus*, apud Capellam *Aulidus* legitur: *Nec mora, & ecce quædam suavitas internata aulidæ, dulcedinis cantus & melodia ultra cuncta rerum oblectamina recinentes.* Et alibi, *Isciadas quis nesciat expelli aulidâ sua visas?* de qua scribendi ratione consule eundem, *ad Spartianum in Adriano Cæs.*

Aulus, apud Appuleium de puero Critia monaulo,

Quòd si aulum inspires, dona & jam carmina nostra
Cedent victa tuo dulciloquo calamo:

pro tibia est, Græcâ voce. Ut *Auleticus Calamus*, h. e. tibialis, qualem inter varii generis arundineta, quibus abundabat, gignebat Orchomenius lacus. Erant ejus genera duo, Ζεύγιος & Βομβύκιος: quorum is sic dictus est, quòd ex uno ejus internodio binæ tibiæ, dextra & sinistra, quod est τιβιαρὸν ζεῦγος, formabantur; hic verò, quòd ex eo Bombyces, tibiæ quoddam genus fierent. Eam verò partem lacus, ubi *Auletici Calami* optimi nascuntur, *Pelecaniam* dictam esse, qua parte etiam in Paludem Cephisus influit, docet ex Theophrasto Salmasius, *Exercitat. Plin. ad Solinum p.* 117. Sic *Auladi*, V. *suprà*, &c.

Aulus Cascelius, T. Quinti Martii Volusii auditor, qui, Quæstoriâ dignitate contentus, Consulatum aspernatus est, cùm ei ab Augusto offerretur. Scripsit librum unum *Bene dictorum*, ut auctor est Pomponius *lib.* 2. §. *per. ff. de Orig. Jur.* Brissonius apud Calvinum *Lex. Jurid.*

Avocare, apud Arnobium, *Pueros crepitaculis avocari*, idem est quod Græcis ψυχαγωγεῖν, & Virgilio *animum picturâ pascere*, id est, *oblectare*. Vide infrà in voce *Passetemps*.

Aura, in Tabulario Ecclesiæ Bajocassinæ, *Aurea*, nuncupatus, vulgò *Aure*, fluvius Galliæ est, qui Drumâ *Drome* augetur. Hadr. Valesius in voce *Druma*.

Aura, flatus est matutinus, qui cum Sole oritur, sed non semper à Sole fertur, i. e. secundo Sole, vel ex ea parte unde Sol oritur. Seneca *lib.* 5. *cap.* 9. *Et ideo quibusdam videtur inde flatus esse, unde Sol. Hoc falsum esse, ex eo apparet, quòd aura in omnem partem vehit & contra Ortum plenis velis navigatur.* Nec obstat, quòd Etesias cum Sole oriente incipere, cadente ponere scribit Theophrastus, quod idem de Austris in genere refert. Hoc enim non satis est, ut dicantur *secundo Sole flare*, nisi etiam ex ea parte surgant, unde oritur Sol: quod Etesiæ non faciunt; qui adverso potiùs Sole flant, quàm secundo. Eo tempore quippe regnant, quo Sol ab exortu Solstitiali procedit; ipsi verò prodeunt ex contraria parte, ab Occasu nempe Solstitiali, nam Argestæ sunt. Nonnunquam verò *Aura*, pro aëre sumitur; aliquando metaph. pro vulgi favore: ut in voce *Aurarii* dicemus. V. Salmasium *ad Solinum pag.* 1260. & 1335. ut & infrà in voce *Aurologium*.

Aurantia, pro *Aurata*, & *Aurans*, pro *Aureo*, infimæ Latinitati, quòd verè *aurei* coloris sint. Ut frustra sint, qui ab *Arantia* urbe id nomen deducunt, in quam primùm volunt mala aurea ab Hercule inlata, quum ab Hesperidibus rediret. Nomen enim *Aurantium* malorum vel *Arantiorum*, sero admodum auditum est, cùm nulla amplius Arantia aut Phlius, uti postmodum urbs illa dicta, superesset. Pro *Auratis* ergo primùm *Aurantia*, dein *Arantia*, & *Inarantia* dicta sunt; unde Italicum *Narancio*. & recentiorum Græcorum Νεράντζιον. Quod Scholiastes Nicandri Μηδικὸν μῆλον, *Medicum malum* interpretatur. Sed cùm *Aurantia* nostra verè sint aurei coloris, *citrea* verò vel *citrones*, flavi dilutioris; si sequimur differentiam, quæ vulgari & hodiernâ horum vocabulorum notione signatur, *Aurantia* hodierna fuerit Veterum Ἑσπερικὸν, *Hesperium malum*; citro verò noster, *Medicum malum* antiquorum. Adde, quòd in citro longa facies, & ovata; in aurantio forma orbicularis: spinæ multæ & robustæ & acutæ in illo, quæ breves admodum tenuesque in isto. Arbor quoque citri parva est, aurantii magna & cuilibet alii malo non cedens: unde *domos decorare* dicta Plinio *lib.* 15. *cap.* 16. Jam enim tum in Italia plantari intra domos consuevit, umbræ & ornamenti gratiâ. Verùm ibi *citrum* vocat, diversam tamen, ab Assyria seu Media. Nempe postquam Medica mala in Græciam importata fuerunt, & è Græcia in Italiam invecta, ob similitudinem cum aureis & Hesperiis malis, *citrea* etiam dici cœperunt: quo nomine Hesperidum mala apud Romanos antè veniebant. Donec usu invalescente factum, ut *citreorum* nomen Medicis & Assyriis pomis veluti proprium maneret. Hesperidum autem mala, *Aurea, Aurantia* & *Inaurantia* vocari inciperent. Priùs verò Hesperidum mala, (ex Africa, ubi Hesperidum hortis allata) nota fuisse & Græcis, quàm Medica vel Citrea, hinc patet, quòd inter symbola & initia Dionysii mysteriorum Orpheo jam recensentur, apud Clementem,

Κῶνος, καὶ ῥόμβος, καὶ παίγνια καμπεσίγυια,
Μῆλά τε χρύσεα καλὰ παρ᾽ Ἑσπερίδων λιγυφώνων.

Et Ἑσπερίδας, h. e. *Hesperidum mala*, apud Laconas Diis apponi solita, Timachidas & Aristocrates in *Laconicis* scripserunt. At Medicum malum è Perside vel Media in Græciam serò admodum allatum est, nec nisi mediæ Comœdiæ Poëtarum ævo, ut ex Antiphanis *Bœotia* liquet. Interim non esitatum Græcis pomum Aurantium, unde illi Ἑσπερίδας interpretantur ἄβρωτα μῆλα καὶ εὔοσμα, *non apta ad esum, fragrantia tamen.* Quod & Plinius confirmat *d. l.* pomum in arcis condi & vestibus interjici, ut odorem inde caperent, apud Romanos consuevisse, referens. Plura V. apud Salmasium *ad Solinum pag.* 954. & *seqq.* ut & infrà, ubi de *Citreis* & *Hesperidum malis*. Idem Salmasius, Gallis *Aurantium pastellum*, vulgo *Orangé pastel*, eum colorem vocari, qui croceus est, in rubrum vel coccinum vergens, quique recentioribus Græcis φοινικοπάστελλον, quasi *puniceum pastellum*, dicitur, notat *pag.* 1331. De *Aurantiis* malis, sic Auctor Anonymus *Sinæ & Europæ cap.* 36. *Maximè colorem auri fulvi referunt, cortice aromata mirè redolente, subamaro sapore linguam & palatum vellicante, unde colligimus, plus iis inesse caloris, quàm citriis Dulciarii corticem exsiccatum sacchare obducunt, frigescenti ac languido ventriculo remedium optimum: succosa verò ejus pars, acido, dulci, aut mixto sapore distinguitur, qui vires obtinent diversas pro qualitatis suæ ratione; ut dulciora cæteris magis calefaciant, alia magis minusque refrigerent, prout magis ad dulcedinem accedunt. Quocirca febricitantibus, ad sitim extinguendam, optimè exhibentur acida, vel mixti saporis, quorum etiam succus pro intinctu suavissimo in deliciis passim.* V. quoque infrà *Aurea poma*.

Aurarii, in *Glossis MSS. Laudatores vel fautores vel adulatores;* qui *auram* captant, i. favorem, vox Latinis hâc notione satis frequens. Servius in *illum versum*,

Nunc quoque jam nimium gaudens popularibus auris.

Auris, ait, *favoribus: unde & Aurarii dicuntur fautores.* Idem *ad illud*,

— — *Aspirat primo fortuna labori,*

Aspirat, inquit, *favet. ut, Adspirant auræ in noctem, unde & favor, aura dicitur.* Idem *auram splendorem* interpretatur, *ad id*,

Discolor unde auri per ramos aura refulsit. *Auri aura, splendor auri*, imò aurum ipsum, ab *aura*, h. e. splendore, deducit, quod splendeat hoc metallum, unde *Aurarii*, quòd favore suo splendidos homines reddant, Salmasius *ad d. l.* Casaubonus verò *Aurarios* dictos vult quasi *Orarios*, ab *orariis*, quibus in theatris ad favorem significandum utebantur. Cùm enim priùs jactatione togæ, nec sine incommodo aliquo, favorem testarentur spectatores, juxta illud Ovid. *Amor. lib.* 3.

Et date jactatis undique signa togis:

Aurelianus Imp. institas illis vel fascias, quas manu tenerent & ad favorem in Ludis moverent, dedit, quæ *Oraria* dicta, ut videbimus infrà in hac voce. Vopiscus in *Aureliano*, *Ipse primùm donavit oraria pop. Rom. quibus uteretur populus ad favorem*, &c. Idem, quemadmodum *Aurarii* hi, in ludis favoris signum orariis dederunt, sic alios jactatione sudarii date signum solitos, observavit. Vide infrà, ubi de *Favore*, Circi voce & *Sudario*.

Aurarius Canon, & *Auraria pensitatio*, sive *præstatio*, in *Constitut.* Impp. idem cum *Auro negotiatorio*, fuisse videtur, de quo Æl. Lampridius in *Alexandro Severo*, *Aurum negotiatorium & coronarium Romæ remisit.* Onus erat negotiationibus impositum, præter quod & aliæ exactiones sub diversis temporibus inventæ sunt, cujusmodi in *Cod. præstatio monopolii, siliquatici*, &c. Casaubonus *ad l.*

Aurata, sive *Orata*, quæ Græcis Χρύσοφρυς, Athenæo *libro* 7. etiam Ἰωνίσκος, mirè celebratur ibidem ab Hicesio & Matrone parodo: utpote piscis carnis candidæ, solidæ, densæ, succi boni, digestu facilis, bene nutriens, nec excretu difficilis; ut est apud Xenocratem. Ephesiam oratam commendat, apud præfatum Athenæum, Archestratus: illam Lucrini lacus Martialis *lib.* 13. *Epigramm.* 90.

Non omnis laudem, pretiumque Aurata *meretur,*
Sed cui solus erit concha Lucrina cibus.

Contra venenatum mel, in cibis auxilio *Auratam* esse, ait Plinius *libro* 32. *capite* 5. Vide Gerh. Joh. Vossium *de orig. & progress. Idolol. libro* 4. *capp.* 25. & 37. In Sinis magna *Aureolorum* piscium fama est, quorum magna vis in lacu 200. jugerum, in *Chekiang* sub Hangcheo (*Quinsai*) in monte Cienkingo, prope Changhoam. Fulvi sunt coloris & per certa intervalla *aureis* quodammodo lineis intersecta micat cutis, totumque dorsum aureo veluti pulvere inspersum cernitur. Magnitudo digitum non excedit, & tamen trifurcata, bifurcata, subinde etiam simplici ac latiori caudâ armati sunt, unde jucundi amœnique aspectu; magno apud Sinenses in pretio, quos studiosè domi aut in viridariis alunt, pulcherrimis ad id vasis adornatis. Solent iis subinde suâ manu Magnates cibum porrigere; tum, quasi nossent, cui domino serviant, quamque suo aspectu voluptatem illi concilient, sæpè cùm adest, colludunt. Cùm ex omnibus partibus, quas incolæ expetunt, sint perfecti, unius pretium ad duos treve aureos non rarò ascendit. Adam Preyelius *Sinæ & Europæ cap.* 42. Alii ab his sunt pisces Sinensibus *Ziyu*, Lusitanis

Bacal

Sanel dicti, qui ineunte Aprili ac Majo, ad Nankingam, & fluvio Kiango capiuntur & glacie sepulti ad Imperatorem mittuntur, navibus, quibus nihil pulchrius invenire est: cùm sint undiquaque deauratæ rubroque colore depictæ, adeoque miram ostendant elegantiam, ut iis omnes aliæ naves, si fortè occurrerint, cedant. Idem *cap.* 25.

Aurata Domus, χρυσόροφος οἶκος, Græcè, apud Lucianum *in Philopatride*, ubi Critias accessum suum ad Christianorum (sub Trajano) cœtum quendam enarrans, *Multis*, inquit, *superatis scalis in domum auratam ascendimus, qualem Homerus Menelai fingit esse*: cœnaculum est seu superior pars domus, cultui Divino destinata. Antequam enim permissum esset, sub Impp. Gentilibus, Templa Ædesq; sacras publicè extruere, non cessavere tamen ad Sacra exercenda, convenire, in *cryptis, eremis, cœnaculis*, aliisque locis idoneis. Et quidem *cœnaculum* seu ὑπερῷον memoratur, Act. c. 1. v. 3. in quod Apostoli Sacrorum gratiâ ascendebant, &c. Cujusmodi Cœnaculum hoc fuit, quod quia ob sacrum usum splendidius haberetur, *Aurata Domus* dicta est Critiæ. Quæ loca, cùm indies augescenti Christianorum numero non sufficerent, jam ante Diocletianum legimus *οἴκους ἐκκλησίας, Oratoria* & Ædes sacras magno numero extrui ab iis cœpisse, apud Eusebium *Hist. Eccl. l.* 8 *c.* 1. 2 Imò jam sub Alex. Sev. *Quum Christiani quendam locum, qui publicus fuerat, occupassent, contra Popinarii dicerent, sibi eum deberi, rescripsit, melius esse ut quomodocunque illic Deus colatur, quàm Popinariis dedatur*, teste Lampr. *in Vitâ* Alexandri. V. Joh. Seldenum *de Synedriis vett. Ebræorum lib.* 3. *c.* 15. §. 2.

Aurata Statua, in Italia primùm posita, ab Acilio Glabrione Duumviro, patri Glabrioni, cum Pietatis ædem in Foro Olitorio dedicaret, legitur apud Livium *l.* 40. *c.* 34. Cùm *Aurea*, in Templo Anaitidis, primùm posita esset. hominum verò primus statuam *Auream* ac solidam sibi Delphis posuisset, ex Oratoriæ Artis quæstu, Gorgias Leontinus, ut videre est apud Plinium *lib.* 33. *cap.* 4. V. quoque *de Auratis statuis* infrà, *in Auro*.

Aurata Vestis, propria olim Augustæ, Salmasius *ad Capitolinum in Antonino*. Lampridius quoq; Ministris Aulicis tribuit in *Alexandro Sev*. Auratam *vestem ministrorum nullus vel in publico convivio habuit*. Sed vestem sic vocat qualem Regii Ministri gerebant, tunicam albam, auro distinctam: quâ apud priores Impp. illos indui solitos, Alexander *albatos* tantùm, non etiam *auratos*, esse voluit. Tunicæ autem illæ non per totum auro sparsæ & intextæ, sed *paragaudis*, h. e. loris auratis, prætextæ erant. *Cod. de vestibus holoveris l.* 11 *Nemo vir auratas in tunicis aut in lineis habeat paragaudas: nisi hi tantum modo, quibus hoc propter Imperiale ministerium concessum est*. Salmasius *Notis ad Lamprid*.

Aurea, vox Hymno de Apostolis, in Eccl. Rom. præponi solita, musicum videtur denotare tonum, quibus hymnus is decantari deberet, Sic *Hypodiaconissa*, quæ Hymno, qui canitur in Natali S. Stephani, *Romana*, in Natali S. Johannis. Evang. *Fridgora*, quæ in Hymno S. dici Paschatis, præponitur, &c. V. du Fresne in voce *Fridgora*.

Aurea, apud Æl. Lampridium *in Antonino Heliogabalo*: *Exhibuit & famina aprugna per dies decem tricena quotidie cum suis bulbis: pisum cum aureis, lentem cum ceraunüs, fabam cum electris & orizam cum albis exhibens*: Casaubono sunt globuli aurei vel sphærulæ aureæ, quæ pisis sic assimilabantur & æquabantur, quò facilius insanissimus juvenis fallere posset, unde vult subintelligi subst. *granis*. Nempe persuasit sibi vir eruditissimus, perditum Heliogabali ingenium hoc facto assimilationem quandam excogitasse pretiosarum rerum, quas cum edulibus miscebat, ut sic quodammodo responderent pisa *aureis*, lentes ceraunüs &c. At Salmasio *Aurea* hic sunt χρύσινοι, i. *aurei*, vel solidi, ut posterior ætas appellavit, Vide eum *Not. ad Histor. Augustæ h. l.*

Aurea Barba, apud Persium, videtur Turnebo *Adversf. l.* 1. *c.* 20. denotare Jovis ac Neptuni insignia & ornamenta: Apud Horatium, eidem *auream mediocritatem*. *l* 6. *c.* 17. V. infrà in voce *Barba Aurea*.

Aurea Felis, pro Deo culta olim Troglodytis, apud Plinium *lib.* 6. *cap.* 19.

Aurea Ins. Botero Zacynthus olim dicta est, quod illa nomen hodie potiori jure mereretur, postquam Corinthiacæ uvæ culturâ inclarescere cœpit; Jac. Sponius *Itiner. Græciæ Tom I. pag.* 24.

Aurea Mala, Gr. χρυσᾶ μῆλα, dicta sunt Veteribus Mala Hesperia seu Hesperidum, quòd *aureo colore* essent. Auctor *Orphaicorum*, quem quidam Onomacritum esse volunt & floruisse circa Olymp. 50, ubi de symbolis Mysteriorum Dionysiacorum, apud Clem.

Μῆλά τε χρύσεια καλὰ παρ' Ἑσπερίδων, &c.

memorat, uti suprà vidimus. Juba *κιτρίνα* χρυσᾶ vocat: quo modo *aurata* potiùs dicenda essent, quàm *aurea*; unde infima Latinitas eadem *Aurantia* dixit. Cùm autem *Aureorum* cognomen etiam aliis quibusdam pomorum generibus commune esset, sicut & *citreorum*; ab illo tempore *Aurea Mala* peculiariter dici cœpere poma Hesperidum, à quo *citrei mali* nomen Medico pomo proprium esse cœpit. Salmasius *ad Solinum p.* 957. & *seqq.* Istiusmodi malis, ut & citreis, ac Punicis, Hollandi hodie in Hispania naves suas onerant, aliarum mercium defectu Optimæ autem notæ *Aurea Mala*, juxta Cajetam in Regno Neapol. reperiuntur, quæ *Mirangole* vocant: Auctor Anonymus *Hist. Orb. Terr. Geogr. ac Civ. cap. de Commerciis*. In Sinis *Aurea Mala* nobilissima, in Kokien prov. per territoria Chivencheu & Changcheu urbium, uberrimè proveniunt, mole ac magnitudine Europæis majoribus paria, odore verò suavitate ac amœnitate longè superiora. Arboris quoque figura ac modus à nostratibus parùm discrepat: fructus verò in eo differt, quòd comestus uvam omnino referat, quam *moschatam* vocant; adeò ut suavius quidquam in hoc genere nec Italia hactenus, nec Hispania viderit. Ita autem hic fructus à natura comparatus est, ut *aureum* suum densioremque corticem facilè dimittat, pulpa quoque intra pelliculas, quibus vestitur ac distinguitur, eadem facilitate in particulas suas dividatur. Eundem fructum simul cum cortice, inter asseres pressum, saccharo condiunt totoque annoasservant; neque indigenas solùm, sed & exteros, his suis deliciis pascunt ac recreant Auctor Anonymus *Sina & Europa cap.* 36. & suprà, ubi de Malis *Aurantiis*.

Aurea Marcasita, ex venis auri cum frustis auri ramescentis, in *Musæo* Kircheriano Romæ. V. *Descrips.* ejus *p.* 42.

Aurea Massa, Vide infrà *Auri Massa*.

Aurea Pocula, *gemmis* ornabantur olim, sicut pocula argentea *aureis cælaturis* decorari solebant. Quæ utraque *emblemata* vocabantur, ἐμβλήματα Græcis; Publio Syro *Inserta*, ut infrà videbimus. De illis Silius Italicus *lib.* 14.

—— *fulgentia pocula, mixtâ*
Queis gemmâ quæsitus honos.

De illis dictum suprà, ubi *de Argento*. Sed & argentea emblemata ac sigilla *Aureis scyphis* nonnunquam includi consuevisse, docet Cicero de Verre *Actione in eum VI.* Cujusmodi signa aut sigilla qui vasculis aureis argenteisque includenda cælabant, *Cælatores* dicti sunt. Item *Toreutæ*; sicut qui vascula ex utroque puro faciebant, *Vascularii*. V. Salmasium *ad Solin p.* 1046. & infrà passim.

Aurea Regio, an Insula, Græcè χρυσῆ χώρα, memoratur Avieno,

—— —— —— *Inde fluenta*
Tenduntur Scythici longè maris in sacis ortum,
Eoa, quà Cyaneis crepis ab undis
Insula, quæ prisci signatur nominis usu
Aurea:

Dionysio, cujus verba is vertit, χρυσείη dicitur; estque regio in India extra Gangem, haud procul ab Ἀργυρῇ, hoc est, *Argentea regione*: quæ ambæ sic appellatæ sunt, non quòd aureum & argenteum illarum solum esset, ut quidam Vett. nugati sunt; sed quòd horum metallorum feraces. Ptolemæus in *Descrips. ultr. India*. Τῆς δὲ Ἀργυρᾶς χώρας, ἐν ᾗ πλεῖστα φασὶν εἶναι μέταλλα ἀργύρου, ὑπέρκειται πλησιάζουσα τοῖς Βησυγγίταις ἡ χρυσῆ χώρα καὶ αὐτὴ πλεῖστα μέταλλα ἔχουσα χρυσίου, *Supra Argenteam regionem autem —— sita est vicina Besingitis* Aurea Regio, *quæ & ipsa plurimo auri metallo abundat*. Ubi cùm χώραν utramque nominet Ptolemæus, & quidem metallorum horum feracem, patet, perperam inde aurei argenteique soli Insulas condidisse Pomponium & Plinium, ubi de his regionibus. Sed & Auctor Peripli Rubri Maris. Χρυσῆν continentem etiam circa Gangem agnoscit; à qua diversa est *Aurea Peninsula*, ἡ Χρυσῆ χερσόνησος, apud eundem Auctorem & Ptolomæum: nisi dicamus, sequutam ætatem peninsulam deprehendisse, quam Vett. pro insula habuerint. In eodem certè sinu Oceani Orientalis sub ipsum Solis ortum, contra fluvium Gangem, ultimo Orbis ad Orientem loco, metatur Auream Chersonesum Marcianus Heracleota; quo *Auream Insulam* censet Auctor *Peripli*. Hic enim statim post insul. *Chrysen*, hoc est, *Auream*, sequi facit, versùs Septentriones, mare illud cui prætenta est Sinarum regio, ubi & desinit. Unde & *Auream* quidam dictam volunt, quod sita sit, ὑπ' αὐτὰς ἀντολὰς τοῦ ἡλίου, *sub ipsum orientem Solem*. Dionysius,

—— —— ἔνθα καὶ αὐτοῦ
Ἀντολίαι καθαροῦ φαείνονται ἠελίοιο.
Ubi etiam ipsius
Ortus puri conspicitur Solis, &c.

Quam in rem V. plura apud Salmasium *ad Solinum pag.* 996. ut & in voce *Chryse*.

Aurea Statua, Vide suprà *Aurata*.

Aurea Testudo, apud Auctorem *Peripli* Rubri maris occurrit, in hisce ejus verbis: Κατ' αὐτὸν δὲ τὸν ποταμὸν νῆσός ἐστιν ὠκεανός, ἐσχάτη τῶν πρὸς ἀνατολὴν μερῶν τῆς οἰκουμένης ὑπ' αὐτὸν ἀνέχοντα τὸν ἥλιον καλουμένη χρυσῆ, ἔχουσα χελώνην, *Juxta ipsum verò fluvium Insula est Oceania, ultima Orientem versùs, sub ipsum ortum Solis celebris admodum, auream habens testudinem*. Sed de illa testudine nugas esse, docet Salmasius, qui locum istum sic repurgat, ὑπ' αὐτὸν ἀνέχοντα τὸν ἥλιον, καλουμένη χρυσῆ, χελώνην ἔχουσα πάντων τῶν κατὰ τὴν Ἐρυθρὰν τόπων ἀρίστην, *sub ipsum orientem Solem, dicta Aurea, testudinem habens omnium in Rubro Mari locorum optimam*. Nempe loquitur de Aurea Insula, de qua supra dictum, è qua testudo veniens dicebatur χρυσονησιωτικὴ χελώνη, *è Chryse Insula advecta testudo*. Salmasius ibidem.

Aurea Vetula, ad Obium fluvium ab accolis, divinis honoribus olim affecta est: sed difficile dictu, num ea symbolum fuerit Evæ, omnium nostrûm Matris, an Telluris, quæ & ipsa antiqua omnium Mater. De ea sic Paulus Oderbornius in *Vita Johannis Basilidis M. D. Moscov. Obdorii ab Oldo amne nominantur, qui ex lacu Citaisco primus ab Oriente in Septentrionem Labitur. His Yogulici & Hugini vicini ac Moschis subjecti sunt; à quibus*

Aurea

Aureæ Anûs *idolum sanctè colitur: quod, Oraculi Delphici instar, futura quærentibus respondere solet.* Item Adam Clemeus *Angl Navigat. ad Philippum Angliæ R. & Hispaniæ Princ. Tartarorum confinia tenent Moscovitæ Idololatræ. Percelebre est illis idolum* Aurea Vetula *dictum. Si qua gravior calamitas gentem premit, velut fames, bellum, vel pestis: idolum suum statim consulunt, quod hoc faciunt modo. Coram simulachro prostrati preces fundunt, mox tympanum in medio statuunt. Hac forte lecti circumstant, argenteum bufonem tympano imponunt, dein bacillo concutiunt tympanum. At cui circumjacentium circumstat bufo, protinus interficitur. Statim, nescio quibus idoli præstigiis, vitæ restitutus malorum causas exponit. Itaque placato Idoli Numine, non ita multo post publicâ calamitate liberantur.* V. & Gaguinum Veronensem *Sarmat. Europ. cap. de Obdoriâ.*

Aurei, & *Aureoli* homines; pro præstantibus & auro contrà æstimandis. Unde bonis propugnatoribus hoc sæpius nomen appositum, tradit Trebellius in ludo gladiatorio. Sic Græcis χρύσεοι ἄνδρες: & extat Græcum *Epigramma* Calliæ, in quendam Polycritum; qui, cùm semper antea visus esset *aureus* & optimus, repente, vino malitiam & improbitatem ejus detegente, pessimus apparuit,

> Ἀν χρύσεος ὤδα Πολύκριτε, νῦν δὲ μοναδὸς
> Ἐξαπίνης ἤχθου λυκαυγαντις ἐν κακῷ.
> Ἀλλ' μοι δίκαιος χρυσὸς ἴμαθεας, οἶνος ἐλέγχει
> Τοι τρόπου σὰ ἤχθου τὸν χρυσὸς, ἀλλ' ἔφανε.

Ubi Χρύσεος, h.e. *aurum* ipsum, homo dicitur, pro *aureo*, & utrumque pro homine quantivis pretii. Salmasius *ad Pollionem in Claudio.* V. quoque infrà, in voce *Aureoli.*

Aurei Valeriani, V. infrà *Valeriani Aurei*, ut de *Antoninianis*, suprà.

Aurelia Messalina, mater ex Cejonio Postumo Clodii Albini, Jul. Capitolinus in *Vita* hujus.

Aureliani Argentei, apud Fl. Vopiscum *in Probo*, *aureos Antoninianos centum*, argenteos Aurelianos *mille, æreos Philippeos* &c. Casaubonus mavult *Aurelianeos*, sed nihil mutandum censet Salmasius; ut qui observavit, his nominibus, quæ formam primitivam habent, etiam usos esse vett. pro derivativis. Sic *Sodales Antoninos* & *Mensem Antoninum*, sic *Maximinos milites*, apud Historiæ Aug. Scriptores legimus.

Aureliani Sodales, memorantur Jul. Capitolino in *M. Antonino Philos.* ubi Marcus & Verus Impp. dicuntur ambo Antoninum Pium Patrem *laudavisse pro Rostris, Flaminemque ei ex affinibus & sodales ex amicissimis* Aurelianos *creavisse*: Servatque memoriam vetus lapis, SODALI. MARCIANO. AURELIANO. V. Casaubonum *ad Capitolinum.*

Aurelianis urbs, sicut *Puteolis colonia* &c. pro *Aurelia* urbs, V. ibi.

Viri illustres.

Aurelianus, Proconsul Ciliciæ, nepos filiæ Aureliani Imp. memoratur Fl. Vopisco in *Aureliano*, *Aurelianus filiam solam reliquit, cujus posteri etiam nunc Romæ sunt.* Aurelianus *namque fuit consul Ciliciæ, Senator optimus, sui verè juris vitæque venerabilis qui nunc in Sicilia vitam agit, ejus est nepos.*

Aurelianus, cognomento militari *Manu ad ferrum*, quòd gladii exerendi cupidus esset, V. *Aurelianus* Imp. Alius eodem tempore in exercitu Tribunus fuit, cum Valeriano Imp. à Persis captus, apud Flav. Vopiscum in *Aureliano.*

Aurelianus Festus, corr. *Festivus*, ex Vopisco: ubi & *Aurelius* Pal. codex habet. Gruterus.

Aurelianus Pescennius, inter nobiles Romanos, sine causæ dictione, jussu Severi Imp. occisos, apud Æl Spartianum *in Severo Imper.*

Aurelianus Tacitus, primæ sententiæ Senator, memoratur Fl. Vopisco in *Tacito*

Aurelii, adde: Idem nomen varii Imperatores sibi ascivere. Plerique enim novi homines, qui ad Imperium conscenderunt, nomina & prænomina nobilium Romanorum libenter & licenter assumpsere; atque inter hos non pauci *Aurelii* inprimis nomen amplexi sunt. Sic Claudius II. secundùm quosdam *Aurelius Claudius* dictus est: Sic *Aurelius* Carus, *Aurelius* Carinus, *Aurelius* Numerianus, *Aurelius* Diocletianus, *Aurelius* Maximianus. Imò in mediis illis Imperatoribus plures *Aurelios* & *Valerios* reperias appellatos, quàm alio quovis nomine: sed & utrumque aliquando nomen junctum, *Aurelii Valerii*. Salmasius *ad Vopiscum in Probo.*

Viri illustres.

Aurelius Alexander, urbe Arcenâ genitus, Varii filius, Varii nepos, consobrinus Heliogabali, hoc occiso, accepit Imperium, V. Æl. Lampridium in *Vita Alexandri Severi*, ut & in voce hac

Aurelius Apollinaris, Jamborum Scriptor, Cari Imp. gesta in literas retulit, ab hujus filio Numeriano itidem Imper. victus. Vopiscus in *Numeriano*, *Versu autem* (hic Imperator) *talis fuit, ut omnes Poëtas sui temporis vicerit. Nam & cum Olympio Nemesiano contendit* — *&* Aurelium Apollinarem, *Jamborum Scriptorem, qui patris ejus gesta in literas retulit, iisdem, quæ recitaverat, editis, veluti radio Solis obtexit.*

Aurelius Augustinus, natione Afer, Tagaste in Numidia natus, matre Monicâ, patre Patricio, Episcopus Hipponensis: *Latinorum Theologorum Coryphæus*, Illyrico; *Validissimus Hæreticorum malleus*, Bernardo; *Magnum illud Africæ decus*, Jac. Reihingio. De eodem Erasmus *in Epist. præfixa operibus Augustini*: *In Athanasio*, inquit, *suspicimus seriam ac sedulam docendi perspicuitatem; in Basilio, præter subtilitatem, exosculamur piam ac mitem suaviloquentiam: in hujus sodali Chrysostomo sponte profluentem orationis copiam amplectimur; in Cypriano Spiritum veneramur martyrio dignum; in Hilario grandi materiæ parem grandiloquentiam; atque ut ita loquar cothurnum admiramur; in Ambrosio dulces quosdam aculeos & Episcopo dignam amamus verecundiam; in Hieronymo divitem Scripturarum penum optimo jure laudamus; in Gregorio puram nulloque fuco contaminatam sanctimoniam agnoscimus* &c. *In Augustino hæc omnia, quasi voluerit opulentus ille Spiritus juxta ac benignus, in una tabula vividum quoddam Episcopi exemplar repræsentare, omnibus virtutum numeris absolutum.* Obiit Anno Christi 433. æt. 76. secundùm alios A. C. 430. in obsidione civ. Hipponæ. Ejus opera variis in locis, vicibusque sunt excusa, tom. 10. vel 11. fol. Editiones præcipuæ sunt Basiliensis Frobeniana Anno Christi 1529. Antuerpiensis Plantiniana Anno Christi 1677. & Parisiensis sub signo Magnæ navis Anno Christi 1586. & 11. tomis ibidem Anno Christi 1637. Labbæus. V. plura in voce *Augustinus.*

Aurelius Fulvius, fil. Titi *Aurelii* Fulvii bis Consulis, & ipse fuit Consul, *homo castus & integer*, pater Antonini Pii Imp. ex Arria Fadilla, Jul. Capitolinus in *Antonino Pio.* Regius codex semper habet *Fulvus*, quod Consularibus Fastis firmatur. Casaubonus *ad Capitolinum.*

Aurelius Fuscus, Consularis primæ sententiæ, apud Pollionem in *Trig. Tyr.* Lege *Arellius* & V. ibi.

Aurelius Gordianus, Consul Rom. apud Flav. Vopiscum in *Aureliano.*

Aurelius Probus, baphiorum præpositus, inventor generis purpuræ longè clarissimi, quæ ab eo nomen accepit. Æl. Lampridius in *Alexandro Sev. Purpuræ clarissimæ* —— *ad vendendum gravissimus exactor fuit: ita ut Alexandrina purpura hodieque dicatur, quæ vulgò Probiana dicitur, idcirco quòd* Aurelius Probus *baphiis præpositus id genus muricis reperisset* Sensus est, Clarissimæ purpuræ genus. *Probianum* vulgò suâ ætate appellatum, ab inventore quodam Probo, *Alexandrinum* etiam fuisse dictum de nomine Alexandri, quippe quo nomine clara omnis purpura in genere dicebatur, adeoque & species hæc muricis, vulgò *Probiani* dicti. Salmasius *ad Lampridium.*

L. *Aurelius* Cejonius Commodus Verus Antoninus, ab Adriano Imp. adoptatus, ante ipsum tamen mortem obiit, dictus etiam *Ælius Verus*, V. in hujus *Vita* Æl. Spartianum.

M. *Aurelius* Antoninus, V. *Antoninus Philosophus.*

M. *Aurelius* Antoninus Bassianus, filius major natu Severi Imp. Patre contra Albinum eunte, *Cæsar*, apposito Aurelii Antonini nomine, appellatus, post obitum Patris ad Imperium pervenit, *Antonini Caracallæ* nomine insignis. V. ibi.

M. *Aurelius* Claudius, in *Inscr.* quæ Benaci extat, ab Onuphrio observatâ, dictus est, qui in nummis passim *Fl. Claudius* nominatur, eodem teste, Imperator hujus nominis secundus, cujus vitam Treb. Pollio literis consignavit. V. in voce *Claudius II.*

T. *Aurelius* Fulvius, per honores diversos ad secundum Consulatum & præfecturam Urbis pervenit: avus, per Aurelium Fulvium fil. de quo suprà, *Titi Aurelii Fulvii Bojonii Antonini Pii* Imp. cujus sub nomine *Antonini Pii* vitam scripsit Jul. Capitolinus, *Fulvum* alios habere, diximus suprà.

Aurem perforandi ritus, in perpetuæ servitutis signum, occurrit Exodi *cap. 21. vers. 5. & 6. Quòd si dixerit servus, Diligo dominum meum, & uxorem ac liberos, non egrediar liber: Offeret eum dominus Diis, & applicabitur ad ostium & postes, perforabitque* autem *ejus subulâ, & erit ei servus in seculum.* Hæc nempe forma erat apud Israelitas mancipationis continuatæ, postquam servus publicè protestatus esset, se certo consilio sibi libertatem suam abjudicare; quòd herus adductum eum ad postem & januam, eidem januæ vel posti eum applicaret, & subulâ aurem perforaret Qualis autem janua hic intelligenda sit, an porta publica civitatis, quòd ibi exercerentur judicia: an janua domus domini, sub cujus potestate manebat servus, non adeò omnibus liquet Tremellius & Junius de posteriore verba hæc capiunt: ut & Vulgata, Deuteron. *cap. 15. vers. 17.* ubi *Perforabis*, inquit, *aurem ejus in janua domus tuæ*; quæ vera interpretatio est. Per hanc enim applicationem servi ad ostium vel postem domus heri, significabatur eum domui heri sui quasi fixo mancipari, ut nunquam domo exire posset, sine heri veniâ. *Auris* vero perforabatur in hujus rei symbolum: cùm enim *Auris* obedientiæ sit hieroglyphicum & servitutis, meliùs perpetua servitus significari non potuit. Hinc est, quòd in Onirocriticis, somniare plures aures, aut asininas aures habere, servitutem diuturnam portendere dicitur. Admonebatur igitur hoc ritu servus perpetuæ obedientiæ, quâ heri sui mandata, etsi aliquando dura & gravia, & velut aures terebrantia, excipere & exequi deberet. Ad quem morem, David Christi typum gerens, videtur allusisse, Ps 40. *vers. 7.* אזנים כריתלי *Aznajim Karitali* h.e. *aures perfodisti mihi.* Quasi diceret, habebis me perpetuò addictum tibi servum, atq; obsequentem, ut illi heris suis addicuntur, quibus auris perforatur &c. V. Andr. Rivetum *Com. in Exodum dicto l.* Alia perforatio

foratio *Aurium* à luxu est: in utroque sexu. De masculo, V. suprà, ubi de *Achillis statua*. De fœmineo sic Plinius *lib.* 11. *cap.* 37. *Non in alia parte feminis majus impendium, margaritis dependentibus*: & *lib.* 9. *cap.* 35. *Et procerioribus* (margaritis) *sua gratia est, elenchos appellant fastigatâ longitudine, alabastrorum figurâ in pleniorem orbem desinentes. Hos digitis suspendere ac binos & ternos* auribus, *feminarum gloria est.* V. infrà ubi de *Inauribus*. Atque hinc *Aurium fenestræ* memorantur Juvenali *Sat.* 1.

Natus ad Euphratem, molles quod in aure fenestræ
Arguerint.

Hic enim Dalechampius, ritum in Oriente viris usitatum, aurum in auribus gestandi, indigitari ait, *Annotat. ad Plinium* v. Qua de re V. infrà, ubi de *Fenestratis Auribus*.

per *Aurem* testes attrahendi ritus, occurrit *L.* Bajuarior. *tit.* 15. *cap.* 2. *Ille testis per* aurem *debet esse tractus, quia sic habet. Lex vestra.* Item *tit* 16. *cap.* 2. & 6. In *Charta*, exarata ann. 35. Caroli M. in *Metropoli Salisburg. Tom. III. pag.* 321. *Coram residentibus & adstantibus multis & testes usu Bajoariorum* per aures *ex utrinsque partibus tracti.* &c. Sic *aures torquendi & alapas dandi mos*, in *L.* Ripuariorum memoratur *tit.* 60. §. 1. *Ad locum traditionis cum eodem numero pueris accedas — & sic eis præsentibus pretium tradas, & possessionem accipias, & unicuiq; de parvulis alapas donet & torqueat auriculas, ut ei postea testimonium prabeant.* V. quoque *LL.* Alemann. *tit.* 94. E quibus discimus, olim testibus vellicatas & tractas aures & alapas inflictas, quò testimonii à se editi vel edendi memoriam servarent: quod apud priscos Romanos in usu fuisse legimus: Qui enim in jus vocabat, ei, cui litem intendebat, denuntiabat, ut ad Prætorem veniret: qui si parebat, Prætor adibatur, sin minùs, qui vocabat, testem adducebat, ejusque *auriculam* vellebat, atque ita adversario injiciebat manum. Alioqui nisi antestatus esset, manum injicere & ad Prætorem Judicemque eum rapere non licebat, eratque injuriarum actio adversùs eum, qui secus fecerat, comparata. Plautus *in Persa*,

Nonne antestaris?
Tuan' ego caussâ, carnufex cuiquam
Mortali libero aures atteram?

Virgilius *Eclogâ* 6.

—— —— Cynthius aurem
Vellit & admonuit, &c.

V. quoque Horatium *lib.* 1. *Sat.* 9. Meminit ejusdem ritus Clemens quoq; Alex. 5. *Strom.* facitq; eo Lapillus antiquus Guidonis Laurini, cui insculpta erat manus atterens auriculam, cum hac inscr. ΜΝΗΜΟΝΕΥΕ i. *Memor esto*, uti refert Rævardus *ad LL. XII. Tabb. cap.* 5 apud Car du Fresne *Glossar.* Plura V. suprà passim, inprimis ubi de *Antestandi ritu*, ut & infrà, in voce *Auris*.

Aureola, in Ecclesia Romana, dicuntur præmia alterius vitæ, quæ, præ reliquis beatis, iis collatum iri, qui *opera*, ut vocant, *supererogationis*, præstiterint, ajunt. De his Josephus Angles *in* 4. *sent. dist.* 49 *artic.* 6. *conclus. ult.* *Quòd in corporibus Virginum*, inquit, *Martyrum atque Doctorum, erunt insignia quædam, quibus hujusmodi* Aureolas *in Anima habere præ se ferent: quodque Virgines in capite aliquam coronulam albam, Martyres rubeam, & Doctores viridem gestabunt.* Qua de re cùm aliter sentiret Claudius Sequenotus, dicens, *Aureolam illam esse novorum Scholasticorum inventum, de quo Patres nusquam sunt locuti, nec etiam primi Scholæ Doctores; cujus in Scriptura fundamentum nullum reperitur*, à Sorbona atro notatus est calculo, uti refert Rivetus *Summ. Controv. Tract.* 2. *quæst.* 58. Rem decidit Augustinus *in Psalm.* 102. *Ergo coronat te*, ait, *qui dona sua coronat, non merita tua. Plus omnibus illis laboravi, ait Apostolus, sed vide quid adjunxit, non ego, sed gratia Dei mecum. Et post labores omnes expectas ipsam coronam, & dicis, Bonum agonem certavi, fidem servavi, cursum consummavi. De cætero reposita est mihi corona justitiæ, quam mihi reddet Dominus in illa die justus Judex. Quare? quia agonem certavi. Quare? quia cursum consummavi. Quare? quia fidem servavi. Unde certasti? unde fidem servasti? non autem ego, sed gratia Dei mecum. Ergo quòd coronaris, illius misericordiâ coronaris.* V. quoque cum *Tom. VII. de gratia & libero arbitr. ad Valentinianum cap.* 6.

Aureoli Homines, apud Vett. pro præstantibus, quemadmodum Græcis χρύσεοι i. *Aurei*. Imprimis verò id nominis virtutis ergò bonis pugnatoribus seu propugnatoribus, in ludo gladiatorio, tributum; Unde *Cecrops Aureolus, Vejento Aureolus*, cognominati, ut indigitaretur, bonos illos pugnatores, & in Arte gladiatoria primos esse. Treb. Pollio in *Claudio*, *Gallus Antipater — principium de Aureolo sic habuit, venimus ad Imperatorem nominis sui. Magna videlicet ejus virtus, ab auro nomen accipere. At ego scio, sæpius inter gladiatores bonis pugnatoribus* (Pal. habet *Propugnatoribus*) *hoc nomen appositum*. V. Salmasium *ad l.* & suprà in *Aurei*.

Aureoli Pisces, Sinensium deliciæ. Iis celebris lacus est 200. jugerum in monte *Cienking*, prope *Changhoa*, in *Chekiang* prov. sub urbe *Hangcheu* seu *Quinsai*. Fulvi sunt coloris & per certa intervalla aureis quodammodo lineis intersecta micat cutis, totumq; dorsum aureo veluti pulvere inspersum est. Magnitudo eorum digitum non excedit & tamen trifurcata, bifurcata, subinde etiam simplici & latiori cauda armati sunt; unde aspectu jucundissimi, magnoq; apud Sinenses in pretio; quos proin studiosè domi aut in viridariis alunt, pulcherimis ad id adornatis vasis. Certè iis subinde Magnates ipsi manu sua cibum porrigere solent, tum quasi nossent, cui domino serviant, quantamq; suo aspectu voluptatem illi concilient, sæpè cùm adest colludunt. Cùm itaq; omnibus ex partibus, quas Sinenses expetunt, perfecti sint, ad duos tresq; aureos unius quandoq; pretium ascendit. Auctor Anonymus *Sina & Europa cap.* 42.

Aureus, monetæ Romanæ nomen. Postquam enim argento jam quoque sordescebant digiti, *deciduâ*, ut Plinius ait, *materiâ* & in nummis mundities auri placuit, percussus est nummus *Aureus*, anno, ut idem adnotat 12. post argenteum, & simpliciter *Aureus* appellatus est, quippe, cur nominibus hi nummi separarentur, causâ nullâ existente, cùm omnes unius generis ac indicaturæ essent; & semisses ac tremisses aurei demum ab Alexandro Sev. introducti sint, quo tempore *Solidus* dictus. Primus semper 25. denariorum fuit nummorum sestertiorum centum. Unde quæ *dena sestertia* effert Tacitus; ea dicuntur Ulpiano *centeni Aurei*, maximum patrocinii forensis è legibus honorarium; *Licita autem quantitas intelligitur pro singulis causis usque ad centum aureos, l.* 1. *ff.* 12. *de extraord. cognit.* Hoc pretium ejus: pondus quod attinet, *Aureus* Romanus, ex constituto pondere duorum denariorum & victoriati non multo minor, semper autem gravior statere Attico fuit, quidquid avaritia & malæ artes vel his vel illis detererent adeoque didrachmus malè à quibusdam asseritur. Seu, septem scriptulorum & quintæ scriptuli erat, ac 40. feriebantur è libra: Septies enim quadraginta sunt 280. quadraginta quintæ partes, scriptuli faciunt octo scriptula integra: ita fiunt 288. scriptula libræ. Pretium tamen *Aurei*, ut dictum, erat 25. denariorum, quasi septem scriptulis & simplo vel dimidiato scriptulo constaret, ut imputarentur in libram nummariam trecenta scriptula: quæ respondent 3000. scriptulorum argenti, h.e. mille denariis, 4000. sestertium nummum. Raris utique sub Imperatoribus inerat accessio illa super septimum scriptulum: ut solent officinæ nimium lucrum non contemnendum putare. Itaque, canescente Imperio, pondus illud paulatim recisius, vix ut staterem didrachmum veterem Atticum æquaret, quum tamen 25. denariorum ei pretium maneret, molliorem occasionem dedit Constantino, ut pleraque alia, sic & nummos & proportionem inter aurum, argentum, æs, consuetudine jam latenter mutatam, decreto mutandi. Solidum itaque pro *Aureo* fecit, quaternorum scriptulorum seu 24. siliquarum; quales 72. libræ, sex unciæ auri attribuebantur; pretio nummi prioris ex proportione, quæ olim inter aurum & argentum fuerat, quasi tredecim denariorum & duorum obolorum. Sed hos denarios etiam abolevit. Idem & pro illis *Milliarenses* introduxit, graviores denario, 28. siliquarum & 4. quintarum siliquæ; quum denarius 18. tantum siliquarum fuisset, &c. Sic aurum ex proportione ad argentum decupla, quæ sub Consulibus & prioribus Principibus obtinuerat, crevit eò, ut una pars auri quatuordecim & ampliùs commutaretur paribus partibus argenti; Libra argenti, continens Milliarenses 60. æstimaretur, quinis solidis; & ita 14. argenti libræ responderent 70. solidis: h.e. minus duobus solidis, quàm libræ quum priùs 10. argenti libræ unam auri & quatuor *Aurei* tanto graviores libram argenti æquassent, &c. V. de his prolixè disputantem Joh. Fred. Gronovium *de Pecun. Vet. cap. inprimis* 13. Eandem monetam *Aureolum* quoq; appellatam fuisse, docet Eryc. Puteanus *Pecun. r. rat. cap* 4. quam diminutionem Martialis amavit non uno in loco: unus hic suffecerit, *lib.* 11. *Epigramm.* 28.

—— Centum Aureolos *sic velut æra roget*, &c.

Idem Gronovius alibi sic: *Aureus Romanus, quinque & viginti denariorum pretio, uniformis semper fuit, & proin, quia non nisi una ejus species fuit, non nisi* Aureus *vocatus est: Cùm contrà Argentei trium essent generum, denarii, victoriati & sestertii. Aliud autem fuit* Aureus Denarius, *qui non Romanæ, sed peregrinæ monetæ fuit species, velut ἡμίχρυσα Attici, seu dimidiati stateres Græcorum. Fuit autem Aureus Rom. statere Attico, qui sicut & Crœsius ac Philippeus & Daricus, didrachmus erat, major ac gravior; nostro duplo & quasi dimidiato major.*

Aureus Byzantius seu *Byzantinus*, nomen aureæ in Imperio Græco vigentis monetæ, apud Tudebodum, Lambertum Ardensem aliosque Scriptores. A' Græcis postea transiit ad Saracenos & Turcas nomen, sic tamen, ut ad Græcanicorum nummorum discrimen, *Sacracenatos Byzantios* plerique mediæ ætatis Scriptorum hanc monetam vocent. Sed & Maurorum quoque Hispaniæ Principum *Byzantii* reperiuntur, ut videre est infrà, ubi de *Byzantiis*.

Auri Adamas, Ἀδάμας Græcis, dictum est, quod cum reliquo auroso lapide (quâ voce indigitatur lapis auri venâ micans, Græcis λίθος χρυσίτης) in farinam moli non potest, nec pilis ferreis comminui, ut apud Pollucem videre est. Aliàs *Flos auri*, quòd optimum aurum ex eo fieret & purissimum. Hesychius, Ἀδάμας, τὸ ἐκλαμπρὸν χρυσίον. Item *Auri nodus*, Plin. *Adamas diu non nisi Regibus & iis admodum paucis cognitus, ita appellatus auri nodus in metallis repertus.* Nodosa viz. illa auri durities, in marmore auroso, quæ purum putum aurum exhibet. Nempe grana illa auri pura, quæ in metallico lapide inveniebantur, Græcis ἀδάμαντος nomine veniebant, item κέγχροι, ut videbimus infrà in voce *Cenchrum*. Cujusmodi grana in Æthiopicis metallis non ampliora cucume-

ris semine reperiri solita, tradit Aristoteles, an Theophrastus, *lib. περὶ μετάλλων.* Agatharchides in Arabia, apud Alilæos, effossum scribit, minima magnitudine nuclei, mediâ mespili, maximâ juglandis nucis, quod nulla purgatione & coctione indigeret, Græcis hinc ἄπυρον & ἄπεφθον vocatum. Strabo in Hispania massas auri puri refert inveniri selibres, sed in ramentis. Idem *ibidem* dissectis lapidibus, inventas glebulas θηλαῖς ὁμοίας, *instar papillarum*, addit. In eadem, Plinius in puteis massas inveniri prodit denas excedentes libras, *palacas.* an *palacranas* (quo nomine *massas* Græci dicunt) indigenis dictas. De Auri puri massis, quæ in Novo Orbe visebantur, quum illuc pedem primò Hispani intulerant, videndi Auctores, mira de earum magnitudine narrantes &c. Uti autem in auro Ἀδάμας puri auri granum dicebatur, quia cum reliquo lapide metallico in farinam moli non posset: ita in argenteis fodinis κέγχρος, vel κέγχρος, i. *milium*, vocabantur parva grana meri argenti, quæ in vena scintillabant. Qua de re V. multis disserentem Salmasium *ad Solinum pag.* 1075. *& seqq.*

Auri elimandi ars Hebræis jam ab antiquo innotuit, ut quâ Mosen jam, in elimando vitulo aureo atque in tenuissimam scobem redigendo, usum fuisse volunt, Syrus Interpres, Chaldæi item & Arabes. Certè Josephus Salomonis equites narrat ψῆγμα χρυσοῦ, id est, *scobem auream*, quotidie capillis suis sic inspersisse ut Solis repercussu illuminati splenderent, *Antiqq. lib.* 8. *cap.* 2. Quomodo Trebellius Gallienum *crinibus suis auri scobem aspersisse*. & Spartianus *Commodum capillo semper fucato & illuminato fuisse*, tradit. Neque enim illa *auri* ramenta ex Tagi aut Pactoli arenis, sed ex auri massis desumpta, quas limâ eradebant, ut scobem decidentem capiti inspergerent. Sic itaque & Mosem verisimile est, vitulum paulatim attrivisse, atque in scobem contudisse: unde & *molnisse* dicitur, quia auri ramenta tam minuta fuere, quàm quæ in pistrino fuere commolita. Idem scobem hanc ideo in aquas conjecisse, & eas aquas populo bibendas obtulisse, plerisque Hebræis dicitur, ut idololatriæ reos cognosceret. Hinc Jonathan in *Paraphr. Et potavit filius Israëlis*, inquit, *& quisquis ibi dederat vas aliquod aureum* (ad vituli confectionem) *in ejus ore signum apparebat.* Et in *Tanchuma fol.* 47. *b* & in *Notis* Rabbi Salomonis, hæ aquæ conferuntur cum aquis adulteræ, tanquam eadem vi pollentes, &c. Ad quorum sententiam valde accedit, quod aliquot retro seculis multi docuerunt, omnes idololatriæ reos, postquam aquas hausissent aureâ scobe aspersas, barbâ aureâ fuisse insignes. V. Petrum Comestorem *Histor. Exodi cap* 73. Nauclerum *Chron. Gener.* 27. Bibliorum Translat. Gall. vet. inchoatam A.C. 1289. *in Notis ad d. l.* ut alios omittam. Unde Petrus de Riga in *Aurora sua*,

Hebræi tradunt Mosen fecisse, quod audis,
Ut sciret solos hac ratione reos
Nam rutilans auro monstrabat barba nocentes,
Dum patulo latices fluminis ore bibunt.

Sed Mosen & Levitas, habuisse notam aliquam Ἀμαχάσκαλῳ, quâ vituli cultores à reliquis dignoscerent, ne pro his illi cæderentur, nullo fundamento nititur: *Uni versus enim populus reus* fuit, ut disertè habetur Exodi *cap.* 32. *vers.* 3. &c. Plura hanc in rem V. apud Sam. Bochartum *Hierozoici lib. II. cap.* 34. & infrà in *Aurea Barba.*

Auri Flos, nonnullis electrum dicitur, aurum viz. argento mixtum. Hesychius & Suidas, Ἀνθέμιον, ἤλεκτρον χρυσίον. Unde Plinius *argentum auri scoriam* appellat: alii *spumam*. Hinc *ramenta in aurum spumantia*, apud Manilium, de *Auricoctore* seu χρυσοψεκτῇ,

Parvaque ramentis faciet momenta minutis,
Pro tali ut regerat censu spumantia in aurum.

Et quia aurum mollioris naturæ ad fusuram ac de facili liquatur, contrà argentum difficilius & magis ignibus invictum: ac proin in auro fundendo & excoquendo extra ejicitur materia durior, multo argento mixta; inde *Florem* hunc *auri* seu spumam ἀδάμαντα dictum quoque, nonnulli volunt. Quemadmodum in ferro aciem induratam ἀδάμαντα etiam vocavere Veteres. Sed verius *Auri Adamantem* seu *Nodum* vocatum esse auri τὸ κέντρον, id est, partem ejus duriorem, velut nodum, seu micas auri purissimi, quæ cum reliquo auroso lapide in farinam moli non potest, nec pilis ferreis comminui, ut diximus suprà, ubi de *Auri Adamante.* Ex hoc electro autem, seu auri purgamento, clavi olim fiebant, in pedibus lectorum, qui & ipsi ἤλεκτρα dicebantur. Aristophanes *in Equitibus*,

Ἐκκεκλεῖσθαι τὸν ἤλεκτρον, καὶ τὸ νῦν δι' ἐπ' ἐκεῖνος.

Aliud verò est electrum, quod idem cum succino, de quo infrà: Plura verò de *Auri Flore* V. apud Salmasium *ad Solinum pag.* 1081.

Auri Massa, vel *Auri Illatio* vel *Aurea Massa*, quod à tributariis pensitabatur, vel à vectigalium publicorum susceptoribus in *massam* conflatum ad sacras largitiones transmittebatur, ut est in *l.* 13. *Cod. Th. de Suscepter.* quâ Valentinianus Aug. sanxit, ut tributariis facultas esset, vel solidos solvere, vel materiam auri, quam exolvere tenerentur susceptoribus, in massam redigere: utque iidem susceptores solidos ipsos si recepissent, in massam pariter redactos, ad sacras largitiones transmitterent, sub quarum Comite militavit *Primicerius aureæ massæ*, ut est in *Not.* Imperii, apud Car. du Fresne *Glossar.* V. quoque suprà *Auri Adamas.*

Auri Nodus. Plinio dicitur meri auri massula, in metallis reperta, quæ etiam *Auri Adamas*, uti vidimus suprà.

Auri Scobs, non crinibus solùm olim, potuique inspersa, ut paulo antè diximus, sed & *scobe auri porticum stravit ac argenti* Heliogabalus, *dolens quòd non posset & electri: idque frequenter, quacunque fecit iter pedibus, usque ad equum vel carpentum, ut fit hodie de aurosa harena*, Ælius Lampridius in *Vita* Heliogabali. V. quoque infrà in voce *Aurosa arena.*

Auri Vena, in metallis, unde aurum effodiebatur, dictum est id, quod in glarea ac reliquo lapide, marmoris instar, nitebat; μαρμαρίζουσα πέτρα, & πέτρα ἀποστίλβουσα, & μάρμαρος, Diodoro post Agatharchidem. De qua Plinius, ubi de Hispaniæ aurifodinis, *Quod puteis foditur, Canalicium vocant, alii Canaliense. marmor id glareæ inhærens, non illo modo, quo in Oriente Sapphiro atque Thebaico aliisque gemmis scintillat, sed micans amplexu marmoris.* Nempe in sapphiro & Thebaico lapide & multis aliis gemmis auri guttæ scintillant. Non eo modo in glarea aurosa, vel lapide auri venis divite, aurum micat, sed in modum marmoris nitidi fulget. Cujusmodi lapis sive marmor cædebatur; cæmenta in mortariis lapideis pilo ferreo pinsebantur, donec in frusta comminuerentur, magnitudinem ervi æquantia. Ea dein frusta in molam mittebantur, ibique molebantur, adeò ut farina videretur. Postmodum aurum secernebatur, lavabatur, coquebatur, ut videre est apud Agatharchidem, Diodorum Sic. *lib.* 3. Plinium *lib.* 33. *cap* 4. Alios. Quia verò in hujusmodi lapide auroso, quem sic dicere liceat, uti *Aurosam arenam*, Spartianus vocat, sæpe κέντρα occurrebant, vel micæ auri purissimi, quæ comminui frangique non poterant, eæ seligebantur, nec cum reliquo pulvere coquebantur, uti diximus supra, in voce *Auri Adamas.* Plura V. apud Salmasium *ad Solinum pag.* 1075.

Auricalbeo, V. suprà in *Anclabeo.*

Aurichalcum, ex *auro* & *ære*, quod Græcis χαλκὸς est, multis conflata vox videtur Festo Servio in *Æn. lib.* 12. Isidoro *Origin. lib.* 16. *cap.* 19., Ambrosio in *Apocal. cap.* 1. Primasio *in eandem*, Hesychio, aliis. Sed verum metalli hujus nomen ὀρείχαλκος est Gr. unde Latinis *Orichalcum*, Horatio *de Arte*, Virgilio *l. c.* & Statio *Thebaidos lib.* 10. *Orichalcum*, id est, montanum æs: quod illi nomen Vett. ideo videntur indidisse, quia vetus erat fabula, è sylvosis montibus incendio correptis præstantissima metalla defluxisse, ut de Galliæ montibus, Athenæus *lib.* 6. de Hispaniæ saltibus Aristoteles in *Mirabil.* de Pyrenæis *Diodorus lib.* 5. &c. tradunt. Ut autem error errorem trahit, qui ab *aureo* colore dictum putarunt, hoc nomine designarunt vulgare illud æs, quod cum naturâ sit rubrum, admixtâ cadmia, flavescit: proindeque aurichalcum auro opposuerunt passim, tanquam multo vilius, Servius, Cic. *Offic. lib.* 3. Suetonius in *Vitellio cap.* 6. *Digesta tit. de contrah empt. L. Labeo* 45. &c. Unde Apollinaris *Ps.* 31.

Γαμφηλὰς ξυνάγοιο ὀρειχάλκοισι χαλινοῖς,
Maxillas constringe frenis ex orichalco.

id est, æreis. Quin hodieque Gallis æs vulgare *archal* dicitur, *L. aurichalcum.* At apud Vett. *Orichalcum* aliud fuisse, ære longè pretiosius, nec multum infra auri pretium, res ipsa clamat. Nam in *Critia* Platonis, Atlantidem Ins. inter cætera metalla, produxisse legimus, τὸ νῦν ὀνομαζόμενον μόνον, τότε δὲ πλέον ὀνόματος — ὀρείχαλκον — πολλοῦ χρυσοῦ τιμιώτερον, *nunc solo nomine notum, olim verò longè celebrius — orichalcum — omnium excepto auro pretiosissimum.* Inde apud vett. Poëtas, inter præcipua ornamenta, cum auro *aurichalcum* sæpe nominatur. Apud Homerum *Hymno* 5. Horæ Veneri ponunt;

——— ——— ἐν τρητοῖσι λοβοῖσιν
Ἄνθεμ' ὀρειχάλκου χρυσοῖό τε τιμήεντος.
in auriculis perforatis
Donum (i inaures) *ex orichalco & auro pretioso.*

In Hesiodi *Scuto* Hercules cum aureo thorace induit

——— Κνημῖδας ὀρειχάλκοιο φαεινοῦ,
Ocreas orichalci lucentis.

Quem imitatus, apud Virgilium Turnus,

——— *Auro squallentem alboque orichalco*
Circumdat loricam humeris.

Sic in Plauto non semel, *aurichalco contrà*, id ferè est, quod aliis *auro contrà*. V. ejus *Curcul. Act.* 1. *Sc.* 3. *Militem Act.* 3. *Sc.* 1. *Pseudolum Act.* 2. *Sc.* 3. Unde de Chrysolitis agens Plinius *lib.* 37. *cap.* 9. *Fundâ*, inquit, *includuntur perspicuæ; cæteris subjicitur* aurichalcum, *quondam etiam & per se gemmarum in usu.* Quasi velit, *aurichalcum* olim & per se in usu gemmarum fuisse apud Vett. vel eo, auri vice, usos illos ad gemmas includendas. Cæterùm tam rarum inventu nativum *aurichalcum* est, ut Plato illud describat *l. cit.* tanquam ὀνομαζόμενον μόνον, *solo nomine notum*: Imò, an verè extet, aut verò unquam extiterit, jam inde ab Aristotele controversa res fuit inter Scriptores, uti videre est apud Scholiasten Apollonii *lib.* 4. *versu* 973. Aristotelem *in Myster.* Hesychium, Plinium, Tzetzen in *Hesiod.* Etymologum, Phavorinum, Pollucem, Alios. Tamen æs Demonesium, pro *orichalco* videtur esse habitum, ex Aristot. in *Mirabil.* ubi ex hoc ære factas statuas, in urbe Pheneo, quibus inscr. *Hercules Amphitryonis fil. Elide capta dedicavit*, ὀρείχαλκον

dictas esse refert. Idem de ære Mossyneco suspicatus est Bochartus, quod Philosophus vocat [illegible Greek], *maxime splendens & album*, quæ sunt orichalci notæ characteristicæ. Græci namque tam nativum, quàm factitium orichalcum, *album* describunt: & fortasse Hebræis inde dictum est לבנה נחשת. *nechoscheth lebena* i. *æs album*; atque ex eo facta fuerit Græcè vox χαλκολίβανος, in Apocal. *cap.* 1. *vers.* 15. Sed de hac vide infrà in voce *Chalcolibanus*. Deferebatur autem æs hoc album Tyrum, ex *Tubal & Mesech*, Ezech. *cap.* 27. *versu* 13. De *aurichalco* factitio, habes apud Etymologum, [illegible Greek], *Chymica est fusio æris albi, quod nunc reperitur: Illud enim præparatione quadam fit album, cùm naturâ rubrum sit.* Cujusmodi præparatione fiebat orichalcum, in Phrygiæ urbe Andiris, ut his verbis testatur Stephanus, post Strabonem *libro* 13. [illegible Greek], *Andira urbs, in qua est lapis, qui exustus fit ferrum: Dein cum terra quadam in camino excoctus pseudargyrum exsudat, atque æri mistus postmodum fit orichalcum.* Sam. Bochartus *Hierozoici Part. poster. lib. VI. cap. ult.* V. quoque infrà in voce *Crama*.

Auricoctores, apud Manilium, *versibus* quos Scaliger pro desperatis relictos ita correxit Salmasius,

> *Ille etiam fulvas avidus numerabit arenas,*
> *Perfunderque novo stellantia littora ponto.*
> *Parvaque ramentis faciet momenta minutis,*
> *Pro tali ut regerat censu spumantia in aurum.*
> *Et perlucentes cupiens prensare lapillos*
> *Verticibus mediis oculos immittet avaros.*

Sunt, χρυσοψεταί Græcis, & simpliciter Ἑψηταί Agatharchidi, qui ramenta auri purgata, lota & in farinam tusa vel molita ad pondus accipiebant & cocta reddebant pari ferme pondere, aut modico saltem intertrimento. Diodorus Sic. ubi suprà, *lib.* 3. [illegible Greek], *Tandem alii opifices accipientes appensa* (ramenta) *in cassinos fictiles injiciebant*, ut viz. in fornace excoquerentur. Atque hoc est quod ait Manilius *versu* 3. (nam duo priores ad aurilegulos spectant) *parva momenta*, id est, parvas lances, *faciet*, ponderandis minutis momentis, ut pro tali censu reddat, ac *regerat spumantia in aurum*, id est, excocta in purum putum aurum. Aurum enim, non minùs ac æs & argentum, dum excoquitur, spumam ejicit, quod ipsius purgamentum est. Inde & ὄβρυζον aurum Græcis, *quod sæpius despumavit & excoctum est*; ab ὀβρύζειν, quod idem ac βρύζειν & βρύειν, seu βλύζειν: unde *obrussam* dixere Latini *experimentum auri, quod igne sumitur*, Plin. *lib.* 33. *cap.* 3. &c. V. Salmasium *ad Solinum pag.* 1080.

Auriculæ Ornatrix, in famulitio Matronarum fuit. Immundi enim muliebris, ut loquitur Pignorius, pars una coma fuit, pars altera cutis, facies, & hujusmodi reliqua, fœminis procurata ad insaniam usque. Unde, uti *cutem medicaminibus ungebant, genas rubore maculabant, oculos fuligine collinebant*, Tertullian. *de cultu fæm.* sic *auricularum* peculiarem gerebant curam: in quam Cyprianus invehitur *de discip. & habitu Virg.* *An vulnera inferri auribus Deus voluit, quibus innocens adhuc infantia & mali secularis ignara crucietur, ut postea de aurium cicatricibus & cavernis pretiosa grana dependeant, gravia, etsi non suo pondere, mercium quantitate?* Meminit hujus ministerii vetus *Inscr.* Romæ: apud Pignor. *Comm. de Servis.*

JULIÆ ✠ LIVIÆ ✠ AUGU

AURICLAE

ORNATRIX.

Auricularis, apud Ugutionem, Guil. Tyrum *lib.* 19. *cap.* 18. Ekkehardum Jun. *de Casibus S. Galli cap.* 3. Henr. de Knygton *Histor. lib.* 5. Petrum Diac. *Chron. Casin. lib.* 4. *cap.* 68. Willh. Neubrigensem *lib.* 5. *cap.* 2-. Arnoldum Lubecensem *lib.* 3. *cap.* 8. Alios, secretorum est conscius, Consiliarius, Gall. *Qui à l'oreille du Prince.* Idem *Auricularius*, Britoni, Lamberto Schafnaburg. *ad A.C.* 1076. Lamberto Ardensi, Orderico Vitali *lib.* 10. &c. Interdum verò Secretarium seu Amanuensem vox *Auricularii* notat, *Vita S.* Audoëni Episc. Rotomag. *cap.* 5. *Sanctus Audoënus, cognomento Dado*, Auricularii *locum & munus in aula Regis obtinuit; itemque ad obsignanda scripta vel edicta Regia, quæ ab ipso conscribebantur, sigillum vel annulum Regis confirmabat.* Ita Angilbertum Abbatem Centulensem, Caroli M. Secretarium, ab Alcuino joculari nomine *Homerum* dictum, idem Alcuinus quoque vocat *Epist.* 81. & *Carm.* 116. & 177. quem *Epist.* 89. appellat *Manualem*, i. Amanuensem, apud du Fresne *Gloss.* De *Auriculari* verò *Confessione*, quæ in Ecclesia Romana obtinet, V. infrà in voce *Confessio*.

Auriflamba, adde: Idem *Auriflamma, Oliflamma, Oriflamma*, Carolo du Fresne vexillum fuit proprium Monasterii S. Dionysii, quod Monachi in bellis, quæ pro bonorum aut privilegiorum tuitione suscipere cogebantur, suo deferendum Advocato porrigebant, qui illud ex Abbatis manibus, certis precibus ad id ab eo recitatis, ex Dionysii monumento, cui appensum erat, acceptum, in prælis tanquam Ecclesiæ ac Monasterii Signifer, præferebat [illegible]tus. Id enim muneris præsertim Advocatos Ecclesiarum spectasse, quarum proin *Defensores* ac *Signiferi* dicebantur, vidimus suprà ubi de *Advocatis*. Hoc proin nomine Vilcassini seu Pontesiæ Comites, qui Sandionysiani Monasterii protectores & Advocati erant, fortè quod plurima ex illius bonis intra eorum ditionem sita essent, *Auriflammam*, illius Monasterii peculiare ac præcipuum vexillum, in expeditionibus bellicis, quas susceperé pro ejus tutatione, detulerunt. Unde fortassis manavit, ut *Auriflamma* crebro & fere semper *vexillum S. Dionysii* vocitetur à Scriptoribus, non solùm viz. quòd in Æde S. Dionysii asservaretur, sed quòd peculiare esset Monasterii in militaribus expeditionibus signum. Nec proin verisimile præfato Auctori videtur, Galliæ Reges *Auriflammam* prætulisse in bellis suis, ante Ludovicum VI. à quo Villcassinensis Comitatus comparatus est, &c. Hujus verò vexilli imitatione *Auriflammam* quoque interdum dictum esse præcipuum aciei vexillum, discimus ex Albertino Mussato *de Henrici VIII. gestis*, *cap.* 2. *Nec minùs extensis Aquilas aureamque flammam explicans, in Florentiæ fines prorupit.* Vocis etymon quod attinet, ex Britonis versibus non obscurè colligitur. Cùm enim labari seu gonfanonis formam præferret (cujusmodi Ædes sacræ non paucis in locis habere etiamnum solent, atque iis uti in publicis processibus) ejus materiam fuisse ajunt ex rubeo serico ignei & coruscantis coloris, atque ab igne auri & fulgore sandaracæ, cui flammeus color tribuitur, à Plinio *lib.* 35. *cap.* 6. *Auriflammæ* nomen inditum. Sanè de hujus vexilli colore & materia consentiunt Scriptores. Carolo verò du Fresne non videtur ex hisce evinci, ab ipso colore nomen *Auriflammæ* manasse, cùm, etsi flammeum rubeus quocunque modo repræsentet, nihil auri in ejus descriptione occurrat, præterquam in ipsa lancea, cui hærebat quam Beslius *auratam* fuisse scribit. Neque enim aureâ fuit prætextum fimbriâ, ut Chiffletius finxit, sed viridi; quod disertè notat *Chron.* Flandriæ. Mavult igitur *Auriflammam* appellatam, à voce Scriptoribus medii seculi passim recepta, nempe à *Flammulum* vel *Flammula*, quæ quodvis vexillum denotat, cui adjuncta fuerit vox *Aurea*, quod hasta, cui infixa erat, auro fuerit obducta: quod præter Preslium in *Histor. S. Dionys.* testatur *Inventarium* vetus Thesauri S. Dionysii apud Doubletum. Sed & Scriptor *Historiæ* Caroli V. ex Thuana Bibl. enarrans, ut Domino *d'Aumont Auriflammæ* gestandæ præfectura à Rege demandata sit, hæc adjungit: *Sic vexillum ferre dignum duxit, donec ingruente belli necessitate, hastæ aureæ applicasset* &c. V. plura apud Andr. Duchenium *Histor. Bethun. lib.* 1. *cap.* 3. Raym. Montanerium *Chronic. Regum Aragon. cap.* 112. 123. 138. 139. Johann. Goulain Carmelitam in *Vers.* Gall. Rationalis Durandi exaratâ A.C. 372. jussu Caroli V. Gall. R. *fol.* 41. 42. & Car. du Fresne prædictum in *Glossar.* & *Dissertat.* 18. *ad Joinvillam.*

Aurifrigia, seu *Aurifrisia*, aut *Aurifrisium*, apud medii ævi Scriptores, nonnullis est opus Phrygium auratis intertextum filis: Carolo verò du Fresne fimbria aurea, limbus aureus. Gall. *Frange d'or*: Quod probat ex *Chron* Laurishamensi *pag.* 95. *Cappæ tres cum* aurifrigiis, *palla altaris cum aurifrigio* &c. & *Chron.* Moguntino Conradi Episc. *Casula violacea latis & magnis aurifrigiis.* Sic Matthæus Paris Anno Christi 1246. *In capis Choralibus & infulis* aurifrigiâ *concupiscibilibus.* *Charta* Anno Christi 1213. apud Ughellum *Tom. VII. pag.* 289. *Cappam unam de examito rubeo cum lista de aurifriso &c.* Galli Anglique Aurifrisium dixere *Orfrey* seu *Orfrais*, quam vocem exprimens Ordericus Vitalis Latinè, *Aurifrasium* dixit *lib.* 6. *pag.* 603. *Adelina quoque uxor Rogerii de Bellomonte Albam* aurifrasio *Comitis ornatam Uticensibus contulit*, apud Eund.

Aurigantium. qui ludis Circensibus palmam olim quærebant, factiones erant variæ, de quibus sic Tertullianus *de spect. cap.* 9. *Aurigæ coloribus idololatriam vestierunt, & ab initio duo soli fuerunt, albus & russeus. Albus hyemi, ob nives candidas, russeus æstati ob Solis ruborem voti erant: sed postea tam voluptate, quàm superstitione provecta russeum alii Marti, alii album Zephyris consecraverunt. Prasinum verò terræ matri, vel verno: Venetum cœlo & mari vel autumno.* Ita igitur cùm primùm duæ solùm eorum factiones essent, *Alba* & *Russea*: postea à coloribus viridis, cœrulei, coccini albique panni, quo donabantur, nomina acceperunt *Prasina, Veneta, Russea & Albata.* Domitianus duas alias adjecit, *Aurati purpureique panni*, teste Suetonio: Sed illæ ætatem non tulerunt. Harum prout uni vel alteri Imperatores populusque adhærebat, ita dividebantur studia, sponsionibusque acriter certabatur: Eranteque Principes quidam harum factionum ad reprehensionem usque studiosi: ut Caligula Prasinæ; Vitellius Venetæ: tum Agitatores ipsos in pretio habuerunt, Caligula Incitatum, Nero Prasinum, Domitianus Passerinum ac Tigrim, Nerva Scorpium, quorum victorias carmine extulit Martialis. Meminit Boculi cujusdam Asconius, M. Aurelii Dioclis & C. Apuleii Dioclis & C. Pompeii Eusceni ac Fusci vett. Epigrammata. Martialis tres factiones conjungit,

> *Si Veneto, Prasinove faves, qui coccina sumis,*
> *Ne fias istâ transfuga veste, vide.*

De

De Prasina seorsim Juvenalis *Satyrâ* 11.

Totam hodie Romam Circus capit, & fragor aurem
Percutit, eventum viridis quo colligo panni.

Nec carminibus solùm Poëtarum celebrari consuevere victoriæ, sed tumulorum quoque cippis aut statuarum elogiis, unà cùm factionis mentione, æternitati tradebantur. Habebat porro quælibet factio suum Procuratorem, ut patet ex vet. lapide; *Q. Rapidio Q. F. Lemsepmillio. Procuratori. Dromi. Factionis. Venetæ. Q. Rapidius. Xenodotus. Et. Rapida. Juventina. Par. Fecere.* Suum item Medicum, de quo sic Marmor vetustum: *M. Vipsanio. Fulloni. Tentori. Aurigatori. M. Vipsanio. Mignioni. Viatori. M. Vipsanio. Quartin. Succondatori. M. Vipsanius. Medicus. Factionis. Venetæ. Oll. 4. D. D.* &c. Sed postquam Justiniani Imp. temporibus, ex Prasinæ & Venetæ factionum contentione, seditione ortâ, horribilis hominum strages edita & 40. fere eorum millia trucidata essent, quod ex Zonarâ transcripsit Cuspinianus: nomina factionum abolita sunt, & quadrigarum hæc ambitiosa vanitas cessavit. Magistratus, qui hisce ludis præerat, Prætor viz. aut Dictator, ob hoc ipsum creatus, mappâ aurigis signum solebat dare cursus: tum sono tubæ equos è carceribus emissos, ut cuique sponsio aut votum, hortamine sublarisque in altum vocibus prosequebantur: unde & *Circus clamosus* appellari consuevit. Sed plura de his V. apud Joh. Rosinum *Antiqq. Rom. lib.* 5. *cap.* 5. Thom. Demsterum *Paralipom. in illud* &c. Addam saltem, de factionibus Circi, carmen Corippi *lib.* 1. *num.* 17.

Aurigas totidem, totidem posuere colores,
Ut sunt æstivis Brumalia frigora flammis:
Nam viridis vernis campus ceu concolor herbis,
Pinguis oliva comis, luxu nemus omne virescit;
Æstatis roseus rubra sic veste refulget.
Ut nonnulla rubent ardenti poma colore
Autumni venetus ferrugine dives & ostro,
Maturas uvas, maturas signat olivas.
Æquiparans candore nives hyemisque pruinas
Albicolor socia viridi conjungitur uva.

De sponsionibus, quæ vel pecuniâ, vel annulis depositis, fiebant, sic Ovid. *de arte amandi lib.* 1.

— — Tangitque manu, poscitque libellum,
Et quærit posito pignore, vincat uter, &c.

Nec locus hic est omittendus *Aurigarum*, qui in primo temone erat. Et quidem olim ad currum jungebantur quatuor equi, ut omnes conquaternati æquatâ fronte procederent, subsequentibus binis jugalibus, cùm hodie bini funales juncti præcedant, subsequentibus jugalibus: atque tum quatuor illos equos sic conjungebant, ut duplici temone equis interjecto perpetuum jugum omnibus conjiceretur. Primus Clisthenes Sicyonius, ratione hac immutatâ uno temone currum fecit, ac medios tantùm duos jugo junxit, eisque singulis ab utraque parte adjunxit loro vinctos, uti docet Salmasius *ad Solinum pag.* 897. Ab *Aurigis* phrasis orta, *versis pannis agitare*, quod de illis propriè dicebatur, quum ab unius factionis panno ad alium transierant: ut putà, si Veneti panni agitator cum coccino panno agitasset, V. *Ibid. pag. seqq.* ubi tota Veterum *Aurigandi* ratio accuratè exhibetur. Sed & addam hic quædam, de *Aurigarum* aurum postulandi more, qui indigitatur Jul. Capitolino in *Vero* Imp. ubi de Volucri equo ejus, *In hujus equi gratiam primùm cœperunt equi (l. equis) aurei vel bravia (pro & bravia) postulari. In tanto autem equus ille honore fuit, ut ei à populo prasinianorum sæpè modius aureorum postularetur.* Eundem & Dio aperit in *Caracallo*, ubi de ejus *aurigationibus* loquitur: Ἀπεσείσθαι ἢ τῶν ἐξελαύνων τινά, ἢ τῶν κάτω τῶν πραγμάτων ἐκάλεσεν, ἵνα καὶ ἐν τούτῳ ... In his enim verbis significat Caracallum *auriga* habitu, manu flagellum tenentem ex inferiori parte adorasse agonothetas & postulasse aurum. Hoc enim est τῇ μάστιγι προσκυνεῖν, *flagello ori admoto sic adorare*, quod alii solâ manu labris admotâ faciebant. At *Aurigæ* nunquam sine flagello; qui proin, quum adorare vellent, illud ori admovebant. Κάτωθεν addit, *i. ex inferiori loco*, cùm agonothetæ in superiori essent. Idem de Abito, ἑωρᾶτό τε αὐτὸν καὶ ἁρματηλατοῦντα καὶ χρυσοῦν ... τούς τε Ἀγωνοθέτας καὶ στρατιώτας προσκυνοῦντα, *Videbantque eum & aurigantem & aureos, velut unum ex vilissimis postulantem, atque Agonothetas milites que adorantem.* V. Casaubonum & Salmasium *ad Capitolinum.*

Aurigraphus, dicitur Ugutioni & Johanni de Janua, *qui auream scripturam facit.* Χρυσογράφος Scylitzæ *pag.* 450. & Joeli in *Chron. pag.* 177. *Aureis* enim *literis* pretiosiores olim libri scribi solebant. Liber *Translationis* S. Stephani, *Textum deinceps Sacrorum Evangeliorum* aureis *characteribus exaratum obtulit.* Ordericus Vitalis *lib.* 5. *Luithprandus Langobardorum Rex, donationem patrimonii Alpium Cottiarum, quam Aripertus*, aureis *scriptam* literis *Romam direxerat, confirmavit.* Ex qua verò materia constaret ejusmodi *aurum*, ut & cœteri colores, in exarandis ornandisque libris adhiberi soliti, docet Papias inprimis, in voce *Libri*, his verbis: *Scribebantur autem (libri) diversis coloribus, quos facere poteris hujusmodi factis confectionibus. Argenteas literas facies, si æris florem & alumen æquis ponderibus in argento contriveris.* Aureas *facies, si alumen & æris florem æquo pondere aceto infusum de auro in aurum, usque ad mellis Attici crassitudinem trisi perduxeris. Æreum colorem facies si sal & alumen rotundum æqui ponderis in æreo vasculo aceto infuso in æramento teras, usque ad mellis Attici crassitudinem. Hoc etiam ferreum facit:* apud Car. du Fresne *Glossar.* V. quoque infrà, ubi de *Auro liquato.*

Auripigmentum, Plinio Arsenicum luteum dicitur, quod unum Vetustissimis hoc nomine cognitum, inter colores picturæ utiles habitum est. Cum eo sandaraca in iisdem fodinis reperitur, & quidem in Mysia & Hellesponto inveniri, tradit Dioscorides: cùm rubrum Arsenicum, in aliis fodiatur metallis, & in Ponto ac Cappadocia eruatur, Armeniâ item, unde *Armenium* videtur absolutè dictum. Inter austeros autem colores *Auripigmentum* eidem Plinio recensetur, hoc est, minùs lucidos floridosque, nec tam vegeti intensique luminis, adeoque obtusiùs pinguiusque relucentes: quales quoque ochra, sandaracha, sandyx, Syricum, sinopis, rubrica &c. V. Salmasium *ad Solinum p.* 199. & 1155.

Auris, obedientiæ symbolum & servitutis, ut vidimus suprà, ubi de *Aurem perforandi ritu.* Eandem Memoriæ consecratam, refert Servius: quod de ima ejus parte Plinius habet unde *Aures tangendi vellendique* mos, de quo *ibid.* Sic autem is, *lib.* 11. *cap.* 46. *Est in aure ima memoriæ locus, quem tangentes antestamur.* Sed & ejusdem partis contrectatio benevolentiam, quâ parentes nos prosequimur, auditûs sensu animis nostris inseri monet, sicut Clemens Alexandr. 5. *Strom.* exposuit. Quamobrem olim mos fuit, ut pueri Patres osculerentur, arreptis utrinque *auribus*, quod osculi genus Polluci *lib.* 10. χύτρα, *i. olla* dicitur: quia caput auribus veluti ansatum est. Poëta,

Et fœtus matrona dabit, natusque parenti
Oscula comprensis auribus eripiet.

Plautus *in Asinar.*

Prehende auriculis, compara labella cum labellis.

More inde ad alios translato. Namque & à senibus pueros eodem Osculi genere exceptos esse, videbimus infrà, ubi *de Osculo.* Et inter juvenes puellasque idem viguisse, ex Theocrito discimus:

Οὐκ ἔραμ' Ἀλκίππας, ὅτι με πρᾶν οὐκ ἐφίλασε
Τῶν ὤτων καθελοῖσ' ὅκα οἱ τὰν φάσσαν ἔδωκα.
Non amo Alcippen, quoniam me non osculata est
Auribus prehensis, cùm ei palumbum donassem &c.

V. Canterium *lib.* 1. *cap.* 19. Lil. Gregorium Giraldum *Syntagm.* 1. *Deorum Gentil.* Hadr. Junium *Animadversorum lib.* 4. *cap.* 12. Jac. Dalechampium *ad Plinium d. l. Aurium* v. nota compendiaria, hæc fuit ℨ. Non enim Astronomi solùm, sed & Medici veteres suas habuere notas, quibus corporis membra compendiosè significabant, quarum pleræque in antiquis Græcorum libris, Hippocratis & aliorum, reperiuntur, uti docet Salmasius *ad Solinum pag.* 148. De earum ornamentis, dictum aliquid ubi suprà. Neque verò luxui solùm, sed & pœnæ, illæ obnoxiæ. Namque *Aurium* abscissio & incisio, olim inter pœnas fuit *LL.* receptas. Templorum namque & rerum sacrarum direptoribus, *aures* findebantur *LL.* Saxonum. Additio ad eas *tit.* 12. *Qui Fanum effregerit — — findantur* aures *ejus & castratur* &c. Eâdem pœnâ mulctabantur servi fugitivi. Gregorius Turon. *Histor. lib.* 5. *cap.* 48. de Leudaste servo facto: *Cumq; bis aut tertiò reductus à fugæ lapsu teneri non posset*, auris *incisione mulctatur.* V. eundem *lib.* 9. *cap.* 38. & Aimonium *lib.* 3. *cap.* 43. Sed & fures omnes pœnâ hac affici consuevere, ut patet ex *Stabilimentis* S. Ludovici *lib.* 1. *cap.* 29. Illi item, qui in vineis damna faciebant, uti statuitur in *Charta* Communiæ Bituric. A.C. 1181. & in *Consuetud.* Municip. Bellaci MS. ab Adelberto III. Com. Marchiæ, apud du Fresne. Idem fiebat *Edicto* Casimiri Poloniæ R. A.C. 1368 illi, qui in curia Militis minutas quascunque res abstulisset. Neque in furtis modò, sed etiam aliis delictis, eandem pœnam statutam observare est, ex *Statutis* Henrici V. R. Angl. *tempore guerræ*, quod extat apud Nic. Uptonum *de Militari officio lib.* 4. *pag.* 140. in *Edicto* Philippi Pulchri *de Duellis artic.* 6. apud Covvellum *lib.* 4. *tit.* 18 §. 47. 49. &c. Ad majores verò Institiarios *Aurium abscissionem* pertinuisse, annotant *Consuetudines* Silvanectenses *Art.* 106. Andegav. *Art.* 148. & Juliodun. *cap.* 39. *art.* 12. apud eundem *Glossar.*

Auro Liquato, deaurari olim pelles & vasa consuevisse, discimus ex Flavio Vopisco *in Aureliano: Habuit in animo, ut aurum neque in cameras, neque in tunicas, neque in pelles, neque in argentum mitteretur, dicens plus auri esse in rerum natura, quàm argenti: sed aurum per varios bractearum, filorum & liquationum usus perire, argentum autem in suo usu manere.* Ubi singula singulis ordine suo reddit; *bracteas* cameris (quæ inter alios exornandi modos auro imbracteabantur) *fila* vestibus, *liquationes* pellibus & argento. Uti enim cameræ inaurabantur per bracteas, sic vestes *auro* intexebantur per fila, pelles & argentea vasa deaurabantur per liquationes: sicque bracteationibus, filationibus & liquationibus aurum peribat, non autem argentum, quod ad hujusmodi usus adhibitum nusquam legimus. Liquatione autem vel auro liquato deaurabantur pelles, sicut & vasa. Nam ita etiam in membranas *aurum* mittebatur, quum sc. literis aureis perscribebantur. D. Hieronymus *ad Eustochium de custod. Virgin. Inficiuntur membranæ*

næ colore purpureo, aurum liquescis in literas. Omisit Aurelianus aliud genus inaurandi pocula argentea, quod non fiebat *auro liquato*, sed *aureis clavis* immissis in argenteum & insertis; quo genere deaurata *auro vincta* & *auro clusa* dicebantur, de quibus infrà: fortè ideo, quòd aurum sic missum in argentea pocula non pereat, sed integrum & in sua natura maneat: perit verò quod in bracteas extenditur, aut in fila deducitur aut liquatur, &c. Filis autem aureis & subtemine serico vestes claras ac pretiosas texi consuevisse, Spartianus docet in *Pertinace*, *Vestis subtemine serico filis aureis.* Virgilius item,

Et picturatas auri subtemine vestes.

Ubi *subtemen* Poëta pro trama posuit vel filis: non enim stamen ex auro potest esse &c. Sed & obiter hic notandum, ætate Aureliani nondum inventum fuisse, argentum in fila deducere & filis ejusmodi vestimenta contexere; quod postea sub ultimis Impp. Græcis multum in usu fuisse, docebimus infrà in voce *Syrmatina.* V. plura hanc in rem, apud Salmasium *ad Vopiscum.*

Auro Præpositi, memorantur inter servos Vett. Clementi Alex. *lib. 3. Pæd.* οἱ δὲ χρυσοφυλακοῦσιν ὡς χρύσεα. Præpositorum *Auro escario* mentio extat in vet. lapide, Romæ, in hortis Julii III. Pontif. Rom. apud Pignorium,

DIS MANIB.
GAMUS AUG. L. PRÆP. AURI
ESCARI FECIT SIBI ET
FLAVIÆ TYCHE CONIUGI
BENE MERENTI &c.

Legitur quoque in vet. marmore, *Præpositus auro gemmato*, de quo Juvenal. *Sat. 5. versu 39.*

Tibi non committitur aurum,
Vel si quando datur, custos affixus ibidem,
Qui numeret gemmas ungues que observet acutos.

V. Laur. Pignorium *Comm. de Servis.*

Auro Sparsum, apud Plinium, ubi de Curaliachate, *Curaliachates guttis aureis sapphiri modo sparsa*: Solino dicitur *guttis illitum auro micantibus, cap. 5.* Græcis χρυσόπαστος. Ut de Sapphiro Theophrastus, καὶ ἡ σάπφειρος, αὕτη δ' ἐστὶν ὥσπερ χρυσόπαστος. Sic *Pallium auro sparsum*, in *Histor.* Aug. τὸ χρυσόπαστον &c. Theophrastus, Sapphirum istiusmodi etiam χρυσοστικτὴν vocat. Alius Auctor de gemmis, Σάπφειρος λίθος ἔχει σπιλάδας χρυσοῦ ὡς ἐν στίγματι. Ubi στίγματα, i. *puncta* appellat, quas alii *guttas.* V. Salmasium *ad Solinum pag. 131.* & infrà passim, inprimis, in voce *Guttati* & *Stellati.*

Auro Vinctum Palladium, apud Æl. Lampridium in *Vita* Heliogabali, *Hæc quum ita essent, signum tamen, quod Palladium esse credebat, abstulit: &* auro vinctum *in sui Dei templo locavit*: est deauratum, quod Græci dicunt χρυσόδετον, unde vasa chrysendeta, ad verbum, *auro vincta.* Ex ligno enim erat, sed auro obductum. Sic *pocula auro vincta*, Pomponio Melæ, pro *deauratis.* Eodem sensu *cornua auro jugata*, reperimus apud Trebellium Pollionem in *Gallienis*, *Processerunt altrinsecus centeni boves, cornibus* auro jugatis, *& dorsualibus sericis discoloribus præfulgentes. Jugare* enim, & *jungere* & *vincire* prope idem significant: cùm ζυγοὶ & δεσμοὶ & ζυγόδεσμα de eadem re usurpentur. Sic & ἐλεφαντόδετον, *quod ebore tectum est* & obductum, dixit Euripides. Sed &, quod ante Salmasium nemini observatum est, *auro cludere* Latini dicebant, quod idem est, ac *auro jugare*: nam ζυγοῦν etiam Græcis *claudere* est. Hesych. ζυγώσει, κλείσει. *Auro cludere* igitur & *auro jugare* & *auro vincire*, synonyma. Anastasius, *Patenam argenteam, chrismatem, auro clausam.* Treb. Pollio in *D. Claudio*, *Urceos duos* auro inclusos *argenteos librarum sex* i. exauratos & auro tectos. Ita enim Anastasius Bibl. argentea quædam opera vel vasa, quæ deaurata sunt, solet appellare, *auro fusa*, vel *auro perfusa*, *auro superinducta*, vel *aureo colore superinducta*, *auro* item *vestita.* Græcis χρυσόδετα, χρυσέμβαφα, & χρυσένδυτα. Idem *spatham auro lig.* xit, quam χρυσόδετον Græci vocarent, in *Benedicto III.* id est, vel totam deauratam, vel cujus capulus aureus esset deauratus, &c. Quæ ut accuratiùs intelligantur, notandum est, phrases has, *Auro cludere, auro includere, auro vincire* &c. apud Auctores nonnunquam adhiberi ad simplicem deaurationem significandam, uti *de cornibus* ex Trebellio, & *Palladio* ex Lampridio, suprà diximus. Item cùm Mela de Issedonibus ait, Issedones funera parentum, lætos victimis ac festo coitu familiarium celebrantes, corpora ipsa laniata & cæsis pecorum visceribus immixta epulando consumere: capita verò, ubi fabrè expolivere, *auro vincta pro poculis gerere.* Quæ enim hic *auro vincta* dicit, ἀποκαταχρυσώσαντες exprimit Herodotus. Propriè verò denotare illud genus deaurandi, cùm aurum solidum in argentum deprimitur & quasi inligatur; tessellæ enim aureæ altè in argentum impressæ includebantur: cujusmodi pocula e. g. Græci χρυσοκόλλητα & χρυσένδετα appellant. *Auro ferruminata* diceret Petronius; nam ferruminare est κολλᾶν. De annulis enim aureis, in quibus stellæ ferreæ erant inclusæ, *ferruminatos* eos dicit *stellis ferreis*, h. e. ad verbum σιδηροκολλήτους. Ita Hesychius χρυσοκόλλητον σφραγῖδα vocat, τὴν χρυσοδακτύλιον. Similiter *gemmis ligatum* Latini dixere, quod Græcis est λιθοκόλλητον, & *auro ligatum*, quod est χρυσοκόλλητον: uti suprà Anastasius, *spatham cum auro purissimo ligatam* dixit. Sic *Epistola* Pontificum à Gretsero editæ: *Pro veræ benedictionis causâ direximus vobis aquilarum unum, spatham ligatam in gemmis cum balteo suo* &c. Sed & χρυσόκλειστα hoc genere deaurata dicebantur, quod verbum de verbo *Auro clusa* seu *inclusa*, notat; ad quam deaurandi rationem pertinent etiam Persii illa,

Non tibi crateras argenti, inclusaque pingui
Auro dona feram.

Sic enim legit Salmasius, potiùs quàm *incusa*, quod vulgò habetur, etsi *incusa* rectum esse possit, h. e. ἐμπαιστικά: hæc namque omnia fiebant secundùm Artem ἐμπαιστικήν, &c. Hinc *Clusores* & *Inclusores* dicti, qui aurum argento includebant & gemmas auro. V. Salmasium *ad Historiam Augustam passim*, inprimis *ad Spartianum in Hadriano Cas. Trebellium in Gallienis* & *Claudio.*

in *Auro*, item *sub Auro* statua i. *aurata* Multa *auratarum* statuarum apud Vett. mentio, & in antiquis Inscr. *Auro illustris*, pro aurata, dicitur in vet. saxo: AURO. INLUSTREM. STATUAM. QUAM. A. DOMINIS. AUGUSTISQ. NOSTRIS. SENATUS. AMPLISSIMUS. DECRETIS. FREQUENTIBUS. IMPETRABIT. In alio lapide, *auro superfusa* idem notat: STATUAM. SECUNDAM. AURO. SUPERFUSAM. LOCARI. SUMPTU. PUBLICO. PLACUIT. Sic *perfusa auro patina*, pro deaurata, ἡ χρυσέμβαφος. Etiam *sub Auro* statuas decerni & constitui dicebant, quæ auratæ decernerentur. Vetus saxum: STATUAM. SUB. AURO. CONSTITUI. LOCARIQUE. JUSSERUNT. Item in alia Inscr. STATUAM. SUB. AURO. IN. FORO. DIVI. TRAIANI. SUMPTU. PUBLICO. LOCO. SUO. RESTITUENDAM. CENSUERUNT. Cujusmodi loquutionis genere, hominem *in armis* & *sub armis*, i. *armatum*, vocabant. Ennius,

Ter me sub armis malim vitam cernere.

Virgilius,

—— Sedet circum castella sub armis.

Et,

—— Ludunt belli simulachra sub armis.

Pro, *me armatum, armatus circumsidet, ludunt armati.* Sic Manilio *Centaurus sub arcu* & *Centaurus in arcu*, qui arcum gestat, arcu armatus:

—— —— geminumque sub arcu
Centaurum.

Et,

Et qui contento fulget Centaurus in arcu.

Ennio *in jaculis Accestar*: Phædro *Occasio in novacula*; Pindaro ἵππους ἐν πτέρυξιν, ἄσπις ἐν ὅπλοις &c. Ut autem *in auro* & *sub auro statuæ*, sunt auratæ; sic pocula *in gemmis* & *sub gemmis*, sunt gemmata apud Anastasium Bibliothecar. Idem *marmora in exemplis*, dixit, *exemplata*, h. e. exemplis & argumentis figurisque picta. Eadem tandem loquutione *sub Auro* statua dicebatur decerni, quâ opus aliquod *sub ascia dedicari*, quod asciatum dedicabatur. Salmasius *ad Trebellium Pollionem in Triginta Tyr.*

Auroclavatum seu *Auriclavum*, voce hybridâ *Chrysoclavum*, quâ Anastasius Biblioth. utitur, vocabulum frequens est apud Recentiores, qui *Auroclavas* & *Auroclavatas vestes* passim dixere τὰς χρυσοσήμους, i. *aureis clavis insignes.* Fuit autem *clavus* in veste πορφύρα ὑφασμένη, *purpura prætexta*, dictusque Græcis est σημεῖον, item παρυφαὶ, Laconibus τάρειον, quo nomine significari apud illos ait Grammaticus, τὰ ἐν ταῖς ὤαις τῶν ἱματίων παρυφάσματα. h. e. *præclavia* vel *prætexta, quæ ad transvestitum adsui solebant* Unde iidem Græci παρύφασμα ἀρχῆς & παρύφασμα βασιλικὸν, vocant, quæ liceat appellare, *Prætexta Imperii* & *Prætexta Regia*: ut Valerius, *prætextum triumphi*, h. e. παρύφασμα τοῦ θριάμβου, &c. V. Salmasium *ad Vopiscum in Aureliano*, & infrà passim.

Aurologium, apud Varronem, *in Aurologio, quod fecit Cyrrestes*, ... αὐρολόγιον: dicta est machina, ventis tantùm explorandis noscendisque excogitata, ab *aura*, i. vento. Cujusmodi fuit octogonum mechanicum Andronici, quo indicium fiebat, quibus ex locis venirent *auræ* ventorum. Sed & *orologium*, h. e. horologium, nonnulli hic legunt, quod ipsum tolerari potest, si ὡρολόγιον, non ab *horis*, quarum singulæ duodecimam diei partem constituunt, sed ἀπὸ τῶν ὡρῶν, quæ *tempora anni* significant, deducant. Hinc enim ἡλιοτρόπιον Veterum exponitur ὡρολόγιον; quum certum sit, in illis Heliotropiis, non horas diei, sed ὥρας ἔτους, i. *Anni tempestates*, signatas fuisse, cum vario signorum ortu obituque,

Tempora quæ messor, quæ curvus arator haberet &c.

V. Salmasium *ad Solinum pag. 1247.* & de *Aurologio* Cyrrestis ac Andronici hic suo loco.

Aurosa harena, apud Æl. Lampridium in *Heliogabalo*, *Scobe auri porticum stravit & Argenti—ut fit hodie de aurosa harena*: quid sit, V. suprà in voce *Auri vena.* Nempe quacunque pedibus iter faciebat Imperator, sternebatur via *aurosa harenâ.* Quem morem & sumtus eam in rem impensos fieri solitos, aperit Synesius planissimè *Orat. de Dei Regno*: Ὑμῖν, dicens, οὐδὲ τὸ ἔδαφος ἐστιν ἀνεκτὸν ἐφ' οὗ ἐμπεριπατοίητε κατὰ φύσιν ἔχοντι τῇ γῇ. ἀλλὰ δὲ τὴν χρυσοῦ ... *Vobis neque solum tolerabile est, neque inambularetis in nativo statu consistenti tellure*

Juri. Sed Aurosam *insterni operas, quam ex dissitis regionibus currus vobis navesque adferunt. Neque vilis militia est eorum, qui arenam hanc spargunt.* Cujus loco scobe auri argentique porticum stravit, quotiescunque iter pedibus faceret, Heliogabalus, usque ad equum vel carpentum *Leis.* Eidem tamen aliquando etiam *Aurosâ* harenâ terram conspersam esse, cùm viz. Deo suo tensam ducens retro ambularet, tradit Herodianus, ubi inquit: *πᾶσαν τὴν ὁδὸν ὄπισθεν ἐτρόχαζεν ἑαυτοῦ, ἀφορῶν τε ἐς τὸ ἄγαλμα τοῦ Θεοῦ, ὡς δὲ μὴ πταίσειεν αὐτὸς ἢ διολισθαίνοι, οὐχ ὁρῶν ὅπου βαίνοι, γῆ ἡ χρυσίζουσα παμπόλλη ὑπέστρωτο. Totam viam perficiebas retro currens, respiciensque Numinis sui aurigam; ne verò caderet aut laberet, viam, quod ibat, non cernens, terra aurosa quam plurima substrata est* Casaubonus *ad Lampridium.*

Aurum. post reliqua metalla demum repertum est, velut dubitante secum Naturâ, an id luci permittere vellet, quod homini tantopere esset nociturum. Certè justissimum Plinii votum. *l.* 33. *cap.*1. *Utinam posset è vita in totum abdicari aurum, sacra fames, ut celeberrimi Auctores dixere, proscissum conviciis ab optimis quibusque & ad perniciem vitæ repertum: quantum feliciore ævo, cùm res ipsæ permutabantur inter se* &c. Hebr. חרוץ *charutz* id est, *è terra effossum*, unde Græcorum *χρυσὸς*: quod quâ arte quantoque labore fieri consueverit, infrà dicemus. Pallor verò ejus est ירקרק, geminatis literis, ut significatio sit intensior. A' quo proin ipso verbo fit Æthiopum *Wark*, pro *auro*. Græci Interpretes *pallorem auri* rectè vocant *χλωρότητα χρυσίου*. Is enim verus est auri color. Hinc Diogenes rogatus, *Διὰ τί χρυσίον χλωρόν ἐστι; Cur aurum palleat?* respondit, *ὅτι πολλοὺς ἔχει τοὺς ἐπιβουλεύοντας, Quia multos habet insidiatores.* Uti est in Laertio: & Catullus *in Nuptiis Pelei & Thetidos*,

> *quàm sæpe magis fulgore expalluit auri!*

Et rursus *ad Juventium*,

> *Hospes inauratâ pallidior statuâ.*

Statius quoque *ad Maximum Junium Sylvar. l.*4.

> *Quando te dulci Latio remittent*
> *Dalmatæ montes, ubi Dite viso*
> *Pallidus fossor redit, erutoque*
> *Concolor auro* &c.

Qui *auri pallor* cùm columbis tribuatur Psalmo 68 *versu* 14. observant Talmudici, in juniorum columbarum alis, postquam è nido excesserunt, *plumam esse auri instar flavam*; in turturibus item: atque hinc disci, quando ad sacrificia aptæ vel ineptæ sint, ajunt. Cùm enim è columbis non nisi pullos, & è turturibus, non nisi adultas, offerri Lex jubeat, illos ad sacrificia ineptos, has verò aptas tum demum esse volunt, *cùm plumæ in auri colorem incipiunt flavescere, in Tract. Cholin cap.*1.*fol.*22. Sed & colla columbarum Soli opposita *aureo* colore splendere, docet Philosophus *de Color.* *Οἱ τῶν περιστερῶν τράχηλοι καὶ τῶν ὑπὸ τὸν ἥλιον συλλαμβανομένων φαίνονται χρυσοειδεῖς τοῦ φωτὸς ἀνακλωμένου* &c. V. Sam. Bochartum *Hierozoici Part. Poster. lib.*1. *cap.*2. Triplex habetur apud Veteres. de quo sic Isidorus *lib.*15.*cap* 17. *Tria sunt genera argenti, & auri & æris, signatum, factum, infectum. Signatum est, quod in nummis est: factum est, quod in vasis & signis: infectum, quod in massis est, quod & grave dicitur.* Et tale fuit *Aurum fiscale*, quod collectores in massis obryzæ, non in nummis, inferre jussi sunt à Valentiniano ac Valente: ut sic non nisi purissimum perveniret ad Fiscum & decoctione deperirent, quæcunque in eo essent reliquiæ sequioris venæ. In quam rem tres constitutiones habet Codex Theodosii, cujus postremæ verba sunt: *Si quid ex proscriptionibus vel condemnationibus deposcitur, si quid ex cæteris titulis, qui annui atque solemnes sunt, vel veteres vel recentes, aut peculiaris in singulos aut certa in paucos aut uniformis in cunctos cogit Indictio, non in materia conferatur, sed sub conditionalium oculis ac periculis diu multumque flammæ edacis examine in ea obryza detineatur, quem ad modum pura videatur.* Naturaliter enim, in liquefactione nummorum aureorum evenit intertrimentum, quum omni *auro*, ut ait Plinius *lib.*33. *cap.*3. *insit argentum vario pondere, alibi dena, alibi nona, alibi octava parte.* Non idem in *Auro Coronario* rigor adhibitus, ibi enim quod offerebatur, pro imminutione, quæ in æstimatione solidorum aut materiæ fortè taxari posset, non decrescere & ideo supplere cogi non consuevisse, discimus ex *l.*4. *de Auro coron* ubi inter alia, *id*, dicitur, *quod voluntate offertur, non debet consequi necessitatis injuria,* i.e. non debet subjectum esse illi acerbitati, quæ adhibetur in illo, quod necessariò præstatur: quæ acerbitas in collatione voluntaria pro injuria esset. Idque meritò: Nam *quæ dono contingunt, minùs scrupulosè probantur*, ut ait Columella. Qua proin in re peccavit Nero, quum parans expeditionem adversùs Vindicem, exegit ingenti fastidio & rigore nummum asperum, argentum pustulatum, *Aurum* ad obrussam, ut plerique omnem collationem apertè recusarent. Galba item, quum oblatâ ad conflandum à Tarraconensibus è vetere templo Jovis coronâ aureâ librarum quindecim, tres uncias, quæ ponderi deerant, jussit exigi, teste Suetonio. V. Joh. Frid. Gronovium *de Pecunia vet lib.*4.*cap.*14. Apud Casandres verò (populos Sabæis vicinos, in Arabia Felice) quamdiu rara fuit navigatio, *aurum* tam vile fuisse & reliqua metalla tam pretiosa, ut ferro duplum, æri triplum, argento decuplum *auri* rependerent, idem Bochartus observat, ex Agatharchide *lib.* 5. *cap.*44. & Artemidoro, apud Strabonem *lib.* 16. uti is eum restituit, in suo *Phaleg lib.*2.*cap.*27. &c. Imò, à Susis Babytace oppidum, centum viginta quinque millibus passuum distans, memoratur Solino *cap.*54. in quo mortales universi odio auri coemerint hoc genus metalli & abjecerint in terrarum profunda, ne polluti usu ejus avaritiâ corrumperent æquitatem; Sicut de Satarchæis vel Satarchis narratur, usu auri argentique abdicato ab avaritia publicè mores vindicasse. At quousque politiorum gentium luxus provectus est, apud quos pedibus quoque, quæ extrema luxuriæ insania, calcatum est, non hominum solùm, sed & equorum mulorumque, quos Nero calceari *auro* jussit &c. Qua de re, ut & de inventore hujus metalli, modo inveniendi & excoquendi; de more illud implectendi crinibus, intexendi vestibus, eo signandi literas, aliisque huc facientibus V. Plinium inprimis *lib.* 33. *cap.*1. *& seqq.* Diodorum Sic. *lib.*3. & Salmasium *ad Solinum locis suprà cit.* Addam quædam de *Auri* in Sacris, apud Hebræos, (unde quoque ad Gentiles transiit) usu. In Tabernaculo, præter vasa ad oblationem necessaria, in Sanctuario *Altare* erat *aureum*, in quo bis de die suffitus adolebantur, V. *suprà*: *Lychnuchus*, ex solido auro constans, septemque lampadas totidem brachiis sustinens, quæ oleo purissimo nutritæ totâ nocte in templo ardebant: Item *Mensa aurea*, cum sacris panibus, facta ex cedro (sicut Altare præfatum) & auro obducta; instrata veste hyacinthina, cum 12. lancibus totidemque acerris, V. Exodi *cap.*25. *vers.*31. & Numeror. *cap.* 4. *vers.*7. In ipso verò Adyto seu Sancto Sanctorum, Arca, quæ è ligno *Zittim* seu cedro constabat, intus & extra *auro* erat obducta: ambiebaturque coronâ seu limbo aureo ac 4. annulos ex eodem metallo ad latera habebat. Illam verò tegens Propitiatorium ex solido *auro* confectum erat, sustinebatque ex eodem constantes duos Cherubinos, Exodi *cap.*25. *versu* 18 — 20. In Templo postea Salomonico, ubi *auri* argentique summa ultra fidem, in Propyleo suspensæ etiam *catenæ* erant *aureæ* & supra eas *coronæ aureæ* & argenteæ; imò & supra Templi ostium *Vitis aurea*, ex qua botri insuetæ magnitudinis dependebant: cœtera item vasa omnia augustiora & majori numero erant. V. Franc. Burmannum *Synops. Theol. Part.*1. *lib.*4. *capp.*14. & 15. & infrà quoque, ubi de *Vestitu Pontificis.* Argento id metalli adulterari consuevisse, discimus ex Vopisco in *Taciti Vita*: inde *aurum* ad obrusam exigebatur, in quo ignis excoxisset & purgasset, si quid erat sequioris metalli, h. e. argenti admixtum, Salmasius *ad l.* Et *Aurum argento mistum* legimus vetari in *Edicto* Pistensi Caroli Calvi *cap.* 31. cui *Aurum merum* opponitur, apud Car. du Fresne *Glossar.* V. quoque hic passim. Addam quædam, de ratione *Auri* inveniendi, ex Plinio *lib.*33. *cap.*4. *Aurum invenitur — apud nos tribus modis, fluminum ramentis — nec ullum absolutius aurum est, cursu ipso trituque perpolitum. Alio modo puteorum scrobibus effoditur, aut in ruina montium —* Et quidem *aurum qui quærunt, ante omnia segullum tollunt; ita vocatur indicium: alveus, ubi id est, arenæque lavantur, atque ex eo quod resedit, conjectura capitur, ut inveniatur aliquando in summa tellure — Adulationem vocant, si & auro ea tellus subest — Quod puteis foditur, canalicium vocant — marmoris glareæ inhærens — Hi venarum canales per marmor vagantur & latera puteorum, & huc illuc, inde nomine invento, tellusque ligneis columnis suspenditur. Quod effossum est, tunditur, lavatur, uritur, molitur in farinam. Nam quod ad pilas cudunt, apitascudem vocant: argentum, quod exit à fornacis sudore — Catini fiunt ex tasconio. Hæc est terra alba similis argillæ — Tertia ratio opera vicerit gigantum: Cuniculis per magna spatia actis cavantur montes ad lucernarum lumina. Eadem mensura vigiliarum est, multisque mensibus non cernitur dies. Arrugias id genus vocant: sidunt que rimæ subitò & opprimunt operarios — Relinquuntur itaque fornices crebri montibus sustinendis. Occursant in utroque genere silices. Hos igni & aceto rumpunt — Si longior videtur silex, latus sequitur. Fossam ambit quiete. Tamen in silice faciliùs existimatur opera. Est namque terra ex quodam argillæ genere — prope inexpugnabilis. Cuneis eam ferreis aggrediuntur & iisdem malleis: nihilque durius putant, nisi quòd inter omnia Auri fames durissima est. Peracto opere, cervices fornicum ab ultimo cædunt, danturque signum ruinæ, eamque solus intelligit in cacumine montis pervigil. Hic voce ictuve repentè operarios revocari jubet, pariterque ipse devolat. Mons fractus cadit — longo fragore — Nec tamen adhuc aurum est — Aliùs par est labor — flumina ad lavandam hanc ruinam jugis montium ducere à centesimo plerunque lapide — repleto stagno excussis obturamentis erumpit torrens tanta vi, ut saxa pervolvat. Alius etiamnum in plano labor. Fossæ, in quas profluat, cavantur — ea sternuntur gradatim. Frutex est ulex rori marino similis, asper aurumque retinens. Latera cluduntur tabulis ac per prærupta suspenduntur, canali ita profluente de terra in mare —* Aurum *arrugia quæsitum — statim sunm est: inveniuntur ita massæ. Nec non in puteis etiam denas excedentes libras. Palacras Hispani* (Salmasius legit *palathas*) *iidem quod minutum est, balucem vocant. Ulex siccatus uritur & cinis ejus lavatur substrato cespite herboso, ut sidat aurum. Vicena millia pondo ad hunc modum annis singulis Asturiam, atque Gallæciam & Lusitaniam præstare quidam tradiderunt, ita ut plurimum Asturia gignat. Neque in alia parte terrarum tot singulis hæc fertilitas. Italiæ parcitum est vetere interdicto Patrum* &c. Hodie *Aurum*, in Africæ litore Aureo divite copiâ colligitur. At nullibi major ejus proventus, quàm in Regno *Peru* ejusque

jusque provincia Montana celeberrima *Potosi*, sub 21.gr. latit. Austr. de qua V. Athanasium Kircherium *Mundi Subterr Lib. X. sect.* 4.c.8. quanquam aliàs omnis ille Americæ tractus à Tropico Cancri usque ad Tropicum Capricorni, *Auri* cœterorumque metallorum feracissimus sit. Auctor Anonymus *Histor. Orbis Terr. Geogr. ac Civ.c.10. de Commerciis.*

Auri appellationes variæ apud Scriptores.

Aurum ad Responsum, V. infrà.

Aurum ἄπυρον, apud Arrianum in *Indicis*, id dicitur, quod absque coctione statim perfectum & purum reperiebatur, magno Veteribus in pretio. De eo sic Plinius *lib* 33. c.3. *Hispania strigiles vocat auri parvulas massas, quod super omnia solum in massa aut ramento capitur. Cùm cætera in metallis reperta igni perficiantur, hoc statim aurum est, consummatamque materiam protinus habet, cùm ita invenitur.* Ubi *strigiles* vel *stringiles* has massas vocat à *stringendi* vel ligandi notione, quòd aurum in has massulas strictum ac per se coactum, nihil terreni admixtum habeat. Hujuscemodi *auro*, caput Sponsi in Cantico comparari, placet quibusdam, V. quoque suprà *Auri Adamas*, & infrà in *Balluca*.

Aurum Arabicum, apud Ottonem Frising *de Gestis Friderici lib.* 2. *cap.* 22. Henricum Knyghton, & Thuroczium *Histor. Hungar. part* 2.c.3.

Aurum Arugia, Hispanis dicebatur, Plinio teste, fossione quæsitum aurum, quasi ὀρυγία: cujusmodi in Arabia cuniculis effodi. in Ægypto item, tradit Agatharchides, uti diximus suprà in voce *Arugia*.

Aurum Callaicum, & *Callaicum metallum*, apud Martialem *lib.*4. *Epigr* 38. & *lib* 14 *Epigr.* 96. à gente Lusitaniæ nomen habet. Nam Καλλαϊκοὶ Græcis, quos *Gallæcos* Latini vocant. Salmasius *ad Solinum pag.*237.

Aurum Canalicium, V. suprà.

Aurum Cataclistum, Gr. κατάκλειστον, Sexto; quo nomine quidam intelligunt *splendens*. Salmasius verò, quidquid conclusum ac conditum tuto loco servatur, sic appellari tradit, *ad Tertullianum de Pallio.*

Aurum Coctum, quod aliàs *obryzum* in *l.* 1. *Cod Th. de Procurat. Capitula* Caroli Calvi *tit.*32.c.24. *Ut in omni Regno nostro non amplius vendatur libra auri purissimè cocti, nisi* 12. *libras argenti de novis & meris denariis*, &c. Ἄπυρον χρυσίον, Carolo du Fresne, apud Themistium *Orat.*13. & Scholiasten Thucydidis *l.*1. ὀβρυζιακὸν apud Simocattam *Histor. Maur. lib.*5.*cap.*13. ubi forte ἰβρυζιακὸν quis legerit, q. *aurum sexies coctum*. Salmasio verò χρυσὸς ἄπυρος aliud est, uti vidimus.

Aurum Comicum lupini Plauto.

Aurum Comparatitium, quod pro veste militari & canonica comparanda à tributariis præstabatur, *in l.*3. *Cod. Th. de Re milit.*

Aurum Coronarium, hinc corum. Victorum præmium antiquissimis temporibus laurus fuit, in cujus locum postea *corona ex auro* successit Festus Pomp. *l.*18. *Triumphales* coronæ sunt, quæ Imperatori victori *aureæ præferuntur, quæ olim propter paupertatem laureæ fuerunt*. Neque verò una aut altera solum præferri solebat, sed & pœne infinitæ, pro opulentia devictæ provinciæ. Unde in triumpho Æmylii Regilli, *quinquaginta coronas aureas translatas fuisse*, docet Livius *Dec.*4. *l.*7. imò triumphante L. Manlio Alcidino *centum viginti quatuor*. Idem *ejusdem Dec. lib.*10. Tandem, pro coronis certa pecuniæ summa iis depensa est, *Aurum coronarium* hinc dicta: Servius ad *Æneid lib.*8. *vers* 721. *Aurum*, inquit, *coronarium dicis, quod triumphantibus hodieque à victis gentibus datur: Imperatores autem hoc imponebant, propter concessam vitam; Ideo ergo dicis* dona, *si hoc non esset, spolia diceres.* Meminit ejusdem Auri Tacitus *Annal. lib.* 15. *Inque prædam etiam Dii cessere, spoliatis in urbe templis, egestoque auro, quod triumphis, quod votis, omnis Populi Rom. ætas prosperè, aut in metu sacraverat.* Postea autem non in victoriis tantùm, aut superatis hostibus auri hujus conferendi consuetudo invaluit, sed in quacunque pompa, aut magnificentia: Hinc apud Ælium Spartianum. Antoninus Pius *Aurum coronarium, quod adoptionis suæ causâ oblatum fuerat, Italicis totum, Provincialibus medium*, reddidisse legitur. Apud Suetonium Nero *cap.* 32. *revocavit & præmia coronarum, quæ unquam sibi in certaminibus civitates detulissent.* Contra veterem morem. cùm *lex & decerni & accipi illud vetaret, nisi decreto triumpho*, Cic. *orat. in Pisonem* &c. V. Thom. Dempsterum *in Rosini Antiqq. Rom. l.*10. *paralipom. ad c.* 29. Lipsium *de Magnitud. Rom. lib.*2. *cap.*5. &c. De eodem Auro, sic C. du Fresne: *Aurum Coronarium Imperatoribus ultro conferebatur in auro, vel in coronis aureis, aliisque signis ob partas victorias, aut lætitiam aliquam à Senatoribus aliisque Magistratibus: interdum necessitate postulante indicebatur. A Satrapis etiam pro devotione, quam Imperio debebant, solemniter offerebatur.* Dio vocat, τὸ χρυσίον τὸ τοῖς στεφάνοις προσῆκον *aurum coronis conveniens*: Incertus Scriptor apud Suidam στεφανικὸν τέλεσμα, *coronarium vectigal.* Strabo φιλάνθρωπον χρυσίου appellatione id complexus est, *lib.* 8. Remisit illud Italiæ, in provinciis minuit Adrianus Cæsar apud Lampridium, V. & quæ de Pio dicta, & præterea *Monumentum* Ancyranum Augusti cum *Notis* Casauboni & *tit. Cod. Theodos. de Auro Coronar.* atque ibi Jac. Gothofredum, ut & Valesium *ad Ammianum lib.*25 *pag* 301.

Aurum Cuniculis effossum, V. suprà *Arugia*.

Aurum Elutum, apud Jul. Capitolinum *in Pertinace*, est probè purgatum. Multis namque in auro purgando lavationibus opus esse, discimus ex Strabone & Plinio.

Aurum Fiscale, V. suprà.

Aurum Gemmatum, dicitur Veteribus aurum poculorum, ποτηρίων, aureum totum, & gemmis intextum, de quo aliquid suprà. Viridis autem gemmas auro decorando maximè convenire credebant: unde Agatharchides de topazio, quæ viridis est. Ἡ δ' ἦν, inquit, ἐν χρυσῷ θαυμάσιον ἀποδίδωσι. Et *Scythicæ flammæ virentis auri*, apud Martialem, ubi aurum intelligit, Scythicis Smaragdis, quibus textum erat, virens, V Salmasium *ad Solinum p.* 240. & *passim ad Histor. Aug.* ut & suprà in voce *Auro Præpositi*.

Aurum Glebale, quod pro possessionibus penditur, *l* 2. *C. de Prætor. & hon. Præt. l.*12.

Aurum Lustrale, quod quarto quoque anno pendebatur, teste Zonarâ: idque à Negotiatoribus, hinc *Aurum Negotiatorium* dictum Lampridio in *Alex.* item *functio auraria*, *l. sing. Cod. Theod. de Conlat. lustral.* V. Joh Calvinum *Lexic Jurid.* Aliter infrà, ubi de *Auro panoso*

Aurum Merum, idem cum *Obryzo*.

Aurum Negotiatorium, V. *Aurum Lustrale*.

Aurum Oblatitium, quod ultro, non ex necessitate vel ordinaria collatione, Senatores Principi offerebant veluti Principatûs initio, vel Quinquennalibus, aut Decennalibus, vel post victoriam à Principe partam; speciem tamen necessitatis quandam habuit, ubi de eo offerendo Senatûs decretum intervenisset. V. Jac. Gothofredum *ad l* 5. *Cod. Theod. de Senator.*

Aurum Obryzum; Græcè ὄβρυζον, quod sæpius despumavit & excoctum est: ab ὀβρύζω, quod idem est ac ὀβρύζειν. Ejus apud Vett. nulla mentio, sed *Auri ad obrussam*, obrussa autem Græcè ὄβρυζα, à verbo prædicto. Salmasius *ad Solin. p.*1050. V. quoq; hic passim.

Aurum Pagense, tributum ex pagis, V. infrà *Infrenda*.

Aurum Pallidum, prout in venis est, ostenditur in *Musæo* Kircheriano, Romæ, V. Georg. de Sepibus *in Collegii Rom. S. J. Musæo pag.* 41.

Aurum Pœnosum, idem cum *Auro Lustrali*, à cujus conlatione ne pauperes quidem immunes erant: Græci posteriores χρυσάργυρον appellarunt, à quo ne μοναχούς seu *Sutorem* quidem fuisse immunem, refert Libanius *Orat. c. Florentium pag* 427. V. de Chrysargyro Meursii *Glossarium*, du Fresne.

Aurum Præstantissimum, Græcis χρυσοῦ ἄνθος, *flos auri*; ἐκλεκτὸν, ἄπυρον, ἀπεφθον, est quod sine ignis opera perfectum per se inveniebatur, de quo V. suprà in *Auri Nodus*.

Aurum Primum apud Math. Westmon. i. obryzum. V. du Fresne *Dissert.* 20. *ad Joinvill.*

Aurum Publicum, quod publico Ærario infertur, Honorius & Theodos. *in. de auro publ. prosecut. l.*10. *C.* V. Calvinum *Lexic. Jurid. &c.*

Aurum Putum V. suprà *Aurum* ἄπυρον, *Obryzum, Præstantissimum*.

Aurum Ramentitium, Græcis ψῆγμα & ἐκψήγματα opponitur *Auro Aurugiæ*, apud Plinium, quod fossione quæritur. Strabo, massas auri puri selibres in ramentis inveniri, in Hispania refert, apud Salmasium *ad Solinum pag.*1075. & 1076.

Aurum ad Responsum, V. infrà.

Aurum Vicesimarium, apud Livium *l.*27. c 10. *Cætera expedientibus, quæ ad bellum erant, Consulibus*; Aurum Vicesimarium *Quod in sanctiore Ærario ad ultimos casus servabatur, promi placuit. Prompta ad quatuor millia pondo auri*: quid sit V. suprà, ubi de *Ærario*.

Aurunculejus Cornelianus, in catalogo Nobilium Romanorum, quos sine causæ dictione, occidi jussit Severus Imp. *Æl.* Spartianus in *Vita* ejus.

Auscultare. Monachi dicuntur, qui priusquam in Ecclesia, quod sibi injunctum est, legant, recitent vel canant, coram eo, cui id curæ incumbit, Lectiones suas recitant & ab ipso non tantùm modò Lectionis accipiunt, sed etiam, quo illa vocis tono recitanda sit, docentur. Idem & *ascultare*. Liber *Ordinis* S. Victoris Paris. MS. *cap.*34. *Fratres, qui in Ecclesia sive ad Missam, sive ad Matutinas aliquid legere habent, debent ab Armario ascultare. Abbas autem & Prior ascultare non coguntur – quod ad Missam legendum est, auscultetur in spatio, quod est inter Capitulum & Tertiam —— Fratres, qui officiis deputati sunt, si id, quod habent legere, horis constitutis ascultare non possunt; postmodum, cùm eis vacat, auscultent —— Frater verò, qui primam Lectionem habet legere, debet horâ* auscultandi *Lectionem, librum, in quo legendum est, in Claustrum referre, & postquam omnes auscultaverint, in locum suum referre*, apud du Fresne *Glossar.* qui etiam hanc in rem ex Lanfranco *in Decretis pro Ordine S. Benedicti cap.* 5. ista adfert: *Quicunque lecturus, vel cantaturus est aliquid in Monasterio, si necesse habeat, ab eo* (Cantore) *priusquam incipiat, debet auscultare* &c. Alia notio *Auscultatorum*, quos *Auricularios* vocant.

tacte apud Eundem *Chronicon* Novalic. *libro* 5. *capite* 3. hi e-nim iidem cum *Exploratoribus*, quos Galli *Espions* dicunt, de quibus hic infra.

Auscultatores seu Delatores publici, invisissimum hominum genus, primùm à Dario minori, Persarum R. adhibiti sunt, cùm ipse sibi non credens, omnes haberet suspectos ac metueret: Dionysius dein Senior suos *Prosagogidas*, ita enim Græcis vocantur, Syracusanis civibus miscuit: sed & jam ante utrumque Midas Phrygum Rex, cui proin asininas aures affinxit Poëtarum licentia, iisdem usus videtur. Apud Romanos eorum jam antiqua mentio in rebus Tarquinii Sup. apud Dionysium Halicarn. *lib.* 4. verùm inprimis publica hæc grassandi rabies sub Cæsaribus desævit. De quorum origine sic loquitur Ammian. Marcellinus *lib.* 14. *Excogitatum est super his, ut homines quidam ignoti, vilitate ipsa parum cavendi, ad colligendos rumores per Antiochiæ latera cuncta destinarentur, relaturi quæ audirent. Hi peragranter & dissimulanter honoratorum circulis assistendo, pervadendoque divites domus egentium habitu, quidquid noscere poterant vel audire, latenter intromissi per posticas in regiam nuntiabant. Id observantes conspiratione concordi, ut fingerent quædam & cognita duplicarent in pejus, laudes verò supprimerent Cæsaris, quas in vitiis compluribus formido malorum impendentium exprimebat, &c.* Simile quiddam habet Æl. Lampridius *in Alexandro Severo*, & ante illos de Tiberio Xiphilinus *pag.* 233. Qua de re vide plura infra ubi de *Delatoribus*.

Ausenses, pop. apud Herodotum, qui de iis memorat, quod Mela de Garamantibus: *Nulli certa uxor, ex his qui tam confuso Parentum coitu passim incertisque nascuntur, quos pro suis colant, forma similitudine agnoscunt.* Et Solinus *cap.* 30. *Garamantici Æthiopes matrimonia privatim nesciunt — Inde est, quòd filios matres tantùm recognoscunt: paterni nominis nulla reverentia est.* Vide Salmasium *ad Solinum pag* 284.

Auspices, ab *Avium inspectione* dicti, inde futura prædicebant: Sicut *Augures*, garritum earum attendebant; quæ tamen nomina sæpè solent confundi. Fuere autem *Auspiciorum* apud Rom. genera tria; *Avium inspectio, de cælo observatio & tripudii animadversio.* Quorum medium, ad omnia Comitia: primum, ad Curiata & Centuriata tantùm adhibebatur: Ultimum rerum gerendarum proprium erat. Omnia enim *auspicatò* gerere domi militiæque, publicè & privatim Romani solebant, ut ex illustri hoc Livii loco apparet *lib.* 6. *cap.* 41. *Auspiciis hanc urbem conditam esse, auspiciis bello ac pace, domi militiaque omnia geri, quis est qui ignoret? Penès quos igitur sunt* Auspicia *more Majorum? nempe penès Patres. nam plebejus quidem Magistratus nullus auspicatò creatur. Nobis adeò propria sunt Auspicia, ut non solùm quos populus creat patricios magistratus, non aliter quàm auspicatò creet; sed nos quoque ipsi sine suffragio populi auspicatò interregem prodamus, & privatim Auspicia habeamus, quæ isti ne in magistratibus quidem habent: Quid igitur aliud quàm tollit ex civitate Auspicia, qui plebejos Consules creando, à Patribus, qui soli ea habere possunt, aufert? si ex cavea tardius exierint? si occinuerit avis? Parva sunt hæc; sed parva ista non contemnendo, Majores nostri, maximam hanc rem fecerunt.* E quibus, inter alia, patet, penès Patres *Auspicia* rum fuisse, adeoque rerum summam, ut sine quibus auctoribus nihil à populo geri posset. In Nuptiis, *Auspices* noctu & sub Auroram, auguriis operam dabant: Unde Servius *ad Æneid. lib.* 1. & 6. Item vetus Scholiastes Juvenalis *ad vers.* 336. *Sat.* 10. *Auspices*, inquiunt, *solebant nuptiis interesse*. Claudianus in *Ruffinum lib.* 1.

—— —— *Hac* Auspice *tædæ*
Oedipodem matri, natæ junxere Thyestem.

Optimum autem in his augurium ab accipitre circo desumebatur, Plin. *l.* 10 *c.* 8. In Castris quoque duo adhibebantur *Auspicia*, unum coactum, nempe *tripudium*: alterum ex *acuminibus*, quod quale fuerit, incompertum est. Meminit tantùm ejus Cic. *de Divin. lib.* 1. *Ex acuminibus, quod totum auspicium militare est, M. Marcellus totum omisit.* Fuere verò *Auspicia* hæc in exercitu solius Imperatoris, cæteri *auspiciis ejus pugnare* dicebantur. V. Thom. Dempsterum in *Joh. Rosini Antiqq. Rom. passim*, & suprà in voce *Augures*.

Auster, adde: Ventus hic & Aquilo, quibusdam Veterum soli duo venti appellati sunt, reliqui verò velut accessionum vice habiti, & prout inclinatione ac recessione ab hoc & illo axe deflecterent, *Septentrionales & Meridionales* dicti. Originem enim ducunt ab utraque Mundi meta; &, quum semel occœperunt, diutissimè durant ac vehementissimi sunt. Quam in sententiam à Lucilio scriptum, ex persona Cotys Thracum Regis,

Rex Cotus ille duo hos ventos, Austrum *atque Aquilonem*
Novisse ajebat solos se demagis, istos
Ex nimbo Austellos nec nosse, nec esse putare,

apud Nonium. Unde in antiquis Philosophorum Medicorumque scriptis, & præcipuè apud Aristotelem & Theophrastum, ad designandas tempestatum & aëris constitutiones, quas venti faciunt, τὰ Βόρεια solùm & τὰ Νότια nominantur: ἐν τοῖς Βορείοις, ἐν τοῖς Νοτίοις, id est, *flantibus Aquilonibus, flantibus Austris*. At nusquam τὰ Εὔρεια, aut τὰ Ἑῷα commemorantur, Vide Salmasium *ad Solinum pag.* 1250. *& seqq.* De ritu verò *ad Austrum* precandi, hic infra.

Austerum in coloribus, Græcis πικρὸν. Epiphanius de Smaragdo; qui saturatiùs viret, Τρίτος, inquit, λίθος σμάραγδος ὅτος καλεῖται καὶ πράσινος. ἔστι δὲ χλωρὸς τῷ εἴδει ... ἐν αὐτοῖς ... Νερωνιανοὺς καλοῦσι, ἄλλοι δὲ Δομετιανούς· καὶ ὁ μὲν Νερωνιανὸς μᾶλλον ἐν τῷ εἴδει σφόδρα χλωρίζων, διαυγὴς καὶ εὐλάμπων. *Tertius lapis smaragdus est, qui prasinus quoque appellatur. Est autem viridis specie: sic tamen ut non leve in illis deprehendatur discrimen. Quidam enim eos Neronianos appellant, nonnulli Domitianos: & Neronianus quidem* Austerus *est colore, saturatè viridis, translucidus & nitens.* Idem proin hic *austerum*, quod maximè saturum, Plinius *libr.* 9. *cap.* 36. *Sed unde conchyliis pretia, quæis virus grave in fuco, color* austerus *in glauco.* ... Idem *cap.* 38. *Nimiaque ejus nigritiæ dat* austeritatem *illam nitoremque, qui quæritur, cocci.* Ubi *austeritatem* vocat saturitatem & superbiam nitoris. Et *libr.* 37. *cap.* 7. de carbunculis: *Et heic mares*, austeritas *distinguit, siquidem vigor apposita tingens indicat: quidam etiam hebetare visus dicuntur. Blandior fœminis flamma, alliciens magis, quàm accendens.* De Scythicis item smaragdis meraciùs improbiusque virentibus, *cap.* 5. *ejusdem libr. Nullis major* austeritas, *nec minùs vitii.* Et paulo pòst, *Ergo Cyprii variè glauci: magis ac minus in eodem smaragdo, aliis partibus tenorem illum Scythicæ* austeritatis *non semper custodiunt.* Eodem sensu Latini usurparunt colorem *pressum, saturum, plenum, adstrictum, superbum, improbum*; Græci quoque ..., βαθύ: unde *superbia candoris* Vitruvio, *austeritas* est καὶ ἡ βαθύτης τοῦ λαμπροῦ. Opponitur color *dilutus*, item *excitatus*, hoc est, clarus & acutus, Gr. ὀξὺς: ita tamen, ut *austerus & excitatus* in eodem simul possint esse, diverso respectu, e.g. Tyria purpura nigrior & adstrictior aspicientibus apparebat, suspicientibus autem excitatissimum colorem ac lumen affulgebat. At excitatus & dilutus simul esse & in uno morari nequeunt, &c. Et quidem Antiqui pressiores & fusciores purpuras magis probabant, at recentioribus claræ & excitatæ potius placuere. Vide Salmasium *ad Tertullianum de Pallio*, & *ad Solinum pag.* 199. ut & hic passim ubi de *Coloribus* prædictis.

Australis Terra, seu prout à Ferdinando Mendez de Quiro vocatur, *Australia incognita*, quarta pars Geocosmi secundùm Becmannum, maximè vicina est Orbi veteri, ad procurrentem tractum Novæ Guineæ, Americæ verò ad fretum Magellanicum: Hæc sola constat mari undique cincta esse, & circumnavigari posse cùm in vet. Orbe pariter, ac America, partes Septentrionales nondum satis exploratæ sint. Hic, ut & in regione Polari Arctica opposita, nox diesque sex mensium est, sub ipsis verò Polis lux perpetua, saltem crepera. Animadvertit quoque sagacissimus Kircherius, esse in terris hisce subpolaribus ingentes voragines, quibus mare sub Polo Arctico absorbeatur, sub *Australi* iterum emergat idque ex eo potissimum colligit, quia maria subpolaria ob rapiditatem superari non possint. Hinc, ut de Polo Arctico nil dicam, constat ex le Maire *Relat. de invento freto*, Nautas post 60. gr. latitudinis *Australis*, ob contrarietatem fluctuum ulterius progredi neutiquam potuisse: Et docet Herrera, *in Histor. Americæ Austral.* classem Regiam Hispanorum, ad detegendas novas terras emissam, non potuisse superare gradum 70. ob aquarum, etiam tranquillo aere & silentibus ventis, obviàm prorumpentium violentiam. V. Athanas. Kircherum *Itinere Ecstat.* 2. *Dial.* 1. *& M.S. lib.* 3. *capite* 2.

Austrasia, adde: Sub Lothario II. Regnum hoc *Austrasiæ* appellari cœpisse *Lotharingiam*, hancque etiam divisam fuisse in Burgundiam Comitatensem & Arelatensem ditionem, refert Georgius Hornius *Orb. Impp.* 222.

Austria, adde: Ante Marchiones, *Comites* primùm habuit *Austria*, Cæsarum quidem, non proprio nomine, imperantes, quos Henricus I. cognom. *Auceps*, Imper. constituisse legitur eo fine, ut Hungaros crebris excursionibus *Austriam*, Bavariam & tantùm non totam Germaniam infestantes, compescerent. Obvenitque ea dignitas provinciæ primùm Leopoldo *Illustri*, ex Comitibus, ut volunt quidam, Babebergensibus, originem suam referentibus ad Sueviæ Duces, oriundo, in præmium fortitudinis & defensorum contra hostes Imperii finium. *Ducis* titulum, à patruo Friderico I. cognom. *Barbarossa*, Imp. Henricus II. obtinuit Anno Christi 1156 abolito quoque occasione eorum, quæ contra Imperatorem Henricus Superbus Saxoniæ & Bavariæ Dux patraverat, clientelæ jure, quo Bavariæ Ducibus *Austria* hactenus fuerat obnoxia. Cujus stirps cùm defecisset in Friderico, prælio contra Hungaros occiso Anno Chr. 1246. ejus ex fratre neptis Gertrudis, Hermanno Badensi nupta, filium habuit Fridericum, qui unà cum Conradino Sueviæ D. jussu Caroli Andegavensis, capite Neapoli plexus est, Anno Christi 1269. Ita orbata Principibus suis *Austria*, atque hinc Hungarorum, inde Bavarorum, injuriis exposita, provinciæ Ordines Henricum Misniæ Marchionem, Friderici præfati sororium adiere, ut imperium ejus susciperet, rogitantes. Sed eripuit cupientis faucibus bolum Ottocarus Bohemus, ductâ Margaretâ Leopoldi VII. *Austrii*, seu juxta alios, Hermanni Bad. filiâ, quam Henrico Misnensi Ordines destinaverant, possessionem *Austriæ* Stiriæque adeptus. Neq; huic tamen possessio diuturna;

na · deturbato postea à Rodolfo I. Imp. qui victo Ottocaro *Austriam, Styriam, Carinthiamque*, tanquam belli jure captas, in Albertum fil. transtulit, assensu Imperii ordinum impetrato A.C. 1282. E cujus posteris *Archiducis* titulum primùm Fridericus IV. Imp. aut, ut alii volunt, filius ejus Maximilianus usurpavere; nonnullis Carolum IV. aliis Fridericum II. circa A.C. 1245. hujus honoris Auctores facientibus, &c. Tob. Pfannerus *lib. de Præcipuis Germaniæ Principum Gentibus, cap. 1. ubi de Gente Austriaca.* Pollent autem *Archiduces Austriæ* eximiis privilegiis; ut qui non tenentur investituram extra Austriam petere, sed tecto capite, insidentes equo, eam intra territorium suum accipiunt: primumque ab Electoribus obtinent locum. Cui præcedentiæ cùm acriter contradicerent Bavariæ Duces, factum est, ut tandem *Archiducibus*, inter Ecclesiasticos Principes, locus primus fuerit concessus. Plura hanc in rem, *de incrementis* inprimis *Familiæ, ac prætensionibus*, Vide Georg. Hornium *Orb. Polit. pag. 211.*

Austrogothi, memorati Trebellio in *Claudio*, *Denique Scytharum diversi populi, Peucini, Trutungi*, Austrogothi, *Virtingui, Sigipedes, Celtæ etiam & Heruli, prædæ cupiditate in Romanum solum & Remp. venerunt, atque illic pleraque vastarunt*: sunt qui aliis *Ostrogothi* dicuntur; passim enim *au* & *o*. confundi notum, ex vocibus *Aurichalcum, Plautus*, &c. V. Casaubonum *ad l.*

ad *Austrum* precandi ado andique ritus, velut præscriptus à Prophetis, memoratur in *Libro S. Athanasii* dicto, Quæstionum nempe ad Antiochum Principem, *Quæst. 37. Tom II. pag. 344. Parisiis* 1627. Quod verum quidem, si quis in Regione aliqua Hierosolymis Boreali aut quæ Boream in plagis Mundi participaret, oraverat: talis enim *Austrum* versùs consistere necesse habuit. At non *nomine Austri* sic precabatur: sed quia in Austro ejusmodi homini oranti collocabantur Hierosolyma. In libro verò illo pro indubitato sumitur, quòd quemadmodum Christiani *κατ' ἀνατολὰς, versùs Orientem*, ita Judæi *κατὰ Νότον, versùs Austrum*, adorare soliti sint. Rationem inter alia hanc reddit Auctor, *Διὰ τὸ ἐν Νότῳ τῆς Ἱερουσαλὴμ γεννηθῆναι ἐν Βηθλεὲμ μέλλοντα τὸν Κύριον. Διὸ καὶ ἔλεγεν ὁ προφήτης, ὁ Θεὸς ἀπὸ Θαιμὰν ἥξει, τουτέστιν ἐν Νότῳ. Quòd ex Austro, quoad Jerusalem, scilicet ex Bethleem* (milliaribus sex versus Austrum ab Hierosolymis distante) *nasciturus erat Dominus. Unde dixit Propheta* (Habacuc c. 3. v. 3) *Deus à Thaman veniet, id est, ab Austro.* Sed locus hic de Legis datione in Sinai, quæ Judæis Australis est, à plerisque capitur, ad Deuteron. c. 33. v. 2. Prophetam respicere dicentibus. Et Chaldæus certè, *In Legis datione*, inquit, *Deus revelatus est ab Austro*, &c. Quam in rem V. plura, apud Joh. Seldenum *de Synedriis lib. 3. p. 409.* ut & infrà *de Precandi ritu.*

Autepsa, Gr. ὁ *Αὐτεψὴς*, occurrit apud Æl. Lampridium in *Heliogabalo*, *Primus deinde* autepsas *argenteas habuit: primus etiam cacabos*, sartaginemque aut aliud genus coquinarii vasis & ad focum apti designat, ut & *ταγηνοψὸς*, quæ *sartago* exponitur in vet. optimo Glossario. Fallitur autem Lampridius, nisi de Heliogabalo privato loquatur; imò nec ita quidem ei fides constabit. Nam cùm lectos, planè argenteos atque aureos, apud vett. Græcos Latinosque etiam in Pandectis, inveniamus, probabile neutiquam est, inventum hoc esse Alagabali, mensas aut cacabos ex argento conficere. De mensis sane argenteis apud Romanos, Plinium vide *lib. 33. cap. 11.* qui & vasa coquinaria jam inde à Calvo Oratore fieri ex argento cœpisse, ibidem observat: *autepsæ* autem & cacabi inter ista, &c. Casaubonus & Salmasius ad *Lampridium*, V. quoque infrà in voce *Cacabus.*

Authentica, vulgus Interpretum & Pragmaticorum vocat quas *τὰς Νεαρὰς* & *Novellas Constitutiones*, & ipse Justinianus ejusque Interpres Julianus Patritius & Interpp. Græci veteres appellant; Cur verò *Authentici* nomine, Constitutionum hoc volumen citetur, cùm tamen nusquam appareat, hunc titulum ab ipso Legislatore præfixum esse, declarare conatur Alciatus *Parergon lib 2. cap. 46.* Haloander, acris judicii vir, *Authenticas*, h. e. ut ait, breves illas sententias, ex Novellis Justiniani constitutionibus exceptas, in recognoscendo Codice loco movit. Idem Alciatus *Authentici* nomine *rem certæ fidei* denotari, non solùm apud Julianum, Paulumque JC. sed etiam apud Ciceronem *ad Attic. Epist. lib. 9. & 10.* contendit: quod negat Gaza *lib. de Mensibus*, Joh. Calvinus *Lexic. Jurid.* Carolo du Fresne *Authenticæ* appellari cœptæ sunt Novellæ Constitutiones Justiniani, ex quo, rejectâ Juliani Antecessoris versione seu editione, earundem barbara Bulgari tempore facta translatio, quòd uberior videretur, ab Accursio recepta est, qui *Authenticam* eam dixit, quoniam ex ipso Græco originali ad literam esset traducta. Apud Hesychium enim, *Κύριον, ἴδιον, αὐθεντικὸν χειρόγραφον.* Vide eum in *Glossar.* Alia vocis notio est, apud Dominic. Macrum in *Hierolexico*, cùm ait, *in Hebdomade Majore dici quoque Authenticam*, consuevisse.

Authentici, Græcè *Αὐθεντικοὶ*, Dionysio Uticensi Venti dicuntur, qui *Cardinales* Latinis: *Ἀπὸ τῶν τεσσάρων κλιμάτων τέσσαρες αὐθεντικοὶ πνέουσιν ἄνεμοι, A quatuor climatibus quatuor* Authentici *spirant venti.* Prima enim & antiquissima divisio, quæ tantùm quatuor ventos cognoverat, è quatuor eos cœli plagis educebat, quas *κλίματα* hic Dionysius vocat, *cœli partes*, Plinius; *limites & regiones cœli*, Favorinus apud A. Gellium; inferior Latinitas, *Cardines*: unde *Cardinales Venti* iidem, quos *Authenticos* appellat Dionysius. Vegetius *principales lib. 4. cap. 38.* *Itaque, ventis principalibus declaratis, eos, qui ipsis dextrâ lævâque juncti sunt, indicemus* &c. Vide Salmasium *ad Solinum pag. 1239.* & infrà, in voce *Cardinales Venti.*

Autites, apud Plinium *lib. 5. cap. 5.* ubi de Carbunculo: *Sapphiros Indicos non esse claros dicit. Sed plerunque sordidos, ac semper fulgoris horridi: Æthiopicos pingues, lucemque non emittentes — sed convoluto igne flagrantes. Optimos verò amethystizontas, hoc est, quorum extremus igniculus in amethysti violam exeat: proximos illis, quos vocant* Autitas, *innato fulgore radiantes*, uti Salmasius legit. Græcè *αὐτίτας*, est *qui ex seipso*, seu, ut ait Plinius, *innato fulgore radiat*, non arcessito. Quemadmodum *αὐτίτης οἶνος, qui per se fluit.* His idem opponit *ex alio lucidos & magis in Sole flagrantes.* Nempe *ex alio lucem*, qui, non innato fulgore radiant, sed in Sole positi magis flagrant, adeoque, mutuato à Sole fulgore nitent, non ex sese dato. Item qui *inclinatione*, h. e. *τῷ πρὸς τὸ φῶς ἐγκλινεῖ*, *excitantur.* Idem paulo pòst, *Archelaus Carchedonios nigrioris aspectûs esse, sed igne vel Sole, inclinatione acriùs quàm cæteros, excitari*, &c. V. Salmasium *ad Solinum pag. 380.*

Autocephali, Græcis *Αὐτοκέφαλοι*, dicti his sunt Episcopi seu Archiepiscopi, qui, à Patriarchis non dependentes, ratione jurisdictionis, eodem ac illi *αὐτοκεφαλίας* jure gaudebant, nulli alii subjecti. Cujusmodi Cypri Archiepiscopus est, ex Concilii Ephesini decreto, metropoli ejus ab Antiochenæ Ecclesiæ jurisdictione exemptâ. Sic in Sexta Synodo *can. 39.* qui etiam refertur à Constantino Porphyrogenito *lib. de Admin. Imp. cap. 48.* Nova Justinianopolis *τὸ δίκαιον ἔχειν τῆς Κωνσταντινουπόλεως, jus Constantinopoleos habere*, dicitur. Idem juris in Ecclesia Orientali habuere præterea Archiepiscopus Bulgariæ & alii nonnulli Metropolitani, *διὰ φιλοδωρίας βασιλικῆς*, ut ait Balsamon *de Privilegiis Patriarcharum.* Eandem prærogativam in Latina Eccl. sibi arrogasse Archiepiscopos Ravennates, auctor est Anastasius *in Dono P. Hujus temporibus Ecclesia Ravennatum, quæ se ab Ecclesia Rom. segregaverat, causâ* Autocephaliæ, *denuo se pristinæ Sedi Apostolicæ subjugavit.* Idem in Leone II. *Sed & typum* Autocephaliæ, *quem sibi elicuerant* (Archiepiscopi Ravennenses) *ad amputanda scandala Sedi Apostolicæ restituerunt.* Unde colligit du Fresne, id privilegii Archiepiscopos illos fuisse consecutos, vel à Romanis Pontificibus, vel ab Impp. CP. vel denique per usurpationem, maximè cum Româ ab eorum Imperio avulsâ, solus ferè in Italia Græcis Augustis remanserit Ravennensis Exarchatus: ita ut nec Patriarchis CP. parerent, nec Pontificibus Rom. qui ab Imperatoribus Orientis defecerant. Donec pulsis totâ Italiâ Græcis, hanc Ravennatis Ecclesiæ *autocephaliam* abrogavere Romani Præsules, & statuere, *ut Ecclesia Ravennas sub ordinatione sedis Apostolicæ esset, & ut juxta antiquam consuetudinem in civitatem Romanam veniret Archiepiscopus ordinandus*, ut ibidem Anastasius narrat. V. præf. du Fresne in *Glossario.*

Autocheani, Hæretici, Christum esse Deum per se, non à Patre, procedentem dicentes, Car. Macro in *Hierolexico.*

Autochires, Græcè *Αὐτόχειρες*, aliter *Αὐτοφόνοι*, i. *Suicidæ*, qui ipsi sibi mortem consciscunt, apud Hebræos, soli sepulturæ honore caruerunt, uti Josephus docet *de Bell. Jud. l. 3. c. 25.* Nec id mirum, cùm in hos aliud supplicium constitui non possit, qui mortem pro supplicio non habent. Sic Milesiæ Virgines à voluntaria morte absterritæ, apud A. Gell. *l. 15. c. 10.* & plebs olim Romana, apud Servium *ad Æneid. l. 12.* quanquam improbante Plinio *l. 36.* Sic & Cleomenis corpus, qui se interfecerat, Ptolomæus suspendi jussit. Et passim receptum, ait Aristoteles *Nicom. lib. 5. c. 5.* ut ignominiâ aliquâ afficiantur, qui sibi mortem intulere: ubi Andronicus Rhodius id exponens ait, sepulturâ eorum corpora prohiberi, quod inter alia Demonassæ Cypri Reginæ scita laudat Dion Chrysostomus. Neq; huic mori obstat, quod Homerus, Æschylus, Sophocles, alii monent, nihil sentire mortuos: quare nec damno nec pudore affici. Satis enim est id, quod mortuis accidit, à vivis metui, ut hoc pacto à peccato retrahantur. Optimè enim Platonici contra Stoicos, & si qui alii servitutis & morbi fugam, imò & spem gloriæ, pro justa causa mortis voluntariæ, admittebant, sentiunt, retinendum animum in custodia corporis, nec injussu ejus, à quo ille nobis est datus, ex hac vita migrandum: quam in rem multa videre est apud Photium, Olympiodorum & Macrobium *ad Somnium Scipionis.* Hanc sententiam secutus olim Brutus, Catonis factum, quod postea imitatus est, damnaverat; & Magasthenes notabat, ab Indorum sapientibus reprehensum Calani factum, neque enim eorum placitis probari talem exitum hominum vitæ impatientium, Strabo *lib. 15.* Nec aliena Persarum, ut videtur, sententia, quorum Rex Darius apud Curtium *lib. 5. alieno scelere, quàm suo, mori* maluit. Ideò Hebræis mori dictum *ἀπολύεσθαι*, i. *dimitti*; quod genus loquendi & Græcis fuisse usitatum, discimus ex Themistio *de Anima* & Plutarcho in *Consol.* Nonnulli tamen & Hebræorum, de Lege se non interficiendi, unam causam excipiunt, tanquam *εὔλογον ἐξαγωγὴν*, si quis videat se deinceps victurum in probrum ipsius Dei. Quò referunt exemplum Sampsonis, Saulis, *in libris* Judicum & Samuelis, nec non Razis Senatoris Hierosolym. in *Historia* Maccabaica. Sed & in Christiana *historia* exempla legimus similia eorum, qui mortem sibi intulerunt, ne tormentis adacti Christi religionem ejurarent, &c Virginum, quæ, ne pudicitiam amitterent, in flumen se jecerunt,

quas & in Martyrum censum Ecclesia retulit. De quibus quid Augustinus sentiat, *de Civ Dei lib.1.cap.26. Epist 61. ad Dulc.* & *lib.2.cap.23. contra secund. Gaud. epist.* videre operæ pretium est. Cui addeplaceat Chrysostomum *Galat.* 1. 4. Concilium Carthagin. I. & Aurelian. II. *Capitulum* item Francicum *lib.6 cap.70* & *libr.7. cap. 443.* Æschinis tempore ejus, qui se interfecisset, manum seorsum à corpore sepeliri consuevisse, tradit idem in *Ctesiphontem.* V. quoque Hegesippum *lib. 3. cap* 17. & plura hanc in rem apud Hug Grotium *de Jure Pacis & Belli lib.* 2. *cap.* 19. §. 5. nec non Tob. Pfannerum *System. Theol. Gentil. pur. cap. de Lege.*

Autochthones, adde: Ita quidem Scaliger, qui Αὐτόχθονα & Γηγενῆ eundem vult esse. Unde Marcianum Heracleotem de Ephoro, Cretem αὐτόχθονα vocantem, in versibus his,

—— —— εἶναί φησί τε
Ἐπώνυμον τὴν νῆσον ἀπὸ Κρητὸς λαβεῖν
Τοῦ δὲ γενομένου βασιλέως αὐτόχθονος.
Esse dicit
Cognominatam insulam à Crete quodam,
Qui fuerat Rex autochthon:

reprehendit; quòd ex Jove & Ida is natus esset, adeoque non ex terra prodiisset. Sed aliud αὐτόχθων, aliud γηγενής. Certè αὐτόχθονας se esse Athenienses olim jactabant, *indigenas* nempe, non aliunde advenas; qui tamen γηγενεῖς non erant. Indigenam ergo Regem illum fuisse, vult Marcianus, qui Cretæ nomen dedit, non extraneum, sed ipsa in Insula natum: quod significat αὐτόχθων. Poëta Comicus,

—— λέγοντι τοὺς αὐτόχθονας.

H.e. *Indigenum alius* & ex ipso solo natum, non aliunde petitum. Sic αὐτόχθονα λίθον, describit Auctor *de limitibus*, *Eo quòd non intermimus lapides peregrinos, quos poneremus, ex ipso metallo saxum à ferro assignavimus.* Cujusmodi lapides *auchores* dicuntur Frontino *de Coloniis*, quasi ἐγγενεῖς.

Autolala, adde: & Insula Αὐτολάλα Ptolomæo. Unde popul. *Autololes*, Solino *cap.* 24. ubi de Libya. Hortis Hesperidum & monte Atlante. *Sala oppidum imminet Salæ flumini. Ab hoc per Autololum gentem iter est in Atlanticas solitudines. Atlas mons è media arenarum consurgit vastitate*, &c. Sed de his vide suo loco. Hinc τὸν Αὐτολολικὸν, Atlantem montem Dioscorides vocat, minorem nempe, quòd populos hos vicinos haberet, Salmasius *ad Solinum pag.* 301.

Autolycus, avus Ulyssis, furandi peritiâ apud Poëtas celebris. Eum divinis honoribus affecisse Sinopenses ad Pontum Euxinum, in Paphlagonia, legimus apud Strabonem *l.12.* Καὶ τὸν μὲν ἄλλον κόσμον τῆς πόλεως διεφύλαξεν ὁ Λεύκολλος, τὴν δὲ τοῦ Βιλλάρου σφαῖραν ἦρε καὶ τὸν Αὐτόλυκον Σθένιδος ἔργον, ὃν ἐκεῖνοι οἰκιστὴν ἐνόμιζον καὶ ἐτίμων ὡς θεόν. ἦν δὲ καὶ μαντεῖον αὐτοῦ. Δοκεῖ δὲ τῶν τῷ Ἰάσονι συμπλευσάντων εἶναι καὶ κατασχεῖν αὐτὸν τὸν τόπον. *Lucullus conservatis reliquis Sinopes ornamentis, Billari tamen Sphæram abstulit & Sthenidos opus, Autolyci statuam, quem illi, urbis conditorem existimantes, divinis colebant honoribus. Fuit etiam oraculum ejus. Videtur is unus eorum fuisse, qui cum Jasone navigarunt & locum istum occupasse.* Ubi quòd ambigit Strabo, num is unus Argonautarum fuerit, id inde fortè est, quòd in itinere demum iis accesserit. Vide Apollon. Rhodium *lib.* 2. Val. Flaccum *Argonaut. l.* 5. & Vossium *de Idolol. l.* 1. *c.* 21.

Autolycus puer, pancratio victor, propter quem Xenophon *Symposion* scripsit, inter Leocr tis opera, memoratur Plinio *l.* 34. *c.* 8.

Automaton, quibusdam idem cum pegmate, de quo suo loco: Suetonius tamen *in Claudio cap.* 34. distinguit: *Si aut automaton, aut pegma, vel tale quid aliud parum cessisset*: de *Automato* in Physicis, Vide infrà, ubi de *Perpetuo motu.*

Automoli, adde: Memorantur Herodoto *lib.* 2. ubi à Meroë duodecim dierum navigatione in regionem *Automolorum Æthiopum* perveniri scribit. Rationem nominis pandit Mela, *Æthiopes ultra. Sed & Meroën habent eam, quam Nilus primo ambitu amplexus, Insulam facit. Pars, quia vitæ spatium dimidio ferè, quàm nos, longiùs agunt, Macrobii. Pars, quia ex Ægypto advenere, dicti Automolæ.* Idem eos *justitiam colere, æquitatem amare.* addit: quod de Macrobiis refert Solinus *cap.* 30. ad quem V. Salmasium *pag.* 385. & 386.

Autophori, Græcè αὐτόφωροι, *L.* 3. *de furt. Institut. de obl. quæ ex delicto nasc.* §. *Furtor.* non solùm sunt fures manifesti, sed etiam omnes, qui in quocunque alio crimine deprehenduntur: non ἀπὸ τοῦ φῶρος, ut nonnulli censent, sed à verbo φωρῶ, *deprehendo.* ut Phavorinus & Budæus notant: quod etiam Cœlio Rhodigino *lib.* 10. *cap.* 6. videtur. Hinc Thucydides *lib.* 7. etiam eos, qui ad Tyrannidem aspirare deprehenderentur, Αὐτόφωρος vocat. V. Petandum Adduensem *Explicationum lib.* 1. *cap.* 43. laudatum Joh. Calvino *in Lexic. Jurid.*

per *Autumnos* numerandi Annos ratio, Bajvvariis olim in usu fuit (ut Anglo Saxones per *Hiemes* numerabant, in *LL.* Canuti R. *cap.* 19. & Dani apud Wormium in *Fastis Danicis cap.* 7.) *L. Bajvvar. tit.* 7. *cap.* 19. §. 4. *Per singulos annos, id est*, Autumnos *singulos.* Olim autem quid *Autumnus* esset, Germani non norant, teste Tacito *de Mor. Germanor. Annum quoque ipsum non in totidem digerunt species. Hiems & Ver, & Æstas intellectum & vocabula habent, Autumni perinde nomen ac bona ignorantur.* Quando verò *Autumnus*, ut & cœteræ anni tempestates, initium sumant, docent versus hi apud Lindvvodum:

Dat Clemens Hiemem, dat Petrus Ver Cathedratus,
Æstuat Urbanus, Autumnat Bartholomæus.

V. Car. du Fresne *Glossar.*

Avulnius Saturninus, memoratur Flav Vopisco in *Divo Aureliano*, *Quum consedisset Valerianus Augustus in Thermis apud Byzantium — assidentibus à parte læva*, Avulnio *Saturnino Scythici limitis Duce, Murentio ad Ægyptum destinato, Julio Tryphone*, &c. Regius *Amilio*: vulgata lectio vestigia servat vocis *Avulnio*, inquit Casaubonus *ad loc.*

Auxacium, nomen montis in Serica apud Ammianum *lib.* 23. *Appellantur autem iidem montes Aria &* Auxacium, *& Asmira & Emodus & Ottoracora*; uti lectionem restituit Salmasius, cùm vulgò legatur, *Nazavicium* Αὔξακια certè ὄρη, *Auxacia montes*, memorat Ptolomæus. V. Salmasium *ad Solinum, pag* 989.

Auxilia, tum sociorum, tum alienigenarum gentium ferè semper in exercitu Romano adhibuit Resp. Et primis quidem temporibus, priusquam Italia subacta esset, aut in provinciam saltem redacta, Legiones ex civibus Rom. conscribebantur. *Auxilia* verò ex Italicis sociis petebantur: hæcque numerum Legionum semper aut æquabant, aut certe superabant. Post Italiam civitate donatam, Legiones tam ex Italicis, quam ex Romanis, utrique enim jam cives, conscribi cœptæ sunt: *auxilia* verò petita ex aliis gentibus, partim fœderatis, partim etiam mercede conductis. At postquam totus Orbis Rom. civitate donatus est, quod Antonini Pii lege factum, delectus passim habitus ex omnibus Orbis Romani provinciis, ad Legiones scribendas de novo, aut vett. supplendas, *Auxilia* verò ex barbaris sumta, ut Germanis, Batavis, Mauris, Armeniis, Osroenis, Palmyrenis, Getis, Dacis, aliisque exteris gentibus, quæ extra Romanos limites submovebantur & Imperii jugum nondum subierant. Hinc *miles provincialis*, apud Hyginum, pro legionario; provinciæ enim omnes Romanæ tirones ad supplementa legionum præbebant: auxiliares milites barbaris subministrantibus. Atque hic mos ante Probum Imp. semper in exercitu Rom. tenuit: primus vero hic cùm diceret, *Sentiendum esse, non videndum, quoties auxiliaribus barbaris Romanus juvatur*, apud Vopiscum, sedecim tironum millia ex barbaris accepta, per diversas Romani Imperii provincias sparsit & Legionibus immiscuit militibusque limitaneis. Quo facto & instituto utriusque militiæ sacramenta confudit, *legionaria* & *auxiliaris*, quæ ante id tempus erant distincta ac diversa, & illi fortasse confusioni fenestrâ aperuit, quæ post Constantinum invasit, quâ passim & sine ullo discrimine barbaris ad Rom. militiam ingressus datus est, ipsique non ad militares tantùm dignitates, sed etiam ad civiles admissi. Qua de re graviter conquestus est Synesius pulcherrimâ illâ *de Regno* ad Arcadium oratione. Tanta namque erat illis temporibus quod ad militiam attinet, confusio, ut non solum Barbari legionariæ militiæ nomen darent passim, sed etiam vice versâ Romani in *Auxiliis*, quæ barbarorum olim tantùm fuerant, sacramenta dicerent, quod in his minor esset labor & majora maturioraque præmia. Vegetius *l.2.c.3. Est & alia causa, cur attenuatæ sint legiones. Magnus in illis labor est militandi, graviora arma, plura munia, severior disciplina. Quod vitantes plerique in* Auxiliis *festinant sacramenta percipere, ubi & minor sudor & maturiora sunt præmia*, &c. Fuerunt autem *Auxilia* in cohortes divisa, cohortes in vexilla, unde cohortes semper de *auxiliis* & vexilla de cohortibus. Sic *Vexilla* sunt auxilia, apud Livium *l.* 39. *Vexillares cohortes*, Tacito *Hist. l.* 2. qui *Vexillarios è cohortibus* vocat *l.* 3. ut eos à Vexillariis Legionum distinguat. Hinc *Dux Vexillorum* in antiqua Inscr. est, qui alio lapide *Præfectus auxiliorum* dicitur: LEG. AUGG. PROPR. PANNON. SUPER. DUCI. VEXILL. &c. V. Salmasium *ad Capitolinum in Pertinace* & *Vopiscum in Probo*, ut & infrà, ubi de *Vexillis* ac *Vexillationibus.*

Auxiliorum Præfectus, aliàs *Dux Vexillorum.* V. hîc suprà.

Auxilium, apud Recentiores, vox in Foro frequens, Gall *Ayde, droit d'ayde.* Sic autem appellatur quædam tributi & vectigalis species, quam *tenens* seu vassallus domino capitali, pro ingruente aliqua necessitate, præstat, & ob suorum necessariorum onera. Suidas, Αὐξίλια, οἱ Ῥωμαῖοι τὰ τοιαῦτα τέλη προσαγορεύουσιν, *Auxilia Romani istiusmodi tributa vocant.* Duplicis verò generis *Auxilium* occurrit, viz *Legitimum*, quod à Lege vel Consuetudine introductum est, cujusmodi sunt tria illa, quæ in omnibus penè Consuetudinibus municipalibus Domino Feudi asseruntur, cùm sc. *Primogenitum filium Militem facit*; cùm *Filiam primogenitam primùm nuptui collocat*; ac tertiò, *si ipse è captivitate redimendus sit.* Quæ etiam, quòd à consuetudine manare videantur, *Auxilia consuetudinaria*, Gall. *Aydes Coustumieres*: item *Auxilia Capitalia, Rationabilia* item vocitantur; non quòd ipsa ratio dictet, ea præstanda à vassallo sed quòd moderatiùs sint exigenda & secundùm vassallorum facultates, ne nimio onere prægraventur. Alterius generis fuere *Auxilia*, quæ *libera & gratiosa* vocabant, quòd dominis pro ingruente aliqua necessitate imprævisa, à vassallis & subditis pensitarentur gratuitò & ex mero illorum arbitrio, cùm nulla Lex existeret aut Statutum municipale, quo ad id exsolvendum adigerentur. Gall. *Aydes gracieuses*, Germ. *Freyvvillige Steuren.* Sic extat apud du Fresne in *Regesto* Memorabilium

lium Cameræ Computorum Parisiensi notato *C. fol.* 64. *Diploma* Philippi R. Franc. 7. Febr. 1349. quo certum tributum, urbis Parisiensis incolis ad annum impositum, ex mera eorum gratiâ concessum agnoscit, Gall. *qu'il les tient à subside gratieux.* Cujusmodi tenoris ibidem extant *Chartæ* Johannis R. A.C. 1350. Sed & Rex idem, in alio *Diplomate*, subsidia à Nobilibus, Clero & Plebejis Comitatuum Andegavensis & Cenomanensis, propter ingruentia bella sibi concessa, *Aides gratieuses* vocat. Verùm, quod ex mera gratia & libero subditorum ac Vassallorum arbitrio Dominis aut Principibus primùm pensitabatur, id postea in Legem & necessitatem transiit, cujusmodi sunt e.g. in Gallia, tributa varia & vectigalia quæ nomine *Auxilii* vel *Subsidii* exiguntur. Vide Car. du Fresne in *Glossar.* & hic infrà. De *Auxiliis* verò, in Imperio exigi solitis, Politicarum rerum Scriptores consulendi: Limnæus inprimis *de Jure Publ.* & Wendelinus in *Polit.*

Auxiliorum varia apud Scriptores genera, ex eod.

Auxilium pro Militia primogeniti filii, quod primum vulgò ponitur inter *Auxilia Legalia*, Gall. *Leaux Aydes*, occurrit in *Regesto* præfato, ubi Philippus Pulcher A.C. 1313. Senescallo Santonensi præcipit, ut exigat à subditis suis, *l'ayde accoustumée deuë pour la Chevallerie de son fils aisné, &c.* Cùm verò statim, ac natus esset Domino filius, à Vassallis ejusmodi *Auxilium* deposci primitus mos esset, ab Eduardo I. R. Angl. *Statuto* Westmonast. *cap.* 35. *an.* 3. cautum est, in beneficium Vassalli, ut *Auxilium non peteretur*, ad filium Militem faciendum ante ætatem 15. annorum Aliter in Scotia, *Statuto* Roberti I. *cap.* 18. sancitum. V. quoque *Constitutiones Sic. lib.* 3. *tit.* 18.

Auxilium pro primogenita filia semel maritanda, alterum è tribus Auxiliis, à Lege & Consuetudine introductis, jam inde à Guiscardi temporibus, circa A.C. 1080 obtinuit: qui Mathilde secundogenitâ Raimundo Berengarii Com. Barcinonensi nuptum datâ, *Auxilium* à Vassallis suis exegisse legitur; cùm in Helenæ primogenitæ cum Constantino Duca nuptiis nihil ejusmodi petiisset, apud Guil. Apuliensem *Rerum Normannic. lib.* 3. V. de Rege Henrico Angliæ, Seldenum *de Titulis Honorar. Part. II. cap.* 5. §. 17. de aliis Petrum de Vineis *lib.* 5 *Epist.* 16 & Chopinum *Monastici lib.* 2. *tit.* 2. §. 15. ubi ne Clerum quidem Normannicum ab istiusmodi tributo immunem fuisse legimus. Sed hic iterum *Statuto* Eduardi I. Westmonasteriensi *cap.* 35. cautum fuit, in beneficium vassalli, ut *Auxilium* ad maritandam filiam non peteretur, antequam septimum illa ætatis annum attigisset, &c. Cùm autem idem subsidium, pro Beatricis, ex Carolo Martello Hung. R. filio suo primogenito, jam mortuo, neptis nuptiis, à Provinciæ Comitatus incolis, extorquere decrevisset Carolus II. Siciliæ R. Aptenses contrà, tanquam rem novam tentaret, intercesserunt. V. Michaëlem *del Molino* in *Repertorio Forór. Aragon.* in voce *Dos.*

Auxilium, pro Redemptione corporis Domini, si ab hostibus capi contingat, tertium è legitimis *Auxiliis* omnium indubiè justissimum. Sic pro redemptione Richardi Angl. R. auxilium ab Anglis exactum, & *de unoquoque feodo Militis* 20. *solidos exsolutos*, tradit Rogerus Hovedenus Quod etiam extentum videtur, ad liberationem uxoris domini aut primogeniti filii, apud Walsinghamum in *Edwardo II.* &c. Reliqua *Auxiliorum* genera sequuntur, juxta seriem literarum Alphabeti.

Auxilium pro Ædificatione, aut munitione Castri, sæpe occurrit, in Charta Gaufredi Com. Andegav. in Libertatibus concessis villæ Montisbrulonis, à Guigone Com. Forensi A.C. 1223. in Tabulario Vindocinensi Ch. 109. alibique passim, in *Chartis* Anglicis præsertim: à quo exactionis genere ne Monachi quidem ipsi liberi fuere, ut est in *Epist.* Bonifacii Moguntini ad Cuthbertum Archiepisc. Cantii sub fin. Sed & ad *ǫ...* operas suas contulisse Principum subditos, colligitur ex Leone in *Tacticis cap.* 10. §. 71. quò *Novella* quoqu. Theodosii & Valentiniani *de Postulando*, pertinere videtur.

Auxilia Burgi, memorantur in *Chronologica* Augustinensi Cantuariens. A.C. 1104.

Auxilium Consuetudinarium Vavassorum & aliorum hominum tenentium de dominico & de feodis, in *Regesto*, Philippi Aug.

Auxilium pro Defensione Terræ, in *Statutis* Honorii IV. Pontif. Rom. pro Regno Neapol. 1285.

Auxilium pro Emptione terræ in vita Domini, semel facienda, occurrit in *Pacto*, inito inter Carolum Vadensium & Andium Com & Barones Andegav. & Cenomanenses. A.C. 1310. in *Regesto* Andegav. Cameræ Comput. Paris. *fol.* 56. alibique passim.

Auxilium Episcopi: sic appellabant *pecunias & procurationes*, quas Episcopi *à personis Ecclesiarum* subinde exigebant, quasque etiam *consuetudines Episcopales, quandoque Synodales, quandoque denarios Paschales vocabant*, ut est apud Alexandrum III. in *Appendice ad Concilium Lateran. III. part.* 2. c. 9. Ita *Auxilium pro consecratione sua* exigendi ab hominibus suis Episcopo concessit Guilielmus Siciliæ R. in *Constitut.* Siculis *lib.* 3. *tit.* 18. Vide suprà in voce *Adventus*. Idem auxilium à subditis suis exigendi potestatem, *cùm à Papa ad Concilium evocantur*, Episcopis concessit. *Ibid.* V. quoq; Joffridum in *Hist. Episcoporum Niciensium pag.* 182. & Jac. Petitum *post Pœnitentiale Theodori pag.* 666. 717. Etiam, *cùm ab Rege ad exercitus sui servitium evocantur*, iisdem idem juris indulsit Rex præfatus, ubi *suprà*. Sed & *Auxilium* à Presbyteris sui Archidiaconatus ex Episcopi licentia interdum Archidiaconos exegisse, docet du Fresne ex *Charta* descriptâ Petito *lib. cit. pag* 482. De *secundis Auxiliis*, ab Episcopo Archidiaconis impositis, Vide Joh. Salisberiensem *Epist.* 49. Plura verò, de ejusmodi *Auxiliis* ab Episcopis exactis, ab Ecclesiasticis suæ diœceseos, in casibus supradictis, apud Bartholom. Belloncinum *Tract. de Charitativis Subsidiis* & Augustin. Barbosam *de Officio & Pot. Episcopi Part. III allegat.* 87. &c.

Auxilium, pro Eundo ad Imperatorem, in *Charta* Caroli II. Sicil. R. A.C. 1290. aliaque descriptâ, apud Joffridum *Hist. Nic.*

Auxilium pro filia postgenita maritanda in Scotia locum habuit & in Sicilia: ut patet ex *Statutis II.* Roberti I. R. *cap.* 18. §... & ex *Constitutionibus Neapolit. lib.*... *tit.* 19.

Auxilium pro filio primogenito maritando, apud Cognatum *Histor. Tornac. libr.* 4. *cap.* 15.

Auxilium ad Guerram Domini manutenendam, quod *pro expeditione* vocant vett. Angliæ Regum *Diplomata*. In Imp. Rom. contra Turcas exigitur, & *Turckensteur* dicitur.

Auxilium pro Militia Domini, in *Charta* Thomæ Com. Perticensis A.C. 1214. in *Tabulario* Majoris Monast.

Auxilium pro Militia Fratris, occurrit in *Constitutionibus Friderici Imp. lib* 3. *Const. Sicul. t.* 19.

Auxilium pro Militia Nobilis viri cujuslibet, in *Consuetudinibus* Andegav. & Cenomanensibus.

Auxilium Pallii, quod Archiepiscopo à Presbyteris diœcesis pensitabatur, pro eundo Romam, ad *Pallium* Archiepiscopale sumendum: in *Charta* Schelfero descriptâ ad *Chron. Upsalens.* Vide quoque in *Lexico Univ.* ubi de *Pallio.*

Auxilium pro Rachato seu Relevia, ut legitimum agnoscit *Reg. Majest. lib. II. cap.* 73. §. 1. & Vetus *Consuetudo* Normanniæ *cap.* 34.

Auxilium pro Sorore maritanda, in regno Siciliæ obtinuit, ut colligitur ex *Const. Sic. l.* 3. *tit.* 18. & ex *Charta* A.C. 1211. apud Ughellum *Tom. I. p.* 784. In Angliæ etiam Regno, uti docet Matthæus Paris in *Henrico III. A.C.* 1235. ut & in Gallia. V. *Chartam* permutationis Vicecomitatus de Lautrico, aliamque Hugonis Vicecom. Castriduni, apud du Fresne.

Auxilium pro Subsidio Terræ Sanctæ, introductum videtur à Ludovico VII. Fr. R. cui cùm à Papa Eugenio sacris esset interdictum quòd Petrum Archiepiscopum Bituricens. sede suâ dejectum nunquam deinceps se admissurum jurasset, *tandem S. Bernardo persuadente ad hoc est cor Regis inclinatum, ut Archiepiscopum susciperet & pro transgressione perjurii, Hierosolymam se promitteret profecturum.* Tunc enim *per totam Galliam facta est exactio generalis, nec sexus, vel ordo, vel dignitas quempiam excusavit, quin* Auxilium *Regi conferret. Unde factum est, ut ejus peregrinatio multis execrationibus persequeretur*, Matth. Paris ad A.C. 1146. Exemplo igitur Ludovici, Ricardus I. R. Angl. idem fecit in suo Regno, cùm ad iter Hierosol. se accinxit A.C. 1190. ut testatur Hovedenus *pag.* 665. Regem quoque imitati cæteri Franciæ Proceres, eandem Legem suis indixere vassallis ac subditis, ut, quoties in Terram S. iretur contra hostes Fidei Christianæ, in partem sumtuum certum vectigal, *Auxilii* nomine sibi pensitarent, &c.

Auxilium Triennarium seu *Comitis*, in Normanniæ Ducatu: apud eundem du Fresne.

Auxilium contra Turcas, ab Imperatore indicitur, quoties belli gravioris periculum imminet.

Auxilium Vicecomitum, quod Vicecomitibus seu Ballivis præstabatur, in Anglia præsertim. V. Ingulfum *p.* 875. &c.

Auxo & Thallo, inter Atheniensium Deos, ab incremento frugum & flore dicti.

AX.

A.X. in Fuldensis Monasterii Martyrologiis seu potius Necrologiis, *Ancillam Christi* notat, apud Brovver. *Antiqq. Fuldens. l.* 2. *c.* 10.

Axamenta, carmina erant, quæ à Saliis componebantur, in honorem singulorum Deorum, ut Jovialii versus, Junonii, Minervii; Vetus Lexicon interpretatur versus in honorem Herculis, qui in sacris ejus decantabantur; Turnebus *Adversar. lib.* 22. *cap.* 24. Ab *axare*, quod Vett. idem fuit ac *nominare*, teste Festo. Apud Recentiores verò, *axatus* cervorum clamor est, V. Felicem Gyrvvensem Mon. in *Vita* S. Guthlaci *num.* ... apud du Fresne *Glossar.* & infra in voce *Magister.*

Axedre, Hispanis Latrunculorum ludus dicitur, ex Græco *Zatrikion*, quod Hispani à Mauritanis acceperunt, qui *Alxatrenc*

cum articulo vocant. Salmasius *ad Solinum pag.* 1830. Vide infrà *Euripum.*

Axes rotarum, ex ilice, fraxino aculmo, Veteribus fuere: sicut materiam curribus faciendis idoneam, abietem probat Plinius *lib.* 16. *cap.* 42. V. Hieron. Mercurialem *de Arte Gymn. lib.* 3. *cap.* 10. In vett. *Epigr. gemini Axes*, dicuntur metæ in Circo, quòd Orientem & Occidentem ostenderent, ut inquit Cassiodorus. Pro quo Græci dixere, Circi circuitum (nam expressè *metarum* non meminerunt, qui sub Imperio CPolit. vixere) à fine ad initium Orientem significare; ab initio verò ad finem, Occasum, τὸν ἐπὶ τὰς θύρας πορείαν, καὶ τὸν ἐπὶ τὴν σφενδόνην. Circi enim principium, θύραι illis, sicut finis & exitus σφενδόνη &c. *Epigramma* præfatum de Circo sic habet:

> *Namque Axes gemini ortum obitumque docent.*
> *Atque his Euripus quasi, magnum interjacet æquor.*
> *Et medius centri summus obeliscus abit.*

Vide Salmasium *ad Solinum pag.* 908. & infrà, in voce *Euripus*, item *Meta.*

Axillas depilandi consuetudo, apud Romanos olim usitata, V. suprà *Alipili.*

ex *Axillis* vocem emisisse, non ex ventre, id ariolorum genus, quorum mentio Actorum *cap.* 16. *versu* 16. crediti Hebræis, qui pro *Pythone*, פיתום *Pithom* scribunt voce leviter inflexâ. Talmudici in *Sanhedrin cap.* 7. *Baal Ob idem est, qui Pithom, seu qui loquitur ex axillis suis.* Ubi Glossa; *Mortuum ex terra educit, quem sub axillis & brachiis suis constituit, ut loquatur.* Unde R. Selomo *in Deuteron. cap.* 18. *versu* 11. explicans, quid sit שואל אוב, *consulens Ob* (seu Pythonem) *Hæc est*, inquit, *divinatio, quæ vocatur Pithom, quâ loquitur quis ex axillis, mortuum ad axillarum locum evocans.* De quo ritu, qui plura volet, consulat Maimonidem *in Tract. de Idololatria.* V. quoque infrà, in voce *Python.*

Axima, inter Centronum olim urbes, Ptolom. Ἐν ταῖς Γραΐαις Ἄλπεσι Κεύτρωνες: ὧν πόλεις Φόρος Κλαυδίου καὶ Ἄξιμα. *In Grajis Alpibus Centrones, quorum urbes Forum Claudii & Axima.* Nunc ex urbe vicus magnus, nihil præter priscum nomen, idque corruptum ac truncum, retinens: vulgò *Esma* vel Aime, 4. leuc. à Foro Claudii, capite quondam gentis. In tab. Theodosiana *Axuna* dicitur depravatè. V. Hadr. Valesium *Not. Gall.* in voce *Centrones.*

Axima, Persidis opp. adde: Diem maximam horarum quatuordecim continuat & trientis horæ; quemadmodum Hisp. alis Bæticæ Hispaniæ civ. eandem habet horarum 14. & 20. scrupulorum. Sed cùm Hispani, quamvis sub eodem cum Persis habitantes Parallelo (illi ad Occ. hi ad Orientem) quatuor horis serius Solem renascentem excipiant, fit ut Meridianus, sub quo Hispalis sita, à Meridiano, cui subjecta est *Axima*, horis totidem & scrupulis 53. distet. Salmasius *ad Solinum p.* 661.

Axinomantia, Magiæ species, quæ gagate securi candenti imposito fiebat, memoratur Plinio *lib.* 30. *cap.* 2 & *lib.* 36. *cap.* 19. *Hoc* (sc. gagate lapide) *utuntur Magi, in ea, quam vocant axinomantiam & peruri negant, si eventurum sit quod aliquis optet.*

Axiomatici, apud Guil. Bibliothecarium *in Hadriano II. Eum cum Pontificali pallio impositum, præcedentibus* Axiomaticis, *& subsequentibus reliquis turbis in urbem redire* — — *conspexerant*; Anastasium item Bibl. *in Histor. Eccl. Cum aliis quinque, tribus quidem Comitibus, duobus verò Axiomaticis*: Magnates sunt, Proceres, Magistratus. Glossarium Gr. Lat. Ἀξιωματικός, *Honorarius, qui honorem gerit*, &c. Unde Ἀξιωματικόν, *Salarium*, quod *Axiomaticis* à Rege pensitatur, in *Glossis* Basilic. & apud Photium *in Nomocanone tit.* 8. *cap.* 7. du Fresne *Glossar.* & Macer in *Hierolexico.*

Axiris, Herodoto *lib.* 4. ubi de Laserpiciferæ in Cyrenaica regionis situ, urbs est Cyrenensium, unde σιλφιοφόρος seu *Laserpicifera* inceperit. Ἄξιλιν vocat Ptolemæus. Vide Salmasium *ad Solinum pag.* 369.

Axites mulieres, & Dii, apud Festum, unà agentes. Glossæ, *Axites*, συνεργητικοί. *Axitiosæ* item, seu potius *axiosæ*, quasi *actiosæ*, ab *agendo.* Plautus apud Varronem,

> *Axiosæ annonam caramè vili concinnant viris.*

Vide Salmasium *ad Vopiscum in Carino.*

Axitheus quidam, Resurrectionis possibilitatem probat egregiè, apud Æn. Gazæum *de Immort. An.*

Axla, vulgò *Axel*, opp. Flandriæ, in terra Wasa vel Wasia. Vide *Axella.*

Axomitæ, memorati Fl. Vopisco in *Divo Aureliano*, *Præter captivos gentium barbararum Blemyes*, Axomitæ, *Arabes, Eudæmones* &c. *Axumitæ* Stephano, qui urbem eorum Ἀξουμίτην vocat, seu Ἄξουμιν potiùs; Ægyptiacæ namq; urbes seu Æthiopicæ plerumq; in IS. & earum ἐθνικά in ῖται desinunt, ut Ἄρσις, Ἀρσίτης, Τίλις, Τιλίτης &c. *Auxomitas* gentem hanc vocat Theodoretus, *Quæstion. in V. Testam.* ubi de Regina Sabæ verba faciens, ΣΑΒΑ, inquit, ποῖον ἔθνος; Αἰθιοπικόν, ἐντεῦθεν καὶ αὐτὴν ἐλθεῖν φασὶ τὴν βασίλισσαν ... ΟΜΗΡΙΤΑΣ. ... ΑΥΞΟΜΙΤΩΝ. ... *SABA, qualisnam gens est? Æthiopica — vocant autem ipsos Homeritas: è regione verò est AUXOMITARUM, medio interlabente mari. His imperavit mulier illa admiranda.* Plerunque tamen oppidum *Axumo* & populum *Axumitas* nominant Auctores. V. Joh. Scaligerum *Notis ad Computum Æthiopicum*, & Salmasium Casaubonumque *Notis ad Historiam Augustam.*

Axones, adde: Quemadmodum Lycurgi leges *Rhetra* dicebantur: ex utrisque leges sumptuarias Romanos olim mutuasse, quas senescentes paulatim reparaverit Sulla Dictator, memorat Ammian. Marcellinus *lib.* 16. Vocarunt autem leges Solonis *Axones* cives Athenarum, διὰ τὸ ἐγγεγράφθαι αὐτοὺς ἐν ξυλίνοις ἄξοσι, *quòd inscriptæ essent ligneis tabulis*: erant autem illæ triangulares. Quidam Cyrbes continuisse ajunt, quę ad Deorum cultum pertinebant, reliquas leges *Axonibus* fuisse comprehensas, atque hoc discrimine illas ab his distinguunt. Asservabantur autem hi Solonis *Axones* legesque primitus in Acropoli: Postea ab Ephialte in Curiam & Forum translati sunt, sic tamen ut legum Autographa in Acropoli manerent: cum quibus, motâ in legis verbis controversiâ, Antigrapha illa conferebantur. Pro Curia habet Prytaneum Pollux, item Pausanias *Atticis*, eratque Prytaneum, in Foro. An verò per Curiam Matris Deûm ædes intelligenda venit, nam hæc etiam Βουλευτήριον appellabatur, Legesque reponebantur, in hac æde. juxta Harpocrationem, τοὺς νόμους ἔθεντο δημοσίᾳ γεγραμμένους ἐν τῷ Μητρῴῳ. In Regia quoque Porticu adservatas fuisse leges, habes disertè apud Aristotelem *in Athen. Rep.* &c. Fuere autem leges in suis *Axonibus* βουστροφηδὸν scriptæ: sic ut primus versus scriberetur ad dextram à sinistra, secundus à dextra ad sinistram, Hebræorum more, & ita deinceps alternis, quomodo boves actus suos peragunt cùm arant. Qualiter scriptum inter Siculos nummos unum, apud Peirescium se vidisse dicit Petitus. Porrò distincti numero *Axones* Solonis erant, ut videre est apud Plut. *in Solone*; ex quo item, ut & Harpocratione, constat in Axonibus singulas leges numero notatas fuisse: ac quæ in parte inferiori scriptæ essent, οἱ κάτω sive κάτωθεν νόμοι dicebantur. In primo *Axone* e. g. cautum erat de non importandis aliò terræ Atticæ fructibus. In vicesimo primo, de liberis, &c. Reliquias harum tabularum suo adhuc tempore superfuisse, memorat Plut. *in Solone* inquiens: ἔτι καὶ καθ' ἡμᾶς ἐν Πρυτανείῳ λείψανα μικρὰ διεσώζετο. Vide Sam. Petitum *Commentar. in LL. Atticas, lib.* 2. *tit.* 1. Francisc. Rossæum *Archæologiæ Atticæ lib.* 3. *cap.* 1. &c.

A Y.

Ayec, ayec, vox Aragonibus in usu. Michaël *del Molino* in *Repertorio* Fororum Aragon. Bestiam currentem si aliquis portaverit, *debet dicere*, Ayec, Ayec, *quod est vulgare antiquum Aragonum; aliàs si hoc non dixerit, tenetur emendare damnum datum per bestiam.*

A Z.

Azazel, cujus mentio Levitici *cap.* 16. *versu* 8. Juliano Apostatæ, Hebræis, Valentinianis & Magis, dæmon est. Unde Julianus ex hoc loco Mosis conatus probare est, scripsisse hunc περὶ Ἀποτροπαίων, i. e. *de Diis Averruncis*, à Cyrillo doctè refutatus *in Julian. lib.* 9. Hebræi unum ex quatuor Dæmonum antesignanis *Azazelem* facientes, hoc die (quo nempe Festum Propitiationis, de quo sermo *l. c.* agebatur) Satanam nihil posse atque inde esse, ajunt, quòd literæ numerales nominis השטן, id est, *Satanæ*, valent CCCLXIV. quia per anni dies totidem imperium suum in homines exerceat, nec ullus excipiatur, nisi dies modò dictus. De Valentinianis veteris Poetæ Christiani carmina, in Marcum, Valentini discipulum, qui discipulis suis credebatur per præstigias illudere, apud Irenæum, citatum Epiphanio *Hær.* 34. sic habent:

> Εἰδωλοποιὲ Μάρκε καὶ τερατοσκόπε,
> Ἀστρολογικῆς ἔμπειρε καὶ μαγικῆς τέχνης,
> Δι' ὧν κρατύνεις τῆς πλάνης τὰ διδάγματα,
> Σημεῖα δεικνὺς τοῖς ὑπὸ σοῦ πλανωμένοις,
> Ἀποστατικῆς δυνάμεως ἐγχειρήματα,
> Ἃ σοι χορηγεῖ σὸς πατὴρ Σατὰν ἀεί,
> Δι' ἀγγελικῆς δυνάμεως Ἀζαζὴλ ποιεῖν.
> *Idola fingens Marce, monstrorum artifex,*
> *Fraudisque gnare Magicæ & astrorum sciens,*
> *Erroris inde dogma pestiferum struis,*
> *Portenta cæcæ ficta dum turbæ exhibes,*
> *Per te rebellis qualia exequitur manus:*
> *Hæc tu illa Satanæ fretus auxilio patris*
> *Azazelisque mirâ designas ope.*

Quin hodieque in Magorum libris *Azazel*, inter Dæmones, qui elementis præsunt. Sed hæc commenta, præter Cyrillum prædictum, Theodoretus, Isychius & Procopius meritò rejiciunt. Arabibus *Azazel* montis nomen est, & Aben-Ezræ, qui eum monti Sinai admovet: Sed non videtur verisimile, per tot interjectas solitudines, quotannis hircum ab urbe Israëlitas deduxisse. Adde, quòd in regione toties peragratâ & tam accuratè descriptâ, nemo est, qui montis hujus meminerit. Non pauci *Azazelem* volunt fuisse hircum ipsum emissarium, adeoque verba Mosis sic reddunt: *Aaron sortes jaciet super duos hircos, sortem unam Domino*, id est, in hircum Domino mactandum; *& alteram in Azazelem*, h. e. in hircum in desertum abiturum & dimittendum. Sed cum falsâ vocis originatione nititur hæc interpretatio, tum verba

Mosis nimium implicata reddit. Proin Bocharto, est *hircus servatus* αἲξ τῆς ἀποπομπῆς, quod significari voce לעזאזל ex Arabica lingua probat. Nempe hircorum unus Deo servandus erat, ut super Altare mactatus *illi esset in cibum*, quod de victimis legitur Levit. *cap.* 21 *vers.*6 alter *ad azázel*, i. ut in locum deserti remotum & separatum deduceretur. Uterque horum Deo consecratus erat, unde est, quòd uterque coram illo statuebatur, tamen in Dei sortem cedere videbatur magis speciali jure, qui super Altari mactabatur: quia victimæ in illius honorem immolatæ Hebræâ phrasi, *Dei cibus* vocantur, ut vidimus. Huic opponebatur alter hircus לעזאזל, i αἲξ χωρισμοῦ, vel αἲξ ἀναχωρήσεως, i.e. *hircus ad id destinatus, ut ad loca remota deductus, à grege separaretur.* Porro, ut hircos, ita & sortes oportuit esse pares, ne ab extrinsecus intuentibus dignoscerentur; quas ligneas olim, sed secundo Templo aureas fuisse, scribit Maimonides; qui etiam addit urnam, in qua sortes hæ repositæ, ad Orientem Atrii & Aquilonem Altaris fuisse sitam, eaque moti, sortes in Sacerdotis manus incidisse, juxta nomen duorum hircorum: Et si Dei sors in manum dextram incidisset, dixisse Saganem, qui à dextris adstabat, *Domine mi, magne Sacerdos, tolle dexteram tuam*, sin in sinistram, dixisse Principem Domûs Patrum, *Domine mi, magne Sacerdos, tolle sinistram tuam,* sicque Sacerdotem dexteram sortem hirco dextero & sinistram sinistro imposuisse. Postmodum hircus, in quem cecidit sors *ad azázel*, sistebatur vivus coram Domino, *versu* 10. ut per eum fieret propitiatio & dimitteretur *ad azázel*, h.e. *ad loca remota*, in desertum. Apud Rambam *Sacerdos ligabat linguam coccineam* (h. e panni frustum in linguæ formam cocco tinctum) *ponderis duorum siclorum in capite hirci emissarii, & eum dirigebat versùs locum, in quem erat dimittendus.* Quam linguam olim alligabant ad ostium porticus exterioris aut etiam interioris: &, cùm exalbescebat, quod passim contigisse referunt, id pro fausto omine habebatur; inde sc. conjectabant, remissa sibi esse peccata, juxta Esajam *cap* 1. *vers.* 18. V. Gemaram in *Joma cap.* 6. Desiisse verò id observari 40. annis ante Templi excidium, iidem Talmudici scribunt in *Joma cap* 4. Nempe tum Christus passus est, morteque illius legalibus sacrificiis omnis vis adempta, lumen cognitionis ea in gente extinctum, nec Templum solùm, sed & cœlum hactenus clausum, gentibus tum demum patere cœpit, &c. Deducebatur autem hircus emissarius, postquam ei *Sacerdos manum imposuisset, & confessus super eum esset omnes iniquitates filiorum Israëlis, vers* 20, 21, 22. *per manum viri* ad id parati in locum, quem Moses מדבר *desertum*, & לעזאזל *azazel*, i e. *secessionem* vocat; ubi non detrudebatur in præceps, aut ventorum turbine abripiebatur, ut Hebræi nugantur, sed simpliciter *dimittebatur, versu* 26. quomodo sc. sacra quædam animalia, quæ Græci ἄφετα vocabant, quod in Dei alicujus honorem libera dimitterentur. Cœlius Rhodiginus *lib. sept. in fin.* ejusdem ritus vestigia trans Euphratem observat, *ubi pascebantur*, inquit, *boves Dianæ Persicæ sacræ, nullo custode, & ἄφετοι, Ibex charagmate insignes.* Et Suetonius in *Julio cap.* 81. memorat, equorum greges, quos in *trajiciendo* Rubicone *fluvio consecraverat* (Cæsar) *ac vagos & sine custode dimiserat.* Sic Arabes in Ethnicismo, i e. antequam impuro Mahumeti nomen dedissent, quædam jumenta & pecora, puta camelos fœminas, oves & capras Diis suis simili ratione devovisse leguntur: Dicebant autem istiusmodi pecudem *Saibah*, i.e ἄφετον & aures ejus findebant, ut hâc notâ dignosceretur, unde & *bahirah* eam vocabant: quemadmodum & *sarba*, quod libera erat a mulctura & lac in mammis retinebat. Nec omittendum, videri Græcos ad hunc Hebræorum ritum allusisse, cùm ad capras sylvestres imminentia mala amandabant. V. Hesychium, Suidam. & ex utroque Erasmum in *Prov.* Κατ' αἶγας ἀγρίας, *In capras feras*; & plura hanc in rem, inprimis de collatione duorum hircorum, quorum unus mactandus erat in Festo Propitiationis, alter in desertum emittendus; cum duobus passeribus, Levitici *c.*14.*v.*4,49. quorum uno jugulato, alteri liber in agro volatus permittebatur: ac utriusque hujus Typi, cum *Servatoris* nostri *morte ac resurrectione*, analogia, apud Sam. Bochartum *Hierozoici Pars. I. Lib. II. cap.*54. *toto*, ut & infrà, ubi de *Propitiationis Festo.*

Azenia, adde: Hinc oriundus erat Olus Pontius Nymphodotus, Cosmetes Epheborum, de qua dignitate V. *Marmora Oxoniensia, p.*84. & 85. Floruit autem is Cajo Julio Casio Archonte, ut apparet ex pulcherrima *Inscr.* veteris marmoris haud pridem Athenis in Angliam allati, quod basis erat statuæ, à Pothino quodam in Nymphodoti hujus honorem extructæ erectæque. Initium sic habet,

ΕΙΚΟΝΑ ΤΗΝ ΔΕ ΠΟΘΕΙΝΟΣ ΕΝ ΕΦΗΒΟΙΣΙ ΠΑΛΑΙΣΤΡΑ
ΤΕΥΞΑΣ ΚΟΣΜΗΤΟΥ ΘΗΚΑΤΟ ΝΥΜΦΟΔΟΤΟΥ
ΕΠΙ ΤΗΣ ΓΑΙΟΥ ΙΟΥΛΙΟΥ ΚΑΣΙΟΥ ΣΤΕΙΡΙΕΩΣ ΑΡΧΗΣ
ΚΟΣΜΗΤΗΣ ΕΦΗΒΩΝ
ΩΛΟΣ ΠΟΝΤΙΟΣ ΝΥΜΦΟΔΟΤΟΣ ΑΖΗΝΙΕΥΣ
ΚΑΙ ΥΠΟΚΟΣΜΗΤΑΙ.

Cœtera V. apud Jac. Sponium *Itinerar. Græciæ pag.*76. qui ex eadem Inscr. docet, Cosmetas hos seu Gymnasiarchas menstruos solùm fuisse, & à Boëdromione mense auspicia regiminis Scholastici duci consuevisse *pag. seqq.*

Azevedo, nomen familiæ illustris, quæ, è Lusitania orta, in Castellam transiit. In ea Didacus, Franciscam *de Zuniga, Ulloa & Viedma* Comitem de *Monterrey* duxit, sicque Comites reliquos de *Monterrey*, nominis *de Azevedo* & *Zuniga*, prosevit. Fuit autem is Didacus, filius Alfonsi *de Fonseca & Azebedo*, Pater verò Alfonsi *de Azebedo & Zuniga, Com. de Monterrey*: qui ex Maria Pimentella genuit Hieronymum, maritum Agnetis *de Velasco & Tobar*; quibus natus est Casparus Prorex Mexici, cui ex Agnete *de Velasco & Aragon*, sunt geniti, Hieronymus, Emanuel Com. *de Fuentes* (cui uxor obtigit Leonora Maria f. Henrici Gusmanni Com. Olivarii) Agnes (uxor Caspari Gusmanni Duc. & Com. Olivarii) Maria & Catharina Monialis, qui hoc seculo floruere. V. Phil. Jac. Spenerum *Theatro Nobil. Eur. Part.* 2.

Azo, Atestinus seu Estensis, Ferrariæ Ducum, & hodiernorum Principum Mutinensium, conditor. Secundùm quosdam Hugonis M. Tusciæ fil. Sigfridi vel Alberti aut Otfridi M. Tusciæ nepos, Hugonis R. Italiæ pronepos, Lotharii III. Com. Provinciæ abnepos, Lotharii II R. Austrasiæ atnepos, Lotharii I Imp. trinepos, & ita è Caroli M. sanguine, fuit: Aliis à Cajo Actio, Vide suprà in *Actius* Cajus ejus originem, aliis aliunde arcessentibus: ut infrà dicitur. Is ductâ Cunigunde, sorore Welfi III. aliis IV. in quo prior familia Welfica defecit, Welficum nomen & jus in suam gentem intulit. Familiam ejus nonnulli à quodam Cajo Actio derivant, ut dictum, qui ex Romanis civis Atestinus fuerit, circa A. C. 390. è cujus posteris Forestum, Aquilegiæ adversus Attilam defensorem: Acharium vel Fl. Acrinum, Severeni adversus Alanos Equitum Magistrum, Ferrariæ conditorem: Marvellum, Valentiniani III. contra Vandalos Ducem; Sabinianum, Illyrici præfectum aliosque enumerant. Alii, quamvis Actiam stirpem, è Romanorum reliquiis, Ateste egisse non negent, eam tamen in Caji trinepote Bonifacio ac ejus filio Valeriano, qui prælio Langobardorum in Francos ceciderit, A.C.590. defecisse, aliumque successisse arbitrantur, argumento nominum, quæ à Valeriano illo ad *Azonem* usque Germanicæ originis, usi. Sunt & qui hunc, Hugonis Marchionis Tusciæ filium, Sigfridi vel Alberti aut Otfridi M. Tusciæ nepotem, Hugonis Italiæ R. pronepotem, Lotharii III. Com. Provinciæ abnepotem atque ulteriùs ex Caroli M. sanguine oriundum, asserunt. Quorum quidquid sit, *Azonis* consanguinei in Italia, obscuræ conditionis neutiquam fuere; Gonzagas, à quibus, præter Mantuæ Duces, multi alii illustres in Italia, ejusdem fuisse originis, adseverant aliqui: Certiùs ex eadem propapia deducuntur Theobaldus, & filius Bonifacius, Regii Lepid., Parmæ, Lucæ, Ferrariæ & Mantuæ Marchiones: quorum hic filiam Mathildem habuit, quæ ter nupta, sed sterilis, insigni munere sedem Pontificiam locupletavit, quod *Patrimonium Petri* appellatur, V. de hac donatione Conringium *de fin. Imp. Germ. cap.* 10. Ipse *Azo I.* secutus in Germaniam Conradum II & Henricum III. Augg. ibi Cunigundam, Guelforum priorum, uti diximus, hæredem; & post illam, secundùm aliquos, Isabellam Montisferratensem, sed sterilem, ac demum Juditham Conradi II. Imp. filiam duxit, extinctus A. C. 1081. Ex hac (sunt qui etiam Cunigundam matrem fuisse volunt) genitus *Azo II.* Estensis seu Atestinus Marchio, à quo longa serie reliqui Marchiones, qui, præter Atesten, Genuam, Mediolanum, Anconam, Veronam, Ferrariam, Mantuam, Mutinam, Regium & alia diversis temporibus tenuerunt, descendunt. E quibus Hercules I. Dux Ferrariæ creatus, novo titulo domum auxit, qui duravit usque ad pronepotem ejus Alfonsum II. quo A. C. 1597 sine masculis hæredibus extincto, successionem prætendit sibi deberi, ejusdem Alfonsi patruelis Cæsar Atestinus. Sed quòd hujus pater ex fœminæ vilis contubernio, ab Alfonso I. susceptus diceretur, à Pontifice eâ exclusus, Imperialia tantum feuda, Mutinæ, Regii Lepidi & Carporum, obtinuit, Vide Thuanum *lib.* 119. & ab hoc moderni Atestin ac Mutinæ Dux derivantur, Vide quoque suprà in voce *Atestina*, & alibi passim. Alter ex primo matrimonio *Azoni* filius natus est Welfus cognom. *Robustus*, avunculi hæres, Altorfii Com & ex eo Henrici IV. Imp. beneficio, Dux Bavariæ, A.C 1071. A quo posteriores Welfi, & hodierni Duces Brunsuicenses orti sunt. Vide Phil. Jac. Spenerum *Sylloge Geneal. Histor. in Fam. Guelfica*, & hic in *Ateste* & *Mutina*.

Azo, adde: In patria primùm interpretari Jus cœpit; unde cùm propter æmulorum invidiam ad Montispessulanam scholam profectus esset, ibique aliquandiu magna cum laude docuisset, tandem domum revocatus, magnam & docendo & scribendo nomini suo famam memoriamque conciliavit. Scripsit *Codicis Summam*, qui totius Juris Civ. epitomen complexus est; Item, *Magnus apparatus super Digesto veteri*: Hodieque ejus in Scholis Foroque ingens autoritas est. Hottomannus *in Prætermissis*, laudatus Johanni Calvino, in *Lexico Jurid.*

Azores, adde: Hollandis *de Vlaemsche Eylanden*, medio inter Europam & Americam situ, è regione Portugalliæ. Descriptæ sunt peculiariter à Lud. Teisera, cui adde Linschotum *P.* 2 *cap.*6. *pag.*39. & Auctorem Anonymum *Hist. Orbis Terr. Geogr. & Civil.* Vett. Cassiterides sunt Sullingæ, *the Sorlinges*, è regione Cornubiæ prom. Lisiæi, inter insulas minores Hiberniæ & M. Britanniæ adjacentes. Vide in voce *Cassiterides* vel *Cattiterides*.

Azyma, Hebr. מצות, cujus vocis origo non liquet. Docet tamen ex Arabismo Bochartus, מצות propriè esse *puros & sinceros panes*

panes & ab omni fermento expurgatos, quod corruptionis esse genus voluerunt multi Vett. Hinc Hieronymus 1.*Cor.* 5. 6. & rursus *Galat.* 5. 9. *Modicum fermentum*, inquit, *totam massam corrumpit*: ubi Græcè est ζυμοῖ, *fermentat*. Et Plut. in *Quæstion. Rom.* vult fermenti usum Flamini Diali fuisse prohibitum; quia ἡ ζύμη καὶ γέγονεν ἐκ φθορᾶς αὐτὴ καὶ φθείρει τὸ φύραμα μιγνυμένη, *fermentum, cùm ipsum sit ex corruptione natum, massæ admixtum illam corrumpit*. Et paulo pòst, καὶ ὅλως ἔοικε σῆψις ἡ ζύμωσις εἶναι, *atque omnino fermentatio videtur esse putrefactio*. *Sincerus* igitur jure vocatur *panis*, cui nihil est fermenti admixtum. Quò alludere videtur Paulus 1.Cor.*cap.*5 *vers.*8. ubi festum nos celebrare jubet ἐν ἀζύμοις εἰλικρινείας, *in azymis sinceritatis*. Fuisse hunc panem Judæis perpetuum, putavit Tacitus: Sed Lex illius usum non præscribit ultra septiduum, cujus initium vesperâ diei decimi quarti, finis vesperâ diei vigesimi primi mensis Nisan. Quin, si Judæis credimus, septem quidem illis diebus vesci fermentato pane fuit nefas, sed *azymum* edere, non nisi primo necessarium, sex reliquis liberum. Itaque pro *Azymis* per sex illos dies *oryzam* edere licuit, aut *panicum*, aut *fruges tostas*, aut *fructus*, ut ex Maimonide & Selomone probat Petavius in *Epiphan. ad Audianorum Hær. pag.* 193. Semel verò *Azymos* panes per totum mensem comederunt Israëlitæ, nempe in exitu ex Ægypto, à die 15. primi mensis usque ad 15. & 16. mensis seq. quibus Deus illis largitus est mannam & coturnices, Exodi *cap.* 16. *vers.*1. 13. &c. Sed necessitate id factum, quia in deserto nihil illis fuit, unde se toto illo mense sustentarent, præter φύραμα, quod ex Ægypto infermentatum attulerant, Exod. c.12. *v.*39. Quod autem illo anno necessitate factum, id sequentibus repetierunt, ut Legi obsequerentur, in qua Deus septem dies *azymis* indixisse contentus, illis hoc signo quotannis refricare voluit memoriam præstitæ ex Ægypto liberationis. Et quidem è septem his diebus cùm medii quinque fuerint ἐργάσιμοι, primum & ultimum pro festis haberi voluit Deus; quia, ut primo ex tam dura libertate in servitutem fuerant asserti, ita septimo Pharaonem cum omnibus copiis suis mare Erythræum absorpserat. Proinde, maximi momenti illa Lex & ad ejus observationem omnes præcisè adstricti fuerunt; vetitumque per illos dies non solùm fermentum comedere, sed & domi habere, idque sub pœna excisionis ex Israële: quâ etiam tenebatur, qui Circumcisionem neglexisset, par namque Sacramenti utriusque, Paschatis ac Circumcisionis ratio. Ab hac tamen pœna Maimonides excipit hominum duo genera 1. eos, qui *per errorem*; 2. eos, qui *minùs quàm quantum olivam*, ex fermentato pane comederant: quorum illis imponit sacrificium offerri solitum, pro delicto per errorem commisso; hos autem cædi vult *plagâ rebellionis*. V. eum de *Ferm. & Azym. cap.* 1. *sect.* 1. & 7. Suidas in voce Ζύμη, ab hora 6. decimi quarti diei mensis, σάλπιγγος φωνῆς, *signo tubâ dato*, omnem panem fermentatum, si quis apud Hebræos fuisset reliquus, igne cremari & penitus absumi solitum fuisse, scribit, &c. Plura hanc in rem vide apud Sam. Bochartum *Hierozoici Partis prior. lib. II. cap.*50. ut & infrà passim, inprimis ubi de *Fermento* & *Paschate*.

Azymitæ, adde: Hinc Ἀζυμίται ἱερεῖς, Latini Sacerdotes, Johanni Episcopo Citri in *Responsis ad Cabasilam*. Sed & *Azymitæ* dicti sunt populi quidam, qui Sultanis ac Saracenis parebant, cùm Franci Syriam invaserunt, quanquam, nomenne gentis an sectæ, incertum. Publicants enim vulgò adjunguntur, quos eosdem fuisse cum Manichæis constat. Robertus Mon. *Histor. Hierosol. lib.* 6. *Persæ & Medi*, *Arabes & Turci*, Azymitæ *& Saraceni, Curti & Publicani & diversarum nationum alii multi*. Simeon Dunelm. *Hist. Angl. Turcos, Arabas, Saracenos, Publicanos*, Azymitas, *Persas, Agulanos & alias multas gentes*, commemorat. Sic Baldricus *lib.*2. *pag.*109. Guibertus *lib.* 5. *cap.* 8 aliique *Rerum Hierosolymitanarum* Scriptores. Imò & suâ ætate *Azimorum* seu *Azimitarum dominum* Soldanum inscribit Sanutus *pag.* 8. *Soldano Araborum*, Azimorum *& Turcorum*, apud Carolum du Fresne *Glossar.* &c.

Azymorum Festum, unum ex tribus anniversariis ac præcipuis Judæorum Festis, unà cum Paschate incipiebat, & per totam Judæam (non Hierosolymis tantùm, ut Pascha) celebrabatur. Consistebat autem, præter agnum Paschalem, tum in peculiaris sacrificii, tum in manipuli frugum oblatione; qui XVI. mensis, qui dies septimanæ primus erat, in typum resurrectionis Christi, offerri debebat. Hic enim, tanquam primitiæ nostræ, hoc ipso die à mortuis resurrexit, factus ἀπαρχὴ τῶν κεκοιμημένων, 1.Cor. *cap.* 15. *versu* 20. V. Levitic. *cap.*23. *versu* 6.7.8. Numer. *cap.*28. *versu* 17. & Levitici *cap.* 23. *versu* 10, 11. Franc. Burmannus, *de Tribus Judæorum Festis Anniversar.* & suprà.



B.

B In notis antiquorum *Brutus*, vel *Balbus*, vel *bonus*, vel *benè*, &c. B. A. *bonam actionem*, vel *bonis auspiciis*, vel *bonis avibus*, vel *bonis amabilis*, &c. B. C. *bonorum concessum*. B. F. in præfationibus Senatus consultorum *Bonum factum*, Sueton. *Jul. Caes. cap.* 80 sicut nos in nomine Dei nostra negotia auspicamur, denotat. In Achate ingenti in carchesium exciso, quo Imperatoris thesaurus superbit, Inscriptionem hanc B. XPICTOC, sponte naturæ, conspici, tradit Car. Patinus, *αὐτόπτης*, qui illud B. *Βασιλεὺς* interpretatur, *Relation. Histor. L.*

BA

Baal, adde: Godvvyno idem videtur cum *Moloch*, ob nominum similitudinem, בעל *Baal* enim Dominum, & מלך *Molech* Regem Principemque designat. Cui accedit, quòd utrique eadem sacrificia fuerint oblata, nam & *Baali* Jer. 19. 5. filios combusserunt Israëlitæ, & Molocho, extra ordinem: consuetæ autem victimæ vituli erant, & arietes & agni, 1. Reg 18. Imò excelsa Baalis in valle Ben-himmon, ubi filii filiæque Idololatrarum per ignem offerebantur, leguntur extructa Jerem. *cap.* 32. *v.* 35. è quo loco colligitur utrique eundem locum sacerrimi cultus fuisse, & per vocem *Moloch*, quæ sequitur, videtur explicari vox *Baal*, quæ præcedit. Nec obstat, quod Jovem sub *Baalis*, Saturnum verò sub Molochi nomine cultum Eruditi dicunt. Nihil enim novi sic apud Auctores confundi planetas, ut Sol, quemadmodum modò *Baal*, modò Moloch; ita quoque modò Jupiter, modò Saturnus appelletur: *Assyrios Saturnum* (*quem & Solem dicunt*) *Junonemque coluisse constat*, Servius *in Æneid. lib.* 1. Et quidem de *Baale* res evidens. Jupiter enim Phoenicibus *Baal-samen*, qua Jupiter Olympius seu Dominus cœli dicitur: quod, secundùm Gentilium Theologiam, non nisi in Solem quadrat; qui eodem jure cœli Rex, quo Luna ejus Regina, dicatur. Quare & apud Eusebium Sanchoniathon Jovem, Solem & Baal-samen, pro uno eodemque accipit: V. Thom Godvvyn *de Ritibus Hebræorum lib.* 4. *cap* 2. Mos propriam cutem incidendi sanguinemque eliciendi, qui hujus Idoli sacerdotibus consuetus erat, simile aliquid habuit cum consuetudine Sacerdotum Bellonæ, de qua vide Tertullianum *Apolog. cap.* 9. Lactantium &c. è quibus posterior tam clarè Bellonitas hosce describit, ut Baalitæ 1. Reg. 18. memorati iisdem verbis repræsentari videantur. Idem *ibid.* Quò facit, quòd aliis *Βαὰλ* & *Βὴλ*, *Baal* & *Beel*, Assyriorum linguâ *Ἄρης* est, *Mars*. Sic Joannes Antiochensis, *Περὶ Ἀρχαιολογίας*, *Μετὰ Νῖνον ἐβασίλευσε Θοῦρας*, ὃν *Ἄρην* ὠνόμασαν. Ἦν δὲ σφόδρα δεινὸς καὶ πολεμικὸς καὶ ... αὐτῷ Ἀσσύριοι ὡς Θεῷ ἐπονομάσαντες αὐτὸν Βῆλον, ὅ ἐστιν Ἄρεα, πολέμων Θεόν. *Post Ninum imperavit Thuras, quem Martem vocaverunt. Erat enim valde strenuus ac bellicosus, invocarunt eum Assyrii, veluti Deum, nominantes eum Belum seu Martem, bellorum Deum.* Atque alii fere omnes Belum Nini patrem fuisse volunt, hic Nino successisse Thurâm, qui & *Belus* idemque *Mars*. Eadem ferme habet Suidas in voce *Θοῦρας*, sed *Βαὰλ* vocat, quem Antiochensis *Βῆλον*. Nempe non de primo Nino Semiramidis marito, sed altero Nino id accipiendum, quem Zames, Ninyæ filius, genuit; is pater fuit Thuræ seu *Ἄρεως*, quem *Ἄρεα* Joannes vocat. Vide infrà in voce *Thuras* & plura hanc in rem apud Salmasium *ad Solinum p.* 1235.

Baal Tsephon, creditur Scriptoribus Hebræis fuisse Idolum ab Ægyptiis Magis concinnatum, ac in deserto collocatum, ut observaret & sufflaminaret ex Ægypto exitum parantes Israëlitas; Unde ei nomen *Tsephon*, ab Hebræo צפה *Tsapha*, id est, *excubare, speculari, excubias agere*: ut dictus sit, quasi *Baal Speculator*: quemadmodum Romani Jovem, quòd fugam suorum stetisset, *Jovem Statorem* dixere. V. P. Fagium Exod. 14 1. Rosinum *Antiqq. Rom. lib.* 2. *cap* 5. Godvvynum *de Ritibus Hebræorum lib.* 1 *cap* 3.

Baal-Zebub, quasi *Muscarum dominus*, vel etiam *princeps Musca*, in reliquas dominium habere, existimatus est: *Ζεὺς* ... *μυίων Θεὸν* Ἀκκαρῶν, Gregorius Nazianzenus *Orat.* 2. *contra Julianum* quo sensu Dæmonum Princeps *Beel-zebub* vocatur in *Histor. Evangelica*. Apud Cyrenios in veneratione fuit, præcipuè verò apud Ekronitas, quorum regio ab immenso muscarum examine, quod illam infestaverat, liberata fuisse dicitur. tum. cùm huic Deastro sacra facerent. Sed & ad illum, velut Oraculum, in rebus dubiis commeare soliti sunt, ut colligere est ex 2. Reg. cap. 1. versu 2. Non ineptè dicatur *Jupiter Muscarius*, vel *Hercules Muscarius*: Nam & Elidis incolæ Jovem *Ἀπόμυιον*, seu Muscarum averruncum; & sub eodem nomine Romani Herculem coluerunt. Græcæ quædam versiones habent *Βδελύγμα*, fortè in vilipendium Idoli; quasi vocarent eum *Jovem stercoreum*, זבל *Zebel* enim *stercus* denotat, Thom. Godvvynus *de Ritibus Hebr. lib.* 4. *c.* 3.

Baaltis, sive *Beltis*, Phoenicum Dea, eadem cum Dione ac Venere vel Luna: Vel si diversa est, fuerit Lucifer. Diversas facere videtur Sanchuniathon sive ex eo Philo Byblius, apud Eusebium *Præp. Evangel. libr.* 1. ubi memoratur Astartem & *Baaltidem* esse sorores; ac illam esse Venerem, hanc Dionem. Utraque ibidem dicitur nupsisse Saturno, sed Astarte quidem, præter septem Titanidas sive Dianas etiam mares peperisse narratur, Cupidinem Amoremque: ex Dione autem prognatæ solæ perhibentur puellæ. Verùm aliter de illo Græci ac Romani. Quippe Orpheo *Argonaut.* dicitur *Διωναίη Ἀφροδίτη*, *Dionæa Venus*, & Maronis est *Æn. lib.* 3. *Sacra Dionææ Matri.* Ubi Venerem intelligi convenit: quam à Matre Dione sic dici, ait Servius. Ac similiter in illud *Eclog.*

Ecce Dionæi processit Cæsaris astrum

Longè, inquit, *repetitum est, à matre Veneris Dione*: At longè repetitum non sit si Dione est Venus: inde autem Cæsar dicatur, *Dionæus*, quia genus duceret ab Ænea, Anchisæ & Veneris filio. Et est pro hac sententia, quòd nulli melius conveniat nomen *Baaltis*, quàm Junoni sive Lunæ: nam, ut Jupiter, hoc est, Sol cum æthere, est *Baal*, ita *Baaltis*, Juno, hoc est, Luna cum aëre, quasi *Dominam* dixeris. Quomodo & *Reginam cœli* appellat Jeremias *cap.* 7. *versu* 18. & *cap.* 44. *versu* 17, 18, 19, 20. ubi Hebr. מלכה *Malchah*, quod muliebre. Licet enim & Solem Hebræi eodem modo nuncupent, שמש *Semes*, unde & David Kimchi, imò & Chaldæus Paraphrastes intelligere hic malunt Molochum, hoc est, Saturnum, sive Jovem, hoc est, Solem ipsum: Tamen sententia hæc eò minùs probatur, quia Propheta loquitur de gentium idololatria; his autem, in ipso Oriente, Sol non Dea, sed Deus habebatur. Unde dubium non est, quin Sidoniis Baal & Astaroth distincta fuerint Numina, atque illo Solem, hoc Lunam, denotarint: Astarte autem cum *Baaltide* eadem, Vide Gerh. Joh. Vossium *de Orig. ac Progress. Idolol. lib.* 2. *c.* 21.

Babalathus seu *Babalatus*, aut quod idem, *Vabalatus*, in nummis Aureliani Οὐαβάλαθος, Zenobiæ filius, memoratur Vopisco in *Vita* Aureliani, ubi vulgò *Balbatus* legitur: *Hoc quoque ad rem pertinere arbitror, Balbati filii nomine Zenobiam, non Timolai & Herenniani, Imperium tenuisse, quod tenuit.* Et quidem unicus ejus filius fuisse videtur, cùm Zosimus hujus unius Zenobiæ filii meminerit: *Τὰς δὲ ἄλλας πλὴν τοῦ Ζηνοβίας παιδὸς*, ... *Χαλκηδόνος καὶ Βυζαντίου πορθμῷ καταποντωθῆναι*, *Reliquos autem, excepto Zenobia filii, inter Chalcedonem & Byzantium fuisse submersos.* Filium autem Babalathum potius, quàm Zenobiam ipsam, in nummis effigiari voluit Aurelianus, quòd fœminæ mentionem minus sibi gloriosam putaret. Neque verò hunc Zenobiæ filium esse prohibet, quòd in quibusdam nummis ejusdem Imperatoris scriptum sit, in altera parte, Οὐαβάλαθος ..., *Vaballathus Armeniæ*, sc. Rex: Nam Armenii cum Palmyrenis faciebant & totius Orientis Imperium obtinebat Odenatus, ac post eum Zenobia, filii hujus nomine. Unde & *Orientis Reginam* se vocat epistolâ ad Aurelianum missâ, &c. Nomen ipsum quod attinet, videtur deductum formatumque fuisse à voce Hebr. & Syr. *Bahala* vel *Bahalat*, id est, *Regina* seu *Domina*: inde Babalatus & Babalatus: ut *Hel* & *Bel*, similiaque sexcenta Vide Casaubonum & Salmasium *Notis ad Vopiscum d.l.*

Babevvynus, in *Visita*: Thesaurariæ S. Pauli Londin. An. Chr. 1295. *Imago quædam pulchra B. Virginis* —— *cum pede quadrato stante super* 4. *babevvynos*: simiæ species est, Gall. *Babouin*, Ital. *Babbuino*. Unde puerulos nebulones vulgò *Babouins* iidem Galli appellant, V. Car du Fresne *Gloss.*

Babo, Dominus *de Abensperg*, Ottonis Com. *de Scheuren* (à quo Wittelspachii & ex his Comites Palatini Rheni hodierni descendunt) frater, inter vetustissimos *Abenspergæ* Dominos celebri famâ memoratur, quorum stirpem à Ducibus Bavariæ, ac per hos à Carolo Magno nonnulli derivant. Is cùm triginta duos filios genuisset (extinctus Anno Christi 1030.) ex illis Wolframus seu Wolfingus D. *in Abensperg & Traun*, hodiernam Comitum Abenspergensium familiam sevit. Cujus linearum duarum

mnpréecipuarum communis Pater Wolfgangus, capita earum, filii illius Joannes & Michaël fuere. A quorum illo descendunt Joannes Wilhelmus, & Susanna Catharina (uxor Christophori Baronis Zinzendorffii, qui decessit A.C.1657.) ab isto reliqui, inter quos Ehrnrico, *Germ. Ehrnreich*, ex Regina Christiana Zinzendorfia, nati sunt, præter alios, Otto Ehrnricus A.C. 1644. & Ernestus Julius A.C.1646. omnes *Comites ab Abensperg & Traun*. V. Phil. Jac. Spenerum *Theatro Nobilit. Europææ Tom. II. pag* 92. ubi Joannis Wilhelmi & Susannæ Cath. Majores recenset; *& pag.* 115. quæ Ehrnrici liberis destinata est. Series horum sic habet. Michael Dom. *de Abensperg & Traun*, qui obiit A.C. 1515. ex Elisabetha *de Aheim* genuit Sebastianum, defunctum A.C. 1530. Hoc & Magdalenâ *de Zelcking*, natus Adamus; pater fuit, ex Apollonia *Maurlin à Lembach*, Joannis Bernardi, demortui A.C. 1583. Quo & Maria *ab Auersperg* editus Sigismundus Adamus obiit A.C. 1621. relicto ex Eva Polhemia Ehrnrico *Comite ab Abensperg & Traun*; qui sibi junxit Reginam Christinam Zinzendorffiam, & ex illa suscepit Reginam Justinam (n. 1640) Sigismundum Adamum (n. & den. 1641.) Evam Isabellam (n. 1642.) Ottonem Ehrnricum (n. 1644.) Ernestum Julium (n. 1646.) Polyxenam Maximilianam (n. 1647.) Sidoniam Elisabetham (n. & den. 1648.) & Mariam Eleonoram (n. 1649.) Uti autem in hac linea Ehrnricus, sic in altera Joannes Cyriacus, qui obiit A.C. 1652. primus Comitivâ dignitate auctus est, Johannis Wilhelmi præfati pater, ex Susanna Maria L.Bar. Zinzendorffia &c.

Babur, Rex Mauralnahariæ, conditor Imperii M. Mogolis. Fuit is ex posteris Tamerlanis & pulsus Regno A. C. 1500. à Schaibeko Rege Chorazanæ, Usbekani Regni fundatore, in Indiam profugit, ac ibi res novas moliri compertus in Persiam se recepit tantaque ibi in paupertate aliquandiu vixit, ut rustico opere victum sibi quærere cogeretur. Tandem à Scha-Tamaso Persarum R. copiis quibusdam adjutus, Indiam expugnavit, quæ ab illo tempore *Regnum Magni Mogolis* dicta fuit, à Tataris, qui proprio nomine *Mogoles* appellantur. Ei successit filius Homajon A.C 1530. pater *Acbaris*, qui Regum Indiæ potentissimus evasit ac multis præclare gestis obiit A.C.1605. regni 50. V. Hornium *Orb. Imper. pag.* 442 ut & in voce *Mogoles*.

Babylo, nomen pueri delphino amati, apud Solinum *cap. 12. Apud Jasum urbem, Babylonem puerum delphinus adamavit, quem dum post adsueta conludia recedentem impatientiùs sequitur, arenis invectus hæsit. Alexander Magnus amorem illum Numinis fuisse interpretatus, præfecit puerum Neptuni sacerdotio.* Fuit autem Jasus urbs Cariæ, ubi cùm Alexander esset, historia hæc illi innotuit. Sic *Babylo* occurrit apud Terentium,

Dinumeras illi Babylo *triginta minas.*

Ubi id nomen dispensatoris est aut arcarii &c. Græcè enim & Βαβύλων, & Βάβυλος & Βαβυλᾶς dicitur. Salmasius *ad Solinum p.* 185.

Babylon, Beli filius, urbis cognominis conditor, secundùm Herennium Philonem. Stephanus de Babylone, Κτίσμα Βαβυλῶνος, ἀνδρὸς σοφοῦ, παιδὸς Βήλου σοφωτάτου, οὐχ ὡς Ἡρόδοτος ὑπὸ Σεμιράμιδος. Ταύτης γὰρ ἦν ἀρχαιοτέρα ἔτεσι χιλίοις δύο, ὡς Ἑρέννιος, *Opus est Babylonis, viri sapientis, Belo sapientissimo geniti; non verò, ut Herodotus ait, Semiramidis. Hæc enim erat mille & duobus annis antiquior, ut refert Herennius.* At Dorotheus Sidonius, antiquissimus Poëta, qui ἀστρολογικὰ disertissimis versibus composuit, ab ipso Belo conditam urbem vult,

Ἀρχαίη Βαβυλὼν Τυρίου Βήλοιο πόλισμα,
Ὕστατα δ' Ἀραβίης γείτων χθονὸς Αἰγύπτοιο.
Vetus Babylon Tyrii Beli opus,
Tandem verò Arabiæ vicina terræ Ægypti.

Qua de re V. in voce *Babylon, urbs*: & plura hanc in rem, apud Salmasium *ad Solinum pag.* 1217.

Babylon, urbs Babyloniæ reg. adde: *Babylonicæ* turris reliquiæ hodieque in ruderibus, quæ collem veluti referunt, conspicuæ dicuntur esse. Perhibent namque viatores, eas in planitie quadam sitas & 2. mill. Bagdadedo seu Novâ Babylone distare: habere autem circumferentiam 3000. passuum & ex terra cæmentique aliquo genere pice admistâ, in tantam duritiem conflatas esse, ut vix frustum aliquod inde auferre liceat. V. Vinc. le Blanc *Itiner. l.* 1. *c.* 5. Ab oriente porro Sole diem incepere Babylonii, sicut à media nocte Romani, ab occasu Athenienses, à meridie Umbri, Joh. Rosinus *Antiqq. Rom. lib.* 4. *cap.* 3. Iidem festum inter alia habebant, cui nomen *Sacaas*, Saturnalibus Romanorum non dissimile, in quo per quinque integros dies servis in dominos imperium erat, illorumque unus regiam induebat stolam, referente Ctesiâ *Annal. Persic. lib.* 2. &c.

Babylonia, adde: Laxè nimiùm Solino extenditur, *cap. 56. Chaldææ genti caput* Babyloni: *Semiramidi condita, tam nobilis, ut propter eam & Assyrii & Mesopotamia in* Babyloniæ *nomen transierint*, Ubi priori loco *Babyloniam* urbem quoque vocat, contra Vett. morem, qui provinciam solam hoc nomine insignierunt. Sed diversas semper ac distinctas fuisse tres has provincias, *Mesopotamiam. Babyloniam & Assyriam*, certum est; & sic recensentur apud Ptolemæum. Isidorus in provinciis Imperii Parthici enumerandis, Assyriam non nominat, sed eam sub Mesopotamia comprehendit, Μεσοποταμία καὶ Βαβυλωνία. Sanè & *Babylonia* etiam pars Mesopotamiæ fuit. Plinius, *Mesopotamia tota Assyriorum fuit, vicatim dispersa præter Babylonem & Ninum* Propriè verò dicta est *Babylonia*, regio circa Babylonem eratque pars Assyriæ. V. Salmasium *ad Solinum pag.* 1228.

Babylonia cognomen fuit Seleuciæ, cujus (in confluente Euphratis fossâ perducti atque Tigris, conditæ à Seleuco, haud longè à Babylone) vicinitate exhausta est Babylon & in solitudinem redacta. De ea Plinius, *quæ tamen* Babylonia *cognominatur. libera hodie ac sui juris Macedonumque moris.* Idem ubique *Babyloniam* eam vocat, inter alia quoque *lib 6. cap. 27. Citra Seleuciam* Babyloniam *CCXXV. passuum.* Et paulo pòst, *Abest à Seleucia Babylonia CCCCL. M. P.* Nempe ex regione, in qua condita fuit, hoc cognominis ista Seleucia accepit, ad discrimen cœterarum Seleuciarum ut *Seleucia Pieria* &c. Sic Καισάρεια Καππαδοκίας, *Cæsarea Cappadociæ*, quæ in Cappadocia, ut distingueretur ab aliis urbibus eodem nomine, apud Stephanum in voce Καισάρεια; *Antiochia Syriæ* dicta est ea Antiochia, quæ in Syria sita erat; *Antiochia Pisidiæ*, in Tab. Peutingeriana. &c. V. Salmasium *ad Solinum pag.* 1226.

Babylonica περιστρώματα, insternendis accubitis olim precipuè adhibita, auro & purpurâ picta aliisque coloribus intexta fuere. Plinius, *Metellus Scipio tricliniaria* Babylonica *sestertium octingentis millibus venisse jam tunc posuit, in Capitonis criminibus, quæ Neroni Principi quadragies sestertio nuper stetere.* Inde *Babylonicum aureum plumatum* Publio Syro dicitur. Glossæ, *Babylonicum*, ψιλὴ πολύμιτος, V. Salmasium *Not. ad Tertullianum de Pallio c.* 1. & infrà, ubi de vestibus *Catacliti*s Propriè verò, quæ *Babylonica* vocabantur, non polymito texturæ genere, sed acu fieri solebant Martialis,

——— *Babylonica picta superbè*
Texta Semiramiâ quæ variantur acu.

Nempe, *diversos colores picturæ intexere, Babylonem maximè celebravisse & nomen imposuisse*, Plinius ait, &c. V. infrà, ubi de vestibus *Pictis* & *Plumandi* artificio.

Babylonica Spina, memoratur Plinio *lib.* 13 *c.* 24. *Non omittendum est, & quod Babylone seritur in spinis, quoniam non alibi vivit sicut & viscum in arboribus. Sed illud in spina tantùm, quæ Regia vocatur. Mirumque, eodem die germinat, quo injectum est. Injicitur autem ipso Canis ortu & celerrimè arborem occupat. Condiunt eo vina, & ideo serunt.* Nempe inter stirpes, quæ in solo sedem non habent, sed in alienis arboribus & plantis crescunt, semen quoddam recenset Theophrastus, unde id Plinius hausit, quod in spina satum, circa ortum Caniculæ, eodem die surgit crescitque ad tantam amplitudinem, ut spinam ipsam amplectatur totam. V. eum *de Causis lib.* 2. *c.* 22. Cujus subiti incrementi causa, quòd spina eo tempore turget & velut ἐν ὀργασμῷ est. Sed Theophrastus *Spinam Regiam*, quam ἄκανθαν βασιλικὴν vocat, à *Babylonica* distinguit; quas easdem facit Plinius. Forte eû in errorem adduxit, quòd Attici cœterique tum Græci, βασιλέας de Regibus tantùm Persidis dicerent. Quidnam verò propriè nomine seminis illius in Babylonica spinâ nascentis venire possit, an epithymum, an cuscuta, aliudve quiddam, V. pluribus disputantem Salmasium *p.* 1290.

Babylonii, qui & *Chaldæi*, Astricæ scientiæ & τῆς γενεθλιαλογίας inventores, primi diem in XII. partes diviserunt, & Zodiacum in XII. itidem signa, horumque quodlibet in 30. iterum partes partiti sunt. V. Salmasium *ad Solinum pag.* 635. *& seqq.* ut & infrà, in voce *Chaldæi*.

Bacario, i. Aquariolus: Quibus nominibus dicebantur apud Romanos, πορνοβοσκοί, *meretricum ministri*, ut habetur in *Gloss.* qui iis lavantibus aquam aggerebant & *bacarione*, quod vasis aquarii genus erat, longiori manubrio, eam super lavantes jactabant ac effundebant. *Trullam quidam appellabant*, inquit Festus: Ἀρύταιναν Græci dixere, Theophrastus *in Ethicis characteribus*, περὶ ἀναισχυντίας, Καὶ βάψας ἀρύταιναν, βοῶντος τοῦ βαλανέως αὐτὸς αὑτοῦ καταχέασθαι, καὶ εἰπεῖν ὅτι λέλουμαι, ἀπιών, V. quoque Zenobium in *explicatione Proverbii*, ἐμοὶ βαλανεύσεις Hoc idem vas aut simile, ἀρύβαλλος etiam dicebant, ἀπὸ τοῦ ἀρύειν καὶ βάλλειν τὸ ὕδωρ, *ab hauriendo & jactanda aqua*. Inde & βαλλάδες seu βαλλίονες dicti, de quibus infrà.

Baccæ, propriè sunt lauri, oleæ, myrti & id genus arborum fructus, ut apud Ovidium *Metamorph. lib.* 10. *versu* 98.

Et bicolor myrtus & baccis *cærula ficus.*

Salmasio *Bacca*, quæ pomo minor, unde de minoribus pomis passim occurrit. Sic cerasa & olivæ *baccæ* sunt, & frequentiores baccæ in sylvestribus, à pomis solâ brevitate differentes, ἀκρόδρυα Græcis. Intus lignum, extra carnem habent &c. V. eum *ad Solinum pag.* 531. 598. 609. & *seqq.* Ad earum similitudinem etiam *bacas* olim margaritas dixere. Horatius *Epod.* 8.

Nec sit marita quæ rotundioribus
Onusta bacis *ambulet*

Ita enim quævis optima exemplaria legunt, unico *c.* cùm gemino *c. baccæ* efferantur, in propria significatione sumtæ. Quamvis negari non possit & *baccas* pro unionibus dixisse alios. Ovid. Metamorph. *lib.* 10 *fab* 8. *v.* 264.

Dat digitis gemmas, dat longa monilia collo,
Aure leves baccæ, redimicula pectore pendent,
Cuncta decent.

Et Claudianus *de 6. Honor. Consul.*

dictas esse refert. Idem de ære Mossynœco suspicatus est Bochartus, quod Philosophus vocat *λαμπρότατον καὶ λευκότατον*, *maximè splendens & album*, quæ sunt orichalci notæ characteristicæ. Græci namque tam nativum, quàm factitium orichalcum, *album* describunt: & fortasse Hebræis inde dictum est לבנה נחשת, *nechoseth lebana* i. *æs album*; atque ex eo facta fuerit Græcè vox *χαλκολίβανον*, in Apocal. *cap.* 1. *vers.* 15. Sed de hac vide infrà in voce *Chalcolibanus*. Deferebatur autem æs hoc album Tyrum, *ex Tubal & Mesech*, Ezech. *cap.* 27. *versu* 13. De *orichalco* factitio, habes apud Etymologum, *χύμευσίς ἐστι χαλκοῦ λευκοῦ τοῦ νῦν εὑρισκομένου, ὅτι γὰρ τινα τινὶ γίνεται λευκὸς, Φύσει*, adde ex Tzetze, *κυῤῥὸς ὤν*. *Chymica est fusio æris albi, quod nunc reperitur: illud enim præparatione quadam fit album, cùm naturâ rubrum sit.* Cujusmodi præparatione fiebat orichalcum, in Phrygiæ urbe Andiris, ut his verbis testatur Stephanus, post Strabonem *libro* 13. *Ἄνδειρα πόλις, ἐν ᾗ λίθος ἐς καιόμενος σίδηρος γίνεται, εἶτα μετὰ γῆς τινος καμινευθεὶς, ἀποστάζει ψευδάργυρον, ἣν προσλαβὼν χαλκὸς, ὀρείχαλκος γίνεται; Andira urbs, in qua est lapis, qui combustus fit ferrum: Dein cum terra quadam in camino excoctus pseudargyrum exsudat, atque æri mistus postmodum fit orichalcum.* Sam. Bochartus *Hierozoici Part. poster. lib. VI. cap. ult.* V. quoque infrà in voce *Crema*.

Auricoctores, apud Manilium, *versibus* quos Scaliger pro desperatis relictos ita correxit Salmasius,

> *Ille etiam fulvas avidus numerabit arenas,*
> *Perfundetque novo stellantia littora ponto.*
> *Parvaque ramentis faciet momenta minutis,*
> *Pro tali ut regerat censu spumantia in aurum.*
> *Et perlucentes cupiens prensare lapillos*
> *Verticibus mediis oculos immittet avaros.*

Sunt, *χρυσεψηταὶ* Græcis, & simpliciter *Ἑψηταὶ* Agatharchidi, qui ramenta auri purgata, lota & in farinam tusa vel molita ad pondus accipiebant & cocta reddebant pari ferme pondere, aut modico saltem intertrimento. Diodorus Sic. ubi suprà, *lib.* 3. *Τὸ τελευταῖον ἄλλοι τεχνῖται παραλαμβάνοντες μέτρῳ καὶ σταθμῷ τὸ συνηγμένον εἰς κεραμεοῦς χύτρους ἐμβάλλουσι, Tandem alii opifices accipientes appensa* (ramenta) *in catinos fictiles injiciebant*, ut viz. in fornace excoquerentur. Atque hoc est quod ait Manilius *versu* 3. (nam duo priores ad aurilegulos spectant) *parva momenta*, id est, parvas lances, *faciet*, ponderandis minutis momentis, ut pro tali censu reddat, ac *regerat spumantia in aurum*, id est, excocta in purum putum aurum. Aurum enim, non minùs ac æs & argentum, dum excoquitur, spumam ejicit, quod ipsius purgamentum est. Inde & *ὄβρυζον* aurum Græcis, *quod sæpius despumavit & excoctum est*; ab *ὀβρύζειν*, quod idem ac *βρύζειν* & *βρύειν*, seu *βλύζειν*: unde *obrussam* dixere Latini *experimentum auri, quod igne sumitur*, Plin. *lib.* 33. *cap.* 3. &c. V. Salmasium *ad Solinum pag.* 1080.

Auricula Ornatrix, in famulitio Matronarum fuit. Immundi enim muliebris, ut loquitur Pignorius, pars una coma fuit; pars altera cutis, facies, & hujusmodi reliqua, fœminis procurata ad insaniam usque. Unde, uti *cutem medicaminibus ungebant, genas rubore maculabant, oculos fuligine collinebant*, Tertullian. *de cultu fem.* sic *auricularum* peculiarem gerebant curam: in quam Cyprianus invehitur *de discip. & habitu Virg.* *An vulnera inferri auribus Deus voluit, quibus innocens adhuc infantia & mali secularis ignara crucietur, ut postea de aurium cicatricibus & cavernis pretiosa grana dependeant, gravia, etsi non suo pondere, mercium quantitate?* Meminit hujus ministerii vetus *Inscr.* Romæ: apud Pignor. *Comm. de Servis.*

JULIÆ + LIVIÆ + AUGU
AURICLAE
ORNATRIX.

Auricularis, apud Ugutionem, Guil. Tyrum *lib.* 19. *cap.* 18. Ekkehardum Jun. *de Casibus S. Galli cap.* 3. Henr. de Knygton *Histor. lib.* 5. Petrum Diac. *Chron. Casin. lib.* 4. *cap.* 68. Willh. Neubrigensem *lib.* 5. *cap.* 2-. Arnoldum Lubecensem *lib.* 3. *cap.* 8. Alios, secretorum est conscius, Consiliarius, Gall. *Qui à l'oreille du Prince.* Idem *Auricularius*, Britoni, Lamberto Schafnaburg. *ad A.C.* 1076. Lamberto Ardensi, Orderico Vitali *lib.* 10. &c. Interdum verò Secretarium seu Amanuensem vox *Auricularii* notat, *Vita S. Audoëni Episc.* Rotomag. *cap.* 5. *Sanctus Audoënus, cognomento Dado*, Auricularii *locum & munus in aula Regis obtinuit, itemque ad obsignanda scripta vel edicta Regia, quæ ab ipso conscribebantur, sigillum vel annulum Regis custodiebat.* Ita Angilbertum Abbatem Centulensem, Caroli M. Secretarium, ab Alcuino joculari nomine *Homerum* dictum, idem Alcuinus quoque vocat *Epist.* 82. & *Carm.* 116. & 177. quem *Epist.* 89. appellat *Manualem*, i. Amanuensem, apud du Fresne *Gloss.* De *Auriculari* verò *Confessione*, quæ in Ecclesia Romana obtinet, V. infrà in voce *Confessio*.

Auriflamba, adde: Idem *Auriflamma*, *Oriflamma*, *Oriflamma*, Carolo du Fresne vexillum fuit proprium Monasterii S. Dionysii, quod Monachi in bellis, quæ pro bonorum aut privilegiorum tuitione suscipere cogebantur, suo deferendum Advocato porrigebant, qui illud ex Abbatis manibus, certis precibus ad id ab eo recitatis, ex Dionysii monumento, cui appensum erat, acceptum, in prælis tanquam Ecclesiæ ac Monasterii Signifer, præferebat primitus. Id enim muneris præsertim Advocatos Ecclesiarum spectasse, quarum proin *Defensores* ac *Signiferi* dicebantur, vidimus suprà ubi de *Advocatis*. Hoc proin nomine Vilcassini seu Pontesiæ Comites, qui Sandionysiani Monasterii protectores & Advocati erant, fortè quòd plurima ex illius bonis intra eorum ditionem sita essent, *Auriflammam*, illius Monasterii peculiare ac præcipuum vexillum, in expeditionibus bellicis, quas suscepere pro ejus tutatione, detulerunt. Unde fortassis manavit, ut *Auriflamma* crebro & fere semper *vexillum S. Dionysii* vocitetur à Scriptoribus, non solùm viz. quòd in Æde S. Dionysii asservaretur, sed quòd peculiare esset Monasterii in militaribus expeditionibus signum. Nec proin verisimile præfato Auctori videtur, Galliæ Reges *Auriflammam* prætulisse in bellis suis, ante Ludovicum VI. à quo Villcassinensis Comitatus comparatus est, &c. Hujus verò vexilli imitatione *Auriflammam* quoque interdum dictum esse præcipuum aciei vexillum, discimus ex Albertino Mussato *de Henrici VIII. gestis*, *cap.* 2. *Nec minùs extemplo Aquilas auream que flammam explicans, in Florentiæ fines processit.* Vocis etymon quod attinet, ex Britonis versibus non obscurè colligitur. Cùm enim labari seu gonfanonis formam præferret (cujusmodi Ædes sacræ non paucis in locis habere etiamnum solent, atque iis uti in publicis processibus) ejus materiam fuisse ajunt ex rubeo serico ignei & coruscantis coloris, atque ab igne auri & fulgore sandaracæ, cui flammeus color tribuitur, à Plinio *lib.* 35. *cap.* 6. *Auriflammæ* nomen inditum. Sanè de hujus vexilli colore & materia consentiunt Scriptores. Carolo vero du Fresne non videtur ex hisce evinci, ab ipso colore nomen *Auriflammæ* manasse, cùm, etsi flammeum rubeus quocunque modo repræsentet, nihil auri in ejus descriptione occurrat, præterquam in ipsa lancea, cui hærebat quam Beslius *auratam* fuisse scribit. Neque enim aureâ fuit prætextum fimbriâ, ut Chifletius finxit, sed viridi; quod disertè notat *Chron.* Flandriæ. Mavult igitur *Auriflammam* appellatam, à voce Scriptoribus medii seculi passim recepta, nempe à *Flammulum* vel *Flammula*, quæ quodvis vexillum denotat, cui adjuncta fuerit vox *Aurea*, quòd hasta, cui infixa erat, auro fuerit obducta: quod præter Presliium in *Histor. S. Dionys.* testatur *Inventarium* vetus Thesauri S. Dionysii apud Doubletum. Sed & Scriptor *Historiæ* Caroli VI. ex Thuana Bibl. enarrans, ut Domino *d'Aumont Auriflammæ* gestandæ præfectura à Rege demandata sit, hæc adjungit: *Sic vexillum ferre dignum duxit, donec ingruente belli necessitate, hastæ aureæ applicasset* &c. V. plura apud Andr. Duchenium *Histor. Bethun. lib.* 1. *cap.* 3. Raym. Montanerium *Chronic. Regum Aragon. capp.* 112. 123. 178. 139. Johann. Goulain Carmelitam in *Vers.* Gall. Rationalis Durandi exaratâ A. C. 372. jussu Caroli V. Gall. R. *fol.* 41 42. & Car. du Fresne prædictum in *Glossar.* & *Dissertat.* 18. *ad Joinvillam.*

Aurifrigia, seu *Aurifrisia*, aut *Aurifrisum*, apud medii ævi Scriptores, nonnullis est opus Phrygium auratis intertextum filis: Carolo verò du Fresne fimbria aurea, limbus aureus. Gall. *Frange d'or*: Quod probat ex *Chron* Laurishamensi *pag.* 95. *Cappæ tres cum* aurifrigiis, *palla altaris cum aurifrigio* &c. & *Chron.* Moguntino Conradi Episc. *Casula violacea latis & magnis aurifrigiis.* Sic Matthæus Paris Anno Christi 146. *In capis Choralibus & infulis* aurifrigiâ *conspicibilibus*. *Charta* Anno Christi 1213. apud Ughellum *Tom. VII. pag.* 289. *Cappam unam de examito rubeo cum lista de aurifriso &c.* Galli Anglique Aurifrisum dixere *Orfrey* seu *Orfrais*, quam vocem exprimens Ordericus Vitalis Latinè, *Aurifrasium* dixit *lib.* 6. *pag.* 603. *Adelina quoque uxor Rogerii de Bellomonte Albam* aurifrasio *Comitis ornatam Uticensibus contulit*, apud Eund.

Aurigantium. qui ludis Circensibus palmam olim quærebant, factiones erant variæ, de quibus sic Tertullianus *de spect.* *cap.* 9. *Aurigæ coloribus idololatriam vestierunt, & ab initio duo soli fuere, albus & russeus. Albus hyemi, ob nives candidas, russeus æstati ob Solis ruborem voti erant: sed postea tam voluptate, quàm superstitione provectâ russeum alii Marti, alii album Zephyris consecraverunt. Prasinum verò terræ matri, vel verno: Venetum cœlo & mari vel autumno.* Ita igitur cùm primùm duæ solùm eorum factiones essent, *Alba* & *Russea*: postea à coloribus viridis, cœrulei, coccini albique panni, quo donabantur, nomina acceperunt *Prasina*, *Veneta*, *Russea & Albata*. Domitianus duas alias adjecit, *Aurati purpureique panni*, teste Suetonio: Sed illæ ætatem non tulerunt. Harum prout uni vel alteri Imperatores populusque adhærebat, ita dividebantur studia, sponsionibusque acriter certabatur: Erantque Principes quidam harum factionum ad reprehensionem usque studiosi: ut Caligula Prasinæ; Vitellius Venetæ: tum Agitatores ipsos in pretio habuerunt, Caligula Incitatum, Nero Prasinum, Domitianus Passerinum ac Tigrim, Nerva Scorpium, quorum victorias carmine extulit Martialis. Meminit Boculi cujusdam Asconius, M. Aurelii Dioclis & C. Apuleii Dioclis & C. Pompeii Eusceni ac Fusci vett. Epigrammata. Martialis tres factiones conjungit,

> *Si Veneto, Prasinove faves, qui coccina sumis*
> *Ne fias istâ transfuga veste, vide.*

De

De Prasina seorsim Juvenalis *Satyrâ* 11.

> *Totam hodie Romam Circus capit, & fragor aurem*
> *Percutit, eventum viridis quo colligo panni.*

Nec carminibus solùm Poëtarum celebrari consuevere victoriæ, sed tumulorum quoque cippis aut statuarum elogiis, unà cùm factionis mentione, æternitati tradebantur. Habebat porro quælibet factio suum Procuratorem, ut patet ex vet. lapide; *Q. Rapidio Q. F. Lensepuillio. Procuratori. Dromi. Factionis. Venetæ. Q. Rapidius. Xenodotus. Et. Rapida. Juventina. Par. Fecere.* Suum item Medicum, de quo sic Marmor vetustum: *M. Vipsanio. Fulloni. Textori. Aurigatori. M. Vipsanio. Mignioni. Viatori. M. Vipsanio. Quartio. Succondatori. M. Vipsanius. Medicus. Factionis. Venetæ. Oll. 4. D. D.* &c. Sed postquam Justiniani Imp. temporibus, ex Prasinæ & Venetæ factionum contentione, seditione ortâ, horribilis hominum strages edita & 40. fere eorum millia trucidata essent, quod ex Zonara transcripsit Cuspinianus: nomina factionum abolita sunt, & quadrigarum hæc ambitiosa vanitas cessavit. Magistratus, qui hisce ludis præerat, Prætor viz. aut Dictator, ob hoc ipsum creatus, mappâ aurigis signum solebat dare cursus: tum sono tubæ equos è carceribus emissos, ut cuique sponsio aut votum, hortamine sublatisque in altum vocibus prosequebantur: unde & *Circus clamosus* appellari consuevit. Sed plura de his V. apud Joh. Rosinum *Antiqq. Rom. lib.5. cap.5.* Thom. Demsterum *Paralipom. in illud* &c. Addam saltem, de factionibus Circi, carmen Corippi *lib.1. num. 17.*

> *Aurigas totidem, totidem posuere colores,*
> *Ut sunt æstivis Brumalia frigora flammis:*
> *Nam viridis vernis campus ceu concolor herbis,*
> *Pinguis oliva comis, luxu nemus omne virescit;*
> *Æstatis roseus rubra sic veste refulget.*
> *Ut nonnulla rubent ardenti poma colore*
> *Autumni venetus ferrugine dives & ostro,*
> *Maturas uvas, maturas signat olivas.*
> *Æquiparans candore nives hyemisque pruinas*
> *Albicolor socia viridi conjungitur uva.*

De sponsionibus, quæ vel pecuniâ, vel annulis depositis, fiebant, sic Ovid. *de arte amandi lib.1.*

> *—— Tangitque manu, poscitque libellum,*
> *Et quærit posito pignore, vincat uter.* &c.

Nec locus hîc est omittendus *Aurigarum*, qui in primo temone erat. Et quidem olim ad currum jungebantur quatuor equi, ut omnes conquaternati æquatâ fronte procederent, subsequentibus binis jugalibus, cùm hodie bini funales juncti præcedant, subsequentibus jugalibus: atque tum quatuor illos equos sic conjungebant, ut duplici temone equis interjecto perpetuum jugum omnibus conjiceretur. Primus Clisthenes Sicyonius, ratione hac immutata uno temone currum fecit, ac medios tantùm duos jugo junxit, eisque singulis ab utraque parte adjunxit loro vinctos, uti docet Salmasius *ad Solinum pag.* 897. Ab *Aurigis* phrasis orta, *versis pannis agitare*, quod de illis propriè dicebatur, quum ab unius factionis panno ad alium transierant: ut puta, si Veneti panni agitator cum coccino panno agitasset, V. *Ibid. pag. seqq.* ubi tota Veterum *Aurigandi* ratio accuratè exhibetur. Sed & addam hîc quædam, de *Aurigarum* aurum postulandi more, qui indigitatur Jul. Capitolino in *Vero* Imp. ubi de Volucri equo ejus, *In hujus equi gratiam primùm cœperunt equi (l. equis) aurei vel bravia* (pro & *bravia*) *postulari. In tanto autem equus ille honore fuit, ut ei à populo prasinianorum sæpè modius aureorum postularetur.* Eundem & Dio aperit in *Caracalla*, ubi de ejus *aurigationibus* loquitur: Ἀσπασάμενος ἂν τοὺς ἐξελαύνοντας, ἢ τὸν ἄλλον τῶν ἐπικοίνων ἐπαίδιζεν, ἵνα καὶ ἐν τούτῳ ἡνιοχεύοντα, προσκυνεῖ τε αὐτοὺς κάτωθεν τῇ μάστιγι καὶ χρυσοῦς, ὥσπερ τις τῶν ταπεινοτάτων ᾔτει. In his enim verbis significat Caracallum *aurigæ* habitu, manu flagellum tenentem ex inferiori parte adorasse agonothetas & postulasse aurum. Hoc enim est Τὸ μάστιγι προσκυνεῖν, *flagello ori admoto sic adorare*, quod alii soli manu labris admotâ faciebant. At *Aurigæ* nunquam sine flagello; qui proin, quum adorare vellent, illud ori admovebant. Κάτωθεν addit, *i. ex inferiori loco*, cùm agonothetæ in superiori essent. Idem de Abito, ἑωρᾶτό τε αὐτὸς καὶ ἁρματηλατοῦντα καὶ χρυσοῦς αἰτοῦντα, ἵνα τῶν ἐυτελεστάτων αἰτῶν, τούς τε Ἀγωνοθέτας καὶ στρατιώτας προσκυνοῦντα, *Videbantque eum & aurigantem & aureos, velut unum ex vilissimis postulantem, atque Agonothetas militesque adorantem.* V. Casaubonum & Salmasium *ad Capitolinum.*

Aurigraphus, dicitur Ugutioni & Johanni de Janua, *qui auream scripturam facit*, Χρυσογράφος Scylitzæ *pag.* 450. & Joeli in *Chron. pag.* 177. *Aureis* enim *literis* pretiosiores olim libri scribi solebant. Liber *Translationis* S Stephani, *Textum deinceps Sacrorum Evangeliorum aureis characteribus exaratum obtulit.* Ordericus Vitalis *lib.5. Luithprandus Langobardorum Rex, donationem patrimonii Alpium Cottiarum, quam Aripertus*, aureis *scriptam* literis *Romam direxerat, confirmavit.* Ex qua verò materia constaret ejusmodi *aureus*, ut & cœteri colores, in exarandis ornandisque libris adhiberi soliti, docet Papias inprimis, in voce *Libri*, his verbis: *Scribebantur autem* (libri) *diversis coloribus, quos facere poteris hujusmodi factis confectionibus. Argenteas literas facies, si æris florem & alumen æquis ponderibus in argento contriveris. Aureas facies, si alumen & æris florem æquo pondere aceto infusum de auro in aurum, usque ad mellis Attici crassitudinem triti perduxeris. Aureum colorem facies si sal & alumen rotundum æqui ponderis in æreo vasculo aceto infusi in æramento teras, usque ad mellis Attici crassitudinem. Hoc etiam ferreum facit:* apud Car. du Fresne *Glossar.* V. quoque infrà, ubi de *Auro liquato.*

Auripigmentum, Plinio Arsenicum luteum dicitur, quod unum Vetustissimis hoc nómine cognitum, inter colores picturæ utiles habitum est. Cum eo sandaraca in iisdem fodinis reperitur, & quidem in Mysia & Hellesponto inveniri, tradit Dioscorides: cùm rubrum Arsenicum, in aliis fodiatur metallis, & in Ponto ac Cappadocia eruatur, Armeniâ item, unde *Armenium* videtur absolutè dictum. Inter austeros autem colores *Auripigmentum* eidem Plinio recensetur, hoc est, minùs lucidos floridosque, nec tam vegeti intensique luminis, adeoque obtusiùs pinguiusque relucentes: quales quoque ochra, sandaracha, sandyx, Syricum, sinopis, rubrica &c. V. Salmasium *ad Solinum p.*199. & 1155.

Auris, obedientiæ symbolum & servitutis, ut vidimus suprà, ubi de *Aurem perforandi ritu.* Eandem Memoriæ consecratam, refert Servius: quod de ima ejus parte Plinius habet unde *Aures tangendi vellendique* mos, de quo *ibid.* Sic autem is, *lib.11. cap.46. Est in aure ima memoriæ locus, quem tangentes antestamur.* Sed & ejusdem partis contrectatio benevolentiam quâ parentes nos prosequimur, auditûs sensu animis nostris inseri monet, sicut Clemens Alexandr. 5. *Strom* exposuit. Quamobrem olim mos fuit, ut pueri Patres oscularentur, arreptis utrinque *auribus*, quod osculi genus Polluci *lib.*10, χύτρα, i. *olla* dicitur: quia caput auribus veluti ansatum est. Poëta,

> *Et fetus matrona dabit, natusque parenti*
> *Oscula comprensis auribus eripiet.*

Plautus *in Asinar.*

> *Prehende auriculis, compara labella cum labellis.*

More inde ad alios translato. Namque & a senibus pueros eodem Osculi genere exceptos esse, videbimus infrà, ubi *de Osculo.* Et inter juvenes puellasque idem viguisse, ex Theocrito discimus:

> Οὐκ ἐράω Ἀλκίππας, ὅτι με πρᾶν οὐκ ἐφίλασε
> Τῶν ὤτων καθελοῖσ' ὅκα οἱ τὰν φάσσαν ἔδωκα.
> *Non amo Alcippem, quoniam me non osculata est*
> *Auribus prehensis, cùm ei palumbem donassem* &c.

V. Canterium *lib.1. cap.19.* Lil. Gregorium Giraldum *Syntagm. 1. Deorum Gentil.* Hadr. Junium *Animadversorum lib. 4. cap.* 12. Jac. Dalechampium *ad Plinium d. l. Aurium* v. nota compendiaria, hæc fuit Ɛ3. Non enim Astronomi solùm, sed & Medici veteres suas habuere notas, quibus corporis membra compendiosè significabant, quarum pleræque in antiquis Græcorum libris, Hippocratis & aliorum, reperiuntur, uti docet Salmasius *ad Solinum pag* 1128. De earum ornamentis, dictum aliquid ubi suprà. Neque verò luxui solùm, sed & pœnæ, illæ obnoxiæ. Namque *Aurium* abscissio & incisio, olim inter pœnas fuit *LL.* receptas. Templorum namque & rerum sacrarum direptoribus, *aures* findebantur *LL.* Saxonum. Additio ad eas *tit.* 12. *Qui Fanum effregerit — finduntur* aures *eius & castratur* &c. Eâdem pœnâ mulctabantur servi fugitivi. Gregorius Turon. *Histor. lib.5. cap.* 48. de Leudaste servo fatetur: *Cumque bis aut tertiò reductus à fugæ lapsu teneri non posset*, auris *incisione mulctatur.* V. eundem *lib.9. cap.*38. & Aimonium *lib.3. cap.* 43. Sed & fures omnes pœnâ hac affici consuevere, ut patet ex *Stabilimentis* S Ludovici *lib.1. cap.*29. Illi item, qui in vineis damna faciebant, uti statuitur in *Charta* Communiæ Bituric. A.C. 1181. & in *Consuetud.* Municip. Bellaci MS. ab Adelberto III. Com. Marchiæ, apud du Fresne. Idem fiebat *Edicto* Casimiri Poloniæ R. A.C. 1368 illi, qui in curia Militis minutas quascunque res abstulisset. Neque in furtis modò, sed etiam aliis delictis, eandem pœnam statutam observare est, ex *Statutis* Henrici V. R. Angl. *tempore guerræ*, quod extat apud Nic Uptonum *de Militari officio lib.4. pag.* 140. in *Edicto* Philippi Pulchri *de Duellis artic.* 6. apud Covvellum *lib.4. tit.* 18 § 47. 49. &c. Ad majores verò Institiarios *Aurium abscissionem* pertinuisse, annotant *Consuetudines* Silvanectenses Art.106. Andegav. Art. 148. & Juliodun. *cap.*39. *art.*32. apud eundem *Glossar.*

Auro Liquato, deaurari olim pelles & vasa consuevisse, discimus ex Flavio Vopisco *in Aureliano*: *Habuit in animo, ut aurum neque in cameras, neque in tunicas, neque in pelles, neque in argentum mitteretur, dicens plus auri esse in rerum natura, quàm argenti: sed aurum per varios bractearum, filorum & liquationum usus perire, argentum autem in suo usu manere.* Ubi singula singulis ordine suo reddit: *bracteas* cameris (quæ inter alios exornandi modos auro imbracteabantur) *fila* vestibus, *liquationes* pellibus & argento. Uti enim cameræ inaurabantur per bracteas, sic vestes *auro* intexebantur per fila, pelles & argentea vasa deaurabantur per liquationes: sicque bracteationibus, filationibus & liquationibus aurum peribat, non autem argentum, quod ad hujusmodi usus adhibitum nuspiam legimus. Liquatione autem vel auro liquato deaurabantur pelles, sicut & vasa. Nam ita etiam in membranas *aurum* mittebatur, quum sc. literis aureis perscribebantur. D. Hieronymus *ad Eustochium de custod. Virgin. Inficiuntur membranæ*

næ colore purpureo, aurum liquescit in literas. Omisit Aurelianus aliud genus inaurandi pocula argentea, quod non fiebat *auro liquato*, sed *aureis clavis* immissis in argentum & insertis; quo genere deaurata *auro vincta* & *auro clusa* dicebantur, de quibus infrà: fortè ideo, quòd aurum sic missum in argentea pocula non pereat, sed integrum & in sua natura maneat: perit verò quod in bracteas extenditur, aut in fila deducitur aut liquatur, &c. Filis autem aureis & subtemine serico vestes claras ac pretiosas texi consuevisse, Spartianus docet in *Pertinace*, *Vestis subtemine serico filis aureis.* Virgilius item,

Et picturatas auri subtemine vestes.

Ubi *subtemen* Poëta pro trama posuit vel filis: non enim stamen ex auro potest esse &c. Sed & obiter hic notandum, ætate Aureliani nondum inventum fuisse, argentum in fila deducere & filis ejusmodi vestimenta contexere; quod postea sub ultimis Impp. Græcis multum in usu fuisse, docebimus infrà in voce *Syrmatina.* V. plura hanc in rem, apud Salmasium *ad Vopiscum.*

Auro Præpositi, memorantur inter servos Vett. Clementi Alex. *lib. 3. Pæd.* οἱ δὲ χρυσοφυλακοῦσιν ὡς γρῦπες. Præpositorum *Auro escario* mentio extat in vet. lapide, Romæ, in hortis Julii III. Pontif. Rom. apud Pignorium,

DIS MANIB.
GAMUS AUG. L. PRÆP. AURI
ESCARI FECIT SIBI ET
FLAVIÆ TYCHE CONIUGI
BENE MERENTI &c.

Legitur quoque in vet. marmore, *Præpositus auro gemmato*, de quo Juvenal. *Sat. 5. versu 39.*

Tibi non committitur aurum,
Vel si quando datur, custos affixus ibidem,
Qui numeret gemmas unguesque observet acutos.

V. Laur. Pignorium *Comm. de Servis.*

Auro Sparsum, apud Plinium, ubi de Curaliachate, *Curaliachates guttis aureis sapphiri modo sparsa*: Solino dicitur *guttis illitum auro micantibus, cap. 5.* Græcis χρυσόπαστος. Ut de Sapphiro Theophrastus, καὶ ἡ σάπφειρος, αὕτη δ' ἐστὶν ὥσπερ χρυσόπαστος. Sic *Pallium auro sparsum*, in *Histor.* Aug. τὸ χρυσόπαστον &c. Theophrastus, Sapphirum istiusmodi etiam χρυσοπαστὸν vocat. Alius Auctor de gemmis, Σάπφειρος λίθος ἔχει σπλάδας χρυσίου ὡς ἐν στίγμασι. Ubi στίγματα, i. *puncta* appellat, quas alii *guttas*. V. Salmasium *ad Solinum pag. 131.* & infrà passim, inprimis, in voce *Guttati* & *Stellati.*

Auro Vinctum Palladium, apud Æl. Lampridium in *Vita* Heliogabali, *Hoc quum isse sensit, signum tamen, quod Palladium esse credebat, abstulit: &* auro vinctum *in sui Dei templo locavit*: est deauratum, quod Græci dicunt χρυσόδετον, unde vasa chrysendeta, ad verbum, *auro vincta.* Ex ligno enim erat, sed auro obductum. Sic *pocula auro vincta*, Pomponio Melæ, pro *deauratis.* Eodem sensu *cornua auro jugata*, reperimus apud Trebellium Pollionem in *Gallienis*, *Processerunt altrinsecus centeni boves, cornibus* auro jugatis, *& dorsualibus sericis discoloribus præfulgentes. Jugare* enim, & *jungere* & *vincire* prope idem significant: cùm ζυγοῦν & δεσμοῦν & ζυγόδεσμα de eadem re usurpentur. Sic & ἐλεφαντόδετον, *quod ebore tectum est* & obductum, dixit Euripides. Sed &, quod ante Salmasium nemini observatum est, *auro cludere* Latini dicebant, quod idem est, ac *auro jugare*: nam ζυγοῦν etiam Græcis *claudere* est. Hesych. ζυγῶσαι, κλεῖσαι. *Auro cludere* igitur & *auro jugare* & *auro vincire*, synonyma. Anastasius, *Patenam argenteam, chrismatam, auro clausam.* Treb. Pollio in *D. Claudio*, *Urceos duos* auro inclusos *argenteos librarum sex* i. exauratos & auro tectos. Ita enim Anastasius Bibl. argentea quædam opera vel vasa, quæ deaurata sunt, solet appellare, *auro fusa*, vel *auro perfusa*, *auro superinducta*, vel *aureo colore superinducta*, *auro* item *vestita*. Græcis, χρυσόδετα, χρυσέμπαστα, & χρυσόδυτα. Idem *Spatham auro lig*... xit, quam χρυσόδετον Græci vocarent, in *Benedicto III.* id est, vel totam deauratam, vel cujus capulus aureus esset deauratus, &c. Quæ ut accuratiùs intelligantur, notandum est, phrases has, *Auro cludere, auro includere, auro vincire* &c. apud Auctores nonnunquam adhiberi ad simplicem deaurationem significandam, uti *de cornibus* ex Trebellio, & *Palladio* ex Lampridio, suprà diximus. Item cùm Mela de Issedonibus ait, Issedones funera parentum, lætos victimis ac festo coitu familiarium celebrantes, corpora ipsa laniata & cæsis pecorum visceribus immixta epulando consumere: capita verò, ubi fabrè expolivere, *auro vincta pro poculis gerere.* Quæ enim hic *auro vincta* dicit, ἀπογρυσώσαντες exprimit Herodotus. Propriè verò denotare illud genus deaurandi, cùm aurum solidum in argentum deprimitur & quasi inligatur; tessellæ enim aureæ altè in argentum impressæ includebantur: cujusmodi pocula e. g. Græci χρυσοκόλλητα & χρυσόδετα appellant. *Auro ferruminata* diceret Petronius; nam ferruminare est κολλᾶν. De annulis enim aureis, in quibus stellæ ferreæ erant inclusæ, *ferruminatos* eos dicit *stellis ferreis*, h. e. ad verbum σιδηροκολλήτους. Ita Hesychius χρυσοκόλλητον σφραγῖδα vocat, τὴν χρυσοδέτην λίθον. Similiter *gemmis ligatum* Latini dixere, quod Græcis est λιθοκόλλητον, & *auro ligatum*, quod est χρυσοκόλλητον: uti suprà Anastasius, *spatham cum auro purissimo ligatam* dixit. Sic *Epistola* Pontificum à Gretzero editæ: *Pro veræ benedictionis causâ direximus vobis spatarium unum, spatham ligatam in gemmis cum balteo suo* &c. Sed & χρυσόκλειστα hoc genere deaurata dicebantur, quod verbum de verbo *Auro clusa* seu *inclusa*, notat; ad quam deaurandi rationem pertinent etiam Persii illa,

Non tibi crateras argenti, inclusaque pingui
Auro dona feram.

Sic enim legit Salmasius, potiùs quàm *incusa*, quod vulgò habetur, etsi *incusa* rectum esse possit, h. e. ἐμπαιστά: hæc namque omnia fiebant secundùm Artem ἐμπαιστικήν, &c. Hinc *Clusores* & *Inclusores* dicti, qui aurum argento includebant & gemmas auro. V. Salmasium *ad Historiam Augustam passim*, inprimis *ad Spartianum in Hadriano Cæs. Trebellium in Gallienis* & *Claudio.*

in *Auro*, item *sub Auro* statua i. *aurata* Multa *auratarum* statuarum apud Vett. mentio, & in antiquis Inscr. *Auro illustris*, pro aurata, dicitur in vet. saxo: AURO. INLUSTREM. STATUAM. QUAM. A. DOMINIS. AUGUSTISQ. NOSTRIS. SENATUS. AMPLISSIMUS. DECRETIS. FREQUENTIBUS. IMPETRABIT. In alio lapide, *auro superfusa* idem notat: STATUAM. SECUNDAM. AURO. SUPERFUSAM. LOCARI. SUMPTU. PUBLICO. PLACUIT. Sic *perfusa auro patina*, pro deaurata, ἡ χρυσέμβαφος. Etiam *sub Auro* statuas decerni & constitui dicebant, quæ auratæ decernerentur. Vetus saxum: STATUAM. SUB. AURO. CONSTITUI. LOCARIQUE. JUSSERUNT. Item in alia Inscr. STATUAM. SUB. AURO. IN. FORO. DIVI. TRAIANI. SUMPTU. PUBLICO. LOCO. SUO. RESTITUENDAM. CENSUERUNT. Cujusmodi loquutionis genere, hominem *in armis* & *sub armis*, i. *armatum*, vocabant. Ennius,

Ter me sub armis malim vitam cernere.

Virgilius,

—— *Sedet circum castella sub armis.*

Et,

—— *Ludunt belli simulachra sub armis.*

Pro, *me armatum, armatus circumsidet, ludunt armati.* Sic Manilio *Centaurus sub arcu* & *Centaurus in arcu*, qui arcum gestat, arcu armatus:

—— —— *geminumque sub arcu*
Centaurum.

Et,

Et qui contento fulget Centaurus in arcu.

Ennio *in jaculis Acestes*: Phædro *Occasio in novacula*; Pindaro ἵπποι ἐν πτέρυξιν, *equi in alis* &c. Ut autem *in auro* & *sub auro statuæ*, sunt auratæ; sic pocula *in gemmis* & *sub gemmis*, sunt gemmata apud Anastasium Bibliothecar. Idem *marmora in exemplis*, dixit, *exemplata*, h. e. exemplis & argumentis figurisque picta. Eadem tandem loquutione *sub Auro* statua dicebatur decerni, quâ opus aliquod *sub ascia dedicari*, quod asciatum dedicabatur. Salmasius *ad Trebellium Pollionem in Triginta Tyr.*

Auroclavatum seu *Auriclavum*, voce hybridâ *Chrysoclavum*, quâ Anastasius Biblioth. utitur, vocabulum frequens est apud Recentiores, qui *Auroclavas* & *Auroclavatas vestes* passim dixere τὰς χρυσοσήμους, i. *aureis clavis insignes.* Fuit autem *clavus* in veste πορφυροῦν ὕφασμα, *purpura prætexta*, dictusque Græcis est σημεῖον, item παρύφασμα, Laconibus τέμενος, quo nomine significari apud illos ait Grammaticus, τὰ ἐν τοῖς ὤαις τῶν ἱματίων παρυφάσματα, h. e. *præclavia* vel *prætexta*, *quæ ad oras vestium adsui solebant.* Unde iidem Græci παρύφασμα ἀρχῆς & παρύφασμα βασιλικόν, vocant, quæ liceat appellare, *Prætexta Imperii* & *Prætexta Regia*: ut Valerius, *prætextum triumphi*, h. e. παρύφασμα τοῦ θριάμβου, &c. V. Salmasium *ad Vopiscum in Aureliano*, & infrà passim.

Aurologium, apud Varronem, *in Aurologio, quod fecit Cyrrestes*, ... αὐρολόγιον: dicta est machina, ventis tantùm explorandis noscendisque excogitata, ab *aura*, i. vento. Cujusmodi fuit octogonum mechanicum Andronici, quo indicium fiebat, quibus ex locis venirent *auræ* ventorum. Sed & *orologium*, h. e. horologium, nonnulli hic legunt; quod ipsum tolerari potest, si ὡρολόγιον, non ab *horis*, quarum singulæ duodecimam diei partem constituunt, sed ἀπὸ τῶν ὡρῶν, quæ *tempora anni* significant, deducant. Hinc enim ἡλιοτρόπιον Veterum exponitur ὡρολόγιον; quum certum sit, in illis Heliotropiis, non horas diei, sed ὥρας ἔτους, i. *Anni tempestates*, signatas fuisse, cum vario signorum ortu obituque,

Tempora quæ messor, quæ curvus arator haberet &c.

V. Salmasium *ad Solinum pag. 1147.* & de *Aurologio* Cyrrestis ac Andronici hic suo loco.

Aurosa harena, apud Æl. Lampridium in *Heliogabalo*, *Scobe auri porticum stravit & Argenti—ut fit hodie de aurosa harena*: quid sit, V. suprà in voce *Auri vena.* Nempe quacunque pedibus iter faciebat Imperator, sternebatur via *aurosa harena.* Quem morem & sumtus eam in rem impensos fieri solitos, aperit Synesius planissimè *Orat. de Dei Regno*: Ὑμῖν, dicens, οὐδὲ τῇ ψάμμῳ ἐστὶν ἀνεκτὸν εἰ μὴ ἐμπεριπατήσαιτε κατὰ φύσιν ἐχούσῃ τῇ γῇ, ἀλλὰ δεῖ τὴν χρυσῖτιν ἐπιφορεῖν, ὥς ἐκ τῆς πέραν ἠπείρου ὑμῖν ἀγομένη τι καὶ ὁλκάδες ἀγγαρευόμεναι καὶ στρατιῶται ὑμῖν ὁ φόρος τῶν χρημάτων, *Vobis neque solum tolerabile est, neque inambularetis in nativo statu constitutâ tel-*

lure

turi. Sed Aurosam *insterni operam, quam ex dissitis regionibus currus vobis naves que adferunt. Neque vilis militia est eorum, qui arenam hanc spargunt.* Cujus loco scobe auri argentique porticum stravit, quotiescunque iter pedibus faceret, Heliogabalus, usque ad equum vel carpentum *l. cit.* Eidem tamen aliquando etiam *Aurosâ* harenâ terram conspersam esse, cùm viz. Deo suo tensam ducens retro ambularet, tradit Herodianus, ubi inquit: Πᾶσαν τὴν ὁδὸν ἤνυε τρέχων ἐμπαλιν ἑαυτοῦ, ἀφορῶν τε εἰς τὰ ἔμπροσθεν τοῦ Θεοῦ, ὡς δὲ τὸ μὴ σφαλῆναι αὐτὸν ἢ διολισθαίνειν, οὐχ ὁρῶντα ὅπου βαίνοι, γῆ ἡ χρυσίζουσα παμπλείστη ἐπέστρωτο, *Totam viam perficiebat retro currens, respiciensque Numinis sui anteriora; ne verò caderet aut laberet, viam, quâ ibat, non cernens, terra aurosa quam plurima substrata est* Casaubonus *ad Lampridium.*

Aurum. post reliqua metalla demum repertum est, velut dubitante secum Naturâ, an id luci permittere vellet, quod homini tantopere esset nociturum. Certè justissimum Plinii votum. *l. 33. cap.1. Utinam posset è vita in totum abdicari aurum, sacra fames, ut celeberrimi Auctores dixere, proscissum conviciis ab optimis quibusque & ad perniciem vitæ repertum: quantum feliciore ævo, cùm res ipsæ permutabantur inter se* &c. Hebr. חרוץ *charuts* id est, è terra *effossum*, unde Græcorum χρυσὸς: quod quâ arte quantoque labore fieri consueverit, infrà dicemus. Pallor verò ejus est ירקרק, geminatis literis, ut significatio sit intensior. A' quo proin ipso verbo fit Æthiopum *Wark*, pro *auro*. Græci Interpretes *pallorem auri* rectè vocant χλωρότητα χρυσίου. Is enim verus est auri color. Hinc Diogenes rogatus, Διὰ τί χρυσίον χλωρόν ἐστι, *Cur aurum palleat?* respondit, ὅτι πολλοὺς ἔχει τοὺς ἐπιβουλεύοντας, *Quia multos habet insidiatores.* Uti est in Laërtio: & Catullus *in Nuptiis Pelei & Thetidos,*

O quàm sæpe magis fulgore expalluit auri!

Et rursus *ad Juventium,*

Hospes inauratâ pallidior statuâ.

Statius quoque *ad Maximum Junium Sylvar. l. 4.*

Quando te dulci Latio remittent
Dalmatæ montes, ubi Dite viso
Pallidus fossor redit, erutoque
Concolor auro &c.

Qui *auri pallor* cùm columbis tribuatur Psalmo 68 *versu* 14. observant Talmudici, in juniorum columbarum alis, postquam è nido excesserunt, *plumam esse auri instar flavam*; in turturibus item: atque hinc disci, quando ad sacrificia aptæ vel ineptæ sint, ajunt. Cùm enimè columbis non nisi pullos, & è turturibus, non nisi adultas, offerri Lex jubeat, illos ad sacrificia ineptos, has verò aptas tum demum esse volunt, *cùm plumæ in auri colorem incipiunt flavescere, in Tract. Cholin cap. 1. fol.* 22. Sed & colla columbarum Soli opposita *aureo* colore splendere, docet Philosophus *de Color.* Οἱ τῶν περιστερῶν τράχηλοι καὶ τῶν ἰδόντων οἱ ἐπιλαμπροὶ φαίνονται χρυσοειδεῖς τοῦ φωτὸς ἀντιλάμποντος &c. V. Sam. Bochartum *Hierozoici Part. Poster. lib.1. cap.2.* Triplex habetur apud Veteres. de quo sic Isidorus *lib.15. cap 17. Tria sunt genera argenti, & auri & æris, signatum, factum, infectum. Signatum est, quod in nummis est: factum est, quod in vasis & signis: infectum, quod in massis est, quod & grave dicitur.* Et tale fuit *Aurum fiscale*, quod collectores in massis obryzæ, non in nummis, inferre jussi sunt à Valentiniano ac Valente: ut sic non nisi purissimum perveniret ad Fiscum & decoctione deperirent, quæcunque in eo essent reliquiæ sequioris venæ. In quam rem tres constitutiones habet Codex Theodosii, cujus postremæ verba sunt: *Si quid ex proscriptionibus vel condemnationibus deposcitur, si quid ex cæteris titulis, qui annui atque solennes sunt, vel veteres vel recentes, aut peculiaris in singulos aut certa in paucos aut uniformis in cunctos cogit Indictio; non in materia conferatur, sed sub conditionalium oculis ac periculis diu multumque flammæ edacis examine in ea obryza detineatur, quem ad modum pura videatur.* Naturaliter enim, in liquefactione nummorum aureorum evenit intertrimentum, quum omni *auro*, ut ait Plinius *lib.33. cap.3. insit argentum vario pondere, alibi dena, alibi nona, alibi octava parte.* Non idem in *Auro Coronario* rigor adhibitus, ibi enim quod offerebatur, pro imminutione, quæ in æstimatione solidorum aut materiæ fortè taxari posset, non decrescere & ideo supplere cogi non consuevisse, discimus ex *l. 4. de Auro coron* ubi inter alia, *id,* dicitur, *quod voluntate offertur, non debet consequi necessitatis injuria,* i.e. non debet subjectum esse illi acerbitati, quæ adhibetur in illo, quod necessariò præstatur: quæ acerbitas in collatione voluntaria pro injuria esset. Idque meritò: Nam *quæ dono contingunt, minùs scrupulosè probantur,* ut ait Columella. Qua proin in re peccavit Nero, quum parans expeditionem adversùs Vindicem, exegit ingenti fastidio & rigore nummum asperum, argentum pustulatum, *Aurum* ad obrussam, ut plerique omnem collationem apertè recusarent. Galba item, quum oblatâ ad conflandum à Tarraconensibus è vetere templo Jovis coronâ aureâ librarum quindecim, tres uncias, quæ ponderi deerant, jussit exigi, teste Suetonio. V. Joh. Frid. Gronovium *de Pecunia vet. lib. 4. cap.* 14. Apud Casandres verò (populos Sabæis vicinos, in Arabia Felice) quamdiu rara fuit navigatio, *aurum* tam vile fuisse & reliqua metalla tam pretiosa, ut ferro duplum, æri triplum, argento decuplum auri rependerent, idem Bochartus observat, ex Agatharchide *lib. 5. cap.44.* & Artemidoro, apud Strabonem *lib. 16.* uti is eum restituit, in suo *Phaleg lib.2. cap.27.* &c. Imò, à Susis Babytace oppidum, centum viginta quinque millibus passuum distans, memoratur Solino *cap.54.* in quo mortales universi odio auri coëmerint hoc genus metalli & abjecerint in terrarum profunda, ne polluti usu ejus avaritiâ corrumperent æquitatem; Sicut de Satarchæis vel Satarchis narratur, usu auri argentique abdicato ab avaritia publicè mores vindicasse. At quousque politiorum gentium luxus provectus est, apud quos pedibus quoque, quæ extrema luxuriæ insania, calcatum est, non hominum solùm, sed & equorum mulorumque, quos Nero calceari *auro* jussit &c. Qua de re, ut & de inventore hujus metalli, modo inveniendi & excoquendi; de more illud implectendi crinibus, intexendi vestibus, eo signandi literas, aliisque huc facientibus V. Plinium inprimis *lib. 33. cap.1. & seqq.* Diodorum Sic. *lib.3.* & Salmasium *ad Solinum locis suprà cit.* Addam quædam de *Auri* in Sacris, apud Hebræos, (unde quoque ad Gentiles transiit) usu. In Tabernaculo, præter vasa ad oblationem necessaria, in Sanctuario *Altare* erat *aureum*, in quo bis de die suffitus adolebantur, V. *suprà: Lychnuchus*, ex solido auro constans, septemque lampadas totidem brachiis sustinens, quæ oleo purissimo nutritæ totâ nocte in templo ardebant: Item *Mensa aurea*, cum sacris panibus, facta ex cedro (sicut Altare præfatum) & auro obducta; instrata veste hyacinthina, cum 12. lancibus totidemque acerris, V. Exodi *cap.25. vers.31.* & Numeror. *cap. 4. vers.7.* In ipso verò Adyto seu Sancto Sanctorum, Arca, quæ è ligno *Zittim* seu cedro constabat, intus & extra *auro* erat obducta: ambiebaturque coronâ seu limbo aureo ac 4. annulos ex eodem metallo ad latera habebat. Illam verò tegens Propitiatorium ex solido *auro* confectum erat, sustinebatque ex eodem constantes duos Cherubinos, Exodi *cap.25. versu* 18 — 20. In Templo postea Salomonico, ubi *auri* argentique summa ultra fidem, in Propyleo suspensæ etiam *catenæ* erant *aureæ* & supra eas *coronæ aureæ* & argenteæ; imò & supra Templi ostium *Vitis aurea*, ex qua botri inusitatæ magnitudinis dependebant: cætera item vasa omnia augustiora & majori numero erant. V. Franc. Burmannum *Synops. Theol. Part.1. lib.4. capp.14. & 15.* & infrà quoque, ubi de *Vestitu Pontificis*. Argento id metalli adulterari consuevisse, discimus ex Vopisco in *Taciti Vita*: inde *aurum* ad obrusam exigebatur, in quo ignis excoxisset & purgasset, si quid erat sequioris metalli, h. e. argenti admixtum, Salmasius *ad l.* Et *Aurum argento mistum* legimus vetari in *Edicto* Pistensi Caroli Calvi *cap. 31.* cui *Aurum merum* opponitur, apud Car. du Fresne *Glossar.* V. quoque hîc passim. Addam quædam, de ratione *Auri* inveniendi, ex Plinio *lib.33. cap.4. Aurum invenitur — apud nos tribus modis, fluminum ramentis — nec ullum absolutius aurum est, cursu ipso tritúque perpolitum. Alio modo puteorum scrobibus effoditur, aut in ruina montium — Et quidem aurum qui quærunt, ante omnia segullum tollunt; ita vocatur indicium: alveus, ubi id est, arenæque lavantur, atque ex eo quod residit, conjectura capitur, ut inveniatur aliquando in summa tellure — Adulationem vocant, si & auro ea tellus subest — Quod puteis foditur, canalicium vocant — marmoris glareæ inhærens — Hi venarum canales per marmor vagantur & latera puteorum, & huc illuc, inde nomine invento, tellusque ligneis columnis suspenditur. Quod effossum est, tunditur, lavatur, uritur, molitur in farinam. Nam quod ad pilas cudunt, apitascudem vocant: argentum, quod exit à fornacis sudore — Catini fiunt ex tasconio. Hæc est terra alba similis argillæ —— Tertia ratio opera vicerit gigantum: Cuniculis per magna spatia actis cavantur montes ad lucernarum lumina. Eadem mensura vigiliarum est, multisque mensibus non cernitur dies. Arrugias id genus vocant: siduntque rimæ subitò & opprimunt operarios —— Relinquuntur itaque fornices crebri montibus sustinendis. Occursant in utroque genere silices. Hos igni & aceto rumpunt —— Si longior videtur silex, latus sequitur. Fossam ambit quiete. Tamen in silice faciliùs existimatur opera. Est namque terra ex quodam argillæ genere — prope inexpugnabilis. Cuneis eam ferreis aggrediuntur & iisdem malleis: nihilque durius putant, nisi quòd inter omnia Auri fames durissima est. Peracto opere, cervices fornicum ab ultimo cædunt, dantque signum ruinæ, eamque solus intelligit in cacumine montis pervigil. Hic voce ictuve repentè operarios revocari jubet, pariterque ipse devolat. Mons fractus cadit — longo fragore — Nec tamen adhuc aurum est — Alius par est labor — flumina ad lavandam hanc ruinam jugis montium ducere à centesimo plerunque lapide — repleto stagno excussis obturamentis erumpit torrens tantâ vi, ut saxa pervolvat. Alius etiamnum in plano labor. Fossæ, in quas profluat, cavantur — ea sternuntur gradatim. Frutex est ulex rori marino similis, asper aurumque retinens. Latera cluduntur tabulis ac per prærupta suspenduntur, canali ita profluente de terra in mare* —— Aurum *arrugia quæsitum — statim fusum est: inveniuntur ita massæ. Nec non in puteis etiam denas excedentes libras. Palacras Hispani* (Salmasius legit *palathas*) *iidem quod minutum est, balucem vocant. Ulex siccatus uritur & cinis ejus lavatur substrato cespite herboso, ut sidat aurum. Vicena millia pondo ad hunc modum annis singulis Asturiam, atque Gallaciam & Lusitaniam præstare quidam tradiderunt, ita ut plurimum Asturia gignat. Neque in alia parte terrarum tot sæculis hæc fertilitas. Italia parcitum est vetere interdicto Patrum* &c. Hodie *Aurum*, in Africæ litore Aureo divite copiâ colligitur. At nullibi major ejus proventus, quàm in Regno *Peru* ejusque

jusque provincia Montana celeberrima *Potosi*, sub 21.gr. latit. Austr. de qua V. Athanasium Kircherium *Mundi Subterr Lib.X.sect.* 4.c.8. quanquam aliàs omnis ille Americæ tractus à Tropico Cancri usque ad Tropicum Capricorni, *Auri* cœterorumque metallorum feracissimus sit. Auctor Anonymus *Histor. Orbis Terr. Geogr. ac Civ.c.10. de Commerciis.*

Auri appellationes variæ apud Scriptores.

Aurum ad Responsum, V. infrà.

Aurum ἄπυρον, apud Arrianum in *Indicis*, id dicitur, quod absque coctione statim perfectum & purum reperiebatur, magno Veteribus in pretio. De eo sic Plinius *lib* 33. c.3. *Hispania strigiles vocat auri parvulas massas, quod super omnia solum in massa aut ramento capitur. Cùm cætera in metallis reperta igni perficiantur, hoc statim aurum est, consummatamque materiam protinus habet, cùm ita invenitur.* Ubi *strigiles* vel *stringiles* has massas vocat à *stringendi* vel ligandi notione, quòd aurum in has massulas strictum ac per se coactum, nihil terreni admixtum habeat. Hujuscemodi *auro*, caput Sponsi in Cantico comparari, placet quibusdam, V. quoque suprà *Auri Adamas*, & infrà in *Balluca*.

Aurum Arabicum, apud Ottonem Frising *de Gestis Friderici lib*, 2. *cap*. 22. Henricum Knyghton, & Thuroczium *Histor. Hungar. part.*2.c.3.

Aurum Arugia, Hispanis dicebatur, Plinio teste, fossione quæsitum aurum; quasi ὀρυκτόν: cujusmodi in Arabia cuniculis effodi, in Ægypto item, tradit Agatharchides, uti diximus suprà in voce *Arugia*.

Aurum Callaicum, & *Callaicum metallum*, apud Martialem *lib*.4. *Epigr* 38. & *lib* 14 *Epigr*. 96. à gente Lusitaniæ nomen habet. Nam Καλλαϊκοὺς Græcis, quos *Gallæcos* Latini vocant. Salmasius *ad Solinum pag*.237.

Aurum Canalicium, V. suprà.

Aurum Catacliftum, Gr. κατάκλειστον, Sexto; quo nomine quidam intelligunt *splendens*. Salmasius verò, quidquid conclusum ac conditum tuto loco servatur, sic appellari tradit, *ad Tertullianum de Pallio*.

Aurum Coctum, quod aliàs *obryzum* in *l*. 1. *Cod Th. de Procurat. Capitula* Caroli Calvi tit.32. c.24. *Ut in omni Regno nostro non amplius vendatur libra auri purissimè cocti, nisi* 12. *libras argenti de novis & meris denariis*, &c. Ἄπεφθος χρυσὸς, Carolo du Fresne, apud Themistium *Orat*.13. & Scholiasten Thucydidis *l*.1. ἐξάπεφθος apud Simocattam *Histor. Maur. lib*.5. *cap*.13. ubi fortè ἐξάπεφθος quis legerit, q. *aurum sexies coctum*. Salmasio verò χρυσὸς ἄπεφθος aliud est, uti vidimus.

Aurum Comicum lupini Plauto.

Aurum Comparatitium, quod pro veste militari & canonica comparanda à tributariis præstabatur, *in l*.3. *Cod.Th.de Re milit.*

Aurum Coronarium, hinc corum. Victorum præmium antiquissimis temporibus laurus fuit, in cujus locum postea *corona ex auro* successit Festus Pomp. *l*.18. *Triumphales* coronæ sunt, quæ Imperatori victori *aureæ preferuntur, quæ olim propter paupertatem laureæ fuerunt*. Neque verò una aut altera solum præferri solebat, sed & pœne infinitæ, pro opulentia devictæ provinciæ. Unde in triumpho Æmylii Regilli, *quinquaginta coronas aureas translatas fuisse*, docet Livius *Dec*.4. *l*.7. imò triumphante L. Manlio Alcidino *centum viginti quatuor*, Idem *ejusdem Dec. lib*.10. Tandem, pro coronis certa pecuniæ summa iis depensa est, *Aurum coronarium* hinc dicta: Servius ad *Æneid lib*.8. *vers*.721. *Aurum*, inquit, *coronarium dicit, quod triumphantibus hodieque à victis gentibus datur: Imperatores autem hoc imponebant, propter concessam vitam; Ideo ergo dicit* dona, *si hoc non esset*, spolia *diceret*. Meminit ejusdem Auri Tacitus *Annal. lib* 15. *Inque prædam etiam* Dii *cessere, spoliatis in urbe templis, egestoque auro, quod triumphis, quod votis, omnis Populi Rom. ætas prosperè, aut in metu sacraverat* Postea autem non in victoriis tantùm, aut superatis hostibus auri hujus conferendi consuetudo invaluit, sed in quacunque pompa, aut magnificentia: Hinc apud Ælium Spartianum, Antoninus Pius *Aurum coronarium, quod adoptionis suæ causâ oblatum fuerat, Italicis totum, Provincialibus medium*, reddidisse legitur. Apud Suetonium Nero *cap*. 32. *revocavit & præmia coronarum, quæ unquam sibi in certaminibus civitates detulissent.* Contra veterem morem, cùm *lex & decerni & accipi illud vetaret, nisi decreto triumpho*, Cic. *orat. in Pisonem* &c. V. Thom. Dempsterum *in Rosini Antiqq. Rom. l*.10. *paralipom. ad c*. 29. Lipsium *de Magnitud. Rom. lib*.2. *cap*.5. *&c*. De eodem *Auro*, sic C. du Fresne: *Aurum Coronarium Imperatoribus ultro conferebatur in auro, vel in coronis aureis, aliisque signis ob partas victorias, aut lætitiam aliquam à Senatoribus aliisque Magistratibus: interdum necessitate postulante indicebatur. A' Satrapis etiam pro devotione, quam Imperio debebant, solenniter offerebatur.* Dio vocat, τὸ χρυσίον τὸ τοῖς στεφάνοις ἀρμόζον *aurum coronis conveniens*: Incertus Scriptor apud Suidam στεφανικὸν τέλεσμα, *coronarium vectigal*. Strabo φιλικῶν λαμπρευμάτων appellatione id complexus est, *lib*. 8. Remisit illud Italiæ, in provinciis minuit Adrianus Cæsar apud Lampridium, V. & quæ de Pio dicta, & præterea *Monimentum* Ancyranum Augusti cum *Notis* Casauboni & *tit. Cod. Theodos. de Auro Coronar.* atque ibi Jac. Gothofredum, ut & Valesium *ad Ammianum lib*.25 *pag*.301.

Aurum Cuniculis effossum, V. suprà *Arugia*.

Aurum Elutum, apud Jul. Capitolinum *in Pertinace*, est probè purgatum. Multis namque in auro purgando lavationibus opus esse, discimus ex Strabone & Plinio.

Aurum Fiscale, V. suprà.

Aurum Gemmatum, dicitur Veteribus aurum poculorum, ἐμπάλιθον, aureum totum, & gemmis intextum, de quo aliquid suprà. Virides autem gemmas auro decorando maximè convenire credebant: unde Agatharchides de topazio, quæ viridis est. Ἡδεῖαν, inquit, ἐν χρυσῷ ὑπάρχειν ἀπόλαυσιν. Et *Scythica flamma virentis auri*, apud Martialem, ubi aurum intelligit, Scythicis Smaragdis, quibus textum erat, virens; V. Salmasium *ad Solinum p*. 240. & *passim ad Histor. Aug.* ut & suprà in voce *Auro Præpositi*.

Aurum Glebale, quod pro possessionibus penditur, *l* 2. *C. de Prætor. & hon. Prat. l*.12.

Aurum Lustrale, quod quarto quoque anno pendebatur, teste Zonarâ: idque à Negotiatoribus, hinc *Aurum Negotiatorium* dictum Lampridio in *Alex*. item *functio auraria*, *l. sing. Cod. Theod. de Conlat. lustral.* V. Joh Calvinum *Lexic Jurid.* Aliter infrà, ubi de *Auro panoso*

Aurum Merum, idem cum *Obryzo*.

Aurum Negotiatorium, V. *Aurum Lustrale*.

Aurum Oblatitium, quod ultro, non ex necessitate vel ordinaria collatione, Senatores Principi offerebant veluti Principatûs initio, vel Quinquennalibus, aut Decennalibus, vel post victoriam à Principe partam; speciem tamen necessitatis quandam habuit, ubi de eo offerendo Senatûs decretum intervenisset. V. Jac. Gothofredum *ad l* 5. *Cod. Theod. de Senator*.

Aurum Obryzum; Græcè ὄβρυζον, quod sæpius despumavit & excoctum est: ab ὀβρύζειν, quod idem est ac ζέειν. Ejus apud Vett. nulla mentio, sed *Auri ad obrussam*, obrussa autem Græcè ὄβρυζα, à verbo prædicto. Salmasius *ad Solin. p*.1050. V. quoq; hic passim.

Aurum Pagense, tributum ex pagis. V. infrà *Inferenda*.

Aurum Pallidum, prout in venis est, ostenditur in *Musæo* Kircheriano, Romæ. V. Georg. de Sepsibus *in Collegii Rom. S. J. Musæo pag*. 41.

Aurum Pœnosum, idem cum *Auro Lustrali*, à cujus conlatione ne pauperes quidem immunes erant: Græci posteriores χρυσάργυρον appellarunt, à quo ne πορνοβοσκὸν seu *Sutorem* quidem fuisse immunem, refert Libanius *Orat. c. Florentium pag* 427. V. de Chrysargyro Meursii *Glossarium*, du Fresne.

Aurum Præstantissimum, Græcis χρυσοῦ ἄνθος. *flos auri*; ἀκήρατον, ἄπυρον, ἄπεφθον, est quod sine ignis opera perfectum per se inveniebatur, de quo V. suprà in *Auri Nodus*.

Aurum Primum apud Math. Westmon. i. obryzum. V. du Fresne *Dissert*. 20. *ad Joinvill.*

Aurum Publicum, quod publico Ærario infertur, Honorius & Theodos. *tit. de auro publ. prosecut. l*.10. *C*. V. Calvinum *Lexic. Jurid. &c.*

Aurum Purum V. suprà *Aurum ἄπεφθον, Obryzum, Præstantissimum.*

Aurum Ramentitium, Græcis ψῆγμα & ἐκψήγματος, opponitur *Auro Arrugiæ*, apud Plinium, quod fossione quæritur Strabo, massas auri puri selibres in ramentis inveniri, in Hispania refert, apud Salmasium *ad Solinum pag*.1075. & 1076.

Aurum ad Responsum, V. infrà.

Aurum Vicesimarium, apud Livium *l*.27. c 10. *Cætera expedientibus, quæ ad bellum erant, Consulibus*; Aurum Vicesimarium *Quod in sanctiore Ærario ad ultimos casus servabatur, promi placuit. Prompta ad quatuor millia pondo auri*: quid sit V. suprà, ubi de *Ærario*.

Auruncule jus Cornelianus, in catalogo Nobilium Romanorum, quos sine causæ dictione, occidi jussit Severus Imp. Æl. Spartianus in *Vita* ejus.

Ausculare. Monachi dicuntur, qui priusquam in Ecclesia, quod sibi injunctum est, legant, recitent vel canant, coram eo, cui Id curæ incumbit, Lectiones suas recitant & ab ipso non tantum modò Lectionis accipiunt, sed etiam, quo illa vocis tono recitanda sit, docentur. Idem & *asculare*. Liber *Ordinis* S. Victoris Paris. MS. *cap*.34. *Fratres, qui in Ecclesia sive ad Missam, sive ad Matutinas aliquid legere habent, debent ab Armario asculare. Abbas autem & Prior asculare non coguntur – quod ad Missam legendum est, ausculetur in spatio, quod est inter Capitulum & Tertiam —— Fratres, qui officiis deputati sunt, si id, quod habent legere, horis constitutis asculare non possunt; postmodum, cùm eis vacat, ausculent —— Frater verò, qui primam Lectionem habet legere, debet horâ* auscultandi *Lectionem, librum, in quo legendum est, in Claustrum referre, & postquam omnes ausculaverint, in locum suum referre*, apud du Fresne *Glossar.* qui etiam hanc in rem ex Lanfranco in *Decretis pro Ordine S. Benedicti cap*. 5. ista adfert: *Quicunque lecturus, vel cantaturus est aliquid in Monasterio si necesse habeat, ab eo* (Cantore) *priusquam incipiat, debet ausculare* &c. Alia notio *Ausculatorum*, quos *Auricularios* vocat,

toute apud Eundem *Chronicon* Novalic. *libro* 5. *capite* 3. hi enim iidem cum *Ὠτακουσταῖς*, quos Galli *Espions* dicunt, de quibus hic infrà.

Auscultatores seu Delatores publici, invisissimum hominum genus, primùm à Dario minori, Persarum R. adhibiti sunt, cùm ipse sibi non credens, omnes haberet suspectos ac metueret: Dionysius dein Senior suos *Prosagogidas*, ita enim Græcis vocantur, Syracusanis civibus miscuit: sed & jam ante utrumque Midas Phrygum Rex, cui proin asininas aures affinxit Poëtarum licentia, iisdem usus vid tur. Apud Romanos eorum jam antiqua mentio in rebus Tarquinii Sup. apud Dionysium Halicarn. *lib.* 4. verùm inprimis publica hæc grassandi rabies sub Cæsaribus desævit. De quorum origine sic loquitur Ammian. Marcellinus *lib.* 14. *Excogitatum est super his, ut homines quidam ignoti, vilitate ipsâ parum cavendi, ad colligendos rumores per Antiochiæ latera cuncta destinarentur, relaturi quæ audirent. Hi peragranter & dissimulanter honoratorum circulis assistendo, pervadendoque divites domos egentium habitu, quidquid noscere poterant vel audire, latenter intromissi per posticas in regiam nuntiabant. Id observantes conspiratione concordi, ut fingerent quædam & cognita duplicarent in pejus, laudes verò supprimerent Cæsaris, quas invitis compluribus formido malorum impendentium exprimebat, &c.* Simile quiddam habet Æl. Lampridius in *Alexandro Severo*, & ante illos de Tiberio Xiphilinus *pag.* 233 Qua de re vide plura infrà ubi de *Delatoribus*.

Ausenses, pop. apud Herodotum, qui de iis memorat, quod Mela de Garamantibus: *Nulli certa uxor, ex his qui tam confuso Parentum coitu passim incertisque nascuntur, quos pro suis colant, formæ similitudine agnoscunt.* Et Solinus *cap.* 30. *Garamantici Æthiopes matrimonia privatim nesciunt — Inde est, quòd filios matres tantùm recognoscunt: paterni nominis nulla reverentia est.* Vide Salmasium *ad Solinum pag* 284.

Auspices, ab *Avium inspectione* dicti, inde futura prædicebant: Sicut *Augures*, garritum earum attendebant; quæ tamen nomina sæpe solent confundi. Fuere autem *Auspiciorum* apud Rom. genera tria; *Avium inspectio, de cælo observatio & tripudii animadversio.* Quorum medium, ad omnia Comitia: primum, ad Curiata & Centuriata tantùm adhibebatur: Ultimum rerum gerendarum proprium erat. Omnia enim *auspicatò* gerere domi militiæque, publicè & privatim Romani solebant, ut ex illustri hoc Livii loco apparet *lib.* 6. *cap.* 41. *Auspiciis hanc urbem conditam esse, auspiciis bello ac pace, domi militiaque omnia geri, quis est qui ignoret? Penès quos igitur sunt* Auspicia *more Majorum? nempe penès Patres. nam plebejus quidem Magistratus nullus auspicatò creatur. Nobis adeò propria sunt Auspicia, ut non solùm quos populus creat patricios magistratus, non aliter quàm auspicatò creet; sed nos quoque ipsi sine suffragio populi auspicatò interregem prodamus, & privatim Auspicia habeamus, quæ isti ne in magistratibus quidem habent: Quid igitur aliud quàm tollit ex civitate Auspicia, qui plebejos Consules creando, à Patribus, qui soli ea habere possunt, aufert? si ex cavea tardius exierint? si occinuerit avis? Parva sunt hæc; sed parva ista non contemnendo, Majores nostri, maximam hanc rem fecerunt.* E quibus, inter alia, patet, penès Patres *Auspicia* tum fuisse, adeòque rerum summam, ut sine quibus auctoribus nihil à populo geri posset. In Nuptiis, *Auspices* noctu & sub Auroram, auguriis operam dabant: Unde Servius *ad Æneid. lib.* 1. & 6. Item vetus Scholiastes Juvenalis *ad vers.* 336. *Sat.* 10. *Auspices*, inquiunt, *solebant nuptiis interesse*. Claudianus in *Ruffinum lib.* 1.

— — *Hac* Auspice *tedæ*
Oedipodem matri, natæ junxere Thyestem.

Optimum autem in his augurium ab accipitre circo desumebatur, Plin. *l.* 10. *c.* 8. In Castris quoque duo adhibebantur *Auspicia*, unum coactum, nempe *tripudium*: alterum ex *acuminibus*, quod quale fuerit, incompertum est. Meminit tantùm ejus Cic. *de Divin. lib.* 1. *Ex acuminibus, quod totum auspicium militare est, M. Marcellus totum omisit.* Fuere verò *Auspicia* hæc in exercitu solius Imperatoris, cæteri *auspiciis ejus pugnare* dicebantur. V. Thom. Dempsterum in *Joh. Rosini Antiqq. Rom. passim*, & suprà in voce *Augures*.

Auster, adde: Ventus hic & Aquilo, quibusdam Veterum soli duo venti appellati sunt, reliqui verò velut accessionum vice habiti, & prout inclinatione ac recessione ab hoc & illo axe deflecterent, *Septentrionales & Meridionales* dicti. Originem enim ducunt ab utraque Mundi meta; &, quum semel decœperunt, diutissimè durant ac vehementissimi sunt. Quam in sententiam à Lucilio scriptum, ex persona Cotys Thracum Regis,

Rex Cotus ille duo hos ventos, Austrum *atque Aquilonem*
Novisse ajebat solos se domagis, istos
Ex nimbo Austellos nec nosse, nec esse putare,

apud Nonium. Unde in antiquis Philosophorum Medicorumque scriptis, & præcipuè apud Aristotelem & Theophrastum, ad designandas tempestatum & aëris constitutiones, quas venti faciunt, τὰ Βόρεια solùm & τὰ Νότια nominantur: ἐν τοῖς Βορείοις, ἐν τοῖς Νοτίοις, id est, *flantibus Aquilonibus, flantibus Austris*. At nusquam τὰ Ζεφύρια, aut τὰ Εὖρα commemorantur, Vide Salmasium *ad Solinum pag.* 1250. *& seqq.* De ritu verò *ad Austrum* precandi, hîc infrà.

Austerum in coloribus, Græcis [illegible] Epiphanius de Smaragdo; qui saturatiùs viret, Τρίτος, inquit, λίθος σμάραγδος [illegible]. ἔστι δὲ χλωρὸς τῷ εἴδει ὅμως ἐστὶ διαφορὰ [illegible] Νερωνιανὸν καλοῦσιν, ἄλλοι δὲ Δομετιανόν· καὶ ὁ μὲν Νερωνιανὸς [illegible] ἐν τῷ εἴδει σφόδρα χλωρίζων, διαυγὴς καὶ στίλβων, *Tertius lapis smaragdus est, qui prasinus quoque appellatur. Est autem viridis specie: sic tamen ut non leve in illis deprehendatur discrimen. Quidam enim eos Neronianos appellant, nonnulli Domitianos: & Neronianus quidem* Austerus *est colore, saturatè viridis, translucidus & nitens.* Idem proin hic *austerum*, quod maximè saturum, Plinius *libr.* 9. *cap.* 36. *Sed unde conchyliis pretia, queis virus grave in fusco, color* austerus *in glauco.* [illegible] Idem *cap.* 38. *Nimiæque ejus nigritiæ dat* austeritatem *illam nitoremque, qui quæritur, cocti.* Ubi *austeritatem* vocat saturitatem & superbiam nitoris. Et *libr.* 37. *cap.* 7. de carbunculis: *Et heic mares*, austeritas *distinguit, siquidem vigor apposita tingens indicat: quidam etiam hebetare visus dicuntur. Blandior fœminis flamma, alliciens magis, quàm accendens.* De Scythicis item smaragdis meraciùs improbiusque virentibus, *cap.* 5. *ejusdem libr. Nullis major* austeritas, *nec minùs vitii.* Et paulo pòst, *Ergo Cyprii variè glauci: magis ac minus in eodem smaragdo, aliis paribus tenorem illum Scythicæ* austeritatis *non semper custodiunt.* Eodem sensu Latini usurparunt colorem *pressum, saturum, plenum, adstrictum, superbum, improbum*; Græci quoque [illegible], βαθύ: unde *superbia candoris* Vitruvio, *austeritas* est καὶ ἡ βαθύτης τοῦ λευκότητος. Opponitur color *dilutus*, item *excitatus*, hoc est, clarus & acutus, Gr. [illegible] ita tamen, ut *austerus & excitatus* in eodem simul possint esse, diverso respectu, e.g. Tyria purpura nigrior & adstrictior aspicientibus apparebat, suspicientibus autem excitatissimum colorem ac lumen affulgebat. At excitatus & dilutus simul esse & in uno morari nequeunt, &c. Et quidem Antiqui pressiores & fusciores purpuras magis probabant; at recentioribus claræ & excitatæ potius placuere. Vide Salmasium *ad Tertullianum de Pallio*, & *ad Solinum pag.* 199. ut & hic passim ubi de *Coloribus* prædictis.

Australis Terra, seu prout à Ferdinando Mendez de Quiro vocatur, *Australia incognita*, quarta pars Geocosmi secundùm Becmannum, maximè vicina est Orbi veteri, ad procurrentem tractum Novæ Guineæ, Americæ verò ad fretum Magellanicum: Hæc sola constat mari undique cincta esse, & circumnavigari posse cùm in vet. Orbe pariter, ac America, partes Septentrionales nondum satis exploratæ sint. Hic, ut & in regione Polari Arctica opposita, nox diesque sex mensium est, sub ipsis verò Polis lux perpetua, saltem crepera. Animadvertit quoque sagacissimus Kircherius, esse in terris hisce subpolaribus ingentes voragines, quibus mare sub Polo Arctico absorbeatur, sub *Australi* iterum emergat idque ex eo potissimum colligit, quia maria subpolaria ob rapiditatem superari non possint. Hinc, ut de Polo Arctico nil dicam, constat ex le Maire *Relat. de invento freto*, Nautas post 60. gr. latitudinis *Australis*, ob contrarietatem fluctuum ulterius progredi neutiquam potuisse: Et docet Herrera, *in Histor. Americæ Austral.* classem Regiam Hispanorum, ad detegendas novas terras emissam, non potuisse superare gradum 70. ob aquarum, etiam tranquillo aere & silentibus ventis, obviàm proruentium violentiam. V. Athanas. Kircherum *Itinere Ecstat.* 2. *Dial.* 1. *& M.S. lib.* 3. *capite* 2.

Austrasia, adde: Sub Lothario II. Regnum hoc *Austrasia* appellari cœpisse *Lotharingiam*, hancque etiam divisam fuisse in Burgundiam Comitatensem & Arelatensem ditionem, refert Georgius Hornius *Orb. Impp.* 222.

Austria, adde: Ante Marchiones, *Comites* primùm habuit *Austria*, Cæsarum quidem, non proprio nomine, imperantes, quos Henricus I. cognom. *Auceps*, Imper. constituisse legitur eo fine, ut Hungaros crebris excursionibus *Austriam*, Bavariam & tantùm non totam Germaniam infestantes, compescerent. Obvenitque ea dignitas provinciæ primùm Leopoldo *Illustri*, ex Comitibus, ut volunt quidam, Babebergensibus, originem suam referentibus ad Sueviæ Duces, oriundo, in præmium fortitudinis & defensorum contra hostes Imperii finium. *Ducis* titulum, à patruo Friderico I. cognom. *Barbarossa*, Imp. Henricus II. obtinuit Anno Christi 1156 abolito quoque occasione eorum, quæ contra Imperatorem Henricus Superbus Saxoniæ & Bavariæ Dux patraverat, clientelæ jure, quo Bavariæ Ducibus *Austria* hactenus fuerat obnoxia. Cujus stirps cùm defecisset in Friderico, prælio contra Hungaros occiso Anno Chr. 1246. ejus ex fratre neptis Gertrudis, Hermanno Badensi nupta, filium habuit Fridericum, qui unà cum Conradino Sueviæ D. jussu Caroli Andegavensis, capite Neapoli plexus est, Anno Christi 1269. Ita orbata Principibus suis *Austria*, atque hinc Hungarorum, inde Bavarorum, injuriis exposita, provinciæ Ordines Henricum Misniæ Marchionem, Friderici præfati sororium adiere, ut imperium ejus susciperet, rogitantes. Sed eripuit cupientis faucibus bolum Ottocarus Bohemus, ductâ Margaretâ Leopoldi VII. *Austriæ*, seu juxta alios, Hermanni Bad. filiâ, quam Henrico Misnensi Ordines destinaverant, possessionem *Austriæ* Stiriæque adeptus. Neq; huic tamen possessio diutur-

na: deturbato postea à Rodolfo I. Imp. qui victo Ottocaro *Austriam, Styriam, Carinthiamque*, tanquam belli jure captas, in Albertum fil. transtulit, assensu Imperii ordinum impetrato A.C. 1282. E cujus posteris *Archiducis* titulum primùm Fridericus IV. Imp. aut, ut alii volunt, filius ejus Maximilianus usurpavere; nonnullis Carolum IV. aliis Fridericum II. circa A.C. 1245. hujus honoris Auctores facientibus, &c. Tob. Pfannerus *lib. de Præcipuis Germaniæ Principum Gentibus, cap. 1. ubi de Gente Austriaca.* Pollent autem *Archiduces Austriæ* eximiis privilegiis; ut qui non tenentur investituram extra Austriam petere, sed tecto capite, insidentes equo, eam intra territorium suum accipiunt: primumque ab Electoribus obtinent locum. Cui præcedentiæ cùm acriter contradicerent Bavariç Duces, factum est, ut tandem *Archiducibus*, inter Ecclesiasticos Principes, locus primus fuerit concessus. Plura hanc in rem. *de incrementis* inprimis *Familiæ, ac prætensionibus*, Vide Georg. Hornium *Orb. Polit. pag.* 211.

Austrogothi, memorati Trebellio in *Claudio, Denique Scytharum diversi populi, Peucini, Trutungi*. Austrogothi, *Virtingui, Sigipedes, Celtæ etiam & Heruli, prædæ cupiditate in Romanum solum & Remp. venerunt, atque illic pleraque vastarunt*: sunt qui aliis *Ostrogothi* dicuntur, passim enim *au* & *o*. confundi notum, ex vocibus *Aurichalcum. Plautus*, &c. V. Casaubonum *ad l.*

ad *Austrum* precandi adorandique ritus, velut præscriptus à Prophetis, memoratur in *Libro S. Athanasii* dicto, Quæstionum nempe ad Antiochum Principem, *Quæst.* 37. *Tom. II. pag.* 344. *Parisiis* 1627. Quod verum quidem, si quis in Regione aliqua Hierosolymis Boreali aut quæ Boream in plagis Mundi participaret, oraverat: talis enim *Austrum* versùs consistere necesse habuit. At non *nomine Austri* sic precabatur: sed quia in Austro ejusmodi homini oranti collocabantur Hierosolyma. In libro verò illo pro indubitato sumitur, quòd quemadmodum Christiani κατ' ἀνατολὰς, *versùs Orientem*, ita Judæi κατὰ Νότον, *versùs Austrum*, adorare soliti sint. Rationem inter alia hanc reddit Auctor, Διὰ τὸ ἐν Νότῳ τῆς Ἱερουσαλὴμ εἶναι τὴν Βηθλεὲμ μέλλοντος αὐτοῦ Κυρίου. Διὸ καὶ ἔλεγεν ὁ προφήτης, ὁ Θεὸς ἀπὸ Θαιμὰν ἥξει, τουτέστιν ἐκ Νότου. *Quòd ex Austro, quoad Jerusalem, scilicet ex Bethleem* (milliaribus sex versus Austrum ab Hierosolymis distante) *nasciturus erat Dominus. Unde dixit Propheta* (Habacuc c. 3. v. 3.) *Deus à Theman veniet, id est, ab Austro.* Sed locus hic de Legis datione in Sinai, quæ Judæis Australis est, à plerisque capitur, ad Deuteron. c. 33. v. 2. Prophetam respicere dicentibus. Et Chaldæus certè, *In Legis datione*, inquit, *Deus revelatus est ab Austro*, &c. Quam in rem V. plura, apud Joh. Seldenum *de Synedriis lib.* 3. *p.* 429. ut & infrà *de Precandi ritu*.

Autepsa, Gr. ὁ Αὐτεψὴς, occurrit apud Æl. Lampridium in *Heliogabalo, Primus deinde* autepsas *argenteas habuit: primus etiam cacabos*, sartaginemque aut aliud genus coquinarii vasis & ad focum apti designat, ut & πυρίεψης, quæ *sartago* exponitur in vet. optimo Glossario. Fallitur autem Lampridius, nisi de Heliogabalo privato loquatur; imò nec ita quidem ei fides constabit. Nam cùm lectos, planè argenteos atque aureos, apud vett. Græcos Latinosque etiam in Pandectis, inveniamus, probabile neutiquam est, inventum hoc esse Alagabali, mensas aut cacabos ex argento conficere. De mensis sane argenteis apud Romanos. Plinium vide *lib.* 33. *cap.* 11. qui & vasa coquinaria jam inde à Calvo Oratore fieri ex argento cœpisse, ibidem observat: *autepsæ* autem & cacabi inter ista, &c. Casaubonus & Salmasius ad *Lampridium*, V. quoque infrà in voce *Cacabus*.

Authentica, vulgus Interpretum & Pragmaticorum vocat quæ τὰς Νεαρὰς & *Novellas Constitutiones*, & ipse Justinianus ejusque Interpres Julianus Patritius & Interpp. Græci veteres appellant; Cur verò *Authentici* nomine, Constitutionum hoc volumen citetur, cùm tamen nusquam appareat, hunc titulum ab ipso Legislatore præfixum esse, declarare conatur Alciatus *Parergôn lib* 2. *cap.* 46. Haloander, acris judicii vir, *Authenticas*, h. e. ut ait, breves illas sententias, ex Novellis Justiniani constitutionibus exceptas, in recognoscendo Codice loco movit. Idem Alciatus *Authentici* nomine *rem certæ fidei* denotari, non solùm apud Julianum, Paulumque JC. sed etiam apud Ciceronem *ad Attic. Epist. lib.* 9. & 10. contendit: quod negat Gaza *lib. de Mensibus*, Joh. Calvinus *Lexic. Jurid.* Carolo du Fresne *Authentica* appellari cœptæ sunt Novellæ Constitutiones Justiniani, ex quo, rejectâ Juliani Antecessoris versione seu editione, earundem barbara Bulgari tempore facta translatio, quòd uberior videretur, ab Accursio recepta est, qui *Authenticam* eam dixit, quoniam ex ipso Græco originali ad literam esset traducta. Apud Hesychium enim, Κύριον, ἴδιον, αὐθεντικὸν χαρακτῆρα. Vide eum in *Glossar.* Alia vocis notio est, apud Dominic. Macrum in *Hierolexico*, cùm ait, *in Hebdomade Majore dici quoque Authenticam*, consuevisse.

Authentici, Græcè Αὐθεντικοὶ, Dionysio Uticensi Venti dicuntur, qui *Cardinales* Latinis: Ἀπὸ τῶν τεσσάρων κλιμάτων τέσσαρες αὐθεντικοὶ πνέουσιν ἄνεμοι, *A quatuor climatibus quatuor* Authentici *spirant venti.* Prima enim & antiquissima divisio, quæ tantùm quatuor ventos cognoverat, è quatuor eos cœli plagis educebat, quas κλίματα hic Dionysius vocat, *cœli partes*, Plinius, *limites & regiones cœli*, Favorinus apud A. Gellium, inferior Latinitas, *Cardines*: unde *Cardinales Venti* iidem, quos *Authenticos* appellat Dionysius. Vegetius *principales lib.* 4. *cap.* 38. *Itaque, ventis principalibus declaratis, eos, qui ipsis dextrâ lævaque juncti sunt, indicemus* &c. Vide Salmasium *ad Solinum pag.* 1239. & infrà, in voce *Cardinales Venti*.

Autites, apud Plinium *lib.* 5. *cap.* 5. ubi de Carbunculo: *Satyrus Indicos non esse claros dicit. Sed plerunque sordidos, ac semper fulgoris horridi: Æthiopicos pingues, lucemque non emittentes — sed convoluto igne flagrantes. Optimos verò amethystizontas, hoc est, quorum extremus igniculus in amethysti violam exeat: proximos illis, quos vocant* Autitas, *innato fulgore radiantes*; uti Salmasius legit. Græcè αὐτίτας, est *qui ex seipso*, seu, ut ait Plinius, *innato fulgore radiat*, non arcessito. Quemadmodum αὐτίτης οἶνος, *qui per se fluit.* His idem opponit *ex alio lucidos & magis in Sole flagrantes.* Nempe *ex alio lucens*, qui, non innato fulgore radiant, sed in Sole positi magis flagrant, adeoque, mutuato à Sole fulgore nitent, non ex sese dato. Item qui *inclinatione*, h. e. τῇ πρὸς τὸ φῶς ἐγκλίσει, *excitantur.* Idem paulo pòst, *Archelaus Carchedonios nigrioris aspectûs esse, sed igne vel Sole, inclinatione acriùs quàm cæteros, excitari*, &c. V. Salmasium *ad Solinum pag.* 380.

Autocephali, Græcis Αὐτοκέφαλοι, dicti his sunt Episcopi seu Archiepiscopi, qui, à Patriarchis non dependentes, ratione jurisdictionis, eodem ac illi αὐτοκεφαλίας jure gaudebant, nulli alii subjecti: Cujusmodi Cypri Archiepiscopus est, ex Concilii Ephesini decreto, metropoli ejus ab Antiochenæ Ecclesiæ jurisdictione exemptá. Sic in Sexta Synodo *can.* 39. qui etiam refertur à Constantino Porphyrogenito *lib. de Admin. Imp. cap.* 48. Nova Justinianopolis τὰ δίκαια ἔχειν τῆς Κωνσταντινουπόλεως, *jus Constantinopoleos habere*, dicitur. Idem juris in Ecclesia Orientali habuere præterea Archiepiscopus Bulgariæ & alii nonnulli Metropolitani, ἀπὸ φιλοτιμίας βασιλικῆς, ut ait Balsamon *de Privilegiis Patriarcharum.* Eandem prærogativam in Latina Eccl. sibi arrogasse Archiepiscopos Ravennates, auctor est Anastasius *in Dono P. Hujus temporibus Ecclesia Ravennatium, quæ se ab Ecclesia Rom. segregaverat, causâ* Autocephaliæ, *denuo se pristinæ Sedi Apostolicæ subjugavit.* Idem in Leone II. *Sed & typum* Autocephaliæ, *quem sibi elicuerant* (Archiepiscopi Ravennates) *ad amputanda scandala Sedi Apostolicæ restituerunt.* Unde colligit du Fresne, id privilegii Archiepiscopos illos fuisse consecutos, vel à Romanis Pontificibus, vel ab Impp. CP. vel denique per usurpationem, maximè cum Româ ab eorum Imperio avulsâ, solus ferè in Italia Græcis Augustis remanserit Ravennensis Exarchatus: ita ut nec Patriarchis CP. parerent, nec Pontificibus Rom. qui ab Imperatoribus Orientis defecerant. Donec pulsu totâ Italiâ Græcis, hanc Ravennatis Ecclesiæ *autocephaliam* abrogavere Romani Præsules, & statuere, *ut Ecclesia Ravennas sub ordinatione sedis Apostolicæ esset, & ut juxta antiquam consuetudinem in civitatem Romanam veniret Archiepiscopus ordinandus*, ut ibidem Anastasius narrat. V. præf. du Fresne in *Glossario*.

Autochoani, Hæretici, Christum esse Deum per se, non à Patre, procedentem dicentes, Car. Macro in *Hierolexico*.

Autochiras, Græcè Αὐτόχειρες, aliter Αὐτοφόνοι, i. *Suicidæ*, qui ipsi sibi mortem consciscunt, apud Hebræos, soli sepulturæ honore caruerunt, uti Josephus docet *de Bell. Jud. l.* 3. *c.* 25. Nec id mirum, cùm in hos aliud supplicium constitui non possit, qui mortem pro supplicio non habent. Sic Milesiæ Virgines à voluntaria morte absterritæ, apud A. Gell. *l.* 15. *c.* 10. & plebs olim Romana, apud Servium *ad Æneid. l.* 12. quanquam improbante Plinio *l.* 36. Sic & Cleomenis corpus, qui se interfecerat, Ptolomæus suspendi jussit. Et passim receptum, ait Aristoteles *Nicom. lib.* 5. *c.* 5. ut ignominiâ aliquâ afficiantur, qui sibi mortem intulere: ubi Andronicus Rhodius id exponens ait, sepulturâ eorum corpora prohiberi, quod inter alia Demonassæ Cypri Reginæ scita laudat Dion Chrysostomus. Neq; huic mori obstat, quod Homerus, Æschylus, Sophocles, alii monent, nihil sentire mortuos: quare nec damno nec pudore affici. Satis enim est id, quod mortuis accidit, à vivis metui, ut hoc pacto à peccato retrahantur. Optimè enim Platonici contra Stoicos, & si qui alii servitutis & morbi fugam, imò & spem gloriæ, pro justa causa mortis voluntariæ, admittebant, sentiunt, retinendum animum in custodia corporis, nec injussu ejus, à quo ille nobis est datus, ex hac vita migrandum: quam in rem multa videre est apud Photium, Olympiodorum & Macrobium *ad Somnium Scipionis.* Hanc sententiam secutus olim Brutus, Catonis factum, quod postea imitatus est, damnaverat; & Magasthenes notabat, ab Indorum sapientibus reprehensum Calani factum, neque enim eorum placitis probari talem exitum hominum vitæ impatientium, Strabo *lib.* 15. Nec aliena Persarum, ut videtur, sententia, quorum Rex Darius apud Curtium *lib.* 5. *alieno scelere, quàm suo, mori* maluit. Ideò Hebræis mori dictum ἀπολύεσθαι, i. *dimitti*; quod genus loquendi & Græcis fuisse usitatum, discimus ex Themistio *de Anima* & Plutarcho in *Consol.* Nonnulli tamen & Hebræorum, de Lege se non interficiendi, unam causam excipiunt, tanquam εὔλογον ἐξαγωγὴν, si quis videat se deinceps victurum in probrum ipsius Dei. Quò referunt exemplum Sampsonis, Saulis, *in libris* Judicum & Samuelis, nec non Razis Senatoris Hierosolym. in *Historia* Maccabaica. Sed & in Christiana *historia* exempla legimus similia eorum, qui mortem sibi intulerunt, ne tormentis adacti Christi religionem ejurarent, & Virginum, quæ, ne pudicitiam amitterent, in flumen se jecerunt,

quas & in Martyrum censum Ecclesia retulit. De quibus quid Augustinus sentiat, *de Civ. Dei lib.1.cap.26. Epist. 61. ad Dulc. & lib.2.cap.23. contra secund. Gaud. epist.* videre operæ pretium est. Cui addere placeat Chrysostomum *Galat.* 1. 4. Concilium Carthagin. I. & Aurelian. II. *Capitulum* item Francicum *lib.6 cap.70 & libr.7. cap.443.* Æschinis tempore ejus, qui se interfecisset, manum seorsim à corpore sepeliri consuevisse, tradit idem in *Ctesiphontem.* V. quoque Hegesippum *lib. 3. cap.* 17. & plura hanc in rem apud Hug. Grotium *de Jure Pacis & Belli lib. 2. cap.* 19. §. 5. nec non Tob. Pfannerum *System. Theol. Gentil. pur. cap. de Lege.*

Autochthones, adde: Ita quidem Scaliger, qui Αὐτόχθονα & Γηγενῆ eundem vult esse. Unde Marcianum Heracleotem de Ephoro, Cretem αὐτόχθονα vocantem, in versibus his,

> —— —— εἶναί φησί τε
> Ἐπώνυμον τὴν νῆσον ἀπὸ Κρητὸς λαβεῖν
> Τοῦ δὲ γενομένου βασιλέως αὐτόχθονος.
> *Esse dicit*
> *Cognominatam insulam à Crete quodam,*
> *Qui fuerat Rex autochthon:*

deprehendit; quòd ex Jove & Ida is natus esset, adeoque non ex terra prodiisset. Sed aliud αὐτόχθων, aliud γηγενής. Certè αὐτόχθονας se esse Athenienses olim jactabant, *indigenas* nempe, non aliunde advenas; qui tamen γηγενεῖς non erant. Indigenam ergo Regem illum fuisse, vult Marcianus, qui Cretæ nomen dedit, non extraneum, sed ipsa in Insula natum: quod significat αὐτόχθων. Poeta Comicus,

> —— λέγοντα τὸν αὐτόχθονα,

H.e. *Indigenam olus* & ex ipso solo natum, non aliunde petitum. Sic αὐτόχθονα λίθον, describit Auctor *de limitibus, Eo quòd non invenimus lapides peregrinos, quos poneremus, ex ipso metallo saxum à ferro assignavimus.* Cujusmodi lapides *enchores* dicuntur Frontino *de Coloniis*, quasi ἐγχώριοι.

Autolala, adde: & Insula Αὐτολάλα Ptolomæo. Unde popul. *Autololes*, Solino *cap.* 24. ubi de Libya. Hortis Hesperidum & monte Atlante. *Sala oppidum imminet Salæ flumini. Ab hoc per Autololum gentem iter est in Atlanticas solitudines. Atlas mons è media arenarum consurgit vastitate,* &c. Sed de his vide suo loco. Hinc τὸν Αὐτολαλίαν, Atlantem montem Dioscorides vocat, minorem nempe, quòd populos hos vicinos haberet, Salmasius *ad Solinum pag.* 301.

Autolycus, avus Ulyssis, furandi peritiâ apud Poëtas celebris. Eum divinis honoribus affecisse Sinopenses ad Pontum Euxinum, in Paphlagonia, legimus apud Strabonem *l.12.* Καὶ τὸν μὲν ἄλλον κόσμον τῆς πόλεως διεφύλαξεν ὁ Λεύκολλος, τὴν δὲ τοῦ Βιλλάρου σφαῖραν ἦρε καὶ τὸν Αὐτόλυκον Σθένιδος ἔργον, ὃν ἐκεῖνοι οἰκιστὴν ἐνόμιζον καὶ ἐτίμων ὡς θεόν. ἦν δὲ καὶ μαντεῖον αὐτοῦ. Δοκεῖ δὲ τῶν τῷ Ἰάσονι συμπλευσάντων εἶναι καὶ κατασχεῖν αὐτὸν τὸν τόπον. *Lucullus conservatis reliquis Sinopes ornamentis, Billari tamen Sphæram abstulit & Sthenidos opus, Autolyci statuam, quem illi, urbis conditorem existimantes, divinis colebant honoribus. Fuit etiam oraculum ejus. Videtur is unus eorum fuisse, qui cum Jasone navigarunt & locum istum occupasse.* Ubi quòd ambigit Strabo, num is unus Argonautarum fuerit, id inde fortè est, quòd in itinere demum iis accesserit. Vide Apollon. Rhodium *lib.2.* Val. Flaccum *Argonaut. l.5.* & Vossium *de Idolol. l.* 1. *c.*21.

Autolycus puer, pancratio victor, propter quem Xenophon *Symposion* scripsit, inter Leocratis opera, memoratur Plinio *l.34.c.8.*

Automatum, quibusdam idem cum pegmate, de quo suo loco: Suetonius tamen *in Claudio cap.* 34. distinguit: *Si aut automaton, aut pegma, vel tale quid aliud parum cessisset:* de *Automato* in Physicis, Vide infrà, ubi de *Perpetuo motu.*

Automoli, adde: Memorantur Herodoto *lib.* 2. ubi à Meroë duodecim dierum navigatione in regionem *Automolorum Æthiopum* perveniri scribit. Rationem nominis pandit Mela, *Æthiopes ultra. Sed & Meroën habent eam, quam Nilus primo ambitu amplexus, Insulam facit. Pars, quia vitæ spatium dimidio fere, quàm nos, longiùs agunt, Macrobii. Pars, quia ex Ægypto advenere, dicti Automolæ.* Idem eos *justitiam colere, æquitatem amare.* addit: quod de Macrobiis refert Solinus *cap.*30. ad quem V. Salmasium *pag.* 385. & 386.

Autophori, Græcè αὐτόφωροι, *l.* 3. *de furt. Institut. de obl. quæ ex delicto nasc. §. Furtor.* non solùm sunt fures manifesti, sed etiam omnes, qui in quocunque alio crimine deprehenduntur: non ἀπὸ τοῦ φωρὸς, ut nonnulli censent, sed à verbo φωρῶ, *deprehendo*, ut Phavorinus & Budæus notant: quod etiam Cœlio Rhodigino *lib.*10, *cap.* 6. videtur. Hinc Thucydides *lib.* 7. etiam eos, qui ad Tyrannidem aspirare deprehenderentur, Αὐτόφωρος vocat. V. Ferrandum Adduensem *Explicationum lib.*1. *cap.*43. laudatum Joh. Calvino *in Lexic. Jurid.*

per *Autumnos* numerandi Annos ratio, Bajvvariis olim in usu fuit (ut Anglo-Saxones per *Hiemes* numerabant, in *LL.* Canuti R. *cap.* 19. & Dani apud Wormium in *Fastis Danicis cap.* 7.) *L. Bajvvar. tit.* 7. *cap.* 19. §.4. *Per singulos annos, id est*, Autumnos *singulos.* Olim autem quid *Autumnus* esset, Germani non norant, teste Tacito *de Mor. Germanor. Annum quoque ipsum non in totidem digerunt species. Hiems & Ver, & Æstas intellectum & vocabula habent. Autumni perinde nomen ac bona ignorantur.* Quando verò *Autumnus*, ut & cœteræ anni tempestates, initium sumant, docent versus hi apud Lindvvodum:

> *Dat Clemens Hiemem, dat Petrus Ver Cathedratus,*
> *Æstuat Urbanus, Autumnat Bartholomæus.*

V. Car. du Fresne *Glossar.*

Avulnius Saturninus, memoratur Flav. Vopisco in *Divo Aureliano*, *Quum consedisset Valerianus Augustus in Thermis apud Byzantium — assidentibus à parte læva*, Avulnio *Saturnino Scythici limitis Duce, Murentio ad Ægyptum destinato, Julio Tryphone,* &c. Regius *Amilio*: vulgata lectio vestigia servat vocis *Anulino*, inquit Casaubonus *ad loc.*

Auxacium, nomen montis in Serica apud Ammianum *lib.*23. *Appellantur autem iidem montes Aria &* Auxacium, *& Asmira & Emodus & Ottoracora*; uti lectionem restituit Salmasius, cùm vulgò legatur, *Nazavicium* Αὔξακια certè ὄρη, *Auxacia montes*, memorat Ptolomæus. V. Salmasium *ad Solinum, pag* 989.

Auxilia, tum sociorum, tum alienigenarum gentium fere semper in exercitu Romana adhibuit Resp. Et primis quidem temporibus, priusquam Italia subacta esset, aut in provinciam saltem redacta, Legiones ex civibus Rom. conscribebantur. *Auxilia* verò ex Italicis sociis petebantur: hæcque numerum Legionum semper aut æquabant, aut certe superabant. Post Italiam civitate donatam, Legiones tam ex Italicis, quam ex Romanis, utrique enim jam cives, conscribi cœptæ sunt: *auxilia* verò petita ex aliis gentibus, partim fœderatis, partim etiam mercede conductis. At postquam totus Orbis Rom. civitate donatus est, quod Antonini Pii lege factum, delectus passim habitus ex omnibus Orbis Romani provinciis, ad Legiones scribendas de novo, aut vett. supplendas, *Auxilia* verò ex barbaris sumta, ut Germanis, Batavis, Mauris, Armeniis, Osroënis, Palmyrenis, Getis, Dacis, aliisque exteris gentibus, quæ extra Romanos limites submovebantur & Imperii jugum nondum subierant. Hinc *miles provincialis*, apud Hyginum, pro legionario; provinciæ enim omnes Romanæ tirones ad supplementa legionum præbebant: auxiliares milites barbaris subministrantibus. Atque hic mos ante Probum Imp. semper in exercitu Rom. tenuit: primus verò hic cùm diceret, *Sentiendum esse, non videndum, quoties auxiliaribus barbaris Romanus juvatur*, apud Vopiscum, sedecim tironum millia ex barbaris accepta, per diversas Romani Imperii provincias sparsit & Legionibus immiscuit militibusque limitaneis. Quo facto & instituto utriusque militiæ sacramenta confudit, *legionaria* & *auxiliaris*, quæ ante id tempus erant distincta ac diversa, & illi fortasse confusioni fenestrâ aperuit, quæ post Constantinum invasit, quâ passim & sine ullo discrimine barbaris ad Rom. militiam ingressus datus est, ipsique non ad militares tantùm dignitates, sed etiam ad civiles admissi. Qua de re graviter conquestus est Synesius pulcherrimâ illâ *de Regno* ad Arcadium oratione. Tanta namque erat illis temporibus quod ad militiam attinet, confusio, ut non solum Barbari legionariæ militiæ nomen darent passim, sed etiam vice versâ Romani in *Auxiliis*, quæ barbarorum olim tantùm fuerant, sacramenta dicerent, quod in his minor esset labor & majora maturioraque præmia. Vegetius *l.2.c.3. Est & alia causa, cur attenuatæ sint legiones. Magnus in illis labor est militandi, graviora arma, plura munia, severior disciplina. Quod vitantes plerique in* Auxiliis *festinant sacramenta percipere, ubi & minor sudor & maturiora sunt præmia,* &c. Fuerunt autem *Auxilia* in cohortes divisa, cohortes in vexilla; unde cohortes semper de *auxiliis* & vexilla de cohortibus. Sic *Vexilla* sunt auxilia, apud Livium *l.*39. *Vexillares cohortes*, Tacito *Hist. l.*2. qui *Vexillarios e cohortibus* vocat *l.* 3. ut eos à Vexillariis Legionum distinguat. Hinc *Dux Vexillorum* in antiqua Inscr. est, qui alio lapide *Præfectus auxiliorum* dicitur: LEG. AUGG. PROPR. PANNON. SUPER. DUCI. VEXILL. &c. V. Salmasium *ad Capitolinum in Pertinace & Vopiscum in Probo*, ut & infrà, ubi de *Vexillis* ac *Vexillationibus.*

Auxiliorum Præfectus, aliàs *Dux Vexillorum.* V. hîc suprà.

Auxilium, apud Recentiores, vox in Foro frequens, Gall. *Ayde, droit d'ayde.* Sic autem appellatur quædam tributi & vectigalis species, quam *tenens* seu vassallus domino capitali, pro ingruente aliqua necessitate, præstat, & ob sumtuum necessariorum onera. Suidas, Αὔξιλα, οἱ Ῥωμαῖοι τὰ τοιαῦτα τέλη προσαγορεύουσιν, *Auxilia Romani istiusmodi tributa vocant.* Duplicis verò generis *Auxilium* occurrit, viz. *Legitimum*, quod à Lege vel Consuetudine introductum est, cujusmodi sunt tria illa, quæ in omnibus penè Consuetudinibus municipalibus Domino Feudi asseruntur, cùm sc. *Primogenitum filium Militem facit*; cùm *Filiam primogenitam primùm nuptui collocat*; ac tertiò, *si ipse è captivitate redimendus sit.* Quæ etiam, quòd à consuetudine manare videantur, *Auxilia consuetudinaria*, Gall. *Aydes Coustumieres*: item *Auxilia Capitalia*, *Rationabilia* item vocitantur; non quòd ipsa ratio dictet, ea præstanda à vassallo sed quòd moderatiùs sint exigenda & secundum vassallorum facultates, ne nimio onere prægraventur. Alterius generis fuere *Auxilia*, quæ *libera & gratiosa* vocabant, quòd dominis pro ingruente aliqua necessitate impræviisa, à vassallis & subditis pensitarentur gratuitò & ex mero illorum arbitrio, cùm nulla Lex existeret aut Statutum municipale, quo ad id exsolvendum adigerentur. Gall. *Aydes gratieuses*, Germ. *Freyvvillige Steuren.* Sic extat apud du Fresne in *Regesto* Memorabi-

lium Cameræ Computorum Parisiensi notato C, *fol.* 64. *Diploma* Philippi R. Franc. 7. Febr. 1349. quo certum tributum, urbis Parisiensis incolis ad annum impositum, ex mera eorum gratiâ concessum agnoscit, Gall. *qu'il les tient à subside gratieux*. Cujusmodi tenoris ibidem extant *Chartæ* Johannis R. A.C. 1350. Sed & Rex idem, in alio *Diplomate*, subsidia à Nobilibus, Clero & Plebejis Comitatuum Andegavensis & Cenomanensis, propter ingruentia bella sibi concessa, *Aides gratieuses* vocat. Verùm, quod ex mera gratia & libero subditorum ac Vassallorum arbitrio Dominis aut Principibus primùm pensitabatur, id postea in Legem & necessitatem transiit, cujusmodi sunt e.g. in Gallia, tributa varia & vectigalia quæ nomine *Auxilii* vel *Subsidii* exiguntur. Vide Car. du Fresne in *Glossar.* & hic infrà. De *Auxiliis* verò, in Imperio exigi solitis, Politicarum rerum Scriptores consulendi: Limnæus inprimis *de Jure Publ.* & Wendelinus in *Polit.*

Auxiliorum varia apud Scriptores genera, ex eod.

Auxilium pro Militia primogeniti filii, quod primum vulgò ponitur inter *Auxilia Legalia*, Gall. *Leaux Aydes*, occurrit in *Regesto* præfato, ubi Philippus Pulcher A.C. 1313. Senescallo Santonensi præcipit, ut exigat à subditis suis, *l'ayde accoustumée deuë pour la Chevallerie de son fils aisné, &c.* Cùm verò statim, ac natus esset Domino filius, à Vassallis ejusmodi *Auxilium* deposci primitus mos esset, ab Eduardo I. R. Angl. *Statuto* Westmonast. *cap.* 35. *an.* 3. cautum est, in beneficium Vassalli, ut *Auxilium non peteretur*, ad filium Militem faciendum ante ætatem 15. annorum. Aliter in Scotia, *Statuto* Roberti I. *cap.* 18. sancitum. V. quoque *Constitutiones Sic. lib.* 3. *tit.* 18.

Auxilium pro primogenita filia semel maritanda, alterum è tribus Auxiliis, à Lege & Consuetudine introductis, jam inde à Guiscardi temporibus, circa A.C. 1080 obtinuit: qui Mathilde secundogenitâ Raimundo Berengarii Com. Barcinonensi nuptum datâ, *Auxilium* à Vassallis suis exegisse legitur; cùm in Helenæ primogenitæ cum Constantino Duca nuptiis nihil ejusmodi petiisset, apud Guil. Apuliensem *Rerum Normannic. lib.* 3. V. de Rege Henrico Angliæ, Seldenum *de Titulis Honorar. Part. II. cap.* 5. §. 17. de aliis Petrum de Vineis *lib.* 5. *Epist.* 16. & Chopinum *Monastici lib.* 2. *tit.* 1. §. 15. ubi ne Clerum quidem Normannicum ab ejusmodi tributo immunem fuisse legimus. Sed hic iterum *Statuto* Eduardi I. Westmonasteriensi *cap.* 35. cautum fuit, in beneficium vassalli, ut *Auxilium* ad maritandam filiam non peteretur, antequam septimum illa ætatis annum attigisset, &c. Cùm autem idem subsidium, pro Beatricis, ex Carolo Martello Hung. R. filio suo primogenito, jam mortuo, neptis nuptiis, à Provinciæ Comitatus incolis, extorquere decrevisset Carolus II. Siciliæ R. Aptenses contrà, tanquam rem novam tentaret, intercesserunt. V. Michaëlem *del Molino* in *Repertorio Forór-Aragon.* in voce *Dos.*

Auxilium, pro Redemptione corporis Domini, si ab hostibus capi contingat, tertium è legitimis *Auxiliis* omnium indubiè justissimum. Sic pro redemptione Richardi Angl. R. auxilium ab Anglis exactum, & *de unoquoque feudo Militis* 20. *solidos exsolutos*, tradit Rogerus Hovedenus. Quod etiam extentum videtur, ad liberationem uxoris domini aut primogeniti filii, apud Walsinghamum in *Eduardo II.* &c. Reliqua *Auxiliorum* genera sequuntur, juxta seriem literarum Alphabeti.

Auxilium pro Ædificatione, aut munitione Castri, sæpe occurrit, in Charta Gaufredi Com. Andegav. in Libertatibus concessis villæ Montisbrusonis, à Guigone Com. Forensi A.C. 1223. in Tabulario Vindocinensi Ch. 109. alibique passim, in *Chartis* Anglicis præsertim: à quo exactionis genere ne Monachi quidem ipsi liberi fuere, ut est in *Epist.* Bonifacii Moguntini ad Cuthbertum Archiepisc. Cantii sub fin. Sed & ad *expeditionem* operas suas contulisse Principum subditos, colligitur ex Leone in *Tacticis cap.* 20. §. 71. quò *Novella* quoque Theodosii & Valentiniani *de Postulando*, pertinere videtur.

Auxilia Burgi, memorantur in *Chronologia* Augustinensi Cantuariens. A.C. 1104.

Auxilium Consuetudinarium Vavassorum & aliorum hominum tenentium de dominico & de feodis, in *Regesto*, Philippi Aug.

Auxilium pro Defensione Terræ, in *Statutis* Honorii IV. Pontif. Rom. pro Regno Neapol. 1285.

Auxilium pro Emptione terræ in vita Domini, semel facienda, occurrit in *Pacto*, inito inter Carolum Vadensium & Andium Com. & Barones Andegav. & Cenomanenses, A.C. 1310. in *Regesto* Andegav. Cameræ Comput. Paris. *fol.* 56. alibique passim.

Auxilium Episcopi: sic appellabant *pecunias & procurationes*, quas Episcopi *à personis Ecclesiarum* subinde exigebant, quasque etiam *consuetudines Episcopales, quandoque Synodales, quandoque denarios Paschales vocabant*, ut est apud Alexandrum III. in *Appendice ad Concilium Lateran. III. part.* 2. c. 9. Ita *Auxilium pro consecratione sua exigendi ab hominibus suis* Episcopo concessit Guilielmus Siciliæ R. in *Constitut.* Siculis *lib.* 3. *tit.* 18. Vide suprà in voce *Adventus*. Idem auxilium à subditis suis exigendi potestatem, *cùm à Papa ad Concilium evocantur*, Episcopis concessit. *Ibid.* V. quoq; Joffridum in *Hist. Episcoporum Niciensium pag.* 182. & Jac. Petitum *post Pœnitentiale Theodori pag.* 666. 717. Etiam, *cùm ab Rege ad exercitus sui servitium evocantur*, iisdem idem juris indulsit Rex præfatus, ubi *suprà*. Sed & *Auxilium* à Presbyteris sui Archidiaconatus ex Episcopi licentia interdum Archidiaconos exegisse, docet du Fresne ex *Charta* descriptâ Petito *lib. cit. pag.* 482. De *secundis Auxiliis*, ab Episcopo Archidiaconis impositis, Vide Joh. Salisberiensem *Epist.* 49. Plura verò, de ejusmodi *Auxiliis* ab Episcopis exactis, ab Ecclesiasticis suæ diœceseos, in casibus supradictis, apud Bartholom. Bellencinum *Tract. de Charitativis Subsidiis* & Augustin. Barbosam *de Officio & Pot. Episcopi Part. III. allegat.* 87. &c.

Auxilium, pro Eundo ad Imperatorem, in *Charta* Caroli II. Sicil. R. A.C. 1290. aliaque descriptâ, apud Joffridum *Hist. Nic.*

Auxilium pro filia postgenita maritanda in Scotia locum habuit & in Sicilia: ut patet ex *Statutis II.* Roberti I. R. *cap.* 18. §. .. & ex *Constitutionibus Neapolit. lib.* .. *tit.* 19.

Auxilium pro filio primogenito maritando, apud Cognatum *Histor. Tornac. libr.* 4. *cap.* 15.

Auxilium ad Guerram Domini manutenendam, quod *pro expeditione* vocant vett. Angliæ Regum *Diplomata*. In Imp. Rom. contra Turcas exigitur, & *Türckensteur* dicitur.

Auxilium pro Militia Domini, in *Charta* Thomæ Com. Perticensis A.C. 1214. in *Tabulario* Majoris Monast.

Auxilium pro Militia Fratris, occurrit in *Constitutionibus Friderici Imp. lib* 3. *Const. Sicul. t.* 19.

Auxilium pro Militia Nobilis viri cujuslibet, in *Consuetudinibus* Andegav. & Cenomanensibus.

Auxilium Pallii, quod Archiepiscopo à Presbyteris diœcesis pensitabatur, pro eundo Romam, ad *Pallium* Archiepiscopale ferendum: in *Charta* Scheffero descriptâ ad *Chron. Upsalense*. Vide quoque in *Lexico Univ.* ubi de *Pallio*.

Auxilium pro Racheto seu Relevia, ut legitimum agnoscit *Reg. Majest. lib. II. cap.* 73. §. 1. & Vetus *Consuetudo* Normanniæ *cap.* 34.

Auxilium pro Sorore maritanda, in regno Siciliæ obtinuit, ut colligitur ex *Const. Sic. l.* 2. *tit.* 18. & ex *Charta* A.C. 1211. apud Ughellum *Tom. I. p.* 784. In Angliæ etiam Regno, uti docet Matthæus Paris in *Henrico III. A.C.* 1235. ut & in Gallia. V. *Chartam* permutationis Vicecomitatus de Lautreco, aliamque Hugonis Vicecom. Castriduni, apud du Fresne.

Auxilium pro Subsidio Terræ Sanctæ, introductum videtur à Ludovico VII. Fr. R. cui cùm à Papa Eugenio sacris esset interdictum quòd Petrum Archiepiscopum Bituricens. sede suâ dejectum nunquam deinceps se admissurum jurasset, *tandem S. Bernardo persuadente ad hoc est cor Regis inclinatum, ut Archiepiscopum susciperet & pro transgressione perjurii, Hierosolymam se promitteret profecturum. Tunc enim per totam Galliam facta est exactio generalis, nec sexus, vel ordo, vel dignitas quempiam excusavit, quin* Auxilium *Regi conferret. Unde factum est, ut ejus peregrinatio multis execrationibus persequeretur*, Matth. Paris ad A.C. 1146. Exemplo igitur Ludovici, Ricardus I. R. Angl. idem fecit in suo Regno, cùm ad iter Hierosol. se accinxit A.C. 1190. ut testatur Hovedenus *pag.* 665. Regem quoque imitati cœteri Franciæ Proceres, eandem Legem suis indixere vassallis ac subditis, ut, quoties in Terram S. iretur contra hostes Fidei Christianæ, in partem sumtuum certum vectigal, *Auxilii* nomine sibi pensitarent, &c.

Auxilium Triennarium seu *Comitis*, in Normanniæ Ducatu. apud eundem du Fresne.

Auxilium contra Turcas, ab Imperatore indicitur, quoties belli gravioris periculum imminet.

Auxilium Vicecomitum, quod Vicecomitibus seu Ballivis præstabatur, in Anglia præsertim. V. Ingulfum *p.* 875. &c.

Auxo & Thallo, inter Atheniensium Deos, ab incremento frugum & flore dicti.

AX.

A.X. in Fuldensis Monasterii Martyrologiis seu potius Necrologiis, *Ancillam Christi* notat, apud Brovver. *Antiqq. Fuldens. l.* 2. *c.* 10.

Axamenta, carmina erant, quæ à Saliis componebantur, in honorem singulorum Deorum, ut Jovialii versus, Junonii, Minervii; Vetus Lexicon interpretatur versus in honorem Herculis, qui in sacris ejus decantabantur; Turnebus *Adversar. lib.* 22. *cap.* 24. Ab *axare*, quod Vett. idem fuit ac *nominare*, teste Festo. Apud Recentiores verò, *axamus* cervorum clamor est, V. Felicem Gyrvvensem Mon. in *Vita S.* Guthlaci *num.* 22. apud du Fresne *Glossar.* & infrà in voce *Magister.*

Axedre, Hispanis Latrunculorum ludus dicitur, ex Græco *Zatrikion*, quod Hispani à Mauritanis acceperunt, qui *Alxatrez*

tunc

cum articulo vocant. Salmasius *ad Solinum pag.* 1110. Vide infrà *Zatricium*.

Axes rotarum, ex ilice, fraxino ac ulmo, Veteribus fuere: sicut materiam curribus faciendis idoneam, abietem probat Plinius *lib.* 16. *cap.* 42. V. Hieron. Mercurialem *de Arte Gymn. lib.* 3. *cap.* 10. In vett. *Epigr gemini Axes*, dicuntur metæ in Circo, quòd Orientem & Occidentem ostenderent, ut inquit Cassiodorus. Pro quo Græci dixere, Circi circuitum (nam expressè *metarum* non meminerunt, qui sub Imperio CPolit. vixere) à fine ad initium Orientem significare, ab initio verò ad finem, Occasum, ... Circi enim principium, ... illis, sicut finis & exitus ... &c. *Epigramma* præfatum de Circo sic habet:

Namque Axes geminos ortum obitumque docent.
Atque his Euripus quasi, magnum interjacet æquor.
Et medius centri flumine obliquus abit.

Vide Salmasium *ad Solinum pag.* 908. & infrà, in voce *Euripus*, item *Meta*.

Axillas depilandi consuetudo, apud Romanos olim usitata, V. suprà *Alipili*.

... ex *Axillis* vocem emisisse, non ex ventre, id ariolorum genus, quorum mentio Actorum *cap.* 16. *versu* 16. crediti Hebræis, qui pro *Pythone*, פיתום *Pithom* scribunt voce leviter inflexâ. Talmudici *in Sanhedrim cap.* 7. *Baal Ob idem est, qui Pithom, seu qui loquitur ex axillis suis.* Ubi Glossa, *Mortuum ex terra educit, quem sub axillis & brachiis suis constituit, ut loquatur.* Unde R. Selomo *in Deuteron. cap.* 18. *versu* 11. explicans, quid sit שואל אוב *consulens Ob* (seu Pythonem) *Hac est*, inquit, *divinatio, quæ vocatur Pithom, quâ loquitur quis ex axillis, mortuum ad axillarum locum evocans.* De quo ritu, qui plura volet, consulat Maimonidem *in Tract. de Idololatria.* V. quoque intrà, in voce *Python*.

Axima, inter Centronum olim urbes, Ptolom. Ἐν ταῖς Γραΐαις Ἄλπεσι Κεύτρωνες: ἐν πόλεσι Φόρος Κλαυδίου καὶ Ἄξιμα. *In Grajis Alpibus Centrones, quorum urbes Forum Claudii & Axima.* Nunc ex urbe vicus magnus, nihil præter priscum nomen, idque corruptum ac truncum, retinens: vulgò *Esma* vel Aime, 4. leuc. à Foro Claudii, capite quondam gentis. In tab. Theodosiana *Axuna* dicitur depravatè. V. Hadr. Valesium *Not. Gall.* in voce *Centrones*.

Axima, Persidis opp. adde: Diem maximam horarum quatuordecim computat & trientis horæ; quemadmodum Hispalis Bæticæ Hispaniæ civ. eandem habet horarum 14. & 20. scrupulorum. Sed cùm Hispani, quamvis sub eodem cum Persis habitantes Parallelo (illi ad Occ. hi ad Orientem) quatuor horis serius Solem renascentem excipiant, fit ut Meridianus, sub quo Hispalis sita, à Meridiano, cui subjecta est *Axima*, horis totidem & scrupulis 53. distet. Salmasius *ad Solinum p.* 661.

Axinomantia, Magiæ species, quæ gagate securi candenti imposito fiebat, memoratur Plinio *lib.* 30. *cap.* 2 & *lib.* 36. *cap.* 19. *Hoc* (sc. gagate lapide) *utuntur Magi, in ea, quam vocant axinomantiam & peruri negant, si eventurum sit quod aliquis optet.*

Axiomatici, apud Guil. Bibliothecarium *in Hadriano II. Eum cum Pontificali pallio impositum, præcedentibus* Axiomaticis, *& subsequentibus reliquis turbis in urbem redire* — *conspexerant*; Anastasium item Bibl. in *Histor. Eccl. Cum aliis quinque, tribus quidem Comitibus, duobus verò Axiomaticis*: Magnates sunt, Proceres, Magistratus. Glossarium Gr. Lat. Ἀξιωματικός, *Honorarius, qui honorem gerit*, &c. Unde Ἀξιωματικόν, *Salarium*, quod *Axiomaticis* à Rege pensitatur, in *Gloss.* Basilic. & apud Photium *in Nomocanone tit.* 8. *cap.* 7. du Fresne *Glossar.* & Macer in *Hierolexico*.

Axiris, Herodoto *lib.* 4. ubi de Laserpicifera in Cyrenaica regionis situ, urbs est Cyrenensium, unde ... seu *Laserpicifera* inceperit. Ἄξιλιν vocat Ptolemæus. Vide Salmasium *ad Solinum pag.* 369.

Axiosæ mulieres, & Dii, apud Festum, unà agentes. Glossæ, *Axites*, ... Axitiosa item, seu potiùs *axiosa*, quasi *actiosa*, ab *agendo*. Plautus apud Varronem,

Axiosæ annonam caram è vili concinnant viris.

Vide Salmasium *ad Vopiscum in Carino*.

Axitheus quidam, Resurrectionis possibilitatem probat egregiè, apud Æn. Gazæum *de Immort. An.*

Axla, vulgò *Axel*, opp. Flandriæ, in terra Wasa vel Wasia. Vide *Axella*.

Axomitæ, memorati Fl. Vopisco in *Divo Aureliano*, *Præter captivos gentium barbararum Blemyes*, Axomitæ, Arabes, *Eudæmones* &c. *Axumitæ* Stephano, qui urbem eorum Ἀξώμιτον vocat, seu Ἄξωμιν potiùs; Ægyptiacæ namq; urbes seu Æthiopicæ plerunq; in IS. & earum gentilia in ιται desinunt, ut Ἀυασις, Ἀυασῖται, Τέντυρις, Τεντυρῖται &c. *Auxumitas* gentem hanc vocat Theodoretus, *Quæstion. in V. Testam.* ubi de Regina Sabæ verba faciens, ΣΑΒΑ, inquit, ... ΟΜΗΡΙΤΑΣ ... ΑΥΞΟΜΙΤΩΝ ... *SABA, qualisnam gens est? Æthiopica — vocant autem ipsos Homeritas; è regione verò est* AUXOMITARUM, *medio interluente mari. His imperavit mulier illa admiranda.* Plerunque tamen oppidum *Axuma* & populum *Axumitas* nominant Auctores. V. Joh. Scaligerum *Notis ad Computum Æthiopicum*, & Salmasium Casaubonumque *Notis ad Historiam Augustam*.

Axones, adde: Quemadmodum Lycurgi leges *Rhetra* dicebantur: ex utrisque leges sumptuarias Romanos olim mutuasse, quas senescentes paulatim reparaverit Sulla Dictator, memorat Ammian. Marcellinus *lib.* 16. Vocarunt autem leges Solonis *Axones* cives Athenarum, διὰ τὸ ἐγγεγράφθαι αὐτοὺς ἐν ξυλίνοις ἄξοσι, *quòd inscriptæ essent ligneis tabulis*: erant autem illæ triangulares. Quidam *Cyrbes* constituisse ajunt, quæ ad Deorum cultum pertinebant, reliquas leges *Axonibus* fuisse comprehensas, atque hoc discrimine illas ab his distinguunt. Asservabantur autem hi Solonis *Axones* legesque primitus in Acropoli: Postea ab Ephialte in Curiam & Forum translati sunt, sic tamen ut legum Autographa in Acropoli manerent: cum quibus, motâ in legis verbis controversiâ, Antigrapha illa conferebantur. Pro Curia habet Prytaneum Pollux: item Pausanias *Atticis*, eratque Prytaneum in Foro. An verò per Curiam Matris Deûm ædes intelligenda venit, nam hæc etiam *Βουλευτήριον* appellabatur, Legesque reponebantur in hac æde. juxta Harpocrationem, τοὺς νόμους ἔθεντο διαγράψαντες ἐν τῷ Μητρῴῳ. In Regia quoque Porticu asservatas fuisse leges, habes disertè apud Aristotelem *in Athen. Rep.* &c. Fuere autem leges in suis *Axonibus βουστροφηδὸν* scriptæ: sic ut primus versus scriberetur ad dextram à sinistra, secundus à dextra ad sinistram, Hebræorum more, & ita deinceps alternis. quomodo boves actus suos peragunt cùm arant. Qualiter scriptum inter Siculos nummos unum, apud Peirescium se vidisse dicit Petitus. Porro distincti numero *Axones* Solonis erant, ut videre est apud Plut. *in Solone*; ex quo item, ut & Harpocratione, constat in Axonibus singulas leges numero notatas fuisse: ac quæ in parte inferiori scriptæ essent, οἱ κάτω sive κάτωθεν νόμοι dicebantur. In primo *Axone* e. g. cautum erat de non importandis aliò terræ Atticæ fructibus In vicesimo primo, de liberis, &c. Reliquias harum tabularum suo adhuc tempore superfuisse, memorat Plut. *in Solone* inquiens: ... καὶ καθ' ἡμᾶς ἐν Πρυτανείῳ λείψανα μικρὰ διεσώζετο. Vide Sam. Petitum *Commentar. in LL. Atticas, lib.* 2. *tit.* 1. Francisc. Rossæum *Archæologia Attica lib.* 3. *cap.* 1. &c.

AY.

Ayec, ayec, vox Aragonibus in usu. Michaël *del Molino* in *Repertorio* Fororum Aragon. Bestiam currentem si aliquis portaverit, *debet dicere*, Ayec, Ayec, *quod est vulgare antiquum Aragonum: aliàs si hoc non dixerit, tenetur emendare damnum datum per bestiam.*

AZ.

Azazel, cujus mentio Levitici *cap.* 16. *versu* 8. Juliano Apostatæ, Hebræis, Valentinianis & Magis, dæmon est. Unde Julianus ex hoc loco Mosis conatus probare est, scripsisse hunc περὶ Ἀποτροπαίων, i. e *de Diis Averruncis*, à Cyrillo doctè refutatus *in Julian. lib.* 9. Hebræi unum ex quatuor Dæmonum antesignanis *Azazelem* facientes, hoc die (quo nempe Festum Propitiationis, de quo sermo *l. c.* agebatur) Satanam nihil posse atque inde esse, ajunt, quòd literæ numerica nominis השטן. id est, *Satana*, valent CCCLXIV. quia per anni dies totidem Imperium suum in homines exerceat, nec ullus excipiatur, nisi dies modò dictus. De Valentinianis veteris Poetæ Christiani carmina, in Marcum, Valentini discipulum, qui discipulis suis credebatur per præstigias illudere, apud Irenæum, citatum Epiphanio *Hær.* 34. sic habent:

Εἰδωλοποιὲ Μάρκε καὶ τερατοσκόπε,
Ἀστρολογικῆς ἔμπειρε καὶ μαγικῆς τέχνης,
Δι' ὧν κρατύνεις τῆς πλάνης τὰ διδάγματα,
Σημεῖα δεικνὺς τοῖς ὑπὸ σοῦ πλανωμένοις,
Ἀποστατικῆς δυνάμεως ἐγχειρήματα,
Ἃ σοὶ χορηγεῖ σὸς πατὴρ Σατὰν ἀεὶ,
Δι' ἀγγελικῆς δυνάμεως Ἀζαζὴλ ποιεῖν,
Idola fingens Marce, monstrorum artifex,
Fraudisque gnare Magicæ & astrorum sciens,
Erroris inde dogma pestiferum struis,
Portenta cæca sifla dum turbæ exhibes,
Per se rebellis qualia exequitur manus:
Hæc tu illa Satanæ fretus auxilio patris
Azazeliquæ mirâ designas ope.

Quin hodieque in Magorum libris *Azazel*, inter Dæmones, qui elementis præsunt. Sed hæc commenta, præter Cyrillum prædictum, Theodoretus, Isychius & Procopius meritò rejiciunt. Arabibus *Azazel* montis nomen est, & Aben-Ezræ, qui eum monti Sinai admovet: Sed non videtur verisimile, per tot interjectas solitudines, quotannis hircum ab urbe Israëlitas deduxisse. Adde, quòd in regione toties peragratâ & tam accuratè descriptâ, nemo est, qui montis hujus meminerit. Non pauci *Azazelem* volunt fuisse hircum ipsum emissarium, adeoque verba Mosis sic reddunt: *Aaron sortes jaciet super duos hircos, sortem unam Domino*, id est, in hircum Domino mactandum; *& alteram in Azazelem*, h. e. in hircum in desertum abiturum & dimittendum. Sed tum falsâ vocis originatione nititur hæc interpretatio, tum verba

Mosis nimium implicata reddit. Proin Bocharto, est *hircus servatus* αἰγὸς τῆς ἀναχωρήσεως, quod significari voce לעזאזל ex Arabica lingua probat. Nempe hircorum unus Deo servandus erat, ut super Altare mactatus *illi esset in cibum*, quod de victimis legitur Levit. *cap.* 21 *vers.* 6. alter *ad azazel*, i. ut in locum deserti remotum & separatum deduceretur. Uterque horum Deo consecratus erat, unde est, quòd uterque coram illo statuebatur, tamen in Dei sortem cedere videbatur magis speciali jure, qui super Altari mactabatur: quia victimæ in illius honorem immolatæ Hebræâ phrasi, *Dei cibus* vocantur, ut vidimus. Huic opponebatur alter hircus לעזאזל, i. αἰγὸς χωρισμοῦ, vel αἰγὸς ἀναχωρήσεως, i.e. *hircus ad id destinatus, ut ad loca remota deductus, à grege separaretur.* Porro, ut hircos, ita & sortes oportuit esse pares, ne ab extrinsecus intuentibus dignoscerentur; quas ligneas olim, sed secundo Templo aureas fuisse, scribit Maimonides; qui etiam addit urnam, in qua sortes hæ repositæ, ad Orientem Atrii & Aquilonem Altaris fuisse sitam, eaque moti, sortes in Sacerdotis manus incidisse, juxta nomen duorum hircorum: Et si Dei sors in manum dextram incidisset, dixisse Saganem, qui à dextris adstabat, *Domine mi, magne Sacerdos, tolle dexteram tuam*, sin in sinistram, dixisse Principem Domûs Patrum, *Domine mi, magne Sacerdos, tolle sinistram tuam*, sicque Sacerdotem dexteram sortem hirco dextero & sinistram sinistro imposuisse. Postmodum hircus, in quem cecidit sors *ad azázel*, sistebatur vivus coram Domino, *versu* 10. ut per eum fieret propitiatio & dimitteretur *ad azázel*, h.e. *ad loca remota*, in desertum. Apud Rambam *Sacerdos ligabat linguam coccineam* (h. e panni frustum in linguæ formam cocco tinctum) *ponderis duorum siclorum in capite hirci emissarii, & eum dirigebat versùs locum, in quem erat dimittendus.* Quam linguam olim alligabant ad ostium porticus exterioris aut etiam interioris: &, cùm exalbescebat, quod passim contigisse referunt, id pro fausto omine habebatur; inde sc. conjectabant, remissa sibi esse peccata, juxta Esajam *cap.* 1. *vers.* 18. V. Gemaram in *Joma cap.* 6. Desiisse verò id observari 40. annis ante Templi excidium, iidem Talmudici scribunt in *Joma cap.* 4. Nempe tum Christus passus est, morteque illius legalibus sacrificiis omnis vis adempta, lumen cognitionis ea in gente extinctum, nec Templum solùm, sed & cœlum hactenus clausum, gentibus tum demum patere cœpit, &c. Deducebatur autem hircus emissarius, postquam ei *Sacerdos manum imposuisset, & confessus super eum esset omnes iniquitates filiorum Israëlis, vers.* 20, 21, 22. *per manum viri* ad id parati in locum, quem Moses מדבר *desertum*, & עזאזל *azazel*, i e. *secessum* vocat; ubi non detrudebatur in præceps, aut ventorum turbine abripiebatur, ut Hebræi nugantur, sed simpliciter *dimittebatur*, *versu* 26. quomodo sc. sacra quædam animalia, quæ Græci ἄφετα vocabant, quod in Dei alicujus honorem libera dimitterentur. Cœlius Rhodiginus *lib. sept. in fin.* quidem rinis vestigia trans Euphratem observat, *ubi pascebantur*, inquit, *boves Dianæ Persicæ sacræ, nullo custode, & ἄφετοι, Deæ charagmate insignes.* Et Suetonius in *Julio cap.* 81. memorat, equorum greges, quos in *trajiciendo* Rubicone *fluvio consecraverat* (Cæsar) *ac vagos & sine custode dimiserat.* Sic Arabes in Ethnicismo, i e. antequam impuro Mahumeti nomen dedissent, quædam jumenta & pecora, putà camelos fœminas, oves & capras Diis suis simili ratione devovisse leguntur: Dicebant autem istiusmodi pecudem *Saibah*, i.e. ἀφ... & aures ejus findebant, ut hâc notâ dignosceretur, unde & *bahirah* eam vocabant: quemadmodum & *sarba*, quod libera erat a mulctura & lac in mammis retinebat. Nec omittendum, videri Græcos ad hunc Hebræorum ritum allusisse, cùm ad capras sylvestres imminentia mala amandabant. V. Hesychium, Suidam, & ex utroque Erasmum in *Prov.* Κατ' αἶγας ἀγρίας, *In capras feras*; & plura hanc in rem, inprimis de collatione duorum hircorum, quorum unus mactandus erat in Festo Propitiationis, alter in desertum emittendus, cum duobus passeribus, Levitici c. 14. v. 4, 49. quorum uno jugulato, alteri liber in agro volatus permittebatur: ac utriusque hujus Typi, cum *Servatoris nostri morte ac resurrectione*, analogia, apud Sam. Bochartum *Hierozoici Part. I. Lib. II. cap.* 54. *toto*, ut & infrà, ubi de *Propitiationis Festo.*

Azenia, adde: Hinc oriundus erat Olus Pontius Nymphodotus, Cosmetes Epheborum, de qua dignitate V. *Marmora Oxoniensia*, *p.* 84. & 85. Floruit autem is Cajo Julio Casio Archonte, ut apparet ex pulcherrima *Inscr.* veteris marmoris haud pridem Athenis in Angliam allati, quod basis erat statuæ, à Pothino quodam in Nymphodori hujus honorem extructæ erectæque. Initium sic habet,

ΕΙΚΟΝΑ ΤΗΝ ΔΕ ΠΟΘΕΙΝΟΣ ΕΝ ΕΦΗΒΟΙΣΙ ΠΑΛΑΙΣΤΡΑ
ΤΕΥΞΑΣ ΚΟΣΜΗΤΟΥ ΘΗΚΑΤΟ ΝΥΜΦΟΔΟΤΟΥ
ΕΠΙ ΤΗΣ ΓΑΙΟΥ ΙΟΥΛΙΟΥ ΚΑΣΙΟΥ ΣΤΕΙΡΙΕΩΣ ΑΡΧΗΣ
ΚΟΣΜΗΤΗΣ ΕΦΗΒΩΝ
ΩΛΟΣ ΠΟΝΤΙΟΣ ΝΥΜΦΟΔΟΤΟΣ ΑΖΗΝΙΕΥΣ
ΚΑΙ ΥΠΟΚΟΣΜΗΤΑΙ

Cœtera V. apud Jac. Sponium *Itinerar. Græciæ pag.* 76. qui ex eadem Inscr. docet, Cosmetas hos seu Gymnasiarchas menstruos solùm fuisse, & à Boëdromione mense auspicia regiminis Scholastici duci consuevisse *pag. seqq.*

Azevedo, nomen familiæ illustris, quæ, è Lusitania orta, in Castellam transiit. In ea Didacus, Franciscam *de Zuniga, Ulloa & Viedma* Comitem *de Monterrey* duxit, sicque Comites reliquos de *Monterrey*, nominis *de Azevedo* & *Zuniga*, prosevit. Fuit autem is Didacus, filius Alfonsi *de Fonseca & Azebedo*, Pater verò Alfonsi *de Azebedo & Zuniga, Com. de Monterrey*: qui ex Maria Pimentella genuit Hieronymum, maritum Agnetis *de Velasco & Tobar*, quibus natus est Casparus Prorex Mexici, cui ex Agnete *de Velasco & Aragon*, sunt geniti, Hieronymus, Emanuel Com. *de Fuentes* (cui uxor obtigit Leonora Maria f. Henrici Gusmanni Com. Olivarii) Agnes (uxor Caspari Gusmanni Duc. & Com. Olivarii) Maria & Catharina Monialis, qui hoc seculo floruere. V. Phil. Jac. Spenerum *Theatro Nobil. Eur. Part.* 1.

Azo, Atestinus seu Estensis, Ferrariæ Ducum, & hodiernorum Principum Mutinensium, conditor. Secundùm quosdam Hugonis M. Tusciæ fil. Sigfridi vel Alberti aut Otfridi M. Tusciæ nepos, Hugonis R. Italiæ pronepos, Lotharii III. Com. Provinciæ abnepos, Lotharii II. R. Austrasiæ atnepos, Lotharii I. Imp. trinepos, & ita è Caroli M. sanguine, fuit: Aliis à Cajo Actio, Vide suprà in *Actius* Cajus ejus originem, aliis aliunde arcessentibus; ut infrà dicetur. Is ductâ Cunigunde, sorore Welfi III. aliis IV. in quo prior familia Welfica defecit, Welficum nomen & jus in suam gentem intulit. Familiam ejus nonnulli a quodam Cajo Actio derivant, ut dictum, qui ex Romanis civis Atestinus fuerit, circa A. C. 390. è cujus posteris Forestum, Aquilegiæ adversus Attilam defensorem: Acharium vel Fl. Acrinum, Severoni adversus Alanos Equitum Magistrum, Ferrariæ conditorem: Marvellum, Valentiniani III. contra Vandalos Ducem; Sabinianum, Illyrici præfectum aliosque enumerant. Alii, quamvis Actiam stirpem, è Romanorum reliquiis, Ateste egisse non negent, eam tamen in Caji trinepote Bonifacio ac ejus filio Valeriano, qui prælio Langobardorum in Francos ceciderit, A.C. 590. defecisse, aliumque successisse arbitrantur, argumento nominum, quæ à Valeriano illo ad Azonem usque Germanicæ originis, usi. Sunt & qui hunc, Hugonis Marchionis Tusciæ filium, Sigfridi vel Alberti aut Otfridi M. Tusciæ nepotem, Hugonis Italiæ R. pronepotem, Lotharii III. Com. Provinciæ abnepotem atque ulterius ex Caroli M. sanguine oriundum, asserunt. Quorum quidquid sit, *Azonis* consanguinei in Italia, obscuræ conditionis neutiquam fuere; Gonzagas, à quibus, præter Mantuæ Duces, multi alii illustres in Italia, ejusdem fuisse originis, adseverant aliqui: Certius ex eadem propapia deducuntur Theobaldus, & filius Bonifacius, Regii Lepid., Parmæ, Lucæ, Ferrariæ & Mantuæ Marchiones: quorum hic filiam Mathildem habuit, quæ ter nupta, sed sterilis, insigni munere sedem Pontificiam locupletavit, quod *Patrimonium Petri* appellatur, V. de hac donatione Contingium *de fin. Imp. Germ. cap.* 10. Ipse *Azo I.* secutus in Germaniam Conradum II. & Henricum III. Augg. ibi Cunigundam, Guelforum priorum, uti diximus, hæredem, & post illam, secundùm aliquos, Isabellam Montisferratensem, sed sterilem, ac demum Juditham Conradi II. Imp. filiam duxit, extinctus A. C. 1081. Ex hac (sunt qui etiam Cunigundam matrem fuisse volunt) genitus *Azo II.* Estensis seu Atestinus Marchio, à quo longa serie reliqui Marchiones, qui, præter Atesten, Genuam, Mediolanum, Anconam, Veronam, Ferrariam, Mantuam, Mutinam, Regium & alia diversis temporibus tenuerunt, descendunt. E quibus Hercules I. Dux Ferrariæ creatus, novo titulo domum auxit, qui duravit usque ad pronepotem ejus Alfonsum II. quo A. C. 1597 sine masculis hæredibus extincto, successionem prætendit sibi deberi, ejusdem Alfonsi patruelis Cæsar Atestinus. Sed quòd hujus pater ex fœminæ vilis contubernio, ab Alfonso I. susceptus diceretur, à Pontifice eâ exclusus, Imperialia tantùm feuda, Mutinæ, Regii Lepidi & Carporum, obtinuit, Vide Thuanum *lib.* 119. & ab hoc moderni Atestini ac Mutinæ Dux derivantur, Vide quoque suprà in voce *Atestina*, & alibi passim. Alter ex primo matrimonio *Azoni* filius natus est Welfus cognom. *Robustus*, avunculi hæres, Altorfii Com & ex eo Henrici IV. Imp. beneficio, Dux Bavariæ, A.C 1071. A quo posteriores Welfi, & hodierni Duces Brunsuicenses orti sunt. Vide Phil. Jac. Spenerum *Sylloge Geneal. Histor. in Fam. Guelfica*, & hic in *Ateste* & *Mutina.*

Azo, adde: In patria primùm interpretari Jus cœpit; unde cùm propter æmulorum invidiam ad Montispessulanam scholam profectus esset, ibique aliquandiu magna cum laude docuisset, tandem domum revocatus, magnam & docendo & scribendo nomini suo famam memoriamque conciliavit. Scripsit *Codicis Summam*, qui totius Juris Civ. epitomen complexus est; Item, *Magnus apparatus super Digesto veteri*: Hodieque ejus in Scholis Foroque ingens autoritas est. Hottomannus *in Prætermissis*, laudatus Johanni Calvino, in *Lexico Jurid.*

Azores, adde: Hollandis *de Vlaemsche Eylanden*, medio inter Europam & Americam situ, è regione Portugalliæ. Descriptæ sunt peculiariter à Lud. Teisera, cui adde Linschotum *P.* 2 *cap.* 6. *pag.* 39. & Auctorem Anonymum *Hist. Orbis Terr. Geogr. & Civ.* cui Vett. Cassiterides sunt Sullingæ, *the Sorlinges*, è regione Cornubiæ prom. Lissæi, inter insulas minores Hiberniæ & M. Britanniæ adjacentes, Vide in voce *Cassiterides* vel *Cattiterides.*

Azyma, Hebr. מצות, cujus vocis origo non liquet. Docet tamen ex Arabismo Bochartus, מצות propriè esse *puros & sinceros panes*

panes & ab omni fermento expurgatos, quod corruptionis esse genus voluerunt multi Vett. Hinc Hieronymus 1.*Cor.* 5. 6. & rursus *Galat.* 5. 9. *Modicum fermentum*, inquit, *totam massam corrumpit*: ubi Græcè est ζυμοῖ, *fermentat*. Et Plut. in *Quæstion. Rom.* vult fermenti usum Flamini Diali fuisse prohibitum, quia ἡ ζύμη καὶ γέγονεν ἐκ φθορᾶς αὐτὸ καὶ φθείρει τὸ φύραμα μιγνυμένη, *fermentum cùm ipsum sit ex corruptione natum, massæ admixtum illam corrumpit.* Et paulo pòst, καὶ ὅλως ἔοικε σῆψις ἡ ζύμωσις εἶναι, *atque omnino fermentatio videtur esse putrefactio. Sincerus* igitur jure vocatur *panis*, cui nihil est fermenti admixtum. Quò alludere videtur Paulus 1.Cor.*cap.*5 *vers.*8. ubi festum nos celebrare jubet *ἐν ἀζύμοις εἰλικρινείας, in azymis sinceritatis.* Fuisse hunc panem Judæis perpetuum, putavit Tacitus: Sed Lex illius usum non præscribit ultra septiduum, cujus initium vesperâ diei decimi quarti, finis vesperâ diei vigesimi primi mensis Nisan. Quin, si Judæis credimus, septem quidem illis diebus vesci fermentato pane fuit nefas, sed *azymum* edere, non ut si primo necessarium, sex reliquis liberum. Itaque pro *Azymis* per sex illos dies *oryzam* edere licuit, aut *panicum*, aut *fruges tostas*, aut *fructus*, ut ex Maimonide & Selomone probat Petavius in *Epiphan. ad Audianorum Hær. pag.* 193. Semel verò *Azymos* panes per totum mensem comederunt Israëlitæ, nempe in exitu ex Ægypto, à die 15. primi mensis usque ad 15. & 16. mensis seq. quibus Deus illis largitus est mannam & coturnices, Exodi *cap.* 16. *vers.* 1. 13. &c. Sed necessitate id factum, quia in deserto nihil illis fuit, unde se toto illo mense sustentarent, præter *φύραμα*, quod ex Ægypto infermentatum attulerant, Exod. c. 12. v. 39. Quod autem illo anno necessitate factum, id sequentibus repetierunt, ut Legi obsequerentur, in qua Deus septem dies *azymos* indixisse contentus, illis hoc signo quotannis refricare voluit memoriam præstitæ ex Ægypto liberationis. Et quidem è septem his diebus cùm medii quinque fuerint *ἐργάσιμοι*, primum & ultimum pro festis haberi voluit Deus; quia, ut primo ex tam dura libertate in servitutem fuerant asserti, ita septimo Pharaonem cum omnibus copiis suis mare Erythræum absorpserat. Proinde, maximi momenti illa Lex & ad ejus observationem omnes præcisè adstricti fuerant; vetitumque per illos dies non solùm fermentum comedere, sed & domi habere, idque sub pœna excisionis ex Israële: quâ etiam tenebatur, qui Circumcisionem neglexisset, par namque Sacramenti utriusque, Paschatis ac Circumcisionis ratio. Ab hac tamen pœna Maimonides excipit hominum duo genera 1. eos, qui *per errorem*; 2. eos, qui *minùs quàm quantum olivam*, ex fermentato pane comederant: quorum illis imponit sacrificium offerri solitum, pro delicto per errorem commisso; hos autem cædi vult *plagâ rebellionis*. V. cum de *Ferm. & Azym. cap.* 1. *sect.* 1. & 7. Suidas in voce *Ζύμη*, ab hora 6. decimi quarti diei mensis, *σάλπιγγος φωνῆς*, *signo tubâ dato*, omnem panem fermentatum, si quis apud Hebræos fuisset reliquus, igne cremari & penitus absumi solitum fuisse, scribit, &c. Plura hanc in rem vide apud Sam. Bochartum *Hierozoici Parte prior lib II. cap.* 50. ut & infrà passim, inprimis ubi de *Fermento* & *Paschate*.

Azymitæ, adde: Hinc *Ἀζυμῖται Ἱερεῖς*, Latini Sacerdotes, Johanni Episcopo Citri in *Responsis ad Cabasilam*. Sed & *Azymitæ* dicti sunt populi quidam, qui Sultanis ac Saracenis parebant, cùm Franci Syriam invaserunt, quanquam, nomenne gentis an sectæ, incertum. Publicanis enim vulgò adjunguntur, quos eosdem fuisse cum Manichæis constat. Robertus Mon. *Histor. Hierosol. lib.* 6. *Persæ & Medi, Arabes & Turci*, Azymitæ & *Saraceni, Curti & Publicani & diversarum nationum alii multi.* Simeon Dunelm. *Hist. Angl. Turcos, Arabas, Saracenos, Publicanos*, Azymitas, *Persas, Agulanos & alias multas gentes*, commemorat. Sic Baldricus *lib.* 2. *pag.* 109. Guibertus *lib.* 5. *cap.* 8 aliique *Rerum Hierosolymitanarum* Scriptores. Imò & suâ ætate *Azimorum* seu *Azimitarum dominum* Soldanum inscribit Sanutus *pag.* 8. *Soldano Araborum*, Azimorum & *Turcorum*, apud Carolum du Fresne *Glossar.* &c.

Azymorum Festum, unum ex tribus anniversariis ac præcipuis Judæorum Festis, unà cum Paschate incipiebat, & per totam Judæam (non Hierosolymis tantùm, ut Pascha) celebrabatur. Consistebat autem, præter agnum Paschalem, tum in peculiaris sacrificii, tum in manipuli frugum oblatione; qui XVI. mensis, qui dies septimanæ primus erat, in typum resurrectionis Christi, offerri debebat. Hic enim, tanquam primitiæ nostræ, hoc ipso die à mortuis resurrexit, factus *ἀπαρχὴ τῶν κεκοιμημένων*, 1.Cor. *cap.* 15. *versu* 20. V. Levitic. *cap.* 23. *versu* 6, 7, 8. Numer. *cap.* 28. *versu* 17. & Levitici *cap.* 23. *versu* 10, 11. Franc. Burmannus, *de Tribus Judæorum Festis Anniversar.* & suprà.



B. In

B.

B In notis antiquorum *Brutus*, vel *Balbus*, vel *bonus*, vel *benè*, &c. B. A. *bonam actionem*, vel *bonis auspiciis*, vel *bonis avibus*, vel *bonis amabilis*, &c. B. C. *bonorum concessum*. B. F. in præfationibus Senatus consultorum *Bonum factum*, Sueton. *Jul. Cæs. cap.* 80 sicut nos in nomine Dei nostra negotia auspicamur, denotat. In Achate ingenti in carchesium exciso, quo Imperatoris thesaurus superbit, Inscriptionem hanc B. XPICTOC, sponte naturæ, conspici, tradit Car. Patinus, *αὐτόφυτον*, qui illud B. *Βασιλεὺς* interpretatur, *Relation. Histor. I.*

BA

Baal, adde: Godvvyno idem videtur cum *Moloch*, ob nominum similitudinem, בעל *Baal* enim Dominum, & מלך *Molech* Regem Principemque designat. Cui accedit, quòd utrique eadem sacrificia fuerint oblata, nam & *Baali* Jer. 19. 5. filios combusserunt Israëlitæ, & Molocho, extra ordinem: consuetæ autem victimæ vituli erant, & arietes & agni, 1. Reg 18. Imò excelsa Baalis in valle Ben-himmon, ubi filii filiæque Idololatrarum per ignem offerebantur, leguntur extructa Jerem. *cap.* 32. *v.* 35. è quo loco colligitur utrique eundem locum sacerrimi cultus fuisse, & per vocem *Moloch*, quæ sequitur, videtur explicari vox *Baal*, quæ præcedit. Nec obstat, quòd Jovem sub *Baalis*, Saturnum verò sub Molochi nomine cultum Eruditi dicunt. Nihil enim novi sic apud Auctores confundi planetas, ut Sol, quemadmodum modò *Baal*, modò Moloch; ita quoque modò Jupiter, modò Saturnus appelletur: *Assyrios Saturnum* (*quem & Solem dicunt*) *Junonemque coluisse constat*, Servius *in Æneid. lib.* 1. Et quidem de *Baale* res evidens. Jupiter enim Phœnicibus *Baal-samen*, quasi Jupiter Olympius seu Dominus cœli dicitur: quod, secundùm Gentilium Theologiam, non nisi in Solem quadrat; qui eodem jure cœli Rex, quo Luna ejus Regina, dicatur. Quare & apud Eusebium Sanchoniathon Jovem, Solem & Baal-samen, pro uno eodemque accipit: V. Thom. Godvvyn *de Ritibus Hebræorum lib.* 4. *cap* 2. Mos propriam cutem incidendi sanguinemque eliciendi, qui hujus Idoli sacerdotibus consuetus erat, simile aliquid habuit cum consuetudine Sacerdotum Bellonæ, de qua vide Tertullianum *Apolog. cap.* 9. Lactantium &c. è quibus posterior tam clarè Bellonitas hosce describit, ut Baalitæ 1. Reg. 18. memorati iisdem verbis repræsentari videantur, Idem *ibid.* Quò facit, quòd aliis *Βαὰλ* & *Βὴλ*, *Baal* & *Bel*, Assyriorum linguâ *Ἄρης* est, *Mars*. Sic Joannes Antiochensis, *Περὶ Ἀρχαιολογίας*, *Μετὰ Νίνον ἐβασίλευσε Θοῦρας, ὃν Ἄρεα ὠνόμασαν. Ἦν δὲ σφόδρα δεινὸς καὶ πολεμικὸς καὶ προσκυνήσαντες αὐτὸν Ἀσσύριοι ὡς Θεὸν ὀνομάσαντες αὐτὸν Βῆλον, ἤγουν Ἄρεα, πολέμων Θεόν. Post Ninum imperavit Thuras, quem Martem vocaverunt. Erat enim valde strenuus ac bellicosus, invocarunt eum Assyrii, veluti Deum, nominantes eum Belum seu Martem, bellorum Deum.* Atqui alii fere omnes Belum Nini patrem fuisse volunt, hic Nino successisse Thurám, qui & *Belus* idemque *Mars*. Eadem ferme habet Suidas in voce *Θοῦρας*, sed *Βαὰλ* vocat, quem Antiochensis *Βῆλον*. Nempe non de primo Nino Semiramidis marito, sed altero Nino id accipiendum, quem Zames, Ninyæ filius, genuit; is pater fuit Thuræ seu *Ἄρεως*, quem *Ἄρεα* Joannes vocat. Vide infrà in voce *Thuras* & plura hanc in rem apud Salmasium *ad Solinum p.* 1235.

Baal Tsephon, creditur Scriptoribus Hebræis fuisse Idolum ab Ægyptiis Magis concinnatum, ac in deserto collocatum, ut observaret & sufflaminaret ex Ægypto exitum parantes Israelitas; Unde ei nomen *Tsephon*, ab Hebræo צפה *Tsapha*, id est, *excubare, speculari, excubias agere*: ut dictus sit, quasi *Baal Speculator*: quemadmodum Romani Jovem, quòd fugam suorum stetisset, *Jovem Statorem* dixere. V. P. Fagium Exod. 14 1. Rosinum *Antiqq. Rom. lib.* 2. *cap* 5. Godvvynum *de Ritibus Hebræorum lib.* 1 *cap* 3.

Baal-Zebub, quasi *Muscarum dominus*, vel etiam *princeps Musca*, in reliquas dominium habere, existimatus est: *Ζεβούλ μυίας θεὸν Ἀκκαρῶν*, Gregorius Nazianzenus *Orat.* 2. *contra Julianum*: quo sensu Dæmonum Princeps *Beel-zebub* vocatur in *Histor. Evangelica*. Apud Cyrenios in veneratione fuit, præcipuè verò apud Akronitas, quorum regio ab immenso muscarum examine, quod illam infestaverat, liberata fuisse dicitur tum, cùm huic Deastro sacra facerent. Sed & ad illum, velut Oraculum, in rebus dubiis commeare soliti sunt, ut colligere est ex 2. Reg. *cap.* 1. *versu* 2. Non ineptè dicatur *Jupiter Muscarius*, vel *Hercules Muscarius*: Nam & Elidis incolæ Jovem *Ἀπόμυιον*, seu Muscarum averruncum; & sub eodem nomine Romani Herculem coluerunt. Græcæ quædam versiones habent *Βεελζεβούλ*, fortè in vilipendium Idoli; quasi vocarent eum *Jovem stercoreum*, זבל *Zebel* enim *stercus* denotat, Thom. Godvvynus *de Ritibus Hebr. lib.* 4. *c.* 3.

Baaltis, sive *Beltis*, Phœnicum Dea, eadem cum Dione ac Venere vel Luna: Vel si diversa est, fuerit Lucifer. Diversas facere videtur Sanchuniathon sive ex eo Philo Byblius, apud Eusebium *Præp. Evangel. libr.* 1. ubi memoratur Astartem & *Baaltidem* esse sorores; ac illam esse Venerem, hanc Dionem. Utraque ibidem dicitur nupsisse Saturno, sed Astarte quidem, præter septem Titanidas sive Dianas etiam mares peperisse narratur, Cupidinem Amoremque: ex Dione autem prognatæ solæ perhibentur puellæ. Verùm aliter de illo Græci ac Romani. Quippe Orpheo *Argonaut.* dicitur *Διωναίη Ἀφροδίτη*, *Dionæa Venus*, & Maronis est *Æn. lib.* 3. *Sacra Dionææ Matri*. Ubi Venerem intelligi convenit: quam à Matre Dione sic dici, ait Servius. Ac similiter in illud *Eclog.*

Ecce Dionæi processit Cæsaris astrum

Longè, inquit, *repetitum est, à matre Veneris Dione*: At longè repetitum non fit si Dione est Venus: inde autem Cæsar dicatur, *Dionæus*, quia genus duceret ab Ænea, Anchisæ & Veneris filio. Et est pro hac sententia, quòd nulli melius conveniat nomen *Baaltis*, quàm Junoni sive Lunæ: nam, ut Jupiter, hoc est, Sol cum æthere, est *Baal*, ita *Baaltis*, Juno, hoc est, Luna cum aëre, quasi *Dominam* dixeris. Quomodo & *Reginam cœli* appellat Jeremias *cap.* 7. *versu* 18. & *cap.* 44. *versu* 17, 18, 19, 20. ubi Hebr. מלכה *Malchah*, quod muliebre. Licet enim & Solem Hebræi eodem modo nuncupent, שמש *Semes*, unde & David Kimchi, imò & Chaldæus Paraphrastes intelligere hic malunt Molochum, hoc est, Saturnum, sive Jovem, hoc est, Solem ipsum: Tamen sententia hæc eò minùs probatur, quia Propheta loquitur de gentium idololatria; his autem, in ipso Oriente, Sol non Dea, sed Deus habebatur. Unde dubium non est, quin Sidoniis Baal & Astaroth distincta fuerint Numina, atque illo Solem, hoc Lunam, denotarint: Astarte autem cum *Baaltide* eadem, Vide Gerh. Joh. Vossium *de Orig. ac Progress. Idolol. lib.* 2. *c.* 21.

Babalathus seu *Babalatus*, aut quod idem, *Vabalatus*, in nummis Aureliani *Οὐαβάλαθος*, Zenobiæ filius, memoratur Vopisco in *Vita* Aureliani, ubi vulgò *Balbatus* legitur: *Hoc quoque ad rem pertinere arbitror, Balbati filii nomine Zenobiam, non Timolai & Herenniani, Imperium tenuisse, quod tenuit.* Et quidem unicus ejus filius fuisse videtur, cùm Zosimus hujus unius Zenobiæ filii meminerit: *Τοὺς δὲ ἄλλους παῖδας τοῦ Ζηνοβίας παῖδας, ἐν μέσῳ τοῦ μεταξὺ Χαλκηδόνος καὶ Βυζαντίου πορθμοῦ καταποντωθῆναι*, *Reliquos autem, excepto Zenobiæ filio, inter Chalcedonem & Byzantium fuisse submersos.* Filium autem *Babalathum* potiùs, quàm Zenobiam ipsam, in nummis effigiari voluit Aurelianus, quòd fœminæ mentionem minùs sibi gloriosam putaret. Neque verò hunc Zenobiæ filium esse prohibet, quòd in quibusdam nummis ejusdem Imperatoris scriptum sit, in altera parte, *Οὐαβάλαθος Ἀρμενίας*, *Vaballathus Armeniæ*, sc. Rex: Nam Armenii cum Palmyrenis faciebant & totius Orientis Imperium obtinebat Odenatus, ac post eum Zenobia, filii hujus nomine. Unde & *Orientis Reginam* se vocat epistolâ ad Aurelianum missâ, &c. Nomen ipsum quod attinet, videtur deductum formatumque fuisse à voce Hebr. & Syr. *Babala* vel *Babalat*, id est, *Regina* seu *Domina*: inde *Babalatus* & *Babalatus*: ut *Hel* & *Bel*, similiaque sexcenta. Vide Casaubonum & Salmasium *Notis ad Vopiscum d. l.*

Babevvynus, in *Visitat.* Thesaurariæ S. Pauli Londin. An. Chr. 1295. *Imago quadam pulchra B. Virginis* —— *cum pede quadrato stante super* 4. *babevvynos*: simiæ species est, Gall. *Babouin*, Ital. *Babbuino*. Unde puerulos nebulones vulgò *Babouins* iidem Galli appellant, V. Car. du Fresne *Gloss.*

Babo, Dominus *de Abensperg*, Ottonis Com. *de Scheuren* (à quo Wittelspachii & ex his Comites Palatini Rheni hodierni descendunt) frater, inter vetustissimos *Abensperga* Dominos celebri famâ memoratur, quorum stirpem à Ducibus Bavariæ, ac per hos à Carolo Magno nonnulli derivant. Is cùm triginta duos filios genuisset (extinctus Anno Christi 1030.) ex illis Wolframus seu Wolfingus D. *in Abensperg & Traun*, hodiernam Comitum Abenspergensium familiam sevit. Cujus linearum duarum

mnapræcipuatum communis Pater Wolfgangus; capita earum, filii illius Joannes & Michaël fuere. A quorum illo descendunt Joannes Wilhelmus, & Susanna Catharina (uxor Christophori Baronis Zinzendorffii, qui decessit A.C.1657.) ab isto reliqui, inter quos Ehrnrico, Germ. *Ehrnreich*, ex Regina Christiana Zinzendorfia, nati sunt, præter alios, Otto Ehrnricus A.C. 1644. & Ernestus Julius A.C.1646. omnes *Comites ab Abensperg & Traun*. V. Phil. Jac. Spenerum *Theatro Nobilit. Europææ Tom. II. pag* 92. ubi Joannis Wilhelmi & Susannæ Cath. Majores recenset; *& pag.* 115. quæ Ehrnrici liberis destinata est. Series horum sic habet, Michael Dom. *de Abensperg & Traun*, qui obiit A.C. 1515. ex Elisabetha *de Aheim* genuit Sebastianum, defunctum A.C. 1530. Hoc & Magdalena *de Zelcking*. natus Adamus; pater fuit, ex Apollonia *Maurtin à Lambach*, Joannis Bernardi, demortui A. C.1583. Quo & Maria *ab Aursperg* editus Sigismundus Adamus obiit A.C. 1641. relicto ex Eva Polhemia Ehrnrico *Comite ab Abensperg & Traun*; qui sibi junxit Reginam Christinam Zinzendorffiam, & ex illa suscepit Reginam Justinam (n.1640) Sigismundum Adamum (n. & den.1641.) Evam Isabellam (n.1642.) Ottonem Ehrnricum (n. 1644.) Ernestum Julium (n. 1646.) Polyxenam Maximilianam (n. 1647.) Sidoniam Elisabetham (n. & den. 1648.) & Mariam Eleonoram (n. 1649.) Uti autem in hac linea Ehrnricus, sic in altera Joannes Cyriacus, qui obiit A. C. 1652. primus Comitivâ dignitate auctus est, Johannis Wilhelmi præfati pater, ex Susanna Maria L.Bar. Zinzendorffia &c.

Babur, Rex Mauralnaharæ, conditor Imperii M. Mogolis. Fuit is ex posteris Tamerlanis & pulsus Regno A. C. 1500 à Schaibeko Rege Chorazanæ, Usbekani Regni fundatore, in Indiam profugit, ac ibi res novas moliri compertus in Persiam se recepit tantaque ibi in paupertate aliquandiu vixit, ut rustico ópere victum sibi quærere cogeretur. Tandem à Scha-Tamaso Persarum R. copiis quibusdam adjutus, Indiam expugnavit, quæ ab illo tempore *Regnum Magni Mogolis* dicta fuit, a Tataris, qui proprio nomine *Mogoles* appellantur. Ei successit filius Homajon A.C 1530. pater *Acbaris*, qui Regum Indiæ potentissimus evasit ac multis præclarè gestis obiit A.C.1605. regni 50. V. Hornium *Orb. Imper. pag.* 442 ut & in voce *Mogoles*.

Babylo, nomen pueri delphino amati, apud Solinum *cap.* 12. *Apud Jasum urbem*, Babylonem *puerum delphinus adamavit, quem dum post adsueta conludia recedentem impatientiùs sequitur, arenis invectus hæsit. Alexander Magnus amorem illum Numinis fuisse interpretatus, præfecit puerum Neptuni sacerdotio.* Fuit autem Jasus urbs Cariæ, ubi cùm Alexander esset, historia hæc illi innotuit. Sic *Babylo* occurrit apud Terentium;

Dinumeras illi Babylo *triginta minas.*

Ubi id nomen dispensatoris est aut arcarii &c. Græcè enim & Βαβυλὼν, & Βαβυλος & Βαβυλᾶς dicitur. Salmasius *ad Solinum p.* 185.

Babylon, Beli filius, urbis cognominis conditor, secundùm Herennium Philonem. Stephanus de Babylone, Κτίσμα Βαβυλῶνος, ἀνδρὸς σοφοῦ, παιδὸς Βήλου σοφωτάτου, οὐχ ὡς Ἡρόδοτος ὑπὸ Σεμιράμιδος. Ταύτης γὰρ ἦν ἀρχαιοτέρα ἔτεσι χιλίοις δύο, ὡς Ἑρέννιος, *Opus est* Babylonis, *viri sapientis, Belo sapientissimo geniti; non verò, ut Herodotus ait, Semiramidis. Hac enim erat mille & duobus annis anterior, ut refert Herennius.* At Dorotheus Sidonius, antiquissimus Poëta, qui ἀποτελεσματικὰ disertissimis versibus composuit, ab ipso Belo conditam urbem vult,

Ἀρχαίη Βαβυλὼν Τυρίου Βήλοιο πόλισμα,
Ὕστατα δ' Ἀραβίη γείτων χθονὸς Αἰγύπτοιο.
Vetus Babylon Tyrii Beli opus,
Tandem verò Arabia vicina terræ Ægypti.

Qua de re V. in voce *Babylon, urbs*: & plura hanc in rem, apud Salmasium *ad Solinum pag.* 1227.

Babylon, urbs Babyloniæ reg. adde: *Babylonicæ* turris reliquiæ hodieque in ruderibus, quæ collem veluti referunt, conspicuæ dicuntur esse. Perhibent namque viatores, eas in planitie quadam sitas & 2. mill. Bagdadedo seu Novâ Babylone distare: habere autem circumferentiam 3000. passuum & ex terra cæmentique aliquo genere pice admistâ, in tantam duritiem conflatas esse, ut vix frustum aliquod inde auferre liceat. V. Vinc. le Blanc *Itiner. l.* 1. *c.* 5. Ab oriente porro Sole diem incepere Babylonii, sicut à media nocte Romani, ab occasu Athenienses, à meridie Umbri, Joh. Rosinus *Antiqq. Rom. lib.* 4. *cap.* 3. Iidem festum inter alia habebant, cui nomen *Sacaas*, Saturnalibus Romanorum non dissimile, in quo per quinque integros dies servis in dominos imperium erat, illorumque unus regiam induebat stolam, referente Ctesiâ *Annal. Persic. lib.* 2. &c.

Babylonia, adde: Latè nimiùm à Solino extenditur, *cap.* 56. *Chaldææ genti caput* Babylon à *Semiramide condita, tam nobilis, ut propter eam & Assyrii & Mesopotamia in* Babyloniæ *nomen transierint*; Ubi priori loco *Babyloniam* urbem quoque vocat, contra Vett. morem, qui provinciam solam hoc nomine insignierunt. Sed diversas semper ac distinctas fuisse tres has provincias, *Mesopotamiam, Babyloniam & Assyriam*, certum est; & sic recensentur apud Ptolomæum. Isidorus in provinciis Imperii Parthici enumerandis, Assyriam non nominat, sed eam sub Mesopotamia comprehendit, Μεσοποταμία καὶ Βαβυλωνία. Sanè & *Babylonia* etiam pars Mesopotamiæ fuit. Plinius, *Mesopotamia tota Assyriorum fuit, vicatim dispersa præter Babylonem & Ninum* Propriè verò dicta est *Babylonia*, regio circa Babylonem eratque pars Assyriæ. V. Salmasium *ad Solinum pag.* 1228.

Babylonia, cognomen fuit Seleuciæ, cujus (in confluente Euphratis fossâ perducti atque Tigris, conditæ à Seleuco, haud longè à Babylone) vicinitate exhausta est Babylon & in solitudinem redacta. De ea Plinius, *quæ tamen* Babylonia *cognominatur, libera hodie ac sui juris Macedonumque moris*. Idem ubique *Babyloniam* eam vocat, inter alia quoque *lib* 6. *cap* 27. *Citra Seleuciam* Babyloniam *CCXXV. passuum*. Et paulo pòst, *Abest à Seleucia Babylonia CCCCL. M. P.* Nempe ex regione, in qua condita fuit, hoc cognominis ista Seleucia accepit, ad discrimen cæterarum Seleuciarum ut *Seleucia Pieriæ* &c. Sic Καισάρεια Καππαδοκίας, *Cæsarea Cappadociæ*, quæ in Cappadocia, ut distingueretur ab aliis urbibus eodem nomine, apud Stephanum in voce Καισάρεια; *Antiochia Syria* dicta est ea Antiochia, quæ in Syria sita erat; *Antiochia Pisidia*, in Tab. Peutingeriana. &c. V. Salmasium *ad Solinum pag.* 1226.

Babylonica περιστρώματα. insternendis accubitis olim præcipuè adhibita, auro & purpurâ picta aliisque coloribus intexta fuere. Plinius, *Metellus Scipio triclinaria* Babylonica *sestertium octingentis millibus venisse jam tunc posuit, in Capitonis criminibus, quæ Neroni Principi quadragies sestertio nuper stetere*. Inde *Babylonicum aureum plumatum* Publio Syro dicitur. Glossæ, *Babylonicum*, ψιλὴ πολύμιτος, V. Salmasium *Not. ad Tertullianum de Pallio* c. 3. & infrà, ubi de vestibus *Cataclitis* Propriè verò, quæ *Babylonica* vocabantur, non polymito texturæ genere, sed acu fieri solebant Martialis,

—— *Babylonica picta superbè*
Texta Semiramiâ quæ variantur acu.

Nempe, *diversis colores picturæ intexere, Babylonem maximè celebravisse & nomen imposuisse*, Plinius ait, &c. V. infrà, ubi de vestibus *Pictis* & *Plumandi* artificio.

Babylonica Spina, memoratur Plinio *lib.* 13. *c.* 24. *Non omittendum est, & quod Babylone seritur in spinis, quoniam non alibi vivit sicut & viscum in arboribus. Sed illud in spina tantùm, quæ Regia vocatur. Mirumque, eodem die germinat, quod injectum est. Injicitur autem ipso Canis ortu & celerrimè arborem occupat. Condiunt eo vina, & ideo serunt.* Nempe inter stirpes, quæ in solo sedem non habent, sed in alienis arboribus & plantis crescunt, semen quoddam recenset Theophrastus, unde id Plinius hausit, quod in spina satum, circa ortum Caniculæ, eodem die surgit crescitque ad tantam amplitudinem, ut spinam ipsam amplectatur totam. V. eum *de Causis lib.* 2. *c.* 22. Cujus subiti incrementi causa, quòd spina eo tempore turget & velut ἐν ὀργασμῷ est. Sed Theophrastus *Spinam Regiam*, quam ἄκανθαν βασιλικὴν vocat, à *Babylonica* distinguit; quas eardem facit Plinius. Fortè eû in errorem adduxit, quòd Attici cœterique tum Græci, Βασιλεῖς de Regibus tantùm Persidis dicerent. Quidnam verò propriè nomine seminis illius in Babylonica spinâ nascentis venire possit, an epithymum, an cuscuta, aliudve quiddam, V. pluribus disputantem Salmasium *p.* 1290.

Babylonii, qui & *Chaldæi*, Astricæ scientiæ & τῆς Γενεθλιακῆς inventores, primi diem in XII. partes diviserunt, & Zodiacum in XII. itidem signa, horumque quodlibet in 30. iterum partes partiti sunt. V. Salmasium *ad Solinum pag.* 635. *& seqq.* ut & infrà, in voce *Chaldæi*.

Bacario, i. Aquariolus: Quibus nominibus dicebantur apud Romanos, παρθενάρχαι, *meretricum ministri*, ut habetur in *Gloss.* qui iis lavantibus aquam aggerebant & *bacarione*, quod vasis aquarii genus erat, longiori manubrio, eam super lavantes jactabant ac effundebant. *Trullam quidam appellabant*, inquit Festus: *Ἀρύταιναν* Græci dixere, Theophrastus *in Ethicis charact.* περὶ ἀναισχυντίας, Καὶ βάψας ἀρύταιναν, βοῆσαι τῷ βαλανεῖ: αὐτὸς αὑτοῦ καταχέασθαι καὶ εἰπεῖν ὅτι λέλουται, ἀπιὼν, V. quoque Zenobium in *explicatione Proverbii*, ἦμαλ βαλανεῖον Hoc idem vas aut simile, ἀρυβάλλας etiam dicebant, ἀπὸ τοῦ ἀρύειν καὶ βάλλειν τὸ ὕδωρ, *ab hauriendo & jactando aqua*. Inde & βαλανεῖς seu βαλανεῖς dicti, de quibus infrà.

Baccæ, propriè sunt lauri, oleæ, myrti & id genus arborum fructus, ut apud Ovidium *Metamorph. lib.* 10. *versu* 98.

Et bicolor myrtus & baccis *cærula ficus*.

Salmasio *Bacca*, quæ pomo minor, unde de minoribus pomis passim occurrit. Sic cerasa & olivæ *baccæ* sunt, & frequentiores baccæ in sylvestribus, à pomis solâ brevitate differentes, ἀκρόδρυα Græcis. Intus lignum, extra carnem habent &c. V. eum *ad Solinum pag.* 531. 598. 609. & *seqq.* Ad earum similitudinem etiam *bacas* olim margaritas dixere. Horatius *Epod.* 8.

Nec sit marita quæ rotundioribus
Onusta bacis *ambulet*

Ita enim quævis optima exemplaria legunt, unico c. cùm gemino c. *baccæ* efferantur, in propria significatione sumtæ. Quamvis negari non possit & *baccas* pro unionibus dixisse alios. Ovid. Metamorph. *lib.* 10. *fab* 8. *v.* 264.

Dat digitis gemmas, dat longa monilia collo,
Aure leves baccæ, redimicula pectore pendent,
Cuncta decent.

Et Claudianus *de* 6. *Honor. Consul.*

— *Baccis ornas candentibus aures.*

Commendantur autem *bacæ* seu margaritæ à rotunditate, unde suprà Flaccus, *Rotundioribus onusta baccis*, &c. V. Casp. Bartholinum *de Inaur. Vet. capite* 3. Hinc *Tribaca*, apud Petronium Arbitrum,

Quo margarita cara, Tribaca, Indica?

Significat margaritam, tribus baccis unionibusve in auro insertis constantem: quam Hom *Il. ξ.* τρίγληνα Schol τριόγκυλα & τριόφθαλμον vocat, V. infrà in voce *Tribaca*, ut & ubi de *Unionibus*.

Baccar, Græcè Βάκχαρ, quod *nardi sylvestris* nomine quidam donavere, vestibus inserebatur olim ad odorem conciliandum, teste Plinio *lib.* 21 *cap.*19. *Conditur cum diapasmate, vestibus odoris gratiâ inseritur.* Ubi Salmasius legit, *Tunditur utiliter ad diapasmata.* Sic Dioscorides *de Baccare*, Καὶ εἰς διαπάσματα χρηστήριον ἱκανῶς ἔχουσα τὴν εὐωδίαν: tusis nempe & in pulverem redactis siccis aromatibus fiebant diapasmata. Certè unguenta ex *baccaris* radice fieri solita, apud antiquos Græcos, ex Aristophane discimus. Unde quidam ex Græcis unguenta appellarunt Βακκάριδας. Magnes *in Lydis Comœdia*,

Λούσαντα χρῶ κ̓ βακκάρει κεχρισμένον.

Scholiastes Æschyli *in Persis*, κ̓ τὴν βακκάριδα ἐστὶ μύρον Λυδῶν ἔφασαν. *Et baccar idem nonnulli unguentum Lydorum vocavere* &c. Sed aliud esse βακκαρις, aliud μύρον, ostendit Plinius *lib.*21. *cap.*19. Hinc Æschylus ea sic distinguit,

Κατέχε τοῖς σοῖς βακκάρεις τε κ̓ μύρα.

Et Simonides,

Κὰ λειφόμην μύροισι, κ̓ θυώμασι,
Καὶ βακκάρει.

Videlicet non omne unguentum sic appellandum erat, sed certum genus tantùm, quod ex *baccaris* radice fieri diximus. Hesychius, Βακκάρις, μύρον τοῦτο ἀπὸ βοτάνης ὀνομαζόμενον. Quam in rem V. plura apud Salmasium *ad Solinum pag* 1068.

Baccatum Monile, apud vet. Scriptorem, margaritis consertum intelligitur, has enim *baccas* quoque dictas Veteribus, suprà ostendimus. Unde hodieque *bagas* vocitant Galli, à *baccis*, seu margaritis, mundum muliebrem, qui in gemmis unionibusque consistit; atque inde *bagatellas*, nugas & jocularia Salmasius *d.l.pag.*1124.

Baccha, adde: Earum proprium *bacchari* est, sicut *gallare* Gallorum Cybeles. *Bacchanus* autem mulieris insaniam, ad exemplum Cassandræ apud Virgilium Amatæque, Lucanus sic describit *libro* 1.

——— *Nam qualis vertice Pindi*
Edonis Ogygio decurrit plena Lyæo,
Talis & attonitam rapitur matrona per urbem,
Vocibus his prodens urgentem pectora Phœbum:
Quò feror, ô Pæan, quâ me super æthera raptam,
Constituis terrâ? Video Pangæa nivosis
Cana jugis, latosque Æmi sub rupe Philippos &c.

V. quoque Papinium Statium *Thebaid. lib.*4. *versu* 377. Fiebat id noctè maximè. Virgilius *Æneid.l.*4.

Bacchatur *qualis commotis excita sacris*
Thyas, ubi audito stimulant Trieterica Baccho
Orgia, nocturnusque vocat clamore Cithæron.

Ad quæ verba Servius, *Nocte celebratur. Unde ipsa sacra Nyctelia dicebantur, quæ Pop. Romanus exclusit turpitudinis causâ.* Et ad aras, Papin. Statius iterum *Lib* 1. *Sylv* 1. *de se & Stella*,

—— *multumque pares* bacchatur *ad aras*:

ubi tamen non in sensu proprio sumitur phrasis, pro *inter sacra Deorum afflatu oracula fundere*, ut apud eundem *Theb. lib.* 10. *vers.* 660. Sed versus pangere, denotat. V. Barthium *ad l.* ut & hic infrà. ubi de *Bacchantium Indumentis*, item in voce *Eva*, *Smilax* &c. *Bacchæ* Centaurique in scyphis cælati, inter Acragantis opera, olim magni habebantur, & in Templo Liberi Patris in Ins. Rhodo, asservabantur, uti testatur Plinius *lib.*33 *c.*12.

Bacchantia indumenta, apud Tertullianum *de Pallio c.*4. ubi de Empedocle, *Si Philosophus in purpura, cur non & in baxea Tyria calcinare! nisi aurum minimè Græcatus decet: atquin alius & sericatus & crepidam æratus incessit: dignè quidem, ut bacchantibus indumentis aliquid subtinniret cymbalo incessit*: Serica sunt & purpurea vestis, quâ Bacchus olim & omnes ejus θιασῶται usi. Hinc notum, cùm Dionysius Siciliæ Tyrannus Platonem invitasset, ad saltandum ἐν πορφυρᾷ ἐσθῆτι, recusasse eum cum hoc dicto,

Οὐκ ἂν δυναίμην θῆλυν ἐνδῦναι στολήν.
Non possem muliebrem induere stolam.

Aristippum autem eâ acceptâ saltaturum, appositè dixisse:

—— Καὶ γδ ἐν βακχεύμασιν
Ἥ γ᾽ οὖσα σώφρων οὐ διαφθαρήσεται.
—— *Namque in Bacchi festo,*
Quæ casta est, nequiquam corrumpetur.

Purpurea itaque vestis est & mulierum & *bacchantium* propria. Et certè *Bacchantes*, Gallantes & hujusmodi cæteros μητραγυρτοῦντας, in purpureis & sericis aureisque vestibus & incessisse & saltasse, Clemens quoque observat *Pædagog.lib.*2.*c.*10. Εἰ δὲ χρῆναι τι ταῖς γυναιξὶ χρῶμα ζητεῖν, τὸ αὐτοφυὲς ὁ ἀληθείας ἀπόχρη· βαμμάτων δὲ τὰς ἀνθεσιν ἐοικυίας ἐσθῆτας, βακχικοῖς κ̓ τελεστικοῖς ἀπολίπωμεν χοροῖς. *Quòd si & alium quendam colorem opus quærere, nativus Veritatis color sufficit: quæ floribus verò similes sunt vestes, Bacchicis & festivis relinquendæ sunt choreis.* Sic *Bacchici* Chori & purpureis & coloriis vestibus induti. Vetus *Epigr.* περὶ Μητραγύρτου,

Χρυσοφόρος ῥήσσων καλὰ τύμπανα.
Auriger frangens pulchra tympana.

Bacchus ipse apud Vett. semper in purpureo sericeoque amictu muliebrem in modum producitur. Lucianus de Baccho: Ἐν πορφυρίδι κ̓ χρυσῇ ἐμβάδι. *Κροκωτὸν* proin ipsi quasi peculiarem attribuebant, quæ tenuis erat ex auro vestis. Unde ille apud Comicum versus,

Ὁρῶν λέοντα ἐπὶ κροκωτῷ κείμενον.
Videns Leoninam super croceo jacentem:

Ubi vetus Scholiastes κροκωτὸν interpretatur, ἀντὶ πέπλου ἔνδυμα, *sericum indumentum* Latini *crocotam* vocarunt, V. infrà in hac voce, & plura hanc in rem, apud Salmasium *Notis ad Tertullian.* ubi eosdem ἐγκαλίζοντας sine cymbalo nunquam incessisse, addit.

Bacchi Theatrum, cujus mentio in *L.* memoratâ Demosthenis *in Midiana*, Ὅτε ἡ πομπὴ τῷ Διονύσῳ ἐν Πειραιεῖ κ̓ οἱ Κωμῳδοὶ κ̓ ἐπὶ Ληναίῳ πομπὴ κ̓ οἱ Τραγῳδοὶ κ̓ οἱ Κωμῳδοὶ κ̓ τοῖς ἐν ἄστει Διονυσίοις ἡ πομπὴ κ̓ οἱ παῖδες κ̓ ὁ Κῶμος κ̓ οἱ Κωμῳδοὶ κ̓ οἱ Τραγῳδοὶ κ̓ Θαργηλίων τῇ πομπῇ κ̓ τῷ ἀγῶνι, μὴ ἐξεῖναι μήτε ἐνεχυράσαι —— ἐν ταύταις ταῖς ἡμέραις. Ἐὰν δέ τι τούτων τις παραβαίνῃ, ὑπόδικος ἔστω τῷ παθόντι κ̓ προβολαὶ κατ᾽ αὐτοῦ ἔστωσαν ἐν τῇ Ἐκκλησίᾳ τῇ ἐν Διονύσου ὡς ἀδικοῦντος καθ᾽ ἃ περὶ τῶν ἄλλων ἀδικούντων γέγραπται. *Cùm Pompa Libero ducitur in Piræo, agunt Comœdi & Tragœdi; item Lenæa pompa, & agentibus Tragœdis atque Comœdis: Astycorum quoque Liberalium pompa, saltante puerorum Choro dum fit Comus aguntque Comœdi & Tragœdi: Thargeliorum item pompâ & certamine: neque pignus capito —— istis diebus. Quod secus faxit, accusator à laso & parabola adversùs eum dantor apud populum pro concione* in Bacchi, *sirempse lege, quâ adversùs alios, qui Festi religionem temeravint*: locus erat Athenis, Philone Architecto. Tragœdorum olim Comicorumque Poetarum commissionibus destinatus; infra Acropolim, cui muro, ut Pausanias vocat Australi, junctus erat. Ibi hodieque specus visitur, ubi tripus olim Apollinis, cum hujus sororisque ejus Dianæ statuis, qui Niobes familiæ internecinam stragem inferentes repræsentabantur. Sed & conspicuæ olim ibidem erant Tragicorum Poetarum illustrium, Æschyli inprimis, Euripidis, Sophoclisque, & inter Comicos, Menandri præcipuè, imagines. Quæ tamen omnia edaci ævo destructa, excepta muri parte, in qua tres etiamnum fenestrarum ordines videntur: ut & inscriptiones quædam, inter quas una, quæ Artemidori meminit, filii Apollophanis Acarnanis, qui fortè inter Comicos illos locum quoque habuit. Certè Apollophanem Comicum quinque dramata composuisse, Suidas auctor est. Prope erat porticus Eumenici, præparationi Actorum, & deambulationi ac confabulationi virorum Eruditorum quondam dedicata Quam in rem V. plura apud Jac. Sponium *Itinerar. Græciæ Tom* 2. Quod de porticu modò dictum, meminit & porticuum Octaviæ Scholæque in illis Plinius *lib.*35. *cap.*13. ubi Dalechampius, in porticibus hujusmodi locum & stationem quandam Ludi Literarii, in quem Philosophi & reliquis doctrinis exculti homines convenire soliti sint, ut publicis disputationibus ac colloquiis exercerentur, fuisse, notat. V. quoque infrà *Lenæon*; hic enim ante Theatrum extructum certamina Athenienses celebraverant &c.

Bacchus, adde: Macrobius *Saturn lib.*1. *Liberi patris*, inquit, *simulachra, partim puerili ætate, partim juvenili fingebantur: præterea barbatâ specie, senili quoque.* Coronabatur pampineis, hedera, & ficulneis frondibus: pampino quidem & ficu, ex memoria Nympharum Staphylæ & Sycæ; hederâ verò, in memoriam Cissi pueri, in hanc plantam conversi. Effictus est aliquando in curru pampineo; qui pantheris modò, modò tigribus ac lyncibus vehebatur, triumphans. Silenus, à quo educatus dicitur, pando asello propter astans Bacchis & Satyris thyrsos ac ferulas vibrantibus, cœteroque Bacchantium comitatu, tum præeunte, tum subsequente. V. Andr. Alciatum *in Emblematis*, & Claud. Minoem *Comm. in eum* Ejus templum Romæ erat in reg. 2. de quo ita Georg. Fabricius: *Bacchi templum nunc S Constantiæ, extra portam Viminalem in via Numentana, circulare & vermiculato opere usque & aries villosus.* Ædiculam quoque habuit in reg. 6. Cum Proserpina communis ei ara fuit. Apud Athenienses quoque, & alios magno fuit in pretio, utpote unus ex Diis Consentibus & celebris admodum, sed Scythæ sacra ejus non admiserunt, *quòd nefas ducerent Deum colere, qui ad insaniam adigeret*, Herodot. *libro* 4. Principium cultus ab Indis fuisse, docet Fr. Laziardus *Hist. Univers. Epist. cap* 16. Primus ei simulachrum constituisse & quemadmodum coli deberet, ostendisse Eleuther dicitur, apud Hyginum *Fabul. cap.* 225. Tigridem ei sacrarunt Poetæ, quòd ferocissima quæque pectora ejus invento, vino viz. domentur: Silius *Punicor.l.*17.

Qualis odoratis descendens Liber ab Indis,
Egit pampineos frænatâ tigride currus, &c.

V. Joh.

V. Joh. Rosinum *Antiqq. Rom lib.2. cap. 11.* Demsterum *Paral. Expon. ad illud,* Casp. Barthium *Animadversion.ad Statium passim* & infrà in voce *Liber.*

Cognomina varia Bacchi.

Ædoneus dictus est, inter mortuos, apud Arabes.	Lenæus.
Bacchus, inter vivos.	Liber, apud Rom.
Bicornis.	Lyæus.
Bromius	Nyctelius, quòd sacra ejus noctu peragerentur.
Brontinus.	Omphacita.
Dionysius, apud Indos.	Osiris, apud Ægyptios.
Eleus.	Pantheus, apud Lucanos.
Eleutherius.	Phanaces, à Mystis suis appellatus.
Evan, Evius, Evoe, quod in sacris ejus receptissimum. V. infrà.	Phleo.
Iacchus.	Staphylita.
Ignigena.	Thyoneus.
Legislator.	Titanicida, &c.

Bacci, ubi Longobardos à Francis victos acie cæsosque esse tradit Marius, Episc. Aventicensis *in Chron.* locus aut vicus est in valle Pennina, non multum à Monasterio Acauno, vulgò *Bex.* Hadr. Valesius *Not. Gall.* in voce *Veragri.*

Bachelarii vel *Baccalarii,* in *Usaticis* Barcinonensibus *cap.46.* rustici sunt, qui mansum excolunt, seu potiùs, qui, rusticis mansorum cultoribus longè honoratiores, rusticis tamen accensebantur, ad quorum imitationem, si non operis servilibus, aliis tamen, v. g. *censui,* erant obnoxii. A' voce *Baccalaria,* prædii rustici specie, quæ decem interdum mansos (mansus autem 12. erat jugerum) complectebatur, Unde *Baccalarii Ecclesiæ,* in *Catalogo* Abbatum Lerinensium, apud Vinc. Barrallium *Tom.II.pag.* 151. ubi narratur, Gaucelinum Forojuliensem Episc. sub A.C.10;8; *unà cum consilio & consensu omnium Canonicorum suorum & Baccalariorum* (qui nempe istiusmodi *Baccalarias* tenebant, possidebant & excolebant) *& aliorum quamplurium utriusque sexus donationem quandam fecisse Monasterio Lerinensi* &c. Alii verò sunt recentioribus Scriptoribus *Baccalarii,* qui viz. Militarem ordinem consecuti, non erant satis divites, vel quibus idoneus haud erat vassallorum numerus, ut vexillum in præliis educere possent: vel, si ejusce essent ordinis, qui *Bannerettorum* dicitur, nondum tamen præ ætate illud eduxerant, &, ut Galli loquuntur, *qui n'avoient pas encore levé banniere.* Atque ii vulgò iisdem *Bacheliers* appellantur, quos, ut adolescentes, ideo repræsentant, Albertus Aquensis *lib.3.cap* 25. Glaber Rodulfus *l.5. c.1.* Froissardus *Volum.I.c.*29. &c. Unde etiamnum in Picardia adolescentes ac adolescentulas *Bacheliers* & *Bachelettes* appellari, annotavit Fauchetus. Eosdem, ut minimè divites, passim Scriptores indigitant: interim ordinem eorum, licèt Comitibus, Vicecomitibus, Baronibus & Castellanis hos postponant, satis commendantes. Inde appellatio ad *Baccalarios* seu *Baccalaureos* Academicos transiit, qui in eo gradu sunt, ut ad Doctoratum adspirare possint, quemadmodum Baccalarii Milites adolescentes, qui ad *Bannerettorum* gradum perinde adspirabant. Hos à Justiniano *in Proœm. Lytas,* Hispanicè *Licentiados,* aliis *Subdoctores* dictos fuisse. legas apud Macrum in *Hier* Parisiis Theologiæ Facultas duplicis generis *Baccalarios* habet, *Formatos* & *Cursores;* in 4 nempe hos ordines, observante Filesaco divisa, *Magistrorum, Licentiatorum, Baccalariorũ Formatorum & Baccalariorum Cursorũ.* E' quibus ultimi hi sunt Theologiæ Candidati primi generis, qui ad *Cursum* Theologicum explicandum admittuntur, Bibliorum viz. postea libri Sententiarum Petri Lombardi Unde nata illa distinctio *Baccalariorum,* ut alii *Biblici,* alii *Sententiarii,* nuncupentur. Vetus *Statutum* Academiæ Paris. *Quilibet Cursor* (Baccalarius) *in Theologia, inter primum Cursum & Sententias, tenebitur respondere in Theologia, ad minus semel de Disputatione Tentativa, sub Magistro.* Alibi, *Nisi talis volens admitti, tempus suum probaverit per schedulas Sententiariorum aut etiam Bibliorum* &c. V. *Historiam* Academ. Paris. *Tom.IV.p.*391. & Lambecium *Commentar. de Bibl. Cæsar. lib II. pag.* 128. 129. 131. 134. In Anglicis verò Academiis *Baccalariatus* vel *Doctoratus* gradus non obtinent, uti refert Joh. Fortescutus *de Laudibus LL. Angl. cap* 50. &c. De origine vocis variant Eruditi: Cujacius *ad lib 2 de Feud. tit.*17. à *Baccellariis* veterum dictos vult *Baccalarios;* Alciatus à *Bacca Laurea, ad lib.5. de verbor. signif.* Rhenanus à *Bacillis,* V. infrà ubi de *Bacillariis;* Loiseus *de Ordinib. cap 6. num.*49. *&* 50. *Baccellarios,* à vocibus Gallicis, *bas eschelon* dictos scripsit, quòd Militaris ejusmodi ordo infimus esset. Quod etymon quamvis paucis arrideat: certum tamen, hactenus fere receptam fuisse Claudii Falceti, Viri in *Antiqq. Gall.* versatissimi, sententiam, *Baccellarios* nempe, seu *les Bachaliers,* appellatos quasi *bas Chevaliers,* quòd Militibus Banneretis dignitate inferiores essent, iisque ultro cederent, adeò ut in consessibus publicis vel in conviviorum accubitis post eos sederent. Nam *Baccalariis* cum Banneretis sedere fas erat, quod non licebat Scutiferis, quantumlibet natalium splendore conspicuis, quod eximiè docet Continuator Nangii Gallicus MS. ad A.C. 1378. ubi narrat, ut Carolus V. Franc. R. Carolum IV. Imp. & Regem Rom. filium ejus, in aula sua convivio exceperit, apud du Fresne. Ita apud Longobardos consuetudinem fuisse, scribit Paulus Warnefridus *lib.1.c.* 23. *ut Regis cum patre filius non pranderet, nisi priùs à Rege gentis externæ arma sumsisset:* quod etiam in more fuisse apud Aragonios, testatur Eximinus Petri Salanova Justitia Aragonum *lib. de Privilegiis Baronum & Ricorum hominum.* Accedit Falceti sententiæ, præ aliis, Andr. Favinus: quam, ut reliquas quoque, pluribus expendit eruditus Seldenus *Tract de Titulis Honorariis Part.II cap.3.§.*24. quem vide, ut &, *de Baccalariis* inprimis *Academicis,* Cæs. Egassium Bulæum *Tom. II. de Acad, Paris. pag.* 670. Car. du Fresne *Baccellariorum* originem non absque ratione, à priscis illis *Baccellariis* deducit, de quibus primo loco egimus: qui, cùm *Baccellarias,* prædia sic nuncupata, tenerent & excolerent, liberæ quidem ac ingenuæ conditionis homines, Baronibus tamen inferiores erant, V. ipsum in *Glossar.* hac dere eruditè differentem, ut & de *Baccellariis Militaribus,* quos ad Academicorum discrimen *Baccelieri d' arme* vocat Joh. Villaneus *lib.6.c.*91. & *lib.7.c.*85. *Dissertationem* ejus *ad Joinvillam,* ubi de *Bannerettis.* Adde, quæ diximus in voce *Bacalarius.*

Bachelarius Sorbonæ, dicitur in Academia Parisiensi, qui postquam Philosophiæ partim, partim Theologiæ aliquandiu operam navavit, examini subjectus publicum profectuum suorum specimen edidit, Richeletus *in Dictionar. Gall. nuper edito.* V. *suprà.*

Bacillarii, apud Pancirollum *de clar. Legg. Interpr. l.3. c.2.* ubi de Gratiano, Voluminis Decretorum celebri Collectore, *Tantæ postea auctoritatis fuit, ut vulgò Magister vocatus* — *Itaque qui ejus opus ita edidicisset, ut aliis prælegere posse videretur, baculo, velut pro arrha doctrinæ, more Longobardorum, accepto, Doctoris titulo honestabatur & à bacillo* Bacillarius *vocabatur, qui mos tum demum Bononiæ institutus à Parisiensibus, ubi tum Decreta & Summulæ docebantur, fluxisse fertur, in quorum vetustis Constitutionibus,* Bacillarii *nominantur.* Iidem sunt, qui suprà *Bachelarii* vel *Baccalarii* dicti: quod nomen etiam Rhenanum à *baculo* derivasse innuimus. Nec abludit Watsius, qui perinde *Baccalarios* militares à *baculo* vocatos opinatur, quòd, ut ait, juvenes Milites, postquam in equestribus decursionibus hastas fregissent, linea tantùm armati, non gladiis, sed sudibus baculisque sese mutuò non surdis ictibus, in torneamentis, fortissimè batuerent. Verùm Nobiles viros vel adolescentes *baculis* in arena decertasse, nuspiam reperimus, inquit du Fresne: cui nec eorum opinio multum probabilis videtur, qui à *baculis,* quibus investiebantur feudatarii, aut Gregorii Tolosani *in Syntagm.* & Antonii Gosselini in *Hist. veterum Gallor. cap.*62. qui à *vassis* deducunt, ut *Baccellarii* dicti sint, quasi *Vassallarii.* i. *minores vassi* V. Car. du Fresne *Glossar.* & Gerh. von Mastricht *Histor. Juris Eccl. num.*303.

Bacinus, Italis *Bacino,* Gallis *Bacin,* pelvis, pollubrum, malluvium. Concilium Rom. A. C. 1099. *c.*18. Pictavense A.C. 1109. *c.* 13. &c. *Ut nullus Primatum, Archiepiscoporum & Episcoporum, in ordinatione & consecratione Episcoporum vel Abbatum, cappas, tapetia,* bacinos *& manutergia, qualibet exactione requirat vel suscipiat.* Bernardus *de Vita & Morib. Religios. cap.* 10. *Gestari jubentur mappulæ, scyphi,* bacini, *candelabra* &c. Herbertus *de Mirac. lib.2. c.*29. *Vidit in spiritu se transpositum in Claravalle, idque gerentem officii, ut cum duobus* bacinis — *Fratrum manibus abluendis aquam infunderet,* &c. à *Bacca,* unde *Baccharium, Bacchonica, Baccale, Bacar,* quæ voces, apud citerioris ætatis Scriptores, vas vel urceum denotant. Pro *bacino,* etiam *Baccinum, Baccile* & *Bacile,* occurrit, apud Auctores laudatos Carolo du Fresne in *Glossar* Istiusmodi v. pelve ferreâ vel æreâ candente olim hodieque, usos fuisse in hominibus excæcandis non paucos, diximus suprà, in verbo hinc orto, *Abacinare.* V. quoque infrà, ubi de *Excæcatione.* Hinc *Bacinetum,* in *Statutis* secundis Roberti I. Scotiæ R. *c.* 27. cassis, galea, in *bacini* modum confecta, *helmo* levior. Gallis *Bacinet.*

Bacis, nomen variis divinandi scientiâ præditis Viris, apud Vett. commune, à *Bacide* quodam, qui eâ primùm inclaruisse legitur. Sicut *Sibylla,* nomen proprium primò fuit (diminutivæ formæ à principali Σίβα) primæ mulieris vaticinatricis: quod postea cœteris quoque mulieribus, vaticinandi arte itidem claris, ob parilem scientiam attributum est. Plinius *lib. 7. cap.*33. *Divinitas, & quædam Cælitum societas nobilissima ex feminis in Sibylla fuit; ex viris in Melampode, apud Græcos; apud Romanos, in Martio.* Occurrunt autem tres *Bacides,* in Vett. monumentis, uti videre est, apud Salmasium *ad Solinum pag* 80.

Bactra, adde: Eadem *Zariaspa* aliàs, quas perperam duas fecit urbes Ptolomæus, nempe vetus illud nomen, hoc recens. Salmasius ubi suprà, *pag.* 1175. Sed de *Bactro* amne altum, apud Vett. silentium. Inter flumina certè, quæ Bactrianam intersecant vel adluunt, nullum hoc nomine eidem Ptolomæo recensetur. *Zariaspen* vocat fluvium illum, *Zagiarum,* aliis *Zaciarum:* à quo urbi postea nomen datum. Idem *ibid.* ubi, ex Plinio haud rectè interpuncto, errorem ortum ostendit *pag.* 985.

Bactroperatæ, per convitium Philosophi olim dicti, quòd *baculum* βάκτρον & *peram* πήραν, deferrent. Hieronymus in c.10. *Matthæi*, *Ex hoc præcepto arguit Philosophos, qui vulgò appellantur* Bactroperatæ, *quòd contemtores seculi & omnia pro nihilo ducentes, cellarium suum vehebant.* Ubi du Fresne legi vult *Bactroperitæ*, & per *peram* intelligi utres vinarios, quos secum peregrini deferebant. Hunc enim locum indubiè, inquit, respexit Papias, cùm ait, *Bactroperitas esse, qui portant vinum in utribus.* Ejusdem habitus meminit Herodianus *lib.*1. Ἀνὴρ φιλοσόφου φέρων σχῆμα, βάκτρον γὰρ ἦν μετὰ χεῖρας, ἡμιγύμνῳ δὲ ἐκκρεμὴς πήρα, *Vir Philosophi gerens habitum*, baculus enim *in manibus erat, & seminudus suspensam gestabat peram.* Martialis *Epigramm.*4. *libri* 53.

> *Hunc, quem sæpe vides inter penetralia nostræ*
> *Pallados, & templi limina, Cosme, novi.*
> *Cum* baculo peraque *senem, cui cana putrisque*
> *Stat coma, & in pectus sordida barba cadit.*

Mox,

> *Esse putas Cynicum, deceptus imagine falsa* &c.

V. quæ de *baculo* vel clava Philosophorum commentati sunt Savaro & Sirmondus *ad Sidonium Epist.*11.*lib.*4.& *Epist.* 9.*lib.*9. Adde in *Proœm.* Laërtium. Hos verò, ut in austeritate victus, & pallii gestatione, (V. suprà ubi de *Ascesi* & *Asceteis*) aliisque, Christiani Philosophi, Monachi inprimis Ægyptii, & in hoc, imitati sunt, ut videre est, apud Cassiodorum *Institution. lib.*1.*cap.*8.& 9. *Collat.*11.*cap.*3. & Joh. Baptistam Cotelerium *Notis ad Hermæ Pastorem p.* 50. *Canones* S. Patricii Hibern. ejusdem ritus meminere *cap.*17. *Monachi sunt, qui solitarii sine terrenis opibus habitant, sub potestate Episcopi vel Abbatis: non sunt autem Monachi sed Vactroperiti* (V. pro B. posito) *h.e. contemptores soliciti ad vitam perfectam in ætate perfecta.* V. Car. du Fresne *Glossar.* atque infrà, ubi de Philosophorum *Pera.*

Bactros fluv. adde: Nullum hoc nomine fluvium apud Vett. occurrere, docet Salmasius *ad Solin. p.*985. V. hic suprà in voce *Bactra.*

Bacucei vel *Bacuci*, apud Cassianum *Collat.*7. *c.*32. *Alios ita eorum corda, quæ ceperant, inani quodam tumore vidimus infecisse, quos etiam* baccucos *vulgus appellat, ut se ipsos ultra sui proceritatem corporis erigentes*: Dominico Macro Fanatici sunt, insani, bacchantum more immoderatis gestibus agentes, in *Hierolex.* Carolo verò du Fresne, homines certo quodam dæmonum genere correpti, vel potiùs dæmones ipsi, in *Glossario.*

Baculari, in Speculo Saxon. *l.*1 *artic.*68 §.1.& *lib.*3. *artic.*37. apud Matth. Paris *ad A.C.* 1251. alibique dicebantur in genere, qui baculis fustibusque cædebantur: quod Græcis recentioribus βακλίζεσθαι est. In specie verò tirones, qui in torneamentis aut hastiludiis non probè se gesserant. Idem Matth. Paris A.C.1248. *Die verò Cinerum captum est torneamentum magnum apud Neubritiam — ibique profectò Wilhelmus, frater domini Regis uterinus, cognomento de Valentia, tyro novellus, ut titulos Militiæ sibi famosos acquireret, se animosâ præsumtione — ingessit sed ætate tener & viribus imperfectus impetus Militum durorum & Martiorum sustinere non prævalens, — mansit prostratus & egregiè, ut introductiones Militiæ initiales addisceret, baculatus.* Eundem morem memorat quoque sub A. C. 1216. ut & Matthæus Westmonaster. *p.*352. *Ibi multi Nobiles, dum conarentur laudem Militiæ promereri, prostrati, verberati, & contriti conculcabantur*, apud du Fresne *Glossar.*

Bacularius, in *Constitutionibus* Petri Episc. Ruthenensis Legati (ut vocant) Apostolici in Regno Cypri A.C.1312. *c.*42. *Item quòd* Bacularii *nostri & etiam Ecclesiæ, omnes illos, qui contra dictas Constitutiones facerent, vel aliquam prædictarum, extunc apertè potestatem habeant citandi eos personaliter coràm nobis*, &c. Apparitorem Ecclesiasticum seu Bedellum notat, qui *baculum*, in suæ functionis signum, manugestat, du Fresne *Glossar.* V. quoque infrà *Virgarius.*

Baculi & Annuli controversia, inter Regnum & Sacerdotium seu de investituris Ecclesiarum, apud Willh. Tyrium *l.*12. *c.*15. V. in voce *Investitura.*

Baculos abjiciendi ritus, olim ad Lectionem Evangelii usitatus in Ecclesia, V. suprà in voce *Abjectio.*

Baculus, Gr. βακτηρία, non tam sceptrum, quàm *Virga* Regum, Regiminis Insigne & τῆς ἀρχῆς σύμβολον, etiam extremâ Græciâ, fuit, teste Pachymere, quam *Dicanicii* appellatione, in Magistratibus, non semel donat Codinus *de Officiis Aulæ CP.* Apud Francos verò nota præcipua Imperii fuit, adeò ut ejus traditione Regia dignitas unà traderetur. Ita enim Guntrannus Childebertum nepotem sibi successorem declaravit, apud Gregorium Turon. *l.*7.*c.*73. Ludovicus item & Carolus in *Annalibus Bertin. A.C.*849. *germanâ charitate convenientes tanto amoris vinculo devincti paruerunt, ut alter alteri baculos publicè tribuendo, Regum uxores & liberos superstiti commendarent.* Quâ *baculi* traditione mutuâ fœdus invicem sancientes ac firmantes, uterque Regna sua sibi invicem commendabant: *baculi* quippe traditio, symbolum investituræ fuit, quod à prisco illo Regum Francicorum ritu profluxisse videtur. Fuit autem Regius iste *baculus* ex auro, uti docet Theganus de *Gestis* Ludovici Pii *c.*19. & in iisdem *Annalibus Bertin. A.C.*876. Sic de eodem Ludovico *Annales* Mettenses *A.C.* 837 *Coronam auream in capite gestans &* baculum *aureum in manu tenens.* Anonymus *baculum flaventis auri* vocat *lib. de Translat.* S. Sebastiani *num.* 88. Neque fortè aliud fuit *sceptrum Regale*, quod in *Libr.*1. *de fundatione Monasterii S. Clementis in Piscaria*, dicitur datum ab eodem Imp. eidem Monasterio, *quod gestabat in dextrâ, ut illud Abbas portaret in solemnibus festis, in loco* baculi *pastoralis.* Fuit namque *baculi* Regii ejusmodi forma, ut baculi pastoralis formam quodammodo referret, atque adeò hastæ, cùm longior esset & staturæ Principis par: quomodo ab Antoninis Cæsaribus & Ottone III. Imp. gestatos *baculos* observat Marquardus Freherus & à Regibus Francorum tertiæ stirpis testantur, præter Scriptores, nummi eorum aurei, in quibus & *sceptrum* & *virgam* gestant. Monachus Sangall. *de Gestis Caroli M. lib.*1. *cap.*36. *Tunc* baculus *de arbore malo, nodis paribus admirabilis, rigidus & terribilis, cuspide manuali ex auro vel argento, cum cælaturis insignibus præfixo, portabatur in dextra*, &c. Aliud tamen fuisse *sceptrum* à *baculo*, discimus ex *Ordine ad coronandum Regem*, edito à Menardo, ubi non modò *sceptrum* Regi porrigitur, sed & *virga* seu *baculus*: quamvis etiam hæc duo distinguat Codex MS. Senonensis Eccl. ubi *virga* cum *sceptro* confunditur. Sic in *Ordine ad consecrandum Regem*, edito à Renato Benedicto, *Virga* appellatur, quæ Gallis *manus Justitiæ* dicitur: *virga virtutis atque æquitatis*, in oratione, quam dicit Archiepiscopus, cùm Regi porrigitur sinistrâ manu gestanda, ut est apud Menardum *p.* 281. In eodem *Cod.* Senonensis Eccl. *Benedictio ad ordinandum Regem*, cùm ei *sceptrum* porrigitur, sic habet: *Accipe* sceptrum, *insigne regnantis, quæ significatur regula divinæ æquitatis, quæ bonos regit & malos conterit. In hac virga Regni disce amare justitiam & odisse iniquitatem.* At verò cùm *baculus*: *Sub hoc* baculo *commendamus tibi gubernaculum Regni Francorum, in nomine Patris & Filii & Spiritus Sancti, ut populos regas & Ecclesias Sanctorum bene disponas.* Describitur *Baculi*, cujusmodi à Regibus alterius stirpis delatus est, forma in iis Tabellis, quas delineari curavit Steph. Baluzius *Not. ad Capitularia Regum Franc. Tom. II. p.*1279. ubi Lotharius Imp. & *p.*1276. ubi Carolus Calvus R. effinguntur: *Sceptri* verò *p.* 1278. in ejusdem Caroli imagine, quod quidem desinere in lilii figuram, uti repræsentari solet in Regiis Armorum insignibus, observat du Fresne. Sed & Imperatores sceptro ac virgâ simul donatos esse, in suis coronationibus, Witikindus refert *de Coronat. Othonis M. lib.*2. Anglicos item Reges, Bromptonus, ubi de coronatione Richardi I. R. Angl. *Willhelmus Marescallus portans* sceptrum *Regale, in cujus summitate signum aureum Crucis erat: & alter, sc. Willhelmus Comes Saresberiensis, portans* virgam *Regalem habentem columbam in summitate.* Et mox: *Deinde tradidit ei Archiepiscopus Cantuariensis in manu dextra sceptrum & virgam regalem in sinistra*, &c. Virgam Alfonsi R. Aragonum describit Raim. Montanerius *cap.*297. ubi de ejus Coronat. disserens, *Virgam* ejus *auream* fuisse & in apice *rubinum* habuisse inusitatæ magnitudinis, inter alia, narrat. Etiam verò Lotharingiæ Duces *manum Justitiæ*, perinde ac Reges Francorum, gestare, scribit Ruellius in *Pompa Fun.* Caroli III. Lotharingiæ Duc. *p* 161 &c. V. Car. du Fresne *Glossar.* Claudianus *in Ruffin. l.*2. *hastam* & *sceptrum* confundit hisce *versibus*,

> *Deserat Illyricos fines, Eoa remittat*
> *Agmina, fraternas ex æquo dividat hastas.*
> *Nec sceptri tantùm fueris, sed militis hæres.*

Baculus Episcopalis seu *Pastoralis*, pedum, cambuta, Episcoporum & Abbatum in Communione Rom. gestamen est. *Ferula* dicitur, apud Luithprandum *Histor. lib.*6. *c.*11. & Auctorem *Appendicis* Reginonis *ad A.C.*964. *Virga Pastoralis* atque *Crocea*, h. e. baculus subalaris, in quadam Bulla Martini V. in favorem Eccl. Maceratensis, Ital. *Crozzia* & *Stampella* &c. Cujus institutum ab ipsis Ecclesiæ primordiis repetitum eunt, ajuntque Petrum misisse *baculum* suum Euchario sive Frontoni primo Trevirorum Episcopo, qui adhuc in Ecclesia hacce magna cum veneratione conservetur. Iidem *baculum* S. Saturnini, Apostolorum Discipuli, Tolosæ etiamnum asservari, cum hac *Inscr.*

> *Curva trahit, quos virga regit, pars ultima pungit*:

S. Augustini eburneum *baculum*, an Valentiæ in Hispania, ut Gravantus vult; an in Sardinia, ut Baronius ad A.C. 504. S. Isidori Bononiæ; S. Hermagoræ, in Patr. Aquilejensi Eccl. &c. ostendi, inter se ipsi parùm consentientes, contendunt, &c. Et quidem *Baculi* hujusmodi è ligno primitus erant, unde in *Vita* S. Burchardi Episc. Wirtzburg *c.*1. *virgæ* ejus *sambuceæ* mentio fit. Postmodum ex auro. Monachus Sangall. *de Gestis Caroli M. l.* 1.*c.*19. de quodam Episcopo: *In tantam progressus est proterviam, ut virgam auream incomparabilis Caroli — feriatis diebus vice baculi ferendam pro Episcopali ferula, improvidus ambiret.* Quo loco Carolus *sceptrum* eandem virgam vocans. *Quidam*, inquit, *ex Episcopis non contentus Episcopatu, — sceptrum nostrum, quod pro regiminis nostri significatione aureum ferre solemus, pro* pastorali baculo *nobis ignorantibus vindicare voluit.* Inde apud Gallos vulgati versus, qui à Coquillio in *Hist. Nivernensi* habentur,

> *Au temps passé du siecle d'or*
> *Crosse de bois, Evesque d'or,*
> *Maintenant changent les loix,*
> *Crosse d'or, Evesque de bois.*

Id est,

> *Cùm tempus esset aureum,*
> *Pedum gerebant ligneum*
> *Aurei Ministri: jam pedum*
> *Tenent superbum Ligni.*

Formam Baculorum pastoralium, sic describit Hugo à S. Victore in *Speculo Eccl. cap. 6.* Baculus Pastoralis *rectitudine sui rectum regimen significat. Quòd autem una pars curva est, & altera acuta, monstrat praeesse subjectis & debellare superbos.* Et W. Malmesbur. *de Gestis Pontif. lib. 1. Liberq; 1. Miracul. S. Dionys. cap. 3. Videns introire senem Clericum Pontificalibus vestibus exornatum, ferentemque in manu baculum à capite arcuatum, in imo reflexum, qualibus antiquiores Pontifices usos fuisse ad Memorias eorum suspensi declarant.* Sic Silvester Giraldus *Topogr* Hiberniæ *cap. 33.* Baculos *Sanctorum in superiore parte recurvos auro, argento vel aere contectos —— in magna reverentia habere —— solent Hiberni*, &c. At aliam Gelasii II. Gregorii item M. *baculum* formam habuisse, docent Macri Fratres in *Hierolex.* ubi utriusque effigiem habes in vocibus, *Baculus* & *Mitra*. Græci verò Abbates *baculo* utentes ab Episcopali diverso, illo *T.* figuram exprimunt. Maronitarum autem Episcopi, in summitate baculi, globum aliquando crystallinum & sæpe gemmatum, cum cruce ferunt superposita: quam formam Latinis olim non ignotam fuisse, iidem Macri tradunt. Certè Isidorus, *hic baculus*, inquit, *ex ligno & osse conficitur, chrystallina vel deaurata sphaerula conjungitur, in supremo capite insignitur, in extremo ferro acuitur.* Talisque Gregorii M. fuisse legitur, apud Eosd. &c. Finem ac usum istiusmodi *Baculi* multiplicem esse ajunt, qui hisce versiculis apud Hugonem præfatum comprehenduntur:

Curva trahis mitesque pungis acuta rebelles.

Et,

Curva trahit, quos curva regit pars ultima pungit.

Et,

Attrahe per curvum, medio rege, punge per imum, &c.

Gerunt illum in Ecclesia Rom. non Episcopi modò, sed & Abbates, quos *per baculum* investiri quoque solitos, docet Ordericus Vitalis *lib. 8.* Nisi quod Abbates, ad distinctionem, *baculo cum velo* seu pendente velo, utuntur. Abbas tamen Monasterii S. Victoris Paris. *baculo* caret: *unde nec ad eum pertinet Concilia sive Curias Regum vel Principum frequentare*, ut habetur in libro *Ord.* hujus MS. apud du Fresne. Porro Eremitani Ordinis S. Augustini, ad exemplum Monachorum Ægyptiorum Elisæum Prophetam imitari se dicentium, *baculum* etiam gesserunt ad formam lit. *T.* qui juxta constitutionem Gregorii IX. palmorum esse quinque debebat, sed Innocentius postea VII. & Alexander IV. eos ab hoc onere immunes esse jusserunt. In Conventuali quoque Melitensium Ecclesia 4. Cantores, in diebus solennibus, pluvialibus induti, assistunt in Choro cum *baculis* argenteis, quales peregrinantium esse solent, sed crassioribus: quod idem obtinet in Gallia. Sed & in Siciliæ ac Melitæ Cathedralibus dignitas Canonicalis est *Ciantar* dicta, à Lat. *Cantor*, cujus est ferre *baculum* seu virgam argenteam. Quod à Stephano IV. institutum, Macri tradunt. Solus Pontifex Rom. *baculum non gestat, ferulam tamen ei tribuunt Scriptores*, ait du Fresne in *Glossar.* ubi de *Baculo Pastorali*, V. quoque eum in voce *Degradatio.* In Oriente, antiquitus Episcopis aliisque Sacerdotibus *baculi* usum, quin & mitram ac annulum communem fuisse, refert Philostratus *lib. 3.* Sed & apud Maronitas, tam Ecclesiastici, quàm seculares, eo quòd stantes in Ecclesia orant, subaxillari *baculo* sustentantur &c. Plura hanc in rem V. apud Macros Fratres *l. cit.* qui de Pontifice addunt, nullibi eum, *nisi in Trevirensi diaecesi, baculo* uti, ob rationem quam videsis apud illos.

Baculorum alia quaedam genera, quae apud Scriptores occurrunt.

Baculus Aduncus sine nodo, *Lituus* dictus est, Augurum apud Romanos insigne Livius *lib. 1. cap. 18.* *Augur ad laevam ejus* (Numæ) *capite velato sedem cepit, dextrâ manu* baculum *sine nodo* aduncum *tenens, quem lituum appellaverunt.* V. infrà *Lituus.*

Baculi Cantorum, memorantur Honorio Augustodun. *lib. 1. cap. 24.* *Ex Legis praecepto* baculos *manibus tenebant, qui Paschalem agnum edentes ad patriam tendebant. Secundùm hunc morem Cantores in officio Missa baculos tenere noscuntur, dum verus Paschalis agnus benedicitur.* Adde *cap. 74.* Hinc nempe manasse videtur, ut *Cantores & Praecentores*, in Communione Romana in Templis, dum sacrum peragitur officium, *baculos* argenteos teneant, du Fresne *Glossar.* Fuisse autem Israëlitas, cùm Agnum Paschalem comederent, uti lumbis succinctis & pedibus calceatis, ita *baculis* instructos, legimus Exodi *cap. 12. versu 11.* qui viatorum habitus. Namque & Jacob cum *baculo* transiit Jordanem, Genes. *cap. 32. versu 10* & Juda, Timnam se conferens, *baculum* habuit in manu, Genes. *cap 38. versu 18.* Neque aliud fuit virga Mosis tam decantata, quàm iter facientis *baculus*, Exodi *cap. 4. vers. 2.* Unde est, quòd Christus profecturis Discipulis præcepit, ut nihil ad iter sumerent, nisi *baculum* solum, Marci *cap 6. vers 8.* V. Bochartum *Hierozoici part. prior. lib II. cap 50. ubi de Agno Paschali.*

Baculus Choralis, quem defert Abbas in Choro, seu cambuta, in *Vitis* Abbatum S. Albani & Tom. II. Concil. Angl. de modo constituendi Abbatis exempti sub A. C. 1235. *cap. ult.* apud du Fresne.

Baculum Jacob, organum diopricum, sicut & *Quadrans Geometricus* & similia, quibus propugnaculorum turriumque altitudo, explorari solet. V. Salmasium *ad Solinum pag. 672.* Appellationis occasio desumta à *baculo*, cum quo *Jacob* Patriarcha Jordanem transiisse legitur, cùm peregre abiret, Geneseos *cap. 32. versu 10.* Non enim hastas vel enses, sed *baculos* tantùm gestare tunc soliti erant viatores, uti suprà diximus. Quod verò Auctor *Quaest. ad Antiochum* & Leontius *Dial. 5. contra Iudaeos*, habent de adoratione *baculi*, à Jacobo factâ, cùm ei cum Josepho res esset, Geneseos *cap. 47. versu ult.* suaviter hallucinantur, uti pluribus ostendit Rivetus *Exercit. 173.*

Baculus Jesu, summæ apud Hibernos venerationis, per quem vulgari opinione S. Patricius venenatos ex Insula vermes ejecit: du Fresne, ex Silv. Giraldo *Topogr. Hibern. dist. 3. cap. 34.* & *de Hibern. Expugn. lib. 2. cap. 18.*

Baculus Pastoralis, V. suprà *Baculus Episcopalis.*

Baculus Peregrinatorius, in Philosophorum olim supellectile, ut vidimus retro in voce *Bactroperatae*. V. quoque ubi de *Baculis Cantorum* & de *Baculo Jacob*. Hos inter Christianos Monachi imitati sunt, iique qui Hierosolymam, peregrinationis sacræ, ut vocant, ergò proficisci soliti, quorum *baculi* longiusculi *burdones* dicti, à *burdonibus* seu asinis aut semimulis, quos inequitabant & insidebant; qui peregre proficiscebantur. His enim equitaturæ quodammodo loco hi baculi erant. Rubertus Sipuntinus apud Vinc. Belvacensem *lib. 26. cap. 27.* *Burdonem habebat pro lancea*, V. infrà in voce *Burdo.*

Baculi Pœnitentium, occurrunt apud Honorium Augustodun. *lib. 3. cap. 77.* quibus *peregrinationem* eorum innuit; *quia se à Regno Dei alienant*: Unde eos deponebant, cùm Ecclesiæ reconciliabantur, apud du Fresne *Glossar.*

Baculi Regii, in signum *salvae guardiae* appositi, memorantur in *Aresto* Parlam. Paris. Anno Christi 1321. apud eund.

Baculi Sortilegorum, V. infrà in voce *Teni.*

Badace, oppidum Persiæ, ad Eulæum amnem, quò Antigonus, ad hunc amnem victus ab Eumene, recessit & perfugium habuit. Salmasius *ad Solinum pag. 702.*

Badavilla, Germ. *Badenweiler*, nomen dominii, in Marchionatu Badeno-Durlacensi, quod Egon IV. Friburgi Com. viginti marcarum argenti millibus comparasse dicitur, quas post diuturna acerbaque & justo bello non imparia dissidia pacando Comiti Friburgenses dependerant. Inde Johanne familiæ postremo vitâ defuncto A.C. 1438. ad Hochbergios devenit Annæ beneficio, Johannis amitæ, quæ in Philippi Hochbergii manus convenerat. Donec morte Philippi, juxtà cum reliquis, Marchiones Badenses illud obtinuere; Urstisius *Chron. lib. I. cap. 20. & lib. II. cap. 10.* Stumphius *lib. 8. cap. 15.* Munsterus *cap. 270.* &c. Spenerus in *Fam. Badensi*, paulo aliter rem enarrat: unde, ut de re adhuc litigiosa, loquitur Gast. *cap 13. num. 33.* apud Tob. Pfannerum *de Praecip. Germaniae Principum gentibus, cap. 9*

Badensis Familia, inter illustriores Germaniæ. Hi enim Principes, eadem, qua Habspurgici seu Austriaci, stirpe prognati, etiam *Zeringiae* aliquandiu *Tecciaeque* imperitaverunt. *Sueviam* etiam aliquando spe ac voto, *Burgundiam* magis titulo, quàm usu, tenuerunt. *Carinthiam* quoque & *Austriam*, ad tempus, possedere. *Sueviam* namque Bertoldo I. Zaringiæ Com. superstite adhuc Othone Suinfurtensi Suevorum Duce, Henricus III. Imp. ubi is fato fungeretur, promisit; & oblata spes daro, quem tum fortè Cæsar manu gestabat, annulo firmata. Irrita tamen, validiori post mortem Augusti in animo Agnetis Henrici viduæ, in Rudolfum Rheinfeldiæ Comitem affectu, quàm datæ à marito fidei curâ. Quò tamen repulsam mollius toleraret, *Carinthia* concessa, Conradi Corinthiorum Ducis sive rebellione sive obitu, vacua: Restituisse damnum cum fœnore fortuna videri poterat, cùm Rudolfus, desponsatâ filio Bertholdi ejusdem nominis filiâ, *Sueviam* doti dixisset Verùm brevi post Carinthia primò, mox Suevia, sublato Rudolfo, Cæsarei decoris annulo, ab Henrico IV. Imp. adempta: frustra res repetente Bertholdo, permissâ Brisgojâ Alsatiæque parte utcunque mitigato. *Burgundiam* Conrado Bertholdi II. filio Henricus IV. Imp. adsignarat, Reinaldo Burg. Com. odio: lisque armis aliquandiu agitata, sententiâ Friderici I. Barbarossæ, ita decisa est, ut Bertholdus Conradi fil. *minori*, quam vocant, *Burgundia*, contentus, reliquam Reinaldi filiæ, quam Cæsar in matrimonio habebat, concederet. *Austriam* Hermanni *Badensis* cum Gertrude, extinctæ in Friderico Austriacæ stirpis virgine, conjugio Domui adjectam, infelix Friderici, Hermanni filii, casus eripuit, unà cum Conradino Neapoli capite plexi, A.C. 1279. *Zeringia* ditio, post Bertholdi V. lineæ postremi, obitum, in Kyburgi ac Friburgi & Furstenbergæ Comites divisa, A.C. 1218. cum priscis Dominis fere & appellationem perdidit, ejus memoriâ vix in Annalibus retentâ. Eadem Tecciæ sors, in terris titulisque suis Wirtembergici adscripsissent &c. Cœterùm istis natalibus ortus Hermannus, ductâ in uxorem Judithâ (Hohenbergæ, an *Badena* Comite?) *Badensem* ditio-

nem nactus, primus ex Hochbergiis, *Principis Imperii & Marchionis Badensis atque Hochbergensis* dignitatem accepisse dicitur, sec. XII. cujus nepos Hermannus III. Veronæ ab Imp. Friderico I. præfectus eave donatus, fabulæ de Veronensi origine, locum dedit. Tituli Familiæ sunt, *Marchio Badensis & Hochbergensis, Landgrav. Susenbergensis, Com. Sponheimii & Eberstenii, Dominus in Rötein, Badenweiler, Lahr & Malberg*, de quibus omnibus suo loco. Pfannerus, ubi *suprà*. Nec omittendum, quod Hornius adnotat, Marchionatum hunc obnoxium factum esse Electoribus Palatinis. Cùm enim Fridericus I. cognom. *Victoriosus*, inter alios Principes vicinos, acri prælio victos, Carolum quoque March. *Badensem* captivum fecisset, eâ conditione illi libertatem reddidit, ut imposterum Marchiones Badenses Electoribus Palatinis essent obnoxii, V. eum *Orb. Polit. pag.* 253. Genealogiam horum Principum exhibuimus, in voce *Bada*.

Badichorum, pro Badi loco, perperam vir doctus vertit, apud Arrianum, ubi de Badi loco maritimo Carmaniæ, à quo usque ad Ananin vineæ & arva in cultu: Ὁρμίζονται δὲ ἐν Βάδι χώρῳ (quæ duo vocabula malè junctim leguntur) τῆς Καρμανίης οἰκεομένῳ, ... Nempe Βάδις, locus est, ubi versùs Occidentem culta incipit esse Carmania vineis & arvis. Fortè tamen Σάβι scripserat Arrianus, ἐν Σάβι χώρῳ: nam urbs quoque Σάβις ibi, ad fluvium, ut videtur, cognominem, unde pop. Sabæ, quorum Dionysius meminit. V. Salmasium *ad Solinum pag.* 1189.

Badile Italorum quid sit. V. infrà in voce *Batillum*.

Badissar tolutim, apud Plautum, à Gr. βαδίζω, de equis tolutariis & asturconibus dicitur, quorum mollis & ad delicias composita vectura, qualem exhibent cum magna sedentium commoditate ac voluptate, nota. De his enim Græci βαδίζειν per excellentiam dicunt, ut Latini *ambulare*, & Galli hodieque *amblare*. Ejusdem gressum Græci ... vocavere, sed hanc vocem etiam ad tripedantes equos extenderunt, quòd proximè tripedariorum cursus accederet ad tolutariorum gressum; imò & facilè, ac de proximo trepidarii tolutim docerentur, & ad levitatem mollitiemque vecturæ, qualis est in asturconibus, edomarentur, &c. Hinc βαδιστὴς, quasi *badissator*, de equo tolutario, Hesych. V. suprà, in voce *Ambla*, item ubi de *Asturconibus*, & plura hanc in rem, apud Salmasium *ad Capitolinum in Maximinis.* Dictum autem est à βαδίζω, *badisso*, sicut à πατρίζω, *patrisso*; à σαλίζω, *salisso*; &c. Idem *Notis ad Spartianum in Pescennio Nigro*.

Badius, equi nomen in Circensibus; à colore, qui in equis commendatur. Dictus autem hic est quasi Βάϊδιος, à Βάϊς, quæ *ramulum palmæ* significat; unde & *spadix color*, & *spadix equus*. Philargyrus, *Spadix & Phœnicius est, quales sunt fructus palmarum, neque diluti satis coloris, neque nimium pressi.* Σπάδιξ enim, *avulsus est à palma termes, cum fructu*, A. Gellius *lib.* 2. *cap.* 26. ubi de coloribus equorum. Meminit *badii*, inter eosdem, etiam Varro apud Nonium in *Gilvus*,

Equi colore dispares ita dati,
Hic badius iste gilvus, ille murinus &c.

Idem Φοῖνιξ, *phœniceus*, dicitur, in curuli certamine, *Iliad.* ψ *versu* 454.

Ὃς τὸ μὲν ἄλλο τόσον φοῖνιξ ἦν, ἐν δὲ μετώπῳ
Λευκὸν σῆμ' ἐτέτυκτο, περίτροχον ἠΰτε μήνη.
Corpore phœniceus reliquo, sed cui nota fronti
Alba impressa fuit, Lunæque imitata figuram.

Cujusmodi colore, & quidem exuperantissimo insignem fuisse equum Sejani, habes apud Gellium *d. l.* Sed & in una quadrigarum Zachariæ Prophetæ, quarta viz. *cap.* 1. *versu* 8. idem color memoratur, ubi inter alios recensentur equi אמצים, *amussim*; qui non quidem purpurei, quales nulli inveniuntur, sed quorum rubor est ὀξύτερος, *excitatior*, & plus habet vigoris atque luminis: quo ipso distinguuntur ab equis primæ quadrigæ, quos simpliciter אדמים, i. *rubros*, Propheta descripserat. Varios enim rubedinis gradus esse, notum: in Arabum inprimis equis, uti ex Damire docet Bochartus *Hierozoici Parte prior. Lib. II. cap.* 7. quem vide. Sed & ipse phœniceus hic equorum color suos gradus habet, aliusque dilutior, alius saturatior est, quem vulgò *Badium obscurum* vocant Galli, ut videre est apud Salmasium *ad Solinum pag.* 1330.

Viri illustres.

Bæbius Longus, Eques Rom. inter condiscipulos Marci Antonini Imp. memoratur, Julio Capitolino, in *Vita* hujus: *Frequentavit — amavitque ex condiscipulis præcipuos Senatorii ordinis Sejum Fuscianum — ex Equestri, Bæbium Longum & Calenum, in quos maximè liberalis fuit* &c.

Bæbius Macer, Præfectus Urbis, cujus apud Æl. Spartianum in *Hadriano* mentio est, *Tantum autem clementiæ studium habuit, ut, quum sub primis Imperii diebus, ab Tatiano per epistolas esset admonitus, ut & Bæbius Macer Præfectus Urbis, si reniteretur ejus Imperio, necaretur, & Laberius Maximus — & Frugi Crassus, neminem læderet.* Is est, cujus nomen inter Consules suffectos ejus anni, cui nomen dederunt Trajanus IIII. & Articulejus Coss. de eodem Consule designato Plinius *lib.* 4. *Epist.* 9. An idem ... *Bæbius Macer* Historicus, quem aliquoties Servius aliique laudant? Scripsisse hunc *Fastos dies*, auctor est Fulgentius *de prisco serm.* *Bæbii Macrini* mentio in *Alexandro Sev.* V. infrà: Item alius *Bæbii Macri* Præfecti prætorio, sub Valeriano Principe, apud Vopiscum in *Aureliano*.

Bæbius Marcellinus, sub Severo Imp. occisus, cujus tristissimum casum & necem commiseratione dignissimam cùm exposuisset Dio, hoc adjicit: priùs illi caput fuisse amputatum, quàm de ejus condemnatione quidquam Severus rescisset. Quò pertinet, quod de Severo habet Spartianus, *Cùm occisi essent nonnulli, Severus se excusabat & post eorum mortem, negabat fieri se jussisse, quod factum est: quod de Læto præcipuè Marius Maximus dicit.* Sed de multis verè negasse, *Bæbius* hic est exemplo. Isaac. Casaubonus *ad l.*

Bæbius Macrinus, Rhetor celebris, inter Præceptores Alexandri Severi Imp. apud Lampridium, *In prima pueritia Literatores habuit —— Romæ Grammaticos, Scaurinum —— Rhetores, Julium Frontinum & Bæbium Macrinum & Julium Granianum*. Ubi Palatinus codex *Bebium Macrianum* habet, teste Salmasio, *Not. ad Lampridium*.

Bæbius Metianus, seu *Mecianus*, ut in duobus Palatinis codd. legit Gruterus, memoratur Julio Capitolino in *Clodio Albino*, *Adolescens igitur statim se ad militiam contulit, atque Antoninis per Lollium Serenum, & Bæbium Metianum & Cejonium Posthumianum suos affines innotuit.*

Baen vel *Bahen*, in *Glossis* Isidori, *lamina est auri ab aure ad aurem, quâ familiares Regum utebantur. Ornamentum colli ex auro & gemmis, quod alio nomine Torques potest dici.* Johanni de Janua & Mammotrecto. *Ornamentum colli ex aureis annulis confectum.* Reperitur vox apud Vulgatum Interpr. *lib.* 1. Maccab. *cap.* 13. *vers.* 37. *Coronam auream* & bainem, *quam misistis, suscepimus*. Aliæ Editiones habent, *Bahen*; Græca Βαΐνην. Car. Macro *corona* hic est *aurum coronarium*, ex A. Gellio *lib.* 5. *cap.* 6. *Bahen* verò *Xenia*, seu munera, quæ Demetrio Regi, de Hebræis triumphanti, Maccabæi miserant, ex Josepho *Antiqq. Judaic. lib.* 13. *cap.* 8. ubi habetur exemplar *Epistolæ* Demetrii Nicanoris, de qua in Macchab. *l. cit.* cujus verba sunt ex Epistola ejusdem Demetrii. Sic nempe Josephus de Jonatha, Simonis fratre, per literas à Demetrio accito, *Ille non intermissâ oppugnatione cum Senioribus Populi & Sacerdotibus, aurum & argentum, vestem aliaque Xenia deferens, venit ad Demetrium, & hac munificentiâ animum Regis mitigavit* &c. Et inferiùs, Demetrii refert diploma, in quo inter alia hæc erant: *Remitto, quidquid solebant ante me Reges accipere, à sacrificantibus Hierosolymis, aliaque tributa, pro fructu terræ, atque arborum, præterea salinarum vectigal & aurum coronarium, neque quicquam eorum exigetur in posterum.* Et mox, *Coronam auream & bahen, quam misistis, suscepimus, & parati sumus vobiscum facere pacem* &c. Sed & Cedrenus Βαΐον vocat donum, Imperatori tribui solitum, de quo etiam Luitphrandus *lib.* 5. *cap.* 5. V. quoque Joh. Meursium in *Gloss. Græco-Barb.* & plura hanc in rem, apud Macros Fratres in *Hierolexico*, in *Bain*, seu *Bahen*, & voce *Pedrum*.

Baticæ Lanæ, ut & Tarentinæ, magno olim in pretio, quarum meminit Tertullianus *de Pallio cap.* 3. *Exinde materia, nec de ovibus dico Milesiis & Selgicis & Altinis, aut queis Tarentum vel Betica cluet naturâ colorante. Nativa* vocabant, quæ naturâ colorante tincta essent. Martialis,

Nativa semper habeat, & licèt laudet
Fuscos colores, galbinos habet mores.

Hinc *nativus* color, pro fusco vel nigro: Nonio *Spanus*, à lanis Hispanis, quæ nigræ erant. Præter nigrum tamen multi alii colores nativi. Nam & leucophæus & fulvus & rutilus, inter nativos colores numerantur: *Baticæ* autem lanæ coloris rutili erant &c. V. Salmasium *ad l. cit.* & *ad Solinum pag.* 316.

Batis, adde: Geminus oritur, ex monte Argentario, cujus meminit Avienus,

At mons paludem incumbit Argentarius,
Sic à vetustis dictus à specie sui:
Stanno iste namque latera plurimo nitet:

Et lacum haud procul à mari facit, è quo tanquam ex uno fonte geminus exoritur, *quanamque simplici alveo venerat, tantus singulis effluit*, ut inquit Pomponius *lib.* 3. *cap.* 1. Amplexu autem suo insulam facit Tartessum, & ipse *Tartessus* dictus, cui stannum plurimum defert. Unde ἀργυρορίζους παγὰς Ταρτησσοῦ, *argenteos pedes habentes Tartessi fontes*, Stesichorus vocavit &c. V. Salmasium *ad Solinum pag.* 286. ut & infrà in voce *Tartessus*.

Baton, adde: Idem nomen viri, cujus mentio in *Epigramm.* Juliani Αἰγυπτίου, apud Salmasium *ad Solinum pag.* 994.

Ἑρμείῃ Βάτων ἁλιεργὸς ὄργανα τέχνης
Ἄνθετο, δειμαίνων γήραος ἀδρανίην.
Mercurio Baton sua nautica ritè dicavit
Vasa, timens senii tristia damna sui.

Batyli, Græcis Βαίτυλοι, dicebantur vivi lapides, quorum non rara apud Vett. mentio & præcipuè Scriptores Græcos, qui ἐμψύχους λίθους, quasi *animatos lapides*, eos quoque vocabant, multa mira fabulosaque de iis narrantes. Philo Byblicusis, Ἐπ. δὲ ἐπενόησε

ἐκτεθεικὼς ἐκεῖ Οὐρανὸς Βαιτύλια λίθους ἐμψύχους μηχανησάμενος. *Ulterius etiam excogitavit Deus Uranus* Bætylos, *lapidesq; animatos fabricatus est*. In *Vita* Isidori à Damascio scripta apud Photium, *Ἐγὼ μὲν ᾤμην θειότερον εἶναι τὸ χρῆμα τοῦ βαιτύλου. ὁ δὲ Ἰσίδωρος δαιμόνιον μᾶλλον ἔλεγεν· εἶναι γάρ τινα δαίμονα τὸν κινοῦντα αὐτὸν, οὐ τῶν βλαβερῶν, οὐδὲ τῶν ἄγαν ἐνύλων, οὐ μὴν τῶν ἀναγομένων εἰς τὸ ἄϋλον εἶδος, οὐδὲ τῶν καθαρῶν παντάπασι. τῶν δὲ βαιτύλων ἄλλον ἄλλῳ ἀνακεῖσθαι Θεῷ, Κρόνῳ, Διΐ, Ἡλίῳ καὶ τοῖς ἄλλοις*, *Ego quidem existimabam, divinius quiddam esse* Bætylum. *Sed Isidorus dæmonium potiùs vocavit. Esse enim quendam Dæmonem, qui ipsum moveat, non è numero noxiorum quidem, vel nimis materiæ immersorum; interim nec planè in immaterialem speciem evectorum, neque omni ex parte purorum.* Bætylorum *autem alium alii Deo sacrum esse Saturno, Jovi, Soli, aliis.* V. plura de his *Bætylis* & vivis seque moventibus lapidibus, in *Vita* ead. Et de hoc genere videntur fuisse lapides isti vivi, quos in adyto Templi Dianæ Leodicenæ collocatos, memorat Æl. Lampridius in *Antonino Heliogabalo*: *Lapides, qui divi dicuntur* (Salmasius *vivi* legit) *ex proprio Templo Dianæ Laodicenæ, ex adyto suo, in quo id Orestes posuerat, afferre voluit.* Uti enim Saturno, Jovi aliisque lapides hujusmodi consecratos fuisse, ex Photio diximus, sic etiam Dianæ suos habuit sibi dedicatos. Eodem nomine Græci appellant lapidem, quem Saturno devorandum, pro Jove tradidit Rhea, Latinis *Abadir* dictum &c. V. Salmasium *Notis ad Lampridium*, & infrà in voce *Lapis*.

Basumaria, apud Raim. *de Agiles*. *In Ecclesiis autem magis* Basumarias *faciebant*. Alibi, *Habebant & monticulum — ubi duæ erant* Basumariæ, *& quædam sepulchrorum Casalia* &c. Templum notat Mahumeti dicatum, quod aliis *Machumaria* dicitur. Qui enim alias Mahumet, eidem Raimundo *Bahumet* appellatur. V. infrà *Machumaria*.

Bagatelle, Gallis nugæ & jocularia sunt, de cujus vocis origine V. suprà in voce *Bacca*. Sunt autem *Nugæ* Latinis etiam res omnes muliebris mundi, unde *Nugivendi*, qui eas vendebant. Eadem *Jocalia* vel *Jocalia*, quod iis, gemmis nim. & margaritis, mulieres maximè delectentur. Item *Bagæ*, a *baccis*, h. e. margaritis: quo nomine mundum muliebrem qui in gemmis consistit, hodie Galli appellant; quemadmodum Arabes contrà vocabulum omnibus gemmis commune, proprium fecerunt margaritarum, per excellentiam, quod eæ inter omnes lapillos pretiosos præcipuo sint in honore & pretio. Salmasius *ad Solinum pag.* 1124. V. etiam infrà in voce *Jocalia*: item in *Bauga*.

Bagauda, regio quam *Bagaudæ* inhabitabant. Prosper Aquit. in *Chron*. *Omnia penè Galliarum servitia in* Bagaudam *conspiravere*. Et mox, *Eudoxius arte Medicus — in* Bagauda *id temporis mota delatus, ad Chunnos confugit.* Sed, ubinam gentium, haud liquet. *Castri Bagaudarum* quidem meminere Auctores 4. mill. Lutetiâ dissiti; at cùm *Bagaudæ* nullibi certam sedem fixerint, & ubique latrocinando prædas agerent, probabile est *Bagaudiam* ibi fuisse, ubi maxima eorum pars moraretur. Fuere autem hi, quos Alciserra dictos vult, quasi *sylvicolas*, à voce Celtica *gau*, i. *ager, silva*: Alii à *Bagat* vel *Bagad*, (quæ vox Armoricanis ac Wallis, proindeque Gallis vett. *turmam* sonat & hominum colluviem) factiosorum & rebellium hominum cohors, qui solitudines & castra inhabitabant loci situ munita, atque inde in obvios latrociniis & cædibus grassabantur. Eorum nomen primùm in Gallia auditum, Diocletiano & Maximiano Impp. ut auctor est Paulus Orosius *lib.* 7. *cap.* 25 & Eutropius *lib.* 9. è quibus Hieronymus in *Chron. Euseb.* Herculium Maximianum, à Diocletiano in Imperii consortium ascitum, factione hac Rusticorum repressâ, pacem Gallis reddidisse, refert. Quid verò *Bagaudarum* defectioni & rebellioni occasionem dederit, aperit Salvianus, qui Honorii & Theodosii Principatu floruit, *de Vero Jud. & Provid. lib* 5. Judicum sc. & Præfectorum avaritia, ac rapina: qui factum, ut perniciosa hæc factio, semel obsequii fractis repagulis, longè etiam post Diocletiani seculum, desævierit, eque Galliis in Hispaniam quoque, vel ad minimum nomen eorum, transierit. Meminit enim non semel Idacius in *Chron.* *Bacaudarum Tarraconensium & Aracelitanorum*, sub Rechila & Theodorico Gothorum in Hispania Regibus: Sed & Eumenius *Bagaudarum* meminit. in *Panegyr. de Scholis instaur.* ut & Auctor *Vitæ* S. Mauricii Martyris, ex qua Christianos illos fuisse, constat, V. Car. du Fresne *Glossar.* & in voce *Bacauda*.

Bagnoli, adde: Idem nomen aspersum Waldensibus, in *Tuscia sive in Marchia vel fin Provincia*, ut auctor est Reinerus *c. Wald. cap.* 6. ubi illos à *Bagnolo*, opp. Provinciæ, vulgo dictos ait *Bagnols*.

Baharain, id est, *Διθάλασσος*, seu *bimaris*, insula est, sita in meditullio sinus Persici, centum ab Armuzia leucis, & totidem à Balsora, exiguo intervallo à continente Arabiæ, è regione portûs Catiphæ, uti situm ejus describit Auctor *Chronici Armuzia pag* 19. Andreæ Bellunensi dicta *duo Maria*; forsan ideo, quia portio ejus, quod nonnulli asserunt, olim in longam chersonesum fuit exporrecta, quam mare postea demersit: cujus rei indicio sunt duo fontes hodieque in medio mari ebullientes. Itaque *Διθάλασσος* hæc chersonesus dici potuit, exque illo tota Insula, eo quòd idem mare, tanquam in duo, divideret. Famosa est, ob unionum copiam, qui in ambitu & vicino mari capi solent. Ordiuntur autem piscationem in *Barhen*, seu potiùs *Baharain*, interdum mense Junio, sed maximè Julio, producuntque, ad finem Augusti: Solentque tunc utplurimùm convenire circiter ducentæ cymbæ, centum ex hac Ins. quinquaginta, è *Suifar* & totidem *de Nikhelo*. Capiuntur verò conchæ plerumque, in ea parte portuque Arabiæ, quem *Katar* vocant, 10. leucis ab hac Insula, versùs meridiem: ubi ostreum cùm avellitur, statim se aperit & margarita eximitur. Longè autem præstant uniones hujus sinus reliquis totius Orbis, tam pulchritudine, quam pondere. Namque si duæ margaritæ ejusdem magnitudinis & figuræ, quarum una ex hoc loco, altera aliunde petita est, inter se conferantur, *Baharensis* semper plus habebit ponderis. Quo fit, ut quotannis hinc extrahantur uniones, quingentorum millium ducatorum valore, præter magnum numerum, qui celatur, Idem Auctor suprà laudatus. V. quoque Alkazuinium Arabem *in cap. de Insulis maris Persici*, Benjaminum Scriptorem Hebr. ubi de Catipha, cujus littori *Baharain* ins. opposita est. Ab hac Insula proin Æthiopes margaritam *bahario* vocant, quasi *Bahariensem* dixeris. Sam. Bochartus *Hierozoici Part. poster. lib. V. cap.* 5.

Bahen, V. suprà *Baën*.

Bain, Ibid.

Baira, apud Altorferium Mon. in *Histor. de Guelph. Princ.* *Tandem ingressus navem* Bairam, *civitatem Sancti Nicolai, pervenit*: *Barium* est, Apuliæ civitas. Macri Fr. in *Hierolex*.

Baisampsa, Arabiæ urbs, ubi Solem cultum, nomen testatur, quod *Solis domum* signat. Testis Stephanus *in Urb. descr.* *Βαισαμψὰ, πόλις ἐν τῷ Ἀραβικῷ κόλπῳ περὶ τὴν Ἐρυθρὰν θάλασσαν, ὃ ἐστιν οἶκος ἡλίου. ὁ πολίτης, Βαισαμψηνός*, *Basampsa, Urbs in sinu Arabico, ad mare Rubrum, ac significat Solis domum. Gentile ejus Bæsampsenus.* Hinc ΒΑΙΚΑΜΨΗΝΩΝ, in nummo Trajani, apud Goltzium *Thesaur. cap. de oppidis fluviisque*. Est igitur compositum, ex Syriaco, seu Arabico בית, pro quo & per apocopen dicitur, בי *domus, templum* ac Arabico שמס, quod Hebræis שמש, *Sol*. Imò Arabes non modò *Σάμος* vel *Σάμψαν*, sed & *Σάμψα*, extulerint; si rectè Stephanus: *Σάμψα, κώμη τῆς Ἀραβίας, τὸ ἐθνικὸν, Σαμψηνός. Σάμψα δὲ παρὰ τοῖς Ἄραψιν ὁ ἥλιος*. *Sampsa, vicus Arabiæ: Gentile Sampsenus. Sampsa verò Arabibus Sol.* Gerh. Johann. Vossius *de orig. & progr. Idololatriæ lib.* 2. *cap.* 9.

Bajuli, inter Ecclesiæ Rom. Ministros occurrunt non semel, ubi sic dicti sunt, qui processionibus publicis intererant, & cruces ac candelabra bajulabant. *Ordo* Rom. describens processionem Pontificis: *Post Episcopos Presbyteri, deinde Monachi, dein Schola, deinde Milites Draconarii, id est, qui signa portant, post eos* Bajuli, *post eos Cereostatarii.* Petrus Diac. *Chronici Casin. lib.* 4. *cap.* 37. ait *Bajulos cereostatarios, staurophoros* &c. obviàm Româ processisse Henrico Imp. Sic Dudo *de Mor. Normannorum lib.* 1. *Bajulant*, inquit, *Scholastici candelabra & cruces.* &c. Apud Petrum Chrysologum *Serm.* 1, 1. & apud Ammianum *lib.* 14. *Bajulorum præcentorem*, tibicinem, qui vespillonibus præcinebat, interpretantur Viri docti. Planciades namque Vespillones ait *baiulos* dictos, quòd mortuos efferrent: apud Car. du Fresne *Glossar.* Apud Aimoinum de *Vita* S. Abbonis Floriac. *cap* 17. Ingulfum *pag.* 856. & 906. Matth. Paris *ad A.C.* 1257. *Abbatum* Bajuli memorantur, id est, Officiales domestici. Quo sensu *Episcoporum* quoque *Bajulos* habes, in *Vitis* Abbatum S. Albani *pag.* 41. Atque hinc fortè *bajulare officium*, munus aliquod exercere in Monasteriis, dixit Marculfus *lib.* 1. *Form.* 1. &c. In *Tabulario* Brivatensi, variis in locis, mentio fit *Bajulorum Horarum Ecclesiæ*. Sic in *Vitis* Abbatum modò laudatis *pag.* 70. *Legebantur autem* 12. *eadem nocte de beata Virgine Lectiones, quas cordetenus, sine candela*, Bajuli *transcurrere consueverunt.* In eodem *Tabular.* Bajuli *obituum novorum*, sub A.C. 244. & 1253. Officiales sunt in Monasteriis, quibus incumbebat recipere & distribuere legata & pecunias, destinatas servitio Horarum & Obituum, seu *ad opus Horarum*, ut est in *Chartis* &c. apud eund. Car. du Fresne *Glossar.* De aliis vocis significationibus, V. in voce *Bajulus*.

Bajulus vel *Bailivus*, Italis *Balio*, Magistratus est, qui vice Legati ordinarii Venetorum Constantinopoli fungebatur, cùm Impp. Græci adhuc rerum potirentur: seu potiùs *Mercatorum Prætor*, ut Platinæ placet in *Gregorio XI.* *Μπαΐλος* & *Μπαΐουλος*, Pachymeri *lib.* 2. *cap* 32. Gregoræ *lib.* 4. Phranzæ *lib.* 3. *cap* 1. & Codino *de Offic. cap* 14. *num.* 13. quomodo hæc vox scribitur, apud Ducam *cap* 17. ubi de *Baillivo* Ordinis Hierosolymitanorum militum. At id non semper obtinuit: Nam primitus *Potestates* dicti ii Bajuli, ut colligitur ex *Statutis* Venetorum A.C. 1242. *lib.* 1. *cap.* 27. Sed & Catalaunis, qui CP. morabantur, *Ballivum* præfuisse, testatur idem Phranzes *loco citato*. V. quoque infrà in voce *Ballivi*. Addam hic paucis alia *Bajulorum* nonnulla genera.

Nonnulla Bajulorum genera, quæ apud Scriptores passim occurrunt.

Bajuli Capitulares, in Ordine Hospitaliariorum S. Johannis Hierosolym. dicuntur in *Statutis* Ordinis illius, qui Capitulis adscripti sunt. Consilioque intersunt. Hi sunt

Bajuli

Bajuli VIII. Linguarum: Provinciæ, qui Magnus Commendatarius;
Alverniæ, qui Marescallus;
Franciæ, qui Hospitalarius;
Italiæ, qui Admiratus,
Aragoniæ, qui Draperius olim; nunc Magnus Conservator;
Angliæ, qui Turcopolerius;
Alemanniæ, qui Magnus Bajulivus;
Castellæ, qui Cancellarius Ordinis, appellantur: *tit.* 10. §. 42.

Bajulivi Conventuales, in eodem Ordine, dicuntur præcipui Ordinis Consiliarii, Magnus viz. Commendatarius, Marescallus, Hospitalarius, Admiratus, Draperius & Turcopolerius: quòd suarum Linguarum Præsides existunt, *Ibid.* §. 1.

Bajuli Dominorum, in *Constitut.* Neapolit. *lib.* 3. *tit.* 10. vocantur, quibus aliquid agendum à Dominis suis demandatum est. Quo etiam nomine in Gallia veniunt pedanei & fiscales Judices prædiorum ac feudorum.

Bajuli Gabellati, qui gabellas seu tributa publica exigunt ac recipiunt in *Constitutionibus* prælatis, *lib.* 1. *tit.* 57. Insuper *Bajulivorum* nomine insigniuntur Priores & Castellanus Empostæ, *tit.* 19. §. 5. meminitque *Magnibaillivi* Hospitalis S. Joh. Hierosolymit. Ducas, *cap.* 17. *pag.* 40. apud du Fresne *Glossar.*

Bajus, qui & *badius*, à Græco *βάϊον*, ramus est palmæ arboris cum fructu avulsus; à cujus colore *badios* equos dici, ostendimus suprà. Franc. Gouldmannu. *Diction. Lat. Angl.* Item *missus* ludicri Circensis, quòd ad singulos missus *βάϊον*, i. *palma* daretur. Unde Cedrenus Justinianum Rhinotmetum, quum Ludi Circenses agerentur, Apsimarii & Leontii antartarum colla pedibus calcasse narrat, *ἄχρις ἀπολύσωσι τὸ πρῶτον βαΐον*, i. *usque dum primus missus absolveretur.* Sic *locus palmæ*, h. e. *τοῦ βαΐου*, Solino creta est seu locus victoriæ, *cap.* 45. Donatis enim palmâ victoribus solvebatur agon, totque palmæ, quot missus erant &c. Salmasius *ad Solinum pag.* 935. Sed & *Baia*, pro *die Palmarum*, apud Græcos: Hinc ἡ *Κυριακὴ τῶν βαΐων*, *Dominica Ramorum*, in *Euchologio fol* 241. 1. & *Βαϊοφόρος*, *dies in quo rami gestantur*, *Edit.* Jac. Goar. *pag.* 744. A' ramis palmarum, quos Christo Hierosolymam adventanti prælatos fuisse, docet Johannes Evang. ubi *τὰ βαΐα τῶν φοινίκων* expressè nominat: Matthæo generatim *κλάδους τῶν δένδρων*, *ramos arborum*, memorante *cap.* 21. *versu* 8. Unde etiam in precatione solenni, ad hunc diem attinente, Græci populum, qui tunc Dominum exciperet deduceretque, *τοὺς κλάδους τῶν δένδρων καὶ βαΐα τῶν φοινίκων*, *Germina arborum ramosque palmarum*, adhibuisse ajunt. Sed de *τοῖς βαΐοις*, V. plura apud Angelum Caninium *in Loc. N. T. cap* 4. Isaac. Casaubonum *Exercitat.* 16. §. 2. & infrà in *Hosanna*, ut & ubi de *Palmarum Festo.*

Bala Alexander, Rex Syriæ, de quo sic Justinus *lib.* 35. *cap.* 1. *Itaque adjuvantibus Ptolemæo Ægypti Rege, & Attalo Rege Asiæ & Ariarathe Cappadociæ bello à Demetrio lacessiti, subornant* Balam *quendam sortis extremæ juvenem, qui Syriæ Regnum velut paternum armis repeteret. & ne quid contumeliæ deesset, nomen ei Alexandri inditur.* Ita restituit locum Gronovius, ubi Bongarsius legit, *propalam*; Vulgatique olim habuerunt *Prompalum*, quod, ceu verum nomen hominis, edidit Petavius in *Rationario Tempor.* Nititur autem Gronovii conjectura Strabonis & Josephi auctoritate, quorum uterque *Balam* hunc Alexandrum cognominatum fuisse scribunt; nec multùm nomen hoc, in illa gente frequens, à *Belo*, *Baalo*, *Balaco* & similibus abludit. V. Gronovium *Observation. lib.* 4. *cap.* 10. & plura de hoc supposititio Rege, apud Justinum *l. cit.*

Balaami Asina, V. suprà *Asina Balaami.*

Balabithena adde: V. *l. cum propitia*, *ult. C. de offic. Mag. milit.* & *Novellam* 31. *cap.* 1. §. 3. ac utrobique Gothofredi *Notas*, quas laudat Ioh. Calvinus *Lexic. Jurid.*

Balæna, Græcè *Φάλαινα*, è cetorum genere, (aliàs enim cum *Ceto*, species cum genere, confundi solet) omnium maxima, & velut cœterorum Rex ac Princeps, quam propriam Indico Oceano facit Plinius, *lib.* 9. *cap.* 3. *Maximum animal in Indico mari Pristis &* Balæna *est: in Gallico Oceano Physeter.* E' quo Solinus *cap* 52. *Indica maria* balænas *habent ultra spatia quatuor jugerum.* Additur in *Excerptis*, *in longitudine*, quod necessariò subintelligendum, ait Salmasius. Habet autem jugerum in longitudine cubita centum ac triginta tria cum semipede, h. e. pedes regios 200. Arrianus ex Nearcho Cete Indica magnitudinem plerumque habere usque ad 25. orgyias extentam, narrat: quod ferme eodem redit; sed hac de re dicemus infrà, in voce *Cete.* Uti autem prodigiosa magnitudo *Balænis*, sic & gula tribuitur, integris quoque navibus absorbendis par. Dionysius Periegetes *versu* 603.

> *Πολλάκι δ' ἂν καὶ νῆα σὺν αὐτοῖς ἀνδράσιν ἦεν*
> *Κεῖνα καταβρόξειε πελώρια.*

Unde Priscianus,

> *Quippe solent pariter navem sorbere virosque.*

Et Festus Avienus,

> *Protinus hæc ipsas absorbent fauce carinas,*
> *Irrequietisque simul mox monstra natantia nautes.*

Quod tamen Homerus, fabularum pater, non ausus est de Scylla sua pronuntiare, quæ solis nautis absorptis naves intactas relinquebat. Nempe in cetaceis quidem piscibus inveniuntur, qui hominem deglutire queant integrum, ut de Carcharia seu Ceto Jonæ, infrà videbimus: At cete propriè dicta, quales *Balæna*, pristis, physeter; ut vastæ belluæ, tamen gulæ meatus ita habent angustos, *ut non nisi parvos pisciculos deglutiant*, Vincentius *Doctrinalis lib.* 16. *cap.* 128. Unde Scaliger, de *Balæna* professus se non vulgaria dicturum, sed comperta, inter cœtera hæc habet: *Neque molem grandiorem vorare licet ei, propter gulæ angustias; aditus enim vix semipedem habet.* Ratio in promptu, quia, quotquot animalia pulmone spirant, iis gulæ meatus coarctari necesse, ut ex his angustiis spiritus per fauces majore nisu erumpat &c. Bochartus *Hierozoici Parte poster. Lib. V. cap.* 12. Porro vastam hanc molem *Leviathanis* nomine significari ac describi, Jobi *cap.* 40. *vers.* 20. & *seqq.* magnus hactenus doctorum consensus fuit. Sed obstant quam plura: *Versu* enim 26. negatur Leviathanis cutem telis penetrabilem esse; at qui balænæ capturam scripsere, testantur eam obrui telorum nimbo à nautis circumstantibus: utpote lævem glabramque cutem & squamis minimè tectam (quod de Leviathane dicitur) habentem. Quæ causa, quòd tam facilis ejus piscatio sit. *Cap.* 41. *versu* 5. Leviathani tribuitur rictus oris immensus, quem magno ac horrendo hiatu valvarum instar aperiat: Balænæ verò angustæ sunt fauces, uti vidimus. *Versu* 9. *Oculi ejus ut palpebræ auroræ.* At nihil Auroræ radiis simile habent balænarum oculi, quos magni Auctores scribunt prægravi superciliorum pondere, aut arvinâ, statim obrui, cùm se bubulorum magnitudinem parùm excedant. Unde est, quod amisso duce, pisciculo exiguo, fertur talpâ cæcior in vada scopulosque impingere. Oppianus *Halieutic. lib.* 5.

> *Οὐ γὰρ ἐν ἰδ' ἄλμης ἰθυδέος οὐδὲ κέλευθα*
> *Ἀτρεκέως, ἢ πῆμα παράγχεδον ἐξαλέασθαι.*

Porro Leviathanis *halitus carbones incendit & ex ore illius flamma prodit*, *versu* 12. Balæna autem non vomit ignes, sed in sublime nimbos efflat, Plinius *lib.* 9. *cap* 6. Adde quod Leviathani *collum* tribuitur, *vers.* 13. quo balæna caret. Scaliger *Histor. Anim. lib.* 2. *sect.* 118. *Collum habent Triton & Crocodilus*: balæna *& delphin nullum* &c. Quæque alia sunt, è quibus omnibus conficit Bochartus, Crocodilum potiùs, quàm Balænam, *Leviathanis* nomine, a Deo *d. l.* designari. V. eum *Hierozoici Part. poster. Lib. V. cap* 16. & *seqq.* Plura verò de *Balæna*, apud Plinium *lib.* 9. *cap.* 3. & *seqq.* ubi inter alia ex ossibus ejus tecta contignari apud gentes quasdam refert: Ælianum *Histor. lib.* 2. *cap.* 13. Plutarchum *utra Animal.* Alios. Addam hic saltem, descriptionem ejus, ex Georg. de Sepibus; cui *Balæna, piscis est facilè omnium, quos monstrorum prægnans Oceanus producere solet maximus; nullas omnino branchias habet, sed earum loco prægrandem in fronte hiatum, per quem receptum humorem magnâ vi evomit; corium est glabrum & in modum exasperatæ pellis spissum, durum, tenax, firmum ac solidum; pinnas habet utrinque unam & tertiam in dorso, in modum alæ seu falcis, quibus universam molem corporis vibrat. Cauda lunata coloris cyanei, ossatura tanta est, ut eâ velut sepe Islandi ad hortos claudendos habitationesque utantur, in Collegii Rom. S. I. Musæo.* Hodie *Balænarum* captura, juxta Grœnlandiam (namque & alibi, quàm in Indico Oceano) frequens est; observatumque, Septentrionem re piscariâ copiosiorem esse tractibus Meridionalibus. Cujus causa fortè, quòd vis vivifica meliùs se per vices habeat, quam si uno eodemque tempore constanter attineatur. Aquæ autem, quò Austro propiores, eo graviorem ac magis continuum Solis æstum sentiunt; unde generationi minus aptæ redduntur, quàm Septentrionales, quæ Solem non nisi per intervalla sentiunt, Auctor Anonymus *Histor. Orb. Terr. cap. de Commerciis.* Cœterum variis usibus *Balæna* inservit. Sinenses, qui in prov. *Kiangchou*, ad Ins. *Hainan* balænas capiunt, eo planè modo, quo Batavi in mari Balthico, oleum sicut illi inde ad varios usus excoquunt. Pinguedo insuper, quæ nonnunquam pedis altitudine corio subest, Europæis verno præsertim jejunio, sale condita, edulis apta est, hincque *laridum quadragesimale* vulgò appellatur. Sed & lingua, quæ multarum est librarum pondo, in maximis habetur delitiis: reliquas ejus piscis carnes bubularum instar quoque salitas audimus vel numerosum exercitum, per integrum diem, posse alere. Setis porro seu barbæ ejus (sunt ante oculos tenues quædam assulæ, quaternas ulnas longæ ac sesquipedem latæ longissimis villis ad latera præditæ, quibus sibi iter prætentat) perpolitis ac bene exiccatis frustulis, politiores mulierculæ sua pectora communiunt, vestiumque fibras rigidiores ac rotundiores continent: Apparitores etiam publici virgularum ac fascium loco gestant &c. V. Auctorem Anonymum *Sinæ & Europæ cap.* 12. ubi de hoc Ceti genere prolixè & eruditè disserit.

Balanagra, Græcè *Βαλανάγρα*, nomen clavis, cujus apud Vett. communis usus fuit. Cujusmodi claves unico dente constabant, qui in *balanum* infigebatur, ad eam extrahendam. Tibullus,

> *Si referat fixo dente puella fores.*

Quam ob rem cùm fraudibus illæ obnoxiæ essent Laconicæ claves inventæ sunt, quibus tres dentes erant. Unde queruntur apud Aristophanem mulieres in *Θεσμοφοριαζ.* cùm antea solerent de facili aperire viris inscius cellaria & apothecas, & inde quæ vellent.

vellent depromere, fiant per Laconicas claves, quas Viri tum gestare cœperant, id non amplius licere, &c. Vide Salmasium *ad Solinum*, & infrà passim, inprimis in voce *Balanus*, & ubi de *Laconicis Clavibus*.

Balandrana, Gallis Balandrae vel Balandran, pallii species, occurrit in *Statutis* Ordinis S. Benedicti in provinc. Narbon. Anno Chr. 1226. *Illas quidem vestes, quæ vulgò* Balandrava *& superioti vocantur & sellas rubeas & Fræna —— penitùs amputantes*, ubi Car du Fresne *Balandrana* legit. Cum his equitare Regularibus interdictum, in Concilio Albiensi Anno Chr. 1254. *cap.* 55. *Prohibemus quoque districtius, ut nulli Regulares cum balandranis vel aliis vestibus Laicorum equitent ac incedant, &c.* Vide du Fresne præfatum in *Glossar.*

Balantium, Nævio dictus est mons Palatinus Romæ, quòd ibi pecus pascens *balare* consueverit, apud Johannem Rosinum *Antiqq. Rom. lib.* 1. *cap.* 8.

Balanus, Græcè Βάλανος, *palmula*, à *glandis* similitudine; qualis fructus ejus palmæ, quæ myrobalano, id est, balano myrepsicæ pomum simile gignit. De qua vide Salmasium *ad Solinum pag.* 1319. *& seqq.* Quod nomen Græciæ populare, de palmæ dactylis. Latini usu suum fecere: namque & glandes hæ palmæ exiliores ac proceri ... *dactyli*, à digitorum forma dicti sunt. Plinius. *Ex reliquo genere plebeiæ videntur. Syri & Juba tragemata appellant. Nam in alia parte Phœnices, Græciæque populari etiam nomine a nobis appellantur Balani.* Et sic quidem palmæ fructus *balanus* dictus est. Alia vero est *Balanus* arbor, quæ myricæ folia similia habens myrobalanum fert, glandem sic appellatam, quòd unguentis adderetur; ex qua etiam oleum fiebat, quo pretiosissima quæque unguenta conficiebantur, de qua vide eundem Salmasium *pag.* 199. Idem porro nomen fuit ornamento aurium, à forma sic dicto, de quo vide infrà ubi de *Inauribus*.

Balanus, quoque ferrum fuit glandis facie & cavum, quod in foramen τῆς μοχλοῦ, id est, *ligati vectis seu seræ* inmittebatur apud Vett. sicque seram committebat januæ, ut nisi extracto eo removeri ac revelli non posset sera, nec janua aperiri. Ita autem in seræ foramen incidebat βάλανος, ut tota lateret, nec erui inde posset vel extrahi, nisi immisso alio ferro oblongo, quod in *balani* cavitatem ita inibat, ut eam evelleret ac sursum traheret; quod ferrum βαλανάγρα vocabatur: & hæc fuit clavis. Græci, Βαλανάγρα, κλεὶς χαλκῆ τὸ ἀγκύλιον τοῦ βαλάνου. Foramen verò seræ, in quod descendebat βάλανος, dicebatur βαλανοδόκη. Sed nec βάλανος, nec βαλανάγρα locum habuit, nisi in his foribus, quæ serâ vel vecte ligneo transverso firmabantur, quem Græcis μοχλὸν, Latinis *seram*, appellari diximus. Quo modo primæ domus januæ, quæ in publicum aperiebantur, & urbium portæ, muniri solebant. Interiora vero conclavia & cœcorum fores, alio munimine firmabantur, *pessulis* viz. seu *ferreis obicibus*, cujusmodi obices *verrouïls* hodie Galli vocant, Hesychius κατοχεὺς dixit. De quibus Apuleius *libro* 3. *Et cum dicto pessulis injectis & uncino firmiter immisso sit ad me reversa.* Nempe uncus vel uncinus, Græcè ὄγκος, immittebatur, injiciebantur pessuli & sic intus fores oppessulabantur. Ab illis verò, qui foris erant, clave, ut hodie fit, immissâ, reducebatur pessulum, quo ostium intus vinctum retinebatur, sicque fores aperiebantur: quod ad βαλανάγρας sine ratione, Vir magnus refert Hæ enim non adducendo aut reducendo pessulum, sed sursum trahendo, fores reserabant Nempe, ut dictum, cava erat βάλανος, quæ in foramen seræ descendebat, & intra id tota immersa latebat. In idem foramen demittebatur clavis seu βαλανάγρα, quæ conjungebat in cavum *balani* & eam attrahebat. Cochleatim enim striata intus videtur fuisse βάλανος & βαλανάγρα extra, quò striis clavis in strias ferreæ glandis incumbens faciliùs invicem possent copulari & unà extrahi. Hinc Pollux ex Thucydide clavem demissam in βάλανον sese induisse eamque traxisse, ut hastæ lignum seu hastile immittitur. τῷ σαυρωτῆρι, ait. Sic itaque non reducebatur βάλανος, sed ab imo sursum trahebatur ac clavem immissam sequebatur, quousque tandem modo eam exsculperet & expisearetur ἡ βαλανάγρα. Cœterum, ut januæ hoc modo obseratæ possent etiam reserari ab his, qui foris erant, satis grande foramen supra locum seræ relinquebatur in ostio, per quod manus immitti quiret. & *balanus* in balanodocen demitti, rursusque eidem aperiendæ βαλανάγρα in βάλανον immitti, de quo vide infrà in voce *Foramen*: plura verò hanc in rem apud Salmasium *ad Solinum pag.* 925. *& seqq.* ubi inter alia Recentioribus *balanos* cum *obicibus* ferreis passim confundi docet.

Balao, castrum Galliæ, memoratum Orderico Vitali *libro* 10. *Paganus de monte Dublabelis castrum* Balaonem *tenebat.* Hodie *Bai ou* vel *Baillon* forte, inter Fractam Vallem *Freteval*, Montemque Dublelli *Montdubleau*, in Pertico minori, Hadr. Valesius *Not. Galliæ*.

Balator, in *Appendice ad Chron. Leodiense* Anno Christi 1374. apud Labeum *Tom.* 1. *Bibl. pag.* 408. vel, ut est in *Notis Tyronis*, *Ballator*, saltator est. Unde *Balatio*, saltatio in *Glossis* Isidori; & *Ballematium* seu *Ballistium*, chorea seu cantilena, ad quam saltatur, à verbo *balare*, id est, saltare, choreas ducere Item *Ballare*, Gall. *Baler*. Ugutio, *Ballare, huc & illuc inclinare, vacillare.* *Notæ* Tyronis, *Ballas, ballator, ballatrix* Quæ voces a Græco deductæ, *Gloss.* Græc. Lat. Βαλλίζω, *pergo, gradior.* Βαλλίζει, *ambulat.* Βάλλισμα, *hic gressus.* Βαλλίζω *ballo.* Lexicon *MS.* Reg. Βαλλίζειν, τὸ κύμβαλα κροτεῖν ἢ πρὸς τὸ σὺν τοῦ κτύπου ὀρχεῖσθαι· Βαλλίζειν, *est cymbala percutere, & ad istiusmodi sonum saltare.* Vide Athenæum *libro* 8. *pag.* 362. Concilium Laodicen. *can.* 52. Augustinum *Sermon.* 213. *de Temp.* Synodum Rom. sub Eugenio II. Anno Chr 826. *can.* 35. aliosque Scriptores, Carolo du Fresne laudatos in *Glossar.* ut & infrà, in voce *Balistium* Hinc *Balet* Gallis hodieque genus saltationis, à pluribus diversa schemata exprimentibus peragi solitum; item Dramatici poëmatis species, fabulorum Deorum laudes, ab illustribus personis recitari solitas, plerunque comprehendens, de qua utraque vocis notione vide P. Richeletum *Diction. Gall. haud pridem edito*.

Balatus & *Balbatus*. Vide suprà *Babalabus*.

Balbis, Græcè Βαλβὶς, in Stadio, nonnullis idem quod ὕσπληγξ: alii accuratiores vero distinguunt. Utraque enim quidem ad Stadii ingressum, unde cursores emittebantur; sed Βαλβὶς propriè fuit linea, in solo depressa & modice cavata, cui insistebant Cursores: At ὕσπληγξ repagulum, vel regula altiùs è solo elata & opposita Cursoribus, quæ signo curre di dato, ruebat repentè & in Βαλβῖδα incidebat, ad cujus cavi modulum ita attemperatè facta erat, ut decidens lineæ hujus cavitatem impleret & exæquaret. Quo facto & limite complanato in cursum se dabant ac pedum certamen ausi cabantur ... Statius *lib.* 6.

Ut rnit, atque æquum summisit regula limen,
Corripuere leves spatium, &c.

Itaque Βαλβὶς linea erat, ad quam stabant Cursores: ὕσπληγξ transversum repagulum, quod ... ter duo alia attectaria & exstantia ligna positum signo dato, à duobus Hermulis utrinque funibus laxabatur. Vide infrà, ubi de his ὑσπληγίοις *Hermulis*. Ovidius alicubi *carcerem* vocavit βαλβῖδα, sed abusive; Nulli quippe carceres in Stadio, uti infrà videbimus. Sed & Circi fores, cancellatim ac reticulato opere factæ, βαλβῖδες quoque dictæ sunt, ut diceturus in voce *Cancelli*. Plura vide apud Salmasium *ad Solinum pag.* 923.

Viri Illustres.

Balbus Cornelius, cognom. *Garamanticus*, ob victoriam de Garamantibus reportatam, memoratur Solino *cap.* 29. *Garamantas Cornelius Balbus subegit, & primus ex hac victoria triumphavit Primus sanè de externis, utpote Gadibus genitus, accessit ad gloriam nominis triumphalis.* Cui proin una cum *Balbo* Patruo majore civitas Romana data est; qui posterior ad Consulatum quoque ascendit Plinius *lib.* 7. *cap.* 43 ubi de variis Fortunæ exemplis, *Fuit & Balbus Cornelius major Consul, sed accusatus, atque de jure virgarum in eum Judicium in consilium missus, primus externorum atque etiam in Oceano genitorum, usus illo honore, quem majores Latio quoque negarunt* Vide Salmasium *ad Solinum pag.* 383.

Balbus Cornelius, *Major* cognominatus, ad differentiam alterius Balbi ex fratre nepotis, viri Triumphalis; primus externorum Romæ Consul fuit: uti vidimus suprà.

Balcanifer, Vide infrà *Baldakinus*.

Balcia Insula, vel *Balthia*, occurrit apud Solinum *capite* 39. *Auctor est Xenophon Lampsacenus, à littore Scytharum in insulam* Balciam *triduo navigari: ejus magnitudinem immensam & penè similem continenti; nec longè Oeones separari: quas qui habitent, vivant ovis avium marinarum, & avenis vulgò nascentibus,* &c. Ita enim *Excerpta* Plinii antiqua habent, & exemplaria *MSS.* At libri Soliniani *Abalciam* vulgò præferunt. Salmasius *ad Solinum pag.* 217.

Balcones, in *Inscr.* quæ legitur in Cœmeterio S. Proculi Veronæ, *Fecit balcones novos super* balcones *veteres elevari.* Italis *Balconi*, Gallis *Balcons*, exedræ sunt prominentes; vox, ut volunt nonnulli, propria Venetorum; ut alii, Genuensium, du Fresne *Glossar.* Sic Salmasius voce hac indigitari ait, quæ foribus adjici & super januas extrui solent, *grundas* Latinis dictas. Græcis recentioribus ξυλαία, Vide eum *Not. ad Spartianum in Pescennio Nigro*.

Baldachinum, vulgò in Ecclesia Latina vocatur umbella, quæ super S. Eucharistiam, cùm circumgestatur, deferri solet: imò & super eam in Altari, ut vocant, asservatam & subinde super Altaria, absque asservatâ ibi Eucharistia, suspenditur. Operimentum est quadratum, memoraturque in *Actis* S. Theoctistæ Lesbiæ, ubi agitur de Altari in templo B. Mariæ, in Insula Paro. Vide And. Solerium *de Pileo sect.* 4. Carolo du Fresne, *Baldakinus* seu *Baldekinus*, vox recentioris ævi pannum notat omnium ditissimum, utpote cujus stamen ex filo auri, subtemen ex serico texitur, plumario opere intertextum: à *Baldacco* seu Babylone, Persidis celebri urbe dictum, quòd conficeret ibi & inde in Occidentem deferretur. Gallis & Anglis *Baudequin*: quâ appellatione donata etiam legitur moneta minutior, cujus in commerciis usum prohibendum efflagitarunt in Gallia *Monetarii*. A. C. 1308 uti est in vet *Scripto* Cameræ Comput. Paris. forte quod Rex sub *Baldekino* seu

umbra-

umbraculo in throno sedens, in ea repræsentaretur. Crebrò autem *Baldachinum* seu *Baldekinum*, pro umbraculo sumi seu umbella, eò quòd utplurimum istiusmodi umbella ex panno hoc pretioso conficeretur, ex Auctoribus notum; inprimis pro conopeo seu umbella illa, uti dictum, quæ tegendo Tabernaculo & Altari, ac Sacramento, per viam, unà cum Sacrificulo illud deferente, inservit: quod tamen album debere esse, notant Macri fratres, apud quos *Baldachinum*, à *Baldachino* Regulo Damasci (unde sericum Babylonem defertur) quem Balduinus, Gothofredi Bullionæi Frater, in Regno successor, vicerat, ut refert Blondus *Decad.* 2. *lib.* 5 *ad A. C.* 1130. dictum videri, quoque legas, in *Hierolex.* Hinc *Balcanifer*, apud Matth. Paris. *ad A. C.* 1237. & 1247. quo nomine insignitus est Vexillifer, apud Templarios olim Milites &c.

Baldus, adde: Juris disciplinam tam avidè arripuit, ut anno ætatis 17. publicè de ea disputare cœperit: Postea Bononiam, ubi Bartholus docebat, ad jus interpretandum vocatus, magnam sibi gloriam docendo scribendoque conciliavit. Inde Papiam invitatus à Johanne Galeacio Mediolan. Duce, Jus ibi Civile professus est. Post magnos tandem in disciplina hac illustranda labores exantlatos, Papiæ, relictis filiis duobus, Juris itidem apprimè peritis, decessit: admorsus in labio inferiori à rabiosa canicula, quam in delitiis habebat, ut quidam referunt. Lepidum est, quod de eodem, & Bartholo Præceptore ejus primùm, postea collega, tradunt, tantam aliquando inter utrumque altercationem publicè fuisse exortam, propter variam lectionem *§. ult. l. si Creditor. ff. de distract. pignor*, ut Pisas communi consilio miserint, qui exemplar librorum, qui tunc *Florentini* nominabantur, inspicerent, visum utrum *Nullam venditionem*, ut Bartolus; an *Ullam*, ut Baldus contendebat, scriptum haberent. Præterea ejus apud Joh. Calvinum *Lexic. Jurid.*

Balena, piscis genus, quod, perinde ac *sturgio* apud Anglos, solius est Regis, ut habent Bractonus *de Corona libr.* 3. *cap.* 2. *§.* 4. & Fleta *libro* 1. *capite* 46. *LL.* Scaniæ Andreæ Suenonis *libro* 8. *capite* 1. *Omnes pisces, sive sint mortui, sive vivi, si casu versùs terram appulsi, ut manus hominum non possint effugere, occupantibus conceduntur, præter sturgionem, qui juri Regio à quocunque repertus fuerit, totus cedit: præter quoque cetum, de quo, quicunque primus advenerit, si pedes venerit, fascem suis sufficientem humeris; si eques, onus equi: si auriga, quantum currus trahere poterit: si nauta cum navi venerit, quantum navis sex remorum deportare poterit: deportabit, eventumq; rei exactori Regis nuntiabit, aliàs tres marcas nummorum persolvet.* De decima *Balenarum*, Vide *Monasticon* Anglic. *Tom. I. pag.* 30. & *Tom. III. pag.* 4. Adde, quæ de *Balenis* observavit Cleyracus *ad LL. maris Oleronenses*, *Art.* 44. laudatus Carolo du Fresne in *Glossar.* Vide quoque supra ubi de *Balenis*.

Balerus, Rex Cadusiorum, cujus epistola ad Saporem Persiæ Regem, de Valeriano Imperatore captivo liberetati restituendo, legitur apud Trebellium Pollionem in *Valeriano Patre*, cujus initium: *Remissa mihi auxilia integra & incolumia gratanter accepi, sed captum Valerianum Principem non satis gratulor, magis gratularer si redderetur. Romani enim*, &c. Ubi Palatinus *Velenus* habet, & editio prima, scripti quidam *Belenus*: quod magis probat Salmasius, quam *Balerus*. *Not. ad l.*

Balestra, hodiernis Græcis appellatur instrumentum Chirurgicum, balistæ exiguæ formam referens, quo sanguinem illi demittere solent. Ejus usus inprimis in monte Atho, ubi Calocero[illegible] ultra viginti millia: descriptionem habes & figuram, apud Jac. Sp[illegible]nium *Itinerar. Græc. Part.* 3. *p* 256. *& seqq.*

Balfridus, Vide infrà *Belfridus*.

Balia seu *Balliva*, dicuntur in Monasteriis, officinarum in iis præfecturæ, Monachis demandatæ, apud Innocentium III. Pontif. Rom. *lib.* 13. *Epist.* 55. Sic Matthæus Paris *pag.* 1 0 *Monachus*, inquit, *ballivam suam, si quam habes, amittas.* Idem alibi. *In qualibet* Balliva, *quas obedientias dicimus, constituit.* Vide Car. du Fresne in *Glossario*. Nempe *Balia*, item *Baillia*, & *Balium* apud recentiores. Gallis *Bail* & *Baillie*, Italis *Balia*, administratio rerum & bonorum pupilli; à *Bajulus*, quæ vox inter alia *Tutorem* notat, in *Consuetudinibus* Municip. Galliæ passim. *Tabularium* Privat. apud Car. du Fresne, *Etsi ipse infans talis fuerit, qui in* ballias *debeat intrare, ipsi possessores illius loci teneant & nutriant eum: &, quando infans ad perfectam venerit ætatem, &* de ballia *exire poterit, bonorum recipiat* &c. Item, in genere, quævis bonorum administratio, apud Falconem Benevent. in *Chron. Jurejurando firmavit, quòd Conestabiliam & Rectoraticum, aut aliquam* Baliam *publicam non acciperet.* In *Charta* An. Chr. 1159. apud Joffredum in *Nicea pag.* 175. *Omnes administrationes sive balias* &c. Quo sensu *Balium Regni*, occurrit apud Hugonem Falcandum *de Siciliæ calamit. pag.* 671. *Reginam autem præcepit totius Regni curam & administrationem (quæ vulgò* Balium *appellatur) tandiu gerere, dum puer ejus prudentiæ esset, quæ negotiis providè disponendis sufficere putaretur*, &c. Vide Carolum du Fresne *in Glossar.* in voce *Bajulus*.

Balingaria seu *Balingarius*, navis bellicæ species, cunabuli, quod *Balinia* seu *Balingia* olim Galli vocabant, formam referens, Thomas Walsinghamus in *Richardo II. Tandem penè solus fugitivus in* balingario, *pervenit ad eundem Comitem.* Infrà, *Recepta sunt autem ibi vasa* —— 21. *cum quibusdam vasis eorum, scilicet* 4. *Bargis & uno Balingario.* Alibi, *Hostes armaverant* 5 *vasa bellica, qualia* Balingarias *appellamus.* Idem, *Una Bargia* & 7. *Balingariæ periclitatæ sunt, ante villam de Calesia*, &c. In *LL.* Alfonsinis *part.* 2. *tit.* 25. *lege* 7. appellatur *Ba[illegible]er*, apud Eund.

Balisa, vulgo *Baise*, fluvius Galliæ, in agro Aginnensi, alluens Condomium ad Balisam, vulgò *Condom*, caput pagi Condomiensis, Hadr. Valesius *Not. Gall.*

Balista, decimus septimus inter XXX. Rom. Tyrannos, Pollioni memoratos, de quo tamen, utrum imperaverit, Scriptores inter se ambigunt. Fuit vir insignis, eruditus ad gerendam Remp. in consiliis vehemens, in expeditionibus clarus, in provisione annonaria singularis, Valeriano Imperat. sic acceptus, ut cum quibusdam literis hoc testimonio prosequutus sit: *Valerianus Ragonio Claro, præfecto Illyrici & Galliarum. Si quid in te bonæ frugis est, quam esse scio, parens Clare, dispositionem* Balistæ *prosequere. Hac in forma Remp. vides, ut nec ille Provinciales gravet, ut illic equos contineat, ubi sunt pabula, illic annonas militum mandet, ubi sunt frumenta: non provincialem, non possessorem cogat ille frumenta, ubi non habet, dare, illic equum, ubi non potest, pascere: nec est ulla alia provisio melior, quàm ut in locis suis erogentur, quæ nascuntur, ne aut vehiculis aut sumtibus Remp. gravent. Galatia frumentis abundat, referta est Thracia, plenum est Illyricum: illic pedites collocentur, quanquam etiam in Thracia equites, sine noxa Provincialium, hibernare possint. Multum enim ex campis fœni colligitur. Jam ubi laridum, jam cetera species in his dandæ sunt locis, in quibus affatim redundant. Quæ omnia sunt* Balistæ *consilia, qui ex quaque provincia unam tantùm speciem præberi jussit, quòd ea redundaret, atque ab ea milites submoveri: id quod publicitus est decretum.* Idem Imper. alia Epistolà eidem *Balistæ* gratias egit, sibi præcepta gubernandæ Reip. data ab eo, docens gaudensque: quòd ejus consilio nullum asc[illegible], id est, vacantem haberet, & Tribunum nullum stipatorem, qui non vere pugnaret, &c. Post Valerianum à Persis victum & captum, una cum Macriano, exercitus reliquias convocavit &, egregia oratione de surrogando Principe habita, effecit, ut Macrianus Imperator proclamaretur, contra Gallienum, indignum habitum qui imperaret. Sed Macriano cum filiis, cum quibus, *Balistæ* judicio, Imperator factus erat, ab Aureolo victo: Odenatus, qui olim jam Orientem tenebat, quasi Gallieni partes vindicaret, Quietum, minorem Macriani filium, *unà cum Balista Præfecto, interemit*, Trebellius Pollio in *Trig. Tyr.* ubi de Quieto. Idem vero, in *Gallieno* scribit, *auctore Præfecto Macriani Ballista juvenem occisum ab iis qui erant cum ipso:* in *Ballista* etiam scriptum reliquit, *occiso jam Quieto Ballistam imperasse & postea tum interemtum à gregario milite, in gratiam Odenati.* Quam [illegible] sic conciliat Salmasius, ut dicat, brevitate loquendi eam facilè excusari. Etsi enim aliquanto tempore post Quietum *Balista* interemptus sit, utrumque tamen constare ab Odenato vel in ejus gratiam fuisse interemtum. Idem proin lubenter in *Quieto* Pollionis legeret, *cum Ballista Præfecto vel Imp.* h.e. *Præfecto vel Imperatore.* Vide Salmasium *Not. ad Pollionem.* Græci fere Βαλλίσταν habent, nummi *Balistam*, uti vidimus. Sed liquidam in hoc nomine geminatam habent omnes versus *de Ballista*, Virgilii Præceptore. Casaubonus *ibid.*

Balista, machina bellica, in oppugnandis urbibus, à Romanis, præcipuè usurpata, ἀπὸ τῦ βάλλειν, *à feriendo:* Quam his verbis describit Ammianus Marcellinus *libro* 13. *Ferrum inter axiculos duos firmum compaginatur, & vastum in modum regulæ majoris extentum: cujus ex volumine teretis, quod in medio ars polita componit, quadratius eminet stylus extensiùs recto canalis angusti meatu cavatus, & hac multiplici chorda nervorum tortilium illigatus: eique cochleæ duæ ligneæ conjunguntur aptissimè, quarum prope unam assistit artifex contemplabilis, & subtiliter adponit in temonis cavamine sagittam ligneam, spiculo majore conglutinatam, hocque facto, hinc inde validi juvenes versant agiliter rotabilem flexum. Quum ad extremitatem nervorum acumen venerit summum, percita interno pulsu à balista, ex oculis evolat, interdum nimio ardore scintillans: & evenit sæpius, ut antequam telum cernatur, dolor lethale vulnus agnoscat.* Apud Anglos simile quiddam est, instrumentum bellicum, quod vulgò *a Croßbowe* vocant, sed *Balista* grandior fuit machina; & formæ planè diversæ. Vide quoque Vegetium *Rei milit. libro* 4. *capite* 22. ubi *Balistam* funibus nervinis chordisque tendi solitam esse refert. Nervi autem illi è crinibus equinis erant. Accius in *Philoctete*: cujus versum imperfectum adducit Servius, *ad Æneid. libro* 9. *versu* 622.

Reciproca tendens nervo equino concita
Tela.

Car. du Fresne *Balista*, seu *Ballista*, machina est jaculatoria, ex Græc. βάλλειν, *L.* Wisigoth. *lib.* 8. *tit.* 4. *§.* 23. *Si quis* —— *laqueos vel arcus prætenderit, seu balistas.* Monachus Vallis Sarnensis in *Hist. Albig. cap.* 42.

cap. 42. Ecce sagitta per ballistam ab adversario emissa, ser viente illum percussit. Fortunatus *lib. 3. Poëm. 10.*

Illic est etiam gemino ballista *volans,*
Quæ post se mortem linquit & ipsa fugit.

Guilielm. Britto *Philippidos lib. 1.*

Nec tamen interea cessat balista, vel arcus,
Quadrellos hæc multiplicat, pluit ille sagittas, &c.

Gall. vulgò *Arbaleste.* Apud eundem Brittonem *Balistarius arcus* dicitur *lib. 2.*

Francigenis nostris illis ignota diebus
Res erat omnino, quid balistarius arcus,
Quid balista foret, &c.

Species ejus variæ recensentur, apud Sanutum *lib. 2. part. 4. capite 8. Balistæ grossæ à turno, balistæ à pesarola*: apud Eundem, *Balistæ à pectoribus, capite 23. Rectæ ballistæ, quibus istæ muschettæ propriè deputantur, sunt balistæ, quæ balistæ à pectoribus nuncupantur*, apud Jacobum de Vitriaco *lib. 3. pag. 1143. Balistæ cum cornu fortissimæ*: Ibidem *magnalium balistarum & arcuum* mentio fit. Sæpe etiam *Balista* seu *Balistra* accipitur pro machina, quâ saxa emittuntur ad quatiendos muros, quarum variæ species, de quibus præ cœteris copiosè egit Angelus Portenarius in *Felicit. Patavina lib. 5. capite 5* &c. Hinc dicti sunt *Balistarii*, Gallis *Arbalestiers*, qui *arcu baleari* in prælius utebantur, id est, *baleâ* seu *balistâ.* Monachus Vallis Sarnaji *capite 63. Habebant præterea* Balistarios, *qui* &c. Concilium Rom. Anno Chr. 1139. *cap. 30. Artem illam mortiferam & Deo odibilem* Balistariorum *& Sagittariorum adversùs Christianos & Catholicos exerceri de cætero sub anathemate prohibemus.* Concilium Lateran. IV. *can. 18. Nullus quoque Clericus Rotariis aut* Balistariis *aut hujusmodi viris sanguinum præponatur.* Ubi Interpreti Græco Τζαγγάτορες rectè dicuntur; at errat, cùm Τζάγρας *Ruptarios* fuisse censuit, uti docet Carolus du Fresne *Glossar.* & *Notis ad Alexiadem.* Idem observat, *Balistarios* Genuenses multi olim habitos fuisse. quod ipsum de Catalaunis prodit Raimundus Montanerius in *Chron. Aragon. cap. 130.* &c.

Balius, Achillis equus, apud Homerum *Iliad. π.*

Ξάνθον τε καὶ Βαλίον, τὼ ἅμα πνοιῇσι πετέσθην.
Xanthumque & Balium, celebres filii Podarces,

quæ una ex Harpyiis, Zephyro juncta eos peperit. Casparus Barthius *Animadvers. ad Thebaid. libro 6.* Nomen à colore. Sic enim in Eumeli quadriga Euripides *Iphig. in Aulide*, describit, Τοὺς μὲν μέσους ζυγίους λευκοστίκτῳ τριχὶ βαλιοὺς, τοὺς δ' ἔξω σειραφόρους — πυρρότριχας. *Medios quidem jugales equos pilo albis maculis distincto varios, funales vero extra jugum — rufis pilis insignes.* Ubi βαλιοὺς, *varios*, interpretatur Bochartus, quem vide *Hierozoici Part. poster. lib. II. cap. 7.*

Ballare, à Græco βάλλειν, Vide infrà *Ballistea*, & suprà, in voce *Balator.*

Ballastrum, in *Glossis* Isidori & *MSS. balineum*, V. infrà, in voce *Balliones.*

Ballematica organa, Græcè βαλλεματικὰ, apud Isidorum, sunt quæ percutiuntur, ut cymbala, tympana & reliqua hujusmodi: *Originum libro 3. capite 21. Cymbala & acetabula quædam sunt, quæ percussa invicem se tangunt & sonum faciunt. Dicta autem cymbala, quòd cum* ballematiis *simul percutiuntur. Ita enim Græci dicunt cymbala ballematica.* Sed fallitur more suo bonus Isidorus, ait Salmasius: cui *Ballematia* sunt saltationes, & *ballematica cymbala*, non quia percutiantur, sic dicta sunt, sed quia ad eorum sonitum saltetur; adeoque *saltatoria.* Βαλλίζειν pro βάλλειν Græci dixerunt. Aristophanes, Καὶ λίθοις βαλλίσομεν, *& lapidibus jaciemus*: hinc βαλλισμὸς & βαλλεματικὸν, idem omnino quod βαλλισμός. Nam βαλλίζω idem quod βαλλίζειν & ab illo βαλλῶ Latinum est *ballo*, id est, *salto*, & *ballationes*, hoc est, *saltationes.* Isidorus in *Gloss. Ballematia, inhonestæ cantationes & carmina jocaq; turpia.* Ubi *Ballematia* & *Ballistia* idem omnino sunt, choreæ scil. vel cantilenæ, ad quas saltatur; cujusmodi *Ballematia* in Sanctorum Natalitiis interdicuntur, in Concilio Toletano. Sic in Concilio Laodiceno, βαλλίζειν ἢ ὀρχεῖσθαι sic juncta sunt, ut apud Vopiscum in *Aureliano*, *Ballistia & Saltatiuncula.* Nempe, uti Vopiscus hic *saltatiunculas* addidisse videtur, ut *Ballistia* explicaret. ita Patres Concilii Laodiceni ὀρχεῖσθαι adjecerunt, quo vocem illam vulgarem βαλλίζειν exponerent, Vide infrà.

Balliones, Græcis Βαλλίωνες dicti sunt, qui Latinis *Aquarii.* Axionicus Com. apud Athenæum,

Ὁ Πυθόδωρος οὗτος ὁ ἐπὶ Βαλλίων,
Pythodorus hic similis Ballioni:

hoc est, *aquè impurus & scelestus, atque aliquis Ballio.* Iidem Βαλλάδες quoque. Optimæ *Glossæ, Aquarioli* βαλλάδες. Utrumque autem, & βαλλὰς & βαλλίων, ab aqua jacienda & effundenda, ἀπὸ τοῦ βάλλειν ὕδωρ, quòd lavantibus meretricibus (horum enim ministri erant, παραβαλανεῖς hinc dicti) aquam aggererent, Vide suprà ubi de *Aquariis*, & *Bacarionibus*, nam & hoc nomen habuere, à *bacarione* vase huic rei in balneis servientc: quod ἀρύταινα Græci, item ἀρυτῆρα, dicebant, ἀπὸ τοῦ ἀρύω & βάλλειν. Inde igitur & Βαλλίωνες & Βαλλάδες (sicut παραβαλάδες συνεβάλλοντες, à παραβάλλειν.) Hinc & βαλανεῖον pro *balneo.* Nam ἀπὸ τοῦ βάλλειν, derivantur βαλλίζω & βαλάζω, unde βαλανεῖον. Isidori *Glossar. ballastrum balineum.* Idemque παραβάλλειν ὕδωρ, in balneis, quod παραχεῖν, quod opus faciebant balneatores. Unde οἱ παραβαλλόμενοι, qui lavantur, & quibus aqua παραχεῖται: ut patet ex Græcis Βασιλικῶν Interpp. qui *argentum balneare*, cujus mentio *l. 32. D. de auro & arg.* reddiderunt, τὸν τῶν παραβαλλομένων ἄργυρον; ita enim vete. Libri ibi legunt, annotante doctiss. Labbæo &c. Salmasius *Notis ad Flavium Vopiscum in Carino Imp.*

Ballista, machina militaris, cujus mentio, apud Aul. Gellium *lib. 6. cap. 3.* ubi de inusitatæ magnitudinis serpente, ad Bagradam, fluv. ab Attilio Regulo Conf. oppugnato, verba facit: *Eum*, inquit, *magnâ totius exercitus conflictione*, ballistis *atque catapultis diu oppugnatum.* Nempe *Ballista* lapides & saxa jaciebat, aliquando ad trecenta pondo; catapulta tela: quanquam hæc non raro confundantur. Intendebatur autem utrumque funibus ac nervis, ut videre est apud Amm. Marcellinum *lib. 23.* Just. Lipsium *Poliorcet. lib. 3. cap. 2. & 3.* ac Stevvechium *Annotat. in Vegetium.* Vide supra *Balista.*

Ballistia, seu *Ballistea*, apud Flav. Vopiscum in *Aureliano. Refert Theoclius — Aurelianum manu suâ bello Sarmatico uno die quadraginta & octo interfecisse: plurimis autem & diversis diebus ultra nongentos quinquaginta: adeo ut etiam* Balistea *pueri & saltatiunculas in Aurelianum tales componerent, quibus diebus festis militariter saltitarent, Mille, mille, mille, mille, mille, mille decollavimus. Unus homo mille, mille, mille, mille, decollavimus. Mille, mille, mille, vivat, qui mille, mille occidit. Tantum vini habet nemo, quantum fudit sanguinis. Hæc video esse, &c.* idem sunt, quod *Ballets* Gallorum, nam inde deducta vox hæc. Βαλλίζειν Græcis *saltare* est, à βάλλειν, *jacere, jactare*; quod saltantes faciunt, qui *manus jactando* saltant. Propertius,

Nanus & ipse suos breviter contractus in artus,
Jactabat truncas ad cava buxa manus.

Id est, saltabat ad tibiæ cantum. Ovidius,

Et faciles jactent ad sua verba manus.

Sic Græci βάλλειν χεῖρας dicunt de saltantibus. *Epigramma*, cujus Salmasius meminit *ad loc. cit.* inscriptum εἰς Ὀρχηστρίδα, in *Saltatricem*:

Αἰνῶ δ' οὐχ ὅτι πάντα παλαίστρην, οὐδ' ὅτι βάλλει
Τὰς ἁπαλὰς ἁπαλῶς ὧδε καὶ ὧδε χέρας.
Laudo, non quòd per omnia movetur, non quòd jactat
Teneras temerè huc illuc manus.

Neque βαλλίζειν solùm χεῖρας & βάλλειν χεῖρας integrè, sed & βαλλίζειν ac βάλλειν simpliciter: item βαλλῶ, à quo vox Latina *ballare*; item *ballematia.* A βαλλίζειν itaque βαλλιστὴς, *Saltator* & βαλλισμὸς *saltatio*, item βαλλιστεῖον, *carmen ludicrum inter ballisandum saltari solitum*: cujusmodi carmina non raro occurrunt. Et quidem *Ballistium* seu saltatiunculam, cujus apud Vopiscum mentio, ut est in membranis expressa, sic exhibet Salmasius:

Mille, mille, mille, decollavimus,
Unus homo mille decollavimus,
Mille vivat, qui mille occidit.
Tantum vini habet nemo
Quantum fudit sanguinis.

Ballistea namque, & saltatiunculæ & cantilenæ ejusmodi vulgares, minoribus istis versiculis ut plurimùm componi solitæ sunt à trivialibus illius temporis Poetis, quibus etiam moris erat, integros trochaicos tetrametros catalecticos, per medium scindere & dividuos sic facere, ut alternis versiculis currerent: & prior quidem pedes haberet quatuor, posterior tres cum syllaba; quo genere multos hymnos à Christianis Poëtis compositos esse, novimus. Vide Bedam *de Metris.* Nec impedimento est, quòd una syllaba redundet in priore versiculo. In modulanda enim cantilena & pedibus percutienda, sic pronuntiatur illud alterum *mille*, quasi monosyllabon esset, ita:

Mil' vivat, qui mille occidit.

Nullum autem vulgares illi versuum concinnatores legis metricæ habuere respectum, sed solius modulationis & numerosæ compositionis verborum, quæ ita ad aures accidit, ut formam videatur habere veri legitimique metri; cùm propriè non *metrum*, sed *rhythmus* esset, ut apud eundem Bedam videre est: aut potiùs medium quid inter utrumque. Vide infrà ubi de *Rhythmo.* Quamvis in hac ipsa cantilena versus hic ad trochaici metri formam planè probeque factus sit,

Tantum vini habet nemo, quantum fudit sanguinis.

Mensuram enim trochaici, totidem syllabis, totidemque pedibus, justam & commodam servat, & proin rhythmicè ac metricè quodammodo concinnatus est. In altera vero saltatiuncula, de eodem Aureliano composita, quam paulo pòst Vopiscus subjungit, versus isti rhythmici tantùm sunt, non etiam metrici:

Mille Sarmatas, mille Francos
Semel & semel occidimus.
Mille Persas quærimus.

Nam in his verborum modulata quædam & numerosa copulatio ad

aures accidit, non metrica ratione, sed solo syllabarum ad imaginem rhythmi trochaici fluentium decursu subsistens & ad plebejarum aurium judicium examinata. Ad hanc enim faciem vulgus saltatiunculas & cantica sua componebat, gestusque & motus corporis, qui tali modulationi cantus convenirent, illis adjungebat, æquè sc. incompositos & inconditos ut erant rhythmi numerique, quos desaltabat. In quibus componendis, cùm nullam tenerent legem metricam, nec adeò propter imperitiam tenere quirent, interdum tamen sono ipso & modulatione quasi manu ducente, casu potiùs, quàm ratione, ad metrorum quandam similitudinem delabebantur. Atque, ut trochaicum metrum saltationibus & cantionibus erat valde accommodum, unde & pes τροχαῖος & χορεῖος dicebatur; sic vulgi quoque captui ob id maximè congruum & familiare, qui naturali animi motu ad saltandum tripudiandumque & varios gestus corpore edendos ferri solet. Inde jocos militum, qui à tripudiantibus exultantibusque in triumphantes Duces jactabantur, isto metro ut plurimum concipi fuit moris. Cujus rei exemplum suggerit Suetonius *in Julio*, in illo:

Urbani servate uxores, mœchum calvum adducimus.

Vulgaria quoque dicteria, quæ populus ipse in aliquem joculariter jactitata canebat, modulis trochaicis decurrebant. Vetus Interpres Juvenalis de Sarmento: *Eò fiduciæ venit, ut pro Equite Rom. gereret, decuriam quoque quæstoriam compararet, quare per Ludos, quibus primùm in XIV. ordinibus sedit, hæc à Populo in eum dicta sunt:*

Aliud scriptum habet Sarmentus, aliud populus voluerat
Digna digni. Sic Sarmentus habeas crassas compedes.
Rustici, ne nil agatis, aliquis Sarmentum alliget, &c.

Sic cantilenæ & saltatiunculæ omnes vulgares, sic *Ballistia* præfata Aureliani. Hinc factum denique, ut Græca Poësis vulgaris numeris trochaicis tota constaret & Latina etiam magna ex parte. Vide infrà, ubi de versibus *Politicis*. Nec abludit hodierna Gallica, quæ tota rhythmica est, certo syllabarum ad rhythmum copulatarum, libero scribentis arbitrio, currens, &c. Vide Salmasium *ubi suprà*. Simile *Ballistium* in S. Literis habetur, 1. Regum *cap.* 18 ubi, cùm reverteretur percusso Philisteo David, & ferret caput ejus Hierosolymam, egressæ mulieres cantabant, chorosque ducentes in occursum Saulis R. cum tympanis & sistris, præcinebant ludentes atque dicentes, PERCUSSIT SAUL MILLE, ET DAVID DECEM MILLIA. Casaubonus *ad eundem Vopisci locum*.

Ballivi, Gallis *Baillis*, voce à *Bajulus* deductâ, de quo suprà, dicti sunt, quibus justitiæ in provinciis & majoribus civitatibus administrandæ cura à Principe demandata erat, quâ notione in *Constitutionibus* Galliæ Regum hæc vocabula passim occurrunt. Comitum nempe subiere vicem, qui primâ & secundâ Regum stirpe stante id muneris obibant. At cùm inclinatâ & frequentibus Normannorum irruptionibus attritâ ac penè profligatâ eorundem Principum auctoritate, Comitatus suos sibi proprietario jure asseruissent; iidem juris dicendi facultatem tradidere Vicariis, quos *Bajulos* ac *Ballivos*, vocabulo istius ævi, vocarunt, quo ita appellabantur, quibus rei alicujus cura demandata erat: ut qui *Justitiæ suæ Custodes* essent, ac veluti Rectores & Præsides; quod etiam fecere Reges in iis oppidis ac civitatibus, quæ sui ac proprii juris erant. Sacramentum, quod, antequam munus suum inirent, edere Ballivi hi tenebantur, ex quodam *Regesto* Memorialium Cameræ Computorum Paris. descriptum exhibet in *Glossario* suo Carolus du Fresne. Non modò autem in assisiis suis jus dicebant majores isti *Ballivi*, sed etiam Regum domania, uti vocant, seu res, quæ fisci sunt, exigebant ac poscebant: v. g. mulctas ac emendas pecuniarias, confiscationes, forisfacturas, escaëtas, laudimia, manus mortuas, & alia id genus, de quibus rationem accepti & expensi coram Magistris Computorum Parisiensium quotannis putabant, ut est in *Statuto* dato Vivarii Anno Chr. 1319. pro eadem Camera Computorum: cujusmodi *Ballivorum* Computa in Rotulis membraneis comprehensa non pauca, se legisse idem refert Car. du Fresne. Seligebantur ex ordine Militum, ut auctor est Monstreletus *Volum. I. cap.* 156. atque interdum *Gubernatores Balliviarum* suarum sese inscribebant, ut ex Froissardo *Volum.* 2. *cap.* 24. colligitur, quo postmodum iis interdictum, *Statuto* 8. April. Anno Chr. 1342. Quòd si bellum ingrueret, vel à Rege submonerentur & citarentur Feudatarii, *Ballivi* communias Balliviarum suarum in exercitum educebant, iisque præficiebantur. Vide *Homagium* Vicarii Salviæ in Occitania, apud Catellum in *Histor.* Tolos. *Comit.* apud Car. du Fresne. Neque verò, administratione suâ durante, quæ annua erat (quemadmodum & Vicarii eorum, quos ii eligebant, annui solùm, hodie Gallis *Lieutenans Generaux* dicti) possessiones per se vel per alium emere in *Ballivia* sua, absque Regis licentia, poterant; aut sibi vel liberis, fratribus aut sororibus, & consanguineis vel cuicunque de familia sua, non impetrato priùs Regis assensu, procurare, ex *Statuto* Ludovici IX. Sed &, ut omnis odii ac favoris in judiciis abesset suspicio, statuit Philippus Pulcher, ut aliunde assumerentur, quàm ex *Balliviis*, ad quas mittebantur, *Statuto* A. C. 1302. *cap.* 17. cui consona habet de Friderico I. Imp. Guntherus *Ligurini lib.* 8.

— — — *Cunctasque per urbes*
Electos in jure viros, verique sequaces
Imposuit, medio qui cuncta negotia juris
Limite discuterent, nec eos ex urbibus iisdem,
Ne favor aut odium sensus corrumpat eorum,
Sed magis ex aliis ad munera pulchra vocatos
Elegit, sacra vel delegavit ab aula.

Porro *Ballivi* finito officio, in sua Ballivia remanere tenebantur per dies 40. vel saltem Procuratorem sufficientem dimittere, ut de se conquerentibus coram illis responderent, quibus id fuisset commissum, ex *Statuto* dicto Ludovici IX. Anno Christi 1256. vel 50. & ex *Statuto* Philippi Pulchri Anno Chr. 1303. Quod etiam in Scotia factitatum docent *LL. Scotiæ*: utrique autem hauserunt id ex *l.* 1. *Cod. Ut omnes Judices tam civiles, quàm militis.* &c. & ex *Novella* Theodosii ac Valentiniani *de Tributis Fiscal.* Nec verò tantum in *Balliviis* suis morari per id temporis, sed etiam in Parlamentis sistere se tenebantur, ut de judicatis in assisiis suis responderent. Hinc, uti Senescalli, ita & *Ballivi* ex Magistris Requestarum, aut ex Parlamento esse non poterant, ex *Statuto* pro Reform. Regni Anno Christi 1302. *cap.* 8. &c. De *Ballivis* Anglorum, vide in voce *Ballivus*. De *Ballivorum* jurisdictione ac cognitione in Regno Siciliæ, agunt *Constitutiones* ejusdem Regni *lib.* 1. *tit.* 56. Inter Equites Melitenses & S. Stephani Florentinos, *Ballivorum* etiam magna dignitas est, V. suprà, ubi de *Bajulis*. At quia in Italia, præsertim in Neapolitano Regno, pro Cursore & Mandatario vox usurpatur, ideo in dicto Regno obtinuerunt à Concilio Conventus ipsi Melitenses Equites, ut *Priores*, non *Balivi*, vocentur. S. Stephani verò Equites, ultimam literam vocis Italicæ *Balio* dementes, *Bali* cum accentu pronuntiant, eque cum à *Balio*, Cursorem denotante, distinguunt, &c. Vide Car. du Fresne *Glossar.* & Macros Fratres in suo *Hierolexico*: ut & infrà in voce *Ballivus*.

Ballium, apud Matthæum Westmonaster. Anno Chr. 1265. *Eam* (civitatem) *cum exteriori* ballio *castri bellatorum suorum insultibus occupavit*: item in *Charta* Galcheri D. de Nantolio Anno Chr. 1218 in *Tabular.* Campan. ut & in *Charta* Henrici I. Regis Angliæ apud Carolum du Fresne, propugnaculi species est. In *Actis* Episcoporum Eboracens. locus Eboraci, reorum custodiæ destinatus, *Vetus Ballium* nuncupatur, quòd esset, ubi olim *vetus ballium*, seu propugnaculum. Vide eundem du Fresne *Gloss.*

Ballivus Imperii, apud Henricum Flandrensem in *Epistola* ad Innocentium III. Pontif. Rom. in *Gestis* ejusdem *pag.* 116. *Principes, Barones ac Milites exercitus me Imperii* Ballivum *elegerunt*: Regni vel Imperii Gubernator est. Hinc ipse se in eadem *Epistola*, *Imperii moderatorem* inscribit &c. Vide suprà ubi de *Bajulis* & *Ballivis*.

Ballodium, aliàs *Balodium*, vulgò *Ballieu en Marais*, locus Galliæ in pago Vabrensi, Hadr. Valesius *Not. Gall.*

Ballomer, apud Gregorium Turonens. *Histor. libro* 7. *capite* 14. 31. *libro* 9. *capite* 28. & Aimoinum *libro* 3. *capite* 61. falsum dominum seu Pseudoprincipem denotat. Ita enim Aimoinus hic imprimis vocat Gundibaldum quendam è Græcia profectum, Chlotarii Regis filium se mentientem, sicque à Gunthranno Rege per indignationem appellatum, refert. Certè *bal*, vete. Francis, *falsus* dicitur: unde *balmond*, falsus tutor: *mundus* enim tutor est. Crebræ quoque occurrunt Francorum appellationes in *mir* desinentes, ut *Marcomir*, *Chlodomir*, *Ingomir*, in quibus *Princeps* & vir eximiæ dignitatis denotatur. Alludit ad vim vocis Auctor *Vitæ Baldomeri* Subdiaconi, quem venerantur Lugdunenses d. 27. Febr. cùm exclamant: *O virum beatum Baldomirum, in quo nunquam dolus apparuit.* Car. du Fresne *Glossar.* Vide infrà ubi de *Pseudoprincipibus*.

Balluca, est χρυσάμμος, ut Tribonianus exposuit, id est, *aurosa arena*, quæ recens è terra effossa est, seu ramenta auri minutiora, nondum excocta. Pollux τὸν χρυσίτην ψάμμον vocat. Cujacius *l.* 1. *Cod. de Metallar. & metallis. lib.* 11. Meminit ejus *Cod.* Theodosianus *l.* 10. *titul* 19. ubi quantitatem ærario à metallorum fossoribus solvendam limitans, *Quatuordecim*, ait, *uncias* Ballucæ *pro singulis libris*. Vide *ad eundem Codicem l.* 3. & 4. *de Metallis*. Jacobum Gothofredum, & quæ suprà adnotavimus *de Aurosa arena*. Aliâ notione vocem usurpat Sebastianus Salmantic. Episcopus in Veremundo Rege, ærâ 817. Sed *Regalia palatia*, balluca, *triclinia*, *prætoria*, *quis satis pro ipsa pulchritudine valeat commendare.* Vide Carolum du Fresne *Glossar.* Macros Fratres *Hierolex.* & Calvinum *Lexic. Jurid.* Salmasio, *Balluca*, & *Ballux*, vox Hispanica, ex Græco βῶλαξ detorta, quod ψῆφον significat, vel *calculum*: unum fuit ex vocabulis aurariæ μεταλλείας, quæ Græcis nominibus maximè concepta fuisse, diximus supra in voce *Agoge*. Explicat vocem Plinius *libro* 33. *capite* 4. ubi de ratione inveniendi auri: *Aurum arrugiâ* (hoc est, ὀρυγῇ, *fossione*) *quæsitum non coquitur, sed statim suum est. Inveniuntur ita massæ. Nec non in puteis etiam denas excedentes libras. Palacras Hispani, alii palacranas: iidem, quod minutum*

natum est, Ballucem vocant. Hinc Martialis libro 12. Epigram. mate 57.

Hinc otiosus sordidam quatit mensam
Neroniana nummularius massa:
Illinc balucis malleator Hispanae
Tritum nitenti fuste verberat saxum, &c.

Uti legendum esse jam Hadrianus Turnebus monuit *Adversar. libr.* 30. *cap.* 36. & post eum Salmasius; Farnabio *paludis* reponente. Intelligit enim Poëta in his verbis Hispani auri malleatorem, qui monetam feriebat ex hoc auro, & malleis formas incudebat. Vide Salmasium *ad Solinum pag.* 1075. ut & infra, in voce *Strigiles.*

Balma, seu *Balmense Coenobium*, adde: Lapis sepulchralis seu tumba est *Balme*, Arvernis *Baume*: quam vocem Provinciales quibusvis sepulchris tribuunt, praesertim verò antris sepulchralibus seu cryptis. Vide Vincentium Baralem *Tom.*1. *cap.* 37. laudatum Carolo du Fresne *Glossar.*

Balmia, Gallicè *la Baume*, nomen illustris in Galliae provinc. Bressia familiae. Ejus antiquissima memoria est in Sigebaldo *de la Baume*, Equite Anno Chr. 1140. quae postea, in varias divisa lineas, varia à dominiis variis accepit nomina. Primaria facilè est, de Monterebello seu *Montrevel* dicta, cùm Comitis dignitate cum hoc titulo mactaretur Johannes Anno Chr. 1427. in cujus liberis duarum linearum principia sunt: Nam ad Johannis primogeniti posteros titulus propagatus, ejus autem frater Petrus *de Mont S. Sorlin* appellitatus est: cujus demum nepos Marcus, ductâ Johannis pronepte Bonâ, ad se transtulit ex altera linea decus semel stirpi collatum. Nihilominus progenies illius mascula, postquam etiam Comitatus *de Chasteau vilain* accessisset, in nepotibus defecit. Ita haereditas Montrebellia ad Claudii (qui frater Marci erat) filium Franciscum delapsa est atque adhuc in posteris ejus haeret. Eo enim, & Franciscâ agnatâ, genitus Antonius Com. *de Montrevel*, March. *de S. Martin le Chastel*, qui obiit Anno Christi 1595. ex Nicolaa de *Montmartin*, reliquit Claudium Franciscum, extinctum Anno Chr. 1621. Patrem, ex Johanna d'*Agoult, de Monanban, de Vesq de Montlor*, Ferdinandi Comitis *de Montrevel* (cui uxor obtigit Maria *Olier de Nointel*) Caroli Marchionis S. Martini (uxor Albertina Maria *de la Baume de S. Martin*) Mariae (quae nupsit Spiritui Marti Domin. *d'Espian*) Margarethae (cujus maritus Franciscus *de Galles*, Baro Miribellius) Johannae (Monialis) & Franciscae. E quibus Ferdinandus Marchionem de Monte S. Martini suscepit, patrem March. *de Savigny* atque Comitis *de Brancion* Phil. Jac Spenerus *Theatr Nobil. Europ. Tom. I.*

Balnea Mixta, ab Hadriano Caes. sublata. Olim namque viri foeminaeque mixtim lavabant, nullo pudore nuditatis: quem turpissimum morem Graecos accepisse a Romanis, in *M. Catone* queritur Plutarchus. Et quidem tum primum foeda haec consuetudo incepit, cum Agrippa primus Romae *balnea* publicè exhibuit, uti docet Dio *libro* 49. Τὰ βαλανεῖα προῖκα δι' ἔτους ... Quam sustulit quidem utcunque Hadrianus, seu potius tollere conatus est: λουτρὰ κατὰ φύλα ... *lavare seorsim à se invicem ipsos praecepit*, apud eundem Dionem, & apud Spartianum, *Lavacra pro sexibus separavit* Sed non obtinuit, aut non diu, lex ista: nam alioquin opus novâ lege non fuisset, cujus auctor Marcus, qui apud Capitolinum *lavacra mixta sustulit*. Servata lex Marci ad Heliogabalum usque, iste eam tulit: relatam mox ab Alexandro Severo, quod in ejus vita Lampridius narrat. Spreta deinde & lex Alexandri, aut certè parùm diligenter observata: adeò quidem, ut & Christiani vett. hunc morem observaverint; licèt in Διαταγαῖς, quae Clementi tribuuntur, caveatur disertè, ut viri *balneis* virilibus, muliebribus mulieres utantur, *libro* 1. *capite* 6. & 9. Sed omnem medicinam, publicus morbus vicit: donec serò tandem Synodalibus Decretis non tam obscoenus de vita sublatus est. *Decretis*, inquam, non *Decreto*: Nam & sanctissimorum Patrum autoritas diu neglecta. Hinc Laodiceni Concilii *can.* 30. quamvis συλλούεσθαι γυναιξὶ ... *lavare cum mulieribus viri* vetarentur; adeò tamen mos ille per hunc canonem extinctus non est, ut etiam è Clero & Monachorum ordine multi, post Concilium illud, promiscuè cum foeminis lavarent. V. Synodi Πενθέκτης sive in Trullo *can.* 77. quo loco Balsamon, Οἱ ἱερεῖς, ait, ... Hinc in Justiniani 117. *Nov.* inter legitimas divortii causas & ista recensetur; si mulier, non impetratâ à marito veniâ, cum viris lavisset, &c. Vide Isaacum Casaubonum *Not. ad Spartianum*, & plura hic infrà.

ad Balnea, seu *ad Balneum*, urbecula Provinciae Comit. in Gallia, quae vulgò *Aubanea*, ex Provincialium dialecto *Aubague*, Gallicè *Aux bains*. Cujus nominis ratio ex vet. Marmore liquet, in quo haec scripta:

PAGANI PAGI LUCRETI QUI SUNT
FINIBUS ARELATENSIUM LOCO GARGARIO
Q. COR. MARCELLI LIB. ZOSIMO IIIIII. VIR.
AUG. COL. JUL. PATERNA ARELATO OB
HONOREM EJUS QUI NOTUM FECIT
INJURIAM NOSTRAM OMNIUM SAECULORUM
SACRATISSIMO PRINCIPI T. AELIO ANTONINO
- - - - R. ROMAE MISIT PER MULTOS ANNOS
AD PRAESIDES PROVINCIAE PERSECUTUS EST
INJURIAM NOSTRAM SUIS IMP. - - - OB HOC
DONAVIT NOBIS IMPENDIA QUAE FECIT
UT OMNIUM SAECULORUM SACRATISSIMI
PRINCIPIS IMP. CAES. ANTONINI AUG.
PII BENEFICIA DURARENT PERMANERENTQUE
QUIBUS FRUEREMUR . . . . .
ET BALINEO GRATUITO QUOD ALBATUM ERAT
PAGANIS . . . . QUOD USI FUERANT
AMPLIUS ANNIS XXXX.

apud Jac. Sponium *Itinerar. Graec. Part.* 3. *pag.* 31. V. quoque in voce *Aubanea.*

Balnea, Romae plurimae fuerunt, cùm privatae, in locis diversis, tum publicae in singulis regionibus, haeque vel aestivales, vel hyemales: Sidonius Apoll. *Carm.*22. *vers.* 179.

Porticus ad gelidos patet hinc aestiva triones,
Hinc calor innocuus thermis hyemalibus exit,
Atque locum tempus mollit.

Item vel planae, vel pensiles: quarum has suo aevo inventas tradit Seneca *Epistola* 90. cùm tamen Sergius Orata, qui aevo Mithridatis R. & Cnei Pompeji vixit, primus illarum auctor fuerit, teste Plinio *libro* 9. *capite* 59. Principium moris inde: Cùm apud hanc gentem lini usus esset rarior, sudorem sordesque corporis saepius abluere necesse habebant; Unde quibus locis aut deessent balneae, aut corruptae essent, eas antiquitus Aediles suis temporibus vel addiderunt vel restituerunt. Usitato autem more balneis utebantur post ambulationes, operas & exercitationes, saepe necessitatis, non rarò voluptatis causâ: quod idem Graecis factitatum, qui sudorem aquâ abluere, postea quoque corpus inungere, salubre judicarunt. Ante coenam inprimis recepta ablutio erat: definitque Vitruvius *Architect. libro* 5. *capite* 10. *tempus lavandi à meridiano ad vesperum*: octavam thermis dedicatam innuit Martialis *libr.*10. *Epigramm.*48.

Nuntiat octavam Phariae sua turba juvencae,
Et pilata redit jamque subitque cohors.
Temperat haec thermas, nimios prior hora vapores
Halat, & immodico sexta Nerone calet.

Plinius autem jun. *libro* 3. *Epistola* 1. sic habet: *Ubi hora balnei nuntiata est (est autem hyeme nona, aestate octava) in Sole, si caret vento, ambulat nudus, deinde movetur pila vehementer & diu:* (in confinio enim balnei sphaeristerium fuit) *lotus accubat*, &c. Quo sensu intelligendum illud Martialis *libro* 4. *Epigramm.* 8.

Sufficit in nonam nitidis octava palaestris.

Ut ab hora octava nempe pilâ luserint, deinde balnea accesserint, abluendi, inungendi fricandique causâ. Ungebantur enim vestibus depositis loti, Petron. Arbiter *in Satyr. Jam Trimalcio unguento perfusus tergebatur, non linteis, sed palliis ex mollissima lana factis*: unde & locus ille *Unctuarium* vocabatur, Plin. jun. *libr.* 1. *epist.* 17. quod inter balnei partes quibusdam. Quibus voluptatum illecebris usque adeo quidam delectati sunt, ut Commodus in die octies, Gordianus jun. & Rhemnius Grammaticus septies lavisse legantur: cùm Spartiani contra nudi aquâ ex Eurotae fluento frigidissimâ ablui soliti sint. Quò respiciens Martialis *lib.*6. inquit,

Ritus si placeant tibi Laconum,
Contentus potes arido vapore,
Crudâ virgine, Martiâque mergi.

Erant autem in *Balneis* tres cellae praecipuae, quarum prima *Caldaria*, ubi sudabatur: secunda *Media* seu *Tepidaria*; tertia *Frigidaria* vocabatur: de quibus vide infrà in voce *Balneum*. Et primò quidem tenebrosae erant, deinde specularia addita sunt, ut clarissimum undecunque admitterent lumen. Nec specularia modò seu fenestrae, sed & pavimentum è vitro erat, ut Lipsius ex Flavio Vopisco *in Firmo* notat; quae omnia poliebantur quotidie tergebanturque à servis balneariis, idque non Romanâ solùm, sed & Graecâ consuetudine, Aeschylo teste:

Λουτρὸν γὰρ μὲν ...
Ἀλλ' ἐκ μεγίστων ...
Lotum est quidem lavacrum hoc facundè,
Sed ex maximis facilè lavacris.

Laquearia quoque vitro incrustata, quod *pulchritudinem balneorum* vocat Aurelius Cassiodorus, *lib.* 3. *epist.* 51. Unde Papinius Statius *Sylv.* 5. *lib.* 1.

Effulgent camerae, vario fastigia vitro
In species animosque nitent.

Sola insuper & parietes unguentis illinebantur, quod non in potentioribus solùm, sed in privato quoque homine, ac demum in servo Plinius notavit: Et Seneca aquam argenteis epistomiis fundi in plebejis fistulis, ac in Libertinorum balneis gemmas calcari indignatur. Erant porro in balneis, quibus aqua

commissa, quas Zeno Aug. *Hydrophylacas* vocat *libr.10. Cod. de Aquaeductu.* Hanc asservabant curtis calicibus: at in *Balneis* ministrabatur vasis argenteis, quae *Lavationem* appellant Juris consulti. Concha privata lavatio fuit, Vetus Scholiastes Juvenalis *ad Satyr. 3. vers. 277. pelves,* inquit, *conchae, in quibus pedes lavant.* Hae primò fictiles, postea è margaritis, Horatius *lib. 4. Od. 12.* sive Onyche, Catull. *epigr.63.* aut etiam ex aere, ac argento. Claudian. *epigr. de Concha,*

Transferat huc liquidas fontes Heliconia Nais,
Et patulo conchae divitis orbe fluat.

Sed & unguentum his conchis asservatum fuisse, discimus ex Horatio *lib.2. Ode 7.*

— — — *Funde capacibus*
Unguenta de conchis.

Omitto, quae de linteis, oleo, unguentis & strigilibus, quibus ad corpus fricandum utebantur. Balnei pretium quadrans fuit, quare *res quadrantaria* Senecae dicitur: Sed virorum tantùm. Nam foeminas gratis lavisse, ex Juvenali patet: quod idem impuberibus quoque praestabatur. Unde Poëta,

Nec pueri credunt, nisi qui nondum aere lavantur.

Vestis *balnearis* laena fuit, Lampridius *in Alexandro, Balneari veste ad palatium reversus*: Nisi eam fuisse lacernam ex seqq. colligamus, *Hoc solum Imperatorium habens, quod lacernam coccineam accepit.* Non verò promiscua fuere balnea, sed viri sua à mulieribus discreta separataque habuere: Balneas proin mixtas, quas Commodus non vetuerat, Varius permiserat, vetuit haberi Severus Imperator. Separationis auctorem Hadrianum Aug. laudat Aelius Spartianus in eo: & nimiâ invalescente luxuriâ sustulisse Antoninum Phil. refert Julius Capitolinus *in ejus vita*, &c. Vide plura de *Balneis*, apud Joh. Rosinum *Antiqq. Rom. libr. 1. cap.14.* & Thom. Dempsterum *Paralip. in illud*: ut & infrà in voce *Lavandi ritus.* De *Balneis* inprimis calidis, in voce *Thermae. Balneas* Romae P. Victor ultra octingentas computavit: Agrippa 170. gratuita balnea praebuit, quae postea in infinitum, teste Plinio, sunt aucta. Solus certè Heliogabalus complures extruxit, ut qui novas semper habuisse legitur. Lampridius, *Dicitur & Balneas fecisse multis locis ac semel lavisse atque statim destruxisse, ne ex usu balneas haberet.* Et post eum Alexander Severus, *Balnea omnibus regionibus addidit, quae fortè non habebant. Nam hodieque multa dicuntur Alexandri,* apud Lampridium, &c. Plura vide hanc in rem infrà in voce *Balneum.*

Balineae seu Balneae urbis Romae, secundùm XIV. ejus regiones.

In Regione Urbis I. earum sex fuere publicae:

Vettii Bolani.	Abascantiani.
Torquati.	Mettiani Secundiani.
Mamertini.	Antiochiani.

Privatae 82.

In Regione Urbis II. Balineae privatae 80.
In Regione III. Balineae privatae 70.
In Regione IV. praeter Balineum Daphnidis, Balineae privatae 75.
In Regione V. praeter Balineum Pauli, Balineae privatae 75
In Regione VI. totidem, praeter Balineum Pauli.
In Regione VII. similiter.
In Regione VIII. praeter Balineum Polycleti, Balineae privatae 76.
In Reg. IX. Balineae privatae 64.
In Reg. X. praeter Balneas Palatinas, Balineae privatae 15.
In Reg. XI. totidem.
In Reg. XII. Balineae privatae, 68.
In Reg. XIII. Balineae privatae 74.
In Reg. XIV. praeter Balineum Ampelidis & Prisciliani, Balineae privatae 136.

Balineae seqq. in quanam Reg. fuerint, incertum:

Ti. Claudii Etrusci.	Severi.
Statilii.	Patti.
Martialis.	Titii.
Annaei Senecae.	Offonii Tigellini.
Tuccae.	Alexandri Imperat.
Fausti.	Varii.
Fortunati.	Nymphaeum Marci Imp. prope Septizonium.
Grylli.	Gordiani Imp.
Lupi.	Lacus Servilius.
Pontici.	

De Lacubus, Nymphaeis, Thermis, quae hic omissae, Vide *suo loco.* Nec omittenda *Inscr.* vetus, quae Bononiae extat, in Palatio Albergatino, huc pertinens, Jacobo Sponio memorata *Itinerar. Part. 3. pag. 59.*

DIVUS AUG. PARENS
DEDIT
- - - - - AUGUSTUS
GERMANICUS
REFECIT
IN HUJUS BALINEI LAVATIO
NE HS CCCC NOMIN. C. AVIASI
T. F. SENECAE F. SUI T. AVIA
SIUS SERVANDUS PATER TE
STAMENT. LEGAVIT. UT EX
REDITU EJUS SUMMAE IN
PERPETUUM VIRI ET IMPU
BERES UTRIUSQUE SEXUS
GRATIS LAVENTUR.

Vide quoque eum *Part. 1. p. 71.*

Balneatio, in Aegypto dictus est dies Baptismi Domini, qui assignatur diei undecimo mensis *Tuba* Copticarum, qui est ipse Januarii Juliani dies sextus. Scilicet Christi in Jordane baptismum hoc die peractum esse, frequentius receptum est tam in Oriente, quàm in Occidente; etiam apud Aegyptios Aethiopasque. Et quidem mos apud illos invaluit vetus, ut non solùm die illo, velut in quo, prae caeteris anniversaria fieret aquarum sanctificatio singularis, Catechumenos baptizarent; verùm etiam tum cuncti se quotannis fluviis immergerent adeoque baptismum eatenus sibi iterarent, tum aquas ex illis in annum sequentem servandas domum afferrent, quas etiam incorruptas illic per biennium trienniumque saepius mansisse, Chrysostomus habet *Orat. 74.* Abulaibsan Achmed Calcasendius, Scriptor Mahumedanus perinsignis MS. dum Festa Aegyptiorum enumerat, de hoc quoque, quod ex VII. eorum majoribus Festis unum est, *Christianis,* inquit, *mos est immergere liberos suos in aqua, illo in die*: atque hinc dictus est in Aegypto *Balneatio.* Vide Johannem Seldenum *de Synedriis vett. Hebraeorum Part. III. cap. 15.* ut & infrà, in voce *Immersio.*

Balneator, qui balneum succendit ac calefacit, Lampridio in *Commodo, Quum tepidius fortè lotus esset*, balneatorem *in fornacem conjici jussit: quando à paedagogo, cui hoc jussum fuerat, vervecina pellis in fornace consumta est, ut fidem poenae de foetore nidoris impleret.* Sic in *Vita* Carini Flavius Vopiscus *Balneatores* dixit, qui balnea praeparant. Graeci quoque Βαλανεῖς vocant, cujus hoc erat munus atque ministerium *Glossae, Balneator Βαλανεύς.* Sed id magis ostenditur Graeco *Epigrammate*, in quo queritur Auctor, de balneo sibi nimis calido à *balneatore* praeparato:

Εἰς Βαλανεῖον ἔμπυρον.
[illegible]
[illegible]
[illegible]
[illegible]
[illegible]
[illegible]
[illegible]
[illegible]
Hoc pyram vocare potiùs oportet, quàm balneum,
Qualem olim Pelides accendit Menoetii filio.
Aut Medeae sertum, quod illa Erinnys
In thalamis Glaucae posuit Ausoniae.
Parce mihi, Balneator, *per Jovem, sum enim vir,*
Omnia scriptis enarrans, mortalium gesta ac immortalium,
Quòd si propositum est tibi multos viventes incendio necare,
Accende pyram ligneam, carnifex, non lapideam, &c.

Salmasius *ad Lampridium loc. cit.* Neque verò solùm de viro, sed & de foemina *Balneator* dicitur, uti Servius docet, qui voces has, *auctor, senator, balneator, fullo,* & similes generis utriusque esse, ait, Casaubonus *ad Pollionem in Victoria.*

Balnei Hora, apud Romanos, ex Spartiano colligitur, qui de Hadriano Caes. *Ante octavam,* inquit, *horam in publico neminem, nisi aegrum, lavari passus est.* Nempe ad nonam utplurimùm patebant Balnea, & ante Solis occasum claudebantur. Lampridius *in Alexandro Severo, Addidit & oleum luminibus thermarum, cùm ante & ad nonam paterent & ante Solis occasum clauderentur.* Eadem horâ & tabernae vinariae & lupanaria aperiebantur, unde *Nonariae* meretrices dictae, quia ad nonam prostarent, vet. Interpr. Persii. Atque ita quidem in Coloniis, sed Romae nunquam ante nonam tabernae, balnea & lupanaria patebant. Hadriani tempore octava thermis aperiendis videtur constituta. Unde Martialis,

Nuncias octavam &c.

Ab octava igitur ad nonam hora lavandi; ut à nona ad decimam coenandi: qui temporiùs aut lavarent, aut coenarent, intemperantes habiti. Clemens in *Constitutionibus* Apostol. decimam horam ad lavandum mulieribus statuit, *libro 1. capite 9.* [illegible] &c. Salmasius *ad Spartianum & Vopiscum.*

In *Balneis* edendi mos, apud delicatiores in usu olim. Aelius Lampridius *in Commodo, Lavabat per diem septies atque octies & in ipsis balneis edebat.* Hinc in *Balneis* frequentes Libarii, Botularii, Crustularii & omnes popinarum Institores, ut scribit Seneca *Epistola 56.* Postea verò coepere & viri graves in balneis coenare. Spartianus in *Antonino Geta, Utriusque ordinis viri & in balneo coenantes & in publico, percutiebantur.* Ubi tamen

forte

fortè Auctor scripserat, *Et in balneo & cænantes.* Casaubonus ad l. Balneorum contrà usu militibus interdictum penitus apud Romanos. Hinc Polyænus de Scipione, corruptam disciplinam in exercitu suo corrigente: *ἀργυροῦν δὴ*, inquit, *ἔκπωμα μὴ ἔχειν καὶ λούεσθαι μηδένα*, *argenteum poculum non habere, nec quenquam lavare voluit.* De Antonino Caracalla, qui gregarii militis more modoque vitam agebat, Dionis Epitome, *Καὶ γὰρ συνεβάδιζε τοῖς στρατιώταις καὶ συνέτρεχε, μὴ λουτρῷ χρώμενος, μὴ τὴν ἐσθῆτα ἀλλάσσων, ἀλλὰ καὶ τῶν ἔργων συνεφαπτόμενος, καὶ πᾶσαν τροφὴν τὴν αὐτὴν ἐκείνοις αἱρούμενος. Namque & incedebat cum militibus, & cum iis cursitabat, non balneo usus, non vestes mutans, sed omne opus cum ipsis exercens, & omnem cibum cum iisdem communem habens.* Secus qui fecisset, *λειποτάκτης*, id est, *desertor*, habebatur. Chrysostomus *in 1. ad Tim.* Quare Alexander Severus, in sua Invectiva in milites seditiosos, apud Ælium Lampridium, *Milites*, queritur, *Romani, vestri socii, mei contubernales, & commilitones, amant, potant, lavant, Græcorum more, &c.* Nempe uti porticus, ita & *Balnea*, inter delinimenta vitiorum, meritò censet gravis auctor Tacitus in *Vita* Agricolæ. Vide Casaubonum *ad Spartianum in Adriano*, & Salmasium *ad Lampridium in Alexandro Sev.*

Balneo Milites inaugurandi ritus, medio ævo vigens, occurrit apud Ioannem Monachum Majoris Monasterii *Histor.* Gaufredi D. Norm. *libro 1.* de ejusdem Militia, *Illucescente die altera* balneorum *usus, ubi tyrocinii suscipiendi consuetudo expostulat, paratus est.* Et in *Historia* Caroli VI. Franciæ Regis de Militia Ludovici II. Regis Siciliæ, & Caroli fratris: *In hoc statu cùm matrem usque ad sanctum Dionysium conduxissent, in secretioribus locis nudi in præparatis balneis se mundarunt.* Unde in *Vita* Clementis VI. *pag. 90.* apud Bosquetum, die Pentecostes inchoato, *statim aqua lotus & Miles factus talem sibi titulum assumpsit, Candidatus aquâ Spiritus Sancti Miles.* Atque hic *Balneorum* usus potissimùm in Anglia observatus est, maximè, in Regum inauguratione, à quibus novi Milites tum creari consuevere, quos *Knights of the bath*, hoc est, *Milites de Balneo*, appellatos legimus, eo quod, priusquam cingulo donentur, *Balnea* subeant, de quibus videndi Nicolaus Uptonus *de Militari Officio libro 1. capite 3.* Thomas Smith *de Rep. Anglorum libro 1. capite 17.* Andreas Favynus *Theatri Honor. libro 5.* Alii laudati Carolo du Fresne in *Glossar.* voce *Miles*: ubi insuper totam ejusmodi inaugurandorum in Anglia alibique Militum *Ceremoniam*, ex vet. Codice Gallico ab Edvv. Bissæo editam, sed variis in locis emendatam, exhibet. Sic autem à *Balneo* prodeuntes Tirones novis vestibus donabantur, exutis veteribus prioribus, quæ servitorum erant. Joannes Monachus præfatus *libro 1. Post corporis ablutionem ascendens de balneorum lavacro, bisso retortâ ad carnem induitur, cyclade auro textâ supervestitur.* Vide quoque *Historiam* Caroli VI. Regis Franciæ. Alia quippe erant vestimenta tironum, alia Militum, quæ & qualia fuerint in hisce occasionibus, docet idem Car. du Fresne ex *Computo* quodam vet. incipiente Anno Chr. 28. August. 1350. Porro ita loti Milites, in Æde sacra pernoctabant, orationibus vacantes & postridie, sacræ intererant Liturgiæ. *Historia* Caroli VI. *Insignes verò adolescentes prædicti habitu eodem, quo priùs ante Martyres, reducuntur, ut ibidem, sicut mos antiquitus inolevit, in orationibus pernoctarent.* Post quæ omnia ritè peracta, cingulum Militare novo Militi, à Principe aliquo, aut Magnate, interdum & Fœminâ, datâ alapâ militari, solenniter conferebatur, sacra interea faciente Episcopo, & ensem consecrante, cujus ritus exempla passim obvia, apud eundem. Vide quoque infrà, in voce *Miles*, &c. Ritus vestigia etiam apud alias gentes: Scribit enim Josephus Acosta, *Histor. Ind. lib. 7. cap. 27.* in Regno Mexicano, Procerum filios à Sacerdotibus lavari consuevisse, priusquam cingulo militari donarentur. Et Polyænus *Strateg. libro 4.* auctor est, Pæones olim Principem suum, priusquam diademate cingeretur, in fluvio Aristibo lavisse. Sed & in Academia Atheniensi, non dissimili ceremoniâ Studiosos fuisse initiatos, ex Nazianzeno discimus, uti videbimus infrà, ubi de *Depositionis ritu.*

Balneum, decima pars Gymnasiorum apud Vett. ob delitias ac sanitatem omnium maximè æstimata cu ctisque reliquis major ac pulchrior extitit: à tempore inprimis Asclepiadis ac Pompeii, cùm antea rarò lavaretur. Et quidem, quum in privatis *balneis* tanta fuerit adhibita magnificentia, ut Seneca dicat *Epistolâ 86. Quòd quisque pauper sibi videbatur ac sordidus, nisi parietes balneorum magnis ac pretiosis orbibus refulsissent, nisi Alexandrina marmora Numidicis crustis distincta fuissent, nisi illis undique operosa & in picturæ modum variata circumlitio prætexeretur, nisi vitro conderetur camera, nisi aquam argentea epistomia fudissent.* Cùm & Libertinorum *Balnea* statuis & columnis essent exornata, illique nil nisi gemmas calcare vellent; Vide quæ de Etrusci inprimis Martialis *libro 6. Epigramm. 42.* & Statius *libro 1. Sylv.* habent: publica utique non minùs splendida fuisse necesse est. Loca *Balneum* istiusmodi Gymnasticum universum constituentia, à Cicerone *Balnearia* vocata, *libr. 3. Epist. ad Q. Fr. 1.* plurima fuere, *Frigida lavatio* sive *λουτρὸν*, *Frigidarium*, *Tepidarium*, *Sudatio calida* & *Lavatio calida*: quæ verò *Balneis* inserviebant, fuerunt *Hypocaustum*, *Aquarium* & *Vasarium*: hæcque omnia concamerata & fornicum modo fabricata. Et quidem *Frigida lavatio* locus erat, in quo frigidæ aquæ lavacra & præsertim piscina, posita erant, in qualibus *ferè semper, rarissimè in calidariis*, Alexandrum Severum *lavisse*, scribit Lampridius. Item verò Heliogabalum tradit, *nunquam in piscinis se lavari passum esse, nisi illæ croco, aliisque pretiosis unguentis fuissent infectæ.* Prope hanc erat *Frigidarium*, in eorum usum, qui statim post egressum Tepidarii aut Calidarii, frigido aere frui optabant: nulla enim ibi aquæ apud Auctores mentio. Fortè & hic loturi exuebantur, namque & Varro & Plinius *Apodyterium* quoque Balnei partem faciunt: Ibidem etiam gymnastarum sudores detergebantur. Fuit autem hæc pars admodum vasta & cuivis pervia, ita ut vestimenta eorum, qui lavabantur, facilè surripi possent: proin severâ Lege cautum fuit, fures balneorum gravius plectendos, ut docet Aristoteles *sec. 29. Problem. 14.* & Capsarii adhibiti, qui vestes custodirent. Juvenal. *Satyr. 10.*

Quem sequitur custos, angustæ vernula capsæ.

Frigidario annexum *Tepidarium* inserviebat tum iis, qui tepore aeris aut aquæ frui volebant; tum iis, qui aut frigidâ aut calidâ lavari quærebant, ut ad alterutrum medio tepore sine noxa se conferrent. Quanquam etiam fieri potest, ut in privatis Balneariis Tepidarium & Apodyterium idem locus fuerit, ob spatii penuriam vel majorem commoditatem. Cicero enim *loc. cit.* cùm Arpinatem villam, quæ judicio Quincti fratris ædificabatur, invisisset *se assa in alterum Apodyterii angulum in balneariis promovisse*, scribit: apertè indigitans, Apodyterium & Laconicum sive calidam, assamve, ut ipse & Celsus vocant, sudationem conjuncta fuisse, eo propè modo, quo Tepidarium & Laconicum, saltem post Vitruvii tempora. *Sudatio calida* seu *Calidarium*, Vitruvio & Celso quoque *Laconicum*, item *Assa*, cella fuit, nullam in se continens aquam, ad provocandum sudorem potissimùm instituta: Ibi enim vapor calidus seu calor siccus inclusus sudorem provocabat, haud aliter, ac super Baias myrtetis, ubi tempore Celsi è terra profusus calidus vapor ædificio inclusus maximos sudores ciebat: cujus rei Horatius quoque meminit *libr. 1. Epistolâ 15.* Fuit verò hoc Laconicum rotundum ac veluti turricula in hemisphærium concamerata. Post illud sequebatur cella calida, labris aquæ continendæ positis referta, in qua quòd lavarentur, *Calida lavatio*, à Vitruvio, & *λουτρὸν* à Galeno 10. *Meth.* dicta est: *Ζεστὸν* verò eam vocavit Archigenes apud eundem *de Compos. Medic. sec. loc.* Fuitque hæc primaria *Balnei* pars, quam unà cum Laconico sub concamerata Sudatione videtur complexus Vitruvius. Loca, quæ non inter *Balneas* essent, sed ipsis tantum inservirent, quod attinet: *Hypocaustum*, fornax erat seu camini structura, subterraneo Calidario, Calidæ lavationi, atque Vasario supposita, in qua ad calefaciendum tum aquam, tum prædicta loca, ignis succendebatur, & ne extingueretur à servis, *Fornacatoribus* ob id Pandectis à Papiniano vocatis, frequenter cum pilis ac glomis pice illitis excitabatur: quarum meminit Statius ubi de Etrusci balneis,

— — — — — Crepantes
Auditura pilas, ubi languidus ignis inerrat
Ædibus & tenuem volvunt hypocausta vaporem.

Ante Hypocaustum autem via quædam erat, *Propnigeum*, quasi *Præfurnium* à Vitruvio vocata. *Aquarium* dein, cella fuit calidæ Lavationi atque Calidario adnexa, in qua alveus magnus ædificatus erat, ad constituendam aquam ex Aquæductibus aut aliunde invectam, atque in frigidam lavationem & calidam per fistulas corrivandam. Non longè ab eo *Vasarium* distabat, ubi vasa conservabantur, balneorum servitiis necessaria, & ubi aqua pro ipsis calefiebat. De quo ita Vitruvius *libro 5. capite 10. Ahenea vasa supra Hypocaustum tria composita fuisse, unum Caldarium, alterum Tepidarium, tertium Frigidarium, & ita collocata, ut ex Tepidario in Calidarium, quantum aquæ calidæ exisset, influeret, de Frigidario in Tepidarium ad eundem modum.* De aëre *Balneorum*, qui extrinsecus admittebatur (ut innuit Vitruvius) ea in calidissimo loco averso à Septentrione & Aquilone sita erant, tum Caldaria atque Tepidaria ab Occidente hiberno lumen habebant. Sin autem natura loci impedivisset, utique à Meridie lumen verò ita capiebatur, ut in medio cameræ foramen latum relinqueretur, sub quo labrum extruebatur: Circa labrum spatiosi erant margines quidam aut porticus, à Vitruvio *Scholæ* vocatæ, in quibus occupato à prioribus lavationis loco, reliqui circumspectantes rectè stabant, nec suis umbris lucem, quæ superiùs capiebatur, obscurare poterant. Intra *balneum* verò existentem aërem quod attinet, antiquiores mollibus ac moderatè calidis balneis fuisse usos, ex Seneca *Epist. 86.* & Plut. *lib. 8. Symp. Probl. 9.* discimus: at ipsorum tempore maximè calida in pretio fuere usque ad tempora Galeni, quibus moderatiora denuo placere cœperunt, Vide Plinium *libro 31. capite 9.* Vasa verò, quibus lavabantur, alia movebantur, alia moveri non pote-

poterant: Quorum hæc ex lateribus & marmore fiebant, *Alveique* & *Labra* in calida lavatione; in frigida *Piscinæ* atque *Baptisteria* dicebantur: adeoque magna erant, ut etiam in ipsis aliquo pacto natare daretur, ut ex Thermarum ruinis Romæ hodieque conspicitur. Quæ moveri poterant, tametsi in privatis balneis utplurimùm fierent, attamen in publicis quoque extitere; alia quadratam, alia oblongam, alia rotundiusculam, alia ovalem habentia figuram, qua de re vide infra in voce *Labrum*. Finis, cur lavarentur, non unus extitit. Prima *Balneorum* institutio fuit, ut quotidianas sordes eluerent possentque mundo corpore cœnare homines, quibus tum nondum lineorum erat usus: unde semel tantùm in die cœnandi, & in stratis, dum cœnarent, accumbendi, consuetudo orta. Postmodum, *Balneæ*, ob delicias ac mollitiem adhiberi cœperunt, & præsertim tepidæ, quibus exiccatas ab exercitationibus vel Sole frigoreque ardentes corporis partes attemperabant. Nec solum dulcibus aquis, sed & medicatis, ob valetudinem & luxuriem, usos Vett. testatur Galenus *de Medicam. local. libr.* 3. imò Neronem, his non contentum *marinas atque Albulas in suas Thermas deduci curavisse*, Lampridius tradit & Suetonius, ut alia omittam. Qui autem *Balneas* ingrediebantur publicas, ante decimum quartum ætatis annum nihil solvisse, testatur Juvenalis *Sat* 2. Reliqui quadrantem solvebant, Flaccus *lib.* 1. *Serm.* & Juvenal. *Sat.* 6. donec Antoninus Pius balneum sine mercede Populo constituit, apud Jul. Capitolinum. Athenæus *lib.* 8. apud Phaselitas legem fuisse scribit, ut peregrini lavarent cariùs, &c. Præ cœteris verò lavabant, Phonasci, Citharœdi, Præcones, Tragœdi, Comœdi, quòd vocem oblæsam & assiduo exercitio asperatam aquarum dulcium humectatione mulcebant. Apud Lacedæmonios, mulieres in *Balneis* Gymnasiorum lavari consuevisse notum, & nedum in his, verùm & unà cum viris promiscue: quod tamen non in cunctis obtinuisse, ex Hesiodo discimus, qui *muliebris balnei* mentionem facit, *de op. & di. libr.* 2. An apud Romanos primis temporibus eadem utriumque sexum promiscue lavandi consuetudo fuerit, incertum: Certum est, *nec parentibus cum filiis, nec socero cum genero, lavari licuisse*, Cicero *Offic. lib.* 1. & *Virilium balneorum* C. Gracchus meminit, apud Aulum Gellium *lib* 10. *cap.* 3. è quo loco colligas, si non eodem lavacro, saltem eodem loco, pariete interjecto, antiquitus Romanos lavisse. Posterioribus verò seculis, promiscuis balneis locum fuisse, docet & reprehendit Juvenalis *Sat.* 6. *versu* 417. Unde quoque Martialis *lib.* 2.

Omnia fœmineis quare dilecta catervis
Balnea devitat Beatara?

Vide insuper Clem. Alexandrinum, qui sub Antonino & Severo floruit, *Pædagog. lib.* 3. *cap.* 5. & Cyprianum *de Hab. Virgin.* Quamvis enim Hadrianus Imperator apud Dionem Cass. ea sustulit, ut & M. Aur. Antoninus, Heliogabalus tamen renovavit, iterum Alexandro Severo prohibente, apud Capitolinum & Lampridium. Ob quod item Censoria aliquando lex lata traditur, ne commune lavacrum mulieres adirent, sub repudii & dotis amissionis pœna, quod postea *l. fin. tit. de repud. & in auth. de Nupt.* pro sancito fuit receptum. Qua ratione fieri potest, ut balneæ aliquæ muliebres in fœminarum duntaxat usum fuerint extructæ, quales Agrippinæ Augustæ, Olympiadis in Saburra, & quas Ampelidem ac Priscillam trans Tyberim habuisse refert Victor. Tempus lavandi, ut Seneca *Epist.* 86. narrat, fuit, quod *quotidie brachia & crura abluebant* Veteres: *toti nundinis solùm lavabantur.* Post M. Pompeji verò ætatem singulis diebus toto corpore lavari incepere: Idque paulo antequam sumeretur cibus. Ut plurimùm autem major pars liberorum hominum priùs exercebatur, dein *Balnea* ingrediebantur; nonnulli tamen sine exercitationibus lavabantur. Etiam post pilæ lusum calidis balneis lavari consuevisse antiquos, adnotavit Galenus, *l. de parv. pil.* quod similiter ante illum innuisse videtur Martialis *lib.* 14. *Epigramm.* 163. Maximè autem consuetum tempus pomeridianum fuit, idque circa octavam diei horam, paulo ante cœnam, ut patet ex more Cæsaris, apud Cicer. *lib* 3. *Epist. ult.* Vide quoque Martial. *lib.* 4. *Epigramm.* 8. & alibi. Alii tamen maturius lavabant: Nempe horâ unâ antè lavabant, quàm cœnam auspicarentur. Sic, qui nonâ convivium incipiebant, octavâ *Balneum* capessebant: qui verò ad sextam cœnabant, ad quintam lavare moris habebant. Quam proin horam Balnei τῆς ἑξάποδος σκιᾶς, hoc est, *umbræ sex pedum*, respondere facit Lucianus, ut videre est apud Salmasium *pag.* 648 quot pedes Palladius horæ quintæ tribuit, mensibus Martio & Octobri, haud longè ab Æquinoctio &c. Vide suprà *Balnei Hora*. Ante Auroram verò vel post Solis occasum Thermæ apertæ non fuerunt, usque ad ætatem Alexandri Sev. qui earum luminibus oleum addidit, quo & in nocte paterent: quod etiam fecisse Lyconem Philosophum Juventuti Græcæ, scribit Laërtius *in eo*. Plura vide apud Hieron. Mercurialem *de Arte Gymnast. lib.* 1. *cap.* 10. ubi inter alia & hoc addit, Balneorum usum, cùm antea rarior esset, Asclepiadem Medicum, Pompejo M. σύγχρονον, reddidisse frequentiorem apud Romanos, ex Appulejo *Florider.* 4. & Plinio *libro* 26. *cap.* 3. Vide quoque infrà ubi de *Lavandi ritu*, *Thermis*, &c. Hinc *Balneaticum*, apud vet. Interpretem Juvenalis *ad illud Satyra* 2.

—— —— Nisi qui nondum ære lavantur:

Infantes, inquit, *quia pueri non dant balneaticum*: in vett. *Glossis* βαλανικόν exponitur. Auctor *Vitæ* S. Severi Episcopi Neapolitani apud Ughellum: *Quadam die juxta morem homo quidam consuetudinis balnea lavandus ingressus est. Post ablutus aquâ, cùm recederet, custos balnei ovum ab eo pro* balneatico *petiit, quod unusquisque balneaticum pro pretio dare consueverat.* Merces est, quæ pro usu balnei exsolvebatur. Vitruvius *libro* 8. *capite* 7. innuere videtur, *Balneaticum* fuisse vectigal impositum, propter aquam, quæ ex aquæductibus & castellis publicis in balnea derivabatur. *Redditus Balnearum*, in Bulla Paschalis Pontif. Anno Chr. 1102. apud eundem Ughellum *Tom.* 1. *pag.* 996. citatam Carolo du Fresne *Glossar.* &c.

Balneum, genus potûs minimè delicati, apud Luithprandum in *Legat. Soli mensæ assident nudæ, paximacium sibi apponentes, balneaque tunc vitro peramaico non bibentes, sed sorbillantes.* Et paulo antè, *Parcus, crapulatus, allio, cepe & porris vescens, balnea bibens.* Et sub finem, *Non proderit tibi balneum, quod assiduè potas, in amore B. Johannis Præcursoris.* Carolus du Fresne *Glossar.* Monachorum ac Pœnitentium hanc potionem esse, legas apud Macrum in *Hierolexico*.

Balsamon Theodorus, primùm Diaconus Sanctiss. Dei Magnæ Ecclesiæ Constantinopolit. Nomophylax & Chartophylax; præterea πρῶτος Βλαχερνῶν, *primus Blachernarum*: postea Theopoleos sive Magnæ Antiochiæ, totiusque Orientis Patriarcha, floruit in fine seculi XII. & principio seculi XIII. Jussu Imp. Emanuelis Comneni & Patr. Constantinop. Michaelis Anchiali, composuit *Expositionem sacrorum & divinorum Canonum, Sanctorum & celebratissimorum Apostolorum & sanctarum Oecumenicarum Synodorum ac etiam localium & particularium & reliquorum sanctorum Patrum, præterea earum legum, quæ sitæ sunt in quatuordecim titulis positis in principio Canonum, ut sciatur, quæ in usu sint*, ut habet operis inscriptio. Vide *Præfationem*, quam Commentariis suis seu *Scholiis*, ut ipse vocat, præmisit. Prodiit opus Græcè & Latinè Parisiis Anno Chr. 1620. ex interpretatione Gentiani Herveti Galli; in qua tamen editione illa est interpolata. Præterea edidit *Meditata de Patriarcharum privilegiis & Responsiones ad Marcum* Patriarch. Alexandrinum, μελέτας τε ἀποκρίσεις, ut ipse vocat, quæ extant in *Tomo* I. Juris Græco-Rom. Leunclavii a Frehero editi *lib.* 7. ob quæ, ut & ob Scholia, Romanis minùs fuit acceptus. Hinc in eum toties debacchari videas Baronium, *Tom XII Annal. ann.* 1191. §. 47 & 61. causatum, odio illum Rom. Ecclesiam prosequi, eo quòd post captam a Latinis Constantinop. acceperit illa Patriarcham Latinum. In quo tamen sibi ipsi contradicit §. 61. ubi Meditata illa seu Responsa de priv. Patriarch. scripta esse refert biennio antequam Constantinop. caperetur. Vide eum *d. anno* §. 49. unde disces, causas aversi à Latina Ecclesia animi ejus fuisse, *cœlibatum Ecclesiæ Occid. in Clericis, Jejunium Sabbathinum, Monarchiam Papæ*, alia: quam ob causam *Schismaticus* appellatur passim, Vide quoque Allatium *de Consens. perpet. Eccl. Orient. & Occid. lib.* 2. *cap.* 13. §. 4. *pag.* 703. Sed & eidem restituerunt Viri docti opusculum, quod, sub *Paratitlorum* nomine, Auctore prætermisso Latinè ediderat Leunclavius, de quo vide infrà, in voce *Paratitla*, & plura hanc in rem apud Fabrotum *princip. Notarum ad hanc Collectionem, in Biblioth. Juris Canon. Vet. pag.* 1377. Justellum fil. *Præfat. ejusdem Biblioth. sub fin.* & Gerhard. von Mastricht *Histor. Juris Eccles. num.* 339. *& seqq.* Oxonii nova Editio *Collectionis*, ex MSS. Biblioth. Basiliensis insigni accessione aucta, adornatur, Carolus Patin *Relation Historiq.* 2.

Balsamum, ἰσάργυρον Hesychio, quòd argento rependebatur. Nempe Alexandri Magni temporibus balsamum duplo argento pensabatur, teste Plinio, *Alexandro magno res ibi gerente, toto die æstivo, unam concham implere justum erat. omni verò fœcunditate è majore horto congios senos, minore singulos cum duplo rependebatur argento*; sicque non ἰσάργυρον τὸ ἄργυρον, sed planè διπλάσιον πρὸς τὸ ἄργυρον erat, sicuti Balsami duæ libræ argenti fuere. Postea, ut videtur, annona ejus vilior facta, nec duplo argento pensari, sed contra argentum vendi pendique cœpit. Salmasius *ad Vopiscum in Aureliano*. Fuere autem *Balsameta* in terra Sancta, prope *Engadi*, (Josepho *Engaddi*) uti docet Josephus *Antiqq. lib.* 9. *cap.* 1. Καὶ στρατοπεδεύονται πρὸς Ἐγγαδδὶ πόλιν κειμένην, πρὸς τῇ Ἀσφαλτίτιδι λίμνῃ, τριακοσίους ἀπέχουσαν σταδίους τῶν Ἱεροσολύμων. γίνεται δ' ἐν αὐτῇ φοῖνιξ ὁ κάλλιστος καὶ ὀποβάλσαμον. *Oppugnant Engadde urbem sitam ad lacum Asphaltidem* 300. *stadiis distantem Hierosolymis. Nascitur autem ibi palma pulcherrima & opobalsamum.* Et quia in vinearum modum consita erant, ut docet Trogus *lib.* 36. *Arbores opobalsami, in vinearum modum excoluntur*, Et Plinius *lib.* 12 *cap.* 25. Balsami *arbuscula est viti similior — Malleolis seri nuper vincta, ut vitis: Et implet colles vinearum modo, quæ sine adminiculis seipsa sustinent, Tondetur similiter fruticans,*

&

& rasbris mistis &c. Hinc per *vineas Engaddi*, Cantic. cap. 1. vers. 14. *balsameta* illa significari volunt plerique Interpretes. Hieronymus *in Loc. Vocatur usque hodie vicus pergrandis Judæorum Engaddi, juxta Mare Mortuum, unde & opobalsamum venit, quas vineas Engaddi Salomon nuncupat.* Aponius in *Cantica lib.* 3. *Vineæ Engaddi non vinum, sed* balsama *gignunt.* Et *in eund. Libr.* Robertus Foliotus Episc. Londin. ante annos prope 500. *Engaddi*, inquit, *planities est juxta Jericho, in qua consistunt arbores, in modum vineæ consitæ, ex quibus, dum vulnerantur, fluit balsamum.* Ut per *Vinitores*, de quibus 2. Regum cap. 25. vers. 12. Magistri intelligunt, *qui balsama legebant.* Quo de loco vide pluribus agentem Samuelem Bochartum *Hierozoici Part. II. lib.* 5. *cap.* 9. Locus proprius Phœnicon erat Hierichuntis, ubi duobus hortis; utroque Regio, *altero jugerum viginti* —— *altero paucicrum*, ut habet Plinius, *Balsamum* nascebatur. Theophrastus verò decem solùm jugera majori tribuit, minorem vero longè minorem facit, ut qui singulos tantùm balsami congios omnibus annis reddebat, quum major ille senos impleret. Qua proportione, si major hortus decem jugerum fuit, minor non plus habuerit, quàm unius jugeri spatium & trientis. Sed hac de re plura dicemus infra, in voce *Phœnicon.* Atque id spatii fuit, antequam in Romanorum potestatem Judæa veniret. At postea, *ita luci illi propagati sunt, ut jam nobis latissimi colles sint balsama*, verba sunt Solini *cap.* 35. Ubi ineptè *lucos*, de fruticetis & arbustis dixit, cùm *Balsami* arbor frutex sit & viti similis, cujus proceritas inter bina cubita subsistit. Sed & nimis [illegible], quòd *balsama colles sudare* scribit. Hoc tantum ait Plinius, quem is exscribit, postquam Judæa in Romanorum potestatem venit, numerosiorem eam arborem factam esse, quam antea fuerat. Quanvis enim à Judæis ipsis cæsa palmeta balsametaque tradant Scriptores, ne hostibus usui essent, impedire tamen non potuerunt, quo minus & hoc terræ S. cimelio illi potirentur. Unde Statius *Lib.* 5. *Sylv.* 2. *versu* 138.

An Solymum cinerem, palmetaque capta subibis,
Non sibi felices sylvas ponentis Idumes?

Et quidem tum universi *Balsami* reditus ad Fiscum spectabat, qui arborem serendam, colendam, incidendam curabat & balsamum ex ea collectum vendebat: Ac puri quidem putique balsami sextarius, vendente Fisco, trecentis denariis vænibat; Sed, qui à Fisco emebant Mercatores, in tantum liquorem illum augebant, admixtis aliis succis, ut mille denarios facerent ex ea mensura, pro qua 300. solùm dedissent. Quorum fraus quo modo deprehendi consueverit, docet Plinius, ubi variis speciebus, quibus adulteratur balsamum, enumeratis, subdit: *Nequissimè autem gummi, quoniam inarescit in manu inversa & in aquâ sidit: quæ probatio est gemina. Debet sincerum & inarescere, sed hoc è gummi addito fragili crustâ evenit, & gustu deprehenditur, lib.* 12. *cap.* 25. Sic Dioscorides inter notas, quibus probatur sincerum balsamum, postulat, ut succus ejus sit [illegible], pro [illegible], i. *facile liquefiat*, [illegible], & [illegible] &c. Fruticem ipsum & culturæ modum sic describit Solinus *cap.* 35. *In hac terra* (Judæa) *balsamum nascitur, quæ sylva intra terminos viginti jugerum usque ad victoriam nostram fuit: at* &c. Et paulo post, *Similes vitibus stipes habet, malleolis digeruntur, rastris nitescunt, aquâ gaudent, amant amputari, tenacibus foliis sempiterno inumbrantur. Lignum caudicis attrectatum ferro, sine mora emoritur: eapropter aut vitro aut cultellis osseis, sed in solo cortice artifici plagâ vulneratur, ex qua eximiæ suavitatis gutta manat. Post lachrymam, secundum in pretiis locum poma* (semen tantùm fert hæc arbor) *obtinent, cortex tertium, ultimus honos ligno*: ad quem locum V. *Exercitationes Plinian.* Salmasii, *pag.* 579. *& seqq.* ubi inter alia addit, incisionem sub ortu Canis fieri, *& uno die hominem colligere, quantum tenet concha*, ex Theophrasto; tribuunt autem conchæ, qui de Mensuris scribunt, tria cochlearia, quorum 96. sextarium implebant Non plus sc. unus homo colligere poterat, cui circa singulos ramos hærendum, tenuis & exigua lenteque manans lachrymula excipienda, & abstergenda & in vas condenda erat. Plures igitur homines adhibendi erant in eadem arbore, cùm ex singulis arboribus, quæ tenui gutta balsamum plorabant, suo tempore, intra unius æstatis spatium, sexaginta tria pondo balsami, h. e. septem congios, fuisse collecta, tradat Plinius; qui olim utriusque horti, circa Alexandri M. ævum, proventus erat. Nempe sub Romanis spatium Balsameti Hierichuntini ampliatum est & arbores propagatæ & plures factæ, nec propagatione tantùm numerosiores, sed etiam cultura & curâ proceriores singulæ factæ sunt. Unde duplici modo uberius balsamum colligi cœptum, quàm antea: quia & plures arbores erant, & *longiores venæ*, h. e. rami (nam vena balsami fere per totum ramum erat extensa) quæ proin ter æstate percutiebantur & postea deputabantur &c. Ibid. Porro, cùm arbusculæ hæ olim uni Judææ concessæ essent, inde vineas balsami, tempore Herodis Magni, à Cleopatra Ægypti Regina, concessu Antonii, tantam felicitatem Herodi invidentis, translatas in Ægyptum, ibique inter Heliopolim & Babylonem hortum consitum, in latitudine unum, in longitudine duos jactus arcus habentem, irrigari hodieque à fonte parvo, ubertimo tamen, refert ex vet. Scriptore Auctor Anonymus *Sina & Europæ cap.* 32. Apud quem hac de re ita Saligniacus, *Nos*, inquit, *cùm ibi essemus, mense Septembri, balsami lignum humile erat, palmi scilicet dimidii in altitudine, folia habens parva, ut ruta, albiora tamen. Messis balsami talis est: Decerpitur folium ex stipite, contra Solem, moxque gutta lucida & mirè fragrans fluit ex ruptura: & sic balsami pretiosissimus liquor vitreis vasis colligitur, minimè fluxurus, nisi ad Ortum Solis fiat ruptura. Fonticulus autem* (*in quo fama est sæpe lotum à B. Virgine puerum Jesum*) *parvulus est, non sufficiens irrigationi horti totius: quare Saraceni alium foderunt juxta illum puteum, ex quo quatuor boves aquam protrahunt per rotam, sperantes ex vicinitate fontis aquam fore salubrem, at longè aliter res evenit, donec missis canalibus aquam putei ducerent in fontem, quo facto largiter & salubriter ex aquis mixtis rigatur hortus. Mirum dictu: veruntamen à Meridie Sabbathi, usque ad auroram diei Lunæ boves nullo verbere impelli possunt, ut in protrahenda aqua laborent, quod est fidei nostræ testimonium celebre.* Hactenus ille. Usus illius in sacris passim occurrit. Apud Spartianum *in Hadriano in honorem Trajani balsama & crocum per gradus theatri eum fluere jussisse* legimus: ubi Casaubonus aquam intelligit balsamo & croco infectam; quæ tamen sparsiones utplurimum è croco tantum fiebant, quam ob causam scribit Auctor *Glossar. Sparsio*, [illegible]. Hadrianus etiam *balsama* addidit, quod ideo relatum in Acta, ac inde in historias, ceu non prius factum, aut raro, Casaubonus *ad l.* Et Heliogabalus quoque in lucernis *balsamum* exhibuit, apud Lampridium, i. *oleum balsaminum*, rem rarissimam jam tum & charissimam, Idem &c. V. quoque ubi de Antiocho IV. &c. Adde quæ infrà de *Xylobalsamo* dicemus. Statius *Palæstinos liquores* balsamum vocat *lib.* 5. *Sylv.* 1.

Ver Arabum, Cilicumque fluit floresque Sabæi
Indorumque arsura seges, prærentaque Templis
Thura, Palæstini simul Hebræique liquores:

ad quem locum V. Casp. Barthium *Animadversion. tom.* 1. *p.* 187.

Baltfredus, V. infra *Belfredus.*

Principes Viri.

Balthasar, filius Philippi IV. Hisp. Regis, ex Elizabetha Francica, mortuus est sedecennis. Item Landgravius Thuringiæ, fil. Friderici cognom. *Severi* seu *Gravis* vel *Macri*, Ducis Saxoniæ, pater fuit Friderici cognom. *Pacifici*, A.C. 1440 mortui, & emtione Gerstungam, ut vacans feudum, *Kevernburg*, ab uxore Margareta Norimbergensi Hilperhusam, Heldburgum & *Eisfeld* acquisivit. Item fil. Henrici D. Megapolitani, A.C. 1477. exstincti, Episcopus Suerinensis, postea infula depositâ maritus, V. Phil. Jac. Spenerum *Sylloge Geneal. Hist.*

Balthasar, Com. Nassoviæ, lineæ Wisbadensis & Idsteniæ, filius Philippi (qui primus Wisbadensium Comitum Lutheri reformationem est amplexus) ex Hadriana, Johanne Barone Bergæ ad Scaldim genitâ, Commendator primo fuit Ordinis Teutonici Gissenbargi: Adolfo dein fratre majore natu, sine prole defuncto, avitum regimen adiit, Pater, ex Margareta (Reinhardi Com. Isenburgici fil.) Johannis Ludovici, qui Patris in ditione successor, decessit A.C. 1596 præmortua omni sobole & hæreditate ad Ludovicum agnatum, Comitem Weilburgensem & Sarapontanum. delatâ. Cyr. Lentulus *Geneal. Principum ac Comitum Nassoviæ MS.*

Baltheus, cingulum militare est, cui insertus gladius gestatur, sine quo nemo militaribus ordinibus censebatur dignus. Sonus Sidonius Apollinaris *carm.* 2.

—— —— *bullis hostilibus asper*
Subligat à læva fulgentem Baltheus *ensem.*

Rectè *bullis*, nam ex auro appositæ illæ, quare à Treb. Pollione in *Gallienis* dicuntur *Balthei* aurati & constellati, Virgil. *Æn. lib.* 12. *in fine,*

—— —— *Humero cùm apparuit alto*
Baltheus, *& notis fulserunt cingula bullis.*

Talibus autem milites ac Duces usi, vilioribus bullis ornatos enses Gladiatores gestarunt. Pseudo-Cornut *ad vers.* 44. *Sat.* 4. *A. Persii*, *de Gladiatoribus*, inquit, *tractum, qui accepta vulnera inaurato tegunt baltheo.* Porro auro gemmæ, quò speciosior esset apparatus, addebantur: Unde Corippo,

— — *Pretiosaque cingula gemmis.* &c.

Certè *Balthea* Militum, apud Romanos argentea passim occurrunt. Plinius *lib.* 34. *Et quid hæc attinet colligere, cùm capuli militum, etiam ebore fastidito, calentur argento, vaginæ vatillis, balthei laminis crepent?* &c. Idq; gregariorum: Unde non mirum, si Ducibus & Tribunis *Balthei* essent aurati stellatique, id est, gemmati. Auro enim vel aureis clavis configebantur, & gemmis stellabantur. Virgilius,

—— —— *Et aurea bullis*
Cingula.

Id est, clavis aureis, ut interpretatur Servius. Meminit horum Trebellius Pollio *loco cit.* *Nam quum cingula sua plerique militantium, qui in convivium venerant, ponerent hora convivii. Saloninus puer sive Gallienus, his* auratos constellatosque baltheos *rapuisse perhibetur: & quum esset difficile in Aula Palatina requirere, quod periisset — postea togati ad convivium cincti accubuerunt — atque hinc tractum morem, ut deinceps cum Imperatore cincti discumberent.* Ubi tamen Salmasius pro *constellatos* mavult legere *pustulatos*, h. e. *pustulis* vel

bullis argenteis distinctos. *Pustula* namque de argento optimo dicebatur: unde & *pustulatum argentum.* Martialis,

Et niveum candens pustula vincit ebur.

Pustulatos igitur *baltheos* hic interpretatur, pustulis aut bullis ornatos, id est, optimo argento variegatos ac ornatos. Vel legi posse, *costulatos* ait, id est, regulis quibusdam & virgis argenteis, in modum costarum positis & ordinatis distinctos. Et sic costulæ argenteæ dicerentur in balthеorum ornatura, ut laminas & batillos eisdem ornandis & gladiorum vaginis, apud Plinium, memorari vidimus. V. Claud Salmasium *Notis ad Æl. Spartianum in Hadriano Cæs. & Trebellium Pollionem l. cit.* Sed & Venatoribus quoque in usu fuisse, docet Levius Andronicus, apud Terentianum Maurum *lib. de Metris* &c. Fuit autem *Balthеus* usque adeò militi necessarius, ut Imperatores inaugurandi eo cingerentur, ac per eum ipsam significarent militiam: ut gestatus militem signaret, depositus exauctoratum seu ignominiosâ missione excedere castris jussum: essetque hæc militaris cinguli ademtio, gravissima simul ac ignominiosissima nota. V. Freculphum *Tom. 2. Chron. lib. 3. cap. 15.* Herodian. *lib. 2.* & 7. Hinc passim apud populos cingulum seu Balthеus pro militia, V. Treb. Pollionem *in Galliene*: & *accinctus* pro milite, *discinctus*, pro inhabili ad militiam, apud Auctores. Ovid. *Amor. lib. 1. eleg. 9.*

Ipse ego segnis eram, discinctaque in otia natus.

Ad formam militaris disciplinæ & civici Magistratus solebant cingi. Lucanus *Pharsal. lib. 7. vers. 430.*

Sarmaticumque premet succinctus Consul aratrum, &c.

Plura apud Thom Demlerum *in Joh. Rosini Antiqq. Rom. lib. 9. paralipom. in cap. ult.* Aliter paulo sumitur vox *Balthei*, apud Quintilianum, ubi de Toga loquens sic ait, *Sinus decentissimus, si aliquanto supra imam togam fuerit, nunquam certè sit inferior. Ille qui sub humero dextro ad sinistrum obliquè ducitur, velut* Balthеus, *nec strangulet, nec fluat.* In quibus verbis, *Balthеus* Gronovio est collectio rugarum circa pectus, sub dextro brachio incipiens, in medio latioribus & extantioribus rugis, ut speciem tabularum sibi invicem superstructarum, simul umbonis referrent, in latum infra desinens in sinum, in longum porrecta usque sub sinistrum brachium, ibique velut nodo contracta, sic tamen ut nullum post tergum emineat. Ab illa autem umbilici specie & tubere, quod in medio apparebat, & totus balthеus dicebatur *Umbo*, quod probat ex collatis verbis Fabii & Curii. *Epist. ad Joan. Rhodium.* Unde *Umbo candidus*, pro Toga pura, apud Persium. Octavius verò Ferrarius ipsum hicsinum *Balthei* nomine intelligit: Nam quemadmodum balthеus militaris cingebat pectus, sic sinus ille brachio subjectus ad instar cinguli hominem circumdabat, non quidem rectè, ut balthеus, sed obliquo ductu, quia ad sinistrum altior, demissior in dextro erat. Imò Quintilianus, inquit, duplicem sinum superiorem videtur statuere: alterum, qui cadebat in pectus, pars sc. togæ, quæ subjecta humero dextro è *Balthеo* evolvebatur & reflectebatur, ac descendebat ad inferiora: alterum, *Balthеum* ipsum, rugas sc. constrictas ac coactas, quæ de sub sinistro brachio ad sinistrum humerum recurrebant; non tamen, ut duplex sinus fuerit; sed duas habuerit partes. Ita ergo, *Balthеum* Quintiliani, concedit umbonem dici posse, si per umbonem intelligatur sinus rugis ac plicis fortuitis protuberans; non verò, si nodus ille & artifex contabulatio, quam in toga nunquam fuisse contendit, *de Re Vestiar. lib. 1. cap. 19.*

Balthеus, quoque in Ecclesia Rom. Zona dicitur, quâ Episcoporum, Sacerdotum & Ministrorum etiam inferioris gradus Ecclesiastici, vestes constringuntur. *Annales* Anianenses, *Unam verò partem sibi reservavit, quam dedit Benedicto Abbati S. Anianensis Archisterii, videlicet Crucis dominicis cum gemmis, bratheas aureas contextas cum gemmis,* baltheos *aureos similiter gemmatos, calices aureos* &c. V. quoque Honorium Augustodun. *lib. ▪ cap. 226.* & *Librum Sacram.* apud Menardum *pag. 260.* Ejus verò, quo Rom. Pontifex consecrandus præcingitur, meminit Joh. Diaconus in *Vita* S. Gregorii M. *lib. 4. cap. 80. Porro in exilitate* balthei, *quæ unius pollicis mensuram nunquam excedit, speciem propositi regularis olim à S. Benedicto statuti — eum servasse, luculentiùs manifestat.* Et Anonymus in *Vita* Paschalis II. Pontif. Rom. *Deinde in Patriarchale ascendentes Palatium, ad duas curules devenit. Hic* baltheo *succingitur cum septem exinde pendentibus clavibus, ex quo sciat septem sigillis* (Apocalyps. *cap. 5. 6.*) *septiformem Spiritûs S. gratiam cunctarum Ecclesiarum, quibus simul, Deo auctore præest, regimini in claudendo aperiendoque, tantâ ratione providere debere, quanto solertius id, quod intenditur, operatur.* V. quoque Johannem Sarisber. *Epist. 42.* Alius ab hoc est *Balthеus mundialis* seu *secularis*, cujus mentio apud Ivonem Carnot. in *Chron.* apud Lambecium *Comment. de Biblioth. Cæs. lib. 2. cap. 8. in Ludovico Pio: Ipsius denique tempore cœperunt deponi ab Episcopis & Clericis balthei gemmeis culturis honorati & cingula auro compta & exquisitè & alia secularia pariter ornamenta* &c. V. suprà. Hinc *Balthеum auferre*, pro degradare, apud Aimoinum *Histor. Francor. lib. 5. cap. 93.* V. infrà, ubi de *Degradatione*, & plura hanc in rem, apud Car. du Fresne *Glossar.* Occasio verò *Balthei* hujus ex Vet. Test. in quo אבנט seu *Balthеus*, erat inter octo indumenta seu Vestes Pontificis, quæ *Aureæ* dicebantur; non quòd totæ ex auro constarent vel omnes auro illusæ ac interstinctæ forent, sed quod quibusdam ex iis aurum variè intextum, reliquæ autem cæteris ejus vestibus ornatiores & splendidiores erant. Omnes enim ex lino erant purissimo & pretiosissimo, V. de iis Exodi *cap. 28.* Et quidem quatuor harum, inter quas & *Balthеus*, Pontifici cum reliquis Sacerdotibus communes erant, reliquæ Pontifici propriæ, ut infrà videbimus. In quo sacro ornatu ministrabat Pontifex quotidie in Sanctuario, juxtaque eum Sacerdotes suo ordine. Sine his vestibus enim operari sacris non licebat: *Balthеusque* inprimis, ut qui reliquas vestes contineret, sacer habebatur, quem proin, solâ ministerii horâ, adhibendum fuisse, cum reliquum habitus toto Ministerii die retineri posset, ajunt Magistri, ut videre est, apud Joh. Seldenum *de Synedriis vett. Ebræorum lib. 3. cap. 11.* Sed & præter vestes aureas, inque iis *Balthеum*, habebat quoque Pontifex quatuor *Vestes albas*, prioribus quatuor cognomines ex lino contextas, quibus is solus utebatur, semel in anno, cùm piaculare sacrum administraturus interius adytum intraret: quo peracto eas deponebat, sequenti anno novas rursus accepturus. Inter quas iterum *Balthеus* seu *Cingulum* erat, ut videre est Levitici *cap. 16. versu 4, 32.* Ad quod respexit Esajas *cap. 11. versu 5.* ubi de DOMINO nostro, cujus illustris typus erat Pontifex, *Erit enim justitia,* inquit, *cingulum lumborum ipsius, & fides ipsa cingulum feminum ejus.* V. A. Rivetum *Exercitat. in Exodum cap. cit.* & Franc. Burmannum *ibid.*

Bambacorax, Alexius olim Commenus Imp. CP. dictus est, uti legimus in *Epist.* Honorii III. 285. *lib. 9.* quòd *balbutiret* & instar *corvi* crocitando verba effunderet, quod τοῖς βαμβακίζουσι solenne. Et quidem balbutiem hanc ejus observant etiam Anna filia *lib. 1.* & Bryennius gener *lib. 4. num. 12.* Origo vocis à vocabulo *Bambalio*, Græcè ψελλιστής: Sic enim M. Fundum, Antonii III Viri socerum, propter hæsitantiam linguæ stuporemque cordis, appellatum, scribit Cicero *Philipp. 3.* & Græco κόραξ, *i. corvus.* V. præfatum *Glossarii* Auctorem.

Bammulum, diminut. ex *bammum*, quod Latini suum fecere ex Græco βάμμα, quod inter alia ὀξυβάφιον, h.c. *acetabulum* notat; sic vas oxygari *bammum*, apud Cassiodorum, Adamantius vocat Martyrius. Unde *Bammulum*, parvum ὀξυβάφιον; quod recentioribus Græcis est βαμμοῦλον & βαμοῦλον. Qui proin, quoniam candelabra olim fiebant, in modum lancis, uncinum in medio habentia, cui insigeretur candela, μονοβάμουλον dixere candelabrum, unico tantùm acetabulo constans, διβάμουλον, quod duo haberet &c. ut videre est apud Malaxum *in Histor. Patriarch.* Exodi *cap. 25. scyphi* illiusmodi acetabula dicuntur, in candelabro Templi. Sed & in Vett. lucernis ἐμβάφια dicebantur, quæ oleum continebant, Herodot. *lib. 2.* Τὰ δὲ λύχνα ἐστὶ ἐμβάφια ἔμπλεα ἁλὸς καὶ ἐλαίου, ἐπιπολῆς δὲ ἔπεστι αὐτὸ τὸ ἐλλύχνιον, καὶ τοῦτο καίεται παννύχιον. Item, quibus excipiebantur candelæ emunctiones & decidentes sordes, quæ βάμματα quoque citerioribus Græcis dicta. Idem igitur ἐμβάφιον & τρυβλίον & *Bammum* sive *bammulum*, pro quo *ungullam* dixit Solinus *cap. 27.* ad quem V. Salmasium *in Exercitationibus Plin. pag. 375.*

Bancus, adde: Sed & in Italia, pro Foro aut Tribunali Judicum, vox obtinuit, Ital. *Banco*, *Seggia del Giudice.* Hinc plures extant sententiæ, seu Judicata aliquot Judicum Cumarum & aliarum urbium Italiæ, quæ in hæc verba clauduntur: *Lecta, lata — & pronunciata fuit hæc sententia —— per D. Potestatem sedentem in Banco, pro Tribunali,* &c. Sic legitur in *Charta* Rogerii Siciliæ Com. apud Ughellum *Italiæ Sacr. Tom. II. pag. 1029.* Καὶ δίδομεν αὐτῷ ἄδειαν τοῦ ἔχειν βάγκον τοῦ κρατεῖν κριτὰς καὶ κρίνειν αὐτὸν, ὡς Ἐπίσκοπος τῆς ἐκκλησίας αὐτοῦ, *Et concedimus ei potestatem tenendi Bancum* &c. Academicis Cruscanis *Bancus* propriè est mensa illa, cui assident Judices & Magistratus, cùm rationes reddunt; Mercatores, cùm pecuniam numerant, cùm tabulas accepti & expensi conficiunt. V. Joh. Villaneum *lib. 11. cap. 93.* Sed & hæc legas in *Statutis* Communiæ Mechliniensis *MSS. Villa Mechliniensis de cætero habeat plenum* banchum, *sive sedem 12. Scabinorum.* Est etiam *Bancus*, stallum ubi Mercatores merces suas exponunt, in *Charta* Anno Christi 1152. apud Catellum *Histor. Com. Tolos. lib. 2. pag. 218.* &c. Origo vocis quibusdam ex *Abacus*; aliis ex *Scamnum*; nonnullis ex Germ. *Banc*. subsellium, sedile ligneum longius, quod unà plures capit sessores. Quo significatu legimus, apud Udalricum in *Consuetudinibus* Cluniac. Monast *lib. 2. cap. 36.* *Duo Sedilia, quæ vulgò* bancos *vocant.* Hinc *Bancale*, apud Durandum *Ration. lib. II. cap. 3. num. 23* alibique *banci* seu subsellii stragulum; tapes, quo scamnum seu *bancus* insternitur &c. V. du Fresne *Glossar.*

Band, Persis *fascia* est, ex Græco βάνδον postremi Imperii, quod à Latino factum *Pandum*, τὸ ἀναπεπταμένον. Unde *Bandum*, pro vexillo. Glossæ, *Bandon. σίγνον,* V. *infrà.* Et Franco celtæ *Bandam* pro fascia hodieque dicunt, ac *bandare*, pro fasciare: quod à Græcis itidem hausere, unde & Persæ, in quorum linguam infinita prope vocabula

Vocabula de Græco irrepsisse, docet Salmasius *ad Solinum pag.* 1130

Banda Ins. adde: Sita est ab Amboina, versùs Euronotum, in Archipelago S. Lazari, veniuntque eo nomine parvæ sex insulæ, ab interlabente Oceano à se invicem distinctæ, nempe *Lantor*, reliquarum maxima, eaque fortalitio munita: *Nera*, *Polervay*, *Pooleiroon*, *Rosegain*, & *Goenongapy*, quæ omnes imperio Belgarum subsunt. Ex his *Pooleroon* una fuit è rebus inter eos & Anglos controversis, quâ Angli pace facta Anno Christi 1667. demum cesserunt. Auctor Anonymus *Hist. Orbis Terr. Geogr. & Civ.*

Banderasius, seu *Branderasius*, vexillarius, signifer est: quo nomine insigniti sunt olim Romæ regionarii Principes, qui hodie *Caprioni* appellantur. Blondus *Dec. 2. lib. 10. in Gregorio IX. Nam Romæ datus singulo semestri à Pontifice, Senatorius dicebatur, & urbis custodiæ totiusque administrationis* Banderasii *gerebant curam — dicti à Vexillis, Gallico, vel potiùs Germanico verbo*, Bandis, *longè priùs in Italia appellatis ab Urbano III.* Platina in eod. *Gregor. Totamque Reip. administrationem & curam* Banderasii *tunc gerebant*. In *Collect.* Anastas. *Biblioth.* per Sirmondum edita *pag.* 188. *Misit ad eum* Primores Bandorum, *Presbyterosque ac Diaconos & Reverendos signorum Custodes*: quo nomine itidem Vexillarii indigitantur; hodieque in Melita Vexillarius Equestris *Bandoliero* dicitur. V. Macros Fratres in *Hierolexico*. Italis *Banderajo* & *Banderese*, V. Joh. Villaneum *lib. 7. cap.* 14. Βανδοφόρος Procopio *Vandalic. lib. 2. cap.* 10. Τὸ σημεῖον τοῦ στρατηγοῦ ἐν ταῖς παρατάξεσιν εἰωθὸς φέρειν, ὃ δὴ βανδοφόρον καλοῦσι Ῥωμαῖοι, *Signum Ducis in acie solitus gestare, quem* Bandophoron *vocant Romani*. Ita etiam Leo Imp. *in Tacticis*. Occurrunt etiam *Banderarii* Milites *in Historia* Cortusiorum *lib. 5. cap. 3. & lib. 7. cap. 4. & 15.* sed hi iidem cum *Banneretis* sunt, ut alii illos vocant du Fresne *Glossar.* V. quoque infrà in voce *Bandarenses*, ut & *Bandum*.

Banditi, V. infrà in verbo *Bannire*.

Bandorenses appellati Regionum Capitanei, Romæ, ut est in *Vita* Gregorii XI. *Pontif.* apud Bosquetum *pag.* 225. *Romani, seu eorum Officiales & Rectores, suo vocabulo* Bandarenses *& duodecim capita Regionum nuncupati, coadunatis sibi aliis quampluribis tam in civibus, quàm in forensis natione Italicis, adhuc vivente Gregorio, tamen infirmante, deliberaverunt.* Galli *Chefs de bannieres* vulgò appellant: *Banderesios* vocat Platina in *Gregorio II.* *Banderasios* in *Gregorio IX.* à quo Romæ institutos esse Blondus innuit loco suprà cit. in voce *Banderasius*.

Banduli, apud Vopiscum in *Probo*, *Vanduli* seu *Vandali* sunt.

Bandum, Ugutioni *parvum vexillum*; Paulo Warnefrido *de Gestis Langob. lib. 1. cap.* 20. simpliciter *vexillum*, passim hac notione occurrit, apud citimæ ætatis Scriptores. A' Persico Germanicoque *band*, id est, *fascia*, uti Salmasius vult, quòd in fasciæ modum effictum. Aliis à Cambro-Britannico *Bannar*, quod itidem *vexillum* notat, quodque effictum volunt à *Bann* i. elevatione: est enim *bann*, altum, excelsum, apud Boxhornium. Car. du Fresne mavult à voce *bannum* vocis originem deducere, quòd qui *bannum in rem aliquam mittebant*, seu in prædium aut domum, *velum* eidem appendebant, eoque ipso rem superioris Domini esse innuebant. Et certè *bandum* pro *bannum*, & vicissim *bannum* pro *bandum*, promiscuè usurpatur haud rarò. A' Latinis, Βάνδον eodem significatu Græci sunt mutuati, uti suprà ex Procopio vidimus. Hinc Scholiastes Gregorii Nazianzeni 1. *in Julian.* Τὰ καλούμενα, inquit, παρὰ Ῥωμαίοις σίγνα ἢ βάνδα, ταῦτα ὁ Ἰουλιανὸς συνῆπτε τοῖς σημείοις τῶν δαιμόνων. V. Rigaltium, Meursium in *Glossar.* & Fabrotum *ad Cedrenum*. Atque hinc est, quòd Byzantini Scriptores, per tralationem *Bandon* sæpe pro turma usurpant, uti Galli hodieque, ut Ducas *cap.* 5. Tactici Græci passim; *Gloss.* Basilic. Κουστωδία, στρατιωτικὸς στῖφος, ὃ βάνδον Ῥωμαῖοι καλοῦσι, *Custodia, militaris turma, quam* Bandum *Romani appellant*, &c. V. Car. du Fresne præfatum in *Glossario*, & suprà, in voce *Band*.

Banleuca, seu *Banni leuca*, Gall. *Banlieuë*, vox in *Consuetudinibus* Municipal. Galliæ frequens, modus est agri, cujus finibus loci, seu Oppidi, seu Monasterii alicujus immunitas vel jurisdictio terminatur, sic dictus, quòd utplurimum intra *leucæ* spatium plus minùs quaquaversùm porrigatur. *Bannum* enim, jurisdictio Recentioribus est, seu districtus, intra quem jus *ponendi bannum* protenditur, ut infrà videbimus. Latini illiusmodi modum agri, intra quem Coloniæ vel Municipii jurisdictio coërcitioque esset, *Territorium* vocavere. Nulla enim fere Colonia olim in Italia fuit, aut Municipium, nulla item Præfectura, quæ non certum agri modum adscriptum adsignatumque haberet, cujus intra fines, ejus, ad quem pertineret Magistratui, jus dicendi, coërcendique libera potestas esset. Græcis ὅρια, quod Galli *Finage* appellant. Sic *fines* pro regionibus apud Vett. *regiones* etiam pro territoriis. Siculus Flaccus *de Condition. agror. Compluribus locis certos dederunt fines, intra quos jurisdictionem habere deberent.* Mox, *Fines lege dati* &c. Πάγους τῆς πόλεως, vocat Eusebius in *Epist. Sabini*: unde *Præpositi pagorum*, in *Cod. Theodos. de erog. mil. ann.* seu *Magistri Pagorum*, uti Sæculus vocat; singuli enim quique pagi ejus Urbis, intra cujus territorium erant positi, jurisdictioni subjacebant, &c. Quibusdam tamen Coloniis ac Municipiis nullam fuisse extra muros urbis jurisdictionem, docet nos Hyginus *de Limit. agr. Sunt nihilominus quædam municipia, quibus extra murum nulla sit jurisdictio.* Quod igitur Urbibus hodie *Banleuca*, olim *Territorium* seu *Fines* seu οἱ ἀμφὶ πόλιν ἀγροί, id Urbi Romæ *Urbicariæ Regiones* fuere vel *Suburbicariæ*, seu etiam singularitatis numero, *Urbicaria Regio*, Gr. ἀμφὶ τὴν πόλιν χώραι seu ἡ περὶ πόλιν χώρα, aut etiam voce unicâ, ἡ περίχωρος: intra quam sc. Urbico Magistratui, h. e. Urbis Præfecto, jus dicendi coërcendique potestas esset. Non enim intra muros urbica jurisdictio fuit cohibita; sed nec libera & indefinita juris passim exercendi licentia totam Italiam pervagata est, verùm certa habuit regionum spatia, vice territorii, quatenus procurreret & extenderetur, ad centesimum ab urbe lapidem, ut inter Auctores convenit. *Romana regio* hic agri modus dicitur, in antiquo lap.

POLLIO. JULIO. CLEMENTIANO
SUBVENTORI CIVIUM
NECESSITATIS. AURARIÆ
DEFENSORI. LIBERTATIS
REDONATORI. VIÆ. POPULI
OMNIUM. MUNERUM. RECREATORI.
UNIVERSA REGIO ROMANA
STATUAM. COLLOCAVIT, &c.

V. Salmasium *ad Trebellium Pollionem in XXX. Tyrannis*, ut & infrà *passim*.

Bannerettus, adde: *Milites vexilla ferentes*, & *Vexilliferi* dicuntur, apud Matth. Paris *pag.* 346. 403. 516. *Bannerarii* seu *Vexillarii*, in *Charta* Anno Christi 1274. *Tom. V. Histor. Franc.* & in *Charta* Philippi Pulchri R. alibique: *Rici homines de Senera* appellantur, apud Hispanos. V. quæ pluribus de *Bannerettis* congessit Joh. Seldenus *de Titulis Honorar. part. 2. cap.* 1. §. 26. ut & Caroli du Fresne *Dissertationem IX. ad Joinvillam*.

Bannire, publico *banno*, seu edicto, statuere ac jubere. Decretio Childeberti R. *cap.* 8. *Similiter Kal. Mart. Coloniæ convenit, & ista* bannivimus, *ut unusquisque Judex* &c. *Capitulare* Caroli M. primum Anno Christi 802. *cap* 39. *Iterum* bannimus *firmiter, ut nemo amplius faciat*, &c. Hinc citare, submonere, *banno* seu edicto publico evocare: *locis congruis congregare*, in *Formula* Lindenbrog. 39. *In exercitum vel hostem bannire*, in *L.* Ripuar. *cap.* 65. quod *populum in hostem convocare*, ait Flodoardus *Histor. Rem. lib. 3. cap.* 18. *solenni more indictam expeditionem*, vocat Lamb. Schaffnaburgensis Anno Christi 1074. Sic *bannire ad molendinum*, Domini dicuntur, cùm tenentes suos cogunt ad molendinum suum, frumenta sua molenda deferre, apud Fulbertum Carnot. *Epist.* 14. Cujusmodi molendina Dominica vocant, *bannalia*, passim Consuetudines municipales. Atque inde *bannire*, in *bannum mittere*, h. e. edicto publico proscribere, relegare, Gall. *bannir*. Et *Banditi* seu *Banniti*, h. e. proscripti, vox hodieque in Italia inprimis frequens. Alia verò notio vocis est, in *Speculo* Saxon. *lib. 1. artic. 2. §. 2. 3. 4. & art. 3. §. 2.* ubi *Banniti* dicuntur liberi homines, qui jura sua ac lites disceptant, in Episcoporum Synodis & in Comitum Judiciis. *Libertas*, inquit illius Auctor, *est etiam tripertita, quorum primi Episcoporum Synodum quærere solent & hi* Banniti *dicuntur.* Et mox, *Simili modo & secularia judicia quærere solent, scilicet* Banniti *Comitum.* Et quidem de horum criminibus Judex, non nisi in legitimo loco judiciali, sub Imperii banno, cognoscere poterat, *lib. 1. artic 59. §. 1.* Adde *artic. 63. §. 1. art. 67. §. 3. lib. 2. artic. 3. §. 2 art. 12. § 1. 4. & lib 3. art. 45. §. 73.* ubi de *Bannitorum* prærogativa. Ibidem *Banniti*, id est, *digni Scabinatu, lib. 2. artic. 12. §. 1.* *Banniti seu Scabini*, *lib. 2. artic. 26. §. 2* *Banniti seu loco Scabinali idonei, artic. 45. §. 3.* &c. V. Carolum du Fresne *Glossar.*

Banniti V. hic suprà.

Bannum, neotericum & nuper inventum vocabulum, apud Scriptores, multiplici notione occurrit: potissimùm verò tria notat, I. *Edictum publicum*, proclamationem seu Statuti publicationem, quo de significatu jam aliquid diximus, in voce *Bannire*. Sic *Bannum mittere* super rem aut personam aliquam, dicebantur Principes, cùm eam publicato *banno* seu edicto, in suam protectionem suscipiebant. Quod quo modo fuerit peractum, docet vetus *Notitia* Judicati A. C. 981. in *Tabular.* Casaur. apud du Fresne, *In eadem hora sic prænominati Missi sacri Palatii miserunt fustem in manus suas, &* bandum *miserunt Præposito* &c. Alia item *Notitia* Anno Christi 1068. apud Franc. Mariam in *Mathilde Com. lib. 3. pag.* 140. *Petivit — ut pro Deo & anima domini Regis suorumque mercede mitteret bandum super jam dictas res & prædictum Advocatum, in Byzantios bonos aureos duo millia, ut nullus quislibet homo magna parvaque persona, prædictam Ecclesiam de jam dictis rebus sine legali judicio, disvestire præsumat. Cumque ipse taliter quæsisset, tunc præfata D. Beatrix & Ubaldus Judex D. Regis ambo simul per fustem, quem in suis detinebant manibus, miserunt bannum super easdem res & jam dictum Advocatum*

catum, ut nullus quilibet homo præfatam Ecclesiam de supradictis rebus disvestire præsumat, sine legali judicio. Qui verò fecerit, duo millia bonos Byzantios aureos compositurum se agnoscat, medietatem parti Cameræ D. Imperatoris & medietatem parti præfatæ Ecclesiæ, &c. Eodem sensu, *Bannum ponere super caput alicujus*, usurpatur in *Not.* Judicati A C. 1028. in cod. *Tabular.* præf. At in *Bannum mittere*, confiscare est, seu in fisci potestatem edicto publico redigere, apud Hincmarum Remensem in *Quatern. ad Regem Carolum pag.* 381. &c. II. *Districtum*, jurisdictionem, justitiam: *ambitum*, intra quem potestas porrigitur, mulctam & proscriptionem bonorum indicendi, vel bannum promulgandi. Auctor *Vitæ* S. Ludani peregrini *num.* 4. *Tandem ad quandam ulmum sive arborem pervenit, in diœcesi Argentinensium, in banno villæ Northus, secùs fluvium*; ut alios omittam. *Versus* antiqui de Vicelino, Episc. Brem.

Et domus auxis & honores accumulavis,
Villam cum decimis, bannum *cum Parochianis,*
Pastori primo condonavis Vicelino.

Unde *Bannalis*, qui intra *bannum*, seu districtum alicujus jurisdictionis, justitiæ vel dominii habitat: *Homines banni*, in vet. *Style* Parlamenti Parif. *Cives qui sub banno sunt*, apud Ivonem Carnot. *Epist.* 133. & *Banleuca*, de qua voce retro actum, &c. III. *Pœnam & mulctam*, quâ quis *banni* seu legis infractor punitur. Unde *Bannum mittere*, id est, mulctam imponere, in *Capitular.* Caroli M. de partibus Saxoniæ *cap.* 30. & contrà. *Bannum componere*, item *solvere*, in *Capitular.* Caroli . . *tit.* 9. *cap.* 9. & *in L. Saxon. tit.* 2 *§.* 9. id est, mulctam exolvere, pro neglecto vel violato banno, Gall. *Payer l'amende.* Item *Exilium* & *Proscriptionem*, quæ fit, cùm quis extra *bannum* seu *banleucam* ejicitur. Quo sensu *Bannum* definitur, *quo omnia humanitatis jura, vicissitudinesque officiorum & commercia negantur rebellibus*; à Cæsare: cui soli *Bannum indicere*, Germ. *in die Acht erklaren* licet; cùm cæteri Magistratus relegationibus aliisque pœnis utantur. Origo à Romanis, qui Draconis Atheniensium Legislatoris duram imitati legem, istiusmodi hominibus *aqua & igni interdicere* solebant. Sic *C. de Episc. & Cler. in Constitut.* Friderici II. Imp. *Banno subjaceant Imperiali*: intelligens proscriptionem, quæ exilii species est & æquiparatur deportationi: uti rursus excommunicatio habet similitudinem cum banno, *gl. in §. relegari, Institut. quib. mod. jus patr. pot. solv.* Doctores *in l.* 1. *de hær. instit.* Sublatâ autem deportatione, cùm provinciarum numerus sub Imperio Rom. in angustum redigeretur, perventum est ad proscriptionem, quam *Bannum* dicimus seu excommunicationem Imperialem, cujus meminit idem Fridericus Imp. in *Constitut. de statut. & Consuetud. §. item nulla potestas.* Quamprimùm autem novissima hæc proscriptionis pœna introduci cœpit, observata est, ut Oldendorpius tradit, differentia inter *Censuram* & *Bannum*: quarum illa, Germ. *die Keyserliche acht*, intra annum habebat hanc appellationem; *quia Imperium consit, utrum in eam declarandus sit, an non?* adimebatque securitatem & pacem publicatis personis & rebus: Illud verò, Germ. *der Bann*, id efficiebat, ut sic bannitus apprehendi quidem posset in quolibet judicio, sed non passim occidi. Post annum autem ista censura & proscriptio iterabatur, confirmata gravioribus pœnis, inde dicta *die Oberacht*, quasi aggravatio excommunicationis & censuræ Imperialis &c. A' *Bando* vocem derivant Eruditi, h.e signo Ducis seu Imperatoris, de quo diximus suprà. *Banno* enim primitùs feriebantur, qui à *bando* deicivissent, militiamque Domini sui sequuti non essent &c V. Joh. Calvinum *Lexic. Jurid.* Car. du Fresne *Glossar.* Limnæum *de Jure Publ.* &c. ut & infrà, ubi de *Deportatione, Excommunicatione, Proscriptione.*

Variæ Banni, secundùm triplex ejus significatum species.

Bannum Augusti, occurrit in *Charta*, apud Paradinum, in *Histor.* Lugdun. *lib.* 2. *cap.* 73. & apud Cognatum *Histor. Tornac. lib.* 4.

Bannum Bestiarum, in *Charta* Henrici I. Imp. Anno Christi 1008. apud Chapeavillum & Barth. Fisenum in *Hist. Leod.*

Bannum Capitis, mulcta quæ in pecoribus exsolvitur, in *Charta* Ottonis Imp. A. C. 937. in *Privileg.* Ecclesiæ Hamburg.

Bannum Christianitatis, in Concilio Agath ubi *Glossa* Decr. *Sub pœna Fidei suæ.*

Bannus Dei, in *Capitulis* Caroli C. 26. apud Sim. Dunelmensem, de *Gestis Reg. Angl.* A. C. 1074 & Flodoardum *Hist. Rem. lib.* 3. *cap.* 28.

Bannum Dominicum: mulcta quæ Domino exsolvebatur, pro infracto ejus banno; erat autem illa solidorum 60 *Capitul.* Caroli M. *lib.* 6. *cap.* 96.

Bannus Episcopi, excommunicatio, apud Ditmarum *l.* 1. &c.

Bannus Francilis, franci seu liberi hominis mulcta, quæ *Francorum, compositio* dicitur in *L.* Ripuar.

Bannum Grossa & Minuta, majores aut minores mulctæ pecuniariæ apud Guichenonem in *Episcopis Bellic. p.* 57.

Bannum Leuga, V. suprà *Banileuca.*

Bannum Monetarum, in *Regesto* Parlamenti Parif. apud du Fresne.

Bannum Pacis, quo pax indicta est publico edicto, apud Ekkehardum Jun. *de Casibus S. Galli cap.* 1.

Bannum Plenum, idem cum *Dominico*, in *Capitulis* Caroli C. *tit.* 31. *cap.* 22. V. quoque *Heribannum.*

Bannum Regis, eadem notione, in *Charta* Balduini Com. Flandriæ A. C. 1066. apud Buzelinum. Aliud est *Bannus Domini Imperatoris vel Regis, quem per semetipsum consuetus est bannire, id est, de mundeburgio Ecclesiarum, Viduarum, Orphanorum* &c. in *Capitulari* 7. Caroli M. A. C. 803. *cap.* 1. Aliud item *Bannum Regale* vel *Bannus Imperii*, in *Spec.* Saxon. passim: hic enim jurisdictionem Regiam, Imperialem judicium, quod auctoritate Regia exercetur, notat.

Bannus Rescissus, est armorum depositio, V. du Fresne infrà in voce *Scaftlegi.*

Bannum Scabinatus, in *Speculo* Saxon. *lib.* 3. *artic.* 29. id est, *locus ubi natus est, Scabino dignus.*

Bannum Synodale, apud Walthramum Episc. Naumburg. *de Investitura Episcopor.*

Bannum Viæ regiæ, jurisdictio, quæ in viis majoribus, quas *regias* vocant, ad dominum superiorem spectat, in *Charta* Adalberonis Episc. Mett. apud Meurissium *pag.* 307. & 308.

Bannum Vindemiarum, edictum, quo interdicitur vindemias peragere, ante statutum à domino loci tempus, in *Charta* Roberti Duc. Burgundiæ A. C. 1232. & passim in *Consuetudinibus* Galliæ.

Bannum Vini, jus quod domino Feudi competit, cui licet vinum suum particulatim vendere, certo dierum spatio, v. g. 40. tenentibus seu hominibus suis à vini proprii venditione cessantibus. Gall. *Ban à vin*, & *ban-vin*, in *Consuetudin.* Turon. Andegavens. Cenoman. Marchensi & Juliodun. apud Car. du Fresne. Item in *Charta* Philippi Aug A. C. 1185. apud Mortnum *Histor. Vastin. lib* 5. in *Charta*, Ebonis Dom. Castrimeliandi de Immunitatibus dicti Castri, in *Charta* Henrici D. Solliaci pro Libertatibus *d'Aix en Berry* A.C. 301. alibique passim. V. hanc in rem Auctores magno numero laudatos, à Car. du Fresne *Glossar.* Interdum verò vox Gallica *Ban-vin*, latiùs extenditur, sic ut non tantùm vini dominici venum exponendi jus spectet, sed carnis quoque distrahendæ, uti docet idem ex *Charta* Philipp. II. Regis Rom. A. C. 1208. descripta in Magno *Record.* Leodiensi *pag.* 11. & Thomasserio in *Consuetudinibus* localib. Bituric. c. 31. 46. 59.

Bannum Usuale, interdictum consuctum. *Charta* Caroli M. apud Crantzium in *Metrop. lib.* 1. *cap.* 2. *cum — omni venatione, quæ sub Banno usuali ad Forestum deputatur.* V. Car. du Fresne ubi *suprà.*

Banjaimora, seu *Bansulusmora*, Hungaris marturinarum pensionem notat, vel ipsam marturinam pellem *Decretum* Ludovici Regis Hung. A.C. 1351. *cap.* 12. *Nec ratione collectæ marturinarum*, bansulusmora *vocatarum amodo & in posterum insolescerent*, &c. Instituisse pensionem hanc Calomannus Rex legitur, in *Decretis* Andreæ Regis A. C. 1222. *cap.* 22. *Marturinæ juxta consuetudinem à Calomano Rege constitutam solvantur*, apud eund. in *Glossar.*

Bantamum, adde: Rex Insulæ dictus *Madaran*, in tota Java potentissimus est. Georg. Hornius *Orb Imper.*

L. *Bantius*, Nolanus, juvenis acer & sociorum eâ tempestate prope nobilissimus eques; quòd semineecem eum ad Cannas in acervo cæsorum corporum inventum curatumque benignè, etiam cum donis Annibal domum remiserat, in hujus gratiam meriti rem Nolanam in jus ditionemque dare proposuit Pœno. Quod sentiens Marcellus Romanorum Dux, quum aut pœnâ cohibendus esset, aut amicitiâ conciliandus, sibi assumsisse, quàm hosti ademisse fortem ac strenuum maluit socium, accitumque ad se ac benignè appellatum, ita mollivit, ut nemo inde sociorum Romanam rem fortiùs ac fideliùs juverit, uti pluribus narrat Livius *lib.* 23. *cap.* 15. *& seqq.*

Banus, dignitas, in Dalmatia, Croatia & Hungaria, maximi nominis, quâ qui pollent, totius provinciæ administrationem humeris librant suis: hinc Regum plerumque fratribus, aut liberis commiti solita. Ipsis Hungaris hodie *Ispan.* Βοάνος Constantino *de Administr. Imp. capp.* 30. & 31. Μπάνος Cinnamo. Nec desunt, qui ad hanc dignitatem putent referenda Hesychii illa, *Βάνας Βανάδες παρὰ Ἰταλιώταις. οἱ δὲ, μέγας ἄρχων. Bannas Rex apud Italos; alii verò, maximus Princeps.* Certè à *ban* seu *bando* vel *banno*, quo vexillum denotari retro diximus, *Bani* appellati videntur, quòd sub eorum vexillis ac signis provinciales militarent. V. in voce *Hispanus* infrà, & plura hanc in rem, apud Johannem Seldenum *de Titulis Honorar. Part. II. cap.* 2. *num.* 5. Joh. Lucium de *Regno Dalmatiæ lib.* 6. c. 1. Raynaldum A.C. 1200. *num.* 46 in *Decretis* Andreæ Regis Hungar. A. C. 1222. *cap.* 25. & du Fresne in *Glossar.* Item *Notis ad Alexiadem pag.* 347. & *ad Cinnamum pag.* 449. Ejus Vicarius *Vicebanus* dicitur, apud Macrum in *Hierolexico* Inde *Banatus*, dignitas & munus *Bani*, vel Comitatus ac Principatus, Hungaris *Bansag.* Thvvroczius in *Carolo R. Hungariæ cap.* 97. *Dionysio tradidit omnia, cum dignitate Banatus.* Idem in Maria *Rege cap.* 1. *Stephanum — ad altum* Banatus *Regni Dalmatiæ elevans apicem.*

Bapalma, adde: vulgò *Bapaume.*

Baphium seu *Bafium*, locus in quo fucabatur vel tingebatur olim purpura. Ugutio, *Baphium, genus purpuræ, unde Baphius vel Baphiarius, purpureus vel textor talis purpuræ, vel venditor vel mercator hujus purpuræ, & invenitur simpliciter pro Mercatore; & hoc* Baphium *locus, ubi talis purpura efficitur, vel texitur vel venditur.* Seu taberna tinctoria ac officina infectorum, qui vestibus purpurâ & cocco tingendis operam dabant, *l. 2. & l. penult. Cod. de murileg. lib. 11.* & *l. ult. C. de vestibus olob. lib. 11.* quæ excerpta est ex *l. ult. Cod. Theodos. de murileg.* A' verbo βάπτω, *tingo, intingo.* Hujusmodi *Baphia* complura habebant & in Orientis & in Occidentis partibus Imperatores, quæ sub dispositione Comitis Sacr. Largit. in *Notit.* Imp. collocantur. Præponebantur autem Baphiis Procuratores, ut eadem docet *Notitia*, meminitque eorum Æl. Lampridius *in Alexandro Severo, Purpuræ clarissimæ — gravissimus exactor fuit: ita ut Alexandrina purpura hodieque dicatur, quæ vulgò Probiana dicitur, idcirco quòd Aurelius Probus* Baphiis Præpositus, *id genus muricis reperisset.* Ex iisdem Dorotheus fuit Eunuchus, qui in civitate Tyri istiusmodi officinæ præsidebat, inde Antiochenus sacerdos ordinatus, ac tandem, imperante Juliano Apostata, martyrio coronatus, ad diem 5. Julii, quo tempore sericum purpurâ tingendum, non per aquam ferventem, quod modò fit, sed pectinis ac fusi opificio extrahi consuevisse, ajunt Macri Fratres in *Hierolexico.* Pretiosissima verò purpura apud Phœnices tingebatur, quorum tincturam seu βαφὴν Suidas οξυν appellavit, ἄξος ἐκ τῶν Φοινίκων. V. suprà in voce *Acetum.* Hinc *Oxybapta* in *l. 6. quæ res alien. non poss.* &c. Joh. Calvinus *Lexic. Jurid.* Origo nempe vocis à βαφὴ, i. *tinctura*, est, quod unum ex tribus quæ Chemici Græci in rebus tingendis requiri sanxerunt. Sunt autem illa, ἡ Ἀραίωσις, quâ corpora *rarefacienda*, ut colorem recipiant & imbibant; Βαφὴ, *tinctura ipsa*; & Κατοχὴ, *coloris alligatio*, pro quo alii στύψιν ponunt, sicut pro ἀραίωσιν ἐπιχρίσιν. Quæ tria multi diversis ζωμοῖς, h.e. *juribus* seu tinctoriis decoctis conficiebant, ut viz. uno jure præpararent species ad recipiendum colorem, quod προβάφειν etiam dixerunt & ὑποστύφειν; altero tingerent eos colore cupito; tertio colorem alligarent: Quidam vero unâ decoctione expediebant. Atque hoc non in lapidum solùm tinctura, sed & in purpurâ tingenda obtinebat; quæ cùm non jure decocti, sed frigida tantùm aquâ, intingeretur, ψυχροβαφὴς dicta est: Cui opposita vellera *Tyrios incocta rubores*, apud Poëtam &c. V. Salmasium *ad Solinum p. 1146.* & hic passim.

Bapta, Græcè Βάπται, nomen fabulæ, à Cratino editæ, à qua illi interitus contigit. Cùm enim, in vet. Comœdia, Chori præcipuè hæ viderentur esse partes, ut potissimùm, quos liberet, læderent; postmodum vero attritis Populi opibus & invalescente paucorum quorundam tyrannide, Poëtas metus potentiorum in officio benedicendi contineret: sublatus Chorus est, ejusque loco παραβάσεις quædam habebant, in quibus aliorum Poëtarum dicta scriptaque, sine malefici criminis aut pœnæ suspicione, irridebantur. Sed Cratinus, ad pristinam licentiam reverti ausus, Βάπτας, h.e. *immersores*, fabulam edidit, eo eventu, ut ab illis, in quos fuerat invectus, captus ac vinctus & in mare projectus, immersione fabulæ suæ nomen imitaretur. Jul. Scaliger Poëtices *lib. 1. cap. 8.* ubi de Comœdiæ speciebus.

Baptismus, Christianis Initiationis Sacramentum est. Auctorem Christum habet: Administros eos, quibus præcipua Ecclesiæ cura & sacrorum mysteriorum custodia commissa est: Materiam, *aquam* puram Matth. *cap. 3. vers. 6.* Actor. *cap. 8. vers. 28.* & *cap. 10. vers. 47.* Actio seu ritus circa hoc elementum, vel *mersio*, vel *aspersio*, indeque consequens *ablutio*. Et quidem *mersione* utebantur Judæi, Apostoli ac primitiva Ecclesia, præsertim in regionibus calidioribus. In Occidente autem, ac plaga Mundi frigidiore, *aspersio* invaluit. Uti verò hic ritus, ita & *numerus* mersionum ac aspersionum fere indifferens; ut qui nullo præcepto definitus est. Unde variatum in Ecclesiis, aliis unicam, aliis trinam mersionem præferentibus: sive unitati Essentiæ divinæ, sive Trinitati Personarum, aut triduanæ Christi in sepulchro moræ, significandæ. Quanquam & Hæretici olim hunc illumque ritum erroribus suis obtentui sumserunt; atque isto velo sententias suas, in dividenda Trinitate, vel eadem neganda, obtexere. Constat autem, unicam mersionem antiquitus apud Judæos Christianosque primævos usitatissimam fuisse. Mersionem comitabatur *Trinominis Nominis appellatio*, tanquam trium testium cœlestium, 1. Johann. *cap. 5. vers. 7.* quemadmodum Judæorum baptismum tres testes terrestres requisivisse legimus: Idque juxta mandatum Christi Matth. *cap. 28. vers. 19. Baptizantes eos in nomen Patris & Filii & Spiritus S.* Non quòd totidem verbis ac syllabis Ecclesia adstringeretur: quæ Latinorum superstitio est, Græcorum formulam, *Baptizetur servus Christi* &c. damnantium. Sufficit enim rem ipsam tenere atque in Baptismo SS. Trinitatis invocationem ac publicam Fidei illius professionem edere: cujus antiquissima formula, ac sequentium Symbolorum rudimentum, hæc ipsa verba extiterunt. Unde nec Apostolos ullâ formulâ videmus usos, qui plerumque *in nomen Jesu* baptizasse leguntur. Actor. *cap. 2. vers. 38. cap. 10. vers. 48. cap. 19. vers. 5.* Quanquam v. unus foret Baptismus ac una fides, diversa tamen sunt inaugurationis verba, pro vario baptizandorum statu ac respectu. Apostoli, ubi Judæos tingerent, *in fidem Domini Jesu* eos adigebant Actor. *cap. 18 vers. 17, 38.* ubi Gentiles, *in Triunius Dei fidem* illos imbuebant. Atque hæc antiquissima & vera Baptismi administratio fuit, juxta Christi institutum; quæ tamen non ultra alterum seculum in Ecclesia, in simplicitate sua, perseveravit, accedentibus sensim ritibus variis, ab institutione primæva alienis. Quod hisce gradibus factum: Prima quoad *Ministrum* facta mutatio & jam tertio seculo Laicis quoque tingere est permissum: Dein *Tempus*, quod hactenus liberum erat, definiri & celebrioribus anni tempestatibus, uti infrà videbimus, adstringi cœpit. Quanquam iste rigor non usque tenuit ac paulatim de eo remissum; & ablatâ dierum superstitione, Baptismo libertas reddita est. Porro, quoad *Locum*, cùm priùs ad obvium flumen deducerentur novi Fideles: Constantini ætate erecta in Templis Βαπτιστήρια & sacri fontes; cumque præterea privata in Fidelium ædibus essent Oratoria, ubi docebatur nonnunquam & baptisabatur, id quoque est prohibitum. Denique variis ritibus Baptismus obrutus est, uti cuivis obvium. Præcipui autem Vett. ritus hi erant. *Sponsores, Nomen ab suis impositum, Abrenunciatio solennis Satanæ, Fidei professio, Invocatio Spiritus S. Pompa festa ac Psalmorum cantus, Descensus in aquam, Lactis mellisque prægustus, Vestis candida & S.* quoque *Cœnæ* participatio. Quorum nonnullis postea omissis, vel mutatis, accessere, *Consecratio aquæ, Salis & Sputi* aliorumque, quæ partim ori ingeri, partim auribus naribusque allini mos, *usus*, cum vocabulo *Ephphatah*; *Crucis signum, Exorcismus*, aliæque ceremoniæ, quarum numerus ad viginti duas excrevit, plusquàm in ullo Vet. Testamenti ritu unquam contigit. Baptizandi autem *Fœderati omnes & soli*; nec probandi Vett. è Marcionis Schola, hæretici, qui, vel ipsis mortuis, vel eorum loco, aliis viventibus vicarium Baptismum dicuntur largiti. Nedum, ut baptisari debeant res inanimæ, quales bestiæ, naves bellicæ, urbium propugnacula, vexilla ipsumque æs campanum: quæ solennioribus ritibus in Communione Rom. quam ipsi Christianorum infantes, inaugurantur, &c. Plura hanc in rem V. apud Theologos, Burmannum inprimis *Synopsi Theol. Part. II. lib. 7. capp. 6. 7. 8.* De Latinorum vero *Baptismo*, inter alios, Macros Fratres consule in *Hierolexico*: ut & V. infrà, ubi de *Campanarum* & *Crucis Baptismo.* De utroque verò consule Io. Casp. Suicerum *Thesauro Ecclesiast.* Saltem de tempore ut aliquid addam: *Baptizandi* tempora solenniora olim, Pascha erant & Pentecoste. Hæc namque duo potissimùm Festa ad *Baptismum* Catechumenorum delecta leguntur, apud Tertullianum *de Baptismo*, Siricium in *Epistolis cap. 2.* Gelasium I. *Epist. 9.* Leonem *Epist. 4.* & 8. Gregorium M. Alios passim: præter Concilia ac Synodos, in quibus Baptismus celebrari vetatur aliis diebus, nisi mortis periculum immineat. Rationes vide apud Leonem Pontif. *Epist. 4. ad Siciliæ Episcopos cap. 3.* Tertullianum *loc. cit.* &c. Quam tamen consuetudinem suo ævo abrogatam esse, circa Ann. Christi 1100. scilicet, fusè testatur Theophylactus *Comment. ad Luc. cap. 10.* eò quod, cùm Christianitas crevisset, *periculosum erat*, verba sunt Ruperti *de Divin. Offic. lib. 4. cap. 18. tantam multitudinem differri, propter occasiones mortis, at maximè, propter turbam infantium è fidelibus parentibus nascentium, quorum tenera adhuc vita persæpe levi occasione succiditur.* Verùm pristinum celebrandi Baptismum modum, in Paschate seu Die Resurrectionis Domin. ac Pentecoste, etiam longè post annum 1200. extremis seculis, obtinuisse, ex Synodis variis colligitur. Legimus tamen, in aliis etiam festivitatibus celebratum Initiationis hoc Sacramentum. Nam Siculi & Galli in Epiphania baptizabant, quod tandem prohibuit Leo M. *Epist. 80.* Concilium Matiscon. II. *can. 3.* & Rotomag. A.C. 1072. Idem in usu fuisse, in Africa, Victor Vitensis *de Persecut. Vandal. lib. 2.* in Hibernia, *Canones* S. Patricii *cap. 19.* apud Græcos, Ratherius Veron. *Serm. I. de Quadrages. cap. 5.* apud Æthiopas & Coptos, Josephus Scaliger *de Emendat. Temp. lib. 7.* testantur, V. quoque suprà in voce *Balneatio.* Chlodovæum M. Galliæ R. in Natali Domini baptisatum, auctor est Avitus Viennensis Episc. *Epist. 41.* licèt Fredegarius, Hincmarus, alii, Paschali id festivitate actum fuisse, adnotent; ut alia omittam.

Baptismus Judæorum, duplex erat: alter *pollutorum* שבילת נדה: qui, antequam Sacrorum participes redderentur, lotionibus quibusdam ac piamentis uti debebant; alter *Proselytorum*, טבילת גרות, per quem alienigenæ in Judæorum Remp. ac Religionem initiabantur: Hi enim, præter Circumcisionem & Sacrificium, *Baptismo* præterea in Judæorum sacra transibant. Cùm hodie, cessantibus sacrificiis, sola Circumcisione & Baptismo id fiat. Ortum *Baptismi* hujus quidam ascribunt Jacobo familiam suam lustranti, Genes. *cap. 35. versu 2.* aliis verosimilius ad Mosen in Deserto, illius initium referentibus, Exodi *cap. 19. versu 10. & 11.* qui fuerit *Baptismus in nube & mari* memoratus, I. Cor. *cap. 10. versu 2.* Hoc certum, sive ista occasione cœperit, sive postquam Samaritæ Circumcisionem acceperunt; sive denique post Templi excidium, aut seriùs; Baptismum illum, ad sacrarum lotionum, aut apud Veteres, aut in Templo deinceps usitatarum, exemplùm primùm usurpatum fuisse. Peragebatur lustratio hæc statim à Circumcisione, mox ubi dolores ejus interquieverant. Præmittebatur autem examen

solene: dumque novus Fidei candidatus abluebatur, Religionis articuli prælegebantur: interimque ipse mergebatur, adstante Sapientum Triumviratu. Eodem ritu & liberi ejus lustrabantur, atque universa utriusque sexus familia. Quòd si parentes præmortui forent, locum eorum tres isti è Sapientium Collegio implebant, atque in tiationis hujus testes erant. Qui verò sic expiati erant, in Judaicæ gentis nomen ac decus veniebant; atque, exutâ peregrinitate & pristinâ consanguinitate obliteratâ, novorum quasi natalium jus accipiebant, ac deinceps pro Judæis ac Dei domesticis habebantur. Unde posteros eorum rursum tingi & novo baptismo inaugurari fas non fuit, cùm pro veris Israelitis censerentur &c. Atque hunc *Judæorum Baptismum*, qui humanus ac Ecclesiasticus duntaxat ritus erat, Dominus noster, ex eorum sententia, qui jam tum illum obtinuisse volunt, consecravit, & Circumcisione abolitâ, novæ Ecclesiæ Sacramentum esse jussit; Ita ut, sicut olim per Circumcisionem & Baptismum, ita nunc per Baptismum solùm, Deo liberi nascantur. Franc. Burmannus *Loc.* 31. *cap.6. de Baptismi institutione* Sed de *Baptismo Christianorum* modò plura diximus. De Lotionibus v. Aspersionibusque Judæorum V. quoque suprà, ubi de *Aspergendi ritu*, ubi etiam aliquid de Gentilium lotionibus, quibus tum ad peccatorum labem expiandam, tum ad celebriora mysteria peragenda, leguntur usi.

Baptisterium, Græcè Βαπτιστήριον dictum est olim, quod aliàs *Piscina*, quo nomine vas, quo Veti Romani lavabantur, appellabatur, in frigida lavatione; quemadmodum, in calida, *Labrum* seu *Alveus*. V. *suprà*. Apud Scriptores verò Ecclesiasticos *Baptisterium*, ædes vel locus est, in Æde Sacra, vel ei adjunctus, in cujus medio erat fons antiquitus, ubi Catechumeni baptizabantur. *Baptisterii Basilica*, Ambrosio *Epist.* 13. *Aula Baptismatis*, apud Fortunatum *lib.* 1. *Poëm.* 15.

Instaurata etiam sacri est Baptismatis aula,
Quo maculas veteres fons lavat unus aquis &c.

Primitus enim ad obvium flumen baptizandi ducebantur novi Fideles, ut suprà vidimus; postea, Constantini M. tempore, erigi in templis Βαπτιστήρια & sacri Fontes cœpere. Et quidem *Baptisteria* non nisi in majoribus Templis & Parochialibus constituta, Oratoriorum privatorum usu prohibito, ut est in *Epist.* Zachariæ Pontif. ad Pipinum c. 15. Sed ea fere semper extructa erant seorsim à Templis, iisque adjuncta, ut observare est ex Paulino *Epist.* 12. & *Natali* 10. Gregorio Turon *lib.* 10. Aliisque passim. In iisdem Oratoria interdum & Altaria extitisse, tradit Anastasius in *S Hilaro*, ubi Pontificem hunc tria fecisse Oratoria narrat, in *Baptisterio* Basilicæ Constantinianæ, S Johannis Bapt. S. Johannis Evang. & S. Crucis: præterea in *Baptisterio* Lateranensi Oratorium S. Stephani. Idem in *Symmacho*, *Ad Fontem*, inquit, *in Basilica B. Petri Apostoli oratorium S. Crucis ex argento, Confessionem & Crucem ex auro.* &c. Quem quidem morem indicat etiam Paulinus *Natali* X. ubi *Baptisterium* sic describit:

—— —— *Medio pietatis*
Fonte nitet, miróque simul novat atque novatur.
Namque hodie bis eam geminata novatio comit,
Dum gemina Antistes gerit illic munera Christi,
In geminos adytum venerabile dedicat usus,
Castifico socians pia Sacramenta lavacro &c.

Idem variis adornata *Baptisteria* hæc figuris testatur *Epist.* 12. quas sic describit Ægidius Mon. Aureæ Vallis in *Oberto Episcopo Leod. capite* 18.

Fontes fecit opere fabrili,
Arte vix comparabili.
Duodecim qui sustinent
Boves, typum gratiæ continent.
Materia est de mysterio,
Quod tractatur in Baptisterio.
Hic baptizat Johannes Dominum:
Hic gentilem Petrus Cornelium:
Baptizatur Craton Philosophus:
Ad Johannem confluit Populus.
Hoc quod Fontes desuper operit,
Apostolos & Prophetas exerit.

Ubi per *Fontes* idem Baptisterium intelligit. Unde, quum in qualibet Civitate majori Templo adjuncta esset cappella *Baptisterii*, ea quæ Metropolitanæ Ravennati Ecclesiæ adnexa est, *S Johannis in Fonte* appellata est. Quemadmodum contrà *Baptisterium* pro Aqua baptismali ipsisque Fontibus usurpari videmus, in Libro *Sacramentorum* Gregorii M. *Hic mittantur duo cerei intus in Baptisterio.* Ubi *Ordo* Rom. *Hic deponitur benedictus cereus in fontem*, &c. V. Sansovinum & Stringam in *Venetia lib.* 1. *cap.* 106. & du Fresne in *Glossar.* item in *Descript Ædis Sophianæ num.* 82. 87. ubi de *Baptisterio* Sophiano: è quo etiam hoc addatur, in *Baptisteriis* mortuos sepeliri vetitum esse, Concil. Altisiodor. *can.* 14. De *Baptisterio S. Joannis*, uti vocatur, è marmore magnificè extructo, in quo ipse baptizasse fertur, quodque etiamnum Ephesi visitur, quid sentiendum, Vide Jac. Sponium *Itinerar. Part.* 1 *pag.* 328.

Baptisterium, nomen Ædis sacræ, S. Johanni Baptistæ dicatæ, Florentiæ in Italia, è regione maximi Templi; quæ tota marmorea januas habet, quas æneæ valvæ egregii operis occludunt. In ejus medio *Baptisterium* è marmore lucidissimo positum visitur, in quo Florentini omnes Baptismi lavacrum percipiunt, neque alibi quisquam incolarum salutaribus his aquis tingitur. Idem du Fresne *Glossar.* Item nomen Festi Epiphaniæ, apud Armenos, quo die memoria Baptismi Christi recolitur, ut auctor est Willebrandus *ab Oldenborg* in *Itinerario Terræ Sanctæ, pag.* 137. Porro Liber, in quo ritus Baptismi & orationes describuntur, vel certè Ordo ad baptizandum, in *Capitulis* Caroli M. de diversis rebus A.C. 789. c. 7. apud Burchardum *lib.* 19. *cap.* 8. alibique passim. Obventiones tandem & Reditus Sacerdotum, ex Baptismis, in *Charta* Theotolonis Archiep. Turon. A.C. 933 inque *Tabulario* Conchensi in Ruthenis *Ch.* 15. apud eundem du Fresne, qui plura ibidem vocis significata enarrat.

Bar-jona, unum ex tribus nominibus Petri Apostoli, quem *Trinomium* propterea vocat Petrus Blesensis *Serm.* 26. quæ sunt, *Simon, Bar-Jona & Petrus*: occurrit Matthæi, *cap.* 16. *versu* 17. Μακάριος εἶ Σίμων βὰρ Ἰωνᾶ, ὅτι σὰρξ καὶ αἷμα οὐκ ἀπεκάλυψέ σοι &c. *Beatus es Simon* bar-Jona: *quia caro & sanguis non revelavit tibi*; Dominico Macro ex duabus vocibus Chaldaicis formatum est, ex *Bar*, nempe, h. e. *Filius* & *Jauna*, i. *Columba*: ut sit *Bar-Jauna*, hoc est, *Filius columbæ*, V. eum *in Hierolexico*. Hieronymus verò corruptum videri locum annotat, & legendum monet, Βὰρ Ἰωαννᾶ, sicut etiam legitur apud vet. Interpretem, in quibusdam codicibus & vetustis aliquibus exemplaribus Græcis, Joan. *capite* I. *versu* 43. & *capite* 21. *versu* 17. Vide Theod. Bezam *Annotat. ad loc. cit.*

Barace Inf. adde: Auctori Peripli Βαράκη, Ptolomæo Βαράκη, Plinio *lib* 6. *cap.* 23. *Becare*, *Alius utilior portus gentis Nelcyndon, qui vocatur Becare*, Lege *Barace*. Accepit is autem *Nelcyndas*, pro gentis nomine, in cujus regione situs erat ille portus *Becare* vel *Barace*. Atqui Nelcynda emporium etiam fuit eidem flumini appositum, sed longiùs à mari situm, quàm *Barace*, quæ in ipso ostio fluminis ad mare jacebat, utpote Emporium maritimum, cum portu, quò ex Nelcyndis naves descendebant, quæ piper vehebant ex Cottonara, pro quo corruptè *Cotiara*, hodie *Calicutum*, dicitur. Statio autem navium ad Baracen hærebat, quæ piper Cottonaricum, ex Nelcyndis secundo flumine lintribus monoxylis delatum accipiebant. Nomen emporio à flumine *Baris*, in cujus ostiis situm erat. Hinc ὁ κόλπος Βαράκης, *sinus Barates*, apud Auctorem *Peripli*, qui ab Indi fluv. ostiis versùs Orientem procedebat &c. V. Salmasium *ad Solinum p* 1187.

Baralio, apud Lucam Tudensem æra 1065. calcei species, quâ rustici olim utebantur. Ita enim is, *Fecit sibi & suis militibus de coriis crudis & ligneis viminibus, rusticorum more, calceamenta, quæ vulgariter Avarcas &* Baraliones *vocant*. Car. du Fresne. V. quoque suprà in voce *Abarca*.

Baratrii, Bononiæ Hæretici quidam dicti sunt, à *Baratrio*, sectæ auctore: habebant communes uxores, filios, divitias; à turpissimarum rerum facili obsequio, *Obedientes* quoque dicti. Ferdin. Cordubensis *Tract. de exig. annonis cap. de Obedientia*.

Barangi, apud Cantacuzenum *lib.* 1. c. 1. Officiales sunt, qui claves portarum Civitatis, ubi Imperator morabatur, custodiebant. Vocabulum Anglicum est illius ævi, teste Curopalatâ; qui custodes illos Anglos fuisse, securim ferentes, refert. Anna Comnena eos, ex Inf. Thule, arcessi consuevisse, tradit. Præfectus eorum *Acoluthus* dicebatur, uti legimus apud Dominicum Macrum in *Hierolexico*.

Barantola Regis Navazmachel, effigies in *Museo* Kircheriano asservatur, ut videre est apud Georgium de Sepibus *in Descript. ejus p.* 7.

Barataor, dicitur in *Vita* Clementis VI. Pontif Rom. Pseudovvaldemarus ille, famosus Brandenburgicæ Marchiæ ante secula aliquot turbo, de quo V. infrà suo loco. Sunt autem medio ævo appellati *Baratatores*, Impostores & Deceptores. Unde apud Matthæum Paris *A.C.* 1239. legimus, Fridericum Imp. accusatum, quòd diceret, *Tres* Baratores *fuisse in Mundo*, *Moysen* (alterum non nomino, ne vel sola alienæ blasphemiæ relatione innocentem chartam funestem, *& Mahometem*. Iidem *Baraterii* quoque appellantur Hortensio Cavalcano *de Brachio Regio Part.* 5. *num.* 6. ubi sic vocari ait, *qui prætorium nimis frequentant*, h.e. Vitilitigatores, Gall. *Chicaneurs*: à voce citimæ ætatis *Baratum* seu *Barateria*, cujus etymon du Fresne arcessit à *Barras*, id est, litium judiciariis instructionibus ac præparationibus, in quibus ut plurimum dolus & artificiosæ fraudes miscentur. Hodieque Italis *Barattieri* dicuntur ii, qui ex sordido lucro vitam agunt, vel qui Judices pecunia corrumpunt, atque adeò ipsi Judices corrupti &c. V. Car. du Fresne *Glossar.*

Barba, ut olim Philosophorum, sic hodieque Sacerdotum Græcorum, præcipuum gestamen, & ipsâ nonnullis fide charius; quippe cùm non paucos illorum, quum ad radendam eam à Turcis condemnantur, ignominiam hanc, quâ non aliam majorem æstimant, apostasiâ à Christiana religione & circumcisione prævertere, narrat Jac. Sponius *Itiner. Orient.* Sed & olim *Barbam* alere virile visum, nec apud Græcos quisquam, nisi Alexander demum Magnus, *Persico luxu fractus enervatusque asperitatem patriam & frugalitatem exuens, barbam radere primus instituit*, Chry-

Suppet

sippus *de Volup. lib.* 4. & ex illo Athenæus *Dipnosoph. lib.* 13. Interim, sicut frequentissimè capillos variis Diis, ita, quamvis rariùs, Apollini *barbam*, religionis ergò, in illa gente fuisse positam, legimus. Unde Statius *lib.* 3 *Sylvarum, Comâ Earini*, eum puerum, si exsectus non fuisset, Apollini etiam primum genarum florem consecraturum fuisse, dicit,

Tu quoque nunc juvenis, genitus si tardiùs esses,
Umbratusque genas, & adultos fortior artus,
Misisses, patrias nunc vertex solus ad aras
Naviget ——

Et *Thebaid. lib.* 8. *versu* 492.

Ille genas Phœbo, crinem hic pascebat Iaccho.

Romani similiter antiquioribus temporibus erant intonsi, donec anno U.C. 454. Siculi primùm Tonsores admissi sunt, teste Plinio *lib.* 7. A' quo tempore *Barbam* quoque radere cœpere, idque sub annum ætatis ut plurimùm vigesimum primum, uti ex Macrobio in *Somn. Scipionis* discimus, qui *ter septenarium numerum requiri ad barbam radendam*, tradit: atque ita Neronem posuisse, ex *Fastis* liquet. Cæsarem tamen Octavianum vigesimo demum quinto, & Caligulam jam vigesimo, id fecisse, narrant Dio & Suetonius *Calig. cap.* 10. Erat autem dies hic positionis solennis. Juvenalis *Sat.* 3.

Ille metit Barbam, *crinem hic deponit amati*:

Primitiasq; ejus alicui è Penatibus suis Deo consecrabant. Hinc Nero Juvenalia instituit, & *Barbæ* suæ rasæ *τρίχας ἐς σφαῖραν χρυσῆν ἐμβαλὼν ἀνέθηκε τῷ Διὶ τῷ Καπιτωλίῳ, pilos, in Sphæram auream conjectos, Jovi dedicavit Capitolino*, ut habet Dio *lib.* 61. *in fin.* De eodem Suetonius *cap.* 12 *Inter Buthysiæ apparatum*, Barbam *primam posuit, conditamque in auream pyxidem, & pretiosissimis margaritis adornatam Jovi Capitolino consecravit.* Cujusmodi Pyxidis aureæ, in qua barba condita, meminit quoque Petronius ubi de Trimalcione, *Venerisque signum marmoreum, & pyxis aurea non pusilla, in qua* Barbam *ipsius conditam esse dicebant.* Itaque viri imberbes erant, sicuti ex numismatibus aliisque monumentis liquet. Juvenes autem barbatulos fuisse, dicit Cicero: unde miratur A. Gellius *lib.* 3. *c.* 4. barbam Scipioni jam quadragenario demum rasam fuisse. Hanc verò qui ponebant, vel radi solitos, vel psilothro aliisque medicamentis, pilos extirpasse, docet Anton. Thysius JC. *Notis in l. c.* Primus Hadrianus hunc morem mutavit, ut ex Spartiano & nummis liquet. Unde *Ἀδριανὸς πρῶτος τὸ γένειον κατέθρεψε, Hadrianus primus barbam nutrivit*, ait Joh. Xiphilinus *in Trajano.* A' quo omnes fere Imperatores barbati: inter quos Verus prope barbaricè eam demittere solitus est, ut idem Capitolinus in *Vita* ejus habet, ubi tamen ad vulgaris amicæ arbitrium eam posuisse notatur. Sed qui molliores fuere inter eos, ii in gratiam Antiochensium (qui unà cum Syris eos, qui barbam alerent, aversabantur & subsannabant, ut docet vel Juliani *Μισοπώγων*) barbam posuerunt, Sic Verus hic. Sic de Caracalla Dio, *ἐν Ἀντιοχείᾳ ἐτρύφα ὥστε καὶ τὸ γένειον πάνυ ψιλίζεσθαι, Antiochiæ luxuriis se dabat in tantum ut & barbam tenuaret.* Similiter Heliogabalus, ut scribit idem, *ἐψιλίζετο ὥστε καὶ ἐκ τούτου γυναικίζειν, Barbam radebat, ut hinc planè effæminaretur*: Contrà Macrino, cùm severitatis famam affectaret, ac velut alter Marcus haberi vellet, etiam in oculis Antiochensium, barbam prolixè alente, uti legimus apud Herodianum. Sequenti tempore radendi mos iterum inolevisse inter Impp. videtur, cùm nummi Impp. qui ante Heraclium fuere, non solùm id, sed & Auctor Chronici Alexandr. testetur, quo loco Justinianum describit, quem mentum rasum, *ὡς οἱ Ῥωμαῖοι, sicut Romani*, habuisse refert. Primus iterum Heraclius *barbam* latam promissamque nutrivit, ut ex nummis ejus apparet, contrarium frustra Cedreno asserente, à quo tempore, *moris fuit* Orientalibus tam Græcis, quàm aliis *nationibus*, ut habet Antistes Tyrius, *barbas tantâ curâ & omni sollicitudine nutrire, pro summoque probro & majori, qua unquam irrogari poterit, ignominiâ, reputare, si vel unus pilus quocunque casu sibi de* barba *cum injuria detraheretur.* Subdit deinde, *Barbam eâ diligentiâ conservasse* Græcos, tanquam *argumentum viri, vultus gloriam, hominis præcipuam auctoritatem*, *lib.* 11. *cap.* 11. Transiit mos ad Longobardos, apud quos *per barbam aut capillos trahere*, injuriæ majoris species fuit, *L.* Longob. *lib.* 1 *tit.* 6. §. 4. & *lib.* 2. *Feud. tit.* 27 Francos item, in qua gente *Barbæ rasionem* similiter præcipuam fuisse injuriam habitam, discimus ex *Gestis* Dagoberti R. *cap.* 6. & Reginone *ad A.C.* 5+6. V. Paulum Jovium in *Elogio* Fr. Philelphi & Gobelinum Personam in *Cosmodromio pag.* 266. Neque verò seculares solùm, uti vocant, sed & Sacerdotes ipsi ac Clerici, inter Græcos, uti dictum, *Barbam* aluere, quod tamen Latini imitati non sunt. Gregorius VII. *lib.* 8. *Epist.* 10. *Scilicet ut, quemadmodum totius Occidentalis Ecclesiæ Clerus, ab ipsis fidei Christianæ primordiis,* barbam *radendi morem tenuit, ita & ipse frater vester Archiepiscopus raderet.* V. Æneam Paris *adv. Græcos quæst.* 5. & quæ du Fresne adnotavit *ad Alexiadem pag.* 281. Atque hi *barbam Deo consecrare* dicebantur, Monachi effecti, in *Vita* S. Willhelmi Ducis *c.* 23. *Edit. Mabillonii.* Exceptis Fratribus Conversis, in Monasteriis, qui inde ut plurimum *Fratres Barbati* dicuntur, uti infrà in voce *Barbati* videbimus. Ponunt autem *barbam* Monachi, non sine prævia *Barbæ benedictione*, uti indigitat Ademarus Cabanensis apud Beslium *p.* 328. de Jordano Episc. Lemov. *Inde ad tumulum S. Martialis Missam audivit & juxta Monasterium eo die regulariter hospitatus est. Crastino* barbam benedici *jubet & detondi, & sic ad Sedem S. Martialis in aula S. Stephani Jordanum deduxerunt, & cum baculo Pastorali ibi eum gratis honore Pontificatus vestivit.* Ubi Editio Labei habet, *Die crastino barbam Electo benedici jubet* &c. V. Car. du Fresne in *Glossar.* & *Dissertatione de Nummis Byzantinis.* In Anglia, quis *Barbam* posuerit primus, docet Theodorus Clainus *Histor. Britann. lib.* 3. *Henricus comam in hac Insula Princeps barbamque totondit, ejus exemplo ducti Angli, qui sub memoria capillo promisso fuerant, omnes confestim tondebantur*; ut alia taceam. V. Thom. Dempsterum *ad Rosinum lib.* 10. *c.* 19. Addam saltem, Assyrios, cœtera barbatos, *in luctu barbam rasisse, capitis* verò *crines demisisse*, Strab. *lib.* 16. quod de Ægyptiis quoque testatur Herodot. *l.* 2. Contrà, nullâ re magis indicasse luctum Romanos, quàm *barba capilloque demissis*, docet Suetonius *Caligul. c.* 5. V. eundem *Augusto c.* 23. Unde & Livius *Dec.* 3. *l.* 7. *Veste obsoletâ, capillo & barba promissis, præferens vultu habituque insignem ignominiæ acceptæ memoriam*: quo habitu fugitâ Cannis Varro & in Urbem rediit, Jul. Frontinus *Stratagem. l.* 4. *c.* 5. Idem Hebræis fuisse in more positum, è Sacris discimus, &c. V. infrà, ubi de *Mortuos lugendi ritu*, item de *Supplicibus* &c.

Barba Aurea, idololatras Israëlitas prodidisse, jam ab aliquot retro seculis inter Christianos credita est. Hinc, cùm Hebræi doceant, Mosen ideo auream vituli scobem in aquas conjecisse & eas aquas populo bibendas obtulisse, ut idololatriæ reos cognosceret: addunt Auctores non pauci, omnes tanti sceleris contagione infectos, postquam aquas hausissent aureâ scobe aspersas, *barbâ aureâ* factos esse insignes. Ita Petrus Comestor *Exod. Histor cap.* 73. *Videns Moyses sibi indicatos à Deo scelerum auctores per pulverem bibitum, qui in barbis eorum miraculosè apparuit.* Nauclerus *Chron. Generat.* 27 *Dedit potum filiis Israel: remansit autem color auri circa ora nocentium, ita ut discerni possent ab innocentibus.* Idem legas in *Traditionibus* Hebraicis perperam Hieronymo adscriptis, *ad versum* 6. *cap.* 7. *lib.* 1. *Reg.* in Bibliorum *Transl.* vet. Gall. inchoatâ A. C. 1189. *Not. ad Exodi loc. cit.* Alibique, sed frustrà hæc dicuntur. Nam nec certum est, Mosen & Levitas, cùm in idololatras promiscuâ cæde grassati sunt, ullam notam διακριτικὴν habuisse, quâ vituli cultores à Fidelibus dignoscerent, ne pro illis hi cæderentur. Neq; enim tali notâ fuit opus, cùm כל העם *universus populus*, reus fuerit, ut disertè habetur Exodi c. 32. v. 3. Fuit nempe tam generalis hæc defectio, ut inter tot idololatras, ii qui in veri Dei cultu perstiterint, ii conspicui non fuerint, in tanto numero prævaricatorum. Itaque cùm *versu* 28. eos, qui Deo adhærebant, ad se convenire jussit Moses, præter Levitas nulli adfuerunt. Et si necesse fuisset, vituli cultores speciali notâ dignosci, *barba aurea* non suffecisset: cùm fuerint in magno Populo imberbes multi juvenes, neque dum vesticipes, multæ mulieres, multi eunuchi, ad quos hæc nota non pertinuit &c. Plura hanc in rem V. apud Sam. Bochartum *Hierozoici Parte prior. Lib.* II. *c.* 34. & suprà in voce *Aurea.*

Barba Falsa, memoratur in *Curia Gener.* Catalaniæ celebratâ A.C. 1351 sub Petro Aragonum R. *Ne quis* barbam falsam *seu fictam audeat deferre*, apud du Fresne *Glossar.*

Barba Honesta, seu *Honesta Barba*, cognomen Balduini IV. Flandriæ Com. uti habetur in *Charta* Roberti R. Franciæ A.C. 1023. cui is subscripsit, in *Probat. Histor. Montmorenciacæ, pag.* 13. apud Eund.

Barba Plena, apud Æl. Spartianum *in Hadriano, Nec Tribunum nisi* plenâ barbâ *faceret*: id est, jam ad plenum perducta, cujusmodi *barbâ* instructum Græci ἀρτιγένειον vocant, ut *primâ barbâ* dicitur esse ὁ πρωτογενειάζων. Lucillius,

Jamque parectato chlamydes & barbula prima.

Requisivit autem *plenam barbam* in Tribunis, ut non annorum tantùm, sed & integritatis eorum certus esset; Nam luxuriâ infames adolescentes plerunque vellebant se & depilabant: Ita nonnulli. Salmasius verò ad ætatem solùm hanc *plenam barbam* refert illosque tantùm fecisse Tribunos Hadrianum vult, qui id ætatis essent, quæ plenâ barbâ mentum operire consuevit: quod apertè indicat Valerianus in quadam sua *Epistola* apud Vopiscum. Neminem itaque Imp. hic Tribunum fecit juniorem pleniberbe, quales Græci τελειογενείους quoque & ὁλογενείους vocant: ut πωγωνίας, *maliberbes*, … &c. V. eum *Notis ad Spartianum* & infrà in voce *Plena.*

Barba Russa, cognom. Friderici I. Imp. V. ibi.

Barbara, filia Ferdinandi I. Imp. uxor Alfonsi II. Atestini Ferrariæ Ducis.

Barbara Inf. V. *Insula Barbara.*

Barbarator V. infrà *Barbator.*

Barbari, pop. adde: Sic testatur Herodotus *in Euterpe*, antiquos quoque Ægyptios omnes, qui linguâ suâ non uterentur, *Barbaros* vocasse Similiter Romanis erat in more positum, omnes extra Jurisdictionem suam positas gentes *Barbaros* vocare. Unde Concilium Chalcedonense *Can.* 28. Ἐπισκόπους τοὺς ἐν βαρβαρικοῖς appellat omnes extra terras Imperii Rom. degentes. Et Canones Eccl. Afric. *Can.* 52. Mauritaniam, quæ Imperii pars erat, τῷ βαρβαρικῷ ibidem in Africa opponit. Unde haud dubiè *Barbariæ* appel-

appellatio, in partem Africæ litoralem ad mare Mediterr. hodienum servata fluxit. Sequentibus autem temporibus, cùm Romani à Wandalis, Longobardis, Gothis, Francis inprimis, aliisque populis, in Imperium irruentibus essent oppressi, vox *Barbarorum* in honore esse & Victoribus tribui cœpit, *Romanorum appellatione*, in servitutis confessionem ac notam transeunte, V. in voce *Wallenses*. Unde Valerius, *Cùm Germaniæ*, inquit, *populi provincias Imperii Rom. in Occidentis partibus, nimirum Galliam, Hispaniam, Britanniam, Africam ac Italiam aliasque armis occupavissent; provinciales quidem sive veteres earum incolæ priscum nomen suum retinuere, ac modò suæ quisque nationis proprio vocabulo; modò idque sæpius in commune*, Romani *sunt appellati: novi autem Rom. provinciarum possessores ac domini Germani, honoris causâ dicuntur* Barbari. *Unde in priscis Legibus ac Historiis alteros alteris opponi constat.* Quod autem illos attinet *Barbaros*, qui sic dicti sunt, quòd omni morum concinnitate careant, illorum in desertis Asiæ, Africæ & Americæ occurrunt plurimi, quos, quoniam meliorum conversatione gentium destituuntur, in illud inhumanitatis ferinæ barathrum prolabi necesse fuit. De Sylvestribus regni Chinæ, in montanis, ad urbem Queicheum, & in monte Changno ad Sumingam, V. Neuhofium *descr. hujus Imperii c. 13.* In Africa, partem incolarum regni Tombuti, adeò non barbaram, sed brutam potius esse, ut vix humanam in iis vocem deprehendas, referunt Itinerariorum Auctores: quod ipsum de incolis Prom. Bonæ Spei, quos vocat *Solthanimam*, scribit Mandelslovius *Itiner. part. 2. c. 16.* In Asia & America, inprimis hoc vitio famosi sunt Anthropophagi, quales sunt incolæ Insularum *de Andreman*, in Oceano Indico & Caribani, de quibus V. Le Blanc l. 14. Joh. Mocquetum *Itiner. lib. 2.* Benzonem *Histor. Novi Orbis l. 1. c. 23.* Imò nec Europæ sui Barbari desunt: quales fere sunt Tartari Ceremissi; de quibus Olear. *Itiner. Pers.* & qui in Hibernia adhuc *Sylvestres* vocantur, de quibus Camdenus *descr. Hiberniæ*, &c. V. Auctorem Anonymum *Histor. Orbis Terrar. Geogr. & Civil. capite 9. sect. 4. de mor. Gentium.*

Barbari, seu *Barbarini*, nummi dicti sunt à Vicecomitibus Lemovic. cusi, quorum mentionem facit Auctor *Chronici* S. Martialis Lemovic. A. C. 1211. *Hugo li Bruns Comes Marchiæ fecit novos Marchiones fieri; eodem anno Guido Vicecomes Lemovicensis novos* Barbarinos *fecit apud Axiam.* V. quoque *Chron. S. Stephani* Lemovic. A. C. 1263. *Literas* Eustorgii Episc. Lemovic. *A. C. 1127.* in *Tabular.* S. Stephani præiati & Goffridum Abbatem Vindoc. *lib. 1. Epist. 21.* laudatos Carolo du Fresne in *Glossar.* Nominis rationem quod attinet, Sirmondus & Altaserra *Barbarinos* hos interpretantur Arabicos & *Barbaros*, ut qui, post stabilitum in Hispania Saracenorum Imperium, rerum potientibus Carolovingis, ex commercio ad Francos defluxerint. Sed hac appellatione à Vicecomitibus Lemovic. ut *Marchenses* à Comitibus Marchiæ, eos cusos esse, satis docemur ex *Chronicis* supra citatis, tametsi nominis ratio adhuc dum incomperta sit, Idem *ibid.*

Barbaria, adde: Nomen hoc haud ita pridem Numidiæ, aut, ut nonnullis placet, toti Africæ parti, quæ Mari Mediterraneo objacet, ab Ægypto ad Gades usque, Arabes indidisse putantur: cujus appellationis causas reperias apud Scaligerum *Exercit. 31.* Leonem Afric. *l. 1. c. 2.* & Marmolium *Africæ l. 1. c. 6.* Sed jam Justiniani ævo, diu antequam eò se Arabes conferrent, illud obtinuisse, docet Justiniano æqualis Anastasius Sinaita in *Anagogis super 6. dierum opus*, Ἐν τῇ πενταπόλει Αἰγύπτου τῇ ἐν Πενταπόλει τῇ Βαρβαρικῇ λεγομένῃ αὐτῆς: quibus verbis Cyrenaica Pentapolis in *Africa Barbaria* constituitur. Et *Barbaricini* vocabantur, qui à Vandalis, circa illa tempora, ex Mauritaniæ monte Aurasio in Sardiniam translati sunt, Procopius *Vandalic. lib. 2.* & Gregorius *Epist. 25.* Sed & aliam in Vett. Scriptis *Barbariam* reperimus, cujus nomen multo antiquius est: nempe *Barbariam Æthiopicam*: quæ rursus duplex, una est *Barbaria* propriè dicta, altera *Troglodytica*: utraque mari prætenta, hæc Arabico & Adulico & Avaliti, illa *Barbarico* sinui. Quarum illam solam *Barbariæ* nomine intelligunt Ptolomæus & Marianus Heracleota: Sed alii *Barbaris* etiam Arabici Maris accolas ac Troglodytas accensent. Sic Arrianus in *Periplo* locat *Barbaros* & *Barbariam* circa Berenicen & Orinen & Diodori insulam, & Ptolemaida theron & Avalite Emporium, quæ loca sunt Troglodyticæ. Et Stephanus *de Urb. Barbariam* scribit esse περὶ τὸν Ἀράβιον κόλπον, *ad Arabicum sinum*, ubi Troglodytica. Etiam Geographi recentiores in Avalite sinu, Troglodyticæ parte, urbem *Barbaram* vel *Barboram* describunt ac ejusdem nominis insulam, urbi proximam, ad quam Zeilâ solventem appulisse se, dicit Vartomanus *Navigat. lib. 2. cap. 16.* Atque de eadem multa habet Odoardus Barbosa in *India sua cap. de Barbora*. Unde facilis conciliatio Galeni cum Dioscoride, quorum ille Zingiber adferri tradit, ἀπὸ τῆς Βαρβαρίας, *ex Barbaria*; hic ex Troglodytica: nempe eadem utraque Regio est, quod cum nesciret Plinius, perperam accepit, quod legerat, apud Græcos, myrrham Troglodyticam etiam dici *Barbaram*, ac si eam myrrhæ speciem vellent esse *affectu sordidam & barbaram*, *lib. 12. c. 16.* Cùm contra in Dioscoride legatur esse διαυγῆ, *splendens aut pellucida*, &c. Neque alia ratio, cur *Genes. cap. 10. versu 3.* *Thogarma* ברבריא *Barbariam* reddat Hierosolymitanus Interpres, quàm fallax allusio nominum inter *Thogarma* & Τρώγλην, unde *Troglitis* vel *Troglodytis*. E quibus constat, *Barbariæ* nomine contineri totam oram maritimam Orientalis Æthiopiæ, ab Ægypti finibus, usque ad Raptam prom. cui videtur id nominis obtigisse, propter mores incultos. Arrianus, Ἀνημερώτεροι δὲ οἱ κατοικοῦντες τὸν τόπον Βάρβαροι, *Rudiores sunt, qui locum incolunt, Barbari.* Vel, propter sermonem barbarum & inconditum, si sermo dici queat, qui veriùs vespertilionum est stridor. Herodotus *Musâ 4.* Οἱ Τρωγλοδύται Αἰθίοπες γλῶσσαν οὐδεμιῇ ἄλλῃ παρομοίην νενομίκασι, ἀλλὰ τετρίγασι κατάπερ αἱ νυκτερίδες. Unde Plinius *lib. 5. c. 8.* iis non *vocem*, sed *stridorem*, tribuit, & Marcianus Capella, *Strident potiùs, quàm loquuntur.* Propriè autem τοὺς δυσεκφόρως καὶ σκληρῶς καὶ τραχέως λαλοῦντας, *Barbaros* appellari consuevisse, pluribus docet Strabo, *in eum Homeri versum Il. β.* in quo Cares nominat βαρβαροφώνους. Quo ipso sensu Græci, Chaldæi, Arabes. Latini Interpretes Psalm. 114. *vers. 1.* populum *barbarum* eum vocant, quem Hebræi עם לועז i. *linguâ alienâ eaque absurdâ & inconditâ* loquentem. Neque aliter *barbar* explicant Arabum Lexicographi. Unde videmus *Barbariæ* nomen tam Chaldaicum & Arabicum, quàm Græcum, adeoque Judæis & Syris notissimum fuisse, in quorum libris passim occurrit. Sed cùm duplex *Barbaria* in Africa fuerit, una *Occidentalis* usque ad Gades; altera *Orientalis*, ad Arabicum sinum, & Orientalem Oceanum, Rhaptam usque protensa: de hac, non de illa Hebræi egere, ut cujus aliquot demum post Christum seculis mentio fieri cœpit &c. V. Sam. Bochartum *Hierozoici Part. poster. lib. 1. cap. 19.* Salmasium ad Solinum *pag. 798. & 99.* ut & infrà in voce *Barbaricum*, item *Barburim*. In *Kairovam*, uno ex quatuor *Barbariæ* hodiernæ Regnis, Caliphæ olim, sive Pontificis Africani, sedem fuisse, notat Hornius *Orb. Polit. p. 518.*

Barbarica Gallina, V. *Numidica Gallina.*

Barbaricarii, Donato *ad 7. Æneid.* dicti sunt, *qui ex auro coloratis filis exprimebant hominum formas, animalium & aliarum specierum imitabantur subtilitate veritatem*: seu ut est in *l. Cod. Theodos. de Fabricensib. qui cassides & bucculas tegebant argento ac deaurabant.* Meminit eorum quoque *L. eod. Cod. de Excusat. Artif. Novella* Theodosii Jun. *de Scholar. & Not.* Imp. in qua *Præpositi Brambaricariorum*, seu potiùs *Barbaricariorum*, sub Comite Sacr. Largit. interdum sub Magistro Officiorum, constituuntur. Unde retellit du Fresne Resendium, qui *Antiqq. Lusitanic. lib. 1.* *Barbaricarios* existimat fuisse vestium purpurâ, cocco, aut vermiculo, quæ à *Barbaris*, i. peregrinis terris, adlatæ erant, infectores, cujusmodi sunt *Barbaricæ vestes*, apud Lucretium *lib. 2.* & in libro *Anniversariorum* Basilicæ Vaticanæ apud Johannem Rubeum in *Vita* Bonifacii VIII. Sed & eosdem illos cum Phrygionibus Turnebus facit, quos *Barbaros* præ aliis dici novum non est. Namque & Horatius,

Græcia Barbariæ lento collisa duello:

id est, *Phrygiæ*, &c. V. Hadr. hunc Turnebum *Adversar. libro 10. c. 18.* & Brovverum in *Annalibus Trevirensibus lib. 4. pag. 251. nis. Edit.*

Barbarici Characteres, in Nummis Byzantinis, primùm conspici cœperunt, tempore inclinantis Imperii, quo ex quadratis & uncialibus literis, quæ olim obtinuerant, abolitæ aliquot & vicissim novæ subrogatæ *Barbaricæ* sunt, quas incertum, an à Gothis barbarisque aliis nationibus acceperint cùm Græci, tum Latini: an verò scalptorum & scriptorum vitio, collabente pristinâ solertiâ, sensim id introductum existimari debeat. Conspici autem characteres hujusmodi in nummis maximè Justiniani Imp. incipiunt: sub quo, & Impp. qui eum excepere, effusi undique *Barbari* Rom. omne Imperium pervaserunt. Tum itaque novi hi characteres in horum Augustorum observantur nummis, barbaricâ quadam effecti formâ & hactenus minimè visâ; quod præsertim intueri licet, in characteribus Latinis B. D. E. M. N. T. V. qui semper novâ & insolenti figurâ efformantur, adeò ut non immerito Michaël *Methrès* Imp. *Epist. ad Nicolaum I. Pontif. Rom.* Linguam Latinam *Barbaram* & *Scythicam* appellasse videri debeat, quam Græci ipsi, illius fere penitùs ignari, perinde ac insignis elegantiæ, omnino deturparant. Neque verò apud Byzantinos duntaxat scribendi hæc ratio obtinuit, sed & apud Gothicos in Italia Reges, atque adeò apud Gallos seu Francos, quod ex Regum horum monetis, veteribusque monumentis facilè patet. Unde Claudius Buterous ex variis, quos in iis observarat, characteribus novum inde alphabetum sibi conficiendum putavit &c. Vide Car. du Fresne *Dissertat. de inferioris ævi Numismatibus.*

Barbaricini, memorati Gregorio M. *lib. 3. Epist. 24. ad Zabardam, Sardiniæ Duc. Scripserunt enim, quòd eo pacto cum* Barbaricinis *facere pacem disponitis, ut eosdem ad Christi servitutem adducatis.* Βαρβαρικῖνοι Procopio *de Bello Vandal. lib. 2. c. 13.* à Sardiniæ incolis appellati sunt Mauri quidam, ad Aurasium montem positi, quos Vandali, devictâ Africâ, ne eos paterentur infestos, in Sardiniam cum uxoribus & liberis ablegarant, ubi eos clausos aliquamdiu tenuere. Sed progressu temporis elapsi illi vicinos Carali montes occuparunt; dein, cùm ad tria millia excrevissent, latebris renuntiarunt & apertè in locis omnibus grassati sunt. Gregorius præ-

ctus misso Cyriaco Episcopo, ad fidem eos adducere conatus est, ut præter locum cit. testantur illius *Epistolæ* 23.25.27.29.33. *ejusd. libr.* & *Epist.* 17. ac 18. *libri* 9. ut & Baronius *ad A.C. 594. n.9.* Meminit illorum quoque Justinianus in *l.2. Cod de Offic. Prætoris Afric.* Atque hinc fortè *Barbariam* Sardiniam appellavit Dantes *in Purgat. c.23.* Macri Fratres inde etiam *Barbarinos* volunt dictos, monetam in Sicilia & Sardinia frequentem, cujus meminit Golfridus Vindocin *l.1. Epist. 20.* Antoninus Florentiæ Archiep. in *Vita* S. Gregorii M *Tom. II. tit. 12. c. 3. §. 5.* & ipse Gregorius *Epist. lib. 3.* passim, ut & *lib 9. Ep. 67.* V. eos in *Hierolexico*, Car. du Fresne *Glossar.* & suprà, in *Barbari*

Barbaricum, Emporium Scythiæ Australis, ad Indi fluminis ostia sitæ, seu Indoscythiæ, nominatissimum. Auctori *Peripli* Βαρβαρικὸν ἐμπόριον, de ostiis Indi loquenti, Καὶ τὰ μὲν ἄλλα διανάπλοι ἴχει, μέσον δὲ τὸ μέσον, ἐφ' ᾧ καὶ τὸ παραθαλάσσιον Ἐμπόριον, τὸ Βαρβαρικόν. Ptolomæo Βάρβαρα. Ἐν νήσοις δὲ ταῖς ὑπὸ τοῦ ποταμοῦ γινομέναις πόλεις αἵδε Πάταλα, Βάρβαρα, *In insulis autem quas hic fluvius efficit, urbes hæ, Patala, Barbari &c.* A quo Emporio multæ species Indicæ, *Barbaricæ* appellatæ sunt. Ut apud Jurisconsultum, *Folium Barbaricum*, quod aliis *Indicum*, & *Rheum Barbaricum*, quod Myrepsus vocat Ῥῆον Ἰνδικόν, in Antidoto Trypheta Saracenica: cui potiùs ab hoc Emporio, quàm à Sinu Barbarico hæc appellatio obtigit, Salmasius *ad Solinum p.1150.* Sed & *Barbaricum*, seu *Barbaria*, apud *Historiæ* Aug. Scriptores, ut & in *Codice*, alibique dicitur, quidquid erat ultra limitem Romanum quaquaversum, cui apud Græcos Scriptores quosdam opposita est Ῥωμανία, id est, *Romanus Orbis* vel *Imperium Rom.* sive, ut Tertullianus loquutur, *Romanitas.* Epiphanius de Manete, Καταλιπὼν τὰ Περσῶν μέρη τῆς Ῥωμανίας ἐπέβαινεν &c. V. Salmasium *ad Æl. Lampridium in Alexandro Sev.* Atque ita quidem vox Recentioribus sumitur, Rufo Festo in *Breviar.* Æthico in *Cosmogr.* A. Gellio *lib. 19. c. 12.* aliis. *Canones* Eccl. Univers *can. 206.* Τοὺς ἐν τοῖς Βαρβαρικοῖς Ἐπισκόπους, *Episcopos in* Barbarico *existentes. Chron.* Alexandrinum, Τούτων τῶν Ὑπάτων, ἐτελεύτησε Σεβῆρος εἰς τὸ Βαρβαρικόν, *His Coss. obiit Severus in Barbarico.* Similiter Theophylactus Simocatta *lib 5. cap. 13.* vocem usurpat, non pro *armamentario*, uti quidem censent Meursius & Gothofredus, &c. Præterea, ita dicitur bellum, quod in *Barbaros* movetur, item expeditio quæcunque bellum quodvis, in *Capitulari* Sicardi Principis Beneventani A.C. 836. §. 16. in *Capitul.* Radelchisi Princip. Benev. *A.C. 851.* in *Charta* Sergii IV. Pontif. pro Monasterio S. Vincentii de Vulturno, apud du Fresne *Glossar.* &c. Imò & sic dicitur opus *ex auro pretioso* confectum, in *Glossis* MSS. Reg. & Isidori alibique Unde Corippus *libro de Laudibus Justini*,

Ipse triumphorum per singula vasa suorum
Barbarico *historiam fieri mandaverat auro* &c.

Fortè, quia *Barbari* hanc arma militaria exornandi artem invenissent. Nam inde *Barbaricarii* nuncupati sunt, de quibus suprà. Festo tandem *Barbaricum* est *clamor exercitus, videlicet quòd eo genere barbari utantur*, &c. Vide præter du Fresne Joh. Calvinum *Lexic. Jurid.*

Barbaricus Sinus, pars Maris Indici, ad Prasum prom. quod hodie *Mozambicum*, in cujus ora Æthiopes Barbari, sic propriè nominati, quorum regio *Barbaria* dicta est, habitabant. In ejus medio Apocopa fuere, quorum Ptolomæus meminit & Stephanus. Extatque etiamnum locus Marciani, in ejus *Peripli* fragmentis, ubi de *Barbarico Sinu* loquitur: Καὶ πρῶτος μὲν ἐπὶ τῶν ἐπισήμων λιμένων ἐστὶν ἐν αὐτῷ ὁ καλούμενος Ἀπόκοπα, *Et quidem primus celebrium portuum in ipso Apocopa sunt*; Ad quorum orientem æstivum situm est Aromatum Emporium. In eodem Menuthias Ins. est, quam vulgò indigenæ *Madagascar*, Lusitani *Insulam S. Laurentii*, appellant. Marcianus idem *ibid.* Ἐν δὲ τῷ τέλει τοῦ κόλπου κεῖται τὸ μέγιστον ἀκρωτήριον, ὃ καλεῖται Πράσον ἄκρον, καὶ ἡ Μενουθιὰς νῆσος οὐ πόῤῥω τοῦ ἀκρωτηρίου τυγχάνουσα, *In fine autem Sinus situm est maximum promontorium, quod vocatur Prasum prom. & Menuthias Ins. à promont. non procul* &c. V. Salmasium *ad Solinum pag. 798. 799. & 1243.*

Barbarini, monetæ genus, V. suprà Barbari.

Barbarismus & Scythismus, nonnullis vocatur fœdus error eorum, qui taciti cum insipiente dicunt, *Non est Deus*: & quidem ille putatur juxta Epiphanium, ante diluvium, hic postea obtinuisse, usque ad Serugum, cujus tempore cœperit Hellenismus. Sed nec Epiphanius dicit, *Barbaros* illos vel Scythas, nullum agnovisse Numen: nec satis convenienter Scythæ memorantur ante Serugum, cùm citra dubium Babylonicâ turri longè sint posteriores. Præterea & Βαρβαρισμοῦ & Σκυθισμοῦ nomina, parùm huic rei idonea sunt, nec aliunde hausta, quàm ex malè intellecto Apostoli loco, ad Colossenses *cap. 3. versu 2.* *Ubi non est Græcus & Judæus, Barbarus & Scythes.* Neque enim ibi Apostolus variam de Deo sententiam signat: sed solùm ait, in renovatione Christiana, non meliorem aut deteriorem esse conditionem Judæi, quàm Græci; nec Græci, quàm Barbari; nec vulgaris Barbari, quàm Scythæ, etsi hic cæteros superare barbarie existimetur, V. Gerh. Johannem Vossium *de Orig. & progr. Idololatriæ lib. 1. cap. 3.* Sed & *Barbarismus*, nomen Libri, in *Charta* R. Cardin. tit. S. Stephani, in Monte Cœlio, A.C. 1215. pro Reform. Univer. Stud.

Gratis Paris. *Non legant in festivis diebus, nisi Philosophos, & Rhetoricos & Quadrivialia &* Barbarismum & *Ethicam, si placet, & quartum Rhetoricorum*, apud du Fresne *Glossar.* qui etiam libri Donati, de *Barbarismo*, & octo partibus orationis meminit.

Barbaritani, memorantur in *Charta* Ottonis III. Imp A.C. 936. in *Bullario* Casin. *Tom. II. p. 57.* & *Charta* Henrici Imp. A.C. 1022. *Ibid. p. 74.* ubi *Barbaritanorum & Martinensium juris Regni nostri pertinentium*, mentio fit apud Eund.

Barbarus, Abrahamo Echellensi *Histor. Arabum c. 1.* vox Syrorum, apud quos, qui Straboni *Scenitæ* dicuntur, *Barbroie*, i. e. *filii deserti*, vocentur, jam antiquitus in usu fuit. Ita autem Græci, & post eos Romani, cæteros omnes populos, præter se appellarunt, quemadmodum hodie Germanis, quidquid gentis suæ non est, *Walonicum*, h.e. *Welsch* appellant. Inclinato Imperio, sic appellati sunt Burgundiæ Flandriæque incolæ, qui Galliâ cladibus exhaustâ, à Constantio è vicina Germania & Septentrione acciti, & *ab ultimis Barbariæ littoribus avulsi, arva jacentia*, verba sunt Auctoris Panegyrici Diocletiano & Maximiano dicti, & destinatas sibi terras coluere. Quinetiam exinde Burgundiones, postquam in iisdem Galliis sedes fixere Regnumque formavere, *Barbaros* sese appellasse constat, ex *L.* Gundobada, in qua paris conditionis habentur tam *Barbari* quàm Romani, ut est in *tit. 10. §. 1. & tit. 15. §. 1.* imò *Barbari* Romanis semper præponuntur, V. quoque *tit. 44. §. 1.* & *tit. 47. §. 1.* Unde Trasimundum Reg. Vandalorum in Africa, haud invidioso nomine *Barbarum* appellat, ad eum scribendo, Fulgentius *de Mysterio Mediatoris l. 3.* sicut subditos ejus, *Barbaricam gentem*, cui *Romanos* opponit, vett. nempe Africæ incolas. Apud Francos *Barbari*, quos eosdem cum Burgundionibus retur du Fresne, eâdem prærogativâ, quâ Franci, gaudebant, cùm *Romani* longè inferioris haberentur conditionis, V. *Pactum L. Salicæ tit. 44.* Paris denique conditionis *Barbari & Romani* censebantur, in Regno Gothorum Italico, ut ex *Edicto* Regis Theodorici colligitur, in *Præf.* & *capp. 32. 34. 43. 145. 154.* ubi & *Barbari Reip. militantes*, interdum etiam *potentes* fuisse dicuntur. V. quæ suprà diximus de *Auxiliis.* Nec omittendum, quemadmodum Græci vett. τὸ βάρβαρον, ἐπὶ φωνῆς, *de voce*, tantùm; non ἐπὶ ἔθνους, *de gente*, usurparunt: unde Ovidius *Tristium l. 5. Eleg. 11.*

Barbarus *hic ego sum, quia non intelligor* &c.

Atque hinc *Barbaros* dixere, populos omnes, qui Latinâ seu Romanâ linguâ non loquebantur, seu, quorum linguam non noverant. Sic posteriores, Franci præsertim Romani, seu qui Romano idiomate utebantur, Transrhenanas gentes omnes, penès quas Teutonica lingua vigebat, eodem modo appellarunt. Walafridus Strabo de *Vita* S. Galli *l. 1. in Protog. Priori nomine nos appellant circumscriptæ gentes, quæ Latinum habent sermonem, sequenti usus nos nuncupat Barbarorum.* Et *c. 6. de B. Gallo: Hanc à Domino gratiam meruit, ut non solùm Latinæ, sed etiam Barbaricæ* (h.e. Alemannicæ) *locutionis cognitionem non parùm haberet.* V. quoque eum *c. 25.* & *de rebus Eccles. cap. 13.* Baldricum porro *Noviom. lib. 1. cap. 79* Sic Fortunatus *lib. 4. Poem. 26.*

Sanguine Nobilium genita, Parisius urbe,
Romana studio, Barbara *prole fuit.*

Et *l. 6. Poëm. 4.*

Hinc, cui Barbaries, *illinc Romania plaudit,*
Diversis linguis laus sonat una viri.

Et *l. 9. Poëm. 1.*

Chilperice potens, si interpres Barbarus *adsit,*
Adjutor fortis, hoc quoque nomen habens.

Germanicum enim nomen est, *Chilpericus*, quasi *Hulff-reich.* Similiter Flodoardus *l. 14. Carm. 18.*

Inde fluenta legens Rheni, loca barbara *visit,*
Sarmaticâ sævos adiens regione Suëvos, &c.

Hinc *Barbara lingua*, apud Eginhardum *in Carolo M.* Adelmannum Scholasticum Poëtam Saxonicum *de Gestis Caroli M. l. 1.* & 5. Teutonica est: Neque aliud videtur *Barbarismus*, quàm lingua Germanica, apud Sidonium *l. 4. Epist. 17.* & *lib. 5. Epist. 5.* &c. Addatur & hoc, non deesse, qui dicant, *Barbaros* etiam appellatos esse, quotquot Religionem Rom. non profiterentur, ex Salviano *de Provid. lib. 4.* V. quæ hanc in rem congessit Chiffletius in *Anastasi Childerici*, laudatus Carolo du Fresne *Glossar.*

Barbarus Daniel, Venetæ nobilitatis præclarum lumen, ex eadem familia, quæ Hermolaum, veræ Philosophiæ & literarum meliorum in Italia instauratorem, olim dedit, Patriarcha Aquilejensis designatus, edidit *Catenam Gr. Patr. in 50. Ps. pr.* Philosophiæ præterea ac Mathematicarum artium exquisitâ scientiâ præditus; Obiit quadragenario major A.C. 1569.

Barbati, apud Romanos, joco proverbiali dicti sunt, homines priscis ac simplicibus moribus rusticanæque veritatis: quòd illic serò receptum esset, barbam radere Juvenalis,

—— *Facile est* barbato *imponere Regi.*

In Communione Romana, Religiosi quidam, qui ex Instituto barbam nutriunt, eodem epitheto insigniuntur: Auctor *Vitæ* S. Erminoldi, *Frater quidam ex his, quos* Barbatos *dicimus.* Sicque appellatos Monachos Ordinis cujusdam Monastici; refert Albericus *ad A.C. 1183.* *Scripsit quædam de ordine Fratrum Templi & Barbatorum.*

batorum. Idem *ad A.C.*1140. *Ordo Fratrum* Barbatorũ, *qui etiam circa hoc tempus cœpit, habebat domos* 160. Nempe Sacerdotum & Monachorum aliàs communis mos est, barbam ponere, idque non sine certis ceremoniis, ut diximus. Sed & *Fratres Barbati* appellantur utplurimum *Fratres Conversi* in Monasteriis, quòd contra quàm Monachi voto adstricti, *barbam* itidem alerent, uti etiamnum observare est, apud Carthusienses. Unde, quem apud Auctorem *Vitæ* S. Erminoldi *lib.*2.c.2 *Barbatum* vidimus appellatum Editio Canisiana *Conversum* vocat. *Fratres Laici* iidem dicuntur, in *Chron.* Montis-Sereni *p.*170. Meminit eorum *Exordium* Ordinis Cisterc. c.15. *Tuncque definierunt Conversos Laicos* Barbatos *ex licentia sui Episcopi suscepturos, eosque in vita sua & in morte, excepto Monachatu, ut semet ipsos tractaturos.* V. quoque Cæsarium Heisterbac. *lib.*4.c.62. & *lib.*6.c.20. Mores illorum perstringit Idem *loco post.* inprimis, ubi eos *in habitu & tonsura Religionis terras circumire & plurimos decipere*, tradit. Sic *Barbatos* Grandimontenses exagitat Stephanus Tornacensis *Epist.*1.2. *Luctuosum in Ecclesia Dei spectaculum fideli ac flebili compassione prosequimur: Grandimontenses Conversos miserabilem tatum Clericorum* barbis *prolixis, tanquam cornibus ventilantes* &c. Sed accuratiùs de iis sic *Chronicon* Lauresham.

> *Nunc quoque* Barbati *qui sint, attentiùs audi.*
> *Sunt ergo Laici Miliensibus* (Monachis) *associati.*
> *Quos risus populi dedit hoc agnomine fungi,*
> *Sunt quia prolixis barbis ad pectora pexis,*
> *Deformes, hirti, revera moribus hirci,*
> *Barbis hircorum similes, larvis tragicorum.*
> *Quos quia vulgaris circumfert aura faveris,*
> *Austerâ facie sunt & tonsi caput altè,*
> *Cautiùs incisis, certoque tenore capillis,*
> *Et sunt immensis induti calceamentis,*
> *Amphibalis longis utentes & spatiosis.*
> *Quos quid habere putans, submissâ fronte salutans,*
> *Gratia, Pax vobis, Benedicite, Credite nobis,*
> *Mille Pater Noster demandat grex tibi noster:*
> *Pervenias centum verrunt barbis pavimentum*
> *Ut Domini servos plebs mobilis æstimet ipsos.*
> *Verùm fallaces fore se produnt, & inanes* &c.

apud du Fresne *Glossar.* V. quoque Macrum *Hierolex.*

Barbatores, memorati Petro Blesensi *Epist.*14. *Regis Curiam sequuntur assiduè histriones, candidatrices, aleatores, dulcorarii, caupones, nebulatores, mimi* barbatores, *balatrones & hoc genus omne:* non tam *Barbitonsores* esse videntur, ut præter Ludov. de la Cerda & Gussanvillam, Macro placet; quàm mimi scurræque, qui larvati in Theatris ludunt, quomodo in Bacchanalibus fieri potissimùm assolet. In his enim larvæ ipsæ horridis & impexis barbis squalent, uti docet *Historia* Turpini c.18. *Habentes larvas* barbatas, *cornutas, dæmonibus consimiles.* Et longè prius Tertullianus de *Idololatr. cap.*14 *Quibus nobis sub barba extranea sunt & Neomenia & feriæ aliquando adeò dilectæ*, &c. Unde etiamnum *Barboires* vocantur Belgis Francicâ linguâ utentibus, *Barbadouires* Gabalitanis, *Barbaus* Arvernis. Horum itaque ludicra festivitas, *Barbatoria* dicta est, uti hic infrà videbimus.

Barbatoria, vox memorata Gregorio Turon. *Histor. libro* 10. *capite* 6. ubi accusatam ait Abbatissam Pictavensem, *quòd vittam de auro exornatam nepti suæ superfluè dederit*, Barbatoriam *intus eo* (Monasterio) *quòd celebraverit*: Macro videtur velum denotare, Monialibus sub mento ligari solitum, quod vulgò *Subjugulum*, Belgis *Barbetta* dicitur. Aliis instrumentum fuit ad radendos pilos, quo fœminæ etiam usæ. Et certè [illegible] in *Glossar.* Græc. Lat. *Barbatoria* redditur, i. *barbæ tonsio.* Unde Viri docti censuere, Abbatissæ præfatæ objectum fuisse, quòd in suo Monasterio artem tonsoriam passa fuerit exerceri. Alii, quòd in eo primam lanuginem adolescentes ponerent. Hi enim, cùm primùm radendi essent, à Parentibus & amicis, ad Ædem Sacram adducebantur, & per Sacerdotis vel Episcopi ministerium prima eorum lanugo ponebatur, ac veluti *primitiæ juventutis*, ut habet *Ordo* Romanus, Deo offerebatur, recitatâ in eum finem oratione, quæ extat in Libro *Sacram.* Gregorii M. & in *Euchologio* Græcorum, de quo more multa eruditè congessit Car. du Fresne *Dissertat.* 22. ad Joinvillam. Verùm an *Barbatoria* in *Glossar.* eadem sit, quæ apud Antistitem Turon. non adeò liquet: imò potius locum hujus accuratiùs perpendenti *Barbatorum* prædictorum ludus hac voce intelligendus videtur, quem *Mascarade* Galli vocant. V. quæ suprà diximus, & plura hanc in rem apud Macrum in *Hierolexico* & du Fresne *Gloss.*

Barbatus, Religiosus, qui barbam nutrit, Vide suprà in voce *Barbati.* Item miles, *Can. si quis* 6. *quæst.* 1. *Si quis cum militibus seu privatis barbatis etiam scelestam inierit factionem.* Et quidem eques armatus, quâ notione vocem Coirum & Villanum usurpare, legas apud Macrum in *Hierolexico*, ubi eosdem *Barbutos* quoque appellatos addit, Vide infrà in voce *Barbuta.*

Barbentio, vulgò *Barbensun*, locus in Tabulis A.1197. datis, [illegible] cum Binchio memoratus: è quibus Binchium locus est Hannoniæ, vulgò *Binsch Haynaus*, in diœc. Cameracensi, Barbentio autem tit. Principatus gaudet. Hadr. Valesius *Not. Gall.* in voce *Sonegiæ.* Familia hæc ramus est Lignesiæ stirpis, quæ in Belgio jam olim illustris, inprimis crevit Joannis Dn. *de Barbentione* meritis ac matrimonio cum Margareta Marcana; Ita enim Comitatus *Arenbergicus* illatus est familiæ. Ex ejus filiis Carolus Pr. Comes Arenbergæ ab uxore Anna Croviaca, Ducatum Areschotanum, Principatum Cimacensem ac Porcianum, aliaque nactus est. Alter Robertus *Barbansonios* propagavit: Universis verò (namque prior ramus, iterum in duas lineas, *Areschotanorum* Ducum & *Cimacensium* Principum, abiit) *Ducatus Arenbergici* axioma ab Imperatore collatum est. V. Phil. Jac. Spenerum *Theatr. Nobilitat. Europ. Tom II in Indic.* ut & hic passim.

Barbia, vulgo *Barby*, nomen familiæ Comitum Saxoniæ, ab A.C.1149. quo Burcardus Comes Barbiensis floruit, in Historiis celebratæ. In diversas lineas aliquoties divisa fuit; sed, qui juxtim enati fuerant rami, omnes brevi tempore, ipse verò stipes A. C. 1659. morte Augusti Ludovici, exaruisse visi sunt. Cujus sorores fuere, Christiana Elisabetha (n.A.C.1634. uxor Rudolphi Augusti D. Brunsuicensis ac Luneburgensis, d.A.C. 1650.) Justina Sophia, (n.A.C 1636. uxor Ennonis Ludovici Fritonum Principis, d.A.C.1656.) Æmilia Juliana (n.A.C. 1637.) & Antonia Sibylla (n.A.C.1641.) qui omnes nati sunt, ex Sophia Ursula Oldenburgica, Alberto Friderico, defuncto A.C. 1641. filio Justi, nepoti Wolffgangi, pronepoti Burcardi, abnepoti Guntheri, atnepoti Burcardi, qui, maritus Sophiæ filiæ Sigismundi Princ. Anhaltini, obiit A.C.1420. V. Phil. Jac. Spenerum *Theatro Nobil. Eur. tom.*1.

Barbicalis, machinæ λιθοβόλου species, apud Albertum Aquensem *l.*3.c 41. *Sequenti die instrumenta trium mangenarum, Franci* Barbicales *vocant, opponunt ponti, quæ portam & turrim portæ ejusque mœnia crebro jactu & impetu saxorum quaterent & impeterent*, du Fresne.

Barbite, apud Marcianum, *Barbyte* Solino dicitur, *c.*54. *A Susis Carbile sive* Barbyte *oppidum centum triginta quinque millibus passuum distat, in quo mortales odio auri cœmunt hoc metallum* &c. Quid verò sit, haud liquet. Fortè *Babythace* est vel *Barbathace*, ut Plinius vocat, Βαβυθάκη Stephano, urbs Persiæ in Septentrionali latere Tigris, de qua voce diximus suprà.

Barbiton, apud Horatium *lib* 1. *Carm. od.*1.

> *Lesboum refugit tendere barbiton:*

Instrumentum Lyricum, quod tribus tendebatur chordis, quo multùm usa Sappho & Alcæus. Sonus ei extitit gravis & aptus Doriis: quocirca Pollux etiam [illegible] dictum prodit, Jul Cæs. Scaliger *Poetices lib.*1.c 48. Alii tamen septichordum fuisse docent, non minùs ac citharam, quam ἑπτάκτυπον φόρμιγγα Pindarus vocat, Acron ex Dionis *l.*7. Imò *Barbitum* Anacreonti εἰς λύραν, idem est quod ipsa lyra, instrumentum Musicum κρούμενον, *plectro vel calamo pulsari solitum.* Inventor ejus idem Anacreon &c. V. Chabotium *ad Horatium d.l.*

Barbota, apud Matthæum Paris, ad *A.C.*1219. *Targias multas & galeas cum* barbotis *& navibus aliis Christicolæ rapuerant*: qui vocem hanc mutuatus est ex Oliverio Scholastico *de Captione Damiatæ, Accidit, ut una navis Templariorum, vi torrentis rapta, prope ripam civitatis præcipitaretur ad hostes, qui cum* barbotis *& unis ferreis ipsam impugnaverunt diutius*: navis species est, sic dicta à rostro ferrato, ut Macer vult in *Hierolexico.* Certè Schefferus eas esse naves has putat, quas Sturlesonius in *Chron. Jeernbarden*, q. dicas, *barbam ferream*, vocat. Supernè tectas fuisse probè corio, ex *Historia* Belli Sacri vernacula MS. probat du Fresne, & undique acutas admodum: Meminitque tectarum ejusmodi navium *Chron.* Petri IV. Aragon. R. *l.*3.c.10. Unde *Barbotata navigia* quę in modũ *Barbotarum* tecta apud Sanutum *l.*2.*part.*4.c.7. laudatum Carolo du Fresne in *Gloss.* Unde aliud etymon elicias, dictas nempe hujusmodi naves à *barbutis*; est autem *Barbuta* propriè capitis tegmen, quo milites, Equites inprimis, in præliis, caput tegebant. V. infrà.

Barburi Saginati, in Mensa Salomonis, 1. Regum *c.* 4. *vers.* 23. Junio & Metcero sunt *lectissima quæque animalia*, quæ Appuleius *pastus electiles* dixisset; Græcis *aves electæ altiles*, eæque gallinacei generis; Talmudicis *electi boves* aut *gallinæ peculiari modo saginatæ*; Rabbi Jud c. *species animalium, quæ aluntur in vivariis*; Aliis *aves quæ ex Barbaria adferebantur*, mundæ ac pingues; Et certè, cùm Salomon in Rubro Mari classem instrueret, Ælanis & Etion-gabere in Orientales Barbaros ire potuit illa, atque inde meleagrides afferre, quæ *Barburim* inde denominari potuere. Quo enim tempore avium harum magna fuit caritas & penuria, erat illis summè fertilis Rubri maris Insula quædam, ad Barbariam Troglodytarum pertinens, quod idonei Auctores scribunt, præter Agatharchidem, Diodorus & Artemidorus apud Strabonem, &c. Bocharto, utut ultima hæc interpretatio tolerabilis videatur, prima tamen maximè placet, in qua asserenda conspirant Seniores cum Talmudicis, & analogia favet; secundùm quam, uti à חרר *charar*, i. *ardere*, חרחור *charchur* est, hoc est, *summus ardor*, Deuteronom. *capite* 28. *versu* 22. sic à ברר *barar*, hoc est, *eligere*, ברבור *barbur*, i. *res lectissima.* Unde

Unde sensus quoque commodissimus verborum Salomonis hic emergit: *Cibaria Salomonis erant in dies singuli triceni cori similæ, sexageni cori farinæ, deni boves pingues, viceni boves pascuales, & centum oves, præter cervos, capreas, & bubalos, & barburim.* h. e. *lectissima quæque animalia*, ea sc. quæ inter cœtera seligebantur, ut peculiari ratione saginata regiæ mensæ apponerentur. Quod de avibus potissimum Vett. intellexerunt, cùm, quia in cupedinario Foro aviculæ principem locum tenent, tum ut ab iis distinguerent, quorum jam facta mentio, bobus nim. ovibus, cervis, capreis & bubalis, &c. V. eum *Hierozoici Part. poster. Lib. I. c. 19.*

Barbuta, apud Joh. Hocsemium in *Engelberto Episc. Leod. c. 35. Erant omnes armati cum* barbutis *in capite; & ultimò Rex cum multa gente, supra parvum roncinum, armatus sicut alii, cum barbuta*; tegminis species est, quo caput olim Milites, Equites inprimis, tegebant in præliis. Hinc pro ipsis militibus, *Acta* Confœderationis inter Galeacium Mediolani Dom. & Amedeum Com. Sabaudiæ A.C. 1362. apud Guichenonum in *Histor. Sabaud. pag. 206. Habere & tenere tenetur ad offensam prædictam barbutas mille, quibus per Dom. Comitem satisfiat.* Et mox, *Habere tenetur suis expensis solùm* barbutas *trecentum*, h. e. milites *barbutis* armatos; quos postmodù Itali *Lances* seu *Lancearios* appellarunt, uti legimus apud Matth. Villaneum *l. 2. c. 81. & l. 6. c. 56.* V. quoque Thvvroczium *in Ludovico R. Hungar. c. 16. 21. 23.* Cortusium *Histor. lib. 7. c. 20.* Alios, laudatos Carolo du Fresne in *Glossar.* In Macri *Hierolexico* malè *Barbuti* pro *Barbutæ* legitur, ex Blondo *Dec. 2. lib. 10. in Clemente VI. Quam ob rem Archiepiscopus Johannem Anteginum Vicecomitem cum* barbutis *quinque millibus in Hetruriam misit.* Namque ablativus hic rectum habet *Barbuta*, uti vidimus.

Barbythace, seu *Barbytace*, Urbs Persidis, cujus incolas aurum quantum possunt contrahere defoderéque, ne cui sit usui. Plinius memorat. Quod cùm alibi non legatur, suspicatur Salmasius, fuisse urbem, in qua Gazophylacium Persiæ Regum fuerit, sicque aurum ibi defossum servaretur. V. eum *loco cit.* ut & in *Babytace* suprà.

Barca, apud Paulinum *Poëm. 13.*

> *Ut mea salubri* barca *perfugio foret,*
> *Puppis superstes obrutæ.*

Abbonem *de bello Paris. lib. 1.*

> *Quamplures numero naves numerante carentes*
> *Extat, eas moris vulgò* barcas *nominare.*

Et *lib. 2.*

> —— —— *Barcas per flumina raptant.*

Aldhelmum *de 8. Vitiis.* Alios, Ugutioni, *navis Mercatorum est & quæ merces exportat:* Isidoro *Origin. lib. 19. c. 1. quæ cuncta navis commercia ad littus portat* &c. à Βᾶρις, voce Græca, quæ genus ædificii rotundi, ut turris est, sonat, secundùm Salmasium in Kercoëtium: Jul. Cæs. Scaliger *Exercit. 51.* à βάρ☩ id est, *oneribus gerendis*, vocem deducit. Alii à *Barca*, urbe Africæ &c. Rodericus Toletanus *de Rebus Hispan. lib. 1. c. 5.* à Barca celebrem Hispaniæ urbem, *Barcinonem* nominatam, auctor est. Sed & Βάρκας Scriptores aliquot Græci recentiores dixere; Βάρκαι Nicetas habet in *Alexio lib. 1. num. 7.* & Harmenopulus *l. 2. tit. 11. §. 9.* apud du Fresne *Glossar.* Hinc *Barcella*, quæ aliàs *Navicula* dicitur, vas Ecclesiæ, in qua thus reponitur, ad incensum, in *Charta* A.C. 1197. apud Ughellum *Italiæ sacr. T. VII. p. 274.*

Barcina, nomen factionis Carthagine olim potentis, cujus opibus, *quæ apud militem plebemque plus quàm modicæ erant*, contrà Principum voluntatem, Asdrubal, gener Amilcaris cognom. *Barcæ* (cujus facta leges apud Corn. Nepotem,) imperio potitus est, Livius *l. 21. c. 2.* Ad ejusdem factionis principes missis literis nuntiisque, præparavit suorum animos Annibal, tum in Sagunti obsidione hærens, ne quid pars altera gratificari pro Romanis, qui Legationem Carthaginem missuri erant, posset, *c. 9.* &c. Peritia eorum gloriaque bellica, eidem indigitatur *l. 28. c. 12. Ibi tum Asdrubal Gisgonis, maximus clarissimusque eo bello secundùm* Barcinos *Dux, regressus à Gadibus* &c. Nitebantur autem contra Hannonem maximè, qui unus adverso Senatu caussam fœderis cum Romanis egit, sed nullo successu, *c. 10. cit.* Hinc inter Himilconem *Virum factionis Barcinæ*, postquam nuncius ab Annibale læta omnia attulisset & Hannonem, qui bellum cum Romanis constanter dissuaserat, acris disceptatio, legitur apud eundem *lib. 23. c. 12.* Sed rejecto tandem in Africam Annibale, Romanorumque potentiâ indies reflorescente, factionis auctoritas pessundata, ut videre est apud eundem.

Bardei, pop. Illyrici, quorum mentio in *Glossis*, *Bardei*, Ἰλλυρικοὶ δοῦλοι, οἱ διαγωνισάμενοι ὑπὲρ τῆς Ἰταλίας κατὰ Κίννα καὶ Μαρίου στρατευσάμενοι, *Illyrici servi, qui pro Italia pugnantes, contra Cinnam & Marium cum exercitu profecti sunt*: ubi meliùs legeretur *Bardæi*. Ptolomæo namque Οὐαρδαῖοι dicuntur, in descriptione Illyrici: Ἐπὶ δὲ Δαλματίας Δαουέρσιοι, ὑπὲρ οὓς Κομηνοὶ καὶ Οὐαρδαῖοι, *Infra Dalmatiam Daursii, supra quos Comenii & Vardæi.* Ita vetus liber, quem in Bibl. Pal. vidit Salmasius, vulgò Οὐαρδῆται, &c. Inde *Bardaici cuculli*, de quibus Jul. Capitolinus in *Pertinace*, *Chlamydes Græcanicas atque castrenses & cucullos Bardaicos*: ubi de rebus Commodi sub hasta venditis: quos nonnulli à *Bardis* Galliæ infeliciter deducunt. Fuere autem militare gestamen, & iidem fortè cum *Liburnicis cucullis* Martialis: Pannoniorum etiam galerorum mentio, apud Vegetium, quos pro galeis gestabant milites ipsius ætate. Sed & *calceos Bardaicos* militum reperimus appellatos. Juvenalis, *Sat. 10.*

> Bardaicus *Judex datur hæc punire volenti*
> Calceus *& grandes magna ad subsellia suræ.*

Ita namque hæc verba construit Salmasius præfatus, *Hæc punire volenti datur Judex, calceus Bardaicus, & grandes suræ*: per quæ militarem Judicem intelligit, Centurionem aut Tribunum, cui grandes suræ & calceus Bardaicus. Incertum igitur, utrum de calceo intelligat, an de cucullo Martialis, cùm inter res malè olentes *bardaicum* militis ponit, *lib. 4. Epigr. 4.*

> *Lassi* bardaicus *quod evocati*,
> *Quod bis murice vellus inquinatum*,
> *Quod jejunia Sabbatariorum* &c.

Cœterùm cucullos etiam pedum invenimus appellatos, qui *cucullopedones* & *pedocuculli* dicebantur. Horum mentio in *Notis* Tironis & Senecæ. Sic πῖλος Græcis & pedum & capitis dicitur. Hesiodus,

> —— —— κεφαλῆφι δ' ὕπερθε
> Πῖλον ἔχειν ἀσκητόν.
> —— —— *in capite supernè*
> *Pileum habere elaboratum.*

Καμηλαύκιον exponunt Grammatici. Apud eundem πῖλοι quoque pedules sunt. Similiter Latinis *udo* utrumque significabat, & galerum vel pileum & pedule &c. Salmasius *ad Capitolinum.* V. quoque infrà in voce *Bardocucullus.*

Bardariotæ, Gr. Βαρδαριῶται, milites prætoriani, quorum præfectus *Primi virgius* dicebatur: eo quòd, quoties Imperator CP. equitabat, milites ni virgas manibus ferebant, ad populi arcendum impetum. V. Codinum *de Officiis Aulæ CP.* & Macros Fratres in *Hierolexico*, è quibus Carolus *Bardariotas* hos cum *Barbutis* eosdem facit V. suprà.

Bardocucullus, adde: Unde patet, vilissimum tegumenti fuisse genus; Hinc per ludibrium idem *Cercopithecorum penulam* alibi illum vocat: A *Bardais* Illyrici populis, de quibus suprà, si cum Turnebo & Salmasio appellationem ejus trahere placeat, dici poterit, vestem in Illyrico inventam, pòst apud Gallos texi, atque in usu haberi cœptam esse. A' *Bardis* enim Gallorum vatibus, aut à *bardis* i. fatuis, vocis derivationem agnoscere se posse meritò negat Octav. Ferrarius *de re Vestiaria l. 1. c. 21. Partis 2.* Hinc *Bardaicus Judex*, apud Juvenal. ut dictum. Id est, *Bardocucullo* vestitus, sive ille ex crassiore lana, sive ex caprarum pilis & cilicio confectus: qualem Centurionem (hunc enim Poëta intelligit verbis his) *hirsutam capellam* audacter propterea alius appellat. Meminit *Bardaici cuculli* & Capitolinus in *Pertinace*, uti visum: ubi docet Commodum Imp. *Chlamydes Græcanicas atque castrenses, & cucullos Bardaicos, & togam & arma gladiatoria*, auro, serico gemmisque confecta gestasse, præter morem Romanum. V. quoque infrà, in voce *Cucullus*, & suprà in voce *Baraei.*

Barducium, teli genus, apud Cedrenum.

Bargus in *L. Sal. de bargo suspendere*, ramum arboris vel scapum notat. Hinc de papyri fasciculo seu scapo, seu racano. Vet. Liber, *Rejuum opus, papyrina fasces, βάργοι.* Nempe fasces papyri sic colligatas, ut baculi vel scapi figuram referrent, *bargos* vocarunt. V. Salmasium *ad Vopiscum in Firmo.* A' voce hac, *branche* Gallorum deducit du Fresne, quod Salmasius mavult arcessere à *Brachium*, *Ibid.*

Barigena, seu *Barginna*, in *Glossis* Lat. Gr. νεκροφόρος, Ῥάβδο-φόρος, ὡς Ῥωμαῖοι βαρβάροι, *Vespillo. Barbarus, acclamatio barbari.* Quæ verba sic accipit cum Cujacio *ad Nov. 43. Justiniani*, du Fresne, ut existimet *Barginas* fuisse *barbaros funerum elatores*, vocemque *Barginna*, esse barbaram, non Latinam, quam à Germ. *Baar* videtur deducere Bignonius, & in vet. *Glossario* Saxon. *feretrum* dici observat: Unde fortè, inquit, pro *funerum elatore.* Cœterum *Bargennes*, Troglodytidis regionis populos memorat Plinius *lib. 6.* Et in *Glossis* Isidori *Bargines* sunt *fortes in bello.* Recentioribus verò Grammaticis *Barginus*, peregrinus, alienigena est &c. V. Ugutionem, Johannem de Janua, alios, ei laudatos *Glossar.*

Barigildi, in *Capitulis* Caroli C. *tit. 31. c. 32. Et ipse (Comes) sic mallum suum teneat, ut* Barigildi *ejus & Advocati, qui in aliis Comitatibus rationes habent, ad suum mallum occurrere possint*: Sirmondo, Apparitores sunt. Unde hodieque apud Italos hac voce principes apparitorum insigniuntur. Academici Cruscani, *Bargello, capitan de' birri, Circitor.* Originem vocis à vocabulo *Barus* vel *Baro* arcessit Innoc. Cironus, atque, *Barigildum* liberum esse hominem, qui nunquam servilis fuit conditionis. Addit, hinc Advocatos dici *Barigildos*, quòd è nobilioribus & potentioribus assumerentur, in quorum fidem & patrocinium, quasi conspiratione quadam & consensu mutuo, Ecclesiæ recurrebant, à *gildo* seu pretio, Advocatis exsolvi solito: ut sic dicti fuerint, quasi *Advocati Stipendiarii*, apud Car. du Fresne *Glossar.*

Barillarius, in *Ordinatione* Hospitii Ludovici IX. Franc. R. inter Sanctos relati, A.C.1261. officium fuit in *Scancionaria Regia*, cui cadorum vinariorum cura incumbebat. A' *Barili* seu *Barillo*, voce recentioris ævi, Ital. *Barile*, Gall *Baril*, quæ vini cadum, vas vinarium è ligno, denotat. Matthæus Paris *in Vitis Abb. Misit* barillos *lapidibus & sabulo repletos* &c. Inde *Barillagium* quoque, apud Hemereum in *Augusta Viromandaor. A.C.*1095. id est, tributum, quod pro istiusmodi vasis vinariis præstabatur. V. du Fresne *Glossar* & Macros Fratres *Hierolex*.

Baris, Indiæ fluv. adde: In cujus ostiis *Barace* sita fuit, Emporium nobile, de quo suprà. Eidem flumini adpositum est Nelcyndæ emporium, unde secundo amne lintres descendebant in Baracen, quæ piper ex Cottonare vehebant. Salmasius *ad Solinum pag.*1187 Aliàs *Baris* Vitruvio teste, idem Græcis, quod *fala* Latinis: Sunt autem falæ turres rotundæ, quarum fastigium ovi refert imaginem. Cujusmodi ὠοειδῆ δημιουργήματα, in Circo erant, ab Agrippa primùm extrui jussa, ad ostendendum Curriculorum numerum. Servius *in lib.9. Æneid. de Phalarica, Unde & in Circo falæ dicuntur divisiones inter Euripum & metas, quòd ibi constructis ad tempus, turribus his telis pugna edi solebat.* Ad quem eundem usum delphines quoque eodem curante facti. Quæ causa est, quòd utrosque jungat Juvenalis,

Quæ nudis longè ostentas cervicibus aurum,
Consulit ante Falas Delphinorumque columnas.

Sed de his inferiùs dicendi locus erit. V Salmasium *ad Solin. p.*911.

Barmbracus, Lindenbrogio parvus canis est, in *L.* Frisonum *tit.*4 §.2. *Qui occiderit canem acceptoricium, vel braccenem parvum, quem* barmbracum *vocant.* Bracco enim canis hodieque Germanis est. Mavult tamen Spelmannus vocabulum deductum, à Saxon. *Barme*, quod *gremium* significat: ut *Barmbractus* sit *canis gremialis*, quales etiamnum nobiles fœminæ, voluptatis gratiâ, gremiis fovent. V. eum in *Glossar.* & du Fresne similiter.

Barnabitæ. adde: vestis illorum nigra est, cum pallio ad talos usque demisso. Richelet.

Barnaces, Hibernis aves sunt aucis sylvestribus similes, quæ de lignis abietinis, uti hactenus creditum est, præter naturam productæ, religiosis viris, tempore jejuniorum in escam ceduntur, eò quòd de carne & commixtione minimè nascantur. V. infrà in *Bernacles*. *Principes Viri*.

Barnimus, filius Rastizi, nepos Miroslai, pronepos Lubithi, qui tempore Caroli M. Dux in Pomerania Or Wilzorum fuerit, genuit Vislaum vel Wizlaum, cuius filio Billungo seu Mistevojo, natus est fil. Micislaus, per fil. minorem Grimnum Rugiorum Principum, per Mistævonem verò majorem natu Herulorum Regum, conditor.

Barnimus I. cognom *Bonus*, filius Bogislai II. Pomeraniæ Citer. Ducis, successit fratri Bogislao III condidit Garziam & Greiffenhagam, cum aliquot Monasteriis: dein cum Patre Ecclesiæ Caminensi concessit Colbergam, tum bellum ob Novam Marchiam cum Johanne I. El. Brandeb. gessit, quod compositum est, cùm Ducis filia Hedvigis nupta Johanni Primislaviam cum Marchia Uccaria adferret. Obiit A C 1287. Eo præter Ottonem Stettinensis & Bogislaum IV. Wolgastensis rami auctores, natus est.

Barnimus II, cui Mestovinus agnatus A.C.1295. donaverat ditiones in ulter. Pomerania, sed Poloni à successione Pomeranos prohibuere. demi A.C 1285. in adulterio à Moccarvitio confossus, filiam tantùm reliquit.

Barnimus III. cognom. *Magnus*, filius Ottonis præfati, successit Patri in regimine & bello, adversus Ludovicum Brandenburgicum Elect. quo sæpius victor, tandem tamen dictur, in casum deficientis prolis, Brandeburgicis successionem adjixisse. Idem agnato *Barnimo*, de quo proximè, in defensione Rugiæ adversus Megapolitanos adstitit Obiit A.C.1368. pater Bogislai VII. Casimiri IV. & Suantibori II.

Barnimus IV. fil. Wartislai IV. nepos Bogislai IV. de quo suprà. Pomeraniæ Occid. Dux, Wolgastanam lineam, conditor arcis Wolgastanæ. ortus est: sicut Bogislaus V. frater ejus, Pomeraniam Or. est nactus Una cum *Barnimo III.* à Carolo IV. Imp. *Venatorum Imperii* dignitatem impetravit. Idem contra Megapolitanos suam defendit Rugiam quam pater ejus, extincto avunculo Wizlao A.C.1325. sibi vendicaverat. Obiit A.C. 1365. pater Bogislai V. & Wartislai VI.

Barnimus V. fil. Bogislai V. prædicti, frater Casimiri V. Wartislai VII. & Bogislai VIII.

Barnimus VI. filius Wartislai VI. nepos Barnimi IV. temperantiæ singularis laude inclaruit. Obiit A.C. 1405. Eo ex Veronica Normbergensi, præter Wartislaum IX. Acad. Gryphisvvaldinæ A. C. 1456. auctorem, geni us est,

Barnimus VII, cui Gutskoæ sedes fuit. Obiit improlis.

Barnimus VIII. fil. Wartislai, Rugiæ, Stralsundæ & Barti Domini, nepos Wartis ai VI. fratrem habuit Suantiborum III. quorum hic A.C.1446. ille A C. 451. sine liberis defecit.

Barnimus IX. cognom. *Pius*. Stettinensis Princeps, filius minor natu Bogislai X. frater Georgii, postquam hic vivis excessit, qui antea toto triennio Lutherum audiverat, habito conventu Treptoæ, consentientibus Ordinibus, cum nepote Philippo, quem Georgius ex Æmilia Palatina susceperat, Latinos ritus abolevit, & per Johannem Bugenhagium, formulam administrationis conscriptam A.C.1535. publicavit. Monasteriis dein reformatis, Smalcaldico fœderi nomen dedit A.C.1536. Nec tamen biennio post, in recusationem Cameralis judicii, consentire voluit. Anno dein C.1541. circa Principatus & bonorum Eccl. divisionem cum nepote transegit: justitque Episcopum Caminensem cum Canonicis suo jure uti, sic tamen ut religionem Evangelicam sequerentur. Locupletata quoq, tum Academia Gryphisvvaldina & Pædagogium Stettinense fundatum est. Decessit A. C. 1573. tantùm filiabus relictis.

Barnimus X. fil. secundogenitus Philippi retro memorati, Rugenvvaldæ habitavit. Obiit A C.1603. nullâ ex Anna Maria Brandeburgica prole relictâ. Ejus frater maximus natu Joh. Fridericus, A.C. 1600. reliqui Casimirus IX. A.C.1605. uterque itidem sine prole, Bogislaus XIII. A.C. 1606 pater plurium liberorum & Ern. Ludovicus pater Phil. Julii A.C.1592. extincti sunt, V. Phil. Jac Spenerum *Sylloge Genealogico-Historicâ, in familia Wandalica.*

Baroncellus. V. infrà in voce *Catipanus*.

Barones non modò Persii & Isidori ævo, sed etiam longè postea, *ministri* appellati sunt: Unde traducta vox ad *viros Magnates*, qui Principibus obsequia & ministeria sua præstabant, ex officii ratione, seu ex beneficiis ac feudis, quæ ad ejusmodi obsequia impendenda iis indidem conferri solebant. Quin etiam jam inde ab ipso Augustini ævo, sic dicti videntur Viri Nobiles, Principum obsequiis & servitio addicti, vel certè viri militares, & qui primas in aulis Regum tenebant. V. eum *Serm* 48. *ad Fratres in Eremo.* & 68 *ad eosd.* Quemadmodum autem famulos, *Homines* vulgò etiam appellabant, ita Franci, ac cœteri Boreales populi, postquam Galliam Italiamque invasere, *Barones* quosvis viros appellarunt, V. *LL.* Salicam, Ripuariam, Alemann, Longobard. passim: retinentque etiamnum Hispani vocem *Varones*, quosvis viros hominesque eâ designantes, Atque inde fortitan vox *Baro*, pro marito, apud Gallos, quem *Homme* vulgò vocant, &c. Cùm itaque *Barones* æquè dicerentur & famuli & mariti, quòd utrosque *Homines* olim appellarent: factum inde, ut & *vassallos*, qui nullo intermedio sibi obnoxii erant, *Barones* vocarent Reges ipsi ac Principes; Nam & ipsi vassalli *Homines* perinde passim dicuntur, utpote peculiari Principum obsequio addicti, ex beneficiorum & feudorum ratione, quæ ad id ab iis conferebantur, ut servitia sua impenderent, non modò in rebus militaribus, sed etiam civilibus, Placitis nim. aliisque. Inde igitur *Barones* dicti vassalli, qui tenent terras suas immediatè de Rege, per servitium Militare & alia feudorum consueta servitia: quo significatu vocem hanc usurpatam passim constat, V. *Statuta* Roberti III. Scot. R *cap.*1. §. 6. Matth. Paris *A* C.1110. Matth. Westm. nasteriensem *A.C.*1244. *p.*317. Besilium *in Comitibus Pictav. Constitutiones* Siculas *lib.*1.*tit.*44. Allos, Carolo du Fresne in *Glossar* laudatos. Cùm verò Nobiles, qui servitio Regum adscripti sunt, cœteris nobilibus præminerant: hinc *Barones* porro dici cœperunt Proceres ac Magnates, V. *Capitularia* Caroli C.*tit.*15 & Hincmarum *Epist.*1.*cap.*6. ubi *Barones* & *Primores* iidem sunt. Quomodo *Barones Burgundiæ* non uno loco Fredegarius appellat, Regni illius Proceres, siquidem iidem cum *Baronibus* sunt, quod Eruditi censent. Galli *Bers* vulgò tales vocant, eos vero qui & vassallorum numero, & natalium prærogativa, & prædiis ac possessionibus, alios præcellebant, *Hauts Bers*, ut est apud Villharduinum *num.* 33. 51. id est, *altos* & majoris dignitatis *Barones*. De cujusmodi supremis *Baronibus*, sed iis duntaxat, qui nullâ Ducis aut Comitis dignitate gaudebant, ita Christina Pisana *lib Gall.* cui tit. *Thesaurus Civitatis Fœminarum Part.*2 *c.*9. *Primo*, inquit, *differemus de illis Baronissis, quarum sunt in Francia, Britannia alibique complures, quæ dignitate & potentia multum Comites antecant, quamvis* Baronis *nomen aliquanto inferius sit. Magna namque Baronum nonnullorum potentia est, ob terras & dominia, & stirpis splendorem: quo fit, ut uxores earum magni omnino æstimentur.* Cujusmodi Codiciacensis in Gallia Dominus fuit, aliique aliquot *Barones* majores, quorum jura & privilegia ferme eadem erant, quæ Parium Franciæ & Comitum, V. infrà in voce *Barones Majores*. Alias acceptiones vocis hujus, ut & *Baronum* jura varia, lubens prætereo, ut de quibus quædam jam in voce *Baro* prædicta sunt. Plura qui volet, adeat præ aliis du Fresne *Gloss* è quo varias *Baronum* species hic paucis subnectere insuper visum est.

Variæ Baronum, apud Scriptores, species.

Barones Alemanniæ, vel simpliciter *Barones* vel *Semper-Barones* dicuntur, ut *Barones Limpurgici*: qui à nullo horum feudum habent, sed alii ab ipso; adeoque liberi sunt, ut nulli alii fidelitatis juramento astringantur, V. Petrum de Andlo *de Imp Germ. l.*2.*c* 12.

Barones Angliæ, V. *Baro*.

Barones Aragoniæ, iidem sunt, qui *Rici homines*, qui sc. *pluralitate vassallorum decorantur,* ut ait Vitalis Episc. Osc. cum quibus in exercitum pergunt, quoties à Rege evocantur. Extat *Charta* Caroli Pulchri Franc. & Nav. R. quâ Alfonsum de Hispania *Baronem & Ricum Hominem* Navarræ creat: & ut statum hunc tueri posset 60. Militias ei in Regno suo Navarræ concedit, more consueto tenendas. V du Fresne *Diss. IX ad Joinvillam pag.* 90. 191.

Baronum

Barones Castellenses, qui *castella* possident, apud Radulfum de Diceto, Anno Christi 1040.

Barones Civitatis Londin. primarii istius civitatis incolæ dicuntur, Matthæo Paris & Matthæo Westmonast. *A. C.* 1253. Quorum hoc privilegium erat, ut extra civitatem de nulla re responderent, præterquam de tenuris & contractibus forinsecis, Bracton. Atq; inde forte *Baroniarum* nomen datum domibus, *Baronibus* hisce inhabitatis, in *Placito* an. 14. Edvv. I. Idem verò privilegium idemque titulus. Eboraci, Cestriæ, Warvvici, Fevershami, aliarum urbium, in Anglia: quemadmodum & Biturigum ac Aureliani, in Gallia, civibus tributus legitur, apud du Fresne.

Barones Comitatus, apud Anglos, dicuntur majores Vassalli, in singulis Comitatibus degentes, qui terras suas nude & liberè de Rege tenent, & Comitum judiciis ac comitiis intersunt cumque iis jus dicunt. Inde non minùs ad eos, quam ad Justitiarios ac Vicecomites, Brevia Regia diriguntur.

Barones Eleemosynarii, apud Stanfordium & in Jure Anglicano dicuntur Archiepiscopi, Episcopi, Abbates & Priores, qui prædia sua Ecclesiæ à Rege tenent per *Baroniam*. Baronias enim suas ex *Eleemosyna* Regum perhibentur accepisse, licèt ipsa prædia aliorum munificentiâ fuerint consequuti.

Barones Majores in Francia aliqui dicuntur, quorum jura & privilegia ferme eadem, quæ Parium Franciæ & Comitum: ut *Domini de Narbona, de Bellojoco & de Couci*; item *Barones Soliacensis & Credanensis*, in *Statuto* Philippi R. A. C. 1275. & in *Charta*, quæ describitur in *Probat. Histor. Guinensi pag.* 67. Habebant illi in Baroniis suis *amortizandi & eleemosynandi* facultatem, *ita tamen, quod tenuræ non emembrenentur seu etiam deformentur.*

Barones Parlamentarii, in Anglia & Scotia, qui vulgò *Lords of Parlement* vocantur, ii sunt, qui à Rege proximi & dignitate & vassallorum numero reliquos antecedunt, atque hoc nomine ad Parlamentum sive Consilium publicum, diplomatibus Regiis evocantur.

Barones Quinque Portuum seu *de Quinque Portubus*, in Anglia dicuntur, qui degunt in quinque præcipuis Angliæ portubus, vicinæ Galliæ objectis, *Hasting*, *Dover*, *Hith*, *Rumnen* & *Sanduic*, villisque aliis ad eosdem pertinentibus; *Rye* præsertim & *Winchelsey*. Hi propter antiquam nobilitatem, gloriamque, quam in Regni defensione, prœliis maritimis, reportarunt, non solùm (quod hodie nullis præterea in omni Anglia contingit) *Baronum* appellatione honestantur, sed amplissima insuper privilegia, à priscis Regibus obtinuere. V. infrà in voce *Quinque Portus*.

Barones Regis, apud Hent. Huntingdonensem *Histor. lib.* 5. Magnates sunt de domo & familia Regis, vel certe majores Vassalli, qui de Rege prædia sua nudè tenent, &c.

Barones Scaccarii vel *de Scaccario* apud Anglos, appellantur Magnates, qui in Scacario Judicum vice funguntur, quorum præcipuus *Capitalis Baro Scacarii* dicitur. *Mylords* vulgò dicuntur, Gall. *Messires*: suntque è majori nobilitate. Non verò diutius titulum hunc retinent, quam in officio permanserint. V. infrà in voce *Scaccarium*.

Barones, qui socham & sacham habent, in *LL.* Henrici I. *cap.* 9. id est, *qui habent Curiam de suis hominibus*, ut est *in LL.* Eduardi Confess. *cap* 35. seu omnimodam justitiam & jurisdictionem, altam, mediam & interiorem super vassallis suis. V. infrà, ubi de *Curia Baronum*.

Barones Terrarii, apud Wilhelmum de Podio Laurentii *cap.* 43. dicuntur omnes ii, qui, terris & prædiis divites, complura possident prædia. *Terrarum domini* in Syn. Colon. *Anno Christi* 1300. c. 11. Gallis *grands Terriers*. Vincentius Belvac. *lib.* 32. *cap.* 89. *Rex autem de consilio Baronum suorum & Baronum ac Terrariorum Cypri.* Annales Waverlejenses *Anno Christi* 1186. *Rex tenuit Curiam suam apud Wintoniam, ibique venerunt contra eum omnes Barones sui & omnes Terrarii hujus Regni, qui alicujus pretii erant, cujuscumque feodi fuissent, & omnes homines Regis effecti sunt.* Iidem *Barones Castellorum* appellantur, in vet. *Not.* apud Roccum Pirrum *in Episc. Agrigentinis* &c. V. quoque supra.

Baronetti, apud Anglos, *Baneretti* sunt, de quibus actum, uti observat Spelmannus, qui sic dictos vult eos Barones seu Magnates, qui de aliis, quàm de Rege, terras suas tenent; quod du Fresne non probat. Certe constat Jacobum M. Britanniæ R. novum *Baronettorum* ordinem creasse quem inter Barones Regni & Equestres classes medium constituit, Diplomate, quod descripsit Spelmannus in *Glossar.*

Baronia, ordo Nobilium, *Baronum*, in *Epist.* Ludovici VII. Fr. R. *Hist. Franc. Tom. IV. pag.* 583. Ἀζζουρίας Annæ Comnenæ *Alexiad. lib.* 1. Item prædium a Rege nudè pendens, vel majus prædium aut feudum: cujusmodi *Baroniæ*, a castro, quod intra illarum fines construchum est, nomen assumunt, ut est in *Constitutionibus Sic. lib.* 3. *tit.* 14. §. 1. Et quidem *Baronia integra*, apud Anglos dicitur constare 13. *feodis & tertia parte unius feodi Militis, quolibet feodo computato ad* 20. *libratas, quæ faciunt in toto* 400. *marcas, in Modo tenendi Parliam. cap. de Laicis: uti Comitatus* 20. *feodis unius Militis* &c. Apud Normannos videtur constitisse servitio quinque Militum, ex *Regesto* Philippi Aug. Herouvaltiano *fol.* 167. Insuper *Baroniæ* dictæ sunt quatuor Principatus, in quos Regnum Hierosolymitanum, postquam Saracenis ereptum esset, fuit divisum: *Regnum viz. Hierusalem, Comitatus Tripolitanus, Principatus Antiochia & Comitatus Rohes*, V. Guil. Tyrium *lib.* 16. *cap.* 29. Jac de Vitriaco *lib.* 1. *capp.* 30 31. Alios. Sed & *Baroniæ* vocitantur Regalia seu majora dominia Episcoporum ac Prælatorum, quæ a Regibus in feudum tenentur, apud Matthæum Westmonaster. Matthæum Paris, in *Monastico* Anglic. ubi Ea verò Regalia non unica, sed pluribus *Baroniis* constabant, cum tot Baroniæ, quot prædia majora, essent, Thom. Stubbs in *Episcopis Eborac.* Atque ratione harum Baroniarum, Episcopi nonnunquam *Barones* dicuntur. *Appendix* ad Gregorii Turon. *Historiam, Burgundiæ Barones tam Episcopi, quàm cæteri Leudes* &c. Non enim modo propter Regalia, ut alii Barones, servitiis omnibus feudalibus erant obnoxii, sed etiam in Comitiis publicis seu Parlamentis, sedere iis jus erat, cujus apud Francos innumera exempla prostant, ut Tillius aliique docent: In Anglia verò Episcopos in Parlamentis, eo nomine locum sedemque habere, nemini ignotum est &c. V. du Fresne *Glossar.*

Barræ, vox medii ævi, qua præsertim *repagula* ac *septa* denotantur, quæ ad munimenta oppidorum & castrorum vel ad eorum introitus ac portas ponuntur, ne inconsultis custodibus in eas aditus pateat quibusvis. A *barra*, i. fustis, vectis, Gall. *Barre*. Hisp. *Barra*, de cujus origine quædam habet Ægidius Menagius in *Origin. Ital.* Guil. Britto *Philippidos lib*

Stabat enim firmus, ut barra *repagula firmans.*

Infrà,

Tunc Comes exclamat: Barras, *gaudete Quirites,*
Fregimus in manibus barræ jam denique nostris,
Nulla potest nobis jam barrata tollere barras. &c.

Has qui servabant, *non habebant respondere usui justitiæ de catallo, nisi coram Majore & Juratis*, in *Charta* Philippi Aug. Franc. R. A. C. 1195. pro Communia S. Quintini apud Hemeræum. Inde *septum curiæ*, cancelli, auditorium, ubi causæ coram judicibus ab Advocatis perorantur. Gall. *Barreaux*. quasi *Barrelli*, imprimis in summis Regni tribunalibus V. Salmasium ad *Vopiscum* in *Carino*; quibus prorsus id nominis attributum, in *Charta* A. C. 1391. 26 Jan. apud du Fresne. Etiam sic interdum dictæ Exceptiones rei, vel generatim primæ litium instructiones, quæ ad *barras* Fori simplici ac nudâ formula peraguntur, quod exceptionibus, contra Actorem, vice repaguli utatur Reus, apud Phil. *de Beaumont MS* cujus du Fresne meminit, passim. Sed & tributa quævis; præsertim, quæ ad urbium *barras* portasque præstantur. *Barræ* appellata leguntur, aliter etiam *Barragium*, Gall. *Barrage* &c V. omnino Car. du Fresne *Glossar.* ut & infrà ubi de *Cancellis* & *Septis*. Ab eadem origine *Barriere* est, *repagulum*, *Balbis*, quo nomine quid olim in Stadio Græcorum ac Circo, item Amphitheatris Romanorum indigitatum fuerit, V. in vocibus *Balbis*, item *Repagula*

Barrati, dicti sunt Religiosi in Communione Rom. Carmelitæ, quorum cœnobium *Barratorum* Parisiis, Gall. *le Couvent des Barrez*, aliquando vocatum reperitur, nominis occasione hinc orta. Cum Saraceni, occupata jam Terra Sancta, Religiosis hisce cappæ candidæ (qui color nobilitatis inter illos index habitus est) usu interdixissent; coacti Carmelitæ pallia variegata, pro Orientalium more, gestare; postquam in Occidentem cum tali habitu demigrarunt, *Barrati* appellati sunt; donec processu temporis indumentum album resumpserunt, ut auctor est Trithemius *de laudibus Carmelit. lib.* 6 Factum autem id sub Honorio IV. Pontif. V. Dominicum Macrum *Hier. lexico.*

Barrini, Valdensium sectatores quidam dicti sunt, in *Constitut.* Friderici Imp. forsan à *Barro* monte, circa Larium lacum, aut à *Barriano* in agro Cremensi, Gretserus apud du Fresne in *Glossar.*

Barrium, Arvernis Galliæ pop. *Barri*, ædium aliquot & domorum, extra urbem & ad suburbana, congeries. *Charta* Hispan. æræ 1140. apud Anton. de Yepez, in *Chron* Ordinis S. Benedicti *Tom. VI Et damus vobis illum* barrium *à ste illa porta, quæ respicit ad illum flumen in parte sinistra, ut populetis illum post parte vestra; & fiat integrum* barrium *illum ad domum S. Mariæ & vestrum vestrisque successoribus.* Alia Philippi Pulchri R. Fr. pro Pariagio villæ Sarlatensis A. C. 1299. *Omnibus habitatoribus dictæ villæ &* barriorum *& ipsius parochiæ & aliis extra dictam villam & parochiam commorantibus* &c. Unde in urbe Claromontensi Galliæ, domorum hujusmodi series, intra S. Alarici suburbium, *les Barri de S. Alire* dicitur. In Provinciæ verò Comitatu *Barrium* vocant eum ædium numerum, qui muris includitur. V A ctores hanc in rem laudatos, Carolo du Fresne in *Glossario* Hinc *Barriani*, castri incolæ, qui in castri vel oppidi *barriis* mansionem habent, apud Eund.

Barro-ducum, adde : caput Ducatus, in quo 4. Conventus Juridici, Barrensis, S. Michaëlis, Claromontensis & Bassiniacensis.

Barrensis Conventus loca.

Barrum, caput Ducatus.	Petra Fixa *Pierrefite.*
Luppejum *Louppi.*	Solliacum *Souilly*, vel *Seully.*

Conventus S. Michaëlis loca.

Calciata *la Chauche.*	Mandræ ad 4. turres *Mandres aux quatre tours.*
Confluens *Couflen*, aliàs *Conflans au Jarvisi.*	S Michaëlis municipium, *S. Michel*, vel *S. Mihel.*
Dunum *Dun.*	Montio.
Fagum *Foug.*	
Longus Vicus *Longwy.*	Saranacum *Stenay.*

Claromontensis Conventus loca.

Clarus Mons in saltu Argonna, *Clermont en Argonne.*	Varennæ *Varennes.*
	Vienna castellum *Vienne le Chasteau* &c.

Loca Conventus Bassiniacensis.

Brunonis mons *Bourmont.*	Bassiniaco, *Conflans au Bassigni.*
Castellio *Chastellion.*	
Confluentes in Bassineio, vel	Marchia *la Marche.*
	Mota *la Motte.*

Quibus adjunxere Principes Barrenses Hattonis castrum *Haton Chastel*, Marchiam, Jamesium *James*, Asperum Montem *Aspremont*, aliaque loca.

Barrosa, nomen Familiæ in Hispania illustris, vulgò *Barroso*, Ex illa, in Toletana inprimis Urbe florente, oriundus Garsias Barrosius Dn. *de Parla*, pater fuit Petri Gomesii, qui ab uxore Aldoncia *de Ribera*, nomen & successionem *de Malpica* & *Valdipusa*, atque Marescallatum Castellæ, suæ domui intulit: In posteris, *Malpicæ Marchionum* axiomate quoque accedente. Iis namque genitus Payus, pater Francisci fuit, quo & Mariâ *de Figueroa* natus Petrus *March. de Malpica* creatus est: Cujus filius Franciscus, ex Johanna Henricia, suscepit Balthasarem Com. *de Navomoraz*, Catharinam (ux. Henrici *Davila & Guzman* M. *de Povar*) Marianam (ux. Friderici *de Roxas & Guzman*, Dn. *de Layos*, *Com. de Mora*) Mariam & Agnetem Moniales, qui hoc seculo floruere, Phil. Jac. Spenerus *Theatr. Nobil. Eur. Tom.2.*

Barsalium, adde : in *Tab.* Peutinger. videtur Salmasio urbs ea, quæ Καρκαθιόκερτα Ptolomæo dicitur, & ab eo in Armenia minore, in Præfectura Lavinianisene, collocatur : Πρὸς μὲν τῷ Εὐφράτῃ Κόρνα, Μέλιτα, Κλαυδία, ἐντὸς δὲ τούτων Καρκαθιόκερτα. *Ad Euphratem quidem Corne, Metita, Claudia, Barsalium* seu *Barsalis*, quod fortè corruptum ex Βαρσάλις. Certè alteratrum horum mendosè conceptum videtur. *Tabula* præfata, ubi de itinere à Melitene ad Samosata, sic habet : Melitenis *Corne XIIII. Metita XII. Claudia* XLVI. *Barsalium* VIII *Heba* XXX. *Charmodara* XII. *Samosata* V. Salmasium *ad Solinum pag.627*

Barscalci & *Parschalci*, in variis *Chartis* Germanicis, in *Metropoli* Salsburg. videntur dicti homines mediæ conditionis inter liberos & servos; vel etiam Baronum servi : à *Bar* vel *Baro*, i. homo liber; & *Schalck* i. servus. Sic *Mansi barscalci*, videntur esse colonorum liberorum, diversi à *mansis servorum*, seu qui à servis coluntur. V. Car. du Fresne *d. l.*

Viri celebres.

Bartholomæus Apostolus, adde : Ejus habitum describens Abdias Babylonicus, colobium ei album tribuit, & pallium, quod per singulos angulos singulas habuerit gemmas. Verba ejus hæc sunt *Histor. Apostolor. lib. 8. Vestitus colobio albo, clavato purpura: induitur pallio albo, habente per singulos angulos singulas gemmas.* Qui planè Γρεμμαδίων apud Judæos fuit habitus, nisi quòd ex singulis angulis non gemmæ, sed ῥοΐσκοι, id est, *globuli Punicorum malorum specie*, pendebant. Nam Γραμματεῖς & colobium clavatum & super colobium quadrangulum pallium accipiebant. A' quatuor istiusmodi angulis, quos Græci γωνίας item, πτέρυγας, dixere, *quadrangulus habitus* Pallium Tertulliano appellatur, *de Pallio*, V. Salmasium ibi.

Bartholomæus Brixiensis, Vincentii Castellionei discipulus, circa A. C. 1256. sub Alexandro IV. Pontif. Johannis Semecæ Germani *Glossis* ad Decretum Gratiani, quædam adjecit, errores ejus notavit, omissa supplevit, V. eum in *Decreti initio* Idem *Temporum rationem* scripsit, teste Caccialupo *de Modo stud.* V. quoque Raphaelem Volaterr. *Anthrop. lib.21.* & Vossium *de Histor. Latin. lib.2. cap 57.* Quæstiones porro diebus Dominicis & Veneris à se disputatas collegit, easque *Dominicales* & *Veneriales* appellavit; imitatus Pileum, qui, quæ Sabbati die disputaverat, *Sabbatinas* vocavit. Ab Alexandro præfato non contemnendis muneribus excultus, Patriarchæ Venetorum seu Gradensi quandoque adsedit &c. V. Joh. de Turrecremata in *c. Episcopus non flagitetur II. qu. I.* Pancirollum *de claris LL. Interp. lib. 3. capp. 3. & 4.* Simlerum in *Biblioth.* & Gerh. von Mastricht *Histor. Juris Eccles. pag. 364. 365.*

Bartietæ, Græcè Βαρτιῆται, in Arachosia recensentur Ptolomæo, quorum regio Bartietis, apud Plinium, *Amnis Erymandus præfluens* Bartietin *Arachosiorum*, *lib 6. cap. 23.* uti quidem legendum videtur Salmasio, quum vulgò *Parabesten* præferant editiones. Dicitur autem urbem vel regionem *præfluens* amnis, qui eam alluit. V. eum *ad Solinum pag 1175.*

Barytum, V. infrà Brathy.

Basaltes, nomen lapidis, apud Plinium *lib.36. cap. 7.* Græcè Βασανίτης, Ptolomæo, ubi oram Ægypti Arabicam recensens, variorum marmorum cautes, & lapicidinas simul enumerat. Salmasius *ad Solinum pag.558.* De eo sic habet Plinii locus : *Invenit eadem Ægyptus in Æthiopia, quem vocant* Basalten, *ferrei coloris atque duritiæ. Unde & nomen ei dedit Nunquam hic major repertus est, quàm in Templo Pacis ab Imperatore Vespasiano Augusto dicatus argumento Nili XVI. liberis circa ludentibus, per quos totidem cubiti summi incrementi augentis se amnis intelliguntur. Non absimilis ei narratur in Thebis delubro Serapis, ut putant, Memnonis statuæ dicatus: quem, quotidiano Solis ortu contactum radiis, crepare dicunt.* Eundem sic describit Strabo *lib.17. Nos Philas ex Syene plaustro venimus, per campum valde planum centum stadiorum. Per totam viam utrimque multis locis visebantur, quasi Hermæa, scopuli alti, rotundi, admodum politi, penè teretes, nigri ac duri lapidis, è quo mortaria fiunt* &c. Cujusmodi lapides, sed minutulos, repertiâ prope *Caillon*, arcem Archiep. Rothomagensis in Gallia, foris asperos, tuberosos, veluti oblitos luto & candicantes, intus gagate nigriores, refert Dalechampius *ad Plin. l. cit.* V. quoque infra in voce *Marmor.*

Bascatis, Græcè Βάσκατις, unum ex tribus fluminibus, quæ in Sogdiana memorantur Ptolomæo : unà cum Dymo: quod alterum eorum est, in tertium sc. Jaxartem influit. V. Salmasium ubi suprà, *pag. 791.*

Basclonia, regio, cujus caput Bajona. Ita enim Giraldus Cambrensis, qui circa A. C. 1200. floruit & sec. editionem Hiberniæ expugnatæ A.C. 1199. Regi Anglorum nuncupavit Johanni, *lib. de topogr. Hiberniæ part. 3 cap. 9. Urbs*, inquit, *Baonensis Guasconiæ terminus, & sub eodem dominio continetur : eadem quoque Basclonia caput est; unde Hibernienses provenerant*: id est, ex qua Basclenses vel Basclones pop. in Hiberniam migraverunt. Ait enim, *Basclenses de Hispaniarum partibus classe in Hiberniam invenisse, ibique habitavisse*, & Basclensium Hiberniensium corpora, vestes, armaturam moresque describit. Cùm igitur hic Auctor Baonam seu Bajonam Vasconiæ terminum vocat, & Vasconiâ Gallica, Anglicæ tum ditionis, contineri asserit, ac nihilominus eandem *caput Basclonia* appellat, indigitare videtur, Bajonam finem fuisse Vasconiæ Gallicæ, & initium *Basclonia* vel Viscajæ Hispanicæ, ex qua Basclenses in Hiberniam migraverunt. Hugo, Chronici Vizeliacensis auctor, qui circa A.C. 1160. scripsit, *Basloniam* quoque vocat & Gasconiæ ac Navarræ interponit mediam: ut & Rogerius Hovedenus; ita ut ambo videantur *Basclonian* & *Basclos* suos, non minùs quàm Navarrenses ac Navarram, Hispaniæ adscribere. Guibertus Abbas Novigenti *in Hist. Hierosolym.* à Gasconia *Basconiam* distinguit: eâdem ratione Gesta Dominorum Ambacensium, circa A.C. 1160. *Vascos*, Vasconum & Navarrorum medios faciunt, ac à Carolo M. domitos esse produnt. Valesio *Bascones*, fuere pars Vasconum Pyrenæo propiorum: Vascones enim linguâ suâ mutati in *Bascones*, sicut Vasates in Basates, vivere in bibere, Viscaja in Biscayam, Leuva in Leubam & Liubam, Vesontio in *Besanson*, mutata. Additâ dein literâ *l* vel potius insertâ dixere etiam *Basclones*, ut indicat nomen *Basclonia*; & *Basclenses* & *Basclos*, nec non *Vascos*. Eosdem *Vascunios*, *Vasclos* item vel *Bascos* ante an. C. 1200. dici cœpisse ait Oihenartus Vasco, ut in Concilio Lateranensi A. C. 1179. habito. Hispani eos *Vascos* vocant, Galli *Basques* & *Biscains*. Longa est hæc Vascorum regio vel *Basconia*, vulgò *le pays des Basques*, 50. m. p. lata 24. dividiturque tripartitò, in pagum Lapurdensem, vel Bajonensem, inferiorem Navarram & Subolam vallem: è quibus pagus Lapurdensis Episcopo Bajonensi paret; Navarræ inferioris citeriorisve pars eidem, pars Aquensi Antistiti : Subola verò Elloronensi. V. Hadr. Valesium *Not. Galliæ* in voce *Lapurdum.* Cœterùm incolæ latrociniis infames, apud Robertum de Monte *A. C. 1179. Quidam Bascli & Navarrenses & Brebenzones venerunt ad urbem Burdegalensem, & illam vastaverunt*, & in *Chronico* S. Stephani Lemovic. *A. C. 1204. Johannes Epis. Lemovicensis — obsedit Nobiliacum, in quo se incluserant quamplures* Bascli *& ruptarii, qui populum & terram vastabant.* Ubi prædones sic dicti sunt, ex Vasconia, cujus incolæ *Basques*, id est, *Vascones* appellati, ut diximus. *Basculi* apud Turpinum *cap.7.* Hinc *Basclones*, qui iidem cum *Basclis*, in Synodo Avenionensi A. C. 1209. *cap.7.* perinde, ac Hæretici, cum Aragonibus, Barbanzonibus, cœterisque ruptariis & raptoribus excommunicantur: quod antè etjam statuerat Alexander III. in Concilio Lateran. *cap 27.* ut apud du Fresne videre est.

Basaxs, Philosophus Brachmanus, in India, celebris, cujus *Apophthegmatum opus*, circa errorem illius Sectæ generalem, quo dicunt, *Materiam primam & omnia creata esse idem cum Deo*, inter alia hodiernæ Indorum Philosophiæ monumenta *MSS.* asservatur in Bibliotheca Kircheriana Romæ, uti videre est, apud Georgium de Sepibus *in Collegii Rom. S. I. Musæo pag.65.*

Basia juvenum & puellarum, in *Charta* Communiæ S. Johannis Angeriac. *A. C.* 1204. *concedimus etiam hæredibusque eorum, ut ad libitum*

Ubitum suum puellas & viduas suas nuptui tradere, & juvenes uxorare, & Basia juvenum & puellarum semper habere sine aliqua contradictione liberè liceat, apud Car. du Fresne in *Glossar.* inter Sponsalium olim fuere ritus. Unde *osculum*, donatio propter nuptias, quam solebat Sponsus Sponsæ *interveniente osculo* dare, in *l. 5. Cod. Th. de Sponsal.* nam, ut est in *Novella* Alexii omneni *eod. tit.* & apud Matthæum Monachum *Juris Græco-Rom. lib. 8. pag.* 8.. Sponsalia peragi consuevere, μετὰ τοῦ ἀρραβῶνος καὶ τοῦ φιλήματος, *arrhabone & osculo.* V. infrà, in voce *Osculum.*

Basia jactare, apud Phædrum,

—— *Jactat basia tibicen*,

est *populum adorare.* Manum enim osculantes, dein eam porrigebant ad eos, quorum honori ac venerationi dabatur illud osculum: sicque protensione manus, quam priùs erant osculati, quodammodo osculum ipsum porrigere & jactare ad eos videbantur, quibus id honoris deferebant. Quod Juvenalis ostendit, cùm ait,

A facie jactare manus, laudare paratus,
Si bene ructavit.

Qui namque à facie jactat manus, is utique manu faciem priùs tangit, quàm eam jactet, h. e. manum ad os refert, deinde eam jactat & porrigit, postquam illam est osculatus. Quod probè notandum contra Lipsium, qui in *Electis*, ubi fusè de hoc ritu, adorantes manum priùs porrigere, deinde statim ad os referre solitos, scribit. *Oscula jacere* vocat Tacitus *Histor. lib.* 1. *Nec deerat Otho protendens manus, adorare vulgum, jacere oscula, & omnia serviliter pro dominatione.* Idem *manu venerari*, de Nerone cantante: *Postremo genu flexus, & cætum illum manu veneratus est.* Histrionem nempe ille verum agebat, cujusmodi hominum mos erat, ut populum scenam ingressi adorarent. Vetus Epigr.

Ingressus scenam populum saltator adorat.

Sic Aurigæ flagello populum venerabantur: cùm enim dextram manum in adorando ad os referrent, aurigæ, qui dextrâ flagellum tenebant, flagellum ipsum osculabantur sicque adorabant, quod προσκυνεῖν τῇ μάστιγι vocat Dio, ubide aurigationibus Caracallæ Imp. &c. V. infrà in voce *Labratum*, item ubi de *Osculo.*

Basiani, Hæretici, de quibus Facundus Hermianensis *lib. 8. cap.* 7. ubi vide Sirmondum.

Basileus, apud Ingulfum, *Totius occidui climatis orbis terræ Basileus*: Rex est, ex Græco Βασιλεὺς, sicut ex Ἀντιγραφεὺς, *Antigrapheus* fecere recentiores Latini, uti suprà vidimus. Et quidem vett. inprimis Angliæ Reges, sic præ cœteris appellari amavere. Hinc Edgarus, qui in *Chartæ*, quæ habetur *Monastici Anglic. Tom. I. pag.* 65. initio *se Magnæ Britanniæ præsidere* ait: eam hisce verbis claudit, *Ego Edgar, totius Albionis* Basileus — *confirmavi.* Sic passim & alii *Ibid.* ut & apud Florentium Wigorn. Willhelmum Malmesbur. Rogerum Hovedenum, &c. Cummeneus Albus in *Vita* S. Columbæ Abb. Hyensis *cap.* 25. *totius Britanniæ Imperatorem* interpretatur. Non enim simpliciter Regem, sed eum, qui cœteris potentia & dignitate antistaret, voce hac intellectum voluere. Quam ob caussam *Basilei* seu Βασιλέως titulum sibi soli competere persuasum habuere Impp. Byzantini, cœteros Ῥῆγας solùm, h. e. *Reges* appellantes. *Gesta* Innocentii III. *pag.* 117. de Joannicio Bulgariæ R. *Ipse præterea coronam Regni legitimè receperat à Pontifice: Sed ipse, qui se appellabat Constantinopolitanum* Basilea, *coronam Imperii temerè usurpaverat à se ipso* &c. Hunc tamen Bulgarorum Regi detulere, quem Βασιλέα dicebant, cujus etiam Legatos cœterarum gentium Legatis præponebant, ut est apud Luith, randum in *Legat.* ubi meminit *Petri Bulgarorum Vasileni*, V. Scylitzen *pag* 623. Sed & Carolo M. eundem tribuerunt Legati Nicephori Imp. A. C. 812. *Annales* Franc. *More suo laudes illi dixerunt, Imperatorem eum & Basileum appellantes.* Postmodum verò appellationem hanc Caroli successoribus iidem Impp. inviderunt: unde lepidam hac de re expostulationem, quam Ludovicus II. Imp. adversùs Basilium Macedonem instituit, legas in ejus *Epistola*, quam descripsit Baronius *A. C.* 87. *num.* 57. V. quæ hanc in rem adnotavit Car. du Fresne in *Glossar. Notis ad Alexiadem pag.* 236. & *ad Joinvillam pag.* 316. Hinc *Basilissa*, i. Imperatrix, quo nomine Angliæ Reginam compellat Monachus quidam in *Epist.* præfixa *Glossario* Ælfrici, ob rationem suprà dictam, &c. Quod autem vox *Basileus* recentiori ævo per excellentiam denotaverit Principem cœteris superiorem, inde ortum videtur quia Persarum olim Rex, qui reliquos omnes sui temporis auctoritate ac potentiâ antecibat, non nisi Βασιλεὺς, sine alia adjectione, à Comicis & omnibus tum Scriptoribus Græcis, appellari consuevit. Antiphanes

Νυνὶ γὰρ τὸ σπέρμα τοῦτ' ἀφιγμένον
Εἰς τὰς Ἀθήνας ἐστὶ παρὰ τοῦ Βασιλέως.
Nuper enim semen hoc advectum
Athenas est, à Rege:

Subint. Persarum. Unde *Basilicæ nuces*, Persicæ dictæ, uti mox videbimus &c. Post eversam verò Persarum Monarchiam, Ægypti Regibus idem titulus à Græcis eadem ratione tributus est, unde Ægyptiam spinam, ἄκανθαν Βασιλικὴν, vocat Theophrastus *de Causis lib.* 1. *cap.* 10. uti adnotavit Salmasius *ad Solinum pag.* 1291 quem vide. Atque hinc Βασιλικὸν, pro *magno* ac *grandi* passim &c.

Basilia, Gr. Βασιλειῶν, libri Regum. Tertullianus *adv. Marcionem, Habes*, inquit, *tertium Basiliarum*, apud Dominicum Macrum in *Hierolexico.*

Basilica, adde: Græcè Βασιλικὴ, i. Regia: qui locus primitus juri dicendo apud Rom. inserviit. Seneca *de Ira lib* 3. *cap* 33. *Fremitu judiciorum* Basilicæ *resonant.* Et Plinius Jun. *lib.* 6. *Epist.* 33. *Sedebant Judices centum & octoginta, ingens utrinque Advocatorum & astantium corona, latissimum judicium multiplici circulo ambibat. Ad hoc stipatum tribunal, atque etiam ex superiore* Basilicæ *parte, quâ feminæ, quâ viri, & audiendi, quod erat difficile, & visendi studio, imminebant.* Postea cùm à Senatoribus qui ibi deliberatum veniebant, vel à Judicibus, qui ibi omnis generis caussas cognoscere, vel ab hominibus peritis, qui clientibus inibi de jure respondere solebant, locus vacaret, Mercatores ibidem ac Nummularii sua tractare cœperunt negotia: Hinc *Basilica Argentariorum* in 8. urbis reg. meminit P. Victor. Cinctæ autem erant *Basilicæ* porticibus concameratis ex coaxatis contignationibus, immissis in parastatas columnis aut pilis adjunctis; supra quam contignationem altera fuit & superior porticus, cujus tectum testudinatum aliis postibus, parastatis & arctariis sustinebatur. Medium spatium & quasi superior porticus, *Pluteus* vocabatur, qui inter utrumque latus per intercolumnia peristyliorum liberum habebat prospectum. Parastatæ verò dupli erant ad latitudinem porticus, sicut & columnæ perpetuo scaporum ductu ad *Basilicæ* latitudinem. Vitruvius illas sic ædificari solitas esse memorat, ut in una parte judicia, in altera negotia exerceri possent. Earum 19. in urbe fuisse, scribit P. Victor *lib. de urbe Roma*: 21. verò, Onuphrius Panvinius. In his ergo Centumvirorum quatuor tribunalia erant, quorum Plinius *in Epist.* sæpe meminit. Præcipuæ verò olim tres fuere, *Pauli, Porcia & Julia*, præter quas *Basilicæ Alexandrina*, quam Romæ, inter Campum Martium & septa Agrippiana, inchoaverit Alexander Severus Imp. meminit Lampridius: *Basilicæ Neptuni*, ab Hadriano consecratæ Æl. Spartianus: *Basilica in Plotinæ honorem*, apud Nemausum, opere mirabili extructæ, ab eodem Imperatore, idem Auctor &c. quam postremam *Templum* vocat Dio: quemadmodum Basilicam Juliam, *Julia Templa* vocat Papinius Statius *lib.* 1. *Sylv.* 1. *versu* 29.

At laterum passus hinc Julia Templa tuentur,
Illinc belligeri sublimis Regia Pauli.

Uti rectè contra Domitium censet Ptolomæus Flavius *Collectaneorum cap.* 63. apud Barthium *Animadversion. ad Statium* &c. V. quoq; B. Marlianum *Topograph. Urbis lib.* 3. *cap.* 1. Justum Ryckium *de Capitolio cap.* 7. Alexandrum Alexandrium *lib.* 3. *cap.* 6. Petrum Gillium *Topogr. CPolis lib* 2. *cap.* 18. Alios. Inde itaque Fana; quæ tandem in Templa Christiani converterunt. Isidorus *Origin. lib.* 5 *Basilicæ priùs vocabantur Regum habitacula — nunc autem ideo* Basilicæ *divina Templa nominantur, quia ibi Regi omnium Deo cultus & sacrificia offeruntur.* Ausonius *in Gratiar. act. pro Consul.* Basilicæ *olim negotiis plena, nunc votis pro tua salute susceptis* &c. Quòd enim nonnulli Basilicas appellari ædes nondum consecratas volunt, alii non admittunt. Romæ hodie *Basilica Lateranensis* seu *Salvatoris*, celebris est, quæ à conditore *Constantiniana*, præter excellentem structuram, & ornamenta, *Aurea Basilica* dici consuevit, V. Gregorium M. *lib.* 2. *Epistol. in Præf.* Anastasium *in Sylvestro*, Panvinium, alios. Præter quam tres aliæ sunt in eadem Urbe præcipuæ, Vaticana, quæ *Basilica Major* dicitur; S. Pauli, & S. Mariæ Majoris, V. Car. du Fresne *Glossar.* & Macrum *in Hierolexico* &c. Hinc *Basilicarius* vel *Basilicarius*, in *Gloss.* Lat. Gr. μαλλακὸς, ἀγοραῖος, vitilitigator, *qui fora frequentat*, V. Casaubonum *ad Theophr. Characteres pag.* 176. Item Clericus, qui in *Basilica*, seu æde Sacra, Papæ, Episcopo, aut Sacerdoti sacra obeunti ministrat, apud Isidorum Hispal. *Epist.* ad Ludefredum Episc. Cordub. in *Ceremoniali* Cencii Camer. apud Baronium A. C. 1191. &c. Inidem *Subbasilicani*, qui ibi versabantur, Plauto &c. Plura de *Basilicis Romanis* V. apud Joh. Rosinum *Antiqq. Rom.* Sigonium *de Judiciis lib.* 1. *cap* 28 Alios. De *Basilicarum* verò apud Veteres Christianos structura, accuratè agit Salmasius *ad Solinum pag.* 12 2. & *seqq.* ubi ad Pauli Silentiarii Ἔκφρασιν Templi S. Sophiæ pluribus commentatus: inter alia, non Sacrarium modò, sed & reliquum *Basilicæ* seu Templi ædificium cameratum sive apsidatum fuisse primitus docet. Hoc tamen discrimine, quòd Sacrarii culmen concham haberet, i. camera esset conchæ formam referens: cœtera Basilica camerata & ipsa, sed specie semicylindri, fornice nempe oblongâ, quam ἡμικύλινδρον Plato vocat *de Legg. lib* 12. Præterea, cœtera Basilicæ camera laqueata erat, i. tabulis subtecta. At concha Sacrarii ex lapide structo fiebat. Denique concha Sacrarii sinuosa, utpote tribus sinubus, quasi totidem cameris constans. Camera vero Basilicæ recta & oblonga ad instar cylindri dimidiati, vel internodii arundinis fissæ, vel carinæ navis; aut lintris monoxyli, quales etiam fiebant ex internodio uno Indicæ harundinis fissæ:

fissæ: Unde hodieque *Navem* Galli appellant eam templi partem, à culminis figura. Postea verò *Apsis* de Sacrario solo dici cœpit, ut suprà videre est. Ibidem habes de *Basilicarum* partibus, *Narthece*, *Propylæo*, *Templi Navi*, *Sacrario* seu *Adyto*, *Conchâ*, quâ illud tegebatur, aliisque, ut & de origine *Basilicarum* ac dedicandi ritu, apud Joann. Seldenum *de Synedriis Vett. Hebræorum lib. III. cap.* 15. §. 2. de quibus hic etiam passim dicemus.

Basilica, libri sunt, quibus continentur *LL.* ab Impp. promulgatæ, vel compositæ, quique hodie extant Græcè scripti, unde Juri Civili magna lux. De his ita Vigil. Zuichemus *Præfat. ad Theoph. Gadd. ad rubr. de verbor. signif. num.* 31. *Hi libri ad illustrandum & interpretandum valde conducunt: non ad emendandum & interpolandum jura nostra: non ad decidendum, quia auctoritate publicâ, qua sola jus facit, in hoc Occidentali Imperio carent.* V. Joh. Calvinum *Lexic. Jurid.* Græcè Βασιλικά, vulgò ἑξηκοντάβιβλος, quòd eorum sint 60. in sectiones sex divisi. Auctor eorum Leo Philosophus est, ut Harmenopulus scribit & Theodorus Balsamo in versibus Heroic. testatur: qui tamen adjungit Leoni Photium, quòd eodem tempore hic Canonibus, ille Legibus digerendis operam impenderet. Occasionem Leoni pater ejus Basilius Macedo præbuit, qui cum filiis Constantino & Leone hoc jam antè ediderat Πρόχειρον titulis 60. distinctum. Eum itaque consequutus filius Leo Βασιλικῶν postea libros 60. promulgavit &c. V. Cujacium *Observat. lib.* 6. *cap.* 9.

Basilica Spina, Græcè Ἄκανθα Βασιλική, ut eam Theophrastus vocat, *Regia* dicitur Plinio, cui illa cum Spina Babylonica, de qua suprà dictum, eadem est, *lib.* 13. *cap.* 24. *Non omittendum est, & quod Babylone seritur in spinis, quoniam non alibi vivit, sicut & viscum in arboribus. Sed illud in Spina tantùm, quæ Regia vocatur* &c. Nempe Plinium movit, quòd Attici cæterique olim Græci Βασιλικὸν de Regibus tantùm Persiæ dicerent. Sed cùm longè ante Plinii ætatem Βασιλικὸν & Βασιλεὺς de Regibus Ægypti etiam Græci propriè usurparint, non minus Spina Ægyptia hoc nomine venire posset. Certè Theophrastus, qui mentionem *Basilicæ Spinæ* facit, *de Causis lib.* 1. *cap.* 10. Spinam Babylonicam ab ea distinguit, uti docet Salmasius *ad Solinum pag.* 1290.

Basilicæ, ædiculæ quædam, quas Franci vett. Magnatum tumulis imponebant, dictæ sunt, quod formam *Basilicarum* seu Ædium sacrarum, referrent. Aliorum enim inferioris conditionis hominum sepulchris aut *tumba* tantùm, aut *porticulus* superextruebatur, ut colligit du Fresne ex *L.* Salic. tit. 58. §. 3. 4. & 5. ubi, qui *tumbam*, aut *porticulum super hominem mortuum expoliaverit — solidis* 15. *Si quis verò* Basilicam *super hominem mortuum expoliaverit,* 30. *solidis culpabilis judicatur.* Ligneas eas fuisse, adeoque incendio obnoxias, discas, Ibid. *tit.* 71. ubi agitur de mulcta illius, qui *Basilicam voluntario ordine aut fortasse per negligentiam incenderit.* Car. du Fresne, *Glossar.*

Basilicæ Martyrum & *Angelorum*, aliquoties memorantur Veteribus. Appellabant autem illi *Basilicas Martyrum*, Ædes Deo extructas ejusque cultui unicè dicatas, in Martyrum locis, in quibus aut passi sunt, ut aliquod eorum extaret monimentum, ut in illis sacris domibus Deum O. M. religiosè colerent & invocarent, eique de Martyrum victoria gratias agerent, ac divinum ejusdem implorarent auxilium, quò & ipsi suffulti ad imitationem talium coronarum atque palmarum corroborarentur, seque invicem ad eam imitationem, ex Martyrum memoriæ renovatione adhortarentur, V. Augustinum *de Civ. Dei lib.* 8. *cap.* 29. *Angelorum* verò *Basilicæ*, solebant extrui, in locis, in quibus Angeli apparuerunt, aut aliquid egregium gesserunt. Tum enim ibi, in honorem Dei Ædes sacræ extruebantur, in quibus illi agebantur gratiæ, pro tam conspicuo favoris sui signo, isque unicè implorabatur, ut porro Angelis suis *in ministerium nostri* uti dignetur, ad quod eos constitutos esse Apostolus ait Hebræorum *cap.* 1. *versu ult.* Utrisque nomina quandoque Martyrum, Angelorumque propterea indita, uti docet Joann. Forbesius *Instructionum Historico-Theologic. lib. VII. cap.* 2. §. 15. Postea verò in *Basilicis* hujusmodi aliò spectari cœpisse, discimus ex Rob. Bellarmino *lib. de Cultu SS. cap.* 4. ubi inter *Basilicam* & *Templum* distinguens, Templum quidem Deo tribuit, respectu sacrificii, eandem verò ædem, Angelo aut Sancto consecratam, ait, ut Basilicam, in honorem & cultum eorum: in quibus tum Deus, tum ipsi invocentur, iisque vota nuncupentur & preces, laudesque ac hymni ei offerantur. Qua de re V. Forbesium *ibid.*

Basilicæ Nuces, Græcis Βασιλικὰ κάρυα, & absolutè Βασιλικά, optimæ juglandes Plinio dictæ sunt, quas *mollusças nuces*, à mollioni putamine, quoque Veteres appellavere. Rationem nominis aperit Suevius apud Macrobium his versibus,

> *Admiscet baccam è* Basilicis: *hæc nunc partim,*
> *Partim Persica: quod nomen sic denique fertur,*
> *Propterea quòd qui quondam cum Rege potenti*
> *Nomine Alexandro Magno fera prælia belli*
> *In Persas tetulere, suo post inde reventu*
> *Hoc genus arboris in prælatis finibus Grajis*
> *Disseruere novos fructus mortalibus dantes.*
> *Mollusca hæc nux, ne quis fortè inscius erret.*

De Hortulano loquitur, faciente Moretum, qui inter alia eò mittit & admiscet baccam, id est, nucleum è *Basilicis* nucibus. Nempe quòd hæ nuces è Perside primitus allatæ essent, Βασιλικῶν nomen habuere, quoniam Persarum Reges per excellentiam olim Βασιλεῖς dicti, ut suprà ostendimus, in voce *Basileus*. Unde de iisdem Plinius, *lib.* 15. *cap.* 22. *Et has è Perside Regibus translatas indicio sunt Græca nomina: optimum quippe genus earum Persicum atque* Basilicon *vocant, & hæc fuere prima nomina.* Ubi *Persicum* & *Basilicum* synonyma facit. Quemadmodum & Dioscorides, Κάρυα Βασιλικὰ ἃ ἔνιοι Περσικὰ καλοῦσι, *Nuces Basilicæ, quas alii Persicas vocant* &c. At Græci Scriptores omnes Persicas nuces à Juglandibus separant; certè quam Latini *juglandem* appellant, Græcis est Διὸς βάλανος. Dixere autem Διὸς βαλάνους Græci, è castanearum genere, quæ sativæ essent, ut idem Plinius docet *lib.* 15. *cap.* 24. Qua de Latinorum Græcorumque diversitate, V. Salmasium *ad Solinum pag.* 598. & *seqq.* Adde, quæ infrà dicemus, in voce *Juglans*. Plinii locus *de Basilicis* porrò sic habet, *Solum hoc pomum natura compactili operimento clausit. Namque sunt bifidæ putaminum carinæ, nucleorumque illis quadripartita distinctio, lignea intercursante membranâ.* Ita Theophrastus Heracleoticarum seu Ponticarum nucum, h. e. avellanarum solidum ac densum putamen esse, *Causar. lib.* 3. *cap.* 1. ait, at *Basilicarum* μονόλοπον τὸ κέλυφος καὶ ἅμα συμφυές. Et διαφυὰς illas habere, quod nec de minuta nuce, quam λεπτοκάρυον Græci vocant, nec de castanea, dici potest, habes apud Pollucem. Quare auctorem Glossarii vet. *calvam nucem*, quæ è genere est τῶν λεπτοκαρύων, interpretantem Κάρυον Βασιλικὸν, idem Salmasius refellit *d. l. pag.* 603.

Basilicaris, dicta olim una ex portis Urbis Remensis, in Gallia; hodie *la Porte Bazée*. Auctor *Vitæ* S. Guntberti Martyr. *num.* 3. *Quæ* (porta) *Collectitia antea vocabatur, scilicet à conferendis mercibus; nunc autem* Basilicaris *dicitur, eo quod circa se basilicis dudum præ cæteris portis abundasse feratur, sive quod cunctibus ad Basilicas in vico almi Remigii consistenter pervia fuerit*, apud Car. du Fresne *d. l.*

Basilici, Græcis Βασιλικοὶ, iidem qui *Mandatores*, quorum erat Imperatorum mandata perferre. In Concilio VIII. Act. 1. ex versione Anastasii, *Ego ille Basilicos — subscripsi.* Ubi Anastasius, sed sine ratione, *Basilicos Græcè dicitur Imperialis natura aut Exspatharii Imperialis, aut alterius dignitatis. Imperiales homines fuerunt, qui rogati testimonii sui scripto & adstipulatione chirographâ sigillatim roboraverunt.* Eosdem enim cum *Mandatoribus* hos Βασιλικοὺς fuisse, discimus ex VII. Syn. *Act.* 1. ubi unus idemque, modò Βασιλικὸς ἀσηκρῆτις, modò Βασιλικὸς Μανδάτωρ, appellatur. In *Vita* S. Nili Jun. Βασιλικὸς idem est, qui Κριτὴς seu *Judex*, apud eundem du Fresne *Glossar.*

Basilicus jactus, in ludo tesserarum fortunatissimus, idem cum Venere secundùm Lipsium *Antiqq. Lect. lib.* 3. *cap.* 1. quod colligit ille, cum Plauto Horatium conferendo; Qui ambo cùm vetusti meminerunt moris, quo per tesserarum ludum Modimperator, seu convivii Dictator, eligi solebat, hic quidem inquit:

> *Venus arbitrium —*
> *Dicet bibendi.*

Ille verò,

> *Jacto Basilicum, propino magnum poculum.*

Adde quòd Modimperator hoc jactu creatus non solùm Συμποσίαρχος, verùm etiam Βασιλεὺς seu *Rex convivii* Græcis dictus est. Consurgebat autem *Basilicus* seu Venus, ex talis quatuor jactatis, ubi diversam omnes ostendissent faciem, Cœl. Rhodiginus *lib.* 20. *cap.* 27. seu cùm nullus eodem vultu stabat talus, uti loquitur Turnebus *Adversar. lib.* 5. *cap.* 6.

Basilides Alexandrinus, adde: Obtegendæ dogmatum suorum pravitati, mysteriorum arcanè habendorum prætextu, ut & alii Hæretici, non incommodè abutebatur. Ita enim Epiphanius de illo *Hær* 24. *Sed & idem Circulator; Nos, inquit, sumus homines, alii verò omnes sues & canes, & ob id dixit:* Ne projiciatis margaritas ante porcos, neque date sanctum canibus. *Occultas namque suam injustitiam ab his, qui mente præditi sunt, revelat autem ipsius Schola his, qui ab ipso decepti sunt*, &c. Et Epiphanio antiquior Irenæus *lib. I. cap.* 23. *Basilidianos* decrevisse refert, *Non oportere omnino ipsorum mysteria effari, sed in absconditis continere per silentium.* Eosdem *non esse alias peccatorum pœnas, nisi transcorporationes animorum post mortem*, statuisse, auctor est Origines *c. Celsum*, item *in Matthæum cap.* 28.

Basilidiani Hæretici, à *Basilide* præfato nomen adepti, Sacro-Sancto Dei nomine tetragrammato inter alia gravissimè abusi, multa in illo mysteria jactabant se reperire, quæ tamen clam habebant & involucro septem vocalium Græcarum ΑΕΗΙΟΥΩ, variè inter se permutatarum & decies repetitarum, tenebant involuta; uti docet ex quinque *Inscriptionibus* Græcis, quæ hodieque Mileti, vulgò *Palatcha* extant, Jac. Sponius, Earum omnium, excepto nomine præfato, quod quinquies in fronte totidem modis variatum extat, idem tenor:

ΑΓΙΕ
ΦΥΛΑΞΟΝ
ΤΗΝ ΠΟΛΙΝ
ΜΙΛΗΣΙΩΝ

ΚΑΙ ΠΑΝΤΑϹ
ΤΟΥϹ ΚΑΤΟΙ
ΚΟΥΝΤΑϹ.

Hoc est, *Jehova sancte conserva urbem Miletum, & omnes incolentes eam.* Infrà scriptum est,

ΑΡΧΑΓΓΕΛΟΙ ΦΥΛΑϹϹΕΤΑΙ
Η ΠΟΛΙϹ ΜΙΛΗϹΙωΝ
ΚΑΙ ΠΑΝΤΕϹ ΟΙΚΑΤ.

Id est, *ô Archangeli, sit salva urbs Miletum & omnes incolæ ejus.* Quam *Talismanis*, ut vocant, speciem esse, idem non sine ratione suspicatur, Vide in hac voce, ut & infra ubi de *Consecratione.* Iidem porro Hæretici Deum suum *Abraxas* vocabant, eumque modò sub Jovis, modò sub Anubis, modo sub monstri, cui gallinacei caput & serpentum pedes, effingebant, addito nomine ΑΒΡΑΞΑΣ, de quo vide suo loco, ut & eruditum Chifletii Tractatum. Sed & insignem amethystum ex Oriente Thuanus attulit, cui ab iisdem insculpta Michaelis Archangeli figura, ad eum fere modum, quo Mercurium suum Gentiles effigiabant, cum Græcis characteribus quamplurimis, quos eruditè exponit, iconemque exhibet prædictus Sponius *Itinerar. Part. 3. pag. 152. & seqq.* Vide quoque infra ubi de Archangelo *Michaele.*

Basilinda, Jul. Polluci in *Onomastico lib. 9.* lusus fuit Græcorum, quo per sortem Rex & Minister electus, ille huic laboriosi quiddam injungebat, V. *l. fin. Cod. de alea, lib. 2. Pareg. in verbo, Lusum aleæ* Alciat. Prætereà apud Joh. Calvinum *Lexic. Jurid.*

Basiliscus, Gr. Βασιλίσκος, Lat. *Regulus*, Chaldæis הורמן *hurman*, Hebræis צפע *tsepha*, vel צפעני *tsiphoni*, Proverb. 23. *vers. 32.* & Esajæ *cap. 11. vers. 8.* ab ipso horrendo sono, sibiloque, quo reliqua animalia vel fugat vel interficit, serpentis genus est nocentissimi, cui unam spithamam longitudinis Arabes tribuunt. Quibus consona tradit Nicander *Theriac. versu 398.*

Ξανθὸς, ἐπὶ τρία δῶρα Φέρων μῆκός τε ϰ' ἰθύν.

Flavus est, ad tres palmas habens longitudinem & impetum: minores nempe, qui majorem unum faciunt, *i. σπιθαμὴν*; sunt enim 4. digitorum singuli, &c. Sibilo idem fugare solum, *ibid.* ut & Plinius ac Solinus: sed qui sequuntur etiam necare tradunt, Galenus *cap. 8. ad Pison.* Aëtius, Damir, Avicenna, Isidorus. Flatu adurere ei proprium tribuit Horus, *Hieroglyph. lib 1. cap. 1. & lib. 2. cap. 57.* præter Ælianum, aliosque. In Ægypto, vicinisque Libya & Cyrenaica frequens, teste Ammiano *lib. 22.* Plinio *lib. 8. cap. 21.* Solino, Æliano *lib. 3. cap. 31.* Ægyptiis Οὐραῖος dictus est (ut hodieque ὄφιν serpentem quemvis vocant) qui Deorum capitibus imaginem ejus ex auro circumponebant, utpote regium nomen habentis & diademate insignis. Iidem in Symbolis *sycophantam* per eum designabant, utpote afflatu perimentem solo, & *ævum*, ejusdem serpentis imagine, caudam sub reliquo corpore abscondentis, Vide Horum ubi supra & *lib. 2. cap. 57.* &c. Cum *Basilisco* Ezechiam Regem conferri legas Esajæ, *cap. 14. versu 29.* quam in rem apud Ecclesiasticos Scriptores multa. Sed nil novi Regem potentem per serpentem adumbrari, V. Ælianum *Hist. lib. 4. cap. 38.* & Horum *lib. 1. cap. 56.* Et in omni serpentum genere, *Basiliscus*, maximè Regis figura est. Id enim Arabico *Melecha*, Græco Βασιλίσκος & Latino *Reguli* nomine significatur. Nempe illum ἑρπυστῶν Βασιλῆα, *reptilium Regem*, vocat Nicander, *Theriacon vers 397.* Auctoresque varii ipsum *mitratum*, *cristatum* vel *diadematum* esse scribunt. Adde, quòd *celsius & erectius in medio incedat*, Plin. quasi hoc sit insigne Regni, ut Persarum Regibus τὴν τιάραν ὀρθὴν ἔχειν. Sed & eidem, quamlibet parvo, cedit omne reptilium genus, tanquam pro Rege eum agnoscens: illa enim sibilo fugat, ut diximus, &, juxta Lucanum *lib. 9.*

—— —— *Latè sibi submovet omne*
Vulgus, ac in vacua regnat Basiliscus *arenâ.*

Quia omnium sui generis vivacissimum animal est, & quia quodvis aliud solo perimit flatu, videtur ζωῆς ϰ' θανάτου ἐξουσίαν, *habere jus vitæ & necis*; Deorum proin apud Ægyptios capitibus insertum, uti vidimus, &c. Vide Sam. Bochartum *Hierozoici Part. poster. lib. III. capp. 9. & 10.* Ad fugandas aves araneasque Vett. usos esse, docet Solinus *cap. 27.* *Basilisci reliquias amplo sestertio Pergameni compararerunt. Ut ædem Apellis manu insignem, nec araneæ intexerent, nec alites involarent, cadaver ejus, reticulo aureo suspensum, ibidem locarunt.* Ubi *manum Apellis*, pro *pictura Apellis*, magno impendio Pergamenis emptâ, positum esse, notat Salmasius *Exercitat. Plinian. ad eum, pag. 372.*

Basilissa, titulus Angliæ Reginæ olim tributus, Vide suprà in voce *Basileus.*

Basilissene, Græcè Βασιλισσηνὴ apud Ptolomæum regio Armeniæ maj. Septentrionalior, incipientibus ab Occidente; eadem fortè cum Xerxene, de qua suo loco. Certè situs convenit, nec nomen abludit; Illa à *Rege* vel *Regina*, hæc à Xerxe. Et quidem Ptolomæus ad Parvadrem montem Armeniæ Major. collocat regiones Sibacenen & Sacapenen: deinde sub his, quæ maximè Septentriona es, *Basilissenen*, & Bolbenen. Vide Salmasium *ad Solinum pag. 624.* & in voce *Basilisene.*

Viri celebres

Basilius Cæsariensis, adde. Cognomentum *Magni* tulit, fuit, qui natus in Helenoponto, Pontioppido, è nobilibus parentibus, *Basilio* viz. qui deinceps electus est Episcopus, & Eumelia, quæ Gr. concinnitatem significat, Possevin. Cappadox aliis. *Oculus orbis* Canisio: *Universi orbis lumen*, Damasceno: *Os Ecclesiæ* Nysseno. Ad eum S. Ephrem, *Instar Petri*, inquit, *prædicasti, instar Pauli docuisti, instar Thomæ filium Dei confessus es, instar Matthæi, Marci, Lucæ, Johannis de rebus divinis disseruisti.* Opera ejus, cum notis Frontonis Ducæi & Andreæ Schotti prodierunt fol. Coloniæ A. C. 1617. Lat. Gr. fol. 3. Vol. Parisiis A. C. 1618. 1638. &c.

Basilius, Seleuciæ, adde: apud Isauros, Episcopus. A. C. 451. quoque interfuit Concilio Gen. Chalcedone habito: Ejus *in utramque Test. Orationes* Gr. primò, dein Latinè seorsim editæ, sed nunc Gr. & Lat. cum aliis, sc. Gregorii Thaumaturgi & Johannis Zonaræ Mon. operibus, prodiere fol. Parisiis A. C. 1621.

Basilius Zanchius, Bergomas, sub ditione Venetorum, Canonicus Lateranensis. Ejus extant, *in utramque Test. Notationes, unà cum Quæstionibus in 4. libb. Regum & 2. Paralipom.* Romæ An. Ch. 1553. in 4°.

Bassa, adde: in Imperio Turcico Præfecti sunt Regnorum & Provinciarum, opibus & dignitate pollentes, sed quas ad hæredes non transmittunt; ut quibus, filiis eorum ab utroque exclusis, solus Imperator succedit. Desumuntur illi ex classe selectiore mancipiorum Aulicorum, de quibus vide infra in voce *Oda*: ipsis enim Turcis ad hunc apicem aspirare neutiquam licet. Nec altiùs illorum filii, quàm ad navis fortè præfecturam, evehuntur. Ipsi verò ad Veziriatus usque culmen, prout merita & favor Principis aspirant, possunt eniti &c. V. Joh. Baptistam Tavernier *in descript. Gall. Serralii Turcici*, & infrà *Begler-begi.*

Bassillardus, Gall. *Baselarde*, pugio vel sica est, Vide Turnebum *Adversar. lib. 19 cap. 31.*

Bassus, Consul, adde: Item Fusci Collega, imperante Gallieno, apud Trebell. Pollionem in XXX. *Tyrannis, Fusco &* Basso *Coss. quum Gallienus vino & popinis vacaret — Ingenuus, qui Pannonias tunc regebat, à Mœsiacis legionibus Imperator dictus est.* Sed *Tusco* legendum esse, monet Salmasius: Ita enim & *Fasti* Siculi, Τούσκου & Βάσσου, habent. Iisdem Coss. Cyprianum passum esse, in *Actis* passionis ejus scriptum est quorum initium in vetustissimis membranis sic legitur: *Tusco & Basso Consulibus, Carthagine, Secretario, Paternus Proconsul Cypriano Episcopo dixit,* &c. V. Salmasium *ad Histor. Aug.*

Bastangarii in *l. 3. & 11. Cod. Theodos. de Murilegulis*, dicti sunt, qui equis aut mulis res Principis aut publicas ad destinata loca deducebant. A' voce *Bastaga*, quæ *onus* vel *transvectionem* notat, ex Gr. *Βαστάζειν*. Hesychius, Βαστάγη, βάρος. Publicola *Epist. 153.* inter Augustinianas: *In Arzugibus, ut audivi, jurantes per dæmones suos, qui ad deducendas* bastagas *pacti fuerint*, &c. Propriè autem, *onus transferendi res publicas aut privatas Principis*, in *l. 11. Cod. præfati de Cohortal.* Et quidem *Bastaga privata*, i. e. onus transferendi res privatas Principis, erat sub dispositione Comitis rerum privatarum: *Præpositi* verò *bastagarum*, sub dispositione Comitis sacr. largit. in *Not.* Imperii & apud Auctorem *Vitæ* S. Parthenii Episcopi Lampsaceni *num. 11.* &c. In *Consuetud.* Aquensi tit. 13. *art. 5. 6. 8.* βαστάγη seu *bastage* pensitationem, pro equo clitellato, domino præstari solitam, designat. Namque *Basta* seu *um*, Gallis *Bast*, apud citerioris ævi Scriptores clitellas significat: à Gr. *βαστ*, *fustis*, quo onera portantur, unde ipsum *Βαστάζειν*, & hinc βαστάγη, deducit Salmasius. Vide Car. du Fresne in *Glossar.* & Calvinum *Lex. Jurid.*

Bastarius, in Aula Pontificis, dicebatur olim, cui candelas fabricandi & ellychnia pro lampadibus præparandi cura incumbebat, ex antiqq. *Ceremonial.* MSS. Idem *Vastarius* quoque dicebatur, teste Torrigio *de Cryptis Vatic. edit. 2. pag. 554.* Macri Fratres *Hierol.*

Basterna, genus vehiculi, Matronis olim Romanorum in usu. Differebat à *Lectica* parùm, cui quoque successit, itidem fœminis propriæ. Antiquitus namque sellæ lecticæque in hunc usum adhibebantur, quibus matronæ in publico etiam secretè habebantur. Hæ cum servorum onerentur humeris, *Basternæ* postea, quæ in earum successere locum, ab animalibus bajulabantur, Salmasius *ad Tertullianum de Pallio.* Casaubonus verò *ad Lampridium Heliogabalo*, secundùm pilentum, honestissimum vehiculi genus carpentum esse docens, carpentis matronarum Basternas successisse ait. Hæ enim, cum priùs carpentario vehiculo vectarentur, quod à mulabus junctis trahebatur, ut ex nummis Agrippinæ ac Juliæ Augg. videre est, carpentorum postea ab Augustabus & Magistratibus usu cœpto, ad *Basternas* se contulisse leguntur. Hoc certum, *Basternas*, non ab hominibus, sed à burdonibus, vel mannis, vel mulabus, portari consuevisse, ut hodie in nostris lecticis videmus, quas basternas esse nemo ivecit inficias, qui formam & usum istum & nomen etiam considerabit. Nam *Basternæ* sunt Lecticæ ex vett. Grammaticorum interpretatione. *Glossæ* Legales *Ἀστερνιον, Βαστέρνα, κατάστεγον.* Meminit earum Hieronymus *ad Eustoch. Præcedit eas* Basternarum *ordo semivirorum*, Antiquus item Epigrammatographus *Collect. Pithœan. I. edit. Lugdun.*

Aurea matronas claudit Basterna *pudicas,*
Quæ radians patulum gestat utrumque latus.
Hanc geminus portat duplici sub robore burdo,
Provehit & modico pendula septa gradu.

Ubi *duplex robur*, amites sunt basternarum, ut vocat Palladius, asseres videlicet, seu perticæ, aucupalibus similes, quarum Festus & idem modò memoratus Palladius meminerunt. Eadem plane habet & Isidorus *Orig. lib.20. cap.12.* Nec diversa tradit Servius, *ad Virgil. Æneid.8 vers. 666.*

Pilentis matres in mollibus ——

Pilenta, inquiens, *sunt vehicula, sicuti nunc Basternas videmus. Erant autem tunc Veneti coloris, non ut nunc sunt russati, quibus castæ Matronæ uti non poterant.* Earundem mentionem facit Gregorius Turon. *lib. 3. cap. 24. Deuteria verò, cernens filiam suam adultam valde esse, timens, ne eam concupiscens Rex sibi assumeret, in basternam positam, indomitis bobus conjunctis, eam de ponte præcipitavit.* Vocis etymon quod attinet, *Basterna* ad verbum φορεῖον est, id est, *gestamen*, quo nomine Græci tam lecticam, quàm sellam, appellant; à βάζω, seu βάσταζω, unde βαστὸν, *quidquid ferendo est.* Eædem porro non minùs ac lecticæ, matronas in publico etiam secretè ac domesticè habebant: unde Isidorus in *Glossis Basternam* exponit *tectam manalem*; *tectam* absolutè, pro tecta lectica, quæ Gr. σκεπαστὸν φορεῖον; *manalem*, quòd à mannis duceretur. Et vetus *Epigramma* de Basterna,

Provisum est cautè, ne per loca publica pergens
Fuscetur visis casta marita viris.

In eo ergo solùm hoc vehiculi genus à lectica differebat, quòd non ab hominibus gestaretur: sed a burdonibus, ut in eodem *Epigramm.* paulo antè habetur,

Quam geminus portat, duplici sub robore, burdo.

Et mentionem facit burdonum, qui hinc *Basternarii* dicti sunt, Ulpianus *l. 48. de Leg.3. Item jumenta, vel lectica vel sella vel Burdones*: quo nomine verò Pignorius servos intelligens, hoc fine adhiberi solitos è Liburnia inprimis servos viribus valentes, quos ad onera & lecticam parari consuevisse legimus, scribit, Vide Laurentium Pignorium *Comm. de Servis*, & Joh. Laurentium JC. *de Re vehicularia* Isidorus vero in *Glossis*, mannos dat basternæ; sicut burdones hi auctores. Sed Porphyrio *mannos & burdos & buricbos* appellari notat. Idem Isidorus in *Originibus* à mulabus *Basternam* portari indicat, cùm ait, *à duabus animalibus*: sed & muli & burdones plerunque confunduntur: *Gloss.* ἡμίονος ἐξ ἵππου θηλείας καὶ ὄνου: *mulus, burdo* &c. Cæterùm interna *Basternarum* undique tecta *caveas* appellarunt, *Acta* S. Susannæ, *Eadem hora Prædigna ascendit caveam basterna & venit ad domum Gabinii.* Et S. Hieronymus *Epist. 22. Præcedit caveas basternarum ordo semivirorum.* Mollibus instratæ erant stramentis, ut auctor idem Isidorus, quæ *lectos* videtur appellare Metellus in *Quirin. Ecloga decima*,

Basterna *vectus, qua stratus erat sibi lectus.*

Uti viri docti emendaut. Latera specularibus fuere clausa. Juven.

Qua vehitur latis clauso specularibus antro.

Unde *radians latus*, in *Epigramm.* prædicto, *Basterna*,

Qua radians latum gestat utrumque latus, &c.

Vide Juretum *ad Symmachum lib.6 Epist. 15.* du Fresne *Glossar.* Salmasium *ad Lampridium loc.cit.* & Rosvveidum *ad Vitas Patrum*, ubi *de Basternis* multa.

Bastonerii, in *Charta* Petri II. Aragonum Regis MSS. pro confirm. Libertatum & Consuetudin. Catalaniæ, *Ordinamus, quòd Vicarii, Procuratores aut Officiales quicunque, Sagiones, aut* Bastonerii *nostri, nominent à modo civitates*, &c. Ῥαβδοφόροι sunt, Apparitores, Bedelli, Italicè *Bastonieri*, Virgiferi. Vide Carolum du Fresne *Glossar.* A Gall. *Baston*, unde quoque *Bastonicum*, arctissima custodia, in *Capitular.* Engilenheimensi *cap. 1. in Capitulis* Caroli M. *libr 6. cap. 96.* & Caroli C. *tit. 20. 27. 29.* alibique; fortè quòd Carcerum custodes baculis insignes essent, tum ad muneris indicium, tum ad coërcendos incarceratos. Sic certè ministri Fletæ, antiqui apud Anglos carceris, *pictis* hodieque dignoscuntur *baculis*, à quibus & ipsimet *Bastons* nuncupati sunt. V. Spelmannum, & du Fresne *Gloss.*

Bastum, Græcè βαστὸν, *baculus*, [illegible] *quidquid ferendo est*; à βάω, βῶ, unde βάζω & βάσταζω, *vado*: à q[illegible] βαστὴρ, βαστηρία, & βακτηρία, quæ idem sunt cum βάκτρον & βάστρον. Hinc etiam βάστα pro *calceis*, vel sandaliis. Hesychius, βαστὶ, ὑποδήματα Ἰταλιῶται, *Basta calceos Itali* sc. vocant. Nam βαστὸς, *calceus*, ut ἀνυπόδητος, ab eadem origine. Porro, asini clitellas & sagmata vox notat; indeque Græc. verbum βαστάζω, & vox Lat. *Basterna* orta. Vide quæ diximus suprà in vocibus *Bastangarii* & *Basternæ*. Propriè verò *Bastum* seu *Bastus*, baculus fuit seu fustis, quo onera portabantur, unde Gall. *Baston.* Ἀνάβασιν pro eodem dicebant. Unde & ἀναβασμοὶ, quorum usus in puniendis adulteris: quos, pro mugilibus & raphanis, aliquando etiam manubrio securis aut fuste percurri consuevisse, discimus ex *Appendice* Proverbiorum, ex Vatic. *Phalangas* Latini dixere istiusmodi perticas; hincque *Phalangarios*, τοὺς ἐπὶ ὤμοις ξύλα περιφέροντας βάρη καὶ τίθεντας ἄχθη βαστάζοντας, &c. Istiusmodi igitur fuste Commodum orygis cornu transmisisse, tradit Æl. Lampridius in *Vita* ejus: *Virium ad conficiendas feras tantarum fuit, ut elephantum conto transfigeret & orygis cornu* basto *transmiserit.* Ita enim in optimo libro se legisse, cùm vulgati codices *hasta* habeant docet Salmasius *Notis ad h.l.*

Batæ, Græcis Βάται, Ptolom. inter Sericæ populos, memorantur Ammiano *libr. 23. Batæ verò Australi celsitudini montium acclinati*: de quibus vide Salmasium *ad Solinum pag. 989.*

Batalare arma, in antiquis Bojariorum *LL. tit. 3. cap.1. & tit 2. cap. 10.* Latinis *arma tractare* est: quod exercitium tam apud milites, quàm gladiatores, in solo clypeo & gladio constabat, uti docet Vegetius *lib.2. cap.14.* & vidimus suprà, ubi de *Armorum exercitio.* Hinc *Batalatores*, Galli vulgò vocant, *[illegible]* & ludiones, qui in publico varios & mirificos armorum gestus edunt; quod verbum etiam vulgus transtulit, ad omne genus histrionum. Indidem *Batalia*, Italis *Bataglia*, Gallis *Bataille*, pugnam præliumque notat, apud Senatorem *de Orthographia cap. 5.* Helmoldum *Chronic.* Sclavor. *lib 1. cap.93.* alibique passim, &c. Vocis origo à *Batalibus*, sic enim recentiores dixere pro *Battualibus*, de qua voce dicemus infrà suo loco.

Batanea, nomen Tetrarchiæ ab Herode M. relictæ Philippo, unà cum Paneade, Trachonitide & Auranitide, quo pacto plures Tetrarchiæ in unum coalitæ sunt. Vide Josephum ubi de Testamento Herodis Magni, & plura hanc in rem, apud Salmasium *ad Solinum pag.576.* Idem nomen, *Batanea*, postea Ecbatanis Syriæ fuit, uti idem docet *pag. 1202.*

Bathyllus, Pantomimus, adde: Hic cum Pylade inventor fuit saltationis, qualis Augusti temporibus in scena versabatur, & quæ post illa tempora viguit passim, quæque nihil amplius commune, aut conjunctum habebat, uti prius, cum Comœdia & Tragœdia, sed seorsim veniebat in Orchestram, ut dicemus pluribus infrà, ubi de *Pantomimis.* Neque verò solùm hi duo ὁμότεχνοι, sed & ἀντίτεχνοι fuere. Primas enim in Tragœdia & tragicis argumentis saltandis cùm Pylades obtineret, *Bathyllus* in Comœdia & comicorum argumentorum desaltatione principatum sibi vindicabat. Namque licèt Italica saltatio, cujus auctores hi memorantur, ex Tragica, Comica & Satyrica saltationibus esset composita, haud ita tamen ex omnibus mixta erat, ut confunderentur, & ex tribus una fieret saltationis species: sed quum omnia Tragœdiarum Comœdiarumque & Satyrorum argumenta primi saltare instituissent, Tragœdias secundùm tragicæ saltationis leges, Comœdias verò juxta comicæ saltationis instituta, desaltabant. Hinc & inter ipsos Auctores ac inventores Artis facta dividia est, & in diverso saltationis genere contraria quoque factio instituta, quam ad discipulos suos & artificii per longam seriem successores uterque transmiserunt. Erat autem Pyladea saltatio, gravis, seria, fastuosa, superciliosa, affectuum plena & tragica tota; cujus argumenta, antiquorum Poetarum tragœdiæ Deorum Heroumque facta, personæ, Divi, Duces, Heroes & Reges: *Bathyllea* contra hilaris, jocosa pedestris, quæque tota in re ustatis versabatur, per omnia Comicæ saltationi affinis; inducebat aut Satyrum saltantem & cum Amore comessatum euntem, aut Panem, aut Echo, aut Ledam a cygno compressam & cætera ejusdem argumenti. Juvenalis,

Chironomon Ledam molli saltante Bathyllo.

Ejusdem saltationis ὑπορχήματα propria facere videtur Plutarchus & Athenæus: quo nomine dicebantur cantica, quæ in Comœdiis Latinis antiquis ad manum ab histrionibus cantabantur. Unde *saltatio Bathyllea* revera fuit ὑπορχηματική: uniformis enim erat, & simplex & nihil aliud quàm saltabat. Nullam enim moram, nullum ἦθος admittebat, sed concitatissimo ferebatur motu, cujusmodi φορδακικὴν χειρονομίαν Baccho & Veneri adsignat Lucianus in *libro* περὶ ὀρχήσεως, *i.e. concitatas & celeres gesticulationes.* Atque proin ejusmodi ferme tantùm hypotheses & personas eligebat, quas saltare semper & moveri deceret, ut Panes, Satyros cum Amore comessabundos & lascivientes, aliasque similes jocis & salibus adsuetas, quales ex Comœdia & Satyrica notæ sunt multæ. Porro in *Bathyllea* una tantùm ferè persona saltabat, ut Pan, aut Echo, aut Satyrus: unde ὑπόρχημα *in Bathyllum* saltare consuevisse tradit Athenæus, Panis aut Satyri nimirum. Pyladeæ vero saltationis histriones, non nudum aliquod aut simplex siccumque hyporchema desultarunt, sed plura aliquando in uno argumento, &c. Uti verò Pyladeæ ac *Bathyllea* Artis factiones per longam seriem ad posteros propagatæ sunt, ita plurimi utriusque successorum nominibus Autorum suorum insigniti leguntur. *Pyladæque* aut *Bathylli* dicti, licèt non pauci aliter nominati fuerint. Sic ætate Galeni, h.e. Marci Philosophi Imp. cùm tres nobilissimi Pantomimi orchestram calefacerent, qui vicibus saltabant & in orbem, duo illorum *Pylades* & *Morphus* nominantur Galeno περὶ τοῦ προγινώσκειν: tertius, quem quidem non nominat, proculdubio *Bathyllus* fuit, &c. Nec omittendum, quamvis Pylades in Tragœdiis, in Comœdia *Bathyllus*, excellerent, tragicas tamen ὑποθέσεις etiam Bathyllum aliquando saltasse, & comicas Pyladem. Sed in fabulis Tragici argumenti multum sibi dispar Bathyllus & in Comicis Pylades inventus est. Seneca *Controvers. lib. 3. Et ut ad morbum meum te vocem, Pylades in Comœdia*, Bathyllus *in Tragœdia, multum à se aberrant.* Vide Salmasium *ad Vopiscum in Carino Imper.*

Batiaca, Gr. Βατιάκη, item Βατιάκιον, inter pocula memorantur Diphilo & Philemoni apud Athenæum *libro 11.* Ex ære Persico vel Indico fuit, de quo sic in *Mirabilibus* Philosophus: Φασὶ δὲ καὶ οἱ Ἰνδοὶ τὸν χαλκὸν οὕτως εἶναι λαμπρὸν καὶ καθαρὸν ἐγγινόμενον, ὥστε μὴ διαγινώσκεσθαι τῇ χρόᾳ πρὸς τὸν χρυσὸν. [illegible] Δαρείου ποτηρίοις βατιακάς εἶναί τινας καὶ πλείους, ἃς εἰ μὴ τῇ ὀσμῇ ἄλλως οὐκ ἦν διαγνῶναι, πότερον εἰσὶ χαλκαῖ ἢ χρυσαῖ. Ajunt [illegible]

esse

esse in Indis tam lucidum, & purum & rubiginis expers, ut colore ab auro non dignoscatur. Sed & inter Darii poculaaliquot esse batiacas, de quibus aliter, quàm ex olfactu dijudicari non possit, utrum aerea vel aurea sint. Ita ergo Batiacæ propriè fuerunt Persica pocula ex istiusmodi ære facta. Nomen à cucurbitæ forma & amplitudine sumtum videtur, quæ Chaldaicè בטיח batiach dicitur, ut Arabicè batich. Ampla autem hæc pocula fuisse etiam inde discas, quod λαβρώνιον, poculi genus lati fundum, ἀπὸ τῆς ἐν τῷ πίνειν λαβρότητος appellatum, Didymus apud eundem Athenæum simile esse ait βομβυλίῳ ἢ βατιάκῃ, &c. Samuel Bochartus Hierozoici Parte poster. capite ultimo Libro VI De ære verò hoc aurei coloris, diximus suprà aliquid in voce Æs.

Batillum seu us, apud Trebellium Pollionem in Claudio, vatilium quotidiana batilla quattuor: hama est quæ igni admovetur. Gallicè une pale à feu, Græce πυράγρα. Scribit enim Suidas, non uno loco, πυράγρα vulgo suâ ætate dictam, quæ antiquitus fuerit appellata ἄμη. Hamas autem inter instrumenta, quibus vett. in restinguendis incendiis utebantur, fuisse discimus ex l. 3. de Officio Præfecti Vigil. & alibi in Pandectis, item ex Juvenali Sat.14. Sed istæ sparteolorum hamæ magnitudine & fortasse etiam formâ nonnihil differebant à batillis focorum. Meminit horum Plinius quoque lib. 33. capite 8. Argenti duæ differentiæ: batillis ferreis candentibus ramento imposito, quod candidum permaneat, probatur. Et lib. 34. cap. 11. Æruginis experimentum in batillo ferreo. Marcellus item Empir. cap. 27. Spongiam supra batillum torrebis & diligenter teres. Et Apicius lib. 7. cap. 9. Petaso cum elixatus fuerit, decarnabis & armillam in illius candenti batillo inures, &c. Sed & Batillum appellarunt foculi gestatilis ac ansati genus, quod pruni plenum Principibus viris præferebant, ad odores incendendos. Quo modo accipiendus Horatii locus, de Fundano scriba, qui immeritos honores sibi arrogabat:

> Fundos Aufidio Lusco Prætore libenter
> Linquimus, insani ridentes præmia Scribæ,
> Prætextam & latum clavum prunæque batillum.

Atque ab hac voce ea notione accepta Veteres, ob similitudinem, vocaverunt laminas argenteas, utrinque ad laterum margines curvatas, quibus pugionum & ensium vaginas operiebant, ut hodie a Germanis fit. Plinius lib. 33. cap. 12. ubi de argenti in luxum abusu: Et quid hæc attinet colligere, cùm capuli militum ebore etiam fastidito, cælentur argento, vaginæ batillis, balthei laminis crepitent. Alii tamen Vatillos legunt, clavosque exponunt argenteos, quorum capita eae illorum figura extuberant. Dalechampius ad loc. Apud Abdiam Histor. Apostol. libr. 9. Erant autem virgines cum lyris cantantes, alii cum tibiis: alii cum tympanis, alii cum batillis & thuribulis: vox Musicum instrumentum notat, ex metallo, ad baculi formam, annulis undique refertum, qui perculsi concinne sonuerint, Dominico Macro, qui in Templis Armeniorum istiusmodi harmoniam sæpius, inter sacra se audivisse refert; in Hierolexico. Atque hi omnes Batilli ferrei erant: e ligno illi, quorum meminit Varro de R.R. Vide Salmasium Not. ad Pollionem loc. cit. & infrà quoque Vatillum.

Batrachomyomachia, nomen carminis, ranarum muriumque pugnam continentis, quod Homeri nomen præ se fert. Et pro Homerico scripto agnoscit illam Statius Præfat. Sylvarum ad Stellam: Sed & culicem legimus & Batrachomyomachiam etiam agnoscimus. Nec quisquam est illustrium Poetarum, qui non aliquid operibus suis stylo remissiore præluserit. Dubitarunt tamen olim non pauci, neque injuriâ, ut multis argumentis demonstrari posset. Inter quos Henricus Stephanus Schediasmatum lib. 6. cap. 21. laudato exemplari, cui Tigretis Cari titulus fuerit inscriptus: Et Petrus Nunnesius Commentar. ad Phrynichi Dictiones Atticas. Vide Casparum Barthium Animadversion. in Statium libro 1. pag. 5.

Batti, Dux Tartarorum, magna cum manu ex Scythia in Russiam irrupit, eaque universâ potestati suæ subjectâ, Russiæ Duces omnes, è Waregis Imperii Russici conditoribus ortos, in miseram servitutem redegit, circa Annum Chr. 1224. Sic Russia Tartarico jugo subjecta, sub eo gemuit, usque ad tempora Basilii, qui circa Annum Chr. 1500. gentem in pristinam libertatem asseruit. Interea Tartarorum Zavolhensium Imperatores Russis pro arbitrio Duces dederunt, quorum quàm absolutum in eos dominium fuerit, legere est, apud Herberstenium, Petrum Petræum, aliosque Rerum Mosc. Scriptores, Georg. Hornius Orb. Imper. pag. 375.

Battologia in Sacris, Gentilium, Pharisæorum & Christianorum quorundam, Vid. infrà in voce Litania.

Battualia, dicta sunt, cum milites vel gladiatores ad palum exercebantur: Glossæ, γυμνασίαι μονομάχων, exercitationes monomacharum. Recentiores battalia dixere: Adamantius Martyrius, Battualia, quæ vulgò battalia dicuntur, exercitationes autem militum vel gladiatorum significant. Inde etiam Battuatores τοὺς κονιώντας dici putat Salmasius, Sic enim legendum, cùm vulgò βατνιωτὰς legatur. Battuere namque & batuare dicebant loco τοῦ κόπτειν vel κονίζειν. battuatorium, κονιστήριον. Ut autem milites ad palum rudibus, sic gladiatores ad eundem rudibus quoque battuebant. Hinc Battualia & Palaria, de exercitationibus militum & gladiatorum, &c. Vide Salmasium ad Æl. Spartianum in Hadriano, & infrà, ubi de Monomachia ac Palo.

Battus, Cyrenes conditor: adde: Nummus, quem ejus in honorem Cyrenæi cuderunt, unà parte caput Ammonis, alterâ caulem silphii habebat, cum inscriptione, ΚΥΡΑ. hoc est, ΚΥΡΗΝΑΙΩΝ: unde Proverbium Βάττου σίλφιον, de raris honoribus. Ejus picturam numi ex eo, qui fuerat Antonii Pitonis Medici, expressit Yvo Viliomarus, hoc est, Josephus Scaliger advers. Titium libro 8. capite 14. Nec contenti civili hoc honore Cyrenenses, etiam præterea ei statuere, ut Herodotus Melpom. ait τεμένεα καὶ ἱερωσύνας, fana ac ceremonias: quorum auctor iis, ut ibidem legas, fuit Demonax ex Mantinea Arcas: qui, occasione oraculi Delphici, eò à Mantineis missus erat. Vide Gerhard. Joh. Vossium de Origin. ac Progressu Idololatriæ libro 1. capite 32. Salmasio verò, quandiu Battiadarum nomen Cyrenis regnavit, nummos eâ formula percussos habuisse videntur, qui, ab uno latere Batti imaginem, ab altera Cyrenas Regnum & silphium Batto offerentes præferebant. Eâ verò familia extinctâ, postmodum caulem silphii, & Hammonis effigiem demum insculpsisse Cyrenenses, docet, Exercitat. Plinian. ad Solinum pag. 358. Certè Aristotelis hæc traditio est, quam posuerat ἐν τῇ Κυρηναίων πολιτείᾳ. Et vetus Interpres Aristophanis, Βάττος, inquit, Κυρήνην ἔκτισεν ἐλθὼν ἀπὸ Θήρας τῆς κατὰ Κρήτην νήσου, ὃν Λίβυες ... αὐτῷ τὸ κάλλιστον λάχανον τὸ σίλφιον. Καὶ ἐν νομίσματι αὐτὸν ἐχάραξαν τῇ μὲν Βασιλείαν, τῇ δὲ σίλφιον ... Battus Cyrenen condidit, veniens è Thera, Cretæ Insulâ: quem magno honore excipientes Libyes, donarunt ei pulcherrimum olerum silphium. Et in nummis sculpserunt eum in altera parte Regnum, in altera silphium ab urbe accipientem Unde Tzetzes,

> Βάττῳ δ' ἀγαλματοῦσιν ἐν ... τοῦ τύπου,
> Ἐν τῷ νομίσματι αὐτὸ ἐχάραξε ...
> Τῆς Κυρηναίας ... τὸ σίλφιον ...

Vetus tamen alter Aristophanis Scholiastes, non in nummo, sed in statua, aut annulo, eam figuram repræsentasse Cyrenenses dicit. Verum de nummo facile credi potest Namque & in aliis nummis quamplurimis urbes & provincias videmus specie suæ nitea flores aut fructus ferentes & Ducibus Regibusque benefactoribus suis eos offerentes. Unde nil mirum, si idem fecere Cyrenenses, quibus silphium, res tum novella erat, utpote septem saltem annis ante urbem a Batto conditam, imbre piceo madefactâ tellure, apud illos natum, quum antea non extaret, &c. Vide Salmasium ad Solinum pagina 358. & 359.

Bavara, in Vita B. Catharinæ Bonon. Sibi, quam sacræ virgines bavaram vocant deposcit: velum est ad jugulum tegendum, quo Moniales mentum constringunt, apud C. Macrum Hierolexico

Bavaria, adde: Postquam Regibus antiquitus sustulisset, Ducatum Chlodovæus Francus instituit. Regia dignitas aliquoties resumpta, advertantibus Francis nunquam diu valuit. Neque etiam Francorum, non Saxonum perpetua dominatio: & Guelphorum potentia citò in Austrios, Austriorum iterum ad Guelphos, horum denique imperia in Schirenses, qui hodieque præsunt, cessere. Inter Reges antiquissima Adalogerion s, Bojorum sponte delecti, mentio est. At non diuturnum id decus permisit Chlodovæus prælatus, eâ victis à se Bojis lege impositâ, ut, cœtera quidem legibus suis moribusque uturi, majestatem R. P. Q. Francorum comiter observarent, Principemque ex suis quidem, ubi opus esset, legerent, at qui Ducis nomine contentus regio abstineret, eam autem in rem Francorum Reges auctores fierent. Quod cùm per seculi fere spatium mansisset, Cariovalda, Ducis Theodeberti filius, per Franciæ Regum ignaviam, Regium titulum resumsit, sed mox armis eorum, quos spreverat, modestiæ admonitus, patruo Thassiloni provinciam relinquere coactus est, Ducis iterum nomine regendam. Rediit Utiloni idem regii decoris amor, qui tamen & ipse superatus a Pipino atque in Ducum denuo ordinem redactus est: Exitiosius sibi domuique Thassiloni III. certamen fuit, qui hostilia contra Carolum Magnum agitans, bis victus est, Bojariæque imperium Laureacensi Monasterio commutavit: filio Theodoni inter Sacerdotes adlecto sicque Ducatus spe iidem excluso. Ita provinciæ tanquam suæ Carolus Geroldum rectorem dedit, fratrem Hildegardis uxoris, maternoque genere e Bojis oriundum: sic regnum hoc Carolini stemmatis Cæsares Regesque tenuere; Ducibus in partem curatum adscitis: e quibus Arnulphus Malus, Luitpoldi filius, post obitum Ludovici Imperatoris, Arnolfo Imperatore genitus à Bojariæ Proceribus, Hungarorum metu perculsis, Rex salutatus, abdicato hoc nomine veniam meruit: frater Berchtoldi, in quo Francorum Regum simul & qui horum auspiciis præerant, Ducum in Bojaria imperium desiit, quod ad 160. annos produxerant. Francis Saxones successere, e quibus primum Bavariæ Ducem Henricum fratrem, Otho I. Imper. creavit; quâ malo suo merito excidit Otto, ab Henrico IV. Cæs. ad Welphonem, Suevicæ gentis ex Altorfi Comitum prosapiâ Principem, translatâ. Neque huic familiæ Ducatus possessio diuturna, crimine Henrici Superbi, Saxoniæ atque Bojariæ D. qui spreto Conrado Imp. obse-

quit impatientiam patrimonii jacturâ planxit. Inde Leopoldo, eâdem, quâ Cæsar, matre genito, eoque sine liberis defuncto, Henrico fratri, Bojaria obvenit, in cujus manus quoque Superbi vidua convenerat. Sed repetiit Superbi filius, *Leonis* postea cognomen indeptus, inter quem & Henricum lis sic tandem, annitente Friderico Imp. decisa est, ut redditâ Leoni Bojariâ Occid. Henricus Orientalem, Austriam sc. *Marchionis* titulo hactenus habitam, *Ducis* retineret nomine, obsequii exolutam nexu, quo Bojariæ Principibus obnoxia hactenus fuerat. Verùm Leo postea, cum gratia Cæsaris, Ducatu etiam excidit, qui ad Schirensium prosapiam reversus est: post 109. annos, ex quo ad Guelficam stirpem primùm devenerat. Eaque occasione etiam Stiria, Dalmatia, atque Merania sive Moravia Bojorum legibus imperioque liberata, sui juris Duces, ista Odagrium, hæ Berchtoldum accepere: ipsa verò *Bavaria* cum Palatinatu Rheni coaluit, &c. Vide Tob. Pfannerum *Lib. de præcipuis Germaniæ Principum gentibus cap.* 3.

Bavarum Latum, cujus mentio in *Bullario* Casin. *Tom. II. Constitut.* 571. *Quæ preces de mandato Sanctissimi Dom. N. Papæ in Sac. Rit. Congregatione propositæ fuerint, eadem Sac. Rit. Congregatio censuit dicto Abbati Generali Congregationis Montis Virginis, posse concedi usum dictæ mozettæ, seu* Bavari Lati *cum caputio, sine birro & in terris & locis tantùm suæ jurisdictioni subjectis*: dicitur Mozetta Prælatitia, Macro in *Hierolexico*. Vide infrà in voce *Mozetta*.

Baubella, apud Rogerum Hovedenum in *Ricardo I. Tres partes thesauri sui & omnia* baubella *sua divisit Othoni nepoti suo, Regi Alamannorum*: sunt res pretiosæ, veluti gemmæ, uniones & alia hujusmodi, quæ Galli vulgò *Babioles*, aliàs *joyaux* appellant. Italis *Bambola* vitrum speculi est, fortassis etiam speculum ipsum: Specula verò esse in mundo muliebri notum, unde fortè Galli suum *Babiole* hauserunt. *Baciballum* eadem notione occurrit in *Fragmento* Petronii de Cœna Trimalcionis, *Noveratis Melissam Tarentinam, pulcherrimum baciballum*. Galli dicerent, *un beau bijoux*. Car. du Fresne *Glossar.* Vide quoque suprà *Bacca*.

Baubo, adde. *Cyceonem* vocat potionem illam Orpheus in *versibus* Clementi memoratis, ubi de Cerere, facto Bacchi, cum *Baubone* ludentis, ad risum excitatâ:

Τὸν δ' ἐπεὶ οὖν ἐσίδησε θεὰ, μείδησ' ἐνὶ θυμῷ,
Δέξατο δ' αἰόλον ἄγγος, ἐν ᾧ κυκεὼν ἐνέκειτο.
Hoc postquam vidit Dea, subrisit in animo,
Accepitque egregium vas, in quo cyceon erat.

Qua de potione diximus aliquid suprà, ubi de *Adoris potione*. Atque hinc *Baubo* inter Eleusiniorum symbola recepta, & ad Cereris imitationem, cyceonem quoque sumebant, qui sacris illis initiabantur. Unde de symbolis Initiorum rogati respondebant, *Jejunavi, ebibi cyceonem*. Clemens, τὸ σύνθημα Ἐλευσινίων μυστηρίων, ἐνήστευσα, ἔπιον τὸν κυκεῶνα, &c. V. Salmasium *ad Solinum pag.* 750

Bauca, idem cum *Cauca*, vasis nempe species viniferi. Anastasius *in Leone IV. Cantharam exauratam unam*, baucas *exauratas tres, fibulatoria majora & minora quinque*. Et in *Benedicto III.* Baucas *ex auro purissimo duas pensantes libras*. *Vauca* scribitur, in *Historia* Ignoti Casin. *de Rebus Longobard. cap.* 0. ubi Siconolfus Princeps Benedicti Cœnobio abstulisse dicitur, inter alia, *vaucas par unum in gemmis & smaragdis*. Aliàs *Boca, Boccala, Boclaris, Baccularis, Baccinare* &c. A *Bauca* autem *Baucal*, vel *Baucale*, quod est vas vitreum, vinarium. Est & *Baca* & *Bacca*, nam ita scribitur apud Isidorum, genus aliud vasis, à quo *bacar*, ἄγγος οἰνηρὸν in *Glossis* & *bacarium*, Salmasius *ad Trebellium Pollionem in Claudio*. Vide quoque infrà in *Baucalis*.

Baucalis, Græcè Βαυκάλις, cognomen Alexandri cujusdam Presbyteri, apud Philostorgium *libro* 1. *capite* 4. sic dicta διὰ τὸ σαρκὸς ἐπιτετραφθῆς ὄγκον ὑπὸ τοῦ μεταφρένου αὐτῷ συνεφθαρμένον, ἄχρι ἐκεῖνου ἐπιβεβηκὼς χρόνῳ, ὅπερ οἱ Βαυκάλας ἐπιχωρίως Ἀλεξανδρεῖς ὀνόματι ὀνομάζειν, *Propter carnis videlicet, quæ supercreverat in dorso ejus, molem collectam ad modum & imitationem vasis testacei, quod Alexandrini vernacula voce* Baucalas *appellare* solent. Nempe *Baucalis*, Alexandrinorum & Ægyptiorum vox, à *Bauca*, orta, vas fuit fictile, aliàs *Gillo*, ut habetur in *Glossa* Camberon. Vide quæ eam in rem Nicephorus Callisti *habet lib.* 5. *cap.* 5. ut & Cassianus *de Cœnob. Instit. lib.* 4. *cap.* 16. ubi de Ægyptiis Monachis, & Pachomius *Institut.* §. 5. Βαυκάλιον & βαυκάλιον eadem notione usurpat Achmes *cap.* 177. ubi perperam καυκάλιον habere ait du Fresne. Sed duarum harum literarum invicem permutationem frequentem esse, docet Salmasius, exemplo vocum, Βοβῶνες, κόγκυλος, & apud Lat. *Buso*, *cuso* &c. Βαυκάλιον vocat Joh. Moschus *cap.* 19. Βαυκάλιον quoque Nicarchus *in Epigramm. libr.* 2. *Antholog. pag.* 161. *Edit. H. Steph.* Quòd verò *Baucas* istas seu *Baucales*, etiam *Gillones*, olim appellaverint, ex vetustissimo libro *Epigramm.* idem confirmat Salmasius, qui ibi scriptum se legisse ait,

—— *Gillo, fabillo, melo.*

Notis ad Trebellium, ubi suprà. Vas fuisse, quo utebantur æstate refrigerandis in aqua cyathis, Alciatus *Prætermissor. lib.* 1. refert, ex modò laudati Nicarchi hoc *Epigramm.*

Μὴ τρέμε, μὴ φύσει, μαθὼν τὸν ψυχρὸν ὕδατος,
Εἰς τὸ ψῦχος χαλεπὸν βαυκάλιον ἠγάγετο.

Ne frigus te, ne estuoso, frustra fumum ...
In Æstatem æneam baucalem emisti.

Salmasius idem cum *Bauca* facit, Vide ibi.

Baucismus, commessatoria saltatio, mollicula illa quidem & delicatos membrorum flexus habens, cui nomen à saltatore *Bauco*, Polluci memorato, apud Camerarium. Scaligero, Græcè Βαυκισμὸς, *saltatio mollis valde & corporis inclinationibus admodum varia, Poetices lib.* 1. *cap.* 18.

Baudosa, species Musici instrumenti, cujus meminit Aimericus de Peyrato Abbas Moisiacensis, in *Vita Caroli M.* in *Cod. MS.* 1343. Biblioth. Reg. apud du Fresne *Gloss.*

Quidam baudosam *concordabant*
Plurimas cordas cumulantes.
Quidam triplices cordas tonabant,
Quædam foramina includentes,
Quidam choros consonantes,
Duplicem chordam perstridentes,
Quidam taborellis rusticabant,
Gressum sonum præmittentes.
Quidam cabreta vasconizabant,
Levis pedibus persaltantes.
Quidam liram & tibiam properabant,
Alios tactu præcedentes.
Quidam harpam altè pulsabant,
Prolixas virgulas sic gerentes.
Quidam rebecam arcuabant
Muliebrem vocem confingentes, &c.

Bauga, item Bauca & Boga, armilla est Papiæ, ut & in *Glossario* Latino-Theotisco, apud Lindenbrogium, in *Capitul.* variis & *Epistola* Synodali Concilii Duziacensis I. apud Carolum du Fresne, qui hinc accersit etymon vocabulorum, apud suos, in re militari receptorum, *Bague*, *Bagage*, *Bagues sauves*, *Armes & bagage*. Item vocem *Bagatelles*, quo nomine non tam nugas, quàm mundum muliebrem, cujusmodi sunt *Baugæ*, monilia, dextralia & alia id generis, appellari docet. Goldasto *Bauga*, tympanum est *bauck*. Olaus Wormius in *Lexico Runico* ait, vett. Danis *Baugur* & *Baugs*, annulum sonare, apud Eundem &c. V. suprà in voce *Bagatella*.

Bautis, Sericæ regionis fluv. apud Ammianum *libro* 23. pro quo corruptè *Bautisis* aliàs scriptum. Salmasius *ad Solinum*.

Baxea, calceus fuit virilis, imò Philosophicus, qui cum pallio sumebatur, idem ac crepida. Apulejus *lib.* II. *Nec decras, qui pallio baculoque & baxeis, & hircino barbitio Philosophum fingeret.* Idem alibi, de Sacerdote Ægyptio: *Inducit juvenem quempiam palmeis baxeis inductum.* Hinc & Tertullianus *de Pallio*: *Nisi quòd & Philosophi*, inquit, *ipsi aliquid ejusmodi adfectant. Audio enim & in purpurâ philosophatum: si Philosophus in purpura, cur non & in* Baxea *Tyria calciare? nisi aurum minimè Græcatos decet: quin alius & sericatus & crepidam auratus incessit.* In quibus verbis de Aristippo loquitur, dicere volens: Si Aristippus purpuream sumsit vestem, cur non & calceamentum sive baxeam Philosophicam purpurâ infecit, ut esset habitus æqualis. *Cur non & baxeâ Tyriâ calciare?* id est, cur non Aristippe etiam baxeam purpuream induisti? Oct. Ferrarius de *Re Vestiaria part.* 2. *lib.* 4. *cap.* 10. Vide quoque Salmasium *Not. ad Tertullianum de Pallio*.

Bazania, familia Hispaniæ illustris. In ea floruit circa Annum Christi 1000. in regno Navarræ Alfonsus Gonsalus *de Bazan*, Dom. *de Bazan*: à quo descenderunt Domini *de la Valduerna*, nominis *de Bazan*; è quibus postea titulum Vicecomitis obtinuit Petrus Gonsalus, Pater Johannis & Alvari I. quorum ille Vicecomites *de Valduerna* & Dominos *de Bannezа* propagavit; successione dein, per neptem Mariam, ad Franciscum *de Zuniga* & *Avellaneda* Com. *de Miranda* translatâ. Qui celebris belli in Mauros dux filium cognominem, itidem bellis, inprimis maritimis, clarum genuit: patrem Alvari tertii, primi Marchionis S. Crucis *de Santacruz*: à quo filius & nepos *Alvari* nomen ac dignitatem patriam atque avitam accepere. Eo enim & Maria Manuelia Benavidia, nati sunt, Alvarus IV. pater Alvari V. (ex uxore Guiomara Manricia *de Lara*) Franciscus Eques Calatravæ, Petrus Eq. Alcantarensis (cui uxor obtigit Maria Mendozia) Anna Isabella *de la Cueva* (ux. Alfonsi Portocarreri Marchionis Villænovæ) Maria Manuel Benavidia (ux. Francisci Benavidii & *de la Cueva* Com. *de Santistevan*) qui hoc seculo floruerunt. Vide Phil. Jacobum Spenerum *Theatro Nobilitatis Europ. tom.* 2. ex Alr. Lopezii de Haro opere *Geneal.*

Bazira, urbs Indiæ, memoratur Arriano *lib.* 4. haud longè ab ora: fortè ea est, quam Πευκελὰ alibi vocat & in Ichthyophagorum ora statuit. Salmasius *ad Solinum pag.* 1176.

BD.

Bdellium, Græcè Βδέλλιον, diminut. à Βδέλλα, quomodo aliquot

quot locis Auctori Pal ipsi vocatur; Bedella, Marcello Empirico,

— — cera on atque bedellam:

apud Plautum in antiquis libris *Bedellium*, Salmasio est ex Hebræo *Bedolach*, quæ vox occurrit Numeror. cap. 11. ubi dicitur *manna, sicut coriandri semen esse & colorem ejus, ut* בדלח. Quippe, inquit, & *Bdellium* sal albidum & manna magis ad bdellii colorem accedit, quàm ad margariti aut alterius gemmæ, de qua alii vocem exponunt. Verùm quia terra Havila, ubi *bedolach* à Mose describitur, Genes. cap. 2. versu 12. *bdellii* proventu celebris non est, sed unionum; Bochartus quatuor Paraphrastarum Arabum, aliorumque quorundam eruditorum sententiam, *margaritam* hac voce denotari asserentium, præfert, ut videre est apud eum *Hierozoici Parte poster. pag.* 675.& infrà Græcis, teste Plinio, dictum est *brochum*, à βρέχω, i. *humecto*, quòd humectius esset & liquidius; item *Maldacon*, quasi μαλακὸν, quòd gummi Bdellii molle esset, instar malaxatæ ceræ; unde Arabes suum *Molochil* vel *Malathail* fecisse videntur. Quæ nomina varia Bdellio Mercatores Græci imposuerunt, qui & Indicum ἀδρόβωλον vocabant, quòd in offas convolutum erat, *crassiore* nempe *glebâ*. Certè monet Monardus, *Anime* Orientale (quod idem est cum bdellio) tam magnis glebis & adeo translucentibus afferri, ut plerique speciem esse suo clni liquidioris suspicati sint. Describitur autem Bdellium antiquis, *gummi seu lacryma arboris translucida, alba, pinguis, æqualiter cerea & quæ facilè molliatur*, verba sunt Isidori, quæ ex Græcis Dioscoridis videntur expressa, Διαυγὲς, [illegible] λιπαρὸν [illegible]. Qui idem de optimo Bdellio, ἄριστον, inquit, ξύλων [illegible] ἀμιγὲς, [illegible] ὄνυχι, *ligno sordibusque non miscetur, odoratum cùm incenditur, simile ungui*: unde Bdellium ὄνυξ; totum enim æqualiter ὁμαλὸν est & læve ac splendidum *instar unguis*. Quibusdam unum fuit ex quatuor aromatum generibus, ex quibus factum fuit sacrum thymiama, Exodi cap. 30. versu 34. ubi vocem שחלת *schecheleth*, nonnulli reddunt *spicam myrrhæ*; alii *ladanum*, quidam *unguem aromaticum*: atque hi in diversa iterum abeuntes, pars *conchylii testam* interpretantur, pars *radicem aromaticam lucidam, ut unguis*, hoc est, *bdellium*. Nempe *bdellium*, Saracenicum viz. seu Arabicum, *ungui simile*, ut dictum, cui Dioscorides alterum opposuit ῥυπαρὸν καὶ μέλαν καὶ ἀδρόβωλον, *sordidum & nigrum & crassioris glebæ*, quod ex India defertur. Sed & *Bactriano nidor siccus & multi candidi ungues*, Plin. lib. 12. cap. 9. Aroma verò est ungue odoratius, myrrhæ naturâ proximum, & Dioscoridi dicitur δάκρυον δένδρου Σαρακηνικοῦ, *lachryma arboris Saracenicæ*, quod in Arabiæ Saracenis seu Scenitis, non procul à Judæa, magnus ejus proventus esset. Nec obstat, quòd שחר *nigrum* esse vel *nigrescere* notat, unde *schecheleth* factum: non minus enim in bdellium hoc, quam onychem, quadrat. Bdellium namque in India absolutè nigrum est, & in Arabia Petræa ὑπόχλωρον, *sublividum*, de quo vide Dalechampium *Append. ad Plinium pag.* 23. Sed & ipsa bdellii arbor nigra est, ut idem Plinius ait *libro* 12. *capite* 9. *Vicina est Bactriana, in qua bdellium nominatissimum. Arbor nigra est magnitudine oleæ*, &c. Vide Samuelem Bochartum præfatum *Hierozoici Parte poster. libro* 5. *capite* 10. Porro, cùm adulterari amygdalâ nuce bdellium Indicum, scribat idem Plinius, probationem addit optimi esse, *si sit translucidum, simile ceræ, odoratum*. Purum verò bdellium *Natef* quoque & *Alnatef* Arabibus dicitur, quia hoc, dum guttatim ex arbore fluit, nunc rotundiore formâ, nunc cylindraceâ concrescit, Vide suprà in voce *Alnatef*. Sic in offas convolutum erat, quod ἀδρόβωλον Mercatoribus vocatum esse diximus. Hoc ex Binnagara Indoscythiæ metropoli plurimum venale exivisse, Ptolomæus refert. [illegible]: unde *Bdellium Scythicum* Galeno & Æginetæ, quod idem cum Indico, &c. Quam in rem Vide plura apud Salmasium *ad Solinum pag.* 1140. & *seqq.*

BE.

Beanus, Studiosus est novellus, qui ad Academiam nuper accessit; seu potiùs, qui è trivialis scholæ carceribus eluctatus, consuetis ceremoniis Academicæ vitæ nondum initiatus est. *Statuta* Academiæ Viennensis in Austria: *Item quòd nullus præsumat supervenientes novos, quos Beanos vocant, indebitis quibuscunque exactionibus gravare aut aliis injuriis seu contumeliis molestare.* Ubi Lambecius *Beani*, inquit, definitio in ipsa nominis sui acrostichide latitat, *Beanus Est Animal Nesciens Vitam Studiosorum.* Quod verò de exactionibus hic habetur, clarius, fiet ex iis, quæ Wendelinus hanc in rem habet *Doctr. Polit. libr.* 2. *cap.* 20. *thes.* 15. *Hodie primus in Academias Germanicas ingressus fit per ritum Depositionis — qui altâ nititur vetustate & ex Atheniensi Academiâ ad nos manasse creditur — Præter hunc initiationis ritum, alia invaluit superioribus annis in plerisque Academiis Germaniæ barbaries, quâ à communibus Studiosorum juribus & sacris repellere nituntur Tyrones & Novitios, nisi annum integrum iniquissimis se submiserint exagitationibus, & subinde graviora damna largis poculis & sumtuosis dapibus redemerint*, &c. Addit, exarsisse in hanc pestem zelum Academiæ Rinthelensis, publico programmate testatum A. C. 1621. Jenensis item Academiæ, A. C. 1635. & 1638. &c. Sed obex nondum petulantiæ illi tum poni potuit; donec re ad ipsa Comitia Imperii delatâ, tandem succisa est hæc hydra, subinde tamen, ut fertur, variis in locis, occultè adhuc capita lacertosque movens. *Pennalismum* barbariem hanc vocari consuevisse notum.

Beatissimus, titulus honorarius, quo Patriarchas & Episcopos in *Constitut.* subinde compellat Justinianus: nec sine Vett. exemplis. *Beatitudinis* enim titulo affici Episcopos legimus, apud Hieronymum, Augustinum, alios passim. Ut recentiores, Senatorem *lib.* 3. *Epist.* 37. Avitum Viennensem *Epist.* 6.8.11.37. Ludovicum Pium Imp. *Epist.* ad Sicharium Archiep. Burdigal. Nicolaum I. Pontif *Epist.* 28. alios, omittam. Neque verò Episcopis solùm, sed & Laicis, ut vocant, id nominis tributum non semel legimus in *Epistolis* Anselmi. Hodie solus Pontifex Roman. hunc titulum sibi vindicat, Vide Brissonium in *Formulis pag.* 361. & infrà in voce *Papa*.

Bebius Macer, Prætorio Præfectus, sub Aureliano Imper. apud Vopiscum in *Vita* hujus. Vide suprà in *Bæbius*.

Bebra, missilis aut teli species, apud Vegetium *lib.* 1. *cap.* 20.

Becacia, Gallis rusticula dicitur, *Becace*, à longitudine rostri, quod *becum* vocant. Quemadmodum eadem avis σκολόπαξ Græcis, quòd habeat rostrum æquè longum, ac σκόλοψ, quâ voce *lignum* significatur *in acumen desinens ac longum*. Aristoteles, Ὁ σκολόπαξ δ' ἐν τοῖς κήποις ἁλίσκεται ἕρκεσιν· τὸ μέγεθος ὅσον ἀλεκτορὶς, τὸ ῥύγχος μακρὸν, τὸ χρῶμα ὅμοιον ἀτταγῆνι, *Scolopax in hortis capitur retibus, rostro longo, magnitudine est galli gallinacei, colore similis attageni.* Quod omnino *becaciæ* Gallorum convenit. Et certè Attagen Græcorum, *Rusticula* est Latinorum; nec enim Græci aliud nomen habent, quo Rusticulam Latinorum exprimant, nec Latini, quo Græcorum Ἀτταγῆνα, uti infrà dicemus, in voce *Rustica Gallina*, item *Rusticula*.

Becias, nomen à Photio confictum, qui cùm à Basilio Imperatore in Patriarchalem Constantinop. sedem esset intrusus, deinde ejectus ac in exilium missus; ad recuperandam Imperatoris gratiam, antiquam historiam characteribus Alexandrinis, de nobili Basilii stirpe, commentus, inter alias narrationes fabulosas, eidem Imperatori hoc nomen BEKΛAC attribuit. Librum dein, Theophanis operâ in Bibliotheca Imp reponi curavit, ubi post aliquod tempus, Theophanes, mensæ dextrè inserviens, se in librum quendam mysticis characteribus plenum incidisse, significavit Imperatori. Qui cùm avidus esset discendi, quæ iis continerentur, negaret autem Theophanes, vel se ista explicare posse, vel ullum alium, præter Photium: hic mox revocatus ab exilio vocem *Becias*, unicuique literæ nomen aliquod proprium tribuendo, exposuit hoc pacto, B *Basilius*, qui ipse Imperator; E. *Eudoxia*, Augusta ejus uxor; C. *Constantinus*; A. *Alexander*; S. *Stephanus*, omnes Imperatoris filii, quibus bonum omen augurabatur Sicq; tali arte, in Imperatoris gratiam, & post Ignatii Patr obitum, in pristinam dignitatem rediit V. Macrum *Hierol.* & ubi de *Photio* Patr.

Beda, adde: Anglo-Saxo fuit, oppido Girvicensis in Northumbria Balæo: Cantabrigiensis Sixto Sen. Benedictinus. Opera ejus prodiere Tom. 8. Vol. 4. fol. Basileæ A.C. 1564. fol. 3. Vol. Parisiis A.C. 1543 1558. Vol. 3. fol. Coloniæ Agrippinæ A.C. 1612. Tom. 7. & 8. Tom. A.C. 1545. *Nunquam Britanniæ fines excessisse legitur*, Balæus Obiit Trithemio A.C. 732. æt. 72. aliis 90. Sixto Senensi A. C. 734. æt. 62. Pareo A.C. 734. æt. 72. Helvico A.C. 735. septuagenarius vel aliis 71. Non verò, ut Baronius & Spondanus, quibus assentitur Gaulterius A.C. 776. æt 106. Labbæus. V. quoque in voce *Venerabilis*.

Bedolach, vox Hebræa, quæ occurrit Numer cap. 11. *vers.* 7. ubi manna ejus colorem habuisse dicitur; Salmasio *bdellium* est, quam vocem inde ortam contendit: Græcis Interpr. *species crystalli*, εἶδος κρυστάλλου: Bocharto margarita. Terra enim Havila, ubi *bedolach*, Geneseos *cap.* 2. *v.* 12. ea pars Arabiæ est ad Catipham & Baharen, ex qua margaritæ eruuntur, quod in accurata Paradisi terrestris descriptione, plurimis argumentis Vir eruditus probat. Certè, cùm manna & album fuerit & rotundum, quæ duo sunt in margarita maximè insignia, optimè speciem habuisse dicitur τοῦ בדלח *bedolach*. Unde Talmudici Doctores hunc ipsum locum explicantes in *Joma cap.* 8 *fol.* 73. 2, *Manna fuisse*, dicunt, *rotundum ut coriandrum, & album, ut margalith*: ut margaritam. Et Baal Hattuirim, *in Genes. cap.* 2. in hunc Numerorum locum excurrens, conjectat; Mannæ tribui speciem τοῦ *bedolach, quia pretiosi lapides & margaritæ cum Manna descendebant.* Eodem modo vocem sumit Auctor *Historiæ Templi secundi*, à Munstero editus, qui *pag.* 4. Antiochum Pium bovem misisse Deo Israëlis offerendum, *cujus cornua auro ductili operuerit, quemque tinxerit filis bedolach*, i. e. margaritis filo consertis, ait. Et *pag.* 146. ubi Herodis vitem auream habuisse refert *botros ex bedolach*, h.e. margaritis, &c. Origo vocis à בדל, *badal*, quod *separare & segregare* significat: unde non margarita quævis, sed egregia & eximia, quæque præstantiæ nomine à reliquis est segregata, hac voce indigitari videtur; *Unio* fortè, quod nomen *impositum maximè grandibus margaritis*, Plinius tradit *l.* 9. *c.* 35. Certè Latinè *unicum* dici, quidquid eximium est, di-

ſcimus ex Plinio de Cleopatræ unionibus, *Gerebat auribus cum maximè ſingulare illud & fere unicum naturæ opus.* Propertio *lib.* 1. *ad Cynthiam,*

Unica nec deerit jucundis gratia verbis, &c.

Vide prædictum Bochartum *Hierozoici Parte poſter. Lib. V. cap.* 5. & infrà in vocibus *Bidecha, Margarita, Unio &c.*

Beduini, adde: Halapiam & Crachum versùs, Arabiam incolunt, in tabernaculis degentes, unde etiam iis nomen. Auctor enim eſt Abrahamus Echellenſis in *Hiſtor. Arabum cap.* 1. quos *Scenitas* Strabo appellat, hodie. *Baduinos* dici à *Badia*, deſerto. Frequens horum mentio, apud *Rerum Hieroſolym.* Scriptores *Sylveſtres Tuni* dicuntur, apud Auctorem *Hiſtoriæ expeditionis* Friderici I. Imper. laudatum Caniſio *Antiqq. Lection. Tom V.* Cum Aſſaſſinis eos perperam confundit Joinvilla, ad quem vide *Notas* eruditas Car. du Freſne.

Beel vel *Baal*, Syrius Belus dictus, qui Βῆλος Græcis; *Bel* enim ex *Beel* contractè. Unde ſententia eorum concidit, qui Syrium Belum *Beel* vel *Baal*, Aſſyrium verò *Bel* vocatum eſſe contendunt. Adde, quòd idem fuerit *Belus Syrius* & *Aſſyrius*, imò & *Tyrius* & *Ægyptius*. Hinc & Numen idem apud Syros Aſſyriosque, hoc nomine appellatum, quem Græci Latinique Βῆλον appellarunt, Qua de re vide Salmatium *ad Solinum pag* 1228. & ſuprà in voce *Baal.*

Beel-Zebub, Hebr. בעל־זבוב. Philiſtæorum Accaronitarum olim Deus, q. dicas, *Deus muſcæ.* Cujus nominis non alia fortè cauſa, quàm quòd abigeret muſcas ab æde ſua, quod & Herculi tribuunt Plinius *lib.* 10. *cap.* 29. & Solinus *cap.* 1. hinc Ἀπομυίῳ dicto. Quanquam alios ipſum Jovem non puduit epitheto hoc inſignire, ut cui Elienſes hoc nomine ſacra feciſſe, apud Clementem *Protreptico* & Pauſaniam in *Eliacis prior.* legimus. Eum ipſum *Myoden* vocat Plinius *lib.* 29. *cap.* 6. ubi tamen Salmaſius μυιῶδη vult legi. Alibi, *lib.* ſc. 10. *cap.* 28. cum Myiagro Deo eundem faciens, *Invocant Elei*, inquit, *Myiagron Deum, muſcarum multitudine peſtilentiam adferente: quæ protinus intereunt, poſtquam litatum eſt ei Deo.* At Myagrus Heros fuit, non Deus; nec in Elide cultus, ſed Aliphera Arcadiæ urbe, ut diſertè docet Pauſanias in *Arcadicis.* Nempe videntur eò tranſlata fuiſſe hæc ſacra, ex Accarone Philiſtæorum; fuitque etiam hac in parte Diabolus Dei veri ſimia, in cujus templum muſcis nullus aditus, ſi Talmudicis creditur. LXX. Interppr. μυῖαν, *muſcam* hoc idolum interpretantur, quod ſequuntur Vett. multi: quia putabant, ſub muſcæ imagine Numen hoc cultum. Sed verior interpretatio prior. Cur autem Phariſæi hunc Dæmoniorum principem eſſe voluerint, Matthæi *cap.* 12. *verſ.* 24. & Lucæ *cap* 11. *verſ.* 15. qui Hebræorum aliis eſt Aſmodæus, non adeo liquet. Nec aliam Bochartus rationem adfert, niſi quòd Philiſtæ tum urbs Accaron etiam ſcribitur *Acharon* ab Hieronymo & aliis: quo cùm *Acheron* proximè alludat, potuit ab ignaris Deus Acharon, cum Acherontis Deo, id eſt, cum Plutone confundi, quem Inferis præfeciſſe Gentilium Theologiam notum eſt. Hebræi verò poſteriores non pauca ſuæ linguæ vocabula è Græcis deduxerunt, uti pluribus docet modo dictus Samuel Bochartus *Hierozoici Parte poſter. Libro IV. capite* 9. ubi de Oeſtro hoc prolixè agit.

Befulci, epitheton Wenedorum Slavorum, quos ita vocatos à Chunis, ſcribit Fredegarius *cap.* 48. *eò quòd duplici in congreſſione certaminis veſtita prælia facientes, ante Chunos, præcederent,* apud du Freſne *Gloſſar.*

Begardi, iidem cum *Beghardis* ſeu *Beguardis* Hæreticis quorum fœminæ *Beguinæ*, è tertio Ordine Franciſci ſeſe eſſe aſſerebant, ſed falsò, ut probat Waddingus: *Fratres pauperes* ſeipſos vocabant, item *Fratres & Sorores de Pœnitentia*; *Bizochi* inſuper, *Fratricelli, Vacaſui*, &c. dicti, ut videre eſt in *Extravag. Johannis XXII. de Religioſ. domib.* Eorum auctorem Petrum Cobutii de Corbario Antipapam facit Blondus in *Tractat. de Piceno*, ubi de Fabriano oppido; Dulcinum & Margaritam Scriptor *Vitæ* Clementis V. ut videre eſt apud Car. Macrum *Hierolexico.* Maximè muliebrem ſexum hæreſin hanc invaſiſſe, docent Matthæus Paris & Matth. Weſtmonaſterienſis *Anno Chriſti* 1243. *Beguinos* quoque vocatos eſſe (quamvis utplurimum mulieres in hac ſecta ſic appellatæ ſunt, ut diximus) diſcas ex *Epiſtola* Yvonis Narbon. quos, ut viros fictæ Religionis ac pietatis, inter cœtera, his verbis perſtringit M. Robertus de Sorbona *Serm. de Conſcient. Vidi quendam, qui cùm erat coram magnis Beguinis, habebat magnum ſupertunicale rotundum cum magnis & latis manicis de camelino & coram mundanis habebat de bruneta ſciſſum antè & retro, ſtrictum ſine manicis, de vario fœderatum,* &c. Nomen à Saxonico *Beggen*, id eſt, *mendicare*, arceſſunt Viri docti *ad Vitam S. Catharinæ Sen. num.* 74. &c. Vide in voce *Beguardi.* Sed & ſic appellati leguntur Fratres Converſi in Ordd. Prædicatorum & Minorum apud Auctorem *Annalium* Colmar. Anno Chriſti 1302. Etiam Valdenſes *Begginorum* appellatione non ſemel denigrat Godefridus Monachus S. Pantaleonis, Anno Chr 1209. & *ſeqq.* apud Carolum du Freſne *Gloſſar.* Vide quoque hic infrà, ubi de *Beguinis*, ut & in voce *Beguardi*,

Beghinæ, ejuſdem ſectæ ac inſtituti, cujus *Beguardi* & *Beguini*, de quibus retro, una proin cum iis damnatæ in Concilio Viennenſi, qua in urbe magna horum hominum vis. Meminit earum Matthæus Paris *ad Annum Chriſti* 1251. *In Alemannia mulierum continentium, quæ ſe* Beguinas *volunt appellari, multitudo ſurrexit innumerabilis, adeò ut ſolam Coloniam mille vel plures inhabitarent.* In Alemannia *Kubeins*, id eſt, *Pœnitentes* appellatas, tradit *Chron.* Senonienſe *libro* 5. *capite* 1. Eaſdem *Sorores de Pœnitentia de tertio Ordine S. Franciſci* dici voluiſſe, refert Guido Carmel. *Summ. de Hæreſ. fol.* 108. &c. Sed quia paſſim in Belgio præcipuè, ſub *Beguinarum* nomine, Virgines Deo verè & ſanctè famulari dicebantur, ne nocentium damnatione innocentes involverentur, Johannes præfatus *Extrav. Ratio recta* & *Bulla* alia providit. De quarum hodierno inſtituto ac vivendi ratione, ſic Lindanus: *Hæ medium*, inquit, *vitæ genus agunt, inter Monaſticum & Seculare Certis legibus omnes vivunt: de ſuo victitant, à votis liberæ ſunt. Si nubere viſum, migrant & nubunt, non inutili vitæ inſtituto, cùm ſint in illo & in altero ſexu, qui neque libertatem ferre poſſunt, neque arctum imperium, quibus medium hoc vitæ genus ſatius eſſe queat.* Quò & *Rhythmi* veter. faciunt, *de Origine Monaſterii Praeuſis*, in *Flandria,*

Beginæ namque fuerunt à prima ſui ætate,

Mox,

Habebant enim famulam, quæ omnibus miniſtrabat,
Et de juvantibus victum eis auxilium dabat.
Ibant enim illæ manè ad Albini ſanctum templum,
Deum orabant, nec inane deforis dabant exemplum,
Tunc non habebant in loco, ubi manebant, capellam,
Nec quid ſacratum in illo, ſed habebant ſolùm cellam,
Inde caſam repetebant, & accipiebant colum,
Otioſum tempus ſpernebant, nullum cogitantes dolum;
Sæpe veniebant probi, qui eos confortabant,
Et munimen conſilii illis pro Jeſu donabant, &c.

Vide Miræum in *Donationibus Belgic. capite* 112. & quæ de inſtituto Monachorum primævo dicemus ſuo loco. &c At in Gallia *Beguinarum* inſtitutum cum contemtui haberetur, ſenſim deſiit & in earum locum ſucceſſere Sorores tertii Ordinis Franciſci, quibus indidem traditæ in Galliæ urbibus earum ædes. Sic in *Beguinarum* Pariſ. Monaſterium tranſlatæ ſunt Sorores præfati Ordinis, de *Ave Maria* cognominatæ, diplomatibus Ludovici XI *Anno Chriſti* 1471. & 1479. Idem ab eodem Principe in urbe Bellovacenſi factitatum, refert Louvetus in *Hiſtoria Bellovacenſi Tom. I.* &c. Nomen quod ſpectat, à Begga, Pipini Landenſis fil. S. Gertrudis Nivellenſis ſorore, *Beghinas* ſeu *Beguinas* dictas eſſe, & ab ea inſtitutum ſuum accepiſſe, conſtans eſt inter Belgas opinio. Alii à velo capitis eas ſic appellatas volunt, quod tamen ab ipſis potiùs dictum videtur. Joachimus Hopperus, à *beginnen*, id eſt, incipere, vocis originem arceſſit, quòd *initium quoddam rei Monaſticæ ponant.* Alii denique à Bego quodam, iſtius inſtituti auctore, de quo ſic Ægidius Aur. vallis Monachus in *Radulfo Epiſcopo Leodicenſi ſub Annum Chriſti* 1180. *Suſcitavit Deus Spiritum Sanctum cujuſdam Sacerdotis viri religioſi, qui Lambertus le Begue, quia balbus erat, de S. Chriſtophoro dicebatur, à cujus nomine mulieres & puellæ, quæ caſtè vivere proponunt,* Beguines *Gallicè cognominantur, quia ipſe primus extitit, qui eis præmium caſtitatis verbo & exemplo prædicavit,* &c. Vide plura hanc in rem apud Car. du Freſne in *Gloſſ.* & Macrum in *Hierolex.*

Behema, Hebraicum nomen, quadrifariam in Sacris ſumitur: primò pro *bruto quovis*, Pſalmo 36. *verſu* 7. Secundò pro *quovis terreſtri quadrupede*, aliquantæ molis & viviparo, Levitici *cap.* 11. *verſ.* 5, 6. Tertiò, pro *jumentis* & *gregibus*, omnique domeſtico pecore, Geneſ. *cap.* 1. *verſ.* 25. Quartò denique nomen plurale, בהמות *behemoth*, terminatione plurale, ſed ſenſu ſingulare, certa eſt animalis ſpecies. Vulgus interpretum *elephantum* eſſe putat, quia terreſtrium belluarum eſt maxima. Pſeudo-Eſdras *lib.* 4. *cap.* 6. *verſ.* 49. & 51. & Talmudici Doctores in *Bava Bathra cap* 5. monſtrum horrendum, informe, ingens, intelligunt, quod depaſcatur mille montes, tanquam ex Pſalmo 50. *verſu* 10. & in Meſſiæ convivio piis Judæis ſit apponendum. Bochartus hippopotamum exponit, quem omnino vide *Hierozoici Parte poſteriore libro* 5. *capite* 15. ut & infrà in hac voce.

Beilſtenium, Germanicè *Beilſtein*, oppidum Germaniæ cum arce, bihorio in Occaſum hibernum Herbornâ diſtans, caput territorii, in ſatis magnam Weſtervvaldiæ lineam extenſi, olim ſub proprio Comite, è ſtirpe Naſſovia, Lineæ Dillenburgicæ. Henricus enim I. Henrici Comitis filius, Othonis, qui Dillenburgenſe ſtemma condidit, nepos; ab Othone fratre majore natu, hæreditate diviſâ, diſcedens, *Beilſtenium* lineam orſus eſt: Pater Henrici II. cujus filius Henricus III. Johannem I. genuit, quo natus Henricus IV. Johannem ſuccepit II. patrem Johannis III. qui, uxore licèt Comitis Naſſoviæ Weilburgii ductâ, improlis obiit, ditione ad agnatos Dillebur-

leburgicosd volutâ. Atque ita surculus Bellsteinius exaruisse .isus, translatione novo succo recepto, hæreditati Georgii Com. Nassovii insitus eique iterum exemtus, fratribus eju. natu minoribus cessit. Prior traductio anno 7. altera anno 21. seculi præsentis facta est, Cyriacus Lentulus *Genealogia Principum Nassoviæ adhuc inedita.*

Belamia, ex Gall. *Belle amie*, quasi *Bella amica*, vestis species est, memorata in *Regula*, datâ à Roberto de Arbrissello Monialibus Fontis-Evraldi, *cap.* 2. *Ut non habeant vestimenta fimbriata, neque in lecto præter* belamiam, *sed incisa consuantur, ut tunicæ & chlamydes, & cætera omnia*, apud du Fresne *Gloss.*

Belatucadrus, nomen fictitii Numinis, in Anglia olim culti: cujus mentio in vet. lap. Wardaliæ in Cumbris, in ædibus nobilis Viri Th. Dykes, DEO SANCTO BELATUCADRO AURELIUS DIATOVA ARAM EX VOTO POSUIT L.L. M. M. Item in alio, BELATUCADRO JUL. CIVI IS OPT. V. S. L. M. Item in tertio, quem Gruteriana *Inscriptionum Collectio* præteriit, Camdenus vero earum editoribus transmisit: DEO BELATUCADRO LIB. VOTUM FECIT JOLUS. Idem, fuisse Seldeno *de Diis Syris* videtur, cum Beleno & Abellione, quibus nominib:s Solem à priscis cultum esse, docet Gerh. Joh. Vossius *de Orig. & Progressu Idolol. lib.* 2. *cap.* 17.

Belbina, Græcè Βελβίνα, parva est Insula, seu rupes potiùs, quam Meursius inter Atticæ demos recenset. Sed cum habitatam fuisse nullus testetur idoneus Auctor, neque et amœ par vitatem verisimile sit cultores habuisse, hic Vir doctus impegisse videtur, Jac. Sponio *Itinerar. Græc. Pars.* 3 *pag* 101.

Belendi, inter minores Aquitaniæ populos recensentur à Plinio, cùm ait: *Erombrisates*, Belendi, *saltus Pyrenæus*, *infraque Monesi*, *Osfidates montani*, *Sibillates Camponi*, *Bercorates*, *Pimpedinsi*, *vel Bipedimui*, *Sassumini*, *Vellates*, *Tornates*, *Consoranni*, *Ossidates campestres*, *Succasses*, *Latusates* &c. Ex quibus *Belendorum* nomen videtur retinere *Belin*, locus Gallæ, in Aquitania, ad flumen Leiam sive Sigmana Bojorum, Hadr. Valesius *Not. Gall. in voce Sibutsates.*

Belenus, adde: Non alium eum, quàm Apollinem seu Solem fuisse, docet Jul. Capitol. *in Maximinis*: *Cùm igitur frustra obsideret Aquilejam* (ubi is cultus) *Maximinus Legatos in eam misit, quibus Populus pene consenserat, nisi Menophilus cum collega restitisset, dicens etiam Deum* Belenum *per Aruspices spopondisse, Maximinum esse vincendum. Unde etiam postea Maximini milites jactasse dicuntur, Apollinem contra se pugnasse. nec illam Maximi aut Senatus, sed Deorum fuisse victoriam.* Vide quoque Herodianum *lib.* 8. ubi eum Βέλιν vocat & Oraculum ejus Θεῦ ἐπιχωρίου, *patrii Numinis*, appellat. De eo idem sonant Inscr. plurimæ Aquilejæ repertæ. Uti illa in ara oblonga; APOLLINI BELENO AUG. IN. HONOREM C. PETTI. Et alia, APOLLINI BELENO C. AQUILEIENS. FELIX. Alias, quæ ibidem visantur, quinque, refert Gruterus *Inscript. vett. pag.* 36. Nec Cisalpinæ is solùm, sed Transalpinæ quoque Galliæ in veneratione fuit: unde Phœbicii, *Beleni* æditui, meminit Ausonius *in Professor. Burdigal.* Vide eundem *Carm.* 4. Noricorum etiam fuisse Numen, discimus ex Tertulliano *Apologet. cap.* 14. nisi pro *Noricis*, ibi *Armoricis* legendum. Nomen à בעל videtur ortum, (unde Βήλ, Βάαλ, Βῆλος & Βελενὸς,) cum omnis penè superstitio ex Oriente sit. Nec *Abellio*, aliunde quam à Beὸ dictus: ut & nec Belatucadrus, de quo supra. V. Gerh. Joh. Vossium *de Idolol. lib.* . *cap.* 17.

Belesis, Arbacis in bello contra Sardanapalum socius & commilito, Babylonicum Regnum obtinuit, Esajæ *Baladan*, Ptolomæo & Censorio *Nabonassarus*, à quo celebris Chaldæorum epocha nomen habet, dictus. Pater, vel, ut aliis placet, avus Mardocempadi, quem *Merodach* vocat sacra Historia. Vide de successoribus ejus Geo giun Hornium *Orb. Polit p.*442.

Belfredus, seu *Berfredus*, Gall. *Beffroy*, machina est bellica lignea, in modum excelsioris turris extructa, variis tabulatis, cœnaculis seu stationibus constans, rotisque quatuor vecta, tantæ proceritatis, ut ejus fastigium oppidorum & castrorum obsessorum muros æquaret. Ejus parietes vel tabulis vel cratibus colligati, coriis taurinis equinisque operti erant, ut ab ignium inextinguibilium jaculatione nullum paterentur damnum. In cœnaculis autem collocabantur milites, qui in hostes continuò tela vibrabant aut sagittas emittebant: infrà verò vir robore præstantes magnis impulsibus machinam muris admovebant; uti hæc machina describitur à Leone Imperatore in *Tacticis capite* 15. *num.* 30, aliisque passim. Modum conficiendorum *Berfredorum*, quos πυργογύστους vocat Auctor *Chronici* Alexandr. vel saltem ejusmodi turrium, quas ad urbium & castrorum munitiones admovere Vett. solebant, accuratè exponit Sanutus *lib.* 2. *pars* 4 *cap.* 22. De iisdem Willhelm. Armoricus *Philipp. lib.* 2. sub *Belfragii* nomine,

> *Cratibus & lignis rudibus belfragia surgunt.*
> *Turribus alta magis & mœnibus, unde valerent*
> *Agmina missilibus, telisque quibuslibet uti*
> *Dejectosque hostes facili prosternere jactu* &c.

Hinc postea nomen translatum ad altiores qualcunque turres, quæ in urbibus aut castris eriguntur, in quarum fastigio excubant vigiles, qui eminus adventantes hostes, pulsatâ campanâ, cives monent, ut ad arma sint parati: quamvis & extra belli metum, prout rei politicæ Curatoribus visum fuerit, eodem campanæ, ibi hac fini pendentis, pulsu, non raro convocari soleant. Unde Campana hæc *bannalis* dicitur Hoclemio, quòd, cum pulsatur, quicunque intra *bannum* seu districtum urbis commorantur, ad conventus publicos teneantur promtè se conferre. *Statuta* Gildæ Scoticæ *capite* 28. *Nullus regratarius emat pisces*, *fœnum*, *avenas* —— *ante pulsationem campanæ in berefrido*, &c. Atque inde *Belfredus* inter privilegia *Communiæ* vulgo accensetur, quod colligit Car. du Fresne ex *Statuto* C roli Pulchri Anno Christi 1322. quo cives Laudunenses, propter commissum aliquod in Laudunensem Ecclesiam sacrilegium, iure Communiæ privantur, nempe *jure Scabinatus*, *Collegii*, *Majoratus*, *Sigilli*, *Campanæ*, Berfredi, *& jurisdictionis*. Sed & ipsa *Belfredi* vox, à Saxon. *bell*, id est, campana, & *fria*, id est, pax, deducta videtur, quod in hisce turribus appenderetur ad convocandes homines, in tumultibus bellicis vel aliis occasionibus, maximè in urbibus, quarum communiæ *Pacis* nomine passim donatæ leguntur, &c. Vide Carolum du Fresne *Glossar*.

Belisarius, adde: Primus legitur fuisse inventor molendinorum in Tiberi. Cùm enim illa in Janiculo priùs essent, uti patet ex *Edicto* Claudii Julii Ædesii Dynamii Viri Clar & Jul. Præf. Urb. apud Gruterum *pag.* 426. *num.* 6. Belisarius dein in Tiberim illa transtulit, occasione Blondo pluribus indicatâ, *Decad.* I. *libr.* 4. Imago ejus in nummis quibusdam Justiniani, cujusmodi unum Petrus Gyllius sic describit: *In ejus uno latere sculptus erat Justinianus*. *Belisarium excipiens triumphantem: in altero* Belisarii *imago, cum hoc elogio*, GLORIA ROMANORUM BELISARIUS. Effictus sci. fuit in eo numismate Justinianus, quomodo fere tessellato seu musivo opere, in Chalces, quæ Palatii Constantinopolitanæ vestibulum fuit, camera ac fornice, ut auctor est Procopius. Ibi enim, ut hic Scriptor memorat, *Belisarius* ad Imperatorem redux, cum exercitu integro, exuvias ei offerebat, Reges ac Regna, & quidquid excellebat inter homines. In medio stabant Imperator & Theodora Augusta, ea uterque specie, ut summam lætitiam præ se ferrent & festo victoriam celebrarent, ea tu supplicesque accedentibus Vandalorum Gothorumque Regibus insignem, circumstantibus Senatoribus festumque agentibus. Ita autem *Belisarium* in Circo Justinianus excepit, ut idem Auctor refert. In istis porro Justiniani numismatibus aureis perinde ac argenteis effictum *Belisarium* volunt Cedrenus, Glycas & Constantinus Manasses, ἐν σχήματι ἱππικῷ [illegible], *armatum cum gladio stricto*. Idem *Dissertatione de inferioris ævi numismat.*

Belisia, oppidum Belgii, in Hasbania regione, Episcopo Leodic nsi subjectum; quod vulgò *Bilsen* aut *Wilsen* dicitur. Vide Hadr. Valesium *Not. Gall.* in voce *Hasbania*.

Belkis, Regina Sabæ inter majores suos dæmonem numeravit, si impuro Mahometi credendum. Sam. Bochartus *Hierozoici Part. prior. lib III. cap.* 3.

Bellerophon, adde: ex Hebr. בעל הרובין *Baal-harobin*, h. e. *Magister vel Præfectus jaculatorum*. Vide Eundem *Hierozoici part. prior. lib. II. cap.* 6.

Belli indicendi ac gerendi ritus. Romani, ut inquit Varro, bella & tarde, & nulla licentiâ suscipiebant, & quod bellum nullum nisi pium putabant geri oportere, priusquam iis indicerent bellum iis, à quibus injurias factas sciebant. Fæciales legatos res repetitum mittebant quatuor, qui, si postulata impetrassent, fœdus cum iis feriebant: sin minus, re deliberatâ bellum indicebant; qui ritus *Clarigatio* vocabatur, & à Dionysio Halicarn. *libr.* 2. sic describitur: *Fæcialium*, inquit, *unus quispiam electus à Collegio, veste augustiore, suisque insignis verendus ad infestorum hominum agrum profectus, cum primùm fines eorum attigit, Jovem cæterosque Deos invocans, testatur à Romanis se venire, jusque suum petere. Deinde juratus ire se ad injustam civitatem, & si quid mentiretur, sese suosque cives execratus, intra fines ingreditur, & quem primum obvium nactus est, eum testatur. & repetitis eisdem precibus atque execrationibus, ad urbem pergit. Quam priusquam ingrediatur, vel portæ custodem, vel primum quemque in portis obvium similiter testatus, ad forum procedit, ibique stans Magistratibus ad ventus sui causam indicat, semper jusjurandum & imprecationes adjiciens. Tum sidamnatos auctores injuriæ acceperit, abducens eos amicus, ipse ab amicis discedit. Quòd si tempus ad deliberandum peterent, post decem dies revertebatur, idque aliquando tertiò. Elapsis autem triginta diebus, si non impetraret jus suum, obtestatus Superos atque Inferos discedebat, hoc tantum præfatus, super ea re populum Romanum per otium deliberaturum. Deinde assumtis cæteris Fæcialibus Senatui renunciabat, omnia se ritè exequutum, & si velint bellum decernere, licere id illis per Deos*, &c. Livius *lib.* 1. hunc morem ab Æquicolis desumtum, ab Anco Martio Romæ primùm institutum, atque à posteris etiam religiosè observatum fuisse, refert. Additque *Legatum* (Fæcialem intelligit) *ut adfines eorum venit, unde res repetuntur, capite velato* (filo lanæ) *Audi Jupiter*, precatum

tum esse, *audite fines, audias fas. Ego sum publicus nuncius popul. Rom. juste pieque legatus venio, verbisque meis fides sit. Deinde pergendo, Jovem testem fecisse, si ego injuste, impieque illos homines illasque res dedi & Populo Romano mihique exposco, tum Patriæ compotem me nunquam sinas esse: sic fines supra scandisse*, &c. Porro idem diebus tribus & triginta (tot enim solemnes) peractis, bellum ita à Fæciali indictum esse, narrat: *Audi Jupiter, & tu Juno, Quirine, Diique omnes cœlestes, vosque terrestres, vosque inferni audite. Ego vos testor, Populum illum injustum esse, neque jus persolvere, sed de istis rebus in Patria majores natu consulemus, quo pacto jus nostrum adipiscamur*: Quum dein bellum decretum, hastam in fines hostium Fecialis immisisse, apud eundem memoratur, ut & Aulum Gellium *libro 16. capite 14.* his fere verbis: *Quòd populus Hermundulus, hominesque populi Hermunduli adversus Populum Romanum bellum fecere, deliquere, quodque populus Rom. cum pop. Hermundulo, hominibusque Hermundulis bellum jussit: ob eam rem ego populusque Rom. populo Hermundulo hominibusque Hermundulis bellum indico facioque.* Alii à Fæciali, bellum denuntiante, arietem in hosticum emissum esse scribunt, quo indicare voluisse Romanos, hostilem agrum brevi gregibus Rom. populi in pascua esse cessurum, unde Proverb. *Arietem emisit*, &c. Idem fere de Atheniensibus legimus, à quibus per Legatum vel telo, vel ariete in agrum hostilem, aut ipsam potius civitatem inimicam emisso, significatum esse *μηλόβοτον αὐτῶν τὴν χώραν ἔσεσθαι καὶ τὴν πόλιν, non agrum modò, sed civitatem*, ubi homines prius habitabant, *in gregum suorum pascua convertendam esse*, legimus apud Diogenianum. Bello dein decreto superstitiosa admodum solicitudine, ad illud se præparatunt, sacrificando Diis, Vates consulendo, & antiqua quoque Oracula, quæ civitati suæ, diversis temporibus, contigere, evolvendo. Postea ad Judæorum, Latinorum, Persarum, aliarumque gentium morem, Diis suis insigne quiddam devoverunt, si victoriam essent consecuti; hostium nempe decimas Apollini, vel aliud quiddam non minoris pretii, tanto aliquando excessu, ut Jovis Ammonii oraculo à ritu hoc desistere, & Lacedæmoniorum frugalitatem imitari fuerint moniti. Propterea, quemadmodum Lacones plenilunium expeditionibus suis pro infausto habuerunt, similiter Athenienses ante diem 7. mensis quiescere, neque ante novilunium belli Duces eligere, consultum duxere. In acie, dextrum semper cornu tuebatur Dux ipse, novitii milites, *οἱ ὀψιμαθεῖς*, incedebant *ἐν τοῖς μέρεσι τοῖς ἀκινδύνοις*, *in partibus ubi minus periculi*, unde horum militia modò *φρουρὰ ἐν τοῖς μέρεσι*, modò *περιπόλια* dicta est. Cùm ad flumen perventum, sacrificiis demum oblatis, illud trajiciebant, quod *θύειν τὰ διαβατήρια* vocavere: quod idem à Romanis factitatum, cùm ad Petroniam, fluvium in Tiberim se exonerantem, accesserunt, tumque dicti sunt *perenne auspicari*. Prælium aggressuri, post cæsam victimam inspectaque exta, milites quosdam facibus instructos, dictos *πυρφόρους* præmiserunt, qui in medio inter utramque aciem constituti, pugnæ signum dedere. Statius *Thebaid. 4.*

Prima manu rutilam de vertice Larissæo
Ostendit Bellona facem.

Quò alludere quoque videtur Lycophron, cùm *ἐχθρῶν πυρσόν*, & Pindarus, cùm *ὑπὸ πυρσοῖς* dicit. Defungebantur autem hoc munere tutò, & extra omnis periculi metum, Marti sacri: Unde Sholiast. *in Euripid. Phœniss. ἐπιζώσι*, inquit, *οἱ πυρφόροι, εἰ καὶ πάντες ἀπόλοιντο*: & totalis exercitus internecio Proverbio, *οὐδὲ ὁ πυρφόρος ἐσώθη*, *Ne facifer quidem incolumis evasit*, indigitatur, &c. Et hæc ante tubarum usum, quibus inventis, a Tyrrhenorum gente, ut quidam volunt, usuque earum ab Archida quodam, qui Heraclidis auxilio venerant, in Græciam illato, *τῶν πυρφόρων* consuetudo cessavit: quò respexit sine dubio Æschylus, cùm ait:

Σάλπιγξ δ' αὐτῇ πάντ' ἐκεῖν' ἐπέφλεγε.
Tuba sonore cuncta ista incendit.

Tubarum loco *conchas* quoque *sonantes*, adhibitas fuisse, ex Theognide discas. Israëlitæ olim, his in bello ritibus usi leguntur. Primò Sacerdos classicum cecinit tubâ, Numeror. *capite 10. versu 9.* quod nominabant תרועה *Terughah*, id est, clangor, vociferatio: Erat autem citus concisusque fragor ad accendendum militum animos apprimè faciens. Dein è Sacerdotum collegio electus est, qui masculâ oratione animos faceret militibus eosque ad rem strenuè gerendam patheticè hortaretur, Deuteronom. *capite 20. versu 2.* Dixere hunc *Unctum belli*. Sic adversus hostem bonâ spe pleni, idque quini ac quini, procedebant. Exodi *cap. 3. versu 18.* &c. Vide Johannem Rosinum *Antiqq. Rom. lib. 10.* & Dempsteri *ad illud Paralipomena*, Fr. Rossæi *Archæologiam Atticam lib. 6.* Thom. Godvvynum *de Ritibus Hebræorum libr. 6. cap. 8.* &c.

Bellis, Gallicè *Marguerite*, flos est, in quo quid adrideat, non injuriâ quæras. Caret decore & colore penè caret; & placet tamen non parum; nec vulgari habetur in pretio. An quòd ei pretiosum Galli fecere nomen & Latini bellulum: nam illi *Margaritam* dixere, hi *Bellidem*. Utut sit, est in honore bellis, pusilla licet & reptilis; nam ferme humi serpit, vix mole æquans violam. Subalbidis compacta est, subrubrisque flocculis, in sphærulam consertis & agglomeratis, ac tam venustè, tam concinnè, ut eam, quâ valet, commendationem & gratiam, inde potissimùm accersat omnem. Sed & alia *Bellis* est, agrestis ac ingloria, hortensi tamen multo formosior; nam sinum aureum radiis coronat argenteis, in stellulæ modum. Jacet nihilominus sine honore, quòd passim obtrudat se non quærenti; quòd sponte, nulloque satu provocata, sistat se cuilibet obvia; aut, ut veriùs dicam, quòd ingratum spiret odorem. Fr. Pomey *Div. Descript.*

Bellona, adde: Pingebatur coma sparsâ, armata face, Silius *Punic. lib. 5.*

Ipsa facem quatiens ac —— *sanguine multo*
Sparsa comam, medias acies Bellona pererrat.

At falcem manu prætendebat. Claudian. *in Eutrop. lib. 2.*

— — *Quid dudum inflare moraris*
Tartaream Bellona tubam? quid stringere falcem,
Quâ populos à stirpe metis?

Alterâ manu clypeum gerebat. Idem *de 4. Honorii Consulatu*,

Jam trabeam Bellona gerit parmamque removit,
Et galeam.

Ædem Romæ habuit in IX. urbis regione, versùs portam Carmentalem, in Circo Flaminio, intra quam Senatus dabatur exterarum nationum legatis, quos in urbem admittere non judicabant consultum. Item Ducibus è bello redeuntibus. Ante aliam erecta stabat columella, *bellica* dicta, supra quam, cùm bellum indicebatur, hastam jacere moris fuit: Collocatur à Servio inter communes Deos, habebatque parem cum Marte potestatem. Contrarium illi Numen Paulus fuit, ut observat Turnebus *Adversar. lib. 15. cap. 21.* quòd quies & otium, cui ille præest, bello adversaretur. Placabatur autem pridie Nonas Junias, an. 9. Kal. April à suis Sacerdotibus *Bellonariis* dictis, qui cùm antiquitus *sanguinem de femore proscisso in palmulam exceptum*, initiaturis darent, teste Tertulliano: postea simulatâ tantùm membrorum sectione usi fuisse videntur. Hinc Æl. Lampridius *in Commodo, Bellonæ servientes*, inquit, *verè exsecare brachium præcepit, studio crudelitatis.* Vaticinabantur autem hi stragem populorum aut eversiones urbium, ubi semel concepto furore discurrere cœpissent, iisque maxima fides adhibebatur. Juvenal. *Sat. 4. versu 124.*

—— —— *Sed ut fanaticus œstro*
Percussus, Bellona, tuo divinat.

Plura vide apud Joh. Rosinum *Antiqq. Rom. lib. 4. cap. 10.* & *Paralipom. ad illud*, nec non Casaubonum *ad Lampridium.*

Bellonaria, herba dicta, quam ad hoc, ut entheato spiritu pleni viderentur, sumebant olim Galli Cybeles de quorum ementito furore & ficta vaticinatione ac *gallandi*, ut Varro ait apud Nonium, modo, videnda octava Apuleji *Milesia*. *Vaticam* eandem appellatam esse, testis est Apulejus alter in *Herbario*. Pertinebat autem hoc ad confirmandam superstitionem, ut alii terrerentur furere & vaticinari hi Satanæ *ἐνθέῳ*, quasi ab alicujus Numinis inspiratione immisso furore: etiam hac in parte veros Dei Prophetas, qui Numine pleni nonnunquam seipsos non capiebant, utcunque Dei simiâ hac imitante. Radicem halicacabi solitos bibere, ut eam extasin *Bellonarii* conciperent, docet Salmasius *ad Solinum pag 1087.*

Bellonarii Vide suprà in *Bellona*, & infrà, in voce *Sanguinis Dies.*

Belluata Alexandrina, apud Plautum in *Pseudolo*,

Neque Alexandrina belluata *conchyliata tapetia*,

polymita sunt Alexandrina, quæ non minus, ac ipsa Babylonica & Phrygionica opera, quæ acu plumabantur, varia olim texi variisque coloribus & picturis, *belluarum*, hominum, avium aliarumque rerum intexi consuevere. Vide suprà in voce *Alexandrina.*

Bellum Quadrum, vel *Belliquadrum*, vel *Bellicadrum*, castrum est vel opp. Galliæ, ad Rhodanum, vulgò *Beaucaire*, sede Senescalli & nundinis suis illustre: Nomen haud dubiè à forma quadrata accepit, ut idem sit *Bellum quadrum*, ac *Bellum quadratum*, seu pulcher locus quadratus. Olim *Ugernum* castrum, Vide ibi, ut & in voce *Belloquadra.*

Bellum Sacrum, apud medii ævi Scriptores, dicitur expeditio Christianorum suscepta in Orientem, ad recuperandam à Saracenis Terram Sanctam, rogatu Simonis Patr. Hierosolymitani, hortatu Petri Ambianensis, jussu & decreto Concilii Claromonte in Gallia A. C. 1095. indicti. Duces ejus summi erant Hugo Magnus, Philippi I. Francor. R. frater & Gothofredus, Eustathii Boloniæ Belgicæ Comitis fil. Dux Bullionæus, idemque Dux Lotharingiæ: ejusque duo fratres Eustathius & Balduinus: item duo Roberti, alter Normanniæ Dux. Guilielmi ex illa gente primi Anglorum Regis fil. & Guilielmi Rufi R. frater; alter Flandriæ Comes: Porro Raymundus Tholosatium & Stephanus Blesentium Carnutumque Comites, Raimbaldus Com. Auraicensis, Hugo Com. de S. Paulo. Bohemundus Princeps Tarentinus, & Ademarus Episc. Podiensis, Urbani II. Papæ ad id bellum Legatus. Reliquos Viros illustres nominant Wilhelmus Tyrius *Histor. libr. 1. cap. 17.* Alb. Aquensis *Expedit. Hierosolym. libr. 2.* & Anton. Florentinus *Histor. Part. 2, tit. 16. cap. 13.* Hi transmisso Bosporo, prope Chalcedonem in Asia recensitis copiis, A. C. 1097. peditum sexcenta, equitum loricatorum centum millia, præter impedimenta,

in

in quibus Clerici & mulieres, deprehenderunt: cum quibus, Nicæam urbem (in cujus conspectu alii dinumerationem hanc factam malunt) eodem anno, totamq; Ciliciam Solimanno Turcæ Cutlumusis fil. eripuerunt. Antiochiam sequente anno, post octimestre obsidium, ceperunt; moxque in eadem obsessi à Turcis, è Persia adjutis, duce Corbagatho, post gravissimam famem aliasque obsidionis ærumnas, felici eruptione hostes depulerunt, d. 28. Jun. 1098. Inde profecti Hierosolymam, eam occuparunt die 16. Julii, feria 6. A. C. 1099. Godefrido D. qui primus murum superaverat, Rege electo, die 2.. Jul. Hic de Saracenis Ægyptiis, quorum Dux Amiras Ægypti, insignem reportavit victoriam die 12 Aug. fer. 6. quo in prælio Robertus Normanniæ D. Ducem hostium occidisse perhibetur. Ditiones dein Ducibus divisæ, Bohemundo datus Antiochiæ Principatus; Balduino Gotofredi fratri Edessa & Samosatum trans Euphratem, Tancredo Comitatus Tiberiadis. Postea Christiani Latini arma circumferentes, etiam maritimam Palæstinæ oram, in potestatem redegerunt, maris possessione parta, multisq; regionibus partim e Turcica, partim è Saracenica dominatione ereptis, longè lateq; imperare cœperunt, à Mari Mediterr. trans Euphratem porrecto imperio. Sed altera expeditio, ab Hugone Magno, qui, in Galliam reversus, novas copias in Asiam duxit, proditione, ut fertur, Alexii Græcorum Imp. infausta fuit, circumventis in Asia minore Christianorum copiis, & elapso ægre Hugone cum paucis reliquiis. Nec felicior Conradus fuit III. Imp. qui hortatu Eugenii III. A. C. 1147. & Ludovicus VII. Franc. R. qui suasu Bernardi Abbatis Claravall. eodem anno, cum ingentibus copiis in Asiam trajecerunt: *Eorum enim ex excidio, fugit tamen quanquam hic Dominus; nec habuit acceptum munus, quod aliqui fortasse offerebant manibus*, verba sunt ex Guill. Tyri lib. 5. cap. 30. § 3. .. tamen eodem signa movit Fridericus I. Imp. A. C. 1189. Moxque ad eandem sacram militiam magnos exercitus adduxerunt Philippus cognom. *Augustus* & Richardus Angliæ Regg. Post quos iterum A. C. 1217. expeditio ingens ex universa Europa in Palæstinam suscepta est. Ipseque anno 1228. Fridericus II. Imp. Ptolemaidem venit, & A. C. 1229. Hierosolymam, a Saladino Christianis ademtam A. C. 1189. recuperavit. Ludovicus quoque IX. Franc. R. in Ægyptum cum copiis appulit A. C. 1249. & quinquennium in Oriente exegit. Verum omnia tentim in pejus ruere, & Helpis quidem Sultanus Ægyptius Tripolim, A. C. 1288. Melekai ex vero successor ejus Ptolemaidem A. C. 1291. expugnarunt, tota sic Syria Christianis erepta: *Qui finis sacri Belli jam ... potest. Nomen quidem mansit, ferrum aliis bellis strictum*, Æmylius de rebus gest. Francor. l. ... Sexagies centena Christianorum millia, in Palæstinam transiisse, de hujus Belli initiis agens, notat Calvisius ad A. C. 1099. Quibus si addas numerosos illos exercitus, qui toto eo durante in Ægyptum Asiamque trajecerunt, quantum Christiani sanguinis eo fusum sit, cogitare in proclivi erit: perpauci enim domum sunt reversi &c. Dum vero his in Oriente cum Turcis Saracenisque res erat, aliud in Europa *Bellum, Sacrum* itidem dictum in Valdenses & Albigenses jussu Innocentii III. proclamatum est A. C. 120.., incentore Dominico, Ordinis Prædicatorum auctore; Duce Simone Comite Montfortio: de quo alibi dictum. V. plura hanc in rem apud Joann. Forbesium *Instruct. Historico-Theologic. Lib III. cap. 10.* nec non in vocibus *Cruciata, Palæstina, Terra Sancta* &c.

Bellus, Gentii Regis orator, memoratus Livio *lib. 44. cap. 31. Pulsi enim & fuga conglobati, quum ducenti amplius in ipsis faucibus portæ cecidissent, tantum inuserunt terrorem, ut Oratores extemplo ad Prætorem mitteret Gentius Teuticum & Bellum, principes gentis, per quos inducias peteret, ut deliberare de statu rerum suarum posset.* Quis autem is Gentius fuerit, V. suo loco.

Bellus Locus, incolis *Belleve*, Gallis *Beaulieu*, locus est Galliæ, veteri Monasterio illustris, in Arvernis, ad Duranium fluv. Hadr. Valesius in voce *Duranius*.

Bellus Mons, vulgò *Bemont*, Monasterium Virginum Galliæ, in agro Lingonensi. Hadr. Valesius *Not. Galliæ*, in voce *Lingones*.

Belna, villa Galliæ, in pago Mauripensi, Monasterio S. Dionysii subjecta, vulgò *Beaune en Gastinois* quasi *Belna in Vastinio*. V. in voce *Mauripensis*.

Belnajus, vulgò *Beaune*, unus ex novem fluviis, quos cis Sequanam in Caletis, seu extrema parte Normanniæ, enumerat Ordericus Vitalis *lib. 12.* Oritur in vico Belnajo, cui nomen dat: dein alluit vicum S. Marci, Lambertivillam *Lamberville*, Balcam villam *Bacqueville*, Hermannivillam *Hermanville*, tum S. danâ recipitur Vicus *Belnajus*, aliis *Beaune*, aliis *Beaunetot* nuncupatur. V. Hadr. Valesium *Notit. Gall.* in voce *Caleti*.

Beltis, vox memorata in Synodo Celichytensi A. C. 816. *cap. 10.* de Episcoporum exequiis celebrandis, *Singuli servorum Dei diem jejunent & 30. diebus canonicis horis expleto synaxeos & septem beltidum Pater noster, pro eo cantetur & hoc expleto item tricesimo obitus sui* &c. Spelmanno Rosarium notat, quod eam à Saxon. belt. cingulum, deducit. Sed an Rosarii usus jam eâ tempestate extiterint, jure addubitat du Fresne. Dominico Macro instrumentum fuit ad preces & orationes dominicales salutationesque Angelicas dinumerandas, *Sicut*, inquit, *cum corona seu rosario hodie calculamus*: Sed & hoc sine ratione. Carolus itaque frater ejus, *septem beltidum* totidem vices significare censet, quodque ab Hispanis *fette bueltas*, Ital. *sette volte*, à *volvendo*, dicatur, V. eos in *Hierolexico*.

Benal & *Belua*, terrestres hyænæ dictæ sunt; de quarum natura & captura apud Turcas, habes apud Busbequium *in Epistolis Legation.* ubi *Tesef* à Turcis hodie vocari hyænam scribit, quo modo Afris dici tradit Scaliger, Arabibus *Dabuh*. Salmasius *ad Solinum pag. 3.6.* V. quoque infrà in voce *Hyæna*.

Belus, adde: *Sacratissimus Assyriorum Deus* Plinio dicitur, quem plerique Jovem esse volunt, unde Διὸς τοῦ Βήλου χαλκόπυλον, Jovis Beli templum æreas portas habens, apud Herodotum. Et sic ἦν Διὸς ὃν οἱ Βαβυλώνιοι καλοῦσι, *Etiam Jovis, quem vocant Babylonii Belum* apud Diodor. Saturnum tamen alii esse ajunt; nonnulli & Martem, uti suprà vidimus in voce *Baal.* V. Salmasium *ad Solinum pag. 123.* ut & *pag. 1.17.* ubi *Belum Syrium seu Phœnicium*, item *Assyrium* & *Ægyptium* quoque, eundem fuisse docet. Et gemma dicata *Beli oculus* dicta est, quod oculi speciem haberet, utpote quæ *albicans pupillam cingeret nigram è medio aureo fulgore lucentem*, ut ait Plinius. Sic aliæ occurrunt gemmæ, *αἰγόφθαλμοι, λυκόφθαλμοι* &c. nomine, quod caprinum, lupinum oculum exprimere videantur, se vel figura vel luce, V. infra in voce *Oculi*.

Belus fluv. adde: Ad eum Chalcis Seleucia sita est, Salmasius *ad Solinum pag. 6 9.*

Belzoi vel *Benjoin*, V. infrà.

Bema, Gr. Βῆμα, *pulpitum*, seu gradus. Item Festum Manichæorum, dies nempe, quo Manes occisus est: quem Manichæi quinque gradibus instructo tribunali & pretiosis linteis adornato ac in promptu posito & objecto adorantibus, magnis honoribus prosequebantur. Augustinus *adversus Epistolam Manichæi cap. 8. Cum sæpe à vobis quærerem illo tempore, quo vos audiebam, quæ causa esset, quòd Pascha Domini plerunque nulla celebritate frequentaretur — cùm vestrum Bema, id est, diem, quo Manichæus occisus est — magnis honoribus prosequamini.* Factum id quotannis Mense Martio fuisse, docet Agellippus. V. iterum Augustinum *contra Faustum lib. 18. cap. 4.* & Anselmum Episc. Havelberg *Dialog. lib. .. cap. 12.* Eckbertus Schonaviensis *c. Catharos serm. 1.* idem festum à Catharis sui temporis, *Malilma* appellatum tradit V. Car. du Fresne *Glossar.* & Macrum *Hierolex.* In ecclesia Græca quid proprie sit Βῆμα, V. infrà, in voce *Cancelli*, alibiq; passim, inprimis in voce *Presbyterium*. Pars nempe Templi sacratior, in qua solis Presbyteris consistendi & Sacra obeundi jus est. Unde illi οἱ ἐκ τοῦ Βήματος dicti Gregorio Nazianzeno, uti observavit du Fresne *in Descr. Ædis Sophianæ num. 49.* In quam etiam sententiam Eustathius Presbyter in *Vita Eutychii* Patr. CPolitani *num. 9.* ... dixit, Presbyterorum & aliorum Clericorum duplicem statuens ordinem, nempe eorum *qui in Bemate*, & eorum, qui *inferiùs* consisterent.

Bemollis, è clavibus, ut vocant, Musicæ una: vulgò *Bemol*, cui *Bedurum* seu B. quadratum opponitur ... b ... semper incipere Hibernos, & in eandem redire, tradit Joh Bromptonus *in Henrico II.* &c. Sylvester Giraldus *Topogr. Hiberniæ dist. 3. cap. 1. & Itinerar. Cambriæ cap. 1.*, apud du Fresne *Glossar.*

Benaja sub Davide, Dux prætorianæ cohortis; Imperatoris exercitus postea evasit sub Salomone in locum Joabi suffectus, Nempe Cerethæis & Pelethæis, id est, Regiis stipatoribus primò præerat, 2. Sam. *cap. 8. versu 18.* Ejus fortitudo commendatur, 2. Sam. *cap. 23. versu 20. Et Benaja, filius Jojadæ — percussit duos Ariel Moab*, i. de verbo, duos leones Moab, h. e. principes & viros fortes ex hac gente: qua notione apud Orientales vocem *Ariel* sumi & præclaros principes; viros ei indigitari, ex Arabismo docet Bochartus, uti suprà vidimus. Sequitur, *Et ille descendit, & leonem percussit in medio foveæ die nivis.* ... aliud ejus facinus! Nempe Leo, nive ingruente, in antrum profundius descenderat cujus umbra adversus aeris inclementiam se tueretur: quo ipsâ de causa in idem antrum aliquanto post ingressus Benaja, in leonem ex improviso incidit & obluctantem peremit. Ne virum eximium tam fuisse temerarium credamus & vitæ suæ prodigum, aut tam fiducia virium suarum ostentato eum, ut ultro cum leone includi voluerit & aleam pugnæ subire, quod R. Levi contendit &c. Cum quo Benaiæ facinore conferri queat factum Alexandri M. qui leonem raræ magnitudinis in se incurrentem non excepit modo, sed & uno vulnere occidit, apud Curtium *lib. 8. fere initio* V. Sam. Bochartum *Hierozoici Parte prior. lib. III. cap. 4.*

Benao locus Galliæ, in Santonibus, prope Surgerias, vulgò *Benon*: inter titulos Tremolliæ Ducis, qui præter alia, Valesius Fortis, Comitum, *Benaonis*, Taliaburgi & Monvelæ Comes, dicitur. V. Hadrianum Valesium *Notit. Gall* in voce *Turris Talemundi*.

Kk *Bena-*

Benavidii, quod nomen illustris in Hispania familiæ est, originem suam referunt ad Joh. Alfonsum Dn. *de Benavides*, filium naturalem Alfonsi VII. R. Patrem Petri Alfonsi *de Benavides*: qui cum onere suscipiendi nominis hæredem instituit consobrinum Mendum Rodericum *de Viedma*, Diasii Sanctii filium, Roderici Inici Domini *de los Molinares* nepotem, familiâ *de Viedma* ex Gallæcia in Andaluziam translatâ satum. Hic pater fuit DiasiiSanctii Benavidii Dn. *de Sanistevan del Puerto*: cujus duo filii totidem lineas dedere. Primus enim Mendus *Rodriguez*. genuit Diasium Sanctium, primum Comitem *de Sanistevan del Puerto* & reliquorum Auctorem, quibus, ob matrimonium Francisci II.cum Isabella *de la Cueva Dn. de Solera*, titulus *de la Cueva*. accessit: ut & *de las Navas*, ex matrimonio Didaci, horum filii, cum Leonora Toletana, filiâ Petri Davila, March. *de las Navas*; unde his genitus Franciscus III. his usus est titulis, *de Benavides & la Cueva C. Sancti Stephani del Puerto Dn. de las Navas Castellar & Solera*. Alter Manuel Dom. *de Jabalquinto*, exque hæreditate alterius fratris Gomesii, *de Fiomesta*, exstitit: Pater Gomesisi I. *de Fiomesta*, Johannis Dn. *de Jabalquinto*, cujus posteri dignitate Marchionum exornati sunt: & Sancii Dn. *de Calmena* & *Almunnan* in prov. Guadicensi. E quibus Gomesio I. natus est Franciscus, pater Gomesii II. qui filium habuit Ludovicum I. à patre & avo Castellæ Marescallum: Quo genitus Hieronymus, Marchionis *de Fiomesta* axiomate exornatus Anno Christi 1559. ex Anna Maria *de Zuniga & Bazan*, suscepit Ludovicum II. patrem, ex Angela Cortesia, Hieronymi M. *de Fiomesta*, Ludovici (ux. Anna fil. Ludovici *Canillo de Toledo M. de Caracena*) et Mariæ Monialis, qui hoc seculo floruerunt. V. Spenerum *Theatr. Nobil. Eur. tom.2.*

Bendidium Templum, memoratur Livio *lib.38. cap. 41. Romanorum primum agmen extra saltum, circa Templum Bendidium, castra loco aperto posuit.* Ubi Turnebus, *Bendis*, inquit, ut scribit Hesychius, linguâ Thracum Diana appellatur; unde & *Bendidia* ejus feriæ Athenis dictæ. V. in voce *Bendis*.

Bene meriti, præmiis variis apud varias Gentes decorari consuevere, ab omni ævo. Ægyptii moris erat, ut eorum memoriam sacris ad posteros symbolis propagarent: Unde beneficiis Josephi exprimendis signum bove nullum magis idoneum judicantes, bovem voluerunt ali à Sacerdotibus ac Populo cum grata ejus beneficii commemoratione monstrari: qui honor cùm civilis primùm esset, tandem in divinum, degeneravit, indeque Apis Serapisque exsculptus est, Gerh. Joh. Vossius *de Idolol. lib. I. cap. 29.* Apud Athenienses, eorum qui de Rep. præclarè essent meriti, præmia fuere, *Προεδρία* in Theatris, *Σίτησις* seu *Epulum* in Prytaneio; Statuæ, eæque ut plurimum in Foro positæ; Monumentum publicè extructum in Ceramico suburbano; Coronæ, à Populo aut Senatu collatæ; Excusatio munerum; demortuorum pro concione Laudatio &c. de quibus V. Sam. Petitum *Comm. in LL. Attic. lib. 3. tit. 6. & lib. 6. tit. 8.* Apud Romanos etiam statuis donabantur tales; particulatim verò, effigies eorum ferebatur in pompa Circensi; nomen item referebatur in hymnos Saliares, quem honorem contigisse etiam Mamurio Veturio & Luciæ Volumniæ, legimus apud Varronem *de L. L. lib. 5. & 8.* quemadmodum apud Athenienses præfatos, nomina Minervæ quoque intexebantur peplo: Unde Viri præstantes dicti Prov. *ἄξιοι πέπλου*, *digni peplo*, ut videre est apud Aristoph. *Equitib.* Et hi honores civiles fuere: qui, sicut de Ægyptiis notavimus, apud Gentes prædictas aliasque, non rarò in heroicos divinosq; abiere; nec enim aliiHeroës vel Dii animales eorum, quàm homines *bene* de publico *meriti*, fuere, ut Baruchus jam annotavit, & eruditissimè ostendit Vossius *de orig. & progr. Idolol. toto libro primo.* Nec omittendæ cautiones, quibus apud Gentes plerasque, fortium virorum gesta decantari consuevisse legimus: unde, ut de aliis taceam, *Germani*, inquit Tacitus *de mor. Germ. cap. 2. §. 3. celebrant carminibus antiquis (quod unum apud illos memoriæ & annalium genus est) Tuistonem deum terrâ editum, & filium Mannum, originem gentis conditoresque.* Idem de Arminio Cheruscorum Principe *Annal. lib. 2. Canitur adhuc apud barbaras gentes*: & Eginhardus de Carolo M. *in ejus vita*, *Barbara & antiquissima carmina, quibus veterum Regum actus et bella canebantur, scripsit, memoriæque mandavit.* Quod apud Gothos quoque factitatum esse, testatur Jornandes. E qua origine Magistros cantilenarum (*die Meistersänger*) qui quamlibet historiam sive sacram sive profanam, in rhythmos ac certas carminum leges componunt, illasque suas cantilenas (*die Meistergesang*) propositis brabeis, in publica hominum corona, concinere solent, morem suum hausisse, conjicit Matth. Berneggerus *Quæst. 5. in Tac. Germ.* & confirmat Joh. Trithemius *in Histor. Francorum.* V. infrà.

Benedictio, in V. Testam. elevatis manibus fiebat, uti legimus Levitici *cap. 9. versu 22. Tum attollens Aharon manus suas versùs populum benedixit eis.* Et quidem Pontifex solennem in modum in Templo, in anniversario sacro, expressa cum nuncupatione sacratissimi nominis, juxta formulam Numeror. *cap. 6. vers. 23, 24, 25, 26.* cùm extra Terram sanctam in cognomine solùm Dei, *benedictiones* ac preces Ecclesiasticas concipere fas esset; nec extra Templum sacro Dei nomine facilè uterentur. Ordinariam verò *benedictionem* etiam gregarii Sacerdotes peragebant. Numeror. *cap. cit. vers. 23. Alloquere Aaronem & filios ejus, dicendo: Sic benedicitote filiis Israëlis, dicendo eis: Benedicat tibi Jehova & custodiat te: Faciat Jehova, ut luceat facies sua tibi & gratiam faciat tibi: Attollat Jehova faciem suam erga te & apponat tibi pacem. Et imponentes manus filiis Israëlis, invocabunt nomen meum: & ego benedicam eis.* Uti namque Pontifici & reliquis Sacerdotibus commune erat sacrificia offerre & odoramenta adolere; sic & nomine Dei *Populo benedicere*: excepto quotannis die Expiationum, quo ipse Pontifex omnia sacra, etiam quæ diei illius propria non erant, solus obibat &c. Significabatur autem *Benedictione* hac divini auxilii imprecatio, uti discimus ex Exod. *cap. 8.* In N. Testam. Dominus noster, ascensurus in coelum, similiter *elevatis manibus suis benedixit* Apostolis, Lucæ *cap. 24. vers. 50.* Neque aliter *Benedictionem* dedere primi Christiani, quàm elevatis, seu impositis manibus. Ambrosius *de Pœnitentia lib. 1. cap 7. Cùm ergo manus impositio & benedictionis opus creditis.* Et S. Hieronymus *Epist. ad Eustochium, Extenta manu, ut benedicere eos putes, si nescias, pretia accipiunt salutandi* &c. Accessit sequiori ævo crucis signum, quod eadem, quam extendebant manu, deducere consuevere, &c. Itaque *benedictioni* occurrentium Episcoporum capita submittere moris fuit, uti ex Theodoreti *Histor. lib 4. cap. 5.* & Evagrii *lib. 4. cap. 34.* probat Henr. Valesius laudatus Carolo du Fresne in *Gloss.* è quo varia *Benedictionum* genera, in Ecclesia maximè Rom. usitata, hic juxta seriem literarum paucis subnectere visum est: de quarum plerisq; quid sentiendum, V. apud A. Rivetum, *Summæ controv. Tract. 2. Quæst. 17.* In eadem Ecclesia, *Benedici* dicuntur Novitii in Monasteriis, cùm expleto *novitiatus*, ut ajunt, tempore, vota emittunt, in *Regula* Fructuosi *cap. 21.* apud Udalricum in *Consuetud. Cluniac. lib. 2. cap. 27.* alibique passim, du Fresne *Glossar.* Hinc *Benedictionalis Liber*, nomen in eadem Communione libri est Ecclesiastici, in quo *Benedictionum*, quæ ab Episcopis & Sacerdotibus fiunt, formulæ continentur: Cujusmodi est *Benedictionalis Gregorii M.* quem ex Codice Cæsareo descripsit Petrus Lambecius *Commentar. de Bibl. Cæs. cap. 5.* V. eundem du Fresne & Macros, ubi suprà. Contrà *Benedictione* privari, apud Monachos species pœnæ fuit, minor tamen excommunicatione: quâ afficiebantur rei, dum tenebantur recedere, antequam Monachis illam ex more solito Abbas impertiret, V. Anonymum *περὶ ἐπιτιμίων*, apud Basilium M. *num. 5.37.* ubi qui hac pœnâ mulctabatur, *ἀνευλόγητος* dicitur, &c.

Varia Benedictionum genera, in Eccl. maximè Rom. usitata.

Benedictio Abbatum, quæ fit ab Episcopo, & unicâ oratione concluditur, memoratur *in Pontificali* MS. Ecclesiæ Senonensis.

Benedictio Aquæ, V. suprà.

Benedictio Beatica, quæ aliàs *Viaticum*, ægrotis pœnitentibus conferri solita, Concil. Barcin. *cap. 9.*

Benedictio, quando ad Bellum contra hostes itur. Item, quando contra paganos est pugnandum.

Benedictio Calicis, in *Monastico* Anglic. *Tom. II.*

Benedictio Clericorum; V. infrà *Capillus*.

Benedictio Cereorum, apud Anastasium Biblioth. in *S. Damaso*.

Benedictio Ciborum, V. infrà *Benedictio Mensæ*.

Benedictio Clericorum, in Concilio Aurelian. III. c. 7.

Benedictio Cœmeteriorum, apud Monachum Pegaviensem *A. C.* 1091.

Benedictio Coronæ, V. infrà *Corona*.

Benedictio Crucis.

Benedictio Diaconalis, ordinatio Diaconi, quam descripsit Jac. Petitus post *Pœnitent. Theodori pag. 284.*

Benedictiones de singulis Dominicis & Festis.

Benedictio Domus novæ, *Sacram.* Gregor.

Benedictio Episcoporum seu Consecratio, apud Gregorium Tur. *Histor. lib. 8. cap. 20.* V. Petitum ubi suprà.

Benedictio Fabæ, apud Anastasium in *Eutychiano*. Fabæ novæ, apud Bernardum Mon. in *Consuetud. Cluniac. cap. 80.*

Benedictio Florum.

Benedictio Fontis cujusvis.

Benedictio super Fruges novas, apud Anastas.

Benedictio pro Iter agentibus.

Benedictiones Judiciorum, inter obventiones Eccles. recensentur, in *Charta* A. 1226. apud Rovenum in *Reomao*, quod de *Judiciis divinis* seu *purgationibus vulgaribus* intelligendum, in quibus *Ferrum candens*, *Aqua ferventes* &c. à Sacerdote priùs benedicebantur, antequam accusati ad hujusmodi judicia descenderent.

Benedictio Lactis & Mellis, pro Catechumenis, apud Cardin. Bonam *Rerum Liturgic. lib. 2. cap. 14.*

Benedictio Lecti nuptialis, V. infrà.

Benedictiones Lectionum, apud

Ezelonem in *Vit* S. Hugonis Abbatis Cluniac. *n.* 11.

Benedictio Mensæ, apud omnes Christianos, imo & apud Paganos, in usu fuit. Extat apud Alcuinum *Poem.* 146. formula. V. infra in voce *Mensa*.

Benedictio Nuptialis, V. infrà, ubi de *Nuptiis*.

Benedictio Olei ad infirmum.

Benedictio in die Ordinationis Episcopi.

Benedictio Palmarum & Florum, in Dominica Passionis, apud Lanfrancum *pro Ord. S. Benedict. pag.* 260.

Benedictio Panis, in *Sacram.* Gregorii M.

Benedictio Peræ peregrinorum, V. infra *Pera*.

Benedictio super Plebem, à solo dabatur Episcopo, in Missa, post Dominicam orationem & ante Communionem. Finitâ enim oratione Domin. postquam Diaconus dixisset, *Humiliate vos ad benedictionem*; Populusque respondisset, *Deo gratias*: Tum Episcopus dicebat, *Benedicat vos omnipotens Dominus* &c. Inde accipiens partem panis consecrati addebat, *Pax Domini sit semper vobiscum*. V. Menardum *ad libr. Sacrament. Gregorii Magni pag.* 17. Præter hanc alia fuit, quæ dabatur in fine Missæ, à quovis Sacerdote sacra faciente, antequam Populus, è Missa, vetatur discedere, *can.* 47. Concil. Agath.

Benedictio Pœnitentiæ, in Concilio Barcinon. A. C. 599. *can.* 4.

Benedictio Presbyteratus, V. Jac. Petitum *post Pœnitentiale Theodori pag.* 284.

Benedictio Patei novi.

Benedictio Regis, i. coronatio, Gall. *Sacre du Roy*, in *Epist.* Sylvestri II. ad Arnulfum Arch. Rem. V. *Coronationes Regias Tom. II. Opp.* Hincmari, *pag.* 741. *& seqq.* apud Steph. Baluzium *in nupera Capitular. Edit.*

Benedictio Regularis, quæ viz. ab Abbate finitur, in *Chron.* Abbatis S. Michaelis Virdun.

Benedictio in Sabbato, quando Albas deponunt.

Benedictio Sacerdotalis, in *Capitul.* Caroli M. *lib.* 1. *cap.* 71.

Benedictio Salis.

Benedictio Solemnis, secundùm *Glossam in Clement. de privil. cap.* 1. §. *Benedic.* est illa, cùm Episcopus dicit, *Sit nomen Domini benedictum*, apud Macrum in *Hierolex.*

Benedictio Sponsalium, V. infrà.

Benedictio in Synodi expletione.

Benedictio pro Tribulatione qualibet.

Benedictio Velaminis capitis Monachorum, Anastas. Biblioth. in S. *Leone*.

Benedictio Virginum velatarum, ab Episcopo dicenda, in *Pontificali MS.* Senon. alibique.

Benedictio Uvæ sive Fabæ. Anastasius Bibl. in *S. Eutychiano*, *Hic constituit, ut fruges super altare tantùm, fabæ & uvæ benedicerentur* &c. Alias *Benedictiones* ex Codice Ecclesiæ Rotomag descripsit Jac. Petitus *lib. cit.* sc. *in ordinatione Presbyteri, Episcopi, Diaconi post Confirmationem, Sponsi & Sponsæ, pro Defunctis, Abbatis, Monachorum, Vestium Virginis, Vestis Viduæ & Viduæ*. Quibus omnibus addatur, quod de *Benedictionibus*, ab Episcopis fieri solitis, habet Gilbertus, unic. Episc. *de Usu Eccles. Benedicere autem dico Præsulem, ea quæ non sunt utensilia Ecclesiæ, conservare verò ipsa utensilia. Benedicit ergo Pontifex Reginam & Virginem cùm velatur, & quemlibet fidelem benedici postulantem, & totum Populum ante Pacem. Benedicit etiam suprà memorata, quæ non licet Sacerdoti, in ejus præsentia.* Quæ autem benedicantur à Sacerdote præsente Episcopo, ita paulo antè recenset: *Benedicere potest præsente Episcopo, aquam & sal in Dominicis Sacerdos & prandium & Sponsum & aquam Judicii, vel panem & cætera. In absentia verò Episcopi potest benedicere coronam Clerici, & velum viduæ, novos fructus, candelas in Purificatione S. Mariæ, cineres in capite jejunii, ramos in Dominica Palmarum, & peregrinaturos, & lectūrum Evangelium & populum, cùm dimittitur, aquam benedictam aspergit ad benedicendas domos novas & cætera nova.* Nec ommittenda.

Benedictio in Auro, cujus meminit Anastasius sæpius laudatus in *Conone Pontif. Hic dimisit omni Clero ac Monasteriis benedictionem in auro, sicut prædecessor ejus Benedictus P. P.* Et in *Benedicto II. Hic dimisit omni clero, Monasteriis, Diaconiæ & Mansionariis auri libras triginta.* munus est in pecunia numerata erogatũ. Quâ notione εὐλογίαι χρυσαῖ, *benedictiones aureæ*, occurrunt, apud Theophanem, anno 40. Theodosf. Junioris. Item,

Benedictio Panis & Vini, de qua apud Auctorem *Vitæ* Ludovici Pii *Anno Christi* 816. *Et benedictione panis ac vini simul* (cum Stephano Pontif. Rom.) *participatâ Imperator ad civitatem rediit.* Item in *Historia* Translat. S. Gregorii *cap.* 2. *Mox enim, ut benedictio missa est, panis videlicet, casei ac vini, confestim fuento cibo —— in pristinum robur convaluit.* Sic Adelelmus Sagiens. *de Mirac. S. Opportunæ cap.* 5. *Sumtoque benedictionis pane ad hospitium perrexit.* &c. V. Car. du Fresne *l. c.* & Macros Fratres in *Hierolexico*.

Benedictiones, Eulogiæ, munera: maximè ea xenia, quæ à Sacerdotibus & Clericis mitti solebant, ab iis *benedictione* suâ consecrata, apud Desiderium Episc. Cadurc. *Histor. Franc. Tom. I. pag.* 875. aliosque passim. Item pastus extraordinarii Monachis exhibiti, certis ac solennibus diebus, quos *Caritates* quoque appellabant, V. infrà *Caritas*. Etiam Canticum trium puerorum, sic incipiens: *Benedicite omnia opera Domini*, quod ante *Laudes*, in Eccl. Rom. decantatur, die illucescente, V. Gregor. Turonensem *de Vitis Patrum cap.* 6. Quo sensu Græci Εὐλογητάρια vocant certos modulos, quos decantant in exequiis mortuorum, quòd hæc verba, Εὐλογητὸς εἶ Κύριε, *Benedictus es Domine*, sæpius repetant, ut auctor est Goarus ad *Euchologium*, apud Car. du Fresne in *Glossar.* V. quoque in *Hierolexico* Macros Fratres, & infra in voce *Eulogiæ*.

Benedictus, non proprium olim, sed appellativum nomen, atque adeò synonymum nominis *Christiani* fuit. Sidonius Apollin. *lib.* 7. *cap* 9 Benedictus *Simplicius habebitur vestri, jamque ab hinc nostri* (*modò per vos Deus annuat*) *habendus ordinis comes.* Paulus *Epist.* 9. *Alius libellus ex his est, quos ad* Benedictum, *id est, Christianum virum, unicum meum Entelechiam scripsisse videor* &c. apud Macrum *Hierolex.* in voce *Christiani*.

Benedictus Arias Montanus, adde: Fuit Hispanus, ex urbe Hispali. Ejus extant *Apparatus in S. Biblia, Comm. in Josuam, in Judices, in Esajam, in Danielem, in* 12 *Prophetas minores, Elucidationes in Psalm.* 21. *prior in* 4 *Evangelia & Acta, ut & in omnes Epistolas, ac Apocalypsin: Historia generis humani, Historia Naturæ*, &c. Obiit Anno Christi 1598. æt. 71. Hispali. *Vir toto Orbe celeberrimus, qui Bibliis Regiis Antuerpiæ præfuit*, Gomaro; *linguæ Sanctæ apprimè peritus, & summè pius*, Mon. lit. ex Thuano. Sed de quo Possevinus, ita in *Appar. Sacro, corrigenda in eo sunt pleraque tum in commentario suo in Esajam, & Comment. Prophet. Min. quàm in Elucidationibus in quatuor Evangelia & Acta Apostolorum & in omnia Apostolorum scripta ac in Apoc. nec non in libro generationis ac regenerationis Adam.* Possevinus in *Appendice*.

Benedictus Levita, adde: De hoc ita incertus Scriptor in Elogio, quod præmisit Pithœus editioni primæ *Capitularis* Caroli M. *Benedictus Moguntiacensis Ecclesiæ Levita, Capitula quædam Regalia, Synodalia & alia collegit ex iis, quæ in scriniis ejusdem Metropolis reponi fecerat Riculfus Archiepiscopus, qui Monasterium S. Albani renovavit & Moguntina Synodo sub D. Karolo præfuit, & Otgarius ejus consanguineus & secundus post Haistulphum successor, quorum uterque hujusmodi Capitulorum perscrutatores fuit, & erga S. Sedem Rom. valde devotus; adeò ut Otgario etiam Apostolicus Gregorius suas vices in Germania aliquando commiserit. Hic Hludovici Imp. filiis contra Patrem favit, sed postea reconciliatus est, & decedens an. DCCCXLVII. Lotharii Imp. VII. successorem habuit in Archiepiscopatu D. Rhabanum Abbatem Fuldensem.* Post Ansegisum nempe Abbatem, qui primus Collectionem *Capitularis* Caroli M. & Ludovici Pii edidit, ad opus se *Benedictus* accinxit, & quatuor libris ab Ansegiso non satis plenè collectis libros tres alios addidit, in quos non tantum Impp. prædictorum Capitula, sed alia insuper inseruit, ut videre est in *Præfat.* quam Collectioni suæ præmisit. Et quidem continet quintus liber, inter additos ab eo primus, Capitula CCCLI. sextus, CCCXXX. septimus CCCCLXXI. Sequuntur *Appendices*, quarum prima continet Capitula LXXX. secunda XXV. tertia LXXIX. quarta CVIII. clauduntque volumen hoc Capitula XX. Caroli Imp. Ludovici filii, de quibus V. Pithœum ubi suprà, & Gerh. von Mastricht *Histor. Juris Eccles. num.* 191. *& seqq.* Eundem Blondellus suspicatur auctorem esse, qui sub nomine *Isidori Mercatoris* supposuit Decretales primis Pontificibus Rom. V. *ibid. num.* 227.

Benedictus, qui venit &c. Verba sunt, quæ in Communione Rom. in Missa canuntur, post elevationem calicis, juxta Expositionem *Episcopalis Ceremon. lib.* 2. *cap.* 8. quod etiam in Missa, ut vocant, defunctorum observatur, uti Praxis Papalis Cappellæ in qualibet Missa docet. Remigius Episc. *in Exposit. Missæ*, verba hæc à S. Ignatio Martyre, in Missa, addita fuisse, ait, sed nullo idoneo Auctore. V. Macrum in *Hierolexico*.

Benefactum, in *Tabularii* Vindocin. Thuani *Chartâ* vet. *Venit itaque in Capitulum nostrum acceptoque à nobis societatis nostræ Benefacto* &c. Item in *Charta* alia in *Histor. Monasterii S. Nicolai Andegav. Ob hoc —— dederunt communionem orationis & Benefactorum suorum.* Ut & in Perardi *Burgundicis pag.* 116. *Canonicà nos in Benefactis & fraternitate suâ susceperunt* &c. Societatem denotat Monasticam, quæ *Beneficium* quoque appellatur, in *Chron.* Turonensi, & *Charta* alia *Tabularii* memorati, apud Car. du Fresne *Glossar.*

Beneficiarii, Festo dicuntur, qui vacationem munerum habebant, beneficio, adeoque munificibus opponuntur. Hinc in vett. monumentis, *Beneficiarii Præsidum, Præfectorum, Consulum Proconsulum, & Legatorum Tribunorumque*, inter quos *Beneficiarii Tribunorum* occurrunt frequentissimè, quo nomine Vegetius illos ait dictos, *qui beneficio Tribuni promovebantur.* Suetonius in *Tiberio cap.* 12. *Venit etiam in suspicionem per quendam beneficii sui Centurionem* &c. Quia autem persæpe improbi Magistratus per istos scelera sua

patrabant & concussiones exercebant, ideò à Tertulliano *Beneficiarios* Curiosis, Tabernariis, Laniis Furibus Balneatum, Aleonibus & Lenonibus accenseri vult Casaubonus: à Justiniano quoque *Novellâ* 13. inter Præfecti Vigilum Ministros rapinis suis notos, *Βενεφικιαλίους* nominari ait. Sed negat id à Tertulliano fieri Salmasius, locus sic habet *lib. de Fuga in Persecut. Nescio dolendum, an erubescendum, sit, cùm in matricibus Beneficiariorum & Curiosorum, inter tabernarios & lanios & fures balnearum & aleones & lenones, Christiani quoque vectigales continentur.* Ubi certè *Beneficiarii* & *Curiosi* simul nominantur, sed reliquis non accensentur. Imò dolendum, ait Scriptor Afer, quòd in matricibus *Beneficiariorum & Curiosorum*, unà cum tabernariis cœterisque id genus Christiani vectigales recenseantur. Simul autem *Beneficiarios & Curiosos* ponit Tertullianus, quòd iis exigendorum vectigalium cura incumberet: ideo enim in eorum matricibus Christiani vectigales continebantur. Neque hoc dolet, quòd Christiani vectigales in libris censualibus *Beneficiariorum* continerentur; sed quòd, tanquam impuræ vitæ homines, impuris accenserentur & improbitatis notæ hominibus, ut lenonibus, aleonibus &c. Fuisse verò *Beneficiarios* in officio Rationalis, quibus exhibitio cursus publici & primipili necessitas injungeretur, habemus Cod. Theodos. *de cohort. princip. cornic. & primip. Beneficiarii vel Officiales Rationalis* &c. sed & in aliorum Præsidum Præfectorumque officiis *Beneficiarii* apparebant. Ex diversis autem officiis mittebantur, qui cursum publicum exhiberent, qui vectigalia exigerent, & pastum primipili curarent, ut Stationarii, Curiosi, *Beneficiarii*, Primipilarii, Cornicularii, Principes & id genus cœteri. Eorundem *Beneficiariorum* operâ & ministerio, in reis quoque conquirendis & exhibendis, utebantur Magistratus. Sic enim in *Edicto* Maximini apud Eusebium, de Christianis: [illegible] Ubi qui *Beneficiales* dicuntur, in altero ejusdem Maximini Edicto *Officiales* appellantur &c. V. Salmasium *Not. ad Spartianum in Hadriano.* Quia verò Centuriones, Tribuni, Duces emolumenta à militibus, quibus vacationem munerum vendere consuevere, accipiebant, prohibuere id boni Principes & Centurionibus vacationes annuas è fisco solvendas constituere; quod ab Othone Imp. primùm factum Tacitus memorat laudatque *Histor. lib.* De Tribunis res variavit. Hadrianus, ne quid à militibus acciperent, cavit. Alii item post eum Principes in Tribunos severè vindicarunt, qui aliquid per stellaturam a militibus accepissent. Non hoc tamen perpetuum, nec sub omnibus Principibus obtinuit. Quis enim dubitat, quin & vacationes vendiderint militibus Tribuni & commeatus pecuniamque eo nomine aut annonam ab iis acceperint? Hinc passim, ut diximus, *Beneficiarii Tribunorum* in vett. Inscr. Ut enim aliquem commeatalem ex militibus facerent, h. e commeatum illis darent, pecuniam ab eo auferebant: quod prohibuit Justinianus *Cod. de offic. P. P. Africæ l. 2.* Post quem Anastasius quoque, ne Tribunis liceret commeatales milites facere, Lege cavit, quæ legitur *Cod. de erog. mil. ann.* unde planè constat, Tribunos ex commeatibus, quos militibus dabant, solitos fuisse quæstum facere, &c. V. eundem *ad eund. Spartian. ibid. paulo post*: qui *Beneficiarios* istiusmodi Tribunorum, unà cum Draconariis, Imaginiferis, Vexillariis, Cornicularis, Ducenariis, inter principales milites fuisse, addit *ad Vopiscum in Probo.* Item *Exercitat. Plin. ad Solinum pag.* 547. & 548. ubi *Beneficiarios* Tribunorum ac Centurionum, à galeæ parasemo, in Militia antiqua Rom. *Cornicularios* quoque appellatos esse refert, utpote qui exempti gregariorum turbæ, insignitas galeas corniculis vel corniculo, i. apice, gestarent. Certè honoratos milites hac maximè parte insignes, Lucanus indigitat,

Illic plebejâ contectus casside vultus,
Ignotusque hosti quod ferrum Brutus tenebat.

Ubi *plebeja cassis*, quæ insigni caret, ἄφαλον Græci vocant. Et visitur in lapide antiquo prov. Narbonensis, miles legionarius, galeam tenens, in qua cornua gemina recurva pro insigni habentur &c. Qua de re V. plura infrà ubi de *Cornicularis.*

Beneficiorum Liber, pars fuit Rationarii Imperii, quod ab Augusto sapientissimo & maximo Principum fuerat institutum. In eo descriptum erat accuratissimâ diligentiâ, qui agri quibus colonis essent divisi & quæ subcesiva agrorum superessent, quæ dividi aliis possent. Meminit illius Hygenus *de limitibus constituend. Libros æris & typum totius perticæ linteis descriptum secundùm suas terminationes adscriptis affinibus tabulario Cæsaris inferemus: & si qua beneficio concessa aut assignata coloniæ fuerint, sive in proximo, sive inter alias civitates, in* LIBRO BENEFICIORUM *ascribemus.* Sed de agris solùm Hygenus loquitur. Alexander verò Severus, apud Ælium Lampridium, non agros tantùm, verùm & alia, quæ largiri Principes solent, habuit descripta; *Cogitabat secum*, ait Auctor, *& descriptum habebat, cui quid præstitisset: & si quos sciret vel nihil petiisse, vel non multum, unde sumtus suos augerent, vocabat eos ... Dabat autem hæc in beneficiis, quæ semper ejus non læderent, bona punitorum, sed nunquam aurum, aurum argentum vel gemmis (nam id omne in ærario reponebat) dabat præpositis locorum civilium non militum* &c. Erat verò Liber hic penès *Primiscrinium Beneficiorum*, sub dispositione Comitis Rerum privatarum domus divinæ, de quo *Not. Imp.* vel penès eum, qui à *Commentariis Beneficiorum* appellatur in *vet. Inscr.* Ad cujusmodi Beneficia spectat illud Augustini in Vigil. Pentecost. *Serm. I. Notum est, — quòd milites seculi* beneficia *temporalia à temporalibus dominis accepturi, priùs militaribus sacramentis obligantur & dominis suis fidem se servaturos pollicentur.* Alius fuit Reipublicæ temporibus *liber* ille *Beneficiorum*, in quem Rectores provinciarum, simul ac Romam redierant, Tribuno militum, Centuriones contubernalesque suos & quoscunque in provinciis promovissent, deferebant; quod dici solitum est, *ad ærarium in beneficiis deferre*, uti apud Tullium passim. V. Casaubonum *ad Lampridium d. l.*

Beneficium, pro Numine Romanis: Plinius *Histor. Natur. lib. 2. cap. 7. Innumerabiles* (Deos sc.) *credere atque etiam ex virtutibus vitiisque hominum, ut Pudicitiam, Concordiam, Mentem, Spem, Honorem, Clementiam, Fidem aut duas omnino, Pœnam & Beneficium, majorem ad socordiam accedit.* Idque è Democriti sententia, qui solùm duos hos Deos, *Beneficium ac Pœnam* agnovit. V. Tob. Pfannerum *System. Theol. Gentil. purior. cap. 1.*

Beneficium, apud citimæ ætatis Scriptores, prædium est fiscale, quod à Rege vel Principe Viro nobili ad vitam utendum conceditur: eo quòd talis ex mero dantis beneficio ac liberalitate illud possideat, sic dictum. Quo penè sensu Latini quoque vocem hanc usurparunt, de prædiis, quæ à Principibus milites aliique ad vitam utenda acceperunt, sub fidelitatis sacramento, uti vidimus. Certè ea fuit apud Francos *Beneficiorum* conditio, ut, qui ea impetrabant, aut quibus conferebantur, & fidem præstarent, seu, ut tunc loquebantur, *se in Vassatico commendarent*, & servitium militare facerent iis, qui ea conferebant: quo utroque fine à Principibus illa conferebantur. Unde *Beneficiarii honores*, *Beneficia publica*, seu *Regia*, *Beneficia Militaria* &c. istiusmodi feuda dicebantur. Erant autem *ad vitam*, unde *proprietatibus* passim opponuntur: dicebanturque, qui hac conditione ejusmodi prædia tenebant, *Beneficiario jure illa possidere*, seu *Beneficii jure tenere.* Aliquando tamen & pro lubitu auferebantur. Imò nonnunquam ad posteros quoque transibant, sed Principis interveniente consensu, ut de Bernardo Septimaniæ Duce, & Utone Comite, Nithardus *lib.* 3. & Regino Anno Christi 940. referunt. Dabantur porro hac conditione, ut ea sarta tecta servarentur & integra, nec ea distrahi possent: secus iis privabantur possessores, ex *L.* Longobard. *lib. 3. tit. 8. §. 1.* & *Capitulis* Caroli *M. lib. 3. cap.* 19. Qui ea à Rege consequebantur, *Vassi* dicebantur aut *Vassalli dominici*: ipsa verò *beneficia*, seu prædia, quòd beneficii jure Nobilibus à Rege darentur, vel Principe, *Regalia* appellata sunt: quo nomine deprehendimus insignita non modò dicta fiscalia Regum prædia, quæ sic concedebantur; sed & Ecclesiastica, quæ viris militaribus, ita invalescente eâ tempestate usu, à Regibus in *Beneficium* dabantur, quorum ratione militare servitium ab iis vicissim præstandum erat. Quæ cùm postea Episcopis & Abbatibus concessa & in proprietatem procedente tempore versa fuissent, factum est, ut *Regalia* appellarentur quævis Ecclesiarum prædia ac dominia, utpote à Regibus primitus beneficii jure concessa &c. Quod autem *Beneficium* primitus appellatum est, postmodum *Feudi* nomen accepit: postquam viz. ea, quæ primitus ad vitam dabantur *Beneficia* & usufructuario jure possidenda, progressu temporis ad filios & ex filiis nepotes, atque adeò ex parte Patris ad Fratres, transire cœperunt, ex *Constitutione* Conradi Imper. quæ in *LL.* Longobardicis *lib. 3. tit. 8. §. 4.* descripta legitur, V. in voce *Feudum.* In specie *Beneficia Ecclesiastica* quod attinet, sic dicebantur, universim res Ecclesiæ in beneficium datæ, sive à Principibus sive ab ipsis Ecclesiis & earum Prælatis in beneficium datæ essent: quarum possessores hoc nomine tenebantur *nonas & decimas* iisdem Ecclesiis quotannis persolvere, & *restaurationes earum* facere, ut ex *Capitulis* Caroli M. & Caroli C. colligitur. Atque hic mos res Ecclesiæ Laicis ad beneficium dandi tantopere invaluit, ut postmodum in donationibus Ecclesiæ factis, quò eæ ab omni alienatione deinceps tutæ essent, id potissimùm caveretur, ne in *beneficium* darentur. Neque verò Laicis tantùm, sed & ipsis Clericis, prædia Ecclesiastica hoc modo ab Episcopis & Prælatis dabantur: sed benemeritis tantùm, ut habet Symmachus in *Epist.* &c. Plura hanc in rem V. apud du Fresne in *Glossar.* & suprà, in voce *Abbacomites.* Macro, *Beneficium*, præbenda Ecclesiastica est, cum onere recitandi officium, vel alterius obligationis, ut ad Missas celebrandas &c. Antea enim Clerus suum menstruum stipendium accipiebat, deinde verò eis Episcopi vitâ durante Ecclesiæ concessæ sunt, *Beneficiorum* nomine, quia, ut in *Epistola* ad Cæsarium [illegible] relat. Symmachus Papa scripsit, *benemeritis tantùm con*[illegible] usu hoc à Pontifice isto introducto, inter Ecclesiasticos, quos *Clericos postulantes* Veteres dixere. Et quidem Nicolai III. inprimis in hujusmodi *Beneficiorum* distributione consuetudo laudabilis fuit,

quem

quem habuisse idoneorum virorum catalogum diligentissimâ inquisitione notatum, & statim ac *Beneficium* vacabat, illud ex iis uni contulisse, refert Odoricus Rinaldus, *Eccles. Annal.* 1180. *num.* 27. Requirebatur autem in *Beneficiandis*, præter vitæ probitatem, *notitia legendi, construendi & canendi*, *Gloss. in Clement. de concess. prebendæ.* §. *Reputamus.* Plura verò in unum *Beneficia* conferri, prohibuit Collegium à Guilielmo Paris. habitum A.C. 1238. cui sententiæ quòd Philippus Cancellarius se nollet submittere, ad pœnas æternas illum damnatum esse & post mortem præfato Guilielmo comparuisse refert in *Epitome* Annal. Eccles. Spondanus. Cæterùm teneri *Beneficiatum* in Officio commemorationem facere illius Sancti, sub cujus titulo beneficium possidet, & similiter de pluribus sigillatim, si fortè plura possideat: Item, in die Festi Ecclesiæ, si *Beneficiati* titulus est, teneri eum recitare Officium in ritu duplici primæ classis, cum octava; Sin propria Ecclesia diruta fuerit & ejus titulus ad aliquod alterius Templi altare translatus, tunc *Beneficiatum*, si in Officio Sanctus ille non habet novem lectiones, recitare debere sub ritu semiduplici, quæque alia sunt huc facientia, legas apud eundem Macrum in *Hierolexico*.

Benenati, Græcè Εὐγενεῖς, id est, *Ingenui, viri Nobiles.* Ital. *Bennati*: occurrunt apud vet. Interpretem Juvenalis Sat. 11. *Ingenui vultus, Modesti, benenati*; & recentiores Scriptores passim. Quibus opponuntur *Male-nati*, apud Horatium Flaccum *lib. 2 Epist.*

Gratus Alexandro Regi magno fuit ille,
Chærilus, incultis qui versibus & malè natis
Rettulit acceptos regale numisma Philippos.

V. infrà in voce *Eupatridæ*.

Benevalete, formula ascribi solita in monogrammatis speciem Pontificum Epistolis, cujus effigiem habes in *Glossario* du Fresne. Papias in voce *Formata, Privilegia*, inquit, *summorum Episcoporum sunt cujuslibet Ecclesiæ concessiones Pontificum, quorum materia hæc est, ut dicat Pontifex, erogatum cujuslibet dignæ personæ, vel alia qualicunque ratione Ecclesiæ illi, illa seu illa Pontificali concedere & roborare dignitate. Anathema ponatur in calce Epistolæ. Habent autem & Privilegia prologos, sicut & cæteræ Epistolæ, & Monogrammata hujuscemodi in fine. BTE, quod est.* Benevalete. *Signum autem in Privilegii exordio vel crismon, vel crux Dominica, cum crismon erit. Crismon autem ejusmodi effigiabatur specie,* ☧. *Ut autem planiùs in hoc Monogrammate nomen Christi appareat, tali mea sententia effigiabitur specie, vel sic,* ☧. *Consueverunt præterea in extrema margine privilegii quasdam insignire orbiculis, Antistitis nomen, & qualibet paucula verba continentes in hunc modum* &c. In *Capitul.* Gregorii II. pro Bavaris in *Epist.* 11. Hadriani II. Pontif. &c. *Benevale* est. Aliquando formula hæc sic concipitur: *Optamus sanctitatem tuam in Christo benevalere.* Cujus originem Car. du Fresne, ubi suprà, videtur arcessere, ex illo Plauti in *Trucul.*

Spectatores benevalete, *plaudite atque exurgite.*

Beneventanum, in *Glossis* Lat. Gr. Βενεβεντανον δέρμα εἶδος, *Babylonica pellis species* In *Glossis* Isidori, *Flamineum, Babylonicum* Galli *un drap de Bonnivent*, V. Car. du Fresne in *Glossar.* & *Dissertat.* I. *ad Joinvillum p.* 132

Beneventanus Petrus, Notarius Innocentii III. Pontif. Rom. inter Decretalium collectores. Postquam enim Romani collectione tertii, quam adornavat Bern. h. Compostellanus, offensi essent, quòd usu judicio uti minùs recepta referret, ab Innocentio impetrarunt, ut Pontificiâ auctoritate aliqua Collectio ederetur. Quare Innocentius anno sui Pontificatûs 12 qui fuit Christi 1210. Petrum operi præfecit, sicque primus auctoritate publicâ iuris Pontificii fecit Collectionem. Superiores namque omnes sive Decretorum sive Decretalium Collectores privatâ auctoritate solùm scripserant, & rescripta ab eis relata negari poterant, nisi à Scriniariis Rom. Eccl. probarentur. Fuere hujus Collectionis Interpretes, ut refert Joh. Andr. F. Paulus Hungarus. Ant. Augustinus eadem nomina in aliis se Scholiis vidisse dicit, quæ in aliis Collectionibus. Gerh. von Mastricht *Histor. Eccles. num.* 350.

Beneventum, adde: Hujus Dux Arechis, primus *Principis* nomenclaturam, ut honorarium, seu potiùs feudalem titulum, in Italia, invexit, teste Leone Ostiensi *lib.* 1. c. 10. cùm Antecessores ejus *Duces* fuerint appellati. Ex Principatu dein *Beneventano*, post annos 90. prodiere duo alii, *Salernitanus* & *Capuanus*, circa A. C. nempe 851. qui uterque tandem ad Tancredi Normanni familiam Siculosque sic Reges devenit; captâ Capuâ à Rogerio Rege, qui Ansulfum primò filium, dein hoc mortuo filium alterum Guilielmum *Capuanum*; Tancredum verò filium *Barensem*; imò & Simonem fil. nothum *Tarentinum*, Principes declaravit. V. hic passim, in vocibus inprimis *Arechis, Salernum* &c.

Benjamin Monachus, Martyr constantissimus, apud Theodoretum *Histor. Eccles. lib.* 5. c. 38. ubi horrendo tormenti genere, *arundine sc. virilibus insertâ & sæpius retractâ*, item *aversæ parti ramo hirto* impacto, eum excruciatum memorat. A' quo personam sumpsisse, qui Josaphati historiam cum Barlaamo scripsit, Joannes sive Sinaita, sive Damascenus, videtur Casp. Barthio *Animadversion. ad Pap. Statium Thebaid. libro* 5. *versu* 596. *& seqq.*

—— *Non ora loco, non pectora restant.*

Rapta cutis, tenuia ossa patent nexusque madentes
Sanguinis imbre novi ——

Benjoin seu *Belzoi*, quibusdam laser est Indicum, seu laser, ex India veniens, Inde enim venire tradit Isidorus: Sed de eo nihil apud Vett. reperitur. Succus itaque magis est Salmasio, ex arbore odorifera in India nascente, cum silphium seu laser herba sit ferulaceo caule, ut infrà dicemus. V. eum *Exercitat. Plinianis ad Solinum p.* 362. Eidem *Benininum*, à genere bdellii, quod verò nitore sicco, multisque constans candidis unguibus, minimè amarum est, parum distat, nisi idem omnino sit. Certè Vett. sub hoc genere bdellii *Benjuinum* cognovisse autumat, quæque de Bactriano bdellio narrat Plinius, in hoc potius quadrare statuit, quàm in bdellium aut anime. Quemadmodum &, quòd nuce amygdalina bdellium adulterari idem ait. *Benini* enim amygdaloides est. Interim de colore myrrhæ similius esse, quàm bdellium, addens, *p.* 151. In Sinensi prov. *Junnan* id aromatis quoque reperiri, refert Auctor *Sinæ & Eur.* c. 34. *Junnan abundat Benjoino, seu thure illo ex arboribus stillante suavissimo.*

Benthemum, Germ. *Bentheim*, V. *Benthima*.

Benthima, adde: Sub proprio Comite. Familiæ origo ex Hollandiæ Comitibus, & quidem à Theodorico arcessitur, qui ab uxore Sophia (Ottone Com. Pal. Reneccio & Gertrudi ex Cliviis Tubantia Com. nata) *Benthemium* Comit. cujus titulo frater ejus Otto usus etiam erat, acceperit. Eo nati, præter alios, Florentius Comes Hollandiæ, reliquorum Comitum sator, atque Otto *Benthemii* Comes, A.C. 1180. cujus posteri durarunt, usque ad Hedvigen, quæ, Patris & fratrum hæres, Ebervvino Dom. *de Guttersvvick* nupta, ei hæreditatem attulit: Unde per hujus filium Arnoldum continuata Benthemiorum Com. familia. Filius enim Arnoldi Bernardus vel Ebervvinus I. qui ex uxore Steinfordia, Bernardum & Arnoldum II. genuit; quorum is præfatum Comitatum nactus est & ad filium ac nepotem transmisit: cui sine liberis extincto Maria soror successit. Arnoldi, qui dominium *Guttersvvick* tenuit, filius Ebervvinus II. Steinfordiæ Comes A. C. 1495. natus est, & filium Arnoldum III. habuit, cui præfata Maria agnata cùm nupsisset, avitos is Comitatus univit. Hoc genitus Ebervvinus III. cui uxor Tecklenburgicam successionem attulit, pater fuit Arnoldi IV. cui, à conjuge Magdalena Neuenaria, Comitatus Limburgius & alii obtigere. Hisce nati sunt liberi plures: ex his Arnoldus Justus seu Jodocus, *Benthemium* Comit. nactus, genuit Ernestum Wilhelmum, qui nunc etiam præest & Philippum Conradum, qui Steinfordiam tenuit, patrem ex Anna Elisabetha Benthemio-Tecklenburgica, Arnoldi Mauritii nati A.C. 1663. Adolphus Arnoldi Justi frater Tecklenburgios novos orsus est, & filium habuit Mauritium, qui ex Johanna Dorothea Pr. Anhaltina Johannem Adolfum suscepit, patrem ex Johanna Dorothea Lippiensi, duarum filiarum, de quibus omnibus V. Phil. Jac. Spenerum *Theatro Nobilitatis Europææ tom.* 3. *ut & in Indice.*

Benzuinum, multis hodie Veterum myrrha est, & *Benzuini arbor* quam *Astrantiam* dixere prisci. Nempe ex astrantia seu smyrnio (hæc enim eadem esse docet Salmasius) liquorem ajunt profluere lentum ac modicè rufum, suavissimi odoris & myrrham optimam redolentis, linguamque vellicantis acrimoniâ suâ, nihilo deteriorem stacte myrrhâ. Quare & *myrrhæ* eum nomine prisci donarunt. ut Theophrastus, qui myrrham distillare ex Smyrnio scribit, & quosdam eâ re putasse, smyrnium è myrrhæ satu provenire. Quæ omnino myrrha est Troglytis recentiorum Græcorum, qui eam *σμυρνίζουσαν* exponunt: unde & Astrantiam non pauci hodie *herbam Benzuini* vocant &c. Qua de re V. Salmasium *ad Solinum p.* 1174. Meminit hujus aromatis Barlæus quoque in *Medicea*, ubi de epulo, quo Amstelodami Maria Franciæ Regina, excepta fuit hoc seculo: *Borax candore oculis, Benzoinum nidore fragrantiaque naribus lenocinabatur. Muscus, Styrax* &c.

Berberi, Gr. *Βέρβερι*, priscum nomen conchæ margaritiferæ, quod ad Indorum linguam pertinere vult Androsthenes. Bochartus Phœnicum potiùs vocabulum esse credit. ברר *barar* enim linguâ hac *clarum, purum, nitidum esse* significat: quod conchæ margaritiferæ maximè convenit, quæ nitore, claritate & puritate reliquas, in interna maximè parte, longè superat. Sic quia *μαίρειν* & *μαρμαίρειν*, *splendere* est & *μαρμαρυγὴ*, *splendor*; ut *μάρμαρος* & *μάργαρος*, vel cum prosthesi *σμάραγδος*, ita etiam *μαργαρίτης*, nonnulli dictum volunt. Certè Nonnus *lib.* 34. margaritam λίθον appellat *ἁλὸς μαρμαίροντα*, *lucidum maris lapidem*: & Arabicè *lala* & *darra*, *lucere* est. unde *lulu* & *dorra*; quorum illud *margaritam* in genere, hoc *unionem* notat. V. Bochartum *Hierozoici Part. poster. Lib. V. cap.* 6. & *infrà suo loco.*

Berciolum, in *Vita S.* Pardulfi, *Et in agitario, quod vulgò* berciolum *vocant, pannis constrictum imposuit*, cunas notat. Ita enim mox *ibid.* Berciolum, *quod honesto sermone Philosophi cunabulum vocant.* Ex Gallico *Berceau*, q. *Bercellum*, cui voci origo est à *Bersa*, quo nomine apud recentioris ævi Scriptores crates vimineæ denotantur, seu sepes ex palis vel ramis grandioribus contextæ, quibus sylvæ vel parci undique incinguntur, ut nullus cervis cæterisque feris ad egressum pateat aditus: Item porticus virides, arcuatæ & in camerarum modum factæ, quas περιβόλαια Græci dixere.

Ex viminibus enim invicem in modum arcus contextis confectæ olim cunæ sunt. V. Salmasium *ad Spartianum in Hadriano*, & du Fresne *in Glossario*: ut & infrà ubi de *Cunis* & *Puerperio*, nec non in voce *Infans*.

Berecynthia, adde: V. quoque *Cybele*.

Berefellarii, quasi *concacati*, Gall. *Breneux*, ex Angl. *Berdyed*, h. e. *permerdatus*, appellatio obscœna, certis quibusdam hominibus imposita, in *Charta* Thomæ Archiep. Eboracensis in *Monastico* Angl. *Tom III. part. 2. p. 5. Scilicet Præcentoris, Cancellarii & Sacristæ, ac 7. Personarum, qui olim* Berefellarii *fuerant nuncupati— Memoriæ recolendæ D. Johannes de Thoresby, dudum Eborum Archiepiscopus* (obiit ille A.C. 1373.) *ad honorem dictæ Ecclesiæ Beverlai & majorem decentiam ministrantium in eadem provincia ordinabat, Personis in Ecclesia nostra Cathedrali & Metropolitico Eborum officiando Ecclesiæ in divinis in habitu conformari. Sed quia eorum turpe nomen* Berefellariorum *patens risui remanebat, dictos 7. de cætero non Berefellarios, sed Personas volumus nuncupari*, apud du Fresne *Glossar.* Ratio nominis non liquet.

Berfridus seu Berfredus, V. suprà *Belfredus*.

Berenice, nomen variarum mul. adde: Mater Ptolomæi II. fuit, cui topazion primùm oblata est in cognomine Ins. Topazio, apud Epiphanium: unde factam statuam Arsinoæ Philadelphi uxori cubitorum quatuor, tradit Plinius, *amplissimam* hinc *gemmarum* eam dicens. Eodem nomine uxor fuit Ptolomæi III. quæ de suo nomine vocavit Urbem, cui *Hesperis* priùs nomen erat. Urbis meminit Solinus c. 27. *Circa extimum Syrtium cornu Berenicen civ. alluit Lethon amnis — Hanc Berenice munivit, quæ Ptolomæo tertio fuit nupta, & in majori Syrti locavit.* Antè verò *Hesperidem* dictam esse, refert Stephanus, Ἑσπερὶς πόλις Λιβύης, ἡ νῦν Βερενίκη. V. infrà in voce *Hesperia*, item *Hesperis*.

Berenicidæ, adde: Nomen ei à *Berenice*, uxore Ptolomæi I. ut habet Jac. Sponius *Itiner. Græc. part. 3. p.* 101. V. quoque eum *Ibid. p.* 35. ubi vet hanc *Inscr.* alterius *Berenices*, Agrippâ R. genitæ memoriam servantem, quam is Athenis observaverat, inseruit:

Η ΒΟΥΛΗ Η ΕΞ ΑΡΕΙΟΠΑΓΟΥ
ΚΑΙ Η ΒΟΥΛΗ ΤΩΝ Χ ΚΑΙ
Ο ΔΗΜΟΣ ΙΟΥΛΙΑΝ ΒΕΡΕΝΕΙ
ΚΗΝ ΒΑΣΙΛΙΣΣΑΝ ΜΕΓΑ
ΛΗΝ ΙΟΥΛΙΟΥ ΑΓΡΙΠΠΑ ΒΑ
ΣΙΛΕΩΣ ΘΥΓΑΤΕΡΑ ΚΑΙ ΜΕ
ΓΑΛΩΝ ΒΑΣΙΛΕΩΝ ΕΥΕΡΓΕ
ΤΩΝ ΤΗΣ ΠΟΛΕΩΣ ΕΚΓΟ
ΝΟΝ ΔΙΑ ΤΗΣ ΠΡΟΝΟΙΑΣ
ΤΟΥ ΕΠΙΜΕΛΗΤΟΥ ΤΗΣ ΠΟ
ΛΕΩΣ ΤΙΒ. ΚΛΑΥΔΙΟΥ ΘΕΟ
ΓΕΝΟΥΣ ΠΑΙΑΝΙΕΩΣ.
SENATUS AREOPAGITICUS
ET SENATUS MILLEVIRORUM ET
POPULUS JULIAM BERENI
CEN REGINAM MA
GNAM JULII AGRIPPÆ RE
GIS FILIAM ET MA
GNORUM REGUM EVERGE
TARUM HUJUS URBIS NE
PTEM CURA PROVIDA
CURATORIS UR
BIS TIBERII CLAUDII THE
OGENIS PÆANII.

Sub. *honorarunt hoc monumento.* Pater ejus aliàs *Herodes Agrippa*, cujus miserabilem exitum legimus Actor. c. 12. Ipsius verò hujus *Berenices* mentio est Actorum c. 25. V. suo loco.

Berfredus, machina bellica, in obsidione urbium olim adhiberi solita, de qua suprà diximus, in voce *Belfredus*.

Bergenæ, vel Bargenæ, vespillones, fossarii. V. Gothofredum *ad l. 4. princ. Cod. de sacra Eccl. Barbari funerum elatores*, Gloss. vett. *Barginna*, Cujac. in *Nov.* 43. V. suprà in *Barginna*.

Bermuda, in tabulis dicitur, quæ alias *Barbados*, insula Americæ syrtibus ac procellis famosa, quam Angli hoc tempore coloniis frequentant. V. Meriani *tom.* 13. *Americ. sect. 3. de Bermuda seu Summeri insula.*

Bernacla, vulgò *Bernacles* incolis, Belgis *Rotgansen*, singulare est anatum seu anserum genus, in Scotia, quod ex conchis, arboribus & similibus nasci communiter perhibetur. Et certum est, conchas hujusmodi reperiri, quibus contentum animalculum figuram anatis satis accuratè referat; Imò non in Scoticis tantùm, sed & Angliæ littoribus, ad Mare Hibernicum, in portu *Milfords haven* ac alibi, tanta sæpè hujus generis animalium seu concharum copia navibus adhærere deprehenditur, ut earum cursum haud leviter impediant. Nec minus hodie extra dubium ponitur, aves hasce in insulis Borealissimis ova parere & excludere; quod primò observatum Argonautis Belgicis, cùm initio seculi hujus navigationes Boreales novâ viâ in Indiam Orientalem detegendâ susciperent. V. Clus. *de Reb. Exot. App* 8. *p.* 368. Kircherium *M. S. l. 12. sect.* & Gerhardum de Veer *Itinerar.* Unde autem prima his anseribus origo, anceps quæstio est. Vult Kircherus, ova, quæ in glacie passim reperiuntur, et rupta simul frangi, & fluctibus maris involuta, ad obvias Insulas, quâ fert maris impetus, appellere, sicque fieri, ut ubicunque ovorum spermaticus humor convenientem matricem invenerit, in rimosis corticibus camporum foliorumque cavitatibus, conchis aut similibus, ibi ex dispositione aëris interni externique fota ex perfectæ volucris semine perfectam volucrem sensim formari. Sed an semen perfecti animalis extra arvum genitale suum tamdiu integrum & prolificum conservari possit, ambigitur meritò, nec experientiâ hactenus comprobatum est. Et insecta quidem præter ordinarium generandi modum, ex putri etiam materia fiunt, sed nunquam tamen, sine latenti aliquo sui generis semine, & imperfectiorem eorum conditionem esse, quàm reliquorum animalium, omnes probè agnoscunt. Nec dein similitudo animalculi argumentum præbet, sed ludenti Naturæ transcribenda est. Sic enim & Satyriorum aliqua perfectas imagunculas apum, murium, homunculorum referunt nemine, interea in verorum animalium classes eas recensente. Nec *Boramez*. Tartarorum planta ideo agnus est, quia aliqua inter eam verosque agnos convenientia intercedit. Vide Auctorem Anonymum *Hist. Orbis Terr. Geograph. & Civ. cap.* 5. *ubi de Insulis.*

Bernacum, vulgò *Bernay*, oppidum Galliæ, in Lexoviorum finibus, Abbatiâ suâ nobile, ad Carentonam fluv. V. Hadr. Valesium in voce *Risela fluv.*

Bernardini, ordo Religiosorum in Ecclesia Rom. fundatus à Roberto Abbate Molismensi. Regulam sequuntur Benedicti, sed quòd à Sanct. Bernardo reformati sunt, inde nomen accepere. Togam gestant puram, cum scapulari nigro, & cùm sacra obeunt, induti sunt tunicâ (*Coule* us Gallicè dictâ) albâ, amplâ & largâ, tumideque manicatâ, cum caputio ejusdem coloris. V. Odoardum Fialettum.

Principes Viri.

Bernardus, Dux Saxoniæ, filius Johannis, Vinariensis lineæ auctoris, ex Dorothea Maria Anhaltina, fortissimi Ducis bello Germano-Suecico famam & *Magni* nomen obtinuit: Francofurti, nomine coronæ Suecicæ, Dux Franconiæ creatus. Post multas res præclarissimè gestas, Brisacum expugnavit A. C. 1638. sicque

InVICto, fortIs OCCIDIT BrIsfeLs aChILLI,
JLLngItUr & tanto DIgna pUeLLa VIro.

Obiit A. C. 1639. Neoburgis. Nassovio, Erlachio, Rosâ & Ehemio exercitus curam habere jussis. Ejus corpus aliquandiu cùm asservatum esset, demum magnificis exequiis à fratribus avito monumento est illatum: E quibus Wilhelmus Vinariensem lineam continuavit, Ernestus verò Gothanæ conditor fuit. V quoq. *Bernardus Vinariensis D.* Idem nomen uni ex Wilhelmi præfati filiis, cui Jena obtigit: ut & uni ex Ernesti itidem prædicti, fuit.

Bernardus, Dux Brunsuicensis, filius Magni cognom. *Junioris* seu *Torquati*, fratre majore natu Friderico, qui in locum Wenceslai Imp. depositi ad Imperiale fastigium electus fuerat, extincto, cum altero fratre Henrico, pari potestate rexit ditiones, & ultimo Comite Homburgico Henrico A. C. 1409. defuncto Comitatum suis adjecit: Auctor rami Lunæburgici. Eo geniti Otto cognom. *Magnus*, vel *Claudus* & Fridericus cognom. *Religiosus*, pater inter alios *Bernardi*, Administratoris Hildeshemii.

Bernardus, Marchio Badensis, filius minor natu Rudolfi cognom. *Magni*, cum Ludovico Palatino bellum habuit. Pater *Bernardi*, qui Principatum Canonicatu Basileæ commutavit, & Jacobi, in cujus elogiis recensendis Æneas Sylvius totus est. Hoc genitus est, præter alios, *Bernardus*, cui Etlingæ habitanti desponsata Magdalena filia Caroli VII. Francorum R. sed vitam is Monasticam amplexus, illam omisit: post mortem ob id à Sixto IV. Pontif. Rom. A. C. 1480. Sanctorum catalogo illatus Obiit autem A. C. 1459. Frater Johannis Archiepiscopi Trevirensis, Georgii Episcopi Metensis, Marci Canonici Argentinensis, &, qui ante reliquos dicendus erat, Caroli, cui Bernardus administrationem tradidit.

Bernardus ex filio Christophoro nepos Caroli prædicti, nactus Badensem Marchionatum, Badensem ramum condidit; sicuti ejus filius minor natu Ernestus Durlacensem ortus est. Primus in suas ditiones introduxit religionem Evangelicam, ac nomine Hispanico Lucenburgensem Ducatum gubernavit. Sexagenarius duxit Franciscam Lucenburgicam Brienniam A. C. 1535. & post biennium moriens reliquit Philibertum successorem, & Christophorum, cui Rodemachera habitanda obtigit. E cujus filio Edoardo Fortunato, natus est Wilhelmus, pater inter alios *Bernardi* & Caroli *Bernardi*, quorum ille Romæ obiit A. C. 1649.

Bernardus, filius minor natu Alberti *Ursi* seu *Pulchri*, celeberrimi Principis, ex familia Ascania, Saxonicæ stirpis conditor, sicut frater ejus Otto I. Brandeburgicum ramum inchoavit. De Friderico I. Barbarossa Imp. bene meritus, ab eo A. C. 1180. in Comitiis Herbipolitanis Ducatum Saxoniæ, exauctorato Henrico Leone obtinuit; rutaceum sertum insignibus intulit; [illegible]gæ, quam provinciam Conradi III. Imp. dono nactus fuerat, sede fixâ. Idem Erdenoburgo destructo Lawenburgum condidit, & cùm Henricus VI. hæreditarium efficere imperium laboraret, se strenuè opposuit. Decessit A. C. 1212. Justitiæ inprimis laude insignis

[illegible] Eo nati, ex Jutha Danica & Sophia Thuringica, Albertus Saxonici & Henricus Anhaltini rami, fuere conditores.

Bernardus, filius Erici IV. ex posteris Alberti præfati, Dux La[illegible]burgicus, fratri Erico V. sine prole A.C. 1435. demortuo, successit. Ob aliquas lites cum Friderico I. Electore Brandeburgico, vastavit Prigniciam, sed ipse vicissim à Friderico Erdenoburgum suum, de quo suprà, destrui vidit, & mortuus A.C. 1463. ditiones suas ac prætensiones reliquit filio Johanni.

Bernardus I. fil. minor natu Henrici, Anhaltini rami conditoris, de quo retro, Bernburgiam lineam orsus est, Sigfrido fratre Servestanæ auctore. Eo natus,

Bernardus II. patruo Ottoni Ascanio successit: sed Albertus frater Epis. Halberstadius ab eo dissidens, Ascaniam capitulo Halberstadio, ope viduæ Ottonis Elisabethæ, quæ eam dotalitio nomine adhuc possidebat, adseruit. Ei successit,

Bernardus III. filius, qui, quòd ab iisdem Halberstadiensibus ditione illâ vi dejectus esset, *Spoliati* cognomen adeptus est. Eum excepit filius

Bernardus IV. frater Henrici. (patris *Bernardi V.*) & Ottonis: quo geniti

Bernardus VI & Otto lineam clausere, ac seculo decimo quinto successorem habuere in Bernburgica ditione Georgium agnatum: cujus filius Ernestus pater inter alios fuit Johannis, cujus fil. natu minimus *Bernardus* cum Clara Brunsuicensi in sterili vixit conjugio: frater Joachimi Ernesti, qui unus totius Principatus fuit possessor. Hoc, inter alios, genitus *Bernardus*, antea Henrici IV. Gall. R. auspicia cum laude secutus, inde Anno Christi 1596. omnibus fortissimi Ducis muniis expletis, ad Agriam, à Turcis cæsus est.

Bernardus, cognom. *Agilis*, vel *Celer*, vel *Saltator*, filius Boleslai cognom. *Calvi* vel *Sævi*, Ducis Lignicii, frater Henrici, qui lineam Ligniciam continuavit, & Boleslai, qui Suidnicensem orsus est, obiit improlis, sub finem sec. 13. Boleslao verò natus *Bernardus*, strenuè se Bohemis opposuit, & cùm reliqui A.C 1327. Bohemis jurassent, ipse solus è familia Polonis adhæsit. Ei morienti A.C. 1347. successere ex Uladislai Loctici Pol. R. sorore nati Boleslaus seu Bolco & Henricus. Frater verò Bernardi hujus Boleslaus Monsterbergicæ lineæ fuit auctor. Idem nomen quoque fuit Ducis Falcoburgii, rami Oppoliensis, Boleslao IV. nati &, sine mascula prole extincti A.C. 1455. Ut & filii Elimari I. Comitis Oldenburgici, qui Henrici Leonis miles fuit, &c. V. Philippum Jacobum Spenerum *Sylloge* Genealogico-Historicâ.

Viri Celebres.

S. Bernardus, Burgundus, adde: Ex Castillione, nobili genere, Possevin. *Doctoris melliflui* elogio insignitus est. *Eo quis gravius scripsit, cujus ego Meditationes rivum Paradisi, Ambrosiam animarum, Pabulum Angelicum, Medullam pietatis vocare soleo*, Heinsius. *Vir & Christianè doctus, & sanctè facundus, & piè festivus*, Erasmo. *Pater patriæ* salutatus est à Pop. Rom. quòd litem inter Antipapas composuisset, Sigonius.

Bernardus Bottonus, Parmensis, floruit circa A.C. 1240. Bononiæ, ubi etiam Canonicus creatus est, diu Decretales professus, postea Sacri Palatii Quæstor est declaratus: Academiæ tandem Bononiensi præfectus, *Germanorum Cancellarius* dictus est. Epitaphium ejus in majore Templo Bononiæ sic habet:

BERNARDUS BOTTONUS CANCELLARIUS
STUDII BONONIENSIS, QUI SCRI-
PSIT APPARATUM AD DECRETA, JA-
CET HIC.

V. infrà in *Bottonus*.

Bernardus Circa, Papiensis, primus Collector Decretalium, post Gratianum. V. infrà *Circa*.

Bernardus Compostellanus, auctor tertiæ compilationis Decretalium, Vide Gerhard. von Mastricht *Histor. Eccles. Juris* num. 348. 349.

Bernburgum, adde: Urbem Albertus II. Ascanius, qui etiam Ascaniam arcem ab Radbodo extructam, à Pipino dirutam, restauravit, condidisse dicitur. Pfannerus *de præcip. Germaniæ Principum gentibus* c. 10.

Berne, Gallorum antiquâ linguâ, sagum est, observante Cujacio *Tract. 8. ad African.* unde vox *Berner* Gallis usurpatur, pro ea lascivia, quâ delectatum Othonem narrat Suetonius c. 2. quâ sc. distento sago impositus in sublime jactatur: cujus etiam meminit Martialis *Lib. 1. Epig. 4.*

[illegible] ibis ab excusso missus in astra sago.

Ut & Ulpianus *tit. 1. collat. Leg. Mosaicæ*, ubi Pithœus primus advertit, hoc ludi genus *sagationem* appellari & [illegible] reddi in *Gloss. Lat. Gr.* quo proinde loco *sallissationem*, legi debere, frustra contendit Josias Mercerus *ad Aristænetum*. Casaubonus verò *ad Sueton.* vocem *berner*, à Gr. [illegible] accersit; ita enim Dores pro [illegible] dixisse, ex Hesychio docet. V. Car. du Fresne *Gloss.*

Bernice, [illegible], Græcis recentioribus electrum est; unde nomine facto juniperi gummi *Vernicem* hodie appellant Galli: nam & candidum est electrum & cereum & fulvum. Utuntur autem eo gummi pictores ad illuminandos colores. *Bernice* verò ex *Beronice*, quod recentiori ævo nomen [illegible], gummi genus esse credito. Neophytus, [illegible] Nicomedes, [illegible]. Idem [illegible]. Quo sensu capienda vox, apud Myrepsum *de Antidotis* 317. [illegible], i. *Succini*, *Corallii* &c. Ubi pro herba *Veronica* vocem nonnulli malè acceperunt. Ab eo porro *Beronice* electro genus nitri rubri [illegible] dictum est, quòd *fulvo* esset *succino* simile, apud eundem Neophytum & Nicomedem, laudatos Salmasio *ad Solinum pag.* 1106.

Berninus Eques, Architectus & Sculptor celeberrimus, cujus sculptoriæ artis specimina, in lusu pueri cicadam captantis elaborata, asservantur in *Musæo* Kircheriano Romæ. V. Georg. de Sepibus in *Descript. hujus Musæi* p. 1.

Berolasis apud du Fresne in *Epistola* Johannis VIII. cujus hic titulus, *Omnibus Episcopis Cajetam, Neapolim, Capuam*, Berolatim, *& Amalfim, Beneventum & Salernum incolentibus*: locus est in vet. Capua ad S Stephanum, vulgari nuncupatione hodieque dictus *li Vorlaski*, Anonymo Casinensi *Berelais*, Heremperto *Berelasis*, Latinè loquentibus *Amphitheatrum*. Neque mirum, si Episcopus in vet. Capua constitutus *Suricorum* vel *Berelasis* nuncupabatur, cùm illis in vicis insigniores Ecclesiæ essent. V. eundem Johannem *Epist.* 265. & Ughellum in *Episcopis Capuanis*.

Beronice, V. suprà *Bernice*.

Beronices Portus, *Tab. Peutingeriana*: *A Copto Bernicide portum Phœnice* XXII. *Affroditas*, XXIIII. *Didymos*, XX. *Compasin* XXV. *Dios* XXII. *Xeron* XXIIII. *Philacon* XXIIII. *Apollonos* XXIIII. *Cabau* XXVII. *Cenon nidroma* XXIIII. *Pernicide portum* XXII. Lege, *Beronice portum*. Sed ita fortè tum appellarunt. *Beronice* dicitur in aliis Tabulis: prope quam mansio, ubi aquabantur, *novum Hydreum* Plinio, Græcè [illegible], quod *Cenon Nidroma* corruptè in Tab præfatâ. In *Itiner.* Antonii Augusti, *Cænon Hydreuma M. P.* XXVII. *Beronicem M P.* XVIII &c. V. Salmasium *ad Solinum p.* 1184. ut & in voce *Berenice*.

Berosus, adde: Horologium idem invenisse, traditur Vitruvio; nempe tale, cujusmodi Astrologi veteres in suis ratiociniis putandis utebantur; quæ diebus tantùm æquinoctialibus duodecim partes ostendebant. Ipse enim [illegible] Græcos docuisse primus fertur. Alii tamen Horologium intelligunt, qualia, post horarum nomen & usum vulgatum, in notitiam venere. Sed hac de re plura dicemus infrà, ubi de Veterum *Gnomonice*, *Horologiis*, alibique passim. Uti autem Berosus sacerdos fuit Beli & propheta seu vates; ita filiam quoque habuit fatidicam, *Sabbam* nomine, quam in Sibyllarum numerum à quibusdam relatam esse, meminit Pausanias *in Phocicis*, [illegible] *Apud Hebræos supra Palæstinam mulier divinatrix* memoratur, *nomine Sabba, Berosi & Erymanthes filia. Quam alii Babyloniam, alii Ægyptiam vocant Sibyllam* V. infrà in voce *Sabba* & plura hanc in rem, apud Salmasium *ad Solinum* p. 647. & *seqq.*

Berrorii, Italis *Berrovieri*, occurrunt non semel apud Rollandinum *libro* 8. *capp.* 1. 2. 3. & *libro* 10. *capite* 6. Vulgò *Birri* seu *Sbirri*. Vide Joh. quoque Villaneum *lib.* 7. *cap.* 79. laudatum præfato *Glossarii* Auctori.

Bersa, in *Charta* Spelmanno laudatâ, *Intra* bersas *forestæ*: crates vimineæ sunt, seu sepes ex palis vel ramis grandioribus contextæ, quibus silvæ vel pali undique incinguntur, ut nullus cervis cæterisque feris ad egressum pateat aditus. A cujusmodi cratibus mansisse infantium cunis nomen apud Gallos, diximus suprà, in voce *Berciolum*. Hinc *bersare* seu *birsare*, pro *venari* seu intra *bersas* forestæ venationem exercere: quod Watsius à Germ. *birsen* h. e *telo configere*, deducit. Venatores enim in sylvis istiusmodi sepibus cinctis damas cervosque telis configere ac perimere solent. Neque certè aliunde accersenda vocis Italicæ *Bersaglio* origo, quæ *album* seu *scopum*, ad quem sagittatores suas emittunt sagittas, significat, apud Dantem in *Parad. Cant.* 26. & Matthæum Villaneum *lib.* 6. *cap.* 71. metaphorâ nempe à Venatoribus deductâ, qui *bersando* spicula sua in feras contorquent ac dirigunt. Indidem *Bersarii*, de quibus suo loco diximus. Latini *Formidinem* dixere, de qua voce V. suo loco.

Berta, seu *Bertacciola*, nomen carrocii, quod Cremonenses instituerunt quodque sic appellarunt in honorem Berthæ Augustæ, Henrici Imp. uxoris, cujus intercessione usum ejus unà cum libertate, sunt adepti, A.C. 1087. Quid autem *Carrocium* sit, V. apud Anton. Campum *descr. Cremonæ* & infrà *suo loco*.

Bertholdus, Princeps Hennebergicus; pater Margaretæ, quæ Johanni Comiti Zollerano, avo Friderici I. Electoris Brandeburgici, nupta, Heldburgum, Hilperhusam & Eisfeldam, dotis loco, ei attulit. Idem nomen Johannis quoque fratri fuit, Episcopo Aichstattensi & Cancellario Ludovici Bavari Imper. &c.

Bertramus Bonaventura Cornelius, Gallus, Picto-Thoarsensis, nobilissimo Tremolliorum oppido natus, *Vir Judaicarum antiquitatum callentissimus*, Riveto: *Limatissimus scriptor*, Dilhero: Obiit A.C. 1594. Ejus extant: *Lucubrationes in varios V. T. libros*, quas cum *Franckatalensibus ejus Lucubrationibus*, Spiræ editis A.C. 1610.

eardem

easdem quidam volunt: & *Commentaria de Politica Judaica*, Genevæ A.C.1577. *Qui solus libellus, Auctoris dotes satis superque exaggerat*, L' Empereur *de Rep. Judaica in Præf.*

Berulfi villa, vulgò *Bruville*. memoratur in literis anni 769. in pago Vabrensi, in Comitatu Virdunensi, super fluvium Senode. Hadr. Valesius *Not. Gall.*

Bervvicum, adde: olim sedes Regni proprii. Inter 7. enim Anglo Saxonum regna, numero quartum, East Saxonum videlicet, quod fundatum est ab Ina A.C. 547. subdivisum postea est, in Regnum *Deiræ* & Bervici seu *Berviciæ*: quorum illi nomen fuit ab urbe cognomine hodie *Durham*, illi ab urbe *Bervvico*. Unde vitiosè Regnum hoc *Berniciam* appellari à nonnullis, notat Hornius, cùm omnino *Bervvicia* dicendum sit, quemadmodum illud perpetuò appellat Joh. Major in *Histor. Scotorum*. Fuit autem sub Rege proprio, usque ad A.C. 800. quo sub Rege West-Saxonum Egberto, septem Saxonum Regna in unum coaluerunt, quod *Angliam* inposterum appellari primus hic Rex voluit. V. Hornium *Orb. Imper. p. 313 & 314.*

Beryllus, Græcè βήρυλλος, octavo loco numeratur inter 12. fundamenta Novæ Hierosolymæ, quæ singula singulis gemmis constabant, Apocalyps. *cap. 21. versu* 20. Gemma est viriditate similis smaragdo, unde ejusdem naturæ cum smaragdo multis visa: sed pallidus ejus viror est. Glauci nempe sunt berylli sicut mare purum virides: at smaragdi herbaceam præferunt viriditatem & austeram. Hinc *Beryllus* Salmasio gemma videtur, quam *Catti oculum*, Galli *œil de chat*, hodie appellant; *glaucam* namque Beryllum omnes Vett. vocant eam, quæ probatissima sit, qui color felineorum oculorũ proprius. Alii verò *aquas marinas* appellari malunt Veterum beryllum: quamvis smaragdo etiam maris viriditatem Vett. vindicent. Sed de *Beryllo* Solinum audiamus, c. 52. *Beryllos in sexangulas formas Indi atterunt, ut hebetem coloris lenitatem angulorum repercussu excitent ad vigorem: Beryllorum genus dividitur in speciem multifariam: eximii inter virente glauci & cærulei temperamento, quandam præferunt puri maris gratiam. Infra hos sunt chrysoberylli, qui languidiùs micantes, nube aureâ circumfunduntur. Chrysoprasos quoque ex auro & porraceo mixtam lucem trahentes, æquè beryllorum generi adjudicaverunt. Hyacinthizontas scilicet, qui hyacinthos proprie referant & ipsos probant: eos verò qui crystallo similes capillamentis intercurrentibus obscurantur, hoc enim vitii illorum nomen est, scientissimi lapidum plebi dederunt. Indici Reges hoc genus gemmas in longissimos cylindros amant fingere, eosque perforatos elephantorum setis suspendunt, ac monilia habent, aut ex utroque capite inserunt aureos umbilicos, ut marcentem faciem ad nitelam incendant pinguiorem, quò per industriam metallo hinc inde addito fulgentiorem trahant lucem.* Plinius inter *beryllos hyacinthizontes* & eos, qui crystallo similes sunt, alia quædam genera Solino omissa recenset, *aeroides, cerinos & oleaginos*, i. olei colore, *lib. 37. cap. 5.* At glauci optimi, ut dictum. Unde γλαυκὸν βήρυλλον Græci. Dionysius de Jndis,

> *Ἄλλοι δ' ἰχνεύουσιν, ἐπὶ σπιλάδεσσιν ἀναύρων,*
> *Ἠὲ βηρύλλου γλαυκὴν λίθον, ἢ ἀδάμαντα.*

Et de Assyria.

> *Καὶ μὴν καὶ χρυσοῖο φέρει χαραδραίστερον ἄλλο*
> *Τ'γρὸς βηρύλλου γλαυκὴν λίθον, ἣ περὶ χῶρον*
> *Φύεται ἐν προβολῇσιν ὀφιήτιδος ἔνδοθι πέτρης.*

Nempe invenitur apud Assyrios in cautibus, intra ophitem lapidem: at apud Indos in præcipitiis torrentium, quod voces illæ, σπιλάδας, item ἐν σπιλάδεσσιν ἀναύρων, sibi volunt. Quæ verò de Indis Solinus habet, sic corrigit ex Plinio Salmasius, ut dicat, Indos *beryllorum* longitudine summopere delectatos, solos gemmarum esse prædicasse, qui auro melius carerent; atque ob id perforatos setis elephantorum religasse: Alios verò, Europæos nempe, seu Romani Orbis homines judicasse, non oportere eos perforari, quorum sit perfecta bonitas, sed capita eorum utrinque ex auro comprehendisse & cylindros ex his facere maluisse, quàm gemmas, quia summa commendatio in longitudine &c. Quia porrò virides *Berylli*, hinc ad pocula insignienda translatæ; gemmas enim viridantes in oculandis poculis ut plurimùm adhiberi consuevisse, dicemus infrà, ubi de *Smaragdo*. Hinc Juvenalis,

> ——— *& inæquales beryllo*
> *Virro tenet phialas.*

Id est, beryllo textas, & per hoc inæquales asperitate & extuberantiâ gemmarum &c. Plura hac de gemma V. apud Salmasium *ad Solinum pag. 567. &* 1105. *ac seqq.* Alia notio est vocis, cùm *Βηρύλλιον* quoque dicitur apud Neophytum; ibi enim *beryllus* idem cum succino seu electro est, quod medio ævo his nominibus appellatum esse, retro diximus.

Berytiensis Colonia, Augusti beneficiis gratiosa, & (ut divus Hadrianus in quadam oratione ait) *Augustiana Colonia* dicta. Ulpianus *l. 1. de censib.* apud Joh. Calvinum *Lex. Jurid.*

Besa, nomen Dei & urbis in Ægypto, in reg. Thebaide, quam *Antinoum* seu *Antinopolim* Hadrianus postea, in memoriam Antinoi appellavit, huicque novo scilicet Numini, pulso veteri, consecravit. Retinuerunt tamen vocem etiam postea, alterâ Græcâ relictâ, urbis incolæ diu, unde fuere, qui de duobus unum nomen componerent, & oppidum istud *Bessantinoum* appellarent. Photius Patr. de Helladio Scriptore Ægyptio, Οὗτος, inquit, ὁ συγγραφεὺς ὁ τοῦτον συντεθειμένος, γένος μὲν Αἰγύπτιος ἦν, πόλεως δὲ τῆς Ἀντινόου, ἢ ὡς αὐτὸς ἐπιγράφει, Βησαντινόου, *Iste auctor, qui hæc composuit, genere quidem Ægyptius erat, oriundus verò ex urbe Antinoo, seu ut ipse inscribit*, Besantinoo: duorum nempe Numinum appellationibus in unum conflatis, ut in *Hermeraclas, Hermathena, Heraclammon, Hermammon*. *Besam* autem nomen fuisse unius ex Ægyptiorum Diis, Ammianus docet *lib. 19. Oppidum est Abydum, in Thebaidis parte situm extrema. Hic BESÆ Dei localiter appellati oraculum quondam futura pandebat.* Hincque, ut in aliis Deorum nominibus, sic in isto accidit, ut viri etiam illud usurparent Ægyptii. Inde erat *Besa* ille, qui sub Decio crucis Evangelium sanguine suo obsignavit. Etiam ille fortè, qui veteri proverbio notatus est, Βησᾶς ἔγνω: homo ob fatuitatem Alexandriæ celebris, ubi Machaon fabulas suas docuit, &c. V. Salmasium *Not. ad Ælii Spartianum in Hadriano* & *Exercitat. Plin. ad Solinum p. 71.* ubi urbem illam *Abydum* primitus dictam fuisse, in qua *Besa* θεὸς ἐγχώριος καὶ τοπικὸς colebatur, docet ex Ammiano Marcellino *lib. cit. Oppidum est Abydum in Thebaidis parte situm extrema: Hic Besæ Dei localiter appellati oraculum* &c.

Besantinoum, urbs Ægypti, in Thebaide, priùs *Besa*. V. hic *suprà*.

Besar, Jazidi filius, Poëta cœcus, rogatus, si Deus ei daret optionem, ut fieret quodvis animal, quod potius eligeret? Respondit *Alokab* (Arabs enim erat, i. *melanaetum*) quia degat in locis, quæ feris & bestiis omnibus sunt inaccessa, atque etiam feræ oves ejus occursum fugiant, apud Damirem laudatum Sam. Bocharto *Hierozoici Part. poster. l. 1. c. 1.*

Besca lingua, memoratur in *Itinerar.* Hierosolym. Antonini Mon. *Monasterium, in quo tres sunt Abbates scientes linguam Syram, Græcam, Ægyptiacam & Bescam*, apud du Fresne *Glossar.*

Bessale seu *Bessalis* later, Græcis recentioribus βήσαλον, Plinio & Vitruvio *later* δίδωρος, quia mensuram habet *bessis*, i. duos pedis trientes. Nempe lateres per palmos olim dimetiebantur, & lapidem δίδωρον, τρίδωρον, τετράδωρον ac πεντάδωρον, dicebant, à *duobus, tribus, quatuor & quinque palmis*. Pes autem trium palmorum est; unde βήσαλον à Græcis recentioribus primò pro *bessali latere*. Sed & deinde pro quovis latere est usurpatum. Tzetzes *Chiliad. 9. Histor. 275.*

> Ὀπτὴν δὲ πλίνθον γίνωσκε τὴν βήσαλον καλοῦμεν.
> Τῆς Βαβυλῶνος κτίσμα γὰρ ὑπῆρχεν ἐκ βησάλων.
> *Coctum autem laterem scito, quem* besal*um vocamus:*
> *Babylonis enim extructio fuit ex besalo.*

Sic כפיס, apud Hebræos propriè *later sesquipalmi*, Habacuc *c. 2. versu 11. & 12.* pro quovis latere accipitur, uti dicimus ex Bocharto *Hierozoic. Part. poster. L. IV. c. 26.* Propriè verò βήσαλον Græcis citerioribus *later coctus* est; ex his enim structi Babylonis muri; cùm lateres, quibus vulgò apud Græcos ac Romanos ædificia struebantur, crudi essent, Vitruvius, *lib. 2. cap. 3.* Plinius *lib. 35. c. 14.* Achmes *Onirocrit. cap. 145.* &c. V. de hac voce plura, apud Salmasium *ad Solinum p. 1231.*

Bestiæ Carnivoræ, quo pabulo in arca à Noacho fuerint sustentatæ, anxiè multi quærunt. Si fœno dixeris & farragine, videbere rerum invertere naturam, & quod in adagio dicitur, κυνὶ διδόναι ἄχυρα, ὄνῳ δ' ὀστᾶ, *cani dare paleas, ossa verò asino*. Si carnem illis ingessisse Noahum responderis, quoties fuit necesse, quæretur rursus, unde potuerit illi tantum carnis suppetere, cùm animalium certus numerus in arcam sit intromissus & pleraque bina tantùm, quæ occidere fuit nefas, ne species aboleretur. Ne dicam, parùm videri verisimile, Noachum tamdiu tam assiduo & fœdo ministerio fuisse mancipatum. Proinde potius est statuere, miraculo factum, ut leones, pantheræ, tigrides &c. feritate depositâ mansuescerent, atque homini se subjicerent; sicque ad tempus, neglectâ carne, fœnum & fruges depascerentur, contenti sc. obvio cibo ac parabili. In qua fere sententia sunt Basilius & Augustinus, & ex Hebræis Kimchius in *Esajam*; quem a ludere consentaneum est, ad diluvii tempora, cùm futuram sub Messia rerum omnium conversionem Propheticis verbis sic describit, *cap. 11. vers. 6, 7. Lupus habitabit cum agno & pardus cum hædo recubabit: Et capite 65. versu 25. Et Leo, sicut bos, comedet stramen.* Quale quid nescio cui Prophetæ tribuit Damir, Scriptor Arabs, *cap. de Leone*. Ut Sibylla Erythræa, si credimus, *Oracul. Sibyll. lib. 3.*

> Ἔνθ' δὲ λύκοι τε καὶ ἄρνες ἐν οὔρεσιν ἄμμιγ' ἔδονται
> Χόρτον, παρδάλιές τ' ἐρίφοις ἅμα βοσκήσονται,
> Ἄρκτοι σὺν μόσχοις νομάδες αὐλισθήσονται,
> Σαρκοβόρος τε λέων ἄχυρον φάγεται ἐπὶ φάτνῃ,
> Ὡς βοῦς.
> *Cumque lupis agni per montes gramina carpent,*
> *Permixtique simul pardi pascentur & hædi,*
> *Cum vitulis ursi degent armenta sequentes,*
> *Carnivorusque Leo, plenis præsepibus adstans,*
> *Cum bove stramen edet*, &c.

V. Sam. Bochartum *Hierozoici Part. prior. l. I. c. 2.*

Bestiarii, apud Romanos dicti sunt, qui ad bestias damnati cum illis pro vita decertare cogebantur. Dicuntur autem *Bestiæ* propriè, quæ naturâ feræ sunt, veluti ursi, leones, pantheræ, *l. 1. §. in bestiis ff. Si quadr. paup. fec. dic.* Mentionem ludi hujus *Bestiarii*

facit Seneca *Epist.* 70. Item Isidorus *Etymolog. l.* 18. c. 52. *Ludus gladiatorius inde dictus, quòd in eo juvenes armorum usum condiscunt, & modò inter se, aut gladiis aut pugnis certantes, modò contra bestias incedentes subeant ferale discrimen.* Sic Clem. Alexandrinus *de Constitut. Apostol. c.* 1. Εἰ τις Χριστιανὸς κατακριθεὶς ὑπὸ ἀσεβῶν, εἰς λῦδον, ἢ θηρία ἢ μέταλλον, *Si quis Christianus condemnatus est ab impiis in ludum, vel bestias, vel metallum,* &c. Ea autem ratio *Bestiarii* ludi fuit, ut non sufficeret, unam alteramve feram stravisse, sed necesse esset cruentum hunc agonem toties subire, donec reus esset peremtus. Unde extra ordinem Androclo cujus meminit A. Gellius *l.* 5. c. 14. vita concessa est, patetque hinc cum *Bestiis* pugnam duplicis generis fuisse; Unam quam sponte quidam roboris experiendi gratiâ subibant, id quod hodieque in Imperio Mogoris M. frequentissimum, non aliâ compendiosiore ad summos honores ac dignitates viâ, uti habet Mandeslovius *Itiner. Indiæ:* Alteram ad quam scelerati homines ita condemnati sunt, ut post unam licet alteramve victoriam nihilominus in continua essent mortis expectatione, ut dictum. Et rarum admodum fuit, bestiam ab homine vinci, contra ab uno Leone Bestiariorum ducentos interemptos legimus: *Præclara ædilitas, unus leo, ducenti Bestiarii,* Cic. *in Orat. pro Sest.* e quibus verbis colligimus, eodem ludo plures homines cum una bestia, sibi invicem succedendo, pugnavisse, e quibus eos qui priores excepere, Græci ἐφέδρους vocarunt, teste Suida: Quò alludens Apostolus ἐσχάτους se seu *ultimum*, h. e. in ultimum locum servatum, appellat, 1. Cor c. 4. v. 9. ubi notanter quoque de Deo usurpat vocem ἀπέδειξεν *ostendit,* quæ vox propriè de spectaculorum talium cruentorum Editore usurpari solita fuit. Unde *ostendere munus*, Tullius: & *proponere munus,* Suetonius dixere, V. Lipsium *Saturn. l.* 2. c. 18. Hinc & ἐπιθανατίους se ibidem dicit, quia certa mors ultimis imminebat plerumque. Matutinis enim horis inchoatâ cum bestiis pugnâ, οἱ ἔσχατοι seu *ultimi,* usque ad meridiem servabantur, hinc *Meridiani* dicti, apud Suetonium *in Claudio*: tum cum bestiis, sine ullis armis defensivis, solo ense armati, committebantur, simul ac manum vacuam habentes, quâ bestias irruncare & lacerare utcunque conabantur. Quæ causa est, quòd horum hominum pugnam, cum antemeridiana comparans, *Quicquid ante pugnatum est, misericordiam,* vocet Seneca *Epist.* 7. Celebris Ignatii Martyris historia est, qui bestiis objectus dentibus eorum conteri gloriæ duxit, inquiens: *Frumentum sum Christi, & per dentes bestiarum molor, ut mundus panis Dei inveniar,* apud Irenæum *adv. Hær. l.* 5. c. 28. & Euseb. *Hist. Eccl. l.* 3. c. 33. V. Th. Godvvynum *Antholog. Hist. Rom. l.* 3. *sect.* 4. c. 8. Quòd de Christianis & Ignatio in specie dictum, confirmatur exemplo Attali, apud Eusebium *Histor. l.* 5. qui quamvis civis Romanus esset (quales aliàs *Bestiis* non objiciebantur) ad Bestias nihilominus damnatus est, quòd usitatum hoc esset supplicium, quo in Christianos animadvertebatur, idque, ut videtur, ex *L. Corn. de Sicariis.* Objiciebatur enim præcipue Christianis infanticidium, ejusque degustatio. Pœna autem Legis Corn. erat, *ut humiliores feris vel bestiis objicer. l.* 3. §. 5. *D. ad L. Corn. de Sicar.* Censebantur autem inter *humiliores* Christiani; adde etiam *famosos, quos severius, quàm integræ famæ homines punierunt, l.* 28. §. 16. *D. de Pœn.* Unde nil mirum, si Christiani, quanquam cives Romani, *Bestiis* objicerentur. Cæterum, si qui, cum eximii essent roboris, aut maximi in arte sua nominis, ad bestias damnati fuerant, super iis consulebatur Princeps, an vellet hujusmodi *Bestiarios* ex provincia in urbem transduci, qui Populo Rom. in ludis exhiberentur. Quò pertinet *lex* 31. *D. de Pœn. Ad bestias damnatos favore Populi Præses dimittere non debet. Sed si ejus roboris, vel artificii sint, ut dignè populo Romano exhiberi possint, Principem consulere debet.* Atq; secundùm hæc factum putat Petitus ut Ignatius in Urbem sit traductus, V. eum *Commentar. in LL. Attic. Lib.* 11. *tit.* 4.

Beta, in *Gloss.* Benedicti *cap. de Vestim. Pellis lanata*; βαίτη. Zacharias Calliergus in *Schol. ad Theocrit. Idyll.* 5. Βαίτας λέγουσι τὰ ἐκ κωδίων συρραπτόμενα περιβόλαια, *Betam seu Baitam vocant consarcinatas ex ovillis pellibus vestes:* ubi βαίτην, τὴν διφθέραν, τὴν σισύραν, interpretatur. Hodieque *Betas* vocant Bellovacenses cucullioncs nigri coloris, quibus caput in mortuorum obsequiis viri operiunt: de quo more agit Gregor. Turonensis *de Vitis Patrum c.* 6. *Similiter & viri obtecto capite, ut in exequiis uxorum mos est.* V. infrà *Nocturnales.* In Glossis, *Crypta, Bitæ*, legitur, quod Græci interpretantur ἀπόκρυφον μυστήριον, h. e. *adytum*. Quâ notione etiam βαίτας dicitur, & Hesychius βαίτας exponit. Cur autem *Bitæ* aut *Baitæ* adytum templi seu interiorem cellam significaverit, nescire se ait Salmasius *ad Solin. p.* 1212. Apud Hibernos certè *Betagios*, Laicos dici glebæ Ecclesiasticæ ascriptos, adnotat du Fresne, in hac voce.

Beth-jaazek, locus apud Hebræos dictus est, prope Templi atrium, in quo in fine Mensis cujuslibet Curia convocari olim solebat, ut audirentur idonei testes, quotquot de Lunæ nascentis Φάσει certum aliquid referrent. Quibus auditis, vel per πυρσοὺς seu *faces in excelsis locis accensas*, vel per nuntios undequaque missos, Curiæ decretum significabatur usque ad loca, quæ decem dierum itinere ab urbe distabant. Quamdiu enim Resp. Judæorum stetit, illi non aliter Neomenias & festa sua constituerunt, quàm juxta Lunæ Φάσιν: ut itaque certius constaret de præciso Festorum tempore, magnâ curâ ad Lunæ Φάσιν venandam usi sunt, uti pluribus docet Judæorum doctissimus Maimonides *Tract. de Consec. Novilun.*

Bethleemitæ, Monachi memorati Matthæo Paris A. C. 1257. *Concessa est mansio Patribus Bethleemitis in Cantabrigia — quorum habitus similis est habitui Prædicatorum Signatur autem capa eorum in pectore quadâ stella rubra, 5. radiis crinita, in cujus medio quædam rotunditas est aërei coloris, propter stellā quæ apparuit in Bethleem, nato Domino.*

Bethphage, adde: Prope fuit sub ipsis Hierosolymæ mœnibus. Ut Hebræis credimus. Proinde ibi coquebantur oblationes vespertinæ, ut probat doctiss. Buxtorfius ex Bartenora, & Bartenora ex Rambam *Tract.* Talmud. *Menachoth c.* 11. Quin *Glossa* Talmudis vult, hoc nomine significari, quidquid est extra Urbem in ambitu. Loco nomen à grossis seu ficubus immaturis, ut Olyntho urbi Thraciæ, *Grossi* enim Chaldæis & Syris פגי *pagge*, vel *phage* ἀγροικικῶς, V. Bochartum *Hierozoici part. prior. l.* II. c. 17.

Bethuna, adde: Hinc illustri familiæ nomen, quam à Roberto I. D. *de Bethune* circa A. C. 1000. Andreas Duchenius (qui integrum de ea volumen edidit) deducit. Et quidem illius nepos Robertus III. duos filios genuit, Robertum IV. ac Adamum; quorum hic in Palæstina *Bethsan* sive *Betsan* nactus, illud dominium ad posteros per plures gradus transmisit. Ex illius descendentibus verò, dictum ramum finivit Mathildis, domini hæres, Guidonis Com. Flandriæ uxor; sed ejus patruus Guilelmus novam ortus est stirpem dominorum *de Molembeque & Locres*, atque qui ex his iterum prodiere, dominorum *de Autresche, Mareuil, Baye, Hostel, Congy.* Qui nunc superant, communem habent Patrem Franciscum Bar. de *Rosny*, cujus major filius Maximilianus D. Sullius, sub Henrico IV. Gall. R. magna in auctoritate fuit, utpote Regi gratissimus & *primus*, ut vocant, Regni *Minister*, a quo ex primo matrimonio Marchiones *de Rosny*, Duces *de Sully* ac Principes *de Enrichemont*; ex secundo, Comites *de Orval*, & Marchiones *de Courville* procreavit: Francisci autem minor filius Philippus, Comitum *de Seles & Charrots* auctor est. De Orvalæis ut pauca addantur, Maximilianus præfatus, ex Rahele *de Cochefiles*, filia Jacobi *de Cochefilet* Dom. *de Vaucelas* & Mariæ *l'Arbaleste*, genuit Alpinum Guidonem, Cæsarem (extinctum A. C. 1607) Franciscum Com. *d'Orval* (cui uxor obtigit Jacoba Caumontia f. Jacobi *Nompar de Caumont* Ducis Forcæi, Franciæ Marescalli) Henricum, Catharinam, Margaretam (uxorem Henrici Ducis Rohanei, mortuam A. C. 1660.) & Luisam uxorem Alexandri *de Levis* Dn. *de Mirepoix.* V. Phil. Iac. Spen. *Theatr. Nob. Europææ t.* 2.

Betre seu *Tembul*, folii aromatici species celeberrima, apud Indos; Salmasio est *Folium* Romanorum & φύλλον μαλαβάθρου Græcorum, quamvis non pauci Folium Indicum illud cum folio *Betre* confundentes, malabathrum Vett. esse censeant, eo quòd *Tamalabathra* hodieque ipsis Indis dicatur. Sed quidquid de nomine sit, quæcunque de Malabathro Veteres scripsere, *Betre* folio potiùs, quam Indo folio convenire videntur. Malabathri folia olim in pilulas convoluta venum ibant & hac formâ in Europam adferebantur. Unde apud Didymum ἐξ μαλαβάθρου σφαιρίον εἶναι, nempe non plura folia in unam pilulam solebant conglobari, sed ex singulis foliis complicatis singulæ sphæræ fiebant, unde pro magnitudine foliorum ἁδρόσφαιρον, μεσόσφαιρον, μικρόσφαιρον, malabathrum dicebatur. Eodem modo & *Betre* folium complicatur. Dein folia illa in pilulam convoluta ac complicata ipsis fibris calamorum seu virgarum malabathri trajiciebant, ut sic in pilula hærerent, uti legimus apud Auctorem *Peripli*: quod similiter fit in folio *Betre.* Sed & eodé pæne modo ab Indis id præparatur, quo malabathrum olim. Quia enim id folium venas habet & fibras per longitudinem excurrentes, eas ungue acuto præsecant & eximunt (quod ἐξινίζειν Græci dixere) deinde admixto calcis modico, quam e testis ostreorum crematis confectam habent, & Areca confractâ, folium Betre complicant & involvunt, sicque in os immissum mandunt: Qua eadem methodo præparata folia amicis abeuntibus dare solent, ut infra videbimus. Quod idem de Malabathri folio apud Auctorem *Peripli* præfatum legimus. Adde quòd calamos seu virgulas malabathri, quibus folia trajici diximus, πέταρ vocavere Vett. unde hodieq; *Betre* hoc folium appellatur, vel τὸ *Bettele.* Nascitur autem *Betre* in omnibus maritimis Indiæ regionibus, nec facile in remotis à Mari locis provenit: quam ob rem in continenti ac interioribus Indiæ venit caro. Quòd vero non suismet ipsius viribus nititur ac surgit, sed adititiis arboribus se applicat & circumvolvit, à quibus sustentatur, inde Vett. creditum, folia malabathri aquis sine ulla radice innatare. Mandunt id Indi assiduè, ad oris suavitatem & bonum halitus odorem; quemadmodum malabathrum linguæ subjectum odorem oris comendare ait Dioscorides: ὑποτιθέμενον τῇ γλώσσῃ τοῦ εὐώδους στόματος. Stomachum namque corroborandi vim magnam habet, δύναμιν ἰσχυρὰν στομαχικήν, ut idem addit, &c. V. Salmas. *ad Solinum p.* 1070. *& seqq.* & infrà in voce *Catasphærum.* Omnino tamen & audiendus hic, Auctor Anonymus *Sinæ & Europæ*, qui de *Betre* folio, seu *Bettela*, ista habet c. 3: *Folium hoc* (quod aërem amat temperatissimum) *ad arboris auraicæ figuram proximè accedit, minùs tamen acuminatum; ad palos succrescit frutex, instar piperis Indici, aut lupuli Europæi, adeoque vitis — fructu caret, cultura pullulat, in caulem debiliorem unde ambitiosius humi repere non amat, &, nisi fulciatur pedamentis, proximam quamque ambit amplexaturque arborem. Lecta folia servantur incolumia, per qualibet compita venum habentur, numero duodenario fasciculata; neque hisce deliciis frustrabit genium mas vel fœmina vetulà decrepitâ, nisi per summum luctum, aut jejunium publicū quin & alterum duodenarium conficiat non in victum quotidianū, sed per illa spatia, quæcunq; à diluculo ad seram vesperam, licet confectis prandiis & cœnis intercepta, usq; extendūtur Et noctes hoc modo transigūtur.*

Adhibetur folio Arecæ fructus - & placentulæ ex arbore Kaate; cujus gratiâ calcem illinunt Bettelæ, ex ostreis excoctam, & medico usu innoxiam. Hæc masticantur, quasi in primam concoctionem: separatur utique crassum à tenui, excernitur materia exsucca, ut substantia stomachum reficiat, halitum gutturis emendet, dentes firmet, gingivam roboret, scorbutum — procul habeat. Compertissimum certè, neminem Indum graveolentiâ oris, dentium dolore scorbuto, & id genus incommodis tentari, cùm decrepitis sepimentum dentium constet, quod ita luunt. ut dentes atrum sanguinem semper referant, sputumque sanguinem imitetur — Bettelâ & Arecâ excipiuntur hospites utriusque sexus appositâ quadrâ, calci dicatâ. Compita & viæ publicæ præbent & Bettelæ & Arecæ, adeoque calcis justam proportionem emturis. Primumque sumitur pars Arecæ & Kaate, iis per dentes subactis additur Bettelæ folium, sed ex quo costæ subducantur pollicis ungue, quem in hunc usum alunt acutum: illinitur calx, fit convolutio: post masticationem ejicitur succus sanguineus, quem Areca facit, & creditur orificium ventriculi à vitiosis humoribus repurgare, ut subtilior succus digestionem juvet. Omnes omnino Indi per plateas gratissimum hoc enchiridion secum ferunt — Ea summa cura Magnates adeuntibus — mulieres sese viris inde gratiores & viros sibi magis idoneos esse persuasum habent. Usus maximè necessarius dicitur à cibo sumto. Folia maturrima flavescunt & optima; quædam tamen mulieres immaturiora ob fragoris titillationem præhabent — In Malacca fructus exoritur frutici, instar caudæ serpentinæ, digitalis, grato esui. Deambulacra lucrosa fiunt ubi Arecæ, quod piperis speciem licet nuncupare, applantatur & frequentiùs irrigatur. Reges nunquam non convolvulos illos (nam hæc omnino species folii sic præparati) *è vase aheneo à sectariis repetunt: Legatos -- per interpretes audiunt & dimittunt, in lectum resupini vel humi desides in tapete, famulis subinde bettelam præbentibus, crassiorem materiam in pelluvium argenteum rejiciunt, quod vel conjux vel ancilla nitidior exhibet. Honoris verò extrema linea ducitur, quoties Legati ad esum regiæ Bettelæ invitantur. Sunt qui addant camphoram, sed non ex consilio uxorum, alii aloen, denique florem nucis Indicæ & Ambram cineriteam, quæ compositio & palato & naribus est gratissima, sed & cara. Vulgus etiam cardamomum adhibet. In mediterraneis, ubi nullus Bettelæ proventus, maximum ejus desiderium & pretium ferunt, que Nicamoxam, Decani Regem, singulis annis ex hoc mercimonio tributum capere tricies mille aureorum. Sic ornantur convivia, sic dimittuntur gratissimi ad peregrinationes, sive hospites sive domestici. Reges Magnatibus suâ manu, tenuioribus alienâ tradunt: Eorum mandatarii saccum convolvulorum accipiunt, nec priùs licet ire. Haud longè à Surda est Ins Pulo Seresti, cujus gemini montes ultra Bantam conspicui, quæ bettelam sine cultura producit unde Javani cymbatim eam auferunt, tanto chariorem, quòd urticis permixta nudis collectoribus vel triduanum ex pustulis ardentibus dolorem vindicent. Duæ viciniores Insulæ Bettelam alunt, sed parciùs laudatam, ob sulphureum arenosum solum. Tyronibus suboritur vertigo ebriosa: navigantibus in usu sunt pastilli, ex convolvulis conflati* &c. De Folio verò Indico. V. infrà.

Bettonis Cortis vel Curtis, vulgo *Bettancourt*, locus Galliæ memoratus, in literis anni 885. *in pago Virdunensi, super fluvium Spona*, Hadr. Valesi. *Not. Gall.* in voce *Vabrensis pagus*. Item locus ejusdem regni, cujus mentio, *in Chron. Fontanellensi c.4 duo patrimonia, Offiniacas & Bettonis Curtem, sita in pago Tellau.* Ad fluvium Earam seu Jeram *Jere*: vulgò *Betencourt*. Idem in voce *Tellau*.

Betula, arboris genus est, de qua sic Plinius *l. 16. c. 18. Gaudet frigidis sorbus & magis etiam* Betula. *Gallica hæc arbor mirabili candore atque tenuitate, terribilis Magistratuum virgis. Eadem circulis flexilis, item corbium sportis. Bitumen ex ea Galliæ excoquunt.* Ubi quod, de *Magistratuum virgis* habet, V. B. Brissonium *l. 3. c. 14*.

Beudum seu *Beodum*, in *L. Sal. tit. 48.* mensa est rotunda, instar fundi doliaris, quod apud tenuiores & in castris plerunque mensæ vicem fungitur, inquit Wendelinus: certe Flandris *bodem* hoc ipsum hodieque est. An ab hac voce Hispanorum *Beodo*, pro ebrio? V. Sebastianum Covarruviam, laudatum Carolo du Fresne in *Glossar.*

Beutelspatium, Germ. *Beutelspach*, arx Germaniæ vetus, in Suevia, condita ut quidam volunt, ab Emerico I. Conestabili Clodovæi in pugna adversus Suevorum R. Bandocarium commissâ A. C. 499. ac a Rege Sueviæ præfecto in his oris relicto, cui successisse dicunt Emericum II. Dagoberti Aulæ Magistrum, Albertum Pippini R. aulicum, hujus filium Eberhardum, Caroli M. Magistrum aulæ: cui duos assignant filios, Eberhardum *Beutelspacensem*, & Astulfum C. Calvensem, Leonis III. Pontif. patrem. Ab Eberhardo, quem Caroli Simplicis Aulæ Magistrum faciunt, Emericus III. pater Ulrici *Beutelspacensis*, prognatus dicitur. Ulrici hujus ex filia Werntrude gener & hæres, Comes Wirtenbergicus Conradus fil. Alberti Wirtenbergici ac Lœwensteinii fuisse statuitur. Et mansit diu dominii *Beutelspacensis* titulus Wirtenbergico conjunctus. Conrado filios aliqui Henricum ac Ulricum, Comites Wirtenbergicos ac Dominos *Beutelspacenses*, & Wernerum Com. Groeningensem adscribunt. Alii Ulricum, Eberhardum & Henricum assignant: è quibus primus hodiernos Principes Wirtenbergicos severit. V. Phil. Jac. Spenerum *Sylloge Geneal. Hist.*

Bezoar, nomen lapidis pretiosi, qui in stomacho Indici cujusdam animalis nascitur. Et quidem *Bezoar Orientalis*, producitur in genere quodam capræ sylvestris in Indiis: *Bezoar* vero *Occidentalis*, Peruviani cujusdam hircorum generi foetus est, Richelier. Similem in stomacho rupicaprarum Alpinarum lapidem produci, ejusdem ferme cum *Bezoar* facultatis, Germ. *Gems-Kugel* dictum, narrat Jac. Sponius *Itin. Part. 2. p. 378. ubi iter suum per Rhætos describit.*

BI.

Biæothanati. Græcè *Βιαιοθάνατοι*, dicti sunt Veteribus, qui aut propter crimina sua supplicio publicè afficiuntur, aut metu gravioris pœnæ, quam se meruisse conscii sunt, sibi ipsis mortem consciscunt. Quod *ἀπὸ μοίρας θανεῖν* vocabant Vett. cùm Juvenes, immaturâ morte abrepti, *ἀπὸ ὥρας* mortui dicerentur. Unde in Magicis sacris differentia *τῶν Βιαιοθανάτων* & *τῶν Ἀώρων*, uti diximus supra in voce *Abori*. Utrorumque enim Animæ exules ab Inferis & sedibus quietis esse, adeoque in Necyomantia, tanquam è propinquo, facilius evocari posse credebantur. Tertullianus *de Anima*, *Itaque invocantur quidem Abori & Biæothanati, sub illo fidei argumento, quòd credibile videatur eas potissimùm animas ad vim & injuriam facere, quas per vim & injuriam sævus & immaturus finis extorsit, quasi ad invicem offensa.* Firmico Aliisque *Biothanati* dicuntur, qui aliquando cum *Aoris* coincidunt, cùm unus idemque homo & immaturâ & violentâ morte perit. Uti Dido, apud Virgilium,

> *Sed quia nec Fato, meritâ nec morte peribat,*
> *Sed misera ante diem.*

Illis, *probâ morte disjunctos*, sicut *τοὺς ἀώρους*, *justâ ætate sopitos*, opponit Tertullianus *d. l.* Qua de re V. plura apud Salmasium *ad Solinum p. 118. & 119.* ut & infrà in voce *Biothanatos*.

Biafora, clamor publicus, bannum, quo edito Communiæ Burgenses, aliique vicorum aut urbium incolæ cum armis domo egredi & Principem aut ejus Vicarium sequi tenebantur, quæ est vis vocabuli Vasconici: quod occurrit apud Scriptores *Rerum Aquitanicarum, Beneharnensium, Aragonicarum*, laudatos Carolo du Fresne in *Glossar.* Petro Gleoulino *Biaforo* est, Raim. Montanerio *Via fora* & *Viafors* &c.

Biarchi, in Leonis Imp. *Constitution. l. 3. C. de agent. in rebus & l. ult. Cod. de off. Præf. Prætor. Afric.* Officiales sunt, annonæ seu militum commeatûs præfecti; *Bios* enim Græcis *annona* inter alia seu *victus* est. Eorum meminit Hieronymus *Epist. 61. ad Pammach. Sed antè Primicerius, deinde Senator, Ducenarius*, Biarchus, *Circitor, Eques, deinde Tyro.* Erant autem ex Schola Agentium in rebus, in *LL.* prædictis. Munus *Biarchia*, *l. 1. C. de Offic. Magistr. offic.* Alciatus apud Joh. Calvinum *Lexic. Jurid.*

Biarmenses & Lappones, Deum verum summumque *Jumalæ* olim ac *Tori* nomine venerati sunt, Joh. Schefferus in *Lappon. cap. 7. p. 61.* apud Tob. Pfannerum *System. Theol. Gentil. pur. cap. 2. §. 16.*

Bibendi ritus, apud Romanos hic fuit: In omni convivio, cùm paulo hilarius se invitare vellent, hunc observavêre morem, ut à summo biberent ad imum: item ut Divo alicui libarent, hoc est, ex patera leviter vini aliquid defunderent, vel in mensam, vel in terram vel in alium quoque pro re nata locum: utque in dominæ aut amicæ honorem cyathum ebiberent, eamque palam nominarent his verbis usi, *Bene vos, bene nos, bene nostram etiam Stephanium*, Plaut *in Sticho.* Quin & illud usurpabant, ut in honorem amici aut amicæ, tot biberent cyathos, quot in ejus nomine essent literæ. Martialis,

> *Nævia sex cyathis, septem Justina bibatur.*

Et *lib. 9.*

> *Nunc mihi dic, quis erit, cui te Calatisse Deorum,*
> *Sex jubeo cyathos fundere? Cæsar erit.*
> *Sutilis aptetur decies rosa crinibus, ut sit*
> *Qui posuit sacræ nobile gentis opus.*
> *Nunc bis quina mihi da suavia, fiat ut illud*
> *Victor ab Odrysio quod Deus Orbe tulit.*

Ubi cyathorum, rosarum, basiorum numerus respondit his tribus nominibus, *Cæsar, Domitianus, Dalmaticus*. Bibebant autem ex poculis, primùm fictilibus, dein faginis aut oleaginis, è cornibus item. Postea vitrum in usu esse cœpit, & crystallus: Post quæ murrhina, electrina, argentea, aurea, gemmata tandem adhibita sunt: Ossa quoque humani capitis, sed barbaris tantùm, hac fini inservière. V. infrà in voce *Pocula*. Nec defuit illis *bibendi* lex, quam Festus *l. 16. Tapullam* appellat *legem*; Catullus *Posthumiam*, *epigr. 24.* Ausonius *Mysticam*, cui à Græcis origo. Unde illa cantio convivalis sæpissimè his repetita, *πῖνε πέντε, τρεῖς πῖνε. ἢ μὴ τέτταρα*, *bibe quinque, bibe tres, bibe quatuor.* Fuit autē Greco more bibere, *cum cyathis mero plenis salutare, & primò Deos, deinde amicos suos nominantes, toties merum bibere, quoties Deum & charos nominatim vocant*, Asconius Pædian. *in 3. Verrinam* Quo fiebat, ut ad vomitum sæpe procederetur indignante Senecâ *Epist. 83. & 95.* Plut. *Symposiac. l. 8. quæst. 9. in fin.* &c. quæ consuetudo invaluisse videtur, sub ævo Pompeii M. imitantibus hanc Romanorum fœditatem inprimis è Septentrione gentibus, V. Olaum M. *l. 13. c. 4.* Matthiam Michovium *Sarm. Europ. lib. 2. c. 3.* &c. Græci primò meracum biberunt, cujus nimio usu cùm plurimi in insaniam agerentur, aquâ illud temperare docuit Amphictyon, quo auctore Concilium Amphictyonicum exortum est: Unde duo altaria erexisse legitur, Baccho & Nymphis, sibi invicem propinqua, in rei memoriam. Alii eundē aram *ὀρθοῦ Διονύσου* statuisse referunt in Horarum templo: cùm enim meraci usus homines prius incurvasset, ipse postea aquâ adfusa vino erectos conservavit. Sunt tamen qui Melampo inventi hujus gloriam tribuant. Aliter Athenæus *ex Philonide Medico lib. 15.* ubi narrat, Bacchum, postquam à mari

à mari Rubro vinum in Græciam detulisset, obvios quosque sine modo vinum ingurgitantes, partem in rabiem egisse, partem lethò dedisse: reliquos, qui tardiùs advenerant, imbre repentino obrutos pocula semiplena in littore reliquisse, quibus admixtâ, pluviâ, cùm dein post redditam aëri serenitatem reversi liquorem gustarent, deprehendisse illum jucundum simul ac innocuum: hancque causam esse, cur illato in convivium vino κεκερασμένῳ seu temperato, primum poculum libaverint Græci Διὶ Σωτῆρος, Jovi Servatori; secundum Διὶ Ὀλυμπίῳ, Jovi Olympico, si quidem triumphale esset epulum: cui addiderunt poculum ὑγείας γάμου, in convivio nuptiali. Sophocles tamen tertium locum Jovi Servatori tribuit,

— — καὶ Διὸς Σωτῆρος
Σπονδὴ τρίτου κρατῆρος.
— — Et Jovis Sospitatoris
Libamen tertii crateris.

Iidem meracum Baccho inventori libarunt, sequutum dein πρόπομα, promulsis seu gustatio: Magno post hæc cratere re. leto, Symposiarchus propinavit illum bono Genio, cui ibant litatum, quod poculum τὸ ἀγαθοῦ Δαίμονος dictum est: solebatque illud sorbillando, velut ex religionis præscripto, depleri, unde ἀγαθοδαιμονισταὶ Hesychius interpretatur ὀλιγοπότας, pitissatores. Addi solebat precatiuncula, exclamantium ὦ ἀγαθὲ Δαῖμον. Quod quidam ab initio statim epuli fieri solitum esse malunt. Ultimum, quod bibebant, poculum, mox cubitum ituri, Mercurio, utpote somni somniorumque Præsidi, erat sacrum: Unde Aristoph. in Vespis,

— — Ἀργειφόντῃ
Οἱ ὕστατον σπένδομεν.
— — Argicidæ
Postremo libaverunt.

Sunt tamen qui Διὸς τελείου, Jovis integri, id fuisse contendant. Uter, è quo vinum depromtum, communiter ex apri confectus erat exuviis, proin Κάπρος in Aristophanis Lysistrata, dictus est: quemadmodum vinum sanguis, & effusio ejus ex utre σφαγία & mactatio Poeticâ licentiâ fuit appellata. Cùm amicus amico propinabat, φιλοτήσιον κύλικα seu φιλοτησίαν, poculum amoris vocaverunt, & actum ipsum δεικνύειν, juxta Homericum illud:

— — Χρυσέοις δεπάεσσι
Δειδέχατ' ἀλλήλους.
— — Aureis poculis
Exceperunt se invicem.

Cùm in dignitate erat is, qui epulum dabat, porrigere solebat scyphum iis, quibus propinabat, nisi fortè in sanitatem bibebat τοῦ ἐρωμένου seu φίλου, tum enim partem ipse hauriebat, reliquo humi effuso cum sonitu, quem ritū κοτταβίζειν dixere. Aliquando post cœnam ad pernoctem se obfirmabant compotationem, sponsionibus certando, quis ad Auroram usque pervigil duraturus esset, tum victori præmium dabantur πυραμοῦς, id est, placentæ ex tritico & melle confectæ: quales in Thesmophoriis mulieres nanciscebantur. Griphos quoque & ænigmata proponebant, quorum sensum qui non indagasset, ad cyathum exhauriendum damnati solebat. Quòd si quis discessum indepararet, Modimperatoris venia omnino erat opus. Ad saltationem cùm animus ac vinum impellebant, majora pocula craterque novus poscebatur, Euripid. in Jon.

Ἐπεὶ δ' ἐς αὐλοὺς ἧκον ἐς κρατῆρά τε
Κοινόν, γέρων ἔλεξεν, ἀφαρπάζειν χρεὼν
Οἰνηρὰ τεύχη σμικρά, μεγάλα δ' εἰσφέρειν.
Postquam autem ad tibias ventum cratereinque
Novum, senex ait, auferri oportet
Vini vasa exigua, magnaque inferre.

Cantus, quem communiter tum decantabant, Harmodii titulo insignis erat, qui cum Aristogeitone, occiso Hipparcho, Pisistratidarum tyrannidi finem olim imposuerat Athenis; Ejus initium, Φίλταθ' Ἁρμόδι' οὔ τί που τέθνηκας, &c. Charissime Harmodie, non certè obiisti &c. V. Aristoph. in Acharn. & Vespis. Aliquando carmen cui nomen Admetus erat, cecinerunt, quod incipiebat: Ἀδμήτου λόγον ὦ 'ταῖρε μαθὼν, τοὺς ἀγαθοὺς φίλει, τῶν δειλῶν δ' ἀπέχου. Admeti laudes ô sodalis audiens, strenuos amplectere, meticulosos verò jube facessere &c. Ita in cantibus suis, quemadmodum idem de Romanis legimus, fortium virorum facta prædicare eorumque sibi inter bibendum memoriam refricare, voluptati duxere. Præterea frequentia erant in conviviis carmina, quæ Σκόλια dixere, à Terpandro primùm inventa, de quibus vide infrà, in voce Scolia, & plura de Bibendi ritu apud antiquos, in Joh. Rosini ac Thom. Demsteri Antiqq. Rom. ut & Fr. Rosæi Archæologia Attica l. 10. Non omittendus tamen Bibendi in Honorē vel in sanitatem alicujus, ritus qui occurrit apud Paulum Warnefridum de Gestis Longobard. l. 5. c. 1 &, qui diu ante eum fuit, Martialem l. 1 Epigr. 72. l. 8. Epigr 51. &c. V. ubi de Poculis. Sic Priscus Rhetor Ἕκαστος τῶν ... δεξάμενος αὐτῷ οἴνου πλήρη ἐξέπινε κύλικα, τὸν Ἀττήλαν σῶον εἶναι ἐπευξάμενος, Quilibet calicem sibi exhibitum, vino plenum, exhausit, ut salvus esset Attila, apprecatus. Quod ab amantibus inprimis factitari consuevisse, innuit Scholiastes Theocriti ad Idyll. 2. Εἰώθασιν οἱ ἐρῶντες ὑπὲρ τῶν ἀγαπωμένων πλείονας κυάθους ἐκπίνειν, Soliti sunt amatores in sanitatem eorum, quos amabant, plures cyathos deplere. Ritum accuratius idem exponit ad Idyll. 14. Οὕτω γὰρ εἰώθασι ποιεῖν ἐν τοῖς συμποσίοις ἄκρατον λαμβάνοντες καὶ ὀνομάζοντες τοὺς ἐρωμένους ἢ φίλους, ἐπιχεῖν τῇ γῇ καὶ φθέγγεσθαι τῶν φιλτάτων τὰ ὀνόματα, Sic enim consuevere facere in conviviis; sumebant merum & nominando amasios seu amicos, fundebant in terram, & amicissimorum ciebant nomina. V. de Hunnis in Romanorum sanitatem bibentibus, Cinnamum l. 6. num. 7. Ut autem hic mos, si abusus absit, in adiaphoris fortè locum habeat: Sic Bibere in amore Sanctorum vel animæ defuncti, vetitum est in Concilio Nannet. apud Hincmarum Rem. Reginonem, Alios. Meminit ritûs hujus Luithprandus in Legatione: Non proderit tibi balneum, quo te assiduè potas, in amore B. Johannis Baptistæ. Traditque Janus Delmerus ad Jus Aulicum Norvegicum vetus p. 534. Danos olim ac Norvegos bibere solitos in Christi Natalitio, in memoria S Olai, qui Religionem Christianam in Regnum induxerat. Addens, morem hunc apud eos, postquam fidem Christianam amplexi sunt, introductum esse, ut paganas superstitiones abolerent, cum solerent antea litare honori vel memoriæ Odini, Thori, Niordi & Frejæ deorum paganorum. Sed apud Eund. legas, etiamnum apud Islandos in more esse, non solùm in Festo præfato, verùm etiam in nuptiis & conviviis, in memoriam S.S. Triados personarum bibere, hacque fine multa illorum cornua reperiri argento deaurato decora. Nec omittendum, quod Luitprandus, l. 6 c 17. objectum Johanni Pontif Rom. in Concilio Rom. scribit, quòd Diaboli in amorem vinum biberis, &c. Car du Fresne Glossar. De more turpissimo vett. lurconum apud Romanos, per obscœnitates bibendi, V. Casaubonum & Salmasium ad Capitolinum in Pertinace.

Biber vel *Biberis*, masculin. in Concilio Nannetensi c. 15. apud Hincmarum Rem. in Capitulis ad Presbyteros c. 15. & 16. ut & in Regulis compluribus Monachorum, potto est, seu liquoris haustus sive sorbitio, Gall. Breuvage vel Boisson. Hinc Biberes Nonales, pocula quæ Monachis post Nonas exactas & decantatas propinantur in æstate, quâ æstus provocat sitim, ut est in Regula Magistri c. 11 & 27. Ekkehardus jun. de Casibus S Galli c. 11. Sonatur ad Nonam quâ peractâ invitat tandem Abbas omnes (Episcopos) pariter ad Nonales Fratrum, quibus conscripti essent, Biberes &c. Refectio Nonæ dicitur, in Regula Bened. c. 29. ubi duplicem statuit Refectionem quotidianam, Sextæ & Nonæ. In libro Usuum Cisterciensium c. 83. inscribitur, de Bibere post Nonam. Ebrardus Bethuniensis in Græcismo c. 15.

Tertia prandere postulat, ut solitum est.
Vescitur ac nona merenda messor in hora, &c

Indidem Biberagium, seu Beveragium, Gallis Vin du marché, Breuvage, ital. Beveraggio, quod præter pretium coroll arii vic. in emptionibus conceditur, in Chronico Senon. l. 3. c. 5. alibique passim, apud du Fresne Glossar.

Bibesia, una ex Deabus, quibus olim in convivio litabatur, altera Edesia erat. Et quidem in Bibesiæ tutela mensuræ erant, in Edesiæ verò fide epulæ: ad quod utrumque respicit Ambrosius Serm. 6. Unum scio; quòd si quis illâ die honoratus & dives ob natalem filii sui ad decimum usque milliarium ad prandium rogavisset, propter accuratas epulas & inæquales mensuras absque dubio vos ituros fuisse. Nempe duo commemorat doctissimus Scriptor, propter quæ ad convivium libenter itetur, accuratas epulas & inæquales mensuras. Vocat autem inæquales mensuras immodicas & sine mensura mensuras, ut lepidè Severus Imp. apud Æl. Spartianum in Pescennio Nigr. mensuras conviviorum non rectè dici autumat, cùm sine mensura potarent. Aliter inæquales calices posuit Horatius:

Siccat inæquales calices conviva solutus
Legibus insanis.

Tunc enim inæquales siccantur calices, cùm, qui plus potest bibere, bibit plus: qui minùs potest, non cogitur, sed animo suo obsequitur, nec supra vires bibit &c. Hæ itaque mensuræ conviviorum pocula & calices, triunces & septunces ac ejusmodi, in Bibesiæ erant tutela. V. Salmasium ad Spartianum l. cit.

Biblia, apud Car. du Fresne, machina est bellica jaculatoria, ex Alberico in Chron. MS anno 1238. Adducens secum Bibliam, Petrariam, & cætera bellica instrumenta. Et Chron. Leodienti, laudato ab Isaaco Pontano Origin. Francic. l. 1. ann. 1313. Episcopus misit Leodium Mangonatia seu fundibula sive Tribucceta, vel tricies aut Sues, Vineas, Biblias, Petrarias, sive Cattos versatiles Unde Biblieta diminutiv. itidem machinæ hujusmodi nomen. Hist. Ms. Excidii Acconis ann. 1191. Secum ducens machinarum multitudinem fundibulariam, sicut sunt Petrariæ, Biblietæ, Perdicetæ & Mangonelli, apud Eund.

Biblii, apud Papiam, Artifices, qui faciunt tapetas; h. e. Biblea aut Biblia lintea, ut habet Audoënus in Vita Eligii l. 2. c. 34. Est autem Byblium linteum, cannabinum, vel potiùs ex gossypio, seu, ut tunc vocabant, bombace confectum. Infra namque dicemus, ex byblo vela, tegetes, vestes, storeas & funes confici consuevisse, uti Theophrastus, ait, Καὶ ἐκ τῆς βύβλου ἱστία τε πλέκουσι καὶ ψιάθους, καὶ ἐσθῆτάς τινας καὶ στρώματα καὶ σχοινία καὶ ἕτερα πλείω. V. Salmasium de Modo Usurarum p. 401. & 402.

Biblici, quinam dici soleant, in Academia Paris. V. suprà in voce Baccalarii.

Bibliotheca, propriè locus ubi Libri asservantur. Hæc enim Βιβλία dicta, ἐκ τῆς βίβλου, à libro, quòd ex interioris papyri corticis philyris conficerentur. Ex tota enim & solida papyro navigia; at ex cortice interiore, sive libro, funes, vestes, vela & cœtera faciebant Ægyptii; chartæ item, seu Βιβλία indidem fiebant &c Salmasius ad Solinum pag. 1003. Illarum statio apud Romanos, in Atrio statim fuit, ubi quoque erant Tablina & Armaria, &

Pinacothecæ & Agalmatothecæ locum habuere; adeò autem omnes insederant domos, ut de ipsis Seneca his verbis declamaverit *de Tranquill. cap.9. Studiorum quoque, quæ liberalissima impensa est, tamdiu rationem habebo, quamdiu modum. Quò mihi innumerabiles libros ac* Bibliothecas, *quarum dominus vix totâ vitâ sua indices perlegerit.* Et: *sicut plerisque ignaris etiam servilium literarum, libri non studiorum instrumenta, sed cænationum ornamenta sunt.* Nec enim solùm apud Principes viros, sed & apud privatos struebantur. Unde Idem iterum: *Quid habes, cur minùs ignoscas nomen marmore atque ebore captanti, quàm opera conquirenti aut ignotorum Auctorum aut improbatorum & inter tot millia librorum oscitanti, cui voluminum suorum frontes maximè placent titulique. Apud desidiosissimos ergo videbis, quidquid orationum historiarumque est, & tectotenus extructa loculamenta. Jam enim inter balnearia, & thermas,* Bibliotheca *quoque ut necessarium, domus ornamentum expolitur.* Curabantur illæ per servos eruditos ac literis probè imbutos: Cujusmodi servum, *Bibliothecæ* præfectum, ut sibi restituendum curet, petit à Sulpitio Cicero *lib. 13 Fam. Epist. 77. Dionysius servus meus, qui meam Bibliothecam multorum nummorum tractavit, cùm multos libros surripuisset, nec se impunè laturum putaret, aufugit.* Apud Impp. non pauci erant, quibus munus hoc incumberet: cùm hæc ordinandarum & publicandarum *Bibliothecarum* cura, non omnino videretur Imperii Majestatem dedecere. In vett. certè elogiis legebantur olim C. JULIUS C. L. PHRONYMUS. A. BIBLIOTHECA. GRÆCA. C. JULIUS. FAI YX. A. BIBLIOTHECA GRÆCA PALATI. CLAUDIUS AUG. LIBERTUS. HYMENÆUS. MEDICUS. A. BIBLIOTHECIS. L. VIBIUS AUG. SER. PAMPHILUS. SCRIBA. LIB. ET. A. BIBLIOTHECA. LATINA. APOLLINIS. Qui omnes videntur fuisse è domo Cæsarum, apud quos Libertos etiam *à Studiis* in pretio fuisse, legimus. V. Laur. Pignorium *Comm. de Servis.*

Bibliotheca, Græcè Βιβλιοθήκη, titulus libri, *Synopsin Epici Cycli* prosâ oratione conscriptam continentis, Apollodoro Auctore: qui in eandem fere significationem cum *Cyclo* convenit. Ut enim in Cyclo, i. choro vel corona plures personæ vel plures flores conserti: ita in *Bibliotheca* multi foculi in seriem siti vel etiam plures libri ordine dispositi sunt. Idem nomen Annalibus suis esse voluit Diodorus, sed hujus Βιβλιοθήκη historica, Apollodori mythica est; mythicum namque tempus solùm comprehendit. Photii liber eundem titulum inscriptum habet, idque meritò. Nam ex multis librorum, quos ipse legit, velut indicibus, constat &c. Cyclus autem Epicus, contextus fuit plurium poëmatum, in unum fascem collectorum, ut infrà dicemus, in voce *Cyclus*. V. Salmasium *ad Solinum p. 860.*

Bibliothecarius, in Palatio Regum Franciæ dignitas fuit olim quam sub Carolo M. obtinuisse Gervardum, auctor est Einhardus Abbas *de Translat. Marcellini & Petri Martyrum*, ubi eum fuisse ait *Palatii Bibliothecarium & Palatinorum operum ac structurarum præfectum.* Sic Ebonem, Archiep. Rem. à Ludovico Pio, dum adhuc Aquitanicum Regnum, Carolo M. superstite, teneret, *Bibliothecarium* fuisse constitutum, memorat Carolus C. in *Epist.* ad Nicolaum Pontif. Rom. in Synodo Ticinensi A. C. 876. subscripsit *Hilduinus Abbas* S. Dionysii *& Bibliothecarius*, sc. Caroli Calvi. Dicitur autem Bibliotheca ista Regia *Armarium Palatii*, in *Epist.* Ludovici Pii ad Magnum Archiep. Senon. &c. Apud Pontifices Rom. qui Bibliothecæ, quam *Bibliothecam Cubiculi* vocat Gregorius M. in *Sacramentar.* vocatur *Bibliothecarius Ecclesiæ Romanæ*. V. Anastasium Biblioth. in *Gregorio* II. & *Annales* Bertinianos de eodem Anastasio *ad A. C. 868.* Cujusmodi munus non alius olim, quàm Vice-Cancellarius, obiit, usque ad Papinianum Episc. Parmensem, qui postremus utramque dignitatem tenuit, sub Bonifacio VIII. Benedicto II. & Clemente V. Post eum namque, Romanâ Curiâ trans Alpes à Clemente traductâ, novaque Bibliothecâ Avenione constitutâ, nullus ampliùs Vice-cancellarius Ecclesiæ Lateranensi præfuit, munereque hoc à Bibliothecariatu avulso, factus est novus Vicecancellarius, qui *Bibliothecarius* non esset. Quemadmodum tandem Sixtus IV. de novo extructâ in Vaticano Bibliothecâ, officium Bibliothecarii etiam à Sacristæ munere, cui hactenus adjunctum fuerat, distinxit, V. Onuph. Panvinium *lib. de Rebus Lateran.* laudatum Carolo du Fresne in *Glossar.* Dominicus Macer Officium hoc in Ecclesia Rom. non nisi Cardinalibus conferri solere & antiquitus Archicancellario Imperii adnexum fuisse, ait, qui proin *Archicancellarius Imperii* pro Italia & Apostolicæ Sedis Bibliothecarius fuerit dictus. Addit Frater, circa A. C. 1113. in Bulla Paschalis II. pro Episcopatus Arausionensis erectione, subscripsisse Paschalem per manum Johannis S. R. E. Diaconi Cardinalis ac Bibliothecarii, V. utrumque *in Hierolexico.* In Ecclesiis porro Cathedralibus, *Bibliothecarii* dicebantur, quibus librorum Ecclesiasticorum cura erat commissa. Atque ii Literas & Diplomata Episcopi describebant, quod postmodum, *Bibliothecarii* abolitâ appellatione, Cancellariorum fuit munus, V. Mich. Monachum in *Sanctuario Capuano pag. 579.* apud eundem du Fresne.

Biblos, ins. margaritifera, in Mari Rubro, ex Hebr. בולח *bedolach*, Jonathani mutatis vocalibus בידלח *Bidelach*, & ברלחא *bidlecha*, i. margarita: quam vocem postea Græci emollientes, ad linguæ suæ genium accommodasse videntur, Βίβλος inde facientes. V. de hac Ins. Philostratum & Photium in *Excerptis*; de voce autem Hebr. *bedolach*, pluribus differentem Sam. Bochartum *Hierozoici Part. poster. L. V. c. 5.*

Bibonensis Ager, apud Solinum *cap. 2.* ubi de Italia: *Ad hæc Italia Pado clara est, quem mons Vesulus —— fundit, visendo fonte in Ligurum finibus, unde se primùm Padus proruit, subversus que cuniculo rursus in agro* Bibonensi *extollitur, nulli amnium inferior claritate &c.* Et Marcianum, qui Solinum exscribit: apud alios Auctores non occurrit. Nam quòd *Vibonensem* eum editiones vocant, sic à *Vibone* Valentia dici potuisset, sed ille longè ab his locis. An reponendum, *in Agro Forovibiensi*, cujus meminit Plinius & in quo iterum exoriri ac extolli Padum docet: aut curtatè, pro eodem, *Vibiensi*? Salmasius *ad Solinum p. 84.*

Bibones, antiquitus culices dicti sunt, qui tabernas & cauponas infestare solent, *cauponarum* hinc *animalia* Plinio *l. 9. c. 47.* Afranius in his versibus,

Dum ad me spectas fabularique incipis,
Ex ore in oculos tibi bibones involant.

Muscones sequens ætas vocavit, q. parvas muscas: item *vappones*, à vappa, cujus, ut & vini, mirè amantes ac cupidi sunt. *Tabernales alucitas* vocavit Petronius apud Fulgentium, quos ipse *vinarias* interpretatur. Quo solo sensu *tabernas* Hadriani temporibus & Petronii etiam, pro *cauponis* viz appellasse videntur, &c. De istiusmodi culicibus notus Hadriani Imp. in Florum Poëtam jocus, cujus meminit Æl. Spartianus in *Vita* hujus Imper. Quia autem culices hi admodum infesti, hinc *bibones* Petro Blesensi *Serm.* 23 suggestiones notant diabolicas. *Novit enim unusquisque nostrum, & in libro experientiæ didicit, quàm veneniferas potiones feras in alveolo mentis nostræ serpens antiquus; quàm varias & inutiles rerum imagines in thalamo cordis nostri depingat, quæ tanquam minutissimi* bibones, *in oculos ipsius mentis involant, imo & Ministros Dei ad Altare Domini Virtutum persequuntur, ut brevem ibi memoriam Christi in cruce pendentis abjiciant vel conturbent*, apud Macrum in *Hierolexico.*

Bibracte, adde: Cæsari *lib. 7.* dicitur *oppidum apud Æduos maximæ auctoritatis*; dictumque est ab illo *Julia*, sicut Pola Istriæ & Florentiæ Tuscorum, Eumenius *in Grat. act. Constantino M.* De eo Marlianus; qui Ludovico XII. apud Francos regnante floruit. *Bibracte*, inquit, *in formam ruris redactum, & in radicibus montis non longè ab Ædua civitate*, (seu Augustoduno, gentis capite) *positum nomen retinet.* Dicitur enim hodieque *Beuvray*, vel *Bevray*, & locus est in pago Augustodunensi, Hadr. Valesius in voce *Augustodunum Æduorum.*

Bibulus Consul, Veri collega, anno 9. Hadriani Imp. quo Pertinax Imp. natus est, *Ambiguum Bibulum* eum vocat Isaacus Casaub. *Notis ad Historiæ Aug. Scriptores, Capitolinum* inprimis.

Bicerres Vestes, seu *Bicirres*, dictæ sunt Vett. vestes cirratæ, Græcis κροσσωταί. Sunt autem οἱ κροσσοὶ, ornamenta vestium extremitatibus assui solita, quæ *cirris* ac filamentis tenuibus constabant: in eo à fimbriis diversæ, quòd nihil aliud sint, quàm villi plures in nodum coacti & ab extremitate vestis descendentes. *Houpas* vulgò Galli dicunt, sicut fimbrias *frangias*. Salmasius *ad Solinum pag. 763.*

Bichini, Secta Fratricellorum seu Minoritarum: qui sic appellati videntur, quòd vestes coloris *bigii* seu *grisei* deferrent, quod etiamnum omnes Minoritæ faciunt. Nisi fortè *Bichinos* eosdem esse dicas cum *Beghinis*, sicque per contemtum Fratricellos istos, qui hæreseos perinde insimulabantur, appellatos. V. infrà in voce *Bizochi.*

Biclinium, mensa erat apud Rom. ubi duo lecti: sicut ubi tres, *Triclinium.* Posterior ætas à Vespasianorum imperio *Sigma* vocare cœpit, quia in formam hemicycli aut lunatæ testudinis erat extructum: tum autem, ut ex marmoribus liquet, illa ætas literam hanc, ut mediam Lunam scribebat C. Constitisse verò duobus tantùm lectis Sigma, colligitur ex numero convivarum, apud Martialem, Lampridium, Alios, V. infrà in voce *Sigma.*

Bicodulæ illices, in Appuleii *Apolog.* Lælio dicuntur ἴυγγες, id est, *motacillæ*, quòd caudæ assiduâ vibratione quadantenus duplicem eam faciunt, & sic duas videntur caudas habere. Bochartus *Hierozoic. part. prior. libro I. capite 4.* Quemadmodum *bilingues Serpentes* nonnullæ dicuntur, quòd tam tremulo motu linguam crispant, ut non una, sed gemina esse videatur; & *strissam duplicare* apud Poetam, est sic eam vibrare ac crispare, ut duplex quasi quatiendo fiat. Occurrit vox in Erotopægnio Lælii, è quo versus aliquos citat *in Apolog. sua* Appulejus,

Antipathes illud quærito,
Philtra omnia undique irruunt,
Trochus ——
—— —— —— *surculi,*
Sauri, illices bicodulæ, *hinnientium dulcedines.*

Ubi inter philtra, quorum pleraque genera ibi coacervat, *bicodulas* quoq; recenset *illices*, h. e. ἴυγγας. Quo nomine indigitant Græci omne

ortine id, in quo est aliquid ἰχνευτικὸν, ab hac veneficarum avicula. Salmasius *ad Solinum pag.* 942. & 943.

Biculam facere, vel cervulum, in Concil. Altissiodorensi, genus erat solennis & tralatitii ludieri, apud Paganos, in multis urbibus Galliæ, quod & Christiani usurparunt. Unde Prov. manavit, *n' en faire que le cerf.* Galli enim, in idiomate suo, utrumque cervini generis sexum distinguentes, fœminas *bicas*, mares autem *cervos* appellant. Idem ubi suprà *pag.*212. V. quoque infrà, in voce *Cervula*.

Bidaldi, apud Continuatorem Nangii A.C. 1326. *Post aliqualem palnationem factam cum* Bidaldis *propè Cassellum*: & Ægidium de Roya A.C. 1328. *Commissum est prælium, incipientibus* Bidaldis — *& Balistrariis Regis*: militum, & quidem peditum, species extremis seculis in Gallia nota, Car. du Fresne *Glossar.* Ex Hispania originem eorum arcessit Guilielmus Guiartus apud Eund. ubi *dardis* seu spiculis illos fuisse solitos dimicare refert.

Bidaspes, adde: *Hydaspes* vocatur Straboni, de quo V. Salmasium *ad Solinum pag.* 993.

Bidellus, Dominico Macro est officialis Universitatis Studiorum, qui curam habet exequendi commissiones ad studia spectantes. Cujus vocis originem cùm aliunde alii derivent, Carolus frater ejus à voce Bidellum deducit: quam apud Langobardos primariò locum publicum, plateam putà vel atrium, denotasse ait. Hinc Corius in *Historia* Mediolan. *A.C* 131. *Il proximo Marte*, inquit, *nel bidello di Santo Salvatore à Pavia fu jurata la obsidione di Piacenza*, id est, *Proximo Martis in atrio Sancti Salvatoris Ticini, obsidio Placentiæ decreta fuit.* Sic ergo atrii seu bidelli Universitatis officialis *Bidellus* ei dictus est: quòd ibi tempore Studiorum excubare teneatur, ne rixæ aliaque interim oriantur: quemadmodum ab ostio *Ostiarius*; à janua *Janitor*. V. utrumque in *Hierolexico* & suprà in voce *Bedellus*.

Bidental, Romanis dictus est locus fulmine tactus & *bidentibus* ovibus expiatus consecratusque. Glossæ, *Bidental*, περιστεγασμένον. Quem proin nec ingredi nec calcare fas erat. Horatius *de Arte Poet.*

— — — *utrum*
Minxerit in patrios cineres, an triste Bidental
Moverit incestus.

Omnis nempe locus Fulmine ictus statim erat religiosus: at sacer fiebat, ara ibidem extructa & sacrificio ex bidentibus ovibus facto; quomodo *fulmina condi* dicebantur. Ut autem ingressus arceretur, sepiebant locum muro. Unde Pollux, περιεχέσθω δὲ διαβατὰ ἄφνευστα ἐν τοίχοις, h.e. *muro conspta.* Sic enim Græci περιστέγασμα, quæ Latini *Bidentalia*, dicebant. Hinc Bidental, *Templum* exponit Paulus: *Bidental dicebant Templum quoddam, quòd in eo bidentibus hostiis sacrificaretur*, ex Festo. Sed & *Bidental*, de homine, quem fulgur occiderat, usurpavit Persius, *Sat.* 2.

Triste jaces lucis, evitandumque bidental.

Imò & ipsum fulmen Columellæ *Bidental* dicitur &c. Quam in rem V. plura, apud Salmasium *ad Solinum pag.* 1136.

Bidentes rastri, dicti sunt & absolutè Bidentes, qui duobus dentibus dentati, ferræ fodiendæ adhibebantur, sicut *rastri quadridentes*, seu pluribus dentibus instructi, occandæ terræ magis erant idonei. Columella, *bidente vertitur solum.* Et, *prout cuique mos est, vineas coleri vel aratro vel bidente, lib.* 3 *cap.* 13. Sed *rastros*, *Bidentes*, *ligones*, passim Poetæ confundunt. Qua de re V. Salmasium *ad Solinum pag.* 515.

Bidlecha, nomen Ins. margaritiferæ, quæ postea *Biblos* dicta V. ibi.

Biduana, scem bidui jejunium, in *Capitulis* Caroli M. *lib.* 5. *cap.* 136. & alibi passim. *Ordo* Rom *lib* 5. *Biduanas omnes faciant, tam Episcopi, Monachi & Monachæ, quàm Canonici.* Cujus ritus originem ab Apostolis arcessere, visum est Rabano Mauro, quos *biduo* illo, quo Christus in sepulchro fuit detentus, jejunasse scribit, *Institut. Cleric. lib* 2. *cap.* 26. De *biduanis* jejuniis, h. e. Feriâ 4. & Parasceve, nempe Feriâ 6. in *Canonibus Apostolic.* uti vocantur *can.* 68. ita sancitur: *Si quis Episcopus & Presbyter aut Diaconus, aut Lector, aut Cantor, sacram quadragesimam Paschæ aut quartam Feriam aut Parasceve non jejunaverit, deponitor; præterquam si imbecillitate impediatur corporis: si Laicus sit, communione privetur*, apud Macros. Sed *biduanum* aut *triduanum* jejunium non dictum esse, quum bis aut ter jejunatur in hebdomade, sed cùm biduo triduoque continuo ab omni cibo abstinetur, colligere est ex Chrysostomo *de Provid. Dei lib.* 2. V. utrumque Macrum in *Hierolexico* & du Fresne *Glossar.*

Bifora, apud Vitruvium *lib.* 4. de Foribus, *Ipsæque forium ornamenta non fiunt cestrota, neque* bifora, *sed valvata*: Græcè sunt δίθυρα vel ἀναπτυκτὰ θύραι; fores viz. ad imum divisæ, in quibus duæ θύραι, in suis quæque cardinibus vertunt in medio convenientes conniventesque, ubi junguntur. Δίπτυχα etiam dici queant, nam πτύχες & θύραι & σανίδες idem, tabulæ sc. quibus operitur hiatus januæ. Sed & valvata Janua *Biforis* dici potest, nam veluti duæ fores itidem sunt, vel una plicatilis. Cujusmodi fores, & *bifores*, & valvatæ; adde, & quadrifores, possunt commodè unicâ serâ per transversum obductâ claudi. Diversa ab his δικλίδες θύραι, cujus Aratus meminit, quam occludere non est nisi duabus seris, ut duo sunt in illis ostia, unum superius, alterum inferius. Nec enim per longitudinem divisa est ac separata, ut δίθυρα & valvæ, sed per latitudinem, & δικλὶς ideo appellata, quòd διπλῇ κλειδὶ, *duplici clave*, obserari debeat. Cujusmodi fores duplici hiatu patulas ac duplici ostio velandas, Sellularii opifices hodieque ut plurimum in pergulis ac officinis suis habent. Unde apud Hippocratem & Apollonium Citiensem Περὶ ἄρθρων humeri reponendi modus dicitur διὰ τῆς δικλίδος θύρας: quod in aliam foris speciem cadere non potest. Formam suis *Exercitationibus ad Solinum* inseruit Salmasius, è qua etiam quadriforem fieri posse, memoratam Vitruvio *d.l.* palàm est. V. eum *pag.* 927. & 928. Aliâ notione vox *biforis* occurrit, apud Virgilium *Æneid. lib.*7.

— — — *Ite per alta*
Dindyma, ubi adsuetis biforem *dat tibia cantum*;
Tympana vos, buxusque vocat Berecynthia matris
Idææ. — — — — —

Ad quæ verba ita Servius, *Biforem dat tibia cantum. Bisonum*, inquit, *imparem. Et servavit eis tibiarum fuerunt, id est, Phrygiarum, naturam. Tibiæ aut Serranæ dicuntur, quæ sunt pares, & æquales habent cavernas: aut Phrygiæ, quæ & impares sunt & inæquales habent cavernas. Ergo biforem, dissonum dissimilemque, Non sunt pari modulatione composita. Ut enim ait M. Varro: Tibia Phrygia dextrâ unum foramen habet, sinistra duo. Quorum unum acutum sonum habet, alterum gravem* &c. V. Casp. Barthium *Animadversion. ad Papinium Statium Thebaid. lib.* 5. & infrà passim, inprimis in voce *Tibia*.

Bifrons, Jani fuit cognomen, sic dicti: Vel quòd genere Græcus ex Perrhæbia fuerit, ac profectus in Italiam, sedibus apud Barbaros positis, linguam vitæque rationem ibi mutaverit; vel quòd Italos feris utentes incultisque moribus, suadendo ad aliud vitæ genus traduxerit, atque Agriculturâ civilique institutione instruxerit. Alii, quia prudentissimus erat, videbatque procul futura & respiciebat præterita, quod Homerus vocat πρόσσω καὶ ὀπίσσω λεύσσειν, sic appellatum volunt. Ovidius, ut & Augustinus ex Varrone, Janum mundum esse gemina facie, hac Ortum spectante, illâ Occasum contendunt. C. Bassus apud Macrob. *Saturn. lib.* 1. *cap.* 9. dicit, *Bifrontem* Janum, quasi superum ac inferum janitorem, fingi. Sed quis verius *Bifrons* Janus Noacho est, qui & veterem mundum diluvio occidentem, & novum benignitate Dei orientem vidit, utriusque insuper incolas salutaribus monitis imbuit, ipse prudentiâ supra omnes mortales insignis. Fuit & Quadrifrons Janus: utriusque in nummis vett. simulachrum exhibet Joh. Rosinus *Antiq. Rom. lib.* 2. *cap* 3.

Bifurcati Canonici, appellantur Wiclefo in *Trialogo artic.* 10. ex eorum pileis, quos *Bonnets carrez* Galli dicunt, du Fresne *Glossar.*

Biga, Lunæ sacra, sicut quadriga Soli: Utriusque generis certamen in ludis Circensibus apud Rom. usitatum, cujus formam & schema videas apud Philandrum *Annotat. in Vitruvium.* Cete apud Homerum Bigæ sunt, quibus Heroës curule certamen peragunt, ut ex istis liquet de Menelai curru,

— Ὑπὸ δὲ ζυγὸν ἤγαγεν ὠκέας ἵππους,
Αἴθην τὴν Ἀγαμεμνονίην τὸν ἑόν τε Πόδαργον.
— *Sub jugum autem egit celeres equos,*
Æthamque Agamemnoniam, suumque Podargum.

Ibique Poëta duorum tantùm meminit equorum, dextri sc. & sinistri jugalis. Et verisimile est, in Nemea quoque ludos Archemoro ab Argivis Heroibus primùm factos, *Bigis*, non quadrigis, fuisse celebratos &c. Postmodum Trigæ adhibitæ & duobus subjugis equis alius extra currum adnectebatur, quem παρήορον dixere. Tandem Quadrigæ in usum receptæ sunt, ut infrà dicemus &c. *Biga*, signati olim Romæ nummi, qui inde Bigati dicti, ut mox dicemus. Plura hanc in rem V infrà in voce *Currus*. Hoc unum addo, quod Plinius habet, de primo *Bigæ* inventore, *lib.* 7. *cap.* 56. cui tit. *Quid quisque invenerit in vita: Equo vehi Bellerophontem. Frænos & strata equorum Pelethronium. Pugnare ex equo Thessalos — Bigas primùm junxit Phrygum natio, quadrigas Erichthonius* &c.

Bigami seu *Digami*, qui eodem tempore plures habent uxores, in *Statutis* Guilielmi Scotiæ Regis, *cap.* 11. §. 6. inter infames recensentur. Sed & apud vett. Romanos adeò turpe habitum, pluribus unâ jungi, ut infamiâ Prætor notaverit, qui *binas* nuptias, imò vel Sponsalia bina eodem tempore constituta haberent, *l.*1. *in fin. l.* 13. §. 1. *ff. de his qui not. infam. l.* 18. *C. ad L. Jul. de adult.* Etiam, *Neminem*, Diocletianus & Maximianus Impp. Sebastianæ rescribunt, *qui sub ditione sit Romani nominis, binas uxores habere posse, vulgò patet.* Unde scripsit quidem, ut Suetonius testatur in *Julio cap.* 52. Helvius Cinna, jussu C. Julii Cæsaris, paratamque habuit Legem, quam absente isto ferret, *ut uxores, quas & quot quisque vellet, ducere, liceret*: Sed ne promulgatâ quidem, nedum perlatâ, ex pristino more nihil est immutatum; quem primùm Antonius perrumpere ausus, duas in matrimonio mulieres habuit, ut Plutarchus refert *de collat. Demetr. & Anton.* V. Brissonium

nium *de Iure Connub. & ad L. Jul. de Adult.* An hunc, inter Christianos Impp. Valentinianus Aug. imitatus sit, non convenit inter eruditos. Certè hunc legem tulisse, circa An. Ch. 373. *ὥστε ἐξεῖναι τῷ βουλομένῳ δύο νομίμους ἔχειν γυναῖκας, Ut cuilibet pro lubitu duas uxores habere fas esset*, tradit Socrates *Histor. Eccles. lib.* 4. *cap.* 26. Ipse nempe Justinam Severæ superinduxerat: quod ne contra legem facere videretur, eam ita novari voluit, tum Christianismi de nuptiis scita, tum mores Majorum nimiùm impugnans. Socratemque sequuntur Cassiodorus in *Histor. Tripart. lib.* 8. *cap.* 11. Paulus Diaconus *Histor.* 12. Nicephorus Callistus *lib.* 11. *cap.* 33. Recentiorumque alii, Zonaras item aliique, qui tamen *binarum* tantùm ejus *uxorum*, non vero legis, meminere. Sed verò ob egregiam rei insolentiam, & quoniam non omnino reperitur, in Auctoribus ætatis illius reliquis, Ammiano, Zozimo, Orosio, Patribus item Christianis, qui de re matrimoniali toties disputant; ut fabulam seu figmentum planè id rejiciendum esse, pluribus contendit Baronius *Annalium Tom. IV. anni* 370. §. 125. Hodie verò apud Europæos Judæos, veluti qui in Italia ac Germania degunt, infœcundæ uxori aliam, prolis gratiâ, idque non sine Pontificis R. indultu, interdum superinduci, R. Leo Mutinensis, Venetiis Archisynagogus, docet in *lib.* Ital. scripto, *Historia de gli Riti Hebraici*, & ex eo MS. Seldenus, quem V. *Uxor Ebraic. lib.* 1. *cap.* 9. Præter hos verò, *Bigami* dicuntur, qui priori uxore mortuâ ad secunda vota transierunt: quos in Communione Rom. ad Sacros Ordines Jus Canonic. promoveri vetat, V. Gratianum & Gregorium IX. Pontif. Rom. in *Decreto* & *Decretal.* Olim verò inter Christianos id factum esse, discimus ex Tertulliano, qui in errorem lapsus id sui temporis Catholicis objicit: *Quòd enim*, inquit, *& bigami præsident apud vos, de Monogam. cap.* 12. Et Hieronymo, qui Carterium Hispaniæ Episcopum, quòd quidam existimarent eum contra regulam Apostolicam ordinatum fuisse, quia duas uxores successivè, unam ante alteram post Baptismum habuerat, multis & graviter defendit, *Epist. ad Oceanum* &c. Græci *Bigamos* Episcopos vocant, qui de una Ecclesia ad aliam transeunt: cuiusmodi Episcopi, secundùm Canones eorum, ad Patriarchatum aspirare non possunt CPoli. Imò in Concilio Alexandrino *Adulter* dictus est Eusebius, quòd ab Ecclesia Berytiensi, ad Nicomediensem, sine causa, transisset. Baronius *ad A. C.* 382. apud Macros *in Hierolexico.*

Bigati, Nummi apud Romanos olim, memorantur Plinio *lib.* 33. *cap.* 3. *Nota argenti fuere bigæ atque quadrigæ: & inde bigati quadrigatique dicti. Mox Lege Papyriâ* &c. Fuit autem in ea gente argentum primùm signatum anno U. C. DLXXXV. Q. Fabio Cos. quinque annis ante primum Bellum Punicum, cùm priùs æreis tantùm nummis usi essent, quorum nota fuit ex altera parte Janus geminus, ex altera rostrum navis, ut idem docet in præcedentibus. *Bigatos quingentos & equum eximium* honoris ergò strenuo juveni Nolano L. Bantio muneri datos, à Marcello Romanorum Duce, legimus apud Livium *lib.* 23. *cap.* 15. V. Hottomannum *de Re Nummar.*

Bigerra, Isidoro in *Glossis*, *vestis gusa, vel villata*; ubi *gusam* appellat, quæ optimo *Glossario cusa*: pallium nempe & vestimentum spissum ac villosum, quod soloci filo & pingui Minervâ factum est, V. infrà in voce *Cusa*. Pro *gusa* du Fresne legi vult *rusa*, atque Bigerram fuisse vestem rusam, villosam ac vilem: Ex Papia MS. *Bigera, vestis rusa, id est, ralla* (villosa) *quæ & bilis dicitur*, h. e. vilis. Gloss. Lat. Gr. *Bilis*, *εὐτελής*. Vilioris enim Bigerricam pretii fuisse, innuit Paulinus *de Vita S. Martini lib.* 3.

Tum vestem octava solidi vix parte coëmtam
Nodosis textam sætosi vellere filis
Ante pedes Sancti stomachatus projicit ille &c.

Nomen quod attinet, corruptum id esse contendit Salmasius ex *bicirra*, id est, *δίμαλλος*, atque Bigerras vestes fuisse, quæ ab utraque parte *cirros*, h. e villos, haberent. Unde *hispidam* eam vocat Sulpitius Severus *de Vita S. Martini lib* 3. *Dial.* 2. & Fortunatus vestem hujusmodi *birsutam*, de eodem Martino *lib.* 3. *cap* 1.

Induitur Sancto hirsuta Bigerrica *palla*:

Roccum vocat Monachus Sangall. *in Carolo M. lib.* 2. *cap.* 27. palliolum viz. brevius, quo humeri conteguntur. Verùm à *Bigerris* seu *Bigerronibus*, Galliæ gente, potiùs etymon vocis arcessit du Fresne: cùm & ii etiamnum ejusmodi *capas breves*, villosas & hispidas, ex crassiori lana confectas, adversùs aëris intemperiem, deferant. Indigenæ *Marlotas*, quasi *Melotas*, interdum *Capas Benebarnenses*, appellant. Sed & Paulinus *ad Auson Carm.* 12. *Bigerros* pellibus seu villosis vestibus amiciri consuevisse, annotat:

Dignasque pellitis habitas deserta Bigerris.

Nec desunt, qui *pallia Aquitanica* dici, apud Gregorium M. censent *lib.* 6. *Epist* 6. Nonnulli quoque ex eadem voce deducunt Gallicum *Haire*, cilicium, quasi ex *Biberre*, in quibus est Isaac. Pontanus & Ægidius Menagius. V. Salmasium *ad Capitolinum in Pertinace* ac *Vopiscum in Aureliano*, *ad Solinum item pag.* 939. *Car. du Fresne Glossar.* & Macrum in *Hierolexico.*

Bigla Drungarius, officium in Civitate CP. idem cum Præfecto Vigilum, è qua voce Græci *βίγλα* fecerunt, id est, *excubitor*, *vigil.* V. Macrum *Hierolex.*

Bigothi, dicti Normanni sunt, qui Neustriam in Gallia incolendam accepere. Vetus *Chronic. Historiæ Franc. Tom. III.* de Rollone primo Normannorum Duce, *Hic non est dignatus pedem Caroli osculari, nisi ad os suum levaret. Cumque sui Comites illum admonerent, ut pedem Regis in acceptione tanti muneris* (Neustriæ prov.) *oscularetur, lingua Anglica respondit, Ne se bigot, quod interpretatur, Ne per Deum. Rex verò & sui illum deridentes & sermonem ejus corruptè referentes*, illum *vocaverunt* Bigoth, unde Normanni adhuc *Bigothi* vocantur. V. Stephan. Paschasium *Disquisit. Francic. lib.* 8. *cap.* 2.

Bigrinæ, apud Matth. Westmonasteriensem A. C. 1248. eadem cum *Beghinis*. V. suprà.

Bikkoreth, Hebraicè בקורת, Levitici *cap.* 19. *versu* 20. flagellatio est propriè, quæ fiebat corio bovino. *Tauream* Latinè dixeris, ut in Vulgato 2. Maccab. *cap.* 7. *vers.* 1. & Juvenalis *Sat.* 6.

—— —— *taurea punit*
Continuò flexi crimen facinusque capilli.

Græcè etiam *ταυρέαν*, Hesychius, *Μάσγυνα, μαστὶξ, ῥάβδος, ταυρέα.* Et continuò post, *Μαστιγοῦν, τῇ ταυρέᾳ.* Hinc in *Asinaria* Plautus, *Abstinebis censione bubula.* Et in *Pœnulo*,

—— —— *heri in tergo meo*
Tres facilè corios contrivisti bubulos &c.

Cuiusmodi supplicii genere, septem fratres cum matre affectos fuisse legimus, *μάστιξι καὶ νευραῖς αἰκιζομένους.* Origo vocis à בקר quod inter Boum nomina, à *quærendo* est. *Boum enim inter socios eximia pietas. Nam alter alterum inquirit, cum quo ducere colla aratra consuevit, & frequenti mugitu pium testatur affectum, si fortè defecerit*, Isidor. *lib* 2. *cap.* 1. Nisi malis cum Arabibus bovem *bakar* dictum esse, quòd *terram aratro proscindas.* Quemadmodum idem *trio* Romanis, *à terendo*, dictus est. Sam. Bochartus *Hierozoici Part. prior. Lib. II. cap.* 28. & 31.

Bilingues, Plauto non semel serpentes dicti, in *Persa*, in *Asinaria* &c. Nempe, si Salmasio credimus, serpentes tam tremulo motu crispant linguam, ut non una, sed gemina, videatur esse. Quomodo *sarissam duplicare* dicebantur, qui vibrabant eam & crispabant, quasi duplicem quattendo facerent. Unde Isidorus de serpente, *Origin. lib.* 12. *cap.* 4. *Nullum animal tantâ celeritate linguam movet, adeò ut triplicem linguam habere videatur, cùm una sit.* Sed non propterea serpentem *bilinguem* dici, verùm ideo quòd eam verè bisulcam habeat, idem Plautus docet, in *Pœnulo*, *Bisulci lingua, quasi proserpens bestia.* Proinde Philosophus asserit, *διχρόαν εἶναι αὐτῶν τὴν γλῶτταν ἄκραν, Summam eorum linguam esse bifidam.* V. Arabem Scriptorem Damirem *cap. de Serpente.* Imò & trisulcam alii statuunt. Plinius *lib* 11. *cap.* 37. *Lingua tenuissima serpentibus & trisulca est.* Quod Poetæ fere sequuntur. Virgilius *Georgicorum lib.* 3. & *Æneidos lib.* 2.

Arduus ad Solem & linguis micat ille trisulcis.

Ovidius de dracone à Cadmo cæso, *Metamorph. lib.* 3.

—— —— *Corpus tumet omne veneno*
Tresque micant linguæ.

Seneca *in Medea*, *versu* 686.

Hic fera serpens corpus immensum trahit,
Trifidamque linguam exertat.

V. quoque Silium *lib.* 6. *versu* 221. & 264. Statium de Pythone *Thebaid. lib.* 1. *vers.* 563. &c. Quo fortè etiam referendum, quòd maledico, qui linguam in quoscunque exerit & vibrat more serpentis, *lingua triplex* tribuitur, in Chaldæa Paraphrasi, Jobi *cap* 36. *vers.* 33. Psalmo 101. *versu* 5. & 140. 12. Ecclesiast. *cap.* 10. *versu* 11. &c. Neque aliter Bochartus interpretatur hæc Sirachidis *cap.* 28. *versu* 15. *Γλῶσσα τρίτη πολλοὺς ἐσάλευσε, Lingua triplex multos concussit.* Et *versu* 17. *Γλῶσσα τρίτη γυναῖκας ἀνδρείας ἐξέβαλε, Lingua triplex fœminas fortitudine exuit.* V. eum *Hierozoici Part. prior. lib.* 1. *cap.* 4. & Salmasium *ad Solinum pag.* 943.

Billa, Anglis *Bill* vel *Bille*, Gallis *Billet*, schedula est, libellus, syngraphum, apud Knyghtonum *pag.* 2721. Wilh. Thorn *cap.* 41. Alios. Origo ejus, sec. Spelmannum, à Saxonico *Bille*: sec. Somnerum, ex *Libellus*, corruptè: secundùm alios, à Græco *Βιβλίον*. Gerh. von Mastricht in voce hac agnoscit *Bullæ* vestigia, additque, Belgis *Billet* vocari scripturam, in qua quid brevibus notatum, veluti in metatis seu militum inhospitationibus, cuique militi assignatur hospitium pittacio, quod vocent *een Billet*, &c. V. eum *Histor. Ecclesiastici Juris num.* 402.

Billingius Hermannus, Vir nobilis, seu, ut alii volunt, illustri prosapiâ oriundus, post Dietgremum, à patruele Ottone Magno Imp. Saxoniâ pulsum, hoc Ducatu in fortitudinis fideique præmium ab eodem donatus est. Duravitque familiæ honor, donec Magnus, Hermanni abnepos, in partes Rudolfi Suevi, adversùs Henricum IV. Imp. transgressus, rebellione amitteret, quæ Abavus officiis & constanti in Cæsarem obsequio meruerat. Huic itaque sive illo, quo dictum, crimine, patrimonio mulctato, sive, ut aliis placet, absque mascula prole extincto,

cto, Lotharius Com. Supplinburgius, Comitum Querfordensium stirpe oriundus, volente Henrico V. Imp. successit A. C. 1106. à quo illum gener accepit Henricus Superbus, cujus filio Henrico Leone proscripto, Fridericus I. Imp. Bernardo Ascanio Ducatum concessit, in cujus mansit posteritate, donec Alberto sine prole extincto A. C 1421. Fridericus cognom. *Bellicosus* de eo investitus est, rediitque Electoratu auctus, ad Witikindeos. Neque verò Saxoniam solùm *Billungis*, sed & Holsatiam, tenuere, post eosdem Witikindeos, quibus etiam in Saxonia suffecti sunt. Horum autem auspiciis Comites plerinque, ejusdem sæpe cum istis prosapiæ, regioni moderabantur: e quibus Godefredus, à Magno præfato Holsatis Comes datus, Vandalorum, dum prædas in Stormaria agitantes incautius persequitur, insidiis circumventus, Adolfum, Adolfi I. Com. Schauenburgici nepotem, pronepotemque incertum, successorem habuit. Tob. Pfannerus, *de præcipuis Germ. Princip. gentibus capp.* 2. & 11. & Phil. Jac. Spenerus *Sylloge Geneal. Histor. in Fam. Saxon.*

Billio, Gall. *Billon*, Hisp. *Vellon*, nummus æreus est, vel ex ære & argento conflatus, interdum massa monetaria. *Statuta* Philippi Pulchri Reg. Fr. Anno Christi 1305. *Ne quis aurum, argentum, vel* billionem *extra Regnum nostrum deferre præsumat.* Molinæo in *Tract. de Contract. Quæst.* 100. *num.* 783. & Covarruviæ *de Vet. numism. collat. cap.* 1. *num.* 1. moneta *de Vellon* seu *de Billon*, dicitur non tantum ea, quæ ex ære penditur admistâ parte aliquâ argenti; sed & illa, quæ cuditur ex argento, cui mista sit tertia vel quarta, vel sanè quinta, *pars æris*. A voce *vilis* etymon *Billionis* arcessit Neubrissensis, ita ut *vilior* moneta intelligatur. Car. verò du Fresne mavult sic dictum aurum vel argentum in *billam*, id est, baculum, seu massam, conflatum, necdum purgatum: *Billus* enim, Anglis *Billet*, Gallis *Billot*, baculus est seu clava oblonga, in *LL.* Henrici I. Regis Angl. V. eum in *Glossar.*

Billungus, seu *Mistevojus*, fil. Visisai seu Wizlasi II. Herulorum Regis, à Vistula ad Visurgim imperitavit, & ductâ Vagonis Episc. Oldenburgici Vagriæ sorore, Christianam amplexus fidem eam postea deseruit, ac persequutus est. Pater Micislai, Sederici & Naconis, Ottonis I. Imp. hostis, qui paganam su ... stitionem pariter tutati sunt. Ex his Micislaus genuit Mistævonem Herulorum R. Mizdracium & Grimmum, Rugiorum Principum conditorem, V. *suo loco*.

Bima, ex Gr. *Βῆμα*, chorus Templi, seu potiùs pars illa Altaris clausa, secundùm Orientalem usum, tribus portis, quo ne mini penetrare permissum. V. Mactum in *Hierolexico* in voce *Chorus*, & hic passim in vocibus *Bema*, *Chorus* &c.

Bimyxus Lychnus, apud Anastasium, in *Vitis*, ut & *Trimyxus*, à totidem *myxis*, dicti sunt; à quarum forma oblonga, *μύξα*, item *μυξάρια* in Ægypto appellata sunt olim pruna, quibus hodieque *Musa* nomen est, ex antiquo illo mutuatum. V. Salmasium *ad Solinum*. De candelabris vero polymyxis, suprà in voce *Arbor*.

Binæ Uxores, V. suprà *Bigamus*.

Binariæ Formæ, apud Æl. Lampridium in *Alexandro Severo*, *Formas binarias, ternarias & quaternarias, & denarias etiam, atque amplius usque ad bilibres quoque & centenarias — resolvi præcepit*: Viris doctis sunt nummi binis aureis valentes. Salmasius verò formas hic interpretatur τύπους aut χαρακτῆρας vel ... , quibus nummi tali formâ signarentur, *binarii* sc. & quaternarii & similes. Interim sequitur, *Eas resolvi præcepit, nec in usu cujusquam versari*: unde manifesto formas pro nummis ipsis dixit Lampridius. Quemadmodum & in *XXX. Tyrannis*, apud Pollionem, Cusi sunt ejus nummi ærei, aurei & argentei, quorum hodieque forma extat apud Treviros, h. e. qui etiam hodie extant, vel quales hodieque visuntur apud Treviros. Sic itaque *Binarius* hic & Ternarius nummus aureus, qui *binos* & ternos aureos simplices pendebat. Uti *quinarii* olim, qui quinos asses, *denarii*, qui denos, pendebant. Græci, uti *binarium* æreum, vel dupondium, διχάλκον vel διασσάριον; ita *binarium* aureum δίχρυσον dixere. Iidem *Biniones* quoque appellari poterant. Glossæ, *Biniones*, ... ; etiam *dupliones*, ut Græcis διπλοῖ χρυσοῖ. Glossæ iterum, *Dupliones*, διπλοῖ. Ita Galli hodie aureos binarios vocant, & quadruplos, quos *quaternarios* Latini vocabant &c. Salmasius *ad Lampridium loc. cit.*

Binchium, adde: Aliter *Bintium*, vulgò *Bins en Hainaut*: est in diœc. Cameracensi, Vide Hadr. Valesium in voce *Sonegia*.

Biniones, V. hic suprà.

Binoculum, instrumentum oculare diopticum, à Cherubino Capucino excogitatum, A. C. 1663. cujus ope idem objectum utroque oculo conjunctim cerni potest. V. librum Gall. *de la Vision parfaite*.

Binominis. Festo, *cuigeminum nomen est*. Usurpat vocem Lamb. Ardensis, *Robertum qui ut tunc temporis erat consuetudo & adhuc plerumque tenetur*, binomius *erat*, *sed suppressâ vocationis proprietate, inolescente usus assiduitate, dictus est Manasses, postea Ghisnensis Comes.* Ubi Eucherius notat, *Manassem* à Parentibus post nativitatem, *Robertum* verò à Roberto Flandriæ Com. in baptismate appellatum. Mos quippe olim invaluit, ut nascentibus a Parentibus nomina imponerentur, alia postmodum interdum adderentur in Baptismo, uti discimus ex Gregorio Turon. *Histor. lib.* 8. *cap.* 22. Florentio Tricastino Presbytero *de Vita S. Rusticulæ*, *ad Celsam*, Ægidio Aureæ Vallis *cap.* 97. Aliis: Unde factum, ut alterum horum nominum cognominis vice haberetur. Idem Gregorius *lib.* 4. *cap.* 26. *Austrigildem, cognomento Bobilam.* Et *lib.* 7. *cap.* 3. *Vedastem, cognomento Avonem.* Et *lib.* 8. *cap.* 22. *Gundegisilum, cognomento Dodonem*, &c. Sed & ab antiquo obtinuit, ut in Baptismo de novo nomen imponeretur, quod ex Theophane & aliis colligitur, qui Athenaidem, Theodosii Jun. conjugem, in Baptismate *Eudoxiæ* nomen accepisse, ab Attico Patr. narrant. Qua in re Hebræos Christiani videntur imitati, qui statim post circumcisionem peractam nomen imponebant infantibus: quanquam & peculiaris quædam ratio Christianis fuit, cur id observarent. Nempe, ut significarent, non avitos modo patriosque ritus, per Baptismum exuere se, verùm & ipsius prisci nominis oblivisci, nova indita nuncupatione, quæ singularis gratiæ indicium esset, &c. Neque mirum tamen Christianos, adultos præsertim, *binomios* fuisse; cùm ante Baptismum, siquidem a Paganismo, ad Christianismum transirent, gentilitiis nominibus appellarentur. Unde baptizandorum, etiam infantium, nomina in matriculam relata observat du Fresne, V. quoque infra in voce *Nomen*, item *Paganus*, & plura hanc in rem apud modò dictum *Glossarii* Auctorem.

Biocolyti, Gr. Βιοκωλύται, apud Justinianum *Nov.* 8 τὸ δὲ ἰνδίκ. & *Nov.* 14. dicuntur Juliano Patricio in *Epitom.* Officiales quidam, qui vim ac deprædationes arcebant, & violentiam omnem prohibebant. Brisson. Etiam specialis quidam olim dux fuit, Βιοκωλύτης, qui in Phrygia utraque, Pisidia, Lycaonia & Lydia, quæ Asianæ diœceseos provinciæ erant, imperium habuit, V. Cujacium in *Exposit. Nov. Justiniani* 8. *sub. fin.*

Biothanatos, ex Gr. Βία & θάνατος, apud Æl. Lampridium in *Heliogabalo*: *Et prædictum eidem erat à Sacerdotibus Syris*, biothanatum *se futurum*, vox est Magicæ vanitatis, ut ostendit Tertullianus *de Anima cap.* 57. vel curiositatis Genethliacorum: Nam apud Firmicum legas, *mortem biothanatam*, miro loquendi genere: Græcis non Βιοθάνατος solum, sed & Βιαιοθάνατος, & Βιοθανής, quod ultimum in Martyrologiis occurrit: Significat, qui mortem sibi ipsi conscit, aut qui violentâ perit morte. Quod utrumque cum infame haberetur, apud Gentiles illi Christianos, quod ultro & sponte se morti exponerent, & violenta Martyrii morte frequentes abriperentur, hoc nomine præsertim insignierunt, uti discimus ex *Actis* Getuli & Sociorum, *Actis* S. Babylæ *num.* 2. aliis. Sic nempe eos per contemptum vocaverunt, cum voce hac malefici utplurimum intelligi soleant. Aldhelmus *de Virginit. cap.* 16. *Extraneus ab Ecclesiæ societate, inter* Biothanatos *reputabitur.* Iis *pausantes* oppositi, qui nempe in communione Ecclesiæ & in Domino requiescunt. Cassianus de Monacho quodam suicida, *Collat.* 2. *cap.* 2. *Vix à Presbytero & Abbate Paphnutio obtineri potuit, ut non inter* Biothanatos *reputatus, memoria & oblivione pausantium judicaretur indignus.* Cum itaque istiusmodi *Biothanati*, h. e. violenter extincti, etiam post mortem horrorem excitent, factum est, ut vox ad spectra & phantasmata denotanda tandem extensa fuerit. *Exorcismus* pro benedict. Aquæ in vigil. Epiphaniæ, in *Rituali MS.* Abbatiæ Mileti: *Sed expellas omnem umbram, omnem machinationem Diaboli, sive Spirituum immundorum, sive* Biothanatorum, *sive errantium*, apud Mactos Fratres in *Hierolexico*. Cum *Aboris*, qui Græc. ἄωροι, h. e. *immaturi*, conjunguntur Biothanati, apud Tertull. ubi supra: *Itaque in vocantur Abori & Biothanati.* Mors ipsa talis eidem *Apocarteresis* est, *lib.* 1. *contra Marcionem*, *Hypocrita, ut apocarteresi probat se Marcionitam*: ex Gr. ἀποκαρτερεῖν. Nempe inter hos Hæreticos istiusmodi mors frequens erat, ut suo loco ostendimus, &c. Addendum de iis, quod habet Concilium Budense *A. C.* 1279. *can.* 46. in quo narratur, inolevisse in Hungaria *consuetudinem, secundùm quam Archidiaconi pro occisis gladio sive fuste, vel alio armorum genere, seu veneno, aut quocunque alio damnabili aut reprobato modo, consueverant recipere unam marcam argenti, antequam sic occisi traderentur Ecclesiasticæ sepulturæ: quæ quidem consuetudo ad eos, qui fulmine percussi, fluminibus suffocati, exusti incendio, arboribus oppressi, aut de equo cadentes vel aliis similibus seu fortuitis casibus diem clauserunt extremum, seu interisse noscuntur, extendi vetatur: sed sic defuncti, dummodo pœnitentes decesserint, vel in morte pœnitentiæ signa apparuerint manifesta, sicut alii Christiani, Ecclesiasticæ sepulturæ tradi jubentur*, ex du Fresne *Glossar.* V. quoque suprà, in voce *Biothanatus*.

Bipatentes Fores, Græcè δίθυρα, V. suprà *Bifora*, sic *Bipatentia pugillaria*, Græcè δίπτυχα. V. infrà *Diptycha*.

Bipedile, in *Histor. MS. de Excidio Acconis*, apud du Fresne, machinæ jaculatoriæ species est, duobus pedibus innixa.

Bipennes, apud Papin. Statium *Thebaid. lib.* 12. ubi de Theseo Amazonum victore, *vers.* 523.

Ante Ducem spolia & duri Mavortis imago
Virginei currus, cumulataque fercula cristis,
Et tristes ducuntur equi, truncæque bipennes,
Quis nemora & solidam Mætida cædere suetæ &c.

inter præcipua Amazonum arma fuere, aliàs *secures* quoque dictæ, apud eundem, *Thebaid. lib. 2.*

— sublatâ minitantem bella securi.

Iisdem armis antiquissimi Heroës usi. Unde in Calydonii apri oppugnatione habuit *geminas secures*, i. unam quidem, sed utrinque vulnerantem, Ancæus. Gratius *Cynegetico*,

—— cecidítque suis Ancæus in armis,
At prædexter erat geminisque securibus ingens.

Hoc est enim *Bipennis*, quod *bis — acuta securis*. Nam de eodem Ancæo Ovidius,

Ecce furens contra sua fata bipennifer Arcas.

Et statim eâdem historiâ:

Talia magniloquo tumidus jactaverat ore,
Ancipitemque manu tollens utraque securim,
Institerat digitis primos suspensus in artus.

Homerus an ad prælia usum ejus retulerit, non adeò compertum: Boum præcidendis collis adhibitam *bipennem*, legimus *Il. ρ. vers. 540* & *Odyss. γ. versu 442.* At Virgilius etiam Virgini Camillæ tribuit planè atroci exemplo, *lib. 11.* & Penthesileæ Quintus Smyrnæus *lib. 1. versu 157.*

Δοιὼ δ' ἄλετ' ἄκοντας ὑπ' ἀσπίδα. δεξιτερῇ δὲ
Ἀμφίτυπον βουπλῆγα, τόν οἱ Ἔρις ὤπασε θυμοῦ.
Duas sumsit sagittas sub aspidem, dextra verò
Ancipitem securim, quam ei Eris suppeditavit acris.

Certè Amazonum peculiarem illam armaturam esse, Claudianus quoque innuit.

Thermodontiacâ Tanain fregere bipenni &c

V. Casp. Barthium *Animadversion. lib. 2. pag. 567.* & infrà in voce *Securis*.

Bipontium, adde: *Bipontinum* Palatinatum à Stephano conditum ait Hornius, cumque primum *Palatinum Bipontinum* & Simmerensem sive in *Hundsruck* factum esse, ac ducta Anna Friderici ultimi Com. in *Veldentz* & *Sponheim* filia, utroque illo Comitatu potitum, refert; Idem observat, *Bipontinos* acres hostes fuisse Electorum Palatinorum, Ludovicum inprimis, cognom. *Nigrum*, & Alexandrum, qui gravia contra Fridericum & Philippum Electores bella gessere. Post mortem tamen Friderici IV. Elect. Johannes Bipontinus tutelam & administrationem Electoratus suscepit, vi Testamenti Friderici, frustra Neoburgico sese opponente. V. Georg. Hornium *Orb. Polit. cum Notis L. Ottonis Menkenii pag. 15. & seqq.*

Biretum, Gall. *Birette*, capitis tegmen est apud Jesuitas, in Communione Rom. quo Novitii eorum, ut vocant, utuntur. V. quoque infrà *Birretum*, item *Birrus*.

Birmandus, monetæ minutioris species, apud Leodienses, Car. du Fresne *Glossar.*

Birontium, adde: olim *Birontium* dictum est; unde Guilielmus *de Birontio*, qui floruit circa A. C. 1115. V. Hadr. Valesium *Not. Gall. in voce Mulcidonum.*

Birrati, dicti Monachi Carmelitæ, V. infrà *Birrophori*.

Birretum, cujus mentio in *Bulla* Bonifacii VIII. Pontif. Rom. *Illudque eidem Thomæ contulimus* (sermo est de beneficio Ecclesiastico) *ac nos de ipso per nostrum* birretum *præsentialiter investimus*: capitium est seu capitis tegmen lineum, tenue, strictum formâ ipsius capitis, Pontificum olim proprium. Unde, cum Hugo Cadurcensis degradaretur à Johanne XXII inter alia Pontificalia insignia, *annulum viz. mitram & cappam*, *Romanam* quoque *camissam ac birretum* ablatum esse, memoratur in *Chronico* S. Martiais Anno Christi 1317. Doctorum tamen etiam fuisse, Nicol. de Clemangis docet *lib. de Studio Theol. Non cappa quippe Doctorem facit, non* birreti *Magistralis impositio, non cathedra sublimior* &c. At Italis omnibus capitis tegmen commune fuisse, discas ex Academicis Cruscanis Vox diminutiva est, ex *Birrus*, de quo suo loco: namque & *palliolum* Vett. non tantùm, quo humeros tegerent, sed etiam, quo capita velarent, appellarunt. Fulgentius, *Numa verò Pompilius & ipse de Pontificalibus scribens, tutulum dici ait pallium, quo Sacerdotes caput tutabant.* V. Salmasium *ad Tertullianum de Pallio cap. 4.*

Birria, memoratus apud du Fresne, Architrenio *lib. 3. cap. 4.*

Nudus in annoso tunicæ squalore ministrat
Geta dapes, dum vile meri libamen in urbe
Birria *venatur, pretio vestitus eodem*
Muricis ejusdem &c.

Et *lib. 4. cap. 14.*

—— —— —— *Nunquam*
Birria *sufficeret, ubi defecisset Homerus.*

Birrophori, pars dicebatur Atheniensis populi, Græc. Βιῤῥοφόροι: Eum enim totum Paladius in *Lausiaca* de Serapione in Τριβωνοφόρους dividit & Βιῤῥοφόρους, qui ad quiritationem Serapionis concurrerunt. Et quidem Τριβωνοφόροι Philosophi fuere, a pallio, quod gestabant, dicti: reliquus verò Populus, tam plebs, quàm Magistratus, quos ἐν ἴδιοι idem vocat, Βιῤῥοφόροι, quod omnes hi communi veste, *birro* sc. essent induti. *Birrus* itaque commune gestamen erat, quod à pallio sive tribone distinguebatur, indumento omnium Ascetarum, h. e. tam gentilium, quam Christianorum postea Philosophorum: idem cum *Lacerna*, & *Chlamyde* & *Mandya*, uti discimus ex Artemidoro *de Somniis conjectandis lib. 2. cap. 3.* A' Græcis usus ejus transiit ad Romanos, quibus communis hæc vestis sub Impp. fuit, jam inde ab Augusti ævo, qui, cùm in concione lacernis indutum vidisset Populum Rom. *En*, exclamavit,

Romanos rerum dominos, gentemque togatam!

Jussitque deinceps omnes positis lacernis togatos consistere, ut apud Suetonium legitur, quod tamen vix post illum obtinuit. Rarus enim exinde, ac indies rarior togarum usus, Senatoresque ipsi, qui omnium ultimi togam retinuere, eâ tandem similiter in totum abdicata, Constantini Principatu chlamydes lacernasque passim sumserunt: quod vetitum illis fecit lex Constantini *Cod. Theod quo habitu uti oporteat intra urbem*, jussitque terrore clamydum deposito ad pænulas & colobia redire. Reliqui verò omnes *birris* amicti vel pænulati ibant. Nec servilem fuisse vestem ex eo rectè conjicias, quòd servi *birris* etiam uti leguntur intra urbem, ex *l. 1. Cod. Theod. tit. præf.* Ex quo enim Romæ togarum usus desuetus ac plane desitus fuit, & *birri* sive lacernæ in usum passim venere, nulla de habitu inter servos & liberos discretio amplius dignosci quita est. Quod suâ ætate discrimen fuisse sublatum, queritur Appianus *Bellor. Civil. lib. I.* Sic *Birrus* illo tempore Romana vestis, ac deinceps porro sub Impp. in frequentiore usu Romanis fuit, tàm in urbe, quam in provinciis: atque etiam ab Ecclesiasticis progressu temporis sumi cœpit. Postquam enim pro paupertate divitiæ magno agmine in Ecclesiam intrarunt, non solùm magnificè ac sumtuosè Templa extrui atque auro argentoque ornari: Sed & Ministri quoque sacrorum mundulè ac nitidè vestiri, &, penès solos Ascetas palliis relictis, *birris* ac pænulis incedere, cœperunt &c. Cæterùm pro conditione ac dignitate gestantium, cùm de colore, tum de materia, pretiosiores erant, aut minus pretiosi *birri*. Pretiosioribus utebantur vulgò Episcopi, minùs pretiosis Presbyteri, postquam pallia reliquerunt, & philosophari desierunt. In *Actis* Passionis Cypriani, *In agrum Sexti perductus est & ibi lacerno birro se expoliavit*: ubi *lacernum birrum* est lacerna rubra. (*Byrrus* enim coloris ut plurimum byrri, h. e. russei fuit, unde illi nomen: sed & cujuslibet dein coloris lacernas, *byrros* etiam per catachresin appellarunt) Theodoretus *Hist. Eccles. lib. 2. cap. 30.* στιχάριον vocat. *Birram* pro *Birro* posuit Auctor *Vitæ* Pelagiæ; ut in illo *versu* Eucheriæ,

Nobilis horribili jungatur purpura birræ &c.

Neque verò Episcopi solùm, & Presbyteri, sed & cæteri Clerici *birros* habuisse leguntur, apud Augustinum *Serm. divers. ad Clericos suos*: Monachi verò eos sibi interdixerunt, quòd ambitiosior esset vestis, quam ut humilitatem professis conveniret, apud Cassianum *de Habitu Mon. cap. 7.* &c. Sub *Birro* autem Clerici colobia primùm, h. e. tunicas sine manicis, postea Dalmaticas, h. e. χειριδωτοὺς, auro clavatas, cœperunt gestare, uti testantur Isidorus, Anselmus, Alii: sicque *Birrus* & Dalmatica Episcoporum ac Sacerdotum habitus, hæc interior, ille exterior; pro quibus σχάριον passim & φελώνιον nominant recentioris Græciæ auctores, cùm de vestimento Sacerdotali agunt, Codinus, Moschopulus &c. Quamvis verò aliud esset *Birrus*, aliud *Pænula*, interdum tamen à Scriptoribus confundi & indiscretim pro eodem poni reperias, τὸ βίῤῥιον καὶ τὸ φελώνιον. Unde & φελώνιον recentiores Græci pro birro Sacerdotali videntur usurpasse; quo tempore nec *birrus*, nec pænula, de nomine vel usu amplius agnoscebantur. Aliæ enim vestium species ac nomina tunc erant usitata, ut ... , ... & alia: sicque, mutatâ seculi veste, pristinam retinuere præcipuè in celebrandis sacris Sacerdotes, quos olim certum est in eadem veste & publicum frequentasse, & sacram liturgiam celebrasse, &c. V. plura in hanc rem apud Salmasium *Not. ad Tertullianum de Pallio*, & *ad Histor. Augustam* passim: de significatione verò vocis hodierna, ubique ejus in Communione Rom. consule Car. du Fresne *Glossar.* & Macros Fratres in *Hierolexico*; ut & quæ jam prælibavimus, in voce *Birrus*. Addam saltem *Epigramma de Birro & Castoreo*, ex du Fresne:

Nominis umbra manet veteris, nam dicere birrum;
Si Castor niteat, Castoreum nequeo.
Sex emptus solidis, quid sit, jam scire potestis ...
Si mihi nulla fides, credite jam pretio &c.

Hinc *Birratus*, birro indutus, apud Joh. Villaneum *lib. 9. cap. 90.* In *Provinciali* Cantuar Eccl. *lib. 3. tit. 1. vestes birratas* Lindwodus *scissas sive divisas aut complicatas*, interpretatur: unde fortè Gallorum *birbaré*, pro *variegatus*. In specie *Birrati*, dicti sunt Monachi

Monachi Carmelitæ, vulgò Gallis *les Freres Barrez*. Auctor *Tract. de Ordin. Relig. in Tom. I. Monast. Angl. Albertus Patr fecit regulam fratribus, qui Stragulati, Radiati & Birrati vocabantur.* Walsinghamus *pag.* 49. & Henr. Knyghton *lib.* 3. *cap.* 1. *Honorius IV. — mutavit capas Fratrum de Carmelo in purum album, quæ priùs erant stragulatæ, radiatæ & birratæ* Ordericus Vitalis *libr.* 8. de similibus suæ ætatis Monachis: *Insuetatâ quoque pannorum sectione suorum ab aliis discrepare appetunt.* Carmelitarum verò horum *Barrata* vel *Barrata*, seu radiata pallia habes, apud Dan. Papebrochium, *ad* 8. *April.* laudatum Carolo du Fresne *Glossar.*

Birrus, seu *Berrus*, V. *ibidem.*

Bisa, seu *Besa*, Græcè *Βῆσα*, apud Strabonem *lib.* 8. ubi emendata exemplaria habent *Βῆσα*: locus fuit Atticæ, ad Tribum Antiochidem pertinens: è quo qui oriundus erat, dicebatur *Βησαιεὺς*, ut apparet ex hac *Inscr.* Eleusine repertâ:

- - - - ΝΟΥ - - -
ΣΤΡΑΤΟΝΙΚΗ
ΕΚ ΒΗΣΑΙΕΩΝ
ΤΟΙΝ ΘΕΟΙΝ
ΔΗΜΗΤΡΙΟΣ

Item ex alia,

ΤΙΒΕΡΙΟΣ ΚΛΑΥΔΙΟΣ
ΘΕΟΦΙΛΟΣ ΤΙΒΕΡΙΟΥ
ΚΛΑΥΔΙΟΥ
ΘΕΜΙΣΤΟΚΛΕΟΥΣ ΒΗΣΑΙΕΩΣ.

apud Jac. Sponium *Itinerar. Græc. Tom.* 3. *pag.* 102. Vide quoque *Tom.* 2 *p.* 205. Alia est *Bissa* Locridis, de qua V. Strabonem *l.* 8. & 10.

Bisacutus, cognom. Comiti Guidoni, a quo *Conti Guidi* Italici originem ducunt, inditum, propter crebra maleficia ab ipso & suis perpetrata. apud Iohannem Villaneum *lib.* 5. *cap.* 36. *Fu sopranominato besangue per so maleficii è de suoi.* A *Bisacuta*, quæ vox apud recentiores Scriptores securim denotat duplicem habentem aciem, vel telum utrinque acutum. Sic enim *Glossarium* Cambronense, *Bisacuta, ferramentum quoddam utrinque incidens.* Guil. Brito *Philippidos lib.* 2. *pag.* 115.

Aspia dum dextris, bisacuta, *securis & ensis*
Fulminat.

Et infrà: — *Nunc clava caput nunc verò bipennis*
Excerebrat, sed nec bisacuta, sudisve vel hasta
Otia vel gladius ducit. &c.

apud du Fresne *Gloss.* V. quoque suprà in voce *Bipennis.*

Bisantinus seu *Bisantius*, monetæ species aureæ, apud Dominic. Macrum in *Hierolexico*, V. infrà *Byzantius.*

Biscoctus Panis, Gall. *Biscuit*, panis nauticus, quem Latini *buccellatum*, Græci [illegible], dixere. Sed & *Biscoctum* Galli appellant genus panis melliti, qui inter bellaria adponitur, saccaro & aliis rebus conditi. Salmasius *ad Vopiscum in Tacito.*

Bisellii Honor. in *vet. Inscr.* nuper in Italia repertâ, quâ innuitur Q. Largennium Reip. Pisanæ certam pecuniæ summam contulisse, *ob honorem Bisellii*, item in alia, quæ Suessæ extat, descriptâ Ughello *Italiæ Sacr. Tom. VI.* quibusdam idem esse videtur, qui olim *Sella Curulis*, apud Romanos. Alii existimant, referri debere ad facultatem sedendi in Theatris & Spectaculis, in ampliori sella. Nam, ut est in *L.* una Cod. Theod. *de usu Sellar.* exceptis aliquot vilioribus hominibus, *usus sellarum & sedendi ac conveniendi in publicum facultas* omnibus data erat: quarum quidem sellarum in Theatris meminerunt Martialis *lib.* 5. *Epigramm.* 14. Tertullianus *de Spectaculis*, Alii. Atque hi *Bisellarii* dicti videntur, in vet. Inscript. apud Gruterum *pag.* 1099. 2. CN. PLÆTORIO VI. VIRO AUGUSTALI. BISSELLIARIO. HONORATO. ORNAMENTIS DE. URIONAL. &c. A *Bisellio* quâ voce notatur sella amplior, quæ duabus sellis constat, apud Varronem *de L. L. Lib.* 4. vel quæ tam ampla est, ut duos sessores capere possit, in *Glossar.* Lat. Gr. *δίεδρος* seu *δίεδρον*, Eustathio *Il.* λ. *δίεδρος* & *δίεδρα*, quæ tamen voces postea pro quacunque sella usurpari cœperunt, *Glossar.* du Fresne.

Bisomum, seu *Bisomum*, sepulchrum quod duo corpora, *σώματα*, capiebat: Antiquis enim, etsi plura simul eidem tumulo corpora inserendi mos esset, ita tamen ea disponere consueverant, ut unum alteri non substerneretur, sed sibi invicem ordine succederent, responderentque loco discreta, ut observat Auctor *Romæ Subterr. lib.* 1. *cap.* 2. Unde *mortuum super mortuum poni*, vetitum legimus in Concilio Autisiod. *can.* 15. Matisconensi II *can.* 17. in *Statutis* Bonifacii Archiep. Mogunt. *cap.* 19. & in *Capitulis* Caroli M. *lib.* 6. In vet. Inscr. *duplex tumulus* videtur appellari, Lugduni: *Et memoriæ æternæ Laninæ Galatiæ N. Græc. femin. sanctissimæ — Q. Julius Hylas conjugi pissimæ, quem tumulum duplicem posuit & sibi vivus posterisque suis & sub ascia dedicavit.* Occurrit *Bisomi* vox aliàs in *Inscriptionibus Sepulchr.* Sic *vet. Inscr.* Beneventi, PP. ÆLIUS. VENERIANUS. HOC VAS BISOMUM SIBI ET FELICITATI SUÆ POSUIT ET TRIBUNAL EX PERMISSU PONTIF PERF. &c. Ita *Trisomum* & *Quadrisomum.* Vide Salmasium *ad Solinum pag.* 1207. & Car. du Fresne in *Glossar.* quorum hic vocem *σῶμα* pro reliquiis corporis ac cineribus usurpari, colligit ex titulo Chyndonactis: [illegible]

Ossa enim tantùm ac cineres in eo sepulchro, in olla vitrea, reperti fuere, &c.

Bisontes, apud Solinum *cap.* 20. *Saltus Hercynius aves gignit — In hoc tractu sanè & in omni Septentrionali plaga* bisontes *frequentissimi, qui bovis feri similes, setosi colla, jubas horridi, ultra tauros pernicitate, capti assuescere manu nesciunt.* Nonnulli libri *Visontes* scribunt: perperam apud Oppianum *Βίσωνες* pro *βίσωντες*, multum indignante versu, quod tamen tuentur & agnoscunt docti: *Βίσωνες* Pausaniæ. Quid sint patebit ex Martiali *de Spectac. Epigramm.* 23.

Ille tulit geminos facili cervice juvencos,
Illi cessit atrox bubalus atque bison.

Ubi Scholiastes, *Bison*, inquit, *est cervi figurâ cujus à media fronte inter aures unum cornu existit excelsum, cujus è summo rami tanquam palmæ diffunduntur.* Essedis jungi consuevisse, idem innuit *lib.* 1. *Epigr.* 105.

Turpes esseda quod trahunt bisontes, &c.

Vide Salmasium *ad Solinum p.* 30.

Bispellio, apud Marcell *l.* 72. §. 5. ubi omnino. *Num ergo & si bispellionem, aut aliàs turpem dederis hominem, idem sit* & Ulp. *l.* 31 *ff. de ævict. Si ita quis stipulanti spondeat, sanum esse, furem non esse, bispellium non esse & cætera, inusitata stipulatio quibusdam videtur*: idem videtur esse, qui *versipellis*, i. veterator, planus, *πολύτροπος*, quasi homo duarum pellium Cujus vocabuli originem ex Arcadum tabula nonnulli accersunt, quam Plinius exponit *l.* 8 *c.* 82. Ii enim certos homines, stagno quodam trajecto, in lupos transfigurari tradebant & post annos 9. eo in habitu confecto, idem stagnum remensos, pristinum habitum recipere qui proin *Versipelles* dicti sunt, etiam apud Fabium *eandem recipere vestem.* Quo allusisse videtur Persius *Sat.* 5.

Sin tu, quum fueris nostræ paulo antè farinæ,
Pelliculam veterem retines, & fronte politus,
Astutam rapido servas sub pectore vulpem:
Quæ dederas suprà repeto funemque reduco, &c.

Hottomannus, apud Joh Calvinum *Lexic. Jurid.*

Bissextus, Annus bissextilis in quo unus dies in Februarii mense intercalatur: sic dictus, quod eo mente tunc *Bis sexto Kalendas* dicatur, quæ additio quolibet fit quadriennio. Julianus enim annus 365. dierum & 6. horarum spatio constat, quæ horæ quovis quadriennio integrum diem componunt; sed quia illæ 6. horæ integræ non sunt, deficiunt enim minuta undecim, consequenter spatio 131. annorum integri diei summam conficiunt; ideò in Kal. Gregoriano ordinatur, ut in quatuor seculorum cursu ter *Bissextus* relinquatur. Itaque cum Anno MDC. occurrerit intercalatio *Bissexti*, hinc tria sequentia secula, nimirum MDCC. MDCCC. & MCM. *Bissextos* non habebunt, habebit autem seculum, MM. V. de Bissexti institutione *Gloss. in Clement. de Reliq. & vener. Sanctor* 5. *Certam diem*, apud Macros Fratres in *Hierolexico*. Item infortunium, malum superveniens, vulgò etiam Græcis hac notione. Order. Vitalis *lib.* 2. *Tunc Bissextilis erat annus, ac sicut vulgò audivimus, revera supra proditores corruit bissextus.* Et *l.* 13. *Hic tumultuosus annus verè Bissextilis fuit, & tunc ultimus in ordine concurrentium Bissextus cucurrit, at, ut vulgò dicitur, Bissextus super Regem & populum ejus in Normannia & Anglia cecidit.* Vulgaris etiamnum apud Gallos loquendi formula: *le Bissexte est tombé sur une telle affaire.* Sed & exactio quædam ab Episcopis fieri solita hac voce notata reperitur. *Synodus* Pictavensis *A. C.* 1280. *cap.* 11. *Monemus in generali, quòd de* Bissexto *& aliis juribus Episcopalibus reddant nobis vel mandato nostro, item de Synodo, parata, & aliis juribus Archidiaconorum, Capicerii & aliorum Prioratuum Ecclesiæ nostræ sibi* (sic) *ab his qui ad ea tenentur satisfactum, antequam recedant* (e Synodo) apud Car. du Fresne in *Glossar.* Ad propriam vocis significationem ut redeam, a die *bissexto*, ut dictum, nomen habet Annus *Bis-sextilis*. *Bissextum* à definitur Scaligero, *dies consurgens ex quatuor quadrantum appendicibus & anno quarto Juliano absolute accrescens*, *Isagogic. Chronologiæ Canon. lib.* 1. *cap.* 2. Ei respondet in anno Arabico seu Muhammedano *ἐμβόλιμος* seu *Intercalari*, dies excrescens, qui conficitur ex horis & minutis redundantibus supra dies 354. in anno Arabico communi: (tot enim ejusmodi Annus diebus constat) adeò ut resectis ab anno communi & reservatis anno intercalari horis octo, & minutis 48. remaneant in anno retexto seu communi Hagareno tantummodo dies 354. & sint in anno *ἐμβολίμῳ* dies 355. quemadmodum ex quadrante diei multiplicato in annis Julianis, exurgit dies ulterior, ad finem lustri Juliani, id est, quadriennii, in anno *Bis-sextili*; sic ut in annis communibus Julianis sint dies 365 annus autem ultimus cujusque lustri Juliani habeat dies 366. Crebriùs vero annus hujusmodi Arabicus *ἐμβόλιμος* recurrit quàm *Bissextilis Julianus*, quia ex 8. horis & 48. minutis multiplicatis citius consurgit dies, quam ex quadrante diei sive sex horis. Unde cùm spatio annorum julianorum 3 inveniantur anni bissextiles tantummodo 8. pro totidem lustris Julianis; in una contra triacontaeteride Arabica inveniuntur anni *ἐμβόλιμοι* undecim. V. Joh. Forbesium *Instructionum Historico-Theolog. l.* 6. *c.* 2. §. 3.

Bithus, Scriptor Latinus, cujus meminit Plinius *lib.* 38. *cap.* 7. *Bithus Dyrrachinus hebetata aspectu specula recipere nitorem tradit, iisdem aversa rursus continentibus.*

Bithya, urbs Thraciæ, quæ & *Βιθυόπολις*, memoratur Flav. Vopisco in *Aureliano*: *Atque inde per Byzantium in Bithyam transitum fecit, eamque nullo certamine obtinuit*, ubi quidem legit Salmasius

Mm

masius, cùm aliàs habetur *Bithyniam*: quæ tamen tunc Romanorum erat. Caput fuit regionis cognominis, de qua fortè melius, quàm de urbe, verba hæc capiantur. Licèt nec ex toto Bithyniam improbare possis, cùm illâ tempestate Bithyni videantur Palmyrenorum & Zenobiæ partibus favisse, V. Salmasium *ad l.*

Bithya, adde: Earum meminit Solinus *cap. 1. Apollonides perhibet, in Scythia fœminas nasci, quæ Bithyæ vocantur, eas in oculis pupillas geminas habere & perimere visu, si fortè quem iratæ aspexerint.* Ubi scripta exemplaria, ut & Plinii, habent *Vitiæ*. Optimus Regius, *Bitiæ*. ex quo legendum conjicit Salmasius *Bitua* (à *bis tuendo* seu *contuendo*) hoc est, δίκοροι. Proprium enim hujusmodi fœminarum, binas in oculis pupulas habere, unde Græcis δίκοροι, pupilla namque κόρη est. Ovidius de Saga,

Hanc ego nocturnas versam volitare per umbras
Suspicor & plumâ corpus anile tegi;
Suspicor, & fama est, oculis quoque pupula duplex
Fulminat, & geminum lumen ab orbe venit.

Ubi verba hæc, *geminum lumen ab orbe venit*, planè designat *bituam*, hoc est, δίκορον, &c. De istiusmodi fœminis, narrat Plinius, omnis ubique visu nocere, quæ duplices pupillas habeant. Apud eundem habetur de Thibiis in Ponto eadem virtute ac nota geminæ pupillæ præditis, qui Græcè Θίβιοι, à loco *Thiba*, sic appellato, ab Amazone quadam ibi ab Hercule occisa, uti refert Stephanus. Vide Salmasium *ad Solinum pag. 46.* & infrà ubi de *Thibiis*.

Bithynia, adde: Nomen à *Bithyno*, fil. Jovis ex Thrace Titanis; erant namque *Bithyni* pop. olim Thraciæ, qui inde in Asiam commigrarunt V. Strabonem *lib. 7 & 10.* Bithyniæ *Agrorum Regiorum*, qui nempe populo Rom. Testamento relicti sunt, mentio est in *Agrariis* Tullianis. Eorum mensura exigebatur ad pedem Regium Philetærium; quemadmodum ad Ptolemaicum pedem agri Regii mensurabantur, quos in Cyrenensi Ptolemæus Rex eidem Populo legaverat. Postquam itaque in Romanorum potestatem Bithynia cessit, Prætoria facta provincia est, ab Asiæ speciali appellatione separata, cui Paphlagonia addita est, uti docet Salmasius *ad Solinum pag.* 807. V. quoque eum *pag.* 158 & 684.

Bithys, Jovis & Thraces Titanidis fil. a quo *Bithyni*. V. suprà.

Bitrasius Pollio, *Digest. de excusationibus* memoratur, *Imperator Hadrianus* Bitrasio *Pollioni Legato Lugdunensi*. Apud Jul. Capitolinum in *Marco Antonino*, pro *Vetetrasino* vel *Veterasino*, *Vetrasium* vel *Vitrasium*, reponunt: quæ gens Romæ eâ tempestate nota fuit, uti ex vett. lapidibus constat. *B.* autem & *V.* sæpius commutari notum Vide Casaubonum & Salmasium *Not. ad Capitolin.*

Bitumen, sulphuri naturâ vicinum, *alibi limus*, verba sunt Plinii *lib. 35. cap. 15. alibi terra; limus è Judææ lacu emergens: terra in Syria, circa Sidonem oppidum maritimum. Spissantur hæc utraque & in densitatem coeunt. Est verò liquidum bitumen, sicut Zacynthium, & quod Babylone invehitur. Ibi quidem & candidum gignitur. Liquidum est & Apolloniaticum, quæ omnia Græci pissasphalton appellant ex argumento picis & bituminis. Gignitur & pingue liquorisque olearii in Sicilia, Agragantino fonte inficiens rivum. Incolæ id harundinum panniculis colligunt, citissimò adhærescens.* Addit, *usos eo fuisse ad lucernarum lumina, olei vice.* Et paulò post, *Dirimus & fingi solitas ex eo statuas & illini. Calcis quoque usum præbuit, ita ferruminatis Babylonis muris. Placet & ferrariis fabrorum officinis tingendo ferro, clavorumque capitibus & multis aliis usibus.* Patriam quod attinet, ita pergit: *Gignitur in Hispania, Ægypto, Armenia, Macedonia, Ponto, Africa: Insulis Sardinia, Melo, Lipara, Strongyle. Laudatissimum in Ægypto proximum in Melo* Species dein illius subjungit & probationem: *Hujus quoque duæ species, liquidum spissumque. Liquidi probatio: ut sit limpidum lacteumque, sine offensis fricantium, cum quodam igniculo caloris. Hoc phormion vocant; ausit adulteratum, deprehenditur fusco Punici mali: Sincerum enim mistura ea nigrescit. Alterum genus est pallida & scabræ naturæ, & quod inficitur gallâ. Ideoque hoc vocant paraphoron*, &c. Usum Medicum multivarium, Vide *ibidem*. Quod verò idem in unguentorum compositione, præcipuè in eorum vinorum, quæ condiebantur aromaticis speciebus, *Bitumen* quoque additum fuisse, scribit, hallucinari cum ait Salmasius, pice quidem & resinâ etiam condiri musta consuevisse, non verò bitumine, contendens, *Exercitat. ad Solinum pag.* 711. De illius μίξει & ἀζαλτῷ sic Solinus *cap. 1. Bitumen in Judæa Asphaltites gignit lacus adeò lentum mollitie glutinosa, ut à se nequeat separari — scindique non potest — sed ubi admota fuerint cruore illo (menstruo mulierbri) polluta fila, sponte dispergitur & applicitâ tabe diducitur paulo ante corpus unum.* Quod idem *Excerpta* ejus versibus reddita sic exprimunt,

—— linaque si prædicta tabe cruenta
Admoveas, omne spersum diducitur ab se,
Quodque tenax fuerat nimium, se sponte recidit.

Sic *bituminis* tenacitas filis menstruo pollutis, aut etiam, ut alii addunt, lotio diduceretur ac dissolveretur. Atqui apud Strabonem *lib. 16.* Posidonius dicit, quasi hoc ipsum narrantibus Judæis, incantationibus quibusdam & lotii menstruorumque aspersione, bitumen τὸν μὲν accipere & in duritiem cogi, ac sic deinde incidi ac diduci, securibus sc. aut dolabris. Tacitus verò *Historiar. lib. 5.* scriptum reliquit, bitumen non lotio, aut menstruo, sed sparso aceto spissari & in densitatem coire abscindi autem cruore, quo fœminæ per menses exolvuntur. Sed hanc fuisse Vett. opinionem *ibidem* dicit: cœterùm gnaros locorum tradere, *undantes bitumine moles pelli, manuque trahi ad littus: mox ubi exaruit terræ vi Solis inarverint, securibus cuneisque, ut trabes aut saxa, discindi.* Ubi, idem sentiens cum Strabone, quoad κοινὸν τῆς πήξεως concretionis tamen aliam causam planeque pugnantem allegat. Vult namque Tacitus, vapore terræ & vi Solis, in duritiem lapidis bitumen cogi, Strabo id fieri frigore aquæ contendit: Qua de sententiarum varietate vide Salmasium *ad Solinum pag* 27. Unum restat discutiendum, cur Lacus Asphaltites seu Mortuum mare, quod bituminosum totum, *Mare Salis* dicatur in Sacris, cùm *Bitumen* salsum non sit, nec salis naturam habeat? Respondet idem, *pag* 614. lacum illum *salsum* dici, non quòd salsus sit, sed eodem planè sensu, quo *terram Salis* iidem Hebræi nuncupant, eam quæ deserta est ac desolata. Lacus enim hic nihil generat, non pisces, non aves habet aquis assuetas, nihil denique vivi sustinet, uti vidimus ubi de *Asphaltide lacu*. Sed nec omittendum, quòd antiquos statuas Deorum hominumque *bitumine* finxisse, Plinius scribit *lib. 34. cap. 4. Antiqui pingebant* (an *tingebant*) *eas bitumine, quo magis mirum est placuisse auro integi*, &c.

Bizochi, qui & *Fraticelli*, secta Minoritarum religiosorum, in Eccl Rom. damnata a Bonifacio VIII. de quibus multa habent Odoricus Rainaldus A.C. 1297. *num.* 55. 1321. *num.* 18. 1331. *num.* 4. & Waddingus in *Annalib. Minor. A.C.* 1297. 1317. *num.* 23. & *seqq.* 1318 1322. *num.* 66. *Bizocos* & *Pinzocheros* vel *Pinzocaros* vocat Boccacius *Nov.* 24 & 27. *Bichinos* etiam Johannes XXII. *ann* 6 *Epistolar. commun.* 189. *Nonnulli Viri pestiferi, qui vulgariter Fraticelli seu Fratres de Paupere vita*, aut Bizochi sive Bichini *vel aliis fucatis nominibus nuncupantur*. Dicti illi quibusdam à *bisacco*, Gallis *bezace*, quòd, ostiatim panem & victum emendicantes, *bisaccum* humeris d ferrent: Carolo verò du Fresne eadem ratione *Bizochi*, quà *Bichini*, nuncupati videntur, à vestibus sc. *bigii* seu grisei coloris. Nam à *bigio* Italorum, Gallorum *bis*, pro griseo aut cinericio colore. ortum observat is in voce *Biccini*, V. suprà. *Bizochos* verò etiamnum habet Burgum S. Sepulchri, in Italia. apud Eundem.

Bizye, Thraciæ Regum arx, memoratur Solino *cap.* 10. *In Cœnicensi regione, non longè à Flaviopoli colonia, Bizye oppidum, quondam arx Terei Regis, in visum hirundinibus, & deinceps alitibus illis inaccessum*: Sed quòd in Cænica locat, hallucinatur. Stephanus τὸ τῶν Ἀστῶν Βασίλειον, *Astarum regiam* fuisse refert. *Astæ* autem iidem Thraciæ pop. unde *Astica*, *Astica* reg. seu strategia, à Cænica Strategia distincta. Vide Claud. Salmasium *ad Solinum pag.* 166. ut & in voce *Bizia*.

BL.

Blacherna, adde: Novum palatium CP. habet Joh. Calvinus *Lexic. Jurid. ad l.* 18. *Cod. de sacros. Eccles. Nov.* 159. *præfat. post pr.* Unde *Blachernense* suburbium, in quo sumtuosissimum fuit Templum B.M.V. à Leone Imp. ædificatum, ἐν Βλαχέρναις, *in Blachernis* dictum, apud Dominic. Macrum in *Hierolexico*. Indeque ἄρχων τῶν Βλαχερνῶν, *Primus Blachernarum*, fortè quem hodie *Præpositum* vocant, qua dignitate Theodorus Balsamon celebris fuit, circa finem seculi a Christo nato XII. uti docet Gerh. von Mastricht *Histor. Juris Eccles. num.* 42. ubi addit, extra urbem CP. versus mare *Templum Blachernarum* fuisse, à Pulcheria extructum teste Zonarâ. Vide quæ de *Præfecto Blachernarum* affert Jul. Cæs. Bulengerus *de Imp. Rom. lib* 8. *cap.* 100.

Blæsus, apud Papin Statium *lib.* 2. *Sylv.* 1. ad Meliorem,

Noverat effigiem generosique ardua Blæsi
Ora puer —

adde: intimus fuit Melioris, cujus obitum hic magno luctu atque impensis prosequutus est. Unde Martialis *ad eund.*

Qui solemnibus, anxius sepulti
Nomen non sinis interire Blæsi.
Et de munifica profusus arca
Ad natalitium diem colendum
Scribarum memori piæque turbæ,
Quod donat, facis ipse Blæsianum.
Hoc longum, tibi vita dum manebit,
Hoc & post cineres erit Tributum.

Nempe reditum ejus tituli (cujusmodi tributum *pensitionem* vocant hodie) constituit Melior, in honorem Blæsi hujus, qui inter Scribas alicui Officio præfuisse videtur, Caspar Barthius *Animadvers. lib.* 1. *pag.* 193. & 194.

Blanca, Vide infra *Blancus*. item *Mallia*.

Blancamantelli, Gallicè *Blancs manteaux*, nomen est, quo Parisiis insigniuntur Monachi Benedictini, in vico cognomine habitantes, Richelet.

Blanckenbemia Familia, Vide *Manderscheidia*.

Blancorum Emporium, Βλαγκῶν Ἐμπόριον Ptolomæo, Cottiara, quæ *Cottonara* olim dicta est, metropolis: Βλάγκων ἐμπόριον, Κοττονάρα μητρόπολις. Peutingeri Tabula habet, *Blinca*, *Cottiara*. Apud Ptolomæum vulgò legitur Ἐλαγκων, sed Βλάγκων legendum esse, judicat Salmasius *ad Solinum pag.* 1187.

Blancus, monetæ minutioris argenteæ vel ære argentòque mixtæ species, vulgo Blanc. Occurrunt autem *Solidi blanci*, in *Charta* Johannis R. Angliæ in *Monastic. Angl. Tom. I. pag.* 152. apud Car. du Fresne. Eadem notione *Blanca* habetur alibi, V. suprà in *Albus*.

Blandus & languidus color, vegeto & austero opponitur, apud Plinium, ubi de Sandaresis gemmis, in quibus fœminas *blandiorem habere flammam* dicit, cùm mares austeri sint vegetique. Metaphora à saporibus ducta; austerus enim in gustu *sapor* blando & leni opponitur. Salmasius *ad Solinum pag.* 200. & 345.

Blasco, vulgò *Briscon*, insula Galliæ est, in sinu qui inter duo promontoria Leucatam & Setium intercipitur, Agathæ seu Agdæ urbi proxima atque adversa: citra os Rhodani. Unde Plinius ejus situm male assignat, inter ostium Rhodani & Stœchadas tres Massiliæ adversas, cum inquit: *In Rhodani quidem ostio Metina, moxque Blascon, tres Stœchades à vicinis Massiliensibus dictæ propter ordinem.* At ex Gallia in Italiam tendentibus, quem Plinius ordinem servat, primo occurrit *Blasco* ad urbem Agatham, mox ostium Rhodani, & in eo Metina insula, tum Stœchades. Martianus quoque Capella male Plinium transcripsit *l. 6. cap. 14. In Galliæ ora*, inquiens, *In Rhodani ostio Metina, quæ* Blasco *nunc vocatur*. Olim à Massiliensibus Græco nomine *Agatha* dicta videtur Valesio *Not. Gall.*

Blascon, adde: Vide quoque *Blasco*.

Blasphemandi Judicium ritus, occurrit in *Capitulari* 2. & 4. *ann.* 805. *cap.* 8. & *lib.* 2. *Capit. c.* 7. *De clamatoribus causidicis, qui nec judicium Scabinorum acquiescere, nec* blasphemare *volunt, antiqua consuetudo servatur, id est, ut in custodia recludantur, donec unum è duobus faciant, &c.* Est autem *blasphemare judicium* idem, quod *falsare sententiam*, h. e. hanc tanquam falsam impugnare & appellare: formula etiamnum apud Galliæ Practicos recepta, *Blasmer une sentence*. Olim autem, qui ante Judices litigaverat, dato Judicio stare, aut ab eo statim appellare tenebatur, interimque, dum alterum ex his duobus elegisset, custodiæ mandabatur, qui si appellasset, ad palatium cum *apostolis* in libera custodia deducebatur, donec ejus causa discuteretur. Car. du Fresne *Glossar.*

Blassenburgum, Germ. *Blassenburg*, arx munitissima, in ditione Marchionis Culmbacensis, è Brandenburgica familia, imminens oppido Culmbaco: quam, Alberto II. March. jurato Norimbergensium hoste, acre his inferente bellum A. 1552. hi expugnatam funditus everterunt A. C. 1554. magna cum offensione ac detrimento totius domus Brandenburgicæ, ut videre est apud Thuanum *Hist. lib.* 13. Extincto dein Alberto, illam suis sumtibus instaurare coacti, ex sententiâ à Ferdinando I. Imp. latâ. V. Georg. Hornium *Orb. Politico cum Notis Menckenii pag.* 252.

Blastares Matthæus, inter Canonistas Græcos, memoratur Anton. Augustino *Præfat. ad antiq. Decret. Collect. Johannes Scholasticus & Photius ambo Antistites Constantinop. & Matthæus* Blastares *Monachus & Constantinus Harmenopulus, & his omnibus brevior Arsenius, sub certis quibusdam titulis sententias Canonum comprehendunt: adjectis etiam Legum de iisdem rebus decretis. Ex quo factum est, ut id genus Nomocanones appellarent*, &c. Eundem inter *Nomocanonum* Scriptores citat Justellus Pater *Præfat. ad Cod. Canonum Ecclesiæ Univ. Synopsin* ejus *Conciliorum* laudat Meursius in *Glossario Mixob.* voce ἄυλον. In *Catalogo* MSS. Codd Bibliothecæ Patr. CP. hic quoque titulus legitur: *De legibus Magnum Volumen, habens explicationem trium Doctorum, explicantium Canones & LL. Imperiales. Initium Johannis Monachi Zonaræ, deinde Theodori Balsamonis Patr. Antiocheni, postremò Matthæi Blastaris: in charta bombacina.* Sed & Leo Allatius, in famoso Tr. *de Ecclesiæ Occidentalis & Orientalis consensione*, in indiculo Auctorum & hunc Matthæum collocat inter Auctores nondum editos. Gerh. von Mastricht *Histor. Jur. Eccl. num.* 288. & 289.

Blatta, multis idem, quod tinea: Namque jungit utramque, Horatius *lib.* 2. *Sat.* 3.

— — *Cui stragula vestis*
Blattarum ac tinearum epulæ, putrebat in arca.

Martialis *lib.* 6. *Epigramm.* 60.

Quàm multi tineas pascunt blattasque diserti.

Et *lib.* 14 *Epigr.* 37.

Constrictos nisi das mihi libellos,
Admittam tineas trucesque blattas, &c.

Sed *blattas*, inter scarabæorum genera reponere videtur Plin. *lib.* 11. *cap.* 28. & easdem describit *lib.* 29. *cap.* 9. quomodo τὰς σίλφας Dioscorides *lib.* 2. Quid quòd apud sequentis ævi scriptores *blatta* planè aliud est, purpura sc. aut purpuræ genus? Sic Eutropius in *Nerone* scribit, *cum piscatum esse retibus aureis, quæ funibus* blatteis *extrahebat*: pro eo, quod Suetonius, *Piscatus est reti aureo purpurâ coccoque funibus nexis*. Et Lampridius *de Heliogabalo*, *Paraverat funes* blattâ *& serico & cocco intortos, quibus, si necesse esset, laqueo vitam finiret*, &c. Sic Theodoricus R. Theoni apud Cassiodorum *lib.* 1. *Epist.* 2. *Cum blatta* (i. cum purpura) *quam nostro cubiculo dare annis singulis consuevisti, venire festina.* Sidonius quoque *lib* 9. *Epist.* 13. *Tonantio*,

Rutilasque terræ blattas,
Recoquentis quas aheno
Melibæa fucat unda.

Et *Epist.* 16. *Firmico*,

[illegible]*ifer vel quam mihi* [illegible]

h. e. Senatorum ordo purpuratus. Et *Carm* 5.

Pontus Castorea, blattam *Tyrus, æra Corinthus*, &c.

Vide Sam. Bochartum *Hierozoici Part. poster. lib IV. cap.* 25. Carolo du Fresne vermiculus est, qui è *Chermes*, ut Arabes vocant, & è cocco sanguinei coloris erumpit: unde postea pro ipsa purpura purpureoque colore usurpata vox. Et quidem *Blattam Tyriam* commendat Sidonius, ut vidimus; *Neapolitanam* Anastasius in *Leone III. Byzantiam* idem alibi: ut & Serapion *libr. Aggregat.* Blattæ Byzantiæ *sunt ex ungulis Ostracorum & sunt coopercula, quibus teguntur in foramine suo & meliores sunt, quæ vergunt ad albedinem, & sunt odoriferæ, quarum odor trahit aliquantum ad odorem Castorei.* Actuario βλάττιον Βυζάντιον, ὅπερ τῆς πορφύρας ἐστὶ τὸ κάλυμμα, os nempe *anterius purpuræ*, cujus appellationis rationem exponit Leonh. Fuchsius *de Composit. Medicam. lib.* 1. Adde eundem *ad Myrepsum sect.* 1. *capp.* 1. 21. & 451. Ruellium item *de Natura Stirpium lib.* 1. *cap.* 7. Βλάττιον quoque, pro *purpura* Nicetas, Cedrenus & Codinus, non uno in loco, usurpant. Unde ὀξυβλάττιον, *serico blattum* & *blattosericum*, pro ipso sericò *blattâ* tincto, V. *l.* 10. *Cod. de Murileg.* quo sensu Βλάττιον usurpavit Anna Comnena *Alexiad. pag.* 93. V. ad eam *Notas* Car. du Fresne, & plura hanc in rem, apud Hadr. Turnebum *Adversar. lib.* 18. *cap.* 17. Cujacium, Savaronem, J. Gothofredum, alios, ut & hic infra.

Blattea, in *Glossar.* Θρόμβος αἵματος τῶν κογχυλίων, *grumus sanguinis conchyliorum*: pro *Blatta*. Adjective sumitur apud Flav. Vopiscum in *Aureliano*, *Idem concessit, ut* blatteas *matronæ tunicas haberent & cæteras vestes, cùm antea coloreas habuissent.* Nempe matronarum habitus ante Imperium Cæsarum purpureus & auratus fuit. Sub Impp. vero jam inde à Jul. Cæsare purpuræ usus privatis interdictus; quem in totum sustulit Nero: quod tenuit usque ad Aurelianum, quem permisisse hic scribit Vopiscus, ut matronæ tunicas *blatteas*, h. e. purpureas & cæteras vestes haberent: namq; quod *blatteas* hic, postea *purpureas* vocat. Ne cum Viro quodam doctissimo censeamus, *blattam* exquisitissimum purpuræ genus fuisse, atque ideò minus mirum, si jus non fuit matronis blatteas tunicas & cæteras vestes habendi. *Blattam* exquisitissimum purpuræ genus fuisse, atque ideò minus mirum, si jus non fuit matronis blatteas tunicas & cæteras vestes habendi. *Blattam* enim Recentiores dixere, quam Vetustiores purpuram. *Blattæ vel blatteæ propriè bullæ luti ex itineribus*, ut ex Festo scribit Paulus: inde bullæ sanguinis concreti. Hinc *blatteum*, i. *sanguineum* pro purpureo: namque & duos hos colores pro uno habet Servius *lib.* 3. & 6. *Æneid* & saniem purpuræ *sanguinem* etiam ac *cruorem* appellarunt. V. Salmasium *ad Vopiscum l. c.* ubi addit, à *blattis* vermiculis *blatteam* appellari malè quibusdam Viris doctissimis.

Blattosericum, apud eundem Vopiscum in *Vita* ejusd. Imp. paulo supra, *Et cùm ab eo uxor sua peteret, ut unico pallio* blattoserico *uteretur, ille respondit, Absit ut auro fila pensentur*: pallium est ex *blattoserica* contextum. *Blattoserica* autem vel *Sericoblatta*, est sericum nomine purpurâ seu blattâ tinctum; quod & *sericum* absolutè dicebatur. Unde *trecentæ libræ blattosericæ* in *Cod.* Theodos. Ubi *libra serici* & *libra blattosericæ* idem, vel *blattæ sericæ*, uti legitur in vulgatis. Hinc βλάττιον recentioribus Græcis, non *blatta* vel *purpura*, sed *sericum nomine blatteum* est. Nicetas, τὴν ὑφαντικὴν τέχνην τῶν βλαττίων, ubi βλάττια sunt *vestes purpureæ*. Alter enim codex habet, τὴν ὑφαντικὴν τέχνην σηρικῶν, vel τὰ πάντα χρυσὰ. Alio loco apud eund. ubi habetur in Gr. codice, πέπλους χρυσοϋφεῖς: Græcobarbarus codex habet, βλάττια χρυσᾶ. Sic, ubi in Græco codice legitur, νήματα χρυσοϋφῆ: Barbarogræcus legit, βλάττια διβλάττια καὶ τριβλάττια, &c. Fila igitur serici, quæ auro erant intexta, purpurâ vel blattâ tincta fuere, atque sic à Seribus usque adferebantur, &c. Vide Salmasium *ad loc.*

Blavotini seu *Bloëtini*, militaris factio, in castris Flandriæ Com. Philippo Aug. in Gallia regnante. Wilh. Armoricus *Philipp. l.* 2. & 9. hac voce videtur innuere appellatam fuisse gentem, eam Flandriæ partem, quæ Furnas spectat, incolentem, ubi & *Isangrinos* collocat:

Inde movens iterum classis legit æquoris undas,
Quod Bloëtinorum *candentia littora lambit,*
Quâque marescosos extendit Flandria campos,
Et qua bellipotens media inter prælia terram
Sulcat Isangrinus, gladio munitus & hastâ,
Quâ sola Furnus arat finibus vicina marinis.

Et *l.* 9.

Jam sua per speculas Bloëtinus *signa levavit,*
Omnis Isangrinus, Furnites, Belga sub uno
Cum, Ferrando Comiti se consociarunt &c.

Bellicâ virtute & animi magnitudine præstitisse, docet Lamb. Ardensis, ubi de bello à Mathilde Lusitana Philippi Flandrorum Com. vidua Furnensibus illato, *Eo maximè*, inquit, *quòd* Blavotinos *nunquam domare vel subjugare potuit*. Et alio loco, *Aliique parentes ejus amici, utpote viri fortes ausim dicere* Blavotinorum *patres atque auctores*. Nomen à *Blavotorum* familia deducunt Mejerus *ad a.* 1206. & Malbrancus *l.* 11. *de Morinis c.* 7. Certè in *Charta* Philippi Alsatii Flandr. Com. *ann.* 1181. apud Miræum in *Dipl. Belg. lib.* 2. *cap.* 44. *Riguardus Blavoet de Furnis* subscripsit, uti adnotavit du Fresne *Gloss.*

Blautæ seu *Blautia*, sandalii genus. Hesychius, βλαυτία, κρηπῖδες ἢ σανδάλια, *Blautia crepidæ vel sandalia*. Et quidem Cynicorum proprium: vetus *Epigr.* Leonidæ

Ὁ σκύτευς ᾗ ταῦτα τὰ βλαυτία, πότνια Κύπρι,
Ἄγνωστον Κυνικοῦ σκῦλα Πολυχάρεος.
Ὅλην τε ρυπόωσαν, πολυσχιδέα τε κορύνην
Λαίψαν, ἀρχαίας πολλὰ θέλιδρον σοφίης.

Quorum ſimplicitatem cùm antiqui Chriſtiani in habitu & calceatu imitarentur, & ipſi *βλαυίδας*, ſive phæcaſia, pedibus induxere. Ita enim præcipit in ſuo *Pædagogo* Clemens Alexandr. *Εἰ δὲ μὴ ὁδοιπορῶν, ἀλλὰ μὴ φέρειν τὴν ἀνυποδησίαν, βλαύταις ἢ τοῖς φαικασίοις χρηστέον, κονίποδας αὐτὰ ἐκάλουν οἱ Ἀττικοὶ διὰ τὸ πελάζειν μοι δοκεῖν τῇ κόνει τοὺς πόδας.* Omnia enim hujuſmodi calceamenta humili ſolo erant, unde & *κονίποδες* dicebantur: cùm contra calcei, quos dixere *κοῖλα ὑποδήματα*, ut plurimùm ſolo eſſent alto, &c. Vide Claud. Salmaſium *Notis ad Tertullianum de Pallio, cap.5. pag. 415.*

Blavus, & *Blavius* color, apud Joh. Monachum in *Vita* S. Odonis *lib.* 3. Albertum Argentin. *pag.* 121. Alios, cœruleus dicitur, Germ. *Blaw*, Gall. *Bleu*: cujus vocis etymon à Latino arceſſit Salmaſius. Cenſet enim, *blavum* ſeu *bleu*, dictum quaſi *ablutum* & dilutum, Gr. *κυανοῦν*, qui nihil aliud ſit, quàm purpura dilutior & pallidior, Vide eum ad Tertullianum *de Pallio, cap.* 3. & plura hanc in rem, apud Car. du Freſne *Gloſſar.* Hunc Chriſti veſtimento colorem fuiſſe ait, ſed ſine teſte idoneo, Dominicus Macer in *Hierolexico*.

Blemyes, adde: Eorum quoque meminit Auguſtinus *Serm.* 37. *ad Fratres in Eremo*, ut & Plinius *Hiſtor. Natur. lib.* 5. *cap.* 5. Cum illis rem ita ſe habere, ait Auctor Anonymus *Hiſt. Orbis terr. Geogr. & Civ.* eſſe nimirum, qui capita intra humeros, quos attollunt, recondere ſoleant, eoque cùm magnum alant capillitium, caput cum pectore quaſi confundant, tanquam collo deſtituti; quod ex peregrinationibus cognati ſui tradit Borell. *Obſervat. Medico-Phyſic. centur.* 3. *obſerv.* 3. Vide quoque Aldrovandum *apud Schottum*

Bledona, aliis *Bledona* vel *Bloduna*, vulgò *Bleone*, fluvius Galliæ, qui Diniam Bodiontiorum vel Sentiorum alluit, ac in Druentiam labitur; poſtquam haud procul à civitate Mardaricum fluviolum, qui convallem, ubi Burgus pars civ. Diniæ, præterlabitur, recepit. Ab hoc fluvio, apud Plinium *lib.* 3. *cap.*4. pro *Bodionticis*, quos ibi habet, *Blodiontios* vel *Bledontios* legi vult Gaſſendus, refragante Hadriano Valeſio *Notit. Galliæ*, in voce *Dinia*.

Bleva, caſtellum Galliæ, in Cenomanis, memoratum Orderico Vitali *Hiſtor. lib.* 10. haud procul à Sarta fluvio, vulgò *Bleve*, Hadr. Valeſius in voce *Majatum*.

Blialdus ſeu *Bliaudus*, in *Tabulario* Abbatiæ S. Amantii Inculiſm. veſtis ſpecies eſt, apud du Freſne *Gloſſar.*

Blida, Rolandino in *Chron. lib.* 5. *cap.* 15. machina bellica eſt, V. Andr. Felibianum *de Architectura lib.*1. *pag.* 103. Cambro-Britannis certè hodieque *Blit* eſt catapulta: *Blie* Danis, ut eſt apud Pontanum in *Chorographia Daniæ pag.* 799.

Bliriacum, ad Carim fluv. vulgo *Bleré*, opp. ſeu caſtellum Galliæ in Ducatu Turonico, qui à fluvio Toedo *Tomé*, uſque ad Hagas Blimartii ab Oriente in Occidentem promittitur. Hadr. Valeſius *Not. Gall.* in voce, *Turones*.

Blombergius ramus, ex Fürſtenbergenſi familia ortus eſt. Comitum autem horum vetuſta & inter Suevos celebris familia, Principali axiomate ex parte nuper eſt ornata; ejusque partem olim conſtituiſſe crediti Comites Friburgenſes, qui in Johanne (à quo Hochbergiis, & nunc Badenſibus Principibus præfectura *Badenweiler* obtigit) defecerunt A.C. 1458. Quantum nunc ex ſtirpe Fürſtenbergica supereſt, in ramum Heiligenbergo-Werdenbergium, à Joachimo Friderici A. C. 1559. extincti filio ortum, & *Blombergium*, quem Joachimi frater Chriſtophorus I. orſus eſt, dividitur: quorum hic iterum in *Meſskirchium* & *Stulingenſem* diſpeſcitur. Ex Joachimo & Anna *de Zimbern*, natus Ego, obiit A.C. 1635. Pater ex Anna Maria Zollerana, Ferdin. Friderici Egonis, extincti A. C. --- Leopoldi Ludovici, qui obiit A.C. 1639. Franc. Egonis (nati A.C. 1626. Epiſcopi Argentinenſis) Hermanni Egonis (nati A.C. 1627.) Johannis Egonis, &c. Chriſtophorus verò, extinctus A. C. 1559. ex Barbara Montfortia, genuit Albertum, patrem Chriſtophori II. quo natus Frid. Rudolphus C. Fürſt. *in Stulingen*, extinctus An. Ch. 1655. reliquit Franc. Maximilianum, maritum Mariæ Magd. Bernhuſiæ, Spenerus *Theatr. Nobil. tom.*1.

Blondus, ſeu *Blundus*, color capillorum flavus, Gall. *Blond*. Gr. *ξανθὸς, luteus, dilutior*: à Saxon. *blonde*, id eſt, mixtus, tinctus, fucatus. Rutilum enim colorem arte quadam & ſpecierum mixtione, v.g. lixivio & ſapone, fieri conſueviſſe, docet pluribus Cluverius *Germ. Antiq. lib.*1. *c.*16. Vide Salmaſium *ad Solinum, pag.* 1155.

Blumarith, apud Luxurium in *Epigramm.* de eo, *qui amicos ad prandium clamabat, ut plura expoſceret Xenia*,

Gaudeo, quòd me nimis ac frequenter
Ambitu paſcis Blumarit *ſuperbo.*
Unde ſed paſcor, mea ſunt per omnes
Sparſa convivas bona, &c.

nomen eſt proprium Viri Vandalicum vel Gothicum, qualia multa in illis Epigrammatis. Scripſit enim Luxurius ille Carthagine, ſub Thraſimundo Vandalorum R. Salmaſius *Notis ad Æl. Spartianum in Hadriano Caſ.*

BO.

Boa, aquatilis ſerpens, Græcis *ὕδρος*, cujus meminit Solinus *cap.*2. *Calabria chelydris frequentiſſima & Boam gignit, quem anguem ad immenſam molem ferunt convaleſcere. Captat primò greges bubulos & quæ plurimo lacte rigua bos eſt, ejus ſe uberibus innectit, ſuctuque continuo ſaginata, longo in ſeculo, ita ſellebri ſatietate ultimò exuberatur, ut obſiſtere magnitudini ejus nulla vis queat: & poſtremò depopulatis animantibus regiones, quas obſederit, cogit ad vaſtitatem. Denique D. Claudio principe, ubi Vaticanus ager eſt, in alvo occiſæ boæ ſpectatus eſt ſolidus infans.* Hinc, quòd *bubuli* lactis ſucco alatur, nomen ei datum eſſe, Plinius ait. Sed omnium ſerpentium id eſſe, ut lac avidè hauriant; colubrorum inprimis qui in paſtu pedibus vaccarum circumvoluti poſterioribus, lac ex uberibus ad ſanguinem uſque ſugunt, notum eſt. Potiùs itaque ex Græco *ῥόας* vocis origo arceſſitur, quod idem eſt ac *δόας*, pro quo Æoles Bœotii dicebant *βόας*, unde Latini ſuum *boa* ſumſere, ſicut ex *φόπας* fecerunt *popa*. *Δόας* autem vel *ῥόας*, *κολυμβητὴς* eſt, *natator*: quod ſerpenti huic aquatili apprimè convenit, Salmaſius *ad Solinum pag.*87.

Boachieri, machinæ bellicæ ſpecies, apud Sanutum *libro* 3. *parte* 12. *cap.*21.

Boæ, ſive *Bœa*, urbs Laconicæ, cujus meminit Strabo *libro* 8. *εἶτα Βοία πόλις, εἶτα Μαλέα*, *Poſtea* Boæ *urbs, dein Malea*: Item Stephanus, quem vide. Ab ea non longè fuit Epidaurus, *ὁ Λιμηρὰ Ἐπίδαυρος* Straboni præfato dicta, Laconica urbs in Argolico ſinu. Vide Ptolemæum *lib.* 3. *cap.* 16. Plautus *Boas Epidauri* vocat, *Epidic. Actu* 1. *Sc.*1.

E' Philippa matre natam, ac in Bois Epidauri *ſatam,*
Videon' ego Teleſtidem te, Periphani filiam?

Fortè quia in agro Epidaurenſi ſitæ erant. Vide præter Auctores laudatos Plinium *libro* 4. & Sam. Petitum *Commentar. in LL. Atticas lib.* 6. *tit.* 1.

Boalia, ſeu *Bupetia*, ludi fuere apud Romanos, iidem cum Tauriis. Vide *ibi*.

Boanoſa, inter inſignia victoriæ, apud Monachum Engoliſm. in *Vita* Caroli M. ann. 798. *Adefonſus Rex Galliæ & Aſturiæ prædata Ulyſſipone, ultimâ Hiſpaniæ civitate inſignia victoriæ ſuæ*, boanoſas, *mulos captivosque Mauros Domino Regi Carolo per legatos ſuos — miſit.* Ubi *σαυνίας* vel *ευωνίας* legi vult Meurſius. *Σαυνίον*, autem Moſchopulo *lib. περὶ σχεδῶν*, Latinis idem ſonat, quod *lorica*. *Σαυνίον* habetur apud Johannem Diaconum *ad Scutum Heſiodi*. *Σῶσον* pro veſtis ſpecie, occurrit apud Joh. Tzetzem *Chiliad.* 1. *cap.* 29.

Τοιοῦτον τὸ ἱμάτιον ὑπῆρχεν Ἀντισθένους,
Ἦν σῶσον ἁλουργὲς πεντεκαιδεκαπήχυον,
Ἔχον ζῶδα καὶ θεοὺς καὶ Περσικὰ καὶ σῶσα, &c.
Tale veſtimentum fuit Antiſthenis,
Suſon purpureum quindecim cubitorum,
Habens animalia & Deos, & Perſica, & Suſa, &c.

Forteaſ à Suſis Perſiæ metropoli. Vide du Freſne *Gloſſar.*

Boatium civitas, in vett. Notitiis provinciarum ac civitatum Galliæ, nuncupatur, quæ aliàs Lapurdum dicitur, urbs Galliæ, in Tarbellis, maritimâ Novempopulorum gente. Hos *Boates* ſolis illis Notitiis memorari, neque uſquam alibi reperiri, tanquam eos boæ ſolidæ hauſerint, miratur Valeſius. Quòd enim cum Bojis, Galliæ populo, quidam eos confundant, multùm à veritate abludunt, cùm hos Burdigalenſis pagi incolas, cum Burdigala, Aquitaniæ ſecundæ, non provinciæ Novempopulanæ attribui conſtet, & Buchium ſeu Boji vicus, Bojorum caput, à Bajona ſeu Lapurdo *Boatium* capite bidui amplius itinere abſit. Nec aſſenſum impetrat Scaliger, cùm per *Boates* Vocates Cæſaris *Comment. lib.* 3 intelligit, cùm hi potius Vaſates eſſe videantur. Fortè *Sotibaniates*, quorum Plinius meminit, Aquitanis, id eſt, Aquenſibus proximi, quibus à *ſede bona* ſeu commodo ſitu nomen datum, poſtea truncato nomine *Boates* ſunt dicti. Certè enim Lapurdenſes Boateſve aut Bajonenſes Aquenſibus confines ſunt, & fortunatè ſiti, commercio exterorum patent. Valeſio *Boates* à *Boa* videntur nuncupati, & *Boa* primùm dicta eſſe, quæ pòſt *Baona*, ac demum *Bajona*. Quòd autem per *Boatium civitatem*, Bajona ſeu Lapurdum intelligendum veniat, hinc patet, quòd cùm cœteræ Novempopulorum civitates notæ ſint, quæ hodieque exceptâ Eluſâ Epiſcopali dignitate fulgent, aut Boatium civ. Bajonam eſſe, aut veterem urbem Novempopulanæ & priſcam ac nobilem Epiſcopatûs ſedem à Notitiis omiſſam eſſe oporteat, quod veriſimile non eſt, Vide Hadr. Valeſium in voce *Lapurdum*.

Bobadilla, nomen illuſtris fuit in Hiſpania familiæ, in qua claruit Didacus Fern. Dn. *de Bobadilla*, Regis Alfonſi ultimi Camerarius; ſed nomen Beatrix Fernandina *de Bobadilla*, Andreæ *de Cabrera* March. *de Moya* nupta, huic familiæ intulit, unde à March. *de Moya* & Com. *de Chinchon* uſurpatur. Fuit autem Beatrix præfata, filia Petri *Fernandez de Bobadilla*, ex Maria Maldonata; & ex marito mater Fernandi *de Cabrera* [illegible] *Bobadilla* Com-

de

de Chinchon, quo & Teresiâ de la Cueva, natus Petrus Fernandinus, Pater fuit, ex Mencia de la Cerda & Mendoza, Didaci Fernandini de Cabr. & Bob. Com. de Chinchon: qui ex Agnete Pacheca suscepit, Ludovicum Hieronymum Fernandinum de Cabr. & Bob. C. de Chinchon (cui uxor obtigit Anna, filia Petri Alvari Olorii M. d'Astorgad A. C. 16‥) Menciam de Cabr. & Bob. (uxorem Francisci Fernandini de Cabrera & Babadilla March. de Moya) Mariam de Cabrera & Pacheco (nuptam Joh. Andreæ Hurtado de Mendoza March. de Cannete) Luisamque de Cabrera (quam duxit Petrus Velascus Davila M. de Loriana) &c. Vide Phil. Jac. Spenerum *Theatr. Nobil. part.* 2.

Bobinæ seu *Bombinæ*, Gall. *Bobines*, ligna puellis dicuntur, quibus involvunt tramam, à *Bombyce* seu *Bombylio*, quo nomine tum appellatur vermis hic, cùm testâ sua sive sepulchro textili inclusus est, nec movens sese nec sonans: non quidem *à bombo*, seu sono, sed à figura. Testa enim illa sive theca, quâ reconditur, oblongâ & ovatâ formâ, fusum refert stamine plenum, qui in medio tumescens sensim tenuescit & in acumen utrimque desinit; *Panum* & *panuclium* & *panuculam* Latini vocant, Græci πηνίον. Cujusmodi modico secus & figura ampullæ est, quam Græci βομβύλιον appellant: nam ventrem extumidum habet, extrema exiliora &c. Vide Salmasium *ad Tertullianum de Pallio cap.* 3.

Bocchor, nomen Regis Balearium, apud Solinum *cap.* 23. *Bocchoris regnum Baleares fuerunt, usque ad eversionem frugum cuniculis animalibus quondam copiosæ.* Quod cum alibi nuspiam occurrat, *Bocchorum* oppidum fœderatum Romanis, cujus Plinius meminit *lib.* 4. *cap.* 10. cum genitivo *Bocchorum* Regum confudisse Salmasio videtur. *Bocchor* enim & *Bocchus*, item *Bogus*, Mauritanorum Regum nomina fuere, quibus in Baleares nullum imperium fuit. Jugurthæ temporibus *Bocchus* Mauris imperabat, de quo diximus. *Boga* mentio, apud Strabonem locis aliquot, quod nomen à *Boccho* diversum esse, habes ibi *lib.*17. *Bogud* Latini vocant, ut infrà videbimus. *Bocchor* verò, ex Græco Βόκχωρ, apud Juvenalem, occurrit,

Propter quod Romæ cum Bocchore *nemo lavatur.*

Sed & *Bocchoris*, Ægyptiorum Regis nomen fuit &c. Vide Salmasium *ad Solinum p.*281 ut & in vocibus *Bocchus, Bocchoris, Bogud.*

Bocchus, adde: Regia ejus fuit, quæ postmodum *Cæsariensis colonia* dicta est, deducta a Claudio Imp. Idem Salmasius *Ibid. pag* 475. Græcè Βόκχος, quod nomen nonnulli malè cùm Βόγος confundunt, ut ex Strabone constat *lib. cit.* Μικρὸν μὲν οὖν πρὸ ἡμῶν οἱ περὶ Βόγον βασιλεῖς καὶ Βόκχον κατεῖχον αὐτὴν φίλοι Ῥωμαίων ὄντες. ἐκλιπόντων δὲ τούτων, Ἰούβας παρέλαβε τὴν ἀρχὴν δόντος τοῦ Σεβαστοῦ Καίσαρος, καὶ ταύτην αὐτῷ τὴν ἀρχὴν πρὸς τῇ πατρῴᾳ. *Paulo igitur ante nos Bogus Rex & Bocchus, tenuerunt eam, amici Romanorum. Illis autem extinctis, Jubas Imperium nactus est, dante Augusto Cæsare, atque hoc insuper præter patrium regnum.* Alter *Bocchus* Latinis *Bocchor* dictus est, uti vidimus supra. Idem nomen flori est, inter coronarios numerato. Virgilius,

Et Bocchus *Libyæ Regis memor* —

de quo vide Car. Paschalium *Coronarum lib.* 3.*cap.*16. ubi hunc florem refert inter eos, qui Virgilio eidem dicuntur, *Inscripti nomina Regum*, &c.

Bochellus Laurentius, *Decretorum Ecclesiæ Gallicanæ*, ex Conciliis ejusdem Oecumenicis, Statutis Synodalibus, Patriarchicis, Diœcesanis, Regiis constitutionibus, &c. *collectorum Libros VIII.* Lutetiæ evulgavit, anno hujus seculi 21. Gerh. von Mastricht *Histor. Juris Eccl. num.* 417.

Bodonis Monasterium, à Bodone Episcopo Tul'ensi conditum & cognominatum, est in Lotharingia, vulgo *Boudonville*, aliàs *Bousonville*: Monasterio Megeni seu Mediano, vulgo *Moyen-Moustier* ad Septentrionem obversum. V. Hadr. Valesium *Not. Gall.* in voce *Megeni Monasterium.*

Bæbia seu *Bebia* lex, *ut alternis annis quaterni Prætores crearentur*, apud Liv. *lib.* 14. Alia, à M. *Bæbio* Tribuno Pl. eodemque Triumviro coloniæ deducendæ lata, voluit, *Ne agri amplius dividerentur: sed possessores in iis relinquerentur, vectigal pro iis populo Rom. solventes, cujus pecunia plebi divideretur*, Appianus *Bell. Civil. lib.* 1. Fuit quoque *Æmilia Bæbia lex*, à M. Bæbio, L. Æmilio Coss. *de ambitu* lata, cujus meminit Livius, anno U.C. 571. Vide Johannem Rosinum *Antiqq. Rom. lib.* 8. *capitibus* 5. 10. & 19. Car. Sigonium, &c.

Boedromion, qualis apud Athenienses Anni mensis fuerit, Vide in *Baedromia*. Eodem magna Mysteria celebrari solebant, sicut Anthesterione parva; quæ qui acceperat, magnis initiabatur, post annum epopta futurus: simul enim ista fieri non poterant. Nisi quod Demetrio indultum est τὸ ἅμα μυηθῆναι καὶ ἐποπτεῦσαι, apud Plutarchum in *Vita* ejus, aliisque nonnullis. Sed illud in ejus gratiam vel ad ejus imperium potiùs, circa hæc sacra innovatum est, ut non statutis temporibus celebrarentur & ei traderentur. Venit namque Athenas Demetrius mense Munychione, cùm parva Mysteria, quæ πρὸς ἄγραν dicebantur, vel ἐν ἄγρᾳ, Anthesterione mense celebrari mos esset. Itaque, ut Munychion diceretur Anthesterion, decreto sanxerunt Athenienses. Rursus, ut eodem tempore magna Mysteria suscipere posset & in iis ἐποπτεῦσαι, qui mense *Boedromione* agebantur, Munychion, qui Anthesterion jam factus erat, de Anthesterione etiam decreto factus est Boedromion: atque ita ille ἠξιώθη τὴν λοιπὴν τελετὴν ἅμα καὶ τὴν ἐποπτείαν, &c. Salmasius *ad Æl. Spartianum in Hadriano Cæs.*

Bœotarchæ, nomen summi apud Bœotos Magistratus, apud Livium *lib.*42. *cap.* 43. *Legati Romani in Bœotiam comparati jam tum motus cœperat esse, discedentibus à societate communis Concilii Bœotorum quibusdam populis — Thebis magna contentio erat — Comitiis prætoriis Bœotorum victa pars injuriam persequens, coacta multitudine decretum fecit Thebis, ne Bœotarchæ urbibus reciperentur*, &c.

Boethi, in *L. Boëthos*, 4. *Cod. de tab. lib.* 10. dicuntur adjutores, Juliano Patricio Antecessore Interprete in *Nov.* 35. quam Latinam esse ajunt quidam. Dicuntur autem à Græco βοηθὸς, suntque qui officialibus morbo vel nimiis occupationibus impeditis additi, labores eorum sublevabant. Eorum varia genera; erant enim adjuvæ Logistarum, *d.leg. Boëthos in princ.* & *in Basilicis lib.* 54. Alii Adjuvæ Quæstoris, de quibus *d. Nov.* 54. Erant & Officiorum & Palatinorum *l.*3.*C.de div.offic lib.*12. Quidam & Numerariorum fuere adjutores in Zenonis *Const. Iuull.*10.*C.de nu.lib.*11. V. Gothofredum *ad §.*1.*leg.*13. *de tut.* laudatum Joh. Calvino *Lexic. Jurid.*

Boethus, nobilis Toreuta, apud Plin. *Hist. lib.*33.*cap.*12. Vide insrà in voce *Toreutice.*

Boeus, Græce Βοῖος; nomen viri, unde *Boeotus*, stadiodromus, qui floruit Olymp. 164. in Stadio victor, è Sicyone. Item Itoni fil. de quo dictum, in voce *Boeus*. Sed & *Boios* urbs Dorica; & *Boeus*, urbs in Creta Inf. Pro *Baus*, Solinus *Byns* habet, *cap.* 2. *Notum est à Philoctetà Petiliam constitutam: — Anconam à Siculis, Gabios à Galato & Bys Siculis fratribus.* &c. Ubi *Byns*, pro *Baus* est, sicut idem *ibid. Tryzenis*, pro *Trœzeniis* habet, Vide Salmasium *ad eum pag.* 65. Sed & *Baus* inter Heraclidas commemoratur Pausaniæ & alius Athenæo *lib.* 9.

Bogarmica secta, auctorem habuit Basilium quendam, qui principatu Alexii Comneni Anthropomorphitarum, Audæi, aliorumque Deum corporeum esse delirantium, dogma postliminio reducere conatus, Constantinopoli, ob alia quidem, quæ simul evulgabat, ultricibus flammis confectus est. Vide Tob. Pfannerum *Systhem. Theol. Gentil. pur. cap II.* §. 9.

Principes Viri.

Bogislaus filius natu minimus Mistævonis Regis Vandalorum, frater Udonis Megapolitanorum Principum satoris, filium reliquit Suantiborum: qui à Bela Ungaro auspiciis Micislai Poloniæ Regis victus & ad religionem Christianam adductus eo digressu, in libertatem iterum se vindicavit, & cum hostibus eundem Deum, *Christum*, colere tenuit. Hoc nati Wartislaus ac Ratiborus citeriorem, Suantopulcus verò & *Bogislaus* ulteriorem sortiti sunt Pomeraniam.

Bogislaus I. modò dictus, Suatopulco fratre à Boleslao Crivousto Polono capto, ac sine herede mortuo, Ducum Pomeraniæ ulterioris, (quæ moribus & linguæ Henetorum pertinaciter semper adhæsit, & cum Citeriore ad Germanicos mores ac imperium transgressa, nihil commune habuit,) fuit auctor. Exagitata autem est hæc linea perpetuis adversùs Polonos, Borussos ac Danos, bellis: Ipse lineæ sator Bogislaus filium reliquit Subislaum, A. C. 1150. qui Olivensis cœnobii A. C. 1180. & dein Dantisci, expugnatâ quam Dani condiderant arce, conditor fuisse fertur. Extinctâ lineâ in Mestovino A. C. 1295. successionem sibi Poloni vindicarunt: Vicissim agnati Duces citerioris Pomeraniæ progentilium hæreditate pugnabant. Tandem Cruciferi magnam partem suæ Borussiæ adjunxere, reliqua cis Stolpam in potestate Pomeranorum relinquentes.

Bogislaus II. filius minor natu Wartislai, Pomeraniæ citer. Ducis, de quo suprà, cum fratre Casimiro, pulso Henrico Leone, in cujus fuerant clientela præsente Woldemaro Daniæ R. solenni ceremoniâ, porrectis aquilis à Friderico Barbarossa, in castris ad Lubecam, Dux creatus est, datâ in Imperio sessione A.C 1181. Inde tamen jussus classe Daniam petere, & ab Arch. Absalone, regni administratore, victus in tutelam Daniæ concessit. Idem Julino A.C. 1173. à Danis destructo sedem Episcopatus Caminum transtulit, multaque prædia assignavit, sed eâ conditione, ut ditio pacis ac belli tempore Pomeraniæ maneret juncta, & non nisi de Principis consensu Episcopus legeretur. Eo natus est, præter Casimirum II.

Bogislaus III. cui adversus Albertum Marchionem Brandeburgicum bellum fuit. Sub eodem per colonias Saxonicas, quæ Anclamum, Golnoam, Ukarmundam, Freenwaldam, Damium condidere aut restauravere, oppressa Slavica gens ac jus Lubecense introductum est. Defuncto A.C. 1221. successit frater Barnimus I. cujus filii, Otto Stettinensis ac Bogislaus Wolgastensis rami, auctores fuere.

Bogislaus IV. modò memoratus, cognom. *Corpus & animâ*, agnatorum in Pomerellia successionem, ab Vladislao Lochico vindicare armis frustra conatus est. Bello autem adversus Conradum, Johannem ac Woldemarum Brandeburgicos, his Stargardiam ademit, & ex Margareta Rugia filium reliquit Wartislaum IV. patrem Bogislai & Barnimi IV.

Bogislaus hic V. lineæ Pomeraniæ Orientalis conditor, gener Casimiri Polon. R. & socer Caroli IV. Imp. cum fratre Gutskoensem

sem Comitatum, defuncto ultimo Comite Johanne acquisivit, & Ludovico Romano victo, multa à Brandeburgicis recepit. Pater Casimiri V. Barnimi V. Wartislai VII. & *Bogislai* VIII.

Bogislaus VI. Barnimi V. Occid. Pomer. lineę auctoris, de quo supra, filius, sine prole decessit, frater Wartislai VI. A.C.1394. defuncti.

Bogislaus VII.

Bogislaus VIII. fil. Bogislai V. cùm à Papa alius, alius ab Imperatore designatus esset Episcopus Caminensis, ne electioni Capituli fraus fieret, bona Ecclesiastica ipse administravit, sed cùm fratri in Ducatu successisset, resignavit. Mox ob quædam bona, in quæ redimenda sumtus fecerat, retenta, ab Episcopo excommunicatus, hunc ejurato Episcopatu Ordini Borussiaco accedere coëgit. Tandem cùm successor eadem repeteret, à Concilio Constantiensi redditio imperata est. Obiit A.C.1417. Eo genitus

Bogislaus IX. quia Concilii decretum spreverat, cum Stralsundiis, qui tres sacrificos ob motam seditionem combusserant, à Papa similiter excommunicatus: non desiit ab Episcopo vexari, donec hic à Sigismundo Imp. in Concilio Basiliensi proscriptus est. Demum Colbergæ transactum A.C.1436. & Dux mortuus est A.C.1448. filiâ tantum Sophiâ, quæ Erico II. agnato nupsit, relictâ: sic in Erico I. patruele ejus A.C.1459 extincto, linea Ducum Pomeraniæ Or. cujus Bogislaus V. auctor fuerat, desiit.

Bogislaus X. filius natu minimus Erici II. Pomer. Occid. D. præfati, cogn. *Magnus*, totius Pomeraniæ Princeps & familiæ solus hæres tandem factus, consiliario quodam rustico Langio non infeliciter usus est. Alberto Electori Brandeburg. homagium negans, cum eo bellum habuit, sed nuptiis Ducis cum Margareta filia Friderici II. El. pax facta est: Idem Megapolitanis adversùs civitates confœderatas pacem procuravit. Inde in Palæstinam profectus, ac multas ibi passus molestias, in reditu Lutherum Wittebergæ audiit: à quo cùm Stettinenses pastorem obtinuissent Paulum à Rhoda, eundem auditum commendavit. Verùm paulo pòst A.C.1521. Spirensi decreto apud Pomeranos quoque publicato Doctores hinc inde diffugere, hacque occasione Evangelium Livoniæ illatum est. Obiit A.C. 1523. Pater, ex secunda conjuge Anna Polonica, Georgii Wolgastensis, & Barnimi X. Stettinensis Principum.

Bogislaus XI.

Bogislaus XII.

Bogislaus XIII. filius Philippi, nepos Georgii prædicti, Barti sedem habuit, & A.C.1606. debitum naturæ solvit. Eo nati ex Clara Lunæburgica Philippus II. Patris successor, Franciscus, Georgius III. & Ulricus, Caminenses Episcopi: ac, qui tertio loco dicendus erat,

Bogislaus XIV. Hic ultimus familiæ, totam possedit Pomeraniam, sed A.C.1627. in Ducatum Cæsareas copias admittere coactus est, quæ ita eum expilavere, ut uno triennio 10 milliones extorquerentur, nullo militaris lasciviæ ac tyrannidis genere prætermisso. Demum A.C.1630 cùm Sueciæ R. in Pomerania appulisset, vim ante Stettinum ostentans, ut reciperetur, obtinuit; quo facto brevi à Cæsareanis copiis ditio purgata est. Tandem, relictâ sine prole viduâ Elisabetha Holsatâ, ultimus in familia masculus, decessit A.C.1637. sorore ejus Annâ viduâ Ernesti Croji Arschotani, ad annum usque 1660. superstite. Cùm autem ex antiquo pacto ad Brandeburgicos deferenda fuisset successio, pace Monasteriensi, Marchionibus ulterior Pomerania, cum aliis quibusdam æquivalentiæ nomine, concessa est, citerior verò cum Rugia, feudo Imperiali, Sueciæ coronæ, sub fide tamen Imperii, cessit, Phil. Jac. Spenerus *Sylloge Geneal. Histor.*

Bogus seu *Bocchus*, Græcè Βόγος seu Βόκχος, nonnullis idem nomen est; sed diversa esse, suprà ostendimus in voce *Bocchor*, ex Strabone, ubi *Bogos* & *Bocchos* ante Jubam Mauritaniæ imperitasse, scribit. Est igitur Græcis Βόγος, qui Latinis *Bogud*: Romanis istiusmodi barbara nomina βαρβαρικώτερον enuntiantibus, quàm Græcis. Hinc Βόγον, Maurorum Regem, qui in partibus Antonii fuerat, ab Agrippa bello Actiaco occisus, Livius *Bogudem* vocat, *lib.* 113. *Cassius gessisset cum Trebonio bellum, si* Bogudem *trahere in societatem furoris potuisset.* Porro à *Bogude* hoc Mauritania Cæsariensis *Bogudiana* priùs dicta est, teste Plinio *lib* 5. *cap.* 2. seu *Boguttiana*, ut quidem libri habent, quasi *Bogut* diceretur. Quemadmodum *Putpud* Vett. dicebant urbem Africæ, quæ recentioribus *Putput* dicitur. Vide Salmasium *ad Solinum pag.* 309.

Bohemi, adde: Fontibus olim sacrificasse, legitur apud Johannem Dubravium *Histor. Bohem. lib.* 1. Qui & huic rei firmandæ de Nympharum ab hac gente cultu, & id genus Numinum, verba adducit è Procopii *Historia Gothica lib.* 3. *nisi quòd ad vomitum superstitiosi rursus revertebantur. Lares & Lemures colentes, victimasque tum ad fontes, tum ad lucos & compita, mactantes.* Vide Gerh. Joh. Vossium *de Idolol. lib.* 2. *cap.* 81.

Bohemia, adde: Germaniæ regio, cujus limites, sec. Auctorem *Hist. Orbis Terr.* ab Ortu Silesia & Moravia, ab Occ. Bavaria, à Meridie Austria, à Borea Misnia ac Lusatia, sunt: Figuram ovalem habet, & montibus ac sylvis undique cincta, Amphitheatri cujusdam formam repræsentat. Districtus habet 15. juxta partitionem Carolinam, Caroli nempe IV. quæ hodieque obtinet, Vide *infrà*: eique unitæ sunt Moravia, Silesia ac Lusatia. Solum constat glebâ pingui ac frugum fertili, vinum quoque profert, sed mediocre, lupuletis verò excellit. Fodinis porro metallicis abundat, gemmasque, adamantes nempe, amethystum, sapphirum, smaragdum, jaspidem profert in montibus Kikonossis, granatos item in puteis Podsedicianis, ac Strzebivlicianis saburræ glareæque permixtos, sed dignitate Orientalibus inferiores: A venenatis aliisque noxiis animalibus terra liberior esse creditur. Salis verò usum ex Bavaria & Saxonia petit. Vide Stranskium *Descript. Bohem. lib.* 2. Zachar. Theobaldi *Topogr. de montibus Bohemiæ*, VVenceslai Hagecii *Böhmische Chronike*, &c. Finibus Imperii hodieque *Bohemiam* includi probat Conringius his rationibus: 1. Quia à Carolo M. per filium Carolum incolæ domiti, more aliorum Sclavorum, tributum penderunt, quamdiu potentia Carolina floruit: quâ deficiente sub jugum redacti sunt iterum ab Henrico Aucupe & filio ejus Ottone M. confessusque est Brzetislaus I. A.C.1042 provinciam illam Imperatorium fiscum esse. 2. Bohemorum Duces Cæsaribus militarunt, Sobieslaus Conrado in Saxonia, Vladislaus & alter Sobieslaus Friderico I. in Insubria, Brzetislaus Henrico VI. in Lusatia, Wenceslaus II. denique Friderico II. 3. Iidem Duces inprimis Boleslaus Sævus, uterque Brzetislaus & Fridericus, Cæsares Germanicos, Dominorum semper titulo honoraverunt. 4. Vocati iidem ad Curiam Cæsaream comparuerunt, cautas ducturi. Sic Ludovico Pio adfuit Francofurti, cum muneribus Neclanus; Ratisbonæ Henrico Aucupi Wenceslaus, quem Sanctum vocant. Bambergæ Lothario Saxoni Sobislaus I & ante ipsum Henrico II. Jaromirus ac Uldricus, Roncaliis Friderico I. Vladislaus, eidem Norimbergæ Fridericus; Moguntiæ Philippo Przemislaus, & Basileæ Friderico II. Wenceslaus II. 5. Multi Ducum Bohemis invitis a Cæsaribus dati sunt, Uldricus I. ab Henrico II. Borzivojus II. Uldricus II. & Vladislaus ab Henrico V. Vladislaus postea Rex à Conrado: Sobieslaus II. & Fridericus à Friderico Barbarossa: Henricus Brzetislaus ab Henrico VI & Wenceslaus I. a Friderico II. donec populo eligendi reddita per Philippum facultate, confirmandi tamen investiendique auctoritas Imperatoribus remansit. Tandem ipsum hoc Regium nomen solo Germanicorum Cæsarum beneficio Bohemis obtigit, & quidem primo sic, ut personalis duntaxat illa, & à solo Cæsarum nutu pendula dignitas fuerit, quæ demum à Philippo Imp. modò memorato perpetua reddita est, A.C.1199. Et si ante hac nomen id illorum quidam gessere, ut VVenceslaus Sanctus, VVratislaus Justus ac VVladislaus, factum id est, beneficio Henrici I. Henrici IV. ac Friderici I. Imp. V. Conringium *tr. de finibus Imp. cap.* 29. Melch. Goldastum *de Bohemiæ regno incorporatarumque provv. juribus*, &c. Hodie tamen, Rex Bohemiæ extra Electionis Cæsareæ negotium, ad nulla vocatur Comitia, nec Regni subditi aliter, quàm in Foro Bohemico, conveniri possunt: Imò jam A.C.1545. cum Ordines Imperii Comitiis VVormatiensibus, de Bohemis in partem ferendorum onerum publicorum pertrahendis, egissent, Carolus V. rem indignè tulit, proximisque quæ post confectum bellum Smalcaldicum, A.C.1548. habita sunt, Comitiis, publicè ac solenniter priori Consilio intercessit, asserens *Bohemiam* non solùm esse Regnum ab oneribus id genus liberum, sed & ab Imperio Germ. prorsus cùm gente, tum institutis segregatum, Auctor *Hist. Orbis Terr.* Post Czechum, Reip. hujus conditorem, Crocum sen. ac jun. sub Libussa ac Premislao, famosa mulierum rebellione duce Valascâ comitatâ, maximam Bohemiæ partem suam illæ reddiderunt, tandemque Rep. aliquâ formatâ, id inter alia statuerunt: *ut concubitu cum vicinis inito, ne genus suum interiret, masculis si qui nascerentur dexter oculus erueretur pollicesque abscinderentur.* Verùm post septennium, victâ & in acie cæsâ Valascâ, imperium hoc concidit. V. Æn. Sylvium *Bohem. capp.* 3. 4. 5. &c. Post Vratislaum (vicesimum a Czecho) quem Henricus IV. Imp. Regem dixerat, posteri ejus titulo non constanter usi sunt; donec Przemislaus cognom. *Victoriosus & Aureus*, Dux trigesimus quartus à Philippo demum illum emeruit, & ad posteros transmisit. Idem quòd Ottoni Philippi successori constans adhæreret, Ottocarus quasi *Gar Otisch*, dictus est. Ejus nepos Przemislaus seu Ottocarus II. à Rodolfo I. Imp. bello, ob Austriam, exorto cæsus est A.C. 1278. Post quem extinctâ in VVenceslao II. & III. prole masculâ A.C. 1306. Rudolfus Austriacus Alberti Imp. filius, & A.C. 1307. Henricus Carinthiæ D. regnum tenuerunt: Post hunc A.C.1310. abdicatum, è familia Lucemburgica, Johannes Henrici VII. Imp. filius, Carolus IV. VVenceslaus Ignavus ac Sigismundus præfuere. Tunc secuti Albertus Austriacus, Ladislaus fil. Georgius Podiebracius, Vladislaus Casimiri Poloniæ R. filius & Ludovicus. Quo prælio Mohaczensi interfecto, Regnum ad Austriacos rediit, Ferdinando I. jure uxoris, quæ Ludovici soror erat, illud capessente atque ad posteros transmittente. Vide quoque in voce *Boemia*, item in *Bohemi*.

Districtus XV. regni Bohemiæ, sec. divisionem Carolinam.

Pragensis.	Podbracensis.
Kaurzimensis.	Prachensis.
Hradecensis.	Pilznensis.
Chrudimensis.	Racovnicensis.
Czaslaviensis.	Slanensis.
Bechynensis.	Zatecensis.
Vultaviensis.	Litomierzizensis &
	Boleslaviensis.

Quibus

Quibus superadditi, qui peculiaribus institutis vivunt, Comitatus Gladicensis seu Glacensis, qui Bor. & Or. Silesiæ terminus, ab Austro angulo cuidam Moraviæ adhæret: Hebaue seu Oegrana provinc. quæ Bavariæ ac Voitlandiæ adjacet: Loctensis seu Cubitanus terræ tractus, German. *Elnbogen*, ad Hebanum districtum & Voitlandiam situs, V. P. Stranskium *Descript. Bohem. libr.* 2. Lingua, quæ in hac regione usitata, Slavonica est, &c.

Bohemiæ Regnum, ab initio indigenas Principes habuit à Zecho, gentis conditore, & A. C. 55 usque ad Wenceslaum III. & A. C. 1307. Fuit autem Zechus, frater Lechi & Russi, item Selimiri, qui nepotes Oltrivoni, Slavorum Orientalium Regis, colonias Sclavorum in Bohemiam, Moraviam, Poloniam, Russiam & Dalmatiam deduxere. Et quidem primò *Ducum* nomine Zechi posteri genti præfuerunt, quorum decimus Borivojus, à Methodio Moravorum Apostolo baptizatus Religionem Christianam primus in Bohemiam introduxit, uti Hornius refert, & ex eo Burgoldensis. Theobaldus vero in *Geneal. Bohem.* primùm *Judices* per annos 78. dein *Duces*, per annos 363. Inde demum *Reges* per annos 517. ad suam usq. ætatem usque, *Bohemiam* rexisse, scribit, neque à Methodio, sed à Cyrillo Alexandrino, unà cum triginta Palatinis, baptizatum esse Borivojum, A. C. 894. refert. Primum Regii Imperii initium fuit circa A. C. 1086. quo Vladislaus, Ducum vigesimus, ab Henrico IV. Imp. Rex creatus est, sed dignitas ea brevi interrupta, *Ducumq;* repetitum nomen, donec Fridericus Barbarossa denique Vladislaum, qui in expeditione Mediolanensi Imperatorem egregiè juvaverat, Regem appellaret, leonemque album duabus, in altum porrectis caudis, insignem, Regno, loco aquilæ, quo signo prius usum fuerat, concederet Sic ad posteros transmissum Regale axioma, inter quos *Ottogari* in primis, quorum primus Premislaus fuit, celebres fuerunt. Sed horum familia, atque adeò prisca Zechi stirpe in Wenceslao III. extinctâ, circa A. C. 1300. Regnum à variis competitoribus mirè dilaceratum, partim ad Henr. cum *Carinthiæ D.* partim ad Rudolfum, Alberti I. Imp. filium pervenit: duraruntque hæc dissidia, usque ad A. C. 1312. quo Regnum *domui Lutzelburgicæ* illatum est: e qua Reges habuit Johannem, Wenceslaum cogn. *Carolum*, qui etiam Imperator, Wenceslaum cogn. *Ignavum* & Sigismund. Inde ad *Austriacam* familiam devenit, quæ Albertum II. & Ladislaum posthumum Reges ei dedit. Post quos iterum *ex indigenis* Georgius Podiebracius sceptrum tenuit. Hunc excepere ex *Polonis* Vladislaus & Ludovicus. Quibus iterum ex *Austriis* successere Ferdinandus I. Maximilianus II. Rudolfus II. Matthias, & Ferdinandus II. Ex *domo* hinc *Palatina* Fridericus V. Elector, rerum summæ admotus est: post quem iterum illa ad *Austriacam* stirpem revoluta est, è qua, hactenus prælaudatus Ferdinandus modò dictus, qui Friderico Palatino acie victo Bohemiam in hæreditariæ provinciæ formam, cùm antea electivum Regnum fuisset, redegit, Ferdinandus III. IV. & Leopoldus I. qui hodiernus Imperator est. Incrementa Regni quod attinet, ultimo Moravorum Rege Su. topluco II. ab Arnolfo Imp. circa A. C. 898. everso, Moravia in provinciæ formam redacta Polonis primum cessit, exin à Pretislao ad Bohemos translata est, circa A. C. 1048. Accessit Silesia, sub Johanne Lutzelburgico R. A. C. 13 2. Nunquam verò illud latiùs patuit, quàm sub Premislao Ottocaro III. qui fines ejus à Mari Adriatico ad Balticum usque propagavit, Regiomonte Prussiæ Ducalis metropoli condita, &c. V. Georg. Hornium *Orb. Imp. & Polit.* ubi de jure Bohemiæ Regis, in Collegio Electorali & Comitiis Imperii Universalibus inter alia, pluribus disserit, cum *Notis L. Othonis Menckenii*.

Bohemica Avis, Germ. *Behemle*, dicitur Normberg. ensibus, avis illa, quam à luce *Lucidiam* vocat Albertus M. quòd è *Bohemia* quotannis in finitimas regiones avolare soleat *Lucidiam* autem appellat Albertus, quòd plumæ illius colluceant noctu, & viatoribus eo tempore iter facientibus per tenebras non parum commodi afferant. Qua de re Plinius *l. 10. c. 47. In Hercynio*, inquit, *Germaniæ saltu invisitata genera alitum degere accepimus, quarum plumæ ignium modo colluceant*. Et paulò fusiùs Solinus c. 2. *Saltus Hercynius aves gignit, quarum pinnæ per obscurum emicant & interlucent, quamvis densa nox densas tenebras. Inde homines plerunque nocturnos excursus sic destinant, ut illis utantur ad præsidium itineris dirigendi, præjactisque per opaca callium rationem viæ moderentur indicio plumarum refulgentium*. V. supra ubi de *Avibus*.

Bohorditum, Gallis *Behours* vel *Behourt*, hastiludii species vel certè quodvis hastiludii genus, in quo nobiles adolescentes vires suas experiebantur. Lamb. Ardensis, *In robur adolescere cœpit virile, ut illic bohordica frequentaret & torniamenta*. Sic in *Tabulario* Pinconiensi, apud du Fresne *le jour de bouhordeis*, redditur *dies hastiludii* Ubi *bouhordeis*, idem est quod *Bohorditum*: quâ voce in eo Tabulario appellantur ludicra certamina paganorum & burgensium, quæ illi cum baculis & fustibus in campo obire solebant certis ac statis diebus, atque adeò 1. & 2. Dominicâ Quadragesimæ, quæ inde etiamnum *Bouhordis* appellantur, in quibusdam Galliæ provinciis, uti habet Monetus in *Inventario utriusque linguæ*, &c. Hinc *Bordiare*, & *Bordare*, in *Mandato* Regis Angl. superjuratis ad arma, pro quo hodieq; Florentini *Bagordare* dicunt, nempe: ro Glossarz, ut *Bagordo*, *l'atto del forfeste*. Qui etiam arma ipsa offensiva sic vocant, quibus in hastiludiis propriè sic dictis utuntur: quæ quidem videntur fuisse baculi vel virgæ, in quo cu... uti probat du Fresne *Dissert. 7. ad Joinvill.* p. 182. ubi plura de hocce ludicro certamine repetes. Meminit certè ejus Letaldus Monachus *de Mirac. S. Maximini Abbatis Miciacensis n. 13. Hinc pastiones tantum hinc cum scuto & virgula ludebant juvenes.* Et vocis origo esse videtur à *bohorto* vel *bofforde*, uti vocabulum hoc effert Michael *del Molino* in v. *Ludum*: quod Hispanis & Vasconibus genus quoddam junci majoris, bullâ ac capitello instructi, significat, eò quòd primitus iis juncis, virgularum vice, decertaretur, seu quòd eadem virgulæ juncorum istorum formam referrent. Vel à *Borda*, quæ in *Glossis* Isidori *clava* exponitur, quòd ejusmodi baculi clavarum instar essent. Nisi eam mali arcessere à *burdis*, i. *jocis ludicris* ut *bohordare* fuerit ludere, ludicrum exercere. V. du Fresne in *Gloss.* & *Dissert.* in qua etiam *behorda*, pro imaginariis castrorum oppugnationibus, interdum sumta eruditè ostendit.

Boja, apud citimæ ætatis Scriptores, compes est aut torques vinctorum. *Gloss.* Lat. Gr Κλοιὸς, *Boja, Eculeum*. Glossar. Anglo-Saxon. Ælfrici, *Nervi, Boja* &c. Sed & iam apud Plautum, invenias in *Asinar. Carceres, numellas, pedicas bojas, tortoresque acerrimos*: è quibus Bojas verbis hisce Gotselini de *Miracul. S. Augustini Cantuar.* c. 16. illustrari ait du Fresne: *In arctissimum cippum omni compede durius constrinxere. Adduntferreas manicas manibus & collaria ferrea in cervicibus, ita ut per medium materiæ lapidei cubiculi transducta vincula obstrincantur*. Et mox *Juvenem — atrocioribus tormentis aggrediuntur. Stringuntur ferræ & ossa arctiori ligno incussis sudibus coacto*, &c. V. de *Bernicularis* dicta Joinvillæ, & C du Fresne *Dissert. ad eum*, ut & Wenceslaum in carcere depictum, apud Petrum Lambecium *Commen. de Bibl. Cæs. lib.* 2. p. 5. Martyrum collum hoc vinculi genere constringi consuevisse, habes in Adonis *Martyrol.* ubi de S. Alexandro Episc. Rom. *Tolle bojam de collo meo & impone ei* quam, velut sacrum κειμήλιον, Caroli M. jussu in Æde S. Salvatoris, prope S. Petrum in Vaticano fuisse repositam, videas apud Macrum in *Hierol.* Sic Prudentius,

Carcer illigata duris
Colla bojis impedit &c.

Tralatitiè *stolam* denotat, item *fasciam*, quam in celebribus ac liberis civitatibus, in signum gubernandi jugi, Magistratus sibi ipsi super humeros imponit. In Sicilia, DD. Ecclesiastici super cottam seu rochettum ad modum stolæ, nigri coloris, deferunt, quæ Gr. voce ..., ..*stulus* nuncupatur, quæ tamen in Ins. Melita solis Theologis superimponitur, V. infra in voce *Taraga*. Sed & in primordiis Equites *de Alcantara* tulisse aliquas fascias hujusmodi latas ex panno, Castellano idiomate *Chias* nominatas, in MSS. antiquis leguntur, apud Macrum *l. cit.*

Boji, pop. Galliæ Aquit. addes: Populus est exiguus Aquitaniæ II. in pago Burdigalensi, cui nulla unquam civitas, sed vici solùm ignobiles ac obscuri fuere. Vulgo nunc *Bujos* dicuntur, & ager Boicus *Buch*: Caput Buchium seu Boji vicus ad Leriam duorum à Bajona dierum itinere abest. Dominium Bojorum Galli olim *Capitalem Bojorum*, vulg. *le Chaslau de Buch*, & ejus dominium Capitaleum *lei aptalat* vocarunt, qui nunc principatus est. Appendix tamen *Chronici* Guil. Nangiaceni sita A. 1340. usq; ad an. 1368. deducta, *Castal de Bauf* semper vocat. Eorum fluv. Leria *Laire* est, qui in Oceanum effluit, & *Sigmas* Ptolomæo dicitur. Ab iisdem prom. inter Sigmanis & Garumnæ flum. ostia, quod Ptolomæus *Curianum* nuncupat. *Cap de Buch*, i. *Caput Bojorum* incolis dici, contendit Scaliger Vinetus tamen *Cordan* esse mavult, scopulum in Oceano Medulico, V. Valef. *N. Gall.* in vocibus *Lapurdum* & *Meduli*. Eorum meminit Paullinus *Epist. ad Ausonium*: — — *Placeat reticere nitentem*

Burdigalam, & piceos malis describere Bojos.

Bojitæ, Persiæ Regnum instaurarunt, circa A. C. 932. Postquam enim Caliphæ Saracenorum Persiæ Regno diu fuissent potiti, tandem decrescente indies eorum auctoritate, Sultani per provincias passim rebellantes propria sibi regna condere cœperunt. Inter quos præcipui erant filii Bojæ, qui genus è priscis Persarum Regibus, ipsoque adeò Dario Hystaspis, repetebat Habebat autem Bojas ille tres filios, *Alim, Hasen* & *Achmed* a juventute militiæ innutritos, e quibus Alis, collectâ prædonum manu, cum multa strenuè gereret, Martavvigo Assyriæ Imper. se socium junxit, & paulo pòst confirmatis jam viribus, ab eo deficiens, Persiam, aliasque latè provincias occupavit, iisque cum fratribus suis divisis, in Regno novo à Calipha Muktasibilla confirmatus est. Ita *Bojitæ* per universam Persiam rerum potiti, veterum Regum prosapiam decusque gentis tot jam seculis interruptum, mirificè illustrarunt: Caliphaque Mucius Lilla Alin cognom. *Amadeddaulam* appellari *Regem Regum* jussit. Cujus posteri Persiam variâ fortunâ, per annos 127. obtinuerunt usque ad A. C. 1055. quo è Turcis Selgucidæ *Bojitis* successerunt, quorum ultimus Rex *Melecrani* fuit, V. Georg. Hornium *Orb. Imper. pag.* 418 ad quem commentatus L. Joach. Fellerus, *Bojitas* hosce aliter *Pujanos* nominatos esse, adnotat. Vide quoque infrà ubi de *Persarum Regno*.

Faminæ & Viri illustres.

Bojonia Antulla, in saxis. Salmasius *ad Jul. Capitol. in Antonino Pio*.

Bojonia Fadilla, al. *Bojonia Procilla*, alia materna Antonini Pii Imp. unde is *Bojonii* nomen habuit, memoratur Jul. Capitolino, ubi suprà.

Bojonius, inter nomina Antonini Pii, quæ erant: *Titus Aurelius Fulvius* Bojonius *Antoninus Pius*: Joh. Gazensis ... perperam

perperam Βοϊώνιος habet. Sic autem dictus est ab avia materna Bojonia Procilla, ut Capitolinus vocat, vel Procella, ut in saxis, cùm hæres ab illa fuisset scriptus. Casaubonus Bovinium mavult legi & Bovinium, nisi quòd nomen, inquit, utcunque apud Latinos originem a bobus dissimulat. Sed Bojonia, non Bovinia, in bonæ notæ libro Palatino, se legisse, nec dubitare, quin Bojonia scribi debeat, ait Salmasius. Sunt verò, qui non hunc Imperatorem, sed Marcum Bojonium vocant, ut Victor, Eutropius & Pæanius Βοϊώνιος &c.

Bojonius Olympus, in vett. Inscriptionibus, Bojonii Antonini Pii libertus fuisse videtur, Casaub.

Bolbene, regio Asiæ, in Armenia prov. maximè Septentrionalis, unà cum Basilisene, de qua suprà dictum: Græcè Βολβηνή, apud Ptolom. qui ad Paryadrem montem Armeniæ maj. collocat regiones Sibacenen & Sacapenen, deinde sub his, quæ ... in Occidentali latere, ... καὶ Βολβηνήν. Vide Salmasium ad Solinum pag. 621. & 624.

Bolbitinum, adde: Ad hoc Naucratim conditam esse, è Strabone colligitur, qui Milesios Ægyptum triginta navibus cùm pervenissent, ostium Bolbitinum tenuisse, atque excensione facta condidisse oppidum, cui nomen Μιλησίων τεῖχος, ab eodem dein ostio navigantes adverso flumine in Saiticam præfecturam, expugnatâ Inaro, condidisse Naucratim, refert. Sais certè metropolis & Saiticus Nomus, inter Bolbitinum ostium & Sebennyticum fuit. Sed hac de re infrà dicetur. Erat autem hoc ostium inter Sebennyticum & Canopicum, quibusdam idem cum Naucratico, Plinio teste: eò se Taly fluvius in mare exonerabat, una nem. e ex duabus e ctropis Buballiaci fluminis &c. V. Salmasium ad Solinum p. 476. & seqq.

Principes ex familia Piastea.

Boleslaus, Dux Plocensis, (ex eadem cum Regibus Poloniæ hujus nominis familiâ Piasteâ, sed ramo Mazovio, cujus Ziemovitus Conradi filius auctor fuit, oriundus) post mortem Lesci Albi, ad Principatum Poloniæ vocatus, sed ab Henrico Vratislaviensi dejectus est. Ex ejus posteris Boleslaus, Varsovianæ lineæ, Rex iterum Poloniæ à quibusdam electus est, sed, Casimiro regnum capessente, frustra fuit: Pater Janussii, regnum adversùs Joh. Albertum infeliciter affectantis, & Conradi, in cujus filiis Johanne & Stanislao linea, ac in Polonia simul omnis Piasteus sanguis defecit, A.C. 1526.

Boleslaus, cognom. Altus seu Procerus, filius Vladislai II. Polon. R. qui regno à fratribus pulsus, in Silesia sedem fixit, Silesiæ inferioris Ducum auctor fuit, sicut à fratre eius minore natu superioris Duces descenderunt. Ei Vratislavia primo data, & post fratris Conradi Laconogi mortem Glogavia accessit, ob quam cum Micislao min. fratre bellum, interventu Casimiri Polon. R. sopitum, A.C. 1179. Huic dein adversus Borussos, Imperatori item Barbarossæ in Italia, operam militarem addixit. Obiit A.C. 1201. bene de Silesia meritus: Pater ex Wenceslaa Mosca Jaroslai & ex Adelheide Sultzbacensi Henrici cogn. Barbati seu Sapientis, è quibus hic inter alios filium quoque Boleslaum habuit, qui majori ex parte ditionem suam Lebusiensem Brandeburgicis vendidit: alterumque Henricum cognom. Pium, quo & Anna Bohema geniti sunt, Henricus, qui Vratislaviensem,

Boleslaus, qui Lignicensem & Conradus, qui Glogoviensem Principatus accepere. Habuit Boleslaus cognomen Calvi vel Sævi, fuit que libidinosissimus, turbulentissimus, prodigus, luxuriosus, temerarius, imprudens & tandem fere delirus. Ei oblatus Poloniæ principatus, sed à Conrado Mazovio repressus est: in Silesia verò parricidialia per ipsum bella excitata, multo sanguine constitere. Fratrem Henricum ad Vratislaviam cedendam cogere frustra conatus, An. Chr. 1256. Episcopum Vratislaviensem captum ad damnosas conditiones adegit, sed vicissim captus à fratre Conrado tantundem ei solvere compulsus est. Iterum nepote Henrico Probo capto An. Chr. 1278. decessit, relictis ex prima uxore Hedvige Anhaltina filiis Henrico Lignicensis, & Boleslao Suidnicensis lineæ, conditoribus: medius enim Bernhardus prole caruit.

Boleslaus fil. Henrici præfati primogenitus ex Elisabetha Calisiensi, initiò patruo Boleslao, dein Episcopo Vratislaviensi tutore usus, Briegam tenuit, & postea Lignicium, quod à fratre Vladislao extorsit, quemadmodum Glogovianis quoque aliqua ademit; vicissim Grotkam vendidit Episcopo, & semel ipsos liberos Vratislaviensibus oppignoravit. Cum fratres dein se Bohemo Regi submisissent; ipse etiam idem facere coactus est, A. C. 1331. In Ecclesiasticorum; ost hæc bona, ob Regem à Nancero Episc. Vratislaviensi injustè excommunicatum, involavit: Obiit An. Ch. 1343. cùm immoderatâ post jejunium oppletione stomachum saburrasset. Conjux ejus secunda multam attulit marito dotem, è qua redemta Olavia ac Briega: Ex priori Margareta Bohema filios reliquit Ludovicum ac Wenceslaum, patrem Boleslai, inter alios qui certamine ludicro in Bacchanalibus periit.

Boleslaus, seu Bulco, Boleslai Sævi, de quo supra, filius minor natu, in divisione Suidnicium Principatum nactus A.C. 1278. à fratre dein A. C. 1291. Javeram, Strigaviam, Franckensteinium & alia, ut sibi adversus Glogovienses præsto esset, accepit: Nec tamen auxiliatus est, interim filiorum ipsius tutor relictus, Glogovianos, ut multa Patri ademta redderent, cogit. Briegam & alia, in sua etiam ditione, munivit, Wenceslaum Bohemiæ R. qui eum adoriri volebat, terruit &c. Obiit An. Chr. 1301. primus in Silesia juris Feudalis Germanici & tributorum, unde opes magnæ, auctor. Eo geniti, Bernhardus Suidniciam lineam continuavit, Boleslaus verò Monsterbergicam orsus est.

Boleslaus seu Bulco, filius Bernhardi modò dicti, ex sorore Vladislai Loctici, cum fratre Henrico, Patris imitatus exemplum, Bohemiæ obsequium detrectavit. Obiit sine prole An. Chr. 1368. relictâ viduâ Agnete Austriacâ, quæ decessit A.C. 1392. Principatus ejus crevit Carolus IV. Imp. cui datâ ex fratre nepte Annâ An. C. 1348 Ducatuum cum ea successionem pollicitus fuerat A.C. 1353.

Boleslaus, fil. Boleslai, quem Boleslaus Sævus genuit, Vide suprà: Monsterbergicæ lineæ sator, Glacensem Comitatum Johanni Bohemiæ R. vendidit A. C. 1326. unde huic potestatis in Silesiam principium. Inde verò cum Carolus Johannis filius patris jussu adortus, Franckensteinium obsedit: Sed cùm in eruptione Boleslaus multos nobiles captos, in convivio, ab uxoribus eorum exoratus, sine lytro dimisisset, magnanimitate victoris delectatus Carolus, ad vitæ dies ipsi Comitatum Glacensem reddidit, hac lege, ut coronæ Bohemicæ subderetur. Obdormivit in hymno, Tribularer, si nescirem misericordias tuas, Domine, tu dixisti, nolo mortem peccatoris, &c. A.C. 1341. Pater Nicolotti, ex hoc avus Boleslai, qui An. Ch. 1377. à morione occisus, filios reliquit Johannem ac Henricum, quibus sine prole defunctis linea defecit, & Ducatus Monsterbergicus ad regnum Bohemicum devolutus est A.C. 1429.

Boleslaus, filius minor natu Primislai Ducis Teschinensis, quem ramum orsus fuerat Casimirus II. Wenceslao Imp. apprimè charus, quemadmodum & frater ejus Primislaus Sigismundo Imper. adversus Borussos tulit suppetias, A.C 1417. Extincto An.C. 1433. superfuere, ex Sophia Lithuana, filii quinque, quorum maximus natu patri cognominis, extinctus est, A.C. 1460. ex Anna Mazovia Pater Casimiri IV.

Boleslaus I. filius minimus natu Vladislai, ex Silesia super. Ducum stirpe, Oppoliam nactus est, frater Casimiri II. qui Teschinenses Principes sevit. Cum Henrico Probo adversus Locticum profectus, sed ad Cracoviam cruento superatus prælio, A. C. 1390. decessit A.C. 1413. Ejus filii duo Boleslai & Albertus

Boleslaus II. filius prioris, Vladislaum genuit, à Ludovico Hungariæ & Poloniæ R. gubernatorem hujus regni ac Palatinum constitutum, & Boleslaum.

Boleslaus III. frater Boleslai II. Falcoburgum obtinuit, pater Henrici ac Bernhardi, qui liberis caruere.

Boleslaus IV. fil. Boleslai II genuit ex Euphemia Vratislaviensi, Bernhardum D. Falcoburgicum, qui A. C. 1455. filias tantùm reliquit, Johannem Episc. Caminensem ac Vratislaviensem, & Boleslaum.

Boleslaus hic V. Hussitis patrocinatus est, ob id à Nicolao D. Ratiborio victus: Ex Margareta Goritia genuit Boleslaum, Johannem, Henricum ac Nicolaum, qui extinctus A. C. 1462. ultimos familiæ reliquit Nicolaum, Johannem ac Henricum.

Boleslaus VI. filius prioris, cognom. Mirabilis, cum Polonis bellum habuit, multaque illis intulit damna, tum etiam Georgio Bohem. Regi adversus Vratislavienses adstitit. V. Phil. Jac. Spenerum Sylloge Geneal. Histor. Idem nomen fuit filio Micislai cognom. Magni Pol. R. bello Patris adversus Lescum extincto A. C. 1194. Item, filio Vladislai Sputatoris, (Micislai ex alio filio Ottone nepotis) cognom. Pio, qui Calisiam tenuit, sed absque hæredibus extinctus est, Apud eund.

Boletar halieuticum, argenteum librarum XX. apud Trebellium Pollionem in Claudio, quid sit, anxios habuit non paucos Eruditorum, cùm quædam exemplaria verba hæc planè omittant, alia modò Volcta, modò Voletar, præferant. Sed Boletar omnino scribendum esse, Salmasius docet. Est autem hoc genus vasis, ex Martiali notum, & Apicio. Versus item Epigrammatis ejus meminit,

> Cùm tibi nolo dapes, vacuum mihi pone boletar.
> Quod places aspiciam, venter quod pasturat.

Scholiastes Juvenalis, ad illud,

> ——— ——— Cui cedere debeat omnis
> Pergula.

Coquina, inquit, quâ boletaria ponuntur. Boletar nempe genus piscis aut discifuit: quod halieuticum Pollioni dictum est, fortè quod piscatorem cælaturâ expressum haberet; Quemadmodum hederaceam patinam idem vocavit paulo antè, in qua hedera cælata ostendebatur. Sic planè apud Theocritum in poculo piscator expressus habetur & cælo effigiatur:

> [illegible Greek verses]

Sic vetus extat Epigramma, de Galatea in boletari pictâ, ex lectione Salmasii:

> Indere furta vadis privata Nympha natatu
> Exornat mensas, membra venusta movens.
> Cùmptas nolo dapes &c.

Uti ergo in hoc boletari, Nais erat picta, sic in illo Gallieni, cujus

Tre-

Trebellius meminit, *piscatur*, unde ἁλιευτικὸν appellavit ab argumento cælaturæ. *Boletar* verò, uti nemo ignorat, cùm sic priùs diceretur, quòd in eo *boleti* tantùm apponerentur: postea cibi omne genus sustinendis serviit & pro quolibet vase escario sumi cœptum est. Martialis,

Cùm mihi boleti dederint tam nobile nomen,
Prototomis, pudet heu, servio cauliculis.

Quemadmodum de *apalari* suprà vidimus. V. Salmasium *Not. ad Trebellium Poll.*

Boleti, fungorum genus nobilissimum, novissimum apud Romanos gulæ irritamentum, &, ut jocatus est Nero, *cibus Deorum*. Veneńato namque *boleto* Agrippina Claudium Cæs. extinxit, qui dein pro more consecratus & in Deorum numerum relatus est. Juvenalis *Sat.* 5.

Vilibus ancipites fungi ponentur amicis,
Boletus domino: sed qualem Claudius edit &c.

V. quoque Tacitum *Annal. lib.* 12. Suetonium *Claudio cap.* 44. Dionem *lib.* 7. Senecam Ἀποκολοκυντώσει hinc dictâ, Alios. Unde *Martialis*, sub persona Cæciliani, barbarum & inhumanum hospitem, qui non tam ad convivium amicos vocaverat, ut essent, quàm ut optima quæque vorantem jejuni spectarent, ipsique vilissimis interea cibis pascerentur, his verbis insectatur, *lib.* 1. *Epigramm.* 21.

Dic mihi, quis furor est? turbâ spectante vocatâ,
Solus boletos, *Cæciliane, voras.*
Quid dignum tanto tibi ventre, gulaque precabor?
Boletum, qualem Claudius edit, edas.

Tanti autem habebantur, ut auro argentoque cariores judicarentur. Idem *lib.* 13. *Epigramm* 48.

Argentum atque aurum facile est, lenamque togamque
Mittere: boletos *mittere difficile est.*

Hinc idem iterum Ponticum carpit, quòd *boletos* sibi solus sumeret, convivis ad viliora fercula rejectis, *lib.* 3. *Epigramm.* 60.

Sunt tibi boleti; fungos ego sumo suillos.
Res tibi cum rhombo est; at mihi cum sparulo.
Cereus immodicis turtur te clunibus implet &c.

Hinc *Boletar*, genus lancis aut disci, quod *boletis* primitùs inserviit, de qua voce V. suprà. Plura verò de *Boletis*, apud Plinium *lib.* 22. *cap.* 22.

Boli, Gr. βόλοι, non tantùm tesserarum jactus, sed & ipsæ tesseræ Græcis dictæ sunt. Eustathius, Κύβοι μὲν γὰρ οἱ κυβευτικοὶ ... βόλοι ... : à *jactando* viz. vel *jaciendo*, quod Græcis βάλλειν. Ovidius,

Seu ludet, numerosque manu jactabit eburnos,
Tu male jactato, tu malè jacta dato, &c.

Inde diminutivum βόλιον, *tessera*. Gloss. *tesseræ*, βόλια, ψῆφοι. Hesychius, ... βόλιον ἐν εἰς παίζουσι: in vet. *Inscr.* Tabulæ lusoriæ, ... τὰ βόλια παίζων, *tesseris ludens*. Etiam verò βολίδας appellarunt. *Epigr.* Græcum ...

Μέτρα ... βολίδα.

Jacula vett. Latinis, Isidorus, *Olim autem tesseræ jacula appellabantur à jaciendo*: ubi *jaculum* est βόλος vel βόλιον &c. Galli hodieque *Jactos*, ex Græco, calculos vocant. V. Salmasium *ad Fl. Vopiscum in Proculo.*

Bolites Lapis, genus aluminis à figura dictum, quòd haberet βώλου, h. e. *glebæ* figuram; πλινθίτης quoque Galeno, nam πλίνθος, i. *laterculi* & glebæ figura eadem. Glossæ, *cespes*, χορτοπλίνθος, χορτόβωλος, πλίνθος. Ejus florem *alumen schiston* appellatum esse, vult Dioscorides. Quemadmodum & Asio lapidi suus flos, & nitro & sali aliisque generibus. Plinius de illo, *Concreti aluminis unum genus schiston appellant Græci in capillamenta quædam canescentia dehiscens, unde quidam trichitin potiùs appellavere. Hoc fit è lapide glebosa, Bolitin vocant, ut sit sudor quidam ejus lapidis in spumam coagulatus*, apud Salmasium *ad Solinum pag.* 1166. & 1167.

Bolos Armenia, recentioribus Græcis, dicta est terra Armenia, seu Arsenicum rubrum, quod βωλῶδες vel βωλοειδὲς esse dicit Dioscorides, quia in glebam excitetur è metallo. Apud Myrepsum inprimis βώλου Ἀρμενίου frequens mentio, quem luteum fuisse constat, non cœruleum, ut hactenus persuasum fuit doctissimis Medicorum. Quod autem hodie pro Bolo *Armenio* venditur, non est Βῶλος Ἀρμενία veterum, nec terra Armenia Dioscoridis, sed *Lemnia rubrica*, quam λημνίαν μίλτον appellat Theophrastus; uti pluribus docet Salmasius *ad Solinum pag.* 1156.

Bombarda, propriè petrariæ seu λιθοβόλου species, quatiendis Urbibus aut castrorũ mœnibus adhiberi solita; à fremitu seu sono, quem edit, qui Gr. βόμβος, Latinis *Bombus*. Ita enim describuntur *bombardæ* à Gerbrando à Leydis *lib.* 31. *cap* 24. & 25. & Froissarto *Volum.* 2. *cap* 103. quorum hic meminit *bombardæ*, quæ ex ære constans, longa 50. pedes, ingentis magnitudinis saxa ejaculata sit, non quidem vi pulveris tormentarii, sed nervis machinisque certis librata. Idem *cap.* 115. memorat *bombardas portatiles*, h. e. quæ manu geri possent, quibus emissi fuerint *quadrelli* crassiores pennati ac ferrei, cujusmodi sunt fortè *Arcobusa* hodiernæ. At postquam pulvis tormentarius, *πυρῖτις* Græcis dictus, ut videre est apud Joh. Ducam *cap.* 30 per Monachum quendam Germanum, de quo V. in voce *Bertholdus*, inventus esset, ille perinde machinis bellicis, quæ *bombardas* appellarunt, adhibitus est. Sed & *bombardis* istis ferreos globulos in Gallos emissos esse ab Anglis, prælio Cresciacensi, sub A. C. 1346. auctor est Joh. Villaneus *lib.* 12. *c.* 65. At Ducas præfatus *cap.* 35 sub annum 1452. celeberrimum æneorum tomentorum artificem memorat, natione Hungarum, cui *Urbani* nomen tribuit Laonicus *lib.* 8. qui à Græcis ad Mahumetem factus transfuga, ingens tormentum fudit, cujuslibet magnitudinis lapidis capax, quo muros Constantinopolitanos Suldanus evertit. V. de *Bombardis* eundem Ducam *cap.* 39. Petrum IV. Aragon. Reg. in *Chron. lib.* 6 *cap.* 4. Johannem Cananum, qui βομβάρδας etiam dixit, *pag.* 189. Alios; de pulvere verò tormentario, cujus usum ab A. C. 1338. in Gallia viguisse docet *Computum* Bartholomæi *du Drach* Thesaurarii guerrarum istius anni, apud Car. du Fresne in *Glossar.* infrà. Instituit tormentorum *Bombardarum*que hodiernarum comparationem cum Veterum telis, Justus Lipsius *de Militia Rom. lib.* 5. *cap.* 20. quem videre operæ pretium erit. Hoc certum, decem aliqua nostrorum id genus muros, aggeres, acies, rumpere, disjicere, quos machinæ Vett. centum non convulserint. Nec ille pulveris pyrii istius vim satis cognitam habuerit, qui clypeum Romanum objicere moskettæ uni voluerit, quem jacula aliquot antiquorum non perforarint. Vidit Barthius infrà laudandus, uno ictu talis portatilis tormenti, equitem omnibus armis instructum non excuti, sed cum toto equo suo proturbari. Et quamvis exempla extent, quibus maxima vis jaculabilibus illis Vett. hastis ascribatur: Nulla tamen comparatio teli, quod brevissimo temporis spatio semper novum, eademque vi nocet hosti, cum eo, quod semel projectum non amplius utile est possessori, sed simul manu evolant, & procul tanta cum mole veniens, facilè vitari potest, ac ubi ceciderit, tam deinceps hosti utile est, quàm priori domino fuerat. Nunc manu amplecti & unius libræ pondere tantum telorum gestare potest miles, ut decem ampliùs hostes illo conficere queat, nec amittat tamen telum, quo uno in aliquot annos armatur. Qua de re V. Casp. Barthium *Animadversion. ad Papinium Statium Thebaidos lib* 6. *versum* 354.

Quale quater jaculo spatium, ter arundine vincas &c.

Bombax, Italis *Bombace*, Gallis *Cotton*, gossipium est, lana vel lanugo xyli, i. gossipii fruticis, de quo Plinius *lib.* 19 *cap.* 1. ἐριόξυλον, Ulpiano *l. Si cui lana legetur, D. de legat.* 3. *ubi ligneam lanam reddit*: Origo vocis à voce *Bombyx*, qua mollior lanæ omnis linique lanugo venit Vett. non solùm quæ ex vermibus bombycinis nebatur. Unde recentiores fecerunt *bombax* & *bambax*, quam vocem de gossypio vel lana xylina propriè usurparunt. Itali etiam *bambagginem* vocant, citeriores Græci βαμβάκιον. Sed & *bombycem* de erioxylo dixit Plinius *d. l.* *Superior pars Ægypti in Arabiam vergens gignit fruticem, quem aliqui Gossypion vocant, plures xylon & ideo lina inde facta Xylina: parvus est similemque barbatæ nucis defert fructum, cujus ex interiore bombyce lanugo netur, nec ulla sunt eis candore mollitieque præferenda.* Vestes inde Sacerdotibus Ægypti gratissimæ. Verùm de gossipinis arboribus lanigerisque plura idem Plinius *lib.* 12. *cap* 10. & 11. Theophrastus *de Plantis lib.* 9. *cap.* 4. Pollux *lib.* 7. *cap.* 17. Williomarus, seu Jos. Scaliger *in Animadvers. in Rob. Titium pag.* 48. & Salmasius *ad Solinum* p 296. laudati Car. du Fresne in *Glossar.* V. Salmasium quoque *ad Tertullian. de Pall.* ut & infrà in voce *Gossypium.*

Bombycina Vestis, *bombycum* opus, qui foliis involuti fila deducunt sericumque conficiunt: Ostendit enim, contra Virgilium, Plinium ac Marcellinum ex vett. & hos sequutum Lipsium *ad Tacitum*, Salmasius *ad pallium Tertulliani*, etiam sericum, quod ex arborum lanugine ab Indis depecti solitum priores tradidere, *Bombycum* fuisse opus, neque aliter à *Bombycino* diversum, quam quod *Bombycinum* ab Indis advectum præstantissimum, per excellentiam *Sericum* diceretur, *Bombycinum* vero appellatum, quod in ins. Coo conficeretur. Duplex autem *Bombycinum* statuere videtur Plinius, *Coum* & *Assyrium*, & hoc quidem pretiosius: Sic enim ille *cap.* 23. *Nec puduit*, inquit, *has vestes usurpare etiam viros, levitatem propter æstivam. In tantum à lorica gerenda discessere mores, ut oneri sit etiam vestis. Assyria tamen bombyce adhuc feminis cedimus.* Hæc, cùm duplex fuerit Assyriorum bombycum species, non ab iis confecta est, qui ceram faciunt, sed ab iis, de quibus idem Plinius Aristotelem sequutus sic: *Et alia horum origo, è grandiore vermiculo gemina sui generis protendente cornua erucæ fit, deinde quod vocatur bombylis, ex eo necydalus, ex hoc in sex mensibus bombyx.* Prima, quæ *Bombycinum* texuerit, ab eodem traditur Pamphila, Plateæ filia, in ins. Ceo, unde alterum *Bombycini* genus nempe ex Coa bombyce, cujus diversam à priori generationem apud eundem Plinium deprehendes. Cœterùm tam serici, quàm utriusque bombycinæ vestis, hoc proprium fuit, ut corpora denudarent. De serico Plinius, *Tam multiplici opere, tam longinquo orbe petitur, ut in publico matrona translucea*. De Coa, quæ etiam à viris gestabatur; Horatius,

— — *Cois tibi penè videre est,*
Ut nudam.

Multo magis de Assyria, quam nondum ausos viros suâ ætate gestare, dixit suprà Plinius. Unde colligitur, præstantiorem bomby-

cinam vestem Assyriam fuisse, sive majoris luxus, utpote quam ferre viros puderet, quibus serica erat in usu, sub Imperatoribus: tardè enim hæc vestis Romanis cognita est. Ex India hanc artem in Græciam permanasse, refert Sigonius *Regni Ital. lib.*11. Ait enim, Justiniano M. imperante, ex India Constantinopolim Monachos duos advenientes, ejus originem ostendisse. opus nempe quorundam vermium esse, qui certa ratione nutriti fila quædam expuerent. Imperatore autem mirante & rem certius discere cupiente, eorum ova post aliquot menses illos attulisse & in fimo collocata in vermiculos commutasse: Eosque mori foliis involutos ac altos, quemadmodum folliculo facto sericum texerent, docuisse, ex Procopio. Quod de alia conficiendi ratione, quàm priùs erat: vel de red inventa, quæ amissa fuerat, fortè intelligendum. Postea, cùm A. C. 1148. Rogerius Siculus Emanueli Imp. iratus, Corcyram, Thebas, Corinthum & Chalcidem ei eripuisset, hujus expeditionis illud inprimis memorabile fuit, quòd eo tempore Artifices serici conficiendi in Siciliam Italiamque ex Græcia primùm traducti sunt. Hodie ingens ejus in Murcia ac Sicilia commercium, unde Genuam, Venetias, Florentiam aliaque in loca exportatur: Sed nobilissimum sericum album in regno Chinæ provenit. Armeni è Persia ingentem quoque ejus copiam adducunt: Sericum villosum optimæ notæ Genuæ elaboratur. Auctor *Hist. Orbis Terr. Geogr. & Civ. cap.* 10. *de Commerciis.* Cæterùm de verme hoc, insigni naturæ miraculo, certissimoque Resurrectionis symbolo. cujus sive naturâ sive industriâ, *Bombycinæ* vestes consiunt, V. Basilium M. *in Hexaëmero, homil.*8. Ambrosium *Hexaëm. lib.* 5 *cap.* 23. Sim. Majolum in *Diebus Canicul.* Tertul. *de Pallio cap.*3. Isidor. *lib.*19. *cap.* 22. &c. Salmasium inprimis *ad Solinum, pag.* 206. &c. Eosdem insigni carmine prosequutus est Hier. Vida. V. quoque infrà.

Bombylius, seu *Bombyx* quoque, Græc. βομβύλιος, è genere vesparum seu apum, ceram facere dicitur Plinio *lib.* 11. *cap.* 22. qui eam malè confundit cum *bombyce*. quæ ex erucarum genere est & bombycinum à se gignit. Bombyx enim, quæ ceram facit, telam non texit: ut è diverso. illa, quæ stamen gignit, non facit ceram. Nec eadem nominis, quamvis idem utrique sit, ratio est. *Bombyx* enim seu *Bombylius*, nomen accepit à *bombo* vel sono, quem apes seu vespæ edunt, quas *bombire* & bombitare dicunt Latini, ex Græco βομβεῖν. *Bombyx* vero altera, unde stamen bombycinum ducitur, eo tantùm tempore sic dicitur, quo mortuæ similis in suo sibi nido textili, quo sese involvit, prorsus immobilis quiescit. Nam ex grandiore *vermiculo* fit eruca; ex *eruca*, postquam sedes sibi tendere incipit, & q. tumulum, seu nidum potiùs condere filis multis hirsutum, *bombyx* seu *bombylius*: ex bombylio porro, perforatâ testâ, quâ inclusa est, sumtis pennis exit *papilio*, quem νεκύδαλος vocant Græci; ita dictum, vel quòd haud diu vivat, nam brevi pòst moritur, vel quòd ex mortua bombyce quasi renascatur. Non itaque à *bombo* vel sono dicta videri potest, cùm sic inclusa nec se moveat, nec sonet, sed à figura. Nam testa illa seu theca, quâ reconditur, oblongâ & ovata formâ, fusum refert stamine plenum, qui in medio tumescens sensim tenuatur, & in acumen utrinq; desinit; cujusmodi fermè figura ampullæ est, quam Græci βομβύλιον appellant, &c. V. Salmasium *ad Tertullianum cap.* 3. ubi de utraque *Bombyce* accuratissimè agit. Vestem hic vermis suppeditat sericam, ut dictum, & quidem in æstu *Taffetata*: remittente paulum æstatis fervore, *Ormesina*, hyeme *Felpa*, & *Velutum*: Vere ac autumno, *Rasam*, quæ vulgò *Velnto riccio* Est autem vetus *Sericæ* vestis appellatio à Seribus, populo Orientis: à quibus in Persiam sericum deportabatur, ubi eædem *Persicæ* ac *Medicæ* vestes dictæ sunt. E Persia verò, post illam ab Alexandro M. devictam, in Græciam delatæ: florentibus rebus Romanis, in Imperium Rom. migrarunt; ubi sericum ἰσόχρυσον fuit. Obtinuitque ea consuetudo usque ad tempora Justiniani Imp. cui cùm permolestum esset, ab hostibus Persis tam carè vestem emi, commodè duo ex India venere Monachi, qui indicium facerent Cæsari, de vermibus sericum nentibus. Remissi igitur illi, ova istiusmodi attulerunt; unde omne id vermium genus sericum nentium, quod hodie est in Europa. At tum nulli ampliùs dubium fuit, quin sericum *Bombycum* esset opus, cùm antea quæstio admodum anceps ac incerta esset. Quamvis enim Pausanias *Eliac. poster. libr.* Servius *ad Æn. Georg. lib.* 2. aliique Vett. id, quod res esset, traderent. Basilius quoque ac Chrysostomus *Bombycinam* vestem τῶν σκωλήκων ὕφασμα, *vermium telam*, scriberent, vulgatior tamen erat opinio, esse arborum fœtum, sive fieret è corticibus, sive foliis depecteretur. Ac licèt Coas vestes ex *bombyce* esse constaret. Aristot. *Histor. Animal lib.*5. *cap.*19. Plinius quoque Coam *bombycem* etiam viris in usu, Assyriam solis mulieribus, notaret, *lib.* 11. c. 13. hoc tamen de tela serica ex Assyria apportata potiùs per Metonym. intelligendum: Illud verò quod attinet, non ignorabant quidem Vett. vestem Coam neri à *Bombyce*: sed seredoctissimis quibusque ita erat persuasum, disparem esse serici originem. Quem in errorem eo impellebantur, quòd longè præstantiùs esset sericum e Persia apportatum, quàm bombycinum Coum, fortè quia Indici vermis subtilius filum. Præterea, ut è Plinio Salmasius observat, Coi non antè stamen bombycinum eliquabant, quàm corrosâ metaxâ evolasset papilio, at Seres, integro eo stamine, id agebant, intus adhuc morante bombyce, ac necdum in papilionem converso. Quare nihil mirum, si Plinii ætate, viri etiam Cois uterentur, serico solæ fœminæ. Solini tamen ætate & viris hic luxus, primusque ex Romanis Heliogabalus non subsericâ solùm, cujus stamen lineum, trama sericum, de qua Solinus capiendus: sed veste, cujus & stamen sericum foret, est usus, teste Spartiano; quæ tunc *holoserica* dicta est. Ubi verò serica in Rom. Imp magna copiâ advehi cœpit, Coa in usu esse desiit, nominaque *Bombycinæ* & *Sericæ* vestis, quæ priùs distinguebantur ex serici origine ignorata, promiscuè usurpari cœperunt. Gerh. Joh. Vossius *de Idolol. lib.* 4. *cap.* 90. V. quoque Salmasium *Notis ad Tertullian. de Pallio* & infra, ubi de *Serico*, *ubi*que. De *Bombycibus* Sinensium seu Serum, ita Auctor Anonymus *Sinæ & Europæ cap.* 35. *In Chekiang, sylvæ sunt mororum, bombyces tot, & serici tanta copia, ut vilior i pretio ibi decem vestes, quam ultibi apud Europæos unica lanea comparari possit. Moros, ut Europæi vites, quotannis putare solent, nec in altas arbores eas excrescere sinunt; quod minorum folia præstantiorem byssum ac fila producere longissima soleant: tot annorum experimento edocti. Unde primam texturam fili à secunda optimè distinguunt. Ea est, quæ à vernis illis molliculisque ac delicatioribus foliis, quibus bombyces aluntur, prodit; altera ab æstivis ac durioribus. Tantam mutationem affert vel sola cibi varietas in subtilissimis illis animalibus.*

Bombyx, genus tibiæ, quod fieri solebat ex illo auletici calami genere, in lacu Orchomenio, quod inde βομβυκίας vocabatur: illi Ζευγίτης opponebatur, quo de infrà. Et quidem calamus, ut πρὸς ζεύγωσιν aptus esset, crassior evadere debebat, inundatione per biennium manente, ut Theophrastus ait: Sic enim in majorem adolescebat amplitudinem. Si verò aqua inundans lacum minori tempore mansisset, ex calamo inde minùs grandescente, quia paribus faciendis minùs idoneus existebat, factitari consuevere tibiæ *bombyces*, h. e. tibiæ longissimæ, eoque ad inflandum difficiles. Nec enim duæ ex uno internodio, ut in zeugite, sed una tantum capiebatur ideoque æquè longa erat hæc tibia, ac duæ cæteræ, qualia erant ζεύγη. Aristoteles περὶ ἀκουστῶν, καὶ δὴ γὰρ χαλεπῶς πληροῦσι τοὺς βόμβυκας, καὶ μετὰ συντάσεως πολλῆς, διὰ τὸ μῆκος τοῦ ἀποστήματος. Adhibebantur autem *bombyces* in orgiis, uti docet Pollux, Τοὺς δὲ βόμβυκας ἰδίους καὶ πρεπώδεις αὐλήματα ὀργίων. Uti verò aliarum partes dicebantur γλωττίδες, καὶ τρυπήματα, *linguæ & foramina*; sic præter hæc duo in bombycibus ulterius erant ὅλμοι καὶ ὑφόλμια, uti legimus apud Pollucem. Ubi ὅλμος Salmasio idem videtur esse quod στόμα, *cavitas nempe utrinque linguæ*, ὑφόλμιον *pars sub lingulis*, &c. V. eum *ad Solinum pag.* 117. & *seqq.* plura v. hanc in rem infra, in voce *Tibia*.

Bomonicæ, adde: Quasi *ad aram victores*. De quibus Plutarchus *in Apophthegm. Laconicis*, *Lacedæmone pueri per integram diem flagellis cæsi sæpenumero ad mortem usque ante Dianæ Orthiæ aram, læti alacresque toleratnt, atque inter se de victoria certant, quis diutius magisque fortiter verbera perferat.* Quod fiebat in Matrum plerumque præsentia, quæ patientiam filiorum in ictibus fortiter ferendis læto celeusmate laudabant. Hinc Papin. Statius *Thebaid. lib.* [illegible] *versu* 437.

—— dilecta genis morientis oberrant

Taygeta & pugnæ laudataque verbera matri.

V. hanc in rem, Joann. Meursium *Græciæ Feriatæ lib.* 2. & *Commentar. ad d. l.*

Bona Dea, adde: Hujus Deæ orgiorum tempus & celebrandi munus, cum ad Consulem vel Prætorem devenit, ipse & omne quod secum habebat masculum, domo egredi solitum est. Tum uxor domum exornavit, & pleraque noctu facta sunt, jocis intermixtis, multaque Musica adhibita. Fiebant autem hæc sacra pro salute Pop. R. in Pontificis M. ædibus. quæ quia Clodius, qui muliebri habitu irrepserat, ob amorem Mutiæ, Cæsaris uxoris, violasset, acerrimè in illum Cicero invectus est. Idque Kalendis Maji, quibus etiam ara à Curibus Sabinis Laribus Præstitibus, consecrata est. Quia autem fiebant pro salute Populi Rom. ceremonia sanctissimâ, *Mysteria κατ' ἐξοχὴν*, item *Mysteria Romana*, Auctoribus appellantur. Et quidem in *Epist. ad Atticum* ter, nomine *Mysteriorum* illa insignit Cicero *lib.* 5. *cap. ult. lib.* 6. *cap.* 1. & *lib.* 15. *Epist.* 25. quod nomen apud Græcos proprium fuit Eleusiniorum, venerabilis etiam maximè sacri. De auctoritate illorum sic Idem *Orat. de Haruspic. Resp. De sacris publicis, de ludis maximis, de Deorum Penatium Vestæque Matris ceremoniis, de illo ipso sacrificio, quod fit pro salute populi Rom. quod post Romam conditam hujus unius casti tutoris religionum* (Clodii) *scelere violatum est.* Et rursum, *Etenim quod sacrificium tam vetus est, quàm hoc, quod à Regibus æquale huic urbi accepimus! quod autem tam occultum, quàm id, quod non solùm curiosos oculos excludit, sed etiam errantes — quod fit per Virgines Vestales, fit pro Pop. Rom. fit in ea domo, quæ est in imperio, fit incredibili cerimoniâ, fit Deæ, cujus ne nomen quidem viris scire fas est.* Denique inferiùs de Clodio, *Deorum ignes, solium mensas, abditos ac penetrales focos, occulta & maritis non invisa solùm, sed etiam inaudita sacra, inexpiabili scelere pervertit.* Hæc tamen ob incerta Fastorum, loco suo mota interdum fuisse, argumentum Plutarchus præbet. Narrat enim, quo die Lentulus & Catilinæ cæteri populares in Senatu convicti erant, Cons. Ciceronem deductum in ædes vicinas suis: has enim tenuisse mulieres, quæ sacris *Bonæ Deæ* operabantur; confirmaturoque Cicero-

Bonam anxium ac sollicitum ostentus flammæ subitò ex cinere & densis corticibus igne jam sopito emicantis. Is autem dies erat ante diem pridie Nonas Decembr. &c. V. quæ hanc in rem pluribus eruditè Gronovius disserit *Observation. lib.* 4. c. 9. Lactantius *ex Sexto Clodio* refert, hanc Deam Faunam uxorem Fauni fuisse quæ quia contra morem decusque regium clam vinum hausisset, myrteis virgis à viro usque ad mortem cæsa fuerit; postea cùm Regem facti pœniteret, & is uxoris desiderium ferre non posset, divinos illi honores detulisse: hancque causam esse, quod in, sacris ejus amphora vini obvoluta poneretur, neque vinum suo nomine, sed lactis vel mellis veniret, & amphora *mellaria* diceretur: Eandem ob rationem myrtum è sacris hisce exulare. Alii tamen hoc ideo factum volunt, quòd myrtus, utpote Veneri sacra non conveniret sacris castissimæ Deæ, quæ à nemine virorum, marito excepto, unquam se conspici passa dicitur. Mythologi per Deam hanc, terram vel tellurem indigitant benignam nostrûm omnium nutricem, unde Macrobius *Saturn. lib.* 1. *cap.* 12. Cornelium Labeonem auctorem esse; Majæ, id est, terræ ædem Kalendis Majis dedicatam sub nomine *Bonæ Deæ*. scribit: hincque inter sacerdotes ejus præcipuas fuisse legimus Virgines Vestales. Eadem *Fauna* dicitur, quòd omni usui animantium faveat: *Ops*, quòd ipsius auxilio vita constet: *Fatua*, a fando, quòd infantes non priùs vocem edant, quàm terram attigerint &c. Addam ad hæc sacra omnibus florentibus ac germinantibus Sacerdotes usas, super caput simulachri vitem, quâ filiam Pater decipere tentaverit, extensam, locum interiorem, ubi sacra peragebantur, *Gynecæum* dictum, fuisse, Cic. *Orat. de Aruspicum resp.* Eandem *Damiam*, ut & Deam *Damiam* quoque vocatam esse, V. Joh. Rosinum *Antiqq. Rom. lib.* 2. *cap.* 19. *lib.* 3. *cap.* 26. *& lib.* 4. *cap.* 9. De ejus æde sic Ovidius:

—— —— Interea Diva canenda Bona est.
Est moles nativa loco, res nomina fecit,
Appellant saxum, pars bona montis ea est.
Huic Remus institerat frustra: quo tempore fratri
Regna Palatinæ prima dedistis aves.
Templa Patres illis oculos exosa viriles,
Leniter acclivi constituere jugo,
Dedicat hoc veteris Clausorum nominis hæres,
Virgineo nullum corpore passa virum.
Livia restituit, ne non imitata maritum
Esset & ex omni parte secuta virum &c.

Bona-Gratia, formula usitata in divortiis, quæ ex *mutuo consensu* inter conjuges invicem dissidentes interveniebant, nullo *repudio* facto: quæ quidem verba, ut formalia, Latinis verbis, non semel leguntur in *Novellis Græc.* Justiniani 22. & Justini 2. Adde Julianum Antecess. *cap.* 132. & *Constitutionem* Justiniani ad Julianum P.V. *Ut possit ex consensu dissolvi matrimonium* &c. V. Car. du Fresne in *Glossar.*

Bonacus, V. infrà Bonasus.

Bonæ Memoriæ, vel *Felicis recordationis*, defunctorum epitheton, quod Papæ, Episcopo, Presbytero & Diacono Cardin. tantùm, cùm vitâ functi sunt, convenire: Regibus verò ac Principibus, *Claræ* seu *Inclitæ memoriæ*, Imperatoribus olim *Divæ memoriæ* tribui consuevisse, ajunt Macri Fratres in *Hierolexico.* Ibidem à Maximo Mart. Imperatorem Heraclium jam mortuum *Piæ Memoriæ* appellatum esse, quod etiamnum solenne est, legas. V. quoque Baronium in *Annal. Ecclesiast. ad A. C.* 640. *num.* 10.

Bonasus, sive *Bonacus*, Βόνασος vel Βόνασσος Græcis, Pæonibus Μόναπος vel Μόνωπος; meliùs Βόνασος Salmasio, quasi Βοΐνασος vel Βοΐνασσος, quòd *corium bovis* habeat cum pilis; Animal Pæoniæ peculiare, his verbis describitur Solino *cap.* 40. *In his locis animal nascitur, quod* Bonacum *dicunt, cui taurinum caput, ac deinde corpus omne tantùm juba equina: cornua autem ita multiplici flexu in se recurrentia, ut si quis in ea offenderit, non vulneretur. Sed quidquid præsidii monstro illi frons negat, alvus sufficit: nam cùm in fugam vertit, proluvie citi ventris fimum egerit per longitudinem trium jugerum, cujus ardor, quidquid attigerit, amburit: ita egerie noxiâ summovet insequentes.* Mons verò, Pœoniam a Medica Thraciæ reg. discriminans, ubi Bonacus nascitur, alibi apud Aristotelem Μεσσάπιον appellatur, alibi Ἡσσαῖον: Apollonius Μάρσαιον scribit, quod verius videtur. Cornua feræ hujus summo nitore esse & nigra scribit idem, in *Admir.* Κεράτων σφόδρα εἶναι διαφανῶν δὲ σφόδρα λελαμπρυσμένα. Carnes non solùm edules, sed & suaves habet; à venantibus propterea expetitas &c. At quod de fuga habet. Solinus, Aristoteles non assentitur, qui non in fuga nec cùm in fugam versit. ventris proluviem egerere Bonacum dicit, sed, cùm viribus defectus fugere amplius non valet, ac stare cogitur. Tum, inquit, ἀμύνεται λακτίζων, καὶ προσαφοδεύων, καὶ εἰς τέτταρας ὀργυιὰς ἀφ' ἑαυτοῦ ῥίπτων κτλ. *ad defendendum se comparat, calces jactans & fimum amburentem ejaculans, ad quatuor orygiarum longitudinem* &c. ubi *quatuor* ὀργυιὰς habet, quæ faciunt pedes 24. non verò *tria jugera* (quæ sunt pedum 600.) ut Plinius & ex eo Solinus vertunt &c. V. Salmasium *ad Solinum pag.* 838. *& seqq.* quem vide.

Viri celebres.

Bonaventura, adde: A' Græcis, ut quidam volunt, *Eutychius*, & dein *Eustachius* dictus, in baptismo *Johannes Fidanza*, sive *Fidantius* appellatus est; Discipulus fuit Alexandri Halensis, Episcopus Albanensis ac Cardin. *Doctoris Seraphici* nomine insignis. Opera ejus 8. Tom. fol prodierunt Romæ A.C. 1588. 1598. Venetiis 1575. 1611. 4. Vol. fol. Moguntiæ A C. 1609. & alibi. De eo Halensis dicere solitus legitur: *In fratre Bonaventura Adam peccasse non videtur.* Bellarminus, *Deo hominibusque amabilis*: Lutherus, *Bonaventura præstantissimus est.*

Bonaventura Biancus, è Cotiniola Æmyliæ provinciæ seu Romandiolæ oppido oriundus, Minorita. Ejus extat, *Tractatus de rebus illustribus N. & V. T.* Bononiæ A.C. 1534.

Bona ventura Cornelius Bertramus, V. *Bertramus.*

Boneta, in *Chron.* Vosienli *part.* 1. *cap.* 74. ubi de vestibus virorum illius ævi, *Mitras gestabant juvenes utriusque sexus, quas vocabant Bonetas, post capellos de lino vel coffias* &c. capitis tegumentum erat, Gallis *Bonet*, Italis *Birreto.* Car. du Fresne *Glossar.* Richelieto, *Boneta*, Gallis dicitur omne capitis tegmen, infantile, virile, muliebre, militare, quod *pileus* non est. In specie *Boneta quadrangula*, Gall. *Bonnet quarré*, dicitur capitis operimentum, quo Advocati, Professores & Sacerdotes in Gallia utuntur, unde *Quiter le bonet*, est *renunciare Foro*, & Advocati munus resignare &c.

Boni cum Regina, Gall. *Bons à la Reine*, dicti sunt nummi quidam vett. In Gallia, de quibus ita Car. du Fresne in voce *Moneta*: *In Consilio Monetariorum ann.* 1308. *Denarii cum Regina dicuntur currere pro* 14. *sol. &* 54. *consistere ad marcam, ut & Boni cum Regina* 52. *& semissem ad marcam, & currere ut Agni pro* 15. Hos quidam à Joanna Regina Navarræ, Philippi P. uxore cusos volunt: ipse vero à Blanca, *Ludovici Regis matre*, de qua suo loco diximus, publici juris factos esse contendit &c.

Boni Homines, in *Notitiis* Judiciorum passim dicuntur, qui in placitis publicis cum Comitibus & judicibus judicia exercebant; quibus justitiæ studium curæ erat, *in qua*, ut ait Cicero *de Offic. lib.* 1. *virtutis est splendor maximus*, *ex qua* Viri boni *nominantur.* Nota hinc illorum formula, *Ubique residebat in placito N. Comes & ibi sedebant de Judicibus N. N. Ibique restabant cum eis de* Bonis Hominibus *N. N.* Sicut pronuntiationis formula fuit. *Et nos qui superius N. Comes, cum memoratis Judicibus &* Bonis Hominibus *judicavimus.* In *Usaticis* Regni Majoric. *Probi Homines*, Gall. *Preud-hommes*, dicuntur &c. V. Marcullum *lib.* 2. *form.* 9. *Formulas Regales*, apud Bignonium *cap.* 8. *Capit.* Caroli M. *lib.* . *cap* 14. Sammarthanos in *Archiep. Narbon. num.* 5. Alios, laudatos Carolo du Fresne in *Glossar.* Eodem nomine appellantur Auctoribus, quos aliàs *Albigenses* vocant, uti refert Monachus Vallis Sarnensis *in Histor. Albig. cap.* 4. *sub fin.* Reinerus *contra Valdenses cap.* . illos, qui ex Albigensibus *Consolati* fuerint in Lombardia dicti, *Bonos Homines* in Teutonia appellari consuevisse, ait. Sed & sic nominati sunt in Communione Rom. Fratres Ordinis Grandmontensis, apud Stephanum Episc. Tornac. *Epist.* 1. *Boni Homines Grandimontis*, Johanni Bromptono ad *A. C.* 1170. de quorum Ordine consulendi Joh. Sarisber. *Policrat. lib.* 7. *cap.* 33. Jac. Vitriacensis *Histor. Occid. cap.* 19. & Joh. Bolandus *ad* 8. *Febr.* laudati eidem Richelietus, *Bonos-Homines* in eadem Ecclesia, quoque dictos esse ait *Minimos*, à fundatore suo Francisco de Paula, quem Ludovicus XI. Gall. R communiter appellaverit *Bonum-Hominem*, Gall. *le Bon-Homme.* V. Duplex *in Vita Ludovici XI.*

Bonjama, inter genera *Annanæ.* Est autem *Anas* sive *Annanas* fructus adeo delectabilis & formosus, ut Natura excellentiorem produxisse neutiquam videatur: humiliùs crescit, in herba acuta semper-vivo Hispaniæ non absimili. Virorem maturitati proximum mutat in auream flavedinem, ad rubrum vergentem: flavet intus, cultri patiens; spargit odorem longè gratissimum, malum Persicum imitatur sapore: humido abundat, sed adeo acri, ut culter eo tinctus vel una nocte arrodatur. Conditur sacchraro; succrescit illi pedunculus duorum triumve foliorum, qui vel post medium mensem aridior terræ impactus germinat. Lusitani ex Nova Hispania & Brasilia cum Indis intulere. Cœterùm Cydoneum malum figura, odor nobilissimam primorum speciem, quam *abricottam* vocant, radices vulgarem carduum præ se ferunt. Diversa ejus apud Brasilianos genera & nomenclatura: Est *Jajama*, longior, sapidior, carnotior; *Bonjama*, intus albet & dulcedinem præbet; *Jajagna*, vinum Rhenanum sapore imitatur. Sed & sylvestres alicubi reperiuntur, quorum caules hastas adæquant, rotundi ad pomi auraici molem, spinis & spinosis foliis armati, nullius ferè usus, tametsi sapiant. Universa substantia humore abundat, qui cum sacchraro manè haustus, præsentissimum est remedium, ad refrigerandum jecur & renes &c V. Auctorem Anonymum *Sina & Europa cap.* 36.

Bonifacius VIII. adde: Hic, postquam cessatum aliquantis per in colligendis Decretalibus esset, tertio Pontificatûs sui anno, tribus Cardinalibus, *Compilationem Decretalium* commisit, quæ *libri sexti Decretalium* nomen accepit, quia aliis quinque Gregorii IX. superaddita est. Constat illa potissimùm ex *Constitutionibus* Innocentii IV. Gregorii X. Nicolai III. & ipsius *Bonifacii*: Item ex *Constitutionibus* duorum Conciliorum Lugdun. sub Innocentio IV. A.C. 1245. & sub Gregorio X. A. 1272. celebratorum. Libros habet itidem quinq; ut Gregoriana, & titulos eosdem, si quod interea, quod ad titulum faceret, Rescriptum invenerunt compilatores. In Gallia verò

ob dissidia *Bonifacii* cum Philippo R. Liber hic VI. Decretalium receptus non est. Duarenus *Præfat. lib. de Sacr. Eccl. Ministris*, *Ideo*, inquit, *in Francia receptum non esse accepimus, quòd quæ in eo exstant constitutiones, pleraque in odium & æmulationem Philippi R. Francorum edita & ad Romanæ aulæ quæstum accommodata credantur.* V. *Proœmium lib. VI.* Decretal. Albericum de Rosat. *ad l. ult. C. de Fer.* Alber. Gentilem *de Jure Canon. cap. 1.* Petrum de Marca *Concord. Sacerd. & Imper. libro 4. cap. 16.* Alios. Scripsit in hanc Compilationem *Glossar.* Joh. Andreæ, de quo videlis latè Guidonem Pancirollum *de Clar. LL. Interpp. lib. 3. cap. 19.* laudatum Gerh. von Mastricht *Histor. Iuris Eccles. n. 370.*

Bonifacius, Africæ Com. adde: *Vir bellicis artibus præclarus*, Prospero Aquit. γενναιότατος Olympiodoro dicitur. Nummus ejus triumphum exhibens, memoratur Car. du Fresne, inter numismata non contemnendæ raritatis; Est autem is Placidii Valentiniani æreus medallio, in cujus antica facie idem conspicitur Augustus, cum diademate lapillis ac margaritis contexto, incisusque ad vultus latus ramus palmeus. Aversa autem *Bonifacium* triumphantis specie exhibet: quadrigæ enim insidet ille, militari habitu, στέφανον δάφνης ἀναδεδεμένος ἐν κλάδον κρατῶν, non in dextra, ut triumphantem Zonaras describit *Tom. 2. pag. 3.* Sed in sinistra; qua præterea, ut est apud Val. Maximum *lib. 4. cap. 4. num. 5. triumphalis currus habenas retinet*: dextrâ vero unà cum corona laurea flagellum tenet. Currus ipse, quo vehitur & quem 4. trahunt equi, juxta illud Nasonis *de Arte Am. lib. I.*

Quatuor in niveis aureus ibis equis.

ἐς πύργου περιφερὲς τρόπον, *instar turris rotundæ*, confectus cernitur, uti triumphantium currum repræsentat idem Zonaras. In inferiori nummi parte, quatuor describuntur Monogrammata, quorum tum primùm in nummis, ut videtur, usus invaluit. Similem nummum, sed aureum, descripsit Octavius Strada, in hoc ab æreo præfato diversum, quòd in aureo *Bonifacii* caput radiis cinctum appareat, currusque non ab equis, sed à cervis, trahatur: quomodo Heliogabalum processisse in publicum, scribit Lampridius, & in Aureliani Aug. triumpho *currum extitisse quatuor cervis junctum, qui fuisse dicebatur Regis Gothorum*, Vopiscus. Nisi, quod cornua esse existimavit Strada, palmæ fuerint equorum capitibus affixæ, ut in aliis conspiciuntur, maximè Neronis, qui Euthymium præfert in aversa facie, & in illo Honorii, qui PANNONI NIKA inscriptum præfert. Severus *Epist. ad Salvium*, *Scimus enim, palmigeros bijuges, ubi è Circo receperis, quietissimè stabulari. Illos non jugis formido, non ambigua palma sollicitat, sed demum pacatis adstrati præsepibus, timere jam nesciunt hortatorem* &c. Cervos autem ejusmodi πλατυκέρωτας, *palmatos* Capitolinus *in Gordiano* vocat. Sed nec monogrammata omnino eadem sunt, quæ in æreo; forsan, quòd ob nummi exiguitatem illa haud satis expressit Monetarius; vel minùs percepit Strada. V. plura hanc in rem, de rebus inprimis ab illustri hoc viro gestis, Carolum du Fresne, ubi hunc nummum explicat, *Dissertat. de inferioris ævi Numismatibus.*

Bonifacius, Hetturiæ D. adde: Fuit is filius Theobaldi, ex eadem prosapia, cum Azone Atestino, V. ibi, oriundi, Habueruntque Pater ac filius titulum, *Regii Lepidi, Parmæ, Lucæ, Ferrariæ & Mantuæ Marchionum.* Phil. Jac. Spenerus *Sylloge Gen. Hist. in Fam. Guelfica.*

Bonifidius Enimundus, vulgavit typis Henrici Stephani suam *Juris Orientalis Digestionem Græcè*, additâ *Latinâ* suâ *versione ac Notis*: in qua multa ad Jus Ecclesiasticum collecta sunt, quæ aucta postmodum a Joh. Leunclavio, *Bonifidium* imitato, *in Jure ejus Græco — Rom.*

Bonitas, in *LL.* Comitis de Montefort *A. C. 1212.* pro Albiensibus: *Nullus Baro, Miles, aut quilibet alius Dominus, cui Comes dederit terram in partibus istis, poterit exigere, ultra mensuram taliæ statutam & confirmatam, liberis eorundem dominorum & Comitis, sive nomine talliæ aut Quæstæ, sive* Bonitatis, *vel cujuscunque alterius causæ*, alibique, exactionem notat, quæ sub specioso *Bonitatis* nomine, tanquam gratuito à subditis præstanda, poscebatur. Car. du Fresne *Glossar.*

Bonitus, inter stipatores Gallieni Imp. memoratus Treb. Pollioni *in XXX. Tyrannis.*

Bonna, apud Glabrum Rodolphum *lib. 2. cap. 10. Multi ibi limites, quos alii Bonnas vocant, suorum recognoverunt agrorum*, &c. terminus, limes est. Aliter *Bonda*, Gall. *Bonne*: quas voces Rigaltius existimat à Gromaticis & Agrimensoribus mutuò acceptas esse, effictasque ex iis, quas usurpant passim, *botones, botontini* & *botonenes*: quæ tumores sive monticellos & colliculos, qui quondam terminorum vicem fungebantur, significant. Figuram eorum, repræsentat Hygenus *de Limit. constit. pag. 222.* Hinc *Bonagium*, & *Abonagium*, voces medii ævi, jus, quod Majoribus villarum maxime competit, in designendis metis, in terris vassallorum denotantes, *Bornage* Gall. in *Consuetud.* Peronensi, ubi dicitur jus istud spectare ad Majorem & Scabinos ejusdem oppidi. V. plurima de hac voce ejusque synonymis, & quæ inde deducta, apud Carolum du Fresne in *Glossar.* ut & infrà in voce *Butuni.*

Bonosiani, Bonosi Episc. Hæretici sectatores, Christum non verum, sed *adoptivum* Dei *Filium* esse, delirarunt, 24. *quæst. 3. can. 23.* cum Circumcellionibus seu Scotopicis in plurimis convenientes. V. Car. Macrum in *Hierolexico*, sed inprimis Isidorum *Hispal. Origin. lib. 8. cap. 5.* & *de Scriptoribus Eccles. cap. 20.* ubi refert, Justinianum Ecclesiæ Valensis Episcopum, qui floruit temporibus Teudi Principis Gothorum, Justiniano Sen. Imp. coævi, contra eos scripsisse. De *Bonoso* v. Episcopo diximus suo loco.

Bonosus, Scholasticus quidam, cujus hæc acutè dicta in vet. exemplari Salmasius reperit. De incestu: *Incestum si promiseris, perii — si negaveris, tu periisti.* De funambulo: *Vidi hominem pendere cum via, cui latior erat planta, quàm semita.* &c. Multi alii ejusdem nominis occurrunt in Vett. scriptis: Ejus verò origo à *Bonus* est, pro quo *Bonosus* illa ætas loquebatur, sicut *camosus*, pro *camus*, legimus, apud Valerianum *Epist.* ad Probum. Salmasius *ad Vopiscum in Bonoso.*

Bonum S. Mariæ in *Capitulis* Carolomanni *ann. 743. cap. 19.* superstitionis & paganiæ species apud du Fresne.

Bonus Dies, additum olim diebus festis. Καλὰς enim ἡμέρας festos dies vocabant Græci, Latini *bonos*: unde nunquam Saturnalia, Liberalia, Hilaria, & ejusmodi alios dies festos, nominabant Vett. quin adderent, *Bonum diem*. Ut, *Saturnalibus bono die, Liberalibus bono die, Hilaribus bono die.* Plautus in *Pænulo*,

— *Tum tu igitur die* bono *Aphrodisiis*
Addice tuam mihi meretricem minusculam.

Idem alibi, *Aphrodisiis die bono.* Catullus,

Saturnalibus optimo dierum.

Inde εὐήμερος Græcis, *homo festus* & *festi diei*, qui libenter genio indulget, & sibi amicisque morem gerit, festivus & hilaris. Lat. *festus* & *festi diei*, ut dictum, *homo*. Sic namque Donatus *ad illud Terentii*, *o festus dies hominis*; pro, *homo festi diei. Sic dicitur etiam festus homo. Ennius, o pietas animi.* Contrà κακοημέρητοι dicebantur homines morosi, qui nec sibi, nec aliis bene facerent, tristes & severi, geniique sui defraudatores, aliàs ἀποφράδες, à diebus malis ac infaustis, quæ illis sic dicuntur. Salmasius *ad Trebellium Pollionem in Claudio.*

Bonzii, h. e. *sacrorum præfecti*, dicuntur apud Japonios, qui sacra curant. E quibus unum, nomine Combadaxi, mirandum virum, & à quo Japonii literas sunt edocti, jam ante annos 800. extremâ ætate jussisse magnificum sibi extrui delubrum, inque specum iturum dixisse, se vitæ hujus satietate teneri: velle igitur quiescere, non ad diem tertium, uti Sospitator noster: sed (o circumspectum Impostorem) ad decies millies millena annorum millia; quo spatio exacto magnum Japoniæ obventurum Doctorem, ac se quoque tum redditum iri luci. Quibus dictis obturari jussisse ostium specus; eundem autem vivere adhuc, eoque die anniversaria coli ac votis supplicibus invocari, ajunt. V. de eo Epistolam Casp. Vilelæ Soc. Jesu, quæ extat *Epistolar. Japon. lib. 3.* apud P. Matthæum, ut & Vossium *de Idol. l. 1. cap. 2.*

Borbonia, villa Galliæ, aquis suis nobilis, in agro ac diœcesi Lingonica, vulgò *Bourbonne* quam Aimoinus *Vervona castrum adificii captum, in colle*, Theodeberto ac Theodorico fratribus, apud Francos regnantibus, vocat, & inter urbem Lingonum ac Tullum ponit. Hadr. Valesius *Notitia Gall.* in voce *Lingones.*

Borbonia Sidera, in honorem augustæ illius Domus, dicta sunt à Johanne Tarde Gallo, maculæ illæ circa Solem, nisi Soli potiùs insint, moveri solitæ, quæ nil aliud et aliisque videntur, quàm stellæ Solem circumeuntes. Gerh. Jo. Vossius *de Orig. & progr. Idolol. l. 2. cap. 3.*

Borboriani seu Borboritæ, in *l. Arriani* & *l. cognovimus*, & *l. pen. Cod. de Hæreticis*, sunt Hæretici, exorti temporibus Hadriani Imp. circa A. C. 129. qui, ut ait Philastrius *in Catal. Hæretic.* *vitiis implicati seculi & malis concupiscentiis servientes, judicium non sperarunt futurum, sed potiùs carnalem seculi concupiscentiam laudarunt.* Ex Gr. Βόρβορος, *cœnum*. Sic enim idem, *Hi itaque in cœnum euntes et inde obliti de cono facies & membra sua deformantes, eadem re cunctis velut culpandam Dei creaturam demonstrabant.* Brissonius apud Joh. Calvinum *Lexic. Jurid.* E Gnosticis fuisse, legas apud Macrum *Hierolexico.* Iidem *Stratiotici* h. e. *Militares*, dicti, quia de militaribus fuerunt, *Barbelitæ* item, & *Phibionitæ*, *Floriniani* porro, & *Libertini*, de quibus vocibus V. suis locis. Quam sectam execrandam è Valentini semine pullulasse, tradit Theodoretus. V. Jo. Forbesium *Instruction. Historico-Theologic. lib. I. cap. 39. versu 4.* & ex Vett. quoque Epiphanium *in Panar. lib. 1. Tom. 2. Hær. 26.* nec non Augustinum *Hær. 6.* Atque ex hujusmodi Hæreticorum nefariis consuetudinibus commixtionibusque, Diabolicæ in Christianos calumniæ, de promiscua & incesta venere, deque infanticidio ac Thyestæis epulis, occasionem perperam Paganos arripuisse, discimus ex Justino Mart. *Dial. cum Tryphone*, Athenagora *Apolog. pro Christ.* Minutio Felice *in Octavio*, Aliis. Nec omittendum, eadem hominum monstra, aliorum Hæreticorum imitatione, qui decipere per nominum terriculamenta & appellationes barbaras confictas imperitos conabantur, exsecrandis suis figmentis Hebraica nomina quoque affinxisse, quibus simpliciores similiter terrerent, uti legimus apud Theodoretum *Hær. fab.*

fab. lib. 1. *cap. de Barbelinis* seu *Barbarianis*. V. iterum Forbesium *lib. XII. cap* 9. §. … &c.

Borda, vox Arabica, striatam vestem notat, & hinc alam locustæ, in Poëtis, apud Sam. Bochartum *Hierozoici Part. prior. Lib. II. cap.* 45. Apud Scriptores citimæ ætatis Latinos, domum significat, ædem, tugurium. Unde *Bordellum*, ædicula, tuguriolum, & quia meretrices plerunque in illiusmodi domunculis ac nullius momenti ædibus habitant, Gallis lupanar. V. Car. du Fresne *Glossar.* V. & *Not. ad Joinvillam.*

Berdinati, V. infra *Guidones.*

Boreas, ventus, adde: In turre ventorum octogona, ab Andronico Cyrrheste, Athenis extructa, quam Vitruvius prolixè describit, quamque *Horologii* nomine Varro appellat, cùm omnes octo venti, tum noti, repræsentarentur sub pusionum variis schematibus: *Boreas* ibi hodieque visitur, sub imagine pueri alati celerrimè volantis, cothurnati ac vultum pallio velut contra frigus se muniret, obvolventis, nihilque secum ferentis: (Ventus enim sterilis est & frigus utraque bucca spirans) Uti observavit Jac. Sponius Lugdun. *Voyage de Grece part.* 2. Cùm porro Ventis supplicare Athenienses cœpissent, sub adventantem Xerxis exercitum, ara in delubro Thujæ, Cephisi filiæ, ventis in genere constituta est. Herodot. *lib.* 7. Sed nec peculiaris *Boreæ* defuit, ubi is Orithyiam rapuisse dicebatur, Plat. *in Phædro.* Quem tamen cultum fuisse mixtum, censet Vossius, ut unà cum hoc vento cultus sit Vir magni nominis è Boreali tractu adveniens, à quo rapta Orithya: Nisi malis, principem hanc puellam periisse tempestate, quam phreneticus ille Boreas conciverat, ac propterea placuisse, ut *Boreæ* supplicaretur, quò in posterum magis propitius fieret navigantibus. V. Vossium *de Idolol. lib.* 3. *cap.* 1. & plura de hoc vento, apud Salmasium *ad Solinum pag.* 1247. *& seqq.*

Boreon Stoma, apud Solinum *cap.* 13 de flum. Histro, *Septem ostiis Pontum influit: quorum primum Peuce, secundum Naracustoma, tertium Calonstoma: quartum Pseudostoma: nam Boreon Stoma, ac deinde Stenostoma languidiora sunt cæteris.* Uti correxit Salmasius è libris, cùm ante excuderetur, *Boreostoma*. Certè Ammianus ex hoc loco, *Nam Boreon stoma*, inquit, *ac deinde Stenon stoma longè minora sunt cæteris.* Græcè enim Βόρειον στόμα dicitur. Ptolom. … Βόρειον &c. V. eum *Exercit. Plin. ad Solinum pag.* 186.

Borgha & *Burgha*, apud Anglos, ea Comitatus seu provinciæ portio est, quam olim *Decaniam* seu *Decuriam* & *Friborgam* vocabant, inhabitata à Decemviris, qui in solidum fidejussores erant erga Regem de iis, quæ in *Decenna* perpetrarentur. Alvredus namque Rex, qui circa A. C. 880 floruit, Angliam totam in Comitatus, Comitatus in Centurias, atque has in Decennas seu Decurias divisit &c. Quâ notione vox non semel occurrit, apud W. Thorn. V. in voce *Friborga.*

Borivojus, decimus à Zecho, conditore gentis, Bohemorum Dux, à Methodio, Moravorum Apostolo, baptizatus, religionem Christianam in Bohemiam introduxit, A. C. 865. Aliter *Borivoglus*. Georg. Hornius *Orb. Imp.* A Cyrillo Alexandrino, unà cum XXX Palatinis sacro fonte tinctum esse, refert Theobaldus Bohemus. V. suprà, in voce *Bohemia* & in *Borzivous.*

Bornholmia, vulgò Bornholm, insula Daniæ, à Friderico I. R. Lubecensibus, ob auxilia, ad annos 50. oppignorata, recepta est iis finitis à nepote ejus Friderico II. A. C. 1576. Postea à Suecis, duce Hornio, occupata A. C. 1643. mansit illis pace Roschildæ factâ A. C. 1658. unà cum Scania, Blekingia, Hallandia, Nidrosiensi item & Bahusio tractu, in Norvegia. Alterâ dein pace A. C. 1660. inter eosdem factâ, Nidrosiensis tractus à Suecis redditus & pro *Bornholmia* æquivalens promissum est. Haud pridem semel atque iterum naufragium ibi passi sunt Suecì, partim fervente ultimo inter illos Danosque bello, quo Insula in potestatem horum redacta est; partim pace factâ, qua illa sub Suecos rediit, ut ex moderna Historia notum.

Borsius, primus Ferrariæ Dux, à Friderico III. Imp. & Paulo II. creatus est, V. ibi de *Atestinis.*

Borussi, adde: Quos olim Deos coluerint, exponit Erasmus Stella penè *initio de Antiqq. Boruss. lib.* 1. *Nulla eis sacra aliquando fuere: tandem in eam deducti insaniam, ut serpentes feras que & arbores, religiose colerent.* Ubi quod de *serpentibus* habet, simile quid de Samogitis narrat, Sigism. L. B. Herberstenius *Comm. Rer. Moscov.* de Lithuanis, Idem *ibid.* & Alex. Guaginus *Sarmat. Eur.* de Calecutensibus, Jul. Cæs. Scaliger *Exercit. Anim lib.* 2. *cap.* 8. *fol.* 123. & jam de Ægyptiis veteribus, Phylarchus *Histor. lib.* 12. & ex eo Ælianus *de Animal. lib.* 17. *cap.* 5. V. Vossium *de orig. & progr. Idolol. lib.* 4. *cap.* 63.

Borussia, adde: In latitudinem 50. in longitudinem verò 60. mill. extenditur: ab Occ. Pomeraniâ, ab Austro Masoviâ, Lithuaniâ cum Samogitia ab Ortu, mari Balthico à Sept. terminata. Claret supra modum illustrium urbium, oppidorum atriumque frequentiâ, opibus incolarum ac terræ ubertate, pecoris insuper omnigeni inæstimabili copiâ, ut & piscationibus, venationibus, ac sylvis fructuosissimis, sed metallorum minus ferax est. Merces, quas è Polonia, Russia & Lithuania accipit maximo suo commodo, trans mare mittit, & vicissim in Poloniam importat, quidquid Europa universa ac India gignit, omnia fere, à transmarinis mercatoribus, accipiens. Succinum speciale ejus donum est, quod nullum mare, præter Balthicum ferre dicitur. Tenuerunt hanc regionem diu, olim Equites Teutonici: quo nomine cum lites alere cum Poloniæ Regibus cogerentur, tandem cladibus aliquot fracti Casimiro Sigismundi I. parenti, fidem dedere. Sed cùm Albertus Brandeburg. Sigismundi ex sorore nepos ac Ordinis Mag. Antecessorum jurejurando stare nollet, novo bello implicitus, à Cæsare auxilia frustra expectavit: Hinc sibi pace cum Avunculo contractâ consulendi occasionem suo fit, quæ hac lege inita est, ut ex Ordinis Magistro, à Poloniæ R. cujus clientelæ se submiserat, Borussiæ Dux crearetur, partemque illam, quæ *Ducalis* hinc dicta, in feudum ab eo acciperet: Quo jure Elector hodiernus Brandeburgicus transactione Welaviensi absolutus est, supremo in *Borussiam Duc.* jure obtento, A. C. 1657. Regia tribus Satrapiis distincta est, Culmensi, cujus caput Culma & in qua Thorunium: Mariæburgensi, cujus caput urbs est cognominis, & in qua Elbinga: ac Varmiensi, in qua Heilsberga & Brunsberga. V. Auctorem Anonymum *Hist. Orbis Terr. Geogr. ac Civ.*

Borysthenes opp. ab Olbiopolitis, qui Græci erant, aut certè Græcis mixti, vel potiùs à Tauroscythis Barbaris vel Scythis, vel Gotthis sive Getis, habitatum, Dio Chrysost. Ptolomæo *Olbia* & *Borysthenes* sive Βορυσθενίς, duo sunt unius oppidi nomina: aliter quam tradit Plinius. Lege omnino Dionis Sermonem τὸν Βορυσθενιτικὸν Salmasius *ad Capitolinum in Antonino Pio.*

Borysthenes, nomen equi, quo Hadrianus Imp. ad venandum usus est, cuique mortuo sepulcrum extruxit. Dio … δὲ περὶ τὰς θήρας … αὐτῷ καὶ ὁ Βορυσθένης ὁ ἵππος … ἀποθανόντα … καὶ στήλην ἔστησε καὶ ἐπιγράμματα ἐπέγραψε. *Ejus autem ad venandum propensionis, & Borysthenes equus, quo maximè in venatione utebatur, signum est. Huic enim mortuo & tumulum condidit, & columnam erexit, & epigrammata ei inscripsit.* E quibus hoc hodieque extat,

Borysthenes Alanus,
Cæsareus veredus,
Per æquor & paludes,
Et tumulos Etruscos,
Volare qui solebat,
Pannonios nec ullus
Apros eum insequentem
Dente aper albicanti
Ausus fuit nocere,
Vel extimam salivâ
Sparsit ab ore caudam,
Ut solet evenire:
Sed integer juventâ
Inviolatus artus,
Die sua peremtus
Hoc situs est in agro.

ex recensione Salmasii, cujus versionem Græcam V. *Not. ad Spartianum in Hadriano.*

Bos, animal & ad agriculturam utile est, & homini in cibum cedit. Apud Athenienses tamen Bove vesci *aratore* nefas: ut constat ex Æliano, *Var. Histor. lib.* 5 *cap.* 14. & Varrone *lib.* … *cap.* 5. ubi hic, *Bos*, inquit, *socius hominum in rustico opere & Cereris minister. Ab hoc antiqui manus ita abstineri voluerunt, ut capite sanxerint, si quis occidisset.* Plinius quoque *lib.* 8. *cap.* 45. *Socium* ait, *laboris, agrique culturæ habemus hoc animal, tantæ apud priores curæ, ut sit, inter exempla, damnatus à Pop. Romano, die dicta, qui concubino procaci rure omasum se edisse neganti, occiderat bovem: actusque in exilium tanquam colono suo interemto.* Etiam Domitianus Cæsar, apud Suetonium *cap.* 9. *inter initia usque adeo ab omni cæde abhorrebat, ut, absente adhuc Patre, recordatus Virgilii versum,*

Impia quàm cæsis gens est epulata juvencis,

edicere destinaverit ne boves immolarentur. Aratus quoque *Phænom. versu* 125. ait, ferreo demum seculo edi cœpisse boves aratores. Sic enim de ejus ætatis hominibus scribit,

Οἱ πρῶτοι κακοεργὸν ἐχαλκεύσαντο μάχαιραν
Εἰνοδίην, πρῶτοι δὲ βοῶν ἐπάσαντ' ἀροτήρων.

Ubi Cicero βοῶν ἀροτήρων, reddidit *domitum juvencum*: Germanicus vero apertius *taurum aratro adsuetum*. Imò nec sacrificare Diis Bovem aratorem licuisse, dicimus ex Homero *Il.* κ. ubi Diomedes ait, velle se Minervæ sacrificare,

—— Βοῦν ἦνιν, εὐρυμέτωπον,
Ἀδμήτην, ἣν οὔπω ὑπὸ ζυγὸν ἤγαγεν ἀνήρ.
Bovem *hornam, latifrontem,*
Indomitam, quam necdum sub jugum duxit vir.

Quod sacrificium sanè convenit legi Atticæ, Βοὸς ἀροτῆρος μὴ θύειν. Etiam fuit, cùm non solùm Βοῦν ἀροτῆρα seu δαμαστὴν, *bovem aratorem* seu *domitum*, sacrificare Athenis esset interdictum: sed simpliciter lege caveretur, Βοῦν μὴ καταθύειν. *Boves ne mactato.* Verùm hoc tantùm erat, cùm ob ingentem boum raritatem metus esset, ne, si sacrificiis porro eorum numerus minueretur, cessaret

faret tandem agricultura, ut Philochorus ait, apud Athenæum *lib.* 9. Deus verò neutiquam populo suo bovis esu interdixit: eoque non modò inservit nobis ad agriculturam, (quò pertinet illud Mosaicum, Deuter. 25. *Bovi trituranti os non obligabis*: quod etiam ad alendos Ecclesiæ Doctores accommodat Apostolus, 1. Cor. 9.) sed ad hoc quoque, ut corpora nostra carne suâ suffulciat ac reficiat, imò & in deliciis habeat, locum, V. Matth. c. 22. *versu* 4. &c. Ulterius superstitio progressa, etiam inter Numina referre Bovem non erubuit. Et primitus quidem, Ægyptiis *Bos* symbolum erat frumenti ac annonæ, quo memoriam servatæ tempore famis Ægypti, à Josepho Patr. post obitum ejus conservare atque ad posteros propagare conati sunt: nec sapientiores fere processerunt ulteriùs: At vulgus paulatim eò est perductum, ut illis, quæ pro symbolis primò duntaxat habita forent, postmodo cultus divinus, tanquam veris Numinibus, præstaretur. V. Strabonem *lib.* 17. Et quidem Ægyptiis *Bos* geminus cultus est, unus Heliopoli, *Mnevis*; alter Memphi, *Apis* dictus, teste Eod *ibid.* præter quos auratum quoque habuisse, in Osiridis luctu, pullâ veste byssinâ tectum & ab Hierophantis quatuor mensis *Athyr* seu Novembris diebus solenniter atque palàm ostentari solitum, quem in deserto postea Israëlitæ in animo habuerint atque imitati sint in sua μοσχοποιΐᾳ, tradit Seldenus *de Diis Syris Syntagm.* 1. *cap.* 4. & ex eo Tob. Pfannerus *System. Theol. Gentilis purioris cap.* 11. § 10. Nempe, uti Romanum Græcumque vulgus, statuas Numinum, propter cultum, qui iis præstaretur, Deos credebat: sic Ægyptium vulgus hos boves Deos existimabat. Quod sequutus quoque est Plinius, quem videre operæ erit pretium, *lib.* 8. *cap.* 46. Reliqui verò, Sacerdotes saltem & sapientiores, *Bovem* Heliopolitanum non habuere, nisi pro symbolo Dei Solis; & Memphiticum, pro symbolo Lunæ, ut Vossius ostendit *de Idolol. lib.* 1. *cap.* 29. Ab Ægyptiis ad Indos, ut plurima alia sacra, sic *Bovis* quoque cultus demigravit: de quibus hunc in modum Scaliger *adv. Cardanum Exercit.* 258. *sect.* 1. *Quemadmodum Isis olim ab Ægyptiis, ita nunc ab Indis, qui Cuchin regnum incolunt, Bos peculiari — cultu pro Deo habetur & nuncupatur Tambaran. Cui veteri cultui novus hic ut respondeat: ita priscum Græcorum institutum novi memoriâ repræsentatur, in Colorin, quæ ab illis locis haud multùm distat Orientem versùs. Ibi namque oleo peruncti palæstris exercentur* &c. Numero porro *Boum* olim divites censitos, notum ex Veterum scriptis; sed & in muneribus Militum eos fuisse, ex Livio discimus. Ita enim is *libro* 7. *cap.* 26. de Valerio Corvo, post Gallum, magnitudine atque armis insignem, monomachiâ superatum, *Consul, concione advocatâ laudatum Tribunum, decem bobus aureaque corona donat.* Et *lib* 26. *cap* 48. de Lælio, post Carthaginenses navali bello profligatos, *Tum reliquos, prout cuique meritum virtusque erat, donavit* (Scipio) *ante omnes C. Lælium præfectum classis & omni genere laudis sibimet ipsi æquavit & corona aureâ ac triginta bubus donavit.* Imò cœteris præmiis, antiquissimo more, accessisse *Boves*, docet apud Euripidem Hercules, ubi memorans nicæteria, quibus donatus est, ait, illos, qui leviorum certaminum victores fuerunt, *equos* accepisse: at qui graviorum, hoc est, qui luctâ & pugilatu vicissent, *boves*, cum præclara fœmina. *Alcest. Act.* 5.

> Τὰ μὲν γὰρ κοῦφα νικῶσιν ἦν
> Ἵππους ἄγεσθαι· τοῖσι δ' αὖ τὰ μείζονα
> Νικῶσι πυγμὴν, καὶ πάλην, βουφόρβια.
> Γυνὴ δ' ἐπ' αὐτοῖς εἵπετο.

Cyrus quoque iis, qui in certaminibus victores fuissent, boves dabat, quos sacrificarent, ut inde epularentur: ipse etiam *bovem Nicephorum* accepit. V. quoque Q. Calabrum *lib.* 4. Sed & illis id præmii dabatur, qui Dithyrambo vicissent. Quamvis enim vox non rarò sumatur pro Atheniensium drachma, *quæ bovem* insculptum habebat; etiam aliqui in Deliis, id quod pronuntiabatur cùm cuipiam donum daretur, *tot boves ei datum iri*, de hujusmodi nummo intelligant; tamen in præmiis memoratis, veros *boves* prisco more datos esse, non nummos solùm, quibus bos insculptus, firmat Car. Paschalius *Coronarum lib.* 7. *cap.* 7. Ut nec hoc omittam, *Boum* fimo pro lignis uti, Axylæ terræ incolas, Livius docet *lib.* 38. *cap.* 18. Unde Ulpianus *lib.* 55. § 6 *ff. de leg.* 3. *In quibusdam provinciis & edicto boum ad hanc rem utuntur* &c. V. Vossium *de Idol. lib.* 3. *cap.* 74 & 75. Item *Ejusd. Libr. cap.* 66. cui adde Salmasium *ad Solinum passim*, ubi de *Bobus Æthiopicis ac Indicis Unicornibus tricornibusque*; *de Bobus camuris, cernuis & licinis, frumentinis, coloris helvacei, vel melini, patalibus & patulis, varis, pag.* 211. 257. 944. 1008 & 1009. & Sam. Bochartum *Hierozoici Part. prior. lib. II. cap.* 28. & *seqq.* Hodie *Bobus* Hungaria Italiæ & parti Germaniæ super. prospicit; Marchiæ, Silesiæ & Saxoniæ Polonia; Dani macilentos boves suos in Belgium impinguandos transmittunt: estque celebre in Germania Forum Boarium Buttstadiæ in Thuringia, Auctor Anonymus *Histor. Orbis Terr. Geogr. ac Civ. cap.* 10. *de Commerciis.* A *Bove*, medio ævo, dictum est *Bovagium* seu Boagium tributum, quod ratione boum pendebatur, seu pro pari boum aratorum aut pro aratro: *Bobatico* Hispanis. Cujus mentio non semel in aliquot *Edictis* & *Chartis* Aragoniæ Regum, quod erat 12. denar. pro unoquoque pari. Item in *Charta* Jacobi Majoricæ R. in *Usaticis* Regni Majoricæ *MSS.* Exigi id solitum fuisse, adveniente Rege seu Domino, habetur in *Charta* Sancii Regis Majoric. quam consuetudinem pater hujus Jacobus sustulit, ejusque loco salis gabellam imposuit, ut in *Charta* hac habetur; quâ, pro exsolvendis debitis, quæ contraxerat in variis bellis, Nobilibus Catalanis & civibus Barcinonensibus vendit, seu potiùs remittit, pro pretio ducenties mille librarum bonæ monetæ Barcinon. *Bovagium, Terragium & Herbagium — in Catalonia, quotiescunque novus Rex Dominus seu hæres in Catalonia noviter succedebat, licèt assereretur per Nobiles Milites, & cives & homines villarum, & aliorum hominum Cataloniæ, cum vel successores ejus non debere habere dictum* Bovagium, *Terragium & Herbagium, nisi tantùm de bobus & cæteris animalibus ac pecudibus minutis* &c. apud du Fresne *Glossar.* Super addendum *Bovis* elogium, ex Ovidio Metamorph. *lib.* 15. *fab.* 12. ubi is eum vocat Animal

> —— —— *Sine fraude dolisque*
> *Innocuum, simplex, natum tolerare Labores*, &c.

V. quoque infrà, passim.

Bos Auratus, Apollini mactatus à Romanis, memoratur Livio *lib.* 25. *cap.* 12. *Ad id carmen* (Marcii Vatis illustris) *explanandum, diem unum sumpserunt. postero die SC. factum est, ut Decemviri libros, de Ludis Apollinis reque divina facienda, inspicerent — Alterum Senatusconsultum factum est, Ut Decemviri sacra Græco ritu facerent, hisque hostiis. Apollini* bove aurato & *capris duabus albis auratis, Latonæ bove fœmina auratâ.* Sed & *Bove aurato* donatus legitur L. Minucius Præfectus Annonæ, apud eundem *lib.* 4. *cap.* 15. *L. Minucius* bove aurato *extra portam trigeminam est donatus, ne plebe quidem invitâ* &c. Uti quidem Vossianus Codex habet; sed in margine antiquâ manu, *arvo* scriptum est. Unde colligit Gronovius, *bove & arvo* forsan legendum, *Not. ad l.*

Bos Cornupeta, memoratur Exodi *cap.* 21. *vers.* 28. & *seqq.* ubi de eo Lex: *Si bos* cornupeta *percusserit Virum — Lapidibus obruetur & non comedentur carnes ejus, dominusque bovis erit innocens*, hoc est, *si percusserit virum ictu lethali.* Nam si quis à tali bove citra mortem fuisset læsus, dabatur compensatio & tenebatur bovis possessor quoquo modo providere, ne in posterum tale quid accideret. Romanis quidem satis fuit τὸ περισπεῖραι τῶν βοῶν ὑπὲρ τὰ φυλάττεσθαι τοὺς ἐντυγχάνοντας χόρτον περιειλεῖν τὸ κέρας, *bobus cornu-petentibus, ut obvii sibi caverent, cornu fœno circumligare*; Plut. in *Crasso*; ad quem morem Horatius alludit *Sat.* 4.

> *Fœnum habet in cornu, longè fuge.*

Sed boves hujusmodi, quamvis hoc notatos signo, semper vitare cujusvis non est: quos proin justiùs mactassent, quàm canes, quos quotannis crucifigebant in memoriam illorum, qui nocturnam Gallorum in Capitolium irruptionem latratu non indicaverant, apud Plinium *lib.* 29. *c.* 4. Sed & Draco sanxerat, etiam τὰ ἄψυχα, ἐὰν ἐμπεσόντα ἀποκτείνῃ, ὑπερορίζειν. *Inanimata* (putà, ligna, lapides, ferrum) *quorum casu cædes alicujus facta sit, finibus ejici*, cujus Legis meminere Demosthenes *c. Aristocr.* Pausanias in *Atticis*, Alii. Interim dominus solâ bovis jactura ex Lege divina mulctabatur, siquidem bos tum primùm incepisset cornu ferire. At si, monitus bovem suum huic vitio esse obnoxium, non prospexisset, tum non bos solus, sed & dominus, reus erat mortis, *Ibid.* Quia tamen in certo casu hæc mortis pœna gravior videri potuit; putà si bos feriit provocatus, aut, ruptis vinculis, quibus detinebatur, aut per servi negligentiam, cui à Domino fuerat commissus: Deus, Judicibus permittens capitalem pœnam quandoque in judiciariam commutare, *Si redemptionis pretium*, inquit, *ei fuerit impositum, tum det pretium redemptionis suæ, planè ut ei fuerit impositum.* Cedet autem id *occisi hæredibus* Et, *si uxor fuerit cæsa, hæredibus ejus ex familia patris, non viri. — Si filium aut filiam bos percusserit, idem de eo statuetur. Sed si servum aut ancillam, triginta siclos argenteos domino dabis & bos lapidibus obruetur.* &c. V. hanc in rem Sam. Bochartum *Hierozoici Part prior. Lib. II. cap.* 40.

Bos Fœmina, apud Ægyptios, Momemphi nutriebatur, ut in Memphi, Apis. Strabo *lib.* 17. Οἱ δὲ Μωμεμφῖται τὴν Ἀφροδίτην τιμῶσι, καὶ τρέφεται θήλεια βοῦς ἱερά, καθάπερ ἐν Μέμφει ὁ Ἆπις, ἐν Ἡλίου δὲ πόλει ὁ Μνεῦις. οὗτοι μὲν οὖν οἱ θεοὶ νομίζονται, *Momemphitæ autem Venerem colunt & ibi nutritur fœmina bos sacra, sicut in Memphi Apis, Heliopoli verò Mnevis. Ibi igitur Dii censentur.* Eam semel in anno Apidi tauro oblatam, suis & ipsam insignibus, quamquam aliis, semperque eodem die inveniri solitam & necari, quo Apis, refert Plinius. V. quoque Solinum *cap.* 32. & ad hunc Salmasium *Exercitat. Plin. pag.* 441. De *Boum* Albarum Fœminarum sacrificio Junoni, apud Rom. à XViris facto, V. Livium *lib.* 27. *cap.* 49.

Bos Integer, in Holocaustis, offerendus, Vide infrà *Integer.*

Bos Lucas seu *Luca*, Elephas olim Romanis dictus est. Solinus Polyhistor *cap.* 25. *Elephantes Italia anno Urbis conditæ quadringentesimo septuagesimo secundo in Lucanis primùm bello Epirotico vidit & boves Lucas inde dixit* Nempe cùm eo tempore viderent elephantem, nec scirent, quod genus animantis esset, quia in Lucania primò visus est, *Bos Lucans* iis primò dictus est, h. e. Lucanus, deinde *Lucas* & *Luca.* Sic iidem Romani leones primùm visos notiori nomine *Ursos Numidicos*, Camelopardalim, *ovem feram*, Struthiocamelum, *passerem marinum* &c. nominarunt. Hinc ridet Salmasius Baronium, qui *ad A. C.* 58. scribit, *bovem* vocatum *Lucam* ab Italis, allusione factâ ad figuram bovis. Evangelistæ Lucæ tributam. Itali namque non appellarunt bovem *Lucam*, sed ele-

elephantem vocitarunt *bovem Lucam*, ut vidimus. Deinde Evang. Lucæ ætate jam desierat *bovis Lucæ* appellatio, Romanis tum proprio suo nomine elephantem appellantibus &c. V. eum *ad Solinum pag.* 308.

Bos Triturans, apud Græcos & fortasse etiam apud alios, capistrari solitus est: unde Proverb. Βοῦς ἐπὶ σωρῷ, ἐπὶ τῶν ἀλοώντων, καὶ διὰ φιμοῦ ἐσθίειν κωλυομένων, *Bos in acervo de bobus triturantibus & qui per camum ab esu prohibentur*, apud Suidam & reliquos Parœmiographos. Quod quia inhumanum, *Bovem*, qui laborat, in mediis frugibus, ad curiales damnari ferias. Deus hanc Legem sanxit Israëlitis, Deuter. *cap.* 25. *versu* 4. *Bovem triturantem non capistrabis*, seu, ut Paulus interpretatur, οὐ φιμώσεις, à voce φιμὸς, *capistrum*, quo non triturantes solùm, sed & arantes boves, capistrare mos erat. *Fiscellas* à figura Romani Scriptores appellant, Cato *de R. R. cap.* 54. Plinius *lib.* 18. *cap.* 19. Alii. Alii v. collis jumentorum ligneam indebant machinam, παυσικάπην Gr. quâ ab esu prohibebentur. Alii hac ipsa de causa boum ora fimo oblinebant, Ælianus *Hist. lib.* 4. *cap.* 25. Fuere etiam, qui voce aut alio metu, aut aculeo in ore indito, bovem ab esu absterrebant, aut amoto matri vitulo, aut potu diu illi negato, ut ejus desiderio tortus à cibo abhorreret. Pellibus quoque nonnulli segetes obtegebant, ne bos posset illas morsu attingere. Itaque in eorum censu, qui prælatæ Legis violatæ rei sunt, hi omnes à Maimonide reponuntur. V. Bochartum *Hierozoici Part. prior. Lib. II. cap.* 40. & 41.

Bosci, Gr. Βοσκοὶ, Eremitarum genus, in Palæstina, qui novum quoddam & planè diversum ab aliis vivendi genus excogitarunt. Viri nempe & mulieres in solitudinem ardoribus effervescentem se abdunt, & *solis illis membris*, quæ naturæ serviunt necessitati, *obtectis*, reliquum corpus frigoribus immensis & fervidis aëris caloribus, nudum exponunt, æstu æque atque algore contemto; alimentis, quibus homines vesci solent, penitus spretis, terram depascentes, unde illis nomen. Evagrius *l.* 1. *c.* 21. apud Macros Fratres *Hierolexic. in voce Laura*.

Bosentiacæ, aliàs *Busentiacum*, vulgò *Busançais*, castrum est Galliæ, in Biturigibus Cubis. Hadrian. Valesius *Not. Gall.* in voce *Bituriges Cubi*.

Bosphorus, adde: *Bosphori* fauces, ubi transitus ille brevissimus, ponit ad sacrum Jovis Urii Arrianus *in Peripl.* Ἀπὸ δὲ τοῦ ἱεροῦ πλέοντι ἐν δεξιᾷ ὁ Ῥήβας ποταμός: Dein Melænam prom. mox Artanen, deinde Psilin, postea Calpes portum & inde Rhoën & Chelas & Sangarium fluvium. Qua de re V. Salmasium *ad Solinum pag.* 579.

Bossinaya, monetæ Barcinonensis species, in *Chron.* Barcinonensi memorata, quæ duravit tribus annis, viz. ab A.C. 1109. usque ad annum 1112. apud du Fresne *Glossar.*

Bostangibassa, Præfectus hortorum, in Aula Turcica. Joh. Baptista Tavernier in *Serraglio*.

Bostryx & *Bostrychus*, Græcè Βόστρυχος, dictus est globus nodusve crinium calamistro invicem implexus & intortus cincinnus, quem etiam πλόκαμον Græci Grammatici, item τριχῶν κύκλον, dixere. Propriè de crine muliebri, qui multos plerunque flexus & spiras habebat, ut ex vett. nummis videre est. Hesychius, Βόστρυχοι, πλόκαμοι. Item, Βοστρυχίζει, πολυπλοκαμεῖ. Qui v. in botryonem unum vel corymbium collectus esset, βότρυν appellavere. Unde Poëta.

—— Χρυσέας ξανθὸν ἐκ βότρυν ἔθειρας.

Agathias *in Epigramm.*

—— καὶ τὸ πρίν ποτε

Πλοχμὸς ἐλισσομένους βότρυν ἔσχε κόμας &c.

Ex βότρυς, *botrum* & *botronem* fecere Latini, unde *botronatus* apud Tertullianum & Cyprianum, capitis ornatus, quo βοτρυδὸν, i. *in morem uvæ congestus est & accumulatus crinis.* Tertullianus *de cultu Femin.* *Nullam de conchylio vestem Esajas increpet, nullas lunulas reprobet, nullum* botronatum *retundat.* Pro quo *crispantem capillum*, apud Esaiam legere est. Βότρυς certè & βόστρυχος, crispans capillus est. Ἕλικες etenim & cincinni intorti crinium, granis uvæ assimilantur. Hinc tota compago comarum, ex multis ejusmodi granis constans & cincinnis, *Botrus* & *Botronatus*. Sed & σπατάλιον hoc genus dixere, fortè quòd hoc modo in unum collectus crinis aureâ *spatale* vel spatalio vinciretur. Item *corymbium* &c. Cujusmodi ruforum crinium globum graphicè in Achate expressum se habuisse Salmasius refert, *ad Solinum pag.* 763. *& seqq.* V. quoque *infrà*.

Botheca, Gallica vox *Boutique*, pergulam notat seu tabernaculum, in publicum apertam, in cujusmodi pergulis operantur sellularii opifices & mercimonia sua habent exposita. Non ab *Apotheca*, ut quidam volunt, hoc enim vocabulo horreum vel cella interior & in penito ædium repôsta significatur; Sed ex voce ultimæ Latinitatis *Jotheca* & *Gothecca*, uti in omnibus Sidonii libris antiquitus scriptis habetur. Vett. *Zotheca*, Salmasio *ad Solinum p.* 1174. V. infrà in voce *Zotheca*.

Bothena, vulgò *Boyn*, Baronia aut territorium vel districtus domini apud Scotos: Nam, ut Buchananus auctor est, primi Scotiæ Reges, regno in Baronias diviso, cunctas opes agrosque Regios, meritorum ratione habitâ, Magnatibus suis divisere, qui inde *Barones* dicti sunt: Idem.

Botronatus, qui aliàs *corymbion*, tutulus seu meta crinium dicta [illegible], à corymbi vel racemi similitudine. *Botrum* enim & *botronem* Latini racemum dixere, ex Gr. βότρυς: quo vocabulo hi appellarunt cumulatas ejusmodi crinium in altum compositiones. Unde βότρυς ἐθείρης, in *Epigramm.* Gr. V. Salmasium *ad Pollionem in Claudio*, & hic infrà.

Botrus seu *Botrys*, ex Græco βότρυς, appellata est olim concumulatio comæ, quâ Virgines à mulieribus, quæ crinem à fronte dividebant, discernebantur. Cirratæ enim illæ erant, & crinem in vertice colligatum concumulatumque gerebant, absque ulla διακρίσει. Tertullianus *de Virgin. vel. Utique hoc maximè Virgini insigne est, quarum & ornatus ipse propriè sic est, ut cumulata in verticem ipsam capitis arcem ambitus crinium contegat.* Quod idem & in pueris cirratis, ac *corymbus* quoque dicebatur: Sed propriè in mulieribus κόρυμβος, in viris κρωβύλος, in pueris σκορπίος. Hesych. Istiusmodi verò tortis vel calamistratis ac in verticem concumulatis crinibus, opponit Pollux, in describendo habitu Comicarum personarum, διακεχυμένην κατάφυσιν τριχῶν, *ornatum capillorum, qui pexi sunt ac divisi*, & *promulsi* seu *remissi* dicuntur Appulejo &c. V. quoque suprà in *Bostryx* & *Botronatus*. Aliud est Βότρυς, genus inauris, quod βοτρύδιον etiam dictum, à *racemi* similitudine. Ejus meminit Aristophanes Θεσμοφοριαζ.

Διόπας, διάλιθον, πλάστρα, μαλλόνιον, βότρυν,

Χλιδῶνα, πέρονας, ἀμφιδέας &c.

Hesychius item, Βοτρύδια, ἐνωτίων εἶδος, οἱ δὲ βότρυν [illegible]. V. Salmasium *ad Solinum pag.* 763. & infrà ubi *de Inauribus*. Nec omittendum epitheton Bacchi, qui Βοτρυοστέφανος, hoc est, *racemis redimitus*, inter alia dictus est, de quo V. infrà in voce *Hedera*.

Botta, V. infrà, ubi de *Tubrucis*.

Bottinæ, Gallis hodiè dicuntur, calcei ex corio toti, ad medium usque crus ascendentes, quales erant olim perones seu calcei Romanorum; quos *zancas* quoque & *tubulos* & *caligas* appellavere. Salmasius *ad Tertullianum de Pallio, cap.* 5 *p.* 395.

Botuli Psychicorum, apud Tertullianum *adv. Psychicos*, *Quomodo enim protegam castitatem & sobrietatem sine taxatione adversariorum? Quinam isti sint, semel nominabo, exteriores & interiores botuli Psychicorum:* interiores sunt ventris, qui ingluvie implentur & sobrietati bellum indicunt; exteriores, qui extra ventrem prominent, & operantur castitati contraria. Quibus verbis Psychicos taxat, tanquam parùm sobrios & parùm castos. Est autem *Botulus*, Græcè φύσκη, crassum intestinum, quod farciebatur, & tralatitiè, pars illa, quâ viri sunt. Unde Ptolomæorum unus *Physcon* dictus est, uti vidimus, quòd propensioris naturæ esset; Idem & Λάφυσκος ex particula intensiva λα. & φύσκη, hoc est, ἀφροδισιαστὴς, uti Hesychius exponit, Vide Salmasium *ad Solinum pag.* 1242.

Bova, quasi *multorum adjutrix*, voce Francicâ vet. appellata est filia *Sigeberti Franc.* Regis, inter Sanctas relata. Vide *Vitam* ejus *num.* 4.

Bovem, & Leonem, foris in fronte ædium sacratum depingendi consuetudo, memoratur Durando *Ration. libro* 1. *capite* 3. *num.* 5.

Bovem, vel Vitulum, in duas partes dissecandi ritus, in percutiendis Fœderibus olim adhibitus, indigitatur Jeremiæ *cap.* 34. *v.* 18. 19. *Tradam homines istos, qui transgressi sunt fœdus meum — quod coram me pepigerant, cùm transiverunt inter dimidias partes ejus vituli quem in duo diffecuerant. Nempe Principes Judæ & Principes Jerusalem, Eunuchos & Sacerdotes, totumque populum hujus terræ, qui inter dimidias vituli partes transiverunt.* Cujus vestigia jam occurrunt Genes *cap.* 15. *versu*, 9. & 10. ubi jubetur Abraham vitulam triennem, capram triennem & arietem triennem per medium dissecare, & partes singulas singulis ex adverso opponere. Et *versu* 17. lampas ignis inter segmenta illa transiit, id est, Deus O.M. per typum illum significatus, qui cum Abrahamo pepigit fœdus, ut habetur *versu seq.* Idem fecisse *cane dissecto* Bœotos & Macedonas, dicemus infrà; sed lustralis hic ritus fuit non fœderalis, si ita loqui licet. Græci verò antiquissimi, jam Trojanis temporibus, simili ritu fœdera confirmarunt, ut de Agamemnone & Achille *lib.* 2. deque Legatis Græcorum & Antenore Trojano *lib.* 5. narrat Dictys Cretensis. Sed hostia illa pro bove seu vitulo *porcus* fuit. Suidas simile quid de Molossis refert, quos, inter jurandum *bovem* in frustula discindentes fœdera ferire consuevisse, refert, Οἱ Μολοττοὶ ἐν τοῖς ὁρκωμοσίαις κατακόπτοντες εἰς μικρὰ τοὺς βοῦς τὰς συνθήκας ἐποιοῦντο. Quò pertinere videri possit, quòd in *Toxari* memorat Lucianus, apud Scythas, si quis ab alio potentiore læsus est, eum, *Bovis* immolati tergori insidentem, carnes frustulatim concisas & igne tostas prætereuntibus offerre. Ex quibus quotquot comedunt, & bovis tergus dextro pede calcant, se illi pro viribus adfuturos pollicentur, qua de re V. quoque infrà in voce *Melota*. Sed & aliqua ex parte simile est, quod legitur 1. Sam. *cap.* 11. *versu* 7. Saulem, audito incolarum Jabes-Galaad periculo, Spiritu Dei correptum, *par boum* membratim lacerasse & eorum particulas quaquaversum ad Israëlitas misisse, minis additis, fore ut sic fieret illorum bobus, qui se sequi abnuissent. Quæ boum discerpta membra eos tum non minùs affecerunt, quàm olim affecerant duode-

duodecim pellicis partes, quas Levita miserat per omnes Israëlis tribus, Judic. *cap.* 19. *versu* 29. &c. V. Sam. Bochartum *Hierozoici Part. prior. Lib. II. cap.* 33.

Bovera, seu, ut Galli efferunt, *le Bouvier*, dictus est Carolus Crassus Imp. quòd pinguedine ac ventris mole *bovis* instar esset. In brevi *Indice* Regum Francorum, qui præfixus est *Usaticis* Barcinonensibus, in *Cod. MS.* Thuanæo, apud du Fresne, hoc ordine recensentur Reges secundæ stirpis: *Carolus Magnus, Ludovicus filius ejus, Lotharius, Karolus frater ejus, Ludovicus ejus (Lotharii) filius, Karolus Magnus, Karolus de Bovera*, qui dicitur regnasse *annis* 40. *Otho Karolus* &c. Eodem cognomine eum insignit Abbo *de bellis Parisiac. lib.* 1.

Urbs mandata fuit Karolo nobis Basileo,
Imperio cujus regitur totus penè cosmus.

Ubi *Glossa* ipsius Abbonis: *Karolus de Baguerra sive* de Bovera, *qui & Crassus, Rex Franciæ*. V. Car. du Fresne *Glossar.*

Boves, etiam onera olim gestabant, 1. Paralip. *cap.* 12. *vers.* 40. non obstante Proverbio, cujus meminere Tullius *ad Atticum lib.* 5. *Epist.* 15. Quintilianus *lib.* 5 & Ammianus *lib.* 16. *Clitellæ bovi impositæ, planè non est nostrum onus.* Certè & Ælianus, tauros feretro sese submittere & puerum aut puellam cervice, dorso mulierem gestare, refert, *Histor. l.* 7. *c.* 4. & Phile c. 40.

Παγχρηστος ὁ βοῦς καὶ κομίζει φορτία,
Ad omnia aptus bos onera etiam gerit.

Unde in Fabulis Ampelus, puer Baccho dilectus, taurum conscendit,

Καὶ θρασὺς ἵζετο κοῦρος ὑπὲρ βοέοιο μετώπου,
Et audax sedebat puer super bovina fronte:

Apud Nonnum *Dionysiac. lib.* 11. *versu* 167. Atque, ut Poëtæ Europam, ita Romani histriones Herculem tauro vexerunt. Liber *Spectaculorum, Epigramm* 16.

Vexerat Europen fraterna per æquora taurus:
At nunc Alciden taurus in astra tulit.

Imò hoc ipso, quòd Salomon æneo mari boves pro atlantibus supposuit, docuit, hoc animal ad gestanda onera non omnino esse inhabile. Nec in India hodieque quidquam frequentius est, quàm boves gerulos videre. &c. V. Sam. Bochartum *Hierozoic. Parte prior. Lib. II. cap.* 30. Ad basternas matronarum, apud Romanos, non equos solùm aut mulas jungi consuevisse, sed & *Boves*, discimus ex Lampridio, qui inter Semiamirica Senatusconsulta, *in Heliogab.* etiam hanc memorat legem, *quæ pilento, quæ equo sagmario, quæ asino veheretur, quæ carpento mulari, quæ boum* &c. Hinc Augustinus *de Civ. Dei lib.* 22. *c.* 8. *Puerum quendam parvulum, cùm in atrio luderet* (i. in subdivali domûs) *exorbitantes boves, qui vehiculum trahebant, rotâ obtriverunt.* Et Eginhardus in *Vita* Caroli M. *Quocunque eundum erat, carpento ibat, quod bubus junctis — trahebatur. Sic ad palatium, sic ad publicum Populi sui conventum, qui annuatim, ob Regni utilitatem, celebrabatur, ire, sic domum redire solebat.* Quod verò magis mirum, etiam inter animalia cursui publico destinata, *Boves* olim fuere, *l.* 1 & 53. *Cod. Theod. De cursu publico*: quâ eos necessitate, unà cum asinis ac mulis, Julianus exemit, apud Socratem *Histor. Eccl. lib.* 3. *cap.* 1. V. Isaacum Casaubonum *Notis ad Spartianum loco cit.*

Bovicidia, apud Solinum *cap.* 1. *Suo quoque Numini idem Hercules instituit aram, quæ maxima apud Pontifices habetur, cùm se ex Nicostrata Evandri matre — immortalem comperisset fore: conseptum etiam, intra quod ritus sacrorum, factis* bovicidiis, *docuit Potitios*. Βουφόνια sunt Græcis, h.e. *boum immolationes*; quæ Ταυροβόλια quoque dici potuere, unde *taurobolium* Matris Deum, quòd tauri in ejus sacro cædebantur. Sic *Fordicidia* Varroni *de L. L.* βουσίαι sunt ἐγκύμονος βοὸς, *fordæ* namque boves gravidæ. Suetonius verò *Buthysiæ* vocabulo uti maluit, ubi de Nerone barbam ponente, uti suprà vidimus, in voce *Barba*. V. Salmasium *ad Solinum p.* 10.

Bovillum Pecus, etiam Vere sacro devotum, Vide infrà *Ver sacrum*.

Boum caro, non minùs ac vitulorum, jam olim in conviviis recepta est. Unde, ut alia ex Sacris loca præteream, Proverbior. *cap.* 15. *versu* 17. conviviolo ex olusculis opponitur convivium, אבום משור, *ex bove altili*, tanquam tenuissimo lautissimum. In Homericis Heroibus eandem frugalitatem Vett. pridem observarunt: notatque in his Socratis discipulus Dioscorides, qui scripsit τοὺς παρ' Ὁμήρῳ νόμους, Homerum neque in festis, neque in nuptiis, neque in ullo alio conventu quidquam præter bubulam apponere, &c. Interim multos Vett. ab esu *bovis* per superstitionem abstinuisse constat. Nam, præter Ægyptios & Phœnices, qui, auctore Porphyrio, humanis vesci carnibus, quàm vaccam morsu attingere, maluissent; Barcæi & Cyrenæi & pastoritii Afri, inde ab Ægypto usque ad Tritonidem Lacum, ab esu vaccæ itidem abhorruisse leguntur. Imò morte multatus apud Phrygas, quisquis bovem aratorem interfecisset, ut est in Æliano *Histor. lib.* 12. *cap.* 34. Quod Athenis quoque & in Peloponneso prohibitum, Varro *Rust. lib.* 2. *cap.* 5. & *lib.* 5. *c.* 14. In quam rem Atticam legem citat Ælianus *Var. lib.* 5. *cap.* 14. & huc alludens Plato *lib.* 6. *de LL.* Ὅτε οὐδὲ βοός, inquit, ἐτολμῶμεν γεύεσθαι. *Cùm ne bovem quidem gustare audebamus.* Meliore scilicet seculo lex illa antiquata est: cujus tamen vestigia manebant in Diipoliorum & Buphoniorum festis, quibus, mactato *bove*, ensem damnabant, tanquam cædis auctorem. Ita Ælianus *Variar. libro* 8. *capite* 3. Et aureæ vel argenteæ ætatis homines tale quid perpetrasse, Poëtæ negant. Sed æneâ, ait Aratus,

— Πρῶτοι δὲ βοῶν ἐπάσαντ' ἀροτήρων.
Boves aratores primi gustarunt.

Ad ferream descendit Cicero *de N. D. lib.* 2.

Ferrea tum verò proles exorta repentè est,
Ausaque funestum prima est fabricarier ensem,
Et gustare manu victum domitumque juvencum.

Summus item Poëtarum *Georg. lib.* 2.

Ante etiam sceptrum Dictæi Regis & antè
Impia quàm cæsis gens est epulata juvencis.

Quorum verborum memor Domitianus, cùm inter initia Imperii à cæde maximè abhorreret, ne *boves* immolarentur, edicere destinavit, Sueton. *cap.* 9. Et, si Plutarcho credimus *de Carn. esu l.* 2. prisci mortales in fera & malefica animalia grassari cùm incepissent, ab illorum esu paulatim crescens licentia ἐπὶ βοῦν ἐργάτην ἦλθε καὶ τὸ κόσμιον πρόβατον, καὶ τὸν οἰκουρὸν ἀλεκτρυόνα, *ad bovem aratorem advenit & ad ovem, quæ nos ornat, & ad gallum, domûs custodem.* Primusque, si Plinio *Hist. Natur. l.* 7. *c.* 16. fides Prometheus *bovem* interemit. Quin apud Laërtium Aristoxenus scribit, Pythagoram cœtera omnia animalia in cibum permisisse, *nec nisi à bove aratore & ariete abstinuisse.* Neque vett. Romanos ab hac superstitione immunes prorsus fuisse, ex his Plinii colligas *lib.* 8. *cap.* 45. *Damnatus à Populo Rom. die dictâ, qui, concubino procaci rure omasum se edisse neganti, occiderat bovem: actusque in exilium, tanquam colono suo interemto.* Unde Columella de Bove, in *Præfat. lib.* 7. *Cujus tanta fuit olim veneratio, ut tam capitale esset bovem necasse, quàm civem* &c. Sed his, præter exempla Sanctorum, Abrahami, Elisæi, Josiæ, Aliorum, qui boves in cibum apposuerunt, Dei Legem opponit Bochartus, cùm generalem Genes. *cap.* 9. *vers.* 3. *Omne, quod movetur & vivit, vobis erit in cibum*: tum specialem Deuteron. *cap.* 14. *versu* 4. *Hæ sunt bestiæ, quas comedetis*, Boves, *fœtus ovium* &c. V. eum *Hierozoici Part. prior. lib. II. cap.* 33. & quæ superiùs dicta.

BR.

Brabanciones, apud Willh. Neubrigensem *lib.* 2. *cap.* 27. Jac. Vitriacensem *Histor. Occid. cap.* 7. Columbum *in Episcopis Vasion. lib.* 2. *n.* 24. 38. in *Vita* Ludovici VII. Franc. R. alibique prædones sunt Brabantini, seu ex Brabantia, Carol. du Fresne *Glossar.* At *Brabantini*, moneta Ducum Brabantiæ, in aliquot *Tabb.* apud Freder. Sandium in *Consuetud. Feud. pag.* 35. 37. 48. laudatum Eidem.

Brabeuta, Græcè Βραβευτής, item Βραβευτήρ, Judex dicebatur apud Græcos, qui in Ludis publicis, *Sacris* inprimis *Agonibus*, præsidebat: cujusmodi munus olim maximi æstimabatur. Unde apud Persas, ipsos Reges præmia proposuisse cursus eorumq; omnium, quorū in quinquennalibus certaminibus exercitamenta exhibebantur: Corinthios quoque Agesilaum, ut ordinaret Isthmicum certamen, rogasse, docet Strabo *lib.* 14. & Plutarchus in *Agesilao*. Et quidem, apud Græcos, eligebantur hi Judices è Proceribus omnium Græciæ civitatum, saltem donec Græcia fuit libera: unde indignatur Demosthenes *Philipp.* 3. Philippum Macedonem præsidere Pythiis, communibus Græciæ ludis, & si ipse non adsit, ei negotio imponere servos suos. Idque ut plurimum ex eorum numero, qui è talibus certaminibus ipsi victores rediissent. Hi dein intra quoddam septimentum seclusi jure jurando adigebantur, ad judicandum religiosè; quo peracto, coronati, &, ut videtur, purpurati, manuque virgam tenentes, sedebant in loco, qui πλεθρίον dicebatur, tutusque erat asyli instar. Quæ causa, quòd Vitelliani milites, cùm Othonianos irriderent, vocaverint eos Πυθίων καὶ Ὀλυμπίων βραβευτάς, h.e. ignavos & imbelles, utpote *Pythia & Olympica Certamina, è loco tuto, spectantes*, apud Plut. *in Othone*. Potestas puniendi illis amplissima erat, si quis contra legem quid fecisset, legibus Lycurgi. Proin flagris cædebant ineptos & ridiculos athletas, si quis magna illa Numina non ex dignitate imitatus esset. Contra victoribus coronas, nullo gratiæ ac favoris intuitu, saltem antiquitus, imponebant promeritas, quas propterea, quòd Judicarent justissimè, θεμιπλέκτους, quasi *ab ipsa Themide plexas*, Pindarus vocat. Numerum quod attinet, non semper unus idemq; fuit. Tradit enim *l.* 5. Pausanias, Iphitum solum ludis ab se editis præfuisse: id quod ab Oxyli posteris observatum est. Postea traduntur fuisse novem. Jarchas Indus, decem habet, apud Philostratum in *Vita* Apollon. *l.* 3. Aliquando septem: nonnunquam duodecim fuere. Denique Athenis per singulas Tribus electi sunt decem, qui hoc munere per quadriennium fungerentur. Nimirum hi erant, ad quos pertinebat cura disponendi, τὰ Παναθήναια, τόν τε Μουσικὸν καὶ τὸν Γυμνικὸν καὶ τὴν Ἱπποδρομίαν, *Panathenaicos Ludos & Musicum & Gymnicum & equorum cursum.* Sedebant verò, in Musicis certaminibus, in Theatro: at in Gymnicis, fortè quò longiùs prospicerent, stabant plerunque: interdum tamen etiam in hisce sedisse, discimus ex Luciano *in Hermo.* Cœterum vocabantur Ἀγωνοθέται, Ἀθλοθέται, Ῥαβδοῦχοι, Ἐπιστάται, Ἐπόπται, & ut alia omittam, Βραβεῖς, item Βραβευταί: dicebanturque βραβεύειν ἀγῶνα. Hinc καταβραβεύειν (quo verbo per translationem elegantem alicubi Apostolus utitur) &

ταχυδεγμάδοντες dicebantur, quum præmia bene meritis dempta suis suffragiis in immeritos conferebant. Quod Plutarchus disertim enuntiat his verbis, Χαρίζονται (nempe Judices præfati) περὶ τοὺς χορηγοὺς, ἐξ ἀπρεπῶν ἀρχὴν καὶ στεφάνους ἄλλοις, καὶ δίκας, ἐξαιροῦντες τὸ ἔνδοξον αὐτῶν καὶ τὸ καλόν. *Qui, cùm ventum est ad suffragia & aliis Magistratus largiantur & coronas & gloriam è non convenientibus* (id est, ex iis, in quibus nullum est meritum) *ipsi sibi auferunt nobilitatem &* (si quid in ipsis est) *præclarum* &c. Nec hoc omittendum, non omnes Judices simul & promiscue de omnibus Certaminibus judicasse. Ex his namque tres, de Equorum cursu; totidem, de Quinquertio; de cœteris certaminibus reliquos judicasse, docet Pausanias *libro* 2. Plura hanc in rem V. apud Carol. Paschalium *Coronarum libro* 6. *cap.* 10. & 11. De *Brabeutis*, Jul. Pollux *Onomastic. lib.* 3. c 30. Τοῖς δὲ γυμνικοῖς ἐφεστῶσι Βραβευταί, ὡς καὶ Βραβέας ὁ Πλάτων καλεῖ, *Gymnicis autem Ludis præsident* Brabeutæ, *quos etiam* Brabéos *Plato vocat*. Certaminis nempe hi præmium victoribus decreverunt, ut B. Rhenanus ostendit *Adnotat. ad Tertullian.* Ulpianus *l. ff. de iis qui not. infam.* Certaminum Designatores hoc nomine insignitos fuisse ait, &c. V. Moschopulum in *Sylloge Attikor. nom.* & Brissonium laudatum Calvino in *Lexico Jur.*

Braca, non Gallica vox, uti nonnulli contendunt, sed pura puta Græca, Salmasius *ad Tertullian. de Pallio pag.* 123. aliter *Bracca*, vestis species, quâ crura teguntur, ait Hieronymus *in Dan. capite* 3. Ἀναξυρίδας vocat Diodorus Siculus *Biblioth. lib.* 5. & Hesychius &c. Sic Agathias *libro* 2. de Francis, Ἀναξυρίδας οἱ μὲν λινᾶς, οἱ δὲ σκυτίνας διαζωννύμενοι τοῖς σκέλεσι περιαμπίσχονται, *Braccas alii quidem lineas, alii coriaceas cruribus aptant.* Usum earum, propter aëris inclementiam, introductum esse, innuere videtur Hyginus *Poëtic. Astronom. libro* 1. & Ovidius de Getis ac Sarmatis Pontum accolentibus,

Pellibus & laxis arcent mala frigora braccis.

Idem de Bessis,

Pellibus & sutis arcent &c.

Eidem *braccæ Persicæ* memorantur, *Tristium libro* 5. sed præcipuè Gallis fuisse in usu, argumento est, quòd pars quædam Galliæ ab illis nomen traxerit &c. Vide hic intrà.

Bracanetum, villa Galliæ, in Suessionibus, super fluv. Rotumnam, vulgò *Brucgenay*. Hadrianus Valesius in voce *Tardanensis pagus*.

Bracca, apud Æl Lampridium *in Alexandro Sever. Fasciis semper usus est*. braccas *semper habuit*; ἀναξυρίδες Græcorum sunt; quâ utraque voce feminalia, tibialia & pedulia hoc est, feminales & crurales & pedules fascias, non raro comprehendunt Auctores. Certè vetus Interpres Juvenalis versum illum Poëtæ,

Nuper in hanc Urbem pedibus qui venerat albis:

de *brachis* vel de pedulibus accipit; & *bracas* ibi manifestò pro pedum quoque tegmine posuit. Sic ὀδῶνας, hoc est, *udones* à quibusdam *bracas* appellari, adnotavit Epiphanius, *ubi de Catharis*, qui contrarii reliquo hominum generi agentes, annulos in pedibus, pedules & *brachas* in manibus gestabant. Sic Isidorus, *Tubruci*, inquiens, *quod à bracis usque ad tibiam perveniant*: *bracas* itidem pro pedulibus habuit; *Tubruci* enim dicebantur, quos supra hosas accipiebant, teste Paulo *de Gestis Langobard.* &c. Quemadmodum contrà fascias crurales & feminales, quales in usu Persis, *calciamenta* vocavit Justinus *libro* 1. de Semiramide verba faciens. Latinis tamen propriè *Braccæ* de feminalibus, *fasciæ* verò de cruralibus pedulibusque: quo modo & Lampridius distinguit. Sicuti autem, quidquid pedibus tegendis esset accommodatum, πίλους & πέδιλα Græci appellarunt, & tam fascias, quàm udones, vel calceos lineos aut soleas lanatas hoc nomine comprehenderunt: sic *Feminalia* Latini & *bracas* id omne appellarunt, quo femora tegerentur; quamvis tantum inter hæc distaret, quantum inter pedules fascias & udones. Feminalibus, i. fasciis, quibus femina involvebantur, usi Romani etiam sub Augusto, & Augustus ipse usus, frigoris præcipue causâ: *Bracarum* usu tum penitùs adhuc incognito, quarum forma ea planè fuit, quæ nunc quoque est; θυλάκους & σαράβαρα Græci dixerunt, pro *braccis*. Euripides,

— ὁ τοὺς θυλάκους τοὺς ποικίλους
Περὶ τοῖν σκελοῖν ἔχων.
Quæ braccas *illas varias*
Circa crura quum conspexisset.

Postea tamen Romani & illas adhibuere, *bracæque* in Lampridii *loco cit.* quas albas gestavisse Alexandrum scribit, cùm coccineas priùs Impp. solerent, prorsus Gallicæ bracæ fuerunt. Et videntur per illa tempora Romæ etiam frequentes fuisse, in Italia verò frequentissimæ. Demum earum usum intra urbem vetuerunt Honorius & Arcadius A.A. *Cod Theodos. leg.* 2. & 3. Interim feminalia & braccas ubique confundunt Græci Romanique Scriptores: Φεμινάλια quoque passim Auctores Græci, præcipuè Grammatici, in expositione bracarum & ἀναξυρίδων usurpant Hesych. ἀναξυρίδες, φεμινάλια, & περισκελία, σαράβαρα, βράκια. Idem, βράκια, ἀναξυρίδες, quod notandum. Sic enim βράξ pro Latino *braca* Græci citeriores dixerunt; ut κάλιξ, pro *caliga* &c. V. Salmasium *Not. ad Lampridium in Alexandro Severo.* Incisione porro & suturà diversorum pannorum, *bracas* fieri consuevisse, ex Hieronymo discimus *de Veste Sacerdot. Vocaturque linguâ Hebræâ vestis hoc genus michense, Græcè περισκελῆ, à nostris feminalia vel bracca, usque ad genua pertingentes. Refert Josephus hæc feminalia de bysso retorta ad fortitudinem solere contexi, &, postquam incisa fuerint, acu consui, non enim posse in tela hujuscemodi fieri* &c.

Bracharensis Martinus, natione Pannonius, primùm Dumiensis Monasterii Abbas, postea Episcopus *Bracharensis*; ex patria in Orientem progressus, bonas literas & scientias ibidem hausit, tanto quidem successu, ut doctissimos sui temporis æquaret aut superaret. Ex Oriente in Gallæciam delatus, conversis ibi ab Ariana impietate Suevis, regulam fidei & sanctæ Religionis constituit, Ecclesias confirmavit, condidit Monasteria, inter quæ Dumiense ipsum, cujus is primus Abbas factus est. Inde in sede Bracarensi annis 30. circiter exactis, *plenus virtutibus ad Dominum migravit*, Gregorius Turon. *Histor. Franc lib.* 5. *cap.* 38. anno 7. Childeberti Regis Franc. qui fuit 21. Chilperici atque Guntranni, ut habet Aimoinus *de Gestis Francor. lib.* 3. *cap.* 38. Testamenti ejus mentio est, in Concilii Tolet. X. *Decr.* 2. *Scripsit*, verba sunt Miræi in *Histor. Eccl. librum de quatuor virtutibus, falsò Senecæ à nonnullis attributum, sive Formulam honestæ vitæ, quæ Tomo VI. Bibliothecæ Patrum extat* — *Idem Collectionem Canonum ex Græcis Synodis adornavit, quæ in Tomis Conciliorum legitur. In appendice ad Vitas Patrum, typis Plantinianis editas A.C.* 1628 *extant sententiæ Ægyptiorum Patrum ab homine Græco anonymo collectæ, & à Martino Dumiensi in Latinum translatæ. Interrogationes*, quarum in fine meminit Miræus, translatæ sunt per manum Paschasii Diaconi, ut refert Sigebertus *de Scriptor. Eccles. cap.* 117. &c. Ex quibus *Collectionem Canonum* quod attinet, facta est illa ab eo eodem ferè tempore, quo Dionysius Exiguus Romæ suam *Collectionem & Versionem*; & in Africa suam *Digestionem* adornaret Ferrandus, utroque tamen posterior est, nam Ferrandus jam vitâ excesserat A C. 551. & Dionysius 530. jam anno, cùm Martinus hic anno demum 573. secundùm Baronium, vel 580. secundùm Dalæum, vitâ decesserit. Propiùs ad eam accedit Συναγωγὴ Κανόνων Johannis Scholastici, quæ facta est circa A.C. 564. &c. Vertit autem pleraque ex Græco, aliquibus tamen immixtis, ex Conciliis Occidentalibus, Africanis, item Hispanicis, veluti Tolosano I. & Bracharensibus. Divisit Opus in 2 partes, quarum prior *Canones* continet, *de Personis, Rebus & Ritibus Eccles.* agentes. posterior res ad Laicos pertinentes complectitur. Editiones ejus duæ sunt; una vulgaris & vetus, quam omnes Conciliorum collectiones exhibent: Altera recens, quam ex antiquis MS. dicit sese edidisse Garsias à Loaysa, in collectione Conciliorum Hispaniæ. Quarum illam exhibuere Editores *Bibliothecæ Juris Can vet.* Voellius & Justellus filius in *Appendice Tom. I.* ita tamen, ut novum opus, ut illi præfantur, jure censeri ac dici mereatur, ut quæ singulari curâ à Joh. Doviatio, Sacr. Canonum Interprete Regio, cum cœteris editionibus & libris manu exaratis, collata sit, adnotatis ad marginem versionis tum variis lectionibus, tum Conciliis, ex quibus, tanquam fontibus, suos Martinus Canones depromsit. In quo tamen Lectorem monet Mastricht JC. ne credat Doviatio, aut ei, qui in editione Voelli ac Justelli fontes adjecit, quando in indicandis fontibus etiam memorat Canones Pseudapostolicos: Hos enim nunquam in suam Collectionem Episcopus hic retulit, nec eorum meminit, ut qui tum, cùm in Oriente esset, nondum consarcinati fuere &c. V. Gerh von Mastricht *Histor. Juris Eccles. num.* 171. & *seqq.*

Brachia, in *LL.* Aragonum, Ordines Regni sunt, qui vulgò in Gallia *Status* dicuntur, apud Blancam *p.* 771. laudatum Car. du Fresne in *Glossar.* In fluviis *Brachia* dicuntur, quæ Græcis ἐκτροπαί, κέρατα, & πλοχμοί, Latinis *Diverticula*, itidemque *Cornua* & *Crines*. Geographus Salmasii ineditus de Nilo, *In* brachium *Nili incidit, quod ceras Nili vocitatur secat hoc brachium per magnam inundationem.* Et de eodem, *Exhinc per diversa camporum spatia, per octo brachia exiens effluit. totâ Ægyptiorum terrâ irrigatâ.* Latini quoque *ramos* dicunt, ut Græci κλάδους &c. V. Salmasium *ad Solinum p.* 479.

Brachia seu lacertos, inspectante Populo, ferro cruentare, religionis ergò, soliti sunt olim Cybeles sacerdotes Galli; partim ad placandam Deam, quia sanguine, ac præcipuè humano, propitiari Numina Veteres credebant: partim, ut, cùm Cybele terram denotaret, neque semina terræ mandentur in novæ segetis spem, nisi aratro scindatur ager, aratione lacertorum illud repræsentaretur. De ritu sic Statius *Theb. l.* 10.

Sic Phryga terrificis genetrix Idæa cruentum
Elicit ex adytis, consumtaque brachia ferro,
Scire vetat.

Quo modo id factum, exponit Appulejus *Metam. libro* 8. *Dinque capite demisso, cervices lubricis intorquentes motibus, crinesque pendulos rotantes & nonnunquam suos incursantes musculos, ad postremum ancipiti ferro, quod ferebant, brachia sua quisque dissecant.* Quod, *castrare lacertos* dixit Tertullianus *Apologet. capite* 24. *Archigallus ille sanctissimus sanguinem impurum*

lacertos

lacertos quoque castrando libabat. Expiatorium autem id fuisse creditum, Prudentius quoque docet *Passion. S. Romani.*

Cultrum in lacertos exseris fanaticus,
Sectisque *Matrem* brachiis *placas Deum.*

Meminit ejusdem ritûs Sidonius *Carm. 9. sive Epithal. Ruricii & Iberiæ:*

Hic & Sigeis specubus qui Dindyma ludit,
Jam sectus recalet Corybas.

Quem locum cùm Savaro capiat de tonsura syncipitis, Vossius ad illud refert, quòd Corybantes in sacris Cybeles brachia ferro secarent. Nisi simpliciùs videatur, *sectus* exponere *eviratus*, nam eosdem Sacerdotes se castrasse quoque nemini ignotum. Hinc fuit, quòd inter alia instrumenta, cultros quoque gestarent: uti discimus ex Lucretio *l. 2. v. 621.*

Telaque præportant violenti signa furoris.

V. Gerh. Joh. Vossium *de Idolol. lib. 2. cap. 53.* & suprà, ubi de *Bellonariis.*

ad *Brachia*, ad Brachia, clamor olim Gallorum militaris, de quo sic Guil. Nangiacensis in *Gestis S. Ludovici R. Franc. p. 381. Et quia tantis armorum utensilibus armari non consueverant, idcirco minùs agiles & ruinæ propiores concussi cum impetu extiterunt: quod ut Francis animadversum est, communiter acclamantes* ad Brachia, ad Brachia, *per humeros eos cum manibus rapientes, ab equis ad terram præcipites impellebant.* Et paulo antè, *Et cùm densitas armorum, quibus hostes erant munitissimi, ictus Francorum vibratos in aëre repelleret, Franci mucronibus gracilibus & acutis sub humeris ipsorum, ubi inermis patebat aditus, dum levarent* brachia, *transforantes, per latebras viscerum gladios scapulo tenus immergebant.* Nempe, cùm Milites sive Equites cataphracti, armis undique corpus tectum ac munitum haberent, telis, hastis ac ensibus impervii erant, nisi quà caput humeris connectebatur, aut per ocularia cassidum, aut etiam cùm *brachia* erigerent ad vibrandos ictus & in enses assurgerent: tum enim, captatâ hujusmodi occasione, brevioribus ensibus ac verutis latera perfodiebantur. Vel denique in id potissimùm erant intenti, ut captatis brachiis hostes de equis dejicerent: cùm lapsi rursum sese erigere, ob armorum grave pondus, non valerent. Ob quam proin duplicem causam, in prælio, vulgò *ad Brachia* clamatum. Quo pertinet, quòd Carolus Siciliæ R. *Punctim infigite, milites Christi, punctim transfigite,* in præliis milites hortatus legitur. Guil. Britto *Philippidos lib. 11.*

——— ——— *Cultris subularibus alter*
Scrutatur thorace vias.

Et,

——— ——— ——— *Nunc corpora forti*
Prensa manu, quando spatium non invenit ictus,
Hunnisonis depellit equis, nunc juxta peremptos
Viva coacervans alienâ tabe volutat.
Nunc multos lapsis & ferri pondere pressis,
Inque ipso lapsu fracto quandoque cerebro,
Aut collo aut costis, vita, sine vulnere, privat, &c.

apud Car. du Fresne in *Glossar.*

Brachiale, seu Brachialium, cujus meminit Paulus Diaconus *Histor. Miscell. lib. 19. A brachialio Aureæ portæ, usque ad Cyclobium:* propugnaculum est, Gall. vulgò Braye, unde *Fausse-braye*, Βραχιόλιον Theodoro Mon. in *Epist. de Excidio Syracus.* Rocho Pirro in *Episc. Syracus* & aliis Scriptoribus Byzantinis, uti docet Car. du Fresne in *Glossar.* & pluribus *in Not. ad Alexiadem.* Item manica, h.e. pars illa vestis vel tunicæ, quæ ab humero ad manum usque brachia operit, vulgò *Manche* Gallis. V. Ekkehardum Jun. *de Casibus S. Galli cap. 14.* Atque hinc dextrale, seu armilla, ornamentum sc. brachiorum, largioris segmenti instar, auro gemmisque distinctum, apud Papiam. Joh. de Janua, Alios: propriè, *circuli ex auro, quibus brachia arctantur.* ut ait Tertullianus *de Mul. Hab.* Quo sensu Vopiscus in *Aureliano, Torquem,* inquit, *Brachialem, annulum apponat:* Trebellius Pollio in *Claudio*, Brachialem *unum unciarum septem* &c. V. de *Brachialibus* & armillis notata eid. Carolo du Fresne *ad Alexiadem.* Olaum Borrichium *de variis L. L. ætatibus pag. 52.* Pachymerem *lib. 8. cap. 12.* ubi inter vestes Imperatorias seu Imperii symbola recenset, *χειρῖδες ἐμμαργαρῶται κόκκιναι, brachialia coccinea margaritis undique distincta*; Alios, & suprà in voce *Armilla.* At *Brachialia* in Ecclesia Rom. dicuntur manicæ cerâ circumlitæ, quibus Pontifex olim, cùm in Sabbato, ut vocant, Sancto baptizaret, utebatur: ne sacras contaminaret vestes, quia tum immersione adhuc Baptismus peragebatur. *Ceremoniale* MS. Cencii Camerar. *Hoc facto revertitur ad eandem Ecclesiam, ibique exuit se pallio & planetâ, induit* brachialia *cerata, & revertitur ad fontes & baptizat tres pueros,* apud Dominic. Macrum in *Hierolexico*: ubi etiamnum Græcos in qualibet functione sacra, semibrachialibus, non tamen ceratis, sed sericis & comptè ornatis uti, addit.

Brachium S. Georgii, apud Guil. Tyrium *lib. 2. cap. 8.* & *lib. 20. cap. 24.* dictus reperitur Bosphorus seu Fretum Hellespontiacum, à templo S. Georgii extra Urbem CP. quod ad litus istius freti extructum erat. Apud Villharduinum *num. 65. & 162.* pro ipsa Propontide usurpatur, ibi enim Abydenum castrum *Brachio S. Georgii* adjacuisse dicitur. Vide Leunclavium in *Pandectis Turc. num. 128.* præter alios Auctores, laudatos Carolo du Fresne in *Glossar.*

Brachium in collum ponendi ritus, in signum servitutis susceptæ, indigitatur in *Chartis* Parensalibus apud Eund. *p. 26. Sed dum ipsos solidos minimè habui, unde transsolvere debeam, sic mihi aptificavit, ut* brachium in collum posui *& per comam capitis mei coram præsentibus hominibus tradere feci, in ea ratione, ut interim, quòd ipsos solidos vestros reddere potuero, & servitium vestrum & operam, qualemcunque vos vel juniores vestri injunxeritis, facere & adimplere debeam* &c. *Brachium* Regis invocare, quid sit, Vide apud eundem du Fresne.

Brachmanes, adde: Eorum sedes hodie inprimis est, tractus Indiæ in littore Coromandelico seu *Cormandel*, à Cap. *Comery* usque ad influxum Gangis in Sinum Bengalæ se extendente, & litori Malabarico ad Ortum adjacente, Ptolomæo *Caligardamna.* Ibidem & Christianorum S. Thomæ, cujus sepulchrum in vico *Meliapour* ostenditur, ingens numerus, Auctor *Histor. Orbis Terr.* *Brachmanica* Grammatica MS. asservatur in Musæo Kircheriano Romæ; auctore Henrico *Roth*, Missionario Mogoritano, qui rudimenta Linguæ hujus Europæis primus tradidit, uti refert Georg. de Sepibus *in Collegii Rom. S. J. Musæo pag. 65.* V. quoque suprà in voce *Basen.*

Brachyllas, Bœotorum Prætor, Livio memoratur *libro 33. capite 27.* ubi *Bœotarchen* illum gentis Comitiis factum esse, quòd præfectus Bœotorum apud Philippum Macedon. R. militantium fuisset, præteritis Zeuxippo & Pisistrato, aliisque qui Romanæ societatis auctores fuerant, refert. Quæ etiam causa exitii ei fuit. Id enim hi ægrè passi, *dum arma Romana propinqua habebant, tollere* Brachyllam *principem Fautorum Regis statuerunt. Et tempore ad eam rem capto, quum in publico epulatus reverteretur domum temulentus, prosequentibus mollibus viris, qui joci causâ concilio celebri interfuerant, ab sex armatis, quorum tres Italici, tres Ætoli erant, circumventus occiditur.* Idem *ibid.*

Bracile, aliter *Redimiculum* & *Rebrachiatorium*, Græc. ἀνάλαβος, memoratum in *Vita* Gennani Abb. seu Martyr. definitur Cassiano *de veste Monach. libro 1. capite 6. Redimiculum seu succinctorium, quod dividens* (Isidorus habet, *descendens*) *per cervicem & à lateribus colli divisum* (demissum) *utrarumque alarum sinum ambit atque hinc inde succingit, ut constringens latitudinem vestiat corpus atque conjungendo componat. Hoc vulgò* Bracile, *quasi braciale vocant; quamvis nunc non brachiorum, sed renum sit cingulum.* E quibus ultimis verbis colligere est, *Bracile* non tam zonam, ut quidam volunt, quàm *renum cingulum*, seu *cingulum in lumbis*, ut idem Isidorus alibi vocat ac *succinctorium* esse, adeoque à *braccis* potiùs, quàm à *brachiis*, nuncupatum, quasi *bracca brevior & levior*, quales Monachi sub tunica gestant. Dependebant ab eo caligæ, uti habet Monachus Vallis Sarn. in *Historia Albig. cap. 72. Sed cùm flecteret genua ante altare,* Brachile *ejus, à quo dependebant caligæ ferreæ, ruptum est.* Fibulâ porro annectebatur, uti docet Brissonius *Formul. libro 6. pag. 647.* apud du Fresne *Glossar.* Vide quoque Salmasium *Not. ad Tertullianum de Pallio* & Macrum in *Hierolexico.*

Braconarii, in *Charta* Henrici II. Regis Angl. *Monastic. Angl. Tom II. pag. 283.* dicti sunt, quibus *braconum* cura erat, Gall. *Brachers*, item *Braconiers.* Est autem *bracco*, canis sagax, indagator, vulgò *Brac* Gallis & Germanis, Vide du Fresne *Glossar.* in voce *Bracco.*

Bractea seu *Brattea*, ita enim sæpius reperitur in libris scriptum, quamvis prius potiùs: non ἀπὸ τῦ βραχίων, sed ἀπὸ τῦ βρέχειν, i. *linere*, *illinere*, dicta est. Hinc enim βρεκτὴς, qui linit & βρεκτία, *litura*, vel *quod illinitur*: Latin. *bractea*, tenue auri folium, quo linebantur olim pedes lectorum, cameræ, alia. Calpurnius,

——— *Atque illita porticus auro.*

Martialis *sputum* vocat *l. 8. Epigr. 33.*

Hoc linitur sputo jam caryota calendis.

Ubi *sputum* est βρεκτία. Eodem modo autem Latini *bracteam* dixerunt, quo *embractum*, quod Græcis erat ἔμβρεκτον. Apicius *embractum Bajanum* vocat *lib. 9.* ἔμβρεκτον Hesychius, vox pura puta Græca, quam Galatæ usurparunt. Ἐμβρεχὴς n. Græci dicebant. Optimæ Glossæ, *Intritum*, ἐμβρεχή. Sic *Murobractarii* Plauto, qui μυροβρέκται Græcis: similiter *bractare* verbum, pro humectare & madefacere, unde *bractamentum* pro humore vel aqua, apud Fulgentium *de Virgiliana Contin.* &c. Quia autem *bracteationibus* camerarum, ut & filationibus ac liquationibus aurum peribat, non enim *bractearum argentearum* quisquam meminit: Hinc Aurelianus Imp. in animo habuisse legitur, apud Fl. Vopiscum, *ut aurum neque in cameras, neque in tunicas, neque in pelles, neque in argentum misceretur, dicens plus auri esse in rerum natura, quàm argenti: sed aurum per varios* bractearum, *filorum* (quibus vestes intexebantur) *& liquationum* (auro enim liquato deaurabantur pelles & vasa) *usus perire*, &c. Inde *Bracteata* Eloquentia, apud Fulgentium quæ quid sit, ex Solino discimus *Epist. 2.* ad Adventū, *Cui* (Libro cui Polyh. nomen imposuit) *si animum propriùs intenderis, velut fermentum cognitio-*

cognitionis magis ei inesse, quàm bratteas eloquentiæ, deprehendes. Ubi eleganter & propriè cognitionem, id est, doctrinam, fermento comparat; eloquentiam *bracteis* opponit: ut doctrinam cognitionemque rerum, ornatui verborum & eloquentiæ. Ita doctrinam ab eloquentia separat Suetonius *in Caligula*, *Eloquentiæ multum attendit, doctrinæ parum.* Nempe fermentum maſſam, cui admiſcetur, auctiorem & ὀγκωδέστερον reddit: *brattea* verò, quibus rebus illinitur, nihil ampliùs confert, quàm tenue πέταλον & extimæ cutis fucum. Sic rerum cognitio animum alit & inſtruit, eloquentia ornatum tantum præbet & levem in verbis nitorem: unde *fermentum cognitionis, & bratteas eloquentiæ* ſibi invicem aptè omnino opponit Solinus. V. Salmaſium *ad illum pag.* 4. In-lidem *Bractiatores* ſeu *Bractearii*, Gr. πεταλουργοὶ vel πεταλουργοί, dicti ſunt Artifices, qui *bracteis* aureis ſtatuas aliaque inducebant: Liv. *Dec.* 4. *l.* 10. *Ædem* (Pietatis) *dedicavit M. Acilius Duumvir, ſtatuamque auratam, quæ prima omnium in Italia ſtatua inaurata eſt, patri Glabrioni poſuit.* Eſt autem *Bractea*, in Gloſſ. πέταλον V. *l.* 1. *C de excuſ. Artif. lib.* 10 Jul. Firmic. in Maternum *Aſtronomic. lib.* 4 c 15. & *l* 8. *capp.* 16 & 19. Plin. *l.* 33. *c.* 3. &c Plura verò hanc in rem, apud Salmaſium *ad Vopiſcum.* Addam ſaltem, de *Bractearum* in coronis olim uſu. Cùm enim philyræ, quibus coronæ nectebantur, primùm ſimplices, h. e. nulla arte fucatæ aut diſſimulatæ fuiſſent, *hiſque vel ludicro quæſitis ſemper auctoritas eſſet, iis tamen P. Claudius Pulcher primus* bracteas *dedit*, id eſt, bracteatas fecit; cùm ipſa folia coronarum Craſſus dives primus argento, auroque imitatus ſit, ut viz. in corona nihil non eſſet aureum, aut deauratum. V. Plinium *l.* 21. *c* 3 Theophraſtum *Hiſtor. Plantar. l.* 5. alioſque, laudatos Car. Paſchalio *Coronarum lib.* 2. *cap.* 12. Apud quem V. quoque de *Bractea*, quæ ambit ſuperiorem partem Diadematis Imperialis *l.* 6. *c.* 21.

Branna, fluvius Galliæ, in Turonibus, vulgò *la Branle*: qui Siccâ *la Ciſſe* receptus, in Ligerim defluit, ſupra Turonos. Hadr. Valeſius, in voce *Turones.*

Braganadar, unum ex ſex Regnis, in quæ diviſus eſt totus ille tractus, qui inter Imperium M. Mogolis & Regna Malabarica ſitus, uno nomine *Kunkam* appellatur. Titulus Regis *Braganadar*, eſt *Catteb Maluco*, i. *vertex Regni.* Hornius *Orb. Imp. pag.* 445. *edit.* 1677.

Brahea, nomen ſtirpis, à pluribus ſeculis in Suecia florentiſſimæ: cujus origo ab Andrea Dn. *de Mohammer*, Regni Senatore, ſanguinem ad Suercherum Regem referent. arceſſi ſolet. Eam certè affinitas Birgeri *Jerl* (qui Sueciæ Gubernator & duorum Regum, Waldemari ac Magni pater, Ingeburgis, Birgeo Andreæ nepoti nuptæ, patruus fuit) & memoria Iſraëlis Birgeri, qui Rex Sueciæ deſignatus coronam recuſavit: atque conjugia cum præcipuis Regni familiis, ipsâ quoq; Regiâ, inita, celebriorem reddidere Eadem familiâ Brigitta (cujus revelationes jactat & eam ſanctis Roma adſcripſit) orta eſt. Nomen autem *Braheanum* intulit Johanna Braheana Norvega, Magno Laurentii Platæ Regni Senatori nupta; quod à Matre poſteri retinuere. Acceſſit poſtmodum, beneficio Erici R. Petro *Braheo* Comitis Wiſingsborgici dignitas, eaque hactenus ſervata eſt. Clarent adhuc ex ea Petrus, Regni *Drozetus* ſeu Archidapifer, atque illius ex fratre Nicolao nepos Nicolaus, qui matre editus Annâ Margaretâ Bielkii, natus eſt A. C. 1633. uxoremque duxit Julianam Wrangeliam frater Eliſabethæ natæ A. C 1632. quæ primis nuptiis maritum habuit, Ericum Oxenſtiernæ, Regni Cancellarium; ſecundis, Adolphum Johannem Com. Palatinum Rheni, Caroli Guſtavi R fratrem Utriuſque progonologiam exhibet Spenerus *Theatro Nobil. Eur. Tom. I.*

Braheus, V. *Tycho Braheus.*

Brambaricarii, in *Not.* Imperii, ubi *Præpoſiti Brambaricariorum* memorantur, ſub Comite ſacrarum Largitionum, interdum ſub Magiſtro Officiorum; corruptè pro *Barbaricarii*, dicti ſunt, qui *ex auro coloratis filis exprimebant hominum formas, animalium & aliarum ſpecierum imitabantur ſubtilitate veritatem*, ut ait Donatus *ad Æneid.* 7. Seu, qui *caſſides & bucculas tegebant argento & deaurabant*, ut eſt in *l.* 1. *Cod. Theodoſ. de Fabric.* de quibus retro diximus.

Branca Urſina, Herbariis noſtris dicitur acanthus topiaria; à ſimilitudine, quam habent hujus herbæ folia, cum pedibus urſorum anterioribus: *branca* enim pedem ſignificat, apud citimæ ætatis Scriptores, ex Lat. voce *brachium.* Unde brachia arborum hodieque *brancas* vocant Galli & *brancolare* inde Itali dicunt, manibus iter prætentare. An verò acanthus Vett. ſit *branca urſina* hodierna, dubitant eruditi. Ut enim multa congruunt, ita non omnia. Illud maximè contrarium, quòd branca urſina aculeata eſt, acanthus prorſus ſine ſpinis erat, topiaria ſc. illa & urbana. Nam ſylveſtris aculeis non carebat, ut ex Plinio diſcimus, qui disertè tradit genus alterum læve eſſe, alterum aculeatum, quorum illud abſolutè *acanthon* nominat Dioſcorides, aliàs *melamphyllum* quoque & *pæderota* vocabant. Naſcitur autem hæc acanthus in παραδείσοις ſeu hortis, crepidines marginum pulvinorumq; toros veſtiens: quam *mollem* dixit Poëta, quòd lenta eſſet & in opere topiario flecti facilis. Quam in rem V. Salmaſium *ad Solinum pag.* 534. Cœterùm *brancam* ſeu manum *urſinam* ἄρκτου χεῖρα, ut Neotericorum quidam appellat, etiam optimam & in delitiis fuiſſe, idem docet, *pag.* 318. Vide quoque Auctorem Anonym. *Sinæ & Europa, cap. de Animalibus.*

Branchidæ, adde: Horum urbem, occiſis omnibus, propter templum Mileſium à Proavis ipſorum proditum, evertit Alexander, Cœl. Rhodiginus *Lection. Antiq. lib.* 3 *cap.* 28. 19.

S. Brandani inſ. aliàs *Brandonis*, *Borodonis* &c. Hiſpanis *la Incantada* & la *Non-trovada* dicta, jacet, ex opinione nautarum Luſitanorum, centum milliaribus à Canariis inſulis, verſus Occidentem & aliquando conſpicua, ſæpius tamen inconſpicua, eſt: Campos ejus dicunt fertiles & incolas Chriſtianos eſſe, ſed ignorari, cujus originis ſint, quave linguâ utantur. Ad hanc viſendam ſæpius è Canariis, ſed fruſtra, navigarunt Hiſpani, unde quidam arbitrati ſunt, ſpectrorum illuſiones eſſe: Alii certis tantum anni diebus videri poſſe, plerunque autem nubibus vel nebulâ tectam eſſe exiſtimarunt. Varenius *in Geogr.* Brandanum quod attinet, Scotorum is Sanctus fuit, in cujus vita de Inſula quadam aliàs inacceſſa, quam ille ſolus adierit, multa mentio eſt. Inſula verò talis ut excogitata fuerit. Inſulam veterum ἀπρόσιτον ſeu inacceſſam aut Nivariam, quæ hodierna Teneriffa eſt, in cauſa extitiſſe ſuſpicatur Voſſius. Sola enim hæc è Canariis nive abundat, ob ſummam ejus altitudinem. atque hinc 260. m. p. conſpicua fit navigantibus, ſed auroræ tantùm tempore ac poſt Solis occaſum: his enim temporibus ſpecies rerum remotarum per condenſatos matutinos ac veſpertinos vapores altiùs efferuntur, quàm interdiu, Sole tum vapores diſſipante. Veriſimile igitur, hoc illis contigiſſe, qui primi ad hanc inſulam accedere conati fuerunt; vidiſſeque eam à tam vaſto intervallo tanquam propinquam, ſed quæ orto Sole evanuerit; Et ipſum hoc ſecundâ ac tertiâ die eveniſſe: Nautas verò & vectores intervalli immenſitate deceptos, oculorumque judicio ſe nihil aut parum admodum proficere arbitratos, ventis licèt ſecundis, aut curſum ſuum teneri, aut Inſulam perpetuò fugere exiſtimaſſe: ſicque tandem Ptolomæi Inacceſſam atque hanc *S. Brandani* inſ. emergere potuiſſe. V. Auctorem Anonymum *Hiſt. Orbis Terr. cap.* 5. *de Inſulis* §. 20.

Brandeburgum, adde: Terras, quibus nunc Marchiæ Brandeburgicæ nomen, poſt alias nationes, Vandali Henetive quondam habitavere; hiſque ab Henrico Aucupe debellatis, Sigefridus Ringelhemii Comes, Henrici profrater, *Marchionis* titulo iis impoſitus, A. C. 927. Huic ſubrogatus Gero, Com. Altenburgi & Merſburgi; Geroni Bruno, Com. Wettini Anno Chr. 956. cujus nepote Theodorico totâ ditione exuto, Obotriti eam habuere, pulſi rurſus ab Udone Com. Soltwedelenſi aut Stadenſi, Conradi II. Imp opibus ſuffulto. Verùm proſcripto Udone II. ob Saxonum partes adverſus Henricum IV. rebellantium, ſuſtentatas, Primiſlao Obotritorum Regi ejus invadendæ copia permiſſa eſt. Quo defuncto, Alberto Urſo Com. Aſcaniæ, ex Primiſlai teſtamento, Friderici I. Imp. conſenſu firmato, obvenit: cujus progenies finem ſortita eſt in Johanne IV. A. C. 1313, unde terræ hæ, fruſtra eas repetente Alberto Jun. Anhaltino, à Ludovico Bav. Imp. filio Ludovico, cui itidem *Bavari* cognomen, datæ, & ab hoc fratri Ludovico Romano, à Romano rurſum fratri Ottoni ceſſæ, ab Ottone verò ſocero Carolo IV. Imp. & Bohemiæ Regi pretio 200000. aur. Hungar. venditæ: eaſque poſtea Sigiſmundus Caroli fil. recuperandæ Hungariæ intentus, adeoque pecuniæ in eam rem indigus, 20000. aur. Bohem. Jodoco Moravo venum dedit, ab hoc Guilielmo Diviti Miſniæ Marchioni pignori oppoſitas; quas tamen eo ſolutas nexu, in Fridericum Burggravium Norimberg. ex Zolleriorum Comitum proſapia, tranſtulit A. C. 1417. ob fidelem ſtrenuamque operam in Hungaricis, Bohemicis aliiſque motibus navatam, inque eam impenſos, dum Præſidem Sigiſmundi nomine egerat, ſumtus & firmandæ denique Marchiæ tranquillitati variè hactenus turbatæ: ita tamen, ut is 40000. aur. pro ea exſolveret, ad Sigiſmundi filium, ſi quis ipſi naſceretur, reverſurâ; manſurâ verò Friderico, ſi nullus: quod & factum. V. Tob. Pfannerum *de Præcipuis Germaniæ Principum gentibus c.* 4.

Brandevilla, vulgò *Branville*, locus Galliæ, in finibus Lexoviorum, memoratus in literis Roberti Marchiſi vel Normannorum Ducis, circa A. C. 1030. datis, apud Hadr. Valeſium *Not Gall.* in voce *Excalfurnum.*

Brandeum, vox recentioris ævi, pro *Zona*, faſciâ, cingulo; Περίζωμα, Græcis, ad cujus ſimilitudinem *Prandeum* quoque occurrit, apud Iſidorum in *Gloſſis* & Petr. Damianum *lib.* 4 *Epiſt.* 14 Propriè verò, velum ſeu pallam ſericam notat linteamque, qua Sanctorum reliquiæ vel corpora in Eccleſia Rom. olim involvi ſolebant: cujuſmodi *vela* in particulas diſſecta, zonæ vel tæniæ ſpeciem referebant. Eodem nomine appellabantur panni particulæ aut ſericæ, quæ iiſdem lipſanis applicatæ, ex ipſo contactu, tanquam Sanctorum ipſorum reliquiæ, Chriſtianis diſtribuebantur; cùm olim ſummis digitis eas attrectari, nedum quidpiam ex iis detrahi, aut abradi nefas haberetur. Admovebantur autem *Brandea* illa, ſive velamina, ſudaria, pallia & alia hujuſmodi, Sanctorum corporibus inter aras vel thecas occluſis, per certas feneſtellas, in aris aut thecis extructas, de quibus feneſtellis agunt Gregorius Turon. *de Gloria Confeſſ. cap.* 37. Beda *Hiſtor. Anglic. l.* 1. *c.* 3. Evodius *de Miraculis S. Stephani l.* 3. *c.* 12. Alii. V. C. du Freſne *Gloſſ.* & Macros Fratres in *Hierolexico.* Addam hoc ſaltem, *Brandeum* quoque ſeu *Brandonem*, velum, prædiis obſignatis apponi ſolitum, appellatum fuiſſe, uti docet idem du Freſne ex *Chartis* variis, *Ibid.*

Brandones, Gallis olim prima Quadragesimalis Jejunii hebdomas dicta est, quòd hujus primâ die sub vesperum pueri *brandonibus* seu facibus accensis (à Germ. voce *brand, i. incendium*) februare solerent. Hinc *Dominica brandonum*, quæ Quadragesimam præcedit, *lo Dimane qui est apelles Dimane brandonner*, vocatur in *Libertatibus* Villæ de Perula A.C 1260. apud Thomasserium, laudatum Carolo du Fresne præfato *d.l.*

Brantosmensii Monasterium, vel *Brantosmum*, vulgò *Brantôme*, Galliæ Mo asterium est, in Aquitania, memoratum in *Decreto* Ludovici Pii Aug. *de Monast. Regni sui*, apud eundem, in voce *S. Maxentii.*

Brasilia, adde: V. quoque infrà in voce, *Mercurius Brasilicus*, item *Semicinctium Anthropophagorum Brasilianorum.*

Brasma, apud Plinium *l.12.c.7.* in historia piperis, *Virdem & iis sua injuria est, atque cæli intemperie carbunculantur, fiuntque semine cassa & inania, vocantque* Brasma, *Indorum lingua id significante atrophum*; non Indica, ut Plinius voluit, sed pura puta vox Græca est, *βράσμα*. Ita enim bullas & ampullas aquarum scaturientium vel etiam aquæ ferventis ac bullientis; pustulas item ab igne in pane torrido tactas, dix runt. Hinc *βράσμα* piper atrophum & inane, quòd nihil plus intus haberet solidi, quàm bullæ illæ & ampullæ. Imposuere autem istiusmodi nomina exoticis mercibus Græci institores ve etiam Alexandrini E'λληνες: quemadmodum in Ammoniaca lacryma unum genus iisdem vocabatur *θραῦσμα*, alterum *φύραμα*, in thuris historia, *σταγόνες*, *ἄτμητα* & reliqua cognomina occurrunt. Salmasius *Exercitat. ad Solinum pag.* 1029. & 1031.

Brassica, in Amphidromiis olim, apud Athenienses, adhibita legitur apud Athenæum *lib.9.* ubi versus hac de re Ephippi *in Geryone* Latinè sic habent:

Cùm Amphidromia celebrentur, quibus mos est
Assare frusta casei Chersonitæ,
Oleoque brassicam *in fasciculos collectam incoquere.*

Eandem gravidæ, ad foetus incrementum, comedebant, quemadmodum & cochleas edules, & malicorium, sed non sine damno, potu diptami addito. Hinc iterum Athenæus, ubi suprà: *Ἀθήνησι δὲ*, inquit, *καὶ ταῖς τετοκυίαις κράμβη παρεσκευάζετο, ὥς τι ἀντιφάρμακον εἰς τροφήν*, i.e. *Apud Athenienses puerperis* brassica *parabatur, velut idoneum medicamentum quoddam, & apta nutriendo corpori.* Vide Thom. Bartholinum *Exercit. Miscell. & de Puerperio Vet.*

Brathys, apud Plinium *l.24.c.11.* Græcè *Βραθὺ* vel *Βράθυς*, arbor pumila, adeo ut herba à quibusdam dicatur; proprio nomine *Herba Sabina* Latinis, Virgil. *in Culice*,

Herbaque thuris opes priscis imitata Sabina:

Frutex fuit Græcis familiaris, & in sacris, ante thuris notitiam, adoleri consuetus, quemadmodum eundem in usum ladanum maximè Arabes, Ammoniacum Libyes, adhibebant. Hesychius, *Βραθύ, εἶδος θυώδους βοτάνης.* Et Dioscorides, *Χρῶνται δὲ τοῖς φύλλοις αὐτῆς θυμιάματος.* Unde apud antiquos Græcos *θύον* nomen, h.c. *θυμιάματος*, proprium sibi habere meruit: ut videre est apud Homerum, ubi cum cedro unà uri tradit, in foco & specu Calypsus,

Κέδρου τ' εὐκεάτοιο, θύου τ' ἀνὰ νῆσον ὀδώδει.

Certè odorem ejus incensæ proximum esse cedro, tradit idem Plinius: & cum cedro, junipero, ac aliis Arabiæ arboribus odoratis, recenset Dioscorides. Nec ex alio magis frutice vetustissimos Græcos in sacris convolutum nidorem odoremve novisse constat, qui pro *θύων*, *παρὰ τὸ θύειν*, per excellentiam vocavere &c. Huic frutici similia folia quòd citrus haberet, Græci Theræi, qui coloniam in Africam deduxerunt & Cyrenas condiderunt, hoc genus arboris ibi repertæ, *Θύον* postea quoque vocaverunt: quæ causa, quòd & Plinius *citrum* cum *brathy* confuderit. Sed longa differentia inter herbam Sabinam fuit & *Θύον* Cyrenaicum, h.c. citrum; utpote cùm citrus arbor sit magna ac inodora, ut infrà dicemu . V. Salmasium *ad Solinum p.*953 & *seqq.* ut & infrà in voce *Sa ina arbor.*

Braulio, adde: Idem edidit *Libros Etymologiarum* Isidori, post hujus mortem ut testatur Ildefonsus *ad finem Libri Isidori de Viris Illustrib.* & ipse Braulio in *Catalogo opp. ipsius Isidori* qui ambo cum Isidoro vixerunt. V. Gerh. von Mastricht *Histor Juris Eccl. n.*324.

Brauron, adde: Marathone haud procul, & cum ea ad eandem fortè Tribum pertinens, Templo Dianæ, Festoque in ejus honorem celebrari solito olim erat nobilis. Nunc *Urana* appellatur, &, in tenuibus reliquiis, vix 10. Albanorum habitacula continet. Jac. Sponius *Itiner. Græciæ pars.* 2. & 3.

Breca, vulgò dictæ *Broyes*, locus est Galliæ, non longè ab urbe Tricassis vel Trecis (*Troyes*): Ejus Ecclesia S. Blitharii, *Brecensium patroni*, nomine censetur: Fuit autem hic S. Blitharius *S Blier* Scotus Hibernus, Presbyter ac Eremita: cujus *signorum gloriâ permotus dominus Brecarum, nomine Hugo, sub cujus ditione tenebatur Sezanniæ parochia,* (hinc) *ad castrum Brecarum fecisse Sanctum deferri*, legitur *in Vita ejus*: apud Hadrianum Valesium, in voce *Sezannia.*

Bredenarda, vulgò *terre de Brenarde*, à latitudine pasturæ dictus est olim locus pascuus, amplus admodum & latus, Belgii, inter flumina Vonnam ac Reveriam, teste Lamberto. A' voce *Bred* vel *Breden*, quæ latum significat, & *Arda*, incolis, pascuum denotante; quarum prior urbi in Brabantia *Breda* dictæ, posterior, *Arda* vel *Ardea* Morinorum nomen indidisse videtur. V. Hadr. Valesium *Not. Gall.* in voce *Arda.*

Bredo, oppidum Galliæ in Brexia, 3. leuc. à Rhodano, ad amniculum, qui Indim auget, ubi S. Ragnebertus martyrio affectus est. Dicitur *Vallis Vebronna* vel *Bebronna*, à torrente quo alluitur, si Adoni credere licet: ubi Domitianum Abbatem, primum vitam Eremiticam exercuisse, refert: Et est locus hic cum Monasterio, in eremo aut deserto Lugdunensis pagi, posteaque à cæde Ragneberti ibi patrata S. Ragneberti, vulgo *S. Rambert* dici occœpit; in ipso agri Lugd. montisq; Juræ confinio. V. quoque S. *Ragneberti* oppidum.

Bremarii, in *Charta* Hugonis Burgundiæ Duc. *A.C.*1255 memorati, sunt qui *bremagio* seu *furfuragio* (id est, tributo, quod pro venaticorum canum stramine præstabatur) cogendo præfecti erant, vel penès quos pascendorum canum erat cura: Cujusmodi exactiones pro canibus venaticis, atque adeò ipsis venatoribus, *Tenentium* impensis pascendis, sæpe observare est, in *Chartis* etc. Iidem canes venaticos ad venationem ducebant &c. Car. du Fresne *Gloss.*

Brephotrophium, Græca vox, locum denotat, in quo infantes partusque recèns expositi aut egenis parentibus nati, ali consuevere, in *lib.* 16. & 18. *Cod. de Sacros. Eccl.* V. *Capitularia* Caroli M. *lib.* 1. *cap.*29. & plura hanc in rem apud Macros in *Hierolexico.*

Breslia, fluvius Galliæ, vulgò *Bresse*: unus ex illis est, qui Turonicum pagum à Septentrionibus alluunt; reliqui sunt Ledus *le Loir*, Coselia *Choisille*, Braenna *la Branle*, Sicia vel Sicera *la Cisse*, & Liger. Hadr. Valesius *Not. Gall* in voce *Turones.*

Brevia, in *Glossis* Gr. Lat. Magici Characteres, in *brevibus* descripti, quos secum deferre solent, qui iis utuntur. V in vocibus *Character. Ligatura, Ligula, Magia, Nodus, Phylacterium.* Quid autem apud recentioris Ævi Scriptores *Breve* vocetur, diximus in hac voce, plura verò V. apud C. du Fresne in *Glossario* & Macros Fratres *in Hierolexico*: nec non infrà, in voce *brevis* Hinc *Brevium conscriptio*, divinationis species; quæ fiebat per duas pluresve epistolas seu schedulas, sub Altaris palla confusè positas, quarum una affirmationem, altera negationē rei, de qua dubitabatur, continebat. Quarum illa, quæ post solennes preces ac jejunia indicta, capienti ocurreret, pro judicio divino habebatur. Memorata Gregorio Tur. *de Vitis Patrum cap.*9. *Tunc pro hospitio quodam* Brevibus conscriptis *posuit super Altare, vigilans & orans tribus noctibus, ut quid ei Dominus juberet, dignaretur manifestissimè declarare Sed pietatis divinæ inclyta miseratio, quæ eum præsciens eremitam esse decreverat.* &c. Cujusmodi *κληρομαντείας* exemplum, & Baldricus habet *Chronici Camerac. lib.*1. *cap* 21. ubi de contentione pro corpore S. Leodigarii, quod sibi tres Episcopi vindicabant, Pictavensis, Augustodunensis & Atrebatensis; plura verò alia reperias, apud Annam Comnenam *l.*10. & 15. Pachymerem *l.*7. *c.*13. & Durandum *Ration. l.*5. *c.*1. *n.*5. laudatos C. du Fresne, ubi *de Sortibus Sanctorum.* V. quoque *Legem* Frisonum *tit.*14. §.1.

Brevia Monachorum, dicebantur olim, quæ à Monachis in ea Monasteria, cum quibus societatem, seu, ut ajunt, *fraternitatem* inierant, mittebantur, quibus Monachorum suorum mortem & obitum nuntiabant, quò pro iis statas ac ordinarias preces & missas exsolverent. *Literæ currentes* dicuntur in Concilio apud Saponarias A.C.859. *c* 13. quarum formula ita concipitur in libro *Usuum* Ordinis Cisterciensis *cap.*98. extremo: *Prima Augusti obiit in Monasterio N. Nonnus N. de N. Sacerdos & Sacrista ejusdem Monasterii: pro cujus anima vestras precamur orationes ex charitate & orabimus pro vestris.* V. alias Formulas apud Haestenum *Disquisit. Monastic. lib.*1. *tr.*1. *Disquis.*4. §.3. *Brevium* istiusmodi cura penès Eleemosynarios erat, uti ex *lib. Ordinis* S. Victoris Paris. MS. *cap.*14. docet C. du Fresne *Gloss.* qui plura hanc in rem ibi congessit.

Breviarium, in Ecclesia Rom. dicitur Liber Ecclesiasticum Officium compendio continens. Quo titulo donatur *Breviarium* Chori ad usum Monasterii Casinensis, scriptum Alexio Comneno imperante, h.e. circa A.C.1100. *Incipit Breviarium sive ordo Officiorum per totam anni decursionem.* In quo quidem Breviario totius Ecclesiastici Officii rubricæ, ritus etiam & ceremoniæ continentur, tam Officii recitandi, quàm Missæ celebrandæ, nec non peculiares præcipuarum solennitatum observantiæ. Ubi Vir doctiss. Paschasius Quesnellus hinc colligi posse censet, primitus *Breviarii* nomine solas rubricas seu ordinem Officiorum olim innotuisse, quod postmodum toti Officio, quod sequebatur, adscriptum est. V. C. du Fresne *Glossar.* Non ante Micrologum autem, qui vixit A.C.1050. *Breviarii* vocem hac notione occurrere, sicque dictum esse, quòd in Cappella Lateranensis Palatii Officium compendiosiùs, quàm in aliis Templis, recitari consueverit, ait Macer. Tum igitur, cùm ab Innocentio III. collectum esset, quod *Officium Cappellare* tunc dicebatur, & ad ejus recitationem se Franciscani conformassent, *Breviarium* liber hic primùm appellari cœpit: postea verò Nicolaus III. exornato mirè auctoque Vaticano palatio, ut omnes reliquæ Urbis Ecclesiæ Franciscanorum hoc Officio uterentur, sanxit; Radulfo acriter conquerente, quòd in hoc *Breviario* multa 9. lectionum officia contineantur, sicque diminuantur feriæ. Tandem, post varias vices *Breviarium Romanum* decreto Tridentini

Con-

Concilii restitutum & successivè per alios Pontifices reformatum est & recognitum, &c. In *Breviario* Græcorum atque Ambrosianæ Ecclesiæ, ferias quadragesimales ita esse privilegio exceptas, ut nunquam pro ullo festo relinquantur, reperias apud Eundem in *Hierolex.* Plura de *Breviariis* Latinorum (nam pro ratione variorum Episcopatuum varia sunt) V apud Claud. Espensæum Doctorem Sorbonicum *in 2. ad Timoth. cap. 4. digress. 2.* eiq; ibidem laudatum Petrum Abb. Cluniac. qui ante quadringentos annos vixit; Petrum porro Pictaviensem *Epist.* 31. ubi queritur de hymno, *in laudem S. Mauri super aquas currentis effictlo*, Raph. Volaterranum *Anthropol. l. 16.* ubi inter alia, *dolorem suum, de iis quæ in publicum cultum irrepserunt, Apocryphis, sibi cum plerisque bonis esse communem*, scribit, Guil. denique Lindanum Episc. Lugdun. *de optimo genere interpr. Scripturæ lib. 3. cap. 3.* ubi Agobardi Archiep. Lugdun. dictum inter alia citans, *Bone Deus, ait, quid dixisset, si vidisset ac audisset, quæ hodie leguntur* &c.

Breviarium Canonum, seu *Breviatio*, dicebatur Vett. ista Canonum collectio, cùm Canones diversorum Conciliorum unius tenoris & sententiæ, seu de iisdem rebus agentes, sub uno titulo aut rubrica digeruntur & citantur tantùm, ut quivis sciat inter se illos concordantes esse; non verba ipsa recitantur: cujusmodi *Breviarium* Cresconius confecit, de quo V. suo loco.

Breviarium Extra seu *Extravagantium*, dicta est Bernhardi Papiensis, cognom. *Circa*, prima Collectio Decretalium. Hic enim Pontificum Decretales & Constitutiones, usque ad Cælestinum III collegit, & sub iisdem fere titulis digessit, quibus Gregoriana Collectio, quæ in usu hodie est, constat. Quam *primâ Compilationem* cùm Henricus Ostiensis, Johannes Andreæ filius & Ægidius Bellamera vocent, ipse *Breviarium Extra*, ut dictum, appellavit, V. infrà in voce *Circa*.

Breviatores, in *Nov. ...*, dicuntur *Brevium Scriptores*. Sed & sic dicuntur in Curia Rom. Officiales, qui Rescripta ejusdem Curiæ & scribunt & dictant. Pratejus apud Joh. Calvinum *Lexic. Jurid.*

Brevis, idem quod Breve, apud Flav. Vopiscum in *Aureliano*, *Mnestheus* — brevem *nominum conscripsit, mixtis iis, quibus Aurelianus verè irascebatur* &c. Ita enim Palatinus codex habet, teste Salmasio. Sic infrà, *ac Brevem legit singulis:* atque ita semper in manu exaratis libris, *brevis* potiùs, quàm *breve*; integrum est *brevis libellus*. Hodie *Breve* magis in usu: Ut *Breve Apostolicum*, quod est diploma vel rescriptum Papæ vel Pœnitentiarii Magni scriptura exigua in parvis concessa negotiis in papyro, cui bulla plumbea non appenditur: Sed in cera rubra imprimitur annulus Piscatoris, ut refert Gregor. Tholosanus *Syntagm. Juris Univ. l. 15. c. 3. num. 24. & seqq.* V. in voce *Breve*. Addam saltem, apud recentiores Latinos *Breve*, pro *parvum*, frequenter reperiri. Sic Lampridius in *Alexandro Severo*, *Unum tantùm poculum amicis exhibebat, in honorem Alexandri M. id autem* Brevius, *nisi si quis, quod licebat, majus habere postulasset* &c. Hinc *Breviculum*, libellus in quo Ecclesiastici Communionis Rom. festa mobilia adnotabant & Populo post Evangelium, in Missa solenni, publicabant, *can. placuit de Consecr. dist. 3.* apud Car. Macrum in *Hierolexico*.

Brevis-ocrea, cognomen Roberti Com. Normanniæ, Notho geniti, Gall. *Courte-heuse*, quòd esset corpore pingui brevique staturâ, ut ait Order. *l. 4.* & 8. apud du Fresne *Glossar.*

Briareus, adde: Et rem divinam facere solitos Carystios, tradit Solinus *cap. 11. Briareo enim rem divinam faciunt Carystii, sicut Ægæoni Chalcidenses: nam omnis ferme Eubœa Titanum fuit Regnum.* Imò & Chalcidenses, nămq; Ægæonem & *Briareum*, quos ille distinguit, plerique Auctores eundem faciunt, Hesychius, Scholiastes Apollonii, Servius. Alii. Adde quòd *Ægæa* Carystos ab ejus nomine sit olim appellata. Stephanus in voce Κάρυστος, ἐκαλεῖτο δὲ καὶ Αἰγαία, ἀπὸ Αἰγαίωνος τοῦ Βριαρέως. Αἰγαία autem & Αἰγαίων idem Hincque ab Ægæa illa Carystia, nomen Ægæo mari, uti quidam Veterum prodiderunt. V. Cononem παρὰ τοῖς Ναξιακοῖς *l. 3.* apud Scholiasten Apollonii, laudatum Salmasio *ad Solinum p. 178.*

Bricola, Ital. *Briccole*, Gall. *Bricolle*, vox recentioris ævi, machinæ *...* seu *saxa ejaculantis* species, cujusmodi machinas privatim in turribus habere vetantur cives, in *Jure Municipali* Florentinorum *lib. 3.* Eam sic describit Blondus *Romæ triumph. lib. 3. Balistam Majores dixere prisci trabem validam, ita libratam, ut, cùm pars ... ponderibus attracta descenderet, elevata proceritas sua funiculis, quos haberet alligatos, fundâ saxum maximi ponderis longè ... Eaque maximè nunc machina* Bricholla *est appellata.* Vastos molares hujus machinæ ope in hostes evibrari consuevisse, refert Hieron. Magius *Miscellan. lib. 1. cap. 1.* apud Car. du Fresne *Glossar.*

Brigantes, seu *Brigantini*, Gall. *Brigans*, memorati Alberto Argentin. in *Chron.* Anno Christi 1351. & Joh. Thwroczio in *Ludovico Hungar. R. cap. 20. & 37.* peditum fuere in bello genus, uti docet non uno loco Froissardus, & Johannes Villaneus. Postmodum prædones si appellari Gallis cœpere: quorum nomenclaturam à *Brigantibus* Britanniæ pop. vel à *Bagaudis*, vel à *Brigando* quodam seu *Borgando*, de quo Canon, *de viro. 14. q.* accersit Ludovicus Aurelian. *ad 2. Annal. Taciti*, & ex eo Innocentius Ciron, *in Paratit. ad Decret. lib. 5.* Du Fresne verò mavult dictos à *briga*, quæ vox jurgium, rixam, pugnam, citimæ ætatis Scriptoribus denotat. Ejusmodi enim prædatores sibi invicem confœderati, vias obsidebant & quosvis transeuntium deprædabantur rixandoque impetebant, postea in justorum militum numerum accensiti. Cohors eorum *Brigata*, hodieque Gallis *Brigade*. Semivestitos & cum brevibus telis pugnasse, docet Thom. Walsinghamus in *Henrico V. pag. 388. Reductus est ergo* — Brigantinorum *more semivestitus, gestans sagittas breves, qualiter utuntur Equites illarum partium, qui Malandrini dicuntur*, &c. Hinc *Brigandina*, armorum species. *Catholicon* Armoric. *Brigandinou, Gall. Brigandine: Lat. hæc Squamma. Inde Squammatus, Orné de Brigandine.* Quas qui gestabant, *Brigandiniers* appellantur, Froissardo *Volum. 4. cap 2.* & Monstrelleto *lib. 2.* V. Steph. Paschasium *in Disquisitionibus Francicis lib. 8. cap. 43.* laudatum Carolo du Fresne in *Glossar.* Etiam naviculæ species, Gallis *Brigantin*, Italis *Brigantino*, ab iisdem nomen traxisse videtur &c.

Brinonia, vulgò *Brigniole*, locus Galliæ, in Provincia, prunis suis celebris: haud procul à Luco *Luc.* Hadr. Valesius in voce *Lucus*, V. quoque *Brinolium*.

Briodrum, vulgò *Brierre*, locus Galliæ ad Axonam fluv. inter Valles *Vaux*, & Sabiniacum *Savigni*.

Brioletum, vulgò *Briolay*, locus Galliæ, memoratus in literis datis A.C. 1105. ubi Goffredi *de Brioleto* mentio apud Valesium in voce *Castrum Celsum*.

Brionis Saltus, Galliæ, in confinio Turonum ac Biturigum Cuborum, quorum diœcesi attribuitur, aliàs *Briona* dicitur, vulgò *Brenne*, pagoque circumjacenti nomen suum dedit. Ibi præ cœteris locus, qui Millepecus dicitur *Maubec*; fluvius Clasis *La Claise*, & prædium Longoretum *Lonrey*, ubi Sigirannus Monasterium exstruxit: à quo & loco nomen, qui pro Longoreto dici occœpit *Monasterium S. Sigiranni in Brionis saltu*, vel in Brionia *S. Siran en Brenne.* Ibidem quoque Maceriæ *Mezelres en Brene*, & S. Michaelis Fanum *S. Michel en Brenne* V. Hadr. Valesium Not. Gall. in voce *Longoretum*.

Brisæus, adde: Hesychio Βρισαῖος, à Chald. בריז *brez* vel *briz*, h. e. *fluxus mellis*, è favo egredientis. Cornutus in *Persium Sat. 1. Est Brisæus Liber Pater cognominatus à mellis usu, eò quòd ipse primus dicitur invenisse mel, & ex favis expressisse.* Quo facit, quòd *Brisas* vocabant Nymphas, quæ Aristæum docuerunt mellis conficiendi rationem. Heraclides in *Ceorum Rep.* Ἀρισταῖον δέ φασι μαθεῖν παρὰ Βρισῶν τὴν μελιτουργίαν, *Aristæum verò dicunt didicisse à Brisis mellis conficiendi modum* &c. V. Sam. Bochartum, *Hierozoici Part. poster. lib. IV. cap. 12.*

Britannia Magna, insula Europæ, in Oceano Occidentali, quod nomen à Vett. duobus nobilissimis regnis Angliæ & Scotiæ tributum, interveniente deìn distinctio utriusque regimine sensim elanguit, donec ab hodiernis Regibus, quippe utriusque regni Dominis, in privatis inscriptionibus & salutationibus revocari cœpit; Actis Publicis interim eo plerunque abstinentibus. Et Jacobus R. quidem in unito hoc nomine ipsorum Regnorum unionem animo destinaverat, cusis cum in finem jam tum nummis, cum elogio: *Quæ Deus conjunxit, nemo separet:* Et, *Tueatur unita Deus:* Et, *Faciam eos in gentem unam:* Item, *Henricus Rosas, Regna Jacobus.* Sed reclamarunt utriusque Regni status, causati mutationes fieri non oportere, nisi aut urgente necessitate, aut manifestâ utilitate suadente; atqui nihil hic esse, quod urgeat, vel ullius emolumenti spem faciat: Unionem Regnorum aut matrimonii aut victoriis fieri: Novi Regni institutione, antiquioris memoriam aboleri, eaque re in negotiis, in Comitiis convocandis in Sigillis, munerum publicorum distinctione, Legibus ac Constitutionibus sanciendis, Actis publicis &c. multum incommodi secuturum: & si quidem contingat, ut Rex sine liberis decedat, aut liberi ejus sine prole deficiant, illâ unione & Regnorum confusione futurum, ut paterni nominis hæredes in Anglia sibi jus arrogaturi sint, exclusis legitimis Anglici nomini hæredibus, quod esset iniquissimum; Idem summè displiciturum populis, qui antiquo nomine gaudeant, & ominosum essent ducturi, abolitâ prisci temporis memoriâ per nova agnomina præposterâ ambitione Majorum gloriam obscurari, V. Jac. Aug. Thuanum *ad A.C. 1604. lib. 131.* Cœterùm, gens Gallicæ priscæ propago videtur, Tacito *in vita Agricol.* namque *sermo haud multùm diversus, in deposcendis periculis eadem audacia, & ubi advenere, in detrectandis eadem formido.* Præterea magna sacrorum olim similitudo; Nam utrique genti erant Druidæ, qui è *Britannia* tamen ad Gallos pervenere, teste Cæsare *de bell. Gall. lib. 6.* utrique mos homines immolandi, & communes Dii. Præter quos Romani, ubi insulam occuparunt, sua & illuc induxerunt Numina: quæ omnia tam Celtica, quàm *Romana*, Gildas, de Britanniæ excidio agens, appellat *portenta Diabolica, penè numero Ægyptiaca vincentia, quorum nonnulla lineamentis adhuc deformibus, intra vel extra deserta mœnia, solito more ingentia, torvis vultibus intuemur.* In quibus Numinibus fortasse & Hercules mereatur locum: nec enim leve habiti illi honoris argumentum videtur Herculis promontorium, in Damnoniis, Ptolomæo etiam memoratum: hodieque *Hertypoint.* Unde tamen perperam colligunt nonnulli, Herculem venisse in Britanniam, quod disertim negat Diod. Sicu-

lus *lib.*4. Quemadmodum & id, quod de Ulyssis adventu, in Caledoniam, Solinus habet *cap.*25. subiestæ est fidei. Hoc enim si fuisset, non sivisset id nos ignorare Homerus, cùm tamen plurimis etiam post eum seculis Græcis juxta ac Romanis hæc Insula fuerit ignota. Quod aram verò Ulyssis in Britannia attinet, cujus is meminit, fortè Ulyssi fuit dedicata, vel à recentiore quodam hujus nominis extructa; imò & fieri potest, ut hoc nomen aræ adscripserint, quò ambiguitate nominis vel fucum facerent, vel dubium saltem relinquerent Lectorem. Cæterùm Geadam sive Getam quendam, ex hominibus in Deorum numerum, ab hac gente relatum esse, testis est Cœl. Sedulius, qui, sub Theodosio juniore, floruit, qua de re V. infrà in voce *Geada*.

Britannicus Oceanus, adde: Dictus ab inf. Britannia, quam inter & Galliam Belgicam Lugdunensemque funditur, ac à Plinio inter ostia Rheni & os Sequanæ ponitur. Mella ulterius ostio Sequanæ promovet, usque ad Osismios, *lib.* 3. *cap.*6. *Senam in Britannico mari Osismicis adversam littoribus* esse scribens: quæ insula, vulgò *l'Isle de Sain*, in ultima Britannia min. longè ultra Sequanæ ostium posita, eminus Ligeris ostium prospicit. Jonas quoque *de vita Columb.* tradit, *ad Nivernensi oppidum venisse Columbanum, ut Ligeris scaphâ reciperetur, Britannicoque sinui redderetur.* Ex quibus apparet, Oceanum hunc prope ad os Ligeris usque pertinuisse. Recentioribus *Mare Anglicum* dicitur, a Britannia Inf. dicta Angliâ, postquam maxima ex parte Angli eam occupassent. Gallis *Canalis*, item idque sæpius Manica *la Manche* vocitatur à figura: Est enim Oceanus Britannicus inter Gallias & Britanniam inf. manicæ modo longus, rectus & angustus: Respicitque hinc Britanniam inf. seu Angliam, inde Hollandiam, Zelandiam, Flandriam, Picardiam, Normanniam, ac Britanniam minorem aut Cismarinam alluit. Ad eum siti sunt vett. Gallorum populi Batavi, Menapii, Morini, apud quos *fretum Gallicum* seu *Morinorum* dicitur: Ambiani, Caleti, & trans Sequanam Lexovii, Bajocasses, Constantienses, Abrincatui, Dolenses, Aletenses, ac Osismii. Partes ejus Fretum Gallicum seu Morinûm, & mare Rotomagense, quo Sequana Rotomagum, Butilam *la Bouille*, Gemeticum, Caldebeccum, Guellebotum *Quillebeuf*, Tancredi villam *Tancarville*, Rupemque Riselæ *Roque-de Rille* prætcrlapsus, recipitur; Ejusdem portio, inter ostia Sequanæ & Ligeris, *Armoricus Oceanus* dicta est, Ausonii ætate: cujus *Epist.*13. *hic versus est:*

Sunt & Armorici qui laudent ostrea Ponti.

In eum influunt Rhenus, Mosa, Scaldis, Agnio, Quantia, Alteja, Sumina, Aucum, Eara, Deppa, Sequana, Diva, Olina, Viria, Seva & Semana, Arduus, Rintius *Rance*, aliaque flumina: Ibi quoque insulæ Walacria *Walcheren*, Vectis *Wight* 20. m. p. patens, Cæsarea *Gersey* & Sarmia aut Sarma *Garnsey*, Ebodia *Alderney*, Arme, & cautes eminentes veriùs, quàm insulæ, Casceatæ vel Cacatæ numero circiter 12. vulgò *Casquetes* aut *Quasquetes* dictæ. Vide Hadr. Valesium *Not. Gall.* in voce *Gallicus Oceanus.*

Britomartis, adde: Diluere quidem id de Minoe conatur Diod. Siculus, utpote ab omnibus justitiæ nomine commendato; sed confundere illum duos Minoas, contendit Vossius, qui statuit, adamatam Britomartim à seniore Minoë; at, quia tantæ fuisset pudicitiæ, ut omnem impudicum sperneret amorem, eo post excessum in Deos esse relatam; quoniam autem Dianam venatricem coluisset, imò casses venatorios reperisset, eodem Cretenses illam & nomine & fano & cultu, cum Diana (h. e. Luna, cujus lumine nocturnæ venationes egent) coluisse, V. Vossium *de Idolol. lib.*1. *cap.* 17. Eubuli verò filia fuit, Eidem: qui cùm illa, miscello cultu, iisdem, quibus Diana sive Luna, gauderet altaribus, Numenque illud modò Ἄγροτερα, modò Βριτόμαρτις diceretur; priorem appellationem Numinis naturalis sive Lunæ: posteriorem Numinis animalis sive filiæ Eubuli, propriam fuisse contendit *lib.*2. *cap* 25. *sub fin.* Eorundem verò Cretensium dialecto Μάρτις virgo erat. Μάρτιν quidem Cretes virginem vocare, scribit Stephanus, in voce Γάζα· Ἔσχε καὶ τὸ τοῦ Κρηταίου Διὸς παρ' αὐτοῖς ὃ καὶ καθ' ἡμᾶς ἐκάλουν Μάρναν ἑρμηνευόμενον Κρητογενῆ. τὰς παρθένους γὰρ οὕτω προσαγορεύουσι Κρῆτες μάρνας. Sed falli eum docet Salmasius: *Græcè*, inquiens, *μάρτις ἀνθρωπος. unde μαρτυρεῖν vocant, quod ἀνθρωπωθῆναι exponit Hesychius. μάρτις, mulier. Cretes, qui* o. *in* a. *& contrà mutare solebant μάρτις. hinc Βριτόμαρτις, dulcis puella, Exercit. Plin. ad Solinum pag.*172.

Broca, Gallis *Broches*, veruta sunt; caprearum item cornua, cùm recta ac simplicia sunt: sicut iidem in cervis *daguas* appellant, Latini *subulas & ferulas*, Græci ῥαβδίας & πασσάλους. Unde οἱ σταθίονες καὶ πασσαλίαι, Gallis Brocards; Lat. *Subulones*, apud Plinium *lib.*11. *cap.*37. *Sparsit hæc in ramos, ut cervorum: aliis simplicia tribuit, ut in eodem genere subulonibus, ex argumento dictis.* V. Salmasium *ad Solinum pag.*221.

Viri illustres.

Brocchus, præn. *Julius*, è familia Juliorum, tribu Voltiniâ, maximis muneribus, in Allobrogibus defunctus, urbi Genevensi Lacum Lemanum, cum minoribus quibusdam aliis, muneri dedit: unde liquet, quanti à Romanis jam tum Urbs ea æstimata fuerit. Fuit autem is Præfectus Fabrûm, bis Tribunus Militum Legionis Octavæ Augustæ, Duumvir Juri dicundo, Triumvir locorum publicorum persequendorum, Augur, Pontifex, Duumvir, Flamen in Colonia Equestri &c. quæ omnia discere est, ex seq. *Inscript.* quæ hodieque Genevæ extat, in angulo vici Canonicorum, atque sic habet:

L. JUL. P. F. VOL.
BROCCHUS VAL.
BASSUS PRÆF. FA
BR. BIS TRIB
MIL. LEG. VIII. AUG.
IIVIR JUR. D.
IIIVIR LOC. P. P. AU-
GUR. PONTIF. II.
VIR
FLAMEN IN COL
EQUESTRE VIANIS
GENAVENSIBUS
LACUUS DAT:

Pater fuit Decimi Julii Ripani Capitonis Bassiani, cujus memoriam Novioduni, seu in Colonia Eq. *Inscr.* hæc servat:

D. JUL. L. F. VOL. RIPANO
CAPITONI BASSIANO
EQUO PUBLICO HONO-
ATO
PRÆFECTO FABRUM
TRIB. MIL. COH. I. GAL.
L. JUL. BROCCHUS
VALER. BASSUS
FILIO

Avus Decimi Julii Capitonis, qui Augur itidem erat & Duumvir Ærarii, Flamen item Martis & Tribunus Militum, uti patet ex *Inscr.* hac, quæ Genevæ visitur.

D. JUL. D. F. VOLT.
CAPITON
AUGURI II VIRO ÆRAR.
FLAMINI MARTIS
TR. MIL.

Ex eadem porro familia erat Cajus Julius Capito, fil. Caji, Duumvir similiter & Flamen Augustiali & Lucius Julius Capito amicus ejus, de quibus V. itidem *Inscriptiones* antiquas, in vicinia, apud Jac. Sponium *Descript. Urbis Genevæ Tom.*2. *pag.*325. & 326. Sed & Lucii Turpilii Brocchi Liciniani meminit vetus Lapis, in urbe Liburniæ Jadera superstes, his verbis:

JUNONI AUGUSTÆ
APPULEIA M. F QUINTA
SUO ET L. TURPILII BROCCHI
LICINIANI FILII NOMINE.

apud Eund. *Itiner. Græciæ Tom.* 3. *pag.* 77.

Brocchus, prænom. *Junius*, memoratur Trebellio Pollioni in *Claudio Ut docet ejusdem* (Claudii) *epistola, quam ad Junium* Brocchum *scripsit Illyricum tuentem: Claudius* Broccho. *Delevimus* CCCXX. *millia Gotthorum, II. millia navium mersimus* &c. Vocabant autem *Brocchos* vel *Broccos* Latini, quibus superius labrum tumet. Varro *Rei Rust. lib.*2. *cap.*9. Plinius *lib.* 11. *cap.*37. & *Glossæ*, *Brocchus*, ὁ τὸ ἄνω χεῖλος ὀγκώδες, *cujus superius labrum tumet*, Casaubonus *ad Pollionem*.

Brodium, apud vett. Latinos id ζῶμα dictum est, quam vocem hodie Itali retinent, & Galli quoque habent modicè detortam. Uti autem ζωμὸς assaturarum jus est, sic ζῶμα de elixis maximè usurpatur, & simplicem liquorem denotat, in quo carnes decoctæ sunt. Hinc *Zema* olla, in qua coquuntur & elixantur carnes. *Zemam* jus coquinæ esse, dicit Isidorus. Sic itaque apud Gaudentium *sermo tract. de Paschate*, reperitur *Brodium* positum, pro jure carnium: vox quidem vulgaris & è medio sumta, vetus tamen & valde bona, ut ex Græco facta. Βλόδιον namque Græci, τὸ ζῶμα dicunt, ἀπὸ τοῦ βλύζειν: unde *brodium* λ. in r. mutato. Salmasius *ad Flav. Vopiscum in Divo Aureliano.* An hinc *Brodiatores cursorii* memorati Nicolao de Clemangis *Epist.* 109. h. e. Antiquarii, qui in libris describendis literas ac elementa non accuratè, sed leviter, effingebant, ut visum penè effugerent; Sed hos potiùs à *Brodiatoribus*, Gall. *Brodeurs*, h. e. Phrygionibus seu Acupictoribus appellatos censet, Car. du Fresne in *Glossar.*

Broilum, vulgò *Brew*, vicus Galliæ in Cotia sylva, à loco nomen habens: *Broilus* enim vel *Broilum*, lucum aut sylvam cæduam sepramque significat. De eo aut potiùs de tota sylva Cotia, seu Compendiensi, loquitur Carolus *in Capitular.* cùm ait, *In Broilo Compendii Palatii.* Propinquus est Cotiæ villæ *Caise* vulgò dictæ, in qua veteris Palatii reliquiæ ac vestigia supersunt, Hadr. Valesius in voce *Cotia sylva.* Item locus ejusdem Regni, in Meldensi agro, clarus Monasterio & nomine S. Fefri; quem Galli Fiacrium vocant, 3. mill. ab urbe Meldis distans, vulgò *S. Fiacre.* Idem in voce *Meldi.*

Brolia, vox Barbara, Gall. *Breuile*, h. e. vivaria, παράδεισοι, apud Luithprandum, Episc. Cremon. *Legat.* ad Nicephorum Phocam Imp. CP. A. C. 968. *In Umbriam* (l. Selymbriam) *qui est locus* XVIIIM. *Constantinopoli distans, Nicephorus me accersiri jubens*

bet — *Et me interrogavit, si vos perivolia, id est*, Brolia, *vel si in perivoliis onagros vel cætera animalia haberetis* &c. Ubi à Græca voce Περιβόλιον nomen hoc detortum esse innuit. Significat autem nemus, sylvam seu saltum, in quo ferarum venatio exerceri consuevit: maximè verò sylvam muris sepibusque cinctam. Moschopulus περὶ Σχεδῶν: κῆπος λαχάνων καὶ δένδρων, τὸ κοινῶς περιβόλιον, *Hortus olerum arborumque, vulgò Peribolium*, V. Bochartum *Hierozoici part. prior.* & Claud. Salmasium *ad Inscript. Herodis Attici.* Hausere vocem à Græcis Persæ, quos ita *parcos* suos appellasse, legimus apud Zozimum *de Persis lib. 3.* Παραγίνεται δὲ καὶ εἰς περίβολον, ὃ βασίλειον θήραν ἐκάλουν, ἦν δὲ τοῦτο τειχίον, χωρίον ἀπειληφὸς ἔνδον πολὺ δένδρεσι περιφυτευόμενον παντοδαποῖς, ἐν τούτῳ θηρίων παντοίων ἀποκεκλεισμένων γένη, τροφῆς δὲ μὴ ἀπορούντων, διὰ τὸ καὶ ταύτην ἐπιτετηδεῦσθαι καὶ παρέχειν τῷ βασιλεῖ τῷ θηρᾶν, ὁπότε ἂν βουληθείη, ῥᾳστώνην. *Venit autem & in peribolum* (Brolium) *quod Regis venationem appellabant. Erat autem murus spatium satis amplum includens, arboribus ornatum omnigenis: in quo ferarum omne genus, quibus pabulum affatim suppeditatum, Regi quoties collibuisset, venandi suppeditabat materiam.* Guilleterius, Athenienses hodieque hortos suos *Perivolia* appellare, docet in *Athenis Hodiern. pag.131.* apud du Fresne in *Glossar*

Bromalia, apud Theod. Balsamonem, *can.62.* Concil. in Trullo; Τὰς οὕτω λεγομένας Καλάνδας καὶ τὰ λεγόμενα Βοτὰ καὶ τὰ καλούμενα Βρουμάλια, καὶ τὴν ἐν τῇ πρώτῃ τοῦ Μαΐου πανήγυριν, καθάπαξ ἐκ τῆς τῶν πιστῶν πολιτείας περιαιρεθῆναι βουλόμεθα. *Quæ autem sic dicuntur Calendæ & Vota &* Bromalia (ut ille exponit) *&, quæ prima Maji celebratur, panegyrin, simul & semel è Fidelium Rep. sublata volumus.* A *Bromio*, secundùm eum, h.e. Baccho, nomen habent. At quanto rectiùs doctissimus Tilius, qui *Brumalia* Latio suo servari voluit; Casp. Barthius *Animadversion. ad Statium lib.5.* V. infra in voce *Bruma*.

Bromos, apud Plinium *lib.18. cap.10. Far sine arista est. Item siligo-adjiciuntur his genera*, bromos, *siligo exceptilia & tragos, externa omnia ab Oriente invecta, oryzæ similia*: avena est frugifera (qualis nostra est) ex Græco βρόμος, ut videre est apud Dioscoridem *lib.2. cap.85.* & *lib.4. cap.135.* Cujusmodi fruges externæ fuerunt Italiæ, Græcis propriæ, quos pultem ex ea conficere solitos fuisse, idem Plinius tradit, qui eam *Græcam avenam* quoque alibi vocat. Pabulum fuisse quadrupedum βρόμον, Hesychius notat: Certè hodieque jumentis pro pabulo præbetur. Apud vett. verò Romanos, qui avenam non serebant, hordeum equis dabatur, uti diximus suprà, in voce *Avena*. Aliàs βρόμος, non solùm ad auditum refertur, & *fremitum clamoremque* significat, sed ad odoratum quoque & gustum: unde βρωμῶδες & ἰσχυρὸν *odoris* significat *gravitatem & vehementiam*, seu acriorem & virosiorem fragrantiam, eamque, quæ gustu sentitur. Quemadmodum Medicum laser odoratum erat & βρωμωδέστερον in gustu, quàm Cyrenaicum, quod prorsus erat ἄβρωμον, quamvis utrumque odoratum esset. Non enim βρωμῶδες statim *fœtidum*, ut quidam malè autumant; sed quæ βρωμώδη sunt tantùm, ea talia: quæ verò habent τὸ βρωμῶδες ἐν τῇ εὐωδίᾳ, sola vehementiâ ac virositate boni odoris displicent &c. Qua de re V. plura apud Salmasium *ad Solinum pag 218. 3 o.* & 38.

Bronium, vulgò *Brugne*, villa Belgii, in pago Lomacensi seu Lomensi, hodie *Las* dicto, in diœc. Leodicensi, castro Namurco propinqua, Monasterioque illustris, cujus conditor Gerardus Abbas ac loci dominus, memoratur in literis Henrici Aucupis, quibus fundationem hujus cœnobii confirmat A.C. 932. Unde villa & Abbatia *Broniensis*, nomen S. Gerar i accepit, ac *Brugne* etiam veteri vocabulo appellatur, Hadr Valesius *Not. Gall.* in voce, *Lomensis pagus.*

Brontæus, adde: Quibusdam etiam Bacchus sic videtur dictus, ob turbas, quas fulminum instar ebrietas commovet. Blondus Flavius *Romæ triumph. lib. . Bacchus & Liber pater &* Brontinus *quoque dictus est.* Hinc quia Baccho cum Proserpina communis ara, communiaque cum Hecate sacra, quæ *Sabazia* dicta legimus, in vet. marmore Hecate Deo Brontonti conjungitur: *Jovi. Sancto. Brontonti. Ecatæque. Aur. Poplius.* Et sicut alia habet inscriptio: *Deo. Soli. Invicto. Mithræ. Fl. Septimius. Zozimus. V. P. Sacerdos. Dei. Brontontis. Et. Æcate. hoc speleum. constituit.* V. Thom. Demsterum in *Rosini Antiquit. lib.2. paralipom. ad cap.11.*

Brotona sylva Galliæ, quam Guatevillæ, loco ad ripam sinistram flum. Sequanæ contra Calidum beccum sito, proximam facit Ordericus Vitalis *Histor. lib.12.* nunc *Routot*, dicitur: ab ea vicus Haga Brotonæ *la Haye du Routot* dictus, aliis *Bretot* vocatur: & alius vicus Capella Brotonæ *la Chapelle de Bretot.* Hadr. Valesius in voce *Guatevilla.*

Broxa, maleficæ sunt & sortilegæ mulierculæ, in montibus Pyrenæis, apud Martinum de *Arles* Canonic. Eccl. Pampilon. *lib. de Superstitionibus*, laudatum du Fresne.

Bruchium, fuit locus sive regio, urbis Alexandriæ in Ægypto, ubi Museum fuit, de quo sic Spartianus in *Hadriano, Apud Alexandriam in Musio multas quæstiones Professoribus proposuit* &c. Quin pro Musio ipso Ammianus accipit *libro 22.* ubi ait fuisse *diuturnum præstantium hominum domicilium*: ex quo multi magnæ doctrinæ Viri prodierint. Βρουχίου meminit etiam Epiphanius, *de Ponder. & Mensur.* unde constat, satis remotam à reliqua Urbe regionem *Bruchii*, quam (κλίμα τῆς πόλεως eidem dictam) suæ ætate desertam fuisse scribit. Unde sunt, qui non in ipsa urbe, sed prope eam *Bruchium* collocent. Martyrologium Græcum in *Hilar.* Εἰς δὲ χωρίον πλησίον Ἀλεξανδρείας μεθίσταται. Βρούχιον ὄνομα αὐτῷ, *In quendam locum, prope Alexandriam, contendit*, Bruchium *ipsi nomen.* Fuit id olim Alexandrinorum Prytaneum, h.e. πυρὸς ταμεῖον: unde facili literarum β. π. φ. permutatione corruptè Βρούχειον factum est, pro Πυρουχεῖον, quam vocem servat integram Eusebius *Historiar. lib. 7. cap.32.* V. Casaubonum & Salmasium *ad Spartianum* & infrà in voce *Musium*.

Brudatus seu *Brodatus*, apud Abbatem Gualterium *de Monyton. ad A.C.1343.* ex Gallico *brodé*, idem est, quod *acupictus*, phrygionico opere elaboratus V. infrà ubi de *Phrygionibus*, quos Galli *Brodeurs* vocant; item in voce, *Picta*.

Bruma seu *Broma*, festus dies Romanorum, 8. Kal Dec. celebrari solitus, cujus originem cùm nonnulli ad *Bromium*, i. Bacchum, referant; alii probabilius à *Bruma*, seu hyeme, quâ festum ejusmodi celebrabatur, arcessunt. Vett. enim Græci, ut habet Scaliger *de Emendat. Temp. lib. 2.* à *bruma* tempora sua ordiebantur, eosque secuti sunt Romani, quòd faciliùs ex decrementis umbræ horas observarent, *brumæ* confecto die, quàm ab incrementis, Solstitio. Synodus Trullana *Brumalia* vocat, illudque proscribit, quod paganorum esset festum: Τὰς οὕτω λεγομένας Καλάνδας, καὶ τὰ λεγόμενα Βοτὰ καὶ τὰ καλούμενα Βρουμάλια περιαιρεθῆναι βουλόμεθα, *Brumas* Tertullianus *de Idolol. cap.14. Saturnalia & Januariæ & Brumæ* & Matronales frequentantur. In Concilio Rom. *Broma*, sub Zacharia Episc. Rom. A. C. 743. *can.9.* item in Capitulis Attonis Episc. *cap.78. Ut nullus Kalendas Januarias &* Broma *colere præsumpserit*, &c Hinc *Brumatici*, qui damnantur in *Capitulari* Pipini R. Italiæ, edito à Steph. Baluzio *cap.32.* & *Bromardiers*, vox Belgis Picardisque etiamnum frequens, quâ, qui se mero vel cerevisia ingurgitant, indigitantur: quòd hisce festis crebra solerent agitari convivia. Aliâ verò notione vocem Βρουμάλια usurpat Petrus Patricius *Epigramm. ad Leonem Philos.* descripto à Lambecio *Comm. de Bibl. Cæsar. lib. 4. pag.180.*

> Εἰς μῆκος ἔλθοις εὐτυχεστάτων χρόνων,
> Νίκας ἀθροίζων εἰς ἀεὶ τρόπαιά τε,
> Συγκαλέσας ἅπαντας τοῖς Βρουμαλίοις
> Πανηγυρίζειν ἀφορμὰς ἐτησίως.
> *In longitudinem venias fortunatissimorum temporum,*
> *Victorias cumulans subinde, erigensque tropæa,*
> *Congregatis cunctis tuis* Brumalibus,
> *Materiam laudis suggerens quotannis* &c.

V. Car. du Fresne *Glossar.* & hic infrà

Brumæ confecta dies, apud Plinium *lib.36. cap. 10.* ubi de obelisco, qui Romæ in Campo Martio pro gnomone fuit: *Ei qui est in Campo Divus Augustus addidit mirabilem usum, ad deprehendendas Solis umbras*, Brumæ confectæ die, *hora sexta, dierumque ac noctium magnitudines strato lapide. ad obelisci magnitudinem, cui par fieret umbra Romæ, confecto die hora sexta, paulatimque per regulas quæ sunt ex ære inclusæ, singulis diebus decresceret ac rursus augesceret*; uti emendavit Salmasius, cùm alii legerent *Brumæ confecto die*: dies est, quo *Bruma* committitur. Nempe statui jussit lapidem Augustus, ad eam obelisci magnitudinem, cui par esset umbra meridi na die Brumæ. Dicitur autem *Bruma confici* Plinio, ut Solstitium, eodem genere loquendi, quo *sidus confectum*. Nam & hoc de Solstitio confecto dixit Plinius *lib.16. cap.23. Circumagunt enim folia extrum post Solstitium: nec alio argumento certiùs intelligitur sidus confectum.* Similiter Manilius, *Brumæ sidus* appellavit, *lib.3.*

> *Hac vice discedunt noctes à sidere* Brumæ,
> *Tolluntur que dies.*

Non dies Solstitiorum conficiuntur, sed ipsa confici dicuntur in puncto λόγῳ θεωρητῷ &c. Salmasius *ad Solinum pag. 640.*

Brumus, Bacchi apud vett. Romanos cognomen, unde *Brumalia*, festum ei sacrum, institutum à Romulo, quo Senatum convivio excipere solitus est. Ei apud Græcos festum *Ambrosia* respondisse & 8. Kal. Jan. à Romanis, quorum singuli attulerint, quod essent aut biberent, celebratum esse, docet Cœlius Rhodiginus *Antiq. Lect. lib 27. cap.24.* & *lib.28. cap.25.* Kalendarium tamen rusticum, mense Octobri sacrum Libero patri factum esse tradit. V. Joh. Rosinum *Antiqq. Rom. lib.4. cap.15.* & in voce *Bromalia*.

Bruna, in *Chron.* Barcinonensi, moneta est, aliis *Nigra* dicta, seu ærea, quæ ab A. C. 1200. usque ad ann. 1209. valuit. C. du Fresne, ubi suprà.

Brundusium, adde: Joh. de Janua, à *Brunda*, h. e. capite vel cornu cervi, urbem hanc dictam vult: *Videntur enim*, inquit ex Papia, *cornua cervi & caput & figura, in dispositione ejusdem loci.* V. Stephanum *de Urbibus* & Isidorum *Origin. lib. 15. cap.1.*

Brunea seu *Brunia*, militare ornamentum, lorica, occurrit sæpe in *LL.* Salicis, Ripuar. aliis: unde Gallorum *Bronze*, pro ære, ex quo *brunea* & statuæ conficiuntur, à cujus colore subfusco *Bronzer* dicunt, Itali *Abbronzare*, h.e. fusco colore illinere, depingere. Ex eadem origine Gallorum Regina *Brunechildis* nomen habuit, quæ sic dicta est, q. *Bruyne hilt.* h.e. fusca heroina. V. Car. du Fresne in voce *Brunus*.

Bruno,

Bruno, frater Witikindi, Saxoniæ Regis circa A.C. 785. ad obsequium & fidem à Carolo M. adducti, ac hodiernorum Saxoniæ Principum conditoris, secùndum quosdam Guelfos Comites Altorfii & Duces Bavariæ, ex Guelfis autem Zollerio-Brandeburgicam stirpem: secundùm alios, Impp. Saxonicos Ottones genuit. Pater nempe Ludolfi, avus Ottonis Ducis Saxoniæ & *Brunonis*, quorum hic Brunsuicum urbem, hinc *Brunopolim* dictam, condidit: Alter Henricum Aucupem Imp. filium habuit. Quo nati Otto I. Imp. Henricus Rixosus Dux Bavariæ, & *Bruno*, ut quidam addunt, Arch. Coloniensis: è quibus medius, præter Henricum II. Imp. Marchiones Saxoniæ & Thuringiæ; Comites Northemios, Brunsuici & aliquos Saxoniæ D. (inter quos Henricos Crassus Lotharii Imp. socer) prosevit: Primus pater Ottonis II. avus Ottonis III. Impp. fuit. Ex ejusdem Ottonis I. filio primogenito Ludolfo per nepotes *Brunonem* accessunt, qui A. C 994. sub nomine Gregorii V. Papa fuit. Qui verò de Ottonum origine aliter sentiunt, constituunt witikindum Wigberti & witikindi jun. Wigbertum autem Walperti & *Brunonis*, Ottonum prædictorum satoris, genitorem. V. Phil. Jac. Spenerum *Sylloge Geneal. Histor. in Fam. Witikindea.*

Brunonis Mons, *Bourmont*, locus Lotharingiæ, in Duc. Barrensi, ejusque conventu Claromontensi, Hadr. Valesius in voce *S. Michaëlis opp.*

Brunus Leonardus, circa A.C. 1415. Aristotelis Ethicam & Politicam Latinè vertit. M. Palmerius Florentinus *in Chron.*

Bruscum & Mollnscum, aceris tubera; è quorum isto solidi lectorum, & laminæ sectiles, quibus superinducebantur, ex illo etiam mensæ fiebant. Plinius *lib.16. cap.16. Pulcherrimum verò est* bruscum, *multoque excellentius etiamnum mollnscum. Tuber utrunque aceris: bruscum intortius crispum: mollnscum simpliciùs sparsum. Et si magnitudinem mensarum caperet, haud dubiè præferretur citro. Nunc intra pugillares lectorumque solidos aut laminas raro usu spectatur. E brusco fiunt & mensæ nigrescentes.* V. Salmasium *ad Solinum pag.* 416. & suprà in voce *Acer.*

Bruta, adorationi exposita, V. *Zoolatria.* Sed & Mahometes impurus, illa *salutari* jussit, libertatem à pœnis gehennæ & felicitatem Paradisiacam id facientibus promittens, *Alcoran. cap.35.* V. Joh. Forbesium *Instructionum Historico-Theologic. Lib.IV. cap.13. §.3.*

Bruttiani, dicti sunt apud Romanos, qui Magistratibus in provinciis apparerent. A. Gellius *lib.10. cap 3 Quum Hannibal Pœnus cum exercitu in Italia esset, & aliquot pugnas pop. Rom. adversas pugnavisset; primi totius Italiæ Bruttii ad Hannibalem desciverunt. Id Romani ægrè passi, postquam Hannibal Italia decessit superatique Pœni sunt, Bruttios ignominiæ causâ non milites scribebant, nec pro sociis habebant, sed Magistratibus in provincias euntibus parere & præministrare, servorum vicem, jusserunt. Itaque hi sequebantur Magistratus, tanquam in scenicis fabulis qui dicuntur lorarii & quos erant jussi, vinciebant, aut verberabant: quòd autem ex Bruttiis erant, appellati sunt* Bruttiani. Gellio adstipulatur Festus: Strabo quoque *in fine lib.5.* eandem ob causam Picentes, Lucanos, Bruttios factos esse cursores publicos & tabularios affirmat. Fulgentius Gerones quoque *Bruttianos* dictos refert. Præter hanc rationem, Strabo *lib. 6.* à Lucanis *Brutios*, sive, ut ille loquitur, *Βρεττίους*, quod *desertores* denotat, appellatos fuisse scribit: Erant enim pastores Lucanorum, qui ab illis defecerant. Notabilis quoque locus apud Diod. Siculum *lib. 16. Olymp.* inquit, *106. cùm M. Popilius Lænas & Cn Manlius Imperiosus Consulatum gererent, in Italia multitudo quædam hominum miscellaneorum (plerique enim erant servi fugitivi) ex variis undique locis circa Lucaniam confluxit. Hi primum vitam prædatoriam instituebant, mox excubiarum agrestium & incursionum consuetudine, rerum bellicarum exercitationem usumque sibi compararunt.* Et paulo pòst, *Et quia plerique fuerant servi, Brettii dicti sunt. Incolarum enim sermone ita fugitivi appellantur.* Non mirum itaque *Bruttianos* pro servis ac ministris crudelitatis poni, cùm ipsa vox Bruttiorum servum notet. Justinus tamen à Brutia muliere appellationem hanc deducit, *lib.23.* V. de Servis publicis Pignorium *de Servis pag.30. & seqq.* de *Brutianis* verò, quoque in voce *Brutii.*

Brutulus Papius Samnis, induciarum ruptor, deditus Romanis mortem sibi conscivit. Livius *lib.8. cap.39. Vir nobilis potensque erat: de quo coacti referre Prætores decretum fecerunt, Ut* Brutulus Papius *Romanis dederetur: & cum eo præda omnis Romana, captivique ut Romam mitterentur, quæque res per Feciales ex fœdere repetitæ essent, secundùm jus fasque restituerentur. Feciales Romam, ut censuerunt, missi & corpus Brutuli exanime: ipse, morte voluntariâ, ignominiæ se ac supplicio subtraxit. Placuit cum corpore bona quoque ejus dedi: nihil tamen earum rerum acceptum est.*

Bryon, Græcè *Βρύον*, item *σφάγνος*, & *σφάγνον*, Lat. *muscus* seu lanuginis muscosæ flos, in avellanis vocatur *ἴουλος*, in piceis *κύτταρος*, in lauro *βοτρυῶδες*, in quercu propriè *βρύον*, in genere *βρύον* vel *κάχρυς*, ut videre est, apud Salmasium *ad Solinum pag. 329. & seqq.* Inprimis verò Bryon *odoratum* seu *myrepsicum* considerari meretur, quod inter aromata relatum, à D. Hieronymo *musci* nomine indigitari, Hermolaus *in Corollario suo* censet. Ita autem Hieronymus *adv. Jovinian. lib.2. Odoris autem suavitas & diversa thymiamata & amomum, & cyphi & œnanthe, & muscus & peregrini muris pellicula.* Plinius *uvam populi albæ* vocat *lib.12. cap.28.* ubi species aromaticas, ex quibus unguenta conficiuntur, enumerans, *Eodem,* inquit, *& bryon pertinet, uva populi albæ, optima circa Cnidum aut Cariam in sitientibus aut siccis asperisque, secunda in Lyciæ cedro. Eodem & œnanthe pertinet.* Non usque adeò benè. In quibusdam enim arboribus quidem *βρύον* vel *τὸ βοτρυῶδες*, instar habet uvæ, ut in lauro & alba fraxino, non tamen in omnibus. Adde, quòd intelligi non possit, quomodo uva populi albæ in cedro reperiatur. Ideoque de bryo cedrino locum hunc, ut & qui ejusdem *libri cap.* 23. occurrit, capit Salmasius. Secundam palmam idem Plinius *cap.* 28. dat bryo Cyprio, quod in piceis fortasse, quæ laudatissimæ in Cypro, nascebatur. Sed & quercinum bryon laudatum, ut apud Dioscoridem videre est &c. Et quidem *βρύον* addi unguentis *βαλανίνοις* tradit idem, ut & odoribus ad vaporandum, quæ *θυμιάματα* Græci appellant. Sed unguentis miscebatur, non tam propter odorem (qui tantæ suavitatis non est) quam propter *στῦψιν*, nec per se unguentum faciebat, aut suffimentum, licet suffimentis adderetur. Unde patet, apud Hieronymum *l. c. muscum* non esse *βρύον*, sed *μόσχον*, animal viz. gazellæ simile in regno Pegu & in Regno Ana Indiæ ultra Gangem, è cujus sanguine muscus (odoramenti suavissimi genus) extrahitur. V. infrà; plura verò de *Bryo odorato*, apud Salmasium *ad Solinum pag.329. & 10·8. ac seqq.* Idem de *Bryo Marino*, quod idem est cum fuco marino, agit *pag.1144. & seqq.*

Brysani, pop. Scythiæ Septentr. contigui Indiæ Nomadibus, apud Plinium *lib.6. cap.17. Ab Athacoris gentes, Thuri & Tochari etiam Indorum Casiri. Introrsus ad Scythas versi humanis corporibus vescuntur. Nomades quoque Indiæ vagantur. Sunt qui ab Aquilone contingi ab ipsis, & Cicones dixere & Brysanos.* Ad quem locum V. Salmasium *ad Solinum pag.990.*

Brythina Byssus, Gr. *βρύσσινον ἀμόργινον*, in Cratini *Malthacis*; item *Brysinum stamen*, *βρύσσινον νῆμα*, à *brysis* nomen habet, id est, *echinis marinis*, qui villosi erant & ob hanc rationem cum pinna conferuntur, à Juba & Plinio. V. Salmasium apud Sam. Bochartum *Hierozoici Part. prior. Lib.II. cap.45.* & infrà, ubi de *Pinnis.*

BU

Bubalides, Græcè *Βουβαλίδες* & *Βωβαλίδες*, genus periscelidis & ornamenti muliebris, apud eundem Salmasium *d. l. pag 230.*

in *Bubalo* victor, in vet. *Inscr.* apud eundem, dicitur de celebri agitatore, qui quadrigâ suâ in ludis Circensibus vicerat. Erat autem in ea *Bubalus* nomine, equus funalis sinister, qui, quòd in eo præcipuum victoriæ momentum esset, solus nominatur, vett. Scriptorum more. Sic in alia *Inscr.* memoratur Fortunatus, *in Tusco victor:* in alia, *in Abigeio victor* &c. Similiter Silius Italicus *lib 16.* ubi de ludis à Scipione in Africa celebratis, in quadriga Cyrni solum Lampona, in Iberi solum Pancharem, in Atlantis Campasum solum, nominat. V. Salmasium *ad Solinum pag.897.* & infrà in voce *Funalis.*

Bubalus, Gr. *βούβαλος*, In Græca Versione Deuteron. *cap.14. vers.5.* & Regum *cap.4. versu 23.* non significat, quod hodie, bovis sylvestris genus, sed capreæ potiùs; unde Hesychius *δορκάδιον*, i. *capreolum*, explicat. Alii tamen *bubalum* à caprea sic distinguunt, ut appareat animal esse congener. Sic Herodotus *lib.4. cap.192. Πύγαργοι καὶ ζορκάδες καὶ βουβάλιες, Pygargi, dorcades & bubali.* Et, ut alios omittam, Oppianus *bubalum* facit mediæ magnitudinis, inter dorcum seu capream & eurycerotem, i. damam vulgarem latis cornibus: cùm ait,

Βούβαλος αὖ δὲ πέλει μείων δόρκος εὐρυκέρωτος,
Μείων εὐρυκέρωτος, ἀτὰρ δόρκοιο μέγ' ἀρείων.

Unde videre est, omnino *bubalum* olim fuisse in genere caprearum sylvestrium, maximè commendato eidem, *Cynegetic, lib.2* ut ait,

Ὄμμασιν αἰγλήεις, ἐρατὸς χροιήν, φαιδρὸς ἰδέσθαι.
Oculis est splendidus, colore amabilis, aspectu lætus.

Postea, ad boves feros translatum nomen, errore vulgi, sed pervetusto, quique jam Plinii invaluerat ævo, V. eum *lib.8. cap.15.* & plura hanc in rem, apud Sam. Bochartum *Hierozoici Part. prior. lib. III. cap.23.* Posteriore hac notione vox occurrit, apud Philen,

Κτείνει δὲ βούβαλιν καὶ ταῦρον λέων.
Bubalum *autem & taurum occidit leo.*

Et Martialem *lib. spect. Epigr.23.*

Illi cessit atrox Bubalus, *atque bison* &c.

Non tamen prorsus ratione caruisse videtur vulgus, cùm bobus, & inprimis uris Germanicis nomen hoc indidit. *Βούβαλον* enim Græci non tantùm illud genus animalis, quod cervo vel capreæ simile in Africa gignitur, vocarunt, sed etiam quidquid magnum & amplum esset, hoc eodem nomine insigniemnt. Hesychius, *Βούβαλος, δορκάδιον καὶ μέγα καὶ πολύ. Βούβρωρ* pro eodem dixere. *Βούβαρος, ὁ μέγας ἢ ἀναιδὴς τὸ ἄγευστον.* Sed & *βούπαλον*, pro magno posuerunt. Hinc igitur genus illud bovis Germanici, ferocitate & formæ magnitudine præcipuum, *Βούβαλον* ex Græco appellaverunt: qui *Uri* Germanicè nominabantur. Græcum *Epigramm.*

——— ——— *καὶ βοὸς ἄγει*
Ἀονιδῶν ξεῖνος ἢ παμφανέων κέρας.

& bu-

— *& bovis uri*
Elaboratum auro splendido cornu.

Cornua enim urorum, in regiis olim mensis, poculorum vicem sustinuisse, docet Solinus *cap. 20. Istis porro, quos uros dicimus, in tantum cornua protenduntur, ut dempta ob insignem capacitatem, inter regias mensas potuum gerula fiant.* Ad quem locum V. Salmasium *ad Solinum pag. 230. & 231.*

Bubastiacus Amnis, ectrope est ab auctore flumine Nilo deducta, quæ postea alia atque alia subinde diverticula seu ramos generat, per diversos exitus in mare se evolventia. Apud minus Delta enim, *Bubastiacus fluvius* dividuus fit in Busiriticum, qui per Pathmiticum ostium in mare exit, uti Ptolomæus habet, ὃς εἰσχεῖ διὰ τοῦ παθμιτικοῦ στόματος: pro quo malè *Pharniticus* scribitur, apud Ammianum. Prope tertium dein Delta, in alia duo se findit diverticula, quorum alterum per Athribin urbem effunditur in mare, alterum per ostium Pineptimi dictum: quæ duo ostia ψευδόστομα sunt. Exit autem *Bubastiacus* amnis, seu diverticulum est fluv. Ἀγαθοῦ Δαίμονος, hoc est, majoris fluvii seu majoris Nili partis, quæ per ostium Heracleoticum seu Canopicum in mare exit: ipse verò *Bubastiacus*, ostio Pelusiaco evolvitur. Nempe Nilus, cæteram Ægyptum permeans, unico alveo, ubi ad Delta venit, in duas partes scinditur ac duo flumina, quorum alterum Occidentem petit, alterum ad Orientem pergit. Pars quæ Occasum petit, major est, ac veluti fluminis corpus, hinc μέγας ποταμὸς, sed & Ἀγαθὸς Δαίμων Græcis, at in ostio ipso, quo in mare exit, Κανωβικὸς & Ἡρακλεωτικὸς dicta. Pars altera vero, quæ ad Orientem tendit, minor est, & ἐκτροπὴ censebatur, ac veluti brachium seu ramus, è corpore fluminis majoris erumpens, ac ab oppido adjacente Βουβαστικὸς ποταμὸς dicebatur; cujus exitus in mare, *Pelusiacum ostium*, ab urbe itidem cognomine dictum est. V. Salmasium *ad Solinum pag. 477. & seqq.* Ex *Bubastiaco* porro flumine, canales seu fossas transversim ductas, junxisse inter se Thermatiacum, Athribiticum, Busiriticum & Bubastiacum ipsum, & παράλληλον ῥεῖν quadantenus effecisse oræ maritimæ Ægypti, quæ basim trigoni sive Deltæ efficit, extenta à Pelusiaco ostio ad Canopicum, eique ex adverso respondisse, tradit Ptolomæus, quem vide, ut & Strabonem, ubi de Nilo agens τὰ πρὸς μέρη Nili flum. in Pelusiaco ostio (ad quod *Bubastiacus alveus* currit) ponit, indeque διώρυγας illas fieri ait, uti in Canopico τὰ τελευταῖα.

Bubula, vel *Bulbula*, vulgò *la Bouble*, fluv. Galliæ, qui Montem-Acutum in Combralia, *Montegu en Combraille*; Cantiliam Villam, *Chantelle la Ville*; Cantiliam Castellum, *Chantelle le Chastel*, pagi Episcopatusque Biturici castrum, in confinio Arvernorum ac Biturigum positum, præterlabitur, & apud Martilliacum *Marsilly*, decurrit in Sicaulam, *Sioule*, Arvernorum fluvium. Hadr. Valesius in voce *Sicaula*.

Bubula, Vide suprà in voce *Bikkoreth*, item *Boum caro*.

Bubulæ, vulgò *Bulles*, vicus Galliæ, in Bellovacis, olim in literis A. Chr. 1075. memoratus; Hadr. Valesius in voce *Bellovaci*.

Bubulci, jam Siracidis ætate contemtim habiti, Vide Eccles. *cap. 38. vers. 26.* unde nihil mirum, quòd in Theocriti *Bucolisco* Eunica puella bubulcum hoc sermone repellat,

— — ἔῤῥ' ἀπ' ἐμεῖο.
Βουκόλος ὢν ἐθέλεις με κύσαι, τάλαν; οὐ μεμάθηκα
Ἀγροίκως φιλέειν.
— — *Abi à me in malam rem:*
Bubulcus cùm sis, vis me osculari, miser? Non didici
More rustico osculari.

Et post multa hujusmodi,

— — τρὶς εἰς ἑὸν ἔπτυσε κόλπον,
ter in sinum suum despuit,

ut *Idyll. 27.* pari fastidio puella, quam osculatus fuerat Daphnis bubulcus,

Τὸ στόμα μευ πλύνω, καὶ ἀποπτύω τὸ φίλαμα,
Καλόν σοι δαμάλας φιλέειν, οὐκ ἄζυγα κώραν.
Os meum lavo & osculum despuo
decet te vitulas osculari, non innuptam puellam.

Sed apud priores mortales longè aliter se res habuit: tum enim boum curam non dedignabantur Principes Viri. Hinc *Iliad. ζ.* Cilicum Regis filia, Andromache, Achillem septem fratres suos interfecisse queritur,

Βουσὶν ἐπ' εἰλιπόδεσσι,
Apud boves curvis pedibus.

In quem locum Eustathius, Βουκολοῦντες, inquit, παλαιῷ ἔθει καὶ οἶς προσέχοντες ἐκεῖνοι, ἔπεσον ὑπὸ τῷ Ἀχιλλεῖ, *Illi boves & oves veteri more pascentes, sub Achille ceciderunt.* Et *Iliad. υ.* Æneas se jam antea cum Achille congressum esse narrat,

Ἐξ Ἴδης ὅτε βουσὶν ἐπήλυθεν ἡμετέρῃσι,
Cùm ex Ida boves invasit nostros;

quibus sc. ipse custos aderam. Sic *Il. φ.* Phœbus, & in Theocriti *carm. cit.* Bacchus, Adonis, Eudymion, alii hanc artem exercuisse memorantur, &c. In Sacris Samgar celebris est, qui stimulo boum sexcentos Philistæos percussisse legitur. Quod an solus fecerit, an tumultuaria rusticorum turma comite, cujus ducem se præstiterit, non definit Scriptura. Utut sit, id notabile est, quòd non alio telo, quàm quale *Bubulci* manibus versant, viros egregiè armatos non solùm aggressus sit, sed & fregerit. Sic Lycurgum, non alio telo armatum, circa Nysam, Bacchi copias & ejus nutrices fugasse, legimus *Iliad. ζ.*

Θύσθλα χαμαὶ κατέχευαν, ὑπ' ἀνδροφόνοιο Λυκούργου
Θεινόμεναι βουπλῆγι.
Thyrsos in terram projecerunt, ab homicida Lycurgo
Percussæ boum stimulo.

Quam pugnam cùm ἐγγύθι Καρμήλοιο, *prope Carmelum*, montem in Judæa notissimum, contigisse dicat Nonnus *Dionysiac. lib. 20.* non improbabilis est Bocharti conjectura, ex Samgaris Historia hausisse Poëtas, quod fabulæ de Lycurgo infarcirent. Nec omittendum, Christum è cœlis Hebraicè Saulum alloquentem, inter cætera dixisse, *Durum est tibi contra stimulos calcitrare*, Actor. *cap. 9. versu 5.* Quod proverbium, à bobus refractariis stimulisque *Bubulcorum* sumtum, cùm Græci Romanique Scriptores passim usurpent, Æschylus in *Agamemn. versu 1620.* & in *Prometheo vincto, vers. 321.* Euripides in *Bacchis versu 793.* Pindarus *Pythior. Od. 2.* Terentius in *Phormione*, Plautus in *Truculento*, videri posset ab illis Christus id depromsisse: sed hoc esset fontem limpidissimum ex rivulis lacunosis derivare. Certè jam in Mose, qui Æschylum & Pindarum mille circiter præcessit annis, legimus Deuter. *cap. 32. vers. 15. Saginatus est rectus & recalcitravit*, nempe in Legis stimulos, quibus ad officium urgemur, &c. Vide Bochartum *Hierozoici Pars. prior. lib. II. cap. 39.*

Bucca, apud Juvenalem,

— — *Notaque per oppida* buccæ:

Et,

Mævius & Mæho buccæ:

in vett. Glossis *Buccones*, sunt scurræ vel parasiti, qui alienâ *buccâ*, h. e. quadrâ, vivunt. Græci βουκκίωνες ab eadem voce appellant. Est autem *bucca* vel *buccea* frustum panis vel panis: unde *Buccella* & *buccellatum*, panis sex unciarum. Certè *bucceas panis* Suetonius *in Augusto* vocat, quos Græci βλωμοὺς, unde βλωμιαῖοι ἄρτοι, *quadrati panes* apud Athenæum V. Salmasium *Not. ad Vopiscum in Tacit.* & infrà, ubi de *Buccellariis*.

Buccaavia, in *Epist.* Comitis S. Pauli de prima expugn. CP apud Godefridum Monachum, Fretum Abydenum denotat, voce conflatâ ex *buccâ* seu *os*, & *Avieseu Avidus*, vel *Abydus*, quasi *Os*, h. e. ostium *Abydi*. Vocem enim *Bucca* vel *Buccea* pro ostio fluminis, usurpari recentioribus, Pergaminus docet in voce *Bocca*. Gallicè *Boche d'Avie* vocatur, uti videre est apud Villharduinum *num. 65.* & in *Histor.* Bucicaldi Marescalli Franciæ *Parte 1. cap. 4.* Vide *Notas* Caroli du Fresne *ad Villharduinum*, & eundem in *Glossar.*

Buccella, Gr. ψωμίον, memoratur *l. 5. Cod. Theodos. de Annonis civicis, Civis Romanus, qui in viginti panibus sordidis — 50. uncias comparabat, triginta & sex uncias in* buccellis *sex mundis sine pretio consequatur*: ubi *buccellæ* dicuntur panes parvuli rotundi seu στρογγύλοι ψωμία, uti βουκκέλλους interpretatur Constantinus Porphyrogenitus, *libro 1. περὶ θεμάτων.* Atque hinc *Buccellarii*, de quibus mox. Sed & in Ecclesia vox usurpata est, ut apparet ex *Capitulis* Caroli M. *lib. 6. cap. 191. Ut Sacerdotes admoneant viros ac mulieres, ut ad Basilicas luminaria & incensum, &* buccellas *& primitias offerant.* Quibus paria habent *Capit.* Herardi Archiepisc. Turon. *cap. 114.* ubi voce hac denotantur *oblatæ* panis, quæ Ecclesiæ ejus ævi consuetudine, ad usum Eucharistiæ, à populo fideli, ad Mensam Domini offerebantur: quas ad imaginem nummorum & ad tenuissimam levissimamque formam, à veri panis specie alienam, fuisse jam suo ævo redactas, conqueritur Bernoldus Presbyter Constantiensis *in Exposit. Ordinis Rom.* In modum namque denarii istiusmodi panem formari cœpisse, ipse quoque docet Honorius Augustodunensis *lib. 1.* &c. Tertullianus *de Monogam.* sic panes vocat, quos Ecclesiæ Ministri mulieribus domum dabant perferendas. Græci vero Constantinopolitani Βουκκέλλατον appellabant *buccellam vino intinctam*, seu sacram Eucharistiam, vel panem Eucharisticum intinctum, ut est apud Auctorem libri *Miraculor.* SS. Cosmæ & Damiani *cap. 10.* &c. V. Car. du Fresne *Glossar.* & infrà passim, inprimis ubi de *Pane Fracto*, item de *Eulogiis*, nec non in voce *Nebula*.

Buccellarius, recentioris ævi Scriptoribus dictus est, qui priori ætate *Scurra, corporis Custos, Domesticus, Protector Principis, Adsecula, Agaso*; Græcisque ὁ παραμένων, qui semper stat ad Domini jussa paratus nec ab ejus latere absistit, appellatus est. Sic, cùm in vett. *Chronicis* legimus, ab Aetii *buccellario* Valentinianum interfectum esse, ejusdem satelles vel armiger intelligendus est; uti disertè Marcellinus in *Chronico* vocat. Idacius in *Chron. familiarem* dicit. Sic autem satellites vel armigeri alicujus Principis vel Magnatis, & familiares ipsius vel domestici vel contubernales, appellati sunt; quòd non magis ab latere dominorum suorum discederent, quàm parasiti illi veri & adseculæ, ab eorum, quorum mensas sectabantur. Hinc illi parasiti dominos vocabant & Reges, quos ventris gratiâ adsectabantur: unde & *scurræ* ac *Buccellarii* appellati sunt custodes corporis Imperatorum vel satellites & armigeri Magnatum, qui eos adsectabantur & eorum latera tuebantur, Vide suprà in voce *Bucca*. Βουκελλάριοι dicuntur *libro 60. Basilicon tit. 18.* Βουκελλάριοι λέγονται οἱ παραμένοντες στρατιῶται, ὡς ἀπὸ τοῦ βέκκα ὅ ἐστι ὁ ἄρτος

ὀνομάζονται Βουκελλάριοι, οἱ τὸν ἄρτον ἔχοντες ἰδόντες ἐπ' αὐτοῦ τοῦτο τοῦ χαραγμένου αὐτοῦ. Immediatè *Buccellarios* hos unà cum Spathariis, ambulante exercitu, Imperatorem subsequi jubet Mauritius *Strateg. lib. 2. cap. 9.* Sed & sic dictos vult Constantinus Porphyrogenitus, *περὶ θεμάτων cap. 6.* qui militibus panes ministrabant: *Διὰ τὸ ἐπακολουθεῖν τοῖς φαλάγξι καὶ τὰς τροφὰς αὐτοῖς ἐπιφέρεσθαι. Βουκελλάριος γὰρ κατὰ Ῥωμαίων διάλεκτον, ὁ φύλαξ τοῦ ἄρτου καλεῖται, Quòd sequerentur milites & panes illis suppeditarent.* Buccellarius *enim Romanorum dialecto, custos panis appellatur.* Certè Olympiodorus, apud Photium non modò ait, nomen *Buccellariorum* sub Honorio Aug. primùm auditum, sed & *Buccellarios*, à *buccellato*, de qua voce vide infrà, fuisse nuncupatos. Verùm licèt *Buccella* panis est, *Cellarius* autem ὁ φύλαξ, non propterea *θέμα Βουκελλαρίων* inde dictum, quòd panarii illi custodes & cellarii exercitum sequerentur, sed *Buccellarii* ipsi milites appellati sunt, uti dictum, à quibus præfectura sive provincia *Buccellariorum*, ut *θέμα Θρακησίων, præfectura Thracensium*, à Thracibus vel Thracensibus auxiliariis, qui eam provinciam prætenturis suis & præsidiis tuebantur, nomen habuit. Sicuti verò *θέμα* tertium Imperii Constantinopolitani in Asia minore *Θρακησίων*, ita *θέμα* sextum *Βουκελλαρίων* fuit. Certè inter vexillationes Comitatenses, quæ sub dispositione Magistri Militum Orientis militabant, *Buccellarios juniores*, nominat vetus *Notitia* Imperii: Qui equites omnino erant, de his enim propriè vexillationes dicebantur. *Buccellarii* igitur militum genus fuere &c. Ab his *Βουκελλαρίων θέμα* vocatum, quod Maryandinem & Galatiæ partem complectebatur: unde sub extrema Græcia voce hac insigniti sunt Galatæ & Maryandini, quod milites *Buccellarii* olim in ea regione tuenda excubarent, in præsidiis locati. *Lexicon* Gr. *MS.* Reg. apud Carolum du Fresne in *Glossar.* *Γαλλογραικία ἡ τῶν Βουκελλαρίων χώρα, οἱ αὐτοὶ καὶ Ἑλληνογαλάται γράφονται ἢ ὀνομάζονται, Gallo-Græcia* Buccellariorum *regio: Iidem & Græco-Galli scribuntur & nominantur.* Cedrenus eorum provinciam *Βουκελλάριον* vocat: occurritque passim *Thema Buccellariorum*, apud Suidam & Constantinum *loc. cit.* pro eadem, uti docent Rigaltius & Meursius. Vide quoque Salmasium *Notis ad Histor. Aug. passim*, inprimis *ad Vitam Alexandri Severi*: nec non *Exercitat. Plin. ad Solinum pag.* 807. & 808. Nec omittendum, apud Papiam, in *LL.* Wisigothorum *lib.* 5. *tit.* 3. §. 1. & Anastasium in *Zacharia Pontif.* *Buccellarios* vocari in genere, clientes, vernas, adseclas, domesticos, quòd patroni *Buccellam*, hoc est, panem edant, de quo jam tamen aliquid suprà prædictum. Adde Auctoribus laudatis Macros Fratres in *Hierolexico.*

Buccellatum & *Buccellum*, idem cum *buccella*, panis dictus est in modum circuli, seu, uti Vopiscus ait in *Aureliano*, in formam *coronæ* factus. Hic enim, cùm ad bellum Orientale profectus bilibres coronas populo, si victor rediret, promisisset, aureasque propterea populus speraret, *coronas fecit de panibus siligineis & singulis quibusque donavit.* Cujusmodi civiles panes *buccellas* vocatas esse, testimonio est *l. Valentiniani Cod. Theodos. de annonis civ. & pan. grad.* Græci recentiores *ψωμία* appellant, ut videre est in *Chron.* Alexand. Et quidem *buccellæ*, quæ populo quotidie dividebantur, à temporibus Aureliani fere intra sex uncias stetere, solebantque quotidie sex istiusmodi panes popularibus distribui. Ejusdem ponderis panis militaris seu *buccellatum* erat, ut & panes paxamates quos proin cum *buccellis* eosdem facit Salmasius, *Not. ad Vopiscum.* Vide suprà, ubi de *Annona*, & infrà ubi de *Pane gradili.* Propriè igitur *Buccellatum* panis est militaris, *ad usus diuturnitatem excoctus*, uti ait Marcellinus *lib.* 17. atque ita vox passim usurpatur, apud Spartianum in *Pescennio*, Paulinum *Epist.* 36. Palladium *Histor. Lausiac. cap.* 20. Alios. Sic dictus quibusdam, quòd milites, cum ciborum aut panis penuriâ laborarent, confractum & in minutiores partes dissectum in lagenam, aquâ plenam, quam *buccellam* appellabant, mitterent, quò madesceret, & faciliùs manducaretur; ita enim Heraclides *cap. 6. Contractum atque in partes redactum modicas* Buccellatum *in lagenas misit.* Nisi à *buccella* deductum vocabulum, magis arrideat. Tenuem fuisse panem, docet *Lexicon* Græc. MS. apud Carolum du Fresne, *Βουκελλᾶτον ἄρτου εἶδος, ὃ λέγεται κοπτὸν*. Quo modo usurpatum ab Italis refert Ammiratus, in *Familiis Neapolis Tom. I. pag.* 55. &c. Vide *l.* 1. *Cod. de Erog. milit. annon.* Mauricium, aliosque, Rigaltio, Meursio, Iac. Gothofredo, Henrico Valesio, præfato Car. du Fresne in *Glossar.* & Joh. Calvino *Lexic. Jurid.* laudatos.

Buccina, Festo *lib.* 2. est cornu recurvum, quod more tubæ inflatur. Ovidius,

> —— —— *Cava* buccina *sumitur illi*,
> *Tortilis in latum.*

Hæ Vett. non ex arietum, ut quidam volunt, sed boum cornibus erant. Varro *de L. L. libr.* 4. *Cornua dicta, quòd ea, quæ nunc sunt ex ære, tunc fiebant ex bubulo cornu.* Dionysius Halicarnass. *lib.* 2. *Τῶν δημοσίων ὑπηρετῶν τινὲς κέρασι βοείοις ἐμβυκανῶντες ἐπὶ τὰς ἐκκλησίας συνῆγον. Plebeios ministri quidam bubulis cornibus buccinantes ad concionem convocabant*, &c. Solus Servius ex capræ cornu fieri consuevisse, asserere videtur, *ad Æn. lib.* 7. *vers.* 518. Sed de tuba vel *buccina* ex cornu arietino, apud vett. Græcos & Romanos nulla est mentio. Itaque cùm dicitur, Psalmo 98. *vers.* 6. *Tubis & sono cornu clangite coram Rege Domino*: cornu non aliud, quàm bubulum, intelligendum. Ut neque in his Josuæ *cap.* 6. *versu* 5. *Cùm tractu sonabitur sono jobel*, seu *jubilationis*: & 2. Paralip. *cap.* 15. *vers.* 8. ubi filii Heman à Deo constituuntur *ad attollendum cornu*, id est, ut statis temporibus corneis tubis altâ voce buccinent, &c. Vide Samuelem Bochartum *Hierozoici Pars prior. lib. II. cap.* 32. Canebant autem *buccinâ* Romani in exercitu, in præconiis publicis & cùm in milites animadverteretur, ut ex Vegetio liquet *lib.* 2. *cap.* 22. De usu ejus apud Hebræos alibi. Vide Brissonium laudatum Johanni Calvino *Lexic. Jurid.* Deorum marinorum *Buccinatores* & Tubicines, Tritonas finxere Poëtæ. Vide Barthium *Animadversion. ad Papinium Statium Achilleidos lib.* 1. *versu* 54. & *Notis ad Claudianum Epithalamio Honorii.* Cujusmodi *Buccinicinum* par visendum secundùm Veterum monumenta, olim dedit Mariangelus Accursius in *Diatribarum* suarum frontispicio. V. quoque in voce *Triton.*

Buccinator Nominum, dictus est apud Romanos olim, servus publicus, qui præconem comitabatur. Ejus mentio Romæ viâ Salariâ: L. VOLUSIO. URBANO. NOMENCLATORI. PRÆTORI. PAPIAS. SERVOS. PUBLICUS. BUCCINATOR. NOMINUM. V. Laur. Pignorium *Comm. de Servis*, & infrà, ubi de *Nomenclatore*, ac de *Præcone*.

Buccinum, conchylii genus, unum è tribus, è quibus purpura olim eliciebatur. Plinius *lib.* 9. *cap.* 40. *Pretia medicamento sunt quidem pro fertilitate littorum viliora: non tamen usquam Pelagii centenas libras quingentos nummos excedere*, & buccini *centenas sciant, qui ista mercantur immensò.* Sic libræ singulæ *pelagii* (à pelagiis purpuris, quæ in finibus longè à littoribus degunt) quinque nummis; *buccini* (quod à buccinis petris tantùm adhærescentibus & circa scopulos legi solitis) nummo uno exponebantur. Hinc *Buccinum*, quòd fucum remitteret, solum ac per se damnatum (longeque proin vilius *purpurâ* propriè dictâ) pelagio miscebatur. Idem *cap.* 38. *Buccinum per se damnatur — pelagio admotum alligatur, nimiæque ejus nigritiæ dat austeritatem illam, nitoremque qui quæritur cocci.* Ubi *nigritiam* tribuit pelagiis, sicut Aristoteles *florem nigricantem*: cùm *buccina*, uti & purpuræ littorales, dilutiore flore censerentur. Quemadmodum *conchyliis* in specie sic dictis (quæ à purpuris passim distinguit Plinius) inter purpureum & cœruleum, medium tribuunt colorem Scriptores, qualis in purpurisso Indico cernitur. Unde Hebræorum *thecheleth* de conchylio, *argaman* autem de purpura propriè dicta exponit Bochartus, Vide infrà. *Buccinorum* porro seu muricum, ut & pinnarum, capillitium *μήκων* dicebatur Græcis, unde & *μήκωνες*, vestes byssinæ. Sed & sic dicebatur pars concharum media, sicut anterior *τράχηλος*, quæ ambo in buccinis esui fuisse, docet Athenæus: in eorundem medio florem succi hærere Aristoteles vult, in mediis faucibus Plinius. *Πυθμὴν* autem dicta est pars alvi, quâ petris adhærescunt. Vide Salmasium *ad Solinum pag.* 1126. *& seqq.* Nominis rationem idem exponit Plinius *cap.* 36. *d. l. Buccinum minor concha, ad similitudinem ejus* buccini, *quo sonus editur: unde & causa nomini, rotunditate oris in margine incisâ. Alterum genus purpura — clavatum est ad turbinem usque aculeis in orbem septenis fere, qui non sunt buccino, sed utrisque orbes totidem, quot habent annos.* Georgius de Sepibus *Buccinas* seu *Pinnas*, seu *Papiliones*, quod ostraceum genus, tenui, sed duro exuvio, extrinsecus aspero, intrinsecus tersum & aliquando rufescens rupibus marinis adhæret, ac lanugine quadam, humiditatis attrahente maximâ vi, præditum est, magno numero asservari, in Musæo Kircheriano Romæ, docet in *Descriptione* ejus *pag.* 28.

Buccula, apud Livium, *galeas buccularque tegens*, Hadriano Turnebo *Adversar. libro* 9. *capite* 16. cassidis pars est, quæ demissa *buccam* tegit: Carolo verò du Fresne umbo clypei, seu scuti pars eminentior & media. *Glossar.* Græc. Lat. *Βουκούλαριος, ὀμφαλός.* Item *ὀμφαλὸς ἀσπίδος*; per synecd. ipse clypeus. Unde Juvenalis tropæi apparatum describens *Sat.* 10. *versu* 133.

> *Bellorum exuviæ, truncis affixa tropæis,*
> *Lorica & fracta de casside* buccula *pendens,*
> *Et curtum temone jugum, victæque triremis*
> *Aplustre & summo tristis captivus in arcu*

Nam inter *spolia, quæ bello erepta clypeis solebant affigi*, ut ait Scholiastes, clypeus omnino recenseri debuit, uti passim vetera monumenta & numismata satis evincunt, in quibus tropæa, ubi & scuta ac clypei à cassidibus dependent, vel certè iis subesse solent, efficta conspiciuntur. Unde est, quòd *Bucculæ* à cassidibus non semel distinguantur, ut diversæ; inter alia *l.* 1. *Cod. Theodos. de Fabric. Octo apud Antiochiam cassides, totidemque bucculas* &c. Et Capitolinus in *Maximino Jun. Fecit & spathas argenteas, fecit & aureas, fecit & galeas gemmatas, fecit & bucculas*, h. e. clypeos. Proinde *Buccularum* structores, apud Paternum in *l. ult. D. de Jure immun.* sunt clypeorum confectores. Imò cùm parte aversâ clypeus brachio militis insereretur, inde quibusvis fibulis, apud Gallos, etiamnum *Boucle*: & ab hac clypei parte, toti clypeo, *Bouclier* nomen [illegible], quòd in umbone...

uti passim vett. monumenta repræsentant, effingi consuevere ut plurimùm vultus aut facies viri vel animantis, cujus *bucula* seu os (ita enim apud Suetonium & Appulejum vox sumitur) medium obtinebat. V. præfatum du Fresne in *Glossar.* Locus Livii sic habet, *lib. 44. cap. 34. Neminem totis mox castris quietum videres. acuere alii gladios, alii galeas bucculasque, scuta alii loricasq; tergere,* &c. Ubi Godelev. tamen, Turnebo assentitur, *bucculas* cassidis partem, per quam mittitur spiritus, ita dictas, quòd *buccam* tegant, esse contendens. *Notis ad Livium.*

Bucellarii, Gr. Βουκελλάριοι, in *Constit. Leonis & Anthemii Impp. l. fin. C. ad l. Jul. de pub.* Suidæ sunt Ἐλλενογαλάται, *Gallo-Græc.* Alciato Equites in exercitu Rom. quibus Magister Militum per Orientem præerat, in *Juniores* & *Seniores* divisi, quos existimari posse scribit, postquam missionem accepissent, latrocinari & rapto vivere consuevisse. Nisi fortasse gentis id vitium fuit, quos proin *latrones* interpretatur Albericus. Turnebo *Adv. l. 24. c. 6.* armati zabis sucte (h. e. loricis prope talaribus) & manicis ferreis, contati quidam & sagittiferi: quos magno in honore fuisse, eo quòd in agmine ante Imperatorem equitarent, & pòst sequerentur, addit Joh. Calvinus *Lexic. Jurid.* V. suprà in voce *Buccellarius.*

Bucentaurus, Ital. *Bucintoro,* navis apud Venetos, non minori jure sacris annumeranda, quàm illa apud Romanos olim, quà Saturnus, & apud Athenienses, quà Theseus, vecti dicuntur: seu quòd in urbem advenientes sacri Principes externi eà vectantur, seu quòd singulis annis Dux & Senatores, sacro Ascensionis die magnâ pompâ, eà navi desponsando æquori prodeunt, uti dicemus infra, ubi de *Sponsalibus Maris.* Illam hic describit Justinianus *lib. 14. Est navigium maximum atque ornatissimum. Nam structura ejus sublimis, columellisque frequentioribus culta, auroque ad proram à puppi præfulgens, hospites que insignes & alii eminentioris fortunæ viri, qui ad urbem veniunt, eà navigii machina à Principe & Paribus officii gratia excipiuntur: Ducaleque solium in frontispicio, superiori tabulato collocatum, ubi Princeps inter Legatos Consiliariosque, medius sublimis residet, & circum per subsellia summus ille Patrum Ordo, Majestatis & juventii plenus. In inferiori autem tabulato remiges navigium impulsu agunt & remulco intentum, dum aquæ in contrarium fluunt, tanta moles trahitur publicumque erigitur vexillum & juxta illud Principi aureum sceptrum summitasque Bucentauri holosericum purpureumque habet opertorium, funibus alligatum, ne ventus rapiat. Ad proram positum est justitiæ simulachrum auro fulgens, cujus dextera ensem, læva autem æquilibrium tenet, utrumq; insigne prominet, ut navigii forma conspectior sit. Dicta navis est, à bu quod magnum aliquid significat & Centaurus, antiquum navium insigne, vel quasi Bis Taurus, quæ olim Æneæ navis. Alii Ducentaurum appellatum volunt, quasi ducentorum hominum navigium capax. Institutis hujus machinæ primùm facta fertur anno reparatæ salutis M CCXI. Alii altiùs originem indagant, nempe An. MCLXXVII. in adventu Imperatoris Friderici Ænobarbi seu Barbarossæ, cùm ille, pro componenda pace cum Pontifice Alexandro III Senatuque Venetias accessit. Hic enim Imperator Pontificem — insectatus, abire Roma Venetiasque petere, tanquam Asylum tutum coëgit. Et Imperator in Venetos classem duce Othone filio misit, qui à Venetis debellatus, captus & ad patrem remissus, ab eo impetravit, ut Venetias commearet de pace actarus, quod feliciter factum. Pontifexque in integrum restitutus pietate & virtute Venetorum, Quibus ut Pontifex paria faceret, præter plurima alia privilegia, Veneto Senatui concessa, gratulabundus Principi annulum aureum porrexit,* &c. quo ipsi *Mare* desponsaret. Quod cum Ascensionis die factum fuerit, inde quotannis celebritas hac eadem die, magno hominum concursu; eragitur, Princepsque cum Principum Legatis Senatuque purpurato vectus *Bucentauro* annulum aureum à Pat. sacrâ consecratum e puppi in undas (aqua lustrali etiam solenni ritu in aquas profusa) projicit, ut latius infrà dicemus. V. quoque Auctorem Anonym. *Orbis Geogr. & Civ. c. 21.* Auctorem *Sinæ & Eur. cap. de Navibus,* Jac Sponium *Itiner. Græciæ Part. 1. pag. 76.* ut & in voce *Venetiæ.*

Bucephali, equi omnes olim dicti, ab inusta capitis nota. Tralatitium enim apud Vett. uti hodie, equis notas inurere. Anacreon,

> Ἐν ἰσχίοις μὲν ἵπποι
> Πυρὸς χάραγμ' ἔχουσι.

Et quidem duas præcipuè literas Græci inurebant, *Sigma* & *Coppa,* unde Κοππατίαι & Σαμφόραι equi dicti. Sed & equorum armis ac femoribus *taurini capitis* effigies non rarò solebat imprimi, quo factum, ut non solus Alexandri equus *Bucephalus* appellatus sit, sed omnes præterea equi, qui eadem insignis origine notati fuerant. Scholiastes Aristophanis, Οὐ γὰρ βουκεφάλους ἵππους καλοῦμεν, διὰ τὸ μορφὴν τοιαύτην αὐτοὺς ἔχειν, ἀλλὰ διὰ τὸ τοῦτον ἐγκεχαράχθαι, ὡς ὁ Ἀλεξάνδρου τοῦ Μακεδόνος ἵππος, &c. *Non enim bucephalos equos vocamus, quòd formam hujusmodi habeant, sed quòd hic character ipsis inustus quemadmodum & Alexandri Macedonis equus erat.* V. quoque Hesychium, voce Βουκέφαλος. Hinc, cùm omnibus equis, qui Circo committebantur, sua essent nomina, quibus appellabantur, ut ex vett. Inscr. patet; sicut illi, à colore, *Badius, Corax, Maurus;* à celeritate, *Incitatus, Tigris, Volucris;* à gente *Cappadox, Parthus,* &c. ita ab insigni aliquo sive genitivo sive inusto, varia habebant nomina, ut *Bucephali, Coppatiæ, Samphoræ* dicerentur. Salmasius *ad Solinum pag. 893. & seqq.*

Bucolica Carmina, à *bobus* dicta, inter Pastoralia præcipuâ olim laude ferebantur. Cujus poeseos inventum Persarum tempore incidunt, cum Græciam premerent. Tunc enim Dianæ Caryatidis sacris, quæ à virginibus fieri consueverant, intermissis, agrestium aliquot in fanum officii causa se contulisse, & peculiaribus cantiunculis Dianæ laudes dixisse ferunt. Quos cantus cum valde probari vel religio jussisset, vel numerorum lepos persuasisset: ex casu mos, deinde etiam Lex facta est. Patriam hujus carminis Siciliam plerique faciunt, in quam delatus Orestes e Scythica Taurorum gente, afferens Dianæ signum, in pago Tyndaride illud statuerit, Numinisque laudes una cum agrestibus, a quibus exceptus fuerat, non sine cantibus instituerit. Alii Dianâ hoc modo, Syracusis agitatis seditione, placatâ, initium factum anniversariæ festivitatis eamque propterea *Lyam* appellatam esse ajunt. Apud quosdam non *Lua,* sed *Phaselidis* nomen invenias, quod Antiphemus è Græcia in Siciliam importarit. Namque hujus frater Lacius Argivus coloniam misit in montana Colophoniorum, Mopso Duce: qui ibi terram emit à Cylabra pastore indigena in qua oppidum condidit, nomine Φασηλίδα. Unde *Mopsi* nomen pastorali carmine tam frequens. Modus cantilenarum hujusmodi Βουκολιασμὸς dictus est. Præmium panis antiquitus fuit, in quo essent ferarum expressæ imagines: ipsi aut stantes, aut sedentes, aut ducentes gregem, cum pera erant omnium seminum genere refertâ, quod Græci πανσπερμίαν dixere. Habebant etiam vinum in utre caprino, & pedum. Canebant autem coronati. Victi victor panem, peram, utrem auferebat, atque ex eo libabat Musis: victus, urbem ingredi non ausus, abibat per suburbia ac viculos & panem ad vescendum rogabat. Victor vero urbem Syracusarum ingressus, civium limina cum frugibus, cum vino aspergebat, porriciens libamenta cum cantu hoc,

> Δέξαι τὰν ἀγαθὰν τύχαν, δέξαι ὑγίειαν,
> Τὰν φέρομες παρὰ τᾶς θεῶ, τὰν ἐκαλέσατο τήνα.

E quibus colligas carminis lususque originem à pestilentiæ sedatione: quum in iis sanitatem quasi conceptis verbis profitebantur. Transiit dein in Artem lusus ac in quæstum abiit. Circumire igitur provincias & certare in Italia, qui se Βουκολιαστὰς prædicarent, atque a io nomine Αὐδαστὰς, unde *Ludionum* Latinis nomen. Inter quos eo tempore cùm præstitisset Daphnis, Heroum ritu, à Pastoribus certatim obitus ejus celebratus est. Porro utebantur instrumento Musico, quam Græci a sibilo σύριγγα, Latini ab hiatu *Fistulam* dixere, cujus materia arundo aut cicuta. Carminum genera fuere plura, namque aliter pro frugibus, pro vindemiis alia meditabantur. Cùm gregem aut in pastum, aut ad stabula redeuntem prosequebantur, carmen προσόδιον dicebatur, ut videre est apud Theocritum Ὀδοιπόροι. Quum verò æstiva in umbra otiosè agerent, aut hyberno Sole apricarentur, narrabant anni tempestates & noxios eventus deprecabantur. Theocritus etiam pompas descripsit, etiam alia alii, hymnos, Herculiscum & similia. Virgilius, præter vulgaria argumenta, Silenum pinxit, universâ penè natura ac serie Fatorum, &c. Plura vide apud Scaligerum *Poët. lib. 1. cap. 4.* Uti vero Epici habuere suum κύκλον, & alia pleraque vett. Poëtarum opera, ob similitudinem argumenti, in unum aliquod corpus ac syntagma redacta sunt: sic *Bucolica* omnia carmina, in unum corpusculum collecta, jam olim fuere, ex Theocrito, Bione & Moscho, ut testatur vetus hoc *Epigramma,*

> Βουκολικαὶ Μοῦσαι σποράδες ποκά, νῦν δ' ἅμα πᾶσαι
> Ἐντὶ μιᾶς μάνδρας, ἐντὶ μιᾶς ἀγέλας.

Sed & *Bucolica* Virgilii à Rhapsodis cantata & agitata esse, Auctor *Vitæ* ejus docet: *Bucolica eo successu edidit, ut in scena quoque per cantores crebrò pronuntiarentur.* Vide Salmasium *ad Solinum pag. 851. & 867.*

Bucolici Milites, quorum mentio apud Julium Capitolinum in *Marco Antonino Philosop. Quum per Ægyptum Bucolici milites gravia multa fecissent, per Avidium Cassium retusi sunt, qui postea tyrannidem arripuit:* prædones erant Ægyptiaci, de quibus eorumque duce Isidoro, multis agit Xiphilinus. Dicti sunt Βουκόλοι & Bucolici, à vulgari appellatione ejus loci, quem insidebant. Nam, ut Heliodorus ait, Βουκόλια συμπᾶς κέκληται οὗτος Αἰγυπτίων ὁ τόπος, *Bucolia totus ille ab Ægyptiis vocatur locus,* Vide necessariò *seqq.* Hieronymus in *Vita* Hilarionis Eremitæ, *Qui cùm reversisset, cupienti rursum ad Ægyptum navigare, h. e. ad ea loca, quæ vocantur* Bucolia, *eo quòd nullus ibi Christianorum esset, sed barbara tantùm & ferox natio,* &c. Vide Salmasium & Casaubonum *ad Capitolinum.*

Buda, apud Pelagium de *Vitis* Sanctorum, *Vides autem Ægyptium vestitum mollibus rebus, &* budam *de papyro & pellem stratam sub ipso:* est stramentum vel storea. *Glossæ* Isidori, *Buda, storea.* Idem alibi *Budas* stramenta camelorum, id est, σαγμάτια vel ψιάθια exponit. Sic enim vocandæ, non *bullæ,* ut editum est. Idem Pelagius paulo pòst, *Et pro his dedit mihi Deus stramentum de papyro & hanc pellem.* Ubi *stramentum de papyro* vocat, quam paulo ante *budam de papyro.* Ex Græco βύδη, quod à verbo βύω factum est, significatque farcio & impleo. Farciebant autem toros & stramenta pauperes papyro, aut scirpo, uti infrà dicemus, Vide Salmasium *ad Solinum pag. 1004.*

Budæus, Guil. adde: Familiam hanc nobilem à Johanne Secretario Caroli V. Regis Franciæ derivant; quam meritis suis non Galliæ solùm, sed seculi sui phœnix ac literarum decus Guilielmus hic, Dn. *de Marly & Villeneuve*, inprimis illustravit. Eum ex Catharina *le Picart*, genuit Johannes Dn. *de Yerre*, defunctus A. C. 1501. cujus genitores fuere Drogo *Budé*, Dn. *de Yerre, Villiers*, & Johanna *Peschart*. Ipse verò præfatus Guilielmus & frater ejus Drogo, duarum linearum Auctores extitere. Drogo enim Dominos *de Yerre, Baignaux, Villiers sur Marne* & *Fleury* dedit. Guilielmus verò, ex Roberta *le Lieur*, pater fuit Johannis I. Dn. *de Verace* & Antonii, à quo Domini *de la Mothe S. Loup* descendunt. Et quidem Johannes modò dictus, ex Maria *de Jouan*, suscepit Johannem II. qui extinctus A. C. 1610. ex Estera Alingia, reliquit Bernardum *Budé*, Dn. *de Verace* (cui uxor obtigit Maria Turretini) Johannem Antonium, defunctum A. C. 1629. Franciscum, qui obiit A. C. 1631. Franciscam (uxorem Isaaci *de Martines* Dn. *de Bouvion*) & Jacobem (quæ nupsit Diodato Diodati.) Vide Philipp. Jac. Spenerum *Theatr. Nobil. Europ. tom.* 2.

Budares, Imperator Hispanus, memoratus Livio *libro* 33. *cap.* 30.

Budesius, familia Galliæ illustris: quam illustravit Sylvester *Budes*, Guesclini Conestabilis, consobrini sui, in præcipuis expeditionibus, comes & adjutor seculo decimo quarto. Ejus frater Johannes, ex filiis Guilielmo & Tristano, duas lineas produxit: Ex hoc namque Dominorum *de Terrejouan*; ex illo dominorum *du Hirel*, quibus dein Baronatus *de Sacé* accessit. Iterum eam nostrâ memoriâ illustravit Joh. Baptista *Budes* Com. *de Guebriant* & *de Perigord*, Marescallus Franciæ & Dux exercitus in Germania Regii, maritus Renatæ *du Bec Crespin*, extinctus An. Chr. 1643. Cujus frater major natu, Jacobus Baro *de Sacé*, ut & ipse, improlis obiit; alter verò Yvo Baro *de Sacé* liberos quidem suscepit, sed, filiis extinctis, filia Renata successionem domui Rosmadecciæ, cum onere, ut secundo-genitus *Budesium* nomen assumeret, intulit. Primus autem ex hac familia Baronatûs dignitate auctus est Bertrandus, mortuus A. C. 1535. qui ex Franc. *le Voyer* Dn. *du Coëdic*, Jacobum genuit *B. de Sacé*, maritum Beatricis *de Romillé*, hæredis *de Sacé*: quibus natus Carolus, obiit An. C. 1619. Pater ex Anna *Budes* Dn. *de Quatrevaux*, præter præfatos, Joh. Baptistam, Iacobum & Yvonem, Francisci extincti A. C. 1615. Renatæ (Guidoni *du Gonrray* nuptæ) Annæ, quæ decessit A.C. 1617. & Margaretæ, quæ obiit A. C. 1623 Idem *ibid.*

Budinga, Germ. *Budingen*, nomen Comitatus Germaniæ, in Wetteravia, sub proprio Comite, ex familia perillustri Isenburgica. Cum enim Henricus, Arnoldi Electoris Trevir. frater, duos genuisset filios, Gerlacum & Ludovicum; illi Isenburgum inferius obtigit; huic ab Eilvige conjuge, *Budingense* accessit dominium. Et quidem in *Budingensibus*, præter ramum *Grensavium*, (qui à Gerlaci nepote Salentino, marito Adelheidis agnatæ ex linea *Budingensi*, in hoatus, defecit A.C. 1664) duos ramos ex se emisit Ludovicus Diether Electoris Moguntini frater. Ex ejus namque liberis Philippus *Kalterspacenses* dedit, qui nunc esse desiere, Johannes in *Birstein* reliquos: & quidem hujus nepos Wolffgangus Ernestus pater communis est omnium nunc superstitum. Eo enim, & primâ ejus conjuge, Annâ Gleichensi, mortuâ A C. 1598. natus Wolffgangus Henricus, biennio post Patrem, extinctus A.C. 1635. ex Maria Magdalena Nassovia, quæ obiit A. C. 1454. suscepit, præter quinque filias, filios septem: Wolffgangum Ernestum (n. 1617. den. 1641.) Fridericum Ludovicum (n. 1619 den. 1620.) Johannem Ludovicum (n. 1622. qui primò Mariam Julianam Hanoicam; exin Luisam Nassoviam sibi junxit, ex hac Pater, præter filias septem, 4. filiorum, è quibus supersunt, Carolus Ludovicus, n. A. C. 1653. Johannes Philippus A. C 1655. & Wilhelmus Mauritius A. C. 1657. dicti *Comites Isenburgi & Budingæ &c. in Offenbach*) Christianum Mauritium (n. 1625. den. 1664. ux. Magdalena Nassovica) Fridericum Adolphum (n. & den. 1631.) & Carolum Ludovicum (n. 1637. den. 1661.) Ex tertio verò matrimonio, Julianæ nempe Witgensteniæ, genuit Wolffgangus Ernestus præfatus Ludovicum Arnoldum (n. 1619. den. 1662.) & Johannem Ernestum Com. Isenburgi & Budingæ, *in Budingen*, n. 1625. cui uxor obtigit Maria Carola Erpachia. V. Phil. Jac. Spenerum, *ubi suprà*. Plura vide de familia Isenburgica *suo loco*. Uti verò primus Isenburgi Comes Henricus perhibetur A.C. 1230. Sic *Budingæ* Dietherus, qui, ut Dynastia ista Comitatûs augeretur honore, impetravit. Quam utramque nostro seculo Wolffgango Henrico Isenb. & Budingæ Com. tanquam læsæ Cæsaris atque Imperii Majestatis reo ademtam, Georgio Hassiæ Landgr. (qui constanti in Imperatorem atq; domum Austriacam obsequio affectuque *Fidelis* nominari meruit) Ferdinandus II. largitus est A. C. 1635. Secuta transactio inter Hassos & Isenburgicos A. C. 1642. quâ inter alia certa Comitatuum istorum portio 20000. florenos annuos ferens, septem feuda, uti appellantur nobilia, & cum titulo, quo Hassi etiam superstitibus Isenburgicis potirentur, successionis jura, si quando istorum progenies deficeret, Cattis mansere; reliqua Comitibus restitui debebant. Cautum quoque, ne generalis amnestiæ, quæ tum sperabatur, beneficio se tuerentur Comites: qui tamen aliquot pòst annis, cùm de Pace Osnabrugæ ageretur, pacta illa, nimio Domus suæ damno, vi metuque & quidem ab aliis inita causantes, ætatis quoque miserationem meritæ jura invocando restitui in integrum petivere. Et indulta de dictâ pactione amnestiæ gratia, salvis tamen juribus, quæ Hassi sibi competere obtenderent. Sed & Saxones cupiditati Cattorum refragabantur, datam sibi succedendi Comitibus, quocunq; modo terra ad Cæsares reverteretur, à Rudolfo II. A.C. 1596. & a Matthia, Ferdinando II. atque Leopoldo Impp. confirmatam spem memorantes. Nec adversaturos se, si successionis casus daretur, Catti aliquando præ se ferebant. Mansit tamen hactenus inter hos lis, neque Saxones Hassiæ Landgravios *Isenburgæ & Budingæ Comitum* nomine salutant, Tob. Pfannerus *de præcipuis Germ. Principum Gentibus*.

Budini, adde: Eorum urbs Gelonis, unde Græci illos cum Gelonis eosdem habebant. Herodotus illos dicit fuisse *ἔθνος μέγα καὶ πολλὸν, γλαυκόν τε πᾶν ἰσχυρῶς ἐστὶ καὶ πυῤῥόν, gentem magnam & numerosam*, habuisseque *totum corpus glauco & cæruleo pictum vel rufo*. Unde *picti Geloni* Virgilio, ut Agathyrsi; & *picti Scotobrigantes*, apud Senecam, &c. Salmasius *ad Solinum pag.* 189.

Buffa, recentioribus alapa est: ex Ital. *buffa*; quod est ea pars cassidis, per quam mittitur spiritus. Quis enim alapam alicui infligit, dicitur ironicè caput vel genas illius galeâ operire ac tegere, *Couvrir la joüe*: quæ est vulgaris apud Gallos loquendi formula. Hinc *Bofetada* trina illa colli percussio, in militaribus inaugurationibus, V. suprà in *Alapa*. Indidem *Buffones* Gallis *Bouffons*, fortè dicti sunt, quòd mimi ac scurræ, qui hac voce denotantur, alapas sibi invicem ac *buffas* infligentes, risum spectantibus moverent, Car. du Fresne *Glossario*. Nisi potior videatur sententia Salmasii, qui ad Tertullianum de Pallio, *Scurras*, ait, *mimarios & scenicos, placentariosve* Buffones *hodie vocamus. Atque ita vet. vocabantur, quòd buccas inflarent in mimo, alapis accipiendis, ut validius sonarent.* Vide Octavium Ferrarium in *Originib. linguæ Ital.* in voce *Buffone*.

Buffo, Vide hic suprà *Buffa*.

Bugari, Vide infrà, *Bulgari*.

Bugia, instrumentum argenteum, in quo candela reponitur accensa, ut Prælato in celebratione, quò commodè legere possit, lumen præbeat, in Communione Rom. Gallicè tamen ipsam denotat candelam. In quodam antiquo Glossario, *Scotula* dicitur, an à Græco *σκότος ἐλαύνω, tenebras abigo? Papa verò ipse candelâ* quidem, sed absque *bugiâ*, utitur: *quia*, ut volunt Macri Fratres, *lumen cognitionis ejus terreno fulcimento non indiget*. Vide eos in *Hierolexico*.

Bugonia, Græcè *Βουγονία*, nomen poëmatis, Eumelo tributi ab Hieronymo, qui ejus duo poemata recenset, *Bugoniam* & *Europam*. Eo videtur fuisse descripta fabula Aristæi, qui amissas cum apibus opes reparavit, cæso *bove*, eo modo quo Virgilius narrat. Inde certè apes ipsæ *βουγενεῖς* Græcis dictæ & *Βουγόνοι*: atque hinc *Βουγονία*, carmen illud Eumeli. Salmasius *ad Solinum pag.* 859

Bularchus, Pictor insignis, cujus *picturam Magnetum exitii mediocris spatii, pari rependit auro Candaules*, Plin. *lib.* 7. *cap.* 38. Qui de eodem sic *lib.* 35. *cap.* 8. *Quid? quòd in confesso perinde est*, Bularchi *pictoris tabulam, in qua erat Magnetum prælium, à Candaule Rege Lydiæ, Heraclidarum novissimo — repensam auro. Tanta jam dignatio picturæ erat. Id circa ætatem Romuli*, &c.

Bulbi, cum nucleis pineis, eruca & pipere in nuptiis olim adhibiti sunt; inde enim, in Nuptiali cœna, Sponso ferculum parari consuevisse, scribit Alexander ab Alexandro *Genial. Dier. lib.* 2. *cap.* 5. ut apud quosdam idem fiebat ex papaveris semine cum lacte & melle. Ad amorem nempe aptiores *bulborum esu* fieri, innuit Martialis *lib.* 13 *Epigramm.* 34. cujus lemma, *Bulbi*.

Cùm sit anus conjux, & sint sibi mortua membra,
Nil aliud bulbis, quàm satur, esse potes.

Quò facit adagium Græcum, Athenæo citatum *lib.* 2. *cap.* 23. *Οὐδέν σ' ὀνήσει βολβὸς, ἂν μὴ νεῦρ' ἔχῃς.* Unde *Bulbi salaces*, apud eundem *lib.* 3. *Epigramm* 75.

Sed nihil erucæ faciunt bulbique salaces.

Ubi *erucas* iis jungit; sicut *cochleas*, *lib.* 4. *Epigrammate* 45. ubi inter Xenia, Saturnalibus Sabello missa, numerantur,

Et ficus Libyca gelata testa,
Cum bulbis, *cochleisque caseoque.*

Et Petronius, *Mox cibis validioribus pastus, id est, bulbis, cochlearumque sine jure cervicibus hausi parcius merum.* Vide quoque Plinium *lib.* 1. *Epist.* 5. Rationem reddit Athenæus *l. cit.* *Βολβοὶ καὶ κοχλίαι καὶ ᾠὰ καὶ τὰ ὅμοια δοκεῖ σπέρματος εἶναι ποιητικά*, κλ. De *Bulbis* verò sic Plinius *lib.* 19. *cap.* 5. *Effodiuntur* bulbi *ante Ver, aut deteriores illico fiunt, signum maturitatis, folia inarescentia ab ima. Vetustiores improbant, item parvos & longos*, &c. Genera eorum Theophrastus *Histor. lib.* 7. *cap.* 13. recitat, *leucoion, bulbenen, opitionem, cyicem* & *sisyrinchium*; alia quædam addit Plinius *d. l.* quem vide. Optimi qui fuerint habiti, ex illo Martialis iterum videre est,

Dauniius an Libycis bulbus tibi missus ab oris,
An Megaris veniat, noxius omnis erit, &c.

Bulbocastanum, quod posset vocari *terræ castanea*, radix est inæqualis, à cinereo in atrum declinans, medullæ candidæ, sapori-

ex

ex dulcedine grati, qualem præberent castaneæ pastinacâ mixtæ: folium ei minutum & concisum, caulis sesquipithamalis, flos exilis & albus, in coronam collectus, plurimo filamento. Amat agrum & vineam. Porci inde saginantur sponte & rustici sub cinere tostum cum sale deglutiunt; sed sapientioris palati homines excoriatum excoquunt in jusculo, quod carnes præstant, non sine pipere, ad consistentiam fero, habentque in deliciis fœminæ, tum ob saporem, tum ob maritorum virtutem, sed crudius officit. Auctor Anonymus *Sinæ & Europæ cap. 31.*

Buleutæ, in civitatibus olim Græciæ Asiæque, Senatores & Decuriones quibusdam fuisse videntur, confusâ utriusque linguæ proprietate. Certè Decuriones fuisse hinc firmat Anton. Augustinus *lib. sing. ad Modestinum*, quòd Justinianus, cùm duas Constitutiones de eadem re Græcè & Latinè scripsisset, alterâ *Decuriones*, alterâ Βουλευτὰς, appellet: *l. 2. §. cætera Cod. de vett. jure enucl.* Sic Plinius *ad Trajanum, de Buleutis Bithyniæ* scribit, cui Trajanus *de Decurionibus* rescribit. Senatores vero a Modestino συγκλητικοὶ dicuntur *cap. 5. de excus. leg. Spadonem de excus.* Subscribit sententiæ Augustini Cujacius *l. 1. ff. de excus.* differentiam inter Decuriones & Senatores eruens, ex *l. 15. ff. eod. tit. & l. καὶ εἰ μὴ βουλευτὰ, de Tutor. & Curator. datis*, conjuncto §. 1. *d. l.* 5. Interim non inficiandum, Curiam & Senatorum & Decurionum fuisse. Cùm enim Decuriones, ut Pomponius ait, *l. pupillus §. decur. de verb. signif.* ex eo dicti sint, quòd initio, cum co oniæ deducerentur, decima pars colonorum Concilii publici gratiâ conscribi solita sit & nihil Decuriones in coloniis aut municipiis à Senatoribus Rom. differrent, *Novell.* 38. mirum non est, si in re simili similibus nominibus uterentur. Vide Joh. Calvinum *Lexic. Jurid.* De *Jure Buleutarum*. Alexandrinis à Severo Imp. concesso, diximus suprà, ubi de hac urbe.

Buleuticon, locus erat in Theatro, ubi senes sedebant; quemadmodum ex Ephebico spectabant juvenes. Cæl. Rhodiginus *Var. Lect. lib. 8. cap. 8.* Jul. Pollux *lib. 4. Onomast. cap. 19.* Ἐκαλεῖτο δὲ τι καὶ βουλευτικὸν μέρος τοῦ θεάτρου, καὶ Ἐφηβικὸν, *Dicebatur, etiam pars quædam theatri* Buleuticum & *Ephebikum*. V. Thom. Dempsterum in *Joh. Rosini Antiq. Rom. lib. 5. Paralipom. ad Cap. 10.*

Bulgari, seu *Bugari* Hæretici, Manichæorum asseclæ, apud Monachum Altissiodor. *A.C.* 1201. ubi *Errandus Miles*, ait, *hæresis illius, quam* Bulgarorum *vocant, coram Legato arguitur.* Et *A. C.* 1206. *Hæreticos, quos* Bulgaros *vocant, vehementer statuit insectari, ejusque instantia actum est, ut plerique rebus suis exinanirentur, exterminarentur alii, alii cremarentur.* Nomenclatione ad eos quoque postea extensa, quos *Albigenses* in Francia, alibi Patarinos, Catharos &c. fictis nominibus criminibusque appellare, inimicis eorum visum est. Matthæus Paris *A.C.* 1238. de quodam Roberto Dominicano scribens, qui in Flandriam missus est cum officio Inquisitoris, *ipsos autem nomine vulgari* Bugaros *appellavit, sive essent Paterini, sive Joviniani, vel Albigenses, vel aliis hæresibus — maculati.* Et Monachus præfatus ad *A.C.* 1207. *Per idem tempus* Bulgarorum *hæresis execranda, errorum omnium fæx extrema, in multis serpebat locis tanto nocentiùs, quanto latentiùs: sed invaluerat maximè in terra Comitis Tholosani & Principum vicinorum*, &c. Horum hæresin à Manetreorum esse, auctor est Albericus in *Chron. MS.* 1239. ubi Ludovico IX. imperante, in Campania, ad ignis supplicium *Bulgaros* fuisse damnatos refert: Sic autem appellari consuevisse, quòd *Bulgari* eorum hæresi maximè infecti essent ab Orientalibus quippe & Græcis Manichæis haustâ: quodque summus eorum Pontifex in *Bulgaria* sedem fixisset, tradit Petrus Siculus in *Histor. Manichæorum* De quo Pontifice, sic Episcopus Portuensis in *Epistola* apud Matth. Parisium *A.C.* 1223. *Ille homo perditus, qui extollitur supra omne, quod colitur, aut dicitur Deus, jam habet perfidiæ suæ præambulum hæresiarcham, quem Hæretici Albigenses Papam suum appellant, habitantem in finibus Bulgarorum, Croatiæ & Dalmatiæ, juxta Hungarorum nationem. Ad eum confluunt hæretici Albigenses, ut ad eorum consulta respondeat.* Eundem *Episcopum & Filium majorem Ecclesiæ Bulgariæ* appellatum esse Reinerius habet, *contra Valdenses cap. 6.* V. quoque Marcam *Histor. Beneharn. lib. 7. num. 2. & seqq.* Gallis *Bougres* appellantur, quo nomine hodieque apud illos veniunt οἱ παιδερασταί). Sed iidem usurarios sic vocant omnes, quòd prælati hæretici usurariis mercimoniis operam dederint, &c. V. Car. du Fresne in *Glossar.* & de *Albigensibus, Catharis, Valdensibus*, suis locis.

Bulgaroctonus, Gr. Βουλγαροκτόνος, h.e. *Bulgarorum occisor*, cognomen titulusque Basilii Græcorum Imp. qui sic dici amavit, ob stragem Bulgaris illatam, Sicut contra Calo. Johannes Bulgarorum R. *Romæoctonus*, i. *Romanorum occisor*, voluit cognominari, seu potiùs *Græcorum*, qui Ῥωμαῖοι dicti sunt. V. Car. Macrum in *Hieralexico*.

Bulla, adde: Inter insignia erat Nobilitatis puerilis, ut & prætexta, inaures, aliaque. Et quidem, ex Plinio *lib. 33. cap. 1.* constat, à Prisco Tarquinio omnium primò, filium, cùm in prætextæ annis occidisset hostem, *bullâ* aureâ donatum esse: unde mos *bullæ* duravit, ut eorum, qui equo meruissent, filii insigne id haberent, cæteri lorum. Quò respiciens Juvenalis *Satyrâ* 5.

— Etruscum puero si contigit aurum,
Vel nodus tantùm & signum de paupere loro.

De cujus origine plura Macrobius. Ad hujus itaque similitudinem majus sigillum, vel ceræ impressum, vel capsulæ cuidam ex auro aut argento aut plumbo inclusum, quod literis Principum appendi consuevit, à sequioris ævi Scriptoribus tam Græcis quàm Latinis, *Bulla* dici cœpit. Principales enim literæ, præsertim eæ, quæ pragmaticas sanctiones ad totum Imperium vel posteritatem pertinentes, privilegia & constitutiones Principibus vel Præsulibus vel Collegiis, vel Civitatibus datas aliasque res magnas continerent, non lino & cerâ, ut vulgò, obligari obsignarique solebant, sed erant, uti hodie loquimur, *patentes*: interim in ima parte fidei causâ sigillum apponebatur, ut legimus in Pragmatico Childeberti R. apud Aimoinum *de Gestis Francorum lib. 2. cap. 20.* alibique. Ubi observandum, quod Jac. de Breul notat *ad cap. 10. ejusdem libr.* ex Petro Caroli VI. Franc. R. Capellano, qui in *Chronicon* Damasi Papæ commentatus: *Olim*, inquit *non appendebantur sigilla per corrigiam vel fila, sicut hodie, sed affigebantur literis, tenebantque chartam amplexam ab utraque parte, cum bona quantitate ceræ. Idque observatum est, usque ad Ludovicum Crassum, qui regnare cæpit A. C.* 1110. *Hic enim primus cæpit appendere sigilla*, &c. Quia igitur hæc sigilla *Bullæ* postea appellatæ sunt, hinc & ipsas Principales literas Pontificumque decreta interdum sic dici legimus: & *bullare*, apud Petr. Blesensem aliosque nihil aliud, quam *sigillare* denotat. Eandem ob rationem Petrus de Vineis *Epist.* 11. *l. 1. Bullator* nuncupatur, iique *Doctores Bullati* dicuntur, qui literis ejusmodi suæ Docturæ sigillatis, absque legitimo examine atque promotione, utuntur. Vide Joh. Kirchmannum de *Annulis cap. 8.* Ubi, postquam de *Bulla* quadruplici accuratè disseruisset, & hoc addit, aureis his bullis Imperatorem subscribere consuevisse, singulari quodam genere encausti, de quo vide infrà *suo loco*; aliquando & cinnabari usos: & præterea tres in fronte cruces ejusdem coloris apposuisse, per quas tacitè sc. juraverint, rata se ea velle, quæ scriberent. Tutorem verò Imperatoris viridi colore subscripsisse, Patriarcham autem cœruleo, à tempore primorum Palæologorum: atque, uti Magno Logothetæ vel etiam Accubitori palæ, cura Annuli vel sigilli Imperatorii commissa fuit, ita Chartophylacem Patriarchalis annuli fuisse custodem eumque à Patriarcha solenniter acceptum in pectore gestasse, ex Niceta *lib. 1. & 6.* Gregorio Dialogo *Epist. 1.* apud Baronium *Annal. tom. 9.* Phrantze *lib. 3. cap. 4.* Cantacuzeno *lib. 3. cap. 36.* Balsamone *de privileg. Patriarch. pag.* 455. Meursio, Aliis.

Bulla Regia, adde: Cognomen ei *Regia* inde, quòd sedes aliquando Regum fuerit. *Regiæ* enim *Urbes* hac notione passim occurrunt, apud Scriptores. Sic Cæsariensis Colonia, *Bocchi priùs Regia*, apud Plinium; oppidum Jol, *Jubæ Regia*, apud Eundem. Et Græci, Cirtha τὸ Σύφακος βασίλειον, apud Strabonem: quam *Regiam* & *Regis Domum* vocat Mela *lib. 1.* Indidem & *Hippo Regius* dictus est, Vide Salmasium *ad Solinum pag.* 475. & infrà, in voce *Regia*.

Bullæ Pontificiæ, (quibus *Brevia* opponuntur, Vide suprà;) quæ manu ipsiusmet Papæ & à cunctis Cardinalibus, seu majori saltem parte, firmantur, præter plumbum, appictam habent crucem, circa quod præclarum aliquod dictum, ex S. Scriptura signi loco aut symboli Pontificis, legere est. Sic Lucii III. signum erat, *Adjuva nos Deus salutaris noster.* Urbani III. *Ad te, Domine, levavi animam meam.* Alexandri III. *Vias tuas Domine demonstra mihi*: Clementis III. *Doce me, Domine, facere voluntatem tuam*: Cælestini III. & Honorii III. *Perfice gressus meos in semitis tuis.* Gelasius II. signavit his verbis, *Deus in loco sancto suo*: Gregorius IX. *Fac mecum Domine signum in bonum!* Paulus III. *Confirma hoc Deus, quod operatus es in nobis*: Pius V. *Utinam dirigantur viæ meæ, ad custodiendas justificationes tuas*: Urbanus VIII. *In Domino sperans, non infirmabor*: Innocentius X. *Da servo tuo cor docile, ut populum tuum judicare possim*: Alexander VII. *Providebam Dominum in conspectu meo semper q.a. d.e.m. n.c.* id est, *quoniam à dextris est mihi, ne commovear*: Clemens IX. *Benedicam Dominum in omni tempore, semper laus ejus in ore meo*: Clemens X. *Jesu tibi sit gloria!* &c. Vide Macros Fratres in *Hierolexico*. Nec omittendum, sicut Impp. olim CP. ita Pontifices duplici *Bullarum* genere uti solere, *simplice Bullâ*, h.e. tali, quæ ab una tantùm parte signum habet, Apostolorum viz. Petri & Pauli imagines, ex altera verò omnino plana est, quam ante coronationem adhibent subscribentes saltem, *Datum anno N. die N.* suscepti à nobis officii Apostolatus: & duplici, cum prædictis imaginibus ab una & nomine Pontificis, ab altera parte: qua utuntur post coronationem, scribentes, *Datum anno Pontificatûs nostri.* Collocatur autem in hoc plumbo, ut & in aliis quibusdam picturis, à parte dextra D. Pauli; à sinistra, D. Petri, imago: quemadmodum eorundem Apostolorum capita, in antiquis ex argento statuis, supra Ciborium Lateranensis Ecclesiæ, hodieque visuntur; *quia*, olim, *dignior is locus habebatur*, uti habet Leo Allatius *de Eccles. Or. & Occ. consensu lib. 1. cap 6.* Certè ex antiquo hoc ritu Ottonem Cardin. litem de præcedentia ortam, inter duos præcipuos Angliæ Præsules A.C. 1237. in Concilio Londin. ita composuisse legimus, ut diceret, in Bulla Papali Petrum ad Pauli sinistram collocari, in signum humilitatis, quod proin Ecclesiasticis præcipuè viris imitandum sit, apud Matth. Parisium & Odoricum Rinaldum in *Annal. Eccles.* Petro Papam *Bullas* expeditionum & col-

collationum in plumbo signare, sed hoc discrimine, quòd in expeditionibus in forma *dignum*, ut aiunt, ex funiculo rubro & flavo colore contorto pendeat, observant iidem Fratres, adduntque, antiquitus duos fratres Cistercienses Conversos ad cudendas *Bullas* adhiberi consuevisse, qui *Fratres plumbi* seu *de plumbo*, vocati fuerint: translatoque postea ad seculares isto munere, hos in processione cum aliis Cancellariæ Officialibus incedentes, habitum laicalem Cisterciensium tulisse. De *Bulla in Cœna Domini*, de *Bulla motu proprio* V. Eosdem

Bullaria dicuntur, in Ecclesia Rom quæ ex Regestis Pontificum confecta, *Constitutiones* Pontificum integras exhibent; Quale A. C. 1588. Romæ edidit Laertius Cherubinus de Nursia JC. quod *magnum* vocat. Continentur in eo *Constitutiones* Pontificum Rom. à Gregorio VII. usque ad Sixtum V. cum rubricis, summariis, & lucubrationibus. *Summam Bullarii* in principio hujus seculi, dedit Stephanus Quaranta, in qua exhibet Pontificum Constitutiones editas, post libros Juris Canonici vulgatos, usque ad Paulum V. Venetiis A.C. 1609. Eam continuavit Prosper de Augustino JC. & *Additionibus* illustravit, Lugduni A.C. 1661 Gerh von Mastricht *Histor. Juris Ecclef. num.* 398. *& seqq.* Vide quoque Macrum in *Hierolex.*

Bumastus Uva, quòd acinos haberet hederæ *mammis*, i. acinis similes, dicta est, à particula intensiva βȣ̃ & nomine μαζὸς, *mamma*. Plinius *lib.* 14. *cap.* 3. *In pergulis verò seruntur, escaria appellata: Ederæ acinis albæ nigræque bumasti, totidem coloribus.* Acini namque hederæ Græcis μαζοὶ, i. *mammæ* proprie, à similitudine mammarum. Hinc Plinius de Hederis, *Signa ejus maxima atque latissima: mammas erigentes, quæ sunt cæteris inflexæ racemi stantes ac subrecti.* Ubi dicit, eam hederam (κισσὸν ὀρθόκομον) racemis stantibus ac subrectis esse, erigentibus mammas, quæ sunt cœteris inflexæ. Et certè qui acinos istiusmodi hederæ inspexerit, deprehendet mammis similes esse, cum parvo [illegible], quod papillam refert. Inde igitur *Bumastus*: cujus & Virgilius meminit, *Georgic. lib.* 2.

— Et tumidis bumaste *racemis.*

Sed & herbæ hoc nomen est, apud eundem in *Culice*,

Bumastusque virens & semper florida tinus.

Et Hesychium, [illegible]. Verùm tum alia ejus origo, παρὰ τȣ̃ μάσσειν videlicet, quod est *quærere*, & βȣ̃ς, *bos*; avidè enim *à bubus expetitur*, &c. Vide Salmasium *ad Solinum pag.* 366.

Bupetii ludi, V. *Boalia.*

Buphthalmos, apud Plinium *lib.* 25. *cap.* 8. *Est & buphthalmos similis boum oculis, folio fœniculi, circa oppida nascens, fruticosa caulibus, qui & manduntur decocti. Quidam Cachlan vocant:* herba est, quam Dioscorides κάχλαν vocat, alii κάλχαν, ut Plinius habet, Siculi κάλθαν, unde Romani *Caltham* fecere. Quamvis *caltha* Latii propriè non sit Græciæ βȣφθαλμὸς quæ herba apud Latinos nomine caret. Unde Græcam appellationem retinuit Plinius, & Virgilius in *Culice*,

Buphthalmusque virens —

Ἄνθη μῆλινα, flores luteos, ei tribuit idem Dioscorides, unde *χρυσάνθεμον* quoque nonnulli appellarunt: alii [illegible], ab *æris colore*, qui flavus est, dictum malunt, &c. Qua de re vide plura, apud Salmasium *ad Solinum pag.* 1161. De ejus vero in Coronis Vett. usu, Car. Paschalium *Coronar. lib.* 3 *cap.* 15. ut & infrà in voce *Helichrysum.*

Bura, vel *buris*, pars est temonis ima & incurva, quæ Græcis γύης. Virgilius *Georgic. lib.* 1.

Continuo in sylvis magnâ vi flexa domatur
In burim *& curvi formam accipit ulmus aratri.*
Huic à stirpe pedes temo protentus in octo,
Binæ aures, duplici aptantur dentalia dorso.

Nempe buris ab imo vel ab ima parte temonis, cui temo à stirpe in pedes octo protenditur. Aliter *urvum*; quam tamen vocem paulo ampliùs extendit Festus: *Urvat, Ennius in Andromeda significat, circumdat, ab eo sulco, qui fit in urbe condenda urvo aratri, quæ fit forma simillima uncini curvatione buris & dentis, cui præfigitur vomer.* Ubi curvationem buris & dentis, cui vomer præfixus erat, totum id urvum appellatum dicit & figuram habuisse simillimam uncini, quo nomine etiam vomerem comprehendit, cùm Vett. *burim* pro ipsa curvatione vel urbo aratri (cui dentale aptatum, ut dentali præfixus vomer) solùm usurpaverint. Ab *urvo* seu *urbo*, *urbare*, i. e. circumducere, circumscribere. Unde *Urbs*, quòd in rotundo olim conderentur: cujus circuli umbilicus in Foro dicabatur, & viæ directæ in medium concurrebant. Quò faciunt illa Aristophanis,

— — — καὶ μέσον
Ἀγορὰν φέρουσαι δ᾽ ὁδοὶ εἰς αὐτὸ ὀρθαὶ,
Ὥσπερ δ᾽ ἀστέρος αὐτοῦ τοῦ μέσου —

Vide Salmasium *d. l. p.* 820.

Burbincia vel *Borbinsia*, vulgò *Brebence* aut *la Brebince*, fluv. Galliæ in pago Augustodunensi, Parrulam recipit, nec non fluvium Vuldracam aut Vuldragam, *Lendrac*, cui Patriciacus villa *Percy*, Monasterio veteri nobilis, est imposita, & in Arotium se exonerat, Hadr. Valesius *Not. Gall.* in voce *Augustodunum.*

Burburus, apud Vopiscum in *Firmo*, *Fuit tamen ei contentio cum Aureliani Ducibus ad bibendum — Nam quidam* Burburus *nomine de numero vexillariorum notissimus potator, quum ad bibendum eundem provocasset, situlas duas plenas mero duxit & toto postea convivio sobrius fuit.* Et *quum ei* Burburus *diceret, Quare non fæces bibisti? respondit ille. Stulte terra non bibitur:* Casaubono non est verum nomen, sed strenuo potatori nomen inditum per onomatopœjam, ceu alicui amphoræ aut utri, ad imitationem soni illius, quem liquor edit, dum funditur, quodque *bilbere* vett. Latini, βομβυλίζειν Græci dixere. Salmasio verò, proprium fuit militis hujus nomen, ex Græco Βόρβορος factum. Vide utrumque ad *Vopiscum.*

Burchardus, Episcopus Wormatiensis, adde: Hicubi, & quibus auxiliaribus opus hoc seu *Decretorum libros* perfecerit, docet Auctor Anonymus, qui *Vitam* ejus scripsit, cum *Decreto* ipsius editus, *Forestus sylva est*, inquit, *duobus milliaribus à Wormatia distans, abietibus abundans, & hanc palus limosa ex una parte ambiendo circumcingit. in cujus mediocritate collis pulcherrimus consistit, ad quem Vir Dei se transferri præcepit, & quia mundanos tumultus devitare voluit, arboribus fruticibusque succisis collem explanavit. Ibi quoque primum fecit oratorium, dein aliis officinis peractis, cellam egregiam construxit. Illuc se post Concilia Regiaque colloquia, & post curam synodalem diversosque mundi strepitus receperat. Ibi quoque negotiis secularibus post tergum projectis, totis viribus in obsequio Dei studebat. Eodem quippe tempore in Collectario Canonum in hac cella non modicum laboravit. Nam Domino Walterio Spirensi Episc. adjuvante & Brunichone Præposito exhortante, & suggerente, Canones in unum corpus collegit — quia Canonum jura pœnitentiumque judicia in Episcopatu suo omnino erant neglecta ac destructa* &c. Sigebertus in *Chron. ad A.C.* 1008. eum, *collaborante Magistro suo Olberto Abbate, Viro undiquaque doctissimo, magnum Canonum Volumen* edidisse; & in *libro de Script. Eccl. cap.* 141. de eo hæc refere: *Burchardus magnum Canonum Volumen, quod à nomine ipsius* BURCHARDUS *denominatur, multo studio composuit, quod testimoniis omnium authenticorum Conciliorum & decretis Romanorum Pontificum & sententiis omnium penè Catholicorum Patrum auctorizavit, ex quo adhuc omnium Conciliorum decreta auctorizantur.* Editum autem Opus est primum Coloniæ Agrippinæ, A. C. 1548. & Parisiis A. C. 1549. in quod quia ex Isidoro Mercatore seu ejus suppositiiis Epistolis plurima retulit, indicio hoc est, non magno illum judicio usum esse, Multa item alia congessit, dubium unde hausta, quæ is variis Pontificibus tribuit. Citavit etiam Pseudo-Isidori præfationem, &c. Quæ cum collegisset Blondellus in *Prolegom. Pseudo-Isidori & Turriani vapulant. cap.* 18. addit de hoc Burchardo: *Scripsit A.D.* 1026. *A Baronio & Bellarmino sanctus habetur, cui tot nugæ placuerunt.* Cœterùm, non minùs Burchardi ac Ivonis *Decretis ob magnitudinem neglectis, eorum tantùm compendia — legebantur in usuque erant*, Pancirollus *de claris LL. Interpp. lib.* 3. *cap.* 1. apud Gerh. von Mastricht *Hist. Jur. Eccl. passim.*

Burda, vox Africana apud Augustinum *Epist.* 69. *Presbyterum etiam quendam —* burdâ *vestitum*, &c. amictum junceum denotat quem dehonestamenti loco alicui circumdari consuevisse, Idem docet *contra Cresconium lib.* 3. *cap.* 48. ubi de eodem Presbytero, *Ad furentium*, inquit, *arbitrium fustibus cæsus, in lacuna lutulenta volutatus, amictu junceo dehonestatus.* E quibus, an hæc vox ab Arabico *Bard*, *Borda*, orta sit, quæ definitur à Giggejo, *vestis variis lineis contexta & variegata: nigra vestis flavó colore intexta, quam induunt Arabes*, jure addubitat Car. du Fresne in *Glossar.* Sed & *Burda* seu *Borda* prædium significat, unde *Burdatio*, apud Gregorium M. *lib.* 1. *Epist* 42 pensio nummaria, quæ à rusticis, istiusmodi prædii nomine, pensitabatur. Certe refert Rodericus de Cunha in *Histor. Episc. Portensium in Lusitan. Part.* 1. *cap.* 12. Gallæciæ & Legionis Reges Maurorum in Hispania Regibus, tributi vice, quotannis mittere solitos fuisse, 100. puellas, 50. nobili, totidem plebejo genere editas, idque tributum *Burdel* appellatum, apud eund. *Glossarii* Auctorem.

Burdo, in vet. *Epigramm. de Basterna*,

Hanc geminus portat duplici sub robore burdo,
Provehit & modico pendula septa gradu,

Ubi Epigrammatis auctor *burdones* portandæ matronarum basternæ assignat: cui *mannos* tribuit in *Glossis* Isidorus. Nempe *mannos* & *burdos* & *burichos* appellari, notat Porphyrio. Idem Isidorus in *Originib.* a mulis basternam portari innuit: Sed & *muli* & *burdones* plerunque confunduntur. Glossæ, [illegible] *mulus burdo, ex equa & asino.* At *Glossæ* Bibl. MSS. *Burdo, brevis equus, asina & emissario conceptus* &c. Salmasius ad *Æl. Lampridium in Heliogabalo.* Ab his asinis aut semimulis, quos illi equitabant & quibus insidebant, qui peregre proficiscebantur, nomen manasse longiusculis baculis, quos gestare solebant in Ecclesia Rom. peregrini Hierosolymitani pedites, quòd hi illis equitaturæ loco quodammodo essent. Hubertus Sipontinus apud Vincentium Belvacensem *lib.* 26. *cap.* 27. Burdonem *habebat pro lancea, & clypeum pro parma.* V. Octav. Ferrarium in *Origin. Italic.* & Carolum du Fresne in *Glossar.* ac *Dissertat.* 15. *ad Joinvill.* [illegible] Hinc *Burdonarii* vel *Bordonarii* in *Constitut.* Siculis *lib.* 3. *tit.* 58. § 1. [illegible] alimorum dicuntur curatores, agasones: à *burdonibus* sc. qui illis jungun-

sanguinari, apud Joh. Moscum *cap.* 25. *Porro* Burdonarii burdonesque, *viso leone, morbo correpti sunt.* Hodieque in Sicilia muliones hac voce insigniri, repertas apud Macrum in *Hierolexico.* Eadem voce Peregrinos Ecclesiæ Rom. à *burdonibus* seu baculis peregrinatoriis, per contemptum, notatos fuisse, ab Albigensibus, refert Monachus Vallis Sarnai *cap.*62. apud eundem du Fresne.

Burgenses, apud Fridericum Langenium *in Saxonia*,

Urbes murata per Saxoniam nominatæ,

In queis Burgenses *famosi suntque potentes.*

Municipes sunt, burgorum seu villarum clausarum incolæ, vel qui tenementa in iis possident, & ratione eorum *Burgagium* (quâ voce indigitatur certum & annuum vectigal, quod *burgensis* aut incola pro domiciliis suis seu tenementis, quę in burgo possidet, Burgi domino præstat) pensitant. Atque ii diversi videntur ab *Hospitibus*, quos Galli *Hostes* vulgò dicunt. Unde hos distinguit Ord. Vitalis, *lib.*6. *pag.* 605. *Baldricus, filius Nicolai ad Deppam dedit unum* Burgensem, *& Radulfus Anseredi filius unum Hospitem.* Cum quibus tamen pari ratione in commercio erant; diversi à *Rusticis*: Idem *lib.*12. *pag* 872. *Milites autem & comprovinciales tam rustici, quàm Burgenses.* Et *Constitut.* Sicul. *lib.*1. *tit.*9. *Si Comes fuerit* 5. *uncias, si Baro* 4. *si Miles simplex* 3. *si* Burgensis 2. *si Rusticus fuerit, unam unciam fisco nostro componat &c.* Aliis *burgenses*, illi propriè dicuntur, *quorum bona sunt allodialia nemini subjecta.* Nonnulli hoc nomine potiùs denotari volunt armatorum genus quoddam Militibus inferius, ut ex modò *cit. constitut.* Sic. videre est. Quomodo verò apud Gallos *Burgenses* fierent, exponit Thomasserius in *Consuetudin. Bituric. pag.* 249. & 274. Plura hanc in rem vide apud Car. du Fresne *Glossar.* nec non in voce *Burgus.*

Burgensis, moneta ex argento minutior, in Gallia, Philippo Pulchro regnante, primùm cusa, Nangius *Chron.* A. C. 1313. *Philippus Rex Franciæ, circa festum B. Virginis*, monetam Burgentium, *quam fieri fecerat & per biennium Parisiis cursum suum habebat, quod aliàs in Regno Franciæ fuerat inauditum, præsertim cùm justi pretii & ponderis æquitate cæteris paribus æquipolleret &c.* Erant autem & *Burgenses* simpliciter dicti, seu *Burgenses simplices*, quorum 4. pro alba Mallia, & 12. pro 7. Geolis Turon. Ludovici IX. Et *Burgenses fortes duplices*, Gall. *Bourgeois doubles forts*, qui duplum valebant. In his efficta crux, quæ ipsum inscriptionis limbum inferiorem pertingit, PHILIPPUS REX. in aversa parte, sub lilio, NOVUS, & in circulo BURGENSIS. Sed & Leodii *Burgenses* cusos, docet Radulfus de Rivo, in *Vita* Engilberti à Marka Episc. Leodiensis *cap.* 2. ubi duos primùm solidos: postea vero sex valuisse refert, apud eundem *Glossarii* Auctorem, in voce *Burgensis*, item *Moneta*, ubi *Burgensium fortium* typum exhibet.

Burggraviatus Norimbergensis, Henricum IV. Imperatorem auctorem habuit Anno Chr. 1160. cùm extructo in honorem S. Ægidii templo, Civitatis jure Norimbergam ornasset. Alii originem altiùs arcessentes, Conrado II. acceptum illum ferunt, quo tempore Norimberga Imperii Rom. pars facta sit, Anno C. 911. Auxit postea, *Burggraviatus* opes postremi Voitlandiæ Ducis casus, quo scelere suorum peremto, cùm istinc Bambergæ, inde Herbipolis Præsules, quisque sibi partem arriperent, ipsi quoque his neutiquam segniores tertiam occupavere. Cæterum non supra *Comites* (*ut plerunque tunc Burggravii*) fuerunt, cùm ad Vohburgios Burggraviatus iste spectaret; his in Eberhardo extinctis, Fridericus è Zollerioium Comitum prosapia, cùm eum donum Rudolfi I. Imper. Sororii sui accepisset, A. C. 1263. mox *Principis* etiam honore adauctus est. Ex ejus posteris Fridericus, qui primus Marchiam Brandeburgicam, cum axiomate Electorali, Domui suæ intulit, è *Burggraviatu* isto, quantum ad Norimbergam pertinebat, plurima Urbi, aureis 24000 vendidit; reliqua ex eo, Feuda sc. Ecclesiastica ac Secularia, Judicium provinciale, venandi conducendique extra urbem aliaque jura retinuit, unde quotidiana litium materies ac occasio, quibus subinde Onoldsbacenses Marchiones & Norimbergenses exercentur. Tob. Pfannerus *de præcipuis Germaniæ Principum gentib cap.*4.

Burgovia, adde: Marchionatus hic, Algojæ in Suevia pars, inter Augustam Ulmamque 8. milliar. protensus, à Philippo Suevo Imper. emortuâ veteri Marchionum stirpe, Comitibus Roggenbergiis concessus est, A. C. 1205. è quibus postremo Henrico iam defuncto A. C. 1283. *aperti Feudi*, ut conjectura est, jure Austriis, ut Sueviæ Ducibus, obvenit. Patrum ætate Carolus, Ferdinandi I. Imp. ex Ferdinando nepos, justis quidem nuptiis, impare tamen matre, Philippinâ nempe Welseriâ Patriciâ Augustanâ, susceptus, cum accepit, terrâ tituloque *Marchionis* acquiescere jussus. Quo anno hujus seculi decimo octavo extincto, nullis relictis liberis (præter filiolam ex Sibylla Juliacensi susceptam, at & ipsam intra infantiam extinctam) ditio hæc ad Agnatos pleno Domus jure gaudentes reversa est. Tobias Pfannerus *de præcipuis Germaniæ Princip. gentib. cap.*5. Vide quoque Georgium Hornium *Orb. Polit. part.*2.

Burgus Pontii Paulini, castrum Galliæ, Sidonio memoratum et descriptum, vulgò *Bourg*, ad Duranium fluvium, qui paullo infra Garumnâ recipitur, jam antea ob æstus Oceani, quibus ... *Maris* nomine honorato. Unde ager inter Garumnam & Duranium *le pays d'entre deux Mers*, id est, pagus inter duo Maria: & Burgus ad Mare multis cognominatur, *Bourg sur Mer*, cùm sit positus ad Duranium, Hadrianus Valesius in voce *Duranius.*

Buri, memorati Jul. Capitolino *in Marco Antonino Philos. Gentes omnes ab Illyrici limite, usque Galliam conspiraverunt, ut Marcomanni, Narisci, Hermunduri & Quadi, Suevi, Sarmatæ, Latringes &* Buri: *hi aliique &c.* Βοῦῤῥοι dicuntur Dioni in *Trajano*; in vet. Peutingerorum tabula *Durei* seu *Duri*, uti docet Salmasius *ad l. cit.* quem, si placet, vide.

Burichalis, Gr. Βουριχάλιος, idem quod *Burichus* seu *Burricus*, Gall. *Bourique*, auctori Glossarum antiqq. MSS. *Mannus est, equus brevior, quem vulgò* brunicum *vocant.* Sic Porphyrio *in lib Epodon Horatii, Mannos equos, vulgò* burichos *appellant.* A Gr. πυῤῥιχος, quod idem cum πυῤῥὸς, i. *rufus*: Sic enim omnes equos breviores à colore appellasse Latinos citerioris ævi, etsi alterius essent coloris, per catachresin, ait Salmasius *ad Vopiscum.*

Buris, Vide suprà *Bura.*

Burlaria, in vet. *Charta* apud Columbum in *Manuascis libr.* 1 *num.*43 locus est in urbe, vel extra urbem, in qua ludere soliti incolæ. Hispanis certè *burlar* est jocari, ludere; Vasconibus *Burlaze*, Occitanis *Bourlos*, ludus, jocus, illusio. V. suprà in voce *Bohordicum.*

Burra, pronomen muliebre, apud Romanos, à colore sic dictum, Valerius in *Epit. de Nominib.* Dicebant autem *burrum* antiqui, ut Festus ait, *quod nunc dicimus rufum. Unde rustici* burram *appellant buculam, quæ rostrum habet rufum, pari modo rubens cibo & potione ex prandio* burrus *appellatur.* Sic genus equi brevioris, à colore Græci πυῤῥιχον, Latini *burrichum* appellarunt, uti vidimus. Non solùm autem *burrum*, sed & *byrrum* dixere Vett. pro eodem. Vide in hac voce, & plura hanc in rem apud Salmasium *ad Vopiscum in Carino*, & *ad Solinum pag.*68. ubi à Græco πυῤῥὸς vocem ortam pluribus docet.

Bursa, nomen quo olim Collegia designabantur, teste Aventino *Annal. lib.*6. V. infra. In celebrioribus Emporiis nomen hoc loco est, ubi Mercatores statis per hebdomadem horis conveniunt, de rebus suis dissertaturi; cui simile quid Romanorum Basilicæ fuere. Quàm magnificè enim extructæ exornatæque *Bursæ* sint, Londini, Amstelodami, alibi, nemini ignotum. De Amstelodamensi sic Barlæus in *Medicea*, *Mercatorum*, inquit, *augusta porticus, quam* Bursam *vocant, eleganti & operosâ structura, fornicibus tota moles incumbit superiora operis columnæ marmoreæ quadraginta validè portant, ut ne dissolvere secula compagem videantur posse. Ambigas, ingenio, an sumtu, an utilitate major? Officinis inferioribus, quà plateas & Amstelam spectant, viginti sex cingitur; at, quà per gradus ascenditur, stationes aperit & vendentium capsulas plurimas, quas centenarium facilè excedunt, ubi merces omnimodæ pulchriores, exoticæ, domesticæ, natæ vel factæ veneunt. Hic mutuis contractibus venditur Orbis, hic emitur, hic de pretiis rerum, permutandis mercimoniis, onerandis exonerandisque navibus, de ponenda in usuram, remittenda aliunde pecunia, omnis sermo &c.* Vide supra in voce *Basilica.*

Bursarius, in Eccl. Rom. officium Monasticum est, penès quem *Bursa* seu pecunia Monasterii, in *Monastico* Angl. *Tom. I. pag.*184.

John Torsoun quintus, Bursarius *officiatus.*

Etiam sic dicti sunt, quibus ex *Bursis* stipendia præstabantur, cujusmodi *Bursarum*, i. arcarum, ταμείων, gazophylaciorum, mentio fit in *Computo* Baillivorum Franciæ A. C. 1288. *Expensa*: *Pro* Bursis *Scholarum Regis, qui fuerunt de Curia — pro Bursis baptizatorum — pro* Bursis *Beghinarum.* Nempe in his *Bursis* sive Arcis reponebantur, quæ ad Scholasticorum v. g. seu Baptizatorum, alimoniam spectabant, quæque eum in usum à Viris piis legata erant. Unde etiamnum *Bursarii* in Academiis dicuntur, quibus, ob rei domesticæ penuriam, certa quædam stipendia exsolvuntur, ex Arca ad id destinata, ad studiorum cursum eò expeditiùs conficiendum, &c. De *Bursa Papali* purpurea, in qua sunt 12. sigilla pretiosorum lapidum & muscus, in Inauguratione Pontificum adhiberi solitâ, Vide Cencium Camerar. *de Inaugur. Celestini III.* laudatum Car. du Fresne in *Gloss.* V. quoque suprà, in voce *Bursa.*

Burvinus, filius tertio-genitus Henrici jun. filii Henrici cognom. *Burvini* (cujus pater Pribislaus, ultimus Herulorum Rex, in ordinem ab Henrico Leone redactus, Ducisque nomine acquiescere jussus est) Rostochium tenuit, à filiis Henrico & Erico excæcatus, quos tamen brevi divina nemesis sustulit. Ei igitur succesit alius filius Woldemarus, & hoc natus Nicolotus cognom. *Puer*, qui à Brandeburgicis, quòd Marchionis filiâ repudiatâ duxisset Pomeranam, bello afflictus, ultimus suæ gentis fuit. Fratres verò *Burvini* natu majores, Johannes Megapolitanum & Nicolotus Vandalicum, ramos condidere. Phil. Jac. Spenerus *Sylloge Genealogico-Historicâ, in Fam. Wandalica.*

Busi, populi memorati, Adamo Bremensi *capite* 228. ubi de Insulis Balthici maris: *Ibi sunt homines pallidi, virides & macrobii, id est, longi, quos* Busos *appellant*; à vultus nempe colore. *Busius* enim color, in *Glossis* Ælfrici helvus est seu gilvus. Idem.

Busiris alter, ob crudelitatem Maximinus dictus est, Vide Capitolinum in *Maximinis.*

Busiriticus fluvius, ectropa est Bubastiaci fluvii, de quo suprà. Hic enim juxta minus Delta dividuus fit in *Busiriticum*, ὃς ἐκρεῖ διὰ τοῦ καθ᾽ ἑαυτὸν στόματος, *qui per Pathmiticum fluvium in mare exit.* Ptol. Nomen huic Nili diverticulo ab urbe *Busiris*, de qua suo loco.

Busse vel *Buyse*, dicuntur à Belgis naves majores, quarum plurimæ 120. aliæ 100. 60. 50. Tonnarum seu dimidio tanti *Lastarum* sunt, atque in Harengarum piscatione adhibentur. Harum initio Junii mensis mille & amplius emittunt, impositis singulis 24. 18. 16. hominibus, quibus naves bellicæ in tutelam adduntur plures paucioresque pro temporum ratione. Quæ dein Hitlandiam versus pergunt, & usque ad diem 14. mensis præfati ibi subsistunt: statuti enim loco inter piscatores est, ne ante diem istam retia projiciantur, quòd harengas ad saliendum citius haud aptas credant. Hinc porro piscationem incipiunt, ac e regione Scotiæ & Angliæ, Yarmoutham usque, h. e. totis 200. milliaribus progrediuntur, quò circa diem S. Bartholomæi perveniunt, & interjecto tempore bis vel ter harengis replentur, quas aliæ naves ipsis obviam venientes excipiunt statimque in alias regiones exportant. Quas verò postea in regione Yarmuthensi capiunt, eas non ampliùs saliri idoneas judicantes, vel domum avehunt, vel Anglis vendunt, unde & harengæ infumatæ fiunt. Lucrum, quod inde trahitur, ingens est, singulæque harum *Bussarum* unâ vice repletæ 2500. Imperiales creduntur lucrari: unde & Tutores orphanis non meliùs prospectum autumant, quàm si pecuniam eorum in istiusmodi naves impendant. Præter istas autem naves, aliæ minorum generum, ut Pinkæ, Galiottæ & similes, ultra 3000. & amplius, eidem negotio adhibentur, qua de re vide *Consilium* Anonymi ad Angliæ R. *de Increm. Regni per capturam harengarum, in Diar. Europ. continuat. Continuat VI. p.* 388. ac Joh. Keymonsium *Observat. de Piscatura Belgarum, in Append. ad Contin. XI. præfati Diarii:* ut & infrà, ubi de *Harengis*.

Bussolium vel *Bussogilum*, vulgò *Bussenil*, villa Galliæ est, in pago Cœnomanico, memorata in literis Caroli Calvi, datis Indictione VIII. anno Regni in Francia XXXV. & Regni Hlotharii III. B. *Filiberto Herensi & Geiloni Abbati*, Monachisque ejus metu Normannorum profugis, *Abbatiam S. Valeriani Martyris, quæ est in pago Cavillonensi super fluvium Sagonam & castrum Trenorchium, quod est ex eadem Abbatia & Turnutium villam* donavit; aliquot præterea villas, *in pagis Lugdunensi, Genivisô* (seu Genevensi) *Matisconensi; in pago Andegavensi Conolcum*, aliàs Conaldum & Cunaltum (*Cunaut*) *in pago Cenomanico Bussolium*, apud Hadrianum Valesium *Notit. Galliæ*, in voce *Tinurtium castrum*.

Busta Gallica, locus in urbe Roma, memoratus Livio *libro* 22. *cap.* 14. *Illo ipso die media in urbe, quà nunc Busta Gallica sunt* &c.

Busta Salvatoris D. N. (uti vocant in Ecclesia Rom) & B. V. Mariæ ex marmore & alabastro elaborata, quorum tria non tantùm sculpturâ præstant, sed & duo, ex parte cava & convexa Orientali alabastro, quæ luci exposita, ceu crystallum, transparent, asservantur in *Museo* Kircheriano Romæ. V. *Collegii Rom. S. I. Museum Amstelodami excusum, pag.* 7.

Bustuarii, dicti sunt à *bustis*, (rogus autem, ubi ustulatum cadaver erat, *bustum* dicebatur.) Mos enim erat in sepulchris fortium virorum captivos necari: quod postquam crudele visum est, placuit gladiatores ante sepulchra dimicare, hinc *Bustuarios* dictos: quorum effusus cruor Inferorum Diis sacrificii loco inserviebat, quod genus *Inferias* dixere. De his Suetonius in *Tiberio capite* 7. *Munus gladiatorium in memoriam patris, & alterum in avi sui Drusi dedit, diversis temporibus ac locis, primùm in Foro, secundum in Amphitheatro*, &c. Primi Romanorum istiusmodi ceremoniâ patris cineres prosequuti sunt, Marcus & Decimus filii Bruti, in Foro Boario, Appio Claudio, Quinto Fulvio Coss. apud Valerium Maximum *libro* 2. *capite* 1. Imò nec solùm iis, qui in dignitatibus eminuerunt, sed & privatis hominibus, hoc modo parentatum esse, testatur Tertullianus *de Spectac. capite* 6. *Inter quos etiam privatorum memoriis legataria hæreditates parentant, id quoque secundùm institutionis antiquitatem.* Hinc discimus, à sepulchris, sequentibus temporibus, in alia loca, Circum, Forum, Amphitheatra &c. cruentos istiusmodi ludos translatos, & à morituris testamento quandoque legatos esse, ceremoniamque tandem in artem, (hæc enim vera Gladiatoriæ artis origo) transiisse. Numerus eorum, qui hisce ludis concertabant, nonnunquam ingens fuit; ipsa ceremonia *Munus*, quique hoc exhibebant *Munerarii*: qui Bustuarios hosce alerent, *Lanistæ*: grex tyronum ab his ad id ludi genus emtorum, *Familia*: si qui liberi homines essent, *Auctorati*: arma, quibus se præparabant, *Lusoria & Exercitoria tela*: reliqua, quibus pugnabant, *Decretoria*, quia hæc, *velut decreto Prætoris sive Editoris dabantur* dicta sunt. Unde Seneca *Epistola* 117. *Remove ista lusoria arma, decretoriis opus est*: quò forsan alludit Apostolus 1. Corinth. *capite* 9. *versu* 26, 27. cùm ait: *Οὕτω πυκτεύω ὡς οὐκ ἀέρα δέρων· ἀλλ' ὑπωπιάζω μου τὸ σῶμα, Sic pugilem ago, ut aërem non cædens: Sed contundo corpus meum*: quasi dicat, Non velitatoriis, sed decretoriis, adversus hunc hostem, armis utor. Plura hanc in rem vide infrà in voce *Gladiatoria Ars*.

Bustum, Vide infrà *Rogus*

Butadæ: adde: pars tribus Oeneidis Sponio, à *Bute* Heroe nomen adepta. Idem nomen illustri Athenis familiæ erat, è qua Sacerdotes Minervæ, sub cujus tutela Urbs erat, legebantur. Vide *Itinerar. Græcia Part.* 3. & Joannem Meursium *de Populis Atticæ*.

Buteo, accipitris genus, quem τριόρχην Græci dixere. Hunc solum, cùm inter aves migratorias censeantur accipitrum pleræque species, semper apparere, tradit Philosophus *Histor. libro* 8. *capite* 3. quemadmodum solum æsalonem Plinius excipit, *lib.* 10. *cap.* 8. Vide Sam. Bochartum *Hierozoici Parte poster. libro II. cap.* 19.

Butes, filius Erechthei, Atheniensium Regis, uti discimus ex Apollodoro & Tzetze *Chil. ζ. histor.* 19. Ei, quemadmodum & Patri filiabusque ejus, sacra quoque esse facta, indicat Pausanias in *Atticis*: Εἰσελθοῦσι δὲ (τὸ Ἐρέχθειον) τρεῖς εἰσὶ βωμοί· Ποσειδῶνος, ἐφ' οὗ καὶ Ἐρεχθεῖ θύουσιν, ἐκ τοῦ μαντεύματος, καὶ Ἥρωος Βούτου. Τρίτος δὲ, Ἡφαίστου, *Ingredientibus verò* (*Erechtheum*) *tres se offerunt aræ: Neptuni una, in qua & sacra faciunt Erechtheo. ex oraculo, altera Herois Butæ, tertia autem Vulcani.* Vide Vossium *de Idolol. lib.* 1. *cap.* 13.

Buthue, filius major natu Godescalci, Herulorum Regis, à subditis, quibus fidem annunciabat, occisi Anno Chr. 1066. cùm Patri successor, ejus mortem vindicare decrevisset, à Gritone, Rugiorum Principe agnato, pulsus & a Saxonibus restitutus, tandem tamen ejusdem insidiis periit. Pater Pribislai & Nicoloti, quorum ille a Rugiis captus & in custodia mortuus est, hic toto pene regno exutus, & in acie cæsus est ab Henrico Leone & Alberto Urso: relicto filio Pribislao, ultimo gentis Rege. Fratrem habuit *Buthue* Henricum, è cujus posteritate Suinico ultimus fuit A. C. 1135. Erdenoburgi occisus. V. Phil. Jac. Spenerum *Sylloge Gen. Histor. in Fam. Vandalica*.

Butica, Vide infrà in voce *Buttis* & *Doga*.

Butista, Βουτιστὴς, officium in Eccl. CP. cujus erat, *baptizare infantem*, in *Catalog.* offic. MS. Eccl. Medoniano.

Butomon, Theophrasto recensetur inter eas herbas, quæ in aquis & in terreno pariter proveniunt, ut phleos, cyperum &c. Φύεται δὲ ἐν ἀμφοῖν, καὶ ἐν γῇ καὶ ἐν τῷ ὕδατι, ἰτέα. κάλαμος ὁ αὐλητικὸς, κύπειρον, τύφη, φλέως. Et paulo pòst, Φύεται δὲ ἐπὶ τέλματος καὶ ἐπὶ τῶν πηλώδων, οἷον τὸ κύπειρον, καὶ τὸ βούτομον, καὶ τὸ φλέως, Vide Salmasium *ad Solinum pag.* 999.

Buttis, Græcis inferioribus Βοῦτζι, Italis *Bote*, Hispanis *Bota*, sicut cupa, vas vinarium est ingentis magnitudinis. *Glossæ* Lat. Græc. *Vagna* seu *cuppa* βοῦττις μεγάλη, ἣν ἔστι γαῦλον καλεῖν. Latini etiam *Buttiones* dixere, unde *Buttiones argentei* apud Anastasium non uno in loco: quorum formam, ex antiquo monumento, in Vaticana porticu S. Petri, exhibet Dominicus Macer in *Hierolexico*. Hinc *Buticula*, Gall. *Bouteille*, de vase vinario; & *Buticle* de nave minore, ad *buticulæ* formam confectâ: a quo *Buticularius*, de quo suo loco, & apud Car. du Fresne in *Glossar.* ubi *de Buticulario Franciæ*, uno ex IV. majoribus Palatii Officialibus, qui literas & diplomata Regia sua subscriptione firmabant, vel saltem expeditioni illorum intererant: deque *Buticularia*, id est, tributo ei ab Archiepiscopis aliisque Præsulibus, 100. viz. solid. Paris. solvi solito, varia habes notatu digna.

Buttovium vel *Butovium*, unà cum Lavvenburgo, inter titulos Electoris Brandenburgici, comparet: quas dynastias ad Cassubiam alioqui spectantes, contra Equites Cruciferos, Wartislaus X. & Ericus II. Pomeraniæ Duces, seculo XV. armis asseruere; possessione postea, à Georgio Pomeraniæ D. (Luthero coævo) icto cum Polonis fœdere & favore præsertim soceri Sigismundi Poloniæ Regis stabili redditâ. Quæ forsan causa est, quod nominatim hæ duæ titulo Electoris præfati Serenissimi adnectuntur, cœteroqui jam *Cassubiæ* appellatione comprehensæ. Joh. Pfannerus *de præcipuis Germaniæ Principum gentibus cap.* 4.

Butuntum, adde: *Butunti*, Martiali,

Hæc malo quoque, Flacce, quàm Butuntos.

Butumi, in Tab. Peutingeriana, &c. Unde *Butumtini* dicti sunt terrarum tumores, qui in Agrimensoriæ Auctoribus pro terminis, eò quòd apud populos hos tumuli istiusmodi pro terminis haberentur. Salmasius *ad Solinum pag.* 88.

Butyri cognitio ac usus, quia ad Græcos serò pervenit, nec nisi per barbaras nationes, hinc in nomine ei assignando minùs accurati fuisse videntur; *bubulum caseum* illud vocando; hæc enim propria vocis notio est. Certè, cùm casei & lactis Homerus, Theocritus, Euripides & Poëtarum alii meminerint sexcentis locis, Βούτυρον ne semel quidem nominarunt. Aristoteles quoque de lacte & caseo, multa habet insignia, *Histor. Animal. lib.* 3 *capp.* 20. & 21. de *butyro* ne γρῦ quidem: nisi quis ad ejus descriptionem putet hæc pertinere, *Inest lacti pinguedo quædam, quæ, cùm coagulatum est, fit oleosa.* Quomodo in Hecatæo *Butyrum* intelligunt, cùm Pæones ungi dicit, ἐλαίῳ ἀπὸ γάλακτος, *oleo & lacte* apud Athenæum *lib.* 10. *cap.* 14. Utut sit, vel hinc apparet, *Butyri* nomen tum temporis nondum fuisse in usu, adeoque nec rem ipsam, nisi inter Barbaros. Hinc Plinius tradit *lib* 28 *cap.* 9. *E lacte fit Butyrum, barbararum gentium lautissimus cibus, & qui divites à plebe discernat.* Cùm rem & nomen Orientales usurpaverint ab omni ævo. Ita namque Geneseos *capite* 18. *versu* 8. Abraham Angelis ad cœnam invitatis obtulit *Chemea* (quam vocem de re de Butyro usurpant Scriptores Sacri) h. e. *Butyrum & lac.* V. quoque Deut. *cap.* 32. *versu* 14. Judicum *cap.* 5. *versu* 25. &c. inprimis Proverb. *cap.* 30.

cap.30. verſ.33. ubi obiter *Butyri* conficiendi ratio à Salomone ſic docetur. *Expreſſio lactis educit Butyrum.* Cur autem Hebraicè *Butyrum* vocetur חמאה, *Chemea*, ex Arabibus diſcere eſt, apud quos *chama*, de lacte *ſpiſſum & concretum eſſe* ſignificat, ſc. in butyri modum. V. Samuelem Bochartum *Hierozoici* ſeu *de Animal. S. Script. Part.1. lib.2. cap.45.* Quanquam verò fiat, quoque è lacte ovillo aut caprino; imo equino etiam, vel aſinino, *plurimùm tamen è bubulo: & inde nomen*, apud eundem legas. V. quoque Gerh. Joh. Voſſium *de orig. & progreſſu Idolol. lib.3. cap.64.* Hodie, præter Helvetiam, *Butyro* excellunt provinciæ Fœderati Belgii; & quidem a peculiari gratia commendari ſolet *Butyrum* Delphenſe, in Hollandia, & Dixmuydenſe in Flandria. Cui in Gallia ſimile *Butyrum* Vanvrenſe, cujus libra Pariſiis Quadrageſimali tempore ſæpe 30. pluribusque venit ſolidis. In Caſtella *Butyrum* adeò rarum eſt, ut in Pharmacopoliis ſere tantum vendi ſoleat, in uſum Medicum; quod in peregrinatione ſua expertus eſt Fridericus II. Elector Palatinus, uti refert Leod. *Vitæ Friderici Lib.6.* V. Auctorem Anonymum *Hiſtoriæ Orbis Terrar. Geogr. ac Civ. cap.10. de Commerciis.*

Butyri Turris, *la tour de beurre*, in Gallia, Rothomagi dicitur turris altiſſima Templi D. Mariæ Chriſti Matri dicati, in qua campanam totius Galliæ maximam pendere ferunt, XL. millium nempe librarum, quod hi vernaculi verſus, quibus illa inſcripta eſt, indicant:

Je ſuis nommée George d'Amboiſe,
Qui plus que trente-ſix mil poiſe:
Et ſi qui bien me peſera,
Quarante mil y trouvera.

Fuit verò hic Georgius urbis Archiepiſcopus, circa A.C. 1500. qui dum conſideraret, hanc ſuam diœceſin tanta olei penuria laborare, ut vix ſufficeret, tempori Quadrageſimali, hujus loco *Butyri* eis uſum conceſſit; eâ tamen conditione, ut ſinguli penderent obolos 6. Turonenſes, è qua pecunia collata extrui curavit hanc turrim, quæ inde *Butyri turris* vulgò hodie nuncupatur. Franc. Sweertius *Notis in Hieron. Magium de Tintinnabulis cap.20.*

Buxidum, vulgò *Buxoy*, locus Galliæ, in pago Matiſconenſi, Hadr. Valeſius, in *hac voce.* Item *Buxidum*, ſeu *Buſſiacum*, vulgò *Buſſi*, villula eſt ejuſdem Regni, in pago Sagonenti Cenomanorum. Hic manſiſſe dicitur S. Lenogiſilus, in *Vita* ipſius. Valeſius *Not. Gall.* in voce, *Sagona.*

Buxus, Græcè Πύξ☉, *in viri militaris horto*, verba ſunt Auctoris Anonymi *Sinæ & Europæ*, *quâ marginari ſolent lectiſternia hortorum, cùm eſt breviuſculæ naturæ, attonderi, ne exurgat nimium, ſed potiùs denſiùs multiplicet ramulos; non potens opprobrium ferre ignobilis plebeculæ & ab omnibus deſpici, tranſit in nobiliſſimum genus arborum, attollit verticem, & nacta culturam, arbor eſt, ut Gallia Meridionalis ea gaudeat ſolâ, cacumen fert ſylvoſum, truncum erigit, quem vix ſenæ comprehendant ſpithamæ, cap.35.* Certè naturâ graciles eſſe, *buxum* & ebenum, Plinius tradit: quibus etiam ſimilis cortex eſt. At culturâ in ſylvas quoque excreſcit, unde *buxei luci*, apud Solinum. Eſt autem *buxus* graviſſima & ſpiſſiſſima ex omnibus arboribus, unde in aqua buxum totum peſſum it: ex earum quippe genere arborum, quibus cortice detracto nihil niſi mediale occurrit, adeoque quæ lignum aliud præter medullam non habent, uti quoque ſunt ebenus & taxus. Nec quidquam aliud quàm ſemen fert. Interim virens ſemper; hinc hortorum ornatui, ſed & lignum ejus (quod ſolidiſſimum eſt) variis uſibus inſervit. Unde nonnn apud Poëtam,

Et torno raſile buxum.

Inde enim pectine, conſiunt, cochlearia & vaſa fere perpetui vigoris, quæ propediem ſplendeſcant & flavedinem oculis reddant gratiſſimam. Inprimis vero ad fiſtulas olim adhibebatur. Propertius *lib.4. Eleg.9.*

Nam & ipſe ſuos breviter concretus in artus,
Jactabat truncas ad cava buxa manus.

V. quoque Statium *Theb. lib.7.* Ubi Lutatius, *Tibia vel ſcabellum*, inquit, *quod in ſacris tibicines pede ſonare conſueverunt.* Et cui non notæ tibiæ Phrygiæ. omnibus feſtivitatibus, Matris inprimis Deûm, adhibitæ, quæ non niſi è *buxo* fuere. Hinc *buxus Berecynthia*, apud Virgilium,

——— ——— *Ite per alta*
Dindyma, ubi adſuetis biforem dat tibia cantum,
Tympana vos buxusque vocat Berecynthia Matris
Idææ.

Quæ eadem *Idæa*, Statio *Thebaid. lib.5. verſu 93.* pro tibia, in ſacris his uſurpari ſolitâ. Sunt tamen, qui *buxum* a tibia diſtinguant: & certe Virgiliana hæc id ſtatuere videntur: ac ſigillatim *buxum* Baccho adſcribit Ovidius *Metamorph. lib.4. longo foramine notatam,*

——— *Clamor juvenilis & unà*
Fœmineæ voces, impulſaque tympana palmis
Concavaque æra ſonant, longoque foramine buxus &c.

V. Caſp. Barthium *Animadverſion. ad Statium d.l.* Salmaſium *ad Solinum paſſim*, & hic non uno in loco.

Buza ſeu *Buttis*, apud Guil. Tyrium *lib.12. cap.25.* *Modios & Buzas ad vinum, oleum vel mel menſurandum*: Ludovico de la Cerda *ſacculus* eſt, ſed perperam. *Bouz* enim & *Bouts* (vox Gall. unde *Buza* ortum) propriè utres ſunt ex pellibus confecti pice oblitis, in quibus vinum aliusque liquor aſſervatur deferturque, maxime per loca invia ac montoſa, qua curribus aditus non patet. Unde in vet. *Statuto* pro Scancionaria Regis A.C. 1261. *le Charrier des Bouts*, recenſetur inter alios ejusdem Scancionariæ Officiales: & *Bouteilers*, dicuntur in *Statuto* pro Hoſpitio Philippi Magni A.C. 1317. Officiales Scancionariæ, quibus *Buzarum* cura erat demandata, Car. du Freſne *Gloſſar.* in voce *Butta.*

BY

Byblis, adde: Nomen ei, quòd à *Bybliis* Phœnicibus primùm fuerit condita, ut habet Stephanus, *Φοίνικες ... ὅτι καὶ Βύβλ☉ ἐκλήθη ἀπὸ τῶν Βυβλίων Φοινίκων.* Ubi Salmaſius legi vult, *ὅτι καὶ Βύβλις ἐκλήθη, Exercit. Plin. ad Solinum pag.184.*

Byblus, adde: Hic præcipuo honore Venus culta; in cujus proin honorem mulieres, ſolennibus Adonidis exequiis tonderi recuſantes, eam Deæ mulctam exſolvebant, ut per integrum diem in Foro ad quæſtum proſtarent, pudoris proſtituti quæſtu Deæ ærario illato, V. Lucianum *de Dea Syra, Tom. III. pag.75.* quod etiam apud Babylonios factum fuiſſe, docet Tob. Pfannerus *Syſtem. Theol. Gentil. pur. cap. XI. §. 14.* Porro *Βύβλ☉* ſeu *Βίβλ☉*, etiam floris coronarii nomen eſt, Lat. *papyrus*, quo Deos coronari conſueviſſe, tradit Plinius *lib.13. cap.11.* Ex eadem *στεφανωτικῷ βίβλῳ, coronaria papyro* (ſic enim eam appellarunt, e qua coronæ factæ) quum coronas petiiſſet Ageſilaus ab Ægypti Rege, eum poſt res egregiè ibi geſtas diſceſſurus eſſet, *διὰ τὴν ... τῶν ... φανῶν, propter exilitatem coronarum*, contemtui fuiſſe Ægyptiis, notat. Sed & Iſidi Ægypti Reginæ ac Deæ inter ſuos, *Byblinum diadema* fuiſſe, quod illa apud Byblum Urbem Phœniciæ, Oſirin ſuum lugens, poſuerit, legimus, apud Etymologum in voce *Βύβλ☉*. V. Car. Paſchalium *Coronarum lib.3. cap.17. & lib.10. cap.11.*

Bygois, Nympha *de Arte fulgurali* librum edidit apud Tuſcos: uti Servius habet, *in Virgil. Æneid. lib.7. verſum illum,*

Te quoque magna manent regnis penetralia noſtris.

Mel. *Bygoë*, Græcè *Βυγόη*, item *Βυγαία*, ſicut *Καλλιόπη*, *Καλλιόπεια*. *Vegoja* dicitur in fragmentis Agrimenſorum. *Item Vegoia Arrunti Veltumno*: quæ ambo nomina Hetruſca ſunt, imò Vertumnus etiam Numen Hetruſcum. Unde & *de Terminis* ſcripſiſſe videtur. Sed ad prius. Liber ejus non minus ac Sibyllarum & Martiorum fratrum libri, in Templo Apollinis ſervabatur, eodem Servio auctore: qui, poſtquam recitavit hiſtoriam de Sibyllinis libris à Tarquinio emptis, addit, *Qui libri in Templo Apollinis ſervabantur. nec ipſi tantùm, ſed Martiorum, & Bygoes Nymphæ, quæ artem ſcripſerat fulguritarum arborum, apud Tuſcos.* Potius in Templo Jovis Capitolini, ubi omnes ii ſervati ſunt, usque ad Capitolii conflagrationem, quæ Syllanis temporibus contigit, Salmaſius *ad Solinum pag.78.* Artem vero quod attinet, illam Cicero *de Divin. lib.1.* auctor eſt, egiſſe de eadem *Etruſcorum & haruſpicinos & fulgurales, & rituales libros Romanos etiam, augurales.* Fulmen enim fulgurque *præſagum*, ut vocat prædictus Servius *Æn. lib.1.* ſeu *fatidicum*, quemadmodum appellat Plinius *lib.2. cap.52.* habuere Veteres, *triaque genera fulguris* ſtatuit. Servius *ad Æn.8.* *unum Conſiliarium, ubi quid cogitantibus nobis accidit, quod vertat aut hortatur: Auctoritatis, quod evenit re geſtâ, quod probet, tertium Statum, ubi nec novi quidquam geſſimus, ſed quietis noſtris rebus fruimur.* V. de conſiliario fulmine Ammianum *lib.23* ubi de Joviano adhuc milite eo *percuſſo*: Obſervationes vero ejusœmodi, apud Tullium *de Divin. lib.2.* etiam præter Plinium, Seneca conſuli poterit, *Natural. Quæſtion. lib.2. cap.47. ac ſeqq. tribus*, & inprimis *Ἐφημερὶς βροντοσκοπικὴ* in *τοῦ Τάγητ☉*. *Conſiderationem fulminum & tonitruum atque eorum ſignificationem per ſingulos anni dies, deſumtam ex libris Tagetis*, quam Romanæ Urbis propriam Nigidius Figulus arbitrabatur, uti refert Voſſius, qui plura hanc in rem *de orig. & progr. Idolol. lib.1. cap.9.* V. quoque infra *ſuo loco.*

Bylazora, locus Pæoniæ, apud Plinium *lib.44. cap.26.* *Eò mittit (Perſeus) Antigonum ex purpuratis unum, qui juberet multitudinem Gallorum ad Bylazora. —— caſtra movere, principes ad ſe venire frequentes.*

Byllinus ager, memoratus Livio *lib.38. cap.7.*

Byrreus, V. infrà *Byrrus.*

Byrrias, Gr. *Πυῤῥίας*, nomen proprium Viri, apud vett. Latinos Comicos. Scaurus *de Ortograph.* *B. cum P. etiam conſentit, quoniam origo eorum non ſine labore conjunctione revelli à quoquam poteſt. Græci Πυῤῥίαν, noſtri Byrriam, & quem illi πυῤῥὸν, antiqui burrum.* A colore nempe dictum. *Burrum* enim dicebant vett. qui Græcis *πυῤῥὸς*, Achillis filius, uti ex Quintiliano docet clariſſimus Salmaſius *Notis ad Flavium Vopiſcum in Carino.*

Byrrus vel *Burrus*, vett. Latinis, idem qui Græcis *πυῤῥὸς*, aliter *ruſſus* ſeu *rufus*, quo nomine Latini appellant id omne, quod vel rubrum eſt, vel flavum, vel croceum aut luteum, coccineum & purpureum; ſicuti Græci ſub nomine *πυῤῥὸς* plerumque etiam comprehendunt, & *ξανθὸν* & *φοινικοῦν* & *μήλινον*. Qui color cùm in Lacernis frequens eſſet, factum inde, ut primo *πυῤῥὸς χλαῖνα* dein *πυῤῥὸς* abſolutè, ſicque tandem Latinis *byrrus* diceretur, ſubintel-

lecto vel *sago* vel *manto*, vel *cucullo*, vel *habitu*. Vulgarium viz. lacernæ hoc colore plerunque erant, idque in Gallia inprimis. Martialis,

— — vestitur Gallia rufis
Et placet hic pueris militibusque color.

Lacernæ quoque honestiorum & delicatiorum rubri coloris, ut plurimum, sed coccineæ aut purpureæ. Vopiscus in *Carino* tres enumerat *byrrorum* species è diversis locis venientium, quos & olim in fama fuisse & *byrro* colore tinctos constat. *Canusinum byrrum*, ex lana Canusina factum. quæ rutili velleris erat, sine dubio etiam & ipsum rutilum seu rufum; meminit tamen Martialis fuscarum Canusinarum & *fuscis* Romanos magis vestiri, Gallos *rufis*, notissimo Epigrammate testatur: *Byrrum Atrebaticum*, ejusdem ferme coloris cum Canusinis, h. e. *byrrei*; *xerampelinum* vocat Suidas, h. e. mulso turbato similem, quem inter coccinum & muricem medium esse scribit vetus Interpres Juvenalis: *Byrrum* tandem *Africanum* ex lanis Africanis textum, quæ Bæticis quoad colorem similes &c. V. quoque in voce *Birrum*. Sed & *burrus* quoque pro hispido & villoso Latinis: quod ut diversæ significationis, sic & originationis, à voce *burrus*, quæ *rufum* denotat. *Burrus* est ὁ πυῤῥὸς, qui *rufus*: at ὁ βύῤῥος, qui *hispidus*. Hinc *burra* vestis villosa & hispida. Vetus Epigr.

Nobilis horribili jungatur purpura burræ:

i. vesti villosæ ac hirtæ &c. V. Salmasium *ad Historiam Aug. passim.*

Bysacium, Græcè Βυζάκιον, nomen regionis in Africa, quam Βυζακίδα vocat & per circuitum bis mille stadiis patere, scribit Polybius, seu, quod idem est, 250. m. p. Plin. Libyphœnicibus illam adscribit Ptolomæus, Τὸν δὲ λιβυφοινίκων ἀπὸ μεσημβρίας ἐστὶν ἡ Βυζακῖτις χώρα. V. in voce *Byzacium*.

Byssius, Gr. Βύσιος, quasi Φύσιος, unus mensium Delphis olim sic dictus, quòd, cùm ver incepit, Πάντα φύεται, *omnia nascantur*. Plut. in *Hellenicis*.

Byssum Marinum. Eruditis muscosum lanosumque capitium pinnæ, quod Græcis ἔριον, Latinis *vellus* & *lana* est, vulgò dicitur, sed sine ratione: *Byssus* enim non lana, sed linum est; & ne linum quidem, sed certa lini species hoc nomine censebatur. De *pinnico* seu pinnæ lana, V. infrà; plura verò hanc in rem apud Tertullianum *de Pallio cap.3.*

Byssus, lini species pretiosissima, è qua vestes mollissimæ ac tenuissimæ conficiebantur. Unde dictum Parysatidis Reginæ Persarum, in Regum alloquio utendum esse verbis Βυσσίνοις, id est, *mollissimis*, ac *lenissimis*. Ejus meminit Theocritus *Idyllio* [illegible] ubi Simætha inducitur Βύσσοιο καλὸν σύροισα χιτῶνα, *trahens pulchram ex bysso tunicam*. Indorum opus, quorum quosdam linteis vestibus, nobiliores verò *Bysso* uti, notavit Philostratus *lib. 2. cap. 9.* qui idem narrat, Apollonium, cùm *Byssum* vidisset, gavisum fuisse, quòd fusco amictu, quem gestabat, non esset dissimilis. Ex India in Ægyptum delata est, ubi hoc lini genere in plerisque sacris Ægyptii olim utebantur; hinc *turba linigera*, *grexque liniger* apud Poetas, de Isidis Sacerdotibus. Et Apulejus *lib. 11.* in pompa Isidis describit viros fœminasque *linteæ vestis candore luminosas*: Anubis quoque à Luciano, Deorum concilio inducitur *sindone amictus*. Interim non tota Ægyptiorum vestimenta linea fuerunt, sed tunicæ tantùm: Ex Ægypto dein vestes hæ Romam delatæ. Sed & *byssi* frequens in sacris Literis mentio, præcipuè ubi agitur de apparatu vestis sacrificalis, velisque & aulæis tabernaculi. Hinc & *Byssina Josephi stola*, Genes. *cap. 41. versu 42.* Dives etiam epulo *purpurâ & bysso indutus* legitur in Evangelio: unde colligitur, à purpura vestem byssinam distinctam fuisse, quod notandum contra vett. Grammaticos, qui *Byssinum*, colorem purpureum interpretati sunt. Quoniam autem hæ vestes pretiosissimæ erant, &, ut Plinius ait, *mulierum luxui destinatæ*, ideo ferme purpurâ tegebantur, quod fortè errori modò notato occasionem præbuit. Talis fortasse Tyria sindon Martiali *lib. 4.* quæ etiam in usum virorum eâ ætate transisse videtur: *de Endromide*,

Ridebis ventos hoc munere tectus & imbres,
Non sic in Tyria sindone tectus eris &c.

Origo *byssi* ex Indicarum arborum lana, quam *linum* vocat Arrianus *in Indicis* & Plinius *lib 12. cap 8.* Hinc in *Indice* Plinii *MS. linigeræ arbores* inscribuntur, quas ἐριοφόρα δένδρα appellat Theophrastus. Idemq; Plinius *lib. 19.* ubi de lino, id Arabes Indosq; ex arboribus colligere tradit. Et *lib. 12. cap. 10* de Tyli Ins. arboribus *Ferunt*, inquit, *cotonei mali amplitudine cucurbitas, quæ maturitate ruptæ ostendunt lanuginis pilas, ex quibus vestes pretioso linteo faciunt*. En linteas vestes pretiosas, h. e. λινᾶς, ex arborum lana, factas! Nec certè aliud linum apud Indos nascebatur, aut in usu erat, quàm quod ex arboribus colligeretur &c. Unde falli Melam docet Salmasius, cùm scripsit, *Indorum alios lino vestiri, alios lanâ, quam sylvæ ferunt* &c. V. eum *Exercitat. Plin. ad Solinum pag. 998.* Aliquando tamen *Byssi* nomine & Sericum venit, de quo dicemus infrà. Apud Plinium verò, *lib. 9. cap. 41.* ubi de *byssini* tingendi ratione, sicut olim legebatur: *hysginum* reponit Dalechampius. Nec omittendum, quòd Scaliger *Poetices lib. 1. cap. 13.* ubi de *Comicis personis*, puellis vestitum tribuit *coloris byssini* vel *candidi*, uti meretricibus *lutei*: & *lib. eod. cap. 21.* ubi de Theatro, *parapetasmata byssina* à Lentulo Spinthere posita, observat &c.

Byzacium, adde: Erat sub dispositione Vicarii Africæ, cui quinque provincias attribuit *Notitia* Imperii, Byzacium, Numidiam, Tripolitanam Sitifensem, & Mauritaniam Cæsariensem; e quibus *Byzacium* & *Numidia* Consulares, cœteræ Præsidiales erant. Illius frequens mentio in *Actis* Conciliorum Carthagin. &c. V. Salmasium *ad Solinum pag. 320. 321. & 806.* ut & supra.

Byzantii, seu *Byzantei*, nummi Græcorum Impp. à *Byzantio*, quo nomine primitus urbs Constantinopolis vocata fuerat, dicti, apud Baldricum Dolensem *Histor. Hierosolym. lib. 1.* Guil. Malmesburiensem *de Gestis Regum Angl. lib. 4.* Guntherum *Histor. CP. cap. 15.* alios. Primus vocem usurpasse Carolo du Fresne videtur Johannes VIII. Pontif. *Epist. 133.* *Et nostram*, inquiens, *iram habebis & mille* Byzanteos *palatio nostro compones*: à quo inter Latinos appellatio ista husce nummis mansit. Aurei illi erant, unde *Byzantei aurei* apud Tudebodum & *Visanti aurei*, in *Caphulari* Radelchisi Principis Benevent. *auri libræ Byzanteæ*, in *Charta* Athanasii Arch. Neapol circa A.C. 937. &c. *Solidi CP.* interdum nuncupantur in vett. Tabb. apud Ughellum passim. Imò eorum, quorum erant Imperatorum, vel quorum imagines præferebant, nominibus persæpe à Scriptoribus insigniti occurrunt dictique *Romanati*, *Constantinati*, *Michalati*, *Manuelati* & contractâ voce *Manlati*, à Romano Diogene, Constantino Duca, Michaele Duca, Manuele Comneno &c. Ad Saracenicas dein & Turcicas monetas *Byzantiorum* nomen transiit, quos ad Græcanicorum nummorum discrimen, *Saracenatos Byzantios* appellant plerique Scriptorum mediæ ætatis; item *Saracenatos* nudè, & *Saracenos*: Cujusmodi fuere Sultanorum Iconiensium, apud Guil. Tyrium *lib. 12. cap. 25.* De *Byzantiis Massamutinis*, V. infrà ubi de voce *Marabotinus*. Neque verò aureis tantùm nummis id vocabuli mansit, sed & argenteis, præsertim in Cyprio Lusignanorum Regno, attributum legitur: qui *Byzantii albi* dicuntur in *Constitutionibus* Odonis L. A. in Cypro A.C. 1248. *cap. 4.* *Byzantii de plata*, i. argentei & *Byzantii bonæ platæ*, in *Charta* Bernundi de S. Martino Majoricensi A. C. 1232. quâ *Nunoni Sancii vendit aliquot alquerias pro mille & quingentis* Byzantiis *bonæ platæ*. Unde du Fresne colligit, ejusmodi *Byzantios* monetam fuisse Maurorum in Hispania Principum. Idem hinc Heraldicæ Artis studiosos docet, cur in armorum insignibus globuli aurei & argentei *Byzantiorum* appellatione donentur, cum, qui alterius coloris sunt, *Tortelli* dicantur; quia viz. nummos aureos & argenteos exhibent, quos *Bezans* vulgo Galli ipsi appellant. V. eum in *Glossar.* item *Dissertat. 20. ad Joinvillam* & *Dissertat. de inferioris ævi Numismatibus pag. 56.*



C. Adde





Adde: Litera hæc inversum est Hebræorum *Caph*, Scal. C. ex dimidio Græca est; Subtractâ namque columnâ ipsius *K*. cuspis nuda remansit, cui ad faciliorem scripturam angulum ademere. Fungitur ejus vice *G*. præcipuè sequente *N*. ut *Cnejus*, *Gnejus*; *Cajus*, *Gajus* &c. Imò tam arcta utriusque cognatio est, ut promiscuè scribatur: *Vicesimus*, *Vigesimus*, & in compositis à *Centum*, *C*. in *G*. transeat. Abit porro in consonantem *V*. ut, *Quiesco*, *quievi*, *Pasco*, *pavi*: in *S*. ut *Parco*, *parsi*: in *T*. ut *Irascor*, *iratus*: vel illud assumit, ut *Nanciscor*, *nactus* &c. In notis antiquorum *C*. pro *Cajo*, i. viro: Ɔ. inversa *Cajam* i. mulierem significat. *CA. AM.* denotat, *Causa amabilis*: CCCT. P. designat, *Tercentum terræ pedes* &c. Κάππα Ῥωμαϊκὸν, h. est, *Kappa Romanum*, dicitur Suidæ: cùm ait, *Kappa Romanum in Senatorum calceis apponi solere*. Ubi planè intelligit Lunulam, cujus meminit Papinius *lib.5. Sylv.2.*

Primaque patriciâ clausit vestigia Lunâ.

Et Juvenalis *Sat.7.*

Appositam nigræ Lunam subtexit alutæ.

V. Joh. Gerh. Vossium, *de Arte Gramm. lib.1. cap.17.* &c. Pronuntiari hanc literam Italis, ut Francorum *ch*. notum; cui pronuntiationi favere videtur *Inscr.* vetus Romæ, in Ædibus Barberinis hodie extans, quæ sic incipit;

CHEIONIO CONTUCIO V. C. OB
EGREGIA FACTA ET RARUM
VETERIS SANCTITATIS EXEM
PLAR &c.

apud Jac. Sponium *Itinerar. Græciæ Part.3. pag 40.* Ubi *Cheionius*, est idem, quod *Ceionius* ex familia Ceionia, inter Romanas illustri, unde Commodum Imper. ortum novimus. Videtur autem vixisse *Cejonius* hic *Contucius* quarto seculo, ut idem Sponius aliquot rationibus probat, ex titulo viz. V. C. *Viri Clarissimi* seu *Consularis*, diphthongo Æ. per *E*. simplex scripto &c.

CA

Caanus, V. in voce *Caganus* infrà.

Cabala, *Cabbala* vel *Kabala*, est occultissima scientia, quam divinitus unà cum Lege Moysi traditam fuisse, asserunt Hebræorum Rabbini: à voce קבל, *Kabal*, id est, *accepit* vel *suscepit*. Fuit enim doctrina, quæ solo percipiebatur auditu, idque non nisi ab iis, qui annum ætatis 40. jam excessissent, nec quidquam de ea literis mandare licebat. Qualia erant Aristotelis ἀκροάματα, Item μυστήρια θεσμοφόρια, in memoriam Cereris, legum & frugum, h.e. omnis humani cultus inventricis, celebrari solita, de quibus Cicero *lib.2. de Legg.* Hæc enim mysteria, nihil aliud, quàm secretiorem Philosophiam, quæ per occultas traditiones, non nisi inter initiatos, propagabatur, continuisse inde patet. Hinc Seldenus *proleg.3. de Diis Syris*: *Medio*, inquit, *ibant vetustissimi Græcorum & Latinorum sacri Antistites. Reconditam & vero proximantem Philosophiam neque evulgabant, neque omnino sibi retinebant, sed mysteria instituebant solennia. Unde ansam occultæ veritatis eruendæ non ita difficile erat sanioribus arripere.* V. de *Cabala* plura, apud Joh. Picum Mirandulanum, & lepidam de Censore quodam, *Cabalam* pro Hæretico insigni habente, historiam, in voce *Picus Johannes*.

Caballaria, apud Marcam *Hist. Benearn. lib 6. cap.24. §. 10.* prædium est *servitio Militari* obnoxium: *Cavareria* Vasconibus, *Cavalhairiou* Carcassonensibus; aliis *Chevaliere*: Latinis citerioris ævi *Militia*; Κλῆρος Ἱππικὸς in vet. Inscr. apud Seldenum *ad Marm. Arundel. & de Titulis Honorar.* Assignari illa emeritis militibus consuevisse, tradit Sabellicus *Histor. Ven. lib.5. dec.1. pag.248.* ubi de Creta ins. *Prædia quædam in Insula esse constat, quæ equestris Militiæ nomine emeritis traduntur: insulani Caballarias vocant.* Apud Aragones, cùm Ricis hominibus jus antiquum esset, in omnibus civitatibus atque oppidis, maxima vectigalia Militibus alendis assignari, stipendiariæ hæ portiones *Honores* & *Cavaleriæ* dictæ leguntur passim, in *Usaticis* inprimis Barcinon. *MSS.* apud du Fresne *Glossar.* Erantque harum 4. species: Nempe *Cavaleria de Honor*, quo modo appellabant stipendia illa, quibus Rici homines Milites suos vel Militum filios, *Infanciones* vocatos, afficiebant, vel in pecunia, vel in fructibus vel in vacuis possessionibus: *Cavalleria de Mesnada* dignitate inferiores, quâ voce denotabant singulas eas stipendiarias portiones, quas Reges, de Regalis patrimonii subsidiis, domesticis suis ac palatinis hominibus impertiebant; *Cavalleria* tandem *acostumbradas dar como de Honor* & *como de Mesnada*, ita dictæ, quòd interdum, quæ unius generis erant, ad alterum traducerentur: v.g. cùm *Cavalleria de Honor* fiebat *Cavalleria de Mesnada*, vel è diverso, i. mutabilis aut immutabilis: Nam *Cavalleria de Honor* (sic dictæ, quòd vectigalia Ricorum hominum *Honores* vocarentur) perpetuæ erant, aliæ ad libitum à Rege, à quo audè pendebant, conferebantur. V. *Glossographum* præfatum & Auctores ei laudatos. Sed & *Caballarii*, Græcis citerioribus dicti sunt *Milites*, seu Equestri dignitate donati, apud Annam Comnenam in *Alexiade*, Pachymerem *lib.1. cap.30. 31.* & *lib.4. cap.31.* Cantacuzenum *lib.1. cap.42.* & *lib.3. cap.17.* Germanis *Ritter*, Gallis *Chevaliers*, Gr. Καβαλλάριοι.

Caballi Sylvatici, apud Paulum Diaconum *Histor. Langobard. lib.4. cap.4.* iidem sunt, quos *feros* vocat Jul. Capitolinus *in Gordianis*, *Extat sylva ejus memorabilis, quæ picta est in domo — In qua pictura etiam nunc continentur cervi palmati ducenti mixtis Britannis: equi feri XXX. oves feræ C. alces* &c. De quibus Aristoteles, Strabo, Plinius, Oppianus, alii videndi. Fuere autem cùm in aliis provinciis multis, tum in Syria quoque & quidem peculiaris ingenii in vindicta de rivalibus capienda, ut scribit Philosophus, *libro de Mirac. audit.* De iis accipienda verba Paraphrastæ Chaldæi, *cap.5. Jerem.* ubi eos vocat Græcâ dictione, ut Aristoteles ἵπποι ἄγριοι, Casaubonus *ad Capitolin.* Et quidem apud recentioris ævi Scriptores *caballus* pro quovis equo usurpatur. Latini verò non quosvis equos sic appellarunt, sed viliores solùm, cujusmodi sunt, qui pistrinis, agriculturæ & mercium vecturis inserviunt. Hesych. *Caballus*, ἐργάτης ἵππος. Hieronymus *Epist. ad Heliodorum*, *Statimque cernamus sagittis pilis tiaras galeis, caballos equis cedere* &c. Car. du Fresne *Glossar.* V. quoque Casaubonum præfatum *ad Persium Sat.7.*

Caballinus, cognomen inditum Constantino Copronymo Imp. CP. quòd equini stercoris (*Caballinum* dicti, apud Marcellum Empiricum *capp.8. & 10.*) odore ac tactu delectaretur. Anastasius *ad Synodum VIII. CP. Stercoralis nominis præsulatum ideo appellat hos, quos nominavit, quia cùm essent Constantini Imperatoris, qui dicebatur* Caballinus, *tempore CPoleos Præsules, hæresi ejus favorem pessimè commodabant.* Idem *in Hist. Eccl. Magicis maleficiis & luxuriis — & caballinis stercoribus atque lotio delectatus.* Theostericus in *S. Nicetæ Hegumeno num.19.* de eod. Τοσοῦτον δὲ ἔχαιρεν τῇ δυσωδίᾳ τῶν ἀκαθαρσιῶν ὁ δυσωνύμητος, ὡς καὶ τὰ κόπρα ... τοῖς ἀλόγων χέεσθαι ... ἐπιτρέπειν ... φιλοφρονούμενος εἰς ὀσμὰς τῶν χαμαιζώων. *Tantopere delectatus est foetore impuritatis foetidissimus ille, ut etiam stercoribus brutorum se inungeret, idemque ut facerent, suis imperaret, è quibus illos, qui eodem modo affecti essent, ambitiosè colnit.* Alii vero sic dictum censent, quòd, dum baptizabatur, lavacrum stercore inquinaverat, quod Græci ejus ævi Καβαλλῖνον dixere. V. *Gloss.* Meursii & du Fresne. Omnia verò hæc ab hostibus ejus, per convitium illi afficta, censent alii, ut cui etiam dogmata blasphema tribuerunt, à quibus eum constat fuisse alienissimum. Sic enim Suidas, aut potius Græculus is, qui Suidæ panno purpureo vilissima sua pictacia assuit, eum statuisse ait, *Ne quisquam prorsus servorum Domini sanctus diceretur & eorum reliquiæ conspicerentur.* At vetuerat tantùm Imperator, ne *Sanctorum* nomina imaginibus tribuerentur. Et Theostericus, illum venerandum B. Mariæ nomen multis modis ab Ecclesia expellere voluisse scribit: cùm tamen Patres Concilii, ejus jussu, contra Imagines convocati atque ab illo approbati, dicant se congregatos fuisse, *in Basilica intemeratæ & sanctæ semper Virginis Deiparæ.* Qui etiam, in ipsa definitione, eam appellant *inculpatam & supergloriosam Deiparam Dominam*, ut alia omittam, de quibus videri potest A. Rivetus *Apolog. pro SS. Virgine Maria lib.2. cap.1.*

Caballus, dictus est collis Quirinalis, unus ex Romæ, quibus insidet, montibus, à statuis marmoreis duabus, Alexandri M. equum Bucephalum domantis, quas Alexandria Constantinum Imp. Romam transtulisse, atque in medio Thermarum à se in Quirinali extructarum collocasse, annotat Onuphrius. V. quoque Georg. Fabricium *in sua Roma*, & in voce *Quirinalis*. Vulgo *Monte Cavallo*.

Cabana, Galli *Cabanne*, ex Græco καπάνη, quod à καπανᾶσθαι, φάτνη, h.c. *præsepe*, significante, ortum: Est tugurium domuncula, casa. Κάπανος autem *Capulus*, Latinis arcam funebrem denotat, ex ligno, quâ mortui olim ad rogum vel ultrinam efferri solebant. Salmasius *ad Solinum pag.1205.* V. infrà. in voce hac.

Cabeljenses, vulgò *Cabilliaux*, nomen factionis in Hollandia exortæ, sub Ann. Christi 1350. cui opposita altera eorum, qui

Hoeckenses appellari amarunt, de quibus sic Joh. à Leydis *lib.*29 *cap.* 16. *Anno D.* 1350. *ortæ sunt proh dolor, in Hollandia, duæ factiones* —— *homines verò unius factionis assumpserunt nomen à quodam pisce marino, qui dicitur Asellus, i. Cabbeliau, ad denotandum, quòd, sicut piscis ille in mari est devorator aliorum piscium, sic & isti essent domitores suorum adversariorum: & isti dicuntur* Cabelgenses. *Alterius verò factionis homines nominati sunt è contra Hoeckenses, trahentes vocabulum ab hamo, quasi dicerent Hamus piscem prendere sæpe solet* &c. V. ubi diximus de *Asellana factione.*

Cabellum, organum Musicum, pedibus solitum feriri, apud Augustinum *de Mus. lib.*3. *cap.*1.

Cabeschola seu *Cabischola*, Primicerius Scholæ Cantorum in Ecclesia Græca, aliàs *Scholasticus.* V. infrà *Caputscholæ.*

Cabiri, adde: E schola Caini, qui illam inprimis Philosophiæ partem, quæ in vita consistit civili, corrupit, prodiisse, & sacra ex Oriente, præcipuè autem ex Arabia, ubi *Caber* seu *Cubar* cultus, de quo Seldenus *Syntagm* 2. *cap.*4. in Samothraciam postmodum translata esse, testatur ex Nonno Hornius *Histor. Philos. lib.* 1. *cap.*9 Saracenorum *Chabar*, Venus seu Urania est, teste prædicto Seldeno; quam vocem Euthymius Zygabenus μεγάλω, ex eadem origine, interpretatur. Sic apud Macedones *Cabyrius Deus*, quem Lactantius *Cabyrum* vocat, *lib.*1. *cap.*15. Apud Romanos *Caburorum familiæ* meminit Cæsar 1. *Comm.* M. *Valerium Procillum* C. *Valerii* Caburi *filium*, Idem Hornius *Ibid.*

Cabitarii, V. infrà *Cavatores.*

Cabotia, vulgò *Chabot*, familia in Gallia illustris. Cujus, ut ad fabulas non recurramus, quibus quidam *Febran*, seu Fridericus, Friderici I. Imp. ex Adriana sorore affinis, familiæ Auctor creditur; antiqua satis memoria occurrit, cùm mentio inveniatur, Guilielmi *Chabotii*, ad A. C. 1040. In Theobaldi verò filiis, sub principium seculi XII. tres lineæ cœperunt, nempe in Theobaldo IV. Gerhardo & Sebrano: à quorum illo, domini *de Rochecerviere*, sed non nisi ad duos gradus, ab isto, domini *de la Motte Achard & de Raiz*, exeunte seculo XIV. extinct; ab hoc, præter dominos *de Chantemerle*, orta est linea dominorum *de la Greve*: E quibus directa primogenitorum successio defecit in Ludovico, post A. C. 1472. mortuo, & successione per sorores ad Castillonios, & Comineum devoluta. Patruus autem Ludovici Renaldus fuit *Dn. de Jarnac*, cujus fil. Jacobus communis pater duarum linearum extitit. Ex minori enim filio Philippo Dn *de Brion* & Com. *de Buzançois* ac dein *de Charny*, Admirali Franciæ, proveniunt reliqui illustres Com. hujus nominis atque Marchiones *de Mirebeau.* Ex majori verò Carolo, reliqui Barones & Com. *de Jarnac* descendunt, inter quos Henricus eminet, (fil. Caroli *Chabotii de S. Gelais* Dn. *de Mucidan* & *S. Aulaye*, ex Henrica *de Lur*) qui, hærede Ducali Rohaneâ ductâ, illam successionem suæ domui intulit, Duc. *de Rohan* & Princ. *de Leon* axiomate hinc insignis. Uxor ejus itaque Margareta fuit Rohanea, (fil. Henrici D. Rohanei & Princ. Leon. extincti A. C. 1638. ex Margaretha Bethunia) quibus nati sunt Ludovicus Rohaneo-Chabotius D *de Rohan*, Vicec. *de Leon*, Anna (ux. Francisci Rohanei Princ Soubisii) Margaretha (ux. Marchionis *de Coaiquin*) & Johanna Pelagia. V. Phil. Jac. Spenerum *Theatr. Nobil. Europ. tom.*1.

Cabrera, nomen illustris in Hispania familiæ, cujus è Catalonia origo. Præcipua divisio est, quod à duobus fratribus duæ lineæ ceperunt: cùm alter Bernardus Vicecom. *de Cabrera*, Admiralis ac Capitaneus generalis Siciliæ, Comites *de Modica* severit: alter Raimundus Marchiones *de Moya*; quem titulum primus nactus est Andreas, Raimundi pronepos, A. C. 1480. atque ab uxore Beatrice *Fernandez de Bobadilla* illud quoq; cognomen posteris indidit. Inter ejus filios Johannes Marchio post patrem fuit, & deinceps hujus filia Luisa axioma illud domus suæ, marito Didaco Lopezio Pacheco D. *de Escalona* attulit, extincta A. C. 1556. quo è matrimonio genitus est Franciscus *Pacheco, de Cabrera & Bobadilla*, D. *de Escalona.* Alter Andreæ fil. Ferdinandus Comitatûs *de Chinchon* honorem obtinuit, A. C. 1517. atque ad posteros transmisit. Pater ex Teresia *de la Cueva* Petri; quo & Mencia *de la Cerda & Mendoza*, genitus Didacus, pater fuit ex Agnete Pacheca, Ludovici Hieronymi Fernandez de Cabrera & Bobadilla, Com. *de Chinchon*, cæterorumque, de quibus suprà in voce *Bobadilla.* V. Phil. Jacobum Spenerum *Theatr. Nobilis. Europ. tom.* 1. & 2.

Cacabus, inter vasa coquinaria, quæ primum ex argento habuisse Heliogabalum, memorat Æl Lampridius: nempe de illo privato adhuc loquitur. Aliàs, sicut lectos planè argenteos atque aureos apud Vett. Græcos Latinosque, etiam in Pandectis, reperimus, ita & mensas jam olim Romani argenteas habuere, teste Plinio *lib.* 33. *cap.* 11. qui & vasa coquinaria jam inde à Calvo Oratore fieri ex argento cœpisse, ibidem observat: *Cacabi* autem inter ista. Ulpianus *l.* 19. *de auro, argento, mundo* &c. tractans de legato argento escario: *Si cacabos*, inquit, *argenteos habebat vel miliarium argenteum, vel sartaginem, vel aliud vas ad coquendum, dubitari poterit, an escario contineatur, & hæc magis cocinatorii instrumenti sunt.* Sed & Pistorum vas erat: unde panes cacabacei dicti, qui saporem malum ex aqua in *cacabo* calefacta retinerent, V. Zenonem Veronensem *Serm. VI. ad Neophytos post Baptism.* laudatum Casaubono *ad Lampridium.* Synthesis *cacaborum*, occurrit apud Papinium Statium *lib.*4. *Sylv.*9. cui tit. *Risus Saturnalitius*: ubi dona ab amicis sibi invicem eo tempore mittitari solita recensens, ait inter alia,

Aut unam dare synthesin (quid horres?)
Alborum calicum atque caccaborum.

Et autem *Synthesis*, plurium rerum in unum agmen conlatio. Unde sensus, *Quid metuis mihi mittere albos calices & cacabos, in unum fascem constipatos?* V. quæ notarunt ad hunc locum, Jacobus Cujacius *Observationum lib.* 2. *cap.* 29. Hadr. Turnebus *Adversariorum lib.* 23. *cap.* 19. Dionys. Gothofredus *ad Pandectas pag.* 1025. & 1136. Casp. Barthius *Animadversionum ad Statium, Lib. I. pag.* 421. ut & infrà, in voce *Synthesis.* Nec omittendum, quod in *cacabis* quoque cineres mortuorum olim condi consuevisse, monet Salmasius *ad Solinum pag.* 1204.

Cacabus, aquæ ferventis judicium, V. suprà ubi *de Aqua Fervente*

Cacherellus, apud Willh. Thorn, & in vet. *Charta*, Spelmanno laudata, Judex est pedaneus, seu Baillivus inferioris ordinis, apud Anglos

Cachrys, Græcè κάχρυς, propriè granum hordei est; Hinc apud Comicum καχρύδιον πεφρυγμένον, *hordeo fricto.* Et καχρύδιας ἄρτος, *panis hordeaceus*, apud Aristophanem *in Nubibus*,

Ἀλλὰ τί πίσοντ' ὥσπερ αἱ κάχρυς γυναῖκ' ἀλεῖται.

Ubi κάχρυς sunt κριθαί. Cùm enim cætera semina levia sint, hoc asperum & scabritie horridum ac rugis striatum, inde κάχρυς, quod idem ac κάγχρυς, & *asperitatem* vel asperum quid significat. Unde postea & certarum arborum germinatio nomen hoc invenit: quod peculiariter semini libanotidis, rotundo, anguloso, & incisuris aspero tributum; in robore βρύον, in nuce Heracleotica ἴουλος, in pinu, vel picea κύτταρος dictum est. Salmasius *ad Solinum pag.* 599. & *seqq.*

Cacia, V. *Caca.* Item *Cacia*, Κακία Græcis recentioribus dictur, quæ *Acacia* veteribus; unde *Casiam* fecit infimum Latinitatis ævum. Sed *Casiam* errore nominavit non ipsam illam spinam, cui hoc nominis competebat, verum aliam illam Acanthon, quæ siliquam quoque fert, itidem Ægyptiam. Occurrit vox apud *Hippiatricæ* Auctores *cap.* 108. ἡ Κακίας τ' πυῤῥᾶς. Ut autem distingueretur à Casia aromatica, de qua infrà dicemus, quæque absolutè *Casia* dicebatur, cognominarunt illam *Casiam fistulam*, à fistulacea siliqua ut videre est apud Marinum Sanutum *de Bello sacro.* Quo tamen cognomine etiam gaudet species Casiæ aromaticæ. Galli *Cassam* vocant, Arabes *Chiarxamber*, vel *Chiarianber*, Hispani *Cannam fistulam*: de qua V. eruditè disserentem Salmasium *Exercitationib. Plinianis ad Solinum pag.* 1308. & 1309.

Cacia, seu *Chacia*, venatio, Gallis & Anglis *Chace*, passim in *Monastico* Anglic. alibique. Item saltus ipse & statio, quâ venationis gratia feræ aluntur, nullo cincta sepimento, sed privilegio tuta, vel a Principe concesso, vel præscriptione acquisito: cujus hoc à parco & foresta discrimen, quòd *parcus* angustior est & palis ac muro circumclusus, *foresta* extensior multo & amplioribus privilegiis insignis. Nominis originem à *captando* arcessit Ægid. Menagius, à *cassibus* Sylvius; quippe venatores in casses feras propellunt & clathratas fenestras quas *Chassis* Galli vocant: Octav. vero Ferrarius, ab *agere* vel *agitare* deducit: Nec desunt qui à *capsum* vel *cassum*, quod *clausum* quidpiam denotat &c. V. C du Fresne in *Glossario.*

Cactos, apud Plinium *lib.*21. *cap.*3. *in Sicilia tantùm nascitur, suæ proprietatis & ipse. In terra fert, unt caules, à radice emissi, lato folio & spinoso: caules vocant κάκτος, nec fastidiunt in cibis inveteratosque. Unum autem caulem rectum habens, quem vocant πτέρνιξ, ejusdem suavitatis, sed vetustatis impatientem. Semen ei lanuginis, quam pappum vocant, quo detracto & cortice teneritas similis cerebro palmæ est: vocant Ascalium.* Quæ vera est descriptio *Articalli*, uti Galli vocant. Sed fallitur, quòd sui generis esse & in Sicilia tantùm nasci scribit: nam eadem res *Carduus Romanorum* & *Cactus Siciliæ.* Ejus pomum, squamatum compactum & pineæ nuci simile, quod intus semen πάππώδες gerit inclusum, ἀκανθοφόρον vocat Theophrastus: semen enim propriè πάππος; quod detrahi solebat, cùm *cactus* mandaretur. Uti hodieque lanuginem illam detrahunt, quam *fanum* vocant Galli Sed nullus ibi cortex detrahendus, ut Plinius ait: quin ipse caulis cortice detracto mandebatur &c. Salmasius *ad Solinum pag.* 126. V. quoque infrà in voce *Carduus*

Cacus pastor, adde: Habitavisse locum, ubi postea Trigemina fuit porta, notat Solinus *cap.*1. *Quippe aram Herculei, quam voverat, si amissas boves reperisset, punito Caco patri Inventori dicavit: qui Cacus habitavit locum, cui Salinæ nomen est: ubi Trigemina nunc porta* V. ad eum Salmasium *pag.*9.

Cadaver, à *cadendo*, Latinis Græcisque, quibus πτῶμα dicitur. Quod videre propinquis aliisque olim nefas, attrectare, piaculum habitum, V. infra ubi de *Funebribus* ac *Morticinio.* Hinc Cadavera hostium sepultura arcendi aut canibus lacerandi objiciendi, consuetudo, atrox, at vetus est. Ita enim jam Homerus *Iliad.* α.

—— αὐτοὺς δ' ἑλώρια τεῦχε κύνεσσιν

Οἰωνοῖσι

Οἰωνοῖσί τε πᾶσιν.
—— Ipsos verò prædam objicit canibus
Volucribusque carnivoris omnibus.

Et *Il.* ψ.

Δώδεκα μὲν Τρώων μεγαθύμων υἱέας ἐσθλοὺς,
Τοὺς ἅμα σοὶ πάντας πῦρ ἐσθίει. Ἕκτορα δ' οὔτι
Δώσω Πριαμίδην πυρὶ δαπτέμεν, ἀλλὰ κύνεσσι.
Duodecim quidem Trojanorum magnanimorum filios egregios,
Quos tecum omnes ignis devorat. Hectora verò neutiquam
Dabo Priamidem igni depascendum, sed canibus.

Quamvis Sapientibus idem sepulchrum. Petronius, *At enim fluctibus obruto non contingit sepultura. Tanquam intersit perituro, corpus quæ ratio consumat, ignis an fluctus, an mora. Quidquid feceris, omnia hæc eodem ventura sunt. Feræ tamen corpus lacerabunt. Tanquam meliùs ignis abripiat.* Crudele enim, ultra mortem sævire. At non vetusto solùm ævo, sed & recentiori, per varias contumelias id factum sæpius. In *Historia Saracen.* Georgii Elmacini *lib.2. cap.1. filius Omniæ effodit atque combussit* Abdalla. Et mox, *profectus Rusapham, sepulchro eruit Hisjamum —— & centum atque viginti plagis eum cecidit, donec caro ejus dispergeretur, quam deinde collectam igne combussit.* Historiæ Principum apud Romanos, Pontificumque notissimæ. Inprimis memorabilis rigor in Phocæ Tyranni *cadaver*, licèt sine dubio pejora meriti, exercitus jussu Heraclii Imp. apud Nicephorum Gregor. qui ludibriis illud innumeris expositum prolixè refert: cujusmodi exempla in Græca ejus Imperii historia ubique occurrunt, ut pluribus dicemus infrà, in voce *Tractio cadaveris*, V. etiam, *Caro humana*: Quanto humaniùs Athenienses, qui hostium cadavera sepulturæ neutiquam negarunt. Unde Statius *Thebaidos l.9. v.515.*

———— ubi Cecropiæ post prælia flammæ?
Theseos ignis ubi est?

Ubi vetus Scholiastes, *Morem*, ait, *Atheniensium tangit, qui hostium cadavera non negabant sepulturæ, instituente Theseo?* Et Romani, apud quos damnatorum quoque *Cadavera* non facilè negata fuisse petentibus, nisi in crimine Majestatis maximè, ut & iis qui relegati aut deportati fuissent in Insulam, ex Rescriptis Augusti, Severi & Antonini Caracallæ, docent Ulpianus & Martianus: quod hac tamen restrictione capit Barthius, ut isti in loco obitus sepeliri quiverint, alibi non, sine Rescripto &c. Imò & quibuslibet petentibus danda censuit Paulus JC. Et Diocletianus ac Maximinianus Impp. ita responderunt, *Obnoxios criminum digno supplicio affectos sepulturæ tradi non vetamus*, V. *L.2. Cod. de Relig.* Quod legi divinæ Hebræis datæ, ut omnis virtutis, ita & humanitatis Magistræ, contonum, quæ illos ipsos, qui suspensi patibulo erant (quod maximopere ignominiosum censebatur) eodem die sepeliri jubet, V. Numer. *cap.25. versu 4.* Deuteron. *cap.21. versu 23.* 2. Sam. *cap.21. vers.26.* & plura in hanc rem, apud Hug. Grotium *de Jure Pacis & Belli lib. .cap.9.* ut & hic passim, inprimis ubi de *Asini Sepultura* & in voce *Insepulti.* De *Cadaverum* verò cura, hic infrà.

de *Cadavere* cibum sumere, prohibitum Christianis, docet Augustinus *c. Faustum lib 32.* V. infrà, ubi de *Morticinio.*

Cadaverum Cura, apud Romanos Græcosque. Corpus defuncti, postquam solemni ritu oculi ejus clausi essent, per intervalla conclamabatur primò, quod apud Græcos fiebat magno æneorum vasorum fragore, an ad Lemures Furiasque arcendas, an ad jacentem, si fortè lethargo tantùm consopitus esset, excitandum? Postea naulo Charontis & offâ Cerberi ori inditâ, oculis itidem fasciâ obvelatis, vultus mentotenus panno cooperiebatur, quod officium proximis incumbebat: Hinc Hippolytus apud Euripidem, *versu 148.* sic patrem moriturus alloquitur:

Κρύψον δέ μου πρόσωπον ὡς τάχος πέπλοις,
Operi verò meam faciem quàm celerrimè peplis.

Imò tota cadaveris extendendi velandique cura ad proximos spectabat: quæ causa, quòd Cassandra apud Euripidem Græcorum, procul à patria morientium, conditionem, Trojanorum, qui in Patria occubuerunt, longè postponat, cùm ait:

Χερσὶν περισταλέντες ὧν ἐχρῆν ὕπο:
Manibus compositi, quorum id officii erat.

Cùm Pater moriebatur, aut mater vidua, liberorum id erat: Eurip. *Medeâ vers. 1036*

Καὶ κατθανοῦσαν χερσὶν εὖ περιστελεῖν,
Et fato functam manibus ritè componere:

de liberis loquens. Marito demortuo id officii genus uxor exhibebat: fratri soror. Dein à propinquis ac affinibus calidâ aquâ abluebatur, & unguentis ungebatur. Virgil. *Æn.l.4.*

—— —— Date vulnera lymphis,
Abluam.

Ad quæ verba Servius: *Lavare*, inquit, *cadavera proximis concedebatur.* Qui autem cadavera ungerent, *Pollinctores*, Græcis *Κατανιπτῆρες* dicebantur, unde Nonius Marcellus, *Pollinctores sunt, qui mortuos curant.* Apud Græcos, hi corpus evisceratum calidâ abluebant aquâ, labro ad id in loco sacro asservari solito usi: qui ritus, *λουτρὰ πανύστατα* Electræ apud Eurip. id est, *lavacra novissima* dictus, tam habebatur necessarius, ut Socrates cicutam hausturus apud Platonem aquis priùs corpus ablueret, ne post mortem id negotii facesseret pollinctoribus. Et Alcestis apud Euripidem *versu 116.*

Ἐπεὶ γὰρ ᾔσθεθ' ἡμέραν κυρίαν
Ἥκουσαν, ὕδασι ποταμίοις λευκὸν χρόα
Ἐλούσατ'.
Postquam sensit diem destinatam
Advenientem, aquis fluvialibus candidam cutem
Abluit.

Fœminis autem id proprium apud Græcos, quæ si non in promtu erant, tum aliis munus hoc concedebatur. Sic apud Galen. *de Meth. medendi l.13. c.15.* à Cynicis ablutum legimus Theagenis cadaver. Lotum ritè corpus unguentis inungi mos, ambrosiaque caput ac vultus perfundi. Homerus de Sarpedone *l.11.*

Χρῖσόν τ' ἀμβροσίῃ ——
Atque unge ambrosiâ.

Quo facto, ablutum unctumque candidâ vel albâ induebatur veste, togâ nempe, ut Lipsius vult: *Nam*, inquit, *cadavera in honestissimâ veste efferri mos erat: quæ in vulgo civium & in tacito funere toga vulgata fuit. in Magistratibus toga prætexta, in Censoribus purpurea tota.* Apud Græcos cadaver involvebatur mundo amiculo, diu ante, vel ab uxore, vel ab aliquo proximorum hunc in finem confecto, quod suas *Κειρίας fascias*, quibus manus pedesque vinciebantur, habebat: ut de Lazaro quoque legimus Johannis *cap. 11. versu 44.* Hinc Apulejus *l.10. Feralibus*, inquit, *amiculis obstrictus.* De colore tamen dubium, sunt enim qui feralis hujus amictus colorem apud Græcos quidem album, nigrum verò apud Romanos fuisse contendant. Sic curatum cadaver porro sertis coronabatur, tanquam miseriarum vitæ hujus Olympionices, oríque placenta indebatur, quod non minus, ac serta, victoriæ præmium, apud Græcos fuit. Quò alludens apud Eustathium *in Ismen. πῶς σε καταστέψω τοῖς δάκρυσιν, quomodo coronabo te Lachrymis?* ad filium Pater inquit. Ita ergo corpus ablutum, unctum, indutum ac coronatum humi, in lecto, ad januam deponebant, qui ritus *Collocatio* à Rom. dictus à filiis vel hæredibus solebat peragi: idque hoc modo, ut corpus demortui foràs spectaret & facie pedibusque esset in publicum versis; fortasse eo situ abitionem illam postremam significantes. Hinc Persius,

— — Tandemque beatulus alto
Compositus lecto, crassisque lutatus amomis,
In portam rigidos calces extendit.

Græci hanc ceremoniam verbo *προτιθέναι* expresserunt; & nomine *πρόθεσις*. Unde *Eurip.*

—— Καὶ προθήσουσιν νεκρὸν,
Et collocabunt mortuum.

Interim cupressus, teste Sexto Pompeio, quæ arbor excisa renasci non solet, apud Romanos, in vestibulo demortui affigebatur, ne quis imprudens funestam domum, rem divinam facturus, introiret: quod tamen serò, & non nisi apud divites, invaluisse, notat Scaliger, & colligitur ex illo Lucani,

Et non plebejos luctus testata cupressus.

Statuebatur insuper in domus aditu ingens vas fictile, aquâ aliunde petitâ repletum, Hesychio *γάστρα*, Aristophani *ὄστρακον*, Polluci *ἀρδάνιον*, Euripidi *πηγαῖος χέρνιψ*, dictum, ut qui ingrederentur vel egrederentur, se abluendi commoditatem haberent: quem ritum *λούεσθαι ἀπὸ νεκροῦ* seu *βαπτίζεσθαι ἀπὸ νεκροῦ* vocarunt. Cujus loco suffitione Romani usi sunt; utrique enim contaminatam crediderunt domum, ubi cadaver hominis jaceret. Confer in sacris Numer. *cap.19. vers.11,12,13.* Unde apud Euripidem Helena, *versu 1446.*

Καθαρὰ γὰρ ἡμῖν δώματ'· οὐ γὰρ ἐνθάδε
Ψυχὴν ἀφῆκε Μενέλεως ——
Pura enim nobis ædes: Namque non isthic
Animam reliquit Menelaus.

Simul apparabantur ea, quæ ad funus necessaria erant. Vendi illa apud Romanos solebant, in templo Libitinæ, quæ eadem cum Venere fuit: unde *Libitinarii* dicti, qui funera curabant, & pyram, si cremandum foret *cadaver*, lignis aliisque rebus pro defuncti conditione instruebant, &c. Hactenus apparatus exequiarum, quem Græci *Συγκομιδὴν* dixere. Ubi ita septem dies in ædibus cadaver servatum fuisset, die octavo, per præconem populus ad exequias vocabatur, his verbis: EXEQUIAS L. TITIO L. FILIO QUIBUS EST COMMODUM IRE JAM TEMPUS EST, OLLUS EX ÆDIBUS EFFERTUR. Hinc *Funus indictum* Festo: ad quod postquam populus convenisset, lecto constrato aut linteis splendentibus & in eo defuncti corpore collocato, post ultimam conclamationem, ad sepulturam. Græcè *Ἐκκομιδὴν*, se accinxere. De die autem id fiebat, unde Cassandra *in Troadibus v. 446.* id tanquam infaustum prædicit Talthybio,

Κακὸς κακῶς ταφήσῃ νυκτὸς, οὐκ ἐν ἡμέρᾳ,
Malus malè sepelieris nocte, neque interdiu.

Et quidem apud Græcos, postridie statim collocationis, ante Solis ortum, *Iliad. 11.*

— — ὡς ἠῶθεν ῥοδοδάκτυλος ἠώς,
— — Ut primùm aurora refulsit.

Apud Romanos autem efferebatur cadaver, tibicine seu siticine præce-

præcedente, qui næniam funebrem, laudes ac res gestas defuncti continentem, non saltabundus, ut olim, sed stans Phrygio modulo canebat. Præficæ quoque ante demortui domum ad numerum lamentabantur, reliquis lugendi modum præeuntes: ritu etiam aliis gentibus usitato, hinc מקוננות Israëlitarum, de quibus vide Jerem. *cap.9. versu* 17. *Audi*, θρήνων ἔξαρχοι & μοιρολόγοι Græcorum, &c. Quare Macrobius, *Mortuos*, inquit, *quoq; ad sepulturam prosequi oportere cum cantu, plurimarum gentium vel regionum instituta sanxerunt, persuasione hac, quia post corpus anima ad originem dulcedinis Musicæ, id est, ad cælum redire credatur.* Sed πρὸς αὐλὸν *ad tibiam*, unde Τυμβαύλαι tales dicti, non verò πρὸς λύραν, *ad citharam*, canere tum licebat, quia hæc, utpote Apollini sacra, Pæanibus solùm lætisque hymnis inserviebat. Sic pompa funebris procedebat; & cadaver efferebatur, (apud Athenienses per portam Ἠρίαν, seu Ἠρίας πύλας dictam;) & quidem ditiores lectis efferebantur, tenuioris verò fortunæ homines capulis sive feretris, ut Servius notat: utrique pro dignitate quàm scitissimè comti ac exornati. Deferendi feretrum propinquioribus virilis sexus dabatur munus. Itaque filii, interdum parentes, & fratres sorores elatas funere deferebant: nonnunquam servi libertate donati, plerunque Senatorii, Prætorii ac Consulares, quique amplissimis functi erant honoribus, Imperatorum ac Consularium virorum feretra detulerunt. Quare Pauli Æmilii, qui de Macedonia triumphavit, legati Macedonum, & Sullæ Dictatoris feretrum Senatores, ac sacræ virgines extulerunt; & Metello filii tres Consulares, duo triumphales, unus Censorius, & alter Prætor, lectum subiere. Qui fortunæ erant tenuioris, à Vespillonibus portabantur. Græci suos hic habuere νεκροθάπτας, quorum meminit Euripides *in Alceste, versu* 607. qui idem in *Rheso*, hunc efferendi ritum φοράδην πέμπειν vocat. Dum efferebatur, insignia honorum, quos defunctus gessisset, fasces, secures, lictores armaque & dona militaria, coronasque omnis generis, quas in vita meruit, vexilla atque urbium dona & legionum, spoliaque hostium, ac munera quæ quis daturus erat, expressosque cerâ vultus & decora Majorum totiusque familiæ longo ordine simulachra in oblongis perticis sive hastis præferebant ab ultima origine, quanto cum poterant apparatu. Si quis violentâ periisset morte, in pugna inprimis, arma ejus simul efferebantur: Hinc de Arcadibus, Pallantem efferentibus, Virgilius:

— *Hastam alii galeamque ferunt.*

idque cuspide deorsum spectante. Unde idem ibidem

— — *Et versis Arcades armis.*

Corpus elatum præcedebant servi à defuncto manumissi ac libertate donati, illi inprimis, qui fide præ reliquis in herum erant noti: Hi pileati, aut albâ lanâ capita velati, lachrymis funus deflebant. Feretrum sequebantur liberi, propinqui, affines, atque alii amici lugentium habitu, capillo demisso, in veste pulla. Ac filii quidem velatis, filiæ nudis capitibus passisque crinibus incedebant, albo vestitu; Sequebantur reliqui, qui funeris deducendi causâ confluxere: idque apud Græcos partim pedibus, partim vehiculis. Apud quos viri feretrum præcedere, fœminæ sequi, illi candidâ veste sertisque ornati, si illustre funus esset: hæ peplo quæque suo obvelatæ, solebant. Apud Romanos, ferebatur defunctus, si splendidi generis ac meritis in Remp. insignis fuisset, primùm in Forum, ubi Oratione funebri honorabatur: dein procedebat funus ad locum, ubi mortuus sepeliendus vel cremandus erat. Et antiquitus quidem domum suam referebatur, ibi sepeliendus. Unde Virgil.

Sedibus hunc refer antè suis: & conde sepulchro.

Postea verò, vi legis XII. Tabb. extra urbem communiter; ubi vel in agris suis tumulabantur, vel in viis extra portas sepulchra habebant: quibus locum designabant vel Augures, vel Pontifices. Qui verò cremandus erat, quâ ceremoniâ fuerit compositus, Vide infrà, in *Cremandi ritus*; Et de tota cadaveris funerandi cura Joh. Rosinum *Antiq. Rom. lib.6. cap.39.* Franc. Rossæum *Archæologiæ Att lib.5. cap.16. & seqq.* &c. nec non infrà, in voce *Sepultura.* Addit Demsterus, cadavera pauperiorum olim insepulta in puteos abjecta; divitum in domibus suis condita: communiter postea in viis publicis; Principes autem demortuos in montibus aut ad montium radices sepultos fuisse. Unde Virgilius *Æneid.* 11.

— *Fuit ingens monte sub alto*
Regis Derceni terreno ex aggere bustum.

Et Lucanus *lib.8.*

Et Regum cineres extructo monte quiescunt.

Hinc quoque Aurelius de Aventino Sylvio loquens, ait: *Sepultus circa radices montis, cui ex se nomen dedit.* Idem apud Græcos obtinuit, ut in excelsis locis Principes conderentur, plebs verò depressioribus tumulis contenta esset, usque ad tempora Cecropis, & quæ illum diu sequuta sunt: donec Cœmeteria duo Athenis constituta sunt, dicta Κεραμεικοί, ὁ μὲν ἔσω, ὁ δὲ ἔξω τοῦ τείχους, *Ceramici duo, quorum unus intra, alter extra mœnia erat*: in quorum illo, quem Thucydides δημόσιον vocavit σῆμα, publico sumtu recondebantur, qui pro patria occubuissent: iste in certas portiones ac septa divisus plebem capiebat; & locus insuper erat, ubi scorta prostabant. Quòd si aliquis peregrè obiisset, *cadaver* melle perungebatur, ne corrumperetur, antequam domum referri posset: quod de Agesipoli Lacedæmoniorum Rege, narrat Xenophon *Hist. Græc. lib.5.* Etiam cerâ cadavera eadem fini oblinebant, ut de Persis refert Cicero *Tuscul. quæst. l.* 1. *ad fin.* quod in mellis inopia factum esse, colligitur ex Corn. Nepote *in Agesilao.* Cedriâ quoque conservata fuisse cadavera, docet Plinius *lib.* 16. *cap.*11. Hoc modo delibuta cadavera ornabantur, coronabanturque, ac si viverent, imò & mensis adhibebantur; quem morem in Principum Christianorum aulis adhuc vigere videmus: apud Ægyptios iisdem ornamentis, quibus vivens utebatur, simulachrum defuncti indutum tumuloque vitreo illatum, Herodotus *lib.3.* narrat. Barbarus verò mos Magorum ac Hircanorum, quibus *cadavera* suorum, nisi priùs à canibus laniata essent, tumulari fuit nefas, V. Auctores supra memoratos, ut & in voce *Apotheosis.*

Cadere, maximum olim Aurigarum, in Circensibus, dehonestamentum fuit; unde id maximè Antagonistas egisse, ut adversarios præcipitarent è curru, discimus ex Papinio Statio *Thebaidos l.6. v.*474.

Hic anceps fortuna diu decernere primum
Ausa venis. ruit Hæmonium, dum fervidus instat
Admetum superare Thoas, nec prætulit ullam
Frater opem, velit ille quidem, sed Martius ante
Obstitit Hippodamus, mediasque immisit habenas.

Atque hinc Dio Chrysostomus Orat. 32. Νυνὶ δὲ τὸ μὲν τὸν ἡνίοχον πεσεῖν ἐκ τοῦ δίφρου, δεινὸν ἡγεῖσθε, καὶ συμφορὰν πασῶν μεγίστην· αὐτοὶ δὲ ἐκπίπτοντες ἐκ τοῦ κόσμου τοῦ προσήκοντος, καὶ τῆς ἀξίας οὐδὲν φροντίζετε. *Nunc quidem aurigam aliquem cadere de curru, grave judicatis, imò calamitatum omnium maximam: at cùm ipsi excidistis decoro ac dignitate vestrâ, cura non habetis.* Quæ confer, si placet, cum doctis ingeniosisque Hendecasyllabis Sidonii *in Narbone*, qui studium insanum in Spectaculis vulgi, etiam afflictis illis temporibus, indicat obiter: deditâ verò operâ Salvianus, qui, spoliatis exhaustisque à Barbaris civitatibus, cùm Imperatores aliquâ succurrere vellent, dementes homines ante omnia Circenses postulasse scribit, V. Casp. Barthium *Animadversion. ad Statium lib.3 pag.*529. Sed & excusso Aurigâ, principatu Claudii Cæsaris, *quadrigas ejus currum æmulos non minus astu, quàm velocitate, prævertisse, & post decursa legitima spatia, ad locum palmæ, sponte constitisse, velut victoriæ præmium postulantes*, tradit Solinus c.45. Vide quoque infrà in voce *Rutumanna.*

Cadere ter, in Lucta Veterum, victi erat. Omnis enim luctæ ratio ad victoriam in eo consistebat, ut adversarius stans & erectus dejiceretur, ac solo illideretur, quod ῥῖψαι propriè Græci dixere. Unde οἱ σκελίων ἴδριες ῥιψίφρονες luctatores vocantur Theocrito ἐν Ἡρακλίσκῳ, quòd illorum esset *supplantare* ac *subvertere*: qua in arte Argivi olim primi habiti. Non nisi autem ter dejectus ab adversario, victus censebatur. Seneca *de Benef. lib.4. cap.3. Cursor metam prior contingit. velocitate alium, non animo antecessit. luctator ter abjectus perdidit palmam; non tradidit.* Unde in *Epigrammate*, veteri, Milo, qui, cùm in certamen luctæ descendisset, nec antagonistam reperisset & vocaretur ad accipiendam palmam, forte cecidit, & propterea indignus coronâ haud paucis visus est,

Αὐτὸς δ' ἐν μέσσοισιν ἀνέκραγε, πῶς τρία ἐστίν;
Εἷς κεῖμαι, λοιπὸν τ' ἄλλο μέ τις βαλέτω.

Οὐχὶ τρία ἐστὶν, sub. πτώματα, *semel cecidi, non ter*, exclamavit. Cæterùm, inquit, si quis est, qui me victum pronuntiare ausit, accedat & quod reliquum est ad victoriam de me referendam, peragat, & cùm jam semel ceciderim, bis me dejiciat, ut τρία sint πτώματα, victusque sic videri possim. Atque hoc dicebatur τριάξαι & ἀποτριάξαι, *trinis dejectionibus aliquem superare.* Glossæ Grammat. Τριάζω, νικῶ ἐν παλαίσμασι, ἀπὸ τοῦ τρὶς πεσεῖν. Et Hesychius, ἀποτριάξαι, τρὶς πλαγὰς δοῦναι, imò *ter dejicere* aut *tres ictus infligere, qui adversarium prosternant.* Sed hac de re infrà dicemus plura, in voce *Sternere.* Πτώματα itaque & ὑπτιασμοὺς magnopere cavebantur Luctatoribus; at contrà affectabant illos Pancratiastæ: in qua arte, non qui *cadebat*, victus erat, sed qui prior animum desponderat. Unde Pindarus *Isthm. ode* 4. pancratiasten, qui arte solâ majorem viribus adversarium vicit, comparat vulpi, quæ aquilæ impetum sustinet ac repellit, ἀνα-πιτνάσα, quasi *supina cadens.* Nempe in pancratio *cecidisse* ac succubuisse erat artis, humique volutati nexus suos expediebant impediebantque (Græcè συμπλοκαί, item τὰς χαμαὶ πάλας) & viribus superiores adversarios sæpenumero, arte hac κυλιστικὴ seu *volutatoria*, superabant. V. Salmasium *ad Solinum pag.*190. *& seqq.* nec non infrà passim, inprimis ubi de *Lucta*, *Pancratiasmo* & *Volutatoria pugna.*

Cadi, urbs Lydiæ, memorata Propertio,

carminaque recentibus aris,
Tibia Mygdoniis libet eburna Cadis.

Cadi, tollenonibus suspensi, aut trochleis è puteo per funem tolli soliti, V. infrà, ubi *de Tollenonibus* &c.

Cadiana, apud Ammianum Marcell. *Tabiana* Ptolomæo, *Tabiana* aliis, Inf. una ex tribus Insulis, quas in Perside memorat uterque, præter quam & Phara ibi & Alexandri Inf. de quibus V. Salmasium *ad Solinum pag.*1182.

Cadiscus, Gr. Καδίσκος, urna in quam immittebantur calculi per

per τὸν κημὸν, cùm suffragia ferrent Judices. Non enim hi manu suâ calculos, quibus suffragia ferebant, in Judicialem urnam conjicere consuevere; Sed per vasculum oblongum, vimine textum, eos demittebant in *Cadiscum*, quasi per colum vel infundibulum. Quod postea in ludum aleatorium migravit, ubi pyrgus, in quem tesseræ mittebantur, urnæ vicem obtinebat & in parte alveoli residebat, crebris intus gradibus exsculptis, per quos tesseræ saltantes in tabulam effunderentur &c. V. Salmasium *ad Flav. Vopiscum in Proculo.*

Cadistus, mons Cretæ, memoratus Solino *cap.* 11. ubi de Creta Ins. *Albet jugis montium, Dictynnæi & Cadisti, qui ita excandescunt, ut eminus navigantes magis putent nubila*; ubi vulgò *Cadisthi* legitur, sed libri omnes *Cadisti* habent, teste Salmasio *ad Solinum p.* 171. qui idem, Solinum, quod proprium Alborum fuerit in Creta montium ad Dictynnæum & *Cadistum* perperam transtulisse, monet. Certe Ptolomæo inter famosos Cretæ montes, τὰ Λευκὰ ὄρη ..., Ida & Dicte: quibus id nominis impositum, quòd juga illorum nix nunquam desereret V. quoque Theophrastum *Histor. Plant. lib.* 4. *cap.* 1. & Plinium *lib.* 16. *cap.* 33.

Cadius, vulgò *Cadi*, Judex, Præfectus apud Turcas & Saracenos. Meursius in Καδῆς. *Cadinus* corruptè habet Matthæus Parisius in *Histor.*

Cadmus, adde: Gortynæ, quæ mediterranea Ins. Cretæ urbs, cultum esse, è Solino discimus, qui *cap.* 17. *Iidem*, ait, *Gortynii & Cadmum colunt, Europæ fratrem sua enim memorant.* Nisi hic, verba sunt Vossii, non *Cadmum* scripserat, sed *Atymnum* ex Jove & Cassiopea natum, ut est legere apud Apollodorum *Biblioth.* V. Vossium *de Idolol. lib.* 1. *cap.* 13. *sub fin.* De tempore ejus in Græciam adventus, non idem sentiunt Eruditi. Circa Josuæ ætatem id factum esse, quidam contendunt: Alii sub exitum Israëlitarum ex Ægypto, eum ex eadem regione in Græciam, coloniæ ducem, migrasse atque ibi urbem Thebas, ad imitationem Thebarum Ægyptiarum condidisse volunt. Secundùm eosdem, *Cadmus* in ins. Rhodum appellens, ... incolas docuit; neque alias, quam Ægyptias literas Græciæ dedit, quæ *Phœniciæ*, sicut & ipse dictus, tum quòd Phœnices Græcis, quàm Ægyptii, notiores essent; tùm quòd Cadmus ex Ægypto in Phœniciam priùs transiit, ob navigationis commoditatem, antequam in Græciam perveniret. Eundem è patria sua in Græciam Liberi Patris sacra, in Samothraciam verò Cabirorum mysteria, attulisse dicunt; inter quos apud Græcos Cybele quoque habita est, Deorum mater & præcipuo honore apud Phrygas culta. Ante *Cadmum* autem, Cecrops Athenarum conditor, & post hunc Danaus, Argivorum Regni auctor, ex eadem Ægypto in Græciam colonias deduxere; qua de re V. Franc. Burmannum *ad Josuæ cap.* 24. *sub fin* aliosque: ut & in voce *Harmonia*. Filiam *Cadmi* hujus Agaven duxit Echion, unus de quinque Dentigenis, plebi Thebanæ mutuis cædibus interemtæ superstitibus, ut videre est apud Apollodorum *lib.* 3 Quibus genitus Pentheus. *Cadmo* in Regno successit: Post Penthea, Polydorus Cadmi filius Thebis Rex fuit. Huic filius Labdacus; qui Lajum procreavit, eo anniculo relicto, pari cum Pentheo morte sublatus. Lajus pater fuit Oedipi, quo Eteocles natus est. Atque hæc fuit Cadmeidarum successio, ex *tertio* Apollodori, in epitomen hodiernam redacti, plena Tragicis Infortuniis ac facinoribus, apud Casp. Barthium *Animadversion. ad Papinium Statium lib.* 3. *pag.* 313.

Cadmus, mons Laodiceæ superimminens, e quo Lycus fluv. exoritur, apud Strabonem: V. Salmasium ad *Solinum. p.* 818.

Cadocum, vulgò *Cayeu*, locus Galliæ, in Ambianis. Hadr. Valesius in voce *Ambiani.*

Caduceus, adde: Vocem Salmasius è Græco κηρύκειον deducere mavult; & inter symbola Eleusiniorum Sacrorum *Caduceatores* quoque fuisse, notat, ex Clemente Alex. ubi totam sacrorum horum scenam facunde traducit. V. in voce *Eleusine*. Nec omittendum supplices olim *caduceum* quoque præferre consuevisse, quòd hunc gestantes ab omni violentia tuti essent: cuius rei exemplum Livius exhibet *lib.* 8. *cap.* 20. V. etiam Cœlium Rhodig. *Lect. Antiq. lib.* 21. *cap.* 16. Cæterùm coronari nonnunquam *Caducei* consuevere. Sic nuncius Thesei Athenas præmissus, apud Plutarchum *in Theseo*, cum plurimi inibi essent, qui ei alacriter imponerent coronam salutis (de qua infrà dicemus) ille acceptâ coronâ *caduceum* coronavit. Sed & κηρύκεια περιπεπλεγμένα ἐκ τῶν ἐλαιῶν, *Caducei circumvoluti ramis oleaginis*, occurrunt apud Dinarchum *in Demosthenem*. V. Car. Paschalium *Coronarum lib.* 2 *c.* 9. & *l.* 6. *c.* 16.

Caducum Auspicium, si quid inter sacrificantes cecidisset, dictum est, quod pessimi semper ominis loco habitum. Sic Hadriano Cæs. paulo ante obitum, *prætexta sponte delapsa caput operuit annulusque, in quo imago ejus sculpta erat, sponte de digito elapsus est*, apud Spartianum.

Cadunium, vulgò *Cadouin*, locus Galliæ, memoratus Hadr. Valesio in voce *Mulcedonum.*

Cadurcum, apud Juvenalem *Sat.* 7.

Institor hybernæ tegetis, niveique cadurci.

Ubi vetus interpres: *Cadurcum quidam cucullum dicunt candidum, propter hyemes ac nives comparatum, alii tabernaculum, aut tentorium, quibus merces suas protegere consueverunt.* Sed hic pro vili merce, ... *Cadurcum*, quam teges, ponitur. Sententia enim Poetæ est, de mercede sive minervali Grammatici præmordere aliquid pueri custodem, quin & dispensatorem eandem delibare Hortatur porro Grammaticum, ut patiatur detrahi potiùs aliquid, quàm totum perire. quemadmodum mercium vilissimarum institor patitur aliquid de solito pretio imminui potiùs, quàm nihil vendere. *Cadurcum* igitur vestis fuit stragula, sive lodix. ad frigus arcendum, densa sc. ac villosa, ex lino Cadurcensi facta. Apud eundem Poetam, pro lecto nonnullis sumitur, cùm inquit:

Magnaque debetur violato pœna cadurco.

Ubi voce *Cadurci*, lodices & stragula ac culcitas, ex lino præfato factas intelligunt: Salmasius verò aliter exponit versum hunc, ex hisce duobus præcedentibus:

Ille petit veniam, quoties non abstinet uxor
Concubitu sacris observandisque diebus.

Nempe Matronæ, quæ in casto Isidis aut Cereris erant, concubitu abstinebant: & per eos dies, quibus castum observabatur, secubabant à lectis suis ac toris genialibus & stramentis incubabant in Templo ipso, in quo & pervigilia celebrari mos fuit. Erant autem ea stramenta utplurimum iis herbis foliisque facta, quæ castitati conducere æstimabantur, ut videbimus infrà, ubi de more *in Stramentis cubandi.* Latini verò *Cadurcum*, cùm primitus proprieque significaret Cadurcicam culcitam, ex lino apud Cadurcos nato factam, postea pro quolibet *stramento* usurparunt, Plin. *libro* 19. *capite* 1. Hinc itaque *violatum cadurcum* sive stramentum dicitur Poetæ, ab illa muliere, quæ in casto non fuerat, nec stramento incubuerat cum reliquis ἁγνευούσαις, sed quæ sacris observandisque diebus non abstinuerat concubitu: pro qua proin maritus veniam petere & magnâ mercede ac pœna violatum Cadurcum redimere cogebatur. Vide eum *ad Solinum pag.* 938. In *carmine* Sulpitiæ,

Ne me cadurcis destitutam fasciis &c

Cadurcæ fasciæ, non institæ sunt, quibus lectus intenditur, uti quidem Schol. Juven. contendit, sed fasciæ lineæ, quibus ipsa Sulpitia velabatur, ut videre est apud eundem Salmasium ibid. *pag.* 938. & 1170. V. quoque in voce *Cadurci.*

Cadus, quo vinum Romani condiderunt. Ita enim Plautus *Aulularia*,

——— — *At ego jussero*
Cadum unum vini veteris à me afferrier.

Solebat pice diligenter oblini, ac in loco, quo fumus posset pertingere, statui. Marcellus *de Medicam. operculo superposito, & clauso vel gypsato diligenter de argilla.* Junius Moderatus Columella *Rei Rust. lib.* 1. *cap.* 6. *vinum celerius fumo maturescit.* Hinc Horatius *lib.* 1. *ode* 30.

——— *Græcâ quod ego ipse testâ*
Conditum levi.

Idem *lib.* 3. *ode* 8.

Hic dies anno redeunte festus
Corticem astrictum pice dimovebit,
Amphoræ fumum bibere institutæ
Consule Tullo.

Statius *Lib.* 4. *Sylv.* 8.

Albanoque cadum sordentem promere fumo, &c.

Picandi sic reponendique vini primus auctor L. Opimius Consul fuit, sub quo generosissimum vinum collectum est, testante Plin. *l.* 14. *c.* 4. Martialis *l.* 1. *Epigr.* 27.

Testa sed antiqui felix siccatur Opimi,
Egeris & nigros Massica cella cados.

Notabantur autem *cadi*, inscripto nomine & auctoris & Consulis. Petronius *Satyr. Statim allatæ sunt amphoræ vitreæ diligenter gypsatæ, quarum in cervicibus pittacia erant affixa, cum hoc titulo: Falernum Opimianum annorum centum.* Horatius *lib.* 1. *Sat.* 10.

——— —— *Rhodio quod Pitholeonti*
Contigit, at sermo linguâ concinnus utraque
Suavior, ut Chio nota si commista Falerni est, &c.

V. quoque infrà, ubi de *Signandi ritu.*

Cadwallader, ultimus Cambrorum in Anglia Rex: post quem Cambria divisa est in *Meridionalem & Septentrionalem*, quarum utraque peculiares suos Reges habuit, usque ad A.C. 1140. quo, extincto *Regum* nomine, *Principes* successere, donec sub Henrico III. Angl. R. Cambria, titulo *Principatus Walliæ*, in Angliæ Regum potestatem pervenit. Georg. Hornius *Orb. Imper.*

Ceadas, Græcè Καιάδας, barathrum erat prope Lacedæmonem, in quod maleficos conjicere soliti erant, quemadmodum in *Messeniacis* Pausanias memorat, Aristomenem εἰς τὸν Καιάδαν, in Ceadam, conjectum & ibi triduum commoratum, per sublustres tenebras vidisse vulpem cadavera appetentem. Nempe καιάδας Lacedæmoniis id ipsum fuit, quod Græcorum aliis καίατα vel καιετοὶ, h. e. *locus effossus*, vel *terræ dehiscentis ruptura*, *quam faciunt terræmotus*, ut ex Hesychio discimus. Cujusmodi rupturæ cùm in agro Laconico fuerint frequentes, sunt qui Spartam ab Homero dici statuant, non, uti vulgò legitur,

——— λακεδαίμονα κητώεσσαν,

Iliad. β. *v.* 581. & *Odyss.* δ. *vers.* 1. sed καιετάεσσαν. οἱ δὲ ἀπὸ τῶν σεισμῶν ῥωχμοὶ καιετοὶ λέγονται, καὶ καιάδας τὸ δεσμωτήριον ἐντεῦθεν, *quia rupturæ, quæ fiunt ex terræ motibus, καιετοὶ dicuntur, atque inde car-*

& vasis revelli poterant ac rursus illigari, uti latiùs dicemus infrà ubi de vasis *Ectypis* & *Prostypis*, item in vocibus *Crusta* & *Emblema*. Quibus omnibus quod carebat, dicebatur *Argentum purum*. Cujusmodi vascula ex puro argento qui faciebant, *Vascularii* dicti sunt, à Cælatoribus, qui signa ac sigilla vasculis includenda cælabant, ubique distincti. Hinc Cicero *Act.6. in Verr. Instituit officinam Syracusis*, inquit, *in Regiam maximam palàm Artifices omnes, Cælatores & Vascularios convocari jubet*. Magni certè illi Artifices, quorum Artem in argento cælando tantopere celebrat Antiquitas, sigillis minoribus faciendis inclaruere, nec Vascularii fuere, ut Phidias & Polycletus: quorum illum Toreuticem ostendisse scribit Plinius, istum consummasse. Quòd enim Phidias sigilla & minora simulachra ex ære optimè faceret, aperuit hoc modo Toreuticen & viam ostendit illi Arti, quæ istiusmodi sigilla in scyphis argenteis cælaret. Unde *Phidiaci toreuma cæli*, apud Martialem celebre. Antiquiorem tamen Toreuticen fuisse Phidiæ, qui Olymp. 83. vixit, ætate, docet Salmasius ex Anacreonte, apud A. Gellium, quem vide *ad Solinum pag.* 1 44. *& seqq.* Plura verò hanc rem, hic passim, inprimis suprà, in voce *Anaglypha*, ubi de duplici Artis hujus methodo; item hic infrà, ut & in voce *Labor*, & ubi de *Toreutice*. Non possum tamen, quin Plinii locum addam, *lib.33. cap* 12. quo præcipuos *Cælatores* eorumque opera memorat: *Mirum in auro cælando inclaruisse neminem, argento multos. Maximè tamen laudatus est Mentor. Quatuor paria* (scyphorum) *ab eo omnino facta sunt: ac jam nullum extare dicitur. Varro & æreum signum ejus habuisse scripsit. Proximi ab eo in admiratione Acragas & Boëthus, & Mys fuere. Extant hodie omnium opera in Insula Rhodiorum*, Vid. infrà *Post hos celebratus est Calamis & Antipater & Stratonicus. Mox Cyzicenus Taurifcus. Item Ariston & Eunicus Mitylenæi laudantur, & Hecatæus. & circa Magni Pompeii ætatem Praxiteles, Posidonius Ephesius, Lædus Stratiates — Zopirus — Fuit dein Pytheas, cujus binæ unciæ viginti vænierunt — Habuit & Teucer Crustarius famam. Subitoque Ars hæc ita exolevit, ut sola jam vetustate censeatur, usque adeò attritis cælaturis, ne figura discerni possit, auctoritas constet.* Ad quem locum Vid. Salmasium ubi suprà. Opera verò Artificum hic memoratorum fuere ista.

Cælatorum Clarissimorum opera.

Areopagitas & Judicium Orestis in duobus scyphis, cælavit Zopirus H.S XII. valoris.

Bacchæ Centaurique cælati in scyphis, Acraganthis opus, in Ins. Rhodo. in Templo Liberi Patris asservatum.

Cocos, *magiriscia* appellatos, parvulis potoriis, sed e quibus ne quidem exempla licere exprimere, fecit Pytheas.

Cupidines, Myos opus, in Æde præfata Ins. Rhodi, asservati.

Diomedes & Ulysses Palladium surripientes, in phialæ erant emblemate, quam Pytheas cælavit, cujusque binæ unciæ viginti libris vænierunt.

Prælia armatosque cælavit Lædus Stratiates.

Satyrum in phiala, gravatum somno, eo locasse veriùs, quàm cælasse dictus est Stratonicus.

Scyphorum paria quatuor, fecit Mentor: quorum nullum amplius extare ævo suo, scripsit Plinius.

Silenus, Myos opus, in Æde Liberi Patris, de qua suprà, asservatus.

Venatio in Scyphis, Acraganthis, magnam habuit famam: quam tamen alii Myi adscribunt.

Ulysses & Diomedes Palladium surripientes, Vid. *Diomedes*. Sed & Boethi, non minùs, ac Acragantis & Myos opera, clara fuere: apud Lyndiam Minervam asservata

Cælator, servus olim apud Romanos: cujus meminit Juvenalis *Sat.9. vers.* 140.

Sit mihi præterea curvus Cælator, *& alter*
Qui multas facies pingat citò.

Ubi vetus Interpres *Cælatorem* explicat *servum argentarium, laboriosum, atque glypharium*: quæ tamen disparare videtur antiqua *Inscr.* sepulchralis, quæ Romæ legebatur,

ANTIGONUS. GERMANIC. CÆSAR.
[illegible] ARGENTARIUS.
VIXIT AN. XLII
AMIANTUS. GERMANIC. CÆSAR
CÆLATOR.
FECIT.

A *cælo* autem dictus: cujus meminit Ovidius *Fastor. lib* 3.

Quiq; moves cælum, tabulamq; coloribus uris,
Quiq; facis doctâ mollia saxa manu.

Ubi quidam pro *cælum* legunt *cestrum*, & hæc verba ad Encausticen referunt, submonente Plinio *lib.35. cap.* 11. *Encausto pingendi duo fuisse antiquitus genera, cerâ & in ebore cestro, id est, viriculo: quo imagines mulierum maximè pinxisse, Laiam Cyzicenam Virginem, M. Varronis juventâ*, Idem tradit, *Ibid.* Sed pro vulgata lectione stat Servius, ad Virgil. *Æneid. lib.*1. *vers.*544.

—— —— Cælataq; in auro
Fortia facta patrum.

Scribit namque: *Insculpta, tamen hoc nomen in principali aliam habet naturam, in derivatione mutat. Nam cælum est, unde operantur argentarii: quod producitur naturaliter, &c.* V. Laur. Pignor. *Comm. de Servis*, ubi varia hanc in rem eruditè congessit, ut alios mittam

Cælatura autem luxu Romanorum invaluit, Postquam enim argentea pocula in pretio esse cœpere, continentiores Cives purum, simplex nullisque emblematis cælatum argentum habere gaudebant, nepotes verò totos census in mirabiles profudere sculpturas. Plin. *Nat. hist. lib.* 12. *cap.* 11. *Et quia hæc attinet colligere, cùm capuli militum consertio ebore, aut etiam fastidito cælentur argento: vaginæ batillis, balthei laminis crepitent: Jam verò pædagogia ad transitum virilitatis custodiantur argento, fœminæ laventur & nisi argentea solia fastidiant, eademq; materia & cibis & probris serviat.* Mentio in antiquis marmoribus, quorum unum sic habet, apud Pignorium,

VIBIÆ. SUCCESSÆ. LIVIÆ.
AUG. SER. AB. ARGENTO.
POTORIO.

Inde jocosè apud Athenæum magnum poculum *potens argenteus* dicitur *lib.* 11. *Dipnosoph.* ut clarum sit, inde etiam Græcis in usu fuisse. Et quid ni, cùm notum apud illos poculum Solis Herculisque, in quo Heros navigasse fertur; ingentiaque pocula [illegible] dici consueverint, Eust. *in Od.*1. Quid insculpi solitum fuerit, docet Virgilius *Æneid. lib* 1.

Ingens argentum mensis cælataq; in auro
Fortia facta patrum.

Item Juvenalis *Sat.* 1. *v.*76.

Argentum vetus, & stantem extra pocula caprum.

De *cælatura* hac poculorum inprimis argenteorum, quam *Emblematum opus* vocat vetus Scholiastes Juvenalis *ad versum* 76 *Sat.*1. locus est egregius Pauli *IC.l.* 13. *ff. de condict. furtiva.* Neminem in auro *cælando* inclaruisse miratur Plinius, in argento maximè laudat Mentorem uti vidimus Martialis *lib.*8 *Epigr.* 51. *de Phiala Rufi,*

Quis labor in Phiala? docti Myos, anne Myronis?
Mentoris hæc manus est? an Polyclete tua?
Livescit nullâ caligine fusca.

Dicebantur autem ista nobilium Artificum emblemata, proprio nomine *formæ*. Sext. Propertius *lib.*4. *eleg.*2.

At tibi Mamuri formæ cælator ahenæ,
Tellus artifices ne terat Osca manus.

Vid. Thom. Demsterum in Joh. Rosini *Antiqq. Rom. lib.*5. *paralip. ad cap.* 30. & supra. Sed & *Cælatura*, inter ministeria sacra recensetur, in Synodo Exoniensi A. C. 1287. *can.* 12 *Cereus Paschalis, duo cerei processionales*, celatura *super Altare .. Onera omnium ornamentorum prædictorum . supportabunt libris matutinalibus, unico scilicet psalterio, fenestris vitreis in cancello &* celatura *super majus Altare duntaxat exceptis, quæ Rectores vel Vicarii supportabunt.* Ubi Carolo du Fresne videtur id esse, quod in Ecclesia Rom vulgò *Tabernaculum* vocant. Alia tamen videtur eidem esse vocis notio, apud Laur. Leodiensem in *Episcopis Virdun. pag.* 345 *Tigna, laquearia, tecta &* cælaturam *Ecclesiæ* & V. eundem Auctorem in *Glossario.*

Cælestinus V. adde: Reformati sunt hi Religiosi, ad regulam Benedicti, geruntque vestem candidam, cum scapulari nigro, & amplis largisque manicis. Richeliet.

Cælia lex, à Cæcilio Tr. Pl. lata, Q. Cælio Metello Balearico, T. Quinctio Flaminio Coss. an. U C. 635. *Ut etiam in perduellionis judicio, quod Cassiâ lege Tabellariâ exceptum erat, populus non voce, sed tabellâ, sententiam ferret.* Ejus meminit Cicero *de Legibus libr.*3.

Viri illustres.

Cælius, Historiographus, memoratus Ælio Spartiano in *Hadriano Cæs. Amavit præterea genus dicendi vetustum — Ciceroni Catonem Virgilio Ennium, Salustio* Cælium *prætulit.* Uti membranæ habent, cùm aliàs legeretur *Cæcilium.* Sed hic, vetus Poeta, tam ineptè Sallustio compararetur, quàm convenienter Crispus & *Cælius* componuntur. Antiquus fuit Historicus, ex quo multa A. Gellius, Priscianus, Sosipater, Charisius, alii V. Isaac. Casaubonum *Notis ad Spartianum.*

Cælius Felix, Vir Consularis, jussu Commodi Imp. occisus, apud Æl. Lampridium.

Cælius Sabinus IC plurimum temporibus Vespasiani potuit; ejus mentio in *Digestis.*

Cælius Tatianus, Eques Rom. Adriani Cæs tutor, apud Spartianum. *Attianus* alii habent.

Cælius Mons, unus ex septem montibus urbis Romæ, cum Quirinali, post Capitolium, à Romulo fossâ sive aggere ac muro firmatus; cùm nihilominus extra urbis ipsius mœnia pomeriumque essent: Postea à Tullo, an Anco, an Tarquinio, variant enim Auctores, pomerio inclusus est. Fuit in Suburanæ regionis parte, nomenque accepit à Cælio Vibenno Tusco Duce nobili, qui cum sua manu Romulo auxilio contra Sabinum R. venisse dicitur, Varro. Festus *Cælem* Etruscum illum Ducem nuncupatum vult. Idem mons *Querquetulanus*, à sylva ibi ingenti: & cum post incendium, quo ædificia in eo sita conflagrarunt, à Tiberio reparatus esset, *Augustus* legitur vocatus. Ita enim Tacitus *lib.* 4. *Haud fuerit absurdum tradere montem eum* (de *Cælio* loquitur) *antiquitus Querquetulanum cognomento fuisse, quòd talis sylvæ*

frequens fuerat, mox Cœlium appellarunt, à Cale Vibenna, qui dux gentis Etruscæ; cùm auxilium appellatum duxisset, sedem eam acceperat à Tarquinio Prisco, seu quis alius Regum dedit. Nam in eo Scriptores dissentiunt. Regia in eo fuit Tulli Hostilii; Tuscique illum incoluerunt, qui cum munire se cœpissent, suspecti redditi & ab illo in planum locum deducti sunt, qui ab iis *Tuscus vicus* dictus est. Hodiè insignis is mons in urbe habetur, Basilicâ Johannis Lateranensis. Habet autem ab Or. mœnia urbis, terminumque Esquilinæ regionis, portam Esquilinam & Amphitheatrum: ab Occ. Suburam & montem Palatinum: à Sept. Carinas, Cælium & Esquilias: à Mer. Piscinam publicam & Vallem, quæ est ante viam Appiam, quæ prope Septizonium Severi inchoans, versùs portam Capenam protenditur. Hic secundam Urbis regionem, *Cælimontium* appellatam, posuit Augustus Cæsar. Vid. Onufrium *in urbe Roma, pag.26. & seqq.* Bartholom. Marlianum *Topogr. urbis Romæ lib.4. cap.18.* Joh. Rosinum *Antiqq. Rom. lib. 1. cap. 2. & 7.* &c. Ovidius *Fastorum lib.5.*

Cælius accipiet pulverulentus equos.

Cælum, à cædo, Græcè γλύφανον, apud Theocritum, qui poculum in certamine rustico depositum ita describit,

Καὶ βαθὺ κισσύβιον κεκλυσμένον ἁδέϊ κηρῷ

Ἀμφῶες νεοτευχὲς, ἔτι γλυφάνοιο ποτόσδον

Τῶ περὶ μὲν χείλη μαρύεται ὑψόθι κισσὸς κτλ.

Latinè *scalprum* ad verbum, nam γλύφειν est *scalpere.* Sed *Scalprum* de celo, quo operantur Argentarii, vix Latini dicunt, ac ne vix quidem: Horatiusque *scalpra* Sutorum propria facit, quæ Græci σμίλας vocant ac σμίλια. Sed & γλύφανον dixere scalpellum Græci, quo calami ad scribendum olim aptabantur, atque attemperabantur, quem & σμίλην, & γλυφίδα & γλυπτῆρα & γλυφεῖα vocitarunt; *Canivium* hodie Galli appellant, quòd *cannâ* seu harundine scriberent Veteres, non uti nos pennâ. Porro quod *celum* Vett. erat, *cilium* quoque & *cilionem* appellavere Latini recentiores. Imò etiam *Sicilum*, quod est σμίλιον: nam & *sicilatos* lapides vulgò Galli dicunt, qui sculpti sunt: & *sicilare*, pro sculpere vel cælare, *cizeler.* Paulus Silentiarius verò γλύφανον etiam vocat instrumentum, quo lapides sculpebantur, *in descr. Ambonis,*

—— πάχνα δ' αὐτοῖς

Κυκλοτερῆ γλυφάνοισι χάλυψ ἐσφίγξε τορεύτης.

Sed & λαοξόους nuncupat lapidum cælatores & sculptores. *Burinum* autem vulgò dicunt Galli τὸ γλύφανον, quo cavatores utuntur gemmarum & argenti. Summus Poëta vocem hanc *tornum* reddidit, *Bucolic. lib.3.*

—— — *pocula ponam*

Fagina, cælatum divini opus Alcimedontis,

Lenta quibus torno facili superaddita vitis &c.

Sed impropriè admodum. Licèt enim *terere* omnium commune sit, Tornatorum, Sculptorum, *Cælatorum* & Rasorum; & tam Tornatores, quàm Cælatores *radant*, aliud tamen propriè ξύειν vel ξέειν, aliud γλύφειν, aliud τορεύειν. Tornatores enim exsculpunt & insculpunt ligna, striasque in iis & sulcos faciunt τορνολογία, at figuras & sigilla torno exprimere non possunt: id quod Cælatorum est seu Toreutarum, qui *celo* utuntur &c. V. Salmasium *ad Solinum pag.* 1045. & infrà, ubi de *Pustulato argento.*

Cæmentum, propriè dicitur hodie genus ferruminis, ex arena & calce tegulaque tusâ compositum; olim verò *cæmentum* dicebatur, minutus lapis cæsus, politus & æquatus, ad structuram ædium, à *cædendo* dictus. Hinc *Cæmenta* vett. Latini semper distinguunt à quadratis lapidibus, Vitruvius inprimis *lib.1. cap.5. lib 2. cap.7.* & *cap.8.* in quo postremo loco, Græcos non usos esse è quadrato saxo structura, nec è *cæmento* molli politâ, sed è silice, vel è duro lapide ordinariâ, dicitur. Idem *ibid. cæmentitium saxum*, à quadrato secernit. Imò *Cæmentum* idem, quòd *cæsura*: unde *Cæmenta marmorea*, pro assulis, quæ è marmore cadunt, dum cæditur, apud eundem, *lib.7. cap.7.* Sic quilibet lapis è lapidicina cæsus, *Cæmentum* dicebatur, unde idem Auctor *cæmentum*, à silice, qui naturaliter ita reperitur, nec pars fuit majoris saxi, distinguit. Veteris notionis etiam apud Plinium usus, *lib.37. cap.13. Igne lapides in æs solvuntur, igne ferrum gignitur ac domatur, igne cremato lapide* cæmenta in *tectis ligantur.* Id est, lapides. V. quoque eum *lib.35. cap.13.* Contrà ferrumen ex arena & calce, ad faciendos & consolidandos parietes, *Materiam*, item *Intritam*, dixere Vitruvius & Plinius, ut infrà videre est. Solinus verò *Cæmenti* vocem de ferrumine jam usurpat, *cap.28. Inter Nasamonas & Troglodytas gens Amantum est, quæ salibus domos extruunt: quos in modum cautium è montibus excitatos, ad usum ædium cæmenticiis nectunt struicibus.* Ubi *struices cæmenticias* vocat cæmenta, quibus instruuntur & nectuntur inter se lapides. Hoc enim propriè *instruere* dicebatur: *ferruminare* Plinius dixit, *lib.35. cap.14.* Quamvis etiam hic accipere possemus cæmenticias structuras, h. e. ex saxo cæmenticio, ut intelligamus, sic domos apud Hammaniëntes salibus extrui solitas, quasi si cæmenticiis struicibus necterentur; h.e. ex structura cæmenticia fierent. Quo sensu *Cæmentum* ac *cæmentitium saxum*, hodie *medullum* Galli vocant, quòd in structura inter quadratos lapides medius infercitur. Ratio verò, quòd Recentiores vocem pro intrita ipsa & ferrumine usurparunt, hæc est, quòd in intritam seu mortarium adderent [illegible] fragmina cæmentorum, i. lapidum, vel parva cæmenta, ut ex aliquot præfatorum Auctorum locis constat. V. Salmasium *ad Solinum pag.378. & 379.*

Cæna, opp. Thraciæ, unde *Cænica* reg. & *Cæni* pop. quæ postea *Flaviopolis* dicta. Solinus *cap.10. In Caeniensi regione, non longè à Flaviopoli colonia, Bizye oppidum, quondam arx Terei Regis.* Sed Bizye [illegible] Astica στρατηγία, ut vocat Ptolomæus, seu regione, non *Cænica* fuit. Salmasius *ad l.* V. in voce *Cænica.*

Cænophrurium, adde: Καινὸν Φρούριον Plutarcho *in Lucullo*, in vet. Tab. *Cænopurio*, in *Itiner.* Antonini *Cenophrurio*, [illegible] perperam apud Polybium, qui munitissimum hoc castellum fuisse scribit & in eo gazam suam habuisse Mithridatem. De eo sic habet *Itinerar.* laudatum,

Heraclia M. P. XVIII.

Cenofrurio M. P. XVIII.

Melantiada M. P. XXVIII.

Byzantio, qui & Constantinopolis M. P. XVIII.

pro quibus *Tabula* Peutingerorum habet: *Heraclea*, *Cænopurio*, *Melontiana*, *Byzantium*, quæ non parum variant in passuum intervallo. Salmasius *ad Vopiscum in Aureliano.*

Cæpe, inter Ægyptiorum olim Numina. Plinius *lib. 19. cap. 6. Allium cæpasque inter Deos jurejurando habet Ægyptus;* Sicut Zeno Stoicus per *cappar*, Teleclides per *brassicam*, jurasse leguntur. V. infrà *Cepe.* Aversabantur tamen illud Ægyptii Sacerdotes, quod lachrymas eliciendo, festos dies celebrantibus molesta esset, & excitatâ siti incommoda iis, qui religionis causâ cibo potuque abstinerent: Quòd item Lunâ decrescente viget ac augescit, Plutarchus *de Is. & Osir.* Certè, Plinius de omnibus ejus generibus, *Odor*, inquit, *iis lachrymosus.* Unde κρόμμυον Græcis, [illegible] Aristophanes,

Τί δαὶ τί κλάεις; κρόμμυον ὠσφραινόμην.

Quid ita fles? Cæpam *subolfeci.*

Et Bias à Rege Alyatte accersitus, Regiâ fortunâ spretâ, illum jussit κρόμμυον ἐσθίειν, *cæpam edere.* Lucilius item *lib.5. Sat.*

Flebile cæpe simul, lachrymosæque ordine tallæ.

Sic enim Festus vocat interiores cæparum tunicas. Veteribus tamen Romanis in pretio. Varro *in Bimargo, Avi & atavi* [illegible] *cùm allium & cæpe verba eorum olerent, tamen optimè animati erant.* Imò apud Homerum, Hecamede Nestori Machaonique, pro obsonio, apponit *cæpam & mel flavum* &c. V. Plinium, ubi supra, & ad eum Dalechampii *Notas*: Salmasium item *ad Solinum pag.* 1167. *& seqq.* ut & infra in voce *Unio.* Addam saltem de oleris [illegible] in coronis Vett. usu. Quia enim *Cæpe*, eliciendo lachrymas, oculis prodest, ideo & ipsum inter coronamenta est receptum. Cujusmodi coronæ meminit Artemidorus, eique locum assignat inter illas, quæ per quietem visæ quidpiam significant, *lib.1. c.79.* Forte & idem coronamenti genus signavit Callimachus hoc versu,

—— —— — ἀμφί τε κόρσῃ

Ἐσφιγμένος ἁπαλὸν εἶδος ἔχει στεφάνου.

circa caput

Vinctus, cæparum *teneram habet coronam.*

V. Schol. in *Alexiph.* Nicandri in [illegible] & C. Paschalium *Coronarum lib.1. cap.15.*

Cæratus, opp. Cretæ: quod prius *Cnossus*, Græcè Καίρατος, [illegible] fluvium cognominem, Strab. Meminit fluvii Callimachus,

Χαῖρε δὲ Καίρατος ποταμὸς μέγα.

Virgilius *in Ciri*, *Cæratea flumina* habet,

Carpathium fugiens & flumina Cæratea.

τὸν Καιράτειον ποταμόν. V. Salmasium *ad Solinum pag.172.*

Cæremonia, seu *Cærimonia*, à *caritate*, vel ab opp. *Cære*, Festo dicta est: *Cærus* autem vet. linguâ sanctus, & inter mystica Jani nomina fuit, *Cerus manus*, in *Carm.* Saliari *sanctus bonusque.* Alii vocem à *Cerere* derivant, unde Gloss. *Ceremonia*, Δημήτρεια. Nonnulli à *Cæritibus*, Hetruriæ pop. quòd hi, captâ à Gallis Româ, sacra Romanorum à Vestalibus invecta benignè acceperint, atque adeò servarint, donec Camillus patriam recuperasset, V. Scaligerum *in Festum* & Livium *lib.11. cap.5.* Nec desunt, qui à *carendo* eam deducant, ut videre est, apud A. Gellium *lib. 2. cap.9.* quòd Religio illis carens exerceri ritè nequeat &c. Et sanè ea est hominum infirmitas (usque dum in civitatem, in qua Joannes nullum Templum præter Dominum Omnipotentem & Agnum videbat, Apocalyps. cap. 22. *versu* 23. fuerint collecti) ut quibusdam externis (ensuque perceptibilibus adminiculis omnino indigeat, quibus ad primam ac interdum Dei cultum perducantur, V. Augustinum *lib.19. contra Faustum cap.11.* Hinc, in *infantia* Ecclesiæ, jam olim sub Permissione, variæ obtinebant cærimoniæ, ejus quasi in [illegible] serperastra, quibus ad Messiæ Fidem contenderet, eoque [illegible] sente, saltem imagine ejus pasceretur. Nec alium retinuere [illegible] buere sub Mose. ante μοσχοποιίαν, i. *Vituli confectionem*, quæ ab eo adductæ & non à se liberæ, ut antè, relictæ sint, in Tabernaculo ac Sacerdotio Aaronico. At post peccatum Vituli [illegible] sit Fata mutata atque viliora facta sunt. Quamq; Deus [illegible] hactenus habuerat, ac ex Ægyptiaco ergastulo liberatos [illegible] suam cooptaverat, [illegible] qui [illegible] in Ægypto [illegible]

to contractam nondum dedi dicerant, duriùs habere constituit, Jer. c.31. v.32. & Hebr. c.8. v.9. Magnam enim partem in longo illo per deserta errore perire, cæteri autem variis *Cærimoniis* onerati Deo adducti is servire inque servilibus ministeriis ætatem agentes, eum colere jussi sunt: terrore post latam Legem accedente ac verbis minantibus, *Quisquis non manserit in omnibus* &c. primogenitis quoque à Sacerdotio rejectis, ac Levitis in eorum ascitis locum, Ezech. *cap.*20. *versu*, 25. 26. Atque sic Moses, renovato Dei fœdere, post acceptas secundas Tabulas, quæ gravioribus verbis armatæ erant, omne demum *Ceremoniarum* choragium ac jugum, genti imposuit; peccatumque non solùm illud, sed & alia omnia, quotidie lustri & sacrificiis ac pecudum cruore Altari inscribere ac laborantis, nec unquam satis lætæ, conscientiæ gemitus ac suspiria Tabernaculo affundere jussit. Quo pacto Deus Ecclesiam illo tempore, velut *adolescentem*, sub Pædagogo ponere & difficili ministerio ejus proterviam delassare ac compescere, illamque per terrestres *figuras & umbras* sensim ad majora perducere, sicque venturo olim Salvatori per Veterum desideria, ac *sitim*, viam sternere, & gradibus quibusdam salutis humanæ opus absolvere voluit. Sed & typus erat Lex illa *in Ceremoniis* consistens, Christi mortisque ejus; & omnium beneficiorum Ecclesiæ olim præstandorum imaginem gerebat, quæ victimarum morte & lustrationibus expiationibusque typicis adumbrabat. Unde *Christus finis Legis* appellatur, Rom. *cap.*10. *versu* 4. Præterea inserviebat ea discernendis ac discriminandis Judæis ac Gentibus, erectâ *sepe intermediâ*, Ephes. *cap.*2. *versu* 14. Imò discrimina inter ipsosmet Judæos faciendo, quorum alios ab Altari & conspectu Dei arcebat, ut totum Israelem Numeror. *cap.*1. *versu* 51. & *cap.*3. *versu* 10. alios accedere quidem sinebat, sed non ultra primum limen, ut Levitarum ac Sacerdotum turbam; solum autem Pontificem Max. ad interius adytum, ipsumque Dei sacrarium: ut appareret, nondum venisse Sacerdotem, qui omnem Dei populum ex æquo ad Deum adduceret. Hoc vero ultimis temporibus exhibito, *Chirographon* illud Rituum abolitum, ac corpore adveniente *umbra* sublata & *Ceremoniis* V. T. finis impositus est, Coloss. *cap.*2. *versu* 14. *& seqq.* Qua de re V. inprimis Franc. Burmannum *Synopsi Theol. Christ. Part. I. Lib.* 4. *cap.*7. *& seqq.* Ubi de *Ceremoniarum* institutione ac causis: usque tum *publicis*, quæ quinque erant Classium, *Personarum sacrarum*, *Actionum*, *Rerum*, *Locorum & Temporum*: tum *privatis*, circa *Vestes*, *Cibos & Purificationes carnis*, accurate agit. Nec tamen *adulta* Ecclesia omnibus planè ceremoniis caret. Namque & Christiani ceremoniis, ut gestibus ac actionibus solennibus utuntur, quarum beneficio non solum ea, quæ ad Dei cultum pertinent, ordine ac decorè peraguntur, sed etiam res aliter sensibus imperceptibiles, ad Ecclesiæ, inprimis infirmiorum in ea versantium, ædificationem, oculis nostris exponuntur, declarantur ac obsignantur. Quæ proin duum generum sunt, aliæ divinitus institutæ; ut *Sacramenta*, aliæ ad ordinem pertinent, ut *particulares determinationes loci, temporis, formæ & rituum Ecclesiasticorum conventuum, exhortationum, catechizationum, administrationis Sacramentorum, precum, lecturæ, Psalmorum, modi Ministros eligendi, Pastoralium conventuum, erogationis eleemosynarum, matrimoniorum celebrationis, fidelium sepulturæ similiumque.* In quibus posterioribus quid sequendum, cavendumque, monet Augustinus *ad Januar. Epist.*118. *cap.*2. & 119. *cap.*18. & 9. V. quoque Socratem *Histor. Eccles. lib.*5. *cap.*22. Chrysostomum *in Matth. Homil.* 15. *cap.* 51. Alios, inter quos Gerson *Part.* 1. *de Nuptiis Christi & Eccl. Quid valet*, inquit, *constitutionum multiplicatio, Evangelio nec cognito nec observato? Sciatur inprimis & servetur Evangelium* &c. Uti vero in aliis, ita etiam in hisce perverse æmulati Ecclesiam Gentiles, cultum suum qualemcunque *Ceremoniis* similiter suffulcire dum conati sunt, eum penitùs illis obruerunt, & principali accessorium præferentes, in hoc solo omnem Religionis rationem constare plerique opinati sunt. *Cærimoniarum* certè cultu Romam crevisse, creditum esse olim, Livius refert *lib.*6. *cap.*41. *Eludant nunc licet Religiones. Quid enim est, si, pulli non pascuntur? si ex cavea tardiùs exierint? si occinuerit avis? Parva sunt hæc; sed parva ista non contemnendo, Majores nostri maximam hanc rem fecerunt.* Et in negligentiam *Cærimoniarum ac auspiciorum*, cladem a C. Flaminio Cos. acceptam, rejectam fuisse, idem narrat *lib.* 22. *cap.*9. Sed, hac de re alibi.

Ceremoniarum Magister, in Aula Pontificia: olim Archidiaconus erat, *Extrav. cap.*2. *& seqq.* V. *Admonitor*, *Deputatus*, *Designator*, *Hieromnemon*, *Hypomnesiscon*, *Memorialis*, *Rememoratorius*, *Suggestor*, *Telearcha*, apud Macros in *Hierolexico*, & hic passim.

Cæruleum, inter Vett. pigmenta memoratur Plinio *lib.*33. *cap.* 13. *Cæruleum, harena est, cujus genera tria fuere antiquitus: Ægyptium, quod maximè probatur. Scythicum, hoc diluitur facilè, cumque teritur, in quatuor colores mutatur, candidiorem, nigrioremve, crassiorem tenuioremve. Præfertur huic etiamnum Cyprium. Accessit his Puteolanum & Hispaniense — Tingitur autem omne & in suo coquitur herba* (glasto sc.) *bibitque succum. Reliqua confectura eadem, quæ chrysocollæ. Ex cæruleo fit, quod vocatur lomentum, perficitur id lavando terendoque, & hoc est cæruleo candidius. Pretia ejus, XXIII. in libras, cærulei XVIII. Usus in creta, calcis impatiens. Nuper accessit & Vestorianum, ab auctore appellatum. Fit ex Ægyptii levissima parte: pretium ejus XL. in libras. Idem & Puteolani usus, præterquam ad fenestras: vocant cœlon. Non pridem apportari & Indicum est cœptum, cujus pretium XVII. in libras. Ratio in pictura ad incisuras, h.e. umbras dividendas à lumine* &c. Et paulo post, *Cærulei sinceri experimentum in carbone, ut flagret: fraus viola arida decocta in aqua succoque per linteum expresso in cretam Eretriam.*

Cæruleus Color, in purpura dilutiore, apud eundem occurrit, ubi in tribus purpuræ gradibus, conchylium ultimo loco ponens, illud in tres alios subdividit, quorum qui dilutissimi coloris est, in heliotropii flore considerari ait, quem florem alibi *cæruleum* appellat, Dioscorides ὑποπόρφυρον, Appuleius *velut purpureum.* Secundum cum malva confert, tertium cum viola serotina: & hic substitit conchylium. Nam in purpura laus fuit summa, ut nigricans esset aspectu. At in conchylio laudabatur pallor saturitate fraudatus, tantoque dilucidior, quanto magis vellera esurirent, quæ in laudato Auctore reperias *lib.*9. *capp.*38. *&* 39. E quibus colligere est, conchylium medii fuisse coloris inter purpureum & cœruleum, atque ex utroque mixtum, cujusmodi Indicum purpurissum, idem esse scribit, *lib.*35. *cap.*6. Et de pantherarum oculis Oppianus *Cynegetic. lib.*3.

Γλαυκιόωντες ὁμοῦ δὲ καὶ ἔνδοθι φοινικόεντες,

Glauci sunt simul atque intus punicei.

Itaque de purpurisso scribens Plinius *d.l. Pingentes*, inquit, *sandyce sublita, mox ovo inducentes purpurissum, fulgorem minii faciunt: Si purpuram facere malunt, cæruleum sublinunt, mox purpurissum ex ovo inducunt.* Ubi videtur *purpuræ* nomine conchylium intelligere, quod cum fuerit ex parte cœruleum, non potuit aliter pingi, quam cœruleo tabulæ sublito. Quo facit, quod Salmasius chalcanthum, non ab ære, ut volunt, sed a purpura, dici ait, non à χαλκὸς, sed a χάλχη, seu κάλχη, per metathesin: ut χάλκανθον sit a purpuræ flore dictum, sc. *cærulea.* Is enim est chalcanthi color, ut idem Plinius docet *lib.* 34. *cap.*12. Atque hoc purpuræ genus Hebræi תכלת. *thecheleth*, Chaldæi *thicheli*, appellarunt, quem colorem esse *cæruleum* ab ipsis habemus. Itaque Græci vert. *hyacinthinum* reddiderunt, non à materia, sed a colore, ut infrà videbimus. Rubra vero purpura, non ex conchylio facta, sed ex illius cochleæ sanie, quæ propriè *purpura* dicitur, iisdem Hebræis ארגמן *argaman* dicta est. Quod utrumque purpuræ genus, *ex Insulis Elisæ*, i. Græciæ in mari Ægeo, olim allatum esse, discimus ex Ezech. *cap.*27. *versu* 7. Et utrumque in summo pretio fuit. Quin *Argaman* fuisse colligas aliquanto pretiosius, ex eo, quod Danielis *cap.*5. *versu* 7, 16, 29. is, quem Assyriorum Rex ad summos honores vult evehere, non vestitur *thicheli* sed *argavana.* Certe non à *cæruleo*, sed à *rubro* colore, purpuram commendari, Tyriam inprimis, ex Auctoribus notum. V. Sam. Bochartum *Hierozoici Parte poster. Lib.V. capp.*10. *&* 11. ut & infra passim: Plura vero de *Cæruleo* colore apud Salmasium *ad Solinum pag.* 131. 201. 255. 1154. &c. nec non infrà in voce *Cyaneus.*

Cæsar, adde: Imperatores postea, creatum unum ex filiis vel nepotibus, vel sanguine junctis, ad quem imperium transferre meditabantur, primum *Principem juventutis*; pòst, extinctâ fere Cæsarum familia, *Cæsarem*: tandem *Nobilissimum Cæsarem* appellavere. Cujus instituti primus Auctor fuit Octavius Augustus, apud Tacitum *Annal. lib.*1. Exemplum in Nerone habemus, qui a Claudio *Princeps juventutis* dictus est. Et extant in Huberti Goltzii Augusto numismata aliquot cum his inscriptionibus: *C. L. Cæsares. Augusti. F. Coss. desig. princ. juvent.* In Ælio Vero, qui ab Adriano adoptatus & *Cæsar* appellatus est &c. Joh. Rosinus infra laudandus. Salmatio *Cæsar* tantum primus appellatus est Cejonius Commodus, qui & *Ælius Verus*: Imperatoribus antea nomine hoc existente proprio. Tunc itaque primùm novum genus honoris in Remp. introductum, inquit, ut essent CÆSARES, velut candidati quidam Imperii, & designati ejus hæredes; Quæ eadem quoque jam Augusti mens, cùm Cajum & Lucium suos *Principes juventutis* voluit appellari; sed more suo in re nova usitatum etiam libera Rep. titulum usurpavit: Pari civilitatis judicio, atque titulum *Principis Senatus* ipse sibi vendicavit. Porro huic Vero simul cum appellatione *Cæsaris* tributa est facultas utendi coccinei palli, præsente Hadriano: & purpura etiam, sed sine auro, cujus antiquitatis auctor Commodus Imp. in *Epist.* ad Albinum. Hinc Spartianus *in Severo*, *Cæsarem*, inquit, *Bassianum filium suum Antoninum à Senatu appellari jussit, decretis Imperatoriis insignibus.* Cujus ritus primus auctor Hadrianus fuit, cum Verum *Cæsarem* designaret, V. Casaubonum & Salmasium *Not. ad loca cit.* & infrà in voce *Nobilissimus.* Hodie simile quid habemus *in Rege Romanorum*, qui vivo Imperatore subinde eligitur, in spem indubitatam successionis. V. Joh. Rosinum *Antiqq. Rom. lib.* 7. *cap.*13. Ex *Cæsar*, corruptum est vel potiùs concisum, *Czar*, quo titulo Moscorum utitur Imperator, ut in hac voce videre est &c.

Cæsar Atestinus, filius Alphonsi, qui ex vilis fœminæ contubernio ab Alphonso I. Ferrariæ D. susceptus dicebatur, patruele Alphonso II. sine masculis hæredibus extincto A.C. 1597. à Pontifice successione exclusus, Imperialia tantùm feuda Mutinæ, Regii Lepidi, & Carporum obtinuit: Modernorum Atestinorum ac Ducum Mutinæ conditor. V. Thuanum *lib.*119. & in voce *Cæsar* Estensis.

Cæsarea, Mauritaniæ urbs, adde: Eam Bocchi Regiam facit

Solinus *cap.25. Cæsariensi colonia Cæsaria inest à D. Claudio deducta Bocchi prius Regia, postmodum Jubæ indulgentiâ populi Romani dono data*. Sed Jubæ Regiam fuisse, tradunt Plinius, Strabo, Pomponius, alii. Nec etiam Cæsarea data est Jubæ, verùm tota Mauritania, quæ priùs Bocchi fuerat, idque non à Populo Rom. sed ab Augusto Cæsare. Plinius *lib.5. cap.2. Namque diu Regum nomina obtinuere, ut Bogudiana appellaretur, itemque Bocchi, quæ nunc Cæsariensis*. A' *Cæsarea* viz. quæ toti provinciæ nomen dedit, postquam à Juba instaurata, *Cæsareæque* nomine accepto, sede ejus Regiâ nobilitatâ esset: cùm antea ignobile fuisset oppidum, *Jol* nomine, uti ex Mela discimus. V. quoque Strabonem *lib.17.* Coloniæ postea jure donata est à Claudio Cæs. deductis in eam veteranis: Salmasius *ad Solinum pag.309.*

Cæsarea Paneas, opp. Phœniciæ, alias *Πανεὰς* simpliciter. Stephanus, *Πανεὰς, πολίχνιον Φοινίκης: à Paniade*, Jordanis fonte ex geminis altero, qui in hac urbe oriebatur. Plinius *lib.5. cap.18.* de urbibus Decapolitanæ Syriæ, *Intercursant cinguntque has urbes Tetrarchiæ, regionum instar singulæ & in Regna contribuuntur, Trachonitis, Paneas in qua* Cæsarea *cum supradicto fonte, Abila, Arca, Ampeloessa, Gerbe.* Nomen *Cæsareæ*, ei Philippus Tetrarcha, in honorem Cæsaris, imposuit, postquam eam restaurasset: hanc enim illi Herodes Magnus reliquerat, cum Trachonitide, Batanea & Auranitide, ut illas nomine *Tetrarchiæ* haberet. Unde & *Cæsarea Philippi* dicta est &c. V. Josephum *Antiqq. lib.15. cap.13.* Salmasium *ad Solinum pag.575. & seqq.* ut & in voce *Cæsarea Philippi*.

Cæsarea Insignia, ab Imperatoriis distincta, qualia fuerint, ex parte vidimus suprà. Et alia quædam addam, *Cæsares* diademate usos fuisse, negat Vir doctissimus; & nummi sunt, in quibus nudâ fasciâ aut tæniâ caput cinguntur, ut Constantinus Jun. in eo, qui inscriptionem præfert, PRINCIPI JUVENTUTIS. At in aliis coronâ radiatâ cincti & ii visuntur, ut Constantinus Chlorus in compluribus, præterea Licinius Jun. in altero, cui inscriptum, VIRTUS EXERCIT. & Constantius Constantini M. filius in aureo, cujus aversa pars typo caret. Denique Juliani *Cæsaris* caput, eodem, quo is postmodum Imperator usus est, diademate, duplici sc. margaritarum lineâ, cum lapillo ad frontem grandiori, exornatum exhibet ejusdem votorum Quinquennalium nummus. Idem evincit nummus Constantini M. à Tristano & Gretsero descriptus, in quo Crispus & Constantinus Jun. filii, cum gemmato diademate repræsentantur. Sed & diadema *Cæsaribus* tribuunt Zonaras, Theophanes, Manasses, Glycas, alii, ut observatum Carolo du Fresne *ad Joinvill* ubi de Imperatorum ac Regum coronis, accurate multa congessit. Idem firmat præterea Eusebius *de Vita Constantini lib.1. cap.8.* Nam quod ex Scriptoribus aliis diadema soli Augusto fastigio vindicatur, id verum omnino: cùm in Augustis Imperatoriæ, in *Cæsaribus* Cæsareæ dignitatis Symbolum haberetur. V. eundem du Fresne *Dissertat. de infer. ævi Numism.* ubi *Cæsareæ* dignitatis, ab Imperatorio apice divisæ primordia arcessit, à principatu Trajani, a quo cùm Hadrianus adscitus esset ad imperium, *divisa nomina Cæsarum* atque *Augusti* ex Aur. Victore, quod & Salmasius facit *ad Histor. Aug.* Ibidem de *Cæsareis* insignibus plura.

Cæsareanum Nomen, apud Jul. Capitolinum *in Clodio Albino*, quid sit, V. supra in *Cæsar.*

Cæsariani & *Cæsarienses*, dicuntur Officiales Procuratoris Cæsaris, qui & *Catholiciani*, *l. prohibitum & l. defens. C. de jure Fisc. lib.10. & l. penult. fin. C. de bonis proscr.* Rationes illi fiscales tractabant & bona ad Principem devoluta, velut vacantia, occupabant. V. titulum *de Cæsarianis Cod. Theodos. lib.7.* & Arrianum *in Epictetum lib.3. cap.24.* Cujacius hinc deductam vocem Gallicam *Sergent* & Germ. *Scharjanthen* deducit *ad l.7. Cod. de Jure Fisci.* V. Joh. Calvinum *Lexic. Jurid.* & Car. du Fresne in *Glossar.*

Cæsariati equis Numidæ, memorantur Tertulliano *de Pallio cap.4. Unde apud aliquos Numidas, etiam equis* cæsariatos, *juxta cutem tonsor & culturi vertex solus immunis*; Ubi Carthaginenses alloquens, dicere vult; Unde apud nos, qui vicini Numidis, & pæne Numidæ estis, juxta cutem tondendi mos inolevit, cùm Numidæ vicini vestri, non tantùm naturalem cæsariem alant, sed etiam alienâ *Cæsarie*, equinis nimirum jubis, caput ornare soleant. Non itaque hæc verba sic accipienda, ut Numidæ non suam tantùm, sed etiam equorum cæsariem aluisse dicantur: Nam neque *Cæsaries* de equis dicitur, nec si diceretur, soli Numidæ illam nutriissent, sed & illi Græci quoque, quorum tonsuram hic Carthaginensibus exprobrat Tertullianus. Nempe, cum Græci elegantiores strictim tonderentur: Numidæ contraria omnia sequuti, non solùm capita sua non tondebant, nec strictim, nec per pectinem, sed etiam præter naturalem cæsariem, equinas caudas, quasi alteram cæsariem, in capite gestabant. Hoc est, quod Scriptor hic ait. *Numidas equis cæsariatos esse*, equinis sc. jubis aut caudis cristatos. Poeta,

—— *cristaque hirsutus equinâ.*

Ἱππουρις Græci hujusmodi cristam vocant. Fecerunt autem id Numidæ, utpote militares: militare enim Cæsariem alere. Unde, cùm ingenui & palæstrici adolescentes *comâ circumtonsâ*, seu *cum capillatura in orbem tonsâ, ad instar coronæ*, quam *στεφάνην*, item *περίτροχον* Græci vocabant, introducerentur in Comœdia: Milites *cæsariati* erant, ut colligere est ex Plauti *Milite glorioso*. Hinc *ἱπποκόμοι* appellati, quòd longam comam quærerent, Poll. V. Salmasium *Not. ad l.*

Cæsariensis Colonia, Jubæ olim Regia fuit, uti suprà vidimus. Hinc toti provinciæ, seu Mauritaniæ interiori, quæ olim sub Boccho fuerat, nomen: quæ *Cæsariensis* absolutè vocatur Solino *cap.32. Deinde in Cæsariensis pede* (Nilus) *prorumpens amplior, eadem indicia præfert* &c. ubi *pedem* pro tractu vel limite posuit. V. in voce *Mauritania*.

Cæsaries, Græcè *κόμη κουρίμη*, à *cædendo*, hinc de viris tantùm; & quidem de capite præcipuè. Hanc Deo devovendi ritus, occurrit inter Naziræatus Leges, Numerorum *cap.6. versu 5. Omnibus diebus voti Naziræatus sui novacula ne transito super caput ejus* (Naziræi) *usque dum compleantur dies illi* —— *sanctus esto, sinendo crescere comam, capillos capitis sui.* Quod tantâ religione observatum, ut nec unicum quidem pilum abradere vel evellere fas foret, nisi tempore voti peracto. Quo facto attondebantur oblatoque sacrificio, votivam *Cæsariem*, tanquam rem sacram, in peculiari Templi conclavi concremabant. Durabat autem votum fere ad certum tempus: quod si expressum non foret, menstruum erat, uti Judæi colligunt, ex Numerorum *cap.6. versu 5.* Alia ratio nativorum fuit Naziræorum, inter quales Simson primus erat, unus ex ultimis Israelitarum Judicibus, Judic. *cap.13. versu 7.* cui proin *Cæsaries* in immensum crevit, ut in septem crines seu sertas distingui necesse habuerit, *cincinni* dicuntur Judic. *cap.16. versu 13. Qui dixit ei, si attexueris septem cincinnos capitis mei ad jugum textoris: & versu 19. accersivit quendam* (Delila) *ut abraderet septem cincinnos capitis ejus.* Sed *sertas* propriè fuisse crinesque plexos, docet Burmannus: cujusmodi *πλοκάμοι* Naziræorum cæsaries habuisse videtur, ut & coma Absolonis, de qua videre est 2. Sam. *cap.18. versu 9.* Quemadmodum *senis crinibus ornatas olim matronas*, apud Festum legimus, h. e. senis comarum ordinibus in funes vel sertas nexis: qui vetustissimus earum ornatus fuit. Nempe cùm mulieri ornamento sit coma promissa, viro dedecori, muliebri modo capillos promittere jubebantur Naziræi, ad majorem sui humiliationem & abnegationem, uti docet Franc. Burmannus *ad locum Numerorum cit.* Quod vero modo de *Cæsarie* Simsonis dictum, in qua symbolicè inexpugnabile ejus robur consistebat, id, ut plura è Sacris alia, Fabula ad Nisum transtulit Megarensium Regem, de quo Ovidius, *Met. lib.8.*

—— —— *cui splendidus ostro*
Crinis inhærebat magni fiducia Regni.

Et paulo pòst,

—— —— *fatali nata Parentem*
Crine suum spoliat.

Ubi *fatalem* vocat, quòd urbis regnique fata in eo consistere crederentur &c. Sed & de barba vox occurrit apud Statium *Thebaid. lib.2. versu 96.*

Tiresiæ vultus vocemque & vellera nota
Induitur, mansere comæ propexaque mento
Cæsaries.

Et Ovidium de Æsculapio, *Metamorph. lib.15.*

Cùm Deus in somnis Opifer consistere visus
Cæsariem *longæ dextrâ deducere barbæ,*
Et placido tales emittere pectore voces.

Utrumque junxit idem Statius *Thebaid. lib.6.*

At genitor —— —— ——
Injicit ipse rogis tergoque & pectore fusam
Cæsariem *ferro minuit, sectisque jacentis*
Obnubit tenuja ora comis.

Ubi ritum indigitat cædendi & funeri imponendi capillos, iisque os inprimis obnubendi, de quo ubertim scripsere, Kirchmannus *lib.2. cap.15.* J. Gevartius *ad Silvas pag.235.* Jo. Wowerius *ad Petronium pag.456.* Delrius *ad Senecæ Hippolytum versu 1177.* Passeratius *ad Propertium lib.1. Eleg.17.* Alii. V. quoque hic passim in vocibus *Cæsariati, Capilli, Coma, Crinis, Funus* &c.

Cæsaris Aræ, *Καίσαρος βωμοί*, ad Tanaim Sarmaticum locus, memoratus Ptolomæo, de quo V. Salmasium *ad Solinum pag.790.*

Cæsarissa, Græcis recentioribus dicta est Cæsaris uxor: sicut *Sebastocratissa*, uxor Sebastocratoris & *Panhypersebastissa*, uxor Panhypersebasti, V. Macrum in voce *Sebastocrator*.

Cæsim, quæ fit pugna, *ἡ ἐκ καταφορᾶς μάχη*, Polybio dicitur *lib.17.* de Romanis, *τῇ μαχαίρᾳ δ' ἐκ καταφορᾶς —— ποιοῦνται τὴν μάχην*: sicut quæ punctim fit, *ἡ ἐκ διαιρέσεως*, *Ibid.* Eo quòd ex alto deferatur ensis, cùm cæsim ferire adversarium cupimus. Eadem *διάγωσις*, quòd brachium in diversum pandatur & attollatur, ad ictum hoc modo infligendum &c. Salmasius *ad Solinum pag.1071.*

Cæstiphori, species Pugilum: sic enim vel pugno, vel *cæstibus* pugnare erant soliti. Fuit autem *Cæstus* (à *cædendo* dictus) clava plumbeas pilas loris bubulis appensas habens, sed & laminæ nonnunquam ferreæ aut annuli connexi erant, quibus utrumque vel alterutrum brachium armabatur. Propertius *lib.3. El.13.*

Nunc ligat ad Cæstum *gaudentia brachia loris.*

V. Anton. Thysium JC. *Not. ad Gell. l.3. c.15.* Mercurialis, laminæ erant

erant [illegible] manibus alligatæ, quibus verò alligabantur, erant lora quædam punctis interstincta, quę manibus & brachiis circumcirca alligabantur, ut non modò pondere aliquo & crassitie, verum etiam soliditate *cæstibus* certantes seipsos ferirent. Unde colligitur duum fuisse generum, ita ut vel clavam referrent, quæ plumbeas pilas loris appensas habebat; vel laminæ ferreæ insutæ loris essent. Virgilius *Æn. l.* 4.

Terga boum plumbo insuto ferroque rigebant.

Grave admodum pugnæ genus: unde Servius, *Erat*, inquit, *durum certamen cæstuum, raroque sine cæde committebatur. Nam ex ferro erant, & ut habilius facilius que manibus gererentur, pendebant ab illis lora, quibus non solùm manus, sed brachia humerique alligabantur, ut etiam revinctis digitis palmæ tamen hærerent.* Imò sævissimum aliquando erat spectaculum, cùm cerebrum & guttur ex facili elideret. Interim non parum eo delectatos Athletas, hinc conjicimus: tum quia maximè Populo hujusmodi pugna placebat, tum, quia gloriam & præmia ex ea Populi voluptate in Amphitheatris & Sacrificiis sibi comparabant. Ut verò eo tutiores essent ad ictus, ἀμφωτίδας, seu *aurium munimenta* inducebant: namque aures non rarò decussas, ex Anthologia liquet. Utroque autem nonnunquam brachio armabantur. Virgil. *de Entello*,

Nunc dextrâ geminans ictus, nunc ille sinistrâ.

Nec Viri solum, quos in Gymnasiis quoque exerceri solitos, testatum facit Propertius, sed & in palæstris Spartanorum, puellæ quoque hoc genere pugnæ exercebantur, ut videre est apud eum *l. c.* Clarum fuisse *cæstibus* Amycum Bebryciorum R. Neptuni filium, à Polluce occisum, legimus apud Valerium Flaccum *Argonaut. lib.* 4.

Sparta Terapnæas pugilem cum Gymnade pinguem
Strictum Bebryciis Amycum suspexit arenis.

Virgilius Daretem & Entellum, *cæstu* pugnantes graphicè depingit, *lib.* 5. Ovidius Brotheæ ac Ammonis peritiam laudibus extollit, *Metamorph. lib.* 5. &c. Plutarchus autem narrat Lycurgum ea certaminum genera sustulisse, in quibus χεὶρ ἀνατείνεται, *manus ad feriendum attollitur*; quòd hujusmodi exercitia frangant potiùs ac debilitent, quam foveant corpora. Pugilum verò istiusmodi, nec non *cæstuum* ipsorum, varias icones exhibet Hieronym. Mercurialis, uti ipsas vel ex sepulchrorum vel ex gemmarum antiquarum sculpturis desumtas ipsi dederat Pyrrhus Ligorius, *de Arte Gymnast. libr.* 2. *cap.* 9. Vide quoque Onuphrium *de Ludis Circens. lib.* 2. *cap.* 2. Ald. Manutium *de Quæsit. per Epist. lib.* 1. *c.* 8. & Hadr. Turnebum *lib.* 15. *cap.* 4.

Cagan, adde: Gregorius Turonensis *Histor. lib.* 4. *cap.* 28. *Sed & Rex Chunnorum, vocabatur autem* Caganus: *omnes enim Reges gentis illius hoc appellantur nomine*: Occurrit vox passim, apud Sigebertum *A. C.* 520. Paulum Diaconum, Theophanem, Zonaram, Cedrenum, aliosque Scriptores Byzantinos. *Cacanum* vocat Paulus Warnefridus *de Gestis Longobard. lib.* 4. *cap.* 39. Qua dignitate Russorum seu Moscorum Principes quoque donatos esse, testantur *Annales* Francorum. Neque alterius originis est vox *Chan* vel *Can*, qua Tartari Principes suos indigitant, *Imperatorem ac Regem* sonante, ut auctor est Vincentius Bellovac. *lib.* 32. *capp.* 10. & 32. Vide infrà in voce *Can*, item in *Canis.* Facit huc etiam Serviæ olim Principis appellatio ac nomenclatura, qui *Knes* appellabatur seu μέγας Κνέζης vel Κνέζης πάσης Σερβίας, *magnus Cnezis universæ Serviæ.* uti docet Goarus, post Codinum, *de Officiis Aulæ Constantinop.* Ubi *Knes* idem valet, ac *Dominus*, quæ vocis apud Slavos notio fuit. Ditmarus *lib.* 7. *Uxor autem ejus Beleknegini, id est, pulchra domina vocabatur.* Apud Cantacuzenum *lib.* 2. *cap.* 5. occurrit Ταμετζάνης Phrygiæ Princeps. V. Car. du Fresne in *Glossar.*

Cahaova, nomen apud Ægyptios potionis usu celebratissimæ, quam Persæ *Cahvve*, Europæi *Coffe* seu *Caffe* vocant; de qua sic Prosper Alpinus *de Medicin. Ægyptior. lib.* 4. *cap.* 3. *Apud Ægyptios, in frequentissimo usu est decoctum* Chaova *appellatum. Hoc ex seminibus nigris, fabas imitantibus, consueverunt duobus modis parare: Alii decoctum faciunt ex seminum tunicis sive folliculis, alii ex seminum substantia, quod ex folliculis paratur, efficacius prædicant. Semen hoc Bon vocant, arborem illud ferentem vidi in quodam Turcæ Beii viridario, ex Arabia delatam, quæ evonymo maximè similis erat. Cùm ergo animadvertissem, mulieres, quibus menses fluere cœperint, ad se juvandas de eo calidiori semper paulatim multum sorbillare — experientiâ edoctus — didici, hoc genus remedii pro evocandis menstruis ab uteri obstructis venis, præstantissimum esse &c.* Post, *Ægyptii parant hoc decoctum tali modo: Sumunt nucleorum seminum à folliculis mundatorum libram unam & dimidiam, parùm igne torrefaciunt & in aquæ libris* 10. *ad medietatis consumtionem coquunt, colatumque decoctum in fictilibus vasis undique clausis asservant. Eodem modo, sed in minore quantitate, parant decoctum ex seminum folliculis — quod stomacho summopere conducit, quod Ægyptii valdè calidum jejuni paulatim sorbent: Uti nostrum multi in œnopoliis vino indulgent, sic illi hoc decocto delectantur.* Ab Ægyptiis transtulit ejus usum luxuria ad alias gentes, vicinas primò, inde remotiores, hodieque vix ulla in Europa celebrior [illegible]io est, in quo usus ejus ignoretur: Belgis inprimis, Danis, Suecis, Anglisque familiaris. In Gallia similiter Parisiis tabernæ sunt ejus confectioni potationique destinatæ, cum elogio eximio publicè affixo, quod vide apud Bernhard. Verzascham Senatorem ac Archiatrum Basil. *Herbar. lib.* 4. *capite* 156. ubi & modum decocti hujus faciendi, in Germania usitatum, cum icone arboris *Bon* (cujus patriam Arabiam Desertam faciunt) & instrumenti ferrei, quo illud paratur ad ignem, exhibet: Ibidem de usu abusuque ejus varia. Vide quoque Olaum Wormium *in Musæo pag.* 189. Val. Andr. Mollenbroccium *de Arthrit. vaga scorbut. cap.* 3. Simonem Pauli *Commentar. de abusu Tabaci & herbæ Thee*, Laur. Straussium, Alios: de consimili verò Sinensium potu infrà, in voce *Cha.*

Caja, vetus verbum, quod fustem aut baculum significat: unde *cajare* pro *verberare.* Fulgentius *de Virgil. contin. In septimo verò Cajeta sepulta nutrice, id est, Magistriani timoris projecta gravedine: unde Cajeta dicta est, quasi coactrix ætatis. Nam & apud antiquos cajatio erat puerilis cædes.* Unde Plautus *in Comœdia Cistellaria* ait:

Quid tu amicam times, ne te manuleâ cajet, &c.

V. Salmasium *Not. ad Pollionem in Claudio.*

Cajani, Hæretici inter alia Resurrectionem negantes. V. Epiphanium *Hær.* 18.

Cajanus Assis, apud Papinium Statium *lib.* 4. *Sylv.* 9. cujus lemma, *Risus Saturnalitius, ad Plotium*,

Sed Bruti senis oscitationes
De capsa miseri libelliónis
Emtum plus minus asse Caiano
Donas?

est *unus assis* Turnebo, quales intervenire solebant nuptialibus coëmptionibus; uno ex tribus à muliere Sponso tradito: quam rem docet Nonius in voce *Nubentes. Cajanus* autem, quia *Cajus* & *Caja* boni ominis gratiâ, nupti novi dicebantur. Vide eum *Adversar. lib.* 30. *cap.* 32. Joann. item Bernartium *ad hos versus*, ut & Theod. Marcilium *ad LL. XII. Tabb. cap.* 14. Barthius verò, *Cajanum* interpretatur vilissimum, ab avaro & desperato penè Principe utique etiam assibus demto pondere, ut viliores essent cæteris, cum perditâ sua prodigalitate tantam pecuniam Caligula pessum dedisset. A qua sententia non abhorrebit, qui *Vitam* hujus portenti apud Suetonium *cap.* 37. legerit. Vilissimus certè *assis* omnium *Cajanus* hic dicitur: neque facilè ab alio [illegible] ortum tam exiguæ monetæ detrimentum comperies. Vide Casp. Barthium *Animadversion. ad Statium Lib.* 1. *pag.* 418.

Caicandros Insul. apud Arrianum in Nearchi navigatione, contra Persidem, [illegible] ὄνομα τῇ νήσῳ Καΐκανδρος: in sinu Persico, Persidi adjacet; deserta, 50. m. p. è qua Occidentem versùs perveniri, in In[illegible] nomine *Tyndin*, quæstuosam margaritarum piscatione, tradit Plinius. Sed Tyndin unum fuisse ex emporiis Limyricæ Indorum regionis, docet Salmasius; at classis Alexandri, Nearcho, & Onesicrito præfectis ejus auctoribus, *Caicandron* insulam in cursu suo offendit, quum è Carmaniæ ora in Persidem transisset. Vide eum *ad Solinum pag.* 1190.

Cain, adde: Hic, ut de Idololatria taceam, illam inprimis Philosophiæ partem, quæ in civili vita consistit, corruptum ivit; sicque Philosophia in duas scissa est sectas, filiorum Dei & hominum, ut Gen. *cap.* 6. vocantur, sive familiam Sethi & *Caini*: in quarum hac errores brevi in immensum creverunt. Qualis autem *Cainitarum* Philosophia fuerit, nemo melius expressit, Judâ *Epist. vers.* 10. & 11. audacissimæ inscitiæ & bruti stuporis reos illos peragens. Rationem igitur corruptam principii habuere loco, cum qua quod minus consentire videbatur, audacissimè exploserunt: Cœtera φυσικῶς cognoscentes, ad curam & voluptatem, velut bruta ventri obedientia, retulerunt. Quæ brevi tempore tanta incrementa sumsit, pertractis per vetitos hymenæos in sectam suam etiam illis, qui filiorum Dei elogio insignes erant, ut, paucissimis exceptis, totus mundus in errore illo jaceret, quem diu pòst Epicurus in lucem denuo produxit: *Deum nempe mortalia non curare, nec irâ tangi, nec peccatis aut gratiâ affici.* Unde admonitionem de diluvio sprevere, Gen. 6. *v.* 16, 26, 27. 2. Pet. 3. *v.* 20. בני אלהים enim sunt qui ex Adami & Sethi schola profecti, veram Philosophiam habebant. Sic dicti, quòd potentes & excellentes viri propter Sapientiam haberentur: Quales divinitatis alicujus opinionem semper affectarunt. Talium è *Caini* schola, tanquam ex equo Trojano, innumeri prodiere, quos גברים נפלים אנשי השם Moses *cap.* 6. vocat, & ab his, ut videtur, omnis Deorum suppullulavit turba. Inde dicti Semones, inde Kabiri, Magi, Incantatores, Necromantici &c. Vide Georg. Hornium *Philos. Histor. lib.* 1. *cap.* 9.

Cainani, Vide *Cainitæ.*

Cais Mais, in Malajo dicitur deterior casiæ species, teste Garciâ, qui vocem *lignum dulce* significare ait; In Malabaria *Canuæ* appellatur: à quibus vocabulis non longè abludit Hebr. קָנָם *Chanam*, unde *cinnamum.* Hinc sunt, qui vocem Hebræam, modò cinnamomum, modò *canellam* sive *casiam* interpretantur: Cùm tamen canella casia, fistula sit in totum diversa à Vett. cinnamomo, quippe cortex existens merus, cùm cinnamomum surculus esset. Qua de re vide Salmasium *ad Solinum pag.* 1303. & infrà ubi de *Casia* ac *Cinnamo.*

Caisandros, Inf. deferta, in finu Perfico, apud Plin. Vide fuprà *Caicandros*.

Calacantha, Græcè καλακάνθη, inter herbas Chymicis, quæ luteo inficiunt: Ζωμὸς βαφικός ἐστι, καλακάνθη εἰργασμένη, *Calacantha præparata jus tinctorium efficit.* Lanas enim glaucii olim colore tinctas, luteas fuiffe certum. Unde *glaucina pallia* Martiali &c. Eft autem *Calacantha* idem cum *glaucio* Latinorum, quod vide: plura verò hanc in rem apud Salmafium *ad Solinum p.* 1164.

Calaica, apud Recentiores cum unico *l.* Vett. *Callaica*, quod vide.

Calamanci, apud mediæ Latinitatis Auctores, funt pilea rotunda, fine acumine feu apice (quo bardocucullí infignes erant) ad inftar hæmifphærii feu ovi divifi: cujufmodi formâ fuiffe pileum Sacerdotale Judæorum, tradit Ifidorus, *Pileum ex byffo rotundum, quafi fphæra media & in occipitio vittâ conftrictum. hoc Græci tiaram vocant, nonnulli galerum. Non habet acumen in fummo, fed galeam.* Ad quod inftar & Caftorum pilea erant: quæ *ovatas caffides* vocat Appulejus, quòd ἡμίτομον ovi repræfentarent &c. Græci recentiores Καμελαύκια dixere, quafi ἀπὸ τοῦ ἐλαύνειν τὸ καῦμα, *quòd æftum arcerent.* Vide infrà in voce *Camelaucium.*

Calamarium, in quo atramentum reponitur, ad *calamum* intingendum, Græcis ἐμβαφεῖον quoque, item μελανδόχον, hoc eft, *atramentale* feu *atramentarium*, recentioribus Latinis *Caniculum* dictum eft, diminutivâ formâ, à *Canum*, quod ex Græco κανοῦν & κανοῦν: quæ vox non caniftrum tantùm textum vimine notat, fed etiam τρύβλιον & μαγίδα. Unde *Caniclinus*, nomen officii in Aula Conftantinopolitana, de quo infrà. Vide quoque fuprà in voce *Atramentarium.*

Calamaules, Græcè Καλαμαύλης, idem quod μόναυλος, qui unicam tibiam inflabat. Tibiarum enim materia antiquitus, harundines, an prima fuerit, incertum: ex offibus enim hinnuleorum primam omnium à Minerva factam effe, funt qui tradant. Cœterùm apud Vett. tibia utplurimum ex harundine. Pollux certè, velut antiquiffimam materiam tibiarum, κάλαμον primo loco recenfet, ὁ εἰς ὕλη τῶν αὐλῶν κάλαμος, ἢ χαλκὸς, ἢ λωτὸς, ἢ πύξος. Unde κάλαμος, apud antiquos Scriptores Græcos, prò *tibia.* Pindarus, ὑπὸ καλάμοιο δὲ βοᾶ δίχα) , *cum tibiæ cantu excipiunt.* Ubi perperam interpretantur nonnulli, *fiftulæ*: hæc enim *calamus* non fuit, fed ex pluribus calamis compingebatur. *Epigramma,*

Οὐδὲ ποτε ἀτρύτοιο μέλος καλάμοιο χαρᾶι.

Et Scholiaftes Pindari miraculum cujufdam tibicinis refert, qui in agone, cùm excidiffent tibiales ligulæ, μόνοις ηὔλει τοῖς καλάμοις, *folis harundinibus cantum peregit.* Eft autem μόναυλος, fingularis tibia, ad differentiam τοῦ ζεύγους, cùm binæ fimul inflantur: cujus inventionem Plinius Pani, Pollux Ægyptiis, & quidem Ofiridi Athenæus, tribuunt. Eadem & κάλαμος quoque dicebatur. Appulejus de puero Critia Monaulo,

Quòd fi aulum infpires, dona & jam carmina noftra
Cedent victa tuo dulciloquo calamo

Unde καλαμαύλης. Marfyas poftea geminas tibias primus inflavit & fiftulam invenit ex pluribus *calamis* compactam, hinc prudentiffimus & folertiffimus, fuo feculo & apud fuos habitus, ut Diodorus refert. Euphorion apud Athenæum, τὴν πολυκάλαμον Σύριγγα Μαρσύας, τὴν κηρόδετον, εὗρε, *ex multis calamis compactam cerâ fiftulam invenit Marfyas.* Αὐλὸν ξύλου vocat Pollux fiftulam hanc, quæ ex multis calamis five cannis compacta, lino ligata erat & cerâ juncta, inventum Marfyæ, ut dictum, vel, ut aliis placet, Panis: At quæ operofiore curâ facta fuit, ea ex multis tibiis conjunctis ac difparibus conftabat. Errant proin, qui fiftulam hanc πολυκάλαμον, ex cicutis & avenis ftipulifque compactam exiftimant. Κάλαμοι enim in fiftula arundines funt & cannæ, unde δόνακες Græcis non rarò, Theocrito inprimis, Plutarcho & Theophrafto. Nec Græci Poëtæ κάλαμον de avena vel frumenti calamo dixere, fed καλάμην. Unde de indoctis bubulcis, qui, fiftulâ ex arundinibus compactâ canere nefcientes, ftipulâ ludebant, Theocritus καλάμην ufurpat:

—— ἤτιν σύ Κορύδων
Ἀγνεῖ τοι καλάμας αὐλὸν ποππύσδεν ὀχῆς.

quod Virgilius, ftridenti ftipulâ difperdere carmen vertit. Ῥαπατινάλαμ vulgò dicebantur, nam ῥάκατη eft καλάμη. Hefych. &c. Vide Salmafium *ad Solinum pag.* 117. & 832. Maxime verò τοιχομάλιον cecinifle *Calamaulas* feu Monaulos, refert Pollux. Vide quoque infrà paffim, inprimis in voce *Calamella.*

Calambac, Indis dicitur optima Aloë; an à Latina voce *Calamus*? Indicæ enim fere omnes fpecies nomina habuere ab Alexandrinis Romanifque Mercatoribus, illaque ab antiquo retinuere, parùm ad noftram ufque ætatem immutata. Certè Aloën *calamum aromaticum* interpretatus eft Nonnus.

Ἰνδῴης ἀλόης δεδαημένος ἔργον δμώος.

Sed aliud *Aloën* effe, aliud *calamum aromaticum* feu *odoratum*, conftat. Vide Salmafium *ad Solinum pag.* 1057. & hic ubi de *Aloë* ac *Calamo aromatico.*

Calamella, vel *us*, fiftulatorius calamus, quo in bellis etiamnum utuntur Helvetii. Jacobus Vitriacenfis *Hiftor. Orient. lib.* 3. & Oliver. Schol. *Volebant enim fibi facere nomen, cum tubis*, calamellis, *& fignis multis progreffi.* A *calamus*, Gall. *chalumeau* hodie, olim *chalemelle.* Hinc *Calamellarius*, qui iftiufmodi tibiâ cantat, apud Ugutionem, qui *Calamaulis*, in *Notis* Tyronis *pag.* 173. καλαμαύλης Euftathio. V. Car. du Frefne *Gloffar.* & hic fuprà.

Calaminæ Infulæ. V. infrà *Saliares.*

Calamintha, feu Pulegium, Veteribus, ad redimienda vaforum colla, in ufu, memoratur Conftantio Cæf. *lib.* 6. *cap.* 14. V. infrà in voce *Crater.*

Calaminum Mel, apud veterem Auctorem, qui *Deferiptionem* Orbis fcripfit, fub Conftantino, ubi de Seribus & vicinis aliis gentibus: *Prædictæ autem gentes vivunt pomis, & piper & mella calamina: panem enim celeftem cotidianum accipiunt*: Græcis μέλι καλάμινον, & ἅλας Ἰνδικὸν, dentibus friabile, ac idem eft cum faccharo *Mambu*, feu faccharo Vett. de cujus origine diverfum fenfere Auctores. Pro mannæ enim genere illud accepiffe videtur prætatus Auctor cum Veterum plerifque, unde dicit populos illos, apud quos hæc mella reperiuntur, *panem quotidianum celeftem accipere*, quod de manna intelligendum cœli decidua. At Salmafius pro comperto ac certo hodie haberi ait, ex ipfa harundine Mambu, generari hoc mel & aliud effe à manna. Certè Græci quoque recentiores hoc faccharum μέλιτος Ἰνδικοῦ καλάμου vocantes, mannam vulgarem diftinguunt à manna Indicæ arundinis. Et Theophraftus in *Fragm. de Melle*, quod apud Photium extat, tria genera mellis facit & triplicem generationem: *quam apes conftituunt, quæ ex aere cadit*, (& manna eft liquida recentiorum) ἄλλο δὲ, pergit, ἐν τοῖς καλάμοις, *alia autem, quæ in harundinibus concrefcit*, quæ tertia generatio mellis de *Calamino melle* feu faccharo Antiquorum accipienda. A *calamis* itaque nomen habet, qui in tantam crefcunt amplitudinem, ut fingula internodia fiffa lembunculum trium hominum capacem facilè efficiant &c. Vide Salmafium *ad Solinum pag.* 1199. & infrà paffim, inprimis ubi de *Sacchoro.*

Calamiftrum, ex Græco καλαμίσκιον, quafi *parva fiftula*, ferrum erat fiftulæ inftar cavum, cui manubrium ligneum immittebatur, ut teneri poffet, dum calidum effet, torquendis vibrandifque capillis olim adhibitum. Virgilius, *Æn. lib.* 12.

Vibratos calido ferro.

Quod proin cum acu crinali malè confundunt Grammatici, ut quæ aurea fuit & diftinguendis continendifque capillis infervit. Martialis, in *Epigr.* cujus lemma, *Acus aurea*,

Tenvia non madidi violent bombycina crines,
Figat acus fparfas, fuftineatque comas.

Sed & à *difcerniculo* illud Varro feparat, *Calamiftri*, inquiens, *quòd his calefactis in cinere capillus ornatur. Difcerniculum, quo difcernitur capillus.* Nec in *calamiftro* acumen ullius ufus, at acus revera acus, h. e. *acuta* erat. Vocat quidem calamiftrum *acum majorem* Servius, *quæ calefacta & adhibita intorquet capillos.* Sed propterea, quia calamiftrum non minùs, ac acum crinalem, comendis capillis mulieres adhibebant, & crinalem interdum vice calamiftri ufurpabant. Græcè καλαμὶς, item σύριγξ. Hefychius tamen καλαμὶς, κοσμάριόν τι περὶ τὰς πλοκάμους, *genus ornamenti circa crines*, & περιτραχήλιον χρυσοῦν, *collare aureum*, effe dicens, à calamiftro diftinguit. Phrygum autem proprium & effœminatarum gentium, quibus proin hoc probrum paffim objectum, *crines* gerere implexos & calamiftro intortos. Celtæ, Scythæ, Germani aliter, quos cæfariem, fimpliciffimâ ratione, in nodum fubftrinxiffe, ex Martiali difcimus. Vide infrà in voce *Nodi Rheni*, & plura hanc in rem apud Salmafium *ad Solinum pag.* 761.

Calamites Styrax feu Storax, dictus eft Græcis, non quòd arundinibus reconditus haberetur, ne expiraret, ut quidam volunt; ftorax enim diutiffimè odorem fervat, nec fecus ac myrrha & alia gummium odoratorum genera, in maffa afferebatur, & in pellibus hircinis ac faccis: fed quòd lignum arboris ejus omne à vermibus intus eroderetur, ficque illa exefa ad inftar arundinis redderetur, folâ fuperficie exteriore relictâ, ut dilertè de ftyracis arbore tradit Strabo *lib.* 12. Exefo itaque ligno, prima pars fucci, quæ inde manabat, (cobe mixta circa arboris radicem adcumulabatur, quam quòd abundanter efflueret, & ξύλου emanaret; *clymatiam ftyraca* vocarunt. Exinanitâ verò jam arbore, & omni exhauftâ fcobe cum plurimo fucco, lacryma, quæ deinde manabat, purior & defæcatior, more gummi concrefcens, καλαμίτης στύραξ vocabatur, ob caufam prædictam, quòd via ex arbore in modum harundinis cavatâ profluxiffet. Atque hic, ut præftantiffimus, ita rariffimus. Quò facit, quòd Ifidorus optimum ftoracem haberi dicit, qui *calamis* & virgis adhæferit, eumque ideo *calamitem* appellari: Nempe virgæ ftyracis non fuapte naturâ calamitinftar habent, fed per accidens, ut & in cafia fiftulæ. Quippe erofo intus ligno & fcobe egefta cum ipfo liquore, virgæ exenteratæ harundini fimiles funt: gutta vero, quæ poftea egeritur, calamis illis adhærefcit, & puriffimus mundiffimufque ftyrax eft. Unde Galenus, optimum ftoracem è Pamphylia in *calamis* afferri folitum, docet Albidus autem is, & inftar gummi pellucidus &c. Salmafius *ad Solinum pag.* 542. Vide quoque infrà in voce *Styrax.*

Calamus, ex Græco κάλαμος, & *arundinem* fignificat & *ftipulam* five avenam, h. e. τὴν τοῦ σίτου καλάμην. In fiftula tamen pro avena aut ftipula non accipitur optimis & antiquiffimis Scriptoribus ac Poëtis, fed *arundinem* aut cannam fignificat. Unde & δόνακας Græci vocant. Theocritus,

Ad fyrin

Ἀνδρὸς ὁ λεπτὸς ... , ὁ καλῇ ... καλάμοις,
Βουκόλικες ... ,
Τὰς ... δόνακας, τὰ λαγωβόλον —

ubi intellige fistulam ex pectusis arundinibus compactam. Græcus Poëta apud Plutarchum, ὁ τῶν βουκόλων ... &c. Et Theophrastus hinc συριγγίαν genus arundinis dictum tradit, quòd fistulis faciendis utilis esset. At stipulam, quâ indocti bubulci, fistulâ canere nescientes, ludebant, καλάμην idem Theocritus vocat, ut suprà vidimus in voce *Calamaules*: aliàs *καλαμῖτιν* vocatam, unde Ῥακατιαύλας vulgò dicebantur. Sed & aliàs κάλαμος fere semper, pro arundine. Sic κάλαμοι ἱερατικοὶ, sunt arundines vel calami: κάλαμοι ad scribendum, ex arundine: καλάμους quoque de tibiis dixere, quæ ex arundine utique olim fiebant. Hinc καλάμων βοὰ Pindaro, *tibiæ cantus*; & πολύτρητοι κάλαμοι, in Epigramm. *multiforatiles tibiæ*, & καλαμαυλὸς, de qua voce suprà diximus, &c. Sed & κάλαμος, *lyræ crepitaculum* est, cui chordæ adnectuntur, quodque sonum edit, δόναξ vocatum quoq; Græcis: Hesychius, δόνακα ... κάλαμος ... ... Unde lapillus, qui in alveo aëtitis movetur ac sonat, Latinis *calamus*, Græcis δόναξ etiam, appellatus est. Vide Salmasium *ad Solinum pag.* 714. Porro & κάλαμοι, virgæ dictæ sunt ac surculi, quibus hærebant malabathri folia, πίτες etiam dicti: item quibus storax adhærescens afferebatur, uti vidimus suprà in vocibus, *Betre* & *Calamites styrax*. Mensuræ tandem genus, κάλαμος dictum, Regiorum X. pedum sive Philetæriorum, Italicorum verò XII. cujus mentio apud Ezechielem Proph. Græci certè, ut Hero, & alii, qui Latina etiam nomina in ejusmodi mensuris recensendis explicant, nullum mensuræ genus habent X. pedum, præter κάλαμον: & Hero quidem dicit, Ægyptios τοῖς ... καλάμῳ ... , ut va sua metiri solitos &c. apud Eund. *pag.* 683. Plura vide apud Plinium *lib.* 16. *cap.* 36. & 37.

Calamus Aromaticus, cujus mentio Jerem. *cap.* 6. *vers.* 20. Salmasio non nisi Indicus est, quem ideo *Arabicum* ac *Syriacum* nonnullis dici vult, quia ex India in Arabiam & Syriam advehebatur. Sed solum in India crevisse fal um, cùm Mosis ævo Judæis jam fuerit notus, ejusque adeò mentio fiat Exodi *cap.* 30. *vers.* 23. Neque verisimile est, Indiam Judæis aut vicinis gentibus jam fuisse tum apertam. Unde non fine ratione in Arabiæ parte aromatifera illum quoque provenire censet Bochartus: quam Dionysius Periegetes *versu* 937. odorem exhalare scribit,

Ἠ' ... , ἠ' ... καλάμοιο,
Aut thuris aut myrrhæ aut odorati calami.

De qua proin Festus Avienus,

— — — — *Hic ladani vim*
Vellera defundunt, calami coma pullulat almi.

Et Priscianus,

Namque thyo myrrhaque viget, cum thuris odore,
Et casia, nec non & cannæ dulcis odore.

Ac propterea *calamum* odoratum *Arabicum* vocat Plut. *in libr. Quòd bruta ratione utantur*, &c. Vide eundem Bochartum *Hierozoic. Part. prior. lib. V. cap.* 6 Latinis *Odoratus calamus* dictus est. Solinus *cap* 52. *Mittit India calamos odoratos, & multa alia mirifici spiritus suavitate grata.* Reverà enim grati ac flagrantis odoris fuit, unde τοῖς θυμιάμασι ... , *suffimentis suaveolentiæ ergò*, misceri consuevisse, ait Dioscorides. At recens talis, quemadmodum juncus; utriusque verò odorem citò expirare ac evanescere, quum alia pleraque aromata inveterata ac servata flagrantiùs ac suaviùs oleant, tradit Theophrastus. Odoratissimum in Syria nasci, in modica convalle, quæ inter Libanum patet & alium monticulum, habes apud eundem. Porro *Alexandrinus* idem appellatus est Celso, qu a ab Alexandria Romam adferebatur, cum cæteris Orientis aromatibus. Nonnulli & ἐρυθραῖον, quòd *ruber esset*, dictum volunt Dionysio *Rebus Indiæ*; sed ἐρυθραῖος is longè alius ab odorato. Inter res enim edules illi Erythræus est,

Ἄλλοθι μὲν γὰρ κέγχρος ἀέξεται, ἄλλοθι δ' αὖτε
Ὕλης τηλεθόωσι Ἐρυθραίου ... κάλαμοι.
Alibi enim (in India) milium provenit, alibi verò
Sylvæ surgunt Erythræi calami.

Radix sc. cui apta, propter eximiam ac melleam suavitatem, ipse verò in proceritatem non modicam surgebat: quod cum odorato calamo non convenit, qui minutus fuit, & parvæ harundini similis, λεπτὸς hinc vocitatus Anonymo de *Vita* Alexandri. Calamum ergo Indicum Dionysius intelligit ab odorato diversum, quem *Erythræum* vocat, quòd ad ripas Indici vel rubri maris nasceretur. Probitionem porro optimi *Calami Aromatici* Dioscorides his verbis complectitur, εἰς πολλὰς σχινδαλμοὺς ... , ... *qui in multas assulas frangitur, quique intus fistulam habet, velut aranearum telis refertam.* Concavus namque est, & fistulam habet tenuibus membranulis intus conseptam, sicut reliquæ arundines: quas membranas is ἀράχνια vocat, ob similitudinem. Præstantissimum ergo videri ait, qui non inanis prorsus intus sit, sed membranulas ἀραχνώδεις habeat, &c. Quam in rem vide plura apud præfatum Salmasium *ad Solinum passim*, imprimis *pag.* 1049. *& seqq.* ubi, inter alia, *Calamum officinarum*, non esse legitimum antiquorum κάλαμον ἀρωματικὸν, sed Acorum potius, docet.

Calamus Aucupatorius, Græcè κάλαμος ἰξευτικὸς, memoratur Propertio *lib.* 2. *Eleg.* 13.

Hæc igitur mihi si lepores audacia molles
Excipere & structo figere avem calamo.

Ubi *structum calamum*, vocat *crescentem arundinem*, uti aliàs hæc venatio appellabatur. In aucupio enim, quod calamis peragebatur, harundo ad harundinem sic adtexi jungique consueverat, ut sensim cresceret, donec alitis ejus, quæ captabatur, alas viscum tangeret. Martialis sub lemmate, *Calamus aucupatorius*,

Non tantùm calamis, sed cantu vincitur ales,
Callida dum tacitâ crescit arundo manu.

Σύνθετοι καλάμοι vocat vetus Epigramma, h. e. *structuram calamorum*, apud Salmasium, item καλαμίδα ἰξοφόρον,

Εἴτε σύ γ' ὄρνι Φαῖβε ... καλαμίδα ...
Ἰξῷ ἀγρεύσσειας , ... λαγωπτῶνας·
Πᾶσα κύλει , ... Πᾶν ... ἴχνια ... ,
Σωῷ ... Πᾶν ... καλάμοις.

Ubi σύνθετοι καλάμοι est crescens harundo, quæ tacitâ manu ἀνάγεται & crescit, donec avem attingat. Ἀναγόμενος hinc δόναξ in alio *Epigramm.* Itidem *MS.* dicitur:

Ἀναγομένῳ Κεῖται ... δόναξ ... ,
Ἠέρος ... ἰξοβόλων μελέτην.

Petronius, *textis arundinibus aves captabamus* &c. Vide Salmasium *ad Solinum pag.* : 8. *&* 1087.

Calamus Auleticus, V. suprà *Auleticus*.

Calamus Dulcis, Græcis recentioribus γλυκυκάλαμος, quæ vox apud Myrepsum frequens; quibusdam est casia purgans, sed sine ratione. Hæc enim propriè arundo non est, nec adeò dulcis, ut nomen ex dulcedine compositum vindicare sibi velut proprium debeat. Potiùs sic dici posset arundo Indica seu Saccharina, de qua hodie saccharum conficitur & elicitur: sed nec hanc nomine illo denotari, constat. Quidam de Indica mannæ arundine vocem accipiunt, quam κάλαμον Ἰνδικὸν, apud Charitonem vocari, notum: & certè γλυκυκάλαμος & κάλαμος Ἰνδικὸς infimi ævi Græcis idem. At cæteri ferme omnes Græci in suis Lexicis γλυκυκάλαμον exponunt λωτὸν, & intelligunt fruticem Ægyptium, cui caulis instar calami geniculis carentis, ut & Fabæ Ægyptiæ, cui similis est, quam & ipsam *loton* quoque dictam, testatur Athenæus. Lotus certè ille dulcis est, hodieque tradunt, ejus caules ab Ægyptiis crudos mandi & dulces esse ac humidos, & proin per æstus sumtos valde refrigerando esse & humectando. Sed & *calami* quidam Ægyptii dulces edulesque, apud Theophrastum occurrunt &c. Quam in rem vide plura apud Salmasium præfatum *d. l. p.* 1301 *& seqq.*

Calamus Erythræus, apud Dionysium in rebus Indiæ, quibusdam est *Calamus Aromaticus* Vett. quem ἐρυθραῖον dici rentur, h. e. *rubrum*, quia optimum κιῤῥὸν esse debere tradat Dioscorides, i. *rufum*. Sed ἐρυθραῖος non est *ruber*, verùm *Erythræus*: Græci enim nusquam ἐρυθραῖον hac notione acceperunt, sed gentile nomen est ab Ἐρυθρᾷ θαλάσσῃ. Adde, quòd *Calamum* hunc inter res edules nominat Dionysius, & in proceritatem non modicam surgere innuit, verbis ὕλης τηλεθόωσι. Non itaque aromatica species ille calamus est, sed Calami Indici genus, ad ripas Indici seu Erythræi maris nascens, cujus radices esui erant Indis, propter eximiam & melleam suavitatem. Idem *ibid p.* 1053. V. quoque suprà, ubi de *Calamo Aromatico*, & hic infrà.

Calamus Eunuchias, V. infrà ubi de *Calamo Tibiali*.

Calamus Indicus, seu *Arundo Indica*, in versibus Varronis, qui apud Isidorum citantur,

Indica non magnâ nimis arbore crescit harundo:
Illius è lentis premitur radicibus humor,
Dulcia cui nequeant succo contendere mella.

Dionysio Afro dicitur κάλαμος Ἐρυθραῖος, in versibus, quos suprà adduximus, ubi succum ejus potui jucundum dulcemque sumere consuevisse Indos ait; idemque est cum canna saccharina hodierna, è qua expressione succus elicitur, dein coctione densatur, quem *Sacchari* nomine hodie novimus. Certè Ἐρυθραῖον pro *Indico*, apud Poëtam illum sæpius occurrit. Et *Indicos calamos* de genere certo harundinis dixere Vett. quæ intus inanis & vacua non esset, sed plena ac solida, ut patet ex Democrito subditivo in *Geopon.* cujusmodi omnino esse cannas, quæ saccharum hodiernum gignunt, certum est. Sed & Strabo, in quodam Æthiopiæ loco καλάμους Ἰνδικοὺς plures nasci prodit. Unde fides fit, certo huic arundinum generi nomen inditum, etiamsi apud Indos non nasceretur. Sic narrat Plinius, post Jubam, in quadam ex Ins. Fortunatis ferulas surgere ad arboris magnitudinem, candidas, que expressæ liquorem reddant potui jucundum: quas sacchari cannas esse, nemo dubitet, cùm hodieque in illis Insulis eas nasci certum sit. Et quidem succum ex his exprimi solitum ab Indis videmus, sed potui tantùm accommodatum: Ars verò excoquendi hujusmodi succi mellei, qui e cannis eliciebatur & coagulandi & mox in panes cogendi, prorsus veteribus incomperta. Vide Salmasium ubi suprà *pag.* 1018. & hic passim ubi de *Calamo Dulci, Calamo Militari* & *Saccharo*.

Calamus Militaris, apud Plinium occurrit *lib.* 16. *cap.* 36. *Calamis Orientis populi bella conficiunt: Calamis spiculo addunt irrevocabili* noxia

noxia? *Morem accelerem pinnâ additâ calamis. Fisque & ex ipso telum aliudfracto, in vulneribus. His armis Solem ipsum adumbrans. Propter hoc maximè serenos dies optans* — *Ac si quis Æthiopas, Ægyptum, Arabas, Indos, Scythas, Bactros, Sarmatarum tot gentes, & Orientis, omniaque Parthorum Regna diligentiùs computet aqua fere pars hominum in toto Mundo calamis superata degit. Præcipuus hic usus in Creta bellatores suos præcipitavit. Sed in hoc quoque, ut in cæteris rebus, vicit Italia: quando nullus sagittis aptior calamus, quàm in Rheno Bononiensi amne, cui plurima inest medulla, ponderisque volucre* — *non eadem gratia Belgicis* — *quanquam præferantur Indici. quorum alia quibusdam videtur natura, quando & hastarum vicem præbent additis cuspidibus. Harundini quippe Indicæ arborea amplitudo* — *navigiorumque etiam vicem præstant singula internodia* &c. Quibus ultimis verbis *harundinem Mambu* intelligit, è qua saccharum Veterum seu manna: Sed quomodo tantâ amplitudine sagittarum, imò & hastarum, usum præbere potuerint hi calami, meritò quærit Salmasius, qui proin Plinium ex prava lectione Theophrasti errorem hausisse docet, ubi suprà *p.* 1299.

Calamus Odoratus, Dionysio *κάλαμος*,

Ἠ' ἠδὲ, ἢ σμύρνης, κάλαμος ἢ καλάμοιο,

inter res odoratas, quæ in Syria nascuntur, unà cum junco, recensetur Plinio, *lib.* 24. *cap.*11. ubi *in convalle modica, juxta lacum, cujus palustria æstate siccantur, tricenis spatio stadiis*, illos nasci tradit. Unde *Syriacus* dictus est; Idem Græcis *Arabicus*, Romanis *Alexandrinus*, aliàs *Aromaticus*, de quo vide suprà.

Calamus Scriptorius, in usum venit, postquam literæ, quæ priùs incidebantur, pingi cœpere. Tum enim scribendi instrumentum primò fuere arundinei calami, postea verò avium pennæ; transiitque vox à Græcis, quamvis *calamum* illi nunquam sumpserint, ad Romanos, Chaldæos, Arabes, Ægyptios & Persas, uti docet Bochartus *Hierozoici Part. prior. lib. II. cap.* 50. Et quidem calamorum optimi habebantur, qui crescerent juxta Memphim, Nilum & Gnidum. Plinius *d. l. Calami Ægyptii chartis serviunt maximè cognatione papyri. Probatiores tamen Gnidii, & qui in Asia circa Anaiticum lacum nascuntur.* Hinc *Gnidiæ arundinis* pro calamo scriptorio passim mentio, apud Poetas Græcos Latinosque. Ausonius, *Gnidiæ sulcus arundinis.* Epigramma vetus in suppellectile Librarii,

Καὶ σπόγγον καλάμων ψαίστρη' ἀπὸ Κνιδίων.

Et spongiam quâ calami Gnidii abstergvntur.

Memphiticorum meminit Martialis *lib.*14. *Epigramm.*38.

Dat chartis habiles calamos Memphitica tellus.

Niloticum calamum Appulejus celebrat *Metamorph. lib.*1. Ausonius similiter *Melonis paginam* vel potiùs *filiam*, dixit Nam Nilus olim *Melo* &c. Gerh. Joh. Vossius *de Arte Gramm. lib.* 1. *cap.*36. Habebant hi calami multum cartilaginis & carnis, inde *συρίγγια*, *πολύσαρκοι* dicti Dioscoridi, ubi de *συριγγία*, *calamo*, & scalpello temperabantur, quod *γλύφανον*, *σμίλη*, *γλυφεὺς*, *γλυπτήρ* & *γλυφεῖα* Græci vocitarunt. Vetus *Epigramm.* de suppellectile Notarii,

Καὶ γλύφανον καλάμων πλατύστομον γλυφεῖον οὐδῆς.

Item *σμίλην δικαιογλυφέα. Ibid* Unde ipsi calami *διγλυφεῖς*, temperati Plinio, h. e. *acuti*, &c. Vide infrà, ubi de *Scalpello Scriptorio.* Findebantur autem illi in medio, & duos apices ostendebant, uti pennæ, quibus scribimus, unde *κάλαμοι μεσοσχιδεῖς*: *calami in medio fissi*, in *Epigramm.* veteri dicuntur, & in alio, *κάλαμοι δισσοῖσι διγλυφέες κεράεσσι*, *calami in duos apices fissi*, &c. Quam in rem vide plura apud Salmasium *ad Solinum pag.* 1044. & 1045.

Calamus Structus, apud Propertium *lib.* 2. *Eleg.*13.

Hæc igitur mihi fit lepores audacia molles

Excipere & structo figere avem calamo.

in vet. *Epigramm. σύνθετοι κάλαμοι*, *structura calamorum*; aliter *crescens harundo*, idem est cum *Calamo ἰξόεντι*, *viscato* seu aucupatorio, de quo diximus.

Calamus Συριγγίας, apud Theophrastum, *Syringias*, apud Plinium ubi suprà, *Calamus verò totus concavus, quem vocant Syringiam, utilissimus fistulis*: in *Indice* eidem *fistulatorius* dicitur, *De sagittariis & scriptoriis & fistulatoriis calamis.* Sed & in eo fallus est, Salmasio judice. Nam disertè ita dictum testatur Philosophus, quòd totus esset concavus ad fistulæ instar, minimumque haberet carnis & ligni, adeoque distinctus *ἀπὸ τῶν μεστοκαλάμων*, h. e. *plenis intus ac solidis*, è quibus fiebant sagittæ. Certum tamen, fistulas ex calamis compingi solitas, unde & *καλαμίνη σύριγξ*: Sed idem calamus, qui tibiis erat idoneus, idem & fistulis utilis, uti videre est suprà, & hic paulo pòst. plura verò apud Salmasium præfatum *d. l. p.*1299. & suprà ubi de *Calamo Scriptorio.*

Calamus Tibialis, seu *Auleticus*, dictus est, qui tibiis idoneus. Et quidem inter varii generis harundineta, quibus abundabat Orchomenius lacus, harundinem tibialis calami etiam gignebat, cujus duo genera *Zeugita*, & *Bombycias*; ille, quòd ex uno ejus internodio binæ tibiæ dextra & sinistra, quod & tibiarum ζεῦγος, formabantur: iste, quòd ex eo Bombyces, genus quoddam tibiæ, fierent, dictus. Pars vero illa lacus, ubi optimi nascebantur calami hujusmodi, *Pelecania* appellata est, quâ parte in paludem Cephissus etiam influit. Ut autem calamus auleticus utilis esset, inundans aqua biennio minimum residere debebat: si plus permansisset, eò melior erat; Ubi verò maturiùs recessisset, harundo non bona fiebat *τοῖς ζεύγεσι*, *paribus tibiarum*, sed tantùm *βόμβυξι*. Porro, cùm Theophrastus arundinem in genere, ut cætera, in mares dividat ac fœminas; ubi ad species & differentias venit, tibialem distare facitâ cœteris, *τῇ ἐπιφανείᾳ τῆς φύσεως*, *quod lenior & gracilior fit*, *καὶ ὅλως τῷ θῆλυς τῇ προσόψει*, *& totus fœmineus aspectu.* Nam & latius folium habere & candidius, minus etiam lanuginis, quàm cœteræ; imò & reperiri, quæ nihil habeant, *quas εὐνουχίας* hinc vocitatas, i. *spadones*, è quibus optima fieri tibiarum paria. Fiebant autem duæ ex uno internodio, in zeugite, unde ut ad *ζευγίτευμα* calamus hic aptus esset, crassior evadere debebat, & in majorem adolescere amplitudinem, inundatione per biennium manente, uti dictum: at in bombyce una tantùm capiebatur, quæ proin æquè longa erat, ac duæ cœteræ &c. Vide Salmasium ubi suprà *pag.*117. & *seqq.* ut & hîc passim.

Calantica, teste Nonio, tegmen est muliebre, quod capiti innectitur. M. Tullius *in Clodium*: *Tunc cùm vincirentur pedes fasciis, cùm calanticam capiti accommodares.* Cælius Rhodiginus *Antiq. lection. lib.* 6. *cap.* 10. ex Euripide ac Herodoto docet, mitram esse genus fasciæ, sive tæniæ, quo caput obligetur: quam eandem cum *Calantica* fuisse, docet Servius *ad Æneid. lib.* 9. *vers.* 616. Similiter Lyrano *ad Judith. cap.* 10. muliebre id capitis tegmen est. quod aliàs *Mitra* dicitur, ipse *Cuffam* vocat, Galli *Coiffe* Et suffragatur idem Servius *ad Æn. lib.* 10. ubi ridentur Troes obsessi, habentes redimicula mitræ: quemadmodum idem *lib.* 4. in Paride, *cum semiviro comitatu*, ridet Jarbas Servius enim pileum contraponit mitræ, & hanc muliebri capiti tegendo, illum virili, attribuit. Vide Solerium *de Pileo sect.* 6. & infrà ubi de *Mitra.* Salmasio meliùs *Calautica* dicitur. Ita enim *Glossæ. Calautica κάλυμμα γυναικός*; ex Græco *καλυπτική*. Vide eum *ad Solinum p* 556. ut & infrà ubi de *Mitris* ac *Phrygiis tiaris.*

Calani, adde: Hinc dicti *Calani*, Philosophorum, ut quidam volunt, secta: Nominis origo in obscuro est; à Chalne, civitate à Nimrodo ædificata, quæ Senioribus *Χαλάνη*, Eustathio *χαλάνη*, cujus & in sacris mentio, sunt qui illam arcessant: ut *Calani* appellati sint, sicut à loco Babylonii, Peripatetici &c. Georg. Hornius *Hist. Philos. lib.*2. *cap.*9.

Calaro, fluvius vel amniculus Galliæ, inter Lugdunum & Viennam in Rhodanum decurrit, contra castrum S. Symphoriani S. *Saforin*, & priscum nomen unâ syllabâ truncatum retinet: *Garon* enim dicitur. Alluit Prisciniacum vulgò *Brignais*, aliàs *Brignieu*, quædam tamen tabulæ refragantur, quæ Prisciniacum non ad fluv. Calaronem, sed ad amniculum Biocum *Bieu*, qui in Calaronem labitur jamjam Rhodano accessurum, collocant. Hadr. Valesius *Not. Gall.* in voce *Prisciniacum.*

Calata, primò omnia Comitia apud Romanos dicta sunt, à Gr. *καλεῖν*, id est, *voco*: unde rudis vetustas *calare* dixit. Postea verò cùm in usu vox esse desiisset, retentum est nomen *Calatorum Comitiorum* in his tantùm, quæ pro Collegio Pontificum habebantur, vel testamentorum causâ fiebant; idque religionis cujusdam & antiquitatis ratione. Vide A. Gellium *lib.* 15. *cap.* 27. Theophilum *Institut. lib.*2. Johannem Rosinum *Antiqq. Rom. libro* 6. *capite* 1. &c.

Calathi, apud Martialem *libr.* 14. *Epigramm.* 107. cui hoc lemma est,

Nos Satyri, nos Bacchus amat, nos ebria tigris,

Perfusos domini lambere docta pedes:

Calices vinarii sunt, quos in Bacchi sacris adhiberi consuevisse, didiscimus ex Virgilio *Eclogâ* 5.

Et multo inprimis hilarans convivia Baccho.

Ante focum si frigus erit: si messis in umbra.

Vina novum fundam calathis *Arvisia nectar.*

Aliàs idem cum quasillo *calathus*; quem de floribus idem usurpat, *Ecl.* 2.

— — — *tibi lilia plenis*

Ecce ferunt Nymphæ calathis.

De caseis *Georgic. lib* 3.

Quod surgente die mulsere horisque diurnis,

Nocte premunt: quod jam tenebris & sole cadente,

Sub lucem exportant calathis.

De lana, *Æneid. lib.*7.

— *Non illa colo calathisque Minervæ*

Fœmineas assueta manus, &c.

In nuptiis apud Athenienses, puerum egregiâ formâ & insigniter ornatum, cum *calatho* omnis generis delitiosis fructibus pleno, triclinium ingredi & exclamare solitum coram Neogamis, *ἔφυγον κακόν, εὗρον ἄμεινον*, *Effugi malum, inveni melius*, legimus: qua de re infrà aliquid ubi de *Nuptialibus ritibus.* Apud Catullum, *virgati* dicuntur Calathi, quòd virgis viminibusque conficerentur &c. Apud Ovidium descriptione rosæ, *calathi* idem, quod *calices* aliis,

—— *prima dies ostendit spicula florum,*

Altera pyramidas nodo majore tumentes,

Tertia jam calathos.

Sic Plinius de lilio, *Candor ejus eximius, foris striatis, & ab angustiis in latitudinem paulatim sese laxantis effigie calathi, resupinis per ambitum*

ambitum labris. Nempe à similitudine *calicum*, *τῶν καλίκων*, vasorum, quibus bibitur, qui & *calathi*, utrumque vocabulum ad flores translatum est, Salmasius *ad Solinum pag.*102. Hinc *Καλαθισμὸς*, saltationis species cum *calatho* seu canistro, apud Jul. Cæs. Scaligerum, *Poëtic. lib.*1. *cap.*18.

Calatibiliotta, pagus Siciliæ, memoratus Anonymo Mon. Casinensi in *Chr.* A.C. 1194.

Calatina Viola, apud Plinium *lib.* 21. *cap.* 6. *E sativis maxima auctoritas luteis — genera Tusculana & quæ marina appellatur, folio aliquanto latiore; sed minùs odorato. In totum verò sine odore minutoq; folio Calatina, munus autumni, ceteræ veris. Proxima ei caltha est & concolor.... Amplitudine vincit & numero foliorum Marinam quinque non excedentem.* Nomen habet à *Calatia* opp. Italiæ, de quo dictum. Quo pacto demit laborem Herbariis quærendi, unde dicta sit, & quare *Calathiana*, quam protin à *calathis* deducunt & eandem cum thylacitide faciunt. Salmasius *ad Solinum pag.* 1160.

Calbeum, vel *Calpeum*, item *Galbeum*, apud Vett. ornamentum fuit vel armilla, quâ ob virtutem donabantur milites: à voce Græca *κρικίον*; unde *κρικίους ὄφεις* & *ἐπικαρπίους* Græci dixere armillas in modum serpentis contextas. *Κρίκιον* enim vocabant id omne, quod *χειρὸς καρπὸν* vinciebat: id quod armillæ propriè faciunt. Vocem usurpat Festus, *Calbeos, armillas dicebant quibus triumphantes utebantur, & quibus ob virtutem nobiles donabantur.* Optimæ *Glossæ, Calbea, κόσμια.* Inde *galbeum* vocavit Suetonius, remedia lanâ involuta: cujusmodi remediis quòd assiduè uteretur Galba, ea in brachio vicem armillæ gestans, more illius temporis, nomen hoc inde est adeptus, Salmasius *ad Lampridium in Alexandro Sev.* Postea ad quævis ornamenta, etiam equorum vox translata. *Gloss.* Lat. Gr. *Calbæ, κόσμια ἵππων*, ubi Rigaltius *ad Onosandrum*, *Calbei* restituendum censet vel *Calbea*, &c.

Calcandi hostium vel corpora vel cadavera ritus, in signum plenæ de illis victoriæ reportatæ, usitatus olim. Spartianus *Severo*, *Equum præterea, ipse residens super Albini cadaver egit, expavescentemq; admonuit, ut effrænatum audacter proteret.* Quò alludens Propertius,

Cynthia prima suis miserum me cepit ocellis,
Et caput impositis pressit amor pedibus:

à puella se captum, ab amore triumphatum, indigitat. Statius *in Equo max. Domitiani*,

Ænea capti vi crinem terit ungula Rheni.

Claudianus item,

Colla triumphati conculcat Honorius Istri.

Nempe *corporis calcandi* mos plerumq; in hoc compendium cogebatur, ut in collum tantùm pes poneretur. Mich. Glycas *Annal. Tom.* 4. de Diogene, *Diogenes Imp. in hostium denique potestatem venit, vinctusq; ad Sultanum ducitur. Ille solio suo desiliens, pro more calcatâ Diogenis cervice, eum de terra erigit, amanterq; complectitur.* Unde videmus, necessariam habitam ad plenæ victoriæ usurpationem hanc calcationem, etiamsi animo crudeli non fieret. Et Eutropius de Valeriano *lib.* 9. *Valerianus Imp. captus apud Persas ignobili servitute consenuit. Nam quamdiu vixit Rex ejusdem provinciæ, incurvato eo, pedem cervicibus ejus imponens solitus erat equum conscendere.* Quæ tamen posteriora verba assuta aliunde sunt, cùm melioribus Eutropii codicibus non insint, neq; à Græco translatore Pæanta agnoscantur. Victorini, seu Victoris Jun. ista potius fuerint, apud quem eadem leguntur. Sed & Orosius de conculcatione assentitur, *lib.* 7. *cap.* 22. Gotfridus item Viterbiensis *in Chron.* & Joh. Tzetza *Chiliad.* 2. cùm ait,

Τὸν Ῥωμαίων ἄνακτα ἐτύφωσεν ὁ Πέρσης,
Τραχήλῳ δὲ πατήσαντι, οἷα δεδουλωμένος.

V. quoque Gerbertum *Epist.*18. Sibyllam apud Lactantium *lib.*7. *cap.*18. Ælianum *Variar. lib.* 10 *cap.* 22. Vigilium *c. Eutychem lib.* 1. Alios. Imò & in Sacris, vestigia moris hujus. Ita enim legimus Josuæ *cap.* 10. *versu* 24. *Cumq; Reges ad eum captivi deducti forent, omnes vocavit Israëlitas, aitq; exercitus principibus: ite, pedibus calcate colla istorum Regum.* V. quoque Psalm. 110. *vers.*1. & 1.Cor.15. v.27. Cujus ignominiæ memoria ut ad posteros quoque perduraret, statuas ita effictas, legimus apud Pausaniam. Quam in rem pulchrè Prudentius *in Symmachum lib.* 2.

Frustra igitur currus summo miramur in arcu
Quadrijuges, stantesq; duces in curribus altis,
Fabricios, Curios hinc Drusos, inde Camillos,
Sub pedibusq; ducum captivos, poplite flexo.
Ad juga depressos, manibusq; in terga revinctis,
Et suspensa gravi telorum fragmina trunco.
Si Brennum, Antiochum, Persen, Pyrrhum, Mithridatem,
Flora, Ceres, Matuta & Laurentina subegit.

Etiam picturis idem repræsentatum, exemplum docet pene Autoribus perniciosum, apud Scriptorem *Expeditionis in Asiam Friderici* I. ipsi coævum: *Dum hæc agerentur apud Adrianopolim, qui erant in urbe Philippopoli, jam circa remotiores partes terris & urbibus subjugatis, regionem Gradnitz ingressi sunt. Ubi, quoniam in picturis Templorum atq; ædium viderunt Græcorum imagines equitando peregrinorum cervicibus insidere, totam terram præda & incendio vastaverunt.* Cujusmodi conculcationis nomine, vovebatur hostium cervices sive regna sub pedibus suorum videre Principum. Ut Corippus *lib.*1. *versu* 60.

Barbara Romanos augebunt bella triumfos,
Regnaq; sub vestris venient fortissima plantis.

Et de pictura. Idem *ibid. vers.* 284.

Ipsum autem in medis victorem pinxerat aula
Effera Wandalici calcantem *colla Tyranni* &c.

V. Casp. Barthium *Animadversion. ad Statium Thebaid. lib.* 2.

Calcanea Camelorum, in delitiis Vett. Æl. Lampridius *in Heliogabalo, Comedit sæpius, ad imitationem Apicii,* calcanea *camelorum & cristas vivis gallinaceis demptas* &c. Nempe hæc cupediariis fuisse expetita non multo magis mirandum, quàm de cristis gallorum gallinaceorum: quas hodieq; ab iis, qui palatum eruditum habent, cupidissimè constat expeti. Tenera illa esse naturâ suâ Herodianus docet *lib.* 4. *Αἱ κάμηλοι μάλιστα ἔχουσιν ἁπαλὰ τὰ πέλματα, Cameli maximè tenera habent calcanea.* Cœterùm camelis vesci, non commune olim omnium populorum, sed paucorum proprium fuit, ut Arabum & Saracenorum & omnis barbariæ eremi, ut ait Hieronymus *adv. Jovinian. lib.* 2. populi Septentrionales abhorrebant. Heliogabalum verò multa de Saracenis & Arabibus traxisse instituta, propter locorum, ubi natus est & educatus, viciniam, non mirum. Casaubonus *ad loc.*

Calcaria, ex argento, Scutiferorum; ex auro, Militum propria erant: quorum pedibus, cùm armis accingerentur, solebant aptari. Hinc de Ludovici II. Reg. Siciliæ & Caroli fratris ejus militia agens, Auctor *Historiæ* Caroli VI. Gall. R. *Eos accingit*, inquit, *balteo militari, & per Dominum de Chauvigniaco calcaribus deauratis jussit Rex Carolus insigniri.* Atque ita fuisse vett. Francorum *calcaria*, auctor est Johannes Purcellus in *Monum.* Ambrosianæ Mediol. Basilicæ *pag.* 71. quo loco tumulum detectum & apertum Bernardi Regis Italiæ, Pipini filii, describit: *Sed & Bernardi pedibus ita calceatis aurata induerunt* calcaria, *ex ære, quod nos vulgò* Rame *nominamus. Figura tamen illa erant parùm admodum ab hodiernis & nostratibus diversæ: in exterioris cornu extremitate parvum erat & rotundum foramen, è quo supernè fibula, infernè autem ansula eodem ex ære pendebat. Ansulæ consuta claviculo erat corrigia è corio, rubri pariter coloris, quæ de sub pede per alterum inferioris cornu foramen modicè longum deducta & illi fibulæ inserta, calcar pedi adstringebat. Rotula verò ex calcaris dorso modicè prominens senis & perbrevibus circum radiis acuminata vergit deorsum.* V. Car. du Fresne in *Glossar.* & *Not. ad Stabilim. S. Ludovici lib.*1. *cap.*118. Istiusmodi deauratis itaq; *calcaribus* ornatus Eques *auratus* dictus est, quæ dignitas in M. imprimis Britannia hodieq; viget. Cùm autem Milites degradabantur, *calcaria amputari* iis solebant, uti habet Thom. Walsinghamus de Andrea Harclæo Com. Carlilensi exauctorato & propter Majestatis crimen suspenso: *Nempe*, inquit, *primò degradatus est amputatis securi ad talos suos calcaribus & sic vicissim discinctus est baltheo militari*, apud eund. du Fresne.

Calceamenta deferendi seu præbendi ritus, indigitatur Auctori *Chronici* Regum Manniæ, ubi de Olao Magno R. Norwagiæ, *Murecardo*, inquit, *Regni Hiberniæ, misit* calciamenta *sua, præcipiens ei, ut ea super humeros suos in die Natalis Domini per medium domus suæ portaret, in conspectu nuntiorum ejus, ut inde intelligeret, se subjectum esse Magno Regi.* Signum viz. subjectionis & obsequii hoc erat. Quemadmodum & Sponsus Sponsæ olim, in obsequii pignus, *calceamenta afferre & præbere* consuevisse, legitur apud Gregorium Turon. *de Vitis Patrum cap.* 16. laudatum eidem du Fresne. Certè *calceum* domini *solvendi* seu exuendi, singulare servorum apud Hebræos munus fuit: à quo more manasse videtur loquendi illa, ad summam discipuli loquentis humilitatem Magistriq; dignitatem exprimendam, formula, *cujus ego non sum dignus, ut solvam ejus corrigiam calceamenti*, quâ Marci *cap.* 1. *vers.*7. alibiq; Johannes usus est. Id quod ex eo item firmatur, quòd ajunt Magistri, *Omne genus operis, quod à servo domino suo præstandum est, id etiam à Discipulo Magistro suo est præstandum, præter solutionem calcei ejus*, Gem. Babyl. *ad tit. Cethuboth cap.* 11. *fol.* 96. 2. Quod itidem *de calceo exuendo ac induendo*, intelligendum esse, monet Maimonides, apud Joh. Seldenum *de Jure Natur. & Gentium juxta Discipl. Hebræorum, lib.*6. *cap* 8. *&c. V. quoque infrà ubi de Leviro.*

Calce occiput feriendi, in saltatione, ritus, apud Vett. recentioresq; in usu, memoratur Jul. Cæs. Scaligero *Poetices lib.* 1. *cap.* 18. ubi de variis Saltationis speciebus: *Omnium corruptissima Gaditana. — Ejus modos produnt tres, Chironomiam, à manuum agitatione: Halma, à saltu: Lactisma, à calcitratione. Nunc quoque Hispani calce occiput aliasq; contingunt partes, item vestigio terram feriunt: id quod appellant* Calceationem, *manus complodunt: earum alterutrâ, aut utraque in soni numerum pectus, femora frontem, calcem, os, terram pulsant: digitorum crepitu, tibiarum aut tympanorum momenta assequuntur* &c.

Calcegium, locus Galliæ, in Veliocassibus, ad Ittam fluv. vulgò *Chacy*, patria S. Ansberti Rotomagensis Episcopi. Hadr. Valesius, in voce *Veliocasses*.

Calcei. Initio nascentis Reip. Romanæ, non modò servi, sed & Senatores ipsi nudis incedebant pedibus: & licèt hæc *ἀνυποδησία* paupertatis videretur indicium, nihilominus clari quoque Impera-

tores, magnique Duces, in patientis animi tolerantiæq; bellicæ argumentum, idem fecisse leguntur: Phocion apud Plutarchum, F. Scipio & Germanicus, apud Corn. Tacitum &c. Quò quadrat institutum Lacedæmoniorum, apud quos Juvenes calceis omnes carebant, *quò expeditiores essent*, Plut. *in vita Lycurgi.* Idem de Socrate legimus, de Catone Uticensi, de iis apud Judæos, qui nuptias recusabant: Imò & *Nudipedalia* festum apud Græcos, Romanos & Barbaros fuit, in quo discalceati omnes incedere sunt coacti. Postea, *Calcei* sacri erant, quibus soli Sacerdotes rem divinam facturi utebantur, de quibus V. Servium *ad Æneid. vers.516. libri* 4. Allusit ad hunc ritum Mart. Capella *lib.* 2. *Calceos præterea*, inquiens, *ex papyro textili subligavit, ne quid ejus membra pollueret morticinium.* Unde in ceremoniis Flaminum & Flaminicarum relatum & illud est, apud A. Gellium *lib.*10. *cap.*15. *Mortuum nunquam attingit.* Principum Imperatorumq; Rom. Calceamenta erant cultu, pretio coloreq; ab aliorum distincta: *Campagos* appellatos constat, item *Zancas* seu *Tzancas*, gemmeis aquilis rigentes, translato Byzantium imperio. At antea varia calceorum ornamenta, pro diversa Principum libidine, aut moderatione. Carinus Aug. non *gemmis adsutis calceis, sed fibulis gemmeis* utebatur. Heliogabalus *habuit in calceamentis gemmas, & quidem sculptas*, Flav. Vopiscus *in Carino*, Æl. Lampridius &c. *Soccos muliebriter ornatos* gestavit Caligula, Plin. *lib.* 9 *cap.*35. Demetrius Antigoni fil. *aureos calceos*, Plut. *in eo.* Distinguebantur autem calceamenta Principum aquilis, Senatorii lunæ dimidiatæ effigie: quod summæ apud Rom. nobilitatis fuit argumentum, V. supra in C. Item in K. Juvenalis *Satyrâ* 7.

—— —— Et nobilis & generosus
Appositam nigræ lunam subtexit alutæ.

A jam dictis Matronarum calceamenta differebant: Unde Hesychius, Σικυώνια γυναικεῖα ὑποδήματα, *Sicyonia, calceamenta muliebria*: à mollitiei tantæ inventoribus Sicyoniis. Illos ποικίλον καὶ πολυέλικτον ὑπόδημα, *calceum varium & convolubilem*, facit Jul. Pollux *lib.* 7. *cap.* 22. Flav. Vopiscus *in Aureliano*, *Calceos mulleos & cereos & albos & hederaceos, viris omnibus tulit, mulieribus reliquit.* Cum unguentis hoc genus calceamenti conjunxit Lucretius *lib.* 4.

Unguenta & pulchra in pedibus Sicyonia rident.

Græci enim, quibus inventum istud debetur, pedes frequenter inungebant. Color in Imperatorum calceis purpureus, virorum, nobilium inprimis, niger: matronarum albus: prostibulorum ruber: servorum gypsatus, seu cretatus fuit. Et altiores quidem muliebres, non minùs ac viriles, suis ansulis, quæ à pede per tibiam protendebantur atque crus obligabant, instructi. Tibull. *lib.* 1. *Eleg.* 6.

Ansaq; compressos alligat arcta pedes.

Quæ & Græcorum consuetudo, ligatorum calceamentorum jam ab Homero mentione injectâ, Odyss. *lib.* 2. Ad crura autem sive ad suras has ansas protensas fuisse, docet Virgilius *Eclogâ* 7.

Purpureo stabis suras evincta cothurno.

Ut de militaribus quid addam, habebant illi clavos, quibus in terram defixis, in eodem vestigio staret miles, ad fugam minùs idoneus, V. Josephum *de bello Jud. lib.* 7. *cap.* 3. Unde *Calciarium* pro donativo, quod militibus in emendos calceamentorum clavos conferebatur, apud Jurecoss. *Clavarium* fuisse dictum, observat Lævinus Torrentius. Nec omittendi penitus calcei *Venatorii*, altiores reliquis, quò à luti injuria essent tutiores: Comicorum ac Tragicorum, vide *suis locis.* Conficiebantur primùm è corio crudo bubali, apud Xenoph. *Anabas. lib.*3. & *Carbatinæ* dicebantur. Dein fiebant ex aluta coccinea seu versicolore, aut cocco infecta: Tertiò ex pelle hædina *udones* vocitati. Porro ex subere, quod tamen ad sublevandos potiùs calceos altioresq; reddendos fortè inservit: qualibus calceamentis Augustus, & Persæ in universum usi leguntur, fœmineus inprimis sexus. Ex ferro quandoque constabant, qualem calceum Empedocli Agrigentino attribuit Alexander ab Al. *Genialium dier. lib.* 5. *cap.*18 Item ex ære, qualis eidem Philosopho tribuitur apud Philostratum *in Helladicis.* Ex ligno item, apud Petronium *Satyric.* Ex corticibus arborum, quod Indis omnibus fuit solenne, Philostr. *de vita Apollonii lib.*2. *cap.*9. Ex papyro, qualibus Ægyptii, ac præsertim Sacerdotes usi. V. Herodotum *lib.*1. Ex argento, apud Paulum Venetum *de Region. Oriental. lib.*2. *cap.*14. Tandem ex auro, gemmis & quidquid pretiosum erat, conflabantur, ut videre est apud Martianum Capellam passim. Species autem notissimæ sunt, Sicyonii, socci, soleæ, cothurni, crepidæ, sandalia, de quibus ultimis consuli possunt Lucianus *de scrib. historia*, Donatus, Eugraphius &c. Alii ad has quinque species omne calceorum genus reducunt. *Mulleos, Uncinatos, Perones, Cothurnos & Soccos*, quæ universæ Turcarum hodiernorũ æmulabantur calceamenta. Mullei, à colore dicti, Lunati quoq; à fibula crescentem Lunam referente vocati sunt: quò respexisse quidam volunt Esajam *cap.* 3. cùm ait: *In die illo auferet Dominus ornamentum calceorum & Lunulas.* Uncinati militum erant, an iidem cum caligis? Certè id suggerere videtur Aur. Victor *de vita Imper.* ubi de C. Cæsare Caligula ait, *Quia natus in exercitu fuerat, cognomentum calcei militaris, i. Caligulæ, sortitus est.* Perones, ad suras usque pertingebant, cùm priores ad dimidium solùm crus protenderentur, neque fibulas lunatas habebant, proin *Calcei puri, quoniam ex pervetorio facti*, dici consueverunt: Hos magistratus ac in dignitate constituti gemmis exornare solebant. De Cothurno & Socco V. *suo loco.* Totum pedem autem calceus texit: omnia verò id genus calceamenta, quibus plantæ tantùm infimæ teguntur, cætera prope nuda & teretibus habenis juncta, *Soleas* dixerunt: nonnunquam Græcâ voce *Crepidulas*, V. Joh. Rosinum *Antiqq. Rom. lib.* 5. *cap.*36. & *in illud* Th. Dempsteri *Paralipomena.* De utriusque verò sexus variis calceorum generibus, infrà in vocibus *Fœmina*, ac *Vir*, & plura hanc in rem. apud Ben. Balduinum, *lib. de Calceo antiquo*, ut & Jul. Nigronium *de Caliga Veterum.* Addam saltem aliquid de Francorum Regum veteri calceatura, de qua sic Monachus Sangallensis *lib.* 1. *cap.* 36. *Erat antiquorum ornatus, vel paratura Francorum, calceamenta forinsecus aurata corrigiis tricubitalibus insignita: fasciolæ crurales vermiculatæ & subtus eas tibialia vel coxalia linea, quamvis ex eodem colore, tamen opere pretiosissimo variata, super quæ & fasciolas in crucis modum intrinsecus antè & retro longissimæ illæ corrigiæ tendebantur.* Quâ calceamenti specie Caroli M. apud Alamannum, & Lotharii Imp. effigies conspiciuntur, apud Baluzium *Not. ad Capitularia Regum Franciæ pag.* 1280. Exactiùs pleniusque eam sic describit Joan. Puricellus *in Monumentis Basilicæ Ambros. pag.* 70. ubi de Bernardi R. Italiæ Pipini filii tumulo effosso, *Superstites*, inquit, *adhuc è corio rubro calcei utrumque pedem contegebant, iidemq; ligneam quisque soleam, hinc inde coriaceis insutam, habebant. Tam verò aptè pressèq; ad suum quisque pedem, juxta ordinem digitorum congruebant, in acutum versùs primorem digitum desinentes, ut calceus dexter non nisi dextro pedi, quandiu integer ille erat sinisterq; sinistro adaptari potuisset. Cæterùm quisque calceus duabus tantùm corii partibus invicem consutis pedem ita contegebat, ut anterior corii pars in supremum versùs crura extremitatem aliquantulum scissa in longũ esset, illicq; pedi ligamine adstringeretur, ad eum prorsus modum, quo rusticana hodie calceamenta fabricari solent*, apud du Fresne in voce *Armiger*, item *Fasciola.*

Calceus capitis, apud Martialem *lib.*12. *Epigramm.* 45. *ad Phœbum*,

Hædinâ tibi pelle contegenti
Nudæ tempora, verticemq; calvæ;
Festivè tibi, Phœbe, dixit ille,
Qui dixit caput esse calceatum:

Est galericulus ex hirsuta hœdi pelle, ad calvitiem dissimulandam, Phœbo huic adhibitus. Quòd eadem materiâ, qua calcei fierent, nomen adeptus. Meminit idem pellicei hujusmodi galeri *lib.* 14. *Epigr.* 50.

Ne lutet immundum nitidos ceroma capillos,
Hac poteris madidas condere pelle comas.

Ubi & alium *Calcei* talis usum innuit. V. infrà ubi de *Galericulo* & *Galero.*

Calcha, apud Plinium *lib.*25. *cap.* 8. *Est & buphthalmos similis boum oculis folio fœniculi circa oppida nascens fruticosa caulibus, qui & manduntur decocti. Quidam* Calchan *vocant.* Ita vett. libri: Dioscorides habet κάχλαν, Siculi κάλθαν dixere, unde Romani facto nomine alium florem, sed similem, appellarunt *caltham.* Habet autem *caltha* hæc, quæ Græcis κάλχη vel κάχλη, croceos flores in rubrum vergentes; unde buphthalmo id nominis hæsit, quòd florem habeat colore χάλκας, quæ *caltha* Latinis. Aliàs κάλχη vel χάλκη Græcis *purpura*; & κάλχη quidem frequentius. Ut in Nicandri *Alexipharmacis*, inter remedia contra dorycnion,

—— στρόμβων δὲ πολὺ πλεῖον, ἢ ἢ κάλχας,
Buccinorum autem multo magis, aut etiam purpuræ,

(dapes medebuntur) & in Lycophrone *versu* 864. legas, πέπλους κάλχῃ φορυκτούς, *vestes purpura infectas.* Proinde Nicandri Scholiastes, κάλχη, inquit, ἄνθος ἢ ζῷον ᾧ βάπτεται ἡ πορφύρα, *Purpuræ flos aut animal est, quo tingitur purpura.* Et Polluci καλχαίνων est tingens; Hesychio quoque, transpositis literis, χάλκη est *purpura.* Quia verò conchylium marinum, ex quo purpura inficiebatur, non unius erat coloris; sed pro diversitate littorum, in quibus colligebatur, ita varii generis colores faciebat, ex eo κάλχη non unum significavit purpuræ genus, nec unius coloris. Erat atra purpura, erat livida, violacea, cœrulea, rubra, lutea; unde & κάλχη de his omnibus coloribus dicitur. Apud Strabonem, sandycis Armeniæ pigmentum simile κάλχῃ dicitur, i. *rubra purpura.* Quo sensu accipitur, in Ara Dosiadæ,

Ὅλος οὔ με λιβρὸς ἱρῶν
Λιβάδεσσιν οἷα κάλχης
Ὑποφοινίησι τέγγει.

Ubi sanguinem victimarum, in ara effusum, comparat puniceo κάλχης succo. In herba chrysanthemo vel buphthalmo, luteum colorem designat. Propriè verò cœruleam purpuram notat, unde χάλκανθος inde dictum, de cujus colore sic Plinius *lib.*34. *cap.*11. *Color est cæruleus perquam spectabili nitore*: idemq; proin, quod Hebr. תכלא *techla*; unde κάχλη deflexum, τ. & κ. quæ cognatæ literæ sunt, invicem permutatis, V. quæ suprà diximus, de *Cærulea purpura.* Uti autem κάχλη ex Hebræa hac voce originem trahit; sic ex illo κάλχη vel κάχλη Græci infimæ ætatis transpositâ syllabâ, fecerunt λάκχας, & pro colore rubro posuerunt, eoq; etiam nomine insigniverunt Veterum anchusam, cujus radice in

mulieres

mulieres olim ad genas purpurissandas, seplasiarios ad unguenta coloranda, infectores ad lanam præparandam, usos fuisse retro diximus, V. infrà in voce *Lacca*, & plura hanc in rem, apud Salmasium *ad Solinum pag.* 1159. *& seqq.* & Sam. Bochartum *Hierozoici Parte poster. lib. V. cap.* 14. quorum hic ab eadem origine κόχλος quoque & κογχύλιον voces deducit. Quæ ambo certè speciatim concham purpurariam sonant, uti videbimus infrà in voce *Cochlea.*

Calchanthum, V. infrà *Chalcanthum.*

Calculator, servus apud Romanos, à *calculis*, id est, lapillis minutis, quos antiqui manu tenentes numeros componebant, dictus est. Ulpianus *leg.* 7. *ff. de oper. Libert. Nam hujus quoq; est ministerium, si fortè vel Librarius vel Miniculator vel* Calculator *sit*: quæ sanè Ars nec ingenuos dedecuit, Modestino teste *leg.* 15. *ff. de excus. Tutor.* Μηδὲ λιβραρίους μηδὲ καλκουλάτορας, ὡς διὰ ψηφισμάτων λέγομεν. Ediscebant autem hæc pueri cum primis literarum elementis. Isidorus *Origin. lib.* 1. *cap.* 3. *Primordia Grammaticæ Artis literæ communes existunt, quas Librarii &* Calculatores *sequuntur, quorum disciplina velut quædam Grammaticæ Artis infantia est.* Hinc Jul. Capitolinus de Helvio Pertinace Imp. *puer literis elementariis & calculo imbutus*: & Horatius lepidè *Epist. ad Pisonem.*

Romani pueri longis rationibus assem
Discunt in partes centum diducere, dicat
Filius Albini, si de quincunce remota est
Uncia, quid superat? poteras dixisse Triens. Heu
Rem poteris servare tuam, redit uncia: quid fit?
Semis

Hujusque loci sunt, quæ D. Augustinus *Confess. lib.* 1. *cap.* 13. recenset: *Jam vere unum & unum duo, duo & duo quatuor, odiosa cantio mihi erat*: quæ cantio hodieq; auditur apud hodie Magistellos, qui antiquitus *Canculones* seu *Calculones* vocabantur. Cœterùm priscam illam *calculandi* rationem, ex Volusio Mæciano, quem edidit Elias Vinetus & ex tabella numeraria, cujus formam ac usum primus omnium in lucem produxit Marc. Velserus, perdiscere possumus. V. quoque suprà in voce *Abacus*, & infrà in voce *Numerandi ars*. Et quidem *Calculatores* præfati, Ratiocinatori suberant, cui muneri in domo Cæsarum Libertus plerunque præponi solebat. Sed & Tabularios, qui rationes publicas tractabant, quosq; memorant Arcadius & Honorius *l.* 5. *Cod. Theod. de Tabul. Logogr & Cens.* quòd aliquando computarent, *Numerarios* & *Calculatores* vocatos leginus, &c. A *calculis*, ut dictum, huic ministerio nomen, quorum multiplici usu motus Pignorius, antiquos aliquot candidos lapillos Romæ erutos, tum minutos, tum grandiusculos, in suo *Comm. de Servis*, apponi curavit, literis & quibusdam aliis cælaminibus insignes: quos is quidem arbitratur, non longè abesse ab Athleticis illis *calculis*, quibus ex Apocalypsi *cap.* 2. *versu* 17. & ejusdem Enarratore Areta, lucem attulit Faber *Agonist. lib.* 2. *cap.* 33. Meminit *Calculatoris* Inscr. Veronæ: V. F. P. CÆCILIUS. EMPIRODIUS. VI. VIR. AUG. CALCULATOR. JUSTINÆ. SALENÆ. UXORI. ET. SIBI. apud Tit. Popmam *de operis Serv.*

Calculense, genus purpuræ pelagiæ, apud Plinium *lib.* 9. *cap.* 37. ubi pelagiam purpuram in varia genera dividit, pabulo & solo discreta: *Lutense è putri limo & Algense nutritum alga, vilissimum utrumque. Melius Tæniense, in tæniis maris collectum. Hoc quoque etiamnum levius atque dilutius* Calculensi. *Id appellatur à calculo maris, mirè aptum conchyliis. At longè optimum purpuris Dialocense, id est, vario soli genere pastum.* E quibus *Calculense*, quod in calculo maris semper versatur, optimum ait esse conchyliis tingendis, h. e. conchyliatæ vesti, quæ dilutior ac pallidior erat purpurâ: sicut Dialocense, ad purpuras inficiendas præstantissimum erat. *Calculosum* idem vocat ibidem, *Calculosæ* (conchæ) *appellantur à calculo maris, mirè apto conchyliis*, &c. Vid. Salmasium *ad Solinum pag* 1133.

Calculi, parvi *calces*, Festo, *ex quo genere sunt calces, qui per diminutionem dicuntur calculi.* V. quoque Lucillium & Plautum, quibus *calces* sunt, quod ψῆφοι Græcis. Hinc Victor alter, ubi de Caligula, qui in Oceani litore conchas & lapillos teretes à militibus legi jussit armatis, armatus & ipse, spolia Oceani esse dictitans, *Neque secus*, inquit, *contractis ad unum legionibus, specie in Germaniam trajiciendi, conchas umbilicosq; in ora maris Oceani legi jussit, cùm ipse nunc fluxo cultu Venerisq; interesset, nunc armatus spolia à se non ex hominibus, sed cælestium capi dictitaret; scilicet quòd hujusmodi calces Græcorum dicto, quis augendi omnia studium est, Nympharum lumina accepisset.* Lapilli itaque *calculi*, quorum varius usus. Iis dies notasse Thraces, Plinius refert *lib* 7. *cap.* 40. *Vana mortalitas & ad circumscribendam seipsam ingeniosa, computat more Thraciæ gentis: quæ calculos colore distinctos, pro experimento cujusq; diei, in urnam condit, ac supremo die separatos dinumerat, atque ita de quoque pronuntiat.* In ludis adhibitos, dicemus paulò post: Ad numerandum item, V. suprà in voce *Calculator*: triumpho inserviisse, innuit Victor modò dicto loco. In primis celebris eorum in suffragiis usus fuit, unde *calculus* Lat. & ψῆφος Græcis, pro suffragio. Quam in rem insignis locus est Apocal. *cap.* 2. *vers.* 17. τῷ νικῶντι — δώσω αὐτῷ ψῆφον λευκὴν, καὶ ἐπὶ τὴν ψῆφον ὄνομα καινὸν γεγραμμένον. *Qui vicerit, — dabo ipsi calculum album, & calculo nomen novum inscriptum.* Et quidem apud Athenienses Populus, qui in concionem convenerat, primitus fabis usus est, postea testulis calculorum vicem, Suidas, ἀπὸ γὰρ τῶν ψήφων τὴν ψῆφον κυάμοις ἐχρῶντο ἐν ταῖς ἐκκλησίαις: Unde ψήφισμα, plebiscitum, *psephisma* quoq; Latinis. Senatus verò, *calculorum* loco folia adhibuit, non tantùm cùm Senatorum aliqui essent loco movendi (unde verbum ἐκφυλλοφορεῖν) sed & in sententiis ferendis. Mittebantur *calculi* in urnam, cum nomine, vel sententiâ iis inscriptâ: idq; per ψηφοβόλον, non minùs, quàm in talorum lusu. Nec enim manu suâ Judices calculos, quibus suffragia ferebant, in urnam conjicere consueverant, sed per vasculum oblongum vimine textum eos dimittebant in cadiscum, quasi per colum vel infundibulum, quod hinc ψηφοβόλον dictum est, aliter κημός. Hesychius, Κημὸς τὸ ἐπικείμενον τῇ τῶν δικαστῶν ὑδρίᾳ πεπλεγμένον ἠθμῷ παρόμοιον χώνῃ. Quemadmodum urna καδίσκος. Pollux, καδίσκος μὲν ἐν ᾧ τὰς ψήφους ἐγκαθίεσαν. Unde in rem tesserariam mos translatus, ut infrà dicemus. Plura V. ubi de *Suffragandi* ritu. Nec omittendus *calculorum* lapillorumq; hujusmodi usus in pavimentis, quæ hinc ψηφολογητὰ & ψηφολογητὰ dicebantur, quòd ex parvis variisq; calculis tinctis aut lapidum secturis, quibus diversæ formæ ac figuræ exprimebantur, tessellari solerent. Glossæ, *tessellatum*, ψηφοθέτημα, *tessellat*, ψηφοθετῶ. Lithostrotis item, quæ strata erant sectis parvulis marmorum crustis ex diversi generis & coloris marmoribus non tinctis. In Cameris tandem, ad quas pavimenta ex humo mota, *musivi* nomine *operis* transierunt &c. Qua de re V. Salmasium *ad Æl. Spartianum, in Pescennio Nigro* & *Exercitat. Plin. ad Solinum pag.* 1214. ut & hic passim.

Calculi Candefacti, V. infrà *Lapides.*

Calculi Lusorii, qui nonnullis *Palamediaci*, ab inventore Palamede Nauplii filio dicti, qui in obsidione Trojana, ut milites in officio contineret, illud ludicræ exercitationis genus excogitasse dicitur, *Latrunculorum tabulæ* dicuntur Senecæ *Epist.* 117. *in fin.* & Plin. *lib.* 9. *cap.* 54. quorum hic: *Mutianus*, inquit, *& latrunculis lusisse cerâ fictis simios prodidit.* Ovidius *de Arte lib.* 2.

Sive latrocinii sub imagine calculus ibit,
Fac pereat vitreo miles ab hoste tuus.

Unde non cereos tantùm, sed & vitreos fuisse patet: Imò & gemmei fuere. M. Martialis *lib.* 14. *Epigr.* 20.

Insidiosorum si ludis bella latronum,
Gemmeus iste tibi miles ac hostis erit.

Palamedis autem illam tabulam, donarii loco Deorum fanis dedicatam, summa apud posteros dignatione fuisse, docet Servius *ad Æneid. illud*,

Belidæ nomen Palamedis.

Fuit lusus hujus ingens apud priscos frequentia: imo & apud viros in Rep. eminentes, qui in hoc ludi genere superari probrosum ac ignominiæ proximum duxere. V. Senecam *Epist. superiùs laudatâ, de Tranquill. animi cap.* 14. *de brevitate vitæ cap.* 13. Flav. Vopiscum in *Proculo*, Thom. Dempsterum *in Joh. Rosini Antiqq. Rom. Paralipom. ad cap.* 1. &c. Cum Scacchiæ ludo hodierno idem videtur. V. ibi. Certè Salmasio totus hic ludus *Calculorum ludus* Vett. dictus est. Licèt enim ludus ille, quem πεττείαν dicebant Græci, nunquam sine *calculis* luderetur, tamen, quia latrunculorum lusus, cùm apud Græcos, tum apud Romanos, illis solis peragebatur, nullis tesseris, adeoque aleam non habebat, sed solam artem, hinc factum, ut *Calculorum* nomine simpliciter & absolutè latrunculos semper intellexerint Romani: κυβεία verò Græcorum tesseris calculisque constabat, artiq; pariter ac fortunæ in ea locus erat; Latini *aleam, tesseras, tabulam, duodecim scripta*, appellarunt, &c. Ovidius, *de Arte lib.* 3.

Cautaq; non stultè latronum prælia ludat,
Unus cum gemino calculus *hoste perit.*

Martialis,

Calculus *hic gemino discolor hoste perit*, &c.

Aliàs hi Calculi, *Latrones* quoque dicti, item *Milites*, ut visum. Hinc Auctor *Panegyrici ad Pisonem*,

—— *Plena tamen ipse phalange,*
Aut etiam pauco spoliatus milite vincis,
Et tibi capti cà resonat manus utraq; turba.

Græcè κύνες; qui quomodo ligarentur & caperetur, quomodo item sedes eorum fuerint appellatæ, V. infrà. Hinc *Calculus incitus*, in ludo latronum seu scaccorum dicitur, qui eò redactus est, ut cieri querique nequeat: hodie *scaccus mattus* appellatus Germanis Gallisque, i. *contritus*, subactus, eoque angustiarum adactus, ut moveri amplius non possit. Unde Prov. *ad incitas*, vel *ad incita redigere*, pro ad extremas metas compellere, & in summam desperationem aliquem adducere &c. Quam in rem V. plura apud Salmasium *ad Vopiscum in Proculo &* infrà, ubi de *Latrunculis* ac *Zatricio*. De Palamedis verò ludo, suo loco.

Caldariis decoquere, apud Luc. Tudensem in *Chron. pag.* 110. *Latrones suspendebat, alios igne cremabat, alios* caldariis *decoquebat, alios vivos comburebat*: supplicii genus fuit, quod ita describit, de quodam milite, qui pauperculæ fœminæ vaccam abstulerat, loquens Heremannus *de Restaurat. S. Martini Tornac. cap.* 21. *Protinus verò (Comes Flandriæ) vas aneum maximum,*

quod vulgus lebetē seu caldariam *vocat, publicè in foro videntibus cunctis, in sublime appendi & aquâ impleri præcepit, igneq; magno supposito, dum nimis ferveret aqua, Militem illum cum omnibus indumentis suis, etiam gladio accinctum, in* caldariam *projici fecit, sicq; eum in aqua ferventi necavit.* Potissimum in falsarios & monetarum adulteratores, id pœnæ genus decerni consuevisse, discimus ex *Chron.* Colmariensi *Part.1. A. C.* 1179. *Falsarius monetæ coctus in* Caldario *Columbariæ.* Et *ann. seq. In Sultz prope Rubeacum decoctus fuit monetarius* &c. V. Car. du Fresne in *Glossar.* & suprà ubi de judicio *Aquæ ferventis.*

Cale, Græcè Καλὴ, locus Atticæ, memoratus Stephano, in voce Ἀγ[illegible], idem fortè cum illo, qui vocatur Athenæo ἀκτὴ καλὴ, *pulchrum littus*; unde Cæcilius Orator oriundus. Sed & Harpocrationi *Acti*, locus Atticæ maritimus fuit, olim quoque sic dictus. Jacob. Sponius *Itinerar. Græc. Part.* 3. *pag.*139.

Calefactorium, Gall. *Chauffoir*, item *Poisle*, locus, ubi Monachi calefiunt, in *Chronico* Trudonensi *lib.*10. Item in numero ministeriorum sacrorum, in *Inventario* Ecclesiæ Eboracensis in *Monastico Anglic. Tom. III pag.* 173. *Item unum* calefactorium *argenti deauratum, cum nodis curiosis insculptis, ponderis unius unciæ. Item unum callifactorium de cupro deaurato cum nodis insculptis, ponderans* 10. *uncias.*

à Calendario, nomen servi apud Romanos, qui Calendario præponebatur ab Actore, ut pecunias domini exigeret, crederetque. Erat autem *Calendarium*, seu *paginæ Calendarum*, uti vocat Martialis *lib.* 8. *Epigramm.* 43. codex nominum, in quem nomen debitoris Seji aut Caji, cum summa pecuniæ singulis *Calendis* exigendæ referebatur, Scævola *l.* 40. *ff. de statu lib. Item quæro, an ea quæ exacta sunt per adjutores ejus* (Actoris,) *neque Calendario illata sunt aut fraudulenter acta, huic adscribi possint, cùm esset hic præpositus.* Seneca de *Benefic. lib.*1. *cap.*2. *Nemo beneficia in Calendario scribit, nec avarus exactor ad horam & diem debitorem appellat* &c. Posteà verò, cùm ostentationis ergò greges Amicorum, conduci inciperent, à viris opulentis & splendorem professis, uti videre est suprà, ubi de *Amicis*: quò ipsâ jactantia se proderet magis, *Calendaria* quoque amicorum excogitata sunt, in quæ nomina illorum inferrentur. Unde Seneca *de Benefic. lib.* 6. *cap.*33. *Nescis quantum sit pretium amicitiæ* &c. Et paulo pòst, *Quid? istos tu libros, quos vix Nomenclatorum complectitur aut memoria aut manus. amicorum existimas esse?* V. Pignorium *de Servis* & infrà in voce *Calendarium.*

Calenus, Eques Rom. Inter condiscipulos Marci Imp. apud Jul. Capitolinum.

Calere, apud Papinium Statium *Thebaid. lib.* 2.

Interior sacris calet, & sonat aula tumultu
Femineo, castæ matres pinxere corona
Argolides: pars virginibus circum undiq; fusa
Fœdera conciliant nova —— ——

Ad ignium festivorum amplitudinem pertinet. Quia enim auspicio bono & per sacrificia omnia, Fœdera inprimis, fiebant, magnus erat Sacerdotum numerus, magnus Sacrorum apparatus, magna victimarum copia, undè posteà ingentes epulæ instruebantur. Sic Claudianus *calida festa thalami* vocat, 1. *Stilicon.*

Conjugii nec dum festivos Regia cantus
Sopierat, recidit fuso Gildone triumfos,
Et calidis thalami successit laurea festis.

Et crassiùs Sidonius, cujus tempore contortiloquentia illa de familiari & communi Sermone, qui aliter, mistâ jam barbarie, placere non poterat, in stylum transiverat:

—— —— *Festorum afflata calore*
Jam minùs alget hyemi &c.

Casp. Barthius *Animadversion. ad Statium lib.* 3. *pag.* 385.

Calfurnius seu *Calpurnius* Sura, *Ephemeridas* vitæ Gallieni Imp. composuit, Trebellius.

Caliandria, aut, ut alii legunt, *Caliendra*, in supellectile Deorum Dearumq; ab Arnobio in calce *lib.* 6. enumerata, habentur; quæ videntur esse Regilla & *Calyptra* Dearum, ut exposuit Turnebus, *Adversar. lib.* 23. *cap.* 27. dicens, idem esse, quod *ricina*, utique restricta ad Reginas, cujusmodi omnes Deæ censebantur. Idem rursus *lib.* 7. *cap.* 29. *Caliandria* Arnobii arbitratur esse ea capitis operimenta, quæ Græci καλύπτρας vocant: quò citat illud ex 1. *Serm.* Flacci *Sat.* 8. — — *altum Saganæ Caliendrum*: ubi non omnes Interpp. veram vocis notionem expresserunt. Lambinus enim, ut alii quidam, non repugnante Gualtero, *comam ascititiam* exponunt: sed quod dictum, vero similius est. Meminit item *Caliendri*, tanquam pepli fœminei, Tertullianus *de Pallio cap.* 4. ubi queritur, sui ævi fœminas ejerasse omnia, quibus liberrare facilè & videre ac videri prohiberentur; & inter cætera *Caliendrum* prætermisisse, commemorat. V. Ant. Solerium *de Pileo Sect.* 6.

Calices coronandi ritus, V. infrà in voce *Crater.*

Calices fingendi artificium, Commodo Imp. in delitiis, de quo sic Lampridius, *Fuit in his artifex, quæ stationis Imperatoriæ non erant, ut calices fingeret, saltaret, cantaret* &c. Ubi legit Vir doctissimus, *Calices frangeret*, propter similem locum *in Vero*, qui per ludum & lasciviam, cùm iret comissatum, calices frangebat: *jaciebat & nummos in popinas maximos, quibus calices frangebat.* At Commodus id dicitur hoc loco fecisse, inter studia & artificia sua, quæ callebat: Quare inter cæteras artes ludicras, quas perdidicerat, & hanc quoque annumerat Lampridius, quòd *calices sciret fingere*, quod fingendi studium plures Imperatores amavisse, patet illorum vitas pervolutantibus. Imprimis autem in calicibus fingendis excellebant olim Ægyptii; namq; præter allassontes illos, de quibus suprà dictum: arte manuq; pretiosa pocula in Ægypto fingebantur, de quibus ita Martialis,

Adspicis ingenium Nili, quibus addere plura
Dum cupit, ha! quoties perdidit auctor opus?

Uti enim allassontes *calices* colorum varietate celebres erant, ita in his sculptura & cælatura visebatur: Vitrum namque olim etiam argenti modo cælatum fuisse, docet Plinius: *Aliud flatu figuratur, aliud torno teritur, aliud argenti modo cælatur, Sidone quondam iis officinis nobili.* In flatu autem figurandis vitris, ut nunc moris est, & in torno terendis, ut olim etiam solebant, nullum operis periculum: Nam & *audaces*, qui plebeii erant calices & parvo vænibant, torno formabantur; at sculpendis cælandisq; periculum non exiguum. Atque ii sunt omnino calices, qui *diatreti* dicebantur, de quibus suo loco. Salmasius *ad Vopiscum in Saturnino.*

Calicum quædam nobiliora genera, apud Vett.

Calices Ægyptii, apud Trebellium Pollion. *in Claudio, Calices Ægyptios operis & diversi decem*, ubi Casaubonus, *Vitrei*, inquit, *erant, sed singularis & stupendi artificii.* V quæ modò diximus.

Calices Allassontes, apud Vopiscum *in Saturnino, Calices tibi allassontes versicolores transmisi — quos tu velim festis diebus conviviis adhibeas*: ex Ægypto afferebantur, versicolores & magni omnino pretii, πολυτελεῖς hinc Straboni, *lib.* 16. V. suprà in voce *Allassontes.*

Calices Diatreti, dicti sunt calices Ægyptii, non varietate colorum, ut allassontes, [illegible] cælatura sculpturaque nobiles. V. infrà *Diatreti.*

Calices in gemmis, seu gemmati, apud Martialem, aurei erant, gemmas habentes insertas: cùm aurea emblemata argenteis poculis insererentur, Salmasius *ad Vopiscum loco citat.*

Calices Inæquales, apud Ambrosium *Serm.* 6. dicuntur propter bibendi intemperiem q. immodici. Apud Horatium verò, cùm, qui plus potest bibere, plus bibit: qui minus, non cogitur, sed animo obsequitur suo. Salmasius *ad Spartianum in Pescennio Nigro.*

Calices Versicolores, magni fuere pretii, sicq; dicti sunt, qui subinde colorem mutabant, alium atque alium aspicientibus, suspicientibus, despicientibus colorem exhibentes, sicut in palumborū collis videmus. Vitrum enim olim, uti etiamnum in varios colores fingi pingiq; consuevisse, Plinius docet: Nec enim alia materia sequacior, aut etiam picturæ accommodatior &c. de *Audacibus* dictum suo loco.

Calidæ gelidæq; minister, in famulitio Tricliniari, memoratur Juvenali *Sat.* 5. quò & Seneca respicit, *de Ira lib.* 2. *cap.*25. *Inde & illud sequitur, ut minimis sordidisq; rebus non exacerbemur. Parùm agilis est puer aut tepidior aqua potui erogata, aut turbatus torus aut mensa negligentiùs posita*; V. Laur. Pignorium *Comm. de Servis.*

Calidaria Maltha, dicebatur olim, quâ loca in balneis scissa & corrupta reficiebantur; quemadmodum *frigidaria*, quâ piscinarum, cisternarum ac puteorum rimæ ac lacunæ, farciebantur ac solidabantur. Et quidem utrique calx admixta; in *calidariā* verò compositionem, ceram quoque albam & picem additam, tradit Palladius. Unde & πισσόκηρον *maltham* Græcè exponit Auctor *Glossarii*; Itali *Smaltum* hodie appellant. Ipsum verò malthationis vel solidationis hoc genus Veteres *ferruminationem*, Græci [illegible], dixerunt. V. Salmasium *ad Solinum pag.* 1096. & infrà in voce *Maltha*, item *Solda.*

Calidarium, Vitruvio *lib.* 5. *cap.*14. & Celso *lib.* 2. *cap.*17. *Laconicum* nuncupatum, pars fuit balnearum apud Romanos, in quam ex Tepidario transibatur: cella viz. nullam aquam intra se continens, atque ad provocandum sudorem instituta; ob quod nonnullis *Calida sudatio*, sicut à Cicerone *lib.* 3. *ad Q. F. Epist.* 1. *Assa* nuncupata est. De qua sermonem faciens Columella *de R. R.* hæc contra sui temporis mores scripsit: *Mox deinde, ut apti veniamus ad ganeas, quotidianam cruditatem Laconicis excoquimus & exsucto sudore sitim quærimus.* In hac tempe vapor calidus, seu calor siccus inclusus sudorem provocabat haud aliter, ac super Bajas myrtetis, ubi tempore Celsi, è terra profusus calidus vapor, ædificio inclusus maximos sudores ciebat: cujus rei Horatius quoque meminit, *lib.* 1. *ad Vallam Epist.* 15.

—— —— *Sanè myrteta relinqui*
Dictaq; cessantes nervis elidere morbos
Sulphura contemni.

Unde errant, qui apud Vitruvium *lib.* 5. *cap.* 10. Tepidarium ac Calidarium seu Laconicum idem faciunt; Namque & Celsus manifestè *Laconicum* vocat, ubi calor siccus eliciebat sudorem, quod Tepidario minimè convenire quivis facilè intelligit. Henr. Valesius

vissimè significat Martialis, balnea Etrusci describens, *lib. 6. Epigramm, 42.* ubi inter alia ait,

Ritus si placeant tibi Laconum,
Contentus potes arido vapore
Crudâ virgine, Marciaq; mergi.

Sed & illi magnopere falluntur, qui *Calidarium*, quòd rotundum, ac veluti turricula in hæmisphærium camerata foret, idem cum Sphæristerio fuisse contendunt: in loco enim calido, sudationibus destinato, ludum pilæ aliasque exercitationes in Sphæristerio obiri solitas, fieri consuevisse, rationi consentaneum neutiquam est. De Laconico verò verba Juvenalis *lib. 4. Sat. 11.* possunt intelligi,

Qui Lacedæmonium propysmate lubricat orbem.

Ubi reprehendit quendam, quòd copiosè exspuendo efficeret, quo minùs in *Calidario* ambulantium pedes firmari valerent, &c. V. quoq; infra in voce *Laconicum* Post *Calidarium* sequebatur cella calida labris aquæ continendæ positis referta, in qua quòd lavarentur, *Calidæ lavationis*, à Vitruvio, & λουτρῶ à Galeno 10. *Meth.* nomen est adepta: quam & ζεστὸν vocavit Antigenes apud Eundem *lib. 8. de compos. Medicam.* Erat ea primaria Balnei pars, & proin à nemine de ipsa quidquam in dubium est vocatum: Nonnulli tamen concameratam sudationem & *Calidarium* & *Calidam lavationem* complexam fuisse, apud Vitruvium contendunt; qui in balneis Gymnasiorum Tepidarium omisit, quòd id Græcorum non haberent palæstræ. Cæterùm *Calidario* atque *Calidæ lavationi*, Aquarium erat adnexum; Subtus verò Hypocaustum erat, uti pluribus diximus suprà, ubi de *Balneis*. V. Hier. Mercurialem *de Arte Gymnastica, lib. 1 cap. 10.*

Caliendra, V. suprà *Caliandria*.

Califa V. infrà *Calipha*.

Caliga, nomen calcei militaris, qui *Uncinatus* aliàs dictus est: à quo *Caligula* Imp. est cognominatus, V. suprà in voce *Calceus*: item in *Caligula*. Veteris lapidis fragmentum: C. OPPIO. C.F.V. BASSO, P.P.P.C. PR. ID. AUX. LEG. IV. FL. FEL. ET. LEG. II. TR. FORT. EVOC. AUG AB ACT. FORIBUS. P.R. PR. MILIT. COH. II. PR. ET. COH XIII. ET XIV. URBAN. OMNIBUS. OFFIC. IN CALIGA. FUNCTO. CENTURIONES. LEG. II. TRAJANÆ. FORTIS. Fuere autem vel spiculatoriæ, vel elevatæ, vel fasciatæ, vel gemmatæ, vel sacerdotales, de quibus Grammatici, Critici ac Historici passim. V. Thom. Dempsterum *in Joh. Rosini Antiqq. Rom. lib. 10.* Dictum est hoc calceamenti genus, Isidoro ἀπὸ τῶν ξύλων, *à lignis*, quòd solis constaret, ut illi quidem visum, ligneis; σανδάλια ὁπλιτικά, *militaris calceus*, Dioni *lib. 48.* vocatur. Unde militia *Caligata* Tertulliano *de Idol. cap. 19.* ubi tamen notandum, licèt omnes milites sic calceati essent, sæpius tamen *Caligatorum* nomine manipulares seu gregarios; & *Caligæ*, infimum militiæ ordinem indigitari consuevisse. Sic Marium Seneca *de Benefic. lib. 5. cap. 16.* dixit, *à Caliga ad Consulatum pervenisse*: & *juventam inopem in Caliga militari tolerasse*, ait de Ventidio Plinius *lib. 7. cap. 43.* Cùm verò militum alii aliis honoratiores essent, in *Caligis* discrimen inter alia etiam in clavis, qui illis suffigebantur, fuit: quorum alii ferrei, alii argentei, nonnulli denique aurei essent. Et quidem *auro suffixisse caligas gregarios Antiochi milites* tradit Justinus *lib. 38.* Vulgò autem ferreis utebantur: iisq; quam plurimis, unde *millia clavorum* dixit Juvenalis *Sat. ult. vers. 25.* & extrorsum versusq; solum acutis, ut ex Plinio discimus *lib. 9. cap. 19.* In idea tamen *Caligæ* militari, sub lucernæ specie, à Liceto *de Lucern. lib. 6.* nobis exhibitâ, clavi, an ornatûs, an commodioris usus causâ, rotundiores sunt, V. Ben. Balduinum *de Calceo antiquo cap. 13.* E sandaliorum sive crepidarum genere *Caligæ* fuisse videntur: quamvis enim ad mediam usque tibiam ascendebant, digitos tamen pedum non includebant; ut videre est ex arcu Constantini, ubi Caligam clavatam videmus, apud Jos. Castalionem *Dec. 2. Observ. cap. 4.* Unde haud malè vetus Actorum Interpres σανδάλια, *caligas* vertit, ut & Glossæ σανδάλια, *caligæ*: Ita Alb. Rubenius *de Re Vestiar. lib. 2. cap. 1.* Nigronius verò veram & priscam caligam militarem, stante Rep & primis, sub Impp. soleam tantùm fuisse, plantæ inhærentem, pedi tausq; alligatam loris sive habenis, neque ad crus surgentem, probat ex eodem arcu, & columna insuper Trajani: atque in hoc à calceo Senatorio caligam distinguit. Neque tamen cum Rubenio conciliari non potest: siquidem in arcu præfato, milites gregales caligâ modò descriptâ calceati visuntur, Imperatoris verò solius calceus, usque ad mediam tibiam, utpote reliquis ornatior, assurgit. Fiebat autem hoc calceamenti genus è corio, & secundùm quosdam lignum habebat suppactum, ut vidimus ex Isidoro, qui proin vocis originem inde arcessit: Nigronius verò, ex statuis vett. columna arcuq; prædictis, non nisi soleam eamq; tenuem plantæ substratam fuisse, docet, quæ clavis, utpote minutis, facile sufficiebat. Unde *Caligam* definit, *soleam sine obstragulo, habenis alligatam pedi, multis minutisq; clavis infernè suffixam*; & prolixiùs ex columna Trajani de ea sic disserit: *Passim hic milites calceati cernuntur calceis quibusdam, qui solearum in modum plantam muniunt, sine obstragulis, quæ superiorem pedis partem tegant. Habenis adstringuntur supernè sæpiùs circumductis, quæ bis supra talos tibiam circumvolvunt. Observatam à me duplicem Caligæ formam hoc loco exprimi curavi. Alteram, in pedibus vigilum & militum prætorianorum vidi, decussatis supra pedem corrigiis, atque inter priores digitos perductis. Alteram vulgarium militum, circumvolutis varioribus, suprà pedem tantùm, non inter digitos habenis.* Et paulo pòst, *Post priores editiones, accepi Romæ in arcu triumphali Constantini, multos extare milites caligatos: curavi exprimi effigiem caligæ atque ad me mitti; ex qua deprehendi, per tot annos formam non esse mutatam, & cum ea, quam expressi, ex toto congruere.* Axungiâ porcinâ inungi consuevisse, idem in præcc. ostendit, ex Beda, qui *in Vita S. Cuthberti Episc. cap. 8. & 10.* axungiam à corvis allatam eum præbere solitum esse fratribus peregrinis, *ad ungendas caligas*, scribit &c. V. Jul. Nigronium *lib. de Caliga toto*, inprimis autem *cap. 2. & 4.* Ut verò postea id calcei genus, ad urbanos quoque homines, viatores, rusticos, religiosos, mulieres transierit, ex eodē disces *cap. 3.* Namq; & Monachorum propriam fuisse *Caligam* Haeftenus docet *Disquisit. Monastic. lib. 5. tr. 5. disquis. 3. & 4.* Erant autem & hæ caligæ elevatæ ut testatur Gregor. Turonensis, Gregorius item M. *Dial. lib. 1. cap. 4.* Alii, quemadmodum olim militum, uti præter dicta Plinius *lib 9. cap. 18.* Juvenalis *Satyrâ 3 & 16.* Josephus *de B. Jud. lib. 7.* & Egesippus *de Excidio Hierosolym. lib. 5. c. 30* docent. Eædem erant & *follicantes* h. e. laxæ, neque minùs adstrictæ &c. Imò & Episcoporum; quos, priusquam sandalia induant, caligis ad genua usq; protensis crura revincire, Durandus *in Rationali lib. 3. cap. 8.* ait. Hinc *Caligarii*, quorum corpus memoratur Æl. Lampridio in *Alexandro Sev. Corpora omnium constituit Vicariorum, Lupinariorum*, Caligariorum *& omnino omnium artium, hisq; ex sese Defensores dedit, & jussit, quid ad quos Judices pertineret.* Sunt autem *Caligarii*, Græcis recentioribus Καλιγάριοι, caligarum confectores, quorum mentio in vet. Inscr. *C. Atilius C. F. Justus Sutor caligarius sibi & Corneliæ* &c. Ab iis dicta Constantinopoli *Porta Caligariorum* fuit, cujus meminit Phrantzes *lib. 3. c. 11.* & Leunclavius in *Pandecte Turcico num.* 200. &c.

Calingii, adde: Metropolis eorum Mariaba, teste Plinio *lib. 7. cap. 2. Calingii, quorum Mariaba oppidum, significat dominos omnium.* Quam tamen *ibid.* omnium populorum, qui *Sabæorum* nomine comprehendebantur, caput esse tradit. V. Salmasium *ad Solinum pag.* 497.

Calipha, summus dictus est Muhammedanorum Pontifex, qui solus jus ac potestatem habuit coronandi ac declarandi Imperatorem fidelium (uti suos vocant) *E mirelmu-Menina*, ex quo vocabulo natum est monstrosum illud *Admiralii Murmelii*, quod in historiis Christianorum frequenter occurrit. Sedes ejus Bagdadum fuit, totius Asiæ ac Saracenorum caput, de qua urbe occupanda, utraq; gens Turcarum Persarumq; tanto studio contendit, quasi imperium Asiæ penès eum esset, qui illâ potiretur &c. Georg. Hornius *Orb. Polit. part. IV.* V. quoq; infrà in voce *Chalifa*.

Calix, apud Plinium *lib. 21. cap. 4.* ubi de rosa: *Quo mox intumescente & in virides alabastros fastigato, paulatim rubescens dehiscit, ac sese pandit in* calices, *medio sui stantes amplexa luteos apices*; propriè *flos* dicitur Vopisco in *Aureliano*: à *calice*, quo bibitur, Græcè κύλιξ, à cujusmodi calicum similitudine, in floribus dicti *calices*, quos *calathos* etiam aliis appellatos suprà vidimus. Aliter in Narcisso, ubi idem Plinius *calicem* vocat purpureum illud vel croceum, quod intus habet, quodq; effigie calicis est & velut corona, quæ in orbem currit croceum; *florem* verò, quæ in ambitu sunt candida folia. At *calix*, Græcè κάλυξ, inter alia, significat florem rosæ adhuc conniventem & nondum apertum. Hesychius, Κάλυξ, τὸ ἄνθος τοῦ ῥόδου, τὸ μὴ ἀναπεπταμένον. Glossæ, *conivum*, κάλυξ ῥόδου, μεμυκός. V. Salmasium *ad Solinum pag* 102.

Calla, apud Plinium *lib. 27. cap. 8. duorum generum est: una similis aro — alterum genus ejus quidam anchusam vocant — radice rubra* &c. à Græco κάλλα, quod homonymum. De purpureo enim colore vocem alias usurpat Hesychius, Καλλαΐνα, πορφυρᾶ, l. κάλλαι, ἄνθη, πορφυρᾶ: ut in Etymologico, Κάλλα, τὰ ἄνθη. ἢ τὰ πορφυρᾶ ἱμάτια; & in Suida, Κάλλα, τὰ πορφυρᾶ ἱμάτια. Quâ notione eam acceperunt Æschylus & Eupolis. Est & flos ejusdem nominis, ex quo fit color. Idem Hesychius, Κάλλη, εἶδος ἄνθους ποιοῦ πρὸς βαφὴν ἁρμόζον, *Calle floris genus ad tingendum aptum*, Inde κάλλαια, purpurea quævis & gallorum paleæ seu barbæ, à purpureo colore, apud Aristophanem *Equitibus*, Aristotelem *Histor. lib. 9. cap. 49.* Athenæum *lib. 9.* Pausaniam *in Bœoticis*, Hesychium, Alios. Indidem χρῶμα καλλάϊνον vel καλλάϊνον deducunt Etymologus & Hesychius, quorum hic apud Ægyptios id vocabuli in usu esse testatur. Atque sic per aphæresin καλλάϊνα mutari potuit in Æthiopicum *laja*, quo pro coccino utitur Æthiops Interpres Apocal. *cap. 17. versu 4.* & *cap. 18. versu 12, 16.* &c. At alibi καλλάϊνον dici videas colorem Venetum seu purpureum. Incertus Auctor *de Circo*, apud Salmasium *ad Solinum*, Βένετον δὲ οἱ Ῥωμαῖοι τὸ παρ' ἡμῖν καλλάϊνον χρῶμα προσαγορεύουσι. Martialis *in Apophor.*

Induerat albas, exue callainas,

i. eodem Interprete, *Venetas*, seu *cæruleas*. Arethas *in Apocalypsin cap. 76.* de Sapphiro, Οὗτος ὁ καλλάϊνος χρώματι κεκλήρωται, ὃν ... Βένετον φασι, τῷ δογμάτι ... χρώματι, οἷος τοῦ ἀέρος βάθος. *Is callaini cùm sit coloris, quem nonnulli Venetum vocant, cæruleo colori similis est aut profundo mari.* Est & lapis *Callais* Sapphiro similis, de quo mox. Similiter apud Dioscoridem *lib. 5.* inter Jaspidum species est, ὁ τερμινθίζων καλλάϊνος χρώματι προσεμφερής:

pro

pro quo Recentiores γαλάιζον, hodieque Græci γαλάζιο dicunt &c. Atque hæc causa est, quòd Epiphanius idem esse dicat ὑακίνθινον & γαλάζιον; quoniam nempe utraque vox non solùm pro colore purpureo, sed & pro cœruleo usurpatur, quomodo sumit Epiphanius *in Alogis Sect.* 34. V. Sam. Bochartum *Hierozoici Part. poster lib V. cap.* 10. *ubi hyacinthinum colorem* (de quo Heb. הכלת *Ikeleleth*, in Sacris exponunt Græci) *esse eundem cum cæruleo, aut saltem illi vicinum*, pluribus docet.

Callaica vel *Callaina*, apud Plin. *lib.* 37. *cap.* 10. & ex eo Solinum *cap.* 20. *Nam in Germania continentibus Callaica reperitur, quam gemmam Arabicis anteponunt, vincit enim gratiâ. Arabes quidem dicunt non alibi reperiri, quàm in nidis avium, quas melancoryphos vocant: quod nullus recepit, cùm apud Germaniæ Populos, quamvis rara, in saxis tamen pareat. Honore & pretio ad smaragdos, vires pallidum: nihil jucundius aurum decet*: sub. *Gemma*, à colore sic dicta est; cùm in aliis pleri sque gemmis color ab ipsis nomen habeat. Nempe *pallidum vires*, quem Venetum seu Callainum colorem esse, ait Salmasius, V. suprà. Optimum in ea esse smaragdi colorem, Plinius habet. Quod verò Solinus de *Germania* scribit, de *Carmania* intelligendum esse, idem docet Salmasius ex Plinio *lib.* 37. *cap.* 8. Neque pretio & honore Callaica par smaragdis, fragilis enim. & pulcherrimæ earum oleo, unguento & mero colorem deperdunt, cùm contra smaragdi, quæ naturâ minus virides sunt, oleo & mero proficiant. Imò ne topazio quidem comparanda, quem sexto loco inter gemmas numerant, cùm smaragdus tertium obtineat. Similem tamen topazio Plinius facit, colore viz. quem Alexander Polyhistor ait esse, velut olei recentis, quod ita viride est, ut tamen ex aureo colore aliquid trahat. Interim auro decorando, hoc est, poculis aureis, quæ hinc λιθόκολλητα & διάλιθα Græcis, aptissima visa Callaica; quod tamen & de aliis gemmis viridibus legimus, V. infrà ubi de *Poculis aureis gemmatisq*. Alia à *Callaica* gemma *Callais* videtur, ex eodem Plinio *d. l.* ubi de Callaide, *Callais*, inquit, *Sapphirum imitatur, candidior & littoroso mari similis*. Sapphirus autem vel purpurea est vel cœrulea; quarum illam *Callais* eo auctore imitatur, quæ candidior est, id est, purpuræ dilutiori & littoroso mari, nec ita alto (quod χερσώδει & πλεύσιμον Græcis) similis. V. Salmasium *ad Solinum pag.* 236. *& seqq.* ubi inter alia *Callaidem* cum turquesia confundentes refellit, ut & suprà in voce *Calla*.

Calle, Græcè κάλλη, Hesychio εἶδος ἀνθινοῦ πρὸς βαφὴν ἐργαζόμενον. *Floris genus ad tingendum aptum*. V. *ibid.*

Calles, apud Solinum *cap.* 25. *Serpentes propter semitas delitescunt, per quas Elephanti assuetis callibus evagantur*: sunt viæ pecorum vestigiis tritæ, uti Glossæ exponunt. Certè Livius lib. 22. *Nos*, ait, *hic pecorum modo, per æstivos saltus & devios calles exercitum ducimus*. Agatharchides de elephantis loquens, τὰς τῶν θηρίων διεξόδους, *ferarum devia*, Plinius *tritum iter* appellat. Hinc *secreti calles*, apud Virgilium *Æneid. lib.* 6.

> *Hic quos durus amor crudeli tabe peredit,*
> *Secreti celant calles* —

& *occulti calles*, *Æneid lib.* 9.

> *Sylva fuit latè dumis atq; ilice nigra,*
> *Horrida* —
> *Rara per occultos ducebat semita calles &c.*

V. Salmasium *ad Solinum pag.* 328.

Calliæ duo fuerunt, quorum sæpe meminère Græci, *Dives & Nepos*, uterque Hipponici, uterque δᾳδοῦχος Eleusinæ Matris, quod honestissimum Athenis munus erat, sicut contra Μητραγύρται, seu famuli matris Idææ, vilissimi ac profligatissimi errones erant. Tertius memoratur Phænippi filius, Hipponici pater: quem virum fuisse dignum, cujus memoria vigeat & præclarum vindicem Patriæ libertatis; solum Athenienfium Pisistrati in exilium pulsi bona ab hasta emere ausum & omnia in eundem infesta machinatum, Olympia vicisse equo, quadrigâ secundum locum tenuisse: Pythiis prius quoque præmium tulisse, & inter omnes Græcos magnificentiâ, etiam in dote danda filiabus, eminuisse &c. refert Herodotus *lib.* 6. Eundem τὴν ἐρυθρὰν ψάμμον sive *minii* invenisse, dum sperabat aurum posse excoqui arenâ rubente, in metallis argenti, ait Plinius *lib.* 33. *cap.* 7. Fuit hic avus *Calliæ divitis*, qui Olymp. 72. ann. 2. cùm in prælio Marathonio in barbarum incidisset, hicque eum habitu Sacerdotali tæniisque revinctum, ceu diadema gestaret, pro Rege adorasset & thesaurum ei monstrasset in puteo defossum, misero indice contra datam fidem occiso, repentè dives prodiit & λακκόπλουτος dictus est, Schol. Aristoph. in *Nubib.* Nisi mavis cum Gronovio illum sic potiùs appellatum esse, quòd avitum quæstum secutus magnas pecunias ex metallis fecisset, ut refert Cornelius Nepos *in Cimone*. Hic Cimone, cujus sororem Elpinicem in matrimonio habebat, Cyprum subjugante, ad Artaxerxem fuit legatus pacificator, teste Diodoro Siculo, & Imperator Atheniensium victorque ad Potidæam contra Corinthios, occubuit Olymp. 87. anno 1. successore Phormione, ex filio Hipponico pater *Calliæ* iterum, qui δᾳδοῦχος quoque propter libidinem luxumque traducitur ab Aristophane in *Ranis & Avib.* amicus Socratis & Alcibiadis familiaris: quem cùm Thebani ejecissent è Bæotia Platæenses & Thespienses, Athenienses de pace ineunda legatum miserunt *&c.* Vide Johan. Fr. d. Gronovium *Observation lib.* 4. *cap.* 7.

Callicrates, Artifex, adde: unde mirabilem oculorum aciem in eo ostendit Plinius; qui enim satis clarâ oculorum acie fuerat in illis partibus animalium subtilissimè sculpendis, utique etiam sculptas facilè cernebat, quas cœteri videre non poterant. Quin etiam, ut ea operum minutalia faciliùs cernerentur, admovebantur setæ nigræ, ut candor eboris, opposito setarum nigrore, oculorum aciem magis adverteret, uti testatur Varro *de L. L. lib.* 6. apud Salmasium *ad Solinum. pag.* 46.

Callicratides seu *Callicrates*, Græcè Καλλικράτης, Athenæo *lib.* 11. refertur inter nobiles Toreutas, Καλλικράτης ὁ Λάκων καὶ Μῦς. *Callicrates Laco & Mys.* Unde Salmasius, apud Plinium *lib.* 33. *cap.* 12. *Post hos celebratus est Calamis — Mox Cyzicenus Tauriscus, item Ariston — & circa Magni Pompeji ætatem Praxiteles, Posidonius Ephesius, Lædus Stratiates, qui prælia armatosque cælavit*: Pro *Lædus Stratiates*, legi vult, *Laco Callicrates*. V. eum *Exercitat. Plin. ad Solinum pag.* 1047.

Calliena, nobile olim Orientis Emporium, cujus mentio apud Auctorem *Peripli*, Καλλίενα πόλις ἐν ᾗ τῶν Σαραγάνου τοῦ πρεσβυτέρου χρόνων ἔμπορον ἔνθεσμον γενόμενον, μετὰ γὰρ τὸ κατασχεῖν αὐτὸ Σανδάνην ἐκωλύθη ἐπὶ πολύ, *Calliena urbs, tempore Saragani senioris (qui ibi regnaverat) emporium fuit celebre, postquam verò Sandates* (Saragani successor) *illud occupavit, multum pristini splendoris perdidit.* V. Salmasium *ad Solinum pag.* 1186.

Callinicus, Græcè Καλλίνικος, Herculis cognomen, apud Pindarum & Euripidem. Hinc saltatio eidem sacra, modus item tibiæ in Pæanibus, eodem nomine insignitus, Jul. Cæs. Scaliger *Poëtic. lib.* 1. *cap.* 18. *&* 20.

Callionymus, piscis est, cujus felle Medici utuntur ad extergendas albugines, quique interdiu in terram exire legitur, ad somnos capiendos, ἡμεροκοίτης propterea dictus Oppiano *Halieutic. lib.* 2. Unde Franciscus Vallesius, magni acuminis olim Philosophus in Hispania, eum, cùm suo more in terram egrederetur, Tobiæ terrorem incussisse, ac si voraturus accederet, adeoque non alium Tobiæ *cap.* 6. piscem, quàm *Callionymum* intelligendum esse contendit. Cui favet, quòd ex Gesneri sententia Callionymus est Arabum *Sabot*, piscis genus, quem Damir scribit frequentem esse in Tigri flumine, & Abenbitar, in Euphrate, ac ex ejus felle fieri collyrium. Sed marinus piscis *Callionymus* est, non fluviatilis; vix pedalis magnitudinis, pisciculisque vesci solitus, quos apophysi quadam ex ore demissâ in ranæ modum venatur. At ille de quo Auctor libri Tobiæ, in Tigri fuit repertus, prope Ninum quingentis minimùm à mari milliaribus. Idem fuit Anthropophagus, magnæ molis, nec minoris audaciæ, ut qui Tobiam aggredi non timuerit. Sed nec, quod supponit Vallesius, piscis ille in terra fuit, verùm emersisse ex mediis aquis dicitur, ut in Tobiam irrueret, dum in flumine lavabat pedes. Quod sequentia palàm docent, cùm juvenem eum in terram attraxisse ait scripti illius Auctor. Præterea ut concedatur, edulem esse callionymum, quod nonnulli asserunt, οἱ δὲ πολλοὶ ἀδιάλειπτον αὐτοῦ, *plerique illis contradicunt*, auctore Æliano *lib.* 13. *cap.* 4. non tamen pro viatico duobus viris suffecerit caro tantuli piscis, à Tigri fluv. Ragas usque, quæ distabant itinere minimùm decem dierum, ut alia omittam. Idem verò & οὐρανοσκόπος appellatur aliter, quia, cùm oculos habeat in superna parte capitis, cœlum etiam invitus intuetur: Atque hoc *pulchrum* illud *nomen* est, unde vocatur Καλλιώνυμος. Sam. Bochartus *Hierozoici part. poster. lib. V. cap.* 14. *pag.* 749. *ubi de Pisce Tobiæ.*

Callipodes, pop. Solino memorati *cap.* 14. *Hypanis oritur inter Auchetas, Scythicorum amnium princeps, purus & haustu saluberrimus usque dum Callipodum terminis inferatur, ubi fons Exampæus infamis est amarâ scaturigine.* Et Melæ, qui Hypanim *Callipidas* includere scribit, non tamen usq; ad *Callipodas* dulcem fluere. V. Salmasium *ad Solinum pag.* 187. ut & in voce *Callipidæ*, quæ ab Herodoto gens ista appellatur.

Callipus Atheniensis, adde: Mel. *Callippus*, eodem pugione, quo Dionem sub amici specie interfecit, rursus à sociis necatus est, V. Augustinum in *Epistol. pag.* 553.

Callirhoë, fons in agro Attico, adde: Oritur ex Ilissi flum. alveo, hodieque priscum nomen retinet. Ab Enneacruno fonte, quem Pisistratus fieri curavit, eum distinctum esse, docet Jac. Sponius *Itinerar. Græc. Part.* 3 *pag.* 210. Solino sic & Plinio suffragatus, contra quos tamen V. Salmasium *ad Solinum pag.* 141.

Callistagoras, Teniis olim cultus est, Clem. Alexandr. *Admonit. ad Gentes.*

Callistratus JC. inter discipulos Papiniani & Consiliarios Alexandri Sev. Lampridius.

Callithrix seu *Callitrichum*, apud Plinium *lib.* 25. *cap.* 11. idem cum Trichomane, de quo infrà, Græcè καλλίθριξ: sicut Adiantum propriè *Polytrichon* dictum est, quæ tamen cognomina Auctores plerunque confundunt. Salmasius *ad Solinum pag.* 1294. Sed & *Callitriches* inter simiarum genera recensetur Plinio *lib.* 8. *cap.* 54. *Efferatior cynocephalis natura, sicut mitissima satiris & sphingibus. Callitriches toto penè aspectu differunt: barba est in facie, caudâ latè fusa primori parte.* Nempe caudatarum, quæ Græcis κερκοπίθηκοι; de quibus festivè Juv. *Sat.* 10. *de rugosis, cui,*

— deformem pro cute pellem,
Pendentesq; genas, & tales aspice rugas,
Quales, umbriferos ubi pandit Tabraca saltus,
In vetula scalpit jam mater simia bucca,&c.

V. Dalechampium *Not. ad l.* & de Simiis plura apud Solinum *cap.* 40. Aristotelem *Histor. Animal. lib.* 2. *cap.* 8. Alios, ut & infrà suo loco.

Callus, item *nucleus*, de margaritis, apud Plinium *lib.* 9. *cap.* 35. *Sani quidem partus multiplici constant cute, non impropriè* Callum *ut existimari corporis possit.* Et paulò pôst, *Multo deinde obrutas sale in vasis fictilibus, rosâ carne omni, nucleos quosdam corporum, hoc est, uniones decidere in ima.* Nempè, *lapides* quidem & *lapillos* margaritas Solinus, *gemmas* Ammianus, *lib.* 23. Arabesque Scriptores *Aliobar*, quod idem est, passim vocant: At alii, Latini præcipuè, margaritas extra gemmarum censum ablegarunt. Unde Plinius inter gemmas & lapillos margaritis locum neutiquam dedit, seorsim earum naturam persequutus, *calli* & *nuclei* nominibus de illis usurpatis. Imò cùm gemmarum nomina S. Scriptura singulari numero efferre soleat, vocem *peninim*, quâ margaritæ indigitantur, in plurali usurpat: quòd in annulis & ornatu quotidiano ferè singulæ gemmæ adhiberi, at margaritæ in torquibus & monilibus plures conseri soleant. V. Salmasium *ad Solinum, pag.* 1115. Et quidem margarita non est lapis in terra editus, quomodo gemmæ propriè dictæ, unde Genescos *cap.* 2. *versu* 12. ubi dicitur, *ibi Bedolach & lapis soham, Bedolach*, i. margarita, non vocatur lapis, ut sequens *soham*: tamen nihil obstat, inquit Bochartus, quominus margarita vocetur lapis in concha editus, quomodo multos alios certum est in animalibus nasci; in galli jecore lapidem alectorium: in ventriculis hirundinum & lacertorum, chelidonium & sauritem: in oculis hyænæ & testudinis, hyænium & chelonium: in felle porci & hystricis, porcinum & Malacensem: in cerebro draconis, dracontiam. cynædium & synodontitem, in cerebris piscium cognominum, &c. Quare si qui margaritam *nucleum*, aut *callum*, aut *verrucam* aut *ossiculum* appellant, ita appellant eidem analogicè, propter similem duritiem. Alioquin enim nucleus pomorum aut nucum est proprius; *callus* & verruca in cute nascuntur; margarita, in media conchæ carne: ita tamen, ut ossis vices supplere non possit, cum non eodem modo se habeat in omnibus. In plerisque scilicet concharum, omnino nulla, in aliis plures numero procreantur, quemadmodum Ælianus in una concha memorat viginti fuisse editas, Americus centum & triginta, &c. Quam in rem V plura apud illum, *Hierozoici Parte poster. lib.* V. *cap.* 8. ubi ex consensu gentium, sub genere lapidum, non nucleorum aut ossium, margaritas contineri, pluribus docens, inter alia, Chaldæos margaritas כיפי, id est, *lapides*, simpliciter nominare, observat, ex Pomario, post auctorem Baal Aruch.

Calma, vulgò *Chaune*, locus Galliæ, in Briegio, veteri Monasterio insignis: ad Parisios pop. pertinens, V. Hadr. Valesium *Notit. Gall. in voce Briegium.*

Calmiciacum, locus Galliæ, haud procul Remorum urbe, Frodoardo in an. C. 922. memoratus, nunc *Chermizy* dicitur: Ejusdem ferè nominis est *Culmisciacum* villa, vulgò *Cormicy*, in eadem diœcesi. Hadr. Valesius *Not. Gall.* in voce *Culmisciacum.*

Calocerus seu *Calogerus* nomen apud Græcos Monachorum, eorum præsertim, qui senio & ætate venerandi, ex καλὸς *pulcher*, & γέρας, *senium*. Phil. Mazerius in *Vita* S. Thomasini Patr. C P. *num.* 130. *Et alij divisi ab Ecclesia, maximè Græci* & Calogeri *eorum.* In *Vita* S. Severi Abbatis Agath *cap.* 16. *Adolescentiores Calogeri, tam quotidiani operis, quàm labore jejunij, victi.* Sic Καλογέρω epitheton Episcopo Thessalon. tribuit Palladius in *Vita* Chrysostomi *pag.* 26. V. Stephanum Paschasium *in Disquisition. Francic. lib.* 8. *cap.* 50. Moniales similiter Καλογραίας vocabant. Ad quorum imitationem Τουρκοκαλογέρους, *Turcocalogeros*, Monachos Turcicos, qui vulgò *Dervisii* dicti, appellat Ducas *cap.* 21. & *cap.* 42. apud du Fresne *Glossar.* Habent autem *Caloieri* seu Sacerdotes Græcorum, præter 4. Jejunia seu Quadragesimas communes, de quibus suo loco, tres alias peculiares: Quarum prima *S. Demetrij* dicta 26 dies; Altera, incipiens Kal. Sept. 14. dies ante exaltationem S. Crucis; Tertia, ante Festum S. Michaelis, 8. dies durat. Jacobus Sponius *Itinerar. Græciæ Part.* 2. *pag.* 354 Cæterùm rudes sunt magna ex parte, & vix Religionis suæ elementa norunt, &c. Idem *Ibid.* passim.

Calon Stoma, apud Plinium *lib.* 4. *cap.* 21. ubi de Danubio, *tertium Calon stoma, juxta insulam Sarmaticam.* Solino, *Kalon stoma, cap.* 13. *Hister.-- sexaginta amnes in se recipit - septem ostiis Pontum influit: quorum primum Peuce, secundum Naracustoma, tertium Kalonstoma, quartum Pseudostoma*, &c. Ammiano junctim *Calonstoma* dicitur. Græcè Καλὸν στόμα, Ptolomæus, ὀνομαζόμενον καλὸν στόμα. Arrianus in *Periplo Ponti.* Ἐνθένδε ἐπὶ τὸ καλὸν καλούμενον στόμα, &c. *V. Salmasium ad Solinum pag.* 186. & in voce *Danubius.*

Calondas, interfector Archilochi Poëtæ, quem *Archian* alii vocant. Ab uno enim Archilochum in prælio occisum constat, licèt *interfectores* in plurali nominet Plinius *lib.* 7. *cap.* 29. & Solinus *cap.* 1. Archilochi *Poëtæ interfectores Apollinem arguisse Delphis*, refert. Salmasius *ad Solinum pag.* 52.

Calones, indigitantur verbis Spartiani in *Hadriano*, *à Cappadocibus servilia castris profutura suscepit*: ubi sine ratione sunt, qui castrenses Ministros, in aula Principis militantes, intelligunt. Servorum enim in castris Romanis magna multitudo, *calonum* sc. lixarumque, quorum illi hic omnino sunt accipiendi. Hi per incuriam disciplinæ magno numero in castra semper inducti, qui munus facerent, vallum portarent, fossam ducerent: semper verò ab illis Impp. ac Ducibus remoti, qui disciplinam militarem labantem revocare & in antiquum restituere studuerunt. Florus de Scipione, disciplinæ militaris apud Numantiam correctore; *Sed tunc acriùs in castris, quàm in campo; nostro cum milite, quàm cum Numantino, pugnandum fuit. Quippe assiduis & injustis & servilibus maximè operibus attriti -- ad hoc scorta*, calones, *sarcinæ nisi ad usum necessariæ, amputantur.* V. quoque Hirtium *de bello Alexandr.* Itaque prioribus temporibus, quibus adstrictior disciplina, rari in castris servi, nec nisi digniorum, Ducum, Tribunorumque: postea verò labantibus moribus plures penè servi, quàm milites, ita ut ne gregarius quidem ullus sine servo, inprimis sub Imperatoribus: cujusmodi servi vett. *calones*, recentioribus *Galiarij*, Græcis Scriptoribus infimi ævi, καλιαρίζια dicti sunt. V. Salmasium *ad Spartianum in Hadriano* & infrà in voce *Galearii.* Quomodo, quove successu cum Legatis, ad Syphacem, *calonum* loco primos ordines spectatæ virtutis atque prudentiæ servili habitu miserit Scipio, hostilibus castris imminens, qui, dum in colloquio Legati essent, vagi per castra alius alia aditus exitusque omnes, situm formamque & universorum castrorum & partium, quà Pœni, quà Numidæ, haberent, specularentur, moremque simul noscerent stationum vigiliarumque, refert pluribus Livius, *lib.* 30. *cap.* 4. *& seqq.*

Calonna, vulgò *Chalonne*, locus illustris Galliæ, in Andibus, ad sinistram Ligeris ripam. Hadr. Valesius *Not. Galliæ*, in voce *Andes.*

Calopodia, calcei ex ligno; qualibus Belgæ per constrictas frigore aquas quàm velocissimo cursu ludibundi quaquaversum oberrant. Vulgus *Schaatsen* vocat, præsentissimum itineris instrumentum, sed quod exercitatum hominem requirit. Originem traxisse videntur, ex illo nartarum genere, quo Scritefinni altissimas nives & cacumina montium; vel potiùs eo, quo apertam planitiem & lubrica glaciei pertranseunt: quorum omnium imaginem habes, apud Ben. Balduinum *de Calceo antiquo cap.* 5. V. quoque infrà in voce *Nartæ.*

Calpæ, urbs Bithyniæ, Steph. Κάλπαι πόλις Βιθυνῶν· ἔστι δὲ καὶ λιμὴν Κάλπη· *Calpæ urbs Bithyniæ: est & portus Calpæ.* Arriano λιμὴν Κάλπης, Plinio *portus Calpas*, à fluv. cognomine, V. Salmasium *ad Solinum pag.* 880. ut & in voce *Calpes portus.*

Calpare, vel *Calupare*, unde Gallorum *galopare*, Latini dixere de equis, à καλπάζειν vel καλπᾶν, quod *currere* significat; de tripedantibus equis inprimis, qui altiùs pedes tollendo & volubiliter glomerando gressus, quodammodo saltare & subsultim ambulare videntur. Cujusmodi equos, ut & cursuræ modum, κάλπας Græci dixerunt; Galli *le trot* dicunt, cursum inter nimis lentum & concitatissimum medium, i. inter *passum* & *galopum*: quamvis haud dubiè vox hæc è Græco κάλπα orta. Sed & κάλπαν dixere Græci, mollem illam & ad delicias compositam vecturam, qualem exhibent cum magna sedentium commoditate ac voluptate, tolutarii vel asturcones: unde Hesychius, κάλπην, interpretatur, *βαδιστὴν ἵππον καὶ εἶδος δρόμου, ambulatorem equum & speciem cursus*, utrumque designavit. Ideo verò καλπάζειν Græci tam de tripedantibus, quàm de tolutariis equis, usurparunt, quòd proximè tripedariorum ille cursus, accederet ad hunc tolutariorum gressum; facileque tripedarii tolutim quoque docerentur, & ad levitatem mollitiemque vecturæ, qualis in asturconibus est, edomarentur. Imò & de tricenariis, qui crebra genuum inflexione & alternis crurum voluminibus, gradu per minutias fracto, incessum suum celeriter impediebant expediebantque, sicque gressibus intricatis & minutissimè cribratis incedebant (ad cujusmodi ambulaturam, inter asturcones & trepidantes mediam, equos suos assuefaciebant Parthi) καλπάζειν quoque dictum, quod ἱππεύειν Hesychius exponit & σακκίζειν. Elegantissimè sanè σακκίζειν dicebantur asturcones & tolutares equi, quorum gradus in ambulando perinde minutus ac creber, quasi sacco colatus esset & eliquatus: crebris enim & minutis guttis eunt liquores, per saccum, dum exprimuntur. Cui haud absimili, imò prorsus eadem metaphorâ, de minutissimo ac spississimo gradu dixit Plautus, *eum succretum esse cribro pollinario*, &c. Κάλπη autem ad verbum est, *guttus* vel *gutturnium*: Hinc etiam *guttonarij equi, οἱ καλπάζοντες, καὶ οἱ καλπαστικοί*, apud Vegetium *lib.* 4. *cap.* 6. Nempe, ut *colatorios* idem vocat asturcones, equos minutim ambulantes, à sacco vel colo, quod minutim vacuefieri consuevit: Sic *guttonarios*, à gutto vel guttone, qui propter oris angustiam minutim guttatimque evacuatur. Ut enim Græci σακκίζειν, σακκίσαι & σακκισμὸν πορείας interpretantur, h. e. *minutam & per gradus promotionem progressionemque*: Sic Latini *guttum* quoque & *gutturnium*, in eodem significatu acceperunt. Glossæ, *Gutturnium*, εἶδος σκεύους ὑδατικοῦ, *Gutturnium*, βαδισμὸς, σακκισμὸς, ὡς Βάρρων V. Claudium Salmasium *Not. ad Capitolinum in Maximinis*, nec non infrà *passim.*

Calpeum, V. suprà *Calbeum.*

Fami-

Fœmina princeps Virique Illustres.

Calphurnia, Titi unius è XXX. Romanorum Tyrannis uxor, *sancta & venerabilis fœmina, de genere Censorinorum, id est, Pisonum, quam Majores -- univiram sacerdotem inter sacratissimas fœminas adorarunt; cujus statuam in Templo Veneris -- acrolitham sed auratam. -- Hac uniones Cleopatranos habuisse perhibetur: hac lancem centum librarum argenti, cujus plerique Poetæ meminerunt, in qua majorum ejus expressa ostenditur historia.* Treb. Pollio.

Calphurnius, memoratus in *Epistola* Faustinæ ad Marcum, apud Vulcatium in *Avidio Cassio.*

Calphurnius Agricola, à Marco Antonino Imp. adversùs Britannos missus legitur, apud Jul. Capitolinum in *Marco.* Quam historiam firmat unicum veteris apud Britannos aræ testimonium, cujus inscriptio servat hodieque nomen *Calphurnii Agricolæ legati Augusti*: sic enim exoletam ejus lapidis scripturam legit Camdenus, apud Casaubonum *ad Capitolinum.*

Calpurnia Lex, crescente indies Magistratuum in provinciis libidine, lata à L. Calpurnio Pisone Tr. pl. anno U. C. 604. L. Marcio Censorino, M. Manilio Coss. fuit, *Ut non tantùm pœnâ graviore hoc crimen vindicaretur, sed etiam, ut certum hæc quæstio posthac haberet Prætorem*: quò sic novâ lege sociis opus non esset, sed certum, ad quem confugerent, Judicem statim haberent, Cic. *de Offic. lib.2. in Bruto*, &c.

Calsæ, Græcè *τζάγγαι*, *caligæ* sunt: Codinus, *τὸ τζαγκάριον αὐτοῦ τὸ μὲν παλαιὸν ζητοῦσι, πλὴν ὡς τζάγγας ἠγούμενοι*. Ita nomine à *caliga* detorto *calceos* recentiores Græci appellarunt. At *calsas* hodie Galli vocant tibialia, quâ appellatione femoralia quoque seu braccas nuncupant, sed ad distinctionem eorum, quibus crura vestiuntur. Has enim *superiores calsas* dicere consueverunt: interiora etiam feminalia *calsones* appellant. Quemadmodum Vett. *calceamenta* quoque dixerunt, de fasciis femoralibus & cruralibus. Justinus de Semiramide virum mentita, *Igitur brachia & crura calceamentis, caput tiarâ tegit.* Et *Calsæ* Gallorum planè femoralibus & tibialibus fasciis, quibus Vett. crura & femora velabant, respondent. Caligæ verò, etsi tibiatim calcearentur, nunquam tamen pro braccis aut femorum tegmine apud Vett. fuere acceptæ, &c. V. Claud. Salmasium *ad Trebellium Pollionem in Gallienis.*

Caltha, apud Virgilium *Eclogâ* 2. ubi de Naide, sertum nectente,

Tum casiâ atque aliis intexens suavibus herbis,
Mollia luteolâ pingit vaccinia calthâ:

à Siculo *κάλθα*, quod illi ex *κόχλα* vel *κάλχα*, de quâ voce suprà dictum, fecerunt, nomen habet. Habet autem *caltha* hæc, quæ propriè *κάλχα* Græcorum, *Solsequia* vulgò, Gallis *Soucy*, croceos flores in rubrum vergentes, unde *luteola* Poetæ: Pliniusque violis luteis illam concolorem facit *lib.21. cap.6* Quare cum buphthalmo & Chrysanthemo eandem facit Neotericus Auctarii Dioscoridei auctor, qui buphthalmum à Romanis dici annotavit, *Caltham Coroniam*, quòd se ad coronas admitteretur; vel quòd in flore folia in orbem disposita instar coronæ radiatæ redderent. Sed buphthalmum folia habet *μαραθώδη*, *fœniculacea* & chrysanthemum *σχιστά*, *incisa*, calthæ verò folia incisuris carent, & satis ampla sunt ac oblonga: ob similitudinem tamen floris non rarò modò hoc, modò illo, nomine venit. Salmasius *ad Solinum pag.1158. & 1160.* Prudentius *Caltha* dixit, numero plurium, eoque vocat pinguia, *in Cathemer*

Illic purpureis tecta rosariis
Omnis fragrat humus; calthaque pinguia
Et molles violæ..

Sociabatur in coronis nectendis violis, papaveribus, narcisso, croco, lilio. Virgilius *Cir.*

—— aut suave rubens narcissus,
Aut crocus alternâ conjungens lilia calthâ.

Et Ovidius *Fastor. lib.4.*

Illa legit Calthas, *huic sunt violaria curæ;*
Illa papavereas subsecat ungue comas.

Quam in rem V. Car. Paschalium *Coronarum lib.3. cap.15.* Eam Jesuita Pomey his verbis describit: *Quid est, quòd ita jaces, quòd tam nullo in loco caltha est? Quem certè in metallis aurum, eum in floribus meretur, aut mereri videtur locum, cùm innatus ei sit tum color, tum fulgor aureus. Ad hæc quæ, oro, alio in flore elegantior compositio partium? quæ figuræ conformatio fingi præclarior potest? Quid longulis concinnius foliolis, quibus tanquam radiis coronatur pusillus hic florum Sol. An quòd, sicut nihil est, quod minùs miremur, quàm Solem, tametsi nihil mirabilius habet Mundus, quia nimirum se nobis quotidie præbet aspectabilem, sic nihili, aut certè parvi. Caltha idcirco penditur, quòd passim occurrat, quòd quovis ferme tempore ac loco se exhibeat intuendam? Rem fateamur ipsam, nec dissimulemus ingenitum huic flori vitium. Teter odor, quem efflat, obscurat formæ famam & in contemtum adducit floris pulchritudinem: quippe qui usque adeò malè olet, ut vel attingentis inficiat manum.* V. eum *Description. divers.*

Calva, Veneris epitheton, sic ab eventu dictæ. Urbe enim à Gallis occupatâ, obsessi in Capitolio Romano, cùm ex mulierum capillis tormenta fecissent, ædem Veneri *Calvæ* consecrarunt. Lactant. *lib.1. cap.20.* Cujus historiæ & Vegetius meminit *lib.4. In obsidione*, inquiens, *Capitolii, corruptis jugi ac longâ fatigatione tormentis, cùm nervorum copia defecisset, matronæ abscissos crines viris obtulere pugnantibus: reparatisque machinis, adversariorum impetum repulerunt. Maluerunt autem pudicissimæ deformato ad tempus capite liberè vivere cum maritis, quàm cum hostibus integro.*

Calva, pro poculo. Sic *Calvam* L. Postumii Consulis Boji auro cælasse, poculoque eo libasse, leguntur apud Livium *lib.23. cap.24.* Et nota historia Alboini Longobardorum Regis, de quo dictum suo loco: ut de Thracum Vett. inhumano more, ex parentum proximorumque calvariis bibendi, nihil addam. Hinc *Calvariolæ*, parvi caliculi; instar Calvariarum minutarum, apud Commentatorem Pithœanum Juvenalis, *Sat.5.* qui ad *versus hos*,

Tu Beneventani sutoris nomen habentem
Siccabis calicem nasorum quatuor, ac jam
Quassatum & rupto poscentem sulfura vitro:

Ut solent, inquit, *sulfure calices fractos, sive calvariolas, componere.* Sulfure enim vitrum solidari maltharique consuevisse, docet Casp. Barthius *ad Statium Thebaid. lib.1. Sylv.6.*

Calvea ornamenta, apud Placidum. V. suprà in *Calbeum.*

Calvi Mimici, apud Nonium: *Calvitur dictum est frustratur. Tractum à calvis mimicis, quòd sint omnibus frustratui.* Caput nempe & faciem videntur rasisse mimi, vel mimici scurræ, ut ridiculosiores essent. Hinc Tertullianus *de Spectac. Placebit & ille, qui vultus suos novaculâ mutat, infidelis erga faciem suam, quam non contentus Saturno & Isidi & Libero proximam facere, insuper contumeliis alaparum sic objicit, quasi de præcepto Domini ludat.* Sic Nonius idem alibi Libertos *calvos* vocat, quòd capite raso essent, apud Salmasium *Not. ad Vopiscum in Aureliano.* V. quoque infrà, *Octo.*

Calvisiana Actio, appellatur, quæ Patrono datur, ad revocanda ea, quæ in fraudem ejus libertus alienavit, *l.16. §. idem scribit ff. de petit. hær. l.1. §. si plur. l.2. & l.3. §. si intestatus & l.ult. ff. si quid in fraud. patron. l.2. ff. si à parent. quis manum. l.16. §. 1. ff. de jure patronat.* Brissonius apud Calvinum *Lexic. Jurid.*

Calvitium, obtrectatorum jocis obnoxium Elisæi Prophetæ historia docet, & Cæsar eosdem sæpe expertus legitur iniquissimè tulisse, apud Suetonium *in Julio cap.45.* Qui proin deficientem capillum à vertice revocare assuevit, & ex omnibus decretis sibi à Senatu P.Q. honoribus, non aliud aut recepit, aut usurpavit libentiùs, quàm jus laureæ perpetuò gestandæ. Nempe capillitium inter præcipua est capitis ornamenta. Unde Ovidius,

Turpe pecus mutilum, turpis sine gramine campus,
Et sine fronde frutex, & sine crine caput.

Et Petronius in *Satyr.*

Quod summum formæ decus est, periere capilli,
Vernantesque comas tristis abegit hyems, &c.

Neque aliter Synesius *Calvitium* laudavit, quàm ut alius *pestem*, alius *Phalaridem*, alius *Busiridem*, alius *Neronem* proposuit sibi laudandum, non tam, ut persuaderent, quàm ut rei paradoxæ tractatione vim ingenii ostentarent. V. Bochartum *Hierozoici Part. prior. lib.III. cap.10.*

Calumnia, V. infrà, ubi de *Delatoribus & Sycophantis.*

Calx, cum arena mixta, *arenatum*, item *calx arenata*, in vet. *Inscr. Eosque parietes marginesque omnes, quæ lita non erant, calce harenata, lito politoque, & calce nuda dealbata*: in tectorio opere locum habuit, cùm albarium opus *calce nuda*, h. e. merâ & purâ, cui arena non admixta, fieret. In structuris item, ad ligandos inter se lapides, atque, ut loquitur Plinius, *ferruminandos*, seu *solidandos*, ut alii. *Solidari* certè *parietes tectorio*, passim leguntur, apud Vitruvium, quod est munire, tegere, loricare. Unde *Tectores* dicti, quòd parietes tegerent ac solidarent, & Vitruvius *loricas* ex *calce & arena* memorat *lib.7. cap.1.* Pro *calce* tamen & arena multi luto subacto & paleis mixto utebantur, in parietum instructura. Unde vicem luti bitumine fartos tradit Babylonis muros Herodotus *Musâ* 1. Aliter tamen Vitruvius *lib.1. cap.5.* *Non enim*, ait, *uti Babylone abundantes liquido bitumine, eo pro calce & arena & cocto latere factum habent murum.* Et Justinus de Semiramide, *Hæc Babyloniam condidit, murumque urbi cocto latere circumdedit, harenæ vice bitumine interstrato.* Ubi *arenati vice*, legendum conjicit Salmasius, cùm arena in parietibus aut muris struendis nunquam locum habuerit sine calce: quam ob causam de oratione non cohærente dictum olim, *arenam esse sine calce.* Arenatum autem calx est & arena confusa, ac ligneis vectibus in mortario subacta, Vitruvius *lib.7. cap.3.* V. quoque Catonem *cap.18.* & plura hanc in rem, apud Plinium *lib.14. cap.19. lib.17. cap.8.* & *lib.36. cap.24.* nec non Salmasium *ad Solinum pag.1228. & seqq.* De *Calcis* usu, in bello, V. Zuingerum *Theatro Hum. pag.1842.* Ubi contra Genuenses eam sparsisse, non sine successu, Venetos refert. in vitris glutinandis Isidorum & ex eo Isaac. Casaubonum *ad Vopisci Firmum*, &c. Apud Sinenses, montes sunt fœcundi lapide *Hiesso*, ex quo *calcem*, imò notæ singularis gluten, conficiunt, quod usitato nunc nomine Architecti *tarram* vocant, quod consolidandis, firmandisque ædificiis maximam vim habet. Hoc siquidem lapidis genus igne coctum, contusum per ... cribratum, aquâ dein maceratum, *calcem* & tenacissimum reddit cæmentum, quod in priorem soliditatem mox coalescit,

hanc

hinc ſtructuras tantâ induſtriâ componunt & adeò tenaces muris incruſtationes inducunt, ut ædificia continuo ex lapide nata videantur. Eâdem *calce*, an gypſo potiùs, glutinatores utuntur in obturandis ligneis fictilibusq; vaſis, quæ condimentis & vario liquore fœta, in Indiam, Belgicasq; regiones & aliò deferuntur. Auctor Anonymus *Sinæ & Europæ cap.* 30.

Calx candidus, apud Varronem,

Nemini fortuna currum carcere emiſſum intimo
Labi inoffenſum per æquor candidum *ad* calcem *finit.*

Græcis eſt τὸ τέρμα λευκὸν ἢ λελευκασμένον. Nempe *calcem* vocarunt Veteres locum illum Circi, qui cretâ prædu ctus fuit. Seneca, *hanc quam nunc in Circo cretam vocamus, antiqui calcem vocabant.* Non quia *calce*, pro creta, uterentur Antiqui, ſed quia finis ibi ſtatutus quadrigarum curſibus, poſt ultimum metarum flexum. Nam *calx*, τὸ τέρμα, quo modo & Græci vocarunt, ubi conſiſtebant quadrigæ, curſu legitimo peracto, ad palmam accipiendam, ut videre eſt apud Pollucem. Et *cretam* quidem, quòd albo notatus eſſet ille locus, dixerunt Latini: *calcem* verò, quòd terminus eſſet currendi: Atque, ut *cretam ultimam* Poëtæ appellant, quia finis erat, ita alii *Calcem candidum*, quia terminus ille cretâ notatus eſſet. Sic Græcis πτέρνα, h.e. *calx* ſeu *calcaneus*, τὸ ἔσχατον, i. *ultimum*, denotat. Salmaſius ad *Solinum pag.* 914.

Calyba, Gr. καλύβη, in poëmate de *Copa* incerti auctoris.

Sunt topia & calybæ, *cyathi, roſa, tibia, chordæ,*
Et trichila, umbroſis frigida arundinibus:

non eſt ſonus vel crepitus æreorum vaſorum, baculo ferreo pulſatorum, quem vulgò in Gallia *caribarium* appellant, ut cenſet Vir doctus. Sed pergulam notat & attegiam, quales in meritoriis tabernis vulgò fieri ſolent, in quibus ganeones potârent. Copa enim, ut tranſeuntes alliciat, ad divertendum in ſuam tabernam, omnia tabernæ hic bona & delitias enumerans, *ſunt*, inquit, *in mea taberna topia*, calybæ, *cyathi, roſæ, tibiæ, barbiti citharaque & trichilæ* ſeu *porticus virides*, aliaque multa, quæ ibidem commemorat bibentibus accommoda & iis, qui genio volunt indulgere. Et meminit hujuſmodi καλυβῶν, quæ in diverſoriis hac fini ſtruebantur, Harmenopulus *lib.* 2. *tit.* 4. περὶ καπηλείων. Μὴ ἐξεῖναι δὲ τῷ τῆς οἴκου ποιεῖν ... καλύβας ποιεῖν ... ἐν τῇ Ῥώμῃ, ἢ τῇ ἀγορᾷ, ἀλλὰ μόνον ... καπηλείων χρῆσθαι ποιεῖν. At in Græco *Epigramm.* ubi de Cybeles Sacerdotibus, καλύβη, thalamus eſt ſeu παστὰς matris Deum, circa quam ſaltabant hujuſmodi mulieres miniſtræ & θαλαμηπόλοι Cybeles, cum tympanis & crotalis, caputque jactabant bacchabundæ. Certè Heſychius, Καλύβη, ait, σκηνή, παστάς. Sic itaque *Calybæ* œci erant, in interiore, ac ſecretiore ſacratioreque templorum parte, in quibus Deorum Dearumque & quidem harum potiùs ſimulachra & pulvinaria: unoquoque Deorum ſuam καλύβην & in ea ſuum pulvinar & ſimulachrum, habente. Atque ſic vox accipienda in Oraculo,

Εἴπατε τῷ βασιλῆι, χαμαὶ πέσε δαίδαλος αὐλά,
Οὐκέτι Φοῖβος ἔχει καλύβην, οὐ μαντίδα δάφνην,
Οὐ παγὰν λαλέουσαν, ἀπέσβετο καὶ λάλον ὕδωρ.
*Dicite Imperatori (*Regi*, humi cecidit affabre facta aula,*
Non amplius Phœbus habet calybam*, non vaticinatricem laurum,*
Non fontem loquentem, exaruit & loquax lympha:

Quod Oribaſio à Juliano miſſo datum erat aliquando. Hinc Gallum, Matris Deum Sacerdotem, idem *Copæ* Auctor *calybitam* vocat, h. e. θαλαμηπόλον:

Huc calybita *veni, veſter jam ſudat aſellus* &c.

Nam & pulvinaria & lectos ſuos in illis thalamis & *calybis* ſtructos ſtratosque habuere Vett. Numina, quorum cura hiſce θαλαμηπόλοις, ceu cubiculariis eorum, incumbebat &c. V. Salmaſium *ad Vopiſcum in Carino.* Ab hac voce loco in Græcia hodieq; nomen eſſe, annotavit Jac. Sponius *Itiner. Græciæ.*

Calyca, carmen Steſichori, à puella Evathlum amante: quæ, pro conjugio votis Veneri factis, tamen deſpecta de Leucadia rupe præcipitem ſe dedit. V. J. C. Scaligerum *Poëtic. lib.* 1. *cap.* 50.

Calydon, adde: Hinc Patras, cui urbi è regione Calydon olim oppoſita, jam exiguus vicus eſt, nomine *Calata* vel *Galata*, ſtatuam Bacchi cognom. *Calydonii*, allatam, ibique Templum ei extructum, legimus apud Jac. Sponium *Itinerar. Græciæ Part.* 2. *pag.* 14.

Calypſo, adde: Inter Niciæ Pictoris opera, memoratur Plinio *lib.* 35. *cap.* 11. Fecit & grandes picturas, in quibus ſunt Calypſo & Jo & Andromeda. Ibidem *Calypſus* mentio, quæ ſenem & præſtigiatorem Theodorum pinxerit.

Calypera, genus mitræ, Iſidor. *in Gloſſis*: genus veſtimenti, quo caput fœminæ operiebant, Feſtus *lib.* 3. Etiam Heſychii gloſſæ, καλυπτήρ interpretantur κεφαλῆς ἐγκάλυμμα, *capitis operimentum.* Alter *Flammeum* dicta eſt, rubri coloris: unde Interpres vetus Juvenalis *Satyrâ* 2. veſtem hanc pudori ſimilem, eamq; propter pudorem geſtatam fuiſſe, docet. Tali veſte Priamum à ſorore è captivitate liberatum eſſe refert Lycophron: Capto enim Ilio, Laomedonteq; ſagittis confixo, cùm Telamoni ab Hercule, ob rem præclare geſtam, Heſione donata eſſet, poteſtatem Heſionæ fecit Alcides, quem vellet potiſſimum captivorum abducendi: quæ cùm Podarcem fratrem elegiſſet, Herculesq; in ſervitutem redigendum eſſe dictitaret, dempto de capite flammeo aureo eum redemit; à quo tempore non Podarces amplius, ſed Priamus, παρὰ τὸ πρίασθαι vocitatus eſt. Verba Lycophronis *in Caſſandra* hæc ſunt:

Ὃ πρὶν καλύπτρας τῆς ὁμαιμόνος τάλας
Ὠνητὸς ἀλλαχθεὶς ἐς πάτραν μολών
Τὸ πρὶν δ' ἀμυδρὸν ὄνομ' αἰστώσας σκότῳ.
Sororis olim luteâ calanticâ.
Redemtus, uſtam cùm redires patriam,
Vetus tenebris, nomen obruens ſuum.

Nomen habet à Gr. καλύπτω, velo, tego, operio. Anſelmo Solerio *Calyptra*, propriè erat, Reginarum tegmen: unde, apud Lucianum, Aëtio pictor, Alexandri & Roxanes nuptias repræſentans, in tabula, expreſſit Alexandrum Reginæ *calyptram* detrahentem, & Plato in *Alcibiade* meminit agri in Perſide, cui nomen erat *Reginæ calyptra*, quòd agri illius proventus Reginæ in *Calyptræ* ſumtus eſſent attributi: ſicuti pendi ſolitam Reginæ Luſitaniæ, nomine ſoccorum, certam penſionem. *Acta* Xaverii produnt; ut de Zonario Reginarum vett. Galliæ nil dicam. Similia ex Tullio *Verrina* 5. Athenæo ac Diodoro, notat Briſſonius *de Regno Perſar. lib.* 1. Hinc Ariſtides Smyrnam, terræ motu & ruinis deformatam, commendat Imperatoribus, οἷα ὡς καλύπτραν βασιλίδων, οἷα ὡς βασιλίων ἀνάδημα, *ſive ut calyptram Reginarum ſive ut regiam faſciam.* Uxor quoque Tiridatis, cùm Romam una cum marito proficiſceretur, κράνος χρυσοῦν, ne patrios tranſgredi mores videretur, legitur geſtaſſe, apud Xiphilinum *Ner.* Idem κεκρύφαλον, i. τὸ κρανίον ... Faciem autem quo tegerent Reginæ, παρακαλύπτρα; ad quem eundem uſum, velum Penelopes κρήδεμνον Homerus vocat &c. V. Pollucem quoque *lib.* 7. *cap.* 30. Athenæum *lib.* 4. Car. Paſchalium *Coronarum lib.* 4. *cap.* 20. & Dauſquerium *ad Orat. Baſilii Seleuc. de Adamo.* Cum *Regillo*, quòd Regineas operiret, nomen adepto, eandem facit Iſidorus *Origin. lib.* 19. *cap.* 15. Sicut cum *Caliendro* Hadr. Turnebus; ſed aliud tegminis genus fuiſſe Caliendrum, diximus ſuprà in hac voce. V. Anſelm. Solerium *de Pileo ſect.* 6. Diadematis genus ab eo, quod Venetus Dux geſtat, non diſſimile eſſe, habes apud Car. Macrum in *Hierolex.* qui illud ſic deſcribit ex Nicephoro Greg. *Hiſtor. lib.* 5. & 7. Calyptram *in capite panno purpurâ & auro intexto circumdatam geſtavit: quæ tenus ſurſum vergit & ad pyramidem ſuperficiei funditur*; Et Georg. Logotheta in *Chron. CP. Johannes rubra talaria cum pyramide margaritis diſtincta, in cujus ſummitate purpureus lapis ſulgebat (ea Regum ſunt inſignia) mox deſpoticâ dignitate à Rege muneratur*: iconemq; ejus ex æneis valvis Templi Vaticani depromptam, Lectori exhibet. V. quoq; infrà in *Camelaucium.*

Camæ, ſeu potiùs *Camenna*, Græcis dictæ ſunt ſtrata humilia & lectuli humo propiores, quòd homines veluti χαμαὶ *humi* jacerent. Heſychius, χαμεύνη, ... *Chamenna thorus eſt & humilis lectus & Chameunes, qui humi jacet.* Propriè autem Heſychio dicitur Στιβὰς, ἀπὸ ῥάβδων καὶ χλωρῶν χόρτων στρῶσις καὶ φύλλων, ἢ χαμευνὰ, *ſtratum è frondibus viridiq; gramine, ac foliis conſtructum & lectus humi poſitus.* Inde Stibadium triclinare, &c. Eo uſi olim Aſcetæ Hebræi Chriſtianiq;, pauperes item, Unde quia id ſtratum pauperum erat, idem Heſychius χαμεύνιον κλινίδιον πτωχικὸν, *lectulum paupertinum*, interpretatur. *A Camis* igitur hiſce *Camiſiam* dictam vult Iſidorus, *quòd in his dormimus, in Camis, id eſt, in ſtratis noſtris*, V. infrà in voce *Camiſia.*

Camæ figuræ, dicuntur ſimulachra variarum rerum, putà arborum, fructuum urbium, fluminum, literarum alphabeti, numerorum, animalium & id genus aliorum, quæ in lapidibus variis occultus Naturæ penicillus depinxit. Cujuſmodi complures lapides aſſervantur in Muſæo Kircheriano, Romæ. V. Georgium de Sepibus *in Collegii Rom. Soc. Jeſ. Muſæo pag.* 43. ut & in ipſius Kircheri *Mundo Subterraneo Tom. II.* Certè nemini ignotus Pyrrhi achates apud Plinium, *in qua novem Muſæ & Apollo citharam tenens ſpectabantur, non arte ſed ſponte naturæ ita diſcurrentibus maculis, ut Muſis quoque ſingulis ſua redderentur inſignia, lib.* 37. *cap.* 1. De Imperatoris hodierni achate prodigioſæ magnitudinis, ſimiliter ipsâ naturâ artifice ei inſculptas eſſe literas B ΧΡΙΣΤΟΣ, refert αὐτόπτης Car. Patinus *Relation. Hiſtor.* 1. ubi literam B. ΒΑΣΙΛΕΥΣ exponit. V. ſuprà in voce *Achates.* Aliis tamen *Camæa* etiam illæ dicuntur imagines, quæ in gemmis lapidibusq; ſculpuntur. Matthæus Paris *Hiſtor. Nobilibus lapidibus inſculptis, quos* Camæos *vulgariter appellamus*: ex Gallica voce *Camayeu.* Hinc in Eccleſia Meſſanenſi duo cum cappis ad Canonicalem miſſam cantatam adſtantes, *Camæi* appellantur; quod tanquam duæ ſtatuæ adſiſtant nihilq; agant; uti legere eſt apud Dominic. Macrum in *Hierolexico* V. quoque infrà, in voce *Camæus.*

Camaldulenſes, Religioſi in Eccleſia Rom. V. *Camaldoli.*

Camallum, vox Gall. *Camail*, Italis *Camaglio*, fuit capitii ſpecies, hamulis & maculis contexta, quæ totum caput, facie exceptâ, & humerorum ſuperiorem partem operiebat, cujuſmodi paſſim videre eſt, in vett. Militum imaginibus, quæ in ſigillis alibiq; deſcribuntur, ut apud Edvv. Biſſæum *Not. ad Uptonum.* Huic capitio, ſiquidem integrum eſſet, levis galea aptabatur: & ſi helmus, vel

cassis spissior caput tegeret, tum *camallum* ita cassidi adnectebatur, ut collum humerosq; tegeret, & ab adversariorum ictibus tutaretur. Unde colligitur eam armaturæ speciem *camallum* fuisse, quam hodiè Galli *Haussecol* vocant, nisi quod *camallum* ex hamulis confectum esset; *haussecollum* verò ex solido ferro sit compactum. Neque aliter certè *Camallum* effictum conspicitur, in torque Ordinis Equestris *Camalli* seu *Histricis* dicti, quem Carolus Aurelian. & Vadensis Dux instituit, V. suo loco. Sed & ab iisdem *camallis* militaribus nomen mansit epomidi Episcoporum, non humeris modò, ut hodiè, sed caput etiam olim, tegenti: ex quo etiamnum capitium eidem annectitur. V. infrà in *Camilla*. Nominis originem nonnulli deducunt à *camelaucio*, de quo infrà: & cùm hoc non humeros, sed caput solùm texisse legatur. mavult du Fresne *camallum* dictum esse, ex *Cap de maille*, quasi *Capitium ex maculis*, in *Glossar*.

Camara, Indiæ emporium, adde: Κομμαρὶ meliùs scribitur, hodieq; *Comorim* vocatur. Salmasius *ad Solinum pag.* 1299.

Camaracum, adde: Continentur diœceseos *Camaracensis* finibus, Sonegiæ cum Monte Castrilucio, Condate, Attho, Querceto vel Casneto, Landericiis, Avesnis, cumq; Binchio, Bello Monte, Brenna *Brenne*, Melbodio, ac Cimaco, Hadr. Valesius in voce *Sonegiæ*.

Camaradum, in *Epist.* Hadriani Pontif. ad Carolum II. in *Cod. Carolino Epist.* 61. pro *Camaratum*, ligneus fornix est hypochartosi, h. e. tectorio seu crustâ inductus; cujusmodi fabrica describitur à Vitruvio *lib.* 7. *cap.* 3. Καμάρωμα vocarunt Græci recentiores, ab hoc fonte, tentorium in modum fornicis seu cameræ arcuatum, V. Leonem in *Tacticis cap.* 10. §. 12. & Mauricium *lib.* 5. *cap.* 3. Unde Galli *Camarades*, Hispani *Camarada*, vulgò milites vocant, sub eodem tecto aut tentorio & in eadem camera degentes, Car. du Fresne *Glossar*. V. quoque infrà in voce *Camera*.

Camarlengus, seu *Camerlengus*, Italis *Camerlingo*, vox Germanica est, *Kammerling*, & Camerarium, *Cubicularium*, Ærarii Quæstorem notat: quo munere apud Lotharium Imp. *Cubicularius* dictus est Bertoldus, ut in *Charta* Imp. hujus A. C. 1137. apud Ughellum legere est. Idem. V. *Cubicularius*.

Camasus, Gr. καμάσιον, in *Glossis*, vestis villosa exponitur, quam *cusam* appellavit Isidorus. Recentiores Græci καβάσιον & καμάσιον dixere, atque pro pileo quoque vel cucullo vocem sumserunt. Apud Nicetam certè καμάσιον est πῖλος, quod & καμίζιον appellat, sic itaque & *camasus* & birrus & cucullus & cusa & cappa, de eodem ferme genere vestimenti ab Autoribus sunt usurpata, caput humerosq; tegente: Salmasius *ad Vopiscum in Aureliano*. V. Meursium in voce κάμασος.

Cambadene, inter duodeviginti Parthorum Regna memoratur Isidoro *in libello* παρθικῶν σταθμῶν. V. quoq; Plinium *lib.* 6. *cap.* 25.

Cambalum, adde: vulgò *Cambalu*. Hanc Martinius sentit esse *Peking*, reginam Sinarum regni partis Borealis: Animadvertit enim, ipsum Venetum tradere, eam à Tartaris & Mauris, tantùm regiæ præsentiæ intuitu, sic dici, quasi *Urbem Domini*. Golius verò vocem corruptam esse scribit ex *Cân Baleck*, quia enim *urbem Domini* seu Κυριόπολιν significet, *Cambalu* dici non posse, sed *Cân Baleck*, quod idem sonet, contendit. Hornio quoque eadem est cum Pequino Sinarum Metropoli.

Cambellanus, adde; Gallis eundem, qui Romanis *Cubicularius* vel *Præpositus sacri cubiculi*, & à *Camerario* diversum, ut penès quem cura erat *Cameræ* seu Thesauri Regii, facit du Fresne. Præcipuum ejus munus fuit in Vassallorum hominiis admittendis ac recipiendis: Domino enim aderant, vassallis ea præstantibus ac ejus vice vassallum rogabant eidemque respondebant. Præterea hujusce dignitatis jure pallium vassalli eorum erat: quod postea in summam pecuniariam pro ratione feodorum, est comutatum, *Cambellagium* dictam. Sed & *Cambellano* annuli Regii privati, quem *sigillum secreti* vocabant, custodia incubuit, qui inde apud Byzantinos παρακοιμώμενος τῆς σφενδόνης appellatus est, ut distingueretur ab alio Officiali aulæ ejusdem, qui παρακοιμώμενος τοῦ κοιτῶνος dicebatur, uti docet idem du Fresne *ad Villharduinum*. V. quæ de *Regibus Franciæ* Joh. Tillius & *de Cambellani dignitate* Bardinus, scripsere. In Regno Neapolitano *Cambellanus Mappæ* seu *de la Nappa* & *Cambellanus Scutiferiæ* seu *della Scuteria Reale*, nomina dignitatum sunt, de quibus Scipio agit Ammiratus in *Familiis Neapolit. Tom.* 1. *pag* 55. laudatus eidem *Glossarii Auctori*. De *Camerariis* verò V. suo loco, ut & suprà in voce *Camerlengus*.

Cambiator, vox recentioris ævi, quâ denotatur *Nummularius* seu Κολλυβιστὴς, item *Mutator*, Græcè καταλλακτὴς & ἀργυραμοιβὸς: qui videlicet alterum metallum semper in alterius usum mutat, aurumq; argento & argentum auro, ac utrumq; æreâ monetâ permutat. *Mercator perutrimque metalli* Manilio.

Et facti mercator erit perutrimque metalli,
Alternum & alterius semper mutabit in usus.

Id est, erit νομισματοπώλης & ἀργυραμοιβός; quo modo τὸν κολλυβιστὴν quoque Græci vocarunt. Eleganter autem *factum perutrimque metallum* appellat argentum vel æs, quod utrinque signatum est, & Græcis ἐπίσημον dicitur &c. V. Salmasium *ad Solinum pag.* 1080.

Cambria, adde: Condidere regnum hoc Britanni à Saxonibus pulsi, regione campestri & planâ relictâ, versùs Occid. in altissimos montes sese recipientes; quorum ultimo Rege Cadvvalladero extincto, simul spes Britanniæ recuperandæ evanuit. Ab illo tempore *Cambria*, in Meridionalem & Septentrionalem divisa est, quarum utraque Reges suos habuit usque ad A. C. 1148. quo, extincto *Regum* nomine, *Principes* successerunt, quorum postremus David, Londini, ob rebellionem securi percussus est. Ac tum temporis *Cambria* plenè in Angliæ Regum potestatem pervenit, titulo *Principatus Walliæ*; eo quòd Saxones Cambros, utpote barbarâ sibi linguâ loquentes, *Wallos* appellassent. Stante verò adhuc *Cambriæ* Regno, Offa Merciorum R. fossam & vallum inter Sabrinam & Deam flumina struxit, & Cambriam à reliqua Britannia separavit, lege latâ, quâ capitale erat, si quis Cambrorum trans illam fossam cum telo comprehenderetur. Nec omittendum, circa genealogias suas tam diligentes esse *Cambros*, ut vix ullus sit rusticorum, quin genus suum ab ipso Noacho deducere se posse contendat. Georg. Hornius *Orb. Imper.*

Cambysene, Græcè Καμβυσηνὴ, inter provincias Imperii Parthorum, de qua V. Salmasium *ad Solinum pag.* 1196.

Cambyses Persa, adde: Pater ei fuit Achæmenes, à quo Achæmenidæ tribus, unde Reges Persidæ originem duxerunt. Hoc enim ordine Majores suos recenset Xerxes apud Herodotum, Μὴ γὰρ εἴην ἐκ Δαρείου Ὑστάσπεος, τοῦ Ἀρσάμεος, τοῦ Ἀριαράμνεω, τοῦ Τεΐσπεος, τοῦ Κύρου, τοῦ Καμβύσεω, τοῦ Ἀχαιμένεος γεγονώς, μὴ τιμωρησάμενος τοὺς Ἀθηναίους. *Non sim ex Dario Hystaspe, filio Arsamis, quem Ariamnes genuit, Teispe natus, cujus pater Cyrus filius fuit Cambysis, nepos Achæmenis, ni de Atheniensibus ultionem sumsero.* Ipse autem hic Achæmenes ad Perseum originis suæ principium referebat, à cujus filio vel nepote Perse gens Persarum nominata est. V. Salmasium *ad Solinum pag.* 1183.

Camelaucium seu *Camelaucum*, Macro est biretum Monachale Græcorum & Benedictinorum, cujus limbus binas appendices parabolicis figuris desinentes habet, quæ faciei tempora contegunt; sed Benedictinorum sunt breviores. Suturæ istiusmodi bireti in 4. partes æquales fiunt; quæ aliquantulum elevatæ quatuor crucis angulos exprimunt: cujusmodi formâ Papale quoque biretum est, quod ex purpureo holoserico raso æstate, & villoso armellinâ pelle suffulto hyeme Pontifex gestat. Vocis originem Leo Allatius inde arcessit, quòd *Camelorum* pilis intexta essent hæc tegmina. Car. Macer verò à *camauro*: Est autem καμαύρα, muliebre tegmen capitis, quo κρανίον, cerebri pars sic dicta, defenditur. Ubi verò *mitra*, à fœminis prisci ævi, ad caput Pontificium obnubendum translata est, sic tiara, quæ vulgò appellatur *Triregnum* Pontificis, *Camaurum* dicitur, à *Camelaucio* proin, quod inde nomen traxit, ut videtur, differens, V. infrà in voce *Epanoclistus*. Recentiores Græci vocant *Camelephchi*, sed ex ejusdem Allatii sententia *de Hab. Monach. lib.* 3. *cap.* 9. *cucullum* vocari deberet. Etiam verò Clericale biretum *camelaucii* formam antiquitus habuisse ex figuris sepulchralibus Macer laudatus colligit: sed processu temporis, inquit, solidâ telâ subsutâ, illi 4. anguli in modum crucis aliquantum erecti sunt, ad formâ Clericorum Hispanorum Gallorumque, solis Italis unico angulo summisso, tres in honorem SS. Triadis, elevantibus figuramq; crucis nihilominus retinentibus. Sed & multæ religiones in eadem Communione formam *camelaucii* priscam hodieq; retinent, cum forma viz. verticalis crucis, absq; solidiore fulcimento. V. utrumque Macrum in *Hierolex*. Imò & inter varias diadematum species, quibus Impp. usi CP. sunt, *Camelaucium* quoque occurrit, præ cœteris, quo Constantini & successorum capita integuntur. Calyptræ simile est, quâ totum ambitur caput, vel cassidi, apice τύφα dicto, decoratæ: quam quidem ab ipso Constantino inventam esse, auctor est Ptolemæus Silvius in *Laterculo*, *Constantinus Senior — diadema capiti suo, propter refluentes de fronte capillos (pro qua re saponis ejusdem cognominis, ordinata confectio est) quo constringerentur, invenit.* A Constantino ad successores ejus usus transiit, cum aliquo tamen discrimine, ut ex duobus inprimis ejus numismatibus, quorum uni inscriptum, SOLI INVICTO COMITI; alteri, VICTORIÆ LÆTÆ PRINCIPUM: colligere est. Præterquam enim, quòd more cassidum, sub mento, Constantinianum illud diadema alligatur, qui imminet apex, diversus est ab eo, qui postmodum eidem calyptræ superponitur in successorum nummis. Quâ ex iis primus Constans Constantini M. filius conspicuus est, in numismate votivo, quod in clypeo scriptum exhibet, VOT. MAX. MULT. XL. &c. V. Car. du Fresne *Dissertat. de inferioris ævi Numismat.* & in *Glossar*. ubi Allatius *de utriusque Eccl. consens. lib.* 3. *cap.* 8. *num.* 12. apud Orientales, Sacerdotum Monachorum *camelaucia*, quibus etiamnum utuntur, sic describit: *Capitis tegmen est* (camelaucium) *ex lana nigricante, ut natura illam dedit, textum, rotundum, altitudine semipalmari, infimam conchæ finiens, quà caput ingreditur, non undequaque rotundatur, sed ubi aures sunt, plagulæ unguntur, quibus aurium [illegible] dentur. Nomen habet, ut ipse existimo, quidquid alii dicant, quòd ex pilis camelorum ut plurimùm texatur.* V. quoque Isaacum *In [illegible] in Armenios*, *pag.* 414 ubi Episcopos illorum, cùm facia obruunt, eodem integumento caput operire docet. Solerio *camelaucum*, integumentum capitis, est Pontifici usuarium, dictum ab [illegible] τὸ καῦμα, quòd arceat calorem. Etymolog. Pileus autem est, docente Bedâ *de Tabernac. lib.* 3. *cap.* 8. in modum parvulæ cassidis ex-

sculus

tensus supra summitatem capitis, cujusmodi Constantinum Papam, Constantinopolim ingressum, gestasse, scribit Anastasius *in eo. Pontifex & ejus Primates cum sellaribus Imperialibus, sellis & frenis inauratis, simul & mappulis, ingressi sunt civitatem: Apostolicus Pontifex cum camelauco, ut solitus est Romæ procedere.* Ad quæ verba Solerius, *Non videtur*, inquit, *hoc capitis tegmen aliud fuisse, quàm pileolus purpureus, quo semper* (Pontifex) *operitur; cujusmodi Camelauciis usos itidem Impp. docemur, ex Constantino Porphyrogenito in Chirographis. Alterius materiæ erant, quæ eo nomine passim apud Italos donabantur capitis tegmina, Cedreno lib. 1. sic memorata: Est & aliud genus sportæ, quæ pilei loco capiti imponitur; Italis Camela dicta, unde & Camelaucia* V. Anselm. Solerium *de Pileo sect.13.* & quæ retro dicta. Sed & aliquando supra faciem extendi, ita ut operta hujusmodi tegmine subduceretur prospectui aliorum, & in eum finem usurpari solitum esse, legimus in *Vita Mariæ*, neptis Abrahæ, quæ est inter opera S. Ephremi. Idem *Sect.15.* Plura in hanc rem, V. apud Rosweydum *Onomastic.* voce *Camelauchium.* Nec omittendum, plerosque è Latinis Scriptoribus, pro *Camelaucium*, mutatis literis *Calamaucum*, scribere, Isidorum in *Gloss.* Papiam, Ælfricum, Ugutionem, Anastasium Bibl. Bedam, Alios: quam scripturam genuinam esse, Salmasius *in vain* contendit. V. suprà *Calamauca.*

Cameli, a pop. cognomine dicti, apud Arabes trium generum; *Clitellarii*, crassi, proceri, oneribus ferendis aptissimi, *hugiun* Arabib. dicti, & Chal. *hogme*, i. Εὐζωνοι, qui mille libras gestant; *Duplici gibbo* rigentes, qui ad equitationem non minùs, quàm ad onera gestanda, commodi, olim in solis Bactris, Βακτριανοὶ hinc Græcis, Arabibus *becbti*, hodie passim in Asia nascuntur; Et *Graciles* staturi, sed expeditissimi, Græcis δρομάδες, Arabibus *ragnahil* appellati, quibus soli fere nobiles utuntur, &c. Eorum lac & carnem inter cibos multi commendant, Aristoteles *Histor. lib.6. cap. 26.* Plinius *lib.11. cap.41.* Hieronymus *in Jovinianum lib.2. cap. 6.* &c. Herodotus in *Clio*, ubi de Persarum natali die, solidos camelos apponi consuevisse, tradit, Ἐν τῇ οἱ εὐδαίμονες αὐτῶν βοῦν καὶ ἵππον καὶ κάμηλον καὶ ὄνον προτιθέαται ὅλους ὀπτοὺς ἐν καμίνοισι, *Quâ, qui in iis sunt locupletes, bovem, & equum, & camelum, & asinum solidos apponunt in furnis coctos.* Quin ipsis quandoque Regibus id cibi oblatum, Antiphanes docet in *Oenomao*, apud Athenæum *lib.4.*

— — — ὁ μάγειρος ὅλον
Τίγρις ὀπτήσας, μεγάλῳ βασιλεῖ θερμὴν παρέθηκε κάμηλον.
Coquus solidum
Monstrum coquens magno Regi calidum camelum apposuit.

Lampridiusque eadem de Heliogabalo memorans, non solùm *calcanea camelorum*, sed & integros *camelos exhibuisse in cœnis aliquoties*, scribit. At Israelitis olim *camelina carnis* esu interdictum fuisse divinitus, in Sacris legimus, &c. De esu *Camelorum* in bello, V. Plinium *lib.8. c.18.* Strabonem *lib.16.* Diodorum *Lib. 1. & 3.* Herodotum *lib. 7.* Pollucem *lib. 10. cap.8.* Polyænum *Stratagem. lib. 7.* Herodianum *lib. 4.* Vegetium *lib.3. cap. 23.* & inter Sacros Scriptores Auctorem libri Judicum, & *1. Sam cap. 30. versu 17.* In castris Romanorum jam inde à vetustis temporibus, eorum multus usus fuit, ad prædam portandam, quibus cum epibatis suis quinque pedes assignat Hyginus & in prætentura eos collocat: Unde semper Ducibus Tribunisque *cameli* vel *camelæ* cum equis mulisque datæ: Salmasius *ad Trebellium Pollion. in Claudio.* Alias homines, sarcinas, cibos, merces & res pretiosas, vehebant. Quandoque curribus jungebantur, ut colligere est ex Esaj. *cap.21. vers.7.* Ita Nero, Circensibus *commisit camelorum quadrigas*, apud Suetonium *cap.11.* Et Heliogabalus junxit *camelos quaternos ad currus in Circo, privato spectaculo*, apud Lampridium. De pilis illorum, hic infrà: plura verò hanc in rem V. apud Sam. Bochartum *Hierozoici pars. prior. lib.II. cap.1. & seqq.*

Camelius, Medicus Augusti, quo Imperator ante Musam usus est. Appulejus *de Remediis Salutaribus. Divus certè hac lactucâ conservatus in ægritudine fertur prudentia Musæ Medici, cùm prioris Cameli religio nimia ei abnegaret.* Nempe Camelius lactucarum esum ægrotanti Augusto negabat: Musæ vero operâ ex valetudine ancipiti ope lactucæ convaluit. Fuit autem *Camelius* nomen Romanum, ut & *Camerius* & *Camellius*: quorum omnium mentio occurrit in vett. *Inscriptionum* tomo. Nominatim in eo memorantur, *C. Camelius Heracla*: Et *C. Camelius Africanus Fabianus* V. Salmasium *ad Solinum pag.1172.*

Camella, Polluci Σκάφιον, in qua festo Paganalium Deæ Cereri, vel quæ eadem esse videtur, Pali, potionem propositam fuisse, notat Scaliger, quam *Burranicam* dictam esse docet: eoque refert versus Ovidii *Fast lib.4.*

Dum licet, apposita veluti in cratere Camella
Lac niveum potes, purpureamque sapam.

In quæ verba, *Hæc potio*, inquit, *burranica dicebatur à colore burro, quem mulsum lacte dilutum facit.* Festo *Burranica* potio appellatur lacte commistum sapa, à rufo colore, quem *burrum* vocant. Unde *burram* rustici dixere buculam, quæ rostrum habet rufum: & lacernæ rufi coloris vulgò usurpatæ, inde *Birrhi* seu *Byrrhi* sunt dictæ Joh. Rosinus *Antiqq. Rom. lib.4. cap.17.*

Camelopardalis, Aristoteli ignota fuit & Græcis omnibus, usque ad Agatharchidem, sub Ptolomæo VI. seu Philometore; post quem Artemidorus, Ptolomæo VIII. seu Lathyro æqualis; & tertius Diodorus, sub Julio Cæsare, tam ineptè de ea scribit, ut appareat, tum temporis rarum fuisse animal & parùm notum. Nempe ante Cæsarem Romæ nemo *camelopardalim* viderat. Plinius *lib.8. cap.18. Camelopardalis Dictatoris Cæsaris Circensibus ludis primùm visa Romæ.* Neque verò id mirum, cùm in iis procreetur locis, quæ non remota solùm, sed tam inaccessa sunt, ut ea crediderint Vett. prorsus esse inhabitata. Et Strabo quidem sedem iis metatur ad Austri cornu: Leo Africanus & Marmolius, in Nubia nasci ait; Antonius Constantius, in ora Æthiopiæ, ad Austri cornu prom. vergente. Unde est, quòd Heliodori *lib.10.* Axiomitæ hoc animal, ut peregrinum, Regi Æthiopum magni muneris loco attulere. Dicitur vulgò *giraffa*, Arab. *Zurapha*, Æthiop. *Nabin*, Latinis quoque *ovis fera*, estque capite camelino, collo equino, caudâ capreæ, cruribus & pedibus bubulis, albis virgulis rutilas maculas distinguentibus, quarum gratiâ Plinius scribit indictum ei nomen *Camelo pardalis* fuisse. Ejus posteriora anterioribus sunt humiliora, ut à cauda sedere videatur; collum verò rectum est, & in altum evectum: Cursu tantum valet, ut nec incitatissimi equites illam assequi valeant. Tollitur è terra caput ejus ad altitudinem 15. pedum, ita ut eminus turrim te potiùs, quàm animal, aspicere credas. Porro cornua habet, seu potiùs tubercula ac molles apices: magnificè ingreditur, &c. interim nullam sævitiam aut feritatem ostentat, uti eam describit præfatus Constantius *Epist.* ad Galeottam Manfredum Faventinorum Principem, data Fani, A.C.1487. in qua accuratè agit *de Camelo-pardali*, quâ Laurentium Medicæum donaverat Sultanus Ægyptius, ut Jovio; aut Rex Tunetensis, ut Volaterrano placet. V. quoque Scaligerum *Exercit.109.* Gesnerum, Alios, laudatos Sam. Bocharto *Hierozoici Part. prior. lib. III. cap.21.* In ejusdem Constantii *Epigrammate* Laurentium sic compellat *camelopardalis*,

Albertus, Magnì clarus cognomine, plenam
Non dixit nostri corporis effigiem.
Non qui Orbis modico scripsit memoranda libello
Plinius & pulchræ conditor Historiæ.
Non qui scriptorem dum corrigit Artemidorum
Strabo, mihi dotes invidet ipse meas.
Qualiacunque vides, isti mihi cornua demunt, &c.

V. quoque Salmasium *ad Solinum pag.212. 388.* &c.

Camelorum Mansiones, apud Plinium *lib 6. cap.2.* ubi Thomnam caput Gebanitarum abesse à Gaza Judææ opp. quadragies quatuor triginta sex m. p. idque spatium *in mansiones camelorum* sexaginta quinque dividi, scribit: Græcè σταθμοί, propriè dicebantur loca, ubi confecto itinere per noctem quiescebant; quemadmodum *Mutationes* seu Ἀλλαγαί, loca mutandis animalibus destinata. Et quidem *Mansio* ut plurimum pro unius diei itinere sumebatur: at in *Camelorum mansionibus* non semper singulæ mansiones singulis diebus itineris conficiendi respondebant, nam pro aquationum ratione, quæ ὑδρεύματα vocabant, erant dispositæ. Sic e.g. à Copto Beronicen usque portum Rubri maris, vetus *Itinerarium*, ducenta & quinquaginta octo m. p. computat, quod iter undecim Mansionibus confici docet, quarum singulæ aut 20. aut 25. milliaribus constarent. Plinius verò idem illud iter à Copto Berenicen camelis confici scribit, *aquationum ratione dispositis mansionibus, lib. cit. cap.33.* ubi novem tantùm Mansiones numerat, cùm tamen totum illud iter duodecimo die peragi dicat. Sic idem, ubi suprà, singulis Mansionibus camelorum sexaginta novem milliaria plus minus imputat, ad quem locum V. Salmasium *Exercitat. Plin. ad Solinum pag.494. & seqq.* Plura verò hanc in rem hic passim in vocibus *Aquatio*, *Hydreuma*, *Mansio*, &c.

Camelorum Pili, in Caspiis olim fuere mollissimi & ex iis confectæ vestes ad delitias pertinebant. Ælianus *Histor. lib.17 cap.34.* Κάμηλοι δὲ ἀριθμοῦνται πολλαί, αἱ μέγισται κατὰ τοὺς ἵππους τοὺς μεγίστους, εὔτριχες ἄγαν· ἁπαλαὶ γάρ εἰσιν ἐς τοσοῦτον αἱ τούτων τρίχες ὡς καὶ τοῖς Μιλησίοις ἐρίοις παραβάλλεσθαι τὴν μαλακότητα, ἐκ τούτων οὖν αἱ ἱερεῖς ἐσθῆτα ἀμφιέννυνται καὶ οἱ τῶν Κασπίων πλουσιώτατοι καὶ δυνατώτατοι· *Cameli etiam* (apud Caspios) *plures numerantur, quarum maximi maximis equis sunt magnitudine pares, pilis magnì pretii: ii enim ita molles sunt, ut cum Milesiis lanis mollitie comparari possint. Ex illis porro Sacerdotes induuntur, & Caspiorum ditissimi quique & opulentissimi.* Quod illum habere è Ctesia docent hæc Apollonii *Mirabil. cap.20.* Κτησίας δὲ ἐν τῇ δεκάτῃ Περσικῶν καμήλους τινὰς ἐν τῇ χώρᾳ γίνεσθαι, αἳ ἔχουσι τρίχας οὐδὲν Μιλήσια ἔρια τῇ μαλακότητι· ἐκ δὲ τούτων τοὺς ἱερεῖς καὶ τοὺς ἄλλους δυνάστας τὴν ἐσθῆτα φέρειν. *Ctesias Persicorum lib.10. refert, in ea regione esse camelos, quorum pili mollitie lanas Milesias æquent, Sacerdotesque & alios Proceres vestes ex iis confectas gestare.* Ita in Imperio Magni Chami, in urbe Calacia, Metropoli Provinciæ *Tanguth*, inveniri pannos, nomine *Zambilotti*, de lana alba & pilis camelorum contextos, quibus vix pulchriores in mundo inveniantur, narrat Paulus Venetus *lib.1. cap.63.* qui etiam *cap. seq.* ubi de terra Gogi & Magogi, *Fiunt*, inquit, *ibi Zambilotti optimi de pilis camelorum.* Cujusmodi pannos propriè significat vox Gallica *Camelot*, quamvis

ſumatur hodie latiùs. Sed camelorum in Caſpiis aut in Tartaria villi, quàm ſunt tenues, tam ſunt aſperi vulgares, quibus indui conſueviſſe Johannem præcurſorem Chriſti, legimus in hiſtoria Evangel. Matth. *cap.3. verſu* 4. & Marc. *cap.1. verſ.6.* Hebræi vocant צמר גמלים *lanam camelorum*: ut, cùm quærunt, *an ut lanam ovium, ita lanam camelorum, cum lino miſcere Lex vetet*, Levitici *cap.19. verſu* 19. & Deuteron. *cap.22. verſ.11.* Item, *an lepra inficiat veſtes ex lana camelorum, quomodo inficit veſtes ex lana ovium?* Levit. *cap.13. verſ.47.48.52.59.* V. Talmudicum Tract. *Kelaim cap.9.* & Maimonidem *in Kelaim cap.10.§.6.* citatos Bocharto in *Hierozoico Part. prior. lib.II. cap.1.* Recentioris ævi Scriptores *Camelotum* quoque & *Camelinum* vocant, cujuſmodi pannum ſic deſcribit Fortunatus *de Vita S. Martini lib.4.*

— — — Modò ſubit aſpera tela,
Hiſpida cameli rigido quaſi vellere texta.

E quo, inter Chriſtianos, olim Monachos veſtes confici curaſſe, docet Sulpitius de *Vita* ejuſdem *cap.7.* ubi de inſtitutione Ordinis Monaſtici à S. Martino inſtituti: *Deniq; camelorum ſetis veſtiebantur, mollior ibi habitus pro crimine erat.* Et Paulinus *Vitæ* ejuſdem *lib.2.*

Multis veſtis erat ſetis contexta cameli,
Quæ levibus ſtimulis vigiles conſurgeret artus,
Excludens tenuem compunctâ carne ſoporem,
Mollia ne fluxum nutrirent tegmina corpus,
Laſciva & tenui veſtis fluctaret amictu, &c.

V. eundem *Epiſt. ad Severum*, & alia quædam hanc in rem, apud du Freſne *Gloſſar.*

Camelorum Tubera, Græcis κυρτώματα & τύλοι, unde ἄτυλοι dictæ, quæ bina habent: Ariſtoteli ὕβοι, unde vox Latina *gibbus*, Æolicè γύβος, *petumen* antiquis Romanis ſeu *petimen*. A qua voce *Petiminarii* fortè dicti, qui ſaltu periculoſo corpus vibrantes, totos plerunque ſe contrahunt & gibbos faciunt, ut Petauriſtæ & alii hujuſmodi paraboli ſaltatores, de quibus V. infrà. Eadem quia oneribus læſa melle inungi ſolent, hinc cameli tuber, Hebraicè דבשת *dabbeſeth* dicitur, Eſajæ *cap.30. verſu 6.* tanquam à voce דבש *debas*, quæ mel ſonat, uti habent R. Selomo *in Eſajam* & Talmudici Doctores *Tract. de Sabbatho cap.8.* & 14. nec non *in Bava Metſia cap.3.* Cui tamen originationi utpote longius petitæ, non aſſentitur Sam. Bochartus, quem vide *Hierozoici Parte poſter. lib.IV. cap.12.*

Camera, cubiculum, cœnaculum, conclave, q. *camura*, à curvitate, ut placet Papiæ: ſeu potiùs à Græco καμάρα; κάμαρον autem idem quod καμπύλον, *curvum* ſeu *inflexum*, arcuata enim & in morem rotarum rotundata tecta *cameræ* ſunt. Unde *rotatio camerarum*, apud Caſſiodorum, ἡ περιδίνησις τῶν καμαρῶν, V. infrà in voce *Trichilæ*. Itaque errat Vir doctiſſimus, qui *ad verba Vopiſci in Aureliano, Habuit in animo, ut aurum neq; in cameras, neq; in pelles mitteretur*: per *cameras*, laquearia privatarum ædium & balnearum vult intelligi. *Cameræ* enim tecta ſunt curva, de quarum diſpoſitionibus videri poteſt Vitruvius *lib.7. cap.3.* nam & trulliſſabantur & inducebantur tectorio: Laquearia autem vel laqueata tecta erant, quæ nunc *lambriſſata* Galli vocant. Ex tabulis namque ligneis fiebant, in varias figuras & mæandros ſectis ac cælatis; quæ plerunque etiam verſatiles erant, ita ut & flores & unguenta deſuper ſpargerent, uti apud Suetonium *in Nerone* legimus: id quod in *cameris* fieri non potuiſſet. Et quidem *camerarum* uſum Vett. ignoraviſſe, notat Servius; eâ ratione vela ſubtendentes laquearibus ad excipiendum pulverem, qui per rimas tabulatum multus conſueverat manare: quibus non opus in *cameris*, ut quæ tectorio opere inductæ rimis non dehiſcunt & proin pulverem nec admittunt, nec tranſmittunt. Neque verum, quod Iſidorus ait, laquearia cameris ſubtegi conſueviſſe, niſi nomine laquearium ibi *coronas* intelligat, quæ ſubjiciebantur cameris, tenuis ſubtiliſque operis & aliquando ex gypſo, aliquando ex creto marmore, perducebantur ac modò puræ, modò cælatæ fiebant. Sed hic camerarum ornatus multum à laquearibus diſtabat, trulliſſatis enim politiſque cameris ſubjiciebatur. Tectorio igitur opere inducebantur cameræ, & picturis tectorio ſuperinductis, non ſecus ac parietes, decorabantur, quod tectorium ὑποχάρτωσιν vocabant, V. *Epiſtol.* Pontificum 61. ubi ὑποχάρτωσις videtur dici coronarium opus, quod cameris ſubjici ſolitum diximus, à chartæ tenuitate & ſubtilitate & idem eſſe, ac ὑποπλάκωσις: niſi quis ὑποχάρτωσιν dictam malit, quòd uſus chartarum fuerit, in cameris intexendis & diſponendis, vel etiam decorandis. Sed ſuperior ſententia potior videtur, cùm optimum *Gloſſarium* ὑποχάρτωσιν *tectorium* interpretetur. Etiam verò imbracteabantur cameræ, ut ex Vopiſci *l. c.* patet: muſivo item opere decorabantur; imò muſivum opus propriè camerarum fuit & de earum ornatu tantummodo apud Auctores uſurpatur, quemadmodum ſolum ſeu ἔδαφος arte pavimenti ſeu ψηφῖσι ornabatur. Porro ex Procopio *de Ædif. Juſtin. Serm.1.* diſcas, aliud *cameras* ornandi pingendique genus fuiſſe, cerâ reſolutâ igne, quod ad Encauſticen pertinet; quo genere picturæ parietes conſueviſſe pingi, ait Auctor Etymologici magni. Eodem autem genere & parietes & cameras pingi & ornari ſolitas dictum. *Urere coloribus* dixit Ovidius,

— — Tabulamque coloribus uris, &c.

Sic variis modis *Cameræ* ornabantur, coronario opere, muſivario, cerographia, vel encauſtice, & imbracteatione: quem poſtremum ornandi modum prohibere in animo habuit Aurelianus Imp. Apud Recentiores verò vox latiùs ſumi & ad quævis tecta extendi cœpit: unde etiam *Cameræ* cœnationes ipſæ appellatæ ſunt, ſive laqueatæ eſſent, ſive cameratæ: & Iſidorus ſic vocem ſumit, cùm laquearia eſſe dicit, *quæ cameram ſubtegunt & ornant, figuris vel rotundis vel quadratis, ligno ſeu gypſo ſive colore etiam factis.* Plura ejuſdem ſignificata V. hic infrà; & de *Cameris* accuratè diſſerentem Salmaſium *Notis ad Spartianum in Peſcennio Nigro & Vopiſcum loco citato.* nec non *Exercitat. Plinianis ad Solinum paſſim*, ubi de *Camerarum* duobus generibus, quæ *ex lapide* ſtruebantur, aut quæ *ex contignationibus* factæ ſignino opere inducebantur & albario poliebantur: de ornatu porro earum, qui *opere muſivo, vitro & gypſo* fiebat: tandem de variis ſpeciebus, *Teſtudine, Fornice & Concha*, complura habes, *pag.1214. & ſeqq.* adde *pag.232.* ubi de *Cameris* ceris inuſtis ſeu encauſto quoque pingi ſolitis, &c.

Camera, apud citerioris ævi Scriptores, conclavis eſt, ubi theſaurus reponitur & ſervatur: quâ notione apud Græcos κοιτὼν occurrit, uti du Freſne docet *ad Alexiadem.* Inprimis ſumitur pro Fiſco Imperatoris vel Regis. Unde Fridericus I. Imp. apud Helmoldum *lib.1. cap.80.* & in *Hiſtor. Archiep. Brem.* A.C. 1155. *Magna*, inquit, *requiritis, ò viri Romani, de exinanita camera noſtra.* Sic in Teſtamento Caroli M. apud Eginhartum legimus, *Quidquid in* camera *atque veſtiario ejus eo die fuiſſet inventum.* Inde in Francia, Fiſcus ſeu Theſaurus Regius hodieque *Camera Denariorum* dicitur: factumque, ut provinciæ etiam atque urbes, quæ immediatè Principi ſuberant, & fiſci erant propriæ, *Cameræ* dicerentur. V. *LL.* Edwardi Confeſſ. Matthæum Pariſ. *A. C.* 1242. Alios. Sic Monaſterium S. Dionyſii *propriam Cameram* Regis Franciæ, vocat Rigordus *A. C.* 1185. &c. Porro pro Curia Principis, pro officina ejus monetaria, pro officio Camerarii in Monaſteriis, pro Dotalitio uxoris, vocem uſurpatam reperias, in *Vita S. Adelberti Prag. Antiqq. Lect. Tom. V.* in *Charta* Guilielmi Ducis Aquit. apud Beſlium *pag.539.* in *Monaſtico* Anglic. *Tom.I. pag.148.* in *Pacto* Nupt. inter Ludovicum II. Siciliæ R. & Rolandam fil. Johannis Regis Aragonum *A. C.* 1399. Quâ ultimâ notione hodieque in uſu apud Gallos eſt, qui *la Chambre de la Femme* vulgò appellant ſupellectilem, quæ, poſt exceſſum conjugis, uxori addici ſolet. De *Camera Clericorum*, quæ in Francia idem erat, quod *Garderoba* in Anglia, V. Fletam *lib.2. cap.14. §.1.* & plura hanc in rem, apud Car. du Freſne in *Gloſſario.*

Camera, pro ſepulchro camerato & hypogæo ſeu ſubterraneo, apud Phlegontem: Ἀνεχώρησε δὲ ὑφ' ἡμῶν τὴν καμάραν, εἰς ἣν πάντες οἱ οἰκεῖοι μεταλλάξαντες ἐτίθεντο, ἐπὶ μὲν τῶν ἄλλων κλινῶν ἐφαίνετο σώματα κείμενα, τῶν δὲ παλαιοτέρων τετελευτηκότων τὰ ὀστᾶ, ἐπὶ μόνης δὲ ἧς Φιλίννιον ἐτέθη ἐν σμύρνῃ, ... τὸν δακτύλιον τὸν σιδηροῦν, καὶ τὸ χρυσόκλειστον ποτήριον. Ubi hypogæum illud monumentum totius familiæ, quòd fornicatum eſſet, καμάραν, i. *cameram*, vocat; κλίνας verò ſingulorum cadaverum thecas vel arcas, quæ unâ καμάρᾳ vel *fornice* habebantur conditæ. Et quidem cùm *Cameræ*, aliæ eſſent δρομικαί, quæ ſemicylindri formam habebant & oblongæ erant; aliæ ἀλυσιωταί, quæ ex ſtructura factæ & concavos receſſus haberent; poſteriori modo fiebant ſepulchra Judæorum, ut & Græcorum, ſubterranea omnia, quas *Cryptas* dicebant & *Speluncas.* Cujuſmodi etiam fuit Domini ſepulchrum & Lazari, volubile nempe & fornice tectum ac ſub terra conſtructum, ἐκ πέτρας λαξευτὸν καὶ οἰκοδομητόν. Fiebant autem *cameræ* illæ vel fornices Hypogæorum ex magnis lapidibus & quadratis, quos Græci τετραγώνους λίθους dixère. Unde apud Strabonem, ὑπόνομοι ... λίθῳ κατεψαλιδωμένοι, *quadrato ſaxo concamerati.* Item μονολίθοις, Idem *lib. 7.* κατεψαλιδωμένοι ψαλίδι διὰ μονολίθων ὑπερβαλλόντων τῷ μεγέθει. Προτίμους quoque: quo modo Plato de monumento hypogæo, ex lapidibus ſtructum & concameratum ingentibus debere eſſe dicit, ἐκ λίθων προτίμων. Alii λογάδας λίθους appellant. Certè vetus *Itinerarii* auctor, monumentum Eſajæ Prophetæ monolithum revera fuiſſe ait & volubile, quòd ſcilicet cameratum eſſet monolithis. Et in monumento Domini μέγαν vocant Evangeliſtæ, ob magnitudinem, & λατομητὸν ac λαξευτὸν, quòd ingentes & quadrati eſſent lapides, quibus cameratum atque conſtructum erat, &c. Ceterùm non omnium fuit ſepulchra habere ædificata, ſed ditiorum ſolùm ac potentiorum. vilis turba cadavera ſua factâ ſcrobe defodiebat & aggeſtâ deſuper humo tumulabat, cippo lapideo ſuper illud χῶμα ſtatuto, qui nomen & elogium defuncti contineret: qua de re infrà dicemus. V. plura hanc in rem apud Salmaſium *ad Solinum pag.1213. & ſeqq.* & alibi, ubi de Sepulchralibus vett. *Hypogæis.*

Camera Apoſtolica, Pontificis theſaurus eſt, & Patriarchium aliquando dicitur. *Unde autem ſumebat ea, quæ ad uſum ſui corporis erant neceſſaria? Dicit enim manifeſtè de* Patriarchio *Romano*, &c. *Neſcitis Eccleſiam Romanam? Dico enim vobis, quia ſi quis venis illuc miſerabilis homo hoſpitari, omnia ad uſum præbentur ei*, &c. *In*

catho-

exilio S. Martini Papæ in Collectan. Anastasii Bibl. *per Sirmondum in* 8. *edito pag.*99.

Camera Clericorum, V. suprà.

Camera Denariorum, Ibid.

Camera Papagalli, appellata est in Vaticano Palatio, ubi habebatur Consistorium Secretum. *Ceremoniale* Rom. *lib.*1. *sect.*9. *cap.*3. *Consistorium secretum celebratur in Aula aliqua palatii Apostolici remotiori* (cameram Papagalli, *quæ est in Vaticano, appellant*) *sed Pontificalis parieti adhæret, in medio surgit à solo sine thalamo,*&c. apud Mactos fratres in *Hierolexico.*

Camera Spirensis, supremum Imperii tribunal, instituta est à Maximiliano I. Cùm enim vagum sæpius esset Consilium Aulicum & Cæsar ipse Germaniæ provincias priùs obire cogeretur, nunc in Gallia Italiaque haberet quod ageret, factum inde, ut causarum decisiones lentè procederent, etiamsi Judices aulici processu summario uterentur. Itaque incommodis his remedium allaturus Imperator præfatus in Comitiis Augustanis, A.C.1530. decrevit Ordinum omnium consensu, ut tribunal Imperiale in posterum Spiræ Nemetum fixum esset, perpetuumque jus diceretur ex Legibus Rom. salvis tamen receptis consuetudinibus, & particularibus statutis singulorum locorum. Quæ urbs tempore isto, in Germaniæ meditullio sita, ab omnibus locis devolutas causas facilè recipere poterat: nunc à latere illo, quo Galliam spectat, valde denudari cœpit; quæ ratio, quòd Status Imperii in Pacificatione Westphalica de commodiore loco, ubi deinceps *Camera* esset, consilia agitarint. Constare debet amplissimus hic Consessus, *Judice Cameræ*, Principum, Comitum, Baronum familiâ oriundo & *L. Assessoribus*, ex semisse una Pontificiam religionem, ex altera Protestantium Sacra amplectentibus; qui constituuntur partim ab Imp. partim ab Ordinibus, per Circulos X. incolentibus, uti in *Pacific. cit.* videre est §. *Præterea, cùm ob emersas ex præsente bello mutationes,*&c. Ad eam verò non deferuntur causæ *matrimoniales*, quas solas Papæ reservari Cæsares voluere: neque *criminales*, neque *religiosæ*, quas Status Imperii, vel quisque seorsim in suo territorio, vel conjunctim in Comitiis sibi vendicant. Sed nec de Feudis Regalibus, vectigalibus, absolutione à Banno, decernit; hæc enim ad Judicium Aulicum, quod à veteri more superstes mansit in Cæsaris palatio, pertinent,&c. V. Henr. Kippingum *Juris Publ. Method. nov. lib.*2. *cap.*3. ubi de anno institutionis hujus *Cameræ* quod habet, corriges ex aliis, qui A. C. 1495. id a Cæsare, & quidem Comitiis Wormatiensibus, factum esse docent. Adde Limnæum *de Jure Publ.* Alios.

Camerana, vulgò *la Chambre*, illustris in Gallia familiæ nomen. In qua floruit A. C. 1097. Aymon *de la Chambre*, ac Vicecomitatum Maurienæ, dein Comitatum *de Leville* nactus est, sed cùm masculi ejus familiæ defecissent, ob Margaretam Johanni *de Seissel* Dn. *de Barias*, nuptam, huic genti *Seisseliæ* (ex qua etiam Domini *de la Serre* & *Aix* descendunt) nomen novum est inditum. In ▪ autem denuo plures lineæ extiterunt, partimque adhuc superant à Johanne Com. *de la Chambre* ortæ, Nempe Marchionum *de la Chambre*, Marchionum *de Aix*, Comitum *de Montreal*, tum Marchionum *de Mexmieux*, nec non Comitum *de Montfort*: Prætenderunt etiam alicujus matrimonii titulo Principatum Arausionensem. Præcipuus ramus à Johanne est præfato, qui Margaretâ f. l. Urbani *de la Chambre* C. *de Leville* ductâ, ex ea genuit Amedæum Com. *de la Chambre, Leville & Dam.* patrem, ex Maria de Sabaudia, Ludovici, qui extinctus A.C.1517. ex Anna *de la Tour*, filium habuit Johannem III. maritum Barbaræ *d'Amboise*: quo matrimonio natus Johannes IV. M. *de la Chambre* Com. *de Leville*, ex Amata *de la Baume* Dn. *de la Ferte Chauderon*, suscepit Johannem Ludovicum March. *de la Chambre* Com. *de Leville* (cui obtigit uxor Claudia *de Saux Tavanes*, ἄπαις) Petrum March. *de la Chambre* (ux. Laurentia *de Clermont de Montoyson*, itidem ἄπαις) Car. Emanuelem M. *de la Chambre*, ἄπαιδα similiter, & filias 4. Luisam, Philibertam, Sebastianam & Carolam, omnes illustribus maritis junctas. Phil. Jac. Spenerus *Theatr. Nobil. part.*1.

Camerarius, in Regno Angliæ, idem cum Cambellano seu Cubiculario est, apud Fletam *lib.*2. *c.* 6. §. 2. V. suprà. In Regno Scotiæ, idem est, qui *Justitiarius itinerans* dicitur in Anglia: Is enim certis anni temporibus totam Scotiam peragrat & in delicta incolarum exterorumque, præsertim Artificum, ut Brassiatorum, Pistorum, Carnificum, Appretiatorum carnium, Gustatorum cerevisiæ, Piscatorum, Molendinariorum aliorumque inquirit; de stateris, ulnis & ponderibus cognoscit, multas imponit, &c. quæ quidem Regni peragratio *Iter Camerariæ* vel *Camerarii* nuncupatur, in *L. L.* Scoticis à Skenæo editis, in quo opere cognitio & jurisdictio ejus pluribus describitur. In Aula Pontificia, *Apostolici* cognomen habet, sicque dicitur, qui pecuniarum & Ecclesiæ Rom. thesauri curam gerit: quod officium, *Archidiaconi* extincto nomine, à Gregorio VII. Pontif. institutum esse, tradit Onuphrius Panvinius. In Monasteriis officium est, ad quod pertinent *omnes census & reditus Monasterii, sive de villis, sive de terris, sive de molendinis, sive de aliis rebus quibuslibet, ut* (Camerarius) *eos tempore statuto & percipiat & requirat. Horrea etiam & aratra & terræ arabiles & cæteræ culturæ Monasterii, nec non & pecora & omnes rusticæ conventiones ad ejus curam spectant, ut ipse provideat, quæ in his omnibus instaurandis & exercendis sive conservandis, necessaria sunt,*&c. Lib. *Ordinis* S. Victoris Paris. *MS. cap.*10. apud du Fresne. Ejusdem est, *procurare omnia vestimenta & calceamenta & lectos & stramenta lectorum, rasoria & forfices, tersoria ad radendum — dat ferra, quibus ferrantur equi Abbatis & Prioris & omnium Hospitum,*&c. apud Lanfrancum in *Decretis pro Ord. Benedict.* Aliter *Provisor* dictus, apud Hugonem Abb. in *Statutis Cluniac.* cui *Subcamerarius*, qui cellarii, granarii, horrei & stabuli quoque curam sibi commissam habet, inservit. De *Camerarii* dignitate, in Ecclesiis Cathedralibus, V. *Statuta* Ecclesiæ Londinensis in *Monastico Angl. Tom. III.* &c. De *Camerariis* inprimis Franciæ ut aliquid addam, dignitas ea est in Palatiis Regum, cui *Camera* Regiæ, i. Thesauri seu Cimeliarchii Regii cura incumbebat; de qua sic Hincmarus Rem. *de Ordine Pal. cap.*22. *De honestate verò Palatii, seu specialiter ornamento Regali, nec non & de donis annuis militum, absque cibo & potu, vel equis, ad Reginam præcipuè & sub ipsa ad Camerarium pertinebat: & secundùm cujusque rei qualitatem, ipsorum sollicitudo erat, ut tempore congruo semper futura prospicerent, ne quid — opportuno tempore defuisset. De donis verò diversarum Legationum, ad* Camerarium *respiciebat, nisi fortè jubente Rege tale aliquid esset, quod Reginæ ad tractandum cum ipso congrueret.* Ockam *cap. de Scaccario, Officium* Camerariorum *in recepta consistit in tribus, scilicet claves arcarum — bajulant, pecuniam numeratam ponderant & per centenas libras in forulis mittunt.* V. quoque Gregorium Turon. *Histor. lib.*4. *cap.*26. & *lib.*6. *cap.*45. è quibus colligas, apud Francos non unicum in Palatio *Camerarium* fuisse, nisi ii fuerint *Camerarii Provinciarum*, de quibus infrà. Habuere porro *Camerarios* Franciæ Reges usque ad Franciscum I. qui, post mortem Caroli Duc. Aurelian. filii sui, quem post obitum Caroli Borboniæ Ducis, *Camerarium* constituerat, dignitatem hanc suppressit. V. Tillium & plura hanc in rem, apud Car. du Fresne in *Glossar.* è quo etiam hæc subnectimus:

Camerarii aliquot Regum Franciæ I. & II. stirpis.

Tako, sub Dagoberto R. memoratur Ratperto *de Casib. S. Galli cap.*1.

Vandalmarus, sub Guntranno R. apud Fredegarium *cap.*4.

Reginardus, *Præpositus Cameræ Reg.* sub Ludovico Pio, in *Vita* ejus A.C.817.

Tanculfus, sub eod. apud Ardonem in *Vitâ* S. Benedicti Anianensis Abb.

Bernardus Com. Barcinonensis & Dux Septimaniæ in eadem *Vita* Ludovici Pii, & apud Eginhardum, Nithardum, alios.

Ingelrannus Com. sub Carolo Calvo, apud Aimoini Continuat. *lib.*5. *cap.*32.

Theodoricus, sub Ludovico II. in *Annal.* Bertini, A.C. 878. 879. &c. Porro sub secunda Regum horum stirpe, erant *Nuncii Cameræ*, quibus provinciarum & urbium, ad Fiscum Regium, *Cameram* dictum, spectantium, cura demandabatur; erantque veluti Procuratores Fisci in illis, atque cum Ducibus æquatam habebant potestatem. Sic dicti, quòd à *Camera*, seu *Camerario* Regio, in provincias mitterentur, essentque quasi *Missi Cameræ*. Ekkehardus Jun. *de Casibus S. Galli, cap.*1. *Nondum — Suevia in Ducatum erat redacta, sed Fisco Regio peculiariter parebat, sicut hodie & Francia. Procurabant ambas* Cameræ, *quos sic vocabant,* Nuntii. *Ibidem, Huic — cùm aliqua Potamum Cameræ Nuntiorum juris oppidum pertinentia à Regibus darentur,*&c. Quod *Camerarios* tertiæ Regum stirpis concernit, recensent eos passim veteres Chartæ & Scriptores, quos consule. *Camerarios Provinciarum*, in Regno Siculo & Neapol. eosdem cum *Cameræ Nuntiis* præfatis, facit du Fresne laudatus.

Camerarius Cardinalis, in Aula Pontificia, qui *Cameræ*, ut vocant, *Apostolicæ*, h. e. thesauri Papalis & redituum Ecclesiæ Rom. curam, ac Sede vacante, per illos dies, quibus *Conclave*, ut ajunt, nondum celebratur, magnam jurisdictionem exercet, monetamque cum gentilitiis suis insignibus cudit. Huic, si Sede nondum redintegratâ, decedere contigerit, ex facultate Bullæ Clementis V. ipsi Cardinales alium in eadem dignitate substituere tenentur, Dominic. Macer in *Hierolexico*, V. quæ de *Camerario Apostolico* retro sunt dicta.

Camerius, nomen Romanum. V. suprà *Camelius*.

Camerlengus, V. suprà *Camarlengus*.

Cameus, vulgò dicitur lapis lacteus, nigro & candido compositus, cujus nempe superficies candida est, radix verò nigra; marmoribus potiùs, quam gemmis, annumerandus. Ingentes namque exciduntur crustæ, quibus lactea superficies, quæ ectypis imaginibus aptatur; fundus autem vel radix nigerrima substernitur. Paulus certè Silentiarius inter marmora recenset atque sic id genus describit *in Ecphrasi S. Sophiæ*,

> Ὅσσα δὲ Κελτὶς ἔνερθε βαθυνομένη ἀγκών
> Χευατο μέλαν σπάδεσι πολὺ γλάγος ἀμφιχέασα
> Εὔχυτον ἦχι τύχησιν ἀλαίνουσ' ἔνθα καὶ ἔνθα.

Ubi *corpori nigro superficies lactea hinc inde superfusa*, marmoris omnino illud genus designat, unde vulgò *Camei* fiunt. In Germaniæ montibus illud inveniri iisdem in versibus innuit idem, &c. V. Salmasium *ad Solinum pag.* 562. & suprà, ubi de *Cameis figuris*.

Camilabo, pannus utrinque dependens, à pileo Patriarchali, *Lexicon* Gr. apud Car. Mactum in *Hierolexico*.

Camilla, inter vestes Episcopales, apud Theodulfum *lib.6.carm. 18. de Vestil.Episc.*

Fluxa camilla *caput*; *mentem regis*,&c.

Gall. *Camail.* V. suprà in voce *Camallum.* Nisi potiùs legendum *Capella*, i. minor capa, quâ caput tegebant, uti censet du Fresne *in Glossario.*

Camilli & *Camillæ*, ministri sacrorum, à Romulo instituti: de quibus Dionysius *lib.2.* ita *Romulus voluit uxores cum suis maritis fungi sacerdotio, & si qua sacra viros obire vetaret mos patrius, ea relinqui fœminis, in ejusque ministerii partem debitam venire; illorum etiam liberos: quòd si qui prole carerent, eis liceret optare ex quacunque tribu puerum puellamque, elegantissimos: alterum ministraturum sacris, donec pubesceret: alteram tantisper, dum pura esset à nuptiis*, Joh. Rosinus *Antiqq.Rom.lib.4.cap.31.* Dicebatur quoque in nuptiis *Camillus* puer impubes, qui in operto vase, quod *Cumerum* vocat Varro *de L.L. lib.6.* utensilia mulieris, quæque in usu ac ministerio sponsæ erant, ferebat, Idem Rosinus,*lib.5.cap.37.*

Caminata, in *Chronico* Fontanell. *cap* 15. seu *Caminada*. apud Chrodegangum in *Regula Canonic.cap.36* locus est, ubi Monachi in commune convivantur, seu, uti censet Haestenus, calefiunt. Unde Gallorum *Cheminée* ortum. Landinus *ad Dantem* ait, *Caminatas* dici in Lombardia *Sale de palagi*, h.e. *Palatiorum aulas*, apud Car. du Fresne *Glossar.*

Caminus, apud Plinium *lib.34 cap* 12. ubi de Auro. *Quod effossum est, tunditur, lavatur, molitur, ut farina ac pilis cuditur. vocant argentum, quod exit è fornace, sed auri. At quæ è* camino *jactatur spurcitia, in omni metallo Scoria appellatur*: idem cum fornace, uti idem alibi eam vocat. Glossæ *Fornax*, [illegible]. Habuitque in auro coquendo locum; cujus ramenta in catinos quidem coquenda mittebantur ex argilla factos: sed illi catini in fornace seu camino ponebantur. Et quidem catinos istos [illegible] Agatharchides vocat: in *camino* verò poni consuevisse, idem Plinius ait, *Catini fiunt ex tasconio, hoc est, terra alba similis argillæ: neque enim alia flatum ignemque & ardentem materiam tolerat.* Sed & *caminos* in argento vocat Strabo, [illegible], *Argenti verò caminos faciunt sublimes.* Imò in omni metallo, *in quo, quæ è camino jactatur spurcitia, Scoriam dici*, Plinius habet, *d.l.* V. Salmasium *ad Solinum, pag* 1079.

Camisatus, Clericus est, cui cura erat infundendi aquam calidam in calicem, post consecrationem, ritu Græcorum, à quibus [illegible] appellatur, V. Curopalatam, laudatum Macro. Græci namque præter aquam, quam ponunt in calice, in Eucharistiæ principio, quaque denotari volunt aquam ex latere Christi manantem, infundunt etiam post consecrationem aliquas guttas aquæ calidæ ante communionem, ut significent, quòd etiam in corpore Christi jam mortui remanserit Divinitatis calor, seu, *ut labiis admotis & sanguini communicantes sic afficiamur, quasi è vivifico illo latere biberemus*, quæ verba sunt Simonis Thessalonic. Hoc proin officio qui fungebatur, dicebatur *Camisatus*, fortè à *Camisia*, h.e. alba seu superpellicio. Citrinus à Novar. *Sacr. Elect. lib.5. cap.8.* Camisatus *ferendis ab altari carbonibus & sacris lebetibus calefaciendis occupatus est, ut illic more solito aqua fervens tempestivè sacris calicibus infundatur*, apud eund. Macrum.

Camisia, sive *Camisium*, prima vestium sacrificalium, linea tunica talaris: quæ quòd ad talos pertingeret, *Poderis*, Gr. ποδήρης, à colore *Alba* dicta est; ipsa verò à *Camis* nomen accepit, de quibus vide suprà, in voce *Cama*. Fuisse strictam & corpori adhærentem, tradit Hieronymus ad Fabiolam, *eamque similem militum Camisiis esse* dicit, *quæ sic aptæ membris & adstrictæ corpori, ut nihil militares exercitationes impedirent.* Earum mentio apud Anastasium, *in vita Benedicti III. Camisias albas sigillatas holosericas cum chrysoclavo.* Casaubonus *in illud Lampridii, in Alexandro, In linea autem aurum mitti etiam dementiam judicabat, cùm asperitati adderetur rigor*; jure, inquit, damnatas ab Alexandro lineas auro clavatas, propter asperitatem ac rigorem: & propterea se valde mirari, cur apud Anastasium legantur *Camisiæ auro clavatæ*, has autem non ad usum comparatas, sed ad ornatum ædium sacrarum. Verùm nihil aliud illæ *Camisiæ* fuerunt, quàm lineæ tunicæ sacrificantium, & ad usum sacrorum, non ad ornatum templorum: in quibus auri rigor & asperitas non erat gestantibus incommoda, cùm super alias vestes, nempe communes, injicerentur; secus tempore Alexandri, cùm lineæ nudis carnibus admoverentur, quas auri rigor ac asperitas lædebat. Certè quemadmodum epularum ministri, in tunicis tantùm & ferme lineis, sic etiam in sacro convivio, Altaris ministri sive Diaconi in tunicis, quas & nunc *tunicellas* appellant, inserviebant, turba minor sacricolarum in tunica linea. Honori Episcoporum tamen datum est, ut soli duas tunicas in sacris gestent, præterque *Camisiam* talarem, tunicam superiorem induant, quæ primò de more Κολοβὸς erat ac sine manicis, mox in Dalmaticam conversa est, teste Alcuino *de divinis officiis*: quemadmodum in vet. Testamento Pontifex præter tunicam lineam, etiam hyacinthinâ induebatur, cùm reliqui sacrorum ministri lineâ tantùm amicirentur. Fuit autem *Camisia* olim quidem, ut dictum, talaris ac manuleata, quales in antiquis picturis cernuntur, pòst brevior in usu esse cœpit, nec tamen eâdem ubique formâ. Plerumque manicata est, scissis tamen & laxè fluentibus manicis, alibi stricta corpori & brachiis pressa, [illegible] Cardinalium & Clericorum Augustinianorum, alibi etiam [illegible] instar involucris tonsorum, quod totum corpus involvit & hinc inde brachiis in humeros rejicitur, ut veteres Casulæ sive Planetæ, quæ forma Patavii visitur, *Cotta* Italis dicta, V. *ibi.* Lectorum propriam fuisse, ait Simon Thessalonic. *lib. de Sacram.* [illegible] *Lector veste ornatur, quam* Camisium *dicunt, quæ ad parvæ casulæ, vel certè tunicæ modum è lino conficitur, primamque Sacerdotii delibationem demonstrat.* V. quoque Codinum *de Officiis, cap.6 num.3.* apud quem Gretserus vestes eas hoc nomine intelligi vult, quas supra vestes Clerici vulgò deferunt, & *superpellicia* Latinis dicuntur. Hinc *Camisati*, certi ordinis Clerici, apud Græcos, de quibus dictum. *Camisialis* vestis, in Concilio Colon. A. C. 1260. *can.7.* tunica longior, hodie Gallis *Sotane*, quam Sacerdotes missam celebraturi, sub Albis habere jubentur: *Camisile* tandem, *Camisilis* seu *Campsile*, apud Monachum Sangall. *de Rebus Caroli M. lib.2. cap.29.* alibique passim, vestis species, eadem cum Alba seu *Camisia*; vel certè tela quævis linea aut cannabina, quomodo *camisile* videtur usurpare Cæsarius *lib.8 cap.32.*&c. V. Macros in *Hierolexico* & Carolum du Fresne in *Glossario.*

Camminum, Germ. *Cammin*, urbs Pomeraniæ ulterioris Episc. olim, V. in *Caminum.* Institutus hic Episcopatus à Bogislao II. vel, ut alii, Casimiro, Pomeraniæ Duc. post Julinum destructam à Danis A. C. 1173. ab eoque multis prædiis, iis tamen legibus, auctus est, ut ditio per quoscunque pacis bellique casus, Pomeraniæ indivulsa maneret, neque Episcopus, nisi Principis adsensu, legeretur: quod pacto inter Ericum I. Pomeran D. & Sigfridum *Cammini* Præsulem repetito firmatum est. Pacificatione verò Monasteriensi, unà cum Magdeburgico, aliisque quibusdam Episcopatibus, religione solutis (*secularizatis*) Brandenburgico Electori obvenit, quibus abdicatæ in Suecos Pomeraniæ damnum sarcitet. Tob. Pfannerus *de præcipuis Germ. Princip. Gentibus.*

Cammoron, apud Plinium *lib.27. cap.3.* ubi vulgò *cammaron* legitur, vox est origine Græca, quâ illa aconiti species indigitatur, quam [illegible] appellavit Theophrastus, quòd boves & jumenta & oves & omnes omnino quadrupedes enecet, ipso d.e., si genitalibus insulciatur, vel radix ejus, vel folium. Κάμμορον verò Dioscorides; ut & Nicander,

Ποιλάκις [illegible] κάμμορον.

quasi [illegible], *malâ morte necans*, uti vetera habent Scholia. Vel potiùs Æolicè, quasi [illegible], i. *mortiferum.* Radicem habet scorpii caudæ similem, unde & [illegible] quidam appellavere; eoque usus legitur Calpurnius, in uxoribus suis interficiendis. Plinius idem *lib.cit.cap.2. Cùm constet omnium venenorum ocyssimum esse aconitum — hoc fuit venenum, quo interemtas dormientes à Calpurnio Bestia uxores, M. Cæcilius accusator objecit. Inde atrox peroratio ejus, En digitum! ortum fabulæ narravere spumis Cerberi canis extrahente Hercule.* Nempe uno digitulo *cammori* seu *telyphoni* succo lito verenda uxorum suarum tangebat & sic interimebat Calpurnius. Quamvis autem Aconiti speciem id genus veneni faciat Plinius, propter virtutis viz. & potestatis similitudinem, in necandis feris, in cœteris tamen nihil cum eo simile habere, sed omnia diversa, folium, florem, radicem, colorem, natale solum, docet pluribus Salmasius *ad Solinum pag.882. & seqq.* ubi utriusque figuras quoque Lectori spectandas exhibet, ex vetustissimo quodam Dioscoridis Græci libro.

Campacus seu *Campagus*, ἀπὸ τῆς καμπῆς, *à flexura* vocatus, quod multas καμπὰς & decusses in calceando faceret, ex corrigiarum alligaturis, apud recentioris ævi Scriptores dictus est calceus Patriciorum & Senatorum, solo colore ab Imperatorio discretus. Imperatorum enim *campaci* rubri erant vel phœnicei, Senatorum verò nigri vel etiam candidi. Vetustioribus Latinis *calceus* simpliciter vocitatus est. Nam etsi calceus generale nomen, de quolibet calceamento, sic propriè tamen dictum est calceamenti genus, quo Senatores & Equester ordo, & reliqu paulo honestiores in Urbe utebantur. Hos Patricii lunatos gestabant; qui Magistratum Curulem cepissent, mulleos; qui triumphabant, puniceos, stante Rep. Imperatores postmodum, ut & reliqua triumphalia ornamenta, puniceos sibi solis, uti dictum, vindicarunt. Interim omnes hi calcei ejusdem formæ erant, *reticuli* dicti Gallieno, non quòd intercisi essent & πολυσχιδεῖς, uti æstivi calcei hodieque esse solent; sed propter locorum & corrigiarum, quibus circa crura alligabantur, variam & multiplicem decussationemque volutam implicationem, quæ reticulatum planè opus referret. Multis autem corrigiarum nexibus & involutionibus vinciri solitos fuisse patricios hosce calceos, innuit Isidorus, cum *quatuor* illos *corrigiis* adnecti consuevisse ait, quo modo multas omnino decusses fieri fuit necesse. Usurpari solebat calceus in Urbe & in publico; nam domi, depositis calceis, soleas [illegible]bant: extra urbem calceos quoque abdicantes. Itaque calceus togam semper sequebatur, sicut pallium crepida, apud Græcos. Uti verò nomen, ita & usum calcei, à Siculis & illis Græcis, qui Italiam incoluerunt, accepere Romani, *Romani* proin *calcei* appellatione donati, à Cassiodoro in *Codicillis Patriciatus ad Thol.* quorum

Hesychius

Hesychius κοῖλον καὶ βαθὺ ὑπόδημα, *cavum & profundum calceamentum* appellat. quod usque ad mediam tibiam ascenderet, ut caligæ, perones, tubuli, cothurni, qui non minùs, quàm *campagi*, imò etiam magis, tibiatim calceabantur. Nam *campagus* foris tantum & corrigiis crus involvens, magnam ejus partem intactam relinquebat; quod illæ species totum operiebant solidâ & integrâ pelle, &c. V. Salmasium *ad Trebellium Pollionem in Gallienis*; qui etiam calceorum usu servis fuisse interdictum, ex Servio observat. Uti verò *campagum* Trebellius hic, ut & Capitolinus in *Maximino Jun.* Regibus & Impp. sic Prætoribus & Palatinis Scholiastes Juliani Antecessoris in *Constitut.17. cap.63.* & quibusvis aliis, atque adeò ipsis militibus. Auctor *Chronici* Alexandr. *pag.*666. adscribit. Postmodum Pontificum Romanorum proprius fuit. *Hypomnesticum* de Anastasio Apocris. *Et uno ex* campagis *ejus – quos nullus alius, inter homines portat, nisi sanctus Papa Romanus.* Unde apud Anastasium in *Stephano IV.* legimus, in degradatione Constantini Antipapæ, *Maurianum Subdiaconum orarium de ejus collo sustulisse – &* campagos *ejus abscidisse* Indultu tamen Pontificis etiam Diaconi Romani, Cardinales nempe, Diaconatus ordine donati primùm; exin Episcopi omnes: tandem Abbates quoque, quibus à Pontifice Episcoporum ornatus concessus est, hoc calceo uti cœpere, uti pluribus docet Car. du Fresne in *Glossar.* V. iterum præfatum Salmasium *ad Inscr. Herodis Attici pag.*102. ex Johanne Gazensi, & infrà in voce *Campagi*.

Campages, inter nomina montis Tauri, apud Plinium *lib.*5. *cap.*27. ubi alii legunt *Chambades*. Salmasius *ad Solinum p.*788.

Campagi, Principum sive Imperatorum Rom. calceamenta erant, cultu, pretio coloreque ab aliorum distincta. Jul. Capitolinus in *Maximino Jun. Calceamentum ejus, id est, campagum regium, quidam posuerunt*, Trebell. Pollio *in Gallien. caligas gemmatas annexuit, cùm campagos reticulos appellaret*, V. suprà in voce *Calcei*, ut & in voce *Zanca*. Balduino *Calceamentum* fuit Imperatorium, cujus formam ex Jul. Capitolino expiscari licet, qui quidem in explicando Prov. *Caliga Maximini*, apertissimè *Campagum*, caligam esse dicit; unde cum hac similitudinem habuisse, perspicuum. Interum cultu, pretio ac colore, à caligis vilioribus *Campagos* fuisse distinctos, certum est. Namque idem Auctor Maximini calceamentum *Campagum regium* vocat; id est, eo, qui Reges decet, cultu ornatum. Et apud Trebellium Pollionem Gallienus, *Caligas gemmatas annexuisse dicitur, cùm Campagos reticulos appellaret.* Ubi quidem è voce *reticulos* cum ornatum elicimus, quo obstragula illorum crebris & aptè distinctis incisuris, retium ad instar, velut fenestrata fuere. V. Ben. Balduinum *de Calceo cap.*18. ubi *A.* Frisius *Campagi* iconem, ex Mathamo, curiosi Lectoris oculis videndam sistit. Fuerunt autem & *Campagi* ex genere solearum, non integrâ solidaque pelle crura operientes, sed fasciis multis reticulatim implexis tegentes, caligis Senatoriis Romanorum similes, uti colligitur ex Juliano veteri Novellarum Interprete, qui *Novellâ* 116. ubi interdicitur Advocatis aliisque, ne, cùm causas agunt non præsente Imperatore, dignitatis suæ insignia adsumant, togam nempe & calceos, ibi hos calceos *Campagos* exponit. Hos postea Diaconis Romanis concessos fuisse, ait Papias, V. quoque Gregorium M. *lib.7. Epist.*28. & Alb. Puciolum *de antiquo jure Siculæ Eccl. cap ult.* quem morem, à Constantini M. donatione quidam, sed infeliciter, arcessunt. Describit eos Amalarius *Eccles. Offic. lib.2. cap.*18. & Honor. Augustodunensis *in Gemma animæ lib.1. cap.*110. ubi inter alia legas, albo corio interinsecus circumdatos fuisse, extrinsecus nigri cùm essent: Verba donationis ὑποδήματα ἤτοι σανδάλια λευκῷ δι' ὀθονίων, *calceamenta seu sandalia candido linteamine illustrata*, vocant. Unde patet fuisse incisos καὶ πολυχιδῆ, uti & olim sandalia quædam apud Græcos, de quibus Cephisiodorus apud Pollucem *lib.7. cap.*22. &c. Alb. Rubenius *de Re Vestiar. lib.2. cap.5. ubi de calceo Senatorio*; contra quem tamen sentit Salmasius *in Trebellium*, qui *Campagos* eosdem fuisse cum calceis antiquis Patritiis contendit, uti vidimus suprà in voce *Campacus*.

Campana Lex, Ciceroni *ad Attic. lib.* 2. vocatur Lex Agraria Julia, quam C. Jul. Cæsar Consul, cum M. Calpurnio Bibulo, suasore Cn. Pompejo, tulit ann. U. C. 691. *Ut ager Stellas, majoribus consecratus, item Campanus, ad subsidia Reip. vectigalis relictus, plebi dividerentur.* V. in voce *Julia Lex*.

Campanarius, apud Cæsarium *lib.2. cap.*12. alibique, custos est *campanarii* seu turris, in qua *campanæ* pendent, quas pulsandi cura illi incumbit. Hi vulgò, in Ecclesiis maximè Cathedralibus, ex ordine Cleri sunt, & *camisiâ* induti officium hoc obeunt, ex *can.*8. Concilii Colon. A. C 1260. *Ut* Campanarii *Ecclesiarum, quorum servitus sive onus circa Altare versatur, nunquam absque veste camisiali compareant, firmissimè prohibemus.* Literatos eosdem esse, vult Synodus, ibidem habita *A. C.*1300. *can.* 7. *Ut in defectu respondentis ad Altare, cum camisiis lineis, dum assistunt in Missis, deservientes Presbytero, ministrator non careat socio sibi respondente,* &c. apud du Fresne *Glossar.* qui in Ecclesia Ambianensi istiusmodi Clericos *Clocmannos*, voce Germanicâ appellari consuevisse, addit

Campanas baptizandi, in Ecclesia Rom. ritus, memoratur Durantio, cùm ait, *Baptizantur campanæ, Formula verò baptizandi sive benedicendi antiqua est.* Et in libro *Pontificali*, edito ab Alberto Castellano, ubi sal exorcisatur, *ad expellendum ex campana inimicum, & aqua, ut omnium pravorum spirituum nequitiam ejiciat.* Ibidem; & in *Ordine* Rom occurrit, *tinctum aquâ tintinnabulum*: & petitur, *ut elementum aquæ mysterialiter baptismo commodum S. Spiritus sui sanctitate reddatur.* Additur in *Pontificali* edito Venetiis anno 1571. apud Juntas, *pag* 166. *Hæc commixtio salis & aquæ efficiatur salutare Sacramentum, in nomine Patris & Filij & Spiritus S.* Forma consecrationis talis est: *conse † cretur & sancti † ficetur, domine signum istud. In nomine Pa † tris & Fi † lii & Spiritus † Sancti. pax tibi.* Assignantur porro Susceptores, ut baptizatis hominibus, & Sancti Sanctæque alicujus nomen ei imponitur; atque sic lotæ aquâ, cum Trinitatis invocatione, chrismate, sale & sputo inunctæ; linteo speciali formâ abstersæ exorcisatæ, &c. campanæ virtutes tribuuntur variæ, *ut viz. per illius tactum & sonitum fideles invicem invitentur ad præmium & crescat in eis devotio fidei, fruges, mentes & corpora credentium serventur, procul pellantur hostiles exercitus, & omnes insidiæ inimici, fragor grandinum, procella turbinum, impetus tempestatum & fulgurum temperentur, infestaq; tonitrua & ventorum flamina suspendantur, spiritus procellarum & aëreæ potestates prosternantur* uti habet Durandus *Rationalis lib.1. cap.4.* &c. Hinc legimus apud Helgaudum *in Roberto R. Signa quinque: unum ex his mirabile, in quo duo millenaria metalli & sexcentæ libræ fuerunt, cui imprimi jussit signum Baptismi de oleo & chrismate facti, sicut Ordo deposcit Ecclesiasticus, & ut vocaretur* Robertus, *attribueret Spiritus S.* Neque verò Sanctorum solùm Sanctarumque: Sed & modò nomina virorum illis induntur, ut ex modò laudato Helgaudo patet, qui *Roberti* nomen *campanæ* datum memorat; ut & Ingulfo, qui *Bartholomæi & Bettelini* meminit, modò fœminarum, sic idem Ingulfus *Begam & Pegam* duas minores campanas nominatas fuisse ait; Auctor *Chronici* Montis Sereni A. 1176. *Petronellam* aliam dictam refert, &c. V. suprà in *Bertha*. Qua de re Theologi videantur. In *Capitulari* certè Caroli M. A. C 787. *cap.*18. citato Durantio *de Ritibus Ecclesiæ lib.1. cap.*22. *num.*1. *Cloccas baptizari*, disertè prohibetur. Appellantur autem *cloccæ* vocabulo Germanico campanæ, ut notum. De hoc inter omnes convenit, ad convocationem Ecclesiastici populi, *campanarum* insignem usum esse, postquàm persecutionum desæviente tempestate in libertatem asserta Ecclesia est. Unde Nolanos in eum finem campanas invenisse, ut *populus ad preces & Eucharistiæ celebrationem convocaretur*, veteri Scriptori notatum. Olim vero huic rei inserviebant *Cursores*, uti discimus ex Ignatio *Epist.*10: Postea, *certis lignis* strepitum excitantibus, utebantur. V. Nicen. Concil. II. *Act.*4. Quò forsan respexit Ephrem de signo, quo populus convocari solebat, loquens, *Paræn.* 23. *Signo verò ad Synaxin & officium dato* &c. quamvis ex ipsius verbis rei inanimatæ sonus inferri nequeat. Proin in Ecclesia Orientali populum, percussis malleo tabulis ligneis, ad preces & officia divina, convocari consuevisse, refert Jacobus de Vitriaco *lib.1. cap.*77. Unde liber *Miraculorum* S. Anastasii Mart. Τῶν ἱερῶν ξύλων σημαινόντων, συνηθροίσθησαν ἅπαντες ἐν τῷ σεβασμίῳ ναῷ, *Sacraque ligna sonantes, congregati sunt universi, in venerando Templo*: & *Synaxaria* ad XI. d. Sept. *in S. Euphrosyno*, Ὡς τὸ ξύλον ἔκρουσε τῆς ἑωθινῆς ὑμνῳδίας, *ubi lignum pulsavit matutinæ cantionis.* Quod prætereà multis astruit Leo Allatius *in Dissert. de Recentior. Græcorum Templis pag.* 104. & *seqq.* etsi fateatur, probetque ex Michaële Psello & Pachymere *lib.7. cap.5. & lib.9. capp.5. ac* 10. cui ὁ τῆς ἐκκλησίας συναγείρουσι κώδωνες, *Ecclesiam congregantia tintinnabula*, dicuntur, postremis saltem temporibus, in usu apud Græcos, campanas fuisse; quem accepisse à Venetis, sub A. C. 874. auctor est Sabellicus *Ennead.* 9. *lib.*1. V. Gabrielem Sionitam, Joh. Esronitam *in Tr. de nonnullis Orientalium Urb.* post *Geogr.* Nubiensem *cap.*6. & infrà, in vocibus, *Hagiosidirum*, & *Simandrum*. Æthiopes in Templis suis lapideis uti campanis, sonum minimè ingratum edentibus, ex ejusdem nationis in propaganda Fide alumnis se audivisse, refert Macer in *Hierolexico*. &c. De *Campanarum* verò *pulsatione*, ad felicia nuntia; in adventu Episcoporum & Abbatum in Ecclesiis; in violatorum pacis detestationem: de earum *sonitus intermissione* in luctu: de earundem *succinctione*, quæ fit feriâ 4 majoris hebdomadæ, aliisque usibus, in Communione Romana. V. latè disserentes Macros fratres in *Hierolexico* & du Fresne in *Glossar.* Adde quæ infrà de *Tintinnabulo*.

Campania, adde: Plures hoc nomine regiones, à planitie campestri, sic passim apud Auctores dictas, recenset du Fresne in *Glossar.* Ita enim,

Campania Arciacensis, occurrit apud Fredegar. *cap.*19.

Campania Catalaunensis, apud Aimoinum *libro* 4. *cap.*1.

Campania Cordubensis, apud Eulogium *lib.* 2. *Memor. SS. c.*9.

Campania Maciacensis, apud Aimoinum *lib* 3. *cap.*87.

Campania Remensis, apud Gregorium Tur. *Histor. lib.*4. *cap.*17. &c.

Campania Tullensis, apud Fredegarium Schol *cap.*38. & Aimoinum *lib.*3. *cap.*98.

Campania Vocladensis, in *Collectan. Histor* apud Canisium *Antiqq. Lect. Tom.*2. &c. Italique *Campagna*, & Gall. *Champagne*, quemque locum planum & campestrem appellant.

Campaniacum, vulgò *Champagné*, locus Galliæ, in Pictonibus, ubi Junianus vir sanctus natus dicitur, apud Boethium Vulfinum Episc. qui Ludovici Pii Principatu *Vitam* ejus scripsit: in territorio Briossio *Brion*. Valesius in hac voce.

Campanula, nomen floris, qui *campanulæ* speciem præfert, non conformatione solùm, sed quòd solida, uniusque texti, ducta videatur, & in formam jacta. Nimirum huic flori (mirum dictu simul & visu!) folium est unicum, coloris modò albi, modò janthini, modò purpurei, infernè angustius, laxius supernè toto oræ ambitu patescens & resupinum, subtile adeò & tenue, ita delicatum ac molle, ut levissimo livescat attactu. Is ipse flos est, quem *Naturæ rudimentum* vocat Plinius *lilia facere condiscentis*. Unum est porrò miratione dignum, & huic uni flori, quod sciam, singulare, quòd scilicet, non paucorum spatio dierum, oriente Sole, sese evolvit atque explicat, occidente convolvit & complicat (ex quo dictus *Convolvulus*) gratâ prorsus vicissitudine. Sic autem se convolvit, ut oblongum cernere te putes ex serico globulum, artifici intortum manu. Ejus planta, de illarum est natione, quæ naturâ caducæ feruntur in terram, nisi fulciantur. Itaque hanc si defecerit adminiculum, prorepit humi indecorè; fulcrum si admoveris, erigit se serpitque multiplici lapsu, claviculis arripiens quidquid est nacta, fundensque se in omnem partem incredibili foliorum luxurie, attenuatorum in hastulæ cuspidem, quibus hortensia passim umbracula amœnissimè vestiuntur ac decorantur: uti habet Franc. Pomey *in Descript. div.* Floret Junio, Julio, Augusto & Septembri, Gallisque *Campanelle* dicitur, Michelice.

Campanus, apud Silium Ital. *lib.15.* ubi de ludis à Scipione in Africa celebratis,

> *Cantañus antiquo fidebat Atlante Magistro,*
> *Ipsumque Ætolo Diomedi condita Tinde*
> *Miserat:*

nomen equi, & quidem sinistri funalis, cujus proin unius, utpote ad victoriam potissimi, nomine totus agitatoris Atlantis currus intelligitur. Græcè Καμπανὸς, à καμπανίζειν, h. e. à molli membrorum flexu. Poeta,

> — — — *Et mollia crura reponit.*

Vel, à peritia metæ campsandæ: Septies enim illa circumagenda erat, antequam brabeum impetraretur. V. Salmasium *ad Solinum pag.897.* & infrà in voce *Campteres*.

Campestris Meditatio, apud Vegetium, illud Vett. exercitium militare seu prolusionem denotat. quæ in armis & sub armis fiebat. non secus ac si cum hoste confligendum esset: in qua proin discebat tiro, & ordines servare & vexillum suum comitari, ad hastam, ad clypeum declinare, & reliquos armaturæ numeros ac gestus. Exhibebatur illa sub Campidoctore in prolusione campestri & decursione; in qua qui parum proficiebant, *pro frumento hordeum* cogebantur accipere. Condocefaciebat autem is juniores milites, in illis pugnæ simulachris, seu *arte militari*, ut vocat Livius *lib.44.* non quæ dicta modò, sed &, quo pede se ab hoste reciperent, & quemadmodum obversi adversariis & in quanto spatio resisterent, quo clamore in hostem irruendum esset. Cicero, *Quid exercitatio legionum? quid ille cursus, clamor, quanti laboris est?* De clamore Lampridius in *Alexandro Sev. Quin continetis vocem -- certè Campidoctores vestri hanc vos docuerunt contra Sarmatas, & Germanos & Persas emittere.* Sed & iidem meditationis hujus Moderatores in agmine curabant, ne aliis festinantibus, aliis verò tardius ambulantibus, acies interrumperetur aut tenuaretur: tardiùs igitur incedentes accelerare compellebant & nimis alacres, tardiùs ire cogebant V. Vegetium *lib.1. cap.6.* & suprà in voce *Armatura*, quam eandem esse cum *Campestri* hac *Meditatione*, & ab *Armorum exercitio* diversam, ibi docuimus ex Salmasio *ad Lampridium loco citato.*

Campi Senaar, quorum mentio Genes. *cap.11. versu 2.* campi erant Babyloniæ, in quibus Sapientes ex Noachi schola viri, Philosophiam, inprimis verò Astrologiam, excoluere: quod Gentilium quoque eruditiores, ex Chaldæorum traditione, non ignorarent. Ita enim Favorinus apud A. Gellium *lib 14. cap.1.* *Ii principes Chaldæi, qui in* patentibus campis *colebant stellarum motus & vias & discessiones & cœtus, intuentes quid ex iis efficeretur, observarunt.* Eorum princeps *Nimrod* Mosi dictus, ob insignem Astrologiæ peritiam, primus feroces populos imperio regere aggressus est. Unde & גבר באר׳ץ & גבר ציד לפני יהוה fuisse dicitur. גבר ציד autem *virum rerum inquisitione celebrem*, Paulo 1. *Cor.1. vers.20.* συζητητὴς τοῦ αἰῶνος τούτου, eleganter appellatum, denotat. Hic itaque ut eo meliùs astra contemplari, simulque facilius tyrannidem tutari posset, auctor fuit extruendæ, iis ipsis in campis, turris celsissimæ, cujus historiam habes in loco Geneseos suprà laudato. Postea verò Babylone conditâ, è campis in urbem migrans Philosophia, illustre ibi domicilium invenit. Similiter Mosen speculationibus & piis & eruditis rerum naturalium, in *campis Taniticis* vacavisse apparet ex Psalmo 78. *versu 12.* sapientiæ sede temporibus insequentibus Memphim translatâ. V. Georg. Hornium *Histor. Philos. lib.2. cap.2. & lib.7 cap.3.*

Campidoctor, in vett. glossis [illegible], aliàs *Magister exercitus*, item *Custos* & *Monitor*, erat vir quidam summæ auctoritatis, qui bellicis exercitationibus præfectus, non modò hortabatur, sed & coërcendo impellebat tyrones. Talis Maximinus erat, ad quem Alexander Aug. ita apud Jul. Capitolinum *in Maximin.* *Habes*, inquit, *tyrones ad tuos mores, ad tuam virtutem, ad tuum laborem, eos fac militiam addiscere, ut mihi multos Maximinos optabiles Reip. efficias.* Talis apud Virgilium Æpytides, *Æneid. lib.5.*

> *Custodem ad sese, comitemque impubis Iüli,*
> *Æpytidem vocat.*

Exercitiorum hic Magister, in segnius officia obeuntes animadvertebat, eosque pro delicti ratione castigabat, non voce modò, sed & verbere: Claudianus;

> — — *Insonuit cum verbere signa Magister.*

Ælianus *virgam* vocat hoc coërcitionis genus, i. bacillum, seu flagellum, Juven. *Sat.5.*

> — — — *Metuensq; flagelli,*
> *Discit ab hirsuto jaculum torquere Capella.*

Nisi dicamus & verber & virgam seu flagellum, tesseræ instar fuisse, non verò plectendo tyroni dicatam: quò facere videtur illud Virgilii *Æneidos lib.5.*

> — — *Signum clamore paratis*
> *Æpytides longè dedit, insonuitq; flagello.*

Sed expeditius est, ut ad pœnæ usum flagellum illud pertrahamus. Hor. *lib.2. Sat.1.*

> *Nomina sectatur modò sumtâ veste virili*
> *Sub patribus duris tyronum, &c.*

V. Thom. Dempsterum in *Joh. Rosini Antiqq. Rom lib.5. paralipom. ad cap 25.*

Campigeni, apud Vegetium *lib.2. cap 7.* ubi nomina & gradus principiorum legionis enumerat: *Campigeni*, inquiens, *hoc est, Antesignani, ideo sic nominati, quia eorum operâ atque virtute exercitii genus crescit in campo*; iidem sunt cum *Campidoctoribus*, de quibus modò, ab his enim armatura, h. e. exercitii genus in campo, tradebatur. Iidem & *Armidoctores* hinc dicti. *Campiductores* vocantur multis locis, apud Ammianum, sed *Campidoctor* in antiquis Inscr. scribitur: fefellitque viros doctos Græculorum in Latinis nominibus, sed & in suis enuntiandis, consuetudo, qui in *Tacticis* suis καμπιδούκτορας dicunt. Enumerat eos inter principia Legionis Vegetius *l. c.* & alibi *Campidoctores* ac *Principia* simul ponit: *Singula centuriæ dividentibus* Campidoctoribus *& principiis accipiunt pedaturas*: Interpretaturque *Antesignanos*, quia *Campidoctores* & reliqua Legionis principia, ante signa pugnabant. Idem *lib.2. c.15.*

Campio, Isidoro *gladiator*, h. e. miles & luctator, qui in *campo clauso*, ut vulgò dicitur, dimicabat In specie hoc nomine insigniti sunt, qui pro iis, qui duellum inire ex Lege jubebantur, at quapiam causâ sonticâ excusabantur, certamen & duellum suscipiebant, cùm reus vel actor qui accusabatur vel accusabat, ad id teneretur, V. *LL.* Wilhelmi I. Angl. R. *cap.62.* Uti enim gladiatores in ludos se vendebant & auctorabant, ita hi sequenti ævo plerunque emptitii ac conductitii erant, hinc inter personas infames habiti, Weichbild. *Magdeburg. art.129.* imò, ut homicidæ, damnati, *cap.2. de Cleric. pugn.* Sed & eâ lege interdum dominis suis se addicebant, ut, si pugilum operâ pro rebus suis tutandis ac asserendis indigerent, hoc fungerentur munere, & *bellum vadiare* pro iis tenerentur, acceptâ ab illis certâ, de qua convenerat, pecuniæ summâ, in duelli casibus persolvendâ, ratione cujus *Campiones* homagium faciebant: neque verò ipsi semper pugnare tenebantur, sed pugiles dare poterant, qui eorum vices obirent. Priusquam autem in arenam descenderent, capite *tondebantur*, gerebantque supra aures capillos rotundè adæquatos & in coronæ figuram derasos: *corporalia* dein *subibant sacramenta -- dominos, pro quibus pugnam intrabant, veritatem vovere -- & quòd cum omni virtute & potentia, studio & vigore partes, pro quibus pugnaverint, adjuvabunt*, ut est in *Constitut. Siculis lib.2. tit.27. §.2.* Sacramento præterea se purgabant, nullis se herbis aut maleficiis usuros in ipsa pugna, in *L. Longob. lib.2. tit.55. §.11.* Oblationes quin etiam Ecclesiis offerebant, quò Deum sibi pugnaturis conciliarent, du Fresne *ad Alexiadem*. Pugnabant porro *pedites*, non equites; &, quò expeditiores essent, *cincti* se arenæ dabant. *Arma* fustis erant seu baculus & clypeus, in *L. eod. cit. tit.55. §.10.* *cubitalem stipitem* iis tribuit Saxo Gramm. *Hist. Dan. lib.5.* *clavam non spinosam, nec cum aguzonibus, nec habentem cornua, nec ex parte fustis ad modum unguis*, *Constitut. Siculæ* ubi suprà §. 1. Interea verò dum decertabant *Campiones*, ii, pro quibus dimicabatur, detinebantur in carcere, siquidem de crimine capitali ageretur, uti refert Phil. Bellomanerius *cap.67.* Quòd si victus esset *Campio*, is, pro quo pugnaverat, si de capitali crimine non ageretur, re, pro qua pugnatum fuerat, non excidebat modò, sed & manus abscissione mulctabatur, ut habet idem *Ibid.* vel habebatur infamis, uti est in *Assisis* Hierosol. *cap.62.* Ipsius verò *Campionis* pœna, dextræ amputatio erat, *propter perjurium ante pugnam commissum*, *in Capitul.* Ludovici Pii, *ad L. Sal.* at in crimine capitali, morte multabatur, in *Constitut. Sic. lib.2. tit. 37. §.3.* At in *Assisis* Hierosolym. *cap.98.* statutum est, ut muliere per campionem de quacunque causâ decertante, & campione devicto, illa igni comburatur.

ratur, campio verò furcæ addicatur. Sed & sepulturâ Ecclesiasticâ, non minùs, ac qui in torneamentis læsi interibant, carebat: neque *Campio* semel devictus ad monomachiam admittebatur ampliùs, nisi ipse ab alio fuisset impetitus, in iisdem *Constitutionibus* §.1.&c. V. Car. du Fresne in *Glossario.*

Campio Regis, in Anglia, Miles dictus est, qui, coronato Rege, dum ille mensæ cum Proceribus accumbit, ad monomachiam provocat, quotquot Regem illum esse negant, quam quidem ceremoniam ita describit Thom. Milles *lib. de Nobil. Polit. vel Civili pag.*109. ubi de coronatione Eduardi VI. *Post secundum ferculorum apparatum, Regius Agonista (Dimmocus cognomine) Eques auratus, undique armatus, equo insidens bellico, pannis aureis phalerato, paludato feciali comitatus, ingressus est, qui primo gressu glomerante superbo ad Regem se contulit, ipsumque summâ observantiâ adoratus est. Deinde equum concitando ovantem, quater per aulam, clangente tubâ, ad duellum provocavit, si quis nimirum Eduardum ejus nominis VI. Angliæ, Franciæ, & Hiberniæ verum, indubitatum, legitimumque Regem negaret: totietque chirotecam militarem projecit humi, quam quum nemo attolleret, fecialis ipsi reddidit.* Transiit verò munus id in *Dimocorum* in agro Lincolniensi gentem, jure connubii, cùm priùs in *Marmionorum* familia hæsisset. In *Charta* Henrici I. in *Monastico* Anglic. *Tom II.* Robertus de Bajocis *Campio Regis* memoratur. Apud Froissardum *Volum.*4. *cap.*114. ubi de inauguratione & coronatione Henrici Lancastrensis, *Dinrephus* occurrit,&c. Videtur autem Miles iste Patriam repræsentare, *quia*, ut habet Bractonus *lib.*3. *tr.*2. *cap.*11. §. 1. *Rex non pugnat, nec aliam habet* campionem, *quàm patriam.* V. præter Auctores laudatos Thom. Walsinghamum, ubi de coronatione Richardi II. *pag.*194 Camdenum in *descr. Staffordensis Comit.* & qui hos citat du Fresne *Gloss.*

Campio S. Ecclesiæ Romanæ, h. e. Defensor & Advocatus, dignitatis à Pontifice Carolo Com. Andegavensi & Provinciæ oblatæ nomen, apud Villaneum *lib.* 6. *cap.*90. V. quoque *lib.*7. *cap.*13. ut & in voce *Defensor.*

Campitæ, cognomen Donatistarum, quòd in *campis* suos colligerent cœtus, qui postmodùm, quòd in montibus rupibusque conventicula haberent, *Montenses* quoque & *Rupitani* appellati sunt. Hieronymus *adv. Luciferianos in fin.* apud du Fresne *Glossar.*

Campitellum, Ital. *Campitelli*, an corrupte pro *Campo Metelli*, nomen est Ædis sacræ in Urbe Roma, quæ integro nomine S. *Mariæ in Campitelli* appellatur, à porticu campoque seu platea ei adjunctâ, cui Metellus Macedonicus olim nomen dedit. Paterculus; *Hic est Metellus ille, qui porticus, quæ fuere circumdatæ duabus ædibus sine inscriptione positis, quæ nunc Octaviæ porticibus ambiuntur, fecerat.* Incipiebat autem hæc porticus à theatro Marcelli, in quo hodie Sabellianum palatium, & extendebatur versùs *S. Mariam in Porticu*, dicebaturque etiam *Schola Octaviæ*: item *Schola Græca*, quòd in eam multæ picturæ ac statuæ è Græcia delatæ essent, quarum complures recenset Plinius *lib.*36. *cap.*5.&c. Vide Marcum in *Schola Græca.*

Campani, adde: eorum locus *Campan.* Hadr. Valesius in voce *Sebastiani.*

Camptaulæ, memorati Flav. Vopisco in *Carino Imp. Nam & neurobaten -- exhibuit & tichobaten -- item centum salpistas uno crepitu concinentes, & centum* Camptaulas, *choraulas centum*: nonnullis sunt tibicines inflexæ modulationis artifices, eo quòd καμψαύλην Hesychius interpretatur καμπὰς ἐν τῷ αὐλῷ ποιῶν, *vocem inflectere modulando*, sed hoc non proprium fuit unius generis tibicinum, verum omnium. Aliis placet, sic dictos esse à tibiarum figura, quas inflabant: & certum est, curvæ tibiæ genus olim quoddam notum fuisse, quæ præcipuè habebat locum in Bacchi sacris. Virgilius,

Aut ubi curva choros indixit tibia Bacchi.

Ad quem locum Servius, *Curva tibia*, inquit, *Symphoniacorum. Bacchi autem ideo, quia apud Vett. Ludi Theatrales non erant, nisi in honorem Liberi Patris.* Verùm ἐλυμίαυλον istam tibiam vocarunt Græci, non καμπταύλην. Itaque Salmasius legi vult *Ceraulæ*, qui cornicines erant, & rectè hic cum Salpistis, h.e. tubicinibus, junguntur, V.eum *ad l.* & hic infra passim, inprimis in voce hac.

Campteres, Græca vox καμπτῆρες, apud Auctorem incertum *de Vita & gestis Alexandri*, qui Græcè & Latinè scriptus in Bibliothecis servatur, sunt curricula seu spatia in Circo, quæ alii αὐλακας, δίαυλους, item *stadia*, dixere, Latini quoque *metas* nonnunquam appellarunt. Nempe sicut *meta*, pro metæ flexibus, apud Cassiodorum occurrit, ita Κάμπτηρ; quæ vox cùm optimis Auctoribus *metam* notet, apud Recentiores, de flexu metæ vel recursu, qui fiebat post metæ flexum, accipi cœpit. Cedrenus, Ὁ γ' αὐλὸς τοῦτο τὸν ἐπὶ τὰς θύρας καμπτῆρα τὴν ὑπαντλῶ καὶ τὸν ἐπὶ τὴν σφενδόνην τὴν δίαυ: ubi καμπτῆρα ἐπὶ τὰς θύρας, *à meta ultima ad carceres & primam metam recursum* appellat; & καμπτῆρα τὸν ἐπὶ τὴν σφενδόνην, *qui à prima meta ad ultimas dirigitur.* Καμπ... pro eodem dixit Antiochensis; Græcique recentiores & καμπὰς & καμπτῆρας, pro toto circuitu & curriculo, sumpsere: unde ἑπτὰ καμπτῆρσιν ὁ ἀγὼν συντελεῖται, *septem circuitibus* (Latini *spatia* dixere) *certamen absolvitur.* Septem enim spatia non prius absolvebantur, quàm septem flexibus (quod propriè vox καμπτῆρ notat) metâ fuisset circumactâ. Vetus Epigramma *gyros* vocat,

Septem etiam gyris clauduntur certamina palmæ,
Quòd calcem stringunt cingula sorte pari.

Atque hæc fuere *legitima* illa *spatia*, de quibus Solinus *cap.*45. *Ingenia equorum etiam Claudii Cæsaris Circenses probaverunt, cùm effuso rectore quadrigæ currus æmulos -- præterierunt & post decursa legitima spatia, ad locum palmæ sponte constiterunt.* V. Car. Paschalium *Coronarum lib.*6.*cap.*13. Salmasium *ad Solinum pag.*908.*& seqq.* ut & suprà in voce *Campasus*, ubi à *campsanda* flectendaque hoc modo meta, nomen nobili illi equo impositum, diximus. In Musica καμπτὴν Græci explicant, τὸ ἐν τῷ ᾠδῇ καμπὰς ποιεῖν, *animam vertere* dixit Plautus, & Tibullus,

—— —— —— voces inflectere cantu.

Unde Φρυνίδου καμπύλαι, apud Pollucem & ἀρμονικῶν καμπαὶ Græcis, *qui cantilenas inflectebant*, & μέλη πολυκαμπῆ, quæ & δυσκολόκαμπτα. Flectitur autem vox in cantionibus, cùm in alicujus sonitus finitione consistit, deinde in alterius & id ultro citroque crebrè faciendo constans auribus apparet,&c. Uti verò vox assa in cantu cùm flectitur, varietatem facit modulationis, ita spiritus artificis in tibiarum cantu vertitur, ut varios edat sonitus. Hinc πολυκαμπὴς αὐλὸς, *qui flexanimo sono inflabatur.* Quò pluribus enim cavis aperta esset tibia, eo & plures animæ flexus, dum inspirabatur, poterat recipere & majorem sonorum varietatem reddere. Quemadmodum & in cithara, quò pluribus instructa est chordis, eo plura sonorum numerorumque discrimina pluresque vocum flexus admiserit: unde Timotheum ferre non potuisse leguntur Lacedæmonii, cùm undecim, pro septem, chordis citharam intendisset, & proin eum condemnasse, eo nomine, quòd veterem Musicam corrumperet. Nempe cùm à simplicitate veteris Musicæ est recessum, τὸ ποικίλον καὶ πολυκαμπὲς, in omni instrumentorum genere, homines consectari cœperunt, uti diximus suprà in *Antigenide.* V. iterum Salmasium ubi suprà *pag.*121. *& seqq.*

Campum eripere, dicebatur olim in Circensibus ludis, qui tertio ostio exibat, ac priores prævertebat: aliàs simpliciter *eripere*, ubi quidam præmium subintelligunt: id enim eripiendum veluti erat primo & secundo loco egressis, si quidem palmam consequi vellet. Sed melius est, judice Salmasio, ut intelligamus, *Campum eripi.* Ita enim disertè Silius expressit in Circensibus Scipionis *lib.*16. ubi omnia Artis vocabula studiosè posuit: sic loquens de Agitatore secundi loci, equos suos adhortante,

Tene Asbur certante feret quisquam æquore palmam
Erepto?

In Tabula Agitatorum Circensium hoc ordine ista habentur exposita: *Occupavit & vicit; successit & vicit; eripuit & vicit.* Quod interpretandum est, de primo, secundo, tertio ostio missis. Silius verò de primo dixit, *præcipere limitem*; de secundo, *proximum esse*: apud eundem secundus metuere dicitur, ne à tertio sibi *campus eripiatur* &c. Salmasius *ad Solinum pag.*905.

Campus Cilbianus, Lydiæ ager dictus est, quem Cayster fluv. perluit. Strabo *Geograph.lib.*13. *Caystriano itaque campo, qui medio loco inter Mesogidem & Tmolum incidit, versùs Orientem conterminus est* Cilbianus campus *magnus & habitationibus probè aptus, agrique fertilis.* Unde *Cilbianum* urbs, quæ posteriorum Impp. ævo *Valentinianopolis* dicta est. Nummum Caracallæ Imp cum *Inscr.* ΝΕΙΚΑΙΕΩΝ ΚΙΛΒΙΑΝΩΝ. & fluvii imagine, exhibet Jacobus Sponius *Itiner. Græciæ Part.* 3. *pag.*195.

Campus Jovis, locus Romæ memoratus Spartiano in *Pescennio Nigro, Domus ejus hodie visitur in* Campo Jovis, *quæ appellabatur Pescenniana*: in *descriptionibus Urbis* prætermittitur aut aliter nominatur V. Isaac. Casaubonum *Notis ad h. l.*

Campus Martius, adde: Dictus à templo, quod antiquissimum ibi Mars habebat, aliàs *Tiberinus* quoque, à vicino fluvio, appellatus est. Erat autem locus extra urbem Romam, prope portam Flumentanam, & vel à Caja Tarratia, Virgine Vestali populo Romano donatus est, vel ut alii malunt, ab Acca Laurentia, cui proin amplissimos post mortem honores exhibuere. Eum Marti Romulus sacravisse creditur: sub Servio Tullio verò primum ibi lustrum conditum & Comitia centuriata habita sunt, teste Dionysio *lib.*4. Postea à Tarquinio Superbo, in proprios usus conversus, ac segetibus ab ipso oppletus est: sed ejectis Regibus, Brutus & collega ad pristinam eum conditionem redegere, quidquid frumenti erat in ejus campi areis, vel in stipulâ vel jam tritum, in Tiberim effuso: è cujus frumenti acervis putrescentibus bene magna insula, *Æsculapii* vel *S. Insula* dicta, orta dicitur. A Belisario postea pars ejus intra urbem recepta, Procop. nunc inter Quirinalem & pontem Sixti, Tiberim usque, patet. Hic Reges ac Magistratus de more creabantur; Comitia Centuriata, quæ prius in foro, locoque *Secretario* dicto, agitabantur, hab ri erant solita, unde & ipse campus aliquando *Comitium* vocitatus est. Ibidem ludicra exercebantur varia, eratque locus velut schola militiæ Romanæ, ubi juventus ad palum omni genere armorum & quidem vetis duplo graviorum, exerceretur, caput petendo, lateribus insidiando, poplite succidendo, insiliendo, resiliendo, punctim potius quàm cæsim feriendo, & interim assiduè sese

protegendo, item jaculando, valli altitudinem vel fossæ latitudinem, saltu superando, cursu præcipuè locum occupando &c. Eodem loci equi lignei, *desultoris* dicti, unde in prov. *Ingenium desultorium*, statuti erant, ut insilire, desilire, dextrâ, lævâ, inermis, armatus, districto etiam gladio futurus eques addisceret, veros quoque domaret & futuris adsuefaceret præliis. Strabo *lib.* 5. *Maximam*, inquit, *Deorum partem, campus Martius habet præter nativam locorum amœnitatem, artis & solertiæ exornationes admittens. Campi enim admirabilis magnitudo & curules pariter cursus, & alia equestria certamina expedita suppeditat: nec minus, tam multis pilam, trochum, palæstram exercitatione tractantibus aliaq; incumbentia simul opera. Quid perennes solo herbas, coronatosq; usque ad fluvii alveum colles? Scenicarum ostentationem picturarum ejus generis spectacula præstant, ut difficile & invitus abscedas.* Horat. *L.* 2. *Sat.* 6.

— — Noster ludos spectaverat unà,
Luserat in campo Fortunæ filius omnes.

Insignis erat hic locus Capitolio, cujus aspectu ne populus ad misericordiam inflecteretur, quum de Manlio Capitolino, ejus conservatore, judicatum est, ex Campo Martio, præter morem in Lucum Petilinum Comitia translata fuere: Item ornamentis & statuis Deorum illustriumque virorum, quæ omnia Capitolium, ob nimiam copiam, tenere non poterat: Horologio, quod septem circum gradus & lineas distinctas metallo inaurato habuit, Augusto ut Plin. *lib.* 16. *cap.* 10. habet, auctore: Sepulchris virorum illustrium &c. Ipse eo loco, ubi horologium fuit, lapide amplo quadrato stratus & easdem habuit lineas, & in angulis quatuor ventos, cum inscr. *ut Boreas spirat*, ex opere Misino. Inprimis, memoranda in hoc campo duo loca, quorum alter prope fluvium, *Area* dictus, exercendis militibus vacabat: alter *Septa* seu *Ovilia* appellatus est, cui populus includebatur, donec de creandis Magistratibus suffragia tulissent. De hoc Servius *ad Virgil. Eclog.* 1. *Septa*, inquit, *propriè sunt loca in Campo Martio, inclusa tabulatis, in quibus stans populus Rom. suffragia ferre consueverat, sed quoniam hæc septa communia sunt ovilibus, duo hæc invicem pro se ponuntur.* In his septis, quantum sæpe ambitus furorem excitaverit, indigitat Petronius *Satyrico*,

Nec minor in campo furor est, emtique Quirites
Ad prædam strepitumque lucri suffragia vertunt.

Silius item Italic. *Punicorum lib.* 8.

— — Maturum exitiale fovebat
Ambitus, & Graio funestior æquore campus.

Eadem porticibus circumdata, ibique ludos exhibitos, testantur Plin. *lib.* 16. *cap.* 4. *trabs fuit in porticibus septorum à M. Agrippa relicta*; & Sueton. *in Nerone cap.* 12. *Gymnico, quod in septis dabat.* Deambulatum ibidem, docet Statius *lib.* 4. *Sylv.* 6.

Fortè remittentem curas, Phœboque levatum
Pectora, cùm patulis tererem vagus otia septis,
Jam moriente die, rapuit me cœna benigni
Vindicis.

Sed de hoc loco, vide plura infra in vocibus *Ovilia*, item *Septa*. Porro præter Martem, cui hunc *Campum* sacrum fuisse diximus, Lares quoque in eo ædem habuere: quò facit locus Tertulliani *lib. de Spectac. cap.* 5. *Consus consilio, Mars duello, Lares comitio potentes*; ubi *Comitium* pro loco habendis iis destinato, sicut jam suprà annotatum, sumi docent Eruditi. V. Joh. Rosinum *Antiqq. Rom. lib.* 6. *cap.* 11. & Thom. Dempsterum *Paralipom.* In *Campo* hoc palatium Cardinalis Rodolphi Pii Carpensis, cum triplici Musæo, simulachris Deorum Principumque virorum, urnis, libris antiquissimis, inscriptionibus marmoreis, omnis generis vasis, epitaphiis priscis, præstantissimorum Italiæ pictorum Raphaëlis Urbinatis, Michaëlis Angeli Bonarotæ, aliorumque imaginibus &c. refertissimo accuratè descriptum reperies, apud Adamum Preyelium *Sinæ & Europæ cap.* 20.

Campus Martius, etiam nomen est, quo insigniri solet amplior planities juxta majores Urbes, in qua incolæ armorum exercitio operam dabant, *instar Camporum Martiorum* juxta Romam, quorum 8. fuisse P. Victor auctor est, V. Martianum *Topograph. Rom. lib.* 6. Sic Trevirensis *Campi Martii* meminere, Golscherus Mon. *de Gestis Trevirор. lib.* 1. *cap.* 4. & Joh. Even in *Medulla Gestor. Trevir. lib.* 1. *cap.* 4. *Niciensis*, in Provincia, Joffredus in hujus Urbis *Notit. cap.* 4. *Tornacensis*, auctor Vitæ S. Eleutherii Episc. *cap.* 2. §. 5. & *Veronensis* Polycarpus Palermus de *Patria* Plinii *lib.* 1. *cap.* 5. Neque aliud fuit vasta illa & patens planities juxta CP. versùs Hebdomum, in qua erectum dein sublime Tribunal, ubi Imperatores inaugurabantur ac coronabantur: *Καμπὸς* nudè vocata Theodoro Lectori *Eclog.* 1. *pag.* 181. Zonaræ, Cedreno, aliis. Nempe Constantinus M. novam Romam condens, non modò eadem, quæ Roma habuit vetus, ædificia in ea extruxit, sed & *Campum* addidit &c. Quia verò in istiusmodi patenti *Campo*, Comitia publica seu generales Conventus, à primis Francorum Regibus quotannis circa anni principium & *Martio* Mense, indici celebrarique solebant, hinc & illi passim apud Scriptores rerum Francicarum *Campi Martii* appellari consueverunt, V. Gregorium Tur. *Histor. Franc. lib.* 2. *cap.* 27. Aimoinum *lib.* 1. *cap.* 12. Alios: non tam à *Marte*, quæ Flodoardi sententia est; quam à loco & mense, in quo haberi soliti sunt. Fiebat id Kalendis Martiis, à quo die Francos tunc annum suum auspicatos esse, verisimile est. Hinc Auctor *Vitæ* S. Remigii & *Gesta* Francorum c. 10. de Chlodovæo I. R. *Transacto verò anno jussit omnem cum armorum apparatu advenire phalangam, ostensuram in* Campo Martio *suorum armorum nitorem.* Et *Chron.* Fredegarii, jussu Nibelungi scriptum, de Pipino: *Evoluto anno præfatus Rex à Kal. Mart. omnes Francos, sicut mos Francorum est, Bernaco villa ad se venire præcepit.* Dictus est autem hic Campus, etiam *Campus Martii* & *Madii* vel *Magi*; præterea *Conventus generalis*, *Conventus Maximus*, *Curia Gallorum* &c. qui sub secundâ Regum stirpe ad diem Kl. Majarum relatus est, à Pipino. Fredegarius *A. C.* 766. *Ibi placitum suum* Campo Madio, *quod ipse primus pro* Campo Martio, *pro utilitate Francorum, instituit, tenens, multis muneribus à Francis, & Proceribus suis donatus est.* A quo tempore non *Martis* ampliùs, seu *Martius*, aut *Martii*, sed *Madius* ac *Magius Campus* appellatus est. Mutationis causam affert Auctor *Vitæ* S. Remigii, quòd viz. hac anni tempestate potissimum bellorum expeditiones fierent: in his autem publicis Conventibus milites suos Reges, inter alia, recensebant; namque & de rebus ibi publicis Regisque aut Regni statum concernentibus tractabatur, & munera Reges ipsi ac xenia, à Proceribus subditisq; ibidem accipiebant, Gregorius Tur. *l. c.* Fredegarius *A. C.* 761. Alii. Sequentibus temporibus ejusmodi Conventus ad Anglos transiisse, discimus ex LL. Eduardi Confess. *cap.* 35. quibus, licèt Kal. similiter Maii indicerentur, mansit tamen *Campi Martii* appellatio, uti docet Simeon Dunelm. *de Gestis Angl. A. C.* 1094. apud du Fresne.

Campus Sceleratus, prope portam Collinam, inter hanc & Sallustianos hortos, editus est Romæ locus, ubi olim Vestales virgines, quæ incestum commisissent, vivæ sepeliebantur Sext. Pomp. Livius. *Eo anno*, inquit, *Mutia Vestalis facto indicio, viva sub terra ad portam Collinam dextrâ viâ stratâ defossa Scelerato campo: ab incestu id ei loco nomen factum.* Idem *Agger* quoque dictus est, fuitque tumulus terreus in longum porrectus. In eo autem domus subterranea non magna, in quam ex superiori parte descensus sit, parari solita est: in eaque lectus constratus, lucerna ardens, panisque & aquæ, cum lacte in vasculo, paucæ primitiæ, tanquam nefas foret, summis consecratum ceremoniis corpus fame perire. Tum incestus ream, in Lectica operta, loris ita revinctam, ut ne vox quidem exaudiri posset, per forum vexere; quæ, ubi ad locum supplicii perventum, postquam in domum per gradus deorsum deferentes descendit, hi sursum attracti: multaq; supernè terra ingestâ domus occultata ac complanata est. V. Dionys. *lib.* 3. Plut. in *Numa*, Joh. Rosinum *Antiqq. Rom. lib.* 3. *cap* 19.

Camus, Gr. *κημὸς*, in re tesseraria Veterum vasculum erat, per quod in pyrgum tesseræ conjiciebantur: ad imitationem *κημοῦ*, per quem calculos in Judiciales urnas immitti consuevisse, suprà diximus. Aliter *ψηφοβόλος*, *φιμὸς*; *ἠθμὸς* quoque, quòd *infundibulum* uterque referret, in summo latus, in imo strictus & angustus; qualis & *χώνη* erat; ad cujus formam *camum* factum esse, docent Grammatici, *χωνοειδῆ πύργον* illum vocantes. *Colum* & *urnam* vocat veteris *Epigrammatis* Auctor, apud Salmasium *ad Vopiscum in Proculo.* Cœterùm plerique *camum* illum vel phimum vel infundibulum in tesseris jactandis non usurpabant, solò pyrgo utentes; & videtur ad solam jactandi commoditatem ac facilitatem usitatus fuisse *camus*: ut enim lato & hianti ore patebat, faciliùs recipiebat tesseras, quæ inde quasi per infundibulum in pyrgum cadebant, mox concussæ & agitatæ super tabulam mittebantur, &c. V. & infrà passim.

Can vel *Chan*, titulus est, quo Tartari Principes suos indigitant, h. e. *Imperator* vel *Rex.* Vincentius Belvac, *lib.* 31. *cap.* 10. *Quem etiam* Can, *i. Imperatorem appellabant.* Et *cap.* 31. *Qui & Gog* Chan, *id est. Imperator vel Rex dicitur, sublimatus est in Regno Tartarorum.* *Caanus* dicitur in *Epist.* Quodblexi, Tartarorum Imp. apud Odoricum Rainaldum in *Annal. Eccl. A.* 1278. *num.* 20. *Chanis* vel *Hanis*, inquit Leunclavius in *Pandecte Turc. num.* 3. adspiratione forti, appellatio perquàm usitata Persis & Tartaris est, apud quos etiam Reges & Principes minorum gentium *Chanes* dicuntur; Atque inde filii Principum *Chanoglani* vocantur. *Canis* quoque idem, de qua voce infrà. Quæ omnia orta sunt ex voce *Caganus* vel *Cacanus*, quâ Avarum seu Hunnorum Reges olim dici solitos suprà ostendimus, quamque eandem esse vel hinc patet, quòd Avarum seu Chazarorum patria Chersonesus Taurica est, quæ hodieq; suos habet *Chaanes.* Maximus verò omnium Tartarorum *Chan*, cui subjecti sunt *Chanes* cœteri, *Chitainus* quoque appellari consuevit. Sed & Turcici Sultani, post Osmanem Gasim se *Chanes* dici voluerunt, idque retinent in hodiernum usque diem. Car. du Fresne in voce *Cagatus.*

Cana, *κανᾶ*, apud Festum, dicuntur Græcis, quæ Latini *canistra* appellant: unde *Cana Magmentaria*, apud Varronem, *Magmentum à magis, quod ad religionem magis pertinet. Itaque propter hoc magmentaria cana constituta locis certis, quo id imponeretur.* Ubi *Cana magmentaria* sunt canistra & lances, quibus magmenta imponebantur, ut in aram inferrentur. Virgilius,

Viscera tosta ferunt taurorum, onerantq; canistris, &c.

Quam proin vocem suam usu cùm fecissent Latini, inde diminutivum deduxerunt *Caniculum*, quod pro atramentario usurpa[illegible] recentiores, in quo sacrum encaustum reponebant. Unde *Præpositus*

phitus Caniculi, ὅ ἐστι κυνικλάς, de quo V. infrà in voce *Caniculi* ...

Canabia, inter fœminei calceatus genera, apud Pollucem *Onom. lib. 7. cap. 22.*

Canales, Jul. Capitolino *Fistulæ aquariæ*, Impp. Theodosio & Valentiniano *Sulcus publicus aquarum*, Cassiodoro *Formæ*, in urbem hortosq; , ne siccitate laboraretur, aquam deferebant. Calfurnius Siculus *Eclogâ* 2.

Accipe, dixerunt Nymphæ, puer accipe fontem,
Nam potes irriguos nutrire canalibus hortos.

Materia illis plumbum. Claudian. *de Apon. balneo,*

Devehis exceptum nativo spuma meatu.
In patulas plumbi labitur inde vias.

Et tales quidem tubuli divitum, at tenuiorum lignei fuere, ut apparet ex ænigmate 72. Cælii Symposii,

Truncum terra tegit, latitant in cespite lymphæ,
Alveus est modicus, qui ripas non habet ullas,
In ligno vehitur medio, quod ligna vehebat.

Præterea & testacei fuere: *fictilibus* quoque *utilissimum aquam duci*, testatur Plinius Sen. *lib. 31. cap. 6* lapideorum meminit Plinius Jun. &c. Eorum primus Romæ usus in an. U. C. 441. secundum Lipsium incidit, aliis in Anci Martii principatum id referentibus, & certè jam datæ à Decemviris leges eorum meminere: Nisi dicas has de *Aquagio*, Lipsium de *Aquæductu* intelligi debere, quorum hoc arte quadam & manu hominum absolutum perfectumq; opus, illud naturalem veluti alveum aut *Canalem* fontis significet. Adhibebantur his fistulis extima ornamenta, quæ capitis leonini speciem præferebant. Plut. *Symposiac. lib. 4. cap. 5.* Unde Ennodius Ticinensis *Epigrammate* 19.

Aspice depositâ blandum feritate Leonem,
Ore vomit lymphas pectoris obsequio.
Effera dum vitreos effundunt guttura fontes,
Naturam perdens bellua nos satiat.

Eorumque fabrica tam mirabilis, & aquarum in iis salubritas tam singularis fuit, ut *magnitudinis Romani Imp. id præcipuum esse indicium*, scribat Frontinus *lib. de Aquaductibus urbis Romæ*. Inprimis Claudianus aquæductus, quem Cajus Caligula inchoaverat Claudius perfecit, celebris fuit, *quippe à quadragesimo lapide, ad eam excelsitatem, ut in omnes urbis montes levaretur, influxere Curtius atque Cæruleus montes: erogatumq; in id opus sestertium ter millies*, Plin. id est, sedem Philippæorum milliones & semis. Municipiis postea ac coloniis *canalium* jure concesso, *in aquæductu Nicomedienses impenderunt HS. XXX. CCC. XXIX. qui imperfectus adhuc relictus ac etiam destructus est*, Plin. Jun. *lib. 10. Epist. 46.* Et extant hodieque Nemausi, Narbone alibique non obscura eorum rudereta. Haud procul Metis, prope vicum *Xouy*, in Mosella, antiqui aquæductus vestigia supersunt, ubi quantacunque est inter montes utrinque qui ripas ambiunt, distantia olim connexa fuerit, cùm arcuum adhuc restent multi, in medio flumine, ad ripam dextram, & in vico, nonnulli in domicilia versi sint, ex albo lapide, in lateum formam dissecto, seu potius cæmento tenacissimo lateres compingente. Sagaciores Naumachiæ hos aquæductus, ex ulterioribus montibus præcipites huc coactos, inservisse olim nobis persuasum eunt: Vicini *fossam serpentis* vocant. In Sinis, gente illa adeò ingeniosa, non minoris nobilitatis *Canales* ac aquæductus Historicis memorantur. In Xantonia fluvius est *Jun*, cujus alveus stupendâ arte excavatus est, numeranturq; in illo canali, quia multis locis aqua pro majoribus navigiis transmittendis humilior est, supra 20. catarractæ, quadrato sectoq; lapide ac egregio firmoq; opere structæ, relictâ portâ, navium capace, quam magnis crassisq; asseribus claudunt, ac aquas detinent; mox illis rotæ beneficio ac machinâ, facili negotio, sublatis & aquæ & navibus transitum dant, donec ad secundam catarractam, eodem fere ordine ac methodo, atque ita porro deinceps per reliquas transmittuntur. Incipit autem ad Boream civitatis *Socien*, in ipsa ripa Crocei fluv. inde ad Ciningam usque, mox ad Lincingam civ. pertingit, ubi in *Guei* fluvium aquas effundit. Intra ipsam metropolim *Cinan*, lacus est *Taming*, ex quo canalis exiens ad Chovenum lacum tendit, qui etiam intra mœnia est: è quo utroque lacu per totam urbem egregio opere ducti canales, eam ubique navigabilem reddunt. In Jeupinga urbe, ad singulas ferè domos, per canales, ex montibus ubertim aquæ affluunt: ut alia omittam, V. Adam. Pregelium *Siæ & Europæ cap. 23.* Nec minoris famæ molimen hodierni Galliarum Regis, qui Atacem fluv. vulgò *l'Aude*, cum Garumna conjungendo Galliam ex Mari Mediterraneo in Oceanum Occid. perviam facere studuit: Plura de his V. apud Ioh. Rosinum *Antiqq. Rom. lib. 1. cap. 14.* & Thom. Dempsterum ... *Paralipom.*

Canales Publici, in l. 2. Cod. Theodos. de Curiosis, & l. 15. eod. Cod. de ... Viro docto sunt κάρσιοι seu viæ transversariæ, quæ in regias seu basilicas influunt: Carolo verò du Fresne ipsæ viæ publicæ. Ita enim lex hæc 15. habet: *Neque tamen sit cujusquam tam ... audacia, qui parangarias aut paraveredos in civitatibus ad canalem audeat commovere, quo minùs marmora privatorum vehiculis ... transferantur.* Ubi prohibetur, ne quis audeat paraveredos, qui ad transversas vias destinati sunt, ad vias publicas commovere, seu, ut Galli loquuntur, *faire marcher*, quò minùs privati marmoribus convehendis ædium suarum cultui consulere possint. Quo sensu Athanasius quoque *Apol. 2.* quosdam Episcopos, qui ad Synodum Sardicensem convenerant, ait fuisse ἐκ τῶ κανάλη τῆς Ἰταλίας, i. ex parte Italiæ, seu qui *ex Italiæ viis* eò confluxerant &c. Certè viam publicam in civitate CP. quæ ad Imperiale Palatium ducebat, *Canalem*, Gr. κανάλιον, appellatâ esse, invenias apud Macrum in *Hierolexico*. A fluminibus vocem ad *viam* transductam esse, docet Salmasius *ad Solinum pag. 478.* ubi & Slavos Κανάλι vocare, τὰς κατηφόρους ὁδοὺς addit.

Canalicola, apud A. Gellium, *qui jurabat, cavillator quidam & canalicola & nimis ridicularius fuit*; & Festum, *Canalicolæ forenses homines dicti, quòd circa canales fori circumsisterent*. A canalibus in foro nempe Causidici & rabulæ sic dicebantur, & qui in foro assidui. *Canalis* in foro mentio apud Plautum: *In medio propter canalem sunt ostentatores meri*. Quòd autem in illis canalibus aqua, ut fit, hærens, interdum malè oleret, ideò *canales odorare* dixit Tertullianus *de Pallio cap. 5. Jam & de negotio provocat: Ego, inquit, nihil Foro, nihil Campo, nihil Curiæ debeo: nihil officio advigilo, nulla rostra præoccupo, nulla prætoria observo*, canales non odoro, *subsellia non contundo* &c. ubi alii legunt, *cancellos non adoro*. Nam mephitim illam pati cogebantur, qui assiduam Foro dabant operam; Causidici & Advocati, stantes ad cancellos, qui ante Judicum tribunalia erant, ad turbam prohibendam. V. Salmasium *Notis ad loc.* & Vopiscum *in Carino*, ubi ipsos Fori Cancellos, *canales* quoque nonnunquam dictos esse, videtur innuere.

Canamella, à *canna*, h. e. arundine, *mellis*, ut videtur Fulcherio Carnot. *lib. 1. cap. 21.* hinc *canna mellis* dicta Constantino Afric. *Commun. locor. Medic lib. 5. cap. 18.* arundo est, unde elicitur Zaccharum seu Zuccarum; sc. caudex nodosus, spongiosâ plenus materiâ, cortice tenui, dulci succo, qui sic exprimitur: Caudex totus frustatim minutimq; conciditur. deinde torculari pressus succum reddit, qui in cacabum mundissimum dimissus, igne supposito coquitur & expurgatur. Purgatus verò in figulinis vasis reconditur, ubi cùm refrixerit, in laudatissimum coalescit saccharum. Albertus Aquensis *lib. 5. cap. 37.* *Calamellos ibidem mellitos per camporum planitiem abundanter repertos, quos vocant Zucra, suxit populus, illorum succo & vix ad saturitatem præ dulcedine expleri hoc gustato valebant. Hoc enim genus herbæ summo labore agricolarum per singulos excolitur annos: deinde tempore messis maturum mortariolis indigenæ contundunt, succum colatum in vasis suis reponentes, quousque coagulatus induresçat, sub specie nivis vel salis albi* &c. Cujusmodi *canamellas* & zuccara nasci in terris Sultano subjectis, unde ipse magnos reditus perciperet; præterea in Cypro, Rhodo, Morea & Sicilia, observat Sanutus, *lib. 1 part. 1. cap. 2.* De *cannamellis*, quæ in agro Siciliæ Panormitano nascuntur, Hugo Falcandus *Præfat. ad Histor. de Calamit. Siciliæ*, *Occurret tibi mirandarum seges arundinum, quæ* cannæ mellis *ab incolis nuncupantur, nomen hoc ab interioris succi dulcedine sortientes. Harum succus diligenter & moderatè decoctus, in speciem mellis traducitur; si verò perfectiùs excoctus fuerit, in sacchari substantiam condensatur.* Molendina, quibus istiusmodi cannæ constringuntur, ibidem Saracenicâ voce *Massaras* vocari, colligitur ex *Charta* Guil. Regis Siciliæ A. C. 1176. apud Rocchum Pirrum *in Archiep. Montis-Regalis*, laudatum Carolo du Fresne in *Glossar.* De sacchari verò hodierni antiquiq; discrimine, V. Salmasium *Exercitat. Plinian. ad Solinum pag 1312.* ut & *in libro peculiari de Manna & Saccharo*: infrà item ubi de *Saccharo*.

Canaria, adde: Salmasius Veterum Insulas Fortunatas longè magis meridionales fuisse, quàm hodiernas Canarias, contendit *ad Solinum pag. 1298.*

Canarii, adde: Locus Plinii sic habet, *Decumis eò se pervenisse castris* (id est, ad Atlantem) *& ultra ad fluvium, qui Niger vocatur, per solitudines nigri pulveris, eminentibus interdum velut exustis cautibus, loca inhabitabilia fervore, quanquam hiberno tempore expertum, qui proximos inhabitent saltus elephantorum, ferarumque & serpentium omni genere refertos*, Canarios *appellari*. Addit, *victum ejus animalis* (canis sc.) *his promiscuum esse & dividua ferarum viscera*, ad quem V. Salmasium *ad Solinum pag. 303* ubi Græcorum Ἀγριοφάγους, an Κυνομόλγους intelligi, suspicatur.

Canarium Sacrificium, mense Julio, apud Romanos, peragi solitum est: immolabantur in illo canes rutilæ, pro frugibus, deprecandæ sævitiæ causâ sideris Caniculæ. Festus. Ateius Capito apud Joh. Rosinum *Antiq. Rom lib. 4. cap. 1.* Hac enim victimâ placari Divam Rubiginem creditum illis. Ovidius *in Fastis*.

Flamen in antiquæ lucum Robiginis ibat,
Exta Canis flammis, exta daturus aquis.

Qui mox rationem addens pergit,

Est Canis, Icarium dicunt, quo sidere moto
Tota sitit tellus, præcipiturq; seges.
Pro cane sidereo canis hic imponitur aræ,
Et quare fiat, nil nisi nomen habet.

Κυναγωγεῖν κυνὶ ... dixere Græci &c. Verùm non Robigalibus, quo tempore omnes Caniculæ sidus occidere docent, sed exortu Caniculæ, quo tota tellus sitit, & sata omnia exuruntur, uvæ item carbunculantur uredine, canarium id sacrificium oblatum fuisse, docet Salmasius *ad Solinum pag. 434. & pag. 723.*

Canarius Annus, Plinio, Κυνικὸς ἐνιαυτὸς Græcè, aliis Ἡλιακὸς, Θεοῦ ἐνιαυτὸς & Τετραετηρὶς, dictus est, Ægyptiorum olim annus, quòd eum à *Canis* ortu auspicarentur. Columella *lib.3. cap.6. Nec tamen ultra quadriennium solis extenditur inquisitio. id enim tempus fere virentium generositatem declarat* &c. Et Plinius *lib. 2. cap. 47. Omnium quidem, si observare libeat minimos ambitus, redire easdem vices quadriennio exacto Eudoxus putat, non ventorum modò, verùm & reliquarum tempestatum magna ex parte, & est principium lustri ejus semper in canario anno, caniculæ ortu.* Habuit is 365. dies & dici quadrantem, unde τετραετηρὶς ei nomen: quemadmodum Magnus eorundem Annus totidem annis constabat, & anni quadrante, h. e. tribus Mensibus. Uti autem iidem è minoribus annis periodum quadriennalem componebant; sic ex istis quatuor majoribus alium itidem circuitum constarunt, qui totidem annos haberet, quot in illa minore dies reperiebantur, hoc est, mille quadringentos sexaginta unum. Quâ periodo annorum ἀποκατάστασιν omnium planetarum fieri vulgò, tum Ægyptii, tum Græci omnes existimarunt. Atque hic circuitus à *Caniculæ* ortu semper incipiebat, ut & minor ille annorum quatuor, & singuli anni vertentes apud Ægyptios. Sed quocunque mense Anni & quocunque die mensis tum annus vertens, tum periodus parva, poterat incipere, dum ab ortu caniculæ initium duceret, verùm periodus illa major ex centuriis annorum composita, non aliud principium habebat, quàm ubi prima mensis Thot in Caniculæ ortum inciderat, quam semper redire ad idem principium post annos 1461. putabant &c. Qua de re V. Salmasium *ad Solinum pag.* 553. & suprà, ubi de *Anno*. Quod verò diximus de Anno hoc, Ἡλιακὸν quoque, item Θεοῦ ἐνιαυτὸν, dictũ esse, inde est, quòd Θεὸς absolutè est Sol, etiam apud Græcos, ut idem docet *pag.* 552. & Solem etiam *Sirium* dixere. &c.

Cancamum, cujus Plinius & Dioscorides meminere, quibusdam Lusitanorum *Anime*, aliis *Lacca* est; & quidem Arabes sub *Cancami* historia Laccham descripserunt. Sed *Anime* bdellium esse Vett. suprà dictum. Cancamum verò Laccam non esse, hinc liquet, quia illud myrrhæ quadantenus simile traditur, σμύρνῃ θεροῦς ἐοικὸς, ut Dioscorides habet, quod Lacchæ non convenit. Quærendum itaque, ecquod hodie odoratæ gummis genus Cancamo Veterum respondeat, Salmasius *ad Solinum pag.* 1149. *& seqq.* De locis, unde afferri consueverit, sic Plinius *lib. 12. cap. 20. Ex confinio casiæ cinnamiq; & cancamum & tarum invehitur, sed per Nabathæos & Troglodytas, qui consedere ex Nabatæis*: ad quæ verba vide *Notas* Dalechampii.

Cancellaria, apud Anglos, summum Angliæ dicitur tribunal, si universalem illum Conventum excipias, quem *Parlamentum* dicunt: in quo Cancellarius singulis, qui rigore Juris communis se læsos querũtur, ex regula æquitatis subvenit, Covvellus, apud du Fresne *Glossar.* Galli verò sic vocant locum in Palatio, in quo Regia ac publica instrumenta olim asservabantur (hodie enim vix ejusce appellationis hac notione vestigium superest) Idem.

Cancellarius Ecclesiæ Rom. nomen magnæ dignitatis, cujus quanta fuerit in Romana olim Curia auctoritas, docet S. Bernardus *Epist.* 313. *Siquidem cùm nullum ferme fiat in Orbe bonum, quod per manus quodammodo Romani* Cancellarii *transire non habeat, ut vix vel bonum judicetur, quod ejus priùs examinatũ non fuerit judicio, moderatum consilio, studio roboratum & confirmatum adjutorio* &c. Unde factum volunt nonnulli, ut hic titulus à Pontificibus supprimeretur, solâ *Vicecancellarii* dignitate retentâ, de qua diximus aliquid suprà, ubi de Bibliothecario Ecclesiæ Rom. Quò referunt versus illos Petri Damiani, in Alexandrum II. Pontif. Rom. & Hildebrandum *Cancellarium* simul Eccl. Rom. & Archidiaconum, quorum ille Damiano à Curia discedendi facultatem cùm dedisset, hic nihilominus ibidem ipsum retinuit.

Vivere vis Romæ, clarâ depromito voce:
Plus Domino Papæ, quàm Domno pareo Papæ.

Et,

Papam ritè colo, sed te prostratus adoro,
Tu facis hunc dominum, te facis ipse Deum.

V. Baronium *ad A. C.* 1061. *num.* 31. *& seqq.* Verùm etiam posthac, bullas consistoriales Innocentii II. & III. Alexandri item IV. & aliorum Pontificum, propriis eorum & Cardinalium manibus firmatas, cum hac subscriptione, *Datum per manus N. Cardinalis S. R. E. Cancellarii*, in Archivo Cathedralis Viterbiensis, se vidisse, Dominic. Macer testatur in *Hierolexico*. In Ecclesiis Cathedralibus ejusdem Communionis Rom. *Cancellariatus* dignitas quoque viget, quæ sic describitur in *Statutis* Leichfeldensis Eccles. in *Monastico Angl. Tom. III p.* 24. *Officium* Cancellarii *est, sive residens, sive non extiterit, lectiones legendas in Ecclesia, per se, vel per suum Vicarium auscultare, malè legentes emendare, scholas conferre, sigilla ad causas & negotia conferre, literas Capituli facere & consignare, libros servare, quotiescunque voluerit prædicationes in Ecclesia vel extra Ecclesiam prædicare & cui voluerit, prædicationis officium assignare* &c. apud du Fresne in *Glossar.* In Melitensium Equitum ordine dignitas *Magni Cancellarii* etiam reperitur, quæ spectat ad Primatem linguæ Castellanæ & Lusitan. & Vicecancellarium habet. V. Car. Macrum *Op. cit.* &c. & de *Cancellaria* Impp. Græcorum, infrà in vocibus *Caniclinus*, item *Logotheta*.

Cancellatæ Fores, quæ aliàs *Reticulatæ*, Græcè δικτυωταὶ, solidis foribus, præcipuè in prima janua, apud Vett. [illegible] Vetus Scholiastes Aristophanis *ad illud*, [illegible] τὰς [illegible] τῶν θυρῶν ἱσταμένας κιγκλίδας, [illegible] ἀλλὰ τὸ δὲ ὅλον ἀσφαλίζειν καὶ [illegible] τὰς θύρας, *[illegible] stantes ante januam cancellos, solidas fores dixit, quò sic omnino [illegible] excluderetur.* Nempe visum transmittunt istiusmodi *fenestræ* [illegible] Nonius vocat, h. e. cancelli vel fenestræ opere reticulato [illegible] θυρίδες δεδικτυωμέναι, 3. Reg. quamvis obscurum & incertum [illegible] *translucidæ fores* Cassiodoro, & *perlucentes transennæ* Paulino [illegible]ctæ. Quare ad arcendum penitùs visum ipsas fores solidas addi necesse. Hinc junxit utrasque Tertullianus, *Januarum cancellorumque potestates*, τὰς ἐπὶ θυρῶν καὶ ἐπὶ κιγκλίδων, *Janitores & Cancellarios*, id est, ostiarios: qua de re mox plura. Muniebantur autem istiusmodi fores, serâ vel vecte seu repagulo ligneo, Græcè μοχλῷ, [illegible] unico: unde velut singulare quid, de foribus quibusdam duplici claustro obseratis, notatur Polybio *lib. 5.* [illegible] θύρας δικτυωτὰς διαφανεῖς, [illegible] δὲ δυσὶ μοχλοῖς, *[illegible] autem, ut fores essent cancellatæ & translucentes, ac duabus seris clausæ.* V. suprà in voce *Balanus*, & passim alibi. Ab ædibus in Circum transiere *Cancelli*, ubi fores carcerum *cancellatæ* itidem erant [illegible] reticulato opere factæ: cujusmodi cancelli, signo dato, [illegible] demittebantur ac laxabantur. Tzetzes, [illegible] ἀφετηρίαν, τὸ κιγκλίδος [illegible] καὶ [illegible] διὰ τὸ [illegible]. Cassiodorus, *Ostia ab Hermulis, funibus demissis, subitâ æqualitate panduntur*, V. infrà in voce *Hermulæ*. Cùm, ante ædificatos carceres, non nisi funiculus prætenderetur, cohibendis & in æquo limite continendis equis &c. Qua de re V. hîc passim, plura verò apud Salmasium *ad Solinum pag.* 92?. & *seqq.* Sed & Podium in Circo *cancellatum* fuisse, discimus ex Ovidio *Amor.*

Si pendent tibi crura, potes, si fortè juvabit,
Cancellis primos inseruisse pedes.

Puella spectabat in subselliis podio proximis, quam proinde crura pendula sustinere immissis in Cancellos podii pedibus, jubet Poëta. Idem *ibid.* &c.

Cancellatio, apud *Agrimensoriæ Rei* Auctores, pro *limitatione* passim, quam alii *centuriationem*, nonnulli *metationem*, quidam etiam *perticam* nominavere. Nempe territorium omne Coloniæ alicujus e. g. per centurias dividebatur, seu limites, aut metas, quas Gromatici dictabant, in prehendendis rigoribus: qui limites, quòd decussatim sese invicem secarent, quomodò & *cancelli* fiebant, hinc ager hujusmodi *cancellari* dicebatur, h. e. delimitari. Hinc Cassiodorus, *Intra Tusciæ cancellos*, h. e. limites. Et in Glossis vett. *cancellus*, χαρακτὴρ; quæ vox propriè τὸν χαρακτῆρα τῶν [illegible] significat, i. *cancellationem*. Salmasius ubi suprà *pag.* 1129.

Cancelli, Gr. κιγκλίδες, item δρύφακτοι, [illegible] Latinè dictum est. Papias, *ligna subtilia in transversum facta, vel de ferro in modum retis, nunc verò & de lapidibus fiunt.* Scholiastes Aristophanis, κιγκλίδας ἔμπροσθεν τῆς θύρας ἱστάμενας, *ante fores positi*, &c. Sic [illegible] Antonino Caracallo Æl. Spartianus, *Opera*, inquit, *Romæ reliquit thermas nominis sui eximias: quarum cellam soliarem negant Architecti posse ulla imitatione, quæ facta est, fieri. Nam & ex ære vel cupro cancelli subterpositi esse dicuntur, quibus cameratio tota concredita [illegible] & tantum est spatium, ut id ipsum fieri negent potuisse docti Mechanici.* Ubi non novum illo tempore aut mirum visum est, in illius tamen fabrica, quòd tota cameratio ejus subterpositis cancellis esset imposita, sed tantum erat spatium, ut vix fieri potuisse videretur. Meminitq; *cancellorum* ejusmodi, quibus apsidæ & concamerationes firmarentur, non uno loco Anastasius Bibl. inprimis in [illegible] *III.* ubi apsidam super cancellos argenteos habemus [illegible] *pensantem libras quinquaginta, cancellos argenteos supra [illegible] pensan. libras trecentas, absidam super cancellos cum statua B. Laurentii Martyris argentea pensan. libras ducentas.* Idem in *Hadriano*, *Zacharia* & ante utrumque *Hilaro* quoque de *cancellis* loquitur, sed [illegible] tam qui concamerationem sustinebant, quàm qui ad januas & fenestras apponebantur, &c. Salmasius *ad Spartianum*. Ab istiusmodi verò *cancellis*, quos non Augusta solùm domus, sed & [illegible]gnatum ac Principum ædes foribus obtentos, ut & vela, habebant, *Cancellariorum* nomen & prima origo est. *Cancellorum* certè [illegible] rumque meminit JC. *l.* 41. *D. de leg.* 1. *Sed si cancelli [illegible] legeri poterunt.* *Cancellos* autem in vett. ædibus fores fuisse cancellatas, & translucidas, ex lignis reticulatim compositis [illegible]tum. Δικτυωτὰς θύρας Græci dixere, h. e. *reticulatas fores*, κιγκλίδας itidem, uti diximus; recentiores quoque [illegible] & [illegible], de quibus elegans extat Epigramma Græcum, *Antholog.* [illegible] εἰς κιγκλίδα τῆς οἰκίας.

[illegible]
[illegible]
Si claudis me, aperior: sin me aperis, clausus sum.
Talis enim sum, qui possim domum vestram [illegible]

Cùm namque claudebantur cancelli, nihilominus [illegible] dammodo aperti manebant: utpote cùm διαφανεῖς essent [illegible] que transmitterent. At ubi revera aperiebantur, [illegible] septa reducti, vel in parietem reclinati, non ampliùs app[illegible] aut pariete opposito visum non ampliùs transmittebant & sic quodammodo erant clausi. Simile quid Cassiodorus de *Cancellario*: *Tenes quippe lucidas fores, claustra [illegible]* [illegible]

& quamvis studiosè claudas, necesse est, ut te cancellis aperias. Ad hos itaque qui stabant Ostiarii, illosq; servabant, *Cancellarii* primitus, item *à Cancellis* dicebantur: qui non modò Cæsaribus Proceribusq;, sed & Judicibus fuere, ut ex *Cod.* notum *tit. de Assessoribus & Cancellariis Judicum.* Nam in tribunalibus septa, quibus arcebantur turbæ, *cancellos* dicebant: Græci δρύφακτα, quòd ex *tabulis quernis* constarent, vetus Scholiastes Aristoph. σανιδώματα & ξυλωτά, h. e. *tabulata & septa*, item θώρακας ξυλίνους, *i. ligneos pluteos*: alii κιγκλίδας quoque appellarunt. Quamvis δρύφακτος propriè erat totum fori Judicialis conseptum, quod ex tabulis compactum & pluteis undiquaque munitum erat, *parquetum* hodie vocant Galli diminutivè, ex *parquum* περίβολον, h. e. *septum*: κιγκλίδες autem fuere reticulatæ vel cancellatæ fores τοῦ δικαστηρίου, seu *tribunalis*. Unde Cancellarii iisdem οἱ ἐπὶ κιγκλίδων. Mentio horum *Fori cancellorum*, apud Ciceronem. *Glossæ* vero *Caules, cancelli Tribunalis, ubi sunt advocati.* Ubi pro *caules* legit aliquando Salmasius, *canales*, quâ voce Fori cancelli etiam videntur esse dicti, V. suprà ubi de *Canalicolis*: Postea verò *caules* retinuit, pro *caulas*, quod nomen, propriè munimentum septumq. ovium denotans, pro septis seu cancellis Tribunalium usurpatur, in *Glossis* optime notæ, quæ in Bibl. P. Puteani servantur. Cujusmodi *cancellus* in summis Galliæ tribunalibus vulgò *barreau* vocitatur. Igitur secretaria seu tribunalia Judicum fores hujusmodi habebant cancellatas seu ad motum reti factas, quòd omnium facilimè aperirentur & clauderentur, propter frequentes ad Judicem ingressus & egressus. Has servabant *Cancellarii*, curabantq;, ut admissiones & ingressus ad Judicem sine confusione & tumultu fierent, Judici præsentandos admittebant, responsa Judicum exequutioni dabant, idemq; planè sustinebant officium, quod hodie solent in Curiis regiis, qui *Ostiarii* dicuntur, item *Secretarii*, namque & expediendis Judicum jussis, edictis, & epistolis dictandis signandisq;, relationibus formandis ac responsis portandis operā dabant, secretaq; servabant, *Scribæ* hinc, & *Dictatores* citimi ævi Scriptoribus, Græcis λογοθέται appellati: diversi in eo à *Cancellariis* domûs Augustæ Procerumq;, qui solum Ostiariorum munus sustinebant &c. A septis Dicasteriorum transiit ad Ædes sacras *cancellorum* vox, quæ & ipsæ suas αὐλὰς ac ἕρκη, h. e. septa sive caulas prohibendis turbis habere cœperunt: intra quos *cancellos* solis licebat Clericis stare, *Capitular.* Caroli M. *lib. 7. cap. 191.* observatq; Durandus *Rational. lib. 1. cap. 3. num. 35. In primitiva Ecclesia peribolum seu parietem, qui circuit chorum, non elevatum fuisse, nisi usque ad appodiationem, idq; suâ ætate adhuc in quibusdam Ecclesiis observatum. Quod ideo fiebat, ut populus videns Clerum psallentem, inde sumeret bonum exemplum. Veruntamen hoc tempore quasi communiter suspenditur, sive interponitur velum, aut murus inter Clerum & populum, ne mutuò se conspicere possint* &c. V. Car. du Fresne in *Descript. Ædis Sophianæ num. 71. 72.* Itaque Altaris septum vel locus istiusmodi cancellis muniebatur, sicq; bema separabatur à Choro. Sed & hinc ipsum Βῆμα vel Ἄδυτον, *Presbyterium* Latinis dictum, *Cancellus* postea appellatus est, V. Order. Vitalem *lib. 11. pag. 832.* Gallis hodieque *Chancel.* Joh. de Garlandia in *Synonym.*

Cancellus templi pars intima dicitur esse.

Poëta Ms. infimi ævi, apud du Fresne in *Glossar.*

Infra Cancellum *Laicos compelle morari,*
Ne videant vinum cum sacro pane sacrari.

Porro *cancellis*, hominum vitæ innocentiâ & sanctitate illustrium monumenta & tumulos muniri consuevisse, legimus apud Augustinum *Serm. de diversis 31.* Cyrillum Abb. *in Vita S. Euthymii Magni Abb cap. ult.* Gregorium Turon. *de Miracul. lib. 1. cap. 69. & lib. 2 cap. 30.* &c. imò omnium promiscuè sepulchra tandem *cancellis* vallari solita, docet idem *Histor. lib. 6. cap. 10. Cataractam S. Petri* cancellum talem vocat Vigilius Pontif. *Epistol. Encycl. ad Ecclesiam univers.* Nec omittendum, quòd à *cancellis*, quibus secreta Judicum muniri diximus, etiam regionum limites & agrorum termini, *cancellorum* nomine appellati legantur. Jordanes certè *lib. de Successione Regnor. Cancellos Tusciæ* dixit, pro limitibus Tusciæ: in vet. quoque *Fragm.* ex veteri scheda, quam à Jureto Salmasius habuit, *cancelli* dicuntur termini, *i.* lapides, quibus agri limitantur, quibusque olim sacra pagani faciebant. Unde *cancellatio*, ut dictum, pro metatione vel limitatione, apud Siculum Flaccum & apud Hyginum, *regio cancellata*, pro limitata: Est autem *cancellare*, propriè delineare & lineas transversim & in obliquum ducere &c. V. hanc in rem plura, apud præfatum Salmasium *ad Vopiscum in Carino* & *ad Solinum d. l.* nec non infrà in voce *Transenna.*

Cancer, aquatile animal, de quo Plinius *lib. 9 cap. 31. Vivunt petrosis locis, cancri mollibus. Hyeme aprica litora sectantur: æstate in opaca gurgitum recedunt — genera, carabi, astaci, majæ, paguri, heracleotici, leones, alii — Carabi caudâ à cæteris cancris distant. In Phœnice hippæ vocantur, tantæ velocitatis, ut consequi non sit. Cancris vita longa: pedes octoni, omnes in obliquum flexi. Fœminæ primus pes duplex, mari simplex. Præter bina brachia denticulatis forcipibus. Superior pars in primoribus his movetur, inferiore immobili, dextrum brachium omnibus majus. Universi ubi aliquando congregantur, os Ponti evincere non valentes: quamobrem regressi circumeunt, apparetque tritum iter. — In pavore & retrorsi pari velocitate redeunt. Dimicant inter se ut arietes, adversis cornibus incursantes* &c. Apud Sinenses, sunt *cancri marini*, inter urbem *Kaochen* & Ins. *Hainan*, qui, ubi ex aqua extrahuntur ac aërem sentiunt, continuò, servatâ tamen antiquâ figurâ ac lineamentis, lapidescunt, durissimum lapidem referentes. Illis similes in lacu quodam ejusdem Insulæ, quos Sinenses & Lusitani contra calidas febres adhibent. Auctor Anonymus *Sinæ & Europæ cap. 41. ubi de Amphibiis.*

Cancer, unum è XII. Zodiaci signis, adde. Nota ejus Latinis sic habet 69. At Græcis aliud instar gerit ; quam ex priore corruptam esse, dubium non est. Græci Mathematici & Chymici eâ figurâ ἡμερονύκτιον exprimunt, quâ Latini signum *Cancri*: Nempe diem unum sic designant 6. dies plures 66. noctem sic 9. plures noctes, 99. Diem verò cum nocte 69. Salmasius *ad Solinum pag. 1136. & 1137.* Cæterùm de *Cancrorum* piscium natura, V. latè agentem Plinium *d. l.*

Cancer, species machinæ bellicæ, de qua sic Auctor *Chronici* Colmar. A. C. 1300. *Expugnavit Rex hanc civitatem per duo vasa* (instrumenta) *concava, quæ faciebant artifices sapientes. Unum vas Cattus vocabatur, aliud Cancer. Erant hæc vasa longa, quadrata, ex omni parte laterum clausa: versùs terram nullum munimen habebant, sed versùs cœlum de fortibus ac spissis tabulis tectum, machinarum lapides minimè metuebat. — Fuit* Cancer *instrumentum magnum, fortè pariter ac ponderosum. In eo erat trabs magna, pariter longa, in una parte grossa, in altera parva. In grossiori parte sive in capite, fuit ferro forti circumdata & in fronte ipsius Cancri fortissimè colligata. Hæc trabs super quædam instrumenta jacuit, quòd facilè moveretur. Hic* Cancer *cùm ad murum pervenisset, oblòque in circulos, qui in trabe erant, funes immisissent, ex paucis ictibus pro magna parte cadere coëgerunt.* Et mox, *Ex parte terræ fuerunt obsessi per Cattum atque* Cancrum: *quia solus Cancer quingentos homines occupabat.* In *Consuetud.* Bajonensi, pro specie armorum *Escrevisse* quoque usurpatur, quæ vox Gallis itidem *cancrum* notat, V. Car. du Fresne *Glossar.*

Canchlei Arabes, Catabanis & Scenitis Arabibus ab Oriente juncti, memorantur Plinio *lib. 5. cap. 10.*

Candæi, pop. serpentibus vesci assueti, apud Plinium, *lib. 6. cap. 29.*

Candavia, in *Excerptis* vett. Plinii & Solini, eadem cum Scandinavia est, Germanicarum Insularum maxima; quam Ptolomæus Σκανδίαν vocat, præter tres parvas hoc eodem nomine, unam faciens μεγίστην καὶ ἀνατολικωτάτην, *maximam & Orientalissimam.* Mela *Codanoniam* appellat *lib. 3. cap 6.* à Codano sinu, *Gangaviam* Solinus *cap. 20. Gangavia Insula à regione Germaniæ emittit animal, quale alces.* Et paulo pòst, *De Germanicis Insulis Gangavia maxima est, sed nihil in ea magnum præter ipsam*: ad quem locum, V. Salmasium.

Candela, pro lucerna olearia, apud recentioris ævi Scriptores passim; sicut κανδήλα Græcis usurpatur. Sophronius Patr. Hierosol. Τῆς δὲ κανδήλας ἔλαιον ἄνω τοῦ τάφου τοῦ Σωτῆρος ἐπικειμένης ἀντλῆσαι λαβών. Et infrà, τῆς κανδήλας λαμβάνω τὸ ἔλαιον, *Candelæ accipit oleum.* Anonymus de Locis SS. Ἄνωθεν τοῦ ἁγίου τάφου κρέμανται κανδήλαι λγ. Infrà κρέμανται κανδήλαι δ, *Pendent candelæ quatuor*, &c. aliter tamen vocem usurpante Auctore *Chronici* Alexandr. *pag. 686.* ut videbimus infrà, ubi de *Papyro.* Dominico Macro *Candela*, cereus funiculus est, à verbo *candeo*: cujusmodi *candelas*, in Communione Rom. in exequiis accendi notissimum, more à Gentilibus recepto, sed damnato Concilii Eliber. *can 34.* ubi cavetur, *Ne animæ Sanctorum* candelis *inquietentur.* Constantinopoli olim Imperator, quoties solenni pompâ ad Templum ibat, duobus cereis erat comitatus; Patriarcha unico: quod privilegio postmodum ad Archiepiscopos Cypri, Bulgariæ aliosque Metropolitas extensum, hodie omnibus Græcorum Episcopis in communi usu est: unde degradationis certissima nota, *candelæ* extinctio, uti de Arsenio Patr. refert Pachymeres, *lib. 2. cap. 13.* Moris origo ex Apocalyps. *cap. 2. vers. 5. Movebo candelabrum tuum* Similiter in Ecclesia Galliæ Turonensi, Archiepiscopus in solennitatibus ad sacrum celebrandum prodiens, præeuntem hodieque cum *candela* accensa habet Thesaurarium: quemadmodum in Mediolanensi Subdiaconus Sacerdoti, ad canendam Missam progredienti, manu candelam præfert, quæ *Cantharium* appellari consuevit; alterâ thuribulum deferens: quæ ceremonia etiam, cùm Evangelium canitur, ibidem obtinet, &c. De superstitione XII. *Candelarum, quibus nomina Apostolorum inscripta*, V. Pachymerem in *Andronico*, Petrum Cluniac. & Gregorium Turon. ut & Lapidem, cujus inscriptionem refert Car. Macer in *Hierolex.* Alia, *candelas accensas sub conjugatorum pedibus ponendi*, damnata est legibus ab Ottone Legato Pontificio in Syria A. C. 1254. in *Constitut. cap. Simoniac.* Porro ritus, *Candelas projiciendi & extinguendi, in excommunicationibus* memoratur Reginoni, *de Eccles. Discipl. lib. 2. cap. 409.* Matthæo Westmon. *A. C. 1253.* Aliis, *Candelæ de Madio mense*, inter præstationes Eccles. referuntur in vet. *Charta* A. C. 1030. apud Ughellum in *Episcopis Novar.* V. quoque hic infrà in civ. Atrebatum. *Candela* S. Lamberti, magna veneratione adservatur: de qua persuasum sibi incolæ habent, B. Virginem eam illi præbuisse A. C. 1105. ejusque guttas in aquam resolutas morbis variis mederi, uti habet Joh. Alberti apud Menochium *Historiar. Centur. 4. cap. 92.* Simile quid, de *Candelis*, accensis in vigilia Assumtionis & in Missa ejusdem Festi, apud S. Mariam Majorem Romæ, referunt

Petrus Cluniac. & Gregor. Turonensis apud Macros in *Hierolex.* ubi ejusdem commatis quædam reperies, de invocatione Apostolorum per XII. *candelas*, &c.

Candelabra Veterum, ita fere fiebant, ut hodie videmus ea, quibus in templis utuntur: catinus erat vel scyphus, & in medio uncinus, cui infigebatur candela. Varro de *Vita* Populi Rom. apud Servium, *Facibus aut candelâ simplici, aut ex funiculo factâ, cera vestitâ: quibus ea figebant, appellabant funalia.* Ipse mox Servius, *Nonnulli apud Veteres candelabra dicta tradunt, quæ in capitibus uncinos haberent, quibus affigi solebat, vel candela, vel funes pice delibuti, quæ interdum erant minora, ut gestari manu & præferri Magistratibus à cœna possent.* Donatus item *in Andriam*, *Funus à funalibus dictum est, id est, uncis vel cuneis candelabrorum, quibus delibuti funes pice vel cerâ infiguntur.* Candelabra nempe ipsa in modum lancis vel ἐμβάφιον uncinum in medio habebant, cui infigi candela solebat, cum pediculo, quo manu retinebantur. Cujusmodi lances seu ἐμβάφια, ad excipiendas candelæ emunctiones facta, βάμμαλα vel βάματα recentiores Græci, unde ipsa *Candelabra*, si unico tantùm constarent acetabulo, *Μονοβαμβύλα*; si duobus, *Διβαμβύλα*, iidem appellavere, uti suprà vidimus. *Scyphi* vocantur vulgato Interpreti hujusmodi acetabula, in *Candelabro* Templi Exodi *cap.25 versu 31. & seqq.* Tremellius Juniusque *lances* vertit: V. infrà in voce *Lychnuchus*. Quod verò de funere suprà ex Donato dictum, hinc est, quòd, *candelis* è papyro cerâ circumdato prælucentibus, mortui olim noctu efferri consueverunt. Persius,

Hinc tuba, candelæ ——

Uti autem ex scirpi cortice tegetes, vela, vestes, stragulæ, funes, & alia vitilia conficiebant; sic detracto cortice medulla interior *candelis* faciendis inserviebat, cerâ circumdata, &c. V. Salmasium *ad Solinum pag.375.* & 1002. De *Candelabris* sic Plinius *lib.34. cap.3.* *Privatim Ægina* Candelabrorum *superficiem duntaxat elaboravit, sicut Tarentum scapos. In his ergo juncta commendatio officinarum est. Nec pudet Tribunorum militarium salariis emere, cùm ipsum nomen à candelarum lumine impositum appareat. Accessio candelabri talis fuit: Theonis jussu præconis Clesippus fullo, gibbere præterea & alio fœdus aspectu, emente id Gegania sestertiis L. eademque ostentante convivio emptum, ludibrii causâ nudatus, atque impotentiâ libidinis receptus in thorum, mox in testamentum, prædives Numinum vice illud* Candelabrum *coluit, & hanc Corinthiis fabulam adjecit: vindicatis tamen moribus nobili sepulchro, per quod æterna supra terras Geganiæ dedecoris memoria perduret. Sed cùm esse nulla Corinthia candelabra constet, nomen id præcipuè in his celebratur, quoniam*, &c. Ad quem locum V. Joh. Frid. Gronovium *de Pecunia vet. lib.1. cap.8.* V. quoque infrà *Clesippus*.

Candelabrum, pro Numine cultum, V. hic suprà.

Candelaria, Gallis olim *la Candeliere*, hodie *la Chandeleur*, Italis *Candelora*, item *Santa Maria Candelaja*; Latinis etiam *Festum Candelarum*, & *Festum S. Mariæ Candelarum*: Festum est in communione Rom. Purificationis B. Mariæ, de quo V. Durandum *lib.7. cap.7. num.17.* Nomen ei à *candelis* ardentibus, quas hac die suis deferre præcepit Gelasius Pontif. Rom. abrogatis Lupercalibus, quæ mense Februario agi solita, testatur Varro. Litanias publicas & processiones solemnitati addidit Sergius Pontif. Finem, quâ ceremonia hæc introducta, exponit Beda *de Rat. tempor cap.10.* ubi ejus cum Lustrationibus Vett. collationem instituit. Olaus Wormius, ad eundem diem, *Kendalmess* genti illi dictum, manum facem ostentantem depingi consuevisse: tradit in *Fastis Danicis*. Plura hanc in rem V. apud Auctores laudatos Carolo du Fresne in *Glossar.* Aliud est *Candelarum* seu *Candelabrorum Festum*, quod in aliquot Galliæ Ecclesiis, primæ classis Festum est: ut *quinque Candelabrorum*, secundæ classis. Ibidem, quando solenniter, ut vocant, celebrat Episcopus, *septem* in Altari *candelæ* ardent: quo ritu alludi dicunt ad 7. illa candelabra, quæ Johannes vidit ante Thronum Dei, Apocalyps. *cap.1. versu 12.* sicque significari, Præsulem quemque tot Spiritus divini donis ornatum esse debere. Quod cautum etiam in Abbatibus mitratis, *Sacr. Congr. Rit. d.19. Januar.* 1618. In Papali Missa solenniter itidem celebratâ, non *septem* solùm in Altari *candelæ* ponuntur, sed etiam cum septem cereis accensis totidem Acolythi inserviunt, &c. V. Macrum utrumque *Hierolexico*, & infrà in voce *Lychnuchus*. Apud Græcos, qui lampades & *candelas* Ædium Sacrarum accendere solent, Κανδηλάπται, appellantur: at ipsum Sacristam *Kandalaphti* appellant Maronitæ.

Candelis fasces involuti, in sepulchro Numæ Pompilii, apud Livium *lib 40. cap.29.* *Eodem anno — duæ arcæ lapideæ octonos ferme pedes longæ, quaternos latæ, inventæ sunt; operculis plumbo devinctis. Literis Latinis Græcisque utraque arca inscripta erat; in altera Numam — sepultum esse: in altera, libros Numæ Pompilii inesse. Eas arcas quum ex amicorum sententia dominus aperuisset; quæ titulum sepulchri Regis habuerat, inanis inventa sine ullo vestigio corporis humani — in altera duo fasces, candelis involuti, septenos habuere libros, non integros modò, sed recentissimâ specie.* Quâ de re sic Cassius Hemina, vetustissimus Auctor *Annalium*, apud Plinium *lib.13. cap.13.* *Lapidem fuisse ait quadratum, circiter in media arca vinctum* candelis *quoquo versùs. In eo lapide insuper libros impositos fuisse*, &c. Hoc est, funiculis pice vel cerâ illitis, uti [illegible] Gronovius *ad Livium*. Sic *candelis subigi*, apud eundem Plinium *lib.33. cap.7.* ubi de Minio: *Auro candente fucatum nitescit — [illegible] & calce adulterari — Solis atque Lunæ contactus inimicum [illegible] ut parieti siccato cera Punica cum oleo liquefacta candens setis [illegible]catur, iterumque admotis gallæ carbonibus aduratur ad sudorem [illegible]que: postea candelis subigatur, ac dein linteis puris, sicut & marmora nitescunt*, &c.

Candere, proprium est ignis, unde à luce ignea *candor* homo[illegible] Quin λευκὸς *album* fit ἀπὸ τοῦ λεύσσειν, quod *videre* est, quia color est maximè conspicuus. Inde in Hesychio, λευκή, [illegible], λαμπρά. Item λευκανθίζειν, λαμπρύνειν. Rursus, λευκόν, τὸ λαμπρόν. Ita ut λευκὰ *alba* dici possint, quæcunque insigniter splendent, quomodo rutila & purpurea. Certè à Poëtis *purpurea* vocantur, quæ eximii candoris sunt, ut nix & cygni. Albinovanus *in Mæcenatis obitum*,

Brachia purpureâ candidiora nive;

Horatius ad Venerem *lib.4. Od.1.*

—— —— *purpureis ales oloribus*, &c.

Utrique enim colori, *candido* sc. & purpureo, hoc commune est, ut admixti luminis multum habeant. Unde verbum [illegible]אר, quod Hebraicè *rubere* est, Arabicè *candere* significat; quibus proin *adamo*, de camelo & jumento quovis, est maximè candidus, & *naka adma*, camela summè candida. Sic lepræ macula *lucida*, à Mose vocatur לבנה ארמדמרת Levitici *cap.13. versu 19.* quasi *alba impensè rubra*, h.e. macula alba maximè candens, seu nivis instar candens, atque ideo *lucens*, qui verus lepræ color est, uti patet ex Exodi *cap.4. versu 6.* & 2. Regum *cap.5. versu 27.* Ob quod ipsum, verba Sponsæ Cantic. *cap.5. versu 10.* [illegible]דודי צח ואדום Bochartus non vult reddere, *Sponsus meus candidus est & ruber est.* Sed, *Sponsus meus est candidus & lucidus*: i. summo candore nitens, &c. V. eum *Hierozoici Part. poster. lib.V. cap.6.* ubi exponit locum Threnorum *cap.4. versu 7.* de Nazaræis, *Corpore rubri fuerunt, præ peninim.* Atque hoc sensu *candere*, de margaritis inprimis, occurrit; quæ sive Græcam, sive Arabicam, sive Phœniciam vocis originem attendas, à luce, nitore ac claritate, dicuntur. Et quidem candorem earum alii, apud Androsthenem, cum argento conferunt, alii cum piscium oculis. *Et in candere ipso*, inquit Plinius, *magna differentia. Clarior in Rubro mari repertus. Indicus specularium lapidum squamas assimilat. Summa laus coloris est, exaluminatus videri.* Inde margarita διαυγὴς λίθος, Clementi Alexandr. *Pædagog. lib.2. cap.12.* & διαφανὴς τῇ φύσει, *lapis pellucidus naturâ*, Theophrasto dicitur. Isidorus quoque Characenus, ubi margaritam in concha crescere tradit, quàm diu carni adhæret; sed à carne divulsam à concha, non ampliùs ali, λειοτέραν δὲ αὐτὴν, inquit, καὶ διαυγεστέραν ποιεῖ, *sed læviorem eam pellucidioremque efficit.* Et statim, Ἡ μὲν ἐν βυθῷ πίννα διαυγεστάτην ποιεῖ, *Pinna, quæ in alto degit, margaritam pellucidissimam gignit*, apud Bochartum *Ibid.* V. quoque Salmasium *ad Solinum pag.1133.* ubi hunc de margaritis locum Plinii exponit, *Mirum ipso tantum eas* candere *cœlo, sole rufescere, candoremque perdere, ut corpus humanum. Quare præcipuè [illegible] pelago altiùs mersæ, quàm ut penetrent radii*, &c.

Candia, adde: Horrendo Turcico bello, quod 24. annis [illegible] gravissimâ obsidione urbis *Candiæ*, quæ ultra biennium duravit, famosa. Portuum tantâ commoditate instructa est, ut Hieron. Gievarina Legatus Venetus, in conventu Electorali A. C. [illegible] Francofurti habito, testatus sit, *Candiâ semel subjugatâ, omnes Principes Christianos mari Mediterraneo adsitos, infestationibus Turcicis æquè obnoxios fore: Turcam enim, qui hactenus classem suam [illegible] nis Constantinopolim reducere coactus fuerit, Regni hujus [illegible] non solùm tutam ubique & omni tempore receptionem, sed etiam fabricandis instruendisque triremibus ac navibus amplissimam commoditatem acquisiturum esse.* E numero bonum portuum, indicat Auctor *Histor. Orbis Terr.* Retimum, Caneam, Candiam, Spinam Longam, Carabusam & Sudam. E regione quoque *Candiæ* Standia est, locus itidem navium receptioni accommodus. In hac Ins. porrò Labyrinthum fuisse, à Dædalo fabricatum, vestigiaque ejus adhuc extare, Georg. Alexander Insulæ Præsul apud Volaterranum, auctor est: ubi ait, *Montem esse effossum ac undique concavum, unâ tantùm & angustâ via adiri aptum, quò venientibus præire ducem loci peritum cum ardente funali, qui monstret errores aliàs inextricabiles.* Sed Bellonius, qui Insulam hanc curiosè lustravit, lapidicinam hic olim fuisse, quæ vulgo Cretensis *Labyrinthus* dicatur, scribit. Malvatico inprimis vino insignis est *Candia*, cui à vico Malvasia nomen: Volaterranus verò pro *Arvisia* dici *Malvisia* contendit, additque id genus vitium ex Arvisio Chius Insulæ prom. unde *Arvisia vina* olim, in Cretam [illegible]latum esse. Hodie Insula bipartita est, pars una sub Turca, [illegible] qua Retimum, Canea, Candia: Altera Venetis adhuc paret, [illegible] Spina Longa, Carabusa & Suda.

Candida, amniculus Galliæ, in agro Cadurcensi, à candore [illegible] quæ dictus: vulgo *Conde*, aliis, inprimis Sansoni, *Ca*[illegible] Hic ultimus est omnium, Avarionem augentium. Eodem [illegible] ab aquarum colore, plurimis fluviis *Alba* nomen hæsit. V. Hadr. Valesium *Not. Gall.* in voce *Alba*.

Candida.

Candida, apud Ambrosium *Serm.67. Praeparemus nova & praeclarissima munera, edamus primam* Candidam, *in vestitu nudorum, secundam verò non minùs nobilem*, &c. & *in Actis* Bonifacii Martyris, ubi de Aglâe ejus matre, *Haec ergo ter* Candidam *egerat, apud urbem Romam ex Praefectura*: Editio est ludorum, quae fiebat olim apud Romanos, à Magistratibus, Praetoribus sc. & Quaestoribus Candidatis, proprio sumtu. In vet. Kalendario Hervarti M. Decembr. 13. Kal. Jan. *Munus Kandida*. V. Car. du Fresne *Glossar.*

Candida Toga, Polybio λαμπρά, propriè erat, quae à praelo & creta splendescebat. *Splendens* Senecae *epist.* 5. *Non splendeat toga, ne sordeat quidem*: Et *de tranquill. cap.*1. *Non ex arcula prolata vestis, non mille ponderibus, aut tormentis, splendere cogentibus, pressa.* Pondera scilicet ac praela vestem splendere cogebant. Quò spectat locus Martialis,

Sic tua suppositis pellucent praela lacernis,
Et micat innumeris arcula synthesibus.

Alba itaque toga nativo lanae colore erat, *candida* additâ cretâ fiebat, ut Lipsius ait. Manutius quoque aliud fuisse *Candidum*, aliud album; & esse in colore candido splendorem quendam, qui non est in albo, itaque candidam nivem propriè dici, pallorem autem non candidum, sed album, docet. Cùm autem in omni togarum lotione creta adhiberetur, nec ars fullonia sine creta esset, communi togae abluendae creta simpliciter adhibebatur, at togae, quam *candidam* vocamus, jam lotae creta superinducebatur, ut candesceret magis ac poliretur. Certè Plinius Cimoliam cretam abluendis vestibus in usu esse scribit: Umbricam autem, quae & *saxum* vocabatur, nonnisi poliendis vestibus assumi solitam. Illud etiam addi potest, togas, ut candidae fierent, postquam Umbricâ expolitae essent, praelo, ut dictum, subjectas fuisse, quò nitescerent, splendoremque acquirerent. Et talis propriè fuit petitorum, qui hinc *Candidati* dicti sunt, toga, primò nempe abluta, deinde Umbricâ sive saxo expolita, & tandem praelo splendere jussa. Unde Persius,

—— —— *Quem ducis hiantem*
Cretata ambitio.

Sequentibus temporibus, postquam toga pulla, quae olim in luctu solùm sumebatur, vulgò communiter usurpari incepit, ditiores & in dignitate constituti omnes candidâ veste usi sunt: Unde nata divisio *Candidatorum & Pullatorum*: ubi per illos, non ii solùm, qui honores ambiebant, verùm omnes illustriores cives, per hos de plebe homines intelligendi veniunt. Unde is, cujus officium erat, Imperatoris literas in Senatu legere. *Candidatus Principis*, vel *Quaestor Candidatus* dicitur, apud Fenestellam *de Magistrat. Rom. cap.*3. V. Octav. Ferrarium *de re vestiaria lib.*1. *cap.*21. Joh. Rosinum *Antiqq. Rom. lib.*5. *cap.*32. Sigon. *de Judic. lib.*3. *cap.*19. &c.

Candidae & *Candicantes* gemmae, dicuntur Plinio, quae κρυσταλλοειδεῖς Straboni *lib.*15. ubi de India, φέρει δὲ καὶ λίθους ἡ χώρα κρυσταλλοειδεῖς καὶ ἄνθρακας παντοίους, ὥσπερ καὶ μαργαρίτας: h. e. *crystallinâ facie gemmae*, inter quas primatum obtinet adamas. Plinius paederoti in iis primum locum tribuit; in reliquis recenset, Asterion, Astrion, Ceraunii albam, alias: quas & *crystallo propinquare* dicit. *Candidis* opponit Strabo *d. l.* ἄνθρακας, quo nomine palàm est, cum ardentes gemmas significare, quarum principatum obtinet, qui ἄνθραξ propriè est appellatus; reliquae, Sandaresus, Lychnites, Hyacinthus, Rubinus, &c. V. de utrisque Salmasium *ad Solinum pag.*1093.

Candidati, dicti olim, qui Magistratum petebant: à toga candida, quâ sumtâ *nundinis in Comitium venientes in colle considebant, unde coram possent ab universis videri*, Macrob. *Saturnal. lib.*1. *cap.*16. Hi ut scopo potirentur, necessaria quaedam erant requisita; quorum 1. *Nomenclatio* fuit: Amicorum enim & populi voluntas quoniam concilianda erat, elaborandum *Candidato* erat, ut singulos cives nosset eorumque nomina teneret: quod cùm in tanto populo esset difficile, ministro opus erat, qui Petitori nomina omnium civium, ut quisque occurrebat, suggereret; Hunc *Nomenclatorem* dixere vulgò, *Monitorem* Cicero: *Fartorem* Festus, quòd clam velut infarciret in aures Candidati nomina salutandorum civium. 2. *Blanditia*: est autem blandè appellare, non proprio nomine, sed honestiore, ut patrem, aut fratrem, aut patronum, salutare. 3. *Assiduitas*, ad quam pertinebat ambire, prensare ac rogare, seu supplicare: in quo postremo munere aut ipsi versabantur, aut alios claros viros adhibebant, *Suffragatores* dictos, qui vices suas sustinerent. Quò faciebat etiam, ut, cùm in campum descenderunt, tunicam deponerent, sive ne in sinu pecuniam gestare possent, sive ut cicatrices adverso pectore pro Patria acceptas, commodiùs omnibus occurrentibus possent ostendere; sive etiam, ut, quemadmodum prensationibus & supplicationibus, sic etiam habitu se deprimerent. 4. *Benignitas*, quae posita fuit in conciliando populo, congiariis dandis, prandiis praebendis, gladiatoribus exhibendis, locis parandis & pecuniis dividendis, in quae munera multos patrimonia satis ampla consumpsisse legimus. Haec tandem in largitionem degeneravit, à qua prius differebat: *Benignitas* enim *liberalitatem magis, quàm largitionem* significavit, teste Cicerone *Orat. in Muran.* Consuetudoque invaluit, ut praesenti pecuniâ populi suffragia emerentur, ad eamque rem adhiberentur *Interpretes*, per quos pactio inducebatur; *Sequestres*, apud quos pecunia deponebatur: ac *Divisores*, qui singulis pecunias distribuebant. V. Cic. *de petit. Consul. & alibi*, Asconium, Plut. Joh. Rosinum *Antiqq. Rom. lib.*7. *cap.*8. &c. Latius postmodum *Candidatorum* vox accipi coepit, V. suprà in voce *Candida toga*, ut & hic infrà.

Candidati, Graecis κανδιδᾶτοι, dignitas Palatina aequè ac militaris fuit, instituta à Gordiano Seniore. Hic enim selectos è Scholarium classe quosdam, ex iis, quos staturae proceritas ac forma commendaret, in peculiarem Scholam seu cohortem conjecit, eosque *Candidatos* vocavit, quòd fortassis candidi quidpiam in vestibus vel armaturis deferrent. *Fasti Graeci*, Γορδιανὸς Αὔγουστος ἐποίησε ἀριθμὸν τῶν λεγομένων Κανδιδάτων, ἐπιλέξας αὐτοὺς κατὰ ἰσότητα ὡς τελείους καὶ εὐειδεῖς καὶ μεγάλους ὄντας ὅλως, ἀπὸ τοῦ τάγματος τῶν λεγομένων σχολαρίων, πρῶτος τὴν σχολὴν τοῦ αὐτοῦ ἀριθμοῦ, εἰς τὸ ἴδιον ὀνόματι Σενιώρων. οὗτοι εἰσὶν οἱ τὸν ἔκτον σχολὸν, ubi de cognomine Gordiani *Scholarium Seniorum*, nomen ab eo inditum illis fuisse, docent; Quemadmodum apud Cedrenum eadem fere de *Juniorum Schola*, à Gordiano Jun. institutâ leguntur: utrique historiae fidem derogante Salmasio *ad Capitolinum in Gordianis*. Certè *Candidatorum* nomen, aut cohortem scholamque à Gordiano primùm institutam non fuisse, hinc patet, quòd longè antè in Palatio *Candidatos* militasse, & Vegetio *Candidatos simplares & duplares* recenseri constat. *Candenti lineo* sub chlamyde indutos fuisse, refert Hieronymus, ubi de Nepotiano: Sic Ausonius,

—— —— —— *Cùm jam succinctus amictu*
Per Ligurum populos solito succinctior ires,
Atque inter niveas aliè veherere cohortes, &c.

Militabant illi in ipso Palatio, atque adeò ad Imperatoris Custodiam adhibiti, perinde ac *Scholares*, è quorum classe erant, & quidem sextam obtinuisse scholam vidimus suprà ex Fastis laudatis: Meminitque *Candidatorum* Juliani ac Valentis non semel, tanquam assectarum ac custodum, Ammianus *lib.*25. & 31. Corippus *de Laudibus Justini*,

Ornata est Augusta domus, jussuque regentis
Acciti Proceres omnes, Scholaque Palati est,
Jussa suis adstare locis: jamque ordine certo
Turba Decanorum, Cursorum in Rebus agentum,
Cumque Palatinis stans Candida *turba Tribunis,*
Et Protectorum numerus mandante Magistro, &c.

In hanc verò cohortem, utpote summae ac praecipuae in Palatio dignitatis, nulli admissi sunt, nisi qui genere, opibus & animo caeteris praecellerent. Hinc passim legimus, in ea militasse viros primarios, Justinianum Justini Imp. nepotem, apud Victorem Tunnensem in *Chron.* Vitulinum, hominem dignitate & opibus illustrem, apud Nicephorum CP. in *Brev.* alios. Et refert Leo Ostiensis, Arduinum nobilem Mediolan. *auro oblato non modico*, à Docaeano Italiae Praef. *Candidati honore donatum & quibusdam Apuliae oppidis praefectum fuisse*. Ex eadem classe delectos copiarum & exercituum Duces, docent *Synaxaria* ad 31. Julii in *Vita* S. Eudocimi, ut & Legatos ad Principes, Ammianus *lib.*15. Auctor *Passionis* S. Caloceri Mart. *num.*11. Guilielmus Biblioth. in *Hadriano II.* alii. Sed & omnes in universum milites Romani *Candidatorum* nomine nonnunquam veniunt, quòd in praelium ituri, aut pugnaturi, *album* paludamentum aut purpureum induere solerent, quod testatur Valerius Max. *lib.*1. ubi de *Crasso*. V. Car. du Fresne *Glossar.*

Candidus, Cons. cum Quadrato, memoratur Spartiano, in *Adriano Caes.* ubi Adrianum secundo utriusque Consulatu Tribunum Pl. factum esse refert. Vetus Inscr. T. JULIO CANDIDO. II. A. JULIO QUADRATO II. COSS. qui annus Imperii Trajani octavus, aetatis Hadriani nonus erat & vigesimus, V. Casaubonum *ad loc.*

Candys, capitis tegmen pellitum, Persarum olim Regibus in usu, ut habetur apud Pollucem *lib.*7. *cap.*13. Hinc Synesius *Orat. de Regno*, Parthorum Regem, qui tiarâ & *candye* ornabatur, territorium abstinentiâ Carini Imp. cessisse ei, cui ex vilissimis lanis amictus pileusque esset, refert. Et quidem Κάνδυς ἁλουργής, è *purpura* viz. *marina*, memoratur Polluci *lib.*7. *cap.*13. &c. Aliàs *Candys* quoque vestimenti nomen est, ut è multis Auctorum locis probat Brissonius *de Regno Pers. lib.*2. V. quoque Paschalium *de Coronis lib.*10. *cap.*3. & Anselm. Solerium *de Pileo Sect.* 9. Ferrario certè *Candys*, vestis Persica, ad instar chlamydis militaris: Κάνδυς χιτὼν περσικὸς, ὃν συμπορπῶσιν οἱ στρατιῶται, *Candys vestis Persica, quam infibulant milites*, Hesychius. Distinctam à tunica fuisse, docent verba Dionys. de Tigrane ad Pompejum veniente, loquentis; quem tradit, quò & reverentiâ Pompeji, & misericordiâ, dignus videretur, ita se composuisse, ut inter pristinam dignitatem & praesentem Fortunam statum servaret: Τὸν μὲν γὰρ χιτῶνα τὸν μεσόλευκον καὶ τὸν κάνδυν τὸν ὁλοπόρφυρον ἐξέδυ, *Tunicam enim semialbam, & Candym purpureum*, id est, chlamydem seu vestem regiam superiorem purpuream, *exuerat*. Idem Xenoph. testatur *Cyri paed. lib.*1. Οἱ πορφυροῖ χιτῶνες καὶ οἱ κάνδυες. Octav. Ferrarius

Ferrarius *de re Vestiaria lib. 3. cap. 1. qui est de Tunica*, &c. V. quoque Car. Paschalium *Coronarum lib. 10. cap. 2. & 3.* ut & infrà, ubi *de Pellibus.*

Cane, opp. Arabiæ Fel. adde: Thuriferæ Regionis Emporium celebre, in Adramitarum regione, qui Sabæorum pars fuere & à Climace ad *Canem* seu *Canam* Emporium, atque inde ad Sachalitem sinum terras suas extenderunt. Avienus Dionysii Interpres.

——— ——— Et inde
Chatramis est tellus: Canæ vicina, fluento
Persidis accedit: rutili contermina Ponti
Minnæi Sabathæque tenent.

Ad illud Emporium thus omne, quod in illa regione nascebatur, deferri solebat, partim camelis, partim utribus, vel navigiis ex utribus factis: utres enim navigia enchoria, quibus per Sachalitem illum Sinum, cui prætenta erat Thurifera regio, navigabant. Ptolomæus, ἐν τῷ Σαχαλίτῃ κόλπῳ, ἐν ᾧ κολυμβῶνες πιννικοῦ, ἐπὶ ἀσκῶν διαπλέουσι, *In Sachalite sinu, in quo pinnici velleris, vel margaritarum piscatio est, utribus navigant.* Inde Sabotam, gentis caput, in excelso monte conditam, thus convectum, *portâ ad id una patente-digredi viâ capital leges fecere* &c. Plin. *lib. 6. cap.* 28. V. Salmasium *ad Solinum pag. 491. & seqq.*

Canella, apud Myrepsum Gall. *Canelle*, vox recentioris ævi, cinnamomum Veterum notare creditur haud paucis, sed Veteres omnes cinnamum à casia statuunt diversum: atqui casia veterum hodierna *Canella* est, quod nomen ipsum apertè ostendit. Casiam enim σύριγγα appellarunt, i. *fistulam*: *Nam*, ut Plinius scribit, frutex casia est, *tenui cute verius quàm cortice, quem contrà atque in cinnamo levari atque exinaniri pretium est*; cortex exinanitus jam fistula est. Et Dioscorides de casia optima; ἔστιν λίαν, μεγαλόθριξ καὶ παχέας τὰς σύριγγας, *i. crassas & longas habentem fistulas.* Unde vetus Auctor *in Canticum*, *casiæ fistulas* appellat. Inde itaque Recentiores *cannulam* & *cannellam* vocitarunt, hoc est, σύριγγα, nam *canna* est fistula. Et quidem, cùm cinnamomum in surculis afferretur ramulisque cortice suo vestitis, canellæ utpote cortice tantùm constantis, in fistulæ modum conduplicato, cortex solus fistulaceus apportabatur. Unde ῥάβδων meminit Dioscorides in cinnamomi historia, at συρίγγων, in casiæ descriptione. Interim cinnamomo similis casia, unde *casia* ἰσοκινάμωμον, quam *isocinnamon* etiam Plinius vocat. Nec desunt, qui velint & validè velint, ex Neotericis inprimis, eandem esse arborem, è qua cinnamum sumitur & ex qua casia. Et fortè, summi surculi deputati vel virgultorum tenuissimæ partes recisæ, ex frutice casiæ, pro cinnamomo Veteribus venerunt. Unde videtur fuisse rarum cinnamomum carumque, quòd fortasse rarò usurparetur ejusmodi fruticis amputatio, utpote in perniciem casura ejus: Casia autem sive cortex, qui ex eadem arbore eximebatur, eâ re vilior communiorque, quia arbores illæ sæpius solerent deglabrari, & renascente subinde cortice. Quippe hodieque narrant, detracto cortice arboris cannellæ, post triennium, alium suffici & iterum deglubi. Cortex autem ille in fistulam convolutus, integri rami vel surculi superficies videtur, quum tamen fragmentum sit majoris corticis in plures partes dissecti & in tubulos digiti crassitudine complicati. At truncum, qui deglabratur, sæpenumero crassiorem fœmore inveniri memorant. Vetustas verò omnis credidit, hos fistularum modulos totidem esse surculorum integros cortices, qui admodum difficulter eximerentur, adeò ut vermium operam requiri oporteret, lignum intus corrodentium & corticem præ amaritudine intactum relinquentium. Nimirum, quomodo fistulæ casiæ ex cortice illius arborei fructus pararentur, illos latebat. Porro *cutem* veriùs, quàm *corticem*, dixit Plinius; quia ex interiore libro istius modi fistularum tubuli parantur &c. Qua de re V. complura apud Salmasium *ad Solinum pag. 1302. & seqq.* ut & infrà passim. Hodie *Cinnamomum* seu *Canellam* potissimùm colligunt ex Ins. *Zeilan*, in qua maxima ejus copia: quæ enim in Java Ins. & littore Malabarico habetur, minus nobilis est. Crescit & in Peruviæ prov. *Quito*, sed rariùs. Auctor Anonymus *Histor. Orbis Terr. Geogr. & Civ. cap. de Commerciis.* Barlæus, ubi Societatis Indicæ Orientalis domum Amstelodami describit, *Cinnamorum & casiæ ligneæ fistulæ*, inquit inter alia, *decussatim in altum aggesta, Auroram matrem fatebantur; in Medicea.*

Canem ferendi ritus, apud Francos olim Suevosque in usu fuit: Apud quos vetus consuetudo pro lege inoleverat, ut si quis Nobilis, Ministerialis vel Colonus, coram suo Judice, deprædationis, incendii, aliorumque criminum, reus inventus esset, antequam morte afficeretur, ignominiæ causâ, Nobilis *canem*, Ministerialis sellam, de Comitatu in proximum Comitatum, gestare cogeretur. Sic Hermannum Palatinum Com. à Friderico Imp. quòd Germaniam prædâ & incendio perturbasset, cum decem Comitibus, accusatum, ac convictum, per integrum milliare Teutonicum, canem quemque portare fuisse coactos, refert Guntherus Ligurini *lib.* 5. Quam pœnam *militarem* vocat Arnoldus Lubec. *lib. 7. cap.* 2. eo quòd Militibus seu Nobilioribus soleret infligi. *Dedecus canum* appellat Conradus Ursperg. A. C. 937. V. Auctores hanc in rem complures citatos Car. du Fresne *Glossar.*

Canem secandi in duas partes ritus, adhibitus olim Macedonibus, in lustrando exercitu, memoratur Livio *lib. 40. cap. 6.* *Fortè lustrandi exercitus venit tempus, cujus solenne est tale: Caput mediæ canis præcisæ, & prior pars ad dexteram cum extis, posterior ad lævam viæ ponitur, inter hanc divisam hostiam copiæ armatæ traducuntur, præferuntur primo agmini* &c. Et Curtio, *lib. 10. cap. 9.* *Macedonum Reges ita lustrare soliti erant milites, ut discissæ canis viscera ultimo in campo, in quem deducerentur, ab utraque abjicerentur parte: intra id spatium armati omnes starent, hinc equites, illinc phalanx.* Fieri verò hæc lustratio solebat, cùm Ξανθικὰ celebrarent, quod festum incidebat in diem 8. mensis Xanthici, quem Aprili nostro fere respondisse volunt. V. Joann. Meursium *Græcia Feriata lib.* 5. in voce Ξανθικά. Aliàs sectio victimarum, & inter utramque partem transitus eorum, qui fœdera pacta hoc symbolo ibant firmatum, nota ex Sacris profanisque Scriptoribus. V. quoque infrà.

per *Canem* jurandi ceremonia, indigitatur in *Litteris* Juvanensis Archiep. editis à Gewoldo post *Chron.* Reichersberg. *Quod nos præfati Schlavi criminabantur, cum Ungaris fidem Catholicam violasse & per* canem *seu lupum aliasque nefandissimas & Ethnicas res sacramenta & pacem egisse.* Quæ illustrantur ab Joinvilla in *Historia* S. Ludovici, dum fœdera inter Johannem Vatatzem Imp. & Comanorum Principem inita, eaque firmata ebibito alterius invicem sanguine, hac adhibitâ ceremoniâ, narrat: *Et insuper hoc fecerunt. Inter suos & nostros* canem *transire fecerunt, eoque frustatim conciso sic eos, qui fœdus hoc fregissent, concidendos esse, addiderunt.* Hinc apud Conradum Ursperg. *ad A. C.* 920. Dalmatas Ungaris in ludibrium *canem* objecisse, quòd per hoc animalis genus fœdera sua sancirent, legimus, V. iterum du Fresne ubi suprà.

Canens, adde: Quòd collapsum Musicæ Philosophiæ studium in Italia restaurasset, sic dicta: Ovidius *Met lib* 14.

Rara quidem facie, sed rarior arte canendi,
Unde Canens *dicta est: sylvas & saxa movere,*
Et mulcere feras, & flumina longa morari
Ore suo, volucresque vagas retinere solebat.

Canephorus, ex marmore, Scopæ opus, memoratur Plinio *lib. 36. cap. 5.* *Is fecit Venerem — item Apollinem Palatinum, Vestam sedentem laudatum in Servilianis hortis, duasque chametæras* (alii habent, *commotrias*) *circa eam, quarum pares in Asinii monumentis sunt, ubi &* Canephorus *ejusdem.* Græcè κανηφόρος, *canistrum gerens.* Erat hoc virginum munus, *canistra*, quibus sacra inclusa, in Cereris sacris ferre, unde κανηφόροι dictæ &c. V. infrà in voce *Canistrum.*

Canere, verbum *Afflatorum.* Papinius Statius *Thebaid. lib. 11. versu* 717.

Non me ulli monitus, nec Vatum exorsa furentum
Sollicitant, manesque movent, sibi callidus ista
Tiresias, nataque canat, *non si ipse reclusis*
Cominus ex adytis in me insaniret Apollo.

Ubi *canat* idem est, quod *imperet ex oraculo.* Unde ad sequentia, *in me insaniret Apollo*, Lutatius, *Non*, ait, *si totis suis viribus mihi incumberet Apollo* (divinationum præses & auctor) *& me insanire faceret adeò, ut ipse talia præcinerem.* Atque hinc, quia se Numine afflatos videri volunt, istiusmodi initiis utuntur maximorum operum Principes Poëtæ. Homerus, *Il. α.*

Μῆνιν ἄειδε Θεά.
Iram cane *Dea.*

Et Virgilius *Æn. lib.* 1.

Arma virumque cano.

V. Joh. Gebhardum *ad Tibullum lib. 1. Eleg.* 4. & Caspar. Barthium *Animadversionum ad Statium lib. 3. pag.* 1229. Quod cùm ad confirmandas superstitiones pertineret, ut viz. aspicerentur furere gallantes ac vaticinantes, quasi ab alicujus Numinis inspiratione immisso furore, radicem halicacabi bibere consuevisse hujusmodi homines, ut ἐνθουσιασμὸν inde conciperent, legimus apud Plinium. Non enim à dæmone solùm talis furor immittebatur, sed naturâ quoque nonnunquam fiebat, uti dicemus infrà in voce *Corybantiasmus.* V. quoque in voce *Abdera.* Inde *Magorum*, qui duobus præcipuè modis ligabant solvebantque, *cantibus* nempe & *herbis*; hæc enim duo præcipuè Poëtæ nominant. Tibullus,

Num te carminibus, num te pollentibus herbis
Devovit tacito tempore noctis anus.

Et alibi,

——— Nempe hæc eadem se dixit amores
Cantibus aut herbis solvere posse meos.

Sed *cantibus* inprimis, seu *mussitationibus*, uti Hebræi vocant לחשים, quòd Magi cantus suos inter labia demurmurare solebant. Virgilius *Ecl.* 8.

Frigidus in pratis cantando rumpitur anguis.

Ovidius *Metamorph. lib. 7. Fab.* 2.

Vipereas rumpo verbis & carmine fauces.

Horatius Epod. 7.

Caputque Marsâ dissilire næniâ &c.

Unde tales *Incantatores*; serpentes autem, in quos carmina illorum nil valebant, vel *recanere*, vel *ad cantum obsurdescere*, dicti: hodieque *Carmen* Gallis pro sortilegio est, *Charme.* V. Salmasium *ad Solinum pag.* 1089. & Sam. Bochartum *Hierozoici Part. poster. lib. III. cap.* 6. nec non hic passim.

Canes Coronati, in Dianæ festo, memorantur Papinio Statio *lib. 3. Sylv. 1. versu* 55.

Jamq;

Jamque dies aderat, profugis cùm Regibus altum
Fumat Aricinum Triviæ nemus, & face multa
Conscius Hippolyti splendet lacus: ipsa coronat
Emeritos Diana canes, & spicula tergit:
Et tutas finit ire feras.

Quod ab Agonothetis traductum. Factum autem Idibus Augusti, unde mox Poëta,

—— —— —— omnisque pudicis
Itala terra focis, Hecateias excolit Idus.

Quo de festo V. Hadr. Turnebum *Adversarior. lib. 7. cap. 26.* Revera autem coronati tum *Canes*, ut festis aliis diebus *Boves*, de quo ritu pluribus egit Hadr. Behotius *Apophoret. lib. 2. cap. 2.* De *Equis* & *Asinis* adnotavit Propertio, *lib. 3 Eleg. 1.* Joann. Passeratius. Sed & *Canum* hunc honorem Gratius quoque celebrat,

Spicatasque faces sacrum ad nemorale Dianæ
Sistimus, & solito catuli velantur honore.

Hoc est, coronantur. Quam *canum redimitionem* non intellexit, prorsus aliò ista Papinii verba trahens, Car. Paschalius *Cor. lib 1. cap. 3.* Hunc verò diem feriatum à venationibus, disces pluribus ex Turnebo, *d. l.* V. Barthium *Animadvers. ad Statium lib. 1.*

Canes occidendi mos, in ortu Caniculæ, quòd hoc sidus eos in rabiem agat, apud Romanos viguit, uti docet ex Græco auctore Salmasius, Ὅτι τῇ πρὸ Νωνῶν Αὐγούστων ἡμέρᾳ ἀναιροῦνται ἐν Ῥώμῃ τὰς κύνας εἰς τιμὴν τῶν χηνῶν, ὅτι τὸ Καπιτώλιον οἱ μὲν κύνες καθεύδοντες ἐπιβουλεῦσαι, οἱ δὲ χῆνες ἐγρηγορότες διέσωσαν· οἱ δέ φασι τοῦ ἐκείνου, ἵνα μὴ ὀχληροὶ τῷ νυκτὸς χρόνῳ, οἱ δὲ, ἵνα μὴ λυττῶντες τοὺς ἀνθρώπους βλάπτωσι, τηνικαῦτα γὰρ ὁ Σείριος ἀνατέλλει, ὅς καὶ αἴτιος τῆς λύττης αὐτοῖς εἶναι δοκεῖ, *Ante tertium Nonas Augusti occiderunt impunè Romæ canes in honorem anserum, qui vigilantia sua Capitolium conservarunt, cùm illi dormiendo illud prodidissent. Alii tamen id factum dicunt, ne nocturno tempore molesti essent. Sed & sunt, qui eos volunt necatos, ne in rabiem acti homines læderent. Tum enim Sirius oritur, canini furoris parens.* V. cum *Exercitat. Plin. ad Solinum p. 723.* Aliud quid erat *Canarium Sacrificium*, de quo supra.

Canicleum, arx CP. seu Palatium Imper. cui qui præerat *Caniclensis* seu *Caniclinus* vocabatur, Macer in *Hierolex.* Meliùs Κανικλεῖον vas erat, in quo asservabatur sacrum encaustum, quo Imperatores diplomata vel Epistolas subscribebant; unde *Caniclinus*, dignitas Palatina in eadem Græcorum Impp. aula, Gr. ὁ ἐπὶ τοῦ κανικλείου appellatus. Erat vas illud aureum, gemmis lapillisq; distinctum, δοχεῖον χρυσοῦν μαργάροις καὶ λίθοις πολυτελέσι κεκοσμημένον, h. e. *calamarium aureum margaritis & pretiosissimis gemmis insignitum*, uti describitur à Niceta in *Manuele lib. 3. num. 5.* seu, ut habet Petrus Diaconus *Chron. Casin. lib. 4. cap. 13.* χρυσοῦν σκεῦος εἰς τὰς βασιλικὰς ὑπογραφὰς, *Aureum vas ad Imperatorias subscriptiones.* De Encausto V. infrà. Sic itaque *Caniclinus* idem fuerit cum Logotheta, uti pluribus probat Car. du Fresne *ad Alexiadem pag. 378.* Appellatum est autem vas illud *caniculus*, κανικλεῖον, quòd *caniculi* formam effigiemque præ se ferret Salmasius tamen *ad Solinum* vocem *Caniculum* à κανίῳ deducit, quæ vox in *Glossis* τρύβλιον & μαζὶς vertitur, unde canistrum dictum. V. Pachymerem *lib. 8. cap. 32. lib. 9. cap. 24.* aliosque laudatos Carolo du Fresne in *Glossar.* & suprà in voce *Cana.*

Canicula, propriè προκύων, qui & *Canis minor* Plinio *lib. 18. cap. 28.* & *minusculus* Vitruvio; male à nonnullis confunditur cum stella majoris Canis lucidissima, quæ Σείριος per excellentiam appellatur, cùm alias, ab eodem lucis candore, omnia astra σειρὰς vocet Ibycus. Quamvis enim & stellam illam, quæ in ore Canis, πρόκυνα appellent Græcorum nonnulli, eo quòd in primore parte oris canis constituta priùs oriatur quàm Canis totus: tamen hic προκύων, qui Sirius est, diversus est à sidere Ante-canis, quem & πρόκυνα dixere, quòd ante canem majorem oriatur, vel, ut Plinius *d. l. quòd indicet Canis ortum*, constitutus juxta lacteum circulum &c. V. infrà in voce *Procyon.* Ab exortu autem *Caniculæ*, ad alterum ejusdem exortum, anni sui spatium definiebant Ægyptii, ut suprà diximus, ubi de *Canario Anno*: Orygem feram tradentes ea horâ ac momento, quo id sidus exoriebatur, vocem emittere atque hoc indicio, annui motus orbem absolutum esse, indicare. Imò Libyes omnes capras idem apud se facere memorant, ut commodum exoriente cum Sole *Caniculâ* ad eam converterentur & vocem emitterent quod signum esset certissimum solemnis circuitus, ut videre est apud Plutarchum *de Solertia Animal.* Quod nec de solis Libyæ capris, sed de aliis etiam pecoribus ac jumentis, refert Antigonus ex Lyco. Quam rem paulo aliter sic narrat *Solinus cap. 32. Ægyptium limitem, quà ad Diacecaumenem tendit, incolunt populi, qui momentum, quo reparari mundum ad motus ferunt annuos, hoc studio deprehendunt. Eligitur sacer lucus, in quo conseptant animalia diversissimi generis. Ea, ubi ad statum modum cælestis pervenit disciplina — alia ululant, alia mugiunt, quædam strident* &c. Porro Plinius de Canicula, *Orygem appellat Ægyptus feram, quam in exortu ejus contrà stare ac intueri tradit, ac velut adorare cùm sternuerit.* Certè Ægyptios sternuente oryge, ortum Caniculæ deprehendisse, traditum vet. Scholiasti Arati, Auctori *Vitæ* Isidori apud Photium, Aliis. Uti autem *Canis major*, Europæ custos, aliis Canis Orionis: sic *Canicula*, Icarii canis fuisse dicitur Hygino: unde in Ceo [illegible] quo Attici agrestes, qui Icarium interemerant, se receperunt, Aristæi monitu, ad liberandam peste terram Græciam & præcipuè Cyclades Ins. *Caniculæ* sacra facta, eaque quotannis postmodum continuata esse, idem, ut & Diodorus, tradit. V. Salmasium *ad Solinum pag. 144. 429. & seqq. 7 3.* nec non infrà in voce *Canis.* De canum verò, in exortu hujus stellæ, occidendi apud Romanos more, retro diximus.

Canicula Piscis, V. infra *Thursio*; item *Canis marinus.*

Caniculares Dies, matura messis. Unde de Virgine, quæ inter sidera est, Avienus *in Paraphrasi Aratea*,

Aut Pelusiaci magis es Dea litoris Isis,
Digna thori consors & cura latrantis Anubis.
Seu tu diva Ceres, sic nam tibi fragrat arista,
Et ceu Syriaco torretur spica calore
Protentata manu.

Ubi intelligit spicam eam, quam manu gestat, maturam videri, utpote Sirii tostam calore. De eadem Germanicus,

—— —— —— Cui plena sinistra
Fulget spica manu, maturisque ardet aristis.

Et Manilius,

At quum per decimam consurgens torrida partem,
Spica feret præ se squallentes corbis aristas:

Spicam vocans stellam Virginis majorem, & *squalentes corbis aristas* eleganter appellans, quæ arefactæ sunt & maturæ, quales extant, quum demetuntur & in corbem messuariam, qui mos fuit apud Vett. congeruntur. Salmasius *ad Solinum pag. 1236.* Feriatos Romanis hos dies fuisse, infrà dicemus.

Canina Effigies in capite, symbolum olim Ducis ignavi & vitiis mersi. Non dico illum utilem *Canem*, vigilem & pastoritium; nec venaticum, & generosum, de quibus infrà: sed timidum, impurum, ignavum latratorem, crudelem, exedentem cadavera, cujusmodi apud Bactrianos dicuntur fuisse sepulchrales, aut certè similem illius Aristophanæi, Vesp.

Ὅς πρῶτα μὲν μάχομαι ἀπ' ἀρχῆς αὐτῷ
Ἐξ ὀφθαλμῶν ... ἄλλων χάριτας,
Ἑκατὸν δ' ἐν κύκλῳ κεφαλαὶ κολάκων οἰμωξομένων
Νωμῶντας τὰς λιχάδας καὶ τὰς πέτρας διαλείχων.

Simile quid fuit pileus Eilotarum, apud Athenæum *lib. 14.* quem ipsis è *canina pelle* gestare necesse fuit, in signum miserrimæ conditionis, cui eam gentem necessitas apud Lacones addixerat. V. quoque Platonem *de LL. lib 6.* Ejusdem generis fuere fortè *Caninæ* illæ Ægyptiorum *effigies*, de quibus Romam advectis, ut illic quoque inter Numina colerentur: Prudentius *c. Symm. lib. 2.*

Quandam victa dedit capitis Cleopatra canini
Effigies &c

V. Car. Paschalium *Coronarum lib. 9. cap. 20.* & infrà, ubi de *Pellibus.*

Caninia lex, V. *Fusia Caninia.*

Viri illustres.

Caninius Celer, Orator Græcus, inter Præceptores Marci Antonini Philos. apud Jul. Capitolinum: cujus præterea nemo meminit, præter unum Philostratum, qui vitam ejus sed nec ex proposito scripsit; meminit tantùm illius obiter, & τεχνογράφον nominat; Eundem ab epistolis Imperatoris fuisse dicit, sed cujus, non addit; Hadriani fuisse, divinare facile est: in *Dionysio*, ὁ γὰρ Διονύσιος τὸ Θρύλλημα τοῦτο, ἀλλὰ Κέλερος τοῦ τεχνογράφου, ὁ δὲ Κέλερ μὲν βασιλικῶν ἐπιστολῶν ἀγαθὸς προστάτης, μελέτη δὲ οὐ δεξιῶς Διονυσίου τῷ ἐν μειρακίοις χρόνῳ διαφορος. Mentionem tamen Celeris ipse quoque Marius facit *Vitæ suæ lib. 8.* Salmasius *ad loc.* &c.

Canis, nonnullis Scriptoribus dicitur, qui aliis *Cham* vel *Can*, item *Caanus*, quæ omnia ex *Caganus* orta, de qua voce retro diximus. *Chronicon* Nangii *A. C. 1299.* Usuncassano Tartarorum R. *Qui & Magnus Canis dicitur.* Byzantini seu Græci recentiores Καν: & Κανις Tartarorum vocant Principem. Pachymeres inprimis *lib. 3. cap. 25. lib. 5. cap. 4. lib. 10. cap. 25. & lib. 11. cap. 16.* qui vocem hanc dicto *libro 5. cap. 4* Imperatorem sonare, addit. Τζίγγις γὰρ τὸ ὄνομα, ὁ δὲ Καν βασιλεύς. Idem cœteros quoque Toparchas *Canes* vocatos innuit *lib 9. cap. 26.* & Principes Tartariæ gentis Κανίδας appellat, *lib. 5. cap. 4.* quos *Canesios* nuncupat Magister Rogerius *Destruct. Hungar. cap. 13. Alteri verò ipsorum* Canesio, *id est, majori volenti prostrato succurrere,* &c. *cap. 35. constituerunt* Canesios, *i. e. Ballivos, qui justitiam facerent* Infrà, *Procurator meus de istis dominis erat unus, & pæne mille villas regebat & erant Canesii fere centum* &c. Ab hac igitur origine, aliquot ex Scaligerorum gente, quæ Veronensem diu Principatum possedit, *Canes* appellatos censuit Jovius, quam vocem nomini interdum proprio sic præponebant, *Can Franciscus, Can Grandis, Can Signorius.* V. Josephum Scaligerum *in Vita Patris.* Sed nec Veronenses duntaxat Principes id sibi prænomen vindicavere, cùm in familia Dandula apud Venetos idem usurpatum doceat Sansovinus in *Venetia lib. 13. sub A. C. 1328.* qui, ut modò dictus Scaliger *ibid. pag. 29.* docet, non à latranti illo animali dicti sunt; sed, quòd linguâ Winidorum seu Sclavorum, *Cahan* idem sit, quod Rex aut Princeps. Quam quidem sententiam non parùm firmat ipsa olim Serviæ Principis appellatio ac nomenclatura: *Knes* enim appellabatur, seu μέγας Κνέζης, *magnus Knes*, vel Κνέζης πάσης Σερβίας, *Cnenzes totius Serviæ*, ut est in *Codice* Reg. *MS. 2013.* ex quo descripsit Goarus, quæ habet, post Codinum *de Officiis aulæ CP. pag 414. 415.* Idem autem valet, quod *Dominus*: eam namque fuisse vocis *Kneg* apud Slavos noti-

notionem, discimus ex Dietmaro *lib.7.* quem laudat du Fresne in voce *Caganus.*

Canis, apud Romanos, custodiæ causâ in tabernis legitur fuisse. Paulus JC *l.2.§.1. ff. si quadr. paup. fec. dic. Siquis aliquem evitans, Magistratum fortè in tabernam proximam se immisisset, ibique à cane feroce læsus esset, non posse agi canis nomine quidam putant, at si solutus fuisset, contrà.* Etiam Ostiarii plerumque comes fuit. Plautus *Mostellar.*

> —— —— — *Tranio, age canem*
> *Istam à foribus face abducas* ——

Hinc de Vitellio Imp. latebras quærente Suetonius *cap.16. Confugit*, inquit, *in cellulam Janitoris, religato pro foribus cane.* V. quoque Senecam *de Ira lib.3. cap.37.* Et hic erat mutus, vel potiùs vocalis custos, qui Excubitore dormiente vigilaret: Janitori enim vigilia indicta erat. Videturque ad cynicum hoc munus alludere parabola divitis Epulonis, quæ extat Lucæ *cap.16. vers.20.* In quam ita commentatus est P. Chrysologus *Serm.123. Sed dicis dives; ego etsi vinum negavi, aquam peto, quam communem cunctis animalibus auctor ipse omnium præstitit & natura. Puto dives, quòd & aquam pauperi tu negasti, cui ne ingrederetur januam tuam, ne ad tuum puteum perveniret, Canes quamplurimos objecisti.* Sed & erant, qui ponè januam *canem* pictum haberent, ut apud Petronium, Trimalcio. In delitiis verò tricliniaribus catelli erant, ut testatur mulier Chananæa apud Matthæum *cap.15. versu 27.* & indicant scalpturæ antiquorum Marmorum, apud F. Ursinum *Appendic. ad Clacconium de Triclin.* Porro præter villaticos molossos, Vestigatoris quoque minister *canis* fuit, qui vestigia ferarum odoraretur, ut habent leges Bajoariorum & Artemidorus, *Onirocr. lib.3. cap.2.* cujus pretium solertia naris & industria: *nare mereri* tales Gratius ait. V. Laur. Pignorium *Comm. de Servis.* Ad sacrificia etiam *Canem* adhibitum, quamvis id in Lege sua gravissimè Deus prohibuerit, apud Cares legimus, qui Marti hanc victimam, sicut Scythæ asinum, sacrare solebant, teste Clem. *in Protreptico.* Sed magis mirum, quòd Ægyptii etiam Numinibus suis inseruerunt, non felem solùm, sed & *canem*; de cujus veneratione V. Ciceronem *Tusculan.5.* Unde Juvenalis *Sat.15.*

> —— —— —— —— *Illic*
> *Oppida tota* Canem *venerantur, nemo Dianam.*

Cynopolitanis inprimis in veneratione fuisse, indicat Clemens præfatus *l. c. de Cynocephali* cultu, V. infrà & plura hanc in rem, apud Bochartum *Hierozoici Part.I.* & du Fresne *Glossar.* Cadavera *canibus* objecta, vidimus suprà. Iisdem sepulchra constituta ab Hadriano Cæs. memorat Æl. Spartianus, *Equos & canes sic amavit, ut eis sepulchra constitueret.* Qui mos olim multorum, ut apud Plinium, Plutarchum, Martialem, Alios, ut & infrà in voce *Philocynegus*, videre est. Iis objici reos quoque vivos consuevisse, diximus alibi, & memorat crudelissimi hujus supplicii exemplum Petrus de Valle *Itiner. Persic.* in Judæis quibusdam Magiæ convictis, Hispahani, Persiæ metropoli, statutum. A' *Cane*, nomen celebri *Cynicorum* sectæ, in qua Diogenes *Canis* nomine superbus, ejusdem animalis figurâ repræsentatur, in vet. lapide, qui hodieque Venetiis visitur, cum hac Inscr.

> Εἰπὲ κύον τίνος ἀνδρὸς ἐφεστὼς σῆμα φυλάσσεις;
> Τοῦ Κυνός. ἀλλὰ τίς ἦν ἀνὴρ οὗτος ὁ Κύων;
> Διογένης γένος, εἶπε, Σινωπεύς, ὃς πίθον ᾤκει,
> Καὶ μάλα νῦν δὲ θανὼν ἀστέρας οἶκον ἔχει.

apud Jacobum Sponium *Itinerar. Græciæ Part 3. pag.60.*

Canis, sidus, adde: Ut inter erraticas prima honore divino aucta est Veneris stella, quam *Phosphorum* & *Hesperum* dicimus, ita inter fixas, ad id decoris primo illa evecta est, quæ vocatur Α'στρῷος κύων, *Cælestis canis*, vel etiam *Sirius*: Imò ab Ægyptiis Hespero quoque prælata Isidisque, quæ cum Osiride supremum iis Numen erat, nomine est insignita. Plut. *de Isid. & Osir.* Præter Ægyptios verò Romani quoque religiosè hoc sidus coluerunt, ut docet Festus passim; unde obscurum non est, cur Deo Rubigo sive Rubigini, præter ovem, etiam *canem* immolarent, in Aprili. Nempe, quia Caniculæ sidus frugibus inimicum, non longè à porta Catularia Romæ, rufæ ei canes, deprecandæ sævitiæ causâ, immolabantur. Præter *Canem* autem in Meridionalibus sideribus, Piscem quoque divinos invenisse honores, dicemus infrà suo loco. V. Vossium *de Idololatr. lib.2. cap.36.* Idem verò sidus dum *Μαίρα* quoque dictum est; namque Hesychius: *Μαίρα κύων τὸ ἄστρον* (quam *Maram* seu *canem* Erigones fuisse Poëtæ fabulantur) ingeniosè Anglus Sanfordus conjectabat, Mairam esse Liberi (h. e. Mosis) sororem Mariam. Mosem enim, sub Liberi schemate, cultum, accuratè ostendit Vossius: qui cùm fidelem haberet socium Caleb; כָּלֶב *Keleb* quoque Hebræis *canem* denotet: non difficile hinc videre est, cur Gentiles Libero dederint socium *canem*, ortâ nempe fabulâ ex vocabuli homonymia. Nec enim è vulgo canem fuisse, indicio est, quòd donum dicatur Panos, h. e. Domini totius naturæ, quodque ratione foret præditus, ut est apud Nonnum *Dionysiac. lib.17. versu 187. & seqq.* præmium ejus etiam cœlum. Ita enim ad eum Liber:

> — Χάριν δέ σοι ἴσσαν μόχθων,
> Δώσω ἀμοιβαίην μετὰ Σείριον ἀστέρα Μαῖραν,
> Αἰθέρος ἀστὸν ἐγώ σε, καὶ ἀστερόεντα τελέσσω
> Α'γχι κυνὸς προτέρου, τεθαλυῖαν ἵνα καὶ σὺ πεπαίνῃς,
> Βότρυος ἐς λιπόωσαν ἀκοντίζοντα σέλας αἴγλην.
> —— — *Gratiam tibi, laborum ergo,*
> *Referam mutuam, post Sirium, stellam Maram,*
> *Ætheris civem ego te, & stellis multis relucentem efficiam,*
> *Prope* Canem *priorem, uvam ut & tu maturam reddas,*
> *Racemi in ubertatem jaculans à te splendorem.*

V. iterum Vossium *lib.1. cap.30.* & infrà in vocibus *Mara*, ac *Sirius.*

Canis, convitium atrox. Quamvis enim humilitatis sit, cùm quis eousque se abjicit, ut *Canis* vocari non dedignetur. Quemadmodum de Davide legimus 1.Sam. *cap.24. versu 15.* de Mephibosetho, 2.Sam. *cap.9. versu 8.* & de Hazaële 2.Regum *cap.8. versu 13.* Nec non de Helena, *Iliad. ζ. versu 356.*

> Δᾶερ, ἐπεί σε μάλιστα πόνος φρένας ἀμφιβέβηκεν
> Εἵνεκ' ἐμεῖο κυνὸς —— ——
> *O levir, quoniam animum tuum labor maximè invasit*
> *Propter me, quæ sum canis.*

Tamen alterum qui sic appellat, eum docet se prorsus spernere & pro nihilo habere. Ut cùm Abisai dicit de Semei 2.Sam. *cap.17. versu 9. Cur malediceret canis iste mortuus domino meo Regi?* & Ulysses procis *Od. χ.* Ω' κύνες, *ô Canes.* Et quidem Scriptura *Canum* nomine, significat *Infideles*, Matth. *cap.15. versu 26. Profanos Verbi divini contemptores*, qui crudeliter sæviunt in veritatis præcones, Matth. *cap.7. versu 6.* Quosvis piorum *hostes & invasores*, Psalmo 22. *versu 17. Impuros*, Apocal. *cap. 22. versu 15.* & *Pastores mercenarios*, qui pro Domini grege se pascunt, Esajæ *cap.56. vers.10.* Nempe aut in genere canes, aut saltem nonnulli eorum, iis vitiis laborant, quibus hæc sunt analoga. Ut enim taceam, multos somno & gulæ deditos esse, κοπροφάγοι proin cognomento dignissimos, quomodo vocari refert Hesychius, testudines cochleasque & τοὺς βραδυτάτους τῶν κυνῶν, *canum tardissimos pigerrimosque.* Proprium canum est τὸ λοιδορεῖν, *convitiari*, & ignotos quoslibet latratu, nonnunquam morsu lacessere, Unde vel merè hyperbolicum est, quod habetur *Exodi cap.11. versu 7.* nullum canem hirrivisse, in tot Israëlitarum millia, ex Ægypto excedentia, vel id fuit insigne miraculum, quo Deus testatum voluit, se specialiùs huic populo invigilare & prospicere. Nec immeritò Hecuba in *canem* fingitur fuisse mutata, quia Græcorum Proceribus perpetuis convitiis quasi oblatrabat. Plautus *in Menachmis Actu 5. Sc.1.*

> ME. *Non tu scis mulier, Hecubam quapropter canem*
> *Graji esse prædicabant?* MU. *Non equidem scio.*
> ME. *Quia idem faciebat Hecuba, quod tu nunc facis.*
> *Omnia mala ingerebat, quemquam aspexerat.*
> *Itaque adeò jure cœpta est appellari canis*, &c.

Sed & canum vitium summa *Impudentia* est, sive enim gulæ indulgent, sive libidini, nihil non in propatulo patrant. Unde plerasque voces, quæ impudentiam significant, Græci à cane desumunt, κυνώδης, κυνικός, κυνῶπις, κυνῶπα, apud Hesychium, κυνότερος item: etiam ipsum *Canis* nomen pro impudente est, apud Eund. & Pollucem *lib.5. cap.11.* ubi Aristogiton Cydimachi filius *Canis*, propter audaciam, dictus legitur. Est porro Canis *immundum* animal. Virgilius Georgic. *lib.1.*

> *Obscænique canes.*

Unde Deuteron. *cap.23 versu 18.* Lex vetat offerri Deo non solùm *canem*, sed & *canis pretium*, &c. Hinc *Præfectura canum*, munus semper vilissimum habitum est: Jobi *cap 30. versu 1. Non dignabar eos ponere cum canibus gregis mei*, i. in *canes præficere.* Hinc Abner, à Rege suo se contemtim haberi putans, 2.Sam. *cap.3. vers.8. Numne*, inquit, *ego caput canis?* id est, *caput canum*, ut Syrus reddit. Græcè Κυναγωγὸν dixeris, uti nominat Xenophon *de Venat.* Et Juvenalis *Sat. 6. dominum*, nempe canis sibi commissi:

> —— — *Nam si latratibus alti*
> *Rumpuntur somni, fustes huc ocyus, inquit,*
> *Afferte, atque illis dominum jubet antè feriri.*
> *Deinde canes.*

Quam in rem V. plura apud Bochartum *Hierozoici Part. prior. Lib. II. cap.56.* Hodieque *Canis filius*, inter prima apud Hungaros convitia est, &c. In laudem contrà versum *Canis* epitheton, à Dandulo Venetorum Duce, diximus alibi: namque & eximias iis dotes, *vigilantia, heri amor, & fides infracta*, &c. de quibus V. eundem Bochartum *ibid.*

Canis, & *Canicula*, jactus in ludo tesserario infortunatissimus, aliàs *Chius* quoque dictus: quemadmodum contrà prosperrimus *Veneris* seu *Basilici* titulo erat superbus. Sextus Propertius *lib.4. eleg.9.*

> *Me quoque per talos Venerem quærente secundos,*
> *Semper damnosi subsiluere canes.*

Anglis *Dog-chance* nuncupatur. V. Thom. Dempsterum *in Joh. Rosini Antiqq. Rom. lib 5. cap.1.* ut & infrà in voce *Chius.*

Canis, in Plauti *Casina*, *Hodie*. canem *& furcam feres*, vinculi genus est. Festus, *Canius genus quoddam vinculi, quod interdum* Canis *appellatur.* Isidorus. *Canicula est ferreus harpax* &c. Certè Hebræis canis כֶּלֶב *caleb*, dictus à *firmitate dentium*, quibus mor-

sus

tenacitas tanta est, ut harpaginum & forcipum instar videri queat & ferreorum compedum: כבל *cebel* enim inversis literis, Hebraice *Compes* est, unde etymi ratio in promtu. Sam. Bochartus *Hierozoici Parte poster. Lib. I. cap. 9.* Sed & *Canis* nomen fabulæ præfatæ, Cantero *Nov. Lection. lib. 7. cap. 12.* & Sam. Petito *Miscellaneorum lib. 2. cap. 18.* quibus *Canis* & *Casina*, vel *Canissa*, ut hic vult scribi, idem Comice valent. Favere videtur, quòd Comœdiam *Casinæ* nomine inscriptam, Plautus dicit habere *latrans nomen*, id est, *caninum*. Is enim ita in *Prologo*,

Κληρούμενοι vocatur hæc Comœdia
Græcè, Latinè Sortientes, Diphilus
Hanc Græcè scripsit: pòst, id rursum denuo
Latinè Plautus cum latranti nomine.

Sed meritò hic Viris aliis doctissimis calculus hæret. *Canissa* enim vox nihili est, & si loca expendantur, in quibus *Casina* occurrit nomen, in plerisque videbis non posse in *Canissam* sine flagitio mutari, quia metri id ratio non patitur. Quam ob causam Grammatici vett. quotquot supersunt, Varro *de L. L. lib. 6. in Primigeniis*, Festus in *Casina* & *Nepa*, Nonnius Marcellus in *Calvitur* & *Linguláca*, Fulgentius *in Catillare*. & *Sculponeas*. & *Trivillitinm*, non aliter hoc Drama citant, quàm sub *Casinæ* nomine. Gellius quoque *lib. 1. cap. 7. Plautus etiam in Casina, cùm de puella loqueretur, occisurum dixit, non occisuram, his verbis: Etiamne habet Casina gladium?* Denique *Casinæ* nomen præferunt sex acrostichi versus, quibus argumentum fabulæ continetur: quorum versuum auctor fuit vel ipse Plautus, vel alius prope æqualis, ut ex ipso stylo docti colligunt. Itaque *Casinam* a Plauto dictam fuisse hanc fabulam, certum est. Et potuit esse *canis* nomen, aut attributum apud vicinos Barbaros. Ut קסנא *Kasna*, in *Talmude*, quod de catulo *parvum* & *tenerum* sonat, &c. Idem Bochartus ubi supra *Lib. II. cap. 55.*

Canis Carcharias, ex marinorum *Canum* generibus, quorum tria recenset Ælianus *Histor. lib. 1. cap. 8.* tantæ magnitudinis est, ut cetis robustissimis annumerari jure possit; ab *asperitate* & acumine dentium sic dictus. Alii *lamiam* & *lamnam* vocant, ἀπὸ τοῦ ἔχειν μέγαν λαιμὸν, *à gulæ vastitate*. Unde Oppianus *Halieuticôn lib. 1. versu 370.*

—— —— —— [illegible] λάμνης
Infausti rictus lamiæ, &c.

Cujusmodi belluis Mare Rubrum tam refertum est, ut è mari prospicere tutum non sit, remos plerunque ipsis invadentibus, uti refert ex Theophrasto Plinius. Sed & in Oceano Marique Mediterraneo non infrequenter occurrunt: quarum unam mediocrem se vidisse scribit Rondeletius in Santonico littore, quæ mille librarum pondus non excesserit, gulæ tamen tam patentis, ut hominem etiam obesum potuerit capere. Quod Petro Gillio fidem adstruit, referenti, Nicææ Massiliæq. captas fuisse lamias, mille librarum, in quarum ventriculo loricati homines integri reperti sint: sed & Archistratus jam olim φωτὸς ἀνθρωποφάγον, *Feram hominivoram*, hunc canem vocavit. Cassandra quoque, in Lycophrone, Trojam vastatam incensamque fuisse dicit, à navibus

Τριεσπέρου λέοντος, ὅν ποτε γνάθοις
Τρίτωνος ἠμάλαψε κάρχαρος κύων,
Trinoctii leonis asper quem canis
Tritonis avidis faucibus degluttiit.

Id est, Herculis, quem absorpsit *canis Carcharias*, à Neptuno immissus, ut latè persequitur Scholiastes: cui fabulæ ex Jonæ historia occasionem datam esse, vix dubitari potest. Namque propterea τριέσπερον Herculem à Lycophrone dici idem annotat, quòd triduo in eo fuisset, capitisque sui cæsarie solum amissâ, ex eo iterum exiisset, quod a Sacra historia neutiquam abludit. Id ipsum Phavorinus habet, in voce Τριέσπερος. Neque id Cyrillum fugit, qui Græcos observat, de suo Hercule fabulam habere, historiæ de Jona non absimilem, illum sc. [illegible] *absorptum quidem à ceto esse, sed redditum, ab innato calore, decalvato capite suo.* Nempe, cùm per Phœnices ad Græcos venisset fama tenuis de vate Hebræo, quem *Canis carcharias* deglutitum, & in ventre servatum toto triduo, tandem sanum incolumemque revomuerit è littore, id Herculi suo tribuere non dubitarunt, quòd videbatur esse summi roboris argumentum. A cetaceo enim istiusmodi pisce, non verò à ceto propriè dicto, quales balæna, vel pristis aut physeter, deglutitum esse Jonam Prophetam vero simillimum est: utut enim vastæ belluæ sint propriè dicta cete, ita tamen gulæ meatus habent angustos, ut solidum hominem deglutire haud quaquam possint. V. Sam. Bochartum *Hierozoici Part. prior. Lib. V cap. 12.*

Canis Marinus, Ξιφίας Græcis, ab acumine rostri, memoratur Solino *cap. 53.* ubi de margaritis, *Piscantum insidias timent conchæ: inde est, ut aut inter scopulos, aut inter marinos canes plurimum delitescant.* Ab illis enim periculum non parvum piscantibus margaritas, ut ex historia illa colligere est, quam refert Procopius *in Persicis lib. 1.* & propter illas caniculas marinas, quæ in alto commorari conchas margaritiferas amant, captura earum difficilis est. Ammianus, *Capturas autem difficiles & periculosas & amplitudines pretiorum illa efficit ratio, quòd frequentari fama litora, propter piscantium insidias declinantes, ut quidam conjiciunt, circa devios scopulos, & marinorum canum receptacula delitescunt.* Non itaque piscaturam illam periculosam faciunt tam ipsæ conchæ comprimentes sese, ac manum urinatoris morsu abscindentes, quàm *Canes marini*, quibus non rarò hi unionum captatores ipsi in prædam cedunt. Manilius *lib. 5.*

Pendentem & cæco captabis in æquore piscem,
Cumque suis domibus concha valloque latentes
Protrahet, immerso nihil est audere relictum,
Quæstus naufragio petitur, corpusque profundo
Immissum, pariter quàm præda exquiritur ipsa, &c.

Partem hujusmodi piscis concisam & salitam, Latini *Tomum Thurianum*, Græci quoque ξιφίαν, dixere: Moris enim habuere illi partes salsamentorum magnorum eodem nomine appellare, quo piscem, unde sumtæ sunt, cujusmodi Thuriani salsamenti Athenæus meminit, *lib. 6. sub fin.* V. quoque infrà in voce *Thurso*. Plura verò hanc in rem, apud Salmasium *ad Solinum pag. 1171.* & 1317. nec non suprà in voce *Canis Carcharias*, namque & sic Græcis hunc piscem dictum, monet Idem.

Canis Melitæus, V. infrà in voce *Melitæus*.

Canis Pastoritius, cui pecoris custodia commissa, occurrit Jobi *cap. 30. versu 1. Quorum patres non dignabar ponere cum canibus ovium mearum.* Namque jam tum in usu fuit, ut canes feris à grege arcendis adhiberentur. Itaque hujusmodi canum frequens mentio est, apud Poëtas vetustissimos. V. Homerum *Il. σ. versu* [illegible]. *Il. μ. versu 302.* & *Il. ρ. versu 109.* quorum medius locus sic habet,

—— —— —— βώτορας ἄνδρας
Ἐν κυσὶ καὶ δούρεσσι φυλάσσοντας περὶ μῆλα.
Pastores viros,
Cum canibus & hastis custodiam agentes circa oves.

Quin ipse Homerus circa Bolissum, cùm ad Glauci greges pervenisset, ὑλάκτεον αὐτὸν οἱ κύνες, *allatrabant eum canes pecoris custodes*, Herodotus in *Vita* ejus. Hesiodus quoque Poëta, qui propè Heliconem pastor fuit, canes habuit, qui apud eum occisum permanentes [illegible], *latratu suo prodiderunt occisores*, ut refert Pollux *lib. 5. cap. 5.* quod etiam de Abele, à Caino fratre interfecto, tradere visum est R. Eliezeri *Capitulo 21.* Sed & Mercurius, ut boves Apollini surriperet, [illegible] *primùm canibus, qui eos custodiebant veternum aginamque immisit.* Antonius Liberalis *Metam. 23. &c.* Atque cum his maximè canibus conferuntur Pastores Esajæ *cap. 56. versu 10.* quorum munus est invigilare gregi & lupos, i. Ecclesiæ hostes, latratu prodere. Proinde etiam Ægyptii per canem Ἱερογραμματέα, seu *Sacrum Scribam* significabant: [illegible] *Quoniam quicunque voluerit perfectus esse sacer scriba, eum oportet multa curare, & assiduè latrare & ferum esse, nec ulli gratificari more canum*, Horus Apollo *Hieroglyph. lib. 1. cap. 37.* apud Sam. Bochartum *Hierozoici d. l.* ubi plura hanc in rem.

Canis Trapezites seu *Mensarius*, Homero non semel memoratur; *Odyss.* inprimis ρ.

Οἷοί τε τραπεζῆες κύνες ἀνδρῶν
Γίγνοντ', ἀγλαΐης δ' ἕνεκα κομέουσιν ἄνακτες.
Quales sunt virorum mensarii canes,
Quos delitiarum gratiâ nutriunt Reges.

Τραπεζῆες, i. οἱ ἐν τραπέζῃ τρεφόμενοι, [illegible], *qui ad mensam aluntur, parasiti*, quorum prius est in vet. Scholiaste, posterius in Rhetorico *Lexico*, apud Eustathium. Ita, ad mensam purpurati divitis *canes* adstabant, Lucæ *cap. 16. vers. 21. &c.* Istiusmodi *canibus*, dominos è convivio prodeuntes, apomagdalias objecisse, ait vetus Scholiastes: quo nomine denotari τὸ ἐν τῷ ἄρτῳ μαλακὸν καὶ σπογγῶδες, *quod in pane molle & pastaceum est*, docet Jul. Pollux *lib. 6. cap. 14.* Κυνάδα hinc vocavere Lacedæmonii, q. *caninam*, uti legimus apud Eustathium, &c. V. iterum Sam. Bochartum *loc. cit. cap. 55.* & suprà in voce *Apomagdaliæ*.

Canis Venaticus, ex agro potiùs, quàm ex urbe sumendus, ut docet Lycurgi exemplum, apud Plut. *in Apophth. Lacon.* Nempe canes plerique in agris venationi assuescunt, quæ absque canibus mutila est & imperfecta. Hinc *venatio* Græcis, κυνηγεσία, *venari*, κυνηγετεῖν, *venator*, κυνηγός vel κυνηγέτης, à ducendis canibus. De Nimrodo Græca versio Genes. *cap. 10. versu 9.* Οὗτος ἦν γίγας κυνηγός: Et de Esavo, Genes. *cap. 25. versu 27.* Ἠσαῦ ἄνθρωπος εἰδὼς κυνηγεῖν. Psalmo quoque 22. *versu 17.* ἐκύκλωσάν με κύνες πολλοί, pro quo Aquila & Theodotio, Κυνηγέται πολλοί. Tamen in Hebræo textu nulla apparent vestigia venationis, quæ fit per canes; nisi fortasse Prov. *cap. 30. versu 31.* ubi זרזיר מתנים ad verbum *renibus succinctum*, Hebræorum non pauci volunt esse canem leporarium, qui aliis *Vertagùs* & *Gallicus* dicitur, aut *Laconicus*. Talibus enim lumbi tenues; unde de iis Gratius in *Cynegetico*,

—— —— *adstricti succingant ilia ventris.*

Et Ovidius, ubi de Actæonis canibus,

Et substricta gerens Sicyonius ilia Ladon.

Quò referenda, quæ habet Auctor Alcamus, *Azur*, (i. succinctus) *canis tenui pectoris ambitu*: ubi nota *azur* & *zarzir* voces vicinas esse, quarum una videri possit ex altera deducta. V. quoque Aristotelem in *Physiognom. cap.6.* Arabibus *Venaticus canis* dicitur *Saluki*, à *Saluk*, urbe Arabiæ Fel. à qua etiam loricæ denominantur. Sam. Bochartus *Hierozoici Part. prior. Lib.II. cap.56.* Hinc itaque cùm Nemesianus de canibus venaticis ait,

—— —— tunc consuetam retinere saginam
Profueris:

vocem *sagina*, pro simplici cibo, sumendam esse, uti nonnunquam sumi notum, docet Salmasius *ad Solinum pag.1134.* Canes enim tales non saginantur, &c. Epitaphium nobile *Canis Venatici* habes, apud Martialem *lib.11. Epigr.69* V. eundem de *Vertago cane lib. 14. Epigramm.200.* Plura *Canum* genera appellationesque, præsertim apud medii ævi Scriptores occurrentes, V. in *Glossario* Car. du Fresne.

per *Canis* in duo dissecti partes transire, consuevere olim Lacedæmonii, vel Bœoti potiùs, apud Plutarchum *Quæst. Rom.111.* quod pro publica expiatione habitum est. Idem de Macedonibus Livius tradit, *lib.40.* ubi de Philippo Rege Macedonum, non Alexandri patre, sed Demetrii illius, qui obses Romæ fuerat: *Fortè lustrandi exercitus venit tempus, cujus solenne est tale. Caput mediæ canis præcisæ; & prior pars ad dexteram cum extis, posterior ad lævam viæ ponitur. Inter hanc divisam hostiam copiæ armatæ traducuntur.* V. suprà. Unde Lycophron,

Ζήρινθον ἄντρον τῆς κυνοσφαγοῦς θεᾶς.
Zerinthum antrum mactatione canum gaudentis Hecates.

Samothraciæ hoc antrum vocat, in quo *canes* in Hecates honorem mactari solebant. Imò omnes Græcos in sacris expiatoriis canem immolasse, Plutarchus idem disertis verbis asserit *Quæst. 68.* καὶ δὲ κύνα πάντες, ὡς ἔπος εἰπεῖν, Ἕλληνες ἐχρῶντο καὶ χρῶνται μέχρι νῦν ἐνιοι σφαγίῳ πρὸς τοὺς καθαρμούς. *Cane verò universi, ut sic dicam, Græci usi sunt, & etiamnum ex parte utuntur, ut victimâ ad expiationes.* Quod expiationis genus περισκυλακισμὸν ibidem appellat. Et Lupercos vult hoc exemplo mactasse canem, mense Februario, qui à februando seu purgando dictus est, quòd urbem eo mense lustrari & expurgari oporteret. Quibus hæc Plinii consonant *lib.29. cap.4.* *Catulos lactentes adeò puros existimabant ad cibum, ut etiam placandis Numinibus hostiarum vice uterentur his. Genitæ Manæ catulo res divina fit*, &c. Sam. Bochartus ubi suprà *lib II cap.56.* V. quoque suprà, ubi de ritu *Canem in duas partes secandi.*

Canissa, V. infrà in voce *Casina.*

Canistrum, ex Græco κάναστρον, ut *calamistrum*, ex καλάμιστρον, illud autem ex voce κανοῦν, quam suam quoque Latinos fecisse, suprà diximus, in voce *Cana.* V quoque in *Canephoros.* Apud Epiphanium *Indic. ad Hormisdam Pontif. Rom.* vas Ecclesiasticum est, in quo distribuebantur eulogiæ seu panes benedicti. Eâdem voce Scriptores Ecclesiastici discos significant quibus lampades sustinentur. Anastasius Biblioth. *in Hadriano I. Ante januas verò argenteas fecit canistros argenteos 12. pens. lib 35.* In *Leone III.p.121. Canistra 2. pensant. lib.3.pag.135 145 Canistrum ex argento purissimo inibi fecit cum catenulis suis pens. lib.15.* Ibidem *fecit pharum majorem in modum retis cum canistris 20. pendentem sub trabem majorem*, &c. apud du Fresne *Glossar.* Apud Græcos olim, τὸ κανοῦν, id est, *Canistrum*, in quo sacra hordea erant, οὐλοχύτα dictum legimus, apud Hesychium, οὐλόχυτα κανοῦν, ἐν ᾧ ἦσαν οὐλαί. Ipsa enim hordea, utpote terræ fructum, οὐλὰς vocabant: διὰ τὰς, ut idem addit, ἐπ' αὐτῇ ὑλαῖς ...... τῆς γῆς ...... καὶ τῆς ...... Et propriè οὐλοχύτα, ἡ εὐκαρπία, *seminum in terra absconditorum felix ubertas est.* Unde ...... dicti Dii, qui τὴν εὐκαρπίαν promoverent & terræ quocunque modo præessent: saltem in sacris vox non aliter accepta. Sic in Lenæis, ubi ὁ Δᾳδοῦχος clamabat, Καλεῖτε θεόν; id qui audiebant, respondebant Σεμελήϊε Ἴακχε πλουτοδότα. Heinsius *Not. ad Hesiodum pag.27.* Erant autem istiusmodi *Canistra* & cistæ, in quibus condebantur sacrificio necessaria, sertis redimitæ ac coronatæ, uti discimus ex Euripide *Ion. actu 5.* & dicemus infrà, in voce *Cista.* Unde & Tibullus sacra facturus se simul, & *canistra* myrto coronat *lib.1.*

Hunc pura cum veste sequar, myrtoque canistra
Vincta geram, myrto vinctus & ipse caput.

Ovidius quoque *Metamorphos lib.* canit,

Illa forte die castæ de more puellæ,
Vertice supposito festas in Palladis arces
Pura coronatis portabant sacra canistris.

Virgines namque huic ministerio destinatæ erant, hinc Κανηφόροι dictæ, V. suprà in voce *Canephorus*, & plura hanc in rem, apud Car. Paschalium *Coronar lib 4.cap 9.*

Canities, capitis corona est. Euripides apud Stobæum, δοκῶ μοι σέβασμα κάρα πολιᾶς στεφάνωμα, *Canam verò coronis caput coronatum.* Quomodo enim Lex, inquit Plut. ἐν πολιτικοῖς, πολιτείας diadema & coronam, sic *Canitiem* natura homini præcipuæ dignitatis symbolum imponit. Hinc Plinius *in Panegyr.* capillum Trajani jam *albescentem*, vocat *ornatum.* Certè cùm paulum abfuisset, quin is à Parthis vulneraretur, id ita accidit: Ipse quidem, ne agnosceretur, Imperatoriam prætextam abjecerat; verùm illi, cùm adverterent, πολιὰς αὐτοῦ τὸ γαῦρον καὶ τὸ σεμνοπρεπὲς τοῦ προσώπου, *hilarem illam & Principe dignam canitiem & vultus gravitatem*, atque inde suspectarent illum esse, qui revera erat, in illum jacula contorserunt, Dio *in Trajano.* V. C. Paschalium ...... *lib.1. cap.5.* Ab homine ad alia translata vox. Sic *Canities* apud Plinium, ubi de polia gemma, *Polia canitiem quandam habet sardio, eandem rariorem nigro sparopolios*, Græcè est πολιὰ, itidem, unde gemmæ huic nomen: quæ radicem vel fundum habet colore sardii vel sardæ gemmæ. i. rubrum, cui inducta est *canities* quædam. Eandem porro canitiem, sed rariorem, non rubro, verùm nigro inductam & impositam alia habet, ideoque σπαρτοπόλιος appellatur, i. *canis sparsa* Σπαρτοπολίους enim Græci homines vocant, qui non penitùs sunt cano capite, sed quibus intermixti cum nigris cani, qui habent aspersum *canis* caput. Iidem & σπαρτοπόλιοι & μιξοπόλιοι, apud Hesychium, ite ...... tum σπαρτὸν Græcè *rarum* significat, sicut & σποράδης, quod utrumque ἀπὸ τοῦ σπείρειν. Quæ enim *feruntur*, hinc inde spargi solent, non in congeriem & acervum jactari. In personis Tragicis senex fuit, qui dicebatur λευκὸς, qui totus erat *canus.* Pollux, ὁ δὲ λευκὸς αὐτὸς μὲν ἐστὶ πολιὸς ἅπας ...... mixtos habebat nigros canis. Sed & *duriorem canitiem* quidam legunt apud Plinium, h.e. τὴν σπαρτοπολίαν, ut quæ funiculis, h e. σπάρτοις, quàm pilis, esset similior. Sic ...... Græci vocant, quibus mollis ac tenuis capillus non est, sed durus & crassus. Verùm ita falsus esset Plinius, uti docet Salmasius *ad Solinum pag.767.* V. quoque infrà, in voce *Polia* & *Sparto-polia.*

Canna, Dea Panis, Apuleio, Græcè Σύριγξ. Aliàs *canna* est fistula. Gloss. *canna*, σύριγξ ἐν καλάμου. Unde *canulam* & *canellam*, vocaverunt Recentiores casiæ fistulam, uti diximus suprà in voce *Canella.* Veterum quippe fistulæ αἱ σύριγγες breviores erant hodiernis, quæ μονοκάλαμοι, & septenis ordinibus calamorum erant compactæ, quod instar in casia Indica vel lignea visitur, quam & ideo *cannellam* recens ævum dixit. Indidem *Cannivum* hodie Galli appellant scalprum Scribæ, quòd *canna* seu harundine Veteres, non ut nos pennâ, scriberent, uti suprà vidimus, ubi *de Calamo Scriptorio.* De *Canna saccharitide*, V. hic passim, inprimus in vocibus *Calamus Indicus, Saccharum*, &c. plura verò hanc in rem, apud Salmasium *ad Solinum pag. 401. 540. 1021. 1312. & 1325.*

Cannabis, utilissima finibus, *seritur à Favonio*, verba sunt Plinii *lib.19. cap.9.* *quo densior, eo tenerior. Semen ejus cùm est maturum, ab Æquinoctio Autumni distringitur & Sole aut vento aut fumo siccatur. Ipsa cannabis vellitur post vindemiam, ac lucubrationibus decorticata purgatur. Optima Alabandica, plagarum præcipuè usibus. Tria ejus ibi genera. Improbatur cortici proximum aut medullæ: laudatissimum est è medio, quæ mesa vocatur. Secunda Mylasea; quod ad proceritatem quidem attinet, Rosea agri Sabini arborum altitudinem æquat.* Ex cortice ejus, sicut & ex cortice lini byssique, telæ olim texebantur, hodieque texi mos. Quemadmodum & urticæ genus corticem telæ faciendæ bonum habere etiamnum compertum est, Salmasius *ad Solinum pag.300.* Per Bohemiam præsertim, ubi urticæ cultæ caulem reddunt, unde filum conficitur, quod & Magnatibus in deliciis, in fimbrias dentatas collaribus circumdandas, Belgico lino longè charius, quòd rarius; sed flavescit nullis aquis dealbandum. Similiter in prov. Queicheu ad Liping, Sinenses pannos conficiunt ex cruda cannabe, seu herba, cannabi prorsus simili, Co: unde vestes pro æstivo tempore eximiæ ac commodissimæ, uti refert Auctor Anonymus *Sina & Europa pag 868.* &c. In Musæo Kircheriano Romæ, sandalia Sinensia, corii loco, *cannabinis* ligulis compacta & viridi holoserico contecta, ostendi, docet Georgius de Sepibus *in Descriptione illius pag.34.*

Cannamella. V. suprà *Canamella.*

Canneta, seu Caneta, q minor *canna*, parvum est vasculum sacræ liturgiæ, i Communione com. inserviens, quod vulgò *Burette* Galli dicunt, du Fresne *Glossar.* Habet autem *canna*, inter alios significatus, apud medii ævi Scriptores, hunc quoque, quòd cantharum poculum, vas strictius & oblongius, Germanis Gallisque *Canne* & *Kanne* denotat. Fortunatus in *Vita S. Radegundis cap.19.* *Quâ sibi renuntiante parata mensa, missorium cochlearès, cultellos, cannas, potum & calices, Sole subsequente intromittebatur furtim, quò se nemo perciperet*, &c. apud Car du Fresne *Glossar.*

Canon, Græcè Κανών, *regula*, ad quam producebantur lineæ. Epigrammata dedicatoria, ... :

Καὶ κανόνα γραμμῆς ἰθυντῆρα ......

dirigentem viæ. stilum ferreum vel plumbum, ut lineæ ...... scriptura instaret, rectitudinem haberent convenientem. Aliud *Epigramma*,

Τὸν τε χάλυβα μόλυβδον ὃς ἀτραπὸν εἶδε χαράσσειν,
Ὀρθὴν ...... ἴθυντον κανόνα.

Canillus,

—— —— —— membra
Directa plumbo & pumice omnia æquata.

Id est, plumbo directo ad regulam, &c. Μολύβδου ...... *brica infectæ regulæ*, in alio *Epigr.* occurrunt. Salmasius *ad Solin.* ......

[illegible] *pag.917. & 1166.* Apud Jurecons. *Canon*, copiam denotat frumenti, quod in Horreis publicis eum in finem asservabatur, ut pauperibus, necessitate poscente, viliori pretio divenderetur. Hinc *Canon* Alexandrinus, *Canon* urbis Romæ, &c. V. Stuckium *de Conviv. lib.1. cap.35.* Primus autem T. Sempronius Gracchus fuit, qui instituit, ut annonæ inopiâ laboranti plebi, certa frumenti mensura singulis mensibus porrigeretur, *Semisse & triente*. Locus hinc ubi Romæ id frumenti asservabatur, *Horrea Sempronia* dictus est. Sic apud Asconium in 3. *Verrin*, pensitationis genus est, cujusmodi is tria recenset, *Canonem seu Canonicos titulos*, qui sunt solennes, & antiquæ præstationes, *Indictionem*, quidquid præter *Canonem* indicitur & *Oblationem*. aurum viz. & argentum, quod Largitionibus inferebatur: de cujusmodi pensitationibus multa habent Cujacius, Jac. Gothofredus, Henricus Valesius, Alii. Græci Κανόνας & Κανόνια dixerunt scapos, tam textorios, quàm chartarios. Hesychius, κανὼν τὸ ξύλον, ἀφ' ὃ ὁ μίτ[illegible]: nam [illegible] *baculum rectum* significat vel regulam. Suidas, [illegible], Hesychio [illegible] quoque Nam & κανὼν dicebatur, ut visum, regula, quâ chartam dirigebant Librarii, ut in scribendo rectas ducerent lineas: adeoque sic vox hæc & textoris instrumentum significat, licio involutum & chartarum volumen. ut Latinè *scapus* utrumque notat, &c. V. Salmasium *ad Vopiscum in Firmo*, &c. Sed & Hesychius [illegible] quoque *verucla* vocat, V. ibi. *Canon* porro dicebatur apud Romanos quoque demensum, Gr. τὸ σιτομέτριον, seu ἡ τροφὴ, *cibi mensura*, quam Dispensator conservis præstare consueverat. Zeno Veronensis *Serm.1. ad Neophyt. Joseph præmonitus ad mensuram prærogas cunctis annonam.* Juvenalis *Sat.14. versu 126.*

Servorum ventres modio castigat iniquo
Ipse quoque esuriens.

Ubi notat sordidos, qui in id incumbebant, ut de menstruo etiam demenso lucrarentur, aliquid semper corradendo. Erat nempe hic *Canon*, vel menstruus, 4. aut 5. tritici modiorum in singulos; vel diurnus, libra farris, ut quidam volunt, auctoritate nixi Horatii atque Juvenalis *lib.1. Sat.5. & Sat.9. versu 122.* Quò quoque trahunt, quòd XII. Tabb. nexis libram farris in dies pro victu præscripsere: sed ad servos hæc referri non possunt, cum immitius cum nexis ageretur. Adde, quod servis cibarii panes quotidie, ad rationem demensi, vel bilibres vel trilibres nonnunquam, assignabantur, ut docere videtur. Cœl Aurelianus *lib.3. Acut.1. Sic denique plurimi impausabiliter tota die atque nocte cibum sumsisse Veteribus traduntur: namque Asclepiades memorat, Praxagoræ famulum ternos bilibres panes per singulos dies accepisse, quibus comestis non aliter passione afficeretur, quàm si nihil acciperet.* Ubi certum est latere *Canonem* quotidianum, sub immodica illa quantitate, quæ famuli morbosam esuriem nullo modo levaret. Majus autem demensum compeditis & fossoribus, minus urbanis ministeriis obtigit; cum hi neque tantum haberent laboris, & quoad pulmentaria ac obsonia lautius haberentur: Etiam variavit illud, pro annonæ ratione & dominorum quà splendore, quà sordibus. V. infrà ubi de *Demenso*: item ubi de servo, cui *à Frumento* fuit nomen.

Canon, inter opera Polycleti, recensetur Plinio *lib.34. cap.8. Fecit & quem* Canona *Artifices vocant, lineamenta artis ex eo petentes, velut à lege quadam; solusque hominum artem ipse fecisse, artis opere judicatur.* Fecit nempe hoc juxta peritiæ artisque normam; juxta quod cùm & aliud simulachrum fecisset, ad vulgi arbitrium, [illegible] τῇ [illegible], *morem gerens uniuscujusque dictationi*, utrumque postea publicè exposuit. Cumque alterum quidem omnes admirationi, alterum ludibrio ac risui haberent, respondens Polycletus, ἀλλὰ τοῦτον μὲν, inquit, ὃν ψέγετε, ὑμεῖς ἐποιήσατε. τοῦτον δὲ, ὃν θαυμάζετε, ἐγώ. *At hoc, quod vituperatis & reprehenditis, vos fecistis: quod verò suspicitis, ego*: apud Ælianum *Histor. Var. lib.14. cap.8.* Apud Thom. Walsinghamum in *Henrico* V. aliosque recentioris ævi Scriptores, citatos Car. du Fresne *in Glossar. Canones*, machinæ bellicæ sunt, Gallis *Canone*: à cannis & siphonibus quos referunt, sic appellatæ.

Canon Astronomicus, idem cum Parapegmate, Suidæ, ita enim [illegible], παράπηγμα, κανὼν ἢ ὄργανον ἀστρονομικὸν, *Parapegma*, Canon *aut instrumentum Astronomicum*. Sed παράπηγμα non tam *Canon* ipse fuit, quàm tabula ærea, columnæ aut pilæ in loco publico affigenda, in qua *Canon Astronomicus* descriptus habebatur. Continebat enim cœli rationem, & siderum occidentium orientiumque ac tempestatum significationem. cum quadripartitis Anni cardinibus & aliis ejusmodi eventibus ac effectibus Mundi, ut dicemus infrà in voce *Parapegma*. Hinc Κανονικοὶ dicti Astrologi, qui prædictiones siderum, eclipseon & aliarum rerum cœlestium populo proponebant, in tabulis hujuscemodi publicata. Cleomedes *lib.2.* [illegible] *Et jam prædicuntur omnes ejus eclipses à* Canonicis, *ut qui norunt, quando futura sit in* [illegible]*, in medio Zodiaco, totalis an partialis, &c.* Plinius de Veneris ac Mercurii stella, *At enim cur non semper ad quadraginta sex & partes viginti perveniunt? Imò verò. Sed ratio Canonicos fallit.* Sic inter opera Mathematica Democriti recensetur à Diogene Laërtio Μέγας ἐνιαυτὸς ἢ Ἀστρονομίη παράπηγμα, *Magnus Annus seu Astronomiæ parapegma.* Qui enim periodos ex multis annis compositas ediderunt Astrologi, earum παράπηγμα simul etiam publicare solebant, & tabulâ, uti dictum, in publico adfixâ *Canonem* proponere ortuum & occasuum stellarum inerrantium, defectuum Solis & Lunæ, æquinoctiorum & solstitiorum, variarum cœli tempestatum ac similium: uti, præter Democritum hunc, Eudoxum, Euctemonem, Calippum, Metonem, Phainum, Hipparchum, Aratum, alios, scrisse tradit Vitruvius; primo rei auctore Metone, uti *ad Aratum* docet Theon. Uti autem parapegma Suidas dixit, pro canone ortus & occasus siderum, cùm tabula, in qua descriptus esset ille *Canon*, propriè sic diceretur, sic Vitruvius analemma appellavit rationem conquisitam Solis cursu & umbræ crescentis, à brumæ observatione inventam, cùm propriè quadrata pila seu suggestus, in quo deformata ac designata esset hæc ratio, sic diceretur &c. V. Salmasium *ad Solinum pag.740. & seqq.* ut & hic passim.

Canon, in Ecclesia, varia significat. Primò Ἐκκλησιαστικὸν σύνταγμα est, in Synod. Laodic. 24. h. e. *Catalogus eorum*, qui Ecclesiis in quocunque munere serviunt: quorum alios vocabant *Clericos*, generali nomine, ut Apostol. *Can.* 25. 31. 85 & I. Constant. Synod. *can.6.* & horum rursus alii ἱερατικοὶ dicebantur, putà Episcopi, Presbyteri & Diaconi, quos *Ordines* postea *majores* appellarunt: alios verò Clericos speciali nomine, ut animadvertere licet, ex Apostolico *Can.* 7. & Laodic. Synodo *can.24.* 7.30. Cæteros autem sic à Laicis distinguebant, ut non essent quidem ἐν κλήρῳ κατηριθμημένοι, *in Clero numerati*, quoniam manuum impositionem non habebant, ut loquitur 2. *Can.* Synodi Chalcedon. dicerentur tamen generali illâ appellatione ἐν τῷ Κανόνι ἐξεταζόμενοι, Syn. Nicen. *can.* 14. & οἱ τοῦ Κανόνος, Chalced. Syn. *Can.* 2. Secundò Κανὼν λειτουργίας, *Canon liturgiæ*, quibusdam Græcis Theologis & Latinis recentioribus, certam benedictionis Cœnæ Mysticæ formulam designat. Tertiò Κανὼν est positus, pro Fidelium, Episcoporum & præsertim *Martyrum Catalogo*. quorum in solemnibus precibus memoria celebrabatur, cujus consuetudinis aliqua vestigia in Græcæ Latinæque Liturgiæ Canone adhuc retinentur. V. Nicephorum *lib.14. cap 25* & 26. præter alios ubi contentionem illam enarrat de Chrysostomi nomine in Mysticas tabulas referendo. Atque hinc factum, ut *Canonizati* dicti sint, quorum memoria publico Ecclesiæ consensu celebrabatur; ritu hoc prisco in divorum invocationem postea sensim transeunte. Ideò autem Κανὼν, pro catalogo, ponitur, quòd catalogus certa norma ac regula esset, iis dignoscendis, qui in illo recensebantur. Quartò Κανὼν, pro *sacrorum librorum catalogo*, quorum inviolabilis est in Ecclesia auctoritas, & ad quos, velut certissimam normam, exigenda sunt Fidei dogmata, apud Eusebium passim sumitur. Tandem Κανὼν, *regula* est seu *norma disciplinæ Ecclesiasticæ* seu politiæ ejus, ut est Apostolicis primùm traditionibus, deinde Synodis legitimis descripta: unde & *Canones* dicti, Constitutiones his de rebus factæ, aliquando & Διατυπώσεις: quæ ambo copulantur, tum alibi, tum in Græca Concilii Niceni *Historia*. Postquam enim tribus Christianismi primis seculis Concilia Synodique rariores essent, quarto & quinto invalescere, & sequentibus in consuetudinem abire cœpere. In his quidquid à Patribus decretum, nomen *Canonis* accepit, quòd regulam & normam præscriberet credendi & vivendi: mutuò sumto nomine à Scripturis sacris, iisque Canonicis, sic dictis, quod supremæ essent & sola infallibilis credendi vivendique lex; ad quas tamen ipsas vox primùm translata est, ab Artificibus Mechanicis, qui ad *canonem* exigunt, an quid rectum sit, an secus, &c. Sed hac de re plura infrà. Ex his verò quinque vocis significationibus præfatis, quas Beza Henr. Stephano in *Thesaur.* suggessit, prima & tertia eædem sunt, & est sic *Canon* idem cum Diptychis Ecclesiasticis, de quibus latè agit Gerh. von Mastricht in *Schediasm. de Susceptoribus infantium ex Baptismo*: ubi Diptycha hæc distinxit, in *Vivorum*, quæ κανόνες erant eorum, qui Ecclesiis quocunque in munere inserviebant, & *Mortuorum*, in quibus nomina, status, ordo & obitus Episcoporum referebatur. Secunda significatio ad quintam referenda est, quia *Canon* ille *Liturgiæ* nil aliud est, quam definitio per Canonem Ecclesiasticum formulæ, quomodo S. Cœnæ benedictio peragi debeat; Quemadmodum Κανὼν in *Jure & LL.* vocatur, quod *Lege est definitum & determinatum*; item *tributum* illud, quod certâ Lege institutum & indictum est, ut suprà diximus ex Asconio Pædiano. Unde & κανονικαὶ λέγονται Σύνοδοι dicuntur Provincialia illa Concilia, quæ Canonibus Ecclesiasticis sunt statuta & mandata, ut bis quotannis convocentur, *Synodi* Chalcedon. *Can.* qui in *Codice Can.* Eccl. universæ est 197. illius Synodi 19. Quarta autem significatio primaria est, & verè Ecclesiastica, quâ libri sacri, quia perpetuam vitæ & morum regulam præstant, *Canonici* sunt dicti; à qua, ut suprà innuimus, Decreta Ecclesiastica, quæ dogmata fidei vel ritus determinant, aut mores informant, *Canones* appellari cœperunt, quòd ad instar Scripturæ, hujusque solius, quæ eorum basis est, vi, vitam fidemque

hominis Christiani dirigant. V. Gerh. von Mastricht *Historiâ Juris Eccl. num. 2. & seqq.*

Canon, in Ecclesia Rom. officium est Ecclesiasticum. Hariulfus *Chron. Centul. cap. 26.* *Præter orationum munia & Psalmorum modulationem, hæc attentissimè observabat, ut de S. Trinitate, tum de Spiritu S. -- postque de S. Petro vel omnibus Apostolis, sive omnibus Sanctis nocturnalem & diurnalem* Canonem, *excepto Claustrali canone, cui nunquam penè deerat, quotidie Domino persolveret.* Et *cap. 33. Non tamen omittebat -- genu flexionum continuationem, sacrarum ædium circuitionem, sacrorumque* Canonum *de S. Trinitate, de Spiritu S. deque S. Maria & de omnibus Sanctis expensionem.* Atque inde dictæ *Horæ Canonicæ* sunt, de quibus suo loco. Sed & *Canon* Magnus, nomen festivitatis sacræ est, in Ecclesia Græca, quæ feriâ V. primæ quadragesimalis hebdomadis celebrari consuevit, ut ex *Triodio* seu *Quadragesim. Rituali* Græcorum colligitur. Dicitur autem iis *Magnus Canon*, quia, cùm alii Canones triginta ad summum troparia contineant; hic ducenta continet & quinquaginta: hinc & *Alipies* appellatus, quòd efficax sit, quàm maximè ad conterendos hostes & ad quoscunque conflictus Spirituales præparandos Fideles. Andreas Archiep. Cretensis auctor hujus officii perhibetur, apud Macrum in *Hierolexico*.

Canon Missæ, dicitur Oratio, quæ in Missa, ante consecrationem, ut vocant, & in ipsa consecratione hostiæ à Sacerdote recitatur, in Ecclesia Rom. Dividitur in partes quatuor, sc. in *Secretam, Præfationem, Canonem* ipsum & *Orationem Dominicam*: de quibus omnibus, ut & de Auctore ejus, Pontificibusque qui subinde illi inseruere nonnulla, multis differunt Auctores complures, citati Carolo du Fresne in *Glossario* & Macri Fratres in *Hierolexico*. Addam saltem, huic *Canoni* nomen alicujus adscribere, esse in album & catalogum Sanctorum referre: in eo enim jam olim commemorationem Sanctorum fieri consuevisse, suprà innuimus. V. etiam infrà, ubi de *Canonizatione*, &c. Hinc *Canonarcha*, Gr. *Κανονάρχης*, in Ecclesia eadem dignitas Monastica est, Lat. *Regulæ præfectus*. Dorotheus Abb. *Doct. 11. Adventabat interea modico intervallo hora vigiliæ & cùm paululum quidpiam obdormissem, excitabar à* Canonarcha *nostro*, &c. In Ecclesia vero Græca hodie sic dicitur, qui Cantoribus, quos librorum penuria vel legendi imperitia memoriter recitare ac canere cogit, unam periodum post alteram legendo suggerunt: Et quidem ex utroque choro duo *Canonarchæ* sunt, qui alternis vicibus hoc munus peragunt, quibus qui præest, *Protocanonarcha* vocatur. V. Dominic. Macrum in *Hierolexico*.

Canones Apostolici, seu *Apostolorum*, pars sunt libri octavi Constitutionum, ut ajunt, Apostolicarum, secundùm Turrianum *c. 1. pro Canon. Apostol. c. Magdeburg.* secundum alios, ab Impostore quodam huic farragini inserti sunt, & duo diversa opera in unum combinata. De auctoritate illorum controversia non levis, cùm alii S. Clementi eos adscribant, alii apocryphos faciant, ut habet du Fresne in *Glossar*. Ipsis certè Apostolis qui attribuat, nemo adhuc tam perfrictæ frontis fuit: ab illis tamen constitutos, & à Clemente exceptos esse, Baronius contendit *ad A.C. 102. §. 14.* Binius 50. priores pro indubitatis habet, de cœteris dubitat. Græci non hos solùm, sed & posteriores 35 jam ultra mille annos, pro Apostolicis habuerunt, quod patet ex *Can.* 2. Syn. Trull. Et ipse Justinianus Imp. in *Constitut.* ad Epiphanium Patr. CP. iis testimonium perhibet luculentum *Novell.* 6. unde in Corpus Juris relati sunt, &c. Sed priores 50. quod attinet, ipse Gelasius Papa, & LXX. cum eo Episcopi, in Synod. Rom. eos damnant & in Apocryphorum referunt censum: faceturque Dionysius Exiguus *Epist. ad Stephanum*, qui fere circa *Canonum* natales vixit, multos *iis non præbuisse consensum facilem*. Postea VII. seculo Isidorus Hispalensis, negat *ab Apostolica sede receptos esse*, negat *à Sanctis Patribus esse probatos*, ut alia hanc in rem testimonia & rationes insuper idem evincentes, omittam. Itaque censent Eruditi, in fine seculi V. à tenebrione & hæretico quodam Græco, quinquaginta primos, ex variis Conciliis, moribus & ritibus Ecclesiæ esse corrasos atque, ut auctoritatem sibi nomine suo magnam statim ab initio conciliaret, *Apostolicorum* ementito nomine insignitos: Quos cùm statim in natalibus Gelasius prædictus opprimere studuisset, uti dictum, accessisse posteriores XXXV. vel ab eodem impostore, vel ab alio quodam, qui istiusmodi nugis fuerit delectatus; exin commendatos à Justiniano Imp. & à Johanne Scholastico in Nomocanonem omnes LXXXV. susceptos, circa A.C. 600. &c. Sed & alios, præter hosce *Apostolicos Canones* IX. Antiochenos, idem Turrianus finxit, quos ab Apostolis, in Synodo Antiochena, in antiquitate Ecclesiastica inaudita, nullique Historico fide digno memoratâ, vult constituisse & sancivisse; non alio fine, quàm ut horum auctoritate Imaginum cultum probet: sed ejus sententiam eruditè refellit Joh. Dalæus in *Pseudepigraphis Apostol. lib. 3. cap. 21. & seqq.* de prioribus verò vide prolixè disserentem Gerh. von Mastricht JC. *Histor. Juris Ecclesiastici, num. 112. & seqq.*

Canones Conciliorum, dicti sunt Isidoro *Origin. lib. 6. cap. 16.* aliisque, decreta eorum, uti suprà dictum, in voce *Canon*: quòd instar regulæ secundariæ (primaria enim S. Scriptura est) Christianis essent & rectè credendi vivendique ipsis normam præberent. Et quidem, quod fidei dogmata attinet, non dant Concilia eorumque *Canones* novas nobis veritates, sed tantùm judicia sententiæque sunt, de veritatibus antea revelatis, quas nonnulli quidam, aut non satis docti, in pravum sensum detorserunt, aut minùs bene intellexerunt. In ritibus autem Ecclesiæ sic, quos libertati Ecclesiæ Christus & Apostoli reliquere, magis proprie *canonem* seu regulam vivendi nobis præscribunt, quam quisque, dummodo generalis illa decentia sit observata, sequi tenetur. Utraque tamen definitio Conciliorum, & de dogmatibus & de ritibus, non inconcinnè nomine *Canonis* venit: sunt enim regula fidei & morum, quousque Scripturæ innituntur & veritatem ejus comprobant, aut morale illud ordinis determinant. Et placuit id nomen Antiquis magis, quàm *Juris* illud, aut *Juris Eccl.* aut *Juris Canonici*, quod tertius, fortè ambitione & æmulatione Romanorum Pontificum, introductum est. Cùm vero duplicis generis hi *Canones* fuerint, illi, qui agunt de fidei dogmatibus, Latinis *Decreta*; hi autem, quibus mores & disciplina Ecclesiæ regitur, *Canones*, speciali appellatione, nominati sunt: Unde *Novell.* 131. Justiniani *cap. 1.* *Δόγματα* & *κανόνες* disertè à se invicem distinguuntur, cùm in principio omnes *Ecclesiasticorum Canonum* nomine continerentur. Quod discrimen non ita perpetuum est, ut non sæpissimè, maximè posterioribus seculis, & Conciliis, indifferenter omnia decreta, sive dogmata fidei, sive ceremonias Ecclesiasticas respiciant, *Canones* vocentur: Item *Decreta* & *Capitula*, probantibus id affatim Conciliorum Inscriptionibus. Originem *Canonum* horum quod attinet, primis Christianismi temporibus usque ad seculum tertium, Scriptura solùm in Ecclesia audita est, nulli fere Canones, quia paucissima Concilia habita, velut Hierosolymitanum illud, quod Actis Apostolicis insertum est, in quo actum de Legibus Ceremonialibus Mosaicis, asserta libertas Christiana, & decretum factum est de abstinentia ab Idolothytis, Sanguine, Suffocato, Scortatione. Seculo II. conventus quidam in Asia, Syria, Palæstina, in Occidente Romæ & in Gallia habiti sunt, contra Montanistas & Cataphrygas, & de controversia Paschali. Dein medio fere seculo III. Romæ c. Novatum ejusque sequaces, in quo tamen *Canones* non sunt editi, sed *δόγμα* istius refert Eusebius *Histor. Eccl. lib. 6. cap. 35.* Aliæ quoque eodem seculo habitæ Synodi passim; in Africa, Asia, Occidente, sed nec in hisce *Canones* in diptycha Eccles. & ex his in *Codicem Canonum* relati sunt. Primi *Canones*, qui in eo extant, scripti sunt in Synodo Ancyrana provinciali XXIV. circa A.C. 314. Quam excepit & supplevit Synodus Neocæsariensis itidem provincialis, circa A.C. 318. ubi secundi Canones cusi, numero XIV. qui in Codicem Canonum quoque sunt conjecti. Post has Synodum quidam censent habitam Laodicenam; in qua LIX. Canones consignati, qui similiter in Codice Canonum Eccl. Univ. visuntur: ut & Canones XX. Synodi Gangrensis, cujus tempus in incerto est; Baronius circa A.C. 319. habitam esse non sine ratione conjicit. Eam, quæ, sicut præcedentes, provincialis quoque fuit, excepit famosissima illa Nicena Synodus Oecumenica 318. Episcoporum, à plerisque in A.C. 325. conjecta, in qua XX. Canones scripti; qui, quòd in Oecumen. Synodo constituti essent, in Codice Canonum Eccl. Univ. primum obtinuere locum: Nempe hoc tempore probabile est Collectionem Canonum cœpisse, & eo ordine, quo diximus, illos esse collocatos. Tum in eodem Codice sequuntur VII. Canones Concilii Oecum. II. Constantinopolitani verò I. quod habitum est, sub Theodosio, A.C. 381. an 383. contra Macedonium. Hos excipiunt Ephesini Concilii Oecum. III. c. Nestorium habiti A.C. 431. Canones VIII. Claudunt tandem Codicem XXIX. Canones Concilii Oecum. IV. Chalcedon. seculo V. fere medio contra Eutychem. Ex horum Conciliorum Canonibus conflatus est *Codex Canonum Ecclesiæ Cathol.* cujus initia post Concilium Nicænum, uti suprà attigimus, ducta videntur. Et quidem primitus videtur is saltem habuisse Canones CXXXVIII. 20. nempe Nicenos, 25 Ancyranos, &c. V. suprà. Postea crevit ad tempora Concilii Chalcedonensis, à quo, ut & Imperatoris Justiniani *Novella* 131. confirmatus est, ad Canones præfatos accedentibus Antiochenis XXV. CP. VII. Ephesinis VIII. & Chalcedonensibus XXIX. Sic post tempora Synodi Nicænæ I. Ecclesia duplici jure cœpit regi, *Divino*, quod in S. literis, & *Canonico*, quod in Codice Canonum continebatur. Qui codices ambo in Conciliis postmodum in medio consessus, ut ex iis dogmata pietatis explorarentur, obortæ hæreses refutarentur, & controversiæ ad disciplinam politiamque sacram pertinentes, dirimerentur, positi sunt. Dictus hic *Canonum Codex*, etiam *Corpus Canonum*, *Liber Canonum*, *Peculiares Canones*; Græcis *Βιβλίον Κανόνων*, : primumque Græcè editus est A.C. 1540. ex antiquissimo Ecclesiæ Hilarianæ Pictaviensis Codice, operâ Joh. Tilii, Lutetiæ. Post Justinianum, qui Juris Civilis eum partem fecit, ut ex *Novella* cit. docet Ekhelius, Græci quædam huic Codici addiderunt, quæ enumerantur in Synodo VI. Oecum. *can. 2.* A.C. 681. celebratâ: *Canones* sc. Apostolorum, de quibus dictum, Sardicensis Concilii Canones XXI. item Africæ Concilia, sanctorumque Patrum Canones sive Canonicas quasdam Epistolas, Theophili, Dionysii, Petri, Athanasii, Timothei, Alexandrinorum Episcoporum; Gregorii Neocæsar. Basilii, Gregorii Nysseni, Gregorii Theologi, Amphilochi, Iconii & Gennadii

Gennadii Patr. CP. Quem postea sic auctum confirmavit Synodus Nicæna II. A. C. 787. ut rectè ab hoc Codice, *Jus Canonicum*, uti nunc vocatur, originem duxisse, atque antiquissimâ illa Canonum collectione, utramque cùm Orientis, tum Occidentis Ecclesiam diu usam fuisse, dicat Christoph. Iustellus *Præfat. ad Codicem.* Ex Oriente quippe Canones & eorum collectiones in Occidentem & Africam transiisse certum est: ita ut Orienti Canonici Juris origo meritò tribuatur. Occidentalis Ecclesia, ante Concilium Nicænum, nullos Canones cùm nosset, S. Scripturæ auctoritate solùm & moribus seu jure non scripto utebatur; post Nicænum Concilium, ejus Canones solos recepit, usque ad tempora Innocentii I. qui seculo V. ineunte ad Romæ Episcopatum pervenit. Accessere postmodum incrementa temporum progressu, cumque prima collectio nullo certo auctore facta esset, nulliusque proin Collectoris nomen præferret, crescente postmodum colligendi fervore, nomen quoque aliquando ab illis, qui sequentia adjecerunt, accepit, ut patet exemplo Stephani Episcopi Ephesini, de quo suo loco. Hic namque post Concilium CP. I. hujus VII. Canones prioribus addidit, nomine suo præfixo: quem sequentibus temporibus imitati Episcopi sunt, qui suo quique tempore Ephesini & Chalced. Conc. Canones adjecerunt. Isque fuit *Codex Ecclesiæ Univ*, seu *Cathol.* quo usum Orientem esse diximus, quemque Occidens in Latinum vertit; vulgatum & restitutum à Justello A. C. 1610. iterumque publicatum, à filio ejus A. C. 1661. in *Biblioth. Juris Canonici Vet.* additis Canonibus Ephesinis & Chalcedonensibus. Verùm hic paulo obscuratus est, postquam Græci, habitâ Synodo CP. *in Trullo*, ediderunt alium Codicem, diversum paulo à priore, dictumque *Codicem Ecclesiæ Orientalis*, quod contra eos observandum, qui utrumq; Codicem confundere consuevere, &c. Cùm autem antiqua Codicis Græci versione minùs accuratâ usa esset Ecclesia Rom. usque ad tempora Justiniani Imp. novam ejus versionem, rogatu Stephani, Episcopi Salonitani, adornavit Dionysius Exiguus. Abbas Rom. qui, sub Theodorico R. & successoribus ejus clarus, primus, omissâ numeratione annorum *Æræ* Diocletiani Imp. computare annos cœpit, à Nativitate Domini nostri. Hic interpretationi suæ, in qua Græcos Canones continuâ serie numerorum computavit, ad modum Codicis Græci, addidit Canones, qui vocantur *Apostolorum*, Sardicense item & quædam Africana Concilia: Cœterùm à Romano Codice in methodo quoque diversus. Idem Conciliorum his Canonibus Romanorũ Pontificum Decreta, quotquot inveniri poterant, sub una numerorum serie, eodem, quo Patrum Canones, digessit modo, & primus Canonum Collectioni subjunxit: uti à Siricio incepit, sic in Anastasio desinens, V. infra in voce *Decretales*. Quamprimum verò Dionysii hæc Collectio Versioque prodiit, statim Romæ recepta est, atque absolutè CORPUS CANONUM appellari meruit, *can. 1. dist.* 19. eoq; nomine à posterioribus laudari solet, &c. Atque hæc initia & progressus sunt Codicis Canonum in Eccl. Rom. præter quam aliæ quoque Occidentis Ecclesiæ, *Codicem Canonum* habuere, Gallicana, (qui ex Conciliis Africanis & Decretalibus multum crevit) Hispanica, Britannica, Germanica, Africana, &c. quæ Ecclesiæ partim Romanæ Codicem adoptavere, partim Codicem habuere Canonum specialem, ex Conciliis quæque gentis suæ collectum, &c. Auctoritatem *Canonum* quod attinet, fuere illi quasi Jus aliquod gentium ubique receptum: nec veritus est dicere Justinianus *Novellâ cit.* tantam IV. Synodum Oecumen. esse auctoritatem, *ut dogmata illorum sicut divinæ Scripturæ, accipienda, & Canones sicut Leges, servandi sint*; non quidem Scripturæ ea planè æquiparans, sed docens solùm; post eam maximam illa momentum ac pondus, in decidendis controversiis Religionis & ordinandis Ritibus Ecclesiasticis, habuisse. Ulterius postea Pontifices progressi Gregorius inprimis VII. aliàs *Hildebrandus*, quo faciente Pontificia potentia ad culmen pervenit. Hic itaque Collectione suâ Decretorum, quam *Dictatus* inscripsit, editâ, Jus Ecclesiasticum in immensum auxit & postquam appellationes omnes Romanæ sedi, cognitionemque in causis Episcopalibus, aliisque momenti majoris sibi soli asseruisset, effecit, ut *Canones* in posterum non circa dogmata & personas ritusque Ecclesiasticos tantùm, quæ antea fere eorum objecta erant, occupati essent; sed & de litibus ac disceptationibus forensibus ordinandis & dirigendis, solliciti esse inciperent, sicque nomine suo immutato, illud *Juris* assumerent, quod quidem ad differentiam *Civilis*, *Canonicum* in posterum appellatum est &c. V. hanc in rem plura, inprimis de Collectionibus *Canonum*, quo tempore quæque harum, quoque incremento contigerit, deque Collectoribus ipsis, ad nostram usque ætatem, juxta seculorum seriem, suprà jamlaudatum Gerhardum von Mastricht in *Histor. Juris Eccles*

Canones Evangeliorum, per quos quis facilè scire ac invenire potest, qui nam reliquorum Evangelistarum similia, aut propria, dixerint, auctorem habuere Eusebium Cæsariensem, de quo V. Hieronymum de *Script. Ecclesiasticis* & Isidorum *Originum lib. 6. cap.* 15. laudatos Carolo du Fresne *Glossar.*

Canonicæ Epistolæ seu *Literæ*, κανονικὰ γράμματα Græcis, juxta Zonaram *ad Can.* 42. Synodi Laodicenæ, sic dictæ sunt, quòd juxta certos ac determinatos *Canones*, & regulas quasdam solennes examinatur, ὡς κατὰ κανόνα γεγραμμένα γράμματα: vel certè, quòd iis, qui ex *Canone* Ecclesiastico erant, seu *Canonicis* peregrè & in aliam diœcesin proficiscentibus darentur. Aliàs *Formatæ*, uti testatur Atticus Episc. CP. sub finem Concilii Chalcedon. Item *Regulares*, in *Epist.* 48. Johannis VIII. Pontificis. Hinc *Cura Epistolarum Canonicarum*, dignitas memorata Senatori *lib.* 11 *Epist.* 23. ubi de eo agit, qui à Principe ad hanc curam provehitur, cuique proin, ut idem ait, *fides publica* committitur. Formulæ aliquot *Literarum Canonicarum* habentur apud Sirmondum *ad calcem Tomi II. Conciliorum Gall. pag.* 658. *&* 663. citatum Carolo du Fresne, ubi suprà.

Canonicorum Cœtus, cùm ex primæva institutione, nihil aliud, quàm Collegia & Scholæ fuerint, de Collegiorum origine ista hic prælibanda duximus. Eam ab ovo exorsus arcessit Franc. Burmannus *Orat. de Collegiis*, à diversissimo fratrum pari, Habele & Caino; Illo enim cæso hocq; à facie Dei profugo, in duos cœtus, sacris civilibusque rebus à seinvicem quàm maximè divulsos, abiit universum genus humanum: Insistentibus Habelis vestigiis Setho ejusque filio Enocho, sub quo & nomen Jehovæ invocari cœptum est, reliquisque Patriarchis; Caini verò exemplum imitantibus ejus posteris; unde illa Filiorum Dei hominumque distinctio: donec deinceps hisce duobus *Collegiis* inter sese mixtis, ultima mundo pernicies per ultrices aquas attracta est. Redintegratis deinceps post diluvium, hominum societatibus, mox & sacra hæc piorum *Collegia* restituta & à profanorum hominum conventibus secreta fuere, verâ fide ac pietate in Semi tentoriis manente: quod multo magis patuit, cùm dispersis à Jehova gigantæis Babylonicæ turris auctoribus, in solo Hebero, è Semi familia nato, impiique illius consilii minimè consorte, antiqua mortalium lingua & incorruptus Dei cultus, ut in sancto quodam Collegio substitit. Inde celebres apud Judæos Semi ac Heberi scholæ, è cujus posteris Abrahamum Deus è communi idololatria, cui cum universo hominum genere ipsius Majores jam dudum immergi cœperant, evocavit & à reliqua hominum societate segregavit; ut posthac Patriarchæ hujus domus purioris Religionis præcipuum in toto orbe *Collegium* seu Schola extiterit: quod idem de Isaci ac Jacobi, filii nepotisque ejus domibus dicendum. Cùm autem deinceps placeret Deo, Ecclesiam ex Oeconomica Nationalem facere, illamque propriæ terræ possessione ditare, tum demum sacrorum horum Collegiorum usus ac frequentia illustrius apparere cœpit: integrâ tribu Levi usui huic sacro destinatâ. Maximè autem eorum institutio Samueli debetur, fatali Reip. ac Religionis Judaicæ Instauratori: qui cùm per præcedentium Sacerdotum summorum ac Judicum desidiam cultum Dei pessum ivisse vidisset, primus Prophetiæ donum ac Prophetarum numerum nobilitavit, sicque ruenti Ministerio succurrit, ut, cùm sub initium, quo prophetare cœperat, verbum Domini rarissimum fuisse dicatur, aliquot pòst annis quàm plurimi Prophetæ, sub Saulis inaugurationem, commemorentur. Nempe Prophetarum *Collegia* instituit, Levitarumque consessus seu Scholas publicas, in quibus juventus erudiretur, qui mos inde diu duravit. Istiusmodi Scholæ tum erant, in colle Gibeæ: Najothis in Rama: Post Samuelis obitum, sub Elia, Bethele ac Jerichunte: Sub Elisæo Gilgale, in quo Huldam Prophetissam habitasse quidam volunt &c. Reduces dein è Babylonica captivitate Judæi, tum alibi, tum Hierosolymis inprimis, plurimas Academias seu Synagogas extruxerunt: quibus semper *Collegia* seu Gymnasia conjuncta erant; unde illorum usus interdum promiscuus & Synagogæ *Scholarum* nomine (quod & hodie apud illos fit) indigitantur. Harum paulò ante urbis excidium ad 480. à Talmudicis numerantur, quarum unaquæque, binis scholis seu auditoriis constans, habebat *Beth-sepher*, seu Domum libri, ubi legeretur Scriptura: & *Beth-talmud*, seu Domum doctrinæ, ubi docerentur Traditiones ac Decisiones Veterum. In medio uniuscujusque earum columna erat, quam Doctores verba ad populum facturi conscendebant. Quo sensu Ecclesia Apostolo dicta videtur στύλος καὶ ἑδραίωμα τῆς ἀληθείας, *Columna ac stabilimentum veritatis*, id est, columna seu cathedra, è qua veritas sacra prædicatur ac publicatur. Hæc autem *Collegia* omnia à Vespasiano seu Tito sublata & excisa, queruntur Judæi: qui ab excidio residui dispersique varia quà domi, quà foris erexere Gymnasia, quorum celeberrima fuere Tiberiense in Galilæa, unde Massorethæ prodierunt ac Soranum in Babylonia, ubi Talmud Babylonicum cusum est circa A. C. 500. Christianorum Collegia quod attinet, prima cœlestis suæ sapientiæ tyrocinia in Judaicorum Doctorum Collegio Hierosolymis, duodecimo ætatis anno, deponere dignatus est ipse Salvator, summus noster Propheta ac Magister. Dein solenniter è cœlo muneri suo Prophetico inauguratus, XII. Apostolorum *Collegium* instituit, quos destinatos nationibus Magistros in suum consortium adlegit, & ab ore suo pendere jussit. Marcus dein Evangelista, cœtus & agmina Philosophantium, lectionibus, disputationibus, meditationibus & interpretationibus S. Scripturæ totos dies incumbentium, Alexandriæ, ubi publico sumtu Collegia Doctorum, *Musæa* dicta, alebantur, coëgit. Quæ schola Pantænum, Clementem, Origenem, Tryphonem, Heraclam, Dionysium, Anatolium, Pierium, Theonem, Athanasium, Didymum, Ambrosium, Maximum Philosophum, Episc. Constantinopolitanum aliosque innumeros orbi dedit. Incepere dein Collegia Monachorum, cum quibus Scholæ

Theo-

Theologicæ, & posterioribus seculis Philosophicæ quoque conjunctæ fuerunt. Origo iis è persecutionibus Ecclesiæ, quibus grassantibus primùm sub Decio & Valeriano; deinceps sub Diocletiano, Licinio eorumque sociis, in Ægypti Syriæque solitudines, abacti multi fidelium, postquam solitariæ huic vitæ assuevere, etiam remittente persecutionum sævitiâ ei ad mortem usque immorati sunt. Horum Antesignani narrantur Paulus Thebæus, Antonius, Hilarion, aliique qui Cœnobiticam vitam, ex Eremitica scaturientem, excoluere, unde Monasteria orta, officinæ jejunii, vigiliarum, precum, beneficentiæ, charitatis, laboris & similium virtutum, Studiosorum inprimis Scholæ ac Phrontisteria: in quibus bene exercitatis exire licebat ad matrimonium, ad Remp. ad Ecclesiam. Non solùm enim primis illis seculis sacra sapientia, in Ecclesia, à Catechesium Magistris tradebatur, sed & maximè in Episcopiis seu Episcoporum domibus, ut & in Monasteriis, quamvis hæc sæpius contigua essent Episcopiis, aut etiam eadem cum illis, Erasmo judice. In tali Monasterio intra Hipponensem Ecclesiam extructo, id est, in tali Discipulorum Collegio, habitabat Augustinus, eorum studiis præfectus. Verùm quia non omnes Episcopi ad id munus apti erant, laboratum deinceps fuit, ut in Ecclesiis, ubi cathedra Episcopalis erat, scholæ essent talium, unde *Canonicorum* cœtus orti, qui Collegia hæc scholasque regerent. Hæ enim scholæ erant Ecclesiasticæ, in quibus Presbyteri & Clerici viverent, liberiùs quàm Monachi, attamen omnes canonibus certis, unde illis nomen: præeratque illis Episcopus, ut Monachis Abbas, hodie autem Episcopi loco Præpositum habent. Unde adhuc videas Collegia talia ibi, ubi sedes Episcopalis erat, ut si Pastor peteretur olim, in oculis Episcopi essent, quos mitteret probatos. Hujusmodi *Canonicorum Collegia* plurima à Carolo M. instituta sunt, quorum erat, Scholas constituere atque artes docere adhibitâ in omni convivio S. Scripturæ lectione, quod etiam ipsi Augustino usitatum. Inde adhuc manet in conventibus lectio capitis & homilia, sicut & Bedæ homiliæ in tali conventu habitæ sunt. Inde etiam in iis Collegiis primorum aliquis semper *Scholasticus* dicitur, ut Scholæ inspector: tum *Decanum* habebant, ut post hos Academiæ. Inde & *Cantorum*, qui Musicam docebant, *Vicariorum*, *Custodum*, *Lectorumq́;* nomina. E quibus patet, nihil aliud Monasteria ac *Canonicorum cœtus* olim, quàm Collegia & Scholas fuisse; unde hodieque in Scholasticum, qui Lectorum caput est, dignitas cum præbenda confertur; licèt id muneris nunc non exerceant, nudis duntaxat ac inanibus nominibus retentis. Ut non mirum sit, ipsum Tridentinum Conventum decreta, de restituendis prælectionibus in Ecclesiis Cathedralibus, Monasteriis ac Conventibus, deque constituendis Seminariis in Collegiis Ecclesiarum Episcopalium, condidisse. Quam illi curam demandarunt Episcopis: eodem modo, ut in Cabillonensi Synodo sub Carolo M. statutum, ut omnes Episcopi Scholas erigerent, in quibus bonæ literæ, atque inprimis Theologicæ docerentur, teste Baronio. Eadem Monasteriorum, ab Episcopiis sejunctorum, apud antiquos fuit ratio, Basilii maximè in Oriente instituto. Sic ergo Basilii Augustinique tempore Asia ac Africa, Caroli verò M. ævo cumprimis Europa referta erat hujusmodi Musarum domiciliis, pietatis Phrontisteriis & honestatis omnigenæ Gymnasiis: Leo etiam IV. juxta Ecclesias claustra seu Scholas, in quibus Clerici Ecclesiasticis disciplinis imbuerentur, constitui jussisse, legitur apud Genebrardum. Post Caroli M. obitum, amor literarum refrigescere, & nimiis opibus Collegia ac Monasteria laborare sensim cœperunt, quod inprimis circa A. C. 1000. factum observant Eruditi: & longè magis circa A. C. 1200. quo varii Monachorum mendicantium ordines in apricum prodiere. Tum loco S. Theologiæ in eos cœtus Philosophia admissa est; & altera cœpit Monasteriorum Collegiorumque periodus, de qua, ut & plura de Collegiis ac Monasteriis ipsis, V. infra in voce *Collegium*, item *Monasterium*. Addam hic saltem quædam, ex Car. du Fresne, qui cum aliis nonnullis asserit, *Canonicorum* nomen iis impositum esse, non tam ab observantia arctiore *Canonicarum* regularum, aut à relatione in *Canonem* seu matriculam Ecclesiasticam, (ut alii volunt, qui quòd ἐν τῷ Κανόνι & ὑπὸ Κανόνα, h. e. de *Clero* essent, dictos ajunt, V. suprà in voce *Canones*) quàm à *Canone frumentario* seu Sportulis Ecclesiasticis & stipendiis annuis vel menstruis, quæ ex Ecclesiasticis reditibus olim accipiebant: hinc *Sportulantes Fratres* dicti Cypriano *Epist.* 66. Universam enim Ecclesiarum substantiam divisam fuisse in 4. partes, *quarum unam Episcopus sibi retinebat, alteram Clerici — obtinebant tertia fabricis, quarta pauperibus & peregrinis erogabatur*, legas in *Epistola* Gelasii Papæ ad Episcopos Lucaniæ. De variis in eadem Ecclesia Canonicorum generibus, ex eodem, infrà quædam subjungemus. Neque verò *Canonicos* solùm, sed & *Canonicas* eadem habet. Et quidem eidem Auctori *Canonicæ*, olim videntur appellatæ Diaconissæ, quòd, perinde ac Clerici, *sub Canone Ecclesiastico constitutæ essent*. Diaconissas enim quendam in Ecclesia ordinem consecisse, & in ædibus sacris certas iis ac peculiares stationes assignatas esse, *ὡς κανονικαῖς*, habetur in *Novella* 3 Justiniani & aliâ Heraclii Imp. Proinde in *Ordine* Rom. *Canonicæ* à *Sanctimonialibus* distinguuntur: *Inter Virginem & fœminam, inter* Canonicam *& Sanctimonialem* &c. *Κανονικὰς* etiam habet S. Antiochus *Homil.* 16. At Sanctimoniales, quæ se *Canonicas* vocant, ut est in Concilio Cabillonensi II. *can.* 53. eæ videntur, quæ regulam Augustini profitebantur. Cujusmodi *Canonicarum* mentio etiam est in *Addit.* 2. *Cap* 1. Caroli M. c. 16. & in Concilio Paris. VI. *cap.* 46. ubi Monasteria earum memorantur. Hodiè verò quæ dicantur ex Sanctimonialibus *Canonicæ*, exponit Jac. de Vitriaco in *Historia Occid. cap.* 31. *Ad imitationem & exemplum prædictorum Canonicorum* (secularium) *in partibus Hannoviæ & Brabantiæ & in quibusdam Theutonicorum & Alemannorum provinciis, sunt mulieres, quas* Canonicas Seculares, *seu Domicellas appellant. Non enim Moniales appellari volunt, sicut Canonici Seculares Monachi non dicuntur. Hæ siquidem adeò personas accipiunt, quòd non nisi filias Militum & Nobilium, in suo Collegio volunt recipere, religioni & morum nobilitati seculi nobilitatem præferentes. Purpurâ autem & bysso & pellibus griseis & aliis jocunditatis suæ vestibus induuntur circumdatæ varietatibus, cum tortis crinibus & ornatu pretioso circumamictæ — pellibus autem agninis quantumcunque subtilibus ac delicatis utuntur. — Clericorum autem & puellarum & juvenum servorum etiam sibi ministrantium cinctæ obsequio, in domibus propriis honorificè & splendidè epulantur — In dormitorio autem juxta Ecclesiam suam de nocte quiescunt. — Sunt autem in eisdem Ecclesiis pariter Canonici Seculares, in diebus festis, ex altera parte Chori cum prædictis domicellis canentes & earum modulationibus æquipollenter respondere studentes — Similiter & in processionibus compositæ & ornatæ*, Canonici *ex una parte, & Dominæ ex altera parte concinentes procedunt. Quædam autem ex ipsis, postquam diebus plurimis de Christi patrimonio vixerunt, relictis præbendis & Ecclesiis, charioribus sibi personis matrimonio copulantur*. V. Gobelinum Personam in *Cosmodromio ætate* 6. *cap.* 52. & 90. Molanum in *Martyrolog.* 17. Martii, Bruschium de *Monasteriis Germaniæ passim*, Alios, laudatos Carolo du Fresne *Glossar.* Hinc *Canonia*, Collegium Canonicorum, apud Gregorium VII. *lib.* 9. *Epist.* 29. alibique: item præbenda vel reditus Canonici, apud Eundem *lib.* 3. *Epist.* 17. *Canonica* verò dignitas Canonici est, apud Johann. de Janua &c. V. præter Auctores præfatos, etiam Macrum utrumque in *Hierolexico*, ubi de prærogativa & officio hodiernorum Canonicorum varia congessere.

Varia Canonicorum, in Ecclesia Romana, genera.

Canonici Cardinales, memorantur Orderico Vitali, *lib* 4 *pag.* 516. cujusmodi septem in Ecclesia S. Stephani Bisontina instituit A. Christi 1051. Leo IX. *qui cum dalmatica, mitra, sandaliis, chirothecis ad altare illud ordinati, Missas ibi facerent: quorum unus loci illius Decanus, annulo etiam ad Missarum solennia uteretur*: Bullam descripsit Chiffletius in *Tornutio pag.* 357. & 361. Eodem modo Alexander III. septem *Canonicos* Cardinales, in Ecclesia Colon. instituit, ut videre est ex *Epist.* ejus 52. Quod etiam obtinuit in Ecclesia Magdeburgensi, Compostellana, Beneventana, Aquilejensi, Ravennensi, Mediolanensi, Pisana, Neapolitana, aliis. Dicti illi sunt ita, quòd ad hasce Ecclesias *incardinati* essent Canonici, ut ad Parochiales Presbyteri.

Canonici Domicillares appellantur Juniores Canonici, qui necdum gradus Ecclesiasticos adepti, jus Capituli non habent: Juniores autem Magnatum filios *Domicellos* olim fuisse appellatos, notum. V. Synodum Moguntin *can.* 86.

Canonici Expectantes, qui in Ecclesiis Cathedralibus, Canonici dignitatem *sub expectatione Præbendæ* habebant & *in Capitulo vocem & stallum in choro*: quod obtinuit olim in Cypro Ins. ut colligitur ex *Constitutione* Heliæ Arch. Nicosiensis A. C. 1252. quâ eos omnino tollit, &c.

Canonici Forenses, qui Canoniam suam seu Ecclesiam non deserviunt, oppositi *Mansionariis*.

Canonici Hebdomadarii.

Canonici Honorarii seu Laici, qui ex quodam privilegio hac dignitate in Ecclesiis Canonicalibus gaudebāt: quod jus Principes interdum sibi reservarunt, in iis Ecclesiis, quas aut à fundamentis erexerant aut amplis dotaverant reditibus. Nempe in *tesseram & notam quandam Patronatus*, Catalogo Canonicorum adscribi, & quoties illuc proficiscuntur, secularibus depositis insignibus, lineum supparum seu superpellicium indui, cum aliis collegis Ecclesiastico munere fungi consuevere. Interdum ab ipsis Ecclesiis ejusmodi præbendis donabantur, ut essent, qui eorum bona ac prædia tutarentur. Sic Imperator Romæ in Eccl. Lateran. item in Ecclesiis Aquisgranensi, Coloniensi & Bambergensi; Rex Franciæ, in Ecclesia S. Hilarii Pictav. in Cenomanensi, Andegavensi, S. Martini Turonensi, Cabillonensi: Olim Comites Andegavenses in eadem Turonensi, ut & Comites Nivernii, & Dunenses, Duces Brabantiæ, in Majori Servatii Ecclesia Trajecti &c. *Canonicalem* dignitatem obtinuere.

Canonici 13. Marcarum seu librarum, non semel occurrunt in *Ordinario* Ecclesiæ Rotomagensis MS. fortè, quorum præbendæ reditus annui [illegible] argenti marcarum sunt.

Canonici Minores in Ecclesia Londinensi dicti sunt, qui majorum vices gerebant. *Monastic.* Anglic. *Tom.* III. *pag.* 344. Aliàs *Canonici Vicarii*.

Canonici Mitrati, in Ecclesia Lucensi dicuntur, quod suo mitras

mitræ deferendæ habent, à Pontificibus variis indultum, & firmatum a Gregorio IX.

Canonici Nobiles, qui ut ad Canonicatum perveniant, genere nobiles esse debent. V. *cap.* 37. *Extra de Præbendis.*

Canonici Paupertatis, Gall. *Chanoines de la Pauvreté* memorantur Odoni Gellejo in *Historia* *tui iensi libro* 1. *cap.* 24.

Canonici Regulares sunt, qui *secundùm Regulam vivunt*, ut est in *L.* Longobard *lib.* 3. *tit.* 1. § 8. id est, secundùm regulam præscriptam ac propriam. Sicut Seculares, de quibus mox, qui dicuntur vivere *secundùm Canones*, seu regulas Clericis omnibus indictas. Eæ autem Regulæ erant, quas *S. Augustini* vulgò vocant: quas qui sequuntur, *media & regiâ viâ incedentes, secundùm primas Regularium institutionum observantias, camisiis & femoralibus utuntur, superpelliceis item & pellibus, culcitis & lineaminibus. Camisias & femoralia de nocte non deponunt: post Matutinas ad cubicula revertentes, causâ recreationis, dormiunt. Novem Lectionum numerum in Nocturno non excedunt: tribus diebus in hebdomade carnes edunt: piscer, ova, caseum, in Refectorio, in diebus aliis manducant — sub unius Abbatis vel Prioris obedientia continenter vivunt. Proprium autem eis habere non licet; animarum curas licitum est eis suscipere & Ecclesias parochiales regere*, &c. uti loquitur Jac. de Vitriaco *Histor. Occident. cap.* 1 V. quoque Cellotium *Eccles. Hierarch. lib.* 5. *cap.* 3.

Canonici Seculares, qui *Ecclesiarum Clerici* postmodum dicti sunt, quanquam *sub eadem Regula communiter à primis eorum institutione Domino servierunt in humilitate, paupertate, divinis officiis, lectionibus, & orationibus vacando, in castris Domini militantes, simul in refectorio sobrium cibum sumentes, in eodem etiam dormitorio castis cubilibus nocte quiescentes*, &c. ut habet idem *cap* 30. postea laxiùs vivere inceperunt. V. suprà in voce *Canonicæ*. Hinc *Canonicè vivere*, est more Canonicorum horum vivere, non verò Monachorum vel *Canonicorum* Regularium, qui *regulariter vivere* dicuntur, in *Capitulis* Caroli M. *lib.* 1. *cap.* 73 alibique. Quod inter *Canonicos* & *Regulares* discrimen adeò subtile est (nam *Canonicus* Græcis est, qui Latinis *Regularis*) ut Ugutio. *Incongruè*, dicat, *dicitur Canonicus secularis, id est enim Regularis Secularis, quod est, ac si diceretur album nigrum: non enim est Canonicus, si non sit Regularis.* Et Crantzius in *Metrop. lib.* 4. *cap.* 1. *Si Canon est regula, Canonici sunt Regulares. Quid ergo fiet de Canonico seculari, nisi ut Regularis sit irregularis, aut si id malumus, Regularis sine Regula.* De utrorumque appellatione Wolcuinus Abbas in *Homil. de Zizaniis*, *Rara avis in terris* Canonicus *à Canone vitæ. Unde ergo? Audi unde: est namque Canon vitæ, ut dictum est: & est Canon pecuniæ, videlicet alicujus pensionis certæ, unde soles dici, solve mihi Canonem meum. Eja ergo, ò Canonice, inveniamus Canonem tuum, à quo derivaris, à Canone pecuniæ, non à Canone vitæ, id est, à Canone regionis, non à Canone Religionis*, &c. V. omnino du Fresne *in Gloss.* ut & Macros Fratres in *Hierolexico.*

Canonici Simplices, V de *concess. Præb.* 1. *cap.* 9.

Canonici ad succurrendum, V. infrà *Monachus* ad succurrendum.

Canonici Tertiarii, in Ecclesia Messanensi, qui fructuum præbendæ tertia tantum parte fruuntur, &c.

Canonicum Jus, priscis Ecclesiæ seculis tacitum, circa tempora Gregorii VII. aliàs *Hildebrandi* dicti, hoc nomine insigniri cœpit, cum priùs *Canonum* nomine Ecclesia contenta esset. Primitus enim *Scriptura* sola audita est, usque ad Concilium Nicænum I. à quo tempore *Canones Conciliorum* accesserunt, & in Conventibus sacris uterque Codex in medio positus est, ut inde de dogmatibus & ritibus judicium fieret. Canonibus eorumque collectioni pòstea *Decreta* Pontificum primus junxit Dionysius Exiguus: Post quem eorundem *Decretales Epistolas* primus inter Canones retulit, sicque iis Canonicam auctoritatem conciliavit Cresconius. Quibus omnibus auctoritas decisiva contigit, sub Leone IV. Pontifice, qui circa A.C. 947 ad Papatum evectus est, ut ex ejus *Epist.* ad Episcopos Britanniæ liquet, in qua inter alia, *Quam ob causam*, dicit, *luculentiùs magnâ voce pronuntiare non timeo: quia, qui illa, quæ diximus, sanctorum Patrum statuta, quæ apud nos* Canonum *nomine prætitulantur, non indifferenter recipere convincitur, nec Catholicam & apostolicam fidem, nec sancta quatuor Evangelia utiliter & efficaciter ad effectum suum retinere, vel credere probatur.* Secuta Leonem barbaries, literarumque splendore extincto nox Orbi Christiano offusa est: crevitque seculo XI. cousque Pontificum potentia, ut altiùs assurgere non posset; inprimis sub Gregorio VII. Pontif. qui cum *Dictatus* suos edidisset, nomen suum perdidere *Canones* & illud *Juris* assumsere, ac ad differentiam *Civilis*, prius nomen proprium & substantivum, distinctionis gratiâ, in appellativum & adjectivum *Canonici* versum est. Sub Johanne postmodum XXII. prodiere, & quidem ejus nomine *Extravagantes*, sicque ultima manus *Canonico Juri* imposita est, quod ex partibus præfatis, ad imitationem Corporis Civilis sic conflatum est, ut *Gratiani Decretum* Pandectas, *Decretales* Codicem, *Sextus*, *Clementinæ & Extravagantes*, Novellas repræsentare possint. Deerant unicæ *Institutiones*, quò minus in omnibus cum Corpore Civili Canonicum conveniret: eas addidit Paulus Lancelotus, atque eodem fere tempore Antonius Cucchus, ad cujus *Institutiones Juris Canonici* notas edidit Sam. Maresius. Auctoritatem Juris hujus quod attinet, quanta fuerit antiquitus, & quo modo creverit sensim, diximus. Certè progressu temporis factum est, ut omnes Occidentis populi illud receperint, eoque in decidendis controversiis fuerint usi. De Italia nullum dubium: Gallos, deficientibus *LL.* & consuetudinibus propriis, ex Jure Canonico causas in suis Curiis decidi passos esse, docent Eguinar. Baronius *ad l. nonnunquam* 11. *ff. de Justit. & Jur.* & Rebuffus *in Constitut. Regiæ Proæm. Gloss.* 5. *num.* 126. hodieque in Regni hujus Academiis, universum jus Canonicum, libro sexto Decretalium excepto, docetur. Hispani, deficiente jure Regio, ad Canonicum itidem recurrunt, teste Azevedo *ad Constitut. Reg. Hispan. lib. tit.* 1 *num.* 18. Idem de Hungaris testatur Steph. de Werbentz *de Jure Hungar. part.* 2. *tit.* 6. De Danis, Georg. Lorich. in *Enchirid. tract. in Addit. ad cons. posterius. n.* 52. De Anglis, constat affatim, ex ipsis Decretalibus, quæ magnam partem, de controversiis Anglicanis, ad Anglos scriptæ sunt. In Germaniæ Academiis publicè nil frequentius, quam citatio & explicatio Juris Canonici, &c. Mansitque hæc auctoritas indelibata, usque ad tempora Lutheri, qui videns Reformationi, quam moliebatur, obesse tot Decretorum & Decretalium volumina, ea ad examen revocavit, cumque ei viderentur Sacris Literis non satis congruere, contemsit, tandemque A. C. 152., irritatus librorum suorum exustione, totum Juris Canonici Volumen Wittenbergæ, extra portam, in magna Doctorum & Studiosorum frequentia, extructo rogo, concremavit. A quo tempore, Juris Pontificii auctoritas, in Protestantium terris decrevit, nisi quid ex consuetudine retineatur & doceatur: idque propter Processum Judiciarium, qui in secundo Decretalium libro & passim in seqq. Collectionibus, ex Interpretibus Juris Civilis & propriis commentis, magis concinnè est explicatus: item alias quasdam materias, Jurisjurandi, Matrimonii, similes. Unde & *Doctoris Juris Canonici* titulus, apud eosdem, multis in locis, adhuc servatur: in Anglia vero, unà cum ipso Jure Canon. penitùs abolitus, uti discimus ex Rob. Parkero *de Politia Eccles. lib.* 2. *cap.* 32. *& seqq.* &c. Sed & ante Lutherum fuere aliqui, quamvis pauciores, qui Jus hoc in non paucis carperent, & per id affectatum summum in omnia Pontificum Imperium arguerent, seque ei subinde opponerent. Inter quos seculi XIV. anno 24. Marsilius Patavinus, qui *Defensorem Pacis* tunc edidit, aliique, quos collegit Goldastus; Flavius item Illyricus in *Catalogo Testium Verit.* Doctorum Virorum de hoc Jure Judicia, Cornelii inprimis Agrippæ, *de Van. Scient. cap.* 92. ut & alia huc spectantia V. apud Gerh von Mastricht *Histor. Juris Eccles. Duisburgi ad Rhenum editâ A.C.* 1676. Adde quæ suprà diximus, ubi de *Canonibus Conciliorum.*

Canonizatio, relatio est in album & catalogum Sanctorum, qui *Canon* dictus. V. suprà *Canon.*

Canonum Codex seu *Corpus*, collectio dicta est Canonum nuda, eo ordine, quo illi in Conciliis scripti sunt & subscripti, habitâ tantùm ratione temporis, sub una serie numerorum. Capellus *de Sedis Rom. Fide seu Stellionatu cap.* 5. inter *Codicem Canonum* & *Corpus* distinguit, *Ex Canonibus*, inquiens, *ad disciplinam pertinentibus conflatum Syntagma minus & vetustius dicebatur* Corpus, *ubi augescere cæpit*, Codex *dictus est.* Quod speciosiùs, quàm veriùs, dictum. A Græcis enim primùm Collectiones factæ sunt, qui Βίβλος Κανόνων, h. e. *Codicem Canonum*, collectionem hancce vocant passim, ut inprimis patet ex Synodi Chalcedon. *Act.* 4. 11 13. Apud Latinos quoque, sine discrimine legas *Codicem Canonum*, *Corpus Canonum* & *Corpus Codicis Canonicum*, &c. In hoc Codice accuratè edendo, magnam hoc seculo laudem reportavit Christoph. Justellus, cujus in colligendis Scriptoribus Juris Canonici veteris tanta fuit industria, ut meritò is Stator ac Restaurator antiqui & purioris Juris Canonici dici possit. Quod affatim ostendunt, editi ab eo *Codices Ecclesiæ Universæ & Eccl. Afric. cum Notis*: Item *Juris Canonici vet. Collectores Græci & Photii Nomocanon, cum Scholiis Balsamonis*, ab A. C. 1610. usque ad A. C. 1615. multaque alia, quæ ille morte præventus perficere non potuit; perfecit verò fil. Henricus, qui cum Guil. Doello Theologo & Socio Sorbonico, à Patre magna ex parte collectam *Juris Canonici vet. Bibliothecam*, Græcorum Latinorumque Digestiones continentem, A. C. 1661. duobus voluminibus Lutetiæ edidit. V. eundem Mastricht, ubi suprà, & infra in voce *Codex.*

Canonum Series, Græcis ἀκολουθία Κανόνων, item τάξις τῶν Κανόνων, illud Collectionis genus vocatur, cùm nudè positi Canones diversorum Conciliorum unâ serie numerorum decurrunt. Concilium Ephes. *Act.* 2. *Cùm* διὰ τὴν ἐκκλησιαστικῶν θεσμῶν ἀκολουθίαν, *per Ecclesiasticarum sanctionum consequentiam controversias in medium positas examinari oporteat.* Et postea, *Cùm animadverteremus, causæ suæ defensioni diffidere, quæ temerè*, παρὰ τὴν τῶν κανόνων ἀκολουθίαν, *contra Canonum Consequentiam, adversùs Cyrillum & Memnonem scripto consignaverunt, ea irrita & prorsus vana judicavimus.* V. quoque Georgium Alexandr. in *Vita* Johannis Chrysostomi, &

Concilium Chalcedon. *Act.3. Ecclesiasticam Consequentiam* vocant, Episcopi Provinciæ Europæ Concilior. *Tom.II. pag.477. edit. Rom.*&c. Mastricht *l.c.§.141. & seqq.*

Canopicum Ostium, unum ex Nili ostiis & quidem præcipuum, à *Canopo* urbe; idem cum *Heracleotice*, ab Ἡρακλέῳ seu *Herculis Templo*, quod Canopo proximum erat; & *Naucratitico*, ab urbe Naucrate, quæ condita in majori flumine, quod ad Canopicum ostium decurrit. Diverticula enim illa & ectropæ, quæ ex alveo ipso Nili derivabantur, perpetuorum ac magnorum amnium instar obtinuere atque alia nomina in decursu habuere, alia in exitu & ostiis ipsis. Ostia enim nomen sortita sunt à locis mari vicinis ubi ipsæ ἐκρόαι fiunt: aliud porro nomen gerebant, ubi ἐκτροπαὶ fiunt & in decursu. Et quidem Nilus, cœteram Ægyptum permeans, unico alveo, ubi ad Delta venit, in duas partes scinditur; quarum illa, quæ ad Occasum vadit, major est ac veluti fluminis corpus, hinc μέγας ποταμὸς & μεγάλος ποταμὸς, aliàs Ἀγαθὸς Δαίμων, à Græcis dicta. At in ostio ipso, quo in Mare egeritur, Κανωβικὸς appellatur & Ἡρακλεωτικός. Vocat quidem μεγάλους ποταμοὺς, etiam reliquos alveos ac decursus Nili legitimos ac perennes, Ptolomæus, quos recenset Ammianus Marcellinus, Bubiticum viz. *Sebenniticum, Pathmiticum, Mendesium, Taniticum* & *Pelusiacum*, nominibus ostiorum ipsos amnes appellans: Unus tamen ex his per excellentiam μεγάλος ποταμὸς appellatus est, *Canopicus* nempe, ut cœteris major & alveus principalis; quo excepto, Aristoteles reliqua omnia ostia Nili videri dicit naturalia non esse, sed manu facta, *Meteorologic. lib.1.cap.14.* Φαίνεται δ' ἂν καὶ τὰ στόματα πάντα, πλὴν ἑνὸς τοῦ Κανωβικοῦ, χειροποίητα καὶ οὐ ποταμοῦ ὄντα, *Videntur igitur & ostia omnia, unico Canopico excepto, manu facta, neque ipsius fluminis, esse.* Ammianus *d.l. auctorem alveum* eleganter appellat, ex quo reliqui derivantur; Galli vulgò *Magistrum flumen* dicunt, ac *Matrem guttam*. V. infrà *Magistrum flumen*, & plura hanc in rem apud Salmasium *ad Solinum pag.476. & seqq.* ubi τὰ πρῶτα μέρη, *primas partes* Nili flum. in Bubastiaco alveo, τὰ δὲ τελευταῖα, *extremas autem*, in Canopico ponere Ptolomæum, inter alia, addit.

Canopus Deus, adde: Sacerdotum ejus meminit Gratius *Cyneget.*

Vix operata suo sacra ad Bubastia lino
Velatur sonipes festivi turba Canopi.

Ubi *lino velari* dicit; quoniam Sacerdotes Ægyptii è *lino* potissimum vestes habebant, hinc *Linigeri* passim dicti: quamvis & è lana arboris seu fruticis, quod *Gossypium* dicebatur, quidam ferrent. *Sonipedes* verò vocat, quasi κροτοῦντας, h. e. *scabillorum crepitu gaudentes*: In sacris enim pede sonari consuevisse scabillum, vetus Interpres Statii docet. V. Salmasium *ad Solinum pag 998.* & infrà in voce *Scabillum*.

Canopus Ins. in Canopico sinu seu ostio Nili sita, memoratur Solino *cap.31.* *Quod ab Atlante ad usque Canopitanum ostium panditur, ubi Libyæ finis est & Ægyptium limen, dictum à Canopo Menelai gubernatore, ibi sepulto, in ea Insula, quæ ostium Nili facit, gentes tenent dissonæ, quæ in avia solitudinis secretum recesserunt*; ad quem locum V. Salmasium *pag.41*..

Canstrisius, Græcè Κανστρίσιος, dictus est in Ecclesia Græc. qui sacrarum Patriarchæ vestium curam habebat, illumque, cùm se induit, adjuvabat, thuribulum item deferebat, & populum aquâ benedictâ aspergebat. An à κανστρίον, *incensi navicula*, an à κανίστρον, *canistrum*, in quo vestimenta Patriarchalia porrigebat, quod munus in Ecclesia Rom. Vestiarii est. Macer *Hierolex.*

Cantabri, adde: Hodieque multâ libertate fruuntur, neque ullum Regem, sed *Dominum* tantum agnoscunt; Hinc non licet Hispaniæ Regi, absque bona ipsorum venia, neque magno cum exercitu, fines Biscajæ ingredi. Georg Hornius *Orb.Imp.pag.281.*

Cantabrum, memoratum Surio *Tom.3.* ubi de Eutyche, Victorino & Marone Martyribus, teste Hadr. Turnebo *Adversar.lib.15. cap.16.* ex Apicio & Cœlio, furfur fuit, sossorum cibus apud Romanos, quod infimum servorum genus erat. Unde Galenus in *Dynamidiis* & Vegetius *in Veterin. succi cantabri* meminerunt, cremorem furfuris intelligentes, qui ita exprimi solebat: In pugillos aliquot furfuris infundebatur aqua, quâ post horas aliquot superfluâ refusâ furfures exprimebantur: tum furfuris succus albidus seu cremor sic usui erat. V. quoque F. Joh. de Balbis *Catholic.* Hujus mentio in *Histor.* de Nereo & Achilleo conservis, quos Aurelianus à Nerva Cæsare sibi donatos, per sua prædia divisit, *jussitque eos toto die terram fodere, & cantabrum edere ad vesperam.* Id est, furfuraceo pane, & canino more, nedum servili, illos tractavit. Vocis origo, vel à furfuraceo & contemtibili pane, captivis ac servilibus dato Cantabris: vel ab elementaria subtractione, quòd videlicet *cantabrum*, à caninis pultibus, quæ fere fiunt è furfuribus & frumenti variis purgamentis, quasi *Canabrum*, dictum Phil. Menzelius apud Pignorium *de Servis.* Et certè Juvenalis *Sat.5. versu* 10. cùm ait,

— — *Cùm possis honestius illic*
Et tremere, & sordes farris mordere canini:

cantabrum designare videtur, uti censuit antiquus Glossator, qui adjecit, panem sordidum canum esse. Nec aliud sibi voluit Phædrus *lib.4. f.17.*

Canes legatos olim misere ad Jovem,
Melioris vitæ tempus orantes suæ.
Uti sese eriperet hominum contumeliis.
Furfuribus sibi conspersum quod panem darent, &c.

Nec aliò forsan respexit Suetonius *Neron. cap.48.* *panem quidem sordidum oblatum aspernatus est.* Sed & Cantaber, apud Silium *lib.3.*

—— *ante omnes hyemisque, æstusque, famisque,*
Invictus, palmamque ex omni ferre labore:

huic pani dederit nomen. Nimirum bellicosum & asperum populum, non alia videtur decuisse panis ratio, quàm expedita hæc & parvo parabilis. V. Pignorium ubi *suprà*. Apud Impp. Romanos, cujus meminit Minucius Felix in *Octavio* & Tertullianus *in Apologet. cap.26.* ac *lib. ad Nat. cap.2.* *Cantabrum* Carolo du Fresne vexilli species est, quod quidem nominis unde hauserint Latini, incertum esse ait. Turneb. *contabrum*, a *conto*, censet legendum. Baronius, à *Cantabris* populis ejus nomenclationem derivat; Jac. Gothofredus aliunde, &c. V. eum in *Glossar.* Hinc *Cantabrarii*, inter vexilliferos recensiti *l.2. C.Th. de Collegiat.*

Cantare in Ecclesia, dicitur in Communione Rom. Presbyter, cui Ecclesia altera majori subdita regenda commissa est, uti *Capellania*, seu cui *Cantaria* est demandata. Hincmarus Rem. *Epist. 7.* *Ipse Ottericus dum ipsam Ecclesiam teneret, cantavit in Novizatte & in Landriturte, & in Boeris: titulus autem ipsius, in quo & residuus erat, fuit in Follanæbrajo* Idem infrà, pro *cantavit*, habet *ministravit*, apud du Fresne *Glossar.* Hinc *Cantaria*, in Communione eadem, Beneficium est Ecclesiasticum, Missis decantandis addictum, quod illi deserviunt, qui aliàs *Capellani* dicuntur, verba sunt Caroli du Fresne *ibidem*. V. infrà in voce *Capella*. Apud Legulejos Anglos Breve est, *Cessavit de Cantaria* dictum, quod conceditur ei, qui prædia resve alias Ædi religiosæ concessit, sub conditione divini alicujus servitii annui & lampadas accendendi, aut pauperes pascendi. Tunc enim, si ejusmodi conditiones non adimpleat Domus religiosa, breve istud donator impetrat. V. *Statutum* Westmonaster. *2. cap.41* Ibidem *Cantamissæ* dicuntur obventiones, ex cantatione Missæ. *Cantatorium* item in *Ordine* Rom. *Postquam legerit Cantor, cum* Cantatorio *ascendit, & dicit Responsorium Graduale*; Liber est Ecclesiasticus, quem Franci *Graduale* vocant, *quia in gradibus vel analogio reponitur.* Hunc, cùm Pontifex aut Sacerdos ad Altare procedit, à Bajulis, una cum cœteris vasis Ecclesiæ, quæ ii à primo Mansionario sumunt, deferri, in eodem *Ordine* dicitur. V du Fresne in *Glossar.* & Dominic. Macrum in *Hierolexico*. Sed & *Canticinium* inde, Cantus Ecclesiasticus, Officium Ecclesiasticum. Metellus in *Quirinal.*

Præsentat imminente canticinio
In veste palmea latens.
Corpus sacrum, suo super signaculo
Præmuniens sarcofagum.

apud du Fresne ubi suprà &c.

Cantare in Scena, proprium Tragœdorum, ut *saltare* Histrionum, fuit; & proin *cantare fabulam* dicebatur Tragœdus, eandem *saltare* histrio. Suetonius in *Caligula*, *Sed & aliarum generum artes studiosissimè & diversissimas exercuit. Thrax & auriga idem: cantor & saltator*; per *Cantorem*, Tragœdum; per *saltatorem*, histrionem intelligens. Malè proin quidam hæc confundunt, & histrionem pro Tragœdo ac auctore fabularum accipiunt, cum apertè distinxerint Vett. & Histrionem quidem Pantomimum appellarint; Tragœdum verò, qui fabulas canendo exprimit. Idem *ibid.* Canendi *ac saltandi voluptate ita efferebatur, ut ne publicis quidem spectaculis temperaret, quò minus & Tragœdo pronuncianti concineret: & gestum Histrionis quasi laudans vel corrigens palàm effingeret.* Hinc *cantare fabulam* dicitur Tragœdus, quam agit: Idem *in Nerone, Tragœdias quoque cantavit personatus.* Et paulo pòst, *Inter cætera* cantavit *Canacem parturientem, Orestem matricidam, Oedipodem excæcatum, Herculem insanum*: quæ omnia Tragœdiarum fuere argumenta. Idem Auctor *sub finem Neron.* *Observatum etiam fuerat, novissimam fabulam eum cantasse publicè, Oedipodem exulem.* E quibus licet intelligere, quare dixerit Horatius,

—— — *Donec* Cantor, *vos plaudite, dicat.*

Nempe Tragœdum hac voce indigitavit, quem *Tragicum cantorem* dixit Prudentius. Unde & *Tragica vox* in vet. Inscr. & *prædulcis vox* Tragœdi Suetonio *in Calig.* *Cùm assistens simulachro Jovis Apellem Tragœdum consuluisset, uter major illi videretur, cunctantem flagellis discidit: collaudans subinde vocem deprecantis, quasi prædulcem.* Sic Arrianus *Dissertat. Epicteti lib.3.cap.14.* Ὡς οἱ κακοὶ τραγῳδοὶ μόνοι ᾄδειν οὐ δύνανται, ἀλλὰ μετὰ πολλῶν ἅμα ... &c. E quibus omnibus facilè liquet, quæ recentiores Græci τραγῳδεῖν dixerint *cantare*. Scholiastes Theocriti quoque non uno in loco τραγῳδεῖν μέλπειν exponit. Glossæ vett. Cantatores, Τραγῳδισταὶ: & τραγῳδήματα, *cantilenæ*. Luitprando *lib.1. cap.11.* *Post nonnulla inutilia tragœdimata, id est, cantilenas, somno sese dedere, stertere, nauseam aliis simul intemperantia facere*, &c. V. Salmasium ad Vopiscum in *Aureliano*.

Cantator, apud Recentiores, pro Tragœdo, V. hic *suprà*.

Cantatrices, apud Chrysostomum *Homil.13. in Epist. Pauli*, Θρηνῳδοὶ γυναῖκες, in *Synodico* Nicosiensi *cap.20.* memoratæ, ex dentes

ma Præficæ sunt, de quibus multa congessit Kirchmannus *de Funeribus Rom. lib. 2. cap. 6. num. 50.* & nos dicemus infrà non uno in loco. Excommunicari eas in Concilio Nemosiensi *A.C.* 1198. *cap 4.* observat du Fresne ubi suprà.

Canterma, incantationis aut maleficii species, unde fortè nomen, *susurrus magicus*. Ejus meminit Gregorius M. *lib. 12. Indic. 7. Epist* 13. *Maleficio, quod vulgò* Canterma *dicitur, quosdam didicit maculatos.* Ubi *Canterina* du Fresne mallet legi: Etiamnum enim Italis *Canterini*, Senensibus *Cantarini* dicuntur, qui crebrò ac ultrò cantant, vel incantant. Sic Galli olim *Chanterres* dicebant. Alii tamen *cantamina* scribendum putant: Ita enim Magorum incantationes dictæ Apulejo in *Apolog.* &c. Idem. V. suprà *Canere*.

Canthari & *Canthara*, inter vasa Ecclesiastica non semel Anastasio reponuntur *in S Hilaro, S Simplicio, S. Symmacho, S. Hormisda, Sergio* alibique; ubi vocibus his modò vasa vinaria; namque κάνθαρος ποτηρίου εἶδος, Hesych. modò aquarum receptacula, unde aquæ erumpunt; Gallis *Bacins*, qui in mediis Ecclesiarum atriis seu propylæis extrui solebant, denotantur. Apud eundem in *Sylvestro* & *Leone III. Canthara e rostrata* seu *cerostata* occurrunt, h. e. *canthari* seu disci cereis instructi, in quibus illi candelabrorum vice infixi. V. infrà in voce *Pharacanthara*, &c. In *Missali* Ambrosiano *Cantarium* occurrit eodem sensu, ubi statuitur, ut in Missis cantandis Subdiaconus uni manu thuribulum ferat, alterâ *Cantarium*, h. e. candelabrum, cum candela ardente; quod in Metropolitana tantùm Mediolani Æde obtinet idem officium Subdiacono, dum Evangelium canitur, quoque obeunte. In his enim functionibus Ambrosiani acolythis non utuntur. Sed & lychnum pensilem, *cantharum* seu lagenam referente [illegible] vox notat, cujusmodi lychni effigiem ex antiqua pictura, habes apud Macrum in *Hierolexico*.

Cantharus, in infantum olim expositione adhibitus. Vas enim, quo infantes exportabantur, χύτρα dictum est vel *olla*; item ὀστράκιον; *fiscella* quoque (sic Mose in scirpea fiscella, navigioli speciem habente, expositus legitur) Aliquando ex bitumine ac papyro, seu arundine & levissimo ligno, aliquando fictile vas: *Cantharus*, ad poculi Bacchi similitudinem; nec enim Cantara anus est apud Terentium. V. paulo pòst: sed corbis potiùs, quæ cistella alibi: qualis, secundùm quosdam Moysis erat, viminea & clausa: Aliqui etiam in bubulo corio exposuerunt. In *Cantharis* verò exponi solitos, distimus ex Terentio *Andriæ Act. 4. Sc. 5.*

DAV. *Quem ne ego heri vidi ad vos adferri vesperi?*
MYS. *O hominem audacem!* D. *verum. vidi* Cantharam
Subfarcinatam.

Ubi non bene Donatus: *Canthara*, inquit, *nomen est anus.* Nam cur adferri dicitur, & non potiùs pedibus suis incedere? Major igitur veri species sententiæ Euphragii Grammatici, qui *Cantharam suffarcinatam* interpretatur, *corbem supponendo puero repletum*. V. Thom. Bartholinum *de Puerperio Vet.*

Cantharus sub lingua, inter genitales notas, quibus in Ægypto olim insignitus erat Apis, recensetur Plinio *lib 8. cap. de Api bove*, *Insigne ei dextro latere candicans macula cornibus Lunæ crescere incipientis; nodus sub lingua, quem* Cantharum *vocant*; Herodoto itidem, ubi de eodem, καὶ κάνθαρον ἐπὶ τῇ γλώσσῃ. Quid verò hac voce indigitatum fuerit, non adeò notum fuit: Multa enim illa significat & inter alia [illegible], cujus figuram nodus ille sub Apidis lingua potuit referre. Certè videtur hæsitasse Plinius, & Græcam vocem ideo retinuisse, cùm *scarabæum* dicere potuisset æquè bene, sic Græcis quoque dictum. Non dubium tamen quin κάνθαρος hic sit scarabæus. Namque hic apud Ægyptios Soli sacer uti bos Apis Osiridi, h. e. Soli, dicatus fuit. Erat autem sacer Soli scarabæus is, qui pilas volvit, [illegible] Græcis, propter quem reliquam scarabæorum turbam, inter Numina relatam esse, Plinius ait *lib. 30. cap. 11.* Operum enim Solis similitudinem huic scarabæo inesse dixere, quòd pedibus fimum subigens, illum in pilam, h. e. σφαιροειδὲς σχῆμα, cogat, illamque ab Oriente in Occidentem continuò volutet, &c. V. Salmasium *ad Solinum pag. 438.*

Cantherius, Græcè κανθήλιος, item κανθήλιος ὄνος, Suidæ est ὄνος μέγας, asinus prægrandis. Hinc Sosibius, Poëta Tragicus non inelegans,

Ἔφαγε μὲν ἄρτους τρεῖς ὅλους κανθηλίους
Τρὶς τῆς ἐλαχίστης ἡμέρας,
Comedit panum tres asinos prægrandes,
Ter in die brevi.

H. e. trium Asinorum onus, ut rectè Casaubonus *in Lectionibus Theocriti cap. 12.* *Asinus* enim Græcè κανθὼν, *asella* κανθίς, *clitellæ* κανθήλια. Certè *Cantherium* pro Asino sumi, constat ex *lib. 3.* Apuleji, cùm de se in Asinum mutato quendam inducit ita loquentem: *Quousque tandem* cantherium *patiemur istum, paulo antè cibariis jumentorum, nunc etiam simulachris Deorum infestum?* Alibi tamen *Cantherius* pro equo castrato sumitur. Itaque apud Varronem cantherius ab equo distat, ut capus à gallo, Sam. Bocharpus *Hierozoici Pars. prior. lib. II. cap. 13.*

Cantibus & *Herbis* ligandi solvendique modi, apud Magos, cantores. V. suprà in voce *Canere*, & infrà passim.

Canticum, solà voce peragitur, Psalmus instrumentis Musicis. In Communionis Rom. Psalmodia decem sunt *Cantica*, recitari statis temporibus solita, septem sc. ex Vet. Testamento, quæ per 7. hebdomadæ dies ad Laudes distribuuntur: & tria, ex Evangelio desumta; Nempe, *Benedictus Dominus*, quod etiam dicitur in Laudibus matutinalibus: in eo namque præcursoris Christi, qui velut aurora annuntiatrix veri Solis Justitiæ fuerat, mentio fit: *Magnificat*, quod recitatur ad Vesperas, quæ nobiliores Laudibus habentur, cùm festivitatis sint principium & hoc canticum vesperarum tempore fuerit compositum, quo ad Elisabethæ domum Maria Virgo pervenerat. Et *Nunc dimittis*, quod in Completorio recitatur; quia ad modum commendationis animæ est, quæ Deo exhibetur ante somnum, æternitatis symbolum. Et quidem tria hæc Evangelica *Cantica* stando recitari solent, solentque nonnulli sub uniuscujusque initium non minùs se cruce signare, ac in Missa, ad Evangelii principium, V. Macrum in *Hierolexico*: ubi *Canticum Dramatis* Officii *antiphonam* dici, addit.

Cantilena, V. suprà *Callisteum*.

Cantilena Rollandi, apud Wilhelmum Malmesbur. *de gestis Regum Anglor. lib 3.* Albericum Matthæum Paris. Matthæum Westmonaster. Alios, A C. 1066. de Wilhelmo Notho, ad prælium contra Haraldum sese apparante: *Tunc* Cantilena Rollandi *inchoata, ut Martium viri exemplum pugnaturos accenderet, inclamatoque Dei auxilio, prælium consertum, bellatumque acriter*; Clamor ille militaris fuit, *permistus exhortatione*, ut Sallustius ait, in procinctu pugnæ pronunciari solitus, cujusmodi *barditus* fuit vett. Gallorum apud Tacitum *de Moribus German.* Cantiones certè in pugnam aut bellum procedentibus, usitatæ plerisque jam olim gentibus propriorum Numinum ac Rituum. Unde Statius *Thebaid lib 4. versu 155*

inde bacchantes aptantur tela pharetris.
Herculeum Pæana canunt vastataque monstris
Omnia, &c.

Et Virgilius *Æneid lib 7.* de turmis Italicis à Messapo conductis,

Ibant æquati numero Regemque canebant.

V. quæ *ad Silium Italic.* hanc in rem adnotavit Casp. Barthius, ut & quæ *ad Statium Animadversion lib. 2 pag. 95*. Qui mos cùm & apud Christianos perduraret, huic rei in exercitu destinati *Cantatores* certi, qui milites ad strenuè rem gerendam excitarent, rerum præclarè à summis olim Ducibus gestarum exemplis, militibus ob oculos positis, iisque acri sono decantatis. Παρακλήτορας vocat Leo in *Tacticis*. τοὺς viz. διὰ λόγων διεγείροντας τὸν στρατὸν πρὸς τοὺς ἀγῶνας, [illegible], *qui verbis excitabant exercitum ad prælia — Romanè* Cantatores *dictos* V. eundem *cap. 12. §. 71. 72. 120.* & hic infrà. De Rollando verò *Dissertationem* Car. du Fresne XI. *ad Joinvillam pag. 205.* De aliis autem *Cantilenarum* generibus, hæc strictim subjicimus

Nonnulla alia Cantilenarum apud Vet. genera.

In Agro operæ mercenariæ, quò laborem canendo fallerent, peculiare cantabant poëmatium, Teleslæ in *Amphictyonibus* memoratum.

Balneatoris itidem sociis erat, ut prodidit Crates in *Tolmis*.

In Conviviis, Scolia cantabantur, V. infrà.

de Follonum cantione, apud Gallos, V. Scaligerum *Poetic. lib. 1. cap 56.* ut & de Dulcariorum, Crustulariorum & Lignariorum, *ibid.*

Lanificarum poema, ἴουλος Gr. dicebatur: commune cum Messorum cantu. Ἴουλος enim tum *spicam*, tum *lanam*, significavit.

Messorum cantus, ἴουλος, ut dictum. Uti enim ἀμάλλας, hordeaceos manipulos divulsos, sic collectos ἰούλους vocabant.

Molitorum *cantilena*, ἐπιμύλιος vocabatur.

Nautæ, non minùs suas habebant *Cantilenas* unde in *Commentariis* Acharnensium Aristophanis, γίγγλαρον legimus esse μέλος quoddam Musicum & nauticum παρακελευστικόν.

Pistores, quod canebant ad molam, [illegible] vocabant. Aristoph. *in Atticis* & Callimachus in *Hecale*. Erat autem [illegible] Doriensibus mensale genus. Sed & in *Thesmophoriis* quæ [illegible] Aristoph. est, quod servientes pistores cantillarent.

Præficæ, peculiare quoque carmen habebant; commune omnibus funeribus: quod privatim faciebant, mutatis nominibus.

Textricum telas *cantilena*, ἔλινος appellata est, fortè à *lino*.

In Vindemia, cùm primum mustum gustabant, ita canere mos fuit: *Omnis gratia vetus, novum vinum bibo. Veteri novo morbo medeor.* Unde & *Meditrina* Dea cui libarent tunc, & *Meditrinalia* sacra, à *medendo*. Quibus proxima Scotia in Conviviis cantari, ut dictum, solita. Cujusmodi Poëma integrum à Praxilla Sicyonia compositum, à quo hi versus superstites [illegible]. Sed de his V. infrà in voce *Scolion*: plura verò hanc in rem, apud Julium Cæs. Scaligerum, ubi *suprà*.

Cantilenarum Magistri, *die Meistersenger*, dicuntur apud Germanos, qui quamlibet historiam sive sacram sive profanam, in rhythmos ac certas carminum leges componunt, illasque suas cantilenas, *die Meistergesang*, propositis brabeis in publica hominum corona concinere solent: more, ex antiquissima Germano-

rum consuetudine hausto, quam indigitat Tacitus *Annalium lib.2. sub fin.* ubi de Arminio, Cheruscorum Principe fortissimo, *Canitur*, inquit, *apud barbaras gentes, Græcorum Annalibus ignotus, qui sua tantùm mirantur.* Et de *Moribus Germ.cap.2. Celebrant carminibus antiquis (quod unum apud illos memoriæ & Annalium genus est) Tuistonem — & filium Mannum, originem gentis conditoresque.* Sic Eginhardus de Carolo M. in *Vita* ejus, *Barbara*, ait, *& antiquissima carmina, quibus veterum Regum actus & bella canebantur, scripsit memoriæque mandavit.* Unde Jo. Trithemius Spanhemius Abbas *in Histor. Francor. Mos erat Majoribus nostris, Francis atque Germanis, ut Heroum facta vel dicta memoratu digna, per Sacerdotes Templorum, patriis commendarentur carminibus: in quibus discendis, memorandis & decantandis Juvenum excitarentur ingenia. Quæ consuetudo multis duravit annis nec hodieque defecit. Cujus rei testes sunt sacri pæanes, de incarnatione, morte ac resurrectione Jesu Christi: similiter profanæ aliquot cantiunculæ, de veterum Heroum Regumque gestis,*&c. Idem verò & Gothi fecerunt, quos præclara Majorum gesta in carminibus, patrio sermone comprehensa, frequenter concinuisse, neque ævi vetustate aboleri possent, rupibus saxisque insculpsisse, testis est Jornandes: è quibus proin non exiguam historiæ scribendæ materiam Joannes Magnus desumpsisse se fatetur. Ut alias gentes barbaras & literarum planè rudes, in Occidentalibus quoque Indiis, quæ multarum historiarum memoriam πατροπαραδότως quibusdam cantilenis per annos plurimos conservasse comperiuntur, omittam. Certè & de Romanis Græcisque priscis similia legimus; extantque in Sacris literis moris hujus non apud Israëlitas solùm, sed & primos mortalium luculenta testimonia. Hodie notissima apud Helvetios cantilena, quâ Wilhelmi Telli; apud Belgas Fœderatos, quâ Wilhelmi Nassovii, libertatis in utraque gente auctorum vindicumque fortissimorum memoria celebratur,&c. Decantari autem consuevere istiusmodi cantilenæ privatim publiceque, maximè in conviviis ac congressibus celebrioribus; in præliis præsertim: uti inprimis docet in Francorum gente præfata *Cantilena Rollandi.* Plura verò de his vett. *Cantilenis.* V. apud Matth. Berneggerum *ad Taciti Germ. Quæst. 6.*

Cantium, adde: Primum fuit ex VII. Regnis, quæ Anglo Saxones in Britannia constituerunt, fundatum ab ipso Hengisto, A.C. 449. Reliqua fuere, Regnum Suthsexiæ, West-Saxonum, East-Saxonum, Northanthumbriæ, East-Anglorum & Merciorum. Postea sub unum Regem, sub Guilielmo Conquestore, his omnibus redactis, soli *Cantii* suam libertatem & leges antiquas armis defenderunt: unde Prov. *Cantii & omnes Christiani nunquam fuerunt domiti.* Georg. Hornius *Orb. Imper. edit.* 1677. *pag.* 313. *&* 321.

Cantobenna, vulgò *Chantoin*, vicus Galliæ, in Arvernia, prope Clarum Montem, à quo *Crypta Cantobennensis*, & *Arx Cantobennici Montis*, Monasterio clara, Gregorio Turonensi dicuntur. Hadr. Valesius *Not. Gall.*

Cantor, Græcè Ἀοιδὸς apud Homerum *Odyss.* γ.

Ἡ δ' ἤτοι τὸ πρὶν μὲν ἀναίνετο ἔργον ἀεικὲς
Δῖα Κλυταιμνήστρη, φρεσὶ γὰρ κέχρητ' ἀγαθῇσι,
Παρ' γὰρ ἔην καὶ Ἀοιδὸς ἀνὴρ, ᾧ πόλλ' ἐπέτελλεν
Ἀτρείδης, Τροίηνδε κιὼν εἴρυσθαι ἄκοιτιν,
Ἀλλ' ὅτε δή μιν μοῖρα Θεῶν ἐπέδησε δαμῆναι,
Δὴ τότε τὸν μὲν Ἀοιδὸν ἄγων ἐς νῆσον ἐρήμην
Κάλλιπεν οἰωνοῖσιν ἕλωρ καὶ κύρμα γενέσθαι.
Τὴν δ' ἐθέλων ἐθέλουσαν ἀνήγαγε ——
Ipsa quidem antea certè abnuebat facinus indignum
Diva Clytemnestra (mente enim videbatur bona:
Etenim aderat Cantor *vir, cui plurimùm mandarat*
Atrides ad Trojam profectus servare uxorem)
Sed cùm jam ipsam Fatum Deorum irretivit, ad hoc ut domaretur,
Jam tum ipsum Cantorem ducens ad Insulam desertam,
Dereliquit avibus lacerationem & rapinam fieri;
Ipsam verò volens volentem duxit, &c.

Idem cum *Poeta* est seu *Vate*, quo nomine honorificentissimo Philosophi seu Sapientes antiquissimis temporibus veniebant. Et quidem primum, quo innotescere hominibus Poëtæ antiquissimi cœperunt, argumentum ac materies fuit ἡ σωφροσύνη; hocque fine vitæ hominum adhibebantur, ut vel eos, qui ætate jam provectiores erant, sicut Persen suum Hesiodus; vel minores, & qui modum vitæ nondum habere poterant, instituerent, quorum illos propriè Ποιητὰς, istos Διδασκάλους, Comicus vocat. Utrumque tamen non rarò confunditur: Et præsentiâ enim suâ, & postea scriptis, temperantiæ & justitiæ Magistri erant publici, quibus ἐπὶ ἀρετῆς παιδείᾳ maximi quique nobilissimique committebantur. Sicut etiamnum tempore Platonis, tanquam propria, vox Σοφὸς, attributa legitur Poëtis. Unde semper, ὁ σοφὸς Ἡσίοδος, ὁ σοφὸς Ὅμηρος, ὁ σοφὸς Ἀρχίλοχος, ut & multis post eum ætatibus, quamvis ignota esset causa. Primum autem, quod docebant olim, erat temperantia. Ideoque ingenuorum liberis ante pubertatem statim præfici solebant, ut viderent, ne auderent τὰς ὥρας χαρίζεσθαι; quos Παιδαγωγὸς Græci, Ἀκολούθους Athenienses, Latini *Comites* & *Custodes*, antiquiores etiam Εὐνούχους & Ἀοιδοὺς dixere: quamvis eorum proprium munus docere esset. Sic Alcibiades apud Platonem *in Convivio* negat, quod formosus esset, absque Ἀκολούθῳ primò Socratem adire ausum fuisse. Et Virgilius de Ascanio *Æneid lib.5.*

At pater Æneas, nondum certamine misso,
Custodem ad sese comitemque impubis Juli
Epitiden vocat,&c.

Ex his rursus vetustissimi illi fuere, quibus matronæ καὶ ἡ γυναικῶν committebatur, qualis celeberrimus ille Ἀοιδὸς Homericus præfatus. Iidem Σωφρονισταὶ & Εὐνοῦχοι postea Græcis, Latinis *Custodes* dicti sunt. Hesychius, Ἀοιδὸς, ᾠδὸς, κιθαρῳδὸς, καὶ ὁ ποιητὴς, καὶ ὁ θρηνῳδὸς, ὁ εὐνοῦχος, ἀηδὼν. Veteres certè Magistri, Ἀοιδὸν illum, qui in officio Agamemnonis uxorem continebat, Εὐνοῦχον interpretati sunt, quod nomen temperantiæ tum erat, non fœditatis. Antiquissimi enim τὸ εὖ νοῦν ἔχειν intemperantiæ directè opponebant, cujus partes omnes ἄνοιαν dicebant. Unde illud apud Comicum, ὅπου τ' ἀπέχεσθαι καὶ ἀνοήτων πάντων; opponebant namque *temperantiam* & *dementiam*, sicut postea σωφροσύνην & ἀφροσύνην Philosophi; ac pro ἀφροδισιάζεσθαι, μωραίνειν dicebant & ἀφρονεῖν. Quæ causa, cur Horatius hominem temperantem *integrum* vocet, amanti eum opponens, *Carm. lib.2. od.4.*

Brachia & vultus teretesque suras
Integer laudo.

Et *integram* Dianam, i. *castam*, *lib.3. od.5.* Quippe mentis mutilationem καὶ πήρωσιν esse intemperantiam putabant. Sic itaque apud antiquos continentiæ Magistri, quamvis integri essent, Εὐνοῦχοι dicti sunt: in quorum locum sequiori ævo successere mutilati ac moribus dissimiles; qui cùm γυναικωνίτιδα non modò occuparent, sed & puerorum curæ præficerentur, manifestam integris gentibus ruinam invexerunt. Unde queritur Plato *de Legg. lib.3.* διαφθαρεῖσαν τὴν παιδείαν ὑπὸ τῆς λεγομένης εὐδαιμονίας τὴν Μηδικὴν, ὑπὸ ἀφειμένων ὑπὸ γυναικῶν καὶ εὐνούχων παιδευθέντας αὐτῶν τοὺς υἱεῖς. Certè is, in quem elegia Nasonis extat,

Heu mihi quòd dominam nec vir nec fœmina servas.

eandem τάξιν apud puellam illam obtinebat, quam *Cantor* ille seu Ἀοιδὸς Homericus, apud Clytemnestram. Idque Barbarorum imitatione factum, qui loco Poëtarum Σωφρονιστῶν, qui fœminarum ab antiquis custodiæ præficiebantur, quò suspicione res careret, fere Eunuchos præficiebant,&c. Dan. Heinsius *Introduct. ad Hesiodum cap.6.*

Cantor, apud Vett. quoque pro Tragœdo vel Comœdo, V. suprà in voce *Cantare*. In Ecclesia Rom. idem est cum Psalmista. Amalarius *de Officiis Eccl. lib.3. cap.5. Septem gradus sunt ordinatorum, octavus* Cantorum, *nonus & decimus Auditorum utriusque sexus.*&c. Primitus autem in ea, non singulis in ædibus psalmodiæ erant, cùm reditus adhuc assignati neutiquam essent, singulis canentium Collegiis sustentandis. Hinc Romæ *Schola Cantorum* instituta est, quæ Urbi communis erat & ad stationes, processiones, singulasque diebus festis Ecclesias conveniebat, ibique sacra officia & Missarum solennia decantabat. Hæc communibus victitabat sumtibus habebatque magnæ in Urbe dignitatis & existimationis Præfectum, qui *Primicerius*, interdum *Prior Scholæ Cantorum* dictus est, cujus operâ selecti juvenes in cantu, lectione sacrorum librorum, & optimis moribus instituebantur. Initium ejus Hilario adscribere videtur Pontifici Anastasius Biblioth. at Johannes Diaconus Gregorio M. disertè ascribit in *Vita* ejus *lib.6. cap.2.* ubi *Scholam* hanc ab illo primùm institutam eique *cum nonnullis prædiis duo habitacula assignata esse*, refert. Nempe, cùm prius ipsi Sacrorum Administri & Diaconi *Cantorum* vices obirent, is primus peculiare *Cantorum* in Ecclesia officium constituit. Sic in alias Ecclesias earum usus transiit: de cujusmodi Scholis, ita Domnizo in *Vita* Mathildis *lib.1. cap.2.*

Post hæc excelsum studuit sibi fingere Templum,
Divinasque Scholas, canerent quæ dulciter Horas,
Nocte die Christo,&c.

Per excellentiam verò, qui istiusmodi Scholæ præest, *Cantor* dicitur: quos capita olim pileolis operuisse, & baculos manibus gestasse, Honorius ait Augustodunensis *lib.1. cap.74.* De vestibus eorum agit Amalarius *de Eccles. Offic. lib.3. cap.4.* & Ekkehardus Minimus *de Vita Notkeri Balbuli cap.16.* ubi de Cunrado Imp. *Apud Maguntiam*, inquiens, *civitatem S. Galli Monacho scholas ibi regente & procurante etiam* Cantoris *officium, ut solitum est, in medio choro imponens* (nempe cantum) *crebro coronatus & infulatus, adornatusque pretiosissimis indumentis,*&c. In Cathedrali Lugdunensis Ecclesiæ, in qua omnes Canonici titulo *Comitis* gaudent, præcipua est *Cantoris* dignitas. Unde, si contingat, ut in recitatione Officii in Choro error aliquis committatur, statim *Cantor* signum manu dat: quo facto omnes profundo silentio è Choro discedunt & in aliquam Ædis Capellam sese recipientes, privatim ibi residuam officii partem absolvunt. In multis ejusdem Regni Ecclesiis *Festum Cantoris* vocatur festum primæ Classis, quia tunc *Cantoris* est, officium ordinare: sicut festum secundæ Classis, ob similem causam *Festum Succentoris* vocitatur. In Insula Melita Canonicus Cantor in solennitatibus ac processionibus, manu defert virgam argenteam, & ipse Episcopo in Pontificalibus præcinit,&c. V. suprà in *Archiparaphonista* & alibi passim. Sed & officium

tiam Monasticum vox notat, apud Lanfrancum in *Decret. pro Ordine S. Benedicti cap. 5.* Quemadmodum *Cantrix*, quæ cantum imponit & cantatricibus præest, in Monasteriis Sanctimonialium, occurrit, apud Petrum Abelardum *pag. 155.* Tandem *Cantores*, apud Galfridum Monumethensem *lib. 1. cap. 22.* Ministelli sunt, joculatores. *Cantadours*, Provincialibus dicti, de quibus V. infrà in voce *Ministelli*, & plura hanc in rem apud du Fresne *Glossar.* & Dominic. Macrum in *Hierolexico*.

Cantorum Schola, ædes Romæ, Anastas. V. suprà.

Cantus Ambrosianus, ab Ambrosio institutus in Ecclesia, memoratur Radulfo Tungr. *de Canonum Observ. lib. 10. Proposit. 11.* ibique Romano contradistinguitur, his verbis: *Officium Ambrosianum ad Nocturnos & Matutinos atque Vesperas, Laudes, nec non ad Missam, habet solennem & fortem cantum, omnino alium à Romano, quem hodierna die sonora & forti voce sonant Clerici civitatis & Diœcesis Mediolan. & exinde apud Romanos B. Gregorius & Vitalianus PP. cantum Romanum receperunt, qui per eos, seu per alios, sub tenore & tono, qui hodie cantatur, ubique extitit magis planè dulceratus & ordinatus.* Primus nempe Gregorius M. *Cantum Ecclesiasticum* correxit reduxitque ad certum Musicæ concentum, quem in universo Orbe Christiano observari voluit, & Scholas Cantorum, uti suprà diximus, Romæ instituit. Atque hinc *Cantus* illi *Romani* nomen, quia viz. in Rom. Ecclesia, à Schola Cantorum Gregorio Auctore institutâ, usurpari primùm solitus est: inde demum in reliquas Ecclesias delatus, quas Româ cantuum libros, missis ad hoc nuntiis à Pontificibus Rom. impetrâsse, Chilienus indigitat *Vita S. Brigidæ lib. 3. cap. 9. num. 61.*

Libros compositos, cantumque & munera multa
Misit Apostolicus Brigidæ, concessit habenda,
Tradidit illa suis, discendi vertit in usum.

Præ cæteris autem Gregorianum hunc seu *Romanum Cantum* amplexati sunt Germani Gallique, qui tamen cùm de proprio quidpiam admiscuissent, identidem missi sunt à Pontificibus è Schola Rom. Cantores, qui dissonos Ecclesiarum cantus ad legitimum Romanæ harmoniæ modum revocarent. In Gallia certè Pipinum Gallicanum cantum, quòd nimium à Romano discreparet, omnino tollere in animo habuisse, discimus ex *Constit.* filii ejus Caroli M. *de Emendat. Libror. & Officior. Eccles.* ut & aliunde passim. Unde Stephanus II. Pontif. Rom. cùm sub eo in Galliam venisset, ab illo rogatus, per suos Clericos, Romanum cantum invexit, teste Walafrido Strabone *de Rebus Eccles. cap. 25.* Sed & ante Stephani in Galliam adventum, qui incidit in A. C. 753. jam curaverat Pipinus, Remedii fratris rogatu, accersiri Româ, qui Gallicanos Cantores in Psalmodiæ recitatione erudirent, uti patet ex *Epist.* ad eundem Pipinum Pauli I. *Histor. Francor. Tom. III.* Extincto post hæc Rege, Carolus M. filius & Successor, ab eodem Stephano XII. Clericos *Carminum divinorum* seu Romanæ modulationis *peritissimos* obtinuit, qui in Galliam advecti, in diversas Regni Ecclesias dispersi sunt. Verùm hi, cùm invidiâ & odio Francici nominis, pacto inter se inito, quisque suo loco quàm depravatissimè canerent, Carolus Leoni Pontif. rem detulit, qui Romam evocatos partim exilio, partim perpetuo carcere, damnavit, & ne in posterum simile quid accideret, Carolo persuasit, *ut duos suorum industrios Clericos* Romæ apud se relinqueret, quò Romanam addiscerent modulationem & peritiâ hac instructi, alios in Gallia Clericos erudirent: quod factum ita. His proin in Galliam reversis, alterum Imperator secum retinuit, alterum ad Drogonem fil. Metensem Episc. qui id à Parente efflagitarat impensiùs, misit; *cujus industriâ*, verba sunt Sangallensis *lib. 1. cap. 11. non solùm in eodem loco pollere, sed & per Franciam in tantum cœpit propagari, ut nunc apud eos, qui in his regionibus Latino sermone utuntur, Ecclesiastica Cantilena dicatur Metensis; apud nos verò — Mete*, &c. At qui apud Carolum remanserat Cantor Romanus, Palatinos Clericos in eadem modulatione erudivit. Ledradus Archiepisc. Lugdun. *Epist.* ad Carolum: *Et ideo officio vestræ pietatis placuit, ut ad petitionem meam mihi concederetis reditus, qui ab antiquo fuerant de Lugdunensi Ecclesia, per quam Deo juvante & mercede vestrâ annuente, in Lugdunensi Ecclesia est ordo psallentium instauratus, ut juxta vires nostras, secundùm ritum sacri Palatii, omni ex parte agi videatur, quidquid ad divinum persolvendum officium ordo exposcit. Nam habeo Scholas Cantorum, ex quibus plerique ita sunt eruditi, ut alios etiam erudire possint*, &c. V. Carolum ipsum *contra Synodum de Imagin. lib. 1. cap. 6.* Amalarium *de Ord. Antiphon. cap. 68.* Cardin. Bona *lib. de Psalmodia*, Alios, laudatos Carolo du Fresne in *Gloss.* Adde Macrum utrumque in *Hierolex.* & quæ infrà *de Musica Eccl.* At *Cantus inclusi*, apud Plinium *lib. 16. cap. 36.* ubi de calamis tibialibus, *Hinc*, inquit, *armamenta ad inclusos cantus*: sunt qui tibiis peraguntur, ad differentiam apertæ vocis, quæ cantus statim in aërem effundit, nec instrumentis inclusos habet. Cujusmodi canendi ratio antiquissima ac simplicissima est, & ad movendum inprimis efficax, utpote maximè naturalis. Unde Itali spadones tantopere Magnatibus expetiti, &c. V. Salmasium ad *Solinum pag. 118.*

Cantus, in vet. *Charta*, apud Ughellum *Italiæ Sacr. Tom. VII. pag. 393.* Italis *Canto*, latus est, angulus, Gall. *coin.* Unde *in cantu sedere*, apud Audoënum in *Vita S. Eligii lib. 2. cap. 15. Nullus Christianus in pyras credat, neque in cantu sedeat, quia opera Diabolica sunt*: ubi inter superstitiones paganorum id quoque memoratur. Gallis *Estre assis de cant*, est *Estre assis de costé*, du Fresne *Glossar.* Sed & Κάντ vel Καντὸν & Κανδίον, Græci recentiores vocarunt, quod *angulosum* sit, &, quum frangitur, in partes semper dissiliat *angulatas*. Unde *Saccharum Candum* apud Myrepsum; quod frustra alii à *candore*, aut à *canna*, dictum contendunt. Salmasius *ad Solinum pag. 1022.*

Canudan, lacus Armeniæ, qui Ptolomæo *Thospitis*, *lacus est aquæ salsæ, in quo nullum reptile, nec piscis ullus*, uti habet Geographus Nubiensis *clim. 4. part. 6.* Nomen ei à sterilitate, namque Arabibus *canoud*, ἄγονον, seu *sterilem* sonat. Cujusmodi lacum etiam in Arcadiæ Pheneo fuisse, narrat Ælianus *Histor. Animal. lib. 3. cap. 38.* Ἐν δὲ Φενεῷ λίμνη ἰχθύων ἄγονός ἐστι, *In Pheneo lacus piscium sterilis est.* Quo eodem sensu ἄγονος à Josepho appellatur Judææ lacus Asphaltites, *de Bello Jud. lib. 5. cap. 4.* eò quod piscibus careat, &c. V. Sam. Bochartum *Hierozoici Part. prior. lib. I. cap. 6.*

Canuleia lex, à C. *Canulejo* Trib. Pl. lata, M. Genutio Augurino, C. Curtio Philone Coss. anno U. C. 308. voluit: *Ut plebi cum Patribus connubiorum jus esset.* Idque contra legem XII. Tab. quâ cautum erat, *Ne liceret Patriciis conjungi cum Plebejis*, V. Augustinum *de C. D. lib. 3. cap. 17.* Livium *lib. 4.* &c.

Canusinæ russæ tunicæ, apud Romanos, servis militibusque in usu fuere. Martialis,

Roma magis fuscis vestitur, Gallia russis,
Et placet hic pueris militibusque color.

Supra quas (erant enim interior vestis) sagochlamys accipiebatur. *Phœnicidas* apud Trebellium Pollionem in *Claudio*, interpretatur Turnebus, & hunc sequutus Casaubonus: sed Φοινικίδα Græci τὴν ἐφεστρίδα appellabant, h. e. *paludamentum* vel *chlamydem*, quam supra tunicam induebant. Ita enim clarè in *Crasso* Plutarchus, λέγεται δὲ ἐξελθεῖν οὐκ ὥσπερ ἔθος ἐστὶ Ῥωμαίων στρατηγοῖς ἐν φοινικίδι ἐσθῆτι, ἀλλ' ἐν ἱματίῳ μέλανι, *non in paludamento coccino, ut mos est Romanorum Impp. sed in pullo amictu processisse.* Et sanè ἡ Φοινικὶς, *punicea chlamys* est, ut ἡ ἁλουργὶς purpurea. *Tunicæ russæ* sunt φοινικοῖ χιτῶνες, quos φοινικοῦς ὑποδύτας vocat Plutarchus in *Philopœmene*, &c. V. Salmasium *ad Historiæ Aug. Scriptores l. c.* & *ad Solinum pag. 316.*

Caorcini, seu *Corsini*. Mercatores Itali propter fœnerationem usurariam famosi, maximè in Gallia, unde non semel à Regibus proscripti sunt, Legibus Statutisque contra fœneratores editis. Inter alia extat *Edictum* Ludovici IX. A. C. 1268. quo *Caorsinos* usurarios proscripsit, factâ tamen Mercatoribus Lombardis, *Caorcinis*, aliisque extraneis, mercaturam in Gallia exercendi facultate, dummodo nullum facerent usurarium fœnus. Aliud item Philippi Audacis, *Extirpare volentes de finibus Regni nostri usurariam pravitatem, quam quosdam Lombardos &* Caorsinos, *aliosque complures alienigenas, in eodem Regno publicè intelleximus exercere, mutuantes pecuniam obligatam sibi pignoribus ad usuram & habentes ad hoc domos specialiter deputatas, in quarum extorsionibus usurarum valde prædictum depauperant Regnum*, &c. Quo Edicto, è Regno proscribuntur duobus mensibus, post ejus *proclamationem*. Mox additur, *Non inhibemus tamen, quin mercatores Lombardi*, Caorsini, *& alii undiquaque pro suis negotiis & mercaturis legitimè exercendis, in Regno nostro morentur, pacificè vivant, veniant & recedant*, &c. Sed & in Anglia hæc pestis eousque invaluit, *ut vix esset aliquis, qui retibus illorum non illaquearetur. Circumveniebant enim in necessitatibus indigentes, usuram sub specie negotiationis palliantes*, &c. Subdit dein formulam, quâ debitores sibi obligabant, V. quoque Matth. Westmonasteriensem *A. C. 1232. sub fin.* Proscripsit eos Angliâ Henricus III. A. C. 1240. cùm verò Papæ interventu, ut habet Matthæus Parisius, eò rediissent decennio pòst, mox ob immensas & detestabiles usuras, denuo proscripti & carceri mandati sunt A. C. 1251. Quod ut in terris suis quoque fieret, testamento suo cavit Henricus III. Brabantiæ Dux, A. C. 1260. &c. Nomen illis à *Caduerco*, Occitaniæ in Gallia celebri urbe, in qua ii commercia sua exercebant: unde postmodum Montem pessulanum & Nemausum translati sunt, uti habet in voce *Langobardus* du Fresne. Sunt tamen, qui istud nominis à familia *Caorsina*, aut *Corsina*, Florentinâ, deducendum censeant: quæ cum aliis ejusdem Urbis & provinciarum vicinarum familiis, in universa penè Europa, mercaturæ operam dederit. Licèt enim *Lombardorum* appellatione omnes Mercatores Itali, in Regnis Italiæ finitimis & longinquis fœnus exercentes, agnoscerentur; erant tamen ii in Societates distincti, ex inito invicem pacto & fœdere, quæ vulgò familiæ nobilioris, penès quam mercimonii summa erat, nomine donabantur. Quam ob causam crebrò occurrunt Societates *Amanatorum*, *Acciaivolorum*, *Bardorum*, *Corsinorum*, &c. apud Johann. Villaneum, præsertim *lib. 11. cap. 137.* ubi societatem *Corsinorum* disertè memorat. Etiam verò Ugolinus Verinus *Florentiæ Illustr. lib. 3.* familiæ *Corsinæ* inter Florentinas, meminit:

Clara Sophocleo stirps est memoranda cothurno
Corsinæ sobolis, nulli virtute, secunda.

Quia autem *Caorsini* hi usurarii undique exagitabantur, proscribebantur & in vincula conjiciebantur publica, hinc nata Gallis

 loquendi

loquendi formula, *Enlever quelqu'un comme un Corsin*, cùm aliquem in carcerem per vim abductum vident, &c. V. Carolum du Fresne *in Glossario*.

Capaneus, adde: Cutem ejus in boum pelles duratam, habet Lutatius *ad Statium Thebaid. lib.*6. De combusto verò ejus fulminati cadavere, V. Jac. Nicolaum Loënsem *Miscellan. lib.*3.*cap.*20. laudatum Casp. Barthio *Animadversion. ad Papinium Statium lib.*3. *pag.*1560. Inter Taurisci celebris pictoris opera, *Capanei* quoque imaginem refert Plinius *lib.*35.*cap.*11.

Caparo seu *Capero*, Italis *Caperone*, Gall. *Chaperon*, Occitanis *Capayron*, vox est recentioribus usitata, Guiberto *de Vita sua lib.*1. *cap.*22. & in *Regulis Monasticis* passim: pro tegmine capitis, cucullâ. A' *capronis*, h.e. capillis muliebribus demissis in frontem, dicta. Viro docto *ad Taciti Annal. lib.* 3. *quid*, inquit, *in vultum si dimittas à capite*: Aliis potiùs quasi *brevior capa*, quæ majori capæ substernitur. Formam ejus describit du Fresne verbis *Statut.* MSS. Ordinis Milit. Coronæ Spineæ sub Carolo VI. V. eum in *Glossario*. Villicos olim id caputii gestasse, hodieque in usu esse Novitiis Capucinorum, Professis verò eorum non imponi, nisi cùm ignominiæ pœnam merentur, leges apud Dominic Macrum in *Hierolexico*. *Caperonem usque ad cingulum habet*, Matthæus Parisius alicubi, apud Eund. V. quoque infrà in voce *Cappa*.

Capdetus, Gall. *le Capdet*, cognomen impositum Carolo Albretano, qui reus Majestatis damnatus est, quòd Johannis Armeniaci partes sectatus esset: Ita autem secundò-genitos appellant Occitani, unde reliqui Galli *Cadets* dicunt. Vocis origo à *cap*, h.e. *caput*, quasi *minora capita*, respectu primogenitorum, qui *Capmas* vocabantur, *capita domus* Gall. *les Chefs de maison*: tametsi dominos quosvis sic appellasse videantur *Bigorritani*. Car. du Fresne *Glossar.*

Capella, seu *Capra lactens*, inter sacrificia; pro peccato per ignorantiam commisso, occurrit Levit. *cap* 4 *versu* 27. & *seqq.* *Quòd si animæ quispiam peccaverit per errorem ex vulgo; faciendo aliquid præter mandata Jehovæ -- tum adducet oblationem suam capram lactentem integram, fœminam -- & nitente (illo) manu suâ super caput ipsius peccati, jugulabit* (Sacerdos) *peccatum istud in loco holocausti*, &c. Item inter sacrificia, in aliis peccatorum leviorum casibus, offerri solita, qui recensentur *cap.*5. *versu* 1,2,3, & 4. *Quum peccaverit quispiam & audierit vocem blasphemiæ, cujus ipse testis sit -- si non indicet -- Aut quum quispiam tetigerit rem ullam immundam aut cadaver --, aut quum tetigerit immunditiam hominis*, &c. *Versu* 6. *Et adducet reatum suum Jehovæ -- fœminam lactentem ovem aut capram lactentem in reatum.* Cujus vice egenis duo turtures, aut duo pulli columbæ, permittuntur, *versu seq.* &c. V. quoque infrà passim, inprimis in voce *Capra*. De *Capella* verò, signi cœlestis, ortu, Plinium ad *lib.* 18. *cap* 26. &c.

Capella, diminutivum ex *capa* seu *cappa*, quasi *brevior capa*, apud Adalardum *in Statutis* antiquis Corbeiensis Monasterii *lib.*1. *cap.*1. Sic meminit *Capellæ S. Martini* Marculfus *lib.*1. *Form.* 38. *Sed dum inter se intenderent -- fuit judicatum -- quòd in Palatio nostro super* Capellam domini Martini, *ubi reliqua sacramenta percurrunt, debeant conjurare.* Ubi *Capella* Carolo du Fresne, est brevior Martini capa, in Palatio asservari solita, quam *Roccum* S. Martini vocat Santgallensis *lib.* 2 *cap.*27. *Carolus habebat pellicium berbicinum, non multum amplioris pretii, quàm erat roccus ille S. Martini, quo ... ambitus, nudis brachiis Deo sacrificium obtulisse, astipulatione ... comprobatur.* Quo in loco tangit id, quod Severus ... & Fortunatus *de Vita S Martini lib.*3. & *lib.*1. *Poem* 5. referunt, cum se Præsul hic sacra facturus in Ecclesia, exutâ tunicâ pauperem vestivit, & *bigerrica* veste brevi atque hispidâ, humeros contectus, cetera nudus, in templum perrexit. In cujus facti memoriam, asservatam illam bigerricam vestem censet du Fresne, inter reliquias hujus Viri ceteras, quam pallii seu *mantelli* appellatione vulgò insigniunt Galli: nam pallii vice fuere olim bigerricæ, non manicatæ, uti exstiterunt capæ. Atque hinc idem Auctor ipsam ædem, in qua *Capa* hæc seu *Capella S. Martini* asservata est, intra Palatii ambitum ædificatam, quò etiam reliquorum Sanctorum lipsana illata sunt, *Capellæ* nomine insigniri cœpisse judicat, nomine postea ad alias quoque istiusmodi ædiculas translato, &c. Qua de re quid sentiendum, diximus in voce *Capella* Certè *Palatinarum Capellarum* mentio, apud Francicarum rerum Scriptores frequens est: inter quas præcipua olim fuit Aquisgranensis, de qua V. Eginhardum in *Vita* Caroli M. Sigibertum A. C. 795. Miræum *in Codice Donat. Piar lib.*1.*cap* 11. Barthol Fizenium *in Histor. Leod.* Alios. Cùm nempe in Francico Regno palatia complura, & ferme in qualibet provincia haberent Reges, adeò ut, si iter agerent, ferme semper in Dominicis, uti vocabant, villis & palatiis habitarent: habuere etiam in iisdem sacras ædes, quæ propria appellatione *Capella* vocabantur, in quibus reliquiæ Sanctorum, quas secum Capellani deferebant, reconderent & asservarent. Dicebantur *Capellæ* istæ his locis, *Regales*, *Regiæ* & *Dominicæ*, vel quòd in Palatiis Regiis, uti dictum, vel saltem, quod à Regibus, in dominicis & propriis prædiis essent extructæ & annuis proventibus locupletatæ, *dominicis* & *decimis*, ut est in Concilio Meldensi A.C. 845. Habebantque id privilegii, ut fere semper ab Episcoporum jurisdictione & exactionibus eximerentur, soli sedi Pontificiæ subditæ: quo factum, ut interdictum ab Episcopis in eas promulgari non posset, uti legitur apud Innocentium III. *lib.*15. *Epist.*215. &c. Sed & *Capellæ* nomine interdum denotantur ministeria ac vasa sacra, quæ Sacerdoti ad peragenda sacra necessaria sunt. Cùm namque asservarentur in Capellis istis Palatinis, præter reliquias, vasa quoque, instrumenta, ornamenta, ac cimelia Ecclesiastica majoris momenti, quæ *Ministeria* vulgò dicta, ea processu temporis nomine collectivo *Capellæ* postmodum donata sunt. Domnizo de *Vita* Mathildis *lib.*2. *cap.*14.

> Capellam *totam, quam præbuerat pretiosam:*
> *Huic Domno digne Comitissa Mathildis, in ipso*
> *Templo confestim rapuit, plebs pessima fregit.*

Infrà,

> *Et dominæ cunctam capellam reddidit, ultra*
> *Non aliquid retinens.*

Imò & ipsis hinc, quæ reliquias continere solent, phylasteriis & capsulis, nomen inditum. Evodius de *Miraculis* S. Stephani *lib.*1. *Capella argentea, in qua erat reliquiarum portio.* Inscr. capsæ reliquiarum, quam Carolus R. per Salomonem Monachum ad S. Gallum misit;

> *En Crucis atque piæ cum sanctis capsa Mariæ,*
> *Hanc Karolus summam delegit habere* Capellam.

Porro, pro ipso integro *caparum* Ecclesiasticarum apparatu, h.e. *capâ*, tunicâ, dalmaticâ, vocem sumi, docet Catellus *Hist. Occitan. pag.*901. ex vet. Charta. Et quia in *Capella* Principis seu Oratorio, Archivum, diplomata & Regni monumenta non minùs olim, ac hodie, asservarentur, inde pro Cancellaria, non rarò occurrit: in Anglia inprimis, ubi Archivum Regium etiam in *Capella*, hinc *Capellâ Rotulorum* appellatâ, custoditur. Quo factum, ut, qui describendis Regiis publicisve instrumentis addicebantur, *Cappellani* vulgò jam olim audirent, uti videre est in voce *Capellani*. Plura in hanc rem V. apud Car. du Fresne in *Glossar.* Addendum saltem, apud Adamum Bremensem *cap.*205. *Capellam* quoque dici cœtum Clericorum, qui, vulgò *Capellani* dicti, Episcopis inserviunt, eorumque ministerio præstò sunt, ex Eod. &c. Posterioribus temporibus *Capellæ* dictæ sunt quævis ædiculæ sacræ, Oratoria, quæ proprios Sacerdotes non habebant, seu ædes sacræ, quæ non erant baptismales. Joh. de Janua, *Capella parva Ecclesia, quæ non habet baptismum, nec cimiterium*, &c. Bononiæ, in Italia, sic appellari Urbis regiones, observatum est Antonio Paulo Masino, quâ nomenclaturâ *Parochiæ* indigitari ait: V. Henschenium *in Miraculis B. Simonis Tudert. ad d.* 20. *April.* Etiam vulgò sacella sic dicuntur, seu majorum Templorum appendices, vel ædiculæ, ædi sacræ majori adjunctæ, quas *Cubicula* vocavere Veteres, teste Octavio Ferrario *In Originibus Ital.* voce *Capella*, &c.

Capellanus Imperii Rom. nomen dignitatis, quâ functus olim Petrus Diaconus Cassinensis, ut ipsemet testatur *Chron. Casin. lib.*4. *cap.*58. Idem de quodam Rainaldo *cap* 116. *Cum fratribus*, inquit, *inter Imperii Capellanos constitutus est.* Sic *Archicapellani Romanorum Imperatricis* dignitatem habuere jam olim. Abbates S. Maximini Trevirensis, uti Nic. Zyllesius auctor est, *in Defensione ejusdem Monasterii Part.*1. *sect.*1. § 4. ut omittam *Capellanos Abbatum*, quorum *Provinciale* Ecclesiæ Cantuar. *lib.*3. *tit.*19. *Capellanos Episcopales* & *Regales*, quorum Concilium Colon. A.C. 1260. *cap.*10. *Capellanos Principum*, quorum Concilium Claromont. *A.C.* 1095. *can.*18. meminere, de quibus omnibus videre est *Glossarii* præfati Auctorem. Fuit autem in Gallia primitus dictus *Capellanus*, secundum eundem, qui *Capam* seu *Capellam* S. Martini vel in Regum palatiis asservabat, vel in prœliis, cum cæteris reliquiis, qui tum gentis mos erat, deferebat: qua de re, quid sentiendum, diximus in voce *Capellani*. Postea in Palatiorum sacellis, peragendis sacris officiis operam dedisse. *Clerumq;* effecisse *Palatinum*, cui qui præerat, *Capellanus* κατ' ἐξοχὴν seu *Archicapellanus* dictus est, legimus apud Hincmarum *de Ordine Palatii cap.*16. In quos acriter olim invectus est Wala Abbas Corbejensis, ut docet Paschasius Rathpertus in ejus *Epitaphio lib.*2. *cap.*5. ubi inter alia illos *non ob aliud servire, nisi ob honores Ecclesiarum & quæstus seculi ac lucri gratiam, sine probatione Magisterii, atque ambitione Mundi*, ait. Ministrabant verò in hac functione viri dignitate illustres, Episcopi viz. & Abbates; è quibus ad dignitates Ecclesiasticas postmodum non pauci à Regibus electi: habebantque *Abbatum* nomen. Crevit dignitas, cùm Cimelia etiam & Archiva Regia illis crederentur, iique *Cancellariorum* quoque & *Notariorum* munus obirent: quod quidem subinde reprehenderunt Ecclesiæ Gallicanæ Præsules, ægrè ferentes, Clericos & Presbyteros *Cancellariorum* munere defungi. Concilium Cabillonense II. *A.C.* 813. *cap.*44. *Scripsimus Presbyteros villicos esse non debere & nunc eos in tabernis bibere, Cancellarios publicos esse, ... insolenter peragrare.* Unde & apud Burchardum *de Eccles. Discipl. lib.*1.*cap* 50. *Presbyteri & Clerici Chartas dominorum ... scribere* vetantur. Id enim eousque invaluerat, ut *Capellani* Procerum eorum essent Amanuenses, Epistolasque & Diplomata conscriberent, quod testantur vett. passim Chartæ, quæ à *Capellanis* scriptæ dicuntur, &c. Sic itaque *Archicapellani*, qui illis præerant,

terant, Archicancellariorum quoque munus administrabant, non olim duntaxat & primâ stante Regum familiâ, sed etiam sub tertia; ita, ut, qui Regum Diplomatis subscribebant, promiscuè non raro, modò *Archicapellanos*, modò *Archicancellarios*, sese subscriberent, ut Dado, Dagoberti R. Referendarius; Itherius, qui passim Caroli M. Diplomatis nomen suum subscripsit; Gozlinus Abbas S.Germani de Pratis, sub Carolo Calvo; Balduinus, Henrici R.Cancellarius, Alii: Quamvis aliàs dignitates hæ, muneris quidem ac officii affinitate conjunctissimæ, attamen diversæ in Aula essent. Sed & Clericorum causis præfuisse eosdem, testatur Walafridus Strabo de *Rebus Ecclesiæ cap. ult.* *Quemadmodum sunt in Palatiis Præceptores vel Comites Palatii, qui secularium causas ventilant, ita sunt & illi, quos* summos Capellanos *Franci vocant, Clericorum causis prælati.* Etiam ad *Capellanum* principem Regiæ mensæ spectabat benedictio, ut testatur Theodulfus Aurelianensis *Carm. de Hildeboldo Archicapellano pag 185.*

Adsit Præsul orans animo vultuque benignus,
Ora beata ferens, & pia corda gerens.
Quem sincera fides, quem tantus culminis ordo,
Pectus & innocuum Rex tibi, Christe, dicat.
Stet benedicturus Regis potumque cibumque,
Sumere quin etiam Rex velit, ille volet &c.

V. Car. du Fresne in *Glossar.* ubi subnectit *Archicapellanorum Palatii Francici* seriem, ex Scriptoribus & vett. Tabulis, à se descriptam: è qua ista excerpsimus:

Capellanorum summorum Franciæ series.

Rusticus, postea Episcopus Cadurcensis, sub Chlotario I.
Bertharius, postea Carnutensium Episc. sub Chlotario II. in *Vita* ejusdem.
Ricolfus, aliis *Rucolnus*, sub Dagoberto.
Launus Abbas S. Eparchi, postmodum Episcopus Ecolismensis, sub Pipino.
Fulradus, Caroli Martelli, ex Hieronymo fil. nepos, sub eodem.
Andreas Episcopus & *Capellanus* Caroli M.
Liudebertus, sub eodem.
Ingeltramnus seu Engelramnus, Episcopus Metensis, sub eod.
Hildibaldus, Arch. Coloniensis, sub Carolo M. & Ludovico Pio.
S. Angilbertus, Berthæ Carolo M. genitæ maritus, Abbas Centulensis, sub Carolo M.
Hilduinus, Abbas Monasterii S. Germani Paris. sub Ludovico Pio.
Fulco Presbyter, sub eodem.
Drogo, Caroli M. filius nothus, Metensis Episc. sub eod. Ludovico.
Guntharius Archiep. Colon. sub Lothario Imp.
Ebroinus, Episcopus Pictaviensis & Abbas S.Germani de Pratis, imperante Car. Calvo.
Gozlinus, Abbas itidem S.Germani de Pratis, sub eodem.
Joseph Episc. Eporediensis, sub Ludovico Lotharii fil.
Fridebastus, aliis *Fridebertus*, Episc Pictaviensis, sub Pipino Aquitaniæ Rege.
Remigius, Archiep. Lugdunensis, Caroli Burgundiæ R. Lotharii Imp. *Palatii Capellanus summus.*
Grimaldus, Abbas S. Galli, sub Ludovico III.
Adventius, Episc. Metensis, sub Lothario R. Lotharingiæ, A. C. 868. apud Zyllerum.
Cozbaldus, sub Ludovico Bajoariæ R.
Granoldus, sub eodem.
Deotmarus, sub Arnulfo R.
Theotmarus, sub Arnulfo Lotharing. Duce.
Hermannus, sub Rege Zuentibaldo.
Rutgerus Archiep. sub eodem.
Balduinus, sub Henrico R. circa A.C. 1047.
Ratbodus, Archiep. Trevirensis sub Carolo Simplice, A. C. 917. &c. Post hæc desiit apud Francos *Archicapellanorum* appellatio, & munus hoc ac dignitas in *Capellanorum*, deinde Primorum & Magistrorum Capellanorum Regis titulum transiit, de quibus crebrò in vett. Tabb. Regum præcipuè, quosque cum præcipuis Palatii & Aulæ Regiæ Ministris subscripsisse, constat, &c.

Capellanus Pontificis Romani, nomen Jurecoss. quos Pontifex gravibus in negotiis consulere consuevit. Postquam enim causas ex toto Orbe confluentes ad Urbem Pontifex in sacello, quod *Capellam* nominant, adhibitis Jurisconsultis audire cœpit, illi à loco *Capellani* nominati sunt. Et quidem hi cùm olim plures essent, hodie sunt numero XII. solummodo, ex generali & prisca delegatione in unum ordinem redacti, qui audiendi cognoscendique facultatem habent. *Auditores que causarum sacri Palatii* jam dicuntur, quas ex speciali Rescripto plerumque decidunt, & etiamnum priscam appellationem retinent, atque in *Capella* sacris inserviunt. Ex horum numero Bernardus Bottonus Parmensis fuit, qui *Glossas* omnium, qui ante ipsum ad Jus Canonicum commentati sunt, in unum collectas ampliavit, circa A. C. 1240. Gerh. von Mastricht *Histor. Juris Ecclesiastici num. 361.*

Capellare, in *LL.* antiquis, pro *scapellare* est, à *scapello*, quod bacillum notat. V. Salmasium *ad Solinum pag 55.*

Capellina, vox recentioris ævi, occurrit in *Vita* B. Justinæ de Aretio *num. 3.* ac significat sertum precatoriorum globulorum, vulgò *Rosarium*. Germ. *Rosenkrantz*, Italis *Capellina*, *Chapellet* Gallis, quo in Communione Rom. Deiparam salutare mos est. Originem *Rosarii* hujus seu recitationis orationis Dominicæ & Salutationis Angelicæ ad statos calculorum seu globulorum numeros, arcessit du Fresne à pœnitentiis Monasticis vel etiam regularum Monasticarum præceptionibus, in quibus certi earundem orationum à Monachis dicendarum numeri imponebantur, quos ut ii faciliùs numerarent, munusque sibi injunctum exequerentur, per calculos & globulos recensebant: ad quos jam suo tempore preces exactas fuisse, docet Palladius in *Histor. Lausiaca cap. 23.* ubi de Paulo Monacho, Ἔργον δὲ αὐτῷ τῆς ἀσκήσεως γέγονε, inquit, τὸ ἀδιαλείπτως προσεύχεσθαι· ἔχων τεταγμένας εὐχὰς τὰς εὐξὰς τριακοσίας, τοσαύτας ψήφους συνάξας, καὶ ἐν τῷ κόλπῳ κατέχων καὶ καθ' ἑκάστην εὐχὴν ἐκ τοῦ κόλπου ψῆφον μίαν, *Exercitationis ejus pars præcipua fuit, non intermissa unquam oratio. Habuit enim signatas preces trecentas, & totidem calculis collectis, hos in sinu suo tenuit, ad precum quamlibet unum è lapillis è sinu projiciens*, du Fresne *Glossar.* Sed pauperis est, numerare pecus: V. de hoc ritu infrà, *suo loco.*

Capellis seu *Capris* insidentes, in primis militiæ rudimentis, jaculari olim discebant tyrunculi Juvenalis *Sat 5.*

Qui tegitur parmâ & galeâ metuensque flagelli,
Discit ab hirsuta jaculum torquere capella.

Capras certè inequitari consuevisse docet Scriptor Italus, apud Gesnerum *descript. Terræ Sanctæ*, *Capra mambrina in regione Damiata dicta fert equitantem sellam, frænum & cætera, quibus equi instrui solent, admittit.* Et Leo Africanus, *Ego quondam, juvenili fervore ductus, horum animalium dorso insidens, ad quartam milliaris partem fui delatus.* Sic iisdem ad essedum junctis nonnullos gestatos fuisse, ex Martiali discimus *lib 4. Epigramm 52.*

Gestari junctis nisi desinis, Hedyle, capris.

Et in Circensibus pueri hircos equitabant phaleratos & capistratos, teste *Epigramm. 28. Anthol. lib. 1. cap. 33.*

Ἤνια δή τοι παῖδες ἐνὶ, τράγε, φοινικόεντα
Θέντες, καὶ λασίῳ φιμὸν ἔθεντο στόματι,
Ἵππια μαιδεύουσι θεοῦ περὶ ναὸν ἄεθλα
Ὄφρ' αὐτοὺς φορέῃς ἤπια τερπομένους.
Purpureas pueri tibi habenas, ô hirce imponentes, & hirsutum capistrum circa os,
Equestria ludunt Dei prope templum certamina,
Ut ipsos portes blandè exhilaratos.

V. Sam. Bochartum *Hierozoici Part. I. lib. 3. cap. 19.*

Capena Porta, addes: Prima fuit urbis regio, in cujus vicinia Camenarum vicus. Juvenalis vetus Scholiastes *ad versum 11. Sat. 3.* *Stetit*, inquit, *aspectans rhedam, ubi solent Proconsules jurare, in via Appia, ad portam Capenam, id est, ad Cumenas.* lege *Camenas.* Nomen portæ à *Capenis.* Servius *ad Æneid lib. 7. vers. 696.*

Et Ciminî cum monte lacum lucosque Capenos.

Et quia aquæ ductus hic celebris fuit, inde *Capena madida* dicitur Poetæ: *quia supra eam ductus fuit, quem postea appellarunt arcum stillantem*, Vetus Scholiastes Juven. *loco modò citato.* Unde Martialis *lib. 3. Epigr. 47.*

Capena grandi porta quâ pluit guttâ.

Caper, in phiala expressus, pro emblemate, inter opera Myos an Myronis, Veteribus maximè celebratus est. Poeta,

Stat caper in phiala, docti Myos anne Myronis?

Ita nempe, ut integer & περιφανὴς appareret, non ἡμίτυπος, h.e. ut non tantùm unum latus ostenderet, reliquâ sui parte poculo affixâ: sed ut totus & apparens omni ex parte emineret. Quemadmodum apud Athenæum, *lib. 5.* legimus, Οὗτοι δ' εἶχον ἄνωθεν περιφανῆ τετορευμένα ζῶα, καὶ ἐν τῷ τραχήλῳ καὶ ἐν ταῖς γαστράσιν ἐκτυπώματα ἐμπυλῶς πεποιημένα; ubi in superiori parte cælata animalia sic erant, ut tota conspicua apparerent: in collo verò & ventre prostypa adhærebant, dimidiâ tantùm sui parte expressâ. Allusit eò Satyricus *Sat. 1.*

Criminibus debent hortos, prætoria, mensas,
Argentum vetus & stantem extra pocula caprum, &c.

V. suprà ubi de arte *Cælandi*, & alibi passim.

Caper Emissarius, V. suprà in voce *Azazel*, & infrà in *Hircus.*

Capere, verbum signatum & quasi consecratum, de Vestalibus dicebatur, cùm in ordinem hunc legerentur. A. Gellius *lib. I. cap. 12.* *Qui de Vestali Virgine capienda scripserunt, quorum diligentissimè scripsit Labeo Antistius, minorem quam annos VI. majorem, quàm annos X. natam, negaverunt, capi fas esse: item quæ non sit patrima & matrima, &c.* Et paulo pòst, *Virgo autem Vestalis, simul ac capta est atque in atrium Vestæ deducta & Pontificibus tradita.* Ubi capi idem esse, quod *legi*, innuitur ibidem: *Præterea Capito Atejus scriptum reliquit, neque ejus legendam filiam, qui domicilium in Italia non haberet.* Dicebatur autem *capi* Virgo, quia Pontificis maximi manu prehensa ab eo Parente, in cujus potestate est, veluti bello capta abducebatur. Verba, quibus is, quum Virginem capiebat, utebatur, hæc erant: *SACERDOTEM. VESTALEM. QUÆ. SACRA. FACIAT. QUÆ. JOUS.* (id est JOVIS) *SIET.* SACERDOTEM. VESTALEM. FACERE. PRO. POPOLO. ROMANO. QUIRITIUM. UT. EI. QUÆ. OPTUMA. LEGE. FOUIT. ITA. TE. AMATA. CAPIO; uti ex libro primo Fabii Pictoris idem Gellius citat. Et quidem *capiendi* jus primitus penès Reges erat, primaque quæ capta est, à Numa est capta, qui in universum quatuor eas instituit, *cepitque* Geganiam, Veraniam, Canulejam & Tarpejam. Duas deinde alias

Servius

Servius Tullius addidit, sive ante eum potiùs Tarquinius Priscus, & sic semper sex fuerunt. Pulsis postea Regibus, Pontifex Maximus in locum venit, sed electione legibus adstrictâ: continebatur enim Papiâ lege, *ut Virgines viginti legerentur.* Qui satis magnus numerus, ad unam *capiendam* placuit, ut sors levior accideret, sparsa sic per plures. Sortitio verò fiebat Comitiis Curiatis, ut coram testibus res fieret & dignitas Sacerdotio adcresceret dignitate actionis: & quidem sortitio adhibebatur, ut quasi divinitus è pluribus legi excerpique talis videretur, &c. Quam in rem V. plura apud præfatum auctorem. Sed & idem verbum etiam ad Flamines Diales, aliosque translatum idem innuit *Ibid. Plerique autem capi virginem solam debere dici putant. Sed Flamines quoque Diales, item Pontifices & Augures capi dicebantur*: quod probat verbis P. Sullæ *Rerum gestar. lib. 2.* & M Catonis *Orat. de Lusitanis.* Additque sub finem *Amatam* inter *capiendum*, à Pontifice Max. appellatam esse Virginem, *quoniam quæ primò capta est, hoc fuisse nomine traditum sit.* Ubi vide eruditas Antonii Thysii & Jac. Oiselii *Notas.* Neque verò personæ solùm, sed & loca *capi* dicebantur, quæ ad sacrum usum separabantur. Hinc *captus locus*, apud Festum, hoc est, legitimè ad sacrificandum constitutus. *Captus ager*, ab Auguribus, &c. V. Scaligerum *ad Festum.*

Capetingi, in Regno Galliæ Carolovingis successerunt, tertiam Regum stirpem, quæ hodieque feliciter perdurat, constituentes. Orti sunt ex posteris Wittekindi Saxonum Ducis, è quibus Hugo Magnus & Hugo *Capetus*, cùm Comitatum Parisiensem obtinuissent (cujus ea fere sub Carolovingis fuit potestas, quæ olim, sub Merovingis, Majorum Domus seu Comitum Stabuli) post obitum Ludovici V. secundùm alios, VI. hic posterior, exclusâ Caroli stirpe, regnum Franciæ sibi vindicavit, Carolo Duce Lotharingiæ & filio ejus Ottone (qui duo è Carolinis restabant) duplici prælio superatis. Sub his, Comitiorum auctoritatem abolitam; præcipuos hostes Anglos olim, exin Hispanos; junctum Regno Delphinatum; adjectum Regnum Neapolitanum; introductam servitutem; Mediolanensem Ducatum occupatum; aliaque memoratu digna, observat Georgius Hornius *Orb. Imper.* ubi de *Galliæ Regno.* Nomen illis ab Hugone Capeto præfato, qui etiam *Hugo Capucii* dicitur in *Chron. MS.* Bibliothecæ Thuan. quod desinit in Carolo V. *Hugo Capet sive Capucii, sic dictus, quia, dum juvenis esset, capucia solebat auferre*: quibus consona habet Landulfus de Columna in *Chronico* itidem MS. & ex iis Nicolaus Gillius. Certè etiamnum Occitani *Capetos* rusticos vocant, quòd *capis* caput tecti incedant, ut auctor est Gondelinus, Arvernisque etiam hodie *Chapeto* vocant illum, qui alios lepidè vexat. *Capaticiorum* stirpem tertiam hanc vocat Radulfus de Diceto *pag. 606.* ita ut ad *cappas* spectare voluerit. V. Steph. Paschasium *Disquisitionum Francic. lib. 8. cap. 45.* aliosque Historicos ejusdem Regni, Car. inprimis du Fresne in *Glossar.* in voce *Capetus.*

Caphardum, in *Statutis* Facultatis Artium in Academia Viennensi Austriæ *tit. 10. §. 7.* *Non utetur publicè hic in Universitate aliquo capucio, aut epitogio, aut* caphardo *soderato, cum pellibus de vario*, species est integumenti capitis seu pilei. V quoque *tit. 17. §. 18.*

Caphisterium, apud Columellam, idem quod *Scaphisterium* est, alveus viz. in quo infantilia linteamenta lavabantur. Sic μάραγδος pro σμάραγδος, apud Menandrum,

> Μάραγδον εἶναι ταῦτ' ἔδει καὶ σάρδια,
> *Smaragdum esse ista oportebat & sardium.*

V. Salmasium *ad Capitolinum, in Clodio Albino.*

Capibrevium, scripturarum fascis, in quo breviter bonorum capita notantur, Dominico Macro: è quo vocabulo *Cabreum* Equites Melitenses fecerunt, quibus id significat inventarium bonorum stabilium alicujus Commendæ, cum ejusdem ichnographia, arearum sc. & formarum descriptionibus, statusque antiqui & præsentis relatione, unà cum attestatione authentica melioramentorum, &c. Quod omnes Priores, Balivi ac Commendatarii, singulis 25. annis renovare & offerre tenentur, in triplo; ut unum horum reponatur in Archivo Commendæ, alterum in Archivo Conventuali illius linguæ, & tertium in Archivo Prioratus. V. eum in *Hierolexic.* in voce *Cabreum.* Carolo du Fresne *Capibrevium*, Acta Judicis vel Notarii notat, ex *Charta* Petri Aragoniæ R. A. C. 1 83. aliisque monumentis, in *Glossario* laudatis.

Capicerius, V. infrà *Capitiarius.*

Capillacea Coma, apud Plinium, *lib. 12. cap. 25.* ubi de balsamo, *Arboris tria genera: tenui &* capillacea comâ, *quod vocant Eutheriston: alterum scabro aspectu, incurvum, fruticosum, odoratius, quod Trachy appellant: tertium Eumenes, quia est reliquis procerius levi cortice*: idem ei est, quod ἰσχνὸν & τριχῶδες Dioscoridi, de eodem balsami genere. Sed τριχῶδες, inquit Salmasius, non dicitur, quod tenuem & capillaceam habet comam; verùm quod surculos tenues & capillaceos. Coma arborum & herbarum de folio dici solet, unde τριχόφυλλα talia: Cujusmodi non est balsami id genus, cujus non folia, sed frutex, tenuis ac capillaceus est, virgis ac surculis tenuibus ac τριχώδεσιν refertus. Unde εὔθριστον id vocatum διὰ τὸ εὐχερῶς θερίζεσθαι ἰσχνὸν ὄν, *quòd præ gracilitate faciliùs tondeatur*: in balsamo verò non comæ & folia, sed surculi supervacui, tonderi ac amputari solebant. V eum *Exercitat. Plin. ad Solinum pag. 581.* Atque hi surculi & sarmenta, *Xylobalsami* nomine vænibant, quorum illud quod maximè exile & *capillaceum*, præstantissimum erat. Theophrastus, εὔοσμος δὲ σφόδρα καὶ ἡ ῥάβδος, κολούουσι γὰρ καὶ ταύτην ἕνεκα καὶ τοῦ διαφέρειν πωλεῖσθαι, *Odoratæ etiam impendiò virgæ, ea propter amputantur & ampliore pretio væneunt.* Nempe aliud *coma*, aliud *capillus*, ὀξὺ καὶ κόμη: comosum est πολύφυλλον & πολύκομον: capillaceum, τὸ τριχῶδες, quod instar capilli tenue ac fragile est. Et comæ seu frondes in balsami frutice, haud secus ac in vite, tondebantur; Sed τὸ τριχῶδες τοῦ θάμνου, de gracilitate sarmentorum ac surculorum accipiendum, neque quidquam ad comam facit, idem *ibid.*

Capillati, adde: Sic etiam apud Romanos olim vocabatur cultior ac junior familia; qui aliàs & *Comati*, Martial. *lib 12. Epigr. 70.* & *Criniti*, Virgil. *Æn lib. 1.* dicebantur. Senecæ *Epist. 119.* *Nam si pertinere ad te judicas, quàm crinitus puer, quàm perlucidum tibi poculum porrigat, non sitis.* παῖδας κομήτας appellat Lucianus. Claudianus *de bello Gildon.*

> *Crinitos inter famulos, pubemque canoram*
> *Ornatas jubet ire nurus.*

Sed apud divites tantùm & fortunatos hæ delitiæ spectabantur. Unde Juvenalis de cœna pauperis, *Satyrâ 11. versu 145.*

> *Plebejos calices, & paucis assibus emtos,*
> *Porriget incultus puer atque à frigore tutus;*
> *Non Phryx aut Lycius, non à mangone petitus*
> *Quisquam erit in magno, cùm posces, posce Latinè,*
> *Idem habitus cunctis, tonsi rectique capilli,*
> *Atque hodie tantùm propter convivia pexi.*

Ubi vetus Interpres, *tonsi rectique* explicat, *non comati.* Et Martialis, ubi *gregem capillatum* vocat, *lib. 2. Epigramm 57.* ubi Schol. *Cirratorum*, inquit, *nobilium puerorum, quibus coma alebatur, Pædagogiorum, hodie pages.* Dixi etiam, *junior familia*; quia ex voto crinem, quem Deo pascebant, tondere consueverant, vel in ipso virilitatis adventu, vel ad novæ nuptæ imperium; quo de Martialis *lib. 11. Epigr. 79. versu 3.*

> *Flammea texuntur Sponsæ, nova nupta parata est,*
> *Tondebit pueros jam nova nupta tuos.*

Id est, *Tondebit catamitos tuos, tanquam emeritos & exoletos, postquam uxorem duxeris*, Screvel. *Notis in l.* V. Laur. Pignorium *Comm. de Servis.*

Capillatura, Papiæ, & Johanni de Janua, idem quod vett. *Galerus* seu *Galericulus*, Gallis *Perruque*, Italis quoque *Capillatura.* V. quæ de *Capillamentis* Vossius observat *de Vitiis Sermonis lib. 2. cap. 15.* Aliàs *Capillatura*, idem cum coma, Barthius *ad Statium.* Et quidem *capillaturam* multis compagibus extructam gradibusque ac spiris variis cumulatam ac convolutam, gerebant olim mulieres: quod *comam struere* vocat Tertullianus *de Pallio cap. 4.* *ædificare caput*, Juvenalis: Ipse verò capillus sic ornatus, *suggestus comæ* eidem, *tutulus* Varroni, *spirosus capillus* Apulejo, ἐπαναστάσεις τριχῶν Luciano dictus est. Atque hinc *structores Capillaturæ* Tertulliano *de cultu Feminar.* quos *Perrucarios* vulgò Galli vocant. V. infrà ubi de *Comam struendi ratione.* Ex alienis enim & ascititiis capillis strui illas spiras consuevisse, discimus ex Hieronymo *ad Marcellam, quæ capillis alienis verticem struunt.* Salmasius *ad Tertullianum d. l.*

Capillatus Bellonæ, in vet. *Inscr.* id est, Bellonarius, Sacerdos Bellonæ. Tales enim capillum promittebant, ut omnes Fanatici ac Harioli solent: Unde αὐτοῖς iis κόμην tribuit Lucianus, & *Comatos* notanter vocat Valerius,

> —— — *Bellonæ vetus incitat ira comatos.*

Ubi perperam *Comanos* legunt, à Comanis Cappadociæ urbe, in qua vetustissimum & celeberrimum Bellonæ templum fuit: Salmasius *Ibid. pag. 356.*

Capilli, adde: Hos apud varias Gentes varius gerendi ornandique mos fuit, ut dicemus infrà, ubi de *Capillos ornandi ratione.* Contrà illos Græci posuere, tertio Apaturiorum die, qui Κουρεῶτις, à consura dictus est. Tum enim pueri triennes quadriennesque in φρατρίας seu classes tributim divisi, capillum μαλλὸν, seu σκόλλυν seu etiam ἐρεχθεῖον πλόκαμον dictum, alicui Deorum dedicarunt. Porro in peregrinationem longinquam aut expeditionem profecturi, Deo alicui capillos devoverunt. Hinc Bacchus, cùm Pentheus minaretur comæ abscissionem, respondet apud Euripid. *in Bacch.*

> ἱερὸς ὁ πλόκαμος, τῷ θεῷ δ' αὐτὸν τρέφω,
> *Sacer capillus* (est) *Deo autem illum alo.*

Similiter Theseus consecrasse suos capillos dicitur Apollini Delio: Delphos autem pueri nobiliores ibant, ut illius loci Deo votivos offerrent crines. Vulgus Atheniensium Herculi illos sacros faciebant: Ajax Telamonius Ilisso flumini, Sperchio Achilles vovére, &c. Vocatique sunt detonsi hi crines κόμης ἀπαρχαὶ, *capillorum primitiæ.* Apud Romanos, adolescentes Æsculapio illos obtulere: unde Statius Earini cujusdam meminit, qui comam in auream pyxidem conditam & pretiosissimis gemmis adornatam, Pergamum, ubi is Deus colebatur, misit. V. eum *lib. 3. Sylv. 4.*

> *Accipe laudatos juvenis Phœbeie crines,*
> *Quos tibi Cæsareus donat puer, accipe lætus,*
> *Intonsoque ostende Patri.*

Aut

Aut Apollini ipsi, Martial. *lib.1. Epigr.2.*

Hos tibi Phœbe voves totos à vertice crines
Encolpus,&c.

Aut Jovi, Stat. *Thebaid.lib.6.* & Luctatius Placidius,

Jupiter hunc crinem, voti reus, antè dicaram,
Si pariter nati virides libare dedisses
Ad tua templa genas.

Aut denique Apollini barbam, Baccho crinem devovebant: Stat. *Thebaid. lib.8.*

Hic genas Phœbo, crinem hic pascebat Iaccho.

Vestales ab arbore, Festo propterea *Capillari* dicta, suspendebant: quas hodiernæ Moniales quodammodo imitatæ, cùm Religionem ingrediuntur, Sanctorum alicui capillos eunt dedicatum. Imò & aliæ virgines idem factitare solitæ sunt, teste Luciano *in Dea Syria.* Unde Claudianus *de bello Get.*

Sperchiusque & Virginibus dilectus Enipeus,
Barbaricas lævare comas.

Idem mos Græcis in luctu, quo tempore capillos ἐν χρῷ, ad cutem usque, abraserunt. Unde Lysias, de Corinthiis, qui in pugna Salaminia obiere, Ἄξιον ἦν, inquit, ἐπὶ τῷ τάφῳ τῷ τῶν ἐν Σαλαμῖνι [illegible] τὴν Ἑλλάδα, *Dignum erat ad tumulos in Salamina defunctorum tonderi Græciam.* Euripides,

— ἰαχεῖ δ' ὁ Κύκλωψ,
Σίδηρον ἐπὶ κρατὸς [illegible],
—— — *Vociferabatur autem Cyclops,*
Ferrum capiti imponens tonsorium.

Idem Poeta, cùm periisset, eadem ceremonia honoratus legitur, apud Solinum. Hinc locum in Cappadocia *Comanam* dictum, habet Strabo, à lugubri coma, quam Orestes ibi ac Iphigenia posuere. Ut de Tello, qui in Phaëtontis, de Baccho, qui in deperditæ uxoris gratiam, idem fecere, nihil addam. In sacris simile quiddam legitur de Hiobo, *cap 1. versu 20.* de Israelitis Jeremiæ *cap.7. versu 29.*&c. Sed meritò hunc morem ridet Bion, apud Ciceronem *Tuscul. quæst. lib.3* ubi de Agamemnone loquens ait: *Perindè stultissimum Regem in luctu sibi capillum evellere, quasi calvitio mæror levaretur.* Vocabatur autem capillus hic Græcis πενθήρης. Verùm, annon lætitiæ potius indicium coma posita fuit? Hinc Josephus, e captivitate triennali liberatus, Micha filius Jonathæ, reditu Davidis in regnum exhilaratus: ipsi Græci, tempore gaudii, capillos totondisse leguntur, apud Artemidorum, qui proin [illegible], à tondendo, verbum χαίρειν i. *lætari*, deducit. Contra apud Romanos captivi, in squalore suo, capillos promisere: Ovid. *in Epist.*

Aspice demissos lugentis more capillos.

Et de Græcis Lycophron *in Cassandra*:

Κρατὸς δ' ἄκουρος [illegible],
[illegible],
Soloxque capitis terga fœdabit coma,
Mœrorem præteritæ veteris ærumnæ notam,&c.

Hæc qui conciliare satagunt, dicunt ex Plutarcho *in Romaicis,* [illegible], *Apud Græcos, ubi infortunium ingruit, raduntur quidem fœminæ, capillos vero promittunt viri*: ut sic consuetudini aliàs usitatæ contraria figant vestigia. Hinc Accius in *Amphitryone:*

—— —— *Sed quænam hæc est*
Mulier funestâ veste, tonsu lugubri?

Virgilius *Æneid lib.9*

E volat infelix, & fœmineo ululatu
Scissa comam

Sed cur in palliata fabula, apud Terentium *Heautont. Act. 2. sc.3.* mulieri, in veste lugubri, telam texenti,

Capillus passus, prolixus, circum caput
Rejectus negligenter?

Alii tonsuram distinguunt, quæ in lætitia non totum demebat capillum, sed adornatum eum in orbem incidebat, quod genus Κουρὰν dixere: in luctu verò capillus ad vivum radi solitus est, quod Σκαφίον (quam tamen vocem aliter Salmasius capit, ut hic infrà videbimus) vocaverunt. Tempora quoque discernenda fortè, quorum uno id in usu esse sæpe incipit, quod priùs insolens erat. Plura V. apud Franciscum Rossæum *Anthol. Atticæ lib.5. cap.12. & 25.* Thom. Dempsterum *in Joh. Rosini Antiqq. Rom. lib.10. paralipom.* Joh. Meursium *Comm. in Lycophronem,*&c. ut & hic passim, in vocibus *Cæsaries, Coma, Crinis,*&c.

Capilli ad pectinem flexi, apud Æl. Spartianum in *Hadriano Cæs. Statura fuit procerâ, formâ comtus, flexo ad pectinem capillo, promissâ barbâ,*&c. sunt arte flexi & calamistro crispati. Firmicus, *quorum inflexi crines torquebuntur.* Contrà, *ingenio suo flexi dicuntur,* qui nulli arte adhibitâ tales sunt. Petronius, *Crines ingenio suo flexi per totos se humeros effuderant.* Martialis,

Bellus homo est, flexos qui digerit ordine crines.&c.

Idem cum *Capillo flexo, reflexus* est, apud Jul. Capitolinum *in Pertinace, & crispus aut renodis,* in *Albino* Græcè οὖλος vel [illegible]. Est autem *flectere capillum,* torquere & vibrare; Quintiliano *in annulos mittere*: Calamistro namque flexi annulos & nodos quodam modo exprimunt, unde *subanellatum* Christi capillum vocat Aiculfus *de locis sacris.* Idem *gradibus capillum frangere* dicebant; V. Quintilianum utrumque, *gradus & annulos,* conjungentem *lib. 12. cap.10.* Sic Maximilianus, qui vixit ætate Boethii, *in libro Elegiar.*

Grande erat inflexos gradibus numerare capillos,
Grande erat in niveo pulla colore coma.

Aliter tamen *gradus* dicuntur in compositione capillorum, aliter *annuli.* Inflexio enim ipsa & crispatio nexiles annulorum orbes imitabatur: comæ verò sic annulatim crispatæ, non etiam confusæ ac turbatæ & indiscriminatim temereque inflexæ habebantur, sed per gradus quosdam positæ & ordine digestæ, ita ut unaquæque annulorum series stationem quasi suam servaret & gradatim alveolatimque alia super aliam scanderet; in quibus exprimendis Latini, *ordinem, stationem, gradus,* usurpare solent. Hinc Ovidius *crines in ordine ponere,* & *in statione,* dixit: τάξιν Euripides vocavit. Martialis porro eleganter *crines in fluctum ponere* idem dixit; namque illa crinium per annulos inflexio & per gradus digestio, fluctuum modò extantium, modò subsidentium & invicem se propellentium, undulatos intortosque motus planè refert. Idem *lib.5.*

Illis cura sui vultus frontisque decoræ
Semper erit: tortos in fluctum ponere crines,
Aut vinclis revocare comas, aut vertice denso
Fingere.

Sinum vocat Ovidius,

Sustineat similes fluctibus ille sinus.

Et,

Quàm se præbuerant ferro patienter & igni,
Ut fieret torto nexilis orbe sinus,&c.

Opponitur autem *reflexus capillus* prolixo & prolicino, qui Græcis [illegible] est. V. Salmasium *ad Historiam Aug.* passim. Ejusque usu interdicitur Sanctimonialibus in Concilio Londinensi A. C. 1138. *cap.15.* ubi prohibentur illæ *torturam capillorum & compositionem* eorum facere,&c.

Capilli Promulsi & *Remulsi,* dicuntur Apulejo capilli pexi tantùm ac dentibus pectinis discriminati; [illegible] Græcis, quæ alium non admisit ornatum, præter pectinis discriminationem, non calamistris intorta, non in cumulum nodata, non spiris convoluta, nec structuris ædificata. Cujusmodi modum comæ ornandæ vocat Pollux in describendo habitu Comicarum personarum, [illegible]: Ἡ δὲ [illegible] *discrimen habet puri capitis & promulsorum crinium.* Et alibi de Virgine, quæ in tragœdia propter luctum tonsa est: Ἡ δὲ [illegible] Illis opponuntur [illegible], seu [illegible], apud Eund. Qua de re V. pluscula apud Salmasium *ad Solinum pag.760.*

Capilli Sparsi, V. suprà in voce *Apochyma,* ac infrà, ubi de Gothorum *Granis.*

Capillis sagittas innectendi consuetudo. V. infrà ubi de *Sagittis.* Iisdem super altare positis, donationem confirmandi ritus, occurrit in *Charta* Alani Ducis Britanniæ, apud Augustinum du Pas in *Stemmate Tinteniacensi pag 572.* Hinc legitur in *Charta* Wilhelmi Comitis de Warenna. *Et inde saisivi eam* (Ecclesiam) *per capillos capitis mei & fratris mei Radulfi de Warenna, quos abscidit cum cultello de capitibus nostris, ante altare.* Henricus Episcopus Wintoniensis, apud du Fresne *Glossar.*

Capillorum ustrina, ad φίλτρον usurpata veneficis strigibus, memoratur Apulejo *Milesiar. lib 3.* Quò faciunt versus Lælii apud eundem, *in Apologia,*

Antipathes illud quærito,
Philtra omnia undique irruunt,
Trochus, pili, ungues,&c.

V. Salmasium *ad Solinum pag 942.*

Capillos ornandi ratio, non una semper fuit. Triplex olim maximè celebris, tangitur Clementi *in Canonibus*: Οὐκ ἔξεστί σοι τρέφειν τὰς τρίχας τῆς κεφαλῆς, [illegible], ἢ [illegible]. Una nempe erat, cùm crinis colligebatur & in unum sive nodum sive corymbium constringebatur, quod [illegible], item *Corymbium* & *Botrulation,* dixere. Altera, cùm capillus effusus, absque modo & ligatura per humeros spargebatur; cui ornatui [illegible] nomen erat. Tertia, cùm coma divisa ac discriminata servabatur, non implexa & inflexa, ut in spatalio, nec effusa, ut in apochymate. Sub quibus tribus generibus multi alii modi comprehensi, tam re, quam nominibus diversi, de quibus omnibus locus hic dicendi non est. Simplicissimus autem ornandi modus tertius fuit, quem [illegible] vocavere, capillis in duas partes per medium caput tæniâ divisis, qui longas facies maximè decere credebatur. Unde *capitis discrimina puri* Ovidius dixit, ut purum caput sic simpliciter discriminatum ab alio mulierum ornatu morosiore distingueret, qui etiam discrimen acus admittit. Quamvis & hæc verba de capillo accipi possint tantùm pexo & dentibus pectinis discriminato, de quo aliquid suprà, ubi de *Capillis promulsis.* Atque ita Mulieres: Virgines verò & cirratæ erant & crinem in vertice concumulatum ac colligatum gerebant, absque ulla [illegible], uti dicemus

ex Tertulliano *de Virgin Vel. lib.3.* Quod idem & in pueris cirratis. Unde Horatius, *Epod. Od.11.*

—— —— aut puellæ candidæ,
Aut teretis pueri longam renodantis comam.

Et quidem in genere cirrum hunc seu nodo collectum in vertice crinem, *κρωβύλον* Græci seu *σκορπίον*; in specie verò in mulieribus *κόρυμβον*, in viris *κρώβυλον*, in pueris *σκόρπιον*, dixere: sicut *botrym* & *corymbum* Latini, &c. Hinc apud Romanos in famulitio Matronarum, insignis fuit *capillorum* præfectura, cujus meminit Ovidius *de Arte lib.3.*

Ponendis in mille modos præfecta capillis,
Comere sed solas digna Cypassi Deas.

Capillorum enim cura fœminis præcipua, V. Tertullian. *de Hab. mul. & de cultu fœm.* non in structura tantùm, sed & in colore & cincinnis. Et de structura quidem Manilius *lib.5.*

Illis cura sui vultus frontisque ... æ
Semper erit, tortosque in flexum ponere crines,
At nodis revocare, & rursus vertice denso
Figere, & appositis caput emutare capillis.

Ac Tertullianus *l.c.* ubi *sutilium atque textilium capillamentorum: nunc in galeri modum, quasi vaginam capitis & operculum verticis, nunc in cervicem retro suggestum*, &c. compositorum meminit. Sed pro *galero*, Pignorius *galeam* substituit: Nam vetus marmor, CALPURNIA. L. ET Ɔ. L. GALEÆ ORNATRIX, & vett. nummi exhibent imagines Augustarum, capillitio ad galeam propiùs, quàm galerum, accedente, conspicuarum. Idem Tertullianus etiam viros hac in parte fœminas imitatos, suos *Capillaturæ structores* habuisse, meminit, &c. De colore Idem *de cultu fœm. Video*, inquit, *quasdam & capillum croco vertere.* V. quoque Propert. *lib.2. Eleg.18.* A' cincinnorum studio *Cinerarii* ministri dicti sunt: de quorum officio ac instrumentis, dicemus infrà, ubi de *Cincinnis*: quemadmodum, de iis, quæ struendis capillis præfectæ erant, in voce *Cosineta*, item *Ornatrix.* Ut de variis gentibus pauca addam: Phrygum & hujusmodi effœminatarum gentium proprium fuit, habere comas

Vibratas calido ferro murrhaque madentes,

h. e. calamistro intortas ac rotatas: V. suprà quoque ubi *de Capillis ad pectinem flexis.* At Sicambri Germanique apud Martialem, ex ipsa coma, quam satis longam nutriebant, faciebant nodum. Unde de iis Tacitus, *insigne*, inquit, *gentis obliquare crinem, nodoque substringere.* Armenii, Saraceni & alii plerique, vittis ac tæniis capita religabant, hinc *μιτροφόροι* Græcis dicti: cujusmodi tænias vittasque tortiles *stroppulos* vocat Tertullianus *d. l.* Atheniensium crobyli proprii erant, cum cicadis. Scythæ crines spargebant; Parthi Persæque effundebant: Gothi Scythas, à quibus orti, imitabantur, unde capilli illorum *Grani* appellati, de qua voce V. infrà: De auri verò scobe Capillis inspersâ, pinnico item, & plura hanc in rem apud Salmasium *ad Solinum pag.759. & seqq.* ut & hic passim.

Capillos ponendi ritus, V. suprà in voce *Capilli*, & hic ubi de *Capillos radendi* ritu.

Capillos radendi, apud Vett. non una itidem ratio, nec unus finis. In luctu, vel religionis ergò aut in pœnam, radi consuevisse diximus, dicemusque passim. Aliàs non pauci communiter caput radebant: sed hic iterum tonsuræ modi varii. Stoici toto capite, atque etiam vertice deradebantur, unde illis *ἐν χρῷ κουρίας* apud Auctores tribuuntur. Elegantiores Græci ac Palæstrici *περιτρόχαλα κείρεσθαι* dicebantur, h. e. *in orbem tonderi*: Nempe vertex intonsus & cultri immunis, sub vertice omnia circumtonsa strictim & juxta cutem; quas *xysticas munditias* vocat Tertullianus *de Pallio d. l.* V. quoque Plutarchum *de Mulierum virtut.* ubi de Aristodemo Cumanorum tyranno. *Circumdare* vel *Circumradere capillum* idem Tertullianus hoc vocat *de Cultu Fœmin.* Atque hinc in Comœdiis adolescentis *γυμναστικοῦ* persona ita efficta erat, ut *στεφάνην τριχῶν* haberet: Nempe capillaturam, quæ in orbem attonsa erat, instar coronæ, *στεφάνην τριχῶν* appellabant. At milites *cæsariati* introducebantur, ut colligitur ex Plauti *Milite glor.* *Σκαφιοφόρους* eosdem vocat Eustathius, *σκάφιον* enim & *περιτρόχαλον* idem tonsuræ genus. Contrarius planè radendi modus est Monachorum, in Ecclesia Rom. quippe quibus vertex tondetur, extremo crinium ambitu relicto; quo ritu prævio, suo quisque ordini sacrisque initiatur. Hinc *Capillos* ponere, seu per Capillos se offerre Monachi dicuntur, quòd Monachismum subituri seu Clericatum, eos ponant seu dimittant. Paulinus *Carm.13.*

Sed rursus idem & Evangelico desuper
Mentem refectus lumine,
Ponat capillos *oneris & velaminis,*
Servus fidei & liber fide.

Nempe symbolum hoc fuit servitutis perpetuæ, quam per votorum emissionem Deo profitebantur, unde *Servi Dei* vulgò appellari. Servos autem olim tonderi consuevisse, dicemus suo loco. Comam verò sic posituris & in Monachos tondendis primi capillorum cincinni, à Viris primariis, aut certe amicis, solebant delibari, uti discimus ex Fausto in *Vita S. Mauri num.21.* ubi Floro cuidam ab ipso Rege primùm, dein ab O, timatibus, capillorum aliquid decerptum esse, tradit. Sic apud Ignatium Diaconum, in *Vita* S. Nicephori Patr. CP. Nicephoro eodem in Monachum attonso, *τὰ τῆς*, inquit, *ἐκείνης κεφαλῆς ἀποκαρσίματα ταῖς τε ἑαυτοῦ καὶ συμβασιλεύοντος χερσὶν ὑποδέξασθαι σοφῶς ἐδικαίωσε. Sacri illius capitis rasuram filii ac Imperii participis manibus excipi sapienter voluit*, &c. Ita quidem Monachi. Laici verò, in eadem Communione Rom. qui Monachicæ Societati ascribebant sese, ut illius beneficiorum possent esse participes, *per unum crinem ac capillis offerre se Monasterio* dicebantur, uti patet ex *Charta* Pandulfi Principis de Consia & de Rapolla, Magistri & Dominatoris totius terræ de Principatu A.C.967, &c. Contrà *Capillos & barbam nutrire*, Pœnitentium proprium fuit, uti observat Rabanus *Instituт. Clericor. lib.2. cap.29.* quorum proin, cum reconciliabantur Ecclesiæ, crines demetebantur & vestibus induebantur mundis, teste Honorio Augustodun. *lib.3. cap.76 & 77.* Iidem tamen *capillos & barbam radere* jubentur, in Synodo Agathensi c. 15. & Toletana III. *can.12.* quia apud Gothos promissa cæsaries honoris erat symbolum, ut conjicit Menardus, &c. Sed & *capillo abraso* pacem firmari consuevisse, docet Ditmarus de Lusatiis paganis *lib.6. pag.65.* V. plura hanc in rem, apud Carolum du Fresne *Glossar.* Porro (ut alia quoque hic interseram) *Capilli* sui particulam, in signum captivitatis suæ, Balduino Regi Hierosolymorum, misisse Boëmundus legitur, apud Albertum Aq. *lib.7. cap.29.* & Auctorem *Historiæ Hierosolym.* A.C 1100. *pag.596.* vel, quòd *positio capilli* signum esset servitutis, vel quòd ita fecerit fidei faciendæ causâ. Hildebertus Cenoman. Episc. *Epist.39 Ac, ne simulatoriè loqui putaretur, abscissos de capite suo* capillos *matri suæ transmisit. Gesta* Regum Francorum *cap.41. Perge velociter festinus, cum crine capitis mei nunc ad patrem meum, ut succurrat nobis, antequam cunctus corruat exercitus*, apud eundem du Fresne in *Glossar.* Capillos verò sibi invicem detondere, pœna Conspiratorum in *Capitul.* ad *L.* Salicam *cap.3. §.7.* alibique. Sic Fures aliique malefici, *puniti in cute & in crinibus*, occurrunt in *Speculo Saxon. lib.2. artic.13. §.1. art.18. §.3. lib.3. artic.3. §.1.* & in *Weichbild* Magdeburg. *art 19. §.1. art.44. § 196.* Etiam *Capillos Cercinatos*, h. e. in circulum vel orbem attonsos, jubentur habere *Saraceni Franchi* seu liberi, per Curiam Gen. celebratam Ilerdæ, à Jacobo II. Aragonum R. A.C. 1301. ut hoc pacto a Christianis discernerentur, apud Eundem. Ut nil dicam jam de Tartarorum radendi more, qui cùm Sinensibus, haud pridem subjugatis, *capillos ponere* more suo, imperassent, illos tantopere exasperarunt, ut hi ejectos eos integrum annum distinuerint, lecto *Lu* Imperatore, ex Taiminga familia. Nec, postquam denuo devicti essent, quievere tumultus, *vestis & tonsuræ Tartaricæ* occasione orti, cùm in administrandæ Reip. ratione aliàs nihil immutaretur. Hinc Corea prov. ut capillos servaret, tributum primò pendere, mox armis decertare maluit, ut videre est apud Auctorem Anonymum *Sinæ & Europæ cap. ult.* &c. Plura hanc in rem V. apud Salmasium *ad Tertullianum d. l.* Barthium *Animadversion. ad Papinium Statium Part.1. pag.326.* ubi *de Capillos Deo dedicandi, Part.2. pag.416.* ubi *de eosdem Matri à virginibus, pro virginitate, relinquendi. Part.3. pag.421.* ubi *de illos funeri imponendi, ritibus*, pluribus agit, nec non infrà passim, inprimis ubi de *Radendi* more, ut & in voce *Tonsor.*

Capillos tingendi consuetudo, indigitatur Tertulliano eidem, de *Cultu Fœminarum, Tum Solis animando simul & exiccando capillo exoptabilis ardor*: ubi *animare capillum*, eum tingere & colorare est; quemadmodum idem *de Pallio*, ubi de serici conficiendi ratione, *animata stamina*, vocat jam tincta ac colorata. Certè coloris capillorum habitam rationem apud Romanos, docet Martialis *lib.5. Epigr.68.*

Arctoa de gente comam tibi, Lesbia, misi,
Ut scires, quanto sit tua flava magis.

Nempe matronæ nigrâ, lupæ flavâ comâ gaudebant. Unde à plerisque harum, capillorum colorem mentientibus, emptæ è Germania comæ. Aureus enim color capillorum Germanicorum, & omnium ferme Arctoarum gentium. Juvenalis *Sat.13.*

Cærula quis stupuit Germani lumina? flavam
Cæsariem, &c.

Cùm itaque comæ hæ ac caliendra non suppeterent, ab arte quæsitus color est: Qua de re aliquid jam dictum.

Capillos ungendi ritus, occurrit apud Horatium *lib.1. Carm. Od.29.*

Puer quis ex aula capillis
Ad cyathum statuetur unctis?

Et *lib.2. od.7.*

—— —— —— —— —— nitentes
Malobathro Syrio capillos.

i. malobathrino unguento, de quo infrà dicemus. Unde *unctæ capilli* eidem *lib.3. od.20.*

Sparsum odoratis humerum capillis.

Et *Capillare*, sc. unguentum, apud Martialem *lib.3. Epigram.82.*

Et Cosmianis ipse fusus ampullis,
Non erubescis murice aureo nobis
Dividere mœchæ pauperis capillare, &c.

Quod factum in primis in publica lætitia quilisque, uti suo loco videre est. Sed & in Sacris moris vestigia, inprimis ubi de unctione

Summi

Summi Sacerdotis; in cujus caput, diebus consecrationis suæ, oleum sacræ unctionis effundebatur, quod inde descendebat super barbam & usque ad oram vestium ejus, Psalmo 133. *versu* 2. Aliter madebant olim Germanorum capilli, de quibus Juvenal.

Cærula quis stupuit Germani lumina, flavam
Cæsariem, & madido torquentes cornua cirro?

Hos enim crebris saponibus lavabant, ut eos faciliùs torquere & in nodos obliquare possent, &c. Salmasius *ad Solinum pag.* 762.

Capischola, in Hispania vocatur Canonicus Theologalis Præbendæ Cathedralis Ecclesiæ, apud Carolum Macrum in *Hierolex.* Carolo du Fresne idem est cum *Caput Scholæ*, V. ibi.

Capisene, regio Asiæ, in montanis, à proximis Indo fluv. gentibus, cui nomen à *Capisa* urbe, quam Cyrus olim diruit Plin. *lib.* 6. *cap.* 23. ubi urbem *Capissam* & reg. *Capissenen* vocat. Sed rectiùs per unicum *S.* scribitur. Ptolomæus Κάπισα vocat & in Paropanisadarum regione collocat. Ex hisce montanis Soamus fluv. oritur, qui in Indum sese exonerat. Arrianus *in Indicis*, Σόαμος δὲ ἐκ τῶν ὀρέων τῶν Καπισηνῶν, ... V. Salmasium *ad Solinum pag.* 1174.

Capisterium, V supra *Caphisterium*.

Capistrum, quo boves capistrari soliti, Hebr. מחסום vel חכ. Gr. φιμὸς vocatur. Hinc Deuteronom. *cap.* 25 *vers.* 4. *Bovem triturantem non capistrabis* Gr. οὐ φιμώσεις, redditur ab Apostolo 1. Cor. *cap.* 9. *versu* 9. Nempe inhumanum omnino, bovem, in mediis frugibus, observare cogi esuriales ferias. Tantali instar: quod apud nonnullas gentes istiusmodi *capistris* factum est, apud Romanos nempe, teste Catone *R. R. cap.* 54. ubi *fiscellas* id capistrorum genus, à figura vocat: Græcos item, qui ... dixere machinam ligneam, collo jumentorum ne ederent, imponi solitam, Alios. V. suprà, ubi de *Bove triturante*. Hinc *Capistragium*, Gallis *Chevestrage*, in *Ordinatione* Hospitii S. Ludovici R. Franc. A. C. 1261. quod pro *capistris* domus Regiæ Ministris annuatim conceditur, apud du Fresne. Sed & *Capistro* seu Φορβειᾷ, Tibicines olim os sibi obligabant & buccas substringebant, ne ultra justum modum inflarentur & turpiculum os redderent, tum ut violentia nimii spiritus cohiberetur: inventore Marsyâ, qui tibiæ quoque geminæ ac fistulæ, seu σύριγγος πολυκαλάμου, primus Autor plerisque habitus est. Plutarchus *de Ira*, φορβειᾷ ... Quam φορβειὰν Scholiastes Aristophanis exponit δέρματα τὰ ... *coriacea vincula quibus os Tibicinum obligari solebat, in Vesp.* V. eundem in *Aves* quoque. Hesychius ... & χειλωτῆρα interpretatur: est autem ... idem, quod capistrum. Lucillius,

Trulleus pro stomide huic ingens de naribus pendet.

Ubi perperam *Postomide* alii legunt, &c. Qui itaque immoderatè spiritu uterentur, in tibiis flandis, eos *sine capistro* flare Græci dicebant. Sophocles,

Φυσᾷ γὰρ οὐ σμικροῖσιν αὐλίσκοις ἔτι,
Ἀλλ' ἀγρίαις φύσαισι φορβειᾶς ἄτερ.
Non jam ille modicas ore inspirat tibias,
Sed sine capistro enormibus flat follibus

Ad quos versus alludit Longinus περὶ ὕψους, ubi de Clitarcho ait, φλοιώδης γὰρ ἀνὴρ καὶ φυσῶν κατὰ Σοφοκλέα:

Μικροῖς μὲν αὐλίσκοισι, φορβειᾶς δ' ἄτερ.

Quasi diceret, Clitarchum modicis quidem tibiis canere, sed sine modo. Et quidem Marsyam hujusmodi *capistrum* sibi aptasse, in quodam carmine, quo ejus cum Apolline certamen describit, hisce ait Simonides,

Χρυσῷ δ' ... ἀμφὶ ...
... λαβεῖν ...

Figuram sic *capistrati*, ex veteri sigillo, Salmasius exhibet *ad Solinum pag.* 833. ubi videas vinculum ex pellibus, quo labra & os illius constringuntur, relictâ rimâ, per quam ligula tibiarum ori posset immitti. Atque hinc genus etiam ἐπιδέσμου, i. *ligaturæ*, Medici φορβειὰν dixere, cujus duæ species, μονομερὴς καὶ διμερής; quarum hæc posterior non solùm os, sed etiam frontem comprehendebat vinculo: cujus speciem ex libro Sorani περὶ ἐπιδέσμων ibidem subjiciendam curavit præfatus Vir Cl. Plura de Marsya alibi, V. quoque Plutarchum *in Symposiacis*, ubi de iniquitate judicii, quòd artis unius ac simplicis, nempe tibiarum, certamen receptum fuisset, cum arte gemina vocis & fidium, querentem Marsyam, Apollo hoc dicto repercussit & injustè conqueri ostendit, quoniam & ipse ore simul & manibus in tibicinando usus esset; ut & Diodorum *lib.* 3. In cippo sepulchrali Lysidicæ, cujus meminit Antipater *in Epigramm.* ... seu *capistrum*, taciturnitatem notavit, uti docet præfatus Salmasius *d. l. pag.* 1221. Alia sunt *Capistra purpurea*, h. e. florea apud Ovidium *Metamorph. lib.* 10.

Tu modo texebas varios per cornua flores,
Nunc eques in tergo residens huc lætus & illuc
Mollia purpureis frænabas ora capistris.

De quibus V. Car. Paschalium *Coronarum lib.* 2. *cap.* 13.

Capita, vel Navim, ludi puerilis genus, apud Romanos, quo nummum in sublime jactantes, cùm in terram recidit, utram faciem ostenderet, observabant. Jani tempora in memoriam revocantes, qui primùs in Italia nummos cudisse navesque fabricasse creditus est; Unde in nummis, ab una parte duplex Jani vultus, ab altera navis erat, Angli hoc ludi genus *Cross and pile*: Germani *Muntz oder Ohmmuntz* appellant. V. Anton. Constant. *in Ovid. Fastor. lib.* 1.

Capita Militum, apud Vegetium *lib.* 3 *cap.* 3. præcipui sunt primores exercitus, Gallis *les Chefs*: Κεφαλαὶ Græcis recentioribus, Constantinus Porphyrogen. in *Tacticis pag.* 8. Καὶ ἐποίησαν κεφαλὴν εἰς αὐτοὺς, καὶ ἔλεγον τὴν μὲν κεφαλὴν στρατηγὸν, καὶ τὴν φάλαγγα στρατηγίαν, *Et fecerunt eum* Caput *super ipsos & vocabant* Caput *quidem ducem, phalangem verò ducatum*. Leo in *Tact.* iisdem *cap.* 3. §. 6. πρώτη κεφαλὴ, ὁ στρατηγὸς, *Primum* Caput, *Dux*. Iidem Κεφαλάδες dicti reperiuntur, apud Scylitzam, Codinum, Achmetem, aliosque citerioris ævi. Du Fresne *Glossario*. Eodem pertinent *Capita belli*, apud Papinium Statium *Thebaid. lib.* 10.

— *nusquam* Capita *ardua belli,*
Monstrataque Ducum septena per agmina cristæ:

ad quem locum V. Casp. Barthium *Animadversion. lib.* 3. *pag.* 1121.

Capita Psittacorum, & fasianorum & pavonum, in cœna exhibita ab Heliogabalo, apud Lampridium in *Vita* ejus.

Capitale, capitis tegmen seu fascia, quâ caput involvi mos, Varr. in *Glossis* κεφαλοδέσμιον; item κρήδεμνον: sic *ricam*, cingulum capitis interpretatur Festus & vittam, quâ Flaminica caput habebat redimitum, & mitram & palliolum, quæ omnia vocibus his apud Græcos intelliguntur. Hesychius, Κρήδεμνον ἐν βιβλίοις, ὃ καὶ λέγεται κεφαλοδέσμιον. *Capitulum* etiam & *Capitulare* Latinis, quod & *cappam* dixere. Isidorus, Capitulum, quod vulgò Capitulare, vel quòd duos apices, ut litera cappa habeat, vel quòd capitis sit ornamentum. Unde *cappas* hodieque palliola, quibus mulieres caput tegunt, & *cappellos* vel *cappulas*, nostros pileos, quibus ad caput tegendum utimur, Galli vocare consuevere. Dicta καμάσια Græcis muliebria ejusmodi pallia; item κασσίδια, non à Cabade Persa, ut Tzetzes autumat, cùm ait;

Ἔνδυμα ... ἀρειανῶν ...,
Ὅπερ καβάδης λέγεται ἀπὸ Καβάδου Πέρσου.
Indumentum Martiale militum hoc tegmen,
Quod Cabades dicitur, à Cabade Persa.

sed à litera κάππα, recentioribus ..., ad cujus modum duos in capite apices habebat, uti vidimus ex Isidoro. V. Salmasium ad *Vopiscum in Aureliano*, ubi *Maforium*, *Caliendrum*, *Capitale*, Κρήδεμνον aliaque synonyma esse docet.

Capitale apud Recentiores, capitis quoque census est, aliàs *Capitalitium*, *Capitagium* & *Cavagium*, h. e. census quem *homines de corpore* seu *de capite*, quotannis domino tenebantur præstare, Germ. *Kopffgelt*. Cujusmodi census in Gallia ut plurimum erat quatuor denariorum, tametsi non semper: unde tali censui obnoxii *homines quatuor nummorum*, vel *de quatuor nummis*, dicuntur in *Consuetud.* Burbonensi & in *Charta* Radulfi Abbatis S. Mauri ad Ligerim, apud du Fresne. Præstabatur is quotannis; præterea in nuptiis & in morte. Lambertus Ardensis, *pag.* 63. *Manumisit & liberos resignavit, dum ipsi & ipsorum & posteri & successores Abbati jam dicto & ejus successoribus annua pensione singulos redderent denarios, & in nuptiis & in morte quatuor.* Dies solennis erat Festum Assumtionis B. Mariæ, in *Charta* Hugonis Castellani Gandensis A. C. 1243. Et quidem census hic exigebatur, si *reditus terræ* non haberent: aliàs *census cadere* dicebatur. V. *Chartam* Flaviniacensem A. C. 897. apud Carolum du Fresne *Glossar.* ubi plura hanc in rem. De tributo capitis Hebræorum, alibi. *Capitalitiam summam* vocat Guntherus *Ligurini lib.* 5.

Improba Romano poscunt à Rege tributa,
Cujus ad arbitrium disponitur omne tributum,
Et capitalitiam cogunt appendere summam.

Veteres *Capitationem*, seu *Capitulare tributum*; quod *alteram pensionem tributi* vocat Plinius, ubi de cocco, *pensionem alteram tributi pauperibus Hispaniæ donare*, ait: Nempe *tributorum collatio*, ut Festus notat, duplex fuit *alia in capite*, *alia in censu*; tributumque alterum capitis, alterum soli: quorum hoc pro modo facultatum & prædiorum imponebatur; illud ex æquo pauperes divitesque attinebat. Qui agrum habebat, ejus ager pro domino pendebat; qui non habebat, nec eo tenebatur: pensioni alteri capitis omnes erant obnoxii, quà divites, quà pauperes. Hinc pauperes in Hispania coccum passim nascentibus fruticibus decerpebant, cùm aliud nil suppeteret, atque inde corradebant, unde capitationem penderent: quare Plinius *coccum pensionem alteram tributi illis donare* dicit. Quo sensu herbas, quæ in hortis nascuntur, pensionem esse pauperum, alibi quoque ait, *lib.* 19. *cap.* 4. V. Salmasium *ad Solinum pag.* 275. Inde apud Recentiores, *Capitales* homines, qui istiusmodi censum debent: quo nomine plerunque intelliguntur, qui olim manumissi fuerant, non *plenariâ*, sed *conditionali* manumissione, sub conditione operarum, servitii aut census annui, Gall. *Hommes de cors & de chief*, in *Stabilimento* S. Ludovici *lib.* 2. *cap.* 31. Cujusmodi hominum conditio sic describitur in *Chron.* Abbatiæ S. Trudonis *lib.* 13. *extremo*: *Masculus* 12. *denarios solvebat singulis annis de censu sui capitis, femina* 6. *quidam alicui legis* 2 *denarios, quidam* 4. *Masculus istarum conditionum quicunque moraretur, sive sub nostro jure, sive sub alieno, si necdum conjugatus erat, debebat*

Ecclesia quasi heredi suæ, quidquid in omni substantia superreat ei: si fuerat conjugatus & non cum sua compare, h.e. quæ non esset ancilla nostra Ecclesiæ, debebat dimidium suæ substantiæ, similiter & femina, excepto quòd quocunq; conjuge essent ejus liberi, non dabat Ecclesiæ, nisi quod melius videbatur in omni sua mobili re. Masculus si esset cum sua compare conjugatus, dabat de suis vestimentis quod erat melius. Quòd si haberet terram censualem & servilem, de terra dabat Præpositis ad curtim bovem & de capite suo, vel alium, vel rem, quam habebat meliorem. Ita quoq; fiebat, si palefridi superessent. Vid. Car. du Fresne in *Glossario*, hac voce, & voce *Heriotum*.

Capitalis, vulgò *Capeau* seu *Capitau* Gallis, dignitatis nomen, quibusdam ex illustrioribus Aquitaniæ Proceribus attribui solitum, quos Comitibus, Vicecomitibus & Baronibus accenset *Consuetudo* municipalis Burdegal. *artic.* 75. In iis præcipui, *le Captal de Buch*, h.e. *Capitalis Bogii* (Aquitaniæ municipii, ad canalis ostium, quod sinum Arcachonium efficit) & *le Captal de Tresne*, seu *Capitalis Trenæ* (castri in eadem prov.) Qui *Capitales* videntur dicti, vel quòd essent domini loci istius, qui promontorium est seu caput in mare excurrens: vel quòd essent Capitanei illorum castrorum, qui aliquando *Capitales* Gall. *Capitals*, dicti occurrunt. Et quidem *Capitalatum de Bogio* quod attinet, eum tradunt primitus possessum à P. Amanevo *de Bordeu*, cujus (sine liberis extincti) frater fuit P. *de Bordeu*, Dominus de Podio Paulino, de Castro novo & de Insula S. Georgii: quo geniti P. *de Bordeu*, Capitalis de Bogio & Assalhida *de Bordeu*, nupta P. *de Gresly*, Vicecomiti de Benaugis & de Castilhone; quorum illo absque liberis pariter mortuo, *Capitalatus* in Gresliacam familiam, atque inde in Lebretensem transiit. Vid. Auctores laudatos *Glossarii* Auctori præfato.

Capitaneus, Vid. infrà *Catipanus*.

Capitata Cæpa, apud Plinium *lib.* 19. *cap.* 6. unum ex duobus cæparum generibus, quæ prima apud Latinos fuisse dicit, *Unum*, inquiens, *condimentariæ, quam illi Gethyon, nostri pallacanam vocant: alterum capitatæ*. Unde frustra est Vir Magnus, qui *Not. ad Moretum* contendit, nullum cæpe esse, quod non sit capitatum: Gethyon enim sine capite. Et quidem cæpæ, quæ ad semen servantur, in caput non crescunt & in longum caulem exeunt, quem *tallam* vocat Columella. Unde tallas, à cæpis, distinguit Lucilius hoc versu,

Flebile cæpe simul, lachrymosaq; ordine tallæ.

Inter reliquas, quæ simplex caput habent, nec suboolibus adnatis propagantur, Græci μονοκέφαλα & μονόγονα, Latini rustici *Uniones* dixere, &c. Sed & porri duo genera, *Capitatum* & *Sectivum*, Gr. Κεφαλωτὸν & κουρτὸν: de quo utroque, & de Cæpis V. pluribus agentem Salmasium *ad Solinum pag.* 1000. & 1168. Virgilius in *Moreto*,

Hinc siser & nomen capiti debentia porra.

Capite, multa testabantur Veteres. *Allidebant in luctu*. Victorinus de Augusto, post cladem Varianam, *In tantum perdoluit, ut cerebri vario incussu parietem pulsaret, veste, capilloq; & reliquis lugentis ... deformis*. Livius *lib.* 25. *Postquam Asdrubalem Gisgonis venientem allatum est, flere omnes repentè, & offensare capita, alii manus ad cœlum tendere*. Vid. Plut. *in Alexandro*, ubi de Dario conjugis obitum lugente, & Eusebium in *Vita* Constantini *lib.* 4. *cap.* 65. Idem *verberabant*, rebus improsperis. Idem Eusebius *Histor. Eccl. lib* 11. *cap.* 17. Καταῤῥηξάμενος ἐν τὴν ἐσθῆτα ὁ Ἀπόστολος, καὶ μετὰ μεγάλης οἰμωγῆς πλήξαμενος τὴν κεφαλὴν, καλόν γε ἔφη φύλακα τῆς τ' ἀδελφοῦ ψυχῆς κατέλιπον. *Scissis igitur vestibus Apostolus & magno cum ejulatu percutiens caput, præclarum, inquit, custodem fratris animæ reliqui*. Vid. quoque Herodotum *lib* 3. ubi de Psammenito à Persis victo captoque. Porro illud *inclinabant*, in mœstitiæ & pusillanimitatis signum. Joann. Climacus *Pastoris lib.* . Πλὴν εἰ καὶ αὐτοὶ κατὰ τὸν ἐκτὸς ἐν τοῖς προβάτοις ὁρώμενοι τύπον, τὴν κεφαλὴν τῆς ψυχῆς ἐν τῷ καιρῷ τῆς ... κάτω εἰς γῆν κλίνωμεν, ἔχομεν τὸν εἰπόντα καρδίαν συντετριμμένην καὶ τεταπεινωμένην ὁ Θεὸς οὐκ ἐξουθενώσει. *Quòd si & ipsi, juxta externam, quæ in ovibus cernitur, speciem, caput animæ — in terram versùs inclinant, habemus dicentem: cor contritum & humiliatum Dominus non in nihilum rediget.* Sed & *inflectebant*, in signum assensus ac approbationis, qui mos in Casinensi Monasterio, fortè etiam in aliis, hodieque servatur, ut viz. quod proponitur in Conventu, Seniores voce, juniores *capite inflexo* approbent. Petrus Diac. *lib.* 4. *cap.* 94. *Cumq; omnes tum voce, tum capitum inflexione hunc se velle* (Abbatem) *respondissent*, &c. Galli vocant *opiner du bonnet*. De ejus *apertione*, coram Magistratibus, sic Varro apud Plinium *lib.* 28. *cap.* 6. *Capita aperiri aspectu Magistratuum, non venerationis causâ jussere, sed valetudinis, quoniam firmiora consuetudine ea fierent.* Contra sententiam aliorum, qui honoris causâ id fieri contendunt, Cæl. Rhodiginus *lib.* 3. *cap.* 23. At instituti veteris fuit, ut qui Diis sacrum facerent, excepto Hercule ac Saturno, *caput operirent*, Plautus *in Amphitr.* Qui mos etiamnum Judæis servatur, caput inter orandum ephod suo tegentibus. Æneam a. operiendi capitis morem invenisse, dum sacris operaretur, ajunt: Hodieque Japonenses, præter reliquarum fere omnium gentium morem, *capite operto* venerationem suam advenientibus testantur, &c. Obtestantes aliquem enixiùs *tangebant* illud: L. Florus *lib.* 3. de Tiberio Graccho: *Inde cùm in Capitolium profugisset, plebemque ad defensionem salutis suæ, manu caput tangens, hortaretur, præbuit speciem regnum sibi & diadema poscentis, atq; ita quasi jure oppressus est.* Sic *tangentes caput*, per id jurabant, ut notatum multis; quem morem Judæis fuisse, patet ex interdicto Domini Matth. *cap.* 5. *vers.* 36. Quod Juvencus ita expressit *lib.* 1.

Nec caput in proprium cuiquam jurare licebit,
Namque potestatem minimi non esse capilli
Cernitis.

Eodem pertinet Horatii illud *lib.* 2. *carm.* 8.

—— —— Sed tu simul obligasti
Publicum votis caput, enitescis
Pulchrior multo, juvenumque prodis
Publica cura, &c.

Vid. Caspar. Barthium *Animadversion. ad Papinium Statium Tom.* 3. *p.* 301. Nec omittendum, *fixa hastis hostium capita*, in victoriæ symbolum. Cujus rei vestigium in Sacris, ubi Goliathi caput resectum manu prætulisse Davidem, cùm ad Saulem Regem perduceretur, legimus, 1. Sam *cap* 17. *vers.* 57. Sic Silius de Terone occiso Hasbytes caput bipenni suffigente, *lib.* 2.

Namq; aderat toto ore ferens irasque minasque
Annibal, & cæsum Hasbyten, fixique tropæum
Infandum capitis furiatâ mente dolebat.

Quod hodieque in usu apud varias gentes, Persas inprimis, de quibus Vid. Petrum de Valle, *Itinerar. Tom.* 2. & 3. Adde Car. Paschalium *Coronarum lib* 5. *capp.* 4. & 5.

Capitiarius, apud Fulbertum Carnot. *Epist.* 103. *Constituas tibi alium thesaurarium &* Capitiarium, *de bonis Clericis*: Tributorum exactor est, Vid. infrà *Capitium*.

Capitilavium, festum Ecclesiæ Rom. aliàs *Dominica Palmarum*. *Ordo* Rom. *Dominica Indulgentiæ, quæ diversis vocabulis distinguitur, id est, Dies Palmarum, sive Florum atq; Ramorum, Osanna, Pascha petitum sive Competentium, & Capitilavium*. Sic dictum, *quia tunc moris est lavare capita infantium, qui ungendi sunt, ne fortè observatione Quadragesimæ sordidati, ad unctionem accederent*, Isidor. *Origin. lib.* 6. *c.* 18. Vid. quoque Alcuinum *de Officiis divin.* Rabanum Maurum *de Institut. Clericor. lib.* 3. *cap.* 35. Papiam & eundem Isidorum *de Divin. Officiis lib.* 2. *cap.* 27. laudatos Carolo du Fresne in *Glossar.* Nempe lavabantur hac die capita puerorum, qui sequenti Paschatis die Baptismalibus aquis erant tingendi. Quoniam verò non pauci ex plebe istiusmodi lotionem cum Baptismo eandem habere cœperunt, abrogatus ritus hic fuit, in Concilio Moguntino An. Christi 813. Durandus *Capitilavium* in diem feriæ V. in Cœna Dom. conjicit, qui etiam dicebatur *Magnus dies Jovis*, & *Viridis dies Jovis*, quia in eo reconciliabantur pœnitentes: Item *Albus dies Jovis*, quia tunc distribuebatur pauperibus panis albus; quod hodieque in aliquot Galliæ locis contingit, ubi propterea *Jeudi blanc* appellatur. Macri *Hierolex*.

Capitium, capitis tegmen Nonio ex Varrone *de Vit. pop. Rom. lib.* 4. ubi tamen pectoris potiùs tegumentum fuisse indigitatur, à *capiendo pectus* dictum: ut idem Varro habet *de lingua Lat. lib.* 4. Vetus Interpres Juvenalis, Probus Georgio Vallæ dictus, *Conchylia, capitia purpurea ita flagrantia, ut conchylia ipsa videri possint*, inquit *ad Satyr.* 3. *versum hunc*,

Horum ego non fugiam conchylia.

Ubi Ferrarius *Capitia* interpretatur lacernas cum cucullo sive capitio. Hodie, cucullum antiquis Ascetis atque Monachis arcendo frigori cœlique injuriis adhibitum, Monachi *Capitium* à capite tegendo vocant, alio à veteri significatu Vid. Octav. Ferrarium *de Re Vestiaria Part.* 2. *lib.* 1. *cap.* 22. & 23. Scaliger sic de hac voce *Poetic. lib.* 1. *cap.* 16. *Liber pater cum thyrso & veste crocotula: ita Plautus κροκωτὸν & cum μαχαιρίδι ... picto. Erat hoc, quod Latini* Capitium *in virginibus, quia pectus caperet: non capitis tegmen, ut scribunt recentiores. Eo verbo Philippides Comicus in fabula ἀδωνιαζούσαις usus est.* At *Capitium* seu *Capicium*, in *Chron.* Mauriniacensi *lib.* 1. *Qui nobis vitream majorem in* Capitio *fecit*, alibique passim, pars ædis sacræ est, in Communione Rom. quæ vulgò *Presbyterium* seu locus, ubi altare statuitur, Græcisque Βῆμα dicitur. Unde hodie etiamnum in Æde sacra Monasterii S. Dionysii prope Lutetiam eam ædis partem, quæ retro altare est, & ad quam aliquot gradibus ascenditur, *Chevet* seu *Chevais*, Galli vocant. Nempe sic dictum videtur, quòd ei, pulvinaris instar, quod *Chevet* Gallis est, adnixum fuerit altare: vel quia *caput* sit Ædis, uti hæc pars non raro appellatur, apud Helgaudum in *Roberto R.* aliosque. Sed & Parisiis nota significatio hæc vocis *Chevet*, pro *capite*: ubi proin plateæ seu compita vocantur *le Chevet de S. Landry* & *le Chevet de S. Jean en Greve*, quà parte earundem ædium sacrarum *capita*, seu Presbyteria protenduntur. Car. du Fresne in *Glossar.* qui partem hanc Ædium sacrarum eandem cum *Capso* facit, Vid. in hac voce. Hinc *Capicerius* eidem seu *Capicerius*, dignitas & officium in Monasteriis, Gall. *Chevecier*, cui *Capicii* cura incumbit, *Sacrista*, in *Charta* Anno Christi 1185. in Tabular. S. Martini de Campis. Meursius tamen & Vossius à *capitatione* deducentes vocem, *Capicerium* fuisse dicunt, qui capitale tributum exigeret, quibus astipulantur Macri fratres in *Hierolex. voce Capitiarius*. V. ... doctus in *Histor. Ædis Sacræ S. Aniani Aurelian. cap.* 7. cum Pr...

Curio confundit: neque feliciori conjecturâ alii à *capienda cera* dictum putarunt, quòd ut plurimum in sacris ædibus candelarum cereorumque cura dignitati isti incumbat, cùm & Altaris, in quo solent reponi, cura itidem spectet, &c.

Capito, Gall. *Teston*, nomen monetæ, in Regno Franciæ, olim usitatæ. Et quidem *Grossi Capitones*, seu *Testones*, Gall. *Gros Testons*, primi cusi sunt sub Ludovico XII. pond. 7. den. 12. gr. pretii sol. Turon. 10. Præferebant illi Regis caput pileo depresso opertum, & in aversa parte scutum insignium coronatum cum limbo dentato, & Inscript. X P C. V I N C, &c. Fueruntque longè meliores *Testonibus* Francisci I. quippe pond. 12. gr. argenti Regii. Sub eodem prodiere *Grossi Capitones Mediolanenses*, Gall. *gros Testons de Milan*, Regis caput eodem opertum pileo præferentes, cum lilio ad pectus, & Inscr. † LUDOVICUS D. G. FRANCORUM REX. In aversa parte S. Ambrosium mitratum, equitem, manu flagellum tenentem, sub quo & in ipso circulo Inscriptionem continente, scutulum fuit cum 3. liliis coronatum, MEDIOLANI DUX, Vid. suprà ubi de *Ambrosinis*, nec non infrà in voce *Testones*.

Capitolii Tutelarii, à *tutela Capitolii* dicti sunt: in cujus inaurationem Domitianus millies octingenties octogies, impendisse legitur, apud Plutarchum in *Poplic.* quam insaniam, magnificentiæ nomine, extulere multum Scriptores, & maximè Poëtæ. Unde nec, tot annis post, Ausonium puduit hunc describere,

Aurea qui statuit Capitoli culmina.

Neque aliunde interpretandum vult Gronovius Martialem, *lib.* 11. *Epigrammm.* 4.

Sacra Laresque Phrygum, quos Trojæ maluit hæres,
Quàm rapere arsuras Laomedontis opes:
Scriptus & æterno nunc primùm Jupiter auro,
Et soror & summi filia tota Patris.

Quasi diceret, Et tu, Jupiter, qui nunc primùm post incomparabilem illam proximam, certè priores Capitolii ædificationes infinitis modis superantem, magnificentiam, æterno auro cultus es & ornatus, & vos Juno Minervaque. In quibus verbis Jupiter *Scriptus auro* Statio est *peraratus auro*, non *sculptus*, ut voluere nonnulli, &c. Cùm itaque pretiosas istiusmodi statuas & aliam infinitam auri vim in Capitolio fuisse certum sit *Tutelæ Capitolii Redemptores*, hujusmodi thesauris ab injuria defendendis, tanquam custodes, appositos esse, contendit Rupquius: Gronovius verò genus Publicanorum hoc nomine intelligit, qui istius ædificii membrorumque ejus, sarta tecta tuenda redemerant, ab Censoribus, quibus quia loca omnia patere necessum fuit, eoque & omnia illorum monumenta non modò exposita, sed & ipsa tuenda erant, de conservandis iisdem haud dubiè illos cavere oportuit: at omne munus illorum thesaurorum custodiâ finitum non fuit. Plinius *lib.* 35. *cap.* 3. *M. Aufidius* tutelæ Capitolii *redemptor, docuerit Patres, argenteos esse clypeos, qui pro æreis per aliquot jam lustra adsignabantur.* Et priùs *lib* 34. *cap.* 7. *Ætas nostra vidit in Capitolio, priusquam id novissimè conflagraret, à Vitellianis incensum, in cella Junonis, canem ex ære, vulnus suum lambentem: cujus eximium miraculum & indiscreta vero similitudo, non ex eo solùm intelligitur, quòd ibi dicatus fuerat, sed & nova satisfactione; nam summa nulla par videbatur: capite* Tutelarios *cavere pro eo publici instituti fuit.* Hoc est, Redemptores caput ac vitam veluti pignori dare atque opponere, ut, si vitiaretur, vel amoveretur, non bonis, sed capite, plecterentur. Quo sensu apud Ciceronem 1. *Verr.* legimus, *Ædem Castoris P. Junius habuit tuendam, L. Sullâ, Q. Metello Consulibus.* Et apud Livium, *lib.* 42. *Censorem moribus regendis creatum, cui sarta tecta exigere sacris publicis & loca tuenda more Majorum traditum esset, &c.* Dicti autem hi *Tutelarii* sunt, ab tutela; non *Tutelares*, quia hanc vocabuli terminationem augustiori rei dicaverant. In lapide prope Ulpiam Trajan. MERCURIO. ET. MINERVÆ. DIS. TUTELARR. Joh. Frid. Gronovius *Observation. lib.* 4. *cap.* 18.

Capitolina palmata, in *Epistola* Taciti ad Probum, tunica est palmata, quam triumphantes olim è *Capitolio* petebant. Capitolinus in *Gordianis*, *Palmatam tunicam & Togam pictam primus Romanorum privatus suam propriam habuit, cùm antè Imperatores etiam de Capitolio acciperent, vel de Palatio.* Hanc cùm soli priùs triumphantes, die triumphi, unà cum Toga picta acciperent: sub Impp. Consules omnes habuere, & Gordianus privatus quoque, uti visum, V. infrà in voce *Palmata* & Salmasium *ad Vopiscum in Carino*.

Capitolini Agones, instituti à Domitiano Imp. singulis quinque annis celebrabantur, ad exemplum ludorum Olympicorum; In iis omne genus artificum certabant, Citharœdi apud Juvenal.

An Capitolinam speraret Pollio quercum.

Histriones, in vet. mscr. Poem. unde Statius non uno in loco, in *Sylvis* suis queritur sibi Thebaidem recitanti alios prælatos: & notus Juvenalis locus,

— — *Sed cùm fregit subsellia versu*
Esurit, intactam Paridi nisi vendat Agaven.

Ubi *fregit subsellia*, interpretatur Rosinus, *recitans non stetit, sed rudis, non placuit.* Godvvynus autem *Anthol. Rom. lib.* 2. *Sect.* 3. *cap.* 7. contrario planè sensu hæc verba capit, in laudem Poëtæ, & applausus vehementiam illa trahens. Hinc & Sidonius Apollinaris *lib.* 5. *epist. ad Sapand.* *Hunc olim pinnatum*, inquit, *& Rhetorica sedilia plausibili oratione frangentem, fecit eloquens ultro in familiam patriciam ascivit.* Simileque videtur illud Virgilii,

Et cantu querulæ rumpent arbusta cicadæ.

Apud Polybium quoque *Hist. lib.* 15. Κατερρήγνυτο πᾶς ὁ τόπος ὑπὸ τοῦ κρότου καὶ τῆς κραυγῆς, *Rumpebatur totus locus plausu & clamore.* Unde à Juvenali vult innui illud *Grande sophos*, toties Poëtæ repetitum; læta nempe acclamatio, quâ Oratori ac Poëtæ applaudere solebant, verbis σοφῶς seu ὀρθῶς. Horat. *de arte Poët.*

— — *Clamabit enim pulchrè, bene, rectè, &c.*

Tantæ autem dignitatis hi Agones, ut Romæ non per lustra, sicut antea, magnum annum, ut vocabant, sed per *Capitolinos Agonas*, supputarent: quod à Domitiani tempore, usque ad suum ævum obtinuisse, Censorinus scribit; Cœterùm semper Agon ipse Romæ mansit: ut in eo Poëtæ, Rhetores aliarumque professionum artifices coronarentur ab ipso Imperatore. Nec aliunde Poëtarum laureatorum mos, ad Germanos fluxit. Sed in veteribus agonibus Capitolinis, qui vicerant, coronâ & ramo lemniscatis aut torque involucris donabantur: Qui secundi erant, coronas quidem & palmas, sed sine lemniscis, nanciscebantur. Ausonius,

Et quæ jam dudum tibi palma Poëtica pollet,
Lemnisco ornata est, quo mea palma caret.

Vid. Joh. Rosinum *Antiqq. Rom. lib.* 5. *cap.* 18. Thom. Godevynum *loco suprà laudato, &c.*

Capitolini Ludi, dicti, quòd in honorem Jovis Capitolini, pro servato Capitolio, ab hostibus Gallis Senonibus instituti essent, à Camillo, Liv. *lib.* 5. In his præconis voce Sardianos venales proclamari & senem quendam ludibrii gratiâ produci solitum, bullam collo appensam gerentem puerilem, Plutarchus habet in *Quæst. Rom. quæst* 53. De qua ceremonia Festus: *Sardi venales*, inquit, *hoc est, alius aliò nequior; ex hoc natum proverbium videtur, quòd ludis Capitolinis, qui fiunt à vicanis prætextatis, auctio Vejentium fieri solet: in qua novissimus is, qui omnium deterrimus, producitur à præcone in medium senex, cum toga prætexta, bullaque aurea, quo cultu Reges soliti sunt esse Etruscorum, qui Sardi appellantur: quia Etrusca gens orta est Sardibus, &c.* Habebantur quotannis. Vid. Rosinum *loco supra citato.*

Capitolium, adde: Mons in quo hæc ædes, Saturnius primò: dein Tarpeius, tandem, à capite Toli, *Capitolinus* dictus est. Ipsum *Capitolium* vetus à Numa: novum à Prisco conditum; à Superbo post Suessam Pometiam è Volscis captam, impensis in id 400. talentis argenti attiqui, id est, 240. mill. Philippeorum absolutum: pulsis demum Regibus à Pulvillo, dedicatum est. Situm Dionysius describit: Ibi & Juventus & Terminus, qui cedere noluerunt exaugurantibus; itaque eorum aræ continebantur templi ambitu, atque una in vestibulo cellæ Minervæ, altera in ipsa cella juxta pulvinar fuit. Tres enim in Capitolio cellæ fuerunt: media Jovis, utrinque altera Junonis, altera Minervæ, sub eodem laqueari eodemque tecto. Ibidem quadrigæ inauratæ, in cella Jovis, supra fastigium ædiculæ: & Proserpinæ tabula, in Minervæ delubro, supra ædiculam Juventutis, fuere. Imò quatuor fuisse *Capitolia* monet Preyelius: quorum I. Tarquiniorum illud, quod bello Sullano periit. II. Sulla instruxit, sed non dedicavit, Catuli nomine inscripto: donec hoc deleto Julii Cæsaris nomen ei inscriptum est. III. Postquam prius bello Vitelliano arsit, Vespasi. condidit atque reparavit, iisdem vestigiis: quod à morte ejus cùm in cineres sedisset sub Tito: Quartum à Domitiano instauratum est. Limina ejus ærea, ex mulcta quorundam fœneratorum facta esse, refert Livius. Post Carthaginem eversam, laquearia inaurata sunt: regulas illius æreas primus auro obduxit Catulus: In cellam Jovis Capitolini unâ donatione, ex Ægyptiaca præda, contulit Augustus sedecim millia pondo auri, id est, 1600000. Philippæorum, & quingenties sestertium, id est, 1250000. Philipp. in gemmis, referente Suetonio. Domitianus in solam inaurationem, supra 12. m. talentorum, seu septem milliones impendit: ut de reliquis ejus opibus, & reliquarum quoque cellarum donis nil dicam. Postea, in pecuniæ inopia, Stilico fores Capitolii, quæ auro magni ponderis tectæ erant, laminis iis spoliavit; sed in parte forium, scriptum reperit: *Infelici Regi servantur*; quod omen eventus paulo post implevit. Plura Vid. apud Joh. Rosinum *Antiqq. Rom.* Adam. Preyelium *Sina & Europa cap* 16, *&c.* Ad ejus imitationem, in quamplurimis Urbibus majoribus, inprimis quæ Coloniæ erant, *Capitolia* fuere; Nam, ut ait Gellius, *Coloniæ, quasi effigies parvæ Populi Rom. erant, eoque jure habebant Theatra, Thermas & Capitolia*: quorum aliquot infrà recensere visum est. Apud Recentiores, *Capitolium* Templum paganorum, vel locus, ubi sacrificare Christianos cogebant olim Gentiles. *Lexicon* Gr. MS. Reg. apud Carol. du Fresne, Καπιτώλιον ἱερόν. Cyprianus *Epist.* 55. *Quid superest, quàm ut Ecclesia* Capitolio *cedat, & recedentibus Sacerdotibus, ac Domini altare removentibus, in Cleri nostri sacrum venerandumque consessum simulachra atque idola cum aris suis transeant:* Et *lib. de Lapsis, Nonne, quando ad* Capitolium *sponte ventum est, quando ultro ad obsequium diri facinoris accessum est, labavit gressus, caligavit aspectus?* In Capitoliis enim idola congesta fuere. Prudentius c. *Symm lib.* 2.

Et quæcunque solent Capitolia *claudere larvas.*

Unde Tertullianus *de Spectac.* Capitolium, *omnium dæmoniorum templum* dixit, &c. Certè in area Capitolina tot erant cellæ, seu favissæ sub terra, in quibus res sacræ vetustate collapsæ reponebantur, ut Catulus, qui aream deprimere sicque Capitolii ædem altiorem reddere constituerat, quò pluribus gradibus in eam ascenderetur, incepto desistere fuerit coactus, uti legimus apud A. Gellium, *lib.2.cap.*10. Sed & *Capitolium*, pro Capitulo Canonicorum vel Monachorum, seu loco, in quo ii congregantur, de re & disciplina Canonica Monasticaque acturi, Ital. *Capitolo*, occurrit non rarò. *Schedula* Presbyterorum seu Canonicorum Eccl. Laudun. apud Hincmarum Rem. *Quapropter qui eundem Dominum nostrum* (Hincmarum) *regiâ potestate retentum & reclusum viva voce adire non poteramus, & Sacerdotali ministerio prohibiti ab eo frui non audebamus, III. Kal. Junias ad* Capitolium *nostrum convenimus & ibidem communi colloquio retractantes, ratum fore duximus, ut,* &c. *Inscr.* Sepulchralis in Monasterio Monialium S. Mariæ Iadræ,

Laude nitens multâ, jacet hic Vekenega sepulta,
Quæ fabricam turris, simul & Capitolia *struxit.*

Sic Καπιτώλια τ͂ Μοναχῶν dixit Palladius in *Historia Lausiac.* apud Car du Fresne. In eodem loco Religiosos, uti vocant, culpas suas propalare consuevisse, ac pœnitentiam postulare, legas apud Macrum in *Hierolexico*: ubi ex *Vita* Dominici, quem Sanctum sui fecere, dæmonem cum eo per Conventum circumambulantem ei ostendisse Diabolica lucra, in omnibus locis, ex Fratrum spirituali damno percepta; noluisse tamen nequissimum Spiritum ad *Capitolium* cum Patre ingredi, ex odio illius loci, eo quòd quicquid in aliis lucrabatur, ibi loci perdere cogeretur, refert, &c. Sed & capsulam reliquiarum, in modum arcis, efformatam, vel certè idem, quod *capitellum*, Gall. *chapiteau*, voce hac denotari, observat idem du Fresne in *Gestis* Abbatum S. Germani Autissiodor. *cap.*19. ubi unum ex dentibus B. Joannis B. in parvo quodam *Capitolio* crystallino & argenteo custoditum fuisse, Scriptor hic ait, &c.

Capitolia in aliis urbibus, ad Romani imitationem.

Apamiense, memoratur in *Actis* S. Thyrsi.
Augustanum in Vindelicis, apud Welserum *lib.*5.
Beneventanum, apud Baronium *Martyrol.*
Bisuntinum, apud Chiffletium in *Antiq. Bisunt.*
Capuanum, apud Suetonium in *Tiberio*, in *Cajo* alibique.
Carthaginense, apud Cyprianum *Epist.*55.
Claromontanum, in Arvernis, apud Savaronem in *Origin. Clarom.*
Coloniense, apud Herm. Stangefolium *Annalium Westph. lib.*1.*cap.*12.*num.*2.
Constantinopolitanum, in *lib.* 12.*C. de Ædif. priv.* in *vet.* Urbis *descript.* Reg. 8. in *Chron.* Alexandr. & apud Corippum *lib.*3. In eo Scientiam Professores publicè docuisse discimus, ex *Constitut.* Theodos. & Valentin. quæ extat in *Cod.* Justin. & Theodos. *de Stud. Urb. Rom.* & *CP.* unde probabile judicat du Fresne, illam esse ædem, quam Βασιλικὴν τ͂ Παιδευτηρίου ἐν Βυζαντίῳ vocat anonymus in *Anthol. lib.*4. *cap.* 23. Quo sensu *Basilicam Legum* habet vetus Inscr. Tardæ in Transylvania, apud Gruterum 171.2. V. Car. du Fresne in *CP.*
Florentinum, apud Joh. Villaneum *lib.*1.*cap.*38.
Hierosolymitanum, unde urbs ipsa Hierosolyma *Ælia Capitolina* dicta est, apud Ulpianum *lib.* 1. *de Censib.* & vet. Scriptorem, qui extat in Operibus S. Augustini.
Mediolanense, apud Ughellum *Tom.*4.
Narbonense, apud Sidonium *Carm.*23. in *Vita* S. Pauli Narbon. apud Bosquetum, &c.
Nemausense, apud Poldum Albenatem, à quo describitur *pag* 73.
Pampilonense, cujus vestigia, in hac urbe Navarræ prima via, observat du Fresne in vet. *Statuto* pro Regno Navarræ, edito à Johanne Pastæo Decano Carnotensi & Hug. de Vimy Milite, Regni Reformatoribus à Rege delegatis: *Fuit ordinatum, quòd in* Capitolio *venderetur bladum, &c.*
Ravennense, apud Adonem Viennensem in *Martyrolog.* 23. Julii & *Histor.* S. Apollinaris post Abdiam.
Remense, in *Actis* S. Marcæ Mart. *num.* 3. apud Boland. 6 Jan.
Rodense, ad Thicim amnem supra Gerundam, in Hispan. in *Actis* St. Vincentii & Orontii.
Santonense, apud Ademarum Caban. A.C. 1031. *pag* 181.
Tolosanum, quod hod eque appellationem servat. Vid. in voce *Tolosa.*
Trevirense, Vid. in *Treviri.*
Veronense, apud Polycarpum Palermum *de Plinii patria lib* 1. c.5. *&c.* Nisi apud quosdam horum Auctorum *Capitolium*, sit domus ædilitia. Nec desunt, qui *Capitolia* hæc urbium arces potiùs, quàm *Capitolii Rom.* imitamenta esse velint: Sæpe enim hac voce arx denotatur apud Isidorum, Hieronymum, Alios.

Capitula, nomen libri, à Theodulfo Aurelian. scripti, *ad Presbyteros Parochiæ suæ*, seu Actorum Synodicorum, in quibus ad Cleri & populi emendationem, præcepta continentur. Eodem titulo, donatus est liber alter Herardi Turon. Archiep. A.C. 858. de quo *Chronicon* Andegav. A. C. 858. *Do. Herardus Archiepiscopus generali Synodo — quædam necessaria sanctorum Canonum Capitula excerpsit, quæ firmiter custodienda sanxit.* Sic verò nominati [illegible] ab Auctoribus hi libri quòd per *Capitula* seu sectiones essent [illegible]: qua ratione inter Græcos Marcus, Diadochus, Nilus, alii [illegible] φάλαια libros suos inscripserunt, in quibus Monita Christi[illegible] complexi sunt. Propriè verò Canonum Ecclesiasticorum & LL. Regiarum Codices, præsertim verò Regum Sanctiones ac Decreta *Capitula* ac *Capitularia* nuncupata sunt, ut videre est infrà, in voce *Capitulare.* Sed & *Capitula*, apud Radulphum Tungr. *de Canon. observ. Propos.*8. & 13. dicuntur breves Lectiones, quæ in divino officio, loco Lectionum leguntur, de cujusmodi *Capitulis* agitur in Concilio Agathensi *can.* 21. apud Vigilium Episc. Rom. *Ep* 2. Alios. Unde, *Capitula Dominicalia*, quæ Dominicis diebus canuntur, in *Statutis* Guigonis pro Ord. Cartus. *Capitulare Evangeliorum de circulo anni*, liber Eccles. Rom. continens initia & fines cujusque Evangelii, quod singulis diebus in Missa legitur, apud Baluzium *Notis ad libros Capitular.* p. 1156. & *Capitularium*, liber ibidem Ecclesiasticus, continens *Capitula*, quæ in Ecclesia canuntur in Monastico Angl. Idem. V. infrà.

Capitula & *Cornicula*, Agrimensori veteri dicuntur capita extrema chorobatis, ex quibus pendebant fila ponderibus expensa, id est, perpendicula. Salmasius *ad Solinum pag.*672. Vid infra in voce *Chorobates.* De *tribus* verò *Capitulis*, olim in Ecclesia adeò famosis, in Concilio Oecumen. V. CPol. à Justiniano Sen. habito, examinatis & anathematizatis, Vid. pluribus agentem Joann. Forbesium *Instruction. Historico-Theologic. lib.* 3. *cap.* 15. §. 7. 14. & 16. ut & ubi de *Theodoro Mopsvesteno, &c.*

Capitulare, Gr. Κεφάλαιον, scriptum est *capitulis* distinctum, qua voce notabant olim Leges imprimis Regum, seu Legum harum codicem, per *capitula* seu sectiones distinctum digestumque. Hinc κεφαλαιώδεις τίνες, *Capitularia* iis infimo [illegible] dicuntur. Theophanes *ad ann.*17. Copronymi, Vid. Sirmondum *Præfat. ad Capitula Caroli C.* Alii *Capitularia* seu *Capitulares* libros dictos volunt, quòd libri illi multa *capita* complectantur. Sic *Glossa in Authent.* [illegible] *C. de Sacros. Eccl. Capitularia* interpretatur, *libros Statutorum, &c.* Vocem Caroli M. Ansegisi & Theodosii temporibus, inventam demum esse, sentit Anton Augustinus *de Emendat* Gratiani *lib.* 2. *dial.* 11. Sed jam seculo octavo ineunte ea occurrit: Habetur enim *Capitulare Gregorii II.* ad Romæ Episcopatum evecti An. C. 714. quod datum Martiniano Episcopo, Georgio Presbytero, &c. in Bavariam ablegatis, legitur Binii Conciliorum *Tom. V.* extatque MS. in Bibliotheca Bodlejana, ut ex librorum ejus Indice patet. Nempe jam superioribus temporibus, apud Græcos Latinosque, κεφάλαια & *Capita* designabant, summulas, sententias, concisa dicta & aliorum longiùs dictorum compendia, uti videbimus infrà in voce *Capitulum.* Dixi *inprimis* Regias LL. sanctiones & decreta sic dicta esse; Sed nec omnia, verùm ea tantùm statuta eorum, quæ in publicis Comitiis vel Synodis Conciliisque, Episcopis populoque in Consilium adhibitis, ab ipsis Principibus edi consuevere, iis præsertim in casibus, ubi Leges deficiebant. Cujusmodi sanctiones Ecclesiasticas multas edidit Carolus M. qui, magnam Ecclesiasticæ Rei curam gerens, Concilia Synodosque varias celebravit, Moguntiæ, Remis, Turonis, Cabilloni, Arelati, in quibus omnibus Constitutiones factæ *Capitularium* accepere nomen. Francofurtensis inprimis sub eodem Synodus memorabilis est, ubi contra Græcorum Synodum, Imaginum adoratione damnatâ, prodiere libri *de Imaginibus Sacris*, qui Caroli M nomen præferunt, à Tilio editi. Idem fecere Successores ejus, Ludovicus Pius & Lotharius fil. ejus ac nepos, quorum omnium *LL.* Ecclesiasticas collegit Ansegisus Abbas Laubiensis, inclusitque duobus libris, quorum prior continet *Capitula* 16[illegible] Karoli M. posterior 47. quæ Ludovicus & Lotharius condidere, impressum est opus, cum tit. *Capitulare Caroli M. & Ludovici Pii* An. Chr. 817. Idem verò duobus aliis libris eorundem Impp. Leges seculares complexus est. Quibus aut non satis diligenter aut non satis plenè collectis, postea Benedictus Levita libros tres adjecit, quintum nempè, sextum & septimum, in quos non tantùm prædictorum Impp. *Capitula*, sed alia insuper inseruit, quorum rationem ipse in *Præfat.* reddit: continet autem quintus *Capitula* 251. sextus 330. septimus 372. Sequuntur appendices, prima *Capitulorum* 80. quę An. Ch. 817. Ludovici Pii Imperii anno 4. sexto Idus Jul. Aquisgrani, in domo Palatii, *Lateranis* dicta, communi consilio inviolabiliter à Regularibus conservari decreverunt, ut habet Inscriptio. Secunda *Capitulorum* 25. Tertia [illegible] Quarta 108. clauduntque Volumen *Capitula* 20. Caroli Imp. Ludovici Filii: V. quæ de ordine harum Collectionum, de auctoritate item ac integritate *Capitularium* habet Anton. Augustinus *de Emend. Gratiani lib.*2. *dial.* 10. *& seqq.* è quo hoc saltem adspergo. *Licèt verum sit, hæc fragmenta esse Constitutionum trium Imp. à privatis hominibus collecta, tamen, ut Benedictus ait, Apostolica auctoritate confirmata sunt. Multa capita hujus Collectionis referuntur in Concilio Trosiejano, in Ticinensi & in Coloniensi, sub Carolo Calvo,* ubi quod Bened. Levita ait, *Apostolicâ auctoritate confirmata esse*, negant id opus fuisse aut factum esse Galli etiamnum, & notum satis, Levitam hunc Pontificię sedi plus æquo addictum fuisse. Primus de restituendis *Capitularibus* his superiori seculo solicitus

Sub

fuit Joh. Tilius, qui cùm morte præceptus, quod meditabatur, perficere nō posset: perfecit opus ex pluribus exemplaribus Petrus Pithœus & cum *Glossario* vocum obscurarum Lutetiæ edidit A.C. 1588 quod ibidem recusum est An. C. 1603. Continet autem hoc opus *Capitularia* Caroli M. & Ludovici Pii. Postea Jac. Sirmondus edidit ac digessit *Capitula* Caroli Calvi, cum aliorum Successorum Capitulis, Parisiis itidem Anno Chr. 1623. in qua editione, præter Caroli hujus *Capitula*, habentur Ludovici II. Carolomanni R. Caroli Simplicis R. *Capitula*: sequuntur *Coronationes* Caroli & Ludovici Regum: Judithæ item filiæ & Hermintrudis conjugis Caroli. Quibus omnibus doctas suas notas adjecit. Et quidem, cùm in Ansegisi & Benedicti Collectionibus, quas edidit Pithœus, Regum tantùm *LL.* sint nullo fere ordine digestæ, nullaque temporum vel locorum notâ distinctæ: in illis, quæ Sirmondus edidit, Synodi & Conventus ipsi Regales, in quibus constitutæ sunt, exhibentur, & quo quisque Conventus anno locoque, quas ad res & per quos coacti celebratique sunt, exprimitur. V. plura in hanc rem, apud Gerhardum von Mastricht *Histor. Juris Eccles. num.* 92. *& seqq.*

Capitulare, & *Capitulum*, item *Capitularis*, ornamentum capitis. Antoninus Mon. *in Itiner. Hierosolym. Pendent super brachia, dextrochiria, monilia & anuli*, Capitulares, *cingula, baltei &c* Isidorus, *Capitulum, quòd vulgò duos apices, ut litera cappa habeat, vel quòd sit capitis ornamentum.* Idem cum *Cappa*, & *Capitali*, V. suprà in hoc voce.

Capitulares Literæ, apud Ekkehardum Jun. *de Casibus S. Galli cap.* 1. *Lineandi &* Capitulares *literas ritè creandi gnarus*, & *cap.* 9. *Ipse erat potentissimus, maximè in* capitularibus *literis & auro*: majores sunt literæ, quæ in principio cujusque Capituli librorum describebantur, auro, minio aliisq; coloribus depictæ & variis pro re nata figuris adornatæ, cujusmodi passim conspiciuntur in libris manu descriptis. *Capitaneæ literæ* dicuntur, apud Auctorem incertum *de Limitibus agrorum*

Capitularium, apud Gregorium Turon. *Histor. lib.* 9. *cap.* 30. *Gaiso verò comes ejusdem temporis accepto* Capitulario, *quod anteriores Scriptores fuisse commemoravimus, tributa capit exigere*: Liber est censualis, in quo descripta capitula seu præstationes, quas quisque debebat. Sequitur enim, *Ecce librum præ manibus habemus, in quo census huic populo est inflictus.* Apud Honorium III. verò *Compilat.* 5 *cap.* 2. *Capitularia* libri sunt civitatum, in quibus decreta ac statuta earum descripta. Etiam hac voce denotari ornamenta Chartarum, quas *viticulas* vulgò seu *vignettes* appellant Galli, quòd ea in librorum capitulis inprimis fiant, colligitur ex *Gloss. Lat. Gr. Capitulariis, τοῖς ἀσπαραγίδαις τοῦ χάρτου*: est enim ἀσπάραγος frutex, du Fresne *Glossario*.

Capitulum, vox Recentioribus multo & vario in usu. Apud Gregorium M. *lib.* 1. *Epist.* 47. *Sacra Imperialia cucurrerunt, quibus omnia præceperunt gravia nunc* Capitula *submoveri*: vox idem notat, quod *Capitularia functio* vel *temonaria* in *l.* 14 *&* 15. *Cod. Theod. de Extraordin.* & auri tironici seu pretii loco tironum exactionem significat. Unde *Capitularii*, iidem qui Exactores, *l.* 3. *eod. Cod. de Privil. eorum qui in sacro Pal. mil.* Apud Papiam, *dictum est, quasi alterius sententiæ caput — brevis multorum complexio, sic dictum, quia breviter capiat totam summam.* Quo sensu Canones Ecclesiastici, & Regum inprimis sanctiones ac decreta, sequiori ævo appellari cœperunt: quorum Codices *Capitulares* vel *Capitularia* dicti, V. suprà in voce *Capitulare*. Apud eundem, locus, in quem conveniunt Monachi & Canonici, eodem nomine insignitur, eo quòd *Capitula*, h. e. *Regulæ*, ibi legantur. Notum enim manè, post Primam recitatam, antequam Fratres exirent ad laborem, aliquod Regulæ *Capitulum*, jam olim iis prælegi consuevisse. Apud Lindwodum, *quandoque ponitur pro collectione plurium & non communiter viventium, sed ob tractatus communes inter se habendos ad aliquem locum confluentium: ut in Capitulis generalibus Monachorum & aliorum Regularium, &c.* Idem *Capitulum propriè* ait *dici, respectu Ecclesiæ Cathedralis, ut Conventus respectu Ecclesiæ inferioris, ubi est collectio viventium in communi.* Unde *Capitulares*, iidem cum Canonicis, apud Ericum Upsaliensem *Histor. Sueticæ lib.* 5. Apud Joann. Hocsemium in *Henrico Gueldrensi Episc.* domus sic vocatur urbis publica, in qua Ædiles seu Scabini coeunt ac jus dicunt, *Hostel*, vel *Maison de Ville*. Sic Curiam Tolosanam *Capitulum* appellari in vett. Tabulis, observat Catellus *Histor. Tolos. c.* 1. cui quidem *Capitulo* præerat Vicarius: unde in sententiis hæc crebrò occurrunt, *Vicarius & Capitulum judicaverunt.* Qui verò assidebant, *Capitulares* & *Capitularii*, Gall. olim *Capitoliers*, hodie *Capitoux*, appellari consuevere. Apud Isidorum & ex eo Papiam, *Capitulum* seu *Capitulare*, tegmen est capitis muliebre, de quo diximus suprà, &c. V. Car. du Fresne in *Glossar.* & Macros Fratres in *Hierolexico*.

Capitum Animalis, quod vendere militem vetat Aurelianus Imp. apud Vopiscum, *pabulum jumentorum* est, ut Ammianus interpretatur *lib.* 22. quo modo vox accipitur in *l.* 7 13 17. *Cod. Theod. de Erogat. milit. ann.* & alibi, & *palea* vertitur *l.* 9 *Capitatio* in *l.* 8. ind. & *l. ult. eod. de Collat. donat.* &c. Vox est purè Græca, quam Latini usu fecere suam. *Capitum* enim pro *capetum*, Gr. κάπετον: κάπτειν autem *edere* ac *vorare* significat: *unde* κάπη, *præsepe*, ἀπὸ τοῦ κάπτειν ἀπ' αὐτῆς. Hinc itaque κάπην, ἀκὴν, idem quod κάπην & inde καπετὸν, quod παρέμβλημα ἀλόγοις: item κτηνῶν τροφὰς, h. e. *jumentorum pabulum*, exponit Hesychius, V. Salmasium *ad Vopiscum*.

Capiturini, à Salernitanis, principes & auctores seditionum appellati sunt, ut auctor est Hugo Falcaudus, apud Car. du Fresne in *Glossar.*

Capnias, Græcè καπνίας, genus jaspidis, à colore fumido sic dicti, apud Dioscoridem, ὁ δὲ ἀεριζων, ὁ δὲ καπνίας, ὥσπερεὶ κεκαπνισμένος. Vocarunt autem Græci χρῶμα κεκαπνισμένον colorem eum, qui est in tignis ac trabibus diutino fumo infectis: Latinè *suasum & insuasum*, teste Festo. Quamvis enim omnem colorem, *qui fiat inficiendo, suasum vocari* idem alibi notat, quòd *quasi persuadetur in alium ex albo transire*, tamen, quia tignum, quod diutino fumo infectum est, vel ea, quæ ex stillicidio fumoso infecta sunt, colorem eum penitùs imbiberunt, eoque prorsum imbuta, ac veluti insuasa, validè retinent, ideo *insuasum & suasum*, per excellentiam de hoc fumido colore usurpatum est, quod de omnibus dici potest, ut Græci πάθεσθαι & κεχρωσμένον. Salmasius *ad Solinum pag.* 346.

Capnomantes, dicti sunt, qui flammas in sacrificiis ac fumos considerabant, futura ex iis divinaturi: à Gr. καπνὸς, i. *fumus*, & μάντις, i. *vates*. In fumis autem notabant, quas vertigines facerent, quantumque se attollerent, & quo motu, rectone an obliquo, vel in orbes contorto aut complicato, agglomeratione quadam in tortiles spiras, & quo redolerent nidore, alienone an eo, qui ex carnibus ustis effumaret. Joh. Rosinus *Antiqq. Rom. lib.* 8. *cap.* 11.

Capo, castratus gallus est: quod Aristoteles *Histor. Animal. lib.* 9. *cap. ult.* fieri docet, si binis tribusve ferramentis extremam alvi partem adusseris. Nunc testes binos eximere solent; nam alterutro relicto, etiamnum coeunt, solito more canunt, nec saginatio succedit. Mirum verò, cùm exsectionem gallorum Romani habeant à Græcis, ut ex Aristotele etiam liquet: eos tamen proprio caruisse vocabulo, quo gallus exsectus vocaretur. Nam *Capus* & *Capo* sunt à Romanis; sed Græcâ, ut videtur, origine, quia avidè voretur: nempe ἀπὸ τοῦ κάπτειν, quod vett. Grammatici nunc ἐσθίειν, *edere*; nunc χανδὸν ἐσθίειν, *avidè & hianti ore edere*, exponunt. Quod si placet, *Capo* propriè sonet, quod Belgis dicitur *Slok spiis*, iis enim *sloken* est χανδὸν ἐσθίειν. Quantæ enim delitiæ, & laudes caponum credantur esse, quis ignorat? Suffecerit apposuisse hæc verba B. Platinæ Cremonensis *de Popinæ scient. lib.* 5. *Omnium avium laudes, quantum ad obsonia pertinet, una caro gallinacea comprehendit. Quid enim popinis adferunt reliquæ alites, quod non unus* Capus *in se habeat, sive elixum, sive assum velis? Hujus avis patina stomachum juvat, pectus lenit, vocem sonoram facit, corpus obesum.* Eò autem castratio has alites delicatiores facit, quia fibrosa caro duraque eorum, intermissione libidinis, reddatur temperamenti humidi ac teneri; sanguis etiam planè fiat temperatus. Interim, cùm in cavea saginantur, ob humorem excrementitium iis in pedes defluentem, podagricis minùs prosunt, ut qui & ipsi podagrâ tentantur, &c. Vossius *de Idolol. lib.* 3. *c.* 91.

Capotes Mons, adde: in Armenia maj. Plinius *lib.* 5. *cap.* 24. de Euphrate. *Oritur in præfectura Armeniæ majoris Caranitide, ut prodidere ex iis, qui proximè viderant, Domitius Corbulo in monte Aba, Licinius Mutianus sub radicibus montis, quem* Capoten *appellant.* V. de eo Salmasium *ad Solinum passim*, inprimis *pag.* 628. ubi Solinum montem hunc Scythis proximum esse scribentem paucis refellit.

Capoti, vulgò *Gabets*, hominum genus est, in plerisque Vasconiæ locis, præcipuè apud Bigerrones & Benearnenses: Detestandi sunt suis eorumque commercia fugiuntur, tanquam leprâ infectorum. Suburbia incolunt & loca remotiora, habentque in templis stationes peculiares, ne alios inficiant: sunt plerique fabri lignarii & vietores, aliisque artibus mechanicis dediti, laboris alias patientissimi. Ipsa facies gestusque aliquid habent, quod eos contemtui propinet: quamvis fœmineo sexu liberalis satis forma sit. Omnium halitus & os grave olet, unde ingrati odoris quiddam colloquentibus afflatur. Maledictionis id genus, a Majoribus in posteros derivatum patet: cui accedit, quòd pauperiores semper in diem vivunt, servorum censentur loco, neque mutire audent, si quid injuriæ vel à vilissimo inferatur. Eorum si quis fortè bona relinquit, liberi tamen hæredes non fiunt nisi, *mobilium* ut vocant, quæ omnes, velut viperinum sanguinem, avertantur. Merula *Cosmogr. part.* 2. *lib* 3. *cap.* 38. *p* 446. Auctor *Hist. Orbis Terr. Geogr. ac Civ. &c.*

Cappa, vestis Cardinalium, de qua sic Oct. Ferrarius *de Re Vestiaria lib.* 1 *cap.* 39. *Patres purpurati hodie lineam vestem habent duplicem; interiorem, quæ subucula, deinde thoracem, mox tunicam talarem: tum alteram lineam sive Ephod: postremo loco non tunicam solutam, ut tenet Baronius, sed vel togam, vel togæ persimilem vestem: Nam fusa est, & syrmate prodiga, totumque hominem involvit. Et licet ad pectus aperta, brachio tamen sinistro, ut veterum toga subducitur, ac contrahitur & ideo* Cappa *appellatur, vel quòd hominem capiat, vel à capite; cùm in luctu eâ caput involvant, ut in veteri toga. Quod autem humeris superinjicitur, Exomidis species est*, &c. Inde

Cappa

Cappa, seu *Capa*, vestis species, quâ viri & mulieres communiter, Monachi item ac Clerici, induebantur, olim *caracalla* dicta, uti habet W[illegible]lphinus Boetius in *Vita* S. Juniani. Erat autem tunica laxior & talaris, quæ cœteris vestibus, pallii instar, superaddebatur, unde, *quòd totum capiat hominem*, dicta Isidoro *Origin. lib.*19. *cap.*31. Sic cùm totum hominem quodammodo *capæ* ambirent tegerentque, eas potissimùm adhibebant, cùm foràs ibant ac peregre *Vitæ* Abbatum S Albani. *Ad Synodum veniens — & inter alios sedebant, habitu tamen itineris non mutato, nisi velint, videlicet in cappis & calcaribus.* Atque inde Negotiatoribus præsertim in usu, unde *Negotiatorum capas*, Lupus Ferrar. vocavit *Epist.* 125. Sed & *Capam* capitis tegmen esse, dixit idem Isidorus *l.c.* certe os & vultum texisse, ex MS. quodam docet du Fresne: indeque colligit, cur Guil. de Podio Laurentii *cap.* 49. dicat, Maffredum quendam fuisse *Capam & refugium infidelium & malignantium*; viz. quòd illi apud Maffredum delitescerent & absconderentur. Instructæ porro erant *Capæ* manicis laxioribus, unde *manicatæ* appellantur. Matthæo Parisio A.C. 1258. & in Concilio Lateran. *can.*16. quo vetitum, Ne Canonici & Clerici cappas manicatas, intra Ecclesiam, ad Officium divinum deferrent: quod idem prohibuit Galo Cardin. in Constitut. A.C. 1208. *cap.*3, 4. Quemadmodum *alatæ Capæ* pariter Clericis interdictæ leguntur, in *Statutis* Odonis Episc. Paris. Præterea assutæ *Capis* erant & cohærebant caputia, atque ita induebantur, ut, cùm maximè clausæ essent, caput per collare seu foramen collaris immitteretur. Inprimis verò Monachorum hæc vestis fuit, uti docet Theodemarus *Epist. ad Carolum M.* de Monachis Casin. Ekkehardus Jun. *de Casibus S. Galli cap.* 1. Alii. Clericis Regularibus tribuitur, in *libro Ord.* S. Victoris Paris. *cap.*18. & inter Ecclesiasticas vestes recensetur, apud Wibertum Archidiac. in *Vita* S. Leonis IX. *cap.* 8. & alibi passim. Recèns baptizandis tribuitur, apud Conr. Urspergensem, ubi eadem forte *Cappa* est cum *Capulla* seu *Chrismali*, &c. V. Car. du Fresne in voce *Capa*. Dominico Macro, *Cappa* propria fuit in Eccl. Rom. vestis Cantorum, ex Gemin. *lib.*1 *cap.* 127. cujus significationes mysticas exponit Rupertus *de Divin Offic. lib.* 3. *cap.*24. Ibidem *Cappâ* magnâ seu longâ, cum capucio, pellibus vel serico, prout tempus postulat, suffulto, utuntur Cardinales, Episcopi & in multis Cathedralibus etiam Canonici; Beneficiati item Romæ, in Ecclesiis Patriarchalibus: nisi quòd Beneficiatorum cinericei, Canonicorum vero coloris est candidi armellini. Pisis tamen Canonici, ex vet. privilegio, à Pio IV. confirmato A.C. 1560. cappam gerunt rubeam: uti & XX. Mediolanensis Cathedralis Canonici, *Cardinales* dicti, & aliquot in solennitatibus Canonici Capuani. Antiquitus tamen Canonicorum *Cappam* nigri fuisse coloris, Monachorum ad instar, ex parte anteriori apertam & unitam tantùm inferiùs, docet idem Macer, ex *Constitutionibus* aliquot MS. Nicolai III. Sed & talem Vaticanæ Ecclesiæ Canonicos gestasse, etiam tempore Innocentii III. legas apud Torrigium *de Crypt. Vatican.* ut & Canonicos Regulares Lateranenses, *Ibid.* Cœterum *Cappa* violacea, cum pelle, à Nicolao V. Canonicis Vaticanæ Eccl. & Beneficiatis concessa est, A.C. 1454. eodem teste. Pontifex, in diebus mœstitiæ fert *Cappam* rubram, ex saja armellino subsuta, & anteriori parte aperta, quæ in *Ceremoniali* appellatur *Chlamys Coccinea*, *Chlamys rubea & Mantum*. In nocte verò Nativitatis intervenit ad Matutinam, cum cappa ex serico villoso: uti Bonifacius IX. instituit, &c. Plura hanc in rem V. apud præfatum Macrum & fratrem ejus in *Hierolexico*.

Caparum in Ecclesia Rom. generis quædam.

Capæ Chorales, quibus Clerici vel Sacerdotes in Choro amiciuntur, sic describuntur apud Rupertum *de div. Officiis lib.* 2. *cap.*14. *Capas quoque in majoribus festis superinducimus — quæ bene ab interiori parte patulæ sunt, & omnino præter necessariam fibulam inconsutæ — fimbriis quoque subter ornatæ sunt.* Propriæ Cantorum, Honor.

Capæ foratæ prohibentur Decanis, Archidiaconis & Archipresbyteris, in *Constitut.* Galonis Cardin.

Capa Ordinarii, memoratur in *Chron.* Andr. *pag.*629 de qua litigare, Gall. *disputer de la chape de l'Evesque*, proverbium notum est, h.e. de re litigare, quæ nec actori, nec reo, sed tertio cuidam competit.

Capa Robert, cum vel sine penna & capucio, vel almussa, occurrit in *Statutis* Massiliensibus MSS. A.C. 1276. citatis Car. du Fresne in *Glossar.*

Capa Romana, cujus meminit Ademarus Cabanensis de Episcopo Lemovic. *pag.* 176. *Per 7. dies indutus processit stolâ sanctificatâ & indumentis, cum quibus benedictus fuerat, & cum capa Romana, absque colobio tamen & casula.*

Capæ Rotundæ clausæ, occurrunt in Synodo Bajoc. A.C. 1300. *can.*31. alibique, ubi earum usu Clericis & iis, qui in sacris Ordinibus constituti sunt, interdicitur.

Capa Rubea, Romanorum Pontificum propria fuit, teste Damiano *lib. 1 Epist.* 20. ubi de Cadaloo Antipapa.

Capa S Martini, quâ Martinus olim, Sanctis annumeratus, corpus suum tegebat, maximo in pretio fuit olim apud Galliæ Reges, uti vidimus supra, in voce *Capa*.

Capa cum Tintinnabulis, quarum illa pæne aurea fuit tota, margaritis gemmisque eximie splendens; hæc inferiùs resonantia itidem ex auro: missa legitur, Hugoni Abbati Cluniacensi, à Rege Galliæ, apud Auctorem Anonymum *de Miraculis S. Hugonis Cluniacensis.* Forteâ ad imitationem vestimentorum Summi Sacerdotis Hebr. in V. T. V. Augustin. *Quæst. in Exod. lib.* 2. *cap.*119.

Cappadocia, adde: Sub Pontica Diœcesi, ab Asiana diversâ, unà cum Galatia, Paphlagonia, Armenia min. & Ponto Polemoniaco, olim comprehendebatur; Qua de re V. Salmasium *ad Solinum pag.*807. Cœterùm à Persis ignem sacrum hæc gens accepit. Strabo *lib.*15. Ἐν τῇ Καππαδοκίᾳ πολὺ ἐστι τὸ τῶν Μάγων φῦλον, οἳ καὶ Πύραιθοι καλοῦνται· πολλὰ δὲ καὶ τῶν Περσικῶν θεῶν ἱερά. *In Cappadocia est maxima Magorum multitudo, qui Pyrethi vocantur & plurima Persicorum Deorum templa.* A' quibus Pyræthis dicta Πυραιθεῖα: de quibus ibidem mox legas, [illegible] *Sunt & Pyræthea septa quædam ingentia, in quorum medio ara est: In ea Magi & cinerem multum & ignem perennem servant.* Narrat deinde, quomodo in iis sacra faciant; qua de re quoque V. Vossium *de Idolol. lib.*2. *cap.*9. Ut autem cultum Ignis ac Solis, ita & Lunæ, ab iisdem accepere Cappadoces, Itaque Divam illam, quæ in somnis Syllæ præbuit fulmen, Anaitidem seu Zaretim, vocandam censet Vossius (hoc enim apud Persas Veneri seu Lunæ erat nomen. Dubitat tamen Plutarchus, an potiùs fuerit Minerva vel Bellona. Sic enim is in Sylla: [illegible] *Dicitur etiam ipsi Syllæ in somnis se obtulisse Dea, quam ex disciplina Cappadocum Romani colunt, sive ea Luna, sive Minerva, sive Bellona sit. Hæc Syllæ visa est assistere, & fulmen ei tradere, jussitque singulis nominatis inimicis ejus ferire; illi icti concidere atque è medio dilabi.* Ubi inter alia videmus, cultum hujus Divæ à Cappadocibus ad Romanos devenisse: quam Lunam potius esse, quam alterutram ex reliquis duabus, judicat Vossius *de Idol. lib.* 2. *cap.*22.

Cappadox, equi nomen in Circensibus, Salmasius *ad Solinum pag* 895. Optimi enim in hac regione equi gignebantur. Solinus de Cappadocia *cap.* 45. *Terra illa ante alias altrix equorum, & proventui equino accommodatissima est — [illegible] judicium, documentis pluribus patefactum est, cùm jam aliquot inventi sint, qui non nisi primos dominos recognoscerent — inimicos partis suæ [illegible], adeò ut [illegible] prælia hostes morsu petant. Sed id majus est, quòd rectoribus perditis, quos diligebant, arcessunt fame mortem.*

Capparis, apud Plinium *lib.*13. *cap.*23. *firmioris ligni frutex, [illegible] & cibi vulgati, caule quoque unà plerunque decerpto.* Et *lib.*19. *cap.*29. ubi caulem in cibos receptum ait, *In fruticoso genere [illegible] caule capparis.* V. eundem *lib.*20. *cap.*15. ubi de natura ejus, ac usu medico.

Cappella, V. suprà *Capella*.

Capra, atque hircus, olim Mendesiis culti, teste Clem. Alexandrino in *Admonit. ad Gentil.* etiam *Capras* divino coluerunt honore incolæ urbis Copti, tanquam Isidis [illegible], *[illegible] & oblectamentum*, ut ait Ælianus *de Animal. lib.*10. *cap.*23. [illegible] mares comederunt: contrario planè Mendesiorum more, qui capro sive hirco potiùs id honoris habuere. Herodotus [illegible] *Capris etiam [illegible] Mendesii honorem tribuunt: ac magis maribus quàm feminis. Atque ex iis Caprarii præcipuo sunt in honore.* Subdit deinde, si *Caprariorum* Princeps decesserit, ingens totam illam regionem occupare luctus: ac paulò antè dixerat, Pana, ut Græcis, ita Ægyptiis quoque, pingi ac sculpi caprinâ facie & hircinis cruribus, [illegible] cum crederent similem esse Deorum aliis. V. Vossium *de orig. & progr. Idolol. lib.* 3. *cap.*74. Apud Romanos verò, Flamini Diali lege fuit interdictum, non modò ne vesceretur capra, verùm etiam ne tangeret eam, atque adeò quoque ne nominaret quidem, Idem *lib.*3 *cap.*93. An quòd ab animali fœtido ac luxurioso abhorrerent, an quòd morbosum timerent, Comitialique labe crederent obnoxium? ut Plutarchus disputat *Quæst. Rom.* [illegible]. V. quoque Aulum Gellium *lib.* 10. *cap.*15. At divinâ lege inter animalia munda, hincque non esui tantum, sed & sacrificio apta habita est. Levitici *cap.*1. *vers.*10. *Quòd si è grege oblationem [illegible] ex ovibus aut ex capris offeret in holocaustum*, Et *cap.*3. ubi de Sacrificio Eucharistico, *Sin autem capra oblatio ejus, [illegible] coram Jehova*, &c. Unde ad gentes ritus translatus est. Apollini enim *capris albis* litatum esse, legimus apud Livium *lib.*25. [illegible] *Senatusconsultum factum est, Ut Decemviri sacra Græco ritu facerent, iisque hostiis. Apollini bove aurato & capris albis [illegible] ratis, Latonæ bove femina aurata*, &c. Sed & equitationi adhibitas capras, docet locus [illegible] Juvenalis *Sat.*5.

Qui tegitur, [illegible] & galeâ, metuensque flagelli
Discit ab hirsuta jaculum torquere capella.

Nempe in primis militiæ rudimentis, tyrunculi, capris insidentes, jaculari discebant. Sic *capris* ad essedum junctis [illegible]

gestata

gestari consuevisse, legimus apud Martialem *lib. 4. Epigramm. 51.*

Gestari junctis, nisi desinis, Hedile, capris, &c.

V. inprimis, ubi de *Mambrinis capris* infrà. Dicta est autem *Capra* Hebr. עז *ez*, à robore; quia *capræ* cum ovibus collatæ, *ἰσχύτεραι μᾶλλον*, *valentiores sunt*, ut Philosophus ait *Histor. lib. 8. cap. 10.* Certè, non solùm nonnullis in locis apros audent aggredi, quod inprimis de *Capra unicorne*, quæ in Segestana & Bulgaria frequens, legitur, V. quoque Oppianum *Cynegetic lib. 2. versu 326.* sed & ad bovis magnitudinem accedunt, in Libya. Ælianus *lib. 14. cap. 16.* Atque ab hoc *ez* Hebr. videtur factum Græcum *αἴξ*. Grex verò caprarum חשיף, *chasiph*, iisdem dicitur voce maximè propriâ, quæ solùm extat 1. Regum *cap. 20. versu 27.* ubi Israëlitarum turmæ pusillæ duæ, immensæ hostium multitudini neutiquam conferendæ, fuisse dicuntur præ iis, *ut caprarum duo greges*. Hi enim semper parvi, ut Varro notat *R. R. lib. 2. cap 3.* ubi in agro Gallio, satis magnum gregem dicit habitum esse, circiter quinquagenas, in Salentinis vero & in Casinati, ad centenas pascere solitas. Namque *capræ*, ait, *lascivæ sunt & quæ dispergant se: contrà oves, quæ se congregent & condensent in locum unum.* Et paulo pòst, *quòd in magnis* (gregibus earum) *citò existat pestilentia*, &c. V. Sam. Bochartum *Hierozoici Pars prior. lib. II. cap. 51.* De *Caprarum* verò cultu, apud Indos hodiernos P. de Valle *Itiner. tom. IV.* & de illarum in hominibus vestiendis usu, infrà ubi de *Caprinis pilis*, ut & in voce *Izane*. Nec omittendus, *Capram* in hostium conspectu mactandi mos, Lacedæmoniis olim usitatus, de quo Xenophon *in Republ. Lacedæm.* & *Lycurgo* disserens, quorquot aderant tibicines, tibiâ cecinisse, & neminem Spartanum *ἀστεφάνωτον* fuisse, h. e. *sertis caruisse*, dum ritus hic peragertur, inter alia ait. Quod de Celtis quoque tradit Ælianus *Var. Histor. lib. 12. cap. 23.* V. Car. Paschalium *Coronarum lib 8. cap. 4.*

Capra Candida, apud Ietas, tumulum Homeri demonstravit olim, quòd Manibus ejus caprâ parentarent Ietæ. Unde Varro apud A. Gellium. *lib. 3. cap. 11.* Homeri imagini hoc Epigramma *in libro de Imaginibus* apposuit.

Capella Homeri candida hæc tumulum indicat,
Quòd hac Ietæ mortuo faciunt sacra.

Ad quem locum V. *Notas* Antonii Thysii I C.

Capraria Ins. adde: At *lacertis grandibus eam refertam* Plinius habet, *lib. 3. cap. 5.* Unde *Saurariam* Insulam hanc appellatam fuisse conjicit Salmasius. *Sauras* enim pro lacertis etiam Latini dixere. Lælius *in Erotopægnio*, apud Apulejum *Apolog.*

Sauræ, illices bicodulæ.

Et facilis error, ut pro *Σαυρεία*, *Capraria* legeretur. V. eum *ad Solinum pag 1313.*

ad S. Caprasium, vulgò *S. Grapasi*, vicus est Galliæ, ad fluvium Duranium, quemadmodum & vicus S. Fidis *S. Foy*, quorum ille à Caprasio Martyre, iste à Fide virgine ac Martyre appellationem traxit. Had. Valesius *Notit. Gall.* in voce *S. Gaudentii castrum*.

Caprea, Hebr. צבי *tsebi*, à decore. Hinc passim in Cantico Sponsus *capreæ* comparatur & *hinnulo cervorum*; idque ratione formæ, ut multi volunt: quia de eodem Sponso dicitur Psalm. 45. *versu 3. Filiorum hominis pulcherrimus es.* Bochartus tamen potiùs ob improvisam celeritatem, in iis, quæ sui decreti sunt, exequendis, Sponsum *capreæ* vel *hinnulo* ibidem assimilari docet. Sed & per *Capreas & cervas agri*, *adjurat* Sponsus *Filias Hierusalem Cap. 2. versu 7.* & *Cap. 3. vers. 5.* tanquam res sibi apprimè charas: id est, orat ac deprecatur, &c. Certè amabile omnino hoc animal, unde hinnulum capreæ *gazel* Arabes vocant (vulgò *gazella*) nomine ab *amore* sumto: *Gazala* enim, illis *aliquem amatorio sermone demulcere*, notat. Hinc Coptitæ, quos mares quidem è capreis mactare, & comedere, nulla vetabat religio, fœminas tamen colebant & consecrabant, eas in deliciis Isidi esse persuasi, teste Æliano *Histor. Animal. lib. 10. cap. 23.* Et Martialis *lib. 13. Epigr. 98.*

Delicium parvo donabis dorcada nato.

De bubalo quoque, quod dorcadi congener est animal, Oppianus *Cyneget. lib. 2.*

Ὄμμασιν αἰγλήεις, ἐρατὸς χροιὴν, φαιδρὸς ἰδέσθαι,
Oculis est splendidus, colore amabilis, aspectu lætus.

Oculi inprimis earum venusti & acres, unde nomen illis *δορκάδων*, quod multæ puellæ ab iis mutuatæ sunt, impositum, V. infrà in voce *Dorcas*. Meminit *Capreæ* in cibis Moses Deuteron. *Cap. 12. versu 15, 22.* & *Cap 14. versu 5.* & *Cap. 15. versu 22.* Auctor etiam *libri 1.* Regum *cap. 4. vers. 23.* ubi de cibariis Salomonis. Arabes quoque ejus esum multum commendant, præ reliquis ferinis, Avicenna, Razi apud Damirem & Avenbitarem. Sed & apud Athenæum *lib. 9.* Palamedes Eleaticus ait, *οὐκ ἄχαρι κρέας τῶν δορκάδων*, *Capreæarum carnem* non esse injucundam. Et Philostratus *lib 2.* in Indorum conviviis integras apponi capreas consuevisse, refert. V. Sam. Bochartum *Hierozoici Pars. prior. lib. III. cap. 25. & seqq.*

Capricornus, adde: Eum Latini cum hac effigie ostendunt ♑. Græci verò sic simulant, ♑, velum frigore contractum *ἐν τῷ Α[illegible]* finxere. Manilius.

Tuque tuo Capricorne gelu contractus in astris.

Cum cauda piscis involuti pingitur, in vett. monumentis. Aliquando tamen cum recta piscis cauda, ut in Annulo LXXXV. Gorlæi, & LXXXVII. Sed & quidam Capri imaginem pro Capricorno dederunt. Salmasius *ad Solinum pag. 1237.*

Caprificus arbor, ficus est è sylvestri genere, nunquam maturescens, sed, quod ipsa non habet, aliis tribuens. Culices enim parit *ψῆνες* Græcis, qui fraudati alimento in matre putri ejus tabe, ad cognatam volant: morsuque ficorum crebro, hoc est, avidiore pastu, aperientes coria earum atque ita penetrantes, intus solem primò secum inducunt, cerealesque auras immittunt, foribus apertis. Mox lacteum humorem, hoc est, infantiam pomi, absumunt: quod fit & sponte. Ideoque ficetis caprificus permittitur ad rationem venti, ut flatus evolantes in ficus ferat. Inde repertum, ut illatæ quoque aliunde & inter se colligatæ injicerentur fico: quod in macro solo & Aquilonio non desideratur, &c. Verba sunt Plinii *lib. 15. cap. 19.* ad quæ V. Salmasium *ad Solinum pag. 1335.* Fuisse *Caprificum* seu Ficum silvestrem, arborem illam, sub qua inventa Lupa ubera felitanda præbuit Romulo & Remo, tradit Plutarchus, *in Romulo*, quam *Ficum* alii Auctores vocant, V. ubi de *Ficu Ruminali*, &c. Hinc *Caprificari*, apud eundem Plinium, quod Theophrasto est *ἐρινάζειν* & *ὀλυνθάζειν*; aliis *συκάζειν* & *ἀποσυκάζειν*, h. e. *τὰ ἱερὰ*, ut habet Pollux, *συλλέγειν καὶ κρεμαννύναι*, *grossos*, *seu ficus immaturas colligere & ex caprifico suspendere*. Item *ἐπινυκίζειν*: Et quia *θρῖα* sunt folia ficus, *θριάζειν*, i. *φυλλολογεῖν τὰς συκᾶς*, *ficuum folia decerpere*, collucandi gratiâ. Quibus verbis, ex variis ficuum nominibus desumptis, propriè significatur quidquid ad eorum curam pertinet. Unde Amos Propheta, *cap. 7. vers 14* seipsum cùm vocat בולס שקמים, *boles sikmim*, i. *vellicantem sycomoros*, intelligendus est, *qui ficus colit & sycaminos*, quasi *ὁ συκάζων*, *ὁ ἐρινάζων*, *ὁ ὀλυνθάζων*, *ὁ ἐπινυκίζων*, *ὁ θριάζων*, & si quid aliud in ficus cultura requiritur. Cùm verò sycomori fructus non sit magnæ rei, Propheta, *se neque Prophetam fuisse, neque Prophetæ filium, sed bubulcum*, boles sikmim, i. e. *sycomoros vellicantem*, dicens, infimæ se sortis homuncionem & in re tenui natum, ita ut miseram vitam parco & frugali victu ægrè sustinuerit, ne cogitasse quidem de Prophetico munere inter Israëlitas obeundo, donec ad id vi majore impulsus esset, indigitare voluit. Sam. Bochartus *Hierozoici Pars. prior. Lib. II. cap. 39.*

Caprimulgi, Plinio *lib. 10. cap. 40.* *appellantur grandioris merulæ aspectu*, (in MSo reperitur, *grandiores*, ac pro *aspectu* Pincianus emendat *à suctu*: ut videatur legendum, *Caprimulgi appellantur, grandiores merulâ à suctu*) *fures nocturni: interdiu enim visu carent: intrant pastorum stabula, caprarumque uberibus advolant, suctum propter lactis; quâ injuriâ uber emoritur, caprisque cæcitas, quas ita mulsere, oboritur.* Græcis *Αἰγοθῆλαι*. V. Vossium *de Idolol. lib. 3 cap. 80. & 85. ubi de variis rapacium avium generibus.* In Creta id fieri, apud Bellonium legimus, *Observat. lib. I. cap. 10.* Sed & pueris sive ante lustrationem sive post dormientibus *Caprimulgus* insidiari olim credebatur, quem Copti *Βεριλιω*, h. e. *Matrem puerorum*, vocitabant, teste Kirchero *Part. 3 Lex. Copt.* quemadmodum & Lilith, quam vocem apud Esajam *cap. 34. versu 14.* Pagninus *Strigem* reddit: quæ Isidoro nocturna avis est & lac præbere dicitur nascentibus, ut de Sagis seu Strigibus nil dicam. Certè de infantibus ejusmodi injuria vexatis, memorabile exemplum refert Thomas Bartholinus *Histor. 9. Cent. 1.* simileque apud Ovidium legimus de Strigibus, *Fastorum lib. 6.*

Ad thalamos venere Procæ. Proca natus in illis
Præda recens avium quinque diebus erat.
Pectoraque absorbent avidis infantia linguis,
At puer infelix, vagit, opemque petit.

V. præfatum Bartholinum quoque *de Puerperio vet.*

Caprini pili, in vestium usum adhibiti, olim hodieque. Alicubi enim capræ longiore sunt pilo, & tondentur ut oves, villis eorum varios in usus adhibitis. Sic in Hispania, circa Cynetas, Festus Avienus in *ora Maris*.

Hirtæ hic capellæ, & multus incolis caper
Dumosa semper intererrant cespitum
Castrorum in usum & nauticis velamina,
Productiores & graves setas alunt.

Idem de capris Phrygiæ, Varro *R. R. lib. 2.* de Lyciæ, Ælianus *lib. 16. cap. 30.* de Africæ, circa Cinyphem amnem, Virgilius *Georgic. lib. 3.* de Ciliciæ, Plinius, memorant. Quorum hic *lib. 8. cap. 50.* *In Cilicia*, inquit, *circaque Syrtes villo tonsili vestiuntur*: ubi alii legunt, *circaque Syrias*, non malè, cùm in Israele mulieres *caprarum pilos* nevisse, constet, & ex iis aulæa facta, quibus Tabernaculum tectum, V. Exodi *cap. 25. versu 4.* & alibi passim. Quo modo Scenitarum Arabum tentoria Solinus cilicina fuisse scribit, id est, ut ipse interpretatur, *è caprarum pilis texta*, &c. Cùm autem *caprini villi* duæ sint species, unus *crassior*, ex quo fiebat pannus, Arab. *mescha*, cujus usus in saccis & ciliciis, alter longè *subtilior* est, è quo panni cymatiles tantæ tenuitatis, ut sericeis parùm cedant, fieri consuevere. Andreas Bellunensis de utroque, *Lana*, inquit, *merhezi, est lana capræ subtilissima, ex qua fiunt Zambelotti & alia vellera subtilia — Mescha rudis est panni genus, consextum ex pilis asinorum & caprarum, at interdum ex solis caprinis, ex quo, qui deserta habitant Arabes, tentoria & saccos sibi conficiunt.*

Unde facile est conjicere, cur hujusmodi *caprarum villos* Michal in Davidis cervical imposuerit, nempe ut ejus cæsariem aliquo modo referrent. Capras enim in Oriente pilos habere, humanis non omnino absimiles, discas ex Apulejo *lib.3.* Proinde galericuli ex hœdina pelle confecti, ad dissimulandam calvitiem Martialis meminit *lib.12. Epigramm.45.*

Hædinâ tibi pelle contegenti
Nudæ tempora verticesque calvæ.

Et Rebecca, hœdinis pellibus texit Jacobi collum ac manus, Genes. *cap.27. versu 26.* ut haberetur pro fratre Esavo, qui toto corpore erat hirsutus, &c. Inprimis verò ad *Caprini pili* commendationem facit, quòd capilli Sponsæ cum caprarum pilis conferuntur, Cantic. *cap.4. versu 1.* quas alicubi habere ὡς βοστρύχους καὶ ὡς ἕλικας κόμης, *quasi cincinnos & quosdam comarum cirros*, seu, ut Gesnerus interpretatur, *pilos, ut muliebres cirros, implexos* (quia ex multorum sententia βόστρυχος propriè *muliebris cirrus est*) Callisthenes refert, apud Ælianum, &c. V. Sam. Bochartum *Hierozoici Part. I. Lib.II. cap.51.*

Capripedes, Græcè Αἰγίποδες & Αἰγοβάται, commune epitheton Panum, Sylvanorum & Satyrorum, apud Poëtas, quamvis aliàs hi inter se diversi sint. De Panibus, Poëta.

Capripedes calamo Panes hiante canunt.

Sylvanus similiter, cum cupresso, quam ferebat cum radice avulsam, pingi solitus, Græcis Αἰγίπαν dicebatur, teste Plutarcho, V. Plinium *lib.15. cap.20.* Sic & Satyri, quamvis nec fistulam, nec pedum, nec pellem pantherinam, nec coronam ex pinu gestabant, ut Panes vel Fauni, cœtera tamen similes erant, cornua viz. & pedes cruraque ad instar caprarum: Unde & *Capripedes Satyri* Lucretio & Horatio indigetantur, & passim αἰγίποδες & κεροφυεῖς Græcis appellantur. Ad quorum *Capripedum* similanda crura ἀνίξυλα & arida, Grallatores crura lignea, h. e. ligneas perticas cum furculis, παλιγκ quoque dictas, Auctori *Glossarum*, gestabant. Festus, *Grallatores — ut in saltatione imitarentur Ægipanas, adjectis perticis furculas habentibus, atque in his superstantes. ob similationem crurum ejus generis gradiebantur. utique propter difficultatem consistendi.* Cœterùm quid *Pedibus Capræ*, in fabula Panis (quo nomine *Universum* indigitari constat) indigitatum voluerint Vett. his explicat Verulamius: *Acutissima*, inquit, *est allegoria de pedibus capræ, propter ascensionem corporum terrestrium, versùs regiones aëris & cœli, ubi etiam pensilia fiunt & inde dejiciuntur magis, quàm descendunt. Capra enim animal scansorium est, eaque in rupibus pendere atque in præcipitiis hærere amat. Similiter etiam res, licèt inferiori globo destinatæ, faciunt, idque miris modis, ut in nubibus & meteoris manifestissimum est. Imò non sine causa Gilbertus — dubitationem injecit; Num non fortè corpora gravia, post longam à terra distantiam, motum versùs inferiora paulatim exuant.* V. eum de *Sapientia Vett. in Panis fabula*, & plura de his *Capripedibus*, apud Salmasium *ad Solinum pag.413 & 414.*

Capruginei Lumbi, in Indice Pontificalis cœnæ Metelli, apud Macrobium: à *capro* dicti sunt. Malè enim *aprugni* vulgò legitur. Salmasius *ad Solinum pag.455.*

Caprus, Græcè Κάπρος, amnis in Tigrim influens, Ptolom. de quo V. Salmasium *ad Solinum pag.698.*

Capsa, memoratur Juvenali *Sat.10. versu 114.*

Eloquium aut famam Demosthenis, aut Ciceronis,
Incipit optare, & totis Quinquatribus optat,
Quisquis adhuc uno partam colit asse Minervam,
Quem sequitur custos, angustæ vernula capsæ.

Ubi ex vet. Grammatico discimus, designari puerum adhuc discentem, quem arcula sequatur, in qua reponantur codices. *Capsas* autem & armaria librorum recensuit, & Jul. Paulus *lib.3. Sent tit.8.* Et hæ pueriles *capsæ* minusculæ videntur fuisse, utpote ad gestandum habiles; ideoque *angustas* vocavit Poëta, ad earum discrimen, quæ majores erant & statariæ, quarum videtur meminisse modò dictus Paulus. Hinc *Capsarius*, quem Pædagogo adjungit Pignorius, ex auctoritate Ulpiani *leg.13. de manum. vind. Si Collactaneus, si Educator, si Pædagogus ipsius: si Nutrix, vel filius filiave alterius eorum, vel Alumnus, vel Capsarius*, &c. Sed & *Capsarii* dicebantur, qui in balneis vestimenta accipiebant custodienda, quòd ea *capsis* includerent, nomen sortiti. Hi ad fores stare solebant, ut Epiphanius docet, cùm de Adamitarum moribus pessimis agens, illos inter cœtera etiam *nudis corporibus conventus habuisse in hypocaustis*, refert, *& ad fores adstitisse ipsis quosdam Capsariorum instar, qui eorum vestimenta susciperent & custodirent.* Etiam illi *Capsarii* Romanis nuncupati, qui *capsæ* nummariæ apud Argentarios & Nummularios, fuere præpositi: & *Capsarii*, capsarum opifices; quibus aliquam vacationem munerum graviorum conditio tribuit; ut sunt *Mensores, Optiones, Valetudinarii Medici, Capsarii artifices & qui fossam faciunt*, &c. V. Laur. Pignorium *de Servis* & Tit. Popmam *de operis Servorum*: quorum ille, an *Capsarii* balneares servi, an liberi, fuerint, in ambiguo relinquit. In Ecclesia Rom. *Capsæ*, in quibus reliquiæ Sanctorum, memorantur Gunthero *Ligurini lib.3.*

——— ——— ——— *Capsæque piorum*
Custodes cinerum, prælato thure vaporum.

Quarum benedictiones habentur in *Ordine* Rom. Unde *Capsarium*, earum theca, in *Testamento* Perpetui Epise. Turon. *Sed & Capsella & Capsula*, eadem notione occurrunt, apud Adrevaldum *de Mirac. S. Benedicti cap.7.* In *Statutis* antiquis Cartusiensibus, *Capsula* memoratur, in qua asservatur hostia consecrata, ut vocant, reservanda ad infirmos, &c. Apud Gregorium Turon. *de Vitis Patrum cap.7. Capsa* pars est casulæ: *Capsa hujus indumenti* (casulæ) *ita dilatata erat atque consuta, ut solent in illis candidis fieri, quæ per Paschalia festa Sacerdotum humeris imponuntur.* Quam paulo post *Cucullam* vocat, &c. V. Car. du Fresne in *Glossar.* Sed & Parisiis *Capsa*, Gall. *Capse*, in Sorbona, vocatur pyxidicula ex cupro aut stanno, in quo suffragia Doctores reponunt, cùm aliquis post examen pro Licentia subitum vel admittendus vel rejiciendus venit, &c. Cœterùm, *Fagum, quanquam fragilem & teneram, sectilibus laminis in tenui flexilem, capsisque ac scriniis solam utilem esse*, docet Plinius, *lib.16. cap 43.*

Capsi, In Ludo Latrunculorum, loculi sunt lineis distincti, in quibus calculi statuuntur, aliàs *carceres*, & *mandræ*, & *septa*, Græcè χαρακώματα. In Tesserarum lusu, lineæ sic dicuntur & scripta, per quæ calculi currunt, κάψοι, pro ψήφοι, apud Johannem Antioch. ἀπὸ λατινικῆς. quæ vox Latina planè est & parietem craticium aut vallum, aut septum significat. Hinc *capsus* in plaustro, quem Græci πάγαρον vocant: & *capsum animalium*, pro septo vel stabulo, apud Vellejum; recentior ætas Latinorum *fundum* dixit: Sed verius est, *cassum* pro *capsum*, ex more loquendi, quem infima Latinitas habuit, manavisse. Sic *cassetam* pro *capsetam*, h. e. parva capsa, Galli vulgò dicunt: & *cassam* alicujus Sancti, pro *capsa*. Inde igitur κάψοι Græcis, pro ψῆφοι, loculamenta calculorum in tabula: quæ & *puncta* & *scripta* & *lineæ* dicebantur, & χαρακτηρικαὶ χῶραι Græcis & χῶραι. Hujusmodi autem *capsas* XII. tabula lusoria habuit, in quibus calculi collocabantur & per quos variè, secundùm tesserarum jactum, movebantur: unde πολυπλάνητον στίχον calculorum vocat Agathias *Epigramm. in tabulam Zenonis*;

Τοῖο πολυπλάνητος ἔχε στίχον,

i. *ordo*, uti nominavit Quintilianus: *Repetito totius certaminis ordine, quo dato errasset, recordatus.* Aristænetus πεσσῶν ἀναθεῖναι τὴν ψῆφον dixit, *Epist.23. lib 1.* Atque in his *dabantur* calculi, hoc enim verbum proprium calculorum, sicut *jaci* tesserarum: Quotiescunque autem aliquis calculum dedisset, & mox pœnitentiâ ductus datum reducere ac revocare vellet, licebat hoc ei facere, modò fieri concederet is, qui cum ludebat. Cicero, *Ita tibi concedo, quod in duodecim Scriptis olim, ut calculum reducas, si te alicujus dati pœnitet*: Græci ἀνάθεσις ψήφου, & simpliciter ἀνάθεσις, dixerunt, &c. V. Salmasium *ad Vopiscum in Proculo.* At *Capsum* Ecclesiæ, apud Gregorium Turon. *Histor. lib.2. cap.14. Habet* (hæc Basilica) *in longitudine pedes 155. in latum 60. habet in altum usque ad cameram pedes 45. fenestras in altario 32. in* capso 20. *columnas 41. in toto ædificio fenestras 52. columnas 120.* &c. Carolo du Fresne est ea ædis sacræ pars, quæ retro altare est & editior olim erat, *Capitium* quoque appellata, unde *capsum* formatum videtur. Mansit dein appellatio parti illi, in qua Altare, præsertim iis in Templis, in quibus Capitium editius non erat. *Caput Ecclesiæ* eam partem vocat Helgaudus in *Roberto R.* Aliique. V. præfatum du Fresne in *Glossar.*

Capta, injusto bello, possessoribus suis reddere ratio jubet. Sed & factum id sæpe legimus. Livius certè cùm retulisset à L. Lucretio Tricipitino victos Volscos & Æquos, expositam ait in Campo Martio prædam, ut suum quisque per triduum cognitum abduceret, *lib.3.* Idem cùm narrasset, Volscos à Posthumio Dictatore fusos, *prædæ pars*, inquit, *sua cognoscentibus Latinis atque Hernicis reddita: partem sub hasta Dictator vendidit.* Alibi, *Biduum ad præcognoscendas res datum dominis.* Idem, ubi Samnitium de Campanis victoriam narraverat, *quod latissimum victoribus fuit, captivorum recepta septem millia & quadringenti: præda ingens sociorum: acitique edicto domini ad res suas noscendas recipiendasque præstituta die.* Mox simile recitat factum Romanorum, *Samnites*, inquit, *Interamnam coloniam Romanorum occupare conati, urbem non tenuerunt: agros depopulati cùm prædam aliam inde mixtam agerent, in victorem incidunt, Consulem ab Luceria redeuntem, nec prædam solùm amittunt, sed ipsi — cæduntur. Consul Interamnam edicto dominis ad res suas noscendas recipiendasque convocatis, exercitu ibi relicto Comitiorum causâ Romam est profectus.* V. eundem, ubi de præda, quam ad Ilipam Lusitaniæ urbem Corn. Scipio ceperat; item ubi de pugna T. Gracchi ad Beneventum *lib.24.* Sic de L. Æmilio Gallorum victore Polybius *Histor. lib.2.* Τὴν λείαν ἀπέδωκε, ait, τοῖς ἀφαιρεθεῖσι, *Prædam iis reddidit, à quibus ablata fuerat.* Quod Scipionem quoque fecisse, cùm Carthagine capta multa ibi invenisset donaria, quæ è Siciliæ urbibus & aliunde Pœni eò advexerant, Plutarchus *in Apophth.* & Appianus *in Punic.* narrant. V. quoque Ciceronem c. *Verrem* de Signis, ubi factum hoc Scipionis latè prosequitur, & plura hanc in rem, apud Hug. Grotium *de Jure Belli & Pacis lib.3. cap.16.* ut & *capp. præcedd.*

Captalis, V. suprà *Capitalis.*

Captivi, olim nulli in bellis, exceptis Mulieribus & parvulis, quibus ipse Deus, etiam post pacem oblatam & repudiatam, parcì jussit, extra paucas gentes speciali jure exceptas, adversus quas

quod

quod erat bellum, non erat hominum, sed Dei, atque ita appellabatur. Unde phrasim illam Hebr. *Non reliquit mingentem ad parietem*, 1. Regum *cap* 16. *versu* 11. alibique, interpretantur non pauci, *Exscindam omnem marem*, uti infrà latiùs videbimus. Et cùm Syros aliquot in Samaria haberet captivos, miraculo illuc ductos, Jehoramus R. Israelis, rogavit Elisæum Prophetam 2. Regum *cap.*6. *versu* 21. an eos percuteret, cui Propheta, *Non percuties: quos cepisti gladio tuo & arcu tuo, tu percutis*. Quem locum sic explicat Josephus *Archaeolog. lib.* 9. *cap.* 2. ut vetaret hosce occidi Propheta; *τοὺς δὲ νόμῳ ληφθέντας πολέμου, ἀποκτείνειν ἄδικον*, *Captos verò jure belli, injustum non esse occidere*, verbis illis innueret. Cæterùm idem, ubi sensa Legum sacrarum de militia tradit *lib.* 4. *cap* 8. *Κρατήσαντες*, inquit, *τῇ μάχῃ τοὺς ἀντιταξαμένους κτείνατε, τοὺς δ' ἄλλους εἰς τὸ τελεῖν ἡμῖν φόρους σώζετε*. *Victores in prælio facti, eos qui in adversa acie steterunt*, (h. e. qui se dedere noluerunt) *cædite. Cæteros, ut tributa vobis solvant, servate*. Ubi tamen excipit septem populos Cananæos, unà cum Amalekitis, cum totis familiis suis internecioni devotos. Postquam itaque in devictos seu prælio seu obsidione hostes esset sævitum, personæ, quibus parcitum est, ut *captivi* in servitutem redacti pars prædæ erant quæ sic tota in Victorum dominium jure belli transibat. Atque, ut pace empti, sic bello capti servi fiebant & pro dominantium libitu in posterum vivere tenebantur. Qui mos passim, tam in Oriente, quàm in Occidente, invaluit: Sed inter Christianos charitatis causâ jam diu abolitus; apud quos redemptionis pretium præstitui consuevit, uti etiam apud Muhametanos, ubi Muhametanum ceperint, &c. Qua de re V. Jo. Seldenum *de Jure Nat. & Gent. juxta Disciplin. Ebræorum lib.*6. *cap.* 16. Alberic. Gentilem *de Jure Belli lib.*2. *cap.*16. & Hug. Grotium *de Jure Belli ac Pacis lib.*3. *cap.*7. *&* 11. De *Captivis* verò sub corona venditis, Liv. *lib* 21. *cap.*51.

Capua, adde: Principatus *Capuanus*, ex Beneventano, cujus Dux Arechis primus in Italia *Princeps* appellatus est, 90 pòst ann. originem sumsit. Cùm enim Siconolfus, Siconis Principis Beneventani filius, & Sicardi Principis frater, Salernum & Capuam Radelchiso Principi ademisset, Ludovicus II. Imp. convocatis Longobardis, totam provinciam inter Ledelchin & Sichenolfum æquo discrimine partitus est A. C. 851. atque Siconolfo Salernum & Capuam attribuit. A quo tempore cæteri, qui Salerno imperavere, *Principes Salernitani* appellati sunt: postmodum verò diviso rursum hoc Principatu, *Capuanus* Principatus emersit, donec uterque ad Tancredi Normanni familiam & Siculos Reges est devolutus. Capta enim Capuâ, Rogerius R. Ansusum filium *Capuani per vexillum sublimavit Principatus honore*: quo extincto, Patre superstite, Guilielmus fil alter eadem dignitate donatus est. Fuit autem hic Principatus unus ex iis, qui non nisi legitimis Principum filiis concedebatur. Unde apud Falcandum *pag.*659 cùm idem Rex, Simonem, filium nothum Principem Tarentinum renuntiasset, filius ejus Guilielmus R. eum Simoni titulum ademit, dicens, *Ducatus Apuliæ, Tarentique & Capuæ Principatum legitimis tantùm filiis debere concedi: ad Comitatus autem — non indignum esse, liberos etiam naturales admitti*. V suprà in voce *Arechis*.

Capuccinus, mozetta in MSS. Brocardi Diac. ac Paris. de Grassis, apud quem *Cappuccius* & *Capuccius Spatularius* legitur, Dominic. Macer in *Hierolexico*.

Capularis Senex, apud Comicos, *capulo* proximus, & jam jam efferendus est, Græcis *σοροπηγός*, *ἐπὶ τῇ σορῷ*, item *Τυμβογέρων*; *σορὸς* quoque: quemadmodum *Silicernium* idem Terentio, à prandio silicerno, quod conficiebatur, circa silicem, id est, sepulchrum mortui. Est autem *Capulus*, lignea arca, quâ mortuos efferri mos. Nonius interpretatur sarcophagum aut sepulchrum, sed abs re. Nec enim in Capulo condebantur cadavera, sed efferebantur. Meliùs Glossarum vett. consarcinatores: *Kapulus in quo mortui efferuntur*. Hinc elegantissimè Varro *Cosmopisthoryne*:

Propter cunam capulum positum,
Nutrix tradit Pollinctori ——

Quorum verborum sententia est, statim nato homini imminere abolitionem, ut capulum sibi juxta cunas positum & nutricem tradere posse pollinctori, ultimæ unctionis ergò, quisque natus infans possit nosse, si per ætatem daretur. Fulgentius *sandapilam* vocat, *feretrum mortuorum, id est loculum, non in quo nobilium corpora, sed in quo plebejorum cadavera portabantur*. Ubi rectè *portabantur*. nam *νεκροθήκη* fuit: Et rectè de plebejis, nam Nobiles in lectis efferri solebant. Nominis ratio Isidoro *Origin. lib.*20 *cap.*11. *quòd supra capita hominum feratur*. Sueta enim feretra supra capita ferri: Papinius Statius *Thebaid. lib.*6. *versu* 129.

—— —— *Longo pòst tempore surgit*
Collæ super Juvenum (*numero dux legerat omni*)
Ipse fero clamore torus.

Potiùs ex Græco *κάπηλος* Salmasio, quæ præsepem & *φάτνην* significat. Unde cum Kappa Glossæ scribunt, ad differentiam *Capuli* ensis, qui à *capiendo* dictus est, quòd capiatur, ut videbimus. V. eum *ad Solinum pag.*105. & Casp. Barthium *Adversar. lib.* III. *cap.* 3.

Capulla, in Synodo Nemaus. A. C. 1284. diminutivum videtur à *Capa*. fuitque vestis Baptizandorum, aliàs *Chrismale* dicta, seu *Chrismalis pannus*, V. ibi.

Capulus, pro arca sepulchrali. V. suprà *Capularis Senex*.

Capulus, seu clausula ensium, Græcis *μύκης*, quòd *fungi* formam referat, Gallis à pomi similitudine *pomale*, uti hodiernis Barbaro-Græcis eadem de causâ *μῆλον*, dicitur. Fuere autem olim militibus cornei, unde *κερατόκωποι* spathæ, item eburnei, unde *ἐλεφαντόκωποι*. Æl. Spartianus de Hadriano, *vestem humillimam frequenter acciperet — capulo vix eburneo spatham clauderet* &c. Ubi gregarii militis habitu Imperatorem incessisse indigitat. Postea Plinii ætate, eburneis fastiditis, argento cælati sunt &c. Salmasius *ad loc. cit.* Certè magnâ industriâ ornatos olim, adeoque Regiis insignibus accensitos, exemplis variis docet *ad Claudianum* Barthius. Veterum enim inprimis Heroum mos, iis paterna avitáque insignia gestare, ut inde sc. successio nosceretur Unde Claudianus *lib.*2. Laudum, de Tutoris Stiliconis in Imperatores pupillos fide:

Quin & Sidonias chlamydes & cingula baccis
Aspera, gemmatasque togas, viridesque smaragdis
Loricas, galeasque renidentes hyacinthis,
Gestatosque patri capulis *radiantibus enses,*
Et vario lapidum distinctas igne coronas,
Dividis ex æquo, ne non Augusta supellex,
Ornatusque pares geminis hæredibus essent.

Ubi ineptiunt, qui *scapulis* legunt. Namque enses illi referebant insignia stirpis Theodosianæ, allusione Poëtæ ad veterum Heroum morem, Papinio clarè expressum *Thebaid. lib.* 5. *versu* 725.

Ut verò & vultus & signa Argoa relictis
Ensibus. atque humeris amborum intextus Jason,
Cesserunt luctus —— —— ——

Et Ovidio *Metamorphos. lib.*7.

Sumserat ignarâ Theseus pocula dextrâ,
Cùm pater in Capulo *gladii cognovit eburno*
Signa sui generis, facinusque excussit ab ore

Quò proin allusit in *Psychomachia Iræ*, doctissimus Vates & nulli Veterum minor, nisi Vanitates Veritatis negotiis præponere voluisset:

Jam capulum retinente manu, sine pondere ferri,
Mentis inops, ebur infelix, decorisque pudendi
Perfida signa abjicit, monumentaque tristia longè
Spernit — — ——

Capulus enim fortiter factorum vetera monumenta cælata habuisse indicatur. Qua eadem ratione *Capulum Regni*, Insignia nempe Regia continentem, appellavit idem Ovidius *eod. libr.*

Sic ubi mandatam juvit facundia causam
Æacus in capulo Regni *nitente sinistrâ:*
Ne petite auxilium, sed sumite, dixit Athenæ, &c.

V. Casp. Barthium *Animadversion. ad Papin. Statium Tom* 3. *pag.* 326. De phrasi verò, *Manus in capulo*, V. infrà *Manu ad ferrum*.

Capus seu *Cappus*, apud recentioris ævi Scriptores, avis prædatoria, falco, accipiter: Theodulfus de pugna avium *carm.*8. *lib.*4. *pag.*219.

Quatuor accipitres veniunt hinc quatuor illinc,
Quatuor & totidem parte ab utraque capi.
Primo hi congressu perimunt se hincinde vicissim,
Accipitrem accipiter, seu capus ipse capum.

Hinc Gerricus quidam *capis Præpositus*, qui sc. avium venaticarum curam haberet, memoratur in *Vita* Ludovici Pii A. C. 813. Ubi tamen alii *Buticularium* intelligunt: *Capis* enim & *capula* apud Varronem poculi genus est, quo deplere vasa olearia consuevere: & licèt *capis, idis*, declinetur, inflexione tamen receptâ apud citimæ ætatis Scriptores, *Præpositus capis* potuit dici, pro *capidibus*. Nisi fortè *cuppis* legendum, du Fresne *Glossar.*

Caput, Jovi apud Gentiles sacrum, veluti Sapientiæ officina. Hoc Romani olim non intexere, in urbe incedentes, nullumque pilei, petasi, causiæ vel alius tegminis usum, nisi extra urbem in peregrinatione, novere, ut Lipsius docet: Ita namque illi à primis annis capita ad coloris frigorisque patientiam durabant, crebris frigidæ lotionibus & assiduâ nuditate domi ac per urbis vicos. Ad iter petasum, vel galerum, vel causiam Macedonicam sumebant; vel pileum sive Thessalicum, sive Arcadicum, sive Laconicum. Nihilominus mos fuit Quiritibus quandoque ad Solem, ventumque & alia cœli incommoda defendenda, *capiti* togam injicere: licèt enim ex hac brachium exereretur, ut summa togæ ora ab dextro humero desflueret; facile tamen fuit cùm res posceret, eandem dejectæ togæ partem revocare, *caputque* operire vel involvere. Hoc deinde togæ velamen, in occursu viri alicujus honorandi detrahere sicque caput aperire solebant, quod Pompejo fecisse Sullam tradit Sallustius ac Plutarchus; & fieri solitum, quoties Consul vel Prætor occurreret, confirmat Seneca. Plut. *Οἱ Ῥωμαῖοι τοῖς ἀξίας τιμῆς ἀπαντῶντες, ἂν τύχωσιν ἐπὶ τῆς κεφαλῆς τὸ ἱμάτιον ἔχοντες, ἀποκαλύπτονται*. *Romani, si cui obviam facti sunt, cui honor habendus sit, & si fortè togâ caput velatum habeant, id aperiunt*. Idem alibi, ubi de Sulla, ut dictum: *Καὶ τῆς κεφαλῆς ἀφαιρούμενος τὸ ἱμάτιον*, *Vestem capiti detrahentis*. Etiam cùm

facra fierent, hæc pars togæ in caput attrahebatur; capita enim velare in facris moris fuiffe, inter alia Lucretius *de reb. Nat. lib.5.* docet:

Nec pietas ulla eft, velatum fæpe videri
Vertier ad lapidem, atque omnes accedere ad aras,
Nec procumbere humi proftratum.

Hinc inter omina mortis Hadriani illud Spartianus recenfet, quòd facrificanti prætexta fponte delapfa caput ei aperuit: Nec aliam ob caufam apud Livium *lib.23. Manitio Prænestinorum Prætori ftatua in foro Præneftæ ftatuta eft loricata, amicta togâ, velato capite.* Habitu nempe vota concipientis: Subjicit enim, *Cum titulo laminæ æneæ infcripto: Manitium pro militibus, qui Cafilini præfidio erant, votum voviffe.* Porro in re crepera ac calamitofa totum involvebatur: quod Cæfar & Pompejus, eodem lethi genere ad generum Cereris defcendentes, in ipfa morte ufurparunt, apud Dion. Suetonium, Plut. Aliud quid fuit, cùm Scipio Nafica, contra Gracchum vadens, laciniam togæ *capiti* impofuit: Nam cùm repentè in mediam rixam iturus effet, ubi fuftibus ac faxis, fubfelliorumque fragminibus & cœteris, quæ furor miniftraret, maximè res agebatur, nullo fpatio capiendi arma, non folam togæ laciniam, fed totam fere partem inferiorem in rugas contractam ac complicatam, capiti ad tutelam impofuit, & fe velut galeâ communivit, ut etiam fic fubductâ togâ expeditior in pugna foret; apud eundem Plut. Nec verò togâ folum involverunt Veteres caput, fed & palliola in eum ufum præcipuè fuere: unde Claudius apud Sueton. *Gladiatorio munere palliolatus novo more præfedit*; nempe caput palliolo tectus, quo frigus arcebat. Præterea cucullis, aliisque tegminibus, idem fiebat. Græcanico pallio, quod totum capiti injiciebatur, obvelatus Mæcenas introducitur apud Senecam: *Hunc effe, qui in tribunali, in Roftris, in omni cœtu publico fic apparuerit, ut pallio velaretur caput, exclufis utrinque auribus, non aliter quàm in Mimo Divite fugitivi folent*: de quibus Plaut. *Captivis, Num certa res eft, eodem pacto ut Comici fervi folent, Conjiciam in collum pallium.* Hunc ritum qui accumbentium effe voluere, ex Plut. *in Pompejo*, meritò vapulant: Ibi enim notatur liberti ejus Demetrii importunitas, quòd ante Dominum difcumberet, & quidem *capite obtecto*: quod foli ægroti aut molles faciebant. Itaque & Trimalcio ille apud Petronium molliffimus, quòd *pallio coccineo adrafum incluferat caput*, convivis rifum excuffit. V. Octav. Ferrarium *de re veftiaria lib.1. cap 10. & 11.* &c. Apud Dionem, permittit Caligula Populo Rom. πίλοις σφίσι τὸν Θετταλικὸν τρόπον ἐς τὰ θέατρα φορεῖν, *pileum Theffalicum in Theatra efferre*, ne Solis æftu offendantur. Auctor tamen eft Joh. Chryfoftomus *Homil.2. adv. Judæos*, adhuc fuâ ætate morem obtinuiffe, ut, qui ludos fpectarent, nudo *capite* Solis perferrent æftum. Ἄπαντες, inquiens, ἐν Ὀλυμπιακοῖς μὲν γυμνῇ κεφαλῇ θεώμενοι, ἐν μέσῳ τοσαύτης ἀκτῖνος ... ἕως ὁ στέφανος ... κἀ γυμνῇ κεφαλῇ ... τὴν ἀκτῖνα, V. Lucianum *de Gymnaf.* Imperatores verò vett. ἐν πίλοις Λακωνικοῖς, *in pileis Laconicis* fuiffe fpectatos, narrat Synefius *de Regno*. Quidam etiam ita obdurato collo fuerunt, ut etiam itinera nudo capite ætate pariter ac hyeme facerent, Mafaniffa, Julius Cæfar; Corbulo apud Tacitum *Annal.13.* Hadrianus Imp apud Spartianum & Dionem; Servius, apud Herodianum *lib. 3.* Julianus, apud Claudium Mamertinum, Alii. E' quibus tamen Hadrianum mortis caufam hinc maximè contraxiffe, fcribit Spartianus *fub fin.* V. Cafaubonum *ad eum.* Sed & ejus *jactatio* inter 9. erat ceremonias, quas Galli, Cybeles olim Sacerdotes, obire folebant; quod ad imitationem Cybeles factum effe, difcimus ex Diodoro *lib.3.* ubi ait, illam διὰ τὴν πρὸς τὸ μειράκιον φιλοστοργίαν καὶ τὴν ἐπὶ τοῖς τροφεῦσι λύπην, ἐμμανῆ γενομένην, εἰς τὴν χώραν ἐκπηδῆσαι καὶ ταύτην ... τυμπανίζουσαν ... χώραν, ... τὰς τρίχας. *Cybelem per amoris erga juvenem* (Attinem) *impatientiam, & mœrorem ob nutrices, furore correptam in agros excurriffe: atque ibi folam, diffufis capillis, ululatu & tympani ftrepitu, univerfam impleviffe regionem.* Ad quem ritum pertinent illa Catulli,

—— —— *fimul ite, fequimini,*
Phrygiam ad domum, Cybelles Phrygia ad nemora Deæ.
Ubi cymbalûm fonat vox, ubi tympana reboant,
Tibicen ubi canit Phryx curvo grave calamo,
Ubi capita Mænades vi jaciunt hederigeræ,
Ubi facra fancta acutis ululatibus agitant.

Sic Cilnius Mæcenas,

Ades huc, ades Cybellæ, Dea, montigena Dea,
Age tympano fonanti quate flexibile caput,
Latus horreat flagello, comitum chorus ululet, &c.

V. Voffium *de Idolol. lib. . cap.20. fub fin.* Et ad hanc *capitis* rotationem, non uti Erafmus putabat, ad Divæ anilitatem, pertinet, quòd *tremuli* tales dicuntur, apud B. Hieronymum *Epift. ad Marcellam: Hiftrio nunc mollis in Venerem frangitur, nunc tremulus in Cybelen.* V. eundem *lib.2. cap.54.* De *capite* 2. Cybeles turrito, tegmineque capitis fœminarum Ciliffarum ac Myficarum, quod turrim referens ad imitationem ejus geftaverunt, dicemus infrà, ubi de *Turrito capite*. Cœterùm, ex antiqua notione vocis πόλος, qua Hæmifphærium ea fignificabat vel globum, tota capitis rotunditas quoque fic appellata eft. Pollux *de Capite & Capitis partibus*, Καλεῖται δὲ τὸ σφαιροειδὲς πόλος, κρανίον καὶ κόγχος παρὰ Ἀριστοφάνει,

Τοῦτον ... κόγχον ... μόνον.

A' rotunditate fc. fic vocarunt, ut & κόγχον: quemadmodum *Teftam* hodieque Galli vocant, à teftæ forma. Addit Pollux, σφόνδυλον etiam vocari apud Ariftophanem hoc verfu,

Ἵνα μὴ κατεαγῇ τὸ σφόνδυλον πληγὲν ξύλῳ.
Ne tibi percuffum fufte frangatur caput.

Ad quod proin inftar factum olim vas illud Gnomonicum, in quo gnomon erectus oftendebat Solftitium & Æquinoctium, cui hinc & πόλου appellatio. Sed & eadem videtur fuiffe Horologiorum forma, quæ inde Σκάφια dicta funt, &c. V. Salmafium *ad Solinum pag. 636. & 1258.* ubi notam compendiariam *Capitis* in Hippocratis antiquis libris hanc fuiffe notat ⊙. At plura hanc in rem, fuprà ubi de ritu Veterum varia *Capite teftandi*.

Caput Afini, cognomen Militis cujufdam, apud Ordericum Vitalem *lib.8. pag.681. pro magnitudine capitis & congerie capillorum.* V. quoque fuprà *Afini caput*.

Caput Coronatum, magnâ femper auctoritate fuit. Ut enim de facrificantibus & majoribus Magiftratibus, hic nil dicam; illi, qui in concionem olim prodibant dicturi, non nifi *coronati* confpiciebantur, auctoritatis ergò irrefragabilis. Unde Ariftides, ubi Rhodios hortatur ad concordiam: *Olim*, inquit, *tanta erat animorum veftrorum conjunctio, ut, cùm in concionem veniebatis, fatis vobis effet videre coronam*, id eft, fcire, quis effet concionaturus. *Quippe folâ hominis auctoritate moti, vix orationem ejus expectabatis*, &c. Orat. περὶ ὁμον. In quam fententiam Euripides, apud Stobæum,

Τὸ δ' ἀξίωμα καὶ κακῶς λέγῃ τὸ σὸν
Πείσει.

Atque proin hoc modo ornatus Pericles, amiffis duobus filiis, in concione differuit, apud Hieron. *lib.2. epift.22.* Demonax, fuis calumniatoribus refpondit, apud Lucianum *in Demonacte*: Praxagora mulier in cœtu fœminarum, verba fecit, apud Ariftoph. Ἐκκλησιαζ. Cippus inprimis concionaturus, priufquam prodiret in publicum, coronavit caput. Ovidius *Metam. lib.I.*

Dixit, & exemplo populum, totumque Senatum
Convocat. Ante tamen capitis nova cornua fronde
Velat, & aggeribus factis à milite forti
Inftitit ——

Idem cùm capiti coronam dempfiffet, repofita illi à populo eft,

Rurfus ad hos Cippus, quem pofcitis, inquit, habetis.
Et demptâ capiti populo prohibente Coronâ,
Exhibuit gemino præfignia tempora cornu.
Demifere oculos omnes —— — —
Atque illud meritis clarum (quis credere poffit?)
Inviti videre caput; *nec honore carere*
Ulterius paffi, feftam impofuere coronam.

Inde porro fluxit, ut qui fæpius apud Populum diceret, fæpeque coronatus afpiceretur, jus hinc impetraret coronæ geftandæ. Certè Demofthenes illam fuam coronam fæpe oftentavit, & objectavit illis, à quibus violatæ legationis accufabatur, velut omnium veriffimam & tutiffimam defenfionem, V. Plut. περὶ τοῦ ἑαυ. ἐπ. ἀνεπιφθ. Dabatur autem ei, qui dicturus erat, corona ab illo, qui proximè dixiffet, uti ex Ariftophane patet, *d. l.* Ibi enim Praxagora,

Ἐγὼ δὲ θᾶσσον τὸν στέφανον περιθήσομαι,
Κἀντὸ μεθ' ὑμῶν, ἤν τί μοι δόξῃ λέγειν.
Ego verò impofitis coronis redimiar
Et ipfa cum vobis, fi quid mihi vifum fuerit dicere.

Et paulo pòft,

—— —— τίς ἀγορεύειν βούλεται;
Γυ. Ἐγώ. Πρ. περίθου δὴ τὸν στέφανον τύχ' ἀγαθῇ,
—— —— *Quis concionari vult?*
Mul. *Ego.* Pr. *Circumponere ergo coronam, felici omine.*

Et infrà,

Πρ. ἆρ' ἔστιν ἑτέρα βούλεται λέγειν; Γυ. ἐγώ.
Πρ. Ἴθι δὴ στεφανοῦ.
Pr. *Eftne alia aliqua, quæ velit dicere?* Mul. *Ego.*
Pr. *Age dum coronare*, &c.

Imitatione Oratorum Hiftriones, qui procemiis recitandis id agebant, ut fpectatorum benevolentiam fuo gregi conciliarent, faufti ominis gratiâ, fimiliter *Caput coronatum* habuere. Nifi potius à Rhapfodis, de quibus V. Platonem *Jone*, & Hiftrionibus, illum ritum ad Oratores tranfiiffe dicere malimus; namque & ligatum fermonem folutâ Orationé antiquiorem fuiffe, oftendemus infrà. V. Car. Pafchalium *Coronarum lib.5. capp.5. & 6.*

Caput Hoftiæ, V. infrà *Caput Victimæ*.

Caput Lupinum, in *L. L.* EdW. Confefforis *cap.7. Si repertus fuerit & retineri poffit, vivus Regi reddatur, vel caput ejus, fi fe defenderit.* Lupinum *enim geris* caput. *Et hæc eft lex communis & generalis de omnibus Utlagatis*: gerere dicebatur omnis *utlagatus*, i. extra Legis protectionem pofitus, *bannitus*, qui viz. ob contumaciam in non comparendo, cùm in jus vocaretur, capitaliter convictus adeoq; capite diminutus eft, facultate cuilibet concefsâ,

caput

caput ejus, ac si *lupinum* esset, amputandi, si in provinciam rediret: Anglicè *Wulfesheofod*. Quod nomen ad Henrici IV. tempora in Foro Anglico duravit. Nempe talem non solùm cuique tum occidere licebat, sed & ob mortem ejus laus saltem, si non præmium, interfectori debebatur. Sic enim antiquitus mos se habuit in Anglia circa lupos, uti postea aliquandiu circa vulpes etiam, catos sylvestres, mustelas, &c. Vid. Guil. Malmesburiensem *de Regibus Angliæ lib.2. cap.8.* & plura hanc in rem apud Jo. Seldenum *de Synedriis Vett. Hebræorum lib.II. cap.* 14. §. 4. Apud Procopium verò *de Bello Gothico lib.3.* Λυκοκρανῖται occurrunt, quidam Pisidiæ populi, sic dicti, non quòd *Capita* haberent *lupina*, sed quòd regionis, quam incolebant, mons, Λύκου κρανίον appellaretur: qua de re V. suo loco.

Caput Porcinum, Tacticorum vox: Sic enim à militibus Romanis dicta est illa acies, quæ cuneum repræsentabat. Cuneum autem ait Vegetius *lib.3.* vocari *peditum multitudinem, quæ juncta cum acie primùm angustior, deinde latior procedat & adversariorum ordines, dum à pluribus in unum locum tela mittuntur, rumpat.* Typum ejus habet Ælianus *de instr. aciebus.* Lipsius ei tribuit formam literæ Gr. Δ. additque *Caput porcinum*, dici *quia velut fodis & ruis invadendo, lib. 4. de mil. Rom. dial. 7.* *Caput* Quadragesimæ, in Ecclesia Rom. quarta Feria Cinerum dicitur, du Fresne. *Gloss.* *Caput* Scholæ, apud Ammianum *lib.25.* qui scholæ militari præerat, apud Romanos. In Communione Romana hodie dignitas Ecclesiastica est, in ædibus Cathedralibus & Collegiatis, quę aliàs, & in aliis ædibus, *Scholastici* dicitur. In vet. *Notitia* Hincmari Archiep. Remensis, apud Sirmondum. *Not. ad Capit. Caroli C.* memoratur *Sigloardus Presbyter vel* Caput Scholæ *sanctæ Remensis Ecclesiæ.* Alibi *Capischolus, &c.* Sed & *Caput Scholæ*, locus appellatur, ubi qui Scholæ Cantorum præest, consistit: *Ordo* Rom. *Tum procedit Pontifex* (sacra facturus) *& antequam veniat ad Scholam, dividuntur cereostata quatuor ad dextram & tria ad sinistram & pertransit Pontifex in* Caput Scholæ, *& in gradu superiorum, primò adorat sancta, &c.* V. Car. du Fresne. *Glossar.*

Caput Taurinum, cædis tessera, apud Scotos Buchanat. *Rer. Scot. l.2. Arcibaldus Duglassius moriens monuit filium, ne totam familiam* (i. ambos filios) *sub unum Fortunæ ictum daret — Verùm Guilielmus, velut fato trahente, rectà in Arcem Edinburgum pergit* (à Prorege vocatus ad Regni conventum) *& in insidias inimicorum se præcipitat, cùm enim mensæ regiæ adhibitus esset, procedente convivio, armati inermem circumsistunt. &* Taurinum caput (*ea illis temporibus cædis tessera*) *ei apponunt. Quo viso turbatus Adolescens, cùm exurgere conaretur, ab armatis comprehensus, in aream deductus, ibiq; capite plexus est, unà cum Davide Fratre.*

Caput Victimę, peculiariter olim consideratum. De Hirco emissario Moses Lev. c.16. v.20. *& seqq. Et offeret* (Aaron) *hircum vivum: & imponet utramq; manum super caput hirci vivi & confitebitur super eū omnes iniquitates filiorum Israëlis, & omnes prævaricationes eorum, ex quibusvis peccatis. Et, cùm eas hirci capiti imposuerit, amandabit eum in desertum per manum viri parati; & portabit hircus omnes iniquitates eorum in terram divulsam & hircum in desertum mittet.* Qui ritus *imponendi manus super Caput victimæ*, non hic solùm usurpatus. Ejus enim vestigia quoque videre est, Levit. *cap.1. versu* 4. & *cap.3. versu* 2. & *cap.4. versu* 4. & 33. & *cap. 8. versu* 14. & 18. & *cap.* 16. *versu* 21. in sacrificiis omne genus, id est, tam pacificis, quàm expiatoriis. Multis illum describit Maimonides *de Oblationibus, cap.3. sect.* 6. & 9. &c. Neque obscura ejus ratio. Victimam enim offerens, hoc ritu eam tradebat Deo & quasi manumittebat, professus se renuntiare juri, quod in illud animal habebat, seque illud dominio suo eximere & cultui Divino dicare. Quomodo prisci Romani, servum in libertatem asserendum manu tenebant, dicentes, *Hunc hominem liberum esse volo.* Sed & eodem ritu iram Dei peccator deprecabatur, eamque immitti petebat in illius victimæ caput, quam suo loco ponebat. Proinde summus Pontifex *d.l.* in solenni Expiationis festo, totius Ecclesiæ personam sustinens, jubetur, utrâque manu in hirci *caput* impositâ, Israëlitarum omnia peccata confiteri, eoque ipso hircum devovere, ut, quidquid pœnarum in populum, propter admissa peccata, impenderet, in illum converteretur. Neque dubium, quin inde ad Ægyptios manaverit similis ritus. De illis namque sic Herodotus *lib.2. cap.* 39. Καταρέονται δὲ τάδε λέγοντες τῇσι κεφαλῇσι, εἴ τι μέλλοι ἢ σφίσι τοῖσι θύουσι, ἢ Αἰγύπτῳ τῇ συναπάσῃ κακὸν γενέσθαι, ἐς κεφαλὴν ταύτην τραπέσθαι. *Execrantur autem* (victimarum) *capita in hæc verba, ut, si quid mali aut ipsis immolantibus, aut toti Ægypto futurum sit, id in hoc caput convertatur.* Sequitur, per universam Ægyptum idem fieri, κατὰ τὰς κεφαλὰς τῶν θυομένων κτηνέων, *circa pecudum immolandarum capita*: & inde esse quòd οὐδὲ ἄλλου οὐδενὸς ἐμψύχου κεφαλῆς γεύσεται Αἰγυπτίων οὐδεὶς, *nemo Ægyptiorum de ullius animantis capite gustat.* Dum autem utraque manu in Hirci *Caput* nitebatur Sacerdos summus, hac oratione usus esse legitur in *Joma cap.6. fol.66.a. Rogo te, Domine, peccarunt, iniquè egerunt. prævaricati sunt coram te populus tuus Domus Israel. Quæso, Domine, expia nunc peccata, iniquitates & prævaricationes, quibus peccarunt, iniquè egerunt, & prævaricati sunt in te populus tui domûs Israel, & prout scriptum habetur in lege Mosis servi tui, Quia isto die vos expiabit, ad vos mundandos ab omnibus peccatis vestris: coram Domino mundabimini.* Sacerdotes verò & populus, qui stabat in atrio, audito *Nomine explicato*, ex ore Sacerdotis Summi, flexis genibus adorantes proni in faciem dicebant, *Benedictus sit Dominus, gloria Regni ejus sit in æternum.* Quâ oratione peracta, hircus in solitudinem deducebatur, &c. Sam. Bochartus *Hierozoici Pars. prior. Lib. II. cap.* 54.

Caputiati, cohors factiosorum in Arvernia, Galliæ prov. exorta, Anno Chr. 1183. auctore quodam Durando fabro lignario: qui sic nuncupati sunt, quòd Imaginem Deiparæ stanneam, *caputiis* lineis albis affixam, in signum initi invicem fœderis, deferrent. Vid. de illis Rigordum, Auctorem *Historiæ Episcop. Autissiodor. ca.* 58. Monachum S. Mariani *ad ann* 1183 & 84. Gervasium Dorobern. *ad ann.* 1182. Odonem Gesseum in *Histor. Aniciensi lib.3. cap.* 6. Alios. Est autem *Caputium*, idem quod *Capitium*, capitis tegmen, quod capæ assui solebat. Græcis recentioribus κουκούτζιον, Codinus *de Officiis cap.14. num.13.* Τὰ μὲν κουκούτζια μόνον αὐτῶν ἀποβάλλουσι, οὐ γονατίζουσι: *Capucia sua tantùm deponunt, non flectunt verò genua.* Solebant quippe in salutationibus de capite deponere hæc tegmina, uti docet ex *Chronico* Flandrensi Car. du Fresne in *Glossar.* In Ecclesia Rom. vox *Capucii*, Gall. *Capuce*, singulariter usurpatur de Monachis Augustinianis Discalceatis, & omnibus ferme iis, qui Francisci institutum sequuntur; & significat pannum, quo caput involvunt, plerunque in acumen desinentem. *Capuchon* verò iisdem, propriè dicitur de Benedictinis, item de Religiosis S. Mariæ Virginis de Misericordia, Richelet. V. suprà ubi de *Cucullo*.

Cara, nomen herbæ seu radicis, apud Cæsarem *de Bello Civ. lib.* 3. è qua panes conficiebant ejus milites, *carotte* hodie per diminutionem Gallis. Non dissimilem fuisse, imò congenerem pastinacis & daucis, constat ex Paulo Ægineta & Dioscoride; quorum ille, σταφυλίνῳ δὲ καὶ ἐλάφῳ καὶ καρῷ αἱ ῥίζαι ὀλιγοτροφώτεραι τῶν γογγυλίδων εἰσί: iste, ἡ δὲ ῥίζα ἑφθὴ ἐδώδιμος, ὥσπερ σταφυλῖνος. Arabibus *Karvia* dicitur; de qua V. Salmasium *ad Solinum pag.*225.

Cara Cognatio, V. *Festum B. Petri Epularum.*

Carabaga, machina bellica, lapides ingentes ejaculans, in expugnatione Urbium adhiberi solita, Sanutus *lib.III. pars.11. cap.21.*

Caraca, apud Anastasium in *Benedicto* III. *Caraca de holovero cum chrysoclavo, camisias albas sigillatas holosericas*: fortè pro *Caracalla*; vulgò tamen *saraca* legitur. Fuit autem *Caracalla*, vestis urbana & militaris, pænulæ similis, ut Dio indicat & Lampridius apud du Fresne; seu lacernæ, ut Salmasius habet; quam è Gallia advectam talarem fecit Antoninus Caracalla Imp. hinc nomen adeptus, quemadmodum ipsæ ab eo talares hæ Caracallæ, *Antoninianæ* postmodum appellatæ sunt. Æl. Spartianus *in vita ejus, ipse* CARACALLI *nomen accepit, à vestimento, quod populo dederat, demisso usq; ad talos.* (*quod antè non fuerat*) *unde hodie Antoninianæ dicuntur Caracallæ hujusmodi, in usu maximè Romanæ plebis frequentatæ.* De eodem Victor tradit, *coëgisse plebem ad se salutandum indutam talibus introire.* Postea verò *Caracallæ* Clericis assignatæ sunt. Unde in *Passione* S. Albani, *caracalla* Clerici vestis appellatur. Καρακάλλιον *Glossæ* exponunt *cucullam*: non quòd propriè cuculla esset, sed quòd palliolum cucullatum: nunquam enim sine cuculla caracalla. D. Hieronymus *de veste Sacerdot. Et efficitur palliolum miræ pulchritudinis, præstringens fulgore oculos, in modum* Caracallarum, *sed absq; cucullis.* Nempe *caracallæ* hæ Hieronymi, palliola erant cum cucullis, qualia Monachi & Ascetæ gerebant: ipse *Pallia* vocat in *vita* Hilarionis. Atque ita fortè Cassianus de Monachis Ægyptiis, ubi pallium angustum esse dicit, quo colla atque humeri Ascetarum tegebantur, &c. Salmasius *ad Spartianum.* Carolo du Fresne Clericorum *Caracalla* eadem est, cum *capa*, de qua dictum. Idem vocem Gall. *Casaque*, quasi *Caraque*, pro *sago*, ex veteri illo *caraca* seu *caracalla* à Paradino *Historiæ Lugdun. lib.1. c.34.* deduci refert. Oct. Ferrario. *Caracalla*, vestimenti genus Gallicum, ad instar lacernæ factum. *Id Barbarum*, inquit Xiphilinus de Caracalla Imp. ex Dione *l.78. discissumq; & consutum erat ex multis partibus, eoq; indutus erat semper, ex quo & Caracallus dictus est, jussitq; milites eodem genere vestis uti.* Sed quomodo id vestimenti genus scissum, & ex multis partibus confectum fuerit, ignoramus, cùm & ipsam vestem ignoremus. Meminit & Palladius *in Lausiaca cap.117.* Αὕτη ἡ δουλικὸν καρακάλλιον λαμβάνουσα, *Induta servi caracallion, &c.* V. eum *de Re Vestiaria part. 2. lib.1. cap.28.*

Caramanitis, pagus Græciæ, in Achaja, 4. leuc. Lebadiâ distans; cujus meminit Jac. Sponius *Itinerar. Græc. Part.2. pag.*89.

Caranitis, adde: Chalybum fuit olim, qui & *Armenochalybes*, Armeniæ minori vicini; postea adjuncta est Armeniæ majori. Xerxenen ei conjungit Strabo, item Plinius, qui Euphratem, in *Caranitide* ortum, per Xerxenen primùm fluere dicit. V. inprimis Strabonem *lib.11.* ubi Artaxiam & Thariadem Duces Antiochi M. qui & Regnum ejus postea usurparunt, ex Regionibus vicinis ad suam ditionem multa adjunxisse, Medis, Iberis, Chalybibus, Cataonibus, Syris adempta, sicque Armeniam majorem magnopere ampliasse, memorat. Alia est *Caranitis*, regio Galatiæ, apud eundem *lib.12.* ab urbe *Carana*, quam vide.

Caraeus, inter Herculis cognomina, apud Servium ex Verrio:

idem cum *Retarano*, apud Auctorem incertum *de orig. urbis Romæ*, ex Cassio; nec non ex *Libris Pontificalium*, V. in hac voce.

Caravanna, V. infrà *Carvana*.

Caravella, nomen navis hodie in usu, apud Italos Gallosque, an à voce *Carabus*, apud Isidorum in *Glossis*, *parvam scapham ex vimine & corio*, denotante: quæ apud Græcos quoque frequenter occurrit. *Chron.* Alexandrin. *pag* 874. Ἐλθὼ μετὰ καράβου εἰς τὸν Ἰουλιανοῦ λιμένα, *Veniens cum carabo in Juliani portum*. Nicetas in *Manuele lib.2.cap.4.* καράβια μεγάλου κατασκευάζοντο, &c. du Fresne in *Carabus*.

Carbani, pop. Phoeniciæ, à quibus Κάρβας, ventus Apelioticus vel Apeliotes ipse nomen nactus est. Salmasius *ad Solinum pag.* 1259.

Carbasa, apud Solinum *cap. 11. Carystos aquas calentes habet, Hellopias vocant: & Carystias aves, quæ flammas impunè involant: carbasa etiam, quæ inter ignes valent*; de Carystio lapide illi sumuntur, è cujus filamentis laneis, ἐριώδεις ἀποφύσεις vocat Apollonius, texebantur mantelia & mappæ, quæ in igne non comburebantur, imò in ignem mittebantur, ut à sordibus nitidarentur. Nam ignis eas mundas reddebat, παραπλησίως τῇ πλύσει, *instar lotionis*, ait Strabo. Impropriè itaque *Carbasa* appellat, sive pro velis lineis accipias, ut plerunque Latini, sive pro lino. Quamvis enim lineis similia essent, quæ ex eo lapide texebantur, non tamen linum erat, multo minùs carbasus, de quo infrà. Fortè *Carpasia* legendum, meminit enim Καρπασίου λίνου, *Carpasii lini*, Pausanias *in Atticis*, ubi funiculum lychni aurei Minervæ Athenis consecrati ex eo fuisse docet; ab urbe Cypri *Carpaso*, aut *Carpasia* Ins. in qua ut in Carysto, hic lapis multus inveniebatur. Sed valde impropriè λίνον appellat Pausanias, quod metallum est & lapis: nec Strabo *linum Carystium* vocat, sed λίθον. In India verò lini genus fuit, quod Græci Ἄσβεστον vocavere, ejusdem cum hoc Cyprio ac Carystio lapide virtutis, Plin *lib.19. cap.1.* quod videtur Pausanias cum Cyprio lapide confudisse, &c. Salmasius *ad Solinum pag.178.* Aliud longè *Carbasus*, apud Plinium *lib. 19. cap. 1. Hispania citerior habet splendorem lini præcipuum, torrentis in quo politur naturâ, qui alluit Tarraconem. Et tenuitas mira, ibi primùm* Carbasis *repertis*. Lini nempe genus tenuissimi, è quo texebatur vestis magni pretii, priscis in delitiis habita, ut serica nobis. Curtius *lib.8. Carbaso Indi corpora usq; ad pedes velant: eorumq; Rex aurea lectica, margaritis circumpendentibus recubat, distinctis auro & purpurâ* carbasis, *quæ indutus est*. Hinc apud Ciceronem, Verres æstate summâ tabernacula *carbaseis* intenta velis in littore collocasse legitur, ubi totos dies cum mulieribus impudicis perpotavit. Et Virgilius *Æn. lib.11.*

—— tum croceam chlamydemq; sinusq; crepantes
Carbaseos *fulvo in nodum collegerat auro.*

Nonnulli id genus linei panni esse putant, quod hodie *tela Baptistæ*, *tela Hollandica* & *tela Cameracensis* appellatur: quam postremam ex Hispania advehi certum, V. Dalechampium *Not. ad Plinium*. Apud Poëtas, pro velis, abusivè vox sumitur. Val. Flaccus *lib.2.*

Panditur hinc totis in noctem carbasus alis,
Littoraq; & veteris tumulos prælabitur Ili.

Virgilius *Æneid. lib.3.*

— — — — — Aura
Vela vocat, tumidoq; inflatur carbasus *austro.*

Statius *Thebaid. lib.6. versu 405.*

— — — Quæ tantum carbasa *ponto,*
Quæ bello sic tela volant, &c.

Unde videmus, non solùm cùm vestitum tenuem, sed & cùm vela navium, notat, in utroque numero promiscuè usurpari. Vid. Casp. Barthium *ad Statium d.l.* Neque *enim minores cunctis animalibus insidias, quàm nobismet ipsis lino tendimus*, Plin. *lib.19. cap.1.* qui idem *Carbasina vela* primum in theatro duxisse Lentulum Spinterem, Apollinaribus ludis, tradit *Ibid.*

Carbatinæ, genus calceorum è crudis pellibus: Primùm enim ævo rudiore crudæ pelles conficiendis calceis materiam subministrabant, uti discimus ex Xenophonte *Anabas. lib.3* qui, referente Angelo Politiano, *Miscell. cap.2. Cùm defecissent*, inquit, *veteres calcei, habebant ex recentibus coriis bubulis* Carbatinas *confectas*. Et de his, ut omittam Aristotelem *de Anim. lib. 2.* & Lucianum in *Philopseud.* Catullus quoque agit *Epigramm.*

Tu tamen hac lingua, si usus venias tibi, posses
—— & crepidas lingere Carbatinas.

Deinde verò, ut indies passim crescunt Artes, atque perficiuntur, ita seculis posterioribus, commodioris honestiorisque usus atque elegantiæ studium, concinnandarum tingendarumque pellium artificium edocuit. B. Balduinus *de Calceo cap.3.*

Carbo, Hebr. רִצְפָּה, Esaiæ *cap.6 versu 6. Et volavit ad me unus è Seraphim & in manu ejus* רִצְפָּה *carbo* Ita enim Seniores reddunt, Καὶ ἐν τῇ χειρὶ εἶχεν ἄνθρακα: quos Interpretum pars maxima sequitur. Bocharto verò hac voce denotatur calculus candefactus, cujusmodi lapidum apud Arabes multiplex usus fuit, in lacte coquendo, carnibus assandis, stigmatibus etiam vivæ carni inurendis, uti videre est infrà, ubi de *Lapidibus candefactis* seu *ignitis*. Itaque & עֻגַת רְצָפִים 1. Regum *cap. 19. versu 6.* cibus est *panis coctus ad lapides candefactos*. At חררא *chararas* Chaldæis panis subcinericius inde dicitur, *quòd supra carbones torreatur*: Ἐσχαρίτης propterea Græcis. Athenæus *lib.3.* Ὁ δ᾽ ἐσχαρίτης ἐστὶ τῶν λαγάνων ἁπαλώτερος· ἴσως δὲ καὶ οὗτος ἐπ᾽ ἀνθράκων γίνεται, ὥσπερ καὶ ὁ παρ᾽ Ἀττικοῖς ἐγκρυφίας. *Epanthracis in laganis est cæteris delicatior: videtur autem etiam hic panis, super carbones coqui. ut Atheniensium encryphias.* Sed de hoc pane infrà dicendi locus erit: plura autem hanc in rem V. apud Sam. Bochartum *Hierozoici Part. prior. pag.327.* Cæterùm *Carbo* non paucis in locis è terra effoditur, ut inter alia in Sinensi provincia *Xansi*, ut & apud Belgas, in Leodiensi agro: quo ad alendum ignem & vaporaria calefacienda passim, utuntur Boreales. Priùs autem illos contusos essringunt, cùm lapides sæpe ingentes ac nig[er]rimos effodiant: tum, uti in Belgio inprimis moris est, aquâ [p]erfusos miscent massaque sic conficiunt; quæ difficulter quidem ignem concipiunt, at conceptum semel, diutissimè vegetum, urentemque fortissimè retinent. Similiter apud eosdem Sinenses, in prov. *Peking*, prope *Pingto*, montes sunt *Kie* & *Siuvu*, ubi carbo seu bituminosa istiusmodi terra effoditur, quam loco lignorum incolæ adhibent, Auctor Anonymus *Sinæ & Europ. cap. 30.* At lapis ille Thracius, σπίνος dictus, apud Aristotelem, qui dissectus accenditur & rursus in se compositus, ac aspersus ardet, carbonum instar, *carbo metallicus* est & lapideus, quo hodieque Fabri ferrarii in fornacibus suis utuntur, Salmasius *ad Solinum pag. 253. &c.* Hinc *Carbonis* inlatio, præbitio, ad monetæ nempe & armorum fabricas *l.15.* & 18. *de extraord. muner. in Cod. Theod.* quę in sordidis muneribus olim numerabatur. Calvinus *Lex. Jur.* De *Carbonibus* defossis, quibus populi quidam agrorum fines distinxerunt, propterea quòd res nulla durabilior, magisque perpetua sit, quàm *carbones sub terra defossi*, Vid. Baldum *lib. de Officio Judicis*, laudatum Eidem: De ratione verò *Carbones* conficiendi Plinium *lib.16. cap.6.* De gemma carbonibus simili anthraciti, quæ in Thesprotia olim fodiebatur, eundem *lib.36. cap. 7.* De *Carbonum* in scribendo usu, Vid. suprà in voce *Atramentum, &c.*

Carbonarius, ludus gladiatorius, qui Neapoli in usu cùm esset, à Johanne XXII. sub pœna excommunicationis prohibitus est, Anno Ch. 1327. ut ipsemet ad Geroldum Capuæ Archiepiscopum scribit, apud Dominic. Macrum in *Hierolexico*.

Carbonis primi, secundi, tertii descensio, die 7. 14. 21. Febr. inter Festa Syrorum, Ulug Beg *in Epochis cap.7.*

Carbunculi, quinto loco inter gemmas Veteribus habiti, post margaritas viz. adamantes, smaragdos & opalos, topaziis præponebantur, uti docet Salmasius *ad Solinum pag. 239.* Loca eorum, in quibus pretiosi nascuntur, Theophrasto hisce verbis describuntur, Σπάνιος καὶ ἐξ ὀλίγων τόπων, οἷον ἔκ τε Καρχηδόνος, καὶ ἐν τῇ περὶ Μασσαλίαν, καὶ ἐξ Αἰγύπτου καὶ ἐκ τῶν Καταδούπων, καὶ Συήνης πρὸς Ἐλεφαντίνῃ πόλει καὶ ἐκ τῆς Ψεβὼ καλουμένης χώρας, ubi meminit Carthaginis, Massiliæ, Ægypti, Cataduporum, Syenes, & regionis *Psebo*, in interiori Æthiopia. Æthiopicos tamen *Carbunculos* non omnium optimos fuisse, liquet ex Plinio *lib.37 cap 7. Satyrus Indos non esse claros dicit, sed plerunq; sordidos ac semper fulgoris horridi: Æthiopicos pingues, lucemq; non emittentes aut fundentes, sed convoluto igne flagrantes.* De optimis verò ita sciscit, *Optimos verò amethystizontas, h.e. quorum extremus igniculus in amethysti violam exeat: proximos illis, quos vocant sirtitas, innato fulgore radiantes* Ubi *sirtitas* est ex Græco αὐτίτας, sic autem vocatur, qui innato fulgore radiat, non arcessito, quique ex sese lucem emittit, &c. Ab ignium verò similitudine pyropos quoque carbunculos dictos esse, idem innuit *ibid. Principatum habent Carbunculi, à similitudine ignium vocati, cùm ipsi non sentiant ignes, ob id à quibusdam pyropi appellati, &c.* Qua de re V. infrà, ubi de *Pyropo, &c.* Plura verò hanc in rem apud Plinium *d.l.* de variis hujus gemmę generibus, *Alabandico, Carchedonico, Corinthio, Garamantico, Indico, Lithizonte, &c.* & Salmasium *ad Solinum pag.380. & seqq.* ut & suprà in voce *Anthrax*, item ubi de *Ardentibus gemmis*. *Adulterantur vitro simillimè, sed cote deprehenduntur* (i. molâ è cote factâ, ad quam gemmæ poliuntur) *sicut aliæ gemmæ factitiæ: mollior enim materia & fragilis & centrosa scrobe deprehenduntur & pondere, quod minus est vitreis: aliquando & pustulis argenti modo relucentibus.* Idem Plin. Nec omittendum, quòd *Carbunculi* ingentis, in columna publicè repositi, luce, noctem in urbe Æduorum olim illustratam fuisse, narrat Chassanæus *de Glor. M.*

Carbyle, apud Solinum *cap.54. A Susis* Carbyle *sive Barbyte oppidum*: & ex eo Marcianum, *Susis juxta Carbile sive Barbite in centum triginta millibus*: alibi nuspiam occurrit. Proin *Babytace* reponit Salmasius *Exercit. ad h. l. pag.1194.* V. ibi.

Carcamusa, machina oppugnatoria, aries. Abbo *de obsid. Paris. lib. 1.*

Arietes vulgò Carcamusas *resonatos*
Dimisere duos:

apud du Fresne *Glossar.*

Carcer, à coercendo, dictus, differt ab Ergastulo: quòd in hoc mancipia conjiciebantur, pro lubitu herorum ut ærumnosam ibi vitam degerent; in illo liberi homines, auctoritate publicâ, ob delictum aliquod enorme, asservabantur, ibique necabantur.

Namque

Namque & strangulatio, quæ laqueo fiebat, & præcipitatio, quæ in Robore, in *Carcere* suscipi solitæ erant. Partes ejus duæ, Tullianum, quod Angl. dicas *Dungeon*, in quo strangulatio, & Robur, Angl. fortè *Strong hold*, in quo præcipitatio fiebat. Cura *Carceris* Triumviris capitalibus, Angl. *High Sheriffs* erat commissa. Modum procedendi sic exponit Valer. M. *lib.* 5. *c.* 4. *Mulierem damnatam Prætor Triumviro necandam in carcere tradidit, quam receptam is qui custodiæ præerat, misericordiâ motus non protinus strangulavit; aditum etiam filiæ dedit, sed diligenter excussæ, ne quid cibi inferret*, &c. Diversum quid à *Carcere* quoque fuit Mala mansio, quam quidam pro Puteo accipiunt; sed hunc propriè furacibus coquis destinatum fuisse, docet Plautus *in Aulular.* 2. 5. Alii pro Arca, in qua recondebantur illi, quos ulteriori quæstioni reservari placuit. De Sextricio, Spoliario, Nervo, Collumbari, Numella, Codice, V. *suis locis*. Primus autem *Carceris* auctor Ancus Rex traditur. Recentiori ævo, *Carcer perpetuus*, Albigensium, qui Romanam fidem amplecti nollent, pœna fuit, Concil. Narbon. *A. C.* 1235. *can.* 4. 9. Hinc illorum iis, qui intra certam diem sponte veniebant, & ritus Latinos amplectebantur sociosque prodebant, *Carceris immunitas* dara dicebatur. *Ibid.*

Carcer Intimus, in versibus Varronis, apud Nonium,

> *Nemini Fortuna currum* carcere *emissum* intimo
> *Labi inoffensum per æquor candidum ad calcem sinit:*

dictus est, qui aliàs *intimum ostium*, quod primum primisque metis in Circo proximum erat. Vitam namque Varro comparat Circensium curriculo, ubi felicissimè id certamen auspicabatur auriga, cui è primo vel intimo ostio exire sortitò obtigerat. Sed is plerumque non perferebat felicitatem suam usque ad ultimas metas & extremum curriculum: verùm prælassatis & consumtis viribus equorum, præ studio servandi primatus, ante septimum curriculum deficiebat palmamque sequentibus tradebat. Silius,

> *At queis interior cura & prudentia Circi*
> *Altior, effusas primo certamine vires*
> *Damnare*, &c.

Carceres nempe in Circo dicebantur ἀφετηρίαι & ἱππαφέσεις, à quibus initium currendi sumebant quadrigæ. Intra illos autem (erant enim οἰκίσκοι) equi cum curribus continebantur, repagulis vel cancellatis foribus oppositis coërciti, priusquam signum daretur emittendi: unde Varro illos dictos ait, à *coërcendis* equis ne inde exirent, antequam Magistratus misisset. Tum verò, uno eodemque tempore laxatis repagulis, è carceribus effusi, sese proripiebant exsiliebantque: cujusmodi repagula ὕσπληγγες Græcis dicta sunt. Dionysius verò Halic. carceres uno tempore reserari solitos, ὑφ᾽ ἑνὸς ὕσπληγγος, dicens, unum ac perpetuum repagulum omnibus Ostiis Circi præduci eoque laxato omnia simul puncto temporis pandi consuevisse, innuit. Uti autem inde exiere, sic eôdem reversi victores, cursum ibidem terminabant, peracto septimo curriculo, & coronabantur, in loco creta prænducto, qui haud longè à carceribus fuit, ut infrà videbimus. Erat porro duplex utrinque *Carcerum* ordo, senis uterque ostiis constans, unus ad sinistram primæ metæ, alter ad dextram: in quorum medio locus erat quo, qui machinationem movebat, quâ omnia ostia aperiebantur, *Altare* in Olympiaco, (in quo tamen *Carceres* propriè dicti non erant) *Janua Consulum* seu *Ostium*, in Romano, dictus. Sidonius Apollin.

> *Hæc est Janua Consulumque sedes,*
> *Ambit quam paries utrinque senis*
> *Cryptis porticibusque fornicatus.*

Nec tamen omnium carcerum usus erat; sed ex illis senis, qui ad dextram fuere primarum metarum, soli quatuor primi quadrigas emittebant quatuor certaturas, singuli singulas: quod ab eo tempore obtinuit, quo in colores quatuor & greges tota Circi factio divisa est; quibus cùm duos addidisset Domitianus, omnibus senis opus erat, quod tamen post mortem ejus non diu duravit. In altero latere tamen totidem ostia facta, forsan ad ornatum, & ut architectura æqualis esset. Initium *Carcerum* rejicit Livius in annum U. C. 425. unde Joannes Antiochensis, Georgius Syncellus, Cedrenus, Alii, Circum à Romulo primùm extructum cum duodenis ostiis, dicentes, meritò ridentur. Et quidem primò ex topho ac ligno fuerunt; quos marmoreis permutavit Claudius Imp. quemadmodum idem metas insigniores inaurari voluit. Fores eorum cancellatæ fuere, ut dictum, & reticulato opere factæ, cujusmodi fores vel fenestras Latini vett. propriè *Transennas* dixere, V. infrà in hac voce. Priusquam verò ædificati essent in Circo carceres, funiculus prætendi solitus videtur, cohibendis equis & in æquo limite continendis: cujusmodi funiculum in Circo Olympiaco βαλβίδα Græci dixere, quamdiu scil. funis pro repagulo fuit. Aliàs βαλβὶς, in Stadio, propriè erat linea in solo depressa & modicè cavata, cui insistebant cursores: ὕσπληγξ repagulum vel regula paulo altiùs è solo elata & opposita cursoribus, quæ signo dato ruens incidebat in lineam illam, ejusque cavitatem implebat, quæ tamen non rarò confunduntur. Lycophron,

> Ἄκραν δ᾽ ἐγὼ βαλβῖδα μηρίνθου σχάσας
> Ὑστάτην ἀράξω νύσσαν ——
> *Summam ego filum funis laxans regulam*
> *Primo repulsi limine*, &c.

V. Salmasium hac de re pluribus agentem, *ad Solinum p.* 902. *& seqq.* & hîc passim, inprimis ubi de Circi *Ostiis*.

Carceres, in ludo Latrunculorum, idem quod *mandræ, septa, valli, capsi*, Græcis vett. πόλεις, χῶραι, χαμαιαί, χαμαιεύνια, recentioribus ζατρίκια, unde toti ludo nomen. Tabula nempe, in qua latrunculis ludebant Vett. tota lineis erat distincta, & unicuique calculo suus locus ac sedes attributa: quemadmodum hodieque tabula lusoria ligneis quadraturis discoloribus alternatim positis, in quibus calculi disponuntur, distingui solet. Has calculorum sedes, *carcerum* nomine inter alia insignierunt: quòd latrunculorum quisque in suo loco seu sede, velut clausus, teneretur. V. Salmasium *ad Vopiscum in Proculo*, & paulo suprà in *Capsi*.

Carcharias Canis, V. suprà *Canis Carcharias*.

Carchedon, Καρχηδὼν, nomen viri, apud Appianum, à quo Carthago, Græcis quoque Καρχηδὼν, condita: an pater Didonis, an comes, an neutrum; imò commentitium planè esse, tradit Salmasius *ad Solinum pag.* 23.

Carchedonius Carbunculus, Theophrasto, quòd ἐκ Καρχηδόνος, h. e. *Carthagine*, veniret, dictus est: at Plinius Garamanticos sic appellatos tradit *lib.* 37 *cap.* 7. *propter auctoritatem Carthaginis magnæ*. Carbunculi certè genus fuit. Publius Syrus,

> *Quò* Carchedonios *optas ignes lapideos,*
> *Nisi ut scintillent? pietas est carbunculus.*

Ab hoc diversa erat *Carchedonia*, apud Plinium *ibid* sub. gemma, quæ ex Nasamonibus eandem Carthaginem deferebatur. Ad repercussum enim lunæ *Carchedoniam*, sicut carbunculos ad repercussum Solis, reperiri scribit; *potoria vasa* ex eo fieri solita, addens. Unde vilem fuisse lapidem constat, quemadmodum nec hodie magno in pretio est *Chalcedonius*, uti Gemmarii eum vocant. Alius erat Chalcedonius smaragdus, de quo alibi. V. Salmasium *ad Solinum pag* 381.

Carchesium, apud Papinium Statium *Achilleidos lib.* 2. *versu* 6.

> — *ubi excelsâ libans* carchesia *puppe:*

genus fuit poculi, quo Diis gentiles libare consueverunt. Ita enim hîc in Apollinis honorem factum. De Baccho Virgilius *Æneid. lib.* 5.

> *Hic duo ritè mero libans* carchesia *Baccho,*
> *Fundit humi, duo lacte novo, duo sanguine sacro*, &c.

Ignoratum priscis Latinis, solis Græcis notum, ex Sappho, Sophocle, præcipuè Asclepiade, describit ac præpingit Macrobius *Saturnal. lib.* 5. *cap.* 21. Servius transit, poculi tantum genus indicasse contentus. V. Casp. Barthium *Animadversionum ad Statium Tom.* 3. *pag.* 708.

Carcinias Gemma, à cancri marini similitudine, apud Plinium *lib.* 37. *cap* II.

Cardamomum amomo & amomidi, *simile & nomine & frutice, semine oblongo. Metitur eodem modo & in Arabia. Quatuor ejus genera: viridissimum ac pingue acutis angulis contumax fricanti quod maximè laudatur: proximum è ruffo candicans: tertium brevius atque nigrius. Pejus tamen varium & facile tritu, odorisque parvi: quod verus, costo vicinus esse debet. Hoc & apud Medos nascitur, pretium optimi in libras: X. duodecim*, Plin. *lib.* 12. *cap.* 13. Hodie quid sit, ignoratur. Ἄμωμον autem vocatum est, sicut ἄμωμοι λίβανοι. ex ἀνυπόμωμοι: Videntur enim Græci vett. omne aroma, quod sincerum ac inculpatum esse, ἄμωμον appellasse. Salmasius *ad Solinum pag.* 401. *&* 1307. *Cardamon* vero nasturtium est, V. ibi.

Cardatores, Gallis dicuntur, qui Græcis Κναφεῖς, Latinis *Lanarii*, à *carduo*, seu *cardo*, ut Vett. etiam dixere, fulloiio viz cujus capitulis inanibus, in carminandis lanis & rudibus pannis lævigandis, tota Europa uti solet: Quemadmodum capitula hippophæsti fullonibus olim, ad pectendam vestium mollitiem, eundem usum præbuere. Et quidem hippophæstum idem videri posset cum hoc genere cardui, si capitula ejus alto caule attollerentur, quemadmodum in hoc carduo. Itaque Dipsacon Veterum putant esse & vocant vulgò *virgam Pastoris*. Salmasius *ad Solinum pag.* 397.

Cardenas, nomen familiæ Castellanæ, quæ Viris illustribus jam dudum inclaruit. In filiis Garsiæ Lopezii *de Cardenas*, qui patrem Lupum *Ruiz* & Garsiam Lopezium, incolam Ocannæ, atque sub Regibus Petro & Henrico celebrem, avum habuit, lineæ diversæ cœpere. Alter enim, Garsias Lopezius, Alfonsi ultimi Mag. Ordin. S. Jacobi pater fuit: hic autem filiam genuit Joannam Du. *de la Puebla*, quæ Petro Portocarrerio nupta *Cardeniam* nomen illi domui intulit, inprimis per secundum filium Alfonsum continuatum, cum tit. Comitis *de la Puebla* obtento. Alter Garsiæ Lopezii filius Rodericus, in civ. Ocanna habitans, Gutierium & Rodericum, cujus posteritas in civ Lerena superfuit, genuit: Gutierio natus Didacus, primus Dux Maquedæ fuit, Pater Bernardini atque Gutierii, dominorum *de Tornalva* & *Beteta*, cum cognom. *Carillo de Albornoz*, fatoris. A' Bernardino reliqui Duces sunt propagati: Illo enim, & Isabellâ Velascâ genitus Bernardinus II. ex Joanna Portugallica suscepit Bernardinum III. *de Cardenas D. de Maqueda, M. d'Elche*, qui ex Luisa Manricia *de Lara Manuel*, pater fuit Bernardini March. d'Elche, Georgii D. *de Maqueda*, Jacobi Manuelis, Johannis, Petri, Mariæ (Johanni

ni Andreæ *de Mendoza* M. *de Carnete* nuptæ) & Annæ Mariæ, qui hoc seculo floruerunt. Phil. Jac. Spenerus *Theatr. Nobil. Eur. tom.* 2. *ubi de familia de Cardenas Duc. de Maqueda & Manrique, Duc de Najera, pag.* 41.

Cardinales Venti, medio ævo dicti sunt quatuor illi primi ac præcipui, qui, ex quatuor Mundi *Cardinibus* seu plagis deducti, antiquitus solùm cogniti erant, *Eurus* nempe, *Zephyrus*, *Notus & Boreas*. Dionysius Utic. καθολικοὺς vocat, sicut ipsas plagas καθολικά: Vegetius *principales lib.* 4. *cap.* 38. *Ita ut ventis principalibus declaratis, eos qui ipsis dextra lævaque juncti sunt indicemus. Cardo* autem pro momento seu articulo sumitur, in quo præcipuè res vertitur, ab ostiorum *cardinibus*. Virgilius,

—— *Haud tanto cessabit cardine rerum.*

Ubi Servius notat, *rem in cardine esse*, quando in articulo est. Adeoque *cardo* ipsum punctum est, ac momentum occasionis & opportunitatis. Cæterùm, propriè loquendo non quatuor sunt Mundi cardines, sed duo tantùm, Septentrionalis & Meridianus axis, super quibus verti Mundus fingitur. Æquinoctialis verò Occidens cum Occidente Meridionali, cardines potiùs Solis sunt, Κέντρα Græci appellant: quæ quatuor sunt, Solstitium & Bruma, ac duo Æquinoctia. Hinc ista puncta & momenta, quibus illa committuntur, quum Sol attigit, *in cardine illum esse*, Latini dicebant. Emittunt autem quatuor hæc solis κέντρα sex ventos, ab Ortu & Occasu Æquinoctiali duos; ab Ortu & Occ. Solstitiali duos ac reliquos duos ab Ortu & Occ. Brumali: quos non minùs *Cardinales* dicas, quàm qui à Mundi cardinibus exoriuntur. Quod sequuti fortè, quibus placuit octo præcipuis Ventis Mundum perflari, V. infrà ubi de turre *Octogona*. Non desunt tamen ex Antiquis, qui solos hos duos ventos, qui ab utraque Mundi meta originem ducunt, recipiendos putent, velut Principes & Magistros, Austrum ac Aquilonem; reliquos omnes accessionum vice habentes, & prout inclinatione ac recessione ab hoc & ab illo axe deflectunt, Septentrionales ac Meridionales nominantes. Unde Lucilius ex persona Cotys Thracum R.

Rex Cotys ille duo hos ventos, Austrum atque Aquilonem
Novisse ajebat solos, &c.

Qua de re V. Salmasium *ad Solinum pag.* 1239. *& seqq.* ut & in voce *Cardines*.

Cardines, in Theatris, quid fuerint, indigitat Tertullianus *de Spectac. Quid quòd & cætera congruunt. Nam & apud spectacula & in via statur. Vias enim vocant cardines balteorum per ambitum & discrimina popularium per proclivum. Cathedra quoque nominatur ipse in anfractu ad consessum situs.* Nempe *cunei* spatia erant, in quibus subsellia componebantur; viis per ambitum & in descensu invicem distinguebantur, per ambitum viæ *cardines* dictæ. Quod inter eas vias & cardines esset comprehensum, *Cuneum* vocabant. *Balthea* præcinctiones erant. Et quidem uti *limites*, in Circi porticibus, viæ inter sedilium ordines, sic cardines in theatro, qui separabant præcinctiones: Hoc tamen discrimine, quòd viæ in Theatro multis versuris cuneos intersecarent, hinc *Cardines* appellatæ; Limites verò in Circo versuras non facerent, sed perpetui ac rectâ serie currerent. Ob quam multifidam viarum in Theatro sectionem, è cuneis elabi ac refugere eum, cui junctus esse nolles, facile fuit: in Circi sedilibus non item. Unde Ovidius, cùm Corinnæ fortè sedem in subselliis Circi proximam occupasset, illaque sermonibus ejus inquietata discedere vellet, inquit,

Quid frustra refugis, cogit nos linea jungi:

Longus viz hic limes & sedilium ordo totus undique occupatus, &c. V. Salmasium *ad Solinum pag.* 9'9. Vox ab Agrimensoribus petita: Illi enim, in Coloniis deducendis, & agris publicè viritim dividundis, lineam ducebant ab ortu Æquinoctiali ad Occasum Æquinoct. huncque limitem, qui ita secabat agrum, *Decumanum* vocabant. Deinde aliam lineam per mediam eam decussatim ac normaliter in rectum ejicientes, à Septentrione ad Austrum descendebant, eumque limitem *Kardinem* appellabant, præter quem *Cardines* quoque dicebantur minores limites *Cardini maximo* paralleli: uti pluribus videre est apud eundem *pag.* 674. *& seqq.*

Cardo, cuneus propriè, qui in foramine vertitur. Hi in liminibus ferrei erant aut ærei. Cornelius Gallus *in Ceiri*,

—— — *sonitum nam fecerat illi*
Marmoreo æratus stridens in limine cardo.

Papinius Statius *Thebaidos lib.* 9. *versu* 49.

Stabat in Argolica ferrato limine turris
Egregius lituo dextri Mavortis Enipeus, &c.

V. Casp. Barthium *Adversarior. lib.* 120. *cap.* 12. Uti autem foribus Forculum, liminibus Limentinum Deos, sic *Cardinibus* Cardineam seu Cardeam Deam, præfecerunt Romani, falsè hinc notati B. Augustino *de Civ. Dei lib.* 4. *cap.* 8. quòd tres Deos unis foribus præficerent, cùm suis ædibus unum præponere Ostiarium satis habuerint quilibet Patresfamilias. V. infrà in vocibus *Fores*, & *Limen*; plura verò hanc in rem apud præfatum Barthium *Animadversion. ad Statium d. l.*

Carduelis, Servio *acanthis* est, *quòd spinis & carduis vescitur.* Glossæ, *cardelus*, ἀκανθυλίς. In Græcorum recentiorum Lexicis eandem ζιδάκι & ἀκανθυλλίδα & σγαρδέλλιν dici reperias; item sic describi, ut rubras in capite pennas, in alis luteas, habeat: quæ omnino Latinorum *Carduelis* est. Atque sic omnes vett. Latini Græcam vocem ἀκανθὶς interpretantur. Gaza & Bellonius *Spinum* vertunt, ut sic à *spinis* dicatur. Sed errat hic, cùm spinum Gazæ putat esse Græcorum σπίνον, quâ voce fringillam potiùs denotari, infrà videbimus, V. Salmasium *ad Solinum pag.* 445. De ea sic Plinius *lib.* 8. *cap.* 42. *Minimæ avium* Carduelis *imperata faciunt, nec voce tantùm, sed pedibus & ore pro manibus. Est quæ boum mugitus imitetur, in Arelatensi agro taurus appellata, alioquin parva. Est quæ equorum quoque hinnitus, anthus nomine, herba pabulo adventu eorum pulsa, imitatur, ad hunc modum se ulciscens.*

Carduus, herbæ spinosæ genus, quod in plures species dividitur. Absolutè verò & per excellentiam cùm *Carduum* dicunt Latini, de hortensi & sativo loquuntur, quem Siculi olim *cactum*, hodie *cacozoli*; Latini quoque nonnunquam *cactum*, ut *ad Tertullianum de Pallio* Salmasius observat; Græci κινάραν, Galli hodieque *Articactum*, appellant. Sed & *Carduum* Latinis dictum, docet Athenæus *lib.* 11. τὸν λεγόμενον κάρδον, & Capitolinus, ubi *lactucas* & *cardos* memorat. Meminit ejus Plinius his verbis *lib.* 21. *cap.* 16. *Et cactos quoque in Sicilia tantùm nascitur, suæ proprietatis & ipsa, cujus in terra serpunt caules, à radice emissi, lato folio & spinoso. Caules vocant cactos, nec fastidiunt in cibis inveteratos quoque. Unum caulem rectum habent, quem vocant pternica, ejusdem suavitatis, sed vetustatis impatientem. Semen ei lanuginis, quam pappon vocant: quo detracto & cortice teneritas similis cerebro palmæ est: vocant ascaliam.* Quæ graphica est descriptio hodierni Articacti, Gall. *Artichaut*. Sed fallitur Plinius, cùm *sui generis esse & in Sicilia nasci tantùm*, scribit: Nam *Carduus Romanorum* & *cactus Siciliæ* res eadem, ut suprà vidimus, in voce *Articactus*, ubi in hanc rem plura. Id saltem hic addo ad hunc locum, quod ille *Ascaliam* vocat, Athenæo *Ascaleron*, Theophrasto *Scalian*, Appulis circa Hydruntum etiamnum *Scalera* vocari, ex Dalecchampio *Not. ad Plin.* Non plebejum fuisse cibum, idem innuit alibi, cùm ait, *Mirum esse non licere pecori carduis vesci, non licet plebi.* Unde valde priscis illis ganeonibus *Cardui* expetiti, & res erat maximi quæstus. Idem *lib.* 9. *cap.* 8. *Poterant videri dicta omnia, quæ in pretio sunt, nisi restaret res maximi quæstus, non sine pudore dicenda. Certum est quippe, carduos apud Carthaginem magnam Cordubamque præcipuè sestertia sena millia, ut par ejus reddere.* Ubi Salmasius legit, *sestertiûm sena millia è parvis reddere areis.* Sunt autem areæ hortorum πρασιαὶ Græcis, quarum quamvis quotannis *sestertiûm sena millia*, h. e. centenos quinquageno, præter propter nostri nomismatis aureos, reddidisse notat. Addit modum colendi: *Quoniam portenta quoque terrarum in ganeam vertimus, etiam ea quæ refugiunt quadrupedes consciæ. Carduos ergo duobus modis serunt, Autumno planta, & semine ante Nonas Martias, plantæque ex eo disponuntur ante Idus Novembres, aut in locis frigidis circa Favonium. Stercorantur etiam, si Diis placet, lætiusque proveniunt, condiunturque aceto melle diluto, addita laseris radice, & cumini, ne quis dies sine carduo sit.* V. quoque infrà, in voce *Cinara*.

Carduus Fullonius, V. suprà in voce *Cardatores*.

Care Puer, apud Papinium Statium *Achilleidos lib.* 1. *versu* 250.

—— —— — *dubitatque agnoscere matrem.*
Occupat illa manu blandeque affata parentem:
Si mihi, Care puer, *thalamos fors æqua dedisset,*
Quos dabat, æthereis ego te complexa tenerem
Sidus grande plagis:

Allocutio parentum est. Cujus exemplum apud Claudianum quoque *Consul. Honorii* 4.

Si tibi Parthorum solium Fortuna dedisset,
Care puer ——

Id est, fili, vetus *Glossar.* V. Casp. Barthium *Animadversion. ad Statium Tom.* 3. *pag.* 1642. & infrà, in voce *Puer*.

Carena, adde: Vox formata ex *Quadragena*, vel ex *Quarentena*, h. e. *quadragesima pars*, in Ecclesia Rom. quadragesimale denotat jejunium, seu publicam pœnitentiam, ab Episcopo Clericis Laicisque, aut ab Abbate Monachis infligi solitam, quâ quis jejunare spatio quadraginta dierum tenetur. Summula Raymundi Ordinis Prædicat.

Matronæ juvenes possunt explere carenam
In domibus propriis.

Etiam remissio sic dicitur seu indulgentia 40. dierum, quæ à Pontifice vel Episcopis indulgetur, V. Browerum in *Antiqq. Fuldens. pag.* 122. 123. Equites Melitenses *Quarentenam* appellant pœnitentiam, quæ delinquentibus Equitibus imponitur, qui per XL. dies equestri togâ induti, quam *Manto di punta* appellant, flexisque genibus, Conventualis Ecclesiæ missis cantatis horisque Canonicis durantibus, ad scamnum incumbere coguntur, du Fresne & Macer.

Carentona, fluv. Galliæ, vulgò *la Charentone*, aliàs *Carentonne*, alluit Monasteriolum Argillæ *Montreuil l'Argille*, Cameracum *Chambray*, Bernacum *Bernay*, oppidum in Lexoviorum finibus, Abbatiâ suâ nobile, demum in Riselam decurrit. Ejus mentionem facit Ordericus, à quo *transitus Carentonæ* refertur & *rivus Carentona lib.* 6. Hadr. Valesius in voce *Risela*.

Carenum seu *Caroenum*, Myrepso *Sect.* 1. *cap.* 5. κάροινον, vinum

decoctum.

decoctum, ita ut tertia pars absumpta sit, duæ tantùm remaneant, occurrit apud Augustinum *contra Manichæos lib.2. c.13.*

Carere Lanam, propriè vocabant Veteres ξαίνειν. Unde non *carminare* modò, sed & *carinare*, id est, carpere, & per tralationem, *mordere*, & dictis dicteriisque incessere. Glossæ, *carinare*, χλευάζειν: quod ineptè Grammaticorum ratio à navis *carina* deducunt. Secunda enim brevis est, ut apud Ennium,

Sed neque me decet hanc carinantibus *lædere chartis.*

Id est, mordacibus & carpentibus. Idem apud Servium,

Et contrà carinans *verba atque obscœna profatus.*

E qua eadem arte metaphoris mutuatis, ξαίνειν pro eodem Græci dicunt, *carpere* & *depectere* Latini, Galli hodie *drapper*. Et quidem primum hoc lanæ purgamentum, cum carminantur, h.e. quum ipsæ per se purgantur, priusquam in fila deducantur & in tela texantur: quæ lanæ purgandæ Ars ξαντική Græcis dicta est. Quamvis enim in novissimo purgamento, cùm in veste ipsa carperentur & depecterentur erinaceo fullonis, ξαίνεσθαι quoque dicerentur, propriè tamen ξαντικὴ ad primum pertinebat, &c. Salmasius *ad Solinum pag.399.*

Caria, adde: Una erat ex regionibus, quæ Asiam Proconsularem, sub primis, & Thracensium provinciam, sub posterioribus Imperatoribus constituebant. Postquam verò Asia Proconsularis imminuta est tribus provinciis, inter has & *Caria* Asianæ Dioeceseos Vicario subjecta est, ac proprium Præsidem habuit. Qua de re V. Salmasium *ad Solinum pag.803. & seqq.* Pop. *Cares*. qui & Κᾶρες nonnullis dicti videntur. Unde καρβαρίζειν, Καρικῶς λαλεῖν, *Caricè loqui*, & Καρβατίναι, genus calcei à *Caribus* inventum. V. eundem *Ibid. pag.1259*

Carica, certum genus ficorum Plinio, *lib.15. cap. de ficis*, *Ex hoc genere sunt, ut diximus, Cottana &* Caricæ, *quæque conscendenti navem adversùs Parthos, omen fecere M. Crasso, venales prædicantis voce Cauneæ.* Et quidem Syriæ peculiare, *Omnia hæc*, addens, *in Albense rus è Syria intulit L. Vitellius*. V. quoque eum *lib.13. cap.5.* Alibi tamen & Ægypto vindicat *lib.15. cap.19.* ubi illas cute in Ægypto placere, hancque solere detrahi in ficis virentibus, in siccis maximè gratam haberi, ait; sicque siccas ficus a Caricis separat, quum alii *Caricas* τὰς ἰσχάδας appellent, i. *Ficus siccas*. Hinc Cicero *de Divin. lib.2. Cùm M. Crassus*, inquit, *exercitum Brundusii imponeret, quidam in portu Caricas Cauno advectas vendens, Cauneas clamitabat*: Caricam generale vocabulum faciens, cujus species *Cauneæ*. Quas itaque alii *Caricas* vocant, i. ἰσχάδας, Plinius *siccas ficus* & *siccatas* nominat. Ut *eod. cap. Panisque simul & opsonii vicem siccatæ implent.* Et paulo antè *Senescunt in arbore, anusque destillant gummium lachrymâ. Siccas honos laudatas servat in capsis.* Certè, utcunque *Caricæ* ficus certum fuerint genus, à *Caria* quippe denominatæ, ὡς Καρικαὶ ἰσχάδες; Prisci tamen Romani, ut in multis aliis rebus fecerunt, *Caricarum* nomen de omnibus ficis siccatis & transmarinis usurparunt. Quod idem & Cauniis postea contigit, quæ ex Cauno advehebantur, Cariæ urbe, ut infrà videbimus. Unde Plinium Syriæ, & Ægypto *caricas* vindicantem hallucinatum esse, colligit Salmasius *ad Solinum pag.937.* Earum optimæ & præstantissimæ erant Ebusitanæ, quarum meminit Statius *Saturnal.*

Quidquid nobile Ponticis nucetis
Fœcundis cadit aut jugis Idumes,
Quod ramis pia germinat Damascus,
Et quas percoquit Ebosia cannas.

Ubi cum Damascenis prunis & palmulis rectè jungi Caricas sive ficus aridas, nemo non videt, &c. In massas autem compositæ afferebantur seu globos, quæ παλάθαι Græcis. Hesychius, παλάθη, ἡ τῶν σύκων ἐπάλληλος θέσις· παλάθας σύκων μάζας: quod idem de prunis cottanisque legimus. Martialis,

Hæc tibi quæ tortà venerunt condita metà.
Si majora forent cottana, ficus erant. &c.

Ubi *metam tortam* Poëta vocat, è tortis juncis textam sportam, metæ modò, in acuminatum fastigium desinentem. Cujusmodi canistris Massilienses hodieque caricas suas recondunt ac exportant & *cabas* vocant. Dalechampius *Not. in Plinium lib.13. cap.5.* V. infrà in vocibus *Massa* & *Offa*: plura verò hanc in rem apud Salmasium *ad Solinum pag.935.*

Caricæ Claves etiam dictæ, quæ *Laconicæ* aliàs, quòd his etiam *Cares* uterentur. Avienus Arati Interpres, ubi de sidere Cassiopeæ,

Lux hebes est matri. Sic qualem Caria quondam
Noverat intrantem per claustra tenacia clavem,
Formatur stellis distantibus.

In quibus verbis Laconicæ clavis dentibus, similem esse stellarum dispositionem in asterismo hoc innuit. Non multæ enim, nec in congerie acervatæ & alternatim positæ stellæ, Cassiopeæ corpus effigiant, sed in lineæ seriem sitæ dissitæque invicem, & aliæ aliis recto filo subjectæ. Quod verum esse vetus ejus asterismi σχῆμα, apud Hyginum descripta, fidem facit: qui in capite Cassiepeæ unam stellam ostendi dicit; in papilla dextera, ponit claram unam; in lumbis, magnam unam; in genu, unam; & in pede dextro, unam. Quo situ ac dispositione dentes, in clavi *Caria* seu Laconica locati erant, ut se unus alii subjiceretur; quod hodieque in nostris clavibus videre est, V. typum hujusmodi occultarum clavium, tribus γομφίοις, quos Aristophanes iis tribuit, constantium, apud Salmasium *ad Solinum pag.919. & seqq.*

Carina Equi, apud vet. Scholiastem Papinii Statii *Thebaid. lib.11. versu 512.*

——— ——— — *tamen irrita voti*
Cuspis, in obliquis invenit vulnera costis.

Quid sit, exponit Nemesianus *in Cyneget. de Canibus versu 110.*

——— ——— — — *Sit cruribus altis,*
Sit rigidis, multamque gerat sub pectore lato
Costarum sub fine, decenter prona, carinam.

Ubi *carinatum* pectus volucrum & cœterorum, præter hominem, animantum, ex Plinio notavit Barthius. V. quoque eum *Animadversion. ad Statium d. l.*

Carinare, apud Ennium Servio laudatum,

Et contrà carinans, *verba atque obscœna profatus,*

quid sit, V. suprà *Carere*.

Carinatis, V. infrà *Cerinarii*.

Cariniacum, vulgò *Charny*, locus Galliæ in Burgundiæ Duc. in pago Ammavorum seu Amœorum. Hadr. Valesius in voce *Ternodorum*.

Carinthia, adde: Eam post alios Otho, Othonis M. Imper. ex Ludulfo Sueviæ Duce nepos, eoque defuncto, filius illius Cuno, agnati Othonis III. beneficio tenuit, pensandæ fidei industriæque, quam, vindicandæ contra Bavaros Duces Cæsaris Imperiique dignitati, iste præstiterat. Erantque tum in Ducatu Marchiones duo, alter tuendo limiti Orientali contra Hungaros; alter contra Sclavos, defendendæ oræ Meridionalis constituti: Palatini item, Goritiensis atque Crainburgius, ille in Italiæ, hic in Bavariæ, finibus, omnes pari obsequii nexu Ducis jussa spectantes. Ademta postea Cunoni, Cunonis nepoti, in contumaciæ pœnam, ab Henrico IV. provincia, primum in Welphonem Bojoarum, inde ad Bertholdum Com. Zeringium, translata est. Sed rediit ad Cunonis filios, qui insignibus erga Cæsarem officiis parentis culpam eluisse visi, amissam istius crimine terram suo merito recepere. Eam exin Ottocarus emtionis titulo cum Ulrico, ultimo Duce, contractæ, pro sua usurpavit, ut quidam ajunt. Alii Meinhardo Tyrolensi à Rudolfo; nonnulli Alberto Contracto Austriæ D. à Ludovico Bavaro Imp. defuncto Henrico Carinthio, absque mascula sobole, A. C. 1335 concessam, pòst per conjugem Margaretham Maultaschiam pleno jure domui isti illatam, dicunt. Quidam etiam Alberti hujus filios, à Margaretha ista hæredes scriptos, referunt. Tob. Pfannerus *lib. de præcipuis German. Principum Gentib. cap.1.*

Carinum, à Siculo κηρὸς, pro κηρὸς, quod est *cerini coloris*. Unde *Carinarios* Plautus habet *in Aulularia*,

Flammearii, violarii, carinarii:

qui eo colore vestes inficerent. Octav. Ferrarius, *de re Vestiaria lib.3. cap.10.* V. quoque infrà in voce *Cerinus*

Cariovisius, inter auxiliares Valeriani Imp. contra Persas, apud Vopiscum in *Aureliano*.

Caristeæ columnæ, apud Capitolinum *in Gordianis*, V. infrà *Carystiæ*.

Caritas, apud Gregorium M. *lib.11. Epist.6.* alibique passim, Agape est, convivium Christianorum, quo amici olim pauperesque excipiebantur. Hodieque in Monasteriis *Caritatum* nomine veniunt epulæ solennes & extraordinariæ, quas Benefactores (qui prædiis bonisque Monasteria locupletarunt) vel anniversariorum suorum, vel statis & designatis aliis diebus, præsertim Festis solennioribus, à Monachis fieri præceperunt, quò & beneficiorum & rerum concessarum memoria Monachorum animis altiùs hæreret. Qui quidem ritus jam à Stephano Eddio memoratur, qui vixit A. C. 700. Sed & quamvis extraordinariam refectionem, maximè illam, quæ fiebat extra prandium & cœnam, in Monasteriis, sic dici solitam, discimus ex Udalrico *Consuetud. Cluniac. lib.1. cap.13.* Quam propinare, propriè Conversorum ac Juvenum esse, docet Bernardus Mon. in *Consuetud.* ejusdem Abbatiæ *MSS.* apud du Fresne in *Glossar.* Etiam mensura vini, quæ in istiusmodi refectionibus extraordinariis Monacho præbebatur, sic appellata, occurrit in *Histor.* Abbendonensis Cœnobii in Anglia, *Monastic. Anglic. Tom.I. pag.104.* Et quia ad ejusmodi *caritates* ac extraordinarios pastus, destinati erant reditus prædiorum quorundam, Monachus, cui harum subministrandarum incumbebat cura (*Magister Caritatum* dictus) eorundem etiam redituum ipsorumque prædiorum administrator erat: Quod munus in plerisque Monasteriis Cellerario tribuitur. *Monastic. Anglic. Tom.I. pag.137. 149.* &c. V. Carolum du Fresne in *Glossar.* Sic *Caritatum* Magister, Gallis *Maistre de charitez*, dicitur in Regni hujus Monasterio San-Dionysiano Monachus, qui epulis prædiisque, de quibus dictum, præfectus est. V. quoque infrà *Charitas*.

Carmania, adde: Multarum insuper gemmarum mater est, ut in qua Astrios, Asterios, Callaica, Ceraunium candidum, aliæque plurimæ reperiuntur; Onyx inprimis, quem proin *lapidem Carmaniæ* Plinius vocat, ubi de onychis gemmæ nomine loquitur, *Hoc in gemmam transiit ex lapide Carmaniæ.* Idem in eadem regione probatissimum Alabastritem inveniri, scribit alibi. Unde

aliquot locis, apud Solinum & Marcianum Capellam, ubi de gemmis, pro *Germania*, *Carmaniam* reponit Salmasius: illas enim in Germania perraras esse, notum. Porro parebat ea, unà cum Persidis prov. Susiane ac reliquis in ora maris Indici, Regi Persarum, etiam tum cùm Parthi imperabant: quæ causa, quòd inter duodeviginti Parthorum Regna, provinciæ hæ non recenseantur Isidoro *in libello* Παρθικῶν Σταθμῶν, *Parthicarum Mansionum*, &c. V. præfatum Salmasium *ad Solinum pag.* 240. 559. 1190. 1197. *alibique*.

Carmen, pro incantatione, apud Justinianum §.5. *Instit. de Public. Jud.* Virgilius,

Hæc se carminibus promittit solvere mentes.

Unde *Carmina dira*, in *l. 7. Cod. Theod. de Paganis*; Vindicianus Med.

Gramine seu malis ægro præstare medelam,
Carmine seu potiùs, namque est res certa saluti,
Carmen, *ab occultis tribuens miracula rebus.*

Cujusmodi *Carmina diabolica*, quæ super mortuos nocturnis horis vulgus cantare solebat, vetantur, in Ratherii Veron. Episc. *Epistola Synod. ad Presbyteros*, & apud Reginonem *cap.* 71. &c. Serpentibus inprimis adhibita, quos ideo magis moveri hominum carminibus Augustinus judicat *ad Genes.* quàm ullum illud genus animantum, ut hoc esset argumento, primum hominem à Satana fuisse per serpentem in Paradiso seductum. *Carmina* istiusmodi לחשים, id est, *susurros*, aut *mussitationes* Hebræi vocant; quia cantus suos Magi intra labia demurmurare solent, V. Psalmum 58. *vers.* 5. 6. Et quidem cantu hoc credebantur serpentes, primò è cavernis elici atque evocari, Plin. *lib.* 8. *cap.* 16. & Ælianus *lib.* 6. *cap.* 33. Hinc Seneca in *Medea*,

—— — *tracta Magicis cantibus*
Squamea latebris turba desertis adest.

Dein fugari. Lucanus *lib.* 9. *versu* 913.

Primùm quas valli spatium comprendit arenas,
Expurgat cantu, verbisque fugantibus angues.

Porro sisti, deliniri & stupefieri. Virgilius ubi suprà,

Vipereo generi, & graviter spirantibus hydris,
Spargere qui somnos cantuque manuque solebat,
Mulcebatque iras & morsus arte levabat.

Insuper, expurgari ab omni veneno, ne noceant. Alcimus *de Peccato Orig. lib.* 2.

Concutit interea secreti carminis arma &c.
Mox impunè manu coluber tractatur inermi:
Et morsus tantùm, non virus in angue, timetur.

Sed & putabatur virtus *carminis* eos sanare, quos morsu læsit aut tactu serpens: quo nomine apud Strabonem Indos commendat Nearchus. Lucanus *lib.* 9. *versu* 933.

—— —— *Pestis nigris infecta medullis*
Excantata perit.

Præcipuè verò, Mago cantante, angues rumpi dicebantur & crepare medii. Virgilius *Eclog.* 8.

Frigidus in pratis cantando rumpitur anguis.

Ovidius *Amorum lib.* 2. *Eleg.* 1.

Carmine *dissiliunt*, *abruptis faucibus*, *angues*, &c.

Verùm non in omnes serpentes eadem *Carminum* vis: namque hi duobus modis incantationi crediti sunt obluctari, nempe, cùm vel *recanerent*, i. contrario sibilo incantationem repellerent ac retorquerent, Plin. *lib.* 28. *cap.* 32. vel cùm *ad carmen obsurdescerent*, h. e. cùm cantu nihilo magis afficerentur, quàm si vel surdi essent, vel auribus obrusis. Atque tum non eluctari solùm serpentes, sed & Magis periculum creare, dicebantur. Alcimus ubi suprà,

Interdum perit incantans, si callida surdus
Adjuratoris contempsit murmura serpens.

Sive totam vim incantationis, justo Dei judicio, in perniciem Auctoris cedere; sive serpentem lethale Mago venenum infundere, dicamus. Nempe tota vis *Carminis* istiusmodi pendet à dæmone paredro, cui nonnunquam Deus permittit, ut serpentes compescat; aliquando minimè: quo fit, ut Magi serpentum morsibus non rarò æquè perimantur atque alii; & tum angues *ad cantum obsurdescere*, vel etiam *recanere* dicti sunt. V. Sam. Bochartum *Hierozoici Part. prior. lib. III. cap.* 6. & suprà, ubi de *Asside*, item in voce *Canere*.

Carmen Rogationis, apud Livium *lib.* 3. *cap.* 64. *Recitabatque* (Duilius) *rogationis Carmen, in quo, Si Tribunos plebei decem rogabo, si quos minùs hodie decem Tribunos plebei feceritis: hi tum uti quos sibi collegas cooptassint, ut illi legitimi eadem lege Tribuni plebei sint, ut illi quos hodie Tribunos plebei feceritis.* Rogationis viz. de decem Tribunis latæ, tentatum variè & vetustis Editoribus & Rhenano, Sigonio, Schotto. Locum sic legit Gronovius: *Si Tribunos plebei decem rogabo, si qui vos minùs hodie decem Tribunos feceritis, hi tum, uti quos suos Collegas adoptassint, ut illi legitimi*, &c. Ubi *si qui*, est *si quâ ratione*, *si quo numero*: construendumque, *si qui Tribunos plebei feceritis minùs decem*, i. τὶς Νεφ, V. eum *Not. ad h. l.* Apud eundem Livium, *Carmen detestationis* occurrit *lib.* 10. *cap.* 38. *Carmen cruciatus*, apud Ciceronem. *I lictor, colliga manus, caput obnubito*, &c. Ubi *Carmen* significat sententiam seu formulam, conceptis verbis constantem. Imò sonus quilibet modulatus, *Carmen* dictus est. Virgilius,

Stridenti miserum stipulâ disperdere carmen.

Statius *Thebaidos lib.* 11. *versu* 56.

Jam gelida ora tacent, Carmen *tuba sola peregit*, &c.

V. Casp. Barthium *Animadversion. ad h. l.* & plura infrà in voce *Carmina*.

Carmentalis Flamen dictus est, qui Carmentæ sacra curabat. Ejus Cicero *in Bruto* sic meminit: *M. Popillius, cùm Consul esset, eodemque tempore sacrificium publicum cum læna faceret, quòd erat Flamen Carmentalis, plebis contra Patres concitatione & seditione nuntiatâ, ut erat læna amictus, ita venit in concitationem, seditionemque, quam tum auctoritate, tum oratione sedavit.* Erat hic Flamen ex minoribus & plebejis: Lænas enim is, cujus Cicero meminit, ex plebe Consul electus est.

Carmina, apud Dionysium Catonem,

Si Deus est animus, nobis ut Carmina *dicunt*:

dicta sunt Philosophorum, brevia illa, quibus sententias suas de Deo, de Moribus, de Virtute includebant, Ἔπη Græcis & ᾀδόμενα appellata. Unde Thaletis, aliorumque Philosophorum fere omnium, Ἔπη à Laërtio citantur. Inter quæ ᾀδόμενα illud Thaletis extat,

Οὔτι τὰ πολλὰ ἔπη φρονίμην ἀπεφήνατο δόξαν.

Et Chilonis,

Ἐν λιθίναις ἀκόναις χρυσὸς ἐξετάζεται.

Hodieque ᾀδόμενα sive Ἔπη habemus in libello illo, qui à moribus nunc *Cato* inscribitur. Primò enim in ᾀδομένοις, de Deo agebatur, quod & sequutus est ille: qui, ut propositi sui rationem occultè redderet, citat continuò τὰ ᾀδόμενα, additque. *Nobis ut Carmina dicunt*, i. ὥσπερ ἐν τοῖς ᾀδομένοις τῶν φιλοσόφων τοῖς παισὶ λέγεται. Atque hæc causa est, quare breves sententias præmittat: ut *Aleam fuge*, & similia. In prioribus enim illis filium suum instruit, sicut in Hypothecis Hesiodi alumnum suum Chiron. Ratio nominis quòd hæc antiquissimorum Poëtarum provincia esset, ad Philosophos postmodum delata. *Carminibus* enim Græci antiquissimi Sapientiæ præcepta tradiderunt, iisque non minimam sibi apud rude vulgus conciliarunt auctoritatem, velut Numine afflati, & nil mortale sonantes. Unde iidem tum Poëtæ, Theologi, Sacerdotes, & adeò celebre illud Ἀοιδοί, de quibus peculiarem librum scripsit Nic. Heinsius, nomen. Delectabant simul illa, & facilius memoriæ infigebantur. Quâ ratione Lucretius carmine Philosophiam secomplexum esse canit:

Ac veluti pueris absinthia tetra medentes,
Cùm dare conantur, priùs oras pocula circum
Aspirant mellis dulci flavoque liquore.

Idem de Germanis Tacitus refert: *Celebrant carminibus antiquis, quod unum apud illos memoriæ ac Annalium genus est, Thuisconem Deum.* De Gallis Cæsar *lib.* 6. *Nihil discipulos suos mandare literis permittebant, ne confisi commentariis remitterent in perdiscendo diligentiam.* Itaque illi totam Philosophiam inclusam versibus Discipulis sic imbibendam proposuere. Unde passim in triviis istiusmodi *Carmina* cantari cœpta sunt, hocque modo factum, ut Musica ipsa paulatim exculta Sapientiæ accenseretur, quam ideo etiam Socrates jam senior sibi addiscendam putavit. *Imò veri*, inquit Quintilianus *lib.* 1. *cap.* 16. *claros nomine sapientiæ viros, nemo dubitaverit studiosos Musices fuisse, cùm Pythagoras atque eum secuti acceptam sine dubio antiquitus opinionem vulgaverint, mundum ipsum ejus ratione esse compositum, quam postea sit lyra imitata.* Et notum illud, *Themistocles in cœna cùm recusasset lyram, habitus est indoctior*, &c. Quod autem Græci carminibus, id Ægyptii aliique Historiis consequuti sunt. Hinc Eusebius *de præpar. Evang. lib.* 2. *Mosen, ait, qui primus cujusque hominis vetustissimi vitas descripsit, civilem atque in actione positum vivendi modum narratione historica docuisse.* Sed & idem *Carminibus* docuisse, legitur in Pentateucho passim. Similis eorum fuit conatus, qui aut narrationibus fabulosis, aut Comœdiis Tragœdiisque, quid in cottidiana vita usu veniret, demonstrabant: Quales Æsopus, Σπουδαιολόγων Auctores, Comici, Tragici Poëtæ, &c. V. Georgium Hornium *Historiæ Philosophicæ lib.* 7. *cap.* 7. Cantabant nempe inprimis τὰ πρὸς ζωὴν χρήσιμα, *quæ ad vitam sanctè instituendam facerent*. Poëtæ, etiam priusquam apud Siculos extaret Tragœdia; postmodum Comici & Tragici, idem munus primò obiere, Διδάσκαλοι hinc appellati, ut appareat ex *Epitaphio* Epicharmi, Comœdiæ apud Dores inventoris; Tandem Philosophi & præsertim septem illi Græciæ Sapientes, neglectâ ut plurimùm (non semper tamen) τῇ Μελοποιΐᾳ, i. *Numeris* & similibus, sententias, in quibus de iisdem agebant, Ἔπη seu ᾀδόμενα, Latinè *Carmina* quoque dixerunt. Dan. Heinsius *in Opera & Dies Hesiodi cap.* 6. V. quoque suprà in voce *Cantor*.

Carminare Lanam. V. suprà *Carere*.

Carmine celebrari, idem prope habitum olim, quod honestè sepeliri. Papinius Statius *Lib* 3. *Sylv.* 3. *in Lachrymis Etrusci*,

Nostra quoque exemplo meriti tibi Carmina sanxit,
Hoc etiam gaudens cinerem donasse sepulchro.

Ubi *sancire* est, sub certa fide promittere, confirmareque. Unde Ausonius,

Bis

Hoc fatis & tumulis, fatis & telluris egenis,
Voce ciere animas funeris instar habet.
Gaudent compositi cineres sua nomina dici,
Frontibus hoc scriptis & monumenta jubent.
Ille etiam mæsti cui defuit urna sepulchri,
Nomine ter dicto penè sepultus erit.

Vid. Caspar. Barthium *Commentat. ad Claudiani Bellum Geticum* & *Papin. Statium d. l.* nec non hic passim.

Carminum Lectio, à solutæ orationis numeris, diversa. Ausonius *Eidyll.* 4.

Perlege, quodcunque est memorabile; prima monebo
Conditor Iliados, & amabilis Orsa Menandri
Evolvenda tibi.
—— —— —— tu flexu & acumine vocis,
Innumeros numeros doctis accentibus effer,
Affectusq; impone legens ——

Quas proin diserte distinguit Plinius Cæcilius *lib.* 5. *Epist.* 19. de Zosimo, Liberto suo: *Idem tam commodè Orationes & Historias & Carmina legit, ut hoc solum didicisse videatur.* Unde videmus, & *Orationes* & *Historias* & *Carmina*, alio tono alioque ingenio legi consuevisse: cujusmodi tamen lectio qualis fuerit, hodie ignoratur. V. infra in voce *Lector.*

Carnaria S. Laurentii, in Urbe Beneventana, locus fuit sub dio, muris septus, ad quem suspendio aliove supplicii genere peremti, & vilissima capita semihumanda comportabantur; Camillus Peregrinus *Castigat. ad Falconem Benev. A. C.* 1128. Itali *Carnaro* & *Carnajo* vocant.

Carnelevamen, in *Charta* apud Ughellum *Ital. Sacr. Tom. VII. pag.* 321. Bacchanalium dies est, Italis *Carnevale*, Gall. *Carnaval.* Quam vocem Scriptores Itali nonnullis dictam volunt, quasi *Carne*, seu *Caro vale*, sed id etymon Octav. Ferrarius minimè probat. Du Fresne sic dies istos, seu potiùs diem Martis, qui Quadragesimam antecedit, appellatum esse existimat, *Carn-à-val*, quod est, *Caro abscedit*, seu tempus carnes comedendi, Vid. eum in *Glossar.*

Carnifex, qui reos conficit & *carnem facit* ex vivente, quo de etymo V. Scaligerum *Poëtic. lib.* 3. *cap.* 86. indigitatur Papinio Statio *Thebaidos lib.* 3. *versu* 80.

Inde ultro Phlegyas & non cunctator iniqui
Labdacus (hos Regni ferrum penès) ire, manuq;
Proturbare parant. Sed jam nudaverat ensem
Magnanimus vates, & nunc trucis ora Tyranni,
Nunc ferrum aspectans, &c.

Hic enim homines intelliguntur qui jussu Regis interfecerint, quos ille voluerit: *hos Regni ferrum penès.* Consuetudine Romanâ quidem habuisse id munus Milites, aut quibus tandem injungeret Imperator, notarunt pridem Lipsius Aliique. Ex *Historia* tamen Martyrum clarum, ut & veteriore Romana, *Carnifices* fuisse, qui ferro aliisque instrumentis reos aut condemnatos conficerent, Caspar. Barthius *Animadversion ad Papinium d. l.* Quod hodieque obtinet apud plerasque Europæ gentes, Lithuanis exceptis, qui accusatoribus has partes demandant: sicut Hebræis olim factitatum. Nec approbant Jura consuetudinem qua tundam Rerumpublicarum, in quibus plebs lapidibus *Carnifices* obruit, si uno ictu rem non peregerint. Wendelinus *Doctr. Polit. lib.* 2. *cap.* 19. Aliter vox sumitur in *LL.* Burgorum Scotic. *cap.* 70. *De Carnificibus & carnibus vendendis*: ubi Lanius, qui *carnes* vendit ac *facit*, indigitatur. Apud Flor. item Wigorniensem & Hovedenum A. C. 1040. ubi *Thrond Carnifex* Regis Hardeknuti, inter primariæ dignitatis Aulicæ viros recensetur, & idem est Carolo du Fresne cum eo, quem Galli Magnum Cocum, *le grand Queus*, appellarunt. V. quæ dicta jam suo loco.

Carniola, adde: Hanc unà cum Carinthia, ab Ottocaro emptam, Austriis ab Ludovico Bav. Imperatore datam, memorant: aliis Alberto, à patre Rodolfo I. qui Ottocarum vitâ & ditionum magnâ parte exuit, quoque datam esse, asserentibus. V. suprà in *Carinthia.*

Carnisprivium seu *Carniprivium*, in Ecclesia Rom. dicitur tempus, quo *Carnibus privari* & ab iis abstinere homines incipiunt, ante jejunia Quadragesimæ. Gervasius Tilleber. M S. *de Otiis Imperial. part.* 3. *cap.* 102. *Initium Quadragesimæ, quod vulgò Carniprivium nominant.* Sed & peculiariter sic appellatur secunda Dominica Septuagesimæ, ut videre est apud Beletum *cap.* 65. Quam proin *Dominicam ante carnes tollendas*, vocat Missa Mosarabum. Græci *ἀπόκρεω* appellant, ut & hebdomadem, quæ Dominicam præcedit, quòd non ultra eam vescendis carnibus operam dent, sed unà cum ea iis edendis imponant finem, uti habet Allatius *de Dominic. & Hebdomadibus Græcorum c.* 10 V. quoque Dominic Macrum in *Hierolexico.* Maximè verò Clerici & Sacerdotes jejunium Quadragesimale, apud Latinos, auspicabantur ab hac Dominica: quæ propterea dicitur *Carniprivium & Privicarnium Sacerdotum*, sc. Dominica, quâ mos est Sacerdotibus caput Quadragesimalis Jejunii solenni esu carnium prævenire, ut est apud Wilhelm. Neubrigensem *lib.* 5. *cap.* 10. *&c.* Uti autem Mosarabes Dominicam, quæ Quadragesimam præcedit, *Ante carnes tollendas* vocabant, sic Hispani diem Martis, qui eandem antevertit, hodieque *Martes de carnes tollendas* dicunt, quem Chronicon Petri IV. Regis Aragon. *Dia de carnes toltes* appellat, apud Carol. du Fresne *Glossar.* apud quem in eadem Eccl. *Carnivora*, in *Actis* Murensis Monasterii dicitur dies, quo vorari & consumi, quod reliquum est *carnium*, consuevit. Gall. *Mardy gras.*

Carnovia, adde: cum tit. Ducatus, quem ex Piastea Silesiorum Principum gente postremus habuit Wenceslaus, cujus filia Barbara, Johanni è Teschinensi prosapia, & hoc à Polonis cæso, A. C. 1473. Georgio Baroni Schellenbergio nupta, cum sua è domo primùm ad Teschinenses, inde ad Schellenbergios transtulit. Unde fortè ortum, quòd Dynastiarum loco aliquibus habitus fuerit. Postea Schellenbergiorum supremi obitu, An. C. 1500 vacuefactum Vladislaus Bohemus Regno adjecit: à cujus filio Ludovico Georgius Pius Brandeburg. tulit Anno Ch. 1524. in præmium tutelæ fideliter gestæ & navatæ varia per officia operæ; quod à successore Ferdinando I. eâ conditione confirmatum est, ut feudi nomine eum haberet. Hujus in filio Georgio Friderico lineâ extinctâ A. C. 1603. Ducatum Joachimus Frider. Elector sortitus est, à vivo adhuc Patre in Johannem Georgium fil. translatum, qui partibus Palatinis & turbis Bohemicis immixtus, ideo à Ferdinando II. proscriptus est, & sine prole decessit Anno C. 1624. Datus pòst Ducatus cum quibusdam aliis Principi Liechtensteinio, ab Electore nequicquam hactenus repetitus est, centum millia thalerorum, quos eadem flagitanti Cæsar quondam obtulerat, generosè aspernante: qui interea retinuit titulum, retenti juris indicem jacturæque qualiscunque solatium. Tob. Pfannerus *de præc. Germaniæ Principum Gentib. cap.* 4. Vid. quoque in voce *Jegerndorffium.*

Caro, horrori Pythagoreis fuit: Unde *multi antiquorum tradiderunt, eos omnibus epulis per mortem paratis abstinuisse*, Quintil. *decl.* 13. Sed falsam hanc opinionem A. Gellius vocat *lib.* 4 *cap.* 11. docetque ex Aristoxeno, *porculis minusculis & hædis tenerioribus* quoque, Pythagoram non rarò usum esse. Plut. *lib.* 1. *de Homero* utramque sententiam sic conciliat, non omni, quadam tamen carne, Pythagoræos abstinuisse. Quæ utut sese habeant, tamen certum est Ægyptios, unde omnia ferè Pythagoras hausit, certos quosdam cibos, præcipuè *carnem & olera*, fuisse aversatos. Juvenalis *Sat.* 15.

—— Lanatis animalibus abstinet omnis
Mensa, nefas illic fœtum jugulare capellæ.

Aben Esra *Ægyptios ab omni carnium usu sibi temperasse*, contendit, quod falsum esse ex antiquis Auctoribus perspicuum est. Omnes enim quidem Ægyptii, Lycopolitanis aliisque nonnullis exceptis, *ovilla*, abstinuere, ut Satyricus modò innuit: à iarum tamen carnium esum admisere, ut de convivio Ptolomæi ac Cæsaris loquens testatur Lucanus *lib.* 10.

—— —— —— Multas volucresq; ferasq;
Ægypti posuere Deos.

Sacerdotes tamen & sacris dicati interdum inanimis contenti cibis, vino & *carnibus* abstinuerunt: quod, dum initiarentur, decem fiebat diebus, V. Apulej. *Milesiar. lib* 11. Ab iis ad alios deinde mos iste derivatus est. Nam & Brachmanes nihil *animatum* edebant, Euseb. *lib.* 6. *de præp.* Britanni *leporem, & gallinam & anserem* gustare grande credebant nefas, Cæs. *de bello Gall. lib.* 5. Essæni carnem nunquam attingebant, Hieron. Flaminibus Dialibus apud Rom. *capram & carnem incoctam, ut & hederam ac fabam, neq; tangere mos erat, neque nominare*, A. Gellius *lib.* 10. *cap* 15. ut alios præteream. Hunc itaque errorem tam inolitum, Christianis exempturus Spiritus S. per Apostolum, inquit, *Πᾶν τὸ ἐν μακέλλῳ πωλούμενον ἐσθίετε, μηδὲν ἀνακρίνοντες διὰ τὴν συνείδησιν*, *Quicquid in macello venditur, edite, nihil interrogantes propter conscientiam*, 1. *Cor. cap.* 10. *vers.* 25. Unde idem paulo infra exemplo suo alios præit, dicens: *Εἰ δὲ ἐγὼ χάριτι μετέχω, τί βλασφημοῦμαι ὑπὲρ οὗ ἐγὼ εὐχαριστῶ*; *Et si ego per gratiam* (cibum) *participo, cur* (ob id) *impius judicor, pro quo ego gratias ago? versu* 30. Quasi dicat, si ex beneficio Dei hoc vel illo cibo mihi uti licet, cur committam, ut meâ culpâ hoc Dei beneficium mihi vitio vertatur. V. Georg. Hornium *Histor Philos. lib.* 7. *cap.* 12. Cæterùm *Carnis* bubulæ ac porcinæ caritatem, ad miram vilitatem, ingeniose perduxit Alexander Severus, apud Lampridium: *Quum enim vilitatem P. R. ab eo peteret, interrogavit per Curionem, quam speciem caram putarent. Illi continuò — carnem bubulam atque porcinam tunc ille non quidem vilitatem proposuit, sed jussit ne quis suminatam occideret ne quis lactantem, ne quis vaccam, ne quis damalionem: tantumq; intra biennium vel prope annum porcinæ carnis fuit & bubulæ, ut, quum fuisset octominutalis libra, ad duos unumque utriusque carnis libra redigeretur.* Nempe, qui vilitati carnis bubulæ consultum volebant, illi nec vaccas, nec damaliones, comedebant; tauris autem & bobus & vitulis parcebant minimè. Hinc Alexander, quòd caro bubula cara esset, ne quis damalionem, ne quis vaccam occideret, jussit. Quâ eadem ratione motos in Ægypto & Palæstina, propter bonum caritatem, vaccas non comedisse, scribit Hieronymus. Fortè, nec damaliones quidem; eas enim vaccarum nomine, utpote minores vaccas, comprehendi, dubium non est. Contra est, cùm agriculturæ ratio habetur. Tunc enim damalionibus & vaccis passim vesci permissum, vitulis verò nequaquam. Ideo

què Valens Imp. cùm agriculturæ utilitati prospectum iret tantùm, non autem *carnis* vilitati, Legem emisit, *ne quis vitulos consumeret.* Ut autem in genere bubulo *vaccas* & *damaliones* occidi vetuit Alexander; sic in genere porcino *suminatas*, h. e. scrophas & *lactantes*, h. e. porculas. Ita enim vocem *lactare* tunc temporis Latini usurpatunt, pro *lactere*, atque etiam antiquiores. Ausonius,

Infans lactavit, pubes & virgo adolevit,
Nupsit, concepit, peperit, jam mater obivit, &c.

Salmasius *ad Lampridium.* Cœterum *Carnium* vilitatem Romæ fuisse magnam, & Plinius docet nos: qui assibus singulis carnis pondo 12. aliquando fuisse vendita, auctor est *lib.18 cap.3.* Ab eodem Severo, *Caro* populo addita, apud eundem Lampridium, *congiarium populo ter dedit, donativum militibus ter*: carnem *populo addidit*: porcinam, ut videtur, ex Zosimo *l.2.* Λευκανὸς τῶ χοιρείω κρέως ἐν χορηγὸς, ὃ τὸ δημόσιον ἐπιδίδω τῷ Ῥωμαίων δήμῳ. Sed porcinæ distribuendæ Auctorem Aurelianum facit Vopiscus, &c. Plura de *Carnis* esu, V. ubi de *Animalibus* passim.

Caro Humana, comesta ab amicis, ab inimicis. De Thracibus namque legimus, charissimos suos in propriis visceribus sepeliisse. Quod idem in India Occidentali faciunt populi quidam efferati, qui ipsi devorant suos mortuos, quos tamen plerunque trucidant, ne morte expirantes naturali minùs delicatas superstitibus epulas præbeant. Wendelinus *Doctr. Polit. lib. 2. cap. 21. thes. 2.* Contrà Tydeũ ἀνδροβορῶν indigitans Sextus Pyrrhonius *Hypotyp. lib. 3. cap. 24.* cum *cerebrum hostis* comedisse perhibet: Ἀλλὰ καὶ ἀνθρωπίνων γεύσασθαι σαρκῶν, παρ' ἡμῖν μὲν ἄθεσμον, παρ' ὅλοις δὲ βαρβάροις ἔθνεσιν ἀδιάφορόν ἐστι. Καὶ τί δεῖ τοὺς βαρβάρους λέγειν, εἴ γε καὶ ὁ Τυδεὺς τὸν ἐγκέφαλον τοῦ πολεμίου λέγεται φαγεῖν, *Sed & humanas gustare carnes, apud nos quidem impium, apud totas verò gentes barbaras, indifferens est. Imo quid dico de Barbaris, cùm & Tydeus hostis sui cerebrum depastus sit.* V. quoque Euripidem, & Dosiadem *Arâ secundâ*, cum *Commentariis* Salmasiii. At non rarò fame eò adacti homines alias à tanto facinore abhorrentes: ut ex Historia sacra, de obsidione Samariæ & Josepho, de obsidione Hierosolymæ, novimus. Bellisarii tempore in Liguria tantam fuisse famem, ut multæ matres proprios filios comederint, notatum est Guid. Fornerio *ad Cassiodor. lib. 12. Epist 27.* Certè homines comedere, inter diras res & legibus vetitas, ponit Aëtius Médicus *lib.2 cap.84.* Atque ut fœdum prodigium recenset Jul. Obsequens *cap.37.* Quod portentum *irâ Cereris obvenire* dicebant, ut videre est in Oraculo antiquo, quod recenset Pausanias *lib.8.* cujus hæc sententia:

Ipsa Ceres flavam segetem subtraxit, & ipsa
Fœcundam invidit miseris pastoribus herbam;
Præmiaq; eripiens & prisci commoda honoris,
Liba itidem donata Deis absumere adegit.
Coget ea & natos & mandere membra vicissim,
Ni festo populus placet libamine divam, &c.

Vid. Caspar. Barthium *Adversariorum Tom.3.lib.136.cap.1.* & *Animadversion. ad Papinium Statium Tom. 3. pag. 941.* ex antiquis verò Athenionem *in Encomio Coquorum*, apud Athenæum *lib.14 cap 13.* Quibus adde Homerum *Iliad.10.* ubi de Achille, Tacitum *Histor. lib.4.* ubi de Regulo, Guilielmum Brittonem *lib.7. vers.540.* ubi de fœtu recenti comesto, Procopium *Histor. Goth. lib.2.* Jac. Ciglerum *in Excidio Holmiæ pag.107.* Paul. Jovium *Elogiorum lib. 3.* Alios.

Caro Victimarum, in Holocaustis, tota igni absumebatur. Sic enim bos e.g. ad holocaustum mas & integer selectus, ad ostium Tabernaculi Conventus adducebatur, & ab offerente manus capiti ejus imponebantur. Tum Levita illum jugulabat: & postquam alius sanguinem vase exceptum Altari inspersérat, hostiam excoriatam idem Levita in frusta concidebat, quæ igni imposita à Sacerdote adolebantur, in holocaustum grati odoris Domino. Ita Legislator Levitici *cap.1. versu 3. &c.* Quo ritu se suaque omnia Deo debere profitebantur. In Sacrificiis verò Pacificis, absumebatur *adeps* solùm, *renes* & *lobus jecinoris*; Sacerdoti cedebant *pectus* & *dexter humerus*, Levitici *cap.7. versu 21, 22.* reliqua offerenti, quæ vel eodem die, vel postridie saltem comedenda, & quidquid in tertium diem supererat, igne erat absumendum, *eod. cap. versu 6,7,8.* In Sacrificio juvenci pro peccato (per errorem commisso) adeps, renes & lobus jecoris in Altari adolebantur: Corium verò, & tota *caro*, caput, pedes, exta & fimus, extra Castra comburebantur, V. Levitic. *cap 4.* In Sacrificio juvencæ rufæ, quam extra castra immolabat Sacerdos, illa tota cum ligno cedrino, hyssopo & cocco bis tincto comburebatur, ut ejus cineribus aquæ separationis immissis aspersi mundarentur, qui propter cadaveris contactum, aut alia de causa polluti erant, Numerorum *cap.19. versu 2. &c.* Quam in rem V. plura apud Sam. Bochartum *Hierozoici Part. prior. Lib. II. cap. 33.* Apud Gentiles, quorum nota cacozelia, usque ad Prometheum, *Caro Victimarum* tota consumebatur, unde ὁλοκαυτωμάτων crebra mentio, in Græcorum scriptis: primus Prometheus hunc sacrificandi morem introduxit, quo partem hostiæ in ignem conjicere soliti sunt, partem ad suum victum abuti. Unde Homerus de Eumæo sacrum faciente *Odyss. ξ. versu 429.*

Καὶ τὰ μὲν ἐν πυρὶ βάλλε, παλύνας ἀλφίτου ἀκτῇ,
Μίστυλλόν τ' ἄρα τ' ἄλλα, καὶ ἀμφ' ὀβελοῖσιν ἔπειραν.
Et partem quidem in ignem jecit, ubi commiscuisset farinæ flore:
Alia verò minutatim secuerunt & verubus confixerunt.

Et exta quidem priùs mandebant, quàm reliquam *carnem*, unde illud de Pinariis, qui in sacrificio Herculis, extis jam adesis, ad cœteram venerunt dapem: quapropter institutum, ut ii deinceps arcerentur extorum communione, & ad reliquam admitterentur visceratìonem, uti legimus apud Livium & Dionysium. V. Salmasium *ad Solinum pag.129.* & infrà in voce, *Prometheus*, item *Proficiæ*. Veteres verò Persas totum victimæ corpus, cum omni *carne*, absumere consuevisse, animâ, utpote digniore parte, Diis suis relictâ, legimus, &c.

Carolingi, nomen secundæ stirpis Franciæ Regum: Hujus enim conditor quamvis Pipinus esset cognom. *Parvus* seu *Brevis*, dynastia tamen hæc non ab illo, sed à Carolo M. filio ejus (sub quo Regnum florentissimum fuit) nomen accepit. Qua durante Italia, titulusque Imperatoris, jam ab Anno 475. desuetus, Francis accessit; plerique per Galliam, Belgium & Germaniam Principatus erecti: Britannia è Regno in Ducatum versa: XII. Pares & Parlamenta instituta sunt. Decrevit familia, divisione Regnorum, mutuis dissidiis & ignaviâ ultimorum Regum. Et quidem ex variis Regni divisionibus orta sunt Regnum Franciæ, Neustriæ, Lotharingiæ, Burgundiæ, Austrasiæ, Aquitaniæ, Germaniæ, Italiæ, Saxoniæ, Provinciæ; donec tandem hæc omnia sub Carolo III. cognom. *Crasso* iterum conjungerentur. Verum eo extincto divelli iterum ac dilacerari Monarchia in VI. partes cœpit: Arnulfo Germaniam ac Imperium; Berengario & Guidone Italiam; Rudolfo Burgundiam; Belgium itid. Rudolfo; Guidone Provinciam; Ottone Aquitaniam, occupantibus. A quo tempore *Carolingi*, quasi decursâ suâ periodo, marcescere & Germaniam primò ac Imperium, ad Francos ab illis translatum, amittere; mox Normannorum, aliarumque barbaratum gentium incursionibus vexari sicque sensim retro sublabi cœperunt: Hugone Capeto, ab iis ad tertiam, *Capetingorum* familiam, cujus ipse auctor fuit, Regnum tandem transferente; post obitum Ludovici VI. exclusâ, à successione, Caroli M. progenie & qui duo restabant, è *Carolinis*, Carolo Duce Lotharingiæ ac filio ejus Othone duplici prælio superatis. E quibus cùm orti sint hodierni Lotharingiæ Duces, veros Caroli M. successores & Regni Gallici legitimos hæredes, se hodieque ferunt, scriptis etiam aliquando libris jus suum tuiti, &c. Georg. Hornius *Orb. Imper.*

Imperatores & Principes varii.

Carolus Magnus, adde: Quantam is Rei Ecclesiasticæ curam gesserit, diximus supra in voce *Capitulare.* Libros ejus auro contrà caros *de Imaginibus sacris*, occasione Synodi Francofurtanæ ab ipso, contra Græcorum Synodum, in qua Imaginum adoratio stabilita, celebratæ scriptos, primus in Gallia sub nomine *Eli Phili* publicavit, seculi præteriti anno 49. Joh. Tilius Episc. Meldensis, additâ suâ præfatione; cujus authenticum exemplar, contra quorundam conatus, hunc fœtum *nothum* accusantium & exemplaria bonæ notæ in Gallia edita quà pote abolentium, in Bibliotheca sua asservare se refert Gerh von Mastricht, *Histor. Juris Eccles. num. 45.* Vid. Vincentium Placcium IC Hamburgensem in *Tract. de Scriptoribus Anonymis & Pseudonymis detectis, in Caroli M. Imperat. Scriptis pag.174.*

Carolus, minimus natu filius Wolfgangi Ducis Bipontini, fratres habuit Philippum Ludovicum, cui Neoburgicus Principatus & Johannem, cui Ducatus Bipontinus obtigere: ipse, cùm sustentatio ejus fratri Johanni & ita Principatui Bipontino assignata esset, postea An. C. 1586. Bircofeldiam ditionem obtinuit. Decessit maturè An. C.1600. à literarum & pietatis studio celebratus. Pater Georgii Wilhelmi, Friderici & Christiani: quorum primus ex Dorothea Solmensi suscepit *Carolum* Ottonem Ann. C. 1625. tertius è Magdalena Catharina Bipontina, præter Christianum, Johannem *Carolum* genuit An. C. 1638. ambos rei bellicæ gloriâ illustres.

Carolus, filius Jacobi Marchionis Badensis, mortui A. C. 1453. à fratre Bernardo, qui vitam monasticam est amplexus, administrationem traditam suscepit: à Friderico Palatino, cum quo ei bellum, cum fratre Georgio atque Ulrico Wirtenbergico victus captusque multa lytri nomine Palatinis relinquere coactus est: Obiit An. C. 1475. ex Catharina Austriaca pater Alberti, Friderici Episc. Ultrajectini & Christophori, qui Patris successor fuit, quo inter alios *Carolus* Canonicus natus est.

Carolus, filius Ernesti, qui Durlacensis lineæ conditor fuit, Anno C. 1556. in ditiones suas Religionem Evangel. publicè introduxit, mutuatus à vicinis Doctores, qui Ecclesias instruerent: sororium Albertum Brandeburgicum proscriptum recepit, contra Reformatos operam militarem Galliæ Regi præstans, prælio Montcontorio interfuit: Obiit Ann. C. 1577. Pater, ex secunda conjuge Anna Palatina Ernesti, Friderici, Jacobi & Georgii Friderici: qui fratribus superstes solusque tandem hæres, inter filios quoque *Carolum* habuit, qui in Galliam pro Germanis Principibus iturus, extinctus est Anno Chr. 1645. frater Friderici natu majoris,

joris, quo natus Fridericus A. C. 1616. & *Carolus* Magnus: quorum is Fridericum Magnum suscepit & *Carolum* Gustavum, jam Imperatoris militem; hic militare genus totâ fere vitâ Suecicis auspiciis sectatus, in clade Schlangii à Piccolomineo & Mercio in super. Palatinatu circumventi unà captus est A. C. 1641. In Polonico dein bello iterum stipendia fecit, ac ibi in prælio Warzoviensi, Regi, cui acceptissimus fuit, vitam servavit: Defunctus non multo post, A. C. 1658. relicto ex Maria Juliana Hohenloica filio *Carolo* Friderico, qui ad Pontificios transiens militari vitæ se addixit, in ipso ætatis flore extinctus A. C. 1677.

Carolus, filius Ferdinandi Archid. Austriæ (ex Philippina Welseria, eleganti ingenio & formâ, patriciâ Augustanâ, quam Ferdinandus clam Patre sibi sociaverat) successione paternâ exclusus, ægrè Burgoviam obtinuit, *Marchio Burgoviæ* insignitus Ab anno C. 1593. in bello Turcico Cæsari meruit, bienniòque pòst, demandatam à *Carolo* Mansfeldio exercitus curam, cum Johanne Mediceo suscepit. Cùm frater Andreas Cardin. ac Episc. Constantiensis Belgium regeret, eòdem descendit, & Sibyllam Clivensem duxit, sed sterili matrimonio. Idem quoque nomen fuit filio minimo natu Alberti Ducis Megapolitani, qui post Fratrem Christophorum Episcopus Razenburgius, & à nepote Johanne liberorum tutor relictus, Ducatum administravit, extinctus A. C. 1610. Item Duci Monsterbergico, genero Johannis Ducis Sagano - Glogovii ultimi. Fuit quoque *Carolus* Victor, filius Henrici jun. Ducis Brunsuicensis, lineæ Guelferbitanæ, patris in exilio primùm, dein captivitate socius, &c. V. Phil. Jac. Spenerum *Sylloge Geneal. Histor. passim.*

Carolus Cottus, vel *Toccus*, Siculus, Lotharii Capitula illustravit. V. infrà *Cottus*.

Carolus, seu potiùs *Carolinus Romanus*, species monetæ, apud Macrum in *Hierolex.* Item moneta Anglica, valens tredecim libras, solidos quindecim. Richel.

Carpæa, Græcè Καρπαία, saltatio, quam Ænianes & Magnetes armati solebant saltare. Argumentum tale: Quidam positis armis arat & serit, crebrò respectans metuentis modo. Supervenit latro, quo viso raptim resumtis armis pugnat, pro bobus, idque in numerum & ad tibiam. Latro aratore victo vinctoque boves abigit. Interdum latronem arator vincit. V. Xenophontem, ubi de convivio Seuthæ Thracis & Scaligerum *Poetices lib I. cap.* 18.

Carpasia, urbs Cypri, adde: Hinc *Carpasium linum*, quod igne non consumebatur de quo V. suprà in voce *Carbasa*.

Carpeja, portio cibaria Monachorum, à *Carpia* fortè, Gall. *Charpie*, seu linteolo minutissimè carminato & dissecto; quòd carnes minutatim instar *carpiæ* concidantur: Minutal. *Carpionare* enim Italis esse pisces aceto aliisque speciebus condire, observat Oct. Ferrarius in *Origin. Italicis*. Occurrit vox in *Chron.* Abbatiæ S. Trudonis *lib* 13. alibique, apud du Fresne. V. quoque Salmasium *ad Solinum pag.* 766.

Carpentum, vehiculi fuit genus, à junctis mulabus trahi solitum, quo Romæ olim Matronæ vehebantur: Id quale esset, indicant nummi veteres, signati nomine & imaginibus Juliæ & Agrippinæ Augustarum: Ita enim alter inscriptus est, SPQR, MEMORIÆ AGRIPPINÆ: alter hoc lemma habet, S.P.Q.R. JULIÆ AUGUST. At quia *Carpentum* ab his, velut etiam à Magistratibus, teste Fl. Vopisco *in Aureliano* & Pollione *in Claudio*, usu cœptum est. inde factum, ut Matronæ ad basternas se reciperent; de quibus dictum suprà. V. Laur. Pignorium, *Comm. de Servis*. Hinc *Carpentarius*, cognomen Militis cujusdam, apud Guil. Tyrium *de Bello sacr.* sic dicti, quòd multum fartum ex hostibus faceret, & lignarii fabri more, quà cædendo, quà obtruncando, quidquid in manus veniret, multum ferro uteretur. Apud Lampridium *in Alexandro Sev.* militis, qui artifex *Carpentarius* erat, mentio est: *Idem quum quandam aniculam affectam injuriis à milite audisset exauctoratum eum militiâ servum ei dedit, quòd artifex* carpentarius *esset, ut eam pasceret.* Ubi *Carpentarii* vox non ita strictè accipienda, ut de solo confectore atque artifice *carpentorum*, quæ ita propriè appellabantur, capiatur: nam *carpenta* tunc omnia vehicula vocabant. *Carpentum boum, carpentum mulare*, apud *Historiæ Aug.* Scriptores, in *vita Heliogabali*, & *Carpentum Judiciale*, apud Vopiscum. Sic etiam *carpenta camelorum* dicta de sagmis & clitellis camelorum; hinc *Carpentarius*, Gr. ἁμαξοπηγός, *l.* 1. *Cod. de excus. artif. Carpenta redarum Cod. Theodos. de cursu publ. l.* 30. Unde *Carpentarius* infrà pro *redario*, qui *carpenta redarum* fabricat & *Carpentarius Vehicularius*, qui *carpenta vehiculorum*: cujusmodi *Carpentarii* juxta Fabros lignarios, structores, ferrarios, inter Artifices, qui exercitum sequebantur & in singulis legionibus erant sub Præfecto fabrorum, nominat Vegetius. Hodie verò Gallis *Carpentarius* est, quem Vett. Fabrum lignarium vocarunt: cum contrà Vegetius *Carpentarios*, h. e. qui *carpenta*, id est, vehicula militaria, portandis militum impedimentis aut etiam militum ægrotis vehendis, conficiebant, à Fabris lignariis, apertè distinguat. Dictum autem *Carpentum* est, à *carpendis* & scindendis lignis, è quibus conficiebatur: erat-que antiquitus honoratiorum vehiculum (*carrum pompaticum* ab Isidoro dictum) honestissimumque post pilentum. Livius anno U. C. 359. *Honorem ob eam munificentiam ferunt matronis habitum; ut pilento ad sacra ludosque, carpentis festo profestoque uterentur:* de Magistratuum *carpentis*, crebro in *Codice*. Matronarum *carpentis* postea basternæ successisse videntur, uti diximus, quarum frequens apud Scriptores mentio. Ad hujusmodi autem vehicula non equi solùm aut mulæ, sed & boves jungi consuevere, uti ex Augustino *De Civ. Dei lib.* 22. *cap.* 8. docet Salmasius *ad Lampridium in Antonino Heliogabalo*. V. quoque Jac. Gothofredum *ad l. unic. Cod. Theodos. de Honorator. Vehic.* Carolus du Fresne, quem militem suprà diximus. ex Salmasio, *Carpentarii* cognomine fuisse insignitum, docet fuisse Wilhelmum Meledunensem Vicecomitem, qui primæ Francorum expeditioni Hierosolymitanæ interfuit, ex Guiberto *Gestorum Dei lib.* 4. *cap.* 7.

Carpesium, Græcè Καρπήσιον, aromatis genus apud Galenum, quod festucas ait esse tenues surculis summis cinnamomi similes, parique virtute facit præditum cum cinnamomo: *ἀλλ᾽ ἀπομάχου καρπησίου.* Item, *ἀλλ᾽ ἀπομάχου ...* Hodie quid sit, ignoratur. Salmasius *ad Solinum pag.* 1306. & 1307. ubi non esse cubebam, quod quibusdam visum est, pluribus docet.

Carpetta, vulgò *Carpette*, muliebres tunicæ vocantur hodieque Venetiis, quas *Chiridotas Dalmatarum* vocat Capitolinus. Καρπωτοὶ Gr. ut aliis notatum, quod καρποὺς manus obvelabant. Oct. Ferrarius *de re Vestiar. lib* 3. *cap.* 9.

Carpi, adde: Quæ gens cùm post Marci Imp. tempora diu quietem tenuisset, sub Maximo & Balbino, iterum Romano Imperio cœpit esse molesta, quem motum Zosimus narrat, in Philippi rebus. Et descriptus est viris doctis hujusmodi nummus, IMP. PHILIPPUS. AUG. VICTORIA. CARDICA. scribe CARPICA. Postea Aurelianus eosdem vicit, & ex parte in Romanum solum transtulit, exemplum postea ejus sequente Diocletiano, apud Aur. Victorem, sed *Carpici* cognomen, à Senatu sibi delatum, accipere renuit, uti legimus apud Vopiscum in *Vita* ejus: *Pacato Oriente in Europam Aurelianus rediit victor, atque illic* Carporum *copias afflixit: & quum illum* Carpicum *Senatus absentem vocasset, mandasse illico fertur, Superest P.C. ut me etiam* Carp sculum *vocetis. Carpisculum enim genus calceamenti esse satis notum est: quod cognomen deforme videbatur: quum & Gothicus & Sarmaticus & Armeniacus & Parthicus & Adiabenicus diceretur.* Fuit nempe *carpus* & *carpisculus*, calceoli species, multifariam scissi ac cæsi, unde ei nomen; Græci σχιστὰ vocant & ... A cujus similitudine *carpisculi* Architectorum appellati sunt, quorum meminit vetus Inscr.

TEGULAS ÆNEAS AURATAS
CUM CARPISCULIS ET
VESTITURIS BASIUM.

V. Casaubonum & Salmasium *ad Vopiscum*, Gallorum *Escarpins* ab hac barbarica calcei specie, nominatos esse, vero dissimile non est, du Fresne in *Glossar.*

Carpicus, cognomen Aureliano à Senatu oblatum, sed non admissum, V. hic supra.

Carpinus, Græcè Ζυγία, ex aceris generibus, memoratur Plinio *lib.* 16. *cap* 15. *Tertium genus Zygiam, rubentem fissili ligno, cortice livido & scabro. Hoc alii generis proprii esse malunt, & Latinè* carpinum *appellant.* Theophrastus habet, *fissili ligno platani modo, cortice paulo asperiore quàm tiliæ, sublivido, crasso*: hancque arborem inter eas recenset, quæ in Macedonia montanæ tantùm, & ad lautiora opera expetitæ. Ad nuptiales faces Romanis adhibitam, idem Plinius habet *lib.* 16. *cap.* 18. *Spina nuptiarum facibus auspicatissima - Nunc facibus* carpinus *& corylus familiarissimæ.* V. Salmasium *ad Solinum pag* 506.

Carpio, nomen illustris in Hispania familiæ. Beatrix enim filia Ludovici Mendezii *de Sotomayor*, *Dn. del Carpio*, ex Didaco I. Lopezio *de Haro Dn. de Sorbas*, genuit Didacum II. Lopezium *de Haro & Sotomayor*, patrem ex Antonia *de Guzman*, Didaci III. Lopezii *de Haro & Sotomayor*: quo, & Mariâ Guzmanâ, natus Ludovicus *Mendez de Haro & Sotomayor*, ex Beatrice *de Haro & Sotomayor* March. *del Carpio*, suscepit Didacum IV. Lopezium; cujus fil. Ludovicus *Mendez de Haro Sotomayor*, *Guzman de la Paz*, March. & dein Dux *de Carpio*, Comes Dux Olivarius, celebris fuit ille *Eighuowrade* & primus Minister status in Regno Hispaniæ, cui Philippus IV. ob pacem feliciter confectam, cognomentum *della Paz* ad posteros transmittendum concessit. Huic ex Catharina Fernandez *de Cordona d'Aragon*, filius genitus est Caspar *de Haro, Guzman, Aragon de la Paz*, Dux *de Carpio M. de Liche*, Comes Dux *d'Olivarez & S. Lucar*: cui uxor obtigit Antonia *de la Cerda de Medina Celi*, filia Joh. Ludovici Ducis *de Medina Celi*. V. Phil. Jac. Spenerum *Theatr. Nobilit. Europ. tom.* 3 *pag.* 79.

Carptor, item *Carpus*, dicebatur à Romanis famulus, qui convivis ex arte cibos dividebat; à *carpendo*. Unde apud Petronium *in Satyr. Vides illum, qui obsonium carpit, Carpus vocatur.* Et vetus Scholiastes Juvenalis *Sat.* 9. *versu* 10

Finxerunt pariter librarius, archimagiri,
Carptores.

Carptores, interpretatur, *infectores, qui illata carpunt.* Seneca *Magistrum obsonii* appellat, cum ait *libr. de vita beata cap.* 17. *Quare cur*

ars est apud te ministrare, nec temerè, & ut libet, collocatur argumentum, sed peritè servitur, & est aliquis scindendi obsonii Magister. Apulejus *Diribitorem* vocat *Milesiar. lib. 2.* Veteri Scholiasti Juvenalis *Sat. 5. versu* 121. dicitur *Chironomanta, manus ducens & artificio incidens omnia.* Ipse Poëta,

> *Structorem interea, ne qua indignatio desit,*
> *Saltantem spectes & Chironomanta volanti*
> *Cultello, donec peragat dictata Magistri*
> *Omnia, nec minimo sanè discrimine refert,*
> *Quo gestu lepores & quo gallina secetur.*

A' scenica consuetudine deducto vocabulo: Nam & Græcis dicuntur Χειρονόμοι, quasi *manibus omnia effingentes.* Iidem *Structores* dicebantur, à mensâ adornanda, Græcis τραπεζοποιοί: *Scissores*, à scindendo: de quo suprà Seneca, & iterum *Epistolâ* 47. *Cùm ad cœnandum discubuimus, alius sputa detergit, alius reliquias temulentorum subditus colligit, alius pretiosas aves scindit, pectus & clunes, certis ductibus circumferens eruditam manum, in frusta excutit,* &c. Carpebatur autem cibus ad Musicos concentus, quippe quoties nova fercula inferebantur; toties Hydraulica sonabant instrumenta, ut Lipsius notat *Saturnal. lib 2. cap. 2.* Unde apud Petronium, in convivio Trimalcionis, *processit statim scissor, & ad symphoniam ita gesticulatus laceravit obsonium, ut putares Darium hydraule cantante pugnare.* Partes dein hoc modo dissectæ distribuebantur sorte, postquam pars prima carnium, *Mercurii sors* dicta, huic Deastro seposita erat, &c. Plura V. apud Thom. Dempsterum *lib. 5. Antiqq. Rom. Joh. Rosini, paralipomen. ad cap. 29.*

Carpus, Græcè Καρπὸς, malè cum brachio confunditur Plinio, ubi de papyro loquens, ejus radici *brachialem crassitudinem* tribuit; cùm Theophrastus, è quo ista sumsit, ejus crassitudinem saltem esse dicat, ut est καρπὸς hominis robusti. Aliud enim καρπὸς, aliud brachium: alia crassitudo brachii, qua parte cubito committitur, alia quâ manui jungitur; καρπὸν hanc propriè dicunt, *primam partem palmæ* Celsus vocat. V. Salmasium *ad Solinum pag.* 536. de ornamentis autem hujus partis humani corporis, suprà in voce *Armilla.*

Carracenses, Hæretici, memorati in *Constitut.* Friderici I. de Hæret. à *Carrazo*, Lombardiæ oppido, ut videtur, nomen habuere, du Fresne *Glossar.*

Carræ, Mesopotamiæ urbs à Latinis dicitur, quæ aliàs *Charan*, Lucanus *lib.* 1.

> *Assyrias Latio maculavit sanguine Carras.*

Carrago, apud Trebellium Pollionem in *Gallienis*, *Quo comperto Scythæ, factâ* carragine, *per montem Gessacem fugere sunt conati*: apud Græcorum Tacticos καραγὸς, quid sit, ex Procopio discere est, qui *facere carraginem lib.* 4. dixit τὰς ἁμάξας μετωπηδὸν στῆσαι, *frontes carrorum hosti objicere*; quod qua fine fieret, mox exponit suis verbis, ὅπως τὰ νῶτα ἐν τῷ ἀσφαλεῖ ἔχοντες θαρσοῦντες μᾶλλον, *ut à tergo tuti fidentiores essent.* Sic nempe Scythæ hi fugam meditantes *carraginem* fecere priùs, ut Romani persequi fugientes non possent. Similiter apud Zosimum iidem Scythæ περιβαλόντες τὰς ἁμάξας ὡς ἐπὶ Μακεδονίας ἐχώρουν. Alium *carraginis* usum, cùm in orbicularem figuram collatis farracis exercitus undique cingebantur, V. apud Ammianum *libro* 31. Apud Vopiscum hinc in *Aureliano* vox pro ipsis castris accipitur. *Tuum est — quærere, ubi* carrago *sit hostium*, &c. Casaubonus *ad loca cit.* V. quoque infrà *Carrus.*

Carreni, incolæ *Carrarum*, dedunt se Odenato, apud Trebellium Pollion. in *Gallienis.* V. in voce *Carrha.*

Carrocium, adde: Voce Italâ quasi *currum magnum* dicas, altioris currus formam exprimebat, superioribus seculis in castris maximè usitatum. In his enim, jam tintinnabulorum majorum in Christiana Templa usu recepto, Imperatores exercituum, quasi in civitate ambulatoria, curru utebantur, cum turricula campanaria è ligno, itidem ambulatoriâ, è qua tintinnabulum pendebat ingens. Positis itaque castris, prope Imperatoris tentorium *Carrocium* (sic enim is currus appellabatur, ut dictum) locabatur, princepsque signum militare mutum in suprema parte figebatur. Sole occidente & manè ante lucem, tintinnabulum miles aliquis pulsabat. Deum venerandi signum præbens: eodem, cùm bellicum canendum erat, milites ad arma vocabantur. Cùm in hostem progrediendum acieque confligendum esset, *Carrocium* in media acie cum signo prænotato, & tintinnabulo sistebant, & tanquam Imperatorem illud circumvallatum custodibus, ab hoste, magnâ curâ, ne caperetur, tuebantur; tantumque erat tuendi ac defendendi studium, tantus militum ardor, ut quem locum quisque vivens occupasset, cum amissâ anima corpore tegeret: Maximi enim dedecoris loco habebatur, *Carrocium* amisisse. Quamobrem Accursius in quodam *glossem.* scribit, *regulæ cuidam inhærendum, tanquam solent Bononienses Carrocio*; Bononiæ enim multos annos versatus fuerat: quæ verba postea apud Jurecons. in Prov. venerunt, ut videre est apud Alciatum, *de verborum signif.* V. Hier. Magium *de Tintinnab. cap.* 13. *ubi iconem quoque Carrocii cum tintinnabulo ac vexillo exhibet.* Plenius *Carrocium* describit Anton. Campus Cremonensis *in descr. Cremonæ*: *Anno Christi M. LXXXI. Cremonenses* Carrocium *instituerunt, quod quia ejus usum, unà cum libertate, gratiâ Berthæ Augustæ ab Henrico Imp. impetrassent, Bertam aut Bertacciolam dixerunt. Erat currus amplior his atque sublimior, quàm in communi usu: Invenere Longobardi, primique omnium, secundùm aliquos, Mediolanenses usurparunt. Ornabatur id à quibusdam panno rubro, ab aliis albo; à Cremonensibus verò mixtim rubro & albo, denique pro colore, quod cujusque civitatis insigne. Sed & seni boves, à quibus trahebatur, simili panno tecti. In medio autem erat antenna cum vexillo sive labaro, præter crucem rubram cætera albo, cujusmodi in supplicationibus hodieque nonnullis in locis gestantur: & ab eadem antenna dependebant funes, quos validi robustique juvenes manibus atinebant, inque ejus summo campana, appellata Nola. Nefas autem educere, nisi publico decreto, nec minùs mille quingentis ad custodiam ejus militibus strenuis & panopliâ ac bipennibus egregiè munitis: propè etiam Duces omnes ac militiæ præfecti, at ponè tibicines VIII. multique ad rem divinam Sacerdotes. Præcipua tamen currus hujus cura dabatur viro virtute & peritiâ rei militaris insigni, quoque loci ille stationem haberet, eo tum jus dici, tum consilium haberi de summa belli solebat. Eodem & sauciis receptus erat atque confugium, iisque qui vel pugnando aefessi, vel à multitudine hostium premerentur*: apud Fr. Suertium *Notis in Magium.* Addo, quod de Mediolanensibus ait Campus, confirmari à Sigonio *lib 8. ad A. C.* 1618. à Conrado II. Imp. auctorem seditionum in Italia exortarum, Heribertum Episc. Mediolan. qui *vexillo insolenti in stupendo curru erecto usus fuerat*, depositum ac exilio multatum fuisse, referente. V. quoque Villanium Florentinum *in Chron.* ubi Florentinorum *Carrocium* à Senensibus captum & *Martinozum* dictum fuisse, memoriæ prodidit. An & aliæ nationes, præter Italos, hujusmodi in castris uti soliti sint, sibi incompertum esse, ait Magius, ubi suprà. Imò non Italos solùm hujusmodi vexillis usos esse, docet du Fresne, qui auctorem eorum Heribertum prædictum Mediolanensium Archiep. qui circa A. C. 1124 vixit, statuere videtur, ex Corio in *Historia Mediolan. lib.* 1. Nam & Ottoni IV. Imp. tribuit *Carrocium* Guil. Britto *Philipp. lib.* 11. ubi illud describitur: & Regis Hungariæ *carrocium* pluribus exequitur Nicetas in *Manuele lib.* 5. *num* 3. ut & Cinnamus *lib.* 6. *cap.* 7. Saracenis pariter *carrocium* adscribit Turpinus in *Historia Caroli M. cap* 18. ut & Duci Lovaniensi Ægidius Mon. in *Alexandro Episc. Leod. cap* 24. ubi id *Standardum* vocat. Habent & sua hodieque Galli *Carrocia*, sed nomine hoc denotant currus pensiles, quibus vehuntur, olim *chariots branlans*, antequam id nomen vulgaretur, nunc *Carosses* dictos, &c. Uti vero nomina interdum peculiaria *Carrociis* indita fuisse, diximus, sic Parmenses *Crevacorem* seu *Biancandum* suum quondam appellasse, discimus ex Sansovino & Carrario, C. du Fresne *Gloss.* ubi *Carrocium* definit, *vexillum exercitus præcipuum, quod currui impositum, à quatuor boum jugis trahebatur, & magna cura in præliis à lecto milite servabatur; quippe quod casu insignis probri loco per ea tempora habebatur*, &c. Quod autem nolam seu campanulam, & figuram carrocii apud Antonium Campum expressam attinet, fuisse eam potiùs machinam, pro constituendo altari, ad celebrandum ante *Carrocium*, quàm ipsum carrocium, cùm Auctores complures campanæ in carrocio ipso nullam faciant mentionem, imò tibicines potiùs in eo collocent, quorum cantu milites convocati & excitati sint, judicat Car. Macer in *Hierolexico.*

Carruca, nomen vehiculi, quo Matronæ apud Romanos utebantur. *Carrucæ dormitoriæ*, à Burdonibus gestari solitæ, mentio fit, *l. 3. de aur. & arg. leg.* Paulinus quoque, describens comitatum S. Melaniæ, Neapoli Nolam proficiscentis, *Tota*, inquit, *hujus seculi pompa, quâ honorati & opulenti poterant, circumfusi Senatores prosequebantur.* Carrucis *nutantibus, phaleratis equis, auratis pilentis, & carpentis pluribus gemente Appia at fulgente.* Et *Carrucis* quidem ad luxus rationem utebantur argentatis: quas Senatoribus concessas, ab Alexandro Sev. ait Æl. Lampridius, *Carrucas Romæ & Rhedas Senatoribus omnibus, ut argentatas haberent, permisit: interesse Romanæ dignitatis putans, ut his tantæ Urbis Senatores veherentur*; Quod postea aliis etiam permissum. Vopiscus *in Aureliano*, *Dedit præterea potestatem, ut argentatas privati carrucas haberent: cùm antea ærata & eborata vehicula fuissent.* Sed jam olim argentatæ atque auratæ carrucæ in aliquo erant usu. De inauratis, Abdias *lib.* 3. *Denique Nicolaus quidam ex civium numero, exhibens carrucam deauratam, cum quatuor mulis candidis, totidemque equis, obtulit B. Apostolo, dicens*, &c. De aureis, Martialis *lib. 3. Epigr.* 62.

> *Aurea quòd fundi pretio* Carruca *paratur.*
> *Quod pluris mulæ est, quàm domus empta tibi.*

De argenteis, Plinius *lib* 34. *cap.* 1. *At nos carrucas ex argento cælare invenimus*, V. eundem pluribus *lib* 34. *cap.* 17. ut & [illegible] Curriculum bijuge fuisse, notat Schol. ad modò laudati Poëtæ *lib.* 12. *Epigr.* Apud Paulinum citatum *Epist.* 10. *ad Severum*, *Carrucæ nutantes*, eædem sunt Carolo du Fresne cum hodiernis carrucis, quos *Chariots branslans* Galli olim vocabant, seu currus suspensos. Idem opertum vehiculum carrucam fuisse observat ex *l. un. Cod. Theod. & Justin. de Honorator. vehiculis*, &c. In Carrucam argentatam Præfecti Urbis, Græcum hoc *Epigramma* extat.

tius lemma, εἰς τινα Φιλόσοφον γενόμενον Ὕπαρχον πόλεως ἐπὶ Βαλεντινιανοῦ καὶ Βάλεντος:

> Ἄντυγος ἀργυρέας ἐπιβήμενος ἐς πόθον ἦλθες
> Ἄντυγος ἀργυρέας, αἶσχος ἀπειρέσιον.
> *In quendam Philosophum, Præfectum Urbis sub Valentiniano & Valente.*
> *Curru cælesti insidens, desiderio ardere cæpisti*
> *Currus argentati, vah probrum immensum!*

apud Salmasium *Not. ad Vopiscum in Aureliano.* Hinc *Carrucarii* dicti, qui istiusmodi vehiculum portabant *l. 13. prædicti*: Item *Muliones Carrucarii*, ut apud Capitolinum legimus in *Maximino juniore.* Indidem, apud recentioris ævi Scriptores, *Carrucagium*, nomen tributi, singulis aratris pro Regni negotiis imponi soliti: apud citerioris enim ætatis Scriptores *carruca* aratrum denotare cœpit. Primùm in Anglia auditum, occasione memoratâ in vet. *Scheda in Monastico Anglic. Tom. I. pag. 293. Ann. Dom. 1013. Suenus Rex Angliæ ab Ailwino Monacho admonitus est, ne à populo S. Edmundi — tributum exigeret: Sed Suenus eum non exaudivit. Nocte Purificationis S. Mariæ S. Edmundus Suenum — lanceâ suâ interfecit. Northfolcienses & Southfolcienses audito miraculo & nece Sueni Regis, dederunt S. Edmundo de qualibet carrucata terræ in toto Episcopatu 4. denarios annuos, quod usque modò ex de causa* Carrucagium *est appellatum.* Postea cùm tributum id obsolevisset, revocatum est a Ricardo R. *seu pro liberandis obsidibus, apud Imperatorem relictis, seu in sumtus belli cum Francorum Rege gerendi*, ut ait Guil. Neubrigensis, *lib. 5. cap. 1.* Sed & in Campania Gallica *Carrucagium* obtinuisse, docet ex *Computo.* Bladorum terræ Campaniæ A. C. 1348. Car. du Fresne in *Glossar.* ubi alias quoque vocis significationes exponit.

Carrus, inter impedimenta Gallorum, memoratur Jul. Cæsari *de Bello Gall. lib. 8. c. 14. num. 2 Complurimis diebus iisdem in castris consumtis, quum propiùs accessisse legiones — cognovissent; Duces Bellovacorum — noctu dimittunt eos, quos aut ætate, aut viribus inferiores aut inermes habebant unaq; reliqua impedimenta: quorum perturbatum & confusum dum explicant agmen (magna enim multitudo* carrorum *etiam expeditos sequi Gallos consuevit) oppressi luce*, &c. Et *de Bello Civ. lib. cap 51. num. 1. Venerant eò sagittarii ex Ruthenis, equites ex Gallia cum multis* carris, *magnisq; impedimentis, ut fert Gallica consuetudo* His vallorum instar usos Helvetios idem memorat *de Bello Gall. lib. 1. cap. 26. num. 3. Ad multam noctem etiam usque ad impedimenta pugnatum est: propterea quòd pro vallo* carros *objecerant & è loco superiore in nostros venientes tela conjiciebant & nonnulli inter carros rotasq; mataras ac tragulas subjiciebant, nostrosq; vulnerabant.* Quod Rhellicanus Germ. exponit *ein Wagenburg.* Vox Celtica est, & *currum* notat, unde Græcus Interpres ἅμαξα reddit; hodieque Germanis in usu. At *Carrum*, in vet. *Inquesta* apud Puricellum in *Monum.* Ambrosianæ Basilicæ *pag. 1166. Dant Lampades illas, quæ ponuntur in plaustro sive* carro, *quod est in Choro B. Mariæ.* Infrà, *Credo, quòd Archiepiscopus dat ipsas lampades & oleum, & Canonici S. Georgii accendant vel accendere faciant ipsas lampades & volvant & volvere faciant ipsum Carrum*: majoris candelabri in Templis suspensi species est, quòd *carri* seu currus imaginem refert, dicta.

Carsamatius, à voce Barbaro-Græca Καρζαμάτιος, Eunuchus est, penitus exsectus, cujusmodi spadonum genus gynæceum Turcarum Imp. tuetur. Vox apud Luithprandum occurrit *lib. 6. cap. 3. Obtuli mancipia quatuor* carsamatia *Imperatori, nominatis omnibus gratiosiora.* Carsamatium *autem Græci vocant amputatis virilibus & virgâ Eunuchum, quos Verdunenses mercatores, ob immensum lucrum, facere solent, & in Hispaniam ducere* Vid. Lipsium *Centur. 3. Epist. 44.* qui à *Garcio*, Gall. *Garçon*, quod juvenem notat imberbem, vocem effictam auguratur. Latè de iis disserit Joh. Baptista Tavernier, in *descript. Serralii.*

Carseoli, adde: Meminit deductæ hujus coloniæ Livius *lib. 10. cap. 4. Etruriam rebellare ab Aretinorum seditionibus motu orto nunciabatur: ubi Cilnium genus præpotens, divitiarum invidiâ pelli armis cœptum, simul Marsos agrum vi tueri; in quem Colonia* Carseoli *deducta erat, quatuor millibus hominum scriptis.* Et *cap 13. Eodem anno* Carseolos *colonia in agrum Æquicolarum deducta. Fulvius Consul de Samnitibus triumphavit.*

Cartanensis moneta apud Albertum Aq. *Histor. Hierosol. lib. 2. cap 35.* dicitur *Cartensis* Raimundo Agilæo *pag. 165.* apud du Fresne *Glossar.*

Carthada, vel *Carthado*, apud Solinum *cap. 27. Urbem istam* (Carthaginem) *Elissa mulier exstruxit domo Phœnix &* Carthadam *dixit, quod Phœnicum more exprimit civitatem novam*: idem cum *Carthago* est, nisi quod illud merè Phœnicium, hoc Punicum est, jam depravatum, Phœnicibus aliquantum temporis in Africa commorantibus. Hinc Siculi Καρχαδὼν, cœteri Græci Καρχηδὼν dixere. Salmasius *ad Solinum d. l.* V. in voce *Carthago.*

Carthago Nova, adde: Et quidem Carthaginiensis Hispaniæ Citer. hæc portio spartum tantum ferebat, nec hæc verò tota. Plinius lib. 19. *cap. 1. Ad quos omnes usus quæ sufficiant, minus triginta millia passuum in latitudinem à littore Carthaginis novæ, minusq; in longitudinem centum reperientur.* Ubi designat, quid in longitudine ac latitudine habuerit hæc regio σπαρτοφόρος. V. eundem Salmasium ubi suprà, *pag. 261.*

Carthusianæ Claves, eædem cum Clavibus ἀπαγουσταῖς Laconum vett. de quibus V. suo loco.

Cartobra, vicus Galliæ, in Suessionibus, in pago Tardanensi, *Chartreuve* vulgò. Ejus meminit Frodoardus *Histor. Rem. lib. 2.*

Carvanna seu *Caravanna*, vox Turcica, significans qualecunque hominum agmen, securitatis causâ in itinere (sacro inprimis, quod Meccham quotannis suscipitur) se conjungentium. Matth. Paris. *An. C. 1250. Omnem illam catervam, quam vulgares* Karravenam *appellant, sibi mancipavit.* Jac. de Vitriaco *lib. 1. cap. 99. Quòd ad exercitum Saladini maxima veniret Caravanna*, &c. Vid. Scaligerum *Exercitat. 209. 2.* Cùm *Carvannam* istiusmodi instruunt Mercatores, peregre profecturi, non camelos solum secum habent mercibus onustos, & certo ordine dispositos sed &, tentoria, sub quibus noctu degant: non enim ulla in urbe, quæ in itinere occurrunt, sed foris, pernoctant, donec ad locum, quo tendunt, perveniant. Interea quilibet loci præfectus, in quo itinerantes morantur, contra Arabum prædonum incursiones *Carvannam* tuetur & ulterius proficiscentem aliquousque deducit. Sed & caput habet mobilis istiusmodi Respublica, *Carvannæ Bassam* appellatum, qui magnam sæpe pecuniæ vim inde lucratur, utpote cùm certis legibus omnes *Carvani* (quo modo in Carvannam euntes appellat Arnoldus Lubecensis *lib. 5. cap. ult.*) teneantur, & à Præfecto suo ad victum necessaria sibi comparare adstringantur. uti pluribus docet Joh. Baptista Tavernier *Itiner. Turc.* quem vide. De *Carvanis* Militum Hierosolym. sic *Statuta* ejusdem Ordinis *tit. 19. de Verbo. signif. §. 29.* Carvana, *Syrorum & Arabum linguâ significat congregationem hominum, ut una aliquid negotii peragant, à Majoribus nostris usurpatum, in delectu fratrum habendo, cùm ad subsidia per arces & triremes distribuuntur, aut aliò per turmas mittuntur*, apud Car. du Fresne in *Glossar.*

Cary, Cary, vox Bononiensium seu Morinorum, quâ utuntur, ubi contra injusta vectigalia reclamant aut publicanos conviciis insectantur, quasi ad seditionem contra istiusmodi prædatores plebem excitaturi. *Caria* enim, injusta exactio est, in *Charta* Brientii II. D. Castelli Brientii apud Augustinum du Pas in *Stemmate Geneal. hujus Famil.* An à κάρυον, nux Græcis, deducta? Tradit quippe Servius *Eclog. 8.* in nuptiis *ideo spargi nuces, ut rapientibus pueris fiat strepitus, ne puellæ vox virginitatem deponentis possit audiri.* Quâ ratione *Carya* tumultum & seditionem significabit. Nota certè Gallis vox *Charivary*, quâ *ludus turpis & nocivus* innuitur, & describitur in Synodo Joannis Raguerii Episc. Trecensis, *per quem nuptiis potissimè secundis detrahitur non modicum — & efficitur cum horridis & blasphemis vociferationibus & obscæna loquacitate. sub turpi transfiguratione larvarum injuriosarum, contumeliosisq; clamoribus binarum nuptiarum*, &c. Vid. Car. du Fresne *Glossar.* in voce *Caria.*

Carya, apud Servium *ad Eclog. 8.* filia fuit Dionis Laconiæ R. & Iphitheæ, quæ à Libero amata, in monte Taygeto, in arborem sui nominis mutata fingitur, cùm arctius à sororibus suis custodiretur. Ita enim is, *Caryam verò, quam amaverat in eodem monte in arborem sui nominis vertit, quæ Latinè Nux dicitur: quod postea Diana ita factum Laconas docuit, unde templum Caryatidi Dianæ à Laconibus consecratum.* Aliam verò hujus consecrationis rationem refert vetus Interpres Statii: *Carya templum Dianæ in Laconia sacrum, quod etiam Caryatium nominatum est ex hac causa; quum luderent Virgines minitante ruina, omnis chorus in arborem nucis fugit & in ramo ejus pependit, quam nucem Græci Caryan vocant.* E qua antiquissima Græciæ fabula satis liquet, quàm antiqua res in Græcia fuerit *Nucis* arbor; quum tradat Suevus, ætate demum Alexandri M. in Græciam e Perside fuisse translatam. Qua de re V. Salmasium *ad Solinum pag. 603. & 604* Colebatur itaque eo loco (in vico sc. *Carya* haud procul Lacedemone) *Caryatidis* nomine Diana, ad quod templum & signum celeberrimum Virgines Lacænæ anniversarium faciebant sacrum & patrio ritu saltabant: hinc *Caryatides* dictæ, quarum simulachrum Diogenes fecit Atheniensis, e marmore, maximè olim habitum. Plinius *lib. 35. cap. 7. Agrippæ Pantheum decoravit Diogenes Atheniensis, &* Caryatides *in columnis templi ejus probantur inter pauca operum: sicut in fastigio posita signa sed propter altitudinem loci minùs celebrata.* In annulo vero suo, ἀποφθέγματος loco habuit Clearchus, Græcorum, qui Cyro militaverant, Dux, ut Plutarchus testatur *in Artaxerxe*, ubi postquam narrasset ipsum à Tissapherne circumventum & in vinculis ad Regem missum, cùm à Ctesia pectini copiam sibi fieri petiisset, oblectatum ejus usu esse: addit, *τὸ δακτύλιον αὐτῷ δοῦναι, σύμβολον φιλίας πρὸς τοὺς ἐν Λακεδαίμονι συγγενεῖς καὶ οἰκείους. Εἶναι δὲ γλυφὴν ἐν τῇ σφραγῖδι Καρυάτιδας ὀρχουμένας. annulum suum amicitiæ mutuæ ad necessarios & familiares Lacedæmone suos insigne ipsi dedisse. Insculptas autem in pala fuisse* Caryatidas *saltantes.* Ex eo festo Bucolici carminis originem arcessit Probus in *Vita* Virgilii, ut suprà vidimus: meminitque illius Papinius Statius *Thebaid. lib. 4. vers. 13.*

> *Hujus Apollineæ currum comitantur Amyclæ.*
> *Quos Pylos & dubiis Malea vitata carinis,*
> *Plaudentiq; habiles* Caryæ *resonare Dianæ.*

Ubi

Ubi *plaudentem* Dianam & resonare et doctos choros facit, quoniam gratissimæ illi idolo putabantur illæ saltantium & canentium Virginum ceremoniæ. At superstitionis sipario remoto, nil nisi *Lignum* eo loci pro Diana cultum esse, docet Arnobius *lib.6. Rideris temporibus priscis Persas coluisse fluvium, Memoralia ut indicant scripta: Informem Arabas lapidem: Acinacem Scythicas nationes, Ramum pro Cinxia Thespios, Lignum Caryis pro Diana Indolatum; Pessinuntios silicem pro Deûm matre*, &c. V. Scaligerum *ad Eusebium num.*229. & *Poetic. lib.*1. *cap.*4. Jo. Meursium *de Feriis Græciæ lib.*4. Jan. Parrhasium *ad Claudianum de Raptu Proserpinæ lib.*2. & *Epist. Quæst.* 55. Jac. Nic. Loënsem *Epiphyll. lib.*4. *cap.*3. Alios, laudatos Casp. Barthio *Animadversion. ad Statium Tom.II. pag.*9/8. At illis verò *Caryatidibus*, de quibus suprà, mansit terminus Architectorum, qui hodieque sic vocant figuras muliebres talari veste indutas, quibus columnarum vice, in structuris quibusdam, utuntur. Gall. *Cariatides*, Richelet.

Caryophylla, inter florum illustriores, quorum gratiæ cedat tulipanarum gloria, tum coloris varietate, tum odoris suavitate. Duo genera summa, *hortense* & *sylvestre*, per omnia, nisi molem spectes ex alimento, paria. Folia illis bina undiquaque ad eundem ramulum ex eodem pedunculo vel theca fere surgentia, allii foliis simillima, si longitudini detrahas. Candidorum folium semper pinguius, omnium caulis rectus, lævis, cubitalis, geniculatus, ex latere sobolem emittens. Ex apice prorumpunt tubera longiuscula, per extrema dentata, flore quaternûm, quinûm, senûm foliorum subsequente. Et quis recenseat colorum varietatem? videas lacte candidiores, sanguine frigido rubriores, tum autem extremis hisce colorum gradibus relictis, modò ex hoc, modò ex illo splendorem nancisci, umbram ferre: sunt varia; sunt guttæ tum in sanguinem, tum in lac sparsæ, parciùs, densiùs. Illud vix dabis, & cœruleum alicubi visum, & quæ dicas adulteria Naturæ, ubi ex eadem radice, ex eodem calamo, & diverso, alium atque alium spectes colorem. Visum certè est caryophyllum, quod ex eodem caliculo florem geminum multiplicis folii emiserat, quasi diametro ducti, ad discernendos geminos flores, utique propter colorum diversitatem; quos unicum & eundem, eadem matre natum, eodem nisu prolatum & oculus & sensuum virtus judicabat. Spectandum publicitus Victor fecit. Foliorum quædam simplicia, alia multiplicia; alia fissa; alia integra, pleraque serrata, nonnulla plumata per extrema. Centrum surrigit duas veluti clavas, ad latera, propter capita prægrandia inclinans, tametsi recto nitatur vertice flos tanti molis, tantilli calami. Odor omnibus hortensibus gratissimus, nullus sylvestribus: semen atrum, ceparum simile, per auctumnum colligitur in theca: propagantur tamen per traduces, ubi urnæ inseritur stolo terræ fœcundæ fartæ, ut radicibus actis amputetur. Docuit dies, thecam disrumpi, nisi colligas in collare; augeri autem molem thecæ & foliorum numerum latitudinemque, si resecetur soboles nimia. Solers natura Hortulani duum generum semina in calamum composuit, duum generum radices fissas maritavit, & varietatem, quam diximus, elicuit. Hodie magnificis insigniuntur nominibus & *Reginæ*, *Principis*, *Comitis* & *excellentiæ*, *pudicitiæ*, *honoris*, & *Hollandiæ*, *incomparabilis*, *tellissimæ* & quæ alia novarum rerum somniant studiosi, superbiunt. Auctor Anonymus *Sinæ & Eur. cap.*33. Ut de *Caryophyllo* aromate aliquid addam, est illud suavissimi odoris, nec minoris ad cibos condiendos usus, quod prope solæ Moluccæ ferunt. Unde illud Sinenses primò, mox Malaccenses, postea Persis mixti Arabes, ad Græcos Romanosque olim detulere; quod quia Ægypto transibat, auctum hinc Ptolomæis, & post illos Romanis vectigal. Labascante re Romana, Genuenses, & secuti hos Veneti, per Theodosiam petiere. Trapezuntem dein per Caspium mare invectum mercimonium, ab Impp. Græcis, qui sedem ibi ceperant, CPoli à Latinis occupatâ; at cum Turcæ ibi invaluissent, per dromadas ac camelos Aleppum ivit: sed Cairum qui tenuere Sultani, Rubro iterum mari & Alexandriæ tradidere. Lusitani dein, occupatis Moluccis *Cariophylli* dominos se reddidere, circa A. C. 1512. omni in Ægyptum itinere præcluso, quo pacto Sultanis, non minùs octuagies mille ducatis annuum periit. Et quamvis Castellani dubiam illis hanc possessionem reddidissent aliquandiu, Carolo tamen V. jus suum Johanni III. Lusitaniæ R. acceptâ ingenti pecuniæ summâ pignori tradente, ex eo Lusitani pro libitu illic agere, caryophyllumque omne Goam mittere cœpere. Donec cum Anglis primò circa A. C. 1579. postmodum cum Batavis res ipsis esse cœpit, circa A. C. 1599. qui posteriores Insulis illos & mercimonio adeò divite exuerunt. Præter Moluccas verò, etiam Amboina Insl. haud longè eandem fert frugem, itidem à Batavis possessa: uti latiùs diximus in voce *Moluccæ*. Sed & lignum *Caryophylli* ad odores faciebat: unde & ξυλοκαρυόφυλλον, in compositionibus odorum & unguentorum sæpe reperire est, ut in Myrepsico Thymiamate & aliis apud Aëtium, Salmasius *ad Solinum pag.*1055. Inter alias Orientis delitias, quibus epulum, quo Societas Indica Orientalis Amstelodami hoc seculo Mariam Mediceam, Galliæ Reginam, excepit, *Caryophyllorum* quoque meminit Barlæus, *Caryophyllorum acervi — altâ è patinis surgebant*, in *Medicæa sua*, &c.

Caryotæ, dicebantur olim palmarum majores, sicut minores *communes* & *dactyli*: nomen à nucali forma nactæ. Earum maximas sex digitos in longitudine efficere, scribit Diodorus, τῷ μὲν μήκει κατὰ τὸ μέγεθος ἐξ δακτύλων ὄντων: quo pacto quaterni juncti 24. digitos explent, h. e. pedem cum semipede. Inprimis verò sic dicebantur, quæ formam habebant nucis & multo succo abundabant. Nam, ut scribit Plinius post Theophrastum; *lib.*13. *cap.*17. *differunt figurâ rotunditatis aut proceritatis*. Qui soli Judææ quoque & Orienti, i. Babyloniæ & Persidi illas vindicat: *ab his caryotæ maximè celebrantur, & cibo quidem, sed & succo uberrimæ. Ex quibus præcipua vina Orienti, iniqua capiti, unde primò nomen. Sed ut copia ibi atque fertilitas, ita nobilitas in Judæa, nec in tota, sed Hierichunte maximè, quanquam laudatæ & Archelaide & Phaselide atque Liviade, gentis ejus convallibus.* Nempe majores erant Babylonicæ caryotæ, quarum clarissimæ, *Regiæ* dictæ, in horto Bagoi Eunuchi nascebantur: at meliores Judaicæ fuere, quæ proin *Caryotæ* absolutè appellatæ sunt, quæq; ut ob raritatem cariores essent, Judæi annonam earum incensuri, non ubivis nasci nec multas sinebant, quo de monopolio eorum V. Strabonem *lib.*17. ubi de papyro. Lusitani hodie *Caryossos* vel *Caryoces* vocant, non obscuris indiciis prisci nominis: cujusmodi fructus repererunt in Insulis Occidentalibus, ut in Insula D. Thomæ, formâ & magnitudine Citrii mali, quod *limonium* vulgò vocant, colore luteo. Quemadmodum Xenophon de *Caryotis* Babylonicis, colorem earum ab electro nihil differre, ait. De quibus proin aurei coloris palmulis, intelligenda fortè Galeni χρυσοβάλανος est, nostris Medicis ignorata. Sed & in Fortunatis Insl. inveniri, Plinius alicubi habet, &c. Hodie grandiores palmæ, h. e. *Caryotæ*, ad nos non importantur, sed minores tantum, quos *dactylos* vocabant: *caryotæ* tamen per errorem vulgò appellantur. Sed ne in Græciam quidem, Xenophontis temporibus, majores illas invehi consuevisse, docet is *in Expedit. Cyri*, ubi de palma Babyloniæ &c. V. Salmasium *ad Solinum pag.*1320 & 1321. ubi Indicam palmam, cujus fructum Lusitani *coccos* vocant, à palma Vera longè diversam esse, neque proin caryotas, neque dactylos, Indiam ferre, inter alia, pluribus ostendit.

Casa, Latinis tugurium & vestem, sicut Toga tectum & vestem itidem notat; ex Græco καυνὰκης vel γαυνάκη, *tapes* vel *amphitapes*. Hesychius, γαυνάκης, ἀμφιτάπης ἢ χλαῖνα. Et Arcadius Grammat. Καυνάκης τὸ χλανίδιον ... Pro chlamyde equestri etiam legitur, apud Xenophontem *Pæd. lib.*8. Pollux ἱμάτιον πιλωτὸν interpretatur, h. e. lacernam ex lanis coactis factam seu *vestem coactilem*. Unde *Casula* diminutiv. vestis cucullata apud infimæ Latinitatis Auctores. Sed & κάσος, pro veste Græcis, ut apud eundem Arcadium videre est: unde κολοκάσιον, *parvus* καυνὰκη, vel *parvus* κάσος, & inde elegantissimè Ægyptiis κολοκασία dicta est faba Ægyptia, quòd ejus folia instar essent τῶν κολοκασίων i. *parvorum tapetium*, vel *curtarum lacernarum*, ab amplitudine scilicet. Quâ eadem ratione folia fabæ ejusdem πῖλον vocat Theophrastus & pileis Thessalicis comparat: & Latini personatam appellavere *Mantifolium*, &c. Salmasius *ubi suprà pag.*965.

Casaca, vox Gall. *Casaque*, V. suprà *Caraca*.

Casa congedurus, vel *Casacongnidinus*, aut *Casacongudunensis Monasterium*, memoratum, in literis Sigeberti Regis, ab hoc in honorem App. Petri & Pauli, conditum ac ditatum, ad Sesmarum fluv. vulgò *le Semoy*, hodie fortè vicus est *Congnon* vel *Cugnon*, veteri cella Monachorum, seu Prioratu insignis; Hadr. Valesius in voce *Sesmarus*.

Casanum, adde: Ortum est hoc Regnum, unà cum Astracanensi, & Nagaiensi, ex Imperii Tartarorum Zavolhensis decrementis. Cùm enim Crimensibus Tartaris contra Zavolhenses rebellio successisset, aliæ quoque Hordæ deficere & quævis proprium sibi adsciscere Regem cœpere: inter quas *Casanenses*, qui latè satis dominati. Quippe sub hoc Regno *Mordvva*, *Keremissa*, *Nagorni*, *Logovi* & *Siberia*, comprehensa. Verùm id postea Basilius Magnus Russorum Dux sibi tributarium fecit, dato illis Rege Scheale, A. C. 1518. Cumque *Casanenses* ab eo ad Mendli-Kiraium Regem Precopensium defecissent, qui illis fratrem suum imposuit *Sap — Kiray*, A. C. 1521. Joh. Basilides Regnum recuperavit A. C. 1551. à quo tempore Russis subest, nuper tamen, unà cum Astracanensi, gravissimis motibus, à Duce quodam Russorum rebelli excitatis, agitatum. V. Georgium Hornium *Orb. Imp.* *ubi de Tartaris*.

Casati, Joachimo Vadiano *de Colleg. & Monaster. Germ. lib.*2. *pag.*60. & ex eo Goldasto *Not. ad Dosithæum lib.*3. *pag.*23. primùm dicti sunt libertini generis homines, qui conductum inhabitabant. Locantur enim, inquit, Vadianus, hodieque villæ & casæ certâ redituum aut census conditione, nec unâ locationis specie. Diversi autem erant ab illis servis, quos vulgus Alemannorum *Leibaigenleuth* vocat. At Carolo du Fresne *Casati*, non tam libertinæ, quàm servilis fuerunt conditionis, dictique videntur ... qui *intra casam*, h. e. in ruralibus possessionibus, serviebant ... in *Capitular.* Caroli M. *lib.*4. *cap.*73. & 80. quique certis ... addicti. Servorum namque alios *casatos*, alios *non casatos* ... docet is ex *Charta* Divisionis Imperii Caroli M. *Hist. Franc. Tom.II. cap.*6. *pag.*89. & *Divisione* Ludovici Pii *cap.*7. Nec aliud videntur *Casati*, in *Chartis Alamano*, apud eundem Goldastum

Casati

charta 19. 69. 87. &c. Iidem fortè cum *Casariis*, in *l.7. Cod. Theod. de Bonis proscrips.* ubi in familia rustica recensentur, *quis sint Casarii vel coloni*: appellati à *casis* rusticis, quibus habitandis aut curandis erant præfecti. Nam prædia pluribus *casis* constabant, &c. Alibi vox *Casatus*, pro domestico vel vassallo, occurrit non rarò. Hinc *Casata* seu *Cassata*, promiscuè enim scribitur, habitaculum cum certa terræ portione, idoneâ ad unam familiam alendam, servis *Casatis* olim attribui solitum, atque adeò ipsa familia, in *Capitulis* Caroli M. *lib.5. cap.3. Capitulis* Caroli Calvi *tit. 21. cap. 27.* &c. V. plura hanc in rem apud Carolum du Fresne *Glossar.*

Casaca, vel potius *Cacata*, vulgò *Casquetes* aut *Quasquettes* dictæ, cautes sunt veriùs, quam insulæ, in Oceano Britannico: Quarum nomina,

Andium *Audio.*	Iga, vulgò *Ligon.*
Axantos vel Uxantris *l'Isle d'Ouessant.*	Liga, eadem cum priore.
	Sena, oræ Osismicæ adversa.
Batha *Isle de Bas*, Gallis: Anglis *Basepole.*	Septem Insulæ, *les sept Isles.*
	Viridis inf. *l'Isle Verte.*
Brehalia *l'Isle de Brehat aut Brehat.*	Uxantris *l'Isle d'Ouessant*, V. suprà *Axantos.*

V. Hadr. Valesium *Not. Gall.* in voce *Gallicum mare.*

Caselius Johannes, Philosophus insignis, Helmstadii, cum Duncano Liddelio Scoto Medic. D. & Corn. Martinio, acriter se opposuit Dan. Hofmanno, & quibusdam aliis, contendentibus: *Philosophiam pugnare cum Theologia: Multa esse vera, in Theologia, quæ sint falsa in Philosophia & contrà; exterminandam proin illam è Christianis Academiis, ut noxiam, ut toties quoque ab antiqua Ecclesia damnatam.* Sec. præt. Georgius Horn *Hist. Philos. lib.6. cap.13.*

Casella seu *Capsella*, apud Glabrum *lib. 4. cap.3.* Καψέλα, in *Histor.* Apollonii Tyrii *pag. 9.* loculus est reliquiarum, V. suprà in voce *Capsa.*

Casellæ, vulgò *Chaselles*, locus Galliæ, in Lingonibus; in pago Aminavorum seu Amæorum, memorato in *Testamento* Wideradi, Flaviniacensis Monasterii conditoris ac Abbatis, apud Hadr. Valesium *Not. Gall.* in voce *Ternodorum.*

Caseolum, vulgò *Choiseul*, castrum Galliæ in finibus ac diœcesi Lingonica, Id.

per *Caseum* purgatio, olim non minùs in usu, ac per aquam ferventem, panem, alia: cujus exorcismus extat apud Lindenbrogium post *vett. Formulas, pag.7.* Effectum orationes in istiusmodi judicio recitari solitæ, satis declarant: inter quas una hæc, *Fac eum, Domine, in visceribus angustiari, ejusque guttur conclude, ut — caseum istum in tuo nomine sanctificatum devorare non possit hic, qui injustè juravit ac negavit, illud furtum vel homicidium aut adulterium, seu maleficium, quod quærebatur & jusjurandum pro nihilo habuit & nomen tuum nominavit,* &c. V. hic infrà, ubi de *Ordalio.*

Caseus, lac pressum, Virgilio *Ecl.1.*

—— —— *& pressi copia lactis:*

Illud enim emulctum in *caseum* cogitur, quod Græci [illegible], Latini etiam *figi* dixerunt: Gallis *Formacia* seu *Formagia*, quoniam in forma infarciuntur & struuntur. Sic *parietes formacios* habet Plinius *lib.35. cap.14. qui in forma circumdatis utrinque lateribus infarciuntur veriùs, quàm instruuntur.* In Sacris, חריץ *charits*, dicitur 1.Sam. *cap.17. versu 18.* ob hoc ipsum, h. e. τμῆμα, *segmentum* seu τρυφαλίς, Vulgato *formella casei*, quod ex hisce formellis seu fiscellis, Græcè ταλάροις, exprimeretur. Ad cujusmodi formas pertinent hæc Gregorii Naz. *Carm 4.*

Τοῖς μὲν ἐμοὶ ἀπαλὸν ἐπάγη φρένα καὶ κατέπηξα

Οἷα τυρὸς, ταλάροις λαμβάνων αὐτίκα τύπον.

Per hæc mens tenera mihi effecta est, & ut nuper coagulatus

Caseus, fiscellæ sumpsi protinus formam.

Et *Carm 49.*

Ὡς τυρὸν πλεκτοῖσιν ἰειδόμενον ταλάροισιν,

Ut caseum flexis similem fiscellis.

V. Hesychium in vocibus, [illegible], [illegible] & ταρσῶν. Item שפות, *sephoth*, 2 Sam. *cap.17. versu 29.* à *sipha*, quod est *colare* vel *percolare.* Caseus enim non aliter fit, quàm lac percolando, ut serum effluat. Unde Hiobus *cap.10. versu 10. Nonne sicut lac me percolasti, & sicut caseum me coagulasti?* Et Tibullus *lib.2. Eleg. 3.* de fiscella, in qua fit caseus,

Tum fiscella levi detexta est vimine junci,

Raraque per nexus est via facta sero.

Tandem גבינה *gebina*, loco Jobi modò dicto: vocant autem coagulare *gibben* Talmudici, quæ vox *gibbosum* etiam sonat Levitici *cap.21. versu 20.* Hinc Psalm. 68. *versu 16.* pro Hebr. *mons gabnunnim*, Græci habent ὄρος τετυρωμένον, Vulgata *montem coagulatum*, Psalterium vetus *Montem incaseatum*, Hilarius *montes caseatos*, &c. Fiunt verò *casei* tam ex ovillo & caprino lacte, quàm ex bubulo, sed ex hoc majore copia, crassius enim est. Hinc pastores ex amphora caprini lactis caseos obolares undeviginti, ex bubulo autem pari mensura triginta, facere consuevisse, tradit Philosophus *Histor. Animal. lib 3. cap.20.* Qua de re V. plura apud Sam. Bochartum *Hierozoici Part. prior. Lib.II. cap.33.* Cum ficu recenti, salis olim vice comedi *Caseum* solitum, habet Plinius *lib.. cap.19. Cum recenti fico salis vice caseo vesci nuper excogitatum.* Ut caseus recens (Græcis νέος καὶ χλωρὸς τυρός) loco salis esset, cum caseo comesa. Sanè aliquid salsi habere ficum, & salsum succum facere, tradunt Vett. Medici apud Athenæum. Qui optimi olim habiti, idem exponit *lib.11. cap 42. Laus caseo Romæ — è provinciæ Nemausensi præcipua, Lesuræ Gabalicique pagis* (Dalechampius legit *Ballici*, vulgo *les Baux*, hodieque apud Avenionenses in magna æstimatione) *sed brevis ac musteo tantùm commendatio. Duobus Alpes generibus pabula sua approbant: Dalmatiæ Docleatem mittunt, Centronica Vatusicum* (hodieq; *fromage de Bassi*) *Numerosior Apennino. Cebanum hic è Liguria mittit, ovium maximè lactis* (qui *Ropies* hodie incolis) *Æsinatem ex Umbria: mistoque Hetruria atque Liguriæ confinio Lunensem magnitudine conspicuum: quippe & ad singula millia pondo premitur. Proximum autem urbi Vestinum, eumque è Cæditio laudatissimum. Et caprarum gregibus sua laus est, recenti maximè, eam augente gratiam fumo — Trans maria verò Bithynus fere in gloria est — Tradunt Zoroastrem in desertis caseo vixisse annos viginti, ita temperato, ut vetustatem non sentiret.* Ubi quod de fumo habet, confirmatur ex Columella, qui Romæ & in plerisque locis Italiæ caseum eo & siccari & colorari solitum tradit. Et Martiali in *Xeniis*,

Non quemcunque locum, nec fumum caseus omnem,

Sed Velabrensem qui bibit, ille sapit, &c.

Porro è memoratis *Caseorum* generibus Alpinus, Antonino Pio in delitiis fuit. Jul. Capitolinus in *Vita* ejus, *Quum Alpinum caseum in cœna edisset avidiùs, nocte rejectavit, atque aliâ die febri commotus est.* Ubi *Alpinus* dicitur, qui ab Alpibus mittebatur, uti dictum. Membranæ tamen apud Capitolinum *Transalpinum* scribunt, uti notat Casaubonus *Not. ad l.* V. iterum suprà. Hodie palmam ferunt, in Belgio *Hollandici*, & in his *Tessellenses*, in Suecia, *Scanici*; in Anglia *Cestrenses*; in Italia *Parmenses*: præter quos *Helvetici* æstimantur, Auctor Anonymus *Hist. Orbis Terrar. Geograph. & Civ. Cap.10. de Commerciis.*

Casia, apud Virgilium *Eclogâ 2.* ubi de Naide sertum nectente,

Tum casia atque aliis intexens suavibus herbis

Mollia luteolâ pingit vaccinia calthâ.

Et *Georgic. lib.4.*

Hæc circum casiæ virides & olentia latè

Serpylla —— ——

herba est, apibus grata, quam in alvearibus earum seri scribit Plinius, & illis pro pabulo ministrandam, Virgilius, aliique agricolationis Scriptores, præcipiunt. Hyginus κνέωρον vocat, quo nomine propriè vocabatur folium thymelææ, cum qua proin hanc *casiam* eandem Salmasius facit. Nomen ei an ab odore *Casiæ* aromatis; an quia similiter gustata os & guttur accenderet; an potiùs, quòd prope *casas* rusticorum in alvearis apum sereretur? Cum Æthiopico certe aromate, quam Græci κασίαν vocant, cujusque Virgilius meminit *Georgic. lib.2.*

Alba nec Assyrio fucatur lana veneno:

Nec casiâ liquidi corrumpitur usus olivi.

nihil commune habet: neque *casia*, sed *casiotis* dicenda fuisset, si à *casia* odore vel similitudine nomen fuisset nacta. *Casia* autem hæc aromatica, aliàs *Casia Fistula*, item *Fistula* simpliciter Latinis, σύριγξ Græcis, frutex est Galeno, adeò non diversus à Cinnamomo, ut sæpe illam in hoc transire, & optimam Casiam non multum differre à cinnamomo, scribat *de Antidotis lib.1.* è quo loco colligit Salmasius, ejusdem fruticis recisa summa sarmenta fuisse Veterum cinnamomum; corticem verò exemtum, paratum & in tubulos fistulares complicatum, veram & genuinam casiam. Et quidem tria cubita amplitudine non superare Casiæ fruticem, nec surculos cinnamomi maximi palmo fuisse majores, tradit idem *Ibid.* ubi & colorem cinnamomi leucophæum, in cœruleum quadantenus vergentem; optimæ casiæ verò purpureum, ἐγκίρρον & ὑποπόρφυρον: porro odorem in cinnamomo omnium odorum, qui bene olent, flagrantissimum; in casia, ἀρωματίζοντα quidem, sed tenuem levemque esse, addit. Sed & pretium cinnamomi immane quantum superasse Casiæ pretium; ut cujus optima libra non carius emeretur, quàm denariis quinquaginta, cùm cinnamomo olim in libras pretium essent denarii mille, testatur Plinius. Nempe tantum discrimen inter surculos fuit & corticem ejusdem arboris. Hodie *Canella* dicitur, ut suprà vidimus. Plura verò apud Salmasium *ad Solinum*, ubi *de Casia speciebus ac nominibus variis, de Casia Aromatica, Daphnitide, Cathartica seu Solutiva, Lignea seu Xylocasia, de Casia tandem Vulgari seu hodierna*, multis agit, *pag.540 & 1304 ac seqq.* Inter munera sepulchralia, *Casia* quoque memoratur Martiali *lib.11. Epigr. 54. in Zoilum,*

Unguenta & casias & olentem funera myrrham

Thuraque de medio semicremata rogo.

Et quæ de Stygio rapuisti cinnama lecto, &c.

Et *lib.10. Epigr.97. de Numa,*

Dum levis arsurâ struitur Libitina papyro,

Dum myrrham & casiam flebilis uxor emit.

Aromata nempe istiusmodi rogo injici & ossibus cineribusque urnæ datis, misceri solebant, ut idem innuit *lib. cit. Epigr.26.* V. quoque suprà, in voce *Aromata.*

Viri Principes.

Casimirus, fil. Friderici March. Brandeburgici & Franconicæ lineæ conditoris, Culmbacensem ramum orsus est, sicut à fratribus ejus minoribus Georgio Auspacensis, seu Jegerndorffius, & Alberto Borussicus, orig nem habuere. Initio non nisi decennis Canonicus Herbipolensis & Præpositus factus, tum A.C.1504. ab Imperatore ad Electoratum Moguntinum propositus est. Auspiciis Patris A. C. 1506. Norimbergenses, cùm encænia vicini pagi inviserent, clade mulctavit. In bello Veneto A. C. 1516. ex parte Cæsaris, Commissarius belli & Caroli V. ad electionem Francofurtensem legatus fuit. Rusticam seditionem A. C. 1525. sedavit, initio suppliciis, inde in reliquos cum equitatu invectus, plurimos cæcidit. Cum fratre Georgio, habitâ provinciali Onoldsbaci diætâ, A.C.1526. ob Spirensium Comitiorum decretum certas de religione constitutiones fecit, quem in modum ejus exercitium usque ad Concilium instituendum sit. Demum A.C.1527. Dux generalis in Hungaria Ferdinandi Austriaci, adversùs Johannem Scepusium, dysenteriâ extinctus est. Pater Alberti cognom. *Alcibiadis Germ.* in quo ramus defecit.

Casimirus I. fil. Wartislai, qui Pomeraniæ citerioris lineæ conditor fuit, unà cum fratre Bogislao II. pulso Henrico Leone, in cujus fuerant clientela, præsente Woldemaro Daniæ R. solenni ceremoniâ, porrectis aquilis, à Friderico Barbarossa, in castris ad Lubecam Dux creatus est, datâ in Imperio sessione, A. C. 1181. Pater fuit Suantibori.

Casimirus II. fil. Bogislai II. prioris ex fratre nepos, Hierosolymis decessit A.C.1217. hærede Wartislao III. qui à Danis quædam in Megapolitanis finibus recuperavit, ac sine prole decessit A. C. 1264.

Casimirus III. fil. Suantibori retrò memorati, successit Patri, & avitam regionem pacificè diu rexit: Extinctus sine prole A.C. 1273. ex posteris Casimiri I. ultimus.

Casimirus IV. filius secundo-genitus Barnimi M. Ducis Stettinensis, A. C. 1368. defuncti, successit fratri Bogislao VII. Obiit sine prole. Eum excepit frater Suantiborus II.

Casimirus V. filius Bogislai V. à quo Pomeraniæ Orientalis linea initium sumpsit; in Polonica aula educatus, quædam ibi feuda tenuit, & cum fratribus bella adversus Cruciferos continuavit; in oppugnatione arcis cujusdam, quam auspiciis Ludovici Hung. R. obsidebat, cæsus A. C. 1377. Ei successit frater Barnimus V.

Casimirus VI. filius Suantibori II. D Stettinensis, successit fratri Ottoni II. obiit A. C. 1433. Eum excepit Joachimus, pater Ottonis III. in quo linea defecit.

Casimirus VII. fil. Erici II. D. Pomeraniæ Occidentalis, successit fratri Wartislao X. ipse successorem nactus fratrem Bogislaum X. cognom. *Magnum*, totius Pomeraniæ Principem & solum familiæ hæredem: è cujus posteris *Casimirus*, fil. Philippi, Caminensis Episcopus, vivendi finem fecit A. C. 1605.

Casimirus, filius Conradi, stirpis Mazovianæ, è familia Piastea, cum Lencicia Cujaviam tenuit, hinc Lenciciensis rami conditor, quemadmodum frater ejus Ziemovitus Mazovium orsus est. Cùm vicinos non desisteret turbare, à filiis majoribus regimine exutus est: Fuere autem illi Lescus cognom *Niger*, Dux Siradiensis & dein Poloniæ Princeps, ac Ziemomislus; qui Cujaviam cum Lencicia tenuit, pater *Casimiri*, qui cùm à patruo Rege, cum fratre Promislao, principatum Pomerelliæ impetrasset, eodem à Cruciferis ejectus, filium habuit Vladislaum cognom. *Album*. Præter hos, genuit Casimirus Lencicienses, ex Constantia Vratislaviensi, Vladislaum cognom. *Locticum*, patrem Casimiri cognom. *Magni*, qui ambo Poloniæ Reges fuere, sed in horum posteriore, sine prole extincto, familia Regalis Piastea in Polonia defecit, A.C.1370. V. *Casimirus III. Pol. R.*

Casimirus I. filius Micislai I. Silesiæ superioris Ducum satoris, successit extincto Patri jam seni A. C. 1211 Pater Vladislai & Micislai II. quorum illo, inter alios, natus est,

Casimirus II. auctor rami Teschinensis, quemadmodum frater ejus minor natu Oppoliensem prosevit. Wenceslao Bohemiæ R. se submisit A. C. 1288. pater ex Beatrice Brandeburgica Johannis, *Casimiri*, Vladislai, & Semoviti.

Casimirus III. filius secundo-genitus prioris, non minus ac alii, ex eadem familia, Principatum à Johanne Bohemiæ R. in feudum hæreditarium, & ab eodem Glogoviæ partem, quam Rex emerat; illum A. C. 1327. hanc A. C. 1331. accepit, ut ita forti propugnatore adversùs Polonos ille limes muniretur. Pater fuit Semoviti, qui Glogoviam & Primislai, qui Teschinensem Principatum tenuit.

Casimirus IV. filius Boleslai, cujus pater Boleslaus Primislao prædicto genitus erat, patris & patrui Primislai, qui A. C. 1477. excessit, hæres, A. C. 1479. partem dimidiam Glogoviæ suam Regi Bohemiæ, pro Ducatu Goslæ & 1000. aureis cessit; Viduæ alterius patrui Vladislai Margaritæ Ciliæ, adversùs Senatum Glogovium, fideliter adstitit: Decessit A. C. 1528. utriusque Silesiæ Capitaneus; Pater ex Johanna Monsterbergica Wenceslai atque Friderici, qui ante Patrem fato functi sunt: ex Anna verò Brandeburgica Wenceslai Adami posthumi.

Johannes *Casimirus*, filius tertius Johannis I. Ducis Bipontini, frater Johannis II. qui patri successit, & Friderici *Casimiri*, Landspergensis lineæ conditoris, de quo pòst: Suecicam lineam prosevit, cùm in Suecia A. C. 1615. Catharinam Caroli Sueciæ R. filiam uxorem promeruisset. Ex quo tempore partim in Suecia, partim Germania, Argentorati inprimis, vixit, religionis tenax. Obiit A. C. 1652. pater Caroli Gustavi Sueciæ Regis & Adolphi Johannis.

Johannes *Casimirus*, filius Johannis Friderici II. Saxoniæ Ducis & Gothanæ lineæ conditoris, cum fratre Johanne Ernesto minore natu, in gratiam Comitiis Spirensibus receptus A.C.1570. partem ditionum Patris captivi, cum illo nactus est, Erfurti ob hoc instituto Conventu. Coburgi magno aulæ splendore habitavit, ubi præter Gymnasium *Casimirianum*, quædam alia magnificè extruxit. Priore conjuge Annâ, Augusti El. filiâ, ob adulterii suspicionem carceri addictâ, in ejus locum assumpsit Margaretam Lunæburgicam, cujus propinquis non parùm benefecit: Conventui Lipsiensi interfuit A. C. 1631. Obiit improlis A. C. 1633. quemadmodum & frater, A. C. 1638.

Johannes *Casimirus*, Princeps Anhaltinus, filius Johannis Georgii, (Dessaviensis lineæ conditoris) ex Dorothea Palatina, Patri successit: ex Agnete Hassiaca Johanne Georgio suscepto A. C. 1627. qui post Patrem ditiones regit.

Fridericus *Casimirus*, secundus filius Johannis I. Ducis Bipontini, Landspergæ habitavit, unde linea ejus *Landspergensis* dicta est: Ad eum, ut Decanum Capituli Argentinensis, super restitutione fratrum villæ Argentinæ & aliorum bonorum Cathedralis Ecclesiæ, directum Cæsareum diploma A. C. 1627. inseruit suis diplomatibus Caraf. *Germ. restaur.* Decessit in Burgundia A.C. 1645. Pater Friderici Ludovici, qui A. C. 1661. Bipontino patrueli Friderico successit. V. Phil. Jacobum Spenerum *Sylloge Genealogico-Historica passim.*

Casnetum, Historicis Gallicis quoque dicitur, quod aliàs *Quercetum*, vulgò *le Quesnoy*, oppidum Hannoniæ. Quam enim Latini quercum, Galli olim *Casnum* nominavere, hodie *un chesne*, aliàs *quesne*. Hinc legimus in priscis literis, *In sylva S. Benigni & ibi taliassent vel occidissent uno casno de S. Benigno*, i. quercum unam cecidissent, ad Divionense Monasterium S. Benigni pertinentem. Unde etiam *Casnum* nomen habet, villa Cotiæ villæ vicina, in sylva Cotia, *Chesne en Cuise*, aliàs *Chesne Herbelot* vulgò: cujus meminit Bertinus *Annal. ad A. C.* 877. *Et discurrentibus inter eos missis, ad hoc perventum est, ut Richildis & ipsi Primores ad eum Compendium venirent, & suum Conventum ad Casnum in Cotia condixerunt.* V. Hadrianum Valesium *Not. Gall.* in vocibus *Cotia silva* & *Quercetum.*

Viri Illustres.

Casperius Æmilianus, &

Casperius Agrippinus, inter Nobiles Romanos, sine causæ dictione, interemtos, jussu Severi Imperatoris, apud Æl. Spartianum, in *Vita* illius.

Cassa & *Casseta*, apud Recentiores, pro *Capsa* & *Capseta*, V. suprà *Capsa*.

Cassia, Græcè Κάσιον, urbs in Ægypto ad montem *Casium*. Stephanus, Κασίν, ὄρος καὶ πόλις Αἰγύπτου πρὸς τῷ Πηλουσίῳ, *prope Pelusium*: quam de situs parilitate æquare Epidamnum sive Dyrrachium (utraque enim in ora maris edita & saxosa sita fuit) ait Solinus *cap.* 34. V. Salmasium *ad Solinum pag.* 568.

Cassia Lex, cujus auctor L. Cassius Longinus Tribunus Pl. anno U. C. 649. C. Mario secundùm, C. Flavio Fimbriâ Coss. fuit: *Ut quem populus damnasset, cuive Imperium abrogasset, in Senatu ne esset.* Tulit eam Cassius, ob simultates cum Q. Servilio Cæpione, qui ante biennium Consul fuerat, & cui populus ob bellum male administratum, imperium abrogaverat, Asconius *in Cornelian.* Alia, lata à C. Cassio Prætore, Dictatore Julio Cæsare, *Ut in numerum Patriciorum, qui Senatui deessent, alii sublegerentur*, Tac. *Annal. lib.* 2. Alia, *suffragia libera esse voluit, non Judicum tantùm in Judiciis, sed etiam populi in Comitiis: verùm in tribubus tantùm, quibus de multis judicaretur*, Cic. *in Lælio*, ubi hanc legem biennio post Gabiniam latam esse scribit, nempe U. C. 616. Item *in Bruto, lib.* 3. *de Legg.* Asconius *in Cornelian. & Verrinam* 2. Alia, quam tulit Sp. Cassius Viscellinus III. Cons. cum Proculo Virginio Tricosto Rutilio an. U.C. 267. *Ut ex agro Hernicis, quibuscum fœdus ictum erat, adempto, dimidium Latinis, dimidium plebi divideretur.* Lex tamen non tenuit. Livius *lib.* 22. Valerius *lib.* 5. *cap.* 8. Fuit quoque Lex *Cassia*, lata à Q. Cassio Prætore, Q. Ælio Paeto, M. Junio Penno Coss. an. U. C. 596. *Ut Paulo Anicio & Octavio, ex bello Macedonico cum victoria redeuntibus, quo die Urbem triumphantes inveherentur, & imperium esset.* Livius *lib.* 45.

Cassianè, apud Historiæ Aug Scriptores, pro, *more Cassii*, principatum Reip. restituere, h. e. eam in libertatem vindicare, molitur Salmasius.

Cassiani, in Jure, nomen sectæ; sicut & Sabiniani & Proculiani: ab Auctoribus *Cassio* Sabino & Proculo, nomen adepti, de quibus ita Pomponius *l.* 2. *ff. de orig. Jur. Fuit Qu. Tubero publici privatique juris doctissimus: ejus duo discipuli, Atejus Capito & Antistius Labeo fuere. Quorum alter Magistri præceptis adhærescens,*

alter

ter ingenii fiduciâ pleraque innovans, dissidium quoddam in Juris Civ. disciplinam invexerunt. Nam cùm Ateio Massurius Sabinus, Labeoni Nerva pater successisset, acceptam à Magistris discordiam vehementer auxerunt: quam postea eorum discipuli, Sabini quidem Cassius; Nervæ autem Proculus, eò produxerunt, ut duæ jam familiæ contrariæ ex eorum nominibus appellatæ ac propagatæ sint. Nam qui Cassium sequebantur, Cassiani: *qui Proculum, Proculiani dici cœpere; post sequuti sunt, Cassium quidem Cælius Sabinus, Proculum verò Pegasus: undè Sabinianorum & Pegasianorum nomina. Quorum dissensionibus ac præceptionibus contrariis imbuti postea IC. Javolenus, Neratius, Julianus & cæteri, quorum ex scriptis compositi sunt ii, quibus nunc utimur Pandectarum libri, mirificas concertationes in hanc LL. disciplinam importarunt*: apud Brissonium, laudatum Joanni Calvino *Lexic. Jurid.*

Cassianus, inter Jovis cognomina, V. hic infrà.

Cassiepeia, mater Cilicis ex Phœnice, apud Scholiastem Apollonii: aliàs *Cassiopeia*, quam vocem vide, aliquid etiam de *Cassiopeæ* asterismo, suprà in voce *Cariea clavis*.

Cassiope, Corcyræ Ins. opp. adde: Hodie *Cassopo*. Hic celebre olim Fanum fuit Jovis Cassiani, cujus varia numismata meminere. Hodie urbs in ruinis jacet; Ædes saltem ibi sacra Panagiæ, i. S. Virgini, undique anathematis nautarum, aliorumque qui è maris periculis emerserunt, referta. Sed & imago ibidem quidem B. Virginis, cui lamellam cupream applicantes viatores, inde suorum necem, aut vitam, augurantur. Cùm enim adhuc in vivis est, de quo soliciti sunt, nummulum adhærere imagini; sin excessit, continuò delabi, dicunt. V. Jac. Sponium *Itiner. Græcæ Part. 1. pag. 111. & seqq.*

Cassis, apud Virgilium *Æneid. 11.* ubi de Chloreo Cybeles Sacerdote,

Aureus ex humeris sonat arcus, & aurea vati
Cassida —— ——

Et Statium *Thebaid. lib. 9. versu 700.*

—— —— —— *Ast ubi pugnâ*
Cassis *anhela calet* ——

galea est. Unde *Cassis plebeia*, apud Lucanum,

Hic plebejâ contectus casside vultus,
Ignotusque hosti, &c.

quæ insigni caret, ἄφαλος Græcis. Variè enim galeæ cassidesque honestiorum militum ornabantur olim: & quidem *corniculis* præcipuè, ac *cristis*. Veram enim cornuum similitudinem ex ære vel ferro in illis exprimi consuevisse, colligitur ex Plinio *lib. 10. cap. 43* Undè apud Varronem *de L. L. lib. 4.* Comœdiæ Plautinæ, in qua miles istiusmodi galeam gestans traducebatur, *Cornicularia* nomen; & *Cornicularii* appellati, in militia Rom. antiqua, milites honestiores, qui ab hoc cassidis parasemo sic appellati, beneficiarii ut plurimum erant Tribunorum aut Centurionum, uti discimus ex Valerio Max. V infrà, ubi de *Corniculis*. Sed & cristatæ fuere non rarò. Virgilius *Æn. lib. 8.*

Terribilem cristis galeam, flammasque vomentem.

Papinius de Hippomedonte *lib. 4. Thebaid.*

—— —— —— *Tremit ærea* cassis
Ter niveâ scandente jubâ.

Idem *Thebaid. lib. 9. versu 107.*

—— —— *Lycus excelso terrore comantem*
Perstrinxit galeam, &c.

Namque addere majestatem cristas militi, jam olim seriò observavit Polybius, ubi πτερίνῳ στεφάνῳ *plumea corona*, galeas ornari, agmine viz. pennatum, quod supernè procumbens & in galeam ipsam circumcirca fluctuans, orbe seu serto illam plumeo incingebat: ex eo verò, rectas eminere pinnas quasdam, puniceas, aut nigras, cubitali celsitudine, multas, paucas, pro lubitu gestantis, ait. Ad quem locum Claudianus *Consul. Honor. 4.* alludens, cum *casside majorem & rutilum cristis*, suum Principem inducit. Hinc de Minerva blandiore idem.

Ferratus lascivit apex, horrorque recessit
Martius & crista placato fulgure vernans,
Insolitisque docet galeam mitescere sertis, &c.

V. quoque hic passim, inprimis in vocibus *Apex* & *Crista*. Claudi autem omnino *cassides* Veterum consuevisse, ut ne videri quidem facies armatorum potuerint docent Scriptores quamplures. Papinius iterum *Thebaid. lib. 4. versu 20.*

—— —— *galeis juvat oscula clausis*
Inserere.

Silius de Militibus Marcelli post pestilentiam,

— *tenuata jacendo*
Et maciem galeis abscondunt ora, malusque,
Ne sit spes hosti, celatur casside *pallor.*

V. quoque Alcimum Avitum *lib. 5.* & Sidonium *Panegyr. Anthemii*, de Roma. Unde apud eundem Statium *Thebaid. lib. 12.*

Solve genas, liceat vultus fortasse supremùm
Cernere dilectos, & ad hæc lamenta videre,
Anne fleat?

Utrasque etiam galeis tectas, indicat iterum Sidonius *ibid.*

Obtundit teneras circumdata fascia nares,
Ut galeis cedant, &c.

Quam in rem V. plura apud Caspar. Barthium *Animadversion. ad Statium d. l. Adversariorum lib. 22. cap. 15.* & infrà in voce *Galea*.

Viri Illustres,

Cassius Longinus, Philosophus, omnium sui temporis κριτικώτατος, φιλολογώτατος & ἐλλογιμώτατος, uti habet Porphyrius de *Vita* Plotini, quo Magistro usa esse Zenobia, Palmyrenorum Regina, ad Græcas literas, dicitur: occisus jussu Aureliani Imp. Vopiscus, in *Vita* Aureliani, *Aurelianus, indignum existimans mulierem* (Zenobiam viz. quam militum strepitus ad pœnam poscebat) *interimi, occisis plerisque, quibus auctoribus illa bellum moverat, paraverat, gesserat, triumpho mulierem reservavit — Grave inter eos, qui cæsi sunt, de Longino Philosopho fuisse perhibetur — quem quidem Aurelianus idcirco dicitur occidisse, quòd superbior illa epistola, ipsius diceretur dictata consilio, quamvis Syro esset sermone contexta.* Meminit ejus & Eusebius, qui *libro 15.* προπαρασκευῆς, quædam ex illo descripsit: Libros enim multos ediderat, quorum plerosque recenset Suidas. Extatque etiamnum ejus περὶ ὕψους libellus verè aureolus: è quo fermè Christianum fuisse, non malè fortassè colligas, propter illud, quod facit de Mosis scriptis, judicium. Eruditionem porro, scripta, & constantiam illius, in subeundo supplicio, Zosimus insigniter laudat. V. Casaubonum *ad Vopiscum*.

Cassius Papirius, Cons. Rom. cujus mentio in *Epist.* Marci, quam M. Avidii Cassii temporibus scripsit, de Clodio Albino, postmodum Imperatore: *Laudanda est Albini constantia — Habemus igitur virum dignum Consulatu, quem sufficiam in locum* Cassii Papyrii, *qui mihi exanimis propè jam nuntiatus est. Quod interim à te publicari nolo, ne aut ad ipsum Papirium, aut ad ejus affectus perveniat: nosque videamur in locum viventis* COS. *subrogasse*, apud Jul. Capitolinum *in Clodio Albino*.

Cassubia, adde: Olim sub propriis Principibus, qui. *Cassubiæ* & *Wandaliæ* titulis insignes, terras ultra citraque Vistulam *Pomerelliæ* nomine notas tenuere. Ex à Mistevino, familiæ suæ postremo, Barnimo II. Pomeran. D. & ortâ fortè cum hoc discordiâ, Boleslao Poloniæ Duci, donatæ; A. C. 1273. ab his ad Brandeburgicos transierunt: ex quibus eas primùm Fridericus II. Marchio, Ludovico Bavaro Imp. coævus, nactus est, belli simul pactique cum Pomeranis Polonisque initi jure. Et quidem *Cassubia* jam angustioribus limitibus terminata; Vandalia infimam Pomerelliæ ad Vistulam regionem complectitur. Tob. Pfannerus *de præcipuis Germaniæ Principum gentibus cap. 8.*

Cassutha, hodie vel *Cuscuta* dicitur, quam *Casytam* Vett. dixere, inter eas herbas, quæ in terra sedem suam non habent, sed in aliena nascuntur ac vivunt, in aliis nempe herbis aut arboribus, quibus sustinentur, Plinius *lib. 16. cap. ult. Est & in Syria herba, quæ vocatur Casytas, non tantùm arboribus, sed etiam spinis circumvolvens se*, &c. V. Salmasium *ad Solinum pag. 971.*

Castalius Fons, adde: Ex eodem fonte futuri Imperii omen hausisse Hadrianus legitur apud Ammianum Marcellinum *lib. 22. Hæc dum ita procedunt more pacis, multorum curiosior Julianus novam consilii viam ingressus est, venas fatidicas Castalii recludere cogitans fontis: quem obstruxisse Cæsar dicitur Hadrianus, mole saxorum ingenti: veritus ne, ut ipse præcinentibus aquis capessendam Remp. comperit, etiam alii similia docerentur: ac statim circùm humata corpora statuit exinde transferri, eo ritu, quo Athenienses insulam purgaverant Delon*. Eadem habet Sozomenus *lib. 5. cap. 19.* ubi addit, Adrianum φύλλον δάφνης ἐμβάψαντα τῇ πηγῇ ἀρύσασθαι τὴν τῶν ἐσομένων γνῶσιν ἐγγραφεῖσαν ἐπὶ τοῦ φύλλου δεδηλῶσθαι, *cùm intinxisset in fontem lauri folium, eo iterum extracto futurorum notitiam illi inscriptam nactum esse.* Factum id autem in *Castalio* Syriæ fonte, Antiochiæ enim idem mentionem facit; non verò in illo Græciæ propè Delphos. Quamvis in Græcorum *Historiis* & *Martyrologiis* legatur, missum aliquando ad Delphicum Apollinem Oribasium à Juliano, cui hæc sors edita:

Εἴπατε τῷ Βασιλῆϊ, χαμαὶ πέσε δαίδαλος αὐλά,
Οὐκέτι Φοῖβος ἔχει καλύβαν, οὐ μαντίδα δάφνην,
Οὐ παγὰν λαλέουσαν· ἀπέσβετο καὶ λάλον ὕδωρ.
Dicite Imperatori: humi prolapsa est variegata aula,
Non ampliùs Phœbus habitat calybam, non vaticinatricem tenet laurum,
Non fontem loquacem: extincta est etiam garrula aqua.

Casaubonus *ad Spartianum in Hadriano*. Dictus est autem fons hic Syriæ *Castalius*, cùm aliàs *Daphnidis* ei nomen esset, ad imitationem decantatissimi illius in Phocide, Græciæ reg. fontis. quemadmodum & mons Antiochiæ imminens, *Parnassus* appellatus est, V. infrà in voce *Daphne*: Plura v. de hoc Phocidis fonte, apud Sponium αὐτόπτην *Itiner. Græc. Part. 2. pag 65.*

Castanea, vulgò *Chasteigneres*, nomen familiæ in Gallia illustris, de qua Andr. Duchenius integrum edidit commentarium. Seculo XII. in tres ramos divisa est, per tres Fratres, Theobaldum, Johannem & Wilhelmum, filios Theobaldi: Dominos *de la Chasteigneraye* (quorum hæreditatem tandem seculo XIV. Maria Theobaldi VI. filia marito Savarico *de Rivonne* attulit) *de la Meilleraye* & *Reaumur*, ac demum *du Breuil de Challans*. In qua ultima linea, una Dominorum *de Bougon* superiori seculo desiit; alia Dominorum *du Breuil* hæreditate in familiam Bellimontiam

(*Baumont*) inserta est: solâ dominorum *de la Lardire* & *de la Groliere* superstite. Medium quod concernit ramum, is denuo in tres palmites excrevit, quorum tertius dominorum *de Reaumur* proximo seculo exaruit, nec non alter dominorum *de Avaux*. Præcipuus verò fuit dominorum *de S.George de Rex*; è quibus descendunt Domini *du Verger, de Andonville, de la Gabillere, des Touschet*: Primogeniti autem sunt Domini *de la Rochepozay*, atque *de Abain*, post hos Comites *de Chinsé*. Et quidem Castaneos Rupipozeos quod attinet, Petrus, extinctus A.C.1474. ex Johanna *de Vareze* pater fuit Guidonis, qui mortuus A.C. 1506. reliquit ex Magdalena Puteana Johannem III. quem mortuum A.C. 1567. ex Claudia *de Monleon* Dn. *de Touffu* & *Talmond*. excepit filius Ludovicus Dn. *de Abain* B. *de Malval* & *Previlly*, qui obiit A.C. 1595. Eo, & Claudia Puteanâ, genitus Johannes IV. frater Henrici Ludovici *Castanei*, doctissimi Pictavorum Episcopi, pater fuit Caroli Dn. *de Rochepofay* & *Abain* n. A. C. 1628. Ludovici, Abbatis Belliportuensis, Johannis & Annæ; ex Diana *de Fonseque*, cujus proavus Rodericus Fonseca ex Comitibus de Monte Regio' *Monterejo* in Hispania oriundus fuit. V. Phil. Jac. Spenerum *Theatr. Nobil. Europ. Tom.II pag.33*.

Castanea, una ex quatuor speciebus nucum ἀκροδρύων, quarum nomina apud Græcos, τὸ κάρυον, *nux juglans*, τὸ λεπτοκάρυον, *minuta nux*, τὸ ἀμύγδαλον, *amygdalum*, καὶ τὸ κάστανον, *Castanea*. Quibus Ausonius pineam nucem adjungit,

Et duplici defensa putamine quinque genus nux.

Alii tamen, qui quatuor genera nucum tantum faciunt, quarum *nucleus* propriè dicitur, quod intus est, *castaneas* ab hoc censu excludunt, & glandibus, ταῖς βαλάνοις, adscribere malunt. Apicius, *de nucleis hoc: nuces majores, nucleos pineos, amygdala avellana*. Διὸς certè βάλανον castaneam, vocat Theophrastus *Histor. Animal. lib.3. cap.6.* Interim πλατεῖα κάρυα Græcis propriè *Castaneæ*, ut videre est apud Xenophontem *Ἀναβάσ. lib.5.* ubi de Mossynæcis, & Dioclem laudatum Athenæo *lib.2.* situ enim ac facie planæ sunt, non prorsus rotundæ; nempe communes. At Sardianæ, quæ optimæ, figurâ rotundiore fuisse videntur: Hinc duas species castanearum apud Græcos, recenset Philotimus apud eundem, τὸ πλατύ, καὶ τὸ κυλινδρὸν Σαρδιανόν, quorum hoc posterius εὐκαθαίρετον appellat, ob rationem jam dicendam, de Tarentinis, ex Plinio *lib 15. cap.23. Tarentinæ faciles, nec operosæ cibo, figura rotundior. Quæ balanitis vocatur, purgabilis maximè & sponte prosiliens pura. Plana est & Salariana, Tarentinâ minus tractabilis.* Ubi maximè *purgabilem* vocat balaniten, h. e. facilimè purgari & echino suo exui. *Echini* enim propriè calices seu operimenta castanearum dicuntur, ut quæ revera ἐχινώδη seu ἐχίνῳ ὅμοια, *echino similia* sunt. Hinc *virides echini* Calpurnio. Et Servius ad illud,

Castaneæ hirsutæ ——

adhuc, inquit, *intra suos echinos locatæ*, & aculeis undique rigentes. Sed & iulos castaneæ habent, vel βρύα ἰουλώδη, qui non tam ἀνθηρὰ vel ἄνθη *flores*, quàm ἀπάνθησις sunt; præter eos enim, tum in juglandibus, tum in castaneis, suus flos ostenditur, ea parte quâ fructus erumpit, in ipsius fructus apice. Porro *Euboica* quoque *nuces*, Εὐβοικὰ κάρυα, & simpl. Εὐβοικά, castaneæ eidem Theophrasto dicuntur *Histor. lib.1. cap.18.* τὰ δὲ δερματώδη ὥσπερ ἡ βάλανος καὶ τὸ Εὐβοϊκόν, *Corio teguntur glandes & Euboicæ nuces.* Et *lib.4.cap.7.* ubi in Euboea & circa Magnesiam magnâ copiâ reperiri ait. Sic Hesychius, Εὐβοϊκά, τὰ κάστανα: & Nicander,

—— —— λόπιμόν τε κάρυον τε

Εὐβοίης, βάλανοί τε μεριζότεροι ψιλίων, &c.

Quod verò suprà dictum, quosdam Διὸς βαλάνους, *Jovis glandes*, de castaneis interpretari, maximè de sativis intelligendum, quæ vulgò *marrons* Gallis dicuntur, cùm reliquas simpliciter *chastaignes* vocent. Quam in rem V. plura apud Salmasium *ad Solinum passim, inprimis pag.60. & seqq.* Hodie Pekinga in Imperio Sinensi *castaneas* fert laudatissimas & maximas: sed urbs *Xunking*, in *Suchuen* eas, quæ aliquantulo tempore ore contentæ, suâ sponte, facchari instar, liquescunt. Auctor *Sinæ & Europæ cap.36.* A' *castaneis*, Latinis inferioris ævi *Castaninus*, Gallis *Chastaigné*, color dicitur, vel idem vel ei affinis, quem φοίνικα & σπάδικα Græci, Latini *badium*, in equis, dixere. Obtinet præcipuè in capillis, qui rufi sunt coloris, non nimiùm pressi, nec nimiùm saturi, &c. Idem Salmasius *Ibid. pag.1330*.

Castella, illustrissimæ familiæ nomen, quæ ex Ducibus Franconiæ sive Franciæ Orientalis, in Germania, deduci amat: primusque in ea Marquardus, hinc Rodulphi Comitis Rotenburgensis, illinc Hetani ultimi Franconiæ D. ex filia Irmina nepos, Comitis *de Castel* nomen assumsisse, atque A. C. 828. fatis concessisse legitur. Inde non interruptâ serie illi Comites ac Domini stirpem suam dignis conjugiis propagarunt: ramis quidem aliquoties divisis, sed divisione nunquam in plures gradus protensâ. Nunc in duabus lineis consistit tota gens, *Remligensi* & *Rudenhausa*, quas Wolfgangus & Godofridus, Georgii, sub finem superioris seculi defuncti, filii, coe erunt. Et quidem priores quod attinet, Georgio & Sophiâ Limburgia natus Wolfgangus. extinctus A. C. 1631. ex Juliana Hohenloica, suscepit Wolfgangum Georgium; ex Sophia Juliana Hohenloica, patrem Georgii Ludovici (n. A. C. 1638. d. 1639.) Julianæ Dorotheæ (n. 1640. ux. Henr. Friderici Com. Hohenloici) Wolfgangi Theodori (n.1641.) Friderici Magni (n. 1646.) Eberhardi Friderici (n.1653.) aliorumque. V. præfatum Spenerum *Tom. II. pag. 109.* Godofridus verò prædictus, pater fuit, ex Anna Limpurgia, Georgii Friderici, extincti A.C. 1653. quo, & Annâ Luisâ Limpurgiâ, geniti, Philippus Godofredus (A. C. 1641. cui uxor obtigit Anna Sibylla Florentina Com. Sylvarum & Rheni) Ludovicus (A. C. 1642.) Henr. Albertus (A.C. 1643.) Eberhardus (A.C 1650.) Joh. Fridericus (n. A. C. 1651. eodemque denatus) præter aliquot filias, omnes Com. *de Castel in Rudenhausen*. V. Eundem *Theatr. Nobil. Europ. Tomo III*.

Castellanus, Philosophus Gallus insignis, tempore Francisci I. Peripateticus, inprimis Bigotio, qui immortalem famæ suæ præconem nactus est Jul. Cæsarem Scaligerum *Exerc. 307. sect.15.* infensus: suadentibus quibusdam Regi, ut & Bigotium audiret, commotior: *Quid*, inquit, *hominem laudatis, qui Aristotelicus est? Et ut scias, Rex, qui illi homines sint, Aristocratiam meliorem esse Monarchiâ affirmant.* Quo pacto effecit, ut Rex, omisso Bigotio, imposterum Castellanum, quem jam antea disputantem sæpius audiverat, unicè sequeretur. Melanchthon *Resp. ad Cavilonienses*.

Castellarius, apud Romanos, dictus est castellorum custos. Hic aquam per canales in urbem derivatam, & *castellis* primùm, (ita enim loca aquæ illi primùm excipiendæ destinata vocabantur) exceptam, certâ mensurâ in diversa loca urbis distribuebat. V. Jo. Rosinum *Antiqq. Rom. lib.1. cap.14*.

Castellio ad Matronam, adde: Hinc illustri familiæ nomen, quam Andr. Duchenius insigni opere repræsentavit. Deducitur illa ab Eude, Hervei Archiep. Rhemensis fratre, principio seculi X. & pluribus ramis viguit. Nam ex ea primum Vicedomini Rhemenses & Catalaunenses, Domini *de Basoches, Villesi a voir, Tocy, Baserne, Chasteau porcean, Pacy & Nantueil, Nanteuil la Fosse, Autresche* dein cùm Gaucherio III. Dn. *de Chastillon*, ab uxore Elisabetha Comitatus *de S. Paul* ac alia obtigissent, Comites *de S.Paul*, at aliis hæreditatibus *de Blois, de Soissons, de Dunois, & de Porcean, Domini de Leuse Conde, Enere, Blois, Dampierre, Rosoy, Clacy, la Fere*, descenderunt. Ducalem titulum Carolus Blesensis, ductâ hærede Ducatûs Britanniæ intulit, sed non eo quietè gavisus est, adversantibus Montfortiis: unde posteri titulo Com. Pentheuriæ ac Petricorii, Baronum *de Avangour* & *de l'Aigle*, contenti esse debuere. E Sanpaulensium & Porceanorum ramo novos palmites dedit Johannes Dn. *de Chastillon* & *Gandelus*, Magnus Coquus Franciæ, à cujus minoribus filiis derivantur Domini *de Ouro, Douy, Pontenil*, à primogenito Gaucherio, præter Dominos *de Marigny, Cissy & de Troissy*, primaria linea (sed veteri domus potentiæ minimè par) Dominorum *d'Argenton, Bouville, Farcheville, Boisrogues, La Greve*, &c. orta est: è quibus Ægidio Baroni *d'Argenton*, (filio Claudii, nepoti Claudii, pronep. Johannis Car. *de La Greve Bouville*, abnepoti Caroli de Chastillon Dn. de Bouville & Farcheville, qui obiit A. C. 1480.) nati sunt ex Maria *de Vivonne*, Andreas Dn. *de Fardeville* (A. C.1605.) & Franciscus Dn. *de Boisrogues* (n. A. C.1606.) V.Spenerum *Th. N. Tom.II.pag.40*.

Castellum Marcellinum olim, pòst circa annum C. 1132. ob immunitates Castellanorum, *Castrum Francum* nuncupatum, ac demum *Canoæ*, vulgò *Canes* dictum, locus est Galliæ maritimus, ad Lerinense Monasterium pertinens; circa sinum maris, inter Caput Rubeum vel Rufum, & Caput Galupe interceptum. Hadr. Valesius *Not. Gall.* in voce *Lerinus*.

Casteria, apud Plautum in *Asinaria*; *Quin pol si reposivi remum, Sola ego in casteria*, pro *schasteria* seu *chasteria*, Salmasio; quid sit, hisce exponit Lutatius, *ad Papinium Statium Thebaid. lib.5. versum 797*.

—— —— *Signo de puppe dato*,

A' gubernatore, inquit. *Nam pertica quædam est in navi, quam hortator remigum tenet, quam si incusserit, remiges non desinunt, si deposuerit, quiescunt à labore. Hanc Casteriam Plautus nominavit in Asinaria*, &c. Sed error manifestarius est Exegetæ. *Casteria* enim, Nonio auctore, locus est reponendis remis & instrumento cœtero nautico. *Portisculus* autem, ut docti Viri pridem notarunt, id quod indicatur his verbis. Casp. Barthius *Animadversion. ad Statium Tom. III. pag.604*.

Castor, animal amphibium, de quo sic Plinius *lib.32. cap.3. Castorea testes vocant. Amputari hos ab ipsis cùm capiantur, negat Sextus diligentissimus Medicinæ. Quinimo parvos esse substrictosque & adhærentes spinæ, nec adimi sine vita animalis posse. Adulterari autem renibus ejusdem, qui sunt grandes, cùm veri testes parvi admodum reperiantur*, &c. Unde eos ἀστείους Dioscorides vocavit, à cælatis vasis metaphorâ ductâ: ἀδιάκτος γάρ ἐστι ἀλλὰ ψιλαὶ αὐτοῦ ἀστείους ὄντας, apud Salmasium *ad Solinum pag.1046.* V. quoque in *Lexico*. Hinc *Castoriæ* vestes, in pretio olim, uti legimus, apud Sidonium *cap 7.* Ambrosium *de Dign. Sacerdot. cap. 4.* Haymonem *1. ad Timotheum cap.3.*&c. De *Castoribus* porro multa habet Sylvester Giraldus *Itiner. Cambriæ lib.2. cap.3.* at de medicinis è *castoreis* desumi solitis, V. latè disserentem Plinium *d.l.*

Castoris, marinum animal, tam horrendi ejulatus, ut audientes enecet, uti refert Ælianus *lib.9.c.50.* Hinc Oppianus *Halieutic. lib.1.*

Καστορίδες

[illegible]
[illegible]
[illegible]
[illegible]
[illegible]
[illegible]
Castoridesque, perniciosæ & gravis luctûs, quæque tristem
Vocem in litoribus, & infaustam emittunt
Hominibus. Qui verò clamorem auribus mœstum
Perceperit, querulæque vocis ejulatum audierit,
Non procul à morte erit: sed ipsi cladem
Et mortem gravissima illa præsagit vox.

Et Tzetzes *Chil.6. Histor.47.*

[illegible]
[illegible]
Castoris *autem* [illegible], *& quisquis audiverit illam,*
Brevi excedet ex misera hac vita.

E quibus patet falli eos, qui *Castoridem* pro fibro seu *castore* habent, in quibus doctissimus Rittershusius *Notis ad Oppian.* Aliud enim *castor*, aliud *castoris*; ille quadrupedes amphibium, hæc piscis est. Ille in ripis fluminum, hæc circa maris littora describitur & censetur ab Oppiano, inter ea cete, quæ nonnunquam è mari in siccum exeunt: cùm contrà castor ex terra in amnes feratur. Sed & castor verum est animal, *castoris* fabulosum, uti quidem videtur Bocharto *Hierozoici Part.I. lib 4. cap.1.*

Castra, interdum domus seu Palatium Principis, ac comitatus, Casaubono *ad Capitolinum in Antonino Pio*: unde *Castrenses*, h. e. Aulici, eidem *ad Lampridium in Severo.* Sed Græcis quidem τὸ [illegible] comitatus Imperatoris dictus est, item [illegible], *Epist.76.* & 110. Synesii, ut & in *Epist.* Theodosii & Valentiniani ad Synodum Ephes. [illegible] quoque [illegible], in *Mandato* ejusdem Synodi: præterea apud Palladium in *Vita* Chrysostomi, &c. Latinis verò *Castra* nunquam eadem notione sumta sunt, nec *Castrenses* ob id dicti, quod in *castris*, h. e. in comitatu Principis versarentur, Salmasio *ad Lamprid.* V. *infrà*, ubi de *Castrensianis* & *Castrensibus.* Apud medii ævi Scriptores *Castra* urbes dictæ sunt, quæ *Civitatis*, i. Episcopatus jus non habuerunt: Quo sensu occurrunt in *Not. Gall.* in Maxima Sequanorum, *Castrum Ebredunense*, *Castrum Vindonissense*, *Castrum Rauracense*, *Castrum Argentonense*, &c. *Vita* S. Medardi apud Surium: *Noviomus, cùm tunc temporis castrum, seu munitio haberetur, postmodum ipsius ejusdem gloriosi Pontificis Medardi ordinatione, Pontificalis cathedræ honore sublimatus est*, apud du Fresne. Nomen autem *Castrorum* multis in Europa urbibus hinc factum, memorat Salmasius, quòd ibi loci exercitus aliquando castra locassent. Sic cùm Græci exercitum vallo inclusum seu *castra*, χάρακα vocent, multis urbibus locisque Χάραξ nomen inditum occurrit. In Phrygia urbs fuit *Charax*, item in Caria, in Nicomediæ sinu, ad Persicum sinum, in Parthia, in Palæstina, alibi: Et Σεσώστριος χάραξ, multis locis impositum nomen, ubi Sesostris castra fuerat metatus, Strabo *lib.16.* V. eum *Exercitat. Plinian. ad Solinum pag.* 1203. Fuit autem *Castrametatio*, apud Romanos, talis. Loci ejus, qui maximè idoneus ad castrametandum videbatur, aptissimam partem, ad prospiciendum præcipiendumque, Imperatoris occupavit tentorium: Posito dein signo, ubi illud fixuri erant, metiebantur, circa signum spatium quadratum sic, ut omnia latera distarent à signo pedes centum, planumque ejus esset 4. actuum. Ad hujus figuræ semper unum aspectum unumque latus, quod visum erat aptissimum aquationibus pabulationibusque, locabantur Romanæ legiones. Tentoria Tribunorum æquali inter se distabant intervallo, eousque extensa, ut totam Legionum tendentium latitudinem assiduè occuparent; dimenso rursus spatio centum pedum in anteriorem partem ab omnibus tentoriis, fecere Legionum tabernacula: in quibus equitum peditumque locatio tentoriorum similis, adeoque quadrata fuit, V. Polybium *lib.6.* Wolfg Lazium *lib 4. Comment. Reip. Rom.* Lipsium, alios, prolixè & accuratè modum *Castrametationis* Rom. describentes. Cæsar lunatis *Castris* Thapsum, operibus communivit: Vegetius triquetram & semirotundam formam nominat. Et quidem ante tempora Camilli tantùm per æstatem militiæ fuere, domi fuere hyemantes: donec Vejis obsessis, primùm castellis ædificatis, castrisque munitis, in hostico hyemem cum æstate continuare cœpere, Plut. *in Camillo.* Liv *lib.5* &c. Tentoria seu tabernacula militum ex pellibus fiebant, unde *sub pellibus esse, exercitum sub pellibus retinere*, & consimiles phrases, V Valerium Max. *lib.2. cap.2.* Carolum Sigonium *in Liv. lib 5.* Jac. Ræyardum *Variorum lib. 4. cap.3.* &c. Habuere autem *Castra* Romanorum ut plurimùm portas 4. Quarum prima *Prætoria* seu *Quæstoria* dicta, vel Or. Solem spectabat vel è conspectu hostium dirigebatur. Secunda, seu à tergo castrorum *Decumana* vocata est, è qua desertores & facinorosi educebantur. Tertia *Principalis* habebat nomen, è qua Principes & summi Duces, velut ex postico, si quando opus esset, opem suis laborantibus ferebant. Quarta erat post Prætoriam & *Quinctana* dicebatur, per quam commeatus in castra vehi & rerum utensilium copia venalis exponi solebat, V. Alex. Neapolitanum *Genial. dier. lib .cap.12.* Imò præter has 4. portas, *Extraordinariam* habet quoque Turnebus *Adversar. lib.30. cap.24* ex Livio *lib.40.* &c. Apud Israëlitas *Castra* in tres erant divisa partes, quarum centrum occupabat Tabernaculum dictum *Castra divinæ Majestatis*: Huic proximi erant Sacerdotes ac Levitæ Tabernaculi ministerio destinati, quorum statio dicebatur *Castra Levi*: Extimas partes, XII. tuebantur Tribus, undique tribum Levi cingentes; Horum locus dicebatur *Castra Israël.* Tota Castrorum figura exactè quadrata fuisse scribitur, 12. mil. longa ac totidem lata, Uzield. Num. *cap.2. versu 3.* Ita autem locabantur duodecim Tribus, ut ad Orientem essent Juda, Isachar & Zabulon: Ad Meridiem, Ruben, Simeon & Gad: ad Occidentem Ephraim, Manasse ac Benjamin: ad Boream totidem Tribus, Dan, Asser & Nephthali: quæ omnes certis inter se spatiis, viarum ad instar, distinguebantur, in quibus merces venum exponi, velut in civitate pacata, solebant. Distabant verò Castra Israëlis omni ex parte à Tabernaculo 1. mill. ut colligitur ex Josuæ *cap.3. versu 4.* ubi spatium inter Arcam & Populum 2000. cubitorum esse jussum est. Hinc P. Fagius *in Num. cap.2. versu 3. Tradunt*, inquit, *Hebræi, filios Israëlis castrametatos fuisse in circuitu Tabernaculi, ut unum milliare interfuerit, i. spatium mille passuum, & hoc erat iter Sabbati.* In Castris Levi, (V. *suprà*) Orientem eorum partem tuebatur Moses, Aaron & Sacerdotes: Australem obtinebant Cahathitæ: Gersonitæ Occiduam, & Septentrionalem Meraritæ erant sortiti. In quorum omnium medio, Tabernaculum erat, Divinæ locus præsentiæ; Hinc *in medio Israëlitarum habitare* dicitur Deus, Psalmo 46. *versu 5.* Habebant porro XII. Tribus, quatuor Vexilla primaria, (Græcis τάγματα dicta, quò alludere videtur Apostolus 1. Cor. *cap 15. versu 23.*) quorum unumquodque triplici colore, coloribus gemmarum in pectorali summi Sacerdotis, quibus Patriarcharum nomina erant inscripta, respondente, insigne fuit: habebatque unumquodque eorum peculiare emblema, cum inscriptione conveniente. Sic primo vexillo inscripta fuisse, dicunt verba illa Num. *cap.10. versu 35. Surge Jehova, & fac, ut inimici tui dissipentur, ac, qui te odere, à facie tua fugiant.* De emblematis ita P Fagius *Num. 2.* ac Abenesra *ibidem Dicunt in vexillo Reuben fuisse imaginem hominis: in vexillo Jehudah, imaginem leonis; in vexillo Ephraim imaginem bovis, in vexillo tandem Dan imaginem aquilæ*: sub quibus formis Cherubinos sibi visos refert Ezechiel *cap.1. vers 10* V. quoque Apocal. *cap.4. versu 6.* Et fortè eòdem Veteres respexere, cùm Evangelistis quatuor eorundem animalium formas adscripsere: Matthæo hominem, Marco leonem, Lucæ bovem, & Johanni aquilam attribuentes, &c. Hoc modo itaque castrametabantur olim Israëlitæ, tum in Deserto, ubi per 40. annos errarunt, tum quoties bellum ipsis cum hostibus fuit. Imò & postquam terram Canaam, devictis hostibus, quietè tenerent, urbs Regni princeps Hierosolyma eandem formam imitata est: Namque docente Maimonide *in Beithhabchirah c.7 sect.11.* à porta *Hierusalem* usque ad montem, in quo templum, *Castra* erant *Israel*: à porta montis usque ad portam Curiæ, aliàs *Nicanoris portam* cognominatam, *Castra Levi*: reliquum tenebant *Castra divinæ Majestatis.* V. Thom. Godwynum *de ritibus Hebr. cap.8. lib.4.* de *Castra metandi* verò ratione Romanis usitatâ inprimis Salmasium *ad Solinum pag.671. & seqq.* ubi inter alia *Castra fossis circumducta*, unde *Fossata castrorum*, Hebræis *Gad*, Græcis [illegible], i. *septum*: & *Castrorum portas*, in conspectu rigoris stellam efficisse notat. Locum *Castris* idoneum hisce describit Papinius Statius *Thebaidos lib.7. versu 441.*

—— —— *tutis accommoda* castris
Arva notant, unde urbem etiam turresque videre
Sidonias: placuit sedes, fluvioque receptus.
Colle per excelsum patulo, quem subter aperto
Arva sinu, nulliqve aliis à montibus obstant
Aspectus, nec longa labor munimina durus
Addidit, ipsa loco mirùm Natura favebat,
In vallum elatæ rupes, devexaque fossis
Æqua & fortuito ductæ quater aggere pinnæ, &c.

Ad quem locum V. Casp. Barthium *Animadversion. Tom 3 pag.719.* Adde Leonem Philos. & Imper. *Tacticorum Epilogo*, Onosandrum *Strategico*, Vegetium *lib.1. cap 21. lib 3. cap.8.* &c.

Castratio marium, olim hodieque multo in usu, vetita est *LL.* Domitiani, Nervæ, Hadriani, simulque circumcisioni Judæorum fibula imposita, qui bellum proin Hadriano moverunt, à Pio tandem auxiliari lege impetrati, Casaubonus *ad Spartianum in Hadriano Cas.* Sed & jam Noachidis *castrationem* vetitam ajunt Magistri; unoque ore pronuntiant, Israëlitis ne ullum quidem animal ex lege castrare licuisse, Levitici *cap.22. versu 24.* quod & disertè habetur, apud Flav. Josephum *adv. Appionem lib.2.* Eousque Valesiorum hæresi, quæ omnes *castrari* voluit, Augustin. *de Hæres. cap.37.* Hebræi adversati sunt: ut falso tradat Strabo, genti huic [illegible], *exsectiones* pariter atque [illegible], *circumcisiones*, fuisse in usu, *Geogr. lib 16.* V. Joann. Seldenum *de Jure Nat. & Gent. juxta disciplin. Ebræor Lib. VII cap 3* In pœnam tamen *castratione* mulctati occurrunt servi, in adulterio & furto deprehensi, in *Lege Sal. tit.27. §.4. tit 42.§ 4 15.* Pæderastæ, in *L.* Wisigoth. *lib.3. tit.5. §.5. 7.* & apud Theophanem *pag. 151.* Mulierum oppressores, in *LL.* Wilhelmi Nothi, apud Bromptonum *pag 982.* & Knyghtonum A. C. 1087. Etiam proditor quidam oculorum & genitalium mutilatione punitus, legitur, apud Eugenium in *Ludovico VI. pag.1308.*

laudatum Carolo du Fresne in *Glossar.* Caeterùm qui huic mutilationi apud Romanos destinabantur, ab ipso ubere materno ad id rapiebantur, ancillarum inprimis, ac servarum filii, uti discimus ex Papinio Statio *lib.3. Sylv.4.* ubi de Domitiani lege praedictâ,

— — — *nunc frangere sexum,*
Atque hominem mutare nefas, gavisaque solos,
Quos genuit, Natura videt, nec lege sinistrâ
Ferre timent famulae natorum pondera matres.

Et Claudiano, ubi de Eutropio ait,

— — — *rapitur* castrandus *ab ipso*
Ubere, susceptiam matris post viscera poena.

Sed & adultos exsecabant. Idem Statius *lib. 4. sylv. 3. in Via Domitiana,*

Qui fortem vetat interire sexum:
Et Censor prohibet mares adultos
Pulchrae supplicium timere formae,&c.

V. Casp. Barthium *Animadversion. ad Statium d. l.* & plura hanc in rem infrà ubi de *Eunuchis* & *Spadonibus.*

Castrenses Ministri, apud Æl. Lampridium *in Alexandro Severo, Aulicum ministerium in id contraxit — ita ut annonas, non dignitatem, acciperent fullones & vestitores & pistores & pincernae, omnes* Castrenses *Ministri, quemadmodum,&c.* iidem cum *Aulicis ministris & Palatinis ministris*, quibusdam ita dicti sunt, quòd in *Castris*, h.e. in comitatu Principis, versarentur. Sed hoc si esset, etiam Corporecustodes Protectores & Domestici, qui latus Principis protegebant & militiam sequebantur armatam, isto potiùs nomine fuissent dicti: quos tamen constat nunquam ita fuisse vocatos. Imò nec omnes, qui Palatinorum matriculis attinebantur, hoc nomen habuere. Nam qui in scriniis Imperatoriis militabant, id est, Memoriae, Epistolarum, Libellorum &c. in numero ac sub nomine *Castrensium* ministrorum nunquam fuerunt. Sed nec Admissionales, nec Cubicularii, eadem appellatione censebantur. Aliquot Ministros ex iis, qui propriè *Castrenses* dicti, nominat Lampridius *l. c. Fullones, Pistores, Vestitores, Pincernas.* Praeter quos & *Coci*,& *Piscatores*, & *Balneatores*, & *Cursores* etiam, ac coeteri, qui propriè *Ministri* vocabantur & aliquod ministerium in Aula gerebant, sic appellati sunt. Corippus eos, sic describit ac enumerat.

Adfuit obsequio castrorum turba virorum,
Illis summa fides, & plena licentia sacris
Deservire locis, atque aurea fulcra parare,
Regales mensas epulis onerare superbis,
Conservare domum, sanctumque intrare cubile,
Internas munire fores, vestesque parare.

Ubi tamen *castorum* legit du Fresne, Eunuchosque hic intelligi ait. Hinc *Castrensem* Ministrum exponunt *Glossae* Graecorum: Καφοῦ-σιος, ὑπουργός. Eædem *Castrensem* vocant, qui mandata Principis exequeretur, Καφοῦσιος, σωλλεύς, & pro *Magisteriano* cum accipiunt. Exequendis enim Principum mandatis, maximè adhibiti Magisteriani vel Agentes in rebus, Μαγιστριανός, ὁ Καφούσιος. Alibi namque Μαγιστριανὸν etiam *Mandatorem* exponunt: unde est, quòd eaedem Glossae *Castrensem* ἀγγελιος σωλλεύς interpretantur. *Sacri Palatii Ministeria* iidem dicuntur, in *Cod.* Theodos. & *Sacro Ministerio Deputati, Cod. de Castrensian. leg. 4.* Militabant autem sub *Castrensi sacri Palatii*, qui & *Castrensis* simpliciter dicebatur *l. 3. Cod Theodos. de privileg. eorum, qui in sacr. Pal. mil.* & separantur à Palatinis scriniorum & ab Admissionalibus & Largitionalibus Palatinis, *eod. leg.* ut & *lib.7 tit.eod.* Dicti & *Ministeriani* vel *Ministeriales*, quòd de sacro ministerio essent: unde tit. in *Codice, de Castrensibus & Ministerianis,&c.* Appellatos autem *Castrenses* ministros Palatinos vult Salmasius, quòd semper adessent Principi, nec tantùm in Aula, vel in Urbe, sed in castris etiam, obsequium illi ac ministerium exhiberent, & in omnibus expeditionibus, eum sequerentur. Nam quocunque iret Imperator, id *Expeditio* vocabatur, ut videre est apud Spartianum in *Pio*, & Constantinum *de Palatinis.* Adeoque illi *Castrenses* sunt Aulici ministri, qui ab officiis Palatinis & sacris scriniis, uti dictum, separantur. V. *l.15. Cod. de erog. milit. ann.* aliàs quoque *Castrensiani*, & *Ministeriani* & *Ministeriales* dicti. Unde Recentioribus *Ministeriales* Regum, Ducum, Comitum dicuntur, *Castrenses* & expeditionales servi, qui Dominos suos in expeditionibus sequerentur, & semper praestò essent in bellicis actibus. V. in *LL.* Burgundionum, in *Capitulis* Caroli M. & infrà in voce *Ministeriales.* Quia verò inter *Castrenses* etiam Vestitores erant, uti patet ex loco Lampridii *cit.* & *Cod de Castrensibus & Ministerianis l.3.* inde Καστρήσιος vocarunt, Graeci recentiores, Ministerianos Pontificis vel Patriarchae, qui eum vestiebant, Codinus *de Officio Aulae CP.* Joann. Episcopus in *Resp.* Alii,&c. V. Salmasium *Not. ad Æl. Lampridium in Alexandro Severo.*

Castrensis, qui & *Comes Castrensis*, dignitas olim Palatina: qui *Castrensibus* seu *Castrensianis* praeerat, eratque sub dispositione Praepositi sacri Cubiculi, uti colligit du Fresne ex *l. un. Cod. Theodos. Qui à praebit. tiron.* Sub ejus verò dispositione erant *paedagogia, ministeriales dominici. Cura Palatinorum*, ut est in *Not.* Imperii. Meminit praeterea officii ejus *l.1.2. Cod. Theodos. de Castrensianis, l.12. de Palat. sacr. largit.&c.* V. suprà in voce *Castrenses.*

Castrensis Corona, dabatur apud Romanos ei olim, qui primus hostium *Castra* pugnans introisset. Et haec quidem frondea antiquitus. Plinius *lib.16.cap.4. Romulus frondeâ coronavit Hostium Hostilium, quòd Fidenam primus irrupisset.* Dein aurea fuit, cujus insigne vallus, A. Gellius *lib.5. cap.6.* Castra enim, obstructis portis non aliâ ratione poterant capi, quàm dejecto ac superato vallo. Unde & *Vallaris* dicta. Val. Maximus, ubi de castris Lucanorum & Brutiorum, expugnatis à C. Fabricio Cons. *lib. 1. cap. 8. Postero die cùm Consul inter honorandos — vallarem coronam ei se servare dixisset, à quo castra erant oppressa,&c.* Anteibat illa, uti & muralis, reliqua dona militaria, unde non nisi praecedente accuratâ inquisitione conferebatur. Suetonius *Augusto, Dona militaria aliquanto faciliùs — quàm vallares ac murales coronas, quae honore praecellerent, dabat. Has quàm parcissimè & sine ambitione, ac saepe etiam caligatis, tribuit.* At postea senescente jam ac decrescente Imperio, ut pleraque alia, ita tantae quoque rei decus ad illos coepit transferri, qui vix unquam castra viderant, sed solùm erant in comitatu Principis; adeoque non tam virtute, quàm gratiâ & favore Principis, more sensim recepto, iis praemiis, quae non meruerant, donabantur. Cujusmodi sunt illae *Castrenses coronae*, de quibus Tertullianus *de Coron. mil. Est & alia*, inquit, *militia regiarum familiarum. Nam &* Castrenses *appellantur munificae, & ipsae solennium Castrianorum.* V. Car. Paschalium *Coronarum lib.7. cap.3.*

Castriani, adde: Verba ejus sunt, *Monetarii — compressi sunt, septem millibus Hiberorum, Riparensium &* Castrianorum *& Daciscorum interemtis.* Meminitque Riparientium & *Castrianorum* Codex Theodos. *l. ult. de re milit.* Sed *Castriciani* ibi nominantur, Salmasius *ad Vopiscum.* Hodie milites Turcarum infimae sortis, qui, ad Janizerorum dignitatem non aspirantes, in castris urbibusque praesidiarios solùm agunt, Turcisque *Nefrides*, vel *Isarlides*, appellantur, *Castrianos* Graecis dici, notat Jac. Sponius *Itiner. Graec. Part.2. pag.132.*

de Castro, ramus est serenissimae familiae Portugallicae, ab Alfonso, e Burgundiae veterum Ducum, atque ita è Regum Galliae Capetinorum familia oriundo, qui floruit A. C. 1139. fundatae. Hujus progenies mascula cùm defecisset in Ferdinando A.C. 1383. gener ejus Johannes Castellae R. regnum sibi vindicavit, contra quem electus Johannis Ferdinandi frater nothus, sceptrum ad posteros propagavit; donec extincto Sebastiano A.C. 1578. masculus legitimus nullus superesset: quo facto Philippus II. Hisp. R. regnum occupavit. Sed sub nepote ejus Lusitani, Castellanorum imperium pertaesi, ex Bragantinis (qui ex notho Johannis R. orti, per foeminam quoque ad Emanuelem R. genus referebant) Johannem Regem esse jusserunt, ut alibi visum. Cujus patruus Edoardus, ex Beatrice *de Toledo-Oropesa* haerede, filium habuit Ferdinandum, Toleto-Oropetanorum progenitorem. Inter reliquas lineas è Bragantinis descendentes, domus quoque est *de Castro*, à Dionysio Jacobi D. Bragantini fratre orta. Hic enim Ferdinandi II. Ducis Bragantiae, A. C. 1483. extincti filius, ex Beatrice de Castro, genuit Ferdinandum *Ruis de Castro Com. de Lemos*: quo & Teresâ *de Andrada Com. de Villalva*, natus Petrus Fernandez *de Castro Andrada C. de Lemos*, pater fuit ex Leonora *de Cueva*, Ferdinandi Roderici seu *Ruis*, extincti A.C. 1601. cujus, ex Catharina *de Sandoval*, filii fuere Petrus *Fernandez* Com. *de Lemos* March. *de Sarria* (ux. Catharina *de Sandoval & Roxas*) Franciscus Dux *de Taurisano* (extinctus A. C. 1637. maritus Lucretiae Gatinarae Leguanae) & Ferdinandus Com. *de Gelves*, (cui uxor obtigit Leonora *de Portugallia de Gelves*) Spen. *Tom.I.p.6.*

Castrum Doloris, *in Ceremoniali Episc. lib. 2. cap.11.* Si aderit in Ecclesia *lectus mortuorum seu Castrum doloris.* Infrà, *cum quo ibant ad feretrum, seu Castrum doloris.* Dominico Macro Cenotaphium est, seu tumulus, in exequiis defuncti cadaver repraesentans, *Ideò*, inquit, *Sacerdos, qui preces recitat, & Subdiaconus cum cruce debent se collocare eodem in loco, in quo secundùm rubricas sistere se deberent, praesente cadavere*, in *Hierolexico.*

Castrum Gaillardum, vel Guallardum, vulgò *Chasteau Gaillard*, locus est Galliae, prope Radipontem *Rasepont*, in Veliocassibus: Ejus meminere Britto & Rigordus, apud Hadr. Valesium in voce *Radipons.*

Castrum S. Sidonii, locus Galliae, in Caletis, Monasterio illustris, vulgò *S. Sens*, aliàs *S. Saens.* Distat ab urbe Rotomago 4. leuc. Orderico Vitali memoratum. Hîc oritur Guarenna seu Warinna fluvius, inde *fluvius S. Sidonii* quoque dictus, teste *Chronico* Fontanellensi *cap 9.* V. Hadr. Valesium *Not. Gall.* in voce *Caleti.*

in *Castu*, vel *Casto* Cereris esse, Graecè τῷ Δήμητρος ἁγνεύειν, quid sit, V. suprà in voce *Caduceum*, item in voce *Cerealia.* Addam hic saltem, ut eo exactiùs castitatem servarent αἱ Θεσμοφοριάζουσαι, hae, κνέωρον sibi durante festo substravisse, quòd inimicum id esset generationi; nam foetus in utero necabat appositum, Salmasius *ad Solinum.* Sed & Plinius *agnon*, eodem fini illis adhiberi consuevisse, docet *lib.24. cap.9 Graeci lygon vocant, alii agnon, quoniam Matronae Thesmophoriis Atheniensium castitatem custodientes, his foliis cubitus sibi sternunt.* Nempe Sacra maximâ castimoniâ tractanda esse, etiam Gentiles agnovere. Unde Musi & Esseni ἄζυγες ἀνθρωποι, Galli matris Sacerdotes virilitatem sibi adimebant testâ, Hierophantae Pontificatum adepti cicutâ se castrabant; recto propiùs Gymnosophistae pomis, oryza, farinâ contenti, carnibus abstinebant,

abstinebant, Jovis in Creta sacrifici in cibum nil admittebant, quod coctum esset,&c. Quod & Jure Pontificio cautum erat, *Ad Divos castè adeunto, pietatem adhibento: opes amovento, qui secus faxit, Deus vindex erit.* V. Alexandr. ab Alexandro *lib.4. cap.17.* & Dalechampium *Not. ad Plinium.*

Castula, palliolum fuit præcinctui, quo nudæ infra papillas præcingebantur mulieres, inprimis postquam subuculis uti desierunt, V. Varronem *de Vita Pop. Rom. lib.1.* Plautum,&c. Alii pro *Castula*, apud Plautum *Caltula* legunt, de qua Nonius: *Caltulam*, inquit, & *Crocotulam*, *utrumque à generibus florum translatum, à caltâ & à croco.* Octav. Ferrarius *de re Vestiar. lib.3. cap.20.*

Casubula, Gallis *Chasuble*, Siculis etiamnum *Casubula*, vestis est Sacerdotalis in Ecclesia Rom. eadem cum *Casula* & *Planeta*: dicta à *casa*, quòd totum hominem, ut *casa*, tegat. Nempe vestis hæc olim totum Sacerdotem à collo ad pedes ambibat, atque adeò brachia ipsa & manus tegebat: ita ut, si iis ad sacra facienda vellent uti, necessum haberent *Casulam* ad utrumque latus erigere, aut fibulâ cohibere, uti du Fresne docet ex Ruperto. Erat autem vett. Casulis Pallii Archiepiscopalis figura attexta, quomodo hodieque complures habentur, in majorum Templorum secretariis, in quibus circa collum limbus alterius coloris antè & retro pendulus affixus conspicitur, ubi hodie retro tantùm in crucis attexitur figuram. V. Gregorii M. imaginem ex musivo expressam, quæ habetur post ejus *Vitam*, à Joanne Diacono exaratam, & Episcopi alterius in S. Germani Pratensis Templi porticu & similes, quæ Romæ in vett. Ædibus sacris visuntur. Quia itaque rotunda & clausa fuit ex omni parte revolvique toties ac replicari necesse habebat, quoties sacra peragenda essent, factum est, ut Latini eam paulatim in latere rescinderent, ut hodie non ampliùs *Casulæ*, sed Monachici scapularis formam præ se ferat. Græci verò hodieque antiquam formam mordicus retinent: atque iis intexunt, ad modum crucis quadruplicatæ, literam *Gamma*, hincque πολυσταύριον, h. e. *multicrucem* & *gammadium* vocant. Iidem solâ *Casulâ* induti, absque Alba, sacra faciunt,&c. Sed & in genere *Casula* omnibus Clericis, apud Amalarium *de Eccles. Offic. lib.2. cap 19.* Diaconisque tribuitur, in Concilio Liptinensi *can.7.* V. Honor. Augustodunensem *lib. . cap.231.* Pro habitu Monachico sumitur, adeoque pro ipsa cuculla, apud Theodemarum Abbatem, & Auctorem *Vitæ* S. Fulgentii Episcopi Ruspensis *cap.18.* V. Haeftenum *Disquisitionum Monastic. Tract. 3. disquis.I.* Imò famulis ac viris privatis tribuit Procopius *Vandalicor. lib.2. cap.26.* Γελίμερ ἀμπεχόμενος ἐσθῆτα ... *Veste indutus, quæ nec Duci exercitus, nec militi, sed servo potiùs aut idiotæ conveniret*: Casulam *Latinâ voce*, *Romani vocant.* Muliebri insuper sexui, Carolus Macer, ex antiquis picturis in musivo Tribunæ S. Cæciliæ Transtyberinæ regionis,&c. V. Macrum utrumque in *Hierolexico* & Car. du Fresne in *Glossario*: quorum hic vocis originem nonnullis arcessi, à Græco καύσων vel καῦσος & κάσωρος, quæ Polluci & Hesychio, aliisque Grammaticis ἱμάτιον παχύ, *vestem coactilem*, sonet, apud Xenophontem inprimis, addit, ex Salmasio *ad Solinum pag.966.* V. & hic infrà.

Casula, idem cum Planeta, vestis Sacerdotalis, quæ circumerrans totum ambit corpus, rotunda ac per totum clausa, uno circumjectu totum involvens corpus, sicque utrumque stringens brachium, ut nisi à lateribus utroque pariter brachio sublevari possit. Isidorus *lib.19. cap.28. Casula est cucullа, à casa, quòd totum hominem tegat, quasi minor casa*; elegantiâ ejus ævi propriâ. Gemma Animæ *cap. 07. Casulam, scribit, omnibus aliis vestibus circumjici, quæ Planeta dicatur, quòd errabundus limbus ejus utrimque in brachia sublevetur. Hæc in pectore, & inter humeros duplicatur, in utroq; brachio triplicatur.* E quibus patet, *Casulam* sive Planetam, quæ olim in usu, vestem fuisse laxam, rotundam, circumclusam, quæ totum corpus involvebat & utrimque à lateribus in scapulas rejiciebatur: unde togæ species fuit; à qua tamen differebat, quòd in toga dextrum brachium, quâ parte patebat ad pectus, exerebatur: sinistrum sub ipsa toga ejusdem reductione extollebatur; Atqui in *Casula* utrumque brachium subjectum, ex inferiore parte ipsam contrahendo, expediebatur. Quod fortè ideo factum, quia modestior & magis verecundus hic habitus fuit, quodque, ut in antiquis picturis videre est, non omnino exertâ nudâque manu, sed veste obvelatâ, res sacræ tangebantur. Et quoniam non aliter expediri brachia poterant, quàm subductâ *Casulæ* orâ, & in humeros rejectâ: hinc factum est, ut inter Missarum solennia, cùm mysteria elevanda & populo ostendenda erant, quòd *Casula* seu Planeta sic contracta utrumque brachium deprimeret, ac prægravaret, ut difficulter posset attolli, aræ minister posteriorem ejus lacinam sublatam sustentaret, quò facilius brachia Sacerdos extolleret: qui mos nunc quoque, scissâ licèt jam veste & brachiis exertis, viget. Octav. Ferrarius *de Re Vestiar. lib. 1. cap.36. & 37.* Eam malè quidam cum Pluviali confundunt, quæ vestis totum quidem hominem coopericbat, interim aperta erat ac fibulâ nexa: quam meliùs Pænulam, Græc. Φαινόλιον, in Actis Concilii Ephesini, interpretantur Eruditi. V. eundem *ubi suprà cap.39.* & infrà in voce *Planeta.*

Casus & Eventa, inter Romanorum Deos, Clem. Alexandr. *Protrept. pag.1.*

Casytas, Græcè Κασύτας, nomen Syriacæ herbæ, apud Theophrastum & Plinium, quæ in aliena terra nascitur, non arboribus modò, sed etiam spinis sese circumvolvens; Quemadmodum epithymon stœbæ innascitur, phaunos oleastro deputato,&c. Sine radice enim est, ut pleræque herbæ, quæ alienis stirpibus innascuntur. Hodie *cuscuta* dicitur, Arabicè *Casuth.* V. Theophrastum inprimis *de Causis lib.2. cap.22.* & Salmasium *ad Solinum pag.1290.* nec non suprà in *Cassutha.*

Catabanes, adde: Salmasio una hæc fuit ex quatuor gentibus præcipuis Arabiæ Felicis seu odoriferæ; ad Occidentem, prope fauces Arabici Sinus, sita: ex Stephano, Καταβανεῖς, ἔθνος παρὰ τῷ Ἀραβίῳ κόλπῳ. Qua de gente, V. eum pluribus agentem *Exercitat. Plin. ad Solinum pag.485. & seqq.*

Catabaptistæ, apud Calvinum *Institut. lib. 4. cap.15. §.16.* Iidem cum Anabaptistis sunt, qui errorem Novatianorum ac Donatistarum, *de Baptismo infantum*, jam olim explosum, præterito seculo renovarunt: refutati à quamplurimis gravissimis Theologis, inter quos V. inprimis Frid. Spanhemium *Syntagm. Part.2. Diss. de orig. & progr. Anabaptistarum, & seqq.*

Catabarbara, locus in Exquilino urbis Romæ monte, ubi Ædes erat S. Andreæ, hodie in Hospitali S. Antonii Abbatis inclusus; dictus ex voce Græca κατὰ & quadam Barbara Patricia, q. *prope* seu *versùs locum Barbaræ.* Sic *Catagalla*, nomen itidem loci Romæ, apud Anastasium, h. e. *prope locum Gallæ matronæ.* Latini namque præpositionem Græcam Κατὰ, sequiori ævo suam fecerunt, pro *ad, juxta, versùs, secundùm*, eam usurpantes. V. Macrum in *Hierolexico* & Car. du Fresne *Glossar.*

Catabolenses, in *rubr. Cod. Theodos. de Pistor. & Catabol. l.14. tit.4. & eod. tit. leg.9.* Budæo in *Adnotat. posterior.* sunt qui panes exercitui præstiterunt, ἀπὸ τοῦ καταβάλλειν, id est, *solvere*, præstare. Et certè καταβολὴ, in Glossis Græco-Lat. ἡ ἀπόδοσις est, *solutio, præstatio*: unde *catabolum*, pro eodem, in *Gestis* Dagoberti R. *cap 18.* & in *Ch.* ipsa Dagoberti vel potiùs Chlodovæi III. apud Mabillonium *Actorum Ordinis S. Bened. Tom.IV. pag.618.622.* At aliud suadet locus Cassiodori *Var. Epistol. lib.3. ad Festum V. I. Patric. Atque ideo magnitudini tuæ præsenti admonitione declaramus, ut marmora, quæ de domo Pinciana constat esse deposita, ad Ravennatem urbem, per* Catabolenses *vestrâ ordinatione dirigantur.* Nempe *Catabulenses* legendum, quâ voce intelliguntur, qui oneraria & *Catabularia* jumenta ductabant. Horum Corpus sive Collegium in Urbe constitutum erat ex libertinis hominibus, quod ideo in *Cod. Theod.* jungitur Corpori & Collegio Pistorum, quòd *Catabolenses* molenda frumenta animalibus farinasque comportarent, ut censet Cujacius *Observat. lib.16. cap.5.* Confirmat id idem Cassiodorus *lib. 4. Epist. 47. Et ideo 50. solidorum mulctam non jam veredarius, sed* Catabulensis *incurrat, quisquis ultra centum libras parhippum crediderit onerandum.* A voce *Catabulum*, quæ & ipsa ἀπὸ τοῦ καταβάλλειν, i. *comportare*, originem habet. Papias, *Catabulum, clausura animalium, ubi desuper aliquid jacitur.* Addit Baronius *ad 16. Januar. animalium*, non quidem sylvestrium, *sed jumentorum, quæ publicæ utilitati, ad vehenda onera, inservirent*, V. Car. du Fresne in voce *Catabulum.*

Catabolici, apud Tertullianum *de Anima*, Fulgentium *de Contin. Virgil.* & Zenonem Veronensem, Filesaco *Selector. lib.1.* Mathematici sunt, quasi Καθολικοί, à *consulendo*, sic dicti: Salmasio Spiritus, qui per arreptitios & energumenos futura prædicentes, eos dejicere, adfligere, prosternere, quod Græcis καταβάλλειν est, consuevere. Tres enim Deorum vel Dæmonum species satis disertè his verbis facit recenseteque Fulgentius, *Nec illa, quæ Dardanus in Dynameris, aut Battiades in Paredris, aut Campester in* Catabolicis *Infernalibusque cecinerunt*: viz. *Dynameros*, *Paredros*, de quibus V. suo loco & *Catabolicos*, quos eosdem cum Infernalibus videtur facere Fulgentius, vel Campester potiùs, qui de his librum composuerat. Hi itaque vel ἀπὸ τοῦ καταβάλλειν, quòd dejicerent prosternerentque, quos Numine suo implebant; vel ἀπὸ τῆς καταβολῆς, h. e. *accessione & afflatione cum impetu*, quòd derepente irruerent & vates suos corriperent, spirituque implerent fatidico, nomen invenere. Καταβολὴ enim ἐπίπνοιαν Θεοῦ ἢ κάθοδον seu κατοχὴν dæmonis significat, teste Polluce *libro 1. cap. 18.* Similiter καταβολὴ πυρετοῦ, *accessio febris* est, apud Medicorum filios. V. Salmasium *Notis ad Spartianum in Hadriano Cæs.*

Catacausmos Iliacus, h. e. Trojæ incendium, titulus Carminis, quod Nero; item Lucanus, composuere. Idem *ibid.* Simile quid de Hadriano conjicit Casaubonus, qui, ubi Spartianus habet, scripsisse eum *Catacrianos libros obscurissimos*, pro *Catacrianos* legi vult, *Catacausmos*, seu *Catacausmos*, & multifariam exponi posse hunc titulum: Vel, quòd Orbis terrarum incendium, quod Phaëthontis temeritate accidit, eo opere descripsisset; vel quòd Heracliti & aliorum Philosophorum sententiam, de futurâ conflagratione, quâ totum hoc periturum pronuntiabant, istis libris tractasset, contendit. Certè utrumque horum duorum argumentorum, sive incendii Poëtici, sive Heracliteæ ἐκπυρώσεως, cujus meminit Marcus Imp. *lib.3.* intextis Lycophroneo more fabulis antiquis, obscuritatis fuit capacissimum. V. Casaubonum *Not. ad loc.* Aliter

tamen

tamen Salmasius *ad mend.* judicat, uti videbimus infrà, in voce *Catacriani.*

Catacecaumene, adde: Meminit ejus Ptolomæus quoque inter Insulas Arabici sinus, *Κατακεκαυμένη*, *Μαλίχα*, *Ἀδανῖ*. Latinis *Exusta*; propter ardorem namque deserta est & inhabitata. Salmasius *ad Solinum pag.*1240.

Cataclista Vestis, apud Tertullianum *de Pallio cap.*3. *Quanquam & pavo pluma vestis, & quidem de cataclistis*: Græcè *κατάκλειστος*, pretiosa est. Ita enim Græci vocant, quidquid servari diligenter & clausum teneri meretur. Sic puellas Virgines, quas tenellis asservandas diligentiùs uvis Poëta quidam scribit, Callimachus *κατακλείστους* vocat; his versibus,

Παῖδες αἱ κατάκλειστοι,
Ἃς φασιν οἱ τεκόντες
Εὐναίους ὀαρισμοὺς
Ἔχθειν ἴσον ὀλέθρῳ.
Virgines occlusæ,
Quas dicunt parentes
Conjugales sermones
Aversari debere, tanquam exitium.

Imò & *κατάκλειστοι*, hinc meretrices quædam dictæ, quæ cariùs se venditarent, nec paterent omnibus: *devia scorta*, Horatio. *Κατάκλειστα ἔχειν τὰ βιβλία*, apud Strabonem, de Apelliconis hæredibus, qui libros Aristotelis sub clave habebant, nec in publicum exire sinebant. Atque inde, ut dictum, *κατάκλειστον*, de re pretiosa, quæ non pro derelicto haberi, sed studiosè conservari ac tuto loco concludi digna est. Unde *Cataclista vestis*, vestis synthesina & in arca recondi solita, Apulejo *lib.*11. *Eas amœnus lectissimæ juventutis, veste niveâ &* cataclistâ *prænitens, sequebatur chorus.* Ubi de veste sermo est, festivis tantùm diebus & solennitatibus promendâ ac sumendâ; cujusmodi rariores vestes non habebantur quotidie, sed in arcis servabantur. Eodem sensu aurum *κατάκλειστον* vocat Sextus Empiricus *lib.* I. & *cataclista vasa*, apud Fortunatum; i.pretiosa: apud Eund.*cataclista fila*, cara ac pretiosa sunt:

Quæ manus artificis cataclistica *fila rotavit*,&c.

Sunt tamen, qui apud Tertullianum, non *Cataclista*, sed *Catacliva* legant, uti pluribus exequitur Salmasius, *ad loc.* & libri omnes scripti editique præ se ferunt, V. infrà. Quin tamen *Cataclista* retineri possit, cùm nihil facilius sit, quàm unicam literam revocari, quæ fortè culpâ Librarii deest, vix dubium est; quam in sententiam non ipse solùm Salmasius aliique, sed & Carolus du Fresne, concedit. Cui tamen vestes *Cataclistæ*, non sunt eæ, quæ in arca servari solent, ut cum Salmasio Cerda sentit; nec quæ undique clausæ sunt, ut Susanneus habet in *Collectan.* & Beroaldus *ad Appul.* Sed, quibus lapilli ac uniones intexi solent, qui quodammodo in opere includuntur (V. infrà in voce *Clusor*) atque sic *κατακλείονται*: eædem proin cum iis, quæ Phrygio opere adornantur, quæque Latinis sequioris ævi *Cataclyzæ* dictæ reperiuntur. V. infrà in voce *Cataclyza.*

Cataclita, apud Tertullianum *l.c.* ita enim omnes libri scripti ac editi constantes præ se ferunt, *Quanquam & pavo pluma vestis, & quidem de cataclitis*: Græcè *κατάκλιτα*, *accubita* sunt; tori nempe, quibus ad mensam accumbebatur. Nam *κατακλίνεσθαι*, est *ad mensam accumbere*, & *κατάκλισις*, *accubitio*: inde *κατάκλιτον*, *accubitum* vel *stibadium*. Vestis igitur de *Cataclitis*, sic Afro fuerit vestis cataclitorum: quibus cataclita nim. sternebantur, h. e. accubita, vel tricliniares lecti. Et quidem *de cataclitis vestis* non malè pavo tribuitur, quia vestes hujusmodi tricliniares aut accubitales pictæ ut plurimum & auro purpuraque insignes erant. Babyloniorum inprimis peristromatum in sternendis accubitis olim usus, quæ auro & purpurâ picta fuisse, aliisque coloribus intexta, nemo nescit. Hinc & Publius Syrus pavonem, qui duobus præcipuè coloribus, aureo & purpureo, superbit, Babylonico amictum facit, h. e. *veste de cataclitis*:

Tuo palato oculosus pavo nascitur
Plumato amictus aureo Babylonico,&c.

Salmasius *ad loc.* qui tamen non multum repugnat, quin de *Cataclistis* legatur, uti vidimus. Certè, *qui attentè verba Tertulliani expenderit, per cataclita materiam potiùs vestis expressisse deprehendet*, inquit du Fresne, V. eum in *Glossario.*

Cataclyza, apud Gregorium Turon. *de Gloria Confess lib.*2. *cap.*63. *Verumtamen calicem non imminuit, quia* cataclyza *in ipso fuerant soli data*: Cerdæ sunt fundus vasis; Carolo verò du Fresne, lapilli *solidiùs* vasi inserti, opere inclusorio & aurifabrili. Cui proin vox corrupta videtur, pro *Cataclista*, Gr. *κατάκλειστα*; quemadmodum itidem recentiores Latini ipsum opus *cataclyzoma* vocarunt. *Artem* autem *Cataclyzomatis*, eandem fuisse quæ Aurifabrorum, qui operibus suis lapillos & gemmas innectere seu *includere*, quod *κατακλείειν* Græcis est (unde *Clusores* & *Inclusores*, & *Inclusorium opus*) consuevere, docet Arnobius Iun. *in Confl. cum Serapione lib.*I. *Unum diadema video, sed in ipso diademate*, cataclyzomatis arte *gemmæ constitutæ.* Quod verò in solida materia faciebant Aurifabri, id fecere in vestibus Phrygiones, quibus gemmas pariter & lapillos intexuere ac inclusere: Hinc, uti *Catacliza* de vasis, Gregorius & de diademate Arnobius dixere; ita Fortunatus in *Vita* S.Martini *lib.* 3. vocem usurpavit, de vestibus, cujus versus ex Codice MS. literis Longobardicis exarato, qui in Bibliotheca Monasterii S. Germani Paris. asservatur, hunc in modum exhibet du Fresne:

Vidisti thalamum Sponsi super omnia pulchri,
Compositum gemmis, auroque ostroque decorum:
Quanto zona die lapidum radiabat honore,
Cyclades aut quales cataclycis *effera vasis.*
Quæ palla ex humeris mixto chryso Phara beryllis,
Quodve monile decus collo radiabat in illo?

Ubi *Cataclyca vasa*, idem exponit pannos gemmis unionibusque exornatos. V. iterum Fortunatum *lib.*4. ubi in vestibus pretiosis describendis occupatus est, & *cataclyzica fila* memorat. Idem *permixtis radiantia vela antha gemmis* istiusmodi vestes vocat *lib.* 2. quemadmodum *confertas gemmis vestes*, Vopiscus *in Aureliano*: *crassiore auro smaragdinisque superinsutas*, Dudo *de Moribus Normannorum lib.*3. *pag.* 153. laudatus præfato Carolo du Fresne in *Glossario.*

Catacombo, Guianæ Inf. cujus incolæ circumcisione utuntur, Tob. Pfannerus *System Theol. Gentil cap.*14.§.1.

Catacriani Libri, apud Spartianum in *Hadriano Cæs Famæ celebris tam cupidus fuit, ut libros vitæ suæ scriptos à se libertis suis literatis dederit, jubens, ut eos suis nominibus publicarent: nam Phlegontis libri Adriani esse dicuntur*, Catacrianos *libros obscurissimos, Antimachum imitando scripsit*: quinam fuerint, in obscuro est. Regiæ membranæ *Catacaymos* habent, Puteani codices *Catacaimos*, unde Casaubonus facit *Catacaumos*, uti vidimus suprà. Scaliger *Catachrianos*, insertâ aspiratione, legi vult, intelligique libros *τῶν κατὰ χρείαν λεγομένων*: in Rhetorum enim Scholis docebantur tirones alia *κατὰ χρείαν*, alia *κατὰ γνώμην*, dicere. Et exercuisse se Hadrianum in illa Rhetorum Schola ac *Μελέτας* scripsisse, Photius in *Biblioth.* docet. Lilius Giraldus quatuor alias emendationes diversas, quà suas, quà aliorum, in medium profert; quarum tamen ejusmodi nulla est, in qua meritò judicia doctorum acquiescant. Salmasius in vetustissimis Spartiani excerptis reperit *catacannas*: quam eandem lectionem in vett. libris Turnebus sibi notatam, testatur. Quo modo dici posset, olim *τὰ κατὰ Κάννας* scripsisse Hadrianum & hunc operis illius obscurissimi titulum fuisse. Sic ergo legendum loco Spartiani *cit.* esset: *τῶν κατὰ Κάννας, libros obscurissimos Antimachum imitando scripsit.* Ubi *τὰ κατὰ Κάννας*, essent *res ad Cannas gestæ*: ut memorabilem illam Cannensem cladem versibus descripserit Hadrianus, exemplo Antimachi, qui Bellum Thebanum composuit,&c. V. Salmasium *ad loc.*

Catacumba, adde: In his habitasse Urbanum Episc. Rom. tradunt, *Acta* S.Cæciliæ: ut & Evaristum, *Vita* S. Faustini & Jovitæ Mart. *num* 19. V. Adonem in *Chron. A.C.* 364. Ordericum Vitalem *pag.*355. 357.&c. Atque hinc *Catacumba*, pro quovis cœmeterio, uti videre est apud Joann. Diaconum *in Episcop. Neapolitanis, in S. Fortunato.* Vocis etymon quod attinet, videtur composita ex præpos. *κατὰ*, quam suam fecisse Latinos recentiores suprà ostendimus & voce *cumba.* Cùm enim ejusmodi polyandria & cœmeteria publica in cryptis & locis reconditis extiterint, quos istius ætatis Scriptores *Cumbas* vocabant, videtur locus hic *Catacumbas*, h.e. *Ad Cumbas*, *ad cryptas* vel *ad valles* appellatus esse. Et sanè Martyrum sepulchra Romæ vel haud procul ab Urbe, in cryptis & locis depressioribus, extitisse, auctor est Hieronymus in *Ezech.cap.*14. ubi cœmeteria Romana à se visa describens, *Dum essem*, inquit, *Romæ puer & à liberalibus studiis erudirer, solebam cum cæteris — diebus Dominicis sepulchra Apostolorum & Martyrum circumire crebroque cryptas ingredi, quæ in terrarum profunda defossæ, ex utraque parte ingredientium, per parietes habent corpora sepultorum & ita obscura sunt omnia, ut propemodum illud Propheticum compleatur, Descendant in infernum viventes.* Adde Prudentium *in Passione S.Hippolyti Mart.* & in *Descript. Cœmeterii Cyriacæ in agro Verano, Romam* item *Subterran. lib.*3. *cap*12 & infrà in voce *Cumba.*

Catæa, adde: Onesicrito *Ἀφροδίσια*, quod esset Veneri sacra. Sed & Mercurius ibidem colebatur. Persidis initium ab ea Insula statuit ex Nearcho Arrianus, ut & Plinius, usque ad flumen Oroatin, quo Persidis ora maritima finiebatur. V. Salmasium *ad Solinum pag.*1181.

Catagis, apud Senecam *Natural. Quæstion. lib.*5. *Atabulus Apuliam infestat. Calabriam Japyx, Athenas Sciron, Pamphyliam* Catægis, *Galliam Circius*; inter speciales localesque ventos recensetur. Sed mendosam hanc vocem esse, ut quæ *procellam* vel *turbinem* Græcis notet, observat Salmasius *ad Solinum pag* 1257

Cataglypha, Græcè *Κατάγλυφα*, dicuntur vasa, quæ depressis sulcis & imaginum cavatis lacunis sculpta sunt: quibus opposita *ἀνάγλυφα*, id est, *eminentibus sigillis expressa*, de quibus suprà. V. eundem *Ibid. pag* 1045.

Catagrapha, vox itidem Græca origine, terminus picturæ est. Plinius *lib.*35. *cap.*8. *Cimon Cleonæus Catagrapha invenit, hoc est, obliquas imagines & variè formare vultus, respicientes suspicientesque & despicientes.* Sic linum *κατάγραφον*, Catullo *in phasere*, variè depictum: Athenæo *lib* 2. *τῶν βοτρύων κατάγραφον*, [illegible] &c. V. Hadr. Turnebum *Adversarior. lib.* 25 *cap* 12. Sed & Horologia *κατάγραφα* Græci dicunt Cleomedes, [illegible] Et paulo post, [illegible]

ἔτος; Vitruvius *lib.9. cap.8.* de Horologio, *Cùm hoc ita descriptum sit & explicatum, sive per hibernas lineas, sive per æstivas.* Et Censorinus. d. Horologio Siculo, quod Romæ primùm in Foro statutum est: *Quod quum ad clima Siciliæ descriptum ad horas Romanas non conveniret, L. Philippus Censor aliud juxta constituit.* V. Salmasium *ad Solinum pag.650.*

Catagusa, inter opera Praxitelis, apud Plinium *lib.34. cap.8. Fecit ex ære pulcherrima opera: Proserpinæ raptum: item* Catagusam *& Ebrietatem, & Liberum Patrem,&c.* Græcis ἡ καταγοῦσα, est *quæ pensa nemo deducit*; unde κατάγουσα, vel *quæ carminibus Lunam devocat.* Sed prior interpretatio potior; unde *Catagusam* exponunt Lachesin, unam ex tribus Parcis, quæ, quod colo Clotho advolvit, net, torquet, demittit. Alii tamen καταγοῦσαν τὴν ὁδὸν εἰς ᾅδου, *ducentem ad inferos viam*, per quam Pluto raptâ Proserpinâ reversus est, intelligunt; quam Pausanias *in Corinthiacis*, juxta Lernam & Chemarum fluv. esse tradit. Vel magis ipsam Proserpinam, quæ secto capillo moribundis eos εἰς τὸν ᾅδου κατάγει, *ad orcum deducit.* Sanè Praxitelis imago, mulieris fuit cum colo & fuso nentis, sive Parca fuerit, sive alia quævis. Vett. enim κατάγειν ἔριον & κατάγειν κρόκην, pro *nere, filum deducere*, passim dixerunt. Ut adeò audiendi non sint, qui vel *Pergusam*, qui lacus erat amœnissimus Ætnæ monti propinquus, ad cujus ripam rapta Proserpina, Ovid. *Metamorph. lib.5.* vel κατάχλυσιν i. *effusam caliginem*, vel καταίκλυσιν, i. *depressam voraginem*, hic legunt. Jac. Dalechampius *Not. ad l.*

Cataja, adde: Martinio hoc regnum nihil aliud est, quàm Sinarum pars Borealis, seu 6. provinciæ, ab Australibus novem fluvio *Kiang* separatæ, quas veluti Venetus *Mangin* vocavit, ita istas *Catayum*: easque hodienum Tartaris atque Turcis ita vocari idem perhibet. Quam sententiam Golius confirmat scripto Nosirodini Persæ, qui dum recenset *Cathæorum* 12. horas & 24. partes, in quas annum Tropicum ab his dividi tradit, omnino cum Sinensium partitione congruere animadversus est, Additam. *ad Atl. Sinicum.* Georgio Hornio hodierni Sinenses primitus Seres, dein *Cathæorum* nomine Persis, inde Saracenis innotuere. Primus in Europam eorum notitiam M. Paulus Venetus intulit, eumque sequutus Joh. Mandevill Anglus, qui Catainorum eruditionem & subtilitatem in omnibus artibus immanè quantum extollit, *Itiner. cap.72. & cap.81.* ubi ad Imperatoris, quem Magnum Canem vocat, pedes complures sedere ait sapientissimos Philosophos, eruditos in Astronomia, Geometria & aliis artibus, quorum quisque Astrolabium ante se habeat. Post quæ tempora iterum *Catajæ* notitiam Occidens amisit; donec navigationes Lusitanorum in Indiam vastissimum illud Sinense Imperium denuo aperuerunt. Primi autem omnium Jesuitæ observarunt, nullam extra Sinensem murum reperiri *Catajam*, ac qui nobis Sinæ, eos Persis *Catajos* vocari, V. Hornium *Hist. Philos. lib.6. cap.7.* Notat tamen Auctor libri, cui tit. *Hist. Orbis Terr. Geogr. ac Civ.* nomen *Cathæorum* etiam ipsis Alexandri M. rerum gestarum Scriptoribus, non fuisse ignotum. Hunc enim in horum ditiones protulisse arma literis prodiderunt; quos eosdem cum Sophitis regni apud Curtium *lib.10.* incolis fuisse docet Strabo *lib.15.* cui Regis nomen Sophites, Regni Καθαία *Cathæum* fuit. Optimis illud legibus fuisse adornatum, tradunt Curtius *lib. citato* & Diod. Siculus *lib.17.* Typographiam diu ante Europæos habuisse, Sinici Annales, V. *Seres, Sinæ & Typographia.* Hornio cultissima est totius Tartariæ regio & sedes magni Tartarorum Imperatoris, *Karaithai* propriè dicta. Idem non aliam hanc esse regionem addit, quàm Chinensis Regni Septentrionalem partem, & *Cambalu* non aliam urbem, quàm *Pequinum*, V. eum *Orb. Imp. & Polit.*

Catallum, in *LL.* Eduardi Confess. *cap 35.* alibique passim, *Chattel* in *LL.* vernaculis Wilhelmi Nothi *cap.4.* idem est quod *Capitale*, bona omnia, quæ ex pecudibus sunt: unde invalescente postmodum usu, bona omnia mobilia, cujuscunque tandem generis, hac voce venire cœperunt. Practicis porro Anglis, omne bonum est seu mobile seu immobile, quod nec liberum tenementum, nec feudum est, Covvello, Rastallo, Eduardo Coko, laudatis Carolo du Fresne in *Glossar.* Non tamen in universum omne bonum immobile, sed ea solùm, quæ ad certum annorum terminum possessa tenentur. Et quidem jus olim in Anglia obtinuit, ut, mortuo marito, tam prole, quàm uxore superstite, tum tertiâ *Catallorum* parte, tum fundi optimo jure possessi, seu, in quem liberi ex ea suscepti jure succedere possent, donaretur uxor; etiam *Catallorum* dimidiâ parte, ubi nulla proles superstes. Ita enim Henr. de Bractona & Fleta, *Hæreditas* (rerum sc. mobilium) *dividatur in tres partes, quarum una pars relinquatur pueris, si pueros habuerit defunctus; secunda uxori, si superstes fuerit & de tertia parte habeat testator liberam disponendi facultatem. Si autem liberos non habeat, tunc medietas defuncto & alia medietas uxori reservetur.* Atque paulo pòst: *Et ea, quæ dicta sunt, locum habent & tenent, nisi sit consuetudo, quæ se habeat in contrarium, sicut in civitatibus, burgis & villis;* aliquibus sc. ubi pars alia, sed certa interim, ad uxorem attineret, etiam & subinde (ut in Jure item Cæsareo, *C.l. unic. tit. unde Vir & Uxor*) totum. Hinc *omnibus Catallis dotare*, formula apud eosdem solennis, h. e. dotale ejusmodi jus uxori in omnibus non tam constituere, quàm declarare, ut inde tum alimenta, si ea, contra quàm poscit conjugale fœdus, negaverit vir, durante matrimonio jure posset exigere, atque insuper *Dotis Catallorum*, quæ mortis tempore remanerent, nomine partem, sive tertiam, sive aliam (*rationabilem* vocitant) sive, ut subinde pro more loci, universa superstes posset actione petere, & alimenta per dies à morte viri 40. ex ejusdem bonis capere, quæ pars juris est, quam *Quarentenam* vocitant. Quin verò interdum certa nummorum summa ad ostium Ecclesiæ in dotem assignabatur, quam ab eo, qui in bona mobilia Viro successit, uxor superstes rite petebat. Sed dicendum est, quòd ambæ hæ dotandi formulæ in hac gente in desuetudinem abiere. Seldenus *Uxor Ebr. lib.2. cap.27.* In *Charta* Philippi Marchionis Namurc. *A.C.* 1212. apud Miræum in *Diplom. Belg. lib.1. cap. 7 Catallum* Melius, Anglis *Heriotum*, Gall *Droit de meilleur catel*, in *Consuet.* Hannon. *cap.83.* est quod post mortem tenentis domino præstatur. Cui debito potissimùm erant obnoxii homines, quos *Manus mortuas* vocabant, de quibus sic *Chronicon* Belgic. *A C* 1123. *In eo verò consistebat jus* (Mortuæ manus) *ut quandocunque aliquis paterfamilias — moreretur, in signum servitutis præteritæ optimum pignus vel jocale, quod in ipsius domo reperiri contigerit, à dominis exigeretur: sin autem nihil esset, ut tum defuncti dextera manus abscissa dominis offerretur.* Quod juris etiam sibi olim vindicasse Ecclesias, ex Synodo Sodorensi docemur. Unde Rhenanus *Rerum Germanic. lib.2. pag.87. Erant insuper Ecclesiastici servi, quos ipse Rex — Monasterio donasset. Hinc videmus Abbates nostrates adhuc talia mancipia possidere, ex liberalitate Principum Francorum. Hinc illæ pensitationes originem habent, quibus multos scimus obnoxios, ut patrefamiliâs mortuo præstantissimum jumentum è stabulo Procurator Abbatis abducat, vel vestium pretiosissimam auferat.* V. Kilianum in *Hoofd-stoel* laudatum Carolo du Fresne in *Glossar.* ut & infrà passim.

Catalochismus, Græcè Καταλοχισμὸς, liber dictus est τῆς γενικῆς γραφῆς, h. e. *in quo descripta erant singularum familiarum & omnium inde descendentium nomina.* Apud Esdram *lib.1. cap.4.* καὶ τούτων ζητηθείσης τῆς γενικῆς γραφῆς ἐν τῷ καταλοχισμῷ, καὶ μὴ εὑρεθείσης, ἐχωρίσθησαν τῆς ἱερατείας. Vulgatus ita vertit, *Horum quæsita est generis scriptura in pedatura, & non est inventa.* Ubi καταλοχισμὸν reddit *pedaturam*, an voce ἀπὸ τῶν παίδων confictâ, ut καταλοχισμὸς est ἀπὸ τῶν λοχειῶν seu λοχισμῶν, h. e. *à generationibus*; an καταλοχισμὸν sic accepit, quasi καταλογισμὸν aut καταχωρισμὸν, & *pedaturam* vocat laterculum, in quo generationes descriptæ. *Pedaturam* enim Latini vocant quodlibet spatium, in quo aliquid poni locative possit. Certè apud Romanos, qui pater factus esset, natum sibi puerum cum nomine apud Acta profiteri cogebatur, cujus & nomen tabulis publicis inserebatur. Juvenalis,

> —— —— *Libris Actorum spargere gaudes*
> *Argumenta viri.*

Quæ publica liberorum ἀπογραφὴ, solita apud Ærarii Præfectum fieri, Græcè καταλοχισμὸς, quasi *puerperiorum & liberorum census* & professio descriptioque, non malè diceretur. Sed & καταλοχίζειν, Græcis est distribuere milites in λόχους seu τάγματα, quinquaginta ut plurimum hominibus constantia, agud Arrianum *de Expedit. Alexandri lib.7.* Imò λόχος quemlibet etiam numerum vel τάγμα significat. Hinc, cùm homines in Judæa per familias, veluti κατὰ λόχους tributi censerentur, καταλοχισμὸς quoque dici potuit census & ἀπογραφὴ familiarum: Laterculus, vel matricula, quâ continebantur descripta familiarum omnium Judææ nomina & homines,&c. V. Salmasium *ad Solinum pag.716. & 717.*

Catalogus Fidelium, Episcoporum & præsertim Martyrum, quorum in solennibus precibus memoria olim celebrabatur, in Ecclesia, Κανὼν dictus est; unde *canonizati* primitus illi appellati occurrunt, quorum memoria publico Ecclesiæ consensu celebrabatur: cujus consuetudinis aliqua vestigia in Græcæ & Latinæ liturgiæ Canone adhuc retinentur. Olim autem id omnino fuisse moris, ex vett. quorundam Theologorum scriptis liquidò constat; & ex recentioribus Scriptoribus Nicephorus præsertim fusè exequitur *lib. 14. capp.26. & 27.* ubi contentionem illam, de Chrysostomi nomine in Mysticas tabulas referendo, enarrat. Sed & *Catalogus* eorum, qui in Ecclesiis in quocunque munere serviebant, *Canon*, item *Canon sacer*, dictus est: unde ἐν τῷ κανόνι ἐξεταζόμενοι, Nicen. Syn. *can.14.* & οἱ τοῦ κανόνος, in Chalcedon. Syn. *can.2.* Ideo autem pro *Catalogo* ponitur Canon, quòd catalogus certa norma seu regula esset iis dignoscendis, qui in illo recensebantur, V. suprà in voce *Canon. Catalogus sacer*, hæc Clericorum matricula dicitur, *Can. quoniam 18. quæst.3.*

Catamana, adde: prope Germaniciam, aliis Κατάβανα. Salmasius ubi suprà *pag.488.*

Catamidiari, in Amphitheatro & dimitti, Decoctores bonorum suorum, si suæ auctoritatis essent, jussit Hadrianus Cæs. apud Æl. Spartianum: ubi *catamidiari* Casaubono est, Gr. καταμωκᾶσθαι. Notissimus enim mos Vett. sontes & pœnis addictos, per Fora, Theatra & Amphitheatra, inter spectantium risus & magna rerum verborumque ludibria, ad exemplum traduci, Quo fine, ut major esset cachinnatio, nonnunquam asino imponebantur, vel jlocaliter onerati producebantur. Tractus à Græcis, in quorum urbibus nonnullis Decoctores in Forum inducti & se [illegible] sedli, cophinum capiti impositum habere cogebantur, quod κόφινον vocabant, Nic. Damascenus *de Ritibus Gentium*. Salmasius tamen,

cum vett. editionibus omnibus, & in his principe Mediolanensi, *catomidiari* legit, quod V. infrà.

Catanance, Græcè *κατανάγκη*, apud Plinium *lib.27. cap.8.* herba est Magica, quibus ad amatoria olim utebantur. Ita enim is, *Catanancen Thessalam herbam, qualis sit, à nobis describi supervacuum est, cùm sit usus ejus ad amatoria tantùm. Illud non abs re est dixisse, ad tegendas Magicas vanitates, electam ad hunc usum conjecturâ, quoniam arescens contraheret se ad speciem unguium milvi exanimati.* Ubi *Thessalam herbam* vocat, quòd mulieres Thessalæ eâ uti ad amorum veneficia solerent. Quod *de unguibus* addit, eò pertinet, quòd, qui eâ utebantur, amatas mulieres rapere etiam invitas & veluti contractis unguibus retinere dicerentur. Sed & in genere philtra & amatoria *ἀνάγκαι* & *καταναγκαι* dicebantur inde, quòd amandi *necessitatem* facerent. Unde & *cemos* herba, quæ sequitur, apud Plinium, ab incapistrandis ac ligandis animis nomen invenit, *κημὸς* enim Græcis *capistrum* est. V. Salmasium *ad Solinum pag.1085.* & infrà in voce *Leontopodium*, quod & ipsum, utpote amatoriis *ἀνάγκαις* utile quoque habitum, *Catanancen* nonnulli vocarunt.

Catanens, nomen dignitatis, in Italia olim frequens; cujus incrementum ad Fridericum Ænobarbum refert Joann. Villaneus, & Ghirardaccius *Histor. Bonon. Part. I. lib.4. ad A.C.* 1196. Origo autem ad seculum IX. rejicitur, quo sede vacante Stephani *Pontificis Romani, potentiores oppida & castella in urbis terris possidentes* (*Capitaneos appellabant*) *Pontificem ex factione sua creare constituerunt*, Blondus *Dec.2 lib.3.* Imperatorum enim partes sequebantur. Idem *Dec.ead. lib.5. Primarii urbis, quos nunc Barones, tunc Capitaneos appellabant, Imperatori obsequentes omnia consilia Pontificis evertebant.* Nempe ex *Capitaneus*, primò *Catipanus*, postmodum *Catanus* seu *Cataneus*, originem traxit, Longobardis inprimis istiusmodi contractionem amantibus. Hinc Joffredus *de libell. par.5. rub. de Vass. In Tuscia verò, ait, & Lombardia appellabantur* Catanei, *quasi Capitanei.* V. etiam Scipion. Ammiratum *de Nobilit. Florent.* Cùm verò titulus primò apud Gibellinos solùm in usu esset, postmodum etiam ad Guelfos, translatus est. Car. Macer, *Hi nimirum, qui factionis Gibellinæ erant & ab Imperatore in feudum castella & terras possidebant; ideò prædictis speciosis titulis decorabantur. Guelfi verò, qui Romanæ Ecclesiæ fautores erant, titulos Baroncelli & Domicelli assumebant: quamvis processu temporis* Catanei *titulus etiam inter Ecclesiasticos exerceretur, in Hierolexico.* V. quoque hic in vocibus *Capitaneus* & *Catipanus*.

Cataonia, adde: Ad Taurum montem, ubi Euphrates ejus objectu in Meridiem retorquetur. Stephanus, *Καταονία χώρα ἐγγὺς τοῦ Ταύρου.* Fuit una ex decem Cappadociæ Præfecturis, postquam illa in decem *Στρατηγίας* divisa est. At Vett. *Cataoniam* à Cappadocia separabant, *καὶ ἐν διαστάσει τῶν ἐθνῶν [illegible] τὴν Καππαδοκίαν ἐτίθεσαν τὴν Καταονίαν, ὥσπερ τὴν Εὐφρατίνην καὶ τὰ πέραν ἔθνη, ὥστε καὶ τὴν Μελιτηνὴν ὑπὸ τῇ Καταονίᾳ τιθέασιν*, Strabo *lib.11.* E quibus verbis patet, etiam aliquot regiones trans Euphratem, sub Cataonia fuisse censitas, Acilisenen nempe: præter quam & Sophenen eidem tribuit. Qua de re V. eundem Salmasium *d.l. pag.627.*

Catapactayme, festum Peruanorum, Mense Decembri, illis *Rayme*, qui anni eorum princeps est, celebrari solitum, quo sacra tribus Solis statuis, *Apointi, Churiunti & Intiaquacqui* nominatis, h.e. *Soli Patri, Soli Filio & Soli Fratri*, facere consuevere. Joann. Hugo Linschotanus *Histor. Ind. Occid.*

Catapanus, V. infrà *Catipanus*.

Cataphracta, apud Tertullianum *de Pallio, cap.4. triumphalem cataphractam amolitus*: Gr. *καταφρακτὴ*; lorica ferrea est *φολιδωτὴ* aut *λεπιδωτή*, ex ferreis squamis succusa, ut patet ex mox seqq. *Pectus squamarum signaculis disculptum.* Hinc *Cataphractarii* milites, sæpiùs memorati *Historiæ Aug.* Scriptoribus, quod nomen certo cuidam Equitum generi, qui toti *cataphractis* muniti erant, hæsit. Licèt enim *cataphractas* singuli haberent milites, & galeas, non tamen *cataphractarii* aut *galearii* sunt dicti. Nec usquam legere est *cataphractarios* pedites, nisi prisco Romanorum ævo, apud Livium. Certum quidem genus militum hoc nomine insignitum fuisse, videtur suadere locus Trebellii *in Claudio, Huic ex regione Dardania dabis milites ducentos, ex* cataphractariis *centum, ex Equitibus C. & sexaginta*: ubi *Cataphractarii* ab Equitibus separantur. Sed ne sic tamen *Cataphractarii pedites* fingendi. Saltem hoc sequitur, Equitum quosdam *non Cataphractarios*, alios *Cataphractarios* fuisse. Unde *in Vita* Alexandri Severi, apud Lampridium, refert Imperator, se bello Persico, *centum & viginti millia equitum fudisse &* cataphractarios *decem millia interemisse.* Sed & *cataphractarii milites*, apud Vopiscum in *Aureliano*, Equites sunt: namque *Militum* nomine Equites quandoque venire, discimus ex *Ænigmate* Symphosii, cujus lemma *Miles podager*, apud Salmasium *Not. ad Vopiscum*,

> *Bellipotens olim sævis metuendus in armis*
> *Sex pedes habui, quos nunquam nemo negavit,*
> *Nunc mihi vix duo sunt, inopem me copia fecit,*&c.

Quod verò de peditibus diximus, certum est, omnes ab omni tempore Romanos milites *cataphractis* vel loricis fuisse munitos, usque ad tempora Gratiani Imper. sub quo, intercidente militari disciplina, *cataphractas* & galeas illi deposuere, uti videre est apud Vegetium. Servius *ad Virgilium Æn. lib.11. versu 771.*

> *Spumantemque agitabat equum, quem pellis ahenis*
> *In plumam squamis auro conserta tegebat.*

Catafractum, ait, *eum* (Chloreum viz. de quo ibi sermo) *fuisse significat. Catafracti autem equites dicuntur, qui & ipsi ferro muniti sunt & equos similiter munitos habent, de quibus Sallustius: Equis paria operimenta erant, quæ linteo, ferreis laminis in modum plumæ, adnexuerant. Pluma est in armatura, ubi lamina in laminam se inducit. Nunc autem pro linteo pellem posuit & aneas squamas aneas laminas intelligimus.* V. quoque Casp. Barthium *Animadversion. ad Statium pag.1385.*

Catapirater plumbus, apud Lucilium,

> *An* Catapiratetis *eodem deferes uncum*
> *Plumbi pauxillum raudus, linique mataxam?*

Græcè *καταπειρατηρία* & *καταπειρατηρίας μόλυβδος*, est quo maris altitudo à nautis tentatur. *Molybdum* Græcâ voce Statius appellat, *lib.3. Sylv.2. versu.30.*

> *Sint quibus exploret rupes gravitate molybdus.*

Ubi vett. Codices habent *Molucus*, pro *Molubdus*. Barthius *Mulorthus* legit, à rectâ demisso artificiali illo *plumbo*. Quòd enim quidam nomen viri aut hominis hac voce denotari ibi volunt, non parùm hallucinantur: Officia namque nautarum Musis Poëta injungit, inter quæ metiri maris profunditatem *molybdo*. Aliàs *βολὶς* idem. Hesychius, *καταπειρατηρίας, τόπους βαθεῖς πειράζουσι, καὶ ὁ λεγόμενος βολίς.* V Salmasium *ad Solinum pag.1013.* & Casparum Barthium *ad Statium d.l.*

Cataplus Lalagea, apud Marcellum Empiricum, in *Carm.*

> *Quodque ab Idumæis vectum Seplasia vendunt,*
> *Et quidquid confert Medicis Lalagea cataplus*:

Lege, *Lagæa cataplu.* Cataplum enim Alexandrinum hic intelligit, h.e. navigationem seu classem, quæ Medicis species fere omnes, quæ Medicinæ conferrent, afferebat; *Lagæa* sub. *urbs*, h.e. Alexandria. Eundem Cataplum *Niliacum* vocat Martialis *lib.12. Epigramm.74.*

> *Cùm tibi Niliacus portet crystalla* cataplus,
> *Accipe de Circo pocula Flaminio.*

Quem eleganter his verbis proponit Seneca *Epist.77. Hodie nobis Alexandrinæ naves apparuerunt, quæ præmitti solent & nuntiare secuturæ classis adventum: tabellarias vocant. Gratus illarum Campaniæ aspectus est. Omnis in pilis Puteolorum turba consistit, & ex ipso genere velorum Alexandrinas, quamvis in magna turba, naves intelligit. Solis enim licet supparum intendere, quod in alto omnes habent naves. Nulla enim res æquè adjuvat cursum — Cùm intravere Capreas & promontorium, ex quo*

> *Alta procelloso speculatur vertice Pallas,*

cæteræ velo jubentur esse contentæ, supparum Alexandrinarum insigne est. In hoc omnium discursu properantium ad litus,&c. V. Lipsium *Commentar. ad h. l.* ut & *ad Tacitum Annal. lib.15.* De eodem sic Statius *Lib.3. Sylv.2.*

> —— —— *celsa ratis* —— ——
> *Nec quærenda diu: modò nam trans æquora terris*
> *Prima Dicarcheis Pharium gravis intulit annum.*
> *Prima salutavit Capreas, & margine dextro*
> *Sparsit Tyrrhenæ Mareotica vina Minervæ*,&c.

Frumentum enim præcipuè afferebat hic *στόλος Ἀλεξανδρεῖνος*, *classis*, quo Romam pastam esse, multis docuit *ad Claudianum* Barthius. V. quoque Thom. Dempsterum *Collectan. Antiqq. lib.7. cap.38.* De cœteris verò mercibus Ægypti, Isaac. Casaubonus agit *ad Suetonium August. cap.98.* & dicemus aliquid infrà, in voce *Rhopopolæ*. V. quoque hic passim, ubi de *Alexandrina Classe*, *Frumentariis navibus*,&c.

Catapulta, *ἀπὸ τῆς πέλτης*, i. *arcu*, seu *jaculo*: quamvis hæc vox clypeum quoque lunatum denotet, idem nonnullis cum balista. V. *ibi*. Plinius verò distinguit, qui *Cretas catapultam, Syros Phœnicas balistam & fundam invenisse*, ait, *lib.7. cap.56.* At Ælianus inventam in Sicilia *catapultam* scribit, à Dionysio Tyr. ideoque eâ inde allatâ dixisse Græcum quendam, *ὤχετο ἀρετὴ*, *Periit virtus.* Certè Siculos machinalis scientiæ peritissimos fuisse, ostendit Archimedes. V. Hadr. Turnebum *Adversar. lib.29. cap.28.*

Cataracta seu *Catarracta*, Græcè *Καταρράκται*, aves Diomedeæ, apud Plinium *lib.10. cap.44. Nec Diomedeas prætereo aves: Juba cataractas vocat & eis esse dentes oculosque igneo colore, cætera candidas tradens.* Sed non proprium hoc ullius avis, verùm omnium prædatricium, nomen est, quæ ex alto se proruunt, atque impetibili lapsu in subjectam prædam descendunt, terræque affligunt. Hinc aquilam sic vocavit Sophocles *in Laocoonte* & Harpyias, *in Phineo*, apud Hesychium Lycophron *πτερὸν καταρράκτην* similiter vocat,

> *Τὸν δ' αὖ τὸν ὑγρὸν αἰθέρα* [illegible]
> *Κίρκον καταρράκτην* ——

Ab eadem notione & *καταρράκτης* Nilus, ab impetu descendens, ubi inter præcipitia potiùs ruit, quàm manat; & *καταρράκτης* Marsyas fluv. ex arce Celænarum ruens, apud Herodotum: & *Cataracta*, portæ ferratæ genus, sic appellatæ, quòd cum impetu decideret, apud Livium & Vegetium, &c. *Καταρράκτης* tamen avis species marinæ sic propriè dictæ, apud Aristotelem *in Admir.* [illegible]

ἢ ὅπου ὄπισθεν ...... ὅταν δὲ αὐτὴ ἑαυτὴν ...... ὥσπερ ...... ἐν τῷ πέλαγει ...... Sed minorem accipitre eam vobiscum facit, quod Diomedearum avium instar non est, quæ specie & magnitudine sunt, qua erodii. Salmasius *ad Solinum passim, inprimis pag.92.* Origo vocis à Græco *καταῤῥάσσω*, quod est, *ex alto præcipitare & cum impetu ruere*, Idem *ibid. pag.419.*&c. Hinc *Cataracta* S. Petri, in *Epistola Encyclica* Vigilii Episc. Rom ad Ecclesiam univ. *Posito indiculo super altare & cataractâ B. Petri, & super Crucem, quæ de ligno passionis Domini habet inclusum*,&c. & in *Epist.* Legatorum Pontif. ad Justinum Imp. *Tom.II.Epistol. Roman. Pontif.* de Justiniano nondum Imperatore, qui Apostolorum reliquias, ut & Laurentii, ab Hormilda Episc. poposcerat: *Sanctuaria beatorum Apostolorum, secundùm morem, ei largiri præcipite. & si fieri potest, ad secundam* cataractam *ipsa sanctuaria deponere, vestrum est deliberare*: non est (ut quidam volunt) *Catena S Petri*, de qua suo loco; sed cancellus ferreus, in modum *Cataractæ* compactus, quo sepulchrum Petri muniebatur. Duplex autem ea *cataracta* erat, *prima*, quæ exteriùs, & *secunda*, quæ interiùs sepulchrum ambibat. V. Car. du Fresne *Glossar.*

Catarractes, fluv. Pamphyliæ, apud Ptolomæum, Παμφυλίας ...... Ἀττάλεια. Καταῤῥάκτου ποταμοῦ ἐκβολαί. Μαγύδος, Κέστρου ποταμοῦ ἐκβολαί: ad quem Pergam & Aspendum, unde Pamphyliæ ...... auspicantur Antiqui, idem ponit: quem tamen falli, utpote Aspendo ad Eurymedontem sitâ, docet Salmasius *ad Solinum pag.*780. Ratio nominis suprà indigitata.

Catarractus, corr. *Catarractes*, & V. hic suprà.

Catarzene, regio Asiæ, juxta Moschos montes, de qua V. eundem *Ibid pag.*621.

Catascomon, inter opera Lucani, memoratur in *Vita* hujus, *Extant ejus & alii libri complures. Ut Iliacon, Saturnalia*, Catascomon. *Sylvarum X. Tragœdia Medea imperfecta Salticæ Fabulæ*,&c Quid autem fuerit, non planè comminisci licet; putat tamen Barthius ad Priami supplicationem pertinere, Hectoris nimirum Lytra, quæ cecinisse Lucanum Papinius *lib.2. Sylv. ult.* docet.

> *Ac primum, teneris adhuc in annis,*
> *Laudes Hectora, Thessalosque currus,*
> *Et supplex Priami potentis aurum.*

Hoc enim cùm primum fuerit Lucani carminum, idem aliquando Barthius suspicatus est, *Κατοικτισμὸν* fuisse inscriptum, cùm Metaphorico usu *Κατοικτίζω*, pro ...... in usu fuisse, doceat Hesychius. V. eum *Animadversion. ad Statium Tom.3. pag.469.*

Catasphærum Folium, Græcè *κατάσφαιρον*, in *l.16. D. de Public. & Vectigal. Species pertinentes ad vectigal, puta cinnamomum, piper longum, piper album, folium* catasphærum, *folium Barbaricum, costum*, uti legi vult Salmasius: idem quod *σφαιροειδὲς* est, & intelligitur de Malabathri folio, quod Græci in pilulas convolutum afferri ex India, scribunt. Auctor *Peripli*, de hoc folio, Ἐμβάλλοντες ...... τὰ φύλλα ἐς σφαιροειδῆ ποιοῦσι, *Duplicantes folia & globosa efficientes*,&c. Unde *σφαίρια μαλαβάθρου* passim apud Græcos antiquiores, de quibus V. suprà in voce *Betre* & infrà ubi de *Malabathro*: Plura autem hanc in rem apud Salmasium *ad Solinum pag.* 1072.

Catasta, pegma ligneum, quo venales olim exponebantur servi, à *καταστάσεως*: vel, ut Raderus exponit, machina lignea longaque, servis venalitiis injecta, unde ipsi servi *Catasti* dicti. Ejus meminit Martialis *lib.6 Epigr.29.*

> *Non de plebe domus, nec avaræ verna* catastæ &c.

Ubi quoniam magnus erat servorum strepitus, Idem *lib.9. Epigr.* 29. ait,

> *Heu quæ lingua silet, non illam mille catastæ*
> *Vincebant.*

Maximè verò & propriè significabat, ut Jac. Pamelius *Notis ad Epistol. S. Cypriani Martyris* 33. docet, locum eminentiorem, quem vulgò *Palcum* Itali dicunt, in quo vel de reis, vel de Christianis Martyribus sumebatur supplicium. Unde Prudentius Poëta, *in Romani Martyris hymno*, ista habet,

> *Audite cuncti: longè clamo, ac prædico,*
> *Emitto vocem de catasta celsior.*

Nonnunquam etiam, per tralationem ipsamet torquendi instrumenta indigitasse, patet ex Eodem *Peristeph. hymno* 2. ubi de Laurentio,

> *Postquam vapor diutius*
> *Decoxit exustum latus,*
> *Ultro è catasta* (erat ferrea) *Judicem,*
> *Compellat affatu brevi*,&c.

V. Gallonium, *de Martyr. Cruc.* Matth. Raderum *ad Martialem*, Lud. de la Cerda *Adversarior. cap.* 71. Caspar. Barthium *Animadversion. ad Statium lib.2. Sylv.1. versu* 72. &c.

Catatumbas, apud Gregorium M. *lib.3. Epist.*30. quasi *Ad tumbas*, ex præpositione Græcorum κατὰ, quæ *ad, versùs, juxta*, significat, à Latinis ævi ejus adoptatâ. ut diximus suprà, & voce *tumbas*, h.e. sepulchra, locus fuit extra Romam, aliàs *Catacumba* vocatus: unde quidam illum sic dictum censent, quasi locum mortuorum *tumbis* seu sepulchris destinatum, seu quòd in eo Martyrum & Christianorum. qui sub Impp. paganorum tyrannide mortem oppetierant, *tumbæ* passim essent inventæ. Sed cum aliquot Codd. MSS. cæterique Scriptores constanter *Catacumbas* habeant passim, non sine ratione verbis Gregorii membrum subesse reris du Fresne, quem V. in voce *Catacumba*.

Catechetes, Gr. Κατηχητὴς, in Ecclesia CP. dignitas erat Ecclesiastica, cujus munus *κατηχίζειν* τὸν λαὸν καὶ πάντας ...... ἐκ τῶν ἑτεροδόξων εἰς τὴν ὀρθόδοξον πίστιν, *Catechizare populum & omnes transeuntes ab Heterodoxis ad fidem veram.* V. Catalogum *Officiorum Ecclesiæ C. P.* & Theophanem *pag.*397. ubi Miscella & Anastasius *Institutor* vocem reddunt. A' verbo *κατηχέω, vivâ voce instruo*; quòd olim nefas esset, mysteria literis committere, voce tantùm tradenda: de quo in Sacris silentio alibi fusiùs, inprimis infrà in voce *Mysteria*, item *Novum Fideles*.

Catechizari & Catechumeni fieri, pueri recèns etiam nati dicebantur sequioribus seculis, qui, antequam offerrentur ad Baptismum, ut veteris disciplinæ vel umbra servaretur, à Patrinis in speciem *catechizabantur*, qui iis nomen imponebant & *Catechumenos* factos offerebant ad Baptismum, tanquam eorum fidei Sponsores. Unde Flodoardus in *Chron. A. C.* 945. Ludovico R. *apud Rodomum degente, Gerberga Regina filium peperit, qui Carolus ad* catechisandum *vocatus est*, i. *in baptismo*. vel *catechismo*. *Catechizari* autem *ante fores Ecclesiæ*, ante Baptismum, jubentur *infantes*, in Concil. Cassiliensi *A.C.* 1172. *cap.2.* apud Silv. Giraldum *de Expugn. Hiberniæ lib.I. cap.*34. idque *per octo dies ante Pascha, & per totidem ante Pentecosten*, in Concilio Redingensi *A.C.* 1279. *can* 4. & Nemausensi Syn. *A.C.* 1284. *c. de Baptismo*. Reliqua suggerit *Summula* Raymundi, *de Bapt.* apud du Fresne,

> *Dum catechizas puerum, tunc tres tibi sumas*
> *Personas, & non plures, quia sufficiunt hæ:*
> *His injunge fidem puerum debere docere,*
> *Atque Pater noster* &c.

Catechumena, seu *Catechumenia* porticus olim superiores Ædium sacrarum dicebantur, quòd ibi stationes essent *Catechumenorum*, vel locus, ubi instrui solebant, uti quidem visum est Baronio, *ad A.C.* 656. *num.*38. Wolphio & Meursio: vel, quòd in iis mulieres sacras liturgias auditu perciperent, uti magis placet Carolo du Fresne *in Gl ssar.* & in *Descript. Sanctæ Sophiæ cap.* 38. Occurrit vox, apud Anastasium in *Collectan.* Gregorium II. *Epist.2. ad Leonem Isaur.* Eustochium in *Vita* S. Pelagiæ meretricis *cap.*8 Alios. *Κατηχούμενα* & *Κατηχουμενεῖα* Græci ejusmodi porticus vocant passim: Διὰ τῶν κατηχουμένων meminit Crispinus in *Vita* S.Parthenii Episc. Lampsac. *cap.2. num.*14 quod διὰ τῶν κατηχουμένων, seu *porticum Ecclesiæ superiorem*, interpretatur du Fresne, &c. Aliquando tamen per *Catechumenum* denotari domum Catechumenis destinatam, in qua Catechistæ eos, in rebus fidei instruere soliti. ubi quoque Clerici disciplinæ impatientes à Patr. CP includi consueverint, reperias apud Dominic. Macrum, qui addit, hodieque Romæ duas esse hujusmodi mansiones, viris unam, fœminis alteram, paratas, in *Hierolexico*.

Catechumeni, Isidoro sunt, *qui primùm de Gentilitate veniunt, habentes voluntatem credendi in Christum, de Ecclesf. Offic. lib.2. cap.*20. Græcè Κατηχούμενοι, quod idem reddit *Auditores* seu *Instructi*; à Verbo *κατηχεῖν, auribus insonare*, erudire, docere, præsertim elementa prima, V.Lucam *cap.1. versu* 4. Act. Apostol. *cap.18. vers.*25. Galat. *cap.6. versu* 6. & Hebræ. *cap.5. versu* 12. Fides enim ex *auditu* est, Rom. *cap.*10. *versu* 17.&c. Atque hæc generalis vocis notio est. Angustiùs & strictiùs eadem accipitur, de certis eorum gradibus, qui ad gratiam Baptismatis olim aspirabant, quos in triplici differentia fuisse Canones Patresque declarant. Quamvis enim omnes, qui ad Baptismum ritè suscipiendum primis Christianismi elementis imbuebantur, communi nomine *Catechumenorum* comprehenderentur, pro majori tamen minorive in doctrina fidei ac virtute profectus in tres Ordines ac Classes tribuebantur, *Audientium* nempe, *Genuflectentium* seu *Orantium & Competentium*, de quibus passim Patres & hic suis locis. Car. du Fresne in *Gloss.* Quartum genus seu ordinem, & quidem ante tres hos locandum, *privata* sc *institutionis* addit, primamque initiationem per manus impositionem factam, docet Tob. Pfannerus, qui de his omnibus accuratè agit, in *libr. de Ritibus Eccles. antiq. cap.2. adhuc inedito.* V. quoque suprà, ubi de *Audientibus*. His itaque Baptismatis Candidatis prima Fidei elementa, non scripto, sed voce, tradebantur, quemadmodum priscis Theologis mos erat, etiam apud Ægyptios olim ac Druidas: nec ad sacra spectanda adhuc introducebantur, verùm mysteriis vivâ hactenus voce solùm percipiendis occupabantur; interimque instituebantur *desiderare* tota cupiditate sacramentorum participationem, quæ erat ipsa epoptia; cùm sic *κατηχεῖσθαι, initiari mysteriis* diceretur. Docebantur autem primùm *Catechumeni* ea Apostolorum placita, quorum primum erat, *Credo in Unum Patrem*,&c. Dein jurabant magno jurejurando in nomen CHRISTI, qui ἐξορκισμὸς vocatur *Cap.2. de consecr. dist.*4. Dimittebantur autem, cùm ad Eucharistiam celebrandam sese accingeret Sacrorum Administer, Diacono ter exclamante, *Ite Catechumeni, missa est*: idque apud Latinos, imitatione Græcorum, qui *abeundi* verbo utebantur, V. infrà in voce *Missa*. Uti autem gradus *Catechumenorum* erant, sic & per gradus abire jubebantur, ultimoque recedebant Competentes, utpote jam Baptismo proximi, & mox *Illuminandi*, uti vocantur in *Liturgia* Clementis.

Tempus *Catechumenatus* certum fuisse non videtur. Nam Lapsi quidem, h. e. qui graviore aliquo peccato admisso, commune jus Fidelium amiserant, sed postea pœnitentiâ ducti in priorem locum restitui optabant, quinquennio toto detinebantur, priusquam ad epopteiam denuo admitterentur: at *Catechumenis* tempora contractiora præstituta erant, in quibus tamen, priusquam ad panem cum Fidelibus frangendum pervenirent, stadium consuetæ exercitationis illis fuit decurrendum. In *Epist.* Clementis, tempus trimestre iis antiquitus definitum esse dicitur: quod postea ad 40. dierum spatium redactum fuisse, legitur apud Hieronymum *Epist. ad Pammach.* Ad plures tamen annos desiderium Catechumenorum prorogatum nonnunquam, passim docetur. Judæos ad fidem conversos per octimestre spatium inter *Catechumenos* fuisse detentos, habetur *can. Judæi de consecrat. dist.* 4. &c. V. Macrum utrumque in *Hierolexico*, inprimis verò Joh. Casp. Suicerum *Thesaur. Eccles.* in hac voce, & hic in vocibus *Catechizari, Desiderata*, &c.

Cateja, apud Virgilium *Æneid. lib* 7.

Teutonico ritu soliti vibrare catejas:

Servio idem teli genus cum aclide fuit. Erant autem *aclides* clavæ seu hastæ, quæ loro vel amento religatæ magnâ vi jaciebantur & redibant ad eum, qui jecerat clavisque ferreis aut acuminibus erant munitæ, ut sine pernicie non redirent, quemcunque tetigissent: Rectè proin *jacula brevia* dicta Nonio. Isidorus *lib.* 18. *cap.* *Cateja genus est Gallici teli, ex materia quàm maximè lenta, quæ jactu quidem non longè propter gravitatem evolat, sed, quò pervenit, vi nimia perfringit. Quod si ab Artifice mittatur, rursum redit ad eum, qui misit.* Ubi quòd *Gallicum telum* fuisse ait, docet, propriam Teutonibus Gallisque *catejam* fuisse, junctus Virgilio, de quo suprà. Quod proin Papias & ex eo Joann. de Janua *Persarum esse sagittam barbulatam, quâ usus fuerit Hercules* scribunt, unde id hauserint, non constat. *Catejas* non semel Gallis suis adscribit Abbo *de Bello Paris. lib.* 1.

Inde super cernens lapides conspexit acerbos,
Ac diras ut apes densâ tranare catejas.

Eod. libr.

Pila dabat, rupesque simul celeresque catejas.

Lib. 2.

—— —— *Clypeum gestansque catejam.*

Ubi tamen *Cateja* vocabulo tralatitiè usus videtur: Ipse certè in *Glossis dardum* vertit, i. *sagittam*. V. Salmasium *ad Trebellium Poll. in Claudio*, & Car. du Fresne in *Glossar.*

Catella, apud Horatium *lib.* 1. *Epist.* 17.

—— —— *meretricis acumina, sæpe* catellam,
Sæpe periscelidem raptam sibi flentis ——

Et Livium *lib* 39. *cap* 31. *Quintius alter Prætor suos equites* catellis *ac fibulis ornavit*: vocem fere pro *catenula* interpretantur. Sed Lævinus Torrentius in priore loco, ad catellam aliquam, quæ in deliciis fuerit, referre mavult. Quin & Livii locum non de catenulis intelligit, quibus Romani milites ad ornatum nullis utebantur: sed ornamentis militaribus ad effigiem canini capitis effectis, quibus chlamydum fibulæ innecti solitæ; cujusmodi in gladiorum capulis & caligarum fastigiis sub genibus apponi consuevisse in vetustis monumentis cernimus, &c. V. de *Catellis*, qui in deliciis habiti, plura hic infrà, ut & in voce *Melitæi*.

Catelli, in tricliniaribus apud Veteres deliciis fuisse leguntur apud Matthæum, ubi de muliere Chananæa *cap.* 15. *versu* 27. & indicant sculpturæ antiquorum marmorum, apud F Ursinum *Appendic. ad Ciaccon. de Triclin.* Et quia nobiles Matronæ inprimis catulis delectabantur, veluti Melitæis, inde factum, ut legamus in antiqua inscriptione officium hoc peculiare:

OSSA.
AURELIÆ LIV. AUG.
SER. A. CUR. CATELLÆ. &c.

modestè sanè, & non, ut illa, apud Lucianum *de Merc. cond.* quæ Philosophum *catellæ* curatorem habuit, V. Pignorium *Comm. de Servis*. Sed & *Catelli*, Latinis quoque dicti sunt pisces, qui Græcis γαλεοί, item κύνες. Aristoteles *Histor. Animal. lib.* 6. *cap.* 10. Τὰ μὲν οὖν κυνία ἐν τῷ οἰ βατίδες; ubi κυνία Latinè *catelli* sunt. Optimæ Glossæ *cap. de Piscibus*, γαλεοί, *catelli*, γαλεός, *catellus*, &c. Hinc κυνίσκοι Syracusiis, seu κυνὸς πίονα, *canem pinguem*, dictum esse è galeorum genere alopeciam, quem Acipensem Romanorum esse censuit, ait Archestratus apud Athenæum *lib.* 7.

Ἐν δὲ Ῥόδῳ γαλεὸν τὸν ἀλώπεκα, κἂν ἀποθνήσκειν
Μέλλῃς, ἂν μή σοι πωλεῖν θέλῃ, ἅρπαζε κατ' αὐτὸν,
Ὃν καλοῦσι Συρακόσιοι κυνὰ πίονα, &c.

V. Salmasium *ad Solinum pag.* 316. & hic in vocibus *Acipenser* & *Galeus*.

Catena, cognomen Pauli cujusdam, apud Ammianum *lib.* 14. & 15. sic dicti: quòd *esset in complicandis negotiis artifex dirus*, seu *in complicandis calumniarum nexibus indissolubilis*.

Catena Patrum, nomen libri, in quo perpetuæ Expositiones, ex variis Patribus contextæ & ordine dispositæ *in Psalmos, Prophetas & Evangelia*, continentur. Eadem enim prorsus ratione, interpretationem operis alicujus perpetuam, ex variis compilatam Auctoribus, *Catenam* nuncupavere Recentiores, quâ *Cyclum* Veteres. Sic Catena seu Cyclus totius Mythologiæ Græcorum, vulgò *Cyclus Epicus*, non unicum Poëma, sed catenata quædam series erat, ex plurimis constans Poëmatis, quibus universus Historiæ fabularis contextus, ab Orbis conditu, ad Ulyssis reditum, ordine perpetuo descriptus continebatur, uti infrà videbimus. Salmasius *ad Solinum pag* 859.

Catenæ, ad manus tantùm, sicut *Compedes* ad pedes pertinent. Claudianus *de Raptu Proserpinæ lib.* 3. *versu* 109. ubi de ipsa Proserpina, matri per somnum apparente,

—— —— —— *Sic fata trementes*
Tendere conatur palmas, vis improba ferri
Impedit, & motæ somnum excussere catenæ.

Et Plinius *lib.* 7. *Epist.* 27. *Mox apparebat idolon: Senex macie & squalore confectus, promissa barba, horrenti capillo, cruribus compedes, manibus* catenas *gerebat, quatiebatque.* Earum usum antiquissimum Statius indigitat *Thebaid. lib.* 12. *versu* 460.

—— —— — *ego corpus, ego ignes,*
Me pietas me duxit amor, deposcere sæva
Supplicia & dextras juvat insertare catenis.

Ubi Antigone loquitur, quæ Polynicen sepultum ibat: Nisi ex suis temporibus Poetam antiqua sonare dicas. Sanè in ipsa antiquissima historia raptæ Proserpinæ, *catenas* agnoscit Claudianus, versibus allatis. Quia verò vincti *catenis* homines excruciabantur ac puniebantur, hinc *catenæ* ipsos cruciatus denotant, apud eundem Statium *Thebaid lib.* 8. *versu* 25.

Stant Furiæ circum, variæque ex ordine Mortes,
Sævaque multisonas exercet Pœna catenas.

V. qui de Romanorum insigni hac in re crudelitate multa adnotavit, Casp. Barthium *Animadversion. ad Papinium Statium Tom* 3. *pag* 795 & 1498.

Catenatorum ordo, apud Waddingum A.C. 1274.

Caterva, apud Papinium Statium *Thebaid. lib.* 2. *versu* 577.

quorum ut subitis exterrita fatis
Agmina, turbatam vidit laxare catervam:

densius agmen exponitur in *Gloss. MS.* Quam vocem Latinam multis Græcis interpretatur Philoxenus: *Caterva*, πολυπληθία. Συνδρομὴ, ὅμιλος, πλῆθος, συνοδία (ἐπὶ ὄχλου) ἄγυρις, σύλλογος, Collectitium vulgus. Hinc idem *Thebaid. lib.* 5. *versu* 352.

- - — — *Hic saxa sudesque*
Armaque mœsta virûm, atque infectos cædibus enses
Subvectans trepidæ. quin & squallentia texta
Thoracum, & vultu galeas intrare soluto
Non pudet audaces rubuis mirata catervas
Pallas, &c.

Ad quæ loca V. Casp. Barthium *Animadversion. Tom.* 2. *pag.* 553. & *Tom* 3. *pag.* 182.

Cathari, adde: Hæretici olim Novatiani, *quòd se mundiores aliis prædicarent*, sic dicti sunt, Prosper Aquit. in *Chron.* Isidorus *Origin. lib.* 8. *cap* 5. & Ebrardus *c. Vald.* Nomine postmodum ad Valdenses, ab eorum adversariis, translato: quos in *Albanenses, Concorezenses* & *Bagnolenses*, iidem diviserunt, ut videre est apud Reinerum *c. Valdens. cap.* 6. & Bonacursum *de Vita Hæretic. initio.* Eosdem cum *Chazaris* facit Gretserus *Prolegom. ad Script. c. Sectam Valdens. cap.* 2. putatque Germanicam esse vocem, ex iis quæ habet Ecbertus Schonaugiensis in *Sermonib. adv. Cathar. Hos Germania nostra* Catharos, *Flandria* Piphles, *Gallia* Texerant, *ab usu texendi appellant.* Sed Godefridus Henschenius *ad Vitam S. Galdini Cardin.* mavult illos sic appellatos esse, propter nocturnas coitiones, à voce Germ. *Caters*, id est, *feles*, &c. V. du Fresne *Glossar.* De illis sic Forbesius *Instructionum Historico-Theologic. lib.* 14. *cap.* 1. *num.* 2. *Manichæorum secta in tres partes distinguebatur, viz. in Catharistas & Matarios & specialiter Manichæos — Ab his Catharistis descenderunt Manichæi illi, quos in Germania Catharos dictos esse suo seculo scripsit Ekbertus Mon. Schonaugiensis, A.C.* 1160. Dicti autem *Catharistæ* illi, q. *mundatores*, vel *purgatores*, à turpissimo quodam illorum scelere, quod commemorat Augustinus *Hær.* 46. quorum turpitudinem ac secretas spurcitias *Catharos* sui temporis sequutos esse, refert idem Eckbertus. V. inprimis de his prolixè disserentem Jac. Usserium Archiep. Armachanum *de Christianarum Eccles successione & statu cap.* 8. §. 16. & *seqq.* ut & *can. ult.* Concilii Lateran III. celebrati A. C. 1170.

Catharina Austriaca, filia Philippi I. Hisp. R. filii Maximiliani I. Imp. post Parentis nata obitum, ex Johanna Castellana, promissa fuit Joh. Friderico Saxon. Electori, sed non data ob religionem: postea Joanni III. Portugalliæ Regi nupsit, nepotisque Sebastiani adversùs Mauros destinatam expeditionem, quoad vixit, retardavit. V. de illa Thuanum *Histor. lib.* 65. Item, filia Ferdinandi I. Imper. primò Francisci Ducis Mantuani; dein Sigismundi Augusti Poloniæ R. qui priorem eius sororem Elisabetham etiam conjugem habuerat, uxor. Spenerus *Syll. Geneal.*

Cathæa, Indiæ regio, trans Hyarotim, inter quem fluvium & Hypanim sunt Gandaridæ V. Salmasium *ad Solinum pag* 993.

Cathedra, variis olim tributa. Fœminearum meminit Martialis *libr.* 12. *Epigr* 38

Hunc qui fœmineis noctesq; diesq; cathedris
Incedit tota notus in urbe nimis, &c.

Ubi Schol. *fœmineas*, inquit, *in quibus fœminæ sedentes, varia & ad fucum*

ſuam Remp. pertinentia, miſcebant colloquia. Juvenalis Sat. 6. molles vocavit. Phædrus item *lib.3 fab. 8.*

Habebat quidam filiam turpiſſimam,
Idemque inſigni & pulcrâ facie filium.
His ſpeculum in cathedra *matris ſuppoſitum facis*,&c.

V. quoque Plinium Jun. *lib.3. Epiſt.*16. ubi de Arria, Horatium *lib.*1. *Sat. ult.* Propertium *lib.4. Eleg.*5. Juvenalem *l.c.*&c. Hinc pueri *Cathedralicii*, id eſt, delicati, teneri, effœminati, mollitie neutiquam cedentes mulieribus, quarum propriè *Cathedra* fuit, Hadr. Turnebus *Adverſar. lib.* 30. *cap.*3. & 30. De iis Martialis *lib.*10. *Epigramm.*13.

Cùm Cathedralicios *portet tibi rheda miniſtros,*
Et Libys in longo pulvere ſudet equus.

Ubi in delicatum puerorum comitatum invehitur, de quo Cicero *in Milon.* quoque agit. Alii longè ab his fuerunt *Cathedrarii* ſervi, memorati Sidonio Apollinari *lib.1. Epiſt.* 11. *Solus Curio meus in transfugarum perfidiam invectus, cùm adveſperaſceret, per* Cathedrarios *ſervos veſpillonibus teteriores, domum raptus & reportatus eſt.* V. Laur. Pignorium *Comm. de Servis.* de *Cathedris* verò ὑπερῴοις, in circuitu Circi poſitis à Tarquinio Priſco, ut ex iis ſpectaret populus, infrà in voce *Subſellia*,&c. In Eccleſia Rom. *Cathedra*, propriè ſedes eſt honeſtior & auguſtior Epiſcoporum in Æde ſacra, cœteris aliorum Presbyterorum ſedilibus excelſior: atque hinc ipſa Sedes, Epiſcopatus, Diœceſis: Guil. Britto *Philipp. lib.*5. de Turonenſi Metropoli.

Quæ cùm ſit Britonum caput & Metropolis, una
Bis ſenas ſub ſe Cathedras *lætatur habere.*

Porro quoque Ædes ſeu Eccleſia Cathedralis in *Capitulari Aquiſgran. A.C.* 789. *cap.*40. Hinc *Altarium Cathedræ*, h. e. Præfecturæ Eccleſiaſticæ, Epiſcopatus, apud Sidonium in *Concion.* Et *Cathedrari* dicti Epiſcopi, cùm ad *cathedram* Epiſcopalem promoventur, item *incathedrari*, Græcis ἐνθρονίζονται, quòd cùm conſecrarentur, in Eccleſiæ *cathedra* collocarentur in eaque ſedentes palàm ab aliis Epiſcopis efferrentur, de quo maximè in Galliis more inſignis extat locus, apud Steph. Eddium in *Vita* S. Wilfridi Epiſcopi Eborac. *cap.*12. ubi *auream* illam fuiſſe inter alia refert Et *Cathedrales*, nudè pro Canonicis Eccleſiæ Cathedralis, in *Charta* Leopoldi Ducis Auſtriæ *A. C.* 1216. *in Metropoli Salisburg Tom. I. pag.*381. 395. Et *Cathedraticum*, penſio, quæ Epiſcopo ab Eccleſiis quotannis exſolvitur, in ſignum ſubjectionis, ſeu *pro honore Cathedræ*, ut eſt in Concilio Braccar. II. *can.* 2. *pro reſpectu ſedis*, ut eſt in Concil. Ravenn. *A.C.* 997. *can* 2. quæ ad duorum ſol dorum quantitatem reſtringitur, *ibid.* V. quæ *de Jure Cathedratici* congeſſere Rem. Chorinus *de Sacr. Polit. lib* 2. *tit.* 7. Nicol. *le Maiſtre de Juribus & Cenſibus Epiſcop lib.*2 *cap.* 1.3. Innocentius Cironus *in Paratitul. Decretal. lib.* 5. *tit.* 39 ut & infrà, in voce *Synodaticum.* Apud Julianum verò Antecesſorem *Conſtitut.*115. §. 431. *Cathedraticum* eſt, quod Juſtiniani *Nov.*123. *cap* 3. ἐνθρονιστικὸν vocat: nempe certa pecuniæ ſumma, quam Epiſcopi recèns ordinati dabant, partim Epiſcopis, à quibus ordinati erant; partim Clericis & Notariis, qui in ea inauguratione miniſtraverant,&c. V. plura hanc in rem apud du Freſne in *Gloſſar.* & Macros Fratres *in Hierolexico.*

Cathedra, in vet. *Regeſto A.C.* 1346. 14. *Julij fiebant* Cathedræ *ponderis aurei* 52. *marcha auri empta* 50. *Cathedr.* 6. *Nov.*1346. Cathedræ, *ut ſuprà marca empta* 48. *Cathedr.* 7. *April.* 1347. *poſt Paſcha: marca empta* 50. *Cathedr. auri*, apud Car. du Freſne, nummus aureus eſt Francicus, in quo Rex *cathedræ* inſidens conſpicitur. Sub Philippo IV. certè *Floreni cum Cathedra*, vulgò *Florins d'or à la Chaire*, cuſi leguntur, A. C. 1308. pretii 20. ſol. Turon. in *Edicto* Regis huius 18. Januar. ann. prædicti apud Fund. in voce *Moneta*; ubi etiam *Denariorum aureorum ad Cathedram*, ut & *Florenorum cum Cathedra*, meminit.

Cathedra S. Petri Romæ feſtum, inſtitutum à Gregorio XIII. ad inſtantiam Antonii Cardin. Caraſæ A.C. 1576. celebrari ſolet d. 18. Januar. Franc. Torrigius *de Crypta Vaticana edit.* 2. *pag.* 570. V. Dominicum Macrum *Hierolex.* in voce *Sella geſtatoria Apoſtolica.*

Cathegeta, ex Græco Καθηγητὴς, *Doctor*, præceptor, apud Theophylactum Bulgarorum Archiepiſc. in *Inſtitut. Reg. Part.*1. *cap.*2. Idem qui Βαΐουλος ſeu *Imperatoris Magiſter*, Codinus.

Cathena, Latinis ex Κάθεμα Gr. unde & *Kethem* Hebr. Proverb. *cap.*25. *verſu* 12. ubi jungitur cum *margarita*, & apud Danielem, ubi cum *ophaz*: monile ſignificat auro & gemmis variatum Heſychius, Κάθεμα ὁ κατὰ ςῆθος ὁρμίσκος: Polluci κάθεμα, ex Antiphane Comico. Nec defuere certè ex Hebræis Magiſtris, qui peregrinam eſſe vocem agnoverunt,&c. Salmaſius *ad Solinum pag.* 1084. V. eundem *pag.*688. ubi funibus & *cathenis*, quas *Perticas* vocant, hodie rem agrimenſoriam peragi, ait.

Catholica, in Symbolo dicitur Eccleſia, Græcè Καθολικὴ, h. e. *Univerſalis*; Tum quatenus ea univerſam Dei familiam, ſive olim, ſive nunc, in terris peregrinantem, perque omnia Mundi tempora, ac ſpatia, diffuſam uno ambitu comprehendit; tum in ſpecie; quatenus Eccleſiam N. T. pariter in terris militantem denotat. Hæc enim verè univerſalis & una eſt, nulli ampliùs loco aut populo affixa, ut olim; non in familiis Patriarcharum dedicata, non in ſacra Judæorum gente collocata, non alii denique genti elocata, ac velut in ſervitium tradita, verùm toto, quà patet, Orbe jam ſparſa, manet ipſa communis omnium fidelium mater; quos eodem lacte nutritos, eodem ſinu fovet, atque eandem in ſpem educatos, ejuſdem civitatis cives facit, mundumque hunc tandem univerſum commune veluti Templum Dei reddit. Sed & Veteres cuivis Eccleſiæ particulari orthodoxæ, *Catholicæ* elogium tribuerunt, verùm ratione Fidei *Catholicæ*, quam profitebatur; adeoque per tralationem. Hodieque idem nomen ſervat Ædes quædam ſacra Meſſanæ in Sicilia, cujus Protopapas non parùm à Clero Metropolitanæ Eccleſiæ honoratur, & ab illo, die Pentecoſtes, ad eam Ædem deducitur, ubi Græco ritu ſolennes Veſperas celebrat. Quæ honoris demonſtratio Clericis illis Græcis ideò exhibetur, quòd, cùm Sicilia adhuc ſub Græco Imperio eſſet, Eccleſia illa cum Latina unita permanſit, in articulo Catholico, *de proceſſione Spiritus S. à Patre & Filio*, uti legimus apud Macros Fratres in voce *Protopapas.*

Catholicus, dignitas & Magiſtratus, in Africa præſertim. Euſebius *lib.* 8. *cap.*23. Καθολικὸς τῆς Ἀφρικῆς, & *de Vita Conſtantini lib.*4. τὸν τῆς διοικήσεως Καθολικὸν, h. e. *Conſularem & Præfectum Africa*, ut interpretantur Viri docti. At Cujacius *ad l.* 5. *Cod. de Jure Fiſci lib* 10. contendit, probatque non uno Βασιλικῶν loco, id nominis ſectaſſe Fiſci Procuratores, Gallis hodie *Generaux des Finances*, quos γενικοὺς Scriptores Byzantini vocant paſſim: quod clare evincit Theodorus Hermopolites *ad l. ult. Cod. Si à non compet. Jud.* ὁ Καθολικὸς, ἤγουν ὁ προεστηκὼς καὶ φροντίζων τῶν δημοσιακῶν πραγμάτων. Cui notioni convenit *Gloſſ.* Gr. Lat. Καθολικὸς, *Rationalis.* Quamvis certum ſit Conſularium vel certè Proconſulum munus fuiſſe, tributorum exactioni incumbere, quod Dio diſertè tradit *lib.*52.&c. Inde *Catholiciani*, officiales Catholicorum, *l.*9 §.2. *Cod. de Bonis proſcript.* ubi cum Cæſarianis junguntur. *Gloſſæ* Baſil. Καθολικιανοὺς, τοὺς ῥογευτὰς, τοὺς αἰτοῦντας καὶ ἀπαιτοῦντας καὶ σιτώνας, τοὺς ἐξκάλωνας. Quæ forte ratio, quod pro *Spiculatoribus* vocem aliquoties uſurpat Sueno *in Hiſtor. Danica*, *cap.*7 Sed & *Catholicus* Primas eſt, qui inter Epiſcopos *Primatiæ*, ut vocant, dignitatem obtinet: apud Aſiaticos præſertim aliquot Præſules, Antiochenæ olim ſedi ſubditos & ſuffraganeos; qui, quod juriſdictionem & direction valde amplam haberent, olim hodieque *Catholicos* ſc. h. e. *Univerſales*, appellare conſueverunt. Et quidem *Perſarmeniorum Catholicus* memoratur Procopio *de Bello Perſ. lib* 2. *cap.* 25. *Armeniorum*, Ottoni Friſingenſi *Chron. lib.*7 *cap* 32 *Seleuciæ*, in *Canonibus* Nicæni Arabici à Turriano editi *cap.*33. & *cap.*34. ubi gradus ejus ſupra omnes Epiſcopos Græciæ ſtatuitur: *cap.* item 35. ubi *Prælatus Perſidis* appellatur Sed hæc dignitas poſtmodum diviſa legitur, binique ex uno *Catholici* Patr. Antiocheno ſubditi creati: quorum alter *-nienſis, Anienſis*, *Perſidis Primas*, *Catholicus Ani*, *Romogyreos Catholicus*,&c. alter *Hieropolitanus*, item *Bagdatenſis* dictus eſt, *Papa* quoque & *Jacolith*, ſeu *Jacolich*, Paulo Veneto (quæ vox corrupta eſt ex *Catholicus*) de quo utroque agit Guil. Tyrius *lib.* 4. *cap.*9. Armenicus Catholicus, cujus meminit idem Auctor, cum *Hieropolitano* idem eſt, V. eum *lib* 15 *cap.*18 Publicavit autem *Armeniæ Catholicorum* ſeriem & hiſtoriam ex Græco Scriptore & ex *Codice* 696. Bibliothecæ Reg. Combefiſius in *Hiſtoria Monothelitar.* ex qua liquet primitus χειροτονίαν & ordinationem accepiſſe ab Eccleſia Cæſarienſi; pacto iſtiuſmodi inter Gregorium primum Armenorum Epiſc. cum Leontio Cæſareæ Cappadociæ Archiep. à quo ordinatus fuerat, inito: quod etiam eousque duravit, donec prolapſi in varias hæreſes Armeni ab Eccleſia Cæſarienſi deſciſcerent. *Sis* verò urbem, Armeniæ *Catholici* fuiſſe ſedem ſuo ævo, refert Wildebrandus ab Oldenborg *Itinerar. Terræ Sanctæ*, ubi de Armenis. Titulos honorarios, quos Zachariæ Majoris *Armeniæ Catholico* adſcribit Joannes Archiepiſcopus Nicænus *lib. de Nativ. Domini*, ita habes: Ὦ μακάριε Ζαχαρία, ὁ διάδοχος τοῦ μεγάλου Ἀποστόλου Θαδδαίου, καὶ σύνθρονε τοῦ ἁγίου Γρηγορίου, ὁδηγὲ δὲ τοῦ οἴκου Θοργὼμ, καὶ ἐπίσκοπε Ἀραράτ ἐγχωρίων, καὶ γνωστικώτατε τῶν φυλῶν τῶν ἀρίστων πολεμιστῶν τῶν Ἀζάτ. *O beate Zacharia, Succeſſor magni Apoſtoli Thaddæi, & Sancti Gregorii ſynthrone. Dux via domus, Thorgom & Præſes Ararati incolarum, ſcientiſſime tribuum optimorum bellatorum in Azat.* Porro habuit Æthiopia quoque ſuos *Catholicos*, Alexandrinæ ſedi ſubjectos, non tamen tantæ auctoritatis, quantâ pollebat Seleucienſis, cui jus erat ordinare Archiepiſcopos, ſicut Patriarchæ faciunt, quod Æthiopicis *Catholicis* non licebat, ex *can.* 36. Nicæni Arabici *Canon.* ubi in Conciliis Græciæ ſeptimum locum, poſt Seleuciæ Catholicum, qui datur ſextus, Æthiopico aſſignari conſueviſſe, additur. *Albaniæ Catholicum* memorat Auctor *Narrationis de Rebus Armen.* apud Combefiſium, qui Καθολικὸς Ἰβηρίας dicitur in *Menæis. Catholicus Jacobitarum*, quem illi *Patriarcham* vocant, recenſetur à Zonara *in Heraclio.* V. quæ præter Car. du Freſne in *Gloſſar.* de *Catholicis* congeſſerunt Sirmondus *in Adventoria*, Marca *Differtat. de Primatibus capp.*26 27. & Salmaſius *in Euchariſtico cap.*3. De Æde primaria Græcorum quam habent Athenis, *Catholicon* illis dici, ait Jac. Sponius *Itinerar. Græc. Part.*2. *pag.*182. quæ ibidem videtur loci eſſe, ubi olim Templum Vulcani, *Ibid.*

Cathraps, apud Plinium *cap. 25. lib. 6. A' promontorio Carmanis junguntur Armozei, quidam interponunt Arbios CCCCXII. mil. littore, ibi portus Macedonum, & aræ Alexandri in promontorio. Amnes Sigana. Dein Æchidana & Chatraps*; amnis Asiæ post Siganam ad Orientem pergenti occurrens. Hinc Κάθραπ@ ποταμοῦ ἐκβολαὶ, apud Ptolomæum, &c. Salmasius ubi suprà *pag.* 1182.

Cati, quinam Romanis sint dicti, exponit Plinius *lib. 7. cap. 31. Reliquis animi bonis præstitere cæteri mortales: sapientiâ, ob id Cati, corculi apud Romanos cognominati: apud Græcos Socrates, oraculo Apollinis Pythii prælatus cunctis.* Ubi sensus est; Cœteri mortales præstitere reliquis animi bonis, ut fortitudine, eloquentiâ, memoriâ, patientiâ, aliisque; at sapientia apud Romanos, qui *Cati* & *corculi* ob id sunt cognominati: apud Græcos Socrates, &c. V. Salmasium *ad Solinum pag.* 51. Cognomen id Æliorum fuisse, adnotat Jac. Dalechampius *ad h. l.*

Catilina, cognomen Avidii Cassii, qui, post Verum, Imperium tenuit. Vulcatius Gallicanus, in *Vita* ejus, *Nec defuere, qui illum* Catilinam *vocarent: quum & ipse se ita gauderet appellari; addens futurum se Sergium, si dialogistam occidisset. Antoninum hoc nomine significans.* Nempe propter similem conjurationem, & morum inprimis similitudinem, Cassius hic non *Catilina* solùm audiit lubens; sed ultro etiam se vel Sergium dici velle (*Catilinæ* qui armiger fuit, perditissimi heri perditissimum mancipium) ajebat, modò Marcum occidisset. V. Casaubonum *ad locum*.

Catillamina, apud Arnobium *lib. 7. Quid tædæ? quid naniæ? quid offæ? non vulgi, sed quibus est nomen appellatioque penita, ex quibus quod primum est, in exiguas arvina est miculas* catillaminum *infecta de more*; cupedia est & delitiosa mattea, à verbo *catillare*, i. ligurire, unde *Catillones* dicebantur gulones, à lingendis *catillis*, & *Catillatio*, de his, qui provincias expoliabant. Propriè verò ita vocasse videntur farcimina aut botulos minutis carnibus inculcatos, quòd avidè à catillonibus experterentur. Quo sensu idem quoque *Catillamenta* posuit *lib. 2. Ut spirulas & botulos facerent, isicia*, catillamenta *Lucanica, seminatam cum his carnem & glaciali conditione, pucota*; ex lectione Salmasii, cui proin *catillamenta* & *catillamina* fartus sunt ex carne minutatim & per miculas insecta. V. cum *Exercit. Plin. ad Solinum pag.* 128.

Catillus, superior pars molæ, apud Paulum IC. *de instructo & instrum. leg. 18. est autem meta inferior pars molæ*, catillus *superior*; uti vulgò habetur: Scaliger verò putat IC. scripsisse, *Est autem meta superior pars molæ*, catillus *inferior*. Græci certè superiorem molæ partem ὄνον vocant, inferiorem μύλην. Mœris Atticista, Μύλ@ ὁ τραπεζα τοῦ μύλου, ὄν@ τὸ ἄνω μύλου. Sit *Catillus* molæ, id est, πίναξ, id fuerit quod Græci τράπεζαν μύλου vocant: quod imponitur & superjectum est, ὄν@ vel ἀλετὼν Græcis, *meta* Latinis, superior nempe molæ lapis. Hesychius, ἀλετῶνες οἱ τοῖς μύλοις ἐπιτιθέμενοι; qui & alibi ὄν@ interpretatur ἀνώτερον λίθον τοῦ μύλου, *superiorem lapidem molæ*. Tota verò mola *machina* dicebatur, unde *machinarius asinus*, qui machinam circumagit, &c. V. Salmasium ubi suprà *pag.* 659. & 1210.

Catimelibocum, Germ. *Catzenelnbogen*, Comit. Germaniæ, in Wetteravia, V. infrà in voce *Catimelibocum*.

in *Catinis* aurum coquendi ratio, indigitatur Plinio *lib. 33. cap. 4. Quæ è camino jactatur spurcitia, in omni metallo vocatur scoria. Hæc in auro coquitur iterum & tunditur.* Catini *fiunt ex tasconio, hæc est terra alba similis argillæ: neque enim alia flatum ignemque & ardentem materiam tolerat.* Auri enim ramenta in *catinos* coquenda mittebantur ex argilla factos, qui dein in fornace vel camino ponebantur. Κεράμεα ἀγγεῖα vocat Agatharchides istos catinos: Κάπειτα, inquiens, ἐμβάλλοντες εἰς ἀγγεῖα κεραμεᾶ ... *Et postea imponentes operculum bene adaptatum & undique perlinentes, coquunt in camino quinque dies*, &c. V. Salmasium *ad Solinum pag* 1079.

Catipanus seu *Catapanus*, apud Guil. Apulum *de Gestis Normannorum lib. 1.*

Turnicii tandem rumor pervenit ad aures,
Qui Catapan *fuerat Græcorum missus ab Urbe,*
Cui Constantinus nomen dedit.

Infrà,

Partibus Ausoniis Gallorum terror habetur,
Ex quo Normannos Catapan *abscedere fecit.*

apud Leonem porro Ostiensem *lib. 2. cap. 68.* Lupum Protospatham, Anonymum Barensem, in *Vita* S. Vitalis Siculi, Ughellum *Ital. sacr. Tom. IV. passim*, idem quod *Capitaneus* est, Præses, Præfectus provinciæ seu civitatis; apud Byzantinos inprimis seu Græcos, ut infrà videbimus. Hodieque Neapoli *Catapanus* vocatur publicus Minister, annonæ, ponderibus mensurisque præfectus. Præsertim verò sic dicti sunt, qui in Italiam ab Impp. Byzantinis mittebantur, provincias ac urbes sui Imperii ibi administraturi, unde *Italiæ Catapanorum* frequens mentio, apud Byzantinos atque adeò Italicos medii ævi Scriptores. Leo Ostiensis *loc. cit. Alius in Apuliam* Catapanus, *nomine Ducliano, ab Imperatore dirigitur.* Sic Romualdus Salernitanus Archiep. *in Chronico MS. A. C.* 1013. *Bugianum quendam, qui* Βοιωάννης *Scylitzæ dicitur, à Græcorum Imperatore in Italiam missum, cum Catipani dignitate, in Apulia plures urbes condidisse, ipsamque regionem Catipaniam* (quæ eadem est cum hodierna *Capitanata*) *appellasse*, refert. Et quidem, pulsis Italiæ finibus Gotthis, sub Justiniano demum missos esse *Præfectos* seu Στρατηγοὺς, qui provincias & urbes regerent, populosque in officio continerent, certum est: Quos inter primus extitit Bellisarius, qui exactis Gothis Italiam aliquandiu gubernavit. Narses, mox Eunuchus & Patricius, qui in Italiam Longobardos evocavit, aliique: quos excepere postmodum *Exarchi* Ravennates. Hos sequuti sunt *Catapani*, qui Apuliam & Calabriam rexere, postquam Longobardia aliisque Italiæ provinciis Græci pulsi sunt, eo ordine, qui infrà subtexetur. Nomen quod attinet, Auctori *Vitæ* Lietberti Episcopi Camerac. *cap. 41. Tom. IX. Spicilegii Acheriani* dictus est quasi κατὰ πανβασιλέα, h. e. *post Imperatorem*, seu qui vices illius exequebatur, unde eum *secundum dominum* vocat. Guilielmo Apulo *juxta omnes, lib. 2.*

Cui Catapan *facto cognomen erat Bugianus,*
Quod Catapan *Græci, nos* juxta *dicimus* omnes.
Quisquis apud Danaos vice fungitur hujus honoris,
Dispositor populi, parat omne, quod expedit illi,
Et juxta, *quod cuique dari decet*, omne *ministrat*, &c.

Sed nugas has refellit, & Byzantinos vocem hanc formasse ex ἐπιτικάνω, quam quibusvis *Capitaneis* seu cujuscunque ordinis viris primatibus tribuere soleant, eruditè ostendit Car. du Fresne *Notis ad Alexiad. pag.* 275. è quo *Catipanorum* Apuliæ Calabriæque seriem hanc damus, in *Glossario* ejus fusiùs memoratam.

Catipanorum Apuliæ Calabriæque series.

Stephanus cognom *Maxentius* Cappadox, missus ad gubernandam Italiam seu Longobardiam, à Basilio Macedone, primus occurrit: cui, ob rem malè gestam, pulso, successit

Nicephorus cogn. *Phocas*.

Gregorius Bajulus Imperialis Græcorum A. C. 875.

Casanus seu Cassanus Patricius, A. C. 883. 884.

Joannicius Candidatus, Stratigo Augustalis, 884.

Tradezi Straticus, A. C. 886.

Theophylactus Stratigo, A. C. 887.

Constantinus Patricius, qui & *Trapezi* seu ἐπὶ τῆς τραπέζης, *Præfectus mensæ Augustali*, A. C. 887. 889.

Symbaticus Protospatharius & στρατηγὸς, i. *Dux Macedoniæ, Thraciæ, Cephaloniæ atq; Longobardiæ*. Beneventum cepit. A. C. 891.

Georgius Patricius, cùm Benevento præfuisset ann. 3. mens. 9. à Guidone Duce & Marchione unà cum Græcis inde pulsus est. Huic successit

Barsacius Patricius.

Cosmas Anthius Protopatricius, Basilicus Protonotarius & Straticos Siciliæ ac Longobardiæ, A. C. 893.

Melissenus seu *Melisanus*, Italiæ Stratigus, A. C. 900.

Nicolaus Patricius, cognom. *Picyglus*, A. C. 915.

Ursileo, A. C. 921.

Michael Schlavus A. C. 926.

Imogalaptus, A. C. 940.

Platopodius, A. C. 947.

Melissenus seu Malachianus, A. C. 951.

Marianus Patricius, seu Marianus Anthypatus Imperialis Patricius & Stratigos, h. e. *Dux Calabriæ ac Longobardiæ*, A. C. 955.

Nicephorus Magister A. C. 966. Hic primus *Magistri* dignitate insignis, Strategus seu *Catapanus* Italiæ fuit.

Passarus Protospatha A. C. 973.

Zacharias A. C. 975.

Porphyrius Protospatha A. C. 979.

Calocyrus Delphinas Patricius, A. C. 982. & 983.

Romanus Patricius, A. C. 985.

Sergius Protospatha, à Barensibus occisus, A. C. 987.

Nicolaus Κριτὴς, cognom. *Calabritus*, eod. anno, Adralistum interfecit.

Joannes Patricius, qui & *Ammiropolus*, A. C 989. Hic Leonem Ieannatum, Nicolaum Critim & Porphyrium interfecit.

Tubali, A. C. 990. Petrum Excubitum occidit.

Macrotheodorus Excubitus, occisus à Maraldo, A. C. 997.

Gregorius Trachanioti, Græcis Τραχανιώτης, A C. 989. 1000.

Melus Barensis, A. C. 998.

Xiphias vel *Xiphea Catepanus*, A. C. 1006. 1007. pater Xiphiæ, qui sub exitum Imperii Bulgaroctoni defecit.

Curacas Patricius, A. C. 1008. 1010.

Basilius Mesardonites, A. C. 1010. 1012. obiit 1017.

Andronicus Turnices seu *Turnicius*, A. C. 1017.

Basilius Bugianus seu *Bugianus*, Scylitzæ Βοιωάννης, A. C. 1018. 1019. 1024.

Abalantius Patricius, A. C. 1018.

Safarius Κριτὴς A. C. 1023.

Leo Potus A. C. 1027.

Michael Protospatharius Critis, Κριτὴς τοῦ Βήλου καὶ Ἱπποδρόμου descendit A. C. 1032. & adduxit Anatoliki ἐπὶ τοῖς ... *Catapanum*.

Constantinus Protospatha, cognom. *Opo*. A. C. 1033 cujus amore Zoë capta, apud Scylitzem.

Leo Opus, A. C. 1037.

Nicephorus, qui & *Dokino*, A. C. 1039.

Michael, qui & *Dokiano* seu *Duchiano*, A. C. 1041.

Exagusto, filius Bugiani præfecti, A. C. 1041.

Georgius Maniaces, à Michaele in Apuliam missus, A. C. 1043. ubi & purpuram induit.

Pardus Patricius, cum Tubaki, Protospatha descendit, 1043. quo Imperator dici voluit.

Constantinus

Constantinus Theodorocanus Proedrus, contra Maniacem in Italiam missus A.C.1043. præfuit aliquandiu: fusus postea & captus à Nicephoro Bryennio, qui similiter Imperium arripuerat, apud Scylitzem, ubi & Georgii Theodorocani, Cycladum Præfecti, mentio preterea occurrit.
Eustachius Palatinus A.C.1045. 1046.
Johannes, qui & *Raphael* A C. 1046.1047.
Argyrus Magister, Vestes & Dux Italiæ A. C. 1051.
Alexius, cognom. *Charon.*
Trombus A. C. 1058.
Marules, A.C.1061.
Sirianus. A. C. 1061.
Apochara, A C. 1064.
Curiacus A. C. 1066.
Mabrix, qui & *Mabrica* A. C. 1066.
Stephanus Patrianus A.C. 1071. quâ ferme tempestate exacti Calabriâ Apuliaque à Normannis Græci sunt, sicque *Catapanatus* dignitas extincta. Plura de his qui scire amat, adeat Lupum Protospatham, Erchempertum, Leonem Ostiensem, Leonem Gram. Zonaram, Scylitzem, Anonymum Barensem, Anonymum Salernitanum, *Fragmentum Historiæ* Longobard. Ughellum *Ital. sacr.* Auctorem *Vitæ* Nili Iun. Guil. Apulum, Romualdum Salernit. in *Chron. MS.* Nicephorum Bryennium, Octavium Bertrannum *Descript. Regni Neapolit.* & qui hos laudat, Car. du Fresne in *Famil. Byzant. Notis ad Annam Comnenam, Glossar.*&c.

Catipha, portus Insulæ margaritarum piscatione celebri, *Baharain* oppositus. Petrus Texeira *Itinerar.* & *Chron. Armuzia pag.*19. *Insula Barhen sita est in meditullio sinus Persici centum leucis ab Armuzia & totidem à Basora, exiguo intervallo à continente Arabiæ, è regione portus Catiphæ.* Idem prope portum hunc. in sinum Persicum, ramum illum Euphratis, qui Phison in Sacris dicitur, ferri ait *Ibid.* V. Bochartum *Hierozoici Part. post. lib.V. cap.*5.

Cato temporis sui, cognom. Fabii Sabini, qui inter consiliarios Alexandri Sev. memoratur Ælio Lampridio in *Vita* hujus Imperatoris

Catoblepas, seu *Catoblepa*, nomen animalis in Æthiopia, de quo sic Solinus *cap.*30. *Juxta Nigrum fluv.* Catoblepas *nascitur, modica atque iners bestia, caput prægrave ægrè ferens, aspectu pestilenti: nam qui in oculos ejus offenderint, protinus vitâ exeunt.* Græcè κατωβλέπας, ut κατωφαγᾶς, à κάτω *deorsum*, & βλέπω *video*, ob rationem dictam. In Circo Romano, ἡ κάτω, i. *pars inferior*, dicebatur Circi principium, ubi creta; sicut ἡ ἄνω, i *pars superior*, ea quæ ad ultimas metas erat, & aliàs σφενδόνη quoque appellabatur. Unde partem illam Circi, comparant *Circi* Editores terræ; istam verò, cœlo. In urbe Athenarum, quid τῆς κάτω πόλεως nomine venerit, diximus suprà. V. Salmasium *ad Solinum pag.* 389. & 915.

Catomidiari, apud Æl. Spartianum in *Hadriano*, *Decoctores bonorum suorum, si suæ auctoritatis essent*, catomidiari *in Amphitheatro jussit & dimitti*: Ita enim veti editiones omnes habent, cùm recentiores secutus Casaubonus *catamidiari* legat, ut vidimus; *catomis cædi* est. Significat autem Græcis τὸ κατωμίον sive τὸ κατώμιον partem sub collo inter scapulas: unde cædi aut *verberari catomo* vel *catomis* dixere, ut *capite cædi, tergo vapulare*. Usitatissimum namque Latinis partem designantia efferre per sextum casum, intellectu præpositionis. Quam proin constructionem secuti recentiores inprimis, *catomis verberare*, frequenter dixerunt, uti in *Martyrologiis* passim videre est. Procopius *Arcan. Histor.* vocat πληγὰς ξαίνειν κατὰ τὸν ὦμον κ̀ τὸ νῶτον. Quod virgis fere fiebat; interdum etiam plumbatis. Unde apud Prudentium,

Plumboque cervix verberata extuberet.

Verberabantur autem certe quidam illorum pendentes, μετέωροι οἷα τὰ ἐν γραμματιστοῦ φοιτῶντα παιδάρια, *velut ad Præceptorem itantes pueri*, ut Procopius ait *l.c.* quod valde antiquum esse ex Comicis constat; nempe, ut eo majorem patientiam præstarent, non innitentes solo, nec contrahendi corporis aut flectendi, aut ullo motu sive eludendorum sive molliendorum ictuum copiâ factâ. Unde factum, ut semiprisci Scriptores abusi vocabulo finxerint phrases, *in Catomo levari, suspendi catomo, catomis & flagellis cædi*, vocemque, quæ designabat corporis partem maximè dantem atque excipientem supplicium, pro ipso supplicio acceperint. Sic itaque Decoctores bonorum Hadrianus puniri voluit, nempe jussit eos *catomidiari*, h. e. fustibus aut virgis κατ' ὦμον verberari; nisi malis plumbatis, quarum ictibus cervices & terga contundi moris fuit; sed posteriorum tantùm Impp. ævo, *l.*40. *Cod. de Decurion.* V. Salmasium *ad Spartianum* & Gronovium *Observationum lib.*4. *cap.*13.

in *Catomo levari*, seu *Catomo suspendi*, in *Actis* S. Babylæ Martyris *cap.*2. *num.*6. *Rex jussit tres infantes levari in* catomo, *& primo dari duodecim plagas, secundo autem novem*, &c. & apud Adonem ac Bedam 18. *Nov.* Catomo suspendi *eum ac verberari & postremò etiam decollari jussit*: quibusdam est in alienos humeros attolli; meliùs idem cum *catomidiari*, de quo diximus: Unde & Scaliger formulam hanc loquendi intelligendam censet de iis, qui flagris cædebantur funibus utrinque à terra levati, atque ita suspensi, ut cervices à terra longius, quàm pedes, extarent. Sic Nic. Alemannus *Notis ad Anecdota Procopii pag.*85. 1. *Edit.* κατ' ὦμον κ̀ νῶτα cædi, ait esse μετέωρον αἰωρεῖσθαι, *sublimem pendere*, quomodo pueri in ludo literario vapulare solent. ex eodem Procopio & ex Nicephori CP. *Breviario.* Et sanè ita etiamnum pueri vapulaturi à duobus valentioribus condiscipulis in sublime educuntur, nudato tergo ut verbera excipiant. Neque aliter Prudentius *Hymno de S. Romano.*

Vix hæc profatus, pusionem præcipit,
Sublimè tollant, & manu pulsent nates,
Teneramque diris ictibus tergum secent.

V. præter ea, quæ suprà diximus, plura apud Jos. Scaligerum *Epist.*144. & 146. ac Chiffletium *ad Victor.* laudatos Carolo du Fresne in *Glossario.*

Catonium, in versu Laberii, apud A. Gellium,

— — — — tolles bona
Fide vos Orcus nudas in catonium:

pro *catomium* perperam positum esse, contendit Vir magnus, & de colli vertebris accipit vocem, V. suprà. Salmasius verò vocem merè Græcam esse, εἰς τὸ κατώνιον, & *ad inferos*, vel, ut Infimi Ævi Scriptores dixere, *ad infernum*, significare docet. Ab adverbio nempe κάτω, *infrà*, Æolicâ planè derivatione, κατώνιον dictum, sicut ἐσχάτιον, à voce ἔσχατος, ἀλλώνιον ab ἄλλος, αὐτώνιον ab αὐτός, V. Eustathium *Il.* ν. adeoque κατώνιον inferorum hic locus est, cùm Græci Poëtæ κάτω plerunque de Inferis accipiant, uti Latini *infrà*. Tibullus,

Non seges est infrà.

i. οὐκ ἀγρὸς ἐστὶ κάτω, *apud inferos*. Quod proin verbum idem reducit in *Epistolam* 25. Ciceronis *lib.*7. *Sed heus tu manum de tabula: Magister adest citiùs, quàm putaramus, vereor ne in* catonium *Catoninos*, i. ne morte afficiat Catonianarum partium homines & orco demittat. V. Salmasium *ad Spartianum in Hadriano Cas.* ubi vocem *Catomidiari* pluribus exponit.

Catopisci & *Catopitæ*, V infrà *Scotopisci.*

Catoptrica Alexandri VII. Pontificis exhibitio, in Musæo Kircheriano. Cujus Auctor, cum ob studii & virtutis amorem, multum ab hoc Pontifice amaretur & magnis excoleretur muneribus, beneficiorum memor ejusdem effigiem in nitidissima speculari glacie comparere voluit in laquearis fastigio, tali quidem solertiâ, ut pro vario ambulantis situ mox accedere, mox retrocedere videatur & certo demum stationis puncto, curioso indagatori, se plenè & *majestuosè* venerabilem præbeat. Cujus artis arcanum sagacissimos quosque fugit, qui quantumvis objectas species ex omni latere inquirant, nusquam tamen eas detegere queunt. Georgius de Sepibus *in Collegii Rom. Soc. Jesu Musæo pag.*37.

Catoptrica Prospectiva, *Catoptricum* Theatrum, *Catoptricus* Proteus & *Catoptricus Quadrans*, V. infrà, suo quodque loco: de *Catoptrica* verò *Scientia* aliquid suprà, in voce *Anacamptica.*

Catoptromantia, seu *Vaticinatio per specula*, apud Vett. multiplex fuit. Nam & Sagæ Thessalæ, quibus multiplex cum Lunâ commercium, ad divinationes suas speculo usæ, in eo literas sanguine inscribebant, responsa continentes: quas, qui consuluerant, legebant non in speculo, sed in orbe Lunæ. Id enim carminibus suis se præstare, esseque id Pythagoræ inventum, jactitabant. Alius modus erat, cum præter speculum & Puerum ad κατοπτρομαντεῖον sua adhibebant, de cujusmodi pueris multa Appulejus in *Apolog* V. quoque Spartianum *in Didio Juliano.* Præterea, quot genera sunt corporum, quæ imagines referunt, tot fuere Ἐνοπτρικῆς seu Κατοπτρικῆς species ac nomina, unde huc referri debent Ὑδρομαντεία, λεκανομαντεία, κυλικομαντεία, ὀνυχομαντεία, ξιφομαντεία, similesque aliæ, quatenus hæc omnia, utpote tersa, polita, ac lævia, imagines reddere apta sunt. Johann. Saresberiensis *de Vestigiis Philosophorum lib.*1. *cap.*12. *Specularios vocant, qui in corporibus levigatis ac tersis, ut sunt lucidi enses, pelves, cyathi, speculorumque diversa genera, divinantes, curiosis consultationibus satisfaciunt.* Neque verò solùm ad præscientiam futurorum hæc faciebant; sed etiam in adversis inde petebant subsidium, quò Julianus spectasse videtur, de quo præfatus Spartianus, &c. V. infrà ubi de *Cyatho* & *Speculo.*

Cattæ Pannonicæ, apud Martialem *lib.*13. *Epigramm.*69.

Pannonicas nobis nunquam dedit Umbria cattas:
Mavult hæc domino mittere dona Pudens.

Sunt, quas *Martas* vulgò dicimus, quæ de genere felium sunt sylvestrium seu mustelæ sylvestres. Quæ enim *Felis* Veteribus, Recentioribus dictus est *Cattus*, quòd *cattat*, id est, videt, Isidoro: hodieque *gattare*, in Gallia dicunt observare & speculari. Arabico-Latinum Lexicon: *Musium cattum, quod cattat, id est, videt.* Sed illud *cattare*, pro videre & speculari factum est, ex Lat. *captare*, Salmasius *ad Solinum pag.*1009. Apud Hungaros, *Bansolmora* vel *Bansulusmora*, dicitur marturinarum harum pensio, vel ipsa earum pellis, in *Decreto* Ludovici Hungariæ R. A. C. 1351. *cap.*12. quam pensionem à Calomano Rege primitus introductam esse, diximus suprà in voce *Bansolmora*. A *Cattus* porro *Cattinæ pelles*, in *Vita* S. VVlfrani Episc. Wigorn. *cap.*2. *Cuidam suggerenti, ut pelles saltem* cattinas *admitteres*. Apud Continuatorem Florentii Wigorn. *pag* 663. *Nulla Abbatissa carioribus utatur indumentis, quàm agninis, vel* cattinis, *pelles sunt catorum sive felium.*

Sic

Sic *coopertoriorum catinorum* meminit *Historia* Abbendomensis in Anglia Monasterii. Uti autem *pelles catinæ* vulgares viles erant, sic contrà in pretio habitæ cattinæ pelles Hispanicæ, Gall. *Peaux de chats d'Espagne*, de quibus Petrus Venerab. *in Consuetud. Cluniac. cap. 17. Cattinarum - damnabilis curiositas in tantum processerat, ut, Gallicanorum* cattorum *pellibus contemtis, ad Iberorum vel Italorum cattos religiosorum hominum curiositas transmigraret.* Pelles *cattarum sylvestrium*, quas *cedpipus* *νέρβας* vocat Cæsarius, frater Gregorii Theol. *Dial. 2. cap.* 110. appellat *Regestum vetus Peaux de chat sauvage*, apud du Fresne *Glossar.*

Catti Meliboci, adde: Comitatum hunc, uxoris Annæ nomine, defuncto profratre Philippo jun. ultimo *Cattimeliboci* Comite, Henricus III. Hassiæ Landgr. obtinuit; cujus filius Guilielmus Junior, absque filiis mortuus A. C 1500. liti inter successorem Guilielmum Medium agnatum, sororesque, Mechthildem & Elisabetham, istam Joanni Clivensi, hanc Joanni Nassovio Dillenburgio, nuptas, causam occasionemque dedit: cùm istæ Comitatum maternæ hæreditatis jure sibi vindicarent; Guilielmo contrà eo maximè argumento nixo, quòd Guilielmus Jun. A.C. 1487. sororibus non nisi dotem 100000. aureorum pactus, integram terrarum successionem patrueli seposuerit. Et protractâ multos in annos cum Nassoviis controversiâ, Clivensium quoque juribus postea titulo emtionis auctis, tandem pro his sententia dicta est, A. C. 1648. cui tamen transactione Passaviensi robur ademtum, & ut in illius justitiam alio judicio quæreretur, permissum. Inde ab iis, quibus cognoscendi vices delegatæ, pronuntiatum A. C. 1657. ut tituli honore non Nassovii minùs, atque Catti gauderent; hi verò, retento Comitatu, Nassoviis, unà cum quarta Comitatus Diezensis parte 450000. aureorum exolverent: *Cattimeliboci* quoque portionem, sive inferiorem, sive superiorem, aut loco ejus 300000. aureorum habituris, quando Hassi nullâ relictâ prole masculâ decederent. Tob. Pfannerus *de præcipuis Germaniæ Principp. Gentibus cap.* 8.

Cattinæ Pelles, apud Continuatorem Florentii Wigorn. V. suprà *Cattæ Pannonicæ.*

Cattiza, V. *Cattuza*,

Cattus seu *Catus*, vinea. Vegetius *lib. 4. cap. 15. Vineas dixerunt Veteres, quas nunc militari barbaricoque usu* Cattos *vocant.* Sic dictæ nempe vineæ hæ seu plutei, quòd sub illis miles in morem felis, quem *Cattum* vulgò dicunt, sub insidiis lateat. Monachus Vallis Sarnaji *in Hist. Albig. cap. 42. Machinam quandam parvam, quæ linguâ vulgari* Catus *dicitur, faciebat diu ad suffodiendum murum.* Aimoinus *Histor. lib. 3. cap. 71. Erant carri viminnis cratibus tabulisque tecti ligneis, in quibus latentes milites fundamenta suffoderent murorum.* *Τὴν ἀπὸ τῶν ξύλων στοάν*, vocat Procopius *Gothicor. lib. 2. cap. 19.* V. Portenarium *in Felicitate Patav. lib. 5. cap. 5.* Matthæum Parisium *A. C.* 1226. Jac. de Vitriaco *Histor. Orient.* passim, Alios & suprà in voce *Catta*. Guil. Britto *Philipp. lib. 7.* apud du Fresne,

> *Huc faciunt reptare* Catum, *tectique sub illo*
> *Suffodiunt murum*, &c.

Hinc *Catafalco*, Italis machina illa, quam *Chafaux* Galli dicunt, quasi *Chatfaux*, ut observavit idem du Fresne *ad Joinvillam*; cùm non *catta* vel *catus* sit, sed speciem saltem illius referat. V. quoque infrà, in voce *Murilegus.*

Catuli cum porcellis ludentes, gratum Alexandro Sev. oblectationis genus, apud Lampridium, ubi *Catuli* sunt canes juniores. Sed & *Catulus*, nomen vinculi, apud Vett. de quo V. suprà in voce *Canis*. Aliàs *Catuli*, dicuntur *quarumlibet bestiarum filii*, ut ait Isidorus, apud Salmasium *ad Solinum pag.* 106.

Catuliana, Minervæ cognomen, à Q. Lutatio *Catulo*, qui signum ei dedicavit, Plin.

Cava, foramina in muris facta, *Livio lib. 24. Murum ab imo ad summum crebris cubitalibus fere* cavis *apertis, per quæ cava pars sagittis, pars scorpionibus modicis ex occulto petebant hostem.* Genere primo, apud Varronem *lib. 3. cap. 15.* de gliribus, *Facere his* cavos *oportet laxiores, ubi pullos parere possint:* Columellam *lib. 12. cap. 8. Oxygalam sic facito. Ollam novam sumito, eamque juxta fundum terebrato. Deinde* cavum, *quem feceris, surculo obturato.* Et Horatium *Epist. lib. 1.*

> *Macra cavum repetas arctum, quem macra subisti.*

Aliàs *cavum*, Poëtis omne vacuum. Virgilius *Æneid. lib. 6.*

> —— —— *cava sub imagine formæ.*

Ausonius, *Cupidine crucifixo, in Pictura,*

> *Hac laqueum tenet, hæc speciem mucronis inanem*
> *Ingerit. illa* Cavos *amnes, rupemque fragosam,*
> *Insanique metum pelagi & sine fluctibus æquor.*

Paulinus, *Jambo Cytherii:*

> *Hi nunc obesi spiritu superbiæ,*
> *Et opibus inflati* cavis.

Sic *cava veritatis*, vacua, apud Claudianum Mamertum *lib. 2. cap. 9. de Statu Animæ: Cava Luna*, V. infrà *Cavum Sidus*, &c. Prudentius verò *Cavi* voce fornacem designat *Hymno 5. Peristeph. de Simulachris*,

> *Excisa fabrili manu,*
> Cavis *recocta & follibus,*

> *Quæ voce, quæ gressu carent,*
> *Immota, cæca, elinguia*, &c.

V. Casp. Barthium *Animadversion. ad Papinium Statium Thebaid. lib. 4. versu* 478 & de Amphitheatrorum *Cavis subterraneis*, infrà in voce *Cavea*. Hinc *cavare*, apud eundem Papinium, pro *perforare, Thebaid. lib. 9 vers.* 426.

> *Lernæam jacit ille trabem. Volat illa sagittis*
> *Æqua fuga, mediumque nihil cunctata, Polites*
> *Transabit, & juncti clypeum* cavat *improba Mopsi.*

Atque ulteriùs pro *cruciare* ac torquere, apud Venantium Fortun. *de Vita Martini lib. 1. versu* 120.

> *Dulcia membra viri per amara flagella cavantur.*

Aliam vocis notionem, V. hic infrà.

Cavara, adde: Sed ridet Dalechampium Valesius, docens, *Cavares* quidem accolere sinistram ripam Rhodani & Druentiam, circa Arausionem & Avenionem ac Cabellionem, urbes provinciæ Viennensis; at pagum Gavotum *le pays de Gavos*, longissimè abesse ab Arausione cæterisque *Cavarum* urbibus, ut qui jaceat in provincia Alpium Grajarum & Penninarum, ad caput seu initium Lacus Lemanni. Idem ostendit, hujus gentis urbes fuisse Arausionem caput, Cabellionem & Avenionem: aut si plura gentis fuere capita, saltem Arausionem primarium fuisse. Strabo transito flumine Druentiâ ad Cabellionem, occurrere regionem *Cavarum* usque ad Isaræ ac Rhodani confluentes scribens fallitur: Neque enim totum agrum inter Druentiam & Isaræ ac Rhodani confluentes occupant *Cavares*; cùm Segalauni, quorum est Valentia & Tricastini ad lævam ripam Rhodani maximam ejus agri partem obtineant. Diligentior Strabone Ptolomæus illos sub Segalaunis ponit: Interim verius, sub Segalaunis Tricastinos, sub Tricastinis *Cavares* fuisse. In tab. Peutingeriana, ab urbe Avenione usque ad Segusteronem seu à Rhodano usque ad Druentiam, notantur literis capitalibus, quasi totum hunc tractum occupaverint: sed inter hæc loca fluminaque Meminos Carpentoratensium & Vulgentes Aptensium sedes habere certum est: V. Hadr. Valesium *Notit. Gall.* in voce *Arausio.*

Cavator, gemmarum scalptor est; *cavare* enim Latini pro scalpere, ut Græci *διαγλύφειν*, posuerunt: gemmas enim qui scalpunt, quasi quosdam in iis *cavant* sulcos & foramina cælo imprimunt. Hinc in vett. Inscript. mentio est *Cabatorum de sacra via*, qui non alii sunt intelligendi. *Cabitarii* etiam vel *Cavitarii* iidem dicebantur, Græcis recentioribus *Καβιδάριοι*, Palladio *λιθουργοί*, in *Basilic.* Græc *Σαρδωνυχάριοι*, à Sarda, facilimæ scalpturæ genere. Et quidem *Scalptores* propriè dicti, qui gemmas *cavant*, h.e. cavam faciunt in gemmis effigiem, quæ pro sigillo solet insculpi, & *scalpere*, cavare est; cùm contrà *calare* & *sculpere*, sit ectypam & extantem imaginem, non *entypam*, ut Scalptores faciunt, exprimere. Hinc *gemmas celatas*, non legimus apud Auctores, sed *scalptas*; omnes viz. illas, quæ *σφραγῖδος* usum præbebant. Galli hodie *Cavatores* istiusmodi & Scalptores lapidum *Gravatores* dicunt, *Graveurs*, pro *Grafatores*; nam & *γράφειν* Græcis in eadem significatione ponitur. Hesychius, *γλύψαι, ξῦσαι, χαράξαι*: & hinc *χειρογλύφοι* seu *χειρόγλυμμα*, annuli signatorii. Imò & *γλάφειν* Græci, à quo Latinum *scalpo*, *κοιλᾶναι* exponunt & *βαθῦναι*, i. *cavare*, refugientes in cavo ac impressas figuras formare, &c. V. Salmasium *ad Vopiscum in Saturnino*, *Exercitat. Plin. ad Solinum pag.* 1045. & 1106. & infrà, ubi de *cavatis* scalptisque vasis vitreis, quæ *Diatreta.*

Cauca & *Caucus*, recentioribus Latinis idem, qui veteribus *cyathus*, patera nempe, unde bibitur. Æl. Spartianus *in Pescennio Nigr. Hic tantæ erat severitatis, ut quum milites quosdam in cauco argenteo expeditionis tempore bibere vidisset, jusserit omne argentum — submoveri. Gloss. Καῦκα, patera*: In *Epigramm.* Græco *Καυκίον*, ejus enim lemma, *εἰς ἔρωτα ἐν καυκίῳ γεγλυμμένον*, *In Cupidinem in cauco scalptum.* Idem cum *bauca* & *bauco*, quâ voce aliquoties, in *Vitis* Pontificum Anastasius utitur Biblioth. &c. Hinc *Cauculari* & *Cauculatores*, pro Incantatoribus, quos Galli hodie *Joueurs de gobelets* vocant, in *Capitular.* Caroli M. *Cauculum* enim est acetabulum, unde *Cauculator* *ψηφοπαίκτης* & præstigiator. Seneca, *Sic ista sine noxa decipiunt, quomodo præstigiatorum acetabula — in quibus fallacia ipsa delectat.* Atque inde ad quemvis oculorum fascinatorem & magum vox translata. Salmasius *ad Spartianum*. Car. verò du Fresne *Cauculatores* seu *Coclearios* fuisse ait, *qui cauculis seu poculis amatoriis, cibis vel phylacteriis ita mentes quorundam inficiunt, ut in insaniam verti à plerisque judicentur, dum proprias non sentiunt contumelias, ex L. Wisigoth. lib. 2. tit. 4.* § 13. Et certè istiusmodi poculorum meminit Plautus in *Truculento*,

> *Si semel amoris poculum accepit merè,*
> *Eaque intra pectus se penetravit potio, &c.*

Guichelaers Belgæ, *Gauckeler* Germani dicunt: V. eum in *Glossario*. Vox verò *Caucus* non Latina, sed Græca est, & vetustissima. Quidquid enim *cavum* ac *κυμβοειδὲς* esset, *καῦκον* & *καυκάλιον* dixere, ut idem Salmasius pluribus docet apud Spartianum ubi suprà.

Caucasus, adde: V. de hoc monte, montium maximo, præter Auctores præfatos, Salmasium inprimis, qui plurimis de illo disserit,

disserit, *Exercitat. Plin. ad Solinum passim*, ubi inter alia duplicem Caucasum *Ponticum* seu *Colchicum*, & *Indicum*, à se invicem longè dissitos, statuit, & Caucasum à Scythis *Craucasum* vel *Craucasim* vocatum, h. e. nive candidum, ex Plinio *lib.6.cap.17.* contendit, *pag.*788. *& seqq.* Hodieque certè Germanis *grau*, canum notat; quam gentem Scythicæ originis esse, quæ & ipsa à verbo *schiessen*, h. e. jaculari, nomen traxerit, docent Eruditi.

Caucasus, nomen equi Circensis, apud Silium *Italic.lib.16.*

Tertius æquata currebat fronte Peloro
Caucasus: *ipse asper, nec qui cervicis amaret*
Adplausæ blandos sonitus clausumque cruento
Spumeus admorsu gauderet mandere ferrum.

Frequens enim erat, equis Circensium nomina indere, non urbium solùm, regionum, insularumque, sed & montium, uti pluribus docet Salmasius *ad Solinum pag.* 936. Fuit autem hic *Caucasus* equus funalis dexter, Græcè δεξιόσειρος, sicut Pelorus sinister, quos proin ambos *æquatâ fronte currere* ait. *Ibid. pag.*898. V. quoque infrà ubi de equis *Funalibus*.

Caucii nummi, καυκίοι, inter minutioris ac pretii vilioris monetæ apud Byzantinos, species, recensentur in *Novella* Justiniani, quâ, ne Consules in Processibus publicis aureos nummos aut argenteos in populum spargant, prohibetur, ita tamen, ut ὑπάτοις seu missilia sua jacere iis permittatur, ἐν μιλιαρησίοις τε καὶ μήλοις, καὶ καυκίοις καὶ τετραγώνοις νομισμάτοις, καὶ τοῖς τοιοῖσδε. Quod meritò statuit Imperator, cùm æs tantùm spargere Consulibus fas esset, uti ex Marcellino Com. discimus. Æneï igitur hi nummi fuere, exceptis Miliarensibus; & *Caucii* quidem dicti sunt, quòd paululum concavi erant & *cauci* formam referebant: cujusmodi nummos concavos non ex ære solùm, sed & ex meliori metallo, Impp. CP. passim videre est in Gazophylaciis Curiosorum. Vid. Car. du Fresne *Glossar. Not. ad Alexiadem* & *Dissertat. de inferioris ævi Numismatibus*.

Cauda, in aliis animalibus Hebraicè זנב *Zanab*; in ove אליה *Aliah*, dicitur; voce maximè propriâ. Exodi *cap.* 29. *versu* 22. *Et capies ex ariete adipem* ואליה *& caudam*. Et Lev. *cap.3. versu* 9. de agno, qui offertur in sacrificium Eucharisticum, האליה תמימה, *caudam integram usque ad coccygem*. Et Levit. *cap.7. v.3.* ubi de oblatione agni pro delicto, את האליה, *caudam offeres & adipem, qui operis exta*. Et *cap.8. ver.* 25. de agno consecrationum, *Et cepit adipem* ואת האליה *& caudam*. Et *cap* 9 *versu* 19. *Et ex ariete obtulerunt* האליה *caudam*. Alibi in Scriptura non extat. E quibus videmus, Mosen, qui in boum & hircorum sacrificiis de cauda ne γρῦ quidem habet, de ovilla vehementer fuisse solicitum, quæ apud nos solet esse vervecini femoris appendix, tam parvæ rei, ut ne teruncio quidem ematur. Inprimis notabilis locus est Levitici *cap.3.cit.* ubi, in Sacrificio Eucharistico, Deus adoleri sibi agni *caudam* postulat & quidem *integram usque ad coccygem*: qua de voce multis agit Bochartus laudandus infrà. Ratio hujus rei ex nomine claret; quod apud omnes Orientales receptissimum, Græci Interpretes usque adeò non intellexerunt, ut in Exodo planè omiserint, & in Levitico constanter τὴν ὀσφὺν, i. *lumbum*, explicaverint: usurpant tamen Samaritani, Syri, Chaldæi & Arabes. Nempe eo intelliguntur non vulgares ovium caudæ, ut in Europa nos habemus, sed, ut habet in *Lexico* Golius, *quales in Orientis ovibus spectare est, quarum minimæ decem, vel duodecim libras pendunt, nonnullæ autem quadraginta libras pondere excedunt.* Hinc apud Arabes *alia* verbum, de ove, significat *caudam habere amplam & adiposam*: quod inde ad homines transfertur, qui nates habent carne & arvinâ distentas. Sed & alio vocabulo eandem *caudam* insigniunt iidem, quod *divitem* ac *copiosam* denotat; sicut ab eadem origine segmentum ejus appellant, cujusmodi multa prostant, apud Arabum fartores & macellarios. Præter usum verò in sacris, alii quoque indigitantur eidem Golio *loco cit. Eas autem minutatim concisas liquant, & adipem in usus suos servant, vel ad condiendum inprimis frumentaceum cibum, vel etiam, ut in Persia, & alibi, ad conficiendas candelas.* Syrus Interpres alium innuit, cùm sic reddit verba Siracidis *cap.20 vers.20. Ut (arietis) cauda sine sale comedi non potest.* Ita etiam in Arabe; sed id unde sumpserint, incertum; cùm in Græcis & Latinis exemplaribus nihil simile reperiatur, &c. Ut igitur istiusmodi *caudæ* pinguedine densæ gravesque, humum verrendo, non lacerarentur & corrumperentur, plostella illis supponi consuevere, iisque adaptari, ut post eas cùm ambulant, volvantur, cujus moris meminere ex Vett. Talmudici *Tract. de Sabbatho cap.5.* & Herodotus ubi de Arabibus, *lib.3.cap.* 113. V. quoque Aristotelem *Hist. Animal. lib. 8. cap.* 28. Ælianum *lib.10.c.4.* Plinium *lib.8.c.48.* Diodorum insuper *lib.* 2. Ctesiam, ubi de Indis, *lib.3.cap.3. & lib.4.cap.32.* apud Ælianum & Photium *in Excerptis*, Damirem de Indicis ovibus: Ex Recentioribus Paulum Venetum de *Camandu*, in Perside, *lib.1.cap.22.* Lud. Vartomannum *Navigat. lib.2.cap.5* ubi de urbe *Aden*, in Arabia Fel. Busbequium, *Epist.1.* ubi de ea Asiæ parte quæ Byzantio vicina est, Leonem Africanum *lib.9.* ubi de Africa & Ægypto, Adam. Olearium *Itin. Moscovit. Persico & Ind.* ubi istiusmodi oves in Syria, Mesopotamia, Gordyæa & Perside frequentes esse refert. Alios. Ludov. Marmolius Hispanicè appellat *carneros de cinco quartos*: quòd, cùm nostræ solum in quatuor partes, hæ in quinque dividantur, quarum partium una cauda est, eaque sæpe potissima, *Africa sua lib.1. cap.23.* Plura habes apud Sam. Bochartum *Hierozoici Part.prior. lib.II.cap.45.* ut & quædam infrà, ubi de *Ovibus*, nec non in voce *Plostellum*.

Cauda Pavonis, Poëtarum carminibus, ob gemmas suas seu oculos suos non parùm commendatur. Lucretius *lib.2.*

Caudaque pavonis, largâ cum luce repleta est,
Consimili mutat ratione obversa colores.

Ovidius *Metam. lib. 15. Fab. 35.*

Junonis volucrem, quæ caudâ sidera portat.

Statius in Psittaco Melioris, *Sylvar. lib. 2.*

Quem non gemmatâ volucris Junonia caudâ
Vinceret aspectu — —

Epigrammata Vett. ubi de Gentia & Chloë,

Cùm quatit, & caudam Junonius explicat ales,
Mille oculos, gemmas mille decenter habet, &c.

Quam proin Chrysippus ita miratur, ut asserat, τὸ ζῶον γεγονέναι ἕνεκα τῆς οὐρᾶς, καὶ οὐκ ἀνάπαλιν, *hoc animal propter caudam suam fuisse creatum, non contrà*, apud Plutarchum *de Stoicorum contrar.* Hinc ipse ut se ostentet, caudam expandit. Plinius, *Simul umbræ quosdam repercussus cæteris, qui in opaco clariùs micant, conchatâ quærit conchâ.* Columella, *semet ipsum, velut mirantem, caudæ gemmantibus pennis protegit.* Quod Dio Chrysostomus ἀνακλάσας τὴν οὐρὰν vocat, seu potius ἀνακλῶν, ut legit Bochartus, ἀνακλάσας τὴν οὐρὰν, καὶ περιστήσας αὑτῷ πανταχόθεν ὥσπερ εὐειδὲς θέατρον, *Infringens caudam, & circumquaque, sibi statuens, tanquam speciosum theatrum.* Phædrus porro, *lib 3. Fab.57*

Pictisque plumis gemmeam caudam explicas. &c.

Unde est, quòd cum cauda perit tota pavonis gloriatio. Plinius iterum, *Idem caudâ annuis vicibus amissâ cum foliis arborum, donec renascatur iterum cum flore, pudibundus, ac mærens quærit latebram.* Abusivè caudam *alas* vocat Moschus,

Ὄρνις ἀγαλλόμενος πτερύγεσσι πολυανθέσι χροιῇ.
Avis alarum florido colore exultans.

Martialis *in Xeniis, Epigramm.* 70.

Miraris, quoties gemmantes explicat alas.

Et Claudianus *in Rufinum lib.1.*

Patricius rosëis pavonum ventilat alis:

i. *caudis*. Nam ex pavonum cauda hujusmodi flabella fieri consuevisse, Martialis docet *in Apophoretis*, ubi de muscario pavonino,

Lambere quæ turpes prohibet tua prandia muscas,
Alitis eximiæ cauda superba fuit.

Et Propertius *lib.2. Eleg. ad Demophoontem,*

Et modò pavonis caudæ flabella superbæ.

Quod officium apposité Eutropio Claudianus tribuit; Eunuchos enim sequiore ævo id obiisse, dicemus infrà, &c. V. plura hanc in rem, apud Sam. Bochartum *Hierozoici Parte poster. lib.II.cap.16.* ut & infrà in voce *Pavo*.

Cauda Sirenis, in Musæo Kircheriano, Romæ. Est autem Siren piscis maris Indici prope Moluccas, mulieris referens formam, ex Hispanorum relatione. Caput habet rotundum, nec multum à reliquo corpore discretum, nasum modicè inter utramque malam protuberantem, palpebris oculis humanis similibus; aures ei aliquanto promissiores, labra, dentes & reliqua corporis membra, humanis paria; ubera rotunda & lacteo humore turgida, manus cartilagineæ, anserum instar, ad natandum aptæ, quibus remorum loco utitur. Cæterùm pro sexus varietate ad generationem requisita omnia adsunt: postea in piscem desinit, caudâ 9. circiter palmorum longâ, & sensim in acumen abeunte, Georg. de Sepibus *in Collegii Rom. S. I. Musæo pag.* 23. V. ubi de *Sirenibus*.

Caudati, per convitium Angli, à Gallicis Scriptoribus non semel dicti occurrunt; Jac. de Vitriaco *Histor. Occid. cap.7. Pro diversitate regionum mutuò dissidentes — opprobria imprudentes proferebant, Anglicos potatores & Caudatos affirmantes.* Matthæus Paris passim, &c. an propter *caudas calceorum*, quibus ii præ cæteris nationibus delectabantur: an quòd comti & nitiduli essent, quo modo *Coti*, h. e. *Escoué*, Occitani comptum appellant: an potiùs, quòd timidi & pusillanimes, *Couards* enim Gallis, *Codardi* Italis, timidi vulgò indigitantur? Certè huc facit, quòd Robertus Com. Atrebatensis illos sic inclamat apud Matth. Parisium, *O timidorum* Caudatorum *formidolositas!* Sed hac de re V. ipsum, qui hunc laudat du Fresne in *Glossar.* Aliàs propriè *Caudatos* homines alicubi extare, Plinius tradit *lib. 7. cap. 2. Et alibi caudâ villosâ homines nasci pernicitatis eximiæ.* Cui astipulatur ex Vett. Pausanias, & ex Recentioribus M. Paulus Venetus & P. Martyr, quos citat Schottus *Physic. Curios. lib.3. cap.11.* Simile quid in montanis Insulæ Formosæ se reperisse, scribit Albertus Herport *Itiner. suo, In aviis montanis hujus Insulæ genus est hominum sylvestrium, quibus in posteriore parte appendix quædam, sicuti brutis, spithamæ longitudine est. Vitam degunt solitariam neque cum aliis quàm sui generis conversantur: reliquis Insulanis infestissimi; quorum*

rum si fortè aliquem rapuerint, malâ cum morte necant. Et Nierembergius, *lib.* 8 *cap.*4. *Certius est, in Regno Lambri* caudatos *esse homines. Scribit M. P. Venetus, caudam unius palmi esse.* Sed addit, *Eadem infamiâ alii homines Europæ laborant.* Quæ affectuum intemperies & miraculosa Augustini decantati nobilissimæ nationis Europæç (de qua dictum) Apostoli maledictio (hinc enim fabula illa potiùs orta) jam dudum à cordatis Viris explosa est. Auctor Anonymus *Histor. Orbis Terr. Geogr. ac Civ. cap.* 9. *sect.*1. §.4.

Cavea, apud Statium *Thebaid. lib.* 6. *versu* 654.

— — — *Ni se*
Arduus Hippomedon Caveâ *stimulante tulisset*
Obvius in medios ——

Populus est, qui in *Cavea*, Amphitheatri remotiore & altiore parte spectabat. Unde apud Senecam *summa Cavea*, cùm ait, *Mimica verba, & ad summam Caveam spectantia.* h. e. ad vilissimam plebem, ibi loci Ludos spectantem. Primitus verò locus medius sic dicebatur. Hinc *Cavea* nonnunquam pro toto Amphitheatro. Sed & *Caveæ*, loca omnia, quibus Theatrum adiri poterat, apud eundem Statium *Lib.*1. *Sylv.*6.

Ecce autem caveas *subit per omnes,*
Insignis species decora cultu,
Plebes altera, non minor sedente.

Postquam enim remotiores à scena, aggestis cespitibus, editiorem locum sibi pulvillis actis fecissent; antiquissimis temporibus, quibus nulla adhuc ex arte Theatra, medius locus depressior *Cavea* nomen accepit, quod nomen postea in Theatris remansit. Erant quoque *Caveæ* Amphitheatrales, in quibus feræ detinebantur & *Cavi* subterranei, è quibus per posticas bestiæ in arenam immittebantur, distinctè memorati Vopisco in *Probo*, *Addidit aliâ die in Amphitheatro unâ missione centum jubatos leones, qui omnes è posticis interemti sunt, non magnum præbentes spectaculum, cùm occidebantur: neq; enim erat bestiarum impetus, qui esse à caveis egredientibus solet.* Nempe non solùm *caveæ* ferreæ in Amphitheatro habebantur, continendis ac concludendis feris, sed etiam *cavi* speluncæque hypogæ ad eam rem factæ. Et *caveæ* quidem ex regulis ferreis contextæ erant & ad lucem expositæ in medio, ut par est, amphitheatro: *cavi* autem & specus illi subterranei tenebrosi planè erant, ut qui nullâ vel minimâ luce irradiarentur. Unde non mirum, si feræ in illis specubus detentæ, minore inde cum impetu exirent exilirentque, quàm quæ in caveis habebantur. Tenebris namque ac pædore domitæ, languidiores efficiebantur: at è *caveis* erumpentium major vis ac impetus; luce enim ipsâ efferabantur & bestiarii ipsius forsitan, adversùs quem emittebantur, conspectu. Adde quòd priusquam inde exirent irritabantur: quæ fieri non poterant in *cavis* & hypogæis illis. Salmasius *ad loc. cit.* V. quoque infrà in voce *Repagula*, item *Rutuli*: & plura hanc in rem apud J. Lipsium *de Amphitheatro.*

Cavea Leonis, in qua is captus circumduci solet, indigitatur Ezechieli *cap.*19. ubi, in allegoria Leænæ & leunculorum ejus, h.e. Synagogæ Israëlis, ut exponit Hebræam vocem Chaldæus. & filiorum Josiæ Regis, Joachazi ac Joachimi, contra leunculum illum, qui regionem, palatia & urbes vastaverat, & desolaverat, vicinas undique gentes convenisse, eumque retibus suis implicitum & in fovea captum, & uncis tractum & *caveâ* inclusum, ad Regem Babyloniæ fuisse adductum, & munitionibus detentum, ne rugitus illius ampliùs audiretur super montes Israëlis, Propheta dicit. Sed inprimis notabilis *vers.* 4. *Et duxerunt eum* (nempe Joachazum) בחחים *uncis* (seu uncinis) *in terram Ægypti.* Et *vers.*9. *Et posuerunt eum* (Joachimum) *in cavea uncis*, supple *attractum.* Quorum prior locus per posteriorem explicatur. Cùm enim leones non soleant uncis trahi per longum iter, cùm *versu* 4. leo in fossa captus, inde in Ægyptum uncis deductus fuisse dicitur, is è fovea intelligendus est in caveam fuisse uncis tractus, atque ita in Ægyptum deductus, quomodo *versu* 9. alterum leonem in Babyloniam fuisse translatum, scribit idem Propheta. Est a. *Cavea* Hebr. סוגר *sugar*, i. κλωβὸς, quâ voce Leonum *caveas* Plutarchus insignit in *Bruto*, ubi leones narrat magnam Megarensibus cladem intulisse, cùm ἀλῶ τῆς πόλεως περιλαμβανομένης τὰ λεόντων κλῶβα καὶ τὰς ἅλυσεις ἀνῆκαν. *Dum jam caperetur urbs, leonum fregerunt claustra* (seu caveas) *& vincula dissolverunt.* Sed usitatior est pro *feræ cavea* vox γαλεάγρα, quâ Græci Interpp. utuntur *d. l.* Hinc Plutarchus *in libr. Utra animalia*, &c. tigrim esurientem narrat, γαλεάγραν σπαράσσειν, *caveam discerpere.* Et Diogenes apud Laërtium *lib.*6. ἰδὼν γυναῖκα ἐν φορείῳ, Οὐ κατὰ τὸ θηρίον, ἔφη, ἡ γαλεάγρα, *Mulierem in lectica intuitus, Non secundùm feram, inquit, est cavea.* Quamvis, si originem respicias vocis, γαλεάγρα *mustelarum decipula* est, ut μυάγρα murium. Atque hujusmodi *Caveis* homines nonnunquam inclusi; Callisthenes Philosophus, ab Alexandro M. apud Curtium; Telesphorus Rhodius, à Lysimacho, apud Athenæum *lib.*14. & Senecam *de Ira lib.*3. *cap.*17. pater Equitis cujusdam Romani, à Caligula, apud Dionem: Bajazethes, Turcarum Imp. à Temirlane, de quo V. suo loco, &c. Sam. Bochartus *Hierozoici Parte prior. lib.III.cap.*4. De Avium *caveis*, V. infrà aliquid, in voce *Perdix venator*, ubi de cavea dolosa, in quam allici aves consuevere, ex loco Sirach. *cap.* 11. *vers.* 31. πέρδιξ θηρευτὴς ἐν καρτάλλῳ. Addam hic saltem, uti Jeremiæ *cap.*5. *vers.*27. istiusmodi cavea כלוב Hebraicè, ita etiam in Græcis Scriptoribus κλωβὸς aut κλωβίον, vel pro *dolosa* hac *cavea*, vel pro *Cavea* quavis, passim occurrere, V. Poetam vet. apud Suidam, in Ἀμφίβοιον, Philostorgium *lib.* 10. *cap.* 11. Nicephorum, *lib.* 12 *cap.*37. Cedrenum, Alios. Talmudici caveam capiendis avibus, *patsfur* vocant & Romani *transennam.* Plautus *in Bacchidibus Actu* 4. *Sc. Nimis,*

Nunc ab transenna hic turdus lumbricum petit.
Pendebis hodie pulchrè, ita intendi tenus.

V. quoque eum *Persâ Act.*4. *Sc. Cui homini*, & *Rudente Act.*4. *Sc. Quàm mox.* De *Cavea* quadam *eburea* sic Martialis *lib.*14. *Epigr.*77.

Si tibi talis erit, qualem dilecta Catullo
Lesbia plorabat, hic habitare potest, &c.

Caviarii, seu *Cabatores*, in vett. *Inscr.* recentioribus Græcis Καβιδάριοι, item Σκεβοφόροι, iidem cum *Cavatoribus*, V. suprà *Cavator.*

Caulæ, propriè munimenta & septa ovium. Inde ad alias res traducta vox; *caulas corporis*, *caulas palatii*, *caulas atheris*, passim dicit Lucretius. In *Glossis* vett. *caulæ* sunt septa seu cancelli tribunalium, Græcis αὐλαὶ & δρύφακτοι, turbis cohibendis: cujusmodi cancellum in summis Galliæ Tribunalibus *barrellum* dicunt. Sed & in Templis similes cancelli facti erant, intra quos solis Clericis consistere licebat. *Capitularia* Caroli M. *l.*7 *cap.*291. *Ut nulla fœmina ad Altare præsumat accedere, aut Presbytero ministrare, vel intra cancellum stare aut sedere.* Et *lib eod. cap.*203. *Pars illa, quæ cancellis versùs Altare dividitur, choris tantùm psallentium pateat Clericorum*, &c. Salmasius *ad Vopiscum in Carino* & *ad Solinum p.*912. V. hic passim, inprimis in vocibus *Barra*, *Cancelli*, *Secretarium.*

Caulonia, apud Solinum *cap.* 2. *Notum est, à Philocteta Petiliam constitutam — Cauloniam & Terinam à Crotoniensibus*, &c. & Marcianum Heracleotam,

Ἐχόμενα δὲ τούτων ἐστι μὲν Καυλωνία,
Ἐκ τοῦ Κρότωνος ὠκίσθη τοῖς Ἀχαιοῖς,
Ἀπὸ τοῦ σταθμοῦ κειμένη τι τῇ πόλει
Αὐλῶνος αὐτὸ τοὔνομ' ἔχουσ' οἷς ὕστερον
Μετωνομάσθη τοῦ χρόνου Καυλωνία:

Urbs Italiæ, de qua V. in voce *Caulum.*

Caunæ, apud Columellam,

Livia Chalcidicis & Caunis æmula Chiis
Purpureaq; Chelidoniæ pinguesq; Marisca:

id est, *Cauniæ*, aliàs ficus sunt siccæ, quæ ex oppido Cariæ *Cauno* adferebantur, hic autem ficus qualibet siccæ. Quemadmodum enim *Caricæ*, primò dictæ sunt, ficus siccæ è Caria, postmodum ficcus siccæ qualibet: ita *Caunæ.* Unde *Caunas Chias* & *Chalcidicas* vocat Columella, quas alii *Caricas Chias* & *Chalcidicas* vocarent, h. e. caricas ex Chio vel Chalcide. Sic *Caunas Ebusi* pro caricis ex Ebuso Inf. dixit Statius *in Saturnalibus*,

Et quas percoquit Ebosia Caunas, &c.

V. Salmasium ad Solinum *pag.*938.

Caursini, V. suprà *Caorsini.*

Causaria Liberalitas, apud Spartianum in *Hadriano*, *Post hæc profectus in Gallias, omnes* causariis *liberalitatibus sublevavit*: dicitur, cui aliquis casus aut calamitas fuit causa, opponiturque illi, quæ virtutis ergò aut meritorum impertiatur. Vocabulum *Causa* enim etsi naturâ suâ *μέσον* sit, in deteriorem tamen partem accipiebant, uti pluribus ostendit Casaubonus *ad l.* At Salmasius *causarios* legit: falsum enim, inquit, omnes liberalitatibus sublevatos, cùm multi non indigerent. Erga solos igitur *causarios* liberalis fuit, h. e. egentes & facultatibus defectos, & quibus *non sine causa* subveniretur. Huic itaque *Causarius homo* dicitur, ut *causarius locus*, apud Medicos, qui in causa est, vel qui morbo tentatur, aut dolore: *causarius Deus*, apud Marcellum Empiricum: *causarius oculus*, apud eund. *cap.* 8. ὑπαίτιος apud Græcos, qui morbo Comitiali vexatur, *sonticus*, h. e. αἴτιος vel ὑπαίτιος, *sontes* enim sunt ὑπαίτιοι. Sic itaque *Causarii* hic dicuntur egeni & facultatibus lapsi; vel etiam ægroti: quod genus hominum in Galliis cùm esset Hadrianus, liberalitate suâ fovit & adjuvit, &c.

Causia, communis Macedonum pileus, apud Pollucem, *lib* 10. *cap.* 36. sicut crobylus Atheniensium, petasus Thessalorum, tiara Persarum; atque sicut hic duplex, popularis & regius, ita *Causia* quoque fuit. Et quidem de *Causia* communi accipiendus Strabo *lib.*15. cùm ait, risisse Calanum, conspecto Onesicrito, Alexandri ad Gymnosophistas Legato, quòd causiam ferret: quod ipsum esse, quod Demosthenes, *Orat.* παραπρεσβ. vocavit πιλίδιον, notavit Hadr. Junius *Animadvers. lib.* 2. *cap.* 6. De *Causia* Regibus peculiari, cui diadema apponebatur, agit Plut. *in Demetrio* & Athenæus *lib.*12. sed & potentiores Macedones aliquod causiæ genus gestavisse, supra communem sortem illustre, ostendit Plut. *Eumene.* Non multùm autem *Causia*, tiara & crobylus, dissimilia fuere, ut ostendit Anselm. Solerius *de Pileo sectione* 2. Vid. quoque Car. Paschalium *Coronarum lib.* 10. *cap.* 3. ubi non solùm *Causia Regia* diadema imponi consuevisse, sed & illam ipsam

ipsam notâ aliquâ insigni à reliquis fuisse distinctam, ex Plut. *l. cit.* qui καυσίαν διμίτρον, *causiis duplici filo* seu *vinculo*, redimitum fuisse ibi memorat, addit. Quòd itaque diadema hæc *Causia* ferret, Διαδηματοφόρος dicta Græcis est: cujusmodi *Causiam* Antonius dedisse Ptolomæo, ut Regi Phœniciæ, Syriæ & Ciliciæ, legitur apud eundem *in Antonino*. Nec omittendus locus Suidæ, qui *Causiam* vocat Macedonum *ὅπλον ὕπλον*, *καὶ σκέπασμα τῆς κεφαλῆς*, *καὶ κράνος ἐν πολέμῳ*, *familiare genus armorum*, *ac tegmen in imbre nivali & galeam in bello*. Abusivè vox sumitur, cùm quemlibet barbaricum pileum significat, apud eund.

Causidici, dicti *Togati*, quia quamvis omnium ordinum gestamen Toga esset, eorum tamen præcipuè censebatur: Imò postquam exuta simul à Romanis cum libertate Toga fuisset, mansit tamen ejus usus penès clientes, & causarum Patronos: Juvenalis,

— — — — Veniet de plebe togata,
Qui juris nodos, qui legum ænigmata solvat.

Ubi *plebs togata* non est minuta illa ac fordidior, ut volunt Interpretes, sed quæ judiciis, eloquentiæ & causis agendis operam dabat, & propterea in toga erat. Hinc & Seneca *de Ira lib.2. Inter istos, quos Togatos vides, nulla pax est: alter in alterius exitium levi compendio ducitur.* Idem clariùs *de Const. cap. 9. ut accusatore submisso, aut criminatione falsâ, aut irritatis in nos potentiorum moribus: quæque alia inter* Togatos *latrocinia sunt.* Quem imitatus videtur Chrysostomus *Epist. ad Donatum, Sævit in vicem, inquiens, discordantium rabies, & inter togas pace ruptâ forum litibus mugit insanum.* Apulejus etiam improbos patronos *Togatos vulturios* vocat. Nec alia mens Martiali *lib.7. Epigr.1.*

Jure madens, varioque Toga limatus in usu,
Non lector meus hic, Urbice, sed liber erit.

Idem Quintilianum *gloriam Romanæ togæ* appellat. Ovidius proin eleganter *castra civilis togæ* vocat Judiciale forum, *de Rem. lib.1.*

Desidiam puer ille sequi solet: odit agentes,
Da vacuæ menti, quo teneatur, opus.
Sunt fora, sunt leges & quos tuearis, amici,
Vade per urbanæ splendida castra togæ.

Togata dignitas apud Cassiodor. *lib.5. Epist.4. in fine*, eandem ob causam Advocatio dicitur. Quod verba attinet Juvenalis *Sat.7.*

— — — Purpura vendit
Causidicum, vendunt amethystina:

Unde quidam evincere conantur, eum *Causidico* togam adimere, lacernas dare: respondet Ferrarius, ea quidem de lacernis aut lænis intelligenda esse, sed quæ togæ injiciebantur, &c. Pœna delinquentibus *Causidicis* solemnis, silentii fuit indictio, Ulpianus *l.9. ff. de pœn. Moris est, advocationibus quoque præsides interdicere, & nonnunquam ad tempus vel annis metiuntur, vel etiam tempore quo provinciam regunt, nec non ita quoque interdici potest, alicui, ne certis personis adsit: potest & ita interdici cui ne apud tribunal præsidis postulet, & tamen apud Legatum vel procuratorem non prohibetur agere.* Antonius Aug. *l.1. C. de postul. Cùm à præfecto Ægypti causas agere perpetuum prohibitus non appellaveris, placitis obtempera.* Hinc & Plin *lib.5. epist.14. Assenserunt, a t, omnes præter Flavium Aprum, is interdicendum ei advocationibus in quinquennium censuit.* V. Thom. Dempsterum *in Joh. Rosini Antiqq. Rom. lib.5. cap.32.*

Causimomantia, Græcè Καυσιμομαντεία, species Magiæ seu divinationis, ἐκ τῶν καυσίμων, apud Plinium *lib 36. cap.19. Hoc* (gagate) *dicuntur uti Magi in ea, quam vocant causimomantiam, & peruri negant, si eventurum sit, quod aliquis optet*: uti quidem legit Salmasius, cùm aliàs *axinomantiam* in libris editis habeatur. Per καύσιμα autem intelliguntur ea, quæ uri possunt. Itaque si aliquid τῶν καυσίμων, in ignem injectum, peruri nequiret, significabat id eventurum, quod quis in votis haberet: atque inter talia gagates lapis erat, quo maximè in hanc καυσιμομαντείαν Magi utebantur. Alia erat Pyromantia, qua de suo loco dicemus. V. præfatum Salmasium *ad Solinum pag.153.*

Causisoleus, natione Ægyptius, frater Theodoti, qui Æmilianum ceperat, Dux Gallieni Trebellianum, qui sub Gallieno tyrannidem invaserat, prælio vicit ac interemit. Treb. Pollio *in XXX. Tyrannis.*

Cavum Sidus, apud Solinum *cap.27. Exultant* (simiæ) *novâ Lunâ, tristes sunt cornuto & cavo sidere*: est cava & cornuta Luna, quam à *nova* discernit, quæ tamen & ipsa cava nihilominus & corniculata est. Et quidem Græci μηνοειδῆ & κοίλην quoque vocant, quum curvatur in cornua, & tam de nova dicunt, quàm de vetere. Sed & similiter *cavam* Lunam à *nova* distinguit Plinius, ubi de Cercopithecis *lib.8. cap.21.* Nempe cùm *cavum* opponatur *pleno*, nam quod vacuum fit, cavum existit; etiam *cava* Luna plenæ opponitur: adeoque, sicut *plena* dicitur, quum totum orbem implet, ita *cava*, hic non ἡ μηνοειδής, sed quum toto orbe vacua est & inanis, nihilque prorsus habet luminis. Per interlunia igitur, quum splendorem prorsus amisit Luna, tristes sunt simiæ: eandem renascentem & in exortu suo novam salutatione adorant. Quod de cynocephalis quoque Orus scribit *in Hieroglyphicis.* V. Salmasium *ad Solinum pag.376.*

Caystrus, adde: Fluvius non est magnus, sed formosus, ac non minùs in varias spiras, quàm Mæander, serpens, quæ causa, quòd non pauci illum cum Mæandro confuderint: inprimis quia per planum incedentibus, propter istiusmodi anfractus, quos non nisi in edito loco constituti observare possunt, duplex flumen videtur. Sed Mæander integro die cum dimidio inde distans, propè Mileti rudera, in mare se exonerat. Hinc in antiqq. nummis Gallieni, & Salonini, filii hujus, pro lemmate legimus, ΕΦΕϹΙΩΝ ΚΑΫϹΤΡΟϹ, cum icone alicujus, hydriæ effluenti incumbentis, id est, EPHESIORUM CAYSTRUS; quum Mæander potiùs Milesiorum esset. Cum cura illius decursum è colle proximo, in quo rudera turris tetragonæ, *Carcer Pauli* dictæ, consideravit, exactè delineavit, atque cum miris Mæandri flexibus contulit, Jacobus Sponius Medicus Lugdunensis, quem Vide in lib. cui titulum fecit *Voyage de Levant & de 7. Eglis. tom.2. ubi utriusque icones exhibet.* Turcis appellatur *Carasou*, id est, *aqua nigra*: Item *Coutchouk - Mindre & Minderscare*, i. *parvus* seu *niger Mæander*; ob similitudinem cum Mæandro, quem simpliciter *Mindre*, vel *Bojouc - Mindre*, h. e. *magnum Mæandrum*, appellant. Idem *ibid.* A' *Caystro*, nomen *Caystrii* Herois, cujus, ut & Asii sacella prope hunc fluvium monstra a fuisse adhuc suo tempore, refert Strabo *lib.14.* apud Vossium *de Idolol. origine ac progressu, lib.1. cap.21.*

Caytus, seu *Gaytus* vel *Gayetus*, apud Saracenos olim militaris officii nomen, occurrit apud Lupum Protospatham A. C. 972. 1002. Hugonem Falcandum crebriùs & apud Rocchum Pirrhum passim.

Cazafusta, apud Rollandinum *Histor. lib.8. Nihilominus nisi sunt defendentes, inimicos repellere eosque fugare, & figere nunc lanceis, nunc sagittis, fundis petras rotantibus & sonantibus cazafustis*: pro *catapulta* est; machina bellica, sudibus acutis ejaculandis idonea, du Fresne *Glossar.*

Cazeri, à Germanis Valdenses olim dicti sunt, an à priscis *Catharis* detortâ voce: an uti Godefridus Henschenius *ad Vitam S. Galdini Cardin.* vult, à voce Germanica *Catz*, h. e. catus, felis: eò quod, sicuti feles noctu sua conventicula celebrant, ita & illi, adversariorum metu, nocturno tempore cœtus suos instituere fuerint coacti. V. suprà in voce *Cathari.*

C E.

Cebus, seu *Cepus*, simiæ genus, Solinus *cap.30. Iisdem ferè temporibus* (Dictatoris Cæsaris) *illic* (Romæ) *exhibita monstra sunt. Cepos appellant, quorum posteriores pedes crure & vestigio humanos artus mentiuntur: priores hominum manus referunt: quæ tamen à nostris non ampliùs, quàm semel, visa sunt.* Græci partim Κῆπον, partim κῆβον vocant. Aristoteles simias cum cauda κήβους appellat, & sane hujusmodi *cepis* posteriores pedes humanis pedibus similes, manibus priores sunt. Hesychius, κῆπος ζῶον ὅμοιον πιθήκῳ, *Cepus, animal simile simiæ.* Agatharchides, & ex eo Diodorus Siculus, κῆπον habere, τὸ μὲν πρόσωπον λέοντι, τὸ δὲ σῶμα πανθήρᾳ, τὸ δὲ μέγεθος δορκάδι, *faciem quidem leonis, corpus verò pantheræ & magnitudinem capreæ*, tradunt: Idemque scribit ex Artemidoro Strabo *lib.16.* At *lib.17.* prodit idem, Babylonios Memphitas colere *Cepum*, qui faciem habeat Satyro similem, τὰ δὲ ἄλλα κυνὸς καὶ ἄρκτου μεταξὺ, *reliqua verò partim urso, partim cani.* Ubi libri quidam scribunt κῆπον, alii κῆβον. Nomen invenisse hoc animal κῆπος, ἀπὸ τῆς ποικιλίας, quasi *hortum pro varietate formæ* dictum, tradunt summi Auctores. Sed nomen est illius gentis, ubi fera ipsa nascitur. *Cep* enim aut *Ceb* Æthiopes appellasse videntur, inde in Ægyptum & hinc in Græciam, nomen cum ipso animali illatum: unde Græci Κῆπον aut Κῆβον dixere, quemadmodum Τίγρις, ῥινόκερως, καμηλοπάρδαλις, ἐλέφας, ἱπποπόταμος, βόνασσος, & sexcenta id genus animalia, quæ appellationes nacta sunt ab eorum locorum populis, in quibus nata. Salmasius *ad Solinum d. l.* Origo verò ex Hebraico קוף *Kaph*, ut videtur, quæ vox in Sacris occurrit 1. Regum *cap.10. versu 22.* & 2. Paralipom. *cap.9. versu 21.* ubi Salomonis classis è Tharsis advexisse legitur קופים *Kophim*, id est, simias: uti Veteres & Recentiores explicant. Nec desunt, qui dictos velint à verbo קוף *Kuph*, vel יקף, *jakaph*, h. e. *ambire & circuire*; propter frequentes circulationes, quibus & seipsum exercet & spectatores detinet hoc animal. Hinc ergo *Æthiopum Cephus*, primùm Pompeji M. Ludis Romæ visus, teste Plinio *lib.8. cap 19.* in cujus descriptione quamvis mirè varient Auctores, ut vidimus: ex iis tamen Æthiopicum aut Troglodyticum esse animal, inter simiarum species, colligere procliveest, V. Sam. Bochartum *Hierozoici Part. prior. Lib III. cap.31.*

Cecaumene seu Diacecaumene reg. eadem cum *Catacecaumene*, quod vide.

Cecropidæ, V. infrà *Novum Nomen.*

Cecropis, prima & antiquissima Atheniensium Reip. Tribus, ita nominata in honorem *Cecropis*, qui 4. tribubus, in quas primitus civitas divisa fuerat, nomina primus indidit: quæ postea

Cranaus mutavit, ut & Erichthonius ac Jon, nominibus pro uniuscujusque arbitrio iis impositis. Donec Alcmæon Archon, aucto Tribuum numero, à Semideis Atheniensium, inter quos & Cecrops fuerat, illas denominavit: tum iterum *Cecropidis* emersit nomen. V. Pausan. *in Atticis.*

Δῆμοι seu Municipia Tribus Cecropidis.

Æxone.	Phlya.
Alæ Æxonides.	Pithus.
Athmonon vel Athmonia.	Sypalettus.
Dadalidæ.	Trinemei.
Epiecidæ.	Xypete.

V. Franc. Rossæum *Archæol. Attica lib* 1. *cap.*6.

Cecropius, Dux Dalmatarum, Heracliani jussu Gallienum interemit, Zosimus & Trebellius Pollio. in *Vita Gallienorum.*

Viri Illustres.

Cecrops Aureolus, insignis pugnator, de quo V. Salmasium *ad Pollionem in Claudio.*

Cecrops Maurus, apud Zosimum, nominatur inter illos, qui, Gallieno imperante, res novas moliti sunt: diversus à *Cecropio*, de quo suprà.

Cedellus, in vet. *Charta*, apud Car. du Fresne, vas portatile est, aquæ in Eccl. Rom. benedictæ inserviens. Gallis etiam dicitur *Celes.*

Cedræi Arabes, vicini Canchlæis & Nabathæis, à Meridie Scenitis Arabibus junguntur: de quibus V. Salmasium *ad Solinum pag* 486.

Cedrinæ Mensæ, apud Plinium *lib.*13. *cap.*15. meliùs *citrinæ*, V. infr

Cedrosia, reg. Solino dicitur *cap.*54. quæ aliis *Gedrosia.*

Cedrus, arbor nobilis, memoratur Papinio Statio *Thebaid.lib.*3. *versu* 142.

Thessalis haud aliter bello gavisa recenti,
Cui gentile nefas hominem revocare cavendo,
Multifida attollens antiqua lumina cedro.

Ubi *antiquam* vocat, quia diu durat. Hinc Virgilius domibus aptam ait, *Georg.lib.*2.

—— —— dant utile lignum
Navigiis pinos domibus cedrosque cupressosque.

Sed & Majorum hinc effigiebus expetita. Idem,

—— —— effigies ex ordine Avorum
Antiqua ex cedro.

Imò simulachris Deorum. Plinius *lib.*13. *cap.*5. *Cedri materiæ æternitas, itaque & simulachra Deorum ex ea factitaverunt. Cedrinus est Romæ in Delubro Apollo Sosianus, Seleucia advectus*: & *lib.* 16. *cap.* 11. *Buxum maximè ætatem ferre putant — cedrumque, claro de omnibus materiis judicio in Templo Dianæ Ephesiæ — cujus tectum convenit esse è cedrinis trabibus. De ipso simulachro Deæ ambigitur.* De ejus usu in *Sacris Israelitarum*, dicemus infrà,&c. Nisi tamen humore vitientur, quem non ferunt. Palladius *lib* 2. *cap.*16. *Cedrus durabilis nisi humore tangatur.* Funeribus destinatam *add. l. Statii* ait Interpres; an quòd facibus idonea. Certè Magnatum facibus adhibitam liquet, ex Virgilio *Æneid. lib.*7. *de Circe,*

—— —— tectisque superbis
Urit odoratam nocturna in lumina cedrum:

& Homero *Odyss.* γ. ubi de specu & foco Calypsûs

Κέδρου τ' εὐκεάτοιο, θύου τ' ἀνὰ νῆσον ὀδώδει.

V. quoque de *Cerere*, apud Claudium *Raptûs lib.* 3. Suavem enim odorem exhalat. Ut Virgilius quoque alibi,

Disce & odoratam stabulis accendere cedrum.

Unde ejus ligni accensi nidorem, in sacris adhibitum à Græcis, legimus. An, quia *Cedri* succo mortui conditi, ut doctis notatum pridem,&c. Amplitudo iis tanta aliquando, ut trium hominum complexum excesserit, auctore Theophrasto *lib.*5.*c.*9. qualem in Cypro succisam esse, ad undeciremem Demetrii, 130. pedes longam, memorat. Nascuntur maximè in Creta, Attica, & nonnullis Syriæ regionibus: cui verò *Cedrus Libani* inprimis, toties dicta sacris Scriptoribus, ignota fuit, è qua non solùm sibi domum Salomo aliique Reges extruxere: Sed & quam in Tabernaculo conficiendo multipliciter ipse Deus adhiberi jussit, Exodi *cap.*35. *versu* 5 - 9. Ut enim alia omittam, è purissima cedro, confectum erat Altare æneum in Atrio, quòd æneis laminis undique obductum esset, id nominis adeptum, Exodi *cap.*40. Sic & Altare aureum, in Sanctuario, cedrinis tabulis deauratis constabat: Mensa item aurea, in qua sacri panes, Exodi *cap.*30 & *cap.*25. *versu* 23. Ipsa tandem Fœderis Arca è ligno *Zittim* seu cedro, constabat, Exodi *cap.*25. *versu* 10. intus & extra auro obducta; quemadmodum & duo vectes ex 4. ejus annulis aureis, ex eadem cedro erant, pariterque deaurati prominebant: qua cedri seu ligni cum auro conjunctione, utriusque Naturæ in Christi persona mysterium adumbratum esse, docent Theologi, inter quos V. inprimis Fr. Burmannum *Synops. Theol. Christ. Part.*1. *lib.* 4. *cap.*15. & plura hanc in rem, apud Salmasium *ad Solinum passim.* De *cedro* sic Plinius *lib* 13. *cap.*5. *Juniperi similem habens Phœnices & cedrum minorem. Duo ejus genera, Lycia & Phœnicia. Differunt folio. Nam quæ durum, acutum, spinosum, habet, oxycedros vocatur, ramosa & nodis infesta. Altera odore præstat. Fructum ferunt myrti magnitudine, dulci sapore. Et majoris cedri duo genera. Quæ floret, fructum non fert* (mas viz.) *Frugifera* (fœmina nempe) *non floret: & in ea antecedentem fructum occupat novus. Semen ejus* (alii habent *cortex*, Salmasius, *foliatura*) *cupresso simile. Quidam cedrelaten vocant*,&c. Idem alibi *clavum eam non pati* addit. Apud Sinenses, in *Huquang* prov. *cedri* nascuntur, quas *Ideli manum* vocant: extremitates enim illarum in caudulas aliquas, ceu in digitos, ac pedunculos desinunt. Esui aptæ non sunt, at domi, intra cubiculum suspensæ, suavissimum exhalant odorem: quam ob causam sacculos in eam rem reticulato opere ex serico artificiosè contexunt, teste Auctore Anonymo *Sinæ & Europæ cap* 36. De *Cedria* seu *Cedrio*, picis genere & *Cedride* seu Cedri fructu V. Plinium *lib.*16. *cap.*11. & *lib.*24. *cap* 5. De *Cedrino bryo* Salmasium *ad Solinum pag.*1028. De prov. *Cedro digna*, Erasmum in *Adagiis*,&c.

Cefus & *Ceffus*, apud Solinum *cap.*30. monstrum est, *cujus pedes posteriores crure & vestigio humanos artus mentiuntur; priores hominum manus referunt*; de quo diximus retro in voce *Cebus*, nam ita communiter scribitur, V. quoque infrà in voce *Cercopithecus.*

Cei, incolæ Inf. Ceæ, quam post mortem Actæonis tenuisse Aristæum, consentiunt Auctores. Virgilius,

—— & cultor nemorum, cui pinguia Ceæ
Tercentum nivei tondent dumeta juvenci.

Apollonius Rhodius,

—— λίπεν δ' ὄγε πατρὸς ἐφετμῇ
Φθίην, ἐν δὲ Κέῳ κατενάσσατο λαὸν ἀγείρας
Παῤῥάσιον.

Alii. Faciebant illi quotannis Caniculæ sacra, circa exortum ejus, quo tempore Etesiæ flare incipiunt, idque ex ejusdem Aristæi institutione, ad liberandam peste terram Græciam & præcipuè Cycladas Insulas, uti videre est apud Diod. Siculum *lib.*4. & Hyginum *in Sphæra* Unde Cicero *de Divinat. lib.*1. *Ut enim Cei accepimus ortum Caniculæ diligenter quotannis solere servare, conjecturamque capere, ut scribit Ponticus Heraclides, salubrisne an pestilens annus futurus esset.* Idemque Heraclides eundem populum, priusquam ad extremam & decrepitam senectutem perveniant, mortem cicutâ sponte accersere, tradit *in Fragm.* Unde illa Menandri,

Καλὸν τὸ Κείων νόμιμόν ἐστι Φανία,
Ὁ μὴ δυνάμενος ζῆν καλῶς, οὐ ζῇ κακῶς;

quos versus refert Stephanus in voce *Ἰουλίς*, quæ urbs fuit Ceæ Inf. una ex quatuor,&c. V. hac de Insula ejusque incolis plura apud Salmasium *ad Solinum pag.*142. ubi in *Ceo* Inf. Pamphilen quandam vestes bombycinas ex Assyria bombyce textas redordiri rursusque texere, primam invenisse, atque hinc fœminarum delicatiorem vestem profectam esse, docet, ut & *pag. seqq.* Sed & adde, quæ diximus in voce *Cea.*

Viri illustres.

Cejonius Albinus, inter Nobiles Romanos, sine causæ dictione à Severo Imp. occisos, memoratur Spartiano, in *Vita Severi.* Item Præfectus Urbis, ad quem Aureliani Aug. Epistolam habes, apud Vopiscum in *Aureliano.*

L. *Cejonius* Commodus, socer L. Cejonii Ælii Commodi Veri Antonini, quem Adrianus Imp. adoptatum Antonini Pii collegam esse voluit. V. Capitolinum in *Hadriano.*

Cejonius Posthumianus, affinis Clodii Albini, in Gallia Imperatoris declarati, post mortem Pertinacis, apud Capitolinum in *Vita* ejus.

Cejonius Posthumius, seu *Postumus*, pater Clodii Albini modò dicti, ex Aurelia Messalina, *Ibid.*

Ceiriada, Græcè Κειριάδαι, locus Atticæ, ad Hippothoontidem tribum pertinens, memoratur Sponio *Itiner. Græc. Part.* 3. *pag.*139. ubi *de Atticæ populis.* V. in voce *Ceriada.*

Celæna, nomen Urbis, adde: Salmasius distinguit Arcem *Celænarum*, in qua fons Mæandri, quæque in monte Aulocrene sita erat, ab urbe Apamea seu *Novis Celænis*, quas cùm condidisset Antiochus Soter, veteris oppidi incolas eò transtulit. Ex arce hac antiqua autem ortus Mæander, per mediam urbem arci subjectam pervadebat, & postmodum Marsyâ, Orgâ & Ombrimâ fluviis, quibus urbem circumfusam ait Plinius *lib.* 5. *cap.* 29. reddebatur auctior,&c. Qua de re V. plura apud eum *Exercitat. Plinianis ad Solinum pag.*827. & *seqq.*

Celebothras, adde: Scribi vult *Cepobotras* vel *Ceprobotras* Salmasius, ex Auctore *Peripli*, qui Κηπόβοτρον eum vocat. V. illum ubi suprà *pag.*1185.

Celebres Coronæ. *Ἐπίσημοι στέφανοι*, dicuntur Artemidoro *lib.* 1. *cap.*79. propriè coronæ querceæ, laureæ, myrteæ & oleagineæ quas cùm non nisi universorum suffragiis conferri mos esset, meritò, qui istiusmodi coronam impetrabat, se apud omnem posteritatem percelebrem sperabat fore. Nempe Corona talis, præcipuum ac luculentissimum præmium, cæteris omnibus præibat. Euripides *Herc. Fur. actu* 5.

Καλὸς γὰρ ἁμῖν στέφανος Ἑλλήνων ὕπο

Καθ' ἱεράν ἀεθλεῦντας ἐνάλιας τεχνῶν.
Quam in rem V. Car. Paschalium *de Coronis lib. 5. cap.8.* & plura hic passim, ubi de *Agonibus, Certaminibus Iselasticis, Ludis,&c.*

Celendra, adde: Inde principium Ciliciæ ad Occid. Artemidorus duxit, apud Strabonem *lib. 14.* Εἶτα τόπος Μελανία καὶ Κελενδερὶς πόλις λιμένα ἔχουσα. ἔνιοι δὲ ταύτην ἀρχὴν τίθενται τῆς Κιλικίας, οὐ τὸ Κορακήσιον, ὧν ἐστὶ καὶ Ἀρτεμίδωρος. Cùm alii ampliores ejus terminos à Melane amne, alii à Coracesio, inciperent. V. Salmasium *d. l. pag.771.*

Celer, pro Equite, Græcis κέλης, Æolibus κέλης, unde & *Celeres* & *Celetes* iidem. Val. Probus in *Notis,* TRIB. CEL. *Tribuni celerum vel celetium,* Servius ad 8. *Æneid. Romulus cùm turbam civium non haberet, asylum condidit — à vicinis civitatibus matrimonia postularit, sed ab eis contemtus* Celetes *se Neptuno equestri Deo - editurum proposuit,&c.* Atque inde *celer* pro veloci: nihil enim equo vel equite velocius Postea à flectendis in gyrum equis, *Flexutes* dicti sunt, V. infrà in hac voce, ut & in *Trossuli,* namque & sic appellati antiquitus sunt. Plura verò hanc in rem apud Salmasium *ad Solinum pag.81.* Car. Paschalium *Coronar. lib.6. cap.15.* ut & infrà, in voce *Celeres.*

Viri celebres.

Celer Caninius, Rhetor, inter Præceptores Veri Imp. apud Capitolinum.

Celer Metius, Juvenis illustris, ad quem extat Carmen Papinii Statii *lib.3. sylv.2.* cui tit. *Propempticon Metii Celeris,* ubi inter alia,

—— —— — puer hic sudavit in armis
Notus adhuc tantùm majoris munere clavi.
Jam tamen & turmas facili prævertere gyro
Potis & Eoas jaculo damnare sagittas.

Et suprà,

—— Juvenem egregium Latius cui ductor Eoa
Signa Palæstinasque dedit frænare cohortes,&c.

Fuit & *Celer* alius, qui ingestum Imperium ab exercitu sprevit, eo nomine celebratus Claudiano. *Epithalamio Palladii & Celerinæ,* à quo & Celerina illa sponsa originem traxisse videtur. Casp. Barthius *Animadvers. ad Statium Pars.1. pag 290.*

Celeres, dicti sunt apud Romanos trecenti robustissimi & ex nobilissimis familiis delecti Juvenes, commendati suffragiis Curiarum, & deni per singulas Curias delecti, qui circa Regem essent, ipsum hastati per urbem assectarentur, & jussi exequerentur ministeria, in militia antesignani ac protectores, qui primi pugnam inirent & postremi se reciperent: Equites quidem, ubi campus esset ad equestre certamen accommodus, pedites verò in aspero loco & equis invio. Sic dicti vel à *celeritate* ministerii, vel à Duce suo, cui id nomen, vel à *Celere* quodam Romuli comite, qui eum in pugna contra Remum strenuè adjuverit Remumque occiderit, Plut. *in Romulo.* V. suprà. Certè primus illorum auctor Romulus fuit, qui hanc sibi securitatem lectamque juventam, contra omnes metus, circumdedit. Aliquando *Trossuli* iidem dicti leguntur, eo quòd hi soli, absque ulla peditum ope, urbem in Hetruria Trossulum dictam occupavere, Plin. *lib.33. cap 2.* Aliter quoque *Flexutes,* uti dictum suprà. Hi trecenti juvenes in tres centurias distincti, singulæ suum Præfectum habebant, qui Centurio dicebatur: quibus omnibus Præfectus seu Tribunus *Celerum* præerat: de quo Pomponius, *Tribunus seu Præfectus Celerum,* inquit, *fuit qui Equitibus præerat, & veluti secundum locum à Regibus obtinebat, quo in numero fuit Junius Brutus, qui auctor exitiis Regis ejiciendi.* Custodiam *Celerum* deposuisse Numam Pompilium secundum Regem, scribit Plut. *in Numa:* quod si ita est, sequentibus Regibus eorum usum revocatum fuisse credendum, cùm etiam in reliquorum Regum vitis *Celerum* mentio fiat, ut vel ex solis his Plutarchi verbis modò laudatis patet. V. Joh. Rosinum *Antiquitatum Romanarum lib.7. cap.4.* Alterum ministrorum Regiorum genus, Lictores erant, V. ibi.

Celerina, uxor Palladii Cos. V. Claudianum *in Epithalamio Palladii & Celerinæ,* non *Serenæ,* ut vulgò legitur. Probat id Dempsterus ex MS. suo & ipse Claudianus gentilitium nomen insinuat, cùm canit:

Immensamque trahit Celerinâ robore lucem.

Celes, apud Curtium *lib.4. cap.1.* in epistola Alexandri ad Darium, *Celes, cujus nomen sumpsisti, Darius,&c.* quid notet, non adeò certum. Et quidem vocem de nihilo comparere sentit Modius, alii verò non sine ratione adesse. *Celes* enim, quæ vox comparet apud Plin. *lib.4. cap.4.* Suidæ & Hesychio, est *eques,* & equus unâ freni habenâ tectus, cursor, *hodie sellarius & singularis dictus.* Unde *Κέλητες, qui privis equis currerent,* J. C. Scaliger *Poetic lib.1. cap.22.* Sic Plutarchus, inter tria illa læta, quæ uno eodemque tempore Philippo patri Alexandri M. nuntiata sunt, altero loco ponit, cum Ὀλυμπιάσιν ἵππῳ κέλητι νενικηκέναι, *Olympiis equo celete vicisse, in Alexandro M.* Itaque Curtius loco cognominis vocem usurpare potuit. Sed & Darius Hystaspis *Celes* dictus, h. e. eques præstans, ἱππεύς: cujus proin epitaphium apud Eust. *Odyss. ζ. Celes & sagittarius optimus fui.* Nisi malis, eum sic dictum, quòd equi hinnientis auspicio Rex Persarum creatus sit. Fortè & hoc nomine Darius ultimus irrisus fuit ab Alexandro, ut qui ante Regnum *Astandes,* h. e. cursor sive veredarius fuerat: quo sensu verba sic possunt legi, *Rex Alex. Dario Celeti. Ille cujus nomen sumpsisti,&c.* Adde, quòd ei hoc nomine fugam exprobrare potuit, quòd deserto curru, quo sublimis prælium inierat, solitario equo insidens periculo se eripuisset, Freinshemius *ad. l.* V. Eustathium *ad Il. o. vers.679.* & *Odyss. v.* ubi à κέλω seu κελεύω vocis originem arcessit, nec non hic passim.

Celetæ, pop. Thraciæ non ignobiles, divisi in *majores & minores,* quorum hi sub Rhodope, illi sub Æmo, habitabant. Unde *Celetica* aquæ famâ nobiles. Salmasius *ad Trebellium Pollionem in Claudio.*

Celetizontes Pueri, Græcè Κελητίζοντες, ex ære, inter opera Canachi memorantur Plinio *lib.34. cap.8.* Est autem κελητίζω, *equito* & propriè de iis dicitur, qui desultorios equos regunt, de quibus V. infrà, in voce *Desultor,* item ubi *de Sarmatico Ludo:* ut & suprà in voce *Celer.*

Celeusma, apud Martialem *lib.3. Epigramm.67.*

Cessatis pueri nihilque nostis,
Vatreno, Eridanoque pigriores:
Quorum per vada tarda navigantes,
Lentos tingitis ad celeusma *remos:*

Græcè κέλευσμα, clamor est & hortatio nautica, quâ se invicem nautæ, vel potiùs signum, quo nautas *Celeusta* hortatur, ut strenuè remis incumbant. A verbo κελεύειν, *signum dare,* ut Plinius exponit; propriè de illo, qui remigibus signum dabat, quò remigare inciperent desinerentque. Hunc Græci proin Κελευστὴν, Ennius *Portisculum* dixit, secundùm nonnullos,

—— — —— tonsamque tenentes
Parerent, observarent, portisculus signum
Cùm dare cœpisset.

Dabat autem is remigandi, imò & cessandi, signum perticâ; ut Coryphæus endosimum, h. e. canendi signum, pede. & Prætor mappâ, emittendarum quadrigarum, signum dabat, Ἀφέτης hinc appellatus. V. Scaligerum *ad Varronem* & Festum, Casaubonum *ad Suetonium & Plinium min.* Lipsium *ad Senecam,* Carrionem *Emendat. lib.1.* Merulam *ad Ennium,* Gothofredum *ad Festum,* & Salmasium *ad Solinum pag. 754.* Joann. Frid. Gronovius verò *portisculum* ipsum instrumentum esse docet, malleum viz. quem manu tenens modum dederit classi, ut Festus; vel perticam, quam si incusserat, remiges non desinebant; si deposuisset, quiescebant à labore, ut Luctatius ait *ad sextam Thebaid.* V. Gronovium *Observation. lib.4. cap.56,* & infrà in voce *Portisculus.* Ab hoc nautarum *Celeusmate,* eleganti metaphorâ sumtâ, dixit Xenophon de agricultura, multis damnis affici, qui serit πρὶν κελευσθῆναι ὑπὸ τοῦ Θεοῦ, h. e. Plinio vertente, *antequam Deus signum dederit:* imbre viz. qui occasum Vergiliarum sequi solet. In madida enim seri is vult, cùm aliis sicca terra placeat magis, V. Salmasium *ad Solinum pag.734.* Apud Anglos suos, *celeusma* nautarum esse, *Via, via, cheerly mates,* addit *Scholiastes ad Martialem d l.&c.*

Celia, & Ceria, potio Hispanis olim familiaris, teste Plinio *lib. 22. cap.ult.* cujus conficiendæ modum sic describit Paulus Orosius *lib.5. cap.7. Postmodum diu obsidione conclusi Numantini duabus desubito portis cuncti erupere, largâ priùs potione usi, non vini, cujus is locus ferax non est, sed succo tritici per artem confecto, quem succum à calefaciendo* Celiam *vocant: suscitatur enim illa ignea vis germinis madefactæ frugis, ac deinde siccatur, & post in farinam redacta molli succo admiscetur, quo fermentato sapor austeritatis & calor ebrietatis adjicitur.* Unde liquet, non multum absimilem *Celiam* à *cerevisia* fuisse, quæ quidem non ex tritico, sed ex hordeo conficitur: quin & à *celia,* seu *ceria,* vox *cerevisia* orta videtur. Imò cùm Florus, obsidionem Numantinam describens *lib.2. cap.18.* *Celiam* dicat *è frumento potionem* fuisse, sicque *ab indigenis* appellari, *frumenti* autem voce etiam hordeum contineatur, non malè quidam *celiam* seu *ceriam* Hispanorum, cum Gallorum *cerevisia,* eandem potionem faciunt. Tacitus *de Germ. mor. Potus, humor ex hordeo aut frumento, in quandam similitudinem vini corruptus.* Certè Dani, ut Pontanus auctor est, *Oel* & Angli *Ael* cerevisiam vocant, vocibus ex *celia,* ut videtur, confictis. Ejusdem originis est Teutonicum *Godale,* quasi *Goed-ael,* proba cerevisia, in *Regesto* Cameræ Computor. apud Car. du Fresne, quem vide in *Glossario.*

Celianus, Magister Antonini Diadumeni: mel. *Calianus.* Æl. Lampridius in *Antonino Diadum. Hanc epistolam quidam ipsius, quidam Magistri ejus* Cæliani *ferunt, Afri quondam Rhetoris,&c.*

Celius Tatianus, mel. *Attianus,* eques Romanus, inter tutores Hadriani Cæs. apud Spartianum.

Cella, apud A. Gellium *lib.2. cap.10.* favissa est, ita enim ibi Varro, *favissas,* ait, *esse cellas quasdam ac cisternas, quæ in area sub terra essent: ubi reponi solerent signa vetera, quæ ex eo Templo* (Capitolio sc.) *collapsa essent, & alia quædam religiosa è donis consecratis.* Propriè οἶκος ταμιεῖος, *œcus* seu *promtuarium subterraneum,* V. infra in voce *Cellarium;* & de signandi illas more, in voce *Signare* alibique. Apud Vitruvium *Cella ædis,* est interior ædes, h. e. interior Fani œcus, in quo simulachrum illius Divi, cui dicata erat ædes, cùm ara ponebatur: Græci σηκὸν propriè vocabant. Nempe in Græcorum ædibus sacris hæc erant, *Pronaus* primùm,

dein [illegible], qui & πυλεὼν; pòst *Ædis cella*, ὁ σηκός. Et quidem plerunque multæ *cellæ* in eodem consepto, præsertim si pluribus Divis una eademque ædes esset dedicata. Unam enim candemque cellam pluribus Numinibus dicari non posse, respondere Pontifices, cùm Marcellus bello Gallico ad Clastidium votam ædem Honori & Virtuti dedicare vellet, apud Livium *lib.27. cap. 25. Quia, si de cælo tacta, aut prodigii aliquid in ea factum esset, difficilis procuratio foret: quòd, utri Deo divina res fieret, sciri non posset, neque enim duobus, nisi certis Deis, ritè unâ hostiâ fieri.* Post cellam Ædis, ὀπισθόδομος vel posticum erat, ad idem fere instar factum, ut πρόδομος seu pronaus. In plerisque Templis, & præcipuè fœminarum Dearum, interiores hæ cellæ etiam θάλαμοι Græcis dicti sunt & [illegible]; quarum foribus velum linteum variegatum, [illegible] dictum, oppandi solebat. V. hic in vocibus *Calyba*, *Pastas* &c. In Christianorum Templis hujusmodi Cellæ respondebat Sacrarium, intima & ultima eorum pars, nam ὀπισθόδομον non habebant, aliàs *Apsis*, sive *Concha*, dicta, Salmasius *ad Solinum pag.*1218.

Cella & Cellula, apud sequioris ævi Latinos, pro Monachorum domicilio, atque adeò pro ipso Monasterio, usurpari cœpere. Unde *cellæ* vocem apud Gregorium M. *In Dial.* sæpius hoc sensu occurrentem, μοναστήριον Zacharias reddit. Nempe primitus Monachi divisis in *cellis* habitabant, in idem licèt Oratorium, psallendi aut sacra peragendi gratiâ convenirent, ut videre est apud Rufinum *de Vitis Patrum lib. 2. Præfat.* Cujusmodi *cellas cellulasque*, κελλία vocant Græci Scriptores passim; item μοναστήρια, ut dictum: interdum & [illegible]. Atque inde *Cellarum* & κελλίων mansit nomen locis non paucis, ubi inædificatæ erant *Cellæ* Monachicæ, uti monti Larissæ, Macedoniæ vicino, qui [illegible] τῶν Κελλίων Annæ Comnenæ *Alexiadis lib.5. Kellia* Innocentio III. *lib.13. Epist.4.* dicitur: *Cellis* in Æmathia & *Celliis* in Bithynia, apud eandem Annam *lib.12. Cellarum Thessalicarum* meminit Auctor *Itinerarii Hierosolym.* & Antonini; ut & alterius ejusdem appellationis in Ægypto, Sozomenus *lib.6. cap.31.* & Nicephorus Call. *lib.11. cap.38.* Postquam verò Monachi prædia variis in vicis possidere cœperunt, eoque aliquot è suis mittere, qui & fruges colligerent, procurarentque reditus & ad Monasterium deferrent, hinc *Cella* vox ad Monasteriola quoque, seu, ut olim vocabant, *Abbatiolas* vel *Obedientias*, quæ majoribus suberant, seorsim extensa est. In cujusmodi *cellis* Monachi quoque nonnunquam destinati vitam degebant solitariam: unde Bonifacius VIII. *cap.3. de Verb. signific. Cellas* ejusmodi *loca secreta & solitaria* interpretatur, *quæ ab hominum separata convictu sunt, ad contemplandum & Deo vacandum specialiter deputata.* Sed & *cellæ* tales subinde ædificatæ sunt, crescente Monachorum numero, ut ex Monasteriis eò mitterentur, qui aliis accedentibus darent locum. Iisdem enim in locis Oratoria etiam extructa, quibus deserviendis destinatus erat certus Monachorum numerus, à primario Monasterio dependens. Imò eodem Monachos, in claustro moventes rixas turbasque, nonnunquam mitti consuevisse, discimus ex Concilio Paris. A. C. 1212. *part.2. cap.24.* Atque hac notione *cellam* Monasterio opponi, & unicuique Monasterio *cellam* suam assignari, *cellasque* tales *Cœnobiales cellas* appellari deprehendas passim. Plura vocis significata V. apud Car. du Fresne *Glossar.* & infrà in *Cellarium*, ubi de vocis origine.

Cella Assa, una ex balnearum apud Romanos *cellis*, quam & *sudatoriam* dicebant Latini, item *Assam* simpliciter; Græci, πυριατήριον, item λακωνικόν, & ἱδρωτήριον. In ea vaporarium erat & sicco vapore corpora sudoribus exhauriebantur: unde & nomen, quòd in ea per *assum*, i. siccum vaporem eliceretur sudor. V. suprà in voce *Assa*.

Cella Balnearum, apud Vett. triplex erat, *Frigidaria*, *Tepidaria* & *Caldaria*: Οἶκος & οἰκήματα Græci vocant. Quibus addit Salmasius *Cellam assam & Cellam Unctuariam*: quarum omnium meminit Dialogus Hadriani Imp. cum Epicteto, *Prima Caldaria: secunda Tepidaria: tertia Unctuaria: quarta Assa sudatoria: quinta Frigidaria.* Ubi tamen in ordine œcorum à reliquis Auctoribus, in descriptione balnearium harum cellarum, primam semper Frigidariam, postremam Caldariam collocantibus, receditur. Sed in balnearum dispositionibus ita cellæ cùm ædificatæ fuisse videamur, ut primo & summo loco statuerentur Frigidariæ, medio Tepidariæ, tertio & ultimo Caldariæ, juxta naturam sc. aquæ decurrentis, quæ de Piscina in Frigidariam, inde in Tepidariam, atque hinc in Calidariam, influebat; secundùm lavandi verò usum & consuetudinem, post balnea calentia & sudationes, in frigidam descenderent & frigidariam omnium postremam usurparent: hæc causa est, quare Auctor *Dialogi* hujus Frigidariam quintam nominarit, quartam Assam sudatoriam; nam ab assa sudatione ad frigidam exibant, uti docemur à Petronio & Seneca *Epist.87.* Salmasius *ad Vopiscum in Carino*, V. harum *Cellarum* quamque suo loco.

Cella Caldaria, seu *Calidaria*, una ex Balnearum apud Vett. *cellis* seu œcis, & quidem ordine dispositionis ultimâ, ut ex Plinio, Galeno & Luciano discimus, qui omnes primo loco Frigidariam, secundo Tepidariam, tertio Caldariam, ponunt, uti vidimus, V. quoque Vitruvium *lib.5. cap.10.* In hac, ut & Tepidaria, alvei erant, vel solia, in quæ descendebant lotori & in quibus sedebant; eaque tria, Græcis πύελοι, ἐμβάσεις, [illegible] & [illegible], Plinio *descensiones.* Qui alvei in his solùm duobus œcis locum habebant, ut in Frigidariis piscinæ, seu κολυμβῆθραι. Hinc [illegible] de caldaria, apud Varronem: *Mihi puero modica una fuit tunica & toga: sine fasciis calceamenta: equus sine ephippio: balneum non quotidianum, alveus rarus.* Lucianus θερμὰς πυέλους caldariæ hos alveos vocat, &c. Sicut autem in Frigidariis natabant, sic in his sedebant lavantes, &c. *Caldarias* exhibuisse de nardo Heliogabalum Lampridius habet. V. Salmasium *ubi supra*.

Cella Curiæ, apud Jul. Capitolinum *in Pertinace*, *De castris nocte quum ad Senatum venisset, & Cellam Curiæ jussisset aperiri, neque inveniretur Æditnus, in templo Concordiæ resedit:* ναΐδιον est, seu sacellum; recentiores *capellam* dicerent. Hanc, priusquam Curiam ingrederentur, ex Augusti præcepo, Senatores ingredi consuevere, Suetonius *in Augusto cap 35.*

Cella Dunensis, vulgò *Celle Dunoise*, vel *Celedunoise*, locus est Galliæ in Lemovicibus, à *Duno* proximo oppidulo cognominatus, ad fluv. Crosam majorem, paulo antequam minore Crosâ augetur. Hadr. Valesius in voce *Crosa*.

Cella Frigidaria, una ex cellis Balnearibus vett. in qua ex δεξαμενῇ seu κολυμβήθρᾳ aqua primùm, inde in Tepidariam & Calidariam, defluebat. Hujus κολυμβῆθραι seu *piscinæ* erant, sicut Calidariæ vel Tepidariæ alvei, unde piscina Calidariis semper opponitur. Lampridius *in Alexandro Sev. Atque ita unctus lavabatur, ut caldaria vel nunquam, vel rarò; piscinâ semper uteretur.* In iis itaque natabant lavantes, quemadmodum in Tepidariis & Caldariis sedentes aquâ perfundebantur à balneatore seu mediastino; locus primus erat, V. *suprà*.

Cella Sudatoria, V. suprà *Cella Assa*.

Cella Suppositoria, occurrit apud eundem Vopiscum in *Carino*: *Balneis ita frigidis usus est, ut solent esse* cellæ suppositoriæ, *frigidariis semper nivalibus*: nec alibi usquam. Salmasius *Tepidariam* interpretatur sicque dictam à Vopisco vult, quod hæ, Frigidariis connexæ & *supposita* essent, utpote quæ exeuntem è frigidaria aquam exciperent. Nam de piscina seu δεξαμενῇ aqua per frigidariam cellam, primùm, deinde per Tepidariam, influebat in Caldariam. Vult itaque, Carinum balneis, h. e. caldariis usum esse non plus calidis, quàm solebant esse Cellæ Tepidariæ; Tepidariis verò ita frigidis, ut vulgi esse consueverant Frigidariæ at Frigidariis semper nivalibus. V. cum *Not. ad locum.*

Cella Tepidaria, Cella itidem Balnearis, inter Frigidariam & Calidariam media, in qua, uti & in Calidaria, alvei erant seu ἐμβάσεις, *descensiones*, ubi, qui lavabant, sedentes à balneatore seu mediastino, aquâ perfundebantur. V. suprà.

Cella Unctuaria, similiter in Balneis olim fuit, *Unctuarium* Plinio *lib.5. Epist.6.* ἀλειπτήριος οἶκος Luciano, quam, statim post Tepidariam, à dextris collocatam, sic describit: [illegible] *Post quem – œcus admodum splendidus, ungendi copiam affatim exhibens, utrinque habens aditus lapide Phrygio exornatos, eos qui è Palæstra exeunt, excipiens.* Ejusdem cellæ meminit, Auctor *Dialogi* Hadriani Imp. cum Epicteto Philosopho, quem suprà laudavimus.

Cella signum, quod Judæi masculi à 13. annis & suprà, extra domum, in superiori veste, in pectore, latitudinis 3. vel 4. digitorum, deferre jubebantur, memoratur in Concilio Arelat *A. C.* 1234. *can.*16. apud du Fresne *Glossar.* V. quoque infrà, ubi de *Judæis*.

Cellarienses species, *l.31. Cod. Theodos. de erogat. milit. ann. Procuratores curiarum, annonarum &* Cellariensium specierum *gratiâ, quas in dignitatibus constituti, id est, Rectores provinciarum & Comites solent accipere*: nempe cùm hi à Principibus in provincias mitterentur, vel è provinciis in Comitatum evocarentur; *salarium* est, apud Augustæ Historiæ Scriptores. Idem *Cellarium*, apud Ælium Lampridium in *Heliogabalo*, *Mittebat parasitis pro* cellario *salarii annua vasa cum ranis & scorpiis & cum serpentibus, &c.* Hic enim *Cellarium* non notat id, quod pro pensione cellæ solvebatur, quodque pro clientibus & parasitis Magnates & Patroni dependebant. Juvenalis,

— — — *Sed clamat pensio cellæ*:

sed quod ex *cella* penuaria depromi consuevit: nempe, præter annonas, h. e. panem & frumentum, sal, vinum, oleum, carnem bubulam, lardum, alia; quæ omnia ministris Castrensibus, Parasitis & reliquis Domesticis Palatinæ domus, deferri solebant. Τὰ κελλαρικά Græci appellarunt, Auctor *Chronici Alex.* Palladius *Histor. Laus. cap.14.* & Harmenopulus *lib.2. tit. 9.* apud du Fresne *Glossar.* V. Salmasium *ad Lampridium l. cit.* & infrà in voce *Cellarium*.

Cellarii, servi apud Romanos, quorum erat rem cibariam, quæ in penu fuit, adservare. Seneca *Epist.*122. *Circa lucem discurritur, pueri vocantur, Cellarii Coqui tumultuantur, quæro quid sit? dicitur mulsum & alicam poposcisse, à balneo exisse.* Plinius lib.19 *cap. ult. Apio eximunt Coci obsoniis acetum; eodem Cellarii in saccis odorem vino gravem.* Lampridius *Elagab. cap.26. Mittebat parasitis*

per

per Cellarios salarii annua vasa cum ranis & scorpiis, cum serpentibus & hujusmodi monstris. Meminit quoque *Cellarii* Plautus *Captiv.*

Sume, posce, prome quidvis: te facio Cellarium.

Horatius eum *Promum* appellavit *lib.2. Sat.2.* V. *infrà.* A' *Cellario* verò nomen loci manavit, apud Lucæ Interpretem *cap.12.* Augustinum *Confess. lib. 9. cap.8.* & Cassianum *de instit. renunc. lib.4. cap.8.* Unde *Cellariolum*, apud Gregorium Turon. *Mirac. lib. 2. cap.35.* quod & *Promptuarium* vocat. Addam de *Cellariis* servis, qui & *Cellerarii*, illos aliquando curasse, ut essent salvæ rationes, teste Ulpiano *l. 12. ff. de instr. vel instrum. leg.* Cœterùm præbuisse familiæ potionem & cibum, ait Colum. *lib.11. cap.2.* eorumque diligentiam præceptis instruxisse M. Ambivium, Mænatem Licinium, & C. Matium, apud Eund. *lib. 12. cap.4.* V. Laur. Pignorium *Comm. de Servis* & T. Popmam *de operis servorum.*

Cellarium, seu *Cella*, à reponendis celandisque rebus esculentis ac potulentis nomen accepit, teste *ad Terent.* Donato. *Cellæ promæ* apud Tertullianum *de Resurr. carn. Nisi quia in cellis promis caro salita & usui reposita servatur, depromenda illinc suo tempore.* Hinc *Cella penaria*, cujus meminere Suetonius, Ulpianus, Turonensis, alii; nisi quòd exactè loquendo inter Penu ac *Cellarium* id interesset, quod hoc paucorum dierum, illud longi temporis esset. In villa fructuaria Columella varias locat *Cellas, oleariam, torculariam, vinariam, defrutariam* & cœteras: quarum priorem exactè delineavit Vitruvius *lib 6. cap.9.* Columella *lib.12. cap 50.* & Palladius *lib.1. tit.20.* Instruunt eandem Cato *tit.13.* Columella *l. c.* & Neratius apud Ulpianum *l.19. ff. loc. & cond.* Posterioris, vinariæ nempe, unà cum servis doliaribus seu doliariis, quorum mentio in vet. marmore, typum exhibet ex antiquo itidem marmore, A. C. 1601. Augustæ Vindelicorum effosso M Velserus, apud Laur. Pignorium *Comm. de servis.* Sed & servilia habitacula *Cellæ* nomine designata, legimus apud Columellam *de R. R. lib.1. cap.6.* quas *Cellas familiæ* dixit Cato. Hinc Seneca *de Tranq. cap. 8.* ubi de Pompeiano Demetrio, *Cui jam dudum divitiæ esse debuerant, duo Vicarii &* Cella *laxior.* Cicero quoque *2. Philipp. Conchyliatis Cn. Pompeji peristromatis servorum in* Cellis *lectos stratos videres.* Sic apud Vitruvium *lib.6. cap.10. Cellæ familiaricæ*, cellæ servorum sunt, non penuariæ, ut quidam voluere. Et ab his *Cellis* Monachorum habitationes nomen mutuum sumpserunt, quòd essent, ut illæ serviles, arctæ & angustæ; quam sanè ob causam D. Hieronymus *in Hilarion.* & Joh. Cassianus *de instit. renunc. cap.12. Cellulas* appellant, velut etiam Ennodius *lib.1. Epist.5. Monachos cellulanos*: imò & D. Gregorius *Dial. lib.1. & 4.* Monasterium ipsum non rarò *Cellam* appellat. V. suprà. *Cellæ* verò *meretriciæ* satis notæ sunt ex Petronio, Martiale, Juvenali, cujus carmen unius literulæ mutatione depravatum, *Sat.3. versu 136.*

Et dubitas altâ Chionem deducere sellâ:

V. D. corrigit, *cellam* reponendo: *Alta enim cella fornix est*, inquiens. Quam conjecturam confirmat, ejusdem Poetæ *Sat. 6. versu 121.* verbis iisce,

Intravit calidum veteri centone lupanar,
Et Cellam *vacuam.*

Et *ibid. versu 127.*

—— *Sed quod potuit, tamen ultima* Cellam
Clausit.

V. Laur. Pignorium *ubi suprà.* Nec omittendum, eundem in Villa rustica, Culinæ proximum statuere Valetudinarium, cum *Cellas* servorum solutorum fuisse, V. Columellam *l.c.*

Celleraria, in Monasteriis fœminarum, nomen officii consimilis cum Cellerario in Monasteriis Virorum: quod describitur fusè à Petro Abælardo *pag.157* & in *Synodo* Aquisgr. apud du Fresne in *Glossar.*

Celliota, Gr. Κελλιώτης, apud Phrantzem *lib.2. cap.1. Hoc quoque mos tenet, ut* Celliotæ *Imperatoris, ad sepulchrum ejus, usque ad prima sacra funeralia sive justa perseverent*, intimum in Aula Imper. CP. Cubicularium denotat. Hi claves ædium, in quibus Despotæ seu Imperatorum filii habitabant, asservare solebant, ut, quoties vellent, illas ingredi, inspicere ac referre possent, an aliquid in patrem illi machinarentur: unde *Speculatores Scamaræ* sunt dicti. V. Macros Fratres in *Hierolex.*

Cellulæ Publicæ *leg.3. Cod. Theodos. de studiis liberal. Urb. CP.* eædem cum *Pergulis Magistralibus*, de quibus V. infrà. De *cellulis* verò Monachorum, suprà in voce *Cella.* Inde *Cellulani*, apud Sidonium *lib.9. Epist.3. De Senatu Lirinensium Cellulanorum*: Dorotheo *doctr.16.* Κελλιῶται: Monachi sunt in eadem *Cella*, *Cellula* aut Monasterio habitantes: quibus opponuntur cœteri, qui seorsim in diversis & dispersis per eremum *cellulis* habitabant. Eodem nomine dicebatur Contubernalis, quem, ad amoliendas maledicorum calumnias, habere jussi sunt Episcopi, Presbyteri, & Diaconi, ut est, apud Gregorium M. *lib.4. Epist.44.* in *Capitular.* Car. M. *lib.5. cap.174.* alibi. Occasionem instituti Symmachus Papa præbuit, uti videre est apud Ennodium *Opusc.7.* cui tit. *Præceptum, quando jussi sunt omnes Episcopi* Cellulanos *habere* V. Sirmondum *Not. ad eum*, & infrà in vocibus *Concellita, Syncellita, Syncellus*, &c.

Celones, in antiquo Lucii exemplari, apud Salmasium, ex Græco est κήλων, unde κηλώνιον, apud Herodotum *lib.1.* καὶ παραγίνεται ὁ οἶνος ὁ ἀληθινὸς ἐν Αἰγύπτῳ. Ἡ πλῆθος ἀναβαίνοντος ἐς δρῦας, ἀλλὰ χερσί τε καὶ κηλωνηίοισι ἀρύεται. Et κηλωνήϊον, apud eundem *lib.6.* de bitumine, ἀντλέεται μὲν κηλωνηΐῳ. Quod instrumentum notat, aquæ ex puteis hauriendæ aptum: Latinis *tolleno*, voce è Græco mutuatâ. Machina nempe fuit ἀναβάσιμος καὶ καταβάσιμος, *tolli ac demitti solita*, cui alligatus erat situlus seu cadus aquæ hauriendæ. Herodotus γαυλὸν vocat, Græci ἄντλον, Latini *anclam*, Lucretius *haustrum* quoque. V. Salmasium *ad Solinum pag. 589.* & infrà in voce *Tolleno.*

Celsè nati, apud Statium in *Lacrymis Etrusci*,

—— —— —— *Lævaque ignobile ferrum*
Exuis & celsè natorum *æquaris honore:*

Equites sunt, quorum honori Libertinus, de quo hic Poëta, æquabatur, cùm, exutis annulis ferreis, aureos, à Principe sibi concessos, indueret. *Celsi*, Equites certè passim dicuntur, quasi perpetuo proprioque epitheto:

Celsi *prætereunt austera poëmata Rhamnes*, &c.

Salmasius ad *Capitolinum in Opilio Macrino.* Facit huc, quòd *Celsus* ex Græco κέλης, *celer*, seu *celes*, de qua voce retro dictum, Festo deducitur. Postea & Judices *Celsi* dici cœpere, uti legimus apud Marcellinum *lib.28. & Judicibus celsis, itidemque minoribus*, Pratejus apud Calvinum *Lexic. Jurid.* Iidem & *Splendidi* & *Splendidissimi* ab Auctoribus, singulari quodam velut privilegio Ordinis, nuncupantur, Casp. Barthius *Animadv. ad Statium d.l.*

Celsinus, Consiliarius Diocletiani, memoratur Vopisco in *Aureliano.*

Celsiores, Doctores legum dicuntur, *l.2 Cod. de Offic. div. Judic.* quos *Honoratos* appellat *Constitutio l.3. Cod. eod. Eorum enim Judicio Judices provehuntur — Jurisperitorum judicio & examine Judices futuri probandi sunt. Illi meritò Patres appellantur, cùm à Judicibus Fratres vocari vetentur*, dictâ *l.2.* apud Eund.

Celsitudo, titulus honorarius Regum apud Nicolaum I. Pontif. Rom. *Epist. 76.77.* V. Beslium in *Comitibus Pictav. pag.7*[illegible]. Hodie Principum est illustriorum: sic Henricum Fridericum Principem Auriacum, post recuperatam trimestri obsidione Bredam, *Celsitudinis* axiomate, à Ludovico XIII. Gall. Reg. mactatum, legimus apud Joannem Lætum *Compend. Histor. Univ.*

Viri illustres.

Celsus, cognomen perpetuum Equitum Rom. V. suprà *Celsè nati.*

Celsus Ælianus, Conf. cum Claudio Juliano, sub Maximo & Balbino Impp. apud Capitolinum in *Vita* horum.

Celsus Stipator, memoratur Trebellio Pollioni in XXX. *Tyrannis*, ubi Claudii ad Regillianum epistola recensetur.

Jul. *Celsus* IC. inter eos, quos in concilio habuit Hadrianus Cæsar, memoratur Spartiano: ubi *Juventium Celsum* jubet legi Janus Gruterus *Notis ad loc.*

Celtæ, inter Scytharum populos, à Claudio II. Imp. devictos, apud Trebellium: *Denique Scytharum diversi populi, Deucini — Celtæ etiam & Heruli in Romanum solum & Remp. prædæ cupiditate, venerunt*, &c. quinam sint, hærent Viri docti. *Celetas* posse legi, Thraciæ pop. ait Salmasius; unde *Celetica* & *Celtica* equæ famâ nobiles, quarum numerum captum esse magnum, idem Auctor in *seqq.* refert. Certè Threcicos equos Vett. celebratos fuisse notum; V. cum *Not. ad l.*

Celtici, pop. Hispaniæ, adde: Meminit eorum Strabo *lib.3.* ὕστατοι δὲ οἰκοῦσιν Ἀρτάβροι περὶ τὴν ἄκραν, ἣ καλεῖται Νέριον, ἣ καὶ τῆς Ἑσπερίου πλευρᾶς καὶ τῆς Βορείου πέρας ἐστί, περιοικοῦσι δὲ αὐτὴν Κελτικοί, *Ultimi autem habitant Artabri circa promontorium Nerium, quod Hesperii lateris Boreique extremum est: circum illud autem habitant Celtici.* Unde & *Celticum* prom. Sunt autem hi, quos *Nerienses* cognomine dicit vocatos Plinius *lib.4. cap.21.* à prom. scilicet Nerio, ut ab aliis *Celticis* distinguerentur, qui dicebantur *Præsamarci.* In Tarraconensi prov. quos à Celtiberis in Lusitaniam advenisse, idem ait *lib.3. cap.1.* Regionem, quæ à Bæti ad Anam tendit, in duas fuisse divisam gentes addens, Turdulos & *Celticos.* Strabo verò *Celticos* hos *Tarraconenses* seu *Asturienses* (qui iterum in *Nerienses* & *Præsamarcos* divisi) à *Celticis Bæticis* oriundos vult. Quam in rem V. Salmasium *ad Solinum pag.176. & seqq.* & suprà ubi de *Arotrebarum prom.* Hoc enim idem cum *Celtico*, ab accolis sic dictum. *Celticorum* autem *Bæticæ* oppida, communia habere nomina cum Celtiberorum oppidis, cognominibus saltem distingui, ut Seria e. g. dicatur *Fama Julia*; Nertobriga, *Concordia* Julia; Segide, *Restituta Julia*, &c. habet Plinius *lib.3. cap.3* Sed cum Turdulorum oppida pro Celticis numerare, docet Salmasius *ibidem.*

Cembellum, Gall. *Cembel*, Hastiludii seu Torneamenti species, ut censet Falcetus: quæ quidem vox sæpius occurrit, apud Poëtas Gallos, Car. du Fresne *Glossar.*

Cemos, apud Plinium, herba in amatoriis pollens, à Græco κημὸς, *capistrum*: ab incapistrandis sic & ligandis animis nomen adepta. Quidam & χαμαιπίτυς ita dictam scripsere. Neophytus Monachus, Κυνοκράμβη, οἱ δὲ κημὸς, οἱ δὲ θυμελαία. Alii Leontopodium eodem nomine indigitarunt, quod & ipsum amatoriis

amatoriis *αὐάγκαις* utile existimatum, &c. V. Salmasium *ad Solinum pag* 1085. Locus Plinii est *lib.27. cap.8. Catananceu Thessalam herbam — à nobis describi supervacuum est, cùm sit usus ejus ad amatoria tantùm. Illud non ab re est dixisse ad detegendas Magicas vanitates, electam ad hunc usum conjecturâ, quoniam arescens contraheret se, ad speciem unguium milvi exanimati. Eadem ex causa & cemos silebitur à nobis.* Ubi quibusdam *cassutham* nostram hoc nomine innui, ait Dalechampius, quem vide *Not. ad loc.*

Cenchreæ, portus Corinthi, adde: Hodieque *Kenchreai*, ubi tamen jam nil nisi turris super & portus Lechæum. Sub Venetorum verò Imperio cùm esset Corinthus, satis populosum hoc oppidum fuisse videtur: plurimatum enim ædium rudera etiamnum visuntur. Ibidem Turcæ contra piratas solens perfugium habent. V. Jac. Sponium *Itinerar. Græciæ Part.2. pag.300.*

Cenchri, Græcè Κέγχροι, & in vestibus & in vasis, positi occurrunt. In vestibus rotundi sunt clavi & macularum formæ orbiculares, quibus vestes intertexi atque distingui mos. Athenæus *lib.12. Ἴδοι δ' ἄν τις, φησὶ καὶ τὰς καλλιγράφους ἀκτῖνας, ὅπως ἐπὶ τῆς πολυτελίστατης ἐν ταῖς Περσικαῖς κατεῖληπται. ἔστι δὲ τοῦ ἀνακείμενου ἐχῖνος καὶ κυθότερος χάλεω, καθυπέπασαι δὲ χρυσοῖς κέγχροις. οἱ δὲ κέγχροι κόκκῳ πορφυρῷ πάντες εἰς τὴν ἔσω μοῖραν ἅμμα τ' ἔχουσιν μέσον.* Aliter ἧλοι, *clavi*, & ἐμβλήματα; item *signa*. In vasis similiter *κέγχρους* appellarunt, emblemata & signa, quibus asperantur, quòd *milio*, hoc enim Græca vox propriè notat, simillima essent. Rotundas enim quasdam asperitates, in poculis extantes & globulis similes eo nomine designarunt: quales fiebant & in clypeorum extremitatibus & in poculorum labris. Unde *κεγχρωτὰ* vasa, *calata & signis aspera*: & *κεγχρώματα, τραχύματα, κυκλώματα, asperitates, rotunditates*, apud Hesychium. Salmasius *ad Vopiscum in Carino.* Indidem *Cenchris*, & *Cenchrine*, Græcis *κεγχρὶς* & *κεγχρίνης*, item *κεγχρὶς* aut *κέγχρινος*, nomen serpentis, cujus tergum vario nitore fulget, apud Lucanum *lib.9.*

Et semper recto lapsurus limite cenchris:
Pluribus ille notis variatam pingitur alvum,
Quàm parvis tinctus maculis Thebanus ophites.

Et Nicandrum *in Theriacis*,

Δήεις κεγχρίνην δολιχὸν τέρας, ὅττι λίθοις
Αἰόλον αὐδάξαιο κατάστικτον φολίδεσσι.

Quod nomen ipsum indicat. Nam sic dictus est, quòd instar *milii* granorum variatum habeat tergum: hoc n. *κέγχρον* est. Unde *κεγχρῶσαι* verbum, τὸ *ποικίλαι*, & τὰ *κεγχρώματα*, τὰ *ποικίλματα*. Quo modo, ut vidimus, inter alias dicebantur in clypeorum ambitu ornamenta, granorum instar aspersa. Euripides *in Phœnissis*,

Ἀλλ' οὐ κατεῖχεν ἀσπίδος κεγχρώμασι
Σφαλλόμενος.

Ubi Scholiastes, *κέγχρον*, inquit, *καλοῦσι τὸν κύκλον τὸν ἔσω τοῦ ἀσπίδος κόσμον. μικροὶ δὲ ἧλοι εἰσὶν, οἱ ἐκ χρυσοῦ γίνονται, parva clavorum capita, ex auro extantia*, &c. Atque hinc Hebr. צבוע *Sſaboa*, i. *pictus*, idem serpens dictus est. Unde *vallis Tsebuim*, 1.Sam. *cap.13. versu* 18. si Hebræis credimus, ubi frequens admodum hoc serpentis genus. Uti verò serpens à squamarum, sic avis quædam à plumarum, varietate ita dicta est. Aristophanes,

Πορφυρὶς, κεγχρὶς, κολυμβίς.

De qua Plinius *lib.29. cap.ult. Fimum* Cenchridis: *accipitrum generis eam Græci faciunt.* Hinc cum avibus, ungues aduncos habentibus, eâdem Comœdiâ memoratur, ut & Plinio iterum *lib. 10. cap.52.* Eam proin esse volunt, quam *tinnunculi* nomine alibi idem appellat, columbis inimicam avem. Nam colore cinereo est punctis nigris, veluti milii granis sparsa. Sed & *κεγχρίτης* gemma, auctore eodem, *milii granis veluti sparsis*, &c. Porro, uti *κεγχρώματα* seu *κεγχρώματα*, labra poculorum hujusmodi granis extantibus in orbem insignita; æreas item laminas vel ferreas ad munimentum simul & ornamentum ab ima & summa parte scutis appositas, clavisque confixas & asperatas: sic nummorum quoque in circuitu orbem, ex parvis granis factum & ornamenti gratiâ additum, similiter vocare consuevere. Salmasius *ad Solinum pag.340.*

Cendalum, apud Auctorem *Historiæ Abbatiæ Condom pag.504. Duas cortinas de cendato rubeo & viridi*, tela est subserica vel pannus sericus: Gallis & Hispanis *Cendal*, Italis *Zendado*. Quasi *Setal* quibusdam, interposito *n*. ex seta, seu serico; aliis ex Græco *σινδὼν, amictus ex lino Ægyptiaco*: aliis denique ex Arabico *Cendali*, quo denotatur folium delicatum, subtile; vel lamina subtilior. V. Octav. Ferrarium in voce *Cendale*, & Car. du Fresne in *Glossar.*

Cenitus, in *L. Sal. tit. 32. de Conviciis: Si quis alterum* cenitum *clamaverit, 600. denar. — mulctetur:* in *Glossis*, est *oculum erutum habens*. i. unoculus; Goldasto homo nihili est, ex Germ. *Kein nutz*; Wendelino, quasi *Ghy niet*, h. e. *Tu nihili*; Carolo verò du Fresne, quasi *cænosus*, à *cæno*, i. luto conspersus. Quippe *cænosum* quendam appellare convitii fuit species, uti ignominiæ loco habitum cœno sordibusque perfundi, Ecclesiast. *cap.22. vers. 1. & 2.* Paschasius in *Vitis Patr. Elephantiose, cæno & luto horride.* Gregorius Turon. *lib.7. cap.14. Tunc Rex — jussit super caput eorum projici equorum stercora, ipsumque fœtidum urbis cæcum.* L. Longobard. *lib.1. tit 16. §.8. Pervenit ad nos, quod dum quidam ad suscipiendam Sponsam cujusdam Sponsi cum paranymphis aut triningis ambularent, perversi homines aquam sordidam & stercoratam super ipsum jactassent*, &c. Unde Græcis recentioribus *κοπροκαλεῖν* est, *ignominiâ afficere*, ut habetur in *Glossis Græco-barbaris* V. præfatum du Fresne in *Glossar.* Idem itaque hic *Cenitus* fuerit, quod *fœtidus*, in Charta libertatum Jazeronis opp. in Brescia, & *Stercoreus* apud Plautum in *Milite Glor.*

—— Gloriosus, impudens,
Stercoreus, plenus perjurii, &c.

Sed & Athenienses, damnatos alicujus criminis, *ἐκκοπρολαπίζειν* solitos, docent Grammatici Græci, ut Lampridius *in Heliogabalo*, in Tyrannorum statuis *titulos lutatos* notat. Idem *ibid.*

Cenones, dignitas Ecclesiastica, apud Cataphrygas Hæreticos seu Montanistas; Habebantur illi secundo loco, cùm primo Patriarchæ, tertio Episcopi ponerentur, Hieronymus *Epist.54. ad Marcellam*: ubi tamen Codd. quidam habent *koinonos*, h.e. Oeconomos.

Cenopurium, in vet. Tabula: *Cenophrurium* in *Itiner.* Antonini; mel. *Cenophrurium*, *καινὸν φρούριον*, apud Polyb. munitissimum fuit castellum, inter Heracleam & Byzantium; in quo gaza Mithridatis. V. suprà.

Cenotaphium, Græcè *κενοτάφιον*, Papinio Statio *vacuum sepulchrum* est, *Thebaidos lib.12. versu* 160.

Quin fugitis, dum tuta via est, Lernamque reversæ
Nomina (quod superest) vacuis datis orba sepulchris,
Absentesque animas ad inania busta vocatis.

Ubi V.S. *Quod solum potestis*, cenotaphia *illis erigite & inscribite eorum nomina, quod juvabit penè eos, ut sepultura.* Unde Ausonius,

Hoc satis & tumulis, satis & telluris egenis,
Voce ciere animas funeris instar habet.

Quod cùm tam inscriptionibus monumentorum, quàm vocis vivæ commemoratione fieri posset, subjicit mox,

Gaudent compositi cineres sua nomina dici,
Frontibus hoc scriptis & monumenta jubent.
Ille etiam mæsti cui defuit urna sepulchri,
Nomine ter dicto penè sepultus erat.

Ideoque nomina defunctorum insculpebant monumentis, ut sæpiùs lecta eundem effectum haberent. Quod & *Cenotaphiis* apud Papinium Orritus fieri præcipit *loc. cit.* Quâ sententia extructa fuerunt per totam olim Græciam plurima *Cenotaphia*, h e. *vacua id genus monumenta*, & sepulchra, ut videre est in *Memorabilibus* Pausaniæ; qui Argivorum inprimis, bello Trojano occisorum, Cenotaphium memorat *in Corinthiacis*. Sic naufragi *Cenotaphium*, narrat Callimachus *Epigramm.2*.

—— Εἰς ἁλί που φέρεται νέκυς, ἀντὶ δ' ἐκείνου
Οὔνομα καὶ κενεὸν σῆμα παρερχόμεθα.
—— In mari alicubi jactatur cadaver, vice verò illius
Nomen & monumentum inane præterimus.

Virgilius *Tumulum inanem* dixit *Æn. lib.3.*

Solennes tum fortè dapes & tristia dona
Libabat cineri Andromache, manesque vocabat
Hectoreum ad tumulum, viridi quem cespite inanem,
Et geminas causam lacrymis sacraverat aras.

V. quoque Val. Flaccum *lib.5.* Suetonius *Honorarium tumulum*, in *Vitis Cæsarum lib.5. cap.1.* Lycophron *Κενήριον, in Cassandra*,

—— —— —— ὡς φθιτὸν νέκυν,
Ἀλλ' ὄνομ' αὐτῶν καὶ κενήριον χεῦσαι.
—— —— —— ut justa denicalia,
Sed triste nomen, atque cespitum notas.

Solebant verò non nomen solùm demortui, verùm etiam è qua patria & familia esset, adscribere; quam inscriptionem *Memoriam* sive *Monumentum* Romani appellavere, V. Isidorum *Origin. lib.15. cap.11.* Insuper & pyram accendebant & coronas imponebant, Xenophon *Expedit. Cyri lib.6. Οὓς δὲ μὴ εὕρισκον, κενοτάφιον αὐτοῖς ἐποίησαν μέγα, καὶ πυρὰν μεγάλην καὶ στεφάνους ἐπέθεσαν. Quos verò non repererunt, iis* Cenotaphium *erexere ingens, & rogum amplissimum & coronas imposuerunt*, &c. Etiam anniversariis ludis stato die circa illa monumenta, nec non supplicationibus publicis, defungebantur, uti idem docet Suetonius ubi suprà. De quo ritu capias Ausonium *in Epitaphiis* Profess. Burdigal. Tit. XVII. Æmilii Magni Arborii,

Illic dives opum, doctoque ibi Cæsar honoreus
Occumbis patribus Magne superstitibus.
In patriam sed te sedem, ac monumenta tuorum
Principis Augusti restituit pietas.
Hinc renovat causam lachrymis & flebile munus
Annuus ingratâ relligione dies.

V. Jo. Meursium *ad Lycophr.* Joann. Kirchmannum *de Funeribus lib.3. cap.27.* Casp. Barthium *Animadvers. ad Statium l. cit.* ut & hic passim, inprimis in voce *Monumentum*.

Censio hastaria, una ex mulctis militaribus, dicebatur: *cùm militi mulctæ nomine, ob delictum militare, injungebatur, quod hastas daret.* Quemadmodum enim illi, qui rem egregiè gesserunt,

hastâ

hastâ purâ donari summo honori duxere, ita vicissim non exigua erat ignominia, hastam resignare ac tradere, V. Joh. Rosinum *Antiqq. Rom. lib.*10. *cap.*25. Th. Godvvynum *Anthol. Rom. lib.*4. *cap.*5. &c.

Censor, adde: Fuit hic unus de Magistratibus Romanis majoribus, & Reip. propter disciplinæ custodiam, cujus severa cura *Censoribus*, inter coetera, sine provocatione commissa fuit, admodum salutaris. Præterea ad eorum munus pertinebat, addere Tribus, tueri urbis templa, vias, pontes, aquarum ductus & alia quædam publica ædificia: elocare item vectigalia ac fundos publicanis: pretia quoque sacrificiorum procurare, alere sacros anseres, lustrum condere, &c. Habuerunt insuper potestatem leges condendi aut abrogandi, & cognoscendi de certis causis, ut matrimonialibus, &c. Equitibus quoque emeritis vacationem dederunt; quæ omnia paucis complectitur, de Censorum munere hanc legem proponens Cic. *de Legg. lib.*3. *Censores populi ævitates, soboles, familias pecuniasque censento: Urbis templa, vias, aquas, ærarium, vectigalia tuentor: populique partes in Tribus distribuunto: exin pecunias, ævitates, ordines partiuntor: Equitum peditumque prolem describunto: cælibes esse prohibento: mores populi regunto: probrum in Senatu ne relinquunto*, &c. Non eligebantur autem ad hoc munus, nisi viri virtute & auctoritate insignes, & ut plurimùm Consulares, nec post Martium Censorium ulli bis hanc dignitatem capere licuit. Cùm etiam *Censor* moreretur, id quod inter alia contigit, eo anno quo Urbs à Gallis est capta, infaustissimum habebatur omen: Mamertinus Dictator anno U. C 319. potestatem annuam & semestrem fecit: Communicatus fuit Magistratus cum plebe an. 411. Liv. *lib.*7. Intermitti cœpit an. 667. sed tamen an. 693. restituta *Censura* est: cumque Clodius quoque Tr. Pl. lege latâ Censuram tantùm non sustulisset, teste Dione *lib.*38. & 40 ac Cic. *in Pisonem & pro Sestio*, illa postmodum à Q. Metello Scipione Pompeji in Consulatu collega, denuo Reip. integra reddita est: viguitque porro usque ad Decii Imp. tempora, usurpantibus sibi id honoris ex ipso Imperatorum numero nonnullis. Unde scribit Dio *lib.*54 de iis, qui postremi de privatis personis *Censores* fuerant, sub Augusto Cæsare, tribunal ipsorum, cùm prima id Magistratus die conscenderent, omine non obscuro, corruisse, V infra. Meminit quoque Halicarnassæus *lib.*1. Commentariorum, quos Censores in sua familia reliquerint, & velut sacra paterna ac gentilitia ad posteros transmiserint, V. Joh. Rosinum *Antiqq. Rom. lib.*7. *cap* 11. Tabularum, quas, cùm Magistratu decessere, memoriæ ergo reponebant, in æde Nympharum, meminit Cicero, de Clodio loquens, *in pro Milone: Qui ædem Nympharum incendit, ut memoriam publicam incensis tabulis publicis impressam aboleret.* Quinquennium eorum *Lustrum* dicebatur, eo quòd semel Magistratu durante lustrabant exercitum Romanum, sacrificio adhibito, quod *Suovetaurilia* dicebatur: V. infrà in voce *Lustrum*. Notati à *Censoribus* non erant perpetuò infames: imò duos è Senatu ejectos, postmodum ipsos ad Censoriam dignitatem pervenisse, narrant Cic *pro Cluentio* & Val. Max. *lib* 2 *cap.*9. &c. Hinc *Censorius*, unde *Censoria* Comitia; in quibus, si creato uno tempestas Comitia dirimeret, tum etiam is, qui creatus jam erat, vitiosus censebatur: *Censoria* lex, V. *suprà*. *Censoria* virgula Prov. *Censorium* funus, &c. V. præter prædictos Auctores Fenestellam *de Mag. Rom. cap.*17. Pomp. Lætum, Pancirolum *l. rer. perdit.* Alex. *Genial. dier. lib.*5. *cap.*27. &c. Addam saltem, sub Impp. *Censores* nullos ampliùs fuisse, nisi nomine. *Censoriumque* munus, quod in notandis indignis & probrosis positum erat, prorsus cessavisse, ex insigni loco Tertulliani *de Pallio cap.*4. *Enimverò jamdudum censoriæ intentionis episcynio disperso, quantum denotatui passivitas offert? libertinos in equestribus, subverbustos in liberalibus, dedititios in ingenuis, rupices in urbanis, scurras in forensibus, paganos in militaribus: vespillo, leno, lanista, tecum vestiuntur. Converte te & ad fœminas, habes spectare, quod Cæcina Severus graviter Senatui impressit: matronæ sine stola in publico! denique in Lentuli Auguris consultis, quæ ita sese exauctorasset, pro stupro erat pœna: quoniam quidem indices custodesque dignitatis habitus, ut lenocinii factitandi impedimenta, sedulò quædam deseruerant. At nunc in semetipsas lenocinando, quò planiùs adeantur, & stolam & supparum & crepidulam & calliandrum, ipsas quoque jam lecticas & sellas, queis in publico quoque domesticè ac secretè habebantur, ejeravere*, &c.

Censorius, apud Solinum *cap.*1. *M. Messalla Censorius & Menogenes è fæce vulgari, hoc fuerunt uterque quod singuli, nec alium Messalam quàm Menogenem, nec Menogenem alium, quàm Messalam putaverim*: ætate ejus hominem signabat honoratum & ἀξιωματικὸν, cui vulgaris & plebejus oppositus. Quemadmodum *Censorium funus*, à funere vulgari distinguebatur, ut alibi dicemus. Argutiam itaque captavit Solinus ex antithesi *Censorii* & *vulgaris*, &c. Salmasius *ad l.* V. quoque infrà in voce *Censura*.

Censuales, apud Jul. Capitolinum *in Gordianis*: *Senatusconsultum tacitum — ita ut non scribæ, non servi publici, non* Censuales *illis actibus interessent, Senatores exciperent*, &c. Ministri erant, quorum operâ Magistratus Romani, in actis publicis conficiendis, utebantur; quod tandem mutatum est ab Arcadio, Honorio & Theodosio. V. de iis multa apud Jurecoss. Salmasius *ad Poll.*

Censura, apud Corippum *lib* 2.

Adspexit lætus populos, vultuque modesto
Circumfusa videns plaudentûm millia risit,
Censuram *servans & plebi gaudia donans.*

Et *lib.*4.

Conscendit princeps trabeâ succinctus avitâ,
Regalem ditans augustâ fronte coronam,
Censuramque *piâ servans gravitate recedit.*

gravitas est cum dignitate conjuncta. Ita enim ætatis illius Scriptores *Censuræ* vocem accepere passim. Unde *oris censuram*, quam Vett. *oris dignitas*, dixerunt. *Pondus* etiam quidam illo sensu usurparunt, & *pondus mentis* dixerunt pro gravitate. *Censura* igitur hic ἀξίωμα est, item σεμνότης, ut in *Glossis* exponitur. Postea etiam vulgus usurpare vocem cœpit, pro honestate vultus & decore, proque ipsa forma & pulchritudine: unde & *censorium hominem* vulgò, qui pulcher esset, vocarunt sicque ab animo ad corpus transtulerunt, &c. V. Salmasium *ad Capitolinum*.

Censura Ecclesiastica, in lapsos in Idololatriam, vel adulterium, vel hæresin, vel schisma, vel aliud grave notorium peccatum; alio nomine *Excommunicatio*, sic describitur apud Cyprianum *Epist.*28. *A' communione nostra arceatur, se abstentum à nobis sciat.* *Epist.*38. *Sciat se in Ecclesia nobiscum non esse communicaturum.* Et *Epist.*52. *Si quis verò ante consilium nostrum & ante sententiam de omnium consilio statutam, lapsis temerè communicare voluisset, ipse à communione abstineretur*, &c. V. quoque Ambrosium *in ad* 1 *Cor. cap.*5. *versu* 5. *de Pœnit. lib.*1. *cap.*12. 14. 17. Theodoretum *Comment. ad eundem locum*, Alios. Eadem dicebatur *Abstentio*, *Anathema*, *Maran-atha*, *Traditio Satanæ*, *Projectio ex Ecclesia*, Græcè, Ἀναθεματισμὸς, Ἀφορισμὸς, &c. & adhibebatur, præter retrò dicta crimina, contra fraudes & rapinas, Cyprian. *Epist.*38. negationem libellaticam, apud eundem passim: contra homicidium, Augustin. *de Fide & Oper. cap.* 19. incestum, Concil. Elibert. *can.*66. & sodomiam *can.*71. contra lenocinium *can.* 12. & 70. Alia. Consistebat autem non solùm in exclusione à participatione Sacramentorum, sed & ejectione ex Ecclesia & communione Fidelium. Neque tamen spem omnem veniæ præcipiebat, ut patet ex conversione multorum, eorumque solutione ab injecto priùs Anathematis vinculo. Certè terribilis ista sententia hanc conditionem includit, quam disertè enuntiant Patres Concilii Lateran. c. Monothelitas olim, præside Martino I. celebrati *Anathematismo ult. Si quis secundùm scelerosos Hæreticos — & usque in finem sine pœnitentia permanet, hæc impiè agens; hujusmodi in secula seculorum condemnatus sit & dicat omnis populus, fiat, fiat!* &c. Propter hanc verò, quam *Abstentionem majorem* dicere liceat, alia apud Vetust etiam occurrit minùs severa, quâ abstinebantur nonnulli à communicatione, ob culpam non usque adeò gravem, ut projectionem ex Ecclesia mereri videretur, nec tamen sine correptione publica prætereundam. Sic, qui per tres dominicas Templum non accessisset, pauco tempore, Concil. Elibert. *can.*21. qui aleâ lusisset, annuo spatio, *can* 79. bellatores, triennio Basil. *Epist. Canon. ad Amphiloch. can.* 13. trigami, quinquennio, *Ibid. can* 4. à communione arcebantur. Cujusmodi hominibus nec pars illa pœnitentiæ, quàm ὑπόπτωσιν vocabant, injungebatur. Nihilominus in quolibet delicto contumaces censura premebat perpetua, & contumaciâ durante, irrevocabilis. Unde quibusdam communionem non nisi post triginta annorum pœnitentiam redditam legimus, apud Basilium ubi suprà *can.*7. aliis, non nisi in fine vitæ, Concil. Elibert. *can.*13. aliis denique nec in fine, qui, petentes quamvis communionem, in exemplum disciplinæ dimittebantur divino judicio, absque Ecclesiastica reconciliatione, ut patet ex eodem Concilio celebrato A. C. 305. passim. Quem rigorem postea sustulit Synodus Nicæna, his verbis: Καθόλου δὲ καὶ περὶ παντὸς οὑτινοσοῦν ἐξοδεύοντος, αἰτοῦντος τοῦ μετασχεῖν εὐχαριστίας, ὁ Ἐπίσκοπος μετὰ δοκιμασίας ἐπιδότω, *Universaliter autem & omni unicuique in exitu constituto, ac participationem communionis petenti, Episcopus prævia exploratione, eam conferat*, *Can.* 13. Retinuisse tamen & sequenti eum tempore Ecclesias quasdam, ut hominibus, post peractam solennem pœnitentiam reconciliatis, si in eadem, aut alia gravia peccata, relaberentur, locum publicæ pœnitentiæ negarent, docet Tertullianus *de Pœnit. capp.* 7. & 9 V. quoque Ambrosium *de Pœnit. lib* 2. *cap.* 10. Augustinum *Epist.* 54. *ad Macedon.* Gratianum *de Pœnit. dist.*3. *can. Nihil prodest* §. *ex pers.* Alios: plura verò hanc in rem apud Joann. Forbesium *Instruct. Historico-Theologic. Lib. XII. cap.*3. ut & hic passim, inprimis in vocibus *Anathema* & *Excommunicatio*.

Census Pop. Romani primus institutus à Servio Tullio, sexto Rege. Florus *lib.*1. *cap.*6. *Ab hoc pop. Romanus relatus in censum, digestus in classes, curiis atque collegiis distributus: summaque Regis solertiâ ita est ordinata Resp. ut omnia patrimonii, dignitatis, ætatis, artium, officiorumque discrimina in tabulas referrentur, ac sic maxima civitas minimæ domus diligentia contineretur.* Cujus instituti utilitatem idem indigitat, *libr. ejusdem cap.*8. cùm ait: *Actus à Servio census quid effecit, nisi ut ipsa se nosset Respublica.* Ita enim capita civium omnium numerata & bona æstimata sunt, pro diversa opum uniuscujusque & ætatis & artium officiorumque ratione institutâ: ad exemplum fortè ordinis militaris, quo

omni castrensium multitudine in legiones, cohortes, manipulos, centurias distributa, faciliùs in omnes imperium derivatur. Centuriæ igitur 193. fuere: At supra fidem alicui possit videri, cùm pauci fuerint ditissimi, plures mediocris fortunæ, plurimi autem tenuissimæ, ac proinde horum tanta multitudo in plures centurias, quàm ditissimorum illud modicum corpus dispesci potuerit, ditissimorum tamen plures ab Auctoribus, Livio inprimis ac Dionysio, quàm cæterorum centurias recenseri. Verùm Centuriæ ditiorum ex multo minori civium numero constitere, quàm illæ hominum inferioris conditionis: tum ut in ferendis suffragiis de Rep. ditissimi reliquos superarent: tum ut tributorum onera maximè in eos inclinarentur: tum ut in illosdem militiæ gerendæ derivaretur onus; à quo sexta classis civium tenuissimæ fortunæ immunis erat. Erant autem Ditissimorum Centuriæ, illis Equitum & Fabrùm additis, centum: unde adversùs illorum consensum nihil potuisse reliquas classes, utpote quarum Centuriæ conjunctæ non erant, nisi numero 93. facilè liquet. Orborum viduarumque fortunas à *Censu* tum exclusas, nec earum nomine tributa tum exacta fuisse, ex Livio est manifestum. Cujus favoris beneficium nulli idoneæ rationi inniti, existimat Boxhornius.

Populus Rom. in 6. Classes, pro diversitate opum, distributus, & classes singulæ in Centurias, quarum aliæ Juniorum, aliæ Seniorum, hoc modo.

I. Ditissimorum, Census Classis C ∞.	Centuriæ Class. 80 Senior. 40. Junior. 40. quibus additæ 18. Equitum & Fabrorum insuper duæ.
II. Ditiorum, Census LXXV ∞	20. Senior. 10. Juniorum 10.
III. Divitum, Census L ∞.	20. Senior. 10. Juniorum 10.
IV. Mediocrium, Census XX ∞.	20. Senior. 10. Jun. 10. His additæ duæ Tibicinum, Dionys.
V. Modicorum, Census XI ∞.	30. Senior. 15. Juniorum 15.
VI. Tenuissimorum, Census XI ∞.	1. Hæc immunis erat à militia & tributis, ad quæ priorum Classium centuriæ tenebantur.

Boxhornius *Notis in Florum cap. 6. libri 1.* Et quidem à Regibus primùm, inde Consulibus *Census* actus est. Postquam verò totos annos septendecim à Consulibus, negotiorum mole impeditis, nullus fuerat habitus *Census*: electi Censores sunt circa A. C. Urb. 310. in quos pars hæc Consularis muneris & alia quædam officia transferrentur. In legendo verò inprimis Senatu censum spectatum fuisse, declarat Seneca. *Senatorum*, inquiens, *gradum census ascendere facit*: quod an instituti fuerit antiqui, ambigit Plinius, cùm ait: *Posterius laxitas mundi & rerum amplitudo damno fuit, postquam Senator censu legi captus, pessum ire visa pretia*, &c. Laudatus autem fuit *census* in Senatore, ne splendor amplissimi ordinis rei familiaris angustiis obscuraretur. Cæterùm ante Augustum, *Censum Senatorium* sestertium 800. m. fuisse, eumque ab Augusto ampliatum, docent, Suetonius & Dio. Neque solùm si quis Senatorium censum non haberet, Senator legi non poterat: sed si, posteaquam lectus esset, censum labefactasset, ordinem amittebat, *Cic. epist. ad Q. Valerium*. V. Joh. Rosini *Antiqq. Rom. lib. 7. cap. 5.* Neque verò opum solùm, sed & familiarum, & liberorum & puerperiorum *Census* actus est, apud Romanos. Qui enim Pater factus esset, natum sibi puerum cum nomine apud Acta profiteri cogebatur; cujus & nomen tabulis publicis inserebatur. Juvenalis,

— — libris Actorum spargere gaudes
Argumenta viri.

Quæ publica liberorum ἀπογραφὴ, apud Ærarii Præfectum, fiebat, uti alibi latiùs dicemus. Sed & transvectio equitum *Census* dicebatur: Cùm enim à Censoribus equo publico donarentur equites, horum *qui strigosum aut malè habitum equum in censu agendo duceret, mulctabatur eo*, A. Gellius *lib. 4. cap. ult.* quem morem desuetum, post longam intercapedinem, revocasse Augustum Principem, testatur Suetonius *in eo cap. 38.*

Census Ecclesiæ Rom. in provinciis, quibus colligendis quotannis mittebantur à Pontifice Diaconi, aut Subdiaconi vel Legati, ut ex *Epistolis* Gregorii M. Nicolai I. *Epist. 55.* Innocentii III. *lib. 15. Epist. 166. 167.* aliis, colligitur; constabantur ex liberalitatibus Principum, qui certis præstationibus annuis regna & terras suas, atque adeò, ipsos subditos, iis Ecclesiæ Rom. quotannis exsolvendis, nonnunquam sponte adstrinxerunt. Gregorius VII. *lib. 8. Epist. ult. Carolus Imperator — in tribus locis annuatim colligebat mille & ducentas libras, ad servitium Apostolicæ sedis, excepto hoc quod unusquisque propriâ devotione offerebat.* Sic *Census Ecclesiarum in Regno* Siciliæ & *Campania & Maritima*, memorantur in *Bulla Ms.* Nicolai IV. *ann. 3.* Sed & *Census* annui indicebantur, persolvendi Monasteriis & Ecclesiis, in signum protectionis sedis Rom. quæ *Juris S. Petri* dicuntur fuisse, apud Hug. Flaviniacensem, ex *Epistola* Gregorii VII. è qua patet, ejusmodi census in Gallia fuisse exactos, Vid. Car. du Fresne *Glossar.* & in voce *Romascot*. Apud eundem *Census* B. Olavi, qui & *Votum B. Olavi*, Suecis *Sant-Olafs-Scatt*, census erat, qui à Suecia ad S. Olavi Norvegorum R. sepulchrum in Norvegia olim deferebatur; quemque Upsaliam ad ejusdem Altare ferri præcepit Nicolaus Alb Archiep. Upsaliensis. Dabant autem *de qualibet rustico unam ulnam telæ vel ejus valorem: de captura halecum — de qualibet nave unum mansum: de qualibet nave, quæ vadit Stokolmis cum mercimoniis, unum denarium Suecicum, &c.* uti docet Charta ejus A. C. 1314. descripta à S. Hessero *ad Chron. Archiepisc. Upsal. p.* 111.

Centaretus, adde: *Cintaretum* vocat Solinus *cap. 45. Cùm præliô Antiochus Galatas subegisset, Cintareti nomine ducis, qui in acie ceciderat, equum insiliit ovaturus, is, adeò sprevit lupatos, ut de industria cernuatus, ruinâ pariter & se & equitem affligeret.* Ubi *cernuatum* ait equum hunc: *Cernuus* autem vel *cernuator* quis, qui pedibus prioribus deficientibus in faciem ruit. At equus *Centareti* non simpliciter cernuatus est, & Antiochum domini interfectorem solo effudit, sed ore contumaci abreptus domitis frænis per abrupta præcipitem traxit, seque unà exanimavit, ut clarè Plinius ait. Nisi fortè *cernuari* hoc loco Solinus posuit pro, in præceps se dare & per abrupta ruere capite prono, ut faciunt petauristæ: uti Recentiores hoc verbum passim usurpant, Salmasius *ad Solinum pag. 894.* Κεντάρετος idem Æliano dictus est, &c.

Centauri, adde: E marmore eorum simulacra, inter fictissimorum Artificum opera fuere. Phidias enim *in scuto Minervæ, Amazonum prælium cælavit intumescente ambitu parmæ, ejusdem concava parte Deorum & gigantum dimicationem, in soleis verò Lapitharum & Centaurorum*, &c. Plinius *lib. 36. cap. 5.* Sic inter Myronis monumenta, Asinius Pollio spectari voluit *Centauros Nymphas gerentes*. Ibid. Plura de *Centauris*, Vide apud Caspar. Barthium *Not. ad Papinium Statium passim.*

Centauri Cyprii, in Bacchi copiis, quos cornutos passim describit Nonnus *Dionysiac. l. 5 vers. 614.* & *lib. 14. versu 193* & *libr. 32. vers. 71.* & natos fingit è Jovis semine in terram sparso, cum cùm Paphiæ Veneris amore arderet, naves videntur fuisse è Cypro Ins. quam αὐτὴν τὴν ναυπηγίαν τ̃ ϛόλων, *ad navium & classium fabricationem*, valde commodam Strabo aliique testantur. Unde &, *trabem Cypriam*, pro quavis nave, Horatius usurpat. Naves certè sæpe *Centauros* vocari, propter Centauros pro insignibus proræ appictos, constat ex Æneidos *lib. 5. & 10.* uti thalamegon suam Veneti hodieque *Bucentaurum* vocant. His affinguntur cornua, quia in nave sic vocantur antennarum extremæ partes. Idem *Æn. 3.*

Cornua velatarum obvertimus antennarum.

Et Ovidius *Metam. lib. 11. fab. 10.*

Ardua jam dudum demittite cornua, Rector
Clamat & antennis totum subducite velum.

Jovis semen in terra sparsum, circa templum Veneris Paphiæ, unde *Centauri* hi nati, glandes sunt, quæ non minùs ac quercus Jovi sacræ. Nempe ex glandibus natæ sunt, circa Paphum & Papho proximum Acamantem, plurimæ quercus, classium materies: Quam ob causam Geographus *lib. 14.* ibi describit ὕλην πολλὴν, *plurimam sylvam.* Inde *Sphagnos Cyprius* Plin. *lib. 12. cap. 23.* quâ voce notantur in quercu cani villi odore præstantes, &c. Sam. Bochartus *Hierozoici Part. poster. lib. VI. cap. 10.*

Centaurii, apud Asserum An. Chr. 871 iidem qui Cantiani.

Centena, in *lege 3. Codicis Theodosiani de Cohortalibus* & *lege 7. eodem. Codicis de Agent. in rebus*, dignitas *Centenarii* seu gradus in Schola Agentium in rebus, ad exemplum militiæ armatæ, proximus Principi agentium, apud Eund. In *Decretione* Chlotarii R. alibique passim, *Centena* pars Comitatus est aut regionis, nam singuli Comitatus, Pagi seu Territoria, dividebantur olim in Vicarias, Vicaria in *Centenas*, Centena, in Decanias, in quibus minores Judices erant Vicarii, *Centenarii*, Decani. Quod institutum ad latrones primùm arcendos, auctore Chlotario, ex *Decret.* modò dicta, valuisse, colligit du Fresne. Auctor certè est B. Rhenanus *Rerum Germanic. lib. 2.* hodieque proximè Heidelbergam apparere *Centenæ* vestigium in aliquot locis, & manere vocabulum. His *Centenarii*, ut dictum, præerant, quibus ipsi præerant Comites, qui in vitam eorum ac mores inquirebant, *L.* Langob. ac interdum cum iis in rebus majoris momenti consultabant, ut est in *Capitulis* Caroli M. *lib. 2. cap. 28.* Belli tempore, *Centenarii* munus erat, centenæ suæ milites in aciem educere, *LL.* Wisigoth. *lib. 9 tit. 2. §. 3.* Præsertim verò eorum cura fuit, ut districtus à latronibus, furibus aut prædonibus, purgarent, ex *Capitulis* Caroli C. *tit. 11. pag. 111.* Denique in publicis Actis interdum nomen, perinde ac Comites, subsignabant, V. Car. du Fresne *Glossar.* & in voce *Centenarius*: inprimis verò Jac. Cujacium *ad l. 1. Cod. de exaction. Tribut.* [illegible]

Centenaria forma, apud Lampridium *in Alexandro Sev. formas binarias, ternarias & quaternarias & denarias etiam, atque ampliùs usq; ad bilibres quoque & centenarias, quas Heliogabalus invenerat, resolvi præcepit: atq; ex his formis materiæ nomen indidit est.* Nempe loco *centenariarum* formarum, quas invenerat Heliogabalus & quæ in usu versabantur, postquam jussu Alexandri resolutæ sunt, nomen ipsum remansit, quod materiæ nomen impositum est: Nam *Centenarium*, pro centum libris dici cœpit, cùm tamen minimè reperiretur nomisma *centenariæ formæ cusum*; cujusmodi formas invenerat Heliogabalus, quibus [illegible]

ris cuderentur, aurei nummi, quorum quilibet 100. aureorum vulgarium pondus haberet ac pretium. In posterum itaque *Centenarium* dici cœptum, quidquid 100. librarum ponderis esset. Sic *Centenarium*, de 100. libris frequenter usurpant Historici & Græci præcipuè sequioris ævi. *Cod. de cursu publ. l. 12. Centenariorum auri* fit mentio, quæ hippocomi in sacculis ferebant: quâ lege cavetur, ne 60. libras sella cum frenis, sexaginta itidem averta non transeat, *exceptis auri Centenariis, quæ necesse est ab hippocomis in solitis sacculis reportari.* Ubi *Basilic.* ὑπεξαιρέσθω δὲ τὰ τοῦ χρυσοῦ κεντηνάρια. Aurum sc. largitionale intelligitur, quod veredis imponebatur, & in sacculis hippocomi ferebant, si quando destinaretur ad comitatum Principis & sacris largitionibus inferendum portaretur. Quot autem auri publici *Centenaria* uni veredo imponerentur, conjicit Salmasius ex *l. 30. Cod. Theod.* quâ sanxerunt Valentinianus, Valens & Gratianus A. A. A. *ut nemo amplius redæ, quàm mille pondo, angariæ, quàm mille quingenta; veredo, quam trecenta, auderet imponere*: quæ trecentorum pondo summa tria *Centenaria* efficit. V. cum *Not. ad Lampridium.*

Centenariæ Cœnæ, dictæ olim, in quas ex lege non plus *centussibus*, præter terrâ nata, impendebatur, auctore Festo. Dictæ sic sunt à lege Licinia, *V. ibi.*

Centenariæ Rosæ, apud Tertullianum *de Cor. Mil. Uti nunc laurea & myrto & olea, & illustriore quaque fronde, & quod magis usui est*, centenariis *quoque rosis ex horto Midæ lectis* &c. Rhenano illæ sunt, quæ *centifoliæ* Plinio & ἑκατοντάφυλλα ῥόδα Theophrasto. Sed *centifoliam* in coronas addi (præterquam extremos velut ad cardines,) ut nec odore, nec specie probabilem, negat Plinius. Et Tertullianus, ex horto seu roseto Midæ has rosas lectas fuisse ait. At in eo nullæ *centenariæ* seu centifoliæ solę sexaginta foliorum provenerunt, & quidem cœteris omnibus odoratiores, & pulchriores. Itaque Paschalius *sexagenariis* legit d. l. sic enim vocabantur rosæ Midæ, Græcis ἑξηκοντάφυλλα ῥόδα, V. Herodot. *Musâ* 8 & Dracont. *de oper. VI. dier.* Nec obstat, quod dici potest, *Centenarium* numerum esse symbolum castitatis, uti discimus ex hisce Hieronymi *ad Lætam lib. 2. Epist. 15. Sit in gremio aviæ, quæ repetat in nepte, quidquid præmisit in filia; quæ longo usu didicit nutrire, servare, docere virgines. In cujus coronam centenarii quotidie numeri castitas texitur.* Nihil enim hic aliud vult Hieronymus, quàm virginem hanc mereri centuplicem fructum castitatis suæ, &c. V. Car. Paschalium *Coronarum lib. 3. cap 7.*

Centenarii, V. suprà in *Centena*: & infra, in voce *Missum.*

Centenarium, pro *Centenaria forma*, de qua modò. In *Chron. Casauriensi lib. 4. Instituit, ut pro unoquoq; fratre defuncto fiat Centenarium (seu us) hoc modo ut à die obitus uniuscujusq; Fratris justitia de pane & vino & cæteris cibis, cotidie in mensa Abbatis ponatur*: Officium est centum missarum, apud du Fresne *Glossar.* Apud eundem, *Centenas* exolvere, in *Actis* S. Cæciliæ Virg. & Martyr. h. e. centenos fustium vel flagellorum ictus, inter supplicia Martyribus irrogata, &c.

Centenionalis nummus, seu *Centenio l. 1. & 2. Cod.* Theodos. *Si quis pecun. conf.* Casaubono, Salmasio, aliis, idem est cum *Centenario* aureo, sic dicto ab Heliogabalo, quòd *centum aureos* sive solidos, h. e. libras auri duas, excurrentibus 4. aureis, conficeret, quo de suprà. Jac. verò Gothofredo, *minutula* fuit *pecunia*, ut loquitur Valerianus *Epist. ad Aurelianum*; sic dictus, ut *binio*, qui διώβολον redditur in *Glossar.* Lat. Gr. confecitque ejus sententiâ centum æreos seu stipes. Utut sit, *Majorinas* seu majores, & *Centenionales communes*, vetitos ostendit *Lex 1.* quæ est Constantii, altera, quæ est Honori & Arcadii, *Centenionalem tantùm nummum, in conversatione publica, tractari* præcipit, *Majoris pecuniæ figuratione submotâ*, apud du Fresne, *in Dissertat. de inferioris ævi Numism.*

Centesima usurarum, apud Romanos dicta est, quòd mense quovis pars assis centesima, seu unus in centum, decem in mille, pro usu pecuniæ alienæ merces præstaretur. Hanc, cùm ad publicorum vectigalium modum concepissent nomen fructus pecuniæ privatæ, statuerunt velut fontem & caput, unde omnia, quibus tot commodorum pecuniæ fœneraticię minora genera intelligerentur, vocabula, veluti rivuli, emanarent: & quòd viderent, eam annuas hujusmodi partes duodecim, qui numerus unciarum assis est, parere, jusserant illam ad inferiora sese habere, tanquam assem, in quem omne solidum partiebantur; ut, quod usuræ nomine promissum distaret tantum à centesima, quantum unciæ, sextantes, quadrantes, &c. ab asse, id his partibus assis vocitaretur: ad superiora, tanquam assem unum ad plures: sic pro dupondio *binæ Centesimæ*, pro tressis ternæ, ac deinceps: omnia ex eo, quod menstruum redibat. Acquirere autem *Centesimæ* nomen cœpere, non in signato demum, sed etiam in gravi ære, contra quàm sensit Salmasius, atque in argento etiam dein tenuere. V. Gronovium *de Pec. vet. lib. 3. cap. 13.* Malè confunduntur *Centesimæ*, ita enim frequentius Romani loquuti sunt, cum fœnore unciario: *Centesimæ* namque sunt, cùm centesima pars sortis; unciæ, cùm duodecima pars centesimæ; semunciæ, cùm ejus vicesima quarta pars; trientes, cùm tertia; semisses cùm dimidia: besses cùm duæ tertiæ usurarum nomine singulis mensibus debentur; hoc est, in centenos annui vel duodecim, vel unus, vel dimidiatus, vel quatuor, vel sex, vel octo nummi, &c. Ab hac *Centesima* Lat. Græcorum Ἑκατοστή, cujus apud illos solùm Historicos, qui sub Rom. Imper. scripserunt, mentio fit, orta est. Non enim ad eum fœnoris modum venere Romani illo demum tempore, quo negotiatores Romani generis & publicani in Græcia Asiaque fœnus exercentes appellatione Ἑκατοστῆς in illis locis magis pervulgatâ libentius eam rem exprimere soliti sunt, ut quibusdam videtur: Sed ipsi nomen *Centesimæ* Græciæ Asiæque incognitum, primi eò intulere. Certè de unciario fœnore lex perlata est an. U. C. 396. C. Marcio Rutilo, Cn. Manlio iterum Coss. 100. propemodum annis, antequam bello Punico primò in Siciliam transcenderunt. At quomodo unciarium fœnus potuit appellari, si ignorabatur *Centesima*? Imò non dubitat retro laudatus Gronovius, ante sacrum Montem Meneniumque Agrippam sanguinolentas *Centesimas* tenuiores agris paternis atque avitis exuisse: Hinc bonorum virorum ingratiis, prævalente plebis potentiâ, leges de unciario & semiunciario fœnore rogatæ sunt. De fœneratorum artibus, qui cùm centesimas tantùm haberent in syngrapha, quaternis centesimis fœnerari solebant, V. eundem *pag. 474.* & seqq.

Centesimatio militum, Opilio Macrino instituta legitur, apud Jul. Capitolinum, *Milites sæpius decimavit, aliquando etiam* centesimavit: *quod verbum proprium ipsius est, quum se clementem diceret, quando eos centesimaret, qui digni essent decimatione, vel vicesimatione.*

Cento, cum *cilicio*, confunditur Servio *ad hæc Virgiliana,*

— — *Setasq; comantes*
Castrorum in morem & miseris velamina nautis.

Ait enim, *quia de ciliciis poliuntur lorica & teguntur tabulata turrium, ne jactis facibus ignis possit adhærere.* At cilicia de pilis caprarum fiebant, *centones* verò ex lana coactili. Nec ciliciis, sed *centonibus*, tegebantur tabulata turrium & puppium turres, ut igni resisterent. Ita namque Plinius, *Lanæ & per se coactæ vestem faciunt, & si addatur acetum, etiam ferro resistunt, imò etiam ignibus.* Cilicia verò laxè suspensa obtendebantur, ad telorum jactum. Certè apertè Sisenna Ciliciorum & *Centonum* usum separat, apud Nonium: *Puppes aceto madefactis* centonibus *integuntur, quos supra perpetua classi suspensa cilicia obtenduntur*, ex *Histor.* ejus *lib. 4.* Nempe *Centones* firmitate, *Cilicia* laxitate suâ, adversùm tela valebant, &c. Ex illiusmodi porro *Centonibus* tunicas & tegmenta sibi parabant milites, ad tela vitanda, quos πιλωτοὺς θώρακας dixere Veteres, βαμβακιωτοὺς recentiores Græci, Salmasius *ad Solinum pag. 486.* Alia vocis notio apud citerioris ævi Scriptores est. In Poesi *Centones*, haud absimiles parodiis sunt. *Deducitur enim sensus alius à sensu pristino versuum, hoc parodiam refert, quorum versuum membra hinc inde collecta quum assuuntur, rhapsodiæ nomen repræsentant, atq; idcirco centones appellati sunt, à centonibus, quibus fiunt stragula. Tale apud Ausonium Poema valde ingeniosum & lepidum, ex frustis Virgilianis coagmentatum. Tale etiam Probæ Poetriæ Christianæ*, Jul. Cæs. Scaliger *Poetices lib. 1. cap. 43.* &c. Nec omittendum, quòd *Centones* & Saga servis tribuit Columella, &c. Nomen quod attinet, quibusdam est à voce *centum*, quòd ex variis panniculis & diversis etiam coloribus consarcinata vestis fit: Eustathio verò à Græco κεντεῖν, *pungo.* Propriè certè *Cento*, quod multiplicibus *punctionibus* suitur. &c.

Centonarii, in *Cod.* Theodos. *tit. de Centonariis & Dendrophoris*, ubi in *l. 1.* Constantinus statuit, *ut, in quibuscunque oppidis Dendrophori fuerint*, Centonariorum *atq; Fabrorum corporibus adnectantur: quoniam hæc corpora frequentiâ hominum multiplicari oportet*: qui sint, in liquido non est. Nam fuisse eos, qui *Centones* conficiebant, dici vix potest; quid enim commune tales Artifices habent cum Fabris Tignariis & Ferrariis, Dendrophoris item, quibus fere semper adjunguntur, in vett. Inscr. apud Gruterum. Nisi ut essent, qui in castris tabernacula conficerent. Eosdem præfectos cum præfatis Artificibus habuisse, ex eodem Grutero constat 36. 11. 45. 8. eosdemque Patronos 427. 1. eosdem denique Magistros Quinquennales, 261. 4. Mentio eorum quoque *l. 162. Cod Theodos. de Decurion.* apud Car. du Fresne in *Glossar.* V. quoque Jac. Godofredum *ad ll. cit.* Spalati hanc *Inscr.* notavit Sponius, *Centonariorum* memoriam servantem:

AUR. QUINTIANUS DEC.
COLL. FAB. ET CENT. QUI
VIXIT ANN. P. M. LI. MENS.
V. D. - - - VIVUS SIBI POSUIT
ET AUR. IAENUARIAE CON-
IUGI SUÆ COT. SI QUIS
ÆAM ARCAM POST MOR
TEM EORUM APERIRE VO
LUERIT INFER. DECURIAE
MEAE X. XXV.

V. cum *Itiner. Part. 3. pag. 81.*

Centrum, Græcis κέντρον, in omni materie nodosa durities iis est, quæ ictus respuit ac ferro findi frangique negat: cujusmodi κέντρα in lapidibus, in lignis, in ferro, reperiri Auctores confirmant. Plinius *lib. 16. cap. 39.* ubi de arboribus cædendis: *Publicum omnium vitium vocant spiras, ubi convolvere se vena atque nodi.*

Inveniuntur in quibusdam, sicut in marmore Centra, *id est, duritia clavo similis, inimica ferris.* Sanè & κέντρον Græcè *clavus* est, unde leges alicubi κέντρα ἐλεφάντινα, *clavos eburnos.* Sed & in gemmis ac lapidibus pretiosis ea *centra*, quæ scalpturæ resistunt; duriora via quædam atque opaciora corpuscula in pellucido lapillo: quæ proin inter gemmarum vitia idem Plinius recenset passim. In crystallo similiter: Plinius de crystallinis, *Infestantur plurimis vitiis, scabro ferrumine, maculosâ nube, occultâ aliquâ vomicâ, prædurо fragilique* centro, *item sale appellato.* In auri metallis imprimis, lapis, qui auri venâ micat, hujusmodi κέντρα habet, micas sc. auri, purissimi, quæ communui frangique non possunt, nec cum reliquo pulvere coquuntur: ἀδάμαντα Græci dixere, uti vidimus suprà, in voce *Auri adamas*, item *Auri nodus.* Plura verò hanc in rem V. apud Salmasium *ad Solinum pag.* 1074. & 1075. Omissis aliis vocis notionibus, saltem hoc addam, κέντρα, de cardinibus Mundi, ut vocant, iisdem dici. Unde Ἀπηλιώτης κέντρον, δυτικὸν κέντρον, ἀρκτικὸν κέντρον, μεσημβρινὸν κέντρον. Dionysius, ὁ μὲν ἀπηλιώτης ἀπ' ἀνατολικοῦ κέντρου φέρεται, *Apeliotes, qui ab Orientali cardine fertur.* Quâ significatione *Centri* compendiaria nota, apud vett. Mathematicos, fuit K.&c. V. eundem *pag* 1249. *&* 1250.

Centumviri, apud Romanos, Judices erant, è singulis Tributus, quarum 35. fuere, terni delecti, & *Centumviri* dicti, numero rotundo, licèt quinque supra centum essent. De quibus illi controversiis judicaverint, docet Cicero *de Orat. lib.* 1. his verbis: *Jactare se in causis Centumviralibus, in quibus usucapionum tutelarum, gentilitatum, agnationum, alluvionum, circumluvionum nexorum, mancipiorum, parietum, luminum, stillicidiorum, testamentorum ruptorum auctorum, cæterarumque, rerum innumerabilium jura versantur*, &c. Postea autem multum eorum jurisdictio crevit, ut apud Fab. Quint. *lib.* 4. *cap.* 1. & *lib.* 5. *cap.* 2. videre est: atque numerus ad 180. auctus, manente tamen semper *Centumvirorum* nomine, Plin. Jun. *lib.* 6. *Epist.* De causis juris etiam gravissimis & obscurissimis judicasse à Tacito *in Dial. de Orat.* & Seneca *de Benef. lib* 3. dicuntur. Apud Tullium sæpe *Recuperatores* ac *Judices hastæ* appellari eos deprehendimus, judiciumque illorum *Hastam Centumviralem*; ob hastam in loco, ubi judicia hæc vigebant, in signum auctoritatis erectam. In Basilicis autem judicia exercuere, in 4. consilia divisi, V. Joh Rosinum *Antiqq. Rom. lib* 7. *c.* 30. &c. De illis Statius *lib* 4. *Sylv.* 4. *ad Victorium Marcellum,*

> —— — *nec jam tibi turba reorum*
> *Vestibulo, querulique rogant exire clientes,*
> *Cessat centeni moderatrix Judicis hasta.*

Et *lib.* 1. *Sylv.* 4. *ad Rutilium Gallic.*

> —— —— *docte nec enim sine Numine tantus*
> *Ausoniæ decora ampla togæ, centenaque dedisti*
> *Judicium mentemque viris.*

Ubi adnotat Barthius, ab illis appellationem fuisse ad Præfectum Urbi. Rutilius enim hic Præfectus urbi fuerat, &c. Plura apud Ph. Berterium *Pithanon lib.* 1. *cap.* 8. Jac. Cujacium *Observation. lib.* 3. *cap.* 23. Quæ Lipsio tribuuntur *ad Suetonium Vespasiani cap.* 10. de *Hasta* verò, suo loco, ut & apud Ludovicum Cælium *Commentar. Antiqq. Lectionum.*

Centunculus Herba, Græcis γναφάλιον, quòd ejus foliis candidis & mollibus pro tomento culcitrarum uterentur, sic dicta. Γνάφαλα enim dicebantur iisdem purgamenta lanæ, quæ, dum vestes jam textæ purgabantur & depectebantur, spinis adhærebant pectinis κναφέως, seu *fullonii.* Unde Plinium, id Galliarum demum invento proditum esse, retrimentis hujusmodi & purgamentis lanæ culcitas farciri, scribentem, notat Salmasius, cùm Græcis nominibus ex antiquo vocentur tomenta γνάφαλα hoc modo inculcata, V. eum *d. l pag.* 398. Aliàs de *Centunculo* sic Plinius *lib.* 24. *cap.* 15. *Nunc subtexemus herbas, mirabiles quidem, sed minùs claras — Itali* Centunculum *vocant rostratis foliis, ad similitudinem capitis penularum jacentem in arvis: Græci autem clematidem*, &c. Ad quem locum V. *Notas* Dalechampii.

Centuria, propriè centenos homines continet, aliquando pauciores pluresque, cùm vocis appellatio abusivè sumitur. Earum in Rep. Romana primus auctor Servius Tullius fuit, qui acto censu, pop. Romanum in 6. classes, & in 193. *Centurias* divisit: totâ classe sextâ, quæ tenuissimorum erat civium, pro unica reputatâ, cùm contra in ditissimorum classe 100. *Centuriæ* numerarentur. V. suprà in voce *Census* Hæ itaque classes & *Centuriæ*, licèt initio cum Tribubus & Curiis nihil habuerint commune, ut ex Livio & Dionysio patet: post expletum tamen tribuum 35. numerum, earum quodammodo partes esse cœpere, ut ex Livio colligit Sigonius *de antiquo jure civ. Rom. lib.* 1 *cap.* 4. Hinc *Centuriata* Comitia, eodem Servio Tullio auctore, quibus populus per classium centurias divisus suffragium ferebat, dicta sunt: in quibus Magistratus legi, ferri leges & bellum indici moris erat: quibus, post Remp. in libertatem asseream, accessit, quòd ibidem judicia peracta. Creabantur autem his Comitiis Magistratus majores, Consules, Prætores, atque Censores: Proconsules etiam interdum, & Reges sacrorum: item Tribuni militares Consulari potestate & Decemviri legibus scribendis. Leges, quæ his Comitiis ferebantur, *Centuriatæ* dictæ & propriè *Leges*, à Magistratibus majoribus auctoritate Senatus, de re quapiam majoris momenti, rogabantur. Tales erant leges Valerii Publicolæ de provocatione, apud Valerium M. *lib.* 4. *cap* 1. Lex de revocatione Ciceronis ab exilio, Cic. *Or. post reditum in Sen. & lib.* 1. *epist. ad famil.* &c. Judiciorum his Comitiis exercendorum unica fuit causa, nempe Perduellio: Unde legibus XII. Tabb. sancitum esse videmus, *Ne de capite civis, nisi Comitiis Centuriatis judicaretur*, apud Cic. *de Sestio*: Et docet Valerius Max. *lib.* 6. *cap.* 5. *M. Popilium Tr. Pl. Tiberio Graccho & C. Claudio Censoribus, cum ob nimis severè gestam censuram majorem partem civitatis exasperassent, diem perduellionis ad populum dixisse: quo in judicio primæ Classis permulta centuria Claudium apertè damnarint* &c. Idem clarum est ex Livio de judicio M. Manlii Capitolini loquente *lib.* 6. &c. V. Joh. Rosinum *Antiqq. Rom. lib* 6 *capp.* 8. 9. *& seqq.* Porro *Centuria prærogativa* dicebatur, cui sortitione factâ primus locus obtigit suffragium ferendi: Cujus tanta apud Rom fuit auctoritas, ut, quem illa Consulem nominasset, talis haberetur, Turnebus *Adversar. lib.* 5. *cap.* 23. In re militari *Centuria* erat una ex minoribus legionis partibus, in quas ut & manipulos pedestres copiæ erant divisæ. De his Varro: *Centuriæ*, inquit *quæ sub uno Centurione sunt: quorum centenarius justus numerus.* Dividebantur in contubernia, ita ut decem militibus, sub uno papilione degentibus, unus quasi præesset Decanus, qui *Caput contubernii* nominabatur: Habuit autem Legio *Centurias* 60. Qui primæ Triariorum centuriæ, quæ *Primum pilum* vocabatur, præerat, *Primo-pilus*, item *Primus Centurio* dictus est, habuitque curam Aquilæ: Secundæ *Secundipilus*, &c. V. Lipsium *de mil. Rom. lib.* 2. *dial.* 1. Rosinum *Antiqq. Rom. lib.* 10. *cap.* 5 &c. Apud Agrimensores *Centuria*, communiter 200. jugerum spatium denotat; limitesque centurias includebant, & centuriæ per actus dividebantur. Ponebantur autem in singulas centurias lapides terminales, qui invicem distabant ped. 11. cccc. si centuriæ 200 tantùm jugeris constarent. In singulos porro actus pali defigebantur, qui distabant à se pedes 120. quæ unius actus longitudo est. Et quidem primus qui centuriam includebat limes, *Actuarius* appellatus est, eratque à Decumano vel Kardine maximo secundus. Decumanus verò & Kardo maximi primi quidem ducebantur, sed stellam efficiebant, nec cludebant *centurias.* Hinc *Ager Centuriatus*, apud vet Agrimensorem, *qui quadratis centuriis divisus*: Centuriæ autem quadratæ præcisè ducentena jugera habebant. Ei oppositus *Ager scamnatus*, qui in centuriis singulis habebat jugera ducenta quadragena, & per latitudinem habebat actus 20. per longitudinem actus 24. *Scamnum* enim id erat, quod latius fuit quàm longius; ut contra *Striga*, quæ longior, quàm latior, &c. V. Salmasium *ad Solinum pag.* 675. *& seqq.* At *Centuriatores*, sunt dicti Ecclesiasticæ Historiæ compilatores, contra quos Baronius scripsit, de quibus alibi.

Centuriatus Mulus, apud Vopiscum *in Aureliano, Equum sagmarium sunm despicit - Mulum* centuriatum *comiter curet*: mulus est *centuriæ* inserviens. Solutâ enim veteris militiæ disciplinâ, cœpere apud Romanos singulis centuriis muli deputari, ad sarcinas vehendas; qui hinc *centuriati* dicti sunt. Hadr. Turnebus apud Casaubonum *Not. in h. l.*

Centurini seu *Christiani de cinctura*, à cingulo lato, quod portabant, dicti sunt Christiani in Ægypto degentes, apud Sanutum *lib.* 11. *part.* 2. *cap.* 8. A. C. 1230.

Centurio, ab eo qui ordines ducit, distinguitur, apud Jul. Capitolinum *in Maximinis, Hic diu sub Antonino Caracallo ordines duxit*, Centuriatus *& cæteras militares dignitates sæpe tractavit.* Et Symmachum, *Ordines duxit ac sæpe famam factis extendens, inter plures militiæ gradus*, Centuriatus *quoque strenuitatis suæ pretium tulit.* Atque ita quidem, ut majoris videatur fuisse *Centurionis* dignitas, quàm ejus, qui ordines duceret, ut hinc clarè liquet. Sed & in vet. Insc. *Centurio* alius est ab ordinum ductore:

> SERGIUS. TERENTIUS.
> SERG F. ÆMILIANUS.
> CENTUR. EMER. VIX. A. LXX.
> ORDIN. DUX. SUB.
> L. POSTUMIO. MODES
> TINA. MARITO.
> MERENTISSIMO.

Qui ordines ducebant, *Ordinarii* dicebantur, quos à *Centurionibus* quoque distinguit Jul. Capitolinus in *Clodio Albino* Nempe manipulorum sic vocati ductores videntur, manipulus autem eo tempore decem tantùm militum fuit, quibus qui præerat, *Manipularius, Ordinum ductor, Ordinarius*, appellatus est, Gr. ταξίαρχος. *Centuriones* verò *centuriis* præerant: Et sic quidem ætate Severi ac Maximini. Apud Vegetium verò Ordinarii, sunt etiam primorum ordinum ductores, iidem cum illis, qui Vett. *primorum Ordinum Centuriones* sunt dicti: at eius ætate *Centuriones* non amplius dicebantur, sed *Centenarii*, qui centum homines ducebant. Sic illo tempore majores & digniores fuerint Ordinarii *Centurionibus*, ita sc. dicti primorum Ordinum ductores, qui partim quatuor, partim duas centurias regebant; aliquando centum quinquaginta homines ducebant. Polybius verò ταξιάρχας, h. e. *Ordinum ductores*, passim *Centuriones* vocat, V. Salmasium *Not. ad Capitolinum.* Cæterùm, ut Tribuni & Duces, sic & *Centuriones*,

emolumenta

emolumenta à militibus olim accipiebant: & quidem hi vacationes munerum vendebant militibus; quod tamen boni prohibuere Principes & Centurionibus vacationes annuas è fisco solvendas constituere. Tacitus *Histor. lib.1. Sed Otho, ne vulgi largitione centurionum animos averteret, ex fisco soluturum vacationes annuas promisit: rem haud dubiè utilem & à bonis postea Principibus perpetuitate disciplina firmatam.* V. suprà in voce *Beneficiarii*, & plura hanc in rem, apud præfatum Salmasium *Not. ad Spartianum in Hadriano.*

Centurio rerum nitentium, apud Ammianum *lib.16.* is dictus est, qui signorum ac statuarum ex ære & marmore, in Urbe, curam gerebat: postea *Tribunus* ac tandem *Comes rerum nitentium*, appellatus, Henr. Valesius. In *Cod. Theod. l. unic. de Centurionibus*, certum corpus in oppidis confecisse *Centuriones* legimus, quorum munus inter vilia & onerosa fuisse, indidem colligitur: Sed qui iam ii non liquet. Inter officiales Judicum *Centuriones* recensentur, *l.1. Cod. Theodos. de Offic. Rect. prov.* apud Car. du Fresne in *Glossario.*

Centuripe, adde: Crocum ejus memoratur Solino *cap.5. Quidquid Sicilia gignit, sive soli, sive hominis ingenio, proximum est his, quæ optima judicantur, nisi quòd fœtus terræ Centuripino croco vincitur.* Ubi Salmasius legit, *nisi quòd fœtus terræ Centuripina Corycio vincitur.* Nempe Corycium crocum præstantius Centuripino, ut quod tertio demum loco recensetur apud Plinium, V. infrà ubi de *Croco*

Centussis, subintellige *pondus* vel *æs*, Persius:

Et centum Græcos curto centusse licetur.

Ubi *Centussem* dicunt esse idem, quod quadraginta sestertios, sed malè. Pirigitur enim abacus ad illud tempus, quo quaternis sestertiis seu denario, non deni sed sedecim asses respondebant: & quum Persius scriberet, centum asses non quadragenis, sed vicenis quinis continebantur sestertiis: etenim sestertius non duos asses & semissem, sed quatuor valebat, Gronovius *de Pec. vet. lib.3. c.9.* Hinc Fannia lex *Centussis* dicta est, quòd ludis Romanis, item Plebejis & Saturnalibus ac aliis quibusdam diebus, in singulos dies centenos æris insumi concessit. De eo Macrobius *Saturnal. lib.3. cap.17. Fanniæ legis*, inquit, *severitatem in eo superasse legem Orchiam quòd in superiore numerus tantùm cœnantium cohibitus fuerit licueritque secundùm eam unicuique bona sua inter paucos consumere: Fanniam autem & sumtibus modum fecisse assibus centum. Unde à Lucilio Poeta festivitatis suæ more* Centussis *vocetur.* V. Joh. Rosinum *Antiq. Rom. lib.8. cap 13.*

Cepe, olerum solum, crescit, Lunâ decrescente: quocirca abstinuisse ab ejus usu Sacerdotes Ægyptios, tradit Plutarchus *lib. de Isid. & Osir.* Qua de re sic A. Gellius *lib.20 cap 9. Cæpe revirescit & congerminat decedente Lunâ, contrà autem inarescit adolescente. Eam causam esse dicunt Sacerdotes Ægyptii, cur Pelusiotæ* cæpe *non edunt: quia solum olerum vices minuendi & augendi habeat contrarias.* V. Vossium *de orig. & progr. Idolol. lib.2. cap.19.* Unde Juvenalis *Sat.* 15.

Porrum & cæpe nefas violento frangere morsu.

Imò inter Deos Ægyptiorum Prudentius recenset *contra Symmachum lib.2.*

Porrum & cepe Deos imponere nubibus ausi.

Pelusiotarum inprimis. Lucianus *Jov. Trag.* Ἰδίᾳ Μεμφίταις μὲν ὁ βοῦς Θεὸς, Πηλουσιώταις δὲ κρόμμυον. *Cæterùm privatim Memphitis quidem bos Deus est, Pelusiotis verò cepe.* Quæ respiciens Hieronymus *adv. Jovinian 2. Impelle*, ait, *si vales, Pelusiotem, ut manducet cepe.* Et *Commentar. in Esaj. cap.46. Ut taceam de formidoloso & horrido cepe: & crepitu ventris inflati, quæ Pelusiaca religio est.* V. Pfannerum *System. Theol. Gentil. cap.1. § 1.* Cæterùm Græci in allio & *cepe* κεφαλὴν vocant id, quod omnes nucleos comprehendit; aliquando tamen & nucleum solum, quem & γελγίδα, & ἄγλιθα & κόκκον & ῥᾶγα quoque dixere. Latinis *tallæ*, folliculi cæparum, ex Græco θαλλὸς, quæ ἔλυτρον significat. Quia autem eodem folliculo, quo cepæ caput velatur, etiam magna pars caulis integitur, hinc *tallam*, pro caule cepæ, posuit Columella. Lucilius tamen *tallas* à *capis* distinguere videtur hoc versu,

Flebile cæpe simul lachrymosaque ordine tallæ.

Ubi quod capitatum est, vocat *cæpe*, caules getiorum *tallas*, quæ capitata non sunt. Sic duo genera *capitii*, ut porri. Galli rustico sermone *civas* hodie vocant, dictione ex *cepa* detortâ, quæ capitatæ non sunt. Et planè sunt Græcorum γήθυα; *cibullas* alii vocant, id est, *capullas*, quæ sunt γηθυλλίδες, &c. Inter cæpitia porro, eas cæpas, quæ simplex caput habent, nec subolibus adgnatis propagantur, Græcos μονοκέφαλα vocare & μονόκαρπα, Latinos rusticos *uniones*, diximus suprà. Plura vide apud Claudium Salmasium *Exercitationibus Plinianis ad Solinum pag. 1168. & seqq.*

Cephalæotæ, Gr. Κεφαλαιωταὶ, *in l.6. C. Theod. de Patroc. ci.* Exactores sunt capitationis.

Cephale, Græcè Κεφαλὴ, castrum Atticæ, ad tribum Acamantidem pertinens, ubi Castoris & Pollucis celebris olim ædes. Ejus memoriam servat hæc *Inscr.* Eleusine, in basi statuæ cujusdam, principatu Commodi constructæ:

ΔΗΜΗΤΡΙ ΚΑΙ ΚΟΡΗΙ
Η ΙΕΡΑ ΓΕΡΟΥΣΙΑ Μ. ΑΥ
ΡΗΛΙΟΝ ΛΙΘΟΦΟΡΟΝ ΠΡΟ
ΣΔΕΚΤΟΝ ΠΙΣΤΟΚΡΑ
ΤΟΥΣ ΚΕΦΑΛΗΘΕΝ ΠΡΕΣ
ΒΕΥΣΑΝΤΑ ΠΡΟΙΚΑ ΤΙΜΗ
ΘΕΝΤΑ ΔΕ ΥΠΟ ΘΕΟΥ
ΚΟΜΜΟΔΟΥ ΤΗ ΡΩΜΑ
ΙΩΝ ΠΟΛΙΤΕΙΑ ΑΡΞΑΝ
ΤΑ ΤΟΥ ΚΗΡΥΚΩΝ ΓΕ
ΝΟΥΣ ΑΡΞΑΝΤΑ ΤΗΣ ΙΕ
ΡΑΣ ΓΕΡΟΥΣΙΑΣ ΕΥΣΕΒΕ
ΙΑΣ ΕΝΕΚΑ &c.

apud Jac. Sponium *Itiner. Græc. Part. 3. pag.142.*

Cephalenia, adde: Olim tota sub Ulysse fuit, & patre ejus Laërte, qua de re V. Salmasium *ad Solinum pag.714.* & Jac. Sponium *Itinerar. Græciæ Part. 1. pag.134.*

Cephenes, adde: Græcè Κηφῆνες, à *Cepheo*, quem Beli filium & Æthiopiæ Regem esse Veterum quidam prodidere. Scholiastes Germanici, *Cepheus fuit, sicut Euripides scribit, Æthiopum Rex, Andromedæ pater.* V. quoque Apollodorum ubi de Perseo. Sed reprehendit eos Stephanus, ex sententia illorum, qui Cepheum in Phœnicia regnasse ajunt. Certè Κηφῆνας olim Chaldæos vocatos esse, fere inter omnes constat; incolebant autem ii circa Babylonem, & regio illorum Κηφηνία quondam dicta. Hinc idem, Χαλδαῖοι, inquit, οἱ πρότερον Κηφῆνες, ἀπὸ Κηφέως τοῦ πατρὸς Ἀνδρομέδας. Interim Græci, ut dictum; Æthiopiam sic vocaverunt. Unde *Cepheam Meroën* vocat Propertius,

Cepheam & Meroën fuscaque regna canat.

V. Salmasium *ad Solinum pag.570.* Meminit *Cephenia*, seu Chaldaicæ regionis Plinius *lib 6. cap 13. Utrinque per devexa laterum Armeniæ majori à frontis parte quæ vergit in Commagenem*, Cephenia, *ut diximus, copulatur, eique Adjabene Assyriorum initium.* Et *Cephenorum pop. cap.9.* ubi de Armenia min. *Claudunt eam montes ab Oriente, sed non statim Ceraunii, nec Adiabene regio. Quod interest spatii*, Cepheni *tenent: ab his juga ultrà Adjabeni tenent:* Ut idem ex vett. libris legendum esse docet; cùm vulgò habeatur *Sophene* & *Sopheni* V. quoque eum *pag.1227.* ubi Persas primitus Κηφῆνες, à Cepheo, Beli Assyrii filio, postmodum à Perse, filio Persei ex Andromeda Cepheo genitâ, vocatos esse; addit ex Herodoto.

Cephesias Lacus, Κηφησιὰς λίμνη, in Africâ propriè dicta, memoratur Scylaci Caryandæo, circa quem Μελεαγρίδας esse, h. e. *Gallinas Africanas*, & quidem circa illum solum, tradit: Αἱ δὲ ὄρνιθες Μελεαγρίδες ἐνταῦθα εἰσὶν, ἄλλοθι δὲ οὐδαμοῦ, ἂν μὴ ἐντεῦθεν ἐξαχθῶσι. Asdrubas apud Plinium *Cephesida* vocat, & juxta mare Atlanticum collocat. Scylaci inter Herculeas ponitur columnas & Hermæan prom. V. Salmasium ubi suprà *pag. 892.* de Meleagridibus autem, suo loco

Cepheus, Æthiopum Rex, adde: Beli Ægyptii filius, Euripidi aliisque Græcis. Alii verò Agenore, Beli fratre, vel Phœnice Agenoris fil. natum & in Phœnice regnasse volunt, sede regni Joppe existente: In Assyria & Perside nonnullis eum collocantibus. Quod utrumque verum esse, nihil prohibet: Nam sub eodem fuisse olim Rege regionem omnem, quæ ab ora Syriæ maritima, usque ad Babylonem, porrigebatur, illud indicio est, quòd eodem *Syriæ* nomine universus ille terrarum tractus nuncuparetur, ut ex Hesychio & Strabone *lib 16.* palàm est. Sed & Ægyptius Belus cum Assyrio idem, &c. Hinc *Cephei Regio*, seu Κηφέως, nonnullis Æthiopia est, quæ & Κηφηνία dicta; aliis Chaldæorum reg. in Perside, ab eodem *Cepheo*, Andromedæ patre, ut vidimus suprà. Plura verò hanc in rem; apud Salmasium *d. l.* Certè in antiquis asterismorum figuris *Cepheum* pingi videmus, cum Persica tiara, in anteriorem partem acumine proclinato, eundemque tiaram habere Ptolomæus notat, &c

Cephissia, opp. Atticæ olim, postmodum Herodis Attici secessus: nunc vicus est adhuc satis amplus & elegans, dictus etiamnum *Ciphissia* De quo V. Jac. Sponium *Itinerar. Græciæ Part.2. pag. 312.* ut & in voce *Cephisia.*

Cephisus, Atticæ fl. adde: Hic non parum amœnitatis & gratiæ urbi conciliavit olim, ac graviorum etiam navigiorum patiens fuit. Sed Turcæ postquam in suam potestatem Athenas redegere, veriti ne per *Cephisum* occupandæ urbis hostes occasionem captarent, obstructo ingentibus saxis per integrum milliare ejus ostio, in plurimos illum diduxere rivos. Fr. Rosseus *Archæol. Atticæ lib 1. cap.3.* Sed & unà cum Ilisso altero Atticæ fluv. torrenti similem esse, & æstivo tempore sæpe deficere, jam scripsit Strabo *lib.9* V. quoque de eo Salmasium *ad Solinum pag.146. & seqq.* nec non Casp. Barthium *ad Papinium Statium passim.*

Cepobotras, vel *Caprobotas*, Græcè Κηπρόβοτος, Rex Muziris, tempore Plinii *lib.6 cap.23.* & Auctoris *Peripli*, quorum hic, Ἡ δὲ Μούζιρις, inquit, βασιλείας μὲν τῆς αὐτῆς, ἀκμάζουσα δὲ ἐστί, πόλις. Et antè, Βασιλείας ἐστὶν ἡ μὲν Τύνδις Κηπροβότου, *Tyndis in Regno est Ceprobotæ, Musiris autem ejusdem Regni est*, apud Salmasium *ad Solinum pag.1189.*

Cepotaphium, Græcè Κηποτάφιον, h. e. *Sepulchrum Hortense*, in quo Jannes & Jambres, qui propter Magicæ Artis peritiam apud Pharaonem primo loco erant, fuerint conditi, memoratur Palladio *in Lausiacis*, ubi illud in vasta solitudine Macarius visitasse dicitur his verbis: Ἐπεθύμησε ποτὲ εἰς τὸ κηποτάφιον εἰσελθεῖν τῶ Ἰαννῆ καὶ Ἰαμβρῆ, τῶν Μάγων τῶν ἐπὶ τῶ Φαραὼ χρόνῳ τεθέντων, ἵνα καὶ συντύχῃ τοῖς ἐκεῖσε δαίμοσι. Ἐλέγετο γὰρ παμπόλλους καὶ χαλεποὺς ἐγκατῳκηκέναι παρ' αὐτοῖς ἐκεῖσε τοῦ τόπου δαίμονας δι' ὑπερβολὴν τῆς αὐτῶν τέχνης αὐτόθι. Τοῦτο δὲ τὸ Κηποτάφιον γέγονε παρ' αὐτῷ τῷ Ἰαννῆ καὶ Ἰαμβρῆ τῶν ἀδελφῶν, δι' ὑπερβολὴν τῆς Μαγικῆς τέχνης ἐν πρώτῳ ἰσχύειν παρ' ἐκεῖνο καιρῷ παρὰ τῷ Φαραῷ. *Optavit aliquando in sepulchrum ingredi, quod in horto habebant Jannes & Jambres, sub Pharaone Magi; ut videret & occurreret Dæmonibus, qui illic sunt. Dicebantur enim infamis illorum Artis vi locum illum esse fortissi multi & molesti Dæmones. Factum autem fuerat hoc* Cepotaphium *ab illis ipsis fratribus Janne & Jambre, qui propter Magicæ artis præstantiam eum temporis apud Pharaonem primas tenebant.* V. Sam. Bochartum *Hierozoici Parte prior. Lib. II. cap.* 53. De Janne verò isto & Jambre, 2. Timoth. *cap.* 3. *versu* 8. & apud Eusebium *Præparat. Evangel. lib.* 9 *pag.* 241.

Cepula, inter myrobalani genera, recensita recentioris ævi Scriptoribus, de quibus V. Salmasium *Ibid. pag.* 472.

Cepus & *Cephus*, V. suprà *Cebus*.

Cequiarius, Præfectus Aquarum, in Regno Majoricano, apud du Fresne *Glossar.*

Cera, alter Apum labor, quem ex floribus, sicut ex rore mel, illas conficere, tradit Aristoteles *Histor. lib.* 5 *cap.* 22. V. quoque Senecam *Epist.* 85. Corn. Celsum. apud Philargyrum, Alios. Eam colligendi modum hunc refert Plinius *Histor. lib* 21. *cap.* 14. *Cera fit expressis favis, sed antè purificatis aquâ & triduo in tenebris siccatis, quarto die liquatis igni in novo fictili, aquâ favos tegente, tunc sportâ colatis. Rursus in eadem olla coquitur cera cum eadem aqua, excipiturque aliâ frigidâ. vasis melle circumlitis. Optima, quæ Punica vocatur. Proxima Pontica - Deinde Cretica - post has Corsica*, &c. V. quoque suprà, ubi de *Apibus*. Usus ejus multiplex in vita humana. Hinc *Cera* pro Epistola, Ovidio. Olim enim in tabulis scribebant *ceratis*, Plin. *lib.* 13. *cap.* 11. Unde apud Jurisconss. sæpius *tabulæ ceræque*, de ceratis Testatorum tabulis: apud Poëtas *prima, ima cera* & *cera ultima*, pro iisdem sumuntur. Quæ scribendi ratio & celerior fuit nostrâ, ut apud Fabium est *lib.* 10. *cap.* 3. &, ubi quid mutaretur, nullum relinquebat lituræ indicium: quippe, uti cuspide graphii sive styli exarabant: ita parte adversâ, quæ obtusior erat, quidquid displiceret, inducebant ac complanabant. Præterea, *Cerâ* in obsignandis literis & testamentis utebantur. Nempe tabellas chartasve lino obligabant, postea annulo χαρακτῆρα imprimebant ceræ. Proin Chrysalus, apud Plautum *Bacchidibus Act.* 5. *sc.* 4. ad literas scribendas signandasque afferri jubet,

—— Stylum, ceram & tabellas, & linum.

Cujus vice cretâ Asiatici utebantur, ut infrà videbimus: qui tamen mos in cera cretave signum imprimendi, tardè obtinuit apud plerasque Orientis ipsius gentes; apud Hebræos verò pervetus fuit. Inter Græcos veteres, Lacones quidem in *cera* signavere, sed non annulo, verùm θριπηδέστῳ, sive τεμαχοβρώτῳ, h. e. *signo à vermibus corroso*, &c. Cùm autem Veteres in *ceram* sigillum imprimebant, priùs, quod hodieque vulgò fieri solet, salivâ illud madefecerunt, ne cera illi adhæreret. Unde Juvenalis *Sat.* 1. *Gemmam udam* dixit. In tabulis verò, quæ publici & privati contractus scripturam continebant peculiaris modus observatus est, quem Paulus *Sentent. lib.* 5. *tit.* 25. his verbis describit: *Amplissimus ordo decrevit, eas Tabulas adhibitis testibus ita signari, ut in summa marginis ad mediam partem perforatæ triplici lino constringantur, atque impositum supra linum ceræ signum imprimatur, ut exteriores scripturæ fidem interiori servent.* Cujus formæ Senatum, sub Nerone, auctorem fuisse, ostendit Suetonius *Nerone cap.* 17. At literæ Principales, eæ præsertim, quæ pragmaticas sanctiones ad totum Imperium vel posteritatem pertinentes, continerent, non lino & *cerâ*, obligari obsignarique solebant, sed erant, ut hodie loquimur, *patentes*: in quarum tamen ima parte, fidei causa, sigillum apponebatur, quod sequiori ævo *Bulla* dici cœpit. Et quidem cùm hæc quadruplex esset, *Aurea, argentea, cerea & plumbea*: *Cerea* Impp. utebantur ad matrem, uxorem, filium: ut *infrà* videbimus. In censendis porro scriptis solebant quoque Critici olim *ceris* annotare signa quædam judicii sui, cui ceræ admiscebatur μίλτος sive *rubrica*, aut minium, quo & aliàs ad ornatum uti. Cicero κηρία, i. e *flores* vocat, *lib.* 16. *ad Attic. Epist.* 11. Democritus verò istis, quæ παράδοξα viderentur, verissima tamen esse didicisset experientia, notam è cera annulo suo signatam adfigebat: quæ πολυκηρίαν dictas esse, ex Hesychio discimus. Ad hæc usus *ceræ* in pictura erat. Nam ceram priùs tabulæ inducebant, eamque discolorem, prout exigeret id, quod in tabella vellent pingere. Ceris deinde sic inductis instratisque, eas inurebant ac exæquabant: id, quo ceris pingerent *encaustum* dicentes, uti artem ipsam *Encausticen*, qua de re dicemus infrà *suo loco*. Præterea, ut ligno, ebore, lapide vel metallo, ita ex sola etiam *cera* vultus totasque imagines efformabant. Ut enim de imagunculis Magicis nil dicam, qualis erat imago, de qua Ovidius *Remedii Amor. lib.* 2.

Si potes; & ceras remove: quid imagine mutâ
Carperis? hoc periit Laodamia modo.

Magnam capiebant olim utilitatem ex *ceris* Majorum, qui præclare præivissent. Quippe, ut ait Valerius Max. *lib.* 5. *cap* 8. *n.* 3. *Effigies Majorum cum titulis suis idcirco in prima ædium parte poni solent, ut eorum virtutes posteri non solùm legerent, sed & imitarentur.* Et Plinius *lib.* 35. *cap.* 2. *Apud Majores, imagines hæ in atriis erant, quæ spectarentur; non signa externorum Artificum, nec æra, aut marmora: expressi cerâ vultus singulis disponebantur armariis, ut essent imagines, quæ comitarentur gentilitia funera; semperque, defuncto aliquo, totus aderat familiæ ejus, qui unquam fuerat, populus. Stemmata verò lineis discurrebant ad imagines pictas; Tablina codicibus implebantur & monumentis rerum in Magistratu gestarum*, &c. Primus autem *ceræ* imaginis auctor Lysistratus traditur eidem *lib.* 35. *cap.* 12. *Hominis imaginem gypso è facie ipsa primus omnium expressit, ceraque in eam formam gypsi infusâ emendare instituit Lysistratus Sicyonius, frater Lysippi.* Alia ut *ceræ* commoda persequamur, magnus ejus in fugandis tenebris usus, de quo infrà in voce *Cereus*. Etiam, in rebus glutini in morem jungendis. Sic enim primùm fistulas fecere, pluribus cicutis cerâ junctis: Martialis *lib.* 14. *Epigr.* 13.

Quid me compactum ceris & arundine rides:
Quæ primùm extructa est fistula, talis erat.

V. Ovidium, Dædali alas cum fistula istiusmodi graphicè conferentem, *Metam. lib.* 8. Iidem *cerâ* oblinebant dolia ac naves, illa, ne liquorem transmitterent, has, ne aquas admitterent. De doliis insignem locum habes, apud Columellam *lib.* 12. *cap.* 50. De navibus, Ovid. *Metam.* 11. *fab.* 10.

—— —— Spoliataque tegmine ceræ
Rima patet.

Non solâ tamen cerâ ad hanc rem usos fuisse, sed & pice, Lucanus innuit, incendium classis describens *lib* 3. *versu* 683.

—— Faciles præbere alimenta carina
Nunc pice, nunc liquidâ rapuere incendia cerâ.

Pocula quoque cerâ oblinebant. Theocritus *Idyll.* 1.

Καὶ βαθὺ κισσύβιον κεκλυσμένον ἁδέϊ καρῷ,
Et profundum poculum oblitum dulci cerâ.

Ubi Vir eruditus quidem censet, κεκλυσμένον hic idem esse ac κηροχρωματισμένον, sed pretiosiora fuisse vasa ceris picta, quàm ut ea rustici in Sicilia, idque Theocriti ætate haberent, certum est. Quare sic potius statuit Vossius, pocula quidem ærea stanno, fictilia vero κηρῷ, sive pice liquefactâ, obduci consuevisse, ne tempore æstivo liquor exsudaret; aut vasa æruginis virus contraherent. Quæ utraque ratio locum habuit, in vasis cerâ illitis: ut enim pix, sic cera, exsudationem impedit; atque ut stannum, sic cera dulcis saporem facit gratiorem & æruginis virus coërcet. Vasa autem *cerâ* illita, κηρωτὰ; ut illa pice obducta, πισσωτὰ καὶ πισσωτὰ, ac stanno incrustata, κασσιτεροκεχρισμένα dicta sunt, ut videre est apud Casaubonum *in Athen. Animadvers. lib.* 1. *cap.* 6. Gerh. Johannes Vossius *de orig. & progressu Idololatriæ lib.* 4. *cap.* 91. 92. Ulteriùs *cerâ* cadavera, non minùs, ac melle, condiri consuevisse, discimus ex Herodoto, qui *lib.* 4. Scythas Regis sui mortui corpus κατακεκηρωμένον per totam Scythiam circumtulisse, antequam terrâ conderent, refert. Idem *lib.* 1. de Persis, κατακηρώσαντες, inquit, τὸν νεκρὸν γῇ κρύπτουσι, *inceratum cadaver terrâ condunt.* Unde Cicero *Tuscul. lib.* 1. *Persæ jam cerâ circumlitos condiunt, ut quàm maximè permaneant corpora.* Et Strabo *lib.* 15. de iisdem, θάπτουσι δὲ κηρῷ περιπλάσαντες τὰ σώματα. Hinc *Mumiæ* vox notissima, ex *mum*, quo Persæ *ceram* & Arabes ceram illo nominant, deducta videtur. Etiam in fuco *ceræ* aliquis fuit usus, Sam. Bochartus *Part. posterior. lib. IV. cap.* 2 Sed & *Cera*, in multis unguentis intrabat. Unde in Foliati compositione Aëtius, κηροῦ, inquit, λίτραν μίαν, *Ceræ libram unam.* Et Spicati, Κηροῦ δὲ ὅσον τὸ ἀρκοῦν, ὥστε σύμμετρον ὑγρότητα ἔχειν, *Ceræ quantum sufficit, ut ne spissius sit justo unguentum: quantum non prohibeat liquidius esse.* Quæ duo genera unguenti multo in usu fuere apud Romanos. Eadem in confectione Oenanthii locum habuit. Et in genere unguenta, in quibus plus *cera*, quàm croci esset (namque & hoc sæpissimè adhibebatur) velut minùs luxuriosa minusque delicata Cicero probasse legitur. apud Plinium, laudatum Salmasio *ad Solinum pag.* 1063. &c. Uti autem apud nos Apes, sic apud Sinenses in prov. *Huquang*, alba cera, in agro urbis *Tegan*, à vermiculis eo fere artificio elaboratur, quo Apes favos suos struunt. Sunt autem hi favi multo minores & candidissimi: è quibus collectis candelas, ut ex communi nostrate cera conficiunt incolæ, at longè magis albas, à Magnatibus, quòd majori constent pretio, fere tantùm adhiberi solitas. Nam præter candorem, odorem etiam suavem exhalant, cùm uruntur, nihilque sordibus inficiunt aut fœdant, licèt in vestes incidant guttæ liquefactæ; lumen insuper clarissimum maximeque temperatum reddunt. Cujusmodi cera etiam in regione *Pingio* prov. *Quansi* invenitur, Auctor Anonymus *Sina & Europa cap* 38.

Cera, apud Papinium Statium *lib.* 3. *Sylv.* 1. *versu* ...
Æraque tot scripto viventes lumine ceras

Fixisti?
dicuntur colorum omne genus; unde *scripto lumine ceras*, exponit Barthius, *luce colorum*. *Scribere* enim hic pingere est: & *Equo Maximo* hæc pariter conjunxit Idem,

—— *Apellæ cuperent te scribere ceræ*, &c.

Aliàs *cerâ pingendi* peculiare artificium fuit, indigitatum Plinio *d. lib. Varios in colores pigmentis traditur, ad reddendas similitudines - parietumque etiam & armorum tutelam.* De cujus inventore idem *lib. 35. cap. 11. Ceris pingere ac picturam inurere, quis primus excogitaverit, non constat. Quidam Aristidis inventum putant, postea consummatum à Praxitele. Sed aliquanto vetustiores encausticæ picturæ exstitere, ut Polygnoti & Nicanoris & Arcesilai Pariorum. Lysippus quoque Æginæ picturæ suæ inscripsit ἐνέκαυσεν - Pausias Sicyonius primus in hoc genere nobilis - Pinxit penicillo parietes Thespiis - Idem & lacunaria pingere primus instituit, nec camaras ante eum taliter adornari mos fuit.* Sed hac de re plura dicemus infrà, ubi de *Encaustice*.

Ceramica Porta, Κεραμικὴ πύλη, una erat ex portis Naucratis urbis in Ægypto, Athenæo memorata, cui à figlinis, quibus proxima erat, nomen: Πολλοὶ δ' ἐν τῇ Ναυκράτει κεραμεῖς, *Multi autem in ea urbe figuli.* Κέραμος verò Græcis erat *coctus later*, ὀπτὴ πλίνθος, quem *testaceum* vocat Vitruvius *lib. 8. cap. 3.* ubi Babylonios muros hujusmodi latere structos esse, refert. Sed & domus eo tegebantur, unde & tectum κέραμος, &c. V. Salmasium *ad Solinum pag. 1232.* Eodem nomine insigniebatur Athenis porta, quæ *Dipylon* aliter dicebatur; à *Ceramico*, qui prope erat, hodieque *Keramaja* appellatur: quo de celebri loco V. in voce *Ceramicus* & plura apud Iac. Sponium *Itinerar. Græciæ Part. 2. pag. 181. & 193.* ubi, inter alia, Academiam ibi loci fuisse, docet.

Cerapsum, Panvinio candelabrum est, in formam cornuum effictum, à κέρας, *cornu*: a iis instrumentum, quo cereus accenditur, vel vas in quo cereus accensus ardet, ex κηρὸς, *cera* & ἅπτω, *accendo.* Occurrit vox apud Anastasium Bibliothecar. in *Leone III. Fecit — pharum ex argento purissimo cum lucerna & cerapto suo*, &c. Carol. du Fresne *Glossar.* V. quoque infrà in voce *Cerophala.*

Cerarii, in *Capitulari A. C. 779. cap. 15.* alibique libertinæ conditionis homines sunt, sic dicti quod censum capitis sui in *cera* seu *cerarium* Ecclesiis præstent. Ekkehardus Jun. *de Casibus S. Galli cap. 1. Censum capitis sui in cera ad sepulchrum ejus misit*, apud Eund.

Ceras, apud Solinum *cap. 10. Veniamus ad promontorium* Ceras *Chryseon Byzantio oppido nobile.* Plinio *lib. 9. cap 15. Aureum cornu*, prom. est, in quo Byzantium, cui à sinu circa Byzantium id nominis hæsit. Hic enim propriè Κέρας dictus est, quòd multis ramis in sinus reductis scinderetur, ad instar *cornu* cervini: Et χρυσοῦ epitheticè, propter largam pelamydum captuтam, unde proventus dives Byzantinis accedebat. Hinc meliùs *Ceratos prom.* apud Ammianum *lib. 22.* ubi illud sic appellatum fuisse putat, quod pharon in summo præferret navibus prælucentem, h. e. lampadem intra *cornu* ardentem, &c. Sed κέρατα dici *brachia* fluviorum apud Græcos notum: sicut in eadem re *cornua* Latini usurpant, unde *bicornes fluvij*, qui in duo brachia scinduntur. Item *crines*, qui non sunt capilli simpliciter, sed πλόκαμοι, & capilli in funem nexi, seu crinium fertæ, quas κέρατα similiter Græci dixere. *Cornua* quoque Juvenalis,

Cærula quis stupuit Germani lumina, flavam
Cæsariem, & madido torquentis cornua cirro?

Hinc itaque & κέρατα, *cornua* & *crines* in fluminibus, τὰ πολυσχιδῆ & *rami* seu *brachia*: ac proin *Ceras*, potiùs ipse Sinus circa Byzantium, quàm promontorium. Salmasius *ad Solinum d. l.*

Cerastæ, Græcè κεράσται, cervi dicebantur, cùm perfecta erat forma cornuum & ipsi magni cervi facti. Interpres Apollonii, Οἱ δὲ κεράσται μεγάλαι ἔχοντες ἔλαφοι κεράστας. Nempe primo anno Græcis νεβροὶ, secundo πατταλίας, tertio διακόνιοι, quarto πλαθίαι vocabantur cervi, tum enim ramosa fieri cornua incipiunt: postmodum verò κεράσται, Salmasius *ad Solinum pag. 224.* Satyri quoque iisdem passim & αἰγίποδες, i. capripedes & Κεράσται, id est, *Cornuti* appellantur: Satyris enim cornua, pedesque caprinos, uti Panibus, apud Poetas, tribui notum; nisi quòd fistulam, pedum, pellem pantherinam, coronamque ex pinu, Panibus solis ascribant. Idem *pag. 414.* At communiùs *Cerastæ* serpentum genus, cum quo Danitæ conferuntur, in Vaticinio Jacobi Patr. Genes. *cap. 49. versu 17 Dan erit serpens super viam, & cerastes super semitam, qui mordet calces equi, & cadit sessor ejus retrorsum.* Ubi Hebræam vocem *Sephiphon* reddit *cerasten* Vulgatus, cùm natura *cerastis* planè his verbis exprimi videatur. Ita enim eum latere dicit Nicander *Theriacis versu 262.*

—— ἐν δ' ἀμάθοισιν
Ἢ καὶ ἁμαξήεσσιν παρὰ στίβον ——
in arenis
Aut etiam in rotarum orbitis prope viam;

ut viz. inde viatoribus insidietur. Et in poplitibus atque inguine potissimum mali vim se exerere, ut sic retrorsum cadere vulneratus necesse habeat, tradit idem. Neque hominibus solùm, sed & brutis morsum eum lethiferum esse, dicit Callias apud Ælianum *lib. 16. cap. 28.* Cujusmodi insidias eo minus evitare licet, quia, cùm sit arenæ concolor hic serpens, calcatur ab imprudentibus, quos ille vicissim remordet. Diodorus *lib. 3. pag. 128.* Quo factum, ut olim Æthiopiæ partem Ægypto subjectam ea pestis prorsus desolaverit, uti legere est apud eundem. Nomen ei à *corniculis* duobus, quibus prætentat iter, cùm oculorum careat usu; quæ carnea cùm sint, & *non nisi parvæ eminentiæ*, ut ait Bellonius, *instar granorum hordei, quæ cornicula referunt*; falli non parùm eos apparet, qui scribunt, ex *Cerastæ* cornibus cultellorum manubria fieri ad mensas Imperatorum, quia venenum appositum sudore prodant, V. Vincentium & Auctorem *de Nat. rerum*, plura verò hanc in rem apud Sam. Bochartum *Hierozoici Parte poster. Lib. III. cap. 12.* ut & infrà, ubi de *Hæmorrhoo*, qui *Cerastis* species esse videtur, item in voce *Sephiphon.*

Cerasus, arbor, *cerasum* fructus, inter baccas & acinos recenseri solitus: de illa Plinius *lib. 12. cap. 3. Peregrinæ* (arbores: *& cerasi Persicæque, & omnes, quarum Græca nomina aut aliena.* Quando autem in Italiam advectæ sint, docet *lib. 14. cap. 25. Cerasi ante victoriam Mithridaticam L. Luculli non fuere in Italia. Ad urbis annum DC LXXX is primùm vexit è Ponto.* Inde CXX. post annis trans Oceanum in Britanniam pervenere, *Ibid.* De illis Idem, *Cerasorum Aproniana maximè rubent: nigerrima sunt, ut Actia: Cæciliana verò & rotunda. Julianis gratus sapor, sed penè tantùm sub arbore sua, adeò teneris, ut gestatum non tolerent. Principatus duracinis, quæ Pliniana Campania appellat: in Belgica verò Lusitanis. In ripis etiam Rheni — Sunt & Macedonica parvæ arboris — Inter prima hoc è pomis colono gratiam anni m refert. Septentrione frigidisque gaudet: siccatur etiam Sole, conditurque, ut oliva, cadis.* E quibus *Duracina*, à carne duriore nomen accepere: quibus & principatus à Græcis delatus est, Διὸς πυρὸν appellantibus, h. e. *Jovis frugem.* Francoceltæ *Bigarella* appellant, Burgundi *Graphiones*, quòd *vario* colore sint, τὰ χαρτὰ vel κατακεχαρ... κεράσια quemadmodum χαλὰ Πλεονης sunt varia. Quæ verò Cæciliana vocat Plinius, ea sunt quæ *Cerasa* propriè Galli dicunt, &c. V. Salmasium *ad Solinum pag. 958.*

Ceratanla, apud Vopiscum in *Carino*, cornicines sunt, qui cum *salpistis* ibidem, h. e. tubicinibus, rectè junguntur: tubæ enim & cornua passim in bello, apud Vett. occurrunt, κέρατα καὶ σάλπιγγες. Et σάλπιγξ quidem Græcis propriè, quæ Latinis *tuba*, ex ære recto; ut cornua, ex ære flexo & in se recurvo erant, ad similitudinem veri cornu, vel quòd olim ex cornu bubulo fierent; quæ postea ex ære facta sunt. Ovidius,

Non tuba directi, non æris cornua flexi.

V. Salmasium *ad Vopiscum.*

Ceratium, nomen monetæ, in *LL.* Georgic. & apud Cedrenum ann. 24. Leonis Isauri; quod genus ab ipsius Numæ temporibus obtinuit, si Cedreno fides. Fecerunt autem *Ceratia* duo *argentea* milliarensem, qui hinc δικέρατος Scriptoribus dicitur; sicut τετρακέρατον duplicem miliarensem vocant: adeoque *ceratium*, idem cum drachma est, pars nempe solidi 24. & 12. constabat follibus æreis. V. Car. du Fresne *Dissertat. de inferioris ævi Numism.* Propriè autem κεράτιον, granum Siliquæ arboris, quod in ponderibus locum obtinuit; dicta verò arbor illa etiam κερατωνία Græcis, quòd fructus esset instar *cornu* curvatus & falcatus. Et quidem pomum ejus, quòd siliquæ simile esset, *siliqua* dicta mandebatur: semina, quæ intus, amara & esui inutilia: cortex autem ipse prædulcis & edulis erat, Plin. *lib. 15. cap. 18. & 24.* Atque hujusmodi fructus indigitatur nomine κεράτιον, Lucæ *cap. 15 versu 16.* ubi de filio prodigo; Hic enim non siliquas leguminum intelligi, res ipsa loquitur, & nomen κεράτιον, sed siliquas sylvaticas, quibus in Syria & Iudæa porci nutriebantur. Hanc enim arborem Ceronicam, seu Siliquam, in Jonia & Syria plurimam nasci scribunt cum Theophrasto Plinius. Sed & possunt τὰ κεράτια à χοίρων ἐσθιόμενα, apud Evangelistam de his siliquis accipi, è quibus exprimi solebat succus. In Syria namque vinum è siliqua fecisse, docet Plinius *lib. 14 cap. de vinis facticiis.* Quæ κεράτια sic expressa, porcorum pabulo servabantur, ut & vinacea. Hæc itaque nepos ille in magna sua fame avidè voraverit. Cæterùm & apud Poetas *Siliquæ*, de tenui victu, verùm hac de re infrà dicemus, in voce *Siliqua*; plura V. apud Salmasium *ad Solinum pag. 459. & 460.*

Ceraulæ, Græcè Κεραῦλαι, V. suprà *Ceratanlæ.*

Ceraunia, cum lente, in conviviis exhibuit Heliogabalus, apud Lampridium. Est autem *Ceraunia* & *Ceraunium*, nomen gemmæ, apud Solinum *cap. 23. Lusitanum litus floret Ceraunio gemmâ plurimum, quam etiam Indicis præferunt: hujus Ceraunii color est è pyropo: qualitas igni probatur: quem si sine detrimento sui perferas, adversùm vim fulgurum creditur opitulari* Sed *Ceraunium* is pro carbunculo posuit; recentiores namque propriè sic vocarunt gemmam rubram, carbunculo similem. Tertullianus *de Anima, Ceraunis gemmis non idei substantia ignita est, quòd coruscent rutilo rubore.* V. quoque Epiphanium de Carbunculo, Capitolinum, Alios. At Plinius inter candicantes gemmas *Cerauniam* reponit, quamvis & nigræ rubentisque genus etiam è Sotaco agnoscat, V. eum *lib. 37. cap 9. & 10.* ubi inter alia, *per has, urbes expugnari & classes, easque Bætulos vocari* ait, de qua voce diximus

diximus suprà, in *Betyli*: Plura verò hanc in rem apud Salmasium *ad Solinum pag.* 277. *& seqq.* Claudianus etiam pro carbunculo *Ceraunium* ponit,

—— —— Pyrenaisque sub antris
Ignea fulminea legere ceraunia *Nymphæ*, &c.

Ceraunii, montes adde: Salmasius *Ceraunios*, & montes Caucasios, & montes Epiri, qui *Acroceraunii* aliter; imò montes illos, qui inter Euxinum, Mæotida, Tanain & Caspium Mare attolluntur, Græcis in universum sic appellatos esse, diversis aliàs nominibus pro sua cujusque gente vocatos, docet, ex Mela & Plinio. Strabo tamen & Ptolomæus specialem malunt *Cerauniorum* montium appellationem esse, & partem quandam Caucasiorum montium, quæ ad Septentrionem porrigitur & Caspio Mari magis incumbit, sic propriè nuncupatam esse, tradunt. V. Strabonem *lib.*10. & præfatum Salmasium ubi suprà *pag.*800.

Ceraunobolos, inter opera Apellis memoratur Plinio *lib.* 35. *cap.*12. *Pinxit, & quæ pingi non possunt, tonitrua, fulgetra, fulguraque, Bronten. Astrapen,* Ceraunobolon *appellant.* Græcè Κεραυνοβόλος, *fulmen ejaculans.* Sed & *Ceraunobolos*, cognom. Legionis Christianæ, sub Marco Aurelio militantis. V. *Fulminatrix.*

Ceraunoscopium, Græcè Κεραυνοσκοπεῖον, in Veterum Scena, machina fuit circumductilis, celsa post scenam, in qua utres calculorum pleni cum æneis vasis; unde fulgura exibant, tonitrua exaudiebantur, fulmina mittebantur, ut in Ajace Oileo. Quare etiam Βροντεῖον dicta. Jul. Cæs. Scaliger *Poetices lib.*1. *cap.*21.

Cercius, vel *Rhetius* & Amphitus, aurigæ Castoris ac Pollucis, *Dioscuriadis* Auctores, memorantur Ammiano *lib.*22. *& Dioscurias nunc usque nota, cujus auctores Amphitus & Cercius Spartani traduntur, aurigæ Castoris & Pollucis, à quibus Heniochorum natio est instituta.* Ubi fortè *Rhecius* scribendum esse, conjicit Salmasius, ex Strabone, cui alter horum Ῥήκας dicitur, V. eum *ad Solinum pag.*193. Sed & *Cercius* antiquis *Circius* dictus, Siculis Κερκίας, V. ubi de *Circio.* Quam verò partem Circi κερκίδα vocaverint Græci, dicemus infrà, in voce *Cuneus.*

Cercopithecus, Gr. κῆβος, Aristoteli *Histor. Animal. lib.*1. *simia est habens caudam*: ut planè idem sit ac κερκοπίθηκος, secundùm Martial. *lib.*14. *Epist* 202.

Si mihi cauda foret, Cercopithecus *eram.*

Hunc coluere Babylonii qui juxta Memphim; sicut Cynocephalum, Hermopolitani, teste Strabone *lib.*17. & legas de prioris cultu etiam apud Juvenalem *Sat.* 15. & Lucianum *in Deorum concil.* Nempe *Cercopitheci* divinum aliquid habere visi sunt: animal enim valdè ingeniosum est. Præcipuè eo valent illi, qui ab odore moschi, Italis *Moschini* vocantur, de quibus Scaliger *in Exercitat.* & Clusius *in Exoticis.* Accessit tum exterior hominis similitudo, tum interior etiam, de qua Aristoteles *Hist. Animal. lib.*2. *cap.*9. Οἱ δὲ κῆβοι τὰ κάτω ἀνωμοιότερα ὅμοια ἔχουσι ἀνθρώπῳ, *Cebi partes inferiores habent similes humanis.* Imò omni hoc simiæ convenire putatur: unde & Anatomici, si humanum defuerit cadaver, vivam secant simiam. Sed & illud ad divinum Cercopitheco tribuendum facere honorem videbatur; quòd hoc animal colorem variet, horti instar diversicoloribus consiti floribus: unde etiam nomen ei ajunt datum κῆπος. h. e. *horti*, è quo postea κῆβος factum. Verùm de isto dissentit Vossius: Κῆβος enim vel κῆπος omnino est ex Hebræo קוף *Koph*, i. *simia*, ut 1. sive 3. Regum *cap.*10 *versu* 22. Imò & literæ inde *Koph* nomen datum, quia figuram referat simiæ, perticæ insidentis, &c. V. eum *de Idolol. lib.*3. *cap.*74. Pænula *Cercopithecorum*, apud Martialem, occurrit *lib.*14. *Epigr.*128. cujus lemma, *Bardocucullus*,

Gallia Santonico vestit te bardocucullo,
Cercopithecorum pænula nuper erat.

Hoc enim cùm breve esset vestis genus, ut patet ex *Epigramm.*93. *lib.*1. *versu* 8 præ se ferebat tunicam, quâ simiæ & κερκοπίθηκοι amiciri consuevere, &c. V. quoque suprà *Cebus.*

la Cerda, nomen illustris in Hispania familiæ, quo primùm usus est Ferdinandus, Alfonsi Castellæ R. primogenitus, sed ante patrem mortuus. Cujus posteritas cùm Regno excluderetur à Sancio Ferdinandi fratre, nomen *de la Cerda* ei mansit. In his Ferdinandi nepos Ludovicus Com de Claro monte filiam habuit Isabellam, nuptam Bernardo Gastonis Phœbi Foxii Com. *de Foix* & Dn. *de Bearn*, filio naturali: cui Henricus R. concessit Medinamceli, cum dignitate Comitis, A.C.1371. Successit filius Gasto, ac iterum huic patri Ludovicus: qui ex minori filio Johanne dominos *de Torrequadrada* sevit; major Gasto, Ludovici fuit parens, qui primus *Ducis de Medinaceli* & *Com. del Puerto de S. Maria* axiomate insignitus est, ac Johannem genuit, hic Ludovicum I. March. *de Cogolludo*. Gastonem & Johannem, Patris in Ducatu successores. Solus verò Johannes stemma propagavit, non tam per secundò-genitum Sancium March. *de la Laguna*, quàm primogenitum Johannem, qui ex Joh Ludovico prioris matrimonii filio aliquorum Ducum genitor fuit; ex altero verò filio Consalvo, qui à Matre cognom. *de Lama* sortitus est, Marchionum *de Ladrada* auctor. Joh. itaque Ludovicus præfatus. matre natus Isabellâ Aragoniâ, obiit A. C. 1607. pater, ex Antonia *de Toledo* & *Davila*, Johannis *de la Cerda* D. *de Medinaceli* March. *de Cogolludo*, V. Phil. Jac. Spenerum *Theatro Nobilitatis Europ. tom.* 2. Hic Johannes, seu Antonius Johannes Ludovicus, ductâ Annâ Mariâ Luisâ *Portocarrero* Duc. *Alcala*, novis titulis auctus, utpote *de la Cerda Henriquez Ribera Portocarrero, D. de Medina celi & Alcala*, ex ea pater fuit Johannis *de la Cerda Ribera Portocarrero D. de Medina celi & Alcala*, atque ab uxore Catharina *de Sandoval de Cardona*, D. *de Lerma & Cea*: Antoniæ, quæ nupsit Gaspari *Guzman de la Paz* D. *de Carpio* & — — *de la Cerda*, ux. Joh. Thomæ Henricii *de Ribera* Admir. Castellæ, D. *de Medina de Rio secco Com. de Melgar.* Idem Spenerus *tomo* 3.

Cerea Bulla, Imperatoribus Græcis in usu fuit, cùm ad matrem, uxorem, filium scriberent; fuitque, sicut & plumbea, quam iidem in literis ad Despotam, Patriarchas & reliquos Principes honoratiores, adhibebant, ab Accubitore pali vel annuli signata, ut, docet Codinus Curopal. *de offic. Aulæ Constantinop.* quemadmodum auream, fortè & argenteam, magnus signabat Logotheta. Sed *Ceream* quoque in Novellis Constitutionibus appensam solitam reperimus: quod solennis testatur formula, [illegible]: quâ multorum Impp. Novellæ concluduntur. Ipse etiam Alexius Comnenus, in quadam Novella *tom.*2. *pag.* 186. edicit, ne in posterum cujuscunque Rescripti ratio habeatur, quod alicui Judicum transmissam ad se litem exhibere prohibeat, [illegible]. *Licèt minio fortè subscriptum sit, licèt bullæ ceræ sigillum habeat.* Et Nicol. Patriarcha *in Synodali Epist. ad Alexium Imp.* affirmat, se accepisse ejus [illegible], *Divinum rescriptum per sigillum cereum puniceaque propria manus literas idoneè munitum.* Erat autem bulla *Cerea* duplex, rubra sc. & prasina, dicebaturque Δικήρων. Et utebatur quidem utraque Imperator: quo innuebatur, ad eum pariter atque ad Patriarcham, munus docendi pertinere. Balsamo *de privilegiis Patriarch. p.* 444. [illegible], *Hinc enim usu venit, ut fideles Principes & Imperatores, Catechetico more, cum populo Christiano colloquantur aut suffitum faciant, more Sacerdotum, ac cum cera duplici obsignent.* Sed Patriarcha tantùm prasinâ: itaque legitur bis *in Solutionibus quarundam quæst.* Manuelis: [illegible]. Præter eam verò, etiam plumbeâ, usum fuisse, discimus ex Sanctis quorundam Patriarcharum, quæ extant *Juris Græco-Rom. tomo* 1. V. Joh. Kirchmannum *de Annulis cap.* 8. & suprà in voce *Bulla.*

Cerea Cœna, apud Lampridium *in Heliogabalo*, *Parasitis in secunda mensa sæpe ceream cœnam, sæpe eburneam, aliquando fictilem, nonnunquam vel marmoream vel lapideam exhibuit: ita ut omnia illis exhiberentur videnda de diversa materia quæ ipse cœnabat, quum tantùm biberent per singula fercula, & manus, quasi comedissent, lavarent*; imitatio fuit veræ cœnæ, ex *cera*, ciborum simulachra exhibens. Sic etiam Ptolomæus Sphæro Philosopho, ut illi veternum excuteret disciplinæ Stoicorum, qui *sapientem falsa opinaturum* negabant, in secunda mensa *ceream cœnam* apposuit: κηρίνας nempe ῥοιάς, ut refert Laërtius *lib.*7. Casaubonus *ad l.*

Ceræ Coronæ, apud Artemidorum *lib.* 1. *cap.*79. [illegible], *Coronæ Ceræ omnibus malum* (portendunt) *maximè verò ægrotantibus; siquidem & mortem κῆρα vocant Poëtæ*: videntur nescio quid magicæ superstitionis continuisse. C. Paschalius *Coronarum lib.*4. *cap.*4.

Ceræ Icones, multo in usu Vett. utpote quæ optimè & ad nativum vultus repræsentant, nullâ picturâ veritatem magis, quàm cerâ, imitante. Unde simiarum solertiam hoc maximè argumento demonstrat Plinius, quòd *fictas cerâ icones visu distinguere*, & à veris vultibus eas discernere queant, *lib.*8. *cap.*54. V. suprà in voce *Cera.* At nefandus ille, ad quem icunculas è *cera* Veneficæ adhibuere Ovidius,

Sagaque, phœniceâ defixit nomina cerâ.

Et alibi,

—— —— simulacraque cerea finxit.

Virgilius item *Eclogâ* 8.

Limus ut hic durescit, & hæc ut cera liquescit,
Uno eodemque igni: sic nostro Daphnis amore.

Ubi venefica ipsa sui iconem de limo, Daphnidem de *cerâ* fecit; ut hic instar ceræ mollesceret, ipsa verò in ejus amorem induresceret magis. Imò non ad amatoria solùm, sed & cùm aliquem excruciare volebant, usas fuisse istiusmodi imagunculis olim, hodieque id Strigum genus, illustri exemplo de Cardin. Lotharingo Thuanus, & de Scotiæ quodam Rege, Buchananus, hoc veneficii genere ad tabem adductis, docent. V. Salmasium *ad Solinum pag.*1088.

Cereales Ludi, in Cereris honorem, more à Græcis ex Eleusine ducto, apud Romanos celebrabantur, prid. Idus Apr. per 8. dies. Repræsentabatur in illis à matronis luctus Cereris, ob raptam Proserpinam, & ejus peregrinatio cum face filiam quæritantis. De iis Alexander ab Alex. *Genialium dierum lib.*6. *cap.*19. *A solis matronis hi ludi fiebant annis singulis, Romanisque in toga candida*

spectare

spectare ludos mulieresque in veste alba, pariter sacrum facere solebant. In quo id observatum fuit, ut tunc Diis gratum esse censerent, si à lætis nec funere pollutis celebraretur: utque in sacris Cereris ante noctem epularetur nemo, atque à vino imprimis & Venere abstinerent: utque quinto quoque anno ex Sibyllinis carminibus prodigiorum causa jejunium fieret, inter quæ præcipuum, ut sacris initiatos caldâ abluerent primùm, quòd castitati prodesse ducerent. Hinc, cùm à lugentibus non possent hi ludi peragi, bello Punico secundo, post cladem Cannensem, Senatus finiri luctum 30 diebus jussit, cùm aliàs centenos requireret. In iis *Pompa* producebatur cum Deorum signis; continebat autem Pompa *Simulachrorum seriem, imaginum agmen, currus, thensas, armamaxas, sedes, coronas, exuvias*. Tertull. *de Spectac. cap. 7.* quæ tria ultima in Supplicationibus & publicis Festivitatibus, ob partam de hoste victoriam insignem, adhibebantur. Porro ovum non omittebatur in his ludis, imò *Ovum in Cerealis pompa apparatu numerabatur primum*, Macrob. & inter *arcana Cereris* erat, an quia id mundi imago est, *nam sicut in mundo, ita in ovo vis vitalis*, Cœl. Rhodiginus *lib. 27. cap. 17.* an quia ex eo Castor & Pollux prognati, unde Horatius *serm. 2. Sat. 1.*

—— —— Ovo prognatus eodem.

Locus ludorum Circus erat: Ovid. *Fast lib. 4.*

Circus erit pompâ celeber numeroque Deorum,
Primaque ventosis palma petetur equis.
Hinc Cereris ludi, &c.

Exhibebantur namque his ludis certamina equestria, Dio *lib. 47.* iisdem missilia, i. nuces, cicer & alia dabantur ac spargebantur in vulgus, ad plausum & populi favorem captandum: Illis etiam Ædiles præerant ut plurimùm; Dictatorem tamen & Magistrum Equitum eos ex Senatusconsulto fecisse refert Livius *lib. 30.* Nec omittendum, duas porcas, unam auream, argenteam alteram, huic sacrificio fuisse adhibitas, ex Festo. V. Joh. Rosinum *Antiqq. Rom. lib. 4. cap. 8. lib. 5. cap. 14.* & Scaligerum *Poëtices lib. 1. cap. 32.*

Cerealia, adde: Salmasio duo sic dicta sacra erant Athenis, *Eleusinia* & *Thesmophoria*, quorum illa Boedromione mensem ista Pyanepsione illi proximo, celebrabantur. Hæc cum luctu solebant agitari, unde Plut. σκυθρωποτάτην Θεσμοφορίων ἡμέραν vocat: in Eleusiniis verò omnia læta; hinc Mystis Epoptisque illorum Initiorum vetitum fuit etiam ad puteum sedere, cui Ceres adsederat, cùm filiam quærens in pagum Eleusinis venit, quia tristis tum erat. Nempe non luctum Cereris significabant aut repræsentabant illa, sed eam jam exhilaratam mœrore deposito monstrabant, quum facetiis Baubonis (de qua suo loco) ad risum incitata, cyceonem potum sumsit, quem priùs recusaverat. Præterea ob fruges repertas ea instituta, quæ lætitiam hominibus & faciliorem victum attulerunt. At tota Thesmophoriorum mythologia Proserpinæ raptum depalabat, & ex eo raptu, Cereris ostendebat mœrorem. Porro Thesmophoria fiebant in Urbe, Eleusinia in pago cognomine. Thesmophoria solæ mulieres candidis indutæ vestibus obibant, unde Θεσμοφοριάζουσαι Aristophanis; Eleusiniorum initia soli viri accipiebant. In iis quippe Ἱεροφάνται, Δᾳδοῦχοι, Σπονδοφόροι, Κήρυκες. Et quidem in Thesmophoriis Cereris Sacerdotes à viris separabantur, vel nullos habebant. Unde Plinius *lib. 24. cap 9. Agnon - matronæ Thesmophoriis Atheniensium castitatem custodientes, his foliis cubitus sibi sternunt.* Et Tertullianus *de Pallio*, *Cùm ob cultum omnis candidatum & ob notam vitæ & privilegium Cereri initiantur.* V quoque suprà in voce *Caduceum*. Denique Eleusinia Cereri Eleusiniæ; Thesmophoria, Cereri Θεσμοφόρῳ sacra fuere. Interim varia habuere communia; nam utrisque Iacchus junctim cum Cerere & Libera colebatur, utrisque porci immolabantur, quos χοίρους Græci, Latini *sacres* vocarunt, &c. Unde non mirum, ea sæpe ab Auctoribus confundi, Arnobio præsertim *lib. 5.* At Clemens, unde sumsit ad verbum, quæcunque de Mysteriis illis habet, ea accuratè distinguit: *Baubo enim, Triptolemus, Eubuleus, Eumolpus, Dysaules, Caduceatores, Hierophantæ, Daduchi, Pracones, & tota illa scena, quam ibi traducit, Eleusiniorum fuere. Ipsa denique symbola quæ rogati sacrorum in acceptionibus respondebis: jejunavi atque ebibi Cyceonem, ex cista sumpsi, & in calathum misi; accepi rursus, in cistulam transtuli: hæc symbola Eleusiniorum fuerunt,* &c. V. Salmasium *ad Solinum pag. 750. & seqq.* plura verò de utroque hoc festo suo loco.

Cerealis, & Primus, memorati Suidæ, cùm in Romanum forum irrupissent, modos excogitarunt varios, quibus secretò literas & nuntios mitterent, quos Auctor recenset: Epistolas nempe mortuorum, qui efferebantur, arcis inferendo, aut cum fiscinis fructuum missitando, aut inter calamos aucupatorios occultando. Salmasius ubi suprà, *pag. 1205.*

Cerebella phœnicopterûm & turdorum, ingenti copiâ apposita Palatinis, ab Heliogabalo, apud Lampridium. In homine *Cerebrum*, unà cum capite, in quo est, Jovi sacrum fuit, apud Gentiles. Nota ejus compendiaria, in antiquis Græcorum libris Hippocratis est ⁘. uti docet Salmasius *ad Solinum pag. 1238.* De eo sic Plinius *lib. 8. cap. 37. Hoc est viscerum excelsissimum, proximumque cœlo capitis, sine carne, sine cruore, sine sordibus. Nunc habent sensus arcem: hoc venarum omnis à corde vis tendit, hic desinit: hic culmen altissimum, hic mentis est regimen,* &c. De *cerebro* hostis à Tydeo sorbillato, diximus alibi. Addam hîc solùm, *Cerebrum* optimis Scriptoribus caput non raró dici. Hinc Avienus ubi de Sirio.

Æthereæ canis ille plagæ, Cui plurimus ardor
Æstuat in cerebro, *multus rubor,* &c.

Horatius *Carmin. lib. 2. Od. 17.*

Me truncus illapsus cerebro
Sustulerat, nisi Faunus ictum
Dextrâ levasset.

Prudentius *Agnete,*

Stans & draconis calce premens caput
Cristata cerebri *deprimis ignei.*

Et *Psychomachia,*

—— —— dextrâ sublimis ab aure
Erigitur, mediumque feris librata cerebrum.

Plautus quoque *Rudente, Verbum adde etiam unum, jam in cerebro colaphos abstrudam tuo.* Serenus *cap. 10. Allia nonnulli comedunt oleique liquore Perfundunt cerebrum,* &c. Nec Poëtæ solùm sic locuti Victor Utic. *lib. 3. Singulos in modum canum, cerebris comminutis, extingui.* Hugo Falcandus, *Equi velocitate fremens altiùs ensem sublatum* cerebro *fugientis immersit*, Alii. V Casp. Barthium *Animadversion. ad Statium d. l.* Ab homine translata vox ad palmas, in quarum quibusdam (ut in Chydæis palmis) in parte, quæ radici proximior: in aliis, in summo trunco, teneram medullam, in qua tota palmæ vis, hoc nomine venire, & cor quoque, Græcis ἐγκέφαλον dici, albamque esse, docet Salmasius *ad Solinum pag. 1327.* ubi inter alia, & medullam hanc dulcem esse, & vescentes inebriare, addit.

Cerei, apud Romanos, multo in usu divitibus. Martialis *lib. 5. Epigramm. 18.*

Quòd tibi Decembri mense, quo volant mappæ,
Gracilesque ligulæ, Cereique, *chartæque*
Et acuta senibus testa cum damascenis,
Præter libellos vernulas nihil misi.

Nempe *Cereos Saturnalibus muneri dabant humiliores potentioribus, quia candelis pauperes, locupletes cereis utebantur*, ut ait Festus. V quoque Macrobium *Saturnal. lib 1. cap. 7.* Hodieque in Ecclesia Rom occasione Candelabri septem ramos habentis, in Tabernaculo. Exodi *cap. 25.* de quo quid sentiendum, Theologis relinquimus. Hoc certum, *Cereos* Ecclesiæ, qui à Gentilibus coram idolis, vel ab Arrianis, Athanasii tempore, consumebantur, uti is queritur *Epist. ad Orthodoxos*, non diurnis exercitiis, sed nocturnis, fuisse adhibitos. Epiphanius quoque de suo dicebat *lib. 3. in fine Comp. doctr. Perpetuò fiunt in Ecclesia orationes matutinæ, lucernalesque simul Psalmi & orationes.* Sic Nazianzenus *Orat. 2. in S. Pascha*, agit de luminaribus in Paschate vigiliis, *ad noctem illustrandam* accensis. Et Hieronymus *c. Vigil. cap. 13.* ad objectionem de *Cereis* clarâ luce accensis, *Cereos autem*, respondet, *non clarâ luce accendimus, sicut frustra calumniaris, sed ut noctis tenebras hoc solatio temperemus, & vigilemus ad lumen, ne cæci dormiamus in tenebris.* Quod autem aliqui faciebant, imperitiæ & simplicitati secularium hominum, vel religiosarum fœminarum, ascribit, quibus aptat illud Apostoli, *Zelum Dei habent, sed non secundùm scientiam.* Sed & Tertullianus *Apol cap. 35.* in Gentilibus id reprehendens, negat à Christianis idem fieri, *Die læto*, inquit, *lucernis diem non infringimus.* V. quoque Lactantium *lib. 6. cap. 66.* Aliosque. Imò & Ethnici ipsi sibi temperare non potuerunt, quin morem illum etiam apud suos perstringerent. *Accendere*, ait Seneca *Epist. 96. aliquem lucernas Sabbathis prohibeamus, quoniam nec lumine Dii egent, & ne homines quidem delectantur fuligine.* Qui idem alibi quoque populo objicit, quòd ad Sacerdotem lampada præferentem concurrerent; *de Vita beata cap. 17. Cùm laurum linteatus senex & medio lucernam die præferens conclamat iratum aliquem Deorum, concurritis.* Neque verò iis pagani solùm ad superstitiones suas, sed etiam ad lupanaria indicanda, utebantur, uti iterum Tertullianus docet *loco cit.* qui proin *de Idolol. cap. 35. Accendant igitur quotidie lucernas, quibus lux nulla est: adfigant postibus lauros postmodum arsuras, quibus ignes imminent: illis competunt testimonia tenebrarum & auspicia pœnarum,* &c. V. quoque infrà in voce *Cereus*.

Cereia, gens Rom. memorata Flav. Vopisco in *Floriano*.

Cerellia, gens itidem Rom. è qua Macrinus, Faustinianus & Julianus, inter Nobiles, jussu Severi, sine causæ dictione occisos, memorantur Spartiano in *Severo Imp.*

Ceremonia, V. suprà *Cærimonia*.

Ceres, adde: Nomen ab Hebræo חרס, unde & *Horus*, *Heros*, *Herus*, & interpositâ unicâ literâ Ἑρμῆς, orta, accepisse videtur, ad Solem relatâ totâ παλαιᾷ Ethnicæ fabulâ. Et de Cerere res manifesta, quæ inventarum Dea frugum dicitur: Nimirum quia Sol inter præcipuas fructificationis causas est, à cujus temperato calore & ipsius terræ nativa fœcunditate præcipuum antiquitatis argumentum duxere Ægyptii, apud Justinum *lib. 2.* Unde & eam quidam antiquorum cum Vesta confundunt, quæ sanè non aliunde, quàm ab אשתא denominatur: Et ad חרס propiùs accedit Ἥρος, quomodo eam ab antiquis Græcis vocatam esse,

esse, docet Hesychius, cùm ait: *Ἀχερὼ καὶ Ὦπις καὶ Ἑλλὴ καὶ Γέρας, καὶ Γῆ καὶ Δημήτηρ, ἡ αὐτή, Achero & Ops & Helle & Geres & Tellus & Ceres, una eademque est.* Quid, quòd Plutarchus Cyri nomen linguâ Persicâ Solem significare scribit? ut omnino ex eadem cum Cerere radice descendat. Addi potest, Cererem antiquis *Θεσμοφόρον* seu *Θεσμοθέτιν* dictam esse. Ovid. *Met. lib.5.*

Prima dedit Leges.

Ut sic non minimam inventæ Sapientiæ, & ad homines propagatæ laudem reportarit: cujus rei indicium non levem præbent mysteria ejus *Θεσμοφόρια*, quæ in memoriam illius, tanquam legum & frugum, i. omnis humani cultus auctoris, celebrata sunt. Videntur enim illa secretiorem Philosophiam, per occultas traditiones, non nisi inter *Initiatos*, propagari solitam continuisse, quemadmodum apud Hebræos Cabbala idem præstabat. V. Cic. *lib.2. de Legg. Seldenum de Diis Syris proleg. 3.* &c. Inprimis autem Divinitatis unitatem ac simplicitatem iis aperiebant. At Sapientiæ omnis parentem Apollinem seu Solem statuére Veteres, V. Macrobium *1. Sat. cap.17.* & *2. cap.7.* Communiter tamen per *Cererem* terra indigitatur, in cujus honorem *Cereales ludi* habiti sunt. Coli cœpta fuit *Ceres* in Urbe Palantio, quam Arcades in monte Palantio condiderunt, & in ea Deæ templum, teste Dionysio *lib.1.* additâ ei Græcâ sacerdote, quemadmodum & sacra 5. Kal. April. ei fieri solita *Græca sacra*, quòd è Græcia ab Evandro Romam perlata, dicta sunt. Postea an. U.C. 257. A. Posthumio, T. Virginio Coss. ab A. Posthumio Dictatore, post victoriam à Volscis reportatam, de spoliis ædes Cereris locata est: quam triennio post alter Consulum Sp. Cassius, in urbe relictus, dedicavit. Sita illa est in fine Circi maximi super ipsos Carceres. Aliarum ejus ædium meminit P. Victor. Solebant ejus sacra peragi sub auroram, à sacerdotibus fœminis quæ ad furiosarum instar cum accensis facibus hinc inde discurrebant: has puras esse (nihil enim polluti fanum ingredi audebat) & pertinaci silentio mysteria involvere erat necesse, quod ut fidelius servarent, à vino abstinere cogebantur. Unde *Cereri sacrificare* Proverbialiter dicuntur, qui convivis vinum non exhibent. Simulachrum Deæ solebat sic pingi, ut sertum ex aristis seu spiceam coronam capite gestaret: Nonnunquam mœsta, cum lampade seu face describebatur; interdum manipulum spicarum & papaverum gerens, quemadmodum in nummis antiquis cernere est. V. Rosinum *Antiq. Rom. lib. 2. cap.11.* Thom. Dempsterum *Paralipom. in illud*, Salmasium *ad Solinum*, Casp. Barthium *ad Statium*, Alios. De Festo ejus, apud Athenienses duplici, diximus suprà, in voce *Cerealia*: de Festo ejusdem apud Romanos, in voce *Cereales*. De ejus primo Romæ simulachro sic Plinius *lib.34 cap.4. Romæ simulachrum ex ære factum* Cereri *primum reperio, ex peculio Sp. Cassii, quem, Regnum affectantem, pater ipsius interemerat,* &c.

Epitheta Cereris.

Actæa.
Alumna.
Attica.
Eleusina, seu *Eleusinia*, ab Eleusine opp. ubi illa præcipuo honore culta. V. in hac voce.
Ennensis, ab Enna civ. juxta quam rapta est Proserpina.
Frutis, à *fruendo* nominata, apud Solinum *cap. 2.* ubi de Ænea, *Dum simulachrum, quod secum ex Sicilia advexerat, dedicata Veneri Matri, quæ Frutis dicitur.* Eadem enim *Ceres*, Isis, Venus, Luna, Appul. V. Salmasium *ad Solinum pag. 70.*
Inferna, apud Papin. Statium *Thebaid. lib.5. versu 156.* h.c. Proserpina; quæ & *Nigra Ceres* Pausaniæ *lib.8.* & *Profunda Ceres* eidem Statio *Thebald.4. vers. 460* Sic autem dicta *Ceres*, ob fructus satos in terræ visceribus aliquandiu latentes.
Isis, Ægyptiis.
Legifera.
Licmea, à ventilabro.
Mallophoros, quasi *Lanigera*, Templum habuit in portu Megarensi; à vicinis pastoribus hoc cognomine insignita Unde aries ei sacer, uti docet Sponius *Itiner. Gr. part.2.* ubi *Cereris Eleusinia*, ex optimo marmore, iconem exhibet *pag.282. & seqq.*
Mammosa.
Nigra, V. suprà *Inferna*.
Παμμήτειρα, apud Orpheum *Hymno.*
Panda sive *Panica*, à *pane* dando.
Profunda. V. suprà *Inferna*.
Rharia, à *Rhario* agro Eleusinis, quem à Cerere consitum primùm fuisse volunt, V. Pausaniam in *Atticis*.
Sancta.
Thesmophoros, seu *Legifera*, cui Thesmophoria sacra fuere. Sic autem dicta est nonnullis, quòd, inventis frugibus, feritas inter homines cessaverit & leges acceptæ sint. apud Servium.
Venus &c.

Cerevisia, vox Gallica vetus, quâ potum ex hordeo confici solitum hæc gens significat, Plin. *lib.22. cap.25.* hodieque *Cervoise* appellat; ex *Celia* vel *Ceria* Hispanorum, de qua suprà: Belgis & Germanis Bier, Danis *Oel*, Anglis *Ael*. Hic potus, antequam fiat, redigitur priùs in maltam hordeum. Est verò malta, quam Dani, Belgæ, Germani, *Mout* & *Molt* dicunt, vix aliud, quàm Aëtii Amydeni *Bύνη*, quam exponit *hordeum aquâ madefactum* ac maceratum, è quo germen erumpit, quod deinde cum eodem germine sive enatis filulis, torretur; Ac mox aqueo humori inditum unà cum lupulo salictario igne excoquitur, fitque liquor potui gratissimus, Gallis, Anglis, populisque Septentrionalibus frequens: quem tamen apud du Fresne *Gloss* his versibus improbat Henricus Abrincensis, qui floruit sub Henrico III. Angl. R.

Nescio quid Stygiæ monstrum conforme paludi,
Cervisiam *plerique vocant: nil spissius illâ,*
Dum bibitur: nil clarius est, dum mingitur; unde
Constat quòd multas faces in ventre relinquas.

V. quoque infrà in voce *Sicera*.

Cereus, candela ex cera, cujus, præter alia, in nocturnis tenebris pellendis usum fuisse olim, suprà diximus: unde hodieque Belgis candelæ etiam sebaceæ *Keerssen* dicuntur. Innuit consuetudinem Romanam Plautus *Curculion Act.1. sc.1.*

Tute tibi, puere, lautus luces cereum.

Et Martialis *lib.14. Epigramm. 42*

Hic tibi nocturnos præstabis cereus ignes.

Quas etiam patrimi & matrimi pueri faces præferebant, in nuptiis, hæ *Cerei* fuerunt, iique numero quini; cujus rei causam non unam adfert Plutarchus *Quæst. Rom. 3.* ubi illos nominat *πέντε λαμπάδας ἃς κηρίωνας ὀνομάζουσι, Quinque faces, quas Romani ipsi* cereos *vocant.* In Ecclesia quoque *Cereorum* usus antiquis obtinuit temporibus; priùs quidem, ad tenebras pellendas, quia, ut ex Plinii *Epist 97. lib.10* constat, noctu potissimùm, ad persequutionem effugiendam, cœtus fiebant: postea verò placuit, ut in sacris de die quoque veteri luminarium insisteretur consuetudini; quod multùm culpabat in Ecclesia Occidentali Vigilantius, de quo V. B. Hieronymum *c. Vigilantium cap.3.* cui adde Isidorum *Origin. lib.7. cap.12.* Alcuinum *de divinis offic. cap. de tonsura cler.* & *cap. de celebratione Missa*, Amalarium *lib 3. cap. 18.* Alios, & suprà in voce *Cerei*. Porrò & baptizandis *Cereus* solebat in manus dari: quam consuetudinem indicant Cyrillus sive Joh. Hierosolymitanus *in Procatechum.* & *catech.1. Mystagog.* Ven. Fortunatus *Carm. lib.4.* Greg. Tur. *Histor. lib 5 cap 11* Niceph. Callistus *lib.3. cap.37.* & Sim. Metaphrastes *in Constantino M.* Vix tamen sub hoc Cæsare eam consuetudinem obtinuisse, censet Vossius; saltem apud neminem, qui Constantino fuerit prior, invenitur Interea mos vetus: ac luce illâ cerei externâ significabatur interior animæ illuminatio; à qua Baptisma dicebatur *Φωτισμός, illuminatio*; baptizati item *Φωτιζόμενοι, illuminati*, V. Nazianzenum *Orat. de Bapt. cum Comm* Nicetæ, Ivonem Carnutensem *Serm. de Sacramento Neophyt.* Hug Victorinum *de Sacram. cap 10.* & Vossium *lib. de ritibus Baptismi.* Quia verò cera conducebat tenebris pellendis; inde est, quòd eâ quoque in Christianorum martyriis usus sit Nero. Nam molestâ eos tunicâ induebat, quæ interiùs papyracea, foris cerea erat; qualis *κηροχίτων* dicitur Poëtæ veteri: uti Christiani ipsi ex eo vocati *κηρίωνες*, h.e. *cerei.* Nempe, quia hoc pacto ardentes noctu pro ceris erant, teste Tacito *Annal. lib.15.* & Sulpitio Severo *lib.2.* Papyro autem, quæ cerâ esset circumlita, indui consuevisse, indicat vetus interpres, *ad illud Juven. Sat.1. versu 155.*

Pone Tigillinum; tæda lucebis in illa,
Quâ stantes ardent, qui fixo gutture fumant.

Sic enim scribit: *Tigillinum si læseris, vivus ardebis, quemadmodum in Munere Neronis vivi arserunt, de quibus ille jusserat* Cereos *fieri, ut lucerent spectatoribus, cùm fixa essent illis guttura, ne se curvarent. Nero maleficos homines tædâ, & papyro & cerâ supervestiebat, & sic ad ignem admoveri jubebat, ut arderent.* Ubi per *maleficos*, Christianos intelligit: quo nomine quamvis jam Constantini temporibus dicebantur illi, qui execrandas Artes Magicas exercebant, Lactant. *Div. Institut. lib. 2. cap 17.* tamen Sacerdotes gentiles, maleficos vulgò traducebant Christianos: cùm miracula illa, quæ ab ipsis fierent divinâ virtute, nihil esse aliud dicerent, quàm præstigias & artes execrabiles, &c. V Gerh Joh. Vossium *de orig. & progressu Idolol. lib.4 cap 92.* &c. Hinc apud Scriptores medii ævi, *Cereophala*, in *Actis* Procoss. sub Munatio Fel. apud Baronium A. C. 303. *num.120* videntur esse candelabra, cereis instructa, quæ posterior ætas *fara* & *phara* vocavit; quod *Phari* instar ædem lumine perfunderent. Porro quas *pharos* dicunt Latini, Galli *Falots* appellarunt, laternas nempe castrenses, quarum inventionem Manueli Imp. CP. Cinnamus tribuit. Sic *Cereophalum* erit, *un falot de cire* Gall. At *Cereostata*, candelabra, quæ per se stant, vel in quibus *cerei* stant aut manibus deferuntur. Gregorius M. *in Sacrament. Pontifex lotis manibus procedit cum 7.* cereostatis *ad Missam* De cujusmodi candelabris intelligendus Bibliothecarius *de Munific. Constantini* M. apud Baron. *A.C. 324. num.64. Fecit autem candelabra ex auricalcho in pedibus decem, numero quatuor argento conclusa, cum sigillis argenteis,* &c. Unde *Cereostatarii*, Acolythi, qui *Cereostata* in Ecclesiasticis processionibus aut ceremoniis deferunt, aliàs *Ceroferarii.* Petrus Diac. *Chron. Casin. lib.4. cap.37. Bajulos*, Cereostatarios, *Staurofe-ros, Aquiliferos*, &c. apud du Fresne. Sunt autem *Ceroferarii*, Gr. *Κηροφόροι* & *Κηροφόροι*, propriè in eadem Ecclesia dicti olim, qui *cereos deferebant* in Ecclesiasticis ceremoniis, aut qui luminaria accendebant. Quod munus cùm Acolythus potissimùm incumberet,

incumberet, inde postmodum à Latinis *Ceroferarii* appellari cœpere. Unde, cùm ordinatur Acolythus, inter alia, ab Archidiacono accipit *ceroferarium* (h. e. candelabrum) *cum cereo*, ut sciat, *se ad accendenda Ecclesiæ luminaria mancipari*, cum verbis: *Accipito hoc gestatorium luminis, ut per illud valeatis adversariorum tenebras effugare*, ut habetur apud Gregorium M. *in libro Sacram.* E quibus liquet, *Ceroferariorum* munus etiam fuisse, *cereos* accendere in Ecclesia, uti dictum: cujusmodi etiam fuit in Ecclesia Græca *Ceroferorum*, qui non κηροφόροι solùm, sed & λαμπαδοφόροι Græcis dicuntur, &c. V. du Fresne *Glossar.* & Macrum *Hierolexico.*

Cereus, V. infrà *Cerinus.*

Cereus Paschalis, in *Communione* Rom. dicitur, cui in Sabbatho Paschatis à Diacono benedicitur & qui novo igne accenditur, auctore Zosimo Pontif. Rom. ut Amalarius, Rupertus, Durandus, Sigebertus, volunt. Baronius verò *ad A.C.* 418 *n.* 70. usum ejus, utpote à Prudentio laudati, antiquiorem statuens, Zosimum saltem statuisse existimat, ut *Cereus* hic, qui in majoribus Basilicis tantùm hactenus accendi solebat, æquè singulis Parochiis concederetur. Alii tamen *Hymnum* Prudentii, qui *ad incensum lucernæ* inscribitur, non *de Cereo Paschali*, sed de lumine olim, vespere quotidie solemni ritu in Ecclesia accendi solito, capiendum contendunt &c. Duæ benedictiones ejus, quæ *Præconii* nomine propriè veniunt, extant apud Ennodium *Opusc.* 9. & 10. Et Diaconus quidem qui hoc ritu defungitur, ipsemet ex una trianguli candela cereum accendit, illamque ad cereum inclinat, ad denotandum, ut aiunt, SS. Triadis consensum in Christi resurrectionem, ac præcipuè Verbi, qui denuo animam corpori univit. Lumen verò sumitur ex novo igne, ante Ædis sacræ fores accenso ac benedicto, eoque lapide excusso; quòd veritatis lumen a Redemptore, qui verus Ecclesiæ angularis lapis est trahatur. Antiquitus tamen ex lumine in fer. 5. majoris hebdomadæ conservato, accendebatur cereus; idque super candelabrum lapideum, formam columnæ habens: Cujusmodi candelabra in antiquis quibusdam Galliæ templis, Romæque, etiamnum visuntur. Sed & præter *Cereum* majorem, deferebantur processionaliter in Sabbatho Sancto duo alii minores, [illegible] majori accensi, ad denotandum, Apostolos à Christo illuminatos, per totum mundum, claritudinem Evangelii diffudisse. Usque quò autem *Cereus* iste durare debeat, certi nil apud Scriptores reperitur. Fratres Minores decreverunt A. C. 1263. accensionem hanc in Missis saltem solennibus, usque ad Ascensionem, continuandam esse. *Sac. Rit.* Congregatio A. C. 1607. accendi jussit tribus Paschæ diebus, in Sabbatho in Albis & in omnibus Dominicis, Missâ cantatâ, Vesperisque durantibus. Romæ tamen per totam Paschæ octavam accenditur atque in omnibus Dominicis, usque ad Ascensionem: quod fit incipiendo à Vesperis, & extinguendo, in fine Evangelii diei Ascensionis. In Ecclesia verò Galliæ Turonensi, à Sabbatho S. remanet accensus usque ad secundas Paschales Vesperas, at in aliis diebus Matutini, Missæ & Vesperarum tantùm tempore ardet. Porro soliti sunt Vett. in appensa ad *Cereum* tabella, annum currentem Creationis orbis & Incarnationis notare: hodieque Cistercienses annum Incarnationis Epactæ Indictionisque in eo observant, &c. V. Macros Fratres in *Hierolexico.* Plura alia in hoc titulo vel tabella, quam *Paschalem* vocant, à Præcentore inscribi consuevisse, observat du Fresne ex Udalrico in *Consuetudinibus Cluniac. lib.* 1. *cap.* 14. & vett. *Consuetudinib. Floriacensis Cœnobii cap.* 1. exemplumque tale exhibet, ex *Regesto Cameræ Comput. Paris.*

Titulus Cerei Paschalis Capellæ Regis Paris. scriptus in Pascha anno Dom. MCCCXXVII.

Annus ab origine Mundi 6526.
Annus ab Incarnat. Domini 1327.
Annus à Passione Domini 1294.
Annus Indictionis 10.
Annus Bissexti. 3
Annus susceptionis sanctæ Coronæ spineæ 88.
Annus susceptionis sanctæ Crucis, Sanguinis Domini, Catenæ cum magna parte sepulchri & vestimentorum infantiæ, & quadam tabula, quam tetigit facies Christi, & quodam frusto ligni sanctæ Crucis & Sanguine, qui fluxit de imagine Christi percussâ, & cum lacte B. Mariæ Virginis, & superiori parte capitis B. Joannis Baptistæ, cum capitibus S. Clementis, S. Blasii & S. Simeonis, 87.
Annus susceptionis sacrosancti ferri & lanceæ cum veste purpurea & arundine & spongia Domini, & cum linteo quo fuit præcinctus in Cœna & cum Peplo B. Virginis & Virga Moysi, 79.
Annus dedicationis Capellæ 87.
Annus transitus S. Ludovici 57.
Annus canonizationis ejusdem 29.
Annus translationis capitis ejusdem 20.
Annus ætatis Caroli Regis præsentis 32.
Annus Regni ejusdem. 6.
Annus Episcopatus Hugonis Paris. Epis. 2. Porro sub anni finem [illegible] cedit, & *cum cerâ virgine* ac oleo, ut vocant, benedicto, [illegible], *Ceremon. Sacr. lib.* 1. *tit.* 7. ut inde *Agnus - Dei* conflant. [illegible]

Balsamus & munda cera cum Chrismatis undâ
Conficiunt agnum, &c.

Qua de re V. suprà in voce *Agnus Dei*. & plura hanc in rem apud Rivetum *Summæ Controvers. Tract.* 2. *quæst.* 7. ubi primam *Cerei Paschalis* mentionem fieri Concilio IV. Toletano, seculo VII. celebrato, docet. Ejus enim *Canon* 8. sic habet. *Lucerna & Cereus infra Vigilias, apud quasdam Ecclesias non benedicitur & à nobis cur benedicatur, inquirunt. Propter gloriosum enim noctis ipsius Sacramentum, hoc solenniter benedicimus, ut sacræ resurrectionis Christi mysterium, quod tempore hujus noctis votivè advenit, benedictione sanctificati luminis incipiamus. Et quia hæc observatio per multarum loca terrarum - in Ecclesiis commendatur, dignum est propter unitatem pacis, ut in Galacianis Ecclesiis conservetur.* Sic ergo in ardente & singulis annis renovato cereo, Christi resurrectionem ostendere illis visum est, &c.

Cerinarii, V. suprà *Carinarii.*

Cerinus, coloris genus, Græcè κηρώδη χρῶμα: & κηρινόχρουν. occurrit apud Plinium *lib.* 19. *cap.* 5. ubi *cerini cucumeres*: *Crescunt quâ coguntur formâ. In Italia virides & quamminimi, in provinciis quammaximi &* cerini *aut nigri placent, copiosissimi in Africa, grandissimi in Asia ubi cùm magnitudine excessere, pepones vocantur.* Epiphanium, *de Gemmis*, ubi beryllis eundem colorem tribuit: Ἄλλη δὲ ἐκ βήρυλλος ταῖς κηραῖς τῶν ὀφθαλμῶν τὸ ἐρύθημα ἰσὸ κηρόχρωμα, ἐν ᾗ καὶ ἄλλα πολλὰ ὅμοια κηρῷ. Sic *cerina pruna*, apud eundem Plinium *alibi*, quæ *cerea*, in *Copa* Virgilii; *Cerei calcei*, apud Vopiscum. h. e. *ceram* imitantes, &c. V. Salmasium *ad Solinum pag* 1107. & *Histor. Aug.* Sed & *Ceritem* gemmam, quod *ceræ* similis sit, memorat Plinius *lib.* 37. *cap* 10.

Cermala vel *Germalus*, locus ubi expositi Romulus & Remus, memoratur Varroni *de L. L. lib.* 4. *Germalum à Germanis Romulo ac Remo, quòd ad Ficum Ruminalem & hi inventi, quò aqua hiberna Tiberis eos detulerat expositos.* Palatio conjunctum fuisse, idem *alibi* habet. V. Salmasium *Exercitationibus Plin. ad Solinum pag.* 1157.

Cernas, Græcè Κέρνας, Sacerdos Matris Deûm, *in Epigrammate* Alcmanis, apud Plutarchum *lib.* περὶ φυγῆς,

Σάρδιες ἀρχαίας, πατέρων νόμος, εἰ μὲν ἐν ὑμῖν
Ἐτρεφόμαν, Κέρνας ἦν ἐκ αὖ ἢ βάκηλος κτλ.

Quasi dicat, bene secum actum, quod Sardibus in patria Lydia non fuerit educatus, in qua *Cernas* fortè, h. e. Sacerdos factus esset, uti legit in membranis Palatinis Salmasius: Κέρνα enim dicebantur, quæ Deorum Matri sacrificabantur, & Κερνοφόρος, qui sacra præibat. Βάκηλος autem est intestis, ut erant Galli ejus Deæ sacerdotes. Alii tamen Κέμας legunt, qui Helychio est μικρόφθαλμος: cujusmodi homines plerunque ministerio Deorum deputari consuevisse, innuit Poeta,

——— — — *cum sistro lusca Sacerdos.*

V. Salmasium *ad Solinum pag.* 85. Sed & Κέρνος, poculi genus, Scaligero, unde *Cernophoros*, inter saltationis furiosæ genera, V. eum *Poetices lib* 1. *cap.* 18. *de Saltatione.*

Cernui Pueri, in Ludis dicebantur, qui capite in solo sistebant, pedibus in aërem erectis. Servius, *Unde & pueros, quos in ludis videmus eâ parte, quâ cernunt, stantes,* Cernui *vocantur. ut Varro docet in Theatralibus.* Græci κυβιστᾶν vocant, & *cernuare* κυβιστᾶν. Cujusmodi lusores Consualibus olim, apud Romanos, adhibebantur. Scaliger *Poetices lib.* 1. *cap.* 28. *Invenimus in vetustis monumentis, inter cætera ludicra Consualibus pastores inverso ac vibrato corpore cernuos salire solitos.* Aliàs *cernui equi* eidem, qui, pedibus prioribus deficientibus, in faciem cadunt, quasi in eam partem ruentes, quâ cernimus. Cujusmodi equi meminit Poeta his,

Tollit se arrectum quadrupes & calcibus auras
Verberat effusumque equitem super ipse sequutus
Implicat, ejectoque incumbit cernuus *armo.*

Ubi τὸ ὀρθοπωλεῖν Græcorum expressit, *qui arrectum se tollit*: Non tamen semper se *cernuant* equi, qui in altum sese erigunt. Recentioribus *cernuari* est, in præcipitium se dare & per abrupta ruere capite prono, ut petauristæ faciunt: sed verbum simpliciter id significare non potest, nisi addatur, *per prærupta*, aut *in præceps*, &c. V. quæ suprà diximus, de *Cenuareti* equo. Sed & *Cernui boves* dicuntur, quorum cornua terram spectant, sicut *Licini*, quæ ea sursum versùs habent reflexa. Salmasius *ad Solinum pag.* 211. & 894.

Ceroma, unguentum ex oleo pulvere ac cerâ mixtum, quo priscis temporibus Luctatores, ante certamen, inungi solebant, in ea parte Gymnasii, quæ *Alipterium* seu *Unctuarium*, aliquando etiam, ut apud Plinium, Senecam ac D. Hieronymum videre est, *Ceroma* hinc dicebatur: sicut iidem pulvere postea, *Haphe* dicto, adspergebantur, in alia parte, quæ *Conisterium* vocabatur. V. Hieronymum Mercurialem *de Arte Gymnast. lib.* 1. *cap* 9. & infrà, ubi de *Ungendi ritu*, *alibique.*

Ceron, equus Adrasti, apud *Græcæ Thebaidos* auctorem Antimachum, laudatum Pausaniæ *lib.* 8.

Ἄδρηστος Ταλαοῦ υἱὸς Κρηθηϊάδαο,
Πρῶτος Δαναῶν ἐλάσαι κλυτοὺς ἵππους
Καιρόν τε κρατερὸν καὶ Ἀρείονα Θελπουσαῖον.

De quo V. Barthium *Animadversion ad Statium*, ubi ejus loco *Cyllarum* substituit Luctatius *Thebaid. lib.*4.

Ceronia, arbor quæ siliquas fert, nonnullis συκῆ Αἰγυπτία, plurimùm nascebatur, in Syria, Jonia, Rhodo, Caria & circa Gnidum, dicta ἀπὸ τοῦ κέρατος, cujus fructus similiter κέρας & κεράτια. V.suprà in voce *Ceratium*.

Cerostrata, V. infrà *Cestrota*.

Cerriti, Larvatis junguntur, apud Plautum in *Menæchmis* & Nonium. *Glossæ, Cerritus*, [illegible], apud Salmasium *Not. ad Vopiscum in Bonoso*.

Cerronius Bassus, memoratur Vopisco, in *Aureliano*, ubi Imp. hujus ad eum Epistola.

Cerrus, inter glandiferas arbores, memoratur Plinio *lib.* 16. *cap.*5. *Quartam verò generis ejusdem, quæ cerrus vocatur, ne Italiæ quidem majore ex parte notam esse.* Et *cap. seq. Glandem, quæ propriè intelligitur, ferunt robur, quercus, esculus*, cerrus, *ilex, suber.* Ejus glandem *horridam, echinato calice, ut castaneas, dulcissimam* insuper, post quernam, *nec ex alia solidiorem carnem, sed duram esse*, addit. Græcis [illegible], quam licèt inter glandiferas non recenseat Theophrastus, sui generis esse dicens, Latini tamen inter βαλανοφόρους recensuere, propter fructum βαλανώδη, *glandi similem.* V.Salmasium *ad Solinum pag.*334.

Certamen, apud Virgilium *Ecloga* 7.

> *Et* Certamen *erat Corydon cum Thyrside magnum*,

eleganter pro certante. Aliàs idem cum Agone: cujusmodi *Certaminum* cùm varia essent olim genera, illorum IV. illa inprimis, quæ *Sacra* dicta, Græcis Ἱεροὶ Ἀγῶνες, celebria fuere, *Olympia, Pythia, Isthmia, Nemea*, de quibus V. suo loco, ut & hic infrà, in voce *Iselasticus*, alibique passim. Addam hic saltem locum Plinii *lib.*16. *cap.*4. *Novissimè* (coronæ) *& in sacris certaminibus usurpatæ, in quibus hodieque non victori dantur, sed patriam ab eo coronari pronuntiatur. Inde natum, ut etiam triumphaturis conferantur, in Templis dicandæ.* Sed & in Ludis *Certamina*, curruum inprimis, vigebant. Jul. Cæs. Scaliger *Poetices lib.*1. *cap.*29. *In Ludis primariæ partes quatuor: Pompa cum thensis pro Deo, cui fierent; Certamina curruum; Fabulæ; Pugnæ in arena.* Et quidem, apud Homerum quinque currus commiserunt, in funere Patrocli; in Archemori, apud Statium, sex; apud Anonymum de *Vita* Alexandri, novem; apud Strabonem, in Electra, decem; in Olympiaco Circo, duodecim, unde tot ostia. Apud Romanos, duos colores à principio *certasse* vult Tertullianus, postea duo alii additi, & quatuor factionum numerus velut sacer fuit. Unde licèt Domitianus pristinis 4. gregum factionibus duas alias addiderit, *purpurei auratique panni*; post mortem tamen ejus ad quaternarium numerum mox reditum, &c. Qua de re, ultra ea, quæ hic passim, V. Salmasium *ad Solinum pag.*901. Præterea verò ingenio *certatum* publicè, ab antiquissimis temporibus, novimus, de quibus certaminum generibus alibi. Sufficiat adjecisse, neminem in *Certaminibus* Vett. indonatum abiisse, ne postremum quidem, victumque. Virgilius *Æneid. lib.*5.

> *Sic ait, & geminum pugnæ proponit honorem:*
> *Victori, velatum auro vittisque juvencum;*
> *Ensem atque insignem galeam, solatia victo.*

Et Statius *Thebaid. lib.*6. *versu* 548.

> *Has Adrastus opes dono victoribus ire*
> *Imperat, at generum famulâ solatur Achæâ.*

Ubi *famulæ* notanter meminit: Huic enim rei aptum habebatur aliquod mancipium. Unde & Silius Ital. *lib.*16.

> —— —— *donat ductor, miseratus & ævum*
> *Et casus fortem: Famulus florente juventâ*
> *Huic datur adjuncto gentilis honore galeri.*

Et rursus Virgilius,

> *Olli serva datur* ——

V. Casp. Barthium *Animadversion ad Statium d.l.* & plurima hanc in rem, apud Car. Paschalium *Coronarum lib.*5. *cap.*6. & *toto lib.* 6. qui est *de Coronis quatuor Græciæ Certaminum*: nec non suprà in voce *Brabeuta*: & infrà ubi de *Ludis Gymnicis*.

Cerva Amorum, uxor viro suo grata & accepta, Salomoni dicitur Proverb. *cap.*9. *versu* 19. Nempe in pilis & toto filo corporis aliquid habent *cervi*, hinnuli, ibices, quod mirè placet: unde non solùm istiusmodi feras alere summo studio; sed & lavare & pectere, & sertis ornare aut torquibus monilibusque, olim in more fuit, V. Virgilium de *cervo* Sylviæ *Æn. lib* 7. Ovidium de *cervo* Cyparissi, *Metam. lib.*10. *Fab.*3. Silium Italicum de *cerva* Capuana *lib.*12. Theocritum de hinnulis Cyclopis *Idyll* 11. &c. Plura verò hanc in rem apud Bochartum *Hierozoici Pars prior lib. III. cap.*18. ut & hic infrà. in voce *Cervus*.

Cerva Auroræ, Hebr. אילת השחר, in *tit.* Psalmi 22. *Præcentori super cervam Auroræ*, nonnullis Magistrorum vett. est Stella matutina, seu Lucifer; aliis Esthera; quibusdam Synagoga Israelis: Aben-Ezra asserit id esse initium Poëmatis amatorio stylo conscripti; ut cùm *Cervam Amorum* dilectam uxorem suam Salomo appellat Proverb. *cap.*5. *versu* 19. V. suprà. Vult igitur, Poëtam Hebræum, statim initio cantionis amatoriæ, puellam aut conjugem suam, *Cervam auroræ* appellasse, & ad hujus cantionis numeros compositum & decantatum fuisse hunc Psalmum. In qua sententia id unum displicet, quòd amatoriam cantionem hic intelligit. Neque enim videtur cum Psalmi argumento convenire, ut ad eum canendum adhiberi sint hujusmodi cantionis numeri, atque moduli. Neque Ecclesiam id decuisset, in qua omnia fieri [illegible] debent. Imò potiùs cùm à *cervo* sit initium uni Psalmorum, & in *cervo* desinat oratio Prophetæ Habacuc, plena ardoris & zeli: quidni à *Cerva auroræ* potuerit incipere sacra cantio tum inter Judæos recepta, ad cujus numeros Propheta hunc Psalmum scripserit. Cerva porro meritò *Cerva auroræ*, vel *matutina* vocatur, cùm statim ab aurora surgat & catulos lactet & eis cubile sternat. Unde Xenophon *Cyneget.* postquam cervorum venatorem monuit, ut πρὸ ἡμέρας, *ante diem*, in eum locum contendat, in quo plures sunt cervi, atque inde circumquaque speculetur, ait, [illegible] *Simul autem cum die cervas videbis hinnulos suos in eum locum adducentes, in quo unaquæque cubile suum stratura est. Cùm autem recubuerint & lactaverint & prospexerint, ut ne à quoquam videantur, unaquæque suum servabit, ad oppositam stationem profecta.* S. Bochartus *Hierozoici Pars prior, Lib III. cap.*17.

Cervedo, locus Galliæ memoratus, in *Vita* Germani *cap* 31. *Cùm de vico Cervedone in Morvinnum progreditur, habitatores loci adcurrentes suggerunt.* Vulgò est *Cervon*, in pago Morvinno seu Morvinnensi, non procul à fluvio Icauna. V.Hadr. Valesium *Notit. Gall.* in voce *Morvinnus pagus*.

Cervellerium, cassidis species, superiorem capitis partem operiens, Ital. *Cervelliera, Capelleto di ferro per difesa del capo*: de cujus inventore, sic *Chronicon* Nonantulanum MS. sub Friderico II. Imp. *Per hæc tempora Michaël Scotus, Astrologus Friderici Imp.— Hic cùm vidisset se moriturum ictu lapilli biuncis caput læsum, ex lamina ferrea fecit sibi fieri capitis infulam, quam gestabat. Cùm autem esset in Ecclesia & Eucharistia levaretur in Altari, amovit à capite infulam ferream* (quam *Cervellerium* dixerat) *ob reverentiam Christi; tum lapillus biunx in verticem ejus decidit, quo cutem læsit parumper. Ille dubitans, lapillum fecit pensari, quo invento biunci — rebus suis disposuit moriturus.* Idem Michaël scripsit libr *de Physionomia*, ad Fridericum præfatum, & alium, cui tit. *Mensa Philosophica*, du Fresne in *Glossario*.

Cervi, apud Livium *lib.*44. *cap.*11. ubi de oppugnatione Cassandreæ, *Divisis partibus oppugnare adorti. Romanus ad Clitas quas vocant, munimenta*, Cervis *etiam objectis, ut viam intercluderet, à Macedonico ad Toronaicum mare perducit*: qui qualesque fuerint in re bellica & munimentis conficiendis, discere licet ex Julio Cæsare *Belli Gallici lib.*7. de obsidione Vercingetorigis verba faciente. Unde elicimus, fuisse *Cervos*, ligneos stipites, truncos seu cippos humi infixos, ad hostium impetum retardandum: ab aliis stipitibus in hoc diversos, quòd in supernis cacuminibus velut bifurci essent & acuminati, instar animalium cervorum. Certè & *Cervi* appellati furcæ, quæ ad casæ agrestis sustentationem figebantur. Virgilius,

> —— —— *casas & figere cervos*, &c.

Godelevius *ad l.*

Q. *Cervidius* Scævola, sub quo Severus & Papinianus professi, memoratur Æl. Spartiano in *Antonino Caracallo*: Ex ejus scriptis *de Jure Civili*, multa extant fragmenta in *Pandectis*.

Cervix, apud Papinium Statium *Thebaides lib.*2. *versu* 326.

> Cervix *magna redit* ——

elatus est fortisque animus, qui non aliâ re frequentiùs Poëtis aliisque Auctoribus, velut per parœmiam describitur, quàm erectâ, magnâ, sublimi *cervice*. Claudianus *in Rufinum lib.*1.

> *Cumque Fide Pietas, altâ* cervice, *vagantur.*

Seneca *Thyeste*,

> *Æqualis astris gradior, & cunctos super*
> *Altum superbo vertice attingens polum.*

V. quoque Horatium *Carm. lib.*1. *od.*1. Juvencum *Histor. Evangel. lib.*4. Ausonium *Eidyllio* 8. Alios. Certè *Cervix* potentiæ signum. Unde Auctor seu Collector Sibyllinorum *lib.*8.

> [illegible]
> [illegible]

Item contumaciæ, unde οἱ σκληροτράχηλοι, *duræ cervicis*, in *Sacris*: & *cervix cordis*, pro contumacia atque obstinatione, apud Gregorium M. *Homil.*1. Contrà demissa *cervix*, humilitatis ac submissionis symbolum Propertius,

> *At tunc demissis supplex cervicibus ibam.*

Et de Elephantis Florus *lib.*1. *cap.* 18. *Non sine sensu captivitatis, submissis cervicibus victores equos sequebantur.* Quæ causa, quòd in sacrificiis quibusdam *Cervicem* victimæ fractam legimus, uti de Vitula seu Juvenca *decervicanda*, in casu homicidii commissi, cujus Auctor ignorabatur, videre est Deuteronomii *cap.* 21. *versu* 1. Sic *Asinum aperientem vulvam*, h. e. primogenitum, si non redimeretur, *decervicari* jussit Deus Exodi *cap.* 13 *versu* 13. Quò pertinet, quod de Constantino Rhinotmeto legimus, duorum Antartarum *cervicibus* impositos pedes in Circensibus habuisse, integri missus intervallo; quo pacto devictos, illos & omni submissionis

submissionis genere sibi obnoxios esse, testatus est. Quibus autem animalibus *Cervix*, quibus minùs, docet Plinius *lib.11.cap.37.* *Ex cartilagine & carne arteria, gula nervo & carne constat. Cervix nulli, nisi quibus utraque haec. Caeteris collum, quibus tantùm gula. Sed quibus cervix è multis vertebratisque orbiculatim ossibus flexilis ad circumspectum, articulorum nodis jungitur.* Ubi quòd *flexilem ad circumspectum* ait, in memoriam revocat illud Statii *Achilleidos lib.1. versu 382.*

Digreditur multum cunctata in limine mater,
Dum repetit monitus, arcanaque murmura figit
Auribus, & tacito dat verba novissima voto.
Tunc excepta sinu, longè cervice reflexâ
Abnatat

Ad quem locum V. Barthium *Animadversion. Part. III. pag.1665.*

Cerussa vel encautum, in scribendo adhibitum indigitatur *l.1. Cod.Theodos. de Veteranis*: unde *cerussata tabula, l.1. eod. C. de Alim.* h.e. illitae *cerussâ* seu albo colore, in quibus postmodum scribebatur. Vigebat autem scribendi haec ratio, in Edictis potissimùm scribendis proponendisque, du Fresne *Glossar.* Sed & *Cerussam* ustam, rubrum & sandarachinum colorem facere, Galeno *Σωρυ*, Seraptoni *Zeg rubeum*, h.e. Atramentum rubrum dictum, observat Salmasius *ad Solinum pag.1158* Hujus autem coloris frequens usus in Impp. literis, V. in voce *Cinnabaris.*

Cervula, adde: Solebant nempe Ethnici & Pagani Kalendis Januar. belluarum, pecudum & vetularum assumtis formis, huc illuc discursare, & petulantiùs sese gerere: quod à Christianis non modò proscriptum, sed & ab iis postmodum inductum constat, ut ei die *ad calcandam Gentilium consuetudinem*, privatae fierent litaniae & jejunaretur, ut observare est in Concilio Toletano IV *can.10* Concilio Turonensi II. *can 17.* alibi. *Turpitudo de hinnula aut cervula*, prohibetur apud Augustinum *Serm. de Temp. Vetulas aut cervulas, aut jotticos facere*, in *Vita* S.Eligii *lib. 2. cap.15.* quibus *somnia diabolica* adduntur Concil. Autissidor. *can. 2. in cervulo ducere, aut in vetula vadere*, apud Halitgarium *in Poenitent.cap 6.* &c Bonifacius Episc. Moguntin. *Epist. ad Zachariam Pontif cap 6. affirmant se vidisse annis singulis in Romana urbe & juxta Ecclesiam S. Petri in die vel nocte, quando Calendae Januarij intrant, paganorum consuetudine choros ducere per plateas & acclamationes ritu Gentilium, & cantationes sacrilegas celebrare & mensas illas die vel nocte dapibus onerare & nullum de domo sua, vel ignem, vel ferramentum, vel aliquid commodi vicino suo praestare velle.* Ubi ad eundem paganicum lusum respicit. Plura hanc in rem V. apud du Fresne in *Glossar.* & Macrum utrumque in *Hierolexico.* Hinc Prov. apud Gallos, *N'en faire que le cerf.* In variis enim Galliae inprimis urbibus, id ludicri olim in usu. Unde *biculam facere*, idem dictum in Concilio Altissidor. *bicas* autem Gallis foeminas esse, sicut mares *cervos*, constat. Salmasius *ad Solinum pag.122.*

Cervus, Hebr. איל *aiâl*, vulgari nomine; Graecis *ἔλαφος*; quae ambo saepe in foeminino etiam de cervo mare occurrunt. Ut cùm dicit Philosophus *in Mirabil. Τὰς δὲ Ἠλαφοὺς ἐλάφους κερατοφορεῖν τὸ ἄῤῥεν μόνον*, in cervino enim genere soli mares cornuti sunt; frustra Poëtis contrarium asserentibus, Sophocle *in Aleadis*, apud Ælianum *Histor. lib.7. cap.39.* de cerva, quae nutrivit Telephum; Anacreonte; Euripide *Iphigeniâ*, ubi de cervâ ei substituta; eodem in *Temenidis*, de cerva ab Hercule Eurystheo adductâ; Valer. Flacco *Argonautic. lib.6. versu 71.* ubi de Phryxi cerva, Aliis. Quòd enim *cervam cum cornibus, suis temporibus, in Gallia & visam & captam esse, ejusque caput adhuc servari*, refert Scaliger *Poëtices lib.3. cap.4.* inter monstra numerandum. De Hebraeo, V. Psalm. 42 *versu* 1. Praedicat in *Cervo* Scriptura sacra, *gressus firmitatem*, 2. Sam. *cap.* 22. *versu* 34. & Psalmo 18. *versu* 34. quippe ejus pedibus nihil firmius. Unde Poëta *Æneid. lib.6.*

Fixerit aeripedem cervam licèt ——

Eodem sensu, quo equi & tauri passim Poëtis Graecis *χαλκόποδες* & *χαλκόχηλοι* dicuntur; quia maximè pedibus valent, duramque habent ungulam & sonoram aeris instar. V. quoque Habacuc *in fin. Prophetiae suae.* Sed & *summam agilitatem*, tam in *saltu*, quàm in *cursu.* Et quidem de saltu, V. Esajae *cap.35 versu* 6. & Canticum *cap.2. versu* 8,9. Meminitque Gesnerus loci prope Francofordiam, in quo duo lapides erecti visantur, interstitio pedum fere sexaginta, quanto spatio saliisse ibi dicitur cervus, idque supra plaustrum oneratum, cùm Venatores instarent. De cursu Cantic. *cap 8. versu* 14. Unde de Achille summè veloci, Catullus *in Nuptiis Pelei & Thetidis,*

Flammea praevertet celeris vestigia cervae.

Quin *ἔλαφος*, *cervus*, & *ἐλαφρὸς*, *levis*, conjugata sunt, uti notum. Porro *boatus* ejus creditur Hebraeis esse ערגת *ariga*, quae vox occurrit Psalmo 42. *versu* 2. Quo pertinere videtur, quòd *Arge* venatrix in cervam mutata fuisse fingitur, apud Hyginum *Fab.205.* Boare autem seu glocitare eum aquarum appetitu *d. l.* ob tres causas maximè aiunt, inter quas praecipua, quòd serpentum esu vehementer incalescat. Qua de re sic Ælianus *Histor. lib.2. cap.9.* Προσερείσας τῇ χηραμῷ τοῦ ὄφεως, τὰς ἑαυτοῦ μυκτῆρας βιαιότατα ἐσπνεῖ ... ὡς ἴυγγι, τῷ πνεύματι, καὶ ἄκοντα ἕλκει καὶ προκύψαντα ἐσθίειν ἄρχεται. Καὶ μάλιστα διὰ χειμῶνος δρᾷ τοῦτο. *Naribus suis in cavernae rimam incumbens vehementissimè aspirat & trahit spiritu suo, tanquam amatorio & invitum ad se allicit, & inclinatum edere incipit; id quod hyeme potissimùm facit.* V. de hoc *Cervorum* cum serpentibus bello internecino, Plinium, Solinum, Oppianum *Halieutic. lib 2 versu* 289. & *Venatic. lib.2.* Lucretium *lib 6.* Lucanum *lib.* itidem 6. Nicandrum *in Theriacis*, Alios. Inprimis circa *Cervarum foetum* mirabilis Dei providentia indigitatur Jobi *cap.* 39. *versu* 1 ut sine qua brevi deficeret genus hoc inter mille pericula, quae vel à Venatoribus, vel à feris illis imminent, ut ipsas matres taceam foetus suos saepe in discrimen adducere. V. Chrysostomum *ad h.l.* Iisdem per herbam *seseli* providet Deus, cujus esu partum (qui difficilis huic animali) sublevant, tum ante, tum post eum, illâ utentes, Cicero *de N.D. lib.2.* Plinius *lib.8. cap.33.* Ælianus *Varior. lib.12. cap.35.* Dioscorides *de seseli Massil. lib 3* Philosophus inprimis *Hist. lib.9. cap.5.* Imò & per terrorem vocis suae, i. fulminis cum fragore è nubibus erumpentis metum, Psalmo 29. *versu* 9. *Vox Domini parturire facit cervas*, &c. Pariunt autem prope vias, nisi cùm pingues evasere, tum enim enituntur in praeruptis locis & saltibus & convallibus, Ælianus *lib.6. cap.11.* Interim & illos ipsos hinnulos, qui juxta vias in lucem eduntur, statim à matre in loca praerupta & confragosa deduci tradit, Aristoteles *lib.6. cap.29.* quae sunt Hebr. במות *Bamoth* illa, seu *excelsa loca*, ad quae se cervorum instar, à Deo deductos & in iis tanquam in tuto collocatos. dicunt David & Habacuc Psalmo 18. *versu* 34. & *cap.3. versu* 19. E' qua illarum solicitudine in catulorum educatione, liquet extremae famis & sterilitatis indicium esse, cùm *hinnulos suos in agro deserunt*, Jerem. *cap.* 14 *versu* 5. *Carnem* quod attinet *cervinam*, illius esus & usus in sacris libris saepe commendatur, Deuteronomii *cap.* 12. *vers.* 15. & 22. *cap.15. versu* 22. Alibi. Unde in quotidiano victu Salomonis, etiam *cervi & caprea*, 1.Regum *cap.4. versu* 23. Sed & Telephum Mysorum R. *lacte cervae*, & Achillem *μυελοῖς ἐλάφων*, *medullis cervorum* enutritos fuisse, fabulantur Veteres, &c. V. plura hanc in rem apud Sam.Bochartum *lib III. cap.17. & 18. Partis prior.* Salmasium *ad Solinum passim*, & ex Vett. apud Plinium *lib. 8. cap.32. & seqq.* praeter eos, quos retrò laudavimus. Adjiciam saltem varia *Cervorum* apud Graecos nomina, pro gradibus aetatis: His enim cùm adhuc in spelunca cubant. *νεβρίδες* dicuntur; cùm majores sunt, & exeunt ad pascua, primo anno *νεβροὶ*, secundo, *πασσαλίας*, *δικαίρας* & *σπαθίνας*, tum enim cornua erumpunt, sed recta & simplicia, quas *subulas* vocat Plinius. Graeci *πασσάλους*, & *σπάθας*; tertio *δικεράτας*, cùm simplicia cornua bimulorum in furcam exeunt; quarto *κλαδίας*, tunc enim ramosa incipiunt fieri. Tandem *κεράστας* vocati, cùm perfecta est forma cornuum & ipsi magni cervi facti. V. Salmasium *ubi suprà pag.* [illegible]4. Nec omittendus animalis hujus in vectura usus. In triumpho certè, Aurelianum Aug. cervis vectatum esse, tradit Vopiscus *in eo, ad hostium timiditatem exprimendam*, id factum addens. Hodieque in solennitate funebri Regum Tunquinensium, currum, qui mausolaeum defert vel feretrum Regale, ab octo *cervis*, huic rei assuetis, quorum quilibet à Magnatum aliquo ducatur, vehi solitum, refert Jo. Baptista Tavernier *in Descr Regni hujus.*

Cervus, ex aere, inter opera Canachi, memoratur Plinio *lib.34. cap.8. Canachus Apollinem nudum* (fecit) *qui Philesius cognominatur, in Didymaeo — Cervumque unà ita vestigiis suspendit, ut linum subter pedes trahatur, alterno morsu digitis calceque retinentibus solum, ita vertebrato dente utrisque in partibus, ut à repulsu per vices resiliat.* De *Cervo* in nummis, Dianae symbolo, V. Jac. Sponium *Itinerar. Graec. Part.3.*

Cerycia, Gr. *Κηρύκεια* in *l. sanctum ff. de rer. divis.* insignia sunt Legatis Graecorum ferri solita, ne quis eos violaret. Jul. Pollux *Onomast. lib.8. Κηρύκειον φόρημα τῶν πρεσβέων*, *Cerycium gestamen legatorum*: nempe non ornamento tantùm, ut vult Alex. ab Alexandro *Genial. dier. lib.4.* sed & tuitioni, *d. l. sanctum.* V. ubi de *Heraldis.*

Cesonini, vel *Caesoniani*, cognomen Pisonum: unde *Caesonini*, pro Pisonibus, apud Treb. Pollionem *in XXX. Tyrannis*, ubi de Tito, *Hujus uxor Calphurnia fuit, sancta & venerabilis foemina, de genere Caesoninorum* (non *Caesorinorum*, ut vulgò legitur) *id est, Pisonum.* Salmasius *ad l.*

Cespes, apud Papin. Statium *lib.1. Sylv.4.*

—— —— *Sed saepe Deis hos inter honores*
Cespes *& exiguo placuerunt farra salino.*

Et *Thebaid. lib.2. versu* 246.

Hi fibris animaque litant, hi cespite nudo.

Ara est nullo paratu, de *Cespitibus* congestitia. V. quoque Horatium *Carmin. lib.3. od.8.* In cujusmodi Altaribus, quamvis nullo coetera apparatu, etiam hostias fuisse mactatas, docet idem *lib. 1. od.19.* Hinc Silius Ital. *lib 16.*

Et simul extructis cespes surrexerat aris,
Victimaque admotae stabat subjecta bipenni.

Juvenalis *Sat.12.*

Natali, Corvine, die, mihi dulcior haec lux:
Qua festus promissa Deis animalia cespes

Expectat.

Expellat.
Calpurnius *Ecl* 2.

Sæpe vaporato mihi cespite *palpitat agnus*,&c.

Quod de latronibus narrat quoque Appulejus *lib. 7. Sic eo profecto cæteri copiosum instruunt ignem, aram cespite virenti Marti Deo faciunt.* Est autem *Cespes terra avulsa cum herba, unde faciebant altaria*, apud Scholiasten vet. Prudentii *Apotheos. vers* 255. *tellus herbâ florente vestita* Papinio: sed & omnis terra, non raro Avieno *in Periegesi.* V. Casp. Barthium *Animadversionibus ad Papin. Statium passim, inprimis pag.* 406 & 407. Sed & *Cespites*, ad castra cingenda & aggeres castrenses extruendos, adhibiti, Vegetius *lib.* 3. Quod Plinius firmat *lib* 35. *Cespitum natura castrorum vallis accommodata.* Unde *Cespitaticum*, in *Capitulari* 5. Caroli M. ann. 86. c.1. quod quibusdam est tributum, pro via *cespitibus* munienda; aliis pro castris muniendis. Etiam *Cespititium tribunal*, occurrit apud Vopiscum in *Probo Imp. Quum ad exercitus nuntius venisset — quasi divino nutu undique ab omnibus acclamatum est, Probe Auguste, Dii te servent: deinde concursus &* cespititium *tribunal: appellatusque Imperator.* Cujusmodi tribunalis erectio, certissimum creati Imperatoris argumentum erat: Ex editiore enim loco alloquendi milites uni ac soli Imperatori jus fuit, Casaubonus *ad l.* Nec omittendus *Cespitum* in Investituris usus. Cùm enim in traditionum ejusmodi symbolis maximè adhiberent Veteres, quæ affinitatem aliquam haberent cum re, quæ donaretur & cederetur; vel saltem, quibus dominium in alium translatum significaretur: hinc, agri vel prædii investituram factam denotaturi, *cespitem*, glebam, seu *wasonem*, uti recentiori ævo loquebantur, ex ipso agro desumptum, in manus illius, cui donabatur, tradebant. Cujusmodi symbola ne perirent, adservabantur apud donatarios, in rei gestæ memoriam. *Hujusmodi* cespites *cum sua festuca, multis in Ecclesiis servantur hactenus, visunturque Nivellæ & alibi, justæ magnitudinis, formâ quadratâ vel etiam laterculari*, Wendelinus apud du Fresne in voce *Investitura.* Interdum etiam donationis, cessionis vel venditionis instrumento intexebantur, assuebantur vel alligabantur, ut ex compluribus tabulis vett. liquet. Hinc itaque, apud Scriptores, tam frequens mentio Investituræ, *per Cespitem*, seu quod idem, *per herbam & terram*; Porro, *per ramum & cespitem* (nam nonnunquam addebatur *ramus*, quo soli superficies, si quid nempe satum & ædificatum in eo esset, simul tradita innuebatur) seu, quod idem, *cum ramo & guasone* vel *wasone*, *per guasonem andelaginem & ramos de arboribus*,&c. ut videbimus infrà, ubi de *Investitura.*

Cessatio ab opere, in Feriis Gentilium, præter sacra, solennis fuit. Hanc ob rem, in iis imperandis, *ut litibus & jurgiis abstineretur*, per præconem edici solitum, Cicero testis est. *de Divinat. lib.*1. Quò respiciens Ovidius *Fastorum lib. I.* ubi de feriis Calend. Januarij agit,

Lite vacent aures, insanaque protinus absint
Jurgia, differ opus livida lingua tuum.

Unde & Livius, in primis, quæ Romæ per 8. dies habebantur, lectisterniis, *jurgiis ac litibus temperatum* dicit, *lib.*5 *cap.*13. Quibus verbis judiciales maximè disceptationes istiusmodi tempore fuisse prohibitas, nemini non liquet. Sed & ab aliis operibus negotiisque non minùs *cessatum* est. Quod testatur Sext. Pomponius *lib.*14. *Præclamitatores*, inquiens, *vel — Præclamitatores dicuntur, qui Flaminibus Diali, Quirinali, Martiali, antecedentes exclamant, Feriis publicis ut homines abstineant se opere, quia his opus facientem videre, irreligiosum est.* Et rursum, *Præciæ* dicebant, *qui à Flaminibus præmittebantur, ut denuntient opificibus, Manum abstinerent ab opere.* Quapropter, ut etiam Servius adnotat Georgic. *lib* 1. Pontifices sacrificaturi, præmittere Calatores suos solebant, ut sicubi vidissent Opifices adsidentes, opus fieri prohiberent, ne pro negotio suo & ipsorum oculos & Deorum ceremonias attaminarent: *Feriæ enim Deorum operæ creditæ sunt*,&c. V. Tob. Pfannerum *System. Theol. Gentil. purior. Cap.* 11. §.22. & infrà, ubi *de Sabbatho, Septimo die*,&c.

Cessio, reverentiæ signum. Papin. Statius *Thebaid. lib.* 1. *versu* 29. ubi de Domitiano,

—— —— Licèt arctior omnes
Limes agat stellas, & te plaga lucida cœli
Pleiadum, Boreæque & hiulci fulminis expers
Sollicitet; licèt ignipedum frænator equorum
Ipse tuis altè radiantem crinibus arcum
Exprimat, aut magni cedat *tibi Jupiter æqua*
Parte poli; maneas hominum contentus habenis.

Et *Thebaid. lib.*2. *versu* 43. ubi de Somno, limite cœli Mercurio cedente, *versu* 63.

—— —— Super obvius illi
Noctis agebat equos, trepidusque assurgit honori
Numinis, & recto decedit limite cœli.

V. quæ de reverentia Brachmanibus à plebe Indorum exhiberi solitâ, habet P. de Valle *Itinerar. Pars IV.*

Cestiphori, V. suprà *Castiphori.*

Cestrosphendone, teli genus, de quo sic Livius *lib.*42. *cap.*65. ubi de bello Romanorum cum Perseo, ultimo Macedonum R. *Macedonum* *Romanus terror circumstabat — Maximè* cestrosphendonis *vulnerabantur, hoc illo bello novum genus teli inventum est. Bipalme spiculum hastili semicubitali infixum erat, crassitudine digiti: huic ad libramen pinnæ tres, veluti sagittis solent, circumdabantur: funda media, duo funalia imparia habebat. Cùm majori sinu libratum funditor habena rotaret, excussum velut glans emicabat.* Ubi *pinnæ ei tres additæ* dicuntur, ut librarior & directior certiorque esset volatus teli; nec erranti diverseque nutanti parte ejus posteriore ictus irritus esset, telo eodem tenore non eunte. *Funda media duo funalia imparia habebat*; h. e. medio hastili inhærebat funda, eaque duplex, ut latior ejus sinus telum meliùs libraret. Nam *funalia duo* funda duplex, altera alteri continens: & quidem posterius funale majus latiusque erat, ut ictum teli adigeret vehementiùs, meliusque telum sustineret. Duo autem funalia hæc, quæ fundam unam efficiebant, in nodum videntur fuisse nexa, ansulâ factâ, cui inserebatur habena, quâ telum rotabatur. *Cùm majori sinu*,&c. Major sinus videtur majoris fundæ & tanquam duplicis major capacitas, in qua pendebat & librabatur telum. Nomen ei à *cestro*, i. verriculo, ut Plinius hanc vocem vertit *lib.*15. *cap* 11. & σφενδόνη, *Funda.* Hadr. Turnebus *ad l.*

Cestrota, apud Plinium *lib.*11. *cap* 37. ubi de urorum cornibus, eorumque apud populos Septentrionales multiplici usu. *Multasque alias ad delicias conferuntur, nunc tincta, nunc sublita, nunc quæ* cestrota *picturæ genere dicuntur.* Gr. κεστρωτά. Fuit autem genus Encaustices, quâ *cestro*, i. verriculo pingebatur in ebore ac cornu. Quidquid nempe in acumen exibat, κέστρον Græci vocarunt: unde κεστρωτὰ ξύλα, *præusta sudes*, apud Hesychium. In specie verò sic dicebatur veruculum, quo ignito κεστρωτὰ opera fiebant. Forium ornamenta hoc Encaustices genere quoque pingi consuevisse, apud Vett. Vitruvius docet *lib.*4. *cap* 6. *Ipsaque forium ornamenta non fiunt* cestrota *neque bifora, sed valvata & aperturas habent in exteriores partes.* Animalium verò cornibus tinctis & *cestrotis*, ebore quoque similiter picto, lignum distinguebatur, in lectis, mensis & foribus Plinius *lib.*16 *cap* 44. *Excogitatæ sunt & ligni bracteæ, nec satis: cœpere tingi animalium cornua, dentes secari, lignumque ebore distingui, mox operiri.* Ebur porro illud & cornu, quo lignum operiebatur & distinguebatur, *cestro* etiam inuri solebat & *cestrotum* fieri. Aliàs ceris etiam inurebantur fores: quod alterum Encaustices erat genus. Ausonius,

Ceris inurens januarum limina
Et atriorum pegmata.

Cujusmodi opera *cerostrata*, Gr. κηρόστρωτα, dicta sunt, nempe non ramentis & tessellis insertorum cornuum picta, sed ceris fusis & stratis inusta,&c. V. Salmasium *Exercitation. Plinian. ad Solinum pag* 231. & hic in vocibus *Cera*, item *Encaustice.*

Cestus, Græcis κεστὸς, *cingulum*, quasi κεντητὸς, à κεντέω. Hincque lora, quæ pugnis addita, ad munimentum. Pugnis enim primùm nudis certabatur; dein addita lora, propterea quòd nudi quum fierent, sæpe plus damni acciperent, quàm facerent. Ea lora *Cestus* dicti; initioque brevia erant: mox ne excussa exuerentur in ictibus, tum humero, tum cubito alligabantur. Postremò ferrum plumbumque assutum est sævissimo spectaculo. Cerebrum enim & guttur facilè elidebant: quare aurium munimenta reperta, ἀμφωτίδες. Tota ars ictum vitare, non fugâ, sed corporis inclinationibus & flexibus: Tum autem excipere ictum ictu, si sit fortior. Postremò, non inferre ictum frustrà: concidebant enim plumbi onere præcipites, si impensiùs niterentur verberare,&c. Eo Erycem Siculum excelluisse, atque ab Hercule victum: Præter cæteros artem calluisse Pollucem, quâ fortissimum virum Amycum superavit, legimus apud Theocritum, & Virgilium *Æneid. lib.*5. Jul. Cæs. Scaliger *Poëtices lib.* 1. *cap.* 5. Qua de re plura diximus suprà in voce *Castiphori.*

Cetacei Pisces, Bocharto dicuntur, qui quamvis *Cete* non sint, ad *cetorum* tamen magnitudinem prope accedunt, ut *silurus, esox, attilus, carcharias canis*, aliique, *magnorum piscium* nomine venientes, V. Jonæ *cap.*2. *versu* 1. In quibus, qui multo maximi sunt, *lamia* putà, & *maltha* & *zygæna* & *thynnus*, Cetis non raro ascribuntur. Quas quatuor species nominatim recenset Auctor, ut quæ sæpe leguntur *Cetorum* nomine appellari, propter immensitatem, quamvis cœtera sint verè pisces. De lamia, maltha & zygæna, res patet ex Oppiano *Halieutic. lib.*1. Galeno *de Alim. Facult. lib.*1. Ægineta *lib.*1. *cap.*94. & Æliano *Animal. lib.*9. *cap* 49. è quorum ultimo Suidas, Κῆτος, inquit, θαλάσσιον θηρίον πολυειδές· ἔστι γὰρ λάμια, ζύγαινα, πάρδαλις, φάλαινα, ἀρκτος ὁ λεγόμενος μάλθη. Sed thynnum inprimis *Cetis* accenseri, colligitur ex his Archestrati, apud Athenæum *lib.*7.

Θύννου ἀλεξανδρου ... μέγαν, ὃν ...
Ὄρκυνον, ἄλλοι δ' αὖ κῆτος:

nempe postquam in eximiam magnitudinem excrevit, ut testatur Sostratus *in libro περὶ ζώων* V. plura hic infrà. Sed & mediæ magnitudinis, inter *cetaceos* & ἰχθύδια, *pisciculos*, pisces *magni* quoque dicti occurrunt, ut Joannis *cap* 21. *versu* 11. ubi centum quinquaginta tres *magni pisces*, uno jactu retis inclusi, non potuerunt esse cetacei. Pisciculi verò, Græcis ὀψάρια sunt, qui infra utrorumque magnitudinem subsidunt: de quibus omnibus vide

apud

apud Samuel. Bochartum *Hierozoici Part. prior. lib.I. cap.6. & 7.*

Cete, Hebræis iisdem nominibus appellantur, quibus draco, nempe תנין *thannin* & לויתן *leviathan*: an ob formæ similitudinem, an ratione molis & quia *Cetus* in aquatilibus tantum præstat,

Ὅσσον ἀριστεύουσιν ἐν ἑρπυστῇσι δράκοντες,
Quantum in reptilibus præstant virtute dracones:

Oppianus Ἁλιευτικ. lib.1. Est autem *Cetus* propriè dictus viviparus, non oviparus, ut piscis. Hinc Ælianus *lib.11. cap.37.* Δελφὶς δὲ καὶ φάλαινα ἐν κήτει. τούτῳ δὲ ὄρχεις μόνῳ τῶν ἐνύδρων ζῳοτοκεῖ. In *Ceto* insuper corium durum est, caro firma & compacta, ossa solidissima, pulmo etiam & guttur & vera vox, virga denique maribus & lac mammæque fœminis, quibus omnibus caret piscis. Sed & inter se *Cete* multum differunt. Minora sunt, *phoca, delphin, hippopotamus*: Majora, *pristis, orca, balæna*. Rursus phoca & hippopotamus pilos, pedesque & collum habent: at balænæ & delphini corium est glabrum, & pinnæ pro pedibus, & pro collo fistula in fronte, quâ de superiore parte trahunt aërem. Papillas *Ceti* quod attinet, non esse ἐμφανεῖς rectè notat Philosophus *Histor. lib. 2. cap.13.* quippe in mammis receptæ, tanquam in vaginis, conduntur. Unde illas ad usum promi, dicit Scaliger *Exercitat.104. §.10.* Quò non dubium, quin Jeremias his verbis respexerit, Threnor. *cap. 4. versu 3.* *Etiam cete mammam eduxerunt, ut lactent catulos suos.* V. de *Cetorum* lacte & mammis, plura apud Philosophum ubi suprà & rursus *lib. 6. cap. 12.* Solinum ubi de Delphinis, Plinium *lib.9. cap.8.* Ælianum *Histor. lib. 5. cap.4.* & *lib. 10. cap.8.* Alios. Unde Oppianus de Delphino, postquam geminos parere dixit, *Halieutic. lib.1.*

Μαζὼ δ' ἀμφοτέροισι παρείχεται, οἷα τεκοῦσα,
Θῆκε δὲ γάλα λαρὸν ἐπεί ῥά οἱ ὤπασε δαίμων
Καὶ γάλα, καὶ μαζῶν ἐναλίγκιον φῦλον, οἷα γυναιξίν.
Admovet uberibus catulos & lactis utrique
Fundit in os latices: namque huic æqualia Divi
Ubera fœmineis manantia lacte dederunt.

Et Phile *cap.65.*

Τρέφει δὲ καὶ γάλακτι λευκῷ τὰ νέα,
Προσθεῖσα μαζὸν, ὡς λεχὼ παιδοτρόφος.
Nutritque fœtus lacte, præbens ubera
Lactantis infantem in modum puerpera.

Hinc fœtus matrem undique sequitur, nec hujus erga illum amoris vehementiam satis prædicare novit Philostratus *Appollonii lib. 2.* Ut de voce aliquid addam, *luctus* Cetis tribuitur, Mich. *cap.1. versu 8.* Namque, licèt è Cetis quædam boent ac mugiant, ut phoca sive boca, à *boatu* hinc dicta Festo, & balæna, quam Rondeletius ad binas leucas audiri, refert: alia tamen verè & propriè gemunt; ut Delphin, cui pro voce *gemitum humano similem* tribuunt Plinius *lib.9. cap.8.* Solinus *cap. 12.* & Vincentius *Doctrinali lib.16. cap.32.* Quam in rem insignia Petrus Gillius habet, quem vide. Ad magnitudinem propero, ob quam *Cete* Mosi *grandia* dicuntur, Genes. *cap.1. vers.21.* meritò: cùm inter pisces mole sint maximi. Sed quæ Vett. de eorum magnitudine tradita sunt, multùm à vero pleraque abludunt. Theodes, ea triremibus majora facit, apud Ælianum *Histor. lib 17. cap.6.* ipse Ælianus ad elephantem vel maximum proportione quintuplâ *ibid. lib 16. cap.11.* Eratosthenes longa 50. cubitorum, apud Strabonem *lib 16.* Nearchus 25. orgyiarum, id est, cubitorum 100. apud Arrianum in *Indicis*: Onesicritus atque Orthagoras, dimidii stadii, h.e. pedum plus quàm tricenûm, apud Ælianum *lib.17. cap.6.* Juba pedum sexcentorum, apud Plinium *lib.31. cap.1.* Plinius ipse quaternûm jugerum, *lib.9. cap.1.* quantum terræ spatium quædam oppida non occupant. Quos sequuti Sancti Doctores hyperbolica quædam tradunt, de *cetorum* ingenti mole, Basilius in *Hexaem. Hom.7.* Isidorus *Origin lib.12. cap.6.* Eustathius Antiochenus *in Hexaem.* Alii. Ut Hebræorum hic mendacia omittam. Compertissimum enim, tam ex maritimarum Urbium *Annalibus*, quàm ex eorum ratione, qui ad balænarum piscationem quotidie se conferunt, majores illos cetos plerunque 50. raro admodum 100. pedum mensuram excedere. Unum tamen in Oceano Britannico captum refert Scaliger longitudinis pedum 120. altitudinis tantæ, ut obequitantium non tantùm conspectus adimeretur, sed voces inter se, tanquam trans collem editæ, viderentur. Et in Narbonensi litore visam à patre suo belluam, narrat Rondeletius 100. passuum longitudinis: quam mensuram longissimis in Balthico mari Zieglerus ac Olaus Wormius adscribunt, &c. Atque hæc de *Cetis* propriè dictis, impropriè sic appellantur omnes ii è cetaceis piscibus, qui in vastiorem molem excrescunt. Ut enim in vulgo piscium, qui sunt reliquis majores, ut *silurus, esox, attilus*, alii, *cetacei* dicuntur: ita in cetaceis, qui sunt multo maximi, *lamia* putà, & *maltha*, & *zygæna*, & *thynnus*, non raro *cetis* adscribuntur. Unde apud Varronem *Cetarii* sunt thynnorum piscatores: apud Ælianum *Histor. lib.13. cap.16.* κητεία Siculis thynnorum piscatio: & in Horatio *Serm. lib.2. Sat.5.* *cetaria* loca thynnis referta: inque Æliano iterum *l.c.* κηθῆνεια, piscatoriæ casæ, reponendis retibus & reliquæ supellectili, thynnorum piscationi destinatæ. Sic Matthæi *cap.12. versu 40.* cùm Jonas fuisse legitur ἐν τῇ κοιλίᾳ τοῦ κήτους, *in ventre ceti*; cave, ne *cetum* intelligas propriè dictum, quales *balæna, pristis* aut *physeter*; quæ, utut vastæ belluæ, tamen gulæ meatus habent angustiores, quàm ut solidum hominem transglutire possint. *Cetus* eo loco est *piscis magnus*, ut habetur Jonæ *cap.2. versu 1.* verus nempe piscis, sed ita ingens, ut ratione molis suæ cetis adscribi meruerit. Bochartus *lamiam seu carchariam* intelligit, ut suprà diximus. V. cum *Hierozoici Parte prior. lib.I. cap.7.* & suprà, ubi de *Cetaceis piscibus*.

Cetene, Græcè Κητήνη, apud Hesychium, πλοῖον μέγα ὡς κῆτος, *navigium ingens, instar ceti*: Imò πλοῖον κητοφόρον, *navis quæ pro-tomen ceti in prora præferebat*, ἢ κητόστομος; cujusmodi navigia κητίδες quoque Græcis, Latinis *pristes*, dicebantur. Nam *pristis* etiam bellua marina, Virgilius,

Velocem Mnestheus agit acri remige pristin.

Nempe, sicuti ταυροφόροι & κριοφόροι νῆες vocatæ sunt, quæ *tauri* & *arietis* effigiem, parasemi vice, præferebant: ita κητοφόρος, quæ *ceti*; imò & κῆτος, cujusmodi nave quòd Andromeda rapta esset, finxere Poëtæ, *ceto* illam seu belluæ marinæ expositam fuisse. V. Salmasium *ad Solinum pag.570.* & hìc infrà, ut & ubi de navium *Parasemis*.

Ceto, Græcè Κητὼ, apud Plinium *lib.5. cap.22.* de Joppe, *Insidet collem prajacente saxo, in quo vinculorum Andromedæ vestigia ostendunt. Colitur illic fabulosa Ceto*: Numen Joppensium *ceti* formam præferens. Qualis Dagon Azotiorum Palæstinæ, quâ voce significatur, ὁ Κητώ, vel ὁ Κητώς: Nec longè ab Azoto Joppe, ut in utraque urbe idem Numen cultum fuisse, sit verisimile. Sanè Dagon est *Ceto*. Sed & Derceto hac figurâ colebatur in urbe Ascalone Azoti vicina, apud Diodorum, ubi de Ascalonis lacu: in Phœnice item, apud Lucianum. A' qua diversa illa, quæ Hierapoli templum habebat. Joppensis enim vultu fœmina, cætera piscis erat: at Hierapolitana, in fœminea specie prostabat tota. Unde non Derceto, sed Deam Syriam (quam nonnulli cum Deûm Matre eandem faciebant) Hierapolitanis cultam esse, colligit Lucianus, V. quoque Appulejum *lib.8.* Porro non *Derceto* solùm, sed & *Atargatis*, Numen Joppensium dictum est; quod ab *Addirdaga*, i. e. *piscis magnificus*, detortum nomen esse docti volunt. Salmasius *ad Solinum pag 574.*

Cetra, Maurorum clypeus, qui ex tergore elephantorum, quorum apud illos vis ingens, plerunque eas faciebant. Plinius *lib.11. cap.39.* *Elephantorum quoque è tergore Mauri impenetrabiles cetras habent.* Et Strabo de Mauris, Οἱ δὲ πεζοὶ τοῖς τῶν ἐλεφάντων δοραῖς ὡς ἀσπίσι χρῶνται. Unde de Tingi, Mauritaniæ opp. Mela, *Extat rei* (conditæ nim. ejus ab Antæo) *signum, parma elephantino tergore tecta ingens & ob magnitudinem nulli nunc usuro habilis.* Aliàs ex orygum pelle. Juvenalis Interpres, *Oryx, animal minus quàm bubalus, quem Mauri unum vocant: cujus pellis ad cetras proficit, scuta Maurorum minora.* Ubi *scuta minora* notanter vocat. Figuram quod attinet, à *peltis* non multum abfuisse, innuit apud Curtium *lib.3. cap.2.* ubi de Barcanis equitibus in exercitu Darii: *armati bipennibus, levibusque scutis, cetræ maxime speciem reddentibus*, Blanckardus. Γυροειδεῖς certè illas putant optimi Scriptores, quamvis Varro & Nonius circularem illis figuram assignent. *Levia* dicuntur Curtio *scuta*, quia gestari solita è loro ex collo propendula, contra ictus aut tela incidentia: ac ut ad motus concursusque milites promtiores essent. Tribuit illas idem Barcanis equitibus peditibusque: Non tamen soli hi *cetris* usi. Namque de Mauris jam dictum: sed præter hos, Afris, Persis, Gallis, Hispanis, imò & Britannis, in usu fuisse, discimus ex Scriptoribus: de ultimis inprimis, ex Tacito. *Pelta*, pro eodem scuti genere, passim apud Livium, V. Lipsium *in Analectis ad Milit. Rom. lib 3. Dial. 1.* & Blancardum *l. cit.* ubi geminam iconem ejus exhibet.

Ceylanum, adde: In circuitu complectitur 240. mill. spiratque è longinquo odorem suavissimum, quem advenæ ad tertium & amplius milliare in mari jam sentiunt, ob cinnamomi, quod profert, abundantiam, quo aromate etiam potissimùm eminet. Montem habet, quem *Pico d'Adam* vocant, quòd Adamus ibi sepultus insolitâ gentis superstitione creditur: hujus vestigia rupi impressa & sacello quodam nunc tecta advenis ostendunt. Incolæ ut plurimùm ad extremam perveniunt senectam, cujus causam Saarius ascribit masticationi certæ alicujus radicis; alii in aromatico odore, quo insula donata est, sitam putant. Quid hujus Insulæ causâ gestum sit inter Lusitanos & Belgas, latè prosequitur Joh. Jac. Saarius in *Itinerar. suo, cui titulus: Ostindianische Funfzehenjährige Krieges-dienste*; cui si placet, adde Georg. Spilbergium *Itinerar.* Bochartum *Geogr. Sacr. part. 2. cap 46.* &c.

CH.

Cha, nomen herbæ apud Sinenses nobilissimæ & potionis inde confectæ, saluberrimi usus; à cujus præstantia & copia inprimis urbs *Lucheu* commendatur, in prov. Nankinga. Sed & ad civ. *Pingyue* in prov. *Queicheu*, folium *Cha* optimum. Foliculum est

est omnino illi simile, quod thus coriaria profert, imò illius quandam esse speciem nemo dubitat ampliùs; non tamen sylvestre illud, sed cultum; non arbor, sed virgultum est, in ramulos varios, aut virgulas potiùs, se diffundens: nec flore admodum differt, nisi quod hujus albedo nonnihil magis in flavedinem deflectat. Æstate primum florem emittit, levi odore fragrantem, sequitur bacca viridior, mox nigricans. Pro potione *Cha* coquenda expetitur folium primum vernum ac mollius, quod studiosè ac sigillatim unum post alterum manu carpunt, mox in ferreo cacabo, tenui ac lento igni aliquantulum calefaciunt, deinde supra stoream subtilem ac lævem manibus propellendo involvunt, atque involutum iterum exponunt igni ac denuo confricant, donec intortum rursus & conglomeratum planè siccum fit. Id servant in vasis plerunque stanneis ab omni humiditate diligentissimè & evaporatione custoditum: quod cùm in bullientem aquam conjicitur, etiam post diuturnam asservationem, ad pristinum virorem redit, seque expandit; aquam odore suavi, & optimum est, saporeque non ingrato, præsertim ubi assueveris, ac colore subviridi, inficiens. Cujus calidi potus vires ac virtutem multis deprædicant Sinenses, qui eo noctu ac interdiu frequentissimè utuntur, hospitesque excipiunt. Illi verò potissimum ascribunt, quòd Sinenses podagram & calculum nesciunt. Post cibos sumtum, omnem indigestionem & stomachi cruditatem tollit: maximè enim concoctionem juvat, quin & ab ebriis adhibetur, levamen iis, novasque ad potitandum vires addit, adeoque & crapulæ omnes molestias levat; exsiccat siquidem & abstergit superfluos humores, ac vigilare cupientibus, somniferos vapores expellit, oppressionemque somni, studiis vacare volentibus, arcet. Vascula, quibus tanquam aptissimis ad diluendum potandumque suum *Cha* Sinenses utuntur, figlina arte fiunt, in civitate *Gailing* ejusdem provinciæ, quæ hanc ob causam nomen hoc, *Terra gloria* Latinè, accepit. Præferunt vascula hæc Kiangsiensibus porcellanis, licèt splendidioribus magisque diaphanis, quòd saporem aliquem ac odorem potui tribuunt, Sinensibus maximè expetitum: Unde maximi apud eos fiunt, totaque civitas eo ut plurimum in opere occupatur. Veneunt magno pretio nonnulla eorum, ac Lusitaniæ Estremosia vel superant vel æquant. Ipsius verò *Cha* tanta varietas ac præstantiæ discrimen est, ut libræ pretium apud ipsos Sinenses ab obolo ascendat ad duos pluresve aureos, &c. Auctor Anonymus *Sinæ & Europæ* cap.30 & 32.

Chadabula, apud Guilielmum Armoric. *de Gestis Philippi Aug.* *A. C.* 1202. *Tribus lapidibus magna petraria, quæ* Chadabula *vocabatur, emissis*: Petrariæ seu ballistæ majoris species est, *cabulus* Wilh. Brittoni *Philipp. lib.7* V. *ibi*.

Chæremon, Poeta Comicus, adde: *Ῥαψῳδίαν* hine Poëma ejus Aristoteles dixit, *Καθάπερ Χαιρήμων ἐποίησε Κένταυρον, μικτὴν ῥαψῳδίαν ἐξ ἁπάντων τῶν μέτρων* &c. Non quòd à Rhapsodis vulgò caneretur, sed quòd ex variis metris, veluti cento, consutus esset. Salmasius *ad Solinum pag.*808. V. quoque infrà in voce *Rhapsodia*.

Chagiga, חגיגה, apud Hebræos, in Paschali festo, victima, seu pars victimæ, dicta est, quæ unà cum agno Paschali mensæ imponebatur, cujusque esus differri poterat in posterum diem, ut pacificorum omnium, Levitici *cap.7. vers.*16. & *cap* 19. *vers.*6. V. Maimonidem *de Oblat. Paschalis cap.*10. *sect.*12. 13. 14.

Chaipha, oppidum in pede montis Carmeli situm, circa quod & Carmelum, purpurarum præcipua ubertas, quamvis purpurariæ piscationis locus hinc Scalas usque Tyriorum patuerit stadiis circiter 230. Quò referendum, quòd in Guil. Tyrio *Caiphæ* vetus nomen fuit *Porphyria*. Ut eadem fuerit, quæ Phœniciæ Πορφυρεών, apud Stephanum, ex Polybii *libro* 5. tanquam à purpuræ piscatione facto nomine. V. Sam. Bochartum *Hierozoici Part. posterior. Lib.V. cap.* 9.

Chalazias lapis, memoratur Plinio *lib.* 37. *cap* 11. *Chalazias grandinum & colorem & figuram habet, adamantina duritia. Narrant etiam in ignem additum manere suum frigus.* Et Solino *cap.*37. *Chalazias, grandinis & candorem præfert & figuram, duritia robustissimâ & invictâ.* Χαλαζίτην *Geoponicorum* Eclogæ vocant, sic dictum ajentes, quòd *grandinem* (quæ Græcis χάλαζα) imminentem avertat ac depellat: Εὑρὼν λίθον χαλαζίτην ἔχε καὶ ὅταν ἴδῃς τὴν χάλαζαν, κρῦπτε αὐτὸν καὶ ἀποτραπήσεται, *Repertum* Chalaziten *lapidem habe, & cùm grandinem videris, concute illum, sic ea avertetur.* Recentiores Græci χαλάζιον vocarunt margaritum, non tamen à *grandinis* figura, ut videtur, sed à suillis *granis*, quæ Græcis χάλαζαι. Hinc Androsthenes de margarita, apud Athenæum, Η δὲ λίθος ἐν τῇ σαρκὶ τοῦ ὀστρέου ὥσπερ ἐν τοῖς ὑείοις ἡ χάλαζα. Et librum *ἀνέκδοτον*, inscriptum μέθοδος δι' ἧς ἀποτελεῖται σφαιροειδὴς ἡ χάλαζα, *Methodus rotundam efficiendi grandinem*, h.e. margaritam, se habere notat Salmasius *ad Solinum pag.*718. Ut enim in carne suis alba grana inveniuntur, quas Græci χαλάζας appellant, ad eam formam in carne ostrei reperiuntur uniones, &c. Idem *pag.*1125.

Chalchantum, V. suprà *Calchantum*.

Chalce, œcus Palatii CP apud Poëtam Byzantinum, laudatum Casaubono *ad Spartianum in Hadriano*.

Chalcedon, Græcè χαλκηδὼν, gemma memoratur Apocalypseos *cap.*21. *versu* 19. ubi inter duodecim fundamenta novæ Hierosolymæ, tertio loco ponitur χαλκηδών. *Chalcedonius* veteri Interpreti: Quem dictum esse ab *Chalcedone* supra Chrysopolim refert, ex iis, qui *Bithynica* scripserunt, Arethas, & colore similem facit carbunculo; sed confundere videtur τὸν Καρχηδόνιον λίθον, qui Carbunculi genus est, cum τῷ Χαλκηδονίῳ, quod ob magnam utriusque nominis affinitatem proclive fuit. Nam & Καλχηδόνιος perperam scribitur apud Epiphanium, pro Καρχηδόνιος; & *Carchedonii* smaragdi, apud Plinium pro *Calchedoniis* vel *Chalcedoniis*. Quid verò propriè fuerit Veterum *Chalcedonius*, non adeò liquet. Certè præter *Chalcedonios smaragdos*, (omnium vilissimos & minimos) quorum meminit Plinius, *Chalcedoniæ jaspidis* apud eundem extat mentio, ubi colores & genera patriasque jaspidum recensens, dicit Chalcedonem turbidam Jaspidem mittere, *Amisos Indicæ similem mittit. Chalcedon turbidam.* Qui fortè lapis est, quem recentior ætas absolutè *Chalcedonium* appellavit. Omnia namque satis aptè conveniunt. Marbodæus *in Dactyliotheca* scribit, Chalcedonem lapidem hebeti pallore refulgere, inter hyacinthum & beryllum: quam jaspidem Chalcedoniam esse planè liquet. Addit,

Hæc species lapidis tantùm tricolor reperitur.

Ubi notant Interpp. primum colorem *Chalcedonii* sapphirinum esse, secundum fuscum & pallidum, tertium permixtum rubro. Sic & jaspidum multi colores & infinitæ penè species; inter quas & sardii lapidis quædam colorem habent, nonnullæ etiam onychis: unde non mirum, quòd *Chalcedonius*, quæ species Jaspidis est, non multum ab onyche gemma nonnullis differre dicatur. Longiùs verò illi aberrant, qui *Chalcedonium* hodiernum Veterum onychitem esse contendentes, onychitem in Germania erui, atque ex illo fieri globulos precales, capulos & mortariola, referunt: nam gemma marmor non est; nec onychites, sed *Chalcedonius* in Germania reperitur, ubi multa illa gestamina ex eo excuduntur, *Cassidonias* vulgò appellant. Salmasius *ad Solinum pag.*561. Hinc de Westria Auctor Anonymus Sinæ & Europæ *cap.*10. *Montes habet plurimo achate, jaspide*, Chalcedonio, *ut et viliore, prægnantissimos: Hinc fiunt manubria gladiis, catini, pocula, armillæ, salina, cochlearia, globuli, columnulæ, oratia ære conferruminata & quidquid ingeniosius materia potest induere politor. Id verò oculis jucundum, ea omnia vel uno vel pluribus spectari coloribus, atro, fusco, purpureo languenti, viridi, cæruleo, livido, candido, sanguineo, cinereo, ubi puncta & venulæ inferuntur, ut animum rapiant in admirationem architectricis naturæ, præsertim ubi ea imitatur herbidum solum, & filamenta confusa musci, aut capillamenta humo repentis graminis, sive splendidiùs, sive obscuriùs.* In Musæo Kircheriano *Chalcedonios*, ex montibus *Ruffoli*, territorii Volaterrani in Hetruria: item tabellulam *Chalcedonii* glaucam, ex Catanæ in Sicilia territorio, adservari, tradit Georg. de Sepibus *in Descript. ejus pag.*42. V. quoque suprà *Carchedonius*.

Chalcenterus, cogn. Didymi Alex. Grammatici, apud Hieronymum *in Ruffinum*.

Chalciœcus, adde: Simile fuisse Templum Delphici Apollinis, tradunt Scriptores. Cùm enim id primò nil nisi casa esset lauri ramis contexta; postea ex cera apumque alis constructum, finxere Veteres; Nempe *Pteras*, nomen Architecti fuit, qui illud extruxerat. Tertiò, ut durabilior ædes esset, totum ex ære factum est quod cùm terræ motu, an incendio, periisset; ex lapide quarto loco reædificatum est, à Trophonio & Agamede. Donec tandem, hoc itidem flammis consumto, *Olymp.* 58. *ann.*1. Amphictyones, operâ Spinthari Corinthii illud denuo erexere, Pausanias. Cæterum licèt *Chalciœcus* propriè nomen Templi esset. Interim frequentiùs ipsi Deæ tribuitur: quæ & *Chalciœtis*, & *Chalcidica* dicta est: an quia bellorum habebatur præses, in quibus armorum *æneorum* frequens usus, ferreorum nullus olim fuit. Ejus meminit Virgilius *Æneid. lib* 6.

Chalcidicaque levis tandem super astitit arce.

Ejusdem non cultum modo, sed etiam nomen, devictis, à quibus primò illi hoc nomen, gentibus, recepere Romani, unde & Minervæ *Chalcidicæ* templum in 9. reg. collocat Onuphrius: idque in plano, ut constat ex regionis situ. Meminit illius Dio *lib.*51. de Augusto loquens, Ἔπειτα δὲ τοῦτο ἀφιέρωσε, τόν τε Ἀθήναιον καὶ τὸ Χαλκιδικὸν ὀνομαζόμενον, καὶ τὸ βουλευτήριον, τὸ Ἰούλιον, τὸ ἐπὶ τῇ τοῦ πατρὸς αὐτοῦ τιμῇ γενόμενον, καθιέρωσε, *Deinde Minervæ templum, quod Chalcidicum vocatur, tum Curiam Juliam, in honorem patris sui factam dedicavit.* V. Thom. Dempsterum *Paralipom. in Joh. Rosini Antiqq. Rom. lib.*1. *cap.*13. Cœl. Rhodiginum *Antiq. lect. lib.* 17. *cap* 8. Livi. *Decad.*5. *lib.*5. &c.

Chalcis Græcè Χαλκὶς, nomen avis, ἀπὸ τοῦ χαλκοῦ; quibusdam noctua est, quæ Græcis γλαῦξ. Item piscis, & serpentis, quibus similiter non tam à patria, quàm à colore cæruleo, de quo diximus suprà in voce *Calcha*, illud hæsit. Et quidem *Chalcidem* ubique vocat Plinius, id serpentis genus, quod *sepem* alii dixere, ex Græco σήψ. Nicander *in Theriacis*,

Σῆπα γε μὴν χαλκῷ ἐναλίγκιον ὀψέ κεν εὕροις.

V. Salmasium *ad Solinum pag.*1161.

Chalcis, opp. Eubœæ, adde: Hinc *Chalcidica Ficus*, quæ à

Chalcide advehebantur, apud Macrobium, ubi de generibus ficorum, *bifera, Carica, Chalcidica alba nigra, Chia alba nigra.* Et *Chalcidici galli*, quos magnopere commendarunt Veteres. Varro, *Nec tamen sequendum in seminio legendo Tanagricos, ac Medicos & Chalcidicos.* Item *Chalcidica Laurus*, apud Papin. Statium *lib.3. Sy.v.4.*

——— ——— — an sacris ab antris
Profert Chalcidicas *Sibylla* laurus.

Cumanum est oraculum. Servius *in Æneid. lib.3. versu 441. Euboea insula est, de cujus civitate Chalcide profecti sunt ad novas sedes quærendas & haud longè à Bajis — invenerunt vacuum litus, ubi visâ muliere gravidâ civitatem condiderunt, quæ res fœcundam fore significabat Rempublicam & eam Cumas vocaverunt.* Unde apud eundem *lib.5. Sylv.3. versu 182. Chalcidicum*, est Cumanum, Sibyllinum Casp. Barthius *Animadversion. ad Statium Part.I. pag. 376. 487. 485.*

Chalcitis Gemma, ab *æris* colore nomen accepit, de qua V. Salmasium ubi suprà *pag.1161.* Item lapis, è quo æs coquitur, sicut *sideritis*, è quo ferrum. Plinius *lib.34. cap. 2. Chalcitim vocant lapidem, ex quo & ipsum æs coquitur. Distat à cadmia, quòd illa super terram ex subdialibus petris cæditur, hæc ex obrutis.* Item, *quòd* chalcitis *friat se statim mollis naturâ, ut videatur lanugo concreta — Habet autem æris venas oblongas. Probatur mellei coloris, gracili venarum discursu friabilis nec lapidosa*, &c.

Chalcolibanus, χαλκολίβανος Apocalypſ. *cap.1. versu 15.* Bocharto vel est נחשת לבנה. *æs laban*, seu *album*, vel נחשת ליבון, *æs libon*, seu *ignei candoris*, quale est, cùm in igne candet. Idipsum vocari נחשת קלל. *æs Kalal*, Dan. *cap 10. versu 6.* patebit conferenti loca. Utrobique enim vir describitur aurea zonâ cinctus & oculis igneis & voce magni fragoris & pedibus multi splendoris, qui hic quidem dicuntur esse similes *chalcolibano*, & ibi, *ut color æris Kalal* Sed cùm non satis sciatur, quid sit *æs Kalal*, conjicit Bochartus, æs eâ voce intelligi politum ac lucidum; sicque Joannem χαλκολίβανον, h. e. *æs album*, edidisse voce semihebræa, vel quia albedo est color lucis, vel quia hoc genus æris reverà fuit album. Quale à Poëta describitur orichalcum,

——— ——— auro squalentem alboque orichalco;

Ubi frustra est Servius, qui *album* dici tradit, *auri comparatione*, cùm Græci etiam tam nativum, quàm factitium, orichalcum album describant: & in Philosopho Mossynæcum æs, quod ille λαμπρότατον καὶ λευκότατον, *splendore ac candore excellens*, vocat, ex Tubal & Mesech Tyrum deferri solitum, Ezech *cap 27. versu 13.* Ut non mirum sit, album illud æs notum fuisse Judæis ejusque adeò meminisse Evangelistam. Neque novum videatur, χαλκολίβανον vocabulum Græco-Hebræum esse, cùm multa sint hujusmodi. Sic Semipersica sunt, ἀποκιδαροῦν, *cidari nudo*. Levit. *cap.10. versu 6.* & *cap.21. versu 10.* Γαζοφυλάκιον sacrum ærarium, in Evangelio passim & ei præfectus in Nonno γαζοφύλαξ; & in Xenophonte κιταροειδὴς, *tiaræ speciem habens*: & in Suida ac Eustathio ἀγγαροφορεῖν, *onera ferre per successionem*. Semiægyptia in Cicerone, Juvenali, aliis, Ἀλαβάρχης Alexandriæ; in Polluce vestium species, ἡμιτύβιον & ἡμιφαινόλιον: Semiarabica in Simeone Sethi καφουρέλαιον, *oleum camphoræ* & ἰουζουλάπιον, *zulapium* vel *gulleb* ex violis, &c. V. Sam. Bochartum *Hierozoici Part. poster. cap. xvi.*

Chalcophthongos, Græcè χαλκόφθογγος, nomen gemmæ, apud Solinum *cap.37. Chalcophthongos resonat, ut pulsata æra: pudicè habitus servat vocis claritatem.* Eadem cum *Chalcophono*, Χαλκοφώνῳ Plinii, de qua is *lib.37. cap.10. Chalcophonos nigra est, sed illisa æris tinnitum reddit, Tragœdis, ut suadent, gestanda.* Nempe servare vocis claritatem, & proin Tragœdis, hanc maximè affectantibus, gestandam esse, Vete. persuasum. Certè *Chalcophoni*, prope Anicium Vellaunorum plurimæ sunt ubivis in structuris murorum & parietibus temerè congestis, nigræ, leves, fistulosæ, tophaceæ, cùm ferro percutiuntur, tinnientes. Ibidem parietes delubri Divæ Virginis alternis ordinibus hujus lapidis & candidi, extructos esse, adnotat Dalechampius *Not. ad Plinium.* V. quoque Salmasium *ad Solinum pag. 769.* De φωνασκίᾳ verò Tragœdorum infrà.

Chalcosmaragdus, apud Solinum *cap.15.* dicitur, qui in metallis *ærariis* apparet. Potiùs, qui *æreis* venis turbidus Plinio *cap. 5. lib.37.* Non enim hoc nomen omnibus datum smaragdis, qui in ærariis metallis inventi, ut in quibus etiam veri bonæque notæ smaragdi, quorum penès Cyprios principatus erat, eidem: sed smaragdi vilissimo generi, à colore, quem diximus. Inter vitia certè smaragdorum æris color. Idem, *Omnium horum communiter vitium, quòd fellis colorem aut æris habent, in Sole dilucidi quidem & liquidi, sed non virides.* Ubi tamen alii legunt, *æris olei*; quod, aliàs *viride oleum* Latinis, ὀμφάκιον Græcis, ex acri & crudâ olea premebatur, neque austeri coloris viridis, sed in [illegible] descendentis, qualis & fellis color, erat. Unde χλοώδ. [illegible] *ad viridi similitudinem infecta*, &c. Salmasius *ad Solinum* [illegible]

Chalcus, Gr. χαλκοῦς, idem Siculis, quòd οὐγκία, *uncia*; duodecima nempe oboli apud illos seu λίτρας pars: unde libra & assis partes Romanis. Polluci octava oboli pars est, Ita enim ille, Ὁ μὲν δὲ ὀβολὸς ὀκτὼ χαλκοῦς εἶχε. *Obolus namque octo chalcos continebat.* Ejus septima pars λεπτὸν fuit. Idem drachmæ argenteæ pars fuit quadragesima octava, cùm drachma sex haberet obolos, obolus verò octo, ut dictum, chalcos: victoriati vigesima quarta: sestertii duodecima: dupondii sexta: assis tertia: quasi is sit ipsum τρίχαλκον Græcorum. V. Joh. Fridericum Gronovium *de Pec. vet. lib 3. cap.2. & 10.*

Chaldæa, adde: Hodie *Chaldæi*, Christianorum secta, iidem cum Nestorianis, quorum quinque Jejunia quotannis celebrari solita memorantur Scriptoribus. Et quidem Jejunium seu Quadragesimam primam maximamque incipiunt Dominicâ Quinquagesimæ: Secundam, quæ est SS. Apostolorum, auspicantur à feria 2. post primam Dominicam Pentecostes: tertiam Assumptionis à 1. Augusti: quartam Nativitatis Christi à 25. die ante Festum: quintam Ninives vel Jonæ, quæ trium dierum est, observare incipiunt hebdomade proximâ ante Septuagesimam, feriâ 2. 3. & 4. Sic quidem, ut in prima nec pisces comedant, nec vinum gustent: In secunda, Sabbatho ac Dominicis non jejunent; in tertia nec lacticinia, nec carnes comedant, excepto Transfigurationis Festo: Quartam verò & quintam, uti tertiam, observent. V. Filesacum *de Quadragesima*, & plura de horum Christianorum fide ac πολιτείᾳ, apud P. de Valle *Itiner. Part. II.* Sed & *Chaldæi*, pro Hispanis Saracenis, occurrunt apud Sebastianum *Episcop. Salmantic. in Histor.*

Chali vel *Chale* Herba, cujus cineres indurati, lapidis firmitatem superant, V. infrà in vocibus *Halimum* & *Solda*.

Chalifa seu *Califa*, vox Arabica, h. e. *Successor* vel *Hæres*, appellatio fuit, apud Saracenos, supremi gentis suæ Principis, ut docet Guil. Tyrius *lib.19. cap.19.* eo quòd hi summi eorum Prophetæ vicem & successionem jure tenerent hæreditario. At Nic. Fullerus *Miscellan. sacr. lib.4 cap.16.* & Valerius *Præfat. ad El Macinum*, censent, hoc vocabulo, *Vicarios* seu *Locum tenentes* sese appellitasse, Dei nempe. Unde eo nomine tanto in honore ac reverentia à suis habebantur, ut pro Dei quasi Numine colerentur, *nec nisi mandato & auctoritate illius, quantumque potens aut nobilis, appellaretur Soldanus & omnes ejus subditi, tam Reges, quàm alii, pedes ejus ad terram prostrati reverentes oscularentur*, uti loquitur Jac. Vitriacensis. Sed postmodum Suldanorum potentia adeò invaluit, in rebus politicis ac militaribus, ut ferè cum inani ac specioso dignitatis nomine sola religionis, seu potiùs superstitionis Mahumedicæ, potestas penès *Caliphas* remanserit: unde *Papæ & Apostolici suæ gentis*, vulgò appellati leguntur apud Conr. Urspergensem, Vincentium Belvacensem, alios. Primus autem *Chalifæ* nomen & dignitatem usurpavit Abubacarus, Mahometis successor; cujus titulos habes in *Chronico* Flandrensi *cap 81.* Sed & *Chaliphas* videntur appellasse suos Sacerdotes, non supremos solùm; verùm inferiores etiam, Saracenorum Principes, uti videre est apud Petrum Diaconum *Chron. Casin. lib. 4. cap.51.* &c. Car. du Fresne *Glossar.* V. quoque suprà in *Calipha*.

Series Calipharum ex Forbesio hæc est.

Abubecher, Muhamedis Pseudoprophetæ socer, regnavit annos duos. Sub eo Saraceni, occuparunt Persidem, Ægyptum, Syriam & Mesopotamiam, vivente adhuc Heraclio Imp. & occiso Jezdegirdo Persarum R. A.C. 632.

Omar, Mahumedis itidem socer, præfuit annos 10. à servo occisus, A.C. 643.

Othman sive Osman, regnavit annos 12. Constante Heraclii nepote Romanor. Imperium obtinente; occisus domi suæ A.C 655:

Ali, fil. Abiltaleph, gener Muhammedis; Persis Sophinis unicè in veneratione: interfectus est in opp. *Kiofe*, A.C. 660. postquam quadriennio regnasset. Ei successit filius Chasan, cui post 9. menses & 11. dies veneno extincto, frater Chusein, secundùm nonnullos: secundùm alios Mavia frater, per annos 21.

Maviâ hoc regnante, Saraceni CP olim obsedere, integro septennio: fortiter tandem repulsi à Constantino Pogonato, classe eorum fugatâ A. C. 673. non exiguâ *Ignis Græci*, tum primùm inventi, operâ. Inde itaque Damascum, quam Imperii sedem Mavia elegerat, Saraceni reversi, tributarii Græcis Impp. per complures annos fuere. Obiit Mavia A.C. 680.

Jezid I. ejus filius, præfuit annis 4. Eum socer Abdulla excepit, seu Abdulmelichus, sub quo Saraceni totâ Armeniâ & Africâ, usque ad Oceanum Atlanticum sunt potiti. Alii Jezidi substituunt filium Marvanem, & huic demum Abdullam: qui regnavit annos 20.

Walid, filius Abdelmelichi, an walidis frater *Suleimani* decessit A.C. 717. Hoc regnante, Saraceni, duce Tarich, hortatu Juliani Com. in Hispaniam venerunt. Muniverat autem is castra sua in loco, inde *Gebel Tarich*, h. e. Mons Tarich, & hodie corruptè *Gibraltar* dicto, circa A.C. 711.

Omer, filius Jezidis seu Azizis, nepos Abdelmelichi, præfuit 2. annos mortuus A. C. 719.

imperante Leone Isaurico Romanis.

Jezid II. regnavit annos 4.

Hascham sive *Hacem*, annos 15. vel secundùm alios 10. Sub eo, Saraceni ex Hispania in Galliam irruperunt, duce Abderamâ; cæsi memorabili prælio Turonensi à Carolo Martello, A.C. 726.

Walid, luxu & vino perditus, unum cùm imperasset annum, ab ipsis Arabibus interfectus caputque ejus Damasci ostentui circumlatum est, A.C. 743.

Marvan.

Jachsi vel Abulabas, qui obiit A.C. 753.

Abugephar Elmantzur, primus ædificare cœpit urbem Bagded, seu novam Babylonem. Obiit A.C. 775. fuitq; *Habdalla* quoque dictus, id est, Dei servus.

Mahdi filius ejus, regnavit annos 10.

Aharun I. Erreschid, filius Mahdi, *Aaron* Græcis Scriptoribus, successit A.C. 786. regnavit annos 23. Irene, Constantino & Nicephoro in Oriente; Carolo M. in Occidente, rerum potitis. Bello contra Nicephorum nimiùm felix. Romaniam ingressus cum ingenti exercitu, Tyanis & aliis in urbibus, ædes Muhammedicæ impietati dicatas erexit. Cum Carolo M. amicitiam coluit: extinctus A.C. 809. Sub eo Imperium Saracenicum culmen attigit. Post obitum ejus Saraceni Africani Siciliam & Corsicam & Sardiniam aliasque Italiæ regiones devastarunt: ipsa urbis Romæ suburbia deprædati.

Imin.

Mamon A.C. 813.

Mutetza, A.C. 833.

Aharun II. Elvvathak, A.C. 841.

Methucal A.C. 846.

Mutnatzar A.C. 861.

Elmustein A.C. 862. cujus tempore *Chaliphatus* divisio facta, Tolone à Turcomanis constituto Rege Ægypti & omnis Syriæ. Leunclavius autem statim ab obitu Aharunis I. Imperium hoc vastum lacerari ac dissipari cœpisse, ait, *Historiæ Musulm. lib.* 1. Unde Scriptores *Historiæ Turc.* Chaliphatum seriem in Aarone illo claudunt. Certè post extinctum Aaronem, seditionibus intestinis agitatis Saracenis, Soldani & alii terrarum Principes *Chaliphis* obsequium negare, *Chaliphatus* ipse in Bagdadensem & Damascenum (ut alios minores taceam) dividi, iidemque à Christianis maximâ ditionum parte exui, cœperunt, eoque redigi, ut de Muhammedana superstitione actum videretur: ni fatalibus Occidentis divisionibus, Turcis Arabum successoribus, jam Musulmannâ superstitione imbutis, ad erecta Muhammedanis recuperanda, occasio fuisset præbita, &c. V. Jo. Forbesium *Instructionum Historico-Theologic. Lib. IV. capp.* 17. *&* 18.

Chalonitis, Græcè Χαλωνῖτις, apud Strabonem, ubi de lacu Thonitis, Μετὰ δὲ τὸ μυχὸν λίμνης, εἰς βάραθρον ἐμπεσὼν ὁ ποταμὸς, καὶ πολὺν τόπον ἐνεχθεὶς ὑπὸ γῆς, ἀνατέλλει κατὰ τὴν Χαλωνῖτιν. Et Plinium *lib.* 6. *cap.* 26. *Jungitur* Chalonitis *cum Ctesiphonte, ad eam pervenit Zagrus mons, ex Armenia inter Medos, Adiabenosque veniens supra Paræsacenen.* Pro *Chaonitide* quibusdam, quam ab urbe Χαωνία id nominis sortitam volunt. Salmasius verò utrobique, Χαλωνῖτις retinendum esse docet, ut quæ à Chaonitide diversa. Hæc enim regio Mediæ, illam disterminat à Media mons Zagrus. Meminit ejus Isidorus quoque *in Mansionibus Parthicis*, Ἐντεῦθεν ἡ Χαλωνῖτις, χοῖνοι κα', ἐν ᾗ κώμαι ε', ἐν αἷς σταθμοί, πόλις δὲ Ἑλληνὶς Χάλα. Ubi memorat urbem Χάλα, à qua regioni nomen. Idem paulo pòst, ὅρος ὁ καλεῖται Ζάγρος, ὃς ὁρίζει τὴν Χαλωνῖτιν χώραν καὶ τὴν τῶν Μήδων. In ea Tigrim, post egressum Thonitis lacus, in cuniculos mersum, rursum erumpere facit Strabo. Quod cùm circa Nymphæum fieri dicat Plinius, inde colligere est, in *Chalonitide* fuisse Nymphæum, &c. V. Salmasium *ad Solinum pag.* 693.

Chalybonitis, adde: Vino suo celebris, quod adeò eximium fuit, ut Persarum Reges aliud nullum biberint, Strabo *lib.* 15. ubi per opulentiam Reges illos eò luxuriæ prolapsos esse ait, ὥστε πυρὸν μὲν ἐξ Ἄσσου τῆς Αἰολίδος μετιέναι, οἶνον δὲ ἐκ Συρίας τὸν Χαλυβώνιον, *ut triticum advehi juberent ex Asso Æolidis, & vinum ex Syria Chalybonium.* Unde Plut. de Fortuna Alex. *lib.* 2. Οὐδὲ τρυφαὶ Μηδικαὶ, καὶ τράπεζαι καὶ γυναῖκες, οὐδὲ Χαλυβώνιος οἶνος, *Neq; deliciæ Medicæ, & mensæ & mulieres, neque* Chalybonium *vinum.* Cujusmodi vites Damasci propagatas fuisse, Persis, h. e. Assyriis (ut hi populi à Græcis promiscuè sumuntur) procurantibus, docet ex Posidonio Athenæus *lib.* 1. *cap.* 22. idque in vico circa urbem *Chelbon* dicto, uti conjicit Bochartus. Hinc *Vinum Chelbon*, & *lana rutila*, quibus Damasceni Tyrias nundinas maximè insigniverint, memorantur Ezech. *cap.* 27. *versu* 18. ubi *vinum Chelbon*, est vinum ex *Chelbone* seu *Chalybone*, quomodo Græci efferunt. V. Sam. Bochartum *Hierozoici Part. prior. lib. II. cap.* 45.

Cham, adde; Historicè nempe Ammon ipsissimus *Cham* fuit, Physicè verò Sol, in quo & cum quo Cham cultu mixto colebatur; unde & ei nomen. Sol enim Hebræis חמה, *Chama*, unde & fortè *Hama*, veterum Saxonum Numen, de quo Fabricius *in Saxon. sua*, ipsum Solem fuisse, ait: Quemadmodum & inde [illegible] חמנים, *Chamanim*, & Deus *Amanus* sive *Omanus*, uti vult Vossius *de Idolol. lib.* 2. *cap.* 11. quem, hac de re pluribus agentem, adeat qui volet. Cæterùm *Cham*, cum posteritate sua, inprimis tamen Chenaane filio, undis diluvii extinctam sectam Kainiticam, in lucem revocare cœpit: unde genus humanum iterum in duas sectas, *Sethianos & Kainitas* divisa est; quarum prior in sola Noachi familia, neque tamen inter omnes, neque diu permansit: Posterior à Chamo & Chenaane excitata, longè latèque se extendit, V. Lactant. *lib.* 2. *cap.* 14. Japhetiis quoque & Semitis in sua castra pertractis: præcipuè tamen, rerum potiente Nimrodo, invaluit. Fuit autem hæc planè Epicurea, consistens in abnegatione Providentiæ divinæ & immortalitatis animarum. Tunc & artes illicitæ ortæ sunt, ac Philosophia in Sataniam Magiam tota degeneravit, quâ inprimis filius Chami Chus excelluisse dicitur: Unde *Chamus* Græcis Zoroastres & Jupiter Hammon creditus, mansitque Philosophia per plurimas ætates cum Magia conjuncta. Georg. Hornius *Hist. Phil. lib.* 2. *cap.* 9.

Cham & Chan, V. suprà, in *Caganus, Can, Canis.*

Chamædaphne, Græcè Χαμαιδάφνη, Alexandrea laurus est dicta, Dioscoridi, Χαμαιδάφνη, οἱ δὲ καὶ ταύτην Ἀλεξανδρείαν καλοῦσι, & Stephano; quorum ille *Chamædaphnæ* hoc proprium tribuit, quòd fructum ferat, τοῖς φύλλοις ἐπιπεφυκότα, i. *in tergo foliorum adnascentem*, quod idem de Alexandrea tradidit, quam ait gestare fructum ἐπὶ μέσοις φύλλοις. Eadem & *Daphnoides* nonnullis. Quæ tria tamen manifestè alii distinguunt, cognominibus interim non rarò confundentes. Alexandrea certè laurus, *Stephanos Alexandri* cognominata est, quòd eâ coronari solitus esset Alexander: & coronariam quoque ac topiariam *Chamædaphnen* Plinius facit *lib.* 21. *cap.* 11. *Vinca pervinca semper viret, in modum lineæ foliis geniculatim circumdata topiaria herba, inopiam tamen florum aliquando supplet, hæc à Græcis* Chamædaphne *vocatur.* Verùm hæc descriptio clematidis est, longè diversæ ab ea Chamædaphne, quam Dioscorides & Stephanus eandem cum Alexandrea faciunt. Chamædaphne quippe illa, cubitales virgas à radice producit, fructumque rotundum, rubentem & foliis adnatum. Nihil tale in vinca pervinca: quæ cum illa nil, nisi folium lauro simile, commune ac indiscretum habet. Unde & Δαφνοειδὴς utraque cognomen meruit: sed Alexandrea *Chamædaphne* propriè vocata est, clematis autem Δαφνοειδὴς, &c. Quâ de re V. plura apud Salmasium *ad Solinum pag.* 403. & 404. ut & suprà, ubi de *Alexandrea Lauro.*

Chamæleon, ut habet Tertullianus *de Pallio cap.* 3. *pellicula vivit, capitulum statim à dorso, nam deficit cervix, itaque durum reflectit: sed circumspectu emissitii ocelli, imò luminis puncta vertiginans, hebes, fessus vix à terra suspendit, molitur incessum stupens & promovet, gradum magis demonstrat, quàm explicat, jejunus scilicet semper & indefectus: oscitans vescitur, follicans ruminat, de vento cibus. Tamen &* Chamæleon *mutare totus, nec aliud valet: nam cùm illi coloris proprietas una sit, ut quid accessit, inde suffunditur: hoc soli chamæleonti datum, quod vulgò dictum est, de corio suo ludere.* Ubi vide quæ Salmasius eruditè adnotat. In Africa multum reperiri tradit Plinius, frequentiorem in India: Hodie in Syria, Ægypto & Arabia inveniri ajunt. In vineis sub pampino reperiri, addit Tertullianus: *At cùm offenderis apud vineam pene sub pampino totum, videbis illico audaciam & Græci jam nominis.* Inter folia rhamni alterius in Ægypto plurimum offendi, testantur ex Neotericis quidam. Figurâ & magnitudine lacertæ esse, scribit Plinius *lib.* 8. *cap* 33. Cassiodorus parvorum serpentium generi dicit consimilem; Aristoteles ὅλον τὸ σχῆμα τοῦ σώματος σαυροειδὲς similiter facit. Quare mirum, eundem Plinium *lib* 28. *cap.* 8. crocodilo Ægyptio Niliaco magnitudine comparare. Sed decepit eum Democritus, qui lib. peculiari *de Chamæleonte*, illum κροκοδείλῳ τῷ χερσαίῳ ἴσον εἶναι, *crocodilo magnitudine parem esse* scribit; verùm Jones, quorum linguâ is usus, κροκοδείλους *lacertas* vocare, docet Herodotus disertis verbis *Musâ* 2. Cauda tamen amplior ac prolixior, atque in vertiginem torta, Chamæleonti; in cujus dorso porro spina eminet ac recurvatur, ut piscibus: at lacertæ dorsum planum est. Sed & ei crura recta, & longiora, quàm lacertæ: rostrum haud absimile suillo, &c. Quam in rem V. quamplura apud eundem Salmasium *ad Solinum pag.* 873. *& seqq.* nec non apud Jac. Sponium *Itinerar. Græciæ*, ubi varietatem colorum, quibus subinde *Chamæleon* seipsum distinguit, ab animi passionibus, ira, metu, &c. quibus variè agitatur, ingeniosè arcessit: De herba verò cognomine, Salmasium iterum *l. c. pag.* 302. *& seqq.*

Chamæleon Aqueus, in Musæo Kircheriano, Romæ. Etenim jucunda differentium aquarum præcipitatione Auctor Musei, dumque in differentes colores liquores transmutat, eosdem alia mox alterius aquæ præcipitatione semper ad pristinum statim reducit, modo tali, ut duobus claris liquoribus mixtis, atrus evadat aquæ color, cui, si alias guttulas alterius indas, in atramentum nigrescit, ad pristinam claritatem reditura, mox alterius speciei aquâ additâ. Aliis verò aquis claris primo permixtis in candidum lac se mutant, quarum tertiâ admissâ ambæ nigrescunt. Videtur sic vere *Chamæleontum* more quascunque impressiones assumere, ac iterum dimittere, soláque simplici

commixtione

commixtione varios exhibere ludentis artis in rerum natura jocos. Georg. de Sepibus *in Collegii Rom. S. J. Musæo pag.46.* V. quoque Athan. Kircherii *Mundum Subterraneum.*

Chamapi, Parochi & Paranymphi, apud Romanos, dicti sunt amici vel consanguinei, quorum duo Sponsam, nocturno tempore, flammeo velatam & carpento seu pilento vectam, in domum mariti futuri deducebant ac comitabantur. Thom. Dempsterus *in Joh. Rosini Antiqq. Rom lib.2. paralipom. ad cap.19.* Meliùs *Chamapus*, Græcè Χαμαίπους, sponsa (ut dictum in hac voce) quæ *pedibus* incedebat. Nobiliores enim Græcorum sponsæ rhedâ ad Sponsum vehebantur, cujus rhedæ axis pro foribus comburebatur, argumento constantiæ ac moderationis: ne conjunctionis alienæ, neve novi conjugii fluctuantem animum occuparet cogitatio, neve hac illac evagandi, quod vitium est fœminis maximè familiare, caperet impetus. Jul. Cæs. Scaliger *Poetices lib. 3. cap.101.*

Chametæra, apud Plinium *lib.36. cap 5.* ubi inter Praxitelis ex marmore opera, recenset *Vestam sedentem laudatam in Servilianis hortis, duasque* Chametæras *circa eam, quarum pares in Asinii monumentis*: quibusdam est scortum, cùm ἑταίρα Græcis plerumque id notet. Verùm quoniam Vestæ pudicitiæ minimè conveniret, socias ei fœminas istiusmodi infames adjungere, reddunt alii vocem, *sociam humi sedentem*, non in sedili, à Græco χαμαὶ, *humi* & ἑταίρα, *socia.* Nisi quis putet in facie comitum Vestæ expressisse Artificem, meretricum duarum, quas sectabatur, imaginem. Quidam verò & *Commotrias* legunt, h. e. *Ornatrices.* Dalechampius *ad l.*

Chameunia, Gr. χαμευνίαι, humi cubationes, *culcitæ humi stratæ*, apud Julianum Antecess. *Nov 4. cap.4.* quibus Ascetæ olim Hebræorum Christianorumque usi, ut somno parciùs defungerentur. V. suprà.

Chapotensis Moneta, apud Scriptores rerum Gallicarum species antiquæ monetæ, quam cum *Chato* eandem fuisse conjicit du Fresne; qui *Chapotenses* contractè, quasi *Chatos Pictavenses*, Gall. *Chats de Poitou*, quòd apud Pictones potissimum cuderentur, dictos putat, *in Glossar.*

Characmoba, adde: A' nonnullis Arabiæ accensetur. Stephanus, Χαρακμῶβα πόλις τῆς νῦν τρίτης Παλαιστίνης, ἣν ὁ γεωγράφος Πτολεμαῖος ἐν γεωγραφικῆς ἐν πέμπτῳ βιβλίῳ ἐν ταῖς Ἀραβικαῖς. *Characmoba urbs nunc tertiæ Palæstinæ, quam Ptolemæus Geographicorum quinto inter Arabicas numerat.* Nempe pars Arabiæ Petrææ in nomen ac censum tertiæ Palæstinæ cum tempore concessit: *Characmoba* autem haud longè à Petra opp. unde Arabiæ illi nomen. Aliàs Μωβοχάραξ, seu conjunctim Μωβουχάραξ: sicut Χαραξσπασινοῦ & Σπασινοχάραξ, inter Tigris & Eulæi fluminum ostia, à Ptolomæo memoratur. Est autem χάραξ, propriè φραγμὸς, seu ὁ ἐν φραγμῷ, *vallum* seu *locus castrorum*, quod Latini recentiores *Sudatum* dixere: unde plurimis urbibus nomen indi consuevisse, dicemus infrà in voce *Charax.*

Characteres Magici, Lutatio *Malefici*, qualibus ab initio rerum Magices vetitæ studiosi homines mala multa bonis sibique invicem intulerunt, *infaustæ figuræ* appellantur Statio *Thebaid. lib.2. versu 277.*

—— —— *unaque operum Telchines amici*
Certatim juvere manu; sed plurimus ipsi
Sudor. ibi arcano florentes igne smaragdos
Cingit, & infaustas percussum adamanta figuras,
Gorgoneosque orbes ——

Qua de re notarunt multa viri docti, studio illustrandæ Antiquitatis, multis se malignisque futilis suspicionibus vulgi exponentes. Divinum verò, quodque ægre vel omnino non homo ullus perfecerit, *Adamantem* signare pro moneta. *Percussum* enim eam rationem indicat, quòd monetis faciendis verbum sit peculiare, uti patet ex Vopisco in *Firmo*: Juvenalis *ferire* dixit *Sat.7. Inscribere* Claudianus *Rufin lib.2.*

Inscribi propriis aurum fatale figuris.

Characteres, sequior ætas. V. Barthium *Animadversion. ad Statium d. l.* & in hanc rem plura infrà, in voce *Magia.* Magos imitati sunt Hæretici, qui hujusmodi characteribus inconditis insolitisque credulum vulgus ad superstitionem pellicere non raro conati sunt, de quibus, V. aliquid, ubi de *Basilidianis, Borboritis*, &c.

Charadros, apud Papin. Statium *Thebaid. lib.4. versu 46.*

Quaq; pavet longâ spumantem valle Charadron
Neris ——

Fluvius est Peloponnesi, suo Neris opp. allachatur. Lutatius, *Neris Civitas Peloponnesi, quæ fluvio* Charadro *circa eunte cingitur.* Fuit autem Neris civ. Messenes memorata Stephano, qui idem & *Charadri amnis* meminit, ut & Pausanias *Messeniacis*: Qui & *Charadrum torrentem* celebrat *Corinthiacis*: & *amnem Charadrum, Achaicis*; ex quo potantia pecora maximam partem credita fuerint marem sobolem gignere, ideoque ad eum non nisi bovinum pecus agi consuetum, quòd ad opera boves mares aptiores sint, quàm fœminæ. Alius est torrens, qui tanta vi procedit, ut natantia etiam saxa avertat, dictus eidem Statio *Thebaid. lib. cit. versu 7.2. & 1079.*

Aret Lerna nocens, aret Lyrcius, & ingens
Inachus, advolvensque natantia saxa Charadros,
Et nunquam in ripis audax Erasinus & æquus
Fluctibus Asterion, ille alta per avia notus
Audiri, & longè pastorum rumpere somnos.

Quibus ultimis verbis *Charadrum* eundem innui, docet Barthius *ad l.* Idem nomen urbis, V. in voce *Charadrus.* Græcis χάραδρος & χαράδρα, propriè *fossa* est, seu *portus fossitius*, unde ille in Cilicia χάραδρος λιμὴν καὶ ἐπίνειον. Sic *Charadrum Ambraciæ*, pro portu, dixit Ennius: quod & fortè nomen Ambraciæ portui fuerit. Salmasius *ad Solinum pag.1108.* Indidem & *Charadrio* avi nomen, quòd ἐν ταῖς χαράδραις, *in hiatibus prope amnes & torrentes*, nidificet, quasi *hiati - cola*, uti vocem Gaza reddit, apud Philosophum *Histor. lib 9. cap.19.* V. quoque Aristophanis Scholiastem *in Avibus.* Unde, cum apud eundem Nephelococcygiam urbem aves in *Nubibus* ædificent,

Ὕδωρ ἐφόρουν κάτωθεν εἰς τὸν ἀέρα
Οἱ χαραδριοὶ, καὶ τ' ἄλλα ποτάμι' ὄρνεα.
Aquam ex inferioribus locis in aerem portabant
Charadrii, & aliæ aves fluviatiles, &c.

V. Sam. Bochartum *Hierozoici Parte poster. pag.340.*

Charax, Armeniæ min. oppidum, adde: Primigeniâ notione χάραξ Græcis *fossam* notat, ἀπὸ τοῦ χαράσσειν, quod est *cavare & fodere.* Inde *vallum*, porro *exercitus vallo inclusus* vel *castra*: unde multis urbibus ac locis nomen hæsit, in quibus aliquando exercitus castra metati essent. Sic præter ea quæ diximus in hac voce; *Charax*, urbs Parthiæ fuit, in quam Mardos errones coegit Phraates: item alia ad Persicum Sinum, quæ & Σπασίνου χάραξ, alia in Palæstina, quæ & Μώβου χάραξ, & Χαρακμῶβα, V. suprà. Quo modo multis in Europa urbibus *Castrorum* nomen factum est, quæ hodieque id nomen retinent. Et Pasagardas, Persiæ urbem, Anaximenes dictos voluit, quasi Περσῶν στρατόπεδον, *Persarum Castra.* Ibi enim Medi & Astyages à Persis victi, Cyro duce. *Gidgad* item locum vocitatus est. Numerorum *cap.33.* in quo castra metati sunt Israelitæ; ab Hebr. גדוד *exercitus*, &c. Latini recentiores χάρακα, *sudatum* dixere, à *sude*: sed & Græci citeriores Σοῦδαν appellant *fossam.* Quia enim castra vallo & fossâ circumcingebantur, alterum pro altero sumpsere. Salmasius *ad Solinum pag 1202. & 1203.*

Charibael, Græcè Χαριβαὴλ, Hemeritarum & Sabaitarum seu Sabæorum Rex, apud Auctorem *Peripli*: de quo V. Salmasium ubi suprà *pag.496. 498. 499. & 1186.*

Charistæ columnæ apud Jul. Capitolinum in *Gordianis*, & Isidorum in *Origin.* pro *Carystiis.* V. in *Carystos.*

Charistha, Græcè Χάρισθα, opp. Arabiæ, apud Salmasium *ad Solinum pag 491.*

Charitas, V. suprà *Caritas.*

Charitatis Familia, nomen, quod sibi nefariæ vett. Gnosticorum sectæ reliquiæ quibusdam in locis, sumunt. Postquam enim à Simeone Mago Gnostici prodiere, quorum inter alia dogmata furoris plena illud inprimis fuit, *liberè omnia agenda esse, nullum in ullo timorem habentibus*, Irenæus *lib.1. cap.1.* infamem hanc hæresin, sub Gratiano Imp. A.C.381. amplexi sunt in Hispaniis Priscillianus ejusque asseclæ: intermortuam postmodum resuscitarunt, seculo præt. ex Anabaptistis illi, qui se *Spirituales* dicebant, vulgò *Libertini* nuncupati: Cujus nefariæ sectæ reliquiæ adhuc esse dicuntur, in quibusdam locis, apud scelestos quosdam homines, qui *Charitatis Familiam* sese vocitare consuevere. V. Joann. Forbesium *Instructionum Historico - Theologic. Lib. XII. cap.9.*

Charites, adde: *Blandæ Sorores* dicuntur Statio *Thebaid. lib. 2. versu 286. Ab officio omnia blanditiis & amoris suavitate conciliandi*, ut habent Scholia prisca. Quod officium in tres sorores illas sic dispertit Martianus Capella *lib.2. Præterea tres puellæ, vultu decoreque parili ac æquâ venustate, luculentæ fertis, religatæ invicem manus, rosarumque speciosis redimitæ, ad Virginem convenere. Quarum una osculata Philologiæ frontem, illic ubi pubem ciliorum discriminat glabella medietas, alia os ejus, tertia pectus apprehendit. Prima, ut — latos oculis afflaret honores. Secunda gratiam ejus linguæ inspirabat, animo tertia caritatem.* Sine his enim nihil come constare mortalibus putabatur. Hinc Theocritus, eatum neglectarum *Eidyllio*, quod totidem verbis nostro ævo opprobrium canit, illud his verbis claudit:

—— —— ἢ γὰρ Χαρίτων ἀγαπατὸς
Ἀνθρώποις ἀνυπόδετος; ἀεὶ χαρίτεσσιν ἅμ' εἴην.

Ut verò Majestas Comitati constaret, Veneri famulas, Junoni filias, honorabilitati vetustatem postponens finxit Antiquitas. Coluthus ad Junonem,

Φασὶ μὲ, μῆτερ Ἔρωτος, ὑπ' ὠδίνεσσιν ἀέξειν,
Ἣ ὑπόκειται Χαρίτων ἱερὸς χορὸς ——

Idem nutricem illis dat eandem,

Ἥρην μὲν Χαρίτων ἱερῶν ἐπίκουρον ἐδάσσω.

Quam eandem *Eunomies* nomine intelligit Orpheus *Hymno Charitum*, &c. V. Casparum Barthium *Animadvers ad Statium Part.2. pag.439.* Inter Socratis opera ex marmore, *Charites* celebrantur Plinio *lib.36. cap.5. Non postferuntur & Charites in propylæo Atheniensium, quas Socrates fecit, alius ille, quàm pictor, idem ut aliqui putant.*

Charivarium, Gall. *Charivary*, *ludus turpis eſt ac nocivus, per quem nuptiis potiſſimè ſecundis detrahitur non modicum - & efficitur cum horridis & blaſphemis vociferationibus, & obſcœna loquacitate, ſub turpi transfiguratione larvarum injurioſarum, contumelioſisque clamoribus binarum nuptiarum*,&c. in *Synodo* Joann. Baguier Epiſcopi Trecenſis. Efficitur autem ſtrepitus iſte, ante ædes neogamorum, nec ceſſat priuſquam moleſtia hæc aliquo pretio redimatur. Triduum integrum perduraſſe in nuptiis viduæ cujuſdam, cujus maritum (qui, cùm alienigena eſſet, clam more hoc vulgi, tympanorum ac buccinarum ſtrepitu, maneque inventis ad portam cornibus appenſis, perculſus uxorem, tanquam publicum ſcortum eſſet, jamjam occiſurus erat) coactis hanc in rem fide dignis teſtibus, de conſuetudine loci, moneri neceſſum fuerit, in Terra Arcis Prioræ prope Tuſculanum, adnotatum videas apud Car. Macrum in *Hierolexico*. Prohibitus jam olim ſub pœna excommunicationis, in Concilio Turon. A. C. 1445. *Inſultationes, clamores, ſonos & alios tumultus, in ſecundis & tertiis quorundam nuptiis, quos* Charivarium *vulgò appellant, propter multa & gravia incommoda, fieri omnino prohibemus, ſub pœna excommunicationis.* Vocis etymon du Freſne arceſſit, à *caria* ſeu *cary*, de quo ſuprà. Græcam verò vocem eſſe ex κάρα, *caput*, & βαρὺς, *gravis*, conflatam, contendunt Macri Fratres.

Charlatani & *Saltimbanci*, dicuntur hodie Medicorum circulatorum id genus, quos Græci περιοδευτὰς appellabant, Latini vett. *Pharmacopolas*; quos non tantùm ſimplicium medicamentorum fuiſſe propolas, ſed & ipſos remedia miſcuiſſe ac venditaſſe, dicemus infrà. In vet. *Inſcr.*

—— *Medicus fora multa ſequutus:*

eſt Medicus hujuſmodi circumforaneus ac circulator, ſeu περιοδευτής: Unde περιοδεύειν Infima Græcia, pro *ſanare* & *curare* dixit, eo modo ſc. quo Περιοδευτὴς iſtiuſmodi curat. Salmaſius *ad Solinum pag.*10 0.

Charmadas, Philoſophus memoriâ feliciſſimâ celebris, memoratur Plinio *lib.*7. *cap.*24. *Charmadas quidam in Græcia, quæ quis exegerat volumina in Bibliothecis, legentis modo repræſentans — quæ Ars — inventa eſt à Simonide Melico, conſummata Metrodoro Sceptio.* Ubi vulgo *Charmidas*. Sed Græcum ὁ Χαρμης & Χάρμας; unde Χαρμάδας: ut Χαρμίδης ἀπὸ τοῦ Χαρμου. Ejuſdem meminit Cicero *Tuſculan.*1. & *de Oratore lib.*2. *Vidi enim ego ſummos homines & divinâ propè memoriâ, Athenis* Charmadan, *in Aſia quem hodie vivere ajunt, Scepſium Metrodorum.* Ubi aliàs *Carneadem* habetur. Item Pictor inſignis apud Plinium *lib.*35. *cap.*8. *Simul apparet, multo vetuſtiora principia eſſe, eosque, qui monochromata pinxerunt, quorum ætas non traditur aliquanto ante fuiſſe, Hygiemontem, Dinian*, Charmadam, *qui primus in pictura marem fœminâ diſcrevit, Eumarum etiam Athenienſem* &c.

Charme, ſeu *Carme*, mater Britomartis, ex Jove. Diodorus Sic. *lib* 5. Βριτόμαρτιν δὲ, τὴν προσαγορευομένην Δίκτυνναν, μυθολογοῦσι γενέσθαι μὲν ἐν Καινοῖ τῆς Κρήτης ἐκ Διὸς καὶ Κάρμης. Meminit ejuſdem Scriptor *Ciris*: item Pauſanias, cujus verba *ad Cirin* protulit Joſ. Scaliger, nec non Antonius Liberalis, eidem nominatus. V. quoque Caſp. Barthium *Animadverſ. ad Papin. Statium Part.*3. *pag.*1 45.

Charmione, adde: Græcè Χάρμιον ſcribitur, vel Χαρμιόνη, vel Χαρμιονὴ. Plut. *in Antonino*, Εἰρὰς ἡ Κλεοπάτρας κουρεύτρια καὶ Χαρμίον, ὑφ' ὧν τὰ μέγιστα διῳκεῖτο τῆς ἡγεμονίας, *Iras Cleopatræ tonſtrix & Charmion, à quibus maxima Imperii negotia adminiſtrabantur.* Et infrà, ubi de morte Cleopatræ, Τῶν δὲ γυναικῶν ἡ μὲν Εἰρὰς λεγομένη πρὸς τοῖς ποσὶν ἀπέθνησκεν, ἡ δὲ Χάρμιον, ἤδη σφαλλομένη καὶ καρηβαροῦσα, κατεκόσμει τὸ διάδημα περὶ τὴν κεφαλὴν αὐτῆς, *Mulierum ejus, quæ vocabatur Iras, ad pedes ejus exſpiraverat: Charmion autem, jam lapſabunda & capite gravata, caput illius diademate exornabat.* Galenus, pro Εἰρὰν, habet Νάειραν, Χάρμιον verò Καρμιόνην vocat, & illam comam Cleopatræ decenter implicaſſe, hanc extremos ungues dextrè præcidiſſe, refert, *de Theriaca ad Piſonem lib* 1 *cap* 8. Tzetzes *Chil.*6. *Hiſtor.* iterum paulo aliter,

Τῇ Κλεοπάτρᾳ τῇ σοφῇ, τῇ καὶ ὡραιοτάτῃ,
Καὶ ὑπὲρ λοιπὰς δὲ σύμπαντα πασῶν ἐξοχωτάτῃ
Πρὸς ἐπιμέλειαν τριχῶν καὶ τῶν ὀνύχων, ἦσαν
Χαρμιανὴ καὶ Τάειρα,
Cleopatræ ſapienti ſimul & formoſiſſimæ,
Et ſupra reliquas omnes mulieres longè præſtanti,
Ad curam capillorum & unguium erant
Charmiuno *& Taira.*

E quo pro Εἰρὰς, apud Plut. & Νάειρα, apud Galenum, Τάειρα, reponit Bochartus, docetque utramque vocem Syram eſſe, & Τάειρα quidem *avem*, Χάρμιον verò *columbam vineæ*, denotare, *in Hierozoico Parte poſter. lib.I. cap.I. pag.*2. *col.*2.

Charmodara, opp. Comagenes, ad Euphratem, cujus meminit Ptolemæus, Καὶ παρὰ τὸν Εὐφράτην ποταμὸν Χολμαδάρα, Σαμόσατα, Ἀρσαμεία. Et *Tabula* Peutingeriana, ubi, iter à Melitena Samoſata enarrans, manſiones ſic numerat,

Melitenis *Corne* XIIII.
Metita XII.
Glandia XLVI.
Barſalium VIII.
Heba XXX. (Ptolemæo Δέβα)
Charmodara XII.
Samoſata.

E quibus Deba, *Charmodara* vel *Cholmodara* & Samoſata, urbes erant Commagenes, omnes ad Euphratem poſitæ, per quas iter fiebat juxta ripam Euphratis, à Melitene Armeniæ min. Samoſata uſque, quæ fuit caput Commagenes. V. Salmaſium *ad Solinum pag.*629.

Charoniæ Scalæ, in Theatro veteri, machinæ ſimilis, non tamen machina erat, unde ſimulachra emittebantur, quemadmodum in *Hecuba* Euripidis. Sicut privatim quibus e locis exiliebant Erinnyes, Ἀναβαθμοὶ, *gradus imi*, quales in Oedipo & Oreſte, & Athamante, & Amata Scaligeri. V. hunc *Poëtices lib.* 1. *cap.* 21 *ubi de Theatro.*

Charſaci, nomen quo Perſæ à Scythis inſigniti. V. infrà *Chorſaci.*

Charſan, apud Alkazuinium Arabem, *animal eſt hædi ſtaturâ, ad curſum agile, unum in capite cornu habens, ut cornu monocerotis, pernicitate pedum ſuper omnes feras, in Segeſtanæ & Bulgariæ ſylvis*: Damir ungues Leonis ei addit, refertque nullâ ratione à venatoribus capi poſſe, niſi virgo ei incorrupta objiciatur in cujus gremio requieſcens ſoporetur. V. quoque Iſidorum *Originum lib.*12. *cap.*2. Euſtathium *in Hexaëm. pag.*40. Petrum Damianum *lib* 2. *Epiſt.*18. Albertum M. Tzetzem *Chiliad.*5. *cap* 7. Alios. Cui fabulæ toties jactatæ & tot modis interpolatæ, dedit occaſionem, quòd Vett. monocerotem ſcripſerant, ſolitarium eſſe animal, & marem à fœmina plerunque diſſidere: certo tamen anni tempore fœminæ amore manſueſcere & cum illa paſci, Ælianus *Hiſtor. lib.*16. *cap.*20. & Phile *cap.*36. Itaque ad puellas translatum eſt, quod à vett. de fœmina monocerotis traditum fuerat. Pertinet ad Borealem hunc monocerotem, quæ citat Geſnerus *cap. de Oryge*, ex *Epiſtola* Antonii Schnebergeri, de rupicapris unicornibus, Polon *Skalnakoza*, in Carpatho monte, verſus Ruſſiam Tranſſylvaniamque, degere ſolitis, unde Cracoviam, in Aulam Regiam, à venatoribus ſæpe deferantur, V. Sam. Bochartum *Hierozoici Parte prior. Lib.III. cap.*26.

Charta. Voſſio aliud, aliud *papyrus* vel *biblus*. Papyrus materia, ex qua *charta* fieret: cui nomen non datum, niſi cùm Epiſtolis ſalutatricibus inſervire cœpit. Etenim Χάρτης Græcum à χαίρειν, i. *gaudere, ſalvere*, ut ad verbum notet *ſalutator*. Unde Epiſtolam ſic circumſcribit Martialis *lib.*9 *Epigr.*105.

Charta *ſalutatrix ſi modò vera refert*

Primus autem Cleon, teſte Luciano *pro lapſ. in ſalut.* & Laërtio *in Plat.* in Epiſtolis Χαίρειν uſurpavit: quo rejecto primus τὸ πράττειν, prætulit Plato. Plato *in Charm.* & *Epiſt.*3. Modum conficiendæ ex papyro chartæ, docet Plinius *lib.* 13. *cap* 11. & 12. *Præparantur ex papyro chartæ, diviſo acu in prætenues, ſed quàm latiſſimas, philyras.* Ubi clarè Plinio papyrus eſt totus ſcapus ſive caulis, ex cujus libro plures philyræ fiebant. Unde ſequitur. *Principatus medio, atque inde ſciſſuræ ordine*: pro quo poſtea dicit. *Proximarum ſemper bonitatis diminutione uſque ad deterrimas.* E quibus cognoſcimus, uti cæpa tunicas habet multas, quas acu meliùs, quàm cultro dividas: ſic papyrum ſolere diſpeſci in tenues philuras, iis acu à ſe invicem ſeparatis, ita ut ſuo quæque ordine detraherentur. Porrò philuræ illæ acu ſeparatæ, ad modum cratis ſterni ſolebant, ſuper tabulam ſive aſſerem ligneum madentem turbidâ Nili aquâ, quæ contexebat ac conglutinabat plagulas. Id *contexere biblos* vocat Lucanus, quia nempe plagularum una ſtaminis, altera ſubſteminis inſtar ſe haberet. Similiter locutus Caſſiodorus *lib.*9. *Pulcrum planè opus Memphis ingenioſa concepit, ut uni verſa ſcrinia veſtiret, quod unius loci labor eleganter texuiſſet.* Ita verò contextæ plagulæ imponebantur prælo, ut humor exprimeretur: inde exemtæ exponebantur Soli, ut magis ſiccarentur; ſiccatæ digerebantur in ſcapum, qui ſummùm erat philurarum 20. uti hodie 25. Verùm nunc ita uſus obtinet, ut fere pro ſcapo dicamus *volumen papyraceum*: vulgò & *librum chartæ* nuncupant; pro philyra autem *folium* uſurpant. Sed de turbida Nili aqua quod dictum eſt, perpetuum non fuit. Nam initiò quidem ea affuſa fuit marginibus, ut jungerentur ſchedæ ſive philyræ papyri: poſtea verò pro Nili liquore uſi fuere vero glutino, unde duo hæc conjungit Firmus apud Vopiſcum, cùm ait; *Exercitum ſe alere poſſe papyro & glutino*, ſed de glutino V. *infrà*. Hodie iſta eſt conficiendæ *chartæ* ratio: Chartopœus, in mola papyracea, eam conficit è linteis vetuſtis, quæ in pulmentum contunduntur, quod normulis hauſtum diducit in plagulas aërique exponit, ut ſiccentur: harum 25. ut dictum, conficiunt ſcapum; 20. ſcapi volumen minus, horum 10. volumen majus: Plura apud Gerh. Ioh. Voſſium *de Arte Gramm. lib.*7. *cap.*37. *Charta* autem illa è linteis conceptis ac contuſis, jam ab aliquot fuit ſeculis, cùm mos è papyro eam efficiendi, jam Euſtathii deſierit ætate: utpote qui *Odyſſ.* Φ. chartas Veterum ξυλοχάρτια appellat, ad diſcrimen nempe earum, quibus vulgò utimur, ut Salmaſio monitum *Notis ad Vopiſcum.* Veteris verò chartæ, quæ ex papyro ab Ægyptiis fiebat, Ægypto demum in poteſtatem Græcorum redactâ & conditâ Alexandriâ, per Græciam vulgaris eſſe uſus cœpit: uſque dum ex æmulatione

inter

Inter Ptolomæos & Pergamenos Reges (qui de Bibliothecæ nobilitate certabant) Rex Ægyptius vetuit chartam Ægypto efferri. Tum Pergamenus R. ne ab studio priori remitteretur, curavit, ut membranæ, quarum antea rarior erat usus, frequentissimæ haberentur; quæ, quia optimæ afferebantur Pergamo, hinc *Pergamenæ* dictæ sunt. Unde patet, quo pacto intelligendus sit Plinius, qui *lib.13. cap.11.* ex Varrone refert: Pergami ab Eumene Rege inventas esse membranas, *supprimente* Chartas *Rege Ptolemæo.* V. iterum Vossium *cap. seq.* Bonitas autem *Chartæ* apud Vett. spectabatur ex ordine philyrarum, è quibus fiebat: principatus in medio, atq; inde scissuræ ordine, ut dictum. Ergo omnium deterrima, quæ ex proxima cortici exteriori philyra texebatur. Cujusmodi *Emporeutica* fuit, quæ, scribendo inutilis, involucris chartarum segestriumque in mercium usum inserviebat. Unde de *Chartis* salsamenta & pigmenta culinaria tegentibus, toties Martialis, &c. In evolvendis verò *Chartarum* voluminibus, Veteres partem adhuc inevolutam mento subjiciebant: primorem verò partem subinde explicantes ambabus tenebant manibus, simulque legebant, eam interim, quæ nondum erat explicata, sub mento convolutam tenentes. Hinc de *Charta virgine*, & quæ adhuc intacta erat, eam *mento tritam non esse*, dicebant. Horridior quippe fiebat manibus, & mento trita, excitatis inarum filamentis & fibris, uti latius videbimus infrà in voce *Mentum*. Sunt autem inæ tenuia Chartæ filamenta, Festo; *Enæ*, Empirico Marcello; quæ in Chartis usu detritis subrigebantur, & veluti barba, asperos reddebant libros, unde *Barbata Charta*, quæ inis excitatis inhorrescunt, apud Martialem: quam in rem V. plura apud Salmasium *ad Solinum pag. 392. & 1003.* ut & de tota *Re Chartaria, ad Vopiscum in Firmo*: adde quæ infrà dicemus passim, in vocibus *Papyrus, Scapus, Volumen, alibique.* De *Chartis* verò *per perticas pendentibus propter grandinem avertendam*, V. paulo infrà.

Variæ Chartæ apud Vett. genera.

Amphitheatrica, sic à loco, ubi fieret, appellata est: quâ quidam *Athribiticam* potiùs dictam vult sicq; legit apud Plinium, à præfectura Ægypti, cujus caput Athribis. Sed nihil impedit, quo minùs Amphitheatro additæ essent officinæ, in quibus, quando ludi nulli essent, chartæ fierent. Hæc in Ægypto curata recurabatur Romæ: cumque advecta solùm 8. esset digitorum, malleo ita extendebatur, ut novem fieret; ac dicebatur tum Fannia, V. hic infrà, ut & in voce *Hieratica.*

Athribitica, V. hic *suprà.*

Augusta, ex Hieraticæ itidem speciebus una, cui ab Augusto Cæsare nomen, lata fuit digitorum 13. Apud Isidorum *Orig. lib.6. cap.10.* malè *Augustea* dicitur.

Barbata, V. suprà.

Claudia, à Claudio Cæsare appellata est, qui cùm Augusta, ob tenuitatem, vix calami mucronem ferret, chartam reperit tenuiorem Livia, minus tenuem Augusta.

Corneliana, Plinio præterita, nomen habuit, teste Isidoro *l. c.* à primo ejus Auctore Cornelio Gallo, Ægypti Præfecto, quem Maro celebrat *Eclogâ* 10.

Emporetica seu *Emporeutica*, infimæ dignitatis erat, hinc dicta, quòd el Ἔμποροι seu *Negotiatores* eâ merces involverent. Scribendo enim erat inepta & ex scheda fiebat, cortici proximâ: 6. solùm digitorum.

Fanniæ seu *Fanniana*, à nobili illo Grammatico Rhemnio Fannio Palæmone, qui chartarum habuit officinas, nomen traxit Amphitheatrica, postquam illa Romæ recurata est, ut dictum. Interim Fanniam 10. fuisse digitorum, notat Vossius. Pretium ejus, suprà Saiticam, sed infra Augustam, Liviam & Claudiam.

Hieratica dicta est quæ majoris formæ esset; quia hac Annales, Rituales, aliique libri sacri ab Hierophantis scriberentur. Unius formæ non erat, ac generis: una enim Augusta, altera Livia dicta est; post quam Claudia ac Amphitheatrica fuit. Quæ verò simpliciter *Hieratica* dicebatur, digitorum fuit 11. Isidorus *Hieraticæ* tertium dat locum, post Augustam & Liviam.

Livia, altera species Hieraticæ, in honorem Liviæ Augustæ, dicta. *Liviana* quoque appellata est, & secunda Isidoro recensetur: qui eam *Libyanam* vocat, perperam sine dubio. Nempe ut iis temporibus *beneficium* pro *veneficiū* dixere.

Magna Charta quid sit, V. in voce *Magna.*

Plumbea. Suetonio *in Nerone cap* 20. laminæ plumbeæ dictæ sunt, quibus literæ olim incisæ. Quomodo & Lysimachus Alexandrinus locutus est, cujus meminit Flav. Josephus *advers. Appionem lib.1.* ubi inter cætera eum memorantem introducit, ut Bocchoris, Rex Ægyptius, Judæos leprâ ac depetigine laborantes jusserit *εἰς μολυβδίνους χάρτας ἐνδησαμένους, plumbeis chartis involutos*, in mare dari præcipites.

Saitica, cui nomen dedit Ægypti oppidum Sais, Minervæ cultu & Psammetichi R. sepulchro, inclytum, plebeja erat charta; quam proin Fanniæ postponit Plinius: eâ magis plebeja tamen Tæniotica fuit. Isidorus verò quartum locum Tænioticæ tribuit, quintum demum Saiticæ. Pauciorum digitorum Amphitheatricâ.

Tæniotica, charta erat magis plebeja Saiticâ, sic dicta, quòd propè Tæniam, id est, *ταινίαν στενήν, angustam fasciam*, quam inter Canopicam fossam & mare statuit Strabo, fieret. Hæc Saiticâ, ut dictum, deterior, adhuc tamen supra Emporeticam fuit, pauciorum quàm Saitica, digitorum. Isidorus verò eam loco reponit quarto, & à loco Alexandriæ, ubi fieret, dictam asserit. Quod valde adversatur Guilandino, qui *Taniotica* reponit, apud Plinium: ut nomen dederit Tanis, quæ nunc *Damiata*, & Nili ostio secundo, *Tanitico* dicto, adjacet. Sed *Tanitica chartæ*, inquit Vossius, *ante Guilandinum meminit nemo. Tæniotica autem legi debet, cùm in eo Plinii & Isidori codices consentiant,* &c.

Charta Caritatis, in *Annalibus* Francorum Victoriani MSS. *A. C.* 1108. *Hoc tempore facta est* Charta Caritatis *à S. Stephano Cisterciensi Abbate & aliis* 20. *Abbatibus, auctoritate sigilli Apostolici confirmata. Ab illo ergo tempore rejecerunt frocos, & pelliceas, flammia, capucia & feminalia, coopertoria & stramenta lectorum ac diversa ciborum in refectorio fercula & sagimen, & omnia, quæ probitati regulæ adversabantur, abdicarunt,* &c. Sic dicta est prima Cisterciensis Monasterii institutio, quòd *caritatem undequaque saperent illius decreta*, ut ait Clemens IV. vel, ut Calixtus II quòd *omnium tam Abbatum & Monachorum* (ejusdem ordinis) *quàm Episcoporum, in quorum parochiis prima illorum Monasteria constituta fuerant, consensu ac deliberatione communi, ac mutuâ caritate* sancita fuerint, apud Car. du Fresne ubi suprà.

Chartæ per perticas pendentes, propter grandinem, avertendam sc. superstitio, quæ prohibetur in *Capitulis* Caroli M. A.C. 789. *cap.*18.

Chartophylax, in Ecclesia Constantinopolitana, custos erat annuli Patriarchalis, quem ille à Patriarcha solenniter acceptum, in pectore gestabat; quemadmodum Magno Logothetæ vel etiam Accubitori palæ, cura annuli vel sigilli, quo literæ Imperatoriæ obsignabantur, commissa fuit. Et quidem de *Chartophylace* ita Balsamon *de privilegiis Patriarch pag.*458. Ἐγχειρίζει ταῦτα καὶ χρυσοῦν, ὡς αὐτὸς εἶπεν, δακτύλιον, καθὼς εἶπε Κύριος πρὸς Μωσῆν. Καὶ ἐπιθήσεις ἐπὶ τὸ λογεῖον ἐπὶ τὸ στῆθος τοῦ Ἀαρὼν καὶ ποιήσεις δακτύλιον χρυσοῦν καὶ συναρμολογήσεις αὐτὸν τοῦ λογείου τοῖς χείλεσιν, ἐφ' ᾧ δι' αὐτοῦ τὰς ὀνομασίας τῶν υἱῶν Ἰσραὴλ ἐγγράφεσθαι. Ποῖος δὲ οὗτός ἐστι, τὸ Πατριαρχικὸν βουλλωτήριον τὸ παρὰ τοῦ στήθους τοῦ χαρτοφύλακος ἀπῃωρημένον, ὡς εἶπε, δοχεῖον μαθήσεως λογικῆς παντοίας ἀναδειχθέν. *Etiam ei porrigit in manum annulum aureum, sicut & Dominus ad Mosem dixit: Et impones Rationale super Aaronis pectus, & annulum facies aureum & accommodabis eum labris ipsius Rationalis, ut per eum nomina filiorum Israëlis describantur. Et quinam is est? Patriarchale bulloterium pro more suspensum ad* Chartophylacis *pectus, receptaculum studii doctrinarum omnis generis.* V. Joh Kirchmannum, è Meursio, de istis agentem *lib. de Annulis cap. 9 sub fin.* Apud Car. du Fresne de eadem dignitate, sic Anastasius ad VIII. *Syn. Act.*2. *Chartophylax interpretatur, chartarum custos. Fungitur autem officio* Chartophylax *apud Ecclesiam Constantinopolitanam, quo Bibliothecarius apud Romanos, indutus videlicet insulis Ecclesiasticorum Ministrorum & agens Ecclesiastica prorsus obsequia, exceptis illis solis, quæ ad Sacerdotale specialiter ac propriè pertinere probantur officium. Sine illo præterea nullus Præsulum ac Clericorum à foris veniens, in conspectum Patriarchæ intromittitur, nullius Epistola Patriarchæ missa recipitur, nisi fortè à cæteris Patriarchis mittatur, nullus ad Præsulatum vel alterius Ordinis Clericorum, sive ad Præpositturam Monasteriorum provehitur, nisi iste hunc approbet & commendet, atque de illo ipsi Patriarchæ suggerat & ipse præsentet.* Quibus addit Pachymeres *lib.*3. *cap.*24. *quod sine illius nutu & assensu, nuptiales Benedictiones non administrentur.* Sed & in *Chartophylacis* cura libros Ecclesiæ fuisse, patet ex Synodo VI. *Act.*1. *pag.*17. & *Act.*13. *pag.*152. *Edit.*1618. ubi innuitur, eos libros repositos, ἐν χαρτοφυλακείῳ τοῦ πατριαρχείου, quod in VII. Synodo *Act.*1. *pag.* 486. βιβλιοθήκη τοῦ σεπτοῦ πατριαρχείου, *Bibliotheca venerandi Patriarchici*, dicitur, &c. Sed & *Chartophylax Augusti N.* occurrit in vet. *Inscr.* 587. 11. & *Davidis Chartophylacis Hormisdæ*, Palatii sic nuncupati, meminit Paulus Diaconus *Histor. Misc. lib.*17. *pag* 528. Unde Palatinam quoque dignitatem fuisse patet. Certe *Chartophylacium*, pro Archivo, apud medii ævi Scriptores non rarò. V. Goarum, Codinum, Meursium inprimis suprà laudatum.

Chartularius, in Ecclesia Rom. idem cum *Chartophylace*, sed minoris æstimationis: Certè in *Gloss.* Græco-Lat. *Chartularius* χαρτοφύλαξ exponitur. Nec mirum quum is, qui Commentariensis vice fungitur, idem & *Chartophylacis* munus obeat, & *Chartas* suas servet. Sic apud Joann. Diaconum in *Vita* Gregorii M. *lib.*2. *cap.*55. *Castorius Diaconus &* Chartularius Ravennæ *nuncupatur*, qui ipsi Gregorio *lib.*4. *Epist.* 23. & 24. *Notarius & Diaconus* dicitur: unde eandem fuisse in hac Ecclesia *Chartularii*, & Notarii dignitatem, liquet. At in Ecclesia CP. diversum *Chartularii* ac Chartophylacis munus, & *Chartularius* Chartophylaci subditus

subditus fuit, uti docet Balsamon in *Medit.* & Codinus *de Officiis cap.1. num.44.* qui *Chartularium* inter minora Ecclesiæ officia recenset. Apud Romanos *Chartularii* dicebantur omnes ii, qui *Chartas tractabant*, iisque *inserviebant*, *l.10. Cod.* iidemque erant cum Commentariensibus, *Gloss. Basil.* erantque eorum tot, quot scrinia, ut ex Senatore colligitur *lib.11. Epist.*38. Præter hos, *Chartularius regiorum equorum*, occurrit apud Nicetam, de qua apud Byzantinos dignitate, multa habet du Fresne *ad Cinnamum*: *Chartularius sacrorum cubiculorum*, *Nov.*8. *cap.*8. h. e. Imperatoris Secretarius, seu qui Codicillos Imp. asservabat: *Chartularii numerorum militarium*, in *Nov.* 117. *cap.*11. & in *l.19. Cod. de Erogat. milit. ann. lib.*12. qui in acta referebant nomina militantium & qui eorum essent mortui, seu qui circa [illegible] versabantur, ut & in *Tacticis* Leonis *cap.4. §.3.* &c. Nec omittendi *Chartularii*, servi per Chartulam seu Epistolam manumissi, *Franchi de Charta*, Vitali Episcopo Oscensi, apud Blancam *Commentar. Rerum Aragonic. pag.*727. V. plura hanc in rem, apud Car. du Fresne *Glossar.*

Charybdis, adde: Ejus natura hæc, ut nunc velut subjecto igni cacabo perpetuò bulliat, nunc vortices, veluti turbinibus agitatos agat, qui tanto navigantibus sunt periculosiores, quanto ebullitiones minori eosdem periculo exponunt; siquidem per ebullientem Syrtim impune transire licet, pereundum verò est, si vorticibus agitetur: observatumque fuit longâ nautarum experientiâ, tum maximè *Charybdim* ebullire, quando Syrophœnix freto dominatur; quod tantâ tum violentiâ fieri solet, ut in columnæ formam aquarum diluvia eructare videatur. Indagata fuit vorago hæc, tempore Friderici Siciliæ R. ab urinatore Siculo, quem ob summam natandi peritiam *Pescecola*, seu Nicolaum Piscem, vocitare solebant: Hic testatus est, se sensisse in ea, 1. Aquæ ex imo ebullientis tantum impetum, ut homo nullatenus ipsi resistendo esset, eoque seipsum impeditum per diverticula nonnulla fundum petere oportuisse. 2. Scopulorum passim occurrentium ingentem multitudinem. 3. Euriporum æstus contrariis violentissimis agitationibus impensè formidabiles. 4. Ingentes polyporum, etiam homine majorum, greges, horrendis cirris instructos, quibus quem stringerent, inevitabili exanimarent morte. 5. Carchariarum denique maximorum copiam, dentium acutissimorum triplici serie horribilium. Eòdem cùm secundâ vice Pescecola, auri, quod Rex in *Charybdim* projici curabat, cupidine allectus, se demisisset, ibi periit, nunquam postea repertus: V. Athanas. Kircherum *Mundi subterr. lib. 2. cap.* 15. & 16.

Chasii, V. *Lassassini.*

Chaus, nomen minoris monetæ aureæ, in Gallia olim, Roberto Cenali *de Ponder. & Mensur. Maille au chas*, 13. *ceratiorum.* V. suprà in voce *Chapotenses.*

Chaones, Græcè *Χάονες*, pop. Mediæ, quorum urbs & *Χαόνη*, regio *Χαονῖτις*, Steph.

Chaurus seu *Chorus*, ventus inter Favonium & Septentrionem Vitruvio, cui Plinius suffragatur *lib.*18. *cap.*34. Hinc Gratius in *Cynegetico.*

Verùm ubi Chaurino *perstrinxit frigore vesper,*
Ire placet.

Ab Occidente nempe hic ventus, sed à parte Septentrionis; ideò frigidus. Virgilius *Æn.*6.

In Boream Chaurumque ——

Græcis *Ἀργέστης*, Calabris *Japyx*, aliàs *Corus*. Sed meliùs cum aspiratione; origo nominis ex Græco *χωρίς*, quod idem ac *χωρίτης* vel *ἐγχώριος*, *indigena*, sicut *δαμος* idem ac *δημότης*. An à verbo *χωρεῖν*; quòd cum impetu & violentia eat, quemadmodum *Φορὸς ἄνεμος*, *ἀπὸ τοῦ Φορεῖν*, quem *ferentem ventum* Latini appellant. Seneca, *Chauri violenta vis est & in unam partem rapax.* Certè Thucydides [illegible] vocat, *qui in prælio incipiundo cum impetu proruunt & clamore*, quibus opponit [illegible], *qui sedato & clementi gradu eunt in hostem.* Sunt tamen qui & à Chonibus, gente Oenotrica, quorum regionem dictam *Χωνίαν* postea tenuere Lucani, ventum appellatum velint; Sic enim eum ex ea parte flantem Thurii aut Tarentini *Χῶρον*, inde Latini *Chorum* & *Chaurum*, dixisse poterunt: Sed illud alterum verum est. Salmasius *ad Solinum pag.* 1260. V. quoque in vocibus *Argestes*, *Chorus*, *Japyx.*

Chaus, quibusdam dictus est, quem *Chamam* Albertus & alio nomine *Rufinum* (unde hodie *Raphium* & *Ruphium* Galli dicunt) appellatum ait: *Lupus* sc. *cervarius*, de quo animali sic Plinius *lib.8. cap* 22. *Sunt in eo* (luporum) *genere, qui Cervarii vocantur, qualem e Gallia* (ubi plurimi sunt) *in Pompeji Magni harena spectatum diximus. Huic quamvis in fame mandenti, si respexit, oblivionem cibi subrepere ajunt, digressumque quærere alium.* Malè cum *thoë* viros eruditos, apud Aristotelem, cum lynce mare, Scaligerum, confundere, ait Salmasius *ad Solinum pag.* 390.

Chazari, V. suprà *Cathari* & *Chazeri.*

Chelæ, locus circa Byzantium, adde: Arrianus *in Periplo*, Bospori fauces, ubi transitus ille brevissimus, ponens ad sacrum Jovis Urii, dein Melænam collocat promontorium, mox Artanen, inde Psilin, postea Calpes portum & inde Rhoen & *Chelas* & Sangarium fluvium. Eandem oram Peutingeri Tabula sic describit: *Jovis Vrius* XXV. *ad promuntorium* XV. *Adherbas fluv.* XVI. *Melena* XIX. *Artane* XVIIII. *Philium* XXVII. *Chelas* XXVIII. *Sangarius fl.* V. Salmasium *ad Solinum pag.*880.

Chelandium vel *Chelandrium*, apud Græcos recentiores, aliisque, navigii majoris species, nonnunquam *Salandra* & *Salandria*; cujus mentionem jam apud Arrianum *in Periplo Maris Rubri* fieri ait du Fresne: [illegible] *Σάγγαρα*. [illegible] *Κολανδιοφωντα* [illegible] (pro quo vulgo legitur, *κολανδιοφωντα τὰ μέγιστα*) Ubi navigiorum istorum alia *Sangara* appellata, ex majoribus trabariis invicem junctis conflata; alia maxima, *Celandia* dicta fuisse, atque inde ejusmodi navigiorum usum à barbaris istis ac Indis gentibus, accepisse Græcos, innuere videtur. Licèt quidam Græcam vocabulo originem accersant à voce *κέλης*, *equus*, & *ἀνήρ*, *vir*, illud deducentes, &c. V. laudatum du Fresne in *Glossario.*

Chelidonia, adde: *Chelidonias* post Brumam incipere, scripsisse Græcos, sed de initii die nihil certi prodidisse, docet Auctor *Hist. Orbis Terr. Geogr. & Civ. cap* 2. Sunt autem Australes valde debiles, inconstantes & minùs continui: quorum origo ex montibus Monomotapæ, quos *Lunæ* vocant, petenda. Dum enim Australem Zodiaci partem Sol permeat, nobis ac Græciæ hyemem facit, illis verò in Monomotapæ regno æstatem, Eoque nives montium illorum liquefacit, halitusque educit, sensim deinde absumendos. Quòd autem debiliores sunt, id à maxima montium distantia fieri videtur, Auctor Anonymus suprà laudatus. Sed & *Chelidonia*, nomen variis aliis tribui rebus solitum. *Χελιδονία* enim *nidus hirundinis* (quæ *χελιδὼν* Græcis) ut *μυρμηκιά*, *nidus formicæ.* Unde *Chelidoniæ Ins.* à scopulis, quibus se condunt per hyemem hirundines, aut quibus æstate nidos affigunt. Ovidius,

Cùm glaciantur aquæ, scopulis se condit hirundo,
Verberat egelidos garrula vere lacus.

V. in voce *Chelidoniæ.* Idem nomen (cum acc. in pen.) aspidi, Nilo maximè peculiari, h. e. *Ægyptiæ* aspidi, quæ præter cæteras aspides aliquid privum habet ac sui quodammodo generis, ab *hirundinum* colore. Hanc *αἱμαλώπα* videtur appellare Nicander,

Χερσαῖ δ' ἄτοπον μὲν ψαφαρῇσιν ἐνιδέδρομε ῥαχίς,
Ἄλλοτε μαλακώτερα, καὶ αἰόλος, ἄλλοτε τεφρή,
Πολλάκι δ' αἰμαλώπα μελαγχρώην ὑπὸ βῶλον
Αἰθιόπων, οἵην τε πολύσπερμος εἰς ἅλα Νεῖλος
Πλησιφαῆς κατέχευε ἄμυ.

Ubi nigram illam & *fuliginei* coloris aspidem (limi Ægyptii, quem Nilus in mare defert, similem, concoloremque terræ ipsi, sub qua degit) delitescere innuit, *sub gleba Æthiopum, quam Nilus invehit in mare.* Nempe circa præcipitia Nili ut plurimum *Chelidoniæ φωλεύουσι*, ut ait Aëtius. Longitudo ejus ultra cubitum rarò procedit, citoque necat. Cùm enim chersææ aspides tribus horis hominem morsu peragant, *ἐπὶ τῆς χελιδονίας*, [illegible], *à chelidonia citissima mors*, Id. Eadem in sacris Isidis, cum tumido collo, caput arduum attollens circumferebatur. Nicander iterum *Theriacis*,

—— ψαφαρὸς δ' [illegible]
Ἀκρέα [illegible] ——

Quà formâ pictam, unà cum Osiride & sistro, multis locis Isiaca tabula exhibet. Hinc Juvenalis *Sat.*6.

Et movisse caput visa est argentea serpens.

Ubi Scholiastes, *Serpens, quæ est in templo Isidis.* Et Ovidius *lib.*9. de Mysteriis Isiacis:

Sistraque erant, nunquamque satis quæsitus Osiris,
Plenaque somniferis serpens peregrina venenis.

Appuleius quoque, ubi de gestaminibus Isidis, *Lævâ verò cymbium dependebat aureum, cujus ansulæ, quâ parte conspicua est, insurgebat Aspis caput attollens arduum, cervicibus latè tumescentibus.* Quamvis enim *tumida colla* omnibus serpentibus iratis ac irritatis tribuant Poëtæ, hæc tamen nota propria ac peculiaris hujus aspidis fuit, ut ex Plinio constat, qui *colla aspidum intumescere* scribit, & Lucano,

Aspida somniferam tumidâ cervice levavit.

Altera nota somni fuit effectus. Unde eadem & *Hypnale dicta*, quòd nullo sensu doloris, quasi somno solutos, extinguat, quos pupugit, &c. V. hanc in rem plura apud Salmasium *ad Solinum pag.*341. *& seqq.* Porro gemma sic dicta est, ab eodem *hirundinum* colore. Plinius *lib.* 37. *cap.* 10. *Chelidoniæ duarum sunt generum, hirundinum colore, & altera parte purpurea; nigris interpellantibus maculis.* Item herba, cujus flos & succus luteus seu croceus. Græcè *χελιδόνιον.* V. iterum Salmasium ubi suprà *pag.*1163. & Plinium modò dictum *lib.*25. *cap.*8. & *lib.*25. *cap.*5. &c.

Chelidonistæ, *Χελιδονισταὶ* Hesychio, Theognidi *Χελιδονίζοντες*, Agyrtæ apud Græcos dicebantur, qui hirundinem adesse nuntiabant. Canebant autem ostiatim cantilenam, cujus initium, *Ἦλθ', ἦλθε χελιδὼν καλὰς ὥρας ἄγουσα καὶ καλοὺς ἐνιαυτούς, ἐπὶ γαστέρα λευκά, ἐπὶ νῶτα μέλαινα, Venit, venit hirundo, albo ventre & nigro*

nigro dorso, pulchra tempora adducens & pulchros annos, &c. V. reliqua apud Theognim *de Rhodiorum sacrificiis lib* 3. Nempe verni temporis nuntia hirundo. Aristophanes in *Pace*.

—— Ὅταν ἦρος μὲν
φωνῇ χελιδὼν
Ἑζομένη κελαδῇ.
—— *Cùm vernâ quidem*
Voce hirundo,
Sedens resonat.

Unde, ut Theon *ad Aratum* scribit, Piscem Borealem Vett. cum hirundinis capite pingebant & ἰχθὺν χελιδόνιον vocabant, quæ veris præludium ortu suo significabat, &c. V. Sam. Bochartum *Hierozoici part. poster. lib.* 1. *cap.* 10.

Chelonia, oculus Indicæ testudinis est, *vel portentosissima Magorum mendaciis. Melle enim colluto ore impositam linguæ futurorum divinationem præstare promittunt — Sunt & chelonitides, testudinum similes, ex quibus ad tempestates sedandas multa vaticinantur. Eâ verò quæ sit aureis guttis cum scarabæo dejectâ in aquam ferventem, tempestates averti*, Plin. *lib.* 37. *cap.* 10. ubi de variis gemmis per alphabeti ordinem.

Chelonis, V. suprà *Alkore*.

Chelonophagi, adde: Strabo in ora longè diversa statuit, in Arabici nempe sinus littore, in parte Troglodytarum, quod etiam faciunt Agatharchides & Diodorus. Nempe duplices *Chelonophagi* ab Auctoribus agnoscuntur, in ora Carmaniæ, & in Arabico littore versùs Æthiopiam. Neque verò testudinum superficie casas tegebant hi populi, sed eas superficies pro casis habebant, pronas constitutas. Unius namque testudinis superficies illis pro domo erat, uti rectius alibi Plinius: *Testudines tantæ magnitudinis Indicum mare emittit, ut singularum superficie habitabiles casas integant.* Vel potius *cap. de Taprobane*. *Esse & in piscatu voluptatem testudinum maximè, quarum superficie familias habitantium contegant: tantâ reperiri magnitudine.* Quæ Solinus sic interpretatus est *cap.* 54. *Marinas testudines capere gaudent, quarum tanta est magnitudo, ut superficies earum domum faciat & numerosam familiam non artè receptet.* Piscatio autem testudinum tam in Æthiopia, quàm India, celebris: & ex utroque latere ad delicatiora Romanorum opera illæ veniebant, unde *Æthiopicæ & Indicæ testudinis* mentio *l* 16. *ff de Public.* V. Salmasium *ad Solinum pag.* 1189. & infrà in voce *Testudo*.

Chelydri, serpentum genus, apud Solinum *cap.* 2. *Calabria chelydris frequentissima*, & Virgilium *Georgic. lib.* 2.

—— —— *nigris exesa Chelydris*
Creta.

Lib. item 3.

Disce & odoratum stabulis accendere cedrum,
Galbaneoque agitare graves nidore chelydros:

Iidem cum *Chersydris*, de quibus V. infra. Χερσύδροι namque, quòd in aquis & terris morentur; at χέλυδροι, ab asperitate testudinei tergi, vel quòd more testudinis, quæ χέλυς dicitur, in aquis terrisque vivant, sint appellati. Ita quidem Isidorus, Servius, alii recentiores, qui hæc duo serpentium genera passim confundunt. At vetustissimi Scriptores distinxere. Hinc & Lucanus,

Chersydros, tractosque viâ fumante chelydros.

De cujusmodi *Chelydris* intelligit Macer,

—— *seu terga exspirant fumantia virus,*
Seu terra infumat, quà teter labitur anguis.

Est autem Nicandro Χέλυδρος, ὄφις, & fortasse à χέλυς & ὕδωρ nomen habet: at Χέρσυδρος idem quod ὕδρος, qui & in terra degit, &c. V. Salmasium *ad Solinum pag.* 87.

Chelys, omne instrumentum Musicum sonorum Papinius eam à furore Poëtico separat, à tuba viz. Pieria, *initio Thebaid.*

Tempus erit cùm laurigero tua fortior œstro
Facta canam, nunc tendo Chelyn ——

Cum lyra & cithara Poëtæ eandem faciunt, cùm volunt. Sed *Lyræ* pictura m deferunt imagines veteres Germanici Arato indi ... : *Citharam* aliud quid fuisse liquet; & ea enim testudinem habebat, ad recipiendum reddendumque sonum fidium, uti docet Favonius Eulogius *in Somnium Scipionis*. V. de Testudinis inventione, Servium *ad illud Georg. lib.* 4. *de Orpheo*,

Ipse cavâ solans ægrum testudine amorem.

Sed & *Chelys* testudinem aliquando indicat. *Epigr.* vetus Petronio adscriptum;

Sic format linguâ fœtum, cùm protulit, ursa,
Et piscis, nullo junctus amore, parit.
Sic Phœbæa Chelys, vinclo resoluta parentis,
Lucinæ tepidis naribus ova fovet.

Historiam ejus inventæ, Avienus in Schemate *Lyræ* Arateo sic exponit:

Est Chelys *illa dehinc, tenero quâ lusit in ævo*
Mercurius curvo religans testudine chordas.
Ut Parnassæo munus memorabile Phœbo
Formaret nervis opifex Deus: hanc ubi rursum
Concentus superi complevit pulcher Apollo,
Orphea Pangæo docuit gestare sub antro;
Hic jam fila novem ducta in modulamina movit,
Musarum ad speciem, Musâ satus: ille repertor
Carmina Pleiadum numero deduxerat - - -

Nempe, septichordem, ad numerum Planetarum, vel Pleiadum, à Mercurio inventore factam; postmodum juxta numerum Musarum, ἐννεάχορδον, h. e. *novem chordis instructam*, ab Orpheo fuisse, etiam Theon *Commentar. in Aratum* refert, & Scholiastes Germanici. Eam serto cingere, in rebus prosperis, mos Poëtarum fuit. Statius *lib.* 4. *Sylv.* 8.

—— *cumque tibi vagiret tertius infans,*
Protinus ingenti non venit nuntia cursu
Litera, quæ festos cumulare altaribus ignes
Et redimire Chelyn, *postesque ornare juberet.*

Sed & post desitum cantum. Idem Statius *Thebaid. lib.* 6. *versu* 366.

Finis erat, differt avidas audire furores:
Dumque Chelyn *lauro, textumque illustre coronæ*
Subligat & picto discingit pectora limbo.

Ubi Lutatius, *Citharœdorum disciplinam expressit; quibus moris est, finito carmine coronam detractam capiti citharæ subligare.* Quò pertinet Petronii de Apolline locus, *Damnabat Apollo noxias manus, lyramque resolutam modò nato flore coronabat.* Quod verò de *limbo picto*, h. e. baltheo, addit Statius, confirmatur ex Apuleio, qui non absimili habitu Citharœdum Bathyllum in statua describit: *Cithara balthео cælato apta strictim sustinetur, procerula læva distantibus nervos digitis molitur. Dextera psallentis gestu suo pulsabulum citharæ admovet, ceu parata percutere*, &c. V. de more hoc *Chelyn* lauro coronandi, plura apud Illustratorem *operis Coronarii lib.* 2. *cap.* 14. Salasium *Commentar. ad Petronium pag.* 173. & Casp. Barthium *Animadversion. ad Statium loc. cit.*

Chemia, Suidæ Χημεία, aliis Veterum Χυμεία & Χυμευτική, infimæ Græciæ Auctoribus Ἀρχημία, Firmico *Scientia Chimiæ, lib.* 3. *cap.* 15. in *Lexico* hujus Artis ἱερὰ καὶ θεία τέχνη, *sacra & divina Ars*, est quam hodie *Chymiam* vocant & *Alchymiam*, quasi ἀπὸ τῶν χυμῶν, i. à *succis*; cùm potiùs sit ἀπὸ τῆς χώνης, quo nomine fornaculam, sive caminum, in quo aurum & argentum fundebatur, appellarunt Græci, quasi χάσκουσαν, quòd ore hianti ac patulo esset. Illam enim τὴν χρυσοῦ ποίησιν, *auri effectionem*, item τὴν τοῦ ἀργύρου καὶ χρυσοῦ κατασκευὴν, *argenti atque auri præparationem*, vulgò definiunt atque interpretantur: Ægyptiis olim maximè frequentatam, ad quos inventionem statoriæ hujus technæ referunt Zosimus, Stephanus, Cleopatra & alii Græci Archemistæ. Unde libros illius arcana continentes, in Ægypto, anxiè conquiri comburique curasse Diocletianum, ne opibus suis elati Ægyptii contra Romanos insurgerent, narrat apud Suidam vetus Auctor: *Quasi verò Ægyptii ex arte hac magnas divitias comparare soliti essent & copias inde conducere, Romanis formidabiles. Nugæ dare pondus idoneæ camini fumo, quem inopia & frigus excalfaciunt*, Salmasius *ad Solinum pag.* 1097. Sunt tamen, qui originem Artis altiùs arcessentes eam à *Chamo*, Noahi filio, dictam velint: quos non pudet proferre Mosis Prophetæ *Chymicam Syntaxin*, & Mariæ sororis librum *Alchemisticum*, ut taceam Hermetis Trismegisti *Tabulam smaragdinam* & ejusdem *Chemicos tractatus septem*, *Opusque de corporibus transmutandis*, & Osthanis & Democriti & Ori *Chemica* & Jasonis *Vellus aureum*, de quibus videre est apud Suidam præfatum voce *Deras*: aliis ulterius quoque ad Tubal-cainum, & Angelos, qui in terram descendentes mulieres primi Mundi hanc Artem docuerint, ascendentibus. Sed certum est novum id inventum esse, Julio Firmico demum, qui Constantino Imp. σύγχρονος erat, primò memoratum, cùm Lunam scribit in nono ab Horoscopo loco in nocturna genitura, hominem ad Archemiæ scientiam propensum reddere. Quod enim de Democrito Abderita habetur in *Chron.* Eusebii, ejusque in Ægypto Sacrorum præsidatu, ac artis hujus, ab Ostane acceptæ, exercitio, meritò Scaligero suspectum est, tanquam à Panodoro Monacho in Eusebii textum intrusum, &c. V. Auctorem Anonymum *Sinæ & Europæ cap* 30.

cum *Chenetellis* potus, occurrit in *Charta* Garini Abbatis de Valleia *Anno Chr.* 1227. ex *Tabulario* Ecclesiæ Carnotensis, *Cùm ex pia decessorum nostrorum devotione processio Ecclesiæ B. Mariæ Carnotensis ad Ecclesiam nostram accedens, procurationem quarta feria Paschalis ebdomadæ, & potum* cum chenetellis *in vigilia S. Joannis Baptistæ decollationis sine contradictione perciperet, quia in dictæ procurationis & potus &* chenetellorum *exhibitione, ob turbarum instantiam, nobis importunè pluries & damnosè, sed & inhonestè res fieri videbatur, Decanus & Capitulum ejusdem Ecclesiæ, ad fugam discordiæ & mutuæ affectionis custodiam — prædictam procurationem, potum &* chenetellos, *nobis in perpetuum quittavit, processione B. Mariæ Carnotensis, ad Ecclesiam nostram, more solito præfatis diebus nihilominus accedente*, &c. apud Car. du Fresne *Glossar.* qui *Chenetellum*, pastilli fuisse speciem, docet ibidem, ex *Charta* alia A. C. 1301.

Cheniscus, Græcè Χηνίσκος, h. e. *anserculus*, inter ornamenta navium: memoratur Luciano, de Navigio, ἡ πρύμνα μὲν ἐπανέστηκεν ἠρέμα καμπύλη, χρυσοῦν χηνίσκον ἐπικειμένη. Nempe recurvatis lignis, quæ ad ornandas puppis & proræ extremitates insurgunt, te... in ...

inprimis puppis ligno, aliquando scutuli forma imponebatur olim, aliquando anserculi figura. Hinc Apulejus, *Puppis intorta chenisco bracteis aureis vestita*, ubi τὸ ἄκρον τῆς πρύμνης ἐπικεκαμμένον, *extremitatem puppis incurvatam*, ad instar colli anserini, intelligit. Salmasius *ad Solinum pag.*572. Α᾽ χὴν porro, *anser*, venit χηνίζω, *gingrio*, sonus anserum proprius; inde de tibicinibus, apud Athenæum, Χηνίζειν λέγεται ἐπὶ τῶν αὐλητῶν, Unde & *gingrinæ tibiæ*, apud Solinum *cap.* 5. & *gingritor* tibicen, apud Festum. Idem *ibid. pag.*124.

Chennia, coturnicis species, Ægypto familiaris, quâ certa anni tempestate Ægyptii sic abundabant, ut, cùm omnes absumere non possent, eas in posterum sale condire cogerentur. Quod maximè mirandum, in regione tam populosa, ut Theocritus *Idyll.* 17. *versu* 82. in ea censeat oppidorum plus triginta millia, & Josephus *Belli Jud. lib.* 2. *cap.* 16. hominum 750. myriades, absque Alexandriæ incolis Athenæus *lib.*9. *cap.*11. Τῶν δὲ καλουμένων χεννίων, μικρῶν δ᾽ ἐστὶν ὀρτύγια, μνημονεύει Κλεομένης ... *Chenniorum, quæ vocant, sunt autem parvæ coturnices, meminit Cleomenes — sic, Phalarides salsas decies mille.* — chennia *salsa decies mille.* Ubi *phalaris* mergi, *chennium* coturnicis genus est, ipso Athenæo auctore. *Ibidem* Hipparchus in Iliade Ægyptia,

> Οὔ μοι Αἰγυπτίων βίος ἀρέσκει, οἷον ἔχουσι
> Χέννια τίλλοντες.
> *Non mihi Ægyptiorum vita placet, quam degunt*
> Chennia *vellentes.*

Poëta vetus, in sordidum convivatorem, qui hospitibus vilia & salsa omnia apponebat, *Antholog. lib.*2. *cap.*47.

> Η᾽μεῖς δ᾽ ἐσθίομεν ... ἄλμυρα πάντα,
> Χέννια, καὶ τυροὺς, χηνὸς ἀλιστὰ λίπη.
> *Nos vero invitati comedimus salsa omnia.*
> Chennia *& caseos & anseris salsos adipes, &c.*

Itaque *Chenniorum* & coturnicum in Ægypto, & tota Africa, cùm tanta copia fuerit, facilè ventorum alis in Israelitarum castra devehi potuere; ut non necesse sit nova miracula sibi fingere, quasi Deus, coturnicibus exercitum suum aliquandiu pasturus, in deserto, eas vel de novo creare, vel miraculosè multiplicare, habuerit necesse. V. Sam. Bochartum *Hierozoici Part. poster. lib.I. cap.*16.

Cherem, Hebræis ἀνάθημα, Levitici *cap.* 27. *versu* 21. à verbo *charam*, quod propriè significat rem aliquam ab usu communi eximere ac segregare, ut Deo consecretur, Græcis ἀφορίζειν & ἀναθεμᾶν, atque inde pro *perdere* sumitur, quia res ei perit, à cujus usibus abscinditur, ac Deo vindicatur Hinc *Cherem* Excommunicationis apud Judæos species. Et quidem, ut latum à Deo in Angelos Apostatas judicium, & Adami extra Paradisum exilium, procul à mysticæ arboris aspectu ac contactu, Caini quoque à facie Dei fugam & incircumcisos sub lege immundosve legaliter, Templo ac ceremoniis prohibitos omittam: Labente inprimis Rep. & αὐτονομίᾳ sub exterorum Imperio, sub Templo secundo inprimis Excommunicatio solennis viguit; cujus primum exemplum nonnulli ex Esra *cap.*10. *versu* 7, 8. arcessendum contendunt. A᾽ quo tempore de Synagoga frequenter ejecti, qui contra sacrorum Leges peccaverant, quod in N. T. dicitur, ἀποσυνάγωγον ποιεῖν, ἀφορίζειν, ἐκβάλλειν. Unde & eo in Templo peculiaris Excommunicatorum porta, & sub eodem tres disciplinæ gradus, secundùm quosdam numerati, נדוי *Niddui*, חרם *Cherem*, & שמתא *Shammatha*, quorum ille aliquem Ecclesia & promiscuo convictu arcuerit; iste peccatorem, ut profanum, ac à Resp. Israëlis alienum, non sine diris, ac maledictionibus, extra Ecclesiæ ac Reip. illius pomœria relegaverit; hic autem eum supremâ demum sententia perculerit, ac extra Ecclesiam ejectum, sine ulla imposterum venia, horrendo carmine, congestisque diris ac execrationibus, inter tubarum strepitum, Dei tandem judicio reliquerit Quam tamen alii extremam sententiam apud illos non agnoscentes, *Niddui & Sammatha* fere alternare, nec significatu, sed gradu tantùm, differre statuunt, duosque tantùm excommunicationis gradus faciunt, qui in *Cherem*, quod *exterminationem ex Israele* dicebat, terminati fuerint. Qua de re V. Franc. Burmannum *Synops. Theol. Christ. Part. II. lib.*8. *cap.*5. §.13 Joann. Forbesium *Instructionum Historico-Theologic. Lib. XII, cap.*13. §.14. Alios, ut & hic passim, in vocibus *Anathema*, *Excommunicatio*, &c.

Cheritismus, Græcè Χαιρετισμὸς, *Salutatio*, Annunciatio Deiparæ Virginis. Anastasius Bibl. *in Leone III. Fecit vestem de chrysoclavo, habentem historiam Nativitatis & S. Simeonis, & in medio Cheritismum*: h. e. figuram annunciationis Gabrielis ad Virginem depictam. Hodieque Græci Annunciationis Festum, propter Angelicam salutationem, hac voce insigniunt, Macer *Hierolexico*. V. suprà ubi de *Annunciationis Festo*.

Chermes, vel *Guermes*, Arabibus pro cocco, seu vermiculo, seu verme: unde etiam nomen. Κόκκοι enim sive grana fruticis, qui granum tinctorium fert, intus parvis scatent vermiculis, quorum sanies coccino tingendo præclara est, unde *vermis* pro cocco, item *vermiculum*, jam Lucillii ævo; cùm *vermiculatum* opus, sive *emblema*, vocat id, quod *miniatum* appellat Nonius:

> — — *lexis composta, ut tessellæ omnes*
> *Arte pavimento atque emblemate vermiculato.*

Certè & σκωλήκιον Græci dixere, ut est apud Plinium *lib.*24. *cap.*4. quod is certum genus cocci esse dicit; Sed omne coccum sic vocabatur. Unde & apud recentiores Græcos σκώληξ, pro cocco, passim, &c. Salmasius *ad Solinum pag.*1214. V. plura infrà, inprimis ubi de *Cocco*.

Chermites Lapis, apud Plinium *lib.*35. *cap.* 12. *Mitior est autem servandis corporibus, nec absumendis* Chermites *ebori simillimus, in quo Darium conditum ferunt.* Uti libri Pliniani habent, atque ita Isidorus: Cùm aliàs *Chernites* legatur, quemadmodum & Theophrastus *libro de lapp.* lapidem illum vocat, è quo folium Darii cadaver servans, factum memorat. Χέρμα certè Græcis lapis est χαλικώδης, unde forsitan χερμίτης λίθος. Quod tamen non affirmare licet. Nam Χερμάδιον inde interpretantur Grammatici lapidem, qui manum implet. Cujusmodi in ripis fluminum & alveis reperiuntur politi ac candidi & magnitudine, quæ facilè tolli possit. Fortè à coloris similitudine Χερνίτης dictus: Χερνίτης verò in Græcia originem non habet, Salmasius *ad Solinum pag.*1204.

Cherronesus, adde: Quibus Yucatana & Corea ad Sinas jungi possunt: ex Auctore *Hist. Orbis Terr. cap.*5. *de Histor. Insul.*

Chersydri, serpentum genus, ab *hydris* parùm diversum. Qui enim hydrus hyeme fuerat, dum aqua erat in lacunis, postquam ea defecit æstu, inque sicco degere cogitur, atque ita fit *chersydrus*, h. e. hydrus ἐν χέρσῳ, *in sicco*, degens. Tum verò infestante siti in calidis regionibus virus ejus acrius multo ac ferventius. Unde Poëta *Georgic. lib.*3.

> *Postquam exhausta palus, terræque ardore dehiscunt,*
> *Exilit in siccum, & flammantia lumina torquens,*
> *Sævit agris, asperque siti, atque exterritus æstu.*

Itaque tum morsu suo exurit, quidquid attingit. Nicander, de morsis à chersydro, *Theriacôn versu* 363.

> — — τὰ δ᾽ ἄλγεα φωτὶ δαμάζει
> Μυρία πυρπολέοντα· θοαὶ δ᾽ ἐπὶ γυία χέονται
> Φλυζάκιες.
> — *Dolores autem homines domant*
> *Infiniti, tanquam incendiis depopulantes: statim autem per membra sparguntur*
> *Pustulæ urentes.*

Imò tradit Gesnerus, in virga, ejus ori admotâ, *excitari vesicas aut fellei coloris pustulas.* Et, *gladium à mucrone usque ad capulum, tetro ac cœruleo colore tingi, ac si flammâ violentâ corriperetur.* Item, *vim habere igneam hoc virus; quare semper superiora petere.* Quo proin igne consumptum fuisse Herculem, Poëtæ fingunt, cùm vestem induisset Hydreæ Lernææ veneno tinctam, V Ovidium *Metamorphos. lib.*9. *Fab.* 3. Senecam *in Hercule Oetæo versu* 1216. Sophoclem *in Trachiniis*, ubi vellus etiam hoc veneno tinctum, tanquam igne secreto, carpitur & consumitur, Alios. Id verius, *seraphim* illos, Numerot. *cap.* 21. *versu* 9. a quibus morsi Israëlitæ, in Deserto, ænei serpentis aspectu sanati sunt, non alios, quàm *Chersydros* fuisse, uti pluribus probat Sam. Bochartus *Hierozoici Parte poster, Lib III. cap.*13. Dicti autem illi *seraphim* Hebræis, h. e. *ardentes & exurentes*, Græcis ἐμπρησταί: quos vias obsidere circa Caniculares maximè dies, quâ tempestate calamitatem hanc Israëlitis contigisse Idem docet, ait Nicander ubi suprà. V. quoque infrà in voce *Saraph*.

Cherub, adde: Arcam nempe obumbrabant, in intimo Sanctuarii recessu, quos bovis habuisse speciem, atque inde esse, quòd Aaron & Jeroboam verum Deum vituli formâ coli voluerint, creditum nonnullis; eo quòd uni ex quatuor animalibus, de quibus Ezech. *cap.*1 *versu* 7, 10. & Apocal. *cap.* 4. *versu* 7. uno loco facies bovis, altero *facies Cherub*, tribuatur. Sed de Aarone res palàm falsa, cùm, quo tempore fudit vitulum, Arca fœderis nondum fuerit fabricata. Hoc saltem certum, vitulorum pedes illis tributi, Ezech. *cap.*1. *versu* 7. illosque, licèt varias animalium formas exhiberent, ad bovis tamen speciem accessisse propiùs. Et verbum כרב *cherab*, unde *Cherub* ortum, arandi notionem apud Syros obtinere, constat, &c. V. Bochartum *Hierozoici Part. prior. lib.II. cap.*41. & infrà in voce *Vitulus*. Ad horum similitudinem *Cherubim*, in antiqq. Romanis *Ceremonialibus*, vocantur pretiosa quædam ornamenta, quæ Angelus Rocca, in aliqua gemma sculpta atque in pluviali Pontificio, pro pectorali, inservîsse, existimat. Car. verò & Dominicus Macri, in cacumine hastarum ea posita, & ad latus Pontificis equitantis, ultimo loco præferri solita, neque alia, quàm bina illa flabella esse ajunt, quæ ad tegendum Pontificis caput deferri solebant, *Seraphim* quoque aliàs dicta. Mosci in processionibus suis 4. *Cherubim* super hastas deferunt. Græci verò in epigonatio illos depingunt: hic enim sacer habitus Evangelicæ prædicationis & doctrinæ Ecclesiasticæ illis symbolum est, V. Macrum utrobique in *Hierolexico*.

Chias, Equitum Calatravæ in Hispania, antiquum insigne: quâ voce denotantur fasciæ latæ ex panno, quas primitus Equites hi gestare consueverunt. V. Macrum in voce *Bea*.

Chiausi, nomen officii in Aula Turcica. Nempe supplicia de Vezitiis,

Veziriis, Bassis, aliisque Magnatibus, ab Imperatoribus jussa, funtuntur per *Chiausios*, qui triste decretum Sultani nigro panno involutum unicuique horum afferunt, ac è vestigio sententiam exequuntur. An ex *Tzangras*, i. *arcus*, quorum nervo fauces damnatorum elidunt; an ex *Tzaulus*, quo nomine dicebatur olim in Aula Græcorum Impp. qui præcepta Imperatoris ferebat; unde *Tzaus*, sive *Chiaus*, qui nihil aliud est, quam Missus Turcarum Imperatoris, vel Primi Vezirii. V. Georg. Hornium *Orb. Polit.* & Macrum *Hierolex.* Eosdem in judicium vocare privatos, controversias illorum decidere, & captivos custodiæ suæ commissos habere, refert Briotius *Histoire de l'Empire Otoman lib.3.* V. quoque Joh. Baptistam Tavernier *Relation du Serrail.*

Chicanga Regnum, unum ex 4. Regnis, in quæ tota Mocaranga seu Monomotapa divisa est. V. Georg. Hornium *Orb. Imper. pag.464.* & infrà in voce *Monomotapa.*

Chichimeci, pop. Novæ Hispaniæ, Athei, Acostæ.

Chifung, nomen herbæ apud Sinenses, in prov. Quantonia, ad urbem *Chiunchen* quòd *ventum* ostendat, sic incolis dictæ. Nautis enim, quo mense & quot toto anno sint futuræ tempestates, dat colligere, idque ex nodulis seu geniculis; quò enim nodi pauciores sunt, eò pauciores illo anno futuras ajunt tempestates Sinenses, qui ex distantia nodorum à radice etiam, quo mense quælibet accidere tempestas debeat, scire & colligere se posse autumant. Auctor Anonymus *Sina & Europa cap.32.*

Chile, adde: Populi hi omnium fortissimè Hispanis restiterunt, Arausiani præcipuè, à quibus ingentes clades multoties Hispani acceperunt: ita quidem ut Confœderati Belgæ spem aliquando conceperint, sese auxilio *Chilensium* universâ Peruviâ Hispanos expellere posse; quam in rem missus eò cum armis navibusque Brovverus Navarchus, fœdus cum iis contra Hispanos pepigit A. C. 1638. Sed negotium postea intermissum est: eo quòd *Chilenses* Batavos non minori, quàm Hispanos, quibus mons *Potosi* aurifodinis celeberrimus extorquendus erat, auri cupidine viderent flagrare; quod gens illa maximè aversatur. Unde Baldivium Hispanorum Ducem cùm cepissent A. C. 1567. ut ei avaritiam exprobrarent, aurique extinguerent sitim, ori ejus liquefactum aurum infuderunt. Scripsit bellum *Arausianum*, quod *Chilenses* pro libertate contra Hispanos gesserunt, plenum Heroicorum facinorum, Alfonsus Ercilla Hisp. eleganti stylo. Cœterùm regio Europæ simillima est & omnium frugum, quas nos habemus, ferax; interim, ob continua bella, non adeò frequenter habitatur. Hornius *Orb. Imper. & Polit.*

Chiliomba, aris nonnunquam admotæ, à Gentilibus. *Martyrolog.* de Artemio, [illegible], Χιλιόμβας [illegible] αὐτῷ, *Majorem igitur, quàm reliquis omnibus imaginibus, cultum exhibuit, integras* chiliombas *ex quolibet genere ei offerens.* V. Casaubonum *ad Capitolinum in Maximo & Balbino.* Sic Miltiade victore, Thargelione mense, Atheniensibus multoties fausto, χιλιόμβη, h. e. *sacrificium mille victimarum*, oblata Diis est. Unde χίλια [illegible], Prov. V. Eustathium *Odyss. γ.*

Chilminar, seu *Chil-Manor* seu *Chehel-Manor*, quasi dicas, 40. *turres*, celeberrimæ sunt veteris Persepolis, in Asia, reliquiæ, quas plenissimè descripsit Herbertus *Itiner. pag.61. & seqq.* cui addi potest Petrus de Valle *Itiner. tom.2.* Earum fundamentum totum marmoreum est, ac ad 22. circiter pedes Geometricos surgit. Cœtera etiam jaspide ac marmore nitent quàm splendidissimè. Columnæ plures quadraginta, unde loco nomen, apparent (Mandeslovius tamen 19. majores & 11. minores tantùm numeravit.) Ingressus Palatii, residuique parietes variis & artificiosissimis Regum triumphorum, præliorum, animalium imaginibus referti sunt; ibidem incogniti figurarum Triangularium ac Pyramidalium characteres videntur. Nec defuturum Pictori quantumvis industrio dicunt laborem, etiamsi toto trimestri designandis rebus omnibus se impenderet: Sed quotidie inde Barbari aliquid, ad ædificia sua, auferunt, &c. Auctor *Hist. Orbis Terr. Geogr. & Civ. cap.2.*

Chimera, navigii species, apud Paulum Diaconum *Miscell. lib. 20. pag.625.* & Anastasium Bibliothec. in *Historia Ecclef. pag. 122* [illegible] *ibidem* reddit Theophanes, [illegible] habet Codex Peirescianus, apud Car. du Fresne *Glossar.* V. in voce *Chimara.*

Chimes, Græcè Χύμης seu Χύμης, Propheta, inter præcipuos *Chymiæ* seu *Alchymiæ* repertores, miris laudibus effertur, ab iis, qui hac de Arte aliquid memoriæ prodiderunt. Zosimus hinc Panopolita, Χύμης δὲ καλῶς ἀπεφήνατο, ἓν γὰρ τὸ πᾶν, καὶ δι' αὐτοῦ τὸ πᾶν γέγονε. ἓν τὸ πᾶν καὶ εἰ μὴ πᾶν ἔχῃ τὸ πᾶν, οὐ γέγονε τὸ πᾶν. [illegible] τὸ πᾶν, ἵνα ποιήσῃ καὶ τὸ πᾶν, *Chymes verò præclarè dixit unum enim universum & per ipsum universum factum est. Unum universum, quod si non universum contineret, universum non esset. Oportet igitur te adhibere universum, ut facias universum.* Et paulo post, ubi eum *Chimen* vocat, [illegible] Χύμης [illegible] &c. A quo proin & Arti nomen inditum, placet nonnullis. Salmasius *ad Solinum pag.1098.*

China, Gall. *la Chine*, Tataris *Mangin*, quo nomine quod Barbarum est significant, ipsis Chinensibus *Chunghoa* & *Chunque*, id est, Medium regnum, seu medius hortus, quia in medio Mundi se esse dicunt, regnum est Orientis amplissimum, cui à *Cin* Imperiali familia nomen. Hippophagorum regionem esse inde colligunt quidam, quòd incolæ equinâ non minùs, quàm bubulâ, vescuntur, quamvis illud Tartaris frequentius. Ab Oriente Oceanum habet Chinensem, à Bor. Murum illum famosum, quo separatur à Tartaria, regnisque Niuche, Niulhan & parte Tanyu: Quæ ad Austrum vergunt, ambiunt regna *Preste Joan*, *Geo* seu *Cangingu*, *Tibet*, *Laos*, *Mien*, *Pegu*, *Tunking* demum & Cochinchina. Triginta circiter gradus in longitudinem porrigitur, à Capite seu Promontorio *Ningpo* seu *Liampo* urbis, ad Arasæos seu Damasios usque montes. Latitudo est ab 18. gr. usque ad gr. 42. Provinciis constat 15. quarum nomina vide infra: Earum 6. priores Boreales sunt, habentque Regiam *Peking*; novem posteriores Australes, quas *Kiang* fluv. separat, Regiâ gaudent *Nanking*. Cœterùm urbes extantiores hic fere sunt 150. inferioris verò ordinis ad 1222. Regio abundat carnis pisciumque copiâ, fluviorum commodis, fodinis, incolis. Provinciæ *Kiangsi* urbem *Inchen* commendat elaboratio ac copia scutellarum Chinensium, quas *Porcellanas* vocant; quæ nullibi præstantiores, quàm in vico *Feuleang* civitatis fiunt, ad quem ex urbe vicina *Hoeichen* terra idonea his vasis conficiendis advehitur. Patiuntur hæc eduliorum etiam ferventium vim sine noxa, & quod mirandum, frusta inter se claviculis æneis filoque consuta non minùs fideliter concreditum servant liquorem. Sutoriæ hujus artis periti totam passim regionem perambulant, ad foraminula efformanda subtilissimo terebello, cui ex adamante cuspis, utentes, &c. In prov. *Peking*. hoc compendium aurigationis habent, ut plaustrum unâ rotâ instructum unoque illius medium occupante, atque eidem aliis duobus utrinque assidentibus, vir mediocris roboris, ligneis vectibus non minus securè quàm velociter promovere possit: unde fabulæ de curribus in China, quos venti agitent, origo, &c. Hodie regnum hoc amplissimum ac antiquissimum Tartaris subest, à quo virgo Tartarica à Chinensium Principe vim passa est, circa A. C. 1645. Nec *Chinenses*, præter pauca quædam in extremis Australibus loca, quidquam habent reliquum: manet tamen genti libertatis & patrii ritus amor, unde Formosa ins. ab exulibus occupata & rasura Tartarica hactenus pertinaciter recusata. Hodierni Regis Tartarico-Chinensis, *habitus variis draconibus volucrumque pennis, nec non inæstimabilis pretii gemmis perlisque exornatus est: Ad Regem admissi pendentibus brachiis solio adstant, statuarum ad instar immobiles*, Kircherius *Chin. lib. 2. cap. 10.* qui paulo pòst de priorum quoque Regum cultu hæc addit: *Rex seu magnus Monarcha Sinarum, ante Tartarorum irruptionem, cùm olim in tribunali procedebat, è loco superiore ad inferiorem fenestram, ceu Numen quoddam, se conspiciendum præbebat, manu eburneam tabulam ad vultum contegendum gestans, nec non & aliam dimidio cubiti latam, integro longam, supra regium diadema frontemque, è qua tabula lapilli summi & inæstimabilis pretii ita in fila inducti dependebant, ut frontem ac vultum omni ex parte tegerent, & intuentium oculis etiam præsentem affectatâ quadam divinitatis specie subducerent.*

Provinciarum Chinensium nomina.

Pekinga *Peking.*	Kiangnana seu Nankinga *Nanking.*
Xansia *Xansi.*	Chekianga *Chekiang.*
Xensia *Xensi.*	Fokiena *Fokien.*
Xantunga *Xantung.*	Quantonia *Quantung.*
Honania *Honan.*	Quangsia *Quangsi.*
Suchuena *Suchuen.*	Queichea *Queichen.*
Huquangia *Huquang.*	Junnania *Junnan.*
Kiangsia *Kiangsi.*	

Quibus accedit *Leaotung* regio, Tartarorum regnis Niuche & Niulhan vicina, atque sinu maris *Cang* dicto & magno muro Chinensi intercepta: dein Corea seu *Chaosien*, ambæ quidem Sinensium imperio, sed non provinciis accensitæ. Videantur, præter M. Martinii *Atlantem Sinicum*, Blaevii *tomus 6. Atlantis*, Nic. Trigaltij *Sacra expeditio*, P. Alvari Semedo *Relatio de Mon. Chinensi*, Kircheri *China*, Joh. Neuhofii *Gesandschafft der Ostindianischen Gesellschafft an den Tartarischen Cham*, &c. inprimis verò Adami Preyelij *Sina & Europa*: V. quoque in voce *Sina* & hic infrà.

China, monumentis quà sacris quà prophanis illustrata, in qua de admirandis Artis & Naturæ, in triplici ejus Regno, spectaculis aliarumque rerum memorabilium, tum de China, tum de Tartaria, vicinaque India enarrationibus, fusè agitur: Opus, Athanasij Kircheri, ob incognitarum hucusque rerum novitatem, rarum ac curiosum: prodiit Amstelodami 1666. *in fol.* linguâ Latinâ. Gallica 1667. & Belgicâ, eodem anno editum.

Chingis Kan, Imperij Tartarici fundator. Tartari namque, postquam vel Turcarum, vel Nestorianorum Imp. ex familia *Karai*, circa Sinam potentissimâ, obnoxii fuissent, quidam *Temuchin*, excusso jugo & in Teduccanis campis superato Joanne Imp. Nestorianorum, compositis domi rebus, cunctas Tartarorum per Scythæ solitudines dispersas hordas, ad signa & commilitium, evocavit, ac cum innumerabili exercitu, fugatis Bagdadum Chorasmiis, in Persiam irrupit, & totâ fere Asia perdomita, *Chingis*

Khan, h. e. *Rex Regum*, appellatus est, ac Tartarici Imperii, quod omnium toto Orbe amplissimum fuit, conditor, Barbaros Scythas hactenus pecuariâ arte inopem trahentes vitam, legibus & disciplinâ militari instruxit, A. C. 1187. Id verò inprimis omnibus suis persuasum voluit, suis Successorumque suorum mandatis, qualiacunque demum essent, cœco obsequio esse parendum. Præter quod multas alias Constitutiones tulit, quæ Tartaricâ linguâ *Jasak Schinguis Khan*, *i. Leges Regiæ*, appellantur, teste Haitone Armeno *cap.* 17. Sic itaque Unkano Nestorianorum Imp. victo, magnâ cum ditionum parte exuit, atque Persiâ Indiaque victoriis peragratâ, usque ad Tigrim ac Volgam fluvios, cunctis Regionibus est potitus. Moriturus filiis suis quatuor ditiones sic dispertitus est, ut primogenitum *Magnum* appellari *Chanum* Regemque Regum, cujus Imperio reliqui tres fratres subessent, vellet; dictus autem is est *Ochai* seu *Hocata*. Filio alteri *Tuksi*, omnes provincias Occidentales, ad fl. Volgam dedit, nim. *Desschs* seu Tartariam desertam, Russiam, Cumaniam, Bulgariam, Gothiam, Alaniam, alias. Tertius *Schagadai*, à Patre accepit provincias Mauaranachariam, Corasmiam aliasque ad Orientem sitas regiones, quæ universæ postea à conditore, *Schagadai* uno nomine appellatæ sunt. Quartus ultimusque Septentrionalia Regna nactus est, quæ majorem partem Europæis nobis sunt ignota. Sic ex uno Imperio *Schinguis Chani*, quatuor Regna magna sunt orta, *Destense*, *Schagataiense*, *Katajanum & Persicum*. Ex Schagataiæ metropoli *Samarkand* ortus *Temurlenk*, vulgò *Tamerlanes*, ad summum fastigium rem Tartaricam evexit, hodiernorum auctor Mogolorum, qui amplissimum ditissimumque intra Gangem Indiæ Imperium hodieque obtinent. Reliqua quomodo iterum in minores partes lacerata, quidque etiamnum ex iis restet, suis locis videbitur. Georg. Hornius *Orb. Imper. & Polit.*

Chiridotæ, tunicæ dictæ sunt manicatæ, quarum meminit Nævius:

Mollicinam, crocotam, chiridotam, *ricam*.

Nomen habent à Gr. Χειρὶς, i. *manica*. De iis A. Gellius *lib.* 9. *cap.* 12. *Tunicis*, inquit, *uti virum prolixis ultra brachia & usque in primores manus ac prope in digitos, Romæ atque omni in Latio indecorum fuit. Eas tunicas Græco vocabulo nostri Chiridotas appellaverunt: fœminisque solis vestem longè lateque diffusam decoram existimaverunt, ad ulnas cruraque adversus oculos protegenda.* Addit dein, primò Romanos sine tunicis, solâ togâ amictos, postea exomidas, i. tunicas substrictas ac breves, quæ citra humerum desinebant, gestasse. Curtius quoque *lib.* 3. mollitiem luxumque Persarum describens, *Illi vestem*, inquit, *auro distinctam habebant, manicatasque tunicas, gemmis etiam adornatas.* Unde Suetonius in Caligula, *cap.* 52. *in eo*, Dio *lib.* 72. in Commodo, & *lib.* 78. in Caracalla, hanc vestem reprehendunt. Dalmaticas verò *Chiridotas* Jul. Capitolini *in Pertinace*, ubi habet, *Per tunicas paenulasque lacernas &* chirodotas *Dalmatarum & cirratas*, &c. quod attinet, fortè & auro intexto pretiosæ erant. Hinc apud Lampridium Commodus, *in publicum Dalmaticatus processisse, atque ita signum emittendis quadrigis dedisse*, legitur. V. Thom Dempsterum *in Joh. Rosini Antiqq. Rom. lib.* 5. *cap.* 35. & Octav. Ferrarium *de re Vestiaria part.* 1. *lib.* 3 *cap.* 8. Addo saltem, apud Capitolinum, pro *Chirodotas*, ut vulgò habetur, *Chiridotas* legendum. Græcè enim Χειριδωτὸς hujusmodi tunica dicta, i. e. *habens* χειρίδας, seu *manuleata*; aliter iisdem Græcis ποδήρης, quòd usque *ad manus* ποδὸς pertingerent. Salmasius *ad l.*

Chirocmeta, Græcè Χειρόκμητα, titulus Democritici *Commentarii*, apud Plinium *lib.* 24. *cap.* 17. *Democriti certè* Chirocmeta *esse constat. In his ille post Pythagoram Magorum studiosissimus, quanto portentosiora tradit?* Sic enim legendum esse, pro *Chirocineta*, quod vulgò extat, discimus ex Vitruvio *lib.* 9. *cap.* 3. *Multas res attendens admiror etiam Democriti de rerum Natura volumina & ejus commentarium, quod inscribitur* Χειρόκμητον, *in quo utebatur annulo signans cerâ molli, quæ esset expertus.* Nempe Democritus, more antiquorum Criticorum, in eo Commentario, quo rerum naturalium arcana & abdita scrutabatur, iis paradoxis, quæ ipse vera expertus erat, notas seu frustula è cera (quæ παραπλάσματα dicebantur, Hesych.) adfigere solebat & annulo quidem suo signatas, unde illis nomen. Annulus enim Χειρόκμητος dicebatur, h. e. *manu sculptum*. Idem Hesychius, Χειρόκμητα, Χειροποίητα, ἔργα ὑπὸ χειρῶν γεγλυμμένα, & Eugenius Rhetor in Lexico, Χειρόκμητα, ἀπὸ χειρῶν γεγλυμμένα ἢ κατεσκευασμένα. Quemadmodum & Χειρόγλυφοι annuli, quòd *manu sculpti* sint. Nisi malis, Democriti librum sic appellatum esse, quòd omnia, quæ in illo tractabat, *manu* ipse *elaborasset* & experimento proprio comprobasset. Sed priorem sententiam adstruit & confirmat Vitruvius. Hinc itaque apud Diogenem Laërtium, in *Vita* Democriti, titulum libri hujus corruptum esse, & pro χερνικὰ, ἢ Φυσικὰ ἀπορήματα, legendum χειρόκμητα ἢ Φυσικὰ ἀπορήματα, docet Salmasius *ad Solinum pag.* 1100. & 1101.

Chirographi Thyni, apud Catullum, Thyni annuli sunt, manu sculpti. Non enim χειρόγραφον solùm, quod *manu scriptum*, sed &, quod *manu sculptum* est, significat, Salmasius *ad Solinum pag.* 1100. V. infrà *Cirographi.*

Chirographum, in *Glossis* Gr. Lat. Γραμματεῖον, *cautio*, *Instrumentum*: h. e. Diploma, scriptum ac pactum, Regum Principumque manibus & subscriptionibus roboratum. In specie postea sic appellari cœperunt eæ chartæ, tabulæ ac instrumenta, quibus in duas partes divisis sectisque, una uni, altera alteri è contrahentibus dabatur. Bis namque in eodem pergameno cùm describeretur contractus seu pactum, quà parte secari ac dividi debebant, scribebantur Alphabeti majusculæ literæ vel picturæ exarabantur, per quarum medium secabatur pergamenum, idque ne fraus ulla obreperet ac vitium. Quippe, ut pacti scriptique probaretur veritas, majores illæ literæ divisæ ac decisæ, an invicem ritè cohærerent responderentque, conferebantur. Cujusmodi *Chirographi* meminerunt Joann. de Janua, *Tabularium* Angeriacense, Louvetus in *Bellovaco*, Raogerus Hovedenus in *Henrico II.* Alii. Sed & hisce *Chirographis*, sigilla ita appendebantur, ut sigillum unius parti chirographi, quæ penès alterum è contrahentibus remanebat, solùm apponeretur & è diverso: Sic sigillum S. Wlmani parti illi, quæ manebat Ecclesiæ S. Bertini; sigillum S. Bertini verò illi, quam servabat Ecclesia S. Wlmani, appensum fuisse, legitur in *Tabulario* S. Bertini *A. C.* 1207. apud du Fresne *Gloss.* Atque hanc ob causam *Chartæ divisæ* passim *Chirographa* talia dicta occurrunt, in *Monastico* Angl. *Tom. II.* in *Chron.* Andrensi, alibi: Item *Chartæ per alphabetum divisæ*, in *Foris* Oscæ Jacobi I. Aragon. R. *A. C.* 1274. & *Charta indentata*, apud Auctores laudatos præfato Viro Cl. Carolo du Fresne ubi suprà.

Chiromantia, cujus artis ope ex manuum lineamentis diligenter inspectis futura quidam augurantur, antiquissima est & jam Hiobi temporibus viguisse nonnullis creditur, occasione verborum Versionis vulgatæ: *Qui signat in manu omnia opera eorum.* Sed in Hebræo nihil tale legitur. Interim dubium non est antiquam admodum hanc artem & in Oriente natam esse, ubi insanum illud Astrologiæ studium fervebat. Cùm enim deprehendissent cœli in hæc inferiora vim, reliquum erat, ut inferiorum cum superioribus convenientiam scrutarentur. Priscum enim illud, *Inferius est sicut superius.* Igitur hominem parvum mundum statuentes, singulas ejus partes ad cœlestia, ut sic dicam, lineamenta revocarunt. Unde nata illa disciplina, quam Græci Φυσιογνωμίαν appellantes, in Μετωποσκοπίαν, Ὀφθαλμοσκοπίαν & Χειρομαντείαν distribuerunt: quæ omnes longo tempore aut planè amissæ aut miserè à circulatoribus quibusdam corruptæ sunt; ut non immeritò Physiognomicum Systema inter desiderata utilissima referat Kekermannus *lib.* 4. *Phys. cap.* 1. Hodie impostores mundo notissimi, quos *Zingaros* Germani, *Cilices* Itali vocant, hâc arte inprimis gloriantur. V. Polydorum Virgilium *de Inv. Rerum lib.* 7. *cap.* 7. Alii sunt *Chiromantæ* seu *Chironomantæ* illi, quorum meminit Sidonius *lib.* 4. *epist.* 7. *Ac si inter Apicios epulones & Byzantinos* Chironomantes *hucusque versatus fueris.* Ita enim Structores seu Carptores dicti sunt, quòd *manus ducendo, artificiosè cibos inciderent*, ut vetus ait Scholiastes Juvenalis *Sat.* 5. *versu* 121. Tractum id nomen autem à scenica consuetudine: Nam Græcis & Χειρονόμοι dicuntur, quasi *manibus omnia effingentes.* V. *infrà.*

Chiron, adde: Heroës Græciæ, qui in *Stropeo* hujus Centauri *schola*, ut Tertullianus loquitur *de Pallio cap.* 4. eruditi fuere, recenset Xenophon in *Cynegetico*, Cephalum, Æsculapium, Melanionem, Nestorem, Amphiaraum, Peleum, Telamonem, Meleagrum, Theseum, Hippolytum, Palamedem, Ulyssem, Menestheum, Diomedem, Castorem, Pollucem, Machaonem, Podalirium, Antilochum, Æneam, Achillem: quos ejus μαθητὰς γεγονέναι κυνηγεσίων τε καὶ ἑτέρων καλῶν, *discipulos extitisse in arte venandi aliisque rebus præclaris*, refert. V. Salmasium *ad l.* Inter opera, ex marmore, sed quorum Auctores ignorantur, celebris quoque *Chiron*, memoratur, Plinio *lib.* 36. *cap.* 5. *Nec minor quæstio est in Septis, Olympum & Pana* Chironemque *cum Achille qui fecerint, præsertim cùm capitali satisdatione Fama judicet dignos.* Dicta autem *Septa*, Romæ locus in Campo Martio, tabulis munitus, in quibus stans Populus suffragia ferebat, Dalechampius *Not. ad locum.* V. quoque infrà in vocibus, *Ovilia & Septa*: at plura de *Chirone*, apud Casp. Barthium *Animadversion. ad Statium passim.*

Chironomi, Gr. Χειρονόμοι, in Scena olim dicti sunt, qui pedum totiusque corporis adminiculo, manuum inprimis artificioso motu, quidquid vellent, exprimebant, repræsentabantque notæ cujusdam personæ, in quam à Poëta canticum, Græcis ᾆσμα, scriptum esset, historiam. Eam primùm veste ipsâ referebant, ut in Vellejo *lib.* 2. *Plancus cùm cæruleatus & nudus, caputque redimitus arundine & caudam trahens, genibus innixus, Glaucum saltasset in convivio*; Scilicet vestitu effecto in Numen maris; deinde saltantes ad numerum, *manibus*, pedibus ac totius corporis contractione ac extentione, singulos versus, singula verba cantici referebant. Cujusmodi Bathyllus quoque fuit, de quo Juvenalis *Sat.* 6.

Chironomon Ledam molli saltante Bathyllo.

Illius cum Pylade altercationem prolixè exequitur Macrobius *Saturn. lib.* 2. *cap.* 7. V. quoque Artemidorum *lib.* 2. *cap.* 78. Leontium Scholasticum *Epigr.* 1. *cap.* 15. *lib.* 4. *Anthol.* Josiam Mercerum

ad

ad Aristaenetum lib. 1. epist. 26. Thom. Dempsterum in Joh. Rosini Antiquitates lib 5. paralipom. ad c. 29. &c. Jul. Cæsari Scaligero, ad versum Juvenalis citatum, Chironomia una fuit ex saltationis Gaditanæ speciebus, Poetic. lib. 1. cap. 18. ubi de Saltatione: Omnium corruptissima Gaditana, ut hinc etiam intelligas Epigrammata Valerii Martialis. Ejus modos produnt tres: Chironomiam, à manuum agitatione, Halma, à saltu, Lactisma, à calcitratione. Qua de voce plura mox dicemus. Sed & Χειρονόμους Græcè vocarunt Carptores seu structores, de quibus dictum suprà. V. quoque in voce Chironomia.

Chironomia, quam vocem interpretatur Quintilianus Legem gestus, a qua Chironomi Pantomimi sunt appellati, non à Pylade demum & Bathyllo, qui Augusti tempore in scena floruere, inventa est. Notum enim, etiam Vett. saltationis illud genus habuere, quæ motu corporis & gestu quidvis exprimeret. Unde narrat Athenæus, Telesiam quendam sive Telestem ὀρχηστοδιδάσκαλον multas schemas & gestus invenisse ac manibus omnia, quæ dicerentur, graphicè ostendisse. Jamque Plato de LL. lib 7. τὴν ὀρχηστικὴν dicit esse μίμησιν τῶν λεγομένων σχήμασι γιγνομένην, imitationem eorum, quæ dicuntur, gestibus peragi solitam. Imò tradit Quintilianus lib. 1. cap 11. jam ab ipsis heroicis temporibus ortam esse hanc Artem, & à summis Græciæ viris, ab ipso etiam Socrate probatam, à Platone quoque modò laudato in parte civilium positam Virtutum, & à Chrysippo, in præceptis de liberorum educatione compositis, non omissam. Et quidem, cùm tres essent antiquissimæ & celeberrimæ saltationis species, Tragica, Comica & Satyrica: nulla non harum manibus & corporis gestibus exprimebat, quidquid in fabula ageret: refertque Athenæus lib 1. Telestem, quo saltatore Æschylus in Tragœdiis utebatur, adeò bonum ejus rei fuisse artificem, ut cùm τοὺς ἑπτὰ ἐπὶ Θήβας desaltaret, omnia, quæ illic agebantur, gestibus peregerit & oculis spectantium subjecerit. In Comœdiis etiam Latinis, Histriones, qui cantica saltabant, ita res in fabulis agendas gestibus repræsentare consueverant, ut populus facilè inde cognoscere posset, quam fabulam acturi essent. Sed tempus fuit, cum iidem saltarent cantarentque. Postea, quia vocem motus corporis ex anhelitu interturbabat, & rursum vox multum gestibus incommodabat, melius visum est, ut, aliis accinentibus, ipsi tantùm saltarent & taciti gesticulatione defungerentur: quod primus Livius fecit, antiquissimus apud Romanos fabularum actor simul & Poëta, apud Livium lib. 7. A quo tempore diverbia solùm pronunciabant Histriones; cantica verò saltabant, puero accinente & personante tibicine; id quod Livius ad manum saltare vocat, hoc est, omnino χειρονομεῖν, seu manibus saltare. Postea verò Pylades saltandi hunc modum & Artem, quæ in Tragœdia tantùm, & Comœdia & Satyris priùs locum habebat, primus a Tragœdia & Comœdia separatam, in scenam Latinam introduxit eamque tribus ex saltationibus præfatis compositam excoluit Itali cam que vocavit, quòd Romæ primum ejus specimen in Latino theatro ediderit: cùm antea saltatio sola per se in orchestra nunquam comparuisset. Unde est, quòd eum, ut & Bathyllum, contemporaneum ejus, ἀρχηγὸν, imò & αὐτουργὸν, primos Pantomimicam saltationem exercuisse, Zosimus scribat. V. in vocibus Bathyllus, Pantomimi, Pylades, &c. Tragicæ verò Chironomiæ antiquæ aliquot schemas & gestus recenset Pollux lib. 4. cap. 15. Καὶ μὴν τραγικῆς ὀρχήσεως τὰ σχήματα, σιμὴ χεὶρ, ὁ καλαθίσκος, χεὶρ καταπρηνὴς, ξύλου παράληψις, διπλῆ, θερμαστρὶς κτλ. ubi Χεὶρ καταπρηνὴς & Χεὶρ σιμὴ contraria erant schemata. His addenda & Σκοπὸς Χεὶρ, quæ etiam inter schemas tragicas numerabatur, eratque gestus eorum, qui intentè aliquid & diligenter speculaturi, manum fronti obtendunt, ne Sol oculis officere & prospectum impedire possit. Cujusmodi schemata Tragica complura invenit dictus Telestes; longè plura dein excogitavit Pylades, qui saltationem hanc manibus peragi solitam multis partibus ampliavit & expolivit. Idem primus fistulas & chorum, ut sibi saltanti præcinerent, curavit: cùm antè sine fistulis & choro Pantomimi saltarent, solo adhibito pueri canentis & tibicinis concentu. Hinc rogatus ab Augusto, quid saltationi contulisset, respondit:

Αὐλῶν συρίγγων τ' ἐνοπὴν, ὁμαδόν τ' ἀνθρώπων.

Nempe primus is plures tibias præcinentes habuit, fistulasque similiter; rursus adjunxit: & cùm Pythaulæ antiquis Histrionibus accinerent, sine choro: ei primùm saltanti Choraules præcinebat, cum choro. Quibus addit Lucianus citharas, cymbalorum crepitum & ποδῶν κτύπον. Itaque saltante Pantomimo, alii tibiis canebant, alii vocibus concinebant, alii fistulis sibilabant, alii cymbala concrepabant, alii pede sonabant, de quibus ulterius V. infrà in Grupezia. Sed & ad testarum crepitum saltitasse Chironomos, ex Hesychio discimus, in voce κεραμβηλάζειν, &c. Plura in hanc rem petere ex Notis Salmasii ad Flav. Vopiscum, in Carum Imp.

Chirotheca, à Regibus olim in urbem, quam obsidebant, projecta, signum erat, obsidionem se non soluturos, donec urbe potirentur. Ad quem ritum referri potest ille Arabum mos, apud quos calcei detracti in aliquem conjectio servatæ servandæque fidei signum pignusque certissimum est. Unde Rahus Benxamucius, vir inter Arabum Duces insignis, uxorem à Lusitanis captam vindicaturus, calceum sibi detraxit atque in eam jecit: simulque equites suos, quos ad 70. raptim collegerat, animosè cohortatus, tanto impetu in Lusitanos irruit, ut his partim cæsis, partim dissipatis, uxorem salvam receperit, apud Just. Lipsium Monit. & Exempl. Polit. 1. cap. 17. Aliàs Chirothecæ detractio, inter ignominiæ militaris fuit species: uti apud Anglos vett. observavit Valsingamus in Eduardo II. Andreas hercle, transfuga Anglus, antequam suspenderetur, degradatus est, securi amputatis ei ad talos calcaribus, mox discinctus balteo militari & ablatis calceis & Chirothecis, mox tractus & suspensus, &c. Conradinus verò, ultimus Sueviæ Dux, mox decollandus Neapoli, in pegmate fetali, Chirothecam, in hæreditatis indicium, Henrico Truchsessio porrexit, Aragoniæ vel Castellæ Regi, (variant enim, qui referunt) afferendam, cujus in rei memoriam leones Suevicos, in signis loco, Dapiferorum seu Truchsessiorum familia obtinuit, A. C. 1268. V. Phil. Jac. Spenerum Theatro Nobilit. Europ. tom. II. Hinc Chirothecæ traditione investire, nota Feudistis locutio, de qua multa congessit du Fresne in Glossar. Indidem Chirothecæ seu Wanti, pars pretii est investituræ, quæ non tam domino, quàm ejus Ministeriali competit, Majori se quàm Villico, apud eosdem. Chirothecam porrigere autem dicebatur qui eâ humi projectâ ad duellum aliquem provocabat, quo à crimine, cujus arcessebatur, sese purgaret, cujus rei illustre exemplum Matthæus Parisius exhibet ad A. C. 1245. Porro Chirothecæ purpureæ, margaritis lapillisque exornatæ, Imperatoriæ dignitatis inter symbola, recensentur, apud Pachymerem Histor. lib. 7. cap 1. Nec omittendæ Chirothecæ Episcoporum, in Ecclesia Rom. quibus ii in sacris Liturgiis ac ceremoniis utuntur; quarumque usus Abbatibus quoque a Pontifice interdum indulgetur. Meminit earum Leo Ost. lib. 2. Chron. Casin. cap. 82. ubi Abbati Casinensi id privilegii concessum refert, A. C. 1049. & Baronius in Annal. Inconsutiles eas esse debere, reperies apud Macrum in Hierolexico, ubi addit, in maioris hebdomadæ die Veneris, ut & in Missis pro defunctis, Episcopis illis uti non licere, ex Ceremoniali Episc. lib. 1. cap. 29. Plura de Chirothecis Episcoporum, apud Honorium Augustodun. lib. 1. cap. 215. & Durandum Ration. lib. 3. cap 12. Olim verò ignotum Chirothecarum fuisse usum, docet Casaubonus in Athenæum lib. 12. cap. 2. Judices quoque Regios, dum pro tribunali sedebant, recentiori ævo, Chirothecas habere vetitos fuisse, legimus in Speculo Saxon. lib 3 art. 69. In quo etiam lib. 3. art. 45. §. 10. duæ lineæ Chirothecæ cum furcula seu tridente, quo fimus tollitur, emenda est dedititiorum, &c.

Chitim seu Cithim, filius Javan, Gen. cap. 10. versu 4. à quo Macedones orti: Namque & vetus nomen Μακέτης, quo antiquitas pro Macedo usa est, haud dubiè à Chitim factum est; & Citheos fuisse in locis Macedoniæ vicinis, ex Homero patet, qui illos paruisse Mysorum Regi Telepho narrat, Odyss. lib. 11. Quare liber Macchabæorum Alexandrum Regem Cithim vocat: à quibus cùm orti sint Latini, (Suidas enim Latinum, Telephi filium, Ceteos in Italiam duxisse tradit) vox Cithim tum Macedonas tum Italos complecti videtur. Hinc & in Numeris cap. 24. vaticinatur Balaam, venturas esse classes ex Cithim, quæ Assyrios & Ebræos essent deleturæ: Quod in Romanos potius, quàm Macedonas quadrat, Phil. Melanchthon in cap. 11. Danielis. V. quoque Georg. Hornium Histor. Philos. lib. 3. cap. 2.

Chiun, idolum Israëlitarum, cujus mentio Amosi cap. 5. versu 26. Herculem repræsentavit, qui, Ægyptiorum linguâ Chon dictus, Solis erat symbolum: sive enim nomen ejus ab Hebræo האיר כל Hier col, i. illuminavit omnia, sive à Græco Ἠέρος κλέος, i. aëris gloria deducas, Solem intelligi clarissimum est. Quæ enim alia est aëris gloria, nisi à Sole, illuminatio? Macrobius Saturn. lib. 1. cap. 20. V. Thom. Godvvynum de ritibus Hebr. lib. 4 cap. 2.

Chius, jactus in ludo talorum infortunatus, idem cum Cane vel Canicula: Suid. Ὁ μὲν Χῖος δυνάμενος ἕν, ὁ δὲ Κῷος ἕξ. Chius unionem, Cous senionem valebat. Anglis Ace. Unde Prov. Κῷος πρὸς Χῖον, cùm Gigantem Pygmæo, magna parvis, componimus. Th. Godvvynus Anthol. Rom. lib. 2. sect 3 cap 13.

Chlæna, Lat. Læna, vestimenti genus antiquissimum ac Heroicum; duplex fuit togæque superinduebatur, præsertim hyeme ad propulsandum frigus, Plut. in Numa: Hesychius Χλαῖνα Χλαμὺς, inquit, ἢ ἱμάτιον χειμερινὸν ἀπὸ τῆς χλιαίνειν ἢ θερμαίνειν, Chlæna chlamys seu hyberna vestis, à verbo quod calefacere significat, Eustathius ait esse tunicâ crassiorem, Homerus Heroas primò Chlænas, dein tunicas exuisse, narrat. Idem δίπλακα duplicem, hoc est, villosam, crassiorem ac duplici filo contextam, contra frigus ventumque adhibitam, docet: præter quam etiam Chlænarum simplicium (quas ἁπλοΐδας seu μονοχίτωνας appellat, i. sine villis, simplici filo contextas) meminit. Nec induendi modò amiciendique, sed & incubandi causâ Chlænas initas, ex eodem vate apparet lib. ult. Iliad ubi Achilles jubet Priamo lectum sterni, stragulaque purpurea injici:

Χλαίνας τ' ἐνθέμεναι οὔλας καθύπερθεν ἕσασθαι. &c.

Ita in eundem usum gausapina cubicularia Romæ fuere. Discrimen inter Chlænam & Chlamydem, hoc erat, quòd illa Heroum, hæc Macedonum gestamen; illa quadrangulum pallium, hæc

 interius

inferiori parte conclusa fuerit. Tenuior ac mollior chlæna Χλανὶς & Χλανίδιον, Latinis *Lænula* dicta est: quale vestimenti genus Ciceroni gestatum approbat Calenus apud Dionem *lib.46.* & Demostheni objicitur apud A. Gellium *lib.1. cap.5.* V. Octav. Ferrarium *de Re Vestiaria part.2. lib.1. cap.10.*

Chlamys, vestimentum fere militare, tunicæ superindui solitum; unde quemadmodum toga pacis, ita *Chlamys* belli insigne fuit, Philostratus *lib.5. cap.45.* Χλαμύδα ἠγάπησε καὶ στρατιώτου βίον, *Chlamydem & militarem vitam amavit.* An sicuti χλαῖνα, quòd hyeme frigus arceat, παρὰ τὸ χλιαίνειν, Grammatici viderint. Ejus species, Puerilis, Muliebris ac Virilis; hæcque iterum Vulgaris & Imperatoria. Prima *Alicula* dicta est seu *Chlamydula*, quâ humeris injectâ infantes ac pusiones seminudi incedebant. Ejus meminit Suetonius *in Tiberio cap.6. Munera, quibus à Pompeja Sexti Pompeji sorore in Sicilia donatus est, chlamys & fibula, item bullæ aureæ durant, ostenduntúrque adhuc Bajis.* Imò & Ephebos in chlamydibus, & quidem velut in peculiari habitu, fuisse apud exteros, docet Plutarchus *in Catone minore* & Artemidorus *lib.1. cap.56.* ubi observandum, quemadmodum Romani anno tyrocinii brachio togam cohibebant, ita Græcos per annum dextram chlamyde involutam habuisse. Muliebris *Chlamydis* meminit Poeta de Didone:

Sidonio pictam chlamydem circumdata limbo.

Et Agrippina in spectaculo navalis prælii auratâ chlamyde induta fuit, apud Tacitum *lib.13.* & Dionem *lib.60.* quam Plinius *paludamentum* appellat. Idem Dio *lib.62.* Bunduicæ Britannicæ Χλαμύδα παχεῖαν, *Chlamydem crassam*, tribuit. Militarem porro vestem, quæ tunicæ, loricæ ac reliquæ armaturæ apud Græcos imponeretur, fuisse *Chlamydem*, certum est. Unde Plautus *Rudente Act.2. sc.2.* milites *Chlamydatos* vocat. Nec apud Romanos Sagum & Paludamentum aliud quiddam fuit, quàm *Chlamys*: indumentum vid. sive ἐπιβόλαιον, quod tunicæ impositum fibulâ in humeris nectebatur. Unde Latinorum *ad Saga ire*, Græci dixerunt *Chlamydes sumere* Dio, *lib.46.* Et Nonio, *Paludamentum est vestis, quæ nunc* Chlamys *dicitur.* Plinius quoque id, quod Tacitus *lib.12. auratam Chlamydem*, & Dio Χλαμύδα διάχρυσον appellant, vocat *Paludamentum auro textile.* V. Octav. Ferrarium *de Re Vestiar. Part.2. lib.3. capp.3. & 4.* In Ecclesia Rom. *Chlamys*, inter præcipua Pontificatus Rom. insignia reponitur à Petro Diacono *Chron. Casinensi lib.3. cap.65.* ubi de Victore II. quam purpuream fuisse, addit *cap. seq.* V. suprà in voce *Cappa*.

Chlorion, memoratus Aristoteli, apud Salmasium *ad Spartianum in Pescennio Nigro.* Item avis, etiam χλωρεὺς dicta, quòd *lutei* coloris; hoc enim Græcis τὸ χλωρὸν notat, qui proin & luteum in ovo χλωρὸν appellant. Aliàs tamen χλωρὸν & χλοερὸν etiam *viridans, virens, viride*, significat, qualis herbarum color est: à χλόη, *herba*; item *viriditas.* Unde χλωροὶ φοίνικες, *palmæ recentes*, oppositæ ταῖς θησαυριζομέναις καὶ ξηραῖς, *conditis & aridis.* Et Chrysoprasus χλωρότερος τοῦ χρυσοβηρύλλου, *viridior est Chrysoberyllo*, apud Theophrastum: utpote cùm ex aureo & porraceo (quod exactè ac meracè viret) mixtam lucem trahat. Idem tamen, cùm carbunculos χλωροειδεστέρους vocat, illos *pallidiores* intelligit. Quam proin duplicem notionem vocis Χλωρὸν non attendentes plerique, circa hæc non rarò impingunt. Salmasius *ad Solinum pag.1106.*

Choara, Χοάρα, Satrapiæ nomen, sub ditione Parthorum, Plinius *lib.6. cap.15. Mox ejusdem Parthiæ amœnissimus situs, qui vocatur* Choara. *Duæ urbes ibi Parthorum, oppositæ quondam Medis, Calliope & alia in rupe Issatis quondam.* Ubi *situs*, sicut & *locus* alibi, apud eundem, & Solinum, non significat oppidum, aut vicum, ut sæpe aliàs, sed regionem; quemadmodum θέσις & τόπος, apud Græcos. Aliter Χοαρηνή, apud Strabonem *lib.11.* μέρη δ' ἐστὶ τῆς Παρθυαίας, ἥ τε Κωμισηνὴ καὶ ἡ Χοαρηνή, *Partes autem Parthyenes sunt, Comisene & Choarene.* Est autem Parthyene apud illum laxior, quàm apud Isidorum Characenum, qui utramque hanc Regionem à Parthyene separat & sub Parthia collocat, per *Parthiam* intelligens Parthorum regionem. Ultra Caspias Portas *Choaram* esse, & in illa Apameam urbem, idem Isidorus refert, V. de illâ plura apud Salmasium *ad Solinum pag.982. & 1196.* ut & in voce *Choarina*.

Choaspa urbs, adde: Græcè ἡ Χόασπα, fortasse à fluv. *Choaspe*, ad quem sita fuit. Salmasius *ad Solinum pag.700. & seqq. ubi egregia multa de utroque Choaspe, Persico & Indico*: quemadmodum de *Choaspite* gemma viridis coloris, fulgoris aurei, *pag.767.*

Chobar, adde: E Mesopotamia scatere, & post longum tractum, prope locum, ubi Ezechiel sepultus credatur, in Euphratem se exonerare hodieque antiquam appellationem retinere, ex indigenis sese audivisse, refert Dominicus Macer in *Hierolexico.*

Chochæus, Apollinis cognom. apud Jul. Capitolinum in *Vero*, *Et nata fertur pestilentia in Babylonia, ubi de Templo Apollinis l.* addit Ammianus *lib.23. Chomæi, l. Chochæi) ex arcula aurea, quam miles fortè inciderat, spiritus pestilens evasit, atque inde Parthos orbemque complesse.* A Coche urbe, quam cum Seleucia idem Ammianus eandem facit *lib.24.* Quidam verò diversam, inter quos Stephanus eam non longè à Seleucia ponit, & κώμην, *vicum*, esse dicit: Χώχη κώμη πρὸς τῷ Τίγρητι ποταμῷ; usus auctoritate Arriani. At Arriano hoc recentiores omnes *Chochen* & Seleuciam confundunt, & pro una Urbe accipiunt, nec *Coken* vicum agnoscunt, sed urbem nobilissimam. Sext. Rufus, *Chochen & Ctesiphontem, urbes Persarum nobilissimas.* Φρούριον tamen voce Nazianzenus *Stelitent. 2.* Inde igitur Χωχαῖος Apollo, qui Seleuciæ magna in veneratione erat. Salmasius *ad Capitolinum.* V. quoque infrà in *Coche.*

Chœnix, mensuræ genus apud Græcos, continens tres cotylas, quantum dietim homini in cibum dabatur: unde *dimensum* Terentio. V. Erasmum *in Adag. Chœnici ne insideto.* Eadem mensura apud Romanos legitima, unde admodum simile veri est, quod ponit vir maximus Guil. Budæus, tesseras frumentarias, quæ singulis dividerentur, *chœnicarias* fuisse. Quo posito facilè intelligitur singularis in Historia Romana locus Ælii Spartiani in *Severo*, *Moriens septem annorum Canonem, ita ut quotidiana septuaginta quinque millia modiorum expendi possent, reliquit*: e quo de multitudine turbæ frumentariæ conjectare possumus. Constat enim in modio Romano *chœnices* octo fuisse, quæ legitima est mensura homini in diem alendo necessaria. Qua ratione turbam frumentariam, quæ quotidianum demensum de publico accipiebat, ad sexies centena millia accessisse colligitur. Atqui frumento publico plebs solùm & milites alebantur; certè civium tenuissimi quique solùm. Quanta igitur universorum civium multitudo? Isaac. Casaubonus *Not. ad Spartianum.*

Choës, adde: De *Chois* inferorum, V. infrà in voce *Melicraton*, ubi ad hæc sacerrima sacra *Vinum* & *Mel cum lacte* adhibitum docebimus. Sed & oleum additum, discimus ex Virgilio *l.6.* ubi tamen infusum illud dicit extis jam ardentibus:

Tum Stygio Regi nocturnas inchoat aras,
Et solida imponit taurorum viscera flammis,
Pingue superque oleum fundens ardentibus extis.

Adhibebant autem ista Veteres, cùm Animas mortuorum elicere vellent, ex illis responsa de rebus dubiis accepturi. Qua de re V. hic passim, ut & plura apud Casp. Barthium *Animadversion. ad Statium Part.2. pag.1050. & 999.*

Cholæbus, Mapharitarum Tyrannus, memoratur Arriano in *Periplo*: Erant autem Mapharitæ siti ad Mare Azanium seu Lophratem, quod inter Arabicum Sinum & Indicum Mare medium. Idem de Dioscoridis Insula, Ὑπόκειται μὲν ... Χαριβαὴλ, καὶ τῷ Μαφαρίτῃ τυράννῳ, καὶ ὁ ... *Subdita est igitur, uti Azania, Charibaëli & Mapharitæ Tyranno, & Insula ipsi Regi Thuriferæ regionis.* Nempe Arriani tempore Charibaël Sabæis præfuit sive Homeritis, Thurifera Eleazo & Mapharitæ *Cholæbo* paruere. Salmasius *ad Solinum pag.499.*

Chomatum Nili Logographi, *in l. ult. Cod. Theod. de Pastu vicor.* dicti sunt, qui muniendæ Nili ripæ aggeribusque ejus præerant. *Chomata* enim (Gr. Χώματα, quæ vox aliàs in genere quemvis *aggerem*, terræque molem aquas cohibentem notat, Hesych.) per excellentiam dictos esse Nili aggeres, docet Ulpianus in *l. 10. D. de Extraordin. Crimin.* V. Carolum du Fresne *Notis ad Alexiadem Comnenæ pag.273.* ex Salmasio *ad Solinum pag.431.* ut & suprà in voce *Aggestum.*

Chone, Autolyci filia, à qua *Chonica* regio nomen habuit. Solinus *cap.2.* ubi de Italia, *Regionem Choniam, à Chone Autolyci filia, quam procaciter insidentem viæ Hercules, ut ferunt, interemit, conditam*, refert. Ita is suos Auctores sequutus. *Chone* certè urbs Italiæ fuit, quam à Philoctete conditam, ex sententia quorundam refert Strabo, à qua populi Χῶνες, quos Aristoteles memorat, ait, ... eorum regionem vocat Lycophron,

Κρᾶσιν ... Χωνίας ...:

quæ *Chonica Regio* Solino. V. Salmasium *ad l.* nec non in voce *Chone.*

Choræ, in *Regula* S. Donati Episcopi Bisuntini ad Virgines *capite 75.* videntur esse distinctiones Psalmorum, quarum singulæ certum Psalmorum numerum continent, ut sunt Nocturni in *Officio* Rom. *Ab Octavo Kal. Octob. crescit cursus ... ad minimum ejus 25. choris – 12.* verò choræ *in hyeme omni nocte cantandæ sunt*, apud du Fresne *Glossar.*

Choragus, V. infrà *Chorea.*

Choraulæ, dicti Veteribus omnes, qui cum *Choro* canerent tibiis. Unde & tibicines, qui saltantibus Pantomimis in scena operam dabant, ut saltantium excitarent vigorem, quia & choro canenti responsabant, sic appellati sunt. In Comœdiis quoque olim, quando chorus canebat, choricis tibiis artifex concinebat, atque is *Choraules* dicebatur, uti refert Diomedes Gramm. *lib.3.* Postea *Choraulæ* à comœdiis sese segregarunt & res suas particulatim in scena agere cœperunt; ut & Pythaulæ & Pantomimi, qui omnes primis temporibus in Comœdia canebant. A quo tempore chorum etiam suum habuerunt, qui ubique eos comitabatur & ex 7. Cantoribus constabat. Meminit eorum ... in *Epigram.* adhuc inedito, apud Salmasium, *ad Vopiscum in Carino,*

Οὐκ ἤδεα ..., Ε... Χοραύλην,
Οὐδ' ἀλλ' ... ἴσχει.

Ἀλλ' ἐκάλεσσα σε μόνον, σὺ δ' ἔχεις χορὸν οἴκοθεν ἐλθὼν,
Ὀρχηστὰς, αὐτοῖς πάντα διδοὺς ὀπίσω.
Εἰ δ' οὕτω τοῦτ' ἔστι, σὺ τοὺς δούλους κατάκλινον,
Ἡμεῖς δ' αὖθις σοὶ ἐς πόδας ἐρχόμεθα.
Non sciveram te Tragædum, ò Epicrates, neq; Choraulam,
Neque quid omnino esset chorum habere.
Sed invitavi te solum, tu vero cum choro domo venis
Saltatorum, ipsis omnia porrigens retro.
Quòd si ita est, tu servos junge discumbere,
Nos ipsi verò tibi ad pedes erimus.

Nempe Epicrates hic invitatus à Lucillio, adduxerat secum in convivium chorum Symphoniacorum puerorum aut gregem Tragœdorum, servorum sc. suorum, quibus ponè triclinium ad pedes stantibus omnia, quæ in mensa erant adposita, tradebat domum perferenda & sibi servanda in crastinum, ut de his domi iterum cœnare posset. Quem morem plerique olim habebant, qui ad convivia invitabantur: uti passim conqueritur simul ac jocatur Martialis, *lib.*2. inprimis *Epigr.*23. ubi ultimorum Lucillii versuum sensum planè expressit ac reddidit,

Omnia cùm retro pueris obsonia tradas,
Cur non mensa tibi ponitur à pedibus?

E' quibus patet, *Choraulas* & Symphoniacos divitum conviviis adhiberi olim consuevisse. Unde idem Poëta optimum convivium esse dicit, *in quod Choraules non venit*, &c. Sed & *Choraulem* eum appellabant, qui ad tibias saltabat, apud Petron.

Atam piter loquaci
Ægyptius Choraules.

Sic Nanum *Choraulem* describit Propertius,

Nanus & ipse suos breviter contractus in artus
Jactabat truncas ad cava buxa manus.

Ubi *jactare manus ad cava buxa*, nihil aliud est, quàm saltare & χειρονομεῖν ad tibiam. Nec aliter vox accipitur, apud Sidonium Apollinarem, ut doctis Viris observatum: & Isidorum fortè in *Glossis*, ubi habet, *Choraula, Jocularius.* Namque etiamnum Galli *Jongleur* vocant gesticulatorem præstigiatoremque quemlibet. Aliàs tamen *jocularius* seu *joculator*, Græcis καμψιαύτης, tubicinem, tibicinem, omneque id artificum genus, quos etiam hodieque *jocatores* Galli vocant, significat; quâ ratione Isidoro *Choraules* fuerit, qui ad chorum canit, &c. V. Salmasium ubi suprà. Ut & *ad Solinum pag.* 123. nec non in voce *Choraules.*

Chorazana, Regnum olim peculiare, nunc prov. Persiæ, ubi olim Bactra, Parthi, Sogdiani. Postquam enim Imperium Tartaricum instauravit *Timur-lenk*, vulgò *Tamerlanes*, post obitum ejus, intestinis filiorum dissidiis id multum diminutum est: quorum tamen natu maximus *Scha-Rogu*: in Turkestana, Schagadaja, Mauaranaharia, Persia, Gaina & Indostana, latè regnavit. Inter hujus successores variis rerum vicibus obortis, Regnum ejus in duo Regna, *Chorazan* & *Marvaranachar*, divisum est A.C. 1451. quæ iterum conjuncta A.C. 1452. post obitum Regis *Abunaid*, denuo dissilierunt, A.C. 1470. Sequenti tempore, Rex *Chorazanæ* Schabekus seu Subakanus, Usbekanum Imperium condidit an instauravit: quod hodie complectitur, quidquid inter Persiam, Indiam, Chinam & Cathaiam terrarum jacet. Sed Israel Sophi Persarum Rex, gravissimo contra eum suscepto bello, eum totâ *Chorazana* pepulit: à quo tempore, inter Usbecanos & Persas, odium internecinum & hinc perpetua discordiarum seges est. V. Georg. Hornium *Orb. Imper.*

Chorea, nomen saltationem denotans, unde ortum, docet Mercurialis: *Loca*, inquiens, *ubi saltationes peragerentur, primò, cùm nondum exculta essent, fuere vici, & plateæ publicæ; deinde, cùm majorem dignitatem atque ornamentum recepissent, ad Theatrorum partes quasdam translata fuerunt, quæ & ab Aristotele & Polluce, ob id, Orchestræ vocatæ fuerunt; unde etiam* Chorea, *nomen saltationis percelegans, manavit. A' Theatris ad palæstras postea transiere; inde in Convivia*, &c. V. eum *de Arte Gymnast. lib.*2. *cap.*7. *sub fin.* Affinis vox *Chorus* est, quo collegium Musicorum dicitur Servio *ad Georgic. lib.* 1. & Jurecons. *l.* 79. *de Leg.* 3. *l.* 34. *de Ædilitio edicto.* Seneca eleganter *Epist.*24. *Non vides, quàm multorum vocibus* Chorus *constet?* Unde *Choraules* servus, apud Romanos, V. Pignorium *Comm. de Servis* & suprà. At *Choragus* dicebatur Atheniensibus, qui sumtus præbebat ad Ludos, καὶ χορήγιον, id est, *choragium, quo instruebatur Theatrum & chorus*: à quo χορηγία, unum ex muneribus pacis publicis, quæ altero quoque anno cives ex Lege obibant. Designabant autem *Choragos* unaquæque Tribus suos; qui sic constituti sortiebantur pro concione tibicines, præsidente Archonte, ex hac Lege: Ἐν Ἐκκλησίᾳ τοὺς ἄρχοντας ἐπικληροῦν τοῖς Χορηγοῖς τοὺς Αὐλητάς, *Archontes pro concione Tibicines Choris sortitò danto.* Nempe sortiebantur primò se *Choragi*, dein is, cui sors prima obtigerat, primus eligebat Tibicinem, quem vellet; cui secunda sors, secundum, &c. quæ sortitio fiebat mense integro, antequam darentur ludi, in quos chori instruebantur; idque, ut omnia ritè fierent & ad celebrandos majori cum voluptate ac dignitate Ludos. Erat verò Lege cautum, ne quis peregrinus in Choro saltaret; in quam si commisisset *Choragus*, drachmis 1000. multabatur: ita enim illa habet, Μὴ χορεύειν ξένον, ἢ χιλίας ἀποτίνειν τὸν Χορηγόν, apud Plut. *Phocion.* Atque id religiosè observatum est in Dionysiis τοῖς κατ' ἄστυ; at non item in Lenæis, τοῖς κατ' ἀγρούς, quibus non tantum peregrini saltare in choro poterant, sed etiam inquilini ipsi erant *Choragi* ac præbitores, uti discimus ex Interprete Comici *ad Plutum.* Ipsis verò ludis *Choragus*, si peregrinum in Choro saltantem in jus raperet, ad Archontem, 50. drachmis; si è scena exturbasset ac suo movisset loco, 1000. multabatur; ex Lege Demostheni memorata *in Midian.* Nolebant enim quidpiam inauspicati fieri in diebus illis festis: Ludis verò peractis judicia reddebantur. Sed nec ignominiâ notatis in Choro saltare licebat; quod si facerent, poterant de scena deturbari & loco moveri, ex Lege: Ἐξεῖναι τοῖς ἄρχουσι ἀγωνιζομένους ἀπολαμβάνεσθαι τοὺς χορευτὰς καὶ ἐξάγειν ἐκ τῆς θυμέλης, V. Demosthenem *Midian.* E' quibus patet, quantum abfuerint à Romanis hac in parte Athenienses, qui non nisi è civibus Chorum constare volebant: cùm Romani sibi privatim Choros habuerint è servis coævis, qui cantare noverant ac saltare: unde apud Celsum *lib.*9. *Digestorum, si Chorus aut familia legetur, perinde est, quasi singuli homines legati sint*, &c. V. Sam. Petitum *Comm. in LL. Atticas lib.*3. *tit.*4 & infra in voce *Saltatio.* Addam hic saltem, de *Choreis* Gentilium, quibus in Sacris suis utebantur, etiam Apostolo indigitatis 1. Cor. *cap.*10. *versu* 7. Certè nulla Sacra in Delo peracta, quibus saltatio non fuerit adhibita, refertque Plato *de LL. lib.*2. singulis Diis singularia sacrificia atque *choreas* fuisse solitas accommodari. Inprimis verò celebres *Choreæ* Caryatidum fuere, de quibus suprà; item Corybantum seu Curetum. Sic memorat solennes Choreas & lusus, ad Sacra Bacchi & Palladis, Papinius Statius *Achilleid. lib.*1. *versu* 208.

—— imbelli nuper Lycomedis in aula
Virgineos cætus & littora persona ludo
Audierat ——

Ad sacra Dianæ, Virgilius *Æneid. lib.*1.

Qualis in Eurotæ ripis, aut per juga Cynthi
Exercet Diana choros, quam mille secutæ
Hinc atque hinc glomerantur Oreades ——

Saltantes enim & tripudiantes de montibus & campis in urbem Spartam, de qua hic, unde ad sacra Dianæ prodierant, redibant Virgines, vetus Scholiastes Statii *ad l. mox laudandum*, &c. Alia *Chorearum* genera conglomerat Statius *Achilleid. lib.*2.

Jamque movent gressus: thyasisque Ismenia buxus
Signa dedit quater æra Rheæ, quater Evia pulsant
Terga manu, variosque quater legere recursus.
Tunc thyrsos pariterque levant, pariterq; reponunt,
Multiplicantque gradum, modò quo Curetes in actu,
Quoque pii Samothraces eunt: nunc obvia versæ
Pectine Amazonio, modò quo citat orbe Lacænas
Delia, plaudentesque suis intorquet Amyclis.

Vovebantur autem & solvebantur quoque Diis choreæ, rebus bene gestis; quo nomine non semel puellas adhortatur Horatius, & plenæ Tragœdiæ. Virgilius *Æneid. lib.*11.

Æneas, quanquam & sociis dare tempus humandis
Præcipitant curæ, turbataque funere mens est,
Vota Deûm primo Victor solvebat Eoo.

Et Statius iterum *Thebaid. lib.*4. *versu* 200.

—— —— —— Dabit aptior ista
Fors Deus, Argolicasque habitu præstabo maritas,
Cùm Regis conjux, cùm te mihi sospite templa
Votivis implenda choris: nunc induat illa.

Circumibant verò Aras saltantes, dextro interiore gyro, uti Aristophanes tradit in *Pace*: quemadmodum contrario gyro lustrabant rogos in Decursionibus funebribus, apud eundem Statium, &c. Plura de priscæ hoc superstitionis more, quem Dæmonum infandos cultores etiamnum servare, discas ex Petro de Valle *Part.*4. *Itiner.* V. apud Petrum Lancreum Senatorem Burdigal. in *Commentario* erudito Gallicè scripto, præcipuè *lib.* 2. *cap.* 4. ubi typus æneus spectandas istas choreas proponit. Illum verò idololatricas gentes, velut simias, κακοζηλίᾳ quadam traxisse, à sacris illis choreis, quarum in Scriptura mentio, verisimile fit. Quod tamen Sancti non fecerunt, in omnibus Sacris, sed tantùm in celebratione alicujus recentis beneficii, ad animi sui lætitiam & εὐχαριστίαν erga Deum testificandam. Adde, quòd Gentilium choreæ, præter impium finem, thymelicis gestibus lascivis & planè indecentibus exercebantur: qui à modestia & gravitate Sanctorum, in cultu divino, procul aberant. Sed nec *Choreas* & saltationes unquam vel instituit vel requisivit Deus in Populo suo sacris operante, quem tamen variis ceremoniis oneravit: suâ id sponte Sancti illi fecere. Postea verò apud ipsos Israëlitas Idololatræ ad profana sua sacra hunc ritum traxere, Exodi *cap.*32. *versu* 6. *Surgentesque manè, obtulerunt holocausta, & hostias pacificas & sedit populus manducare & bibere & surrexerunt ludere*; ad quem locum Paulus respicit *d. l.* Nempe vituli cultores post epulas surrexere ad *ludendum*, h. e. saltandum coram vitulo. Eodem referendum, quòd in solenni festo puellæ choreis indulsisse videntur. Judicum *cap.*21. id enim ex Idololatrarum itidem more factum, videtur. Ita ergo festivitates Gentilium, cum cantu, *choreis* & comessationibus peragebantur. Propriè enim Χορεία ἡ μετ' ᾠδῆς ὄρχησις, *Chorea cum cantu saltatio est.* Scaliger

*Poetica lib.*1. *cap.*18. *Saltatio quædam sine cantu fuit, eaque vetustissima. Deinde cantus additus, quem postea* Χορείαν *appellarunt.* Quod prohibet Paulus Roman. *cap* 13. *versu* 15. εὐσχημόνως περιπατήσωμεν μὴ κώμοις καὶ μέθαις, *compositè ambulemus, non in commessationibus & ebrietatibus.* Ubi κῶμος, juxta Suidam, idem est quod μέθη καὶ ὄρχησις, *Temulentia & saltatio.* Sed & *Canon* 53. Concilii Laodiceni, Christianos jubens σεμνῶς δειπνεῖν, *venerabiliter cœnare*, vetat illos βαλλίζειν ἢ ὀρχεῖσθαι, *plaudere vel saltare*, &c. V. A. Rivetum *Commentar in Exodum cap.*15. *vers* 21. *cap.*32. *loc. cit.* & plura hanc in rem apud Car. Paschalium *Coronar. lib.* 2. *cap.*15. ubi Virgines, imò omnes alios coronatos *Choreas* duxisse, pluribus docet.

Chorea Gigantum, monumentum lapideum omnium hujus generis nobilissimum, in Anglia, prope Salisburiam, vulgò *The Stonehenge* dictum, & à Camdeno, ob vastissimam amplitudinem, *insanæ substructionis* nomen meritum: Quod non unum è Scriptoribus Anglicanis in admirationem rapuit, hæsitantem, qui tantæ molis lapides in loco aliàs minùs petroso ibi congesti vel in altum elevati fuerint; aliis insuper adjicientibus, certum horum lapidum numerum iniri à nemine posse. V. Sidneium *in Mirac. Angliæ*, Inicum Jones *of the Stonehenge on Salisbury plain*, Joh. VVebb *a vindication of Stonehenge*, Auctorem Anonymum *Hist. Orbis Terr, Geogr. ac Civ. sect* 1. *cap.*8. *Histor Antiquit.*&c.

Chorepiscopus, adde: Neque tamen *Chorepiscoporum* dignitas, vel certè appellatio, alicubi hodieque non viget. Quippe, ut observat Molanus *lib.* 2 *de Canon. cap.*32. in Ecclesia Ultrajectensi S.Martini, *Chorepiscopi* nomen & titulum primus Subdiaconorum habet, cui Archipresbyterii seu Decanatus ruralis officium incumbit. Præterea Coloniæ, in omnibus Collegiatis Ecclesiis *Chorepiscopus* est primus Cantorum, qui etiam in Cathedrali Ecclesia officium faciens, in solennitatibus, Episcopali baculo utitur. Etiam Trevirensem Ecclesiam *Chorepiscopos* habuisse suos, Theganus innuit auctor *Gestorum Ludovici Pii*, ipse hoc titulo insignis. Hodieque in eadem Ecclesia quatuor sunt dignitates eadem nomenclaturâ, sc. supremus *Chorepiscopus S. Petri, Chorepiscopus S. Lubentii in Dietkirken, Chorepiscopus S. Castoris in Cardona* & *Chorepiscopus S. Agathæi in Longuiono* Sic mentio fit *Chorepiscopi* Ecclesiæ Lugdunensis, apud Adonem in *Chronicis A.C.* 810. Ecclesiæ Frisingensis, in *Charta* Arnolphi Ducis Bajoariorum A. C. 808. *Chorepiscopi* Ratisbonensis, in *Metrop. Salisburg. Tom.III. Chorepiscoporum* Ecclesiæ S.Stephani Metensis, in *Charta* Leonis IX. apud Meurissium in *Episcopis Metens.* &c. Qui quidem *Chorepiscopi* non alii erant ab Archidiaconis, qui vices Episcoporum agebant in ruralibus Ecclesiis. Scribit porro Brovverus *Antiqq. Fuldens. lib.*1. *cap* 3. & *in Notis ad* 12. *Poema Rabani Mauri*, Abbates eo tempore *Chorepiscopi* munus obiisse, exemplo S. VVigberti & Albini Friteslaviensium Abbatum, quod du Fresne firmat exemplo Bertilonis, qui *Chorepiscopus Abba* Monasterii S. Benigni Divionensis appellatur non semel, in *Tabulario* hujus Monasterii, &c. V. eum in *Glossar.* Corruptè ex *Chorepiscopi* voce, Maronitæ in Oriente *Churi* appellant Archipresbyterum seu Parochum loci, cui in traditione curæ baculum Pastoralem Episcopus in manus tradit, uti legas apud Maccos Fratres, qui de dignitate hac Ecclesiastica multa congesserunt.

Choritæ, V. infrà *Sanguinitæ.*

Chorizantium secta, in Germania & agro Leodiensi A.C.1374 qui à dæmonibus obsessi, choreis indesinentibus in plateis & templis vacabant: V. Radulfum de Rivo in Joanne *de Arckel Episcopo Leodiensi cap* 9. & Gobelin. Personam *in Cosmodromio at.*6. *cap.*69. laudatos Car. du Fresne in *Glossar.*

Chorobates, Græcè Χωροβάτης, q. *agri perambulator* vel *metator*, apud Græcos idem videtur instrumentum fuisse, quod *groma* apud Latinos. Describit illud ita Vitruvius: *Chorobates est regula longa circiter pedum XX. ea habet ancones in capitibus extremis æquali modo perfectos, inque regulæ capitibus ad normam coagmentatos & inter regulam & ancones à cardinibus compacta transversaria, quæ habent lineas rectè descriptas, pendentiaque ex regula perpendicula in singulis partibus singula.* Utebantur autem gromâ Veteres, ad agrorum castrorumque metationem, uti dicemus infrà Sed & aquæ librandæ *Chorobates* inserviebat; quemadmodum & dioptræ, quibus turrium ex intervallo altitudines explorabantur, eundem usum præstabant. Idem, *Libratur aqua dioptris aut libris aquariis, aut Chorobate, sed diligentius id efficitur per chorobaten quòd dioptræ libræque fallunt.* V. Salmasium *ad Solinum pag.* 672 &c.

Choromithrene, Græcè Χωρομιθρηνή, Mediæ regio, apud Ptol. *Μεθ' ὃς ὑπὸ τὰ ὄρη μέχρι τῆς Παρθίας ἡ Χωρομιθρηνὴ, ἀρκτικωτέραν ἔχουσα τὴν Ἐλυμαΐδα, Post quos extensa est Parthiam usque* Choromithrene, *magis ad Septentrionem vergentem habens Elymaida.* Quæ Elymais, non confundenda cum Elymaide, ad oram Sinus Persici, à qua longè distat. V. Salmasium ubi suprà *pag* 1194.

Chorsaci, Persæ à Scythis olim appellati. Solinus *cap.*49 *Scythas Persæ lingua sua Sacas dicunt, & invicem Scythæ Persas* Chorsacos *nominant, montemque Caucasum Graucasum*, &c.

Chorus, quibusdam idem cum Argeste, παρὰ τὸ χωρεῖν nomen habet, quòd cum impetu & *violentia* eat: quo modo in prælio incipiendo ruentes, τας ὁρμὰς καὶ ἐμβολὰς χωροῦντας, vocat Thucydides, *cum impetu & clamore proruentes.* Hinc Ἀργέστης quoque, quæ vox Græcis *concitatum* & *velocem* significat. Sed eos distinguit Seneca, *Chorus venit, qui apud quosdam Argestes dicitur. Mihi non videtur, quia Chori violenta vis est, & in unam partem rapax: Argestes verò mollis est, & tam euntibus, quàm redeuntibus, commeatis.* Et Vitruvius, *Circa Favonium Argestes & certis temporibus Etesiæ. Ad latera Cauri Circias & Chorus.* Ubi *Argestes* propior *Favonio*, *Caurus* seu *Chorus Septentrioni*; qui indidem tamen ventus, modicâ tantùm inclinatione diversi. V. suprà *Caurus.* Atque hic ventus est, quo solo flante ab Indiæ promontorio Gades usque navigari, Plinius scripsit & post eum Solinus *cap* 56. converso nempe Mundi statu & mutato ventorum situ statuque, uti habet Salmasius *ad Solinum pag.*1262.

Chorus, pars Comœdiæ, una ex accessoriis, inter actum & actum vel pars est, post actum introducta cum concentu. Dicebatur autem sic primò, *multitudo canentium saltantiumque cum tibicine:* idque antiquitus circa aras Deûm, Virgil. *Æneid lib.*6.

Illa chorum *simulans, Evantes orgia circum*
Ducebat Phrygias:

Quo in loco Servius ait, *chorum esse multitudinem in sacra collectam.* Et in *Georg.*

Omnis quam Chorus *& socii comitantur ovantes.*

Chorus, inquit, *propriè est coævorum cantus atque saltatio.* Solebant enim aras Liberi patris Deorumque cœterorum circumgirare canentes atque saltantes. Inde ad fabulas *Chorus* translatus est. Et quidem primus Philammon Delphicus, ad aram patriam, Choros disposuit, in Apollinis honorem. Romæ vero, L. Anicius, devicto ac triumphato Gentio Rege Illyriorum, in Circo Scenam extemporariam excitandam curavit, Ludosque edidit cum Thymelicis tum primùm, quos in Orchestra constituit: in Proscenio autem Tibicines cum Choro. Primus Archontes in Scenam duxit Comicum Chorum. Fuit autem is per initia μονοπρόσωπος, unus enim quispiam prodibat, civium vitia recensens, idque sine cantu, cujusmodi est apud Plautum Choragus in *Curculione.* Dein alter additus, ut interrogationibus ac responsionibus explerent animos varietate. Postea quaterni fuere, ita ut partirentur Chorum in paria duo, quæ idcirco Græci vocaverunt ζυγά. Tandem is ad quinquagenos excrevit: quæ turba, postquam Æschylus *Eumenides* fabulam dedit, ad quindenos redacta est: ita ut essent paria seu ζυγὰ quina, ex ternis versibus: ubi qui cantum incipiebat, Κορυφαῖος, proximus Παραστάτης, tertius Τριτοστάτης dicebatur. Constabat verò tam viris, quam mulieribus, ut ex *Troade* Senecæ apparet; hac tamen lege, ut si mas laudandus esset, viri: sin fœmina, fœminæ chorum componerent. Præterea, quidquid canebatur, ad argumentum fabulæ, maximè ad actum ipsum, quem distinguebat, oportebat pertinere: docente Horatio,

Actoris partes Chorus, *officiumque virile*
Defendat, nec quid medios intercinat actus,
Quod non proposito conducat & hæreat aptè.

Disponebantur verò in Orchestra, quum staret Chorus, sicut & in acie, quod appellabatur Χοροστασία: Idem ordo, quum rectà ambularet, vel exiens vel ingrediens, hi dicebantur *quadrati Chori.* Quum accedebant, Πάροδος vel Παραδία vocabatur, quo tempore canebant Παρόδιον: quum ingrediebantur Εἰσόδιον, cantum dicebant, cur adessent. Tum aut stantes canebant, quod & Στάσιμον nominarunt & Στασιμόν, tum narrabant rei eventum: aut statim revertebantur & exibant, quæ erat μετάστασις Quod si rursus ingrediebantur, Ἐπιπάροδος: in qua si saltarent prodeuntes, erat Κόρδαξ: si præcisiùs, Κομμάτιον, ibi lugebant. Utebantur Græci unicà tibia in cœteris, in synodo tantum geminis. Timæus porro memoriæ prodidit, Choros Laconicos tetragonos fuisse, Athenienses orbiculatos; quos & [illegible] appellarunt illi, Siculi autem [illegible]. Κύκλιον orbicularem Chorum, appellatum esse, docet Salmasius, unde vox translata ad Κύκλον Ἐπικὸν, & Κύκλον Παιδείας, de quo V. infrà in voce *Cyclus.* Non omnis tamen Chorus eidem Κύκλιος, sed solus Dithyrambicus. Nam *Chori Tragici*, inquit, *& Comici fuere τετράγωνοι, qui κατὰ ζυγὰ καὶ στοίχους disponebantur. Exercitat. ad Solinum pag.*848. Sed non semper Vere consertis manibus, verùm aliquando solutis etiam in orbem disponebantur. Concinentes autem movebantur in lævam primum, primum hoc motu cœlorum orbem se imitari ajentes; eumque vocabant Στροφὴν; quam quum explerant, totidem numeris eadem vestigia pluribus temporibus relegebant, quâ reversione subterlabentium adversum motum Planetarum referri prædicabantur, Ἀντίστροφος hæc. Eo spatio absoluto stantes, Terræ quietem repræsentabant. Quo in statu cùm diversa à superioribus accinerent, Ἐπῳδὸν nominarunt. Mutatas tamen leges invenias aliter alibi. Porro conficiebat Chorus non solùm ex maribus fœminisque, ut dictum, sed insuper ex quavis ætate, conditione, sexu, pueris, puellis, viris, senibus, fœminis, anicullis, civibus peregrinis, militibus, agrestibus, servis, liberis, captivis Nebulæque & ranæ & vespæ & alia quævolueris; quemadmodum Scaliger olim lusit in Comœdia *Vidulo*, cujus chorus constabat allis & cepis & ulpicis & ascaloniis & bulbis. Cœterum, distinguebantur Græcis Actus, *Choro* in Orchestram ascendente: Latinis verò,

verò, qui *Choro* carebant, mimis personisque de proscenio in Scenam [illegible]. Cum vero partes *Chori* illæ præcipuè essent, ut [illegible] quos liberè [illegible] lacderent: attritis Populi Athenien[illegible] opibus, reductaque illius insana & licentiâ & inconstantiâ ad Tyrannicam paucorum libidinem, continuit Poëtas metus potentiorum in officio bene dicendi, & proin sublatus Chorus est: cujus loco [illegible] quædam introductæ, in quibus aliorum Poëtarum dicta scriptaque, sine maleficii crimine aut pœnæ suspicione irridebantur. Nec Cratino, [illegible] pristinam licentiam auso reverti, impunè fuit, uti vidimus suprà, in voce *Bapta*. V. plura hanc in rem, apud Jul. Cæs. Scaligerum *Poëtices lib.1. cap.6. & seqq.* Atque hinc *Chorus* etiamnum, in Ædibus Sacris, apud Latinos Græcosque, ea pars dicitur, in qua Clerus consistit ac concinit: Honorius Augustodun. *lib.1. cap 140. Chorus dicitur à concordia canentium, sive à corona circumstantium. Olim namque in modum coronæ circa aram cantantes stabant: sed Flavianus & Diodorus Episcopi choros alternatim psallere instituerunt.* Certè hodieque apud Græcos ea pars in orbem circumducitur & subselliis Cantorum ac Clericorum munitur, ut ex Ichnographiis Templorum apud illos quas Goarus *ad Euchologium* repræsentat, licet perspicere. Sed & *Chorum* Sophianum, in ovalem formam contractum perhibet Petrus Gyllius *Descrip. CP. lib.2. cap.3.* Quia verò dividebatur *Monachorum Chorus* in Ecclesiis in 2. partes, quarum una à dextris, altera à sinistris erat, sibique antiphonatim respondebant, hinc quâ parte Abbas sedebat, *Chorus Abbatis*; quâ Prior, *Chorus Prioris* dictus est, V. *Vitas* Abbatum S. Albani *pag.90.* Pars porro Chori Monachorum, à quibus Invitatorium incipitur, *Chorus Invitatorii* dicta, occurrit in *lib. Usuum Ordinis Cisterc. cap.12.13.* Apud Cartusienses Parisinos *Chorus Conversorum* est, Choro Fratrum, ut videtur, præstructus: meminitque *Chori* hujus Cæsarius *Mirac. lib.1. cap.35.* apud du Fresne in *Glossar.* Porro cancellis *Chorum* munitum esse, ne Laicis, uti vocant, ingressus in eum pateat, discimus ex Concilio Moguntiac. in *Decret. de Vita & Honest. Cleric. cap.1.* [illegible] refert tamen Curopalates, Imperatori CP licuisse eum ingredi, die coronationis suæ, ibique sacram communionem percipere; ut & in Vesperis Paschæ, ad incensum offerendum. Quod idem de Rege Galliæ, habet Matthæus *de Rebus gestis Henr.* IV. circa finem, ubi de Mariæ, uxoris ejus, coronatione agens *intra Chorum ex privilegio Regem sedere* consuevisse, tradit. Sic Magnus Magister Melitensium Equitum thronum suum intra Presbyterium habere dicitur, Macris Fratribus in *Hierolexico*, quos si placet vide.

Chosroes II. adde: Tituli ejus, in *Epistola* ad Varanum, penès Theophylactum Simocattam *lib.4. cap.8.* hi sunt. [illegible] *Chosroes Rex Regum, dominantium dominus. Dominus gentium Pacis princeps, hominibus salutare fidus, in Diis quidem homo bonus & æternus, inter homines verò Deus illustrissimus, supergloriosus, victor, unà cum Sole exoriens, & noctem instruens oculis.* V. Casp. Barthium *Animadversion. ad Papin. Statium lib.4. Sylv.1. vers.3. Atque oritur cum Sole novo, &c.*

Chrenecruda, in *L. Sal. tit.61.* Goldasto & Spelmanno *viridis herba*, ex Germ. *Grun Kraut*; Wendelino ex *Rein*, i. *purum*, castum & mundum ac *Keuren*, i. *probare*, digna annotatu ceremonia medii ævi est. In hac, qui hominem occidit, nec in bonis habet, unde mulctam exsolvat, adjunctis XII. Juratoribus, nihil sibi esse in bonis, præter ea quæ tradidit, sacramento cavet. Tum proximiores agnatos ad reliquum mulctæ exsolvendum invitat, facta in eos bonorum suorum omnium cessione, hoc ritu: Domum suam ingreditur, & collectum de 4. illius angulis pulverem pugno tenens, ad limen revertitur, in eoque stans ac vultu suo in interiorem domum obverso, sinistrâ manu pulverem in proximiorem agnatum trans scapulas mittit. Quo facto domo egreditur nudus ac solo indusio tectus & palum manu tenens ultra sepem salit. Tum agnati compositionem homicidii exsolvere tenentur: qui si pariter solvendo non sint, aut ex iis aliquis, *iterum super illum* Chrenecruda, *qui pauperior est, jactat & ille totam legem componit.* E quibus colligitur, *Chrenecruda jactare*, idem esse quod *pulverem*, ex quatuor domûs angulis collectum, projicere. Postea verò Legem hanc correxit Childebertus Rex in *Decreto cap.15.* quòd & paganorum ritus saperet, & plures in bonorum cessione involveret: *De* Chrenecruda *Lex, quam paganorum tempore observabant, deinceps nunquam valeat, quia per ipsam cecidit multorum potestas*, apud du Fresne in *Glossar.* Addit in *Hierolexico* Macer, in aliquibus Civitatibus decoctorem (Decoctoribus enim hanc legem positam contendit) [illegible] à creditorum se eximeret molestia, lapidi podicem ter in publico illisisse, ut Senis in præsenti fieri soleat: Romæ verò per integrum diem pileum viridem gestare cogi, &c. Sed de *Decoctorum* pœnis pluribus agetur infrà, in hac voce.

Chresiphon, Græcè [illegible], Templi Dianæ architectus, apud Plinium *lib 36. cap.14.* Nempe primæ Templi Ephesii fabricæ is præfuit, non ultimæ, quâ post Herostrati [illegible] instauratum est, Alexandri M. temporibus, & ad augustiorem cultum renovatum, cui [illegible] Dinocrates fuerat præfectus, uti discimus ex Solino *cap.40.* Gnosium fuisse, idem Plinius refert, & Vitruvius *lib 7. in Proœmio*, ubi fabricam Templi ab eo institutam quidem, non vero perfectam, tradit: *Primumque ædes Ephesi Dianæ Ionico genere ab* Chresiphone *Gnosio & filio ejus Metagene est instituta, quam postea Demetrius ipsius Dianæ servus, & Pæonius dicuntur perfecisse.* V. Salmasium *ad Solinum pag.11. & seqq.*

Chrestologus, Pertinax Imp. per convitium dictus est, apud Capitolinum: *Omnes, qui liberè fabulas conferebant, malè Pertinaci loquebantur.* Chrestologum *eum appellantes, qui bene loqueretur & malè faceret.* Palatinus Codex *Christologum* habet, more illi ætati consueto. Est autem *Chrestologus* vel *Christologus*, qui blandè diceret, nec benignè faceret. Sic Græci [illegible]. Palladas,

> [illegible]
> [illegible]
> *Odi hominem duplicem existentem,*
> *Blandum quidem verbis, hostem verò moribus.*

Eosdem pollicitatores ac Dosontas etiam [illegible], *blanditiis verborum inescare*, dicebant; nec multo aliter apud Paulum Apostolum, [illegible]. Quod optimè in Pertinacem convenit, qui blandus erat verbis [illegible] ipsâ minimè benignus, unde & nunquam simplex creditus, sed [illegible]. V. Casaubonum & Salmasium *ad l.* [illegible] *Manibus.* Sic enim notat Plutarchus *in Quæstionibus Græcan.* ubi explicat, quinam dicerentur apud Lacedæmonios & Arcades [illegible], in Fœderis columna, quod inter ambos illos populos conventum est, inter alia scriptum fuisse, [illegible], *Messenios ejicere è regione, & non licere Manes facere*, quod ait Aristotelem interpretari, *Non licere interficere*, [illegible]: Idem quoque repetens *in Quæstionibus Rom.* Hinc *Manes* mortui, & *Dii Manes*, defunctorum genii, qui aliâ *Lares familiares*, & boni Genii dicebantur, oppositè ad larvas qui mali habebantur ac noxii: unde illi curam posterorum suorum sortiri credebantur, hi vacatione seu quodam exsortio, i. e. [illegible] puniti, nullis bonis sedibus errabant. Inde *Mania*, eorum mater, quam perperam docti confundunt cum *Genita Mana*, quæ sic quoque cognominata est, i. *bona*, non à *manando*, ut quidam volunt, &c. V. Salmasium *ad Solinum pag 412.* & infrà in voce *Manes*. Porro [illegible] Græcorum respondet Latinorum vett. *forctum* & *horctum*, quod sequuta ætas *horctum* & *fertum* pronuntiavit. Unde *fertum*, pro genere libi, quòd *bonum* esset, [illegible]: Et [illegible], liba, & [illegible] Homero, & compositum genus libi *Struesfertum*, quasi *struem bonam* dixeris. Idem *ibid. pag.1263.*

Chrestomathia, nomen libri, à Proclo editi, in quo, [illegible], verba sunt Photii, [illegible], *Enarrat nomina & patrias eorum, qui Epicum Cyclum condiderunt.* V. Eundem *d. l. pag.147.*

Chrisma, Græcè [illegible], propriè genus unguenti, ab altero, quod [illegible] dictum, diversum. Spissiora enim *linunt*, [illegible]: liquida *perfundunt*, [illegible]. Glossæ, *linit*, [illegible]: unde [illegible], quæ illinuntur. Plinius *lib.13 cap.3. Sed quosdam crassitudo maximè delectat, styphim appellantes: linique jam, non solùm perfundi unguentis gaudent.* V. Salmasium *ad Solinum pag.465.* Hodie *Chrisma*, in Ecclesia Rom. oleum est, quod consecratur; idque duplex: Alterum enim *oleo* & balsamo conficitur, ac *principale* appellatur, in *Pontificali* MS. Senonensis Eccl. Alterum simplex oleum est, ab Episcopo consecratum. Priore unguntur, qui baptizantur, in vertice & qui confirmantur, in fronte; item, qui ordinantur: Posteriore Catechumeni inunguntur; in pectore, scapulis & fronte, antequam abluantur. Sed & Infirmos ac Energumenos eodem oleo inungi, passim legas, &c. Occasionem ejus arcessunt ab Unguento sacro Ecclesiæ Israëliticæ, quod ex variis aromatum speciebus compositum, jussu Dei, Aaroni ipsiusque filiis, adhibitum legitur, Exodi *cap.30.* & durasse dicitur nongentos fere annos: quo amisso Pontificis inauguratio solo in posterum vestitu peracta est. Idem videtur fuisse oleum, quo & Reges nonnunquam sunt inaugurati, quanquam alii diversum fuisse velint, ex *vers.32. & 33. cap. cit.* Verùm typicum illud fuit, quo quid significari tum voluerit Deus, discimus ex 1. Joh. *cap.2. versu 5. Unctio* (*[illegible]*) *quam accepistis ab eo, in vobis manet.* V. quoque Joann. *cap.1. versu 16. & cap.3. versu 34.* Unde S. Ephrem *de Sacerdotio Tom.1. pag.2. Populus, qui ante nos erat, cornu olei ferens, ad Sacerdotium promovebatur: nos verò servi inutiles Dei benedicti, non cornu, non oleum sensibile, sumimus; sed ipse, qui est brachium excelsum atque tremendum, ex cœlo descendens, suum nobis, per impositionem manuum, donat Spiritum.* Quod omnino est [illegible] illud Joannis *l. cit.* Idem confirmatur verbis Rob. Bellarmini *Recognit. oper. ad librum de Summo Pontifice, pag.34. Figura semper est inferior & imperfectior figurato. Sicut igitur Sacerdotium Christi fuit longè sublimius Sacerdotio Mosis & Melchisedeci: sic etiam regnum Christi multo debuit esse excellentius, id est, non temporale, ut illorum, sed æternum, spirituale & cœleste, &c.* A *Chrismate* verò Ecclesiæ Romanæ, *Chrismal* seu *Chrismale*, vas Ecclesiasticum, in quo *Chrisma* asservatur. Item vas, in quo Eucharistia reconditur.

Liber Sacram. S. Gregorii. Præfatio Chrismalis: Oremus - ut Deus omnipotens hoc ministerium corporis filii ejus Domini nostri Jesu Christi gerulum benedictionis, sanctificationis tutamine, defensionis donatione implere dignetur, &c. Interdum, *corporalis*, ut vocant, seu palla corporalis; imò & quævis palla, quâ sacræ conteguntur reliquiæ: Tandem vestis candida, quam capiti baptizatorum imponi mos. Quippe olim hodieque baptizatorum, statim atque *chrismate* in fronte ungebantur, ne illud defluerer, capita panno obvolvebantur candido, qui octavâ demum die ab iis auferebatur: *Capulla*, ut videtur, dictus, in Synodo Nemauf. *A. C.* 1284. *cap. de Baptismo.* Indidem *Chrismales denarii*, præstatio, quæ à Presbyteris pro chrismate, quod circa Pascha ab Episcopo accipere solent, eidem Episcopo exolvebatur, quæ, ut simonia, damnata legitur apud Anselmum *lib.4. Epist.61.* Item *Chrismarium*, vas in quo sacrum chrisma reponitur, in Concilio Antisiodor. A. C. 586. *can.*6. seu, ut aliis, videtur, theca reliquiaria vel phylacterium, apud Gregorium Turon. *Miracul. S. Martini lib. 4. cap.* 32. &c. V. Car. du Fresne in *Glossar.* Tandem *Chrismarius*, h. e. Notarius seu Cancellarius, cui incumbebat baptizatorum nomina adnotare. Hinc de ceremonia coram Pontifice observandâ, cùm in die Paschæ ad S. Mariam Maj. ad celebrandum equitaret, *Ordo* Rom. habet: *Cùm veneris ad Merulanam, quidam* Chrismarius *electus ab omnibus Chrismariis dicit altâ voce; Jube Domine benedicere, & Pontifex benedicit. &* Chrismarius, *in Ecclesia S. Mariæ Dominæ nostræ baptizati sunt tot masculi & tot feminæ: Deo gratias.* V. Macros Fratres in *Hierolexico*, ut & suprà, in voce *Ampulla.*

Christi Effigies, in nummis descripta, à Constantino M. occurrit apud Joannem Damascenum in *Synodica ad Theophilum.* Hodie tamen inter tot, qui ex Constantini supersunt nummis, nullus hactenus repertus est, in quo *Christi* imago compareat. Hinc primus, qui eam in nummis suis exprimi curaverit, videtur Justinianus Rhinotmetus; cujus aureus nummus, apud Stradam & Chiffletium, priore facie Christum habet expressum, thorace tenus, dextrâ benedictionem impartientem, sinistrâ Evangeliorum codicem tenentem, cum Inscr. IHS CHRISTUS REX REGNANTIUM: alterâ Justinianus ipse barbatus, cum stemmate crucigero ac loro, cruci majori manum admovens conspicitur, his characteribus in ora exaratis: DN. JUSTINIANUS SERVUS CHRISTI. A' quo tempore eadem effigies simili modo ac inscriptione cernitur, in nummis Basilii & Constantini Porphyrogenniti. Joannes Zimisces postea primus solum Christum in nummi una parte effigiari curavit; in altera verò & quidem media facie Græca hæc, characteribus Romanis, JESUS CHRISTUS BASILEUS BASILEON, V. infrà ubi de nummis *Scutricis.* Quem sequuti postea alii, quorum nummi Christi protomen cum inscr. ΕΜΜΑΝΟΥΗΛ exhibent, cum iisdem Zimiscianorum characteribus, nisi quòd nonnunquam Crucem in medio cum gradibus depictam præferant: vel Crucem cum hisce ad angulos literis, IC XC NIKA: vel Regum adorationem cum binis columbis, &c. In istis porro nummis ita Servator effingitur, ut dextram protendat, binis extensis digitis, tanquam benedictionem impartiens, sinistrâ verò librum Evangelij teneat. Paulus Silentiarius *in Descript. S.Sophiæ part.2. versu* 359.

> —— ἔοικε δὲ δάκτυλα τείνειν
> Δεξιτερῆς, ἅτε μῦθον ἀείζωον ἀγγέλλοντα,
> Λαιῇ δ' ἔμπαλιν ἔχει ζαθέοιο βίβλον,
> Βίβλον ἀπαγγέλλουσαν, ὅσα χραισμήτορι βουλῇ
> Αὐτὸς ἄναξ ἐτέλεσσεν, ἐπὶ χθονὶ ταρσὸν ἐρείδων.
> *Videtur autem digitos protendere*
> *Dexteræ, velut si sermonem immortalem annuntiaret.*
> *Sinistrâ librum tenens. sacros narrantem sermones,*
> *Librum pandentem, quæ ille consilio*
> *Ipse Rex peregit dum in terris ageret.*

Interdum in tabellis Græcanicis, in apertis libri Evangelici foliis; interdum ad ipsa imaginis latera, descripti visuntur characteres Græci A. & Ω. designantes Christi divinitatem & humanitatem, uti exponit Leo Allatius *de Cons. utr. Eccl. lib.*1. *cap.*6. *num.*31. Sed & plurimùm cernuntur isti, IC. XC. id est, Ἰησοῦς Χριστὸς: quæ literarum contractio in nummis ac tabellis vett. fere semper conspicitur. Præterea, in iis nummis *Christus* interdum stans effingitur, ut in præclaro Jaspide, cujus ectypon habetur in dactyliotheca Canonicorum Regularium S.Genovefæ Parif. In eo *Christus* stans ad genua, dextram protendit, binis extensis digitis, sinistrâ librum tenens, cum literis ad latera, IC XC O ΕΛΕΗΜΩΝ. in altera facie legitur, † ΧΕ ΘΘ CO ΕΙΣ CE ΕΛΠΙΖΩΝ ΟΥΚ ΑΠΟΤΥΓΧΑΝΕΙ, Id est, *Jesus Christus misericors. Christe Deus, qui in te sperat, non frustratur.* In aliis nummis Christus in cathedra vel sella sedens effingitur, dexterâ pariter impartiens benedictionem, alterâ Evangelium tenens, ut est in vet. tabella Græcanica gazophylacii S. Genovefæ Parisiensis; quod etiam Veneti Duces, Byzantinis Augustis potissimùm addicti, in nummis suis imitati sunt, cum adscriptis solitis Græcis characteribus IC. XC. uti docet nummus argenteus P. Ziani Ducis, qui ante A. C. 1200. vixit, in eodem gazophylacio. Servii item Reges, uti patet ex nummis Vrolci & Stephani, apud du Fresne. In ejusmodi autem numismatibus, potior ea pars, quæ Christi protomen præfert: quod, præterquam quòd id personæ dignitas evincit, docent characteres ΚΕ ΒΟΗΘΕΙ, nummis Alexii & Manuelis Comnenorum in ea facie adscripti, h. e. ΚΥΡΙΕ ΒΟΗΘΕΙ, cum in altera, ubi Imperatorum effigies, sequatur, ΤΩ ΔΟΥΛΩ ΣΟΥ, *Domine adjuva servum tuum.* Cui quidem inscriptioni similis quodammodo & illa, quæ in nummo Heraclii habetur, DEUS ADJUTA ROMANIS. Ita in cereis sigillis Impp. Caroli M. Ludovici Pii & Caroli C. legitur similiter, XRE PROTEGE CAROLUM, vel LUDOVICUM IMPERATOREM. Sed & adnotat Scylitzes, Græcorum classicum fuisse Χριστὲ βοήθει, *Christe juva*; quod in Leonis *Tacticis* unico Βοήθει conceptum. Nec omittendi nummi, qualis Constantini Ducæ Imp. in quibus *Christus* ipse stans, crucem Imperatori porrigit; quâ figurâ Ducas hic ab ipso Christo Augustam dignitatem se adeptum testatur: à quo & coronatur, unà cum Eudocia conjuge, Romanus Diogenes, in Diptycho eburneo. Quo modo in tabellis pingi solitos Augustos CP. testatur Joannes Euchaitarum Metropol. *Carm. in a. φανοθέσεως τινὶ Χριστοῦ*,

> Οὐ χεὶρ κραταιὰ τὰς κραταιὰς δεσπότας,
> Ἔστεψε Χριστὸς ᾗ κρατεῖ δ' ὁ κρατῶν.
> *Non manus fortis fortes Imperatores,*
> *Sed* Christus *coronavit, ipseque Imperium dedit.*

Unde Θεόστεπτοι, i. *à Deo coronati*, dicti sunt, &c. V. Car. du Fresne *Dissertat. de Numism. Infer. ævi*

Christi Institores, Χριστέμποροι, Ignatio *Epist. ad Trallianos*, vaniloqui dicuntur ac seductores, qui partum Virginis calumniabantur, passionem negabant, nec credebant resurrectionem: Deum porro ignotum introducebant. *Christum* ingenitum esse censebant, Spiritum S. verò nec esse confitebantur. Ex iisdem etiam quidam Filium Dei merum hominem esse dicebant, & eundem esse Patrem & Filium & Spiritum S. asserebant: omnia item creata à Deo, non per Christum, sed per alienam quandam potestatem, halucinabantur. De quibus V. Jo. Forbesium *Instructionum Historico-Theologic. lib.I. cap* 3. §.1.

Christi Monogramma, in nummis occurrit non rarò, quod à Constantino M. fluxisse, ostendunt nummi ejus, in quorum uno, qui aureus est, inscriptum, VICTORIA CONSTANTINI AUG. In alio verò Cassidi adscriptum visitur; quo firmatur, quod Eusebius tradit, hosce characteres τῷ κράνει detulisse Constantinum. Constat autem *Christi Monogramma*, literis majusculis Græcis P. & X. invicem junctis ac implexis; quibus *compendio totum Christi nomen includitur*, ut est apud Primasium Africanum, *in Apocalypf. lib* 4. *cap.*13. Unde mos idem ad Successores postea delatus, qui aut in Labaro, aut in medio nummo ipso id monogramma descripsere. Præclarus autem ille est Constantii Jun. Cæsaris æreus, in quo ipse, vel Constantinus Pater, militari habitu stat, Labarum dextra tenens, in cujus sipario descriptum Christi monogramma, victoriâ à tergo subsequente & coronam ejus capiti imponente, cum hoc lemmate, HOC SIGNO VICTOR ERIS. In medio verò nummo idem monogramma exhibet Constantii Imp. aureus cum A. & Ω. Decentii perinde cum iisdem characteribus & inscr. SALUS DD NN. AUG. ET CÆS. ut & Joviani, sed absque inscriptione. Præterea ectypon habetur insignis gemmæ, in Ludovici Chalusii *Dactyliotheca MS.* apud du Fresne, in qua insculptum hoc monogramma, cum hisce characteribus, SALU DOMNI NOST AUG LUC. h. e. *Salus Domini nostri Augusti lucet.* Cui quidem ectypo adjungenda alia nummorum Constantii & Decentii inscriptio, apud Cholium, in quorum adversa facie simile visitur monogramma, SAL. DD. NN. AUGG. LUCET. Interdum porro ita effictum erat monogramma, ut P. transversario stipite trajiceretur. Cujuscemodi verò monogramma Christi non ætate duntaxat Constantini M. nosci ac describi cœpit, sed & longè antea; cùm extet gemmæ egregiæ ectypon in modò dicta Dactyliotheca, cui insculptum monogrammon hoc, cum A. & Ω. ad latera & hisce in circuitu characteribus, SAL. DO N ALEX FIL LUCE. id est, *Salus Domini nostri Alexandri filii Mammææ lucet.* Quam gemmam exaratam fuisse ab homine Christiano, qui ætate hujus Alexandri vixerit & ad Christum pro Imperii ac vitæ ejus incolumitate preces fuderit, verisimillimum est: nisi quod scrupulum movet vox *Domini nostri*, quæ ejus ævi non est. Sed & simile monogramma in nummo Maxentii Cæsaris observare est, apud Cholium, ubi scriptum, VOT V MULT XX VIC CÆ MAXE. h. e. *Victoria Cæsaris Maxentii.* In altero item ejusdem, ubi monogramma ex P. & X. implexis conficitur: quod sane stupendum, ut tum à Principe, Christiani nominis infensissimo, fuerit usurpatum. Tametsi notam eandem interdum à paganis, Deorum suorum imaginibus adscriptam, observare sit, ut in gemma, in qua Jovis, Dianæ & Apollinis capita, sicut in Deliorum nummis apud Goltzium, effinguntur, cum signo hoc Jovis imminente capiti & hisce characteribus, VIVAS IN DEO F. i. *feliciter*, sed hac de re dicemus plura infrà. Idem verò Cholius nummum alium profert, in quo Monogramma hoc quadruplex, vel

vel quadrilaterâ formâ conspicitur, cum hac inscr. PAX DOM N ÆTER, id est, *Pax Domini nostri æterna.* In quibusdam etiam inferioris ævi maxime nummis Crux medium nummum occupat, cum hisce ad quatuor angulos characteribus JC XC NI KA. Quæ tamen nec propria omnino Græcis Augustis inscriptio fuit, cum & Francorum Reges in Scutis, uti vocant, aureis hanc exarari voluerint, CHRISTUS VINCIT, CHRISTUS REGNAT, CHRISTUS IMPERAT, &c. V. du Fresne *Dissertat. de infer. ævi numism. num.* 24. & 25.

Christiani Philosophi, Tertulliani ætate, Episcopi, Presbyteri & Clerici fuere; postea Monachi: de quorum simplicitate in vestitu & calceatu, xerophagiâ item, aliisque huc spectantibus, accurate agit Salmasius *ad Tertull. de Pallio*; de balneis inprimis, *ad Lampridium in Commodo.*

Christiani de Cinctura, Sanuto *lib. II. part. cap.* 8. *sub A.C.* 1236. dicti olim sunt, Christiani in Ægypto degentes: cujus nominis rationem reddit B. Odoricus de Forojulii *in Chron. sub A.C.* 1307. *In ista autem Babylonia habitant multa millia Saracenorum — & multitudo Christianorum, qui dicuntur Centurini seu de Cintura, quia cingulum portant latum & rotundum, per quod recognoscuntur ab aliis*, Jacobitis scilicet, aliisque, du Fresn. in *Glossar.*

Christianitas, titulus Honoris, Francorum Regibus potissimum tributus, qui *Christianissimi* peculiari quodam jure ac prærogativâ etiamnum dicuntur. Occurrit non semel in *Epistola* Imp. CP. ad Childebertum R. *Histor. Franc. Tom. I.* in *Epist.* Stephani III. ad Carolum & Carolomannum Regg apud Baron. A.C. 755. *num.* 3. in *Epist.* Pauli Pontif. ad Pipinum R. *Histor. Franc. Tom. III. pag.* 734. alibique passim. Sed & Gregorius M. scribens non modo ad Brunechildem Reginam, sed quoque ad Mauricium Imp. & Theudelindam Reginam Langobardorum, eodem *Christianitatis* titulo eos compellat, *lib.* 5. *Epist.* 63. *lib.* 7. *Ind.* 1. *Epist* 5. *Ind.* 2. *Epist.* 42. *lib.* 12. *Epist.* 7. &c. Item functio seu Jurisdictio, audientia Episcopalis seu Forum Ecclesiasticum, cui Episcopus vel alius illius nomine præest, quod vulgò *Curia Christianitatis* vocatur, in *Capitul.* Caroli M. *lib.* 5. *cap.* 114. & alibi passim. *Christiani* etenim potissimùm Clerici dicti, V. *l.* 50. 125. *Cod. Theod. de Decurion. l.* 2. *de Postlim. l.* 11 *de Pistor* &c. In *Decreto* Bonifacii IV. apud Holstenium in *Collectione Rom.* absolutionem peccatorum in Confessionibus vox notat: uti Officium Ecclesiasticum, apud Hugonem Flaviniac. *pag.* 260. & Baptismum, in *Historia* Merlini MS. apud Car. du Fresne in *Glossario.*

Viri Principes.

Christianus I. Elector Saxoniæ: Filius Augusti El. unicus ex Anna Danica, doctrinæ purioris amantior, turbas tantopere odit, ut persæpe optaret, *ab indoctis & opinione sententiæ inflatis liberari.* Pulsos itaque à patre Theologos sedibus restituit, Melanchthonis scripta revocavit, Reformatorum libros non ipse solùm legit, sed & ab aliis legi ac vendi emique permisit: plura tentaturus, nisi quinto regiminis anno, non sine veneni suspicione, immaturâ morte fuisset abreptus, A. C. 1591. Ita enim tum alia consilia, quibus ad majora videbatur aspirare, tum eodem anno pro Henrici IV. partibus expeditio in Galliam, cui primùm ipse præesse constituerat, dein *Christianum* Anhaltinum præfecerat, inprimis vero quæ in Religionis negotio instituta fuerunt, caruere successu. Pater fuit ex Sophia Brandeburgica *Christiani II.* Johannis Georgii I. & Augusti.

Christianus II. prioris filius, Patri in Electoratu successit, tutore agnato Friderico Wilhelmo Alteburgico; Quem partium Ducem nacti Flacciani cum essent, dissentientes ab Ubiquitatis dogmate in carcerem rursus compacti; Nicolaus Crellius Cancellarius, dato ei criminis, quòd *Calvinismum in Saxoniam* introducere voluerit, capite plexus; Visitatio per omnes Ecclesias instituta adactique cuncti sunt in verba placitaque à Selneccero & Leysero Theologis conscripta; Urbano Pierio Professore & Pastore Wittenbergensi, qui subscribere renuebat, post 36. septimanarum arctam custodiam, vix ad intercessionem Elizabetæ Anglorum Reginæ dimisso. Nihilominus idem Administrator, tumultum Lipsiæ, ob Helvetios quosdam apud Adolphum quendā ibi hospitantes, exortum, quatuor nebulonum extremo supplicio coërcuit. Contulit *Christiano* feudum Juliaci, Cliviæ & Montium Rudolphus Imp. A. C. 1610. Sed sequente anno, nullâ ex Hedvige Danica prole susceptâ, defunctus successionem reliquit fratri Johanni Georgio: cujus filii Johannes Georgius II. Augustus, *Christianus*, qui Naumburgum cum Lusatia nactus est, & Mauritius hodieque supersunt, Lætus. V. Thuan *Hist. lib.* 104. & 105.

Christianus, filius tertiò-genitus Caroli Principis Palatini, Birkofeldiæ Ducum auctoris, mature arma sectatus, prælio ad W. impenam, ex parte Marchionis Durlacensis, fortissimè se gessit A. C. 1622. ab infer. Saxoniæ circulo dux legionis equestris constitutus A. C. 1623. illam dein in Hungariam duxit, Vinariensem ac Mansfeldium comitatus, A. C. 1626. Danica dein sequutus auspicia, ab illo Rege in ordinem Georgii adscitus est: demum à Gustavo Adolpho Suec. R. in Germania victore, equitatus imperium & Rhenani tractus curam suscepit, A. C. 1631. Exin, re Bavarica eidem à Rege commendata, Augustæ Vindelicorum sedem fixit, Bavariâ inde excursionibus infestatâ, Landsbergâ quoque captâ. Postmodum Heidelbergam recuperavit, & in Alsatiâ, ad *Pfaffenhoven* superatis Lotharingis, Hagenoam cepit. Post varia dein in Alsatia ac Palatinatu gesta, militari se imperio abdicavit A. C. 1635. & Cæsari reconciliatus Argentinam habitatum concessit: Episcopovillam post hæc ab affine acceptam incoluit arcemque ibi extruxit. Obiit Neostenii A. C. 1654. pietate, rei familiaris prudentiâ & dictorum constantiâ inclytus. Eo geniti è Magdalena Catharina Bipontina (cujus mater Rohanea multa in Gallia bona habuit) *Christianus* A.C. 1637. qui legionis Sueviæ Dux, in prælio ad Arrabonem fluv. prope Gothardi fanum fortitudinis specimen insigne edidit A. C. 1664. & Johannes Carolus A. C. 1638. ambo postea Galliæ Regis milites.

Christianus, Dux Brunsuicensis. cognom. *Senior*, filius Wilhelmi Cellensis lineæ conditoris, fratri Ernesto successit, A. C. 1611. Episcopus etiam Mindensis: Cum Friderico Ulrico agnato, qui lineæ Guelferbytanæ prærogativam aliquam urgebat, de priori sede controversiam habuit. Ut Rex Daniæ infer. Saxoniæ circuli Dux esse posset, quod munus Christiani fuerat, prætextu gravioris ætatis abdicatus est, sed jussi sunt à Cæsare Ordines imperium circuli ei restituere. Decessit successore Augusto fratre.

Christianus, cognom. *Junior*, filius secundò-genitus Henrici Julii D. Brunsuicensis, lineæ Guelferbytanæ, Episcopus Halberstadiensis, bello Germanico inclaruit. Positis apud Batavos belli tyrociniis, hinc Friderico Palatino Bohemiæ R. pulso operam addixit, in partis symbolum Reginæ chirothecâ, quam pileò aptatam gestabat, assumtâ. Itaque collecto in Saxonia Westphaliaque exercitu A. C. 1621. per Hassiam grassatus, Amœnoburgum Moguntinæ ditionis cepit, à Com. Anholdio postea inde rejectus. Anno seq. Lippiâ, Susato, Paderborna occupatis, multaro prædam confecit; sed in Palatinatum ascensurus, in Mœni ad Hœchstam transitu, contra Flekensteinii ei ducendo missi consilium, cum Cæsareis congressus, gravem accepit cladem: post quæ à Palatino dimissus, cum Mansfeldio, ad Hollandos se conferre statuit. In itinere ad Floriacum, cum Cordubæ D. prælio commisso brachium amisit, in posterum, ejus vice, ferreo non incommodè usus: Batavos exinde in solvenda obsidione Bergarum ad Zoomam strenue juvit: Sequenti anno in Germaniam reversus Osnabrugenses infestavit, oblatam à Cæsare veniam, nisi & sociis daretur, recusavit: sed paulo pòst gravi iterum ad Statloam strage affectus in Belgium denuo abiit, illic & post hoc in Anglia novos belli apparatus facturus. Partibus A.C. 1625. Daniæ Regis cum Mansfeldio susceptis, Monasteriensi diœcesi incubuit: à Rege, fratre majore nam Friderico Ulrico exauctorato A. C. 1626. Ducatus administrationem & regii exercitus tertiam partem curæ suæ commissam accepit: Extinctus eodem anno, fratri liberam in ditiones redeundi facultatem reliquit.

Christianus, Princeps Anhaltinus filius Joachimi Ernesti, Bernburgicum ramum cœpit, militari inprimis laude celebris. Exercitum auxiliarem in Galliam adduxit A. C. 1591. Inde in Argentinensi bello operam suam Brandeburgicis addixit, A. C. 1592. Ex eo in Unione ipse unus è præcipuis & arcanorum omnium particeps, atque Vicarius generalis fuit, illisque auspiciis cum Mauritio Nassovio Juliacum cepit, A. C. 1610. Ob hoc partis studium à Ferdinando II. Imp. proscriptus A. C. 1621. sed post biennium eidem reconciliatus, singulari in aula illius honore fuit. Moriens A. C. 1630. reliquit filios *Christianum* jun. (qui in prælio Pragensi captus A. C. 1620. sed sequenti dimissus, obiit A. C. 1656. relictis ex Eleonora Sophia Holsata Victore Amadeo & Carolo Ursino) atque Fridericum, Hatskerodæ Dominum.

Christianus, Dux Saxoniæ, filius Ernesti Gothanæ lineæ conditoris. Item Marchio Brandeburgicus, filius secundus Joh. Georgii novam ortus est lineam *Culmbacensem* seu *Baruthinam* dictam, nactus ex successione Georgii Friderici agnati tractum in Franconia montanum & ad Ayssum. Neptem sponsam Joh. Friderici D. Wirtenberg Sponsi nomine Electoris adduxit A. C. 1609. Conventui Lipsiensi ipse quoque interfuit A. C. 1630. Obiit A. C. 1655. relicto ex filiorum majori Erdmanno Augustos A. C. 1651. defuncto, nepote *Christiano* Ernesto, V. *infrà*, & alio filio Georgio Alberto. Item Dux Brigensis in Silesia, filius tertius Joh. *Christiani*, de quo infrà, ex Luisâ Anhaltina genuit Georgium Wilhelmum, qui solus è Piasteis superstes an. C. 1676. obiit. Item nomen aliquot vett. Comitum Oldenburgicorum, è quibus inprimis memorandus venit pater Theodorici cognom. *Fortunati*: quo natus *Christianus*. Daniæ postea Rex primus hujus nominis fuit, frater Gerhardi, à quo Oldenburgici continuati sunt, &c.

Christianus Adolphus, Dux Holsatiæ, filius Joh. *Christiani*, Sonderburgicæ lineæ.

Christianus Augustus, Comes Palatinus, filius Augusti Sulzbacensis lineæ auctoris, natus A. C. 1622. studiis operam juvenis navavit: dein cùm ditiones suas regeret, in exules Religionis gratiâ munificentissimus extitit. Posteà ab Helmontio ad Latinos ritus pellectus A.C. 1656. à patrueli Neoburgico Principe ex promisso obtinuit, ut ditiones proprio & summo jure teneret: Uxore brevi post maritum secutâ.

Christianus Ernestus, filius Erdmanni Augusti, Christiano March. Culmbacensi & Beruthino, de quo suprà, geniti; natus A. C. 1644. magna exercitus Confœderatorum contra Galliæ R. Principum Germaniæ pars nuper fuit, V. *Ernestus*.

Christianus Wilhelmus, Marchio Brandeburg, filius Joachimi Friderici El. V. in voce *Wilhelmus*.

Georgius *Christianus*, Hassiæ Landgravius, filius tertius Friderici Homburgii rami auctoris, Hispanorum primò, dein Gallorum militiam secutus, Latinæ communioni se addixit, habitansque Butsbaci, in balneo ambustus miserè interiit A. C. 1643. nullâ è duplici matrimonio prole relictâ.

Johannes *Christianus*, D. Holsatiæ, filius Alexandri, Sonderburgicæ lineæ auctoris, genuit filium *Christianum* Adolphum, de quo suprà. Item D. Briegiæ, filius Joachimi Friderici, Capitaneus totius Silesiæ, à Cæsare constitutus est; Reformatis adhæsit, cùm frater ejus Georgius Rudolphus Augustanam confessionem sequeretur. Obiit Osterodæ in Borussia, A. C. 1639. Pater ex Dorothea Sibylla Brandeburgica Georgii, Ludovici & *Christiani*. V. suprà, & de his aliisque plura apud Phil. Jacobum Spenerum *Sylloge Geneal. Histor.* Bucholcerum *Ind. Chron.* &c.

Christiferus, in *Charta* Beremundi R. apud Antonium Yepezium in *Chron.* Ordinis S. Benedicti *Tom. VI. pag.* 17. Vexillifer dictus est, quòd in Regio vexillo *Christus* effictus esset.

Feminæ Illustres.

Christina, filia Christierni II. Dan. R. nupta, primò Francisco Sfortię Duci Mediolanensi; dein Francisco D. Lotharingię; mortuo marito Ducatus administratione mota est à Galliæ Rege, filio in Galliam misso; Unde in Belgium concessit, pacis Cameracensis mediatrix. A. C. 1558.

Christina Munkia, suscepit ex Christiano IV. Daniæ R. (qui illâ postmodum repudiatâ, famulam ejus *Wibeke* ascivit) præter 6. filias, ex quibus præcipui generi Hannibal Seester & Cornificius Ulefeld, facinoribus & multiplici proditione infamatus; Woldemarum Comitem genuit, qui in Moscoviam ducendæ M. Ducis filiæ profectus, multos sumtus fecit, demum in Polonia Suecis militans obiit. Phil. Jac. Spenerus *Geneal. Histor. Sylloge in Fam. Oldenburgo. Danica.*

Christo regnante, & Regem expectante, formula adscripta quibusdam Galliæ Regum Diplomatibus, post mortem Caroli Simplicis, de qua V. Steph. Baluzium *in Appendice ad Capitularia Regum Francor. num.* 138.

Christogenon, Græcè τὸ Χριστογενῶν, vocatur apud Græcos unum ex quatuor illorum anniversariis Jejuniis, & quidem ordine quartum, quod diebus quadraginta ante Nativitatis Dominicæ festum initium sumens, usque ad hanc diem se extendit. In eo piscibus uti licet, Mercurii ac Veneris diebus exceptis; adeoque minùs id rigidum est, quàm primum, quod vocant τὴν μεγάλην τεσσαρακοστὴν, & tertium, τῶν ἁγίων Πατέρων, in quibus etiam piscium carne illis interdictum. V. Jac. Sponium *Itinerar. Græciæ Part.* 2. *pag.* 353.

Christomachi, Græcè Χριστομάχοι, q. *Christi hostes*, dicti sunt omnes illi Hæretici, qui I. vel *Deitatem* ejus, vel *Personalitatem*, vel *Consubstantialitatem* tandem cum Patre & Spiritu S. ivere impugnatum. Et quidem, *Christum esse Deum* negarunt, rebelles ac Θεομάχους Judæos sequuti Ebionitæ & Cerinthiani, primo nondum finito seculo, ab ipso Joanne Apostolo refutati. Quam hæresin secundò seculo renovavit Theodorus quidam Coriarius, à Victore I. Episc. Rom. propterea excommunicatus. Eum in eodem furore excepit Artemon, sub initium seculi tertii: quo vergente, interlapsis annis plus minùs sexaginta, Paulus Samosatenus eandem hæresin amplexus est, ab Antiocheno Concilio damnatus A. C. 272. Photinus dein seculo 4. cujus proin damnationem & exauctorationem factam, à Syrmiensi Synodo, leges apud Socratem *Histor. Eccl. lib.* 2. *capp.* 29. & 30. &c. Alii Christum fassi Deum, ejus *Personalitatem* ivere inficias, per Patrem, Filium & Spiritum S. non tres personas, sed unam duntaxat personam trinominem intelligentes, adeoque novo nomine Υἱοπάτορα nuncupantes: hinc *Patripassiani* appellati; quam hæresin introduxit Praxeas, à Tertulliano refutatus, circa A. C. 216. corroborare conati sunt, Victorinus & Hermogenes, circa idem fere tempus; propagavere, Noëtus, & Sabellius, seculo 3. refutati ab Athanasio *Orat. κατὰ τῶν Σαβελλιζόντων*. Sed & fuere, qui, utrumque agnoscentes, *Filium* tamen *Deum minorem esse Patre, etiam quoad essentiam*, asseruere: quam hæresin introduxit Arrius, à Concilio Nicæno anathemate percussus. A quo tempore Ariani in diversas sententias & factiones abiere, Acacianos, Aëtianos, Eunomianos, &c. qui tamen in eo consensere omnes, Filium ἐξ οὐκ ὄντων, *ex non entibus*, factum, & κατὰ πάντα ἀνόμοιον τῷ Πατρὶ, *secundùm omnia dissimilem esse Patri*, inde Exucontii & *Anomœi* appellati. Quibus cùm postmodum successissent, qui, *innuera impietatis cum iis partientes*, hæreseos Arianæ partem de Filio Dei rejecerent quidem, sed alteram de Spiritu S. (cujus Deitatem non minùs Ariani lædebant) mordicus retinerent, Ariani per excellentiam Χριστομάχοι, sicut reliqui Πνευματομάχοι, dici cœperunt, V. [illegible] *de Decretis Synodi Nicænæ c. Hær. Arianam.*

II. Qui orthodoxam *de Verbi Incarnatione* doctrinam impetivere, qui iterum in IV. Classes commodè possunt digeri. Namque primò fuere, qui *naturam & veritatem Humanitatis Christi* in dubium vocarunt, iterum variè subdivisi. Saturninus enim & Basilides, Marcus item, Colorbasus, Cerdon, Marcion, Manichæi, *Carnem Christi non veram esse, sed putativam ac phantasticam*, delirarunt: Apelles, *sideream & aëream carnem* Christo attribuit: Valentiniani, Gnostici, Ptolomæus, Secundus, Heracleon & Ophitæ, Christum *in substantia carnis nostri non fuisse*, sed spiritale nescio quod corpus de Cœlo deferentem, per Mariam Virginem, quasi aquam per canalem, transmeasse, dixerunt. Nonnulli *Carnem Christi animalem & animam ejus carneam* esse, somniarunt, quorum absurdissimam sententiam refellit Tertullianus *de Carne Christi lib.* 1. *cap.* 10. Apollinaristæ porro, carnem quidem concesserunt, sed *in Christi carne animam esse intelligentem*, negarunt, ob hanc discerptionem Naturæ humanæ Διμοιρῖται, Joanni Damasceno dicti: quæ hæresis damnata est, Conc. CPolitano II. Tandem Servetus, à Manichæis & Priscillianistis hoc mutuatus, quòd *Animam* dixit, *ex Deo*, seu *ex Dei substantia* esse natam, de suo addidit, etiam *ipsam Christi carnem ex Deitate ipsa & ex tribus elementis increatis, factam esse*: refutatus à Calvino. Atque hi quidem circa veritatem Naturæ Christi impegerunt. Secundum genus eorum est, qui Humanæ Christi naturæ veritatem agnoscentes, *circa originem ejus* hallucinati sunt. Qualis Carpocratio, qui Christum non ex Virgine natum, sed ex semine Josephi hominem tantùm genitum, Cerinthum & Ebionem sequutus: Origenistæ item, qui animam Christi, ante incarnationem in cœlis commoratam, postmodum corpori ejus immersam fuisse, delirarunt. Tertiò fuere, qui circa priora cum Orthodoxis facientes, *de Persona Christi* perperam senserunt. Et quidem *Personam Divinam Christo competere*, negavit Theodotus Byzantius, alter item Theodotus, Melchizedecianorum auctor, Paulus insuper Samosatenus & Photinus. Eam verò Christo concessit Nestorius, sed ab ea humanitatem separans, *pro una Persona Mediatoris Θεανθρώπου duas personas* commentus est, Concilio Oecum. III. damnatus. Post quem mansere non paucæ sectæ illius reliquiæ, Concilio Oecum. V. condemnatæ: qui *Hæretici*, vel *Schismatici* saltem *trium Capitulorum* dicti sunt. Nec defuere Adoptionarii, Elipandus & Felix, impiè asserentes, *Christum secundùm carnem esse Dei Patris Filium adoptivum*, quæ hæresis damnata est, in Concilio Francofurt. A. C. 794. Quartum genus Hæreticorum, circa Incarnationem Christi errantium, in quinque præcipuè species iterum dispesci potest. Eutychiani enim & Dioscoritæ, *unam tantùm in Christo Naturam, post Incarnationem etiam, esse*, contendunt, damnati Concilio Chalcedon. A. C. 451. Acephali dein, partim resumto Eutychetis errore, partim mutuati à Nestorio quædam miscellam errorum fecerunt, Concilio CPolitano A. C. 536. rejecti. Aphthartodocitæ, *circa carnis Christi infirmitates* impegerunt. In quarta specie, Agnoëtæ fuerunt, *Intellectum Humanæ Naturæ* inficiati: In quinta Monothelitæ, qui, duas Naturas apertè negare non ausi, *unicam in Christo voluntatem* agnovere, damnati Concilio Lateranensi A. C. 649. Romano 680. & Oecumenico VI. CPolitano, A. C. 681. His adjunge Anabaptistas, Socinianos, &c. de quibus omnibus, aliisque hic non memoratis, qui tamen ad unam alteramve sectarum præfatarum referri possunt, V. Joann. Forbesium *Instructionum Historico-Theologicarum passim*, inprimis *lib.* I. *cap.* 3. & *lib.* II. *capp.* 1. 2. 3. *& seqq.* ut & hic suo quemque loco.

Christophoria, Festum in Ambrosiana Ecclesia, ad d. 7. Januarii, in memoriam Christi ex Ægypto reversi celebrari solitum, apud Car. Macrum in *Hierolexico*.

Principes Viri.

Christophorus, fil. Henrici cognom. *Senioris*, seu *Mali*, Ducis Brunsuicensis & Guelferbytanæ primæ lineæ conditoris, ex Catharina Pomeranâ, Archiepiscopus Bremensis. Hic à Joh. Rhodio assumtus pridem Coadjutor, ut se adversus Magnum Saxoniæ infer. Ducem defenderet meliùs, dein A. C. 1557. cùm à subditis æri alieno, quod vitâ solutius actâ & bellis contra Albertum Brandeburgicum gestis contraxerat, exsolvendo, tributa exigeret, & Ursatici pagi in Frisiâ incolas ea pendere detrectantes castigasset; ab Erico patrueli vi repressus atque in consilio conventus Saxonici accusatus, ab amittendo Archiepiscopatu parum abfuit, Retinuit tamen eum ad mortem usque, postquam deprecatione Ordines placasset. Obiit A. C. 1557.

Christophorus, Dux Wirtenbergicus, filius è Sabina Bavarica Ulrici lineæ Ducalis primæ auctoris, cum sorore Anna quadrimus à fœderis Suevici sociis, in arce Tubingensi, obsessus; dein ab avunculo Guilielmo Bavariæ D. educatus, tum A. C. 1532. Oenipontem amandatus est, ut cum liberis cujusdam Medici literis imbueretur. Inde in aula Caroli V. adolevit, sed eo in Italiam redeunte è Cæsaris comitatu divertens, in vicinam Bavariam ope fidelissimi sui Præceptoris Tiferni elapsus est: Solus enim cùm esset familiæ hæres, aliquid gravius timebat. In aulam Gallicam se contulit A. C. 1532 illiusque auspiciis, cùm vix ætatis annum 22. ageret 33. vexilla duxit, in bello Subalpino & Alemannico

zandriam obsidione cinxit; Regi regisque filiis gratissimus, unde ab aliis invidia & in Castro Heraldi periculum, ubi fortiter contra aggressores se tuitus est. Demum, cùm in regno sæpe ob religionem videret aliquos suppliciis affici & ipse jam dum A. C. 1538. negato Niceæ Pontifici pedum osculo se fecisset suspectum, rei pertæsus in Germaniam rediit. in Turcicam expeditionem A. C. 1542. iturus, ni à patre prohibitus fuisset. Hoc itaque volente, uxorem Annam Mariam Brandeburgicam duxit & exiguo contentus vixit Mompelicardi. Inde Smalcaldico in bello securitatis causâ Basileam concessit: Interimisticam autem formulam constanter recusavit. Patris A. C. 1550. successor, tria adhuc in Ducatu præsidia Hispanica ejecit, missisque ad Tridentinum Concilium Legatis, Confessionem offerri curavit: Non tamen fœderi adversus Cæsarem participare volens, unicâ tantùm conductâ legione sua præsidiis firmavit; unde eo Mediatore Cæsar usus est A. C. 1552. Dein cum Præposito Elvangensi controversiam habuit. Inde jus Provinciale primus evulgavit A. C. 1555. destinatus ab Imperio Legatus ad Regem Franciæ A. C. 1559. cum Cardin. Augustano, qui impensè eum amavit: Gallici regni administrationem à Catharina Reg. sibi oblatam recusavit, apud Regem pro afflictis ob Religionem deprecatus. Cœterùm de Ducatu suo optimè meritus, cum ex pluribus partibus, in unam Reip. formam. redegit: Arces decem extruxit & perfecit, alias restauravit: Subditorum nulli sine sua venia militarem operam ulli addicere, excepto bello Turcico, permisit; Tubingensem Academiam auxit & leges disciplinæ adstrictas esse voluit: Illustri quoque stipendio, in quo antea 70. alebantur, alios alumnos 90 adjecit, scholis passim per ditionem erectis. Obiit Stutgardiæ A. C. 1568. linguis & literis probè excultus, & literatorum fautor eximius; insuper pietate celebris. & licèt olim miles, pacis amantissimus, quam in Circuli, cujus Dux erat, negotiis, semper cordi habuit. V. Thuanum *lib.* 11. 36. 63. &c. Pater fuit, præter 8. filias splendidissimis matrimoniis elocatas, Eberhardi, se vivo defuncti, & Ludovici cognom. *Pii*, qui extinctus A. C. 1593. lineam terminavit, scripto hærede agnato proximo Friderico.

Christophorus, Marchio Badensis, fil Caroli A. C. 1475. demortui. Patri successit Hochbergensemque Susenburgiam & Rœtelanam ditionem nactus, unus in hac familia illas omnes rexit: Moriens enim agnatus Philippus, ex Hochbergiis ultimus, A. C. 1503. eum hæredem scripserat. Cùm occasionem subministrare videretur bellum Bavaricum, A. C. 1504. quæ pater à Palatinis victus amiserat, his proscriptis, recuperandi, solus ex vicinis ob amicitiam quievit, quin & eos cum Imperatore reconciliare studuit. Decessit A. C. 1527. ex Otilia Catimelibocensi, præter filias & filios aliquos immatura morte raptos, Pater Jacobi Arch. Trevirensis, Bernhardi Philippi Carolo V. grati, Caroli & Christophori Canonicorum, Rudolfi ac Ernesti: è quibus Bernhardus Badensem ramum, Ernestus verò Durlacensem, condiderunt. Hujus inter posteros quoque *Christophorus* fuit, filius tertius Georgii Friderici, extincti A. C. 1638. In exercitu Sueciæ Regis ad Ingolstadium, capite, quod pila tormentaria rapuit, truncatus A. C. 1632.

Christophorus, filius tertio-genitus Alberti Ducis Megapolitani A. C. 1547. defuncti, ex Anna Brandeburgica; datus A. C. 1552. à Fœderatis Principibus Regi Galliæ obses, dein Razenburgiam diœcesin obtinuit. & 38. annis, sumtâ in arce Schonbergia sede, ac Evangelicâ Religione introductâ, administravit: Inde multorum commendatione ab Archiep. Rigensi Coadjutor sumtus est, cumque cum illo à Wilhelmo Furstenbergio M. Mag. Ordinis Livonici captus, atque Treidenæ asservatus fuisset, ope Regis Poloniæ & Prussiæ Ducis libertatem recuperavit A. C. 1557. Postea, cùm A. C 1560. ad intestinum bellum, ob Magni Holsati insolentiam, Livonia spectaret, suâ auctoritate motus compressit. Cùm verò frustra auxilio adversùs Moscos, contra quos cum M. Magistro aliquot expeditiones non infelices susceperat, Livoniæ obtinendo, in Germaniam suscepto itinere, Imperium solicitasset eoque non impetrato reliqui ad Poloniæ respicerent Regem, cum Sueciæ R. Erico A. C. 1562. transegit, ut ejus ope Archiepiscoparum tenere posset, quem etiam, ubi sub reditum ejus Archiepiscopus mortuus erat, occupavit. Sed brevi post in venatione à Gothardo D. Curlandiæ & Ern. Wejero, nomine Regis Poloniæ captus & dejectus, ac totâ diœcesi Polonico regno addictâ, captivus Ravæ integro quinquennio detentus ac duriùs habitus est. Dimissus tandem per reliquam ætatem domi Chymiæ & Musicæ studio otium fefellit, subitâ morte A. C. 1592. extinctus, ex Dorothea Danica & Elisabetha Suecicâ nullâ prole susceptâ. Ei ob peritiam militarem annuam pensionem Maximilianus II. & Rudolfus II. Impp. ut requisitus eis præstò esset, numerasse leguntur. V. Thuanum *lib.* 9. 21. 26. & 32.

Christophorus, Princeps Palatinus, ex filiis Friderici III. Electoris, Belgis Hispanorum tyrannide oppressis, auxilio à Patre missus A. C. 1574. prælio ad Movacum cecidit. Item Comes Oldenburgicus, filius Johannis, Canonicus Coloniensis ac Bremensis, miles pariter egregius ac studiorum fautor, post mortem Friderici I. Daniæ R. captivi Christierni II. partes tuendas suscepit, & Lubecensium seditiosorum ope omnia turbavit, Scaniâ, Seelandiâ & Fioniâ, in verba Christierni adactis. Cùm copiæ ejus in Fionia deletæ essent, Hafniæ integri anni obsidionem tulit, donec A. C. 1535. deditionem facere & veniam à Rege petere est coactus. In bello Smalcaldico Protestantibus, Cæsari verò in Mettensi obsidione militavit, inde Alberti Brandeburgici sequutus partes, Sivershusano quoque prælio interfuit. V. Phil. Jac. Spenerum *Syll. Geneal. Histor. passim*

Christophorus Ludovicus, filius Ludovici Com. Werthemii, ex familia Leonstenia. Virnenburgicam al. Evangelicam lineam condidit, fratre ejus Joh. Theodorico Rupifortiæ vel Catholicæ auctore. Comitatum Virnenburgium præ reliquis eximium nactus est, ab uxore Elisabetha, filia Joachimi C. Manderscheidii & Virnenburgii, ductâ A. C. 1592. De illo tamen Comitatu in jure controvertere necesse habuit; Obiit A. C. 1618. Pater Friderici Ludovici successoris, Ernesti & Joh. Hermanni. Idem.

Christophorus Justellus, V. infrà *Justellus*.

Christos, nomen fontis, cujus aquis miraculosam virtutem tribuunt Græci, (qui istiusmodi aquas, non minùs, ac aquas benedictas, *ἁγίασμα* vocant) in vico *Sky* ad Cianum Sinum. Jac. Sponius *Itinerar. Orientis Part. I. pag.* 275.

Christus vincit, cruce signatorum & aliorum clamor militaris olim fuit. Et quidem in quibusdam inferioris ævi maximè nummis, Crux medium nummum occupat, cum hisce ad 4. angulos characteribus, IC XC NI KA, *Jesus Christus vincit.* Descripsitque Gretserus in *Horto S. Crucis part.* I. Diploma Fulcheri Patr. Hierosl. & Amalrici Prioris Eccl. S. Sepulchri, cui appensum fuisse testatur sigillum plumbeum Canonicorum ejusdem Ecclesiæ, in cujus uno latere crux duplex seu Patriarchalis, cum iisdem characteribus; in alio verò fabrica Dominici sepulchri, cum inscr. † SANCTISSIMI SEPULCHRI Itaque ad Latinos à Græcis ritus transiit, unde Francorum quoque Reges Scutis, ut vocant, aureis hanc inscriptionem inseruere, CHRISTUS VINCIT, CHRISTUS REGNAT, CHRISTUS IMPERAT: quibus quidem verbis conceptas fuisse laudes Carolo M. Romæ dictas, cùm Imperator à Leone Episc. Rom. coronatus est, refert Rudolfus de Diceto A. C. 801. &c. Non dissimilis clamor alter, KE BOHΘEI vel *Χριστὲ βοήθει*, *Domine juva*, vel *Christe juva*, item simpliciter *Βοήθει*, *juva*, quem Græcis itidem familiarem fuisse, Scylitzes tradit & in *Tacticis* Leo, apud Car. du Fresne *Dissertat. de infer. ævi numism. num* 28.

Chroma. Græcè *Χρῶμα*, i *color*, absolutè positum, Plinio cinnabaris est, apud Theophrastum, quod etiam Græcia recentior [illegible] vocavit: Salmasio genus quoddam radiculæ, quo è Syria advehi solito, colorabantur olim unguenta. Ita enim Theophrastus de odoribus. *χρωματίζουσι δὲ τὰ μὲν ἐρυθρὰ τῶν μύρων, τῇ ἀγχούσῃ· τὸ δ' ἀμαράκινον τῷ καλουμένῳ χρώματι. τοῦτο δ' ἐστὶ ῥίζιον, ὃ ἄγουσιν ἐκ τῆς Συρίας. Colorant autem rubra quidem unguenta anchusâ; amaracinum verò eo, quod* chroma *appellatur. Est autem radicula, quam è Syria afferunt.* Cujusmodi genere radicis videntur & mulieres usæ, ad colorandas genas, haud secus ac radice anchusæ. *Φῦκος* aliqui, ut apparet, vocarunt: Nam & *fucus* Latinis inde pro quolibet colore. Glossæ, *fucus*, *χρῶμα*. Democritus Pseudonymus *Συρίας ἄνθος* nuncupat, i. *Syriacum colorem*; hoc enim vox *ἄνθος* apud illum notat. V. Salmasium *ad Solinum pag.* 1149. & infrà passim, inprimis in voce *Radicula*. Sed & *χρώματα* dicta Vett. *pigmenta*, de qua voce V. infrà.

Chromis, unus è septem Pterelai filiis, apud Apollodorum. Item Mysorum ductor, apud Homerum *Il.* β. puer quoque pastoralis, apud Maronem *Ecloga* 6. alius Phryx à Camilla peremtus, *lib.* 11. apud eundem: de quibus V. Casp. Barthium *Animadversion. ad Papinium Statium Part.* 2. *pag* 573.

Chromatius, adde: *Romanicianum* alii appellant, seu *Romatianum* seu *Romanum*; quod Aquileja, ob nobilitatem, *secunda Roma* vel *Romana* vel *Romatiana* civitas olim dicta sit. Obiit circa A. C. 410. Labbeus ex Baronio.

Chronica, unum ex tribus Historiæ justæ generibus: Hæc enim aut portionem temporis aliquam repræsentat, aut personam singularem memoriâ dignam, aut actionem aliquam, seu rem gestam ex illustrioribus. Primum *Chronica* seu *Annales*; secundum *Vitas*; tertium *Relationes*, vocat Verulamius. Inter quæ *Chronica* celebritate & nomine excellere videntur; Vitæ autem fructu & exemplis; Relationes rursus sinceritate & veritate. *Chronica* namque amplitudinem actionum publicarum vel personarum facies externas & in publicum versas proponunt; Minora autem, quæ tum ad *res*, tum ad *personas* pertinent, omittunt, & silentio involvunt. Cùm verò id artificii divini sit proprium, ut maxima è minimis suspendat, fit sæpenumero, ut hujusmodi Historia, majora tantùm persecuta, negotiorum pompam potiùs & solennia, quàm eorum veros fomites & texturas subtiliores ostendat; Quin etiam, etsi consilia ipsa addat & immisceat, tamen granditate gaudens, plus gravitatis ac prudentiæ, quàm revera habent, humanis actionibus aspergat: ut Satyra aliqua possit esse verior humanæ vitæ tabula, quàm nonnulla ex ejusmodi Historiis. Qui defectus proin quo modo farciendus sit, V. Franc. Baconum de Verulamio *Augment. Scient. lib.* 7. *c.* 7.

Chronicus Lapis, apud Auctorem *Geographiæ* semibarbarum, à Jac. Gothofredo editum, *Laconica verò solo Chronico lapide, quem dicunt Lacedæmonium, ornari putas*: corruptè pro *vero polychroo*, id est, versicolore. Herbidus enim color, qui à Sidonio, Prudentio, Aliis, marmori Laconico datur, non viridis solum, sed varius quandoque est; quod voluit obscurus iste Compilator. Casp. Barthius *Animadversion. ad Statium lib.2. Sylv.2. vers.90.*

Hic & Amyclæi cæsum de monte Lycurgi
Quod vires.

V. de Lacedæmonio hoc Marmore, Lud. de la Cerda *ad Tertullianum de Pallio*, Desid. Heraldum *ad Martialem lib.1. Epigramm.* 56. Matth. Raderum *ad ejusdem lib.6. Epigramm.* 42.&c.

Chronius, ad Papin. Statium *Thebaidos lib.2. versu* 538.

Ecce autem vasto Chronii contorta lacerto,
Quo duce freta colunt, fuscas intervolat auras,
Hasta:

inter duces Tydei, de quo V. Barthium *ad l.*

Chronosolon, Sacerdos & vates Saturni, apud Lucianum *Tom.II. pag* 943.

Chrysamaxus, Laco, victor in Stadio virorum coronatus est, Olymp.46. quâ eadem Polymnestor Milesius puer, victor in puerorum Stadio, coronam meruit, uti refert Solinus *cap.1.* Laterculus Ὀλυμπιονικῶν Τεσσαρακοστὴ ἕκτη Χρυσάμαξος Λάκων στάδιον· Πολυμνήστωρ Μιλήσιος παίδων στάδιον. V. Salmasium *ad Solinum pag* 45.

Chrysanthemum seu *Chrysanthum*, Græcè χρυσάνθεμον & χρύσανθον, idem plerisque cum buphthalmo, quod Neophytus Romanis *caltham* appellari tradit, Κάλθαν καλοῦσιν; quòd sc. *ad coronas* admitteretur, an quòd folia in orbem disposita instar coronæ haberet? Certè helichryso simulachra Deorum coronari, Dioscorides auctor est *lib.4. cap.57.* Eodem si se Magi coronarent, ad gratiam vitæ gloriamque pertinere arbitrabantur: scriptumque reliquit Theophrastus *de Plant. lib* 9. clarescere eum qui hoc flore coronetur. Unum autem eundemque florem cum *Chrysanthemo* helichrysum esse, hinc videtur liquere, quòd helichrysum dici aiunt ab Helichryse quadam Ephesia, quæ prima è flore *Chrysanthemo* Dianam coronarit. Describitur à Plinio *lib. 21. cap.5.* ubi ait, *cum ad Solis repercussum aureæ lucis in orbem veluti corymbos habere dependentes, qui nunquam marcescunt. Quâ de causa*, addit, *Deos coronant illo. Quod diligentissimè servavit Ptolomæus Rex Ægypti.* V. Car. Paschalium *Coronarum lib.3. cap.15.* & Salmasium *ad Solinum pag* 1160. & 1161. ubi multis floribus colore *luteo* præditis, buphthalmo, calthæ, helichryso, ranunculo, aliis, hanc χρυσανθέμου appellationem Græcos tribuisse, inter alia, docet. Cognomina recentia buphthalmi vel *chrysanthemi* inde quoque sunt, χαλκίας, χάλκανθος & χαλκάνθεμον, quòd florem habeat colore *calthæ*, quæ χάλκη Græcis. Nisi quis malit dictum, ab *æreo* colore, qui itidem flavus est, *Ibid.* V. quoque suprà. Aliud est χρυσάνθεμον, *flumen* sc. seu *flos auri*, de quo V. eundem *d. l. pag.* 1079.

Chrysanthina, Græcè Χρυσάνθινα, Ludi apud Sardianos olim celebrari soliti; memorantur in nummo Tranquillinæ Augustæ, ut & in nummo quodam Caracallæ Imp. in quorum utroque urna expressa cum palma inde emergente, & *Inscr.* ΕΠΙ ΙΟΥΛ. ΕΡΜΟΦΙΛΟΥ. ΑΡ. ΧΡΥΣΑΝΘΙΝΑ ΣΑΡΔΙΑΝΩΝ Β. ΝΕΩΚΟΡΩΝ. Item ΕΠ. ΑΝ. ΡΟΥΦΟΥ ΑΡΧ. Α. ΤΟ. Γ. ΧΡΥΣΑΝΘΙΝΑ ΣΑΡΔΙΑΝΩΝ Β. ΝΕΩΚΟΡΩΝ, apud Jac. Sponium *Itiner. Part.3. pag.*188.

Chrysargyrum, Græca vox χρυσάργυρον, tributum fuit, à meretricibus aliisque hominibus sequioris famæ, in aurea argenteaque moneta (unde ei nomen) Imperatori olim CP. solitum pendi, apud Evagrium *Histor. lib.3. cap* 39. Sublatum ab Anastasio Imp. ut docet Baronius *ad A. C.* 330. *num.*36. apud Macrum in *Hierolexico.*

Chryse, Ins. V. suprà *Aurea Insula.* Sed & χρυσῆ γῆ & χρυσῆ χώρα vocata olim Σωφὶρ & Σώφειρα, reg. Indiæ, quòd *aurum* inde afferretur, de qua V. Salmasium *ad Solinum pag.* 1084. ut & in voce *Ophir.*

Chrysendeta, V. suprà *Auro Vincta.*

Chryseon Ceras, apud Solinum *cap.10. Veniamus ad promontorium* Chryseon ceras *Byzantio oppido nobile*: & ex illo Marcianum, *Illic promontorium* Chryseon Ceras, *Byzantio oppido celebratum.* Plinio itidem modò *Chryseon Ceras*, modò *Aureum Cornu* Latinè appellatur *lib.9. cap.15. Hujus aspectu repentè territi, semper adversum Byzantii promontorium ex ea causa appellatum Aurei cornu, præcipiti petunt agmine.* Ubi de thynnorum captura loquitur, quæ quòd in eo loco admodum dives esset, hinc promontorio nomen, aut sinui potiùs, qui κέρας dictus est, i. *cornu*, quòd multis ramis in sinus reductis scinderetur ad instar cornu cervini, V. suprà in voce *Ceras.*

Chrysinus, Gr. χρυσῖνος, *aureus* seu *solidus*, apud Græcos recentiores. V. in hac voce.

Chrysites Lapis, Græcè χρυσίτης, propriè dictus est Græcis, quo probatur aurum. Hesychius, χρυσίτης λίθος ὁ λεγόμενος βάσανος, ὁ Λυδίος. *Chrysites lapis, qui aliter Lydius dictus est.* A' *Lydia* sc. patria, in qua cùm magnes quoque reperiatur, hinc natus error illorum, qui *auri ductorem*, inter Magnetum genera, repositum quibusdam, eundem cum Χρυσίτῃ fecerunt. Aliàs λίθον χρυσίτην vocant Agatharchides & Diodorus, de metallis Æthiopicis loquentes, lapidem auri venâ micantem: cujusmodi lapis sive marmor auri venis nitens cædebatur, cæmenta in mortariis lapideis pilo ferreo pinsebantur, donec in frusta comminuerentur magnitudinem ervi æquantia, ea deinde frusta in molam mittebantur, ibique molebantur, adeò ut farina redderetur. Inde aurum secernebatur, lavabatur, coquebatur, &c. Sæpe autem in eodem lapide ἄπυρα occurrebant, vel micæ auri purissimi, quæ seligebantur, neque cum reliquo pulvere coquebantur, uti diximus inter ea, quæ *de Auro* suprà. Plura V. apud Salmasium *d. l. pag.*1075. & 1103.

Chrysaspides & Argyraspides, dicti sunt milites, ab armis auro vel argento obductis, quò major pompa ac apparatus esset. V. Justin. *lib.* 12. Æl. Lampridium *in Severo*, &c. P. Orosius *lib.3. cap.23. Ultimo consilio*, inquit, *Argyraspidas, ob arma deargentata sic dictos, hoc est, milites qui sub Alexandro militaverant, in auxilium rogat.* Macrobius Saturn. *lib.2. cap.2. ostentabat Antiochus in campo ingentes copias, convertebatque exercitum insignibus aureis & argenteis florentem.* Hinc Ovidius *de Ponto lib.4. eleg* 4.

Scuta sed & galeæ gemmis radientur & auro.&c.

V. Thom. Dempsterum *in Joh. Rosini Antiqq. Rom. lib.10. paralip. ad cap.10.*

Chrysobalanos, h. e. *Palmula aurea*, memorata Galeno & Charitoni, quibusdam nux est myristica; Salmasio caryota palmula Babylonica, de qua Xenophon, Ἡ δὲ ὄψις ἠλέκτρου οὐδὲν διέφερε, *Aspectus ejus ab electro nihil differt*: Color autem electri aureus. Certè luteas quoque caryotas extare, firmat Diodorus, Τῶν δὲ χρυσῶν τὰς μὲν μαλίνας, τὰς δὲ φοινικᾶς, τὰς δὲ πορφυρίζουσας, *alias luteas, alias puniceas, partim verò purpurascentes videri.* Succum decoctarum Antiqui dabant, ad recreandas vires renum, vesicæ ac viscerum vitiis corrigendis: Stomacho etiam proderant ac internis ardoribus. Qua de re V. plura apud Salmasium præfatum ubi suprà *pag.*1321. & 1322.

Chrysoberyllus, nomen gemmæ, apud Solinum *cap.52. Beryllorum genus dividitur in speciem multifariam: eximii, intervirentes glauci & cærulei temperamento, quandam præferunt puri maris gratiam. Infra hos sunt* chrysoberylli, *qui languidiùs micantes nube aureâ circumfunduntur*, h. e. quasi cinguntur in exitu & circa extimas oras. Unde Paschalius inter naturales coronas etiam *Chrysoberyllum* numerandi occasionem sumsit. *In plantis*, inquiens, *in frondibus, in fructibus, in lapidibus, in omni re creata; licet advertere coronas. In* chrysoberyllis *est corona. Nam languidiùs micantes, aureâ nube, velut coronâ, circumfunduntur*; tanquam ex Plinio *lib.37. cap.9.* Sed verba hæc ibi loci non comparent, nec quicquam tale Plinius, unde ea Solinus sumsisse videri voluit, quem sequutus Paschalius. Hoc saltem *cap.5. lib. cit.* Plinius habet, *Proximi vocantur* chrysoberylli, *& sunt paulo pallidiores, sed in aureum colorem exeunte fulgore.* Cùm enim alius in gemmis *color*, alius *fulgor* sit, colorque exeat in fulgorem inclinatione factâ, suspectu aut despectu: ait Plinius, pallido colore esse Chrysoberyllum, sed *in aureum fulgorem exire.* Quemadmodum idem alibi, *Vitia opali, si color in florem herbæ, quæ vocatur heliotropium, exeat.* Rectiùs itaque Isidorus, ad mentem Plinii, *Chrysoberyllus dictus, eo quòd pallida ejus viriditas in aureum colorem resplendeat.* V. Salmasium *ad Solinum pag.*1106.

Chrysobullum, seu *Chrysobolium*, corruptè *Chrisobolum*, in *Epistola* Joannicii Bulgariæ R. *in Gestis* Innocentii III. *Subsignat autem Imperium meum, ad securitatem Chrisobolum suum*: Χρυσόβουλλον est Pachymeri *lib.2. cap.5.* h. e. *Bulla aurea*: cujus jus Venetos Duces ab Imp. CP. accepisse, discimus ex Andr. Dandulo in *Annalibus, Calo-Joannes Imp. Alexio Patri successit, cui Dux* (Venetiarum) *Legatos misit, sibique chrisobolium à Patre concessum approbari petiit.* Et *A. C.* 1126. *Tandem Augustus ad cor rediens, Ducem requirit, ut sibi Legatos mittat, pollicens* Crisobolum *pridem retentum*, apud du Fresne *Glossario.*

Chrysoclavum, Græcè χρυσόκλαβον, vox hybrida, h. e. *aureis clavis distinctum*, pluries occurrit apud Anastasium Biblioth. *Auroclavatum* redditur, apud Vopiscum in *Tacito* & *Bonoso*, ut & apud Scholiastem Juvenalis, *ad illud Sat* 6.

Aut latum pictæ vestis considerat aurum.

Ἐσθῆτας χρυσοκλάβους, habet auctor *Vitæ S.* Eudociæ Mart. *cap.8.* Unde χρυσοκλαβώνειν dixit Emanuel Georgillas *in Versibus Politicis MSS. de Mortalitate Rhodi, A. C.* 1498 apud du Fresne *Glossar.* V. suprà in *Auroclavatus* & infrà in *Clavus.*

Chrysoclista seu *Chrysocollета*, eadem quæ *Chrysendeta*, pocula erant argentea, quibus aurea emblemata inseri mos: Uti enim gemmæ aureis poculis, sic aurum argenteis includebatur. Crystallina verò & murrina nullis istiusmodi emblematis incrustata, pura & sincera per se magis placebant. V. suprà, ubi de *Auro vinctis.*

Chrysocolla, Plinio *lib.33. cap.5. humor est in puteis, per venam auri defluens, crassescente limo rigoribus hybernis, usque in duritiam pumicis.* Hinc non tam lapis, quàm inter salis species, Salmasio. Laudatior in æraris metallis, Demonesi Ins. inprimis, quæ proin carissima. Sed & in Armenia optimam nasci Plinius & Dioscorides

Dioscorides tradunt: summam autem *commendationis esse, ut colorem herbæ segetis latè virentis quam simillimè reddas.* Qui summus & acutissimus viroris gradus est, qualis prasinus & ad plenum porraceus. Atque hæc contra aurum venibat, & inter colores habebatur, quos pictori tectorique dominus præbere tenebatur, Plinius *lib.35. cap.6.* Usus eum in pictura ejus, quis fuerit, fuse idem explicat *cap.5.* Sed & Aurifices sibi vendicabant agglutinando auro, unde etiam ei nomen. q. *auri gluten.* In theatro porro adhibebatur, *Visumque jam est Neronis Principis spectaculis harenam Circi chrysocollà sterni, cùm ipse concolori panno aurigaturus esset, introducta opificum turba,* Idem Plinius *ibid.* ubi etiam de usu ejus Medico, aliisque huc pertinentibus. Adde Salmasium *ad Solinum passim.* De vasis verò χρυσοκόλλητα vel χρυσοκόλλητα, diximus suprà, ubi de *Auro vinctis, Chrysendetis, Chrysoclistis,* &c.

Chrysogonus, in Prophetia quadam Turcica, nomen gentis est, à qua exitium sibi imminere Turcæ persuasum habent. Quod Sponius *flavum* reddit, & de Moscis interpretatur, flavâ plerumque cæsarie præditis, quorum potentiam magis Imperator Turcarum, quam ullius alterius Monarchæ, formidabilem judicat. V. eum *Itinerar. Græciæ Part.1. pag.356.*

Chrysographata Scuta, apud Trebellium Pollionem in *Claudio*, Casaubono sunt picta, sive cælata & inaurata, vel aureis literis inscripta, de qua Arte, *ad Suetonii Octavium*, is nonnulla adnotavit, *cap.7.* χρυσογράφα namque Græci vocant, quod *auro pictum* est, ut κηρογράφα, quod *cerâ*. Hinc verbum χρυσογραφεῖν, *auro pingere*, quod est, *chrysographare*: & *chrysographata scuta*, χρυσογράφα. V. suprà in voce *Aurigraphus*. Salmasius mavult *auro sculpta & insignita.* Idem enim, inquit, γράψαι, ξύσαι, χαράξαι. Unde apud Theophrastum ἐγγράφειν idem, quod *insculpere*, de vermibus, quæ lignum erodendo charaxant & insculpunt. Sic χρυσογράφοι annuli, qui *manu sculpti*: & *Inscripti* οἱ ἐγγεγραμμένοι:

Quatuor inscripti portabant vile cadaver.

V. eum *ad Solinum pag.258. & 1100.*

Chrysolampis, gemmæ nomen, de qua ita Solinus *cap. 30. ubi hyacinthus, ibi et chrysopastus, (l. Chrysolampis) apparet, quem lapidem lux celat, produnt tenebræ. Hæc enim in illo diversitas est, ut nocte igneus sit, die pallidus.* Hæc enim de *Chrysolampide* tradit Plinius: quam gemmam cum *Chrysopasto* Solinus confudit. Sed Chrysopastus, chrysolithi species, nec optimæ, cui nomen, quòd *aurea scobe quasi aspersa esset.* Interim ab *auri* colore utraque nomen sortita est, nec amplius quicquam signatur *chrysolithi*, quàm *chrysolampidis*, nuncupatione. Præterea utrumque, quemadmodum & hyacinthum, in Æthiopia gigni scribit Plinius, *lib 36. cap.10.* Quam in rem V. Salmasium *ad Solinum pag.406.* In Sacro Pectorali Sacerdotis Hebræorum summi, Exodi *cap.28. vers.17.* inter XII. gemmas, quibus illud præfulgebat, ultimam quidam ponunt hanc gemmam, in primo ordine, ubi in Hebr. vox est פטדה *pitdah.* Sed plerique topazium hic intelligi malunt, uti do. et A. Rivetus *ad l.* V. quoque Baccium *de Nat.Gemmar. cap.4.* & *ibid.* Gobelchoverum, nec non Fr. Rueum *de Gemmis lib. 2. cap.9.*

Chrysolithus, Græcè χρυσόλιθος, inter XII. gemmas, Novæ Hierosolymæ fundamenta, memoratur Apocalyps. *cap. 21. versu 20.* septimo loco: ὁ πέμπτος σαρδόνυξ, ὁ ἕκτος σάρδιος, ὁ ἕβδομος χρυσόλιθος. *Quintum sardonyx, sextum sardius, septimum Chrysolithus.* Inter XII. itidem illas, quibus sacrum Pectorale Sacerdotis Summi Hebræorum refulgebat, Exodi *cap 28. versu 20.* ubi in quarto ordine, ponitur primo loco *Chrysolithus*, quo modo Vulgatus Hebr. תרשיש *tarschisch* Josephum & LXX. sequutus reddit; Tremellio & Junio *Beryllum Thalassium* voce eâ intelligentibus. V. Rivetum *ad l.* De illo sic Plinius *lib.37. cap.9. Æthiopia mittit & Chrysolithos, aureo colore translucentes. Præferuntur iis Indicæ & si variæ non sint, Bactrianæ. Deterrimæ autem Arabicæ, quoniam turbidæ sunt & variæ, & fulgoris interpellati nubilo macularum, etiam quæ limpidæ contigere, velut scobe sua refertæ. Optimæ verò sunt, quæ in collatione aurum albicare quadam argenti facie cogunt. Fundâ includuntur perspicuæ, cæteris subjicitur aurichalcum,* &c. Nomen ei ab *auri* specie, dictusque etiam χρυσόλιθος est, ab auri ἰδέᾳ, h. e. *facie*: aliter & *Chrysolampis*, juxta Solinum, & χρυσοφανὴς Epiphanio, qui gemmam hanc in puteo repertam, propè Babylonem tradit, quod adumbratum & effictum ex verbis Plinii *d.l. Bocchus Auctor est & in Hispania repertam, quo in loco crystallum dicit ad libramentum aquæ puteis depressis erutam, Chrysolithon XII. pondo à se visam.* Speciem ejus, nec optimæ, *Chrysopaston* esse diximus suprà. Cæterùm optimæ *Chrysolithi* fundâ includebantur seu palâ perspicuæ, ut idem ait, h. e. patentes; cœteris aurichalcum subjiciebatur, *folii* vice, ut vulgo vocant Galli, quod olim & per se in usu gemmarum diu apud Vett. in admiratione fuisse, idem alibi scribit. *Fundam* autem appellat is annuli palam, quia Græci σφενδόνην quoque vocant, quæ vox fundam significat, &c. Pergit Plinius, *Sunt in hoc genere capniæ, sunt & vitreis similes, veluti croco refulgentes, vitrei à veris visu discerni non possunt; tactus deprehendit, tepidior in vitreis.* Ubi verò *Chrysolithi* sunt, quos ψευδοχρυσολίθους vocat Diodorus, qui [illegible] vocat vitrum, quo Chrysolithi factitii adulterantur.

Capniæ verò, *Chrysolithi* ei dicuntur, qui fumidi vapore Solis fiant, adeoque ὑπὸ καπνώδους ἀναθυμιάσεως hunc colorem induant, &c. V. omnino cum pluribus de hac gemma differentem, ubi suprà, & Salmasium *ad Solinum pag.205. ac 407.* Sed & χρυσίλιθος, lapidis nomen, qui aliàs χρυσίτης, apud Zosimum: Ἀργυρόλιθος καὶ χρυσόλιθος, V. suprà in voce *Chrysites*. Ethelium quoque lapidem, ut & Aëtiten, χρυσολίθους vocari, legas in *Lexico Chimiæ*, apud eundem Salmasium *d. l. pag.1103.*

Chrysopastus, Græcè Χρυσόπαστος, q. *Auro sparsus*, inter Chrysolithorum genera, V. suprà in voce *Chrysolampis*. Sed & Sapphiri cuidam generi idem nomen, eandem ob causam, quòd viz. *aurea scobe*, uti Plinius loquitur *lib.37. cap 9. aspersum* similiter esset. Dicta namque χρυσόπαστα Græcis *varia*, &c. Idem Salmasius *pag.407.*

Chrysoprasus, Græcè Χρυσόπρασος, inter gemmas XII. quæ totidem fundamenta constituunt Hierosolymæ Novæ, apud Joannem Apocalyps. *cap.21. versu 20* decimo loco memoratur: Ὁ ὄγδοος βήρυλλος, ὁ ἔννατος τοπάζιον, ὁ δέκατος χρυσόπρασος. *Octavum beryllus, nonum, topazius, decimum, Chrysoprasus.* Ejusdem mentio inter XII. gemmas, in sacro Pectorali, Pontificis Maximi apud Israëlitas, Exodi *cap.28. versu 11. Et hanc trainem secundum, Chrysoprasum* (inseruerunt) *sapphirum & adamantem.* Sic enim vocem Hebræam נפך, *nophec*, Tremellius & Junius reddunt. Vulgata verò *Carbunculum* interpretatur, uti ἄνθρακα Septuaginta; *Chalcedonium* Hebræorum nonnulli. Quorum quidquid sit, *Chrysoprasus*, gemma est, ex porraceo virore & auri fulgore mixtum habens colorem, unde ei quoque nomen. Beryllorum generi quosdam *Chrysoprasum* adjudicasse, Solinus ait *cap.52.* imò sui generis esse quosdam existimasse, Plinius *lib. 37. cap 8. Vicinum genus huic est pallidius, & à quibusdam proprii generis existimatur*; de Chrysoberyllo loquens. Sed, ut nomen sonare diximus, non potest pallidius esse hoc genus Chrysoberyllo; imò nec beryllo: porraceus enim color summi est viroris & austeri, non pallidi. Fortè legit in Græco Auctore Plinius, χλωρότερος ἐν χρυσοβηρύλλῳ, quod ob ambiguitatem vocis χλωρὸς de *pallore* accepit, cùm de *virore* capere debuisset. Guttas aureas gemmæ huic tribuunt Isidorus & Epiphanius, de quibus nihil apud Plinium ac Solinum, &c. V. Salmasium *ad Solinum pag.1106.*

Chrysor, idem cum Vulcano apud Sanchoniathonem, cujus verba Philo laudat apud Eusebium *Præpar. Evangel. lib.1.* ubi, cùm de Ὑψουρανίου sobole gemina, quam Ἀγρέα & Ἁλιέα, *Venatorem* & *Piscatorem* vocat, locutus foret, subjungit: *Ab iisdem fratres procreati duo, qui ferrum ac multiplicem ejus usum reperere. Quorum alter* Chrysor *nomine, quem Vulcanum esse ait, plurimum operæ ac studii partim in eloquentia; partim in cantionibus ac divinandi artibus collocavit. Is etiam hamum atque escam, piscatorum lineam, ac tumultuarias rates invenit, primusque mortalium omnium navigavit. Quamobrem eum quoque post obitum instar Dei coluerunt, ipsumque præterea Diamichii nomine appellarunt.* Quæ vocabula Ὑψουράνιος, Ἀγρέα, &c. non à Sanchoniathone sunt, sed Interprete, qui Phœnicia nomina Græcis vocibus expresserat. V. Gerh. Johannem Vossium, *de origin. & progressu Idolol. lib.1. cap.22.*

Chrysorrhoas, adde: Potius quòd Damascum fertilem redderet, quàm quòd *auro* flueret, fluvius hic dictus videtur. Totus enim is in rigua & rivorum deductiones convertebatur & Damascum præcipuè rigans, eam ἀγαθὴν reddebat fertilemque, Salmasius *ad Solinum pag.617.*

Chthonia, adde: Aliàs χθόνιοι Θεοὶ Græcis, *Inferi* sunt, ut in *Inscr.* Herodis, Μάρκος Ἀννίῳ ἢ Ἐροδία, ἣ κιόνε Δημήτρος καὶ Κόρης ἀνάθημα καὶ Χθονίων Θεῶν. Et in altera ejusdem *Inscr.* Χθόνιος βασιλεὺς, h. e. *Dis pater*, Deus Inferorum: qui iidem & Καταχθόνιοι. Sed & sic dicebant eos, quos *Indigetes* appellavere Latini. h. e. Deos in *ipso solo* natos, ἐγχωρίους aliter. Hinc apud Dionysium, Καὶ αὐτὸν καλοῦσιν οἱ Λατῖνοι ἥρωα ἐπιγραφῇ τοιᾷδε κοσμούμενον, Πατρὸς Θεοῦ Χθονίου, i. *Patris Dei Indigetis.* Sic χθονίους Ἐρεχθείδας Tragicus dixit, τοὺς αὐτόχθονας, *indigenas*, in ipsa terra natos, &c. V. Salmasium *ubi suprà pag.71.* & plura in hanc rem infrà, in voce *Indigetes*.

Chulli, Municipium, in *Itinerar.* Augusti. Ejusdem meminit Solinus *cap.26.* ubi de Numidia: *Urbes in ea quamplurimæ nobilesque, sed Cirta eminet, dein* Chulli *purpurario fuco Tyriis velleribus comparata.* Apud Plinium *Chullu* extat, apud Ptolomæum Κόλλα, cujus utriusque terminationis exempla habes in Numidiæ & Mauritaniæ urbibus. Cœterùm Κόλλα, apud hunc legendum, judicat Salmasius *d. l. pag.311.*

Chuni, adde: Honorii Principatu ex Mæotidis confinio in Europam, cum magna barbarorum gentium colluvie, irrupere, Ricobaldus Ferrariensis, *in pomario urbis Romanæ.* Ausonius *Epigr.1.*

Arma inter Chunosque truces, furtoque nocentes
Sauromatas.

In precatione Consulatus sui *Chunnos* & Getas conjunxit:

Quæ vaga Sauromates sibi junxerat agmina Chuni,
Quæque Getes sociis Istrum adsultabat Alanis.

Sidonius eorum frequenter meminit; *lib.8. Epist.9.*

Istis Ostrogothus viget patronis,

Vicinosque premens subinde Chunos,
His quod subditur, hinc superbit illis.

Et *Carm.* 5. v. 481.

Pannonius, Neurus, Chunus, Geta, Dacus, Alanus.

Et *Carm.* 7. *vers.* 241.

Cursu Herulus, Chunus jaculis, Francusque natatu, &c.

V. *Hunni.*

Chunna seu *Chunnas*, in *L. Sal. tit.* 8. idem est, quod Latinis *centum*, Germanis *Hundert*; numerus sc. centenarius seu centuria denariorum, secundùm quas centurias omnes Legum istarum pœnæ pecuniariæ conceptæ sunt & secundùm easdem denariorum summa reducta semper, ad numerum solidorum, 40. denariis in solidum computatis. V. Car. du Fresne in *Glossario.*

Chuquisaca effigies, apud Peruanos memorabilis, cui nomen *Tangatanga*, h. e. *in Tribus Unus & in Uno trinus*: quam, magno honore in iis gentibus cultam se vidisse, refert Joh. Hugo Linschottanus *Histor. Indiæ Occid.* apud Pfannerum *System. Theol. Gentil. pur. Cap.* 3. §. 2.

Churiunti, apud eosdem, unius è tribus Solis statuis, quibus festo *Catapaclayme* sacra faciunt mense Decembri, qui iis anni primus est, nomen. Reliqua sunt *Apointi* & *Intiaquaqui*, Ibid.

Chydææ, Græcè χυδαῖαι, apud Plinium & Dioscoridem, palmulæ dictæ sunt mitiores, quæ maturæ sunt, quasi tum *viliores*, quod vox Græcis notat, V. Plinium *lib.* 14. *cap. de Vinorum generibus*, & Dioscoridem, ubi de vino palmeo loquens, λαβὼν, inquit, φοίνικας τὰς χυδαίας πεπείρους, *Cape palmulas* chydæas *maturas*. Nempe ex palmis, quæ inveterari servarique negabant, aliæ ad cibum sumebantur, aliæ ad vinum faciendum: quarum illæ viridiores colligi solebant, antequam maturescerent, has maturas esse fuit necesse. Cujusmodi vino Parthos & Indos & Orientem totum uti solitum, ait Plinius. Nisi malis *Chydæas* palmulas, de communibus dactyliferis exponere, quas Romani Græcique honori Deorum dabant, quibus & victores coronabant. Sic autem vocabant eas Judæi Hellenistæ, non ut Deos Gentilium contumeliâ afficerent, ut arguatur Plinius, sed ad differentiam caryotarum, quæ apud se quoque nascebantur. Vulgaris autem illa & plebeja in Græcia nascebatur, non item caryotifera. Et fortassè hæ sunt, quæ πατηταὶ dicebantur, ex quibus *calcatis* vinum exprimebatur, &c. V. Salmasium *ad Solinum pag.* 1126. Alia notio vocis, cùm de coronis usurpatur, quæ χυδαῖοι apud Athenæum *lib.* 5. dictæ sunt, quasi χύδην πλακεῖσαι, *confusè plexæ*, ac nullo ordine & dispositu florum, sed inordinatæ & tumultuariæ. Cujusmodi coronæ primitus fiebant, cùm flores ut indiscriminatim legebantur, sic ex indistinctis illis corollam sibi quisque plecteret. Postmodum, ut convicium dabantur iis, qui jubebantur exigi convivio, planè dissimiles illis, quibus omnis generis flores insertabantur, & quidem multa cura, multo delectu parique dispositu. Ibi enim florum multitudo versicolorum certabat cum ordine & collocatione: unde processu temporis coronam tam accuratè plexam, ἰσχὺν fuisse appellatam, inquit Auctor *Etymologici*. Qua de re V. Car. Paschalium *Coronarum lib.* 2. *cap.* 12.

Chyer, apud Auctorem Appendicis Latinæ *ad Historiam Willhardnini pag.* 250 *Dederunt ipsam terram Imperatori* Chyer *Micali Palæologo Græco*, &c. Dominus est, ex Græco Κύριος seu potiùs Κῦρος, aut Κύρις, uti recentiores Græci efferebant. Ibidem *Chyer Andronicus*, quem *Xor Andrinochs* vocat Raimundus Montanerius *in Chron. Catalanico Regum Aragon. cap* 199. ubi *Xor* effertur, ut *Chir*, apud du Fresne in *Glossario.*

Chymene, Græcè Χυμεν & Χυμενη, infimâ ætate, dicta est herba tinctoria, luteum faciens colorem, quâ excellentissimum in tota Græcia sericum luteum tingi solitum, scribit eruditus Herbarius. Ejus meminit, præter alios, Psellus, *in Jatricis*, Jambicis versibus scripto de *Urinis*.

Ἐπεὶ δ' ἀσύγχυτον μετρίως βιβαμμένον
Τὴν ὠμότητα σημαίνει χυμένης,
Βαφὴν τε ὡμότητα ἔχον ἐν τῷ χρώματι.

Ubi ὠμότητα χυμένης, est cujus jus tinctorium nondum satis conferbuit, sed adhuc *crudum est nec abunde decoctum*. Corruptum autem est nomen ex σισύμβριον, quod integrum legitur in Pseudo-Democriti *Physicis* & cum aliis herbis rebusque luto inficientibus commemoratur: καὶ κρόκος, καὶ κνῆκος, καὶ σισύμβριον αὐτὸ, καὶ ἀλόη καὶ κεράτιον καὶ χελιδόνιον. Sed cùm forma χυμένης ad nos non pervenerit, incertum quomodo apud Vett. Græcos illa fuerit appellata. Zosimus Θαψίαν fuisse putat, & certè Thapsiæ flores lutei; unde Θαψιναι mulieres vocatæ, quæ *lurore* & velut *luto* infectos habebant colores corporum. Comicus,

Γυναικὶ πλατὺ κόλπον ἰούσαις Θαψίνῃ.

Etiam thapso tingi lanas & capillos colore luteo, Hesychius habet. Sed eadem fieri potuere ex Scythica radice & Lycio. Glaucii quoque colore lanas olim luteo colore tinctas fuisse novimus: unde *glaucina pallia*, apud Martialem. Scriptores tamen Chymici disertè Θαψίαν vocavere σισύμβριον: quæ nomina etiam affinitatem habent. Namque σισύμβριον videtur dictum, quòd colorem efficeret luteum ex pallido, qualis ἐν τοῖς σισυμβρίοις, *in moriensibus*, cernitur. & Θάψος, quòd colorem parem ostendat, ut esse in his solet, qui sepeliendi sunt; θάπτειν enim *sepelire* est. V. Salmasium *ad Solinum pag.* 1163 *& seqq.*

Chymia, V. supra *Archemia* & *Chemia.*

Chytræ, apud Ammianum Marcellinum *lib.* 22. *de Ægypto, Sunt Therma intra, quæ* Chytras *indigenæ vocant.* Nempe profundiora loca paludis, uti πελανοί, à pelvis profunditate, & χυτρῖνοι & χύτροι dicebant Græci, ab eadem ratione. Hesychius, χυτρῖνοι δ' κοῖλα τῆς γῆς, δι' ὧν αἱ πηγαὶ ῥέουσιν. Arriano [illegible] dicuntur loca istiusmodi fluminis magis profunda & cava, in *Periplo* Maris Erythræi, οἱ δὲ πελάγιοι τόποι εἰσὶν οὓς κολυμβῶσι [illegible] μιχὲς βαθυσάζειν. Ubi πελάγιοι Jonicum est pro χυτρῖνοι. Inde πελάγιοι & χυτρῖνοι, fossæ & canales ad aquam deducendam. Hesychius *d. l.* ut & alibi, λίμναι χυαὶ, αἱ δὲ λίμναι ὀνχύονται καὶ χυτρῖνοι χοὰς δι' ἐν λίμνη, λάκκοις καὶ χυτρίνοις καὶ διώρυξι. Sic meminit τῶν Κάτω Χυτρῶν, qui vaporem pestiferum exhalabat, Antigonus *cap.* 176. quem ἰχῶρα & βόρβορον vocat *cap. seq.* Unde videmus, tam naturalem, quàm manufactum, rivum χυτρῖνον vel χύτρον Græcos vocasse. Salmasius ubi suprà *pag* 117. *&* 118.

Chytri, adde: Pars fuere Liberalium Anthesteriorum. Scholiastes Aristophanis *ad Acharn.* Φησὶ Ἀπολλόδωρος, Ἀνθεστήρια καλεῖσθαι κοινῶς ὅλην τὴν ἑορτὴν Διονύσῳ ἀγομένην, κατὰ μέρος δὲ Πιθοίγια, Χόες, Χύτροι. Et quidem Pithœgia celebrabantur die 11. mensis Anthesterionis, Choes 12. *Chytri* 13. teste Harpocratione: quanquam præfatus Scholiastes Choum & Chytrorum eundem esse diem statuit. In his autem, non minus ac in Dionysiis, Lenæis ac Panathenæis, fabulas suas committebant Tragici, uti discimus ex Diog. Laërtio *in Plat.* V. Sam. Petitum *Comm. in LL. Attic. lib.* 1. *Tit.* 1. dicatumque hoc festum Mercurio terrestri fuit, uti legimus apud Theopompum Scholiasti Aristophanis citatum, Quòd enim sibi id sacrum dicit Bacchus, apud eundem Comicum *Ranis*, hinc est, quòd non solùm per Διόνυσον seu Bacchum, sed per Mercurium etiam, Sol intelligatur, ut ait Vossius *de Idolol. lib.* 2. *cap.* 13 *sub fin.* De Mercurio verò verba Scholiastis *Ranis* ista sunt: Ἐπιθύειν αὐτοῖς ἔθος ἦν, Ὀλυμπίων μὲν θεῶν οὐδενὶ δὲ ὅλως, Ἑρμῇ δὲ χθονίῳ, *Hinc sacrificare iis mos erat, Olympiorum quidem Deorum nemini, Mercurio autem Terrestri.* Idem eodem ex Theopomp. o memorat, ut, cùm Deucalionæo diluvio periisset genus humanum, superstites omne seminum genus in olla coxerint Mercurio Terrestri, quò mortuis eum redderent propitium; neminem verò ex olla hac gustare ausum, atque illud esse initium festi istius, quod Χύτροι sive *Ollare festum* diceretur. Quis autem hic Mercurius fuerit, clarius exponit Vossius *lib.* 2. *cap* 56. ubi censet, Mercurium Olympium fuisse Solem nostrum: Terrestrem autem illum Antipodum. Idem eò se inclinare quoque dicit, ut Charon Græcus & Romanus non alius sit quàm Mercurius ille inferus, cui nomen fortè a חרון *ira*, quia minister sit iræ divinæ: ut sic propriè sit Angelus malus, malas animas ad loca suppliciis destinata deferens. Sanè Psalmo 18. *versu* 49. habes hanc vocem. Latinè est: *Misit eos in irum* (חרון) *naris suæ, excandescentiam & furorem & angustiam, immissionem Angelorum malorum.* Ubi Rabbini ex eo, quod subjicitur *de Angelis malorum*, colligunt, Iram, Excandescentiam, Furorem, Angustiam, esse nomina spirituum, quibus Deus utitur in malis puniendis. V. omnino Vossium *loco cit.*

CI.

Ciaca, in tab. Peutingeriana, ubi iter à Dascusa ad Melitenen Cappadociæ, per ripam Euphratis describitur, ad hunc modum:

Dascusa, *Hispa* XVIII.
Aranga IX.
Craca (l. *Ciaca*) XXVIII.
Melentenis (pro *Melitenen*) VIII.

Ptolomæo Κιάκα dicitur, estque urbs Armeniæ min. de qua V. in voce *Ciacis.*

Ciani, Græcè Κιανοὶ & Κίλιοι, dicti sunt nonnullis, qui aliis Πρυσιεῖς. Galenus *in Isagoge*, Βιθυνοὶ Κιανοὶ, ὃς καὶ *[illegible]*. *Bithynus* Cianus, *qui & Prusiensis dictus est.* Nempe *Cios* vocabatur olim, quæ postea *Prusias* appellari cœpit, unde Cives modò *Ciani*, modò *Prusienses*. Condita est autem *Cios*, circa Olymp. 37. uti habet Eusebius *in Chron.* Meminit *Ciani* opp. Plinius, nullâ Prusiadis factâ mentione, *Amnes Hylas & Cius, cum oppido ejusdem nominis*: quam cum Prusa ad Olympum perperam confundit, ut docet Salmasius *ad Solinum pag.* 878.

Cibariæ Leges, aliàs *Sumtuariæ* dictæ, ab hominum luxu occasionem habuere. Cùm enim à veteri & avita Majorum parsimonia posteri discederent, & nullum modum luxuria inveniret; cujus testes, Cincii porcellus Trojanus & integri apri conviviis illati: legum animadversione opus fuit. Lata igitur primùm est Lex *Orchia*, quæ numerum convivarum præscripsit, A. U. C. 566. *Fannia* dein sumtibus modum fecit assibus centum, an. 588. cujus tenorem ad universam Italiam, ac ceteros, qui vocati conviviis interfuissent, extendit Lex *Didia*, an. 606 Secuta

Licinia,

Licinia, paucis mutatis, in reliquis cum Fannia congruit. Post quam lex *Cornelia*, minora rebus pretia imposuit: Ciborum genus & modum dein præscripsit Lex *Æmilia*: Quam paucis interjectis annis excepit *Antia* Lex, quæ eos qui Magistratus essent, Magistratumque capturi, ad certas tantum personas cœnatum ire permisit. Postremò lex *Julia*, profestis quidem diebus ducentos: Kalendis, Idibus, Nonis, & aliisquibusdam diebus festivis trecentos: nuptiis verò & repotiis H. S. millies permisit. V. quamque harum Legum, *suo loco*.

Cibo, nomen illustris in Italia familiæ, quam derivant à Guidone Genuensi, tempore Ottonis I. Imp. claro. Ex ea Innocentius VIII. Papa fuit, & cùm liberos ante ordines susceptos ex virgine Neapolitana genuisset, familiæ ad majorem fortunam viam stravit. Filius ejus Franciscus Comes *de Anguillara* & *Ferentillo* fuit: nepos autem Laurentius, ab uxore Richarda, Malaspinarum hærede, Massam & Carrariam stirpi suæ acquisivit; quibus, in filio Alberico, Ducatus *de Ayello* accessit. Jam autem A. C. 1450. Arano *Cibo*, Senator Genuæ, Prorex Neapolis fuit: qui ex Genevra de Mari, nobili Genuensi, genuit Johannem Baptistam, qui dein Innocentius VIII. obiit A. C. 1492. pater Francisci præfati: quo & Magdalenâ Mediceâ, genitus Laurentius, extinctus est A. C. 1549. Cujus ex Richarda, Massæ & Carrariæ hærede, filius Albericus Cibous Malaspina Princeps Massæ Dux *de Ayello*, defunctus A. C. 1623. ex Elisabetha Roborea, Francisci Mariæ Ducis Urbini filia, pater fuit Alderami, ac reliquit ex hoc Alderamo March. Carrariæ (ante patrem mortuo A. C. 1606.) & nuru Marfisa Estensi, nepotes, Carolum Principem Massæ Ducem Ayelli & fratres. Phil. Jac. Spenerus *Theatr. Nobil. Europ. tom* II.

Ciborium, adde: Antiquitus ita dictum est receptaculum, quo continebantur grana fabæ Ægyptiæ, prægrandis instar papaveris capitis, in quo ipsa grana suis quæque loculamentis ac capsis inclusa, paulum supra cellas suas extantia; [illegible] vocat Theophrastus, à similitudine favi vesparum, Dioscorides [illegible]. Nicander apud Athenæum,

> [illegible]
> [illegible]
> [illegible]
> [illegible]
> [illegible]

Ubi flores ad corollas experti dicit, & [illegible] in manus tradi juvenum, ut pocula inde faciant, ubi fructus maturus inde extractus fuerit, aut deciderit: radicem autem in mensa coctam apponi. Nempe illud ipsum *Ciborium* fabæ Ægyptiæ, granis excussis & membranaceis dissepimentis ejectis, poculi vicem usumque præbebat: cujusmodi scyphi formam graphicè habes expressam, apud Salmasium *ad Solinum pag.* 1310. Atque hinc [illegible] Græcis, poculi genus, scypho simile, quod ab inferiore parte in angustum contrahebatur, seu quod ab ambitu latiore sensim decrescebat, usque ad imum pediculum, ut ciborium fabæ Ægyptiæ. Athenæus de ciborio poculo, [illegible]. *Levia* hæc pocula vocat Horatius *lib.* 2. *Od.* 7.

> *Oblivioso levia Massico*
> Ciboria *exple*, &c.

Sunt tamen qui de foliis Fabæ prædictæ vocem libentiùs accipiant, quæ sponte suâ ac naturâ cavitatem exhibere quandam, poculis ac vasis idoneam, tradit Strabo: quod de foliis colocasiæ ac nymphææ itidem legimus; è quibus proin variæ species vasorum fiebant, pateræ, catini, scyphi. Unde magnum reditum per totam Ægyptum, ex foliis hujusmodi fieri solitum, adeò ut agri hoc potissimùm reditu censerentur, addit idem. Sed de calice potius, quo tenetur semen inclusum, Nicandri [illegible] interpretanda esse, facile liquet, ex verbis ejus: ait enim, [illegible], *ubi semen maturum decidit*, calices usum præbere scyphorum. Præterea [illegible] Athenæus sic vocata tradit, quòd ab inferiore parte in acumen desinerent: at folia planum habent situm. Postremò calices ipsos sive capita colocasiæ, quæ semen continent, [illegible] propriè appellata, plerisque constat, quo nomine & fabas ipsas quidam nuncuparunt, &c. Est autem [illegible] Græcæ originis; nam [illegible] apud Ætolos *pera* vel *sacculus*: unde & [illegible] pro eodem cæteris Græcis; inde [illegible], *Arca*, quo aliquid includitur. Quam in rem V. plura apud Salmasium præfatum *d. l.* nec non *pag.* 967. & 968. Inde in Ecclesiam Lat. translata vox, ut dictum. Sed & in *Ordine* Rom. *tegimen* & *umbraculum* Altaris appellatur, memoraturque Alcuinô *Poem.* 117.

> *Hic quoque* Ciborium *Fercolfus fecerat Abbas.*

Illud autem quatuor columnis, iisque præaltis, attollebatur & in fastigiatam formam eductum totum Altare contegebat, Anastasius Biblioth. *in S. Gregorio Pontif.* Cereis quoque adornatum & illuminatum, P. Silentiarius *descript. S. Sophiæ part.* 2. *v.* 330. V. ad hunc *Notis* Car. du Fresne; qui addit, in iis Templis, ubi non extant ejusmodi *Ciboria*, ut hodie fere apud Gallos, umbraculum super Altare dependere. *Ceremoniale* Episcoporum *lib.* 1. *cap.* 12. *Quod baldachinum etiam superstatuendum erit, si altare sit à pariete sejunctum, nec suprà habeat aliquod* Ciborium *ex lapide aut ex marmore confectum. Si autem adsit tale Ciborium, non opus est umbraculo* &c. Porro *Ciboria* plerunque Sanctorum corporibus leguntur imposita, quòd ea sub Altaribus olim recondi solerent, atque ita eodem cum Altaribus umbraculo obtegerentur, Gregorius Turon. *de Mirac. lib.* 1. *cap.* 28. Unde *Ciborii S. Petri* meminit Adrianus Pontif. Rom. *Epist.* ad Carolum Magnum *Quæst.* 59. *in Tom. III. Histor. Franc.* illud verò construxerat Leo III. apud Anastasium Bibl. & Baronium A. C. 1130. Et Thiofridus Abbas Epternacensis, in *versibus Operi florum Epitaph. Sanct. præfixis*,

> *Extruo pyramides*, Ciboria, *colligo flores,*
> *Spargo super tumulos Sanctorum carne sacratos.*

Ubi *Ciboria* pariter & *Pyramides* jungit, non quòd hic pyramides, aliæ sint à *Ciboriis*, sed quòd hæc illarum formam referant. Atque hinc in *Ciboriis* Sanctorum corpora passim leguntur recondita. V. *Descriptionem Ciborii* Ædis S. Marci Venetiis apud Sansovinum & Stringam *in Venetia lib.* 1. *capp.* 41. & 42. nec non Ambrosianæ Basilicæ Mediol. apud Puricellium in *Monum. ejusdem Basil. pag.* 127. & *seqq.* Inde autem *Ciborium* pro quavis concameratione superiori, quatuor potissimùm pilis vel columnis sustentatâ, sumi cœpit, uti videre est apud Gervasium Dorobernensem in *Descript. Ecclesiæ Cantuar.* laudatum Carolo du Fresne in *Gloss.* ubi ex prædictis aliisque vult, perperam hanc vocem interpretari Ugutionem, qui *Ciborium vas esse ad ferendos cibos* dixit: Gropperum, qui *Ciboria*, de quibus Anastasius passim, pro pyxidibus, in quibus Eucharistia asservatur, accepit: & Goldastum, qui *Ciborium*, apud Ekkehardum, *flasconem* esse censuit. V. quoque Macros Fratres in *Hierolexico* & infrà in voce *Supracælum*.

Cibotus, adde: Græcè [illegible], quam vocem *arcam* significare *suprà* diximus. Sic autem appellata videtur hæc urbs, quòd emporium esset & receptaculum ac veluti arca mercium communis totius Asiæ. Strabo, [illegible]. *Apamea verò est Emporium ingens Asiæ propriè dictæ, secundas ab Epheso tenens. Hæc enim omnium ex Græcia & Italia mercium commune receptaculum est.* Olim *Celænas* appellatam esse, docet Plinius & Solinus ex eo, ac Marcianus. V. Salmasium *ad Solinum pag.* 826.

Cibum Veteres quater in die sumere soliti sunt. Prima enim erat matutina jentatio, quam *Prandiculum* appellavere prisci; mox *Prandium*: tum *Cœna*: postremò *Comessatio*. Quibus apud Græcos responderunt [illegible] vel [illegible], [illegible], [illegible], [illegible]: vel secundùm Athenæum, [illegible], [illegible], [illegible], [illegible]. Dein verò, ut luxus & nequitia serpit, cùm à *Merenda* (quæ olim eadem cum prandio fuit) ad Cœnam, i. à Meridie ad vesperam, unde *vesperam Cœnam* dixere, jejunitas nimiùm videretur longa, prandii usus in Merendæ locum ac horam successit: Merenda verò post eam horam, unde nomen sumserat, id est, post Meridiem producta est, qui mos hodieque retinetur. Inde non quater modò, sed quinquies *Cibum* capi mos erat: Quod de pueris, opificibus, servis, viatoribus, senibusque intelligendum. Reliqui enim homines liberaliter educati, semel tantùm, aut plurimùm bis comedebant, ut ex Veterum monumentis pluribus probant Hieron. Mercurialis *Var. lect. lib.* 4. *cap.* 17. *in arte Gymn. lib.* 1. *cap* 11. & Aldus Manutius Pauli filius *lib.* 1. *de quæsitis per Epist. epist.* 4. Antiquissimum autem *Cibi* genus glandes fuere, quas colligere tùm solebant certi quidam homines, [illegible] dicti: quo tempore nondum vigebat, *Cereale solum*, Et *Mensas consumimus*, Virgil. *Æneid.* In hujus rei memoriam civicam coronam ex quernis foliis à Romanis conferram esse, docet A. Gellius *lib.* 5. *cap* 6. *Quoniam*, inquit, *cibus victusque antiquissimus quernus capi solitus sit.* Cui adstipulatur Plinius, *Civica iligna primò fuit, postea magis placuit ex æsculo Jovi sacra, variatumque & cum quercu est, ac data ubique quæ fuerat, custodito tantùm honore glandis.* Hordei dein usus invaluit, quod posteà meliori frumento reperto in pœnam datum esse, indigitat Suetonius *in Aug. cap.* 24. *Decimatos hordeo pavit.* Sic panis mortalibus concessus est, quo tamen non ità frequenter veteres Romani, ac pulte victitabant, teste Valerio M. *lib.* 2. *cap.* 1. Luxuries post hæc sensim irrepsit, & duo primitus missus in conviviis erant, unus carnium sive epularum, alter pomorum: ut Servius prodidit *ad Æneid. lib.* 1. *versum*,

> *Postquam exempta fames epulis, mensæque remotæ.*

Et *ad illud Æneid. lib.* 8.

> *Instaurant epulas, & mensæ grata secundæ*
> *Dona ferunt.*

Dein, post Asiam inprimis domitam, usque adeò ingeniosi in gulam Principes viri extitere, ut novum aliquod convivandi deliciandique genus excogitare indies unicè studuerint. Quidam apros integros epulis intulerunt, vetus Schol. Juvenalis *ad versum* 140. *Sat.* 1. Alii non contenti naturalibus cibis, in una parapside, varias rerum species confundere gaudebant; Unde Ælii Veri Augusti ferculum *tetrapharmacum* vel *pentapharmacum*, scilicet *sumen, phasianus, pavo, crustulana, aprugna*, apud Æl. Spartianum. Nec deerant, qui tot in mensa stationes facerent, quot fercula

literæ sunt: ut de Geta Severi Imp. filio narrat Spartianus idem. Ex omnibus elementis nonnulli cibos conquirebant: Lucanus *Pharsal. lib.10. vers.156.*

Infudere epulas auro, quod terra, quod aër,
Quod pelagus Nilusque dedit, &c.

Denique erant, qui in vicinia paratos fastidientes cibos, è longinquo immani sumtu advehi curabant: Sic Vitellius in patina, quam *Minervæ clypeum* vocavit, *scarorum jecinora, fasianorum & pavonum cerebella, linguas phænicopterum, murænarum lactes Carpathio usque fretoque Hispaniæ, per Navarchos ac triremes petitarum, commiscuisse*, legitur apud Suetonium *in eo, cap.13.* Et Apicius Trajano apud Parthos agenti, multorumque dierum itinere à mari distanti, *ostrea recentia soleriter asservata*, misit apud Suid. Unde *Petronius Satyr.*

Ales Phasiacis petita Colchis,
Atque Afræ volucres placent palato,
Quòd non sunt faciles. At albus anser
Et pictis anas enovata pennis
Plebejum sapit; ultimis ab oris
Attractus scarus, atque arata Syrtis
Si quid naufragio dedit, probatur.
Mullus jam gravis est, amica vincit
Uxorem, rosa cinnamum veretur:
Quidquid quæritur, optimum videtur, &c.

Dicebantur autem *Cibi* illati *Fercula*, Græcis [illegible], quæ in æquales partes, ut unicuique convivæ ex æquo portio tribueretur, vel à Tapulla seu convivii Magistro, vel à servis, vel à coquis, vel, quod communius erat, à Carptoribus, dividebantur: quam vel servo donare, vel domum uxoribus mittere, cuique convivantium integrum erat, &c. Plura V. apud Thom. Dempsterum *in Joh. Rosini Antiqq. Rom. lib.5. paralipom. ad cap. 29.* ut & infrà in voce *Convivandi ritus.*

Cibus Fortuitus, Tacito, ubi de Vespasiano; *brevis & vilis*, Ammiano; *castrensis* dicitur Æl. Spartiano *in Hadriano Cæs. Ipse quoque inter manipulares vitam militarem magistrans, cibis etiam castrensibus libenter utens.* [illegible] vocat Dio, [illegible], *Duro ubique victu utebatur*: quod alibi idem [illegible], *militariter vesci*, exponit. Quis autem hic *cibus* fuerit, addit idem Spartianus, *h. e.* pergens, *larido, caseo & posca.* Apud Aristophanem in *Eqq.* allia & cæpe, [illegible] & [illegible], *nautica & militaria alimenta* vocantur, ab ejus Scholiaste. Apud Synesium *de Regno*, cibi, quibus in castris usus est Carinus Imp. puls sunt è piso & laridum: [illegible]. Rodolfi. I. Imp. militaris seu *castrensis cibus* erat rapum costum, cùm Basileam obsidenti nuntius afferretur de dignitate Imperiali ei delatâ. V. de *militaribus Cibis*, passim Scriptores *Historiæ Aug.* cum *Notis* Casauboni, ac Salmasii, nec non in *Codice.* De *cibo* verò Ascetarum vett. Gladiatorumque, V. hic passim, inprimis, in vocibus *Arida saginatio, Asceta, Colephia*, &c. *Cibum de Cadavere sumere*, juxta comestionem immolatitii, Christianis prohibitum legimus, apud Augustinum *c. Faustum Manichæum lib.32.* ubi is plura hanc in rem, V. quoque Casp. Barthium *Animadversion. ad Papinium Statium Thebaid. lib.2.* verbo, *Incessat.*

Cibyra, urbs Phrygiæ, adde: De qua Præfectura sic Plinius *lib.5. cap.27. Priùs terga & mediterraneas jurisdictiones indicasse conveniat, una appellatur* Cibyratica, *ipsum oppidum Phrygiæ est, conveniunt eò XXV civitates, celeberrima urbe Laudicia. Imposita est Lyco flumini, latera alluentibus Asopo & Capro.* Ubi *Laudicia* est Laodicea ad Lycum, quam cum Diocæsarea Ptolomæi eandem fuisse, putat Salmasius *ad Solinum pag.848.*

Cicada, Apollini apud Gentiles sacra fuit, Deo Musico; quemadmodum & cygnus, ob cantum. Hinc etiam Poëtæ *cicadæ* dicti; sed mali potius. Ita enim Simonides, apud Athenæum *lib.15. cap.8.*

[illegible],
[illegible].
Phœbus docuit Tyndaridas cantionem, i. Musicam,
Quam Cicadæ, *moderatam nescia, coronarunt coronâ.*

V. Isaac. Casaubonum *Animadvers. in locum.* Neque obscura est translationis ratio: cùm Poetæ boni suavem lusciniarum vel cygnorum cantum referant, mali autem, raucum quiddam, instar *cicadarum* strideant. V. Vossium *Institution. Orator. lib. 4. c. 6. sect.12.* & plura de hac comparatione apud Dan. Heinsium *Præfat. in sua Poemata.* Apud Athenienses nobilitatis insigne *cicada* fuit, unde *cicadas* ex auro crinibus insertas gerebant, uti indigitarent se *αὐτόχθονας* atque *γηγενεῖς, è terra genitos*, non verò advenas esse, uti discimus ex Tertulliano *de vel. Virg. cap.10.* ubi, plexos illorum crines *Crobylos* vocans, iisque pro insigni ac nota *cicadas* tribuens, *crobylos* non sumsit pro scrobiculis & foraminibus aurium, ad inferendas gemmas, ut ait Solerius *de pileo sect.8.* Indigitat ritum illum Atheniensium Virgilius seu potius Corn. Gallus *in Ciri* de Niso, *versu 129.*

Ergo omnis caro residebat cura capillo,
Aurea solemni comtum quem fibula ritu
Morsipis, tereti nectebat dente cicadæ.

Ad quem locum V. omnino Scaligerum. Nempe mos vetustissimus gentium, gestandi crinibus nobilitatis aut gloriæ indicia. Sic de Alcmena Statius *Theb. lib.6. vers.289.*

—— —— parvoque Alcmena superbit
Hercule, tergemina crinem circumdata Lunâ.

Ad indicium trium noctium, quibus continuis in complexibus Jovis fuisse fingitur. Totas verò gentes parvis sagittis capillaturam exornasse, dicemus infrà, V. quoque Hadr. Turnebum *Adversarior. lib.29. cap.17.* & Casp. Barthium *Animadversion. ad Statium dicto loco.* De puero cicadam captante, diximus suprà in voce *Berninus Eques.* Rhegii mutas esse *cicadas*, tradit Solinus *cap.2. Cicadæ apud Rheginos mutæ, nec usquam alibi: quod silentium miraculo est, nec immeritò, cùm vicinæ quæ sunt Locrensium, ultra cæteras sonent. Causas Granius tradit, cùm obmurmurarent illic Herculi quiescenti, Deum jussisse, ne streperent: itaque ex eo captum silentium permanere.* V. quoque Antigonum *in Mirabil.* Illarum verò proprium *sonare* est, Græcè [illegible], unde [illegible]. Salmasius *ad Solinum pag.89* &c.

Cicatrices, adverso corpore acceptæ, decoræ: unde occasione poscente ostentari solebant, Livius *lib.2. cap.23. Magno natu quidam cum omnium malorum suorum insignibus se in Forum projecit. Obsita erat squalore vestis — ipse testes honestarum aliquot locis pugnarum*, cicatrices *adverso pectore ostentabat.* Apud eundem Servilius *lib. 45. cap. 39.* orationem satis prolixam, his verbis claudit: *Ex omnibus, cum quibus manus conserui, spolia retuli, insigne corpus honestis cicatricibus omnibus adverso corpore exceptis habeo. Dein nudare se cæpit, &c.* Contrà *aversæ* infames, quæ sc. in tergo fugientium conspiciuntur. Unde de Siccio Dentato Tr. Pl. narrat A. Gellius, *lib.2. cap.12.* scriptum esse, in Libris Annalibus, *pugnasse in hostem centum & XX. præliis; cicatricem aversam nullam, adversas quinque & XL. tulisse*, &c. Uti autem in corpore cicatrices è vulneribus remanent: sic *Cicatrices*, ex vitiis animabus imprimi, in ultimo Judicio, apparituras, creditum Veterum non paucis. Hinc Plato, [illegible], *Regum & Magnatum animos plerumque perjuriis atque injustitiâ, quasi quibusdam verberibus, cicatricibusque infectos, qualia cujusque actio contraxit, impressitque animo, deprehendi*, dicit, *in Gorgia.* Et apud eundem Eris Armenius inter alia, quæ apud mortuos observaverit, etiam hoc recenset, injustos à Judice ad sinistram infrà ire jussos esse, [illegible], *Omnium, quæ fecerunt in vita, post tergum signa ferentes.* Expressiùs Plutarchus *de his qui serò à Num. pun.* ubi de improborum post mortem judicio supplicioque loquitur, *Cicatrices*, inquit, *& vibices restant à singulis vitiis, majores aliis, aliis minores — Squalidus iste & aeruginosus* (color) *illiberalium sordium est pigmentum atque avaritiæ. Sanguinolentus & igneus, crudelitatis atque sævitiæ. Cæruleus intemperantiæ circa voluptates; lividus & violaceus, & qualis atramenti, quod sepia emittit, invidiæ ac malignitatis. Etenim ut hic vitiositas per Animæ motus in corpora certos colores dedit, ita* &c. Hinc apud Lucianum *Catapl. Tom IV p.82. Cyniscus*, vestibus detractis, tribus quatuorve cicatricibus, penè tamen obliteratis (vitiis sc. Philosophiæ studio postea abstersis) & qui unà idem judicium subiisse finguntur, Micyllus sutor, purus & ne punctulo quidem notatus, atque ex adverso Megapenthes Tyrannus totus lividus, & præ *cicatricibus* cæruleus, Rhadamantho Judici exponuntur, &c. V. Tobiam Pfannerum *System. Theol. Gentilis purior. cap 20. § 7.*

Cicer, frigi torrerique solebat. Hinc in Aristophanis *Pace*, rusticus describitur,

[illegible];
Cicer *super carbones torrens.*

Et in [illegible] *pag. 2.* Scholiastes, [illegible], ait, [illegible]. *Largius post frictum cicer tundebant.* Sed & *fricti ciceris* non semel meminere Romani Scriptores: inter quos Plautus *Bacchidibus Act. 4. Scen.5.*

Tam frictum ego illum reddam, quam frictum est cicer, &c.

Inter recentiores quoque Bellonius *Singular. lib.2. cap.53.* observat, in Ægypti urbe Cairo multas esse officinas, in quibus nihil venditur, præter frictum cicer, quod magnâ copiâ comparatur à peregrinis, qui quotannis inde Meccham proficiscuntur. Et *cap. 90.* idem de Damasco refert, *Damasci plures sunt officinæ, frigendo ciceri vacantes. Erevithia vocant* ([illegible]) *Græco nomine. Illa autem in æreis sartaginibus fricta & exsiccata iis percommoda sunt, qui longum iter suscipiunt.* Interim inter cibos receptos, vix quicquam cicere vilius est. Unde in Alexi Comico, apud Athenæum *lib. 2.* vetula quædam, inopiam suam deflens, inter plebejos cibos, quibus miseram vitam ægrè sustinet, [illegible] & [illegible], *cicer & cicerculam*, recenset. Et Horatius *de Arte*, iis qui ex fricto cicere & nucibus victitant, divites opponit,

Offenduntur enim, quibus est equus, & pater & res,
Nec si quid fricti ciceris probat, aut nucis emptor,
Æquis accipiunt animis, donantve coronâ.

Quò facit, quòd Romæ in spectaculis, qui honores ambiebant, plebej

*...*culæ gratiam capta*turi*, inter missilia, cum fabis & lupinis, *...* spargebant. Persius *Satyrâ* 5.

> —— —— *Cicer ingere largè*
> *Rixanti populo, nostra ut Floralia possint*
> *Aprici meminisse senes.*

Similiter in Ægypti eremo Scetica, ubi Monachi miram frugalitatem profitebantur, *frictum cicer* illis pro cibo fuit, uti testatur Cassianus, ubi de Sereno Abbate, &c. Hinc Tertullianus, *Cicerculam* pro re minimi pretii usurpat, *c. Marcion. lib.* 1. *cap.* 11. Et apud Græcos ἐρέβινθος, i. *Cicercula*, pro vili sumitur. Unde ἐρέβινθος Βάκχος, *Cicercula Bacchus*, Prov. apud Hesych. de re vili usurpari solitum, ut exponit Suidas. Etiam, cum faba & lente, feralibus cœnis, non aliam ob causam, *cicer* adhibitum est, teste Plut. *in Rom. quæst. cap.* 95. quàm quòd lugubre tempus deceant tenues cibi, ut sunt legumina omnia, quæ corpus quidem implent, sed parum alunt. Sed & in pervigiliis religionem illud adhibuisse, in Plinio reperimus &c. V. plura hanc in rem, apud Sam. Bochartum *Hierozoici Part. post. lib. I cap* 9. Hinc *Cicercula*, Gr. ἐρεβίνθιος, cognomen Bacchi, apud Hesychium & Suidam. V. supra.

M. T. Cicero, adde: Elegias ejus Servius laudat *Ecl.* 1. quarum tituli aliquot recensentur Julio Capitolino *in Gordianis Alcyonas, Uxorium, Nilum*; Ipse Servius *Talemastis* meminit, &c. Interim Vir tantus, quem meliorum, de quibus benignius sperare liceat, cœtui ipse Lutherus adnumerat, quibus nævis notabilis fuerit, ex iis apparet, quæ ipsi Sallustius *in eum Declam.* & apud Dionem Cassium *lib.* 46. Fusius Calenus exprobrant, prostitutum nempe quorumcunque libidini corpus, stupri cum filia consuetudinem, avaritiam, & exercitas in cives rapinas. Quæ si non vera quippe ab inimicis dicta, ex vero tamen multum traxisse non immeritò credere queas, Tob. Pfannerus *Systhem. Theol. Gentil. purioris cap.* 22. §. 33.

Ciceroniana Villa, apud Æl. Spartianum *in Hadriano Cæs. Adrianus Bajas petiit, Antonino ad imperandum Romæ relicto. Ubi — periit — Invisusque omnibus sepultus est in Ciceroniana villa Puteolis.* V. *Ciceronis Villa*.

Cichorium, Græcè κιχώριον, herba Ægyptia, ut & nomen; Planta quidem agrestis est & sponte proveniens, sed quæ satu quoque mitigetur: cujus cùm plures sint species, ut videre est apud Plinium *lib.* 19. *cap.* 8 quod Græcis est κιχώριον, Latinis *Intybum erraticum* dicitur, item *Ambubeia*, qua de voce diximus suprà. V. Salmasium *ad Solinum pag.* 829. Patet autem *Cichoreum* multis usibus, miraculo pollet: *radicem habet longam & amaram, consurgit caulis in multos ramulos cavos, itidem disparatos, ad folia minuscula; adnascuntur plurimi noduli, virides per extrema, ex quibus erumpit flos elegantissimus cærulei coloris: ubi flos decidit, maturescit semen in rotunda viridique fistula. Ea ipsi natura, ut per universam æstatem, usque ad autumnum, floreat, exoletis deciduis, novis succedentibus, perpetuâ nodulorum sobole. Mirum, florem salutare Solem orientem adversâ facie, seque convertendo & respectare, tanquam cum mœrore, occiduum; ita tamen, ut caliculum floris ad orientem Solem conversus, dilatet paulatim labia & cum Sole ascendente attollat, unde ad Meridiem erigitur tanquam triumphum gratulans; sed ad vesperam vergenti inclinatur paulatim vertice, contrahuntur extima, ut evanido Sole concludantur, donec ex altero orbe ad nos redeat Sol & radio aliquo gratiosè blandiatur denuo. Illud verò summum, etiam cælo nubilo, eandem spectari amicitiam, a qua usque quovis tempore cursus Solis & perinde hora diei observari possint. Altera species florem fert hyacinthinum, altera candidum.* Auctor Anonymus *Sinæ & Europa cap* 33. De usu verò Medico Magicoque V. Plinium *ubi supra*.

Cici, vel Ricinus, Hebr. *Cicajon*, inter herbas Ægypto peculiares Plinio, unde oleum ad lucernas confectum dicit *lib.* 15 *cap.* de oleo factitio: *Proximum fit & è cici arbore in Ægypto copiosa: aliis Crotonem, aliis Sili, aliis Sesamum agreste appellantibus: Quæ non pridem & in Hispania repente provenit. In aliis tamen locis sponte proveniebat: in Ægypto verò etiam serebatur.* Σέσελι Κύπριον antiquissimi Græci vocabant, h. e. *Seseli Cyprium*: Σιλλικύπριον, una voce Herodotus *lib.* 2. ubi oleo inde facto Ægyptios innugere se consuevisse, narrat. Idem apud Assyrios arborescere hanc plantam tradit, ex soli bonitate. Et revera arboreus frutex est, Plinio arbor oleæ magnitudine, in Hispania hodieque arbor est. Dioscoridi δένδρον μικρὸν ... *mediocris ficus magnitudinem habens* &c. cujus proin umbrâ Jonam recreatum fuisse, legimus in Propheria ejus *cap.* 4. *vers.* 6. V. Salmasium *ad Solinum pag.* 977. & 1002.

Cicindela, vel Noctiluca, Aristoteli πυγολαμπὰς & λαμπυρίς. *Hist. Animal. lib.* 4. *cap.* 1. quòd cauda illius noctu tàm luceat, quàm si facem haberet tergo innexam. Unde Plinius *lib.* 11. *cap.* 28. *Lucentes ignium modo noctu, lateris & clunium colore lampyrides.* Pulvere vescitur, quo tamen nunquam saturatur, ideò solùm, quòd timet, ne deficiat terræ pulvis atque illa fame pereat, ut de hoc animalculo scribit *Algiahis* Arabs, apud Bochartum *Hierozoici parte prior. lib. I. cap.* 4. &c. Inde id nominis tributum lychno, cujus

> —— *vitreâ natat ignis in unda*,

... Fortunatus loquitur *de Vita* S. Martini *lib.* 4. apud Car. du Fresne *Glossar.*

Ciconia, Thessalis olim magno in honore. Plin. *lib.* 10. *cap.* 23. *Honos* ... *serpentum exitio tantus, ut in Thessalia capitale fuerit occidisse; eademque legibus pœna, quæ in homicidam.* Unde factum, ut *Ciconias* Thessalis pro Numine fuisse cultas, scripserit Clemens Alexandr. *Protrept.* Similiter inter Ægyptiorum Deos hanc avem fuisse, sunt qui ex Luciano *in Deor. Concil.* colligant: qui error inde ortus, quòd Obsopœus, Luciani interpres, vocem *ibin*, *Ciconiam* reddidit: quia ibis & ciconia serpentibus pascantur, hinc utramque avem confundens. Apud Romanos primus mensæ adhibuit Sempronius Rufus, vir Prætorius: de quo Horatius Flaccus *lib.* 2. *Satyrâ* 2.

> *Tutus erat rhombus, tutoque* Ciconia *nido*
> *Donec vos auctor docuit Prætorius.*

Quem ad locum vetus Interpres hoc in Rufum Epigramma esse factum memorat, cùm repulsam tulisset Candidatus:

> *Ciconiarum Rufus iste conditor,*
> *Hic est duobus elegantior Plancis.*
> *Suffragiorum puncta non tulit septem,*
> *Ciconiarum populus ultus est mortem.*

Consulatum nempe ambiit, cum vir Prætorius esset: ut enim Ædilitatem curulem Prætura, sic Præturam sequebatur Consulatus. Unde videmus, cur Apiciis, Hortensiis, & similibus lurconibus Rufos addat Tertullianus *de Pallio cap.* 5. uti observavit Salmasius. De eadem ave sic Plinius *lib.* 10. *cap.* 23. *Cornelius Nepos, qui Divi Augusti Principatu obiit, cùm scriberet, turdos paulò antè cœptos saginari, addidit, Ciconias magis placere, quam grues: cùm hæc nunc ales inter primas expetatur, illam nemo velit attigisse.* E quibus liquet, quantopere etiam pro temporibus varient judicia hominum in iis, quæ rem attinent cibariam. Quippe hic videmus, Corn. Nepotis ætate, in pretio fuisse *ciconias*: vixit autem ille Attico, Ciceroni, Catullo, amicissimus. At hinc usque ad imperium Vespasiani, sub quo Plinius inclaruit, anni sunt 120 quo planè cibus is despectui erat. Quod si grandiusculum videtur intervallum, quid de eo statuendum, quod una cum homine, judicium de alicujus sapore & nascitur & denascitur? Neque hoc solum in alitibus, sed quadrupedibus etiam, ac piscibus, usu venit. Sic *pullos asinarum epulari Mæcenas instituit, multum eo tempore prælatos onagris: post eum interiit auctoritas saporis*, apud Plinium *lib.* 8. *cap.* 43. Et cum Romæ Hadrianus Pontifex merluccia pisce caperetur, qui saporis non boni, eoque pretii vilis habebatur: multi judicium hoc sequuti sunt, ut is piscis mox supra mediocre pretium divenderetur, ridente piscario foro, Paul. Jovius *libro de piscibus Rom.* &c. V. Vossium *de Idololatr. lib* 3 *cap.* 93. Cæterum *Ciconia* inter migratorias aves est, ut notum Petronius ex Public.

> *Avis exul hyemis, titulus tepidi temporis.*

De qua migratione sic Gaspar Heldelinus, *Idibus Augusti ciconiæ — iter laboriosum illud permeante Luna aggrediuntur. Priusquam verò mare trajiciant, omnes, quas quidem nostri agri emisere, Albesim Galliæ flumen, non ita procul à Sextiis Aquis, vel in aliis plagis, Sestianis aris congregantur. Illic habitis inter se publicis conciliabulis commorantur, exercitum instruunt. — Cæterùm abituræ Aquilonis eundem flatum prudenter exspectant, qui simul atque pronior incidit, seu lege prædictâ die, abitum maturant.* Et Bellonius: *Cum circa Abydum essem, 24. d. Augusti ingentem ciconiarum vim conspexi — Volabant illæ à Russia & Tartaria, & Hellespontum agmine decussatis transversum trajiciebant. Et cùm supra Tenedum essem, longè per anfractus tractu se convertebant, donec in circulum omnes colligerentur. Inde principio quidem longiùs à faucibus Propontidis pergerent, in minores aliquot turmas supra 20. se distribuebant, & se invicem ... Meridiem sequebantur: At, quonam è loco veniant, aut quò se referant, incompertum adhuc est*, Plin. *Histor. lib.* 10 *cap.* 23. *neque satis constat, unde veniant, & quò revertantur: quidam ex Lycia volare aiunt, alii ex Æthiopia*, Oppian. in *Ixeut.* Quod posterius confirmari potest, ex historia Gesnero indigitata: apud quem Gobletus refert, Vesaliæ ciconiam quotannis in eadem domo nidificare solitam, postquam hominis clementiam per multos annos experta esset, è consueta migratione sub Veris tempus redeuntem, visam zingiberis radicem, tanquam pro xenio ad ejus pedes gratulabundum projecisse. Nam in Æthiopia, vel, quod idem, Arabia Troglodytica, ut plurimum crescit zingiber, Dioscorides *lib.* 1. Plinius *lib.* 12. *cap.* 7. Galenus *Simplic. lib.* 6. Quamvis fatendum, varia Indiæ loca, Malabariam, Bengalam, *Bobui, Becain*, idem aromatis genus proferre. Quod & de Arabiæ Fel. terra *Oman*, legitur apud Abuchanipham Scriptorem Arabem laudatum Bocharto *Hierozoici Part. poster. lib. II. cap.* 29. V. quoque Auctorem *Sina & Europ. cap.* 48.

Ciconia, genus sannæ, apud Persium: quum *ciconiæ* collum manibus fingebatur. Salmasius *ad Tertullianum de Pallio.*

Ciconia, locus Galliæ, in Lingonibus, pertinens ad pagum Ternodorensem, Vulgò *Chichée en Tonnerrois*. Valesius in *Ternodorum.*

In *Ciconiam* versus planus quidam, sub M. Antonino Philos. apud Capitolinum: *Tanta clementia fuit — ut plano cuidam, qui, diripiendæ urbis occasionem cum quibusdam consciis requirens, de caprifici arbore in Campo Martio concionabundus, ignem de cælo lapsurum, finemque mundi affore, diceret, si ipse lapsus ex arbore in ciconiam verteretur: quum statuto tempore decidisset, atque ex sinu ciconiam emisisset, perductis ad se atque confesso veniam daret.*

Cicuratores, qui belluas cicures reddunt, *domitores ferarum* dicuntur Senecæ, de quibus is sic *Epist.* 85. *Certè sunt domitores ferarum, qui sævissima animalia & ad occursum exterrentia hominem docent pati jugum,*

jugum, nec asperitatem excussisse contenti, usque in contubernium mitigare. Leonibus Magister manum inserit, osculatur Tigrim suus custos, Elephantum minimus Æthiops jubet subsidere in genua & ambulare per funem. Sic sapiens est artifex domandi mala. Ad cujusmodi officium quo sidere apti nascantur, canit Manilius *lib.* 4.

At quibus in bifero Centauri corpore sors est
Nascendi concessa, libet subjungere currus,
Quadrupedum omne genus positis domitare Magistris,
Exorare tigres, rabiemq; auferre leoni,
Cumq; elephante loqui, tantamq; aptare loquendo
Artibus humanis varia ad spectacula molem.

Idem *lib.* 5.

Non inimica feræ genitus sub sidere tali
Ora feret, placidas reget in commercia gentes.
Ille manu vastos poterit frænare leones,
Et palpare lupos, pantheris ludere captis,
Nec fugiet validas cognati sideris ursas,
Inq; artes hominum perversaq; munera ducet.
Ille elefanta premet dorso, stimulisq; movebit
Turpiter in tanto cedentem pondere cunctis,
Ille tigrim rabie solvet, paciq; domabit,
Quaq; alia infestant silvis animalia terras
Junget amicitia secum, catulosq; sagaces.

V. quoq; Statium *Thebaid. lib.* 5. *versu* 231. & infra, in voce *Mansuetarii.* Usus eorum præcipuus in triumphis Romanorum, postquam illi sequiori ævo elephantes, leones, tigres, rhinocerotes, currui jungere, gloriæ duxerunt, ut videre est ubi de *Triumpho.*

Cicuta, Latinis quælibet canna, intus concava & inanis; unde apud Poëtas *Cicutæ*, pro calamis vel cannis, quibus fistulant pastores. Virgilius:

Est mihi disparibus septem compacta cicutis
Fistula ——

Nempe cùm antiquitus *μόναυλος*, h. e. singularis tibia inflaretur, Marsyas, an Pan? fistulam invenit, ex pluribus calamis compactam, qui quòd cerâ jungerentur, *κηρόδετος σύριγξ* inde nomen adepta est. Propriè verò *Cicuta*, Græcè *κώνειον*, herba venenata notissima est, cujus famam magnopere auxerunt Athenienses, Philosophorum non contemtores modò, sed & hostes: qui, succo ejus ad mortem in publicis judiciis utentes, Socratem inter alios, illius haustu è medio sustulerunt. Alioquin indigna herba, quæ in omnium Poëtarum carminibus & Sapientum commentariis, inveniretur, ut scribit Jo. Bauhinus *Historiæ Plantar. Univers. Tom. III. lib.* 27. *cap.* 74 apud Jo. Jac. Wepferum *de Cicutæ Aquat. Histor. & Noxis cap.* 2. Sed & præter hanc, aliam *Cicutam*, herbam catharticam, vulgò sic appellatam, occurrere docet Salmasius, apud Horatium,

Quæ poterunt unquam satis expurgare cicutæ?

Et ex eo Persium,

—— *Calido sub pectore mascula bilis*
Intumuit, quam non extinxerit urna cicutæ:

Lathyridem hoc nomine intelligens, quæ caulem habet ferulaceum & concavum inanemque, unde ei *cicutæ* nomen datum. V. eum *Exercitat. Plin. ad Solinum pag.* 1054.

Cicynna, adde: Ibi festum olim solenne in Apollinis honorem. Hinc *Κικυννεὺς*, qui ex hac demo erat oriundus. *Inscr.* vetus,

ΛΥΣΙΚΡΑΤΗΣ ΛΥΣΙΘΕΙΔΟΥ ΚΙΚΥΝΝΕΥΣ ΕΧΟΡΗΓΕΙ
ΑΚΑΜΑΝΘΙΣ ΠΑΙΔΩΝ ΕΝΙΚΑ ΘΕΩΝ ΗΥΛΕΙ
ΛΥΣΙΑΔΗΣ ΑΘΗΝΑΙΟΣ ΕΔΙΔΑΣΚΕ ΕΥΑΙΝΕΤΟΣ ΗΡΧΕ.

LYSICRATES LYSITHIDIS FIL. CICYNNENSIS CHORAGUS ERAT.
ACAMANTHIS JUVENTUS VICIT THEO TIBIA CECINIT
LYSIADES ATHENIENSIS RECITAVIT EVÆNETUS ERAT ARCHON.

apud Jac. Sponium *Itiner. Græciæ Part.* 3. in hac voce.

Cid, vox Arabica, *Dominus*, quâ celeberrimum illum Hispanicum Ducem Rodericum Diazium donarunt Saraceni, ob præclaram virtutem bellicam animiq; magnitudinem. Vetus *Epitaphium* apud Brizium Martinezium, *Histor. Pinnatensis lib.* 1. *cap.* 46.

In hac tumba requiescit Domna Eximina,
Cujus fama pranitescit, Hispaniæ limina,
Regis Sanctii fuit nata, felicemq; me fecit:
Roderico copulata, gentes quem vocabant Cid.
Hæc in era millesima fuit hic tumulata,
Centum & sexagesima fuit attracta & balsamata,
Martii Nonas sepulta, maneat cum gaudio,
Bona quia fecit multa præsenti cœnobio &c.

apud Car. du Fresne in *Glossar.* Item titulus Comœdiæ Gallicæ, à Cornelio compositæ, quæ in Theatro tricies exhibita nunquam displicuit. *Histoire de l' Academ. Franc.*

Cidæ, seu *Kidæ*, Græcè *Κυδαί*, demus Atheniensis, ad Erechtheidem Tribum pertinens, cujus mentio in vet. marmore, XIII. Tribuum Atheniensium memoriam servante, apud Jac. Sponium, ubi ΕΚ ΚΗ exponit ΕΚ ΚΗΔΩΝ, ex Demosthene *Orat. in Evergum*, Πυθόδηλος ἐκ Κυδῶν. V. eum *Itinerar. Græciæ Part* 3. *ubi de* 174. *Demis Atheniensium.*

Cidaris, idem fuisse, quod *Diadema*, censetur Budæo in *Pandectis* & Pancirolo *Variar. lib.* 1. *cap.* 9. At vix nisi nomine à *tiara* discrepasse, notat Alexander Neapolit. *Genial. dier. lib.* 1 *cap.* 28. quod confirmatur ex Curtio *lib.* 3. qui tegmen Regum Persicorum *Cidarim* appellat. Agathias quoque *lib* 4. regium Persarum pileum promiscuè, nunc *tiaram* nunc *Cidarim* nominat, agens de Artaxerxe: quemadmodum de Varane, in utero adhuc latente, impositam fuisse *Cidarim*, i. *tiaram rectam*, ait Idem. Genus itaq; erat pilei, è pilis contexti, Pollux *lib.* 10. *cap.* 36. usique hoc capitis tegmine sunt Reges Armeniorum & Ponti, Reges Ægypti ac Æthiopiæ: nec dissonat Diod. Siculus, horum pileum dicens fuisse oblongum, aspidibus circumvolutum; nihil quippe vetat, *Cidarim* oblongum pileum dicere. V. Anselm. Solerium *de Pileo sect.* 9. De eodem gestamine sic Paschalius, *Quam Persæ Tiaram, Armenii vocabant* Cidarim, *sive, ut ex Herodoto scribit Pollux, Kirbasiam, & Kitarin, i. diadema Regibus Armeniæ peculiare, nec ferè nisi nomine distinctum à tiara. Quanquam hoc quoq; nomine fuit diadema aliorum quorundam Regum, velut Mithridatis Regis Ponti* &c. V. eum *Coronarum lib.* 10. *cap* 3. Apud Hebræos Pontificii capitis tegmen sacrum, *Cidaris* nomine (quo & Sacerdotum) designans B. Hieronymus *Epistol. ad Fabiolam* illud sic describit: *Rotundum pileolum, quale pictum in Ulysse conspicimus, quasi sphæra media sit divisa & pars una ponatur in capite, hoc Græci & Nostri tiaram, nonnulli galerum vocant, Hebræi Miznephsth: Non habet acumen in summo, nec totum usq; ad comam caput tegit, sed etiam partem à fronte inopertam relinquit: atq; ita in occipitio vitta constrictum est, ut non facilè labatur ex capite. Est autem byssinum & sic fabrè opertum linteolo, ut nulla acus vestigia appareant.* V. quoque Josephum *Antiqq lib.* 3. *cap.* 8. qui, quid *Cidaris* Pontificia supra Sacerdotalem haberet, ostendens sic ait: *Pileo, quali cæteri Sacerdotes utebantur: super quem extabat alius consutilis, ex hyacintho variatus. Hunc aurea corona triplici ordine circumdabat, in qua spectabantur calyculi aurei, quales videmus in herba, quæ Græcis hyoscyamus,* (quam herbam prolixè describens, addit:) *Ejusmodi corona ab occipitio circum tempora utraq; procedebat: nam frontem isti calyculi non ambiebant; sed, seu iorum quoddam latum aureum, quod sacris characteribus Dei nomen incisum habebat.* Ubi videtur Josephus coronulas soli Pontificiæ cidari adscribere: Lyranus verò *in Exodi cap.* 39. in Sacerdotali quoque agnoscit; non quidem aureas, quales erant Pontificiæ, sed byssinas &c. Hodiernorum Pontificum *Cidaris* triplicem continet coronam, supra simplicem Episcoporum inferiorum mitram: inventum, ut plerisque visum, Bonifacii VIII. de quo pluribus agit Anton. Mazaronius *de tribus Pontif. Coron.* & Car. Paschalius uti suprà *lib.* 9. *cap.* 14. & *lib.* 4. *cap.* 21. Fuisse tamen hoc gestamen antiquius, & à Paulo II. postquam jam exolevisset, revocatum, contendit Jacobus Cardinalis Papiensis *Comm. de rebus Pauli II. lib.* 2. V. paulò antè laudatum Anselm. Solerium *lib. eod sect.* 12. & 13. Sed & *Cidaris*, Græcè *Κίδαρις*, nomen saltationis Arcadibus olim usitatæ, de qua V. Jul. Cæs. Scaligerum *Poetic. lib.* 1. *cap* 18.

Cie, gummi seu gluten celebre, quod apud Sinenses in prov. *Chekiang*, sub urbe *Nienchen* plurimum colligitur. Stillat ex arboribus persimile lachrymæ terebinthi, colligitur per æstatem purgaturq; ab incolis, &, quo volunt, inficitur colore: optimum aureo flavescit, proximum nigerrimum. Cùm nondum siccatum est, venenatam quandam dimittit exhalationem, cui non adsueti intumescunt ac pallent vultu, sed facilis est curatio. Eo cùm tinguntur arculæ, tardiùs siccatur, nisi in humido sit loco; semel autem exsiccatum ampliùs liquefit nunquam. Quàm verò res sit elegans, munda ac splendida, jam pridem didicit Europa ex capsulis, quæ è Japonia & ipsa Sina plurimæ advehuntur. Auctor Anonymus *Sina & Europa cap.* 34.

Cilicium, adde: Ad vocis etymon respiciunt *Glossæ* Basil. *Κιλίκια ἱμάτια ἀπὸ Κιλικίας φασίν· ἐκεῖ γὰρ ἐν ὑπερέχουσι οἱ τοιοῦτοι τράγοι, ὅθεν καὶ τὰ ἐκ τραγῶν συνθέματα Κιλίκια λέγει*, (*Cilicia hirci sunt è Cilicia villosi: ibi enim istiusmodi hircorum eximia vis est; unde & quæ è pilis contexuntur*, Cilicia *vocantur.* Nempe, ut dictum, de pilis caprarum istiusmodi velamenta fiebant. Hesychius, *τὰ ἐξ αἰγείων τραχῶν συνυφάσματα κιλίκια.* Unde patet Servium cum centonibus malè *cilicia* confundere; Cùm ait, *de ciliciis paliuntur lorica & teguntur tabulata turrium, ne jactis facibus ignis possit adhærere.* Centonibus enim, qui ex lana erant coacta, neque ferro tel- lùm, sed & igni, resistebant, id fiebat. At *cilicia* laxè suspensa obtendebantur ad telorum jactum. Sisenna apud Nonium, *Puppes aceto madefactis centonibus integuntur, quos supra perpetua classis cilicia obtenduntur*; adde, *& laxè suspensa*: Ita enim non firmitate solùm sua, sed & laxitate, adversum tela valebant, quia molliter exceptum eorum jactum reddebant inutilem. Sed & ad facienda tentoria aliquem *Ciliciorum* fuisse usum, apud Scenitas Arabes, ex Plinio discimus. Porrò nautæ tunicas ex *ciliciis* induebant: Unde Virgilius,

—— —— *Setasq; comantes*
Castrorum in morem & miseris velamina nautis &c.

V. Salmasium *Exercitation. Plin. ad Solinum pag.* 488. 489. Savaronem *ad Sidonium Apollinarem lib.* 4. *Epist.* 24. & Hæstenium Paulinus *lib.* 2. *de vita Martini*, de *Cilicio* Monachorum sic canit:

Qui-

Quin & contexto setis coopertus amictu
Excisa assiduo compunxit acumine membra,
Ut tereret teneram vestis nimis aspera pellem
Et cutis externis stimulis attacta paveret;

apud du Fresne *Glossar.* ubi addit, Græcos recentiores centones ac feltra, quibus machinas suas tegebant, quò ab igne Græco tutæ essent, Κιλίκια quoque & Κιλίκια appellitasse, ex Procopio *Persicorum lib. 2. cap. 26.* & *Tacticis* Leonis passim. Nec omittendum, Massalianos olim Hæreticos, Synodo Oecum. III Ephesina damnatos, *Cilicium* palàm affectasse: quam illorum hypocrisin arguens Epiphanius *Hær.* 80. Ἔδει δὲ, ait, [illegible] *Oportebat autem sanctæ Virginis Matris nostræ Ecclesiæ liberos esse honestos, domum servantes, Deoq; qui abdita novit, & palàm præmia reddit, uti scriptum est, in abdito servientes: idq; decenter propter externos; adeò ut nullam ab intuentibus mercedem aut gratiam exspectarent. Est enim alienum à Catholica Ecclesia,* Cilicium *palàm præ se ferre.* Certè & Cassianus *Institution. lib. 1. cap. 1.* sapere superbiam & nullum corpori afferre emolumentum, impedire item laborantem, neq; suo tempore in usu fuisse, nisi apud paucos, refert &c. V. Forbesium *Institutionum Historico Theologic. lib. II. cap. 8. §. 6.*

Cilix, adde: Ita Solinus *cap. 38.* *A Cilice nomen trahit* (Cilicia) *quam ætas pristina penè ultra ævum memoriæ abscondit. Hunc Phœnice ortum, qui antiquior Jove de primis terræ alumnis habetur.* Herodotus verò Agenoris filium facit, ubi de Phœnicibus, Οὗτοι δὲ τὸ παλαιὸν Ὑπαχαιοὶ ἐκαλέοντο, ἐπὶ δὲ Κίλικος τοῦ Ἀγήνορος ἀνδρὸς Φοίνικος ἔσχον τὴν ἐπωνυμίην: sic fuerit is Cadmi. Phœnicisq; frater. Nec defuere, qui Neptuno eum genitum dicerent, inter quos Pherecydes. Unde vetus Auctor, cùm Agenor filios ad Europam quærendam misisset, unà cum his ad ejus investigationem exiisse Telephassam matrem ad sit, [illegible] *ut* [illegible] Κίλικα, *& Thasum filium Neptuni, vel, ut Pherecydes, Cilicem.* Pro Phœnice tamen stat Scholiastes quoque Apollonii: [illegible] *Ex Cassiepea Arabi filia nascitur Phœnici Cilix, & Phineus, & Doryclus; Atymnius verò, nomine quidem & ipse Phœnicis fuit filius, reverà autem Jovis.* V. Salmasium *ad Solin. p. 772.*

Cilo, apud Æl. Spartianum *in Antonino Caracalla, Alterà die Capitolium petiit & eos, quos occidere parabat, affabiliter est allocutus, innixusq; Papiniano &* Ciloni *ad Palatium rediit.* Ubi alii *Chilo* legunt: sed veram lectionem confirmant Dio & A. Victor.

Cimeliarcha, in *Collatione* factâ CP. sub Juliano, *Vir venerabilis Eusebius Presbyter &* Cimiliarcha *sanctissimæ majoris Ecclesiæ*: Κειμηλιάρχης, *in l. fin. C. de Bon. auctor. judic. poss. d.* & *Nov. 40.* Κειμηλιοφύλαξ, in Concil. Chalcedon. *Act. 10.* Thesauri & Cimeliorum, h. e. vasorum donariorumq; Ecclesiæ custos est. Sic in Metropolitana Ecclesia Mediolanensi, *Cimeliarchæ* meminit Corius *ad A. C. 1172.* Et *Cimeliarcham* Neapolitanæ Ecclesiæ, in celebrationibus divinorum officiorum ac in Processionibus, baculum ferre, dicitur in *Sac. Congr. Rit. 19. Januarii A. C. 1619.* Hinc *Cimeliarchium* locus ubi Κειμήλια reponuntur, Κειμηλιαρχεῖον in *Epist. 2.* Gregorii II. ad Leonem Isaurum in *Syn. VIII.* κειμηλιοφυλακεῖον, in *Nov. 70. cap. 4.* &c. A voce Græca κειμήλιον, quod in genere notat τὸ ἀπόθετον χρῆμα, *rem in futurum reconditam.* Homerus *Iliad. ζ.*

Πολλὰ δ᾽ ἐν ἀφνειοῦ πατρὸς κειμήλια κεῖται,
Χαλκός τε, χρυσός τε, πολύκμητός τε σίδηρος.
Multa in opulenti Patris (ædibus) *cimelia recondita jacent,*
Tum æs, tum aurum, tum elaboratum multâ arte ferrum.

In specie, *thesaurum & vasa Ecclesiæ*, uti dictum. V. Macros Fratres in voce *Cimelia*. Apud Vett. *Cimeliarchium* nonnullis dicitur Aurum Vicesimarium, i. e. vicesima redituum Reip. pars, quam ad ultimos casus in penitiori ædis Saturno sacræ recessu, tanquam tutiori munitiorique loco, Romani asservabant: quod ipsum *Ærarii sanctioris* nomine insignitum est. V. Cœl. Rhodiginum *Antiqq. Lect. lib. 1. cap. 9.*

Cimilive, apud Honorium III. Pontif. Rom. *in 5. Compil. lib. 5. tit. 19. cap. 1. & cap. 29. de Verb. signific.* vas est, in quo Sacerdos sacra faciens manus abluit, quoque postmodum uti solent Diaconi aut Subdiaconi, eidem inservientes, ad excipiendas oblationes, quæ inter Missæ solennia offeruntur, dum patena præbetur populo oscula nda. Contractum ex *Aquamanile*. Car. du Fresne *Gloss.*

Cimolus, adde: Hinc *smectris*, eadem terra Plinio *lib. 37. cap. 10.* *Galactites, ex vino colore lactis est. Eandem dicunt leucam & leucogæam & leucographidem, & smectridem, tritam lactis succo & sapore mirabilem.* Uti legit Salmasius. Dicta autem sic est, quòd eâ utebantur ad dealbanda ac pumicanda indumenta; cui eidē usui *Cimolia terra* inserviebat. V. cum *Exercitat. Plin. ad Solinum pag. 137.* & infrà ubi de lapide *Galaxia* & *Morochtho*.

Cinædologia, species erat Mimicæ Veterum Poëseos, in qua *Cinædorum* mores exprimebantur ac repræsentabantur: continebat enim, ut Suidas habet, [illegible] Et quidem Sotadem primum auspicatum esse τὸ κιναιδολογεῖν tradit Strabo, & post eum Alexander Ætolus, pedesti uterque sermone. Idem de Sotade, ἔγραψε Φλύακας, ἤτοι κιναίδους. Post eos Lysis & Simus etiam carmine, unde Σιμῳδοὶ & Λυσιῳδοὶ dicti, de quibus Athenæus *lib. 14.* Simodi etiam Ἱλαρῳδοὶ & Φλυακογράφοι dicebantur, sicut Lysiodi iidem cum Magodis erant. Erat autem Ἱλαρῳδία minus gravis ac severa, quàm Tragœdia: sicut Μαγῳδία lascivior obscœniorque, quàm Comœdia, uti Aristoxenus memorat apud eundem. Hujus enim argumenta, aliquando mulier, mœchi & lenones: aliquando vir temulentus ad amicam comissatum vadens, quæ omnia turpius obscœniusq; repræsentabat, quàm Comœdia. Quemadmodum eadem mimorum Latinorum argumenta, adulteria, lenocinia, perpotationes & similia. Sed & multa Κιναιδολογία in mimis virilibus & muliebribus &c. V. Salmasium *ad Solinum pag. 108.* & *109.* ut & hic passim.

Cinæthus, Homeri carmina primus conventibus publicis recitavit: perperam enim tradunt nonnulli, Demetrium Phalereum primum dedisse eos, quos Homeristas cognominarunt; cùm *Homeridarum* appellationem etiam apud Pindarum legamus. Appellati autem sunt Ὁμηρίδαι, sive ab officio, sive, ut aliqui voluere, quòd ex ejus familia illius cantum tanquam hæredes circumferrent. Jul. Cæs. Scaliger *Poëtic. lib. 1. cap. 41.* V. quoque infrà ubi de *Homeridis* & *Rhapsodis*.

Cinara, apud Columellam,

Horrida ponatur Cinara:

ex Græco Κινάρα, Latinis *Carduus*, Siculis olim *cactus* est, quem *articactum* hodie Galli vocant, *Artichaut*. Athenæus *lib. 11.* [illegible] Sub finem addit, [illegible] Refert ibidem verba Ptolomæi Evergetis, qui Aristarchi discipulus fuit, ubi & κινάρας nominavit. Aliud est κυνάρα; seu κυνάρα ἄκανθα, cujus vett. Poëtæ aliiq; Scriptores meminere. Inter quos Sophocles,

Κύναρος ἄκανθα πάντα πλήθει γύην.

Aut enim carduum agrestem hoc nomine appellarunt; de quo Virgilius,

——— *segnisq; horreret in arvis*
Carduus.

Aut cynosbaton, sive sentem caninam. Salmasius *ad Solinum pag. 223. 226.* & *228.* V. quoque suprà, ubi de *Articacto* & *Carduo* eduli seu hortensi.

Cincia Lex, cujus auctor M. Cincius Tr. Pl. M. Cornelio Cethego, P. Sempronio Tuditano Coss. an. U. C. ICLIX. fuit: *Ne quis ob causam orandam donum, munusq; caperet*, Liv. *lib. 34.* Tacitus *Annal. lib. 11.* Cic. *ad Atticum lib. 1.* &c. Eam Festus *Muneralem* à Plauto vocari scribit, his versibus:

Neq; muneralem legem, neq; lenoniam,
Rogata fuerit nec ne, flocci æstimo

Cincinni, crines intorti sunt, quorum non exigua apud Romanos cura, teneriori inprimis sexui, fuit. Cùm enim *habitus fœminæ*, ut ait Tertullianus *de Hab. mul. duplicem speciem circumferret, cultum & ornatum*: ille in vestibus, iste in capilli & cutis cura consistebat. Et quidem capillorum cura, quæ iis fuit præcipua, non in structura solùm erat, de qua suprà, ubi de *Capillis*, sed & in colore & *cincinnis*: à quorum studio *Cinerarii* ministri appellati sunt. Varro *de L. L. lib. 4.* *Calamistri, quòd his calefactis in cinere capillus ornatur: qui ea ministrabat, à cinere Cinerarius est appellatus.* Meminit & Seneca *de Const. Sapient. cap. 14.* *Quidam se à Cinerario impulsos molestè ferunt, & contumeliam vocant. Ostiarii difficultatem, Nomenclatoris superbiam, Cubicularii supercilium.* Acron eleganter *lib. 1. Sat. 2.* *Cinifiones & Cinerarii eadem significatione apud Veteres habebantur, ab officio Calamistrorum, id est, verutū in cinere calefaciendorum, quibus Matronæ capillos crispabant.* Cujus rei & Virgilius facit mentionem *Æn. lib. 12. versu 100.*

Vibratos calido ferro ———

Porro Servius *ad h. l.* cùm ait: *Crispatos calamistro, nam calamistrum est acus major, quæ calefacta & adhibita intorquet capillos.* Idem *in eundem libr.* *Etiam ille pulvis, quo utuntur puellæ, cinis vocatur: unde etiam Cinifiones.* Horatius *Sermon. lib. 1. Sat. 2.*

Custodes, Lectica, Cinifiones, Parasitæ.

Calamistros autem σιδηρᾶ ὄργανα, *ferrea instrumenta*, videtur appellare Lucianus *Amor.* quibus modicè calefactis *Cincinni* excitabantur. Ovidius *Amorum lib. 1. Eleg. 14.*

Quàm se præbuerat ferro patienter & igni,
Ut fieret torto nexilis orbe sinus &c.

Et sanè calamistrum, aciem ferream interpretatur non semel Isidorus *Origin. lib. 10. & 20.* præter quam usui erant & minores acus, quibus sustinebantur & figebantur capilli: unde *crinalis acus* memorata Prudentio *Psychom.* Appulejo *Metam. lib. 8.* & Ovidio *de Arte passim.* Ejusdem ministerii instrumenta erant. Discerniculum, Pecten, Speculum. V. Laur. Pignorium *Comm. de Servis.* Transiit etiam hic luxus ad fortiorem sexum, unde *in capillorum*

concinnatores invehitur Columella *Praefat. lib.* I. *Structores capillaturae*, vocat Tertullianus: agitq; de iisdem Manilius, & Juvenalis. Nec ignotus est Othonis galericulus, apud Suetonium *cap.* 12. Imò & Clemens Romanus *lib.* I. *cap.* 4. non licere scribit Christiano, nutrire capillum & in unum complicare vel discerniculo discriminare, neque verò intortum calamistis crispare, vel flavum facere. Inprimis id Servius, *ad Æn.* 10. *illud*,

—— *comptos de more capillos*,

confirmat argumento personarum Tragicarum, *quae similes erant in utroq; sexu, quantum ad ornatum pertinet capitis*. Pignor. *ubi suprà*. V. quoque *infrà Crinis*.

Cincti, apud Publium Syrum,

Libido cinctos *etiam sub vultu domat*:

oppositi *discinctis*, qui fluxioris solutiorisq; vitae sunt, quique toto vultu & habitu libidinem & luxuriem profitentur; sunt qui modestiam & severitatem praeferunt. Sed multi sunt, dicere vult Publius, qui Curios simulant & *Cinctos* Cethegos, quos libido sub vultu & sub persona domat, quiq; intus sunt discincti nepotes. Ubi *vultus* est *πρόσωπον*, seu *persona*. Hinc *accincti lumbis*, in Sacris, quâ phrasi varia significantur. In comestione Agni Paschalis, manducantium habitus hic erat, ut lumbis essent succinctis, calceatis pedibus & cum baculo in manu, Exod. *cap.* 12. *versu* 11. Qui viatorum habitus erat in Oriente, eorumque, qui operosum aliquid moliuntur. Orientalium namque vestes, cùm longae & fluxae fuerint & plerumque discinctae, eas oportuit succingi, cùm vel ad iter se parabant, vel ad opus laboriosum, ne essent impedimento, V. 2. Regum *cap.* 4. *vers.* 29. & *cap.* 9. *vers.* 1. Jeremiae *cap.* 1. *versu* 17. Lucae *cap.* 12. *versu* 35. Joan. *cap.* 13. *versu* 4. &c. Unde Latini dixêre *aliquem ad iter*, vel *ad opus accingi*. Et Poëta summus *Æn. lib.* 7.

Accingunt omnes operi.

Neque rarò accipitur *accinctus*, pro homine industrio & expedito, qui Graecis *εὔζωνος ἀνὴρ*, & Hebr. חלוץ *Chalutz*, quia חלצים *Chalatsim* sunt lumbi, ubi cingulum. Sed & inter animalia, quae magnificè incedunt, Prov. *cap.* 30. *versu* 31. ponitur זרזיר מתנים *accinctus lumbis*, id est, equus, si Junio & Tremellio credimus: sive ita dicatur propter cingulam (Gall. *la sangle*) aut à consequenti, roboris nomine; quia jumenta lumbis adstricta firmiora sunt. Unde Martialis *lib.* 14. *Epigramm* 86.

Stragula succincti, venator, sume veredi.

Est autem *cingula* vox, in Ovidio *de Remedio Amor. lib.* 1. *vers.* 236.

Et nova velocem cingula laedat equum;

Zonam vocat Claudianus *Epigramm. de zona equi Arcadii*,

Hac uterum zonâ cinge frementis equi.

Quod ipsum est *baltheus*, in eodem *Epigramm.*

Stamine resplendens & mirâ textilis arte,
Balteus alipedis regia terga ligas.
Hoc latus astringi velox optaret Arion,
Hoc proprium velles cingere Castor equum.

Hebraei חבק vocant ab *amplectendo* & *cingendo* &c. E quibus patet, hominem *cinctum* eleganti tralatione Publio dici hominem non otio indulgentem aut ignavum, in quali libidines facillimè exoriuntur, sed *industrium*, & *ad iter opusq; suae vocationis* expeditum: item *fortem* & *firmum*, qui pravis suggestionibus magno animo resistat, & modestiae temperantiaeq; monitis sitientem aurem praebeat. Quò & illud facit, quòd inter vestes Sacerdotales V. T. nihil sanctius habitum fuerit *cingulo* vel baltheo: ut quo reliquae omnes vestes, aliàs fluxurae, continerentur & constringerentur, ut in officio suo nullam facerent Sacerdotibus moram, V. suprà in voce *Baltheus*, & plura hanc in rem apud Salmasium *ad Solinum p.* 655. & Sam. Bochartum *Hierozoici Part. prior. lib. II. cap.* 6. & 50. V. quoque infrà *Cinctus*.

Cinctius Severus, Africae Proconsul, memoratur Lampridio *in Commodo sub fin.* & Tertulliano *ad Scapulam*: jussu Severi Imp. quasi ipsum veneno appetisset, interfectus est. Æl. Spartianus, Cinctium Severum *calumniatus est, quòd se veneno appetisset atq; interfecit.*

Cinctorium, in *Glossis παραζώνιον*, à *cingendo*. Martialis, de parazonio,

Arma Tribunicium cingere digna latus.

παραζώνιον μάχαιραν Graeci exponunt, *gladiolum, pugionem*. Hinc apud Pomponium etiam, ubi de Neuris, *Mars omnium Deus, ei pro simulachris enses & tentoria dedicant, hominesq; pro victimis feriunt*. Salmasius pro *tentoria* reponit *tinctoria*, à sanguine, quo tinguntur; vel potiùs *Cinctoria*, h. e. sicas, quae accinguntur. Occurrit eadem vox, apud Plinium *lib.* 7. *cap.* 7. *Tu, cujus semper in Cinctorio mens est*; h. e. cujus mens in caedibus & gladiis semper versatur, qui nihil nisi cruentum ac crudele cogitas. Cui simili loquutione Terentius: *Jamdudum tibi animus est in patinis*. Et Aristophanes,

Τῷ χρῆ' ἐν Αἰτωλοῖς, ὁ νοῦς δ' ἐν Κλωπιδῶν.

V. Salmasium *ad Solinum pag.* 188.

Cinctum, subligaculum erat sive campestre, quod solas partes infra pectus velabat: Alii tamen illud non tantùm subligaculum dixere, sed vestem, quae ab umbilico ad pedes cadebat, qualis poparum vestis sive victimariorum in sacrificiis: quae & *Limus* dicebatur. Servius *ad illud Poëtae* 12. *Æn.*

—— *Alii fontemq; ignemq; ferebant,*
Ornati limo.

Limus, inquit, *vestis, quâ usq; ad pedes teguntur poparum pudenda*. Hygenus *de limit. agrorum*, limum *Cinctum* ideò dicit vocatum, quòd purpuram transversam habeat; habebat enim in extremo purpuream limam. Inde *succincti* popae, Sueton. *Calig.* Ovidius *Cinctum* & campestre idem facit, cùm *Lupercos cinctutos* vocat, quos nudos solo subligaculo incinctos discurrisse notum. Similiter Cethegi *cinctuti* dicti sunt, quòd cùm Romani antiquissimi solam togam sine tunica gestarent, illi severioris vitae ac cultus tenaces, sine tunica, nudisq; humero & brachio incedebant, loco tunicae *Cinctum* solùm gestantes, quem morem ad posteros quoque suos transmiserunt. A *Cincto* diminutiv. *Cincticulum*, cujus mentio fit in veste adolescentum, apud Plautum *Bacchid. act.* 3. *sc.* 3.

Inde de hippodromo & palaestra ubi revenisses domum,
Cincticulo praecinctus in sella apud Magistrum assideres,
Cùm librum legeres.

V. Octav. Ferrarium *de re Vestiar. lib.* 1. *cap.* 9. & hic infrà.

Cinctus, non Togae, sed Tunicae tantùm erat, apud Rom. Cùm enim Toga utrumque brachium, aut saltem sinistrum cohiberet, totumque corpus involveret, cingi nullâ aliâ ratione potuit, quin eâdem cincturâ aut utrumque aut saltem laevum brachium colligaretur: dein sinus togae nec in humerum contrahi, nec rejici revocariq; poterat, si cinctura impedimento fuisset. Solam igitur Tunicam cingebant omnes, praeter Laticlavios, & prout libebat, contrahebant aut demittebant. Ita militum omnium tunicae breviores & intra genua subductae; & apud Petronium *Stratores altius cincti*, i. agiles, expediti. Unde & Servius ad illud,

Illi se praedae accingunt,

Accinctos, inquit, *industrios dicimus: sicut contrà negligentes discinctos vocamus, ut*

—— *Discinctos Mulciber Afros.*

Magno scilicet probro habitum fuit, discinctum incessisse. Hinc Dio *lib.* 63. postquam multa Neronis infanda percensuit, adjecit: *Quibus ipsis in rebus ita faciebat contra jus fasq;, ὥστε καὶ ἀζώστους χιτῶνας, ut etiam tunicas discinctas publicè indueretur*. Cùm enim tunicarum sic solutarum ac discinctarum laxi ac ventosi essent sinus, ideò mollium & effoeminatorum habebantur. Quare Plut. *in Apophth.* tradit, Xerxem Babyloniis iratum, quòd defecissent, postquam illos redegerat ad obsequium, ne arma ferrent imperasse, sed canerent, lenocinia ac cauponas exercerent *καὶ φορεῖν καλπωτοὺς χιτῶνας*, & ut sinuosas tunicas, quales mulierum erant, gestarent. In ipso autem *Cinctu* elegantiam affectasse quosdam innuit Ovidius *de Arte lib* 3.

Nec coma vos fallat liquidâ nitidissima nardo,
Nec brevis in rugas cingula pressa suas.

Porrò cùm tunica cincta esset, in sinum pecuniam reconditam fuisse, docet Plut. *in Coriolano*, cùm ait: *Candidatos sine tunicis in forum descendere solitos, ne pecunias emendis suffragiis in sinu gestarent.* Caesaris *cinctura*, ob quam reprehenditur, tripliciter notabilis fuit, docente Salmasio *ad Hist. Aug.* Primò, quòd cùm caeteri tunicis non manicatis uterentur, & colobiis: Caesar lato clavo sive tunicâ laticlaviâ uteretur, ita ut orae manicarum fimbriatae essent, quod mulierum proprium. Deinde, quòd cùm caeteri laticlavii non cingerentur, ipse nihilominus tunicam laticlaviam cingeret. Tertium fuit, quòd laxiore cincturâ uteretur, sive ut Graeci dicunt, *χαῦνος ζωννύμενος* esset. V. Octav. Ferrarium *de re Vestiar. lib.* 1. *cap.* 13. & *lib.* 3. *cap.* 7.

Cinctus Gabinus fuit, cùm Togae lacinia laevo brachio subducta, in tergum rejiciebatur, ac retrahebatur ad pectus atque ita in nodum colligabatur, ut togam contraheret, & breviorem ac strictiorem redderet. Ejus origo haec: Cùm Toga longum ac redundans vestimentum esset, & ideò pugnae non accommodum, repentinâ, ut notat Servius, apud Gabios hostium incursione, cùm non esset tempus deponendi togas, ac sumendi chlamydes, subductam ac retro rejectam Togae laciniam hinc inde revocantes ad pectus, se eâ incinxerunt, sive succinxerunt: qui mos postea servatus in sacris, & cùm Consul Janum referaret, aut Imperator in bello praetextam sumeret, quae hoc ritu incingebatur, aut Praetor mappam Circensibus mitteret,: atque hoc habitu statua Lepido posita est. Itaq; hic Togae cinctus non communis aut civilis, sed militaris, cujus origo è militia & usus initio tantùm in militia fuit. Hoc sensu apud Plaut. *Coriolano*, Romani in acie *Togam praecingere*: & apud Appianum *in Punicis*, Scipio post devictum Annibalem spolia crematurus, *ἀναζωσάμενος* *accinctus* fuisse dicitur. Valerius quoq; Max. *lib* 2. *cap.* 7. de Titio cohortis praefecto fugituro loquens: *His praefectum*, inquit, *ignominiae generibus affecit, jussit cum togâ laciniis abscissis amictum discinctàq; tunicâ nudis pedibus adesse*, id est, togâ ita decurtatâ, ut cingi more militari non posset. Togam autem priùs subduci deinde cingi, ostendit Appianus *Civil. lib.* 2. loquens de Antonio in Caesaris funere satagente: *His dictis, inquit, quasi fanaticus* [illegible] *καὶ περιζωσάμενος, ut esset expeditior, subductam togam accinxit*. Meminit *Cinctus* hujus *Gabini* Virgil.

Ipse Quirinali trabeâ, cinctuq; Gabino
Insignis reserat stridentia limina Consul.

V. Octav. Ferrarium *de re Vestiar. lib.* 1. *cap.* 15.

Cinctus & *Præcinctus*, pro milite, apud Vulcatium Gallicanum in *Avidio Cassio, ut si quis cinctus inveniretur, apud Daphnem, discinctus rediret.* Petronius,

Qui pelago credit, magno se fœnore tollit,
Qui pugnas & castra petit, præcingitur auro.

Propter pecuniam, quam in Zona gestabant milites, Salmasius ad *l. c.* Apud recentiores *Judex cinctus*, à Principe delegatus, *cinguloq;* donatus est, & non privato modò, verùm etiam Ecclesiastico, passim opponitur: du Fresne *Glossar.* V. suprà in *Cincti* & infrà ubi de *Zona*.

Cindalopactæ, Græcè Κινδαλοπαῖκται, vel Κινδαλοπαίκτης, ut habet Hesychius, dicebantur, qui ludebant ludum Κινδαλισμὸν seu Κινδαλισμὸς, Græcis vett. dictum, quem Pollux describit *lib.* 9. *cap.* 7. Κίνδαλα enim vel Κίνδαλον Doricè palus dicebatur. Ludus igitur erat, *palum* eminus jaculando, ita adtemperare missum, ut summo capite rectus in terra humectata ac mollita sisteret, eumq; sic depactum alio subinde misso palo evertere. In quo certamine vincebat, ut par est, qui palum suum rectius defixerat, & citiùs defixum everterat, paucioribus missis paxillis vel unius paucioribus jactibus. Nec enim licuit semper primo jactu finem consequi optatum; Et forsan hic est χάραξ ἀπὸ ποσῶν, apud Photium *in Nomocanone*: Nam χάραξ est parvus contus, qui cum sine ferro est, pali instar habet. Sed de hoc infrà. Paxillos verò seu clavos, à Comicis κινδάλους appellari, notat Pollux *lib.* 10. Ἴσως, ἐπὶ τῆς Κινδάλους τοὺς ἥλους ὀνομάζων, Salmasius *ad Solinum p.* 1032. & 1078.

Cindynus, V. Ausonium *Epigramm. in Chresium & Acindynum.*

Cinerarius, Ugutioni, qui pulvere unguentario capillos aspergit; in *Gloss.* Lat. Gr. δοῦλος ἑταίρας, *servus meretricis*; apud Recentiores, qui ex herbis desiccatis in nemore cineres conficit. Sed & *Cinerarii*, à Vigilantio, ex Christianis ii dicti sunt, qui *Cineres* Martyrum venerabantur, apud Baronium *ad A. C.* 406. *num.* 44. & *seqq.* uti legitur apud Macrum *Hierolexico* Du Fresne *Cinericios*, à quodam Elindio, eosdem dictos ait, ex Durando *Ration. lib.* 1. *cap.* 3 *num* 36

Cineres, apud Gentes, quæ mortuos cremabant, in urnis, ollis, caccabis, urceis, ampullis, amphoris, cupis, orcis & aliis hujuscemodi vasculis, asservari solebant, uti hic passim videre est, ubi de *Cadaverum cura*, *Defunctis* &c. Et quidem cujusq; *cineres* peculiare repositorium habebant: Hinc Papin. Statius *Thebaidos lib.* 3. *vers.* 168. sub persona Matris duorum filiorum,

Ite diu fratres, indiscretiq; supremis
Ignibus & caros urnâ confundite Manes.

Ubi Schol. *Manes pro cineribus seu reliquiis ossium, post cremata cadavera dicit.* Glossographus Priscus: *in unam urnam permistos cineres confusuram pollicetur parens.* Alius, *Manes designant cadavera.* V. Barthium *Animadversion. ad l.* Peregrè verò defunctorum *cineres* in patriam reportabantur. Unde de cineribus Germanici Tacitus *lib.* 2. *Annal. cap.* 75. *At Agrippina — ascendit classem, cum cineribus Germanici — Miserantibus cunctis quòd fœmina nobilitate princeps — tunc ferales reliquias sinu ferret, incerta ultionis, anxia sui.* Et *cap.* 77. *An festinamus cum Germanici cineribus appellere?* Idem de exulibus à Nerone restitutis *lib* 14. *cap.* 12. *Etiam Lolliæ Paulinæ* cineres *reportari, sepulchrumq; extrui permisit.* Quod quâ pompâ fieri consueverit, de eodem Germanico idem docet *lib* 3 *cap.* 2. *Miserat duas prætorias cohortes Cæsar, addito, ut Magistratus Calabriæ, Apuliæq; & Campaniæ suprema erga memoriā filii sui munera fungerentur. Igitur Tribunorum Centurionumq; humeris cineres portabantur: præcedebant incompta signa, versi fasces: atq; ubi colonias transgrederentur, atrata plebes, trabeati equites pro opibus loci, vestem, odores, aliaq; funerum solennia cremabant. etiam quorum diversa oppida, tamen obvii & victimas atq; aras Diis Manibus statuentes* &c. V. quoque infrà ubi de *Pyra* & *Rogo* Hinc *Cinerarium* in vett. *Inscr.* pro sepulchro & *Cinerarii fines ac sepulturarii*, apud Gromaticos &c.

Cineres, in Sacris adhibiti leguntur Numeror. *cap.* 19. *versu* 19. & *seqq.* ubi de *aqua separationis*, seu aqua cinere vaccæ rufæ conspersâ, qua polluti è morticinio purificabantur. Erat enim hæc vacca tota rufa, & comburebatur à principe Sacerdotum in monte Olivarum sanguisq; ejus aspergebatur: porrò aquæ ita aspersæ cinere hujus vaccæ servabantur, & valebant ad purgandam immunditiem, ex contrectato cadavere contractam. Ubi inter alia, quòd mactaretur & in *cineres* solveretur hæc victima, mors Christi ab ipso ex amore oppetita, quòd verò asservarentur hi cineres, & super illos aqua viva effunderetur, perpetuus valor mortis Christi & Spiritus Sanctus, propter eam effusus, indicabantur: quemadmodum aspersio postmodum ejusdem aquæ, accommodationem & insinuationem sanguinis Christi in justitiam & sanctitatem testabatur. Franc. Burmannus *Synops. Theol. Christ. Part. I. lib.* 4. *cap.* 22. §. 16. & 17. Aliàs holocaustorum cineres, æratâ laminâ foraminibus plenâ, quæ medio spatio erat in Altari æneo, egerebantur, uti diximus suprà in voce *Altare*. Sed & Veteres, inter alios pœnitentiæ & luctus testificandi ritus, *Cineribus* quoque sese aspergebant; de quo tamen nihil divinitus injunctum reperimus: verùm liberum erat, modò hoc modò illo signo, in publicis inprimis Jejuniis, humilitatem suam coram Deo testificari. Aliud quid notat, *Cinerum dies*, in Ecclesia Romana, qui feria 4. est Dominicæ Quadragesimæ, à Christianis discalceatis celebrari solita, ut habetur in *Constitutionibus* Cistertiensium & apud Rupertum, qui de hoc Ritu sic habet: *Igitur ut — meminerimus quia pulvis sumus, idcirco & cinere capita nostra aspergimus & — pedes nudamus, hoc habitu confitentes, quia non dii — sed homines sumus.* In Ambrosiano ritu dispensantur *Cineres*, ad feriam secundam Rogationum, quæ ibi post Ascensionem celebrantur. In Capella Papali, cùm Pontifici à Cardinali cinis imponitur, Cardinalis *stans coram eo supra scabellum, nihil dicens, imponit Papæ sedenti cineres in modum crucis, Ceremonial. lib.* 2. *cap.* 31. Quod ad S. Sabinam, ubi quadragesimalis statio incipit, fieri solet. Refert tamen Cencius Camerarius, Papæ dici, *Memento homo* &c. in *Ceremoniali* suo, apud Macros fratres in *Hierolex.* Olim Halberstadii Saxonum, hac die quærebatur civium scelestissimus, qui lugubribus indutus ac capite velato in Ecclesiam perductus divino officio peracto, inde expellebatur. Postea per totum Quadragesimæ tempus nudis pedibus urbem obibat, omnesq; Ædes sacras accedebat, neque tamen ingrediebatur, aut cum quoquam sermones conferebat; interim per vices à Canonicis loci invitatus: Post mediam noctem somnum capiebat. Tandem ab omnibus peccatis liber pronuntiatus, in posterum *Adami* nomine (in cujus memoriam hic ritus celebratur) appellatus est, Æn. Sylvius *Europæ cap.* 2. Adhibetur autem *cinis* hoc die, ex palmarum & olivarum ramis, præcedente anno, benedictis, ut in *rubricis* disponitur: quod & Græci observant. V. eosdem Macros. De eodem *Cinere* sic Bernardus Mon. in *Consuetud.* Cluniac. *MSS.* apud du Fresne *cap.* 64. *Cineres, qui in Capite Jejunii Fratrum olim pœnitentium hodie fidelium omnium capitibus imponuntur, ex industria fiunt de cremiis sarmentorum, qui etiam studiosè mundantur & vibrantur & benedicti conservantur ab Infirmario, ut morientibus fratribus cum cilicio substernantur.* V. eum in Glossario in voce *Cinis* item in *Caput Jejunii*, ut & quæ de hac Ceremonia refert A. Rivetus *Summæ Controv. Tract.* 2. *Quæst.* 13.

Cingari, V. *Cigeuni*.

Cingius, V. suprà *Cinctius*.

Cingula, æ, apud Ovidium *de Arte lib.* 3.

Nec brevis in rugas cingula pressa suas.

De Rem idem *lib.* 1.

Ut nova velocem cingula lædat equum.

Communiter *Cingulum*, non militum modò gestamen, sed & nota fuit, sine qua nemo militaribus ordinibus censebatur dignus, qui pe *Cingulis* insertos gladios gestabant. Joh. Saresber. *Polycratici lib.* 6. *cap.* 13. *Honorem gladii in cingulo militari frustra portat.* V. in voce *Baltheus* fu ta, unde olim Imperatores in ... cingebantur; tamq; necessarium militi fuit, ut per ... militia significaretur, & gestatum militem ... signaret, depositum verò denotaret exauctoratum & ignominiosâ missione castris excedere jussum. Fuit autem hæc *Cinguli* militaris ademtio in gravissimis semper & ignominiosissimis pœnis, dicebaturque *Discinctura* item *Recinctura*. Herodian. *lib.* 7 *Cohortibus, quæ signa amiserant, hordeum dari jussit, Centurionesq; manipulorum, quorum signa amissa fuerant, districtis gladiis discinctos destituit.* Ad formam militaris disciplinæ & civici Magistratus cingi sunt soliti: Unde M. Manilius *lib.* 5. *Astronomic* de Consule Rom.

Mœnia succinctus curvo describit aratro &c.

V. Thom. Dempsterum *in Joh. Rosini Antiqq. Rom. lib.* 10. *Paralipom.* Sed & aliis sua *Cingula* fuere. Hinc ea pro omni *cinctu*, cinctusque pro omni vestitu, apud Papinium Statium *Thebaid. lib.* 8. *vers.* 567.

—— triplici velaverat ostro
Surgentes etiamnum humeros & lævia mater
Pectora tunc auro phaleras auroq; sagittas
Cingulaq; & manicas &c.

Et *lib.* 1. *Sylv.* 2. *versu* 13.

Ipsa toros & sacra parat, cinctuq; Latino,
Dissimulata Deam, crinem, vultumq; genasq;
Temperat.

De *Cingulo* inprimis Pontificali, apud Israëlitas, V. suprà in voce *Baltheus*. In iis verò solitum aliquid fingi, unde nosceretur Dominus, indicat Virgilius *lib.* 12. ubi Pallantis *cingula* Turno sunt causa mortis:

—— jam cunctantem flectere sermo
Cœperat, infelix humero cùm apparuit alto
Balteus, & notis fulserunt cingula *bullis*,
Pallantis pueri; victum quem vulnere Turnus
Straverat, atq; humeris inimicum insigne gerebat.

Hic enim *inimicum insigne* nota est, quâ Pallantis arma à cæteris internosci possent. Et *Cingula*, Regni insignia habuisse, docet Valerius Flaccus *lib.* 3. *versu* 342.

Das pictas auro, atq; ardentes murice vestes
—— —— galeam dilectaq; cingula Regni
Injicis &c.

V. Casp. Barthium *Animadversion. ad Statium Thebaid. lib.* 12. *versu* 440.

ſu 440. & de *Cingulo*, ex teſtudinum marinarum teſtulis confecto, quo Mandarini Sinenſium Proceres uti ſolent, Georg. de Sepibus *in Muſæo Collegii Rom. S. J. pag.* 34. Hinc *Cinguli* homines, Latinis dicti, qui gracilioris ſtaturæ ſunt. Hoc enim zona præſtat in tunicis, quæ præcinguntur, ut ab ea parte, quà cinctus eſt, graciliores homines reddat &c. V. Salmaſium *ad Tertullianum de Pallio pag.* 105. Sed & *Cingulum*, inter veſtes Eccleſiaſticas Eccleſiæ Rom. occurrit, apud Stephanum Eduenſem Epiſc. *lib. de Sacramento Altaris cap.* 10. & Menardum *ad librum Sacram. Gregorii pag.* 260. In antiquo *Pontificali* MS. *Cinctorium* appellatur: de cujus benedictione & uſu in Communione Rom. ac Græca, V. Macros Fratres in *Hierolexico*. Adde quæ diximus ſuprà in voce *Baltheus*.

Cinis, pro fimo, apud populos quosdam Plinius *lib.* 17. *cap.* 9. *Transpadanis cineris uſus adeò placet, ut anteponant fimo jumentorum: quod quia leviſſimum eſt, ob id exurunt. Utroq; tamen pariter non utuntur in eodem arvo, nec in arbuſtis cinere, nec quasdam ad fruges* &c. V. quoque *lib.* 17. *cap.* 23. & 28. de uſu ejus Medico *lib.* 36. *cap.* 27. de aliis verò ejusdem uſibus, ſuprà in voce *Cineres*.

Cinna Catulus, Stoicus, inter Præceptores Marci Imper. apud Capitolinum.

Cinnabari, Græcè Κιννάβαρι abſolutè, genus minii, quod ſolum vetuſtiſſimis fuit cognitum temporibus, nondum invento Hiſpanico: χρῶμα per excellentiam dictum, unde Græcia recentior καλλίχρουν etiam vocabat, h. e. *pulchrum colorem*. A cujus ſimilitudine nomen accepit Cinnabari Indicum & Libycum, patriæ cognomine ſemper addito: quod ſanguinem draconis ab elephante eliſi eſſe putarunt Veterum quidam, uti videre eſt apud Plinium *lib.* 33. *cap.* 7. Noſtrum ſanguinem draconis, arboris in Fortunatis Inſulis naſcentis, quas *Canarias* vocant, ait Dalechampius *ad l.* Certè jam priſcorum temporibus Arrianus *Peripl.* notavit, *Cinnabari lachrymam eſſe arboris*, γίνεται δ' ἐν αὐτῇ καὶ κιννάβαρι τὸ λεγόμενον Ἰνδικὸν, ἀπὸ τῶν δένδρων, ὡς δάκρυον συναγόμενον. Narratque Cadamuſtus *Navigat. cap.* 4. fructum ejus arboris ſimilem eſſe ceraſo, coloris cœrulei; arbores porrò illas certo anni tempore incidi, anno verò proximè ſequenti fluere lachrymam. Idem, Inſulas, arborum harum feraces, incolis *Draconum ſylvam* appellari, qui advenas hoc nomine per jocum abſterrere ſoleant, addit. Quam in rem V. Salmaſium *ad Solinum paſſim*, inprimis p. 167. 199. & 1152. ubi κιννάβαρι, ἀληθινὸν χρῶμα, *verum colorem*, i. rubrum ſeu coccineum, Heſychio appellari, inter alia notat. Eo Veteres monochromata pinxiſſe, idem Plinius auctor eſt, ubi ſuprà. Poſtmodum ejusdem eximius in ſubſcriptionibus Epiſtolarum uſus fuit, in Imperio Conſtantinop. Aureis enim bullis Imperator manu ſua ſubſcribebat plerumque ſingulari quodam genere encauſti: unde Leo Imp. *l.* 6. *C. de div. Reſcr. purpureæ inſcriptionis, & cocti muricis triti, conchylii*, meminit: Nicetas Imperatorias literas *rubras, & conchæ ſanguine pictas*, vocat in *Manuele Comneno lib.* 1. adhiberique hiſce illa in Aureis Bullis verba ſolebant, οἱ ἐρυθροῖς γράμμασι τῆς βασιλικῆς χειρός. Aliquando tamen & *Cinnabari* utebantur: quod Alexius Comnenus indigitat in Novel. *Tom.* 2. *pag.* 186. ubi edicit, ne impoſterum cujuscunq; Reſcripti ratio habeatur, quod alicui Judicum tranſmiſſum ad ſe litem exhibere prohibeat, καὶ διὰ κινναβάρεως ὑποσεσημειωμένον λογχίνης, *Licet minio fortè ſubſcriptum ſit*. Gregorius item Dialogus *Epiſt.* 1. *ad Leonem Iſaur. apud Baronium Annal. tom.* 9. Καὶ τινας στολὰς καὶ ἐξαιρέτους, ἀλλὰ τὰ σὰ γράμματα καὶ οὐκ ἀλλότρια τοῖς βασιλικοῖς σφραγῖσιν ἐσφραγισμένα ἀσφαλῶς καὶ ἔνδον ἀσφαλῶς ὑπογραφαὶ διὰ κινναβάρεως ἰδιοχειρὶ ὡς ἔθος βασιλεῦσιν ὑπογράφειν, *Inprimis autem & præcipuè quòd literæ tuæ & non alienæ ſigillis Imperatoriis obſignatæ diligenter eſſent & accuratè intus ſubſcriptiones per* Cinnabarim, *propriâ manu tuâ, ut mos eſt, Imperatoribus ſubſcribere*. V. Joh. Kirchmannum *de Annulis cap.* 8. Sed & adhibebatur *Cinnabaris*, in titulis & capitulis librorum: titulis item legum, ut Voſſius habet *de Arte Gramm. lib.* 1. *cap.* 39. & nos *infrà* dicemus, ubi *de Minio*. Imò & eodem faciem infeciſſe olim Gothi videntur. Iſidorus *Origin. lib.* 19. *cap.* 23. *Nonnullæ etiam gentes non ſolùm in veſtibus, ſed & in corpore aliqua ſibi propria, quaſi inſignia, vendicant, ut videmus cirros Germanorum, granos & cinnabar Gothorum.* Niſi fortè id vocabuli referas, ad colorem veſtium Gothicarum, quæ rubricatæ erant &c. V. de *Cinnabaris* uſu, in literarum ſubſcriptionibus inprimis, plura apud du Freſne *Not. ad Annam Comnenam*, Camillum Peregrinum *Hiſtor. Beneven. Tom. I. pag.* 232. & Michaelem Mon. in *Sanctuario Capuano*, ubi hi duo, Principes quoque & Archiepiſcopos Capuanos, rubricâ pariter in diplomatum ſuorum deſcriptione uti conſueviſſe, tradunt. C. du Freſne *Gloſſar.*

Cinnama, apud Papin. Statium *Thebaid. lib.* 5. *verſu* 61.

Tertius aſſurgens Arabum ſtrue tollitur ordo,
Eoas complexus opes, incanaq; glebis
Thura, & ab antiquo durantia Cinnama *Belo*.

Quid ſint, dicemus infrà. Hic ſaltem *durabilitatem cinnami* conſiderabimus, quam Scholiaſtes antiquus & Lutatius notat. Et certè bene dixit *durantia* Poëta, cùm conſtet fugare putredinem, odoremq; longo tempore ſervare. Lucanus *lib.* 10.

——— ——— *multumq; madenti*
Infudere comæ, quod nondum evanuit aura
Cinnamon, *externa nec perdidit aëra terra.*

Quò facit inprimis, quòd repertum ſcribunt in ſepulchro Mariæ, Stiliconis filiæ, conjugis Honorii Imp. ut tradit Andreas à Lacuna: cui tamen hiſtoriæ fidem non habet Garſias ab Orto *Aromat. lib.* 1. *cap.* 15. Deſcribit illud Plinius his verbis, *lib.* 12. *cap.* 19. *Ipſe frutex duum cubitorum altitudine ampliſſimus, palmiq; minimus, IV. digitorum craſſitudinis, ſtatim à terra ſex digitis ſurculoſus, aridus ſimilis. Cùm viret, non odoratus, folio origani, ſiccitate gaudens, ſterilior imbre. Gignitur in planis quidem, ſed denſiſſimis in vepribus, rubisq; difficilis collectu. Metitur non niſi permiſerit Deus, ceu divæ Naturæ. Jovem hunc intelligunt aliqui* &c. uti legit Barthius. Quam ſuam narrationem alludit hac divinitatis attributione Plinius; deinde, quæ Herodotus commentatur, adumbrans quodammodo, ne, quæ initio dicti capitis ejus ſeponit, planè damnaſſe videatur. Scriptum autem illi, divinitus *per aves advehi*, nec ſciri, unde, *lib.* 3. Τὸ δὲ δὴ κινάμωμον ἔτι τούτων θωμασιώτερον συλλέγουσι. ὅκου μὲν γὰρ γίνεται, καὶ ἥτις μιν γῆ ἡ τρέφουσά ἐστι, οὐκ ἔχουσι εἰπεῖν, πλὴν ὅτι λόγῳ οἰκότι χρεώμενοι. Ἐν τοῖσι δὲ χωρίοισι φασί τινες αὐτὸ φύεσθαι, ἐν τοῖσι ὁ Διόνυσος ἐτράφη κτλ. Nimium enim nugacia ſunt, quæ ſequuntur. Sine nugis de eo Dioſcorides *lib.* 1. *cap.* 13. Multis cum ſuperſtitionibus olim celebratum, notat etiam Garſias præfatus: qui Herodotum fictionis abſolvit, nunc quoque easdem fabulas à Chinenſibus narrari commemorans. Adde, quæ ſcribit Chriſtoph. à Coſta *Aromat. lib.* 1. *cap.* 8. & ſuprà laudatus Barthius *Animadverſion. ad Statium. d. l.* Nempe *Cinnamum* Latinis, idem cum *Cinnamomo*, Græcum, quod nihil aliud eſt, quàm κίνναμον ἄμωμον, h. e. *cinnamum inculpatum*, (quamvis nunquam κίνναμον, ſed κιννάμωμον ſolùm, Græci dicant) de quo infrà videbimus.

Cinnamologus, apud Plinium *lib.* 10. *cap.* 33. avis eſt, *cinnami* ſurculis privatim nidificans, quos plumbatis indigenæ decutiant ſagittis. Idem tradit Ariſtoteles *lib.* 9. *cap.* 13. & ex eo Antigonus Caryſtius *cap.* 49. qui κινναμωμὸν eam vocat. Statius quoque *in Epicedio Pileti*,

Et Cilicum meſſes, Phariaq; exempta volucri
Cinnama.

Ubi Phœnicem avem intelligit: quam alii quoque cum *Cinnamologo* confuderunt. De eadem Solinus *cap.* 33. *Cinnamologus perinde Arabiæ avis, in excelſiſſimis lucis texit nidos, è fruticibus cinnamorum: ad quos quoniam non eſt pervenire propter ramorum altitudinem, & fragilitatem, accolæ illas congeries plumbatis petunt jaculis, dejectosq; pretiis vendunt amplioribus, quòd hoc cinnamum magis, quàm alia, Mercatores probent.* Herodotus verò non aliud cinnamum ex Arabia exportari, quàm quod hoc modo decutiatur ex avium nidis, refert: quæ & fabuloſæ omnis antiquitatis opinio fuit. Idem μεγάλας ὄρνιθας has aves vocat. In eo ſitu autem nidificare, ubi Liber Pater fuerit educatus, Plinius ſcribit: cui adſtipulatur Dionyſius Poëta,

Τῇ καὶ γειναμένῳ Ἰνδίδα Φοῖβε καλεῖται.
Μάλα δὲ καὶ τηρεῦ λαείου ἠλαφῶν μαλακοῖο
Ἐν τοῖσι, ἀβρωχοῦ δὲ κασίης ὕδατι λίμνη.
Ὄρνιθες δ' ἑτέρωθεν ἀπειρέσιοι ἀπὸ νήσων
Ἦλθον φύλλα φέροντες ἀκηρασίου κινναμώμου.

Ubi aves indigitantur Κιννάμωμοι, quarum plures nidos ſuos in inviis Arabiæ rupibus ſtruebant. Avienus de Phœnice intellexit,

Ales amica Deo largum congeſſit amomum.

Solem innuens, cui ſacer Phœnix: quem cum cinnamomo ave, quòd utraque nidum è fructibus cinnamorum concinnarent, confudiſſe nonnullos diximus. Sed & *cinnamomum* aroma idem cum amomo herba, alios quoque nonnullos ſequutus, miſcet, cùm conſtet magnopere hæc diſtare, quamvis *Cinnamomum* quibusdam νέαν ἰσοδύναμον dici ſicque pro *amomo* ſumi, certum ſit. V. Salmaſium *ad Solinum paſſim*, inprimis *pag.* 399. & 551. nec non hic infrà, in voce *Cinnamomum*.

Cinnamomum, Græcè Κιννάμωμον, quaſi κίνναμον ἄμωμον, Latinis *Cinnamomum* quoque, & *Cinnamum*, de quo multa fabuloſè tradit Antiquitas, uti vidimus; Garciæ ab Horto idem cum caſia eſt: infima ætate Græci Latinique Imperii cum κασίᾳ illud quoque confundente. Sed *canella*, eſt *cannella*, h. e. parva canna, quæ eſt κασία σύριγξ. Ut *Cinnamomum* Vett. non eſt in cortice fiſtulari cannaceo, ſed in ſurculis: caſia cortex merus, *cinnamomum* ſurculus. Herodotus, τὰ κάρφεα τὰ βόλα, ὅτε ἡμεῖς ἀπὸ Φοινίκων μαθόντες κινάμωμον καλέομεν. Et Auctor *Peripli*, qui diligentiſſimè merces omnes Indicas & Arabicas recenſet, atq; inter hac omnes caſiæ ſpecies enumerat, nusquam *cinnamomi* facit mentionem. Galenus quoque narrat verum *cinnamomum*, propter raritatem excellentiamque ſolitum ſervari, in theſauris Imperatorum nec vulgò notum fuiſſe. Sanè hodie nusquam tale affertur quale à Vett. deſcribitur. Volunt tamen & validè volunt Neoterici, eandem eſſe arborem, è qua cinnamomum ſumitur, & ex qua caſia: quod fieri poteſt, ut verum ſit. Summi ſurculi deputati vel virgultorum tenuiſſimæ partes reciſæ, ex frutice caſiæ, pro cinnamomo, væniſſe leguntur apud Plinium. Sic nihil aliud verum *cinnamomum* Veteribus fuerit, quàm extremitas ſarmentorum in arbore amputata. E quo videtur fuiſſe rarum carumque, quòd fortaſſe rarò uſurparetur ejusmodi fruticis amputatio, utpote in perniciem caſura ejus. Caſia autem ſive cortex, qui ex

eadem eximebatur arbore, ea re vilior communiorque, quia arbores illæ sæpius solerent deglabrari, renascente subinde cortice. Quippe hodieq; tradunt, detracto cortice arboris Cannellæ sive Cinnamomi, post triennium alium suffici & iterum deglubi: qui in fistulam convolutus, qui Gallis est pro *cannella*, quæ antiquis pro *casiâ* fuit, integri rami vel surculi superficies videtur, quum tamen fragmentum sit majoris corticis, in plures partes dissecti, & in tubulos digiti crassitudine complicati. At truncum, qui deglabratur, sæpe numero crassiorem femore inveniri memorant. Vetustas verò omnis credidit, hos fistularum modulos, quos in casia videmus, totidem esse surculorum integros cortices, qui admodum difficulter eximerentur, adeò ut vermium operam requiri oporteret, lignum intus corrodentium & corticem præ amaritudine intactum relinquentium. Nimirum ignorarunt, quomodo pararentur fistulæ casiæ, ex cortice illius arborei fruticis. Plinius, *Frutex & casiæ est juxtaq; cinnami campos nascitur, sed in montibus crassiore sarmento, tenui cute veriùs, quàm cortice.* Ubi diversum utriusque fruticem facit, quem tamen eundem esse nihil prohibet. Et verò non esse diversos, comprobatum est ætate nostra, si vera narrant Lusitani, qui loca illa navigationibus perlustrarunt. Idem Plinius memorat, vidisse se in Palatii templo, quod Divo Augusto fecerat conjux Augusta, radicem *Cinnami* magni ponderis, ex qua guttæ editæ quotannis in grana durabantur. Cui congruere videtur, quod hodie traditur, ex radice casiæ arboris, liquorem stillare, sapore ca[m]phoræ, sed vilitum esse, ne ad eliciendum hunc liquorem vulneretur qua parte radicat arbor: quâ eadem ratione cautum est, ne amputetur; quo fit, ut hodie *Cinnamomo* careamus. Interim nominibus semper distincta fuere Græcis Latinisque etiam vetustissimis κασία & κιννάμωμον. Latini utrumque junctim nominant, Martialis,

> —— *Casiaq; cinnamaq;*

Persius,
> —— —— *cui spirent cinnama surdum,*
> *Cui coraso peccent casiæ.*

Hebræi quoque ea separant appellatione. Nempe *cinnamomi*, cùm in surculis constaret, qui Græcis ῥάβδοι & ῥαβδία, κλάδοι, καρφοι, & ἀκρέμονες, efficacia duplo major, quàm casiæ, in cortice mero constantis. Color etiam diversus; ut qui in cinnamomo in cæruleum quadantenus vergeret, purpureus esset in casia: in hac porrò levis tenuisque, in illo omnium odorum, qui bene olent, fragrantissimus esset odor. Hinc & pretii immane discrimen. Duplo enim auro rependebatur *cinnamomum*, Plinii ætate, unde merx vulgò minimè cognita, solis Regum & Imp. thesauris reservabatur: tradiditque Galenus, solis divitibus habere licuisse, quòd impenso pararetur pretio, vel Imp. amicis, quibus è domo Augusta ultro gratisque daretur &c. Regio Κινναμωμοφόρος in Æthiopia, vett. Geographis in tantum celebrata à qua & parallelus διὰ κινναμωμοφόρου nomen accepit, navigationibus Lusitanorum reperta nulla est, ob causam jam dictam. V. plura hanc in rem apud Salmasium *Exercitat. Plin. ad Solinum passim*, inprimis *pag.* 1304 *& seqq.* Cæterùm cum variis in locis proveniat, Mosyliticum olim præstantissimum habitum est, de quo V. Dioscoridem & Oribasium. Hodie in Ins. *Zeilan* colligitur magnâ copiâ, idq; nobile admodum: cui postin[de] Javanum & Malabaricum postponitur. Sed & in Quangsia Prov. Imperii Sinensis, ad *Cinchen* urbem præstantissimum legitur, à Ceilanico, in eo tantùm diversum, quòd odoris sit fragrantioris, majorisque mordacitatis, cùm linguæ imponitur. Reperitur etiam in Peruviæ Prov. *Quito*, sed rariùs. V. Autorem Anonymum *Histor. Orbis Terr. Geogr. & Civ. Cap. de Commerciis*, & Auctorem *Sina & Europa cap.* 34. nec non suprà in vocibus *Canella*, item *Casia*; namq; hanc *Cinnamomi* nomine hodie venire dictum. Casp. Barlæus in Descr. Epuli, quo Societas Orientalis Amstelodami excepit Mariam Mediceam Galliæ Reginam, *Cinnamorum* quoque meminit: *Cinnamorum & casiæ lignea fistulæ decussatim in altum aggesta Auroram matrem fatebantur*, V. eum in *Medicea* &c. Quomodo autem adulterari olim consueverit *Cinnamomum*, ex Plinio disce *lib.* 12. *cap.* 19.

Cinnus, Græcè συγκρασις, Latinis aliter *Commistio* & *Confusio*, diversarum rerum conjunctio est: aliquando cum distributione & oppositione contrariorum. Veluti si dicas, Deprecatur timidus ut lædat: precatur fortis, ut juvet. Poëta pictiùs loquutus est, in *undecimo*,

> — *solum Æneas vocat, & vocat ire.*
> *Nec Drances potiùs, sive hæc est ira Deorum,*
> *Morte luat: sive est virtus vel gloria, tollat.*

Quibus carminibus nihil simplicius simul atque elaboratius. Nata quidem talia videntur, sed non sine fabrica naturæ. Attribuit Dranci imbelli & sibi forti, vel fortunam ad moriendum, quam ille explere nequeat: vel virtutem ad superandum, quæ cum illo nihil habeat necessitudinis, atque ita duabus personis simul junctis, atque confusis, adhibet diversos eventus ex distributione. Ibi autem simplicior & manifestior,

> *Hic manus ob patriam pugnando vulnera passi,*
> *Quiq; Sacerdotes casti dum vita manebat,*
> *Quiq; pii Vates, & Phœbo digna loquuti,*
> *Quiq; sui memores alios fecere merendo.*

Et in contrariam sententiam, quæ ibidem dicuntur de sceleratis: Jul. Cæs. Scaliger *Poetic. lib.* 4. *cap.* 47. Propriè vero *Cinnus*, idem quod κυκεών, potionis genus, de quo V. suprà in voce *Aureis poculis*.

Cion, nomen Tibicinis, apud Hippocratem, de quo Prov. Κίων ὁ Βάβυς αὐλεῖ, apud eundem Scaligerum ubi suprà *lib.* 1 *cap.* 20.

Cionita, cognomen Simeonis, qui aliàs *Stylita*, de quo pluribus egere Allatius *Diatr. de Simeonibus*, Bolanus Raderus, alii. Unde *Cionitæ*, Græcè Κιονῖται, qui & *Stylitæ* dicti sunt Monachi, institutum ejus sequentes & dies noctesque super columnam vitam exigentes, quorum meminit Auctor *Historiæ Miscellæ lib* 22. *Adeò ut omnes Monachos & Inclusos atq;* Cionitas, *qui Deo placere noscebantur, sub tributis redigeret*, ex Theophane *pag.* 361. apud Car. du Fresne *Glossar.* V. quoque *Stylita*.

Ciphræ, characteres sunt occulti, quibus arcana & quæ ab aliis ignorari interest, solent perscribi ac significari. Illarum varias species, *Ciphras simplices, non significantibus characteribus mixtas, duplices literas uno charactere complexas, Ciphras rotæ, Ciphras clavis, Ciphras verborum*, enumerat illustris Verulamius: quibus longè plures facilè addi possent. Virtutes in illis requiri tres. Ut sint expeditæ, non nimis operosæ ad scribendum: Ut sint fidæ & nullo modo pateant ad decipherandum: Denique, ut, si fieri possit, suspicione vacent. Si enim isti innocui Epistolæ in manus eorum deveniunt, qui in eos qui scribunt, aut ad quos scribuntur, potestatem habeant, tametsi *Ciphra* ipsa fida sit, mox examini ac quæstioni res subjicitur, sicque arcanum violabitur. Quod ut evitetur, habeat quis duo Alphabeta, unum literarum verarum, alterum non significantium: & simul, duas epistolas evolvat, unam quæ secretum deferat; alteram, qualem verisimile fuerit scribentem missurum fuisse, absque periculo tamen. Quòd si quis instituto de *Ciphra* severè interrogetur, porrigat ille Alphabetum characterum Non-significantium, pro veris literis: Alphabetum autem verorum, pro Non-significantibus. Hoc modo incidet Quæsitor in Epistolam illam exteriorem, quam cùm probabilem invenerit, de interiori Epistola nihil sibi sit suspicaturus. Idem alium *Ciphræ* gradum proponi, nimirum ut omnia per omnia significari possint: ita tamen, ut scriptio quæ involvit, quintuplo minor sit eâ, cui involvitur. Quod hoc modo fieri possit: Primò universæ literæ Alphabeti in duas tantùm literas solvantur, per earum transpositionem; quæ si fiat per locos quinque, prodibunt differentiæ 32. quæ multò magis 24. qui numerus Alphabeti est, sufficient. Cùm deinde ad scribendam acciperis Epistolam interiorem in Alphabetum hoc biliterarium solvas; præstò simul sit aliud Alphabetum biforme, quod singulas Alphabeti communis literas, tam capitales, quàm minores, duplici formâ, prout cuique commodum sit, exhibeat. Tum demum Epistolam interiori, jam factæ Biliteratæ, epistolam exteriorem biformem litera in accommodabis, & postea describes &c. In ejusmodi *Ciphris* deciphrandis multam operam insumit ingeniorum hominum, in Aulis imprimis Principum, quorum alanis dicata est laboriosa simul ac ingeniosa hæc ars: sed *Ciphræ* bonæ ac fideles facilè operam Deciphratoris eludent &c. V. *Fr. Baconem de Verulamio lib.* 6. *de Augm. Scientiarum cap.* 1.

Cipius, cognom. ... apud Festum: *Cluius*, apud Ciceronem, in membranis antiquissimis, apud Salmasium *ad Tertull. de Pallio*.

Cipparius, in LL. Guil. Nothi *cap.* 4. *Ciper* vel *Cipier*, Carcerarius est à voce *Cippus*, Gr. κύφων, quæ priscis instrumentum, quo reorum pedes constringebantur, recentioribus carcerem ipsum notat. Unde in *Consuetud.* Meldensi *Art.* 190. furcæ patibulares, *Cippus* (Gall. *Cep.*) *& Pilorium*, dicuntur esse signa seu argumenta majoris Justitiæ. Pro *Cipparis Cypiacus* dicitur in Ecclesia S. Quintini in Veromanduis, dignitas Ecclesiastica, cui *Cippi*, seu Carceris Ecclesiastici, cura incumbit, apud du Fresne *Gloss.* &c. Sed & *Cippus*, ligni truncum perforatum denotat, in quo Minorum Ordinis Religiosorum, in Communione Rom. peculium conservabatur. *Clement. cap.* 126. *quocirca quæstus omnis pecuniæ*, *de verb. signif.* apud Macrum *in Hierolexico*. De *Cippo* v. In. ideo, in tumulo erigi olim apud Græcos solito, V. infrà in voce *Stele*.

Circa, apud Recentiores vigiliæ, excubiæ, Ital. *Cerchia*, Gallis *La Ronde*: Cujusmodi *Circas* etiam fecisse in Monasteriis Monachos, horis illis, quibus vacare lectioni Fratres consuevere, dicitur in *Regula* S. Benedicti. Hinc qui circas faciebat Monachus, *Circa* quoque appellatur, apud Lanfrancum in *Statutis cap.* 4. Item *Circator* apud Joachimum Vadianum *de Offic. Monachicis*. Cujus officium ita describitur in *Libro Ordinis* S. Victoris Paris. *MS. cap* 40. *Circator eligatur de totius Congregationis religiosioribus & ferventioribus — ad ejus officium spectat, officinas Monasterii circuire & observare negligentias fratrum & Ordinis prævaricationes. Quotiens circam facit, adeò religiosè & ordinatè debet incipere, ut terrorem incutiat spectatoribus suis, & exemplum religiositatis ostendat. Adeò autem tacitè & severè debet facere circam, ut nulli unquam loquatur vel signum faciat, sed tantummodo studiosè scrutari debet & inspicere offensas & negligentias. Omni tempore potest facere circam, exceptâ horâ Capituli & Collationis, quando scilicet ostia claustri jam firmata sunt — debet attendere, ne unquam aliquis sine causa horis regularibus desit, & ne quisquam*

quam loquatur, ubi vel quando non debet. Sed & eorum munus erat, *Fratres ad horas Canonicas colligere, signo pulsato*, ut est apud Ekkehardum Jun. *de Casibus S. Galli cap. 3.* cui *Excitores* seu Ἐγέρται dicuntur, *cap. 6.* Monachos verò ad vigilias media nocte in Ecclesiis obeundis excitare, Canonarchæ officium fuisse, discimus ex Dorotheo *doctr.* 11. Præterea *Circator*, officium fuit in Ecclesiis Cathedralibus, Gall. *Cerchier*: quo olim videtur donatus Adventius Eccl. Metensis Episc. qui *Epist.* ad Nicolaum Pontif apud Baronium *A.C.* 863. scribit se, priusquam Episcopatum adipisceretur, *in Excubiis templi Beati Stephani Protomartyris occupatum fuisse.* De excubiis, quæ fiebant in Ecclesia Paris. in festo Assumtionis Deiparæ, V. *Chartam* Joannis R. apud du Fresne in *Glossar.* Denique *Circatores*, in *Vita* S. Gisleberti Sempringham. alibique, dicuntur, qui vice Generalis totius Ordinis domos & monasteria visitabant, aliàs *Visitatores* dicti. Quemadmodum, qui nomine Episcopi Ecclesias visitabant, περιοδευταὶ, *Circitores* seu *Circuitores* (quâ voce utitur *l. 6. §. 1. D. de Excusat.*) vocant Concilium Laodic. & Justinianus *l. 41. C. de Episc. & Cleric.* Ipsis id Episcopis tribuit Concilium Cabilon. *A. C.* 650. *can.* 11. unde census Episcopo, aut Archidiacono, pro visitatione, ab Ecclesiis pendi solitus, *Circada* seu *Circata*, dictus occurrit, apud Hincmarum *Epist.* ad Ludovicum II. R. *cap.* 9. &c. V. du Fresne *l. cit.*

Circator, V. hic suprà.

Circesium, castrum in finibus Persidis, ubi Gordiano occiso milites sepulchrum fecerunt, memoratus Capitolino *in Gordiano III.* Græcis Κιρκήσιον. Lat. *Circense*, quod in morem *Circi* aquâ circaretur, ut ostendit Zosimus, qui ab Abora & Euphrate circumdari narrat. *Circessium castrum* dicitur Festo Ruffo, V. Salmasium *ad Capitolinum.*

Circelliones, apud Augustinum *in Psalm* 132. Κυκλάρεοι, in *Synodicis* Orientalium ad Theophilum Imp. iidem cum *Circumcellionibus*, quos vide.

Circense Spectaculum, apud Æl. Spartianum *in Didio Juliano, inde ad Circense spectaculum itum est*; ipse Circus est & locus spectaculorum. In *Circo* enim maxime solebat populus ἐκκλησιάζειν, ut ait Herodianus. Apud quem cave accipias hoc verbum eâ notione, quâ Græci passim usurpant, cùm dicunt, Populum Atheniensem vel alium è Græcia, in theatro ἐκκλησιάζειν. Nullum enim jus habuit populus Rom. conveniendi in circum, ut de Rep. deliberaret: Sed spoliati jure Conventus habendi in Comitio, in circis & theatris, turbatis rebus, congrediebantur, ut sub Juliano factum. Casaubonus *ad l.*

Circenses Ludi, adde: Aliis dicti *Romani*, ob antiquitatem suam, utpote ab ipso Romulo instituti: item *Magni*, tum ob impensas ingentes ac celebritatem, tum quòd in honorem magni illorum Dei Neptuni, quem *Consum*, velut consiliorum præsidem, appellabant, celebrari solebant. Quid enim in Cereris honorem illos exhibitos sunt qui doceant, id inde ortum, quòd Cereales ludi in Circo quoq; habiti: In Solis quoque illos institutos qui contendunt, *pompam Circensem* cum *ludis Circensibus* confundunt. Cum enim decursio equestris equorumque pompa inter præcipuas festivitatis hujus ceremonias fieret: illa in honorem Neptuni, qui equitandi inventor artis Ἵππιος dictus est, ab Evandro primum instituta, dein à Romulo, quod hujus Dei consilio in ludis illis Sabinæ raptæ, restaurata: ista in Solis honorem celebrata est. Unde duûm generum equi in Circum adducti leguntur, Πομπικοὶ, qui spectaculi solùm causâ producebantur, & hi Soli dicati erant: Unde de talibus legimus in Sacris 2. Reg. 23. superstitione ad Judæos derivatâ à Persis, apud quos celebris inprimis *Equus Solis*: & Ἀγωνιστικοὶ, quibus ad decursiones utebantur, primo earum Neptuno inventore. Habebantur autem hi Ludi primum in Tiberina insula nullo ad id certo constituto loco, sed ab altera parte Tiberis pro meta erat, ab altera enses ponebantur, teste Servio: donec Tarquinius Priscus Circum Maximum erexit, Liv. *lib.* 1. Exercitationum in iis genera varia: Prima erat pugna, cum pugnis, cæstibus, gladiis, fustibus, hastis, pilis similibusque armis certabatur: quò & Gladiatura spectabat, & certamen cum bestiis &c. Altera cursus: Tertia saltatio: Quarta jaculatio discorum, sagittarum, telorum omniumque armorum cujuscunque generis, quæ longè projiciuntur: & hi ludi erant fere pedestrium. Quinta decursio equestris: Sexta eaq; primaria aurigatio, i. certamen bigarum aut quadrigarum inter duas primò factiones, *Albam* & *Russam*; postea inter 4. *Prasinam*, *Venetam*, *Albatam* & *Russam*, V. suprà in voce *Aurigatio.* Septima Naumachia, seu navale certamen, quum in mari, fluvio, stagno, lacu, forma navalis pugnæ repræsentabatur. Pompa vocabatur totus ille apparatus, qui ludicro certamini præmitti solebat: In ea Deorum imagines & nobiles matronæ carpentis suis vectæ, clarorum item virorum circumferebantur statuæ, equi item ostentationi deducebantur &c. Ovidius *de Arte Am. lib.* 1.

At cùm pompa frequens certantibus ibit ephebis &c.

Hâc procedente favor, studia & sponsiones spectatorum, huic vel illi factioni addictorum, se exerebant &c. Ludos porro Reges initiò, dein Consules ediderunt: creatis postea Ædilibus, horum munus fuit, Curulium inprimis, namque Plebeji ludos plebejos curabant. Sed & ad Prætoris urbani officium pertinuit, signum mittendis quadrigis dare: quo bellis fortè occupato atque absente, dictus Dictator fuit, qui vices ejus subiret. Tandem omni Reip. potestate in unum translatâ, Imperatores id munus sibi sumsere, ut ex Suetonio, Historicisque sequentibus videre est, V. Thom. Godvvynum *Anthol. Rom. lib. 2. sect. 3. cap. 6.* Joh. Rosinum *Antiqq. Rom. lib. 5. cap. 4. & 5.* cum Thom. Dempsteri *Paralipom.* &c. His ludis Græcorum Olympici ac Gymnici respondebant. Verum, *Circenses* Olympiæ, à *Circensibus* Romæ, qua in re discreti fuerint, V. apud Salmasium *ad Solinum pag.* 915. De *Circensium* insania ita Lactantius *lib. 6. cap. 20. Circensium quoq; Ludorum ratio quid aliud exhibet, nisi levitatem, vanitatem, insaniam. Tanto namq; impetu concitantur animi in furorem, quanto illic impetu curritur, ut jam plus spectaculi exhibeant, qui spectandi gratiâ veniunt, cùm exclamare, & efferri & exilire cœperint.* Et geq. ratim. *Spectaculis neminem interesse potuisse, sine animi passione, ira, dolore, bile furore, concussione Spiritus*, pulchrè inducit mirus argumentandi Artifex Tertullianus *de Spectac. cap.* 15. qui *sequenti cap.* Circi præcipuè insaniam miro acumine proponit & exagitat. Duravit autem is furor, usque ad extrema Rei Rom. tempora, ut ex optimo castigatore Salviano patet. V. quoque Onuphrium *de Circo*, Desid. Heraldum, Jacobum Pamelium, Ludovic. de la Cerda, *Commentar. ad Tertullianum Apologet cap.* 38. Jul. Cæsarem Bulengerum, Alios: De præliis verò, factionibus Circensium Agitatorum Populique studio, ut & aliis huc pertinentibus hic passim, inprimis in vocibus, *Agitatores, Factio, Missus, Pannus* &c. De *Circensi Ludicro*, in necem Christianorum, à Nerone edito, V. Tacitum *lib. 15. cap.* 44.

Circissarii, in Concilio Arelat. I. sub Sylvestro, *De Circissariis agitatoribus, qui fideles sunt, placuit eos, quamdiu agitant, à communione separari*: Venatores sunt Circenses seu aurigæ, qui in Amphitheatris ac circis currus agebant. V. suprà, ubi de *Agitatoribus.*

Circitor seu *Circuitor*, apud Hieronymum *ad Pammachium lib. adv. errores Joannis Hierosol.* Officium militare, custos exercitus est, qui castra circuibat, ne quid detrimenti milites reciperent. Cujusmodi *Circitores*, Glossæ Basil. Κιρκίτορας vocant; Περιοδευτὰς *Glossæ* Gr. Lat. Κυκλευτὰς aliæ: Gall. *qui faisoient la Ronde & la Sentinelle avancée.* Deligebantur ii ex Equitum ordine, qui duobus equis, vel saltem uno cum servo merebant: quorum dignitas *Circitoria* dicitur *l. 2. Cod. Theodos. de Filiis militar.* At *Circitorium*, apud Leonem Ostiensem *Chron. Casin. lib. 3. cap.* 57. pannus videtur esse, quo tempore Quadragesimæ, tegebantur ac velabantur Altaria. V. infrà *Velum*, & plura hanc in rem apud du Fresne *Glossario.*

Circius, adde: Huic Augustum sacrificasse templumque fecisse, docet L. Seneca *Natur. Quæstion. lib 5. cap.* 17. *Galliam infestat* Circius, *cui ædificia quassanti, tamen incolæ gratias agunt tanquam salubritatem cœli sui debeant ei. Divus certè Augustus templum illi, cùm in Gallia moraretur, & vovit & fecit.* V. Vossium *de Idolol. lib* 1. *cap.* 1. Non vero esse ventum Narbonensem priv. sed unum ex principalibus & authenticis nomine purè putè Græco sive Siculo Κιρκίας dictum, docet Salmasius ex Theophrasto de Ventis, ubi Argesten Siculis Κιρκίαν dici refert: quamvis alii Thrasciam, vicinum Argestæ, hoc nomine insignitum fuisse, malint. V. eum *ad Solinum pag. 1257. & 1258.*

Circuitiones Equitum, ad explorandas visendasque vigilias, indigitantur Papinio Statio *Thebaid. lib.* 10. *versu* 182.

> — — *monitu Ducis acer agebat*
> *Amphion equites, noctem, vigilataq; castra*
> *Explorare datus, primusq; per avia campi*
> *Usq; procul (nec dum totas lux sol verat umbras)*
> *Nescio quid visu dubium, incertumq; moveri*
> *Corporaq; ire videt. Subitus mox fraude repertâ*
> *Exclamat: cohibete gradum quicunq; sed hostes*
> *Esse patet. Miseri pergunt anteire, timentq;*
> *Non sibi, tunc mortem trepidis minitatur, & hastam*
> *Expulit &c.*

De quibus V. Justum Lipsium *de Militia Rom lib. 5. cap.* 9. Apud Athenienses olim, ab anno 18. ad vicesimum usque, quilibet Ephebus cogebatur, περιπολεῖν, *circumire excubando seu custodire*, τὰ περὶ πόλιν φρούρια, urbana & suburbana castella, lege Solonis, cujus meminit Ulpianus *ad Olynthiac.* 3. quo fine accipiebat à Populo pro concione scutum & hastam, uti discimus ex Aristotele *de Atheniensium Rep.* Hinc Terentium in *Eunucho*, de Chærea adolescentulo,

> *Sed video herilem filium minorem huc advenire,*
> *Miror quid ex Piræeo abierit: nam ibi custos publicè est nunc.*

V. Sam. Petitum *Commentar in LL. Atticas lib. 8. tit.* 1. De *Circuitione* consimili in Monasteriis, dictum supra in voce *Circa.*

Circumitores, V. *Circumcelliones.*

Circulator, & Circumforaneus Medicus, V. suprà *Charlatanus*, & infra, in voce *Periodeuta.*

Circulus, de multitudine congregata, passim apud Auctores, in Militia quoque, *Cohortis* aliàs. Cum enim rotundæ olim in villis cohortes essent, de quibus dicemus infrà, ab hac rotunditatis forma certus numerus militum in legione, *cohortis* nomen accepit,

pit, ſicut *πλίνθιον* appellavere Græci. Quippe hæc confertæ multitudinis natura, ut in *Circulum* ſe ſtipet, & conglobet in orbem. Hinc multa in militia Nomina *πλίνθιον, ἴλη, σπεῖρα, συςρoφή*, Latinè, *globi, drungi, cohortes*, quod tamen in minore ferme numero videmus obtinuiſſe. Nam & *σπεῖρας, manipulos*, vocat Polybius, & hujusmodi *in circulum* conglobatio fere frequentiùs notatur in minori multitudine congregata, quàm in majore turba. Salmaſius *ad Solinum pag.* 311. Aliàs *Circulus* & *Corona* in diverſum abeunt; cùm corona ita corrotundata ſit, ut, cùm humano capiti aptatur, eadem ſit inſigne eorum, quorum cauſa aſſumitur. Nempe *Circulos* Natura ſæpiùs, quàm homo; Coronas frequentiùs homo, quàm Natura nectit: eſtque in rerum Natura circulus velut *ἀρχέτυπον*, ad cujus ſpeciem formatur Corona. Et quidem in Cœlo *Circuli* ſunt, ingentes illi quinque ductus per quos volvitur Sol, univerſum redimientes mundanum faſtigium: Item is cui nomen *ἅλως*, *Circulus ſiderum*: Et lacteus orbis, & Zodiacus ſignifer, aliaque. Ipſum quoque Solem verè nominaveris *Circulum*, qualis ab Ægyptiis fuit pingi ſolitus, & in imaginibus appellatur. Cui adde Lunam, vel potiùs Lunæ cinctum, noctu ſplendentem, & in Aëre, Iridis ambitum, & illa quæ dicuntur *ἅλωνες*. Sunt & circulares nonnunquam ſeu coronati vapores conſpicui, ut & ignea, de quibus Claudianus *de apon.*

Viva coronatos aſtringit ſemita vapores,

Et Statius *Theb. lib.* 10.

Ille coronatos jamdudum amplectitur ignes,
Fatidicum ſorbens vultu flagrante vaporem.

Cujuſmodi *Circuli* miraculo nonnunquam fiunt prope homines & hominum cauſa. Ut fuit aurea illa nubes, qua Pallas circumſepſit caput Achillis, *Iliad.* ς. Flamma item viſa, ſuper caput Aſcanii, *Æneid. lib.* 2. ipſius Æneæ *lib.* 10. Servii Tullii, apud Livium *lib.* 1. Maſaniſſæ dormientis, apud Silium Italic. *lib.* 16. Quibus adde ſimulachrum ſideris criniti, quod Cæſaris capiti in Foro conſecratum, apud Plinium *lib.* 2. *c.* 25. Solis orbem, qui ſuper caput Auguſti urbem intrantis conſpectus eſt, apud Velleium *lib.* 2. duos illos radios, qui natum Neronem tempore matutino circumplexi ſunt: Circulum, de quo Bebianus.

Flammantem video luminis ambitum,
In quem nulla venit femina circulum &c.

Cujuſmodi *Circulos* imitati ſunt illi, qui inter cornua bovis Ægyptiæ aureum & rutilantem circulum effigiarunt, teſte Solino *cap.* 35. hodieque imitantur, qui Sanctorum capitibus iſtiuſmodi orbes radioſos circumfundunt, qua de re V. hic infrà, ubi de *Circulis Sanctorum*. Ut de terra hoc unum addam, *Circulus* in ſardonyche gemma inprimis notatur Plinio, qui nomine hoc appellat zonam vel limitem candicantem, quo medietas hujus gemmæ cingitur; hanc cùm fundit ſe & ſpargit colorem in proximum, *minentum*, cùm verò ſeſe colligit, nec ſpargitur, certoque ſic limite diſtinguitur, *Circulum* propriè dici tradens. V. Salmaſium *ad Solinum pag.* 564. Sed & *Circuli*, in doliis, in foribus, cornei æneique, *κρίκοι* Græcis & *κορῶναι*, in ornatu mulierum, quæ *Brachialia* aliàs &c. de quibus alibi dicemus. Quamvis autem aliud *Circulus*, aliud *Corona*, occurrit tamen apud medii ævi Scriptores, *Circulus* Aureus, ſimplicioris Coronæ ſpecies, quæ ſub Impp. Occidentis Patriciatus apud Romanos erat inſigne. Leo Oſtienſ. *lib.* 2. *cap.* 79. *Eidem Henrico V. Patriciatus honorem Romani contribuunt eumque, præter Imperialem coronam, aureo circulo uti decernunt.* Hinc *Corona Circuli Patricialis*, apud Petrum Diaconum *Chron. Caſin. lib.* 4. *cap.* 119. ubi de Lothario Imp. Et de Frederico Imp. tradit Acerbus Morena *Hiſtor. Rerum Laudenſ. pag.* 17. eum à Paſchali Pontif. primò quidem *Circulo aureo*: poſtea verò Coronâ Imperiali, coronatum fuiſſe. Sic *Circulum*, non *coronam*, Reginæ tribuit Autor *Chronici Montis Sereni A. C.* 1134. ubi Magnum Danorum Regem, Halberſtadii ab Imperatore *Circulum aureum* in ſignum delati Regni accepiſſe, ſcribit, *A. C.* 1154. ubi de Suenone Daciæ R. & *A. C.* 1158. ubi de Bohemiæ Duce &c. Sed & *Circulis aureis* Auguſtas Occidentis, non coronis, uſas eſſe, diſcimus ex Arnoldo Lubecenſi *lib.* 6. *cap.* 2. ubi de uxore Philippi Suevi Imp. *Ibi quoque Regina, regio diademate, non tamen coronata, ſed circulata, proceſſit*, apud du Freſne *Gloſſar.* V. quoque infrà, ubi de *Corona Ducali.*

Circuli Ferrei, in pœnitentiam, ab Epiſcopis aut Presbyteris olim imponi ſoliti iis, qui enormia quædam crimina commiſerant, eosque poſtea pœnitentiam acturi in brachiis induebant, nec deponebant, donec poſt multas peregrinationes ad Sanctorũ ſepulchra & memorias miraculo aliquo ſolverentur, occurrunt apud varios Scriptores Communionis Romanæ, laudatos magno numero Carolo du Freſne *Gloſſar.* E quo unum hoc ſubjungatur ex *Libro Mirac.* S. Fintiani & Florentii MS. *Conſuetudine antiqua partibus interioris Franciæ usque hodie mos inolevit, ut quiſquis propinquitatem ſibi parentum, gladio jugulaverit & poſtea pœnitentiæ ducto. Pro tali ſcelere crimen admiſſi facinoris deluerit, ipſo decernente Pontifice ex ipſo gladio ferrei nexus compenantur, & collum peccatoris, venter atque brachia ſtrictim innectantur ex ipſis ferreis vinculis ſicque de propria Patria & ſolo patrio pellatur. Interim quousque divina pietas eum vinculis ſolvi præcipiat, primùm Romæ, deinc per diverſa Sanctorum loca veniam criminis efflagitando peragere proficiſci cogatur, &c.*

Circuli Sanctorum, circa capita Conſtantii ac Conſtantis, Theodoſii item Junioris ac Placidii Valentiniani, in eorum numiſ Conſularibus, conſpicui, & cum Conſulibus quoque communicati indigitabant, divinitatis ſpeciem quandam illos ſibi aſſerere, cùm nimbis ſeu claris nubib' Deos ſuos ita in picturis ac tabellis Gentiles olim ambirent. Hinc tam frequens *Divinitatis*, *Numinis*, ac *Æternitatis*, ab iis uſurpata vocabula atque epitheta, quibus Impp. Leges plenæ ſunt. Quæ tamen veniam aliquam mereantur in Auguſtis, quorum adeò ampla fuit poteſtas: ſi recentiorum Byzantinorum expendatur ambitio, qui hominum omnium vaniſſimi, ac omni facinorum genere contaminati, provinciis etiam cunctis ferme exuti, & intra Urbis mœnia paucorumque circumjacentium oppidorũ limites coërciti, *Sanctos* ſeſe à ſubditis atque adeò ab ipſis Patriarchis CP. cæterisque Pontificibus compellari voluerunt. Unde formula compellationis vulgata, *Δέσποτά μου ἅγιε, Domine mi ſancte*, quàm obſervare eſt non ſemel in *Rationali* Peræquatorum, ſub Alexio Comneno exarato, Codino, Aliis. Contra quàm Conſtantinus Magnus, qui *Sanctum* ſe vel *Divum* appellari, penitus renuit, apud Juvencum *Hiſtor. Evangel. lib.* 4. *extremo.*

Hæc mihi pax Chriſti tribuit, pax hæc mihi ſecli,
Quam fovet indulgens terræ regnator apertæ
Conſtantinus, adeſt cui gratia digna merenti:
Qui ſolus Regum Sacrum ſibi nominis horret
Imponi pondus, quò juſtis dignior actis
Æternam capiat divina in ſecula vitam.

Jure proin Iſaacium Angelum ſuggillabat Fridericus I. Imperator ejus Legatos alloquens: *Dominus veſter Sanctum ſe appellat: mirabilis eſt ſanctitas quæ ſanctos viros, honeſtos, religioſos, benignè, imò ac fideles nuntios, in oſcula Pacis exceptos — ſubitò conſuevit incarcerare & fame ac nuditate usque ad mortem macerare. Longè faciat à nobis Deus talem ſanctitatem*, apud Tagenonem Patavinum, laudatum Carolo du Freſne in *Diſſertatione de infer. ævi Numis. num.* 15. V quoque infrà, in voce *Nimbus.*

Circumcelliones, adde. *Circitores* vocat eos Philaſtrius *in Catal. Hær.* Sed & *Circumcelliones* dicti ſunt Papiæ, qui *κυκλευταὶ* in Cod Canon. Eccl. Afric. *cap.* 93. *Κυκλαγυρευταὶ* in *Synodica* Orientalium ad Theophilum Imperator. qui viz. ſub habitu Monachorum usquequaque vagabantur, de quibus intelligendus *can.* 42. Synodi Trullanæ, & multis agit Hieronymus *Epiſt.* 22. laudati Carolo du Freſne in *Gloſſar.* V. quoque de illis Joan. Forbeſium *in Inſtructionibus Hiſtorico—Theologicis lib.* 14. *cap.* 4. *num.* 4.

Circumciſio, ex ordinariis V. T. Sacramentis prius, geminam habuit periodum: unam ab Abrahamo ad Moſen, alteram à Moſe usque ad Chriſtum, Joan. *cap.* 7. *v.* 22. in quarum illa fuerunt Eccleſiæ circumciſæ incunabula, in hac illius *ἀκμή*. Primus qui illam accepit, divino juſſu, Abrahamus fuit, *Geneſ. cap.* 17. *verſ.* 5. 7. 11. 12. A. M. 2107. ante exitum Iſraelitarum ex Ægypto annis 406. ætatis Abrahami anno 99. In qua prima ſua inſtitutione *Circumciſio* fuit Sacramentum domeſticum familiæ Abrahamiæ donec poſt quatuor ſecula, rejectis gentibus & emortuis piorum inter eas reliquiis, Eccleſia concluſa fuit inter Abramidas, ſicque Circumciſio facta eſt publicum totius Eccleſiæ illius temporis Sacramentum, à Moſe Judæis datum, Joann. *cap.* 7. *v.* 22. à quo tempore nemo Eccleſiæ membrum eſſe poterat, niſi circumciſus, Exodi *cap.* 12. *v.* 48. V. infrà quoque, ubi de *Proſelytis*. Adminiſter ejus quivis erat Paterfamilias, Geneſ. *cap.* 17. *v.* 23. Inſtrumentum, culter lapideus, ſeu acutus, Exodi *cap.* 4. *v.* 25. Illius legi ſubjecti omnes Iſraelitæ mares, ſervique tum empticii, tum vernæ, exceptis ſolùm mercenariis, Gen. *cap.* 17. *v.* 26. & 27. Tempus, octavus à nativitate dies *Ibid. v.* 12. fortè, quia mater à partu recens, octo diebus impura erat, Levitici *cap.* 12. *v.* 2. & 3. nec ſine dolore peragebatur, ad quem ſuſtinendum infanti aliquot dierum intervallo opus erat. Idque tempus adeò ſtrictè obſervatum, ut diem anticipare omitteretq; nullâ cauſâ liceret: Sacramenti contemtori additâ exciſionis comminatione, Geneſ. *c.* 17. *v.* 14. Circumciſionem autem comitabatur nominis impoſitio, ut in circumciſione Iſaaci, *Gen. cap.* 21. *v.* 3. 4. Joannis Baptiſtæ, *Lucæ cap.* 1. *v.* 59. & Chriſti, *Lucæ cap.* 2. *v.* 21. Cui accedebant etiam teſtes, Eſaiæ *cap.* 8. *v.* 2. & Lucæ *cap.* 1. *v.* 58. & 59. Quibus omnibus quid ſignificari voluerit Deus, V. apud Franc. Burmannum *Synopſi Theolog. Chriſt. Part. Prior. l.* III. *p.* 6. §. 20. *& ſeqq.* Verbo, Circumciſio obſignabat fœdus Dei cunctaque ejus beneficia, eratque ſigillum ejus à Deo traditum, quod durare debebat, usque ad præſtitum in carne Meſſiam, ſub quo illud abrogandum, & Baptiſmus in ejus locum ſubſtituendus erat. Nempè ante adventum Chriſti *Circumciſio* neceſſaria erat: poſt Chriſti adventum cœpit languere, per mortem ejus mortua eſt & antiquata, poſt mortem Chriſti, quanquam aliquandiu in Eccleſiâ uſurpatâ, propter infirmos, Baptiſmo veluti geminum ſigillum, paulatim tamen cœpit abrogari, primusque Cornelius in præputio baptizatus eſt, Actor. *cap.* 10. *v.* 44. 47. Quo tempore intermedio, quo illa aliquandiu retenta eſt, ut viz. pretioſius exſpirantis funus eſſet, magnâ fuit opus prudentiâ, ob Judæos Chriſtianos, qui patrii ritus tenaces, ejus abrogatione ſcandalum patieban-

tur. Post Templi verò destructionem, quo veluti velo ablato Ecclesia plenè in libertatem asserta est, unàcum reliquo Templi apparatu, abolita & tandem mortifera facta est Circumcisio. Interim per cacozeliam apud varias nationes, pro lustratione Græcis Romanisque usitata, lustrico die, infantibus adhibita est. Quod institutum divinum, ut corporis signaculum, Judæis primò proprium fuit, uti vidimus, qui *recutiti* hinc dicti, ut ex Petronii *Satyr.* & Martial *lib. 7. Epigramm.* 29. patet, aliquando ab Adriano aliisque sublatum. Inde ad alias gentes transiit, aliquando simplici vice, aliquando iteratò administrata Circumcisio: Ad Samaritanos se in nomine columbæ *circumcisos*, Æthiopes, (qui *Circumcisionē* cum Baptismo conjungunt, ut sic discernātur, tanquam filii credentis Abrahami, à cæteris nationibus) Ægyptios, Colchos, Phoenices, Troglodytas, Macrones, Edomitas, Ammonitasque; quorum omnium meminere, præter alios, Herodotus *lib.* 2 Diod. Siculus *lib.* 1. *&* 4. Strabo *lib.* 16. *&* 17. Arabes quoque per experimentum acquisiverunt: Christiani insuper veteres & Episcopi quidam, ut adhuc Κόφθοι dicantur Ægyptiis, V. Kircherium *Prodrom. Copt. cap.* 1. Inter Hæreticos Ebionitæ quoque tenuere. Sed nec apud Græcos & Romanos, incognitam planè fuisse, suspicio est. Dies octavus erat uti dictum, quia tum purgatæ erant puerperæ & unum transierat Sabbathum, V. Cunæum *de Rep. Hebr.* Mahometanis (quibus ex civili potiùs, quàm religioso instituto, inter Orientales populos celebrata *Circumcisio*, deinceps apostasiæ Impostoris illius facta est Symbolum) octavus annus, Syris tertius decimus, aliis alius. Pars scindenda principium est genitalium seu ἀκροβυστία עָרְלָה Hebræis, superfluum luxuriansque, (Magis totum corpus) signum, quod renasci non possit. Aliæ tamen gentes iterum adducebant præputium, qua de re V. Thom. Bartholinum *Comm. de Morbis Bibl. cap.* 26. & aliæ quædam novum fecerunt. Utriusque diversus modus disquiritur fusiùs. Masculus Judæis, Ægyptiis etiam fœminæ clitoris, unde *Nymphas Ægyptias exscindere*, dicit Galenus *Introduct.* & hodieque hoc in Ægypto servari, quia eis plerumq; nimis excrescat, testatur Alpinus. Illis verò lex, his honor, illi totam amputant pellem & reliquum unguibus abradunt; hi Arabesque incidunt tantùm, ut iterum consolidetur. Nec instrumenta unius generis ab omnibus adhibita: Testa subinde & silex, ut in sacris Cybeles, V. Plinium *lib.* 35. *cap.* 12. Novacula plerisque, cujus incommoda prævidentes, alii forcipem maluerunt, alii bipennem. Cātino autem inferebant & ad morbos servabant præputium. Ministri quivis: totumque actum convivio clauserunt Arabes, sicut voto Judæi; nomina dein quoque imponebantur & V. Thom. Bartholinum *de Puerperio Vet.* præterque alios plurimos Cunæum inprimis *Op. cit. l.* 3. *c.* 5. Quod verò suprà dictum, de *Circumcisione Judæorum* ab Impp. subiata, sic habet: Fuit illa legibus Domitiani, Nervæ, Hadriani, interdicta, Rescripto postea Divi Pii iterum permissa. Unde de Hadriano Spartianus, *moverunt eā tempestate & Judæi bellum, quòd vetabantur mutilare genitalia.* Etsi enim magnum discrimen inter ἀκροτηριασμὸν & ἐκτομὴν, *circumcidere & castrare*; videtur tamen LL. Imperatorum prædictorum, quibus ἐκτομὴ, *i. marium eviratio*, vetita, etiā *circumcisioni* fibula esse imposita, quod cùm impatientissimè ferrent aut potius cùm non ferrent, à Pio tandem auxiliatem legem impetrarunt. Modestinus *libro Regular. Circumcidere Judæis filios suos tantùm, rescripto Pii permittitur: in non ejusdem Religionis qui hoc fecerit, castrantis pœna irrogatur.* Casaubonus *ad Spartianum &c.*

Circumcisio Domini, Festum ad Kal. Januar. ab Ecclesia celebratum, ut superstitioni Gentilium hoc die ferventi opponeretur, ut dictum suprà in *Cervula*, ex Augustino Psalm 68. & Ambrosio *Serm.* 2. de Kal. Januar. Proinde eo die *Alleluja* omissum, ex ordinatione Concilii Tolet. c. 10. munera quoque & strenæ prohibitæ sunt. Cumque ad invitationem Gentilium larvas quoque eodem festo nonnulli Christianorum sumerent, increpat eos acriter Petrus Chrysologus *Serm.* 155. &c. V. Macrum *Hierolex.* Idem primum est ex VII. majoribus Copritarum festis, quod illi celebrant die sexto mensis *Tebeta*, qui est Mai Juliani 31. quod illo, utpote octavo à Nativitate Christi Dominum circumcisum fuisse, ajunt Joh. Seldenus *de Synedriis lib.* 3. *cap.* 15.

Circumlustrator, titulus Rom. Eccl. Archidiaconi peculiaris, qui etiam *Diaconus Perscrutator* dicebatur, quod ad illum totius cleri cura ac disciplinæ Ecclesiasticæ observantia spectaret, apud Dominicum Macrum in *Hierolexico.*

Circumpedes, apud Romanos, servi dicebantur, qui aliàs *Pedisequi, à Pedibus, ad Pedes*; quibus *Antepedes* oppositi Agrœcius *de Orthogr. Circumpedes sunt obsequia servorum, Antepedes amicorum*, apud Salmasium *ad Pollionem in Claudio.*

Circumtextum, Latinis idem, quod *praclavius* vel *praclavium*, item *prætextum* vel *prætexta*. Varroni *purpura circum*, Græcis περιφέρη ὑφασμένη seu παρυφὴ & recentioribus παράσημον, παρυφαί, παρυφαὶ, παρυφώματα &c. Cujusmodi vestium ornatura seu *circumtexta* aliæ latæ, aliæ rotundæ, aliæ ex vestibus cirratim dependentes: rursus aliæ monolōres, aliæ trilores, tetralores, pentalores tunicas efficientes, quòd simplices, triplices, quadruplices, quintuplices essent, apud Scriptores, passim occurrunt. V. Salmasium *ad Vopiscum in Aureliano*, & infrà passim, inprimis in vocibus *Clavus, Lorum, Pannus, Prætexta &c.*

Circumtonsi, olim fuere non pueri solùm ingenui apud Græcos, sed & omnes elegantiæ studiosi, inprimis qui in gymnasiis versabantur, tam senes, quàm juvenes. Unde Euripides in *Phœnissis* longam comam non esse ex palæstræ more dicit.

> Πλόκαμόν γὰρ οὐ τρέφεις, ὃ πάλαι ὑπὸ
> Γῆν παρ' αὐτὸν κεχυμένον.

Circumdare vel *circumradere capillum* id vocat Tertullianus *l.* 2. *de cultu fœmin. Propriaq; præstigias formæ & hic sexus sibi agnoscit, barbam acrius cædere, intervellere, circumradere, capillum disponere, etiam colorare caniciem.* Accuratiùs idem hoc tonsuræ genus describit *lib. de Pallio cap.* 4. *Unde — juxta cutem tonsor, & cultri vertex solùm immunis, Nempe*, verba sunt Salmasii *ad h. l. hoc tondendi modò vertex intonsus & cultri immunis manebat, sub vertice omnia circumtonsa strictim & juxta cutem.* Quæ capillatura, ad instar coronæ, in orbem hoc modò attonsā σκάφιον, item περιτρόχαλος, ipsum verò hoc tonsuræ genus περιτρόχαλα dicebatur. Atque hoc habitu comarum ingenui & palæstrici adolescentes ac juvenes in Comœdia introducebantur, cùm milites cæsariati essent, ut ex *Milite glorioso* Plauti colligere est. Iidem σκαφιοκουρία dicebāntur, quòd, quā parte tondebantur, juxta cutem rasi essent: σκαφίον enim & περιτρόχαλον genus tonsuræ idem: quod cùm ex palæstra & à Græcis ad Carthaginenses transisset, hinc Tertulliano invectivæ occasio. Aliter radebantur Philosophi, Stoici præsertim, qui totum caput, atque etiam verticem derasum habebant, hinc ἐν χρῷ κουρίαι dicti: quod utrumque tonsuræ genus aperte Eustathius distinguit, Κείρεσθαι ἐν χρῷ ... A'λλοι, οἱ δὲ σκαφίον &c. Xysticas munditias paulò post Tertullianus vocat illud *circumtondendi* artificium, quo cùm uterentur ephebi Græci qui xysto & palæstræ operam dabant, uti dictum. Aristodemus Cumanorum Tyrannus, qui pueros puellarū habitu & muliebribus comis comtos, incedere volebāt; puellas ephebonū in morem *circumtonsas* atque ephebicis chlamydibus amictas jussit ire, apud Plutarchum *de Mulierum Virtutibus.*

Circumvehi, apud Virgilium, *Georgic. lib.* 3.

> *Sed fugit interea fugit irreparabile tempus,*
> *Singula dum capti circum vectamur amore.*

Et *in Culice*, vel *Ciri*,

> ——— circumvehar *omnia verbis:*

Ad verbum est περιηγεῖσθαι, *dicendo circum vehi*, & singula enarrare, ut illi solent, qui, ut omnia curiosè contemplentur, per singula eunt. Unde περιήγησις, exacta & morosa descriptio, præcipuè locorum, sed & rei cujuslibet. Herodoto namque phœnicis avis descriptio περιήγησις τοῦ φοίνικος: ἐς τὰ μάλιστα αἰετῷ περιήγησιν ὁμοιότατος καὶ τὸ μέγεθος. Ubi περιήγησις est *formæ descriptio*: Sed quia in singulari partium descriptione, non est similis aquilæ phœnix, nam & de colore multùm dissimiles; περιήγησις, est potiùs *formæ circumscriptio*, quam *circumcæsuram* Latini dixerunt. Lucretius,

> *Extima membrorum circumcæsura tamen se*
> *Incolumem præstat, nec defit corporis ilium.*

Et Arnobius, *At verò nos Deos partum est, quod amplectimini mensione, filo & adterminatis humano: & quod indignius multo est, terrenorum corporum circumcæsurā finitis.* Ubi *circumcæsura* magnitudinem spectat, ut περιήγησις in loco Herodoti. Unde περιηγεῖν est ζωγραφεῖν, *lineis circumscribere*, ut Pictores solent, *formarum magnitudines*. Hesychius, περιήγεῖ, ἐξηγεῖται, περιηγητὴς χιτὼν, *purpura circumtexta tunica*, ὁ περιπόρφυρος. περιηγὴς, *rotundus*, κυκλοτερής, in Parmenidis *versu*, apud Stobæum, qui in *Physicis* ejus sic κεχρημένος fuit,

> A'τρεκέως πάντοθεν ἴσον ἶσον, καὶ πάντῃ ὅμοιος
> Σφαῖρος κυκλοτερὴς, μονίῃ περιηγέϊ γαίων.

Quem alii Empedocli tribuunt. Igitur *omnia latiùs dicendo circumvehi*, est πάντα περὶ πλάτος περιηγεῖσθαι, nihil in dicendo omittere & circa patulum orbem morari, κύκλῳ λέγειν καὶ περὶ τὸ ... τοῦ λόγου; cui opponitur, τὸ σύντομον. Salmasius *ad Solinum pag.* 97.

Circus Maximus, locus in urbe Roma amplissimus ac pulcherrimus, spectaculis olim destinatus. Eum Tarquinius Priscus non extruxit solùm sed & exornavit, Liv. *lib.* 1. *Tum primùm Circo, qui nunc maximus dicitur, designatus locus est: loca divisa Patribus Equitibusq;, ubi spectacula sibi quisque facerent; Fori appellati, spectavere furcis duodenos ab terra spectacula alta sustinentibus pedes.* At Dionysius *lib.* 3 *Idem Tarquinius Priscus in Circo Maximo, inter Palatinum & Aventinum montes sito, primus circumquaque operta struxit sedilia. Nam antea stantes spectare solebant furcis tabulata sustinentibus. Locos spectaculorum in 30. curias distribuit, ut Curiatim quisque spectaturus, suo loco sederet: quod opus & ipsum procedente tempore annumerandum erat, inter spectacula totius urbis pulcherrima. Longitudo ejus trium stadiorum cum dimidio, latitudo 4. jugerum, à duobus majoribus lateribus, & uno minore, cingitur Euripo, qui aquam accipiat, decempedali profunditate simul ac latitudine. Post Euripum extructæ sunt triporticus, ima habent lapidea paulum scandentia sedilia, super duplici contignatione sunt lignea, duas majores porticus tertia minor conjungit transversim lunata specie apposita, ut ex tribus una conficiatur amphitheatralis* 8. *stadiorum amplitudine C. pass. centum quinquaginta mill. hominum capax. Reliquum è minoribus*

bitus, quod subdiale est, habet fornicatos carceres, unde equi emittuntur, omnes uno clausi repagulo. Extrà ambit Circum simplex contecta porticus, habens officinas & supernè cellas, per quas spectatores intrant, & ascendunt per officinas singulas, ut nulla confusio oriatur inter tot hominum millia, tum venientia, tum discedentia. Nomen an à *Circe*, quæ prima in honorem Solis ludicrum hic agi solitum excogitavit, an à *circuitu*, quod rotundus esset, vel quòd *circum metas ferretur pompa, vel quòd circum spectaculis ædificaretur?* Varro *lib. 4 de ling. Lat.* Certè uti *Circum* Latini, sic Græci Κύκλον, dixere; nam, *Circus* est Κύκλος; adeoque, quòd circa metas in eo currerent equi, septemque circulos facerent, inde *Circus* apellatus. Apollonius de loco Certaminis curulis,

—— *εἰς τέῤια κύκλον ἀγῶνος.*

Sed & *ἀγὼν* inde dictum Grammatici arguentur, quasi *ἀγώνιος*, quòd rotundus & *sine angulis* esset &c. Soli autem sacer fuit, Corippus Africanus *lib. 1. num. 17.*

Solis honore novi grati spectacula Circi
Antiqui sanxere Patres.

At ludi, qui hic celebrati, partim Neptuno, partim Cereri, V. suprà in *Circenses ludi*. Forma oblongiorem referebat *Circulum*, ovumque, qualis & Amphitheatri forma, repræsentabat: Nî malis fuisse ad instar *fundæ*, quæ in medio latior est, utrinque strictior. Certè sic dicta in Circo CPolitano ultima meta est, Græcè *σφενδόνη*, quòd eâ parte Circus in angustias, ad instar fundæ, cogeretur. Quemadmodum Terrarum Orbem, qui ad Ortum & Occasum in arctum stringitur, *σφενδόνῃ ἐοικέναι* Dionysius esse dixit. Unde *Circum clausi utrinque in teretem orbem* ait Corippus. Et quidem pars Circi ubi metæ ultimæ, *superior* dicta est, in qua aræ tres, Saturni, Jovis & Martis, *ἀνωτέρω τοῦ ὀβελίσκου*, ut habet Jo. Lydus, i. *suprà obeliscum*, qui stabat in medio: pars illa, ubi carceres, *inferior*, in qua aræ itidem tres, Veneris, Mercurii & Lunæ. Media verò pars, *Spina*, in qua ingens obeliscus erectus stabat; *Infima* tandem dicta, in quâ primæ metæ. Ulterius tribus porticibus tristegis, ut dictum, cinctus, fossis quoque circumdatus est & Euripis, quæ Nero sustulit, habuitque suum podium & cancellos. Carceres item, & binos utrinque ostiorum, è quibus mittebantur quadrigæ, certaturique, qui *commissi* dicebantur. Statius *Theb. lib 6 v. 74.*

—— —— *Quisnam ista tuo fatissima Phœbo,*
Nomina commisit Deus in discrimina Reges?

ex Homerico *ξυνιέναι μάχεσθαι Il. α.* occasione sumptâ, fiebatque hæc *commissio* nominibus certantium in urnam conjectis atque inde à Prætore eductis. Virg. *Æn. lib. 5.*

Tum loca sorte legunt.

Claudianus *de 6. Hon. Consul.*

—— —— *Campus solemnis & urna*
Luditur in morem.

In *Circo* hoc, memorat porro Tertullianus, Ova Castori: Delphinos Neptuno: Obeliscum Soli: Euripum Cybeli: locum apud metas subterraneum Conso: ædem quoque Murciæ, dicata, *lib. de Spectaculis.* Cæterùm Carceres primum ex topho, lignoque, dein sub Claudio Imp. ex marmore fuere, quidem metas insigniores inaurari voluit: solum minio & chrysocollâ sterni Caligula, auri argentique scobe conspergi mandavit Heliogabalus, dolens quòd non posset etiam electro. Et ne quis non sederet molliter, non solùm Magistratibus ac honoratioribus tomentum, quod *leucomium & gnaphalium*; sed & multitudini substernebatur, quod è concisis arundinibus factum, nomine proprio *Circense* dictum est. Ne quoque unus alteri molestus esset, cancellis sedilia discernebantur. Exornabant quoque locum Deorum imagines gypseæ, ac spolia hostibus detracta: solebantque servi nuces & fractum cicer per illum clamando circumferre, ac in cortinis aquam portare, quam esurienti sitientique plebi venderent. Sub Circo in cellis antrisq; impudicæ prostabant fœminæ, & res furtò ablatæ vendebantur: unde Horatio *Circus fallax* dictus est, &c. Nec prisca solùm Roma suos *Circos* habuit, sed & nova, Constantinopolis viz. Mediolanum item, aliæque urbes, ad Romæ imitationem. Sed *Circi* CPolitani & Romani; ut & Romani, ac Olympiaci veteris, ad cujus exemplum Romanus Circus institutus est, ratio non in omnibus eadem fuit, uti docet Salmasius *ad Solinum pag.* 901. & 902. quem vide: Plura verò hanc in rem, apud Joann. Rosinum *Antiqq. Rom. lib. 5. cap. 4.* & Thom. Dempsterum *in Paralipom.* nec non, in voce *Circi*: Inprimis verò apud præfatum Salmasium *d. l. passim*, Car. Paschalium *Coronarum lib. 6. cap. 15.* ubi de *Coronis Circensibusque Olympicis* pluribus agit, ut & hic in vocibus, *Agon, Balbis, Carceres, Circenses, Creta, Euripus, Herma ἀφετήριος, Ostia, Ova, Porticus &c.*

Ciricsetum, vox Saxonica, h. e. *Ecclesiæ semen*, aliis *primitiæ seminum*, vectigal fuit Ecclesiasticum, quod Britones Anglique, secundùm veterem Mosis legem *primitiarum* nomine quotannis, in Festo S. Martini, pendere tenebantur, sub pœna 60. solidorum, & decupli persolvendi. V. Fletam *l.* 1. *cap.* 47. *§.* 27. *LL.* Inæ Regis Westsaxon. *cap.* 4. *LL.* Henrici *I. cap.* 11 Ingulfum *pag.* 194. Radulfum de Diceto *A.* C. 1031. Wilhelm. Malmesbur. *de Gest. Angl. lib.* 2. *cap.* 11. & Florentium Wigorn. *p.* 621. laudatus Carolo du Fresne *in Glossario.*

Cirratæ militares, apud Jul. Capitolinum *in Pertinace*, aut intelliguntur fimbriatæ aut villosæ, & hirtæ. *Cirri* enim fimbrias significant, per extimam vestis oram dependentes; unde *Tunica cirrata*, Phædro Augusti liberto, in jocis:

Ex alticinctis unus atriensibus,
Cui tunica ab humeris linteo Pelusio
Erat destricta, cirris dependentibus.

Ubi tunicam intelligit non aliam quàm fimbriatam: cujusmodi linteis succincti Atrienses erant & lautiora ministeria. *Κροσσωτὸν* & *κροσσωτὰ* Græci dixere, ut videre est apud Arrianum in *Periplo maris Erythræi* unde *κροσσωτοί, vestes fimbriatæ* vel *cirratæ*. *Cirros* enim *κροσσοὺς* interpretatur vetus Magister. Sed & *cirratas* possumus *villosas* interpretari, Græc. *ἀμφιμάλλους* & *μαλλωτὰς*. Vett. *Glossæ*: *μαλλός, cirrus, villus: μαλλωτός, villosus*. Hinc *vestes bicirres*, quæ ab utraque parte *cirros* habebant ac villos, & *ἀμφίμαλλοι* hirtæ villosæque, &c. Verùm *Cirratas militares l. c.* satius est accipere fimbriatas: tales enim lacernæ militum ac pænulæ erant, lineæ quoque militares non aliæ. Ut autem *cirros* pro vestium fimbriis & extremis oris, sic contrà *fibras* vel *fimbrias*, pro capillorum *cirris* dixere. Cicero in *Gabinium fimbriæ cirrorum madentes*. Ubi Servius legit *fibræ*: *fibrus* enim Latini vett. dixere, quidquid esset extremum aut in extremitate positum &. Salmasius *Notis ad Jul. Capitolinum*: de *Cirris* Germanorum V. suprà in *Cinnabaris*, & hic infrà.

Cirrha, adde: Delphis stadia 30. distabat. Moschopulus, *Κίῤῥα πόλις ἀπέχουσα Δελφῶν σταδίους τριάκοντα· ἡ Κιῤῥαίων πεδίον παρ᾽ Αἰσχίνῃ τὸ παρακείμενον αὐτῇ*: quod is verbatim subduxit Harpocrationi. Plinius *lib. 7. cap. 3. Ultrà Cirrhæi Phocidos campi, oppidum Cirrha, portus Chalæon, à quo VII millia passuum introrsus liberum oppidum Delphi, sub monte Parnasso, clarissimum terris oraculo Apollinis.* De quo Oraculo, quia in *Cirrha* monte os antri fatidici, V. Lutatium *ad Statium Thebaides lib. 7. versu 333. Phœbados antrum* vocat alibi Scholiastes, *unde hausto afflatu dicebant futura.* Hinc Lucanus,

Tacitus pars magna Jovis Cirrhæa per antra
Exit.

Fuit porrò Delphorum navale, *Cyrrha*, ab Delphis 60. stadiis discretum, uti refert Pausanias *lib.* 1. Quo pacto autem fluvio averso & helleboro infecto restitutoque Cirrhæi subjugati ab eisdem fuerint, docet idem *lib.* 10. V. Casp. Barthium *Animadversion. ad Papinium Statium Thebaid. lib 2. v.* 3.

———— —— *jamq; arduæ Cirrhæ*
Pollutamq; suo despectas Phocida busto.

Et *Thebaid. lib.* 3. *v.* 473.

Cirri, apud Juvenalem,

Cærula quis stupuit Germani lumina, flavam
Cæsariem, & madido torquentis cornua cirro?

Et Tertullianum *de Virgin. vel. Debebunt & ipsi aliqua insignia sibi defendere, aut pennas Garamantum, aut scropulos Barbarorum, aut cicadas Atheniensium, aut cirros Germanorum*, non sunt capilli crispi, qui rectæ comæ opponuntur, sed nodi crinium, cincinni, *κόνδυλοι τριχῶν*. Græcum est *σκίῤῥος*, quo nomine duritiem omnem nodosam significant, aut durum tumorem: inde Æolicè *κίῤῥος*, & Latinè *Cirrus*. Unde *Cirri Germanorum*, crines in nodum torti & coacti: aliter torti crines Æthiopum, qui naturâ crispi implexi flexique ac veluti nodati, quam ob rem & *cirros* de hujusmodi etiam crinibus usurparunt: quemadmodum & *cirros sepiæ ac polypi* dicunt, quas Græci *πλεκτάνας*. Nisi malis vocem deducere, à *κόρρη* vel *κόρσος*, quo nomine *capillum in vertice* notant Græci: quorum aliqui superciliorum, alii temporum esse volunt. Inde *cirri*, crines in verticem nodo substricti, ut plurimum enim verticis crines *συνεστραμμένοι* & contorti esse solent: Et porro, pro cincinnis & implexis capillis, seu extremitate crinium, quæ naturaliter implexa in se reflectitur. Sed & in capillis nodo substrictis, ut erant Germanorum, extremitas implicita & cirrata est: quare vox propriè de Germanorum crinibus usurpata. Idem verò *cirrus* in pueris Græcorum quoque, quibus hic nodo collectus crinis *μαλλὸς* dicebatur & *σκολλὺς*. Ut & in pueris puellisque Romanorum, unde *Cirrati pueri & puellæ*, quòd nodo religatam in vertice comam haberent. Horatius, *Epod. od. 11.*

———— *aut puellæ candidæ,*
Aut teretis pueri longam renodantis comam.

i. virginis cirratæ, & pueri cirrati. Ammianus, *Et licèt quocunque oculos flexeris, fœminas affatim multas spectare cirratas, quibus, si nupsissent, per ætatem ter jam nixus poterat suppetere liberorum.* V. quoque Tertullianum *d. l.* Tales enim virgines erant, at mulieres cum crinibus, iisque à fronte divisis, ut suprà diximus, ubi de *Capillis*. Accuratius concumulatio hæc crinium, apud Græcos, in viris *κρωβύλος*, in virginibus *κόρυμβος* & *σκορπίος*, in pueris *σκόλλυς* dicebatur. Hesych. Hinc verò *Cirri* in vestibus, villi sc. plures in nodum collecti & ab extremitate vestis descendentes, Gall. *Houpes* qui in hoc à fimbriis, Gall. *franges*, differunt, quòd villi hi recti sunt ac discriminati, circa extremas vestium oras, nullo nodo constricti &c. Salmasius *ad Solinum p. 762 & 763.*

Cisa, fluvius Galliæ, quem *prope castrum Blesense Ligeri confluere*, scribit Auctor *Vitæ Ludovici Pii Imp.* hodie forsan *le Coussin*, qui in sinistrum Ligerim contra castrum Blesense influit. Aliud

 est

est *Cusilla* amnis : item *Secra*, vulgo *la Cisse*. V. Hadr. Valesium *Not. Gall.* in voce *Secra* & infrà in *Cusilla*.

Cisium, vehiculi biroti genus fuit, ut & carpentum. Ejus meminit Ausonius *Epist.* 14. *ad Paulum*, quando is Amico cuidam seni & à morbo resurgenti, scribens, monet, *Cisio & veredo tardè vehatur, rhedas, petorita & equorum veloces motus fugiat*: cùm ait,

Pelle soporiferi senium, nubemq; veterni,
Atq; alacri mediam carpe vigore viam.
Sed Cisium *aut cantus pigrum conscende veredum,*
Non tibi sit rheda, non amor acris equi &c.

Hinc *Cisiarii*, quorum mentio *l.* 13. *ff. de locat.* V. Pignorium *Com. de Serv.* & Hieron. Mercurialem *de Arte Gymnast. lib.* 6. *cap.* 10.

Cispius, adde: unus è collibus montis Esquilini Romæ: reliqui sunt Oppius ac Septimius, teste Varrone *lib.* 4. *de ling. Lat.* De hoc Festus ex eodem *rer. hum. lib.* 8. *Oppius*, inquit, *appellatus est ab Opita Oppio Tusculano, qui cum præsidio Tusculanorum missus ad Romam tuendam, dum Tullus Hostilius Vejos oppugnaret, consederat in Carinis, & ibi castra habuerat. Similiter Cispius, à Lævo Cispio Anagnino, qui ejusdem rei causa eam partem Esquiliarum, quæ jacet ad vicum Patricium versùs, in qua regione est ædes Mephitis, tuitus est.* Meminit ejusdem A. Gellius *Noct. Attic. lib.* 15. *cap.* 1.

Cissybium, Græcè κισσύβιον, inter pocula mensaria apud Græcos, quod *hedera* ambibat, Græcè κισσὸς, unde nomen. Fuit autem adeò vernaculum, ut factum fuerit ἀγροικικὸν ποτήριον, *agrestis seu agricolarum calix*. V. Etymologum in voce Κισσύβιον. Certè multus olim hederæ in conviviis usus, neque homines solùm ea coronati, sed & pocula illâ cincta, imò quædam planè hederacea fuere. Hinc Hercules apud Euripidem *Alcest. Actu* 4.

Ποτήριον δ' ἐν χείρεσσι κίσσινον λαβὼν,
Πίνει μελαίνης μητρὸς εὔζωρον μέθυ.
Poculum verò in manibus hederaceum accipiens,
Bibit nigræ matris purum vinum.

Et apud eundem *Cycl. Act.* 3. scyphus Cyclopis κίσσινος, *hederaceus* est, latus tres ulnas & profundus quatuor &c. V. Car. Paschalium *Coronarum lib.* 1. *cap.* 17 & infra, ubi de *Hedera*. Becmannus hoc poculi genere vinum explorari consuevisse ait, an esset permixtum aquâ, *in Origin. L. L.* At vas hederaceum non continere vinum, traditur apud Catonem *de R. R.*

Cista, à κεῖσθαι, quod in ea aliquid *reponatur*, in sacris Gentilium, ut in Cybelæ mysteriis, Bacchi orgiis, Cereris initiis, passim occurrit, ut in qua mysteria abscondita jacebant. Hinc inter symbola Sacrorum Eleusiniorum *cista* quoque, apud Clementem, ubi totam hanc illorum scenam pluribus traducit: *Ipsa deniq; symbola, quæ rogati sacrorum in acceptionibus respondeant: jejunavi atq; ebibi cyceonem, ex cista sumpsi & in calathum misi: accepi rursus, in cistulam transtuli &c.* Sed & *cistæ* adhibitæ, in quibus servarentur sacrificio necessaria: quas sertis redimitas & coronatas fuisse, constat ex Euripide *Ion. Actu* 5.

Ὁρᾶτε τόδ' ἄγγος ἐστ' ἀγκάλαις ἐμαῖς;
Ἴων. ὁρῶ παλαιὸν ἀντίπηγ' ἐν στέμμασι.
Vides hanc cistam sub brachio meo?
I. Video antiquam arcam sertis implicatam & floribus.

Sic Tibullus se & cantharum coronat myrto, *lib.* 1.

Hunc puer æ cum veste sequar, myrtoq; canistra
Vincta geram ———

Et Ovidius *Metamorph. lib.* 2.

Illa forte die castæ de more puellæ,
Vertice supposito festas in Palladis arces
Pura coronatis portabant sacra canistris.

V. Paschalium ubi supra *lib.* 4. *cap.* 19. Quænam verò *cistarum* materia optima sit, docet Plinius *lib.* 16 *c.* 40. *Lævissima ex his ficus & salix, ideo utilissimæ. Omnes autem etiam ad cistas quæq; flexili crate constant. Habent & candorem rigoremq; & in sculpturis facilitatem.*

Cisterna, Græcè λάκκος ὑποδοχεῖον, sc. aquarum, quam ab Ὑδρείᾳ distinguit his verbis Strabo *l.* 17. Κατεσκεύασται καὶ ὑδρεῖα καὶ λάκκοι, ... Nunc, *autem & hydrea seu aquaria fecerunt, præcedente fonte, & pro aquis cælestibus, quam raris, cisternas.* De illis sic Plinius *l.* 36. *c.* 23. Et Cisternas *harenæ puræ & asperæ quinq; partibus, calcis quàm vehementissimæ duabus construi convenit, fragmentis silicis non excedentibus libras: ita ferratis vectibus calcari solum, parietesq; similiter. Utilius geminas esse, ut in priore vitia considant aquæ, atq; per colum in proximam transeat maximè pura aqua.* Earum tectorum κονίαν dictum esse Græcis recentioribus, didicimus ex Salmasio *ad Solinum pag.* 1099. *Favissas* vocat locum, *in quo aqua erat inclusa circa Templa*, apud Paulum Festus; quasi propter *Cisternas*. Sed & infra terram *Cisternæ*: Ideò & subterraneum locum, ut erant thesauri Templorum & favissæ, fortè quòd ad illud instar structæ essent, *Cisternam* appellarunt. Paulus, *Cisterna dicta, quod cis inest infra terram.* Glossæ, *cisterna*, λάκκος. Græcis propriè fovea vel puteus ad concipiendam aquam & retinendam in terra cavatus ac munitus. Unde, quas Varro *Cisternas* vocat, *cellas* nempe & favissas *in Capitolio, ubi reponi erant solita ea quæ in Templo vetustate erant facta inutilia*, apud Paulum *Cisternis similes* dicuntur. V. infrà in voce *Favissæ*, & plura hanc in rem apud Salmasium *d. l. p.* 1210.

Cistheme, Κισθήνη, Insularum Lyciæ maxima, apud Strabonem, ubi de Lycia: Sed *Megista* legendum, docet Idem ubi supra *pag.* 785.

Cistophori, seu *Cistiferi*, apud Martialem *Epigramm.* 17. *lib.* 5.

Dum te posse negas, nisi lato, Gellia, clavo,
Nubere, nupsisti, Gellia, cistifero.

Dicti sunt abjectissimi Cybeles sacrificuli, qui *Cistulam*, in qua religionis Isiacæ arcana recondita jacebāt, ferre solebant, V. supra in voce *Cista* & plura hanc in rem, apud Hadr. Turnebum *Adversar. lib.* 3. *cap.* 21. & Baptistam Pium *Annotat. prior.* Calderinus tamen de Judæo intelligit,

——— *cui cophinus fænumq; supellex.*

Hinc *Cistophori*, in *l. Publ. §. Titius ff. depositi*, monetæ genus Asiaticæ, quod in illis *Cistiferi*, qui sacrorum mysteriorum cistis inclusorum arcana gestabant, sculpti essent, dicti. Horum septem cum semisse, quatuor denarios Romanos valuisse, Festus ait V. Cœl. Rhodiginum *Antiqq. Lection. l.* 10. *c.* 2. & Hadr. Turnebum *Adversarior. l.* 3. *cap.* 5. Mentio & eorum apud Livium frequens.

Citaris vel *Cidaris*, Græcè Κίταρις & Κίδαρις Polluci, ex Herodoto, diadema Regibus Armeniæ peculiare, nec nisi nomine ferè distinctum à Persarum Tiara. Unde *tiaram rectam*, quam non nisi Regibus hujus gentis ferre licuit, κίταριν ὀρθὴν vocat Plutarchus *in Artaxerxe*, ubi hunc Dario, uni è liberis suis, postquam eum Regem renuntiasset, concessisse tradit, τὴν καλουμένην κίταριν ὀρθὴν φορεῖν. Hesychius *Citarin* vocat pileum regium, quem Suidas addit, περίθεμα τῆς κεφαλῆς, *circumpositionem capitis*. Nunc pannus fuit aut pileus contextus è pilis, qui censetur idem fuisse cum tiara, id quod Suidas videtur indigitare his verbis, ... *Quidam verò Cidarin dicunt pileum vulgarem, aut coronam, aut fasciam, aut pileum Regiæ Persarum aut strophium, quod Sacerdotes ferant* V. supra *Cidaris*.

Cithæron, Rex, à quo monti nomen impositum, memorante Pausaniæ *lib.* 9.

Cithara, Amphionis inventum Plinio *lib.* 7. *cap.* 56. *Citharam Amphion* (invenit) *ut alii Orpheus, ut alii Linus. Septem chordis primùm cecinit Terpander, octavam Simonides addidit, nonam Timotheus. Citharâ sine voce cecinit Thamyras primus, cum cantu Amphion, ut alii Linus. Citharœdica carmina Terpander.* Ubi quod de Timotheo habet, confirmatur edicto Ephororum Lacedæmone contra eum edito, quo condemnatus est, quòd undecim (habet Salmasius) pro septem chordis citharam intendendo, veterem Musicam corruperit: ... apud Salmasium *ad Solinum p.* 121. Alii, uti Lyram Mercurio, ita Citharam Apollini tribuunt. Quod si ita est, quærendum præterea, inquit Scaliger, quare Apollinis signum à Delo dextra, lævâ Charitas habuerit, quarum una lyram gereret, non citharam; altera tibias, tertia fistulam ori admoveret. Figura ejus apud Græcos primùm concinnata Cepionis tempore, qui Terpandri fuit discipulus: & appellata Asias, propterea quod à Lesbiis fuisset importata. Idem *Poetices lib.* 1. *c.* 48. V. quoque infra, ubi de *Cithara* Davidis, ut & in voce *Cythara*. Certè à Lyra & chely aliam fuisse *Citharam* liquet, quamvis non rarò Poetis confundantur. Interim & ea testudinem habuit, ad recipiendum edendumque fidium sonum. Favonius Eulogius *in Somnium Scipionis*. *Terra nona, immota semper sede consistens, nullo canore concutitur & velut fundamenti vice circum se aliis octo cursibus defixa libratur. Atq; ut in Cithara testudo, sic in hac mundanæ harmoniæ veluti machinam præbet.* Hinc *cava Testudo*, Virgilio Georgic. *lib.* 4. *de Orpheo*,

Ipse cavâ solans ægrum testudine amorem,

Ubi ejus inventæ lepidam historiam adfert Servius, V. quoque infrà in voce *Testudo*. Plectro percussam esse, docet Schol. Martialis *ad lib.* 14. *Epigramm.* 167.

Fervida ne trito tibi pollice pustula surgat,
Exornent docilem garrula plectra Lyram &c.

Uti autem Apollo chelyn suam lauro coronavit, uti Statius habet *Thebaid. lib.* 6. & *Sylv. lib.* 4. de quo etiu suprà diximus, in voce *Chelys*: sic exemplo ejus Citharistæ in solennibus pompis *Citharas* suas deamare solebant. Cujus rei mentio est apud Athenæum *lib.* 5. in pompa Ptolomæi, in qua treceni Citharœdi auratas citharas pulsarunt cum aureis coronis &c. Apud Hebræos memorabilis imprimis fuit, *Cithara* Davidis, Hebr. כנור *kinnor*, unde Græcis κινύρα: quæ Josepho sic describitur *Antiqq. l.* 7. *cap.* 10. Ἡ μὲν κινύρα δέκα χορδαῖς ἐξημμένη τύπτεται πλήκτρῳ. *Cinyra quidem, decem chordis instructa, plectro pulsatur.* E quibus dubitat Bochartus, an Hebr. *cinnor*, rectè reddatur *cithara*, quam Auctor *Epistolæ* ad Dardanum, sub Hieronymi nomine, in modum *Delta* literæ, i. triangularem describit, cum chordis viginti quatuor, quæ per digitos Pindari variis vocibus tinnulis sibilis diversis modis concitentur & V. hunc Bochartum *Hierozoici Part. prior. Lib.* II. *cap.* 44. & infrà quoque voce *Cythara*.

Citharœdus, seu Citharista, qui citharâ canit. Horum apud veteres habitus cultusque notabilis fuit. Lacerna aurata, non multum chlamydis dissimilis illis peculiariter tribuitur, à Juven. *Sat.* 10.

Et quibus auratum mos est fulgere lacernis.

Eidem Auctor *lib. ad Herenn.* pallam dat auratam & chlamydem purpuream: *Uti Citharœdus cùm prodierit optimè vestitus, pallâ inauratâ indutus, cum chlamyde purpurea coloribus variè intexta, cum corona aurea, magnis fulgentibus gemmis illuminata.* Hinc Ovidius de Arione *Fastorum lib. 2.*

Induerat Tyrio bis tinctam murice pallam,

Ita eorum habitus fuit tunica talaris & chlamys: quæ tunica etiam *palla* dicta videtur. Hæc enim, quamvis prius fœminarum propria, posteà ad *Citharœdos*, Tragœdos ac Saltatores translata est. Cornificius *lib. 4. ad Her. verbis retro citatis*: Unde Apollo quoque pallâ indutus à Poëtis producitur. Ovid. *Amor. lib. 1. eleg. 8.*

Ipse Deus vatum pallâ spectabilis aureâ
Tractat inauratæ consona fila lyræ.

Quòd autem ea tunica talaris esset, cum stola Orpheum inducit Varro *de re Rust. lib. 3 c. 13.* *Quintus Orphea vocari jussit, qui cùm eò venisset cum stola & Cithara & cantare esset jussus.* Ea discincta Ὀρθοστάδιον Græcis dicta est. Dio de Neronis habitu Citharœdico, *lib. 63.* *Nam cùm statuisset ad citharam canere, non sustinuit à Corbulone videri* ἐν ὀρθοστάδιῳ ἔχων. Discincta itaque fuit & fluens, ut mirum sit Bathyllum *Citharœdum*, cum tunica cincta induci, apud Apuleium *Florid. lib. 2.* Nec tunica solùm talaris fuit, sed & chlamys longum forma trahens. Horatius,

—— *Traxitq; vagus per pulpita vestem.*

Quo habitu in nummis Neronem videmus. V. Octav. Ferrarium *de re Vestiaria Part. 2. lib. 3. cap. 11.* Sed & *Citharœdæ*, quoque in ministerio olim, ut antiqua marmora indicant. Extat Romæ monochroma pictura (ita liceat appellare) in quo mulier sedens *Citharam* pulsat; confirmatque id vetus elogium Auxesis & Neriti mimus ingenuorum nominum: mulieri nempe hæc studia psallendi & oblectandi aures, ... olim aut placuisse. Mentio utique apud Horatium *lib. 4. Carm. Od. 13.*

—— *illa virentis &*
Doctæ psallere Chiæ:

ministeria hæc propius tangit. Ut & *festissimi utriusq; sexus canentes, & psallentes, quos adolescens ex terra Asia* habuisse apud Gellium scribitur *lib. 19. cap. 9.* pueri [illegible] ac puellæ. Et quidem elogium Auxesis sic habet.

D. M.
AUXESI CITHAROEDÆ
CONJUGI OPTIMÆ
C: CORNELIUS NERITUS FECIT
ET SIBI.

Has alii Psaltrias, Fidicinas, Citharistrias appellant &c. *Citharæ* autem species enumerat Isidorus *Origin. lib. 3. cap. 21.* Psalteria, Lyra, Barbita & alias quadrata forma, nec non & trigonali: quarum aliquas, rariores illas quidem, sed Studiosis antiquitatis adjumento futuras ad cognoscendas testudinis partes, *cacumina, brachia, humeros, scapulas, pectines, manubrium, tympanum*, exhibet Laur. Pignorius *Com. de servis.* Ut hoc addam: *Citharœdi* nomos & cantica, quæ Poeta Lyricus aut Dithyrambicus ipsis composuerat, sicut erant ab Autore facta, ad *Citharam* canebant, V. infrà in voce *Nomi*. Iidem in Triumphis spectaculisque coronati erant, uti ex triumphali pompa Scipionis Africani & Auctoris ad Herennium *loco cit.* patet. Quam proin coronam Nero usque adeò concupivit, ut omnes hujus generis coronæ ad eum delatæ fuerint, teste Xiphilino *in eo.* V. Car. Paschalium *Coronar. lib. 8. cap. 9* De *Citharœdorum* vero fibula, infrà; ut & plura hanc in rem apud Gerh. Joh. Vossium *de Musica.*

Citola, Instrumenti Musici species, apud Guil. *Guiart. A. C. 1214.* laudatum Carolo du Fresne in *Glossar.*

Citrea Arbor, eadem cum Assyria & Medica, in Assyria solùm Mediaq; nascebatur, si Plinio credimus, qui verbosè de illa disserit *lib. 12. cap. 3.* undeque Perside poma citrea in Græciam illata indeque in Italiam. Nec ut cibi essent aut mensarum usui, sed ut odoris gratiâ inter pretiosa *supellectilis* reconderentur, aut vestibus interjicerentur. Plinii certè ætate nondum mandebantur, nec gignebantur in Italia, refertque Plutarchus, avorum duntaxat memoriâ mandi cœpisse. Videtur autem in Italiam arbor pervenisse, paulo ante Palladii tempora, ubi mutato solo, ab ea quæ in Assyria nascebatur, eò recessit, ut cùm omni tempore anni in Assyria fructum ferret, in Italia tantùm certis temporibus poma ederet. Ex Italia postmodum in Hispaniam, Galliam, aliasque regiones propagata: atque hæc est, cujus poma, *Citrea*, propriè dicimus. Antequam autem hæc arbor Græciæ innotesceret, jam pridem Hesperia arbor, quam *Citrum* Pisanus antiquitus dictam esse ait, vulgaris erat, domibus decorandis expetita, & vestibus odore pomi, quod nec ipsum tum esitabatur, imbuendis. Quæ mala modò *Hesperia* modò *Aurea*, modo *Citria*, appellata sunt, donec Medica mala in Græciam Italiamque è Perside invecta, ob similitudinem, quam habere visa sunt, cum aureis malis & Hespericis, *Citrea* etiam dici cœperunt. Unde discordibus Auctorum natis, cùm alii assererent, *Citrea* eadem cum Medicis esse, alii diversa facerent: usu demum invalescente, factum est, ut Citreorum nomen Medicis & Assyriis pomis velut proprium maneret, Hesperidum autem mala, *Aurea*, *Aurantia* & *Inaurantia* dicerentur, quod usque ad nostram ætatem obtinuit, quâ idem hoc nominum discrimen inter *Citrea* & *Aurantia* servatur. Est autem *Citrea* seu *Medica* Arbor parva, neque altè extollitur. At Citrus,

Ipsa ingens arbor, faciemq; simillima lauro.

Sed & signa ac color pomi aliaque diversa in utraque, uti pluribus diximus suprà, ubi de *Aurantiis*. Sic itaque, cùm *citrum*, de Assyrio pomo, dici cœpit, Græci mediæ ætatis (quod nemo ante Jubam fecit) κίτριον & κιτρόμηλον fecerunt: hodieque *Citronem* Hispani, Itali Germanique vocant, quibus non odore solum, sed & cibo commendatur. In Citreorum porrò specie, multæ aliæ species deprehensæ, ut quas *Limas* apellant, & *Limones* & *Poncira*, q. *poma cerea &c.* Quam in rem V. plura apud Salmasium *ad Solinum pag. 952. & seqq.* Hodie circa Genuam *Mala Citrea* optimæ notæ habentur, sed & in Hispania non multum deteriora, quibus proin, ut & malis aureis punicisque, Hollandi naves ibi onerant, aliarum mercium defectu, Auctor Anon. *Historiæ Orbis Ter. Geogr. & Civ. Cap. de Commerciis.* De illis sic Auctor *Sinæ & Eur. cap. 35.* *Theophrasti ætate pomum hoc nequaquam erat vescum, sed nec Plutarchi quidem, ut Athenæus commemorat. Parthorum Proceres grana ejus duntaxat esculentis solebant incoquere, commendandi halitus gratiâ. Veneni adversum vires omnes asserunt, quod Athenæus celebri exemplo astruit —— Ex eodem fructu Serapium paratur, inter Italos, adversùs malignas & pestiferas febres præstantissimum remedium & cordis affectionibus valde conveniens. Caro etiam editur, sed ignavi est saporis, nisi saccharo condiatur. inde in delitiis habetur. Cortex vero aromaticum quid spirat, stomacho & cordi amicus &c.*

Citrosa Vestis, apud Nævium,

—— *pulchram ex auro vestemq; citrosam:*

Græcè Θυώδης est. Versiculus enim hic ex Homerico isto est expressus,

Εἵματά τ' ἀμφιέσασα θυώδεα, [illegible].

Nempe non à crispitudine citri, ex quo mensæ citreæ fiebant, sed ab odore citrini mali, quod in arculis vestimentorum condebatur, ut à tineis ea defenderet. Theophrastus, Καὶ εἰς ἱμάτια [illegible] ἄκοπα διατηρεῖ, *unde interjectum vesti tineas necat*, & bono odore impleret. Athenæus de Citreo malo, Καὶ ὡς ἂν μέγα κειμήλιον ἀπετίθετο ἐν ταῖς κιβωτοῖς, μετὰ τῶν ἱματίων, *Et tanquam ingens cimelium, reponunt in arcis, juxta vestes.* Unde Plinius de eodem. *Pomum ipsum non manditur, odore præcellit, foliorum quoque, quod transit in vestes unà conditum & arcet animalium noxas.* V. Salmasium ubi supra *pag. 950.*

Citrus, nomen quo diversissimæ arbores duæ Veteribus indigitatæ sunt, ἡ θύα sc. καὶ ἡ Μηδικὴ μηλέα, *thya & Medica seu Citrea malus*, de qua modo dictum. Et quidem thya seu *Citrus* Vett. peculiaris Cyrenaicæ & Hammoniacæ Libyes arbor, juxta Theophrastum, in Græcia nusquam visa fuit nisi invecta ex Africa. Unde Romanis major, quàm Græcis, ejus notitia, quippe Africæ vicinioribus; quibus tamen non ex Cyrenaica prov. sed ex Mauritania afferebantur mensæ citreæ, ubi & *Citrum* nascebatur. Confines certè Atlanti Mauros arborem citri ferre ipse Plinius fatetur. Unde *Atlantica munera* vocantur citreæ mensæ Martiali *lib. 14. Epigramm. 89.*

Accipe felices, Atlantica munera, sylvas.
Aurea qui dederit dona, minora dabit.

Et *Mauræ filia sylvæ*, eidem alibi. Sed & suspicatur Salmasius, incognitum illud genus arborum & Atlantis montis peculiare, cujus Plinius meminit *lib. 5.* ex relatione Suetonii Paulini, qui primus Romanorum Atlantem transgressus est, tradentis arbores esse ibi eo spectabilis proceritatis, enodi nitore, & frondes habere cupressi similes, citri arbores videri. Certè omnia conveniunt, præcipuè foliatura cupressina: quam cùm tribuat & cedro Vitruvius, prorsus videtur *cedrum* & *citrum* confundere; quod ab aliis quoque factitatum. Italisque etiamnum, qui *cedro* appellant citreum pomum, quod Vett. *citrum* dixere. Nempè ex *Citro* mensæ fiebant, magnopere Romanis expetitæ, postquam circa Ciceronis tempora illa Romanis innotuit. Hinc Plinius *lib. 13. cap. 16.* *Theophrastus —— magnum jam huic arbori honorem tribuit, memoratas ex ea referens Templorum Vett. contignationes, quandamq; immortalitatem materiæ in tectis, contra vitia omnia incorruptæ. Radice nihil crispius, nec aliunde pretiosiora opera. Præcipuam autem esse eam arborem, circa Ammonis delubrum —— de Mensis tamen tacet: & aliàs nullius ante Ciceronianam vetustior memoria est.* Ubi quod de precio mensarum, *cap. prec.* variis exemplis confirmat: *Mensarum* (hinc) *insania, quas fœminæ viris contra margaritas regerunt. Extat hodie M. Ciceronis in illa paupertate, & quod magis mirum est, illo ævo emta H. S. XI. Memorantur & Galli Asinii H S. XI. venundatæ. Sunt & duæ à Juba R. pendentes: quarum alteri pretium fuit H-S. XII. alteri paulò minus. Interiit nuper incendio à Cethegis descendens H-S XIV. permutata latifundii taxatione &c.* uti quidem Budæus legit, *de Asse lib. 3.* Idem de magnitudine paulo pòst, *Magnitudo amplissima adhuc fuit, unius commissæ ex orbibus dimidiatis duobus, à Rege Mauritaniæ Ptolemæo, quatuor pedum & semipedis per medium ambitum, crassitudine quadrantali &c.*

De discrimine, pergit, *Mensis pracipua dos in vena crispis, vel in vertice variis. Illud oblongo evenit discursu, ideoq; tigrinæ appellantur: hoc intorto, & ideò tales pantherinæ vocantur. Sunt & undatim crispæ, majore gratiâ, si pavonum caudæ oculos imitentur. Magnæ verò post has gratia extra prædictas crispis, densa velut grani congerie, quas ob id à similitudine apiatas vocant* &c. Quam ob causam meritò subjungit, *Inter pauca nitidioris vitæ instrumenta* hanc arborem fuisse: cùm ante eam cognitam *Nucinæ Mensæ* in pretio essent. Uti verò ex radice hujus arboris mensæ, sic ex reliqua materia contignationes fiebant, uti de Templis vidimus suprà. At procedente luxu, *Citrum* dedignari cœperunt Romani, nisi pretiosius fieret, quàm nascebatur: itaque citri colore picta testudo secta. Plinius *lib.* 16. *cap* 43. *Hæc prima origo luxuriæ arborum, alia integi & vilioris ligni è pretiosiore corticem fieri — Nec satis: cœpere tingi animalium cornua — placuit deinde materiam & in mari quæri. Testudo in hoc secta. Nuperq; — principatu Neronis inventum, ut pigmentis perderetur, imitata lignum. Sic lectis pretia quæruntur sic terebinthum vinci juvat, sic* citrum *pretiosius fieri, sic acer decipi.* Scilicet, testudo picta terebinthini ligni colore, terebinthum ipsam vincebat; eadem citri instar picta, factitium erat citrum, vero pretiosius sicque citrum fiebat pretiosius quàm nascebatur &c. Quia autem *Citrus* arbor mensarum, apud Mauros Atlanti confines, nascebatur, haud longè ab Hesperidibus: in iisdem verò regionibus arbor Citrea mala ferens, Græcè *κιτρέα* (quam cum Assyria seu Medica quosdam eandem fecisse suprà diximus) crescebat plurima, indeque primum fructus ex ea allatos viderunt Romani, adeoque ex iisdem locis alterius arboris fructus, alterius lignum ad mensas Romanis veniebat: hinc rudi illo seculo existimasse videntur arboris illius, ex cujus materia mensæ & alia opera fierent, fructum esse poma illa, quæ indidem efferebantur, & *Citrea* appellasse, ac *Citra* quasi citri mala. Nam *Citrus* arbor, *Citrum* fructus. Postea comperto diversas esse arbores, idem tamen nomen utrique adhæsit, uti diximus &c. V. Salmasium *ad Solinum pag.* 949. *& seqq.* De triumpho Cæsaris ex *Citro*, mentionem facit Vellejus Paterculus *lib.* 2. *cap.* 56. ubi de Cæsaris triumphis, *Gallici apparatus ex citro, Pontici ex acantho, Alexandrini testudine, Africi ebore, Hispaniensis argento rasili constitit.* Ubi quòd Terentius *Cedrum* substituit, quasi *Citri* usus tum nondum fuisset apud Romanos, refellitur illo Catonis apud Festum, ex oratione. Ne quis iterum Consul fiat: *Dicere possum, quibus illa, atq; ædes ædificata, atq; expolita maximo opere, citro atq; ebore, atq; pavimenta Pœnicis stent.* Nimirum Africa Romanorum jugum jam tum induere cœperat. Sed omnem dubitationem eximit Lucanus, ubi de convivio ejusdem Cæsaris ac Cleopatræ *lib.* 10.

Dentibus hic niveis sectos Atlantide sylva
Imposuere orbes, quales ad Cæsaris ora
Nec capto venere Jubâ. Prò cæcus & amens
Ambitione furor, civilia bella gerenti
Divitias aperire suas, incendere mentem
Hospitis armati ——

V. & quæ de Cicerone suprà dicta, Vossiumque *ad l. Vellejí.* Nec omittendum, quòd, uti *Citri* nomine diversi generis arbores a Vett. indigitari diximus, sic non defuerint, qui *Citrum* cum *Agallocho* confunderent, inter quos Auctor Anonymus *περὶ ἀέρων τῆς γῆς*, qui in Atlantis pede Agallochum nasci tradit. Causa erroris fortè, quòd Agallochum maculas similes habet Citri ligno de cujus maculis suprà diximus ex Plinio. V. iterum Salmasium ubi suprà *pag.* 1056.

Citaris, Græcè *Κίταρις*, apud Hesychium, fascia est seu diadema, quale Cyprii portabant, unde *κιτάριον, parva fascia.* Sed & de mitra qualis erat Phrygia vel pileo incurvo vox accepta, qui etiam *Κίδαρις* dicebatur, uti vidimus suprà in voce *Cidaris*.

Citeræ, minora erant Maurorum scuta, ex orygis pelle, Scol. Juvenalis *Sat.* 11.

Cives Novi, à Rep. semoti, lege Pescennii Nigri. Cùm enim omnes facti essent cives lege Antonini, discrimen statui cœpit inter *Veteres*, qui non solùm nati in Urbe, sed quorum patres quoque & majores cives fuissent Romani; & *Novos*, qui ne ad Remp regendam accederent, animasse dicitur Pescennius præfatus, apud Spartianum. Quibus autem gradibus *Civitatis Romanæ* jus eousque extensum fuerit, V. apud Lipsium *de Magnitud. Rom.* Dicam hic saltem, *Jus Civitatis* nonnunquam cum suffragii latione & aditu ad honores, nonnunquam sine illo, concessisse Romanos: quorum illud pertinaciter Sociis negarunt, donec post crudelissima bella *victis afflictisq;, ipsi exarmati, quàm integri universis dare maluerunt*, uti loquitur Vellejus Paterculus *lib.* 2. *cap.* 17. istud Coloniæ semper habuerunt, aliaque quædam gentes, jam ab antiquo. V. Freinshemium & Salmasium *ad Florum lib.* 1. *cap.* 14. ut de *Civibus Originariis* & *Assumtis*; *Extraneis* item ac *Honorariis*, quales olim apud Athenienses fuere, hodieque apud Helvetios aliosque subinde occurrunt, nihil addam. Mores *Civium* quod attinet, *Optimo Civi*, inquit Scaliger, *ejusmodi animum dabis, ut mori pro Patria velit. Quapropter Anchises, excisâ Trojâ, negat se velle esse superstitem. Habes & illa verba maximi momenti,*

— *Pulchrumq; mori succurrit in armis*;

Laocoontis verba audies, qui nihilo majore affectu inflammatus esse videbatur, & mulieres Laurentes,

— — *primæq; mori sub mœnibus audent.*

Civica, patruus Veri Imp. cujus mentio apud Capitolinum in *Marco*: sub Hadriano Consulatum gessit cum L. Cejonio Commodo Vero, qui postea dictus est Cæsar. Nominatur in Lapide antiquo, SEX. VETULENUS. CIVICA. POMPEIANUS. Casaubonus *ad Histor. Aug.*

Civica Corona, inter omnes militares nobilissima, illi uni reponi solebat, qui è manibus hostium civem Romanum eripuisset, quippe *Civis*, ut ait Seneca *de Ira lib.* 2 *cap.* 31. *est pars Patriæ.* Dabatur autem veteri Rep. manu illius, qui servatus esset, A. Gellius *lib.* 5. *cap.* 6. quemadmodum apud Græcos *ἐπὶ σωτηρίᾳ*, sive *σωτήρια*, servari liberatoribus suis dabant. Nec solùm eum, qui dabat, sed & eum, qui accipiebat, *civem* esse oportuit. Necesse autem fuit, civem servando, hostem occidere, ut de Coriolano memorat Plutarchus *in eo.* Insuper ut eum locum, in quo id esset actum, *hostis obtineret eo die, atq; servatus fateretur. Aliàs testes nihil proderant*, Plin. *lib.* 16. *cap.* 4. &c. Sed & hanc coronam Seneca Principi tribuit, Reip. Servatori. *de Clem. cap.* 26. unde eam Cæsari decretam post bella civilia, veluti Patriæ Servatori, memorat Appianus Alex *de Bell. Civ lib* 2. Quo exemplo Augustus, *ob eadem merita, cùm rostratam Agrippæ dedisset* civicam *à genere humano accepit ipse*, apud Suetonium. *Certè afficientibus domum Augusti hæc corona prima sese efferebat, ut quæ esset in ejus fastigio collocata.* Unde Ovidius *Tristium lib.* 3.

En, domus hæc, dixi, Jovis est quod ut esse putarem,
Augurium menti querna corona dabat.

Cui similem in vestibulo coronam Tiberius recusavit, apud eundem Suetonium. A domo Principis ad ædes privatorum senlim transiit is mos, ut super foribus cujusque Civica corona statueretur. Certè ibi picta aspiciebatur, aut quavis alia ratione effigiata, prorsus eodem modo, quo hodie honestissimus quisque scutum, insignia Principis aut Principatus continens, suis foribus superponit, velut conspicuum decus & præsentem sibi suisque rebus tutelam. Unde idem Ovidius *Fastorum Lib* 1.

Augeat Imperium nostri ducis, augeat annos,
Protegat & nostras querna corona fores.

Id quod in publica inprimis lætitia fiebat, uti docet Tertullianus *de Idolol.* addita nonnunquam lauru & palmâ. Hinc, inter honores Germanico decretos, hunc quoq, memorat Tacitus *Annal. lib.* 2. ut *sedes curules sacerdotum Augustalium locis, superq; eas quernea coronæ statuerentur* &c. Verùm ab illo tempore, beneficium Principis esse cœpit, non judicium servati, corona hæc; ac ne à Duce quidem exercitus conferebatur, Idem *Annal. lib.* 15. Hinc Ostorius pater & filius, fortibus eam factis meriti, non ibeo nec in Britannia, ubi eam meruerant, sed postea demum Romæ à Principe indepti leguntur, apud eundem *Annal. lib.* 12. Materiam quod spectat, *Samnitium* bello, ait Plinius *lib.* 16. *cap.* 4. *iligna primo fuit; postea magis placuit ex esculo Jovi sacra. Variatumq; & cum quercu est, ac data ubiq; quæ fuerat, custodito tantùm honore glandis.* Hinc quoties dabatur corona quercea, rem divinam ad quercum faciebant, ut colligere est ex Val. Max. *lib.* 2. *cap.* 2. Sed & hederacea nonnunquam fuit, ut de Domitiano habet Martialis *lib.* 8. quandoque etiam oliva quercui mixta, ut videre est apud Statium *Sylvar. lib.* 5. &c. Porrò alii honores hanc coronam meritis additi: *Acceptâ licet uti perpetuò. Ludis ineunti semper assurgi, etiam ab Senatu, in more est. Sedendi jus in proximo Senatui. Vacatio munerum omnium ipsi patriq; & avo paterno*, Plin. *d. l.* &c. Eorum verò qui id honoris adepti vet. Rep. Siccius inprimis Dentatus celebris, qui quatuordecim coronas civicas se impetrasse, apud Dionysium Halicarn. memorat *Antiqq. Rom. lib.* 20. quem numerum mirum in modum auget Solinus *cap.* 6. Et Capitolinum, sex meritum, Plinius addit *lib.* 16. *cap.* 4. Nec minora de M. Sergio narrat Solinus *ibid.* Ut taceam Africanum, qui de Patre accipere noluit, apud Trebiam, de Sulla Dictatore, aliis. V. Car. Paschalium *Coronarum lib.* 7. *cap.* 8 *& seqq.* Prudentius, ubi Laurentium Martyrem celebrat, ex omnibus coronis civicam, utpote æstimatissimam, eligens, illâ eum donat in cœlis degentem, his verbis, *Peristeph. Hymn.* 2.

Sic Sancte Laurenti, tuam
Nos passionem quærimus,
Est aula nam duplex tibi,
Hic corporis, mentis polo,
Illic inenarrabili
Allectus urbi municeps
Æternæ in arce Curiæ
Gestas coronam civicam.

Cium, Arabicum Nomen, cujus meminit Amos *cap.* 5. *vers.* 26. ubi Hebr. est *Chiun*, quam vocem retinuit Chaldæus Paraphrastes, item Aquila & Symmachus: Vulgata reddit *Imaginem Saturnum* exponunt plurimi præeunte Aben-Esra, sed Molochi mentio, qui Saturnus, antecessit, cui proximè subditur *Chiun*; aliud itaque nomen erit à Saturno, h. e. Sole. Nempe uti Bel & Nabo, ita Moloch & *Cium* se habent, qui ut loco subduntur, ita dignitate consequuntur. Utroque igitur Luna significabitur. Quod

ſi in maſculo Numine perſiſtendum erit, non Saturni erit ſtella *Cium*, ſed Heſperi ſive Luciferi, cui in cultu ſemper potior, quàm Saturni ſtellæ honos fuit. Lunam verò intelligi mavult Voſſius, tum quia is Lunæ honos magis convenit; tum maximè, quia Arabes non alios agnovere Deos, quàm Dionyſum, h. e. Solem, & Uraniam, h. e. Lunam. V. eum *de orig. & progr. Idolol. lib. 2. cap.* 23. ubi quoque de voce *Remphan*, quam LXX. in Amos & eos ſecutus Lucas in Actis pro *Cium* habent: ut & in voce *Chiun*.

CL.

Clabulare, *l* 1. *Cod. Theodoſ. de Curioſ. Hi verò pervigili diligentiâ providebunt, ne quis citra evectionis auctoritatê moveat curſum vel amplius poſtulet, quàm conceſſit evectio; ne habens unius copiam rhedæ, flagitet duas: aut rhedam uſurpet, cui birotum, vel veredum poſtulet, cui clavulare permiſſum eſt*: carri genus eſt, quod *clabulas* habet; adjectivum ſubſtantivè ſumptum, pro *Clabulari carro*. Continentur enim verbis his omnia, quæ in publico curſu movebantur vehicula, rhedæ, birota, veredi & *clabularia* vel carra, quæ alias *angaria* dicebantur. Senſuſque eſt, ne veredum poſtulet, ſeu ne velocem curſum uſurpet, cui angaria tantùm permiſſa fuerit. *Clavulariae* enim curſus angarias tantùm habuit, h. e. plauſtra vel carra ferendis oneribus & impedimentis, transvehendiſque ſpeciebus publicis, deſtinata, quæ non multum celeriter ibant, utpote à bobus tracta: unde velocem & *Clavularium* curſum diſtingui legimus paſſim. Dicebatur autem *Clabulare* vel *Clavulare* carrum, quod undique *clavulis* erat confixum & contextum, capſumque ex clavulis factum habebat, ad res, quæ imponerentur, retinendas ne defluerent. Quod hodieque in carris onerariis fieri videmus, quæ undique vallantur & ſudibus, vel clavulis muniuntur, ne onera impoſita decidant. Latini *Capſum* vocabant. Iſidorus, *Capſum carrucæ undiq; contexta*: nam *capſum* eſt [illegible]. Verùm in carris publicis & quæ *Clavularia* dicta ſunt, ordine fixæ videntur fuiſſe clavulæ, ut in carris hodiernis videmus, non craticio opere contextæ & invicem complicatæ, qualia ſunt, quæ vulgò *Tumberella* Galli dicunt, & quæ propriè *firpea* Latinis vocatæ &c. V. Salmaſium *ad Capitolinum in Pio*. Valeſium *ad Marcellinum lib.* 20. & Jac. Gothofredum *ad l.* 24. *Cod. Theod. de Curſu Publ.*

Cladus, Græcè Κλάδος, apud Martialem *lib.* 2. *Epigr.* 57.

— modò modò ad Cladi *menſam*
Oppigneravit annulum, unde cœnaret:

nomen proprium Trapezitæ. Aliàs κλάδοι Græcis, *rami* ſunt arborum; inprimis in palma, rami è trunco, qui στέλεχος dictus eſt, enati. Unde *Clava* Latinis, h. e. baculus ex ramo cum nodis præciſo: nam κλάδος quoque *ramus*, & Æolicè κλάδα. Tralatitiè κλάδοι iisdem dicuntur *brachia* ſeu *rami* fluviorum: item in cornibus cervorum cornicula, quos *ramos* quoque Latini appellaverunt. Habere autem hi cornua ramoſa in trimatu incipiunt, tuncque κλαδίαι dicuntur: & ſexennes usque ad ſedecim ramos capite geſtant, à quo tempore ramulorum ceſſat augmentum. Unde patet, deceptum eſſe Plinium, cùm *ſingulos tantùm quotannis ramos adjici cervorum cornibus*, ſcribit. Salmaſius *ad Solinum pag.* 221.

Clamare, in *L.* Salica, *Si quis alterum vulpiculam clamaverit*; & apud Luxurium, *ad convivium clamare*, pro *vocare* eſt. Statius *Theb. lib.* 3.

Nec minùs interea digeſtâ ſtrage ſuorum
Hinc Cthonium conjux, hinc mater Penthea clamat
Aſtyoche —

pro *deplorare* ac lamentari. Unde *Conclamati*, jam exurendi, quo de ritu V. Servium *ad Virgilium Æneid. lib.* 6. Apud eundem Statium *Thebaid. lib.* 6. *verſu* 13.

— quoties animoſa reſumit
Leucothoë gemitus & amica ad littora feſtâ
Tempeſtate venit; planctu conclamat uterq;
Iſthmus —

pulchrè exprimit ſonitum undæ illiſæ cautibus; quem Accius elegantiſſimis his anapæſtis imitatur,

Atq; ubi curvo littore latrans
Unda ſub undis labunda ſonat.
Simul & circum magnisonantibus
Excita ſaxis, ſæva ſonando
Crepitu clangente cachinnat.

Sed diviniùs Homerus inimitabili illo, ἠϊόνες βοόωσιν; quod Platonem, Poëſi intentum, eam relinquere coëgit & ad Philoſophiam animum applicare, ut apud Euſtathium legimus, eò quòd vim dicendi Homericam aſſequi ſe poſſe deſperaret. In Eccleſia Romana *Clamare & Clamari*, Monachi dicebantur, in Capitulo, quoties de delictis alios accuſabant, aut ipſi accuſabantur. *Statuta* Ordinis Sempringham. *Diſtinctè prohibemus, ne aliqua Monialis in Conventu exiſtens, ad Corpus Chriſti accedat Dominicâ, niſi ordinatè* clamaverit *in hebdomada, privatim vel publicè, ſi delictum privatum vel manifeſtum viderit, unde regularis clamatio fieri debeat, exceptis valde juvenibus, vel valde vetulis.* Quod quo modo fieri debeat, ſic docet Liber *Ordinis* S. Victoris Par. *MS. cap.* 33. *Dum clamores facit, nemo loquatur, niſi qui clamorem facit & Abbas & qui clamatur. Qui clamorem facit, inprimis ſic dicat*: Clamo *rem ut fratris illo; qui autem clamatus fuerit, mox ut audierit nomen ſuum, nihil proſus in ſede ſua reſpondeat, ſed veniens coram Abbate, priùs inclinans, poſtea erigens ſe, coram ipſo ſtet, patienter exſpectans hoc, quod frater ſuus ſuper ipſum clamare habet. Qui autem clamat, non exaggeret clamorem ſuum, nec quærat circuitiones verborum, ſed apertè dicat, Ille fecit hoc. Audito clamore ſi culpabilem ſe cognoverit ſtatim veniam petens, humiliter culpam ſuam confiteatur. Si autem ſe culpabilem non recognoverit, dicat breviter ſtans. Domine non recordor me hoc feciſſe aut dixiſſe, quod Frater dicit. Tunc ille qui clamavit eum, ipſam clamationem non repetat: ipſe verò priùs, inclinans jubente Abbate, eat ſedere. Quòd ſi aliquis videt, Fratrem ſuum negare, quod verum eſt, bene licet ei de eo quod vidit, vel audivit, teſtimonium perhibere. Sciendum verò eſt, quòd ille, qui clamorem facit, non faciat clamorem ſuper illum, qui clamavit* &c. Plura in hanc rem V. apud du Freſne *Gloſſar.* Hinc formula Gallis frequens, *Crier quelqu' un* &c. Nec omittendum, quòd *clamare* contrà, pro *plaudere* quoque occurrit, apud ſæpius prædictum Statium *Thebaid. lib.* 8. *verſu* 750.

Qualis ab Arcadio rediit Tirynthius antro,
Capti vumq; ſuem clamantibus *inualit Argis,*
Erigitur Tydeus —

Ubi Lutatius, *cum admiratione faventibus*; & alter Scholiaſtes, *Clamore ſibi faventibus*. Sic *Clamor*, pro plauſu, eidem *verſu* 722. *ejusd. libri*

Clamorem Aonii tollunt gemitumq; Pelasgi &c.

V. quoque infrà paſſim inprimis ubi de *Voce*.

Clamator Angliæ Principalis, cum ſuis *Subclamatoribus*, in Parlamentis Anglicis: cujus officium *Clamatoria* dictum, olim ſolebat eſſe unitum Oſtiariæ ſeu Oſtiarii officio, ut eſt in libro *de modo tenendi Parliamentum*: ubi de munere *Clamatoriæ* iſta habentur, *Clamator Parliamenti ſtabat extra oſtium Parliamenti, & Oſtiarius denuntiabit ſibi clamationes ſuas. Rex ſolebat mittere Servientes ad arma ad ſtandum per magnum ſpatium extra oſtium Parliamenti, ita quòd nulli impreſſiones nec tumultus facerent circa oſtium, per quod Parliamentum ingreditur, ſub pœna captionis corporum ſuorum: quia de jure oſtium Parliamenti non debet claudi, ſed per Oſtiarium & Servientes Regis ad arma cuſtodiri.*

Clamatulicorum regio, memoratur Plinio *lib.* 3. *cap.* 4. ubi Narbonenſem Provinciam deſcribit, *At in ora Maſſilia Græcorum Phocenſium fœderata promontorium nomine Cithariſta, regio Clamatulicorum, ut in Suelteri, ſupraq; Verucini: in ora autem hac* &c. Quos *Clamatulicos* vel *Clamatullicos* nomen dediſſe loco inter montes poſito & mari proximo, atque etiam à Suelteris Forojulioque non multum diſtanti, qui hodieq; à nomine gentis, detractâ primâ literâ, *Ramatuelle* dicitur, quaſi *Lamatullica*, contendit Hadr. Valeſius *Notit.* Gall. in voce *Suelteri*.

Clamor, in præliis, apud pleraſque bellicoſas gentes in uſu ſemper fuit. Romanis certè, militarium rerum, ſi qui alii, peritiſſimis, eum Livius tribuit, ut cùm Marcellus Hannonem & Epicidem *primo clamore* & impetu fudit, *lib.* 25. *in fin.* & alibi paſſim. Pœnis item, quorum ne clamorem quidem atq; impetum primum, exercitum Fulvii ſuſtinere potuiſſe, *eod. lib. cap.* 21. memorat. Sic de Germanis Tacitus *de Mor. Germ.* ituros in prælia canere & eſſe illis carmina, quorum relatum *Barditum* vocaverint (an *Blaritum*, quòd Althamerus mavult, hodieque enim *blärren* Germanis clamare eſt) eoque non tàm vocis, quàm virtutis concentu, affectare præcipuè aſperitatem ſoni & fractum murmur, objectis ad os ſcutis, quò plenior & gravior vox repercuſſu intumeſceret, ſcribit *cap.* 3. § 1. Idem de Perſis ſimul, ac Macedonibus: Indis quoque Curtius memorat *lib.* 3. & 9 de Britannis, rurſus Tacitus *Annalium lib.* 14. *cap.* 35. Sed & Gallis, cantus ineuntium prælium & ululatus & tripudia & quatientium ſcuta in patrium quendam morem horrendus armorum crepitus, tribuitur apud Livium præfatum *lib.* 38. *cap.* 17. De Hiſpanis Silius *Punicorum lib.* 10.

— ritu jam moris Iberi
Carmina pulſata fundentem barbara cetrâ.

De Luſitanis Diodorus Sic. *lib.* 5. *In bellis ad numerum incedunt & carmina canunt, cùm aggrediuntur hoſtem.* De Parthis Plutarchus in *Vita* Craſſi, Poſtquam propè hoſtem perventum eſt, datumque à Duce ſignum, illico gravi ſonitu terribilique fremitu tota remugit planities. De Hibernis Stanihurſtus *Rer. Hibernic. lib.* 1. *Quoties ad manus & pugnam venitur, altâ voce* Pharro, Pharro, *inclamant.* De Turcis CPolim obſidentibus, *Illalla, illalla, Mahometh Ruſſolalla*, h. e. Deus eſt & ſemper erit, & Mahometh eſt ſervus ejus, altâ voce clamaſſe, inter buccinarum tympanorumque ſtrepitum, refert Leon. Chienſis: quem clamorem eos hodieque in præliis ſolennem ſervare, notum eſt. De ipſis verò Iſraëlitis, Jerichuntem invaſuris, legimus apud Joſuam *cap.* 6. *verſu* 5. Deum ipſos juſſiſſe, *cùm inſonuiſſet vox tubæ longior & concisior, & auribus eorum increpuiſſet, conclamare omnem populum vociferatione maxima.* Rationem ſuppeditat Cæſar *de Bello Civ. lib.* 3. *cap.* 82. ubi Pompeii conſilium, qui id omiſerat, damnans, *Non fruſtra*, inquit, *antiquitus inſtitutum eſt, ut ſigna undiq; concinerent, clamorem univerſi tollerent: quibus rebus & hoſtes terreri & ſuos incitari exiſtimaverunt.* Unde & Cato Sen. *Verbis plus, quàm gladium, & voce plus, quàm manum, hoſtes fugare attonitosq; reddere; ſibiq; inviſum eſſe militem, qui clarius ſterteret, quàm inclamaret*, dicere ſolitus fertur, apud Plutarchum in *Vita* ejus *cap.* 3. V. Matthiam Berneggerum *Quæſtion.*

ad Taciti Germ. 8. ut & suprà, in voce Camio, item Christus vincit, qui Christianorum Græcorum Latinorumq; militaris fuit clamor. In Gallia, Clamor de Haro, seu Harou, in Normannia potissimùm obtinet, & inclamari solet, dum crimen aliquod capitale perpetratur, v. g. furtum, incendium, homicidium &c. Tum enim ii, quorum aures vox hæc verberat, ad reum persequendum foràs exire tenentur eumque detinere, si pote est, ac Judicibus tradere: quod si id negligant, Principi, aut domino feudali, qui jus gladii habet, in cujus territorio crimen commissum est, emendam præstant & exsolvunt. Igitur jus habere dicitur clamoris de Harou, qui altâ, ut ajunt, justitiâ gaudet. Cujusmodi autem fuerit vel sit Clamor hic ejusque cognitio aut jurisdictio, docet pluribus du Fresne ex vett. Consuetud. Normanniæ MS. 1. Part. 5. distinct. cap. 5. Atque hinc Harr interdum usurpatur de quovis clamore, qui in tumultibus excitari solet, apud Froissardum passim: Imò & in prælio Bovinate inclamata vox hæc à Fecialibus legitur. Origo Clamoris probabili conjecturâ Rolloni, primo Neustriæ Duci, adscribitur, qui voluit, ut si in ditione sua quispiam inveniretur vel homicida aut incendiarius, aut gravioris ulterius criminis reus, statim clamore sublato Ha Roul (quasi auxilium Rollonis imploraretur) indigenæ ac vicini in eum irruerent, captumque Judici exhiberent &c. V. du Fresne in voce Haro.

Clan, apud Skenæum ad Statuta Wilhelmi Scotiæ R. cap. 28. ubi de Lege, quam Scoti vocant de Clan Makduff, priscis Scotis, qui montani & sylvestres dicuntur, tribum significat seu multitudinem hominum, ab uno communi parente seu stipite descendentium. Id.

Clancularia, à Celso per convitium Christiana Doctrina appellata est, ob varia ejus Mysteria, quæ olim sacro silentio involvebantur, neque cum Catechumenis aliisque, nisi probè prius institutis, communicabantur, uti dicemus passim infrà, inprimis in voce Notant Fideles. Contra quem proin sic Origenes, Quòd verò quædam insunt (in Religione nim. Christiana) quæ non communicantur quibusvis, id non solùm Christianæ doctrinæ proprium est, verùm etiam Philosophicæ. Nam & illi Exteriorem & Penitiorem doctrinam habebant; & alii Pythagoram audiebant, contenti ipsius auctoritate: alii secretè discebant rationes non evulgandas in profanos nondum purgatos. Quam eandem rationem etiam Ægyptiorum, Persarum, Syrorum, Indorum, plurimorumque aliorum populorum Sapientes tenuisse, paulò pòst indicat. V. Tob. Pfannerum System. Theol. Gentil. purior. in Addendis p. 519. 520.

Clangor, à Clamore differt, quòd hic semper aliquid significet. Unde apud Statium Thebaid. lib. 4. versu 789.

At puer in gremio vernæ telluris, & alto
Gramine, nunc faciles sternit procursibus herbas
In vultum nitens: caram modò lactis egeno
Nutricem clangore *ciens* ——

ait vetus Schol. Cujus nullus sensus. Ideò noluit clamorem dicere, ut indiceres, nihil intelligi potuisse, nam & clamor ordinariè aliquid dicit. Est autem Clangor sonus acutus cum magno. Unde tubis præcipuè datur. Virgilius Æneid. lib. 8.

Tyrrhenusq; tubæ mugire per æthera clangor.

Et Val. Flaccus lib. 3.

—— —— *ter intonuit æther*
Luctificum clangente tubâ ——

Hinc Fortunatianus Dialect. Donec perveniatur eò, ut res cum sono verbi aliqua similitudine conveniat, ut cùm dicimus æris tinnitum, equorum hinnitum, ovium balatum, tubarum clangorem, stridorem catenarum. Perspicis enim hæc verba ita sonare, ut ipsæ res, quæ his significantur. Transfertur dein ad alia, ut sonum maris rupibus cavis illisi. Accius, d. l. suprà in voce Clamare. At prope sigillatim vox gruum clamorem notat. Quo modo legit Barthius ex membranis priscis apud Lucretium,

Parvus ut est cygni melior canor, ille gruum quàm
Clangor, *in ætheriis dispersus nubibus Austro.*

Sic Claudianus de Bello Gildon.

Ingenti clangore *grues æstiva relinquunt*
Thracia, cùm tepido permutant Strymona Nilo.

Nempe à κλάζω est, quod verbum de gruibus propriè, sicut κρώζειν de corvis, usurparunt Græci, uti videre est apud Eustathium ad Hom. passim.

Principes fœminæ.

Clara à Tettingen, virgo nobilis, à Friderico I. Electore, Comite Palatino, Cœlibatus, quem Philippo ex fratre nepoti promiserat, pertæso, ejusdem & agnatorum consensu, Procerumq; conscientiâ, cùm æquales nuptias contrahere non posset, ob conventionem, præsentibus Philippo Episc. Wormatiensi, Georgio Spirensi & aliis A. C. 1462. ducta, duos ei filios peperit: quorum prior Fridericus, Ecclesiarum Wormatiensis ac Spirensis Canonicus, obiit A. C. 1474. insigni epitaphio Heidelbergæ ornatus: alter Ludovicus, fratre mortuo, à Patre in possessionem missus est, dominiorum Scharfeneck, Weinsberg, Neuenstatt, Meckmuhl, Uzberg & Umbstatt, cum tit. Comitatus, à Maximiliano I. Imp. collato: quas dynastias omnes Friderico mortuo, exceptâ Scharfeneccâ, ad se recepit, Philippus El. & permutationis nomine Comitatum Löwenstein substituit: Hinc itaque Comites Leonsteinii, Werthemii, Virneburgii ac Rupifortii originem trahunt.

Clara Augusta, filia Augusti Ducis Brunsvicensis, illustre familiæ ornamentum, nupsit Friderico D. Wirtenbergico, nato A. C. 1615. ex eo mater Friderici Augusti, Alberti, Friderici Wilhelmi, Antonii Ulrici, Sophiæ Dorotheæ & Eleonoræ Carolæ.

Clara Æmilia, mater Didii Juliani Imp. apud Spartianum.

Clara Isabella, filia Leopoldi Archid. Austriæ, ex Clara Medicea, nupsit Carolo, nupero Mantuæ D. castitate & in maritum fide inclyta.

Isabella Clara Eugenia, V. Isabella.

Clareni Fratres, ex Franciscanorum Ordine; qui aliàs Fratres spirituales dicti, à Fratre Angelo de Cingulo Clareno, suo institutore nuncupati, qui usque ad Pii V. ætatem perseverarunt. V. de iis Waddingum A. C. 1317. num. 16. 28.

Clariacum seu Clariacus vicus, vulgò Clery, locus est Galliæ, cujus mentio in Vita Litardi, ubi tribus distare millibus ab oppido Magdunensium traditur, quod Mehun sur Loire, Gallis dicitur. V. Valesium in voce Magdunum ad Ligerim.

Clarigatio, apud Livium lib. 8. cap. 14. In Veliternos — quòd toties rebellassent, graviter sævitum — jussiq; trans Tiberim habitare: ut ejus, qui cis Tiberim deprehensus esset, usque ad mille pondo clarigatio esset: nec prius quam ære persoluto, is qui cepisset, extra vincula captum haberet; Budæo est, quam Græci ἀνδροληψίαν vocavere, de qua V. Pollucem lib. 8. cap. 1. Pigneratio etiam vocatur: Interpretes barbari, represaliam dicere maluerunt. Vet. Gloss. [illegible], & Novell. 52. [illegible] & [illegible], nam reddere nolentibus, vi pigneratio seu represalia fiebat. Et posset Clarigatio, pigneratio Latinè dici; nisi pigneratio res potiùs, quàm personam, respiceret: Clarigatio verò, sicut androlepsia, potiùs personas, quàm res. At Clarigationem fuisse personarũ potiùs, quàm rerum prehensionem, ex Livii verbis clarum est; quæ tamen prehensio cessabat, solutâ pecuniâ. quo pacto respectu prehensionis personarum Androlepsia, respectu verò redemtionis & solutæ pecuniæ, Pigneratio non malè dicitur, Marcellus Donatus ad l. Aliàs solennis belli denuntiatio sic Romanis dicta est, Græcè [illegible]: quòd clarâ voce fieret. Non verò quævis belli denuntiatio, sed quæ cum rerum repetitione conjuncta. Plinius lib. 22. cap. 2. Et legati cùm ad hostes clarigatum mitterentur, id est, res raptas clarè repetitum, unus utiq; Verbenarius vocabatur: à verbena, de qua agens idem lib. 29. cap. 9. Hæc est, quam Legatos ferre ad hostes indicavimus. Cùm namque Romani vellent bellum indicere, Pater patratus proficiscebatur ad hostium fines, & præfatus quædam solennia clara voce dicebat, Se bellum gerere propter certas causas: ut, clarè repeto ablatas: Androlepsiæ jure utor: Bellum indico negantibus justa. Cujus rei vetus exemplum in Supplicibus Euripidis, ubi Theseus caduceatori hæc dat mandata ad Creontem Thebanum,

Vicina Theseus qui tenet regni sola,
Humare poscit mortuos: quod si datur,
Sic amica faciet gens Erechthidum tibi.
Hæc si probantur, tunc refer retro pedem:
Sin nemo paret, verba sint hæc altera:
Jam mox ut arma pubis expectent meæ.

Vel, ut Papinius, in ejusdem rei narratione,

Aut Danais edice rogos, aut prælia Thebis.

V. quoque Homerum in [illegible] & Plautum Amphitruone, sub init. Græci, [illegible], Romani vett. condicere, appellavere. Atque hæc denuntiatio belli conditionata vocatur Hug. Grotio: pura verò, quæ specialiter Indictio aut Edictum, ubi aut bellum jam alter intulit, aut ea deliquit ipse, quæ pœnam merentur. Interdum autem conditionatam pura subsequebatur. Hinc illud carmen: Quarum rerum, litium, causarum condixit Pater Patratus Populi Romani Quiritium Patri Patrato populi Priscorum Latinorum, hominibusq; Priscis Latinis: quas res nec solverunt, nec dederunt, nec fecerunt, quas res dari, fieri, solvi oportuit, puro pioq; duello quærendas censeo, consentio consciscoq;. V. Dionys. Halicarnass. Excerpt. Legat. lib. 2. Adjuncta Clarigationis fuere, apud Græcos caduceus, sagmina & hasta sanguinea. apud Æquicolas primùm, & eorum exemplo, apud Romanos, hastæ immissio, alia. V. præfatum Grotium de Jure Belli & Pacis lib. 3. cap. 3. §. 7. & 8. nec non suprà ubi de Bello.

Clarissimatus, dignitas Clarissimi, in l. 7 4. 180, & 183. Cod. Theodos. de Decurion. & apud Ammianum lib. 21. Honor Clarissimatus, in l. 8. & 10. eod. Cod. de Domest. Senatorum potissimùm erat, qui Clarissimi, & Ordo Clarissimus passim apud Historiæ Aug. Scriptores, Ammianum Marcellin. in Utroque Cod. alibi, dicuntur. Unde Alexander Severus, Præfectis Prætorio suis Senatoriam addidisse dignitatem, ut Viri Clarissimi & essent & dicerentur, legitur apud Æl. Lampridium in Vita ejus. Sed & uxores eorum Clarissimæ fœminæ dictæ sunt. Idem in Heliogabalo, Solus omnium Imperatorum fuit, sub quo mulier quasi Clarissima, loco Viri Senatum ingressa est. Nolebat nempe fœminino genere vocem Senator usurpare, neque Senatrix dicere, coactus proin est circumlocutione uti. Ita [illegible] Senatorum conjuges appellatæ, apud Tertullianum ad [illegible], Au- [illegible]

Salvianum de Gub. Dei lib. 12. cap. 8. & in multis LL. Codicis. Paulinus in Vita Ambrosii, Per idem tempus trans Tiberim, apud quandam clarissimam invitatus, ut sacrificium in domo offerret. Casaubonus ad Lampridii ... V. quoq; Salmasium ad Vopiscum in Aureliano.

Clarissimus, nomen proprium Militis apud Æl. Spartianum in Didio Juliano.

Claritas, apud Solinum cap. 52. ubi de Lychnite gemma, Duplex ei facies: aut enim purpurea emicat claritate, aut meraciùs suffunditur cocci rubore, purpuræ velut propria tribuitur, cocco adempta, quod mirum. Claritas enim in omnibus coloribus splendor est multâ luce perfusus: unde clara purpura, Græcè ὀξεῖα, quæ plus habent luminis, quam coloris; ut contra saturæ & meracæ, quæ plus coloris, quam luminis. Quod utrumque de cocco similiter dici potest: Nam & coccum est clarum & acutum, plurimo lumine vegetum, ... & ... Græcis; est & saturatius & meraco rubore infratum, eoque obscurius & austerum magis. Idem in aliis coloribus evenit. V. Salmasium ad Solinum passim, inprimis pag. 200. & 1104. nec non infrà in voce Clarus. Sed & Claritas, inter dictionis ideas: quarum septem esse Hermogenes statuit, Græcè σαφήνεια, uti Trapezuntius interpretatur: sicuti Perspicuitatem Quintilianus, & Cicero ... atq; evidentiam, V. Jul. Cæs. Scaligerum Poetices lib. 4. cap. 1. ubi de Charactere. Medio ævo Claritas, titulus fuit honoratius Proconsulis, in Actis Claudii Asterii, & aliorum Martyrum, apud Baronium A. C. 285. num. 4. In Privilegio à Synodo Suession. concesso Monasterio Solemniacensi A. C. 866. Claritas Regia occurrit, apud du Fresne Glossar.

Claromontani, Gall. Clermont, nomen illustris in Gallia Familiæ: Bar. de Clermont en Dauphiné ... & Vicecom. de Clermont en Trieves. Celebris est jam ab anno Christi 1150. quo Guilielmus floruit: cujus filiorum alter Amedeus Dominos de Hauterive, de la bastie d'Albanois, & de M. S. Jean ex se procreavit. Majori natu Siboldo originem reliqui Claromontani seu Domini de Clermont debent. Seculo XIV novæ divisioni datus est locus, in filiis Aimari & Agathæ Pictaviensis. Nam à Gothofredo primarius ramus continuatus est, sed ab Aimaro Dn. de Hauterive (ad quem etiam Surgeria & Damperræa successio delata est) descendunt Dni. de Surgeres & de Dampierre, quorum illi Fonseca, hi Gondios Radesianos (de Rez) habuere hæredes. Gothofredi filii fuere, minor Carolus Dn. de Vausserre, cujus progenies in abneptibus defecit: major autem Aimarus, continuavit primogenitorum lineam; sed necdum divisionis finis. Nam ab Antonii filiis, secundo Claudio, Domini de Montoyson derivantur: major Antonius iterum ex filiis Ludovico & Bernardino diversam habuit posteritatem. Illâ brevi extinctâ; hæc, præter Barones de Toury, à Bernardini filio Juliano descendentes, consistit in illis, qui à primogenito Bernardini Antonio trahunt originem. Hic enim ex Francisca Pictaviensi genuit Henricum de Clermont Vicec. de Tallard: quo & Dianâ de Marck, genitus Carolus Henricus Comes de Clermont & Tonnerre Vicec. de Tallard. Primus Baro Delphinatus, ex Catharina Mariâ d'Escoubleau de Sourdis, numerosam prolem suscepit: in qua eminent Franciscus Com. de Clermont & de Tonnerre, Rogerius March. de Crusy, Carolus Henricus D. de Luxenburg &c. Præter honorem enim illum, quòd primi Delfinatus Barones nuncupantur, accessit etiam hoc seculo Luxenburgicus titulus, qui tamen iterum per filiam Magdalenam Bonam Theresiam Franc. Henrico Montmorencio Butevilio nuptam, ex hac domo ad Montmorencios migravit. Phil. Jac. Spenerus Theatro Nobil. Eur. Tom. I. Magdalenæ autem præfatæ Pater Carolus Henricus, ex Carolâ Margarethâ D. Luxenburgicâ & Pinæa, titulum Ducis de Luxembourg & Piney Principis de Tingri acquisierat, cùm illa filia esset Henrici D. Luxenburg. & Pinæi, extincti A. C. 1616. V. eundem Tom. III. pag. 81. ut & in Indice.

Clarus, in celebritatibus orta vox, quum victores per Præconem calabantur, exemptâ vocali. Unde verbum Horatianum clarare, Carm. lib. 4. Od. 3.

> Illum non labor Isthmius
> Clarabit pugilem: non equus impiger
> Curru ducet Achaico.

Quo etiam Papinius utitur Thebaid. lib. 4. versu 286. sed sensu tralatitio,

> ... ... ita fatus in æera rursus
> ... : & nostrum visus arcentibus umbris
> Visis iter longa claravit limite flamma.

Hoc est, clarum, lucidum facit, uti Lutatius & vetus Enarrator exponunt. Sed & eodem ... Paulinus Benedictus de Vita Martini lib. II. versu 76.

> ... ... præsensq; probatur
> Judiciumq; clarante Deo. Sententia Christi
> Obruit adversam verborum turbine partem.

V. Caspar. Barthium Animadvers. ad Statium & Paulinum d. l. Hinc Clarus color, Latinis, qui aliàs excitatus, vegetus, vividus, acutus; Græcis ὀξὺς, item λαμπρὸς: cui oppositi: saturus, plenus, adstrictus, pressus, nigricans, Gr. ... &c. Unde clara purpura, in ... ὀξεῖα πορφύρα, apud Suidam; ... ὀξεῖα, apud ... h. e. ... ac vegeti luminis; oxyblatta in Cod. &c. Sed & Latini pressum & saturum de clarissimis & excitatissimis coloribus usurparunt, intensissimũ quemq; in sua specie colorem, & qui diluto pallidoque maximè contrarius esset, ita vocantes, uti docet Salmasius ad Tertullianum de Pallio cap. 3. quem vide.

Clasia, vulgò la Claise, fluvius Galliæ, in saltu Brionæ Brenne: Alluit Vendoperam Vandeuvre, Barram, Macerias in Briona, Mezeires en Brene, Longoretum vel S. Sigiranni Cœnobium in Briona, S. Siran en Brene, S. Michaëlem in Brionis saltu, S. Michel en Brene, Blionem le Bliron, Bosciacum Bossay, Prulliacum Prvilly, ac demum decurrit in Crosam. Hadr. Valesius in voce Longoretum.

Clasma, Gr. κλάσμα, V. infrà ubi de Pane fracto.

Classica Corona, V. Navalis.

Classici, Milites qui in classibus militant, seu navibus armatis, de quibus titulus est in Cod. Justinian. & Theodos. Classiarii milites, apud Lampridium in Commodo; qui Lembarii, apud Vopiscum in Aureliano. Duo enim genera Classium apud Romanos fuisse, scribit Vegetius, Liburnas & Lembos seu Lusorias: illis in mari utebantur; istis in fluminibus, quæ eos à Barbaris dividebant; in utrisque Milites erant Classici, quos justorum militum operam munusque præbuisse & in campo & in castris, apud Vett. discimus ex Hygino de castrametat. Alæ milliariæ vel quingenariæ: Mauri equites: Pannonii veredarii: Classici omnes ideò prætenduntur, quòd ad vias muniendas primi exeunt, & quò sint tutiores, à Mauris equitibus & Pannoniis veredariis operantes proteguntur. Idem alibi Classicos Misenates & Ravennates numerat, inter Mauros equites, Pannonios exploratores, Palmyrenos, Dacos, Getatos & reliquas nationes, quæ Romanis militabant. Primum autem Classiarios ex remigibus justos milites fecisse Neronem, legimus apud Suetonium. V. Salmasium ad Vopiscum.

Classis, propriè vox nautica, vel ἀπὸ τῶν κάλων, à lignis: vel à voce κάλος, rudens, vel quasi Calassis, ab antiquo Calare congregatio enim est. Impropriè ordinem civium denotat; quales Classes à Servio Tullio Romæ institutas sex legimus, quæ 193 civium centurias sub se continebant. Primam fecit eorum, quorum maximus census erat, nec minor centum minis, i. 15000. librarum Turonicarum: Hos arma habere imperavit, clypeum, arginum, loricam ex ære galeamque & ocreas, tela, hastam & gladium; distinxitque in 40 centurias juniorum, qui primum semper locum tenebant in acie, & totidem seniorum, quibus urbis custodia erat commissa. Secundæ Classis census erat intra 10000. drachmarum usque ad minas 70. Ex his conscriptæ 20. centuriæ: qui arma eadem gestare jussi, loricis solùm carentes, scuta pro clypeis habebant; iterum divisi in 10 centurias juniorum & totidem seniorum, quorum ætas 45. annos excessit. Tertiæ census, ut ad 7500. drachmas non perveniebat, ita 50. minis major erat. His non loricæ solum, sed & ocreæ ademtæ erant, divisique similiter in 20 centurias, in acie proximum post Secundæ Classis cives ordinem tenebantur. Qui porrò minus 5000. drachmarum possidebant, usque ad 20. minas, quartam constituere, totidem centuriis, in seniorum pari cum prioribus modo ac juniorum centurias distinctis constantem: His arma imperata, scuta, hastæ, & gladii, locusque in postrema acie imperatus est. In quintam Classem rejecti sunt, quorum facultates censerentur inter 25. minas & duodecim cum dimidia; Eorum 30 erant centuriæ, pro ætatis ratione, similiter divisæ. His imperatum, ut cum fundis & jaculis militarent extra ordines. Jussæ etiam armatos sequi quatuor inermes centuriæ, duæ ad armorum & machinarum fabricam; totidem Cornicinum, Tibicinum quique aliis instrumentis signa canerent. Opifices in secunda classe censebantur, adscripta senioribus una ejusdem ætatis centuria; altera juniorum stipendia faciebat cum juvenibus. Tubicines & Cornicines quartæ pars erant, pari ætatis discrimine: Equitum delectus ex opulentissimis fuit. Sexta Classis ac ultima eorum civium erat, quorum census minor erat duodecim minis ac dimidiâ: Hi, licèt numero reliquas omnes classes superarent, in unum ordinem congesti immunes fuere à tributis ac militia. V. Dionysium lib. 4. & suprà in vocibus Census, item Centuria. Addam solùm, primæ tantùm Classis cives, per excellentiam Classicos fuisse dictos, unde hodieque optimæ notæ ac auctoritate dignissimos Auctores Classicos vocamus; A. Gellius lib. 7. cap. 13. Classici, inquit, dicebantur non omnes, qui in classibus erant, sed primæ tantùm classis homines, qui centum & viginti quinque millia æris ampliùsve censi erant. Faciunt autem centum millia æris inquit Anthon. Thysius in hunc locum, 3000. florenorum Hollandicorum: juxta Thom. Godwynum ducentas libras Sterlingas, Anthol. Rom. lib. 3 sect. 1. cap. 4. Ab eadem voce orta phrasis, Classicum canere, Germ. Larmen blasen: Fiebat illud, non primo unius ac singularis tubæ sono, qui Primipili fortasse haud longè ab imperatore nutu inciniunt: nec secundo aliquot aliorum, qui in loco quodam orbiculato ac fortassis altiore stabant ad signa & Aquilas: sed tertio omnium aliorum per cohortes, per turmas, qui pariter jam Classicum canebant. V. Lipsium de Mil. Rom. & Stewechium ad Vegetium, ut & infrà in voce Tuba. Sic Joanni de Janua Classicum propriè est Concentus & concordia omnium instrumentorum simul sonantium, sive sint tubæ vel cornua in bello, sive sint tympana omnes alicujus Campanilis: quod Galli Glas. Oc-

citani Classes dicunt, quia, ut ait Honorius Augustodun. in *Gemma animæ lib. 1. cap. 73. cùm campanæ sonantur, quasi per* Classica *milites ad prælium incitantur.* Hinc in *Vitis* Abbatum S. Albani, *Pulsato solemni classico.* Florent. Wigorniensis *A. C. 1139. S. Orwaldi reliquias, albis indui, totâ sonante classe extulimus.* Guil. Brito *Philippidos lib. 12.*

> Classica *per vicos resonant, ut multiplicato*
> *Concentu majore sono se voce revelent.*

Fortunatus *lib. 3 Poem. 4. de Dedic. Eccl.*

> *Nunc Domini laudes, inter tua* Classica, *canta,*
> *Et Trinitatis opem machina trina sonet* &c.

apud Car. du Fresne *Glossar.*

Classis Alexandrina, ab Augusto constituta, frumenta Romam ex Ægypto devehebat, ut diximus alibi: ad cujus æmulationem Commodus instituit, ut per certos homines, impensa publicâ, *Africana* quoque curaretur, & *Commodiana Herculea* appellaretur, apud Lampridium. V. de utraque Lipsium in *Electis*. De *Classe* Misenate & Ravennate vero, suprà in *Classici*, item in voce *Cataplus.*

Clathri, in Glossis *ligna volubilia in caveis*, aliàs *rutuli*, & *repagula versatilia*, Græce [illegible] & [illegible], de quibus V. hic passim, inprimis in voce *Rutuli.*

Clava, ramus ex utraque parte præcisus, & sic pro fuste & baculo est; ex Græco κλάδη, quod idem cum κλάδος, *ramus*, apud Hesych. unde [illegible] Æoles fecere, Latini *Clavam.* Hinc Clavam Herculis, *ramum* etiam vocant Latini Poëtæ. Propertius,

> *Ille etiam Elco percussus tempora ramo.*

Ut Græci [illegible] & [illegible]. Philippus in *Epigrammate.*

> [illegible]

Fuit autem illa ex oleastro. V. infrà in *Cotinus.* At Poëticâ licentiâ *Pineum stipitem* vocat Papinius Statius *Thebaid. lib. 4 versu* 155. tenax enim hæc *materia nec gravis*, ut habet Glossa MS. V. de pinu Theophrastum & Plinium. Certè arboris hujus nodosa ligna durissima & durabilissima esse, notum. Adeò autem *Clava* illa Herculi addicta, ut socium ejus dicat Val. Flaccus *lib. 3.*

> *Nec pharetram aut acres ultra Tirynthius arcus*
> *Exercet, socia sed dispicit omnia clavâ.*

Simile armorum genus Theseo adscribit Euripides:

> [illegible]
> [illegible]
> [illegible]
> [illegible]
> [illegible]

Quam *quercum Marathonida*, item *arborem ferratam*, vocat Papin. Statius *Thebaid. lib. 12. versu* 730. & 769. Eam autem assumsisse gestandam, cæso, qui latrocinia tali telo faciebat Periphete Corynete, scribit Plutarchus, V. quoque Apollodorum *fine lib. 3.* ubi à voce κορύνη, i. *clava*, hunc Κορυνήτην, dictum fuisse, ait. Sed & aliorum *Clava* antiquissimum in pugnam telum fuit. Unde Virgilius,

> —— *hic torre armatus obusto.*

Papinius Statius *Thebaid. lib. 4.*

> —— *robora flammis*
> *Indurata* ——

Alii. Cujusmodi *clava manuaria*, medio ævo, in usum redierunt. Paulus Warnefridus *Histor. Langobardic. lib. 6. cap. 3 Ratchis Dux, cùm Slavi subitò super eum irruissent & ipse adhuc lanceam suam armigero non abstulisset, eum qui primus ei occurrit, clavâ, quam manu gestabat, percutiens ejus vitam extinxit* &c. Imò hodieque *Clava ferrea*, ex America Septentrionali, asservatur in *Museo* Kircheriano. Ex durissimo est æruginei coloris saxo, more lentium opticarum, ex duorum circulorum segmento elaborata, sic ut circumcirca in acutiorem aciem vergat, in medio verò, ob corporis crassitiem, ictûs vibrationem augeat & soliditate robustior sit. In medio foramine exciso tripalmaris baculi manubrio inhastatur. Venerabilis est Auctori, quod aliquot Societatis suæ eâ interemti, ingenioso Barbarorum furore &c. Georgius de Sepibus, *in Collegii Rom. S. I. Museo pag.* 34. Pastores verò *Clavam* quoque, atq; illam ex myrto tulisse, docet Scholiastes Papinii *ad Thebaid. lib. 4. versu* 301.

> *Et pastorali meditantur prælia trunco.*

Id est *Clavâ*, inquit, *seu robore, stipite curvo de myrto, id quod firmissimum lignum est, qualibus Pastores utuntur in Italia.* Myrtum certè hastilibus electam, Virgilius docet *Georgic. lib. 2.*

> *At myrtus validis hastilibus & bona bello*
> *Cornus*

Qui parem Camillæ tribuit, sed spiculo præfixam *fine Libri*,

> —— *Lyciam ut gerat ipsa pharetram*
> *Et pastoralem præfixâ cuspide myrtum* &c.

Inde diminut. *Clavula*, Varroni talea vel ramus ex arbore decisus, unde *Clabularis* vel *Clavularis* cursus, de quo suprà. Sed & *Clavas* Latini vocabant [illegible], seu [illegible], quæ [illegible] quoque Græcis: h. e. *soleas vel gallicas ligneas* nempe *sandalia*, quæ in balneis gestabantur; item *grallas*: A quo *Clavator*, pro grallatore, apud Plautum.

> *Corvum quæso vincire, & Clavatorem grade.*

Voce *Clava* vel κλάβα postea ad quemvis ligneum calceum significandum extensâ. Salmasius *ad Capitolinum in Pio, & Spartianum in Antonino Caracalla.*

Clavare vestem purpura, idem quod *oculare* [illegible]; [illegible] in *Glossis*: h. e. notis, signisque exornare. Variis enim figuris, quà rotundis, quà quadratis, Vet. luxuria lusit in vestibus auro purpurave illudendis; quarum quæ rotundæ erant & in circulum flexæ, *plumas* vocitarunt Latini, item *Oculos & Claves*, (quorum capita rotunda Græci [illegible], [illegible], [illegible] &c. Quæ quadratæ fiebant & intertexebantur vestibus, itidem *Clavos* appellarunt Latini, ut & *tesseras*; recentiores Græci [illegible] vel ταβλία h. e. *tabulas*; quo tamen nomine citimæ Latinitatis Auctores etiam orbiculos illos ligneos vel eboreos vocarunt, quibus in tabula luditur. Sic *tabulæ* & ταβλία in vestibus, rotundi clavi fuerint: cujusmodi tabularum & orbiculorum, quibus vestes aut vela *clavabantur*, meminit sæpissimè Anastasius in *Vitis Pontificum.* Ταβλία certè χρυσᾶ & πορφυρᾶ, pro *clavis aureis & purpureis* occurrunt in *Fastis* Græcis, &c. Non parvum autem inter vestium paragaudes ac plumas seu *claves*, [illegible] quoque recentioribus Græcis, discrimen fuit. Paragaudis, h. e. loris [illegible] vestes circumtexebantur, plumis autem seu clavis aureis aut purpureis intexebantur: unde vestem purpureis clavis intertextam, Græci [illegible]; loris vero purpureis seu paragaudis circumtextam, [illegible], Latini *prætextam*, vocabant. Simili discrimine inter [illegible] & [illegible], apud Esaiam [illegible] &c. Et quidem communes Romanorum tunicæ albæ erant, purpura *clavata*: at triumphales, purpureæ totæ, auro clavatæ, quas à *clavorum* latitudine *palmatas* vocabant: à quibus *pictæ* distinguendæ, quæ non unius formæ clavos suis locis insertos infitosque habebant; sed diversis coloribus erant intextæ ac varias rerum animaliumque formas acu expressas ostendebant. Porro in Senatorum tunica consuti erant multi latiores clavi, iique quadrati, unde πλατύσημος dicta, quam ante Cæsarem nemo Senatorum cingebat: Equitum verò tunica *clavos* angustiores insutos habebat, [illegible] & [illegible] hinc vocata, super quam illi cingebantur uti Quintilianus docet *lib. 11. cap. 3.* &c. Sed & sigillata non confundendæ cum *Clavatis*: ita autem dicebantur in quibus figuræ vel hominum vel bestiarum auro vel purpura expressæ erant, Gr. hinc ζωδιωτά: cujusmodi sigilla [illegible] vocat Athenæus, uti ostendit Salmasius *ad Trebellium Pollionem in Herode*, V. suprà in voce *Bellurata*: plura autem de hac *clavandi* seu plumandi arte, apud eundem Salmasium ad *Vopiscum in Carino*, & hic infrà, in voce *Clavus*, item ubi de *Bellis vestibus* &c.

Clavarius, Italis *Chiavaio* & *Chiavarolo*, apud Provinciales *Clavaire*, nomen dignitatis, cui *claves* Fisci communis commissæ sunt. V. Ioan. Danetum *Histor. Balearici Regni p.* 87. 92. At *Clavicarii* in *l. 1. Cod. de Excus. artif. lib. 10. in Basilicis*, [illegible], clavium contextores. *Clavicularii* v. apud Jul. Firmicum *Math. lib 3. cap. 6.* carceris custodes sunt, Κλειδοφύλακες, & [illegible] in *Synaxariis*, [illegible] Græcis recentioribus dicti: du Fresne *Glossar.*

Clauda, adde: Κλαύδη Athenæo. Κλαῦδος Ptolomæo, Γαῦλος & Γαῦδος aliis. *Gaulos* Solino *cap. 29. Ex parte, qua Cercina est, accepimus Gauleon insulam, in qua serpens neque nascitur, neque vivis invecta* Plinio *Gaulos lib. 5. cap. 7.* &c. Melite Africanâ, quæ *Malta* hodieque, octingenta octo μίλια distare, tradit Strabo, ex Geographi sententia: ubi μίλια non esse *stadia*, ut reddidit Interpres, sed *milliaria* docet Salmasius *ad Solinum d. l.*

Claudæ Victimæ, rejectæ à Deo, *Deuteron. cap. 15. vers. 11.* V. quoque Malach. *cap. 1. versu* 8. Quod & in sacris suis Græci Romanique accuratè observarunt, ut nempe hostiæ lectæ & eximiæ essent, neque *Claudæ* & vitiosæ. Unde Poeta *Æn. lib. 4.*

> —— *mactant lectas de more bidentes.*

Et Alexander ab Alex. *Genialium dier. lib. 3. cap. 12. Lectæ*, inquit, *dicuntur hostiæ majores & uberiùs depastæ, quæ claudæ, morbosæ aut vitiosæ non sunt* &c. V. hanc in rem Bochartum *Hierozoici* seu *de Animalibus sacræ Scripturæ Part. prior. lib. 11. cap.* 46.

Claudere, V. infrà *Ligare.*

Claudere spatham capulo, apud Æl. Spartianum in *Hadriano Cæs. At capulo vix eburneo spatham clauderet*: est eburneum capulum, vel clausulam spathæ addere; quo modo Græci dicunt [illegible] ξίφος, de ense, cui capulus additur. Græci [illegible] istiusmodi spatham vocant: item [illegible], *eboreis clavis fixum capulum habentem, seu ebore clausam, aut vinctam.* Capuli enim ensium auro, argento, ebore vincti, sive clavis istiusmodi confixi, vel etiam aurati aut argentati. Uti auro *vincta*, pocula simpliciter deaurata appellavere, ut & *aureclusa* Græcis χρυσόκλειστα: quamvis propriè sic dicta fuerint, quibus aurum inclusum est, per Artem [illegible], quæ & [illegible]. Unde *Clusores* & *Inclusores*, de quibus infrà. De *Capulis* verò ensium retro dictum.

Feminæ Illustres.

Claudia, Claudii II. Imp. ex fratre Crispo neptis, juncta Eutropio, nobilissimo gentis Dardanæ viro, ex eo mater fuit Constantii Cæs. teste Trebellio Pollione, in *Vita Claudii.*

Claudia, uxor Papinii Statii, ad quam extat ejus carmen *Lib. 3. Silv. 5.* cujus initium,

Quid mihi mœsta die, socii quid noctibus uxor
Anxia, pervigili ducis suspiria cura?

Filiam fuisse Citharœdi, colligit Fred. Morellus ex *versu* 64.

Sive chelyn complexa petit, seu voce paterna
Discendum Musis sonat —

Eandem saltasse poemata, *vers. seq.*

Candida seu molli diducit brachia motu.

Qui tum mos receptus inter Virgines Romanas, ut ex Horatio discimus. V. Casp. Barthium *Animadversion. ad Statium d. l.*

Claudia Lex, lata à C. Claudio Cos. cum Tit. Sempronio, an. U. C. 576. voluit: *Ut qui ex sociis ac Latini nominis ipsi, majoresve eorum, M. Claudio, T. Quinctio Censoribus, postq; ea apud socios nominis Latini censi essent, ut omnes in suam quisq; civitatem ante K. Novembris redirent*, V. Livium *lib.* 41. Alia lata à M. Claudio Cos. cum Ser. Sulpitio Rufo an. 702. *Ne in Magistratuum Comitiis absentium ratio haberetur*, Sueton. in *Cæs.* Alia, cujus auctor Q. Claudius, Tr. Pl. P. Corn. Scipione, T. Sempronio Longo Coss. an. U. C. 533. *Ne quis Senator, quiq; Senatoris pater fuisset, maritimam navem, quæ plus quàm 300. amphorarum esset, haberet*, Liv. *lib.* 21. Hanc Legem Cæsar Dictator postea in Juliam de repetundis transtulit. Alia à M. Claudio Marcello Cos. cum Serg. Sulpitio Rufo an. U. C. 702. lata voluit. *Ut colonis, quos rogatione Vatiniâ Novicomum Cæsar duxisset, civitas adimeretur*: *quòd per ambitionem & ultra præscriptum esset*, Sueton. in *Cæs.* Alia à C. Claudio Imp. sancita est, *Ut ne agnati mulierum tutelam legitimam recipere cogerentur*, Ulpianus *tit.* 2. *Instit.* & Imperator *l.* 3. *C. de legitimis tutoribus.* Alia eodem auctore, ab Atheniensibus desumpta, *Creditoribus ne in mortem parentum pecunias filiis familiarum fœnori darent*, interdixit, Tac. *Annal. lib.* 2. Alia tandem fuit de Scribarum negotiationibus, quam Claudiæ de Senatorum quæstu partem fuisse, scribit Hottomannus. V. Joh. Rosinum *Antiqq. Rom. passim.*

Claudia Tribus, à Servio Tullio instituta est, in quam cùm Actius Clausus, cui postea Appio Claudio fuit nomen, cum clientibus suis Regillo profugus & civitate donatus, scriptus esset, Tribui de sua appellatione nomen imposuit. Liv. *lib.* 2. & Halicarn. *lib.* 5. V. & Virgilium *Æneid. lib.* 7. & Pedianum *ad Oration. Cicer. pro Scauro.*

Viri illustres.

Claudius Arabianus, inter Nobiles Romanos, sine causæ dictione, occisos, jussu Severi Imp. recensetur Ælio Spartiano in *Severo.*

Claudius Capellianus, memoratur Vopisco in *Floriano*, ubi Epistola ejus ad Cerejum Mecianum patruum. *Sapilianus* habet vetus editio & Palatinus codex, Salmasius.

Claudius Clemens, natione Scotus, Alcuini quondam in fundatione Academiæ Paris. collega, tempore Caroli M. Episcopus Taurinensis in Subalpinis; Scripsit in *ad Galatas Enarrationem*, Labbæus.

Claudius Eusthenius, Diocletiano ab Epistolis, quatuor libris quatuor Impp. Diocletiani, Maximiniani, Galerii atque Constantii, *Vitas* scripsit, Vopiscus in *Carino.*

Claudius Fuscus Salinator, collega Hadriani II. Consulis, ex filia Julii Serviani, pater Fusci fuit, qui, quòd Serviani cædem tulisset iniquiùs, Hadriani jussu similiter interfectus est. Æl. Spartianus in *Hadriano.*

Claudius Maximus Philosophus Stoicus, inter Præceptores Marci Imp. cujus non semel hic in *libb. de Vita sua* meminit, ut & Secundæ uxoris ejus, *libro tertio.*

Claudius Rufus, in numero fuit Nobilium Rom. quos, sine causæ dictione, Severus Imp. jussit occidi. Spartianus in *Vita Severi.*

Claudius Severus, Philosophus, Peripateticæ sectæ, inter præceptores Marci Imp. memoratur Julio Capitolino, in *M. Antonino Philosopho.*

Claudius Sulpitianus, Pertinacis Imp. socer, indictâ causâ à Severo occisus. Spartianus in *Severo.*

Claves S. Petri, quibus sc. illius confessio seu sepulchrum, claudebatur, memorantur Eginhardo in *Annalibus A. C.* 796. *Sed & super* claves B. Petri *Apostoli præstitissent corporale juramentum.* Item Poetæ Saxonico *de Gestis Caroli M. lib.* 3. *anno eod.*

Confessim claves, quibus & Confessio Sancti
Conservata Petri, vexillaq; miserat Urbis
Romuleæ Carolo, pariterq; decentia dona.

Solebant nempe Pontifices Romani, de limatura catenarum, quæ S. Petri fuisse creduntur, & religiosè Romæ asservantur, ad Reges & Principes, aliosque Viros primarios, ingentis loco muneris mittere, quam in *aurea clave*, instar illarum, quibus *Confessio S. Petri* claudebatur, efficta, & ab Altari S. Petri accepta includebant. Iam autem, ad quos illa transmittebatur, de collo, velut sacrum contra imminentia mala amuletum, suspendebant. Cujusmodi *Clavium* transmissarum meminere Gregorius M. Gregorius Turon. Fredegarius, Aimoinus passim. V. Theod. Studitam *de Imag.* & Nic. Alemannum *Dissertat. de Lateranensibus parietinis* *cap.* 14. laudatos Carolo du Fresne *Glossar.* De *Clavibus* verò Petro à Christo datis, V. Theologos.

Claves remittendi ritus, in signum divortii & renuntiationis curæ familiæ, apud Romanos in usu, memoratur Ambrosio *Epist.* 47. *ad Syagrium*, V. infrà, ubi de *Divortio.* Nempe *Claves* Sponsæ Mariti domum intranti tradebantur, quod Repotiorum die factum esse, Scaliger docet *Poetic. lib.* 3. *cap.* 101. *Is dies* (Repotiorum) *novæ nuptæ initium erat juris, quod in familiam esset habitura; quam ob causam clavis dabatur ei, ad dominium potiùs, atque possessionem, quàm, ad designandam, ut ajunt, partus facilitatem.* Hanc itaque, vel has *claves*, postmodum, remittebant &c. Apud Gallos solent hodieq; viduæ *claves* & cingulum supra mariti defuncti corpus projicere, in signum, quòd bonorum communioni nuntium mittant, ne debitis exolvendis teneantur, V. Paschasium *Disquisitionum Francicar. lib.* 4. *cap.* 10. aliosque Auctores, laudatos Car. du Fresne in *Glossar.*

Clavesignati, Pontificis milites, quòd in vexillis vestibusque *claves* Ecclesiæ depictas gererent, memorantur Odorico Raynaldo A. C. 1228. *num.* 13. *& seqq.* apud Dominicum Macrum in *Hierolexico.*

Clavicymbalum, instrumentum Musicum, de quo sic Scaliger, *Fuit & Simi commentum illud, quod ab eo Simicum appellarunt quinq; & triginta constabat chordis: à quibus eorum origo, quos nunc monochordos vulgus vocat. In quibus ordine digesta plectra subsilientia reddunt sonos. Additæ dein plectris corvinarum pennarum cuspides: ex æreis filis expressiorem eliciunt harmoniam, me puero* Clavicymbalum *& Harpichordum, nunc ab illis mucronibus Spinetam nominant*, V. cum *Poetices lib.* 1. *cap.* 48.

Claviger, epitheton Petri Apostoli, apud Domnizonem *de Vita Mathildis lib.* 1. *cap.* 1.

Clavigeri *Petri normam, sancti quoq; Cleri*
Semper amaverunt.

Pro quo *Clavicularis* vocatur, apud Cummianum Hibernum *de Controv. Paschali.* Etiam Officii id nomen est Eccl. in Communione Romana, idemque cum *Archiclave*, h. e. Ecclesiæ Thesaurario. Sic Savaricus *S. Hilarii Claviger*, memoratur Beslio *pag.* 292. Wilhelmus Wallingford *Clavigeratus*, h. e. *Clavigeri officio functus*, in *Monastico* Anglic. *Tom.* I. *p.* 184. At in *Charta* A. C. 1235. apud Schefferum, *ad Chronicon Upsaliense pag.* 160. *Claviger* idem qui Custos est. In *Foris* porro Oscæ Jacobi I. Regis Aragon. *A. C.* 1247. Politicum officium hæc vox notat. Richardo tandem de S. Germano in *Chron.* A. C. 1229. qui à parte Gregorii Pontif. Rom. contra Fridericum II. Imp. stabant, *Clavigeri* dicuntur, ob *claves* in Pontificiis vexillis effictas, V. suprà in *Clavesignati* & Car. du Fresne in *Glossar.* ut & *Cliduchus* infrà.

Clavis, Græcè κλεὶς, Ion. κληῒς, unde κλαὶς & κλαβὶς, & hinc Romanum *Clavis*, modò *claustrum*, modò *clavem* notat. Aratus,

— κλειδὶ θύρην ἔντοσθ' ἀραρυῖαν
Δικλίδα.

Ubi κλεὶς, *claustrum* est, τὸ ἀσφάλισμα τῆς θύρας, adeoque idem quod ὀχεύς. At apud Homerum, *Odyss. Χ.* ubi de Penelope thalamum ædium intimum ultimumque aperiente, in quo pretiosa ejus cimelia recondita, legimus,

Ἐν δὲ κληῗδ' ἧκε, θυρέων δ' ἀνέκοπτεν ὀχῆας
Ἄντα τιτυσκομένη.

Ubi κλεὶς, *clavem* significat, quo sensu vocem communiter sumimus. Sic *Clavis* pro *claustro* & *sera*, apud Tibullum,

— *frustra clavis inest foribus.*

Et Plautum,

Ubi intrò hanc novam deduxi, viâ rectâ clavem
Obduxi.

Et certè multo rationabilius, ut κλεὶς significet *claustrum*, & id quod januam claudit, quàm clavem, cujus munus aperire. Quamvis enim hodiernæ quædam *Claves* sint, quæ & claudunt & aperiunt, adducendo, reducendoque claustri pessulo: aliæ tamen quamplurimæ tantummodo aperiunt. Laconicæ quoque aperiebant solùm, ut & ἡ βαλανάγρα Veterum, de quibus paulo infrà. Fuit autem *Clavis* Laconum inventum, Eust. *in Odyss.* θ. *vers.* 447.

Αὐτίκ' ἐπήρτυε πῶμα, θοῶς δ' ἐπὶ δεσμὸν ἴηλε
Ποικίλον, ὅν ποτέ μιν δέδαε φρεσὶ πότνια Κίρκη.
Statim aptavit operculum; celeriter autem vinculum ligavit varium,
quod olim docuit ingenio veneranda Circe.

Παλαιὸν, inquit, ἔθος ἦν ἀσφαλίζεσθαι δεσμοῖς. ἡ κλεὶς γὰρ νεώτερον καὶ Λακώνων εὕρημα. καὶ ἔστιν ἀσφαλέστερος δεσμὸς ποικίλος τὸ κλειδίον. *Antiquus mos fuit ad aliquid bene obserandum vinculis uti. Clavis enim recentiorum & quidem Laconum inventum est. Et certè vario licèt vinculorum flexu tutior clavis.* Unde δεσμὸς Ὀδυσσεῖος olim celebris, quem ab ingeniosissima Circe ei monstratum fabulatur Poëta, quemadmodum alibi peritus venator à Diana, jaculator insignis ab Apolline, textrinæ gnara à Pallade edocta fingitur. Hinc de iis, quæ obsignata ἀσφαλῶς, *Ulyssis vinculum nodusq;* Proverbialiter usurpari cœpit. Sic cista, in qua Erichthonium, cum dracone inclusum, Pallas tribus Cecropis filiabus custodiendum commiserat, nodo solùm religata legitur, apud Ovidium *Metamorph. lib.* 2. *Fab.* 8. Unde Aglauros, videre volens, quid intus latitaret,

—— nodosq; manu diducis : ac intus
Infantem vivas ——

Ita ergo & januas & ciſtas olim occludi obſeratiq́ue mos erat; quod cum non ſatis eſſet ad furum effractorumque conatus eludendos, *clavium* uſus increbuit. Meminit item Homeri Commentator iſtiuſmodi priſcæ clavis, in Homeri *Odyſſ.* φ. *verſ.* 6.

> Εἵλετο δὲ κληῗδ' εὐκαμπέα χειρὶ παχείῃ
> Καλὴν, χαλκείην : κώπη δ' ἐλέφαντος ἐπῆεν :
> *Accepit autem clavem bene flexam manu forti*
> *Pulchram, æream, manubrium autem eboris inerat.*

In quæ verba ſic ſcribit ὁ Παρεκβολεὺς : ἀρχαϊκὸν εἶδος κλειδὸς φράζει, ἣ δ' κατὰ τὸ ὕστερον τετρημένη εἰς πολλὰς ὀπάς, *Antiquum clavis genus recenſet, non in varia foramina, ficut ſequentibus temporibus factum eſt, pertuſum.* Interim & clavium iſtiuſmodi ſuo quoque tempore uſum aliquem fuiſſe ibidem docet, quibus per januæ foramen immiſſis funis ad aperiendam illam intus circumagebatur. Erant autem tales claves δρεπανοειδεῖς, *falcatæ* ſeu falcis figuram habentes; & vulgò ligneis manubriis, hæc verò, cujus Homerus meminit, eburneo ornata &c. Thom. Dempſterus in *Joh. Roſini Antiqq. Rom. lib.* 5. *cap.* 37. Quæ ut paulò accuratiùs exponamus, ſciendum duo habuiſſe priſcos mortales *Clavium* genera, quorum unum commune, Βαλανάγρα dictum, unico dente conſtans; alterum magis artificis & ſubtilioris ſolertiæ, *Clavis Laconica* peculiariter, item *Carica* appellata, in qua tres dentes erant. Et quidem Βαλανάγρα in iis utplurimum foribus locum habebat, quæ in publicum exibant, primis nempe domuum januis & Urbium portis, quæ vecte ac ſerâ ligneâ, h. e. μοχλῷ prædúcto muniebantur: cui ſeræ balanus immiſſa non ſinebat eam ab oſtio tolli. At balano inſerta βαλανάγρα, i. *clavis*, eam ex foramine extrahebat, & ſeram removeri ac tolli facilem præſtabat, uti ſuprà latiùs diximus, in voce *Balanagra*, item *Balanus*. At interiorum conclavium & cœcorum fores obicibus clauſtriſq; ferreis concludi ſolitæ, alias claves requirebant; quarum originem aperit Poëta Comicus Θεσμοφοριαζούσαις, ubi quiritantur mulieres uſum Laconicarum clavium, quas viri tum geſtarent, multum ſibi & furtis ſuis incommodare: Cùm enim antea ſolerent de facili cellaria & apothecas viris inſciis aperire, & inde quæ vellent depromere, hoc ſibi nunc non licere propter illas claves Laconicas, quę fraudibus minùs eſſent obnoxiæ, quàm cœteræ communes βαλανάγραι. Nempe Lacones, cùm viderent non ſatis tutò communibus clavibus cœcos firmari, alias excogitarunt, ingenio ſolertiori elaboratas. Habebant illæ τρεῖς γόμφους, ut Ariſtophanes habet *h. l.* h. e. *tria crucis cornua*, & διπλαῖ dicebantur, quaſi *duplices* vel *geminæ claves*. Cùm enim communes unâ modò virgâ ferreâ conſtarent, quæ in balanum injecta eam è clauſtro eximebat: in Laconicis velut duæ claves ſeſe invicem decuſſabant in formam crucis. Atque hæ totæ intra clauſtrum immerſæ latebant, hinc κρυπταὶ, illudque ſurſum cum impetu levatæ ſuccutiebant, hinc ἀνακρουσταὶ dictæ: ſicque prorſus fores aperiebant, uti claves illæ, quibus hodie Carthuſianorum familiæ in ſui Monaſterii conclavibus utuntur, quas & *Carthuſianas* propterea quidam appellant. Similes certè facturâ illis Vett. claves illæ κρυπταὶ, quæ ſcapum habebant rectum & supernè transverſariam virgulam, ad inſtar tridentis, inciſam, ut videre eſt ex icone earum, quam Salmaſius exhibet infrà laudandus. Ab his dein Laconicis clavibus reliqua omnia clavium genera arteſq; & formæ diverſæ productæ. E' quibus illæ inprimis memoratu dignæ, quas in Batavia erutas Lipſius Commentario ſuo *ad Tac.* 2. *Annal.* illuſtravit. Sunt illæ facturâ planè ſimiles noſtris, quæ & annulum habent, ut digito teneri poſſint: ſed ſcapo, qui inſtar manubrii ſit, deſtitutæ. Hæ itaque, excepto annulo, totæ intra clauſtrum abſconditæ quoque mergebantur, ſed non *ſuccutiendo* ac dejiciendo, ut Laconicæ, verùm *reducendo & adducendo*, quæ intus erant ferrea repagula, aperiebant. Verùm cùm nec Laconicæ omnem fraudem averterent: facto enim digitulo ferreo ſeu uncino triobolari, δακτύλιον τριωβόλου, ut Ariſtoph. *ibid.* ait, adeoque etiam ſine clave non difficulter admodum reſerari poterant illæ quoque fores, quæ clavibus illis ἀνακρουσταῖς aperiebantur: unde Plato Comicus in *Μέτοικοις*, παρακλειδίων, *clavis adulterinæ*, meminit. Hinc non contenti Vett. Clavibus & Clauſtris, in aſſervandis rebus iis, quas cariores habuere, ſignacula, Euripido auctore, inpoſterum adhibere cœperunt, quibus noſci poterat, an fraus clavi eſſet facta, qua de re V. aliquid ſuprà, ubi de *Annulis ſignatoriis*. Imò cùm ne ſic quidem ſatis fiderent; conchâ ipſa ſignacula inſuper texerunt, V. infrà *Claxendix*. Porro in Laconica aperiendi & claudendi ratione ſera intus erat, i. peſſulus, *Clavis* verò ab exteriore parte immiſſa, peſſulum ſuccutiebat: quemadmodum hodieque omnes claves ἐκτὸς εἰσὶν, utpote quæ ab exteriore forium parte immittuntur clauſtro. At βαλανάγρα, ſeu clavis communis in interiore parte, ubi & ſera erat: namque in ſeram ipſam demittebatur, ad βάλανον extrahendam. Quam in rem foramen in oſtio relinquebatur, per quod manus poſſet immitti à foris ſtantibus, inſerendæ clavi in ſeram & βάλανον evellendæ &c. V. omnino Salmaſium *Exerc. Plin. ad Salin. pag.* 925. & *ſeqq.* nec non hic, ubi de *Aperiendi ratione*, de *Clauſtris*, item de *Carica*, & *Laconica Clavi*.

Clavis, in Computis Eccleſiaſticis, *eſt numerus variabilis datus ad inveniendum principia quinq; mobilium feſti vitatū, ſ. Septuageſimæ, Quadrageſimæ, Paſchalis, Rogationum & Pentecoſtes: & ideò ſunt quinq; claves & quælibet prædictarum feſti vitatum habet ſuo dies, in quibus ſemper celebrantur — & dicitur* clavis *per ſimilitudinem, quia ſicut per claves oſtia reſerantur, ita per tales numeros principia dictarum feſtivitatum nobis denotantur* &c. Durandus *Ration. lib.* 8. *cap.* 12. apud du Freſne in *Gloſſario*.

Clauſarii vinearum Monaſterii, memorantur in *Necrologio* Victorino Pariſ. *Kl. Sept.* apud Eundem.

Clauſtra apud Veteres, in firmandis foribus alia lignea fuerunt, ſeræ viz. vel vectes transverſi, alia ferrea, quæ *verucia* hodie Gallis dicuntur. Et quidem illa, ab interiore ædium parte foribus prædúcebantur, quibus balanus immiſſa, ferrum viz. *glandis* ſpecie ac cavum, illa januæ ſic committebat, ut niſi extracto eo removeri ac repelli non poſſent, uti vidimus ſuprà ubi de *Balano*. Firmabantur autem hoc pacto ἐπ' ἐξοχὴν præſertim ſeu januæ in publicum reſpicientes, ac urbium portæ: & βαλανάγρα per foramen in ipſo oſtio ſatis grande ſupra locum ſeræ immiſſâ, aperiebantur: ut videre eſt quoque in voce *Foramen*. Iſta vero, nempe ferrea, conclavium & interiorum domus membrorum foribus claudendis muniendiſque inſerviebant. Præter peſſulos enim, quibus injectis occludebantur ab intus manentibus, alios etiam obices ferreos affixos habuere, qui immiſſâ forinſecus clavi removerentur ac ſuccuterentur, uti ex *Odyſſ.* φ. ubi de Penelopes thalamo, conſtat. Cujuſmodi peſſulos duos ferme ſingulis foribus addi conſueviſſe, in ſuperiore parte unum, in inferiori alterum Plautus indigitat, *in Aulularia*, *Oſtium intus ambobus occlude peſſulis*. V. quoque Apulejum *Metamorphoſ. lib.* 3. ubi *duorum itidem peſſulorum & uncini*, cui injiciebantur, mentio eſt. Atque hi nullâ clave poterant removeri, ab his qui foris adſtabant. Ut primo ab his, qui foris veniebant, reſerari fores, & diſcedentibus inde iterum obſerari poſſent, clave opus erat, quâ vel ſuccuteretur ferreum veruclum, quo oſtium intus vinctum tenebatur & poſti junctum, vel illud adduceretur ac reduceretur. Quorum illud Laconicæ claves, iſtud aliæ poſtmodum inventæ (de quibus ſuprà) præſtiterunt, facturâ noſtris planè ſimiles. Namq́ue & *Clauſtrorum* noſtrorum (quæ foribus obfiguntur quadrata ut plurimum figurâ, ex duplici ferro compacta, intra quæ parva repagula & ipſa ferrea adductionibus ac reductionibus moventur, & adducta quidem in poſtem ineunt, reducta verò eum laxant ac aperiunt) notitiam fuiſſe Veteribus, ex clavibus antiquis colligunt, quarum iconem operi ſuo inſeruit J. Lipſius *ad Annal. Tacit. lib.* 2. & Salmaſius *Exercit. Plin. ad Solinum pag.* 931. V. quoque hic paſſim, inprimis infrà, in voce *Obices*, *Peſſulus*, *Sera*.

Clauſtra Canonicorum, Monacharum, occurrunt paſſim. *Clauſtra Clericorum*, i. Canonicorum, in *Capitulis* Caroli C. *tit.* 41. *c.* 9. *Ut Epiſcopi in civitatibus ſuis proximum Eccleſiæ clauſtrum inſtituant, in quo ipſi cum clero ſecundùm Canonicam regulam Deo militent & Sacerdotes ſuos ad hoc conſtringant, ut Eccleſias non relinquant, & alicubi habitare præſumant.* Quod ipſum ſtatuitur in Synodo Rom. ſub Eugenio II. *cap.* 7. *Neceſſaria res exſtitit, ut juxta Eccleſiam clauſtra conſtituantur, in quibus Clerici diſciplinis Eccleſiaſticis vacent. Itaq; omnibus ſit unum refectorium ac dormitorium &c.* Ubi morem, qui diu in Eccleſiis obtinuit, obſervat du Freſne, cùm in *Clauſtris* lectioni vacarent Monachi, ut eſt in *Epitome* Ludovici Imper. in *Regulam S. Bened.* in *Concordia* S. Dunſtani *cap.* 5. & in *Actis* S. Wolfgangi *cap.* 7. Hinc *Studium Clauſtri* ſeu Scholæ, in vet. *Charta*. Petrus Bleſenſis *Serm.* 25. varias Monaſticas functiones, in ſingulis *Clauſtri* lateribus exactas, annotans, *Tale eſt*, inquit, *quòd in Clauſtro Conventuum quatuor loca cum propriis deputantur officiis: in latere clauſtrali occidentali eſt ſcholaris ſubjectio: in eo, quod contingit Eccleſiam, lectio moralis: ad Orientem in Capitulo materialis &c.* Forma namque *Clauſtrorum* quadrata erat, uti præterea diſcimus, ex Adamo Bremenſi *cap.* 103. Sed & in *Clauſtris* certis horis, fratribus invicem, confabulandi copiam datam eſſe docent Lanfrancus in *Conſtitut. Sect.* 3. Petrus Venerab. in *Statutis* Cluniac. *cap.* 5. &c. Unde *Prior Clauſtri* creatus eſt, qui diſciplinæ Clauſtri ageret curam, de quo infrà. Prælectiones tandem Scholaſticas in *Clauſtris* iſtiuſmodi factas eſſe, videtur innuere Herimannus *de Reſtaurat. S. Martini Tornac. c.* 3. &c. Aliàs *Clauſtrum*, Monaſterium ipſum notat, Germanis *Kloſter*: unde *Clauſtrales*, Monachi, & *Clauſtrales*, Moniales: apud Autores, laudatos Carolo du Freſne *Gloſſar.*

Clauſtra Montium, quæ recentioribus *Cluſa*, *Cluſura* & *Clauſura* dicuntur, olim *Portæ* dictæ ſunt, V. in hac voce: unde *Puertos* ſeu *Portus* hodieq; Hiſpanis. Sic *Clauſtra Pyrenæorum* occurrunt apud Oroſium, *l.* 7. *c.* 40. *Clauſtra Italiæ* apud Warnefridū *de Geſtis Langobard. l.* 5. *c.* 2. *Clauſtra Provinciæ*, apud Senatorem *lib.* 2. *Epiſt.* 4. *Clauſura Auguſtana*, apud Eund. *lib.* 2. *Epiſt.* 5. *Clauſura Vulgariæ*, apud Anonymum Barenſem in *Chron. A. C.* 1007. *Clauſura Valarni*, apud Conr. Urſperg. &c. Hinc Guntherus *Ligurini l.* 4.

> *Ventum erat ad fauces, anguſtaq; clauſtra viarum,*
> *Quà ſe nubiferis horrendæ nubibus Alpes,*
> *Exiguo tantùm penetrandas limite præbent,*
> *Unius & capax ſcopuloſo ſemita calle,*
> *Arcta laboranti pandit veſtigia turbæ, &c.*

[illegible]

Burdigar, quoque vocant Græci citeriores. V. eundem ubi suprà.

Clavula & *Clavularis Cursus*, V. suprà in *Clabulare*.

Clavum figendi ritus, in parietibus ædium sacrarum, per singulos annos (unde is *annalis* dictus) quò per eum numerus annorum colligeretur, apud vete. Romanos, memoratur Livio *lib. 7. cap. 3.* his verbis: *Repetitum ex seniorum memoriâ dicitur, pestilentiam quondam clavo ab Dictatore fixo sedatam. Eâ religione adductus Senatus Dictatorem clavi figendi causâ dici jussit — Lex vetusta est priscis litteris, verbisq; scripta, ut qui Prætor maximus sit, Idibus Septembribus clavum pangat. Fixus fuit dextro lateri ædis Jovis optimi maximi, eâ ex parte, quâ Minervæ templum est. Eum clavum, quia raræ per illa tempora litteræ erant, notam numeri annorum fuisse ferunt, eoq; Minervæ Templo dicatam legem, quia numerus Minervæ inventum sit. Volsiniis quoque clavos indices numeri annorum fixos in Templo Nortiæ Etruscæ Deæ — Cincius affirmat. M. Horatius Consul, ex lege Templum Jovis optimi maximi dedicavit, anno post Reges exactos. à Consulibus postea ad Dictatores, quia majus imperium erat, solenne clavi figendi translatum est. Intermisso deinde more, digna etiam per se visa est res propter quam Dictator crearetur.* Et *lib. 8. cap. 18. Neque de veneficiis ante eam diem Romæ quæsitum est. Prodigii ea res loco habita; captisq; magis mentibus, quàm consceleratis, similis visa. Itaque memoria ex Annalibus repetita, in secessionibus quondam Plebis, clavum ab Dictatore fixum, alienatasq; discordiâ mentes hominum eo piaculo compotes sui fecisse. Dictatorem clavi figendi causâ creari placuit.* E quibus discimus ritum hunc, primo civilem, annis designandis; postea in religionem vertisse, & in gravissimis Reip. necessitatibus, piaculi causâ, fuisse adhibitum, V. Gronovium ad *Livium l. cit.* & infrà in voce *Clavus Annalis*. Alia *Clavos* figendi ratio, in præcipitiis scandendis, de qua idem Livius *lib. 28. cap. 20.* ubi de Castulone à Romanis obsesso: *Transfugæ Afri, qui tum inter auxilia Romana erant — conspexerunt editissimam urbis partem, quia rupe præaltâ tegebatur, neq; opere ullo munitam, & ab defensoribus vacuam. Levium corporum homines & multâ exercitatione pernicium, clavos secum ferreos portantes, quà per inæqualiter eminentia rupis poterant, scandunt sicubi nimis arduum & leve saxum occurrebat, clavos per modica intervalla figentes, quum velut gradus fecissent; primi insequentes extrahentes manu, postremi sublevantes eos, qui præirent, in summum evadunt &c.*

Clavus, præcipuum apud Romanos tunicæ ornamentum, sed Equestris tantùm & Senatoriæ: Et quidem illius *Clavi* angustiores, hujus latiores fuere, unde ad discrimen ordinum *lati Clavi* & *angusti* dicti. Hos Scaliger *ad Varronē* non fuisse partē tunicæ, sed de collo suspensos & ad libitum sublatos, ut amuleta & numismata, quæ in pectus demittuntur, existimat: Manutius verò *Clavos* purpuræ fuisse fragmenta docet, tunicis insui solita, unde detrahi quoque & resui possent. Similiter Quintilianus *lib. 8. c. 5.* eos vestibus insutos fuisse asserit. Nec obstat Horatius *l. 1 Sat. 6.*

Nam ut quisque insanus nigris medium impediit crus
Pellibus, & latum demisit pectore clavum:

Senatores enim, quibus *lati Clavi* jus erat, tunicam laticlaviam cingere non consuevere; Atque ita clavi purpurei, cùm zonâ non constringerentur, cadebant in pectus, sive, ut Horatius loquitur, *pectore demittebantur*. Secus in Equitibus, qui cùm tunicam cingerent, angusti clavi non descendebant in pectus, sed in sinu, quem zona succincta efficiebat, suprà ipsam zonam conspiciebantur. Qui verò ex Equitibus in Senatum allegebantur, solvebant tunicas & latiores clavos itidem demittebant, atq; in pectus fluere sinebant. Unde idem Horatius alibi,

—— —— *Clavum mutabat in horas.*

Ubi *Clavus* est tunica laticlavia, quam Priscus ille inæqualis ac inconstans sæpissimè mutabat: Hinc *latum clavum tribuere* vel *adimere*, pro, Senatorem facere & Senatu movere. Vocata autem sunt hæc purpuræ segmenta sive frusta purpurea *Clavi*, quia, ut sunt capita clavorum, rotunda erant, & sic in pectore tunicæ assuebantur. Fuisse eorum plures, patet ex Varrone *lib. 8. de L. L.* qui illos *plagulas* appellat, quòd iis tunica, ut rete plagis, distingueretur &c. Nec vestibus modò clavi purpurei latiores indici, sed & supellectili lectorum ac mensarum, leguntur, ut *ad Lamprid.* notavit Casaubonus: Hinc *laticlavia mappa* Petronio: & *Lato variata mappa clavo*, Martiali: & *clavata lintea* Lampridio: *lintea item toralia duos clavos latissimos habentia* Ammiano. V. Octav. Ferrarium *de Re Vestiar. lib. 3. cap. 12 & seqq.* qui idem in tunica triumphali sive palmata aureos clavos fuisse docet; Ibid. V. & suprà in voce *Clavare*.

Clavus Annalis, dictus est, qui figebatur apud Rom. in parietibus sacrarum ædium per annos singulos, ut per eos numerus colligeretur annorum, Sext. Pompejus *lib. 3.* Hunc ritum primus discussit Castellius Durantius *var. lect. lib. 1. cap. 5.* & obscurissimis tenebris facem prætulit. Petronius *Satyr.*

At paries, circa paleâ satiatus agresti,
Fortuitoq; luto; clavos numerabat & annos,
Et viridi junco gracilis pendebat arundo.

Solemnitas Septēbri mense celebrata. V. Thom. Dempsterū *in Joh. Rosin. Antiqq. Rom. 4. paralipom.* & suprà ubi de ritu *Clavum figēdi*.

Claxendix, concha dicta est, qua olim signa, rebus solicitè custodiri solitis impressa, tegebantur atque abscondebantur, forte an ne vel per imprudentiam violarentur, vel alii in fraudem similia sculperent. Priscianus, *Claxendix significat concham, quâ signum tegitur.* Plaut. *Vidularia: Appositum est claxendix, at ego signi dicam quid sit.* V. Joh. Kirchmannum *de Annulis cap. 10.* & suprà, in voce *Annulus*; ut & infrà ubi de *Signandi ritu* agemus.

Clema, Græcè κλῆμα, species vitis, ut ait Ammonius, sive palmes, pampinus seu potiùs sarmentum erat, Centurionatus apud Romanos insigne Hinc κλῆμα ἑκατοντάρχου Plutarcho *in Galba* dictum. De quo sic Eusebius *Histor. Eccles. lib. 7. cap. 14. Marius unus ex his, qui in exercitu Romano magnum decus & honorem fuissent consecuti — propter testimonium Christi — capite damnatus fuit. Est quidem honos apud Romanos, qui κλῆμα appellatur: quem qui adipiscuntur, eos Centuriones fieri ajunt.* &c. V. infrà in voce *Vitis.* *Viri illustres.*

Clemens I. adde: Compresbyterum cum cum Lino & Cleto fuisse, Viri eruditi docent: nonnullis eundem eum cum illo, cujus mentionem facit Apostolus *ad Philipp. cap. 4 vers.* 3 censentibus. Inter scripta, quæ ei tribuuntur, *Constitutiones* sunt *Apostolicæ* seu *Præceptiones* 8. *libb.* comprehensæ; Item *Canones Apostolorum*: quos *utrinque* ex Pontificiis & Protestantibus Viros complures eruditos meritò damnare, docet multis Gerh. von Mastricht *Hist. Juris Eccl. num. 107. & seqq.*

Clemens, archipirata Daniam infestat, partesque Christierni II. capere, post Friderici I. Regis obitum tuitus, tandem in Christierni vel Christiani III. R. manus venit, meritò affectus supplicio, sec. præt.

Clemens, natus Athenis, adde: Ei prænomen fuit, *Titus Flavius*, Sixt. Sen. *Titus Fabius*, Labbe. Claruit secundùm Bellarminum ex Baronio A. C. 204. secundùm Sixtum Senensem A. C. 200. Opera ejus Gr. cum notis Sylburgii, Canteri, Arcerii, Hœschelii & aliorum prodiere, fol. Heidelbergæ A. C. 1594. Gr. Lat. fol. Lugduni Batavorum A. C. 1616. Parisiis A. C. 1641. fol. Lat. ibidem A. C. 1612. &c.

Clementia, adde: Simile quid de Atheniensibus legimus, quos in Foro Urbis aram *Misericordiæ* erexisse, ad quam non Attici solùm, sed & omnes omnino homines confugiendi potestatem haberent, dicemus infrà in voce *Misericordia* Et certè Demosthenes c. *Midiam*, virtutem hanc Atheniensibus velut propriam adscribens, eximit solum inde suum Adversarium. V. Ulpianum *ad l.* Cumprimis autem perpetua iis consuetudo adsignabatur, vi oppressos in libertatem vindicandi. Ulpianus *ibid.* Ὅτι εἰώθεισαν οἱ Ἀθηναῖοι ἀδικουμένους ἐλευθεροῦν τῇ πόλει. Cujus Clementiæ exempla, in totam Græciam redundantia, plurima indicat idem Demosthenes *de Corona*. V. quoque Libanium multis locis. Cæterùm Numinis hujus effigiem nullam fuisse, indicat Papinius Statius *Thebaid. lib. 12. versu 493.*

Nulla autem effigies, nulli commissa metallo
Forma Deæ, mentes habitare & pectora gaudet.

Ubi Schol. *A nullo pictore, sculptore, plasta, statuario, fusore, tusore, aut ullo Artifice, forma huic Numini assignata est, quia nullibi habitat, nisi in corde humano.* Et Claudianus, ubi de eodem ac Stilicone suo, *lib. 2. vers. 12.*

Hæc Dea pro Templis & thure calentibus aris
Te fruitur posuitq; suas hoc pectore sedes.

Ad quem locum consule Casp. Barthium, quæ *Secundâ Recensione* notavit, item *Adversar. lib. 60. ad Augustinum de Civ. Dei lib. 1. cap. 10.* nec non ejusdem *Operis lib. 42. cap. 28.* Similia sunt in Sixti quoque *Sentent.* 40. Quibus adde Fr. Lindenbrogium ad P. Warnefridum *Histor. Langobard. lib. 5.* Thom. Dempsterum *Antiqq. lib. 2. cap. 1.* Alios.

Clementina, nomen libri 7. Decretalium, à Clemente V. Pontif. Rom. compilati. Hic enim sede Pontificiâ Avenionem translatâ novo augmento Pontificium Jus locupletaturus libris itidem 5. iisdemq; titulis (quibus compilationes Gregorii IX. & Bonifacii VIII. constant) inclusit suas & Concilii Viēnensis constitutiones, sed præpropere mortuus vulgare non potuit, imò moriens vetuit, ut Aventinus refert *Annalium lib. 7.* Quâ prohibitione non obstante Johannes XXII. qui eum excepit, librum publici fecit juris, de qua editione sic Aventinus: *Septimum Juris Pontificii librum, quem Clemens V. decessor ejus composuerat, sed quod multa, quæ simplicitati Christianæ, libertati Religionis importuna ibi continerentur publicare supersederat, atque animam agens aboleri jusserat* (Johannes XXII.) *edidit, omnia, quæ ibidem scripta erant, rata fore constituit, quæ à Benedicto, qui Joanni successit, rursus antiquata sunt.* Noluit autem has vocari *librum VII.* Joannes, sed *Clementinas* inscripsit, misitque ad Universitatem Bononiensem, cum *Præfatione* sua, anno 2. sui Pontificatus, qui est Christi 1317. *Glossas* ad eas edidit Fr. Zabarella, qui & in *Decretales* scripsit, V. Gerh. von Mastricht *Juris Pontif.* seu *Eccles. Histor. p. 371.*

Cleodamus, & Athenæus, Byzantii, à Gallieno Imp. Scythis Istrum ingressis & multa gravia in solo Romano facientibus *instaurandis urbibus muniendisq; præfecti sunt*, apud Trebellium Pollionem in *Gallienis duobus*.

Cleomedes, Astypalæus, adde: Hunc summa in veneratione civibus suis fuisse, auctor nobis est Pausanias *in Eliac.* & ex eo Cyrillus *contr. Julian. lib. 6.*

Cleopatra, Ægypti Regina, adde: Strabo verò eam vel sic, vel veneno illito periisse, memorat, *lib.* 17. Dioque multos de acu comatoria memoraisse scribit, veneno illita, quæ ejus fuerit naturæ, ut sanguine tactu ilico sine dolore hominem perimeret. In eo tamen consentiunt omnes, veneno mortuam. Et Augustus quidem opinionem de aspidum morsu prætulit, propterea que talem ejus effigiem in triumpho traduxit, auctore Plutarcho. Mausoleum ejus, ut & amatoris Antonii, adhuc suo tempore fuisse superstes, innuit Statius *lib.* 3. *Sylv.* cit.

Duc & ad Æmathios manes, ubi belliger urbis
Conditor Hyblæo perfusus nectare durat,
Anguiferamq; domum, blando quâ mersa veneno
Actias Ausonias fugit Cleopatra *catenas.*

Hinc *Cleopatrana* vasa, apud Trebellium in *Zenobia*, quæ se è *Cleopatrarũ Ptolomæorumq;* stirpe oriundã jactabat, *Usa est vasis gemmatis ad convivia, usa & Cleopatranis.* Sic infrà, *Hac uniones Cleopatranos habuisse perhibetur.* Mentioque est apud Achmetem Onirocritem βαυκαλίας τ̃ Κλεοπάτρας, i. *baucalis Cleopatrani*, *cap.* 198. Ε'ὰν δὲ ἴδῃ ὅτι μετὰ βαυκαλίας τ̃ Κλεοπάτρας πίνει οἶνον, δι' ἧς ὁ πλοῦτος ἐξῆλθεν, μεθ' γυναικὸς ἀναλόγως τ̃ κάλλους τ̃ ἀγγείου. Salmasius ad *Trebellium Pollionem d. l.*

Cleostratus Astronomus, adde: Ab Idæ monte τηρήσεις, seu *observationes* suas faciebat. Sicut Matricetas in Lesbo Ins. ex monte Lepetymno; Phainus & Meton Athenis, ex monte Lycabetto sidera speculati leguntur. Qui omnes Astronomiam suam parapegmatis consignarunt, uti dicemus infrà, in hac voce. V. Salmasium *ad Solinum pag.* 812.

Clepsydra, ab *aquæ furto* dicta, hoc enim Græcis est κλέπτειν τ̃ ὕδωρ (quod aqua primitus hac fini Vett. usi essent) quantum ab Horologio hydraulico, cujus Ctesibius auctor fuit, teste Plinio *lib.* 7. *cap.* 37. differat, docet Vitruvius *lib.* 9. *cap.* 9. & dicemus infrà, ubi de *Horologiis.* Fuit illa olim in Foro adhibita, ut causis dicendis certum tempus daretur: Quod ut sine fuco vel errore fieret, constitutus apud Athenienses fuit aliquis, Ε'φύδωρ ab officio appellatus, ὁ παραφυλάττων τὴν ἰσότητα τ̃ Κλεψύδρας, *qui æquabilitatem Clepsydræ observaret.* Pollux *l.* 8. ut viz. eadem temporis mensura Reo, quæ Actori, concederetur. Ultra hanc itaque perorare non erat permissum, unde illud toties apud Patronem repetitum, Τ' ὕδωρ μοι ἐπείγει, *Aqua defluens urget.* Quare temporis angustiis constricti aut præterire ac omittere multa cogebantur, aut rogabant, aquam sufflaminari, id quod in Legum recitatione ac rebus gravioris momenti fiebat. Hinc apud Demosthenem περὶ Βοιωτ. Σὺ δὲ ἐπιλαβὲ τ̃ ὕδωρ, eodem sensu dictum, quo apud Aristophanem in *Pluto*, ῥῖνα ἐπιλαμβάνειν, *nasum obdurare*: Et Apulejus *Apolog. At tu, interea dum legit, aquam sustine.* Pancirollus, *Ne, si interea aqua effluxisset, amplius sibi dicendi præbita foret facultas.* Aliquando unus alteri, aquâ suâ adhuc fluente, facultatem dicendi indulgebat, unde iterum apud Demosthenem, ἐν τῷ ἐμῷ ὕδατι λαλείτω: quod tamen ipsi liberum erat, cùm enim id concedere nolebat, Præconem rogare fuit solitus, Ε'ξέχει τ̃ ὕδωρ, Ulpian. τουτέστιν ἔκβαλε, *effunde aquam.* Hinc in Prov. *dicere ad Clepsydram*, Cic. *Tusc. quæst. lib.* 2. *in fine.* V. Franc. Roissæum *Archæol. Attica lib.* 3. *cap.* 3 & infrà in voce *Cotyla.* De *Clepsydris*, sic Georgius de Sepibus, *Clepsydræ, sunt instrumenta, quibus temporis continuatio in æqualia & arbitraria spatia dividitur per æqualem portioné aquæ vel arenæ, quæ continuò per proportionata horis metienais spatia & per foramina labitur, ut aqua depleta, instrumento revoluto, denuo per tempus æquale priori temporis spatio defluat. In horum fabrica requiruntur duo vasa vitrea, quæ ligneo aut metallino septo conservantur, æqualitas arenæ aut aquæ proportionatum foramen & justa quantitas: qualitas arenæ illa optima est, quæ siccioris & gravioris est ponderis; aqua verò sit defæcatissima. Cujusmodi machina, quæ non solùm horas demonstrat, sed & insuper in altum fontis aspergìnem erumpit, visitur in Musæo Kircheriano, in Collegii Rom. S. J. Musæo* p. 54. De *Clepsydra* verò *Magna* Platonis, quâ ad nocturna tempora dividenda is utebatur, sicut diurna, per umbrarum dimensionem, quæ pedibus fiebat, solebant tum dividere, V. Salmasium *ad Solinum pag.* 6, 8.

Clerici, propriè qui de *clero* sunt: *Clerus* autem Græcè κλῆρος. à Petro Apostolo vocantur omnes Christiani, 1. Petri *cap.* 5. *v.* 3. ubi monet Presbyteros, μὴ κατακυριεύειν τ̃ κλήρων, *ne dominentur Cleris*; & ne quis credat, Ministris solùm Ecclesiæ vocem convenire, mox eandem eam facit cum voce ποιμνίου, *gregis*, ἀλλὰ τύποι γινόμενοι τῷ ποιμνίῳ, *sed exemplaria fiant gregis.* Posteà Populo *Laicorum*, Ministris *Clericorum* nomen dari cœpit, quasi Ministri non essent τ̃ λαῦ, *populi Dei*, 1. Petri *cap.* 12. *versu* 10. aut populus non pertineret ad κλῆρον, h. e. *sortem hæreditatis Domini* l. c. Accessit dein tertius ordo Monachorum, qui olim non inter *Clericos*, sed inter Seculares ac Laicos reputabantur, postea verò *Clericorum* appellatione interdum quoque donati. Sequiori itaque ævo *Clerici* dicti sunt, *omnes qui in Ecclesiastici Ministerii gradibus ordinati sunt*, Isidor. *Ecclesi. Offic. l.* 2. *cap.* 1. h. e. qui Ecclesiis in quocunque munere serviebant. Quorum alios vocabant *Clericos* generali nomine, ut *Apostol. Can.* 25. 31. 85. & 1. Constant. Syn. *can.* 6. è quibus rursum nonnulli [illegible] vocabantur, item *Primi Clerici*, sc. Episcopi, Presbyteri & Diaconi, quos *ordines majores* dein appellarunt: Alii *Clerici* speciali nomine dicti sunt, *Apostolic. Can.* 17. & Laodic. Syn. *can.* 24. 27. 30. Caeterùm verò sic à Laicis distinguebantur, ut non essent quidem connumerati in κλῆρον quoniam χειροθεσίας seu *manuum impositionem* non habebant, ut loquitur Concil. Chalcedon. *can.* 2. generali tamen appellatione τ̃ ἐν τῷ Κανόνι, *eorum qui in Canone Ecclesiæ scripti sunt*, comprehenderentur. Strictius porro vox sumi cœpit. de Canonicis, maximè Regularibus, qui in Ecclesiis Cathedralib serviunt, eam inprimis usurpatam legimus, in *Capitulis Caroli* C. *tit.* 31. *cap.* 30. Sed & *Clerici* nudè, in *Capitulari* 1. anno 802. c. dicuntur, qui *Clerici parochiarum* vocantur, in Concilio Emerit. *can.* 18. & sæpius *Scholares Clerici*, item *Clerici scholares* (ad discrimen Clericorum Monachorum) qui in singulis Ecclesiis Curionibus in sacris Officiis deserviunt & Scholas tenent, &c. Quia autem *Clericis* potissimùm literatura ac eruditio spectabat, quippe ad Clericatum non promovebantur, γράμματα μὴ εἰδότες, Justin. *Nov.* 6. *cap.* 4. & *Nov.* 123. *cap.* 12. hinc *Clerici* dicti sunt etiam omnes illi, qui literis imbuti erant, viri literati ac docti, Order. Vitalis *lib.* 3. Unde Joan. de Garlandia in *Æquivocis*:

Fur aurum, virgo flores, mare nautaq;, libros
Clericus, æquivocè singula quisque legit.

In specie ii, qui vulgò *Scholares*, apud Auctorem *de Discipl. Scholar.* quomodo olim appellati Scholastici in Academia Parisiensi: unde etiamnum mansit ibi nomen *Prati Clericorum*, quod prædium fuit seu ager ejusdem Academiæ proprius. M. Robertus de Sorbona *Serm. de Conscient. Ille qui frequentat magis Scholas & diligentiùs Magistrum audit, debet melior* Clericus *reputari.* Atque hinc Scribæ, Actuarii & Amanuenses Judicum vel Officialium Regiorum, aut qui sumtus quotidianos, ad officia ac munera spectantes, in acta referunt, aliaque obeunt munia, quæ sine qualicunque doctrina præstari nequeunt, cujusmodi erant *Chartularii*, in singulis Judicum vel Officiorum scriniis, eadem appellatione insigniri cœperunt. Unde tot *Clericorum* genera, de quibus Car. du Fresne *in Glossar.* qui inter alia de vestibus *Clericorum* notat, earum colorem videri fuisse olim violaceum seu castaneum: irrepsisse autem colorem nigrum in Clerum, postquam & Monachismus in nonnullis Ecclesiis à Clericis receptus est, & ex Monachis Episcopi sunt creati; reliquos a. *Clericos* alio usos esse colore, ut distinguerentur etiam à Laicis, qui atrati incedebant, ex Baronio *ad A. C.* 393. *num.* 48. qui pullas Monachis proprias fuisse, contendit ex Hieronymo *Epist.* 22. &c. Hinc *Clerica*, tondendi genus Clericis in Rom. Communione in usu: *Corona Clericorum* aliàs &c.

Cleromantia, Gr. Κληρομαντεία, ratiocinatio per sortes, genus quoddã divinationis, in varias species diffusum. Inter quos Ψηφομαντεία nobilis fuit, de qua V. infrà suo loco, ut & in voce *Sortes.*

Cleroproximi, Cypriano *Epist.* 24. dici videntur, qui ad Clericalem ordinem, tanquam idonei, deligebantur ab Episcopo ex totius Cleri consensu, ut, cùm necessitas emergeret, Diaconum aut Subdiaconum in Ecclesiis ordinari, ex eorum cœtu aliquem idẽ Episcopus ad id muneris promoveret: V. Car. du Fresne *Glossar.*

Clesippea ἀγαθήματα, memorata Gronovio *de Pecunia vet.* à *Clesippo* nomen habuit. Fuit is fullo, pravissimo corpore, qui additus est candelabro Corinthio pretioso coëmtionalis, in auctione, Theonis præconis jussu. Quod candelabrum, cum appendice homuncionis, cùm sibi comparasset quinquaginta millibus Gegania, vidua nobilis ac locuples: eam emtionem dum frequenti convivio ostentat, productus quoque, & ut vitia corporis manifestiora jocos præberent, nudari jussus *Clesippus*, *impudentia libidinis receptus in thorum, mox testamentum prædives. Numinum ritu illud candelabrum coluit & hanc Corinthiis fabulam adjecit, vindicatis tamen moribus nobili sepulchro, per quod æterna super terras Geganiæ dedecoris memoria duraret*, ut ait Plinius *lib.* 34. *cap.* 3. Nempe Clesippum manumisit, maritum, hæredem sumsit Gegania. Ille verò Corinthium, cui nisi adhæsisset adplicitus impar à domino præcone, nunquam ad res tam opimas pervenisset, non secus ac fatum suum veneratus, obtinuit inter posteros, ut, mentione hujus generis vasorum orta, *Clesippea* quoque memoraretur ἀναθήματα; Quam in rem V. plura apud præfatum Gronovium uti suprà *lib.* 4. *cap.* 8. ut & retro ubi de *Candelabris.*

Clibanarii, apud Æl. Lampridium in *Alexandro Severo*, *Centum & viginti millia equitum fudimus, cataphractarios, quos illi* Clibanarios *vocant decẽ millia in bello interemimus*: cataphracti scilicet equites *clibano* seu thorace tecti. Est autem vox *Clibanus* vel *Clibanum* vox Romana, vel Græca potiùs, quos sic dictos putabat auctor Glossarum κλιβανάριοι, quasi καλύβαι, quod hominem totum contegerent, more καλύβης. *Glossæ* Basilicæ, Κλιβανάριοι, ὁπλοφόροι, κλίβανα γάρ οἱ Ρ'ωμαῖοι τὰ σιδηρᾶ καλύμματα καλοῦσι. [illegible] *Clibanarii, solisferrei: Clibana enim vocant Romani ferrea tegumenta*: Cujusmodi erant Persicæ loricæ. Romanorum enim Græcorumque non soliferreæ erant, sed squamis contextæ, & [illegible] multis particulis ferreis in modum squamarum compositæ: at *Clibani* illi Persici erant ex solido ferro, idcirco sic nominati, quòd *clibanum*, (quo nomine instrumentum indigitatur ex opere figlino, aut potius ferro, confectum, sub quo [illegible] solida sed [illegible]

quidvis aliud coquebatur) speciem referrent: Ideò Ammianus simulacris manu Praxitelis illos comparat *Clibanarios*. Galli hodiè *Cuirasses* tales thoraces vocant: sicque de illis Auctor Anonymus *de Re Bellica, in expositione Thoracomachi*: *Hoc enim vestimenti genus, quod de coactili ad mensuram & tutelam pectoris humani conficitur, de mollibus lanis, timoris sollicitudo solertia Magistra composuit: ut hoc indutto primùm lorica vel* clibanus — *fragilitatem corporis, ponderis asperitate non læderent* &c. Salmasius *ad Lampridium*, qui tamen addit, *clibanos* etiam nominatos esse quaslibet loricas, sive ex hamis factæ essent, sive ex squamis ferreis, quas Græci [illegible] & [illegible] appellent. Quæ verba ad verum vocis etymon non manu ducunt. Squama namque Chaldæis est קְלִיפָא & גלבא unde *Clibanarios* nomen accepisse conjecturâ admodum probabili statuit Bochartus, *Hierozoici Parte prior. lib.* 1. *cap.* 6.

Clidemus, de *Bello Amazonico* in Attica scripsit, accuratissimus omnium, qui de eo literis aliquid prodidere, Barthio *Animadversion. ad Papin. Statium lib.* 12. *v.* 637.

Clidium, apud Plinium *l.* 9. *c.* 15. *Thynni, membratim cæsi, cervice & abdomine commendantur, atq;* clidio, *recenti duntaxat*: Festo, ex Nævio, pectinem piscium, quod est inter duos armos ad pectus; *Jugulum* aliis. *Claviculas* Medici vocant. hinc Athenæi *lib.* 6. orcynos Gadibus pinguissimos esse tradens, propterea seorsum *clidia* illorum sale condiri, ut antacæorum palatum & maxillas, ex iisdemque parari melandrya, ait. Idem paulo antè laudatas fuisse thynnorum [illegible], testatur citato Aristophane. Ad pisces vox translata ab homine, in cujus corpore quid [illegible] sint, ex Rufo & Polluc. notum. A cujus partis similitudine [illegible] dictas esse idem ait, quæ [illegible] *ferreos obices*, alii appellent. Nempe vocem [illegible], *claustrum* notare, seu id quod januam claudit potius, quam *clavem*, supra diximus. Unde [illegible] & [illegible], claustra, è ferro duplici compacta & quadrata, cum ferreis intus verucis seu pessulis, qui modò adducerentur & reducerentur, modò succuterentur, de quibus aliquid diximus retro in voce *Assarium*, item in *Claustra*. V. Dalechampium *Not. ad Plinium* & Salmasium *ad Solinum pag.* 934.

Cliduchus, ex Græco Κλειδοῦχος, i. *Claviger*, inter opera ex ære Phidiæ, memoratur Plinio *lib.* 34. *cap.* 8. *Fecit & Cliduchum, & aliam Minervam, quam Romæ Æmilius Paulus ad ædem Fortunæ dedicavit* Euphranoris item, *in seqq. Fecit & quadrigas bigasq; & Cliduchon eximiæ formæ.* Quo cognomine quis designetur, haud liquet. Pausanias in *Eliacis* picturæ meminit, in qua fuere Pluto, Liber Pater, Proserpina & Nymphæ duæ, quarum altera phialam tenuit: altera *clavem*. Addit, Plutonis clavem insigne esse, quod Inferorum sedes ita clausa sit, ut reditus nemini pateat. Unde Κλειδοῦχον vocari aut Nympham illam aut Plutonem clavigerum, colligit Dalechampius *Not. ad l.* Melius quid suggeretur infrà, ubi de voce *Clavum*.

Clientes, Græcis [illegible] seu *Populares*, dicti sunt apud Romanos tenuiores fortuna homines sub potentiorum protectione constituti. Diviso etenim vero populo in Patricios & Plebejos arctissimo eos Romulus vinculo colligavit. *Commendavit*, inquit Dionysius, *Patriciis Plebejos, permissumq; è vulgo data, ut quem vellet, Patronum sibi legeret*: more à Thessalis ac Atheniensibus mutuato. Patronorum talium erat, *Clientibus* respondere de jure, & absentium curam gerere: sustinere porro, circa pecunias & contractus, accusatoris impetum, & quietem eis, quâ maxime opus haberent, parare à privatis publicisque negotiis. Vicissim *Clientum* erat, Patronos juvare elocantes filias, si his pecuniæ parum esset; ab hoste captos redimere; privatarum litium perditarum æstimationes & mulctas publicas pecuniarias pro eis solvere; publicorum quoque impendiorum, quæ Magistratuum honorumq; causâ fiunt, esse participes, non secus, quàm genere conjunctos. Utrisque commune erat, nefas esse alteros accusare alteros, aut adversum dicere testimonium, ferreque suffragium aut censeri inter inimicos: quod si quis deprehensus esset aliquid horum fecisse, tenebatur lege de Proditoribus, quam sanxit Romulus, convictumque ejus criminis licebat cuivis, ut Diis inferis devotum, interficere. Nec tantùm in ipsâ Urbe plebs tuta erat Patriciorum favore, sed & coloniarum & sociarum ac amicarum civitatum & bello subactarum, quæque suos habebat Patronos, quos vellet e Romanis civibus. Quibus initiis firma adeo Romanis concordia coaluit, ut per 630. an. nunquam ad cædem & sanguinem ventum sit, multis licèt ac magnis inter plebem & honoratos exortis de Rep. controversiis: sed parentes & monentes mutuum, & partim concedentes, partim impetrantes à volentibus per expostulationes civiles componebant negotia: Hæc ex Dionysio. Addit Thom. Dempsterus *in Joh. Rosini Antiqq. Rom. lib.* 1. *cap.* 16. *paralipom.* sequentia: Cùm dignam Patronis facundiæ mercedem exhibere non possent *Clientes*, januam ipsorum coronâ impositâ honestabant. Martialis *lib.* 7. *epigr.* 27

> *Sic fora mirentur, sic te palatia laudent,*
> *Excolat & geminas plurima palma fores!*

Item Kalendis Januariis munuscula quædam tenuia, grati animi indicium, Patronis offerebant: omnemque observantiæ genus, fidem inprimis invictam, exhibebant, cujus rei celebre exemplum habes apud Suetonium *in Julio cap.* 71. Dicti Longobardicâ dictione *Vassalli*, quòd Patronorum suorum tanquam vasa censeantur. Contrà qui rem *Clientis* prodidissent, *Prævaricatores* sunt dicti, neque minùs sacri habiti sunt, quàm hi, cùm Patronos fefellere. Adumbravit hoc flagitium Virgilius *Æneid.* 6.

> *Pulsatusve parens, aut fraus innexa clienti,* &c.

Ulterius *Clientes* cœnam popularem Dominis suis in æde sacra instituebant, Plaut. *in Trinummo, Act.* 2. *sc.* 4.

> *Apposita sit cena, popularem quam vocant,*
> *Si illi congesta sunt epulæ à clientibus.*

Privato quoque nomine statuas Patronis suis sumtibus erigi collocarive curabant. Quò alludens Claudianus *de Cons. Manlii Theodosii*, sic canit:

> *Hinc te pars Libyæ moderantem jura probavit,*
> *Quæ nunc tota probat, longi sed pignus amoris*
> *Exiguæ peperere moræ, populumq; clientem*
> *Publica mansuris testantur vocibus æra:*
> *Inde tibi Macetum tellus & creata Pellæ*
> *Agmina, quæ famulus quondam ditavit Hydaspes.*

Apud Thessalos *Penestæ*, apud Athenienses *Thetæ* dicti; nisi quòd mitius clementiusque suos *Clientes* Romani habuere. Alii paulo videntur fuisse, *togati Clientes*, qui limina potentiorum observabant, ut deducerent ac reducerent, quod officium diutissimè Romæ duravit, etiam post Imperium Byzantium translatum. Hi primo statim manè Patronis ac magnis amicis præstò erant, illis *Ave matutinum* portantes, & ad balnearum cœnæque horam togati transigebant; unde etiam postquam Toga in desuetudinem abiit, hi tamen in officiis istiusmodi occupati ejus usum servabant. Unde Martialis,

> *Si matutinæ facile est tibi rumpere somnos,*
> *Attrita veniet sportula sæpe toga.*

Et alibi,

> *Nec vocat ad cenam Marius, nec munera mittit,*
> *Nec spondet, nec vult credere, sed nec habet.*
> *Turba tamen non deest, sterilem quæ curet amicum,*
> *Eheu quàm fatuæ sunt tibi Roma togæ?*

V. Octav. Ferrarium de re *Vestiar. lib.* 1. *cap.* 31. Apud medii ævi Scriptores *Salvamentum* dicitur præstatio, à *clientibus* facta, pro tutela ac protectione sui rerumque suarum, aliter *Commendatio*. Qua de re sic Salvianus *Gubern. Dei lib.* 5. *Tradunt se ad tuendum protegendumq; majoribus & dedititios se divitum faciunt — nec tamen grave hoc esse aut indignum arbitrarer, imò potiùs gratularer hanc potentium magnitudinem, quibus se pauperes dedunt, si patrocinia ista non venderent — Illud grave ac peracerbum est, quòd hac lege pauperes tueri videntur ut spolient*, &c.

Climacides, Gr. Κλιμακίδες, dicebantur mulieres, quæ dominabus suis vicem stapedis aut scalæ, quoties equum conscensuræ erant, præstabant: de quibus Athenæus, [illegible], inquit, [illegible]. Quo ministerii, vel potiùs contumeliæ genere, Valerianum Imp. à Sapore Persarum & Bajazethem Imp. Turc. à Temirlanco Tartarorum R. affectos esse, legimus. V. Salmasium *Not. ad Trebellium Poll. in Valeriano utroq;*. Sed & [illegible], h. e. *scalares*, versus dicuntur: in quibus ab una crescunt syllabatim voces, quasi per *gradus* ascendentes. Qualis ille apud Homerum,

> Ὦ μάκαρ Ἀτρείδη μοιρηγενὲς ὀλβιόδαιμον.

Qualis item ille apud Virgilium esse potuisset,

> *Ex quibus insignis pulcherrima Deiopeia.*

V. Jul. Cæs. Scaligerum *Poetices lib.* 2. *cap.* 28.

Climatarchæ, Gr. Κλιματάρχαι, apud Simocattam *lib.* 3. *cap.* 9. *lib.* 4. *cap.* 7. & Constantinum Manassem *pag.* 139. & 168. Præfecti sunt *Climatum*, h. e. provinciarum seu regionum: quam vocis hujus notionem ab Arabibus mutuati sunt Græci Byzantini. Aliàs de *Climatibus*, eorumque variatione ac mutatione V. egregiam *Exercitationem* Salmasii *ad Solinum pag.* 663. & *seqq.*

Clinici, Gr. Κλινικοί, Lat. *Lectuales*, dicebantur, qui diuturno, difficili ac tabifico morbo afflicti, lectum servare tenebantur. Sic in *Vita* Caroli M. apud Canisium legitur, uxorem eum suam quondam repudiasse, quòd esset *clinica*, h. e. morbosa &c. Salmasius *ad Spartianum in Hadriano Cæs.* Præterea sic dicti sunt à quibusdam, qui ob ægritudinem sacro lavacro non immergebantur aut intingebantur baptizandi, sed aquâ solùm baptismali aspergebantur, seu perfundebantur, Cyprianus *Epist.* 76. A quo more fluit occidentalis Ecclesiæ consuetudo, quæ hodieque obtinet ob teneritudinem infantium recèns natorum, cùm jam rarissimus esset adultorum Baptismus, V. quæ hanc in rem annotavit Joann. Forbesius *Instructionum Historico — Theologic. lib.* 10. *cap.* 5. *num.* 55. ut & infrà in voce *Superfusus*. Mercurialis vero, *Clinicorum* nomen non ipsis ægrotantibus à vett. tributum, qui potiùs [illegible] & [illegible] sint dicti, sed Medicos sic vocatos esse, à Chirurgis & Empiricis eo modo, atque etiam magis antiquitus sejunctos, quo hodie *Physici* nuncupati ab iisdem

Chirur-

Chirurgis & *Carnanis* vocatis separantur, contendit *Variarum Lection. lib.* 3. *cap.* 22. Quod facit Epigramma 31. Martialis *lib.* 1.

Chirurgus fuerat, nunc est vespillo Diaulus:
Cœpit quo poterat Clinicus esse modo.

Ubi Commentator, *Aspirabat*, ait, *Chirurgus Diaulus ad nobilissimam Medicinæ partem, ut Clinicus tandem Imperatores lecto affixos viseret curaretque; desperans tandem, nescio qua ne causa, se ad Libitinam contulit, è chirurgo vespillo factus, nec minùs interea Clinicus. Est enim argutia in voce κλίνη, quæ & lectum & feretrum significat.* E quibus verbis apparet, *Clinicos* fuisse olim Medicorum nobiliores, qui Imperatores imprimis τῇ κλίνῃ, *lecto* affixos, inviserent, eorumque convalescentiæ invigilarent. Quod idem de ambiguitate vocis addit, ita omnino se habet: Inprimis verò sic dicebantur singulorum cadaverum thecæ vel arcæ, quæ una camera vel fornice seu hypogæo sepulchrali conditæ habebantur. Totius enim alicujus Familiæ unum commune monumentum subterraneum apud Græcos aliosque olim (qui mortuos non cremabant) erat; in quo mortui ex eadem familia jacebant in suis quisque κλίναις seu *lectulis*. Phi odemus [illegible] vocat, in *Epigram.*

[illegible Greek verses]

Nonne audis o tacullio, in lectulo
[illegible] te æternum jacere infelix saxo.

Hinc Nonnus [illegible Greek] appellat sepulchrum Domini nostri, ad hos lapideos lectulos respiciens &c. V. hîc passim, ut & plura apud Salmasium *ad Solinum pag.* 1207.

Clisthenes Sicyonius adde: Primus hic uno temone currum fecit ac medios tantum duos jugo junxit, eisque singulos adjunxit ex utraque parte loro vinctos h. e. funales, cum ante ipsum in quadriga quatuor equi sic jungerentur, ut duplici temone equis interjecto perpetuum jugum omnibus conjiceretur, sicque omnes jugales, nullus funalis esset, uti refert Isidorus. Unde datur intelligi, cur Græci Grammatici in expositione τῶν ζυγίων, interpretentur [illegible Greek], *medium dextrum & medium sinistrum.* Equi nempe ζύγιοι, *jugales*, ab illo tempore medii inter utrumque funalem esse cœperunt; è quibus dexter funalis ad dextram fuit dextrijugalis, sinister funalis, ad lævam jugalis sinister. Idem Salmasius ubi suprà *p.* 897.

Clitus, in *Vita* Caroli M. machina bellica, ad saxa eminus explodenda, adhibita; apud Dominic. Macrum in *Hierolexico*.

Clitor, adde: Nomen accepit à *Clitore*, Azanis filio, quo nemo potentior Rex tum vitam habuit. V. Pausaniam *l.* 8. In Stephani *Epitome* pars bona literæ K. periit, cum qua & urbis & amnis & Herois hujus memoriam excidisse, putat Barthius *ad Statium Thebaid. l.* 4. *vers.* 289.

Clivia, adde: Familiæ prolixior historia, hæc est. Originem referunt Antiquitatis scrutatores primam ad fabulosum quendam Giali [illegible]. Eliam, qui *Cliviam* hæredem duxerit: e quorum posteris vixisse dicitur tempore Caroli M. Baldninus Comes Cliviæ & Testerbanti pater Eberhardi Comitis Cliviæ, cujus posteri *Comites Cliviæ* demum defecerunt A. C. 1368. & Roberti. Hic Ludovicum [illegible] Teisterbantensium reliquorum fratrem, Robertum Heusdanorum dynastarum, qui per plura secula supersunt, auctorem atque Theodoricum genuit, qui Comes ab *Altena* dictus erit, sed ejus nepos Adolphus *Marcæ* titulum assumsit. In [illegible] nd [illegible] divisione factâ, fratres Engelbertus Bergensium vel Montanorum Comitatum, & Eberhardus Marcanum [illegible] A. C. 1[illegible] quorum prioris posteritate extinctâ hæreditas ad Juliacenses [illegible] delata. Eberhardi vero trinepotes Adolphus & Eberhardus iterum novos ramos cœpere. Prior etiam à conjuge Margareta sive Maria *Clivia* [illegible] Cliviæ [illegible] titulum de & [illegible] tatum hunc ab Imperatore, nepos Ducalem titulum pro eo assecutus est. Accessit deinceps alio matrimonio Juliacensis & Montanus Principatus: ramo præcipuo ac directo in Joh. Wilhelmo A. C. 1609 extincto. Ex minoribus filiis descendere lineæ Ravensteinia & Nivernensis, quæ utraque etiam extincta: quæ vero ab Engelberto Marcano Adolphi, ut dictum, fratre derivatæ sunt lineæ, V. sub titulo *Marcani*, & plura hanc in rem apud Phil. Jac. Spenerum *Theatr. Nobilit. Europ. tom. II. pag.* 82. *& in Indic.* ut & *tom. III. pag.* 5. *ac iterum in Ind.*

Clivus, in *Glossis*, ἀνάβασις. Unde Prov. *adversus clivum equum agitare*, id est, contra ascensum, in quo laborant equi. Ovidius,

In clivo noster sæpe laborat equus:

de re ardua ac difficili, quæ enitenda est. Inde *arduum*, pro difficili &c. Atque ita communiter hac voce Latini usi sunt. Alioquin *clivus* tam ascensum, quam descensum, significat. Nam *proclinata montium latera* propriè vox designat, ex Græco κλιτὺς, quæ τὰ ἀνάντη montis notat, Æol. κλιτὸς, unde *clivus*: quemadmodum apud eosdem Æoles, ex ἀγρὸς factum est *agrus*, quo nomine Amorem indigitarunt, Salmasius *ad Solinum ibid. pag.* 774.

Cloaca, non tenuis operæ nec leviculæ impensæ Romanis fuere. Harum structurarum initium fecit Tarquinius Priscus, quo nemo Regum plura aut meliora: Is enim montibus suffodiens urbe pensili fornicibus suspensâ receptaculum omnium urbis sordium *Cloacam* fecit, inque tres ductus divisit, Plin. Post urbem dein à Gallis captam incensamque vicorum nullâ ratione habitâ, neque civitate, ut priùs, in certas regiones divisâ, privatorum quisque suis usibus peculiarem struxit: mansere tamen Tarquinianæ inexpugnabiles ad Plinii usque ætatem, per annos 800. qui memorat Agrippam in Ædilitate per meatus corrivatis septem amnibus cursuque præcipiti torrentum modo rapere omnia atque auferre coactis, urbem subtus navigabilem fecisse. Erant autem tam magnæ, ut vehem fœni onustam largè transmitterent, non angustiores proin oppidorum portis, lapidibus sectis & ad normam positis suffultæ. Marlianus, qui dimensus est, prodidit pedum senûm denûm latitudinem se reperisse, nec altitudo minor fuit. Interim licet firmi fuerint operis, reparatæ tamen non semel leguntur. Unde Livius ait, *Censores [illegible] cloacas & in Aventino, atque aliis partibus, quà nondum essent, faciendas locavisse.* Quanto sumtu, dicat C. Aquillius apud Dionysium, *Neglectis*, inquiens, *aliquando cloacis & non defluentibus, Censores in earum instaurationem mille talenta impendisse*, h. e. sexcenta millia Philippæorum. De iisdem Cassiodorus, *Splendida Romæ civitatis cloaca, tantum visentibus conferunt stuporem, ut aliarum civitatum possint miracula superare*, apud Ad. Treyellium *sive & Europæ cap.* 19. Idem paulo infra, *Sua fuit excretio Templi Hierosolymitani in torrentem Cedron, & ingens fuerit apud Sinas intra canalium, ac eluendas urbes. Cedet de pulchritudine utriusque structuræ, de sumptibus & necessitate non cedet Roma.* Hinc laudat Strabo tria in maxime cura a Romanis, quæ à Græcis videbantur neglecta, *Viarum, Aquæductuum & Cloacarum.* Harum cura primum penes Censores fuit, postea publici earum Curatores ab Augusto instituti sunt. V. Dionysium Halicarn. *lib.* 3. Plinium *lib.* 36. *cap.* 15. Barthol. Marlianum *lib.* 3. *cap.* 18. Liv. *lib.* 1. Joh. Rosinum *Antiqq. Rom. lib.* 7. *cap.* 3. *&c.*

Cloca, apud recentioris ævi Scriptores, campana est. Gall. *Cloche*, Germ. *Glocken*, V. ubi de *Campanis*. Item toga Equitum Melitensium, quam Consilium habitum nominant. Idem Macri ibid. Sed & eodem nomine vestis venit, in Concilio Londin. A. C. 1342. *can.* 2. *de Cler.* in Concilio Andegav. A. C. 1365. *can.* 20. alibique, quæ viz equitantium ac peregrinantium propria, campanæ aut circuli, uti apud Græcos *Cyclas*, speciem referebat, in superiori parte strictior, in ima largior: *Rotundellus can.* 19. Concilii Andegav. prælati, dicta, cujusmodi veste Flandricæ Domicellæ etiamnum utuntur. Hodieque certè Anglis *Cloake* pallium est. V. du Fresne in *Glossario*.

Clodia Lex, à P. Clodio Tr. Pl. lata, L. Calpurnio Pisone Cæsonino Coss. an. U. C. 695. voluit: *Nequis per eos dies, quibus cum populo agi liceret, de cœlo servaret: Ut omnibus fastis diebus legem ferre liceret*, Dio *lib.* 38. Quare Cicero sæpe queritur Clodium propugnacula & muros tranquillitatis atque otii evertisse, *Cic. pro Sestio, in Pisonem, alibi.* Alia eodem anno, eodemque auctore lata est. *Nequem Censores in legendo præterirent, neque quâ ignominia afficerent, nisi qui apud eos accusatus & utriusque Censoris sententia damnatus esset.* Quâ lege Censoriæ potestatis jus, quod 400. an. in Rep. viguerat, imminutum est. V. Cic. *in Pisonem, pro Milon. pro Sextio &c.* Alia ab eodem voluit, *Ut libera & soluta in ferendis legibus Tribunorum Pl. potestas esset, neque intercessione impediretur*, Cic. *pro Sestio.* Alia, cujus id in eodem anno Auctor, *Ut Gabinio Syria, Babylon, Persia, Pisoni Macedonia, Achaja, Thessalia, Græcia omnisque Bœotia, Proconsulari imperio mandaretur, iisque, cum exercitu in eas provincias ituris pecunia ex ærario attribueretur*, Cic. *pro Domo & in Sextiana.* Tulit idem, *Ut Cyprus insula in provinciæ formam redigeretur, &c.* V. Velleium *lib.* 2. Plut. *in Catone*, Cic. iterum *pro Domo sua, pro Sextio, de provinciis Consul. &c.* Alia, *Ut de iis, qui cives Romanos sine judicio populi, indictaque causâ necassent, quæstio haberetur*, ab eodem lata, ob Ciceronem & alios, a quibus necati erant Catilinarii. V. Dionem *lib.* 38. Cic. *lib.* 3. *ad Atticum*, Velleium *lib.* 2. Alia tandem ab eodem sancita, an. U. C. itidem 695. fuit, *Ut collegia, i. Conventus artificum a Numa instituti & magna ex parte, partim legibus, partim Senatusconsultis sublati, restituerentur multique, alii constituerentur.* Cic. *pro Sextio, in Pisonem, pro Domo.* Dio *lib.* 38. &c. Fuit & Clodia, seu Claudia lex *Ut [illegible] nummus, qui ex Illyrico advectus mercis loco habebatur, Romæ percuteretur, & eadem victoriæ nota obsignaretur*, Plin. *lib.* 33. *cap.* 3. V. Joh. Rosinum *Antiqq. Rom. passim.*

Viri illustres.

Clodius Dux, apud Trebellium Pollionem in *Gallieno*, dumtaxat bis dicitur Claudius ille, qui postea Imperium obtinuit. Alibi semper *Claudius*: & Græci quoque Κλαύδιον, non Κλώδιον, eum vocant. Casaubonus *Not. ad Pollionem*.

Clodius Celsinus, Adrumetinus & affinis Albini Imp. *de quo [illegible] quæ facta sunt acta, lectis, iratus Senatui Severus, quasi hoc Albino Senatus præstitisset, Commodum inter Divos referendum esse censuit, quasi hoc genere se de Senatu posset ulcisci*, Spartianus in *Severo*.

Clodius Rufus, in numero fuit Nobilium Romanorum, quos

sine causæ dictione occidi jusserat Severus Imp. uti legimus, apud Æl. Spartianum in *Vita* ejus.

Cloja, vulgò *Claye*, locus Galliæ, prope Montem Gajum *Montjay*: Hadr. Valesius *Not. Gall.* in voce *Ledia sylva*.

Cluense Castrum, memoratum Aimoino *de mirac. S. Benedicti*, locus est Galliæ, in Biturigibus Cubis, Lemovicibus proximus. vulgò *Cluis*, Hadr. Valesius *Not. Gall.*

Clupea, adde: Sed solenne id Ptolomæo, ubi ejusdem urbis aut loci duo nomina occurrunt, Græcum pariter & Latinum, duo inde loca diversa condere. *Clupeam* autem videtur vocatum priùs hoc oppidum, quod Græcè est Ἀσπίς. Τὰ Κλύπεα Cæsari: *Clupea* quoque Ennio,

Omnibus at Clupea præstat Mustela marina.

Ubi *mustela Clupea* est, ut *hospes Zacynthi*. Originem vocis hanc reddit Salmasius: Ἀσπὶς aliter κύκλος, inde Κύκλοι & transpositione literarum, Romanis & aboriginibus suis Æolibus familiari, Κλύπεοι, unde *Clupeus*. ut ex λύκος *lupus*, ex σηκὸς, *sepes*, facta est. V. eum *ad Solinum pag.* 321.

Clusa, locus est Galliæ, ad fluvium Arvam, in Fauciniaco Sabaudiæ parte, cum castro non ignobili, proximo Alpibus, vulgò *Cluse*. Item vicus ad Rhodanum flumen, Jurensibus rupibus proximus, vulgò *la Cluse*: ubi est *le pas de la Cluse*, h. e. transitus *Clusæ*. Ab alterutra harum *Vallis Clusa*, cujus in divisione Regni Lotharii A. C. 870. factâ mentio, nomen accepit. Est tamen & *Vaucluse* vicus in Sequanis, qui ad *Vallem Clusæ* propiùs accedit. Cæterùm quid *Clusa* propriè sint. V. in voce *Clusa*.

Clusor, V. infrà *Inclusor*.

Clusor Statarius, apud Sidonium *lib.* 8. *Epist.* 6. qui feras cassibus includit: veribum Venatorum, de quo V. Savaronem *ad eum*.

Clytimene, uxor Dryantis, Statio memorata *Thebaid. lib.* 9. v. 842. mater ex eo Lycurgi, si Boccatio fides *Geneatog. Deorum lib.* 11. *cap.* 22. de quo V. judicium Caspar. Barthii *Animadversion. ad Statium d. l.*

de *Clypeo* S. Georgii, Societas militaris, *Chron. Elvang.* 1440.

Clypeum vibrare, seu quatere ac jactare scutum, militum olim exercitium erat, qui in Armaturæ exercitatione hoc primum discebant, quomodo tractandum jactandumque esset scutum. Græci κίνειν ἀσπίδα & ἀσπίδα κρατεῖν & δῖνειν ἀσπίδα dicebant. V. quæ suprà de *Armorum exercitio*.

Clypeus, Casaubono *ad Trebellium in Divo Claudio*, duo significat, scutum sive ἀσπίδα & imaginem: Prima, inquit, inventio fuit ad necessitatem, ut corpus defenderet; dein accessit decoris & elegantiæ studium, cœperuntque pingi scuta: inde nominis hujus diversa notio, ut Plinius censet *lib.* 35. *cap.* 3. At Grammaticis hic libuit esse subtilibus, *clipeum* enim scripsere ἀσπίδα, *clypeum* verò imaginem, &c. Imo hujusmodi imaginum clypeos, ὅπλα etiam Græcis antiquissimis dicta esse, ὅπλον autem esse *clypeus*, notat Salmasius. Sic enim Latini vett. etiam *arma* propriè scuta appellarunt: quemadmodum ὅπλον χάλκεον, h. e. *clypeum æneum*, Timomacho à Thebanis, virtutis ergo, positum ὅπλον Thebanis vocatum esse, legimus apud Scholiastem Pindari *ad Isthmionicas*. Hinc notum est, unde Latini didicerint vocare *clypeos*, imagines thorace tenus depictas: nam ὅπλον, ut dictum, *clypeus* est; idem autem Lacedæmoniis erat ἴτυς, quod Thebanis ὅπλον. *Clypeos* verò istos imaginum, seu imagines clypeatas, Græci δίσκους etiam vocarunt, propter clypeorum discorumque similitudinem. Quâ factum, ut Vitellius patinam illam suam ingentem, *Clypeum Minervæ*, appellarit &c. V. infrà in voce *Cyclus*, item *Discus*. Uti autem Timomacho æreus, sic Claudio II. post mortem *Clypeus aureus — in Romana Curia Senatus judicio collocatus est — expressa vultus ejus imago*. Hadriano quoque Antoninus Pius *Clypeum magnificentissimum posuit*, apud Julium Capitolinum. Sed hac de vocis notione quoq; infrà in *Strongyle*. Priore verò sensu *Clypeus*, cum umbone, parma, scuto, res eadem, nisi quod formâ differrent: Diversa namque *Clypeorum* genera. Isidoro tamen *Clypeus*, scutum majus est, *Origin. lib.* 18. *cap.* 12. sed cùm inde, *quod clepet, h. e. celet corpus*, dictum ait, suaviter fallitur. Ex Græco κύκλος, quâ ratione potius originem ejus Salmasius arcessat, diximus supra, in voce *Clupea*. De inventore eorum quædam habet Plinius *lib.* 7. *cap.* 56. Magnitudo, Heroicis inprimis temporibus tanta, ut totum corpus tegerent. Unde *clypeis fixis* defensos remiges, sicque picturâ repræsentatas naves videmus. Quò facit illud Statii *Thebaid. lib.* 5. *versu* 382.

Illi quippe simul bella pelagoq; laborant
Pervelypeis munire ratem.

Sed & Romani talibus usi. Egesippi Scriptor *lib.* 3. *cap.* 24. *Progredimur in bellum junctis utrisq;. Tegitur galeâ caput, loricâ pectus, totumq; clypeo corpus.* Imò & ratem seu navem clypeis munitam, habet Val. Flaccus *lib.* 3.

— postquam Æmoniam, sancta non immemor ira,
Æripono gemente ratem præfixaq; Regum
Scuta videt.

Fortibus si viris, icti erant, inertibus ac tyronibus pari. Unde Virgilius *Æneidos lib.* 7.

— — Parmaq; inglorius albâ.

Et de Camilla tyrocinia ponente, *lib.* 11.

— — Puraq; interrita parmâ.

Contrà de viro forti ac bellicoso Capaneo, *Stat. Thebaid. lib.* 10. *in fine*,

Et clypei niger umbo cadit.

Solebant verò in *Clypeis* eorum, quorum essent, vel etiam Avorum, imagines quoque effingi: Inprimis v. magnificis suis factis illos exornasse Veteres, constat. Nemesin, in *clypeo* pictam, gessit Polynices, auctore *eod. Thebaid. lib.* 1. *versu* 445.

— — — Nam vix
Haud humiles tanta ira decet, generisq; superbi
Magna per effusum clarescunt signa cruorem.

Unde superbiam ejus apud Æschylum exagitat Eteocles, & inde iracundiâ motus singulare cum eo certamen concipit. Hinc hodieque mos, ab alta antiquitate oriundus, *terribiles facies clypeis* præferendi servatur. Porro Templis figebantur Heroum clypei, ad perpetuam rerum gestarum memoriam, etiam vetustissimis moribus. Josephus *fine lib.* 6. *Archæol.* Ἀνετίθεσαν δὲ τὰ σκῦλα, καὶ τὰς μὲν πανοπλίας αὐτῶν ἀνέθεσαν εἰς τὸ Ἀσταρτεῖον, τὰ δὲ σώματα ἀνεσταύρωσαν, ex *lib.* 1. Samuelis *cap.* 31. Horatius *Carm. lib.* 1. *Od.* 28.

— — — — habentq;
Tartara Panthoiden iterum Orco
Demissum, quamvis Clypeo Trojana refixo
Tempora testatus.

Et res pervulgata est, Euphorbi *Clypeū* detraxisse summo Templi poste Pythagoram, se eundem sub ejus personâ illic Trojanis temporib⁹ fixisse memorantē. Sic *aurei Clypei* honoris ergò Numinib⁹ dedicabantur, ob res feliciter gestas, uti in libris Maccabæorum legere est. Et bello Achaico confecto *Clypeos XXI.* dedicasse, in Templo Iovis Olympii L. Mummium, scribit Pausanias *lib.* 5. Idem de Lucii & Caii Cæsarum clypeis observat Xiphilinus, ex Dione: V. quoque Livium *lib.* 34. *cap.* 52. *lib.* 35. *capp.* 10. & 41. *lib.* 38. *cap.* 35. &c. In eorundem dedicationibus epulas datas civibus, docent *Inscriptiones* aliquot *vett.* 441. 7. 496. 4. Neque verò, solùm intra Fanum, sed & extra, sub cœlo nem. alibique sub tecto, illos pependisse deprehendimus, apud eundem *ibid.* ut & Statium *Theb. lib.* 2. v. 256.

— — celsam subeuntibus arcem
In gradibus summi delapsum culmine templi
Arcados Evippi spolium cadit æreus orbis &c.

Uti v. gloriosum fuit *clypeū* multis vulneribus habuisse perfossum, summumque dedecus in pugna illum abjecisse: Ita unicus occisorum in acie Ducum honor erat, in *Clypeo* suo efferri; quò pertinet præceptum Lacænæ matris, armantis filium in bellum profecturum, ἢ τὰν ἢ ἐπὶ τᾶς, *Aut hunc, aut super hoc Fili*; h. e. ut vel vivus integrum à conflictu referret, vel in eo ad suos referretur mortuus. Virgilius *Æneidos lib.* 10.

— At socii multo gemitu lacrymisq;
Impositum scuto referunt Pallanta &c.

Lapsâ dein Republicâ etiam consuetudo invaluit, ut Imperatores quoque inaugurati *Clypeo* insiderent, elevatique in eo Centurionum aut militum humeris, toti exercitui se præberent videndos. Capitolinus in *Maximo & Balbino*, *inter hæc*, inquit, *Gordianus Cæsar sublatus a militibus, Imperator salutatus est.* Idem de Græcis Imperatoribus, narrant Curopalates *de Offic. Aulæ Constantinop.* Jan Zonaras *Annal.* 3. Niceph. Gregoras *Hist. Rom. lib.* 3. & 4. Niceph. Choniates &c. etiam de Caninefatibus Tac. *Hist. lib.* 4. *Impositus scuto, more gentis & sustinentium humeris vibratus, Dux eligitur.* De Gallis Ado Viennensis in *Chron. æt.* 6. *Sigebertus contra Chilpericum fratrem, more gentis clypeo impositus, Rex constituitur*: quod de Clodoveo quoque habet Greg. Turonensis *Hist. Franc. lib.* 2. &c. Imo & virorum Nobilium tumulis jam olim scuta, ac proin eorum, quibus illa decorari solebant, armorum insignia, appendi consuevisse, quod hodieq; fit, discimus ex *LL.* Henrici I. Angliæ R. ub. *Clypeus sepulchris Militum appensus*, occurrit, *cap.* 83. Hinc Baldrici distichon in *Scutum Raberti*,

A domino viduata suo jam pertica gestu,
Cui par Raberto nullus erat hominis.

Sed &, ut arma mortui sepulchro imponerentur, antiquissimis temporibus fuisse in usu, notum ex illo *Æn.* 6.

At pius Æneas ingenti mole sepulchrum
Imposuit, suaq; arma viro &c.

Unde *Clypeus*, pro prærogativa ac dignitate, in *Speculo Saxon. lib.* 1. *art.* 3. §. 2. Item pro familia nobili, apud Matthæum Parisium *A.C.* 245. & du Fresne *Notis ad Cinnamum pag.* 451. &c. Porro inter præmia *Clypei* fuêre, ut videmus apud Statium *Thebaid. lib.* 6. v. 644.

Finiti cursus, opera mq; insignia præstò.
Atrias equum dono, Clypeum gerit improbus Idas.

Eaq; tenuiora, exemplo Virgilii, qui artificiose licet elaboratum pelli leonis postponit *Æneid. lib.* 5. In Junoniis præsertim Ludis qui Argis celebrabantur, *Ærei Clypei* donabantur victoribus, unde Ἀσπίδα Ἥρας vicisse dicebantur, & agon ipse Ἀσπὶς ἐν Ἄργει. Etiam in Sacris adhibiti Magnæ Matris, à Corybantibus & Cu-

ictibus, quos ensibus pulsasse *Clypeos* aut alia arma, discimus ex Claudiano *de Proserpinæ Rapt. lib.* 1. *v.* 209.

Postquam visa Ceres, mugitum tympana frenant,
Conticuere chori. Corybas non impulit ensem,
Non buxus, non æra sonant ———

Cujusmodi sonitus voces Dæmonum esse, æri conjunctorum, opinabatur Pythagoras, uti habet Porphyrius, nomine *Malchi*, in ejus *Vita* &c. Quam in rem V. plura, apud Casp. Barthium *Animadversion. ad Papinium Statium passim*, Thom. Dempsterum in *Joh. Rosini Antiqq. Rom lib.* 10. *paralipom. ad cap.* 10. Fuit autem *Clypeus*, non quadratus, quemadmodum scutum, sed rotundus, ex ære factus, minor scuto, de quo videre est Ald. Manutium *de quæsitis per Epist. lib.* 2. *Ep.* 6. nec apud Romanos aliis, quàm ex prima Classe civibus, *Clypeum* in bello gestare licebat, cùm secundariis scutum ejus vicem suppleret, Joh. Rosinus *Antiqq. Rom. lib.* 6. *cap.* 8. Adde du Fresne *Glossar.* & quæ passim, de *Cetra*, *Parma*, *Pelta*, *Scuto* &c.

Clypeus Æneus, in balneis Romanorum, catenâ pendebat ex orbiculari fenestra fornicis Laconici seu Calidarii, per cujus deductionem ac reductionem modò augebatur calor, modò minuebatur, uti ex Vitruvio discimus. V. Hieron. Magium *de Tintinnabulis cap.* 3. & infrà, ubi de *Laconica*.

Clypeus Versus, nuntiorum belli seu Fecialium gestamen, apud Turpinum *Histor. cap.* 9. V. quoque suprà *Arma Inversa*.

CN.

Cnecus, Græcè Κνῆκος, herbæ nomen, quam *Carthamum* vocant officinæ: Ejus flos luteus sive croceus, semen verò candidum. Unde κνηκὸν modò pro *luteo*, modò pro *albo* colore, sumtum Græcis. Hesychius, Κνηκὸν τὸ πυῤῥὸν χρῶμα ἐπὶ τῶν αἰγῶν, ὅτε δὲ ἐπὶ λαγωῦ τὸ λευκόν. Dioscorides tamen ejus semen albo & rufo mixtum esse tradit, σπέρμα λευκὸν καὶ πυῤῥόν. Ideo κνηκὸν Hesychius idem interpretatur ψαρὸν ἵππον: quo nomine equi indigitabantur, rubris vel nigris maculis sparsi, qui *guttati* Latinis, i.albi nigris intervenientibus punctis, inde Κνακίας quoque dicti, Doricè pro Κνηκίας. Sed & κνακὸν, pro *albo*, multi dixere. Hinc κνάξ, pro *lacte*, in Symbolica veterum Theologia, verbis, quæ leguntur apud Clementem 5. *Strom.* Βέδυ, ζάψ, χθὼν, πλῆκτρον, σφίγξ, κνάξ, ζβύχ, θωπτής, φλεγμὸς, δρώψ. Quam in rem V. Salmasium *ad Solinum pag.* 895. Atque hæc de *Cneco* sativo. Fuit verò aliud sylvestre, cujus semen nigrum esse Theophrastus ait. Illius duæ species, *una mitiori similis caule*, verba sunt Plinii, *tamen rigido*, *itaque & colu antiquæ utebantur ex illis. Quare quidam atractylida vocant, lib.* 21. *cap.* 15. Ubi *fusi* mavult Salmasius, ἀτράκτῳ namque his caulibus usas fuisse priscas mulieres, iterum Theophrastus tradit. Πῆνα autem sunt *fusi*. Epigramma antiquum,

— — καὶ ἐν ἀράχναις
Πῆνα.

Catullus,

Currite ducentes subtemina, currite fusi.

Sed & ἀτρακτυλίδα diversam à Cneco sylvestri facit Theophrastus, quamvis ἀτρακτυλὶς idem quod κνῆκος. V. Salmasium ubi suprà

Cneorum, Græcè κνέωρον, herba coronaria, apud Plinium *lib.* 21. *cap.* 9. *Ergo in coronamenta folio veniunt melothron, spireon trigonon, cneoron, quod casiam Hyginus vocat.* Ubi Dalechampius, *Cneorum album Anguillaræ lavendula nostra utraque, mas & fœmina: Cneorum nigrum, libanotis coronaria sive rosmarinus, cujus nusquam sub alio nomine Theophrastus meminit.* Salmasio Κνέωρον propriè folium thymelææ, quod κόκκος etiam dicebatur, item κνεωρὸν ἀπὸ τοῦ κνῆν, id est, *contundendum* enim erat, ut fibræ ex illo tollerentur. Hinc planta ipsa, apud Theophrastū, qui cùm duo ejus genera faciat, nigrum & candidum, candida folia oleagina esse tradit, unde Θυμελαίαν dictam esse, evincit vir eruditus. Usus ejus in Thesmophoriis quoque & καθαρσίοις, ut legimus apud Hesychium: Κνέωρον φυτὸν ὃ ἐν τοῖς Θεσμοφορίοις ὑποστρώννυνται, καὶ ὡς ἐν καθαρσίοις χρῶνται. Nempe matronæ, quæ in casto Isidis aut Cereris erant, concubitu abstinebant: & per eos dies, quibus castum observabatur, secubabant à lectis suis ac toris genialibus, & in ipso Templo, in quo pervigilia quoque celebrari mos, incubabant stramentis, quæ ut plurimum iis herbis ac foliis farta fuere, quæ castitati conducere existimabantur. Hinc vitice, quæ Græcis ἄγνος, hinc thymelæa, utebantur, cujus folium κνέωρον appellatum, inimicum esse generationi & fœtus in utero necare appositum, dicebatur. V. Salmasium *ad Solinum pag.* 405

Cnidius, adde: Hinc *Cnidius calamus*, apud Plinium *cap.* 36. *lib.* 16. ad scribendum optimus habitus, juxta Ægyptium: *Chartisque serviunt calami Ægyptii, maximè cognatione quadam papyri. Probatiores tamen Cnidii, & qui in Asia circa Anaiticum lacum nascuntur.* Et *Cnidia harundo*, passim apud Poëtas Græcos Latinosque, de calamo scriptorio. *Epigr.* vetus in supellectile librarii,

Καὶ σπόγγον καλάμων ψαίστρ' ἀπὸ Κνιδίων,
Et spongiam quâ calami absterguntur Cnidii.

Erant autem hæ arundines, ex genere Φραγμιτῶν, quæ multum habebant cartilaginis atque carnis, V. suprà ubi de *Calamo Scriptorio*. Indidem *Cnidius Senex*, apud Avienum *in Arato*,

Hinc primum Cnidii radium senis intulit astris:

de Eudoxo, stellarum novarum fabricatore, V. Casp. Barthium *Animadversion. ad Statium lib.* 1. *v.* 102.

CO.

Coa Bombyx, texebat aliter & minùs subtilem texturam dabat, quàm Assyria: unde mulieres ex Assyrio bombycino gerebant vestes, viri ex Coo tantùm, Plinius *cap.* 23. *lib.* 11. Proin *Coa* vestis, quâ denudabantur mulieres, non ex eo dicta, si Plinio credimus, quòd e bombyce Coa conficeretur, sed quòd in Coo Ins. texeretur ex Assyria bombyce. At verò simile hoc neutiquam: Loquitur enim *cap.* 22. ejusdem libri, de inventione bombycinæ vestis, quam in Co prima texuit Pamphile quædam: quæ invenit ex bombyce bombycinum stamen evolvere & tenuissimam vestem inde texere; ex bombyce utique indigena, & quæ in ipsa insula nascitur non quæ ex Assyria illuc efferebatur. Unde enim Assyria bombyx in Coo? non ex Assyria bombyces ipsæ in Europam afferebantur, ut nec ex India aut Serica, sed nema tantùm. Præterea Assyria bombyx si quæ fuit, non alia fuerit, quam ex qua sibi vestes Assyrii, Medi & Persæ conficiebant: quæ eadem omnino cum Serica. Vestem itaque illam tenuem & pellucidam, quâ solâ mulieres utebantur, non etiam viri, ex Assyria bombyce textam eandem cum Serica esse oportet. Sed multa sæpe miscet Auctor; nam qui ex bombyce Assyria, uti vocat, quæ e vespatum, apiumque genere erat, veram bombycem facit, quæ inter erucas reponenda, & sola bombycinum fundit. Unde patet, nullam jam Assyriam bombycem esse, sed Coam, quæ in Co Ins. nascebatur: ubi cùm artifices non priùs ex bombyce stamen bombycinum eliquarent, quàm evolasset inde papilio, ut idem Plinius refert; non mirum, si non optimæ notæ bombycinum illud erat, ita, ut vestes ex eo textas viros etiam usurpare non puderet. Necanda enim bombyx est, priusquam papilio prorumpat, ut optima habeatur & delicatissima metaxa: quod hodieque nostri Artifices faciunt, qui ardentissimo Soli expositas sic interficiunt in nido suo ac folliculo, aut in furno torrendas curant. Neque alia fuit natura aut origo *Coarum* bombycum atque Sericarum aut Indicarum, discrimen Artificum solum major minorve peritia fecit. & Assyria bombyx, uti Plinius vocat, non alia à Serica fuit &c. V. de his accuratè agentem Claud. Salmasium ad Tertullianum de Pallio *cap.* 3. & *Exercitation. Plin. ad Solinum pag.* 143. ubi discrimen faciens inter vestem *Coam* & *Coam*, illam ingenio Pamphilæ, quæ vestes ex Assyria bombyce textas retordeni rursusque texere invenerit, delicatiorem fœminarum vestem, eandem cum Assyria, seu potiùs Serica; istam ex Cois bombycibus, etiam viris usurpatam, fuisse contendit. V. quoque in voce *Co*.

Coactiliaria taberna, apud Jul. Capitolinum *in Pertinace Imp. Nam Pater ejus tabernam* coactiliariam *in Liguria exercuerat*: Melius *Coctilicia* scribitur, Salmasio Judice, de qua V. infrà. *Coactiliaria* enim πλεονασμῷ est & *Coactiliarius* πλεονασμῷ, cujus mentio in vet. lapide: M. L. LARISCUS. LANARIUS. COACTILIARIUS. Aliquando enim talis *Lanarius Coactiliarius*; aliquando simpliciter *Coactiliarius* dicitur, qui *coactilia* viz. operatur aut vendit. Salmasi⁹ *ad Capitolinum loco cit.* ut & *in vita Maximini & Balbini*. Plinius *lib.* 8. *cap.* 48. de istiusmodi operibus: *Lanæ*, ait, *& coactæ vestem faciunt & si addatur acetum etiam ferro resistunt, imò etiam ignibus*: Meminitque *Coactilium lib.* 25. §. 1. D. *de Auro Arg.* &c. V. quoque Jac. Cujacium *Observationum lib.* 5. *cap.* 2. & Car. du Fresne in voce *Cambesa*

Coadjutor, in Ecclesia Rom. dicitur, qui Episcopo etiamnum vivente, ad ejus Ecclesiam promovetur Episcopus, illius futurus successor, ut munia Episcopalia obeat, propter alterius infirmitatem aliasque causas, cujus moris exempla congesserunt Petr. Marca *de Concordia Sacerd. & Imp. lib.* 6. *cap.* 8. *num.* 10. 11. Alcaterra *Dissertat. Juris Canonici lib.* 1. *cap.* 2. 3. *& seqq.* Alii laudati Carolo du Fresne in *Glossar.* in hac voce, ut & ubi *de Episcopis vacantibus*.

Cobaltum, ex quo fit marcasita artificialis, memoratur Georgio de Sepibus in *Collegii Rom. S. J. Musæo pag.* 40.

Cocalus, Aristophanis fabula, de qua Jul. Cæs. Scaliger *Poëtices lib.* 1. *cap.* 8. *Ortam ex antiqua* (Comœdia) *novam satis apparet exiis, quæ Veteres memoriæ prodiderunt. Ajunt enim Aristophanem scripsisse fabulam* Cocalum, *cujus filum fuerit amussis & regula Menandro atq. Philemoni, ad novam Comœdiam comminiscendam.*

Cocceius Verus, inter Nobiles Romanos, sine causæ dictione occisos à Severo, apud Spartianum.

Coccia, dicitur in Ins. Melita ritus ille, quo in exequiis frumentum coctum, cum amygdalis, uvis passis, nucleis, granis mali punici, foliisque apii aliquantum tectis populo exhibent, pauperibus inprimis ritu à Græcis mutuato, de quo V. Macros Fratres in *Hierolexico*, voce *Agape*. Mosci verò *Cuthia* panem appellant benedictum, quem in Ecclesia pro suffragiis mortuorum distribuunt, *Ibidem*.

Cocco clavata, h. e. purpurâ mantilia, occurrunt apud Lampridium in *Severo*. Et quidem *vermis cocci*, Mosi minimum triginta locis memoratur: pro quo *coccum vermis*, per hypallagen, i. e. vitici

viticl *cap.* 14. *versu* 4. legitur. Imò quandoque *vermis* per se coccum significat, ut Esaiæ *cap.* 1. *vers.* 18. & vicissim *coccum* nonnunquam solùm occurrit, ut Josuæ *cap.* 11. *vers.* 18, 21. Hebr. שני, quod propriè *dibaphum* est: cujus meminit Horatius *lib.* 2. *Od.* 16.

> — *Te bis Afro*
> *Murice tinctæ*
> *Vestiunt lanæ* &c.

Uti igitur Græci δίβαφον appellarunt, quod purpurâ; ita Hebræi *sani*, quod cocco bistinctum fuit. Nec obscurum est, cur *coccum vermis*, aut *vermem cocci*, aut solùm *vermem* iidem appellarent. Apud Dioscoridem *lib.* 4. Κόκκος βαφική. *Coccus tinctoria est frutex parvus surculosus, cui grana ut lentis adhærent.* *Cusculia* vocat Plinius *lib.* 16. *cap.* 8. id est, κοσκύλια, quia è cortice eraduntur. Porrò, ut magnus Auctor in *Solinum* asserit, ea grana scatent totus parvis vermiculis, quorum sanies coccino tingendo præclara est & eximium illum colorem, quem nos miramur & adoramus Vett. efficit. Hinc vermiculum, pro ipso *cocco*, dixerunt: & *emblemate vermiculatum* Lucilio, coccineo colore tinctum; *pelles* item *vermiculatæ* Hieronymo, coccineæ. Apud recentiores quoque Græcos σκώληξ passim pro *cocco*: Arab. *Kirmiz* vel *Kermez*, unde Gallorum *cramoisi*, quemadmodum iisdem *vermeil*, ex *vermiculo* &c. V. Bochartum *Hierozoici Parte poster. Lib. IV. cap.* 27. Tribuit autem *Cocco* meracum & suffusum colorem, seu colorem acutissimi rubri, ad quem accedat purpuræ rubræ lumen, idem Auctor in *Solinum* Salmasius *pag.* 1350. *Cocci color puniceus, hoc est, coloris rubri acutissimi. Purpura quoq. rubra tale lumen ad cocci colorem accedens. Eam purpuram dicit Pollux Φοινικοβαφῆ, ἐκ τοῦ ἄνω κόκκου, i. splendorem cocci recipere ex alto, dum radiis Solis accenditur.* Interim non in omnibus locis, quibus nascebatur, unius generis colorem habuisse, idem docet. Sic cocco tincta rursus Tyrio tingebant, si Pausaniæ credimus, ut fieret hysginum: quo modo videtur proprius Galatici grani (quod primum repertum) color fuisse, quem ὗσγην Galatæ vocabant, cùm coccum aliis in locis proveniens magis ruberet. Sed de hocce alii aliter sentiunt, uti infrà videbimus. Porrò *coccum, pensionem alterum tributi pauperibus Hispaniæ donare*, Plinius scribit, ubi de *Cocco*. Nempe duplex tum in illa prov. fuit tributū, alterum capitis, alterum soli, quorum hoc saltem illi pendebant, quibus ager esset. Ut illud autem solverent, etiam qui nihil omnino in censu habebant, invenire tamen cogebantur. Pauperes itaque in Hispania *Coccum* passim nascentibus fruticibus decerpebant, atq; inde corradebant, unde capitationem solverent, V. omnino illum *lib.* 9. *cap.* 41. ubi totam tingendi cocci rationem exponit, *lib.* 27. *cap.* 9. *alibiq.* Idem tamen perperam ilicem arborem, quæ præter glandem baccam quandam fert puniceam, sed quæ nihil confert infectionibus & in totum a cocco diversa est, confundit cum ilice aquifolia frutice, cujus coccum ipsum fructus non est, sed tanquam scabies fruticis & excrescens tumor, qui cortici & ramis adhærescit instar lenticulæ. Hic enim frutex nunquam arborescit, sed manet semper frutex, &, ubicunque provenit, coccum illud suum fert aptum tingendis lanis &c. Nec omittendum quod idem adsert, *Imperatorum paludamenta cocco tingi* consuevisse, *lib.* 22. *cap.* 2. Quam in rem V. plura apud præfatum Salmasium *Exercitat. Plinian. ad Solinum pag.* 27. & *seqq.* De *Cocco* & *Murice*, amborumque diversis coloribus, Martialis *lib.* 5. *Epigramm.* 24. *ad Bassum*,

> *Non nisi vel* cocco *madidâ, vel murice tinctâ*
> *Veste nites, & te sic dare verba putas.*

Coche, adde: Aliter *Coche*, Græcis Κωχὴ vel Χώχη. Eam Recentiores omnes eandem cum Seleucia faciunt. Gregorio verò Nazianzeno fuit diversa. Et meritò, Seleucia enim urbs amplissima, *Coche* verò vicus erat ab illa haud longè distans. Arrianus apud Stephanum, Καὶ Βαβυλῶν δὲ ἐξελαύνει ἐκ Σελευκείας, ἣ ἀγχοῦ τοῦ ποταμοῦ τοῦ Τίγρητος ἐν κώμῃ ᾗ ὄνομα Χώχη ἵδρυται. Ad Tigridem fluv. sicut & ipsa Seleucia, & quidem in Occidentali fluminis alveo, sicut in Orientali Ctesiphon erat, à qua amne tantùm interfluo *Cochen* separatam fuisse, scribit Gregorius. Unde erroris Ptolomæum arguit Salmasius, quòd in Arabia deserta Κώχην posuerit. Quum enim nullam aliam Κώχην agnoscat, de illa celeberrima *Coche* intellexisse putandus est, quam alii Κώχην, alii Χώχην dixere. *Cochen* certè & Ctesiphontem, Parthici Regni celeberrimas urbes esse, tradit Sextus Rufus in *Breviario*. V. Salmasium *ad Solinum pag.* 1228. *alibiq.* Inde *Chochaus* Apollo, quòd eximiâ ceremonia ibi colereturt, V. suprà in hac voce.

Cochinilla, Gallicè *Coquenille*, nomen grani, purpuræ tingendæ hodie adhiberi soliti, quod in Regno Indiæ Occid. Mexicano colligitur. Auctor Anonymus *Histor. Orbis Terr. Geogr. & Civ. cap. de Commercio.* Prisca enim purpura, quæ ex marinæ cochleæ sanguine eliciebatur, sive ejus parandæ hodie penitùs amissa, Purpuræ factitiæ plures species, jam apud veteres Auctores, occurrunt: purâ ex vaccinîs, apud Plinium *lib.* 16. *cap.* 18. ex alga Cretica, apud Theophrastum *Histor. lib.* 4. *cap.* 7. amorge herbâ, apud Suidam, purpureâ herbâ in Abasenis, apud Stephanum in *Ἀβασηνοί*, Iberâ ferrugine apud Servium *Æn.* 9.

> — *ferrugine clarus Iberâ.*

Item ex flore purpureo, ad pontes Hyparchi fluminis, apud Ctesiam in *Indicis*, Indicâ sandice, apud Vopiscum in *Aureliano* &c. Ita hodiernis tinctoribus *Cochinilla* inprimis hunc in usum expetitur. V. Sam. Bochartum *Hierozoici Part. poster. Lib. V. cap.* 14.

Cochlea, Græcè κοχλίας, ex Hebr. תכלא, *thachla*, unde Græci κόχλον & κόχλαν, pro *purpura*, hincque κοχλὶς & κογχύλιον, speciatim de *purpuraria concha*, formaverunt. Perictyone Pythagorica *lib. de Concinnitate mul.* Διαφανέα ἱματισμὸν ἐπιζητεῖν καὶ ποικίλα ἀπὸ θαλασσίας βεβαμμένα κόχλου, μωρίη πολλή. *Vestes quærere valde splendidas & varias ex marino tincta cochlea* (id est, purpuræ seu conchylii) *insignis est stultitia.* Naumachius,

> Εἵματα δ' ἁλιπόρφυρα ἐρεύθεται αἵματι κόχλου.
> *Vestes marinæ inficiuntur cruore cochleæ.*

Nonnus *Dionysiac. lib.* 40.

> Καὶ Τυρίης πέπλοισιν ἐδέρκετο φάρεα κόχλου.
> *Et Tyriæ* (regionis) *cochleæ tinctas vestes conspexit.*

Et paulo pòst, de cane Herculis.

> Χιονέας πόρφυρε παρειάδας αἵματι κόχλου.
> *Niveas purpuravit malas sanguine cochleæ* &c.

Qua de re V. Sam. Bochartum *Hierozoic. Parte poster. lib. V. cap.* 9. Alias vox latiùs extenditur, ut *Cochleas* quoque *terrestres* significet, quas rore victitare, si verò nihil illis de cœlo influat, proprio succo sustentari, tradit Symmachus, *Ajunt cochleas, cùm sitiunt aeris, atque illis de cœlo nihil liquitur, succo proprio vitlitare. Ea res mihi usu venit, qui desertus eloquii tui pastu, mea adhuc voce sustentor.* At postquam Romanorum luxus etiam hisce manum injicere cœpit, mox saginandi eas reperta ratio. Plinius *lib.* 9. *cap.* 56. *Quin & saginam earum commentus est sapâ & farre, aliisq; generibus, ut cochleæ quoque altiles ganeam implerent. Cujus artis gloria in eam magnitudinem perductæ, ut LXXX quadrantes implerent singularum calices, auctor fit M. Varro.* Ubi *sagina*, σιτευθεῖσαι, quæ altiles cochleas faciebat. Inprimis verò, *Cochleæ* Solitanæ, in Africa, magni apud Vett. nominis. Varro *de Re Rust. lib.* 3. *cap.* 14. *Mediocres, quæ ex Africa afferuntur, non quòd in his regionibus quibusdam locis ex magnitudinibus non sint dispariter. Nam & valde amplæ sunt quædam ex Africa, quæ vocantur Solitanæ, ita ut in eas LXXX quadrantes conjici possint.* Plinius *lib.* 30. *cap.* 6. *Laudatissimæ autem sunt Africanæ, ex his Solitanæ.* Quarum vivaria quis primus instituerit, idem exponit *lib.* 9. *cap.* 56. *Cochlearum vivaria instituit Fulvius Hirpinus — distinctis quidem generibus earum. Separatim ut essent albæ, quæ in Reatino agro nascuntur: separatim Illyricæ, quibus magnitudo præcipua: Africanæ, quibus fœcunditas: ex his Solitanæ, quibus nobilitas* &c. V. Sam. Bochartum *Hierozoici Parte poster. lib. IV. cap.* 30. In Museo Kircheriano Romæ, *Cochleas* pentadactylas cum 5 aut pluribus acutis appendicibus, quarum nonnullis turbinatæ testæ, aliæ cælatura inæquales, scabræ, rugosæ, non paucæ claviculatim intortæ, umbilicatæ, cylindroides, asservari, refert G. de Sepibus *in Descr. ejus p.* 28. A *Cochleis*, dicuntur Festo *Cochleacæ lapides, ex flumine eruendi, ad cochlearum similitudinem*, è quibus parietes fieri, in quorum commissuris nascatur scolopendrion, tradit Dioscorides, apud Salmasium *ad Solinum pag.* 1295.

Cochlea, Græcè Κοχλίας, nomen machinæ, quâ Ægyptii aquam hauriebant, rigandis agris: ejus descriptionem V. apud Vitruvium. Item species sortilegii, apud medii ævi Scriptores. V. suprà in voce *Cauculari.*

Cochlea Archimedea, in *Museo* Kircheriano ostenditur, quâ relicto elemento fluido, loco ejus substituti sunt tot metallini globi, quot convolutiones spiræ in totius cochleæ altitudine sunt; Hujus ope continuo unus globulorum per extrinseca circùm cochleam convolutam semitam vagus labitur, donec præcipitato fluxu in *cochleæ* tenaculam impingendo eam denuo exoneret ac per integram circulationem convolvat. Quâ convolutione peractâ denuo novus globulus excurrit, prior verò se in cochleæ spiram infimam recipit, unde per novas convolutiones descendendo ascendit, atque sic jucunda alteratione novi globuli excurrendo jucundum visu præbet spectaculum. Cujus tamen machinæ ratio difficulter intelligitur, nisi ipse videris. Georg. de Sepibus in *Collegii Rom. S. I. Musæo p.* 57.

Cochlear, species mensuræ, de qua Salmasius *ad Solinum pag.* 591. *Qui de mensuris scribunt, concham ajunt tria* cochlearia *facere, nonaginta sex cochlearia sextarium implebant*: ex Africano, καὶ ὁ ξέστης ἔχει κοχλιάρια δυάδας ϟϛ΄ 96. Aliàs *Cochlear*, in escaria supellectile: cujusmodi instrumenta mensæ, ex conchis margaritiferis, ut & lanculas poculaque, ab elegantioribus, fabricari docet idem ibid. *pag.* 1123. Apud Flodoardum *Histor. Rem. lib.* 2. *cap.* 5. inter vasa Ecclesiastica reponitur. Sic *Necrologium* Eccl. Paul. prid. Id. Nov. *Obiit B. M. Dom. Ranulfus quondam Parisiensis Episcopus, qui dedit Ecclesiæ nostræ — Calicem aureum cum patena &* cochleari *ponderis 3. marcarum & 5. sterlingorum.* Græci λαβίδα vocant, corpus Domini & sanguinem sumentes de Calice, cum cochleari ad hoc deputato, ut ait Reinerus in *Catal. Hæret.* formam ejus exhibet Goarus *ad Euchologium pag.* 152. Georgius Decapolita *de Mirac. S. Georgii Mart. num.* 47. Καὶ πάλιν ὁρᾷ ὁ Σαρακηνὸς ἐκ τρίτου τὸν ἱερέα μεταδιδόντα ἐκ τοῦ σώματος καὶ τοῦ αἵματος τοῦ παιδίου μετὰ τῆς λαβίδος τοῖς μεταλαμβάνουσι. *Et rursus videt Saracenus tertiâ vice Sacerdotem distribuentem de corpore & sanguine pueri ad communionem accedentibus*, apud Car. du Fresne in *Gloss.* *Cochlearia* Chinensium, ebur-

eburneæ virgulæ duæ sunt, quarum quamlibet unâ manu contrectantes cibum capiunt Sinenses; in *Museo* Kircheriano. Georg. de Sepibus *in Colleg. Rom. S. J. Museo pag.* 34.

Cochlearii, V. suprà *Cancelatores*.

Cochlides, dicebantur unionum conchæ: unde *Cochlis*, concha unionis, quæ pro fibula mulieribus erat olim. De Zenobia, Trebellius Pollio, *Ad conciones galeata processit, cum limbo purpureo, gemmis dependentibus per ultimam fimbriam, media etiam*, coclide, *veluti fibula muliebri adstricta*. Sensus est, Illius limbi purpurei per ultimam fimbriam, (h. e. τὸν πέζαν, seu *extremam* vel *ultimam vestis oram*) dependebant gemmæ: media verò (quæ vestis pars zona comprehendebatur in tunicis, vestibusque aliis, quæ cinctui erant: aut fibulis adstringebatur, ut in palliis, chlamydibus &c.) *coclide seu fibula muliebri adstringebatur*. Cùm alias fibulæ muliebres ut plurimùm ex gemma essent. Claudianus,

— *& fulvâ nodatur jaspide pectus.*

Sed & *cochlites* refertur à Plinio inter gemmas vulgatissimæ famæ, quam facticiam veriùs, quam nativam dicit fuisse. V. Salmasium *Notis ad Pollionem*, & suprà in *Cochlea*.

Cociones, priscis & ætatis mediæ Scriptoribus dicti, qui Fora venalium & nundinales Mercatus sectantes, dum *contractus* (unde nomen) hetrantur & de pretio cum mercatoribus contendere se simulant, merces ipsas subripiunt auferuntque; cujusmodi sunt, qui Gallis vulgò *Coquins* vocantur: Quos non pauci hactenus à *Coquinis* nuncupatos putarunt, quòd illius farinæ homines tabernas & popinas circumeant, quò aut locis ipsis inserviant, aut ob sonii particulis potiantur. Et *Cozzoni* etiamnum Italis dicuntur, quos *Maquignons* appellant Galli. Neque alii videntur, quos *Coquinos* appellavit inferior ætas. *Vita* Clementis VII. apud Bosquetum. *Carcassonæ & Tholosa populares, quos vulgariter nuncupabant* Coquinos, *contra Nobiles insurrexerunt*. Autorque est Chapeavillus, in *Erardo à Marca Episc. Leod. cap.* 26. extare Leodii Hospitale, quod *Coquinorum* vocant. *Coquos* porro pro furibus habitos; Autor est Plautus in *Aulularia*.

— *Mihi omnis angulos*
Furum implevisti in ædibus misero mihi.
Qui mihi intromisisti in ædes quingentos cocos.

Idem in *Pseud.*

Forum coquinum *qui vocant, stultè vocant,*
Nam non coquinum, verùm furinum est forum &c.

ut & infrà in *Coctio*. Ulos autem hac voce *Cocio* Laberium, apud A. Gellium *lib.* 16. *cap.* 7. & Plautum *in Asinaria*, pridem observarunt viri docti. V. Joh. Scaligerum *ad Festum*, in voce *Arilator*, namque iidem ab arra, quâ data tales sibi credi postulant, *Arilatores* quoque dicti: Casaubonum *ad Athenæum lib.* 14. *cap.* 22. Car. du Fresne *in Glossario*. &c.

Coclites, nomen pop. apud Solinum *cap.* 5. *Gentem* Coclitum *testantur visi fluxus*, ita enim in *παραδόσει* Autoris legitur, cùm editio vulgaris habeat *Cyclopum*. Nempe vett. Latini *Coclites* vocarunt, quos *Cyclopes* Græci. Et sanè *Cocles* ex Græco Κύκλωψ factum est, κύκλωψ, *coclitis*. Nam *i* & *p* invicem apud Æoles mutabantur, Salmasius *ad Solinum pag.* 110.

Cocovoes, monetæ Gallicæ species reproba, apud Thomam Walsinghamum *in Eduardo I* sub A. C. 1300. Aliter *Crocardi* dicti, quos cum Pollardis atque *Rotariis* sensim loco sterlingorum irrepsisse, refert. V. infra in *Crocardus*.

Coctana, apud Martialem *lib.* 4. *Epigramm.* 88. *vers.* 6.

Antipolitani nec quæ de sanguine thynni
Testa rubet, nec quæ coctana *parva gerit.*

Ficus sunt parvæ ex Syria. Unde cum eodem epitheto iterum occurrunt, *lib.* 7. *Epigramm.* 53.

Parvaq; cum canis venerunt coctana *prunis.*
Et Lybicæ fici pondere testa gravis.

Quomodo autem afferri solerent, idem refert *lib.* 13. *Epigramm.* 28. cujus lemma, *Coctana*, vel *Vas coctanorum*.

Hæc tibi quæ tortâ venerunt condita metâ,
Si majora forent coctana, ficus erant.

Ubi *torta*, est è tortis juncis contexta sporta, vel testa turbinata in metæ formam. Palatinus tamen codex, pro *tortâ*, legit *cella*, & pro *metâ*, alii *mentâ* habent.

Coctilicia Taberna, apud Jul. Capitolinum *in Pertinace*. *Nam Pater ejus tabernam* coctiliciam *in Liguria exercuerat. Sed postquam in Liguriam venit, multis agris coëmtis, tabernam paternam, manente formâ priore, infinitis ædificiis circumdedit, fuitq; illic per triennium & mercatus est per suos servos*.: est quæ *coctilibus* lignis erat instructa, in qua *coctilia ligna* venderentur. Differebant autem *coctilia* à carbonibus, quod cocta quidem essent ligna, sed non ad plenum, neque ita ut carbones videri possent: item à titionibus, ut videre est apud Ulpianum *leg.* 147. *de verborum signific.* ubi ea appellat *ligna cocta, ne fumum faciant*: vulgò *Acapna*. Apud Trebellium tamen *in Claudio*, ubi ait, *Coctilium quotidiana batilla quatuor*, pro carbonibus videtur ea vox accipi: aut non multum acapna à carbonibus differebant. Nam brevia admodum fuisse, nec manu, ut ligna, sed batillis tractari solita, hic locus declarat, V. Casaubonum & Salmasium *Not. ad Capitolinum & Pollionem*.

Coctio, apud posteriores dictus est, qui *Hermanius* olim, Gallis hodie *Machinon*, quasi *machinator*, Italis quibusdam in locis *Sensalis*. Erat is inter Senum Comicorum genera, cujus interventu & tractatu merces distrahi consuevere. Facies illius talis: Obtutus acer, protensa supercilia, barbatus, recalvaster. Alter ejusdem operæ, diversâ facie, cuneatâ barbâ, Græcè *σφηνοπώγων* &c. Jul. Cæs. Scaliger *Poëtices lib.* 1. *cap.* 14. &c. V. quoque suprà *Cociones*.

à *Cocto* & Vino suspendi, pœnitentiæ species, apud Joannem VIII. *Epist.* 302.

Cocula, seu *Coccula*, sagulum Hibernicum villosum, absque sutura, & quod marginem inferiorem planam exhibet, superiorem arcuatam, cirrisve seu limbis laneis fimbriatam, in *Vita* S. Cadoci Cambrensis, & *Epist.* 74. Bonifacii Archiep. Mogunt. apud Spelmannum & du Fresne.

Cocus, V. infrà *Coquus*.

Cocutia, vel *Cocutia*, apud Treb. Pollionem in *Claudio*. *Cucutia villosa duo*: pro *Concutia*, à *concutio*. Sunt autem *Concutia* vel *Concussæ* vestes, quas Græci *κρουστὰ* & *σπαθητὰ* vocant, item *κρουστὰ*, *perviteuses* & *bene condensatas*. Etiam *concutere κρούειν* est vel *σπαθᾶν*: unde *concus*, radius erat vel pecten quo vestes percutiebantur. Glossæ *Concus*, *κερκὶς*, ita enim scribi jubet Salmasius: *κερκὶς* radius textorius est, *concutere*, *κερκίζειν*; pro quo *decutere* etiam dicebant. Glossa eadem, *decutit*, *κερκίζει*. *Percussæ* Juvenalis,

Et bene percussas textoris pectine Galli

Bene itaque percussæ vestes *Concutiæ* & *Concutiâ*, quæ etiam *crusta*, V. infrà.

Codex, propriè idem quod *truncus*, cui Græcè *κορμὸς* & *πρέμνον*, atque inde pro libro seu volumine. Fortè ex Græco *κόνδυξ*, unde *condex* & *codex*, extrito *n*. Est autem Græcis *κόνδυξ* diminutiv. à *κόνδυ*, i. *scapus*, atque hac voce illis volumen chartæ, sicut Latinis *scapi* vel *codicis*, venit, V. Salmasium *ad Vopiscum in Firmo*, ubi totam Chartariam rem fusè & prolixè explicat. Libris enim arborum successere tabellæ ligneæ, quæ schedæ erant, vel tabellæ ceratæ, quibus veteres, quæ visa erant, inscribebant. Schedæ erant tabellæ nudæ, sive non inductæ cerâ, Plin. *lib.* 13. *cap.* 11. Hæ, si simplices, crassiores erant, ut è quibus pueri discerent. Plautus *Bacch. Sc. Nunc experiar*,

Exemplo fuet pædagogo tabulâ dirumpit caput.

Sin plures jungi opus foret, secabantur in tenues laminas. Martialis *lib.* 14. *lemm. Citrei pugillares*,

Secta nisi in tenues essemus ligna tabellas.

Præterea dolabantur, ut facilius in iis scriberetur. Isidorus *lib.* 6. *cap.* 8. *Ante usum chartæ & membranarum, in dolatis ex ligno codicillis epistolarum colloquia scribebantur*, &c. Voss. *de Arte Gram. lib.* 1. *cap.* 38. Hinc *Codices*, quo nomine appellat Leo Imp. *l.* 3. *de agent. in reb. lib.* 12. *C.* tabulas continentes notitiam dignitatum & administrationum civilium & militarium mandatorumq; Principalium, & promotionum & consuetudinum, quod & Marianus docet. Erant & *Codices*, *argentariorum scripturæ*, quibus eorum rationes continerentur, *l. quod.* 9. *§. pen. ff. de edend.* Erant & *Nummulariorum*, & *Ratiocinum*. Horatius,

Cùm venit ad dubium grandi cum Codice *nummum.*

Et Propertius,

Me miserum! his aliquis rationem scribit avari,
Et ponit curas inter Ephemeridas &c.

Fiebant autem ex membranis, chartis, ebore, aliave materia, ut constat ex d. l. *libr.* Unde & Constitutionum Imperatoriarum volumina *Codices* appellati sunt. Erant autem horum, ante Justinianum, tres, *Gregorianus*, *Hermogenianus* & *Theodosianus*, quos commemorat Imperator *l. un. C. de no. C. fac.* & *l. unic. C. de Justin. C. confirm.* Isidorus quoque *Etymol. lib.* 5. & Augustinus *de Adul. Conjug. lib.* 2. Prateius apud Joannem Calvinum *Lex. Jurid.* Edidit Sirmondus *ad Codicem Theodosianum* appendicem, quam supposititiam esse eruditè demonstravit Jac. Gothofredus *Not. & Commentar. ad Codicem Theodos. Tom. VI. pag.* 303. *& seqq.* Indidem *Codicilli*, V. infrà in hac voce.

Codex, supplicii apud Romanos genus, ligneus viz. stipes, quem alligati servi, qui deliquerant, trahebant, cuique insidebant vincti: Idque in privatis, ut videtur, ædibus. V. Turnebum *Adversar. lib.* 23. *cap.* 21. Cujus meminit Juvenalis *Sat.* 2.

Horrida quale facit residens in codice pellex.

At *Codex robustius* seu *Custodia lignea*, seu *balneum robur*, altera pars carceris apud Romanos, quæ aliàs *Robur*, V. *ibi*.

Codex Canonum, dicta est Collectio Canonum, à Conciliis sanctorum, quæ post habitam Nicænam Synodum inchoata & usque ad Concilium Chalcedonense, Oecumenicum IV. continuata est. Habuit autem primus *Codex* Canones non nisi CXXXVIII. 20. nempe Nicænos, 25. Ancyranos, 14. Neocæsarienses, 59. Laodicenos & 20. Gangrenses: postea verò crevit ad tempora Concilii Chalcedonensis; à quo, ut & Justiniani Imp. *Novellâ* 131. confirmatus est; ad Canones CCVII. accedentibus Antiochenis 25. Constantinopolitanis 7. Ephesinis 8. & Chalcedonensibus 29. Quorum ordo Conciliorum in Conc. CP. in Trullo *Can. ἀπεθερμηνεύθη* est idem, qui in Codice universæ Ecclesiæ invenitur observatus. Sunt quidem alia Concilia Synodique & in iis

scripsi

scripti Canones, antiquiores relatis: qui tamen *Codici* Canonum Ecclesiæ universæ illati non sunt. Post tempora itaque Synodi Nicænæ I. Ecclesia duplici jure regi cœpit; *Divino*, quod in sacris literis; & *Canonico*, quod in Codice Canonum continebatur. Qui *Codices* ambo in Conciliis, in medio consessus, ponebantur, ut ex iis dogmata pietatis explorarentur, obortæ hæreses refutarentur, & controversiæ ad disciplinam Ecclesiasticam sacramque politiam pertinentes dirimerentur, V. Concilium Chalcedon. *Act.* 4. Atque hujus *Codicis Canonum* tribus Exemplaribus *MSS.* ex Vaticana Bibliotheca depromtis, usos se testantur in *Præfat.* selecti seculo anteriore Viri ad Emendationem Gratiani. Græcè vero primus ex antiquissimo Ecclesiæ Hilarianæ Pictav. codice eum edidit Lutetiæ, A. C. 1540. Ioh Tilius. (Versionem antiquam, quam usque ad Chalcedonensem Synodum Ecclesia Romana habuit, Justellus in *Biblioth. Juris Canon. vet. Tom. I pag.* 277. repræsentavit. Aliam deinde instituit Dionysius Exiguus, qui interpretationi suæ addidit Canones, qui vocantur *Apostolorum*, Sardicense Concilium, item Africana quædam: ultra quæ decreta quoque Pontificum Rom. à Siricio orsus subjunxit; cùm Collectores eo antiquiores, decretales Pontificum Epistolas, Synodorum contenti regulis, omisissent, &c.) Et hic fuit *Codex* Ecclesiæ Universæ seu Catholicæ, quo usus Oriens, & quem Occidens in Latinum vertit: à Justello vulgatus A. C. 1610. & restitutus; iterumque publicatus à filio ejus A. C. 1661. additis Canonibus Ephesinis & Chalcedonensibus. Lumen ejus aliquantum obscuratum, postquam Græci habita Synodo Trullana ediderunt alium Codicem, qui fuit *Codex Ecclesiæ Orientalis*, paulò diversus à *Codice Ecclesiæ Universæ.* Quod discrimen cùm non adverteret Cardin. Perronius malæ fidei sine causa Christophorum Justellum arguit, quod in Codicem Univ. Eccl. non admiserit Sardicenses Canones, hi enim in primario illo Codice extitere nunquam, postea demum additi. Sequenti tempore *Corpus Canonum*, item *Corpus Codicis Canonum*, & *Liber Canonum* appellari cœpit: unde *Juris Canonici* origo. V. suprà ubi de *Canonibus Conciliorum.* Sed & aliæ Occidentis Ecclesiæ, præter Romanam, de qua dictum, suum habuere *Codicem Canonum*, de quibus strictim hæc subjungo, ex Gerh. von Mastricht *Histor. Juris Eccles.*

Codices Canonum. Ecclesiarum variarum.

Africanæ Ecclesiæ *Codex* duplex fuit, alter Universæ Ecclesiæ, de quo suprà: alter particularis, ex Synodis Africanis compilatus, & in Concilio Carthaginensi post Consulatum Honorii XII. & Theodosii VIII. A. C. 419. confirmatus, auctoritate CCXVII. Episcoporum Africæ, publiceque receptus in tota provincia & Actis Concilii insertus. Scriptus est autem Latinè primùm, posteà verò Græce versus est, sicque sub tit. *Concilii Carthaginensis*, Codici Ecclesiæ Orientali insertus. Idem in Codicem Canonum Ecclesiæ Rom. relatus est, à Dionysio Exiguo: utraque in lingua editus à Christ. Justello Parisiis A. C. 1614. cum *Notis.*

Britannicæ Ecclesiæ *Codex*, qualis fuerit, an ille Ecclesiæ Univ. an particularis, hærent Eruditi. Præfatus von Mastricht eu dem fuisse cum Codice Ecclesiæ Romanæ, verisimile esse judicat.

Carolinus *Codex.*

Catholicæ Ecclesiæ Codex, quæ initia habuerit, quibusque accessionibus creverit, diximus: Postquam à Justiniano Imp. confirmatus est, pars Juris Civilis esse cœpit: indeq; Imp. passim dein promsit Ecclesiasticas suas Constitutiones, quæ in *Novellis* ac *Codice* extant.

Dionysii Exigui *Codex*, V. infrà.

Gallica Ecclesia, sub Carolo M. ab Hadriano Papa *Codicem Dionysii Exigui* accepit, sed præter hunc, jam antea habuit Codicem peculiarem, Gallicorum Conciliorum Canones complectentem: in quem successu temporis adoptati etiam Canones exterorum Conciliorum, puta Africani; item Decretales quædam Epistolæ Pontificum.

Germania, quo Codice Canonum primis temporibus usa sit, incertum est. Temporibus Riculfi Episcopi Mogunt. eò pervenit Compilatio Isidori Mercatoris, de qua suo loco.

Hispania duplici quoque *Codice* usa est, altero Ecclesiæ Univ. quem à Romanis accepisse probabile est altero Speciali, e Conciliis potissimum Hispaniæ collecto, quibus addita quædam ex Conciliis Galliæ, item Epistolis Decretalibus Pontificum Rom.

Orientalis Ecclesiæ *Codex* sexto Oecumenico Trullano A. C. 681. confirmatus, constat ex Codice Canonum Ecclesiæ Univ. & additionibus iis, quas *Canon* 2. Synodi Quinisextæ refert. Accesserunt nempe Canones Pseud. Apostolici, Sardicenses, Africani; item Episcoporum, Patrum, Patriarcharum quorundam Canones & Epistolæ. V. editionem Parisiensem hujus Codicis A. C. 1620. cum Balsamonis *Commentar.*

Romanus *Codex*, à Codice Ecclesiæ Catholicæ diversus. Non diu etenim contenta Ecclesia Rom. Canonibus Nicænis, & qui cum Nicænis pari ambulabant passu, eodem cum Orientalibus studio Canones colligere cœpit: eosq; conquisivit ex Oriente & Latinè transtulit. Et quidem antiquam Codicis Canonum versionem habuit, usque ad ætatem Dionysii Exigui, qui aliâ Codicis versione adornatâ Decretales primus addidit, meruitque, ut Collectio ejus statim Romæ recepta, *Corpus Canonum* simpliciter appellaretur, & Carolo M. à Pontifice, in usum Ecclesiæ Gallic. traderetur. Præter hunc verò *Codex Rom. Ecclesiæ*, editus primùm Moguntiæ A. C. 1525. postea Lutetiæ, in usu quis fuerit, & in quibus à Codice Dionysii & Codice Ecclesiæ Univ diversus, pluribus vide apud laudatum suprà *Histor. Juris Eccl.* Auctorem.

Ecclesiæ Universæ seu Catholicæ Codex, à Justiniano confirmatus *Nov.* 131. vocatur ὑπὸ τῶν ἁγίων ... *à sanctis* 4. *Synodis constituta* &c. V. quæ dicta retro.

Codex Evangeliorum, ab Imperatoribus gestatus. Prostat enim nummus aureus Basilii Imp. apud Octav. Stradam, in quo Evangeliorum Codicem dextrâ & globum crucigerum sinistrâ gestat. Alium idem descripsit aureum, Constantini Pogonati, ubi Imp. *Codicem* perinde sinistrâ ad pectus gerit, nisi volumen id sit, ut in nummo Theophili aureo apud eundem describitur. Certè Impp. interdum cum Evangeliorum Codicibus effictos, tanquam constantis in fidem Christianam animi argumento, constat. Scribit quippe Porphyrogenitus in *Vita Avi*, in quodam Magni Palatii triclinio à Basilio exædificato, quod Καινούργιον appellabant, expressum opere Musivo in throno sedentem imperatorem, operis conditorem, conjugemque Eudoxiam, Imperatoriis indumentis amictos & coronis redimitos, cum communibus liberis, quorum masculi ... contingebant ... *libros divina præcepta, quibus ipsi insistere docebantur, continentes*: fœminæ verò & ipsæ libros quosdam tenebant ... *in quibus divinarum legum argumenta descripta erant.* Quasi, inquit Auctor, in animo haberet Artifex utramque progeniem sacris literis initiatam & divinæ sapientiæ partis peritissimam demonstrare. Qui quidem libri non alii videntur fuisse, ab Evangeliorum codicibus, in quibus Christi præcepta continentur. Narrat quoq; Auctor *Chronici Alexandr.* Justinianum, excitata Victoriatorum seditione, in Circum progressum, sedisse in tribunali gestantem manu sanctum Evangelium, *pag.* 780. In manus scilicet sumpserat Imp. Evangelii *Codicem*, quo fortan seditiosæ multitudini fidem faceret indultæ sibi veniæ, tactis sacrosanctis Evangeliis, quæ sacramentorum apud Christianos formula solennis verbis his concepta jam olim fuit. Μὰ τὰς ἁγίας ... *Per sanctas Scripturas istas, & Deum loquentem in iis*, ut est in VI. *Synodo* & alibi passim. Evangelium tamen gestare solius Presbyteri fuisse, neque id Juris habuisse Imperatorem, contendit olim Maximus Mon. in *Collat.* habita in Secretario, cum Principibus, apud Anastasium in *Collectan. pag.* 143. & Baronium A. C. 656. V. Car. du Fresne *Dissertat. de Numismatibus posterioris ævi.*

Codex Ludovicianus, Gall. *Code Louis*, nomen libri, in quo norma exercendorum hodie in Gallia judiciorum continetur. Hactenus enim Jus Gallicum duum generum fuit, *Scriptum & Consuetudinarium*, hincque à Gallicæ Jurecons. Regnum illud divisum in *Provincias Juris Scripti*, quæ Jure Romano utuntur, & *Provincias Consuetudinarias*, quæ moribus consuetudinibusque propriis reguntur. Quarum illæ sunt omnes, quæ territorio Parliamentorum Tholosani, Burdegalensis, & Gratianopolitani comprehenduntur. Hæ reliquæ, in quibus Consuetudinarii Juris prima origo à Francis, Vandalis, Burgundionibus arcessitur, qui variis in Galliæ partibus egerunt. Quibus postmodum Reges Francici suas addiderunt Constitutiones, pro regimine Gallorum, quæ omnes generali nomine *Lex Salica* dictæ sunt. Hanc deinde auxit Carolus M. suis Capitularibus, ipsique XXIII articulos addidit. Sed secuto Capetinorum regimine ea in desuetudinem abiit, Regibus novas Constitutiones, pro Majestate sua, sancientibus, quarum quidem priores pleræque temporum injuriâ periere, eæ verò, quæ post Ludovicum IX. & ab A. C. 1228. prodierunt, conservatæ & editæ apud Gallos habentur, quæ in immensum numerum successu temporis excreverunt. Unde factum, ut posteri Reges de jure Gallico inde formando sæpe cogitaverint: inter quos Henricus III. in Conventu Ordinum blesensi id muneris Barn. Brissonio, aliisque primariis Galliæ JCtis, demandavit, ut ex Consuetudinibus Provinciarum & Constitutionibus Regum Corpus ejus concinnarent. Sed obitu Regis Brissoniique conatus irritus fuit. Felicius res hodierno Regi Ludovico XIV. Magno successit, cujus auctoritate ac jussu *Codex* ita dictus *Ludovicianus*, in normam exercendorum judiciorum introductus est A. C. 1667. de quo, cùm alia ad manus non sint, videre poteris Auctorem *Diarii Europ. Continuat. XVII. pag.* 671. Ceterùm inter celebriores *Consuetudinum Gallicarum* Scriptores sunt: *Le grand Coustumier general, contenant toutes les coustumes generales & particulieres du Royaume de France & des Gaules par* Charle du Moulin: *Pandectes du Droit François, par* Louis Charondas le Caron JC. *Paris Tom. II. La Bibliotheque ou Thresor du Droict François, par* M. Laurens Bouchel, *Advocat en la Cour de Parlement* &c. Auctor Anonymus *Histor. Orbis Terr. Geogr. & Civ. cap.* 3 *de Regno Galliæ.* §. 16.

Codicarii, qui *caudicariis* navibus, ex tabulis nempe crassioribus

bus confectis, quibus allatum classe ex Sicilia, Sardinia, Africa, Ægypto aut Gallia frumentum per Tiberim in urbem inferebatur, præerant. Lapis antiquus apud Smetium *Inscr. Mensores portuenses, quibus vetus fuit cum Caudicariis diuturnumq; certamen.* V. Thom. Dempsterum in *Joh. Rosini Antiqq. Rom. lib. 7. cap. 38. Paralipom.* Navium verò *Codicariarum* mentio, apud Varronem de *Vita* Pop. Rom. *lib. 3. Quòd antiqui pluris tabulas conjunctas codices dicebant, à quo in Tiberi naves* Codicarias *appellamus.* Cujusmodi naves σχεδίας Græci vocabant, à verbo σχεδιάζω, quòd ex pluribus lignis inter se alligatis compingerentur, *Rasellos* vel *Radellos* Galli hodierni: Similesque erant ἀκατάκτους Straboni memoratis, quæ erant navigia ex papyro texta, quibus in Nilo Ægyptii utebantur. Salmasius *ad Solinum pag.* 1116.

Codicilli, apud Isidorum *lib. 6. cap. 8. Ante usum chartæ & membranarum, in dolatis ex ligno* codicillis, *Epistolarum colloquia scribebant*: diminuendi formâ à voce *codex* dicti sunt erantque tabellæ è ligno, & quidem dolatæ, ut faciliùs in iis scriberetur. *Erat enim indecorum*, verba sunt Cassiodori *lib. 11. doctos sermones committere tabulis impolitis & in veternosis ramalibus imprimere, quod festinalis poterat elegantia reperire.* Successere autem *Codicilli* seu *Codices* libris arborum, & ab illis in eo differebant; quòd in libro scriberetur, nec deleretur: in *Codicillis*, quæ scriberentur, postea inducerentur. Ipsos verò membranæ exceperunt, qua de re V. hic passim, & plura apud Gerh. Joh. Vossium *de Arte Grammatic. lib. 1. cap. 38.* Mansit postmodum nomen, etiam post chartam inventam, & modò pro *Literis* sive Epistolis; modò pro *Pugillaribus tabulis*; modo pro *Diplomatibus* Principum sumi cœpit. Unde *Codicillaris*, ὁ ἀπὸ τῶν κωδικελλῶν; *Codicillaris Consul*, idem cum Exconsule, seu Consule Honorario, & qui titulum tantùm, non vim dignitatis habet, V. Lampridium. Apud Iurisconsultos speciatim scripturam, seu literam notat, in quâ Testator suam figurat voluntatem. Quo sensu vocem capit Martialis *lib. 5. Epigramm. 51.*

Hic qui libellis prægravem gerit lævam,
Notariorum quem premit chorus levis,
Qui Codicillis *hinc & inde prolatis,*
Epistolisq; commodat gravem vultum &c.

Ad quem locum V. Salmasium.

Codon, Græcè Κώδων, propriè cymbalum est, vel parva potiùs ex ære nola. Hinc & tubarum orificia, quà spiritus emittitur, quòd eam referant formam, sensimque sese in exitu dilatantia repandis per ambitum labris aperiantur, *Codones* quoq; appellati: quos & hodiernas tubas habere videmus. Κωδωνοφόρον σάλπιγγα vocat Eustathius, quòd labra in ambitu sic repanda & replicata habeat. Porro, ad instar tubæ, tibiis Phrygiis, quæ ex buxo, aut etiam ex ossibus fiebant, hujusmodi *codones* ex cornu facti addebantur, ut clariùs & acutiùs sonarent: cujusmodi sunt hodieque tibiæ, quas *Chalumeaux* Galli vocant. Cæteræ tibiæ his carebant & eâ parte similes erant, illi generi fistularum, quas *dulces* iidem vocant. Sed & plagiaulos, id est, Libyca tibia, *codonem* similiter è cornu habebat: verùm illa incurva erat, Phrygia recta. Unde cum *adunco cornu tibiam* vocat Ovidius, in Bacchi sacris, de plagiaulo accipi par est. Virgilius,

Aut ubi curva choros indixit tibia Bacchi.

Utramque in antiquis monumentis implexas videre est, ubi sacra Deûm matris insculpta habentur, & utramque quidem cum *codonibus* seu *cornibus*, namque & sic *codones* tibiarum dicebantur. Pollux. κέρας δὲ ἀμφοῖν τοῖν αὐλοῖν ἀνανεῦον, ἡ αὐλὴ τῆς Φρυγίας ἐστί. Hinc *Ceraula* & *Ceratanla*, de quibus suprà. V. Salmasium *ad Solinum pag. 123.* ut & infrà *Tintinnabulum.*

Cœle, Græcè Κοίλη, locus Atticæ, ad tribum Hippothoontidem pertinens uti docet Sponius ex marmore vet. XIII. Tribuum Atticarum memoriam servante, in qua mentio hujus demi his verbis continetur, ΔΙΟΝΥΣΙΟΣ ΔΙΟΝΥΣΙΟΥ (qui sub hac tribu ibi locatur) ΕΚ ΚΟΙ, h. e. ΕΚ ΚΟΙΛΗΣ: uti integra vox occurrit, apud Æschinem *in Ctesiph.* Ἀρχῖνος ὁ ἐκ Κοίλης. Fuisse celebrem hunc locum sepulchro Miltiadis & Thucydidis, dictum in voce *Cœla*: & quidem in hujus tumulo, inscriptionem hanc sepulchrali cippo inclusam fuisse, ΘΟΥΚΥΔΙΔΗΣ ΟΛΟΡΟΥ ΑΛΙΜΟΥΣΙΟΣ, narrat Marcellinus in ejus *Vita.* V. Jac. Sponium *Itinerar. Græc. part. 3. ubi de Populis Atticæ.*

Cœlestis Dea, sive Οὐρανία, Carthaginensibus olim in veneratione, à Didone Phœnissa accepta legitur, apud Herodianum *lib. 5.* qui Lunam credi vocariq; aliter Ἀστροάρχην addit. Sic enim Græculi corrupere vocem Ἀστάρτη, quæ ex *Astaroth*, faciendo inde Ἀστροάρχην quasi *Siderum rectricem.* Ut vero Græci *Uraniam*, sic Latini reddidere *Cœlestem.* Tertullianus *Apologet. Unicuiq; etiam provinciæ ac civitati suus Deus est, ut Syriæ Astartes, ut Arabiæ Dysares, ut Norici Belenus, ut Africæ Cœlestis.* Ejusdem meminit Capitolinus *in Pertin. Deinde Proconsul Africæ factus est, in quo proconsulatu multas seditiones perpessus dicitur vaticinationibus earum quæ de templo* Cœlestis *emergunt.* Idem *in Macrin. Vates* Cœlestis *apud Carthaginem Deo repleta solebat vera canere.* Pepli Deæ *Cœlestis* mentionem facit, illoque Celsum Imperatorem appellatum, ab Afris ornatum fuisse, docet Trebellius Pollio *in XXX. Tyr.* Uti autem *Lunum* & *Lunam* dixere Carrenl, teste Spartiano *in Carac.* ita & *Cœlestem* Afris Dei Deæque nomen fuisse, colligunt quidam ex Salviano, qui *de Gubern. Dei 8. Cœlestem illum, Afrorum Dæmonem*, & Ulpiano, qui *tit. 12. Regul.* hoc Africanum numen *Cœlestem Salinensem* vocat. Addit prædictis Ammianus *lib. 22.* ut Asclepiades Philosophus circumferre ejus solitus sit figuram et argento; sic Deam magis sibi propitiam fore arbitratus: quemadmodum alii, si Alexandri M. figuram gestitarent, in cunctis, quæ agerent, se abeo adjutum iri, sperabant, teste Trebellio *in XXX. Tyr.* Eadem ergo hæc Dea cum *Regina* seu *Fortuna cœli* Judæorum, Phœnicum Astarte, Persarum Mitra, aliorum Urania, Venere, Junone, Diana, h. e. Luna: nec obstat, quòd *Cœlestem Virginem* Tertull. vocat in *Apologet.* ubi eam *pluviarum pollicitatricem* appellat, & Augustinus *de Civ. Dei libro 2. cap. 4.* eam cum Berecynthia, Deorum matre, conjungit. Nam & Diana semper virgo, quæ tamen & Juno Lucina ac Ilithyia & Γενετυλλὶς sive *Genitalis* fuit: V. Gerh. Joh. Vossium *de orig. & progr. Idololatriæ lib. 1. cap. 24. sub finem.* Templum ejus à Christianis postea vero Deo consecratum, *Cœlestis* tamen nomen retinuit; unde Africana nonnulla Consilia *in Templo Cœlestis* celebrata legimus. Sed & *Cœlestis* nomine omnes Ædes sacras Christianorum venisse, item *Aula Cœlestis*, invenias apud Macrum utrumque in *Hierolex.*

Cœlicola, in *Vita* S. Benedicti Abbatis Amian. *num. 19. Nemmoram inde pascendi comam fieri passus est, qui — exutis textis appositis vestibus, Christicolarum induit habitum, sic* Cœlicolarum *adscisci numero quantocius congaudens*: Monachi dicuntur, propter sanctum & Angelicum, ut aiunt, vitæ institutum. Ἐν τοῖς ὄρεσι ἀγγελικῶς, *in Montibus Cœlicola*, Davidi Monacho. V. du Fresne *Not. ad Alexiadem pag. 264.* Item Hæretici, qui *Cœlum* pro Deo colebant: quorum secta Honorii Imp. ævo extitit, ut patet ex *titulo* Codicis Theodos. & Justinian. *de Judæis, Cœlicolis & Samaritanis,* ex Judaica & Christiana religione permixta, V. Jac. Gothofredum *ad l. 19. d. tituli.* Præfectos habuisse, *Majorum* nomine, habes apud Macrum in *Hierolexico.*

Cœlina Vestis, apud Cyprianum, à colore *cœlino* qui cum *aërino* idem: cujusmodi colorem describit Ovidius hisce,

Aëris ecce color, tum cùm sine nubibus aër,
Nec pluvias tepidas concitat auster aquas.

Οὐρανοειδῆ χρῶμα Græci vocant. Hesychius, Κυανὸς, εἶδος χρώματος οὐρανοειδὲς, ubi de *cœruli* pigmento loquitur. Sic *aërinus*, *iacinus* & *cœlinus*, eadem quæ hodie *Turkisa* dicitur. V. suprà in voce *Aërinus.*

Viri celebres.

Cœlius Balbinus Imp. apud Onuphrium in nummo, IMP. CÆS. D. COELIUS. BALBINUS. quem *Clodium* vocat Capitolinus in *Maximinis & Gordiano III.* Victor *Cœlium*, Casaubonus ad *Capitolinum.*

Cœlius Mantuanus, consumptis opibus ac prædiis venditis, cùm solum sepulturæ locum excepisset, tribus ulnis, h. e. duodecim pedibus latum, tetigit eum Virgilius eo ænigmate, quo crucem Grammaticis se fixisse, ipse professus est,

Dic quibus in terris, & eris mihi magnus Apollo,
Tres pateat Cœli *spatium non amplius ulnas.*

Ubi lepidè lusit Poëta in ambiguo ejus *Cœli*, quod à *Cœlio* est, & *Cœli* quod fit à *cœlo.* *Cœli* autem, pro *Cœlii*, etiam in prosa Veteres scripserunt. Unde & Plautii Comœdiæ, quòd PLAUTI inscriptæ essent, pro *Plautinis* pleræque habitæ sunt, quum *Plautianæ* forent, uti videre est apud A. Gellium *lib. 3. cap. 3.* Cæteræ itaq; interpretationes ænigmatis hujus, de orificio putei Syenensis, de clypeo Ajacis, de specu Siciliæ, de mundo in Cereris sacro &c, mentem Auctoris non attigere. Sed & Horatius meminit *Cœlii* cujusdam latronis, illo tempore notissimi *lib. 1. Sat. 4.* ubi itidem *Cœli*, pro *Cœlii*, scriptum,

Ut tu sis similis Cœli *Birriq; latronum,*
Non ego sim Capri.

Certè hanc mentem Poëtæ fuisse, Cornificium & Asconium ab ipso audisse, testes sunt antiqui Grammatici, *Servius* & *Junius* Philargyrus: quibus cur non credamus, causæ nihil est, præsertim quum nihil melius possit afferri, ac nemo id inventurus aut divinaturus fuerit, nisi ipse Auctor indicasset. Spatium nempe loci, quem sibi *Cœlius* ad sepulturam reservabat, non amplius patebat, quàm tres ulnas, h. e. sex pedes, si ulnam pro cubito accipimus, & cubitum pro duobus pedibus, ut multis placuit. Quod spatium quinque aut 6. pedum legitimum fuit loci aut sepulchri, apud Vett. etiam plurium condendis reliquiis, ubi urnæ cineres continentes reponerentur vel infodderentur. Tibullus,

Et sim quod digitis quinq; levatur onus.

Val. Probus, *In fronte sex pedes, in latitudine septem* &c. Quidam ulnam duûm cubitum faciunt, quo modo mensura duplicaretur. Et sanè duodecim pedes pro legitimo sepulchri modo in antiquis Inscriptionibus invenire est. Quòd vero, qui fundum venderet, sæpenumero locum sepulchri exciperet, quò ipse postmodum inferri posset, notum est. V. Salmasium *ad Solinum pag. 1222.*

Cœlum, Dei sedem esse, consensu Gentium creditum est: cujus cum triplex sit consideratio, pro triplici modo, quo in terris res fiunt, ratione, fortunâ, necessitate; hinc triplex olim Numen introductum, *Minervæ*, *Fortunæ*, & *Fati* sive *Parcarum*.

Iovi

Imò Soli, Lunæ & Stellis litatum est, & ab aliis quidē cogitari cœpit de divino honore, ipsi Ætheri sive *Cælo* præstando, ab aliis autem de eodem Elementis exhibendo. Ac priores primùm, ut adeò magnificè de *Cælo* sentirent, impulit corporis ætherei sublimitas, quia nihil eo viderent excelsius, magnitudo, quia omnia complexu suo contineret; pulchritudo, quia intermicantibus astrorum luminibus velut floribus esset pictum, ac tanquam gemmis distinctum; perennitas tandem ejus ac immensa operationis utilitas, cùm inferiora omnia virtute regantur cœlesti. Cultum autem est apud varias gentes. Latinis antiquè *Cælus*, Saturni pater est habitus. Unde Ennius *Annal.*

Saturnus, quem Cælus genit:

ac habes quoque in antiqua Inscr. Romæ in monte Cœlio effossa, OPTIMUS MAXIMUS COELUS ÆTERNUS. V. Aldum. *in Orthogr.* & *Inscr.* Gruter. Idem Græcis *Uranus*, Οὐρανὸς: unde Saturnus Οὐρανίων, quasi *Cæli filius*, quod cum Ennii verbis modò adductis optimè convenit. Quò referendum, cùm idem apud Simmiam Rhodium *in Alis* Ἀκμονίδης, i. *filius Acmonis*, dicitur. Ἄκμων enim *Cælum* est, quasi ἀκάματος sive ἄκμητος, *indefessus*, nisi malis ipsum *Cæli* patrem sic dictum, namque *Cælus Acmonis filius*, Hesychio dicitur. Interim pro diversa considerandi ratione, unum idemque numen nunc Saturnus, nunc *Cælus* dictus est. Unde & Jupiter, non modò Κρονίδης, id est, *Saturnius*, sed etiam Ætheris filius, ut legere est, apud Clem. Alexandr. *Admonit. ad Gent.* Sed usitatiùs Græci Romanique per Jovem intellexere *Cælum*: idque Orientis imitatione, Persarum inprimis, qui *omnem Cæli gyrum vocarunt* Jovem, teste Herodoto *lib.* 1. & Strabone *lib.* 16. In qua opinione non modò vulgus Græcorum stultè cum Persis sapiebat, sed etiam magnus Pythagoras, quippe & illi *Cælus* sive Æther, Deus erat, sideraque ejus esse Numinis oculos judicabat, Epiphan. *adv. Hæres. lib.* 1. *Hær.* 5. ita quidem, ut statueret Deum μονάδα, quem symbolicè τετράδα sive *Quaternarium* dixit, omnium rerum conditorem, & δυάδα, *Cælum* à summo illo productum, & sicut ille solâ mente percipitur, in sensus incurrentem. Imò fortasse Pythagorei, quod hunc sensibilem Deum statuerent, vulgo tantummodo dederunt, quicum loquendum, non sapiendum, judicabant. Sane sic Plato sensit olim; & constat, Pythagoreos *Cælum* potius habuisse pro Musico Deorum organo: quo respexit Varro *Sat.* ὄνος λύρας, ubi Cœlum *Divûm Lyram* nuncupasse legimus. Cum verò fabulati sint Poëtæ, *Cælum* genitalibus privatum esse à Saturno, eò videntur respexisse, quòd Cœlum vel tempore vel naturâ saltem prius sit sideribus: sidera autem sint cœli pars eoque quasi progenies Cæli censeantur; cui utpote siderum parenti, non absurdè genitalia seu vis aliquid ex se producendi, attribuuntur: quæ cum productis sideribus desierit (ut communis enim opinio est, in Cœlo nihil gignitur) genitalia ipsi resecta videntur. Et certè hæc, si rem potius, quam involucrum fabulæ spectes, magnam conveniunt partem historiæ Mosaicæ: quæ narrat, primo die conditum esse Cœlum, sed inornatum; die autem quarto stellis esse exornatum ac distinctum, quæ longè potiori jure *Cæli filii* dicantur, quam quidquid in terris aquisque vi cœlesti quotidie generatur, &c. V. Gerh. Joh. Vossium *de Idol. lib.* 2. *cap.* 37. Cæterum, *Cælum* σφαιροειδὲς esse, primus intellexit Anaximander apud Laërtium in *Vita* ejus: quod Atlanti tribuit Plinius *lib.* 2. *cap.* 8. *Cælo cecidisse*, dicebantur Viri inter mortales insigniores. Juvenalis *Sat.* 2.

Tertius è cælo cecidit Cato——

Idem,

——— *Cælo descendit* γνῶθι σεαυτόν.

Hinc Tertullianus *Apolog. cap.* 10. *Quis enim non cælum & terram Matrem ac Patrem, venerationis ac honoris gratiâ appellet, vel ex consuetudine humana, qua ignoti vel ex inopinato apparentes de cælo supervenisse dicuntur.* Porro illud quærere & ultimum contueri morientes solent, ut notavit Plinius in Didone moriente *lib.* 4. in quo libro summam omnium humaniorum Operum consummatam dicere solitus est Casp. Barthius:

—— —— *infixum stridet sub pectore vulnus*
Ter sese attollens, cubitoq; innixa levavit,
Ter revoluta thoro est, oculisq; errantibus alto
Quæsivit cælo lucem, ingemuitq; reperta.

Eodem recipi animas eorum, qui secundùm virtutem vixissent, etiam Ethnicis creditum. Martianus *Capella lib.* 2. *Animæ Beatorum, quæ jam Cœli templa merebantur, gressus Majugenæ sequebantur.* Quod fortibus inprimis animabus largitur Manilius *lib.* 1.

——*fortes animæ, dignataq; nomina cælo,*
Corporibus resoluta suis, terræq; remissa,
Huc migrant ex Orbe, suumq; habitantia cælum,
Æthereos vivunt annos, mundoq; fruuntur.

Et Nemesianus *Ecl.* 1.

— —— *sublimes animæ cælestia templa*
Sidereasq; colunt sedes ——

V. præfatum Barthium *Animadversion. ad Statium Theb. lib.* 2. *vers.* 6. & *lib.* 10. *versu* 659. &c. De *Cælo* tactis, V. ubi de *Fulgure*.

Cœmeterium, Græcè Κοιμητήριον, vox apud medii ævi Scriptores Ecclesiasticos recepta pro sepulchro; à κοιμᾶσθαι, *dormire*: somno enim Fidelium mortem in Sacris comparari, tralatitium est. Hæc omni tempore benedicta & Fidelium sepulturæ consecrata fuisse, notum. Cùm enim Gentiles quoque sepulchra religiosa esse agnoverint, quatenus humanum corpus in iis conderetur, Celsus *ff. Lib.* 11. *tit.* 7. Majori longè jure Fideles *Cœmeteria*, postquam mortuorum in Christo corpora, quæ Templa Spiritus S. fuerant, recepissent, pro sacratis habuerunt. Et quidem in primitiva Ecclesia, cùm commodioribus locis adhuc destituti essent Christiani, illuc ad Deum invocandum ejusque Verbum audiendum, convenerunt. *Constitut. Apostolic.* quæ sub Clementis nomine circumferuntur, *lib.* 6. *cap.* 30. *Congregamini in Cœmeteriis, legite libros sacros, ac ad mortuorum tumulos Psalmodias canite.* Postmodum, cùm laxiùs habitare inciperet Ecclesia, *Cœmeteriis* foris, Templis verò sacrorumque Conventuum locis, intra muros Urbium locus fuit. Sensim tamen superstitio glicens *Cœmeteria* Templis adjunxit primùm, mox crescens & adulta, cumque turpi lucro (quod ex sepulchrorum & honoratiorum locorum venditione, sub beneficii specie, captabatur) conjuncta, ex Templis *Cœmeteria* fecit. Quorum prius inter provincias prima fecit Africa, ut ex Augustino, *Cœmeteriorum Templis vicinorum*, sæpius mentionem faciente, discimus. Posterius, sequenti tempore fieri incepit, quod Concilium Bracharense corrigere hoc *Can.* conabatur: *Placuit, ut corpora defunctorum nullo modo intra Basilicam Sanctorum sepeliantur, sed, si necesse est, deforis circa murum Basilicæ, usque adeo non abhorret. Nam si firmissimum hoc privilegium usque nunc retinent civitates, ut nullo modo intra ambitum murorum cujuslibet defuncti corpus sit humatum, quanto magis hoc venerabilium Martyrum debet reverentia obtinere!* Sed & *Constitutio* Caroli M. Ansegiso in *Capitulari* memoratur, *ut nullus deinceps in Ecclesia mortuum sepeliat*, quæ à Durantio *religiosa aut pia Majorum constitutio* vocatur, *de Ritibus Eccl. lib.* 1. *cap.* 23. Derivat autem eam idem ab Optati Milevitani tempore, his verbis: *Nec sepultura in domo exhiberi concessa est.* Cumq; ostendisset, olim Imperatores magno honori duxisse, in Templorum vestibulis sepeliri: *At hodie,* inquit, *ibid. recepta consuetudine præter Majorum leges & instituta, Christiani, necdum Imperatores & Sacerdotes, quibus id postea indultum fuit, sed etiam Laici, passim intra Ecclesiam sepelimur.* Digni proin, qui audiant Cyrilli, ad Gentiles, verba *lib.* 10. ubi illis exprobrat, *Templa eorum celebria nominata fuisse sepulchra & sepulchra fuisse templa.* Certe non apud Israelitas solum, extra urbes pagosque sepulturarum loci designabantur, ut apparet ex Genes. *cap.* 25. *versu* 9 ubi de Abrahamo; Matth. *cap.* 5. *vers.* 14. ubi de Gadarenis; Lucæ *cap.* 7. *vers.* 12. ubi de vidua Naimitica; Joh. *cap.* 11. *versu* 30, 31. ubi de Lazaro; Joann. *cap.* 19. *versu* 41. ubi de Josepho Arimathæensi. Sed & apud alias gentes, Romanos, de quibus V. XII. *Tabb.* Græcos, V. Platonem *de LL. lib.* 2. Alios. Hinc Chrysostomus de suo tempore, *Serm. de Fide & Leg. Nat. Omnis civitas, omne castellum ante ingressum sepulchra habet, ut contendens intrare in civitatem— videas primum quod sit. Ante portas sunt sepulchra —ubique ante oculos est nostræ humilitatis schola.* Et sanè Templa, in quibus quotidie magnus hominum numerus ad Dei cultum confluit, mortuis replere res neutiquam est: quum eorum exhalationes sæpius vivis damnum inferant; nec religioni id convenire, Concilium prædictum censuit. Uti verò prisci Patriarchæ sepulturis fidem suam de Dei promissionibus testabantur, ita etiam Christiani in iisdem locis, quibus in fide Christi morientium corpora condebantur, sepeliri summopere desideraverunt. Hinc carpit Cyprianus in Martiali Episcopo *Epist* 78. *edit. Pamel.* quòd, cùm reliquis fidelibus cum commode jungere licuisset, in Gentilium sepulchris condi maluerit. Ab Hæreticorum verò & Schismaticorum Christianorum tumulis non adeò abhorruere tum Fideles, ut, cum necessitas postularet, in illis sepeliri recusaverint. Unde gravissime conqueritur Optatus Milevitanus *c. Parm. lib.* 6. de Donatistis, ita *Cœmeteria* sibi vindicantibus, ut Catholicos non admitterent. V. plura hanc in rem apud A. Rivetum *Summæ Controv. Tr.* 2. *Qu.* 42. & hic passim.

Cœmptio, unum fuit ex tribus Nuptiarum apud Romanos generibus, indigitatum Virgilio *Georgic. lib.* 1.

Teq; sibi generum Tethys emat omnibus undis.

Ubi Servius, *Tribus*, inquit, *modis apud Veteres nuptiæ fiebant. Usu, si verbi gratiâ mulier anno uno cum viro, licèt sine legibus fuisset. Farre, cùm per Pontificem Maximum & Dialem Flaminem, per fruges & molam salsam conjungebantur, unde Confarreatio appellabatur—* Coëmptione *verò atq; in manum conventione, cùm illa in filiæ locum, Maritus in Patris veniebat, ut si quis prior defunctus esset, locum hæreditatis justum alteri faceret.* In quibus verbis quòd *Coëmtionem* cum *in Manum Conventione*, eandem videtur facere, arguitur à Seldeno, docente, etiam eam, quæ usu erat uxor, & quæ farre, in *manum convenisse*, sicque tres has legitimas in manum Conventiones nuptiales fuisse. *Coëmtioni* autem pretium intervenisse, indicat ipsa vox, quemadmodum & Sponsalibus apud Hebræos, *nummo* ejusque valore minimo, atque in Nuptiis, iteratis. Hinc Varro de *Vita* Pop. Rom. *lib.* 2. apud Nonium, *Nubentes*, ait, *veteri lege Romanâ asses tres ad maritum venientes ferre solitas, atq; unum quem in manu tenerent, tanquam emendi causâ Marito dare, alium, quem in pede*

pede haberent, in foco Larium familiarium ponere, tertium in sacciperio cùm condidissent, compito vicinali solere resonare, alii *resignare*. Quo modo emebat, aut quasi, Sponsa Sponsum. Sicuti apud Indos, pari boum, Sponsas mercabantur, teste Strabone, *lib.* 15. Et de Germanis Tacitus, *Dotem non Uxor Marito, sed Maritus Uxori offert. Intersunt Parentes & propinqui, ac munera probant— In hæc munera Uxor accipitur* &c. De phiala Sponso Sponsæve, ex Græcorum, aliorumque in Oriente populorum, more, dari solita, multa adnotavit Causabonus *ad Athenæum lib.* 13. *cap.* 34. Equum item armis instructum, peractis nuptialibus Sacris, dabat Sponsæ Sponsus, apud Thessalos, teste Æliano *de Animal. lib.* 14. *cap.* 34. Quam in rem plura, ubi de *Dote*. Sed & emptas pariter Uxores, in ipsis Sponsalibus Nuptiisque, notat ex LL. veteribus Burgundionum ac Saxonum, Brissonius *de Ritu Nupt.* V. quoque Jac. Guthrium *de vet. Jure Pontific. lib.* 2. *cap.* 6. Qui ritus etiam in Christianismo ex parte retentus est. Sanè *Coemtionis* veteris reliquiæ manifestissimæ sunt, in arris Sponsalitiis ac pecunia pro more in ipso nubendi actu memorata: uti pluribus docet Brissonius *lib. cit.* & Joann. Seldenus *Uxor. Hebraic. lib.* 2. *cap.* 20. & 25.

Coemtionalis Senex, apud Plautum *Bacchid. Act.* 4. *Sc.* 9.

> *Nunc Priamo nostro, si quis est emptor*, Coemtionalem
> *Senem*
> *Vendam ego, venalem quem habeo, extemplo, ubi oppidum expugnavero.*

Senex est, ex eo genere, in quibus singulis vix quisquam facit pretium, sed qui auctionibus totum accedunt. Sic servus apud Ciceronem *Famil. Epist. lib.* 7. *Epist.* 29. Curius, *sum*, inquit, *χρήσει μὲν tuus, κτήσει δὲ Attici nostri, ergo fructus est tuus, mancipium illius: quod quidem si inter senes* Coemptionales *venale proscripserit, egerit non multum*. Hoc est, si mihi inter reliqua ejusmodi mancipia titulum in venalitio pinxerit, vendideritque me, parum rei fecerit. Quare, quia inutiles sumus & nullius pretii: uti de se innuisse Theodoro Ad. Sibero *γέρων συμπωλούμενος, συνωνούμενος* est. Nempe in venalibus, quantumvis viles, mutilos, effœtos, locum invenisse, indicat Seneca *Epist.* 47. *Stare ante Callisti limen dominum suum vidi, & eum qui illi impegerat titulum, qui inter rejicula mancipia produxerat, aliis intrantibus exclusi. Retulit illi gratiam servus ille in primam decuriam conjectus, in qua vocem præco experitur*. Ubi *Decuriam* vocat illum gregem, uti Columella *lib.* 1. *cap. ult. Classes verò non majores quam decem hominum faciendo, quas decurias appellaverunt antiqui*. Sic *surdorum decuria* vel *corona*, apud Martialem *in Xeniis*, lemmate Epigrammatis 49. Quæ enim singula liceri aspernabantur homines, ea plura in unum pretium mittebantur, aut addita desideratioribus, sive mancipiis, sive rebus, venum exponebantur: quemadmodum quotidie videmus & in auctionibus, majoris pretii quæ sunt, singula, viliora acervatim protrudi. Cujusmodi *Coemtionalis Servi* exemplum planè lepidissimum, præbet Plinius, *lib.* 34 *cap.* 3 in Clesippo fullone, qui jussu Theonis præconis accessio candelabri Corinthii factus est: V. suprà in voce *Clesippus* Ἀνθρώπου, & plura hanc in rem, apud Jo. Frider. Gronovium *de Pecun. vet. lib.* 4. *cap.* 8.

Cœna, quasi κοινή, *quia antiquitus seorsim solebant prandere Romani, cœnare cum amicis*, Plut. *Symp. l.* 8. *cap.* 6. Commessationem antecedebat & Prandium primò, dein Merendam sequebatur. Olim *Vesperna* dicta, à vespertino, quo sumebatur, tempore, hora communius apud Rom. diei nona erat, communiter; At hora quinta, vel sexta, cùm convivia *tempestiva*, diebus festis ac solemnibus agitarentur. Juvenalis,

> —— —— *Quamvis solida hora supersit*
> *Ad sextam*.

Tertullianus *in Apologet. Saturnalibus non lavor diluculo, sed honesta & salubri hora* &c. Quemadmodum apud Atticos legitimum Cœnæ tempus fuit, cùm δεκάπουν aut δωδεκάπουν esset στοιχεῖον; uti loquitur Lucianus *in Saturnalibus*: Sed diebus festis, quibus maturius id in solebant inire convivium, ἑξάπουν observabant aut ἑπτάπουν; quorum illud, *umbra* viz. 10. vel 12. *pedum*, horæ 9. vel 10. illud, nempe *umbra* 6. *pedum*, horæ quintæ vel sextæ Romanorum respondet. Horâ unâ vero antè lavabant Romani, quàm *Cœnam* auspicarentur &c. Quam in rem V. Salmasium *ad Solinum pag.* 648. *Cœna* autem erat semper in usu etiam cum prandia nondum invaluissent: Lautiores enim tantùm olim prandia obibant, idque sine ulla ferculorum pompa aut splendido apparatu, ad magnificas & exquisitas epulas amicis in cœnam condictum. Imo erat eum *Cœna* idem, quod *Prandium*, significabat, Festus. Hinc tam frequens cœnarum, prandiorum nulla, certè rara mentio, in magnifici alicujus apparatus descriptione: Horatius *lib.* 2. *od.* 14

> *Absumet hæres Cæcuba dignior*
> *Servata centum clavibus: & mero*
> *Tinget pavimentum superbo*
> *Pontificum potiore cœnis*.

Ausonius *Epist.* 9

> *Ostrea nobilium cœnis, sumptoque nepotum*
> *Cognita*. &c.

Unde de nepotum, in noctem multam, imò in alterum Solem, convivia extendentium luxu, querela, M. Tullii *Orat.* 2 *in Catil.* Liv. *Dec.* 3. *lib.* 3. Æl. Lampridii *in Commodo* &c. Distinxêre autem *Cœnam* antiqui in tres partes, seu missus: Antecœnium seu Gustum seu Promulsida, *Cœnam* ipsam, cujus quod præcipuum ferculum erat, *Cœnæ caput* dicebatur, & Bellaria, seu Mensas pomorum seu Mensas secundas. In Antecœnio mora ponenda esse, voluit Galenus: At Metellus Pontifex echinos, ostreas crudas, pelorydas, spondylos, turdum, asparagos; subtus gallinam altilem, patinam ostrearum pelorydum, balanos nigros, & albos: Iterdum spondylos, glycomaridas, urticas, ficedulas, lumbos, capraginos, aprugnos, altilia ex farina involuta, murices & purpuras ante cœnam apposuit, apud Macrobium *Saturn. lib.* 3. *cap.* 13. Ipsius *Cœnæ* initium priscis fuit lactuca, ova & lucanicæ: at prædictus gurges in cœna apposuit sumina, sinciput aprugnum, patinam piscium, patinam suminis, anates, querquedulas elixas, lepores, altilia assa, amylum, panes Picentes, idem *ibidem*. Secundæ mensæ dicebantur *Mensæ pomeranæ*, cùm iis apponerentur bellaria, quo vocabulo omne genus secundæ mensæ significatur, putà nuces, pyra, poma, ficus, oleæ, uvæ & alia, de quibus multa apud eundem Macrobium *Saturnal. lib.* 3. *cap.* 18. 19 & 20 & Varronem *in Satyra Menippea*, apud A. Gellium. Luxuriâ postmodum immensum crescente, Leges Sumptuariæ latæ sunt, è quibus Licinia lex cùm non plus centussibus, præter terrâ nata, in cœnas impendi juberet, *Cœnæ centenariæ* inde ortum traxêre. Foris autem cœnasse Romanos, neque mensam omnino tollere, sed semper aliquid super ea relinquere consuevisse, docent Macrob. Plut. *in Quæst. Rom. & Sympos.* &c. Porro *Cœna Adjicialis*, quibusdam eadem est cum *Pontificali*, quæ lautissima esse solebat: Lipsius autem *de Magnif. Rom. lib.* 4. *cap.* 9. vult *Adicialem* legi, eam enim intelligit, quæ in aditu honoris seu muneris inauguratione à Magistratibus exhibebatur. *Cœna Dubia* dicebatur, cùm mensa omnis generis exquisitissimis ferculis erat instructa, ut in tanta copia ambigerent convivæ, quò potissimum manus porrigerent. Eadem *Recta* quoque nuncupata est, opposita sportulæ, quâ voce indigitabatur munus, quod Romani clientibus, Principes populo in sportula dabant, vel ex obsonium: cujus vicem aliquando pecunia supplevit. Budæus, *Liberaliores divites salutatoribus suis rectam Cœnam exhibebant, modi sportulam tantùm*. Hinc factum, ut Sportula, pro viliore Cœna, aliquando caperetur. Martial.

> *Promissa est nobis Sportula, recta data est*, &c.

Plura V. apud Plinium passim, Stuckium *de Conviviis lib.* . *cap.* Pancirollum *lib. rer. deperditar. cap. de cibi capiendi modo*, Turnebum *Advers. lib.* 5. *cap.* 10. Joh. Rosinum *Antiqq. Rom. lib.* 5. *cap.* 30. & 29. cum Thom. Dempsteri *Paralipomenis* &c. Ut & suprà in voce *Cibus*, ac infrà in *Convivia*. Atque hæc de Cœna communi, sed & in multis paganicis sacris epulæ agitabantur, uti notum, quæ Δεῖπνα idem plerumque, h. e. *Cœnæ*, appellatæ sunt. Unde in Oschophoriis Atheniensium, inter alia Ministeria, mulieres fuerunt, Δειπνοφόροι dictæ. Isaac. Casaubonus *Exercit.* 16. *num.* 31. De Christianorum vero *Cœna Mystica*, V. hic infra, ut & de alio eorum Convivio sacro, quod Tertullianus *Apologetici cap.* 29. ubi illud fuse describit, etiam *Cœnam* appellat, quodque à priore toto genere differens, postmodum ob varios abusus Templis ejectum, ac tandem penitus sublatum est, supra in voce *Agape*.

Cœna Cerea, apud Æl. Lampridium *in Heliogabalo, Parasitis in secunda mensa sæpe* ceream cœnam, *sæpe eburneam, aliquando fictilem, nonnunquam vel marmoream vel lapideam, exhibuit: ita ut omnia illis exhiberentur videnda de diversa materia, quæ ipse cœnabat, cùm tantùm biberent per singula fercula & manus, quasi comedissent, lavarent*. Sic Ptolomæus olim Sphæro philosopho, ut illi Stoicorum sapientem falsa opinaturum negantium errorem excuteret, in secunda mensa *Ceream cœnam*, κηρίνην, nempe, proposuit, uti refert Diogenes Laertius *lib.* 7.

Cœna Domini, Græcè Δεῖπνον Κυριακόν, 1. Cor. *cap.* 11. *versu* 20. quæ aliter Εὐλογία, *Benedictio*, 1. Cor. *cap.* 10. *versu* 16. Εὐχαριστία, *Gratiarum actio*, Matth. *cap.* 26. *versu* 27. Καινὴ διαθήκη, *Nov. Testamentum*, Luc. *cap.* 22. *versu* 20. Τράπεζα Κυρίου, *Mensa Domini*, 1. Cor. *cap.* 10. *v.* 21. Κλάσις ἄρτου, *Fractio panis*, 1. Cor. *cap.* 10. *versu* 16. Κοινωνία, *Communio*, 1. Cor. *cap.* 10. *versu* 16. & Σῶμα τοῦ Χριστοῦ, *Corpus Christi*, appellatur ex verbis institutionis Matth. *cap.* 26. *v.* 26. ut Ecclesiasticas ejus appellationes, quarum 24. collegit Burmannus, prætereàm: alterum est Christianorum Sacramentum, sacris veterum Israelitarum epulis ac convivîs respondens, uti in priscis ablutionibus ac lotionibus Baptismi quædam imago fuit. Ejus *Auctor* & Institutor Dominus noster, unde *Domini cœna* dicitur; *Administri* Apostoli, ac qui illos secuti sunt, Ecclesiæ rectores ac præsides, quibus peculiariter sacrorum curam ac ministerium dedit, nec promiscuè ab omnibus tractantur, ac inter tractantium manus, pulamque Ecclesiæ. *Convivæ* in prima cœna fuere Apostoli: in Ecclesia, olim tota Christiana, universi ad Mensam hanc accedebant, exclusis Fratrum cœtu, qui Sacris interterant, exeuntibus, nisi qui publico Ecclesiæ judicio ἀφωρισμένοι adhuc manent, vel ob crimen accusantur, Lectæ ae-

nigmata

[illegible] & Pœnitentibus, quibus & Energumenos, si fortè adessent, adjungebant. Qui Christianorum fervor labente dein [illegible], dum Fide & socordiæ sese dedunt & dignos se S. Cœnæ [illegible] existimant, ac sacris Symbolis carere malunt, [illegible] tandem [illegible] deinceps, ut multi, qui Sacris [illegible], [illegible] communione abstinerent. Instituit autem Servator Convivium hoc sacrum, commemorandæ ultimæ [illegible] cœnæ, atque tristissimæ noctis illius imagio, atque [illegible], passionis & sacrificii ejus memoria de Ecclesia nunquam [illegible]. Ac, sicut in Baptismo ritum quendam Judæorum [illegible] est, quem in novæ Ecclesiæ Sacramentum [illegible] [illegible] Cœna, ad [illegible] Paschalem primum cœpta, cu[illegible] appendix erat, in N. T. Sacramentum communionis, [illegible] dedicata, unde etiam in Paschatis [illegible] in Ecclesia obtinuit. Postquam enim verus Agnus venisset, qui ipse in ultimo epulo præsens erat, ac loco [illegible] umbram illam explebat, sacrificalibus Agnis opus non amplius erat. Elementum ergo, uti in Convivio sacro, hic duplex Panis & Vinum. Et quidem Panis, quo Christus in prima Cœna [illegible], fuit azymus, quod [illegible] erat, ex lege Paschali, quæ fermento omni abstinere per eos dies jubebat. Unde vera Ecclesia quotidiano ac cibario usa est, planè ad sensum Domini, qui panem, quo in communibus epulis vescimur, ad [illegible] mysterii significationem, instituit: Quo & Apostoli tum in Judæa, tum inter Gentes, postmodum usi sunt, Actor. cap. 2. vers. 42. & cap. 20. vers. 7. coll. cum 1. Cor. cap. 10. vers. 16. 17. & cap. 11. vers. 20. cum azymus ad V. T. ceremonias potius pertineret. Vinum, Matthæi cap. 26. vers. 29. Vitis genimen dicitur, cujus loco in regionibus, ubi vini penuria est, illud, quod vini vicem ibi præstat, usurpatur, quod idem de pane quoque intellectum vult Auctor præfatus. Utriusque copia solebat apud Vett. a Fidelibus spontaneâ liberalitate conferri, atque sic ex collatitia dape S. Cœna institui. Unde oblationis, oblatarum ac sacrificii, nomina [illegible] reprehendit Cyprianus Serm. de Eleemosyna, mulierem, quæ in Dominicum sine sacrificio veniebat, ac partem ex sacrificio, quod pauper obtulerat, sumebat. Addebant & a [illegible] dona, ad agapen nempe [illegible], de qua dictum suo loco. Porro Consecratio Symbolorum a Domino facta est, precibus, gratiarum actione, & expressis verbis, quibus voluntatem suam testatus Panem corporis, & Vinum sanguinis sui pignus Ecclesiæ tradidit. Quod Servatoris exemplum vetus Ecclesia sanctè imitata est: in qua audiebatur primum sacra Lectio, tum Concio seu Sermo; inde Preces concipiebantur &c. atque sic ad SS. Mysteriorum participationem accedebatur. Peractis enim precibus, post osculi consalutationem, quod Orationis signaculum Tertullianus vocat, & dextræ congressum, quod ipsi est pacem miscere, [illegible] Præsidi a Ministro vel Diacono oblatarum partes, quibus ille acceptis, postquam nomina offerentium sanctâ commemoratione prosecutus esset Panem & Vinum, [illegible] & Amen acclamante Populo, benedixit primum, [illegible], more a Cœnis Judaicis desumto, postea ipse de eo gustavit, ex eodem more, distribuitque sacris convivis, addito accipiendi & comedendi mandato. Similiter Poculum benedixit, vinum infudit, tradidit & omnes ex eo bibere jussit, secundum Marc. cap. 14. vers. 23. Cur S. Symbolorum usui postmodum alii usus [illegible] extra S. Cœnam accessere. Processu enim temporis deferri sacratus panis non solum ad absentes, sed etiam ad Infirmos, quin imò vino intinctus moribundis in os ingeri cœpit, Unde commeatum & viaticum dixere. Domum etiam persæpe secum adferebant fervente præsertim persecutione, quò quotidie Christum gustare atque ad certamen sese præparare possent. Denique & alium præterea panem habebant Veteres, [illegible] quidem, sed non sacramentalem, quem, communis Fidei testandæ causâ, Episcopi [illegible] Presbyteros, vel ad alios Chorepiscopos, mittitabant: vocabant autem illas micas Eulogias. Qui tamen ritus, ac nonnulli alii, Conciliorum auctoritate non semel compressi leguntur &c. Clausit Cœnam Dominus Hymno paschali, ac porro [illegible] extremam illam noctem transegit. Cujus exemplo & Veteres gratiarum actione ad extremum defungi, & datâ ex more pace populum dimittere solebant, [illegible] formulâ, Ite in pace. Unde, quod concio tum [illegible] esset, Missæ nomen exortum est. Residuæ autem micæ, in Agaparum usum, quod S. Cœnæ, ut olim antecœnium, ita deinceps, mutato ordine, perdiu velut corollarium fuit, vel, ut ab olim, Clero aut Catechumenis, aut pueris de ludo redeuntibus, aut denique pauperibus, cedebant. Locus primò privatæ ædes, [illegible] Fratrum conventus, deinde Templa fuere. Tempus quod attinet, prima Cœna celebrata est Feriâ V. ante festum Paschatis; quem diem annuatim Ecclesia vetus quoque servavit, cæteroquin & aliis diebus communicabant, præsertim Dominico die, uti Justinus testatur. Quod Horam, vespertino tempore Christus convivatus est, ob Paschatis solenne, quod [illegible] fieri erat nefas. Servatumque illud diu Vett. quorum nocturnas & deinde antelucanas Cœnas sæpe legimus, [illegible] & aliæ cœnandi horæ ipsis postmodum usurpatæ [illegible]. Nam ubi jejunia vel semijejunia agitabant, quâ hora illa solvebantur; vel ubi jejunare non licebat, matutino tempore Cœnam faciebant. Plerumque autem jejuni eam celebrabant, unde deinceps nata Latinorum lex, quâ Eucharistiam nisi jejunantes non sumunt &c. Plura hanc in rem, utpote de Convivii hujus Mysterio, & re significata; de ejus efficacia & usu, de erroribus circa eam tum vett. Aquariorum, Artotyritarum, Cataphrygum, Gnosticorum, Marcosiorum, Sandalitarum, aliorum; tum hodiernorum non paucorum, aliisque huc pertinentibus, V. apud Ecclesiast. ac Rei Scriptores, inprimis qui jam sub prælo sudat, Jo. Casp. Suicerum in Thesauro Eccl. ut & hic passim, in vocibus Eucharistia, Eulogia, Norunt Fideles, Panis frabilis &c. Nec omittendum, in Communione Rom. hodieque dici quintam Feriam ultimæ hebdomadis Quadragesimæ, quod eâ, uti dictum, mysterium Dominicæ Cœnæ a Christo fuerit institutum. V. Isidorum, de officiis Eccles. lib. 1. cap. 28. & Honorium Augustodun. lib. 3 cap. 84. In eâ omnes Sacerdotes totumque, uti vocant, Clerum, ex decreto Soteris Papæ ad sacram Synaxin accedere teneri, dicitur can. in Cœna Domini de consecrat. dist. 2. idque cum stola in collo, Concil. Bracar. 3 can. 3. Excommunicatio insuper recitatur &c. V. Dominicum Macrum in Hierolexico, voce Feria V. in Cœna Domini.

Cœna Libera, in Passione S. Perpetuæ & Felicitatis, *Pridie quoque, cum illa Cœna, quam* Liberam *vocant, quantum in ipsis erat, non cœnam liberam, sed agapen cœnarent, eadem constantiâ ad populum verba ista jactabant*: dicebatur illa quam cœnabant in publico, qui ad ludum, vel ad bestias damnati erant, pridie antequam pugnarent: sic nuncupata, vel quòd apponeretur ipsis, quidquid postulassent, vel quòd summa cum libertate & licentia perageretur. *Liberalia* vocat Tertullianus *Apologet. cap. 42. Non in publico liberalibus discumbo, quod bestiariis supremam cœnantibus mos est.* Ubi videmus etiam *Cœnam supremam* appellare. *Ultimam* vocat vetus Interpres Juvenalis *Sat. 11. ad illud*,

— *Sic veniunt ad miscellanea ludi*:

Genus, inquiens, *miserabile ferculi miscellanea, cibus gladiatorum, id est ultima cœna. Ideo miscellanea, quia omnia, quæ apponuntur miscent & sic manducant*: du Fresne *Glossar.* & Salmasius *ad Trebellium Pollionem in Claudio*.

Cœna Pura, parasitis ab Heliogabalo exhibita, apud Lampridium in *Vita* ejus, *Exhibuit parasitis cœnas & de vitreis, & nonnunquam tot picta mantilia in mensam mittebat his edulis picta, quæ apponerentur, quot missus esset habiturus, ita ut de textili pictura exhiberentur. Nonnunquam tamen & tabulæ illis pictæ exhibebantur, ita ut quasi omnia illis exhiberentur, & tamen fame macerarentur.* Sed &, in Communione Rom. *Cœna Pura*, dicitur feria sexta majoris hebdomadis Vett. seu Parasceve; modo loquendi à Gentilibus accepto. *Ad puram, & sine animalibus, cœnam*, Apulej. V. quoque Plutarchum *de esu Carnis*. Sic autem dicebatur, quòd religionis & dieis causâ instituta, ut vult du Fresne: contra quam Scaliger *ad Festum* & *de Emendat. Temp. pag.* 531. 569.

Cœnaculum, Græcè Ὑπερῷον, propriè locus ad *cœnandum* idoneus. Sic autem *vocabant* Romani, teste Festo, *postquam in superiori parte cœnare cœperunt*. Hinc superior is domus universa. Et quidem in hujusmodi Ὑπερῴοις, Virgines apud Græcos educari consuevisse, dicemus infrà, ubi de Græcorum *Oecuria*: quòd hujusmodi loca aditu difficiliora & insidiis minus obnoxia essent. Figura illis ovalis, unde nomen, & fabulæ de Helena ex ovo genitæ origo. Apud Judæos fideles primosque Christianos, sacri Conventus ibidem habebantur, ob persecutionem hostium, & Ædium sacrarum penuriam, ut liquet ex Actorum *cap. 1. versu* 13. ubi memoratur τὸ Ὑπερῷον, *Cœnaculum*, in quod Apostoli & Discipuli, Sacrorum suorum gratiâ, ascendebant, velut in locum Conventus sacri satis notum; & ex Paulo 1. Cor. *cap.* 11. *v.* 22. ubi singulorum domos disertè, ut habitationis locum, distinguit ab Ecclesia, quo nomine nonnullis locus Conventus sacri innui videtur. Quo spectant ista, quæ suprà diximus, in voce *Aurata Domus*. V. plura apud Seldenum *de Synedriis vett. Ebræorum lib.* 3. *cap.* 15. §. 2. & hic alibi.

Cœnator seu *Cœnarius*, Officium Monasticum, cui incumbebat cura reficiendorum Fratrum æstivis diebus vespere. Apud S. Dionysium, in Francia in Claustri latere, quod est secundùm Templum, visitur tumba cum hac Inscr. Gall. *Hic situs est Dominus Joannes Monumorentius, olim* Cœnator *hujus loci.* Horum Primicerii mentio in *Inscr.* Romæ ad D. Pauli extra muros: *Hic jacet nomine Maurentia C. F. in pace, uxor Cornell Primiceri Benariorum, filia Porphyrii Primiceri Monetariorum* &c. apud Carolum du Fresne *Glossario*.

Cœnatoria seu accubitoria vestis apud Romanos *Synthesis* erat. Conviviis tamen maxime publicis ac solennibus, Togam quoque suisse adhibitam docet nos Cicero, qui Vatinium reprehendit quòd in epulo Q. Arrii cum toga pulla accubuerit, cum tot hominum millia accumberent, cum ipse epuli Dominus albatus esset. Sallustius item, qui apud Macrobium Metelli luxum in Hispania carpens inter cætera, ait, *Togam pictam plerumque amictum fuisse accumbenti.* Spartianus denique, apud quem *Adrianus ad convivium venientes Senatores [illegible] excipit, sumeretque aut pallio tectus discumbens, aut toga [illegible]*, id est, demissa. Qui enim

togati accumbebant, partem togæ sinistro brachio contractam defluere sinebant ad pedes, tum ipsum brachium, quod sinui ac rugis sustentandis occupabatur, per superiorem togæ oram, ut & dextrum, exerebant. Cœterùm Imperatoriæ cœnæ nemini licuisse accumbere, nisi togato, ostendit idem Spartianus *in Severo.* Ita quidem in epulis publicis, ac Imperatoriis: domi autem privatis conviviis togas cœnatoriis mutabant, quas, ut dictum, *Syntheses* nuncuparunt, V. infrà in voce *Synthesis.* In antiquis Tricliniorum figuris homines seminudi cubant, solo linteo, quod fortasse *Synthesis*, semiamicti: hinc sindonem, qua *indutus super nudo adolescens*, CHRISTUM à Judæis captum sequebatur, vestem cœnatoriam quidam fuisse existimant. Fuere & *Cœnatoriæ* muliebres; quarum meminit Pomponius *de auro argento legato*, cùm ait: *Q. Mutius ait, scire se quendam Senatorem muliebribus cœnatoriis uti solitum.* Has colore fortè à virilibus distinctas fuisse, indigitare videtur Martialis *lib.* 10. *epigr.* 29.

Quam mihi mittebas Saturni tempore lancem,
Misisti Dominæ Sextiliane tuæ.
Et quam donabas dictis a Marte Calendis,
De nostra Prasina est synthesis empta toga.

Quasi dicat, pretio, quo emere solebas togam, quam mihi natali meo mitteres, emisti viridem cœnatoriam amicæ. V. Octav. Ferrarium *de Re Vestiaria lib.* 1. *cap.* 30. & 31.

Cœnobium, Gr. Κοινόβιον, dicta est conversatio eorum, qui ex collatis opibus vivebant. Instituti auctor Pythagoras, qui domi suæ plurimos habebat juvenes, quos hoc victu alebat. Unde apud A. Gellium *lib.* 1. *cap.* 9. & Laertium *lib.* 8. legimus, omnes simul, qui à Philosopho hoc in cohortem illam disciplinarum recepti erant, quod quisque pecuniæ familiæque habebat, dedisse in medium. Justinus *lib.* 20. de Pythagoræis loquens: *Trecenti, inquit, ex juvenibus, cùm sodalitii jure sacramento quodam nexi separatam à cæteris civibus vitam agerent, quasi cœtum clandestinæ conjurationis haberent, civitatem in se converterunt; quæ eos, cùm in unam domum convenissent, cremare voluit.* V. quoque Ciceronem *lib.* 2. *de Leg.* Hunc morem Κοινοβίου apud Judæos imitati sunt Esseni, qui omnia iidem communia habebant; Quæstore constituto, qui necessaria procuraret, Euseb. *lib.* 8. *præp.* c. 4. *ex Philone Judæo*: Idem de Platonicis legimus. Sed quæ Pythagoricorum communio, quæ Essenorum societas, quæ Platonicorum jactantia, cum innocua & tanta illa Apostolorum primorumque Christianorum communione paria fecit? *Qui omnes erant eodem loci, & habebant omnia communia: & possessiones & facultates vendebant, & dispertiebant ea omnibus, prout cuique opus erat: & quotidie perdurantes concorditer in templo, & frangentes domatim panem, capiebant cibum cum exultatione & simplicitate cordis*, V. Actorum *cap.* 2. *vers.* 32. & *seqq.* Nec multùm ab hac consuetudine abfuerunt Collegia Doctorum qui publico sumtu alebantur, Alexandriæ olim instituta, ubi Marcum Evangelistam cœtus atque agmina Philosophantium, lectionibus, disputationibus, meditationibus & interpretationibus S. Scripturæ totos dies incumbentium coegisse, referunt Eusebius ac Hieronymus. Propiora vitæ Collegiatæ quoad sacra tenata sunt de[illegible] exempla inter Christianos, etsi instituto non tam perfecto, inter Monachos, quorum antesignanus Paulus Thebæus, post illum Antonius, quem Hilarion excepit, fuere: occasione persequutionum sub Decio & Valeriano, deinceps sub Diocletiano, Licinio ac sociis in Ægypti Syriæque solitudines multis fidelium abactis; ubi casulas erigebant, aut [illegible] deprehenderentur sedes subinde mutabant & remittente postmodum persecutionis furore, tranquillæ vitæ assueti, usque ad mortem quandoque morabantur. *Cœnobitarum* enim primi auctores Eremitæ hi fuerunt. Ita ergo *Cœnobia*, quæ & Monasteria, & postquam muris claudi cœpere, *Claustra* dicta sunt, originem habuere. Quod institutum porrò ex necessitate, ut diximus, [illegible]natum, mox alii imitati sunt: quidam ex zelo pietatis, mundive tædio; alii ob Ecclesiarum dissidia, Episcoporum factiones & fastum: nonnulli ex otii meditationumque amore, aliqui etiam ex cacozelia Virorum illorum eximiorum, qui primi vitæ hujus auctores extitere. Nec defuere, qui ex fastu hoc genus vitæ sectati sunt, ut humilitatem & vitam Angelicam amplexi viderentur &c. Dein tepescente pietate ac fervore, in urbes commigrarunt, quod institutum Ambrosius tribuit Eusebio Episcopo Vercellensi, qui ab illo dicitur circa A. C. 36[illegible] primus in Occidente Monasteria in urbes introduxisse. Præcipuam autem in vita *Cœnobitica* ordinanda navarunt operam, in Oriente quarto seculo Basilius: in Occidente duobus seculis post Benedictus; post quem circa decimum seculum in plures familias hic ordo Benedictinorum divisus est, unde plures alii ordines emersere, apud quos non eadem facies mansit. Quantum enim ab hac differt, videre Serapionem sub se habentem decem *Cœnobitarum* millia eosque omnes [illegible] & [illegible] [illegible] Videre in Ægypto ac Oriente quot [illegible] ad Patrem suum audiendum verbumque Dei hauriendum convenientes [illegible] ad tria millia? Videre in [illegible] [illegible] loquente tantum erat silentium, ut [illegible] nemo exscreare auderet [illegible] quo peracto convivium solvebatur. Ea hanc professionem amplectentibus res ma-

nebat integra, habebantque facultatem remigrandi ad suos vel commigrandi quò vellent, si quos instituti tæderet. Jejunia erant libera, nec iisdem omnes adstringebantur legibus; Nec à Pontifice Rom. ordinis approbatio petebatur, nec regularum, [illegible] lorum, colorum, vestium, characterum erat diversitas. Nec Clerici tunc erant, excepto uno Archimandrita, *habebantque non docentium, sed plangentium officium*, Hieron. V. quoque Augustinum *de Opere Monachorum.* Unde ex his *Cœnobiis*, velut jejunii, vigiliarum, precum, beneficentiæ, charitatis, laboris, similiumque virtutum officinis: scholis insuper Studiosorum ac phrontisteriis, ad Rempublicam Ecclesiamque præclarissimi Viri prodierunt. Unica Schola Alexandrina Pantænum, Clementem, Origenem, Tryphonem, Heraclam, Dionysium, Anatolium, [illegible]rium, Theonem, Athanasium, Didymum, Ambrosium, Maximum Philosophum Episc. Constantinopolitanum, aliosque innumeros orbi dedit, Franc. Burmannus *Orat. inaugur. de Collegiis.* V. quoque infrà in *Collegium*, ut & in voce *Monasterium*

Cœnopleurium, suprà *Cœnopleurium.*

Cœnotaphium, meliùs, *Cenotaphium*, Gr. Κενοτάφιον, tumulus dictus est, in honorem [illegible] defuncti, domi extructus. Postquam enim istiusmodi demortui anima solenni ritu ter vocata esset, quod ἀνακαλέσασθαι τὴν ψυχὴν dixere,

—— —— Manes ter voce vocare:

Unde Virgilius *Ecl.* 6.

—— Hylam nautæ quo fonte relictum
Clamassent, ut littus Hyla, Hyla, omne sonaret.

Imaginarium ipsi fecere funus, quod Κενοτάφιον, & ritum Κενοταφεῖν vocavere. Euripides *in Helena vers.* 1561.

Ὃν Τυνδαρὶς παῖς ἥδ' ἀπόντα κενοταφεῖ.
Quem Tyndaris puella hæc absentem imaginario tumulo honorat

Meminit hujus moris Poetæ modò laudati Scholiastes, *in Hecuba*: [illegible], inquiens, [illegible]. *Solitum Græci in viri bene meriti, licèt absentis, honorem, Cenotaphium excitare, ad nominis memoriam immortalitati consecrandam.* Nonnus [illegible] istiusmodi monumentum vocat: Virgilius *Tumulum inanem*, loquens de Ænea. *Æneid. lib.* 6.

—— Tumulum Rhœteo in littore inanem
Constitui.

Ovidius *Sepulchrum inane*, de Progne. *Metam. lib.* 6. *fab.* 8.

—— —— Et inane sepulchrum
Constituit.

Idem honoris exhibuere Athenienses olim, omnibus in mari mortuis: Pythagoræi iis inprimis; *qui à Philosophia sua desciviscent*, tales enim, velut peregre mortuos, judicarunt a patrio loco aberrasse. Eodem honore dignabantur Græci illos, quorum in prælio occisorum cadavera reperiri non poterant: Funebri enim pompâ in locum destinatum gestabatur inane feretrum, & [illegible] lumnis Epitaphiisque vel potiùs *Cenotaphiis* [illegible] extructis memoria defuncti honorabatur. Hinc interum Ovidius *Met. lib.* 11. *fab.* 10.

Et sæpe in tumulis sine corpore nomina legi.

V. Franc. Rosinum *Antiqu. Rom. lib.* 5. *cap.* 17. & hic in voce *Monumentum* &c.

Cœpiscopus apud Paulinum *Epist.* 46. *ad Romanianum*, idem cum *Coadjutore*, V. suprà, ut & in voce *Chorepiscopus*, Namque & hi sic appellari videntur. Car. du Fresne *Glossar.*

Coercere Lucum, V. infrà *Cingere.*

Cœruleus Color, Græcis κυανός, nihil aliud, quàm purpura dilutior & pallidior est, Salmasius *ad Tertullianum de Pallio.* Aliud apud Poetas, pro atro seu nigro. Statius *Thebaid. lib.* 4. *versu* 44[illegible] ubi de Infernalibus sacris,

Tum fera cœruleis intexit cornua sertis:

i. e. nigris, omnia enim in illis Sacris nigra. Idem *in Sylvis*,

Et jam cœrula nox obibat orbem.

Servio verò *proprium cœruleum est nigrum viridi mixtum*, *ad Æneid. lib.* 7. *Ferrugineum* & *cœruleum*, eosdem colores agnoscit Cyrillus Glossographus. Hinc omni rei terribili aut belluæ color [illegible] adscribitur. Statius *Thebaid. lib.* 1. *v.* 561.

—— —— animas ac vertice pandam:
Postquam cœrulei sinuosa volumina monstri,
Terrigenam Pythona ——

Ovidius *Metamorph. lib.* 3.

—— longo caput extulit antro
Cœruleus *Serpens ——*

Valerius Flaccus, *lib.* 3.

— —— pontum pater & turbata reponit
Littora, depellitque Notos, quos cœrulus horror,
Et madidæ graviis unda sinus, longæque jactans
Imber ad Italiæ tenditis simul æquora portæ. &c.

Inprimis mari & rebus marinis: Hinc *Cœruleus*, pro Neptuno, & *Cœruleum agmen*, id est, omnia marina, apud eundem [illegible] um, aliosque Poetas [illegible] [illegible] bitur, cum Ulyssis errores, quos mari inprimis passus est, repræsentarent &c. V. Caspar. Barthium, *animad. versus in Papinium* [illegible]

tiam Part. I. pag. 159. 204. & 292. *Part. II. pag.* 541. 1087. & 1088. *Part. III. pag.* 185. & 1743. De *Caruleo* verò purpura, suprà in *Caruleus*.

Cotes & *Cotus*, Gr. Κώτης & Κῶτυς, libertus Veri Imp. apud Capitolinum: à Marco Imp. sub specie honoris remotus. *Coti* mentio in vet. *Inscr.* V. Salmasium *ad Capitolinum*.

Coenus, fluvius Galliæ, qui Normanniam à Britannia min. Abrincatuos à Dolensibus dividit, & Fulgerias ac Pontem Ursionis alluens, paulo infrà in Oceanum effluit, vulgò *Coësnon*, aut *Coynon*. Ejus meminit Wilhelmus Britto *Philipp. lib.* 8.

——— ——— Abrincas
Finibus à Britonum quos separat unda Coëni.

Hadr. Valesius *Not. Gall.*

Cofferarius, in Fleta *lib.* 2. *cap.* 14. §. 3. Arcarius est, qui *coffra* (uti recentiores dixerunt, ex Cambro Britannico *coffr.*) seu arcas regias servat. Anglis *the Cofferer of the kings houshold*. Magni Oeconomi seu Dispensatoris Regis Contrarotulator, Vicarius, cujus munus est aliis Familiæ Regiæ Officiariis suæ salaria seu stipendia erogare, Steph. Skinnerus *in Etymolog. Angl.*

Cofia, V. infrà *Cuphia*.

Cognati Regis, genus militiæ Persicæ. Curtius *lib.* 3. *cap.* 3. ubi de acie Darii: *Proximi ibant, quos Persæ Immortales vocant — Exiguo intervallo, quos Cognatos Regis appellant, decem & quinque millia hominum. Hæc vero turba muliebriter propemodum culta, luxu magis, quàm decoris armis conspicua erat.* Quo elogio honoris causâ appellati sunt, V. Brissonium *lib.* 1. ubi de convivio *Cognatorum*, quod συγγενικὸν ἄριστον Athenæus appellat. Qui idem *lib.* 3. *cap.* 28. *κ*ασσαλας vocari panem tradit, quo soli *Cognati* vescebantur. Uti *lib.* 1. βασίλειον σκάφος nominat, quæ juxta Casaubonum *cap.* 23. solis Magni Regis generis propriè competebat. Fieri tamen potest, ut hi revera *Cognati Regis* primitus essent & dicerentur; itaque etiam præcipuis honoribus & emolumentis gauderent: Postea verò in eorum nomen & veluti gradum, honoris & virtutis causâ adsciesceretur magnus aliorum numerus, qui dicerentur *Cognati Regis*, non essent. Certe, cùm hic *Cognatorum* honoraria appellatione usus esset Curtius, mox subjicit: *dextra læ vaque Regem ducunt ferme nobilissimi propinquorum comitabantur.* Ex quibus etiam fuisse videntur decem illi Legati, quos *Cognatorum principes* appellat, *lib.* 4. *cap.* 11. *num.* 1.

Cognidium, Papiæ *genus potionis*, apud Ægyptios, vel saltem Alexandrinos, in usu. Ejus meminit Gregorius M. *lib.* 6. *Epist.* 37. *ad Eulogium Episc. Alexandr. Suscepi autem benedictionem S. Evangelistæ Marci, juxta breve vestris Epistolis insertum. Sed quia Collatum ac Jurisdiccum non libenter bibo, præsumens* Cognidium *requiro, quod in hac urbe, post multa tempora, vestra innotescere transacto anno Sanctitas fecit. Nam nos hîc à negotiatoribus nomen* Cognidii *& non substantiam comparamus*, apud du Fresne *Glossario*.

Cognitor, qui causam præsentis defendit: vel qui nosceret alicos, Ascon. Pedianus. V. A. Gellium *lib.* 1. *cap.* 7. Festo est, *qui litem alterius suscipit, coram eo, cui datus est*, & quidem sponte se offerens. Horatius *lib.* 1. *Sat.* 5.

Magna minorve foro si res certabitur olim,
Vivet uter locuples sine gnatis, improbus ultro,
Qui meliorem audax vocet in jus, illius esto
Defensor. ——— ire domum, atq;
Pelliculam curare jube, fi Cognitor ipse.

Hoc discrimine à Procuratore, qui absentis, nec sine mandato, causam alicujus suscipit, distinguebatur. Asconius alibi & Donatus in *Adelphis Terentii* addunt, potissimùm, *in causa status, quum quis patitur controversiam, an sit è civibus.* At interdum à Prætore dabatur: Nam à *Verre lib. in eum.* 2. *datum* Schenio absenti *Cognitorem*, scribit Cicero. Ovidio,

— ——— Duro cognitor ore,

Lælius dicitur. Cic. *pro Cæcina*, *Mulierum adsectatoris, cognitoris viduarum, defensoris nimiùm litigiosi, conciti ad rixam.* Idem *pro Roscio. Quis interest*, inquit, *inter eum, qui per se litigat, & qui* Cognitor *est datus? Qui per se litem contestatur, sibi soli petit, alteri nemo potest, nisi qui* Cognitor *est factus.* Livius *lib.* 39. elegantissime. *Ne suas quidem simultates pro Magistratu exercere boni exempli esse; alienarum vero simultatum tribunum plebis Cognitorem fieri, turpe & indignum Collegii ejus potestate & sacratis legibus esse.* Ab hac significatione sumtum est, ut Delatores, & Quadruplatores & Εὐθυνοι honestiore vocabulo dicerentur *Cognitores*, tanquam qui causas Ærarii ac Fisci, atque ita Populi & Principis, susciperent sponte accurrentes, cujus operæ pretium partes de proscriptorum bonis consequebantur: Et quia huic lucro adjungebant ex illis plurimi, ut & ab hasta, quam erexerant, emerent, ideo persæpe iidem *Cognitores*, qui Sectores: quod etsi non facerent, tamen erant cognati & socii participesque manubiarum & lucri ex aliena calamitate. Suntque hi propriè, *quos hasta Prætoris infami lucro & quandoque suppuratum exercebat*, ut loquitur Seneca *de brevitate vitæ cap.* 11. V. Joh. Freder. Gronovium *de Pecunia vet. lib.* 4. *cap.* 3.

Cognitor in Conciliis dicebatur, qui quod ad pacem & concordiam inter congregatos Patres spectaret, curæ habebat, Marro in *Chronica* qui retractandis & recognoscendis Episcoporum sententiis, datâ occasione, mittebatur, du Fresne in *Glossar.* ubi hanc in rem laudat Morinum *de Exercitat. Ecclesiast. lib.* 1. *cap.* 20. Cujusmodi Ministros Ἐκγνώμονας vocat Concilium Sardicense *can.* 3.

Coga, apud recentiores, navigii genus, V. Thom. Walsinghamum, Vinc. Belvacensem, Jac. Vitriacensem, passim. A voce Gall. *Coque*, i. *Concha* seu testa, quòd ejusmodi navigia concharum formam referrent, Spelmann. Certè ab ejusmodi navium figura vel usu, currus Gallorum publicos viminibusque contextos, appellationem accepisse, probabile est, inquit du Fresne: vel quòd non ut hodiè in longum porrecti, sed rotundi quodammodo essent: vel quia, ut *Cogones* ad transvehendos itinerantes, ita & currus istiusmodi publici potissimùm addicti essent. Sed alia de voce Gall. *Coche* commentantur Lud. la Cerda *in Adversariis cap.* 115. *num.* 12. & Menagius in *Orig. Gall.*

Cohibentia Sacerdotum, in *Præfat.* Concilii Francofurtensis, à Carolo M. habiti, occurrit. Cujus Operis summa huc redit: Neque probandum esse rigorem illius Synodi sub Constantino V. celebratæ, quæ Imagines in historicum usum positas prorsus abolendas censuit, & multo magis rejiciendam esse Synodi sub Irene habitæ impudentiam, in adoratione imaginum. Paucis enim rejectâ priore Synodo, *in Præfat.* reliquum opus in quatuor libros distinctum prolixè impendit refutationi posterioris in Bithynia celebratæ: contra quam Carolus ait, se opus hoc aggressum esse, *cum cohibentia Sacerdotum in Regno à Deo sibi concesso, Catholicis gregibus prælatorum, non arrogantiæ supercilio, sed zelo Dei & veritatis studio.* Ubi *Cohibentia*, est unanimis consensus. An quasi *Conniventia*, à *connivendo*, pro quo *cohives* & *cohibeo*, nonnullos dixisse, Salmasius docet *ad Solinum pag.* 874. Sed & in *Glossar. cohibet*, καμμύει, μύει, συνέχει. & *cohibentia*, μύησις, συνοχὴ &c.

Cohors, αὐλὴ est, qui plurima ædificia continentur. Varro, *Cohors, quòd, ut in villa ex pluribus tectis conjungitur ac quiddam fit unum, sic hæc ex manipulis copulatur Cohors.* Unde & *cohortem* pro villa dixere. Addit, à *coercendo* dictam. Sed aliter Salmasius: Ex voce, inquit, Græca χόρτος, facta est Latina *Hortus*, quo nomine Villam Vett. appellabant, ut videre est apud Plinium *lib.* 19. *cap.* 4. Hinc *Cohortem* dixere, aream cum horto, id est, cum villa junctam. Nam *Cohortes* propriè, areæ muro & ædificiis cinctæ, ad villam adjunctæ, eæque duplices, *Exterior* ac *Interior*, ut Gallis hodieque, quam *altam* & *bassam curtem* vocant; *cohortes* enim postea *cortes* & *curtes*. V. ibi. Plura vero ædificia cum horto juncta sic dicebantur, & σύγχορτα. Erant autem rotundæ hujusmodi in villa cohortes: à qua rotunditatis forma, certus numerus militum in legione *Cohortis* nomen accepit, ut mox dicemus. Quemadmodum Græci ab eadem ratione σπεῖρας vocarunt, quæ Latinis *Cohortes*. Hæc namque confertæ multitudinis natura est, ut in circulum se stipet & in orbem conglobet. *Cohortibus* porro villarum simi ia fuisse, quoad figuram, *Mapalia* Pœnorum, ait Cato: quæ Salustius ædificia fuisse oblonga lateribus incurvis, quasi navium carinas, adeoque ovalis figuræ, scribit. *Attegias* vocavit Juvenalis, Sosipater Καλύβας, quod idem est. V. Salmasium *ad Solinum pag.* 310. & 311. E villis ad castra vox transiit, uti dictum. Fuit autem *Cohors* ex majoribus legionis partibus: quemadmodum enim equestres copiæ in Turmas & Decurias, ita pedestres in *Cohortes* & Centurias erant divisæ. Et quidem erant Rosino in justa Legione *Cohortes* decem, quarum quælibet tres manipulos, manipulus duas militum centurias continebat: Sic *Cohors* sexcentis militibus constiterit. Salmasius verò illas quingenarias facit, h. e. hominum quingentorum, *ad Solinum p.* 717. Illarum prima reliquas & numero militum & dignitate præcessit, utpote Aquilæ custos & Imperatorum imaginibus insignis. V. Modestum ac Vegetium. A C. Mario *Cohortes* primùm institutas volunt Eruditi, eo quòd nulla earum apud Livium mentio. *Cohors milliaria* dicta est prima, Legionis totius caput: *Pilata*, à pilis, telorum genere Romanis usitato nomen habuit: *Prætoria*, dicta est militum Prætorianorum, quos in corporis seu tentorii sui custodiam Prætor elegit. V. Joh. Rosinum *Antiqq. Rom. lib.* 10. *cap.* 5. Sed & *Cohors* in Theatro locum habuit: Uti enim per cuneos disposuit Cæsar, quos *Præfectos ordinum* appellabat, qui excitarent de sede, quam quis contra Legem occupasset: ita ad seditiones & rixas cohibendas, statio *Cohortis* erat in Theatro à Principibus posita: quam Nero postmodum ad speciem libertatis sustulit. Ante Principum verò imperia, ei muneri præpositi fuerant Lictores atque Viatores: quos in eodem officio apud Græcos, Ῥαβδούχους appellatos novimus. J. C. Scaliger *Poetices lib.* 1. *cap.* 21. Tandem pro quacunque hominum congregatione, apud probatos Auctores, vox accipi cœpit; Unde *Cohors Pythagora*, apud A. Gellium *lib.* 1. *cap.* 9. *Socratis*, apud eundem *lib.* 2. *cap.* 18. &c. pro Collegio discipulorum, ut clarius patet, ex eodem *lib.* 13. *cap.* 5. *Aristoteles Philosophus annos jam fere natus duo & sexaginta, corpore ægro affectoque ac spe vitæ tenui fuit. Tunc omnis ejus sectatorum cohors ad eum accedit* &c.

Cohortalini & *Cohortales*, inter Ostensionales Milites Casaubono *ad Lampridium in Alexandro Severo*: dicti primùm sunt Officiales Præfecti Prætorio Carolo du Fresne ex *L.* 1. *Cod. Theodos. de Cohortal.*

Cohortal. & *L.* 4. *eod. Cod. de divers. Offic.* Postmodum Rectorum Provinciarum Officiales, ex *L. ult. de Cohort.* ubi *Apparitores cohortales*: *l.* 1. hoc tit. ubi *Cohortalis militia*, dicuntur & *l.* 26. 28. *hoc tit.* de quibus plenè *eodem tit.* Καρταλίνοι eos vocat Marcianus Imp. *in Edicto c. Eutychem part.* 3. Concilium Chalcedon. *cap.* 2. Ὑπερασπισταὶ τῆς κόρτης, *Defensores curtis*, Auctor *Vitæ* S. Georgii Episcopi Amastreni *num.* 29. Chlamydem iis, utpote militibus, tribuit Paulinus *Epist.* 7. *ad Severum*: qui illorum nomen inde arcessit, quòd in *Curti*, h. e. Prætorio vel Palatio militarent. Præerat iis Κόμης τῆς κόρτης, *Comes Curtis*, de qua Glossæ Basilicôn in voce Δομέστικος. V. du Fresne in *Gloss.* ut in voce *Curtis*.

Cohua, porticus nundinaria: item Forum ipsum placitorum, apud rerum Gallicarum Scriptores: Gall. *Halle*. In cujusmodi porticibus quòd ut plurimum Judices pedanei judicia sua exerceant, factum est, ut in plerisque Normanniæ, & Pictonum vicinarumque regionum municipiis, Judicum Auditoria *Cohuæ* vocentur. Nominis origo à voce *Chaos*: est enim *Cohua*, indiscreta hominum & promiscua multitudo. Car. du Fresne *Glossar.*

Coinquere, propriè dicebatur in sacris sylvis, vetusto ad hanc rem verbo; quod Festus *deputare*, & Cato in precatione sacrificii, quod fieri solebat ad conlucandas arbores sacras, *coërcere*. Ita autem illa habet apud Plinium *lib.* 17. *cap. ult. Si Deus, si Dea es, cujum illud sacrum est, uti tibi jus fiet porro piaculo facere, illius ve sacri coërcendi ergò.* Idem nempe quod *conlucare* est, h. e. non penitus succidere, quod Græci ἀνακαθαίρειν dicunt, sed frondes superfluas, ab afflatu aut à Sole obstantes ac lumini etiam officientes, deputare & decidere, quod in sylvis sacris seu lucis non fiebat, nisi sacrificio priùs facto; tantum abest, ut totos everti ac succidi fas esset. Ovidius.

Seu mea falx ramo lucum spoliavit opaco,
Unde data est teneræ fiscina frondis ovi.

Incædui namque prorsus luci erant, nec ramum aut frondem fas erat inde decidere, nisi facto sacrificio, facinus istud expiarent: ut totus verò lucus exscinderetur nullo piaculo poterat fieri satis, quo tantum scelus purgaretur. Hinc coërcendi tantùm sacri nemoris venia precatione hac petita, quòd *Coinquere* dicebatur, item *quinquere*, quod *purgare* exponit Sosipater. Sed falsò; Propriâ enim sui notione contrarium planè significat hoc verbum: viz. *contaminare, violare, impurum facere*; quemadmodum ... inde *coinquinare*, quod *contaminare*, violare & impurum facere itidem denotat. Interim reapse & effectu idem *coinquere*, quod *deputare* vel *purgare* est, licèt contrariam significationem habeat. Quod enim in profanis arboribus & silvis *putare* dicebant & *purgare*, hoc in religiosis & sacris arboribus *coinquere*, i contaminare, vocabatur. Quippe cùm nihil omnino ex his liceret amputari, aut recidi, quæ religione sacræ & intactæ essent, si quando ferro tangerentur, piaculum committebatur, ideoque non erat permissum eas conculcare, nisi piaculari sacro priùs facto, ei Deo sive Deæ, cui sacræ haberentur. Sed & necesse aliquando fuit, totas arbores in lucis succidere, quando nempe fulguritæ erant, quæ & ipsæ *coinqui* dicebantur, uti patet ex vet. *Inscr. Earumque arborum adolefactarum & coinquendarū & in eo luco alia fint repositæ &c.* Quam in rem V. plura apud Salmasium *ad Solinum pag.* 585.

Cointisæ, vox Gallica *Cointises*, apud Matth. Parisium *A.C.* 1252. *Allii enim milites & ampliùs vestiti serico, ut vulgariter loquamur,* Cointises, *in nuptiis ex parte Regis apparuerunt.* Vestes sunt elegantiores & tenuiores, ut saga militaria ex serico vel panno subtiliore & vittæ tenuiores aut lemnisci, quibus cassides, hastæ & equi ipsi exornabantur. Galli enim *cointes* dicebant cultos, ornatos, elegantes, *Compti*, unde vocis origo. C. du Fresne *Glossar.* & Dominic. Macer in *Hierolexico*

Coix, Græcè κοῒξ, item ἄρον, unde Lat. *aro*, de qua voce diximus, sporta vel fiscina est, quâ aliquid tollitur, & fertur. Hæc sporta Græcis σπυρίδιον vocavit. Hesychius interpretatur ... ; unde & *phormio* apud Donatum, *ab hujusmodi phormione sparteo.* Nanque & κοῒξ Græ... *fiscus sparteus.* Est autem κοῒξ, vox Attica, pro qua κοὶς dicebant Dores. Epicharmus,

Ἡ βόλακας δέουσ', ἢ κοῒς φέρων,
Ἠ καρυκίδα.

Origo illi, non quòd ex *Coice* Æthiopico, de quo mox, texerentur, unde eam *Coicem* illi media Græcia, sed à verbo antiquo Græco κοέω, quod *cavitatem* significat. Inde Latinum *covum* pro cælo, & hinc κοῒς, vas sparteum & concavum, pro quo alii κοῒξ dixere. Antiqui Comici de phormione vel sporta usurparunt passim. Pherecrates Κραπάταλοις,

——— ... δ' αὐτῷ ...
... κοΐκα.

Antiphanes,

——— ——— ... ἀλφίτων
Κοῒξ ..., &c.

Sed & genus palmarum Æthiopicarum *coices* appellatæ fuere. Plinius *lib.* 13. *cap.* 4. *In ipsa quidem Æthiopia fricatur hæc* (palma simula sc.) *tanta est siccitas, & farinæ modò spissatur in panem, gignitur autem in frutice ramis cubitalibus, folio latiore, pomo rotundo, sed majore, quàm mali amplitudine,* Coëcas *vocant.* id est, *κόϊκας.* His κόϊκι, planta Ægyptiaca, non absimilis, è cujus foliis & cortice etiam sportæ vel phormiones texebantur, κόϊκι dictæ; unde κόϊκινα πλέγματα Straboni, *lib.* 17. Mentio quoque apud Plinium *lib.* 12. *cap.* 9. *At è diverso cuci in magno honore, palmæ similis quando & ejus foliis utuntur.* V. Salmasium *ad Solinum pag.* 317.

Colaphi Judæorum, ignominiæ genus, quo Judæi olim in Urbibus Christianorum passim afficiebantur, ut idem, quod Domino nostro fecerunt, ipsi paterentur, aut exsoluto tributo hanc molestiam redimerent: cujus *colaphizationis* originem pluribus indicat Auctor *Vitæ* S. Theodardi Archiep. Narbon. apud Catellum *Rerum Occitanic. lib.* 3. ubi inter alia *Chartam* quoque exhibet Amelii Episc. Tolosani, in qua ista habentur: *Leddam etiam, quam à festivitate omnium Sanctorum ad Festum B. Saturnini — pro* Colapho Judæorum *datam injustè Canonicis auferebat, absolvo, reddo, dimitto Clericis S. Saturnini præsentibus & futuris.* Apud eundem remittit Guilielmus Episc. Biterrensis A. C. 1160. Judæis in urbe Biterris commorantibus, *illum impetum & insultum & lapidationis bellum*, quod incolæ Judæis facere solebant, *à prima hora diei Sabbathi ante Ramos palmarum, usque ad extremam horam secundæ feriæ post Pascha, die vel nocte*, pro ducentis solidis Melgorensibus, quos à Judæis accepisse se fatetur, &c. Car. du Fresne *Glossar.*

Colaphus, V. suprà *Alapa.*

Colatorii Equi, seu *Colatarii*, item *Coltarii*, ut alii legunt, memorati Vegetio, *Inter colatorios enim & eos, quos guttonarios vulgus appellat, ambulatura eorum media est* Salmasio iidem sunt, cum iis quos Græci ... vel ... vocant. Eleganter nempe ... dicebantur asturcones & tolutares equi, quorum gradus in ambulando perinde minutus ac creber, quasi saccolatus esset & eliquatus: liquores enim per saccum dum exprimuntur, crebris & minutis guttis eunt. Cui haud absimili, imò prorsus eadem metaphorâ, de minutissimo & spississimo gradu dixit Plautus, cum *succretum esse cribro pollinario.* Hos autem *Colatorios* à guttonariis distinguit Vegetius, qui iidem cum trepidariis, & ipsi quidem minuto gradu incedunt, sed non tam minutim succreto colatoque, quàm asturcones. V. Salmasium *ad Capitolinum in Maximinis duobus*, & infrà, ubi de *Trepidariis*, alibique passim.

Colatorium, V. infrà *Colum.*

Colax, apud Raymundum Agilæum, de Arce Antiochena: *In colle autem Septentrionali Castellum quoddam est & in medio colle castellum aliud, quod Græca linguâ* colax *vocatur*, Acropolis est, castellum, arx, Græcis Barbaris, hoc enim Raymundus intelligit Κουλᾶς: Sic enim prædictam arcem vocat Anna Comnena *Alexiadas lib.* 11. ut & Scylitzes in *Nicephoro Phoca.* An à Latino *Colle*, quia in editioribus locis arces exstrui solitæ? An Saracenorum vox fuit: nam hodieque Heptapyrgium CP. *Heptagulaces* seu ἑπταγουλάδες, voce hybridâ seu semiturcicâ appellant: ubi per *Gulades*, turres innuuntur, unde & *Gulæ* Africanæ nomen? id & hæc vox *Gula* seu *Cula* Latinam habuerit originem, à *collo* fortè; quod vocabulum, pro jugo montis, etiamnum notum est, in Alpibus & Pyrenæis. V. du Fresne *Not. ad Annam Comnenam* & in *Glossar.* in vocibus *Colax*, item *Coratum.*

Colca, vulgò *Conches*, locus Galliæ in Lingonibus, ad Oscaram fluv. haud procul Divione Lingonum castro, ad eundem amnem, Hadr. Valesius *Not. Gall.* in voce *Arar.*

Colcas, vel *Culcas*, hodie Ægyptiis dicitur, nobilissima & regioni illi maximè familiaris planta, quam Vett. *Colocasiam* dixere, de qua V. infra.

Colche, inter Oceani Orientalis oppida & Indica, apud Æthicum *in Cosmogr. Sigoton*, *Palibothra*. *Alexandropolis*, *Adlendita*, Colche, *Patale* uti in duobus antiquissimis Regiæ Bibliothecæ codicibus scriptum. At in alio longè vetustissimo Thuanæo, qui sub nomine *Julii Oratoris* eadem omnia habet, pro *Colche* scriptum *Colice*, hoc modo,

Palibothra	*oppidum.*
Alexandropolis	*oppidum.*
Sallendites	*oppidum.*
Colice	*oppidum.*
Patale	*oppidum.*

Ubi Colice est Κωλική, vel Κωλικοί: quæ postea Κόλχοι. Auctor *Peripli*, Κόλχοι πόλις, hodie *Cochinum*, quod vide, ut & in voce *Colchi.* Incolæ Κωλιακοί olim & Σαλικοί, qui postea *Colchi*, cognomine *Indorum*, à Caucaseis Colchis distincti. Ab iis nomen accepit promontorium, circa quod habitabant, *Coliacum* dictum, Græcè Κωλιὰς & Κωλὶς, Dionysio & Melæ, Κωλιὰς ἄκρα, & Κωλιὰς ... Dionysio, in descr. Insularum,

Κεῖθεν δ' ἂν προφέρεις ... ἐπ' ...
Αἴψά κε Κωλιάδος μεγάλης ἐπὶ ...
Μακρὴν Ταπροβάνης Ἀσιηγενέων ἐλεφάντων.

Et alibi,

——— ——— ἐπὶ Γαγγήτιδα χεῦμα
Πρὸς ... ἄκρην,
Ἣ δ' ἐπὶ ... Ὠκεανοῖο ...
Ἠ ...

Quos posteriores versus Festus Avienus sic reddit.

Nec minus hi campos inarant Gangeidas oras,
Qua per flabra Noti fuso distenditur agro,
Usq; in celsa patens confinia Colidis arcis.

Promontorium nempe hoc est Indiæ intra Gangem maximè meridionale, cui ex adverso respondet Septentrionale, prom. Insulæ Taprobanes, quod Βόρειον Græci dixere. Plinius de Taprobanes altero latere: *Aversum ad Septentriones Indiamq; versum Cydara nomine. Proximum esse Indiæ promontorium, quod vocetur* Coliacum, *quatriduo navigatione* &c. V. hanc in rem plura apud Salmasium *ad Solinum pag.* 1114. & 1115. & infrà in voce *Coliaci.*

Colchicon, Græcè Κολχικὸν, genus bulbi veneniati, in *Colchide* frequentis. Dioscorides, Κολχικὸν, οἱ δὲ ἐφήμερον, οἱ δὲ βολβὸν ἄγριον: & in Proœmio lib. 6. Ἐφήμερον, ὃ ἔνιοι Κολχικὸν, διὰ τὸ Κολχίδι γίνεσθαι. Ubi quod *ephemerum* quoque dictum ait, de ephemero venenato capiendum est: aliud enim est ephemerum, quod inter Medicas herbas ab eodem, ut & Plinio, reponitur. Idem verò Κολχικὸν, [illegible], quoque appellatum est. Caustica ei vis & quidem tanta, ut eodem die jugularet, hinc [illegible] Μηδείης Κολχίδος dictum Nicandro: non quòd idem esset cum oleo Medico seu Medeæ, naphtha viz. sed quia Medea, quæ ex hac regione oriunda erat, hoc veneno sæpe usa fuit, ut quæ omnium venenorum, patrii inprimis, notitiam eximiam habebat. Meminit *Colchorum venenorum*, Ovidius *de Arte Amandi lib.* 2.

Non facient, ut vivat amor Medeides herbæ,
Mixtaq; cum Magicis Colcha *venena sonis.*

Traditque Lucanus, totidem ut, tales herbas in Thessalia Medeam ostendisse, quas non advexisset e patria Colcho, *lib.* 6. *versu* 442.

—— —— *terris hospita Colchos*
Legit in Æmoniis, quas non advexerat, herbas.

Legebantur autem in locis abditis, unde de hujusmodi venenis loquens Statius, *Thebaid. lib.* 9 *Secreta antra* dicit, ; sicut Plinius *magnarum* Colchidos *fœminarum* mentionem facit, *lib.* 8. *cap.* 10. Hinc & fanum sententiæ Hecates, in secretis ibi locis fuisse, docet Ovidius *Metamorph lib.* 7. Quam verò Colchides fœminæ veneficiis ac incantationibus fuerint infames, notissima Argonauticis & Tragicis Scriptoribus cantilena est. V. plura de *Colchico* speciatim sic dicto, apud Plinium *lib.* 28 *cap.* 9. Salmasium *ad Solinum pag.* 242. & 243. Alios: adde Casp. Barthium *Animadvers. ad Statium d. l.*

Coldunum, vulgò *Coudun*, locus Galliæ in Bellovacis, Hadr. Valesius in voce *Bellovaci.*

Colentes, appellabantur, qui ab Idololatria ad Judaismum transibant, Beda in *Acta cap.* 13. *versu* 43. laudatus Macro in *Hierolexico.*

Colephia, Græcè Κωλῆπα, item κωλῆνες, cibus athletarum. Juvenalis,

—— *Comedunt* colephia *pauca.*

h. e. pauca pugilatum & Athleticam exercent. Martialis de Muliere pugile *lib.* 7. *Epigr.* 67.

Et colephia *sexdecim comedit.*

Vox diminut. est à κωλῆ: interpretatur autem κωλῆνα Suidas, [illegible]: nempe partes illas animalium ad victum assumebant Athletæ, quæ minimum succi & pinguedinis habent, quæque maximè aridæ sunt & siccæ, cujusmodi sunt pedes bubuli & suilli acrocolia, κωλῆπα & κωλῆνες Græcis. V. suprà in voce *Arias sagittatis.*

Coliaci, in Pralia gente & totius Indiæ intra Gangem maximè Meridionales, Græcè hinc [illegible] dicti Straboni, promuntorio *Coliaco*, circum quod habitabant, nomen dedere. Disterminabat autem hoc prom. duos sinus, Colchicum & Argolicum, & sequenti tempore Κῶρυ appellatum est. Marcianus Heracleota, [illegible] Κῶρυ [illegible], τὸ τῆς Ταπροβάνης [illegible] Βόρειον, *Promontorio Indiæ, dicto Cory, oppositum est Taprobanes Insulæ promontorium, Boreum appellatum.* V. suprà in voce *Colchi.*

Colidei, V. *Culdei.*

Colimpha, apud Hieronymum. *Ajunt enim in ipsas* colimphas *ipsum Alexandrum intrasse & profundum conscendisse & usq; ad limum, ut sciret Oceani profunditatem & differentiam maris & abyssi*: quasi *Colymba*, à Græco verbo κολυμβᾶν, *natare*; navicula est urinatoria, in quâ qui foret, etiam aquis obruta, non indigeret lumine, quia speculi electrini vel vitrei beneficio pellucebat. Vossius *ad h. l.*

Colis, apud Melam, *ab Indo ad Gangem Palibothri: à Gange, ad* Colida *Nisi*, Græcè Κωλὶς & Κωλιὰς: prom. est Indiæ intra Gangem [illegible] seu maximè Meridionale; cujus quoq; Festus Avienus meminit,

Colis & ipsa dehinc celsi vergit in æquor
Oceani, [illegible] subit ætheris auras,
Arcem allisus subtuncta rupe vocatam.

Idem cum prom. *Coliaco*, de quo suprà in voce *Colchi*, item *Coliaci.*

Colisæum, seu *Colossæum*, Amphitheatrum Titi Romæ dicitur, de quo vaticinium B. *Bedæ in Excerptis* seu *Collectaneis* ejus tale extat: *Quamdiu stabit* Colyseus, *stabit & Roma; quando cadet* Colyseus, *cadet & Roma: quando cadet Roma, cadet & Mundus.* Stetisse in hoc loco imaginem Romæ, tenentis pomum aureum, & circa eam imagines provinciarum Romano Imperio subditarum; quoties provincia aliqua defectionem moliebatur, imaginem ejus insurrexisse contra imaginem Romæ eique dorsum obvertisse, nugatur Ugutio, apud Car. du Fresne in *Glossario.* V. quoq; ubi de *Pyramidibus.*

Colium, in vet. *Inscr.* apud Tertullianum *de Spect. Et nunc ara Conso illi in Circo defossa est, ad primas metas sub terra cum inscriptione ejusmodi*. CONSUS CONSILIO, MARS DUELLO, LARES COLIO POTENTES; uti legit Salmasius, pro COMITIO, quod vulgò habetur, *domus* est seu *habitaculum.* Lares enim domuum præsides fuere habiti, unde & *Familiares* & *Domestici* cognominati sunt. Glossæ, *Lares*, [illegible]. Nempe *colere*, Antiqui absolutè dixerunt, pro habitare. A. Gellius, *Sauromatas, qui ultra fluvium longè colunt.* Et Varro, *ædes possideo & colo.* Unde *coligo*, apud Arnobium, pro domo *lib.* 2. *In penetralibus coliginis perpetuos fovetis focos.* Et *Colium*, pro eodem. *Lares* igitur *colio potentes* sunt lares familiares ac domestici. V. Salmasium *ad Solinum pag.* 913. & 914.

Collactanei, qui unam habuere Nutricem, quod *eandem Nutricem simul habere*, vocat Appulejus *Metamorph. lib.* 2. memorantur B. Hieronymo *ad Fur. Nec Procurator calamistratus, nec* Collactaneus *formosus, nec candidatus & rubicundus assecla adhæreat lateri tuo.* In vett. monumentis *Collactei* & *Colactii* appellantur. Parmæ descripsit Pignorius,

D. M.
KALOCERUS
PUBLICUS
ELÆNO
COLACTIO
B. M.

Collactius habes apud Gruterum *Inscr. pag.* DCLXI. Romæ in hortis Cyriaci Matthei, legitur:

COMMUNIO VERNA
ANTONIÆ AUGUSTÆ
V. A. II. MENS. X.
COLLACTEUS DRUSI
BLANDI F.

Ibidem apud Lapicidas D. Petri, ex Grutero, *pag.* MCXIX. *Collactaneam* legas,

D. M.
P. ÆLI. PASTO
RIS. VOLUSIA
L. F. SALVIANÆ
COLLACTA
NEO &c.

Juvenalis & Marcianus Capella *Collactea* admittit: hic quidem *lib.* 1. *Sed quòd sororis ejus* Collactea *& indiscreta amica foedere videretur.* Ille verò *Sat.* 6. *versu* 306.

Tullia quid dicat nota Collactea *Mauræ* &c.

De cujusmodi ministeriis an Ulpianus intellexerit *leg.* 27. §. 2. *ff. de usufr. Si servi* inquiens, *ususfructus legatus est, cujus testator quasi ministeriis vacuo utebatur* &c. disquiritur: Alumni certè ac *Collactanei* quasi ministrare dici poterant. Et hujus demum generis ministeria, longè post abolitos omnino servos, diu perseveraverunt, unde licet servi Bartoli JC. ætate penitus desiissent, V. eum *ad Leg. Hostes, de capt. & postl. rev.* citatum a Genebrardo A. C. 1316. *Collactanei* tamen in usu erant, quod patet ex P. Paulo Vergerio, ubi de Ubertini cujusdam servo hæreditario Longetto elegantem refert historiam, ut videre est apud Laur. Pignorium *Comm. de Servis*, cum hoc Vergerii scriptum adhuc ineditum sit. V. quoque de *Collactaneis* Thom. Bartholinum *de Puerp. Vet.*

Collare, Gr. [illegible], armaturæ species, quâ sc. *collum* militis tegitur, Gall. *Collier*, Guil. Britto *Philippidos lib.* 11. V. quoq; infrà ubi de *Inscriptis* & *Stigmaticis.*

Collaterii, apud Vitalem Episc. Oscensem, *Fuerunt etiam quidam, Villani, qui* Collaterii *dicebantur, qui tam crudeli erant subditi servituti, ut etiam inter filios dominorum suorum ducerentur gladio dividendi*: Anglis & Gallis *Cotarii Cotiers, Gens de Cote*, sic dicti videntur: quod *tallais*, h. e. tributis, essent obnoxii. V. du Fresne *Glossar.*

Collatio, apud Honorium Augustodun. *lib.* 2. *cap.* 63. Durandum *in Rationali lib.* 5. *cap.* 9. §. 11. Haeftenum *Disquisition. Monastic. lib.* 9. *tract.* 5. Alios, dicitur sacrorum Librorum lectio apud Monachos præsertim, quæ statis horis, maximè post cœnam, coram iis fiebat. Quasi Collocutio seu Confabulatio, inquit Smaragdus *in Regula cap* 42. *quòd de Scripturis divinis aliis conferentibus interrogationes conferant alii congruas responsiones, & sic quæ diu latuerant occulta, conferentibus patefiunt perspicua.* Cujus sacri ritus originem aperit Honorius *l. c. Quòd Religiosi ad* Collationem *conveniunt, hoc à sanctis Patribus acceperunt, qui in Vesperis solebant convenire & de Scripturis insimul conferre, &, quæ ipsi tunc invicem contulerint,* Collationes *dicebantur* &c. A' *Collatione Scripturæ*, itum est progressu temporis *ad Collationem Patrum*, ad quam tribus in hebdomade vicibus, post celebratam Tertiam, dato signo, conveniri consuevisse, legas in *Regula* S. Isidori *cap.* 8. Quia verò à *Collationibus* hujusmodi Monasticis surgentes ad bibitionem se accingebant,

bant, hinc ſerotinæ cœnæ *Collationum* appellationem videntur ſortitæ. Udalricus *Conſuetudinum Cluniac. lib.* 1. *cap.* 13. *De collatione ſurgunt ad Charitatem, & de vino, quod tunc propinatur, nullus omnino præſumit abſtinere; ut non aliquantulum guſtet.* Quomodo porro *Collationes* fierent, docet *Liber Uſuum* Ordinis Ciſtercienſis *cap.* 81. Scripſere ejusmodi *Collationes* Caſſianus & Odo Cluniac. laudati Carolo du Freſne, quem vide in *Gloſſario*, in vocibus *Collatio*, item *Collecta*.

Collecta, vox citerioris ævi, variè ſumitur. Collatam in commune pecuniam ſignificat, apud Ottonem Friſing. *de Geſtis Friderici Imp. lib.* 2. *cap.* 11. aliisque; in ſpecie, Eleemoſynarum collectionem, apud Leonem M. *Homil. de Collectis*: Item Conventum, Gall. *Aſſemblée*, apud Anaſtaſium Biblioth. in *Vita* S. Joannis Eleemoſynarii *num.* 68. Inprimis populi, ad reſiſtendum vimque faciendam, coacti armatique, in *Capitulis* Ludovici Imp. *cap.* 78. Caroli C. *tit.* 12. *cap.* 3. alibi. In Eccleſia Romana, ſic vocatur Miſſæ, ut ajunt, ſacrificium, ad quod populus coit, & colligitur, *σύναξις*; imò & quodvis aliud officium Eccleſiaſticum: vocaturque *Major Collecta*, cùm omnes Fratres ſimul congregati officium divinum perſolvunt in Oratorio: *Minor*, quæ in ſingulis claſſibus ſeu domibus, à Fratribus ejusdem claſſis ſeu domus, in ipſis domibus fit. Porro, Oratio, quam is, qui Clero vel Monachis præeſt, finito & expleto quolibet Canonico officio, velut omnium adſtantium vota & preces in unum colligens, publice & clarâ voce recitat, apud Rupertum *de divin. Offic. lib.* 1. *cap* 10. Alcuinum, Alios. Hinc *Collecta*, in *libro Sacram.* S. Gregorii, ad 4. Non. Febr. ubi inſcriptio eſt, *ad Collectam*; oratio eſt ante Miſſam dici ſolita, juxta ſententiam Caroli du Freſne: cenſente Baronio, Miſſam eo die ſic vocari, quòd tunc eleemoſynas colligi publicè mos. Hujusmodi autem *Collectas*, Græcis *συναπτάς*, à Gelaſio & Gregorio M. compoſitas eſſe, auctor eſt Berno Augienſis *de Miſſa cap* 1. &c. V. hanc in rem plura, apud præfatum du Freſne in *Gloſſar.* inprimis verò, apud Macros Fratres in *Hierolexico*. In *Vitis* Abbatum S. Albani, *Diebus verò & profeſtis diebus omnes Horas, exceptis Primâ & Completorio, per* magiſtram Collectam, *quam tempus & hora exegerint, terminari ſtatuit. In Quadrageſima tamen dicatur Collecta ad Veſperas*: *Collecta* Magiſtra, Watſio dicitur, quæ diei aut feſti eſt propria. V. ſuprà. Inde *Collectaneum* & *Collectarium*, liber Eccleſiaſticus, *Collectas*, ad quodvis officium pertinentes, continens, apud Udalricum præfatum *lib.* 1. *cap.* 31. *Collectarii* verò apud Acronem in *Horat.* & Symmachum *lib.* 10. *Epiſt.* 49. iidem, qui *Coactores* ſunt, qui ſc. mercede conducti, ab Argentariis ſive Menſariis. rerum, quæ ſub haſta vendebantur, præfecti, pecunias ab his, quibus quid addictum fuerat, cogebant colligebantque &c.

Collectio Canonum, quando inſtitui cœperit, & quibus auctibus percreverit, V. ſuprà ubi de *Canonibus* & *Canonico Jure*.

Collector, V. infrà *Proſecutor*. At *Collectores* apud Baronium ad *A. C.* 397. *num.* 65. Exactores ſunt, qui a Pontifice Rom. ad vindicandas ex bonis Eccleſiæ partas ac male congeſtas opes, per provincias mittebantur, ut vult du Freſne in *Gloſſar.*

Collectus Infans, pro expoſito, in *Canonib.* Hibern. *lib* 41. *Gloſſ. vet.* Lat. *Collectitius*, [illegible] *Colligi* nempe dicebantur infantes expoſiti, cùm ab aliquo nutriendi ſuſciperentur: tum enim illius erant, qui eos collegerat, niſi intra 10. dies quæſiti agnitique eſſent, ut eſt in Synodo Arelatenſi II. *can.* 22. Vaſenſi, ſub Leone I. *can.* 10. & in *Capitulis* Caroli M. *lib.* 6. *cap.* 142. V. Jac. Gothofredum *ad Cod. Juſtin. & Theodoſ. tit. de Expoſitis*. Hinc *Collectionis Epiſtola* in vett. Formulis, Diploma eſt, quod dabatur illi, qui infantem expoſitum, ad oſtia Eccleſiæ, & à Matricularis collectum, certo pretio ab iisdem emerat, ſecundùm Legem Romanam: in quam formulam Bignonium vide, laudatum Carolo du Freſne.

Collega Principis, iidem qui *Amici*, item *Comites*, *Familiares*, *Contubernales*. Erat enim quoddam quaſi *Collegium* & Corpus ſummorum Virorum, quos Princeps ipſe aſſumebat & deligebat, ut ſibi à Conſiliis eſſent, & quibuscum agenda conſultaret, deq; maximis quibusque tractaret rebus. Treb. Pollio in *Vita* Macriani, *Huc accedit, quòd habes juvenes filios, Romano dignos Collegio, noſtrâ dignos amicitiâ.* Hi conſiliis Principis intererant & judicanti aſſidebant; ex Conſularibus Viris, & Prætoriis & Senatoribus; interdum etiam ex Equitibus pro Imperatoris arbitrio lecti: non unâ atque eadem omnium conditione. Horum enim alios adhibebat Princeps, cùm de negotiis ac jure tractaret, vel Romæ & in provinciis cauſas audiret. Quo in numero Jurecoſſ. fuere. Alios in ſecretius atque interius Conſilium admittebat, in quo de ſumma Reip. agitabatur, Legati audiebantur, aliaque majora negotia de Imperii ſtatu tractabantur: Qui proin *Comites intra Conſiſtorium* & *Comites S. Conſiſtorii Conſiſtorianique*, ſub poſterioribus Impp. dicti ſunt &c. V. Salmaſium *Not. ad Pollionem*, & hic paſſim, inprimis in vocibus *Amici*, *Comites*, *Parentes*.

Collegiati, inter ſervos ponuntur & eos qui Curiæ addicti ſunt, in *Edicto* Theodorici R. *cap* 69. *Quisquis curialem, aut collegiatum, aut ſervum, per* 30. *annos poſſederit* &c. Neque alii videntur, quorum mentio in *Cod. Theod. tit. de Collegiatis*; ſic enim ſic appellantur, qui publico manuariam aliquam operam, artem & miniſterium præbebant, ac ſæpe plus æquo & quidem ita nonnunquam prægravabantur, ut è civitatibus profugerent, quod [illegible] celeat. Filii parentum conditionem ſequebantur, proinde[illegible] modò ſervilis & obnoxiæ conditionis, ſed etiam [illegible] civitate ſervi erant, *L.* 1. *Cod. Theodoſ. de Collegiatis*, [illegible] Jac. Gothofredum. Aliàs *Collegiati* dicuntur *Corporati*, aliccui Collegio addicti: præſertim verò in vet. *urbis CP. Deſcriptione* ita appellantur, qui diverſis corporibus Artificum ordinati, [illegible] diorum caſibus ſubvenire tenebantur, quos 560. fuiſſe, [illegible] traditur; vel 563. *L. pen. Cod. Juſt. de Commerc. & Mercator.* [illegible] du Freſne. E' XXXV. Artificum *Collegiis* ſeu Corporibus [illegible] ac per XIV. Civitatis Regiones diſtributos, unoque eorum [illegible] cto alium in locum ejus, à Præfecto, ſurrogatum fuiſſe, [illegible] Car. Macrum in *Hierolexico*: qui addit, ab omni tributorum genere eos fuiſſe liberos, ſimileque Vigilum *Collegium* Romæ quondam à Cæſare inſtitutum &c. In Eccleſia Romana, *Collegiatæ Eccleſiæ* dicuntur, quæ *Collegio Canonicorum* gaudent; de quibus ſolis *Collegii* nomen hodie propriè uſurpari, ait præfatus du Freſne.

Collegium, Gr. *Ἑταιρία*, Latinis aliter *Sodalitas*, *Societas*, [illegible] quando *Cohors*, eſt legitima trium pluriumve perſonarum, ejusdem conditionis & poteſtatis conſociatio: in qua qui ſupremus eſt, olim dicebatur *Primicerius*, reliqui ordine *Secundicerii*, à tabulis cereis, quibus tum collegarum nomina inſcribebantur. [illegible] primùm Romæ inſtituit Numa Pompilius, qui, teſte Plutarcho, univerſam multitudinem ſecundùm artificia diviſit, ut ſuum peculiare corpus haberent Tibicines, ſuum Aurifices, Architecti, Tinctores, Sutores, Coriarii, Fabri ærarii, Figuli &c. horum unicuique ſuos peculiares conventus & religiones præſcribens. Habebant hi, ad Reip. exemplar, res communes, Arcam & Actorem [illegible] Syndicum, per quem, quod communiter fieri oportebat, expeditum eſt: Itaque poterant iſtiusmodi *Collegia* manumittere, legatum capere & leges ſibi ferre, dummodo ne quid ex publicis legibus corrumperetur. V. Joh. Roſinum *Antiqq. Rom. lib.* 8 *cap.* [illegible] De illorum cœtu, qui ſtudiis vacant, cùm vox ſumitur, [illegible] let, quod *Κοινόβιον* Pythagoræ, de qua voce V. ſuprà in *Cœnobium*. Iſtiusmodi *Collegiorum* hiſtoriam, à condito mundo, usq; ad principatum Caroli M. percenſui ſuprà, in voce *Cœnobiorum ortus* [illegible] qua hic ſubtexturus. Itaque Carolus M. uti univerſam fere Europam implevit Epiſcopatibus Academiisque, ita & de Monaſteriis *Collegiisq;* ille proſpexit quæ ſcilicet Eccleſiarum ſeminaria eſſent: conſtituitque ut in ſingulis Monaſteriis ac Epiſcopiis Scholæ eſſent, ubi juventus Grammaticam, Muſicam, & Arithmeticam, Scripturam inprimis ſacram, doceretur. Simul variis *Collegiis*, Academiarum Scholarumque jam fundatarum adaucta [illegible] complementis, ortum ea ſecula dedere. Hinc celebre in Anglia Banchorenſe tum Cœnobium, in quo Philoſophorum Chriſtianorum *Collegium* erat, quorum in numero Columbanus & Gallus recenſentur. Et quot non ejusmodi *Collegiis* jam à multis ſeculis, in eodem regno fulſit Oxonium, ut de aliis taceam? Jam [illegible] 1260. *Sorbonæ Collegium* Robertus Sorbona Theologus, Ludovici VII. Regis, ut quidam volunt, frater, Pariſiis primus [illegible] tuit, pro Scholaſticis Theologiæ vacantibus: cui [illegible] ceſſerunt deinceps, ut jam quinquaginta & quatuor [illegible] una numeret Lutetia, Genebr. Eodem modo Bononiæ, Salmanticæ, Vallitoleti, Compluti, alibi, inſtituta *Collegia* [illegible] lere. Inter ipſos Barbaros, Tuneti multa florere dicuntur, in quibus Studioſi Artibus, Medicinæ Legibusque operantur. [illegible] unum præ cæteris nobile, in quod extruendum Habu [illegible] 480000. aureûm expendiſſe dicitur, &c. Interim, creſcentibus opibus, quibus iſtiusmodi Muſarum receptacula pii Principes locupletarunt, zelus ac diligentia remitti, laboris tædium ſubire, & ſtudiorum corruptioni anſa dari ſenſim cœpit. Quod frigus circa annum milleſimum inprimis initium ſumpſit, & circa 1100. fatali quodam afflatu literas tantùm non penitùs extinxit. Ab eo tempore Philoſophia Theologiæ permiſceri, & *Collegia*, quæ priùs Theologica fuere, Philoſophica fieri, ac utraque *Theologiæ Scholaſticæ* nomine doceri cœpit.: Apud Græcos Johanne Damaſceno, apud Latinos Petro Lombardo Auctoribus; quorum [illegible] illum imitatus, circa A. C. 1145. Theologiam in novam methodum redegit, tum Ariſtoteli & Philoſophiæ, tum Patribus ac Doctoribus Eccleſiæ, eisque non optimæ ſæpe notæ nimium tribuens, quo pacto S. Scripturæ auctoritas deprimi ſenſimque, è manibus hominum excuti cœpit. Succeſſit ſequior ætas ſub Alberto M. Epiſcopo Ratisbonenſi, qui circa A. C. 1220. Philoſophiam Ariſtotelis non Patribus modò, ſed & Scripturæ ipſi æquiparavit: A' quo tempore Ariſtoteles in Religionis judicem adſcitus, & textus ejus S. Scripturæ vicem in concionibus ad populum non uno in loco ſubiit. Inſecuta hanc ætatem tertia à Durando de S. Portiano ab A. C. 1320. usque ad Gabrielem [illegible] renſem neq; finis neque modus commentandi fuit in Magiſtrum ſententiarum Petrum Lombardum & Ariſtotelem [illegible] donec [illegible] riori ſeculo in prædicto Biel id docendi genus [illegible] cœpit. Hac ante Reformationem cùm *Cœnobiorum Collegiorum*que facies eſſet, non defuere, qui non voto ſolùm, ſed & [illegible] futuram eorum inſtaurationem præciperent. Johannes [illegible] Henacenſis Franciſcanus, qui ſeculo 15. floruit, inter alia, prædixiſſe fertur: *Cœnobium Vinarienſe fiet armamentarium* [illegible] Wittenber-

gensi Gymnasium, Magdeburgensi Schola juventutis, cui prædictioni etiam suo tempore eventus respondit. Cum Reformatione enim renatis divinis pariter humanisque literis, Monasteria ac *Collegia* canonicorum, veræ pietatis doctrinæq; exercitiis, artium literarumque Scholis ac instituendæ juventutis culturæ, aliisque bonis usibus, qui primævus fundatorum scopus erat, iterum destinata sunt. Testis inter alia, Monasterium Augustinianorum Heidelbergæ, quod in *Collegium Sapientiæ*, ad imitationem *Collegii Romani*, auctoritate Julii III. aliud hic agentis, à Friderico II. Elect. mutatum est, unde hactenus tot insignes Sapientiæ mystæ prodierunt. Sic Cœnobium Fratricellorum, quod Lugduni Batavorum erat, A. [illegible] 159[illegible] in Theologiæ Collegium Ecclesiæque Seminarium versum: Sic Philippus Magnanimus Hassiæ Landgr. in bonarum Artium Collegium seu Scholas ac Xenodochia, quidquid antea in tota ditione sua Monasterii veniebat nomine, convertisse legitur; similiter & alibi factum &c. Ita Franc. Burmannus *Orat. inaugur. de Collegiis*. V. & suprà in voce *Canonicorum Coetus*, ac infra in *Corporati*, item *Monasterium*.

Colliberti, dicuntur in Jure Civ. qui ab eodem domino seu patrono, cujus servi fuerant, libertate donati sunt. Apud Francos verò nec inter omnino liberos, nec inter omnino servos, censebantur sed mediam inter utrosque conditionem tenentes, ad hos tamen propius accedebant: cum eorum instar essent in commercio, dominos haberent, quibus censum de more exsolvebant & ab iis in libertatem, non secus ac servi, assererentur. Ebrardus Bethuniensis *Græcismi cap. 7*.

> *Libertate serens* Colibertus *dicitur esse*,
> *De servo factus liber, libertus: at ille*
> *Libertinus erit, quem Libertus generavit.*

Adeoque ejusdem fuisse conditionis ac status videntur, cum his, quos anterior ætas *Colonos* appellavit. Nempe servi erant, in libertatem, non quidem plenariam, sed conditionalem, asserti; unde etiam *Conditionales* dicunt. Ejusmodi homines, alicui conditioni, vel servituti, obnoxii, à qua rursum asserebantur interdum in superiorem libertatem. Nec multùm differebant ab *Hominibus de Capite*, ut docet Carol. du Fresne ex *vet. Not.* in Tabular. Burgulienti. Formulam manumissionis idem hanc exhibet, ex Tabulario Vindoci: *Quicunq; in nomine S. Trinitatis quemlibet suorum ex servili, vel* collibertina *familia ad libertatis honorem, pro Dei amore [illegible] disponit attollere [illegible] sibi veraciter ejus misericordiam acquirere. Ego igitur Rotbertus de Marcilliaco te Durandum & tuam mulierem ac [illegible] tuos pueros, & Filoagium fratrem tuæ mulieris, quos tenes ex Hilgedo Gisleberti filio, a vinculo servitutis absolvo. Ab hac ergo die quidquid Deo & vobis in bono placito fuerit, liberi franciq; in reliquum [illegible] vestræ, absq; ullius dominationis inquietudine, tanquam ab ingenuis parentibus nati, licenter agatis. Peculiare verò, quod nunc habetis vel quod deinceps assequi potueritis, sicut vobis placitum fuerit, absq; calumnia possideatis, & quietè, prout volueritis, disponatis. Hanc autem libertatis auctoritatem ut in perpetuum firmior habeatur, propriis manibus eam firmari curavi* &c. Meminit quoq; *Collibertorum*, tanquam certi alicujus hominum generis, Petrus Malleacensis *lib. 1. cap. 1. descriptionis Insulæ, unde agitur, supra Separ [illegible] [illegible] genus piscando quæritans victum, [illegible] tugurlia confecerat, quod à Majoribus* Collibertorum *vocabulum contraxerat — qui ubi inundantia pluviarum Separis excrescere fecit fluvium, relictis quibus incolebant locis (hinc enim procul habitabant nonnulli) properabant illò causâ piscium*. Sed & *Conliberti* nomen antiquam accepisse videntur, pro hominibus ejusdem conditionis apud Gregorium M. *Dial. lib. 3. cap. 34.* & in *L. Longobard.* passim. V. omnino præfatum Car. du Fresne in *Glossario*.

Collitiæ, V. infrà *Elices*.

Colligere Crines, apud Ovidium *Amorum lib. 1. Eleg. 11.*

> Colligere *incertos & in ordine ponere crines*
> *Docta, neque ancillas inter habenda Nape.*

Idem quod *legere* est, apud Statium *Thebaid. lib. 4. versu 743.* de Hypsipyle,

> — *illi quamvis & ab ubere Opheltes*
> *Non suus, & luctus proles infausta Lycurgi*
> *Dependet, nec lecta comam, nec dives amictu,*
> *Regales tamen ore notæ* —

Dicebantur autem *legi comæ*, quæ in versus quosdam componebantur aut orbes, quos singendo curiosissimas fuisse veteres tam Græcas, quam Romanas Veneres, multa Auctorum loca testantur. Hinc *dociles capilli* i. legi consueti, eidem Ovidio *ibid. Eleg. 14.*

> *Adde, quod & dociles & centum flexibus apti,*
> *Et tibi nullius causa doloris erant.*

Iidem & *digeri* dicebantur. *ibid.*

> *Sæpe etiam nondum digestis manè capillis*
> *Purpureo jacuit semisupina toro.*

Idem mox *compositi capilli* ait,

> *Quid male dispositos quereris periisse capillos?*

Et *lib. 2. Eleg. 8.* [illegible] capillos, eadem sententia est. [illegible] *collocandi* capillis ornatrices habuerunt Romanas [illegible] tam magna, magnam operam posuisse, auctor est Juvenalis, *Sat. 6.*

> *Disponit crinem laceratis ipsa capillis,*
> *Nuda humeros Psecas infelix* —

Videlicet, ut cædi commodè posset, si peccasset. Miserè enim hujusmodi ornatrices cædi consuevisse, patet ex illo Ovidii, ubi puellam suam laudans, ait,

> *Ornatrix tuto corpore semper erat.*
> *Ante meos oculis sæpe est ornata, nec unquam*
> *Brachia direpta sancta fecit acu.*

Id est, non vulneravit ornatricem. Quin deformare miseras sectis capillis solebant, uti patet ex Martiali *lib. 2. Epigramm. 56.* &c. V. Casp. Barthium *Animadvers. ad Statium d. l.* ut & suprà, ubi de *Capillis*.

Collina, Dea collium Præses. Jo. Rosinus *Antiqq. Rom. lib. 2. cap. 10.*

Collis, in vet. *Epigrammate, de Tabula*,

> *Contorquet varios alternans tessera missus,*
> *Fataq; ludentum* collis *& ima probant.*

Ubi alii legunt *colus & urna*, intelligentes [illegible]: sed prior lectio temerè mutanda non est. Nam & *Collis* in tabula mentionem facit vetus cento *de Alea*,

> *Quæ loca, quæve habeant gentes, ubi sistere detur*
> *In summo* collem, *qui plurimus, alter ab illo*
> *Est locus.*

Idem *imum fundum* appellat, quæ *ima* dicuntur Auctori vet. Epigrammatis,

> *Ossa minutatim fundo volvuntur in imo.*

Et *alio loco*,

> *Terna tibi hæc primùm fundo volvuntur in imo.*

Imum tabulæ fundum, ut Salmasio videtur, intelligens, per *collem* autem pyrgum. Nam pyrgum tabulæ [illegible] *altitudinem cœli*, significare tradunt, qui hunc ludum allegoricè exponunt. Per *ima* itaque & *collem* fata ludentium probari dixit, quæ per pyrgum & tabulam probabantur. De pyrgo enim in tabulam jaciebantur tesseræ, in quibus ludentium fata consistebant. V. Salmasium *ad Flav. Vopiscum in Proculo*. Aliàs, quid *Collis*, notum.

Colles varii, apud Vett. celebres.

Collis Cispius, V. *Oppius*.

Collis Hortulorum, vel *Hortorum*, nomen accepit ab hortis Sallustii et proximis: Postea *Pincius* dictus, quòd in eo Pinciorum domus esset, quæ familia in Urbe claruit, circa tempora Constantini. Hic antiquitus extra urbis mœnia erat, ideoq; extra septem montium numerum, sed Aureliani principatu pomerio inclusus est: Celebris tum Neronis tumulo, tum Candidatorum ceremoniâ, qui in hoc colle consistere, unde ab universis videri possent, & inde in Campum Martium, petitum Magistratum, descendere solebant, Jo. Rosinus *Antiqq. Rom. lib. 1. cap. 11.*

Collis Latiaris, unus è tribus montis Quirinalis collibus, Idem *lib. 1. cap. 6.*

Collis Martialis vel *Mutialis*, alter è collibus montis Quirinalis. Idem *ibid.*

Collis Oppius, unus è tribus montis Esquilini collibus, Idem *lib. 1. cap. 8.*

Collis Quirinalis, V. *Quirinalis*.

Collis Salutaris, unus fuit è montis Quirinalis collibus, Idem *lib. 1. cap. 6.*

Collis Septimius, unus fuit Romæ è montis Esquilini collibus, Varro *de L. L. lib. 4.*

Collitiani, Hæretici, à quodam *Collitio* seu *Colithic*, unde *Collithianos* Isidorus vocat, nomen adepti, malum triste, seu pœnam, negabant a Deo esse: quibus oppositi Floriani malum turpe ab eodem profluere, blasphemarunt. Iidem Christum in Patre, tanquam vas minus in majori contentum fuisse, delirarunt, hinc *Metangi* & *Metangismitæ* appellati Augustino, *in quæst. 14. can. 3. quædam autem Hæretici* &c. Car. Macer in *Hierolexico*.

Collo suo, usque ad mercatum, malefactorem, quem quis occuluerit, deportandi ritus, occurrit in *Capitulari de Militar. Pers. edit. Baluzianæ cap. 3.* V. infrà *Collum*.

Collocare, unde Gallorum *Coucher*, vox pronubis propria. Terentius in *Eunucho*, *Deïn in lectulum collocant*, Catullus in *Epithalam.*

> *Vos unis senibus*
> *Cognitæ bene feminæ*
> Collocate *puellulam* &c.

Hine apud recentiores *Collocare* in genere usurpatum, seu nosmetipsi in lecto *collocemus* seu ab aliis collocemur. De Sole quoque in *L. Salica tit. 40. Nec Solem secundùm legem collocaverit*, & *tit. 52. Ut per singulas admonitiones vel* Solem collocatum, *terni solidi accrescant.* Nempe, ubi quis vendiderat rem aliquam, possessorem in jus vocabat, eique Solem seu diem occasum vel *collocatum* aut *collocatum*, quod idem valet, præfigebat, intra quem juri stare ad respondendum deberet: quo elapso certum numerum noctium seu inducias in jure respondendi, rursum reo interdum concedebat: Non enim per dies, sed noctes, Franci ejusmodi terminos dinumerabant. Proinde actor reo Solem *collocabat*, i. Solem occasum præfigebat seu diem integrum, quo elapso reus, si juri non stetisset, causâ cadebat: ut actor perinde, si defecisset, nulla se [illegible] excusatione. Quod disertè indicat Gregor. Turonensis *lib. 7. cap. 23.* [illegible] *tamen ad placitum in conspectu Regis Childeberti* [illegible]

*dam, quasi vaginam capitis & operculum verticis, nunc in cervicem re-
rejectum. Mirum quod contra Domini præcepta commenditur. Ad
staturam cominum sibi adjicere posse, pronuntiatum est. Vos planè ad-
jicitis ad pondus,* Collyridas *quasdam, seu scutorum umbilicos cervicibus
adstruentes.* Cujusmodi ornatum, in mulierum cervicibus, multi
veteres numini exhibent. Salmasius *ad Tertullianum de Pallio.*

Collyridiani, adde: Nempe eodem tempore, quo in Arabia Antidicomarianitæ orti sunt, qui Matri Virginitati usque eò contradixerunt, ut assererent, eam, post natum Dominum, liberos ex marito suscepisse; vicissim alii surrexere, in eadem provincia, qui B. Virginem divinis honoribus afficiendam esse, statuerent. De illis inter alia Epiphanius *Hæres. 69. §. 1. Quædam*, inquit, *mulieres currum quendam sive sellam quadratam ornantes, expanso super ipsum linteo in die quadam illustri anni, per aliquot dies, panem proponunt & offerunt in nomen Mariæ. Omnes autem de pane participant* &c. Plura apud Jo. Forbesium *Instruction. Historico-Theologic. lib. IV. cap. 8. §. 4.*

Collytus, Græcè Κολυττὸς, pars erat urbis Athenarum, ad Tribum Ægeidem pertinens; ubi infantes mense citiùs olim loqui dicebantur, quam in aliis urbis partibus. Nati ibi Plato Philosophus, & Timon μισάνθρωπος: proxima ei pars urbis erat, *Melitus dicta.* Nomen quod attinet, Meursius Alciphronem Poëtam & Diog. Laertium, per geminum Λ. illud efferentes, reprehendit, Hesychii, Æschinis & Strabonis auctoritate nixus. Sed priorum sententiam firmant lapides antiqui, quorum unus Athenis superstes habet.

Ο ΚΟΣΜΗΤΗΣ ΤΩΝ ΕΦΗΒΩΝ
ΜΑΡΚΟΣ ΙΟΥΛΙΟΣ ΖΗΝΩΝ
ΜΑΡΑΘΩΝΙΟΣ ΚΑΙ Ο ΑΝΤΙ
ΚΟΣΜΗΤΗΣ ΟΦΙΛΛΙΟΣ ΑΡΙΣ
ΤΩΝ ΚΟΛΛΥΤΕΥΣ κτλ.

Alius ibidem, prope Ilissum,

ΓΑΙΟΣ ΚΑΡΡΕΙΝΑΣ
ΔΙΟΥΜΗΔΗΣ
ΚΟΛΛΥΤΕΥΣ
ΚΑΡΡΕΙΝΑ
ΤΙΑ ΦΙΛΗΤΗ.

Sic alibi legitur, ΑΙΚΙΝΝΙΟΣ ΠΟΛΥΑΙΝΟΣ ΚΟΛΛΥΤΕΥΣ, apud Jac. Sponium *Itinerar. Græciæ Part. 3. ubi de Demis Atheniensium pag. 146. & 147.*

Colobathrarii Nonio *Grallatores*, à *colobathris*, quâ voce ab Auctoribus Græcis Latinisque appellantur solea vel gallicæ, lignea nempè sandalia, quæ, vocabulo minùs noto Græcis κλαπον dicta, in balneis olim gestabantur. Καλοβάθρων mentio apud Artemidorum & in *Notis* Senecæ, ubi *Colobathra* πόδια ξύλινα quoque dicuntur, sicque vocantur propriè, quibus innitebantur οἱ γυμνοὶ, Poll. *lib. 4. cap. 14.* Latinis *Clavæ* quoque, ut vidimus. V. Salmasium *ad Spartianum in Antonino Caracalla.* Gestabantur autem gralla vel crura hujusmodi lignea, ad similanda crura Ægipanum, quæ ἰσχνὰ etiam & arida, utpote cruribus caprarum similia. Hinc [illegible] quoque hujusmodi ligneæ perticæ, cum furculis, dictæ [illegible], V. eundem *ad Solin. p. 41.* & infrà, ubi *de Grallis.*

Colobium, adde: Ægyptiorum *Colobia* describit Cassianus *lib. 1. cap. 5.* ubi ait: *Colobiis quoq; lineis induti, quæ vix ad cubitum usque pertingunt, nudas de reliquo circumferunt manus.* Et *cap. 11. Nam neq; caligis nos, neq; Colobiis, seu unicâ tunicâ esse contentos, hyemis permittit asperitas.* Veterum Romanorum itaque tunicæ *Colobia* fuere, quibus manicæ quidem, sed quæ ad cubitum tantùm pertinerent, & non cum brachiis magnam quoque manus partem cooperirent: quas eleganter Tertullianus *de Pallio*, appellat *nec manibus arctas, nec brachiis pares.* Exomides verò, quibus servi utebantur & quales antiquissimorum Romanorum tunicas fuisse docet A. Gellius, prorsus manicis carebant, ut etiam humeros renudarent: unde patet *Colobia* olim ingenuorum fuisse; quæ proin à servis postea gestari cœpta, queritur Appianus, V. Oct. Ferrarium *de re vestiar. lib. 3. cap. 24.* Insignibus & vestimentis Regum Aragonensium accensetur, in *Gestis* Innocentii III. Pontif. *pag. 135.* & in *Epist.* Martini IV. Pontif. *Tom. V. Histor. Franc. pag. 878.* Sed & cucullum, sive humerale illud, quo Servientes ad Legem in Anglia induuntur, sic appellari, legas apud Fortescue *in Encomio LL. Angliæ cap. 51.*

Colocasia, seu ..., Græcè Κολοκασία seu κολοκάσιον, q. κοῖλον [illegible] seu [illegible], i. *parva laterna*, ob foliorum latitudinem, nomen est, multis herbis latifoliis commune, Aro Ægyptio, Fabæ Ægyptiæ seu Ciborio, Loto & Nymphææ: proprium verò *Colocasiæ bulbaceæ*, quæ herba Ægypto atque etiam Cyrenæ familiaris, hodieque Ægyptiis *Colcas*, Bæticis *Mantum nostræ Dominæ*, Hispanis *Alcoleas* dicitur, & Plinio describitur his verbis *lib. 21. cap. 15. In Ægypto est nobilissima Colocasia — Hanc è Nilo metunt caule, cùm [illegible] ..., thyrso autem [illegible] inter folia emicat, [illegible] foliis latissimis, etiam si arbores comparentur — Adeoq; Nili [illegible] ut implexis colocasiæ foliis, in variam speciem va[illegible] gratissimum habeant. Seritur jam hæc in Italia.* Nempe [illegible] foliorum amplitudine, tum radicis sapore, commendabilis [illegible], floribus insuper usui fuit. Et quidem folia, quæ pe[illegible] Thessalici, amplitudinem æquant, unde & *petasites ea* dicta, vasorum usum præbuere ad potandum. Strabo de ejus foliis, Καὶ ἡ Ἀλεξάνδρεια μεστὴ τούτων ἐστὶ κατὰ τὰ ἐργαστήρια, ὡς τοῖσιν χρωμένων, *Plena his foliis Alexandria per tabernas & officinas, quæ his utuntur pro vasculis.* Replicatas enim oras in circuitu habent, unde usum catinorum & vasculorum facilè exhibere possunt. Quare idem, magnum reditum ex his foliis eos in usus comparatis per totam Ægyptum fieri, adeò ut agri etiam hoc potissimùm reditu censeantur, narrat. Hæc vasa κιβώρια dici Nicandro sunt qui velint. Sed κιβώρια propriè appellata esse, calices ipsos sive capita *Colocasiæ*, suprà diximus. Radicem quod attinet, illa in cibis lautissima fuit; quemadmodum & thyrsus. Unde Martialis *de Colocasia, lib. 13. Epigr. 57.*

Niliacum ridebis olus, lanasq; sequaces,
Improba cùm morsu fila manuq; trahes.

Araneosus is namque erat & filis nervosus in mandendo. Unde idem *lib. 8. Epigramm. 33.*

Lentaminus gracili crescunt Colocasia *filo* &c.

Hodie suum *Colcassum* edunt Ægyptii raporum vel naporum vicem, & sapore subamaro esse ajunt, cum acri viscositate, sed, ubi coctum est, satis dulce existere. Sed & flores *Colocasii*, ad coronas viendas expetiti, nondum tamen Alexandri M. ætate, cùm nullam eorum mentionem Theophrastus faciat. De illis Virgilius *Ecl. 4.*

At tibi prima puer nullo munuscula cultu
Errantes hederas passim cum baccare tellus,
Mixtaq; ridenti colocasia *fundet acantho.*

Nempe cùm primitus peculiaris hæc Ægypto esset, in Italiam inde adlata, post devictam ab Augusto Ægyptum, ibidem seri cœpit. Similiter in Lusitania, indidem advectã, circa rivos nasci, ferunt incolæ &c. Plura de celebri hac planta, V. apud Salmasium *ad Solinum passim, inprimis pag. 970. & seqq.* Hinc *Colocasiæ*, cognom. Minervæ, quæ Sicyone colebatur, secundùm nonnullos. At non ab herba hac Ægyptia illud cognomentum invenit Minerva, sed à curta ac succincta veste, qua amictum fuit ejus simulachrum, V. quæ suprà diximus.

Coloni, vicorum incolæ, πάροικοι, apud Recentiores, licèt non omnino essent servi, adscriptitii tamen ac servilis conditionis fuere, culturæ agrorum ad certa loca addicti. Unde, apud Bignonium *pag. 197. 201. 202.* ubi variæ Formulæ prostant, disertè *francis* ingenuisque opponuntur; & perinde ac servi, si de *Coloniis* suis se subtraxerint, judicio evindicationis ad colonatum reducuntur: quod etiam præcipitur in *Constitut.* Just. Imp. *de Filiis liberarum* in Africam directa, in *Pragmatico* Tiberii Imp. de Filiis Colonor. & in *Edicto* Theodorici R. *cap. 84.* cujusmodi evindicationis exemplum profert Flodoardus *Histor. Rem. cap. 19. initio.* Imò non modo cum servis junguntur passim, sed & *servi* nonnunquam appellantur: quin etiam iisdem, quibus illi, pœnis coërciti, fustuario nempe & flagellis. *L.* Burg. *tit. 39. §. 3.* alibique. Unde S. Remigius Episc. Rem. in Testamento suo, apud Flodoardum *Histor. Rem. lib. 1. cap. 18.* alios Ecclesiæ *colonos* libertate donasse, alios ut in servitute permanerent, decrevisse legitur. Interim inter liberos plerumque habebantur, seu potius medii inter liberos & servos, iidem fere cum *Conditionalibus, Originalibus* & *Tributalibus*: de quorum variis conditionibus copiosè egit Jac. Gothofredus *in Paras. tit. de fugitivis Colonis lib. 5. Cod. Theod.* & *ad L. 3. de Censib.* &c. Inter varia autem *Colonorum* genera, præcipuè occurrunt *Coloni Ecclesiastici*, qui, Ecclesiarum ac ædium sacrarum proprii, agros eorum colebant, ab omni seculari jurisdictione ac servitio soluti: & *Coloni Fiscales*, qui, Fisci prædia excolentes, *Coloni Regis* dicuntur, in *L.* Alemann. *tit. 23.* Sic in Regno Cyprio, Luzinianis ibi regnantibus, plebs in *παροίκους* & *ἐλευθέρους*, quorum illi conditione servi; hi verò libertate donati quidem, sed ratione tributi tamen Dominis obnoxii manebant: divisa legitur, apud Thom. Porcacchium *nella Descritt. del Isole del mondo.* & Leunclavium *in Pandectis Turc.* Hinc *Colonia*, habitaculum rusticum, cum sufficienti prædio, ad alendum colonum vel familiam rusticam; verbo, *Coloni* ædes prædium, apud Gregorium Turon. *de Gloria Confessor. cap. 15.* Hincmarum *Opusc. 60. pag. 831.* Flodoardum *Histor. Rem. lib. 2. cap. 5. 6. 11. 17. 18. 19.* Alios, magno numero laudatos Carolo du Fresne in *Glossar.* Synonyma ejus *Colonica, Colonatus* &c.

Colonia, adde: Modus *Coloniæ* deducendi, ex Joh. Rosino *Antiqq. Rom. lib. 7. cap. 47* hic fuit; Cùm lege aliquâ à plebe scitum, aut Senatusconsulto decretum esset, Coloniam aliquam deduci, & numerus colonorum scriptus esset, creabantur Comitiis Tributis, modò per Consulem, modò per Prætorem urbanum Curatores, qui illam deducerent, interdum tres, interdum plures, qui inde *Triumviri* vel *Quinqueviri* vel *Septemviri*, vel *Decemviri* vel *Vigintiviri Coloniæ deducendæ*, aut agris dandis attribuendisve appellabantur. Hi, postquam creati erant, Colonos in locum destinatum sub vexillo, quasi exercitum aliquem, deducebant, duce è Curatoribus agrariis delecto. Ubi verò colonos in agris, quò deducendi erant, collocarunt, tum aratro urbem agrumque circumscribebant; quo facto agri divisionem ac suæ cuique partis assignationem sunt aggressi; Unde *agros coloniarum divisos & assignatos* dici notavit Frontinus. Fuit autem hoc munus difficili-

num, ac molestiæ sæpe plenissimum, propter odium colonorum quod illi facilè poterant, non pro voto cuique assignando, incurrere: Fiebant verò omnia auspicatò, quo fine Curatoribus illis Pullarius adjungi solitus est. Idem *lib.* 10. *cap.* 23. & 24. de Rep. Coloniarum prolixè agit, docetque inter alia, præter *Colonias* & Municipia, Præfecturas fuisse inter Italicas civitates, quarum conditio durissima fuerit, V. in voce *Præfectura.* Porro Fœderatas civitates, quæ aliquid ex fœdere pop. Romano debentes, in cœteris liberæ erant: Reliqua omnia provinciarum nomine venisse. Plura de *Coloniis* V. apud Marc. Velserum *lib.* 4. & 5. *Rer. Aug. Vindelicarum*: de *Coloniis militaribus* inprimis Sigonium de *Antiq. jure Italiæ, lib.* 3. *cap.* 4. &c. Adde Salmasium *ad Solinum pag.* 674. & *seqq.* ubi de *Coloniarum metatione & limitatione*, de *Coloniarum* item *deducendarum ratione*, varia.

Colonos, adde: Et quidem *Colonon Hippion*, seu *Equestrem*, quod attinet, locus erat editus 1500. p. ab urbe distans, in quo olim Templa Veneris, Neptuni, Promethei & Furiarum. Ibidem rhedarii & alii vehiculariæ rei inservientes magnâ copiâ habitabant. *Colonos* verò *Agoræus*, collis erat in urbe, ubi qui herum, cui operam addicerent, quærebant, solebant convenire, prope Forum & Ædem Vulcani ac Eurysacis. Alterutro horum locorum oriundus erat Menecrates, & fil. ejus Conon, quorum mentio in duobus cippis hodieque superstitibus, Salamine, in vico *Ambelachi*, hodie appellato:

μενεΚΡΑΤΗΣ
ΘΕΟΓΕΝΟΥ
κολωΝΗΘΕΝ.

Et,

ΚΟΝΩΝ
ΜΕΝΕΚΡΑΤΟΥ
ΚΟΛΩΝΗΘΕΝ.

apud Jac. Sponium *Itiner. Græciæ Part.* 3. ubi de *Demis Atheniens. p.* 148.

Colonus Christophorus, novi Orbis inventor, V. infrà *Columbus.*

Color, primò unus in Pictura. Plinius *lib.* 35. *cap.* 8. *Apparet multo vetustiora* (Artis hujus) *principia esse, eosque, qui monochromata pinxerint, quorum ætas non traditur, aliquando antè fuisse, Hygiæmontem, Diniam, Charmam, & qui primus in pictura marem feminamque discreverit, Eumarum Atheniensem, figuras omnes imitari ausum, quique inventa ejus excoluerit, Cimonem Cleonæum.* Dein quatuor in usum venere. Idem *cap* 7. *Quâ contemplatione tot colorum tantâ varietate, subit antiquitatem mirari. Quatuor coloribus solis immortalia illa opera fecere, ex albis melino, ex silaceis Attico, ex rubris sinopide Pontica, ex nigris atramento, Apelles, Echion, Melanthius, Nicomachus, clarissimi Pictores, cùm tabulæ illorum singulæ oppidorum venirent opibus.* Postmodum innumeri adhibiti, non tamen meliore picturâ. Idem *ibid. Nunc & purpuris in parietes migrantibus, & India conferente fluminum suorum limum & draconum & elephantorum sanguinem, nulla nobilis pictura est. Omnia ergo meliora tunc fuere, cùm minor copia — quoniam — rerum, non animi pretiis excubatur.* V. infrà, ubi de *Pictura.* Aliud autem *Color*, aliud *lumen* & *fulgor*, tum in pictura, tum in gemmis. Idem *cap.* 5. *Tandem se Ars ipsa distinxit, & invenit lumen atque umbras, differentiâ colorum alternâ vice sese excitante. Dein adjectus est splendor alius hic, quàm lumen: quem, quia inter hoc & umbram esset, appellarunt tonon: commissuras verò & transitus colorum, armogen.* Hinc ubi plus *coloris*, quàm *luminis*, plenum, saturatum, meracum, pressum, astrictum, triste, austerum, amarum &c. Græcè βαθὺ, βαρὺ, ... ἄκρατον, αὐστηρὸν, πικρὸν κτλ. ubi verò plus *luminis*, quàm *coloris*, hilare, excitatum, vegetum, floridum, acutum, gratum, floridum &c. Græcis ὀξὺ, ἱλαρὸν, λαμπρὸν κτλ. dictum reperimus: quamvis coloris una eademq; species, aliàs florida, aliàs austera possit fieri, V. quæ hic passim in his vocibus. In gemmis *color* est, quem prima ἐμφάσις exhibet, quo aut viridis aut rubra, aut cœrulea dicitur, *fulgor* verò, qui in suspectu, vel despectu, luce aliter & aliter accepta, nunc igne, nunc Sole, nunc inclinatione, excitatur & radiat. Sic tyritæ color melleus, fulgor croceus, selenitis gemma candida est, sed quæ melleo fulgore transluceat, Choaspis lapis viridis est, sed coloris aurei &c. V. de *Coloribus tum nativis, tum factitiis*, Plinium *lib.* 35. *cap.* 6. quive horum quævis in Pictura primitus usi, eundem, ubi de Metallis: de *Coloribus* v. Factionum Circensium, Vestiumque, hic suo loco: & plura hanc in rem, apud Salmasium ad *Solinum passim*

Colorati Etrusci, apud Martialem, de Muliere,

Dréque coloratis nunquam lita mater Etruscis,

Salmasio sunt ἡλιόκαυστοι, *Sole adusti*: quod ne fieret, medicamina delicatiores adhibebant. ἰατρικὰ προφυλακτικὰ ... Auctoribus ... dicta, quæ præstabant, ne Sole facies læderetur. Hinc Martialis *mulierem nunquam litam* vocat, quæ istiusmodi medicamentis faciem nunquam induxerit, ad candorem servandum, & Solem cuti defendendum, ne coloraretur: Salmasius *Not. ad Spartianum in Hadriano.*

Colorati Solidi, V. infrà *Prætextati.*

Colorator, in *Gloss.* Ἰνδικοπλάστης: Sic autem dicti sunt, qui parietes pingebant & colores tectoriis inducebant; inter quos colores aut præcipuum aut unum de præcipuis locum obtinebat Indicum, quod ex India veniebat, harundinum spumæ adhærescente limo, V. infrà, in voce *Indicum.* Ab *Indico* igitur, quod parietibus illinebant, Ἰνδικοπλάσται Græcis hi *Coloratores* dicti sunt. Iidem verò & ... namque & tectoria in parietibus splendorem habebant & tectoriis colores inducti sunt, ut videre est apud Vitruvium passim. V. Salmasium *Notis ad Flav. Vopiscum in Firmo.*

Colorbasus, ... admisit, Epiphan. *Hær.* 16. V. *Colarbasus.*

Colorea Vestes, apud Vopiscum *in Aureliano*, *Idem concessit, ut blatteas matronæ tunicas haberent, cùm antea coloreas habuissent, & ut multùm oxypæderotinas*: non sunt *vario colore tinctæ, modò hoc, modò illo*; sed *quæ variorum sunt colorum* & plures colores intextos habent. Græci ποικίλα ἱμάτια vocant & ποικιλόχροα. Latini quoque *varias vestes* & *varii colori vestes.* Terentius *in Eunucho*,

Id visum est, quia tam varia veste ornatus fuit.

Unde *coloratos lenones* vocat Tertullianus, coloreis palliis indutos, h. e. palliis varii coloris *lib. de Spectac.* Quo modo in testam. August. *coloreæ lodices* accipiendæ: *gausapes purpureas & coloreas meas* &c. *Coloreis* igitur vestibus usæ Matronæ Romanæ, cùm purpurearum usu eis esset interdictum: Nam post purpureas, *coloreæ* in pretio fuere, quæ vel acu vel pectine pluribus essent coloribus intextæ. Unde *vestes pingere coloribus*, dixit Servius, de acupictilibus. *Colorium* in eodem significatu Vett. acceperunt, ut ex Festo discimus, qui lemniscos coronarum *colorias fasciolas* interpretatur, quæ Græcis ποικίλας ταινίας vel ποικίλα ἀναδέσματα. Item *Colorinum*: Sic antiquus Auctor libelli *de Cœna Domini* vestem Thamar appellat *colorinam*, quam Hieronymus *polymitam & variam*, Græci Interpp. ποικίλον χιτῶνα, Jonathan Paraphrastes *paragodam*, h. e. vestem pannis & institis versicoloribus prætextam &c. Aliud verò *versicolor* est, sic namque vestis dicitur, quæ colorem subinde mutat, & alio modo refulget, cùm aspicitur, alio cùm suspicitur, atque etiam alio, cùm despicitur & colores alternat, uti columbarum colla; cujusmodi colorem ἀνάκτορον χρῶμα Græci, *Coulour changeant* Galli vocant: At *Coloria* simpliciter vocantur, quæ variis coloribus pictæ sunt aut de variantibus liciis in figuras animalium effigiatæ, aut diversis clavis intextæ aut limbis picturatis prætextæ. Quamvis non rarò voces hæ confundantur, &c. *Colores* verò Libertinarum & earum mulierum, in quibus non impermissa Venus, recenset Ovidius *de Arte lib.* 3. *Cœruleum, galbinum, undulatum, croceum, myrteum, amethystinum, rhodinum vel roseum, gruinum, castaneum, amygdalinum, cerinum*: qui ferè colores aliique ex variis herbis tincturæ aptis, Libertinarum aliarumque mulierum infimi loci atque ordinis vestibus erant destinati. V. Salmasium *ad Vopiscum.*

Colores, pro ipsis Factionibus Circensibus, quæ suis *coloribus* distinguebantur, *Veneta, Prasina, Russeâ* & *Albâ*, apud Senatorem *lib.* 1. *Epist.* 20. V. hic passim, inprimis in voce *Factio.*

Colosseæ statuæ, omnium honoratissimæ. Quò plurium enim pedum statuæ essent, eò fuisse magis honorificas, discimus ex Plinio *lib.* 34. unde *Colosseæ*, quæ quidem in usu rarissimè fuere, honorificentissimæ. Nam Deorum statuæ legitimam staturam hominis ter ferè continebant: Heroum bis: Regum & Imperatorum illis erant breviores, Cujusmodi ea, quæ Claudio II. à Senatu collocata legitur, apud Treb. Pollionem, pedum 10. sesquialteram proportionis rationem non multùm ut videtur excedens, cum esset Claudius digitos aliquot ultra 6. pedes longus. Casaubonus *ad Pollionem in Claudio.* Aelio Vero autem Adrianus, *statuas per totum orbem* colosseas *poni jussit, templa etiam in nonnullis urbibus fieri*, apud Spartianum. Nempe *Colosseæ* statuæ Deorum propriæ, hincque eorum qui inter Deos relati, V. Salmasium ad *h. l.* Cæterùm celebres, apud Scriptores, *Colossi* Apollinis, Domitiani, Galieni, Herculis æreus, Jovis, qui post Judæam devictam erectus, Junonis, Neronis, Rhodius, Solis, alii, de quibus Barthium V. *ad Statium passim.* Vocis originem quod attinet, in eandem digitum Poëta hic intendere videtur, *lib.* 1. *Sylv.* 1. ubi de Equo Max. Domitiani;

—— —— —— *vix lumine fesso*
Explores, quàm longus in hunc despectus ab illo.

Fessi, ait, fient oculi, priusquam ab altitudine ejus ad hujus humilitatem perveniant & descendant. A qua proin oculorum lassatione non inscitè *Colossos* denominatos argutatur Matth. Raderus *Comm. ad Martialis Spectacula*, quod debetur tamen Parrhasio ad d. *Statii l. Epist.* 57. V. quoque in voce *Colossus*; plura v. apud Plinium *lib.* 34. *cap.* 7.

Colosseros, in *Hist.* Augusta, Græcè ὁ Κολοσσέρως, vir quidem *grandis*, ut colossus, sed venustus, & amabilis, ut *amor* ipse. Sic Παιδέρως, idem quod Ἀντέρως, *puer* æquè amabilis & venustus ac *amor*, seu contrà amorem pulcher. V. Salmasium *ad Solinum pag.* 565.

Colotes, Pictor, adde: Phidiæ discipulus fuit. Plinius *lib.* 35. *cap.* 8. *Colotes, Phidiæ discipulus, ægidem Minervæ fecerat, eumque in faciendo Jove Olympio fuit adjutor.* Fuit & *Colotes*, Epicureus, adversus quem extat Plutarchi liber. Nomen à lentiginibus fictitiis;

Κωλώτης enim Græcis, & Γαλεώτης & Ἀσκαλαβώτης, idem. Ovidius de Ascalabo.

—— stellatus corpora guttis.

Stephanus χαλκίῳ ascalabotem interpretatur: eundem *Cotem* Græcis vocari, Plinius ait *lib. 29. cap. 5.* Ita ergo vir *Colotes*, ut χαλεώτης γέρων, apud Menandrum *in Eunucho lentiginoso*,

—— ὅδε ὁ χαλεώτης γέρων.

h. e. *senex mustellinus*; uti locum hunc Terentius exprimens, verba reddidit &c. Quam in rem V. Salmasium *ad Solinum pag. 757.*

Colpe, adde: Ejus meminit Plinius *lib. 5 cap. 29. Interiere intus Daphnus & Hermessa & Sipylum, quod antea vocabatur Tantalis, caput Mæoniæ, ubi nunc est stagnum Sale. Obiit & Archæopolis substituta Sipylo, & inde illi Colpe, & huic Lebade.* Nempe, uti in locum Sipyli Archæopolis, sic in hujus locum *Colpe*, in Colpes autem Lebade successit. Salmasius *ad Solinum pag. 863.*

Colthene, reg. Asiæ, ad Araxem, in Armenia mai. V. *Colthena.*

Coluber, q. κολοῦρος, *cauda mutilus*, Gelen. à *Chelydro* seu *Chersydro*, Gesnero, V. suprà in vocibus *Chelydrus* & *Chersydrus.*

Colvekerli, h. e. *clavum gerentes rustici*, dicti sunt Comitatus Ghisnensis incolæ, uti habet Auctor *Chron.* Abbatiæ S. Bertini, de Rodulfo Guinarum Com. *Qui in terra sua servitutem induxit, quæ Colvekerlia vocatur per quam populares adstrinxit, ut arma nulla, nisi clavas, deferret & inde* Colvekerli *dicti sunt, quasi Rustici cum clava. Nam — Colve clavam & Kerli rusticum sonat.* V. quoque Lambertum Ardensem *Hist. Comit. Guin.* laudatum Carolo du Fresne in *Glossar.*

Colum seu *Colatorium*, in Ecclesia Rom. accensetur vulgò sacris ministeriis, estque vasculum quoddam subtilissimis foraminibus ab imo fundo perforatum, per quod vinum in Missæ, ut vocant, sacrificio, ex amulis in calicem refundi consuevit. *Ordo Rom. Archidiaconus sumit amulam Pontificis cum vino de Subdiacono & refundit super colum in calicem.* Infrà. *Archidiaconus — accipiens Calicem ab Acolyto Archidiacono apportet vinum per colum, quod sinistrâ manu Romanus Ordo Archidiaconum auriculari digito ferre jubet purgandum. Quod utique vas in id opus ex aliquo metallo formatum, in medio sui plurima quasi acus foramina, ad excolandum vinum, ostendit & illud Archidiaconus per totum Missæ officium in sinistra manu, illo quo prædiximus digito, annulo suspensum portaturus est,* apud Macrum.

Columba, Veneris apud Poëtas symbolum. Sed & Semiramis nomen habuit a Syriaca *columbæ* appellatione, ita enim Hesych. Σεμίραμις περιστερὰ ὀρεία Ἐθνικοί, *Semiramis, columba montana Græcis*: Et credebat R. Azarias, id nomen ab avium esse pipitu, & cantillatione minuta. Nempe ut Semiramis sit ex זִמְרָא, hoc verò ex Chaldæo, זְמִיר, quod avium illud μινυρισμα significat. Idem proin Babylonios & Assyrios ob ea, quæ de Semiramide, figura *columbæ* culta, dicemus, pro symbolo in vexillis militaribus columbam habuisse atque inde Jeremiam dicere *cap. 25 versu 38. Facta est terra eorum in desolationem à facie iræ columbæ* censet. Nempe, secundùm hunc Rabbinum, per *Columbam* hic signatur Babylonius Nabuchodonosor. V. eundem Prophetam *cap. 46. v. 16. cap. 50. v. 16.* & Sophoniam c. 3. v. 1. Etiam Rabbini Thalmudici in *tr. Cholin sect. 1.* narrant, tempore R. Meir, in jugo montis Garizim *Columbæ* simulachrum fuisse inventum. De Semiramide verò res ita habet, teste Diod. Ea à matre, cui *Derceto* nomen, priusquam in aquas se daret præcipitem, delata in locum desertum, ubi columbarum vis nidulabatur, ibi occultè educata est, usque dum eam domum recepit Simma, qui liberis carebat. Regiorum is jumentorum Magister erat, a quo dein ad Ninum pervenit. Etiam Lucianus eam a columbis in deserto nutritam tradit, quod interpretatur Vossius *columbarum carne pastam.* Nisi fabulæ occasionem præbuerit vocabulum Semiramis, quod Syrâ linguâ, ut dictum, *columbam* designat. Cur enim fœminæ minùs ejusmodi nomen datum credamus, quàm viro impositum est nomen *Jonæ*, quod Hebræis idem notat. Hinc certè non obscurè elucet, cur, ut mater in piscem, ita filia in *columbam* dicatur commutata. Sic enim Ovidius *Metam. lib. 4.*

—— —— Et dubia est, de te Babylonia narret
Derceti, quam versa squamis velantibus artus
Stagna Palæstini credunt coluisse figura.
An magis, ut sumtis illius filia pennis,
Extremos altis in turribus egerit annos.

Atque inde est, quod originem arcessunt, cur Syri & piscibus abstineant & *columbis*, nam honori hoc datum ajunt Derceti & Semiramidis, quia illa piscis, hæc *columbæ* figurâ coleretur. Hygin. *Fab. 197. Ob id Syri pisces & columbas ex Deorum numero habent, non edunt.* Tibullus *lib. 1. Eleg. 7* de columbis,

Quid referam, ut volitet crebras intacta per urbes
Alba Palæstino sancta Columba *Syro.*

V. quoque Xenophontem *Expedit. Cyri lib. 1.* Phurnutum περὶ θεῶν, alios: Gerh. Joh. Vossius *de orig. & progr. Idololatriæ lib. 1. cap. 23.* Cæterum *Columba*, Hebr. יונה *Jona*, non ab opprimendo, ינה, ut volunt, neque à *vino*, ut οἰνάς, quæ Syris *charmiuno*, unde Χαρμίων, una ex illustribus Cleopatræ ancillis: sed à *Javan* seu *Jonia*, i. Græcia, est, ubi *columba* jam olim frequentes, cùm in Asia eas adventitias esse, Theophrastus tradat. Namque nota Dodonæa columba, apud Herodotum *lib. 2.* Item Deucalionis illa, *quam ex arca emissam, tempestatis signum fuisse, cùm eadem rediit, & serenitatis, cùm avolavit,* Plut. refert *lib. utra anim.* ubi vestigium Historiæ sacræ habemus. Sic *columbæ* Jovem dicuntur aluisse, cùm in Creta vagiret, ambrosiâ ex Oceano allatâ, apud Mœronem Byzantiam Athenæi *lib. 11.* Apud eundem in Ægio, Achajæ urbe, in *Columbam* mutatus Jupiter, cum Phthiâ virgine consuevit. Argonautæ quoque inter coeuntes Symplegadas trajecturi, à Phineo vate moniti, *columbam* emiserunt, cujus volatum sequerentur. Porro Ctesillâ, Alcidamantis Cei filiâ, in partu mortuâ, columba à sandapila evolavit, apud Nicandrum Ἑτεροιουμένων *lib. 3.* Et apud Ovidium *Metam. lib. 13. Fab. 4.* Oenotropæ Anii filiæ, ut pater Anius Anchisæ narrat,

—— —— pennas sumsere tuæque
Conjugis in volucres niveas abiere columbas.

Quæ utut fabulosa, evincunt tamen, *Columbas* in Græcia semper fuisse. Quid quòd Bœoticam Thisben & Lacedæmoniam Messenen, à copia columbarum, Homerus vocat πολυτρήρωνας, *Iliad. β.* Et juxta Smyrnam septem insulas Peristerides, i. *Columbarias*, recenset Plinius *lib. 5. cap. 31.* Adeoque *Columbas* post diluvium primò in Græciam & vicina loca contendisse, verisimile est, atque inde paulatim in reliquum orbem esse dispersas. Sam. Bochartus *Hierozoici Part. poster. Lib. I. cap. 1.* At *albæ columbæ*, in Græcia serò visæ, nec nisi postquam Xerxis copiæ ad montem Atho profligatæ sunt, ut disertè in *Persicis* tradit Charon Lampsacenus, qui tum vivebat, apud Athenæum *lib. 9.* Ælianum *in Variis lib. 1. cap. 15.* &c. Idem Bochartus ubi suprà c. 2. Plura de *Columbis* apud Eund. reperies *capp. seqq.* De more autem *Columbas* ante Reginas perferendi, legendus Galfridus Monemuthensis *lib. 7. cap. 4.* Uti de *Columbarum* in Epistolis perferendis ministerio, iterum Vossius *lib. 3. cap. 98.* ut & infrà. Nec omittendum, quòd veteres Christianos *Columbâ* quoque signare consuevisse legimus, apud Clem. Alexandrinum *Pædag. lib. 3. cap. 2.* Unde scalpturam *Columbæ*, sed olivæ ramum rostro ferentis, additâ, suprà Iride, infrà autem arca Noeticâ, ut planè Christianum hominem agnoscas, exhibet Gorlæus *Dactyliothecâ suâ, num. 118.*

Columba, in Ecclesia Rom. dicitur vas, in *Columbæ* speciem effictum & super Altare appensum, in quo pyxis, ubi Eucharisticus panis ad infirmorum viaticum asservari solet, includitur. V. Car. du Fresne *Glossar.*

Columba Allectatrix, memoratur Suidæ, ubi illam παλευτρίαν vocat. Nempe columba adeò simplex est, ut retia non evitet neque laqueos sibi paratos, cùm se demittit ad cibum: non tamen omnis, sed quæ allectatrici assidet, unde ἀνόητος πελειὰς, *sedens columba* Prov. apud eundem, ἐπὶ τῶν ἀπλουστάτων, *de simplicissimis.* Alia ratio columbæ est, quâ abutuntur Aucupes ad cæteras alliciendas. Aristophanes in *Avibus*,

Τὰς περιστερὰς δ' ὁμοίως ξυλλαβὼν εἵρξας ἔχει,
Κἀπαναγκάζει παλεύειν δεδεμένας ἐν δικτύῳ.
Columbasque similiter correptas coercens detinet
Et ligatas in reti cogit alias allicere.

Ad quem locum Scholiastes, Εἰώθασι, inquit, ἐκτυφλώσαντες τινὰ τῶν ὀρνέων ἱστάναι ἐν δικτύῳ, ὅπως τῇ φωνῇ προσκαλῆται τὰ ὁμογενῆ. *Solent excæcatam avem in laqueo detinere, ut voce congeneres advocet.* Et *columbas* in hunc usum esse adhibitas, præter Aristophanem, Philosophus quoque asserit, *Histor. lib. 9. cap. 7.* Αἱ περιστεραὶ ζῶσιν ὀκτὼ ἔτη αἱ τετυφλωμέναι ὑπὸ τῶν παλευτρίας τρέφουσι ἀνθρ. *Octo annos vivunt columbæ, quæ excæcatæ aluntur, ut sint allectatrices.* V. Sam. Bochartum *Hierozoici Part. poster. Lib. I. cap. 4.*

Columba Noæ, in Sacris celebris. Noahus enim in arca inclusus, cùm ex corvo non didicisset, quod scire avebat, quousque decrevissent aquæ diluvii, *Columbam* quoque emisit, avem docilem, & homini amicam, quæque diu ac procul volat, Psalmo 55. *versu 7.* & libenter humi pascitur, quia est ἐκ τῶν σπερμολόγων, hocque habet a natura sua insitum, ut ad nidum suum redeat undequaque, etiam è locis remotissimis. His igitur de caussis columba à Noacho emissa est; sed rediit non multo pòst, quia quietis locum non reperit, utpote terrâ adhuc λιμναζούσης, ut ait Josephus, id est, adhuc *stagnante* vel lacunosâ saltem & uliginosâ, in qua nihil dum erat herbarum. At eadem, septiduo pòst rursus emissa, rediit sub vesperam ramum olivæ in ore gestans: non ex monte oliveti decerptum, aut Paradiso terrestri, ut quibusdam visum, sed ex Assyriâ fortè, olearum feracissimâ, 2. Regum. *cap. 18.* Nox sc. arca substiterat in montibus *Ararat* seu Gordyæorum, quibus Assyria versùs Austrum vicina est, in quam proin partem cœli columbam, ex arca evolantem, invitante Austri calore & vento etiam impellente, devolasse credibile est. Vero enim consentaneum, ventum illum, quem excitaverat Deus, ut aquas exsiccaret, Genes. *cap. 8. versu 1.* ex Aquilone flavisse in Austrum. Ut apud Ovidium, in Deucalionis diluvio, pacatus Jupiter

Nubila disjecit nimbisque Aquilone remotis,
Et cœlo terris ostendit, & æthera terris.

Sic reditu suo columba anxium Noahi animum recreavit, & eum excitavit in spem proximæ liberationis. Sed post aliud septiduum

peiduum tertiò emissa, non reversa est ampliùs in arcam, quia tum aquis magis ac magis decrescentibus, neque victus illi defuit, neque nidus, in quo lateret. Unde aquas destitisse, animadversum. Cujus historiæ vestigia in Abydeni *Chaldaicis* occurrunt, apud Eusebium *Præpar. lib.* 9. & Cyrillum c. *Julian. lib.* 1. Ille enim tertio die, postquam pluere desiisset, aliquas aves dimisisse Xisuthrum (sic ille Noam vocat) quæ pedibus lutosis ad illum redierint, scribit. Græci id ipsum ita referunt, ut in iis vix quidquam desideres, nisi quòd Noæ substituunt Deucalionem suum, V. Plutarchum in libr. *utra animalia*. Onirocritici Arabes τῷ φάσσῃ, i. palumbi tribuunt idem, eamque columbæ præferunt, fortè quia Mahumeti creditur Deus sub palumbi specie apparuisse & multa inspirasse, uti refert Vartomannus *Navigat. lib.* 1. *cap.* 18. &c. Quam in rem V. plura, inprimis de morali ac mystico sensu hujus *Columbæ*, nec non de *Columbæ* specie, quæ in Baptismo Christi apparuit, apud Sam. Bochartum *lib. præfato cap.* 6.

Columba Stellæ, memoratur Martiali *Lib.* 1 *Epigram.* 8.

Stellæ delicium mei Columba,
Veronâ licèt audiente dicam,
Vicit, Maxime, passerem Catulli.
Tanto Stella meus tuo Catullo,
Quanto passere major est columba.

Fuit autem is Stella præn. Aruntius Patavinus, Poëta Elegiographus, qui uxoris Violantillæ, quam *Janthida* idem Poëta vocat *lib.* 6. *Epigramm.* 21 columbam insigni carmine deflevit, quemadmodum nequitiam obitumque passeris Lesbiæ suæ Catullus carmine exequiali fuerat prosequutus. Atque illud quidem huic antefert Martialis, repugnante doctorum judicio: nisi dicas Martialem aliter sensisse, aliter scripsisse. Quod verò hic Stellæ, id Violantillæ conjugi illius, idem Poëta adscribit, *lib.* 7. *Epigramm.* 13.

Vel Stellæ cantata meo, quam flevit Janthis,
Cujus in Elysio nigra columba volat.

V. de hac Stellæ Columba Claudium Musambertium, uti nominari vult, *ad Martialem lib.* 1 *Epigramm. cit.* Aliosque: quibus, si placet, adde inprimis Joannis Levinei *Commentaria posthuma ad Propertium lib.* 3. *Eleg.* 3. quorum meminit Barthius *ad Statium lib.* 1. *Sylv.* 2

Columbæ, in multiplici Sacrificiorum apud Hebræos olim usu fuere. Non enim solum ad esum hi columbas, sed etiam ad sacrificia exquirebant, quæ multorum erant generum. Sic Levitici *cap.* 1. *versu* 14. agitur de spontaneo holocausto è turturibus, aut pullis columbarum. Levitici *cap.* 5. *versu* 7. qui blasphemantem alium non correxerat aut ipse temere juraverat aut immundæ rei contactu se polluerat, jubetur offerre par turturum, aut columbarum, unam pro peccato, alteram pro holocausto. Levitici *cap.* 12 *versu* 6. à puerpera, post expletos dies purificationis, Deus agnum anniculum in holocaustum exigit, & pullum columbæ, vel turturem, pro peccato, aut si agnum offerre non possit, duos turtures, aut duos pullos columbarum. Easdem quoque oblationes præscribi videas ei, qui a lepra sanatus est, Levit. *cap.* 14. *versu* 22. Illi item, qui à profluvio suo mundatus est, Levit. *cap.* 15. *v.* 13. & 14. Et τῷ [illegible] καθαρισμῷ, Levitici *eod. cap. vers.* 27, 28. Et in purgatione Nazirai, qui mortui contactu se contaminavit Num. *cap.* 6. *versu* 10. In quibus sacrificiis Deus *columbas* & turtures cæteris avibus prætulit, propter puritatem, castitatem, simplicitatem, mansuetudinem & reliquas virtutum umbras, quæ in illis observantur. Sed turtures adulti, *Columbarum* non nisi pulli in Altari oblati, quòd in hac ætate maximè præstant: idque plerumque non nisi a tenuioribus, Levit. *cap.* 5. *versu* 7. Itaque vel hinc colligere est, quàm pauper fuerit B. Virgo, quæ, post purificationem, non obtulit agnum, sed turtures, aut pullos columbarum, Lucæ *cap.* 2. *versu* 24. Quo ritu autem columbas mactaverint Judæi, breviter docet Moses Levitici *cap.* 1. *versu* 15, 16, 17. & *cap.* 5. *v.* 8. pluribus verò Maimonides *De Sacrificiis offer. cap.* 6. & 7. Hic saltem addimus, alias quidem victimas Hebræos ferro mactasse, at aves ungue solo, quo capite versus alas reflexo, guttur eis discerpebant Id quod Hebræis est מלק, Græcis ἀπονυχίζειν, h. e. *ungue lacerare* vel *abscindere* Levit. *d. l.* V. Kimchium in *Lexico* in hac voce. Ne verò victimæ deessent, in prima Templi parte vendebantur boves, oves & columbæ, Joannis *cap.* 2. *versu* 14. uti dicemus infrà in voce *Parbar*. In quorum venditores meritò irritatus Dominus noster, *evertit eorum cathedras, qui columbas vendebant,* Marci *cap.* 11. *versu* 15. Et *columbarum venditoribus dixit, Auferte ista hinc. Nec facite domum Patris mei domum emporii,* Joannis *c.* 2. *v.* 16 &c. Sed & Gentiles *Columbarum* hæc sacrificia prava quadam cacozelia usurpasse legimus. Propertius *lib.* 4. *Eleg. ad Lanam.*

Sed tape torquatæ, Venus ô Regina, columbæ
Ob meritum ante tuos guttura secta focos.

Ovidius *Fastorum lib.* 1.

Ergo sæpe, suo conjux abducta marito,
Uritur in calidis alba columba *focis* &c.

Quo tamen Veneris mystis interdictum fuisse, videtur colligi ex Martiali *lib.* 13. *Epigr.* 66.

Ut *vides tener ut pradure dente columbus,*
Tradita si Gnidiæ sunt tibi sacra Deæ &c.

V. iterum Bochartum ubi suprà, *cap.* 5.

Columbæ Internunciæ, olim hodieque adhibitæ. Posuimus enim earum vocatus, *cumque reliquæ omnes aves, quando fessæ, super petram aut super arborem, fugiant & capiantur: ista columba, cùm fessa est, alarum unam comprimit, & alterâ volat, sic evadit*, uti habet Kimchius *ad Psalm.* 55. *versu* 7. Hinc Aben Ezra *ad eund. Meminit columbæ, quia illa degit cum hominibus, & literas per eam mittunt Reges.* Nempe seculo post Christum duodecimo, quo is scripsit, multo id in usu fuit. V. Paulum Æmyl. *de Gestis Francorum lib.* 4. ubi de Hazarchi, Syriæ oppidi præfecto; & ubi de Hierosolymis per Christianos obsessis: item *lib.* 5 ubi de Tyro obsessa, Marmolium *Africæ suæ l.* 2. *c.* 31. Jac. Vitriacum *Hist. Or. lib.* 1. Arnoldum Lubec. *Histor. Slavor.* Wildebrandum ab Uldenberg & *Itinerarium* Hierosolym. Sed & vetustiores Historiæ ejusdem artis specimina nobis exhibent. Namque Taurosthenes Olympionices, victoriam suam eodem die patri ex Olympia Æginam significasse, per columbam, quam a teneris suis pullis avulsam secum Pisas deportaverat, legitur apud Ælianum *Var. lib.* 9. *cap.* 2. Quale quid in obsidione Mutinensi evenisse, Plinius & Frontinus referunt, quamvis inter illos parum conveniat. Et ad hanc columbarum industriam sæpe alludere Poëtas videas. In quibus Anacreon *Od.* 9 columbæ suæ hæc affingit,

Ἐγὼ δ᾽ Ἀνακρέοντι	*Ego Anacreonti*
Διακονῶ τοσαῦτα,	*In talibus ministro,*
Καὶ νῦν ὁρᾷς ἐκείνου	*Ejusque nunc vides,*
Ἐπιστολὰς κομίζω.	*Quales fero tabellas*

V. quoque Pherecratem *in Pictoribus*, apud Athenæum *lib.* 9. Martialem ubi de columba, in Arctullæ sinum delapsa, *lib.* 1. *Epigramm.* 2. & Heinsium, de columbis Leidensibus *l.* 6 3. *Eleg.* 10. Hanc enim artem intermortuam, Patrum memoria, Belgæ excitarunt. Imò & Turcæ, quorum Imperatorem scribit Sandel ... tus, in *Armuziæ descriptione cap.* 6 per columbas brevi addiscere, quid fiat in remotissimis Imperii sui partibus, qua de re V. plura apud P. de Valle *Itiner. Pars.* 1 ubi multa de his Columbis, Aleppensibus inprimis, quas maximè ad ista dociles, sextiam iter, vix unius diei spatio, facilè emetiri, refert. Quod enim de tribus parasangarum millibus die uno confici ab illis solitis, Alkazuinius habet, & Damir, Scriptores Arabes, supra fidem est. Epistolium autem, quod sic columbæ alligatur, Arabicè speciali nomine *vittaka* vocatur, *i. pittacium*: quemadmodum *Zagila*, est columbam in hunc finem emittere, & columba sic emissa, *Zajil* &c. V. Sam. Bochartum ubi suprà *cap.* 2. ut & infrà, ubi de docentibus *Columbas volare*.

Columbas volare docentes, Talmudicis מפריחי יונים, apud Hebræos infames erant. Scilicet quatuor hominum genera a testimoniis & judiciis ob infamiam arcebant, *Aleatores, Foeneratores, quæstum facientes ex anni Remissionis seu septimi frugibus &* demum eos, qui *Columbas volare* docebant: quòd horum sermo ad bonum publicum seu vitæ humanæ commodum [illegible] spectaret. Et quidem *Columbarum* nomine signantiùs usurpato (quæ forsan aut illæ frequentius sic eductæ aut cariùs præ cæteris habitæ) qui cætera animalia pariter docerent, innuuntur à Talmudicis, perinde ac si Angli, nomine eorum, qui gallos in certamina nutriunt, etiam eos, qui ursos, canes, tauros, simili curant instituto, vellent complecti. Id verò genus fortè fuere illi, qui ex cœlestis oloris, in themate suo Genethliaco, virtute, ut ait Manilius *Astronomic. lib.* 5. clausas,

—— —— culmine summo
Pascere aves, studens Veneris & reddere caras,
Aut certis revocare notis, totamque per Urbem
Qui gestant caveis volucres ad jussa paratas.

Ad jussa parata volucres etiam sunt, tum quæ in pugnam tum quæ in certamina nutriuntur volatûs reditusve celerioris. Quemadmodum hodieque Memphi, Damasci, Tripolis, alibi in Oriente, *columbæ* quasi hominum nunciatrices, novarum rerum eventus, pacis bellique successus mira velocitate denuntiare solent. Atque inter Africæ Muhamedanos, consimiles memorat Leo Afer. Sed & ludus quibusdam intelligitur in illo Magistrorum interdicto, quo *de columbarum* celeritate pignore certabantur. Item mos ille, cum *columbas* sic instituebant, ut exeuntes alias venarentur & sic comitatiores domum redirent: quod facere ex Majorum scitis vetitum est furtumque sic committi constitutum, &c. V. Joh. Seldenum *de Jure Nat. & Gentium juxta Discipl. Ebræor. Lib. IV cap.* 5. *& Lib. VI cap.* 11.

Columbus, mel. *Colonus* Christophorus, Genuensis. Hic Geographiæ & Astronomiæ apprimè peritus, quo pacto Novum Orbem, quem, quia in veram Indiam, h. e. Orientalem se ducturum esse suspicatus fuerat, *Indiam* appellavit, postmodum *Americæ*, & *Indiam Occid.* dictam, detexerit, V. in voce *Christophorus Columbus*. E primis autem, quæ ab illo inventæ sunt, Americæ insulis, Hispaniola & Cuba fuere. Ita impletum illud Senecæ in *Medea*,

—— —— Venient annis
Secula seris, quibus Oceanus
Vincula rerum laxet & ingens

[illegible]

Pateat tellus, Tiphysq; novos
Detegat orbes, nec sit terris
Ultima Thule.

Alii tamen, qui *Columbo* aliquid detractum eunt, referunt ipsum à Navarcho, quem Alphonsum Sanchez de Huelva, item Aldretem Hispanum & Garciam Vegam nuncupant, primam hujus rei notitiam habuisse; qui cùm commerciis Africæ occupatus fuisset, tempestate ad incognitas hasce terras ejectus fuerit, notusque dein tractibus redditus, apud *Columbum* in ins. Madera diverterit, ac paulo pòst morte abreptus ipsi, quos confecerat, navigationis suæ commentarios reliquerit: quorum beneficio illum in cogitationes de quærenda America dicunt incidisse, V. Acostam, Grotium & Comtæum *de orig. Gentium Americ.* Verùm relatio hæc non immeritò quibusdam suspecta videtur, quippe quæ ex Hispanorum, gloriam tantæ inventionis viro extraneo invidentium, æmulatione oriri facilè potuit. Anglorum quoque nonnulli Madocum filium Guyneth, fratrem Walliæ Principis laudant, qui circa A. C. 1170. colonias in Floridam & Canadam eduxerit, V. Auctorem *Histor. Orbis Terr. Geogr. ac Civ.* & de *Columbo* plura, apud Ferdin. Columbum *in vita Patris*. Illius successio ac nomen delapsa hodie ad gentem Portugallicam & quidem ramum Comitum de *Gelves*, e quibus Duces *de Veragua* & *Jamaica*, ita habet. Ejus filius Didacus *Columbus*, ex Maria filia Ferdinandi Toletani, Dn. *de Villora*, pater fuit Isabellæ: quæ nupta Georgio *de Portugal*, Com. *de Gelves*, genuit Alvarum Portugallum Com. *de Gelves*: quo & Leonorâ Cordubensi, natus Nunius Portugallus *Columbus* D. de Veragua, ex Aldoncia Portocarrera, suscepit Petrum Nunnezium *Columbum de Portugal* Duc. *de Veragua* & *de la Vega*: qui, maritus Isabellæ *Fernandez de la Cueva*, filium habuit Petrum Nunnezium *Columbum de Portugal March. de Jamaica*, V. Phil. Jac. Spenerum *Theat. Nobil. Europ. Tom. III. pag.* 72.

Columella, apud Ciceronem *Tusculanâ* 5. ubi de Archimedis sepulchro, *columellam è dumis eminentem*: quæ est parva columna, seu cippus sepulchralis, stela mortui tumulo imposita; propriè *Cippus* olim vel *μνημεῖον*, *monumentum*, quòd ad memoriam defuncti poneretur. Continebat enim *columella* hujusmodi nomen & elogium defuncti, *τὸ ἐλεγεῖον*: unde & ipsi cippo id nominis tributum. Virgilius,

—— —— *Tum fronte locatur*
Elogium ——

Quemadmodum idem *titulus* quoque, & apud Corn. Nepotem *Epaminonda*, *periculum* dictum occurrit, uti dicemus infra, in voce *Monumentum*, item *Stela sepulchralis*. Exemplum hujus moris Lucillius affert, in hoc disticho.

Servus neque infidus domino, neq; inutilis quiquam
Lucili columellâ hac situs Metrophanes.

Hic sub *Columella* hac situs est Metrophanes Lucilii servus. Ubi Donatum, ex eo Lucilii versu notantem, principales & primos familiæ servos *Columellas* vocatos, ἀδόκιμως arguit Salmasius *ad Solinum pag.* 1210.

Columen, loci nomen, apud Livium *lib.* 3 *cap.* 23. *Aliquot mensis Tusculi bellatum parte exercitus Consul castra Æquorum oppugnabat — Victor ad* Columen (*id loco nomen est*) *exercitu relicto, castra locat. Et alter Consul, posiquam manibus Romanis jam pulso hoste periculum esse desierat* &c.

Columna, Græcè στῦλος, item κίων, in multiplici olim usu. Necessitati enim & ornatui inserviebant; de quibus Plinius *lib.* 36. *c.* 15. *Columellæ in æde densiùs positæ crassiores videntur. Genera earum quatuor. Quæ sextam partem altitudinis in crassitudine ima habent, Doricæ vocantur: quæ nonam, Jonicæ, quæ septimam, Thuscanicæ. Corinthiis eadem ratio, quæ Jonicis. Sed differentia quoniam capitulis Corinthiarum eadem est altitudo, quæ colligitur crassitudine ima, ideoq; graciliores videntur. Antiqua ratio erat columnarum altitudinis, tertia pars latitudinum* (MS. habet *altitudinum*) *delubri. In Ephesiæ Dianæ æde — primùm columnis spiræ subditæ & capitella addita. Placuitque altitudinis octava pars in crassitudine & ut spiræ haberent crassitudinis dimidium, septimæque partes detraherentur summarum crassitudini. Præter has sunt, quæ vocantur Atticæ columnæ: quaternis angulis pari laterum intervallo* &c. Nempe quòd in Ædibus, tum sacris tum profanis, *culmina* sustinerent, hinc nomen illis secundum nonnullos. Neque verò ad necessitatem solùm, sed & ad magnificentiam & censum ostentandum, plurimas eas habebant ædificia nonnunquam, Romana inprimis, cùm paucæ sustinere fastigia possent. Papinius Statius *lib.* 1. *Sylv.* 2. *v.* 152.

Pendebis innumeris fastigia nixa columnis,
Robora Dalmatico lucent satiata metallo &c.

Nec tantùm ex vili lapide, sed e marmore eoque peregrino, quod L. Crassus primum usurpavit. Idem Plinius *lib.* 36. *cap* 3. *Jam enim L. Crassum Oratorem illum, qui primus peregrini marmoris columnas habuit in Palatio, Hymettias tamen, nec plures sex aut longiores duodenum pedum, M. Brutus in jurgiis ob id Venerem Palatinam appellavere.* Postmodum crescente luxu, ex onyche, quatuor modicas in theatro suo Balbus posuit. *Nos ampliores triginta vidimus in cœnatione, quam Callistus Cæsaris Claudii libertorum potentia notus, sibi exædificaverat*, idem Plinius *lib.* d. *cap.* 7. Adde & florum nitorem, quo hæ in domibus columnæ quoque coronabantur. Lucianus *Nig.* [illegible] *Nonnulli verò jubent & coronare columnas floribus* &c. Quam in rem V. plura apud Joann. Meursium *de Luxu cap.* 12. Sed & porticus ac ambulacra *Columnis* interstinguebantur. Statius *lib.* 3. *Sylv.* 5. *versu* 90

Quid nunc magnificas species, cultusq; locorum,
Templaq; & innumeris spatia interstincta columnis
Et geminam molem nudi tectiq; theatri &c.

Quibus quo pacto à Vett. ornatæ fuerint Civitates, ubique legitur; & ex parte hodie quoque conspicitur. V. aliquid huic loco collatum, apud J. Passeratium *Commentar. Propert lib.* 2. *Eleg.* 31. &c. Memoriæ *Columnas* inservisse discimus ex Columnis Sethi duabus, apud Josephum, quibus is præcipua Astronomiæ optimarumque artium arcana insculpsisse, quò sic ad posteros memoria eorum propagaretur, dicitur. Quem eundem in usum, posteriori ævo, columnas adhibuisse Astronomos, docent *Analemmata* eorum & *Parapegmata*, de quibus V. suo loco. Iisdem Leges incisæ, & Fœdera, quò testatior omnibus eorum memoria esset. Et quidem de Legibus V. suo loco, de Fœderibus, insignis est Livii locus *lib.* 2 *cap.* 33. ubi de Fœdere cum Latinis, *Ita fusi Volsci Antiates, Corioli oppidum captum, tantumque sua laude obstitit famæ Consulis Marcius, ut nisi fœdus cum Latinis*, columnâ æneâ *insculptum monumento esset, ab Sp. Cassio uno — ictum; Posthumum Cominium bellum gessisse cum Volscis, memoria cessisset.* Eodem facit devotio Alcibiadis, *in pila lapidea excisa*, apud Corn. Nepotem in *Vita* ejus. Nec nostri ævi exempla desunt. Cippi inprimis & *columnæ* sepulchrales &c. Honori præclarorum virorum insuper *Columnæ* dicatæ; quas & ungi & coronari consuevisse legimus. Certè Alexander M. cùm Ilium transgressus Minervæ sacrificaret & Heroibus, *Columnam Achillis*, hoc est, ejus statuam (de qua aliquid suprà diximus) pingui inunxit oleo, dein unà cum sociis nudus ad eam cùm incitato cursu perrexisset, eam coronavit, teste Plutarcho in *Vita* ejus. Idem discimus ex versibus Clement. 1. *Strom.* citatis,

[illegible]
Ἥρη Ἀργείη, [illegible]
[illegible]
Callithoe clavem Reginæ gestans Olympiæ
Junonis Argivæ, quæ sertis atq; coronis
Prima exornavit columnam *longam Reginæ.*

Qui mos statuas columnasque præclarissimorum virorum, etiam superstitum, coronandi, Romæ quoque sub Principibus viguit, ut è Tacito liquet *Annalium lib.* 4. *Jamque tres laureatæ statuæ in urbe & adhuc raptabat Africam Tacfarinas.* Inprimis hic indigitandæ *Columnæ Triumphales*, de quibus, inter alia Triumphi ornamenta, agunt Plinius *lib.* 34. *cap.* 5. 6 & 7. & Valerius Max. *lib.* 2. *cap.* 5. V. etiam, ubi de *Triumpho* & *Tropæis* &c. Tandem ignominiæ quoq; & supplicio *Columnæ* destinatæ leguntur. Sic ad *Columnam Mæniam*, in jus vocabantur Romæ, obærati ac decoctores: unde *Columnarii* ii appellati, Cælio *ad Ciceronem*. Apud eandem, fures & servos nequam, coram Triumviris Capitalibus, puniri solitos, monet Asconius *Commentar. in* 1. *Verrin.* Hinc in Mænam Pompejanum Horatius *Epodon Ode* 4.

Sectus flagellis hic Triumviralibus,
Præconis ad fastidium.

Etiam qui in crucem agebantur, priùs flagris cædebantur ad istiusmodi columnam, uti infrà videbimus, ubi de *Cruce*, *Flagellatione Verberibus* &c. Nec omittendus *Columnarum* sanctior usus. Uti enim in mediis ædibus erectas habuere Romani: Sic apud Hebræos quævis Synagoga, in medio *Columnam* habuit, in quam ascendebant Doctores verba ad populum facturi. Quò alludere proin visus est divinus Parœmiastes, cum *septem Columnis excisis Sapientiam domum ædificasse*, ab illo dicitur. Quo eodem sensu & ipsa Ecclesia Apostolo dicta videtur, στῦλος καὶ ἑδραίωμα τῆς ἀληθείας, *Columna & stabilimentum veritatis*, i. *Columna* seu cathedra, e qua Veritas sacra prædicatur, publicaturque. Fr. Burmannus *Orat. Inaugurali de Collegiis Theologicis ac Philosophicis.* Plura de *Columnis*, V. hic passim, inprimis paulo infrà, ut & in voce *Coluria* (quæ tamen propriè erant pilæ, ex multis lapidibus compositæ, non columnæ,) Item *Monolithæ Columnæ*: etiam in voce *Climita*.

Columna Nubis & Ignis, Dei ante castra Israelitarum procedentis sedes augustissima, memoratur Exodi *cap.* 13. *versu* 21. & 22. *Jehova verò antecedebat eos* (Israëlitas) *interdiu in columna Nubis ad deducendum eos via illa & noctu in columna Ignis, ad afferendum eis lucem, ut progrederentur interdiu ac noctu. Non amovit columnam illam nubis interdiu, aut columnam illam Ignis noctu à conspectu ipsius populi.* V. quoque Psalm 105 *versu* 39. Nempe in vastissimo illo Deserto, ubi nec viæ, nec vestigia hominum visebantur, alii quidem illac iter facientes, velut in mari navigantes, ad stellarum cursum gressus suos dirigebant: Israëlitas verò ipse Filius Dei, in visibili *Columnæ* signo, præivit, viamque quà pergendum esset monstravit. Quæ columna quamvis una esset, geminum tamen usum præbuit, nimium Solis ardorem de die umbrâ suâ infringendo, & noctis caliginem lumine suo minuendo. Factum autem id, quam primùm ex Ægypto exierant Israelitæ Pa-

ftea, quo die erectum Tabernaculum eft, operuit nubes ipfa Tabernaculum interdiu, versùs tentorium Teftimonii: vefpere autem erat fuper Tabernaculum, quafi fpecies ignis usque mane. Prout autem efferens fe nubes illa fupra Tentorium illud proficifcebatur, ita poftmodum proficifcebantur filii Ifraelis & in loco, ubi refidebat, ibi caftrametabantur, uti videre eft Numerorum *cap. 9. verfu 15. & feqq.* Tumque fiebat illa precatio, *Surge Jehova & difpergantur inimici tui, fugiantque ofores tui à facie tua.* Item, *Da quietem Jehova myriadibus millibus Ifraëlis*, quæ habetur *cap. 10. feq. verfu 35. & 36.* Præibat verò columna hæc, quamdiu peregrinatio illa durabat, uti patet ex *cap. 9. cit.* &c. Quibus omnibus fignificabatur Angeli vindicis præfentia, qui ifta nube vehebatur, ac circùm Ifraelitarum caftra metabatur, V. Efaiam *cap. 63. verfu 9.* Perpetua item Ecclefiæ protectio, ac illuminatio, quam, tanquam caftra fua, per mundi hujus manfiones, præfenti curâ ambit ac incingit, Efai. *cap. 4. verfu 5.* Præcipuè verò Angeli Fœderis incarnatio, qui, ficut tunc in nube habitabat, inque eo figno ab Ecclefia videbatur: ita olim in humano corpore hofpitaturus erat iftaque vefte Majeftatem fuam diffimulans fefe eidem populo olim videndum contrectandumque præbiturus, Johann. *cap. 1. verfu 14.* V. Franc. Burmannum *Synops. Theol. Chrift. Part. I. lib. 4. cap. 32. §. 2.* & *Commentar. in Exodum ad d. l.*

Columna Trajani, ingens Romanæ magnificentiæ monimentum. Hæc in medio Fori Trajani, poft bellum Dacicum ab hoc per Apollodorum ædificati, fita fuit, hodieque adhuc apparet, alta, ut habet P. Victor, pedes 128. Præter enim arcus triumphales columnasque plurimas *gigantæi contextus*, ut loquitur Amm. Marcellinus, *ftatua ipfius Trajani in medio porticus atrii columnis altiffimis fuperpofita, præ cæteris verò in foro medio Cochlis columna marmorea erecta fuit*, Anton. Thyfius *in A. Gellium lib. 13. cap. 14.* De qua fic Dio Caffius, *In foro ingentem columnam ftatuit* (Trajanus) *five ut ea pro fepulchro effet, five in oftentationem ejus operis, quod ille circa forum egit. Clivus furgebat, quem effosâ quoquoverfus terrâ ita complanavit, ut undique columna confpiceretur, forumque deinde in areæ modum æquatum manfit.* Bafis 12. pedum eft, lapidibus conftat viginti quatuor miræ vaftitatis, ut opus videatur non ab hominibus fed à gigantibus perfectum: Horum quilibet gradus octo, per quos afcenditur, habet. Lumen præbent feneftellæ quadraginta quatuor: Cælatæ funt in circuitu res geftæ Cæfaris Trajani bello Dacico, aliisque militaribus expeditionibus. Infcriptio autem talis:

SENATUS. POPULUSQUE. ROMANUS.
IMP. CÆSARI. DIVI. NERUI. F. NERVÆ.
TRAJANO. AUG. GERM. DACICO.
PONTIF. MAXIMO. TRI. POT. XVII. IMP. VI.
COS. VI. P. P. AD. DECLARANDUM.
QUANTÆ. ALTITUDINIS. MONS. ET.
LOCUS. TANTIS. EX. COLLIBUS. SIT. EGESTUS.

Unde apparet, *Columnam* rebus Dacicis infculptam, non, ut voluit fuprà Dio, à Trajano ipfo, fed à Senatu P. Q. R. Imperatori erectam effe: Factum enim hoc eft, Trajano bellis Afiaticis implicito, qui etiam in reditu Seleuciæ Syriæ moriens columnam ne vidit quidem; interim cineres ejus in urbem relati intra auream pilam, in ejusdem fummitate reconditi funt. V. præfatum Thyfium *loco citato*, Adam. Preyelium *Sinæ & Europæ cap. 17.* A. Ciacconium inprimis, qui columnæ hujus delineationem, quemadmodum hodie fupereft, æri incifam edidit, additâ fimulachrorum in ejus extima fuperficie infculptorum, quæ hiftoriam utriusque belli Dacici continent, explicatione.

Columnæ Altaris, quibus in Communione Rom. Altare fuftentatur & quas prehenfare folebant, qui fugiebant ad Ecclefiam (ficuti in V. Teft. cornua Altaris) occurrunt *in Epiftola Clericorum Italiæ* Concil. Gall. *Tom. I. pag. 196. Quo vifo fanctus Papa* columnas Altaris *complexus eft.* Sic apud Aimoinum *Hiftor. Franc. lib. 2. cap. 32. in Bafilicam S. Eufemiæ confugit, tenuitque columnam Altaris.* &c. V. quoq. Eadmerum *in Vita S. Wilfridi cap. 16.* Theophanem *ann. 20. Juftiniani*, Pachymerem *lib. 7. cap. 17. pag. 31.* Alios. Erant autem hæ *Columnæ* numero quatuor, uti docet Honorius Auguftodun. *lib. 3.* interdum quinque, uti du Frefne refert, ex *Vita* S. Theodardi Archiep. Narbonenfis, apud Catellum, *pag. 761.* V. omnino eum in *Gloffar.* ut & *in Defcript. S. Sophiæ cap. 55.*

Columnæ Delphinorum, apud Juvenalem, ubi de Circo,

Plebejum in Circo pofitum eft & in aggere Fatum,
Quæ nudis longum oftendit cervicibus aurum,
Confulit ante Falas Delphinorumque columnas:

dicebantur, quæ infculptos habebant delphinos, de quibus infrà; vel quibus delphini pro bafi erant. Suftinebant autem illæ Seffias, Meffias & Tutelinas, i. fimulachra Dearum, Seffiæ, Meffiæ & Tutelinæ, Tertullianus *de Spectac.* V. quoque Plinium *lib. 18. cap. 2.* Ibique viles & triviales Aftrologi à mediocribus & plebejis fœminis confulebantur. Eas *Neptuno delphinas vovere*, idem Tertullianus eleganter dixit; quod circa capitula vel bafim fculptos eos præferrent, fed magis eft, ut circa capitella fculpti fuerint. Salmafius *ad Solinum p. 912.* ubi in ea Circi parte, quæ inter utras-que metas interjacebat, in modum aggeris fatis altè è terra elata & *Euripus* vocabatur, has columnas conftitutas fuiffe, ait.

Columnæ Sepulchrales, apud Athenienfes olim in ufu, quas trium cubitorum altitudinem excedere Leges vetabant: his vel icon defuncti impofita, vel hieroglyphicon aliquod addi folitum fuit. Sic Diogenes, utpote Cynicus, canis imagine honoratus eft: Ifocratis, tanquam Oratoris, columna, Sirenem in apice oftendit &c. V. hic paffim, in vocibus *Columella, Monumentum, Stela* &c.

Coluria, apud Sidonium *lib. 2. Epift. 2. Ab ortu lacum porticus intuetur, magis rotundatis fulta coluriis, quàm columnis invidiofa volubilitas*, femicolumnia funt, ab una parte in acumen definentia. Vocis origo à medicamentis rotundis, & oblongis altera que parte craffioribus, quæ κολλούρια appellata funt, quod muris caudæ truncatæ fimilia effent. Inde enim nomen κόλουρον, *cui cauda curta eft*, à quo κολλούριον, quæ, ut fiftulis immitti poffent & naribus, aliisque [illegible], eâ formâ fiebant: cum colyriis neutiquam confundenda, uti diximus fuprà in voce *Colyra*. V. Salmafium *ad Solinum pag. 257. & 924*

Colus, cum lana, & fufus cum ftamine, in pompa nuptiali, apud Romanos olim, Sponfæ præferri folebant à duobus, ad lectum usque, tanquam operis, in quo futura effet, aufpicia, utpote fic fedulitas futuræ Matrisfamilias defignaretur. Sicuti apud Græcos etiam cribrum præferebatur, & ante thalamum piftillum alligabatur, uti videre eft apud Scaligerum. *Poetices lib. 3. cap. 101.* & infrà, ubi de *Nuptiis.* Sed & olim Tanaquillæ, Prifci uxori, ftatua à Romanis pofita, lanam, fufum & *colum tenens in probitatis ac virtutis muliebris argumentum*, uti teftatur Feftus, Plinius *lib. 8. c. 48.* & Plut. *Problem. 30.* Prifci moris veftigia etiam recentiori ævo perdurantibus: Sepulchro [illegible] Ottonis I. Imp. cognom. *Magni*, Conrado Franconiæ Duci nuptæ, *fufum argenteum* honoris memoriæque ergo appenfum fuiffe, difcimus ex Dietmaro *lib. 2. pag. 15.* V. quoque infrà in voce *Fufus.*

Colymbus, apud Prudentium de fonte,

Nunc pretiofa ruit per marmora lubricatque clivum,
Donec virenti fluctuat colymbo.

Et Lampridium *in Heliogab. Marina aqua colymbos exhibebat.* Græcè [illegible] *in Epigrammate.*

——— [illegible]
[illegible]

Natatio eft feu pifcina: pro κολυμβήθρα. V. infrà, ubi de *Natatione* & *Pifcinis.*

Coma, olim libertatis infigne, apud Gallos præfertim. unde *Regalis capillitii jus* prifcis Francis, adeò celebre, apud Hotomannum *Francogalliæ cap. 9.* Aimoinum *de Geftis Francorum lib. 3 cap. 61.* &c. Certè omnes Galliæ Reges usque ad Pipinum Caroli M. patrem, *longis capillis femel tantùm in anno confpiciebantur*, P. Faber Sanjorianus *Semeft. lib. 2. cap. 10.* Originem ritus hujus affert Ado Viennenfis *Chron. æt. 6. Poft Pharamundum, Franci Chlodionem filium ejus fibi Regem ftatuunt: ab hinc Franci in finibus Thoringorum habitantes crinitos Reges habere cœperunt.* Quæ Coma tanta fuit in reverentia, ut illam tetigiffe fanctiffimi juramenti vice fuerit, V. Idacium *lib. 3.* ubi de Clodovæo & Alarico loquitur. Hinc *in præf. legis Salicæ*, Chlodovæus *Comatus dicitur.* Claudianus *de 4. Honorii Confulatu*, Sicambros cum Francis confundens, ait:

Ante Ducem noftrum flavam fparfere Sicambri
Cæfariem, pavidique orantes murmure Franci
Procubuere folo.

Et *de laudibus Stilichonis lib. 1.*

——— *Ingentia quondam*
Nomina, crinigero flaventes vertice Reges, &c.

Nec Gothi minus comati fuere, ut adnotavit Savaro ex Procopio *lib. 4.* Caffiodoro *lib. 4. Epift. 49. ad Sidonium* &c. Prudentius de Roma à Gothis capta *lib. 2.*

——— *Non armis, vefte comisque*
Ignotus capta paffim vagus errat in urbe.

Claudianus iterum, *de bello Getico*,

Crinigeri federe patres, pellita Getarum
Curia.

Apud prifcos quoque Romanos viri intonfi *comatique* incedebant, unde ftatuæ illis capillis demiffis collocabantur. Horatius *lib. 1. od. 12.*

Hunc & incomptis Curium capillis
Utilem bello tulit.

Juvenalis *Sat. 5. verfu 29.*

Ipfe capillato diffufum Confule potat,

id eft, vinum valde vetus. Sed poftea mos ille exolevit, nec non nifi in fqualore & luctu barbam comamque promittebant: Hinc Suetonius *de Augufto*, *Per quatuor*, inquit, *cenas [illegible] barba capilloque fummiffo:* & ante eum Livius *lib. 2. cap.* [illegible] de Marco Livio, & *lib. 6. cap. 16.* de Manlio, quem [illegible] Eodem pacto Græci *promiffas alebant comas*, [illegible] propterea perpetuò Homero dicti, neque capillum hunc nifi [illegible] urgente periculo exuebant. Unde celebris apud Ariftotelem lex *lib. 1. Rhetor. Criniti fervile officium fubire non poteft.* Idem Philofopho-

rum

rum ornamentum fuit; unde Lucianus Cynico: *Quid autem barbam quidem habes & comam, tunicam non habes* &c. Hanc calamistro crispare molliores solebant, meritò Poetis irrisi: *Quò enim spectant flexa pectine comæ?* Petron. *Satyr.* Unde Martialis *lib.* 2. *Epigr.* 36.

Pectere te nolim, sed nec turbare capillos,
Splendida sit nolo, sordida nolo cutis.

Muliebris enim hic luxus; quibus hac fini inserviebant ancillæ, *Ornatrices* dictæ, quæ ministerium iis in capillis disponendis, digerendis, crispandis ac torquendis adhibebant. Cujus obsequii meminit Ovidius, *Amor. lib.* 2. *Eleg.* 7.

Ecce meum solers capiti exornare Cypassin.

Et *Eleg.* 8.

Ponendis in mille modis perfecta capillis,
Comere sed solas digna Cypassi deas.

Idem præter hanc Cypassidem, Napen eodem ministerio insignem, laudat *lib.* 1. *Amor. Eleg.* 11. & de capillis amicæ suæ agit iterum *ejusd. lib. Eleg.* 14. Extat quoque in lapide quodam Romæ inscriptio: CINERIBUS. CAMILLÆ. ALPIONILLÆ. QUIRITÆ. ORNATRICI. FESTUS. M. SEPTIMI. GALLIS. DISPENSAT. &c. Porro *Comam* olim, iter aliquod periculosum aggressuri, vovebant alicui Deo. Valerius Flaccus *lib.* 1. *v.* 379.

Tellus & Eurytion servato colla capillo,
Quem pater Amias reducem tondebit ad aram.

Eadem mente Papinius Achillem, ad Trojam euntem, Sperchio comam, ex Homero, servasse scribit, *lib.* 3. *Sylv.* 4. in *Comam Earini.*

Huic & purpurei cedat coma saucia Nisi,
Et quam Sperchio tumidus servabat Achilles.

Unde eidem *Crinemus intactæ comis, Thebaid. lib.* 5. *versu* 221. Sed & in luctu abscissæ sunt. Idem *Thebaid. lib.* 12. *v.* 489.

——— ——— *non thurea flamma, nec altus*
Accipitur sanguis, lachrymis altaria sudant,
Mœstarumque super libamina secta comarum
Pendent. & vestes mutata sorte relictæ.

Quem lugentium morem suo jam ævo notat Homerus, *Iliad.* ψ. Aut saltem turbatæ, V. Barthium *ad Statium Animadversion. lib.* 3. *p.* 157. Aliis quoque occasionibus vel *coma*, vel *crinis*, pars nempe comæ, abscissa est, uti diximus suprà, ubi de *Capillis*, item *Caesarie*, dicemusque infra, ubi de *Crinibus.* De triplici verò Comæ ornandæ apud Vett. more, V. hic passim, inprimis in vocibus *Apochyma*, *Discrimen*, *Spacalium* &c. & plene de eorundem circa hæc luxu, non mulierum solùm, sed & Virorum, Car. Paschalium *Coronarum lib.* 1. *cap.* 5. Ab homine ad arbores translata vox, apud Poetas passim. Unde Horatius,

——— ——— *redeunt jam gramina campis*
Arboribusque coma.

Sicut & *Capilli.* Sed aliud *Coma* in illis, aliud *Capillus*, nempe τὸ θρὶξ. Consulum est πολύφυλλον & τανανομος; *capillaceum*, τὸ τριχῶδες, quod instar est capilli tenue ac gracile. In vitibus *Comas* Poetæ appellant frondes, quæ amputantur. Virgilius *Georgic. lib.* 2.

——— ——— *tum stringe* comas, *tunc brachia tonde.*

Et de alia,

——— ——— *positique* comas, *& brachia ferro.*

Hinc κομᾶν Græci χλοηφορεῖν interpretantur. Salmasius *ad Solinum pag.* 581. ubi pluribus de *Coma* & *capillis* balsami fruticis.

Coma Ascititia, Latinis olim *Galerus*, meretricibus inprimis in pretio fuit, & quidem flavi coloris: Unde vetus Schol. Juvenalis *Sat.* 6. *vers.* 120. *Crine*, inquit, *supposititio rotundo, muliebris capitis tegumento, in modum galeæ facto, quo utebantur meretrices flavo; Nam nigro tum matronæ usæ sunt.* De Messalina, Juven. *ibidem loci.*

Et nigrum flavo crinem abscondente galero.

Hos crines è Germania petitos, indigitat Ovidius *Amor. lib.* 1. *eleg.* 14.

Jam tibi captivos mittet Germania crines,
Culta triumphatæ munere gentis eris.

Martialis *lib.* 5. *Epigr.* 69.

Arctoa de gente comam tibi Lesbia &c.

V. Thom. Dempsterum *in Joh. Rosini Antiq. Rom. lib.* 5. *cap.* 37. & *lib.* 10. *cap.* 29. Joh. Laurentium *Not. in Phædrum lib.* 4. *fab.* 5. Sed & matronis usurpati fictiles hi, textilesque & ascititii capilli. Non enim illæ nativam comam irrufare, aliisque coloribus inficere contentæ, cui luxui *Cirone* nomen inditum, ut apud Tertullianum *de Cor. mil.* videre est: adoptitiam quoque adhibuere. Idem, *Affigitis præterea nescio quas enormitates sutilium atque textilium capillamentorum, nunc in galeri modum, quasi vaginam capitis & operculum verticis, nunc in cervicem retro suggestum.* Utrumque id decus expressit Hieronymus *lib.* 2. *Epist.* 18. *Quando eras in seculo, ea quæ erant seculi diligebas, polire faciem purpurisso & depingere, ornare crinem & alienis capillis turritum verticem struere.* Quæ res usque eo processerat, ut ad hoc peritissimi capillaturæ structores adhiberentur; uti diximus retro in voce *Capillatura*, item *Cultura.* Et hinc galeatus ille vertex, illi coronæ assimilis, quo Prudentius feminis superbiam in *Psychom.* his verbis

Turritum tortis caput accumularat in altum
Crinibus, extructos augeret ut addita cirros
Congeries, celsumque apicem frons ardua ferret.

Quæ exprimunt Græcum illud πυργωτὸν, *turritum* nempe *verticem*, de quo infrà. Quippe hic omnino ille est ornatus ascititius, adjutor formæ & comes incessus fastuosi ac cerviculæ tumidæ, qualem Synesius tribuit illi, quam vocat πυργοφόρον καθάπερ Κυβέλην, *turritam sicuti Cybelem*: cui Virgilius assimilat Romam *Æneid. lib.* 6.

——— ——— *qualis Berecynthia mater*
Invehitur curru Phrygias turrita per urbes.

Alio longè sensu quam quo Mariam Magdalenam *turritam* Hieronymus vocat *in Epitaphio Marcellæ Virg. ob sedulitatem viz. & ardorem fidei*; Quam in rem V. plura, apud Car. Paschalium *Coronarum lib.* 2. *cap.* 5. & infrà passim, inprimis ubi de *Comæ struendæ* more, ut & in voce *Lampadion.*

Coma Consecrata, h. e. πεπλοκαμία, V. infrà *Consecratio.*

Coma Coacta, V. infrà *Coma Soluta.*

Coma Earini, nomen carminis, quo Flavii Earini *Comam*, primà tonsione positam, prosequutus est Papin. Statius *lib.* 3. *Sylv.* 4. cujus initium:

Ite Comæ, facilemque precor transcurrite pontum:
Ite coronato recubantes molliter auro:
Ite, dabit cursus mitis Cythereа secundos &c.

Nempe Capilli primum positi, tam verticis, quàm genarum, sueti Diis à Gentilibus dedicari; & ita commendari ipsis sequentium annorum prosperitas, talibus velut ætatis aut corporis libamentis, de quo more retro diximus. Vovebantur autem & in pueritia certis Numinibus, quibus depositi postea sacrabantur. Hinc Earini, Domitiani Catamiti, hi capilli hic primà tonsione Pergamum mittebantur, in Fano Æsculapii consecrandi: eo quòd Ephebus is ex ea civitate esset oriundus, ut indicari videtur hoc excellenti carmine. Mittebantur autem in pyxide auro factà & sertis coronatà, quod indigitant verba,

——— *coronato recubantes molliter auro.*

Uti illa explicat Joann. Bourdelotius *ad Petronium pag.* 162. magis ad sensum Poetæ, quam ea sunt, quæ Paschalius affert *ad h. l. Coronarum lib.* 1. *cap.* 5. Nisi malis circulum hic aureum & gemmatum intelligi, de quo infrà, qui & ipse cum capillis fuerit pyxidi inditus &c. Ex eodem carmine discimus, quomodo pueri istiusmodi ornatam habuerint frontem, quoque ritu capilli soliti sint incidi. Ita enim Poeta *vers.* 86.

Ipsi, cùm primum niveam decerpere frontem
Decretum est, lumerosque manu nudare nitentes,
Accurrunt teneri Paphia cum matre volucres,
Expediuntque comas & serica pectore ponunt
Pallia, tunc junctis crinem incidere sagittis,
Atque auro, gemmisque locant ——

Tales enim, frontem, erectis calamistro capillis vittatisque ornatam, gerebant: cujusmodi effigiem proposuit Laur. Pignorius *de Servis pag.* 75. 1. *edit.* Additam capillis mittendis speculum, habes *in seqq.* nec sine precibus, quas Auctor in fine subjungit:

At puer egregius, tenaens ad sidera palmas:
His mihi pro donis hominum mitissime custos,
(Si merui) longa dominum renovare juventa,
*Atque Orbi serv*are velis &c.

V. Casp. Barthium *Animadversion. ad hoc carmen*, & plura hanc in rem præter ea, quæ suprà diximus, apud A. Hottomannum *lib. de Barba*, Hadr. Junium *de Coma lib.* 4. Barthium modò dictum *Adversariorum lib.* 24. *cap.* 13. Achillem Statium *ad Catullum pag.* 293. Matth. Raderum *ad Martialem lib.* 9. *Epigramm.* 17. Bourdelotium ubi suprà, Alios.

Coma Hyacinthina, apud Poëtas frequens. Sic apud Longum, ubi describitur forma decusque Daphnidis, *Coma* ei adscribitur, hyacinthino flori similis, Ὀφρῦς ὡς ὑακίνθω μὲν τὰ κόμην ὅμοιον ἔχει; imitatione sc. Homeri, qui, ut Ulysses Nausicaæ gratior esset, ait Palladem è capite ejus demisisse comas, hyacinthino flori similes, *Odyss.* ζ.

——— ——— κάδδε κάρητος
Οὔλας ἧκε κόμας ὑακινθίνῳ ἄνθει ὁμοίας.

Quem versum alicubi citat Aristænetus. Et de muliebri capillo Lucianus *de imag.* Καὶ ἀναφυάς, inquit, μὲν ἀπὸ τῆς βοστρύχων τῆς κεφαλῆς ἔλικες ὑακίνθῳ τὸ καλὸν ἀνθοῦν ὅμοιαι προφέρουσι, *Et longa capillorum capitis textura perinde ac suaviter florescentes hyacinthi nigricantes.* De Nymphis quoque Philostratus *in imag.* Αἱ δὲ ἀνθοῦσι τὰς χαίτας ὑπερφαίνουσιν ὑακινθίνοις ὅμοιαι ἄνθεσι, *At florentes comas exibant, hyacinthinis similes floribus.* Et Himerius, in comitatu Apollinis, lyram pulsantis, tum Gratiarum & Cupidinum colludentium, facit Venerem strinxisse comam suam hyacintho, etsi hic dici potest, hyacinthum lapidem fuisse. Certè hyacinthus adeò pulcher & amabilis flos est, ut ejus pulchritudini formosissimus quisque adolescens comparetur à Poetis, & *Hyacinthus* quoque vocetur. Lucianus *in ep. Sat.* παῖδας δὲ αὐτῶν τοὺς ὡραίους καὶ κομήτας, οὓς Ὑακίνθους, ἢ Ἀχιλλέας, ἢ Ναρκίσσους ὀνομάζουσι, *Pueros ipsorum speciosos & comatos, quos Hyacinthos, aut Achilles aut Narcissos vocant* &c. Quam in rem V. pura apud Car. Paschalium Coronarum

ronariis lib. 3. *cap.* 11. Cùm autem omnes hyacinthi vulgares cœrulei sint coloris, sed dilutioris, raroque imbuantur purpurâ saturatiore ac nigra, non ab illis *Comam* cognominatam esse certum est. *Nigricantem* enim sic vocatam, diximus suprà ex Luciano; & nigros crines Indorum lucentesque Dionysius Hyacinthi flori comparat:

—— ——'Εοικότας δ' ὑακίνθῳ
Πλοχμοὺς φορέουσιν ἐπὶ κράτεσφιν ἐθείρας.

Quod de nostro hyacintho neutiquam accipi potest: nec enim est ejus nigroris, ut commodè sumi queat ad comparationem nigri capillitii. Sed & apud Homerum comas ὑακινθίνῳ ἄνθει ὁμοίας, Grammatici μελαίνας i. e. *nigras*, exponunt: μέλαν γὰρ, inquiunt, τὸ ἄνθος, *niger enim* (qui color est atræ purpuræ, saturatioris viz. & meracæ) *flos est*. Unde Theocritus,

Καὶ τὸ ἴον μέλαν ἐστὶ, καὶ ἁ γραπτὰ ὑάκινθος.

Ubi γραπτὴν ὑάκινθον *nigram* esse dicit, ut sunt violæ nigræ. Quem proin sequutus Virgilius ait,

Et nigræ violæ sunt & vaccinia nigra.

Nam *vaccinium* Latini vocant Græcorum hyacinthum &c. E quibus omnibus colligit Salmasius, hyacinthum illum Vett. à quo *Coma hyacinthina*, gladiolum esse nostrum & vett. Romanorum, qui, ξυρὶς vel ξιφὶς Dioscoridi, florem habet purpureum, in medio rubrum & puniceum, adeoque inde *purpureos* & *rubentes* hyacinthos Poëtis appellari. V. eum *ad Solinum pag.* 1223. Aliter tamen de Hyacinthi colore Bochartus *Hierozoici Part. poster. Lib. V. cap.* 10 quem vide, ut & infrà suo loco.

Coma Massalianorum, memoratur Epiphanio *Hær.* 80. ubi eos aluisse comas muliebrem in morem promissas referens, id alienum esse monet à doctrina Apostoli 1. Corinth. *cap.* 11. V. suprà in voce *Cæsariati*. &c.

Coma Soluta & libera, priscis temporibus quoddam velut insigne Virginitatis fuit, unde Virgines in priscis monumentis plerumque tales describuntur. Virgilius de Venere, *Æneid. lib.* 1.

Namque humeris de more habilem suspenderat arcum
Venatrix, dederatque comam diffundere ventis.

Quo de more *Comam* ornandi, V. suprà in voce *Apochyma*. Postmodum comas Virgines in vertice concumulatas, absque ulla ὑπαρχία, nodo substringebant, de quo ornatu, V. infrà, in voce *Spatalium*, ut & hic passim in vocibus, *Botronatus*, *Corymbus* &c. At *Coma vatta* & coronata argumentum habebatur instantis, aut jam præsentis, lætitiæ conjugalis. Et quidem tum *cogi* & *frenari* coma dicebatur. Claudianus *de Raptu lib.* 2.

Nec quæ Parthenium canibus scrutatur odoris
Aspernata thoros; libertatemque comarum
Injectâ voluit tandem frenare coronâ.

i. e. virginitate cupiit transire ad vota conjugalia. *Ibid.*

Nunc socias flores, seseque ignara coronas,
Augurium fatale thori ——

Unde apud Euripidem *in Aul.* Clytemnestra, alloquens Achillem, *Tibi*, inquit, *adduxi Iphigeniam natam meam & quidem coronatam, in hoc ut nubas*,

—— —— ——ἀλλ' ὅμως
Σοὶ καλλιψασ' ἐγὼ νιν ἦγον, ὡς γαμουμένην.

Ipsæ quoque Virgines, cùm ducebant choreas, corollis redimitas habuere *comas*, velut haud multo post coronas nuptiales sumpturæ, apud Homerum *Il.* 6.

Ἔνθα μὲν ἠΐθεοι καὶ παρθένοι ἀλφεσίβοιαι
Ὀρχεῦντ' ἀλλήλων ἐπὶ καρπῷ χεῖρας ἔχοντες.
Ibi quidem adolescentes & virgines Alphesibææ
Tripudiabant, invicem in vola manus habentes.

Et paulò post,

Καί ῥ' αἱ μὲν καλὰς στεφάνας ἔχον ——
Et hæ quidem pulchras coronas habebant &c.

V. Car. Paschalium *Coronarum Lib. II. cap.* 15. & infrà ubi de *Nuptialibus coronis*.

Comacinus, & *Magister Comacinus*, in L. Longobard. *lib.* 1. *tit.* 9. § 9. & 10. videtur appellari, qui vulgò *Macio*, Gallis *Maçon*: fortè à *Comacina* Ins. in Romandiola, ubi periti eo ævo fuere architecti. *Glossarium* apud Lindebrogium, laudatum Carolo du Fresne.

Comacum, apud Plinium *lib.* 12. *cap. ult.* *In Syria gignitur & comacum, quod Caryopon appellant*, Græcè Κώμακον; aromatis species est, cujus cum casia & cinnamomo meminit Theophrastus, inter eas species, quæ ex Arabia & India afferebantur: Οἷον ἐπὶ τοῦ κινναμώμου καὶ τῆς κασίας καὶ κώμακος, ἕτερον δὲ εἶναι τὸ κώμακον καρπὸν, τὸ δὲ ἕτερον παραμίγνυσθαι εἰς τὰ ... τῶν μύρων. Ubi duo genera facit comaci unum quod est semen vel fructus, alterum quod pretiosis unguentis admiscebatur. Quod fuerit Plinii comacum succus sc. ex nuce expressus. Sed *Cinnamum* is fortè pro *cinnamum* legit, *Comacum* certe fructus vel semen, cubebæ est nostra, hodieque in Java, ubi plurimum nascitur, *Cumuc* vocatur; in reliqua India *Cubac* & *Cubab Sini*, h. e. *Cubabum Sinense*, Arabibus *Cubebe*. V. infra, & plura hanc in rem, apud Salmasium *ad Solinum pag.* 1208.

Comam struere, apud Tertullianum *de Pallio cap.* 4. est, eam multis gradibus ac spiris convolutam in altitudinem exstruere. Sic enim solebant mulieres multis compagibus capillaturam exstructam olim gerere. Juvenalis,

——— *Tot adhuc compagibus altum*
Ædificat caput.

Idem *Suggestum comæ* alibi vocat. Lucianus ἐπισείοντα ... Latini *tutulos*. Istæ autem convolutiones crinium muliebrium *spiræ* vocabantur. Inde *spirosus capillus* Apulejo, in spiram cumulatus & convolutus, *Metam. lib.* 2. Ex alienis autem & ascititiis capillis struebantur hæ spiræ, Hieronym. *ad Marcellam*: cujusmodi crinium adtextorum compositio, quòd in modum galeæ fieret, *galerus* appellatur passim, & unà cum *vitta*, inter Matronarum apud Romanos, privilegia fuit. Val. Maximus *lib.* 5. *cap.* 2. *Sanxit uti fœminis viri cederent, confessus plus Reip. in stola, quàm in armis fuisse, vetustisque crinium insignibus novum vittæ discrimen adjecit.* Ubi *crines*, Græcis ἐμπλόκια, sunt secundus sive comarum suggestus; de quibus capiendus Plautus in *Milit.* *Uni gerundum morem censeo & capiundos crines.* Nam quæ nubebant, crines capiebant, quo discrimine Matronæ à Meretricibus distinguebantur. Festus, *Senis crinibus nubentes ornantur, quòd is ornatus vetustissimus fuit.* Id est, senis crinium spiris, quæ in orbem convolutæ & aliæ aliis superstructæ tutulum seu galerum efficiebant. Græci ὑποσφενδόνην, item περίθετον κόμην aut προσθετὴν vocarunt. Pollux in eadem re Φενάκας appellat, Galli hodie *perrucas*. Sic itaque galerum & vittam matronæ gerebant: non uno tamen omnes modo ornabantur. Siquidem præter illam capillorum constructionem, aliquando & pone cervices comarum suggestum, in modum umbonis, aut collyridis cujusdam sive popani formatum gerebant, qua de re diximus retro, in voce *Collyra*, &c. Cùm autem & Meretricibus galerum istiusmodi, seu fictitiorum crinium concumulationem tribuant Vett. annotat Vetus Scholiastes *ad Juven.* ad discernendum, Matronas nigros, Meretrices flavos sumsisse: quod Servius confirmat *ad Æn.* 4.

Nondum illi flavum Proserpina vertice crinem
Abstulerat.

Qui tamen eodem in loco verba hæc Catonis addneit, *de crinibus matronarum: Ornabantur flavo cinere ungitabant, ut rutilæ essent*, &c. Qui verò istiusmodi capillorum structes formabant, *Structores capillaturæ* Tertulliano dicuntur *de Cultu Femin.* quos *Perruquiers* vulgò Galli vocant. V. Salmasium *ad Tertullianum loc. cit.* ubi addit, galeris talibus etiam viros, qui calvitio erant deformes, item veteres Comœdiarum actores, priusquam larvas gestarent, usos fuisse, ex Suetonio *in Othone* & Diomede Gramm.

Comaris, Græcè Κόμαρος & Κόμαρον, Chemiæ Auctoribus Græcis dicitur planta, quæ aliàs *Halimum* seu frutex *Chali*, fortè à similitudine foliorum cum foliis κομάρου, *unedonis arbuti*, de qua V. Salmasium *ad Solinum pag.* 511. de *Comari* verò Chemistarum, *ibid. pag.* 1098. ut & hic in vocibus *Chali*, & *Halimum*.

Comati, propriè dicebantur Bellonarii, qui nigris induti vestibus atque atro vellere caput tecti, in Templo Bellonæ mentis excessum patiebantur. Valerius.

—— *Bellona vetus incitat ira* Comatos.

Ubi perperam *Comanos* legunt, à Comanis Cappadociæ Urbe, in qua vetustissimum ac celeberrimum Bellonæ Templum fuit. *Capillatus Bellonæ*, legitur in vet. *Inscr.* Utraque à voce insigniti sunt, quòd capillum promitterent, ut omnes fanatici & harioli solent. Sic ἀνειμένην κόμην Bellonariis tribuit Lucianus. V. Salmasium *ad Tertullianum de Pallio cap.* 4.

Combinæ, Gr. Συνθῆμα, Diplomata, tractoriæ, quæ dabantur cursu publico utentibus, evectiones ri. literæ, quæ dabantur à Principe ad *combinanda* publica animalia & cursum usurpandum. *Combina* igitur, pro *Combinatio* est, Gr. σύνταγμα, συνδυασμός: unde κομβινεύειν, *ordinare*, disponere in rebus Circensibus, apud Chrysostomum *de Circo*. Nam κομβῖνα etiam dicebatur signum vel mappa, quam mittebat Prætor committendis Ludis; hinc κομβινεύειν, propriè signum emittendis quadrigis dare & κομβῖναν mittere. Item συνδυάζειν. Namque κομβινευόμενα illa aliquando de sponsionibus & compactis accipiebantur, quæ deposito pignore à spectatoribus fieri solebant, in ludis Circensibus, quum pars hæc agitatorum illum, pars illa istum fore victorem contenderent. Quâ vocis notione etiam Balsamo utitur, apud Salmasium *ad Jul. Capitolinum in Pertinace*. V. Meursium *Glossar.* in κομβῖνα & Phil. Priorium *Dissertat. de Literis tractoriis num.* 10. Apud du Fresne *in Glossar.* *Combinale*, dicitur in libro quodam Grammaticæ pars de combinatione dictionum, sub formâ congruitatis.

Combinatoria Ars, V. suprà *Ars Combinatoria*.

Combretum, floris species apud Plinium *l.* 21. *c.* 19. ubi de Baccare, *Simillimum ei combretum appellatur, foliorum exilitate usque in fila attenuata, & procerius, quam baccar, nexui tantùm*, uti legit Salmasius, cùm aliàs haberetur, *Nec hæc sunt tantùm*. Dicit *nexui tantùm esse*, id est, ad corollas necti: uti *vestis amiculi, indutui, linteum tersui* &c. Cùm enim coronæ aliæ necterentur, aliæ suerentur: qui flores vel folia proceriore surculo sunt, ea nectebantur invicem: quæ vero nimis brevem habent, funiculis inter se juncta suebantur, unde *sutilium coronarum* nomen. At *Combretum*, propter exilitatem folii in fila penè adtenuati sui non potest, ideo tantum nectebatur. V. Plinium *eodem lib. cap.* 1. *de Floribus*. Combretum

nunc

autem libri aliquot *Cabretum* vocant, unde Gallos suum fecisse *Cabaretum*, quod asarum esse quidam Herbarii volunt, refert Salmasius *ad Solinum pag.* 1068. Aliàs *Volubilis.*

Combusta, V. suprà *Ambusta.* Hinc *Combustio*, apud Burchardum Episc. Wormaciensem *in Lege Familiæ*, stigma notat, cùm rei facies ferro calido notatur. Car. du Fresne in *Glossario.*

Come, Græcè Κώμη, locus, ubi ædificia posita sunt, minus est, quam Κωμόπολις. Ita enim dicitur κώμη seu *vicus* mœnibus septus, quales multæ in Babylonia & Assyria fuere, *Ctesiphon* inprimis: uti videre est, ex Isidoro *in Mansionibus Parthicis.* Hoc verò plus erat, quam κωμόπολις. Salmasius *ad Solinum pag.* 1227.

Comere, apud Statium *Achilleidos lib.* 1. ubi de Thetide, Achillem filium ornante,

—— sic ergo gradus, sic ora manusq́;
Nate, feres. comitesq́; modis imitabere fictis.
Ne te suspectum molli non mitteat aula
Rector & incepti pereant mendacia furti,
Dixit, & admoto non cessat comere *tactu.*

Pro ornare. Nam *comere generale verbum est*, Vetus Schol. Fortè id dictum, quia capillorum in puellari capite cura omni corporis ornatu habebatur potior. Appuleius *lib.* 2. *Si cujuslibet eximiæ pulcherrimæq; fœminæ caput capillo spoliaveris & faciem nativâ specie nudaveris, licèt illa cœlo dejecta, mari edita, fluctibus educta, licèt, inquam, Venus ipsa fuerit, licèt omni Gratiarum choro stipata, & toto Cupidinum populo comitata & balteo suo cincta, cinnama fragrans & balsama rorans, si calva processerit, placere nō poterit nec Vulcano suo.* Et post non pauca, *tanta denique est capillamenti dignitas, ut quamvis auro, veste, gemmis, omnique cætero mundo exornata mulier incedat, tamen, nisi capillum distinxerit, ornata non possit haberi.* V. quæ de cura hac *Comæ Capillorumque* ornandorum, retro diximus.

Comes, apud Papin. Statium *Lib.* 5. *Sylv.* 2. *versu* 60.

Hæc iterum Comites *præcepta senesque paterni.*

Et *Thebaid. lib.* 9. *versu* 580.

Sæpe novo enati bello rediisse triumphos
Armaq; & alipedem natum Comitemque *videbat.*

Moderator, inspector est: Græcè Παιδαγωγὸς, Atheniensibus Ἀκόλουθος, antiquioribus Αἰδὼς, item Φύλαξ, *Custos* quoque & *Pædagogus* Latinis. Ἀκόλουθοι certè apud Platonem sæpè tales dicuntur. Hinc Alcibiades *in Convivio*, negat se, quòd formosus esset, absque Ἀκολούθῳ, primò Socratem adire ausum fuisse. Nempe ab antiquissimis temporibus, Poetæ Virique sapientes vitæ hominum adhibiti sunt, ut minores inprimis, qui modum vitæ nondum poterant habere instituerent, & temperantiam eos ante omnia docerent. Ideoque ingenuorum liberis ante pubertatem statim solebant præfici, ut viderent ne auderent τι παρανομεῖν. *Comites* itidem dixit Virgilius *Æneid. lib.* 5.

At pater Æneas, nondum certamine misso,
Custodem ad sese comitemq́; impubis Iuli
Epytiden vocat —— ——

Iidem Heroes ad bellum euntes sequebantur: uti de Phœnice Pyrrho dato legimus apud Homerum. & ex eo Statium præfatum *Propemptico Crispini.* V. Casp. Barthium *in Adversariis*, item *Animadversionibus ad Statium passim.* Similes his erant, quibus Matronæ καὶ αἱ Γυναῖκες committebantur, qualis celeberrimus ille Homeri fuit *Odyss.* γ. qui Ἀοιδὸς ab illo dicitur, quo de ministerio fusè diximus suprà, in voce *Cantor.* Nec defuere puellis Virginibusque sui *comites* custodesque, de quibus dicemus aliquid infrà, ubi de Atheniensium *Orcuria.* Hodie *Comes*, dignitatis nomen est, de qua, in voce *Comites.*

Comes, seu *Liber Comitis*, Papiæ vocatur *congregatio cælestium Lectionum.* Quibus verbis innuitur *Lectionarius*, cui id nominis inditum jam anno Christi 471. probat du Fresne ex *Charta* Donationis Eccl. Cornubianæ hoc anno scriptâ, & editâ à *Suaresio*, *Item Codices Evangelia* 4. *Apostolum, Psalterium & Comitem.* Sic autem appellatus is liber, vel quia Ecclesiastici eum ut *comitem* semper habere debent, ut loquitur Phocas Grammat.

Te longinqua petens Comitem sibi ferre viator
Ne dubitet; parvo pondere multa vehes.

Vel quòd *ad Comitem* scriptus dicitur in antiqq. MSS. in aliis *Liber Comitis* inscribitur. Servatur in Bibliotheca Ecclesiæ Bellovac. Codex Evangeliorum MS. 9. sec. quibus subditur legitur *Comes*, hocce titulo: *In Christi nomine anni circuli liber Comitis incipit, anctus à Theotgedo, indigno Presbytero, rogatu —— Hechiardi Comitis Ambianensis: Itaximus, ut sancta Evangelistarum dicta, necnon & Apostolorum & Prophetarum immota atq; inconcussa servarentur* &c. V. Car. du Fresne in *Glossar.* & infrà in voce *Lectio*, item *Lectionarius.*

Comessatio, mel. *Comissatio*, secundùm Aldum Manutium Jun. *in Orthogr. ratione.* Leonardum Malæspinam & alios, quintus erat apud Vett. cibi capiendi modus, quo post cœnam, antequam cubitum irent, utebantur. Anglicè fortè *a night drinking* dicas. De ea Festus: *Comissatio*, inquit, *à vicis quos Græci κώμας dicunt, appellatur. In iis enim habitabant, priusquam oppida conderentur, quibus ex locis alii alios conviviis causâ invitabant.* Alii *à comedendo* vel *comessando* vocem deducunt &c. Hoc certum est, *Comessationes* antiquis probatas non fuisse. Joh. Rosinus *Antiqq. Rom. lib.* 5. *cap.* 27. Hinc *Comissator*, qui post cœnam in multam noctem convivium protrahit, A. Gellius *lib.* 4. *cap.* 14. *Manilia ad Tribunos Pl. provocavit, apud eos dixit*, Comissatorem *Mancinum ad ædes suas venisse, eum sibi fas recipere non fuisse, sed quum irrumperet, lapidibus depulsum.* Et Livius *lib.* 40. *cap.* 7. & *seqq.* ubi de hoc more à convivio *comessandi*, prolixè; ibi enim post exercitum de more à Philippo Macedonum R. lustratum, & simulachrum pugnæ peractum, cui, Regii Juvenes, Perseus & Demetrius, præerant, convivium eo die sodalium, qui simul decurrerant, uterque habuisse narratur. Demetrius dein, *Quin comissatum*, inquit, *ad fratrem imus? & iram ejus, si qua ex certamine residet, simplicitate & hilaritate nostrâ lenimus.* Quod cùm per speculatores nuntiatum Perseo esset, *esse causa apparebat — tamen infamandæ rei causâ januam obserari jubet: & ex parte superiore ædium, versisque in viam fenestris*, comissatores, *tanquam ad cædem suam venientes, arcet.* Quæ inde sequuta tristitia, V. apud eundem *in seqq.* Certè *Comessari* seu *Comissari*, Græcis Κωμάζειν est, *per vicos vagari animi gratiâ.* Theocritus, Κωμάσδω ποτὶ τὰν Ἀμαρυλλίδα. Id à cœna faciebant, ut remitterent animum post negotia diurna. Jentatione enim præparca ac minimâ contenti, haud largiùs merendabant: prandium non magis lautum erat, saltem ut suo quisque in opere vires reficerent. Quo perfecto in sero diei largiùs sese accipiebant, tum uberiore epularum apparatu, tum familiarium atque affinium societate: unde Cœna dicta, quòd κοινῇ vescerentur: non privato demenso diurno. Tum igitur juventus vacui temporis otio atque licentiâ noctis abusa, secura imperiorum vel heri vel patroni vel parentum per κώμας, i. vicos, discurrere: qui mos cum ipso nomine ad Latinos transiit. Atque inde ii lusus, quos vicatim exercerent, παρὰ τὸ ᾄδειν κατὰ κώμας, aptè *Comœdiam* dixere: quoniam non in pascuis, aut in arvis, aut ad tumulos aut ad aras canerent. Hæc *Comœdiæ* initia Durabant autem istiusmodi *Comessationes* nonnunquam per totam noctem uti de intempestiva incontinentia Philippi Macedonis habet Theopompus *Histor. lib.* 4. Καὶ ταῖς δὲ τῆς νυκτὸς πίνων, καὶ μεθυσθεὶς [illegible] ἐκώμαζεν. V. de Acerra facetè canentem Martialem. Hinc Lucianus in *Dissuasione Conviviorum*, Lunam ait splendere τοῖς κωμάζουσι &c. Vocis porro notionem Græci expressere, per aliud verbum βακχάζειν, de quo V. suprà. Ne verò suo Numine careret hæc intemperantia, Κῶμον, *Comum*, ei præfecere: quam vocem legimus quoque apud Apostolum Galat. *cap.* 5. *vers.* 21. &c. V. Scaligerum *Poetices lib.* 1. *cap.* 5.

Comissator, pro bibone, & gulone immodico. V. suprà. Martialis *lib.* 4. *Epigr.* 5. *versu* 3.

Vir bonus & pauper linguâq; & pectore verus,
Quid tibi vis, urbem qui, Fabiane, petis.
Qui nec leno potes, nec Comissator *haberi,*
Nec pavidos tristi voce citare reos &c.

Comestio de Victima, inter ritus sacros V. T. memoratur passim, inprimis Levitici *capp.* 6. & 7. de qua V. infrà, in voce *Victima.*

Comestores, apud Francicos Scriptores, dicti sunt milites, vel potiùs apparitores & *servientes*, quos Creditores ex Judicis decreto, in debitorum ædes immittebant, qui illorum sumtibus alerentur, donec debita sua exolvissent, *Mangeurs*, in *Consuetud.* Turnac. *tit.* 27. *artic.* 17. Quod cùm molestum admodum Debitoribus, neque multum utile Creditoribus esset, restrictum id ad certos casus est, in *Arestis* Parlam. A. C. 1385. *Possi tamen poterunt tantummodo, pro criminali facto, vel in casu criminis, vel si aliquis vellet subterfugia quærere & bona sua abscondere seu distornare, seu ad alienum dominium transferre, vel esset ita inobediens justitiariis, quòd non posset commodè aliter justitiari* &c. apud du Fresne *Glossar.* V. quoque eum *Dissertat.* 29. *ad Joinvillam.*

Comicus, absolutè Aristophanes dicitur. Eustathius *in Dionysium, ad versum* 345. Ἔστι δὲ καὶ ἐν Ἀθήναις τεῖχος Πελαργικὸν, ἀπὸ Πελαργῶν, ὡς ὁ Κωμικὸς δηλοῖ ἐν Ὄρνισιν. *Est autem & Athenis murus Pelasgicus, an Pelargicus, uti in Avibus Comicus docet.* Quem tamen honorem, Barthii animo, digniùs Menandro tribuunt alii. Tatianus pro Barbaris, contra Græcos: Καὶ τί ὁ Κωμικὸς [illegible]; & cætera, quæ nemo nescit Menandri esse &c. V. Casp. hunc Barthium *Animadversion. ad Statium Part.* 1. *pag.* 1099. In Ecclesia Rom. *Comicus*, nomen libri Ecclesiastici, qui aliàs *Comes* dictus est, uti vidimus.

Comisena, adde: *Comisene*, Græcè Κωμισηνή, inter Parthiæ Satrapias numeratur Isidoro Characeno. Ita enim is in Indice, Κωμισηνὴ [illegible]. Straboni Κωμισηνὴ vocatur *lib.* 11. ubi istam unà cum Choarene, partem facit Parthyenes. Ptolomæo Κωμισηνὴ, qui tam eam, quàm Choarenem, à Parthyene separat, & sub Parthia, h. e. ditione Parthorum collocat: nempe brevioribus spatiis Parthyenem includens. Sed lege utrobique Κωμισηνή. Salmasius *ad Solinum pag.* 1196.

Comistæ, qui in urbe Lombardiæ *Como* Valdensium doctrinam amplexi, dicuntur *in Constitut.* Friderici Imp. *de Hæreticis.* V. Matthæum Paris. *pag.* 589

Comitatenses, qui in sacro Principis *Comitatu* militat, vel qui ad Sacrum *Comitatum* spectat, ut *Comitatensis fabricâ* apud Ammianum

anum *lib.* 18. *Comitatense auxilium* apud Eund. *Comitatense exercitium*, apud Ennodium *lib.* 4. *Epist.* 33. ubi Senarium *virum Comitatensis exercitii* appellat, qui inter Exceptores merebat. Inprimis verò *Comitatenses* appellabantur Palatini, qui sc. in officio erant utriusque Comitis Largitionum, quorum è numero eligebantur, qui in provincias mitterentur: hinc *Mittendarii* quoque dicti. *Comitatenses Milites*, *Comitatenses Numeri*, qui *Numeri* simpliciter dicuntur, apud Vopiscum *in Probo*, Legiones tunc vocabantur, uti docet Salmasius, de quibus *Cod. Theod. de Tironibus l.* 8. *Completis quinque annorum stipendiis, qui Comitatensibus numeris fuerit sociatus, patris quoque & matris, nec non & uxoris suæ capitationem meritis suffragantibus excusabit. Iis verò qui infra* &c. Nempe *Comitatenses* in Castris erant, limitanei verò & ripenses in ripa, ubi per cuneos constituebantur. Unde *numeri & limitanei milites*, apud Vopiscum *l. c. Comitatenses & ripenses*, *Cod. Theodos. de Veteranis l.* 4. *Comitatenses & limitanei l.* 17. *tit. de Cohortal.* sibi invicem opponuntur. *Comitatensium* quoque *Legionum* mentio est, in *Not. Imp.* nec ad ripensem militiam eadem in milite statura, idemque corporis robur exigebatur, quod in *Comitatensi* vel legionaria, ex *l.* 8. *Cod. Theodos.* &c. Erant verò milites hi sub dispositione Magistrorum utriusque militiæ, Salmasius *ad Vopiscum*. De *Pseudocomitatensibus* infra.

Comitatus, Aula Imperatoria, Palatium, locus ubi Imperator morabatur, seu, ut definit Anianus *ad leg.* 20. *Cod. Theodos. de Decurion. Ubi rerum Domini fuerint*: à *Comitibus* dictus, h.e. Curiæ Proceribus, seu Amicis interioribus. Sic enim *novum Comitem* Apollinis appellat Thyadamantem Statius *Thebaid. lib.* 10. *versu* 157. Idem Comites *proximam Regni turbam*, vocat *lib.* 11. *versu* 257.

Non desunt Regni Comites ——

Et de iisdem mox,

—— —— *si proxima turba.*

Nempe, cadente Roma, cum Principes à Proceribus *Domini* appellarentur, eos vicissim dicebant, honoris ergo, *Comites*; non servos, aut ministros aut aliud denique quod hodie usurpatur. Cujus rei exemplum illustre in Majorano & Sidonio, apud istum *lib.* 1. *Epist.* 11. ubi Augusto aienti, *Audio*, Comes *Sidoni*, *quod Satyram scribas*: respondet Sidonius, *Si quis est iste*, Domine *Imperator*, *publicè accuset*. Ita namque capiendus is titulus; cùm alii nescio quem *Comitatum* sive Consulatum Arverniæ Sidonio ex malè capta voce adscripterint. V. Casp. Barthium *Animadvers. ad Statium d. l.* & Advers. *volum.* II. Κομιτατον Palladio in *Vita* Chrysostomi passim. Item Comitis seu Judicis dignitas, districtus, territorium, jurisdictio: apud Guil. Apulum *de Gestis Norman. lib.* 1.

—— —— *Numero cum viribus aucto*
Omnes conveniunt & bis sex nobiliores,
Quos genus & gravitas morum decorabat & ætas,
Elegere Duces: provectis ad Comitatum
His, alii parent. Comitatus *nomen honoris,*
Quo donantur, erat.

Inde pro quovis territorio, seu cujusvis loci jurisdictione suis finibus circumscripta, in *Charta* Dagoberti R. apud Freherum *lib. de Lupoduno.* Quam quidem vocis notionem a Longobardis fluxisse, tradit Otto Frisingensis *de Gestis Friderici lib.* 2. *cap.* 12. *Cumque tres inter eos Ordines*, i. *Capitaneorum*, *Vavassorum & plebis esse noscantur — de singulis prædicti Consules eliguntur & singulis penè annis variantur. Ex quo fit, ut tota illa terra intra civitates ferme divisa, singula ad commanendum secum diœcesanos compulerunt, vixque aliquis nobilis — inveniri queat, quin Civitatis suæ sequatur Imperium: — verùm autem singuli singula territoria ex hac comminandi potestate.* Comitatus *suos appellare*. Unde hodieque villam, pagum, rus, Itali *contado*, & rusticos *Contadini*, vocant. Apud Anglos *Comitatus* locus est publicus, in quo Vicecomes unius cujusque provinciæ, quæ *Comitatus* nomen apud eosdem obtinent, jurisdictionem suam exercet. Conventus item Juridicus, qui in *Comitatu* seu Provincia fit, vulgò *Assisa*, *Cumitè*, apud Covvell. Ingulfum *de Alvredo R.* in *LL.* Henrici I. *cap.* 51. &c. Plura vocis significata vide apud Car. du Fresne, in *Glossario*.

Comites, adde: Neque verò Judicum duntaxat obiere officium Comites, sed & populares suos in prælia eduxerunt, du Fresne *Glossar.* Apud Burgundos, *Comitis* nomen nullus habebat *nisi qui Ducis honorem possideret*, Ditmarus *lib.* 7. *pag.* 92. Sic *Comites* promiscuè ac *Duces* sese inscripsisse Armoricæ Principes constat, ut & interdum Normanniæ Dynastas. In Anglia *Comites* Ducum appellantur filii, ut *Vicecomites*, filii Comitum. Apud Græcos recentiores hoc nomine veniunt Centuriones, qui centuriis, & turmis militaribus in Exercitu præerant. Constantinus Porphyrog. *l.* 1. *de Them. c.* 1. Κόμητας τῶν στρατηγῶν. Leo *in Tact. cap.* 3. §. 10. Κόμης ἐστὶν ὁ τοῦ ἑνὸς τάγματος, ἤτοι βάνδου ἄρχων, *Comes est unius turmæ seu bandi dux*, &c. Item, qui turmis ac navigiis bellicis, in classe, præest. Ital. *Comito*, Gall. *Comite*. Sic *Comites galearum*, in *Actis* Alexandri III. Pontif. V. quoque *LL.* Alfonsinas *Part.* 2. *tit.* 33. *leg.* 4. Et οἱ τοῦ βασιλικοῦ στόλου Κόμητες, *Imperatoriæ Classis Comites*, apud Nicetam in *Isaacio lib.* 1. *cap.* 6. V. Leonem in *Naumachicis*, Annam Comnenam, alios. Quorum præcipuus, σταβλι-

pes Admiralio suberat: Ἀρχηγὸς verò Κόμης post Protocomitem erat, memoratus Annæ prædictæ *pag.* 290. V. Rigaltium, Meursium, du Fresne. Imo & *Comitum* nomen interdum Advocatis Ecclesiarum Cathedralium tributum: ejusmodi fuere *Remenses*, *Cameracenses* & *Virdunenses*, quarum civitatum Episcopis ab Imperatoribus data est facultas *eligendi Comitem: atque hactenus* ... *re*, ut est in *Charta* Virdunensi, seu *eligendi Comitem*, ut est in *Charta* Henrici Imp. pro Ervvino Episc. Camerac. A. C. 1007. apud Colvenerium *Notis ad Baldricum*. Neque fortè alii fuere Comites, qui ratione Comitatuum suorum Ecclesiarum & Episcoporum erant vassalli. In Lugdunensi Ecclesia Canonicum Cathedralem, *Comitis* titulo esse insignem, contra Canones, qui statuant, desinere aliquem Comitem esse, quamprimum fiat Clericus, legas apud Car. Macrum in *Hierolexico*: ubi addit, Episcopum Ravennæ abusivè *Comitem* appellari *can. quo ausu* 23. *qu.* 8. &c. Varia alia *Comitum* genera hic ex Carolo du Fresne aliisque breviter subungemus. Addam saltem, *Comitum coronam* constare è circulari lamina, cui hærent tres lapilli. Supra laminam ut plurimum eminent tres uniones magnitudine conspicui, aut certe continua series minorum unionum, qui & in extremitatibus laminæ & super ipsa media duplicantur aut triplicantur, cæterisque eminentiores aspiciuntur. Eadem ferme Marchionum est, cùm Barones non laminam integram & latam, sed tenuiorem ac restrictiorem ac veluti circulum sive gracile vinculum aureum, quo priscum illud στέφος repræsentari videtur, gestent, ut pluribus exponit C. Paschalius *Coronar. lib.* 9. *cap.* 21.

Varia Comitum genera, quæ apud Autores occurrunt.

Comes Ægypti, sub Impp. posterioribus dici cœpit, qui *Præfectus Ægypti*, provinciam illam regebat ab Augusto primùm impositus. Regebat autem eam, sub *prima Comitiva* honore. V. Salmasium *ad Trebellium Pollionem in Macriano*.

Comes Ærarii, sacri ac privati, in *l. un. Cod. th. Qui à præbit. Tiron. & Eq.* idem cum *Comite sacrarum ac privatarum Largitionum*.

Comites Alani, in *Not.* Imp. una ex Vexillationibus, quæ erant intra Italiam. Cujusmodi *Comites*, sub Magistris militum militantes, diversis cognominibus appellabantur: alii enim *Comites Juniores*, alii *Seniores*, alii *Sagittarii*, alii aliter dicebantur, uti docet Henr. Valesius *ad Ammianum lib.* 15.

Comes Annonæ, in *Chron.* Alexandr. Κόμης τῆς ἀννώνας, curam annonæ in Urbem transportandæ habebat.

Comes Aquarum seu *Aquaticus*, Robertus Frisius, quòd Citeriorem Frisiam, quam expugnarat A. C. 1070. Zelandiam item & vicinas regiones, quas undique aquæ alluunt, obtineret, dicitur Galberto in *Vita* S. Caroli Com. Flandriæ *num.* 110.

Comites Archiatrorum sacri Palatii, de quibus *titulus* est in Cod. Justin. & Theodos. Apud Gothos Comitis hujus sententia Medicæ lites dirimebantur.

Comes Capellæ, occurrit in *Charta* Ludovici Hungar. R. A. C. 1358.

Comes Castrensis, idem cum Germanorum Burggravio, V. P. de Andlo *de Imp. Germ. lib.* 2. *cap.* 12.

Comes Castri, in *Gestis* Innocentii III. idem.

Comites Cataphractarii, una è 10. Vexillationibus Comitatensibus, quæ erant sub dispositione V. I. Magistri Militum per Orientem, in *Not.* Imp.

Comes Civitatis, qui in Civitate Judicis munus implet ... præest. Senator *lib.* 6. ... 22. & 23. &c. Sic in Dalmatia & Croatia Prætores ... tranei, quos singulæ ... tes sub titulo *Priorum* eligebant; sequiori ævo Com... dici cœperunt. Fuerunt ... tem ut plurimùm annui, ... Italia *Potestati* dicti. V. Jo. L... cium *de Regno Dalmatiæ lib.* ... *cap.* 12. &c.

Comites Clibanarii, vexillatio ... dicta, sub dispositione V... Magistri Militum Præsen... lis, *Not.* Imp.

Comes Comitum, titulus Com... tum Loretelli, in Regno N... pol. sub Normannis Re... bus: qui interdum etiam ... *latini Comites Loretelli* inscri... pti leguntur. Videntur ... dem in Regno Siculo ... tatem obtinuisse, qualem Comites Palatini Rheni ap... Germanos, Comites Camp... niæ apud Francos, Comes Lomelli apud Italiæ ... & Comites aliquot Pala... apud Anglos. V. Ughell... *Tom.* I. VI VIII. passim.

Comites Commerciorum, in ... Orient. sub dispositione C... mitum sacr. larg. plures ... censentur in *Not. Imp. lib.* ... *cap.* 73. *per Orientem & Ægy...* *ptum per Mœsiam* ... *Pontum* in Occidente, uni... *per Illyricum*. Munus eor... erat, ne ultra civitates de... natas commercium cum B... baris esset, neve privati ... citas species emerent. ... illicitæ species ad Barba... exportarentur, Curioni ... bant.

Comites sacri Consistorii, vel Con... *sistoriani*, V. infra.

Comes Contariorum, seu Præ... positus militibus ... utebantur ... *Passione* S. Bali... 15.

Comes Cubiculariorum, ...

tis in Palatio Regum Gothicorum in Hispania.

Comes Curiæ seu *Curialis*, apud Croatiæ Reges, præcipuum olim locum tenebat: à quibus Hungari Reges dignitatem hanc hauserunt. Eadem ejus functio, quæ *Comitis Palatii* apud Germanos & Francos. V. Lucium *de Regno Dalmat. lib. 2. cap. 8.* & *lib. 3. cap. 4.*

Comes Curtis, Cohortalibus præerat, V. supra.

Comes Dispositionum, qui Dispositionibus Principis præerat. V. infrà *Dispositio*.

Comes Domesticorum, qui equitibus vel peditibus prætorianis præerat: quâ dignitate Diocletianus, Justinianus & Michael Balbus, antequam imperarent, functi leguntur. Hujus muneris Marcellinus meminit passim.

Comes Domesticus ordinis primi, in vet. *Inscr.* apud Gruterum 406. 1.

Comes Domorum, qui præerat possessionibus ac prædiis ad Principem spectantibus: occurrit nō semel in *Cod.* Theodos. & *Not.* Imp.

Comes & Dux, titulus quorundam in *Charta* Rudelindi Episc. Dumiensis æræ 930. apud Ant. Yepezium *Chron. Ord. Bened. Tom. V.*

Comes Equorum Regiorum, τῶν βασιλικῶν ἵππων Κόμης, apud Pachymerem *lib. 1. cap. 11.* V. *Comes stabuli.*

Comes Excubitorum, V. *Excubitores.*

Comes Fœderatorum, apud Anastasium in *Histor. Eccl.* Κόμης τῶν Φοιδεράτων, Cedreno, Theophani, aliis, postmodum Στρατηγὸς dictus, qui præerat cohorti Fœderatorum, in Palatio Principis militanti.

Comes Formarum, qui aquæductibus publicis instaurandis vel extruendis præfectus erat, Romæ potissimum recensetur sub dispositione Præfecti Urbis, in *Not.* Imperii.

Comes Franciæ, V. ubi de *Palatinis Comitibus.*

Comes Galliæ seu *Galliarum*, occurrit in *Vita* Lupicini Abbatis Jurens. *num. 8.* & in *Charta* Caroli C. apud du Fresne.

Comes Gildoniaci patrimonii, sub dispositione Comitis rerum privatarū, bona publicata Gildonis in Africa curabat, V. *Not.* Imp.

Comes Hirsutus, apud Anonymum *de Fundat. Monaster. Germ. Le Comte pelu*, in *Chron. Flandr. vernacula*, idem qui *Comes Sylvester.* V. infrà, Germ. *Wildgraff.*

Comes Horreorum, *in l. un. Cod. de Pistor. lib. 11.* Pistrini Principis curator.

Comites inferiores, *l. 2. Cod. Theod. ne Comit. & Tribun. lav. præst.* iidem cum *Comitibus minoribus*, à secundi Ordinis Comitiva dicti, ut Tribuni militum. *Glossæ*, Κόμης ἤτοι Τριβοῦνος.

Comites Italiciani & Gallicani, *l. un. Cod. Theod. de Consular.* sunt Comites Largitionalium titulorum, Reique tributariæ & thesaurorum, per Præfecturam Prætorianam, Italiæ & Galliæ. Aliàs *Comites Diœceseon* vel *Largitionum per Diœceses.*

Comites Largitionum Comitatensium, i. thesaurorum, qui in Comitatu Principis unà cum ipso Comite versabantur. Hinc *Largitionales Comitatenses*, in *l. 6. Cod. Th. de Divers. Offic.* dicuntur Officiales Comitis Largitionum Comitæ.

Comes Largitionum privatarum seu *Rei privatæ*, idem cum eo, qui dein *Privati Ærarii Præfectus*, seu *Rei privatæ Procurator*; habebat sub se omnes rei privatæ Rationales, qui in singulis provinciis fiscum Principis procurabant. Salmasius *ad Vopiscum in Probo.*

Comes Largitionum Sacrarum, qui prius *Sacri Ærarii Præfectus* seu *Procurator* aurum, argentum, quod ex provinciarum tributis cogebatur, vestes omnes, species publicas, quidquid denique sanctiori Principis ærario inferretur, curabat. Adeoque sub ejus dispositione erant vestium omne genus Textores, Murileguli, Tinctores &c. V. Salmasium *ad Lampridium in Antonino Diadumeno* & suprà, ubi *de Ærario majori seu sacro.*

Comes à Latere, V. *Comes Palatinus.*

Comes Legum seu Professor in Jure, *Epitaph.* Rebuffi JC. Magalonæ A. C. 1428.

Comes Liber, ut Frangipani, Ursini &c. apud Sambucum in *Glossis ad LL. Hungariæ.*

Comes Limitum vel *Limitaneus*, qui limitibus Imp. Rom. præerat, V. Pancirolum *in Not. Imp. Orient. cap. 119.* & in voce *Marchio.*

Comites Littoris Saxonici per Britanniam, *in Notit. Imp. Occid. cap. 72.* littoris per opportuna loca præsidiis, ad Barbarorū latrocinia compescenda, communiendi, curam habebant primùm: postea, cùm magna Britanniæ pars in Saxonum potestatem pervenit, contra hos Romani limitem Britannicum, qui supererat, per eum tueri, jus habuere, V. *Cod. Theodos.* & *Justin. tit. de Lim. & itin. custodia*

Comites Majores, iidem cum *Comitibus primi Ordinis*, erāt e. g. *Magistri Officiorum, Magistri Militum, Magistri sacrarum Largitionum* & similes. Salmasius *ad Trebellium Pollionem in Macriano.*

Comes Mansionarii, in *Annal.* Francorum Metens. *A. C. 895. Adalungum Comitem sui Mansionarii &c.*

Comes Mansuariorum, apud Nithardum *lib. 3.* idem fortè cum *Mansionario* in Franciæ Regum aula, Carolo du Fresne, de quo suo loco.

Comes Marcarum, idem cum *Marchione.*

Comes Marescallus, dignitas in Anglia, quæ in Penbrochiæ Comitum familia primùm hæsit, postea aliis quoque Comitibus collata est. V. Th. Walsinghamum.

Comites Maritimæ, qui *ad custodiendam maritimam deputati erant*, occurrunt in *Capitulis* Caroli M. *lib. 4. cap. 5.* Iis suberant *Vicecomites Maritimæ* qui hodie *Vicomtes de Marennes* in Santonibus dicuntur.

Comes Maritimi tractus in Britannia, apud Ammianum *lib. 37.*

Comes Metallorum per Illyricum, ex auro in metallis invento portionem Principum debitam exigebat, in fluminibus etiam vel fodinis aurū legentes sub dispositione Comitis sacrarum Largitionum, *Not. Imp.* V. *l. 2. C de Metallar.*

Comites Minores, iidem cum inferioribus apud Salmasium *l. c.* ubi *minimam & infimam*, tertii Ordinis Comitivam vocat. V. suprà.

Comes Notariorum, dignitas in aula Regum Gothicorum in Hispania, *Concil.* Tolet. VIII. Fortè idem cum *Primicerio Notariorum.*

Comes Novellus, dictus Bertrandus de Balcio Com. Montiscaversi & Andriæ, apud Joann. Villaneum *lib. 9. cap. 72.* &c.

Comes Numeri seu Cohortis, eidem præfectus. Sim. Metaphrastes *in Martyr. S. Georgii num. 2.*

Comes Obsequii, qui *obsequio* & Comitatui Imp. præerat, in *Epist.* Gregorii II. V. infrà *Obsequium.*

Comes Officiorum, in *Clementina Epist.* de Gestis S. Petri c. 164. idem fortè cum *Magistro Officiorum.*

Comites Ordinis primi, præcipui erant ex Magistratibus Palatinis, quorum quidam *Comites Ordinis primi intra Palatium* dicebantur, quòd sc. in Palatio militarent: vel *Comites primi Ordinis in Consistorio*, erat enim iis Consistorium Principis ingredi fas, si vocarentur. V. Salmasium *ad Pollionem.*

Comites Ordinis secundi, dicebantur, qui his proximi erant, & è quibus ad Comitivā primi Ordinis assumebantur, V. Senatorem *lib. 7. Epist. 26.*

Comites Ordinis tertii iidem Carolo du Fresne videntur, qui *Comites Inferiores & Minores*, in quorum numero Tribuni. Salmasius verò secundi Ordinis Comitivâ eos donat, ubi suprà: *minimam & infimam* tertii ordinis Comitivam vocans.

Comes *ὀψωνίων* seu *obsoniorum*, in *Chron. Alex.* idem cum *Comite Annonæ.*

Comes Pagi, h. e. provinciæ vel Civitatis, V. suprà.

Comites Palatii, V. infrà *Palatini.*

Comes Parochialis, apud Hungaros dicitur proprius regionis cujusque præfectus: qui cum suo *Vicecomite*, qui *Judex Nobilium* dicitur, judicandi jus habet, in suo Comitatu.

Comes Patrimonii, quod *privatum* Impp. dicitur *l. 8. Cod. Th. de Jure Fisci*: apud Gothos etiam, patrimonium Regis ac mensam procurabat. Cujus Comitivæ formulam exhibet Senator *lib. 1. Epist. 9.*

Comes per utramque Germaniam, apud Ammianum *lib. 27.*

Comes per Illyricum, per Orientem &c.

Comes Perpetuus apud Hungaros dicitur, cum dignitate natus, qui solius Regis judicio nititur.

Comes Pilosus, apud Alemannos, idem cum *Sylvestri* seu *Hirsuto* In *Chronico* Flandriæ *cap. 15. le Comte Pelu*, & *cap. 21. le Pelu du Rhin* dicitur, & inter Electores seculares primus recensetur: quo pacto is fuerit Comes Palatinus Rheni, V. infrà *in Pilosus.*

Comes Portûs Romæ, sub dispositione Præfecti Urbis, navibus frumentariis præerat. Formulam hujus dignitatis exhibet Senator *lib. 7. Epist. 9.*

Comes Præsenti, Κόμης Πραισέντου apud Theophanem *p. 141.* qui militib' in *Præsenti* præerat, V. infrà *Præsen.*

Comes Provinciæ seu *Rector Provinciæ*, qui provinciæ, Comitiva primi ordinis decoratus, præfuit, Senator *lib. 1. Epist. 1.* V. infrà *Provinciæ Comes.*

Comes & Rationalis summarum Ægypti, sub dispositione Comitis sacrarum Largitionum in *Not.* Imp. V. infrà *Summa.*

Comes Regalis, apud Odonem Fossatensem in *Vita* Burchardi Com. Corboliensis, *i. clientela jure Regi obnoxius.*

Comes Rei castrensis, apud Ammianum *lib. 30.*

Comes Rei Militaris, qui cum certo militum numero provinciam defendebat, *lib. 3. C. Th. de Comitib. Rei milit.*

Comes Rei privatæ, V. suprà.

Comes Rerum nitentium, V. infrà *Tribunus r. n.*

Comes Riparum & Alvei, sub dispositione Præfecti Urbis, curam habebat aquarum & alvei Tiberis: priùs *Curator alvei & riparum Tiberis ac cloacarum urbis* dictus, quod officium Augustus instituit, Sueton. *cap. 43.*

Comes sacrarum Largitionum, V. suprà.

Comes sacrarum Remunerationum, Idem.

Comites Sagittarii Armeni, una è 6. Vexillationibus Palatinis

tinis quæ extant sub dispositione V. I. Magistri Militum Præsentalis, in *Not.* Imp.

Comites Sagittarii minores, una è 5. vexillationibus Palatinis, sub dispositione ejusdem, *Ibid.*

Comes Scanciarum, in *Concil.* Toletano VIII. & XIII. idem cum Scancione, Gall. *Eschanson.*

Comes Scholarum, qui Scholis Palatinis præerat, de quibus *Not.* Imp. & Jac. Gothofredus *ad Cod. Theod. & Justin. tit. de Comitibus & Tribunis Scholarum.*

Comites Seniores, una è 6. vexillationibus Palatinis, sub dispositione Magistri Militum in Præsenti. *Not.* Imp.

Comites Siliquaticorũ, ponderibus & mensuris præerant. V. infra *Siliquaticum.*

Comes Sylvestes, Gall. *le Comte Sauvage du Rhin*, idem cum *Hirsuto* & *Piloso.*

Comes Somniorum, apud Ammianum *lib.* 15. ubi *Comes Somniorum* restituit Vir doctus.

Comes Spathariorum, dignitas Palatina in Aula Regum Gothicorum Hispaniæ. V. *Spatharius.*

Comes Stabuli, V. in voce *Conestabilis*, *Constabularius* & infra in *Stabuli Comes.*

Comites Taifali, una è vexillationibus Palatinis sub disp. Magistri Militum Præsentalis, *Not. Imp.*

Comites de Tertio denario, dicebantur in Anglia Comites, quòd Comitatuum reditûs pars tertia ad illos pertineret ab ipso jam Caroli M. ævo. Quod & in Hungaria obtinuit.

Comes Thesaurorum, in provinciis thesauros Principis servabat, *l.* 14. & 22. *Cod. Theod. de divers. Offic. & Appar.* Dignitas etiam in Palatio Regum Gothicorum Hispaniæ usitata, ut ex *Concil.* Toletano XIII. patet.

Comites Vacantes, qui post officium aliquod gestum, Comitivam primi Ordinis nacti sunt. V. J. Gothofredum *ad l. un. C. Th. de Comit. Vac.*

Comes Vestiarii, in *Not.* Imp. Occid. sub Comite sacrarum Largit. pro quo in Oriente *Magister lineæ vestis*, & *Magister privatæ*, ponuntur V. infrà in voce *Vestiarii Comes.*

Comes vestis sacræ, inter Illustres recensitus, præerat Principis ipsius vesti.

Comes Urbanus, in *Vita* S. Adalberti *cap.* 23.

Comes & *Magister utriusq; militiæ* in vett. *Inscr.* &c.

Comitia, adde: Fuit inter eminentissima summi imperii jura, jus *Comitiorum* & creatio Magistratuum. Itaque Mæcenas, Consiliator verè regius, apud Dionem *lib.* 52. Augustum monet, ut ex ratione status Monarchica ad se trahat tantam potestatem. Intellexit facilè vim ejus consilii Augustus, sed exemplum moderandi Julius jam dederat; quod secutus, partitus est cum populo *Comitia*, sive veriùs, videri voluit partitus exceptâ Consulum creatione, quam sibi Senatuive reservavit in solidum. Postea Tiberius, sive consilio Augusti instigatus, sive quòd sponte vim Principatus omnibus modis intendere destinaverat, totum jus Comitiorum populo ademptum sibi vindicavit, nisi quòd simulachri causâ cum Senatu id voluit communicatum, V. Tacitum *Annal. lib.* 1. *cap.* 15. Lipsium *in eum*, Clapmarium *lib.* 6. *Arcan.* 7. Boecletum *in Velleii lib.* 2. verba, *Primum principatium ejus operum fuit ordinatio Comitiorum; quam manu suâ scriptam D. Augustus reliquerat:* Rosinum &c. *Comitiorum* & Conciliorum discrimen *n*[illegible] Lælius Felix *apud A. Gellium lib.* 15. *cap.* 27. hoc constituit, ut *Comitia* dicantur universi populi conventus, ad aliquid suffragiis suis decernendum: Concilia verò partis populi conventus ad aliquid jubendum; cujus generis erant, quæ à Tribunis Pl. indicebantur *Comitia*. Habebant enim jus vocandæ plebis, non universi populi. Interim discrimen hoc anxiè non observat Livius, Sic enim ille *lib.* 3. *Judicii die cùm excusaretur solum vertisse exilii causâ, nihilominus Virginio Comitia habente, collegæ appellati dimisere Concilium.* Alibi, ubi de judicio Manlii, quod Centuriatis Comitiis peractum fuit, disserit: *In lucum*, inquit, *Petilinum Concilium populi indictum est.* Cicero tamen *de Legg. lib.* 2. ea distinguit: *Quid enim majus est, aut si de jure quærimus, quam posse a summis imperiis & summis potestatibus Comitiatus & Concilia vel instituta obnunciare, vel habita rescindere.* Et post reditum in Senatu: *Tribunus Pl. tulit, ne obnunciare Comitio aut Comitiis liceret* &c. Apud Athenienses *Comitia* Prytanes indicebant; idque 4. vicibus, intra 35. dies, Pollux *lib.* 8. *cap.* 9. *Sect.* 7. In primis, in Magistratus inquirebatur, bene ne an secus officio functi sint, idque die 11. Prytaneias: In secundis, quæ cogebantur die 20. cuilibet, licitum erat, de publicis privatisque negotiis verba facere: In tertiis, die 30. audiebantur exterarum Gentium Legati. Ultima tandem, quæ die 33. haberi erant solita, expediebant res sacras & ad Deorum cultum spectantes. Gr. Κύριαι Ἐκκλησίαι dicebantur, quia in iis solebant κυροῦν ψηφίσματα, *condere decreta* seu *plebiscita*, ut loquitur Scholiastes Aristophanis *in Acharn.* Cùm vero, ob subitum quiddam, extra ordinem convocari populum necessitas postulabat, dicta sunt illa *Comitia* Σύγκλητοι Ἐκκλησίαι, *Convocatitiæ*, seu *Comitia calata*. Aliud *Comitiorum* genus apud eosd. in fuit Κατακλησία, cum ex agro quoque populus coibat: Pollux tamen Συγκλήτους quoque κατακλησίας dici contendit. Ut ad Κυρίας promtiùs accederent, *Præconis* voce monebantur; quò alludere videtur Aristophanes Ἐκκλησ. cùm ait: [illegible]. Imò quia segniter admodum in conciones [illegible] conveniebant, itaque solebant duo ministri fune rubricato extento per forum turbam in Concionem compellere, quo qui inuncti erant, mulctam solvebant. Unde Aristophanes *Acharn.* [illegible] *sursum atque infra funem fugiunt rubricatum.* In quæ verba addit Scholiastes, [illegible] *Ipsi per occludebant vias, non ducentes in concionem, & quæ venum exponebantur in foro tollebant ne circa ea morarentur.* Ab his porro nemo civis arcebatur, exceptis iis qui infamiâ erant notati: Sed nec servis, nec peregrinis nec fœminis à Cecropis tempore, licebat ἐκκλησιάζειν. Triobolus autem dabatur τοῖς ἐκκλησιάζουσι, quem tamen serò venientes non accipiebant: itaque lucelli hujus gratiâ in Comitia maximè conveniebant οἱ θῆτες, Atheniensium proletarii atque capite censi, unde jocus Comici *Plut.*

Ἐκκλησία δ' οὐχὶ διὰ τοῦτον γίνεται;
Concio nonne hujus gratiâ erat?

Divites verò, ne mulctarentur, veniebant. Primus dedisse τὸ ἐκκλησιαστικὸν commemoratur Agyrrhius, cujus meminit Græcus Aristophanis interpres, aliis Callistrato cognom. *Parnyti* id tribuentibus: sed hic obolum primus constituit, Agyrrhius verò τὸ ἐκκλησιαστικὸν auctius reddidit, circa Olymp. 97. V. Diodorum Sic. *lib.* 14. Numerus τῶν ἐκκλησιαζόντων, videtur debuisse ad minimum esse sex mille qui suffragia ferrent, ut rata forent decreta unde toties numeri hujus in Legibus mentio, & exempla passim obvia. Facilè autem is iniri poterat, inito illo calculorum quos in urnas miserant, vel οἱ χειροτονοῦντες, omnes numerando manus, quod τῶν χειροτονιῶν munus erat: quemadmodum Lexiarchi cavebant, ne quis concioni interesset, cui id non licebat. Convocato populo, si sinistrum apparuisset omen, concio in proximam diem differebatur, sin minus, peractis sacris, quæ Καθάρσια & Καθάρμα dicebantur. Præco solenni formulâ, ex Lege, deprecabatur omnia fausta ac prospera toti Atheniensium populo, orareque jubebat, quibus licebat. Dein recitabat προβούλευμα Senatus Quingentorum, secundùm quod rogandus & in suffragia mittendus erat populus, quo recitato, jubebat in medium consulere qui vellet. V. Aristophanem, graphicè hunc ritum describentem Θεσμοφοριαζούσαις: ubi non preces solùm concipi, sed etiam diris devoveri [illegible], inter alia, docet. Primi dein ad populum verba faciebant seniores, quos minores pro ætatis uniuscujusque ratione atque ordine excipiebant, idque ex Solonis lege; ad quod invitabantur Præconis voce: Τίς ἀγορεύειν βούλεται τῶν ὑπὲρ πεντήκοντα ἔτη γεγονότων, [illegible], *Quis major quinquagenario orationem ad populum habere vult? Quis aliorum Atheniensium, quibus licet, orationem habere vult?* Intererant verò Juvenes, ex quo inscripti fuerant Lexiarchico, anno æt. 20. Dicturi pro concione apud populum, coronas capiti imponebant, Unde Aristoph.

Φέρε τὸν στέφανον· ἐγὼ γὰρ αὖ λέξω πάλιν,
Cedo coronam, ego enim rursus orabo.

At cui aures commodare nolebant Prytanes, silentium imperabant: et ante suggesto deturbabant per apparitores, ut iterum testis est Aristoph. *Acharn.* Postea ubi omnes, qui vellent, dixerant, Proedri populum in suffragia mittebant, nisi fortè intercederent Nomophylaces, qui Proedris adsidebant, de quibus V. Pollucem *lib.* 8 *cap.* 9. aut ipse, qui Psephisma scripserat, sententiam mutaret, Plut. *in Aristide.* Inter Proedros autem partes erant maximè Epistatæ, Demosth. *in Androtiana.* Populo in suffragia eunti Prytanes calculos dabant, quos unusquisque mittebat in cados, qui destituti erant in parte loci ubi conveniebant, cancellis undique septa. Quo facto Prytanes concionem dimittebant per Præconem solenni formula, in sequentem concionem [illegible]: nec licebat Plebiscito seu Psephismate facto Prytanibus populum denuo mittere in suffragia de re, de qua jam Psephisma scriptum esset, juxta Legem: [illegible], cujus meminit Nicias apud Thucydidem *Histor. lib.* 6. &c. V. Sam. Petitum *Commentar. in Leges Atticas lib.* 3. *tit.* 1. Locus in quo *Comitia* Atheniensium seu concio habebatur, Πνὺξ *Pnyx* dictus est, [illegible], *quòd viri confertim ibi convenirent*: Aristophani πέτρα *rupes* dicitur, [illegible], *in clivo enim erat.* V. Franc. Rossæum *Archaeol. Attica lib.* 3. *cap.* Hinc *Comitiales* dies, à Fastis, Comperendinis ac Statis distincti, erant quibus cum populo agi licebat: De quibus V. Joh. Rosinum *Antiqq. Rom. lib.* 4. *cap.* 3. Bernardinum *in suis Annotat. in Rom. Cal. ad finem Ovid. Fast.* &c. Homo verò *Comitialis* dictus est, litium sectator & perpetuus causarum concatenator, Angl. *a wrangler in the law or a litigious person*, Thom. Godvvynus *Antiquit. Rom. lib.* 3. *Sect.* 1. *c.* 1. Item *Comitiatus*, celebratio Comitiorum, unde *& Comitiatum & concionem avocare*, apud A. Gellium *lib.* 13. *cap.* 16. est, impedire ne Comitia habeantur. In Lege XII. Tabb. *De capite civis, nisi per maximum Comitiatum, ne ferunto*, i. e. per Centuriata Comitia, in quibus populus descriptus censu, ordinibus, ætatibus, plus adhibebat in suffragium consilii, quàm fuse

in Tri

in Tribus vocatus. Mentionem legis facit Cicero *de Legg. lib. 3.* & *Orat. pro Sestio.* V. Joh. Rosinum *Antiqq. Rom. lib. 8. cap. 6.*

Comitiacus, dignitas, cujus formulam exhibet Senator *lib. 8. Epist. 13.* & *lib. 7. Epist. 31.* Erat is Vicarius *Principis* (officialis ita dicti) in urbe Roma. Car. du Fresne *Glossar.*

Comitiani, in *l. 12. Cod. Th. de Cohortal.* dicuntur Officiales Comitis Orientis. In *Nov. Just. 30. capp. 1. & 2.* Comitis Domorum Officialibus idem nomen tribuitur, apud Eund.

Comitiva, Comitis dignitas. Sic *Comitiva utriusq. Ærarii l. 2. Cod. Theod. de quæstionibus Mag. offic.* appellatur sacri & privati ærarii præfectura &c. *Comitivæ* autem titulus omnibus ferme dignitatibus aulicis semper adfixus atque adjunctus fuit, quasi quoddam honoris incrementum, iisque tantùm tribui solitus, qui dignitatis alicujus aut Magisterii Præfecturæque merito pollerent; adeo ut posteriorum Impp. ævo, nulla planè inveniretur in Aula dignitas, quæ non *Comitivæ* honore esset ornata. Fuere tamen & quidem solo honore *Comitivæ* præditi, absque ulla alia dignitate aut Præfectura: qui *Comites in Palatio* vel *intra Palatium*, dicebantur, ibi morantúrq; *Cod. Theodos. tit. de Comitibus Vacant. Qui post probatos labores in nostro Palatio Comites esse meruerunt.* De *Comitivæ* triplici gradu, diximus suprà. Quando autem cœperit hæc *Comitum* honoraria appellatio, singulis quibusque in Aula dignitatibus attribui solita, ut diximus, & cujus Imperatoris inventum fuerit, non facilè decerni potest. Plerique à Constantino M. id primùm institutum contendunt. Sed certum est, non ejus tantum ævo, sed omnium omnino etiam retro Principum Comites Amicosque Imperatoris in varias classes fuisse semper distributos. Erant Amici primæ, secundæ & tertiæ admissionis, Lamprid. *in Alexandro*: proin & Comites. Omnes namque, qui cum dignitate in comitatu Principis erant, *Comites & Amici Principis* appellati sunt; solisque his dignitatibus *Comitis* nomen invenitur datum, quæ Principis comitatum observarent, aut ab eo ordinarentur, adeoque omnes, hac appellatione donati erant de domo Augusta. Reliqui Magistratus, qui Augustum non comitabantur, aut qui ab ipso non ordinabantur, *Amicorum* quidem nomine honorabantur ab Augusto, sed non *Comitum*, &c. Salmasius *ad Treb. Pollionem in Vita Macriani.* Plures vocis *Comitiva* significationes V. apud du Fresne *Glossar.*

Comitores, apud Catalanos dicuntur qui ordine Militiæ seu Vassallatus, post Vicecomites & ante Vavassores, recensentur in *Actis* antiqq. Hinc in *Usaticis* Barcinon. MSS. *cap. 70. de Curia Principis*, dicitur. *Sunt in ea Principes, Episcopi vel Abbates, Comites & Vicecomites*, Comitores & *Vavassores*, *Philosophi & Sapientes, atque Judices*, apud du Fresne *Glossar.*

Commagena, vel æ, urbs Pannoniæ superioris 24. m. p. Vindobonâ distans, in vet. *Itiner.* V. *Comagenum.*

Commeatalis Miles, cui *commeatus* dabatur: cujusmodi *Commeatalem* qui ex milite faciebant Tribuni, pecuniam ab eo auferebant; quod prohibuit Justinianus *Cod. de Offic. Pr. P. Africæ l. 1. Et nullum audeant Duces vel Tribuni* commeatalem *de ipsis dimittere, ne dum sibi lucrum studens conf...ere, incustoditas nostras relinquant provincias.* Idem lege cavit Anastasius. *Cod. de erog. mil. ann.* E quibus colligimus, eorum quos dimittebant, aut quibus *commeatum* dabant militum, stipendia Tribunos in sinum convertisse, aut aliquid eo nomine ab illis corrasisse, unde fortè *Stellatura*, ἀπὸ τοῦ στέλλειν, dicta est, quam Tribunis milites pro *commeatu* dabant: nam στέλλειν, *mittere* est, hinc στόλος Græcis, qui Latinis *commeatus*. Aliam tamen, nominis rationem Salmasius reddit, V. infrà in voce *Stellatura.* De *Jure* vero *commeandi*, aliisque huc pertinentibus, V. Hug. Grotium *de Jure Belli & Pacis lib. 3. cap. 21. num. 14. & seqq.*

Commemoratio Laudum, olim in funeribus usitata, indigitatur Statio *Thebaid. lib. 8. versu 208.*

> *Talia fatidico peragunt solemnia Regi.*
> *Ceu flammas ac dona rogo, tristesq; rependant*
> *Exequias, molliq; animum tellure reponant.*

Cujusmodi *Commemorationes* Parentalium loco habebantur. Ausonius,

> *Nænia funereis satis officiosa querelis.*
> *Hoc satis & tumulis, satis & telluris egenis.*
> *Voce ciere animas funeris instar habet.*
> *Gaudent compositi cineres sua nomina dici,*
> *Ille etiam mæsti cui defuit urna sepulchri*
> *Nomine ter dicto penè sepultus erit.*

V. Casp. Barthium *Animadversion. ad Thebaid. d. l.* & infrà, ubi de *Parentalibus*, alibique passim. Hinc *Commemoratio*, in Communione Romana, dicitur recitatio nominum eorum, quos *Fideles* vocant, in Missæ Liturgiis, V. Avitum Vienn. *Epist. 4. & 11.* Radulfo *Memoria Sanctorum*, item *Suffragia Sanctorum.* Quæ *Commemorationes de Cruce, de B. Maria, de Titularibus totius Ecclesiæ Petro & Paulo, ac pro Pace fere esse solent*, ut ait Dominic. Macer. in *Hierolexico.* Omittuntur autem in Adventu, tempore Passionis & Paschatis. Id. De *Commemorationibus Defunctorum*, quorum mentio in Concilio Bracar. *can. 39.* V. infrà in voce *Dipsychus*, item *Funebre Officium.*

Commenda, prædium est seu beneficium Ecclesiasticum vel Monasticum secularibus vel aliis fiduciario jure concessum, Luitprandus *lib. 4. cap. 3. Commendavit illi, seu, quod verius est, in escam dedit Ecclesias.* Cujusmodi *Commendarum* auctorem fuisse ajunt Leonem IV. in gratiam Episcoporum ac Clericorum, qui suis Ecclesiis, propter irruptionem & invasionem Saracenorum ac deprædationem Siciliæ maximæque partis Italiæ, pulsi erant, abusu hoc postmodum latiùs propagato. Hinc *Commendare*, h. e. *dare in Commendam*, de quo ritu pluribus agit Car. du Fresne in *Glossario*, V. infrà quoque in voce *Commendati.*

Commendare Diis vel *Commendare* simpliciter, ap. Ælium Spartianum *in Adriano*, *Natali suo ultimo, quum Antoninum commendaret, prætexta sponte delapsa caput ejus operuit*: est εὐχαῖς ἐπιτρέπειν. Nempe rem divinam faciens Adrianus, vota pro Antonino, recèns in filium adoptato, nuncupavit: quod die Natali olim solenne erat; quem proin cognati & propinqui communi religione celebrabant. Extat Adriani ejusdem Schedium, die ejus natali ad Matrem missum, quo ipsam & sorores suas invitat ad cœnam; ut communibus votis pro mutua salute Deos orent, apud Salmasium *Not. ad Spartianum.* Unde phrasis, *Natalem alicujus commendare*, apud Spartianum in *Geta* & Æl. Lampridium in *Alexandro.* Hinc *Commendationes*, in *Statutis* Ordinis de Sempringham, V. Ord. Vitalem *lib. 5.*

Commendati, apud Recentiores, dicuntur Liberti, qui Patroni, seu Manumissoris patrocinio post libertatem impetratam se *commendabant.* Quippe per *Chartam ingenuitatis*, servo in libertatem asserto, facultas dabatur, seu Ecclesiæ, seu alterius cujusdam, qui ejus ingenuitatem tueretur, patrocinio se commendandi, ut patet ex Marculfo, *lib. 2. Form. 32.* Legibus verò Scaniæ editis ab Andr. Suenonis Archiepisc. Lundensi *lib. 6. cap. 5.* servum, statim atque libertatem consecutus erat, *ingenuorum aliquis suo generi conjungebat, tum in suum consanguineum eligendo, & qui pro factis ejus se spönderet responsurum, & ... facto pro parte tertia præstandæ satisfactionis onus suscipiebat, vel pro parte tertia recipiendæ satisfactionis lucrum percipiebat cum Liberto, duplo minore semper liberto, quam ingenuo, satisfactione pro homicidio attributa.* Neque verò Liberti tantùm, sed & quivis villarum incolæ, qui sub Dominorum tutela & protectione vivebant & in signum ejusmodi protectionis, certam præstationem annuam vel servitium iis exolvebant, *Commendati* dicuntur, in *LL.* Wisigoth. Longobard. alibique passim. Interdum tamen ita clientelæ ac patrocinio domini alicujus se *commendabant*, ut obnoxiæ conditionis censerentur, & tanquam servi, si fugitivi essent, retraherentur, ut est in *L.* Ripuaria, *tit. 72. § 5.* Hac enim lege alterius se commendabant potestati, ut, quoad viverent, de victu ac vestitu sibi ab illo caveretur, cui *ingenuili ordine*, h. e. absque ingenuitatis ac libertatis præjudicio, servitium ac obsequium sese præstituros profitebantur, addito, quòd ab eo se subtrahendi potestatem non haberent, ut est in *Formulis secundùm L. Rom. cap. 44.* V. du Fresne in voce *Affidati.* Nonnunquam verò servis ipsis *Commendati* hujusmodi accensebantur &c. Non multùm absimile fuit *Jus applicationis* apud Romanos, ab Atheniensibus ortum, apud quos peregrini se alicui opulento civi in clientelam dabant dicabantque. Hinc *Commendare se in clientelam*, apud Terentium &c. V. quæ hanc in rem congessit Hadr. Turneb. *Adversar. lib. 24. cap. 32.* & Car. du Fresne in *Glossario*, ut & hic passim, ubi de *Clientibus*, *Manumissione*, *Patronis* &c.

Commendatitiæ Literæ seu Epistolæ dicebantur, quæ ab Episcopis dabantur ad alios Episcopos, quibuscunque suæ diœceseos peregrinaturis, ut in sacris synaxibus, tanquam fideles, admitterentur, vel ad munus aliquod sacrum promoverentur, vel ut subsidiis viaticisque instruerentur, aliasque ob causas. Συστατικαὶ Græcis. Cujusmodi Literarum formulæ atque exempla prostant apud Fortunatum *lib. 5. Poëm. 19.* & *lib. 10. Poëm. 19.* in *Formulis* vett. apud Bignonium, apud Pithœum in *Glossis* ad Julian. Antecess. alibi. Apud Rainardum Abbatem Cisterciensem, *Commendatitiæ literæ* Abbatum, Monachis ad aliam Ecclesiam transire volentibus datæ occurrunt, in *Institut. cap. 11.* Epistola verò *Commendatitia* ab Episcopis, pro Clericis suis, ad Principes & Viros illustres scripta, ut euntibus ac redeuntibus res necessarias iis subministrent, *Commendatitius Indiculus* dicitur, cujus Formulas binas Lectori exhibet Marculfus *lib. 2. formul. 50. & 51.* apud eundem in *Glossar.*

Commendator, in Ecclesia Rom. dignitas seu officium est in Ordinibus Militar. Relig. v. g. S. Joannis Hierosolym. *Magister sive Commendator. Commendator Domorum*, in Militia B. Jacobi, apud Innocentium III. *Epist. 11.* *Præceptor*, in Militia Templi, apud Car. du Fresne, ubi *suprà.*

Commensalis Ducis, apud Perardum in *Burgundicis*, V. infrà *Conviva.*

Commentariensis, Plin. *lib. 7. cap. 38.* dicitur, custos quidam carceris, qui Triumviro capitali, cujus summa carceris ac animadversionis cura fuit, parebat: teste Valerio Max. *lib. 5.* qui, custodem carceris pietatem filiæ, in carcere matrem lacte suo sustentantis, ad Triumvirum detulisse narrat. In castris *Commentarienses* Sigonius fuisse ait, qui obsequia militum, excubias commeatusque perscriberent. V. Jo. Rosinum *Antiqq. Rom. lib. 9. cap. 17.* & *lib. 10. cap. 8.*

Commercia, generi humano perquàm necessaria, abundantiâ unius regionis alterius inopiam pensant, & quæ ad vivendum vel saltem commodè vivendum cuique necessaria sunt, largè suppeditant. Qui enim Athenæ olim, cui ὅ' Ἀττικὴν [illegible] Thucydides *lib.* 1. tribuit: & similis hodie Athenis tàm sterilitate terræ, quàm ingeniorum fertilitate Norimberga: Decus item mediterranei maris Venetiæ, sine *Commerciis*, unquam tales tantæq; evasissent? Quin etiam, si vel maximè fertili agro sita sit civitas, multa tamen utilia, multa quoq; necessaria desint oportet, Cùm

—— Hic segetes, illinc veniant felicius uvæ,
India mittat ebur, molles sua thura Sabæi.

Quare Emporia constituta, Nundinæ concessæ, electa quoque sunt pro *Commerciis* stabiliendis Oppida, quibus Stapulæ jus concederetur, eoque vectores cogerentur, non prius cum mercibus aliorsum pergere, quàm expositis per aliquot dies in Stapulæ foro suis mercibus. V. apud Limnæum *Jur. Publ. lib.* 2. *cap.* 9. *num.* 31. Hinc jure gentiū non tantùm personis, sed & *mercibus*, de transitu per alienas terras cautum est. Nam quo minùs gens quæque cum quavis gente sepositâ commercium colat, impediendi nemini jus est: id enim permitti interest societatis humanæ, nec cuiquam damno id est. Quam in rem Philo *Leg. ad Cajum.* Πᾶσα δὲ θάλαττα φορτηγοῖς ὁλκάσιν ἀκινδύνως διαπλεῖται, καὶ [illegible] ἀγαθῶν [illegible] αἱ χῶραι [illegible], [illegible] *Mare omne navibus onerariis tutò satis navigatur, eo commercio, quod ex naturalis societatis desiderio inter nationes intercedit, dum mutuo aliarum copia aliarum inopiæ succurrit. Nam invidia nunquam aut orbem universum, aut magnas ejus partes invasit.* Et apud Florum est *lib.* 3 *Sublatis* commerciis, *rupto fœdere generis humani.* Euripides quoque *Supplicibus* Theseum inducens loquentem, his, quæ humana ratio in commune bonum reperit, navigationem propterea annumerat, his verbis:

Πόντου τε ναυστολήμαθ' ὡς διαλλαγὰς
Ἔχοιμεν ἀλλήλοισιν ὧν πένοιτο γῆ
Et cuiq; terra quæ suum ingenium negat,
Supplere ratium pelagiis discursibus.

Quoniam autem transeuntibus mercibus securitas præstatur, aliaque ob hoc onera sustinentur, ad ea compensanda vectigal aliquod mercibus imponi permittit idem Jus, dum modus causæ non excedatur. Sic vectigal equorum & neti, quæ Isthmum Syriacum transibant, accepisse Rex Salomo legitur, 1. Regum *cap* 10. *versu* 18. & *cap.* 12. *versu* 14. De thure Plinius, *Evehi non potest, nisi per Gebanitas. Itaq; & horum Regi penditur vectigal.* Sic ditati Massilienses ex fossa, quam ex Rhodano in mare Marius duxerat. [illegible], *Vectigal exigentes ab iis, qui navibus ascenderent aut descenderent,* ut Strabo narrat, *lib.* 4. Idemque *lib.* 8. nos docet, Corinthios ab antiquissimis usq; temporibus vectigal percepisse, de mercibus quæ, ad vitandum Maleæ flexum, terrâ de mari in mare transferebantur. Quemadmodum pro Rheni transitu pretium accipiebant Romani. *Etiam in ponti bus protransitu datur,* inquit Seneca: & de fluminum transitu pleni sunt Jurecoss. libri. Sed frequens est, ut æquus modus non servetur, cujus rei Phylarchos Arabum incusat Strabo *lib.* 16. hoc addito: Χαλεπὸν γὰρ ἐν τοῖς τοιούτοις καὶ τοῖς αὐθάδεσι [illegible], *Difficile enim est, ut inter validos & feroces definiatur modus mercatori non gravis.* V. de iisdem Phylarchis, Petrum de Valle *Itiner. Tom. IV.* & plura hanc in rem, apud Hug. Grotium *de Jure Pacis & Belli lib.* 2. *cap.* 2. *num.* 13 & 14. Auctorem Anonymum *Orbis Terr. Geogr. & Civ. cap de Commerciis*, Sprengerum *in der kurtzen Wechsel-Pratick pag* 12 & *seqq.* Jo. Baptistam *Tavernier Itiner.* & hic passim, ubi de *Foro*, *Mercatura*, *Stapulis* &c. item ubi de mercium qualibet, suo loco.

Commilitones sæpe milites ab Impp. Romanis appellari soliti, ut de Julio aliisque legimus ferè omnibus, præter Augustum. Addit Maximinus vocem *sacrati*, apud Capitolinum in *Gordianis*, ut eos sacramenti militaris admoneat, cujus erat religio maxima, idque præcipuum fidei vinculum. Illud verò, quod sequitur, *[illegible] imo etiam mei consecranei*, quod idem est, ac *Commilitones*: sive eorundem sacrorum participes &c. Casaubonus *ad l.*

Comminelli, seu *Communelli*, in *Constitut.* Friderici II. Imp. c. *Catharos* & *Patar.* Hæretici fuere, quòd omnia communia haberent, sic dicti, apud Waddingum *in Annal.* Minor. A. C. 1254. *num.* 16. laudatum Carolo du Fresne in *Glossar.*

Commissi, apud Casinenses dicuntur, qui aliis *Conversi*: Haëftenus *Disquisit Monast. Lib* 3 *tract* 2. *Disquisit.* 8 In *Regulis* Benedictinarum Monialium, *Commessa* dicitur Monialium famula, apud Macrum in *Hierolexico*.

Committere pugnas, apud Statium *Thebaid lib.* 6. *versu* 143.

Cui Superum nostro committere *sanguine pugnas*
Dulce fuit?

Ordiri est, verbum Circensibus deductum. Nonius Marcellus, *Committere dicitur initiare.* Virgilius *lib.* 5.

Et tuba commissos *medio canit aggere ludos.*

Varro *Endymionibus, Discumbimus mensatim. Dominus mature cœnam committit.* V. quædam notata Jac. Ravardo *ad cap.* 14. *de Regulis Juris*, Fr. Duarenum *ad idem cap.* J. Robertum *Animadversor. lib.* 3. *cap.* 28. Jos. Scaligerum *ad Varronem de Re Rust. lib.* 3. &c. Alioqui *committere*, commereri est, quo sensu verbum occurrit apud Cæsarium Arelat. *Homil.* 38. V. quoque eosdem Jurecoss. Quia autem grandi, sed conciso sono, *committebant* illos ludos tubæ, non alio atque alio, sed eodem semper tenore, hinc ansam habuit Senecæ eloquentiam *Commissiones merae* dicendi Cajus Princeps, uti videmus apud Suetonium *cap.* 53. Cui intellectui non obsistit, quòd lenius comtiusque dicendi genus in eodem Scriptore, ex suo sensu, agnoscere videatur Suetonius. Diverso enim modo utrumque verum: affectavit enim comptum quid Seneca, & tamen ubique ostentat Declamatorios flosculos, sententias vibrantes, secundùm Petronium, & quandam vehementiam non cohærentem, sed similem tubæ clangori, interciso sæpius, & quodammodo tumultuanti. Sed & *Commissiones* altercationes seu liticulæ perhiberi possunt; qualibus Senecæ scriptio accedere videatur: Ita concisis est periodis, & removet, quodammodo semper irascendo, tàm malos mores, quàm adversarios Philosophos. Sic *committere*, in lites conjicere, dissentire facere est, eidem Suetonio paulò post *cap.* 56. *ejusd. libr.* Quo sensu Homerus *Il. α.* ait,

—— ἐριδι ξυνέηκε μάχεσθαι &c.

V. Casp. Barthium *Animadversion. ad Statium d. l.* Quot autem in diem fuerint Circensium commissiones, dicemus infrà in voce *Missus*. De *Commissionibus* verò *Artificum* annuis, in festo Χαλκεῖα, Athenis institui solitis, V. infrà ubi de *Manuariis Artibus*. De aliis, ubi de *Agonibus*, *Certaminibus* seu *Ludis Gymnicis* &c.

Commoda Publica quicunq; olim auxit, quique effecit, ut Resp. vitatâ invidiâ, miseriâ, calamitate, honorem, faustitatem, felicitatem adipisceretur, is, velut malorum præclarissimus victor, coronâ solebat donari. Cujusmodi, præter alios illustres viros, Lycurgus fuit, a Populo ob eam causam sæpius coronatus, statuamque adeptus; Demosthenes item, qui primò quidem a Democle Aristonico Hyperide, ultimò à Ctesiphonte, coronatus est. Certè in decreto, quod factum est super Lycurgo Butade, postquam ejus in Remp. benefacta commemorata sunt, additur, *cùm autem visus esset omnia hæc justè administrasse, ob eam rem coronari dicta est*, V. Plutarchum in *Lycurgo & Demosthene.* Ad quod exemplum quà re quisque Resp. maximè prodesset, ob eam rem coronâ donabatur. Et verò Æsculapium usque eò constat fuisse coronatum, ut is nunquam effigietur, sine corona, veluti Victor morborum. Quæ corona index fuit clarissimæ Artis, cui multum dissimiles illæ, quas coquis talibusque voluptatum lenonibus, perditissimos Sybaritas dedisse, legimus apud Athenæum *lib.* 12. Item quam, propter longiorem compotationem, præmii loco accepit Xenocrates, apud Laertium *lib.* 4. quamque calumniæ dolique mali crimine convicti, cùm per urbem circumvectarentur, è myrica gestasse leguntur, Spartæ, apud Diodorum Siculum *lib.* 12. &c. V. Car. Paschalium *Coronarum lib.* 7. *cap.* 6. & plura de præmiis *Bene* de Publico *merentium* suprà, in voce *Benemeriti*.

Commodæ Idus, in lap. Lanuvii,

IDUS COMMODAS
ELIANO COS.

Augustæ sunt, *Commodum* enim hunc mensem dici voluit, Commodus Imp. Quemadmodum idem appellavit Romam *Kommodianam*, & *Commodiana castra* apud Dionem; *Coloniam Commodianam*, apud Lampridium, Et classem Africanam, quam æmulaturus Augustum instituit, *Commodianam Herculeam* &c. V. Casaubonum & Salmasium *Not. ad Lampridium.*

Commonitoria, in Communione Rom. dantur à Pontificibus Legatis, ut vocant, Apostolicis, uti *Mandata* ab Imperatoribus olim iis, qui ad provincias administrandas aliaque causâ ab illis ablegabantur. *Glossæ* Basil. Κομμονιτώριον, [illegible], & Suid Κομμονιτώριον, [illegible]. Cujusmodi *Commonitorii* formulam exhibet Cassiodorus *Variar. lib.* 7. *cap.* 22. vel potiùs *Codex* Ecclesiæ Africanæ *can.* 93. cujus inscriptio est Κομμονιτώριον, [illegible], *Commonitorium, quale acceperunt legati contra Donatistas.* Postea latè instruuntur, Theasius & Evodius, quid apud Impp. agere debeant, V. & *Commonitorium* Zozimi Papæ, quod dedit Legatis ad Concilium Carthagin. *in princip. ejusdem Codicis, in Biblioth. Juris Canon. vet. p.* 330. & Justelli *Notas pag* 419. aliudque bene longum *in Annal.* Baronii *Tom. X. ad A.* [illegible] 959. *n.* 6. *& seqq.* & plura de hac materia, apud Franc. Bernardinum *de Antiquo Eccles Epistolarum genere lib.* 2 *cap. ult.* ut & Joann. Savaronem *ad Sidonium lib* 8. *Epist.* 9. *pag.* 505. *in fin.* Ex his *Commonitoriis* etiam excerpi Canones consuevisse, docet Gerh. von Mastricht *Histor. Juris Eccles.* §. 403 404.

Commune, seu *Communia* aut *Communitas*, apud Recentiores est incolarum alicujus universitas, domino vel Rege concedente, sacramento invicem certisque legibus adstricta. Cujusmodi *Communias* in Francia primus Ludovicus VII. Rex multiplicavit auxitque. Cùm enim regnante Philippo patre, in omnibus fere provinciis Procerum invaluisset tyrannis, subditis Regique pariter gravis, *Ludovicus — auxilium totam per Galliam deposcere coa-*

bus est Episcoporum. Tunc ergo Communitas in Francia popularis instituta est a Præsulibus, ut Presbyteri comitarentur Regi ad obsidionem vel pugnam, cum vexillis & parochianis omnibus, Order. Vitalis *lib.* 11. *pag.* 836. Unde crebrò legitur, in præliis adfuisse & dimicasse urbium *Communias*, quibus prævii erant ipsi Presbyteri seu Curiones, cum vexillis Ecclesiæ, apud Eund. & Sugerium in *Vita* Ludovici VI. *cap.* 18. Ita quæ in Oppidis Regi ipsi obnoxiis duntaxat primitus *Communiæ* erant, postmodum Regum concessu in aliis quoque, quæ Episcoporum erant, introductæ sunt. Ipse verò Ludovicus VII. novas statuit in iis, quæ sui juris erant, quibus & leges dixit. Post quem etiam Regii Vassalli in suis oppidis idem institutum imitati sunt, eò promtiore Regum adsensu, quòd in bellis opem ab iis expostere licebat. Sed & ut plurimum in Vassallorum Civitatibus & Oppidis supremo jure, & Vassallis inconsultis, *Communias* instituere Reges abstulereque, si incolæ peccassent, ut Laudunensibus, post cæsum Galdricum Episc. fecit Ludovicus VI. Ad id porro instituebantur *Communiæ*, ut & dominorum suorum & sua propria jura subditi tuerentur: uti legitur in *Charta* A. C. 1204. Alionoræ Reginæ Angliæ & Ducis Aquitaniæ, apud du Fresne. Inter *Communiæ* vero jura præcipua, recensentur *Scabinatus*, *Collegium*, *Majoratus*, *Sigillum*, *Campana*, *Berfredus & jurisdictio*. In *Chartis* prætereà earum describebantur Leges, quibus delinquentes incolæ subdebantur, & pensitationes, quas præstare dominis vel Regi debebant, ut docet Guibertus *de Vita sua lib.* 2. *cap.* 7. Qua ratione cum ab omni jugo servitutis harum incolæ eximerentur & sibi invicem confœderati & juramento adstricti sua jura tuerentur, constitutiones ejusmodi Communiarum *Libertates*, ipsæ quoq; Communiæ *Juratæ* & incolæ *Jurati*, sunt dicti, &c. Car. du Fresne in *Glossar.* ubi diplomata, præsertimque *Communiæ* titulum præferunt, a Regibus Proceribusque Galliæ, variis Oppidis concessa, secundùm literas Alphabeti, ordine enarrat: Plura vocis *Commune* vel *Communia* significata, V. apud Eund.

Communes, dicti Imperatores & Principes, qui cum privatis ex æquo vixerent: quam virtutem Græcos vocasse κοινότητα, ex Xenophonte discimus. *Ex æquo* id vocat Plinius, ubi de Scythis, ad quos pertinebant Parthi, quod perperam interpretatus est, *concorditer* Solinus *pag.* 55. Cæteræ enim nationes, quæ Parthis parebant, nec rebellabant, concorditer cum his agebant, at non *ex æquo*, ut Scythas degere cum iis Plinius scribit, i. *pari jure*. Namque & Scythæ liberi erant, nec Persarum dominationi obnoxii. Laudat imprimis hanc virtutem in Trajano suo Plinius *in Panegyr. Sciantq; omnes, quàm ex æquo tecum vivat Imperium, Triumphali & Censorio, sexiesq; Consule & Tribunitiæ potestatis participe, & quod his nobilius fecisti, dum illud Patri pariter & Equestri ordini præstas Præfecto Prætorio tuo, omnisq; hæc Reipublicæ. Et nobis quidem, qualis in Castrensi Contubernio.* Quasi diceret, ut sciant omnes, quàm ex æquo vivat Imperiū, id est, qui tibi subjecti sunt, quàm pari jure tecum vivant, qui Triumphalis & Censorius, & sexies Consul & cætera. *Popularitatem* Ethici appellant, &c. V. Salmasium *ad Solinum pag.* 1197. Quinam verò *Communes Dii* olim habiti, V. supra *Consentes Dii*.

Communicales, apud Anastasium in *Leone* III. *Fecit verò Communicales ex argento purissimo per singulas regiones, qui præcederent per stationes, per manus Acolythorum num. 24. pens. simul lib.* &c. Vasa sunt argentea vel aurea, quorum inter communicandum usus fuit, Dominic. Macer in *Hierolex.* V. infra in voce *Communio*.

Communicantes, in Communione Rom. oratio in Canone posita, de qua V. Macrum in *Canon Missæ.* Variant in aliquibus festivitatibus hæ preces, ut & Præfatio: aliquando tamen distinguitur & separatur præfatio ab oratione. Si enim v. g. festum S. Philippi & S. Jacobi seu Inventionis S. Crucis occurrerint, infra Octavam Ascensionis tunc præfatio Festi occurrentis & *Communicantes* de octava dicuntur, licet de octava non fiat commemoratio, Idem ex *Congr. Rituu.* 24. *Aug.* 1627.

Communicatoriæ Literæ, Κοινωνικαὶ, item Κοινωνικὰ γράμματα, Palladio in *Vita* Chrysostomi *pag.* 24. dicebantur eæ, quas Episcopi lapsis dabant, postquam exactâ pœnitentiâ ad *Communionem* sunt recepti. Item fidelibus interdum peregrinaturis, ut ab aliis fidelibus in Communionem reciperentur. Neque enim licebat quem fidelem ab aliquo suscipi, sine literis Episcopi sui. *Concil.* Carthag. 1. *can.* 5. V. Bernardinum *de antiquo Ecclesiasticarum Epistolar. genere*, ubi *Communicatoriæ* speciem facit Epistolarum Formatarum.

Communio, Græce Κοινωνία, inter nomina S. Eucharistiæ, reperitur 1. Cor. *cap.* 10. *vers.* 16. quæ, ut alias rationes omittam, sic dicta est Pachymeri, διὰ δὲ τὸ τότε κοινωνεῖν τοὺς ἀξίους πάντας τῶν μυστηρίων. *Quia primis temporibus omnes, qui digni erant, mysteriis* (h. e. Cœna Domini) *participabant*. Postea verò ubi deficiente zelo populus Christianus *communicare* desiit, nisi semel in anno, ut toties queruntur Ioann. Chrysostomus, Ioann. Cassianus, alii: quæ prius dicebatur & erat *Communio*, fieri cœpit θέαμα καὶ ἀκρόαμα, *spectaculum & acroama*, Isaac. Casaubonus *Exercit.* 16. §. 30. ubi accurate de hac voce pluribus agit. Similiter seqq. seculis, separato a Clericis populo, *Communio* distingui, & alia *Sacerdotalis*, alia *Laica* dici cœpit: Quarum illa Sacerdotum erat, hæc Plebis, cui Presbyteri etiam ac Clerici accensebantur, si quid levioris delicti commisissent. Unde apud Sanctum Cyprianum *Epist.* 52. *Admissus est Trophimus, ut Laicus communicet, non — locum Sacerdotis usurpet.* Et in Canonibus, qui *Apostolici* dicuntur, *cap.* 14. jubetur Presbyter, qui in aliena parochia inscio Episcopo commoratur, κοινωνεῖν ὡς λαϊκὸς, *inter Laicos communicare*. Si vero culpa gravior esset, interdum ne *Laica* quidem donabantur *Communione*, sed ad pœnitentiam relegabantur, i. in Classe pœnitentium consistere jubebantur, ad Ædium sacrarum fores, donec Ecclesiæ reconciliarentur: Concil. Sardic. *can.* 1. Clericis verò exauctoratis & excommunicatis, *Communio* hæc in fine tantùm vel ne in fine quidem concedebatur: quod posterius idem Concilium *can.* 2. statuit in Episcopos, qui artibus fraudibusque plebem alienam concitassent, quò Episcopi postularentur, &c. V. du Fresne *Glossar.* In *Communione* verò hac sacra, Justini tempore Diaconi sacras partes populo distribuebant, & ad absentes quoque deferebant. Clemens, in Alexandrina Ecclesia, ipsum populum de ... atina consecratas offas accepisse, scribit. Tertullianus sua ætate, non de aliorum, quàm de præsidentium manu, eas sumi dixit. Non enim ubivis aut omni tempore, uniformis Cœnæ ritus erat. Postea autem frequentiùs Episcopi Presbyteris, Presbyteri Diaconis, Diaconi fere Laicis & reliquæ Ecclesiæ plebi, sacra symbola ministrabant. Ordine quoque aliquo *Communio* peragebatur, ut primùm communicaret Clerus, Episcopi, Presbyteri, Diaconi &c. atque hi deinceps sanctiori Ecclesiæ loco, intrà ipsa *Altarium*, ut vocabantur, septa: tum extra illa Populus, primò Viri, deinde Mulieres, & hæ non nisi velatæ, unusquisque ordine suo. Unde *Communionis Eccles.* atque *Laicæ* divisio, retro indigitata, originem habuit. Sed optimus procul dubio *communicandi* modus est, quem Christus usurpavit, de quo, ut & plura hanc in rem, V. suprà in voce *Cœna Domini*. Sed & *Communio*, in Ecclesia Rom. Antiphona vel Cantus Ecclesiasticus, qui, dum populus communicat, decantatur à Cantoribus, inventus a Gregorio M. ut habent Honorius Augustodun. *lib.* 1. *cap.* 90. Auctor *Chronici* Reichersperg. *A. C.* 424. Cardin. Bona *Rerum Liturgic. lib.* 2. *cap.* 17. *num.* 1. Alii. In ritu Ambrosiano *Transitorium* dicitur, *quia tunc ad Epistolæ cornu fit transitus, quemadmodum in ritu Romano etiam observatur*, ut ait Dominic. Macer in *Hierol.* Porro *Communio* Passiva, in *Concil.* Carthaginensi dicitur, quæ sine discrimine omnibus concessa est. At *Communio* Peregrina, quæ peregrè cum Formatis advenientibus Ecclesiasticis vel Laicis concedi solebat: ita ut si Episcopus peregrinus cum Metropolitani Formatis in alienam diœcesin veniret, nullo quidem in ea dignitatis suæ munere fungeretur, sed in consessu Presbyterorum, seu, ut vocabant, Presbyterio, ante Presbyteros sederet, & ab Episcopo civitatis, cum cæteris Presbyteris Diœcesanis sacram Eucharistiam sumeret, sicut in *can.* 18. Nicenæ Synodi dicitur. Quod idem contingebat peregrinis Presbyteris & Diaconis, qui intra Cancellos sedebant, ut peregrini tamen ab officio cessabant, communicantes tantùm tum in oratione, tum in Eucharistia, cum aliis Presbyteris, &c. Atque hac notione *Communionem peregrinam* accipi, in Conc. Regiensi. A. C. 439. *can.* 3. contendit Sirmondus. Postea verò, pœnalis quædam Communio *peregrina* dici cœpit, quòd instar *peregrinæ* propriè dictæ esset. Quoties viz. Episcopo adimebatur Episcopatus, ad quem ordinatus erat, administratio; nomen verò, ordo & dignitas relinquebatur: sic ut sederet & communicaret cum Episcopis, abstineret tamen ab officio dignitatis, atque *communicaret ut peregrinus*. Quod Bassiano & Stephano, qui contra Canones Ephesinam comparaverant sedem, accidisse legimus, in *Concil.* Chalcedonensi *Act.* 11. & 12. Unde conficit du Fresne, leviorem fuisse Communionis hujus, quàm *Laicæ*, pœnam: cùm hac postrema Clerici gradu suo carerent in perpetuum; priori verò, si resipiscerent, locum recuperarent suum ut est in *Concil.* Agathensi *can.* 2. V. Sirmondum *Histor. Pœnitentiæ publ. cap. ult.* aliosque auctores præfato du Fresne in *Glossar.* laudatos, ut & Macros Fratres in *Hierolexico*.

Comœdia, drama est, civiles & privatas actiones exitu læto repræsentans, seu Poema est dramaticum, negotiosum, exitu lætum, stylo populari, Scalig. *Poët. lib.* 1. *cap.* 6. Ejus origo hæc: Cum Apollini Nomio, i. Pastorali, ob frugum proventum, festum agerent agricolæ, in compitis & vicis comessatum convenire solebant, & circum aras choreas ducere, ad tibiam cantantes, postea convitiis etiam incessere meritos. Ea consuetudo dein transiit in civitates, ubi cives improbos simili pompâ, saltantes ac canentes, sunt insectati. Unde ἀπὸ κωμῶν, *i. vicis*, vel ἀπὸ τοῦ κωμάζειν, i. à comessando, seu per vicos animi gratiâ vagando, Κωμῳδία dicta fuit: & lusus, quos vicatim exercerent, *Comœdias* dixere, Æl. Donatus & Scal. *lib.* 1. *cap.* 5. Aristoteles non à comessando, sed inde dictum hoc dramatis genus vult, quòd Agricolæ oberrantes per pagos, insectarentur urbanos eisq; facinora sua exprobrarent: quod cum ob infamiæ metum efficax esset ad maleficia coërcenda, postea ad elegantiorem carminum cultum ab ingeniosis hominibus redactum fuit, & salibus conditum, fabulisque in ordinem digestis contextum, ut gratiam eò faciliùs inveniret: Itemque constituta loca & tempora, in quibus

agere.

ageretur, Scaliger *dicto loco.* Erat autem initio carmen simplex, sicut & Tragœdia, quod Chorus circa aras fumantes cum tibicine concinebat: Dehinc una persona atque altera addita est, quæ respondens alternis Choro, locupletavit variavitq; rem Musicam: Ad postremum, crescente numero personarum, materia ipsa locupletata fuit, donec in justum Poëma excresceret. Tum certa ornamenta adjungi cœpere, Cothurni, Socci, cæterique habitus Scenici, &c. Fuit verò *Comœdia* triplex, *Vetus*, *Media* ac *Nova.* E' quibus prima summa cum libertate, personas probro dignas nominatim carpsit. Horatius, *Sat. 4 lib. 1.*

Eupolis atq; Cratinus, Aristophanesq; Poëtæ,
Atq; alii, quorumq; Comœdia prisca virorum est.
Si quis erat dignus describi, quòd malus, aut fur,
Quòd mœchus foret, aut sicarius, aut alioqui
Famosus, multa cum libertate notabant.

Susarion Megarensis eam inchoasse, Cratinus expoliisse, Aristophanes perfecisse dicitur. Sed cùm Poëtæ abuti licentiùs stylo & passim lædere quosvis etiam bonos cœpissent, lege latâ à 30. Atheniensium Tyrannis, cohibiti sunt,

— — — — *Chorusq;*
Turpiter obticuit, sublato jure nocendi,

ut loquitur Horatius. V. quoque Ciceronem *de Rep. 4.* Hinc Satura sumsit exordium, quæ in peculiare genus fabulæ abiit, postquam & ipsa in suspicionem sinistram apud potentiores pervenit. V. infra in voce *Satura.* Dein *Media Comœdia*, in qua nullum apertè traducere fas erat, orta est, non tamen ad novæ accessit modestiam: cùm jus quoddam reprehendendi retineret, & Chori loco parabases quasdam aspergeret, tectiis civium peccata coarguentes, Scaliger *lib. 1.* Tandem temporibus Alexandri M. *Nova* obtinuit, quæ argumento planè ficto fictisq; personis, citra amarulentiam, facetiis jucundis, ad delectandum comparatis, vitam communem & vulgatos mores spectandos proponeret: ut salubria monita in mentes animosque hominum, cum audiendi quadam illecebra, illaberentur. Unde Piscator apud Plautum conqueritur, non flecti mores populi ad virtutem Comœdiis,

Spectavi quidem Comicos ad istum modum
Sapienter dicta dicere, atq; iis plaudier,
Cùm illos sapientes mores monstrabant populo,
Sed cùm inde suam quisq; ibant diversi domum,
Nullus erat illo pacto, ut illi jusserant.

Hæc Jambicis & Trochaicis versibus contenta erat, cùm antiqua plurimis carminum formis uteretur: Neque Chorum admittebat. Hodierna tamen eos interdum saltantes aut concinentes [illegible] adhibet, non verò loquentes. Excoluerunt eam Plautus, Terentius, Accius, Nævius &c. inter Latinos: Menander vero princeps ejus est habitus, V. Scaligerum *Poët. lib. 1 cap. 7.* Utra prior fuerit, Tragœdia, an *Comœdia*, quærunt Eruditi: Sed Aristoteles innuere videtur, Tragœdiam priùs fuisse excultam. unde Horatius Tragœdiis veterem Comœdiam successisse docet, *in arte Poët.* Ex utraq; mixta oritur *Tragico-Comœdia*, quæ introductis augustioribus personis exitu læto absolvitur, qualis est Plauti Amphitruo. *Comico-Tragœdia* verò exemplum haud extat. Partes *Comœdiæ*, omnisq; Dramatis, sunt vel *Primariæ*, vel *Accessoriæ*, vel *Circumstantes*, seu *Accidentales.* *Primariæ* sunt quatuor, *Protasis, Epitasis, Catastasis ac Catastrophe*: quæ uno nomine dicuntur *Actus*, & tum Choro, qui pars erat veteris Comœdiæ, itemque Tragœdiæ opponuntur. Hæ enim duas partes, Actum & Chorum habuerunt. Alter distinguebatur Drama in *Actus*, sumpto vocabulo, non ut suprà, de actione tota, sed de parte quadam ejus præcipua: & hi rursus in *Scenas.* Actuum non plures quinque erant, sed nec pauciores. Horatius *de Arte Poët.*

Neve minor quinto, neu sit productior actu
Fabula.

Qui Choro vel Musicâ distinguebantur. In Scena plures quinq; personis non introducebantur loquentes, nisi fortè consultatio esset instituenda: mutas vero personas plures adesse non prohibet. Apud Romanos tamen plures tribus non loquebantur. Hor.

— — *Nec quarta loqui persona laboret.*

Partes *Accessoriæ*, quæ extra Actum, intellectus aut delectationis causâ, adhibentur, sunt *Argumentum*, ante actum ab initio: ut & *Prologus*: In medio, inter actum & actum, *Chorus*, vel Diludia. Hor.

Displicet iste locus, clamo, & Diludia posco.

Alibi idem,

— — *Media inter carmina poscunt*
Aut ursum, aut pugiles.

Quarta pars accessoria *Mimus* est, *Satura*, & aliquando *Epilogus*: quæ olim duobus ad summum verbis absolvebatur, *Valete & Plaudite*: hodie justum sæpe carmen explet: E' quibus accessoriis partibus solum Chorum sibi Tragœdia vindicat. Partes tandem *Circumstantes* dramatis sunt, *Titulus*, *Cantus*, *Saltatio* & *Apparatus*: qui in Tragœdia columnis statuisque & magnificorum palatiorum picturis Scenam exornabat; in Comœdia verò, sylvarum, ruris ædiumque privatarum imaginibus eandem splendidiorem reddit &c. V. Auctores *Poeticæ Giessensis*, Thom. Godvvynum *Anthol. Rom. lib. 2 sect. 3. cap. 2.* Joh. Rosinum *Antiqq. Rom. lib. 5. cap. 8.* &c. Ratione habitus, adde & gentis, Comœdiæ olim aliæ fuerunt *Palliatæ*, seu Græcæ, aliæ *Togatæ* seu Latinæ: quòd in illis pallium, Græcorum gestamen, in his toga, Romanorum vestis adhibita est. Unde vetus Interpres Juvenalis, *ad illud:*

— — *Recitaverit ille togatas.*

Togatæ sunt, inquit, *Comœdiæ Latinæ: Palliatæ Græcæ, quales Afranius fecit.* Ubi verba hæc posteriora retrahenda, & Togatis subjicienda esse, (Afranium enim Togatas dedisse notum est) monet Ferrarius. Togatarum porro aliæ nobiliores fuere, quæ *Prætextatæ* dictæ, quòd in iis introducti Magistratus, qui in prætextis, fortasse etiam pueri vel puellæ prætextatæ: Aliæ minùs nobiles, in quibus viliores personæ comparuerunt. E' quibus illæ seriæ totæ, graves omnique turpitudine vacuæ fuere: istæ lasciviores erant. Prioribus affines fuere Comœdiæ *Trabeatæ*, quod novum genus Togatarum edidisse dicitur Melissus, ab Augusto præfectus Bibliothecæ in porticu Octaviæ, apud Sueton. *de claris Grammaticis.* Posteriores *Tabernariæ* dictæ sunt, quòd in iis introducerentur homines in tabernis habitantes, opifices, institores, ac sellularii. Cæterùm Togatarum auctores ab Acrone recensentur, Ælius Lamia, Antonius Rufus, Melissus, Afranius, Pomponius: qui omnes, magno literarum damno, præter Afranii fragmenta interciderunt. Primum autem Stephanionem Togatas saltare instituisse, auctor est Plinius *lib. 7. cap. 48.* V. Octav. Ferrarium, *de re Vestiar. Part 2. lib. 4. cap. 2.* Comicos porro, ut pedestris sermo, ita humiles calcei, *Socci* vocati, ornabant. Plin. jun. *lib. 9 epist. 7.* Quare *Planipedes* appellati sunt; item *Excalceati*, à Seneca *Ep. lib. 8.* Claudianus *de Consul. Manlii Theod.*

Qui plectro pulsanda chelys, qui pulpita socco
Personat.

Ausonius *Eidyll. 4.*

— — *Percurris pulpita socco &c.*

Thom. Dempsterus *in Rosini Antiqq. Rom. lib. 5. cap. 8 paralipom.* Apud Athenienses porro institutum primùm fuit ad 3. Olymp. 93. Archonte Calliâ, ut Anthesteria Dionysia celebrarentur agone Comicorum. Quem morem postea renovavit Lycurgus Rhetor, lege latâ: [illegible] *Comœdiam Anthesteriis fabulas docento, atq; [illegible] in Theatro: Victorem civitate donanto.* Nullus autem histrio poterat in scenam prodire, minor annorum 30. ex hac lege: [illegible] *Histrio fabulam ne agito annorum triginta minor*: Erantq; Athenis hi omni notâ vacui, itaq; etiam Poëtæ ipsi cives Attici in scenam prodibant; cùm Romæ contrà histriones infamiâ notarentur. Unde Laberii querela, quem asperæ libertatis Equitem Rom. Cæsar invitavit quingentis millibus, ut prodiret in scenam & ipse Mimos ageret quos scriptitabat,

Ergo bis tricenis annis actis sine nota
Eques Romanus, Lare egressus meo,
Domum revertar Mimus. Nimirum hoc die
Uno plus vixi mihi, quàm vivendum fuit.

Hincq; factum est, ut *Scenici* spectaculorum deberentur obsequiis, eaque *Scenicis* nati non possent detrectare, sed vel invita ad ea præstanda adigerentur. Proin primus Valentinianus Princeps an. C. Dionys. 371. constituit, liceret Scenicos in extremo vitæ periculo constitutos baptizare. Excipiebantur tamen, qui Atellanas agebant: qui soli inter histriones ab infamia immunes erant. Agebantur autem *Comœdiæ* Athenis in foro, ubi pegma ex arbore populo mos excitari: nonè lapide enim antiquitus, sed è ligno scenæ erant, quas [illegible] appellabant. Aristoph. *Thesmophor.*

— — [illegible]
[illegible]
— — *è pegmatibus*
Suspiciunt nos.

Erant illa extrui solita ab iis, qui [illegible] dicebantur, Casaub. *in Theoph. p. 245.* ubi, quia de sede magna sæpe contentio, constitutum est à Senatu, ut duobus obolis quisque sibi pararet, (Archonte Diophanto drachma fuit) quam pecuniam [illegible] vocarunt, quia eius beneficio [illegible] solebant. Quapropter Pericles postea, popularem captans auram, iis qui inopes erant, è publico illam dari voluit, quam qui plebi distribuebant, [illegible] nuncupabantur: nec profecit quidquam Apollodorus, cùm necessitate exigente pecuniam hanc in belli usum destinasset, contra nitente Eubulo, qui vulgi favori inhiabat. Sed dum scenica spectacula libertati ac imperio Græciæ posthabebant, tandem fracti mollitie Macedonicum subiere jugum. Unde Justinus *lib. 6. Siquidem amisso, quem æmulari consueverant, (Epaminondâ) in segnitiem torporemque resoluti, non ut olim in classem & exercitusq; sed in dies festos, apparatusq; ludorum, reditus publicos effundunt: & cum auctoribus nobilissimis Poëtisq; theatra frequentant, sæpius scenam quàm castra visentes: Versificatores Oratoresq; meliores quàm Duces laudantes. Tunc vectigal publicum, quo antè milites & remiges alebantur, cum urbano populo dividi captum est. Quibus rebus effectum est, ut inter otia Græcorum sordidum & obscurum antea Macedonum nomen emergeret.* Locus tandem ubi Senatores spectabant, [illegible] ubi juvenes, [illegible] dicebatur. In parte Scenæ Orchestra fuit, ubi [illegible], vel Tribunal, vel Altare: In omnibus enim scenis altare Baccho sacrum erat, teste Donato. Erat & ibi mensa scenica, [illegible] dicta, in quam, ante-

quam

quam Thespis viveret, aliquis ascendens Choro respondebat, &c. V. Sam. Petitum *Comm. in Leges Atticas pag.* 74. *& seqq.* Franc. Rossæum *Archæol. Attica lib.* 2 *cap.* 11. Pollucem *lib.* 4. *cap.* 19. & Meursium *Atticar. Lect. lib.* 4. *c. ult.* De *Comœdorum* inprimis ferula, Salmasium *ad Solinum pag.* 769.

Comopolis, adde: Imò appellativa vox est, & vicum propriè notat mœnibus septum, uti plus quàm κώμη, sic minus, quàm πόλις: Cujusmodi Κωμοπόλεις multæ olim in Babylonia & Assyria fuere, uti videre est, apud Isidorum *in Mansionibus Parthicis.* Sic in Babylonia, Εἶτα βασίλειον Ἀρτέμιδος, ἱερὸν Δαφνῶν, εἶτα κωμόπολις. Paulo pòst, εἶτα ἄλλαι κωμοπόλεις. Item ... τῇ Ἐβραΐδι κωμόπολις Ναβαγαθ. Inprimis verò Ctesiphon olim celebris fuit pagus in Assyria ad Tigrim fluv. de quo Strabo scribit, cum urbis potentiâ & magnitudine esse, ibique Parthorum Reges hyemare solitos, Seleuciæ urbi parcentes. Hodie in Hollandia Haga-Comitis, pro pago quidem haberi solet, sed verè *Comopolis* est, de qua pauca tantum & infra dignitatem ejus fere adhuc sunt, quæ Ortelius scripsit *Theatr. ad Tab.* 44. Hic enim pagus Guicciardino creditur amplitudine, opulentiâ, venustate & amœnitate cœteros omnes universæ Europæ pagos longè antecellere, ut qui duo millia domorum, & inter cœteras Regiam ædem, in qua Principis summum tribunal, habet. Prope nemus est opacum, avium cantu & ferarum aspectu, oculis auribusque jucundum. Dignus omnino, qui cum Ctesiphonte, adeò apud vett. Scriptores celebri, conferatur. Auctor Anonymus *Histor. Orbis Terr. cap.* 8. *de Urbibus.*

Compagnia, ex Italico *Compagnia*, Κομπανία apud Nicetam *in Alexio lib.* 1. *num.* 1. militum centuria est: an inde, quòd communi pane ac distributione buccellati sodalitium secum foveant milites; an quasi *compaganiæ*, quòd ex eodem pago, an à voce *compages*, dicta? Peculiariter appellatione hac Galli *Ruptarios* donabant seu militares turmas, cujusmodi erant eæ, quas anathemate non semel ferierunt Romani Pontifices, uti patet ex Bullis eorum, quas in Chartophylacio Regio, in scrinio, cui titulus, *Contra magnas societates & compagnias*, asservari, tradit Car. du Fresne, potissimùm eas sub Carolo V. Franc. R. floruisse, docens, inde autem in Castellam à Guesclino traductas, ubi à candida cruce qua insigniti nomen sumpserant *de Compagne blanche*. V. Matth. Villaneum *lib.* 9. *cap.* 109. *lib.* 10. *cap* 84. & 92. Auctorem *Chronici* Petri IV. Regis *Aragon. lib.* 6. *cap.* 10. Alios. *Societates & Comitivæ* Latinis potissimum Scriptoribus vocantur. Thomas Walsinghamus A. C. 1357. *His diebus surrexit in Francia illa famosa societas, quæ Gens sine capite vocabatur; quæ primò parva, postea magna aggressa, magnam Franciæ partem occupavit sine legibus, expulsis vel subactis locorum dominis, subjugavit, eratque non tantùm de una gente vel natione, sed de pluribus regionibus congregati.* Henricus Knyghtonus A. C. 1360. *Eodem tempore crevit quædam societas virorum fortium vocata Societas fortuna & per quosdam vocata est* La Grant Compagnie; *& adunati sunt de diversis partibus non habentes unde vivere* &c. apud eundem Car. du Fresne in *Glossar.*

Compar, conjux, in vet. *Inscr. Manilia Paulla de patrimonio suo sibi & Aretio Paullino compari suo domum æternam.* Al. *Julia Matrona Aur Aquilino comp. cum quo vixit* &c. V. infrà in voce *Par.* Apud Catellum verò *Rerum Occitanic. lib.* 4. *Compares*, certum genus *Leidæ* seu pensitationis est, Narbonensibus Vicecomitibus exsolvi olim solitum. Cujus vocis notionem videtur indicasse Suidas, cui Κόμπαρ est, ὁ συνίζων ἐν ἐργασίᾳ καὶ ὅμοιος τῷ αὐτῷ ... *qui sc. in aliqua pensitatione alteri compar est.* Idem *ibid.*

Comparatum par Ducum, ap. Justinum, verbum Gladiatorum, de quo V. Lips. *Saturn. lib.* 2. & Berneccerum *ad Cæsarem & Suetonium.* Ita Liv. *lib.* 30. *c.* 28. §. 6. *Scipio & Annibal, velut in supremum certamen comparati Duces.* Petronius *paria componere* vocat, *in Satyrico.*

Compatres & *Commatres*, vulgo appellantur Sponsores, seu Susceptores, baptizando dati. Quod ferventibus olim persequutionibus usurpatum, ut aliqui Baptismo testes adessent, postea in Ecclesia retentum est, more infantibus utili, & amicitiæ mutuæ officiisq; charitatis inter Christianos firmandis. Quia enim infantes Christianorũ recèns nati, sibi ipsis prospicere nequeunt, vel de suo Baptismo cogitare; expedit, ut ab aliis suscipiatur hæc cura. Sic Christo *oblati sunt pueri, ut manus illis imponeret*, Matthæi *cap.* 19. *vers.* 13. Quod ab ipsis Parentibus quidem fieri debet; Sed quia liberorum educationis in vera fide spondent, de subsidiaria aliorum fidelium opera prudenter etiam sibi liberisq; prospiciunt, tum ut viventes communi illo officio commodius vacent, tum, ut alterutro sublato, infans directore non careat. A. Rivet *Summæ Controv. Tract.* 1 *q.* 9. §. 21. ubi hunc morem ex Judæorum in Circumcisione, cui Baptismus successit, ritibus continuatum vult. Habuisse enim parentes pueri circumcidendi etiam suos Susceptores & Compatres, idque etiamnum observare Judæos, notat Buxtorf. *Synag. Jud. c.* 2. Ab his porro nomen baptizando imponebatur & in Ecclesiæ tabulas referebatur. Utque illi *Compatres & Patrini*, sic infantes ab iis suscepti *Filii*, item *Filioli*, dicebantur, item *Filii Spirituales.* Vet. *Inscr.* ap. Selden. *ad Marmora Arund.* ΙΩΑΝΝΗϹ ΡΟΥΦΙΝΟϹ. ϹΜΥΡΝΑΙΟϹ. ϹΙΜΒΟΛΑΙΟΓΡ. ΑΝΗϹΑΜΗΤΟ. ΚΗΠΙΟΝ. ΤΟΥΤΟ. ΘΕΟΔΩΡΩ. ΕΜΩ. ΓΝΗϹΙΩ ΘΡΕΠΤΩ † ΚΑΙ. ΠΝΕΥΜΑΤΙΚΩ. ΥΩ. †. Et propterea fere semper à Susceptoribus, filiolis suis post Baptismum munera in signum adoptionis collata esse, vel cujus bonorum suorum partem aliquam iis deberi existimaverint, ex mediæ ætatis Scriptoribus palàm est. Hinc Godro Regi Paganorum. Alvredus R. *multa & optima ædificia*, Ædilvvalcho Regi. Wlfhere Rex, *duas provincias*. Adelvvoldo Regi Sudsexiæ A. C. 994. Angliæ Rex, *insulam Wiht* &c. donasse leguntur post Baptismum, è quo illos susceperant, apud Asserem A. C. 878. Bedam *Hist. lib.* 4 *c.* 13. Hent. Huntindon. *Hist. lib* 2. *p.* 318. &c. V. hic passim, inprimis in voce *Filius*, item *Patrinus*.

Compedes, pedum vincula, sicut manuum *catenæ*. Plin. Cæcilius *lib.* 7. *Epist.* 27. *Mox apparebat idolon, Senex macie & squalore confectus, promissâ barbâ, horrentis capillis, cruribus compedes, manibus catenas gerebat quatiebatq;.* His utrumq; captivorum pedes constringebantur, ut de Josepho legimus Psalmo 105. *versu* 18. *Cujus pedes afflixerunt compede, ferrum subivit ipse.* Servorum item, in ergastulis; ubi *compeditos* illos fuisse, Juvenalis docet *Sat.* 11. *versu* 79.

Ipse focis brevibus ponebat olusculа, quæ nunc
Squalidus in magna fastidit compede *Fossor.*

Quia enim reditus agrorum non rarò lapidicinis, cretifodinis, arenariis, auri, argenti, sulphuris venis constabat, ideo adhibebantur huic operæ homines vincti, qui cæderent, *foderent*, eruerent. Plaut. *Captiv.*

Abducite istum actutum ad Hippolytum fabrum,
Jubete huic crassas compedes *impingier.*
Inde extra portam ad meum libertum Cordalum
In lapidicinas facite deductus fiet.

Ad cujusmodi servitutem duram, sub ... Impp. Christiani frequenter damnati sunt. Clemens certè Episc. Rom. & Martyr Chersonam deportatus, duo millia Christianorum & amplius ibi ad secanda marmora damnatorum reperisse legitur, in *Vita* ejus, apud Laur. Pignor. *de Servis.* Et hæ quidem *Compedes* ex ferro fuere. At Artaxerxes Cyrum fratrem, *accersitum ad se, compedibus aureis vinxit*, apud Justin. *lib.* 5. *cap ult.* Ne sc. familiæ Regiæ honos non haberetur. Quemadmodum & Darium ultimum, Bessi & Nabarzanis conspiratione prehensum, *aureis compedibus vinctum fuisse*, scribit Curtius *lib.* 5 *c.* 2. § 26. & idem Justin. *lib.* 11. *c.* 15. §. 1 V. Dionem Chrysost. *Orat ult.* Postquam verò libertatem adepti Servi, *compedes* suas Saturno consecrabãt. Unde in Zoilum qui ex ergastulario elatus fuerat ad Equestrem dignitatem, sic Martial. *lib.* 3. *Epigr.* 29.

Has cum gemina compede *dedicat catenas,*
Saturne, tibi, Zoilus, annulos priores.

Ubi *geminam* vocat, quia illis utrumq; crus ligari solebat. De Saturno res sic se habet: Quoniam is in compedes olim à Filio conjectus erat, inde adeptus libertatem, servos in clientelam suam accepisse creditus est, cujus proin causâ Romæ in *compedibus* visebatur. Sed lanea erant hæc vincula, quibus cùm toto anno ligatus esset, ad diem sibi festum mense Decembri solvebatur: quo tempore quoque servos dominatos esse, constat. Hanc ob causam servi vinculis soluti, *Compedes* Saturno, velut anathemata dedicabant.

Compendia Alimentaria, apud Capitolinum *in Pertinace*, *Alimentaria etiam compendia, quæ novem annorum, ex instituto Trajani, debebantur, obdurata verecundia sustulit:* sunt ὑστερήματα, inquit Salmasius; Ita enim Græci vocant; & idem pene quod *Impendia*. Casaubono videtur hic dicere Capitolinus, non omnibus alimentariis debita fuisse alimenta, sed iis solùm, qui beneficio Trajani primùm ad perceptionem frumentariam pervenerant, id est, quinq; illis millibus puerorum ingenuorum, quibus frumenta dari primus Trajanus instituit. V. Lipsium *Diatribâ de Frumentatione*, & suprà ubi de *Alimentariis.* Propriè autem *Compendium* idem, quòd *Interpendium* seu *Interpretium* est, quum viz. utrinq; in lance æqualia sunt pondera. Tum enim fit compensatio, i. συνεξίσωσις, quum nempe, quod summæ deest, vel ponderi, in summam redit, & ponderi adjicitur. Atq; inde vox pro lucro. Ei opponitur Intertrimentum, quum de pondere detrahitur, unde minus fiat &c. V. Salmasium *ad Solinum pag.* 1007.

Compensi, in Conc. Autisiodorensi *can.* 9. *Non licet* Compensos *in domibus propriis, in festivitatibus Sanctorum facere, nec per vigilias in festivitatibus Sanctorum* &c. quid sint, hærent Viri docti. Sunt enim qui *Compensos facere*, sic explicent, ut sit serotinos cœtus habere, quibus mulieres certum lanæ aut staminis pensum, in votum Sancti alicujus nendo, texendove conficiunt, quod pensum subinde Altaribus offertur; quem quidem morem adhuc in nonnullis provinciis Galliæ perstare ajunt. Hoc autem fit in pervigilio Sanctorum, & Natalis Christi. Aliis *Compensos in domibus facere*, nihil aliud est, quam stare domi in otio certis diebus, Majo mense præsertim, quo superstitiosè feriari solebant vett. Galli, & liquet ex *Sermone Ægidii* Noviomensis, qui refertur inter tractatus Augustini *tract.* 20. Nonnulli *Compensos* oblationes interpretantur, quæ in domibus privatis fiebant, in quibus & vigilias quidam in Festis Sanctorum, derelictis Ædibus sacris, peragebant: quod vetitum Synodi Laod. *can.* 58. &c. V. Nicol. *le Maistre de Decimis & Oblat. lib* 1 *c.* 41. Innoc. Cironum *Observ. Jur Can. lib.* 3. *c.* 8. Lalandum *ad h. Can* alios, laudatos Carol. du Fresne in *Glossar.*

Compernis, apud Lucillium,

Compernem aut varam fuisse Amphitruonis actiin:

est, qui juncta habet genua καὶ συμβεβηκότα. Festus, *Compernes nominantur homines genibus plus justo conjunctis.* Cujusmodi fuisse

volunt

volunt *Ἀλαβανὸν*, ex nominis ipsius sono, quòd non possent *διαβαίνειν*, i. *crura aperire* & varicare, dum incederent. Unde & *συμπόδας* etiam appellarunt. Strabo *lib. 16. καλοῦνται δὲ οἱ Ἀλαβανοί, καὶ Σακκόποδες, Appellantur autem Adjabeni etiam Saccopodes*, quasi ambos pedes intra saccum conditos habentes *καὶ συμβεβηκότας*. Talia olim ante Dædalum simulachra fiebant, indiscretis sc. cruribus & pedibus: ipse verò primus *διαβεβηκότα* ea, h. e. *distinctis ac disjunctis cruribus pedibusq;* fecisse proditur. Iis contrarii *vari*, qui crura multum aperta & in diversum expansa habent, quos Græci *διαβεβηκότας* dixere. Quamvis enim multi vari sint, qui junctis genibus & *compernes* incedunt; ut plurimum tamen ii diversa, non conjuncta genua habent. Varus grandes facit gradus; contrà *compernis*, junctis incedens genibus, *gradus grandire* nequit, uti Plautus diceret &c. Salmasius *ad Solinum pag. 944.*

Compescere, propriè greges est in unum conducere, ad pascendum, quod & *compellere* dixerunt. Virgilius,

— Viridiq; gregem compellere hibisco.

Cicero *in Pisonem, omni grege compulso* &c. Hinc pro regere, temperare & sedare, positum est Glossæ, *compescit, temperat.* Ei contrarium *Dispescere*, pascentem gregem dispellere ac dividere: atque hinc, di jungere. Quam in rem V. eundem Salmasium, ubi supra *pag.* 811.

Competentes, in prisca Ecclesia dicti sunt Catechumenorum ii, qui jam eruditi ac instructi in capitibus Christianæ Religionis, ad Baptismum admitti postulabant: quod *unà* & simul Baptismum *peterent* idq; temporis, quo is conferri solebat Sabbathum nempe, quod Pascha aut Pentecosten præcedit, exspectarent, nomen adepti. V. suprà *Catechumeni*, item *Capitilavium*. De illis Augustinus *lib. de Fide & Operibus cap. 6. An usque adeò dissimulamus à sensibus nostris, ut vel nos ipsi non recordemur, quàm fuerimus attenti atque solliciti, quid nobis præciperent, à quibus catechizabamur, cùm fontis illius Sacramenta peteremus, atque ob hoc* Competentes *vocaremur? — quid autem aliud agit totum tempus, quo Catechumenorum locum & nomen tenent, nisi ut audiant, quæ fides & qualis vita debeat esse Christiani — quod autem fit per omne tempus, quod in Ecclesia salubriter constitutum est, ut ad nomen Christi accedentes Catechumenorum gradus accipiant; hoc fit multo diligentius & instantius his diebus, quibus* Competentes *vocantur, cùm ad percipiendum Baptismum sua nomina jam dederunt.* Et *lib. de Cura pro mort. Pascha jam appropinquabat. dedit nomen inter alios Competentes.* Nempe sollicitè erudiebantur Catechumeni, ut magna cum aviditate Communionem *peterent*, quam in rem extant Patrum, quà Græcorum, quà Latinorum, *Homiliæ* plurimæ *ad Catechumenos*, in quibus ad excitandam hanc in illorum animis cupiditatem complura dicuntur. Etiam mos fuit, ut in publicis sacræ Liturgiæ precibus, Sacerdos pro Catechumenis Deum oraret, ut *iis desiderium regenerationis inspiraret.* Atq; ab hoc Catechumenorum *Competentiaque*, desiderio Sacramentorum participationis, quæ ipsorum *ἱκεσία* erat, Baptismus *Desiderata* dictus est: voce ex ritibus paganorum deprompta, qui toto quinquennii spatio præparari solebant, & ardentissimo desiderio ac cum suspiriis epoptiæ diem expectare, docebantur, uti discimus ex Tertulliano *initio libri adv. Valentinian.* &c. V. Casaubonum *in Baronium* in voce *Desiderata.*

Compilatio, nomen Iuris Canonici Collectoribus usitatum, quo collectiones suas insignire consuevere: inprimis postquam Decretales à Canonibus cœperunt separari & singulatim colligi. Quam operam, quamvis privatam, cum primus sumsisset Bernardus Circa Papiensis Præpositus: circa tempora Cælestini III. eam *Compilationem primam* Henricus Ostiensis, Joannes Andreæ & Ægidius Bellamera: ipse *Breviarium Extra* vel *Extravagantium* appellavit; *Librum primum*, qui Scholia scripserunt. Quemadmodum & sequentes *Compilationes* quinque (quarum secundam Gilbertus Alanus & Joann. Vallensis; tertiam Bern. Compostellanus; quartam Innocentius III. quintam Tancredus Bonon. sextam Raim. de Pennaforti, fecere) modò *Compilationum*, modò *Librorum* nomine, apud Auctores veniunt. V. Gerh. von Mastricht *Histor. Juris Eccl. num. 338. & seqq.*

Compitalitii Ludi, ante Urbem designatam, à vicorum *compitis*, in quibus agitabant agrestes, & facti & dicti: Intermissi dein ad Servium usq; Regem, ac per vicorum Magistros instaurati in Larium honorem: quemadmodum à L. Pisone iterum curatum est, ut per eosdem Magistros, qui tum Præfecti nominati sunt, restituerentur Tandem sublatis Collegiis ipsi pariter aboliti sunt, Jul. Cæs. Scaliger *Poetic. lib. 1. cap. 28.* Formula, quâ utebatur Præco, hos ludos aperiens, erat: *Die noni post Calendas Januarii Quiritibus Compitalia erunt.* Ad quæ verba notat A. Gellius *lib. 10. cap. 24. Dicarni Prætor dicit, non die nono: neque Prætor solùm, sed omnis vetustas sic locuta est.* Meminit quoq; horum ludorum Suetonius *in Augusto cap. 31* &c Dictum est autem *Compitum*, quasi *Competum*, *à competo*, i. concurro, definiturq; Trebatio, apud Junium Philargyrum, *locus ex pluribus partibus in se, vel in eandem partes ex se vias atque itinera dirigens. sive is cum ara, sive sine ara, sive sub tecto, sive sub divo sit, ubi agrestes buccina convocati, solent certa inire consilia, hinc & Lares Compitalitii & feriæ Compitalitiæ.* Nempe in triviis & quadriviis ædes erant positæ, in tres partes, si trivium esset; in quatuor, si quadrivium, apertæ: ad quas conveniebant pagani ex locis vicinis sacra facturi. Hæc & *Compita* dicebantur: unde *pertusa Compita* Persio, pervia & in plures partes patentia. Vetus Scholiastes *Compita* interpretatur, *loca in quadriviis quasi turres, ubi sacrificia, finitâ agriculturâ, rustici celebrabant.* Hinc vetus Mercedis in via Appia, sic appellatū, quòd in trivio constitutum, in tres partes pateret, & tres haberet *ὄψεις*. Nam, ut idem vetus Interpres notat, *Compita non solùm sunt in urbe loca, sed etiam viæ publicæ ac diverticula aliquorum confinium, ubi ædiculæ consecrantur patentes.* Apud Solinum *pag. 37. Compita semitarum*, loca sunt ubi multæ *competunt* & concurrunt semitæ. Ita enim is de pantheris, quæ in Hyrcania numerosæ, *cap. 17. Sed Hyrcani, ut hominibus sententiam nihil est, frequentiùs eas veneno, quàm ferro, necant. Aconito carnes illinunt, atque ita per* compita *spargunt semitarum.* Apud eundem, *Compita concurrentium semitarum* habes, *cap. 27.* &c. Ad quæ loca V. Salmasium *Exercit. Plin. pag. 212. & 328.* De *proedromis* in *Compitis*, apud Vett. usitatâ, alibi dicemus.

Complere, in Ecclesia Romana dicitur is, qui officium quodvis Ecclesiasticum *collecta* seu oratione concludit & complet. Unde *Complenda*, *Completa* & *Completorium*, officium Ecclesiasticum, quod cætera diurna officia complet & claudit, sub noctis proin initium recitari solitum. Amalarius *de Eccl. Offic. lib. 4. cap. 8.* Hinc Isidor. *in Regula cap. 7. Ante somnum autem — peracto* Completorio, *valedictis invicem fratribus — quiescendum est, usquequo ad Vigilias consurgatis.* Trium Psalmorum dictione *Completorium* terminari, dicitur *in Regulâ S. Benedicti cap. 7.* Cùm autem signum pulsabatur *ad Completas*, Janitorem confestim portas Monasterii clausisse & claves Abbati retulisse, legitur *in Vita S. Agili Abb. cap 19.* apud Car. du Fresne *Glossar.* Variis verò nominibus hoc officium apud Scriptores venit: Dicitur enim *Initium noctis*, *prima noctis hora*, *duodena* seu *duodecima*, *somnus*, passim Latinis; Græcis vetustioribus *αἴτησις*, i. *petitio*, recentioribus *ἀπόδειπνον*, i. *post cœnam.* Habent autem hi *ἀπόδειπνον μέγα*, *Completorium majus*, quod in Quadragesima recitatur, & *ἀπόδειπνον μικρὸν*, *Completorium minus*, pro totius anni cursu. Et quidem in Ecclesia Occidentali, ultimæ hujus Canonicarum horarum partis institutorem communiter S. Benedictum faciunt; aliis, id inventum ex Ambrosio, *de Virgin. lib 3.* & Prudentio, antiquius esse, contendentibus. In Eccl. Orient. jam ante Basilium in usu fuisse, colligunt nonnulli ex *Reg. ejus interrog. 37.* ubi Completorium his verbis describi aiunt: *Tum primùm jam nobis se intendentibus tenebris sequetur αἴτησις (petitio) ut quies, quam sumus capturi, inoffensa ac vitio libera sit, quâ horâ etiam necessariò nonagesimus Psalmus recitari debet.* Qui Psalmus incipiens, *Qui habitas* &c. omninò in *Completorio* positus est, quemadmodum verbis illis, *jam noctis se intendentibus tenebris*, noctis principium & recitationis hujus tempus indigitatur: quod hodieque Maronitæ Monachi, in monte Libano, exactè observant. Latini verò tempus anticipant, ut alii quoq; interesse possint, &c. Plura hanc in rem V. apud utrumq; Macrum in *Hierolexico.*

Complexus duorum puellorum, mutuò sese osculantium, seu duorum colluctantium, Græcè *Συμπλεγμα*, inter nobilissima ex marmore opera Cephisidori, & Heliodori, memoratur Plinio *lib. 36. cap. 5.* V. quoq; infrà in voce *Symplegma.* De *Complexibus* verò Pancratiastarum, infrà in hac voce, ut & ubi de pugna *Volutatoria.*

Componere, in *L.* Baivvar. *cap. 1. tit. 7. §. 3.* alibique, est delictum transactione & compositione interveniente expiare ac luere & cum læso, aut ejus hæredibus, de mulcta ac pœna propter illud irroganda, pacisci. Quævis enim delicta apud vett. Germanos certâ pecuniæ summâ æstimabantur, neq; homicidia morte lui lex erat, nisi in Majestatis crimine: ritu jam Tacito observato, *de Moribus Germ.* Quod si partes de *compositione* inter se non convenirent, crimenq; in judicium vocaretur, Judex reum cum accusatore *componere* cogebat, Greg. Turonens. *Hist. lib. 7. cap. 2.* Quandoq; mulctam ipsam definiebat, pro delicti vel criminis modo, nisi mulcta à lege definita esset Tunc enim mulcta lege præscripta reo irrogabatur, quæ *Legalis Compositio* dicitur, in *Capitulis* Caroli C. Interdum verò ea pro criminis atrocitate, intendebatur ac multiplicabatur, quod *Bannum dupliciter aut tripliciter componere*, *Bannum aut legem in triplum componere*, dicunt Capitularia. *Quadrupla satisfactionis* mentio est apud Gregor. Turon. *Hist. lib. 4. cap. 38.* Quod si crimen delictumve, de quo mulctam pecuniariam lex statuit, publicum esset, id est, legem vel Principem spectaret, tunc reus *cum Fisco* vel *Ærario componere* tenebatur, mulctâ à lege definitâ vel à Judice statutâ. Si verò compositionem complere reus haud posset *semetipsum invvadiare* tenebatur, *usq; dum plenam compositionē adimpleret*, ut est in *L.* Longob. *lib. 1 tit. 14 § 10.* Neq; autē læsum semper vel occisi hæredes, sed & agnatos, cognatosque ejus *compositio* spectabat, inter quos eam distribui consuevisse, ex Tacito discimus; *Luitur homicidium certo armentorum ac pecorum numero, recipitq; satisfactionem universa domus l. cit.* Modum distributionis sic exponit Andreas Suenonis *Leg. Scania lib. 5. c. 5. Sic facienda ut unaquæq; (prœmiis persolutæ; tertia principali. in tres tertias principales divisa, per singulas vices una semper partialium cadat in commodum hæredis occisi & agnatis secunda cognatisq; tertia debeatur. Si per agnatos omnes & cognatos distributio pecuniæ facienda, ut semper prior gradus duplo majorem partem, quàm posterior, consequatur* &c. At *L.* Longobard. compositio

positio

positio ad propinquiores agnatos cognatosve, tum demum spectabat si filia solùm occisi superesset, du Fresne *Glossar.*

Componere Capillos, apud Ovidium *Amorum lib* 1. *Eleg.* 14.

Quid malè compositos *quereris periisse capillos?*

quid sit, V. suprà, in voce *Colligere.* At *Componere mortuum*, sepelire est. Horatius,

Omnes compositi *felices! nunc ego resto.*

Ausonius *Parentalibus, Epigramm.* 1.

Gaudent compositi *cineres sua nomina dici* &c.

V. suprà, ubi de *Cadaverum cura.*

Compostellanus Bernardus, tertiæ Decretalium Collectionis Auctor. Postquam enim secundam earum compilationem adornassent Gilbertus & Alanus Episc. Autisiodorensis; quibus Jo. Gallensis vel Vallensis accessit, illam & Scholiis suis illustrans: his postea Hugo Ferrariensis Episc. ab Innocent. III. sæpe relatus & Bernard. Major *Compostellanus* Archidiaconus, suas Interpretationes addiderunt. Tertiam dein idem Bernardus aggressus est, ex registris Innocent. III. quæ Collectio *Romana* dicta, quia verò usu Judicio rum minùs recepta referebat, offensi Romani, impetrarunt ab Innocentio ut Pontificiâ auctoritate alia Collectio ederetur, quod factum: primus q; Innocentii Notarius Petrus Beneventanus A.C. 1210. publicâ auctoritate Juris Pontificii collectionem edidit. V. Gerh. van Mastricht *Histor. Juris Eccl. num.* 48. 49.

Compressio turbæ, apud Petr. Chrysologum *Serm.* 86. *Posteaquam vidit Dominum in inquisitione persistere, & discipulis incusantibus & turbæ* compressionem *communicans, venit in medium.* Indigitatur Statio *Thebaid. lib.* 4. *vers.* 798.

Illi per dumos & opaca virentibus umbris
Devia pars cingunt, pars arctâ plebe sequuntur,
Præcelerantq; ducem &c.

Plebs enim sine respectu arctat concursibus inconsultis ipsos Duces: quam ob causam formicis & similus apte comparantur, in pompam spectandam proruens, à Theocrito *Adoniazusis*,

Ὦ θεοί ὅσσος ὄχλος· πῶς καὶ πόκα τοῦτο περῆσαι
Χρὴ τὸ κακόν, μύρμακες ἀνάριθμοι καὶ ἄμετροι
— ἀθρόος ὄχλος ὠθεῦνθ' ὥσπερ ὕες.

Eodem sensu idem Statius *Epithalamio Violantillæ*,

Omnis honos, cuncti veniunt ad limina fasces,
Omnis plebeio teritur prætexta tumultu,
Hic Eques, hic juvenum questus, stola mixta laborat.

Cujusmodi *Compressiones*, periculosæ Apulejo *Metam. lib.* 3. noxiæ viro cuidam Tianeo, qui hinc θλιβίας ἐν χαδὶς fuit, apud Strabonem *lib.* 13 imò non paucis perniciosæ extiterunt, ut videre est, 4. Reg. c. 7. & ex historiis profanis palàm fit. Hinc *Lictores* apud Romanos instituti, qui inconditam turbam Consuli præcedenti undiq; circumfusam summoverent &c. V. Casp. Barth. *Animadv. ad Statium d. l.* Interim gaudent populosæ Urbes hoc copiæ suæ fœcunditatisq; argumento, unde Maria Medicæa Gall. Reg. vix quidquam Amstelodami magis mirata est *feturq; dixisse, se neq; in Italia, neq; in Galliis, ne quidem Lutetiæ Parisiorum, urbe populosissima, tantam mortalium vim, loco tàm angusto coactam, conspexisse*, uti legimus apud C. Barlæum *in Medicæa*. An in Templo Salomonico miraculo factum sit, *ut starent arctati & adorarent dilatati*, quod Magistri tradunt, viderint alii.

Compromissum, inter modos vitandi belli, ne controversiæ in nervum erumpant, memoratur Politicis: spreta plerumq; potentioribus via. V. Conestagium *de Conjunct. Regnor. Castellæ & Portugall.* digna tamen, quam insistant æqui & pacis amantes Principes. Ἐπὶ γὰρ [illegible] *In eum enim, qui arbitrium accipere paratus est, nefas est in injuriam ire*, Thucyd. Hinc fecere id magni Reges ac Populi. De Regno Argivo, Adrastus & Amphiaraus Eriphylæ judicium permiserunt, narrante Diodoro. De Salamine, inter Athenienses & Megarenses, lecti tres Judices Lacedæmonii. Apud eund. Thucyd. Corcyrenses significant Corinthiis, paratos se disceptare controversias, apud Peloponnesi civitates, de quibus inter ipsos convenisset. Et Periclem laudat Aristides, quòd, ut bellū vitaretur, voluerit δίκῃ διαλύεσθαι περὶ τῶν διαφόρων, *de Controversiis arbitros statuere.* Isocrates quoq; *c. Philipp.* Philippum Macedonem, quòd, quas habebat cum Atheniensibus controversias, de iis paratus esset. [illegible] *arbitrium permittere alicui civitati æquæ utriq; parti.* Sic olim Ardeates & Aricini, postea Neapolitani & Nolani, controversias suas arbitrio Populi Rom. permiserunt, apud Livium *lib.* 8. Et Samnites, in controversia cum Romanis, ad communes amicos provocant. Cyrus sibi & Assyrio arbitrum fert Regem Indorum, ap. Xenoph. *Pæd. lib.* 2. Pœni, in controversiis cum Masinissa, similiter ad judicia provocant Romani ipsi de controversia cum Samnitibus, ad communes socios, teste *Liv. d. l.* ut alia, ex recentiori inprimis ævo petenda, omittam. Et hoc Fecialium Rom. præcipuum munus ait fuisse Plut. [illegible] *dissiderent, priùs ad bellum veniri, quàm spes omnis judicii obtinendi periisset.* De Gallorum quoq; Druidibus Strabo *lib.* 4. [illegible] *Olim & inter bellantes erant arbitri, ac sæpe jam acie congressuros diremerunt.* Quo officio in Iberia quoq; Sacerdotes functos, idē testis est *lib.* 11. &c. V. Hug. Grot. *de Jure belli & Pacis lib.* 3. *c.* 23. §. 8. In Ecclesia Rom. *per Compromissum* electio, memoratur inter electionum in Episcopos aut Abbates formas in *Decret.* Gregor. IX. *tit. de Elect.* Sic autem vocatur, cùm dissidentes invicem Electores transferunt potestatem eligendi in tres vel plures, juramento plerumq; adstrictos, qui omnium vice virum eligant idoneum & secundùm Concilii Generalis formam: Cujusmodi electionis exemplum extat ap. Sidon. *lib.* 7. *Ep.* 9. in *Gest.* Innoc. III. alibiq; passim, V. du Fresne *Glossar.*

Compulsores, ap. Ammian. *lib.* 22. Senatorem *lib.* 5. *Epist.* 39. Ennodium *lib.* 7. *Epist.* 1c. in *l.* 7. *de Executoribus* &c sunt, qui Gr. Ἐκβιβασταὶ καὶ Ἐκβιβασταί, in *Basilicis*; Ἐκβιβασταὶ τῶν Βασιλικῶν, apud Cedrenum in *Leone Philos.* Καλοπράκται, ap. Libanium *Orat. c. Florent.* Fiscalium viz. onerum exactores, qui multis functionibus obnoxios ad solutionem *compellebant.* Apud Cassianum, sic in Monasteriis dicuntur, qui officii Canonici Horas indicabant, Monachosq; ad Ecclesiam cogebant, *de Cœnob. Instit. lib.* 3. *cap.* 2. In *L.* Wisigothorum *lib.* 9. *tit.* 2. §. 2. *Compulsores Exercitûs* occurrunt, quo nomine veniebant apud Gothos, qui milites in hostem exire *compellebant*, ap. Eund. in *Glossario* &c.

Computus, apud Scriptores, *Ecclesiasticus* potissimùm intelligitur, qui definitur à Durando, *Rational. lib.* 8. *c.* 1. *Notitia cursus Lunæ ac Kalendarium, seu scientia certificandi tempus secundùm Solis & Lunæ progressum.* Quæ quidem methodus à Græcis ψηφοφορία τοῦ [illegible] dicitur, Hebræis *Embolismus* seu *Mysterium embolismi*, à parte totum. In *Computo* autem præsertim docentur, tempus Paschatis, Cyclus decemnovennalis, Epactæ, Bissextus, saltus Lunæ, 4. tempora, Kalendæ, Idus &c. Concurrentes, aliaq; hujusmodi: Et censuere Vett. Presbyteris Clericisq; hujus Computi notitiam adeò necessariam esse, ut Statuta Eccles. seu Episcoporū pro suis diœcesibus pene omnia, illum iis magna cum sollicitudine ediscendum præscribant, uti pluribus docet du Fresne *d. l.*

Comus, adde: Roseâ coronâ insignis fuit, tum quia hæc convivii olim propria. Martialis,

Hæc hora est tua, dum furit Lyæus,
Cum regnat rosa, cum madent capilli,
Tunc me vel rigidi legant Catones.

Tum, quia Sponsis aderat, in thalami foribus constitutus, velut utriusq; Sponsi conciliator & conjugalis commercii auctor. Rosæ autem Veneri in deliciis. Certe hunc *Comum*, aut quempiam muniaejus obeuntem, describit Oppianus his versibus *lib.* 1.

[illegible]
[illegible]
[illegible]
Ἐς θάλαμον βαίνοντι ὑμὴν ὑμέναιον ἀείδων.
Quemadmodo aliquis juvenum à pronubis mulieribus,
Vestibus candidis & floribus purpureis
Redimitus, spirans q; Palæstinum unguentum,
In thalamum ascendit vobis hymenæum canens.

Fingiturque & pingitur fere in comitatu amantium, ut videre est apud Philostratum. *Imagin.* è quibus ὁ μὲν [illegible] ὁ δ' ἐξ[illegible] [illegible] ὁ δ' [illegible]. Ἀνάκωμον cum vocat, h. e. *perditè amantem*, Lucianus *Amor.* &c. V. C. Paschal. *Coronar. lib* 2. *cap.* 16. & *lib.* 3. *cap.* 5. & 6. nec non suprà in voce *Comessatio.*

Cone, pop. apud Solinum, qui *Cycones* Plinio. V. ibi.

Conanus, adde: Primum minoris Britanniæ seu Aremoricæ Regem eodem nomine insignem circa A. C. 380. & ab eo longâ serie, usq; ad A. C. 900. in Britannia Gallica regnatum esse, eâ tamen conditione, ut hi Reges Vassalli essent Regum Franciæ, addit Georg. Hornius *Orb. Imp.*

Concades, V. infrà *Stipites.*

Concamerationes V. infrà in voce *Voluta.*

Concepta Verba, sunt a Seniore aut honoratiore parte præstituta, præscripta, ab altera probata, & sic tandem in certam fœderis formam redacta. Hinc Statius *Achilleidos lib.* 2. *versu* 228.

— *Animis humiles tibi, degeneresq; videmur?*
Non renuis. Junge ergo manum & concipe *fœdus,*
Atq; ignosce tuis —

Uti Virgilius *Æneid. lib.* 12.

— *Fer sacra Pater, &* concipe *fœdus.*

Petronius tamen & Seneca etiam uni, sine deliberatione cum altero, *conceptis* & quidem *conceptissimis* alter, verbis juramentum adscribunt. V. Casp. Barthium *Animadvers. ad Statium d. l.*

Conceptio B. M. Virginis Festum celebre in Communione Rom. jam A. C. 1136. viguisse Lugduni Galliæ, refertur Baronio *ad annum hunc num* 14. Quod officium à Leonardo de Nugarolis Veronensi Notario, ut vocant, Apostolico, compositum & à Sixto IV. confirmatum esse, legas apud Macros Fratres, in *Hierolexico.* Apud Græcos Σύλληψιν festivitatem hanc vocari, & die festivitatem Latinorum sequente, ab iis ex Emanuelis Imp. constitutione celebrari: in Sfortianæ quoq; Bibliothecæ MSS. Leonis Imp. de hac solennitate Sermonem asservari, iidem referunt. Non fuisse autem Festum illud suo tempore in Ecclesia Rom. communiter receptum, tradit Durandus Mimatensis Episc. *Rationalis lib.* 7. *cap.* 7. qui vixit A. C. 1280. Petrus quoque de Natalibus *in Catal. Sanctor. lib.* 1. *cap.* 42. non ex generali Ecclesiæ constitutione, sed ex privata quorundam devotione, suo tempore celebratū, docet. Quia in Concilio Oxoniensi A. C. 1224. exceptum fuisse idem, à reliquis necessario

fariò celebrandis, colligas ex Conc. *Tom. II. p.* 1005. *edit.* P. Crabbe & *Tom. III.* Binnii *Part. II. A.C.* 1222. Nec Dominicanos, sub nomine *Conceptionis*, sed *Sanctificationis*, illud recoluisse usq; ad tempora Pauli V. docet Rivetus. Postmodum verò majori cura hæc res tractata est, uti patet ex libro Lucæ Waddingi Hiberni Minoritæ, cui tit. *De legatione Philippi III. & Philippi IV. ad Paulum V. & Gregorium XV. pro definienda Controversia de Conceptione Virginis & Observ.* ad eum A. Riveti *Apolog. pro SS. Virgine lib.* 1. *cap.* 5. & *seqq.* Nec omittenda numismata ab Hispanis, qui *Conceptionem immaculatam* hoc Festo celebrari, cum Franciscanis, ajebant, contra Dominicanos (qui hac celebritate annuâ voluisse saltem Ecclesiam recolere divinum illud beneficium, quo factum est, ut *conciperetur* Illa, ex qua Salvator nasci debuit, docuere) cusa, sub initium hujus seculi, lite hac in Ecclesia Rom. maximè fervente. Habebant illa ex una parte corporis & calicis Christi effigiem, cum verbis: ALABADO SIA EL SANTISSIMO SACRAMENTO, h. e. *Laudatum sit sanctissimum Sacramentum.* Ab altera verò parte ferebant imaginem hieroglyphicam *Conceptionis* hujus, cum Inscr. CONCEPTA SINE PECCATO ORIGINALI: adjectâ chordâ Franciscanâ, ambiente figuram, ut pateret hanc eorum doctrinam esse &c. De quibus & ipsis ingentem litem obortam V. apud eundem Waddingum, ubi suprà.

Conceptio S. Joannis Baptistæ, Festum itidem Latinorum, quod reperiri in quibusdam *Martyrologiis* antiquis, d. 24. Septembr. & in quodam *Missali* Equitum Melitensium A.C. 1405. Argentorati impresso, ac in Brancaccii Cardin. Bibliotheca asservari solito, scribunt Macri.

Conceptus coronatus. De Regibus, in infantia quoque coronatis, non in pueris solùm, aut adultiore ætate, obvia exempla sunt. De eo verò, qui nondum natus, sed adhuc in utero erat, singulare extat illud apud Agathiam *lib.* 4. Nam Vararane Persarum Rege defuncto, relictâ uxore prægnante, Magisq; firmantibus, fore potioris sexus quod nasceretur, nullo, ne brevissimi quidem temporis, interjectu, cidaris ventri Reginæ imponitur; & ille, qui vix dum *conceptus* erat, Rex renunciatur. V. C. Paschalium *Coronarum lib.* 10. *cap.* 7. ut & in voce *Varanes*.

Concha, nomen generale, multas sub se species comprehendēs. *In illis enim magna ludentis naturæ varietas, tot colorum differentiæ, tot figuræ, planis, concavis, longis, lunatis, in orbem circumactis, dimidio orbe cæsis, in dorsum elatis, lævibus, rugatis, denticulatis, striatis, vertice muricatim intorto, margine in mucronem emisso, foris effuso, intus replicato: jam distinctione virgulata, crinita, crispa, canaliculatim, pectinatim, imbricatim undatâ, cancellatim reticulata, in obliquum, in rectũ expansâ, porrectâ, sinuatâ, brevi nodo ligatis, toto latere connexis, ad plausũ apertis, ad buccinum recurvis. Navigant ex his Veneriæ, præbentesq; concavam sui partem & auræ opponentes per summa æquorum velificant. Saliunt pectines & extra volitant seq; ipsi carinant*, verba sunt Plinii *lib.* 9. *cap.* 33. Earum multiplex usus in vita humana. Nam *Concha*, olim sigillis apposita est, uti diximus suprà in voce *Claxendix*. Pictoribus olim, hodieque, pro vasculis pigmentariis inservijt: Colores enim suis infundere conchis videmus, ut chamarum & mytilorum testis, idque partim, quia colores iis non imbuentur, partim, quia testæ nulli sint oneri, dum manu sustinentur. Etiam antiquis pro tuba fuit *Concha* turbinata, dicta φαῦλλος, quasi φθόγγος. Hesych. & Varin. Στρομβῷ ἐν τῷ κόγχῳ, ᾧ ἐσάλπιζον, *Strombo*, conchâ, *qua buccinæ instar canebant*. Idem Hesychius ante tubas inventas, conchis marinis usos fuisse, alibi docet. V. Theocritum Διοσκόρους & Lycophronem *Cassandrâ*. Hinc & Tritones in antiquis videas marmoribus cum conchis oblongis, ore rotundo amploque, sed paulatim amittentibus magnitudinem, donec per sinuositatem devexam desinant inferiùs in mucronem: cujusmodi *concham* scitè descripsit Ovid. *Metam.* 1. *Fab.* 7. Porro & in suffragiis ferendis, concharum minutarum pro calculis, usum fuisse, quæ χοιρίναι dictæ, legimus apud Jul. Pollucem *lib.* 8. *c.* 5. & Scholiast. Aristoph. *Equit.* Ad quam formam postea calculi ex ære facti, quos & σφονδύλους dixerunt, antiquo nomine retento: nam σφόνδυλοι iidem cum χοιρίναι, quæ sunt conchæ marinæ. Id. Pollux, Αὖθις δὲ ἐκ χαλκοῦ ἐποιήθη κατὰ μίμησιν, σφόνδυλοι δὲ ἐκαλοῦντο αἱ ψῆφοι δικαστικαὶ χαλκαῖ πεποιημέναι. *Postea verò & æreos fecerunt ad imitationē, spondylia quoq; vocabantur calculi Judicum, ex ære facti.* In mensuris quoque iis usi sunt: unde obtinuit, ut *Concham* dicerent pro tribus cochlearibus, nempe sextarius valuit conchas 32. quod esset 96. cochlearia. V. Gerh. Joh. Vossium *de orig. & progr. Idolol. lib.* 4. *cap.* 49. Imò ad lusum adhibitæ. *Conchis* enim illis minutis & rotundis, quæ cum lapillis in littore maris inveniuntur, lusitasse olim puellas, docet Tzetzes his versibus:

> Λίθοις λείοις ἀλλεύουσι καὶ μάλιστα εἰς ἄκρον
> Ὅμοιος ὀγκολαίγξιν, αἷς παίζουσιν αἱ κόραι.

Quas imitatus Caligula, *contractis ad unum legionibus, specie in Germaniam transgrediendi*, Conchas *umbilicosq; in ora maris Oceani legi jussit, cùm ipse nunc fluxo cultu Veneriq; interesset, nunc armatus, spolia à se non ex hominibus, sed cælestium capi dictitaret* &c. uti habet Victor. Vel, ut Sueton. *Postremò quasi perpetraturus bellum, directâ acie in littore Oceani, ac ballistis machinisq; dispositis, nemine gnaro ac opinante, quidnam cœpturus esset, repentè ut* conchas *legerent, galeasq; & sinus replerent, imperavit. Spolia Oceani vocans, Capitolio Palatioq;*

debita. V. quoq; infrà ubi de *Ocellis*. Abusus verò ad luxum gravissimus, de quo iterum Plinius *lib. cit. cap.* 35. *Sed quid hæc paucà parva commemoro, cùm populatio morum atq; luxuria non aliunde major, quàm è Concharum genere, proveniat? Jam quidem ex tota rerum natura, damnosissimum mare est, tot modis, tot mensis, tot piscium saporibus, quibus pretia capientium periculo fiunt.* Ubi inprimis digitum intendit, in *Conchas Margaritarias, Purpurarias, Venerias*, de quibus infrà dicetur.

Concha, Græcè Κόγχη, apud medii ævi Scriptores, culmen dicitur, quo tegebatur Sanctuarium vel Adytum Templi, quòd instar *Conchæ* structum esset, nomen adeptum: Habebat enim dimidiati hemisphærii figuram, vel quartæ partis sphæræ. Paulus Silentiarius in Ἐκφράσει Templi S. Sophiæ,

> — ὑψοῦ δὲ μετ' ὄρθιον αὐχένα τοίχων
> Σφαίρης τετράτομον λόχον ὄψεαι· ....
> Οἷα ....
> Σχῆμα πολυγνάμπτοιο ....
> Κόγχης ....
> Ἀλλ' ....
> ....
> Αὐθι ....

Constabat autem tribus concavitatibus ...., quibus distinguebatur. Idem,

> Τετρατόμῳ .... ἔνδοθι ....
> Ἡμίτομον, ὑψοῦ δὲ μετ' ὄρθιον αὐχένα τοίχων
> Σφαίρης τετράτομον λόχον, &c.

Ubi τρεῖς ἔνδον .... sunt tres recessus concavi *Conchæ*, qui ab invicem circulis dimidiatis prominentibus distincti erant. Ipsa verò tota in exteriori parte sphæræ, uti dictum, quartam partem referebat. Paulinus *Natali* 10.

> *Est etiam interiore sinu majoris in aulæ*
> *Insita cella procul, quasi filia culminis ejus,*
> *Stellato speciosa tholo, trinoq; recessu*
> *Dispositis sinuatâ locis.*

Aliquando ipsa *Concha* major hoc modo, tribus voluntarium sinibus distincta, duas alias conchulas dextrâ lævaq; adjunctas habebat. Idem *Epist.* 12. *Cum duabus dextrâ lævaq; conchulis intra spatiosum sui ambitum absis sinuata laxetur.* Idem enim *Apsis*, quod *Concha*, uti apud Paulinum quoque præfatum videre est; hodie *Chorus*. Porro *Concha* cameratum habuit culmen, quod non tam altum, quàm reliquum Basilicæ spatium, & laqueatum erat: cùm reliqua Basilica lacunar haberet pro camerâ. Aliquando tamen Sacratum Templi tectum, nonminus, ac Sacrarium ipsum cameratum erat, sed hoc discrimine, ut Sacrarii culmen conchæ formam haberet, & cameræ concham referentis: cætera Basilica, semicylindri specie, fornice nempe oblongâ; præterea cætera Basilica laqueata, i. tabulis subtecta, at Concha Sacrarii ex structurâ, i. lapide structo esset &c. Quia verò *Concha* Templi seu apsis, *speluncæ* modo camerata erat, hinc & *Spelunca* appellata est. Unde illa Græcorum ...., de sepulchri Domini comparatione, cum Ecclesiæ concha: Κόγχη .... ἐν Βηθλεὲμ σπήλαιον ὅπου ἐγεννήθη ὁ Χριστὸς, καὶ .... σπήλαιον ...., apud Salmasium *ad Solinum pag.* 1211. *& seqq.* De *Concha*, du Fresne, *in illa*, inquit, *sacra Mysteria peraguntur & ubi sita Altare; sic dicta, quòd quâ parte sit .... seu Βῆμα, quidam in hemicylindri formam effinguntur recessus, qui superne in Conchæ figuram clauditur.* Græci vero intra *Concham* hujusmodi solent præter Altare, ubi Eucharistiam peragunt, aliud altariolum erigere, ubi multis ceremoniis panem & vinum præparant, quem ritum, πρόθεσιν, i. *adventionem*, vocant: Inde enim tempore consecrationis, solenni processione panem & vinum ad Altare deferunt, ac eodem, peractâ communione, Sacerdos residuum Eucharistiæ refert & consumit, vasaque purificat. V. Macr. Fratr. in *Hierolex.* & Car. du Fresne in *Descr. S. Sophiæ n.* 50. Sed & *Concha* species navigii est, in conchæ formam efficta, ad instar gondolarum Veneticarum, in *Epist.* Jacobi Aragoniæ R. ad Carolum R. Franciæ A.C. 1306. alibique. In Eccl. Rom. recensetur vulgò inter vasa ac ministeria sacra, quæ veterii fuere usus. *Concharum ad chrisma*, meminit Gregor. *M. Sacrament. p.* 71. 73. edit. Menardi. *Concharum*, h. e. candelabrorum, *Bernardus in Consuet. Cluniacensibus MSS.* Κογχίτας vocat Paulus Silentiarius in *Descr. S. Sophiæ. Concha ad Baptismum* occurrunt, in *Concil. Eliberit. can* 48. *Hi qui baptizantur, nummos in concham non immittant, ne Sacerdos quod gratis accepit, pretio distrahere videatur.* Item in *Responsis* Stephani II. *cap.* 11. *Cum concha aut cum manibus infanti in infirmitate posito aquam super caput fundere & sic baptizare &c.* Alium indigitat usum Anastasius Biblioth. in *Paschali, Pariterq; & concham ad spongiam pro nocturnis diligentiis ibidem ex argento constituit* &c. apud eundem du Fresne *Glossar.*

Concha Margaritarda, non unius generis est. Pinnæ, ... & myaces, diversæ certè concharum species, in quibus margaritum gigni Veteres prodidere. Nec hodierno tempore una concha lapidem hunc generat. Omnium præstantissimæ ad gignendas margaritas habentur hodie, quæ leves & candidæ sunt, quas pinnis similes, aut pinnas, Veteres dixere. De his Androsthenes intelligendus, qui λεῖον .... καὶ δασύ, Conchæ margaritiferæ tribuit, *testam levem & hirsutam*. Unde .... dictum margaritum, & .... ἔρια, *lana*, quâ concha illa cornua & *hirsuta*

barbaris est: hodieque *Cheripo* id genus lævis conchæ Persis est Indisque. Alia est species, quam vulgò μαργαριτομήτραν, i. *matrem perlarum* appellant, quæ major est & exteriori parte scabra, imposita ac rugis infecta, *Changue* indigenis, pectini similior, quàm pinnæ, unde πίνναν eam Procopius vocat. Sed & *Myes* seu *Myaces* margaritam ferunt, quæ nomen invenere, ἀπὸ τοῦ μύειν, quod claudant se atque aperiant, quoties lubet, ut faciunt omnes conchæ duplices aut bipatentes. Unde quia ejusmodi conchis ligulæ fiebant & cochlearia, inde μύστρον, pro ligula occurrit. Roscido autem conceptu gravidas fieri margaritarias Conchas & pro qualitate roris, quem acceperint, aut candescere partum aut turbidum esse, aut pallescere, ait Plinius: quem rorem *aspergine Lunaris* nomine designat Solinus *cap.* 53. Et æstatis tempore noctu præcipue oscitare & pandi has conchas, ut humorem hunc recipiant, per diem vero comprimi, tradit Isidorus Characenus. Sed quomodo conchæ in medio maris totæ intra aquam conditæ rorem illum cœlestem, qui de cœlo labitur, haurire queant? pleræque enim earum saxis ac scopulis adhærescunt, fixæque radices agunt, toto mari tectæ. Imò adeò in penitis ac profundis maris sedes sibi collocant nonnullæ, ἰχθύδια hinc & πελάγια dictæ, ut ad eas exquirendas urinatores sæpe in mare descendant, 24. orgyiarum altitudine: cùm tamen illæ, quæ ἐπιθαλάσσια, plurimum & maximum nutriant margaritum. Scribit idem Isidorus, per tonitrua frequentia & imbrium effusionem, magis patere concham, & plurimum gigni margaritum: quod non inde fit, quòd imbres illos conchæ hauriant, sed quadam occultâ naturæ vi ac proprietate: quâ viz. & tubera tum maximè nasci, ac grandescere, traditum est, cùm fuerint imbres autumnales, & maximè cum tonitrua. Contra Plinius, tonitrua concharum partui officere, dicit. Etenim pavore ac tonitrus, abortivos fœtus edere, specie tenus inania & inflata quædam margaritarum simulachra sine corpore, φυσήματα Gr. Fulguratione vero comprimi conchas & minorem margaritã edere. Idem addit, quia compressæ jejunant, & pro modo jejunii, fœtus minuitur. Hoc certum conchis majorem, cœli pacati acquiescit. Societatem esse. Sed & tradit Plinius, crassescere in senecta margaritas conchisque adhærescere, nec his avelli posse sine lima: contrà Isidorus principio conchæ margaritam adhærescere, & quamdiu adhærescit, incrementum capere per solidum conchæ, postmodum carne subnascente ad ipsam radicem & molliter resectam à concha margaritam separante, ubi eam complexa est totam, non amplius alimenta capere & augescere margaritam, sed luciditatem & levorem acquirere. Quod utrumque de nonnullis verum. Et quidem quæ conchis adhærescunt margaritæ atque inde limâ avelluntur, quia alteram faciem planam habent, τρημ... nomina apud Græcos habuere &c. Cœterùm *Conchæ*, in quibus pretiosus iste calculus nascitur, ex earum genere sunt, quas Græci πτυχὰς vocant & κοίλας, i. e. *clusiles* seu *aperiles* & *concavas* *testas*, hincque *duplices* dictas, ita ut dimidiatæ formam lancis vel dilatatis belle referant, a qua figura μαργαρίται dictæ videntur: μάργαρος enim pro *lance*, vox Græciæ vet. est. Inde periculũ margaritarũ piscatoribus, *conchã, quoties manum viderit, comprimente se, eamque si prævenit abscindente*, ut idem habet Isidorus. Partes earum, sicut & purpuræ, ceterarumque ostrearum, infima πυθμήν, media μήκων vel μεκώνιον, suprema τράχηλος seu σπόνδυλος. Inter quas μήκωνος fibræ sunt, vel *fimbriæ*, Martiali *cirri*, quos purpureus crinis ambit, a quo pinnarum capillitio & molli lanositate tenuis vestis πίννινος quoque appellata est. Namque & veteri hoc vellus & inde vestes texi consuevisse, dicemus infra, in voce *Papaveraca*, item *Pinnicum*. Ex ipsis autem conchis cochlearia hodieque ac lanculas pocilla fieri, nemini ignotum. V. plura hanc in rem, apud Plinium *lib* 9. *cap.* 35 & Salmasium *ad Solinum pag.* 112. *& seqq.* nec non hic passim, inprimis ubi de *Margaritis*, in voce *Peninim*, de *Perlis* & *Unionibus*.

Concha Purpuraria, Hebr. חלזון *chilzon*, (quæ vox aliàs in genere *Cochleam* denotat,) Deuteronom. *cap.* 33. *versu* 19. in *Paraphrasi* Jonathanis dicitur, quod cochlea concham hanc incolens simillima sit cochleæ terrestri. Uti testatur Bellonius, qui Cochleas purpurarias adhuc vivas sæpius viderat his verbis: *Ejus concha cochleam terrestrem penitus referret, nisi clavata esset, & canalem ad latus, quà linguam exerit, haberet. Cornua limacum more attollit, atque eodem pacto serpit, iisdemque cornibus iter sibi prætentat.* Hæ quamvis in petris frequentiùs, tamen etiam in arena proveniunt. Oppianus *Halieutic. lib.* 1. *versu* 3.4.

> Πολλὰ μὲν ἐν πέτρῃσι, τὰ δ' ἐν ψαμάθοισι νέμονται,
> Νηρῖται, στρόμβων τε γένος, καὶ πορφύρεαι αὐταί.
> *Multa quidem cochlearum genera in petris, alia autem in arenis pascuntur,*
> *Nerita, strombarumque genus & ipsæ purpuræ.*

Unde inter *thesauros absconditos arenæ*, Zabulonitis promissos, d. l. etiam purpuram numerant Magistri. Purpurarium certè Judææ littus, à Tyri scalis usque ad Chaipham extensum esse, diximus retro in voce *Chaipha*. Quamdiu etiam Cochlea hæc purpuraria, tamdiu & concha ejus seu theca crescit, quæ cùm sex aut 7. annos vivat, in concha tot orbes habet, quot annos agit. Aristot. *Histor. lib.* 5. *cap.* 5. Ζῇ γὰρ ἡ πορφύρα περὶ ἔτη ἕξ, καὶ καθ' ἕκαστον ἐνιαυτὸν φανερά ἐστιν ἡ αὔξησις, ἔχει διαστήματα ἐν τῷ ὀστράκῳ τῆς ἕλικος. In quem sensum Plinius *lib.* 9. *cap.* 36. purpuram, cum buccino conferens: *Clavatum est* (purpuræ rostrum) *ad turbinem usque aculeis in orbem septenis fere, qui non sunt buccino. Sed utrisque orbes totidem quot habeant annos*. Piscatio ejus, in Mari Mediterraneo fieri solita est, non in lacu Asphaltite, ut scribit Maimonides, *ad locum Num. cap.* 15. *vers.* 38. ubi de Judæorum fimbriis, quibus vittam purpuream jubebantur assuere, agens, quomodo in illius cochleæ sanguine lana tingatur, sic docet: *Cùm fimbriarum purpuram infecturi sunt, lanam sumunt, quam in calce maceratam & subinde lotam, donec fit nitida, in sapone elixant, atque aliis hujusmodi — ut lana colorem imbibat. Quo facto sanguinem τοῦ chilzon afferunt — atri sanguinis, instar atramenti, qui in Mari salso reperitur. Et sanguinem in cortina ponunt cum pigmentis variis, cimolia puta, atque aliis hujusmodi, pro more infectorum. Et postquam elixatus est, lanam in eam immergunt, donec cœlo fiat concolor.* Cùm vero capiebantur hæ conchæ, dabatur opera, ut vivæ contunderentur. Philosophus ubi supra Σπουδάζουσι δὲ ζώσας κόπτειν· ἐὰν γὰρ πρότερον ἀποθάνῃ, συναποπτύει τὸ ἄνθος. Nempe si repetitis ictibus percuteretur, succi florem (quem in mediis faucibus, ἀνὰ μέσον τοῦ μήκωνος καὶ τοῦ τραχήλου, *inter cirrum & spondylum* habent hæ cochleæ) amittebat, sive is prorsus efflueret, aut in massam corporis spargeretur, atque eâ ratione ad lanarum infecturas fieret inutilis. Unde Eustathius *Il.* ε. mortem ab Homero vult *purpuream*, πορφύρεον θάνατον, vocari, non solùm propter sanguinem, qui coloris est nigri seu purpurei, sed & τὸν ἐν μιᾷ πληγῇ, *mortem uno ictu inflictam*, qua de re, ut & plura huc pertinentia V. apud Plinium *lib.* 9. *cap.* 35. *& seqq.* Sam. Bochartum *Hierozoici Part. priore Lib.* V. *cap* 9. *& seqq.* nec non hic passim, ubi de vocibus *Argavan*, *Purpura*, *Thecheleth* &c.

Concha Venerea, in indice cœnæ Pontificalis, à Metello exhibitæ, memorata, apud Macrobium Saturnal. *lib.* 2. *cap.* 9. & Senecam *Epist.* 95. describitur Plinio his verbis *lib.* 9. *cap.* 25. *Mutianus muricem esse latiorem purpura, neque aspero neque rotundo ore, neque in angulos prodeunte rostro, sed simplice concha utroque latere sese colligente.* Subjungit dein, *Quibus inhærentibus, plenam ventis stetisse navem portantem nuntios à Periandro, ut castrarentur nobiles pueri, conchasque quæ id præstiterint, apud Veneris Cnidiorum coli:* Unde *Veneream* idem vocat *lib* 9. *cap.* 33. *Navigant venereæ, præbentesque concavam sui partem & alteram auræ opponentes, per summa æquorum velificant.* Martialis *Cytheriacam lib.* 2. *Epigramm.* 47.

> *Lævior & conchis Galle Cytheriacis.*

Hodie eædem *porcellanæ* dicuntur, à *porcello*, ut Græci etiam eas vocant χοιρίνας, quia χοῖρος & χοιρίον id in muliere est, quo mulier est, quam partem illæ referunt. Gerh. Joh. Vossius *lib. cit. cap.* 35. V. quoque Rondeletium *lib.* 13. *cap.* 12. & Bellonium de *Aquatilibus lib.* 2 *cap.* 10. Idem Vossius, *conchis* istiusmodi uti vulgò ad polienda linrea, quia nihil in iis asperum, ut & in chartæ politura, tradit *ejusd. lib. cap.* 47. *sub fin.* Atque hactenus quidem ex sententia receptâ, quâ creditum est, ex contusis conchulis marinis præparari materiam, è qua istiusmodi vasa fiant. Hodie autem ex terra quadam apud Sinenses fieri, figlina arte, compertum est, & latius dicemus infra, ubi de *Porcellanis*.

Conche, nomen loci, apud Treb. Pollionem in *Vita* Zenobiæ, *Fertur vixisse cum liberis — data sibi possessione in Tiburti, quæ hodieque Zenobia dicitur, non longè ab Adriani Palatio, atque ab eo loco, cui nomen est Conche.* Ubi Palatinum Cod. habere *Conchæ*, monet Salmasius. Apud Martialem verò *lib.* 5. *cap.* 39.

> *Crœso divitior licèt fuissem,*
> *Iro pauperior forem, Carine,*
> *Si conchen toties meam comesses.*

Conchis est, faba viridis. Vult enim dicere Poëta, pauperrimum fore, si non mellitâ placentâ, sed vili cibo fabarum in siliquis coctarum Carinum (à quo hæredem se scriptum fingit) pascere cogeretur, quoties ille signaret vel tussiendo mortis spem ipsi faceret.

Conchylium, strictè cùm accipitur, purpuræ ac buccino opponitur, apud Dioscor. Interdum & buccinum solum *conchylii* nomine intelligitur: quo modo eædem hæ *vestes conchyliatæ*, &c. quas Maro *Æn. lib.* 4. appellat, *Tyrio murice infectas*. Eo pacto autem opponi solent *vestis conchyliata* & *purpurea*. Nempe apud Romanos sic usus erat, ut conchyliatus color esset dilucidior ac pallidior: purpureus vegetior florentiorque: qualis Tyrius, ut Plinius ait *lib.* 9. *cap.* 36. *concreti sanguinis nigricans aspectu idemque suspectu refulgens*. At hodie, tam purpureus, quam conchyliatus color, ab herbis est, ut videbimus infrà, ubi de *Purpura*: cùm olim ille honos aquarum esset ac piscium. Ambrosius *Hexaem. lib.* 5. *cap.* 2. *Quid etiam purpuras memorem, quæ ornant Regum convivia, amictus imbuunt? Aquarum est igitur, quod in Regibus adoratur.* Ubi *aquarum honorem* appellat, quia & purpura & buccinum aquatilia sint. De tinctura *Conchyliorum*, idem supra laudatus Plinius, *Sed, unde conchylia*, inquit, *pretium? quis*

virus grave in fuco, color austerus in glauco & irasceni similis mari. V. Vossium *de Idolol. lib.* 4. *capp.* 47. 48. & Bochartum *Hierozoici Parte poster.* ubi suprà.

Concilia, apud Romanos dicta sunt, partis populi conventus, ad aliquid jubendum: Cujus generis erant, quæ à Tribunis Pl. indicebantur Comitia. Illi enim jus quidem vocandæ plebis, non tamen universi populi, habuerunt. Nihilominus indifferenter *Concilii* Comitiorumque, ubi universus populus conveniebat, nomine utitur Livius *lib.* 3. &c. V. suprà in voce *Comitia*. Hinc *Conciliabulum*, de qua voce A. Gellius *lib.* 1. *cap.* 7. *Quali C. Gracchus verbo usus est in ordinatione, cujus titulus est*: De Quinto Popilio circum Conciliabula, *in qua ita scriptum est* &c. Nempe *Conciliabula* erant loca juxta Festum, ubi in Concilium conveniebatur. In iis quoque jus dictum: hinc eò frequens populi confluxus, sed Foris inferiora erant. Per *Conciliabula* Livius intellexit extra Urbem majora ac minora oppida & loca, in quibus jus dicebatur. Frontinus etiam in municipiorum jus ascendisse, commemorat: Sed pro conventu quocunque etiam accipiuntur. Onomasticum, *Conciliabulum, συνέδριον*: & Glossæ Cyrilli, *τόπος τῶν συνόδων Conciliabulum*, Ant. Thysius *in A. Gellii locum prædictum*. Quomodo Coloniæ, Municipia, Præfecturæ, Fora, *Conciliabula* distinguantur, V. Turnebum *Adversar. lib.* 1. *cap.* 11. In Ecclesia, *Concilia* quid sint. V. infrà, ubi de *Synodis*. De *Canonibus* eorum, quando colligi cœpti, & quâ auctoritate in Ecclesia semper habiti, suprà ubi de *Canonibus*. De editionibus variis eorum hic quædam aspergam. *Conciliorum Generalium Provincialiumque* operosa prostant volumina, editionesque variæ, quarum hæ præcipuæ. Prima prodiit Coloniæ A. C. 1530. postea Petrus Crabbe ea edidit A. C 155. duobus voluminibus: quem insecutus Surius quatuor voluminibus illa complexus est, A. C. 1567. Dominicus Nicolinus quinque: Severinus Binius Canonicus Colon. 8. voluminibus eadem vulgavit Coloniæ, A.C. 1606. & 1618. Sed & Romæ *Conciliorum Generalium Ecclesiæ Catholicæ*, facta collectio est editioque Græco-Latina, jussu Sixti V. A. C. 1608. Novissimè verò *Collectio Regia* Lutetiæ Parisiorum prodiit, 37. voluminibus, cum Indice separatim excuso, A. C. 1636. cui cum *Decretalibus* Romanorum Pontificum *Epistolis* insertæ sunt *Concilia* Gallica J. Sirmondi, Hispanica Garsiæ Loaysæ, Anglicana Henr. Spelmanni; Lemovicense, è Bibliotheca Thuana; Florentinum, Horatii Justiniani &c. Gerh. von Mastricht *Histor. Juris Ecclesiastici num.* 144.

Conciliator, olim honestum nomen; imò Romanis LL. adeò sanctum officium habitum est, ut nec præmii ergò aliquid fieret *Conciliatores*, seu *Proxenetas*, voluerint; quòd si omnino eo nomine aliquid capere, circumscripserunt rem certis regulis, V. Harmenopulum *πρόχειρ.* *lib.* 4. *cap.* 3. & Jac. Cujacium *Observat. lib.* 11. *cap.* 18. Fuere autem *Conciliatores*, qui animos ad Conjugale fœdus, quo nullum aliud in rebus humanis sanctius, jugumque Matrimonii subeundum, componebant. Unde *conciliare* propriè de Nuptiis, apud Poetas. Statius *Thebaid. lib.* 2. *versu* 229.

> *Interior sacris calet, & sonat aula tumultu*
> *Femineo, castæ matres cinxere coronâ*
> *Argolides: pars Virginibus circum undique fusæ*
> *Fœdera conciliant nova*

Muliebre autem inprimis hoc munus. Festus, *Conciliatrix dicitur, quæ viros conciliat uxores & uxoribus viros.* V. Casp. Barthium *Anim. Version. ad Statium d. l.* Sed vox postea ad turpe Lenonum ministerium denotandum adhiberi cœpit. Vopiscus in *Carino, Præfectum Prætorii — occidit: in ejus locum Matronianum, veterem* Conciliatorem *fecit.* Id est, *veterem lenonem*. Hinc *Conciliatrix*, lena. Lucilius apud Nonium,

> *Æmulum & faciem, ut saga & bona conciliatrix:*

Sic *conciliare*, pro *lenocinari* & *lenonem agere*, apud Claudianum in *Eutropium lib.* 1.

> *Te magis ob demens, veterem si respicis artem,*
> Conciliare *doces*, &c.

Quemadmodum contrà, *lenones*, flagitii propudiique ministros, ad rem honestam Trogus usurpavit, pro Fecialibus & Legatis. Justinus *lib.* 1. *Primus Scythis bellum indixit, Vexores — missis primò lenonibus, qui hostibus parendi legem dicerent.* Id est, *Legatis*, quos *Ambasciatores* infima ætas dixit, Salmasius *ad l.*

Concilium, V. suprà *Concilia*. Fœmineum, indigitatum Statio *Thebaid. lib.* 5.

> *Cùm subito horrendas ævi matura Polyxo*
> *Tollitur in furias, thalamisque insueta relictis*
> *Evolat* ——
> —— *clausasque domos & limina pulsans*
> Concilium *vocat, infelix comitatus eunti*
> *Hærebant nati* &c.

Fingitur Poetæ, ad imitationem ejus, quod Romæ fuisse arguit P. Victor in *Descr.* ejus, ubi Senatus Muliebris velut quædam Curia leg enda datur. *Senatulum* certe, h.e. Mulierum Concilium seu Senatum, instituisse Antoninum Alagabalum, memorat Lampridius, de quo V. infrà.

Concilium Martyrum & Sanctorum, in *Actis* Stephani III. apud Baronium A. C. 259. *num.* 24. & apud Anastasium *in Damaso*: *συνάξεις Μαρτύρων*, in Concilio Gangrensi *can.* 20. alibi *Confessiones*, loca sunt, ubi multorum Martyrum Sanctorumque [illegible] requiescunt. Unde nomen Basilicæ inditum, apud Gaudentium Brixianum in *Tract. de Dedicat.* 40. *Martyrum*. Ausonius in *Ephemer.*

> *Et modò Conciliis animarum mista piarum*
> *Fata tui certè nota nepotis habes*, &c.

Quæ quo modo adornari consueverint, docet *ad Heliodor.* Hieronymus, *Hoc idem possumus & de isto dicere, qui Basilicas Ecclesiæ & Martyrum conciliabula diversis floribus & arborum comis vitiumque pampinis adumbravit*, apud Dominic. Macrum in *Hierolexico*. V. quoque du Fresne *Glossar.*

Concio, Gr. *Ἐκκλησία*, sæpe cum Comitiis confunditur: Festo tamen propriè est *Conventus, qui à Magistratu, vel à Sacerdote publico per præconem convocatur.* Unde verba illa A. Gellii *lib.* 13. *c.* 15. *& Comitiatum & Concionem avocare*, sic explanat Thysius: *Comitiatum avocare, est impedire, ne Comitia habeantur: avocare vero concionem est, concionem à Magistratu, qui eam advocavit, abducere.* Hinc Cic. *Conciones sæpe exclamare vidi*, hoc est, cœtum in *Oratore*. Et *lib.* 15. *Epist ad Attic.* 1. *Brutus noster misit ad me orationem suam habitam in concione Capitolina*, h. e. in cœtu hominum, qui in Capitolio aderant. Gellius vocem hanc tria significare ait *lib.* 18. *cap.* 7. *locum suggestumque*, unde verba fierent: teste Tullio *contra cont. Metelli*, ubi ait: *Escendi in concionem, concursus est populi factus.* Dein *cœtum populi assistentis*: Tandem *orationem ipsam* &c. Ad quem locum V. *Notas* Jac. Oiselii IC. Hinc *Concionari*, verba in *concione* facere. Quod qui facturi erant, *surgebant* ut ex Homero & Cicerone constat: & *coronam* capiti imponebant, uti docet Lucianus *in Demonacte*. Hic enim magno animo & coronâ redimitus, & nitidâ veste amictus, suis calumniatoribus responsurus, in concionem cùm venisset, illos hisce alloquutus: *Ἐμὲ μὲν ὁρᾶτε ἐστεφανωμένον ὑμεῖς ἤδη καὶ μὴ θύσατε*, *cùm me sertis coronatum videatis, quin me jam sacrificatis*: utrumque simul morem repræsentavit, nempe & coronandi victimas & illos qui in concione verba faciebant. Accipiebat autē, qui dicturus surgebat, coronam ab eo qui proximè dixisset. Unde Praxagora mulier, Aristophanē apud *Ἐκκλησιαζ.* postquam verba fecisset, inquit,

> Πρ. Ἔστ' ὅστις ἕτερος βούλεται λέγειν; Γυ. ἐγώ.
> Πρ. Ἴθι δὴ στεφανοῦ.
> Pr. *Estne alia aliqua, quæ velit dicere?* Mul. *Ego.*
> Pr. *Age dum coronator.*

Et *insequ.*

> Γυ. Φέρε τὸν στέφανον ἐγὼ γὰρ αὖ λέξω πάλιν,
> Mul. *Cedò coronam. Ego enim rursus dictura sum.*

Quo de ritu fusius dictum suprà, in voce *Caput Coronatum*. Neque verò ii solùm *Coronam* ferebant, qui verba ad concionem faciebant: sed & coronæ virtutis aureæ, in *Concione* dari solebant. Quem morem exprimit Aristides *Ἱερ. Orat.* 4. ubi ait, victorem, qui aureâ coronâ donandus erat, postquam à sacro Præcone ea res renunciata esset, primò nominari, deinde coronari in Concione consuevisse. V. quoque Livium *lib.* 13. & Val. Maximum *lib.* 1. *cap.* 8. Plura v. hanc in rem, apud Car. Paschalium *Coronarum lib.* 7. *cap.* 2. *ubi de Corona militari aurea*: nec non suprà ubi de *Comitiis*.

Concio Legum, apud Conr. Urspergensem in *Lothario Imp.* loci prope Augustam nomen est; fortè ejus, quem *Campum Martium* vocabant; ubi Impp. & Imperii Proceres convenire ac de sanciendis Legibus consultationes instituere solebant. V. Velserum *in Augusta Vindelicorum*.

Conclamandi defunctos ritus, occurrit apud Statium *lib.* 2. *Sylv.* 6. cui tit. *Epicedion Pilesi Ursi.*

> —— —— *miserum est primæva Parenti*
> *Pignora, surgentesque nefas accendere natos:*
> *Durum & deserti, prærepta conjuge, partem*
> Conclamare *thori* ——

Et *Thebaid. lib.* 9. *versu* 355.

> *At genitrix cœtu glaucarum cincta sororum*
> *Protinus icta malo, vitreo de valle solutis*
> *Exiliit furibunda comis, ac verbere crebro*
> *Oraque pectoraque & viridem scidit horrida vestem,*
> *Usque erupit aquis, iterumque, iterumque trementi*
> *Ingeminat, Crenæe sono, nunquam ille* ——

Ubi *Conclamatio*, velut consummatio luctus est, de qua V. Kirchmannum *de Funeribus Rom. lib.* 1. *cap.* 13. & hic passim, inprimis suprà, ubi *de Cadaverum cura*.

Conclave, Romæ vocatur locus, ubi Cardinales Pontificem electuri coëunt: Cujusmodi *Conclave* primùm institutum Viterbii esse dicunt, post Clementis IV. mortem. Cùm enim purpurati illi Patres in Æde priùs sacra, vel Sacristia aliqua soliti essent convenire indeque quotidie ad proprias ædes redire: occasione interregni quod post dicti Clementis obitum biennium integrum, & novem insuper menses duraverat, circa A. C. 1271. tandem in septendecim in deliberatione hacce mensibus, Bonaventura, inter suos pro Sancto habitus, & tunc Ordinis sui Generalis, Cives Viterbienses persuasit, ut in Episcopali Palatio Collegium Cardinalium

dinalium conclusum, ad Pontificis electionem vi adigerent: Quibus cùm ne sic quidem conveniret ullatenus, Capitaneus Civitatis Rainerius Gattus, *Conclavis Custos*, tectum aulæ, in quo clausi illi degebant, demolitus est, ut si sub dio morari diutiùs illis grave esset, expedirent tandem negotium, cujus causâ tantum temporis nequicquam jam insumtum erat. Manentque ad hodiernum usque diem cellularum vestigia ibi loci & in Archivo Civitatis Bulla etiamnum visitur, quâ Cardinali Ostiensi, infirmitatis causâ, facultas exeundi concessa erat, &c. Alii tamen Cardinales loco huic sponte sese inclusisse narrant, ex Blondo *Dec. 2. lib. 8.* neque id primum *Conclave* fuisse; sed & jam antè in Honorii III. Gregorii IX Cælestinique electione idem factitatum esse contendunt. E quibus Passarinus primum à conclusis hoc modo Cardinalibus Pontificem electum fuisse Gelasium II. ait A. C. 1118. *de Elect. Pontif. quæst. 11. num. 1,* &c. Gregorius postea X. in Viterbiensi *Conclavi* electus, A. C. 1274. de *Conclavi* bullam sancivit: quæ cùm effectu aliquamdiu caruisset; absque *Conclavi* enim post Adrianum V. electi sunt Nicolaus III. Martinus II. Honorius IV. Nicolaus V. & Cælestinus V. ab hoc ea renovata, ac tandem à Bonifacio VIII. confirmata est; à quo tempore usque ad nostram ætatem mos obtinuit. Quamdiu autem Cardinales in *Conclavi* sunt, tria Ordinum capita Rescripta firmant. Cùm verò Papa rite declaratus est & novum, pro more, nomen recepit, fenestrali foramine fracto primus Diaconus Cardin. crucem populo ostendit, altâ voce exclamans: *Annuntio vobis gaudium magnum, Papam habemus, Reverendissimus Dominus Cardinalis N. electus est in Summum Pontificem & elegit sibi nomen N.* Antiquitus verò, *Scriniarius* — *ascendens in altum, voce magnâ clamavit ad populum, dicens: Audite cives Romani & totus Respublica; Secundâ feriâ pater noster Adrianus mortuus est & proximo sequenti Sabbato Dominus Octavianus Card. S. Cæciliæ electus est immantatus. Placet ne vobis? Respondit Clerus & Pop. Placet. Secundâ & tertiâ vice interrogatus, si placeret? clarâ voce respondit, placet. Deinde cum bandis & aliis Papalibus insignibus Papa cum laudibus in Palatio deductus est*, Radevicus Frising. *in vita Friderici Ænobarbi, lib. 2. cap. 67.* ubi de electione Victoris III. apud Macros Fratres in *Hierolexico*. De *Conclavistarum* privilegiis, V. eosdem in voce *Protonotarius*.

Concordenses, in *Constitut.* Friderici Imp. *de Haret.* dicuntur, qui aliàs *Valdenses* à *Concordia* Lombardiæ opp.

Concordia, Dea, adde: Eam lauro coronat Ovidius *Faster. lib. 6.*

> *Venit Apollineâ longas* Concordia *lauro*
> *Nexa comas, placidi Numen opusq; ducis.*

Non enim olea solùm, sed & laurus *pacifera est*, uti ait Plinius: qua de re V. Car. Paschalium *Coronarum lib. 8. cap. 10.* Inter Aetionis, celeberrimi suo ævo Pictoris, opera *Amicitiam* & *Concordiam* memorat Plinius *lib. 35. cap. 11.*

Concordia Canonum, dicitur Canonistis, cùm in collectione & digestione Canonum, Canones diversorum Conciliorum unius tenoris & sententiæ, sub uno titulo aut rubrica nō digeruntur, sed citantur tantùm, ut quis sciat esse *concordantes* (quem colligendi modum *Breviationem Canonum*, & ipsas collectiones *Breviaria* dixere Vett.) sed & cùm verba *concordantium Canonum* ipsa recitantur: cujusmodi collectionis exempla Mastricht IC. exhibet. Gratianus *Concordia discordantium Canonum* suum opus inscripsit: eò quòd, cùm videret Ecclesiastica Decreta & Canones sibi invicem contrarios, diversos, dissentientes non rarò, inter eos concordiam instituere sibi proposuit, &c. V. Gerh. von Mastricht *Histor. Juris Eccl. passim*, inprimis *num.* 306. ut & infrà, in vocibus *Crescanius* & *Gratianus*.

Concurrentes, in Latino Computo dicuntur Epactæ Solis, quas Æthiopicus Græco & vetusto nomine [illegible] dicit. Scaliger *Canon. Isagogic. lib. 1.* Concurrentes, *est numerus dierum nunquam excedens septenarium, qui cum regularibus compositi, componunt feriam dierum.* Dionys. Exiguus *de rat. Paschæ*, *Concurrentium hebdomadarum ratio, de Solis cursu quæ provenit, septeno anno jugi circuitu terminatur* &c. V. Computistas laudatos Car. du Fresne in *Glossar.*

Condate, vulgò *Chane*, locus est ad lacus Burgulensis in Rhodanū decursum, haud procul Seissello & Petræ castello, Hadr. Valesius *Not. Gall.* in voce *Rhodanus*. Item locus Galliæ in Aquitania ad confluentes Durantiæ & Insulæ *Libourne* hodie, apud Ausonium *Epist. 6.* & Paulinum *Epist. ad Eunit. vers. 156.* Item locus ejusdem Regionis, in Bituricensi agro, Principum Borboniensium nobilissimus Principatus, ad confluentes Matronæ & alterius fluvii, qui Brigiensem saltum perluit. Id. Item in eodem Regno locus, in dioec. Ebroicensi, ad confluentes Itonis fluv. quo loco insulam efficit, vulgò *Condet*. Tandem locus in Cestrensi M. Britanniæ agro, hodie *Congleton*, ad confluentes Dani & alterius cujusdam fluvioli. Camdenus *in Britann. pag. 486. Edit. 3.* apud C. du Fresne *Glossar.*

Condemnare terram, *L. Sal. tit. 71.* est fructus ejus excidere: *domum* seu *castrum*, illud à fundamentis subruere. Is enim olim invaluerat mos, ut non corporis modo pœnâ vel morte mulctarentur rei, sed eorum agri vastarentur, vineæ arboresque exscinderentur, & domus solo æquarentur. Rogerus Hovedenus *p. 804.*

Captus est Thomas Præpositus, captique sunt complices sui quidam — *Rex quidem Franciæ tunc fecit domus illorum demoliri, & vineas, arboresq; illorum fructiferas extirpari.* Hinc diruta Judicis sententiâ domus, *in qua Virgines aut mulieres violenter oppressæ aut post factum introductæ*, dicitur *condemnata*, in *Speculo* Saxonico *lib. 3. artic. 1. §. 1.* Gunther *Ligurini lib. 8.*

> *Qui pacis jurare modum, formamq; tenere*
> *Inventus fuerit, quæ possidet omnia, vulgo*
> *Diripienda patent, evertendiq; Penates*, &c.

Quod damnum tamen pecuniâ redimi potuisse, patet ex *Charta* Philippi Aug. Galliæ R. *A. C.* 1195. pro Communia Sanquintin. *Si quis forisfactum fecerit* — *Major judicio juratorum super nos emendationem accipiet talem, quòd domus forisfactionis diruatur si eam habeat, aut pro domo ad voluntatem eorum pecunia accipietur. De redemptione verò domorum diruendarum, muri & firmitates villæ reficiantur.* Interdum quoque privilegio speciali urbium incolas ab hac ædium *condemnatione* exemptos fuisse, docet du Fresne pluribus in *Glossar.* Viget hodieque in Gallia *condemnandi terras, domos, castra, facultatesque* mos, in crimine læsæ Majestatis; cujus vestigia in ipsis Sacris deprehendes &c.

Condemnatio, apud Æl. Lampridium *in Alexandro Severo, ubi de variis militum pœnis, Si quis de via in alicujus possessionem deflexisset, pro qualitate loci, aut fustibus subjiciebatur in conspectu ejus, aut condemnationi*: quibusdam est pecuniaria mulcta, sed hoc sensu vocem *condemnationis* absolutè positam nullibi reperimus. Potiùs, cùm varia hic militarium pœnarum genera recenseat Lampridius, videtur à minoribus ad majorem ascendisse, & *condemnationis* vocabulo, gravius pœnæ genus fustium ictu & virgarum castigatione intellexisse. Cùm itaque fustes priores posuerit, tanquam leviores; mox virgas, tanquam graviores, *condemnationem*, tanquam gravissimam, subjunxit. Quia autem, excepto supplicio capitis, nulla major inter militares pœnas quàm militiæ mutatio aut gradus dejectio, hæc omnino nomine isto intelligenda videtur. Salmasius, *ad loc.* qui ex verbis Lampridii fustibus quidem aut virgis subjectos, qui in infimo gradu militabant, gradu verò pulsos & in ultimum detrusos, qui alicujus essent in militia loci, censet. &c.

Condere, apud Papinium Statium *Thebaid. lib. 10.*

> *Imo ait Amphion, regem si tanta cupido*
> *Condere qua timidis belli mens, adi, Pelasgis*
> *Quid fratri exsanguisque parens?*

omnem sepulchralem honorem notat, uti apud Ausonium sæpius *Parental.* Idem Papinius *eod. libr.*

> —*Cadmum atque Amphiona supra*
> *Conditur.*

Hinc *Conditus*, apud eundem *Thebrais, lib. 8. versu 6. de Amphia.*

> — — *neque enim ignibus artus*
> *Conditus, aut mæstâ niger advenabat ab urna.*

Compositus est, uti Horatius habet,

> *Omnes compositi felices! nunc ego resto.*

Seu solenni ritu sepultus, de quo suprà ubi de *Cadaverum Cura*.

Viri illustres.

Condianus & Maximus Quintilii, par Fratrum nobilissimorum & magnæ dum viverent, optimæque famæ, Commodi jussu interfecti, sicque *domus Quintiliorum omnis*, verba sunt Lampridii, *extincta est, quòd Sextus Condiani filius specie mortis ad defectionem diceretur evasisse.* Ubi à Lampridio Dio Historiam hanc fusè narrans dissentit, *Condianumque* hunc *Sextum* Maximi filium fuisse scribit &c. Sed & Fasti *Condianum* nominant, quem Onuphrius Consulem facit cum Præsente II. anno, quo excessit Marcus: unde corrigendus Dio, qui Κονδιανόν habet, & Lampridius, apud quem *Codicianus* vulgò legitur. Fuere autem *Condianus* & Maximus Coss. triginta circiter, priusquam occiderentur, annis, anno viz. Pii decimo quarto: habuitque *Condianus* cognomen *Sexti*, unde è fratre nepos Lampridio memoratus sine dubio idem cognomen nactus est. Opes eorundem magnas fuisse docet historia, quam narrat Dio, de illo plano, qui Pertinace imperante in *Sexti Condiani* nomen invasit fortunis inhians, quæ illius fuerant. Sed de his plura infrà, ubi de *Quintiliorum domo*. Addam saltem, *Condiani* præfati, qui cum Præsente secundùm Consul fuit anno, quo Marcus obiit & Commodus à Germanico exercitu Romam rediit, postea memoriam damnatam, ipsum hostem appellatum condemnatumque, & nomen ejus ex Actis erasum esse, ut idem Lampridius narrat in *seqq.*

Condictus, nomen Canticorum. Scribit enim Henr. à Gandavo, Monachum S. Quintini in Insula, edidisse Antiphonas & Responsoria, pro festo S. Elisabethæ Turingicæ, iisque Hymnos adjecisse Petrum Canonicum S. Auberti Camerac. & composuisse etiam *Cantica quæ vulgò* Condictus *vocant*, apud Car. du Fresne *Addend. ad Glossarium.*

Condimentum, V. infrà *Hedysma*.

Condita Militaria, apud Æl. Spartianum *in Hadriano Cæs. Laborabat præterea, ut condita militaria diligenter agnosceret* &c. sunt quæ Græcis [illegible], annonæ viz. in horreis reconditæ, ad militarem usum, dicuntur, de quibus, præter Symmachum, Capitolinum, Gregorium M. Ammianum, Arnobium, alios, apud

quos

quos frequens eorum mentio, V. *titulum Cod. Theod. de Condictis in publicis horreis* & *Epist.* 16. inter Francicas *Histor. Franc. Tom. I.* Annonariæ nempe illæ species, militibus eroganda, asservabantur in limitaneis civitatibus, & prout magnæ aut parvæ illæ urbes essent, plurium aut paucorum mensium habebant *condita*. Eligebantur autem huic fini limitaneæ potissimum urbes, quòd longè major pars militum in limitibus constituta esset, quibus annona eroganda promebatur, ex horreis publicis, quæ ibi erant. Unde tam frequens mentio in *Cod. Theod. primipilariorum ad pascendos milites ad limitem solenniter destinatorum.* Ex limitibus verò, vel limitaneis urbibus ad castra deferebantur species annonariæ, per viciniores limitis provinciales, militesque in limitaneis castris constituti, duas alimoniarum partes ibidem de *conditis* sumebant, tertiam ipsi vehere cogebantur. *l. Juliani Cod. Th. de erogat. milit. ann.* Erantque illæ, præter frumentum, vinum, acetum, lardum, hordeum, fœnum, paleæ, quæ *conditorum* appellatione potissimùm venisse, docet Capitolinus in *Gordiano Jun.* Cùm itaque per provincias iter faciebat Imperator, totius militaris annonæ ratio coràm illi exponebatur, atque etiam δείγματα oculis eius subjiciebantur: quæ posterior ætas appellavit *probas*: & hoc est, quod de Hadriano refert Spartianus: ad quem V. Salmasium ac Casaubonum, & infrà, ubi de voce *Horrea*: Hinc, apud recentiores *Condita* dicitur locus certus, territorium, villa, fortè quòd ibi militaris annona olim recondi solita fuerit, du Fresne *Glossar.* &c.

Conditor pro Auctore. *Conditor gentis*, apud Statium *Thebaid. lib.* 4. *versu* 712.

—— —— *tu gentis* conditor *Evan.*

Conditor Urbis, in titulis Romanorum, quo appellari summæ laudi ducebatur. Plut. *in Camillo lib.* 4. Barthius *ad Claud. Manl.* Alii. Non enim solùm Auctor, sed & Instaurator Servatorq; imò talis aliquando potiùs, sic dictus est. Papinius Statius *Thebaid. lib.* 12. *v.* 782. de Menœceo,

—— —— *fulsit agmine longo*
Collaudiner Juvenum, lætisq; favoribus omni
Conditur vulgò, Cadmum atq; Amphiona supra
Conditor — hi fortis fuis veris honore solutis
Accumulant artus ——

Ubi Schol. *Instaurator, Servator. Qui servandò urbem condidit.* Neque aliter Lutatius. Sic omnino de Roma Manlius prætatus, à Camillo servatâ, qui & *alter* eius *Conditor* laudabatur, *lib.* 1.

—— —— *Romamq; Camillus*
Servando posuit, Brutusq; à Rege receptæ
Conditor, *& Pyrrhi per bella Papyrius ultor.*

Pariter *servando* Syracusas condidisse Marcellum, canit Silius Italicus *lib.* 14.

—— —— —— *æmulus ipse*
Ingenii Superûm, servando condidit urbem.
Ergo extat festis, stabitq; immane tropæum.

Et de Timoleonte Corn. Nepos. *Civitatibus leges libertatemque reddidit, & maximo bello tantum otii totius concilia vit, ut hic* Conditor Urbi *earum, non illi, qui initio deduxerant, videretur.* Hinc Eunuchum Eutropium *Tertium Constantinopolis Conditorem* proclamatum, docet Claudianus *lib.* 2. *in Eutr.*

—— *Quis tertius Urbis*
Conditor: *hoc Byzas Constantinusq; videbant?*

Ad quem V. Barthium, nec non eundem *Animadversion. ad Statium Lib. III. pag.* 1253. ut & infra, in voce *Sator.* Sed & *Conditor*, ἀναπλάστης, in vet. *Glossar.* habuit enim & Circus suos aliptas, quos *Conditores factionum* Latini vocant. A' *condendo*: quo modo de Gallieno Trebellius ait, *Gallienus cum suis semper flavo crinem condiit*, pro eo, quòd paulo antè dixerat, *Crinibus suis auri scobem aspersit.* V. Salmasium *Not. ad Treb. Pollionem in Gallienis* & Vopiscum *in Saturnino.*

Conditorium, apud Suetonium *Augusto. cap.* 18. *Per idem tempus conditorium & corpus Magni Alexandri, cum prolatum* (Alexandriæ) *è penetrali subjecisset oculis* (Augustus) *corona aurea imposita & floribus aspersis veneratus est*: quibusdam est, quam Strabo *lib. ult.* πύελον vocat, arca viz. olim ex auro, postea è vitro, in qua servatum Alexandri corpus. Casaubono potiùs, quem περίβολον Strabo idem appellat, locus sc. urbe mediâ sepulturæ Regum destinatus, quem Σῆμα vocatum esse, ex eodem discas, ut & Didymo *in prov.* Ἔνεστι ὁ σῆμα. Quo sensu Petronius, *Jacuerunt*, ait, *erga unà præclusis conditorii foribus.* Certè media urbe Alexandriæ fuisse *conditorium* Alexandri, etiam ex hodierna specie illius semirutæ urbis potest constare, si fides adhibenda Leoni Africano, qui illud magno concursu peregrinorum Mahumedanorum & frequentibus eleemosynis hodieque celebrari, refert *lib.* 8.

Conditum, apud Lampridium *in Heliogab. Condito piscinas & solia temperavit*, vini seu potionis genus est, aromatibus & aliis odoriferis fragrantibusque rebus variis concinnatum, du Fresne. Casaubono vox hæc modò latiùs patet, & rosatum, absinthiatum, ac quod propriè *conditum* dicebatur, comprehendit, aliquando angustiùs, ut peculiarem speciem denotet. Et quidem *Conditum* hoc modo acceptum idem, aut penè idem, ac mulsum est. Cœl. Aurelianus *Tardar. Passion. lib.* 5. *cap.* 1. *Diocles probat conditum bibendum, quod plerique Latini mulsum vocant.* Differunt tamen, si rem spectes diligentiùs, tria hæc, *Conditum, melitites, vinum & ænomeli* sive *mulsum.* Sed veri Latini appellationem *Conditi* cum re ignorarunt: ac videntur Medici, qui Romæ faciebant Medicinam, id nomen excogitasse, ut quorum in libris Κονδῖτα frequens mentio; cujus multiplex compositio, ad diversas morborum species, exhibetur inprimis *lib.* 3. Aëtii & *in sect.* 29. Nic. Myrepsi. Vulgò autem Latinis & Græcis conditæ potionis appellatio, est *conditum.* Notum Epigramma Palladæ, cujus initium, Κονδῖτον μοι δός. Etiam apud Hebræos, qui ἐν τῇ διασπορᾷ scripserunt inter Græcos & Romanos, קונדיטון *Conditum*, delicatissimæ potionis species est. Citat enim Nathan Justus, ex antiquo Paraphraste, *verba Legis similia sunt condito*: sicque interpretatur, *Quid est conditum? quod fit ex melle, vino & pipere.* Rectè: nam & in 8. Γεωπονικῶν conficitur simillimè ex pipere, melle Attico & vetere vino atque albo. V. Casaubonum *Not. ad Lampridium.*

Conditura Veneta, apud Lampridium in *Eod. Pisces semper quasi in marina aqua, cum colore suo coctos, conditura veneta comedit.* Quibus verbis singulare quoddam artificium denotatur Coquorum, qui Alagabalo ministrabant: pisces enim ita parasse, ut non alio colore mensis inferrentur, quàm quo essent vivi, cùm in aquis maris versarentur. Atque hanc vocat Lampridius *Conditura Venetam*, sic dictam à colore veneto, qui idem est vel affinis, admodum colori maris sive τῷ θαλασσοειδεῖ, Casaubonus *ad l.* De *Conditura* herbarum & fructuum, V. infrà in voce *Hedysma.*

Condomum, adde: *Condomium* aliàs, ad Balisam fluv. *Baïse*, Gallis *Condom* dicitur, poniturque in Vasconia, in *Not.* Episcopatuum Galliæ, scriptâ paulo post A. C. 1322. Situm enim est in parte pagi Aginnensis trans Garumnam, quo flumine Vasconia ab Aquitania secunda provincia Burdigalensi dividitur. Tractus vicinus, *le Condomois* appellatur. Hadr. Valesius in voce *Malliacū.*

Conductores, apud Gauterium *de Bellis Antiochenis*, qui *conductum* præstant, i. salvum incolumemque aliquem ad locum destinatum deducunt Διασῶσται & Ἀσφαλισταί Constantino Porphyrogen. *de Administrat. Imp cap.* 7. Luithprando in *Legat.* & Pachymeri *lib* 10. *cap.* 6. Unde Gallorum phrasis, *Conducere aliquem*, h. e. abeuntem deducere & comitari &c. apud du Fresne *Glossar.* Quod *jus præstandi salvum conductum* in Imperio Rom. pars non minima Potestatis Communicatæ Statibus Imperii, ut potestatem nem. faciant tutò eundi & redeundi, per vias publicas in territoriis, sive sint banniti, sive per ditiones peregrinentur. Hinc qui *Conductu* hoc munitos offenderint, crimen læsæ Majestatis incidunt. Sed & si, qui salvum dedit conductum, ipse offenderit, vel offendi, cùm prohibere posset, permiserit, datæ fidei violatæ reus & communi omnium odio dignus habetur. Quod accidisse Joanni Husso in Concilio Constantiensi, ex Historia eius notum. V. Limnæum *de Jure Publ.*

Condus Promus Procurator peni, memoratus Plauto *Pseudolo*, citante Fulgentio; quem imitatus est dubio procul Paul. Diaconus in *Distichis*,

Cur Prome Conde times stillam præbere Lecyth?
Dolia certè fluunt, cur Prome Conde *times &c.*

V. Laur. Pignorium *Comm. de Servis*, & infrà in vocibus *Penus* & *Promus.*

Condylus, apud Martialem *lib.* 5. *Epigramm.* 78.

Sed, quod non grave sit, nec inficetum,
Parvi tibia Condyli *sonabit:*

Græcè Κόνδυλος, pars est digiti eminens, in commissurâ pugni, quamvis alii nomen proprium Tibicinis hic vocem esse volunt. Nempe quidquid in nodum protuberat, κόνδυλον Græci vocant, unde partes digitorum, quæ in juncturis, velut nodi, eminent, Κόνδυλοι. Sic & nodi crinium implexi ac calamistris intorti, κόνδυλοι τριχῶν vocantur Hesychio: Πλόκαμοι κόνδυλοι τριχῶν πεπλεγμένοι. Quo sensu nodos videtur dixisse de crinibus Germanorum, Martialis *lib.* 5 *Epigramm.* 37. de Erotio puella.

Quæ crine vicit Bætici gregis vellus,
Rheniq; nodos aureamq; nitelam.

Solebant enim Germani crines suos obliquare & in nodum cogere. Idem *de Spectac. Epigramm.* 3.

Crinibus in nodum tortis venere Sicambri.

Qua de re dicemus infrà, in voce *Nodus.* A' *Condylis* digitorum, κονδυλίζειν est, *talatro* seu *talitro* percutere: quo gestu manum suam in tumulo sculpi voluisse, legitur Sardanapalus &c. V. Salmasium *ad Solinum pag.* 761.

Cone & Keye, seu, ut in Bractoni *MSS. Codd.* legi annotat Covvellus, *Kaye & Key*, ad verbum significat operculum & clavem: metonymicè autem res illas, quæ sub operculo aut clave, à prudentioribus matribus-familias custodiri solent. Apud eundem Bractonum *lib.* 2 *cap.* 37. §. 1. fœmina, in Sockmannis, dicitur esse plenæ ætatis, *cum possit & sciat domui suæ disponere — ut sciat quæ pertinent ad Cone & Keye* &c. Idem § 3. *Quia in tali ætate potest disponere domui suæ & Cone & Keye*, du Fresne *Glossar.*

Confalonis Societa, à Clemente IV. Pontif. Rom. instituta A. C. 1267. nomen habuit à vexillo, Ital. *Confalone*, in quo Ma-

riæ Virginis imago depicta erat, cujus sub umbra sodalitas degeret. Unde in fundationis Bulla Confraternitas *Commendatorum Virgini* appellatur: Ejus institutum erat, Christianos apud infideles captivos redimere. Quod exemplum postea alii insecuti, varias confraternitates alias, sub variorum Sanctorum auspiciis, instituere, Dominic. Macer in *Hierolexico*, V. *Confalo*: in *Origin. Moventis Monast. pag.* 19. *Confano*, ubi inter res Ecclesiasticas confanones recensentur. Aliis *Gonfano*, quod vide.

Confarreatio: modus connubiorum, apud Romanos, de quo sic Servius *ad Virgilii Georgic. lib.* 1. *Tribus modis apud veteres nuptiæ fiebant: Usu, si verbi gratia, mulier anno uno cum viro, licèt sine legibus, fuisset: Farre, cùm per Pontificem Max. & Dialem Flaminem, per fruges & molam salsam conjungebantur, unde Confarreatio appellabatur; ex quibus nuptiis, patrimi & matrimi nascebantur, Coemptione vero atque in manum conventione, cùm illa in filiæ locum, maritus in patris veniebat* (Dionysius Halic. *lib.* 2. illud de *Confarreatione* tetrior) *nisi quis prius, titulis defunctus, locum hæreditatis justum alteri fuerit.* Idem Dionysius sacras nuptias *Farraceas* esse dicta scribit, quod eodem *farre* conjuges vescerentur, quo etiam victimas respergerent. Ulpianus *tit.* 10. *Institut. Farre* in. quit, *convenitur in manum certis verbis & testibus decem præsentibus & solenni sacrificio facto, in quo panis quoque farreus adhibetur.* Plinius *lib.* 18. *cap.* 2. *In sacris nihil religiosius Confarreationis vinculo erat, novæque nuptæ farreum præferebant.* Nempe, uti benedictio eum sacrarum formulæ etiam Paganis in usu obiter fuisse videntur, ex Plauti *Aulul.* sic & sacra Nuptiis habuere propria, quod inprimis perspicitur ex tertio hoc Nuptiarū apud Romanos genere, quod ex ipsis Sacris constabat. Ulpian *in Fragm. tit. de his qui in manu sunt, Farre convenitur in manum certis verbis, & testibus decem præsentibus* &c. Ubi de 10. testibus in matrimonio loquitur, ut de ævo suo Ambrosius *ad Virgin. lapsas cap.* 5. Quamvis in consuetudine in tunc prorsus *Confarreatio* abiisse videatur, V. infrà. Accessit autem aqua etiam & ignis atque sacrificio huic Nuptiali, seu ipsis per se Nuptiis tacitis, præerant Pontifex Max. & Flamen Dialis, uti vidimus; cujus & Flaminicæ nuptiæ eodem ritu ut fierent necesse erat, Servius *Æneid. lib.* 4. Nec nisi è parentibus confarreatis nati, Flamines rite fiebant. Romulone a. an Numæ *Confarreationis* initia tribuenda, dubitant viri docti, qui interim Coemtione vetustiorem volunt & *Sacrorum* item simpliciter nomine à Tullio dictam, *pro Mur.* In desuetudinem postmodum abiit, Tiberii ævo: aut saltem rarissima fuit; ut præter l. cit. Tacitus *Annal.* quoque *lib* 4. docet. A' quo tempore Coëmtione & Usu annuo, tum apud Romanos, tum apud Paganos Rom. Imperii, plerunque acquisitæ uxores: ita tamen, ut Coemtioni solenniis adhiberentur in posterum etiam Sacra, quæ ex auspiciis, auguriis, immolationibus, oblationibus, constabant. Quanquam autem Sacra, quæ fuere in *Confarreatione* paganica, utpote Christianismo planè adversaria, sub ejusdem initia etiam apud Paganos ipsos evanuere; nihilominus farris ipsius usus aliquis solennis in libis conficiendis, diffringendis, communicandis, locis saltem in nonnullis semper obtinuit. Sic frequentissimus apud Anglos est ab antiquo liborum admodum grandium in Nuptiis usus, quæ *Bride — cakes*, id est, *Liba Sponsalitia seu Nuptialia*, appellitant, eaque tum à Sponsis ipsis confecta, tum à propinquis amicisque solenniter muneri nuptiali data. Atque *in agro nostro Alexandrino*, inquit Lancillotus Gallus, *perseverant adhuc quædam antiquarum observationum vestigia, velut in vico Villæ fori Nuptiæ per* Confarreationem, *dum libo intervenientes & affines atque cognatis partito fiunt*, *in Consuetud. Alex.* Quin & in Græcorum Ritibus, compotatio est in Ecclesia nuptialis, quæ *Confarreationis* vicem præstare videtur &c. V. Joh. Seldenum *Uxor. Ebraic. lib.* 6. *capp* 21 & 26. Hinc *Diffarreatio* apud Festum, dissolutio matrimonii dicitur confarreatione contracti. Plura apud Joh. Rosinum *Antiqq. Rom. lib.* 5. *cap.* 37. Anton. Thysium *in A. Gellium lib.* 6. *cap.* 2. Thom. Godvvynum *Antholog. Rom. lib.* 2. *sect.* 2. *cap.* 20. Alios.

Confecta Bruma, V. suprà *Bruma Confecta*.

Confectores, *οἱ παραβόλοι*, qui ad bestias pugnabant & illis conficiendis operam suam locabant. Sueton. *in Augusto cap.* 45. *Confectores ferarum.* Quos proin hinc *παραβόλους*, i. *desperatos*, appellabant: voce ad Christianos postea extensâ quòd sibi non parcerent, atque animam libenter pro Deo suo ponerent, Lactantius de *Justitiâ lib.* 5. Sed & *Confectores*, tinctores dicti atque infectores. Dicebantur enim *confici* coria Latinis, quæ subiguntur. Nam & dum subiguntur, domari quoque solent & subigi, ut meliùs colorem recipiant & imbibant, quod munus est τῶν βυρσοδεψῶν qui Coriarii Latinis dicti. Certè, quod βάψιν Theophrastus, Plinius *conficere* vocat, *lib.* 13. *cap.* 6. *Etiam illius Syriæ mas fert sterilis, femina, folio ulmi paulo longiore & piloso, foliorum semper maxime contrariis pediculis, gracili brevique ramo. pelles candidæ* conficiuntur *iis.* Ubi de *Rhu* loquitur, quam perperam Rhu pictores in *Thus* mutarunt. Hinc itaque *Confectores*, pro tinctoribus, ut dicitur & à Textoribus, apud Vopiscum *in Aureliano*, *Misi diligentissimis confectoribus* & apud vet. Juvenalis Interpretem, *Toga palmata Tyria purpura confecta, id est, Serrana*: quod à *Sarra* traductum. *Βυρσοδέψαι* inquoque id dicitur: eo quòd pleraque eorum, quibus conficiuntur pelles, aut lanæ inficiuntur, τῶν στυπτικῶν sint; vel potiùs, quòd premendo ac subigendo color affricetur pellibus. Sunt aut. mala, folia, ... alumen, malicorium, galla & similia. V. Salmasium *ad Solinum pag.* 415.

Confernora, una è 12. speciebus auguriorum Michaël Scoto *de Physionomia cap.* 56. sic descripta: *Confernora est augurium, quando prius invenis hominem vel avem venientem vel volantem & se reponentem ante te in dextra parte tui, videnti te: & illud est tibi bonum signum super negotio*, apud du Fresne. V. infra *Venta*. At *Confernora*, eidem Scoto ibid. *augurium est, quando prius invenis vel vides hominem vel avem se reponentem in dextra parte tui, te vidente: & illud est tibi malum signum* &c.

Confessio, Græcè ἐξομολόγησις, inter Pœnitentiæ actus, quâ peccatum suum lapsi publicè *confitebantur*, memoratur Cypriano *lib.* 3. *Epist.* 14. *Agunt pœnitentiam justo tempore & sinus disciplinæ ordinem ad exomologesin veniunt, & per manus impositionem Episcopi & Cleri jus communionis accipiunt.* Ubi ordinem disciplinæ publicæ describit & *Exomologesin* vocat eam externæ pœnitentiæ partem, quæ in confessione consistit. Mox ibidem queritur, ad communionem quosdam lapsos perperam admitti, nondum pœnitentiâ actâ, nondum exomologesi factâ, nondum manu iis ab Episcopo & Clero impositâ. V. eundem *lib.* 1 *Epist.* 3. &c. Non solùm autem notoria crimina olim in Ecclesia confitebantur, sed etiam internam tanti criminis, puta abnegationis Christi, cogitationem, ad obtinendum conscientiæ levamen, *confitebantur* Sacerdotibus, & re per Sacerdotes, quando expedire videbatur, publicatâ peractaque à peccatoribus illis publicâ pœnitentiâ, palam absolvebantur & communioni restituebantur: quam idem *Exomologesin Conscientiæ* vocat *lib. de Lapsis.* Quod ipsum in aliis quoque flagitiis occultis fieri consuevisse, colligere est ex Tertulliano *de Pœnit. cap.* 10 ubi ea suadet confiteri non solùm Sacerdotibus, sed & aliis Fratribus, ut palàm absolutio in Ecclesia obtineatur. Ne autem petulantibus derisorum linguis temerè exponerentur Fratres, visum est permittere Sacerdotis judicio, an ea culpa, quam ei seorsim quispiam esset confessus, publicari deberet, ad accipiendam publicam medelam & ad cæterorum ædificationem, teste Origene *Homil.* 2. *in Psalm.* 37. Quod cum progressu temporis ulterius processisset, quin scopus fuerat eorum, qui in Occidente inprimis istiusmodi Confessionem velut necessariam primitus urgebant: Nectarius Episc. CPolitanus, Ambrosii σύγχρονος, privatam confessionem τῷ ἐπὶ τῆς μετανοίας πρεσβυτέρῳ *Sacerdoti Pœnitentiario*, seu *Confessario* (uti hodie in Eccl. Rom. dicitur) fieri solitam, (instituto maximè, post Decianam persequutionem, ut in illa lapsi faciliùs averterentur à Schismate Novatianorum, apud quos publicæ pœnitentiæ nullus erat usus) abrogavit; secutis ipsum omnibus ferè Episcopis Orientis, uti discimus ex Socrate *Histor. Eccl. lib.* 5. *cap.* 19. & Sozomeno *lib.* 7. *cap.* 16. Cui constitutioni suo adhuc tempore obsecundatum esse, testis est Nicephorus *Callisti Histor. Eccl. lib.* 11. *cap.* 28. qui annis pluspuàm 900. Nectario fuit posterior. Mansit tamen ea consuetudo Ecclesiis Occidentis, ut gravioris alicujus criminis conscii id confiterentur Presbytero Pœnitentiario, vel, ut loquitur Augustinus, Antistitibus Ecclesiæ, eoque procurante, si scandali gravitas aut Ecclesiæ utilitas id postulare videretur, ad agendam publicam pœnitentiam admissi, locum Pœnitentibus assignatum in Ecclesia occuparent ibique ritus imperatos, qui à Sozomeno *lib* 7. *cap. cit.* & Nicephoro, itidem *d. l.* describuntur, obirent, donec palàm absolverentur. Postea verò exolescente disciplinâ publicâ, interdicta prorsus est Pœnitentiario patefactio auditæ *confessionis*, *de pœn. dist.* 6. *Sacerdos.* Et cum distinguat Augustinus peccata atrociora, excommunicationem merentia, à quotidianis, illa sola Antistiti confitenda scribens, *Homil.* 50. & *Epist.* 108. Innocentius III. absque ulla distinctione, ab omnibus confessionem omnium peccatorum, cum omnibus circumstantiis fieri præcepit. Quod hodieque in Communione Rom observatur, ubi tamen inter Doctos de jure ac necessitate hujus ritus aliisque ad eum pertinentibus non planè convenit. Certè assertio Petri Exoniensis S. Theol. Prof. in Acad. Salmanticensi, *quòd Confessio de peccatis in specie fuerit ex aliquo statuto Univ. Ecclesiæ, non de jure divino*, ut hæretica condemnata est A. C. 1479. in Concilio Complutensi, cui Alfonsus Carillus Arch. Tolet. præsedit, confirmante eam sententiam Sixto IV. Quam in rem V. plura apud Joann. Forbesium *Instruct. Historico—Theologic. lib. XII. cap.* 5. ut & quæ infrà dicemus, ubi de *Confitendi ritu*, nec non in voce *Exomologesis* &c.

Confessio, præter commune hoc significatum, varia notat in Ecclesia Romana. Namq; in *Ceremoniali Episcop. lib.* 1 *cap.* 12. *Locus est, qui plerisque Ecclesiis sub majori altari esse solet, ubi SS. Martyrum corpora requiescunt*; aliàs *Martyrium*, nominant Theophani *pag.* 362 quod ad eam per gradus aliquot descensus pateret. Apud Anastasium, pro ipso *Confessionis* seu Altaris ornamento sumitur, *in S. Hilario*: *Confessionem S. Joannis Baptistæ fecit ex argento* &c. Apud Joannem Archidiac. Barensem *de Invent. S. Sabini cap.* 1. *Basilicam* vel potiùs Oratorium designat. Porro, orationem

tionem significat, quæ à voce *Confiteor* vulgò incipit, de qua Card. Bona *Rer. Liturgic. lib. 2. cap. 2. num.* 5. Item locum in æde sacra, ubi Sacerdos, priusquam ad Missam celebrandam accedat, *confessionem* seu exomologesin pronunciat, apud Beletum *de Div. Offic. cap.* 53. Cellulam quoque, in qua Presbyteri *confessiones* excipiebant, apud Hariulfum *lib. 4. cap.* 27. Insuper émolumentum, quod ex *confessionibus* Sacerdotibus obvenit, apud Gotfridum Vindocin. *lib. 3. Epist.* 40. Tandem pœnitentiam, quæ per *Confessionem* injungitur, maximè eam, quæ exigitur in Monasteriis apud Sampirum Episc. Astoricensem, in *Ordonio II. Adelfonso æra* 964. alibi. V. Car. du Fresne in *Glossar.* & Macros Fratres, in *Hierolexico.* Hinc *Confessa*, in vet. *Epitaphio*, apud Ant. Yepezium *Chron. præfato Tom. VI p.* 17. *In hoc recluso lapide requiescit famula Dei Ildonitia defuncta.* Confessa, *septimo Kalendas Septembris, æra centesima prima post millesimam*, alibique: Monialis est, quæ *Confessionem* seu *pœnitentiam* egit in Monasterio, apud du Fresne *Glossar.* In eadem Communione, *Confessiones dare*, dicebantur Monachi vel Canonici, qui ad Primam canendam in Ecclesia convenientes, completo ipso officio ante Psalmum 50. vicissim *donabant Confessiones suas*, dicentes: *Confiteor Domino, & tibi Frater, quòd peccavi in cogitatione & opere, propterea precor te, ora pro me:* illo respondente, *Misereatur tui Omnipotens Deus* &c. V. Chrodegangum Metensem *in Reg. Canonic. cap* 18. Sed & *Confessiones dare* dicebantur, qui ad exomologesin ad Presbyteros accedebant. V. du Fresne *d. l.*

Confessiones Pontificum Rom. pars quoque Canonici Juris. Cùm enim solerent Pontifices, quando ad dignitatem hanc promovebantur, fidei professionem edere, ut nos docet *cap.* 8. *Sancta octo. dist.* 16. cujus inscriptio est, *Item ex diurno libro Professio Pontificis:* etiam ex illis tandem Canones in Decretum relati sunt. Hinc ad verba modò dicta Romani Correctores notant, *Integram professionem fidei, quando quis in Pontificem Romanum promovebatur, refert Deusdedit Cardinalis in collectione Canonum, quæ servatur in Bibliotheca Vaticana*, apud Gerh. von Mastricht *Histor. Juris Eccl.* §. 405.

Confessor, apud Ambrosium *lib. 2. ad Imp. Gratianum*, Paulinum *E. l.* 28. *sub fin.* &c. qui martyrio vitam pro Christo, quem palàm *confessus* erat, finiit. Apud alios, qui Christum palàm coram fidei hostibus *confessus*, cruciatus quidem tormentaque varia sustinuit, sed iis superstes tranquillam obiit mortem, Cyprian. *de Simpl. Prælat. Serm. de Lapsis*, &c. Unde Episcopis, qui Nicænæ Synodo interfuere, Alexander Mon. Ὧν οἱ πλεῖστοι ὁμολογηταὶ ... *Quorum plerique* Confessores *erant*, *& stigmata Jesu in corpore suo circumferebant.* Obtinuit postmodum usus, ut hoc elogio insignirentur, quotquot sanctam suam laudabili exitu terminassent. Egbertus Archiepisc. Eborac *in Excerptis cap.* 28. Hodie in Communione Rom. *Confessores* dicuntur Monachi, qui pro expiandis delictis *confessionem* seu pœnitentiam, abdicatâ vitâ seculari Monasticam ineunt. Item Cantores & Psalmistæ, qui sunt in inferiori Clericorum gradu, in *Orat. Feriæ 6 maj. Hebdom. Acolythis, Exorcistis, Lectoribus, Ostiariis, Confessoribus* &c. quibus id nominis datum hinc ait Menardus, quod *confiteri* passim in S. Scriptura est, laudes Dei decantare, &c. A' *Confessoribus* secundo loco recensitis *Confessoriæ* literæ dicebantur, quas illi lapsis dabant, ut pacem ab Episcopis acciperent, jusque communionis recuperarent, relaxatâ sc. iis pœnitentiâ præscriptâ. Quâ Confessorum benignitate cum lapsi abuti inciperent, statuit Eliberitanum Concilium *can.* 25. ut pro *Confessoriis* darentur *Communicatoriæ*, de quibus suprà: plura verò in hanc rem V. apud Car. du Fresne & Macros Fratres. Duo autem *Confessorum* hujusmodi genera habebantur olim, uti docet Auctor *libri de duplici Martyrio*: Alii namque tormenta patiebantur; alii etiamsi torti non essent, in minis tamen mortis confessi sunt Dominum Jesum, parati etiam subire tormenta & mori potiùs, quàm Christum negare. Reliqui verò Christiani, qui in persecutione fidem servarunt, *Stantes* communi vocabulo dicebantur, at qui aliquo modo negaverant, *Lapsorum* nomine notati sunt. Aliquando tamen & ad Stantes, *Confessorum* extensa appellatio est. Sed & inter *Confessores* numerati, qui bonorum suorum jacturam, vel exilium vel contumelias, vel quamcunque aliam afflictionem, propter Christum, æquo animo toleraverant, uti videre est, apud Cyprianum *lib. 1. Epist.* 5. Plura hanc in rem V. apud Forbesium ubi suprà, *lib. XII. cap. 3. §. 1. & seqq.*

Conficere, sacra apud Romanos vett. vox. Hinc *confectum Latiar*, seu *Latinum solenne*, vel sacrificium, in Albano monte, Latiari Jovi apud Ciceronem *ad Q. Fratrem lib. 2. Epist. 4. Dies erant duo, qui post Latinas habentur religiosi: cæterùm, quò confectum erat Latiar, erat exiturus.* Ubi significat Cicero, se scripsisse hanc Epistolam prope occasum Solem illo die, vel exeunte & decedente illo die, quo Latinæ Feriæ erant *confectæ*. Sic *confecta Latinæ*, apud Lucanum *lib* 1.

—— Et ostendens confectas *flamma Latinas.*

Et *lib.* 5.

Nec non Iliacæ Numen quod præsidet Albæ,

Haud meritum Latio solennia sacra subactâ,
Vidit flammiferâ confectas *nocte Latinas*, &c.

Joh. Frid. Gronovius *Observationum lib. 4. cap.* 25. Alias verbi notiones, V. suprà in voce *Confectores*, Item *Bruma confecta.*

Confinia, in tutela Numinum quoque olim fuere: Mercurii inprimis, qui sub nomine Ἑρμαῖος, seu Ἑρμαῖον λόφον, cumuli nempe *lapidum in via positorum*, tum cultus est. Tibullus *lib.* 1. *Eleg.* 1.

Nam veneror, seu stipes habet, desertus in agris,
Seu vetus in trivio florida serta lapis.

Sed & Jupiter aliquando regiones disterminavit, uti patet ex fragm. Epigrammatis apud *Demosth. Orat. de Halon.*

—— —— —— —— ἀμφοτέρων δὲ
Αὐτὸς ἄναξ μακάρων [illegible] Κρονίδης.

Certè hominum existimatio fuit, *Confinia* seu Limites, aut Collimitia, usque eò esse in tutela Numinum, ut in iis Templa hinc inde ædificarentur. Ubi verò Templa non erant, hinc inde statuebantur columnæ, quarum utramque vocabant ὅρον, ἐν ᾧ ἐνεχάραττε τὸ χρέος καὶ ὁ χρήστης, *in qua insculptum erat debitum & fænerator*, sicut locum inter utrumque medium ac liberum, ἄσημον, i. *nullis punctis notatum*, aut nulli debito obnoxium. Sic memorat Strabo *lib.* 5. quarundam urbium Campanarũ *Confinia* discriminari duabus ædibus Fortunæ, ex utroque latere viæ Latinæ. At cùm nec Templa, nec columnæ adessent, saltem ibi χόρθοι cumulabantur, h. e. *cumuli minutorum lapidum*; quasi in hoc aggestorum, ut essent termini, determinarentque ac tuerentur, quod cuique proprium, ab alieno: qui quidem lapidum acervi vocabantur quoque ἑρμαῖοι, nempe λίθοι οἱ συμφορούμενοι εἰς τιμὴν τοῦ Ἑρμοῦ, lapides aggerati in honorem Mercurii, de quo more V. hic passim. Plura autem hanc in rem, apud C. Paschalium *Coronarum lib. 4. cap.* 5. ut & infra, ubi de *Terminis*. Cùm verò sæpe in istius modi Collimitiis prædonum licentia impunè vagaretur, prompto mox in alteram partem perfugio: mos obtinuit apud Anglos Scotosque, ut potenti alicui vicino utrique limitanei in clientelam se tradant, cujus auctoritate ac potentiâ ab istiusmodi injuriis vindicentur: vicissimque tributum ei pendant, quod, quia pro pendentium tenuitate ære vel obsoniis plerunque præstatur, *Blackmale* appellatum esse, infrà dicemus, in voce *Mallia*.

Confirmare Populum, dicitur in Ecclesia Rom. Archidiaconus, Diaconus aut Subdiaconus, dum post porrectam à Sacerdote Eucharistiam, etiam Dominici sanguinis symbolum hauriendum præbet, *Ordo* Rom. V. Rabanum *de Institut. Cleric. lib. 1. cap.* 29. & Amalarium in *Eclogis sub fin.* In eadem Eccles. *Confirmatio* unum est ex quinque Sacramentis, de quibus illis cum reliquis Christianorum controversia est. Subjungunt eam Baptismo illamque administrat Episcopus jam baptizatis, sed ætate provectioribus: quorum frontibus certis verbis ac ritibus, olei vel balsami liquorem allinit, unctosque leviter alapâ cædit, in Christianæ militiæ rudimentum. Ejus originem vetustiores ex Scholasticis Concilio Meldensi adscribunt: alii autem Christo illud a Christo ipso, vel saltem ab Apostolis institutum ajunt. Sed ritus hujus vix ulla vestigia ante seculum II. illudque jam præcepe Et quidem Veteres quod attinet, illorum Chrismatis ritus erat Baptismo adjunctus: quem in peculiare Sacramentum, quod multis post Baptismum annis plerumque ministratur, Ecclesia præsens commutavit. Dum nempe unctio illa paulatim a Baptismo separari cœpit, cùm vel ab hæresi venientes, non novo Baptismo, sed unctione, vel manuum impositione, in Ecclesiæ communionem reciperentur, vel qui urgente necessitate à Laicis vel aliqui à Diacono aut Presbytero baptizati erant, postea ab Episcopo vel ungerentur vel manu simpliciter impositâ confirmarentur &c. Franc. Burmannus *Synops. Theol. Christ. Part. I. lib. 7. cap.* 10.

Confirmatores Testes, in Aragonia, recentiori ævo dici cœperunt Optimates, quos *Ricos homines* & *Seniores* prisca ætas vocavit: Magistratus item & Sacrorum Præsules: cum nomina sua instrumentis, ab altero testium genere, qui *Visores* & *Auditores* appellabantur, jam roboratis, ad temporis notationem inducendam, subscribebant. Quod cùm primùm in solennibus tantum Regum aut Principum privilegiis adhiberi consuevisset, postea paulatim ad privatorum quoque negotiorum contractus defluxit, Hier. Blanca *Rerum Aragonic. Commentar. in Præf.* apud du Fresne *Glossar.*

Confitendi Presbytero Pœnitentiario consuetudo, orta juxta Sozomenum & Socratem tempore Decianæ persequutionis, circa A. C. 253. concitatæ. Tum enim Episcopi νόμον τὸν προσθήκην, i. *hoc additamentum*, veteri Canoni adjiciendum pro tempore censuerunt, ut ait Socrates, quò lapsos in ea persequutione facilius averterent a Schismate Novatianorum, apud quos publicæ pœnitentiæ nullus fuit usus. Finis erat, ut *confitentes* ad publicam hoc modo, si opus esset, pœnitentiam adducerentur & disciplinæ hujus exemplo alii similia admittere vererentur. Sed occasione mulieris a Diacono pollutæ, & publici inde orti opprobrii, abolita illa est, a Nectario Episc. CPolitano,

quem

quem ferme omnes Orientis Episcopi sequuti sunt. Mansit tamen, apud Occidentales, salva fidei & charitatis compage, is [illegible], ut pars oris alicujus criminis sibi conscii, id confiteretur Presbytero Pœnitentiario, vel (ut loquitur Augustinus) [illegible] Ecclesiæ, [illegible] supra ubi de *Confessione*: donec ab Innocentio III. sancitum, ut non solum Auditores omnia sua peccata confiterentur, sed & Presbyteri confessionem excipientes, ea omnia celarent, sub pœna depositionis ab officio & perpetuæ in arcto monasterio pœnitentiæ, V. Concil. Lateran. sub Innocentio præfato celebratum A. C. 1215. *can.* 21. & plura de hoc ritu Veterum, apud Sozomenum *lib.* 7. *cap.* 16. Socratem *Histor. Eccl. lib.* 5. *cap.* 19. & Nicephorum Callistum *Histor.* [illegible] *Eccles. lib.* 12. *cap.* 28. [illegible] autem in Foro Ecclesiastico, sic & in Politico, *Confessionem* [illegible] publica necessaria, quam [illegible] ut e [illegible] eliciant, vel extorqueant Iudices varia excogitata sunt, inter quæ tormentis nihil hodie frequentius. Aliu [illegible] Plinius *lib.* 24. *cap.* 17. sed Magicis præstigiis [illegible] herba [illegible] & schœmenoide, *Democritus* [illegible] *ille post Pythagoram Magorum studiosissimus*, [illegible] *herbam, quæ admiratione* [illegible] *in marmoribus Arabiæ* [illegible], *Persico latere* [illegible] *& marmaritim vocari.* [illegible] *schœmenoidem*, [illegible] *in Troadastilis* [illegible] *cujus radice in pastillos* [illegible] *per varias* [illegible]. *Eandem hippophorbada vocat* &c. V. quoque eum *lib.* 29. *cap.* 7.

Confractorium, in *Missali* Ambrosiano, dicitur Oratio post fractionem hostiæ, ut vocant, in Ecclesia Rom. recitari solita, Macer in *Hierolexico*.

Confraternitas. V. infra *Sodalitas*.

Confutius, adde: De illo sic Georg. de *Sepibus*: *vulgò Pagodes dicitur famosissimum Sinæ* [illegible] *in Philosophorum* [illegible] *princeps, qui maximè à literatis fana conantur, quæ singulis* [illegible] *frequentissimi* [illegible] *Bonzi, solitis* [illegible], *ceremoniis & sufitibus* [illegible] *& ignotis* [illegible] *characteribus* [illegible] *signatum* [illegible] *in Musæo* Kircheriano Romæ. V. Georg. de Sepibus *in Collegii Rom.* [illegible] *Musæo pag.* 7. ut & [illegible] *Oedipum Ægyptiacum*. De [illegible] *Confutii*, maximi Sinensium Philosophi, ejusque discipuli Mencii, & utriusque morali Doctrina: Opus, primo conscriptum ex priscis omnium Sinensium scriptorum monumentis, à P. Prospero Intercetta Siculo Jesuita, collaborantibus, ex eadem Societate, Ruginion [illegible] & [illegible] Herdrick Austriaco: asservatur in *Musæo* Kircheriano Romæ. Idem *in Descript.* [illegible] *p.* 6.

Congedus, Voce Græco-Latinâ [illegible], vir nec Patriarcha [illegible] ejus successi [illegible], *Gr.* [illegible] *Collelaneus* sive Contubernalis, apud Macrum. V. infra in *Syncellus*.

Conger piscis, apud Gallos & Romanos in nullo, apud [illegible] aliquo in pretio, olim vero apud Græcos Deorum [illegible] dignus [illegible] est: postquam Euphron in *Adelphis*. Nitrum quendam Chium Diis *congrum* elixasse scripsit. Quamvis enim & [illegible] sapiat, ut Coquus quidam apud Philemonem referente Athenæo, in hæc verba eru[illegible]: *Invasit me terra cupido narrare, quantam voluptatem ceperim ex egregio illo congro, quem paravi* [illegible] *nec* [illegible] *denique foribus* [illegible] *quales* [illegible] *erat, tenere omnino & molli igne totus* [illegible] & paulo post. *Quod si illi, qui* [illegible] *vescuntur piscibus* [illegible] *habere* [illegible] *Congrum, quem Neptunus ipse Diis affert, omnes jam* [illegible] *fuissent Dii, nam si vel mortuus hunc* [illegible]. Allo tamen elixus, [illegible] est. Unde Diocles interrogatus, Conger an lupus præstaret, *hic assus*, respondit, *ille elixus*. Et [illegible], Anguillam in aqua, sale & origano conditam, [illegible], eodemque modo congrum. Majores porro minutioribus præferebant, unde apud Terentium *Congrum istum maximum in aqua finito ludere paulisper, ubi ego venero exossabitur prius* [illegible]. Quod Plautus *exossare* forte dixit. Solebant enim [illegible] spinas & ossa [illegible], ut carnes expeditæ gratiores [illegible], idque fiebat binis bacillis utraque manu comprehensis, ut medius piscis astringeretur detergereturque. In [illegible] vero congri caput commendabatur, adeo ut Archedicus coquus [illegible] quinque drachmis profiteatur, apud Athenæum [illegible]. Optimos in Italia capi tantumque præcellere [illegible] quantum pinguis thynnus vilissimis [illegible], eodem [illegible] Archestratus ait gulo mire ingeniosus. [illegible] de hoc pisce, [illegible] de audacia eius in piscatores, V. apud Auctorem anonymum *Sinæ & Europæ*, *cap.* 39.

Congiarium, munus Principis, quo donabat populum. Vell. Paterculus de Tiberio Imp. *lib.* 2. *cap.* 129. *Quoties populum Congiariis honoravit?* Sicut [illegible]. Et quidem Tiberius *Congiarium* populo trecentos nummos viritim dedit: Caligula bis, trecenos [illegible] sestertios; Nero quadringentos nummos Populo divisit &c. [illegible] autem, ut & alias liberalitates, non admittebantur, nisi [illegible] in [illegible] prius deleri [illegible]. Unde appetente *Congiarii die*, plurimi patroni, servos manu mittebant, iisque tribum statim emebant, quo pacto illi ad civium hæc commoda admittebantur, ac mox ad patronos suos [illegible] deferebant. Quam fraudem notat in Pompejana divisione frumenti Dio *lib.* 49. in *Congiariis* ab Augusto [illegible] historia, Suetonius *cap.* 42. & ante ut utique [illegible] *Halic. lib.* 4. &c. V. plura apud Suetonium eundem in *Vitis* [illegible] Principum, & ad eum Isaac. Casaubonum, qui inter alia, ad *Congiarium* accipiendum [illegible] rationes [illegible] admittebantur, addit. Item quod Candidati [illegible] Tributes seu Sequestros [illegible] distribuere, [illegible] benignitatem [illegible] demonstrandam & popularem conciliandum, Joh. Rosinus *Antiq. Rom. lib.* 7. *cap.* 8. A *congio*, genere mensuræ: Inter munera enim prima fuit oleum vinumque, in quorum postea locum alia quoque, ut nummi aurum argentumque successere, [illegible] *Congiarii* jam insolita voce. Fuit autem *Congius* Romanus, mensura liquidorum, octava pars amphoræ [illegible] aquavorum habebat pollices Romanos, capiebatque [illegible] Romanos sex ac pendebat libras Romanas novem, [illegible]: decem, [illegible] vino: tredecim & [illegible], si melle impleretur. Unde Cato de *R. R. cap.* 57. *Mense quinto, sexto, septimo, & octavo* [illegible] *in mensis congios quinque*. Apud Plinium *Histor. Nat. lib.* 14. *cap.* 22. de strenuis bibonibus legere est, qui *Bicongii* & *Tricongii* dicerentur; Ut de Ciceronis filio, qui binos congios simul haurire solere[illegible], & de Novellio Torquato, qui spectante Tiberio Imp. uno impetu tres congios evacuasset, Anton. [illegible] *A. Gellii Noct. Atticar. lib.* 18. *cap.* 1. [illegible] *Congius*, [illegible] pedem Geometricum altus, *Congii* veteris exactissimam formam referens, asservatur in *Musæo* Kircheriano Romæ. Vas est antiquitate venerandum, [illegible], principatu Vespasiani & Augusti [illegible] ut testatur [illegible] vasi inarata.

IMPER. CÆSARE
VESP. VI. COS.
F. CÆS. AUG. F. IIII.
MENSURÆ EXACTÆ IN
CAPITOLIO
P. X.

V. Georg. de Sepibus *in Collegii Rom. S. J. Musæo pag.* 22. ut & de *Congiario* [illegible] apud Romanos Martiali memorato *lib.* 3. *Epigr.* 7. [illegible] in voce *Quadrans*.

Congregationes [illegible] *Ecclesiæ*, ab *Independentibus* appellantur, quas definito numero, nec eo adeo magno, uni Pastori regendas tradunt, sicque illo septo se includunt extra communicationem [illegible] Ecclesiarum [illegible]. Qui [illegible] hoc nomine se jactant, ubi crudius [illegible], omnium Ecclesiarum unionem ac ordinem rejiciunt, Concilia ac Synodos, ut Antichristi characterem, repudiant, ipsorum decretis audacter obnuntiant; in suis autem [illegible] ac Ecclesiolis, quæ paucissimis hominibus vix denis aut duodenis persæpe constant, sese continent, omnemque Ecclesiam concludunt; nec vel [illegible] universi Orbis Ecclesiarum [illegible] atque judicium, [illegible] vel admittunt, ac nullo denique modo, [illegible] sua alvearia accedi, *Anabaptistas* nempe [illegible] *Congregationales*, conturbari ferunt. Qua de re V. Burmannum *Syn. Th. Chr. Part.* [illegible] *l. VIII. c.* 8.

Congum, adde: Hujus olim singulæ provinciæ cum singulos haberent Reges, universæ tandem in unius Regis [illegible] potestatem concessere; id quod [illegible] ante A. C. 1400. factum est. Postea variis iterum deficientibus provinciis, in diversa Regna *Congensis* Imperium dissiliit, e quibus Angolæ Regnum potentissimum, de quo [illegible]. Cum [illegible] Lusitani in circumnaviganda Africa occupati, mercaturam cum *Congensibus* exercere ac familiaritatem contrahere cœpissent, hac occasione fides Christiana paulatim apud eos introducta, ita [illegible] mox auctibus crevit, ut ipse Johannes II. Portugall. R. eò navigaret, & Regem *Congi* converteret, qui A. C. 1491. baptizatus, *Joannis* nomen accepit: Secuta per totum regnum vestitus quoque [illegible] Lusitanorum imitatione. Quæ mutatio [illegible] suspecta barbaris esset, primi Anziges [illegible] *Congenses* ipsi, quorum pars longe maxima ab Alfonso R. qui Joanni successerat, [illegible] defecit. Quibus tamen superior Alfonsus factus, successores [illegible] habuit Petrum, Franciscum, Jacobum, Henricum, & Alvarum I. sub quo Agags sive Jacchæ, populus interioris Africæ ferocissimus, Regnum invaserunt, A. C. 1560. illudque ingenti cæde exhaustum occuparunt; pulso Rege Alvaro, qui in exigua Insul. *Zaire* fluminis delituit, donec à Sebastiano Lusitan. R. pulsis vicissim Jacchis, restitutus est. Ei successit Alvarus II. A. C. 1580. &c. Georg. Hornius *Orb. Imp. p.* 465. & *seqq.*

Conicum speculum convexum, quo mirifice in plana tabula secundum Artem deformatæ figuræ, in *conici* speculi superficie recollectæ, apparent. Unde variarum figurarum pro tabulæ diversitate simulacra ibi repræsentantur, Regis phænomenon equo [illegible], aut Imperatoria Majestas aut aliquid simile: in *Musæo* Kircheriano Romæ, apud Georg. de Sepibus *in Collegii Rom. Soc. Jesu Musæo pag.* 39.

Conjecta, & *Conjectum*, contributio, symbolum, collecta in-

Ttt 2 primis

primis quod Regiis olim Missis in itinere à populis exsolvebatur. *Capitular. tertium* Ludovici Pii *cap.* 10. *Volumus, ut talem* conjectum *Missi nostri accipiant, quando per Missaticum suum perrexerint: h. e. unusquisque accipiat panes* 40. *friskingas duas*. V. Car. du Fresne in *Glossario*.

Conjectorium Danielis, tit. Libri de Divinatione, cujus meminit Joann. Sarisburiensis *Policrat. lib.* 2. *cap.* 17. Ὀνείρατα seu *Visiones Danielis* vocat Luithprandus in *Legat.* V. du Fresne *Descr. CP.* de Conjectionibus verò hujus modi, infrà ubi *de Divinatione*.

Conjectus Florum & Coronarum, in benè meritos olim frequens. Qua faustitate exceptum fuisse Titum ob liberatam Senatus decreto Graeciam, memorant Polybius *Ecl. Leg.* & Appianus Alex. Παρεκ. ἐκ τῆς ἑλλ. Apud eundem Appianum, non coronas tantùm, sed & taenias, in Titum Flaminium *conjectas*, legimus: Ἐπιβάλλοντες στεφάνους καὶ ταινίας ἐξεβάλλοντο τοῦ στρατηγοῦ. Simili honore Curio, Caesari favens, superato in fuss agilis Pompejo cultus est, apud Plut. in *Vita* hujus. Κουρίων μὲν ἐν τοιαύταις λαμπάσι τινὶ χειρῶν εἰς τὴν ἀγορὰν ἐξιόντα ἀγοραίοις καὶ ἀνθεσι στεφάνων καὶ ἄλλως ἐδεξάμενον αὐτὸν &c. Idem Athletis victoribus factitatum: vocabaturque ille *Conjectus Foliorum Florumque* φυλλοβολία, unde φυλλοβολεῖν καὶ ἀνθοβολεῖν τοὺς νικῶντας ἐπὶ παρασκευῆς φύλλων, ἢ ἀνθῶν ἐπιβάλλοντας, *conjicere flores & folia in victores, è parata materia*, apud Xiphilinum *Nerone*, Idem στεφανοῦν, *coronare*, vocat Aristides. Imò ab Athletis mos ad alios translatus. Unde iterum Plut. de Pompejo, *Multi*, inquit, *& coronati sub lampadibus exceperunt & comitati sunt* ἀνθῶν ἅμα, i. *florum conjectu honestatum*: instar viz. Olympionicûn. V. quoque de Alcibiade, apud Nepotem, de Callisthene apud Plut. eundem in *Alexandro*, de M. Agrippa, apud Philonem πρὸς Γάϊ. de aliis alios. Hoc nempe florum coronarumque conjectu multitudo studia sua in eum, qui faustitate tali excipi batur, profiteri sueverat: conjectum sequente plausu, uti de Curione praefato idem Auctor memorat. Plerumque enim haec sive serta sive corollae coronaeque dona multitudinis erant, quibus & plateae & theatra & Templa quoque, ut & Numinum ac Principum statuae, domusque honestabantur. Qua de re V. plura apud Car. Paschalium *Coronarum lib.* 2. *cap.* 11. & *lib.* 6. *cap.* 12.

Conipodes, senum calceamenta, sicut & Proschemata, *Poll. lib.* 7. *cap.* 22. 32.

Conisterium, quinta Gymnasii pars, propriè Alipterium seu Elaeothesium aut Unctuarium (unam enim hae voces rem signant) Polluci Κονίστρα vocatur, à Gr. voce κόνις, *pulvis*, quòd ibi positus pulvis conservaretur, ut in Elaeothesio uncti statim eo conspergi possent. In quem usum variis ex regionibus pulveres advectos legimus, duobus inprimis palmam obtinentibus, Puteolano & Aegyptio, de quorum illo, ita alicubi Sidonius Apollinaris,

Namque Dicarchaea translatus pulvis arena.

Istum Romam hac fini advehi solitum fuisse, refert Suetonius *Nerone cap.* 5. traditque Plinius *lib.* 35. *cap.* 13. Patrobium, Neronis libertum, ex Nilo arenam tenuissimam, non multùm à Puteolano pulvere distantem, ad debellanda corpora palaestrae studiis advexisse, eandemque à Leonato, Cratero & Meleagro, Alexandri M. Ducibus cum reliquis militaribus mercibus allatam fuisse. Cui forsan haud absimilis illa erat, de qua Ovidius, Acheloi describens pugnam,

Inque vicem fulvo tactu flavescit arena.

Nam & Martialis *lib.* 7. Philaenum irridens, quòd Palestritarum exercitationes iniret, dixit ipsam *flavescere haec arenâ*, quam haphen alibi nominat: quoniam contrectationibus Exercitatorum inserviebat. Ἁφὴ namque *tactum* significare nemo ignorat. Seneca *Epist.* 58. *à Ceromate nos haphe excepit*, V. Hieron. Mercurialem *de Arte Gymnast. lib.* 1. *cap.* 8. ut & infrà ubi de *Haphe*, *Pulvere* &c.

Conjugia immodica, Barbari Status indicia, & magnorum discriminum causae. Quales Turcae nunc, olim Afri, sub Gildonis dominatu. Claudianus,

— *non ulla fides, non agminis ordo,*
Arma iners, fuga praesidio, connubia mille;

apud Barthium *Animadversion. ad Statium Thebaid. lib.* 4. *vers.* 279. V. quoque eum *ad Claudian.* & in *Characteribus*. Turcis verò praeivere Thraces, in quorum etiam locum successere. Ita autem de Thracibus Solinus, *cap.* 10. *Uxorum numero se viri jactitant & honoris loco judicatur multiplex matrimonium.* Quò faciunt elegantissimi versus Menandri, apud Strabonem: quibus aliquis oriundo Geta sic loquitur,

Γαμεῖ γὰρ ἡμῶν οὐδὲ εἷς εἰ μὴ δέκ' ἢ
Ἕνδεκα γυναῖκας, δώδεκά θ' ἢ πλείους τινές.
Ἂν τέτταρας δ' ἢ πέντε γεγαμηκὼς τύχῃ
Καταστροφῆς τις, ἀνυμέναιος, ἄθλιος,
Ἄνυμφος οὗτος ἐπικαλεῖτ' ἐν τοῖς ἐκεῖ.

Ducit enim nostrum nemo nisi decem, aut
Undecim uxores, duodecim quoque, aut plures, alii.
Si verò quis, qui quatuor solùm, aut quinque duxerat forte
Mortuus fuerit, sine hymenaeo, miser,
Conjugii expers, hic vocatur inter illos.

V. ad h. l. Salmasium *ad Solinum pag.* 158. & *de Conjugio plurali* passim, inprimis in vocibus *Connubia*, *Epithalamion*, ut & *Nuptiae*.

Conlucandi Lucos sylvasque Numini alicui consecratos ritus, qualis olim fuerit, V. suprà in voce *Coinquere*.

Connarus Alexandrina, aliàs *Lotus Libyca* vel *Cyrenaica*, apud Alexandrinos, in secundis mensis plurimùm olim commendabatur: cujus historia apud Athenaeum, Agathoclis Cyziceni verbis depingitur, ubi ille inter alia δένδρον vocat, haudque inferiorem ulmo & picea, ramosque spinulentos habere, prodit. De fructu ejus idem, Γλυκὺς δὲ πάνυ ὁ καρπὸς; inquit, μέγεθος δὲ φαυλίου ἐλαίας, *Dulcis autem admodum fructus, magnitudine majuscula olivae*. Curabatur is pari modo, ac condebatur doliis, pedibus contusus priùs & in massas redactus, ut & lothi. Quod idem de suis prunis exsiccatis faciebant Aegyptii, referente Theophrasto, ἀλλὰ τὸν ἀδελφὸν τῆς Νάβκας ξηραίνουσι τὸν καρπόν, καὶ τὰ τροφὰ ἐξαιροῦντες, κόπτουσι καὶ ποιοῦσι παλάθας, *siccatum tundunt & massas faciunt* &c. Hodie Aegyptiis fructus *Nabca* dicitur, item *Oenoplia*, ut pluribus probat Claud. Salmasius *Exercitationibus Plinianis ad Solinum pag.* 1037.

Connidas, Thesei paedagogus, ab Atheniensibus cultus pro Numine: quemadmodum ipsi Theseo fana in ea urbe complura, unum inprimis memorabile in Urbe media, in quo ossa Thesei, V. Plutarchum *Theseo*. Sic aequalis Thesei Hercules, ut & Hebe, quae uxor ei data, eosdem honores meruere. V. Gerh. Joh. Vossium *de Orig. & progressu Idololatriae lib. primo cap.* 13. *ubi de defunctorum Animabus à Graecis cultis*.

Connubia, apud Romanos, tribus modis fiebant: *Usu*, *Confarreatione*, & *Coemtione*, de qua suprà. *Usu* fieri matrimonium dicebatur, cùm Tutoribus auctoribus mulier in matrimonium conveniebat & cum viro ita consuescebat, ut cum justo marito, adeò ut si usus ille intra annum non interrumperetur, pro usucapta jam haberetur. Usum verò trinoctii absentia interrumpebat, ut patet ex lege XII. Tabb. quae annui hujus usus interrumpendi interpellandique gratiâ, trinoctio perfecto à viro uxorem abnoctare jubebat. Hanc legi imi connubii rationem antiquissimam fuisse & à raptu Sabinarum initium sumsisse, arbitratur Jac. Raevardus J. C. qui raptus quia feliciter Romulo successerat, ideo institutum ab eodem Rege fuisse ait, ut simulato quodam raptu omnis legitimi *Connubii* ritus perageretur. Unde Festus: *Rapi simulatur virgo*, inquit, *ex gremio matris, aut si matre non est, ex proxima necessitudine, cùm ad virum trahitur, quòd feliciter res Romulo cessit.* De *Confarreatione* dictum satis. *Coemtione* qui initum fuerit conjugium, docet Varro: *Veteri Romanorum usu*, inquiens, *mulieres tres ad virum asses ferre solebant, atque unum quidem, quem in manu tenebant, tanquam emendi causâ marito dare; alium, quem in pede habebant, in foco Larium familiarium ponere, tertium in sacciperio cùm condidissent, compito vicinali solebant resignare.* Verùm alii tradunt, virum uxori & uxorem viro, adhibitis testibus & libripende, unum nummum mutuò tradidisse. Boëthius *in Topicis* in coemptione à viro & muliere mutuas interrogationes fieri solitas, refert, an Mater familiâs vel Pater familiâs esse cuperet, affirmantibus matrimonium fuisse initum. Tunc enim mulier in viri manum conveniebat, & vocabantur hae nuptiae *per Coemptionem*, & erat mulier Materfamiliâs viro loco filiae, V. paulo aliter hac de re differentem Servium suprà, in voce *Confarreatio*: & plura de insigni hac materia, apud Barn. Brissonium *lib. de ritu nuptiarum*, Joh. Rosinum *Antiqq. Rom. lib.* 5. *cap.* 37. &c. ut & infrà in voce *Nuptiae*.

Conob, & *Konob*, in nummis CP. & quidem jam in ipsius Constantini M. qui urbem condidit & in ea publicam monetam instituit, quid denotet, dissentiunt Eruditi. Inter quos cùm in confesso sit, tribus literis Con. urbis nomen efferri, Cedrenus per literas *ob* verbum *obediant* notari vult; Antonius Augustinus vocem *obryzum* vel *obryzatum*, i. coctû, examinatissimum & purissimum, ut sensus sit: *Constantinopoli obryzum*, vel *Constantinopolitanum obryzum*. At cùm ipsius Constantini M. nummis duntaxat argenteis ac aereis hae literae inscriptae conspiciantur, sententia haec stare non potest; sicut nec prior illa sensum habet. Plerique igitur & tantùm non omnes Scriptores, Ortelius, Occo, Gretserus, Tristanus, Chiffletius, alii, hisce characteribus *Constantinopoli obsignatam* designari existimant, ut *COMOB. Constantinopoli moneta obsignata*. Sed & haec sententia suos patitur manes, cùm vox vix alia notione occurrat, quàm pro ἐφορκίζειν vel ὑποφορκίζειν. Adde, quòd in nummis aliquot Impp. vel Tyrannorum Occidentis eaedem literae CON. aut CONOB. appareant, in nummis nempe Honorii, Attali, Joannis, Aviti, Jovini, Petronii Maximi, Eugenii, Majorani, Romuli Nepotis, Anthemii, Severi, aliorum, quos nemo sanus CP. cusos dixerit. Quem scrupulum tamen sic tollit du Fresne, ut dicat, de Augustis quidem Rom. qui cum Constantinopolitanis, partitis ultro provinciis, Romae sedem fixerunt, illud licere augurari, amborum in utraque Urbe cusa promiscuè nomismata, in mutuae benevolentiae argumentum: de Tyrannis verò ita existimari posse, quòd cùm totius Imperii se compotes esse populis vellent persuadere, vel quòd is tum invaluisset usus, ut characteres isti pro notis Impp. monetarum praecipua haberentur, his etiam insignitam suam monetam

tam

tam, ne quid sibi viderentur, ad supremæ dignitatis symbola defuisse. Unde est, quod è Francicis quoque Regibus primæ stirpis ... CON OB. sui nummis aureis nonnulli adseri fere, quò venerationem quandam *Mundi Dominis* sic perhiberent, sicque diguarent, se iis inferiores agnoscerent: Theodebertus Austrasiæ seu Francorum R. & Childebertus I. vel potiùs, quod de Childerici II. & Chlotarii III. nummis (quippe qui cusi jam collabente Græcorum Imppp. auctoritate) dicit du Fresne quò pari modo dignitate nemini se cedere ostenderent, cùm aliàs *aurum Gallicum minore æstimatione taxaretur*, ut est in Majoriani *Nov.* V. omnino Auctorem hunc *Diss. de infer. ævi Numism.*

Conoleum, aliàs *Conaldum* & *Conatum*, vulgò *Conane*, locus Galliæ, in pago Andegavensi Hadr. Valesius, in voce *Tinurtium*.

Conopeum, reticulum minutum, h. e. velum reticulato opere confectum, dicitur Spartiano ubi de Æl. Veri lecto: *Lectum eminentibus quatuor anaclinteriis fecerat, minuto reticulo undique inclusum* &c. Ejusmodi enim erant *conopea* etiam apud Ægyptios, unde in alias gentes eorum usus manavit, hinc ἀμφίβληστρον Herodoto. Ab Alexandrinis namque Romani ea accepere: quæ causa, quòd Cleopatra ex conopeo eum Poëtæ Romani interea censent, quæ peregrini erant moris. Propertius *lib.* 3. de illo,

Ausa Jovem nostro latrantem opponere Anubim,
Et Tiberim Nili cogere ferre minas.
Romanamque tubam crepitanti pellere sistro,
Baridos & contis rostra Liburna sequi.
Fœdaque Tarpeio conopea *tendere saxo* &c.

Et Horatius *Epodon Od.* 9.

Romanus (eheu! posteri negabitis)
Emancipatus feminæ,
Fert vallum & arma miles & spadonibus
Servire rugosis potest,
Interque signa turpe militaria
Sol aspicit conopeum, &c.

Erant autem ἀπὸ κωνώπων, *Conopes*, ad τοὺς κώνωπας seu *pulices* arcendos facta. Unde palustres Ægyptios, ob culicum vim, alios dormire in summis turribus: alios iisdem retibus, quibus interdiu piscantur, noctu cubile suum ei cumdare, & culices, qui sindones & vestes ipsas penetrant, retium metu contineri, refert Herodotus. V. Casaubonum ad Spartianum & Sam. Bochartum *Hierozoici lib. IV. cap.* 17 *Part. poster.* aliàs κώνωπας, Strabo appellat *lib.* 11. animalia in igne ærariarum fornacum nascentia, uti observat Salmasius ad *Solinum pag.* 177.

Conquiniscentia sami unque ingenua confessuri, elegans de cripio apud Statium est *Thebaid. lib.* 6. *versu* 850. ubi de lucta decorum,

Tum madidos artus alterno pulvere siccant,
Collaque demersere humeris, & brachia latè
Vara tenent, jam tunc astu deducit in æquum
Callidus, & celsum procurvat Agyllea Tydeus
Summissus tergo, & genibus vicinus arenæ.
Ille autem, Alpini veluti regina cupressus
Verticis, urgentes cervicem inclinat in Austros,
Vix sese radice tenens terraque propinquas &c.

De cujusmodi Artis Certaminisque ingenio, diximus aliquid suprà in voce *Cadere*: Plura verò infrà, ubi de *Lucta*, *Palæstra* &c.

Principes Viri.

Conradus, Archiepiscopus Salisburgensis, fil. Leopoldi II. cognom. *Sancti*, frater Leopoldi III. (qui primus, ex veterum Austriæ Marchionum stirpe, Dux Austriæ dictus est) Henrici cognom. *Jachsamer Gott*, ac Ottonis Episcopi Frisingensis.

Conradus, fil. Thiemonis, Marchionis Misniæ ab Henrico IV. Imp. designati, sed à Bohemis administratione prohibiti, Misniæ Marchio confirmatus est, à Lothario Imp. A. C. 1126. & Lusatiæ A. C. 1136. post Wiperti cognati mortem. Pater ex filiis Henrico Wethinensium, Theodorico Lusatorum, Friderico Bernensium, Dedone tandem *Pingui* Rochlicensium. Verùm hi omnes rami intra paucas generationes defecere: Solus Otto *Dives*, Friburgæ conditor, per filium Theodoricum genus produxit, hodiernorum Saxoniæ Ducum conditor, V. infrà in voce *Otto*.

Conradus, Dux partium Rhæticarum & Jurensium, Comes Lingonum, Regum Burgundiæ conditor, filius fuit *Conradi* Comitis, cujus soror Juditha Ludovico Pio Imp. nupsit. Fratrem ei tribuunt Auctores Ethiconem, vel Henricum, à quo propagata Comitum Altorfiensium, stirpis Welfo Ducatus Bavariæ accessit. Conrado autem Com. patrem assignant Welfonem, Comitem Altorfi & Ravensburgi, unum ex 12. *catulis* seu filiis Isenbardi, quos uno partu editos Irmentrudis uxor, pro catulis exponere voluisse fertur.

Conradus, fil. minor natu Bertholdi II. Zeringiæ Ducis, fratri Bertholdo III. in Ducatu successit A. C. 1122 Burgundiæ quoque nomine Cæsareo rector, inde ab aliquibus Rex Arelatis dicitur: & quidem hujus invalorem Reinaldum compescuit ac cepit; Sed cùm postea *Conrado* III. Imp. esset rebellis, vi ab illo ad obsequium, captis Zeringâ & Teccio, redactus est. Obiit A. C. 1152. Pater ex Clementia fil. Godofredi Com. Lucelburg. & Namurcensis, Rudolfi Episc. Leodiensis & electi ad Arch. Moguntinum (in quo tamen obtinendo prævaluit *Conradus* Com. Palatinus) Bertholdi IV. Zeringiæ, & Adelberti Teccensis lineæ, Auctorum.

Conradus I. ex posteritate Adelberti præfati, fil. Lucelmanni fuit, frater Hermanni IV. Simonis & Ludovici II. Comes seu Dux Teccensis.

Conradus II. prioris ex fratre Hermanno nepos, ductâ Agnete Hohenbergiâ, stemma produxit: Illo ornatus Epitaphio, *Anno Christi* 1292. *obiit, Venerabilis Dominus Conradus de Teck electus in Regem Romanorum.* Eo geniti sunt Simon II. & Ludovicus IV. Ludovico Imp. pergratus: Quo nati Eberhardus, Simon III. Ludovicus V. Ulricus. I. &

Conradus III. cui ex Agatha Hohenbergia geniti sunt Simon V. &

Conradus IV. quem in ædibus suis Monachii occidit, ob privatas simultates, Suicardus Dominus Gundelfingæ, A. C. 1352. Hujus filii fuere Fridericus VI.

Conradus V. Lucelmannus III. Ludovicus VII. Ulricus III. & his clarior Fridericus VII. bellis exercitatus, apud Carolum IV. Imp. gratiâ florens.

Conradus VI. filius Friderici VII. modò memorati, cum Ulrico Wirtenbergico depulit Burgoviâ Bavaros, A. C. 1371. Pater ex Hedulge Atestina Friderici IX ultimi Teccensium Ducis cujus A C. 1439. defuncti filia Beatrix seu Judita, nupta Eberhardo Com. Wirtenbergico, Ducatum in ejus familiam intulit.

Conradus, filius tertius Johannis El. Brandenburgici, ex familia Ascania, defuncti A. C. 1268 fratribus Johanni II. & Ottoni in Electoratu successit, vixitque usque ad annum Christi 1304. Ei quatuor ordine uxores & plures filii: inter quos Johannes III. patris fata citò secutus, *Conradus* Mag. Ordinis Teutonici eadem præcessit, Woldemarus etiam El. Otto Templarius, Hermannus Episcopus Havelbergensis, solus Henricus *sine Terra* dictus, filios genuit.

Conradus, fil. minor natu Casimiri II. Poloniæ R. mortui A. C. 1194. frater Lesci cogn. *Albi* R. Dissedit cum Henrico *Barbato* Pr. Vratislaviensi, ob Boleslai cognom. *Pudici*, ex fratre nepotis tutelam: quâ dissensione turbatâ Rep. Tartari irruperunt ad Schydloviam, & ad Lignitium Polonos ac Silesios gravibus cladibus affecerunt, Rege in Hungariam profugo. Inde de principatu cum Boleslao Calvo contendit, sed, suis ob asperius regimen invisus, eo iterum excidit: nec tamen ad mortem usque, quâ A. C. 1247. oppressus est, Polonos vexare desiit. Idem ut adversus Borussos & Lithuanos se tueretur, Cruciferorum Ordinem, quidquid infidelibus ereptum essent illis permisso, advocavit. Obtinuerat autem à Patre Cujaviam & Mazoviam, unde filii ejus Casimirus rami Lenciciensis auctor cum Lencicia Cujaviam tenuit: Ziemovitus autem Mazovium orsus est. Tertium Micislaum, ob exactiones, à gliribus devoratum, divinitus immissâ ultione, tradunt.

Conradus D. Mazovius, filius Ziemovici prædicti, regnum Poloniæ, adversùs Boleslaum Calvum & postea Lescum Nigrum, sibi vindicare conatus, spe suâ excidit: Frater Boleslai D. Plocensis, è cujus posteris

Conradus, frater Janussii, regnum adversùs Joh. Albertum affectantis, genuit Johannem ac Stanislaum, quibus sine prole extinctis A. C. 1526. simul in Polonia omnis Piasteus sanguis defecit, Regi successione relictâ.

Conradus, cognom. *Lasonogus* seu *Loripes*, unus ex filiis Vladislai Poloniæ R. à fratribus pulsi ac in Silesiam profugi, tenuit Glogoviam, sed valetudinarius fuit, & in ipso vel Miescone fil. terminata est linea. Fratres verò ejus Boleslaus inferiori & Micislaus superiori Silesiæ Duces dedere.

Conradus, fil. Henrici cognom. *Barbati*, Silesiæ Inf. Ducis, Boleslao præfato geniti, Saganensem Principatum tenuit, adversus fratres bellum movit, tandem equo præceps occubuit. Frater ejus Henricus cognom. *Pius* fuit, celebri illo prælio prope Lignicium à Tartaris cæsus A. C. 1241. quo inter alios, ex Anna Bohema, genitus est

Conradus, qui Glogoviensem Principatum accepit, cùm majores natu Henricus Vratislaviensem & Boleslaus Lignicensem nacti essent. Hic initio sacris & Episcopatui Bambergensi destinatus, postea auxilio Præmislai Posnaniensis, cujus sororem duxerat, atque Episcopi Vratislaviensis interpositione, Glogaviam, Crosnam, Saganum & Frauenstadium obtinuit. Utrumque fratrem cepit, Boleslaum etiam secundâ vice, sed accepto lytro dimisit. Cum nepote Henrico Lignicio, ob alterius Henrici Vratislaviensis hæreditatem, non multo successu bellum gessit, eum verò postea ab aulico sibi captivum adductum crudeli carcere excarnificavit, & Olsnam atque, quorum partem liberis restituit, extorsit. Interim multum sub eo Principatus crevit, quamplurimis in eo sedem figentibus Germanis: Crosnam tamen, ut dotem Brigittæ Misnicæ secundæ conjugi reddere posset, vendidit Archiepiscopo Magdeburgico. Obiit A. C. 1289. cùm ante 18. annos regimen tradidisset filiis: e quibus

Conradus Dux Steinaviæ & Javeræ cùm Archiepiscopatui Sa-

liburgio destinatus, quòd patriam cerevisiam ibi non reperiret, illum recusasset, à fratre tanquam fatuus custodiæ datus est: Sed à Steinaviensibus inde liberatus multa iis concessit privilegia, defunctus A. C. 1304. Fuere autem fratres ejus Præmislaus D. Sprottæ ac Sagani, ante Patrem mortuus & Henricus cognom. *Fidelis*.

Conradus I. fil. minor natu Henrici cognom *Fidelis* modò memorati, Olsnam & à fratre Johanne Steinaviam ac Javeram obtinuit, lineæ hinc Steinaviæ Olsnensis conditor, sicut frater ejus major natu Henricus Sagano-Glogoviam incepit. Eum Boleslaus Lignicius Patri ad[e]mpta recuperaturus, A. C. 1320. adortus tantopere vexavit ut exhau[s]to ærario etiam vestes vendere cogeretur. Unde tandem Boleslaus ex miseratione Wolaviam ei reliquit. Sed brevi pòst Princeps prodigus, pecuniá mutuò acceptâ, Olsnam & alia, quæ pignori teneret, ei restituit. Post quæ Conradus etiam A. C. 1327. cum aliis se coronæ Bohemicæ obsequio, negotiis, quæ Clericos, rusticos & Judæos concernerent, exceptis, submisit, & Johanni R. fidelissimus, ejus nomine cum Casimiro Polono pactus est, nec minùs A. C. 1345. bello Polonos strenuè persequutus. Eo genitus ex Elisabetha Vratislaviensi

Conradus II. Jagellonis, in convertendis Lithuanis suis, comes, Olsnam à prædonibus, qui ob ignaviam Wenceslai impunè grassabantur, occupatam recuperavit. Obiit A. C. 1395. relictis 4. filiis, quibus omnibus *Conradi* nomen.

Conradus III. fil maximus natu prioris, cognom. *Albus* vel *Senior*, à Polonis in Borussico bello captus est A. C. 1410. Hussitis restitit A. C. 1431. sed Namslaviam frustra obsedit. Inde A. C. 1442. Polonorum, qui Silesiam vastabant, tum A. C. 1443. prædonum partes secutus, A. C. 1444. à fratre Episcopo Vratislaviensi captus: cumq dimissus antiquos mores repeteret, ope statuum Silesiæ, cum conjuge à filio *Conrado* iterum captus & ad ejurandum Principatum adactus, tandem privatus Vratislaviæ obiit A. C. 1451. V. infrà, in voce *Conradus IV.*

Conradus IV. cognom. *Albus & Junior*, Patris *Conradi III.* & dein fratris *Conradi* cognom. *Nigri junioris*, qui *Kosel* tenuerat, successor A. C. 1465. cum hujus vidua Georgii Bohemiæ R. partes, adversùs Matthiam Hung. R. sequutus est, tandem sibi timens, Principatum Saxonibus emendum obtulit: Matthias verò, pretio repræsentato, in fidem subditos, relictâ Principi administratione, suscepit. Nihilominus *Conradus* postea à Ducibus ejus, eo colore, quòd Johanni Saganensi adstitisset, expulsus; ultimò receptam à Vladislao R. Olsnam rexit ad an. C 1492 quo morte suâ lineam clausit: Olsnensi Principatu Henrico D. Monsterbergensi ab Uladislao Rege, permutationis pro Prodiebradio jure, concesso.

Conradus, filius secundò-genitus *Conradi* II. Steinaviam & Volaviam tenuit, sed ejus linea in filio Wenceslao A. C. 1474. extincta est.

Conradus, cognom. *Niger*, filius tertiò-genitus *Conradi* II. decessit A. C. 1452.

Conradus, fil. minimus natu *Conradi* II. Episc. Vratislaviensis, prodigus, fratrem Conradum III. captivum tenuit, demum Episcopatu se abdicavit, &c.

Comites aliqui.

Conradus, fil. minor natu Ottonis Com. Oldenburgici (cui à spectro mirabile cornu, quod adhuc asservatur, oblatum narrant) à matre Comes Alvenslebiensis, genuit Theodoricum, cujus fil. Milo Comes Alvenslebius Elimaro I. de hæreditate Friderici agnati (Johannis, qui Conradi frater erat, Comitis Oldenburgici filio geniti) controversiam movit, obtinuit nihilominus Elimarus, à cujus posteris varii *Conradi* gessere nomen. Filius enim Elimari I. Elimarus II. genuit Christianum cognom. *Bellicosum*, qui Oldenburgicos continuavit & Henricum I. qui Borckulæ Comes novum ramum orsus est, in quo continuo ordine Henricus II. Thomas, *Conradus* I. Henricus, *Conradus* II. familiam propagarunt: ultimus *Conradus*, cæsus A. C. 1358. à Butjadis, filiam tantùm reliquit Margaretam Johannis Com. Diepholtani uxorem; unde hæreditas ad illam stirpem, donec ex eadem in Hojensem migraret, est delata.

Conradus, filius Johannis Comitis Oldenburgici, doctrinâ & pietate inclytus, Bremæ seditionem ortam sedavit A. C. 1366. inde aliquoties victus, à Butjadis demum cæsus est A. C. 1368. cum Gerhardo filio: Qui reliqui erant filii,

Conradus, novam lineam per filium Mauritium habuit, à quo non nisi duæ filiæ & Christianus Welsburgi habitans, antea Coloniensis Canonicus, postea stemmatis propagator. Eo enim Theodoricus cognom. *Fortunatus* genitus, linearum reliquarum bona collegit.

Conradus, Ulrici Beutelsbacensis Dom. ex filia Wernerode gener ac hæres, pridem ejusdem proximus agnatus, ab Henr. IV. Imper. Wirtembergiæ Comes creatus dicitur. Pater fuit secundum quosdam Henrici ac Ulrici Comitum Wirtenbergicorum & Dominorum Beutelspacensium: nec non Werneri Com. Grœningensis. Secundum alios Ulricum, Eberhardum & Henricum progenuit: à quibus Ulricus filium habuit Johannem propagatorem stemmatis, & Wernerum Com. Grœningensem, è cujus posteris *Conradus*, Eberhardus ac Ludovicus fratres, capti ab Eberhardo Illustri Com. Wirtenbergico, Grœningensem titulum relinquere coacti sunt.

Conradus de Winsperg, vicarius Henrici VII. Imp. Eberhardum cognom. *Illustrem* vel *Rixosum*, Com. Wirtenbergicum, quòd Imperatori negaret obsequium, universâ fere ditione, castro quoque Wirtenbergâ destructo, exuit. V. Phil. Jac. Spenerum *Syll. Geneal. Historica passim.*

Conredium seu *Conredium*, vox recentioris ævi, quicquid ad alimentum, ad cibum, ad mensam datur; cibus, mensæ apparatus, convivium. In specie, Præbenda Monachi vel Canonici, in *Monastico* Anglic. *Tom. I. pag.* 149. Item procuratio seu convivium, quod dominis à vasallis ex jure definito, quoties per illorum terras pergebant, præstari consuevit, in *Diplom.* Ludovici VII. Reg. Franc. 1157. apud Hemereum *de Academ. Paris. cap.* 3. &c. V. Car. du Fresne *Glossar.* & Dominic. Macrum in voce *Conradium.*

Conscripti Senatores, dicti sunt apud Romanos, qui ex Equestri ordine Patribus adscribebantur, ut Senatorum numerus expleretur. Unde Freinshemius in Florum *lib.* 1. *cap.* 1. ubi de consilio Reipublicæ, instituto à Romulo, qui illud penes Senes esse voluit, loquitur: *Hæc enim*, inquit, *prima Senatus lectio, majorumq; gentium: qui verò cum progressu temporis sublecti sunt*, Patres Conscripti *nuncupabantur.* Meminit eorum Corippus *lib.* 4. *Num.* 21

Inde Senatorum sacro recitantur ab albo
Nomina, Conscripti Patres, *qui voce citati*
Accedunt hilares.

Et *lib. eodem Num.* 5.

Ante pedes Domini, faciunt qui jussa clientes,
Adstabant læti, vultuq; & veste nitebant,
Romani populi Patres.

De iisdem Joh. Rosinus ita disserit, *Antiqq. Rom. lib.* 7. *c.* 5. *Patritios majorum gentium dictos fuisse ducentos Senatores à Romulo primùm lectos, eorumq; progeniem, dubium non est. Eos verò, qui a Tarquinio Prisco ex plebejis in Patriciorum ordinem allecti, deinde Patrum numero adscripti fuerunt, Patricios minorum gentium appellatos, testis est Livius. Allectos autem in Senatum à L. Junio Bruto & P. Valerio Poplicola primis Coss post pulsos Reges*, Patres Conscriptos *vocitatos esse, Livius & Plutarchus docent.* Adde his Corn. Tacitum *Annal. lib.* 11. ubi ait: *Iisdem diebus in numerum Patriciorum ascivit Cæsar vetustissimum quemq; è Senatu, aut quibus clari parentes fuerant. Paucis jam reliquis familiarum, quas Romulus* majorum gentium *L. Tarquinius* minorum, *Brutus* Conscriptorum *appellaverunt.* Qui ex *Conscriptis* hisce Patribus ortum traxere, *Patritii* quoque vocabantur, qui honor primùm legitimus erat, & dignitati uniuscujusq; sive generi conveniens, at temporibus Constantini Principis cœpit Patritiatus culmen concedi iis, quos dignos censuissent Imperatores. Thom. Dempst. *in Rosini retrò laudatum caput.*

Conscia Murmura, apud Papinium Statium *Thebaid. lib.* 9. *versu* 733. ubi de Diana,

—— *cantusq; sacros & conscia misit*
Murmura ——

Sunt divina, Magica, rerum præsentium gnara, non voces nudæ, sed consortes potentiæ divinæ. Mox enim sequitur,

—— *quæ Colchidas ipsa sub antris*
Nocte docet, monstratq; feras quæ crinibus herbas.

At *conscia agmina*, conjurata exponit Servius *ad Æneid. lib.* 2. *v.* 273. *Conscia* verò *Fama*, eidem Maroni loquacem, omnia indagantem & scientem denotat, *lib.* 10. Ubi ventos indignanus conscium fugam è prælio, alloquitur Turnus, scaphâ ablatus:

—— *vos ò miserescite venti*
Ferte ratem ——
Quò neque me Rutuli, neque conscia Fama *sequatur.*

Id est, divinatrix velut & omnium rerum propalatrix. *Conscia* quoque, sacra, veneranda, *Templa* dixit Val. Flaccus *lib.* 2. *versu* 254. ubi Hypsipyle Patrem, in Bacchi Fanum absconditura, deducit,

—— —— *tunc excipit artus*
Obnubitq; caput, tacitumq; ad conscia *Bacchi*
Templa *rapit* ——

Hoc est, Numinis Bacchici partem participantia, ut *Conscia murmura* suprà, sunt potestatem Dianæ seu Hecates participantia: Quomodo *Conscia Fati Templa* Amphiarao, apud eundem Statium spondentur, *Thebaid. lib.* 8. *versu* 205.

Jamq; erit illa dies, quo Te quoque conscia *Fati*
Templa *colant* &c.

V. Casp. Barthium *Animadvers. ad Statium d. l.*

Conscranei, apud Capitolinum in *Gordianis*, *Hæc ubi comperit Maximinus, statim cohortatus est milites hoc genere concionis: Sacrati commilitones, imò etiam mei conscranei, & quorum mecum pleriq; &c.* idem est, ac Commilitones, sive eorundem sacrorum participes. Tertullianus *Apologet. cap.* 16. *Sed & qui crucis nos religiosos putat,* consecraneus *erit noster, cùm lignum aliquod propitiatur.* Amavit medii temporis Latinitas hanc nominum formam. *Sacraneus* extat in vet. Inscr. ubi SACRANEA. DEÆ CERERIS. *pro sacrata* &c. V. Casaubonum *Not. ad l.*

Consecrare & *sacrare*, diversa. *Sacrare* enim, cùm de personis dicitur,

[illegible] *divini aliquid attribuere*, ut olim in Tribunis factum, postea in Imperatoribus, qui propterea *Sacratissimi* dicebantur, sed tantum vivi. At mortuis Principibus, quos inter Cœlites retulerant, non divini aliquid, sed Deitatem inesse censentes, non *sacrare*, sed *consecrare*, de illis dicebant, Græci [illegible]. Casaubonus & Salmasius *Not. ad Capitolinum, in M. Antonino Philosopho* quorum hic, quid sit *Consecrare vultibus*, apud Vopiscum *in Probo* (qui ritus itidem Romanus,) pluribus exponit, *Not. in eum*, V. quoq; suprà in voce *Clypeus*.

Consecratio, V. suprà *Apotheosis*, & infrà *Dedicatio*: quo posteriore sensu, voci *Resecratio* & *Rejectratio* opponitur; de qua suo loco. Addam quædam saltem de animalium *consecratione*, Suetonio indigitata, *in Julio cap.* 8. ubi de equorum gregibus, in trajiciendo Rubicone ab illo consecratis: & Eustathio *Odyss.* μ. ubi apud Græcos in more fuisse integros animalium greges, volatilia quoque in quibus pavones in primis & anseres, Diis suis consecrare, illaque nemini tangenda aut violanda dimittere, narrat. De piscibus idem habet Athenæus *lib.* 7. Quod maximè factitatum in iis, quæ usui aut voluptati fuerunt, quibus hoc quasi præmium datum, ut ante obitum, servorum instar, manu mitterentur, & sinerentur ἄφετα. Solebant autem, antequam dimitterentur, pigmentum plerumque illis affundi, quem luxum in mulieribus hirundines aliasque aviculas, quibus diu oblectatæ fuerant, è potestate mittentis, notat Aristides 2. *Platon*. Idem de delphino Octavii [illegible]nicii, apud Plinium *in Epist. lib.* 9. de elephante alterius, apud Philostratum in *Vita Apollonii*: de equis, apud Ælianum *Histor. Anim. lib.* 11. *cap.* 36. legas. Monilia insuper & inaures piscibus hujusmodi additas, habes apud eund. V. Casaubonum ad *Suetonium d. l.*

Consecratio Magica, multo olim in usu apud Romanos: apud quos mos fuit Imperatoribus, ut sacrificiis certis locis factis aut carminibus dictis vel statuis positis, Barbarorum in solum Romanum ingressum & transitum, arceri posse putarent. Cujusmodi *consecratione*, (uti vocabant) inter alia Marcus usus, adversus Marcomannorum irruptionem. Spartianus *in Heliogabalo*, *Dictum est à quibusdam per Chaldæos & Magos Antoninum Marcum id egisse, ut Marcomanni P. R. devoti semper essent atque amici idq; factis carminibus & consecratione: quam quæreret, quæ illa esset aut ubi esset, suppressum est. Constabat enim, illum ob hoc consecrationem quærere, ut eam dissiparet, spe belli concitandi.* Sed videtur illa *consecratio* Marci aut dissipata ab aliquo fuisse, aut certe non perpetuo duraturas vires habuisse. Sub Aureliano enim, iterum ingruentibus Marcomannis, aliâ consecratione opus fuit, ut Barbarorum transitus arceretur. Sic autem *Consecratio* fiebat: Carminibus incantatis & sacrificiis peractis, statuæ quædam consecrabantur & in eo loco defodiebantur, quem barbaros nolebant transire; quæ quamdiu manebant intactæ, res, cujus gratiâ defodiebantur, in integro manebat quoque. Græci [illegible] vocabant, & simulacra sic consecrata [illegible], ut discimus ex Olympiodoro, qui, temporibus Constantini, cum spe thesauri inveniendi hujusmodi statuæ tres refossæ essent, in Thracia; primo quidem Gothos, inde Hunnos, tandem Sarmatas, totam Thraciam pervasisse, & Illyrium quoque, in cujus Thraciæque medio [illegible] posita fuerant, depopulatos esse scribit. Atque hoc genere [illegible] volunt Palladium, Memnonis item statuâ sonantem, alia. Vim miram istiusmodi *Consecrationis*, præter ex Olympiodoro modò allata, disces ex Vopisco in *Aureliano*. Neque verò solum contra homines sed bestias quoque morbosque *Consecrationes* adhibitæ. Sic enim Byzantiis adversùs ciconias, quibus infestabantur, erexit tres ciconias marmoreas [illegible], Apollonius Tyanæus quæ ciconias ingredi urbem prohibuerunt, Codin. Sic Charontis statuâ, [illegible] erectâ, Antiochenses peste liberavit Lajus quidam Philosophus, apud Tzetzem. Ut de statua, ad ignem compescendum Ætnæ & barbarorum incursionem prohibendam, in Sicilia posita: Nisi Regis coma: Libanio, insigni Te[illegible], jussu Placidiæ occiso, nil addam. A'[illegible]. *Talismam* hæc omnia Arabibus vocari consuevisse, notum. V. Salmasium *Not. ad Vopiscum*. Quod autem de carminibus dictum, adeo illa hic locum habuere, ut nunquam sine carminibus & præcantationibus hæ *consecrationes* fierent. Unde proprio usus verbo Solinus *cap.* 27. ubi de heliotropio gemma: *Etiam illud*, inquit, *posse dicitur, ut herba eadem quæ est nominis mixta, & præcantationibus legitimis consecrata eum à quocunq; gestabitur, subtrahat visibus obviorum.* Cujusmodi *præcantationes* Græcis [illegible] & [illegible]: unde *præcantationibus consecrata*, iisdem [illegible] est &c. V. Salmasium eundem *ad Solinum pag.* 348. & hic passim, ubi *de Carminibus, Murmuribus Magicis* &c.

Consecratio Virginum, aliarumque rerum, cultui divino destinatarum, in Ecclesia Rom. V. du Fresne in *Glossario* & Macros Fratres in *Hierolexico*.

Consentes, adde: Horum erant numero XII. sex mares & sex feminæ, quorum imagines auratæ apud forum olim Romæ steterunt. Ennius illorum nomina hoc disticho complexus est:

> *Juno, Vesta, Minerva, Ceres, Diana, Venus, Mars,*
> *Mercurius, Jovis, Neptunus, Vulcanus, Apollo.*

His alios addebant octo, qui cum iis *Selecti* appellabantur, V. infra in *hac voce*. Apud Athenienses quoque in præcipuo honore erant XII. Dii: *Jupiter, Bacchus, Hercules, Apollo, Mars, Pan, Diana, Isis, seu Ceres, Sais, seu Minerva, Latona* &c. quorum cultum ab Ægyptiis illos accepisse Herodotus *in Terpsichore* concedit. Sed contradicit Plutarchus, περὶ Ἡροδότου κακοηθείας, ubi Orpheum Thracem [illegible] Græcanicæ auctorem facit. Interim XII. Deos eximie ab Atheniensibus cultos certum est, quos & imaginibus in Ceramico & Altari, cui nomen [illegible]. *Aliare duodecim Deorum*, honorabant: in quo cum paulo ante Siculum bellum lapide quidam seipsum mutilasset, sinistrum omen habitum est. Per eosdem jurare soliti sunt, [illegible], V. Aristophanem *Equit*. His postea alii additi sunt, *Dii Adscriptitii* dicti. V. Pausaniam *Atticis*, Plut. *in Nicia*, Franc. Rosæum *Archæolog. Attica lib.* 2. *cap.* 1. &c. Certè iis Alexandrum M. [illegible], *decimum tertium*, ab Atheniensibus additum esse, legas apud Ælianum *Var. lib.* 5. qua de re V. Salmasium *ad Lampridium in Alexandro Severo*.

Conseptum, apud Solin. *cap* 1. *Suo quoq; Numini idem Hercules instituit aram, quæ maxima apud Pontifices habetur, cùm se ex Nicostrata Evandri matre, quæ à vaticinio Carmentis dicta est, immortalem comperisset fore.* Conseptum *etiam, intra quod ritus sacrorum factis bovicidiis, docuit Potitios*. Græcè [illegible], propriè fuit certus agri modus, circum Templa vacans, vitibus aut arboribus consitus & muro clausus. Deoque, cujus id Templum erat, dicatus ac Sacerdotum usibus proficiens. [illegible] Auctores Græci frequenter dicunt. Ælianus *Histor. Anim lib.* 17 *cap.* 47. [illegible], uti Latin. *Templi conseptum*. Appuleius *lib.* 11 *Ædibus q; conductis intra conseptum Templi Larem temporarium mihi constituo.* Et Arnobius *lib.* 6. *Dardanus & Immarachus fratres, in Eleusinio consepto, quod civitati subjectum est*, h. e. in Templ. Cereris Eleusinæ consepto, quod [illegible] vocat Clemens. Idque sine tecto. Festus, *Sacella dicuntur loca Diis sacrata, sine tecto.* Idem autem *Conseptum* & *Sacellum*. Sed apud Solinum *loc. cit.* idem quod templum vel ædes: quomodo & *Sacellum* nonnunquam sumitur. Sic Græci [illegible], pro ipso Templo, plerunque ponunt, & [illegible], *Templum inædificare*, vocant. Aliquando tamen *Conseptum* & sine templo. Unde apud Pausaniam legimus, in agro Thebano, fuisse [illegible], h. e. ut reddit Salmasius, *Sacellum in via non magnum, & columnas in eo*: ubi tamen nec Templum ejus fuit, nec Oracula reddebantur. Nempe in loco illo terrâ absorptum esse Amphiaraum existimarunt Thebani, quem proin locum muro sepire & columnis ornare consecratumque habere voluere. Sed & locis fulguritis, *Conseptum* circumdatum. Varro de [illegible] Curtio in medio foro, *Æline & Lutatius scribunt, eum locum esse Fulguritum & ex Senatusconsulto septum esse, idq; factum esse à Curtio Consule.* Intra cujusmodi *conseptum* ara erigebatur, ut videre est hic, in vocibus *Bidental* & *Puteal*. V. plura hanc in rem, apud Salmasium *ad Solinum* passim, inprimis *pag.* 10. & 1141. Occasio verò hujusmodi *Conseptis* paganorum, uti cacozelia illorum nemini ignota, è Sacris: Ita enim de Deo, cùm in monte Sinai Legem populo suo daturus erat, legimus Exod. *cap.* 19. *versu* 10. & *seqq. Et dixit Jehova Moschi — Pones terminum huic populo circumquaq; dicendo, cavete vobis ne ascendatis in hunc montem, attingatis ve finem ejus: quicquid tetigerit hunc montem, omnino morte afficitor.* Et *versu* 21. *Et dixitq; Jehova Moschi, descende contestare hunc populum ne perrumpant terminum, ascendendo ad Jehovam videndi animo, ut non cadant ex eo multi.* Sic ergo & Simia Dei sacerrimis suis sacris, quæ inter Gentiles instituit, religionem circumdare *conseptis* talibus seu [illegible], conata est. V. insignem Dilherri Tractatum de *Cacozelia Gentilium*.

Conferentes Dii, apud Arnobium *lib.* 1. ubi de Laribus, qui Ocrisiam gravidam in Foco fecerunt, unde natus Rex Servius, *Sed & Conferentes Deos pari more ac dissimulatione tacceamus, quos cum cæteris scribit Flaccus, in humani penis similitudinem versos obruisse se cineri, qui sub ollulâ fuerat factus exortum*: à *conferendo*. Lucretius,

> —— *genitalia* conferit *arva*.

Et *conferentes*, ab affectu in Ocrisiam, Lares dicti sunt. Illam enim è Laribus prægnantem, adeoque Servium Laris familiaris fuisse filium, creditum est. Plinius *lib.* 36. *cap. ult. Non prætéribo & unum foci exemplum Romanis literis clarum. Tarquinio Prisco regnante, tradunt repentè in foco comparuisse genitale è cinere masculini sexus, eamq; quæ insederat, ibi Tanaquilis Reginæ ancillam, Ocrisiam captivam, consurrexisse gravidam.* Quemadmodum de Cæculo Servius & Præneste natu Urbe: *Ibi*, ait, *erant Pontifices & Dii indigetes, sicut etiam Romæ: erant etiam duo fratres, qui divi appellabantur. Horum soror dum ad focum sederet, exiliens scintilla ejus uterum percussit: inde dicitur concepisse.* Ubi *divos fratres* appellat, quos [illegible], h. e. [illegible], Solinus *cap.* 1. h. e. Lares familiares. Ita nempe turpitudinem natalium occultare Vett. solebant Numinum prætextu, ad quæ nihil scelerum usquam fuit quod referre non fuerint ausi, ipso hoc Platone detestante, ut in libris ejus *de Rep.* videre est. V. Salmasium *ad Solinum pag.* 64.

Conservator, cognom. Jovis, à *conservando*: consecratus est à Domitiano Imp. quòd ipsum in seditione Vitelliana à furore hostium

lium conservasset. Tac. *Hist. lib.* 3. *Domitianus primâ irruptione apud æditummum occultatus solertiâ liberti lineo amictu turbæ sacricola cum immixtus, ignarusq; apud Cornelium primum paternum Clientem, juxta Velabrum delituit. Ac potiente rerum Patre, disjecto æditui contubernio, modicum sacellum Jovi Conservatori, aramq; posuit, casusq; suos in marmore expressit.* Et extant nummi veteres, *Jovis Conservatoris* simulacrum & nomen continentes, V. Joh. Rosinum *Antiqq. Rom. lib.* 2. *cap.* 5. At *Conservatores* in Concil. Herbipolensi A. C. 1289 *cap.* 39. sunt, *qui personis religiosis & Monasteriis maximè dari consueverunt, exemptis per summum Pontificem aut Legatos ejus missos à latere* &c. Apud Matth. Parisium, *Conservatores Libertatum* Angliæ, A. C. 1244. *pag.* 433. dicti.

Consignatorium, apud Joannem Diaconum *in Episcopis Neapolit. in Joanne*, qui vixit A. C. 636. locus est, in quo baptizati, ut ajunt, *confirmabantur*, oleo signo crucis eorum fronti impresso. At Alcuinus *de Divin. Off.* recens baptizatos in Sacrario confirmatos ait.

Consiliarii Augustorum, in Inscr. Romæ. PROC. AD. BONA. DAMNATORUM. PROC. AD. ALIMENTA. AUGG. aliter *in Consiliis Augg.* apud Capitolinum de Antonino Pio, *Post Consulatum in consiliis Hadriani frequens vixit*: dicebantur primæ classis seu primi ordinis Comites seu Amici, quos in secretius interiusq; consilium, in quo de summa Reip. agitabatur, Legati audiebantur & majora alia negotia tractabantur, solebant Imperatores admittere. *Comites intra Consistorium & Comites Sacri Consistorii Consistorianiq;* sub posterioribus Impp. dicti. Galli hodie *Consiliarios Status* vocant. V. Salmasium *ad Spartianum in Hadriano & Treb. Pollionem in Macriano.* Sed & *Consiliarias* habuere Augustæ, legendis, ponendis, collocandis capillis; in quibus, tanquam in re magna, magnam operam posuisse, diximus suprà, ubi de *Capillis & Comâ struenda.* Cæterùm quisquis antiquitus bono *Consilio* Rempublicam juvit, *coronâ* quoque sua redimitus est, uti de iis diximus retro, qui *Commoda* publica aliâ quadam ratione promotum ivere. Sic à matronis memoratur Diophantus is coronatus, qui consilium Phocensibus suggessit, ut uxores una cum liberis in locum lignis circumdatum compulsas, si ipsi victi prælio essent, cremarent, apud Plutarch. *de Virt. Fom.* Et Aristophanes oleagina corona insignitus est, quòd ausus esset firmare, Remp. *Atheniensium nullius esse in dominio, sed per omnia sui juris*, uti in *Vita* ejus legimus. Consimilem coronam à Pop. Atheniensi quibusdam concessam, & à quibusdam civitatibus urbi Athenarum se auctore datam. Demosthenes gloriatur *de Corona. At multos*, inquiens, *jam à vobis versatos in Rep. coronis esse donatos, sciunt omnes. Propter quem autem alium Resp. coronata sit*, Consiliarium *dico & oratorem, nisi propter me, nemo omnium dicere queat.* Hinc Alcibiades apud Platonem *in Alcibiad lib* 2. ad Socratem ait, [illegible] *At qui hanc coronam, quando mihi videris præclarè consuluisse, tibi circumponam* &c. V. Car. Paschalium *Coronarum Lib.* 5. *cap.* 10.

Consilium Magnum, in vett. Tabb. Gallicis passim appellatur Concilium Consiliariorum intimorum, quod & *Privatum* interdum, ut hodie dicitur, item *Consilium strictum*, Gall. *Conseil estroit.* Postmodum appellatio hæc peculiaris est facta Curiæ, quæ hodie *le Grand Conseil* nuncupatur, institutæ à Carolo VIII. A. C. 1497. a quo *Magnum Consilium* in Collegium redactum est, constans ex Cancellario, Magistris Requestarum, & XVII. Consiliariis ordinariis, per trimestre tempus cum eodem Cancellario servientibus, qui cum eo de Cancellariæ negotiis & majoris momenti litibus, tum hæreditariis, tum beneficiariis, in *Magno Consilio* prius diiudicandis, judicarent, Car. du Fresne *Glossar.*

Consistentes, Gr. *Συνιστάντες*, quartum pœnitentium in Ecclesia prisca gradum tenuere: Sic autem dicti sunt, qui cum aliis fidelibus in Ecclesia *stantes* orabant quidem, nondum verò ad Sacramenta admittebantur. V. Macrum in voce *Hyemantes.*

Consistor, in *Charta* Walteri de Gant, in *Monastic. Anglic. Tom II. pag.* 848 quæ sic clauditur: *Testibus Roberto de Gant, Willelmo* Consistore *Cestriæ* — *Lamberto* Consistore: nomen dignitatis alicujus urbanæ, *Consiliarii Consistoriani* fortè. In Rep. Senensi hodieque Magistratum esse, qui *Consistoro* appelletur, tradunt Academici Crusicani, apud du Fresne.

Consistoriani, sub posterioribus Impp. ut & *Comites intra Consistorium & Comites sacri Consistorii*, iidem dicti sunt, qui *Consiliarii Augg.* sub prioribus, V. suprà. Qui nempe sacro Augustorum *Consistorio* intererant, maximæque erant apud Cæsares auctoritatis: ad quam dignitatem admittebantur solùm Præfecti Prætorio, Quæstores, Magistri Officiorum, Comites sacrarum Largitionum &c. appellatione postmodum ad *Comites ordinis primi* extensâ. [illegible] *Illustri Comiti divini Synedrii*, ita enim Principum *Consistorium* Græci exponunt. In *Concil.* Chalcedon. *Act.* 1. &c. Fuit autem *Consistorium* propriè locus, in Palatio, Cubiculariis potissimùm addictus, in quo excubabant ii potiùs, quàm cubabant, ut ad Domini nutus paratiores essent, Sidonius *lib.* 2. *Epist.* Unde Monachus Sangall. *de Gestis M. Gesti lib.* 2. *cap.* 8. quosdam Legatos, priusquam ad Imperatoris admitterentur conspectum, *moratos in Consistorio Cubicularios Imperatoris, circa Magistrum suum*, ait. Cùm igitur in hoc interiori Palatii vestibulo (è quo in Silentiariorum primùm, deinde in ipsum Principis cubiculum ibatur) consisterent, qui Principis audientiam præstolabantur, ipseque Princeps ex interiori cubiculo in hoc exterius progrederetur, quò supplices audiret, & causas ac negotia subditorum dirimeret, in eo sedebat pro tribunali, *ingruentibus in negotium & difficientibus Consistorianis*, ut Ammianus ait, *lib.* 15. Atq; inde *Consistorium* appellari cœpit generatim quivis locus, in quo de publicis rebus cum suis *Consistorianis* Imperator deliberabat. Donec juri dicundo *novum Consistorium* extruxit Justinianus, in ea Urbis parte, quam *Hebdomum* vocabant; de quo pluribus egit Carol. du Fresne *ad Villhardouinum, num* 85. Stetisse verò, non adsedisse *Consistorianos*, in Principum *Consistoriis*, videtur indicare Ambrosius *Epist.* 133. & *l.* 5. *Cod. Theod. de Fid. test.* Interdum tamen adsedisse, constat ex Vopisco *in Aureliano.* Ammiano *lib.* 22. Procopio, Aliis. In Ecclesia Rom. *Consistorium*, exedra est ædi sacræ adjuncta, in qua fortè *consistebant* Sacerdotes, de rebus sacris cum Episcopo disceptaturi: Unde postmodum ipse Consessus Episcoporum aut Presbyterorum, ad deliberandum de rebus magni momenti congregatorum, eadem appellatione insignitus est, uti observat Holstenius *ad Synodum Rom. sub Bonifacio II. p.* 228. quomodo etiamnum Cardinalium Consessum coram Pontifice vocant. V. de *Consistorio Papali* multa, in *Ceremoniali Rom. lib.* 1. *sect.* 9. apud du Fresne *Glossar.* & Macros in *Hierol.* ubi Cardinales antiquitus pileatos interfuisse *Consistorio*, observant.

Consolamentum, apud Catharos, manus impositio & Baptismus appellatus est, cujus conferendi ritum, pluribus refert Ermengardus c. *Valdenses cap.* 14. Hinc ipsi *Consolati* dicti, qui aliàs *Paterini* in Lombardia, *Boni Homines* in Germania, du Fresne *Gloss.* ex eod. & Reinero c. *Valdenses cap.* 6. de quibus verò suo loco. At in Eccl. Rom. *Consolatio*, Serotina cœna, quæ post *collationem* fiebat à Monachis, qui, quòd vice *Consolationis* & gratuitæ refectionis, post impensas orationi & lectioni horas complures, iis impertiretur, detorto illo vocabulo, *Consolationem* hanc refectionem, pro collatione, appellarunt. Chrodegangus Met. Episc. *in Reg. Canonic. cap.* 8. [illegible] quoque Græcis, in *Vita* Nili Jun. V. suprà in *Caritas.*

Consortium hercto non cito, apud A. Gellium *lib.* 1. *c.* 9. *Sed id quoq; non prætereundum est, quòd omnes simul, qui à Pythagora in cohortem illam disciplinarum recepti erant, quod quisq; pecuniæ familiæq; habebat, in medium dabant, & coibatur societas inseparabilis, tanquam illud fuit antiquum consortium, quod jure atq; verbo Romano appellabatur Hercto non cito*: Societas propriè fuit inter cohæredes qui a communione discedere nolebant. *Consortes* enim dicebantur, quamdiu hæreditas divisa non erat. Glossæ. *consortes*, [illegible]; Unde *Consortium* istiusmodi societas & communio cohæredum: Contrà *disfortes*, postquam diviserant. Glossæ. *disfortes*, [illegible]; at *exfortes*, [illegible], quasi *exhæredes. Herctum* autem, in antiqua illa Iuris formula ac verbo, hæreditatem, patrimonium & bona significat, ut latiùs infrà videbimus, in hac voce: *Citum*, divisum, à *cio*, quod ortum est ex antiquo verbo Græco [illegible], pro quo [illegible] postmodum dictum est, i. e. *divido*, *findo.* De cohæredibus igitur, usurpata hæc formula, qui *Herctum* inter se non *ciebant*, h. e. hæreditatem & bona defuncti non dividebant. Quod si verò qui à *Consortio Hercti non citi* discedere volebant, & *Herctum citum* habere, id est, hæreditatem divisam, experiebantur actione *Familiæ erciscundæ*, constitutâ ex *Legg.* XII. Tabb. Quo judicio non sola familia, sed tota hæreditas dividi petebatur. Ubi obiter notandum, cùm *erciscere*, pro *dividere* a Triboniano positum, nihili verbum sit & cœlo Latino ignotum, actionem illam XII. Tabularum, quæ dabatur *Hercto ciundo*, h. e. hæreditati dividundæ, ita conceptam fuisse, judicare Salmasium, *Familiæ hercti ciundæ*, i. familiæ & reliquorum bonorum, quæ *hercti* nomine comprehenduntur, dividendorum. Quam in rem V. pluribus illum disserentem *Exercit. Plin. ad Solinum pag.* 1263.

Conspersa Farina, apud Vett. Latinos, farina subacta est, Græcè [illegible]; Hesychio [illegible] quoque, ita enim is interpretatur, [illegible], *farinam hordei aut tritici conspersam.* Idem & [illegible] exponit, [illegible]. Persius *polentam* appellat, ubi de Stoica juventute,

— *siliquis & grandi pasta polentâ.*

Sequens Latinitas *pastam* vocavit, Græco vocabulo, quod *conspersam* significat: namq; [illegible] idem, quod [illegible], *conspergere.* Subintelligitur autem *aqua*, — *Farina sc. conspersa aquâ*: uti *pulverem conspergere*, est aquâ sparsâ de pulvere lutum facere & sic pulverem sedare. Phædrus,

Alveolo cœpit ligneo conspergere
Humum æstuantem;

sedando nempe pulveri &c. V. eundem Salmasium ubi suprà *pag.* 327. & infrà, in voce *Polenta.*

Constabilitor, in *Charta* Roberti II. Principis Capuani, apud du Fresne *Glossar.*

Constaffolarii, Germanis ad Rhenum, *die Uberstoffler*, Assessores Judicii, Decuriones, à *Staffolo* Comitis seu Judicis *fiscalo*, seu Tribunali Judiciario, quod sic vocabant à *gradibus*, per quos conscendebatur. Erant autem olim sub Francis omnes provin-

cie Comitum, qui Germanis *Grafen* dicuntur, h. e. Judicum Fiscalium, districtibus distincte. Unde & Tribunal [illegible] Germ. *Staffelstein* dicitur. Sic in antiquissimis privilegiis Novientensis Abbatiæ quam Ethico Germaniæ I. Dux, assentiente uxore Bertsinde, non procul Selestadio constituit, legitur. *Und soll der Hof haben zween Staffelstein, und einen Stein*, V. Joh. Calvinum *Lexic. Jurid.* & infra, in voce *Staphelum*.

Fœmina Principes.

Constantia, filia Caroli Archiducis Austriæ, Stiriæ seu Græcensis lineæ conditoris, post sororis Annæ mortem, Jesuitis instantibus & Pontifice annuente (contra non Protestantium modò, sed & Catholicorum in Polonia qui difficultatum in Sigismundi Augusti exemplo simili memores erant, sententiam) ducta a Sigismundo Poloniæ Rege, mariti afflictam in senectute valetudinem sedulo curavit, V. Phil. Jac. Spener. *Sylloge Genealogico-Historicâ*.

Constantia, filia Leopoldi V. cognom. *Honorabilis*, Ducis Austriæ, nupta Misniæ Marchioni, ex eo filios suscepit, inter quos, & Ottocarum Bohemiæ Regem, alterius sororis Margaretæ maritum, de Friderici cognom. *Bellicosi*, Austriæ D. fratris utriusque A.C. 1246 extincti, hæreditate lis fuit: donec Rudolfus I. Imper. cæso Ottocaro, Ducatum Imperio primum, dein suæ familiæ addixit V. Fundem *in Fam. Palatino-Bavarica*.

Constantina, Soror Claudii II. Imp. nupta Tribuno Assyriorum, apud Pollionem in *Claudio*.

Constantinati, nummi dicti sunt aurei [illegible], à Constantino Duca cusi. Sic *Romanati*, *Michaelati*, aliique [illegible] quorum erant, vel quorum imagines præferebant, nomen acceperunt. Car. du Fresne *Dissert. de Infer. ævi Numism.* Iidem & [illegible] [illegible].

Constantiniana, dicta est Romæ Lateranensis Basilica, à Constantino M. erecta, quæ & *S. Salvatoris* nomen habuit. *Cum essem ab Ecclesia, quæ vocatur Constantiniana* &c. Item *Et sumto metum omni Clero, privatim mansi in Ecclesia S. Salvatoris — quæ cognominatur* Constantiniana, *quæ prima in toto mundo constructa & stabilita est*, *ib.* me. *Constantio Imp. quæ est sancta Episcopium*, Martinus Papa, & Martinus in *Epist.* ad Theodorum, in *Collect. Anastasii Bibl. a Sirmondo editâ, pag. 71. & 75.* Quomodo verò *S. Joannis in Laterano* postea dicta sit hæc ædes, fusè exponitur, apud Macros Fratres in *Hierolexico*.

Constantinopolitani Solidi, in vett. Tabb. quas passim profert Ughellus, dicuntur nummi, quos *Byzantios* pleriq; Scriptores vocant. Sic Amatus Salernit. Episc. anno I. Gaimarii Princ. Ind. 3. circa A.C. 990. *Si talia omnia [illegible] — componere obligavimus & nostros successores vobis vestrisq; heredibus, — quatuor millia solidos Constantinopolitanos*, apud du Fresne *Dissertat. de Infer. ævi Numismat. num.* 83. V. quoque supra, in voce *Conob.*

Constantinopolitanum Imperium, cujus caput Constantinopolis, vel *Vetus* vel *Novum* est. *Illud* Græcorum fuit, initiumq; sumpsit sede Imperiali Româ Constantinopolim translatâ, a Constantino M. Imperatore, qui *Novæ Romæ* nomen urbi huic indidit, nec minora ipsi privilegia, quàm Veteris Romæ erant, concessit. V. *L. un. C. de Privil. Urb. Constantinop.* sub finem sect. 4. In ejus successoribus notæ familiæ Angelorum, Comnenorum Palæologorum, in quarum ultima ad interitum pervenit. Horum complures nomen *Porphyrogeniti* gesserunt, à *Porphyra* loco, in quem Augustæ partui proximæ concedere solebant, quasi dicas *in Porphyra genitos*. Nomen item *Novi Constantini* multis commune erat, prout apud veteres in Hispania Reges Gothicos erat nomen *Flavii*: illoque in Annalibus Turcicis promiscuè appellantur, V. Leunclav. *Pandect. num.* 51. Tenuerunt & Latini aliquando hoc Imperium, Balduinus nempe Flandriæ Com. fociis Venetorum armis eò promotus, qui & eodem tempore Archipelagi insulas sibi adjecerunt. Ultimus Imperatorum fuit Constantinus Palæologus Dragoses XV. hujus nominis, vitâ & imperio exutus A.C 1453. ipso Pentecostes festo, non fine occulto Dei judicio, quòd plus quàm duodecies à fide Spiritus S. cui sacrum hoc festum, Græci recessissent. Sic *Istud*, quod *Novum* dici potest & Turcarum est, in apricum prodiit, potiente apud Turcas rerum Muhammede II. Fuit autem Veteris istius Imperii non exigua amplitudo, Comprehendit quippe integras duas diœceses imperii Romani, Illyrici nempe & Orientis, quarum nomine continebantur Macedonia, Dacia, Oriens in specie sic dicta, Ægyptus, Asia, Pontus & Thracia: quas simul cum inferioribus earum provinciis enarratas habes, apud Pancirollum *Notit. Imperii Or.* V. Auctorem Anonymum *Histor. Orbis Terr. Geogr. & Civ. cap. 10. de Imp. Turcico, ubi Catalogum exhibet omnium Historicorum, qui de utroq; hoc Imperio aliquid literis prodiderunt.*

Constantinus I. cognom *Magnus*, adde: Chersonitis illum, inter alia laborum pro Imperio Rom. exantlatorum præmia, etiam annulos aureos, in quibus imago ejus erat expressa, donasse, ut, quas per occasionem ad se mitterent, relationes supplicationesque iis signarent, ut ipse earum nuntios inde dignosceret, narrat Constantinus Porphyrogenitus *lib. de administrat. Imper. cap.* 53. ubi ait, Καὶ παρέσχεν [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible], V. Joh. Kirchmannum *de Annulis cap.* 11. Sed & in Familiæ præsertim hujus nummis, præclara interdum ænigmata, quæ ad horum temporum historiam illustrandam non minimùm conducunt, docet Car. du Fresne, qui varios hujusmodi nummos, e. g. in quibus lemma GLORIA EXERCITUS GALLICANI; in quibus exaratum FRANCIA ET ALEMANNIA, in quibus *vallum* descriptum &c. eruditè exponit, *Dissertat. de Inferioris ævi Numismat. num.* 53. & *seqq.*

Constantinus Novus, titulus seu appellatio, Tiberio II. & Heraclio, Heraclii Imp. filio, potissimùm in nummis adscribi solita, voce tamen *Novi* expunctâ, propter numismatum exiguitatem. Justinus nempe Junior, morbo correptus, adoptatum Tiberium cum Cæsarem creasset, *Novum* cum [illegible], *Novum Constantinum*, appellavit, ut est in *Chron.* Alexandrino; ubi tamen interdum, suppressâ priori voce, nudè *Tiberius Constantinus*, quo modo etiam in nummis ejusdem Augusti, dicitur. Eâdem postea nomenclatura donatus est a Patre Heraclio Imp. Heraclius filius primogenitus: dictus etiam *Heraclius Novus Constantinus*, ut præ cæteris arguit subscriptio *Novellæ* Heraclii. Neque tamen his duobus appellatio hæc peculiaris fuit, nisi quòd cognominis [illegible] videatur iis indita, Tiberio quidem à Justino prosocero; Heraclio verò Juniori à parente; cum hanc cæteri quoq; [illegible] [illegible] Aug. *Novi Constantini* [illegible] & [illegible], Justiniano, Constantino Pogonato & Constantino [illegible] Irenes. Idem [illegible] [illegible] Peribleptæ CP. Imo & Græci [illegible] Impp. eandem appellationem sibi vindicasse leguntur, ut [illegible] ex [illegible] [illegible] [illegible] *Constantinum* Imp. nudè vocat &c. du Fresne [illegible].

Constantinus Solidus, moneta aurea [illegible] CP. V. suprà.

Constantius II. adde. Ejus gemma exstat *Sapphirus*, Xiphianam illius venationem exhibens, [illegible] [illegible] a Marquardo Frehero: quam suæ *Dissertationi* [illegible] *ævi Numismat.* subjunxit Car. du Fresne.

Constitutiones Apostolicæ, quarum [illegible] sub nomine Clementis Rom. prostant, quòd ignotæ fuerint Patribus trium priorum seculorum, neque Ariani aut Catholici quarti seculi, neque Laodicen. Patres, neque [illegible], neque quisquam seculo nisi decurrente Græci Latinique earum notitiam habuerint: ab Eruditis pro supposititiis habentur V. Dalæum in *Pseudepigraphis Apostolicis libb.* 3. & Gerh. von Mastricht *Histor. Juris Eccles. num.* 105. & *seqq.*

Constitutiones Marchiæ Anconitanæ, *Ægidianæ* dictæ, in Statu Pontificis, pro jure generali habentur, extra eum non valent. Alber. Gentilis *de libr. Jur. Can. cap.* 3. *pag.* 52. V. quoq; Gerh. von Mastricht ubi supra *num.* 38.

Consuales Ludi, seu *Consualia*, instituta in honorem Neptuni, qui *Consus*, item *Consul* cognominatus est, eo quòd arcanorum consiliorum Deus habetur. Illustria erant equorum pompa, cujus ipse primus Auctor, hinc [illegible] cognomen tulit. Hanc festivitatem primus instituit Evander, sub nomine [illegible] vel Equestris Neptuni, unde [illegible] Lat. *Equestria*, dicta est. Restauravit postea Romulus, in honorem *Consi*, quòd is consilium de raptu Sabinarum suggessisset. Val. Maximus, *Adhuc tempus Circensi spectaculo celebranti* [illegible] *nostra, quod primus Romulus raptis Virginibus Sabinis*, Consualium *nomine*, *celebravit*. Tum enim Circenses ludi non alii quam *Consuales* erant, aliter & *Magni* & *Romani* appellati. Quando celebrati sint, V. in voce *Consus*. Hoc festo equos asinosque coronabant Romani ac otiari sinebant, vel quia feriæ istæ Conso seu Equestri Neptuno agebantur, vel quia tum commoda navigandi maris tempestas exhibita jumentis qualemcunq; quietem præbebat. Plutarch *quæst. Rom. quæst.* 48. Pestus scribit, Mulis celebrari ludos in Circo max. Consualibus consuevisse, quia id quadrupedum genus primum putatur currui vehiculoque adjunctum fuisse. V. Joh. Rosinum *Antiqq. Rom. lib.* 4. *cap.* 12. Thom. Godvvyn. *Anthol. Rom. lib.* 2. *sect.* 3. *cap* 6. &c.

Consuetudinarium, in Eccl. Rom dicitur, liber in quo Monasteriorum *Consuetudines* annotatæ, Matth. Paris. in *Vita* Pauli Abb. *Hic quoq; consuetudines approbavit & conservari persuasit, quas qui videre desiderat, in* Consuetudinario *scriptas poterit invenire*, apud Macrum in *Hierolexico*. Voce autem *Consuetudo*, Regulam Monasticam seu vivendi rationem Monachorum, ab alia diversam, sæpe venire, docet du Fresne ex *Orig.* Monasterii Mur. aliisq; Ecclesiæ Rom. Scriptoribus. Hinc in *Statutis* antiqq Ord. Carthusiensis *Part. I cap.* 14. §. 15. *Secundâ die & tertia leguntur Fratribus* Consuetudines *post Capitulum Monachorum*: voce hac, intelliguntur Statuta seu Consuetudines ejusdem Ordinis, à Guigone II. descriptæ, quarum hic titulus est; *Incipiunt Capitula Consuetudinum Domini Guigonis Prioris Carthusiæ.* Ita *Cluniacenses Consuetudines*, dicuntur ejusdem Ordinis Regulæ, editæ primùm à Bernardo Mon. postmodum Archiep. Toletano, dein ab Udalrico &c. V. plura hanc

in rem, ap. Car. du Fresne *Glossar.* ubi inter alia ei *Consuetudinarius*, est Ritualis liber, in quo Officiorum divinorum ritus formulæque describuntur, in quo *Consuetudines* Conventuales & Monasticæ sunt exaratæ, ex Bromptono de Osmondo Sarisb. Episc. *Vitis* Abbatum S. Albani &c. quâ posteriore notione *Consuetudinarium* Macro, ut visum, dicitur de *Consuetudinario* Gallorum *Jure*, V. suprà in voce *Codex Ludovici*.

Consul, adde: Erat penès *Consules*, quorum duo erant, eadem primitus potestas, quam Reges antè habuerant, sed ad anni solùm spatium; Fueruntq. primò *Prætores*, dein *Judices*, tandem verò *Consules* dicti, Græcis Ὕπατοι. Creabantur Comitiis Centuriatis, eratque Magistratus hujus capiendi legitimus annus quadragesimus tertius ætatis: Marco tamen Valerio Corvino, Tit. Flaminio Scipioni & Pompejo, ob merita, citius contigit. Absentem creari *Consulem* porro non licuit, nec fas erat sequente quoq. anno eandem dignitatem tenere; quod tamen Mario, ob Cimbrici belli molem imminentem, concessum. Raro quoq; bis aut ter in eundem id dignitatis collatû. fuitq; unius Marii proprium, septies Consulatum gessisse: qui cùm antiquitus non nisi Patriciis obtingeret, communicatus cum plebe est, post atrocem seditionem ingentiaq. certamina anno U. C. 388. quo primus de plebe Consul factus est L. Sextius princeps seditionis, & cujus lege partus erat, ut loquitur Liv. *lib.* 7. Imò an. 6[?]1. eò res deducta legitur, ut tum primum ex tenore legis Liciniæ ambo Consules Plebeji eligerentur: nihilominus plerumq; obtinuit, ut Patricius Plebejo jungeretur. Potestatem illorum Polybius *lib.* 6. prolixè describit, strictius Cicero *de Legg. lib.* 3. *Regio Imperio*, verba Legis, *duo sunto, iiq; præeundo, judicando, consulendo, Prætores, Judices, Consules appellantor; militiæ summum jus habento: nemini parento: ollis salus populi suprema lex esto Eum Magistratum nisi interveneriint decem anni, ne quis capito* &c. Postea tamen potestas tanta ad Senatus auctoritatem alligata & maturè provocatio à Consulibus ad plebem lege Valeria constituta est: inprimis postquam Tribuni Pl. orti, non parum de illa decessit. Insignia *Consulum* fuere, sella Curulis regia seu eburnea, in qua Jus dicebatur: Trabea seu purpurea prætextâ, unde Poeta,

——— — - *Trabeati cura Quirini*

Lictoresque 12. qui alternis mensibus fasces præferebant; Cui primo mense præferebantur, idque vel propter liberorum numerum ex lege Julia, vel ob ætatem, vel quia ante Collegam in Comitiis proclamatus erat, *Consul major* vel *Consul prior* dictus est, Cæl. Rhodiginus *lib.* 12. *cap.* 7. Fuit & hoc magnæ dignitatis, quòd hic Magistratus Ἐπώνυμος esset, sic ut, cùm priùs ab Urbe condita annos Romani postea à Consulibus, illos numerarent, hoc modo: *L. Valerio M. Horatio Coss.* Unde apud Suetonium Cæsar dicitur designatus, *sequentibus Consulibus* h. e. sequenti anno. Imò & vini cados *Consulis*, quo collectum erat, anno, unà cum regione, ubi ortum, obsignabant. Juvenalis *Sat.* 5.

— — *Cujus patriam titulumq; senectus*
Delevit multâ veteris fuligine testæ.

Nec omittendum, olim ad Consulatum designari solitos esse d. 24. Octob. at Magistratum demum Kalendis Januarii sequentibus iniisse, ut interea, an talis legitimè renuntiatus esset, an malis artibus obrepsisset, exploraretur. Tristinus *in Cic. Orat. pro Cælio*, P. Ramus *in Catil.* 1 &c. Et quidem hi, qui integrum in Consulatu annum exegere, *Consules Honorarii*, item *Ordinarii* vocitati sunt: reliqui autem, qui vel sponte munus resignarunt, vel depositi, aut fato ante tempus functi sunt, vel aliam ob causam annuam non gessere dignitatem dicti *Non Ordinarii & Suffecti Consules* leguntur. Quod inprimis cœpit, circa an. U. C. 708. cùm Cæsar, postquam in Urbem venit, Consulatu se abdicavit, Consulesq; fecit Q. Fabium ac C. Trebonium, Fabioq; extremâ Magistratus sui die mortuo, statim in residuas horas C. Caninium substituit; in quem notus Ciceronis jocus. V. Dionem *lib.* 43. Auctum institutum à Triumviris R. P. C. L. Marcio C. Calvisio Coss. ut ipsi gratiæ causâ multos in eundem annum Consules designarent, qui in paucos menses aut etiam dies Magistratus gererent, idem est auctor. Interim annorum numerus his, qui initio anni Consules fuerunt, adscriptus hinc soli ordinarii censebantur ac honoratiores erant. A *Consule* dicitur *Consularis*, qui aliquando Consulatum gesserat: quod eximii honoris erat symbolum. Unde ex *Consularibus* electi sunt Dictatores, Magistri Equitum & Censores. V. Joh. Rosin. *Antiqq. Rom. lib.* 7. c. 9. Thom. Godvvyn. *Anthol. Rom. lib.* 3. *sect.* 2. *cap.* 4. J. C. Bulenger, *de Imperatore pag.* 143. Theodor. Sitzmannum *ad Rutilii Itinerar. lib.* 1. *vers.* 176. Casp. Barth. *ad Papin. Statium lib.* 4. *Sylv.* 1. &c. In specie de Candidatorum more, nocte quæ Comitia præcedebat, sub dio extra urbem cubandi, dein in solida sella sedendi, dum ipsis Deus aliquis bonum signum mitteret, quod *augurium capere* dixerunt: de *Consulari sacro* in Capitolio Kal. Januar. à novis Coss. fieri solito: de more item Consulum, de curuli descendendi, cùm in Senatu verba ad Principem facturi essent, Isaac. Casaubon. *ad Suetonium Augusto cap.* 26. 95. & *Claudio cap.* 12.

Consul Oriens, apud Ausonium *Idyll.* 8.

Ecce ubi se currules mea purpura mittibus audi
Auribus hoc Nemesis, post me dignatur oriri
Augustus Consul ——

Consul est, qui Magistratum auspicatur. *Oriri* enim verbum fuit Consulari Magistratui atq; Celsitudini addictum, ex imperio veteris sanctionis, *Oriens Consul Magistrum populi dicat.* Cujus explicationis locuples est auctor Velius Longus, apud Casp. Barth. *Animadvers. lib.* 137. c. 16. Ejusdem rei titulus est, quem sibi Persarum Reges adrogabant: συνανατέλλων ἡλίῳ; de quo V. Chosdroën *Epist.* ad Varanum, penès Theophylactum Simocattam *lib.* 4. c. 8. & plura hanc in rem, apud eundem Barth. *Animadvers. ad Papin. Statium lib.* 4. *Sylv.* 1. ubi de decimo septimo Consulatu Domitiani Imperatoris.

Consulares, dicti provinciarum Rectores, quorum dignitatem & munus primitus invexisse videtur Hadrian. Imp. *qui*, ut auctor est Spartianus, *quatuor Consulares per omnem Italiam Judices constituit.* Sed altiùs arcessendam eorum originem docet Salmasius. Cùm enim ex provinciis, quæ populo assignatæ fuerant, in partitione per Augustum facta, aliæ fuerint Prætoriæ, aliæ Proconsulares; ac duæ quidem Proconsulares, quibus qui præerant, *Proconsules* dicti sunt, Africa nempe & Asia: decem autem Prætoriæ, quas enumerat Strabo *lib.* 17. *sub fin.* reliquas omnes Cæsar sibi retinuit ac regendas suscepit. Et in eas quidem modò *Consulares* viros mittebat, modò *Prætorios*, modò *Equites*, quorum primi *Legati Consulares*, it. *Consulares* simpliciter; alteri *Legati pro Prætore*; ultimi *Præsides* seu *Procuratores* dicti sunt. Hinc omnino illi *Consulares*, qui passim in vett. libris & antiquis saxis occurrunt, de provinciarum Rectoribus. in quibus proin quoties legis *Consularem provinciæ*, semper de legato Cæsaris Consulari intelligas licebit. Strabo Ὑπατικοὺς ἡγεμόνας eos vocat, & Ὑπατικοὺς διοικητὰς, *lib.* 3. Sed pro arbitrio suo cùm provinciarum jura & administrationes sæpe Impp. mutarint, exemplum eorum secutus Hadrianus, novâ administratione institutâ, *Consulares* singulis Italiæ provinciis præposuit, qui jura redderent. Quos *Consulares* Ἀνθυπάτους appellat Appianus, sed male: cùm secundùm illorum temporum consuetudinē, multùm different *Consularis* & *Proconsul*; ut & provinciæ *Consulares*, ac eæ quas Proconsules regebant. Cùm enim hæ liberâ Rep. eædem essent, Impp. ævo Proconsules erant, qui sortiebantur provincias more modoque antiquo & post peractum tempus Magistratu decedebant: *Consulares* autem vel *Legati Cæsaris Consulares* ad arbitrium Cæsaris, in Cæsarianas provincias ibant, & ad ejusdem arbitrium revocabantur. Cæsar autem in provinciis suis Prætorios plerumq; jure Consulari esse jubebat, quomodo *Consulares* dicebantur, qui nunquam Consules fuissent. Sic Plinius Cæcilius *legatus Augusti pro Prætore, in provincia Ponti, Consulari potestate*, dicitur in vet. *Inscr.* Quod sub posterioribus Impp. passim usurpatum, ut qui *Consulatum* nunquam iniissent, inter *Consulares* allecti, provinciis Consularibus præponerentur &c. Præter hos autem provinciarum *Consulares*, qui legati Cæsaris erant, occurrunt in vett. Inscr. *Consulares Aquarum & Miniciæ*, qui alibi *Procuratores*, item *Curatores Aquarum & Miniciæ*; Item *Consularis rerum privatarum*, in alia Inscr. quem omnes sciunt *Procuratorem* appellari. Sic & in vett. *Glossis*: *Consularis*, Καθολικὸς exponitur: notum autem Καθολικὸν Cæsaris Procuratorem appellari. Nempe à Consularibus ornamentis, quibus hi insigniti appellationem eam nacti sunt, uti discimus ex Suetonio in *Claudio*. V. Salmasium *ad Histor. Aug. passim, inprimis ad Spartian. in Hadr.* Per Orientem XV. per Occidentem XXII. provincias à *Consularibus* gubernatas, recenset *Not.* Imp. Certe *Consularis Palæstinæ* occurrit, apud Hieronymum in *Hilar.* *Consularis Cretæ* apud Dictym Cretensem: *Consularis Siciliæ* in *Vita* S. Agathæ &c. Joh. Frid. Gronovius *Observ. in Eccl. c.* 21. ubi dignitatem hanc Vespasiani ætate nondum natam, Nicephori verò principatu jam intermortuam, contendit. Sed & à *Consularibus* urbes præcipuas gubernatas esse, auctor est Constantinus Porphyrog. *de Them lib.* 2. Anastasius item in *Adriano P.* ubi *Paulus Consularis Ravennatium Urbis* memoratur, V. quoq; Valesium *ad Ammian. lib.* 14. Apud Jul. Antecessorem *Consti.* 56. c. 200. reperias quoq; *Consulares honorarios*, seu codicillarios, quos ordinariis postponendos esse, ibidem dicitur &c. Dignitas horum *Consularitas*. l. un. *Cod. Theod. de Consular. & Præsid.* quam minorem fuisse Proconsulatu, docet idem Salmasius *ad Trebell. Pollion. in Vita Censorini.* Addo saltem, *Consulares* provinciæ, fere omnes sub dispositione Vicariorum fuisse, ut & Præsidiales. Ita sub dispositione Vicarii Africæ, quinq; provinciæ recensentur in *Not.* Imperii, Byzacium, Numidia, Tripolitana, Mauritania Sitifensis, & Mauritania Cæsariensis: è quibus Byzacium & Numidia Consulares, cæteræ Præsidiales. Imò nec provincias eas tantùm, sed ipsos etiam Rectores, Vicario eadem Notitia subjicit: *Sub dispositione Viri illustris præfecti prætorio Africæ septem, Byzacium, Numidia, Mauritania Sitifensis, Mauritania Cæsariensis, Tripolis Præfectus Annonæ Africæ, præfectus fundorum Patrimonialiū* &c. ex eod. Salmas. ad *Solin. p.* 804.

Consulares Fœminæ, quo modo ab Ulpiano Consulum Uxores vocantur, eodem ac simili penè habitu usæ reperiuntur, quo conjuges earum, uti colligere est ex iconismo, qui in vetustissimo Dioscoridis Codice scripto habetur in *Bibl. Cæsar.* ap. P. Lambecium: ubi Μεγαλοψυχία & Φρόνησις habitu muliebri illustriss. Julianæ assident; ipsa verò, fasciâ illâ ampliori collum & humeros amplectente & pectus attingente, exornata conspicitur, in hoc tamen à Consulari fascia diversâ, quòd ista muliebris sinistro brachio non aptetur. Fasciæ colorem non distinxit Lambecius, contentus ob-

texisse

ferasse. in medio octogono sedere, in throno leabus Aquilis suffulto, feminam diademate regio, vestitu, partim aureo, partim caeruleo, & calcais rubris, instar Imperatricis [illegible] exornatam, Comm. lib. 2. c. [illegible]. Certe ex *Nov.* Justiniani 105 cap. [illegible] idem [illegible] patet. Fuit autem Juliana haec filia Olybrii Aug. & Areobindae Cons. uxor. Car. du Fresne *Dissert. de Infer. aevi Numism. num.* 8.

Consulares Nummi dicti sunt ex nummis Impp. inferioris aevi illi, in quibus Impp. aut Caesares Consulari habitu effinguntur, iis quibus Consulatum gesserunt annis cusi, utcum en [illegible] dignitatem, tanquam Imp [illegible] Majestatis [illegible], ut loquitur Libanius, semper a non [illegible] Augustos, notum est. Varie autem effecti occurrunt. Interdum [illegible] imagine, ut Pollio ait, cum stola Consulari, sceptro aquiligero in dextra, & corona radiata, qua caput cingitur, ut sunt nummi Aurelii Probi, Constantii Chlori, cum pro lemmate, VIRT.S AUGG. & Constantini M. qui in cippo praeferr. OT XX. Quibus adde aureum Crispi Nobilissimi Caesaris, aliquotq; ex Licinianis, licet sceptrum non praeferant. Sed & simili figura exhibentur in nummis, non lusca quidem, sed [illegible] faci[illegible], protomae Tiberii Constantini, & Mauritii Tiberii, dextra volumen, laeva sceptrum aquiligerum; Phocae vero, loco sceptri crucem, Philippici denique, loco voluminis, globum crucigerum, tenentium. Nam etsi post Julianum in Fastis *Consules* non describantur, dignitas tamen adhuc longè postea obtinuit &c. Etiam aliquando paria *Consulum* expressa [illegible] sedentium, ut in nummo Constantis Imp. aereo, inprimis vero in nummo aureo Theodosii Jun. (qui inter *Consulares* inferioris aevi maximè insignis est) in quo Theodosius ipse in sella sedet cum Placidio Valentiniano, Consulari habitu uterque. V. pluribus de his disserentem praefatum du Fresne *d. l. num.* 3.

Consulares Viae, V. infra ubi de *Viis.*

Consularis Habitus, non idem prorsus veteri Reip. Rom. aevo qui citeriori Impp. Notum enim quidem ex Scriptoribus priscorum Coss. vestes fuisse togas pictas, & palmatas ac trabeas: cujus nomenclaturae indumenta etiam Consulibus sub Graecis Impp. tribuuntur. Sed cum vetera Consulum [illegible] ines, sive in statuis, sive in numismatibus, dignitatis istius insignium formam materiamque non ita prodant ut res extra omnem controversiam habeatur, incertum manet an eaedem fuerint, quae numismata ac Diptycha Consularia repraesentant. In iis quippe, maximè in Diptychis, Consules tunicis palmatis & togis pictis induti apparent, cui superfunditur fascia latior collum ambiens, cujus pars dextera strictior, à dextro humero rectà circa pectus ultra genua descendit, ipsumq; humerum ac brachium dextrum circumvolvens, sinistrum humerum amplectitur, explicans sese latiorq; sensim effecta, ac circa dorsum delapsa, rursum à dextro latere per umbilicum transversim agitur & infimam sinistri brachii partem, qua manui illud conjungitur, involvit reliquâ fasciae parte retrò pendulâ. Ita quidem Diptychon Leodiense & Bituric. ab Alex. Wilthemio descripta &c. De sceptro eburneo vel aureo, dignitatis Consularis perinde in nummis symbolo, nota pleraque. Nisi quod in Consulis Anastasii sceptro, aquila corolla laurea ambitur & includitur, cui trina virorum capita imminent, in eodem Diptycho Leod. In Bituricensi aquila alis expansis circulum vel orbem amplectitur, in quo viri, Imp. fortè, effigies del[illegible]eatur &c. Verùm desiit sensim gestamen illud Consulare, primusque Phocas Imp. pro sceptro aquiligero crucem assumpsit, ut ex nummis ejus docetur, in quibus Consulari habitu effingitur & cum volumine, quod caeteri fere deinceps Augg. [illegible]: tametsi postmodum idem sceptrum Philippicus in nummis iterum tenere videatur. Idem *ibid. num.* 4. & *seqq.* V. quoq; infra in *Mappa* & *Volumen.*

Consulatum edere in Circo ap. Vopisc. in *Aurelian.* est Ludos pro Consulatu edere solennes. Largitates enim hujusmodi tum maximè celebratae sunt, cum Consulatus iniretur qua de re, praeter Historicos, lege Justiniani *Nov.* 105 quae est, *de Consulibus*, & Leonis Imp. *Constitutionem* 94 ubi magnifica istiusmodi munera Populo pro Consulatu suo rependere, vocat [illegible], quod idem ac [illegible], h. e. sportulas & missilia aliasq; largitiones, quas [illegible] *Consulatus*, dixerunt, Ludos item populo *dare*, Casaub. *ad Lamprid.*

post *Consulatum*, formula literis vel actis adscribi solita, à tempore Justiniani Imp. Sub hoc enim Consulum ordinariorum extincta dignitate, quam sibi solis eam asserent postmodum Impp. ipsi qui perinde ac jam olim Vitellius hac videntur ratione *Consulis Perpetui* titulum sibi arrogasse: post Consulatum Basilii Jun. qui solus Magistratum iniit, an. 14 Justiniani, Christi 541. nullus Consul ordinarius creatus est, [illegible] anni numerari coeperunt ab ejus Consulatu, hac formula: *Post Consulatum Basilii Jun. anno* 1. 2. & sic deinceps, usq; ad 25 qui incidit in annum emortualem Justiniani. Tum enim Justinus Jun. Consulatum iniit, & quoad vixit, hanc dignitatem sibi soli asseruit, annis ita recensitis *anno* 2. 3. 4. &c. *Consulatus Justini Jun.* [illegible] apud Marium Aventic. vel *anno* 1. *Justini, post Consulatum Justini* [illegible] Alex. &c. Quod imitatus Carolus M. est, qui recens *Augustus* dictus, ut eadem qua CP. Impp. dignitate se donatum ostenderet, *Consulatus* titulum, quem illi Imperatoriis semper adjunxere, à tempore praedicto, sibi quoq; adjunxit, ut & Successores ejus: Unde eadem formula in Occid. usurpata, uti patet ex *Ep.* Hadriani II. ad Actardum Nannet. Episc. *Quinto Kal. Martias — imperante domino nostro — Augusto Ludovico — anno* 19 & post Consulatum *ejus anno* 18. *Indict.* 1. Ubi observ. annum Imperii, anno uno Consulatus annum praecedere, &c. Imò verò formula haec adscripta legitur, praesertim in Africanis Actis etiam ante Justinian. cùm sc. qui tum hoc anno, quo scribebantur, Consules creati essent, ignoraretur, & necdum nuntius CP. ubi designari solebant, eò esset allatus: quae postea, uti dictum, sub Justiniano, abrogatis Coss. ordinariis, perpetuo ferme retenta est. V. Car. du Fresne in *Glossar.* passim & in *Dissert. de Infer. aevi Numism. num.* 15.

Consulere Deos ap. Plin. *lib.* 28. *c.* 2. *Quippe victimas caedi sine precatione non videtur, referri ad Deos, ritè consuli* - est mentem eorum sciscitari, de rebus futuris & eventuris; quemadmodum contrà *referebatur ad Deos* de rebus, quae jam acciderant, ut de portentis, & prodigiis aliisq. hujusmodi, quomodo expianda essent ac depellenda. Utrumq; sine precatione non fiebat, uti videbimus infra, ubi de [illegible] *Referendi ad Deos*. Alias Consul *ad Senatum referebat* de Rep. qui & *consulere Senatum* dicebatur. V. Salmasium *ad Solin. p.* 595.

Consules, in civitatibus, qui in aliis vulgò *Scabini* vocantur, antiquae jam dignitatis. Ausonius in *Urbibus*,

> *Diligo Burdigalam, Romam colo, civis in illa,*
> Consul *in ambabus, cunae hic, ibi sella curulis* &c.

De quorum Juramenti formula, V. *Statuta MSS* Monspeliensia ap. du Fresne *Glossar.* Idem titulus iis hodieq; tribuitur, qui in Emporiis seu portibus maris, mercatorum jura ac merces tuentur. *Charta* Jacobi R. Arrag. *A. C.* 1268. *pro Barcin.* & in mercatores suae nationis, exceptis tamen majoribus criminib. jurisdictionem exercent: Dicti quoq; *Regens dels mercadiens que van [illegible] er mar*, in Ch. A. C. 378. Eligebantur illi quotannis, & quum Magistratum inibant, Urbi, unde mittebantur solenni sacramento [illegible] obstringebant. V. de illis inprimis Librum Italicum [illegible] *del Mare*, editum Venetiis A. C. 157[illegible] Porro Codinus *de Offic.* [illegible] *num.* 9. Pachymeres *lib.* [illegible] c. 32. & [illegible] Prefectum quoq. Magistratum, qui CP. degebat, & apud Venetos *Baulus*, apud Genuenses *Abbas*, dicebatur, *Consulem* appellatum observant, apud eundem du Fresne *Glossar.* Admiralium item seu Supremum rerum aut classium Praefectum, apud Saracenos, pari appellatione fuisse insignitum discas ex Eulogio Toletano, *Memoriali Sanct. lib.* [illegible] & Will. Rishangero A. C. 1272. Nec omittendum, quòd in Ecclesia R. in Cardinales *perpetuos Consules* censeri, legitur apud Dominicum Macrum in *Hierolexico.*

Contacopectes, Graecè [illegible] vel [illegible], dictus est à voce [illegible], vel [illegible], genus jaculationis denotante, qui hoc genere ludi sese exercebat. Photius in *Nomocanone*, [illegible]. *Quintanae lusum* hodieq; Galli vocant: cujus mentio & in *Codice*. Est autem [illegible], *simplex jactus*: [illegible], *jactus cum conto*. Ruffinus in *Epigramm.* [illegible]

> [illegible Greek verses]

Ei similis lusus fuit [illegible], de quo suprà in voce *Cindalopectes*. At alius erat [illegible], cujus meminit Diomedes Grammaticus *Scholiis in Dionysium Thracem*, vetustissimum Grammaticum, qui inter exempla [illegible] cum aliis thaumaturgis [illegible] recenset. V. infra: Plura verò hanc in rem apud Salmasium *Exercit. Plin. ad Solinum pag.* 1012. Caeterum [illegible], *per cuspidem*, qui, cùm sine ferro est, [illegible] habet: hinc [illegible], ut dictum: Idem Doricè [illegible] vel [illegible], de quo lusu suprà. Inde & [illegible], *scapus chartarum*, vel volumen, ad instar baculi &c. *Ibid.*

Contejum, vulgò *Conty*, locus Galliae in Bellovacis. Hadr. Valesius in hac voce.

Contemplatio, apud Solinum *cap.* 37. *Siderites à contemplatione ferri nihil dissonat*; similitudo est, vel effigies: *Siderites* enim *ferro similis est*, ait Plinius. Sic in praecedd. de pantheris, *tradunt odore earum & contemplatione armenta mirè affici*, quasi Graecè dixisset, [illegible]. Eadem notione [illegible] aliquando Graeci dicunt, Latini recentiores *visionem*, uti videre est apud Auctorem, qui sub Felici nomine vulgatur. Graecia infimi aevi [illegible] & [illegible] similiter pro *specie* usurpat: ut [illegible] &c. Salmasius *ad Solinum pag.* 770. Caeterum *Contemplatio suorum* insatiabilis est, cujus rei infinita exempla in Amatoriis. Heliodorus *lib.* 2. [illegible Greek]. Et de Medea Valerius Flaccus *fine libri* 6.

> *Semper inexpletis agnoscit Jasona curis.*

Statius quoq; *Thebaid. lib.* 7. *versu* 650. de Atye moribundo, & Ismene, sponsa ejus,

> — *quater jam morte sub ipsa*
> *Ad nomen visus, dejectaq; fortiter ora*
> *Sustulit: illam unam neglecto lumine caeli*
> *Aspicit & vultu non exsatiatur amato* &c.

V. C. Barthium *Animadversion. ad l.*

Confessatio, præfatio est seu oratio, in Eccl. Rom. quæ Canoni Missæ præmittitur, quâ disponi Sacerdotem & populum, ad mysteriorum confectionem, ajunt; quòd, ut est in Codice Thuano, *confitetur Sacerdos fixam ac veram professionem Populi*, id est, *gratias referre Deo dignum esse* &c. V. Carol. du Fresne *Glossar.*

Continens, apud Martianum, *Terracina priùs insula, nunc conjuncta: Rheginiq; ab Siciliæ continenti separati, eaq; in compensationem connexa alluvis in insulam retegata*: Ovidio, *continua*,

Leucada continuam veteres habuere coloni,
Nunc freta circumeunt.

Terra est, nullo mari interrupta, cui Insula opponitur. Mela, *Aliàs insulæ videntur, aliàs una & continens terra*, i. quæ continenter juncta est. Sic *continenter sedere*, conjunctim & uno tenore:

An continenter quod sedetis insulsi
Centum aut ducenti.

Et *in continenti aliquid facere*, statim ac nullâ interpositâ morâ. *De tenenti*, legitur in *Pervigilio* Veneris,

De tenenti tota nox est pervigilanda canticis.

Id est, *continenter* tota nox pervigilanda, uno tenore, ac de *uno tenenti*, ut vulgò Galli loquuntur &c Salmasius *ad Solinum pag.* 83. Apud Ciceronem *Continentia scripta* sunt, quæ perpetuam historiam complectuntur, ordine temporum ac rerum gestarum serie continua expositam: *Ut à continentibus tuis scriptis, in quibus perpetuam rerum gestarum historiam complecteris, secernas hanc quasi fabulam rerum eventorumq; nostrorum; habet enim varios actus, multasq; actiones & consiliorum & temporum.* Ubi summus Orator alludit ad formam, quâ Poetæ Tragici ab Epico Cyclo, perpetuam historiæ fabularis seriem complexo, dramata secernebant & fabulas quasdam, quas ornarent variis actuum & actionum episodiis. Cyclus enim Epicus perpetuam narrationem [illegible] complectebatur: uti pluribus dicemus infrà, in hac voce. Etiam *continuari*, pro proximè & individuè comitari, quod idiomate suo Galli dicunt, *joindre quelqu'un*, occurrit apud Sisennam laudatum Nonio, *Marius ostio Liris evehitur, adq; Anariam suos continuatur.* Et *continare*, pro continenter ire, apud Solinum, *prope Panchajam continat in Solis urbem*, ad quæ loca V. eundem Salmasium ubi suprà pag. 249.

Continentes, Græcis Ἐγκρατεῖς, item Ἀσκηταὶ, V. suprà, ubi de *Asceiis*. In Communione Rom. in specie sic dicuntur. Fratres & Sorores Tertii Ordinis Fratrum Minorum, instituti ab ipso S. Francisco, qui & *de Pœnitentia* nuncupabantur, in *Bullis* Johannis XXII. apud Waddingum.

Contopæctes; Græcè Κοντοπαῖκται, apud Balsamonem in *Can.* 51. *Propter horum autem Canonum pœnas videntur excogitati ludi Imperiales*, Contopæctes *scilicet*. Hastiludium est seu Trojæ ludus Marcis Fratribus in *Hierolex.* de quo passim in vocibus *Hastiludium*, *Tornamentum*, *Tibia*. Sed aliud suadet ænigma Græcum, quod Juliano Apostatæ tribuit liber Regiæ Bibliothecæ, cum hoc lemmate:

[illegible] Κοντοπαικτῶν.
[illegible]
[illegible]
[illegible]
[illegible]

Cui interpretationis vice inserviunt verba Chrysostomi, [illegible] *Quid dicamus de hominibus illis, qui, contum in fronte gerentes, velut arborem in terra radicatam, ita immobilem tenent, ut pueruli exigui in summo ligno lusitent & luctentur secum invicem. Præparant autem frontem solam, ut omni vinculo sit tenacior.* Nempe radix homo est, qui conto subest quæ vivit & loquitur. Fructus, pueruli sunt in summo conto lusitantes & luctantes, qui pariter cum radice loquuntur & vivunt. Intra unius horæ spatium arbor illa erigitur ac radicitus eruitur, post finem sc. ludicri, deposito conto & abjecto. Meminit ludi hujus quoque Diomedes Grammaticus *Scholiis* in Dionysium Thracem, vetustissimum Grammaticum, qui inter exempla [illegible], κοντοπαίκτην quoq; cum aliis θαυματοποιοῖς recenset. Alius erat κοντοπαίκτης, de quo suprà. V. Salmasium *ad Solinum pag.* 1032.

Contorniati dicuntur Antiquariis nummi, ad Virorum Illustrium, qui prioribus seculis vixerant, revocandam memoriam cusi ab Impp. sicut & *Revocati*, sed ab his diversi. Et quidem *Revocati*, multo plures habentur ab ipsomet Augusto & Successoribus cusi; *Contorniati* primum occurrunt, post Constantini M. ævum, atque adeò circa Honorii demum tempora: In quibus primos tenet æreus ille Medallio, in cujus antica parte idem Augustus *majori habitu faciei* effingitur, cum hac Inscr. HONORIO AUGUSTO; in postica, expressus conspicitur Vir triumphali specie, laurea caput cinctus, dextrâ flagellum, sinistrâ palmam tenens, curru quadrijugo vectus, cum Inscr. EUTYMI NIKA, ita ut perigeminus sit alteri^ Medallionis, qui à Nerone primùm usus est, in memoriam Euthymii seu Euthymi Pyctæ Locrensis, de quo Plinius *lib.* 7. *cap.* 47. *Consecratus est*, ait, *vivus sentiensq; ejusdem Oraculi jussu — semper Olympiæ victor & semel victus.* Illum verò Neronianum Medallionem revocavit seu recudit Trajanus, levi discrimine à priore distinctum: utrumq; postea Honorius præfatus, V. du Fresne *Dissert. de Inscr. ævi Numism.* & infrà in voce *Euthymius*.

Contorquere Vitalia, apud Treb. Pollionem in *Claudio*, *Nam irasci ei, qui sibi non baltheum, sed vitalia, contorsisset*; terminus luctæ fuit Veterum, Græcis [illegible]. Statio, *ilia implicare*, *Thebaid. lib.* 7. *vers.* 886.

— *tergo nec spinus inhæret,*
Mox latus, & firmò celer implicat ilia nexu.

Ilia est firmo nexu implicare, seu vehementi nexu stringere: quo palæstrico schemate correpti quia plerunq; ventris crepitum emittebant, [illegible] etiam Græcis appellatum est. Hoc verò non semper fiebat, sed tum solùm, quum severâ & exactâ lege luctabantur. Aliàs cùm ludicri tantùm & exercitationis gratia lucta erat instituta, non tam severis legibus illa peragebatur. Nam nec nudi luctabantur, ut mos erat in Græcia luctantium: nec vitalia sibi sed *baltheum* solùm, *contorquebant*. Baltheus autem, ut notum est, medium hominem cingebat: hinc & [illegible] hoc schema dictum est. Atq; inde elogium veteris Athletæ: [illegible], *cujus vitalia nemo contorsit*: de quo V. Salmasium *ad Pollionem loc. cit.*

Contostaulus, Comitis stabuli dignitas in Aula Impp. CP. ex Κοντ[illegible], Ital. *Conte*, ut Cantacuzenus exponit *lib.* 1. *cap.* 4. & voce Lat. corruptâ *Staulus* i. *Stabulum*, Car. Macer *Hierolexico*.

Contractus, V. infrà *Syngrapha*.

Contraratio Sanctorum, sortilegii species, apud Halitgarium Camerac. Episc. *in Pœnitentiali cap.* 6.

Contrarotulator, Gallis dicitur, qui Græcis olim Ἀντιγραφεὺς, à voce *Rotulus* vel *Rutulus*, Gall. *rolle*, V. suprà in *Antigraphus*, & in voce *Rotulus* seu *Rutulus* infrà.

Contrascriptor, in vet. Inscr. CONTRASCRIPTOR SUMMI CHORAGI. Idem.

Contrasigillum, V. infrà *Sigillum secreti*.

Contubernium, manipulus vocabatur militum, qui sub uno papilione degentes, Decano, i. *Contubernii* capite dicto, parebant, Gr. Συσκήνιον: erantque Centuriæ in decem *Contubernia* divisæ. Per translationem, à cohabitatione servi cum ancilla, vox hæc etiam servilem conjunctionem significat: unde non matrimonium, sed *Contubernium* inter serviles personas contrahi dicitur. Sic *Pedisequa alteri servo in contubernio tradita* proponitur *l.* 39. *ff. de manum. testam.* Unde quæ à servis in contubernio habentur servæ, non Uxores aut Conjuges, sed *Conjunctæ*, ut ait Varro, item *Contubernales* dicebantur: quo nomine ea quoque conjunctio venit, quæ inter liberas & serviles personas intercedit. Imò etiam libertorum, qui ex justâ servitute manumissi erant, & liberæ mulieris consuetudo, non intercedentibus nuptiis: deniq; injusta quælibet atq; illicita conjunctio *Contubernii* nomine venit, Joh. Laurentius *in Phædrum lib.* 3. *fab. ult.* Sed & dicti *Contubernales* sunt adolescentes, qui rei militaris percipiendæ & provinciæ cognoscendæ causâ Magistratus in provinciam sequi solebant, Cic. Aliud quid est *Contubernium Imper. Majestatis*, apud Spartianum *in Hadriano Cæs.* h. e. Consilium, quod è Senatoribus primus instituit Augustus, ut cum iis, de negotiis ad frequentem Senatum referendis, antè tractaret, Sueton. *cap.* 35. V. suprà ubi de *Comitibus*, *Consistorianis* &c.

Contus, apud Papinium Statium *Achilleidos lib.* 2. *versu* 418.

— *didici quæ Pæones arma rotatu,*
Quo Macetæ sua gesa citent, quo turbine contum
Sauromates —

longa hasta est, veteri Scholiastæ. Certè *Contos* equestres fuisse hastas Sarmatarum, docet Tacitus *Histor. lib.* 1. *Mirum dictu, ut sit omnis Sarmatarum virtus velut extra ipsos. Nihil ad pedestrem pugnam tam ignavum, ubi per turmas advenere, vix ulla acies obstiterit. Sed tum humido die & soluto gelu, neq; conti, neq; gladii, quos prælongos utraq; manu regunt, usui* &c. Val. Flaccus *lib.* 6.

— *Comitumq; celer mutator equorum*
Massus, & ingentis frænator Sarmata conti.

V. quoq, Claudianum *Stilic. lib.* 1. *vers.* 111. & plura hanc in rem apud Casp. Barthium *Animadversion. ad Statium Achilleidos lib. cit.* Sed & ad ludos *contorum* usus. Illos enim θαυματοποιοὺς quosdam in fronde portasse, alios illorum jactu dexteritatem suam ostendisse, diximus suprà in vocibus *Cindalopæctes* & *Contopæctes*.

Convellere Signa, apud Livium *lib.* 3. *cap.* 7. *Adeò enim nulla spes animos eorum cepit — ut totis passim castris fremitu orto, in vasto ac deserto agro inter tabem pecorum hominumq; — tempus tererent: quum integra loca — petere possent; signa repentè convellerent, transversisq; itineribus, per Lavicanos agros in Tusculanos colles transirent*: quid sit, V. suprà in voce *Aquila Militaris*.

Conventuales Fratres, apud Matth. Paris. A. C. 1253 Monachi, qui collegialiter in *Conventibus* vivunt. In Communione enim

Rom. vox *Conventus* specialiter dicitur de Collegio Monachorum, apud Ebrardum in *Græcismo cap* 12. Odericum Vital. *lib.* 4. Alios. Item de loco, seu camera, ubi Monachi, de rebus suis secum invicem deliberaturi, conveniunt, in *Chron.* Fontanellenti & Lobiensi, apud C. du Fresne. Unde *Conventum tenere*, dicitur primus, qui inter Monachos, absente Abbate vel Priore, in officiis divinis, vel in refectorio, occurrit, in libro *Usuum Ordinis Cisterc. cap* 81. &c. Hinc *Conventus S. Lucæ*, in Græcia, non procul Parnasso, in monte *Stiri*, memoratus Jac. Sponio *Itiner. Gr. Part.* 2 *pag.* 74. & *seqq.* Est id Monasterium difficilis accessus totius Græciæ pulcherrimum, à Romano Imp. Orientis, filio Constantini VII & nepote Leonis cognom. *Philosophi*, fundatum, cui nomen à S. Luca Eremita, monasterii hujus incola, unde *Stiritis* ei cognomen. Plura de illo V. *dicto loc.*

Conversæ, mulieres, quæ à prava & dissoluta via, ad meliorem transeunt, vulgò Gall. *Converties*. His binæ olim destinatæ erant ædes CP. quarum prior a Justiniano M. extructa *Μετάνοιας*, h. e. *Pœnitentiæ*, ut docet Procopius *de Ædif. Justin. lib* 3 altera *Νέας Μετανοίας*, *Novæ Pœnitentiæ*, nomen habuit, ut refert Theophanes: Gallis *Maisons de Repenties*, V. du Fresne in *CP. Christiana*.

Conversi, dicti vulgò, qui à Judaica vel Mahometana superstitione, ad fidem Christianam convertebantur. Hinc narrant Matth. Paris & Matth. Westmon. sub A. C. 1233. Henricum III. Anglor. R. extruxisse Londini *Domum Conversorum*, pro errorem Judaicum relinquentibus, *in qua sub honesta vivendi Regula, certum haberent tutela vitæ sua domicilium, tutum refugium & sufficiens vitæ sustentamentum:* Quam quidem, expulsis postmodum Judæis Edvardus III. anno Regni sui 51. in Scriniorum Custodiam commutavit ut auctor est Spelmannus. His autem primo ipsi Reges victum vestimentaque conferebant, postmodum crescente numero, & ingruentibus bellis, in Abbatias & Monasteria singulatim eos amandabant &c. In Gallia, frequens quoque horum mentio, ubi *Baptizatorum* vulgo nomine veniebant & plerumque Regem Magnatesque patrinos habebant, qui similiter illis certos attribuerunt reditus, qui *Bursæ Baptizatorum* dicti sunt. V. du Fresne *Not. ad Joinvill. pag* 111. Apud Salvianum *ad Eccl. Cathol. lib.* 4. ubique hoc nomine insigniuntur Monachi, qui non ab infantia in Monasteriis enutriti essent, hinc *Nutriti* dicti: sed qui à seculari vita, quam aliquandiu professi erant, ad Monachismum postea accedebant. In specie vero *Conversi* in Monasteriis, Gall. *Freres Convers* dicuntur laici Monachi, lucis exercitiis & Monachorum obsequiis addicti, eò quòd primitus viri laici, pietatis, seu etiam quærendi victûs gratiâ, Monasteriis totos se addicerent, operam suam eis ad vitam locantes, inde *Laici Oblati*, *Donati* passim dicti. V. Haeftenum *Inquisit. Monastic lib.* 2. *Tract.* 1. *Distinct.* 8. In *Tabb.* tandem Ecclesiæ GP. sub Hugone Episc. apud Car. du Fresne in *Glossar.* occurrit crebrius quidam *Guigo Conversus*, item *Guigo Conversus Episcopi*, fere semper primus in subscriptionibus Chartarum ejusdem Episcopi, &c.

Convitia Gentilium, in Deos suos frequentia, cùm non è voto rei successerant: quo casu & statuas eorum lapidatas, alibi diximus. V. Casp. Barthium *Animadversion. ad Papinium Statium Thebaidos lib.* 1 *vers.* 79. & *libro* 5. *versu* 610. Item *in Superstitionum Commentariis*, & *Anim. ad Lucanum*. De *Convitiatoris* vero Poetæ pœna, V. Car. Paschalium in *Coronarum libris*. Sed & *Convitia*, de avibus occurrunt. Papin. Statius *lib.* 2. *Sylv.* 4. *versu* 15. de Psittaco Atedii Melioris, cui eo carmine parentavit Poeta,

——— ——— ——— vixit ille beatus

Carcer, & angusti nunquam convitia tecti.

Ubi *Convitia* garrulæ hujus avis clangores sunt. Ita Ovidius *nemorum convitia* picas vocat, *Metamorphos fine lib.* 5.

Aëre pendebant, nemorum convitia, picæ &c.

Conviva Apostolorum & Martyrum consors, cogn. Thomæ Cantuar. Archiepisc. apud Eund. *Conviva* Regis, *l. Sal tit.* 43 §. 6. *Si quis Romanum hominem Convivam Regis, occiderit*. alibique passim, quam inprimis in *Vita* S. Columbani *cap.* 24. ubi Chrodoaldus, & *cap.* 18. ubi Hagnericus, Regis Theodeberti Convivæ. Isaac item Pontanum *Hist. Danic. lib.* 5. ubi Blaco, S. Canuti Regis conviva, à quo Rex occisus, memoratur: dictus est, qui non minister solum seu officialis domus Regiæ, sed & intimâ Regis familiaritate, erat adeptus. *Convivæ Regis* hi iis erant, *qui honore mensæ regalis aliis anteponebantur. quos participes mensæ suæ efficit*, ut est in Concilio Tolet. XII. *Can*; & *quos divinis epulis adhiberi adorandi Principis societatem habere* consuevisse, ait *l.* 1. *Cod. Theod. de Comit. & Tribun. Scholar.* ubi Jac Gothofredus plura congessit de honore Mensæ Regiæ, ut & Bignonius *ad L. Sal.* Savaro *ad Sidonium Epistol. lib.* 1 Alii. Hujusmodi honorem Chimhamo & Mephibosetho, à Davide R. Israëlis exhibitum esse, in Sacris legimus. Simile quid *Hussars Reguer* in Persia hodieque, V. suo loco. Sed & etiamnum, qui ex familia & domo Regia sunt, *Ministri Regis*, Gallis vulgò *Officiers Commensaux de la Maison du Roy*, dicuntur. du Fresne *Glossar.* & *Dissertat. ad Joinvill.* 2.

Convivia, V. de iis jam aliquid suprà, in voce *Cibus*: item *Cœna*. In iis, Varro convivarum numerum incipere voluit à Gratiarum numero, & progredi ad Musarum, quibus Apollinem quoque suum indulget Erasmus. Vettius tamen apud Macrobium *Saturn. lib.* 1. *cap.* 7. Musas cum Gratiis conjungens, duodecim convivas adesse vult: scribitque Capitolinus *in Vero*, cum primum fuisse, in cujus convivio duodecim accubuerint, cùm vetus verbum esset, *Septem convivium, novem verò convitium.* Sed corrigens Capitolinum Casaubonus, famosissimam Octavii juvenis cœnam *Δωδεκάθεον* suggerit, in qua duodecim convivæ, duodecim Deorum nomine & specie; quam haud dubiè Verus æmulari voluit. Archestratus, Poëta Syracusanus, convivas esse aut tres, aut quatuor, aut non plures quinque vult, alias futurum conventum manipularium & rapto viventium, his versibus, apud Athen. *Deipnosophist. lib.* 1.

Ἔστω δ' ὁ [illegible] τέτταρες οἱ ξυνάπαντες,

Ἢ [illegible] πέντε γε. μὴ πλείους [illegible]

Μισθοφόρων [illegible]

Heliogabalus, memorante Stuckio *de Conviv. lib.* 4. *cap.* 2. invitavit *Octo calvos, octo luscos, octo podagrosos, octo surdos, octo [illegible] cos, octo insigniter nigros, octo insigniter longos, octo prapingues, & octo nasutos, delectatus illo Græco proverbio [illegible].* Horatius de convivarum numero ita *lib.* 3. *od.* 19.

——— ——— Tribus aut novem

Miscentur cyathis pocula commodis

Qui Musas amat impares,

Ternos ter cyathos attonitus petet

Vates. Tres prohibet supra

Rixarum metuens, tangere Gratia

Nudis juncta sororibus.

Qui non invitati accessere, Plauto *Muscæ*, Horatio *Umbræ* dicuntur:

——— ——— Locus est & pluribus umbris.

Solebant autem Veteres eos, quos invitarant, aliquando acriùs urgere pænulam eorum prehendendo, neque dimittendo, donec condicerent: unde phrasis orta, *Pænulam mihi scidit*, de iis qui serio rogati: & *Illius ego vix tetigi pænulam, tamen remansit*, de iis qui nimis faciles invitantem sequebantur. Antequam accumberent, calcei, ne inquinarentur lectuli, detrahi solebant. Terentius *in Heautont.*

Accurrunt servi, soleas detrahunt,

Video alios festinare lectos sternere &c.

Postquam accubuere, priusquam coronæ ex floribus, herbis ac auro in usum venirent, tum ad dolores capitis ex cibo potuque averruncandos, tum ad ebrietatem compescendam, laneis & lineis vinculis tempora & frontem vinciebant: sertis postea ex hedera, myrto acrosa inprimis hunc in finem usi, quamvis & *symbolum plenæ libertatis* fuerunt. Priùs autem domino convivii moris erat, schedam dari, quæ describta ordine oblonga omnia haberet, ut jam tum sciri posset, quid primum quid postremum coquus esset missurus. Epulæ a perito carptore divisæ, de quo vide suprà in voce *Carptor*, simulque *Conviviantium Magister* sorte electus est, V. infrà in voce *Tapula*. Interim dum structores carptoresque muneribus functi, organa, tibiæ variaque alia insonabant instrumenta, hydraulica inprimus, quorum frequentissimus in conviviis antiquorum usus fuit. Unde Theodoricus R. laudem meruit, quòd, dum epularetur, *organa hydraulica non sonarent*, apud Sidon. Apollinarem *lib.* 1. *epist.* 2. At Cato *in Originibus* & ex eo Cic. *Tusc quæst. lib.* 4. auctor est, *morem apud majores epularum fuisse, ut deinceps, qui accubarent, canerent ad tibiam clarorum virorum laudes atque virtutes*; eademque repetuntur *in Bruto*. Id fiebat in principio nascentis Reip. imo & temporibus Heroicis, *in hortamen virtutis*, ut loquitur Cæl. Rhodiginus *Antiqq. lect. lib.* 7. *cap.* 1. Sil. Italicus *Punicor. lib.* 5.

Cui nocturnus honos, funalia clara, sacerque

Post epulas tibicen.

Horatius *lib.* 3. *od.* 2.

Tuque testudo resonare septem

Callida nervis,

Divitum mensis & amica templis.

Et diu ante ea secula, in convivio Didonis, apud Virgilium *Æneid. lib.* 1.

——— ——— Citharâ crinitus Iopas

Personat aurata.

Sed & prisco Heroum ævo id receptum, docet Homerus in Phæacum convivio, *Odyss. lib.* 8. *versu* 498. imò jam ante expeditionem Trojanam, in Argonautica profectione, apud Val. Flaccum *lib.* 1.

Vinaq; & æquævos inter cum conjuge Divos

Æacides, pulsatq; chelyn post pocula Chiron.

De Philippi Macedonis convivio idem docet Plut. *lib.* 1. *de Fort. Alexandri* &c. Postea luxu omnia occupante, victâ jam Asiâ, deliciæ ex Musico concentu ambiri cœperunt. Unde Livius *Dec.* 3. *lib.* 9. *Tunc Psaltriæ Sambucistriæque & convivalia ludionum oblectamenta addita epulis.* Duplex itaq; in *Conviviis* Musica in usu fuit, una vocis, altera instrumentorum, dictique artifices *Thymelici* sunt, qui in pulpitis canere solebant. Præter eos exquisitæ ade-

rant

[illegible] dicuntur [illegible], qui non symphoniâ modò vocis suavi, [illegible] & petulantibus dicteriis convivas oblectarent ac incesserent, atque [illegible] plerunque ex Ægypto petiti. Numerum verò istiusmodi Symphoniacorum ingentem & plenè prodigiosum in Magnatum conviviis fuisse, discimus ex Cic. *Act. 6 in C. Verrem*, Senec. *Epist* 84. &c. Neque semper illi domestici erant, sed ut gladiatores, a mangonibus alebantur collataque mercede in privatas civium aulas, publicasque Principum [illegible] nabant palatia, teste Plinio *lib. 7. cap.* 12. V. quoque Suetonium *in Aug. cap.* 69. Macrobium *Saturn. lib.* 2 *cap.* 4 Solinum c. 5. &c. Quem luxum non reprehendit solùm acriter Hieronymus *Epist. ad Furiam*, & in se correxit Theodosius Senior, sed [illegible] olim ipse carpsit A. Gellius *lib.* 1. c. 11. Nec pueri modò procaciores, sed & puellæ his officiis adhibitæ sunt, quæ plerunque Gaditanæ erant. Juvenal. *Sat.* 11.

Forsitan expectas, ut Gaditana canora
Incipiat prurire choro plausuque probata
Ad terram tremulo descendant clune puellæ.
Irritamentum Veneris &c.

Utrosque conjungit Martialis *lib* 3. *epigr.* 62.

Cantica qui Nili, qui Gaditana susurrat.

Interim ipsos viros principes Musicæ operam dare, apud Romanos probrosum fuit, nisi forte in privatum oblectamentum. V. Jo. Rosinum *Antiqq. Rom. lib.* 5 *cap.* 26. *& seqq.* cum Thom. Dempsteri *Paralipomenis*, Cæl. Rhodiginum *lib.* 27. *cap.* 26. Alex. *Genialium dier. lib.* 5. *cap.* 22. &c. Apud Græcos tria erant *Conviviorum* genera, Ἔρανος seu *Cœna collatitia*, ad quam convivarum quisque symbolam conferebat, cujus rei arrhabo plerunque annulus fuit, Ter. *Dati annuli, locus, tempus constitutum*: Γάμος sive [illegible], ad quam invitati similiter [illegible] esse tenebantur, Aristoph. *in Pace*, & Εἰλαπίνη, convivium magnificè instructum, cui qui intererant, Εἰλαπινασταὶ dicebantur, vel quia [illegible] bibebant, vel quia in choreis suis [illegible] *spiras* faciebant: His mulieres apud illos interesse mos prohibebat. Contrà, *Quem Romanorum pudet uxorem ducere in convivium?* Corn. Nepos *præf. Vitarum.* Numerus convivarum non erat ultra triginta, eratque constitutus peculiaris Οἰνόπτης, qui, quoties & quantum biberetur, observaret, intemperantiores Areopago castigandos traderet: quam ob causam Græci ab istiusmodi nepotibus dicti sunt Μεγαρίζειν & Φυκιδίζειν. Convivæ postquam advenerunt, osculo vel amplexu salutati & voce, *Titus*, *Vir honeste*, compellati, antequam accumberent, moræ tædium ornamenta domus visendo fallebant, ut patet ex Aristoph. *in Vespis*. Magister dein convivii seu [illegible] à coquo [illegible], seu catalogum missuum ferculorumque accipiebat, eligebatur post hæc more Romanorum, hodiernorumque etiam Italorum, sorte Βασιλεὺς *i. Modimperator qui bibendi leges aliasque præscriberet, cujus imperium tam despoticum fuit, ut juberentur convivæ sæpissime* [illegible] *aut bibere aut caput perfundi*. Pollux *lib.* 2. *cap.* 8. Suffitus interea fiebant, tum ut nares quoque lautè epularentur juxta phrasin Athenæi, [illegible], tum ut Deos hoc pacto honorarent, quibus ferculorum primitiæ sacræ erant, in ignem conjici solitæ: Ut apparet ex illo Patrocli apud Hom.

——— Ὁ δ᾽ ἐν πυρὶ βάλλε θυηλάς,
Is autem in ignem conjecit libamina.

Ita epulabantur convivæ, coronati sertis ex myrto plerunque confectis, unde Euripid. στέψει δὲ κρᾶτα μυρσίνοις κλάδοις, *Incingis autem caput myrteis ramis*: quem Romanos imitatos docet Horatius, *verbis*,

Nunc decet aut viridi caput impedire myrto.

Etiam inungebant caput, Scholiastes *in Aristoph. aves*, quod & totum usurpatum fuisse a Romanis, ostendit illud,

—— *Habens uncta mollia serta* [illegible]

Utrumque ad vini æstum refrigerandum vaporesque dissipandos, [illegible] per quos facilius foras commearent, porro [illegible] in finem crambe conviviis frequenter adhibita, cujus naturali cum vino inimicitiâ ebrietatem præcavere studebant. Duabus insuper vicibus lavabant; ante epulas, quod [illegible], & post illas, quod ἀπονίψασθαι dicebatur. Quo gestu cibum ceperint, quoque ciborum potuumque genere usi fuerint, dictum est suprà in voce *Cibus*. V. quoque in voce *Bibendi ratio*. Inter epulandum [illegible], *clarè*, ut Quintilianus interpretatur, *excreare*, nobilioribus solùm: ungues verò resecare nemini licebat. Cuilibet convivarum puer ministrabat, cui apophoreta, seu portiones quædam ferculorum domum deferendæ committebantur, more etiam apud Romanos usitato, cui ministerio Æthiopes plerunque adhibiti:

——— ——— ——— *Tibi pocula cursor*
Getulus dabit, aut nigri manus ossea Mauri.

Aliud quiddam μερίδες erant, portiones nempe vel sacrificii, vel epuli, publico nomine absentibus amicis transmissæ: quales Arato obtigere ab Antigono R. apud Plutarchum: & à Sponsa, in nuptiali convivio, missas docet Aristophanes *in Acharn.* quod apud Romanos quoque & Hebræos obtinuit. Bellaria eorum nuces erant, fructus, & placentæ, dicebanturque [illegible], *Epidorpia mensæ*. Quibus omnibus accessere [illegible], *Cantus & Chorea*.

Cantiones eorum convivales frequentissimæ erant, *Harmodius*, cujus initium, Φίλταθ᾽ Ἁρμόδι᾽, οὔ τί που τέθνηκας, *Charissime Harmodie, nondum obiisti*, &c. apud Aristoph. in *Acharn* & *Vespis*. & *Admetus*, cujus initium, Ἀδμήτου λόγον ὦ ἑταῖρε μαθὼν τοὺς ἀγαθοὺς φίλει, τῶν δειλῶν δ᾽ ἀπέχου &c. *Admeti narrationem quisquis tenueris, strenuos amplectere, cave à timidis* &c. [illegible] quoque [illegible] pissimè narrata, de quibus vide infrà *suo loco*. [illegible] lætitiam convivalem temperabant [illegible], seu sigillis vel osculis, qualia Romæ in festo *Sigillaria* dicto, item ab Augusto apud Sueton. adhibita leguntur; Hæc tam ingeniosè fabricata, ut pro situs diversitate, facies alias atque alias ostenderent, Fortunæ inconstantiam & rerum humanarum vices epulantibus refricabant: quemadmodum apud Ægyptios, illato in convivium sceleto exclamare solebant, [illegible], *Bibe & Lætare, mortuus enim talis eris*, &c. Plura V. apud Rossæum *Archæologiæ Atticæ lib.* 6. *cap* 1 *& seqq.* Communiter autem bis in die epulabantur cibumque capiebant Græci: Unde ἄριστον, quasi ab ἦρι *manè*, prandium: & δεῖπνον [illegible], *cœna*, quòd à laboribus requiem præberet, Jul. Pollux *Onom. lib.* 6. *cap.* 1. Hebræorum *convivia* ordinaria dicta fuere *Aruccoh*, i. *Viatica*, ab ארח, quod *iter facere* significat. V. Jerem. *cap.* 40. *v.* 5. Prov. *cap.* 15. *versu* 17. Reliqua, quæ extra ordinem habebantur, vocabantur *Mischte*, i. *compotationes*, symposia. Præter hæc illa, in quibus sacrificiorum absumebantur reliquiæ, חג *Chag*, vocitatæ sunt: ad quorum imitationem, post S. Cœnam primi Christianorum suas Agapas celebrarunt. Accedentes convivas salutabant verbis, *Dominus vobiscum*, vel *Benedicat vobis Deus*, Ruth. *cap.* 2. *versu* 4. vel *Pax vobis*, V. Matth. *cap.* 10. *versu* 13. simul vel prosternebant se vel oscula figebant pedibus, V. Lucæ *cap.* 7. *vers.* 38. vel simpliciter illos osculabantur, Gen. 45. *vers.* 15. Lotio dein sequebatur pedum, Gentibus quoque usitata, unde Plautus *Pers. Locus hic tuus est, hic accumbe, ferte aquam pedibus*, quo officio servi fungebantur & vilissimi è familia: cui fini inserviebat vas aqua plenum, quod semper erat in promptu, Νιπτὴρ dictum, Joh. *cap.* 13. *versu* 5. aliàs ποδονιπτήρ: quales hydrias quoque illas sex, quarum mentio Joh. *cap.* 2. *vers.* 6. quidam fuisse volunt. Post hæc oleum in convivantium capita effundi mos erat, V. Lucæ *cap.* 7. *vers.* 37, 38. ut & Psalm. 23 *vers.* 5. Quibus peractis herus familiæ, poculum vino plenum manu ferens, mensam his verbis consecrabat: *Benedictus sis tu Domine Deus noster, Rex mundi, qui creas fructum vitis*: dein vino libato, in orbem convivis similiter illud gustandum tradidit, quem ritum ברכת היין *Bircath hajajin*, seu *benedictionem poculi* vocitabant, V. Lucæ *cap.* 22. *vers.* 17, 18. Panem post hæc scindebat, illumque ambabus tenens manibus sic precabatur: *Benedictus sis tu Domine, Deus noster, qui panem producis è terra*; quam ceremoniam dictam fuisse *Bircath halechem*, i. *Benedictionem panis*, annotat Drusius *in Nov. Test. part. alt. pag.* 78. Utraque sic peractâ benedictione vel ipse Pater familiâs, vel qui ejus loco benedixit, frangebat panem, ab hac ceremonia *Habotseang*, h. e. *Fractor* cognominatus, cumq; epulantibus distribuebat. Sic epulabantur, utilibus simul ac jucundis colloquiis sese mutuò oblectantes. Unde Tert. *Apologet. c.* 39. *Non tam cœnam cœnant quàm disciplinam.* V. Lucæ c. 14. *vers.* 7. & Judic. *cap.* 14. *versu* 12. Gratiarum postmodùm actio convivium finiebat: vel Patre familiâs, vel quodam ex convivis insigniori bus dicente: *Benedicamus ei qui nos bonis suis nutrit cujus benignitate vivimus*, ac respondent bus reliquis. *Benedictus sit, cujus benignitate vivimus*: quam ceremoniam appellabant *Bircath Hamazon*. Universi post hæc clarâ voce dicebant, *Timete Deum omnes sancti ejus, quoniam non est inopia timentibus eum: Catuli Leonum esuriunt, sed quærentibus Deum nullius boni inopia est.* Tandem, qui a consecratione poculi convivium auspicatus est, eodem ritu idem clausit: vocabant autem poculum hoc כוס הלל *Cos hillel*, id est, *Poculum hymni* [illegible] *seu laudis aut gratiarum actionis.* Hymni dein ac Psalmi succedebant, V. Marci *cap.* 14. *versu* 26. & plura apud P. Fagium *Comm. in Deuter. cap.* 8. *versu* 10. Accumbebant autem Judæi, non minùs ac Græci, & Romani, licet antiquioribus sedendi ritus in usu, V. supra in voce *Accumbendi ritus*. Præter Patremfamiliâs, habebant quoque Hebræi Magistrum convivii *Baal mischte*, Ἀρχιτρίκλινον, qui, Princeps Ministrorum, Patris-familiâs seu *Baal habeth* Οἰκοδεσπότου capessebat jussa. Quibus sunt qui addant Præfectos morum, quales Athenis Οἰνόπται & in aula Ahasveri *Oculi convivii* erant, V. Esther. *cap.* 1. *versu* 8. sed assensum non ab omnibus impetrant. Pauperum curam missis ciborum portionibus testabantur, unde Gentilium [illegible] & μερίδας ortæ, quem morem graves ob causas Concil. Laodicenum tandem sustulit. Cœnabant autem Judæi sub vesperam, quo tempore lautiùs epulabantur, prandium eorum in horam diei sextam, quæ in primam nostram, incidit. V. Gen. *cap.* 43. *versu* 16. Act. 10, *vers.* 9. & plura hanc in rem apud Thom. Godvynum *de ritibus Hebræorum*, *lib.* 3. *cap.* 2. De more verò factâ licitatione [illegible] convivas, apud Græcos Romanosque usitato, cujus in Commentariis Græcorum obscurum vestigium extat apud Athenæum *lib.* 13. V. infrà in voce *Licitatio*.

Convi-

Convivia Impp. V. in verbo, *Pascere.*

Convivia Tempestiva, dicebantur Vett. quæ, ut temporius inirii, sic seriùs finiri, moris erat: adeo quidem, ut etiam in multam noctem protraherentur, & usque ad Galli cantum, quod festis inprimis fiebat diebus. *De die* fieri dicebantur, Catullo:

Vos convivia sumptuosa lautè
De die facitis.

H. e. Meridie, quintam enim fere horam epularum istiusmodi tem, ori constitutam, apparet ex Cicerone *in Pisonem*, Martiale, Juvenale &c. Quibus proin *à tempestiva commissione* nomen. Cùm aliastum liberâ Rep. tum inclinatâ decimâ horâ, vel etiam serius cœnarent homines actuosi & in re sua vel publica occupati. Martialis *Epigr.* 10. *lib.* 7.

Balnea post decimam lassa.

Reliqui omnes *hora nona* aut decimâ. Philodemus *Epigr. ad Pison.*

Αὔριον εἰς λιτήν σε καλιάδα, φίλτατε Πείσων,
Ἐξ ἐννάτης ἕλκει μουσοφιλὴς ἕταρος,
Εἰκάδα δειπνίζων ἐνιαύσιον.

apud Salmasium *Not. ad Flav. Vopiscū in Floriano*, ubi plura in h. r.

Conviviales Coronæ, olim multo in usu. Et primò quidem, antequam luxus irrepsisset solennium epularum, suam quisque coronam ad convivium ferebat; ut postquam sese plusculum invitassent, eo serto, tanquam annulo, munirent sese adversus mala instantia ebrietatis. Sic de Centauris Euripides *Iphigen. in Aulide actu* 4.

Ἀνὰ δ' ἐλάταισι, στεφανώδει τε χλόᾳ
Θίασος ἔμολεν ἱπποβότας
Κενταύρων ἐπὶ δαῖτα τῶν Θεῶν,
Κρατῆρά τε Βάκχου.
Cum abiegnis telis, coronariaq́; herba
Turba venit equestris
Centaurorum, ad convivium Deorum,
Et craterem Bacchi.

Postmodum *Corona* convivarum cuivis ab hospite exhibita, idque initio epularum primum. Euripides *Jo. actu* 3.

— — ὡς δ' ἐσκηνωμένοι,
Στεφάνοισι κοσμηθέντες εὐχαρεῖ βορᾶς
Ψυχὴν ἐπλήσθη — —
Completis autem tabernaculis,
Coronis ornati festis dapibus
Animam explebant.

Et apud Athenæum *lib.* 15.

Ὡς γὰρ εἰσῆλθεν ἐς γεραιὰν, τότε ἐς δόμους
Εὐθὺς ἀνακλινθέντες εἶχον ὁ στέφανος ἐν τάχει.
Domum ut sunt ingressi veteris,
Statim accubuerunt, mox aderat corona.

Dein sub finem, ut hoc modo illi, quam parit ebrietas, gravitati & somnolentiæ mederentur. Id quod pluribus locis diserte tradit Athenæus & Plutarchus *in Conviv. Sapient.* & Theognis *in Sententiis*; ubi sic de convivio, ad finem properante, versus hos addit,

Χέρνιβα δ' αἶψα θύραζε φέροι, στεφανώματα δ' εἴσω
Εὐειδὴς ῥαδινῇ χειρὶ Λάκαινα φέροι.
Gutturnium autem statim forâs ferat, coronas verò intrò
Formosa teneris manibus Lacæna puella.

Gestabantur autem hujusmodi coronæ à convivis tantùm; & quidem sic ut illæ primò quidem caput, inde frontem, collum tandem redimirent. Anacreon,

Στεφάνους δ' ἀνὴρ τρεῖς ἕκαστος εἶχεν,
Τοὺς μὲν ῥοδίνους, τὸν δὲ ναυκρατίτην.
Coronas vero unusquisq́; tres habuit,
Quasdam roseas, aliam naucratitem.

Quo de more V. suprà ubi de coronis impositis *Collo.* Quòd si magnus hospes tecto excipi non poterat, ei mittebantur, ac tum censebantur inter hospitalia dona, uti legere est apud Tacitum *Annalium lib.* 14. Porrò Numini alicui dicatæ erant, idolisque inscriptæ, [illegible], uti habet Clemens Alexandr. *Pædagog. lib.* 2. *cap.* 8. Præter quas nonnullæ etiam inter medios convivas appendebantur oblectandis iis, qui & otiosi & ebrii intuebantur pendulas, uti videbimus infrà ubi de *Cylistis* & *Encylistis.* Omnes autem ex floribus erant primùm, & quidem è rosa inprimis: postmodum augescente luxuriâ etiam aureæ gemmatæque esse cœperunt &c. Quam in rem V. plura, apud Car. Paschalium in *Coronarum libris* passim, inprimis *lib.* 2. *cap.* 3. & infra in voce *Dissoluti.*

Conviviales Leges, a Convivii præside, quem talis astragalisque sorte multis eliet in nonnulli *Symposiarcham*, alii *Regem*, alii *Magistrum Convivii*, Varro *Arbitrum, curatorem* appellat, ferri solitæ sunt, de modo bibendi inprimis: V. Plut. *Symp. ßacœn lib.* 1. *quæst* 4. Harum meminit Cicero *in Verrem*: *Iste enim Prætor severus ac diligens, qui populi Rom. legibus nunquam paruisset, illis diligenter legibus, quæ in poculis ponebantur, obtemperabat.* Idem *lib. de Senectute*, *Me vero & Magisteria delectant à Majoribus instituta & is sermo, qui more Majorum à summo adhibetur in poculo* &c. Aliæ fuere Leges, quæ Conviviorum luxui modum posuere, de quibus supra, in voce *Cibaria leges.*

Conviviales Vestes, vel accumbentium erant, de quibus V. suprà in voce *Cœnatoria vestis*, vel ministrantium, qui, ut expeditiores essent, in sola tunica fuere. Quò spectant Ammiani verba, *Stetit itaque subtabitus nusquam reperto paludamento tunicâ auro distinctâ, ut Regius minister indutus à calce in pubem, ut pædagogiani pueri speciem.* Alexander verò apud Lampridium, *Auratam vestem ministrorum nullum vel in publico convivio habere* voluit. Nec in publicis solum sed in privatis quoque conviviis Ministri tunicati: Seneca *de brev. vitæ*, *cap.* 12. *Cùm videam, quàm diligenter exoletorum suorum tunicas succingant.* Horatius,

Præcincti ut rectè pueri comtiq́; ministrent.

Hinc etiam Christus Dominus, pedes Apostolorum ante convivium loturus, posuit pallium, quia, ut Nonnus interpretatur, servile opus facturus erat: Servorum enim erat, sine pallio, aut alia veste exteriore, tunicatos ac cinctos, vel etiam linteo succinctos, ministrare. Suet. *de Caligula*, *Senatores summis honoribus functos cœnanti sibi modo ad pluteum, modò ad pedes stare succinctos linteo passus est.* Contrà memorat Casaubonus *in Exercit.* de Essenis, illos mancipiorum usu repudiato, liberorum opera in conviviis utentes, cavisse, ne ullam habitus servilis speciem, inter ministrandum, præberent, & propterea discinctos, ac demissis tunicis in cœnationem solitos fuisse ingredi. Sub Flaviorum imperio ministri Regii albati inservierunt, unde Domitianus apud Suetonium *generum fratris* (Sabinum) *indignè ferens & ipsum albatos ministros habere, proclamavit* [illegible]. Vel ergo privatorum servi in tunicis pullis ministrarunt, quem vestis servilis colorem Plautus & Artemidorus indicare videntur. vel si & illis alba tunica, quod conviviorum lætitia verisimilius facit, præcipuè in linea interula; regiorum ministrorum tunicæ candidatæ fuerunt, i. creta candefactæ, vel non tantùm hæ albæ erant, sed & auro distinctæ. Verùm nondum tunicis ministrantium additum tum aurum, sed longo pòst tempore, cum scilicet paragaudes institutæ, existimat Ferrarius. Seneca *loco suprà citato*, etiam alios in conviviorum ministris colores agnoscit, *Qui vinctorum suorum greges in ætatum & colorum paria dividit.* Etiam apud Petronium, *In aditu ipso stabat ostiarius prasinatus, cerasino succinctus cingulo*: qui mos servitia per varios colores, quos *Livreas* appellant, excolendi, à Circi factionibus & coloribus profluxisse videtur. Ministrantium ornatum cultumque ex antiqua tabula, quam Ursinus *in app. ad Ciacconii triclinium* dedit, exhibet Oct. Ferrarius de *Re Vestiar. lib.* 3. *cap.* 5.

Conuphis, Ægyptius, Præceptor Eudoxi Cnidii, Clemens *Alex.* 1. *Strom.*

Conus, apud Solinum *cap.* 33. ubi de phœnice: *Apud eosdem nascitur phœnix avis, aquilæ magnitudine, capite honorato in conum plumis exstantibus* &c. idem quod *apex.* Propriè autem apex est galeæ, seu in medio galeæ pars eminens e ferro vel ære, quæ ad ornamentum & insigne variâ formâ fiebat, interdum facta, ut cristæ & pennæ in ea ponerentur, interdum & sine pennis. Multæ enim galeæ absque *cono*, ut gregariorum militum: multæ cum cono quidem & apice, sed sine cristis & pennis; aliæ cum utroque. Cujusmodi *conorum* omnium exempla visuntur in antiquis monumentis. Apud Polybium πτερωτὸς στέφανος, *plumea corona* seu crista occurrit, è qua tres pennæ surgebant rectæ, cubitum altæ: Græci φάλους vocant lucidos clavos, vel asteriscos aut clypeolos, quibus summa pars galeæ pro apice insignita erat. Hesychius φάλαρα, [illegible] exponit. Qui velut nodi ac clypeoli in summo acmestio galeæ, *conum & apicem* vocabant. Sed & *cristæ* addebantur, pennæ viz. *cono* galeæ aptatæ; ut & ex ipso ferro laminæ eminentes & rectæ: qui ornatus majestatem & amplitudinem videbatur addere. Exemplum pulchrum in virgine, cui captivæ suam galeam dux quidam imposuerat, egregiè quidem cristatam. Quâ cùm illa ornata procederet è Templo, pro Dea habita, momentum grande mutandis rebus præstitit. V. Plutarchum *Arato.* Sic Virgilius de Turno *Æneid. lib.* 9.

— — *tremunt in vertice cristæ*
Sanguineæ.

Et Tyrtæus, hortatus juvenes ad fortiter pugnandum, ait κινείτω δὲ λόφον δεινὸν ὑπὲρ κεφαλῆς, *moveat autem* (unusquisque vestrum) *conum sævum super capite.* Et quidem hic *conus* interdum duplici, quandoque triplici & quadruplici cristâ fuit insignis. Unde illa apud Poetas epitheta ἀμφίφαλος & τετράφαλος [illegible]. Item τετράφαλος, τετραφάληρος, &c. Quam in rem V. plura apud Salmasium *ad Solinum pag.* 546. Casp. Barthium *Animadversion. ad Papinium Statium lib.* 3. *pag.* 1674. & Car. Paschalium *Coronarum lib.* 18. *cap.* 19.

Conyza, mas & fœmina, describitur Hesychio, in voce Κόνυζα: ubi λεπτὸν φύλλον vocat fœminam, quòd tenuia & angusta habeat folia, marem verò ait esse φύλλα πλατέα ἔχουσαν, *largiter foliatam.* Unde & stramenta farciebant & scopas faciebant: Sed & imbricum vice tectis tegendis utebantur. Sunt autem imbrices tegulæ [illegible] & tabulatæ, quæ imbrem derivant in tectis. Uti ergo ulva palustri, frondibus, harundine, stramentis, sic *conyzâ* quoque seu *cunilagine*, uti Latini appellabant, tuguria olim tegi consuevere. Idem Hesychius, [illegible]

σίγματι ἀντὶ ανδίνου &c. V. plura de hac herba apud Salmasium *ad Solinum pag.* 1257. *& seqq.*

Cooperiendi insepulta corpora, pulvere ter injecto, ritus. V. infrà, ubi de *Gleba sepulchrali.* Hinc *Coopertorium*, inter vestes sacras, vel ministeria sacra, recensetur Anastasio in *Sergio*: Gregorio item Turon. *de vitis Patrum cap.* 8. *Dans* coopertorium *Sarmaticum, quo altare Domini tegeretur.* V. infrà *Palla & Pallium.*

Copa, apud Suetonium *Nerone cap.* 27. *Quoties Ostiam Tiberi deflueret, aut Bajanum sinum prænavigaret, dispositæ per litora & ripas diversoriæ tabernæ parabantur, insignes ganea & matronarum institoria, copas imitantium, atque hinc inde hortantium, ut appelleret*: fœmina est, cauponariam exercens, unde etiam nomen. In paris velaniæ Aviti Imp. narratione eas *πόρνας*, *scorta*, vocat Dio: nempe apud vett. Hebræos, Græcos & Romanos, inter *Copam*, & Meretricem, aut nihil, aut parum intererat. Notæ enim *blanditiæ* istæ *tabernariæ*, ut Apulejus vocat: quas ἐκ τῆς ὁδοῦ τοὺς παριόντας ἁρπάζειν, *è via prætereuntes rapere*, Theophrastus ait *in Character.* περὶ κακοδ. Institorium earum velum habuisse oppansum, in quo κρίκοι, *orbiculi*, ut adduci & reduci facilius possent, apud Dionem lega ubi suprà. De eodem accipiendum apud Juvenalem *Sat.* 8.

— Lateranus ad illos
Thermarum calices, inscriptaq; lintea vadit &c.

De *Copa*, toto carmine, ejusque Auctore alibi. V. Casaubonum *ad Suetonium, d. l.*

Copais Lacus, Græcè Κωπαῒς λίμνη, in Græcia, à circumjacentibus oppidis varia olim cognomina nactus est. Namque & *Haliarthius* & *Orchomenius* & *Alalcomenius* dicebatur, donec in nomen *Copaïdis* totus concessit. In eum Cephisum influere, diximus in voce *Copæ.* V. Salmasium *ad Solinum pag.* 117. & 579.

Cophes, adde: Vel *Cophen*, Græce Κωφὴν vel Κωφὴς dictus est, postea *Suastus*, Σουαστος, nomen accepit, uti ex Ptolomæo discimus. Choaspem, non Persicum illum, vel Susianum, uti Dionysius scripsit, sed Indicum, cujus Strabo meminit *lib.* 15. recipit, & quatuor Satrapias ad Orientem includit, Gedrosios, Arios, Paropamisadas & Arachotas, teste Plinio *lib.* 6. *cap.* 21. quæ alii omnia *Ariorum* nomine comprehendebant. Salmasius ubi suprà *pag.* 701.

Cophinus, in Ecclesia Rom. in ministeriis sacris, Anastasio Bibl. Macro tabernaculum, in quo Eucharistia asservatur, al. *Armariolum.*

Cophthi, quasi *Incisi*, per contemptum à Mahumetanis dicti sunt Christiani Ægyptii seu Monachi aliique religiosæ vitæ sectatores: adeoque diversi à *Coptis*, de quibus suo loco. V. Athanasium Kircherum in *Prodromo Copto cap.* 1. ut & in voce *Ægyptus.* Addam saltem Festa *Coptitarum* seu Ægyptiorum Christianorum, tum majora tum minora quæ memorantur Scriptori perinsigni Mahumedano Abulaibsan Achmed Calcatendio, in Bibl. Seldeniana MS. *pag.* 523. de quibus is procul dubio ab aliquo illic Christiano edoctus est. V. Joannem Seldenum *de Synedriis vett. Ebræorum lib.* 3. *cap.* 15. & hic passim. Series eorum ista.

Festa Coptitarum, seu Ægyptiorum.
Majora VII.

I. Annuntiatio. d. 29. mensis Ægyptiaci *Barmahath*, cui Martii Juliani 25. respondet.
II. Olivæ seu Olivarū, d. Solis postremo jejunii illorum seu Quadragesimæ: cui Dominica in Palmis respondet.
III. Paschæ.
IV. Feria quinta τῆς Quadragintæ, seu Festum Ascensionis, quadragesimâ die a Festo Ascensionis.
V. Festum Quinque, sc. dierum decadum, seu Pentecoste; incidit in diem 26. *Baschunes*, id est, 21. Maji Juliani.
VI. Nativitas Domini, in diem 29. *Chiak*, qui dies est 25. Decembris Juliani.
VII. Immersio, id est, Baptismus Domini; assignatur diei undecimo mensis *Tuba* Coptitarum, qui est ipse Januarii Juliani dies sextus.

Minora itidem VII.

I. Circumcisio Domini: die 6. *Beuna*, qui est Maji Juliani 31 Nisi, pro *Beuna*, legendum *Tuba*
II. Quadragesima, incidit in diem 8. *Mahi* mensis Ægypt. qui Augusti Juliani primo respondet.
III. Feria quinta confœderationis seu testimonii mutui Discipulorum, quando Dominus pedes eorum lavabat, triduo ante Pascha.
IV. Sabbatum Luminis, Sabbatum Sanctum & Sabbatum Paschatis dicitur, olivarum in quo cerei Paschales benedicti.
V. Festum Claudens seu Terminans, est octiduo post Pascha.
VI. Festum Transfigurationis Domini, d. mensis *Mesure* 13. Augusti Jul. 6. quo Græci & Occidentales illud recolunt.
VII. Festum Crucis incidit in diem 17. mensis *Thoth* seu Septembris 14. quo *Exaltatio Crucis* per Ecclesiam celebratur utramque, etiam Antiochenam. Addit ibidem Calcasendius compluria alia sed breviusculę festa ac solennitates illic Christianorum, quas quo pacto enumeret in mensibus Ægyptiorum, V. apud Seldenum ubi suprà.

Copiatæ, apud Epiphanium *Hæres. lib.* 3. Κοπιαταὶ, οἱ τὰ σώματα περιστέλλοντες τῶν κοιμωμένων: Clericis accenseri videntur *leg.* 1. *Cod. Theod. de Lustrali Collat.* quæ est Constantii, ubi recèns instituti dicuntur: iidem fortè cum *Fossariis*, & *Parabolanis*, de quibus suo loco; ut & in voce *Laborantes.*

Copkinus, moneta argentea, in *LL.* Opstalbomicis Frisicis *cap.* 21. apud C. du Fresne *Glossar.*

Coppatiæ Equi in Circensibus, ab insigni inusto Κόππα nomen habuere. Duas enim præcipuè literas Græci imprimebant equis, *Sigma*, unde Σαμφόραι, & *Coppa*, unde Κοππατίαι equi. Et quidem τὸ κόππα fuit Ρ ὁ inversum, hocque modo apud vetustissimos Græcos pingebatur, *ϙ*, quæ forma est Latini *q*. Recentiores Græci paulo aliter eam pinxerunt, non clausam, ad hunc nempe modum G. Et sanè ex *coppa* Græcorum & formam & nomen literæ suæ *q*. Latini sumserunt, eundemque ordinem in alphabeto eorum obtinuit, quem apud Græcos κόππα: nam post π statim sequebatur, ut ex Scholiaste Aristophanis patet, Κοππατίας ἵππους ἐκάλουν, οἷς ἐνεκεχάρακτο τὸ G. σημεῖον, & alibi ubi τὸ σημεῖον... προσαγορεύει τὸ κόππα scribit, & proin character fuit numeri XC. Itaque κόππα vicem literæ olim apud Græcos fungebatur, postea abusu veluti supervacuum rejectum est. Hinc τὸ κόππα ἀπὸ τοῦ ἰλλοχίου, pro *re nullius momenti* usurpavit Callimachus. At Græci Grammatici recentiores adeo nesciverunt, quid esset Κόππα veterum, ut vulgò ἐνενήκοντα σημεῖον appellarent, &c. Quam in rem V. plura apud Salm. *ad Solinum p.* 592.

Copratas, fluvius Asiæ, post Choaspem memoratus Straboni: Μετὰ γὰρ τὸν Χοάσπην ὁ Κοπράτας ἐστὶ καὶ ὁ Πασιτιγρις, ὃς καὶ ἐκ τῆς Οὐξίας ῥεῖ καὶ αὐτός, *Post Choaspen* Copratas est *& Pasitigris, qui & ipse ab Uxia regione oritur.* V. Salmasium ubi supra *p* 702.

Copreæ, Turnebo *Stercorarii*, scurræ erant, olim Romanis in deliciis. Ita enim is apud Suetonium *in Claudio cap.* 8. legi vult: *Et quoties post cibum obdormisceret, (quod ei ferè accidebat) olearum ac palmularum ossibus incessebatur, interdum ferulâ flagròve, velut per ludum excitabatur à* Copreis, *solebant & manibus stertentis socci induci.* Vid. illum *Adversar. lib.* 22. *cap.* 32. ubi tamen qui *Copreæ* essent non explicavit; at Jos. Scaliger id expeditum dedit *in Fest. lib.* 17. in voce *Scurræ.* Sunt tamen, quibus insolens & pene incredibile videatur, in Convivium Virorum Principum, fœdissimos illos, impudicos & *Stercorarios* fuisse admissos. Itaque quidam, *à tropeis excitabantur*: quidam *à crepis*, alii aliter legunt. V. Joh. Rosinum *Antiquitatum Romanarum lib.* 5. *cap.* 6. cum Th. Dempsteri *Paralipomenis*, ut & infrà ubi de *Nesnicologis, Scurris* &c. Hos enim Κοπρίους ... & ... Græcis dictos, Latinis *Copreas*, fuisseque hanc vocem in aulis Principum Rom. jam inde à temporibus Triumvirorum in usu, ex Dione *lib.* 50. docet Casaubonus, lectionemque Turnebi ac Scaligeri tum in loco præf. tum in *Tiberio cap.* 62. pluribus confirmat, *Animadversion. ad h. l.*

Copta, sive placentæ, Græcè τραγήματα, Hierophilo. Aliàs τράγημα simplex quid & sic siccatum est, ut uvæ passæ, caricæ, palmulæ & similia: πέμμα verò, compositum & coctum. V. infra in voce *Tragema.* Sed *Coptaria*, eadem cum pastillis ... rotundis Chirurgorum, quæ formâ longiore & rotundâ plerunque fiebant, ut instar haberent dactyli vel balani. Unde ... quoque itera ... (pro ...) Theomnesto Hippiatro, apud Salmasium *ad Solinum pag.* 1333. Κόπτειν vero verbum propriè tinearum est; unde ... *vestes tineis perusæ*, ἄκοπα, *à tineis illæsæ*, Idem *pag.* 949. Erat autem *Copta* placentæ genus, cui contusæ (unde nomen) species aut legumina commiscebantur. Martialis *lib.* 2. *Epigramm.* 85.

Vimine clausa levi niveæ custodia coctæ &c.
Hoc tibi Saturni tempore munus erit &c.

Ita quidem Junius & Critici quidam, sed Ramiresius *coctæ* legit hocque nomine decoctam nivem refrigeratam intelligit. Idem de *Copta Rhodia*, *lib.* 14. *Epigramm.* 68.

Peccantis famuli pugno ne percute dentes:
Clara Rhodos coptam *quam tibi misit, edat.*

Ubi *coptam*, fuisse placentam ex siligine, amygdalis, nucleis, passulis &c. docent Eruditi. Rhodiam tamen adeò duram fuisse, jocatur Poeta, ut dentes, nisi firmos, penè eliderct sicque colaphi vice servis mandenda posset porrigi: instar enim panis erat buccellati, Farnabius *ad l.*

Copula, apud Capitolinum *Maximino, Dextrocherium cum copula de hyacinthis quatuor* &c. ea pars dextrocherii est, quâ jungitur & *copulatur*; vel tænia potius utraque dextrocherii parte pendens, quâ dextrocherium alligabatur. *Gloss.* Copula, ..., ..., ubi legit Salmasius, ..., h. e. ... *catenula*. ... etiam & ... certè in mundo muliebri numerat Pollux. Aurea itaque & gemmis inclusa ista dextrocherа, fasciâ vel loro sericeo ad manum ligabantur, quam *copulam* vocat Capitolinus, quamvis ex auro eandem fuisse nihil impediat. Salmasius *ad l.* Quid verò *Dextrocherium* sit, V. infrà.

Copi-

Coquiae Officii, magni apud Romanos, sequiori ævo, habiti sunt. Plinius *lib. 9. cap. 17. At nunc Coci triumphorum pretiis parantur, & Cocorum pisces: nullusque propè jam mortalis æstimatur pluris, quàm qui peritissimè censum Domini mergit.* Et Val. Maximus *lib. 9. cap. 17. Inde ab Oceani litoribus abstracti pisces; inde infusæ culinis artes; conflatus quæ edendis ac bibendis reperta voluptas est.* Quod quando primum cœperit, exponit Livius *lib. 39. cap. 6.* ubi de Cn. Manlii Vulsonis triumpho: *Luxuriæ peregrinæ origo ab exercitu Asiatico in urbem invecta est: ii (milites Vulsonis) primùm lectos æratos* — *Tum coquus, vilissimum antiquis mancipium & æstimatione & usu in pretio esse, & quod ministerium fuerat, ars haberi cœpta.* Ideam *Coqui* expressit apud Athenæum *lib. 3.* Damoxenus Comicus, apud quē culinæ instrumentum, condimentorum indiculus, porcus Trojanus & *Coqui* gloriosa Magisteria recensentur: cujus artificii fuere, Æsopi nobilis patina, cœnæ Metellianæ, Apiciana decreta & alia hujusmodi sexcenta, excogitata in perniciem censuum & patrimoniorum. Appulej' *Metam. l. 10. Hic erat dives admodum dominus, & illorum alter Pistor dulciarius, qui panes & mellita concinnabat edulia, alter* Coquus, *qui sapidissimis intrimentis succ.... pulmenta condita vapore mollibat.* Eleganter Martialis *lib. 4. Epigramm. 18.*

Non satis est ars sola Coco, servire palato,
Namq; Coquus domini debet habere gulam.

Neque verò unico tantum contenti erant. Juvenalis *Sat. 9. versu* 109. Archimagiri seu *Principis Coquorum* meminit.

—— *Librarius, Archimagiri,*
Carptores.

Et vetus Inscr. *Vicarii supra Cocos,*

HIC. OSSA. SITA. SUNT
FAUSTI. ERONIS.
VICARII. SUPRA.
COCOS.

In scena *Coquorum* nomina, *Anthrax, Congrio, Machario.* Vestis duplex & rudis, seu fulloniæ expers, fuit. Jul. Cæs. Scaliger *Poetices lib. 1. cap. 13.* Ad tibiæ sonum epulas apparabant. Idem *lib. eod. cap. 20. Tyrrheni non uno genere (tibiæ) utenti. Singulari quidem canebant in sacris eaque ænea, tanto apud eos in honore ut, quemadmodum scripsit Aristoteles, non solùm ad ejus sonum pugiles certarent, verum etiam, quum in necessi flagris animadverteretur, tibiæ sonum adjungerent. Quin etiam, quod mirere magis, coqui ipsi ad ejus sonum epulas apparârunt.* Apud perditissimos Sybaritas etiam coronabantur, uti discimus ex Athenæo *lib. 12.* ii inprimis, quos luxus erudierat ferculis & condiendis & apponendis. V. Car. Paschalium *Coronarum lib. 7. cap. 6. &c.* Alias antiquitus idem *Coquus* ac Pistor. Sed & in rustica familia, culinæ, quam in chorte constituit Vitruvius, adscribit Pignorius mulieres, quæ pulmentaria rusticis coquebant, item eos qui cibum familiæ conficiebant: ejusdem loci dicit fuisse Focarias, quarum meminere Pomponius, Ulpianus & Paulus Jurecoss. passim. V. eum *Comm. de Servis.* Et hi utrobique servi fuere. Major dignatio *Coqui*, qui Hebraice dicitur שר טבחים, quales fuere Potiphar, & Arioch, & Nebusaradan, in Sacris: quem Josephus & Græci reddunt Ἀρχιμάγειρον. Qualemque ex Euhemero Coo Cadmum quoque fuisse, tradit Athenæus *lib. 14.* Regis sui μάγειρον. Sic in Historia Francica Johannes Castellionæus *Magnus Coquus Franciæ* reperitur dictus, de quo V. suprà ubi de familia hac actum, & infrà in voce *Princeps Coquorum.*

Cor, princeps animalis pars, hisce describitur Plinio *lib. 11. cap. 37. Cor animalibus cæteris in medio pectore est, homini tantùm infra lævam papillam, turbinato mucrone in priora eminente. Piscibus solis ad os spectat. Hoc primum nascentibus formari in utero traduntur, inde cerebrum, sicut tardissimè oculos. Sed hos primùm emori, cor novissimè. Huic præcipuus calor, palpitat certè & quasi alterum movetur animal intra præmolli firmoque opertum membranæ involucro, munitum costarum & pectoris muro, ut par erat — sinuosa specu & in magnis animalibus triplici, in nullo non gemino. ibi mens habitat — solum hoc viscerum vitiis non maceratur, nec supplicia vitæ trahit: læsumque mortem illico affert — Hirsuto corde gigni quosdam homines proditur, neq; alios fortiores esse industria, sicut Aristomenem Messenium, qui CCC. occidit Lacedæmonios. &c.* Quia vero pectus principis hujus partis sedes, inde in conviviis Vett. non solùm capiti & collo, sed & pectori applicabantur coronæ, ut odorum fragrantiâ illud recrearetur. In cujusmodi coronis illæ fuere, quibus inditum nomen *hypothymidis* seu *hypothymiadis*, quæ collo appensæ ad pectus descendebant, V. infra in hac voce. Earū meminit Anacreon in his,

Plexas & hypothymidas
Circa pectus tuo
'Ετεθ.
Plicatiles hypothymiadas
Circa pectus e tuo
Disposuerunt.

De *Cordis* usu in Extispicina Romanorum, ut aliquid addam. Plinius ubi supra, ita pergit: *Nec cordi summo pinguitudo est quædam lætis nexis. Non semper autem in parte extorum habitum est. L. Postumio Albino Rege sacrorum, post centesimam vicesimam tertiam olympiadem, cùm Rex Pyrrhus ex Italia discessisset, Cor in extis aruspices* inspicere cœperunt. *Cæsari Dictatori, quo die primùm veste purpurea processit, atq; in sella aurea sedit, sacrificanti bis in extis defuit. Unde quæstio magna — potueritne sine illo hostia vivere?* V. quoq; infrà ubi de *Extispicibus.* Sed & hoc seculo in Ducis Feriæ aperto corpore cor non apparuisse, sed in pericardio aquas solum repertas, traditur, qua de re extat lepidum Epigr. Casp. Barlæi *Poëm. Part. 2. &c.* Hinc *Corculi*, apud Romanos dicti, Plin. *l. 7. c. 31.* V. infrà.

Coraciæ, Gall. *Cuirasses*, V. suprà, ubi de *Clibanariis.*

Coratica Sacra, species Mithriacorum olim sacrorum, quæ multiplicia fuisse constat: sic dicta, quòd ὑπηρετοῦντας, *ministrantes, corvos* vocabant. Eorum mentio apud Ambrosium & in vett. *Inscriptionibus.* V. quoque infrà *Hyænica & Leontica.*

Coracina Vellera, Straboni κοράκινα, dicebantur, quæ Romam afferebantur ex Hispania. Ita enim is *l. 3.* de Hispania, [illegible] Ubi de lanis loquitur coloris *coracini* sive corvini, quæ ex Hispania in Italiam importabantur, cùm prius vestes importari solitæ essent. Tales autem Hispanas fuisse lanas, ex Plinio discimus *l. 8. c. 48. Hispania nigri velleris præcipuas habet.* Cujusmodi colore lanas eximias fuisse habitas, idem Strabo docet *l. 12.* V. Salmasium *ad Tertull. de Pallio c. 3.* Color hic à pullo distinguitur Vitruvio *l. 8. c. 3. Quamvis sint albæ, procreant aliis locis leucophæa, aliis locis pulla, aliis coracino colore.* Nempe color κοράκινος aliquid luminis habet, cùm pullus sit ἀλαμπὴς *splendoris expers.* Unde κοράκινον χρῶμα docti definiunt *colorem cum aliquo splendore nigerrimum.* Qui proin non in lanis solùm, sed & in capillis, placuit. Hinc de Sponso Cantici Cantic. *c. 5. v. 11. Antiæ ejus pendulæ nigræ ut corvus:* & Apuleji *l. 2* laudatur capillus *corvina nigredine cæruleus.* Martial. quoq; *l. 3. Epigr. 43.*

Mentiris juvenem tinctis, Lentine, capillis,
Tam subitò corvus, qui modò cygnus eras, &c.

Sam. Bochartus *Hieroz. Part. poster. l. II. c. 10.* V. quoque Salmasium *ad Solinum p. 876. de Coracinis* verò piscibus Nilidis, lacus Æthiopiæ, *Ibidem p. 134.*

Corallium, recentioribus Græcis Κοράλλιον, antiquioribus Κουράλιον. Dionysius,

[illegible] κουράλιον.

Unde & Ovidius.

Sic & Curalium, *quo primùm contingit auras*
Tempore durescit.

λιθόδενδρον est, i. *arbustum seu frutex ad lapidis naturam accedens*, cui quod evellatur retibus, aut acri ferramento præcidatur, [illegible] *à tonsione* nomen. In Mari Mediterraneo passim reperitur, ut & in Gallico sinu circa Stœchadas Ins. in Etrusco, apud Graviscas, in Campano ante Neapolim, in Siculo, circa Heliam & Drepanum & Pachynum prom. in Africano, circa Erythra. Maximus verò eius circa Siciliam ins. proventus est. At in India rara merx, ideoque cara. *Gignitur quidem & in Rubro mari*, inquit Plinius, *item in Persico vocatur lace, aut jacem* potiùs; nempe quia nigrius & proin vilius. Unde in Rubri Maris Muzam & in Arabiæ Fel. metropolim Sabbatha, *corallium* ex Ægypto deferebatur, ut Arabici littoris corallio pretiosius, ut testatur Arrianus in *Periplo*: qui idem corallii meminit ad Barbaricum emporium allati, in Sinthi seu Indi amnis faucibus situ, ex Ægypto scilicet, æquè ac in Arabiam. Mansitque ingens in India *corallii* pretium, usque ad ætatem Pauli Veneti, qui de Indiæ prov. *Tebeth. Utuntur*, inquit, *ibi pro moneta corallio. Nam est in lapis apud eos magno in pretio. Et omnes fœminæ eum collo deferunt; appenduntque quasi rem pretiosam, ad colla idolorum.* At postquam repertas yxis maria illa aperuit, *corallium* etiam in India paulatim cœpit vilescere &c. Laudes ejus plus centum versibus decantantur in supposititio Orphei libro *de Lapidibus.* Color optimus, cum rubet, sandarachæque aut sandici saturæ simile est. Dioscor. &c. V. Samuelem Bochartum *Hierozoici Part. posterior. lib. V. cap. 7.* Cæterùm, *Corallia* plurima marina, cum rupe corallifera, ex Mari Mediter. in Musæo Kircheriano asservantur. Ubi videre est, quanta cum providentia Natura fundum marinum corallinis arboretis vestiat & varia conchylia, ostraceas exuvias, stratque in monticulos congerat, unde rubra arbor exurescens duritie suâ & rubore humani generis luxum auget. Horum monticulorum aliqui, intra Musæi cara videntur: fragmenta verò ibi plurima ex ipsis conchyliis enata. Est n. proprium hujus plantæ, liquorem spermaticum ex se demittere, cujus guttæ, in quodcunque obvium corpus ceciderint, ibidem novæ corallinæ plantæ sobolem faciunt. Quod Naturæ arcanum didicit Auctor ex Arabici Maris Rubri urinatoribus, uti refert Georg. de Sepibus *in Collegii Rom. S. I. Musæo pag. 45.* Ut de usu aliquid superaddam, de eo sic Plinius *lib. 32. cap. 3. Aruspices inprimis vatesque (Indorum) religiosum id gestamen amoliendis periculis arbitrantur. Itaque & decore & religione gaudent. Priusquàm hoc notesceret, Galli gladios scuta, galeas adornabant eo. Nunc tanta penuria est vendibili merce, ut perquam raro cernatur in sua orbe &c.* Nec omittendum, *Corallii* elaborandi vix ullibi præstantiores officinas, quàm Massiliæ, esse, uti refert Jac. Sponius *Itinerar. Græciæ Part. 1 pag. 25.* ubi album quoque corallium solidum, & rubro album se vidisse addit.

Coran, seu *Alcoran*, vox Arabica, liber impietatis Muhammedicæ,

dictæ, à *Kara*, i. legere vel colligere: à *collectione* viz. furatarum seu capitum, quæ comprehendit, sicut & *Furcan* eum vocant, quòd in capita illa, variasque partes sit divisus. Ejus originem à Deo arcessunt Muhammedani, a quo cœlitus in Muhammedem dormientem hæc scriptura delapsa sit. Aliis illam non nisi post mortem ejus, ex chartis illius domi inventis in hanc formam redactam, dicentibus. Certè nomina successorum & discipulorum Muhammedis, de Alcorani coagmentatione ac expositione dissidentium à se invicem accuratè commemorat Ricoldus Arabs Christianus, *Confut. legis Saracen. cap.* 13. Nempe Muhammedi in Regno successit Abubecar, indignante Hali, qui ad suum modum Alcoranum construxit, alium postmodum edidit Eleage filius Nizef, alios alii additis detractisque verbis, pro cujusque arbitrio, & collectoribus mire inter se altercantibus. Imò de Alcorano dissentiendi finis non fuit, usque ad tempus *Merpan* fil. *Elezen*, qui Alcoranum hodiernum, reliquis omnibus, quotquot haberi poterant, combustis, composuit. Manent tamen circa expositionem ejus hodieque rixæ acerrimæ, discordantibus Orientalibus ab Occidentalibus, & rursus utrisque inter sese. De Arabico in Latium indigestum hoc chaos transtulit Rob. Retenensis Anglus, jussu Petri Abbatis Cluniac. A. C. 1143. qui translationem misit ad Bernardum Abbatem Claræ Vallis, hortatus eum, ut contra Muhammedicos errores scriberet. Dividitur autem in *Capita*, seu *Suratas* aut *Azuras*, uti Erpenius vocat *Annotat. suis in Hist. Josephi Alcoran.* ipsarum verò Suratarum aliæ inscribuntur *Meccenses*, quas nim. discipulis suis tradidit Muhammedes in urbe *Mecca*, celeberrimo Arabiæ Emporio, ante suam inde fugam: aliæ *Medinenses*, quas composuit in opp. *Jatsrib*, ad quod Muhammedes confugit, ubi etiam sepultus est; cum Fatema filia, & aliquot suis Successoribus. Impia dogmata libro contenta quod attinet, V. de iis eruditè disserentem Jo. Forbesium *Instruction. Historico-Theolog. lib. IV. c.* 4. *& seqq.* ut & ubi de *Alcorano*.

Corax, equus in Circensibus, apud Plin. & ex eo Solin. *cap.* 46. *Ingenia equorum etiam Claudii Cæsaris Circenses probaverunt, excusso in carceribus auriga Albati equi Coracε occupaverunt, primatum obtinuerunt, opponentes, effundentes omniaque contra æmulos — facientes.* A' nigredine pili corvina fortè dictus: quemadmodum & Κόραξ vocabatur unus equorum, quibus vicit Cleosthenes Olympiadem 66. quorumque, uti & aurigæ, imagines dedicavit, apud Pausaniam in *Eliacis*. Fuit autem is Solino memoratus, equus sinister in quadriga, funalisque & præcipuæ in circumeunda meta operæ, ut infrà dicemus. Nota verò hic vocabula Artis Circensis, *occupare, primatum obtinere*, de quibus V. suo loco: plura verò hanc in rem apud Salm. *ad Solin. p.* 900. Sed & κόρωνα dicebant Græci circulum corneum, vel æneum, qui foribus affigebatur, ad eas adducendas, quoque percuti fores solebant, uti fit etiamnum. *Glossæ, repagulum*, κόραξ. Alibi, *runcinus*, κόραξ. Aliis κορώνη, ὁ ἐπὶ τῇ θύρᾳ κρίκος. Idem *ibid. p.* 924.

Corban, in Tyriorum LL. pro Judæorum sacramento sumitur, ut ex Theophrasto Josephus habet *Antiqq. Judaic. lib.* 4. *cap.* 4. & c. Appion. *lib.* 1. cujus rei rationem exponit eruditus Seldenus, *ad locum Matthæi cap.* 15. *lib. VII. de Jure Nat. & Gentium juxta disciplinam Ebræor. cap.* 2.

Corbaria, adde: vulgò *Corbiere*, prope Bitram fluvium; unde montes proximi *Corbarienses* cognominantur *les Montagnes de Corbiere*. Nomen suum dedit Archidiaconatui cognomini, ad Ecclesiam Narbonensem pertinenti. *Vallis Corbaria palatium* memoratur *in append. Chronici* Fredegarii, Hadr. Vales. in voce *Narbo*.

Corbicularius, in aliquibus Galliæ Ecclesiis dicitur Clericus *rochetto* indutus, quod *corbulam* vocant Galli, & inservit illis Clericis, qui in officio Acolythi ceroferalia gerunt, uti etiam penès Dominicanos & Teresianos observatur, Dominicus Macer *in Hierolex.* Car. verò du Fresne *Corbilarios*, Gall. *Corbiliers* habet. iisq. vocari ait Canonicos semipræbendatos, in Ecclesia Andegavensi, ex Renato Chopino *de Sac. Politia lib.* 1. *tit.* 3. *num.* 4.

Corbis, nomen viri illustris, apud Livium *lib.* 28. *Neq; obscuri*, inquit, *generis homines, sed clari illustresq;, Corbis & Orsua, patrueles fratres, de principatu civitatis, quam Ibem vocabant, ambigentes, ferro se certaturos, professi sunt.* Corbis *major erat ætate. Orsuæ pater Princeps proximè fuerat, à fratre majore, post mortem ejus Principatu accepto. Cùm verbis disceptari Scipio vellet, ac sedare iras, negatum id — Majorq; usu armorum & astu facilè stolidas vires minoris superavit.* V. quoq; Val. Max. *l.* 9. *c.* 11. qui alios Auctores secutus fratres facit, & Silium Ital. *l.* 16. qui fingit insuper geminos fuisse, & mutuis vulneribus concidisse, ut Thebano pari simile hoc par redderet. C. Barthius. *Animadv. ad Statium lib.* 3. *pag.* 1375.

Corculi, apud Romanos, quinam olim dicti, docet Plin. *l.* 7. *c.* 31 *de Morum majestate: Reliquis animi bonis præstitere cæteri mortales, sapientiâ ob id Catus, Corculi apud Romanos cognominati* &c.

Corcyra, adde: De lepido Venetorum stratagemate, quo ii *Corcyram nigram*, Ragusæis ereptã, in suam potestatem redegere, V. Sponium *Itiner. P. I. pag.* 112. sicut de *Corcyra* ipsa *p.* 120. *& seqq.*

Cordarum tormenta, quibus quasi super equuleum reus tensus torquetur, eliciendæ veritatis causâ, memorantur Gobelino Personæ *in Cosmodromio p.* 258. V. quoque infrà, ubi de *Funibus*.

Cordax, Gr. Κόρδαξ, species saltationis Theatr. in Comœdia, solutiore licentiâ; sicut in Tragœdia, ἐμμέλεια erat, gravis et ac composita, quemadmodum vox ipsa quoque declarat. Ex ea Bathyllus Alexandrinam postmodum saltationem fecit, quam nominavit *Italicam*. Jul. C. Scaliger *Poetices lib.* 1. *cap.* 18.

de *Corduba*, illustris in Hisp. Familiæ nomen, quæ in Gallæcia primùm floruit, sub nominibus *de Temez* & *Chantada*, dein à Corduba Mauris erepta nomen sortita est, ac in Andaluzia sedem fixit. Rami ejus præcipui tres sunt. Primus est *de Aguilar*, cujus auctor Consalvus *Fernandez de Corduba* Dn. *de Aguil.* genuit Alfons. Dn. *de Aguilar* & Didacum *Fern.* Dn. *de Baena*. Illius posteri nomen *de Aguil.* retinuerunt, usq; ad Petr. Alfonsi abnepotẽ March. *de Priego* titulum nactum, quem filia Catharina domui Suarezio *de Figueroa* intulit, nupta Alfonso. I aur. Suarezii *de Figueroa*, C. *de Feria* filio. Sed & Marchionis hujus frater Franc. Pachecus de *Corduba*, dom. *de Almunnar* in Granata dedit: ac patruus Consalv. *de Corduba*, celeberrimus ille bellicus Imp. titulit *Ducis Sesa, Ter. nova SanSangeli, March. Bitonti atq; Principis Squillatii*, super ista vir, quos paulo pòst fil. Elvira agnato Com. *de Cabra* attulit. Hos Comites alter Consalvi superioris fil. Didacus progenuit (eorum quoque Auctor, qui sub nomine *de Roxas* aliquandiu Pozam tenuere.) Nepos enim ipsius Didacus Ferd. axioma illud Com. *de Cabra* nactus est, 1455. in cujus liberis diversæ lineæ cœperunt. Martinus dominos *de la Campana*, cum cognom. *Ponce de Leon*, Sancius dominos *de Casapalma*; his verò prior Didacus Comites Cabræ propagavit: iterum per posteriores filios, Luicum, dominorum *de Guetor de Santillan*, & Antoniũ, domin. *de Torrequebradilla* auctor. Primus verò, Didacus Patri successit, atq; Ludovici ultimi lineæ primariæ Comitis de Cabra ac Duc. de Sesa Consalvi improlis, atq; hæredis Beatricis Fernãdo *de Corduba*, nuptæ patrem, Petr. dominorum *de Zatriab*, atq; Alvarum dominorum *de Valenzuela* satores genuit. Alter ramus est Dominorum ac Comitum *de Alcaudete*, qui *Velascorum* cognomen, ob Alfonsi Ferd. Cordubensis atq; Mariæ Velascæ connubium assumsertint. Ex cujus lineæ postgenitis aliæ novæ quoq; ortæ sunt. Tertius est March. *de Comares*, qui priùs Domini *de los Donzeles* fuerãt, donec Didac⁹ *Fernandez* Marchionis impetraret axioma. Huic a Johanna Folckia *de Cardona & Aragonia* Duc *de la Cardona & Segorbia* Com. *de Prades*, Didaco *Fernandez de Corduba M. de Comares* nuptâ, etiam successio illata est. V. Phil. Jac. Spenerum *Theat. Nob. Europ. tom. II. in Ind.* & *ejusd. tomi p.* 74. genesin Marchionum *de Priego* ex ramo primo: *p.* 120, Velascorum, ex secundo: & *p.* 27. March. *de Comares*, ex tertio, Idem *tom. III.* Alfonsum Ferd. *de Corduba M. de Priego D. de Feria*, ex Johanna Henrici *de Ribera*, suscepisse Ludovicum Ignat. Ferd. *de Corduba Figueroa Aguilar March. de Priego D. de Feria M. de Montalvan & Villalva*, habet: cui nupsit Maria Anna Cordubensis & *Aragon p.* 78.

Cordubanarii, in *Diplom.* Ludov. VII. Regis Fr. A. C. 1144. Sutores sunt, hodie Gall. *Cordoniers*, à *Cordubensibus* pellibus, quæ Cordubæ Hisp. oppido celeberrimo, alutariorum arte eximie præparari consuevere. Rebuffus *Tract. de Mercat. min. vend. Gloss.* 11. *Ab ea urbe deportari ad cæteros solent pretiosi corii species.* Hinc *Calcei de Corduba*, apud Gilbertum *de Vita sua l.* 1. *c.* 11. & Theodulfum *l.* 1. *Carm. pag.* 138.

Iste tuo dictas de nomine Corduba pelles,
Hic niveas, alter pretrahis inde rubras &c.

Core, apud Xenophontem *Hist. Gr. l.* 2. ubi refert, Cyrum duos filios Xerxis neci dedisse, *quod, cùm ei occurrissent, manus intra Core non continuissent*: vox Persica est, designans quiddam, quo manus coercebatur, ne quid agere posset. Sic man⁹ intra pallium continuisse apud Græcos modestiæ signum erat, & junioribus conveniebat, uti dicemus de *Toga*. Ad Principes inprimis Orientis accedentibus liberas habere manus nec licebat olim, nec etiamnum licet. Unde specie honoris etiã exterorum Principum Legatos, cum suo comitatu, utrinq; à Magnatibus Turcicis brachio comprehensos, deduci consuevisse, ad Imp. Turcarum, docent *Itinerariorum* Auctores V. Car. Paschalium *Coronarum lib.* 9. *cap.* 17.

Corinthiaca, Gr. Κορινθιακά, titulus Operis metrici à Poëta Historico Eumelo conscripti, quo universam Historiã Corinth. complectebatur, ab eã divisione orsus, quæ inter filios Solis facta est, Æeten & Aloëum, usque ad reditum Jasonis & Medeæ, nuptiasque ejusdem cum Creontis filia, & quæ sequuntur. Quæ omnia ad *Corinthia* pertinent historiam; illa enim, tunc *Ephyre*, cesserat Æetæ Medeæ Patri; sed eam servandam Buno concessit & ipse secessit in Colchos, urbem ibi ex Oraculo conditurus. Itaq; Κορινθιακά illi operi titulum fecit Eumelus, quo etiam Argonautarum expeditionem comprehendit. Scholiastes certè Apollonii eum laudat ἐν Κορινθιακοῖς. Pausanias v. συγγραφὴν appellat Κορινθίαν, quasi prosa oratione scripta fuerit, ejusq; *in Corinthiacis* suis meminit. Sed idem alibi versibus scripta esse Corinthiaca liquidò traditur: etiam videre est ex Scholiaste Pindari *ad Olympionicas* & Tzetzæ *Commentar. in Lycophronem*. Quidquid sanè sit, Poësis certè fuit longa, quæ in orbem & cathenam κύκλον conscripta & congregata est: cujusmodi extitit poësis omniũ Poëtarum Cyclicorum, uti infrà dicemus latiùs. V. Salm. *ad Sol. p.* 858.

Corinthiæ Columnæ, quænam dictæ, V. suprà in voce *Columna*. Illarum originem ex his Vitruvii discimus *lib.* 4. *Virgo civis* Co-

vis Corinthia, jam matura nuptiis, implicita morbo decessit. Post sepulturam ejus, quibus ea viva poculis delectabatur, nutrix collecta & composita in calatho pertulit ad monumentum & in summo collocavit; & uti ea permanerent diutius, sub divo tegula texit. Is calathus fortuitò supra acanthi radicem fuerat collocatus. Interim pondere pressa radix acanthi media folia & cauliculos circa vernum tempus profudit. Cujus cauliculi secundum calathi latera crescentes & ab angulis tegulæ ponderis necessitate expressi flexuras in extremas partes volutas facere sunt coacti. Tunc Callimachus, qui propter elegantiam & subtilitatem artis marmoreæ ab Atheniensibus catatechnos fuerat nominatus, præteriens hoc monumentum, animadvertit eum calathum & circa foliorum nascentem teneritatem. Delectatusque genere & formæ novitate, ad id exemplar columnas apud Corinthios fecit, symmetriasque constituit ex eoque in operum perfectionibus Corinthii generis distribuit rationes. De vasis vero & signis *Corinthiis*, tanti olim apud Romanos habitis, V. supra in voce *Æs Corinthium*, item *Candelabrum*. Hinc a *Corinthis*, item *Corinthiarius*, servus apud Romanos, cujus erat adservare vasa *Corinthia* & Deliaca, ex ære, quæ supellectili adnumerant Jurisconsulti. Romæ, TI. TALUS. PARATUS. A'. CORINTHIS. Et, CALLITYCHÆ. ZOILI. CORINTHIAR. AGRIPP. Unde suspicatur Pignorius, illum qui ad statuam Augusti apud Suetonium, *cap.* 70. (qui tamen validè repugnat) tempore proscriptionis. PATER. ARGENTARIUS. EGO. CORINTHIARIUS. ludere in hac etiam vocis notione voluisse, ut patrem & filium notaret, velut minùs ingenuæ conditionis. Eodem pertinet, *Faber à Corinthiis*, cujus mentio mentio Inscr. veteri, Romæ iterum:

P. LUCRINUS. P. L. THALAMUS.
A. CORINTHIS. FABER.

V. Pignorium *Comm. de Servis*, atque Casaubonum *ad Suet. d. l.*

Corium crudum, pectorale Veteribus. Statius *Theb. l.* 12. *v.* 774.

— *venit ecce Creon: sic fatus & auras*
Dissipat hasta tremens: tunc quem subtemine duro
Multiplicem tenues iterant thoraca catenæ,
Incidit.

Ubi subtemen est *corium* crudum, quod loricæ suberat & corpus tegebat intra illam, *Pectorale* vocat Varro. V. Casp. Barthium *Animadversion. ad l.* Sic ævo rudiore crudæ pelles conficiendis calceis materiam subministrabant. Xenophon *Anabas. lib.* 2. *Cùm defecissent veteres calcei, habebant ex recentibus coriis bubulis Carbatinas confectas*, V. in hac voce. Deinde verò, ut in dies passim crescunt artes atque perficiuntur, ita ævo sequenti commodioris honestiorisque usus atque elegantiæ studium, concinnandarum tingendarumve pellium artificium docuit. Unde *Coriarii* opifices, qui detracta cæsis animalibus coria depilare, intingere, concinnare ac polire cœpere. Quomodo præparare *corium*, dixere *conficere* Latini, unde *Confectores*, & βυρσοδέψαι, *coriarii*, quibus ad depilandum coria lac ex frutice hoaser efficacissimum fuisse docet Salmasius *ad Solinum pag.* 1312. Et hi quidem olim quòd morticinia tractarent, ab urbibus fuere submoti. Artemidorus *lib.* 1. *cap.* 53. Τὸ δὲ βυρσοδεψεῖν πᾶσι πονηρόν, νεκρῶν γὰρ ἅπτεται ὁ βυρσοδέψης, καὶ τῆς πόλεως ἀπῴκισται. *Coriariam exercere, malum omnibus: Corpora enim mortua tractat Coriarius. Ideoque ab urbe secluditur.* Sed & alia ratio habitationis illius suburbanæ reddi potest, quòd sc. ejusmodi opificium fœtidos odores exhalet: unde jussi videntur quoque extra portas habitare, quo puriore cœlo reliqui cives uterentur. Hinc domum Simonis *Coriarii*, apud quem in Joppe Petrum Apostolum hospitatum, Apostolorum Acta commemorant *c.* 9. *versu* 43. & *cap.* 10. *versu* 6. Urbis itidem ambitu fuisse exclusum, sunt qui colligere conentur ex verbis παρὰ θάλασσαν, *juxta mare.* Certè Petronius, *Haud meliùs*, inquit, *olere possunt, quàm qui in Coriaria habitant*, apud Salmasium ubi suprà *pag.* 1128. Aliter vox sumitur apud Vitruvium, pro crusta nempe & superficie, *lib.* 1. *cap.* 5. ubi de lateribus, *Qui cùm per Solstitium parantur, ideo vitiosi sunt, quòd summum corium Sol acriter quum percoquit, efficit ut videantur aridi.* Item pro crustis & inductionibus tectoriorum, *lib.* 7. *cap.* 3. *Quum ab arenato præter trullissationem non minùs tribus coriis fuerit deformatum.* Sic Cato pro pavimenti crusta *corium* posuit, de *R. R. De calce arenato primum corium facito, id pilis subigito. idem alterum corium facito.* Aliud est *Chorus* vel *Chorium*, laterum viz. ordo seu lapidum, qui in structuris ordinariis conspicitur: Quá de re V. eundem Salmasium *Ibid. pag.* 1233. Imò & de libro *Corium* dicitur. Plinius ubi de confectione papyri. *Igitur è scandenti* -, inquit, *flammina facta sunt è primo subtemine. Primum* enim is *corium* vocat primam philuram, primam membranam vel primum librum, qui è medio papyri acu scindebatur, adeoque bonitate & tenuitate præcipuus erat. Iterum de tectorii inductione, apud Vitruvium *lib.* 7. *cap.* 6. *Grano inducto & inarescente, alterum* corium *dirigatur; id cùm subactum fuerit, & benè fricatum, subtilius inducatur. Ita cùm tribus coriis arenæ & item marmoris solidati parietes fuerint, neque rimas, nec aliud vitium in se recipere patientur.* V. sæpius laudatum Salmasium *Notis ad Flav. Vopiscum in Firmo.* De Homine quoque: *Corii sui pretium domino reddere*, in signum manumissionis, in *LL.* Henrici Angl. R. *cap.* 78. V. infra in voce *Decorticare.* Sic *corio carere*, *corium perdere*, in *LL.* Kanuti *cap.* 71. est, ad verbera damnari, vapulare, quæ servorum erat pœna. *Corium redimere*, est componere de flagello, in *L.* Frisonum *lib.* 3. §. 4. *Corio vero componere*, in *LL.* Ethelredi *cap.* 2. virgis itidem cædi est, apud du Fresne *Glossar.* &c. Cæterùm, de *corona* Regis cujusdam Americani ex *corio* durissimo, V. Georg. de Sepibus *in Descr. Musæi Kircher.* de *frontali coriaceo* Judæorum, quo frontem circumligant Synagogam ingressuri, Infra in voce *Frontale* &c.

Cornelia lex, de crimine falsi; Lata à L. Corn. Sulla Dictatore, & Cons. cum Q. Cæcilio Metello an. A. U. 673. qui etiam certum huic crimini Prætorem addidit; memoratur *ff. ad l. Cornel. de falso*; item apud Cicer. *de N. D. lib.* 3. & Suet. *in Aug.* De honorum Candidatis, ab eodem sancita eodem anno: *Ut si quis Magistratum peteret, quem antè gessisset, nisi decennium interjectum esset, ejus ratio non haberetur*, V. Appian *l.* 1. *de bellis civ.* De iis qui legibus solvuntur, lata à C. Corn. Tribuno Pl. C. Pisone & M. Glabrione Coss. an. U. C. 676. *Ne quis in Senatu legibus solveretur, nisi CC. affuissent* &c. Ascon. *in Cornelianam*, Dio *lib.* 36. &c. Alia de Municipiis, à L. Cornel. Sulla lata, *Ut municipiis omnibus jus civitatis agrique adimeretur.* Alia de Prætorum jurisdictione, eodem auctore, quâ omnia judicia de repetundis usque ad primum Cæsaris Consulatum peracta sunt: Capita legis habes apud Rosin. *Antiqq. Rom. lib.* 8. *c.* 30. De imperio retinendo lata a C. Corn. Sulla Dictatore, an. U. C. 672. *Ut qui cum imperio in provinciam profectus esset, tamdiu illud retineret, quoad in urbem esset reversus.* Item, *ut* 30. *tantum dies, postquam successor missus esset, Magistratui ad decedendum concederetur*, Cic. *epist.* 9 *ad Lent.* & *lib.* 3. *ad Appium epist.* 6. De Testamentis, eundem auctorem habet, lata an. U. C. 673. *Ut eorum testamenta, qui in hostium potestate essent, perinde essent rata, ac si in hostium potestatem non pervenissent.* De viginti Quæstoribus, anno eodem lata. *Ut viginti Quæstores supplendo Senatui crearentur, cui judicia tradiderat*, Tac. *Annal. lib.* 1. Fuit quoque lex *Cornelia*, lata an. U. C. 582. à P. Corn. Scipione Nasica Cos. cum M. Acilio Glabrione. *Ut, ni Perseus Phil. fil. Maced. R. Populo Rom. satis fecisset, bellum cum eo iniretur*, Liv. *lib.* 42. Item an. U. C. 673. à L. Corn. Sulla Dictatore & Col. II. cum Qu. Cæcilio Metello Pio. *Ut judicia equestri ordini adempta, in solum ordinem Senatorium transferrentur*, Florus *Epitom.* Alia, *Ne quis in pecuniam luderet sponsionemve ejus rei faceret, nisi qui corporis exercenda causa susceptus esset.* Marcianus *lib.* 3. *ff. de alea.* Alia iterum à L. Corn. Sulla Felice an. U. C. 670. condita, de Majestate, cujus capita V. apud Joh. Rosin. *Antiqq. Rom. lib.* 8. *cap.* 23. Fuit tandem lex *Cornelia*, quæ Genutiam, item quæ Semproniam legem repetiit ac confirmavit, V. *suo loco*; & plura hanc in rem, apud Scriptorem modò laudatum, *passim.*

Cornelia Tribus, XIII ordine inter Tribus Rom. antiqua à Servio Tullio instituta, veteri nomine omisso, sic appellata est, a gente Cornelia omnium nobilissima atque amplissima; Meminit ejus Livius *lib.* 38.

Viri illustres.

Cornelius Balbus, memoratur Spartiano *in Pescennio Nigro*, ubi Marci ad eum epistola.

Cornelius Dolabella Consul, Domitiani Collega, sub quibus Antoninus Pius natus est, Capitolinus.

Cornelius Fronto, Orator Latinus, inter Præceptores Marci Imp. ut & Veri, apud Eund.

Cornelius Macer, ex familia Macrianorum, *quum cœnam in Herculis templo daret, pateram electrinam, quæ in medio vultum Alexandri* (Magni, Macrianis speciali veneratione culti) *haberet & in circuitu omnem historiam contineret signis brevibus & minutulis, Pontifici propinavit* apud Treb. Pollionem in *Vita* Quieti.

Cornelius Repentinus, gener Didii Juliani, Præfectus Urbis, apud Spartianum.

Cornelius Victorinus, Præfectus Prætorio, sub Antonio Pio, apud Capitolinum.

Corneola, vel *Cornalina*, gemma sic Gallis dicta, doctissimis quibusdam Viris Veterum onyx videtur esse. At *Onychem veram plurimas varias que cum lacteis zonis habere venas, omnium in transitu colore inenarrabili*, ait Plinius: *Corneola* verò unius semper coloris est. Nam vel ad rubrum inclinat, vel prorsus alba est, & hæc vulgò carior: absque ulla varietate utraque. Et quidem, quæ multum rubet, licèt *corneolam* vulgò vocitent, sardam esse Veterum plusquam certum est, quæ dilutiùs rubet, sarda est fœmina. In omnibus namque gemmis dilutioris utique coloris fœminæ, quàm mares & nominatim in sarda, testatur Theophrastus. Marbodæus *Corneolum* aquæ colorem habere dicit, in qua carnes ablutæ sunt. At *Cornalina* alba nihil minus est, quàm onyx, cùm nullam ex iis notis habeat, quam onychi gemmæ Vett. tribuunt, ut Plinium præfatum legenti patebit facilè. Versicolor enim ea & multicolor: quæ varietas & ποικιλία in Onychite marmore quoque est. Salmasius *ad Solinum pag.* 564.

Cornetæ, in *Concil.* Rotomagensi A. C. 1345. *can.* 32. *Item inhibet, ne Clerici præsertim in sacris Ordinibus constituti longas & amplas* cornetas *in suis capuciis deferrant, sed breves & decentes*; bireti species est, in cornu figuram desinens, quomodo hodie Ducum Venetorum: ex Gall. *Cornette*, quæ vox etiamnum usurpatur pro tegumentis capitis nocturnalibus mulierum, apud du Fresne

Glossar. At *Cornetum*, Gallis *Cornet*, pyxis vel turricula dicitur, qua tesseras in tabulam fundi mos, quod ut plurimum ex cornu fiat. Scholiastes Juvenalis, *Fritillus, pyxis cornea, quæ φιμὸς dicitur Græcè.* Salmasius *ad Vopiscum in Proculo*, & hic passim.

Corneus Color, quem in Onychite lapide improbat Plini⁹, candidus est & similis vitro, qui tamen color lapidi nomē dedit, ut & gemmæ. Utrumq; enim à *corneo* unguis candore dictum, [illegible] gemma, [illegible] λίθ⊙. Epiphani⁹ ἐξ ὕδατ⊙ [illegible] talem, creditum vulgò ait. h. e. *ex aqua glaciali concretum*: more viz. crystalli, cui simile vitrum est. Optimum verò & præstantissimum quam maximè mellei, nec translucidi coloris esse, idem Plinius docet, quem vide si placet *lib. 37. cap. 6.* & plura ad hanc rem, apud Salmasium *ad Solinum pag. 562.*

Cornicula, inter formationes digitorum ad deridendos homines. Et quidem Viri, quorum uxores mœchabantur, *corniculorum ostensione*, h. e. duobus digitis ad corniculorum instar erectis, deridebantur: [illegible] vocant *LL.* Longobardor. Græcè versæ in codice MS. Regiæ Biblioth. quam contumeliam [illegible] rependi volunt. V. Lucillii *Epigramm.* [illegible] apud Salmasium *ad Pallium Tertull.*

Cornicularìorum munus, quorum frequens mentio in *Not.* Imperii & apud alios Scriptores, Salmasio *ad Solinum* militare fuit, qui eos à *corniculo*, seu apice galeæ, qui [illegible] Græcis nuncupatur, dictos adeoq; cum [illegible] Hesychii eosdē fuisse, contendit. Carolo verò du Fresne Exceptores fuere & Commentarienses, ex Firmico *lib. 3. cap. 6. Erunt Exceptores earum sententiarum, quæ de hominum capitibus proferuntur, aut* Cornicularii *aut Commentarienses.* A' *corniculi* appellati, i. atramentariis: quam appellationis rationem attigit Senator *lib. 11. Epist. 36.* ubi *de Cornicularìo. Præfuit enim cornibus Secretarii Prætoriani unde ei nomen.* Eorum autem munus fuit, ad *Cornua* Secretarii stare & ministrare Judici agenti, loquenti, scribenti, rescribenti, cujusmodi fuit *Canicleorum* officium apud Byzantinos. Annuum fuisse illud, colligitur ex *l. 8. Cod. Theod. de div. offic.* V. quæ de dignitate eorum annot. Jac. Gothof. *ad l. 10. C. Th. de Cohort.* & Juretum *ad Symmach. l. 10. E. 56.* Sed si posterior vocis notio recentiori ævo obtinuit, nil impedit quò minùs prior genuina fuerit. Certè præter alia galearū insignia, etiam *cornicula* fuisse, veram nempe cornuum similitudinem ære vel ferro expressam, clarissimè colligitur ex Plinio *lib. 10. cap. 43. Nec non & recens fama Crateri Monocerotis cognomine, in Erizena regione Asiæ, corvorum operâ venantis, eò quòd devehebat in sylvas eos insidentes corniculo humerisque:* nec non ex Plauti *Corniculariâ*, in qua miles *corniculis* insignem galeam gestans traducebatur, memoratâ Varroni *de L. L. lib. 4.* & 6. Atque ab hoc galeæ parasemo, in Militia antiqua Romana *Cornicularii milites* dicti, honestum sc. militum genus, beneficiarii ut plurimùm Tribunorum aut Centurionum. Valerius *lib. 6. cap. 1. Cui (M. Lectorio Mergo) Tribunus Plebis diem dixit ad populum, quòd Cornicularium suum stupri causâ appellasset.* Eodem *corniculo merere* Suetonius ait, ubi de Orbilio N. Gramm. quemadmodum *pedibus merere* dicit Mela, qui pedites militant, *lib. 1. cap. ult. de Garamanthis*, V. Salmasium ubi suprà *pag. 548.* nec non Sigonium, Rosinum *Antiqq. Rom. lib. 10. cap. 8.* Alios. Inde *Corniculum* pro quolibet apice; V. de phasianis Plinium *lib. 10. cap. 48.* &c.

Cornificia, memoratur Capitolino, cui Pertinax Imp. *infamissimè dicitur adhæsisse*, V. eum in *Vita* hujus.

Cornix, castitatis ac concordiæ in conjugio Magistra habita est olim: unde solitariæ *Cornicis* occursus, in nuptialibus auspiciis mali ominis fuit. Hinc illud, [illegible], *Everre sive elimina Virgo cornicem*, quod habes apud Orum *Hieroglyph.* & Pindari Scholiasten *in Pyth.* V. & Ælianum *de Animal. lib. 3. cap. 9.* ubi narrat, ut non temerè misceantur, nisi cum compare sua, eaque mortuâ viduam vivam degat superstes: atque idcirco in nuptiis, post Hymenæum, *Cornicis* nomen invocari proque signo haberi concordiæ in iis, qui liberûm quærendorum gratiâ sociantur. Adi quoque Politianum *Miscellan. cap. 67.* & Hadr. Junium *Miscellaneor. lib. 1. cap. 1.* sed perperam Politianus de concordia *Cornicis*, intellexit illud Juvenalis *Sat. 1.*

Quæq; salutato crepitat concordia nido.

Nec enim rostro cornix crepitat, sed ciconia: unde *Crotalistria* dicitur Publio Syro; eaque non minùs concordiæ symbolum erat, cùm mas & fœmina fere in nido simul conspiciantur. Vossius *de Idolol. lib. 3. cap. 86.* De eadem ave narrat Ælianus *de Animal. lib. 6. cap. 7.* ut Rex Ægyptius Marres operâ *Cornicis* uti fuerit solitus in literis, quò terrarum vellet, mittendis; cui proin mortuæ sepulcrum, statuerit quod ad lacum Myridis, prope Crocodilorum oppidum, soleat ostendi. Ægyptiacæ vanitati tribuendum, quod ibidem dicitur, Cornicem, simul ac audisset, quò perferenda esset epistola, quæ regiones transeundæ, ubi quiescendum, eò prout acceperat, iter direxisse: *captum hæc mala animantis excedunt*, verba sunt Vossii *l. c. cap. 98. Sed solent homines de magnis loqui majora, ut magis sint admirationi. Est; non ignorem, aliquos & hic idem habere; sed putare, malim Genium hanc alitem duxisse.* Simile quid de Rangiferis, notissimæ celeritatis in Septentrione animali, afferemus infrà. Apud Posidippum [illegible], *cornici cauponariæ*, h. e. in taberna cauponis educatæ, comparatur Parasitus edax, in *Epigrammate* sepulchrali, cujus initium,

[illegible Greek verse]

[illegible Greek verse]

Cujusmodi aves hodieque solent in tabernis cicuratæ nutriri, vorax suapte naturâ animal, & quidquid obtuleris, deglutiens. De quo Epigrammate, V. Salmasium *ad Solinum pag. 1220.*

Cornu, propriè de quadrupedibus, Plinius *lib. 8. cap. 37. Cornua multis quidem & aquatilium & marinorum & serpentum variis ad sunt modis: sed quæ jure cornua intelliguntur, quadrupedum generi tantùm — Nec alibi natura major lasciviа lusit animalium armis. Sparsit hæc in ramos, ut cervorum. Aliis simplicia tribuit — aliorum fixit in palmas, digitosque emisit ex iis —, dedit ramosa capreis — convoluta in anfractum arietum generi, ceu cæstus daret: infesta tauris — Rupicapris in dorsum adunca, damis in adversum. Erecta rugarum ambitu contorta & in leve fastigium exacuta strepsicerοti — mobilia eadem, ut aures, Phrygiæ armentis: Troglodytarum in terram directa — Aliis singula, & hæc medio capite, aut naribus. Jamque aliis ad incursum robusta, aliis ad ictum, aliis adunca, aliis redunca, aliis ad jactum pluribus modis, supina, conversa, connexa, omnia in mucronem migrantia* &c. Ab his ad Lunam vox translata, quæ facie aspicitur cornutâ, *Æneid. lib. 3.*

Tertia jam Luna se cornua lumine complet.

Inde ad Numina: quibus Gentilitas ea passim velut dignitatis, potentiæ & auctoritatis symbola, tribuit; Hinc Jupiter *corniger*, apud Silium Italic. *lib. 16.* Bacchus *tauricornis*, [illegible], apud Euripidem *Bacch. act. 1.* Ammon, [illegible], *corniger* & *alticornis*, apud eundem Silium *lib. 14.* &c. A' quorum ultimo, lapidi nomen, *Ammonis cornu*, de quo Solinus *cap. 30. Nam ita tortuosus est & inflexus, ut effigiem reddat cornu arietini, fulgore aureo est. Prædivina somnia repræsentare dicitur subjectus capiti incubantium.* Nec verò solus Ammon in sua sede fuit cornutus: utpote circumfusus minoribus Numinibus itidem cornutis, quæ, eâ gente debellatâ, Romam advecta fuisse, docet Prudentius *c. Symm. lib. 2.* Hinc & fluvii, qui inter Numina Gentilium erant, *cornuti* fingebantur. V. de Inacho, Statium *Thebaid. lib. 2.* de Ocinaro Lycophronem, de Tybri, Virgilium *Æneid. lib. 8.* de Acheloo, Sophoclem *Trachin.* de aliis alios. Omnes certè fluvios ab Oceano defluos, & in Oceanum refluos, vocari *cornua*, legas apud Etymol. voce Κέρας. A' Diis ad Reges *Cornua* translata sunt, utpote Diis proximos. Cujus generis fuere quæ Haruspex, visa in capite Cippi, regnum Latii ei portendere dixit, V. Ovidium *Metamorph.* Ut & illud, è media arietis unicornis fronte prominens, quo Pericli ex agro allato, Lampo vates futurum esse dixit, ut penès illum remaneret Athenis rerum summa, apud Plut. *Pericle.* Hinc Io cornuta, dicitur peperisse Reges Thebanos, apud Euripidem in *Phœniss. Actu 3.*

[illegible Greek verse]

[illegible Greek verse]

Ipsi Mosi non pauci *cornua* attribuunt, similitudinem viz. eorum ex radiis faciei ejus assurgentium in altum, de quibus Drepanius,

Legiferum nobis monstrat & ipsa senem,

Flammea cornuto vibrantem lumina vultu,

Gestantemq; sacris jura superna libris.

V. suprà in voce *Aristina cornua.* Propriè 2. de quadrupedibus, ut dictum. Et quidem *Cornu bubulum* inprimis in conviviis, apud Veteres frequens; de cujusuis pluribus agit Athenæus *Dipnosoph. lib. 11.* ubi idcirco ait, Bacchum fingi [illegible], à multis etiam Poëtis *taurum* vocari. Inde [illegible], id est, *temperare vinum aquâ*, [illegible], à cornibus, dictum est. Postea eadem auro & argento exornari cœperunt. Tandem, quum è *cornibus* hisce bibere desitum, forma tamen reservata est, teste Pindaro, apud eundem, [illegible], *argenteis bibentes cornibus*, sicque ad verorum imitationem, aurea facta sunt atque argentea, eundem in usum. Unde notum illud Historicis poculum, Κέρας Ἀμαλθείας, *cornu copia*, dictum, cujus meminit Eustathius *in Iliad.* [illegible] & de Philippo R. idem narrat, [illegible] amicis propinare fuisse solitum: qui mos nec hodiè penitus exolevit, apud Tartaros inprimis, V. Petrum de Valle *Itiner.* [illegible] 3. Aliosque. Et celebre est *aureum Cornu* Daniæ Regis, regnante Christiano IV. A. C. M. DC. XXXIX. d. 20. Jul. à puella Dana Christina Suenonis filia, in Ripensi Cimbriæ diœcesi, in itinere casu repertum: quod conflatum ex obryzo, purissimo, rotundum & incurvum, pronâ parte pedes duos Romanos & quinque pollices longitudine æquat, supinâ parte pedes 2. & paucos pollicem, tam capax ut liquoris duos sextarios cum semisse capiat, de quo V. *infrà.* Barbaræ verò gentes præcipuè ad Septentrionem diutissimè morem retinuere. Plinius *lib. 11. cap. 37. Urorum cornibus Barbari septentrionales potant: urnasque binas capitis unius cornua implent.* Quod quantum sit, docet Fannius, qui amphoram ait capere duas urnas, urnam quatuor congios, congium sex sextarios. Nec omittendum mirabile *Cornu* à [illegible] Ottoni Com. Oldenburgico oblatum, quod hodieque asservari & in illustrioribus epulis propinari, legimus. Sed & antiquitus bubulum *Cornu* in usu erat ad convocando boves, unde [illegible] Græcè

[illegible]

buccina Latinis; qui mos hodieque permanet, Columella *lib.* 6 *cap.* 33. *Id semper crepusculo fieri debet, ut ad sonum buccinæ pecus, si quod in sylva substiterit, septa repetere consuescat.* Hinc adhibita ad convocandos cives, unde Propertius de temporibus Romuli *lib.* 4. *Eleg.* 1.

Bucina cogebat priscos ad verba Quirites.

Quod ne à Poëta confictum putes, similiter Dionysius Halicarn. *lib.* 2. [illegible], inquit, [illegible], *Plebejos ministri quidam cornibus bovillis insonantes (q. d. buccinantes) ad cœtus cogebant.* De eorundem in bello usu, V. Vegetium *lib.* 2. *cap.* 22. Ovidium *Metam. lib.* 1. Juvenalem *Sat.* 2. *vers.* 118. &c. quæ quidem postea ex ære, at priùs boum fuere cornua. Certè inter Signa vocalia, quibus in militia opus, *Cornu* dicitur, quod ex uris agrestibus nexum argento, temperatumque arte ac spiritu canentis flatum emittit, Joh. Rosinus *Antiqq. Rom. lib.* 10. *cap.* 5. Eorum meminit A. Gellius *lib.* 1. *cap.* 11. cùm ait, *Lacedæmonios non cornuum tubarumve signis, sed tibiarum modulis, in præliis usos esse.* In quæ verba notat Oiselius ex Varrone *lib.* 4. *Cornua dici, quod ea quæ nunc fiunt ex ære, tunc facta fuerint ex bubulo cornu.* Fuere igitur inflexa, sicut contrà tubæ rectum tubum sive canalem habebant. Ovidius,

Non tuba directi, non æris cornua flexi.

Hæc qui inflabant, *Cornicines* vel *Æneatores* appellati sunt &c. Insuper ad arcus adhibita sunt: Maro *Ecloga* 10.

—— *Libet Partho torquere Cydonia* cornu

Spicula

Idem, vel alius, *in Ciri,*

Gnosia Naupacto contentus spicula cornu.

Ac similiter, Papinius non uno in loco, Aliique. Quid quòd inter VII. Orbis miracula memoretur Delii Apollinis [illegible], sive *ara ex cornibus*; de qua illud Ovidii *Epist. Cydippes ad Acontium,*

Miror & innumeris structam de cornibus aram.

Ac Martialis, aliusque *Spectacul.*

Dimidiusque Deum cornibus ara frequens.

Compacta autem illa erat, [illegible], *ex sinistris omnibus.* V. Callimachum *Hymno Apollin.* Plut. *de Thes.* & *Compar. terr. atque aquatil.* item Diogenem in *Vita* Pythagoræ. Alia fuere *Cornua Altaris*, quorum mentio Psalm. 118. *versu* 27. Nempe Altare æneum in Tabernaculo primùm, dein in Templo Salomonico, quatuor suos angulos habebat ære munitos, qui paulo altius extra Altaris limbum extabant. Hæc *Cornua Altaris* dicebantur, sanguinis libationi & victimarum alligationi destinata. Eadem supplices tenebant &c. Exodi *cap.* 27. *v.* 1—8. Nec omittendus *Cornuum* sacer usus, in inaugurationibus olim Regum Sacerdotumque summorum, in Israelitica gente frequentatus, qui memoratus 1. Sam. *cap.* 16. *vers.* 1. *Dixit Jehova Samueli* —— *imple cornu tuum oleo & abi* —— *ad Ischajum* &c. Vase enim corneo servabatur sacrum oleum, quo Reges Sacerdotesque inungi solebant. Ubi observantes Judæi in Saulis & Jehu inauguratione, *lenticulæ* solùm *olei*, in Davidis verò *cornu olei pleni*, fieri mentionem, illâ utpote magis fragili Regnum minùs diuturnum illorum duorum Regum, isto verò Regni Davidici perpetuitatē indigitatā esse, ajunt &c. In exercitu porrò vox, ut & de his pauca addā, partem illius notat, unde *dextrum cornu Nabarzanes*, in Darii exercitu, tuitus dicitur, apud Curtium *lib.* 3. *cap.* 9. qui idem *lævi* mentionem facit *lib.* 4. *cap.* 15. ubi ait, *Darium lævum fuisse tuitum, Bessumque admonuisse, ut Massagetas equos in lævum Alexandri cornu à latere invehi juberet.* Imò pro quavis eminentia seu extremitate apud probatos Auctores vox sumitur: *Cornu jugi*, apud eundem Curt. *lib.* 3. *cap.* 4. apud Florum *lib.* 4. *cap.* 11. *Cornu fluvii*: apud Cicer. *ad Atticum, utrumque portus cornu*; apud Tacitum *lib.* 1. *cap.* 75. *Cornu tribunalis.* In libris Veterum, qui circùm ligneum teretem surculum vel osseum convolvebantur, hinc *Volumina* dicti, surculus ipse seu surculi capitulā, *Cornua* dicebantur, quæ argento, auro atq; ebore ornari consuevêre; eadem lætiori fortuna candida, tristiori atrata erant. Unde Ovidius, in Ponto exul, *lib.* 1 *Tristium Eleg.* 1. ad librum suum, ait,

Nec titulus minio, nec cedro charta notetur,

Candida nec nigrâ Cornua *fronte geras*, &c.

V. quoque infra in voce *Coronis.* De *Cornibus tibiarum*, V. suprà in voce *Ceratanles*, & plura apud Salmasium *ad Solinum pag.* 120. *& seqq.* De *Cornibus Crinium*, longis videlicet eorum sertis, *Ibid. pag.* 762. &c. Inprimis verò adi de *Cornibus* C. Paschalium *Coronar. lib.* 10. *cap.* 4 & 5. Adjiciam saltem, *Cornu* quoque recenseri inter vasa Ecclesiastica, apud Rom. Ecclesiæ scriptores, hacque etiam voce Festum Nativitatis Domini indicari, apud vett. Danos, consuevisse, quod id temporis lætitiæ & exhauriendis poculis idoneum habitum sit, uti observat Wormius in *Fastis Danicis.*

Cornu Aureum, seu *Cornu aurei prom.* V. suprà in voce *Ceras.*

Cornu Aureum, Daniæ Regis Sereniss. scriptis Olai Wormii Antiquitatum S[illegible] vindicis clariss. celebre est. Regnante enim in Dania Christiano V. anno Chr. 1639. puella Dana Christina Suenoni fil. [illegible] Ripensi Cimbriæ Diœcesi, *Cornu Aureum* in itinere casu invenit. Constat illud ex duplici lamina, quarum interior solida est & integra, lævis utraq. superficie, exterior verò non continua est, uti prior, sed ex undecim conflata contiguis quasi latis annulis, suis internodiis distinctis, qui tamen omnes ejusdem nec sunt latitudinis, nec crassitiei: Conflatum est ex obryzo purissimo, rotundum & incurvum, pronâ parte duos pedes Romanos & quinq; pollices longitudine æquat, supina parte pedes duos & unum pollicē. Linea recta ab una extremitate transversim ad aliam ducta, pedem unum continet & pollices novem. Orificium majus, ex quo bibitur, in circumferentia, pedem unum implet, in diametro pollices quatuor. Minus orificium in ambitu quatuor pollices, in diametro pollicem unum cum semisse. Totum *Cornu* tam capax est, ut liquoris duos sextarios cum semisse capiat. Pendit uncias 99. & drachmas duas, absq; globo cochleato octangulo noviter addito, qui *Christiani* IV. nomine insignis est. Continentur autem emblemata Circulis illius septem varia. Et quidem in primo, *Homo nudus manibus pedibusque expansis*, constitutus est *inter serpentes duos.* Item *Bestia* conspicitur *humano capite, cui utrinque assistit homo manibus in cœlum porrectis.* Ibidem *avis* sculpta est *piscem rostro petens.* In secundo, *honesta corporis exercitia Eques exhibet, cum homine utraque manu gladios ventilante, & alio adhuc, qui arcu & sagittis instructus feram petit.* Ibidem, *Vir grandævus. barbatus & Sacerdotali habitu cornu mustо repletum habens.* In tertii Circuli initio, *homo est alium mactans, & crebris vulneribus afficiens*, ut vult Wormius: vel *mulier venefica, ex capitis necati extis vaticinans*, ut Licetus. Item *Centaurus, & duo homines, quorum uni lupina, alteri canina facies: ille gladio falcato, hic securi armatus.* Quo emblemate atrocitas bellorum indigitari videtur. Pacis verò commoda quarti circuli cælatura adumbrat, per *pastorem armenta pascentem.* In quinto Circulo, *homo visitur in belluinam formā redactus, assistentibus serpentibus.* In sexto, *caput grande oculis destitutum, quasi aures quasdam prægrandes habens & inferiùs duas divaricationes inter bestias duas emittentē.* Adsunt præter *lilium, quinquies terna puncta & duplicis crucis figura*; unde colligit Licetus, sub Haraldo Rege, Cornu hoc factum esse. Tum namque Christo Dania nomen dedit. In septimo ultimoque circulo, *duo sunt mortuorum ossa & ab utrinque medio dependens vexillum quadratum geminum.* Ibidem 9. *corda punctulis notata.* Quæ hieroglyphica pluribus explicat Wormius laudatus in *Monum. Danic.* ut & Fortun. Licetus *Commentar. de Annulis Antiqq. cap.* 36. Qualem usum olim præstiterit, tubæ vel litui in bello, an buccinæ in sacris, an vasis in Regum inunctionibus, an poculi in festivis conviviis, incertum: hodie

—— *dicatus Bromio cyathus*

Regis ad mensas exhilarandas

Omine fausto

Translatus est.

Jac. Pighettus J. C. Venetus, apud Thom. Bartholinum in *Append. Schedii de Armillis vett. edit. Amstelod. A. C.* 1676. *ubi & effigiem habes.*

Cornu Bubulum, V. suprà *Cornu.*

Cornua Victimarum deaurandi mos, ut gratiores essent Numinibus, apud mortalium antiquissimos obtinuit. Certè Nestor ille Homericus, divinam rem Palladi facturus bove, ait ad eam *Odyss.* γ.

[illegible]

Tibi autem sacrificabo juvencam, latâ fronte

Indomitam, quam nullus sub jugum duxit vir.

Hanc tibi ego sacrificabo, aurum cornibus circumfundens.

Et paulo pòst de hac ipsa victima,

[illegible]

Unus iterum aurificem Laërceum huc jubeat

Venire, ut bovis aurum cornibus circumfundat &c.

Quem locum videtur Plutarchus imitatus in triumpho Æmilii Pauli, ubi loquitur de centum viginti bobus, qui in pompa sunt ducti. Etsi ibi *deauratis cornibus* more receptissimo, additæ sunt coronæ, Μετὰ [illegible], *At post hos ducebantur auratis cornibus boves, centum viginti mitris ornati & coronis.* Unde *aurata* ac *auratiores* hostiæ dicebantur. Tertullianus *de Idol. Negas te quod facis, colere? Sed illi non negant, quibus hanc saginationem & auratiorem & majorem hostiam cædis.* Quidem de hoc ritu, *de Coron. mil. Ecce annua, inquit, votorum nuncupatio quid videtur? Prima in principiis, secunda in Prætoriis* —— *Hanc tibi Jupiter bovem cornibus auro decoratis vovemus.* V. quoque Josephum *Antiqq. Judaic.* ubi de dono Alexandri M. Judæis facto, postquam Jaddus Sacerdos summus Regis iram mitigasset: Antiochi item &c. at plura hanc in rem apud Car. Paschalium *Coronarum lib.* 4. *cap.* 16. & Sam. Bochartum *Hierozoici Parte prior. lib.* II. *cap.* 32.

Cornus arboris genus, de quo sic Plinius *lib.* 16. *cap.* 40. postquam de larice, abiete, ebeno, buxo, loto, robore, terebintho, aliisq; quibus spissa firmitas, disseruisset, *ab his proxima est* cornus: *quanquam non possit videri materies, propter exilitatem, sed lignum non aliò penè, quàm ad radios rotarum, utile: aut, si quid cuneandum*

dum sit in ligno clavisque figendum, cum ferreis. Sed & in bello ejus usus, quippe hastilibus aptæ. Unde *bona bello* dicitur Virgilio *Georgicor. lib. 2.*

> *Viminibus salices fœcundæ, frondibus ulmi,*
> *At myrtus validis hastilibus & bona bello*
> Cornus ——

Et *Itala cornus*, pro telo de Itala cornu facto, *Æneid. lib. 9. versu* 698. ubi de Turno,

> *Conjecto sternit jaculo, volat Itala* cornus
> *Aera per tenuem, stomachoq; infixa sub altum*
> *Pectus abit* ——

Achiva item *cornus*, apud Statium *Thebaid. lib. 7. versu* 647.

> —— —— —— *arma jacentis*
> *Jam rapiebat Abas.* cornu *deprensus Achiva*
> *Dimisit moriens clypeum* ——

V. Casp. Barthium *Animadversion. ad h. l.*

Cornuta, in *Ceremoniali* Rom. *lib. 1. cap. 4. Prælati custodes cornutam aperiant, fercula & omnia, quæ intus sunt, diligenter perscrutentur, ne quid literarum insit*: capsa est, quâ tempore Conclavis Cardinalibus cibi afferri consuevere, a binis *cornibus* seu ansis, per quas hasta transjectâ commodiùs à servis gestatur, dicta. Alii tamen *Carnutam* legunt, à carnibus in ea inferri solitis, apud Macrum in *Hierolexico.*

Cornuti parvi, *petits Cornus*, dicti sunt in Gallia Parisienses, pond. 20. gran. leg. 3. den. 12. gr. pretii 1. den. Par. & Turonenses nummi. pond. 21. gr. legis 3. den. 18. gr. pretii 1 den. Tur. cusi sub Philippo IV. de quibus V. Car. du Fresne *Glossar.* in voce *Moneta.*

Corocotta, apud Jul. Capitolinum in *Antonino Pio. Edita munera, in quibus elephantos & corocottas & strepsicerotas & crocodiles etiam atque hippopotamos, & omnia ex toto orbe terrarum, cum tigridibus, exhibuit*: animal est, de quo Plinium consule. Ante Severum Imp. Romæ *corocottas* visas, negat Dio: sed ita ut pudori suo consulat; ait enim, ὅσα γ' ἐγὼ ἐπίσταμαι, *quantum quidem scio.* Aliud hic docet Capitolinus. E leæna & hyæna gigni in Æthiopia, dicit Solinus *cap. 27.* hinc quia leænæ canibus, hyænæ lupis similes, λυκόκυνα vocant Græci, quasi mixtam ex lupo & cane formam habens; non verò, quòd ex cane & lupo concipiatur, ut alii dicunt. Hinc vetus Auctor ludicri testamenti, cognomen porcelli finxit. *Grunnii Corocottæ*: nec abs re, allusione factâ ad hyænæ nomen, quo corocotta generatur. Imò corocottam hyænam esse Indicam, tradit Porphyrius περὶ ἀποχῆς ἐμψύχων. Est autem ὕαινα ab ὗς, imò idem ferè quod ὗς; ut enim μύρος & μύραινα, sic ὗς & ὕαινα. Et videtur hyæna dicta ἀπὸ τ̃ λοφιᾶς, quòd porcinæ similem habeat; nam & piscis ὕαινα similiter λοφιὰν, setam, habet. Salmasius *ad Solinum pag. 337.* Aliud est, *Leucrocottas*, de quo infrà.

Corœbus, seu *Chorebus*, apud Papinium Statium *Thebaid. lib. 6. versu* 286.

> *Et gravis Acrisius, speciesq; horrenda Chorebi,*
> *Et Danaë culpata sinus* ——

Lutatio est, *qui monstrum Apollinis interemit, & pro omnibus se devovit. Ideo addit horrenda, id est, venerabilis, aut horrendâ specie, id est, terribili, quasi contemtor vitæ mortisque.* Ejus signum lapideum, omnium, quæ per totam Græciam fuerint, vetustissimum sibi obvenisse, scribit Pausanias. Qui utinam elegiam eam posteritati adscripsisset suis Commentariis inditam, quam Psamathes & Herois hujus rem complexam, tum super sepulchrum ejus conspicuam fuisse, memorat *lib. 1.* Casp. Barthius *Animadversion. ad Statium Thebaid.* l. c.

Corolla, Græcè στεφανίσκος, quasi tenuis, sive gracilis corona. Plinius *lib. 21. cap. 2. Sic coronis è floribus receptis* — *Paulatim & Romæ subrepsit appellatio* corollis *inter initia propter gracilitatem appellatis*: eaque ut plurimum florea aut herbacea. Catullus *Epigr. 4.*

> *Ver placuo varium nectit de flore corollas.*

à subtili nimirum opere facta ex eo flore, qui vigeret. Cujusmodi corollas plerumque imponebant statuis Numinum, quæ domi servabantur, ac si illo quotidiano & qualicunque cultu ea sibi irent propitiatum. Appuleius *Metam. lib. 3. Respicio Hipponæ Deæ simulachrum — quod accuratè corollis roseis equidem recentibus fuerat ornatum.* Aliquando tamen & e metallo fuisse, idem Plinius docet *d. l.* mox & Corollariis, *postquam è lamina tenui æra inaurata & inargentata dabantur.* Nempe à *corolla*, alterum diminutivum est *Corollarium*, de istiusmodi lamina. Qui significatus postmodum translatus est, ad quamlibet additiunculam sive auctarium, forte non debitum, sed additamentum ad totam summam. Sic *corollarium nummorum*, apud Ciceronem 5. *Verr. Corollarium Cleopatræ*, apud Plinium, de unione hujus Reginæ, *lib. 9. cap. 35.* &c. V. Car. Paschalium *Coronarum lib. 1. cap. 7.* Addam saltem, Gallos aliosque barbaros, signum amicitiæ prælatam olim *floream corollam* habuisse, teste Polybio, uti observavit, *ad Cæsarem Belli Gall. lib. 2.* Johann. Rhellicanus. V. Casp. Barthium *ad Statii Thebaid. 5. vers. 417.*

Coromandela, adde: Littus *Coromandelicum*, à Cap. Comerio usque ad fluxum Gangis in Bengalæ sinum sese extendens & littori Malabarico ad Ortum objacens, Ptolomæo *Colgardamma* vocatur: celebrisque est hic tractus Braminum, seu, ut Veteres vocabant, Brachmanum frequentia, item Christianorum S. Thomæ, cujus sepulchrum in vico *Meliapour* ostenditur. Reliquæ urbes sunt Negapatanum, Armaguna &c. Herbertus *Itiner. pag. 153. & seqq.* Eodem pertinet regnum Narsinga, cum urbibus suis nobilioribus Narsinga & Bisnagaria, cujus Rex olim totius litoris *Coromandelici* Dominus erat; nunc ad 12. circiter gr. Elev. Bor. extenditur; Cœtera à Belgis maximam partem tenentur. V. *Itiner.* Pauli van Caerden *part. 2.* Autorem Anonymum *Hist. Orbis Terr. Geogr. & Civ. cap. 6. sect. 2.* &c.

Corona, dignitatis, perfectionis ac plenitudinis symbolum. Unde apud Hom.

> —— — Κοῦροι κρητῆρας ἐπεστέψαντο ποτοῖο.
> *Crateres magnos statuunt & vina coronant.*

Hoc est, crateres ad summa labra replent. Inter Jani bifrontis ponitur inventa & usurpata est olim in sacrificiis, apud Athenæum *lib. 15.* & Q. Fabium Pict. *lib. 1.* qui idem farris & vini inventor perhibetur. Nempe utrumque præbuit, non tam cibo aut potui, quàm divino cultui & sacris instaurandis. in priscorum enim sacrificiis hæc duo jungi consuevisse diximus, ex Lactantio *lib. 7. cap. 6.* Plinius *primum hominum Liberum patrem coronam imposuisse capiti ex hedera*, scribit *lib. 16. cap. 4.* Tertullianus primum caput coronatum fuisse à Charitibus tradit, *de Cor. mil.* Apud eundem Pherecydes Saturnum primum coronatum refert &c. Hoc certum, Janum in Italia, sicut Liberum in India & Asia, præclarissimæ cujusque rei auspicem facere solitos Vett. itaque ratem & coronam ei loco præmii sculpserunt. Et meritò inventor farris & vini, *Coronæ* quoq; auctor cluet, quia far & vinum ab altaribus Deorū translata sunt ad mensas hominum, apud quos, gravedini capitis ex vino minuendæ, natæ primùm coronæ sunt. Sed nomen nondum tum usurpatum; *struppos* vel *stroppos* vocabant vincula ex duabus aut tribus tæniis invicem torti. Romani, nondum invento coronas è floribus texere, unde *Strophiola* nata, de quibus suo loco. Dein rami adhibiti. Plinius *lib. 21. cap. 2. arborum ramis coronari in sacris certaminibus, mos fuit primùm.* Quibus flores accessere: Cujusmodi coronæ è ramis floribusque textæ *Servia* & *Serta* dici cœperunt. Tandem ipsum *Coronæ* vocabulum *communicatum est, inter sacra tantùm & bellicos honores coronis suum nomē vindicantibus*, Plin. *d. l.* Nectebantur autem ista prima serta seu coronæ è floribus, è gramine, salice, arundine, lana, lino, hedera, omnique adeò materia plectili, nexili, plicatili, tornatili, flexili. Unde *plectiles* coronæ, Græcè πλεκταὶ, florales nempe, quæ propriè dicebantur *plecti*: eædem *pactiles*, Græcè πηκταὶ, quasi è floribus artificiosè mixtis compactæ, cujusmodi coronæ summam auctoritatem fuisse, ait Plinius *lib. cit. c. 3.* Sed & *nexiles* dicebantur, item *tortiles*, Græcis ἑλικτοί; quibus proximè accesserunt *cylistæ*, sive *encylistæ*; *sutiles* quoque aliæ, de quibus hic passim. Et prima quidem illa corona, quæ unum vinculi usum præbuit, ex *Amerina salice* plectebatur: quali Megisthen tortorio mentibus fuisse evinctum, tradit Anacreon, *Carm. lib. 2.* Vel ex *arundine vernacula*, quâ Lacedæmonii festis Promachiorum dieb⁹ sese coronasse leguntur. Postmodum ex herbis & floribus in hoc lectis, ut vim vini compescerent, coronæ factæ, inter quas *refrigerantes* inprimis celebres, *ex rosâ, similace, semine albæ spinæ, herba hirsuta, gramine dactyli, iberi & quinquefolio, è pulegio, amethysto, chamæpiti, è capis, ex hedera, ex filo cui hæreret folium oleæ, in quo scriptum esset nomen Minervæ* &c. In conviviis autem coronas triplices habuere Vett. quæ caput primò, dein frontem, tandem collum redimirent: iis addita unguenta. Prætereà calices, januæ, ministri coronabantur. Nec sine coronis ullius convivii apud Vett. mentio. A' privata lætitia ad publicam mos transiit, unde *Coronæ festæ*, quæ conjiciebantur in eum, qui universorum studiis excipiebatur, V. suprà ubi de *Conjectu florum.* Uti verò hi flores primitus indiscriminatim legebantur, ita ex indistinctis corollam sibi quisque plectebat, nullo aut exiguo coloris, odoris, nitoris judicio. Unde χύδην dixere, quasi *confusè plexas.* At temporis processu accuratè corona plexa ἑορὰ dicta est, V. Athenæum *lib. 15.* & *Etymolog.* voce ἑορὰ. Quod nectendi coronas artificium, à Sicyoniis manasse, Plinius est auctor *cap. 2. cit.* *Hi dicuntur accendisse odores & colores, ex ingenio Pausiæ pictoris, & Glyceræ coronariæ, dilectæ admodum illi.* V. quoque eum *lib. 35. cap. 11.* Consistebat autem ars, in floribus, foliis, herbis, ramulis in orbem nectendis: quod fiebat in filo, aut scirpo, Tertullianus *de cor. milit.* seu philyra, *Etymolog.* φιλύρα, & similibus. Erantque hæ philyræ simplices primùm, hoc est, nulla arte fucatæ, aut dissimulatæ, Plinius *lib. 21. cap. 3.* Publ. Claudius Pulcher primus bracteas addidit, i. bracteatas fecit. Accesserunt postmodum lemnisci, seu fasciolæ è coronis pendulæ: quæ pro ratione coronarum, laneæ, lineæ, aureæ, cælatæ &c. fuere. Porro *corona* fiebat vel ex uno flore, ut *hypoglottis*, *ἰσθμία*, *Antinoia*, *lotina*, *pyleo*, *jacche*, *è palma*, *melilotina*, *cylistum*, *ptochia*, *pothos*, *è serpyllo*, *e myrto*, *tilinea* &c. vel ex pluribus. Quorum loco pinnis alarum, Musæ, apud Pausaniam *lib. 9.* sagittâ Indi & Bactriani usi, apud Prudentium *Hamart.* Atque hæ propriè *Coronæ convivialis lætitiæ*, sive privatæ, sive publicæ, de quibus V. plura hic, ubi de *Convivialibus* & *Nuptialibus Coronis.* A mensis

Sacra usu translato, simulachra ipsa Numinum coronari cœperunt. Inter quæ, Bacchus e *vite, corymbis, racemis, pampinisq;* Juno similiter e *vite*, Dioscuri, ex *arundine*, uti & Flumina, Apollo ex *arundine* primum, inde *lauro*; Saturnus, e *ficis recentibus*, Jupiter è *floribus*, Hercules e *populo*, Pan, ex *pinu* & *ebulo*, Lucina è *dictamno*, Horæ, è *fructibus* uniuscujusq; tempestati anni propriis, Gratiæ ex *oleæ ramis*; ut & Minerva, Venus ex *rosis*, Ceres e *spicis*, Lares e *myrto* & *rore marino*; Alii ex aliis coronas habuere. Quid quod luci, arbores, spinæ, termini, pari modo ornati fuere? Sed & sacris annumerandæ, quæ mortuis olim imponebantur, auctore Lycurgo; quod institutum Lacedæmone Athenas, hincque Romam, migravit. Hæ Lacedæmoniis ex *olea*, apud alias gentes nunc ex *olea*, nunc ex *lauro*, quandoque è *tiliis*, factæ sunt: quarum loco Regibus mortuis, diademata imposita, legimus. Hinc & mortuis ἐδίδοτο ὁ στέφανος, inquit Suidas, ὡς τὸν βίον διηγωνισμένοις, *data est mortuis corona, tanquam vitæ bonum agonem decertassent*. Quò alludens, apud Eustathium, *Ismen.* pater filii obitum acerbè deplorat, hisque verbis prosequitur: πῶς σε στεφανώσω τοῖς δάκρυσι, *quomodo te coronabo fletibus?* Eodem modo Astyanacta nepotem Hecuba componit, apud Euripidem *Troad.* Imò & urnæ mortuorum coronatæ, rogi item & sepulchra, *apio, amaranto, liliis, sertis & tæniis*, V. infrà, inprimis in ultima hac voce. Ut de *Coronis Diis dicatis* & inter *anathemata* in Templis suspensis, nihil dicam: de quibus videre poteris, inter alios, Livium *lib.* 32. *cap.* 27. ubi de *Corona aurea* ab Attalo R. in Capitolio posita. 246. pondo: Item *lib.* 36. *cap.* 35. ubi de alia 100. pondo a Legatis Philippi ibidem dedicata &c. Certè, pars nulla divini cultus apud Gentiles coronis carebat, imò in solis coronis nonnunquam constitit, quomodo Dianam Ephesiam cultam esse, discimus ex Plinio *lib.* 21. *cap.* 3. Neque vero Dii solum, sed & homines, qui Diis sacra faciebant, *coronati*, vittati, infulati, fuere. Sacerdotes viz. & Sacrificantes, quorum corona *oleagina* vel *aurea* fuit. Flamen autem *laureatus* erat. Etiam qui quid jam Deo dedicaret, libaretque, Flaminicæ quoque, Bacchæ, Vestales, coronas gestavere. Porro in Supplicationibus, majores annis duodecim coronatos fuisse apud Romanos; idem Livius docet *lib.* 40. *cap.* 47. Ipsas victimas fuisse coronatas notissimum, *cupresso* inprimis & *pinu*. Sed & domus coronabantur, sacro durante: alvei item, lintres, naves, vehendis sacris adhibitæ; nec non equi & asini, eidem usui adhibiti: Aræ tandem, Altaria, Sacella, Ædiculæ, Templa, Vasa, & Cistæ, in quibus sacrificio necessaria condebantur. Sacris proximæ coronæ sunt, quibus leguntur coronati Magistratus, quæ apud Athenienses ex myrto fuere. Legati item, quibus verbena aut olea adhibita; Supplices, quibus myrtus itidem placuit, Vates, Viri fortes, bene meriti de Rep. &c. quorum omnium & statuas coronarimos. Inprimis Hieronicarum celebris corona, quam illi in sacris Ludis victores reportavere, V. ubi de hujusmodi Ludis passim. Et quæ ex his natæ, Militares, *castrensis* se. *vallaris*, *civica*, *muralis*, *navalis*, *equestris*, *obsidionalis*, *ovalis*, *triumphalis* &c. Cujusmodi coronas non singuli tantum adepti sunt, verùm etiam interdum tota cohors, populus, publici Ordines, universi, totæ urbes: ut de Rhodiorum populo, apud Livium *lib.* 21. de urbe Atheniensium, apud Aristidem *Panathen.* de aliis apud alios legimus. Multum his dissimiles illæ, quæ datæ sunt coquis talibusq; voluptatum lenonibus, apud Sybaritas, Athen. *lib.* 12. potoribus, apud Diogenem Laërtium in *Xenocrate*, sycophantis, apud Diodorum Sic. *lib.* 12. & Magis, apud Scholiastem in *Theriac. Nic.* quæ plerunque ex myrtica erant. Sed & servorum captivorumq; venalium signum *Corona* fuit, de qua alibi. Inter Magistratus, supra indigitatos, Imperatores, Reges, Duces, Comites, hodieque *Diademata* & *Coronas* gestant, de quibus V. hic passim. inprimis ubi de *Cidari*, *Diademate*, *Tiara*, item ubi de *Imperatoribus*, *Regibus* &c. Ut *Coronas*, quarum in supellectile quoque mentio, aliaque prætereàm. In luctu contra *coronari* nefas habitum, atque proin Æschylus in r. Sept. Theb.

> Πέπλων τε στεφέων
> Πότ', εἰ μὴ νῦν, ἀμφὶ λιτὰν ἕξομεν.
> *Coronas & peplos*
> *Ecquando nisi quàm nunc, conversæ ad supplices preces, projiciamus?*

Uti Scholiastes interpretatur. Qui ritus Polluci est ἀποῤῥίπτειν τοὺς στεφάνους: Nam tunc temporis, si coronæ jam essent allatæ, frangebantur, lacerabantur & abjiciebantur. Sic qui de hominis capite cognoscebat, capiti detrahebat coronam, teste Tullio *lib.* 14. *ad Atticum Epist.* 15. idem faciebant Romani, tempore quo Resp. turbata esset, Plin. *lib.* 2. *cap.* 3. Bacchæ quoque, indignatione accensæ, apud Oppianum *Cynegetic. lib.* 4. Tandem adimebantur his lacerabanturq; coronæ, qui indignos se muneribus honoribusque, in quibus versabantur, reddidissent; uti legimus apud Auctores passim. Plura hanc in rem, V. apud Plinium *lib.* 21 *cap.* 1. & *seqq.* Jo. Rosinum *Antiqq. Rom. passim*, & Car. Paschalium *Coronarum libris*. Hinc *Coronaria*, mulier nectendarum corollarum artifex, item quæ illas vendit, Græce στεφανόπωλις, seu στεφανόπλοκος, V. infra *Stephanoplocos*. *Coronarium aurum*, V. suprà in voce *Aurum*, ut & paulò infra: *Coronas lustra*, apud Statium *lib.* 4. *Sylv.* 2. quibus ob *coronas* certabatur, singulis quinquenniis evolutis, V. M. Raderum *Commentar. ad Martial. lib.* 4. *Epigramm.* 1. J. C. Bulengerum *de Imper. lib.* 3. &c.

Coronarum, apud Priscos, genera celebriora.

Antinoeæ *Coronæ*. V. suprà.

Augustales, V. Paschalium præfatum *lib.* 10. *cap.* 7.

Aureæ, militibus ac Triumphatori datæ: quod primò à Posthumio Dictatore factum refert Plin. *lib.* 32. *cap.* 2.

Castrensis, seu Vallaris, quòd valli insigne haberet: donata ei est, qui primus hostium castra pugnans intravit. Fuit ex auro. V. suprà.

Cereæ, apud Artemidorum, *lib.* 1. *cap.* 79. ubi illas omnibus, maxime verò ægrotantibus, malum portendere, ait. Contineri illis aliquid Magicæ superstitionis solitum videtur. Paschalius *lib.* 4. *cap.* 4.

Chydæa, V. suprà.

Civica, e quernа fronde, item ex ilice, præmium servati in prælio civis. Talium 14. accepit Sic. Dentatus

Classica, dabatur Ducibus, ob rem mari egregie gestam. V. infrà *Rostrata*, item *Navalis*.

Cylistiæ, V. *Encylistiæ*.

Donaticæ, V. infrà.

Encylistiæ, V. infra suo loco.

Egeæ, dicta est corona, quæ non ex floribus indistinctis fiebat, ut Chydææ, sed in quibus pro ratione coloris, nitoris, odoris, flores artificiosè seligebantur. V. Car. Paschalium *lib.* 2. *cap.* 12.

Exploratoriæ, a Caligula inventæ, quas ipse Solis, Lunæ, siderumque specie distinxit, Sueton. *in eo capp.* 4. & 5. V. quoq; Paschalium *lib.* 9. *c.* 10.

Ferales, quæ gestantem necent, de quibus V. Plinium *lib.* 21. *cap.* 3.

Festæ, dictæ sunt, *quod more Romano festis ludis omnis ætas coronata spectabat*, Serv. *Æn.* 5.

Floreæ, antiquissimæ & honoratissimæ fuere: de quibus V. Paschalium *lib.* 1 *c.* 15. &c.

Funebres, V. suprà: item ubi de *Cadaverum cura*.

Graminea, in re militari, maximæ honorationis. V. *Obsidionalis*, & Car. Paschalium *lib.* 1. *cap.* 12. & *lib.* 7. *cap.* 16.

Hederacea, V. infra ubi de *Hedera*.

Hetruscæ, aureæ erant & gemmatæ, V. Paschalium *lib.* 2. *cap.* 12. & *lib.* 8. *cap.* 6.

Historicæ, V. eundem *lib.* 9. *c.* 1. & infrà, in voce *Oulaut*.

Hypoglottis, in fine convivii data, V. Paschalium *lib.* 2. *cap.* 4.

Hypothymides, *Ibid.*

Imperatoria, V. *Diadema*.

Inversa, non minùs ac lapsa, aut rupta, mali ominis erat; de qua V. Paschalium *lib.* 4. *cap.* 13.

Lanea, in expiatoriis & Magicis sacris receptissima, apud Plin. *lib.* 21. *cap.* 3. Propert. *Eleg.* 5. *lib.* 3. &c. Eadem novaNupta coronabat januam mariti. apud Paschalium *lib.* 2 *cap.* 16. Homerum Plato, *ibid.* Sed & adulteri hac alicubi vincti &c. V. quoque Barthium *Animadversion. ad Statium lib. II. pag.* 1121. & *lib. III. pag.* 724.

Laurea, Imperatorum, Poëtarum, aliorum, V. infrà.

Lemniscata, V. itidem infrà.

Lineæ, V. Paschalium *lib.* 2. *cap.* 12.

Longæ, quarum mentio in XII. tabb. dictæ sunt ad differentiam rotundarum, quibus busta, sepulchra, sellæ curules, theatra & currus triumphales exornari consuevere.

Ludicræ, V. infrà.

Martyrum, e floribus, Paschalius *lib.* 2. *cap.* 15.

Militares, V. suprà aliquid, & plura infrà, ubi de *Militibus*.

Muralis, velut muri pinnis decorata, dari solita est ab Imp. ei qui primus hostilem murum subiit. Talium tres meruit Sicinius Dentatus.

Myrtea, non conviviis solùm, ubi tum capiti ornando, tum, flabelli loco, muscis abigendis, ut apud Athenienses, adhibita est; sed bellicis quoq; se rebus inseruit, Plin. *lib.* 15. *cap.* 29. Ovationis insigne, Posthumio Tuberto primùm collata. V. infrà ubi de *Myrto*.

Navalis, V. infrà.

Nuptialis, itidem.

Obsidionalis, quam ii, qui liberati erant ab *obsidione*, Duci liberanti dare solebant. Harum unâ donatus est supra memoratus Sicin. Dentatus, miles fortissimus; è gramine fuit.

Oleagina, præmium erat in Olympicis ludis victorum.

Ovalis corona myrtea fuit, quâ Imperatores, qui ovantes introibant urbem, donati sunt. V. suprà *Myrtea*.

Pactilis, V. in hac voce.

Pampinea, V. ubi de *Pampino*.

Pancarpiæ, V. Paschalium *lib.* 2. *cap.* 13.

Corona e panibus, V. infrà *Panis*.

Plectilis, dicta est corona ex integra fronde lauri plexa, apud Plautum in *Bacchid. Actu* 1. *sc.* 2. & A. Gellium *Noct. Attic. lib.* 18. *cap.* 2 V. quoque infrà.

Plumea, cum pennis tribus puniceis aut nigris, longitudinis ferè cubitalis, militibus concessa est, ut aspectu pulchri, hostibus verò terribiles evaderent. V. Casp. Barthium *Animadversion. ad Papinium Statium lib.* 11. *pag.* 936.

Plicatiles, apud Paschalium *lib.* 3. *cap.* 13.

Pistinæ, *Ibid. lib.* 6. *cap.* 21.

Querna, eadem cum Civica.

Radiata, Diis majorum gentium, & præcipuè Soli, Jovi & Baccho attributa est, ad cujus similitudinem Viri Principes, qui Dii haberi volebant, similem gestabant, ut de Augusto, aliisq; legimus. V. C. Paschalium *lib.* 9. *c.* 13.

Refrigerantes, V. suprà.

Rosea, V. infrà.
Rostrata, itidem.
Rutilæ, V. Paschalium *lib.* 8. *cap* 4.
Sacerdotalis. *Ibid. lib.* 4. *cap.* 13.
Sacræ, V. infrà.
Spicea, Cereris fuit; V. *Spicea* infrà.
Spinea, infausta. V. Paschalium *lib.* 7. *cap.* 15.
Stellata. *Ibid. lib.* 9. *cap.* 15. V. quoque *Radiata*.
Subtiles quænam dictæ, V. infr.
Tonsa, seu *Tonsilis*, plectili opposita, texebatur è foliis detonsis & ex mero folio funiculis fiebatur. V. Salmasium *ad Solinum*, Serviumque *ad istum Virgilii versum, Ipse caput tonsæ foliis ornatus olivæ.*
Tortiles seu *Volubiles* aut *Volventes* se, dictæ sunt in quas tantùm admissæ sunt, res orbiculares, poma, & fructus ii, qui duriusculi erant, præ herbis & foliis, quæ molliora: Α᾽ *volvendo*. V. Paschalium *lib.* 1. *cap.* 13.
Triumphales ex auro fuere, quæ à sociis & amicis gentilibus mittebantur Imperatoribus, atque in triumpho præferebantur, numero sæpè admodum frequenti. In Scipionis Asiatici triumpho *aureas coronas ducentas triginta quatuor* Livius: in Cæsaris, *duo millia octingentas viginti duas* Appianus, numerant. Id vulgò *aurum Coronarium*: olim ex lauro erant, propter paupertatem, ut Festus affirmat. V. A. Gellium *lib.* 5. *c.* 6. & Paschalium *lib.* 8. *cap.* 1. & *seqq.*
Vallaris, valli habebat insigne, darique militi solita est, qui hostile vallum pugnans introiit: eadem cum *Castrensi*, de qua suprà.
Virginea, partim Junoni, partim Baccho, in usu erat, uti diximus retrò.
Volubiles dictæ, quæ volvi possunt, utpote ex pomis fructibusq; duris nexæ, V. suprà *Tortiles* &c. & quarundam *Coronarum* præfatarum icones apud Rosinum *in Antiqq. Rom.* De *Coronis* verò illis, de quibus prolixiùs dicendum erit, hic infrà.

Corona, ornamentum quod in ædibus sacris pendebat, apud Anastasium Bibliothecar. cujus typum ex *Martyrologio* quodam membranaceo Bibliothecæ Vatic. & Templo S. Clementis Romæ, exhibet Dominic. Macer in *Hierolexico*. Addit frater Carolus, ante Imperatorem Græcorum lampades duas coronatas, στεφανώματα, i. *coronas*, Balsamoni dictas, olim deferri consuevisse, ut indigitaretur, ad Maj. Imper. seu *coronam* rerum divinarum ac humanarum curam spectare: unicam verò, ante Patriarcham, quòd sola spiritualia ad ipsum spectarent; ante Imperatricem similiter unicam, quòd non nisi humanarum rerum ei cura esset &c. Idem nomen est nummi aurei Francici, apud du Fresne in voce *Moneta*. Item candelabri, in modum *coronæ* ac circuli, variis lucernis instructi, à Templorum laquearibus dependentis, apud Anastasium in *Sylvestro Pontif.* &c.

Corona Clericalis, in Communione Romana, dicitur tonsura Clericorum eorumque, qui sacris Ordinibus initiati sunt, in modum *coronæ* facta, παπαλήθρα Græcis recentioribus: cujus inventionem Petro Apostolo videtur tribuere Gregorius Turon. *de Mirac. lib.* 1. *cap.* 28. è quo colligitur, fuisse illam olim talem, ut superior omnis capitis pars nudaretur, circulus in infima capillitii parte coronam formaret. At posterioribus seculis coronulam sub fronte detulisse Clericos, auctor est Ethelvredus *lib.* 4. *cap.* 9. &c. De *Corona* Athletarum, ad cujus imitationem fortè hæc excogitata. V. suprà, ubi de *Circumtonsis*. Hinc, quia in eadem Ecclesia insigne hoc Clericatus ac Sacerdotii præcipuum, *Corona* ipsa dignitas Clericalis, Sacerdotalis, Episcopalis, imò & *Pontificalis*, dici: atque hac voce, ut illustri honoris titulo, ipsi Episcopi atque Pontifices compellari cœperunt, V. Synodium *lib.* 4. *Epist.* 22. *ad Symmachum*, alios; quâ notione Græcos Patres στέφανον usurpasse, discimus ex Concilio Ephes. *part.* 2. *Act.* 3. *initio*. Unde *Coronati* quoque, pro Clericis, Hisp. *Clerigos de Corona*: quemadmodum Gentilium etiam Sacerdotes dicuntur, Innocentio *Epist. ad Episc. in Synodo Tholos.* & Firmico *Mathes. lib.* 3. *cap.* 4. *c.* 7. *c.* 14. &c. De *Benedictione Coronæ*, quæ ad Abbates pertinet, seu *prima Tonsura*, V. Auctores Car. du Fresne laudatos, & plura hanc in rem infra passim, inprimis in vocibus, *Papalethra, Platta, Tonsura*: Adde Macros Fratres in *Hierolexico*.

Corona Natalitia, præ foribus die tertio apud Romanos: quinto apud Græcos suspensa, publicè testabatur gaudium ob recèns natum infantem. Juven. *Sat.* 9.

— *Foribus suspende* coronam,
Jam Pater es.

Quam ob causam, notante Meursio *Attic. lect. lib.* 4. *c.* 10. Puerperæ domus *coronata*, στεφανηφόρος, dicta est. Ad easdem *coronas* alludit Nonnus *Dionys. lib.* 25.

Βακχιὰ στέμματα λεχὼια, λεχὼια Λυαίε.
Bacchi coronas hasce puerperio condecentes, hasce Lyæi.

Fuere autem hæ *Coronæ* eædem fere, quibus Nuptialium festo frontem crinesque hastâ compositos cinxerat nova Nupta, in honorem Laris familiaris, foribus præsidentis. Ita enim aliàs quoque in nuptiis postes *coronati*, vel ad arcendum fascinum, ex Hetrusca superstitione, quomodo & anterior lecti pars ornabatur, vel potiùs ad Vestam, cui postes sacri, placandam, quæ in puerperio visa sibi erat læsa & alioquin, ut Junonis soror, ad puerperium aliquid contulerat, vel denique in amoris victoriam, qua de re pluribus hic infrà. Addendum hoc, Athenis masculis oleagineam coronam suspensam, laneam fœmellis, uti apud Hesychium legimus. Romanis laurus, ob generis perpetuitatem & hedera apiumq; certarumque herbarum fragrantium corollæ solebant adhiberi. V. Thom. Bartholinum *de Puerperio Veterum, cum Notis eruditis* Caspari filii.

Corona Nuptialis, olim celebri in usu. Apud Hebræos, in ipsa deductione seu nuptiis, Sponsos antiquissimis jam temporibus *coronis* ornari solitos fuisse, *in Misna* legimus. Et quidem Sponsi *Corona*, sive aurea, sive argentea, sive ex farre tosto formata, atq; sulphure depicta, sive rosea, sive myrtea, sive oleagina: Sponsæ aurea seu aurata, scilicet formâ עיר של זהב *urbis aureæ* seu turritâ, qualem Deûm Matri vulgò tribui consuevisse *suo loco* dicemus, erat: pro varia nempe Neogamorum conditione. Qui mos duravit, usq; ad secundi Templi excidium, à quo tempore, uti ritus ramorū myrti ac palmarum, cum cantu, præferendorum, ita & *coronæ* hæ prohibitæ sunt; Joh. Seldenus *Uxor. Hebr. lib.* 2. *cap.* 15. Nec minus, apud veteres Paganos, frequens *Coronarum nuptialium* mentio. Bion certè *Epitaph. Adonidis* στέφος γαμήλιον memorat. Et Clytemnestra apud Euripidem Achilli, de Iphigenia, inquit:

— — — Ἀλλ᾽ ὅμως
Καὶ καθέστεψ᾽ ἐγώ σοι ἦγον ὡς γαμουμένην.
Attamen
Ego coronans *eam adduxi, tanquam nupturam.*

Vetus quoque apud Ciceronem *de Orator. lib.* 3. Poëta,

Sed mihi cùm retulit coronam, *ob collocandas Nuptias,*
Tibi ferebat, cùm simulabat sese alteri dare,
Tum ad te, ludibunda doctè & delicatè detulit.

V. quoq; Lucanum *Pharsal.* 2. ubi de Mariæ nuptiis agens, eandem similiter turritam facit; Libanium *Declam.* 8. Artemidorum *Oneirocrit. lib.* 1. *cap.* 79. Alios. Apud Adolphum Occonem nummus Adriani Aug. idem repræsentat, cujus parte alterâ, CONJUGIUM AUG. alterâ, M. P. T. NOB. in *Corona*. Nec conjectura deest, duplicem fuisse Sponsæ *Coronam*, ex illo Valerii *Argonautic. lib.* 8.

— *Ipsa suam* duplicem *Cytheree* Coronam
Donat.

Materies iis adhibita pro arbitrio, ut videtur, & variâ Sponsorum conditione. Et Bœotarum coronas hujusmodi ex ἀσφαραγωνιᾶς (an asparago?) fuisse, scribit Plutarchus *in Præc. Conjug.* Atq; sisymbrio coronari solitos sponsos, eliciunt aliqui ex illo Aristophanis *Act.* 6. ubi cùm Epopis dixerat, suis in hortis pascere alba sesama, myrta, papavera, & sisymbria: respondet Evelpis,

Ὑμεῖς μὲν ἄρα ζῆτε Νυμφίων βίον,
Vos igitur vivitis Sponsorum vitam &c.

Vide de his fusè agentes Auctores, apud præfatum Seldenum *ejusd. lib. cap.* 13. Sed & idem mos in Occidentali Ecclesia, non tamen circa Digamos, retentus: Unde inter ritus Ecclesiæ hujus matrimoniales prisci recentiorisque ævi, quorum aliqui summatim designantur in illo Nicolai I. Pontif. ad Bulgaros *responso*, sub A. C. 86 . post sponsalia, arras, annulum, dotem dictam, benedictionem in Templo & velamen, memorata, ista habentur: *Post hæc autem de Ecclesia egressi Coronas in capitibus gestant, quæ semper in Ecclesia ipsa solitæ sunt reservari. Et ita, festis nuptialibus celebratis, ad ducendam individuam vitam, Domino disponente, de cætero dirriguntur.* Formulam benedicendi in Nuptiis tum annulum, tum *Coronam* hujusmodi, ex vett. Liturgiis hanc observavit Laur. Pignorius *Epist.* 1. & 19. *Benedic Domine annulum istum*, & Coronam *istam, ut sicut annulus circumdat digitum hominis, & corona caput, ita gratia Spiritus S. circumdet Sponsum & Sponsam, ut videant filios & filias, usq; ad tertiam & quartam generationem* &c. In Orientali non minus idem viguit, qua de re, ut & aliis Paganismi ritibus Nuptialibus, rectè Antonius Gubertus IC. *lib. de Sponsal.* 6. *de Ritu Nupt.* §. 34. *Cùm pietate*, inquit, *& industria Constantini Idolorum cultus ubiq; gentium exolevisset, ritus Nuptiarum indifferenter, qui magis ad ornatum & celebritatem earum, quàm ad ullum impium cultum, vel jam abolitam Idololatriam pertinebant, Christiani in usum revocarunt, atq; ideò nubentium coronas.* V. iterum Seldenum *cap.* 25. *l. c.* atque infrà ubi de *Nuptiis*. De *Corona* baptizatis ex myrto vel palma aliisq; similibus, apud Æthiopes, imponi solita, V. Severum Alexandrinum *de Rit. Bapt. sub fin.* & Ans. Solerium *de Pileo sect.* 4. &c.

Corona Oblationis, in Rom. Ecclesia, dicitur panis benedictus, in modum *Coronæ* seu formâ rotundâ confectus: quâ panes gradiles olim fuisse, dicemus infrà. V. & infrà in *Oblata*. In eadem Communione, *Coronam de Racemis*, quam annuatim debebant Abbates & Conventus Humolariensis, memorat *Charta* Ludovici Gall. R. A. C. 1223. apud du Fresne. Ut de *Corona linea Laicorum Militum*, quarum mentio in *Constitut.* Petri Episc. Ruthenensis Leg. Apostol. ut vocant, in Cypro A. C. 1313. de *Coronis cum delphinis & liliis*, de quibus C. du Fresne *in Descr. S. Sophiæ num.* 48. de variis monetis Francicis, quibus *Corona* expressa, inter quas eminent *Denarii aurei cum corona*, Gall. *Deniers d'or fin à la couronne*, & simpliciter *Couronnes* & *Couronnes de France* Froissarto *Tom. VI. capp.* 26. 64. 66. sub Carolo VI. cusis &c. nihil addam.

Non tamen omittendæ, *Coronæ*, quæ apud Vitruv. subiiciebantur cameris, tenuis subtilisq; operis, ac aliquando ex cupro, aliquando ex marmore Cretico producebantur, & modò puræ, modò cælatæ fiebant: Quem ornatum cum laquearibus quidam malè confuderunt, cùm trullissatis politisque cameris subjicerentur. *Ὑποχάρτωμα* dici istiusmodi *Coronarium* opus quibusdam videtur, *Epist. 6. Pontific.* idque à chartæ tenuitate ac subtilitate, & idem esse, quod *ὑποπλάκωσις*. Aliud tamen sentit Salmasius, quem vide omnino *ad Vopiscum in Aureliano*; ut & Philandrum *ad Vitruvium.*

Coronæus Sinus, inter eos, quibus ora Peloponnesi alluitur, memoratur Plinio *lib. 4. cap* 5 ubi eorum decem enumerat, Corinthiacum primum, ad Isthmum ipsum, Chelonatem sinum, Cyparissium, Asinæum, *Coronæum*, Laconicum, Ægylodem, Gytheatem, Argolicum & Saronicum, addens: *Tot sinus Peloponnesi oram laciniant.* V. Salmasium *ad Solinum pag.* 140.

Coronarium Æs, memoratur Plinio *lib.* 33. *cap.* 9. & *lib.* 34. *c.* 8. & 11. ubi inter alia, *In Cyprio* (ære) *coronarium & regulare est utrumq; ductile.* Coronarium *tenuatur in laminas, taurorumq; felle tinctum speciem auri in coronis histrionum præbet.* Nempe histrionicæ coronæ regias formâ quidem imitabantur, sed materia differebant, illæ quippe ex auro, hæ ex ære: quod æs pars fuit æris Cyprii tenuissimi. Ocyssimè autem illud æruginem contrahebat, recisamentis in acetum additis. Hinc inter *σκευάσματα* seu *Indumenta* Histrionum apud Pollucem *lib.* 4. *cap.* 18. connumerantur *στεφ., στλέγγις, μίτρα, πῖλος*; quibus redimiebantur illi histrionici Atrides, Agamemnones, Ulysses, talesque alii. Quanquam & histrionibus quandoque coronæ datæ sunt, non ex auro hujusmodi ementito, sed, uti Olympicæ, ex cotino: quales Favonium Ædilem Pl. Romæ in spectaculis exhibuisse, Plutarchus est auctor *in Catone*. V. Car. Paschalium *Coronarum lib.* 9. *cap.* 1.

Coronarium Aurum, de quo sic A. Gellius *lib.* 5. *cap.* 6. *Triumphales coronæ sunt aureæ, quæ Imperatoribus ob honorem triumphi mittuntur. Id vulgò dicitur* aurum coronarium: *hæ antiquitus è lauro erant* &c. Verùm non tantùm coronæ; sed aurum postea ad coronas missum, etiam cum gravi exactione, in aliis causis, Vid. *tit. Cod. lib.* 10. *de Auro coronario*, Lipsium *de magnitud. Rom. lib.* 2. *cap.* 9. &c. Hoc non decrescebat, in probatione obrussæ: *Id enim quod voluntate offertur, non debet consequi necessitatis injuriam*, *l.* 4. *de auro Coron.* id est, non debet subjectum esse illi acerbitati, quæ adhibetur in illo, quod necessariò præstatur: quæ acerbitas in collatione voluntaria pro injuria esset. Idque meritò, *Nam quæ dono contingunt, minus scrupulosè probantur*, ut ait Columella. Peccavit ea in re Nero, quum parans expeditionem adversus Vindicem, exegit ingenti fastidio & acerbitate nummum asperum, argentum pustulatum, aurum ad obrussam: ut pleriq; omnem collationem palàm recusarent. Galba non minus, quum oblatâ ad conflandum à Tarraconensibus è vetere Templo Jovis coronâ aureâ librarum quindecim, tres uncias, quæ ponderi deerant, jussit exigi, teste Suetonio. V. Joh. Frider. Gronovium *de Pec. Vet. lib.* 4. *cap.* 15.

Coronas in Deorum pulvinar jaciendi ritus, indigitatur Capitolino in *Marco*, *In Saliatu omen accepit Imperii, coronas omnibus in pulvinar ex more jacientibus, aliæ aliis locis hæserunt; hujus, velut manu, capiti Martis aptata est.* Ubi quod de Saliis solus hic Auctor habet, de reliquis etiam Divis alibi legimus, in eorum sc. pulvinaria & statuas jaci coronas & flores omne genus, diebus præsertim festis, consuevisse. Unde in Deorum cultu *στέφανοι* etiam ponit Justinus *Apologetico*, ubi *τὰ φαῦλα στέφανα*, i. *fustilium coronarum*, quas *ῥάμματα ἄνθινα* vocat Hesychius, meminit. Salmasius *ad locum*. V. quoque suprà in voce *Conjectus*.

Coronati, militum genus, quorum cohortis meminit Theophanes *pag.* 43. ubi de Valentiniano, postmodum Imperatore, *Τριβοῦνος ὢν τῆς τάγματος τῶν Κορωνάτων λεγομένων νουμέρου*, *Tribunus tunc cohortis Coronatorum.* At *Κορνούτων* restituunt Viri docti, du Fresne *Glossar.* Sed & *Coronatus*, pro *Sacerdote*. Licèt enim Josephus *Antiqq. lib.* 3. *cap.* 8. soli Pontificiæ cidari *coronulas* ascribere videatur, Lyranus tamen *in cap.* 39. *Exod.* in Sacerdotali quoque eas agnoscit, non quidem aureas, quales Pontificum erant, sed byssinas, quò trahit is locum Exod. *cap.* 39. *vers.* 25. Et ab his, apud Augustinum *Serm.* 13. *de Temp.* Simeon inter alia *coronatus* appellatur; quod licèt quidam de multis ejus operibus bonis accipiant, alii tamen ex sententia, de coronato Sacerdotum Judaicorum capite, denominationem arcessunt. Namque & suam Sacerdotio quoque *Coronam* fuisse, etiam Rabbi Simeon *in Capitul. Patr.* testatur: *Tres sunt coronæ, corona Legis, Sacerdotii & Regni: corona autem boni nominis ascendit supra omnes.* Sed & apud ipsos Ethnicos, *Coronatum* idem sonare, quod gerentem Sacerdotium, probat Car. Paschalius *de Coron. lib.* 4. *cap.* 13. ex eo, quòd Theopus, apud Plutarchum *de Socr. Dæmon.* jugulans Cabirichum Sacerdotem, Tyrannorum fautorem, dixit: *Jaceto cum his, quibus es adulatus: Neq; enim liberis Thebis tu coronaberis*, id est, *Sacerdotium geres.* Mox enim addit: *Neq; post hac sacrificies illis Diis, quorum Numina perjurio violasti, dum sæpe pro hostibus vota fecisti.* Tertullianus item *lib. de Idol.* memorat aureas provincialium Sacerdotum coronas: & Prudentius *coronâ repexum aureâ* Sacerdotem scribit. Ita ergo apud Hebræos omnes Sacerdotes coronati: si non ex auro, quod Pontifici proprium, saltem ex bysso vel lana. Pontificem autem aureâ splendere par fuit, utpote reliquorum caput, & veri Pontificis nostri JESU CHRISTI insignem typum. Celebrat magnificè eam cidarim, Siracides *c.* 45. *v.* 14. ubi tegmen illud vocat *gloriam honoris, opus virtutis seu fortitudinis, desideria oculorum ornata* &c. V. etiam Prosp. Stellartium *de Coronis*, & Anselm. Solerium *de Pileo sect.* 13. Imò & *Coronati* dicti, in Eccles. Or. in Nuptialibus sacris Sponsi, V. infrà.

Coronatus, nummi genus: Hic sive aureus, drachmâ aurei censetur; sive argenteus, superat uncialem, quem *Thalerum* vocitamus, duabus drachmis, & propterea decem habet denarios, proportione Romæ & Athenis bonis temporibus observatâ. Alias *Scutatus* dicitur: quem stuferis sexaginta æstimat Fridericus Gronovius *de Pec. Vet. lib.* 3. *cap.* 7. V. eundem *lib. eod. cap* 8. Sed & *Coronatus*, nummus aureus Ducum Burgundiæ & Comitum Flandriæ fuit, apud Froissardum *Volum.* 4. *cap.* 27.

Coronis, nota quam Veteres in fine librorum suorum subjungere solebant: *Hanc lineam brevem ab inferiore parte flexam* fuisse, annotavit Cœl. Rhodiginus *lib.* 15. *cap.* 20. Alii Romanis priscis in usu positum dicunt, ut non minus frontispicia librorum, quàm finem, crescente Lunæ imagine signarent. Unde hæc adagio, *ἀπὸ τῆς ἀρχῆς μέχρι τῆς Κορωνίδος*, *à principio ad Coronidem.* Screvelius in Martialem *lib.* 10. *epigr.* 1.

Si nimius videor seraq; coronide longus
Esse liber, legito pauca, libellus ero.

Ait: *Coronide*, i. *fine, signo absoluti operis in calce libri posito, hâc figurâ V. vel 7. aliæ scilicet cornicis: translatione ab ædificio, cujus jam absoluti fastigio apponitur cornix.* V. plura apud Cœlium Rhodiginum *loc. cit.* Hanc notam quidam eandem faciunt cum illa, quæ *Cornu* Latinis dicitur; cujusque meminit Ovidius *Trist.* 1. 1.

Candida nec nigrâ cornua fronte geras.

Sed aliud quiddam hoc esse notant Eruditi, per *Cornua* superiorem & inferiorem chartæ partem, *frontem* verò ipsam paginam intelligentes. Scribebant enim antiqui in altera tantùm paginarùm facie, perpetuo ductu ad extremum usque folium: in quo firmitudinis gratia cylindrum seu bacillum teretem cedrinum seu eburneum agglutinabant, pro modo latitudinis membranæ præcisè, eundemque nominabant *Umbilicum*, quòd, sicut umbilicus in medio ventre, sic ille libro jam circumvoluto medius esset. Hujus bacilli capita supernè & infernè eminentia, argento, auro aut ebore, ornatus causa præmuniebant, quæ *Cornua* dicebantur. Postea paginas instar spiræ convolutas complicabant, unde *Voluminis* nomen à volvendo Pont. *in Mart.* V. & Paul. Manutium *in Epist. famil.* 7. *lib.* 3. Pierium *Hieroglyph. lib.* 34. Thom. Godvvyn. *Anthol. Rom lib* 3. *sect.* 1. *cap.* 2.

Coros, apud Melam, *Setbis per Carmanios ad Pasagardas Coros effluunt*: & Strabonem, *Κῦρος ἐν τῇ Πασαργάδαις φέρει*, V. infrà *Cyrus.*

Corpilli, adde: Græcè *Κολπίλαι*. Stephanus, *Κολπίλαι, Θρακῶν ἔθνος. ἡ χώρα Κολπιλική. ὁ γὰρ Αἶνος κεῖται κατὰ τὴν πρότερον Ἀψυνθίδα, νῦν δὲ Κολπιλικὴν λεγομένην*; *Colpili, Thraciæ gens, regio Colpilica. Ænus enim jacet ad Absynthiada priùs, jam Colpilicam dictam.* Meminit eorum quoque Solinus Polyhistor *cap.* 10. ubi *Corpilos* vocat: *Hebrum Odrysarum solum fundit, qui fluvius excurrit inter Priantas, Dolonces, Thynos*, Corpilos, *alioq; barbaros tangit & Cicones.*

Corporale, seu *Corporale Pallium*, aut *Corporalis Palla*, *Chrismale* item, Græcis *Καλυμμάτιον, εἰλητόν*, & recentioribus *Ἀντιμήνσιον*, dicitur in Communione Pontificia, palla, quâ *Sacrificium*, ut vocant, in Altari contegitur: quam lineam debere esse, docet Alcuinus *de Div. Offic.* & *Liber Ord.* S. Victoris Paris. *MS. cap.* 20. Corporalia *autem de purissimo & nitidissimo panno præparari oportet, & in capsulis mundis vel lineis sacculis diligenter complicata reponi.* De ritu ea abluendi, V. Durand. *Ration.* 4. *cap.* 29. *n.* 2. In medio ejus Græci, contra consuetudinem Latinorum, acu pingunt montem Calvariæ cum cruce superpositâ: subter verò Christum effigiant mortuum jacentem, atq; Angelis circumdatum: in quatuor autem veli angulis quatuor illa animalia, Evangelistarum symbola, efformant, eique applicant bursam, in qua reliquias SS. Martyrum inclusas, sigillis, mastiche ac cerâ, occludunt &c. Antiquitus latius erat, sic ut etiam calicem operire posset, quod hodieque Carthusiani observant: hodie tamen adhibetur eo fini exiguum *Corporale*, quod *Palla* seu *Animetta* dicitur, & unà cum *Corporali* benedicitur. Explicatur autem ante offertorium, in Missâ solenni, à Diacono, postquam Chorus cecinit, *Et incarnatus est*: apud Dominicanos verò post Epistolam &c. V. du Fresne *Glossar.* & Dominicum Macrum in *Hierolexico*, ubi de *Corporali Festo* varia adjicit, A. item Rivetum *Summæ Contr. Tr.* 2. *Qu.* 33.

Corporati, incolæ Urbium, qui ex certis *corporibus* erant, Artificum præsertim: quippe, ut est apud Lampridium, Alexander Severus Romæ *Corpora* constituit penè omnium omnino Artium: Quod in Provinciis quoque factitatum esse, patet *ex L. un. Cod. de Alexandr. Pleb. Primat.* ubi *Corporatorum Civitatis Alexandriæ*, mentio est. Erant autem *Corpora publicis obsequiis deputata*, *Nov* Severi 2. cujus meminit Papinian. *tit.* 46. &c. V. du Fresne *Glossar.* De-

scripta fuere hæc Collegia per decurias; ut & officia Domus Augustæ. Hinc in vet. *Inscr.*

V. F.
CULTORES. HERCULIS.
SOMNIALIS. DECURIA. I.
DIS. MANIBUS.
SIBI. ET. POSTERISQUE. SUIS. &c.

Apud Salmasium *ad Solinum pag.* 351. integram exhibebimus, Infrà, in voce *Somnialis*.

Corporecustodes seu *Corporis custodes*, aliàs *Protectores Principis*, item *Domestici*, & posteriori ævo *Buccellarii* ac *Scurræ*, Germani olim fuere. Duplex enim custodia Imperatoribus cùm esset, alteram milites Prætoriani, alteram Germani obiere, uti pluribus docet Salmasius *ad Lamprid. in Severo*. V. infrà, in voce *Scurra*.

Corporis Dominici Festum, in diœcesi Legionensi celebrari solitum, memoratur Joanni Ciappeavilleo *de vera orig. Fest. Corp. Dominic. cap.* 2. laudato Macris Fratribus in *Hierolexico*.

Corpus, præter significatum commune, Latinis *opus* quoq; notat, quod in multis esset digestum partes pluresq; libros contineret; sicut corpus animalis plura membra. Sic Firmicus opus suum de Mathesi, quod multis libris explicatur, *Corpus* appellat & singulari libro opponit, *lib.* 4. c. 14 his verbis: *Quæ omnia, licet in hoc* Corpore *sparsim dicta sint, specialiter tamen in singulari libro, quem de domino genituræ atq; chronocratore ad Mavortium nostrum scripsimus & comprehensa sunt & explicata.* Sic *Corpus Theodosianum*, in Codice Theodosii. *Corpus Justinianeum* in Codice, hodieq; *Corpus Juris, Civilis* quod *Pandectis, Codice* & *Novellis*, quibus accessere *Institutiones*, absolvitur: cui ut respondeat *Corpus Juris Canonici*, *Gratiani Decretum*, Pandectas, *Decretales* Codicem, *Sextus, Clementinæ* & *Extravagantes*, Novellas repræsentant, quibus additæ seculo XVI. *Institutiones*, à Paulo Lancelotto, & M. Antonio Cuccho. V. Gerh. von Mastricht *Hist. Jur. Eccles. passim*, inprimis n. 384. & hic suprà, in vocibus *Canones, Canonicum Jus, Codex*. Græci σωμάτιον similiter vocant: ut σωμάτιον Ἰλιάδ☉- & σωμάτιον Ὀδυσσείας, apud Longinum περὶ ὕψους. Neq; verò *Corpus* solùm, de libro, seu opere: sed & *Corpusculum*, inde de indice occurrit Solin. *Ep.* 1. *operi præfixâ*, *Quoniam quidem impatientius potiùs, quàm studiosiùs, Opusculum, quod moliebar, intercipere properarunt — ne fortè rudis & imperfecta materia — in manus tuas deferretur*, Corpusculum *sententiâ meâ digestum, ut nosceres, misi.* Ubi per *Corpusculum* intelligit digestam capitum & in unum corpus collectam seriem, editioni secundæ à se præmissam & Advento dedicatam. Et Justin. in *Præf. Et omissis his, quæ nec cognoscendi voluptate jucunda, nec exemplo erant necessaria, breve veluti florum corpusculum feci.* V. Salmas. *ad Solin. pag.* 4.

Corpus exercendi, varii modi apud Vett. viguere. Et quidem, ut de exercitationibus Gymnasticis nil jam dicam, ut de quibus infra observant Eruditi. Veteres *in exercendo corpore*, etiam extra morbi necessitatem, volutasse se super candente arena, ut *corpus* ferendo calori assuefacerent; contra, ut ad tolerandum frigus id præpararent, vel in nive se versasse, vel statuas nive obductas nudos fuisse amplexatos, uti de Diogene Cane, apud Laërt. de Antiocho Cilice Philos. Cynico, castra Severi Imp. secuto, apud Suidam legimus, reprehendente morem hunc gravissimo Auctore Epicteto, apud Arrianum *Dissert. lib.* 3. c. 12. V. infrà in voce *Harena*: & hanc in rem plura apud Casaubonum *ad Augustum Suetonii cap.* 81.

Correarii, Gall. *Ouvriers*, Matricularii Confraternitatum dicuntur Lugdunensibus, du Fresne.

Corrector, munus & dignitas erat apud Romanos: qui provinciis a Principibus dabantur & in Historia Augusta ejus ævi Scriptoribus memorantur. Sic Treb. Pollio *in Tetrico Seniore, Aureliamus — eum, quem triumphaverat*, Correctorem *totius Italiæ fecit*, i. e. *Campaniæ, Samnii, Lucaniæ, Brutiorum, Apuliæ, Calabriæ, Hetruriæ atq; Umbriæ, Piceni & Flaminiæ, omnisq; annonariæ regionis.* Et Vopiscus in *Aureliano*, Pollionem corrigens, *Tetricum triumphatum* Correctorem *Lucaniæ fecit*: cui uterq, Victor consentit, & cum his Eutropius. De iisdem Salmas. *ad Solin. p.* 806. *In Imperio quoq; Occidentali, sub Vicariis Præfectorum Prætorio multæ provinciæ fuere, quæ speciales habuere Rectores, Consulares*, Correctores, *& Præsides.* Ad hanc itaque dignitatem muniaq; respiciens auctor Carminis *de Sodoma*, sive is Cyprianus fuerit, sive Tertullianus, Lothum *Correctorem Sodomorum* vocat,

Transvena, Corrector *Sodomorum, duplicat iras.*

Joh. Frid. Gronovius *Observ. in Eccles. cap.* 21. &c. *Corrector literarum Apostolicarum*, occurrit apud *Innocentium III.* Pontific. Rom. *lib.* 10. *Epist.* 86. V. Vorstium.

Corrigia, inter calceandum, rupta, infaustum olim omen, ut disertè testatur *in Divinat. lib.* 2. Cicero, ubi ait: *Quæ si suscipiamus, pedis offensio nobis & abruptio* corrigiæ, *& sternutamenta erunt observanda* &c. Unde quibus, cùm calceamenta pedibus inducerent, eaq; pressius adstringerent, *corrigia* fortè effringebatur, susceptâ negotia deserere vel differre consuevere. Hoc enim omine Vett. portendi credebant, rem susceptam haud feliciter progressuram, aut sinistro aliquo casu impeditū iri, quemadmodū iis, quibus in itinere corrigiam calceamenti abrumpi contingit, non parum id impedimenti est, in illo continuando. Hinc qui Sacram paginam *Glossâ*, quam dicunt, *ordinariâ*, illustravit, illud Esaiæ c. 5. v. 27. *Non rumpetur corrigia calceamenti ejus*, sic interpretatur: *Non impedietur in labore Dominus.* Et eandem ob causam veteres Tabellarii atq; Cursores excalceati munia sua obiisse leguntur. Musonius Philos. apud Stobæum, *Sine calceis valde expediti & agiles sunt pedes, præsertim si adsit usus. Unde Tabellarios videre est non uti calceamentis in itineribus, atq; ex Athletis cursores celeritatem eandem non servare, si currere ipsos oporteat in calceis.* Ubi quod de Tabellariis & Athletis Cursoribus, idem de Classiariis (qui remiges erant seu milites maritimi) testatur Suetonius *Vespas. c.* 8. *Classiarios verò, qui ab Hostia & Puteolis Romam pedibus per vices commeabant, petentes*, aliquid sibi calciarii nomine constitui, *quasi parum esset sine responso abegisse, jussit posthac excalceatos cursitare: & ex eo ita cursitant.* Fuit 2. *Corrigæ* torum calcei. Nicet. & quidem Patritii calcei earum habebant 4. quæ ad medium usq; cruris perveniebant; implexæ inter se: unde Zonaras *Annal. lib.* 2. calceos eorum insignes fuisse ait [Greek, illegible]: *patricia lora* vocavit Seneca *de Tranquill. anim. c.* 11. Sic, & in antiquo marmore, prope Numentanam portam, Prætor, qui mappam mittit, calceos habet cavos, quorum corrigiæ inter se implexæ usq; ad suras ascendunt. Nec aliter Consulares, namque Diptychon Leodiense, quod Anastasium Consulem lato clavo, togâ pictâ, tunicâ palmatâ, subarmali profundo, mappâ Circensi, scipione eburneo & sellâ curuli insignem exhibet, calceos ei similiter tribuit, quatuor *corrigiis* transversim supra pedem & medio crure tenus adstrictos, V. figuram apud Jul. Nigronium *de Calig. edit. Amstelod. A. C.* 1667, *p.* 184. Totidem & Senatorii habebant, & quidem hi omnes ex nigra aluta, ut ex Horatio discimus:

Nam ut quisq; insanus nigris medium impedit crus
Pellibus.

Plebeii verò unicâ tantùm ligulâ sive *corrigiâ* utebantur, quæ in eorum calceis extrema erat. Unde explicari potest difficilis locus Martialis *lib.* 2. *Epigramm.* 29. ubi in Stigmatiam, calceos Patricios quatuor corrigiarum gestantem, invehens, inter alia ait:

Non extrema sedet lunatâ ligula plantâ,
Coccina non læsum cingit aluta pedem.

Hic enim Alb. Rubenius *de Calceo Senat. cap.* 3. à Martiale existimat ligulam illam, quæ in pede sedet, *non extremam* dici, quia in ej⁹ calceis ligula illa infima, quæ pedem tangebat, haudquaquam extrema erat, sicut in Plebeiis solebat esse: ut qui alias non haberent, variè implexu ad medium crus ascendentes &c. Plura V. apud Autorem huncce & apud Bald. *de Calceo* &c. *Corrigiam sibi in collo ponendi*, in signum servitutis, ritus, memoratur Joanni Villaneo *lib.* 6. *cap.* 65. Super tumulum verò projiciendi, hocque signo bonis defuncti renuntiandi, Pithæo *in Consuet. Trecensi tit.* 2. *art.* 12. apud du Fresne *Glossar.* At *Corrigiuncula*, apud Anonymum, *Revelat. lib.* 6. nola est seu campanula, quæ in Monasteriis percutitur, cùm *disciplina* dari debent: à *correctione* dicta, Id.

Corrupticolæ, Hæretici, Corpus Christi adhuc, perinde ac nostrum, detrimenta pati, hincque esurire, opusque habere cibo, & quiete, delirantes: De quibus V. Liberatum Diaconum in *Breviario c.* 9. 19. 20. Joann. Garnerium *ad idem caput* 19. & Forbesium *Instruction. Historico-Theolog. lib. XIII. cap.* 18.

Corseolis opp. in Libro *de Coloniis*, pro *Corseoli*, de quo loquendi modo, medii ævi Scriptoribus usitato, V. Salmas. *ad Solin. p.* 777.

Corsica, adde, Optimi fuere servi, unde meritò Casaubonus miratur, infamari servos *Corsos* à Strabone *lib.* 5. quos contra impensè laudat Diodorus Siculus, testatus mancipia Corsica [Greek, illegible], *excellere videri reliquos servos, quoad vitæ hujus ministeria, ut suâ indole ad id factos.* Unde vel error hic Strabonis, de Sardis loqui volentis, quos pessimè servisse, testatur Eustathius Dionysii Scholiastes, vel nævi aliquid exemplaria habent. V. J. Frid. Gronovium *de Pec. Veteri lib.* 4. *cap.* 10. Sed eo proclivior Strabonis error, quòd Pausanias *lib.* 10. refert, ex Cyrno ins. non parvam manum seditione pulsorum in Sardiniam transfretasse, montibusq; occupatis sibi oppida muniisse, & ab Sardis patrio ipsorum nomine *Corsos* appellatos esse. Id. *ibidem.* V. quoque in voce *Corsi.*

Corsned, in *Glossario* Sax. tempore Eduardi III. exarato, *panis conjuratus.* Anglo-Saxonibus nempe in more erat, panem certis quibusdam destinatisque sententiis consecratum reo gustandum offerre; quem panem istiusmodi ceremoniis dedicatum credebant firmiter deglutire non posse, si crimine teneretur. Cujusmodi purgationis exemplum Ingulphus exhibet p. 898. *Cùm Godwinus Comes, in mensa Regis, de nece sui fratris impeteretur, ille post multa sacramenta, tandem per buccellam deglutiendam, abjuravit & buccellâ gustatâ continuò suffocatus interiit.* Addit Phil. Mouskes in *Hist. Franc. MS.* buccellam hanc cum aliquot precibus signo crucis fuisse à Rege signatam, apud du Fresne *Glossar.* Panem autem hunc hordeaceum potiùs, quàm alium, esse debuisse, patet ex Lindenbrogio, apud quem, post vett. *Formulas*, habetur *Exorcismus panis hordeacei — ad probationem veri*, p. 107. Orationes in hoc Judicio recitari solitas, V. hic passim, inprimis ubi *de Ordalia.* Addo fidem, Concil. Autissiodorensi A. C. 578. *can.* 4. ubi *sortes de pane & ligno vetantur*, hanc divinationis aut sortis speciem videri fuisse intellectam. V. quoq. *Eucharistia.*

Corsoides, Græcè Κορσοειδὴς, *gemma hominis canitiei similis*, memoratur Plinio *lib.* 37. *cap.* 12. quod tamen ex nomine non colligas, quum κόρση simpliciter *capillum* significet: unde κορσεύω & κορσόω, *tondeo*. At potius gemma, à canitie, cui similis erat: Nam πολιὸς, *canus*, & πολιὰ, *canities*, seu senectus. Sunt autem κόρσαι & κόρραι & κόρσαι, propriè verticis crines, qui utplurimum solent esse συνεστραμμένοι & *contorti*, Latinè *cirri*, voce ex Græco ortâ. Unde *cirros* pro cincinnis quoque & implexis capillis posuere, & extremitatem crinium, quæ naturaliter implexa in se reflectitur, ita vocarunt. Salmasius *ad Solinum pag.* 761. & *seqq.*

Cortesius Ferdinandus de *Monroy* March. *del Valle de Guaxaca*, è celebri Aragoniæ familia editus, Medellinum Estramaduræ patriam habuit, gestisque in America & obtento titulo Marchionis atque supremâ novæ Hispaniæ præfecturâ inclytus, obiit A. C. 1547. Filius is fuit Martini Cortesii (ex Catharina Pizarra) cujus pater Rodericus Perezius *de Monroy*, filius erat Roderici *de Monroy* Dn. *de la Villa*. Ipse autem ex Johanna de Zuniga & Arellano, genuit Martinum Cortesium March. de Valle Guaxaca, patrem ex Anna Arellana, Ferdinandi Cortesii March. de Valle (cui nupsit Mencia *de la Cerda*) Hieronymi Petri Cortesii March. de Valle (ux. Anna de la Cerda & Latiloya, fil. Alfonsi Telles Gironi) Annæ *de Arellano* (cui maritus obtigit Petrus *Carrillo de Mendoza* Com. *de Priego*) Angelæ (uxoris Ludovici Benavidii March. *de Fromesta*) Annæ & Catharinæ Monialium, Franciscæ tandem. V. Phil. Jac. Spenerum *Theatr. Nobilit. Eur. tom. II. p.* 70. Præter Martinum autem præfatum, ex legitima uxore susceptum, alios etiam Ferdinandus ille nov. Hispaniæ Præfectus ex Isabella, filia Motezumæ, magni nov. Hispaniæ Imperatoris, liberos sustulit, à quibus etiam progenies suscepta est. Idem *Indic.*

Cortex, apud Indos olim, in calceum aptatus. Philostratus enim vitam describens Apollonii, inter cætera, quæ de gentis hujus moribus edisserit, eos, *ex arborum corticibus*, ibi calceos conficere solitos esse testatur, *lib.* 2. *cap.* 9. A' quibus, ut credere par est, lignorum calceorum usus ad alios postea translatus est; ita ut alii rudioribus & omnimodè ligneis sint usi: alii paulò eruditioribus, quorum nempe soleæ tantùm ligneæ essent, cætera è corio vel quavis alia molliore materia. Germani veteres, referente Cluverio, & agrestes Poloni hodieq; soleas ex arboris libro fabrefactas & funiculo in planta pedis adstrictas, gessere, de quibus V. Cluverium *German. Antiq. lib.* 1. & figuram earum, apud Ben. Balduinum *de Calceo Antiqq. cap.* 5. ut & infrà, ubi de *Ligno*. Plura verò de *Corticibus* arborum, apud Plin. *lib.* 16. *cap.* 31.

Cortina, adde: Scaliger *Cortinam*, appellatum esse tripodem Pythicum, à *corio* Pythonis, quo Apollinis operâ fuerit obductus, est in *Poetices libris*; de cujusmodi *cortinarum* frequentissimo olim usu, in ornandis Deorum templis, Apollinis præsertim & Bacchi, V. Casaubonum *ad Augustum Suetonii cap.* 52. De *cortinis* verò *fullonilis*, V. Salmasium *ad Solinum pag.* 391.

Cortinarii, qui & *Cortellini*, apud Pachymerem *lib.* 4. *c.* 29. videntur dicti primitus *Cohortales*, de quibus *suprà*. Qui nempe *Cortem* seu tentorium Principis servabant & tuebantur, inter ἀνθρώπους τῆς αὐλῆς recensiti, Constantino *de Themat lib.* 1. *cap.* 5. & in *Glossis* Basilic. Κορτιναῖοι, τῆς κόρτης. Κορτηλῖται, κόρτης, θυρωροὶ τοῦ πραιτωρίου, *Janitores Prætorii*. Nam his locis eosdem esse cum *Cortinariis*, ex Codino *de Offic. cap.* 3. *num.* 52. probat du Fresne: siquidem, ut *Cortinarii*, ministrabant ad Tabernaculum Imperatoris, & in symbolum vilissimæ conditionis, ex vett. Tabernaculi pannis vestes confectas habebant. Aliter tamen sentit Marsius quem vide. A' voce *Cortina*, de qua prolixè agit idem du Fresne in *Glossar.* e quo hoc saltem aspergam: *Cortinas Regias*, apud Ambrosium *Epist.* 33. signa dici vel vela Regia, quæ bonis debitorum Fisco addictis solebant appendi.

Cortisiani Flandriæ, ex Curtriaca gente, mentio est in Fæcialium libris, ut appellant, *Provincialibus*, inter Flandrensium nobiles familias, cui pro insignibus tres cantherios miniatos in campo aureo adscribunt. Idem fortè cum eo, qui *le Sire de Cortesieux* dicitur non semel Guilielmo Guiatto. A voce *Cortisianus* seu *Cortisanus*, quâ eum, qui *cortem* curat vel colit, indigitant passim citimæ ætatis Scriptores, laudati Carolo du Fresne in *Glossar.*

Corvinus, cognomen Matthiæ Hungariæ Regis, adde: Ei inditum, non à vico hujus nominis, ut Calvisio placuit; sed à *corvo*, qui sponsalitium annulum matri ejus eripuit, sagittisque impetitus, iterum dimisit, quâ velut notâ natalitiâ Matthias postmodum à patre Joanne Hunniade agnitus est. Cujus rei fidem fecit ipse, *Corvini* cognomine adoptato & nummo aureo cuso, (quem Hungaricum ducatum vulgò vocant) cujus clypeo inseruit *corvum rostro annulum tenentem*. Accessit superstitio popularis, ut in difficillimo nisu laborantibus, per Hungariam, hodieque applicentur ducati illi *Corvini* per crura, vulgoque credantur opitulari multùm. Diffusa in Wetteraviam usque, Germaniæ regionem, quæ Hassiam, Herbipolensem & Moguntinum interjacet agrum, ubi certum tenere mulierculas, auri *Corvini* abrasum pulvisculum, in vino propinatum, parturientibus præsens auxilium ejiciendi præstare, refert Autor Anon. *Sina & Eur.* qui hanc de *Corvino* historiam latè persequitur, *cap.* 374.

Coruñna sive *Crunna*, illustris in Hispania familiæ nomen: in qua primus *Comes Coruñna* creari meruit, Laurentius I. Suarezius de *Mendoza* & *Figueroa*, Vice-comes *de Torya*, filius tertius Inici Lopezii Mendozæ March. *de Santillana*, ex Catharina, filia Laurentii Suarezii *de Figueroa*, sub Henrico II. Johanne I. & Henrico III. Regibus, rebus egregiè gestis inclyti, extincti A. C. 1409. His itaque parentibus genitus Laurentius præfatus, ex Isabella Borbonia, Bernardinum I. genuit, quo & Maria Manrica *de Sotomajor* genitus Alfonsus, ex Johanna Ximenia, suscepit Laurentium II. qui obiit A. C. 1583. ex Catharina *de la Cerda*, pater Bernardini II. qui extinctus A. C. 1592. ex Maria Bazania, reliquit Laurentium Alvarum, Laurentium III. Com. *de Coruñna*, (extinctum A. C. 1616.) Sebastianum Vicecom. *de Torya*, Johannam (ux. Petri *de Zuniga* March. *de Flores Davila*) Mariam Bazaniam (uxorem Johanis *de Torres* & *Portugal*, Com. *del Villar Dompardo*) Catharinam (ux. Martini Valerii *de Franqueza*) Mariamque Monialem, omnes nominis *Suarez de Mendoza*, ex Com. *de Crunna*, in Episc. Osmensi. V. Phil. Jac. Spenerum *Theatro Nobilit. Eur. tom. II. pag.* 54.

Corus, fluv. adde: Græcè Κῦρος vel Κόρος, amnis Persicus, in Carmania Salmasio, qui in Persicum sinum sese exonerat: alius à *Cyro*, contra quàm Strabo sentit. V. Salmasium *ad Solinum pag.* 701. & 703.

Corus, Hebræorum maxima mensura, continuit 10. batos, ut batus tria sata; satum 6 cabos, cabus 4. logos, logus sex ova. Hebr. *Chomer*, quod ad חמור *chamor*, i. *asinum*, revocant nonnulli Hebræorum, quasi fuerit onus asini. Sed alii eorum veriùs contendunt duplo fuisse graviorem, adeoque camelum oneravisse. Fuit autem granorum mensura, cujus decima pars *epha*, centesima *gomor*. Bochartus *Hierozoici Part. poster. lib. II. cap.* 15. Ab Hebræis vox transiit ad Anglos & Germanos, apud quos mensuræ annonariæ speciem hoc nomine memorat Bractonus *lib.* 2. *cap.* 16. §. 7. V. quoque Isidorum *lib.* 14. *cap.* 26.

Coruscatio, V. infrà *Fulgetrum*.

Corvus, pro Numine Ægyptiis fuit, ut colligunt quidam, ex Ambrosii *Comm. in ad Rom. cap.* 1. ubi *Corvina*, inquit, *sacra habuerunt pagani*. Ac continuò subdit: *Harum omnium rerum, quas memoravi, simulachra coluerunt Ægyptii*. Et fortè hæc sacra prope Coptum fuere, urbem tanti nominis: ut inde Ægypto appellatio sit: Circa eam enim bini duntaxat *Corvi* conspiciebantur; nec militibus Romanis, qui smaragdi metalla ibi custodiebant, visi sunt plures. Atq; ibidem Apollinis erat simulachrum, cui *corvi* sacri erant, teste Æliano *de Animal. lib.* 7. *cap.* 18. Verùm non tam hinc consequitur, *Corvos* illos potiùs fuisse Deos, quàm symbolum Numinis: namque & à symbolo sacra illa κοράκεια, seu *Corvina*, appellari potuerunt, Gerh. Joh. Vossius *de orig. & progr. Idolol. lib.* 3. *cap.* 100. qui alibi, inter castitatis quoque, & fidei conjugalis, hieroglyphica, non avem hanc minùs, quàm cornicem & columbam, reponit. Cæterùm *Corvorum* auspicia Arabes secutos, scribit Porphyrius. In illis autem non alius magis memorabilis illo, Plinii verba sunt *lib.* 10. *cap.* 43. qui *Tiberio Principe, ex fetu supra Castorum ædem genitus pullus, in oppositam sutrinam devolavit, etiam religione commendatus officinæ domino. Is maturè sermoni assuefactus, omnibus matutinis evolans in Rostra, in Forum versus, Tiberium, deinde Germanicum & Drusum Cæsares nominatim, mox transeuntem populum Rom. salutabat, postea ad tabernam remeans, plurium annorum assiduo officio mirus. Hunc, sive æmulatione vicinitatis, manceps proximæ sutrinæ: sive iracundiâ subitâ, ut voluit videri, excrementis ejus impositâ calcis maculâ, exanimavit: tantâ plebis consternatione, ut primùm pulsus ex ea regione, mox & interemptus sit.* Addit deinde, ut huic *Corvo*, ea in urbe, in qua multorum Principum nemo duxerat funus, neque vel major Africanus habuit sepulchrum, nec minor reperit ultorem, innumeri exequias celebraverint, duobus Æthiopibus humeris constratum lectum deferentibus, prælatis omnis generis coronis, præcedente etiam tibicine, ut in funeribus mos erat, contigissetque ea ad diem 5. Kal. Aprilis, M. Servilio & C. Cestio Coss. h. e. anno U. C. 788. V. Kirchmannum, *de Funer. lib.* 2. *cap.* 5. De hoc non inficeta Vossio conjectura est illa Gilberti Genebrardi *in Chron. ad Ann.* 4016. *funere corvi celebribus exequiis, novo & insolito facinore à Populo curato, significasse Spiritum Sanctum*, Corvum, *id est, atrum illum Satanam, mox extinctum iri Romæ, ubi præcipua ejus erat sedes ac garritus*; apud Vossium *lib.* 3. *cap.* 89. Nec omittendum, in aucupio quoque *Corvos* adhiberi consuevisse: primumque in venando iis usum legi apud Ulyssem Aldrovandum *Ornitholog. lib.* 12. *cap.* 1. *pag.* 701. Ludovicum Galliarum Regem. Sed nec hoc venationis genus Veteribus ignotum fuisse, docent illa Plinii *lib.* 10. *cap.* 43. *Nec non & recens fama Crateri Monocerotis cognomine, in Erizena* (al. Trœzena) *regione Asiæ, corvorum operâ venantis, eo quòd devehebat in sylvas eos confidentes corniculis humerisq;: illi vestigabant, agebantq;, eò perducta consuetudine, ut exeuntem sic comitarentur & feri.* V. iterum Vossium *lib. cit. cap.* 97. Plura verò de hac ave, apud Plinium *lib.* 10. *cap.* 12. &c. Atque hic niger est, unde Apollini olim sacer, uti diximus. Certè *Corvos* tripodibus assidentes cum Phœbi rebus, demonstrant nobis

nummi veteres, & notat Scaliger *ad Manilium.* Hinc *comes obscurus tripodum* Statio *Thebaid. lib.* 3. *v.* 506.

> *Non comes obscurus tripodum, non fulminis ardens*
> *Vector adest, flavaq; sonans avis unca Minervæ.*

Nempe *Corvus est niger, Phœbo ideò consecratus, quòd & is obscura det responsa,* habet *MS.* optimæ notæ, apud Casp. Barth. *Animadversion. ad l.* Ex nova Zembla verò albi afferuntur, cujusmodi binos haud pridem aluit Elector Moguntinus. At *Corvus* Brasiliæ, incolis *Quaracies* dictus, purpureus est & toto corpore intensissimè rubet; uti videre est in Musæo Kircheriano, Romæ, & apud Georg. de Sepibus *in Descr. ejus p.*33. De *Corvo sellatore.* V. Salmas. *ad Solin. p.*458. uti de *Corvi* imagine, in galeis Vett. infrà, in voce *Galea.*

Corybantiasmus, Græcè Κορυβαντιασμὸς, morbi genus, quam πολλῶν ἀνάγκας vocat Orpheus, in *Thymiamate Corybantum*,

> Κλῦθι μάκαρ Φανῶν, χαλεπὰς δ' ἀπονίμεο μῆνιν,
> Παύων φαντασίας ψυχῆς ἐν πολλαῖς ἀνάγκαις.

In eo morbo phantasmata & imagines oculis obversantur, & sonores semper in auribus tinniunt. Ideò insomniis tales maximè laborant, & si quando quietem capiunt, oculis id faciunt apertis. Plin. *lib.* 11. *c.* 37. de oculis, *Quin & patentibus dormiunt lepores, multiq; hominum, quos κορυβαντιᾶν Græci dicunt.* Nempe, ut vigilare semper & somnum oculis non capere Corybantes credebantur, unde ἄϋπνος ἀγρύπνητον Κορύβαντα: sic κορυβαντιᾶν dicebantur, quibus mentis vani metus atque terrores à *Corybantibus* credebantur immissi. Imò & ii postmodum, quibus idem naturâ contingeret. V. quæ de *Halicacabi radice*, & *Strychno*, infrà dicemus, nec non in voce *Phantasia*, & plura hanc in rem apud Salmas. *ad Solin. pag.* 1086.

Corycem, Mimantis prom. apud Plinium *lib.* 5. *cap.* 29. ubi alii *Corynem* legunt. Strabo Κωρύκιον appellat *lib.* 14. an Κορακικὸν, ut idem promontorium appellatum sit à *corvis vel cornicibus.* Nisi potiùs à *Coryna* nomen habuerit prom. *Corynæum.* Mentio certè in illis locis *Corynæ*, apud Pomponium Melam, ubi de Sinu Smyrnæo, *Inde latiùs abit in peninsulæ faciem. Super angustias hinc Teos, illinc Claromenæ, & quà terga agunt confinio adnexæ maris, adversis frontibus diversa maria prospectant. In ipsa peninsula est Coryna.* Ad quem locum V. Salmasium *ad Solinum pag.* 861. & 862.

Coryceum, tertia Gymnasii pars, denudandis hominibus, qui vel exerceri, vel lavari, vel utrumque agere volebant, inserviebat, aliàs Græcis Ἀποδυτήριον, & Galeno Γυμναστήριον, dictum. Mercurialis mavult *Coriceum*, neque illorum probat sententiam, qui *Coryceum* in Vitruvii textu legendum contendunt, à *Coryco*, pilæ specie, quasi ibi ludus talis ageretur, aut *Cωriceum*, pro tonstrina, aut *Coryceum*, tanquam in illo puellæ & virgines, κόροι & κόραι Græcis, exercerentur, V. eum de *Arte Gymn. lib.* 1. *cap.* 8. & infrà, ubi de *Spoliario.*

Corycus, Græcè Κώρυκος, unum ex quatuor pilæ apud Græcos generibus, quod quid esset, & quomodo is ludus perageretur, clarissimè expressit Antyllus apud Oribasium, *Corycus*, inquiens, *in corporibus imbecillioribus grano ficulneo, aut farinâ, in robustioribus arenâ impletur. ejus verò magnitudo ad vires corporis & ad ætatem accommodatur: Suspenditur autem in Gymnasiis supernè è culmine, tantumq; à terra distat, ut fundum ad ejus, qui exercetur, umbilicum pertineat. Hunc utrisq; manibus tenentes qui exercentur, primùm quidem quietè, postea verò vehementiùs gestant, ita ut ipsum retrahentem consequantur & iterum redeunti cedant violentiâ compulsi, postremò verò cum è manibus rejicientes emittunt, ut, cùm revertitur, vehementius corpori adventu suo occurrat: ad extremum in sedem suam sæpissimè restituendo dimittunt, ut ex congressu, si non valde advertant, retrocedant; ex quo fit, ut quandoq; manibus occurrant, dum propinquat, quandoq; verò pectore manibus passis, quandoq; verò iis ad terga revolutis.* E quibus, licèt figuram *Coryci*, utpote omnibus tum notam, non expresserit Antyllus, colligi tamen potest & ipsum sphæricum, aut saltem rotundum. & quidem è materia coriacea, fuisse: alioqui, si angularis fuisset, in occursu & manus & pectus non sine læsione percussisset. Et de hoc intelligendum illud, περὶ Κώρυκον πόχιον, quo certaminis genere Appulejo in Thessalia certatum est: Exercitationem ipsam Κωρυκομαχίαν dixere, quam inter veloces enumeravit Paulus *Chron. lib.* 1. *c. ult.* ad diminuendam πολυσαρκίαν aptissimam judicavit Cæl. Aurelianus, imitatus Hippocratem, qui *Corycomachiam* & chironomiam idem præstare, quod lucta, tradidit, *de Diæt. cap.* 2. *circa fin.* musculosum corpus reddere, roburque afferre, & præterea universo corpori aptam esse, nec non ob plagas, quas infligebat, omnibus visceribus conducere, tradidit Antyllus: In Elephantiacis quoque κωρυκοβολίαν Aretæus laudavit. Interim, si quis plagas in pectore à *Coryco* fieri solitas consideret, facilè sentiet, iis, qui debili vexantur pectore, exercitium hoc minus conveniens fuisse. V. Hieron. Mercurialem *de Arte Gymn. lib.* 2. *cap.* 4. & *lib.* 5. *cap.* 4. ut & infrà, ubi de *Pila lusu* & *Sphæristica.*

Corymbi, in fronte Bacchi. Tibullus *lib.* 1. *Eleg.* 7.

> *Non tibi sunt tristes curæ, nec luctus Osiri,*
> *Sed chorus & cantus, levis & aptus amor.*
> *Sed varii flores, & frons redimita corymbis.*

Et Silius Ital. *lib.* 7.

> *Lumine purpureo frontem cinxere corymbi;*
> *Et fusæ per colla comæ* ——

Quid autem *Corymbi*, docet Plinius *lib.* 16. *cap.* 34. de Hedera: Ejus *duo genera*, — quorum *species tres* — *quæ etiamnum dividuntur in alias, quoniam est aliqua fructu tantùm candida, aliis & folio: fructum quoq; candidum ferentium aliis densus acinus, & grandior, racemis in orbem circumactis, qui vocantur corymbi.* V. infrà ubi de *Hedera*: ut & in voce *Corymbifer.* Aliàs Scaligero *Corymbus*, quidquid in panicam, vel strobilum assurgit. Hinc *Corymbium capillorum*, atque inde *Corymbiatus discus*, apud Treb. Pollion. in *Claudio*, qui à *Corymbio* nomen accepit. Est autem *Corymbium*, suggestus crinium muliebrium: in speciem *corymbi* vel racemi contextus, quem alio nomine *botronatum* dixere, V. Petronium & suprà in voce *Botronatus.* Cùm nempe variis argumentis, in cælandis vasis, luserit Vett. luxuria, in disco hoc *corymbia* illa mulierum & crinium structuræ, cælaturâ videntur fuisse expressæ. Nisi malis sic dictum, quòd ad *corymbii*, generis herbæ coronariæ, quam alio nomine λυχνίδα appellabant Græci, speciem esset formatus: sicut *filicata patera*, à filice &c. Salmasius *ad Pollionem.* V. quoque eum *ad Solinum p.* 763. & *seqq.*

Coryna, urbs Joniæ, adde: Ejus mentio apud Pomponium Melam, *Hinc Theos, hinc Claromenæ: & quà terga agunt confinio adnexæ maris, adversis frontibus maria prospectant. In ipsa peninsula est Coryna.* Nempe Smyrnæus sinus latiùs in peninsulæ faciem abit, cujus angustias sive isthmum hinc Theos, inde Claromenæ tenebant. in ipsa peninsulâ *Coryna* fuit, sicut in sinu Smyrna, quâ cum Coryna alii malè confundunt. Hinc *Corynæum* prom. quod *Corycem* dicitur Plinio, uti vidimus suprà, in hac voce. Aliàs κορύνη, vox appellativa, idem quod κλάδος est; uti discimus ex Damogeronte *in Geoponicis*, Lat. *ramus*, item *clava*; atque hinc *baculus ex ramo cum nodis præciso.* Unde *Corynetа*, nomen latronis, de quo suo loco. V. quoque suprà in voce *Clava.*

Coryphæus, Græcè, Κορυφαῖος, Aristoteli *Chori Princeps*, aliter χορηγὸς, cantum incipiebat, quem proximè παραστάτης sequebatur, sicut hunc τρίτοστάτης. Et quidem *Coryphæus* altiore vocis sono utebatur, quem cæteri mediocri excipiebant atque subsequebantur, V. Jul. Cæs. Scaligerum *Poetic. lib.* 1. *cap.* 9. & il. Uti autem remigibus perticâ remigandi cessandique signum dabat hortator, sic *Coryphæus codimaga*, h. e. *canendi signum*, pede dabat, uti dicemus infrà passim, inprimis in vocibus *Mensuram percutere*, *Mesochorus*, *Scabellum* &c.

Corytos, apud Papinium Statium *Thebaid. lib.* 4. *versu* 569.

> —— *trux lævâ sonat arcus & aspera plumis*
> *Terga, Cydonæa* corytos *arundine pulsat:*

pro *pharetra*, uti capit Lutatius. Et sic Maro,

> *Corytiq; leves humeris, & letifer arcus.*

Aliàs *theca arcus.* Ita enim idem Lutatius *ad Statium Thebaid. lib.* 9. *versu* 730. *Coritos, theca arcus solius dicitur, sicut faretra sagittarum & sagma scuti: Nunc verò* Coryton *pro faretra posuit.* Servius *ad Æneid.* 10. *Coriti propriè sunt arcuum thecæ, dicuntur tamen etiam sagittarum, quas & faretras nominamus.* Joan. Diaconus *Comm. in Hesiodi Scutum Herculis*, Γωρυτὸς καλεῖται τὸ ἔνθεν, ἐν ᾧ ἐμβάλλεται τὸ τόξον, ἀπὸ τοῦ γῆ, ὃ χωρεῖ, καὶ τοῦ ῥύω, ὃ ἰλκύει — Θηκάριον Græcis, de quo & in quo V. *Lexicon Tacticum* Rigaltii, sicut de sagmate prædicto, P. Leopardum *Emendationum lib.* 11. *cap.* 6. Certè *Coryton* à *pharetra* manifestè distinguit idem Papinius, *Thebaid. lib.* 7. *versu* 660.

> *Quam super à tergo velox corytus & arcus*
> *Pendentesq; sonant auratâ lynce pharetræ.*

Imò non arcuum solùm, & sagittarum, sed & aliquando telorum theca corytus est, uti notat Barthius *Animadvers. ad Statium d. l.* Rectè autem *Coryton* scribi, non solùm ex Hesiodi modò producto Enarratore liquet, sed & ex Homero, initio *Odyss.* φ. ubi Scholiastes γωρυτὸν θήκην τῶν τόξων pariter exponit &c.

Cos, ins. in mari Ægæo, adde: Græcè Κῶς, per contractionem, non ex κόως, aut κόωσ, sed ex κόος. Unde malè Auctores, qui τὴν Κῶ scribunt, & non *Coum*, sed *Ceam* intelligunt. Certè antiquissimi Græci dixerunt, ἐν Κέῳ, ut Theophrastus, de Cea; at ἐν Κῷ, de Coo, ut Aristoteles. Tertullianus *Co* unicâ syllabâ insulam *Coum*, quod est Græcanicum Κῶ: *In Apologet. cap.* 40. *Legimus Hieram Napæam & Delon & Rhodon & Co insulas multis cum millibus hominum pessum abisse.* V. Salmasium *ad Solinum pag.* 144. & 145. Fœderis *Coorum* cum Milesiis memoriam, servat nummus Antonini Pii, in quo Æsculapius & Venus, culti in his urbibus, ut videre est apud Jac. Sponium *Itinerar. Græciæ Part.* 3. *pag.* 179. Quia verò nonnulli etiam ins. Ceam Κῶ dixerunt, hinc Κῶς Μεροπὶς cognominari cœpit Insula Cartæ, ad Atticæ Ins. Ceæ distinctionem, uti idem Salmasius notat, ubi suprà.

Cos, urbs Ægypti, adde: in Insula cognomine, è cujus adverso Cynopolites Nomus & metropolis Cynopolis fuit, uti docet ex Ptolomæo Salmasius, contra illos, qui *Co* metropolim statuunt Cynopoliticæ præfecturæ, *ibid. pag.* 452.

Cos, inter operarios lapides, memoratur Plinio *lib.* 36. *cap.* 22. *Nunc ad operarios lapides transire conveniat, primùmq; cotes ferro acuendo. Multa earum genera; Creticæ diu maximam laudem habuerant,*

sunt; secundam Laconica ex Taygeto monte, utraque oleo indigentes. Inter aquarias Naxiæ laus maxima fuit, mox Armeniacæ — ex oleo & aqua Ciliciæ pollent ex aqua Arsinoëticæ. Repertæ sunt & in Italia aqua trahentes aciem acerrimo affectu &c. Nempe *aquariæ cotes* dictæ, quæ aquâ aspergi inter acuendum postulant; Aliæ fuere *olivariæ*, quæ oleo tangebantur: Omnes attritu ferrum acuebant; Sed & mortaria ex *cote* lapide fiebant, vel *cos* mortarii vice terendis collyriis adhibebatur; ut marmora sunt, quibus colores terunt ac miscent Pictores, Plinius idem *lib.* 35. *cap.* 22. Inprimis verò in Romana Historia *Cos* celebris est, quam Atius Navius Augur novaculâ diffecuit, in Comitio, eâdem religione, sub arâ quadam, defossa & sacrata, ac fulgurum reliquiæ vel lapides fulminum, de qua V. pluribus differentem Salmasium *ad Solinum pag.* 1137. *& seqq.* ut & infrà, in voce *Navia Ficus*.

Cosaci, adde: Hornio colluvies est ex Polonis, Lituanis, ac Russis collecta, qui, cùm vel capitale facinus admisere, vel nimiâ servitute à Dominis oppressi sunt, in patentes vastosque ad Borysthenem campos se recipiunt, tuti ab aliorum invasionibus, & omnium circum circa gentium terror. Ducem ex suis præstantissimum eligunt, qui pleno in eos imperio utitur. Quo modo perpetui in armis, ex prædâ undique congesta vivunt: venalis exercitus, & modò Moscis, modò Polonis graves, præsertim cùm Tartaris Precopensibus junguntur. Numerus ad 100000. Equitum assurgit, Turcis inprimis formidabiles, V. eum in *Orbe Polit.* & in voce *Ucraina*.

Cosculium, apud Pliniū ubi de cocco, *l.* 16. *c.* 8. *Granum hoc, primoque cum scapus fruticis parvæ aquifoliæ ilicis: cosculium vocant, pensionem alteram tributi pauperibus Hispaniæ donat.* Græcè κοκκύλιον est; à κοκκύζειν, quod propriè significat *minutias excrescentes præsecare*. Inde κοκκύλισμα & κοκκυλίσματα, *præsegmina pellium*, quæ Sutores e corio resecant. Et proin κοκκύλια dicta grana illa, vesicarum more in fruticis cortice extumescentia, quæ ad tingendas lanas abradebantur. Grana autem illa, sive κόκκοι, scatent intus parvis vermiculis, quorum sanies coccino tingendo præclara est & eximium illum colorem, quem nos miramur, & adorarunt Veteres, efficit: unde *vermiculum* pro ipso cocco dixerunt, uti vidimus suprà ubi de *Cocco*. V. plura apud Salmasium *ad Solinum pag.* 272.

Cosmeta Epheborum, in vet. *Inscr.* 79. 6. 317. 3. dignitas apud Græcos, qua qui insignis erat, κοσμητεύων dicebatur. V. *ead. pag.* 307. 1. ut & infrà *Ornatrices*.

Cosmites, Ædis sacræ navis, in formam crucis facta, quòd 4. mundi, qui κόσμος Græcis, plagas repræsentet, dicta à S. Germano. Sed & *Cosmedin*, nomen aliquot Templorum, Romæ alibique, ab eadem origine arcessendum. Sic Romæ hodieque extat in Regione Ripæ Ædes, titulo Diaconiæ, quæ dicitur *S. Mariæ in Cosmedin*; alia item eodem nomine priùs veniebat, quæ nunc *S. Antonii* appellatur. Ædis *S. Valentini in Cosmedin*, meminit Flarav. Martinellus *Rom. Sacr. cap.* 17. V. quoque Hieron. Fabrum *Memor. Sacr. Ravennæ antiqq.* laudatum Car. Macro in *Hierolexico*.

Cosmosandalus, Pausaniæ *lib.* 2. flos idem cum hyacintho, utpote cui magnitudine sit persimilis & easdem literas luctus indices habeat. Ejusdem sic meminit Cratinus, *in Effeminatis*, apud Athenæum *lib.* 15. Παντοίοις γε μὴν κεφαλὴν ἀνθέμοις ἐρέπτομαι, λειρίοις, ῥόδοισι, κρίνεσι, κοσμοσανδάλοις, *Omnigenis caput chamæmelis mihi pascitur, lириis, rosis, liliis, cosmosandalis.* Et Aristophanes, ibidem *eod. libr.* citatus, coronam è cosmosandalis purpureis, vocat *purpureum reticulum*, his versibus,

> Οὐκ ἰδόντες οἱ Λάκωνες ὡς ἀνάλωτοι ποτε:
> Νῦν δ' ἁμιππέας ἔχοντες πορφυρᾶς κεκρυφάλους.
> *Non tumebant olim Spartani, ut expugnabiles?*
> *Nunc autem purpureo reticulo caput iis vincitur ut obsidibus.*

Porrò idem paulò ante citatus Pausanias, in Chthoniis diebus festis; pueris solenne fuisse Cererem cum pompa deducere, veste albâ ut plurimum indutis & redimitis è *cosmosandalo* coronis, memorat &c. V. Car. Paschalium *Coronarum lib.* 3. *cap.* 10. ubi de Hyacintho flore multa.

Cossei Andini (quod illustris in Gallia Familiæ nomen est) ex antiquis *Cosseis* Cenomanis oriundi sunt, in qua familia, quamvis ex primogenita lineæ dominium *de Cossé*, ad familiam Comitum *de Sanzay* delatum sit, alterâ tamen lineâ Dominorum, dein Comitum, jam Ducum Brissaci, superstes floret. Carolus enim *de Cossé* Com. *de Brissac*, ex Carola *d'Esquetot* Dn. *d'Estellan*, Carolum genuit Duc. Brissaci axioma primum meritum: quo & Juditâ Acignææ, natus Franciscus ex ... *de Ruellan Rochepertail* pater fuit Ludovici Cossei D. Brissaci extincti A. C. 1661. Qui ex Francisca Gondia Com. *de Chemillé*, reliquit filium Henricum Albertum Cosseum Duc. Brissaci & *de Beaupereau*, ex Gabriele de Luisâ de S. Simone, prole susceptâ. V. Spenerum *Theatr. tom. III.*

Costa, apud Plinium *lib.* 11. *cap.* 37. *Costæ homini tantùm octonæ, suibus denæ, cornigeris tredecim, serpentibus triginta*: quid sit, notum. Apud Pausaniam verò *lib.* 1. Protophani Magnesio in Olympia eodem die pancratii & luctæ victori, *costæ*, ut in aliis hominibus, discretæ non fuerunt, sed os unum continuum; à jugulo ad situm usque postremæ nothæ costæ. Dalechampius *ad h. l.* Ex *costa Adami* Evam formatam, habemus Genes. *cap* 2. *v.* 21. *& seqq.* ad quem locum multis Eruditi quærunt, an illa supernumeraria fuerit in Adamo, an una ex costis ejus necessariis? Respondet Rivetus, supernumerariam superfluamque illam non fuisse colligi hinc, quòd Adam, postquam è somno excitatus Evam conspexit, dixit illam fuisse *os ex ossibus suis*; superflua autem costa naturale ejus propriumque os non fuisset. Sed & erat ad significandum conjunctionem arctissimam Adami & Evæ, ac mulieris ex viro naturalem originem & dependentiam conveniens magis, ut formaretur Eva ex aliqua parte necessariâ virilis corporis, quàm si ex superflua materia fuisset constructa. Nec propterea mancus postmodum Adamus fuit, Deus enim *ademptâ unâ de costis ejus, inclusit carnem pro illa*, h. e. unâ costâ necessariâ ablatâ aliam ejus in locum substituit: quod ei facillimum fuit, & in momento, quandoquidem nihil hic naturali modo, sed per omnipotentiam Creatoris, factum est &c. V. præfatum Auctorem *in Genesin Exercit.* 24. Ab animalibus transiit ad naves vox. Plinius, de Acantho Ægyptia, *Ob id utilissima navium costis* &c. Virgilius *Æneid. lib.* 2.

> ——— *Intexunt abjete costas.*

Quæ Græcis itidem ἐγκοίλια, uti de corpore humano. *Interamenta* Livius vocat &c. V. Salmasium *ad Solinum pag.* 1110.

Costoboci, adde: iidem qui *Costobocæ* Ammiano. Salmasius *ad Capitolinum*.

Costulati Balthei, apud Trebellium Pollionem *in Gallienis*, *Saloninus puer his auratos constellatosque*, (seu *Costulatos*, ut legit Salmasius) *baltheos rapuisse perhibetur*: sunt balthei, regulis quibusdam & virgis argenteis, in modum *costarum* positis, distincti. Quo pacto *costulæ* argenteæ dicuntur in baltheorum ornatura, ut laminæ & bacilli iisdem ornandis & gladiorum vaginis, apud Plinium, memorantur. V. Salmasium *ad l. d.* Galli *Costelé* dicunt, *costulis* istiusmodi *distinctum*, vel in *costularum* speciem dispertitum, du Fresne *Glossar*.

Costum, radix jucundi odoris, de qua sic Plinius *lib.* 12. *cap.* 12. *Radix costi gustu fervens, odore eximio, frutice aliàs inutili. Primo statim introitu amnis Indi in Patale insula, duo sunt ejus genera, nigrum, & quod melius, candicans. Pretium in libras* XVI Dioscorides hoc *costum* τὸ χροιᾷ πυῤῥῶδες, *colore buxeum* ait: quod non in India solùm, sed in Arabia quoque nasci observat Salmasius *ad Solinum*. Ejus in sacris olim usus. Plinius *lib.* 21. *cap.* 24. *thure supplicamus & costo.* Unde Propertius sibi sacra facienti, ob navale Actiacum prælium, *costum* dari vult. Propertius *lib.* 4.

> Costum *molle date, & blandi mihi thuris honores.*

Certè inter pretiosos frutices habitum esse constat, ex Horatio *Carm. lib.* 3. *od.* 1.

> *Quod si dolentem nec Phrygius lapis,*
> *Nec purpurarum sidere clarior*
> *Delenit usus, nec Falerna*
> *Vitis, Achæmeniumque costum.*

id est, Persicum. Sociatur cinnamis, apud Ovidium *Metamorph. lib.* 10.

> ——— *sit dives amomo,*
> *Cinnamaque, costumque suum, sudataque ligno*
> *Thura ferat* &c.

V. Car. Paschalium *Coronarum lib.* 3 *cap.* 16.

Cota, seu *Cotta*, in Concil. Moguntiacensi, apud Reginonem *lib.* 1. *cap.* 335. & Bernhardum *lib.* 2. *cap.* 208. tunica est Clericis propria, Gall. *Cotte*. Germ. *Cott*. Saxonibus priscis tugurium, latibulum, spelunca; unde rusticorum mansiunculæ eodem nomine insignitæ, C. du Fresne *Glossar.* V. in voce *Coterellus*.

Cotardia, cotæ, sagi vel tunicæ species, viris perinde ac fœminis familiaris, apud Eund.

Coterellus, adde: Marca verò *Histor. Benearn. lib.* 6. *cap.* 14. eos sic dictos esse censet, quòd majoribus *cultellis* armati & instructi essent, *coterels* Tolosanis vulgò dictis, adeoque cum *Cultellariis*, de quibus in *Statutis* Raymundi Com. Tolosani *A. C.* 1152. eosdem facit. Fuere autem prædones militares, qui aliàs *Ruptarii*, ex agricolis & rusticis, qui bellorum abusi licentiâ prædationi sese addixerunt, collecti: quos à Philippo Aug. deletos A. C. 1183. narrant, præter Rigordum, Guil. Brito *Philip. lib.* 1. Albericus *A. C.* 1183. Guil. Armoricus *in Philippo Aug.* Alii.

Cotes optimæ, in Naxo, & in Armenia & in Cypro, Salmasius *ad Vopiscum*, V. suprà *Cos*.

Cothia, Moscis dicitur panis benedictus, quem, pro defunctorum suffragio, in Ædibus sacris distribuunt. V. suprà in *Agape*, & Dominic. Macrum *in Hierolexico*.

Cothocidæ, Græcè Κοθωκίδαι, demus Atheniensis, cujus tribûs, incertum, patria Æschinis. Jac. Sponius *Itiner. part.* 3. *p.* 145.

Cothon, Græcè Κώθων, poculum fictile, Laconicum, & militare, quod in pera gestabant milites, Athenæus *lib.* 11. Xenophon *Pæd. lib.* 1. Alii. Unde *Cothonem* inf. parvam Carthaginis, quæ vicem portus præbebat & navalia habebat, quòd instar *cothonis* poculi rotunda esset, nomen accepisse suspicatur Salmasius *ad Solinum pag.* 1118. Sed de hac Ins. jam satis dictum, in hac voce.

Cothonea, Eleusini Regis uxor, Triptolemi ex illo mater. Hyginus *in Fab.*

Cothurnus, in Tragœdiis usitatus, calceamentum erat quadrangulum, quod utrivis pedi æque accommodari poterat, adeò suberatum accrassum, ut ejus accessione Heroum magnitudinem æquare quis videretur, cùm contrà Comici socco, calceamento humili, uterentur. Claudianus *de Cons. Manlii Theodori, sub fin.*

—— — *Altè graditur majore cothurno.*

Fallitur tamen Isidorus *lib.* 19. *cap.* 34. qui solis Tragœdiis id calceamenti genus convenisse contendit; Namque & puellæ, quæ grandiores videri volebant, & viatores, ut à luto defenderentur, & venatores iis usi. Interim frequentius à Tragicis adhibitum esse, conceditur. V. Thom. Dempsterum *Paralipom in Rosini Antiqq. Rom. l.* 5 *cap.* 8. & Scaligerum *Poetic l.* 4. *p.* 13. Hodie Itali *Cothurno* vocant majores perdices rubras, quæ κακκαβίζειν, h. e. κακκαβοῦ sonum sæpius iterant, cum aliarum sit τιττυβίζειν. Cujusmodi ἰτυ... discrimen in Bœotiis olim Atticisque perdicibus notavit Theophrastus, V. Salmasium *ad Solinum pag.* 150.

Cotinus, Græcè κότινος, occurrit apud Plinium *lib.* 16. *cap.* 18. & *oleastrum* notat, e quo Olympionicis olim corona plectebatur. Nempe non ex quovis oleastro id fiebat, sed ex illa singulari tantùm arbore, quæ in hoc summâ curâ asservabatur, ut materiam præberet hujusmodi coronis texendis, quæque κότινος propriè dicebatur καλλιστέφανος, ut videre est apud Pausaniam *lib.* 5. Τῦ τε ναῦ τοῦ ὀπισθοδόμου ... καλλιστέφανον ἐπονομάζουσιν ... Sic Alphæus, apud Philostratum *in imag.* oleastri coronam dat Pelopi, velut olympicam & omnium excellentissimam. Solon quoque Anacharsidi, quænam vobis sunt præmia, interroganti, respondet, *olympiis quidem corona è cotino*, apud Lucianum *de Gymnic.* Et Nero, è Græcia reversus, Romam intravit κοτίνῳ ἐστεφανωμένος, *cotino coronatus*, & laurum manu tenens, apud Dionem *in Nerone*. Ex aliis verò κοτίνοις, qui proveniebant circa ripas Alphei, quamvis essent pulchri, ut qui quam proximè accederent ad crispitudinem apii, hæ coronæ non magis nectebantur, quam ex olea, ut perperam voluit Scholiastes Aristophanis *Pluto*. Cæterum super hujus singularis *cotini* origine discrepant Auctores. Et Aristoteles quidem eam ab Hercule Olympiis plantatam ait, à fonte Istri ab eo allatam, uti dicit Pindarus *Olymp. Od.* 3. Pausanias vero ex Hyperboreis in Græciam ab eodem delatam, narrat. Certè tantæ dignitatis fuit, ut vocata sit *sacra olea*. Ita enim apud Plut. *in Solone* Epimenides, donis, quibus colebatur ab Atheniensibus, repudiatis, nil quicquam petiit, nisi ramum ἀπὸ τῆς ἱερᾶς ἐλαίας, *ab sacra olea*. Et vero sicuti sacra religiose servabatur. Plinius *lib.* 16. *cap.* 44. *Olympiæ oleaster, ex quo primus Hercules coronatus est, & nunc custoditur religiosè.* Aristoteles addit locum ejus, ubi custodiebatur, nempe circa Ilissum fluv. Atticæ, à quo distabat 60. stadia, muro circumdatum fuisse, magnamque mulctam tangenti dictam. Idem arboris hujus tum folia, tum ramos singulares facit. Folia enim intus, non foris, viruisse, instar myrti; similiterque ramos ejus myrtis similes, & εἰς τοὺς στεφάνους συμμέτρους, h. e. eâ longitudine, quæ capiti evinciendo satis esset, docet. Unde colligitur, coronam Olympiam non fuisse contextam è duobus ramulis, sed ex uno continuo: ad cujus exemplum laurea postmodum triumphantium facta est. Antiquitus tamen è quolibet oleastro coronas Athletis plexas, elici potest ex Etymol. in κότινος, ubi folia cotini primitus conjecta fuisse, in victores, ex illis capta, quæ spectatoribus substrata erant vice lecti, hincque coronam Olympicam sumsisse exordium, refert. Neque vero coronæ solum Olympionicarum, sed & sceptra Regum, Heroumque clavæ, ex hac arbore conficiebantur, uti legimus de Amyco Rege Bebrycum aliisque: eo quòd duritie vix ulla arbor ad κότινον comparabilis esset. Imò & donariis in templis Deorum affigendis is adhibitus. Aristophanes *l. cit.*

Εἶναι ... κοτίνῳ ... &c.

Uti autem primitus ex quolibet oleastro, postmodum ex *Cotino* per excellentiam sic dicto, sic tandem ex auro fuere Olympicæ coronæ, uti docet Car. Paschalius *Coronarum lib.* 6. *cap.* 20. quem de *Cotino* pluribus agentem, V. *capp. præcedd.* 18. & 19.

Cotonea Mala, memorantur Plinio *lib.* 15. *cap.* 11. *His* (pineis nucibus) *proxima amplitudine mala, quæ vocamus* Cotonea *& Græci Cydonea, ex Creta Insula advecta. Incurvatos trahunt ramos prohibentque crescere parentem. Plura eorum genera, chrysomela, incisuris distincta, colore ad aurum inclinato. Quæ candidiora — odoris præstantissimi. Est & Neapolitanis suus honos. Minora ex eodem genere struthea odoratiùs vibrant, serotino proventu, præcoci verò mustea* &c. Coquebantur ea in mulso, & alii etiam odores adjiciebantur, de qua conditura Plautus agit *Persâ Act.* 1. *Sc.* 3.

Contundito mulsum, struthea coluteaque appara,
Bene ut in fartis concaleat, & calamum injice.

V. Columellam *lib.* 12. *cap.* 19. & 41. ... Græci vocant, & γλυκύμηλον in eadem conditura usurpant. Sunt autem Struthea, uti visum Plinio, minora cotonea: aliis tamen majora, in quibus Dioscorides est qui ... vocat minora Cydonia, h. e. *vera*, & à majoribus, quæ *Struthea* ille appellat, *Coignacea* hodie Galli, distinguit. Et quidem parva illa Cydonia, rotunda & odorata sunt, *Pommes coin* vulgò Gallis, è quibus hodieque Genuenses delicatissimum suum *cydoniatum* parant. Sed & alius horum malorum usus fuit. Plinius *d. l.* *Omnia jam & virorum salutatoriis cubiculis inclusa, simulachris noctium consciis imposita.* Ubi *cubicula salutatoria* vocat, in quibus divitem, è dormitorio suo prodeuntem, *communis amicus*, ut inquit Manilius *lib.* 7. salutabat, V. Hadr. Turnebum *Advers. lib.* 13. *cap.* 28. Ad cujusmodi cubiculorum ornatum erectas & comparatas imagines, *simulachra noctium conscia* appellat, Dalechampius *Not. ad loc.* V. quoque Casaubonum *ad Suetonium pag.* 70. De *Cydoneis* verò *Malis* ... um, aliquid suprà, in voce *Bonjama*.

Cotta, Italis corrupta voce, forte à *Crocota*, dicitur tunica talaris ac manuleata olim, postea brevior facta, scissis & laxè fluentibus manicis, alibi stricta corpori, & brachiis pressa, qualis Cardinalium & Clericorum Augustinianorum: alibi etiam ad instar involucri consorum, quod totum corpus involvit, & hinc inde brachiis in humeros rejicitur, ut veteres Casulæ sive Planetæ. Hunc sacris operantium amictum lineum, quòd tenuis esset ac mollis ad instar Crocotarum, *Crocotam* primò, dein contractâ voce *Cottam* videntur appellavisse. Quæ tamen vox non ita antiqua, ut pro veste sacrorum Ministrorum accipiatur. Scriptores enim Hetrusci *Cottam*, pro muliebri ferme veste, interdum pro virili, usurpant: nonnunquam pro veste, quæ armis injicitur. Venetiis sanè adhuc est in usu, ubi muliebres tunicas *Cottas* appellant, Octavi. Ferrarius *de Re Vestiaria lib.* 3. *cap.* 5. V. quoque suprà *Cota*, & infrà *Superpellicium*.

Cottana, ficuum genus: Plinius *lib.* 15. *cap.* 19. *Ex hoc genere sunt, ut diximus, Cottana & Caricæ, quæque conscendenti navim adversùs Parthos omen fecere M. Crasso, venales prædicantis voce, Cauneæ.* Et Martialis *lib.* 3. *Epigr.* 28. cui tit. *Cottana*.

Hæc tibi quæ tortâ venerunt condita meta,
Si majora forent cottana, ficus erant.

Nempe ficus erant parvæ, quæ e Syria afferebantur. Idem *lib.* 4. *Epigramm.* 88.

Antipolitani nec quæ de sanguine thynni
Testa rubet, nec quæ cottana parva gerit.

Et *lib.* 7. *Epigramm.* 53.

Parvaque cum canis venerunt cottana prunis, &c.

Veniebant autem in massam composita, unde *tortæ metæ*, h. e. è tortis juncis textæ sportæ, vel testæ turbinatæ in metæ formam, mentio suprà. Statius *globum* vocat *in Saturnal.*

Nusquam turbine conditus ruenti
Prunorum globus atque cottanorum.

Græci παλάθην dixere, item μᾶζαν, unde Latini fecere suum *massa*. Hinc παλάθη Συριακή, *cottanorum massâ*, quæ ex *Syria* in alias regiones ferebantur &c. V. hanc in rem Salmasium *ad Solinum passim*, & suprà in voce *Cottana*.

Cottiara, adde: Corruptè pro *Cottonara*, ut videtur Salmasio, quam Βακαρὴ ἐμπόριον, *Baccarum emporium* vocat Ptolomæus. Unde piper, quod optimum & plurimum ibi nascitur, lintribus monoxylis, per fluvium, in maritimum emporium nomine Becaren, quod erat situm contra ostia fluvii, convehi solitum, ait Plinius *lib.* 6. *cap.* 23. Hodie Calicutum est eadem Salmasio, quem V. *ad Solinum pag.* 1187.

Cottona, Indiæ reg. ad. rectiùs *Cottonara*, V. hic suprà *Cottiara*.

Coudoius Campus, in Provincia ad Rhodanum, qui vulgò *la Crau* dicitur, quod inspergatur *lapidibus caucosis*, qui quaquaversum latera habent acuminata, forte in modum *cassæ*, uti vocem eam Galli usurpant, in vet. *Charta*, apud du Fresne *Glossar.*

Coturnix, Græcè ὄρτυξ, avis parva & migratoria. De qua sic Plinius *lib.* 10. *cap.* 23. *Coturnices antè etiam semper adveniunt, quàm grues, parva avis, & cùm ad nos venit, terrestris potiùs, quàm sublimis. Advolant & hæ simili modo, non sine periculo navigantium, cùm appropinquavere terris. Quippe velis sæpe insidunt, & hoc semper noctu, merguntque navigia. Iter est his per hospitia certa, Austro non volant, humido scilicet & graviore vento. Aura tamen vehi volunt, propter pondus corporum viresque parvas. Hinc volantium illa conquestio labore expressa. Aquilone ergo maximè volant, ortygometrâ duce. Primam earum terræ appropinquantem accipiter rapit. Semper hinc remeantes comitatum sollicitant, abeuntque unà persuasæ glottis & otis & cychramus* &c. V. quoque Solinum *cap.* 11. ubi in clarissima Cycladum, inde *Ortygiâ* dictâ, primùm has aves visas & in Latonæ tutela constitutas fuisse addit. Quando autem præcisè illarum migratio fiat, Aristoteles docet *Hist. Animal. lib.* 8. *cap.* 18. Ποιοῦνται δὲ ἀεὶ τὰς πτήσεις ... *Semper autem priùs migrant infirmiora, circa utrumque excessum, ut scombri priùs, quàm thynni, & Coturnices quàm grues. Quarum illæ migrant Boedromione, hæ Mæmacterione.* Ubi de utraque migratione loquitur, sive ex frigidis locis migrent, sive ex calidis. Æquè enim nimium æstum fugitant, ac nimium frigus, adeoque circa Æquinoctium vernum migrantes frigidiora loca petunt propter imminentes graviores æstus; Autumnale verò, in calidiora loca se conferunt, propter vim hyemis ingruentem; quod uno mense maturiùs, quàm grues, faciunt. V. Salmasium

Salmasium *ad Solinum l. cit.* Damnatas mensis fuisse, idem refert Plinius ubi suprà, *Coturnicibus veneni semen gratissimus cibus: quam ob causam eas damnavere mensæ, simulque propter comitialem morbum despui suetæ, quem solæ animalium sentiunt præter hominem.* Cœterùm mirum in modum multiplicari constat, cùm ova fedecim, & singulis annis quater parere dicantur: unde abundantia in Sacris earum tanta memoratur, ut illæ cooperuisse Israelitarum castra & populo complura lustra pascendo suffecisse dicantur, qua de re V. suprà in voce *Chennia*.

Cotyla, mensura liquidorum, continens quartarios duos, urnas mensurales novem, Gr. κοτύλη. Aliquando pro hemina, nonnunquam etiam pro libra mensurali. Cujusmodi quinq; *Cotylarū* aquæ mensura unicuique litigantium Athenis olim dabatur, ad quam causam oraret suam, ex lege Harpocrationi memorata. Ad clepsydram enim causas, quæ magni momenti erant, agi consuevisse legimus, ἐς ἀγῶς διαμεμετρημένην ἡμέραν; qualis inprimis ἡ τῆς κακώσεως τῶν γονέων δίκη, causa malæ tractationis Parentum, item causa abdicationis: de qua præsertim intellecta vult Harpocrationis verba Petitus: *neque enim omnibus in causis tantam certamque mensuram aquæ dabantur*, addens. V. eum *Comm. in LL. Attic. lib. 2. tit. 4.*

Cous, in tesserarum ludo senionem notat, sicut Chius unionem: Suidas, ὁ μὲν γὰρ Χῖος ἐδύναϑ' ἕν, ὁ δὲ Κῷος ἕξ. Hinc notum Græcorum Prov. Κῷος πρὸς Χῖον, cùm magna parvis, gigas pygmæo confertur. Aliter *Venus* dicebatur, projactu fortunatissimo, V. Thom. Godwynum *Anthol. Rom. lib. 2. sect. 3. cap. 13.*

Coxa, an ex *Syr. foca*. aut Hebr. שוק, an à *coarctando*, quòd femur ibi superiori parti jungatur & arctetur? Græcis ἰσχίον, ἰσχίον dicitur, quo tamen postremo propriè intelligit Galenus commissuram *coxendicis*, quæ est ad sedem, propter quam tota circa sedem regio eo nomine vocatur. Ejus vitium cùm in Comitiis opponeretur Horatio Coclitì, *per singulos*, regessit is, *gradus admoneor triumphi mei*. Augustus quoque *coxendice* & femore & crure sinistro, non perinde valens, remedio harenarum atque arundinum usus est. Sueton. in *eo cap.* 80. Nempe roboris hic ad incessum sedes, unde Jacobus Patriarcha, cùm ei *motum femur caxa*, ut habet Vulg. seu ut est in Hebr. כף־ירך *caph jerec*, i. curvatura femoris, cavitas nempe illa, in qua summa pars femoris est, ubi *coxendix* ischio jungitur & duo ossa connectuntur, mota esset ab Angelo, cum eo colluctante, Genes. *cap. 32. versu 25. ipse claudicabat super femur suum*, *vers. 31.* à quo tempore nervos musculos, qui sunt ad acetabulum femoris, comedere inter vetita habuere Judæi. V. Rivetum *ad l.* & plura infrà, in voce *Femur*.

CR.

Craca, in Tab. Peutingeriana, ubi iter à Dascusa Melentenis (quo modo corruptè vocat *Melitenem*) describit:

Dascusa, *Hispa*. XVIII.
Arangas. IX.
Craca. XXVIII.
Melentenis. VIII.

In *Itinerar.* Antonini *Ciaca* dicitur, Ptolomæo Κίακις. Unde reponi vult *Ciaca*, pro *Craca*, in Tabula, Salmasius *ad Solinum pag. 625.*

Cragus, adde: Malè *promontorium* Plinio dicitur, cùm sit mons ὅς τῇ μεσογαίῳ, *in mediterraneo*, & quidem Lyciæ, ut Strabo & Ptolomæus eum ponere videntur. Nec obstat, quòd his ipsis ἄκρα dicitur; hæc enim vox non semper ἀκρωτήριον, seu *promontorium*, significat, sed *summum* quoque *jugum* montis cujuslibet aut verticem. Sic Arrianus Aspendum, ἐν ἄκρα ὀχυρᾷ, sitam dicit, h. e. *in edita ac prærupta rupe*. Et Strabo scribit, *Cragum* montem habere ὀκτὼ ἄκρας, h. e. *octo vertices* vel *octo capita*, quod Plinium fefellit. Sed & impropriè Livius excelsum in Alpibus jugum *promontorium* vocat, ubi Hannibalem *in promunturio quodam, unde longè ac latè prospectus erat, consistere jussis militibus, Italiam ostentasse* memorat. Latini verò *promunturia* tantùm dicunt de prominentibus in mare saxis. Interim & Scylax Cragum prom. revera Cariæ facit, cujus παράπλουν à Mæandro fluv. auspicatur, & Crago promuntorio terminat. Et Dionysius usque ad mare montem hunc porrigit. Quo pacto aut non erravit Plinius aut alios errantes secutus est. Salmasius *ad Solinum pag. 785.*

Cramo, Gr. κράμα, Græcis orichalcum dicitur; Stephanus in voce Ἀνδειρα: Ἄνδειρα πόλις, ἐν ᾗ λίθος, ὃς καιόμενος σίδηρος γίνεται, εἶτα μετὰ γῆς τινος καμινευθεὶς ἀποστάζει ψευδάργυρον, εἶτα προσλαβὼν χαλκὸν ὀρείχαλκος γίνεται. *Andera urbs neutrius gen. in qua lapis reperitur, qui ignis vim sentiens in ferrum induratescit, postmodum terrâ quadam mixtus astillat pseudargyrum, inde temperatus ære orichalcum gignit.* Clariùs Strabo *lib. 13.* qui istiusmodi orichalci genus κράμα disertè appellat. Unde κραμάτινος, quod ex orichalco factum est, apud Autorem vet. *Glossarii*, laudatum Salmasio *ad Lampridium in Alex. Severo.*

Cramesinum, à voce Kermes Arab. V. suprà ubi de *Cocco*.

Craneum, Gymnasium Corinthi, apud Diogenem Laërtium *l. 6.*

Craspedites Sinus, adde: à Græca voce κράσπεδον, quæ *laciniam* significat. *Glossæ*, κράσπεδον, *lacinia*, *fimbria*. Propriè de vestibus, inde ad alia usu translato. Hinc Peloponnesum *laciniatum finibus aliis quamplurimis*, legas, quia multis eam locis incurrunt & laciniant scinduntque. Et ob eandem rationem *Craspedites Sinus*, uti docet, Salmasius *ad Solinum pag. 141.*

Craspiscis, in *LL.* Æthelredi R. *cap. 23. Qui ad pontem veniebat cum bato, ubi piscis inesset, i obolus dabatur in teloneum, & de majori navi 1 denar. Homines ae Rothomago, qui veniunt cum vino vel craspisce — monstrabant res suas & exsolvebant* &c. qui aliàs *Piscis crassus*, Gallis & Anglis, *Grampois* Spelmanno, q. *gran poisson*, *Poisson à Card*, in *LL.* Maris Oleron *art. 37. 38. 44.* quique, sicut balæna, ad Regem peculiari & regio jure pertinet, hinc *Piscis Regius* vulgò dictus. Aliquando tamen jus hoc dominis feudalibus peculiari privilegio indultum fuisse, probat du Fresne in *Glossario*, quem vide.

Crater, ἀπὸ τοῦ κέρατος, quasi κερατήρ, *quoniam in cornua potio olim fundebatur*; cujus rei vestigia certissima in antiquis inscriptionibus. D. Ambrosius *lib. de Elia ac jejunio cap. 17. Per cornua etiam fluentia in fauces hominum vina decurrunt, & si quis respiraverit, commissum flagitium, soluta acies, loco motus habetur.* Athenæus *Dipnos. lib. 11. Priscos fama est, atque homines cornibus olim bibisse boum, liquet hinc ex eo, quod adhuc, dum aqua vinum permiscent, κεράσαι dicunt, & vas in quo vinum miscetur, craterem appellant, manet etiam nunc cornuum ad hunc usum fabrica. quidam ejusmodi pocula Rhyta vocant, Poëtarum quoque multi antiquos bibentes cornibus inducunt.* Xenophon *lib. 6. exped. Cyri*, Κατακείμενοι δὲ ἐν σκίμποσιν ἐδείπνουν, καὶ ἔπινον ἐκ κερατίνων, *Quum in grabatis inter cœnandum discumberent, ac biberent è poculis cornu factis*. Idem *lib. 7.* hanc *Thracicam legem* vocat. Alluserunt ad eundem ritum Poëtæ. Pindarus,

Ἐξ ἀργυρέων κεράτων πίνοντες,
Ex argenteis poculis bibentes

Æschylus in *Perrhæbis*, ἀργυρήλατοις κέρασι, *argento ductili factis cornibus* &c. Primum autem hoc poculi genere usum Bacchum ferunt, quem cornutum fingi pueruli quoque Grammaticorum sciunt. Unicus Ovidius sufficiet *Epist. 21.*

Sume fidem & pharetram, fies manifestus Apollo,
Accedant capiti cornua, Bacchus eris.

Indi talibus quoque poculis usi, ut ex Ctesia Photius annotavit in *Bibl.* Ita autem ille, *Asinos sylvestres habet India*, κέρας ἔχοντας ἐν μετώπῳ, *cornu habens in media fronte*, & paulò pòst, κατασκευάζουσι γὰρ ἐκ τούτων ποτήρια, *conficiunt enim ex his pocula*. In conviviis tertium poculum Jovis Servatoris fuit (sicut primum, ut Franc. Luisinus ait, *lib. 1. Parerg. cap. 7.* Jovis Olympii, alterum Heroum erat) Κρατὴρ Διὸς σωτῆρος, *Crater Jovis Servatoris* Polluci dictum, in memoriam pluviæ derepentè irruentis, quâ pocula vino semiplena, cùm temperata essent, salutarem ipsius usum homines didicerunt: priùs enim meracum biberant, non sine noxa. Eust. *in Hom.* V. Thomæ Dempsteri *Paralipomena in Joh. Rosini Antiqq. Rom. lib. 5. cap. 30.* Quâ ætate verò luxus maxime invaluit, uti coronarum & unguentorum missus præibat secundæ mensæ, sic *Crater* statuebatur in medio, qui ebibendus erat. Plutarchus Συμποσ. προβλημ. ιά. Ἄδει μὲν γὰρ τοὺς ὡς κωλύματα ἐπιόντας, κρατῆρος ἐν μέσῳ προκειμένου καὶ στεφάνων διανεμομένων &c. Et quidem coronatus, ut & alia pocula, de quo more Virgilius,

Crateras statuunt plenos & vina coronant.

Non solùm eo sensu, quòd vino implerentur, sed & quòd plerumque cælatâ coronâ redimirentur. Certè Athenæus *lib. 5.* in quadam pompa meminit *Crateris argentei* amphorarum sexcentarum, qui vehebatur quatuor rotarum curru, quem sexcenti viri trahebant. Sub ejus labris, ansis & basi imagines fuere animalium torno sculptæ. Ipse verò aureâ gemmataque coronâ præcingebatur. Quamvis aliquando crateribus poculisque addita corona fuit, non decoris, sed utilitatis gratiâ. Quemadmodum collum vasis coronâ pulegii sive calamintæ, ne inde vinum effluat, redimiri consuevisse, tradit Constantinus Cæsar *lib. 6. cap. 14.* &c. Verùm natis in usum lætitiæ scyphis pugnavere Thraces, & *Crateres* pro telis jacti Centauris leguntur. Statius *Achilleidos lib. 1. vers. 114.*

—— *Hic hominum nullos experta cruores*
Spicula, nec trunca bellis genialibus orni,
Aut consanguineis fracti crateres in hostes.

Et Ovidius *lib. 12.*

Antiquus crater, quem vastum vastior ipse
Sustulit Ægides, adversaq; misit in ora.

Inter quos Pholus inprimis immani cratere mira hostibus vulnera intulit, apud eundem Statium *Thebaid. lib. 2. versu 564.* quod socio ejus Hylæo tribuit Virgilius *Georgic. lib. 2.* Sed & ipse Pholus alio cratere ab Æsone stratus est, apud Val. Flaccum *lib. 1.*

—— —— —— *sed fortior Æson*
Attollens dictis animos: ô si mihi sanguis
Quantus erat, tum signiferum cratera minantem
Non leviore Pholum manus hac compescuit auro.

V. de hoc Pholi *cratere*, inprimis olim celebri, Apollodorum *lib. 2.* Scholiastem Theocriti *ad finem Thalysior.* Lucanum *l. 6.* &c.

Pelos

Pejor abusus, cùm Inferis rem divinam facientes prisci, *Crateras* ipsos cum libamentis in flammas conjiciebant, quo de more V. Servium *ad Virgilium Æneid. lib.* 6. Statium, ubi de Achemori sepultura, & ad hunc Casp. Barthium *Animadversion. Part. III. pag.* 426. ut alia omittam, passim hic ubi de *Bibendi* more, *Poculis*, *Scyphis*, jam dicta dicendave. Sed & vide hic infrà in *Craterra*.

Craterra, apud Nævium *Lycurgo*, *Nam ut ludere lætantes inter se vidimus propter amnem*, craterris *sumere aquam ex fonte*. Varronem *de Vita Pop. Rom. lib.* 3. *Ad Sybaritanam prædam, in qua sunt tripodes*, craterræ, *ananeæ à Populo nobilium Tarentinorum*; & Ciceronem *de Nat. Deor. lib.* 2.

In medioq; sinu fulgens craterra *relucet*:

Nonio Marcello situla est. Barthio verò idem cùm *Cratere* seu *Cratera*, nam & fœminino genere *Crateras* Romanos dixisse notum. Persius *Sat.* 2.

Si tibi crateras *argenti, incusaq; pingui*
Auro dona feram.

Servius *Æn.* 1. *Græcum est*, *hic crater. Nam Latinè hæc cratera dicitur.* V. quoque Isidorum *Origin. lib.* 20. *cap.* 5. Nec certè Nævii & Varronis loca ad Nonii situlam faciunt, optimè ad *crateras* Latinas; Ciceronis verò versus penitus in os homini contradicit. Erant autem *Crateres* ingentia vasa, quæ in medio conviviorum loco statuebantur, ut inde minoribus poculis hauriretur, uti suprà videre est. Quamvis & minutiora nonnunquam sic appellata legamus, apud Val. Flaccum *lib.* 5. Prudentium *in Diptochæo*, Alios. Nonium tamen absolvat *Onomasticon* priscum quod ὑδρίαν, *craterram* (uti Docti cum MSS. legere malunt) interpretatur: & *Cratera* illum cœlestem Urnam aquariam facit Scholiastes Germanici. V. Casp. Barthium *ad Statium Part. II. pag.* 300.

Crates, nobilis Toreuta, apud Plinium *lib.* 33. *cap.* 12.

Crates Æratæ, apud Statium *Thebaid. lib.* 4. *vers.* 110. ubi de lucta Acheloi cum Hercule,

Omnibus æratæ *propugnant pectora* crates,
Pilaq; sæva manu —— ——

Ære sc. seu ferro obductæ, ait vetus Scholiastes. Quæ mens fuit dubia tamen Lipsio *de Mil. Rom. lib.* 3 *cap.* 6. Certè non alia, quam de *ligneis cratibus laminis ferreis obductis*, Papinio, pro illo viz. ævo, armaturæ ad talia solidioris nondum vulgato usu. Quare & singularem notam hanc iis populis adscribit. Pari sensu illa sunt capienda, apud Virgilium *lib.* 7.

Tegmina tuta cavant capitum, flectuntq; salignas
Umbonum crates.

Salignæ enim *crates*, *umbones* ferrea harum munimenta designant. Nam quid ad ligneas solùm crates, quod sequitur,

—— —— *alii thoraces ahenos*
Aut leves ocreas lento ducunt argento.

Nec satis circumspectè Servius, qui coria iis inducta de Sallustio accersit. Tales verò & thoraces intelligi vult Papinius. V. ad *l. cit.* Barthium.

Crates Contabulatæ, pontis genus, apud Solin. c. 56. *Asitæ Arabes, quibus ex re nata datum nomen: nam bubulis utribus* contabulata crates *superponunt, vectatique hoc ratis genere prætereuntes infestant* &c. Sed hic de *tabulato* agitur, vocat enim Plinius, quem Solinus exscribit, *pontem tabulas junctas & utribus superstratas*: nec *utres ponte sternere* aliud est, quàm utribus junctis tabulas stratas superponere. Unde *pontilis stratus*, apud Vegetium, de tabulato, quo stabulis pavimentum constratum est. Et πίνακα Græci recentiores usurparunt pro quibuslibet tabulatis, etiamsi ad speciem pontis strata non essent, sed suspensa. At *Crates* texticiæ sunt & diversæ utique à tabulatis, quæ non aliud sunt, quàm tabulæ stratæ junctæque, uti vidimus. Nisi fortè scripserit Solinus, *Bubulis utribus contabulatos stratus superponunt*. Cæterùm pontium ex utribus factorum usus olim apud diversos fuit populos, fluviis transnatandis, & præcipuè in bello. Cujusmodi pontem ἀσκογέφυραν vocat Auctor Anonymus *de Rebus Bell.* V. suprà in voce *Ascogefri*, & plura hanc in rem apud Salmasium *ad Solinum pag.* 1266. & 1267.

Crates Harundineæ, Græcis ταρσοί, dicebantur viminea texta, super quibus siccabantur casei, uti videre est suprà, ubi de *Caseo*. Aliud quid erant ταρσοὶ καλάμων, apud Herodotum *Musâ* 1. *texta vimineo cannarum* seu *cannicia*, quæ, in Babyloniis muris, singulis laterum ordinibus interposita erant & bitumine oblita, ad continendam structuram. Hesychius, ταρσὸς καλάμων, πλέγμα τῶν καλάμων. De *Craticiis* enim *parietibus* ibi sermo est, quibus luto inductis cum cannarum duplex ordo vulgò adfigeretur, ut tectorium superinductum firmius adhæresceret: in muris Babylonis inter singulos ordines laterum texta cannarum stipata erant & bitumine adglutinata, V. de hujusmodi parietibus Vitruvium *lib.* 7. *cap.* 3. Ut frustra sint, qui ταρσοὺς illos καλάμων Herodoti exposuere de *cratibus*, quibus impositi lateres siccabantur. Licèt enim non casei solùm, ficusque & alii fructus, qui siccabantur, exponi solibus super crate aut vimineo texto solerent, quod ταρσοῦσθαι propriè dicebatur: sed & lateres sic siccarentur; id tamen de crudis tantum accipiendum. At lateres, quibus structi muri Babylonis, igne cocti erant: hinc jam præcessit de eorum coctura, πλίνθους ὀπτήσαντες; cujusmodi lateres nihil opus habent siccescere & arefieri. Ταρσοὺς igitur illos καλάμων interpositos constat lateribus, in muri structura: quod clarè ostendit verbum διαστοιβάζοντες, in eodem loco. Quam in rem V. Salmasium *ad Solinum pag.* 1267.

Craticula Dureri, inter instrumenta Geometrica admirandi operis, in Musæo Kircheriano, apud Georg. de Sepibus *in Collegii Rom. S. J. Musæo pag.* 17.

Craticulæ, & Equulei ardentes, inter suppliciorum genera, quibus olim in Christianos sævitum, uti apud vet. Prudentii Scholiastem videre est, qui *Catastas* hoc modo exponit. V. Casp. Barthium *Animadversion. ad Statium lib.* 2. *sylv.* 1. *vers.* 72.

Cratis, in *Regula* Monialium Damianitarum *cap* 5. *Non liceat Sororibus loqui ad locutorium, vel ad cratem, sine licentia Abbatissæ.* Mox, *Ad cratem verò pannus interiùs apponatur, qui non removeatur, nisi cùm proponitur verbum Dei, vel aliqua alicui loquiretur*: repagulum est ferreum, in modum *cratis*, quo Sanctimonialium locutoria clauduntur, Gall. *la Grille*. Sed & in *Regulà* Clarissarum occurrunt *Crates ferreæ*, per quas Communio accipitur, *quibus apponitur pannus interiùs, ita ut nulla inde valeat exterius in Capella aliquid intueri*, apud Car. du Fresne *Glossario*.

Crazzia Familia, in Germania illustris. Inter Equestres Rhenanas diu eminuit, donec Johannes Philippus primus axioma Comitis *de Scharpfenstein* meruit. Fuit is filius Antonii *Cratz de Scharpfenstein*, nepos Friderici, pronepos Philippi, abnepos Caspari, omnium nominis *Cratz de Scharpfenstein*; & ex priore conjuge Maria *Metternich* genuit Joh. Antonium *Cratz* Com. Scharfensteinium, patrem ex N. *de Sotern*, N. Comitis moderni: ex secunda verò conjuge, familiæ *de Vels*, pater fuit Eleonoræ, quæ nunc etiam in thoro Joh. Augusti Com. Solmensis vivit. Phil. Jac. Spenerus *Theatr. Nobil. tom. III.*

Craucasis, vel *Craucasus*, Caucasus Indicus, à Scythis dictus est, quasi *nivibus candidus*. Plinius *lib.* 6. *cap.* 17. de Scythis, *Persæ illos Sacas in universum appellavere à proxima gente. antiqui Aramæos, Scythæ ipsi Persas Chorsaros: & Caucasum montem* Craucasum, *hoc est, nive candidum.* Inde Macedones, cùm in illis locis essent, pro *Craucaso* vel *Craucasi*, ut ab indigenis vocabatur, *Caucasum* nominaverunt, ob affinitatem soni de proximo inflectentes in notissimi montis Pontici vocabulum. V. Salmasium *ad Solinum p.* 788. Hodieque certè *Grau* Germanis *canum* notat. Unde inter alia colligit Grotius, Scythicam linguam matricem fuisse Germanicæ: Credi enim id jubent, inquit, *primùm ipsum Scytharum nomen, sagittarios significans — deinde Mæotis palus à Scythis, qui accoluere, dicta Temerinda, id est, matris finis & Caucasus mons dictus ipsis à candore Graucasus*, *Prolegom. ad Histor. Gothor. Vandal. & Longobard.*

Creatores, in *l. ult. Cod. Theod. de Decur. & l.* 1. *de Curator. Kal.* dicuntur, qui ad publica munera alios nominant: in Glossis Græco-Latinis Χειροτονηταί. C. du Fresne *Glossar.* V. infrà, ubi de *Digitis & Manu.*

Crebrata Tela, apud Plinium *l.* 11. *c.* 48. ubi de aranearum telis, *Quàmnon ad hæc videtur pertinere crebrati pexi᾽æ telæ & quadam polituræ arte, per se tenax ratio tramæ*: est tela densè texta & multo subtemine farta, quæ res pexitatem floccorum facit. Ideò vestes, quæ ad hiemem & frigus parantur, denso subtemine texi jubet Hesiodus, quò molliores sint calidioresque: Στήμονι δ᾽ ἐν παύρῳ πολλὴν κρόκα μηρύσασθαι. In solo enim subtemine est mollities illa lanuginosa, quæ panno supereminet, & quam pectit ac polit spina fullonis. Quam in rem insignitè facit locus Platonis in *Politico*, Ὅσα δὲ γ᾽ αὖ τὴν χαύνην ἀλλ᾽ ἐμπλέκομεν [illegible] κρόκην [illegible] *Quæ spissæ fullonia tractui & polituræ accommodatam habent mollitiem, ea postquam neta sunt, subteminis nomine vocantur* &c. Sensus est, in subtemine neudo ita haberi rationem floccorum excitandorum, ut possint commodè pecti & poliri fullonis spinis. Cùm itaque subtemen sit mollius stamine, quò densius subtemen & crebrius, eo vestis mollior & pexior utque κρόκη, *floccus*, in subtemine, quod malacam vestem facit, ita & pexitas, quæ arte polituræ concinnatur, h. e. τῇ γναφικῇ. Porrò ab uno tantùm latere pexi illi flocci; unde *prosa*, *pexa tunica* in *Gloss.* cui opponitur *inversa* &c. V. Salmasium *ad Solinum pag.* 391. & plura de voce *Crebrescere*, apud Barthium *Animadvers. ad Statium Part. II. pag.* 885.

Credentia, Italis *Credenza*, & *Credentiara*, abacus est seu tabula vel mensa, in qua mensaria suppellex ad convivia reponitur, item in Communione Rom. mensula, quæ vasa Altaris continet. *Ceremoniale Rom. lib.* 1. *sect.* 3. *Credentiam appellant mensam, supra quam vasa argentea, sive aurea ad convivium opportuna præparantur: & similiter in divinis — Dicitur & Credentia à loco ipso prægustationis ciborum & aliarum rerum.* V. *Ceremoniale Episc. lib.* 1. *cap.* 12. *de Credentia Ecclesiæ*, ubi pluribus describitur. Sed & fidem datam interpositamque vox notat, Gall. *Creance*, Ital. *Credenza*, quibus etiam *Far la credenza*, est securitatis gratia cibos prægustare sicque fidem facere nihil illos nocituros, ut observat Scipio Ammiratus *in Sentent. Neapolis. Tom. I. pag.* 53. Porro idem

idem est, quod *Creditum*, Italis iterum *Credenza*, Gallis *Credit* & *Creance*, apud Matth. Parisium *A. C.* 1247. Quâ notione *Credentiam* vel *Creditionem* habere dicebantur domini, jure quodam peculiari, in rebus præsertim ad victum necessariis, quas emebant à subditis, quasve ab illis mutuò sumere iis fas erat, qua de re vide prolixè differentem Car. du Fresne *in Glossar.* Tandem Ita lis sic dicitur publicus civium Conventus, de publicis rebus, deliberandi causâ coactus. Quippe cùm in civitatibus Consules essent, qui curam Reip. gererent, litesque ac controversias civium dirimerent, si quando res majoris momenti agenda incumberet, ex singulis Artificum corporibus eligebantur, qui Consiliis istis publicis interessent, suasque in iis sententias rogati expromerent: quos inde *Credentiarios* appellabant, quòd in Secretorum Reip. partem adhiberentur, cùm eorum fide prudentiæque publica negotia à contribulibus *crederentur*. Unde Sigonius *de Regno Ital. lib.* 7. *A. C.* 995. *Credentiæ* nomine appellatos dixit, reliquos cives, *qui artes opificiaque tractabant*, V. Otton. Morenam *Histor. Rerum Laudensium pag.* 5. Felicem Osium *Not. ad eum*, aliosque laudatos Carolo du Fresne *in Glossario.*

Creditor, in debitorem quid juris habuerit, apud Romanos, indigitat ista Decemvirorum lex. ERIS. CONFESSI. DEBITI. Q. JURE. JUDICATIS. TRIGINTA. DIES. JUSTI. SUNTO. POST. DEINDE. MANUS. INJECTIO. ESTO. IN. JUS. DUCITO. NI. JUDICATUM. FACIT. AUT. QUIS. EUNDO. EM. JURE. VINDICET. SECUM. DUCITO. VINCITO. AUT. NERVO. AUT. COMPEDIBUS. QUINDECIM. PONDO. NE. MINORE. AUT. SI. VOLET. MAJORE. VINCITO. SI. VOLET. SUO. VIVITO. NI. SUO. VIVIT. QUI. EM. VINCTUM. HABEBIT. LIBRAS. FARRIS. IN. DIES. DATO. SI. VOLET. PLUS. DATO. Erat autem jus interea paciscendi; ac nisi pacti forent, habebantur in vinculis dies sexaginta, inter eos dies trinis nundinis continuis, ad Prætorem in Comitium producebantur, tertiis autem nundinis capite pœnas dabant, aut trans Tiberim peregrè venum ibant. Sed eam capitis pœnam, sanciendæ fidei gratiâ, horrificam atrocitatis ostentu, novisque terroribus metuendam reddiderunt. Pergit enim lex; TERTIIS. NUNDINIS. PARTIS. SECANTO. (si viz. plures Creditores essent) SI. PLUS. MINUS. VE. SECUERUNT. SE. FRAUDE. ESTO. Quò tamen vix unquam perventum: addici saltem & vinciri consuevisse legimus, dissectum quem antiquitus non legimus, Vide A. Gellium *lib.* 20. *cap.* 1. & *ad eum Notas* Oiselii JC. nec non infrà, ubi de *Debitoribus* ac *Nexis*. Quia verò *Creditores* jure illo trahendi & ad operas serviles adigendi debitores suos frequenter abutebantur, & in terga miserorum crudelissimè sæviebant, hine querela illa obæratorum, apud Livium *lib.* 2. *cap.* 23. *Se foris pro libertate & imperio dimicantes, domi à civibus captos & oppressos esse: tutioremque in bello, quàm in pace, inter hostes, quàm inter cives, libertatem plebis esse.* Quam invidiam suâ sponte gliscentem, insignis unius calamitas accendit, ut *ibidem* legere est &c.

Credulitas, inter opera Aristophontis clari Pictoris, memoratur Plinio *lib.* 35. *cap.* 11. *Aristophon Ancæo* (laudatur) *vulnerato ab apro cum socia doloris Astypale: numerosaque tabula, in qua Priamus, Helena*, Credulitas, *Ulysses, Deiphobus, Dolon.* V. Dalechampium *ad l.*

Cremandi Cadavera consuetudo, plures apud gentes olim recepta fuit; qui, quod in nobis divinum est, igneo velut hoc vehiculo cœlestibus inferri putabant sedibus, subsidente terrâ. Apud Romanos L. Syllam auctorem habuit, qui metuens, ne idem sibi accideret, quod hosti suo C. Mario ipse fecerat, cujus cadaver erutum in Anienem fluv. jusserat abjici, post mortem cremari voluit, Plut. *in eo cap.* 74. A' quo tempore mansit Romanis ritus, sequenti modo peractus. Postquam cadaver per integrum septiduum lotum, unctum & à proximis agnatis conclamatum fuit, tandem solenni pompâ (de qua, V. aliquid suprà, in voce *Cadaver*) ad pyram deferebatur, quæ, quandiu ardebat ignis, dicebatur *Rogus, quòd tunc temporis rogari solerent Manes*. Servius Æn. 5. postquam autem deflagravit, *Bustum quasi bene ustum.* Hic cremando digitus Incidebatur ab amicis, ut postea ei justa de novo fierent, quanquam, ne id semper liceret, XII. Tabb. legibus cautum fuerit, nisi quis in bello vel peregrè mortuus esset. Tum cadaver curatum ad Pyram efferebatur, quæ in modum aræ lignis constructa erat, cui laricem, piceam, taxum aliasque arbores intexebant, circa eam constitutis cupressis, ne odore offenderetur populi circumstantis corona. Jacebat cadaver supinum, oculis cælum versùs erectis, naulumque Charontis ore tenebat; quibus ritè peractis, qui defuncto necessitudine proximus erat, aversus rogo facem inferebat, quo ardente cadaver liquoribus quibusdam pretiosis perfundi & aurum multaque alia pretiosa, vestes, arma atque alia, quæ defuncto dum viveret chara erant, injici moris erat, quod ne fieret XII. Tabb. sanxere. Interea turba circumstans Præficæ, id est, planctuum principi, respondebat, sanguisque humanus, teste Servio, vel captivorum, vel gladiatorum, qui *Bustuarii* hinc dicti, effundebatur, velut in sacrificium Infernalibus Diis, quod *Inferias* vocabant. Horum copia si non erat, lamiantes genas suum fundebant cruorem, ut, sanguine ostenso, Inferis satisfieret, quemadmodum Varro loquitur, quod tamen lege XII. Tabb. iterum interdictum fuit: *Mulieres genas ne radunto.* Mox ubi ustulatum cadaver erat, cineres & ossa, lota prius lacte ac vino à proximis, urnâ colligebantur, Ovid. *Metam. lib.* 4.

—— —— *Una requiescit in urna.*

Quo facto à Sacerdote ter aquâ purâ aspersis lustratisque, Præfica novissimum verbum illud altâ voce pronunciabat, *Ilicet*, i. ire licet. Tum, qui comitati funus erant, domum abituri, extremum vale altâ voce pronuntiabant, hoc modo: *Vale, vale, vale, nos te ordine, quo Natura permiserit, sequemur.* Tandem cineres & ossa sepulchro inferebantur, ante quod ara constituta erat, quam *Acerram* Festus vocat; in hac odores adolebantur. V. Virgilium *lib.* 6. *ubi de funere Miseni sic canit:*

Nec minus interea Misenum in littore Teucri
Flebant & cineri ingrato suprema ferebant,
Principio pinguem tædis & robore secto
Ingentem struxere pyram, cui frondibus atris
Intexunt latera, & ferales ante cupressos
Constituunt, decorantq; super fulgentibus armis.
Pars calidos latices & ahena undantia flammis
Expediunt, corpusq; lavant frigentis, & ungunt.
Fit gemitus, tum membra toro defleta reponunt,
Purpureasq; super vestes velamina nota
Conjiciunt, pars ingenti subiere feretro,
Triste ministerium, & subjectam more parentum
Aversi tenuere facem, congesta cremantur
Thurea dona, dapes, fuso crateres olivo.
Postquam collapsi cineres & flamma quievit:
Reliquias vino & bibulam lavere favillam:
Ossaq; lecta cado texit Chorinæus aheno.
Idem ter socios purâ circumtulit undâ,
Spargens rore levi & ramo felicis olivæ:
Lustravitq; viros, dixitq; novissima verba.
At pius Æneas ingenti mole sepulchrum
Imponit suaq; arma viro, remumq; tubamq;
Monte sub aerio &c.

Fiebant hæc omnia nocturna tempore, ad funalium lucem, unde & *Funeri*, teste Servio Æneid. *lib.* 1. nomen, V. Joh. Rosinum *Antiqq. Rom. lib.* 5. Salmuth *in Pancirollum l. rer. deperditarum de exequiis*, Alex. *Genialium dier. lib.* 3. &c. Magi apud Persas, mortuos *cremare* ἀνόσιον *&, profanum quiddam*, habebant, Diogenes Laertius *lib.* 10. ob puritatem ignis, quem Dei instar coluerunt. Apud Græcos utroque modo curabantur defuncti, sed potior habebatur *Crematio*: unde infantibus, ἀώροις, iisque qui fulmine interempti, hic honor negatus. Prim' Hercules Argii, bello contra Laomedontem interemti, corpus ustulasse dicitur, ut, saltem ossa cineresque ad patrem ejus Licymnium mittendo, fidem utcunque exolveret de reducendo ei filio datam. Ritus talis erat: Pyrâ extructâ, cadavereque imposito, ignem accendebant: *Il.* ω.

Ε'ν δὲ πυρῇ ὑπάτῃ νεκρὸν θέσαν ἐν δ' ἔβαλον πῦρ.

Struebatur autem pyra vel ex quercu, ut apud Eurip. *in Herc. furente*, vel ex olea, apud Sophoclem *in Trachiniis*, vel ex pinu, ut apud Athenæum, quod inprimis, cùm virgo cremabatur, erat in usu: si naufragio periisset mortuus, ex tabulis rogus fiebat. Manilius *lib.* 4.

—— —— *Ut corpus sepeliret naufragus ignis,*
Et collecta rogum facerent fragmenta carinæ.

Circa eum lugentes ventos invocabant, ut largiter afflantes ignem ampliorem redderent, quemadmodum de Patrocli funere apud Hom. legimus: qui si fortè fortiùs flabat, optimi ominis erat loco. Interea Præco, ne ossa legerentur, observabat: quæ postquam cadaver crematum, unà cum cineribus, solicitè à propinquis asservabantur, in rogum, ne ulterius arderet, vino effuso. Tum ossa diligenter abluebant aquâ in χύτραις allatâ fœminæ ad id destinatæ, & postquam unguentis & lardo inunxere, linteo involuta in cista quadam, quam λάρνακα seu κιβωτὸν seu σορὸν appellarunt, recondebant. *Il.* ψ.

Ὣς δὲ καὶ ὀστέα νῶϊν ὁμὴ σορὸς ἀμφικαλύπτοι.
Ut autem & ossa nostra eadem cista tegat.

Urnam hanc Lycophron κρωσσὸν: Moschus *Idyllio* 4. Χρύσεον κρωσσὸν, Plut. *in Numa* λίθινον σορὸν vocat; plerumque tamen ex ligno, & quidem cedro constabat, quæ quoniam putredini minimè obnoxia, νεκρῶν ζωὴ, *mortuorum vita*, dici consuevit. Unde apud Eurip. *in Alceste versu* 365. optat Admetus, ἐν ταῖσιν αὐταῖς κέδροις, *in iisdem cedris, i. è cedro confectis loculis*, cum uxore sua quiescere. Quod de Monica quoque, Augustini matre, legimus. Hinc Ovidius *Metam. lib.* 4. *fab.* 2.

— *Quos certus amor, quos hora novissima junxit,*
Componi tumulo non invideatis eodem.

Urnæ ergo hæ in sepulchris reponebantur: apud Athenienses

plerumque unius solùm hominis, apud Megarenses verò, ut Pausanias auctor est, quatuor quoque virorum ossa continentes. Hæc λείψανα postea, seu *reliquiæ* dicebantur, quas religiosè asservari mos erat, ne, ut Schol. Euripidis *in Oreste* ait, hostibus in prædam cederent. Quòd si peregrè defuncti corpus crematum erat, ossa ejus cineresque magnâ cum pompa, in urnâ floribus exornatâ, referebantur in patriam. Unde *Ovidius iterum*,

Ossa tamen facito parva referantur in urna,
Sic ego non etiam mortuus exul ero.

In via, quoties ad trivium veniebatur, à propinquis *Compitalia* celebrabantur. θεῶν δημοσίων ἑορτὴ γινομένη ἐν ταῖς ὁδοῖς κατὰ τὰ προσκείμενα ἐπὶ στενοῖς, vet. *Gloss.* Tandem, post Manes ter vocatos, in tumulo toti familiæ communi urna reponebatur. Soli prodigi ἀτάφοι erant, Diog. Laertius, V. Franc. Rossæum *Archæologia Atticæ lib* 5. *cap.* 29. & hic passim.

Cremia, seu Fomites, Græcè φρύγανα seu φρυγάνια sunt, igni excipiendo. Hunc enim eliciebant Veteres, lignum ligno terentes & inter se vertentes: unde πυρεῖον dictum veteri *Glossarum* Auctori ignitabulum. Assulæ dein ambustæ, seu ligna arida adhibita, quibus ignis foveretur: quæ *cremia* dicta, unde *arbores cremiales*, è quibus ad ignem faciendum cremia desumuntur. V. infrà in voce *Ignitabulum* & plura hanc in rem, apud Salmasium *ad Solinum pag.* 180.

Creni, apud Silium Italicum, ubi de Marsya,

——— *Phrygios fugeret cùm Marsya Crenos.*

Græcè οἱ Κρῆνοι, regio illa, in qua habitavit Marsyas; sic dicta a duobus fontibus Mæandri & Marsyæ amnis, qui ibi ex eodem loco oriebantur. Nisi potius legendum *Crenæ.* Certè & Αὐλοκρήνη convallis & regio inde nomen invenerit. Salmasius *ad Solinum pag.* 855.

Crenkinarii, apud Chapeavillum *in Ernesto Episc. Leod. cap.* 14. dicuntur *Justitiæ Ministri*, apud Leodienses: *Crenquiniers*, in *Stylo* Leod. *cap.* 12, *artic.* 5. sic nuncupati ab arcubalista, quam deferebant, quamque *Kraeneke* Kilianus vocat. Apud Froissardum certè, Monstrelletum & Commineum passim, *Cranequiniers* sunt milites arcubalistâ instructi, ut plurimùm Equites: de cujus vocis origine agit Fauchetus *de Milit. Francica*, quem du Fresne *Glossar.* laudat.

Crenophylax, Græcè Κρηνοφύλαξ, nomen leonis ex ære, Athenis juxta fontem olim collocati, unde & nomen; dictus enim quasi *Fontis custos*, apud Poll. Similis figura è marmore, in via, quæ Athenis Eleusinem ducit, hodieque visitur, cum rictu aperto, quo aquam evomuisse olim videtur. V. Jac. Sponium *Itiner. Part.* 2. *pag.* 190. Certè *leone picto* repræsentatum apud Ægyptios, Nili ascensum & λεοντοπρόσωπους canales fontium sacrorum fabricari consuevisse, habes apud Salmasium *Exercitat. Plin. ad Solinum pag.* 431.

Crepidæ, pallio peculiares fuere, sicut togæ calcei. Livius de Scipione in Sicilia otiante *lib.* 29. *Ipsius etiam Imperatoris non Romanus modò, sed ne militaris quidem cultus jactabatur: cum pallio crepidisque inambulare in Gymnasio.* Quod imitatus in Ægypto Germanicus est, *qui*, ut Tacitus loquitur, *pedibus intectis incessit, & pari cum Græcis amictu.* Dio quoque Cassius *lib.* 16. Claudium tradit Neapoli tanquam privatum egisse, atque in ludis Musicis ἱμάτιον καὶ κρηπῖδας, *pallium & crepidas*, gestasse. Idem calceamenti genus *Baxea* fuit, de qua V. suprà. E corio crudo bubulo primitus fiebant, adeoque *Carbatinæ* dictæ sunt: Καρβατίνη μὲν ἀγροικῶν ὑπόδημα, ἀπὸ τῶν Καρῶν, *Carbatina quidem rusticorum calceamentum, à Caribus nomen trahens.* Jul. Pollux *l.* 7. *cap.* 22. Unde Catullus *Epigram.* 97.

Ista tamen lingua si usus veniat tibi, possis
Culos, & crepidas lingere carbatinas.

Dein ex aluta coccina, ex pelle hædina, ex ferro, ex ære fiebant. Unde de Empedocle Tertullianus *de Pall. æneam crepidam incessit.* Etiam purpurâ & auro distingui cœperunt, unde idem auctor, *si Philosophus* (loquitur de Aristippo) *in purpura, cur non & in baxea Tyria? Nisi aurum minimè Græcatus decet. Atquin alius sericatus & crepidam auratam incessit.* V. Thom. Dempsterum *Paralipomenis in Joh. Rosini Antiqq. Rom. lib.* 5. *cap.* 36. Octav. Ferrarium *de re Vestiar. Part.* 2. *lib.* 4. *cap.* 10. &c. de *Cothurnis* item *Crepidisque varii coloris*, Cæsarem Bulengerum *Collectan. de Imperatore lib.* 2. *cap.* 8.

Crepido, apud Statium *Thebaid. lib.* 2. *versu* 504.

——— *contrà importuna crepido*
Oedipodionidæ domus altis.

saxum eminens, Lutatio est. Sed & firmitatem saxi vox denotat. Idem *Equo Max.*

——— *teneat quamvis æterna crepido,*
Quæ superimpositi portaret culmina montis,
Celiferique attrita genu durasset Atlantis.

Et Virgilius *lib.* 12.

Fortè ratis celsi conjuncta crepidine saxi
Expositis stabat scalis ———

Ubi Servius, *Crepido est abrupti saxi altitudo. Crepidines etiam templorum dici ipsos suggestus, in quibus ædes sunt collocatæ, & crepidines viarum, id est, ipsæ eminentiæ dextra sinistraque.* Hinc pulchrè *littorum crepidines* dixit Prudentius loca, quæ unda tundentes non tamen imminuunt, *Cathemer.* 9.

Fluminum lapsus & undæ, littorum crepidines,
Imber, æstus, nix, pruina, sylva & aura, nox, dies,
Omnibus te concelebrent seculorum seculis.

Rupem in mari, Valerius Flaccus *lib.* 4.

Fluctus ab undisoni cœu fortè crepidine saxi,
Cùm rapit Alcyonis miseros fætusque, domumque,
It super ægra parens ———

V. Casp. Barthium *Animadversion. ad Statium Part. II. pag.* [illegible]
De *Crepidine* verò *Circi*, h. e. margine vel pulvino vel septo, è ligno facto, non tantùm longo, sed etiam lato, infrà in voce *Euripus*, item *Spina.* Sed & κρηπῖδας subselliorum, in eodem, à Tarquinio factas, videbimus in voce *Fori.*

Crepitacillum, quo infantum ploratus coërcetur, memoratur Martiali *lib.* 14. *Epigr.* 54.

Si quis plorator collo tibi vernula pendet,
Hæc quatiat tenerâ garrula sistra manu.

Sunt illa è ligno, & *crecerella* hodieque Gallis vocantur, è Latino factâ dictione Quemadmodum iidem eodem nomine tinnunculum avem insigniunt, à voce, quam edit inter volandum, quasi *crepitacillum.* Salmasius *ad Solinum pag.* 340. Aliàs *Crepitaculum*, in Glossis κρόταλον, h. e. *scabellum*, quo saltantes olim Pantomimi, ad crepitum faciendum usi, V. infrà in voce *Crupezium*, item *Scabellum.* Præter quæ, testarum etiam crepitus iis adhiberi consuevit. Vetus Juvenalis Interpres *ad illud*,

——— ——— *Audiat ille*
Testarum crepitus:

Testis enim, inquit, *antea percutiebant saltantibus Pantomimis, quia tunc non erat, ut Mesochori percuterent manibus.* Quomodo autem hi manibus percuterent, dicetur infrà. Sed & *Crepitus æris* in bello adhibitus, ad terrorem hostibus incutiendum. Hinc in oppugnatione Capuæ apud Livium *lib.* 26. *cap.* 5. *Prælium non solito more & clamore cœptum est, sed ad alium virorum, equorum, armorumque sonum, disposita in muris Campanorum multitudo tantum cum æris crepitu, qualis in defectu Lunæ, silenti nocte, cieri solet, edidit clamorem, ut averteret etiam pugnantium animos.* V. quoque suprà in voce *Æs.* De *Crepitibus* obscœnis, inter Numina relatis, apud Ægyptios olim, diximus ni fallor aliquid suprà, in voce, *Allium.*

Crepundia, dicta sunt quibus infantes expositi vel adulti ludebant. Iis enim, qui exponebantur, *Crepundia*, quibus agnoscerentur grandævi, addi solebant, seu γνωρίσματα, raró nudis relictis. *Monumenta* Terentio *Eunucho Act.* 4. *Sc.* 6. In quæ verba Donatus: *Monumenta*, inquit, *quæ Græci dicunt γνωρίσματα seu σπάργανα.* Addita fuisse, ut grandiores facti infantes noscitarentur, ex Plauto colligitur *Cistellariâ Act.* 3. *sc.* 1.

Nam hic Crepundia *insunt, quibuscum te illa olim ad me detulit,*
Quæ mihi dedit, parentes te ut cognoscant facilius.

Et huc trahit Bartholinus Ciceronem *in Bruto, Quoniam totum me non nævo aliquo aut* Crepundiis, *sed toto corpore videris velle cognoscere.* Erant autem illa vel annuli, in signum libertatis, & ne ab hæreditate viderentur exclusi, vel monilia matrum, quarum hic ornatus & brachialia, promiscui tunc usus; nonnunquam fasciis ipsis seu tæniis, quibus utriusque parentis insculptum nomen, involuti, & fibulæ conjunctæ. De Annulis Terentius *Heautont. Actu* 4. *sc.* 1.

——— *Hic profectò est annulus, quem ego suspicor,*
Is, qui cum est exposita gnata ———

De fascia seu tænia, Heliod. *Æthiop. lib.* 4. ὥρα ἄρα σοι τὴν ταινίαν ἐπιδεικνύναι μοι τὴν ἐκτεθεῖσαν σὺν τῇ παιδὶ συντεθεῖσαν, ἣν ἀνελέσθαι μετὰ τῶν ἄλλων γνωρισμάτων, ἔλεγες. *Quamobrem tempus est omnino, ut mihi fasciam ostendas, quam cum filia expositam te cum cæteris indiciis recepisse dicebat*, V. Thom. Bartholinum, *de Puerp. Vet.*

Crepusculum, à *crepus*, & hoc à Græco κνέφας, *caligo*, indigitatur Papinio Statio *Thebaid. lib.* 10. *versu* 110. ubi de Somni aula,

——— ——— *tenuis qui circuit aulam*
Invalidusque nitor:

Ubi reponit Barthius,

Nox humilisque nitor ———

Ut dicat mixtam noctem & lucem, quò fiat *Crepusculum.* Ovidius,

——— *nebulæ caligine mistæ*
Exhalantur humo, dubiæque crepuscula lucis.

Duplex autem illud, uti videbimus infrà, ubi de *Die.*

Cresconius, Episc. Afer, adde: Duplex ejus in jure Canonico opus fertur docente Gerh. von Mastricht JC. seu potiùs unius operis duæ partes, quarum altera *Breviarium Canonum* altera *Concordia Canonum* vel *Liber Canonum* nominatur. E quibus tamen prius opus non tam ipsius Cresconii, quàm ex ipsius opere prolixo nimis excerptum ab aliquo videtur: cujus cùm variæ sint editiones, commendatur inprimis ea, quæ est in *Bibliotheca Juris Canon. vet.* quamque Petrus Fr. Chiffletius Jesuita Divione cum suis *Notis* emisit, A. 1649. Posterius verò, in quo Canones

Canones ipsi integri recensentur, in publicam hicem Editores Bibliothecæ modò dictæ in *appendice Tom. I.* ex MS. antiquo Bibliothecæ Collegii Claromontani, beneficio Caroli Labbæi, primùm protulerunt & contulerunt cum MS. Bibliothecæ Thuanæ, circa A. C. 1661. Nec omittendum, *Cresconium* hunc primum Romanorum Pontificum Epistolas inter Canones retulisset & eas eo canonizasse seu canonicam iis auctoritatem addidisse, quæ antea non majoris fuerant valoris, quàm aliorum Episcoporum Responsa, V. infrà in voce *Decretales* & plura hanc in rem, apud Gerh. von Mastricht *Histor. Juris Eccles. num.* 181. *& seqq.*

Creta, Herodoto *lib.* 2. ubi de more Ægyptiorum Sacerdotum, quem in probando bove sacrificiis apto solebant usurpare, γῆ σημαντρὶς dicta est, quòd eâ literas signari antiquissimis temporibus in usu fuit. Servius *ad illud Æneid.* 4. *Longæva Sacerdos*, ait: *Sibyllam Apollo pio amore dilexit, & ei obtulit poscendi quod vellet arbitrium. Illa hausit arenam manibus & tam longam poposcit vitam. Cui Apollo, id posse fieri, si Erythræam ins. relinqueret & eam nunquam videret. Profecta igitur Cumas tenuit: & illic defecta corporis viribus, vitam in sola voce retinuit. Quod cùm cives ejus cognovissent, ei Epistolam miserunt, cretâ antiquo more signatam: qua visâ, quia erat de ejus insula, in mortem soluta est.* Ejusdem meminit Cicero 4. *Verr. Cùm Valentio ejus interpreti Epistola Agrigento allata esset, casu signum illud animadvertit in cretula*; Item *pro Flacco*, ubi Asiaticos præsertim hoc modo literas signasse docet, *Hæc quæ a nobis prolata laudatio, obsignata erat cretâ illâ Asiatica, quæ fere est omnibus nobis nota, qua utuntur omnes non modò in publicis, sed etiam in privatis literis.* Nec id mirum, cùm creta quædam sit pinguis, lenta, glutinosa: non illa modò, quæ ex Creta advehitur, indeque nomen obtinet: sed & quæ locis vicinis, ut ex Cimolo maris Cretici ins. quæ ipsâ magis glutinat terrâ Samiâ; de ejus enim pinguedine ac lentore, etiam Dioscorides & Galenus testes sunt. Et sanè quia *creta* quædam sit pinguis, eò Britanni etiam tali agros suos uberes reddunt ac pingues. Interim mos annulo in cera cretave signum imprimendi, tardè obtinuit apud pleraque Orientis ipsius gentes, de quo alibi. V. Gerh. Joh. Vossium *de orig. & progr. Idolol. lib.* 4. *cap.* 91. & Johannem Kirchmannum Lubec. *de Annulis cap.* 7. Sed & *Creta*, in omni Togarum lotione à Romanis adhibebatur, nec ars Fullonia sine illa fuit. Titinnius apud Nonium,

Terra hæc est, non aqua,
Ubi tu solitus argutarier pedibus,
Cretam dum compescis, vestimentaq; lavas.

At Toga peritorum jam lota, *creta* inducebatur, ut candesceret magis ac poliretur. Certè Plinius *lib* 35. *cap.* 17. Cimoliam cretam abluendis vestibus in usu esse scribit: Umbricam autem, quæ & *Saxum* vocabatur, non nisi poliendis vestibus assumi solitam. Imò postquam Umbricâ expolitæ erant, prælo subjectæ fuere, ut meliùs candescerent: unde facilè intelligitur, quid sibi velut illud Persii,

—— —— Quem ducis hiantem
Cretata ambitio.

Ut & illud Plauti *in Aulularia*,

Qui vestitu & cretâ se occultant, & sedent quasi sint frugi.

Ubi Lipsius homines designari vult tenuiores, quibus cùm togæ mutandæ copia non esset, tamen ut apparerent nitidi, sub dies ludorum togulam suam incretabant, vel servos, qui, ut liberos mentirentur, fortasse *cretam* addebant in vestem, ut in cavea fallerent. Sed hæc vestis *alba* dici, *candida* dici non potuit. V. Octavium Ferrarium *de re Vestiar. lib* 1. *cap.* 21. Cicero *Asiaticæ* cretæ mentionem facit, *Orat. pro Flacco*, intelligitque illam, qua Publicani merces, post vectigal solutum, signare consuevere. Nec ad hæc solùm *Creta* utuntur sed & Cimoliâ, Chiâ vel Samiâ fœminæ ad cutem emendandam usæ leguntur. Unde idem *lib.* 6. *epigr.* 91. *de Thaide*,

Psilothro viret, aut acidâ latet abdita cretâ?

id est, *aceto macerata*. Porro *creta*, eaque vilissimâ, *pedes venalium trans mare advectorum denotare instituerunt majores. Talemque Publium mimicæ scenæ conditorem & Astrologiæ consobrinum ejus Manlium Antiochum, item Grammaticæ Taberium Erotem, eadem nave advectos videre proavi*, Plinius *lib.* 35. *cap.* 18. V. infrà, ubi de *Servis ac Venalitiis*. Eâdem *Circum producere, ad victoriæ notam*, moris fuit, quæ Græcis λευκὴ dicta est. Hic finis curriculorum, ad quam terminabatur septimum ac novissimum spatium, atque ubi victrices quadrigæ, quæ metam septimo circumagere anticipassent, præmium accipiebant. Unde *locum palmæ* Solinus appellat. Erat is non longè à carceribus; Hinc βαλβῖδα Græci vocant tam finem, quàm initium cursus, quia ad carceres, unde exierant, revertebantur & cursum ibidem terminabant coronandi; Uti pluribus probat Salmasius *ad Solinum pag.* 914. *& seqq.* V. quoque suprà in voce *Calx*. Sed & meminit Martialis *cretatæ mappæ*, id est, candidæ *lib.* 12. *epigr.* 29.

Cretatam Prætor cùm vellet mittere mappam,
Prætori mappam surripit Hermogenes.

Quia signum Circensium committendorum solebat mitti, moris auctore Nerone, qui, populo missus flagitante, mappam per fenestram jussit abjici, Cassiodorus *lib.* 3. *Var.*

Crete, Hesperidis filia vel Hesperis, Ins. Cretæ nomen dedisse, memoratur Solino *c.* 11. *Dosiades eam à Crete nympha Hesperidos filia, Anaximander à Crete rege Curetum dictam — prodiderunt.* Scripserat autem Dosiades [illegible] Salmasius *Exercit. Plin. ad Solinum pag.* 169.

Creterra, V. suprà *Craterra*.

Cretica Cupressus, apud Plinium *lib.* 24. *cap.* 11. nonnullis dicta est, quæ aliàs *Herba Sabina*, eadem cum Brathy arbore Claudii Cæsaris, quam Arabes in Elymæos petiisse, ad suffitus faciendos, idem alibi docet. Cùm enim duo essent herbæ hujus genera, altera Tamarici folium habebat, altera cupressi, quæ ex Elymæis proveniebat. Hodieque in multis hortis conspicitur instar pumilæ cupressi & in latitudinem potiùs fusæ, quàm in altitudinem elatæ. V. Salmasium *ad Solinum pag.* 768. & infrà in voce *Sabina*.

Creticus Sinus, apud Solinum *pag.* 17. *Omnis Africa à Zeugitano pede incipit — extenta in duas prominentias, quarum altera promuntorium candidum dicitur: alteram, quæ est in Cyrenaica regione, Phycuntem vocant. Ea per Sinum Creticum* opposita *Cretæ insulæ, contra Tænaron Laconicæ excurrit.* A' Creta Insula nomen habet, & describitur Plinio *lib.* 3. *cap.* 88. & *lib.* 4 *cap.* 12. Hodie Gallis *Mer de Candie*. V. *Mare Creticum*, & *ad l.* Solini citatum, Salmasium *Exercit. Plin. pag.* 318.

Criaria, in *Charta* Philippi Aug. [illegible] in *Regesto* Herouvalliano apud Car. du Fresne *Glossar.* officium est eorum, qui hodie Lutetiæ Parisiorum *les Crieurs de corps & de vin* dicuntur Lat. *Clamatores, Præcones* &c.

Cribrum, an à *creber*, quòd πολύτρητον, i. *crebris pertusum foraminibus*, frumentis purgandis excogitatum est. *Illorum genera Galli è setis equorum invenere. Hispani è lino excussoria & pollinaria. Ægyptus è papyro & junco*, Plinius, *lib.* 18. *cap.* 11. Et quidem *cribri pollinarii* occasione lepidè jocatur Plautus *in Pseudolo* in hominem minutis spissisque gradibus incedentem,

Nam iste quidem gradus succretus est cribro pollinario,
Nisi cum pedicis condidicisti istoc grassari gradus.

Quod de Persicis equis Vegetius ait, *Persici — solius ambulaturæ quadam gratiâ discernuntur a cæteris, gradus est minutus & creber* &c. Cujusmodi equos gressibus minutissimè cribratis incedentes, *Tritenarios* dixere olim, quòd in ambulando gressus intricarent & crura volubiliter implicarent explicarentq; *Traquenarios* inde Galli hodie appellant, V. infrà. In divinationibus Veterum *Cribri* quoque usus fuit, quæ species Κοσκινομαντεία dicta: Suspendebant nempe *cribrum* filo, vel forficis cuspide, illudque celeri motu circumagentes nomen simul edebant ejus, qui furto aliquid abstulerat, aut aliud quiddam commiserat, ut videre est apud Theocritum *Idyllio.* [illegible]

Cricilasia, Græcè Κρικηλασία, quasi *Circuli impulsus*, exercitationis olim delectabilis genus, memoratur Oribasio *Collectan. lib.* 6. *cap.* 26. ubi ista leguntur: [illegible Greek passage] *Habeat verò circulus diametrum hominis longitudine minorem, ita ut ipsius altitudo usque ad mammas pertingat, neque secundùm longitudinem sed in transversum impellatur, sit autem impulsor ferreus, ligneam ansam habens. Nonnulli tenues annulos rotæ circumpositos supervacaneos esse putarunt, at hoc minimè ita se habet. Quin etiam sonus ab ipsis genitus relaxationem atque voluptatem animo parit.* Ex quibus patet, in hac exercitatione homines circulum quendam magnum, cujus circumferentiæ annuli parvi infixi erant, quadam virgâ ferreâ ansam habente in transversum latus impellere consuevisse; à quo ductâ metaphorâ M. Cicero *Epist. ad Attic. lib.* 2 *Epist.* 9. *Festivè*, inquit, *mihi crede, & minore sonitu, quàm putaram, orbis hic in Rep. conversus est.* Sed cùm hac ætate in usu non sit, possumus sanè aliquid divinare, at ejus figuram & conditiones penitus cognoscere minimè licet. Quod enim trochus fuerit, de quo Horatius *lib.* 3. *od.* 24. *Seu Græco jubeas trocho*; si ti quidem potest, at hic ipse nobis æquè ignotus est. Et quidem trocho hoc lusus genus non dissimile fuisse, patet ex Martiali *lib.* 11. *Epigramm.* 22. & *lib.* 14 *Epigramm.* 168. ubi in trocho videmus fuisse circulum, & in circulo annulum, qui sono spectatoribus voluptatem afferebat; adfuisse etiam impulsorem cum ansâ, Propertio *lib.* 3. *El.* 12. *clavis* dicta: quæ omnia in sua *Cricilasia* apud Oribasium præfatum Antyllus depinxit. Interim circulo tenus annulos, non annulum, circumpositos hic dicit, præterea *Cricilasiam* is virorum efficit, cùm Martialis puerilem quendam ludum trochum fuisse significet, V. infrà *Trochus*. At hoc certum, inter magnas exercitationes fuisse, de cujus facultatibus porro sic Antyllus *l. c. Cricilasiam, ait, intentia corpora mollire & quæ loco stabiliri non possunt, ob vergiationibus suam etiam*

figurarum corporis varietate sic parare, ut facilè flectantur & stabiliantur; nervosque imbecillos firmare & laxare, calorem excitare & intelligentiam, quæ de via deflexit & atra bile agitatur, ad statum suum revocare, apud Hieron. Mercurialem *de Arte Gymnast. lib.* 3. *cap.* 8. & *lib.* 6. *cap.* 7.

Criechingensis stirps, Gall. *Crehanges*, in Austrasia ab aliquot seculis jam floruit, in qua duæ nunc lineæ sunt, quarum unius Christophorus, alterius Albertus Ludovicus, auctores extitere. Et quidem Albertus hic Ludovicus Baro *de Criechingen*, filius Petri Ernesti & Annæ Sibyllæ Nassoviæ, ex Agatha Rhingravia genuit Casimirum Ottonem, Georgium Ottonem (extinctum A. C. 1665.) Johannem Ludovicum, Ernestum Casimirum (maritum Annæ Elisabethæ Rhingraviæ, defunctum itidem A. C. 1665.) & Annam Dorotheam (uxorem Edsardi Ferdinandi Frisiæ Orientalis Comitis) Christophorus verò, filius Wirichii Baronis *de Criechingen* & Antoniæ Com. Sylvarum ac Rheni, ex Anna *Beyeria de Boppart*, pater fuit Lotharii Baronis *de Criechingen*, quo & Annâ Magdalenâ Hanoicâ natus superest Franciscus Ernestus Com. Criechingæ, cui uxor obtigit Maria Elisabetha Montfortia, filia Hugonis Comitis. Ex eodem ramo quoque adhuc vivit Johannes Franciscus Canonicus. V. Phil. Jacobum Spenerum *Theatr. Nobil. Europ. tom. I. p.* 52. *& tom. III. pag* 14. *ac utrobique in Indic.*

Crientio, adde; *Crientius* quoque dicitur. Alluit monasterium S. Vedasti, quod civitati Atrebatis ita demum accessit, ut muris tamen & portis ab ea divideretur, & alterius urbis instar efficeret: quæ *la Ville*, sicut civitas ipsa, *la Cité* dicitur Hadr. Valesius *Not. Gall.* in voce *Nobiliacum Victoriam.*

Crimæa, adde: Conditor *Crimensis* seu Precopensis Imperii fuit Azi Kirai, qui Schicachmetho Zare, filio Tucktamischi Imp. Tartariæ desertæ (à Tamerlane eversi) pulso ex Taurica seu Crimeâ, se contra eum Regem Tartarorum appellavit. A' quo tempore Crimenses perpetuis excursionibus Lithuaniam, Poloniam Russiamque infestarunt: tributarii à Selymo facti circa A.C. 1584. & obnoxii redditi Imperio Turcico, quod in hanc diem agnoscunt V. Georg. Hornium, *Orb. Imp. pag.* 435. & Johann. Baptistam Tavernier *in descr. Serralii.*

Crines resecti, V. infrà *Decalvatio*, item *Crinis.*

Crinile, sertum est, apud Alb. Argentinensem in *Chron. pag.* 114 *Prandentibus autem illis cum Rege ejusque filiis, Rex cuilibet filiorum & Johanni Duci unum* crinile *rosarum posuit super caput.* In *Consuetud.* terræ Cracoviensis occurrit *Crinile nuptarum Virginum*, pro quo eis reformationem dotis non habentibus solvi ibidem dicuntur marcæ 30 (marito mortuo) aut possessio, ubi 3. marcarum sit proventus: cùm indotatæ mulieri 30. marcæ solvantur, apud du Fresne *Gloss.*

Crinis, *λοκ τὰ κόμου*, non ὁ θρὶξ simpliciter Latinis est aut pilus unus, sed coma plexa & in plures σειρὰς, *funiculos*, Gall. *tresses* divisa, hic διαπεπλεγμένη κόμη vett. Grammaticis: Unde *Crines* in fluminibus, diverticula fluminum & rami, quibus ab uno alveo sese divident & pluribus brachiis in mare evolvuntur. Sic *senis crinibus ornatas* olim matronas, legimus apud Festum, quod significat, senis comarum ordinibus in funem vel sertam nexis; qui vetustissimus ornatus fuit, Abbreviator Festi Paulus, *Crines à discretione dicti, quam Græcè διάκρισιν appellant.* Sed διάκρισιν, propriè aliud quid erat, genus viz. ornatus, quo capillus, in duas partes æqualiter discriminatus, duas sertas faciebat, uti dicemus infra in voce *Discrimen*, V. Salmasium *ad Solinum pag.* 479. & 759. ac seqq. Πλόκαμος etiam crinis Græcis dictus est, & πλοχμὸς, quamvis vox πλόκαμος paulo latiùs fuerit extensa, ut alibi dicetur. Manipulum *crinium*, seu de capillo aliquid, Virgines jam desponsatas moxque maritandas, Minervæ posuisse olim in Græcia, discimus ex Papinio Statio *Thebald. lib.* 2. *versu* 253. ubi de Argivorum Virginibus,

—— —— hic more parentum
Jasides, thalamis ubi casta adolesceret ætas,
Virgineas libare comas, primosq́; solebant
Excusare thoros ——

Ubi Scholia antiqua. *Morem fuisse* monent, *ut jam vittas sumturæ & matrimonium subituræ virgines Argivorum accederent templum Palladis, ibique manipulum crinium deponerent, virginitatis ponendæ indicium, quodque jam coronis opus non haberent.* Quod idem de puellis Atticis, ad Iphinoës Heroidis tumulum, quæ virgo obierat, refert Pausanias *lib.* 1. Non aliter atque Deliades puellæ solitæ fuerunt Hecaërgæ facere in Delo. Sed & pari ratione Virgines Vestales jam futuræ tondebantur, capillusque earum loto arbori, *capillata* hinc dictæ, offerebatur, apud Romanos, Plin. *lib.* 16. *cap.* 44. Eundem morem indicat etiam Maro, ubi de Lavinia & Baccho, *Æneid. lib.* 7. *v.* 390.

—— —— etenim molles tibi sumere thyrsos,
Te lustrare choros, sacrum tibi pascere crinem.

Et Hippolyto ante nuptias *crinem* Virgines Troezenas succisum consecrasse, auctor est Pausanias *lib.* 2. Hinc est, quòd cum hospite aufugiens Medea matri signum aut monumentum Virginitatis reliquit, *longum capillum evulsum*, *Argon. lib.* 4.

—— —— χερσὶ δὲ μακρὸν
Ῥηξαμένη πλόκαμον θαλάμῳ μνημήϊα μητρὶ
Κάλλιπε παρθενίης.

E' quo loco discimus, superstitionem in ea re fuisse. Nam addit clarè mox, *pro se* relinquere capillum matri,

Τὸν δέ τοι ἀντ' ἐμέθεν ταναὸν πλόκαμον λίπον
Μῆτερ ἐμή &c.

De more verò puerorum exolescentum dedicandi primam Diis locisque sacris comam aut barbam, ut & de *Crine* aliàs *voti* vidimus suprà, ubi de *Capillis*, ut & in *Coma Earini.* Etiam memoriæ causâ morituri *Crinem* clarissimis servandum commisere. Idem Papinius Statius *Thebaid. lib.* 9. *vers.* 900. ubi de Bryante, procul à patria morituro,

Hunc tamen, orba parens, crinem (dextraq́; secandum
Præbuit) hunc toto capiens pro pectore crinem.

Porro *inculti* manebant *crines*, in luctu, quibus profusis etiam Templorum limina verrere olim consuevere mulieres. Id ex *Thebaid. lib.* 4. *versu* 203. de Argia,

—— nec misera placuant insignia formæ
Te sine. fas dubium cæsus solante timorem
Fallere, & incultos aris advertere crines.

Quod etiam supplicantes fecisse legimus, V. Lipsium *Electorum lib.* 2. *cap.* 5. Imò & evulsos aut decisos *Crines* projiciebant in luctu, ut maximè miserabiles viderentur: in illis enim præcipua pars formæ. Quam in rem, præter alios, V. Eustathium *lib.* 10. ubi habes insignem locum, lugentium Parentum liberorum jacturam, picto lenocinio verborum, totum luctum repræsentantem. Vel ad tumulos charorum ponebant, de quo more multa Joann. Bernartius *ad Thebaidos librum* 6. Namque non decoris solùm magna pars, sed & nobilitatis olim indicia in *crinibus* gestata, ut vidimus suprà in voce *Cicada*. V. hanc in rem plura, apud Caspar. Barthium *Animadversion. ad Statium passim*, inprimis *ad loca cit.* Lipsium *Elect. lib* 2. *cap.* 6. Heinsium *ad Silium Ital. lib.* 8. Claud. Dausquecium, Des. Heraldum *ad Arnobium lib.* 1. Brissonium *de Formulis lib.* 2. eundem Barthium *ad Claudianum de Laud. Serena*, & *Adversarior lib.* 43. Martin. Roam *Libris Singular.* J. Gebhardum *ad Tibullum*. Alios: nec non hic passim.

Crinis, in gemma, ut *Veneris crine*, comam simpliciter significat. τὸ τρίχωμα. Ut in illo Ovidii,

Et sine fronde frutex, & sine crine caput.

Et apud Tacitum, *Mos est gentis* crinem *obliquare & nodo substringere.* Adeoque non de *crine* tantùm muliebri, discriminato & plexo, quem Græci πλόκαμον vocant, vox sumitur. Sed & præter Veneris crinem multas alias gemmas, quæ *crinium* effigiem repræsentent, legere est. De Achate Salmasii, rufforum crinium globum graphicè repræsentante, diximus suprà. Meminit Plinius *corsoidis*, quæ capillum humanum; *poliæ* gemmæ, quæ canitiem, referat: ut alias omittam. V. Salmasium *ad Solinum pag.* 765 De *fluminum Crinibus*, aliquid suprà. Occurrunt verò & *Ignium Crines.* Unde *Crinita incendia* apud Marium Victorem *lib.* 2.

Scintillamque licet, sicco quæ fomite nata
Exilis in flammam, & crinita incendia latè
Extendens, tota jam sylva ardebat adepta.

Et *Crinita missilia*, apud Statium *Thebaid. lib.* 5. *v.* 387.

—— —— vastaq́; sudes fractiq́; molares,
Spiculaq́; & multa crinitum missile flammâ.

Ubi ea exponuntur *stuppæ conuclata tela*, Lutatio, nec malè. Non enim in meditatum aliquod bellum fœminæ ipsæ procedebant, ut *ustas sudes* jaculaque hujusmodi, quod voluit Lipsius, præparare potuerint, sed in tumultu obvia quæq; rapiebant. Barthius *ad l.* &c. Imò & veros *Crines* in bello usui fuisse, discimus ex Cæsare *Bello civ. lib.* 3. de iis, qui obsessi erant Salonis: *Præfectis omnibus mulierum* crinibus *tormenta effecerunt*, V. quoque Aristidem in *Rhodiaca*, Dionem *in Severo*, ubi in obsessa Byzantio rudentes, & Capitolinum in *Maximino Jun.* ubi in obsidione Aquilejæ, nervos sagittarum, *de crinibus mulierum* factos esse, memorat &c.

Criniti, adde: Item præcipui ex nobilitate: cujusmodi in Regibus gentis hujus priscis *crinium flagella* intueri licet in Portali Ecclesiæ S. Germani Prat. Lutetiæ, V. *Annulum* Childerici apud Chiffletium. Cæteri è plebe tonsi erant, ut auctor est Agathias *l.* 1. V. Savaronem & Sirmondum *ad Sidon. l.* 1. *Ep.* 2. Bignonium ad *L. Sal. tit.* 26. Hotomann. & Matharellum in *Franc. Gallia c.* 7. Nempe viguit is mos sub Merovingis Regibus, seu prima Regum Francorum stirpe: Sub altera verò Reges, non promissos ac in flagella digestos, sed decurtatos *crines*, atque adeò cæterrè plebe, gessere: quod potissimùm colligi datur ex Caroli *M.* & Ludovici Pii sigillis & Lotharii Carolique Calvi imaginibus, quas delineari curavit Baluzius *Not. ad Capitular. Regg. Franc.* Sed & de Theodorico Gothorum R. Sidonius ait *lib.* 1. *Epist.* 2. *aurium legulas (sicut mos gentis est) crinium superjacentium flagellis operiri*, &c. Car. du Fresne *Glossar.*

Crinonia, pilei genus, quo, sicut & tetraphyllo, Imp. Constantinopolitani in solennitatibus usi sunt; à specie lilii nomen adeptum est, ut existimat Gretserus *ad Codinum de Offic. Constantinopol. Comm. lib.* 3. *cap.* 1. §. 8.

Criobolium,

Criobolium & *Taurobolium*, passim in vetustis monumentis juncta occurrunt: quorum illud Matri Deum fiebat, illud Atti, quem eundem cum Sole esse credebant. Ritus utriusq; sacri & finis eruditè exponitur Salmasio *Not. ad Lampridium in Heliogabalo*, V. quoq; infrà in voce *Taurobolium*. Utriusq; meminit inprimis *Inscr.* ista, apud eundem:

M. D. M. I.
ET ATTIDI SANCTO
MENOTYRANNO
Q. CLODIUS FLAVIANUS
V. CL. PONT. MAJOR
XV. VIR. S. F. SEPTEM
VIR EPULONUM
TAUROBOLIO. CRIOBO
LIOQ. PERCEPTO.
MATRI DEUM MAGNÆ
IDEÆ. SUMMÆ. PA
RENTI. HERMÆ. ET ATTIDI
MENOTYRANNO. INVICTO
CLODIUS HERMOGENIANUS
CÆSARIUS V. C. &c.

Criolii, unum ex tribus Hispanorum generibus, quæ Americam incolunt. Præter enim Hispanos & Mestecios, *Criolii* ibi dicti habitant, qui ex Hispanis quidem Parentibus, sed in ipsâ America, nati sunt. Hi numero quidem & multitudine prævalent, sed nunquam pervenire possunt ad aliquam majoris momenti dignitatem. Unde implacabile odium, inter Hispanos Europæos & Hispanos hos Americanos, quod eousque processit, ut *Criolii* quamcunque gentem Europæam admitterent, dummodo ab oppressione Hispanorum Europæorum possent liberari. Neque aliunde acrior Hispaniæ Regi amittendæ Americæ metus est, quàm ne *Criolüs* aliquando caput rectorq; contingat, Hispanicum jugum omni vi, si Ducem haberent, excussuris. Georg. Hornius *Orb. Polit.*

Criolium, vulgò *Criel*, castrum Galliæ, in Chartario Fiscannensi celebratum, prope quod Eura, Caletorum fluvius, in Oceanum devolvitur, 2. à castro milliaribus, Hadr. Valesius in voce *Caleti*.

Crisiphon, primus Architectus Templi Ephesini, memoratur Plinio *lib. 7. cap. 37. Laudatus est & Crisiphon Gnosius æde Ephesi Dianæ admirabili fabricata.* Vitruvio non uno in loco *Ctesiphon* dicitur, V. Salmasium ad *Solinum pag.* 812. & *seqq.*

Feminæ illustres.

Crispina, Anteistii Burri, de quo Capitolinus in *Pertinace*, soror, uxor fuit Commodi Imp. ut quidem Onuphrius scribit; sed idoneum rei testem quærit Salmasius *ad Lampridium*.

Crispina, Brutii Præsentis filia, qui Collega fuit Pii secundùm Consulis, nupsit Commodo, Jul. Capitolinus *in M. Antonino Philosopho*.

Crispinus & Menophilus, Viri Consulares, à Senatu Rom. Aquileam missi sunt, urbi, quam Maximinus obsederat, tuendæ, apud Capitolinum in *Maximinis*: à quibus Maximinum victum esse, & obsidionem solvere coactum, idem refert in *Maximo & Balbino*.

Crista, in vet. *Inscr.* in alia *Crestum*, in Monumentis urbis *MSS. Crista Arnaudi*, castrum Galliæ, in agro Valentiniano, ad Drunam fluv. *la Drome*, primùm fuit, ad Comites Dienses & Valentinos pertinens, jam oppidulum, 4. leucis Valentiâ distans: cujus reditus, ut & ipsius Valentiæ, locorumq; *Chabueil*, *Grane* & *Montelimar*, Galliæ Regis concessu, ad Principem Monaci spectant. Turris ibi conspicua, cujus in historia mentio frequens, ubi de litigiis Comitum præfatorum cum Delphinis Viennensibus. Ibidem eorum sepulchra visuntur, in Franciscanorum Monasterio. Memorabilis inprimis *Inscriptio* hæc, quæ in Æde Cathedrali hodieq; extat.

Anno ab Incarnatione Domini M. C. LXXXVIII. mense Martio, indictione septima: Ego Ademarus de Pictavis Comes Valentinensis, dono, laudo atque concedo plenam libertatem cunctis hominibus meis de Crista, qui nunc sunt & futuri sunt, ut nullo deinceps tempore à me vel ab alio successorum meorum violentas sive injustas exactiones pensare cogantur, fidejussores sive obsides præter suam voluntatem non fiant, salvis legibus & justiciis meis bannis & expeditionibus & officio centum militum: & quod omni tempore vitæ meæ concessam libertatem conservem, jurisjurandi religione confirmo. Hoc autem factum est in Ecclesia sanctæ Mariæ de Crista, præsente Domino Roberto Diensi Episcopo, Domino Eustachio Valentinensi præposito patruo meo &c.

apud Jac. Sponium *Itinerar. Græciæ Part.* 1. *pag.* 6. & *parte* 3. *p.* 15. & 16. ubi etiam alteram addit *Inscriptionem*, suprà indigitatam, quæ *Testamentum de banno vini Petri Diensis Episc. & ejus nepotum, & Guilielmi Cresti* complectitur. V. quoque in voce *Cresta*.

Crista, apud Virgilium *Æneid. lib.* 9. ubi de Turno,

—— *tremunt in vertice* cristæ
Sanguineæ ——

ornatus galeæ est, qui illam admirabilem reddit, ut loquitur *Etymologicum*, Τὸ περιεστὼς τῆς περικεφαλαίας ἀνάστημα χάριν κόσμου καὶ καλλωπισμοῦ. Super cono, qui suprema & eminentissima galeæ pars, Græcis λόφος seu ἀνάστημα τῆς περικεφαλαίας, item φάλος, omnia galeæ additamenta, pinnas, aves totas, horibilium ferarum effigies, spolia, Gorgones, juxta caudas equorum, adeoque *cristas* varii generis, sustinebat. *Crista* itaque addebatur cono, & supra eum collocabatur, sive exibat ex ipso, ut apud Silium Italic. *lib.* 16.

—— —— —— *cristæ nitenti*
Exurgens cono, spolia exuviaq; Libyssæ.

Atque proin non quidem necessaria erat ambiendo muniendove capiti, sed altiùs assurgebat, ac præ se ferebat nescio quod insigne generositatis & fortitudinis. Græcè etiam λόφος nonnunquam, uti conus; sed propriè φάλος, quòd super cono *splenderet* & exiret in superiora: & magis signanter φάλος κόρυθος. Invenisse *Cristas* in galeis, sicut signa in clypeis, & ansas clypeorum, Cares, Herodotus tradit *Musa I.* Iisdem Poëtæ eximium quemque bellatorem donant, ut Virgilius Achillem, *Æneid. lib.* 1. Romulum *lib.* 6. Æneam *lib.* 8. Turnum *lib* 9. juventutem Rutulam *ibid.* Pandarum & Bitium, Mezentium item *lib.* 10. de quo postremo inquit,

Ære caput fulgens, cristaq; hirsutus equinâ.

Easdem hostibus detractas inter insignia spolia statuebant. Virgilius iterum de Regia Latini,

Multaq; præterea sacris in postibus arma,
Captivi pendent currus, curvaq; secures,
Et cristæ *capitum* ——

Sic Euryalus Messapi galeam *cristatam* aufert, apud eundem *lib.* 9. Ascanius Niso pollicetur *cristas* Turni *ibid.* V. quoque de *cristis* Mezentii *Æneid. lib.* 11. E quibus locis colligit Paschalius, universum illum galeæ ornatum quandoque fuisse dictum ἀμφίφαλον κυνέην, h. e. *utrinq; cristatam*, seu duplici crista conspicuam *galeam*. Interdum vero hic ipse ornatus constituit τρυφάλειαν seu τριλοφίαν, *triplici vertice cristata galea*, ut videre est apud Plutarchum *in Arato*. Sic Aristophan. τρεῖς λόφους nominat hoc versu *Acharn.*

Τὸ λόφοιν ἐξένεγκε τῶν τριῶν λόφων,
Thecam effer trium cristarum.

Et Ajacis galeam τρικόρυθον propterea vocat Euripides *Oreste Actu* [illegible] *Tergeminæ* quoque *cristæ* in Palladis picturis observantur, uti docet Casp. Barthius *ad Statium Thebaid. lib* 2. *versu* 241. Imò & *Quadruplicata crista*, τετραφάληρος, occurrit apud Homerum *Iliad.* λ. & Apollonium Rhodium *lib.* 3. Aristophanes τετράπτιλον, *quadripennem*, vocat, ubi de Geryone,

Βάλλε μαχίμῳ Γηρυόνῃ τετραπτίλῳ;

V. Car. Paschalium *Coronarum lib.* 10. *cap* 19. Sed *tres cristarum ordines*, in Heroum galeis frequentissimæ: Fuitque rata & statuta quasi Romanis moribus hæc triplicitas, rectarum inprimis *cristarum*, quæ hominem terribiliorem & altero fere tanto facerent altiorem. Unde *ter scandens juba*, apud Statium *Thebaid. lib* 4. *vers.* 130. & *triplex juba*, apud Virgilium *Æneid. lib.* 7. tribus nim. gradibus circumvolutis cristis & demum in jubam erectis. V. quæ ad πτέρινον στέφανον, *coronam plumeam* Polybii, commentatur Barthius *ad Statium d. l.* Color *niveus* communiter. Silius Ital. *lib.* 2.

—— —— *galeamq; torvisis*
Subnixam cristis, *vibrant cui vertice coni*
Albentes niveæ tremulo nutamine pennæ.

V. Lipsium *de Militia Rom. lib.* 3. *cap.* 5. Sed & *ruber*, Heroibus inprimis priscis. Statius *Thebaid. lib.* 2. *versu* 530.

—— Cristasq; *videt rutilare tumentes.*

Purpureus enim color magni animi gestamen, ferme omnibus affectatur. Romanis tamen Polybius *nigrum* placuisse notat; qui color ad terrorem augendum aptus, firmus item, nec variabilis facie. Ad magnitudinem *Cristarum* spectat locus ejusdem Statii *Thebaid. lib.* 9. *versu* 262.

Spicula jam clypeosq; leves arcusq; remissos
Unda vehit, galeasq; vetant descendere cristæ.

Cùm enim galeæ veterum Heroum minimè leves fuerint, quantas esse cristas oportuit, quæ illas mergi non paterentur &c. V. plura hanc in rem apud laudatum Barthium *Animadver. ad Papin. Statium passim, inprimis ad loca citata.* De *cristis* verò Turcarum, Indiæque Regulorum hodiernis, V. Joann. Baptistam Tavernier *in Descr. Serralii*, ut & infrà in voce *Manucodiata*. Addam saltem, sicut *cristas* sumsere Duces olim, ut conspicui essent suis: sic cùm si latere volebant, usos fuisse galeâ sine cono & cristâ, quæ ἄλοφος Græcis & ἄφαλος, Homero καταῖτυξ dicta est, de qua V. eundem Paschalium suprà laudatum *lib.* 10. *cap.* 20. Sed & observat Salmasius, *Cristas* etiam dictas esse, non tantùm pinnas galeis aptatas, sed etiam ex ipso ferro laminas eminentes, & rectas, quæ mediam galeam dividebant, ex Vegetio & monumentis antiquis: quales hodieque passim, *Exercitat. Plin. ad Solinum p.* 547.

De *Cristis* verò avium, unde ad galeas appellatio translata, V. insignem locum Plinii *lib.* 11. *cap.*37. Addam hoc unicum; quòd *Cristæ* gallorum gallinaceorum in delitiis. Vett. fuere. De Heliogabalo Æl. Lampridius, *Comedit*, inquit, *sæpius ad imitationem Apicii calcanea camelorum & cristas vivis gallinaceis demptas.* Quem hodieque imitari eos, qui palatum habent eruditum, docet Salmasius *ad l.*

Crithophagus, cognomen Macedonii Eremitæ, memorati Theodoreto *Histor. relig. cap.* 13. sic Græca voce dicti, quasi *hordei comestor*: quòd quadraginta annorum spatio nihil, præter *hordeum*: comederit, nec casâ, nec tabernaculo usus; sed in fossa manens, unde & *Gubba* idem Syriacè appellatus est. V. A. Rivetum *Summa Controv. Tract.* 2. *Quæst.* 23 *num.* 22. Apud Polybium verò κριθοφάγοι dicuntur milites, quibus *hordei* esus ignominiæ pœnæque loco injunctus est, uti dicemus infrà ubi de *Hordeo*

Critisto bilu, apud Anonymum Barenlem in *Chron.* A.C. 1032. id est, Κριτὴς τοῦ βήλου, h. e. *Judex veli*, nomen dignitatis, apud Byzantinos, de qua V. du Fresne *ad Cinnamum pag.* 485.

Critice, in emendatione Auctorum & *judicio* consistens ars, inter species Grammaticæ artis nobilissima est: Unde *omnium maximarum artium scientiam complexa* dicitur, à Quintiliano *lib.* 2. *cap.* 1. & *lib.* 1. *cap.* 4. Ejus geminum munus, cujus paulò antè mentio, agnoscunt Varro apud Diomedem *lib.* 2. & Marius Victorinus. Nimirum *emendationis* est, quòd falsò inserta tollat, ac corrupta à librariis, corrigat: *Judicii*, ratione quidem universi operis, quòd scripta spuria discernat, à legitimis; ratione autem particularium locorum, quòd iis, quæ perperam dixissent, vel scripsissent Auctores, Θ. vel obelum, sive ut Fabius *lib.* 1. *cap.* 4. vocat, virgulam censoriam apponat, vel aliam culpæ indicem notam. De cujusmodi librorum notis egere olim Diogenes Cyzicenus & Suetonius Tranquillus, sed quæ illi hac de re scripserant, periere. Utcunque tamen notas has discere est ex Laërtio *in Platone*, Epiphanio περὶ μέτρων & Isidoro *lib.* 1. *Orig. cap.* 20. E junioribus, à Casaubono *ad Laërtium* & Wowerio Πολυμαθείας *cap.* 17. Hinc *Critici*, Græcis Κριτικοὶ, Latinis quoque *Judices*, Horat. *lib.* 1. *Sat* 10. aliter *Grammatici* dicti, sed priorem *Critici*, quàm *Grammatici*, appellationem esse, ex Dione Chrysostomo discimus *Orat.* 53. quæ περὶ Ὁμήρου: & docet Vossius Grammaticum non exercere judicium nisi in Grammaticis, *Crisin* verò illam, quæ de aliarum disciplinarum subjecto est, ad illas pertinere. *Criticorum* in Græcia antiquissimis temporibus primus habetur Pisistratus, qui Homeri libros priùs confusos, in eum ordinem, quem hodieque servant, digessisse dicitur: quod tamen alii filio ejus Hipparcho adscribunt. Postea Plato, Aristoteles ac Zeno artem excoluerunt, Aristoteles inprimis, qui proin *Critices inventor* eidem Chrysostomo dicitur, & *Critici* elogium primus adeptus est. Hic circa Alexandri M. tempora Iliadem: sicut Callisthenes & Anaxarchus Odysseam, emendavit; quæ Homeri editio ἡ ἐκ τοῦ Νάρθηκος seu *Nartheciana* dicta est, quòd eam Alexander sic emendatam in Darii narthecio deposuisset. Idem omnes Philosophos antiquos, ne ipso quidem Platone excepto, omnes Poëtas, Respublicas, leges sub censuram vocavit, V. Heinsium *in Prolegom. ad Aristarchum.* Eo paulò juniores fuere Philetas Criticus & Demetrius Phalereus, quorum hic Alexandrinæ præfuit Bibliothecæ, illius auditor fuit Zenodotus post Demetrium Bibliothecæ præfectus. Eadem ætate claruit Callimachus, cujus discipulus Eratosthenes ὁ πένταθλος fuit, præceptor Aristophanis Byzantii, qui Ptolomæi Epiphanis principatu magno in pretio habitus est. Aristophanem verò audiit Aristarchus, à quo Homeri versus, quos nothos putaret, confixi sunt. Ejus discipuli fuere Dionysius Thrax & Apollodorus, quem primùm *Critici* nomen retulisse, ait Clemens 1. *Strom*, sed addit. *alios hoc tribuere Eratostheni.* Imò & sunt, qui Aristoteli id vindicent ut dictum. Apollodori æqualis fuit Crates Mallotes, qui novem Homericarum emendationum libros reliquit, teste Suidâ: legatusq; ab Attalo Romam missus, primus Grammatices studium urbi intulit. Post eum multi Criticorum Græcorum in urbe vixerunt, uterq; Tyrannio inprimis. Græcorum exemplum itaq; secuti Romani sunt in suæ linguæ Scriptoribus, L. Ælius Stylo, Santra, Varro, Nigidius Figulus, Verrius, Flaccus, Palæmon, Asconius, pluresque alii. Imò Valerius Probus, ut de eo Suetonius scripsit, *multa exemplaria contracta emendare ac distinguere, & adnotare curavit, soli huic, nec ulli præterea Grammatices parti deditus.* Cicero correxit Lucretium, teste Eusebio *in Chron.* Ennium Lampadio emendavit, ut ex A. Gellio scimus *lib.* 18. *cap.* 5. Calliopus seu Calliopius Terentium recensuit, Jul Celsus Cæsarem emendare conatus est, Sallustius Rhetor Tacitum correxit, Gallus Avienus A. Gellio manum Medicam admovit, alii aliorum Scriptorum judices fuere, quos è codd. MSS. cognoscere est. Utriq; tum Græci, tum Latini, nomen libris apposuere: unde memorat Galenus, in Ptolomæi Bibliotheca inventum esse librum tertium Hippocratis Ἐπιδημιῶν, cum inscriptione hujusmodi: τῶν ἐκ πλοίων κατὰ διορθωτὴν Μνήμονα Σιδήτην. Postquam autem diu *Critica* quasi sepulta jacuit, per non unam barbaræ ignorantiæ annorum centuriam, lacertos iterum movit præt. sec. circa Reformationis initia sub Erasmo Roterodamo; cui successere Scaligeri ambo, Lipsius, Casaubonus, sed in Salmasio ac Heinsio defecisse videtur, paucis quibusdam superstitibus, verba sunt Georgii Hornii *præfat. in Histor. Philosophicam.* V. plura apud Vossium *in Aristarcho lib.* 1. *cap.* 6.

Crito, Rugiorum Princeps, fil. Grimmi familiæ conditoris. Lubecam extruxit, Christianorum crudelis persecutor, Buthueque Principe Obotritorum occiso, regnum usurpavit, ab illius fratre Henrico vicissim, postquam ejus aliquoties victor tandemque in societatem ab illo receptus sibi insidias strui is cerneret, fraude uxoris Slavinæ occisus, quam postea sibi Henricus junxit. Ei successit an filius, an agnatus Razo, Princeps bellicosus, Razeburgi conditor: circa sec. 12. V. Phil. Jacobum Spenerum *Syll. Genealogico-Historica, in Fam. Vandalica.* Item Gothicarum rerum Scriptor, Suidas.

Croatia, adde: Cum Dalmatia proprios habuit Reges, quorum ultimus fuit Zelimirus, qui ductâ Ladislai Hungariæ R. sorore ipsi moriens legavit Regnum: hæc Ladislao fratri, circa A. C. 1080. Hodie pro accessione potiùs Hungarici Regni, quàm propriis Regnis, habentur ambæ. Pfannerus *de Præcip. Germ. Principibus cap.* 1.

Crobylus, apud Tertullianum *de Virginibus vel. Debebunt & ipsæ aliqua insignia sibi defendere, aut pennas Garamantum, aut* Crobylos *barbarorum, aut cicadas Atheniensium, aut cirros Germanorum*; nonnullis cincinnus est aureus vel argenteus ex capillis dependens; aliis crinium plexus, in acumen desinens, isq; propriè in viris. Unde Salmasius, *In pueris Græcorum, similiter hic cirrus erat, nodo collectus crinis in vertice — sed in mulieribus propriè* κόρυμβος *dicebatur, in viris* κρωβύλος, *in pueris* σκορπίος, *ad Solin. pag.* 762. Qui proin, cùm *Crobyli* unà cùm *cicadis* Atheniensium proprii fuerint, legi vult apud Tertullianum, *stropulos Barbarorum*, de qua voce V. infrà.

Crocardus, reprobum nummi genus, apud Pembrigium A. C. 1300. quod unà cum pollardis & rosariis, qui similiter loco sterlingorum irrepserant, *obolum primò valere fecit*, dein omnino exterminavit Eduardus I. H. Knyghtonus apud Car. du Fresne *Glossar.*

Crocea, Auctori *Ceremonialis Rom. lib.* 1. *sect.* 1. *genus est chlamydis longè ad terram usq; à parte anteriori aperta, à summo ad imum rugosa, in formam capparum Prælatorum, si demas cucullum*: Addit Macer, cappam esse nigri coloris, manto Græcorum Episc. similem, nisi quòd habeat ex posteriori parte exiguum caputium, sicuti in mozetta; refertque Cardinales illâ in Conclavi uti. Idem similiter *Croceæ* formam, ab antiquis Rhodiorum Equitum Magistris ferri solitam, ære incidi & operi suo inseri curavit, V. eum *Hierolexico.* Dubitat tamen du Fresne, annon in *Ceremoniali* præfato legendum sit *Clocca*; nam *Cloccas* seu *Cloches*, Gallis vocatas esse, in *Glossar.*

Croceus, nomen piscis, apud Sinenses sub Quantonia, in prov. *Huicheu*, incolis *Hoangcioya*, qui nec piscis tantùm, nec avis, sed utrumque est. Per æstatem sc. totam avis est *crocei coloris*, per montes volitans; Autumno fere absoluto Mare petit ac rursum piscis evadit. Eum hiberno tempore tantùm capiunt & suavissimi saporis esse dicunt Sinenses, Auctor Anonymus *Sinæ & Europæ cap.* 41. De *Croceo fluv.* eorundem celeberrimo, V. infrà in voce *Hoang.* Utrique nempe à colore nomen est. *Est autem Croceus* color, luteus, sed in rubrum vergens, & quidem melino, à *malorum* colore dicto, magis rutilans & acutior. Hinc Poëtæ Latini *rubrum crocum* vocant.

Nec fuerant rubri cognita fila croci.

Et Græci ξανθόκροκον &c. V. Salmasium *ad Solinum pag.* 1155.

Crocinum Unguentum, memoratum Plinio *lib.* 13. *cap.* 1. *Crocinum in Solis Ciliciæ diu laudatum, mox Rhodi*: etiam Romanis inter luxuriæ fuit delitias, nec proin medelis aptum modò, ut quidam volunt, sed etiam naribus gratum. Propertius *lib.* 3. *Eleg.* 8.

Sit mensæ ratio, noxq; inter pocula currat,
Et crocino *nares murreus ungat onyx.*

Græcis item. Philodemus *Epigramm.* στεφανοῦσθε,

— καὶ κροκίνοις χρίσατε γυῖα μύροις.
Et crocinis ungite membra cadis.

Sic Athenæus, ubi de Ptolomæi Philadelphi pompa, Πᾶσαι μὲν inquit, αἱ τρίβοι ἔμελλον ἐν τῷ γυμνασίῳ πάντες ἐκ χρυσῶν ἐλαίων ἀλείφεσθαι κροκίνου μύρου. Et *lib.* ubi de Antiocho, ἐκ χρυσίων ἀλαβάστρων ἤλειφε κροκίνῳ μύρῳ καὶ κινναμωμίνῳ καὶ ναρδίνῳ καὶ κρινίνῳ: utrobiq; inter pretiosa & delitiosa unguenta id nominans. Constabat illud non solo *croco*, sed ex multis aliis speciebus componebatur, in quibus & myrrha. Interim præstantissimum id *Crocini* genus (non enim una ejus σκευασία) ait Dioscorides, quod *crocum* maximè saperet: ἔστι δὲ αὐτοῦ τὸ κράτιστον τὸ κατακόρως κρόκου ὄζον. Secundæ notæ fuit, τὸ τῇ σμύρνῃ παραφέρον, *quod myrrham referebat.* Tertium genus solebat fieri, ἐκ κηροῦ, καὶ κρόκου, καὶ μυελοῦ καὶ ἐλαίου διπλασίου, *cera, croco & medulla, & olei duplo.* Cujusmodi *crocini* genus, quod moderatæ suavitatis esset, prætulit Cicero apud Plinium: Ita enim hic, *In Marci Ciceronis*, ait, *monumentis, invenitur, unguenta gratiora esse, quæ ceram, quàm quæ crocum sapiunt*, V. ipsum Ciceronem *de Oratore lib.* 3. & plura hanc in rem apud Salmasium *ad Solinum pag.* 1063. & *seqq.*

Crocodilus, Ægypto perdomita, in Augusti nummo ad palmam arborem catenâ revinctus, cum Inscr. *Nemo antea religavit*: docuit, Romano Imp. Ægyptios sub jugum mittere, non minùs fuisse difficile, quàm piscatori arduum est opus, crocodilum vinculis constringere. Crocodili enim venatio inter difficillimas semper habita est: unde ævo suo Nilum & lacus adjacentes his scatuisse, tamen raros admodum fuisse qui caperent, eosque non hamis, ut olim Herodoto referente, sed retibus ferreis usos, scribit Diodorus. Occasione nummi prædicti Hesychio fortasse, *Ἀνδρίτης ὁ κροκόδειλος*, *Arboreus Crocodilus*, quòd in illo ad arborem religatus esset, dictus est. Cæterùm *Crocodilus*, animal amphibium est, hinc *quadrupes malum & terrâ pariter ac flumine infestum*, Plinio *lib.* 8. *cap.* 25. ubi illum pluribus describit. Nec aliud animal ex minori origine in majorem magnitudinem excedit; quippe natus ex ovo, anserino non majore, ad duodeviginti cubita plerumque excrescit. In aqua, ubi noctibus quiescit, teporis gratiâ, nihil videns; in terra, ubi diebus vescitur, acerrimi visus est: in terra namque potiùs, quàm in aqua victum quærit. Quatuor tamen hibernis mensibus, quos inediâ transigit, *φωλεύει, ἐν τοῖς βάθεσι* Nili: sunt autem illi duo menses ante Brumam, November viz. ac December; & duo post illam Januarius ac Februarius. Dentes pectinatim coëuntes habet, osque amplissimum, sed elingue: Cutem contra ictus invictam, *δέρμα ἄτρωτον*, eamque squamatam, *φολιδωτόν*. Ovis edendis metatur locum, prædivinatione quadam naturali, quà Nilus non est ascensurus. Natalibus Apis neminem infestasse, creditum olim, Plin *lib.* 11. *cap.* 4. &c. Cùm verò in *Crocodilo* major sit pestis, quàm ut uno ejus hoste natura contenta esset, hinc Ichneumona in eum armavit, qui per dormientis fauces, ut telum aliquod, immissus, alvum erodit. Sed &, cùm in ventre mollis sit tenuisque ei cutis, delphini immeantes Nilo, quorum dorso tanquam ad hunc usum cultellata inest pinna, *ʃe, ut territi, merguntur, ʃubeuntesque alvum eadem ʃecant ʃpinâ.* Idem *lib.* 8. *cap. cit.* Quin & *gens hominum est*, pergit, *huic belluæ adversa in ipso Nilo Tentyritæ — Adversùm ire ʃoli audens. Quin etiam fluminibus innatans: dorsoque equitantium modo impositi, hiantibus resupino capite admorsum, additâ in os clavâ, dextra lævaque tenentes extrema ejus utrinque, ut frenis, in terram agunt captivos: ac voce etiam ʃolâ territos, cogunt evomere recentia corpora ad ʃepulturam.* Atque hi erant, qui, cùm Romæ Crocodili spectandi exhiberentur, ex piscina in pegma quoddam eos extraherent videndos, & post spectaculum rursus è pegmate in piscinam retraherent, Strabo *lib.* 17. Pegma autem illud excitari solebat, ut crocodilis *ἐπισκίασμα* esset, quos insoliculari amare notum; sicque faciliùs spectarentur. Quod primùm factum M. Scauri Ædilitatis ludis, quibus is alteram Nili belluam hippopotamum, & quinque *Crocodilos* Romæ temporario Euripo ostendit. Uti verò Tentyritæ insectabantur Crocodilos & necabant, sic in reliquis plerisque fere Ægypti urbibus contrà ii, Numinum instar, colebantur. Unde bellum internecinum inter Ombitas & Tentyritas, narrante Juvenali *Satyrâ* 15.

Inter finitimos vetus atque antiqua ʃimultas,
Immortale odium, & nunquam ʃanabile vulnus,
Ardet adhuc, Ombos & Tentyra.

de quo V. Salmasium *ad Solinum pag.* 447. Plura verò de celebri hoc Nili incola, apud Bochartum *in Hierozoico passim*, *inprimis Part. poster. lib. V. cap.* 16. *& seqq. ubi Crocodilum, nomine Leviathanis, apud Hiobum, intelligendum esse, pluribus eruditè demonstrat.* Nomen quod attinet, *Κροκόδειλος* Græcis *lacerta maceriarum* dicta propriè est, cui quòd hæc Nili bellua similis esset, idem ei nomen ab illis tributum, cùm alias *χάμψας* eam appellarent Ægyptii. Unde errandi occasio Plinio, qui non uno loco *Crocodilum* reddidit, quum *lacertam* vertere debuisset. Idem Salmasius ubi suprà *pag.* 873.

Crocolycus, Græcè *Κροκόλυκος*, recentioribus Græcis dictus est Lycii succus, quo capillos olim mulieres tingebant, quoque etiamnum lanas elegantissimo colore luteo infici tradunt. Est autem Lycium priscis arbor spinosa, in Lycia præcipuè, quæ corticem habet pallidum & coloris buxei; succum etiam itidem *Lycium* dictum, crocei coloris. *Pyxacanthos* nonnullis à foliis buxi & quòd *ʃpinosa*. Salmasius *ad Solinum pag.* 1164.

Crocota, animal, al. *Crocotta* seu *Crocuta*, quod vide. Item vestis genus, de quo mox.

Crocotula seu *Crocota*, inter muliebres vestes numerata, Plauti *Epidico*, *Act.* 2. *ʃc.* 2. & proin non nisi molliorum ac effœminatorum gestamen fuit. Unde Cic. *de Aruʃp. responsis*, *Clodius*, inquit, *à crocota, à mitra, à muliebribus soleis purpureisque faʃciolis factus eʃt repentè popularis.* Gallis matris Deûm effœminatissimis idem genus vestis tribuit Apulejus: Idem *alibi*, *Simiam*, inquit, *pileo textili, crocotisque Phrygiis catamiti paʃtoris ʃpecie.* Meritò proin apud Aristophanem ridet Hercules, Bacchum *Crocota* leoninam superinduisse; Ridet inquam,

Ὁρῶν λεοντῆν ἐπὶ κροκωτῷ κειμένην.

ubi Scholiastes, *Crocotam Bacchicum geʃtamen & muliebre indumentum* interpretatur. Ita Lucianus *Baccho*, Silenum inducit vehentem asino *ἐν Κροκωτῷ*, *in Crocota*. Inde exsaltatorum ac Pantomimorum propria, ut viri docti monuerunt. Ita Duris Samius apud Athenæum *lib.* 4. inducit Polysperchontem saltantem *ἐνδύμενον αὐτὸν κροκωτὸν*; Sic Lucianus *de Hiʃtoria*, Herculem apud Omphalem *κροκωτὸν καὶ πορφυρίδα* pensa trahentem introducit. Atheniensibus etiam Bacchanalia agitantibus *Crocotæ* adscribuntur, à Philostrato *lib.* 4. *cap.* 7. Imò omnium Bacchantium, Gallantium & hujusmodi cæterorum *μητραγυρτῶν*, communis vestis: ut qui in purpureis & sericis vestibus incedebant saltabantque. Ex serico enim *Crocota* fuit. Vetus hinc Scholiastes *ad versum cit.* *ὑπὸ χιτῶν ἔνδυμα*, *sericum indumentum*, *negotio* interpretatur. Et Poëta,

— *tenui ʃuccincta crocotâ.*

Salmasius, *ad Tertullianum de Pallio cap.* 4. Quoniam verò *Crocotam* appellatam Græci tradiderunt, quòd *croco* colore esset infecta; hinc *Infectores Crocotarii* apud Plautum. Indidem Turnebus illud Virgilii *lib.* 9. de Teucris,

Vobis picta croco & ʃplendenti murice veʃtis,

de *Crocota* interpretatur, quam effœminatorum & semivirorum propriam fuisse, diximus. Eandem quoque intellexisse videtur Ovidius *de Arte Am. lib.* 3.

Illa crocum ʃimulat, croceo velatur amictu,
Roʃcida luciferos cùm Dea jungit equos &c.

V. Octav. Ferrarium *de Re Veʃtiaria lib.* 3. *cap.* 20. & suprà in *Cuna*.

Crocum, seu *Crocus*, inter præcipua hortorum pratorumque decora, *παρὰ τὸ ἐν κρύει θάλλειν*, *quòd in frigore floreat*, nomen nonnullis invenit. Floret enim sub Pleiade & paucos dies, Theophrast. *de Plantis lib.* 6. *cap.* 6. Virgilio verò flos vernus est, *honoraque ridentis calathi*, in *ros*. appellatur. Coloris est flavi. Theocritus *Eid.* 11. *v.*

Αἱ δ' αὖτε ξανθοῖο κρόκου θυόεσσαν ἰοῖσιν
Δρεψάμεναι —
Aliæ porro flavi croci odoratam comam
Decerpebant certantes —

Ovidius vocat puniceum, *Faʃtor. lib.* 5. Sophocli *χρυσαυγής* est, *aurei coloris*, Tryphiodoro *aureus*. Certè, *Nemo*, ait Salmasius, *pallidum crocum rectè nuncuparet. Rubrum & rubentem appellant. Inde croceus color, qui non eʃt pallidus, niʃi ʃit dilutior, ad Solinum pag.* 1154. Quòd verò Crocum Corycium *odore plus aureo esse*, dicit Solinus *cap.* 38. assensum non impetrat, ab eodem *pag.* 773. Neque verò solùm coloris, sed & odoris nobilissimi est, hinc inter odoratissima aromata habitus, Theophrasto *de Plant. lib.* 9. Virgilio *lib.* 1.

— *nonne vides, croceos ut Tmolus odores,*
India mittit ebur, molles ʃua thura Sabæi?

Et Papinio Statio *Lib.* 3. *Sylv.* 1.

Et tenues Arabum reʃpirant gramine ʃylvæ,
Sicaniique croci —

Imò inter odorum delitias. Unde *Crocum* in Theatro olim sparsum. Spartianus in *Hadriano*, *In honorem Trajani balsama & crocum per gradus Theatri fluere juʃʃit*: *κρόκου ῥανίδες* optimæ *Glossæ* vocant & *ʃparsionem* simpliciter, eo quòd ut plurimum è *croco* tantùm hæ sparsiones fierent. Vino autem admiscebatur, ut sic dilutum faciliùs spargi in spectatores posset, Plin. *lib.* 21. *cap.* 6. non sine bonorum querela, V. Sen. *Epiʃt.* 90. & *lib.* 2. *Nat. quæʃt. cap.* 9. &c. Martialis *lib.* 5. *Epigr.* 26.

Hoc rogo non melius, quàm rubro pulpita nimbo
Spargere, & effuso permaduiʃʃe croco?

Cujus ritus causam Lucretius ad odoris fragrantiæque suavitatem refert, *lib.* 2.

Nec ʃimili penetrare potes primordia formâ,
In nares hominum, cùm tetra cadavera torrent,
Et cùm ʃcena croco Cilici perfuʃa recens eʃt,
Araque Panchæos exhalat propter odores.

Hadrianus verò etiam balsama indidit, spargique jussit aquam *balsamo & croco* *ἀρωματισθεῖσαν*: hæc enim per Græcismum illum, *balsama & crocum*, intelligit Spartianus, Casaubonus *ad l.* Sed & Suetonius tradit, incedenti Neroni passim Romæ victimas cæsas, sparso per vias identidem croco, *cap.* 25. Quem morem vetustissimum esse, discimus è loco Tryphiodori 20. ubi mulieres Trojanas terram perfudisse vino odorato, nempe quod croco mixtum esset, refert. Porro lecto nuptiali spargebatur. Martialis Capella *lib.* 9.

Conscia jam Veneris nova ʃerta parant Napææ,
Crocumque lecto ʃpargite.

Sic Homero, inter flores, quos terra continuò effudit, ut substernerentur Jovi & Junoni, mutuis amplexibus intentis, *crocus* quoque memoratur *Iliad.* ξ. Hincque inter delicias matronarum recensetur Strepsiadi, apud Aristophanem *Nub.*

Ἡ δ' αὖ μύρου, κρόκου, καταγλωττισμάτων.
Hæc verò (olet) *unguentum, crocum, oscula* &c.

V. quoque suprà, ubi de *Crocino unguento*. Cùm autem variis in locis nascatur, *Croco Cilicio* primatum assignat Dioscorides: quod *ʃpica Cilissa* dicitur Ovidio,

Et ʃonet accensis ʃpica Cilissa focis.

Non propter bulbum vel radicem, uti visum viro docto, sed quia

in Croco fila lutea de medio surgunt, quasi quidam mucrones seu cuspides & tanquam in spica aristæ, Græci γλωχῖνας appellant, alii τρίχας. Unde κρόκος ξανθόθριξ, Poëtis, imò & συχνόθριξ. Secundas Corycio, prope Lyciam. Præter quæ Croci genera memorantur, Ægæum Centuripinum, cujus in Theatris usus fuit, διὰ τὸ πολύχυλον καὶ τὸ ἰσχύειν, ob multum succum & præstantiam coloris, Dioscor. Cyrenaicum, Siculum, Theræum &c. Sed & ejus cultura in Anglia instituta est successu admodum felici, adeò ut ingentia arva Autumnali tempore eo videre possis repleta, & commendatur inter optima hodie croci genera Crocus Britannicus, cujus ratio in natura plantæ sita, quæ quò propiùs Septentrionalibus Regionibus adducitur, eo majora virium incrementa sumit, V. Auctorem Anonymum Hist. Orbis Terr. Geogr. & Civ. ubi de Insulis. Optimi notæ apud Oribasium, νεαρός, εὔχρωμος, ἀλιπής, βάπτων ἐν τῇ πιέσει τὰς χεῖρας ἰσχυρῶς, quæ ultima verba sic reddi: Dioscorides, ὁ βάπτων ἐν τρίψει τὰς χεῖρας, qui manus tingit, dum premitur. Qua de re V. plura apud Plinium lib. 21. capp. 6. 7. & 20. & Salmasium ad Solinum passim, inprimis pag. 107. 773. & 1063. Coronis olim flos ejus adhibitus frequenter, quòd ebrietatem arceret. Idem Plinius lib. 21. cap. 20. Qui crocum priùs biberint, crapulam non sentiunt —— Coronæ quoque ex eo mulcent ebrietatem. Sociabatur autem hyacintho. Homerus Hymno in Panem,

—— —— τόθι κρόκος ἠδ' ὑάκινθος
Εὐώδης θαλέθων καταμίσγεται ἄκριτα ποίῃ,

Item narcisso, liliis & calthæ, apud Virgilium in Cir.

—— —— aut suave rubens narcissus,
Aut crocus alternâ conjungens lilia calthâ.

In eorum numero creditus, quos terra produxit, è sanie hepatis Promethei, Scholiast. Apollon. Rhodii lib. 3. V. Car. Paschalium Coronarum lib. 3. cap. 14. ut & in voce Crocus Juvenis.

Crocus, in Charta Henrici III. Angl. R. apud du Fresne, ubi Clerici crocos capillorum suorum deponere jubentur, cincinnus, quem Croc Galli dicunt, retortus.

Crocutæ, cum tigribus exhibitæ, ab Antonino Pio, apud Capitolin. adeoque jam ante Severum Romæ visæ, quod negat Dio. Hyænæ autem speciem Crocutam esse, docet Bochartus ex Diodoro, qui juxta alios in Æthiopia reperiri & μεμιγμένην ἔχειν φύσιν λύκου καὶ κυνὸς, mixtam habere naturam ex lupo & cane, scribit. Unde Plinius lib. 8. cap. 21. Crocutas velut ex cane lupoque conceptas Æthiopia (generat:) hincq; Κυνόλυκος Græcis. V. Bochartum hunc in erudito opere, de Animalibus S. Scripturæ seu Hieroz. Part. poster. lib. III. cap. 11.

Crocyphantia, apud Ulpianum in l. 25. §. Ornam. 10. ff. aur. Leg. nonnullis videntur esse muliebria ornamenta villosa, quæ sub reticulis contexta per eorum plagulas apparent, Græcè κεκρύφαλοι. Turnebus ornamenta sine ullo stamine contexta interpretatur, Adversar. lib. 28 cap. 23. Aliqui Crocotis malunt scribi seu Crocotula, cujusmodi vestium meminit Plautus Patagiatam calthulam aut crocotulam, &c. V. Johann. Calvinum Lexic. Jurid. ut & suprà.

Crodus, vulgò Krodo, inter Saxonum olim Numina: Saxo Gramm. lib. 1. Saxonum Dii, Crodus, Hama, Irmus, Flinnus, Siba. Hartesburgi inprimis in veneratione, Crantzius Saxoniæ lib. 2. cap. 12. quo nomine Saturnum indigitatum fuisse, sunt qui contendant. Et certè Saturno temporis Præsidi Crodi seu Crodonis effigies non malè convenit, à Georgio Fabricio Origin. Saxonic. lib. 1. his verbis proposita: Qui gentis Annales ediderunt, Numen memorant, Crodum quendam, messoris specie, qui cinctum lineum gestat, dexterâ ferens vasculum rosis impletum, sinistrâ erectâ rotam currus. Pedibus nudis insistit pisci squamoso & aspero, quem percam vocamus. Accepisse verò Saxones à Græcis hoc idolum videntur, Istri accolis; atque ut Irmus eorum videtur esse ex Ἑρμῆς, ita & nomen Crodi corruptum esse ex Croni. Κρόνος enim sive Saturnus, quo tempus signatur, Græcis etiam ac Romanis est Deus falciger: & ut cœtera mittantur, rota currus optimè exprimit, quàm volubile sit tempus, unde & vitam humanam suavissimus Anacreon rotæ comparavit:

Τροχὸς ἅρματος γὰρ οἷα,
Βίοτος τρέχει κυλισθείς.
Rota nam velut curulis,
Properat volucris ætas.

Carolus postea Magnus, ut aliorum Numinum, sic & hujus, statuam dejecit, Gerh. Joh. Vossius de Idolol. lib. 2 c. 33.

Croja seu Crouiaca, nomen familiæ perillustris, quam ex antiquis Hungariæ Regibus, Attilæque stirpe deducunt. Ajunt enim Andream tertiogenitum Andreæ II. R. filium Belâ fratre à Tartaris capto, ad Venetos profugum, ibi ex Sibylla Petri Cumani Senatoris filia suscepisse Marcum filium, qui mercaturam perosus, circa A. C. 1366. in Franciam lares transtulerit, atque in aula Philippi R. conjugem meruerit Catharinam heredem Baronis Arainæ & Crojæ. Ex hujus posteris Johannes duarum linearum auctor fuit, genitis Antonio & Johanne: quorum iste priores Comites & Principes Cimacenses, Comites de Solre, Dominos de Sempy & de Quiuvrain; ille, per secundum filium Johannem Dominos de Creq, Comites de Reux: per primum autem Philippum Com. de Porcean, & ex materna hæreditate Duces deinum Arschotti, reliquos dedit, quibus illi tituli. Atque in his Philippus primus Arschotti Dux extinctus A. C. 1563. ex Anna Lotharingica Gulielmi March. Rentiacensis, Caroli Princ. Cimacensis, Philippi Ducis Arschottani (cujus filia Anna, fratris Caroli hæres, titulos & bona Carolo Lignesio Arembergæ Principi marito acquisivit) & Caroli Philippi March. Havrechi pater fuit. Quorum ultimus ex Diana Dammartina genuit Carolum Alexandrum, avum Ducis Havrechi moderni, & Ernestum Crojæ D. defunctum A. C. 1620. quo, & Anna Pomerana, extinctâ A. C. 1660. genitus est Ernestus Bogislaus A. C. 1620. Dux Crojæ & Arschotti Episcopus Caminensis &c. V. Phil. Jac. Spenerum Theat. Nobil. Europ. Tom. III. pag. 10.

Cromna, adde: A' Miletiis condita. Plin. lib. 6. cap. 2. oppidum Masiya Milesiorum, deinde Cromna. Unus fuit ex quatuor pagis, è quibus Amastrim civitatem compositam tradit Strabo, ab Amastrim Dionysii Tyranni Heracleæ uxore, Darii sorore, quem vicit Alexander. Salmasius ad Solinum p. 119.

Cronbergia, Familia in Germania illustris. Inter prisca decora sua Rudolphum numerat, qui filius Welphonis Ducis Norici & Judithæ Augustæ, ex qua Ludovicus Pius Imp. Carolum Calvum Francorum Regem genuit, frater atque Cancellarius Franciæ A. C. 866. fuerit; hunc enim ex Cronbergia gente fuisse ex vet. Inscr. quæ Lutetiæ Parisiorum extet, probare contendunt, de quo tamen aliorum alia est sententia. Porro in duos inprimis ramos stirps distincta est, quorum alter scutum sine corona & galeam alis vel auribus asininis ornatam gestabat; alter scuto coronam inscribere & cassidi uvam pineam imponere solet. Ille iterum subdivisus in duos surculos abiit, qui tamen jam terminati sunt ambo: & quidem alter in Elisabetha Johannis Com. Solmensis conjuge, quæ ei Rodelhemium attulit. Hic nunc quoq; durat. Illustrioribus autem connumeratam olim familiam fuisse, arguunt matrimonia ex stirpibus, Hanovicâ, Nassovicâ, Winspergicâ, Isenburgicâ aliisque obtenta. Inde Equestri dignitate contenta esse maluit: donec Adamo Philippo (cujus patruus Johannes Suicardus Moguntinus Archiepiscopus fuit) Baronis, dein Comitis dignitas ab Imperatore collata & feuda aliqua Geroldseccia concessa sunt. Hic, filius Johannis Georgii ex Anna Margareta Cameraria de Worms, dicta de Dalberg extinctâ A. C. 1629. Generalis Vigilum Præfectus, ex Maria Sidonia Com. Falckensteinia, suscepit Cratonem Adolphum Ottonem (cui uxor obtigit Maria Francisca Com. Oetigensis) & N. N. uxorem Emanuelis Maximiliani Wilhelmi Comitis de Schonberg, Spenerus ubi suprà.

Crossa, adde: Meliùs Crosna. Ducatum hunc Henricus Glogoviæ Crosnæque D. Barbaræ, Alberti Brandeburgici filiæ, matrimonio sibi junctæ, legaverat: quem tamen illo mortuo A. C. 1476. Johannes Saganensis Dux, hujus patruelis, tanquam agnationis jure sibi debitum, cùm vindicaret, lis inde, & ex lite bellum ortum, cujus finis is erat, ut reddito Joanni Glogoviæ Ducatu, Crosnæ ditio cum aliis quibusdam pro dotalitio Barbaræ pignoris nexu teneretur, A. C. 1482. Quas postea Joachimus Elector Brandenb. à Ferdinando I. Imp. & Bohemiæ R. tanquam Silesiæ Principe, pleno atque hæreditario jure obtinuit, A. C. 1538. ex quo primùm Crosnæ nomen titulis familiæ additum est. Tob. Pfannerus de præcipuis German. Princip. Gentibus c. 4.

Crotalistria, sic describitur Maroni seu potiùs incerto Auctori in carm. cui tit. Copa,

Copa Syrisca caput Grajâ redimita mitellâ
Crispum sub crotalo docta movere latus:
Ebria formosâ saltat lasciva tabernâ,
Ad cubitum raucos excutiens calamos.

Ubi eadem illa Syrisca κωπηλὶς, quæ ante tabernam suam sub crotalo saltat, crotalum quoque manu quatit & brachio crispante æreos calamos excutit, qui raucum concussu crepitum edebant. Mulieres enim crotalistriæ, saltabant gesticulabanturque & crotalum simul quatiebant. Constabat autem hoc ex duabus æneis laminis aut virgulis, quæ manu agitatæ ex collisione sonum edebant argutum: δίζυγα hinc χαλκὰ Græcis Poetis vocantibus. Sed & similiter fiebat ex arundine per medium fissa, cujus duæ partes sic movebantur, ut ex collisione sonarent: unde Græci Grammatici κάλαμον σχιζόμενον κρόταλον interpretantur. Idem hodieque fieri videmus ex duobus ossibus, quæ digitis agitata & invicem collisa crotalum efficiunt. Ipsa certe ciconia, rostri sui superiorem partem cum inferiori collidendo, mera crotalistria est, &c. A' crotalo verò quàm differat sistrum, V. suo loco. Interim crotalum etiam de sistro nonnullos dixisse, certum est: & fortè Virgilius suprà de sistro non incommodè accipiatur, qui calamos raucos vocarit virgulas illas ferreas, quæ per laminam sistri mediam, in modum balthei incurvatam, trajiciebantur, quæque brachio crispante concussæ tergeminis ictibus resonabant. Salmasius ad Flav. Vopiscum in Carino.

Cruce subscribendi seu signum Crucis, subscriptionis vice chartis & instrumentis apponendi, ritus, passim occurrit apud Scriptores medii & citerioris ævi. De Imperatore, & penè omnibus Germaniæ Galliæque Principibus, id docet Comitium Tribur. A. C. 895.

A. C. 821. *can. ult.* de Philippo Galliæ R. *Charta* ejus, A. C. 1076. in *Chron.* Abbatiæ S. Joannis de Vineis: de Henrico Angliæ R. & Mathilde Regina, *Charta* Henrici I I. *in Monastico Angl. Tom. III. p. 7.* de Eduardo, Ingulfus, qui *aureas cruces* effingi in subscriptionibus consuevisse, refert &c. Sed & apud Græcos obtinuisse: Unde in *Synodo* VIII. *act.* 10. subscribunt Impp. Constantinus, Basilius ac Leo, *πράξαντες ἰδιοχείρως ἐν τοῖς τιμίοις σταυροῖς ... γεγραφότες τὰς οἰκείας ὑπογραφάς*, Hincque *παραβάτης τῶν ἰδιοχείρων σταυρῶν, transgressor crucium propriâ manu subscriptarum*, dicitur apud Joan. Damascenum *in Synodicâ* ad Theophilum Imp. *pag.* 134. perjurus, vel qui fidem scripto consignatam fallit, quem *σταυροπάτην* alii appellant, Nicetas, Scylitzes, Auctor incertus post Theophanem. Et quò solennius ac firmius esset pactum, ipsæ *Cruces* nonnunquam exarabantur calamo, in sanguine (qui pro Christi sanguine habitus) intincto, cujus rei exempla produnt Theophanes *sub Ann.* 20. *Heraclii pag.* 275. Leo Gramm. *in Michaele Theophilo fil.* &c. Atque hinc origo vocis *signum*, pro *subscriptione*, petenda; quòd qui subscriberent, *signum Crucis* non modò exararent, sed & in iisdem subscriptionibus *signum sanctæ Crucis* imprimere, vel *signo sanctæ Crucis* chartas firmare testarentur: quod quidem Christiani eorum temporum utplurimum, tanquam symbolum juramenti seu sacramenti adhibuere: nam, ut sacramentũ corporale fiebat tactu, sic tale fiebat appositione & impressione Crucis, C. du Fresne *Glossar.* Quod confirmat ex Phranze *lib.* 3. *cap.* 4. Joannes Kirchmannus, ubi ait, *Præter hanc subscriptionem* (nominis cinnabari factam) *tres quoq; in fronte cruces ejusdem coloris addebant, per quas sc. tacitè jurabant, rata ea se velle, quæ scriberent, de Annulis cap.* 8. &c. De Cruce v. *super caput posita*, jurandi ritu, V. infrà.

Crucem assumere, dicebantur qui ad sacra bella profecturi Crucis symbolum palliis suis assuebant affigebantque, in signum votivæ illius expeditionis, cujus originem Concilio Claromontano sub Urbano II. adscribunt Historici: hinc *Crucigeri*, *Crucesignati* &c. sicut ipsa expeditio *Cruciata* dicta, V. in his vocibus. Accipiebant autem Cruces, ab Episcopis, Abbatibus, & majoris dignitatis Prælatis; & eas variè vestibus suis affigebant. In expeditionibus Hierosolymitanis posuere illas in dextris scapulis: & quidem ut plurimum sericas vel auro textas, ac deniq; ex quolibet panno in *chlamydibus, aut birrhus, sive tunicis*, seu *in vestibus superamictis, assutas*, ut habet Guibertus *lib.* 2. *cap.* 5. Inprimis verò colore coccineo gaudebant, ut est apud Annam Comnenam *Alexiadis lib.* 10. Postmodum in ea, quam Philippus Franciæ & Henricus I I. Angliæ Reges, inierunt, Hierosolymitana expeditione, Galli *rubeas*, Angli *albas*, Flandri *virides* cruces gestavere, teste Hovvedeno, & aliis, quos laudat du Fresne *Notis ad Alexiad. pag.* 350. In expeditione contra Manfredum Siculum, tanquam hæreticum (namq; & hæc inter sacra Latinorum bella) decretâ, A. C. 1264. crucem detulere Peregrini (ut vocant) *partitam ac divisam*, cujus pars una albi altera rubri erat coloris. In aliis quibusdam, ad discrimen Hierosolymitanarum, non in scapulis, sed alibi, assutæ *Cruces* occurrunt. Sic in expeditione contra Albigenses, in pectore eas detulere, ut observat Rigordus *A. C.* 1213. In prælio contra Mauros Hispanos A. C. 1212. Christiani idem fecere, teste Ughello *in Episc. Sabin. pag.* 191. In ea, quam Saxones adversus vicinas quasdam gentes idolorum cultui adhuc deditas suscepere expeditione, Cruces ii assumserunt, quæ *non simpliciter vestibus assutæ erant, sed à rota subterpositâ in altum protendebantur*, ut i refert Otto Frising. *de Gestis Friderici lib.* 1. c. 40. &c. Ut porro *Crucesignati* (namque & sic tales vocabantur, uti dictum, quemadmodum & *Fratres Crucis* & *Crucifratres*) domo excedentes, solenni ritu cum Ecclesiastica Processione deduci consueverint, extra Parochiæ fines, V. infrà in *Peregrinatiõ*: de Privilegiis verò eorum, quæ multiplicia erant, pluribus disserentem adi Car. du Fresne in *Glossar.* uti & de *Crucem* bajulandi in supplicationibus ritu, Italis inprimis tributo, à Radevico *de Gestis Frider. lib.* 4. *cap.* 5. V. quoq; Conradum Ursperg. & Glabrum *Histor. lib.* 5. *cap.* 1. *extr.* Hinc Guntherus *Ligurini lib.* 8.

— — Ex omnibus undiq; multi
Urbibus ac vicis aderant, queruloq; ferebant
Innumeras clamore Cruces: *hoc quippe querelas*
... more solent aperire suas.

Ad Crucem stare, in *Capitul.* ann. 779. *can.* 10. & *Addit.* 4. *cap.* 129. seu *Cruce contendere*, in *Capitul.* 4. ann. 803. *cap.* 3. dicebantur, qui *Crucis Judicium* subibant, quo quis reus cujuspiam delicti factus sese purgare solebat; cujusmodi per Crucem purgationis mentio frequens est, apud medii ævi Scriptores. Quale autem illud fuerit examen, non usque adeò liquet. Nonnulli enim, genus hoc fuisse purgationis ajunt per sortes, quibus ad Crucem aliquam manus imponens vel eam amplectens, sese aliquis expurgabat; Et certè *ad Crucem* juramenta exigi consuevisse, testantur passim Scriptores. Quo pacto examen istud fortè fuerit, quod in *LL.* Frison. *cap.* 14. describitur, & fit per duos ramusculos seu *tenos*, uti vocantur, quorum alter cruce insignitur, Altari impositos. Alii putant, hanc Crucis explorationem factam, ipso Crucis ligno in ignem conjecto, ut, si illæsum permansisset, reus absolveretur; sin minùs, damnaretur. Sed phrases illæ, *ad Crucem stare*, vel *Cruce contendere*, utrique sententiæ repugnant. Hæ enim planè docent, eos, qui hujusmodi subibant examen, in pedes stetisse: quamvis nondum exactè hinc, quale judicium hoc fuerit, discatur. Nodum videtur solvere Rudolfus Fuldensis *in Vita* S. Liobæ Abbatiss. Bischofsheim. *cap.* 15. Cùm enim infantulus recèns natus in stagno Monasterio vicino inventus fuisset, crimenque uni è Sanctimonialibus adscriberetur, Lioba *præcipit omnibus Oratorium ingredi & extensis in Crucis modum brachiis stare, quoad usq; singulæ Psalterium totum ex ordine psallendo complerent, & deinde per tres vices in die, h. e. tertiâ horâ, sextâ & nonâ, vexillo Crucis elato, cum Litaniis monasterium circumire & pro purgatione sua divinam misericordiam invocare — Quod cùm fecissent & in hoc ordine jam bis impleto, horâ 9. omnes Ecclesiam intrarent, cunctusq; populus pariter congregatus adesset — Lioba perrexit ad Altare & stans ante Crucem, quæ jam tunc tertiò portanda parabatur, extendit manus in cœlum — dicens: Domine Jesu Christe, Rex Virginum, integritatis amator, invictissime Deus, ostende virtutem tuam & libera nos ab hac infamia. Hoc cùm dixisset, paupercula illa, antiqui hostis & captiva pariter & ministra, dæmonio repletur & quasi flammis circumdata nomen invocat Ablatissæ, crimenq; — confitetur* &c. E quibus percipitur, eos qui *Crucis judicium* subibant, expansis in Crucis formam brachiis, ad Crucem revera stetisse certo ac definito tempore & donec recitaretur vel Evangelium vel Oratio Dominica *&c.* qui, si immobiles permanerent, innocui; si verò divino quodam judicio caderent aut crimen fateri ultro cogerentur, rei habebantur. Quam examinationis judiciique speciem, postea abrogatam esse à Ludovico Pio Imp. habetur in *Capitular.* Aquisgran. *A. C.* 816. *cap.* 27. *in L.* Longob. *lib.* 2. *tit.* 55. §. 32. & in *Capitulis* Caroli M. *lib.* 5. *cap.* 102. Sed &, *ad Crucem expansis brachiis stare* vel *se prosternere*, pœnitentiæ species fuit, uti legere est in *Canonibus* Saxon. Edgari R. *cap. de Magnatum Pœnis.* §. 3. inter Monachos inprimis usitata, ut docet Yepezius *ad Vitam S. Austrebertæ*, apud eundem Car. du Fresne *Glossar.* ubi plurima hanc in rem habet: ut & de ritu *Crucem figendi* seu *σταυροπήγια*, in dedicationibus Ecclesiarum: *Crucem de Chrismate faciendi*, in parietibus Ecclesiarum, cùm eas consecrant Episcopi: *Crucem ex cinere & aqua super pectus infirmi faciendi*: *Crucem ferendi*: *Crucem erigendi* in Magnatum funeribus, iis locis, quibus pausabant, qui feretrum deducebant: *Cruces ligneas vel lapideas, ad locorum portas seu ad biviis ponendi*, aliisque in Ecclesia Romana passim usitatis. Cui, si placet, adde Macros Fratres *in Hierolex.*

in *Crucem* tollebantur, olim vivi, mortuiq;. De vivis V. infrà in voce *Crux*. Mortuos quod spectat, Tarquinium Priscum *crucibus* fixisse eorum corpora, qui necem sibi conscissent, notat Plinius, ut sævum & uni illi usurpatum. Sub Impp. verò factum sæpius, ut amputata sontibus capita in crucem tollerentur, cujus exemplum in Nigro, apud Xiphilinum *in Severo*: & in Albino, apud eundem, & Herodianum. Simile est, quod de Cleomene Plutarchus memorat, quem ob *αὐτοχειρίαν* crucifigi jussit Ptolemæus *unguentis fartum*, ut eò diutiùs integrum maneret corpus & facies semper agnosci quiret: an *in culeum* capite tenus *insutum*? prout vel *... in* textu, ut Casaubonus vult, vel *...*, ut alii, legendum est. V. Casaubonum hunc *Animadversion. ad Suetonii in Julio illa cap.* 74. *Sed in ulciscendi naturâ lenissimus: piratas — quoniam suffixurum se cruci ante juraverat, jugulari priùs jussit, deinde suffigi.*

Cruces, in Communione Romana appellantur Litaniæ publicæ seu Processiones Ecclesiæ, in quibus *Cruces* proferri mos. Hinc in *Arestis* A. C. 1260. *in* 1. *Regesto Parlam.* apud du Fresne, *Dominus de Caumont Dominum de Bailleul fecisse submoneri quolibet anno, ad binas Cruces*, legitur; i. Processiones, quæ fiunt d. S. Marci 25. April. nam *secundæ* sunt, quæ in Rogationibus. Hodieque Processiones in Andacrio & vicinis locis, in Ducatu Luxemburgico, *Cruces* appellari, auctor est Joann. Robertus *ad Vitam S. Huberti cap.* 4. Sic *Cruces Nigræ*, apud Durandum *Ration. lib.* 6. *cap.* 102. *num.* 2. 10. Litania major seu Gregoriana dicitur, quòd, cùm agebatur, ædes sacræ, altaria, atque adeò populus ipse, nigris ornamentis & vestibus induerentur. *Cruces Bannales* alibi, peregrinationes dicuntur & processiones, quæ intra Parœciarum seu Ecclesiarum *bannum* & districtum peragebantur; vel potiùs processiones districtus cujuslibet parœciæ, ut docuit *ad Joinvillam* du Fresne. Hincque *Schola crucium* seu *Schola Crucis*, seu eorum, qui in Processionibus *Cruces* deferunt, occurrit apud Cencium Camerarium *in Ceremoniali* &c. Sed & vice terminorum in agrorum confiniis, *Cruces* non semel occurrunt. Unde *Fidantiam de prima, secunda & tertia Cruce*, appellant Fori Aragonenses, cùm quis idoneum fidejussorem dare tenebatur, qua de re V. eundem du Fresne in *Glossar.* & Hieron. Blancam *in Commentario Rer. Aragon.*

Crucifer, apud Pandulfum in *Actis Gelasii* II. qui *Crucem* ante Papam defert. Papæ enim id jus vendicat Anastasius in *Leone* IV. quòd crux ei ubique præferatur: cùm majores Patriarchæ ubique quidem, exceptâ tamen Urbe Româ, vel loco, ubi Pontificis Legatus præsens, Primates, Metropolitani & qui jus pallii habent,

habent, non nisi intra Primatus sui limites, & quidem cùm nullus Cardinalium præsens est, hoc privilegio gaudeant &c. Sed & *Cruciferi*, Ordo Monasticus est, sic dictus, quòd Monachi *cruces* in baculis deferrent: cujus primus auctor B. Quiriacus Hierosolym. Episc. renovator Innocentius III. amplificator Innocentius IV. fuisse dicitur. Certè sub Innocentio hoc apud Lugdunum magnopere crevit, & privilegiis ab illo donatus est, circa A. C. 1248. Primum verò totius Ordinis monasterium in Hojo, diœc. Leodiensis, ab Joanne Episc. Leod. ædificatum esse, A. C. 1233. refert Aub. Miræus *Originum Monastic. lib.* 1. *capp.* 12. 13. & 14. At Ordinem ipsum ab Alexandro VII. suppressum, legas apud Macrum in *Hierolexic.*

Crucifratres seu *Fratres Crucis*, hæretici, in Marchionatu Germaniæ Misnensi, opp. *Sangershausen*, exorti, sub A. C. 1414. qui etiam *Fratres Flagellatores* dicebantur; de quorum erroribus consule Gobelinum Personam *in Cosmodromio æt. 6. cap.* 93. diversi à *Fratribus Crucis*, qui aliter *Cruce-signati*, de quibus suprà, ubi de *Crucem assumendi ritu*.

Cruciger Globus, inter insignia posteriorum Impp. ante Valentiniani tempora, vix occurrit: in Valentiniani verò nummo aureo, sedet figura stolata & galeata, Roma forsan, aut CP. sinistra hastam, dextra globum tenens, cui crux insistit. Ex quo *Crucigeros* in utriusque Theodosii, aliorumque nummis conspicere est. Quin & Equestris Justiniani in Augustæo posita statua, similem globum sinistra continuit, teste Procopio. A' Byzantinis Augustis transiit ad Occidentales globus hic: unde Carolus C. tametsi fortè needum Imperator, sinistrâ eum gestat, in imagine ejus Stephano Baluzio delineatâ; Et Henrico II. similem globum à Benedicto VIII. vel inventore, vel architecto, oblatum esse, refert Glaber Rodolfus, sub A. C. 1013. narratque Cont. Urspergensis, Henrico V. in Imperatorem electo, tradidisse Parentem, *Regalia seu Imperialia insignia, Crucem sc. & lanceam & sceptrum, globum atq; coronam*: quem quidem *Globum Crucigerum* tenendi munus ac Imperatori, cùm inauguratur, porrigendi, Comiti Palatino Rheni, ex Bullæ Aureæ tenore, incumbit. Cùm itaque Globus Cruciger pro Imperatorio præsertim symbolo hactenus fuerit habitus, Franci in Regiarum puellarum commutatione factâ A. C. 1614 cùm coronam *Globo Crucigero* in apice decoratam, Hispaniæ Regis armorum insignibus appositam, in Hispanorum tabernaculis, conspexissent, in augusto isto commercio ulteriùs progredi recusarunt, donec amoveretur; ne hocce symbolo prærogativam aliquam in Francos sibi arrogare Hispani viderentur. Interim *Crucigeros* quoque detulisse Hierosolymitanos Reges scribit Coquillius; Poloniæ, Cromerus; Hungariæ, Jessenius & Daniæ, Hogembergius, apud Car. du Fresne *Dissertat. de Infer. ævi Numism.*

Crucis Inimici, Hæretici Apostolo notati, Philipp. *cap.* 3. *vers* 18.

Crucis Signum, V. suprà.

Cruda, de fructibus, Græcè ὠμὰ, quæ *immatura* sunt, quibus opponuntur *Cocti fructus*, apud Hygin. At linum *crudum*, Græcè ὠμόλινον, quod *nondum maceratum* est, cui opponitur λινοπλυτὸν, h. e. *linum aquâ maceratum* & lavacro candidum factum, Nempe nostro more linum vulsum siccatur, in aquam mergitur & maceratur, deinde tunditur, mox pectitur, postea netur, ultimò texitur textumque adhuc flavum est, donec frequentibus lotionibus & aspersionibus aquæ candorem sibi conciliet. At Vett. iterum linum in filo poliebant & silici crebrò inlidebant cum aqua, textumque rursum clavis tundebant, Plin. *lib.* 19. *cap.* 1. Omolina itaque lintea ex *crudo* impolito & adhuc flavo lineo filo texta: & *crudum linum*, quod maceratum, politum & aquâ dealbatum non est, itidem ὠμόλινον Græcis Et quidem ex hujusmodi lino funes fiebant: id verò peculiare Xerxis, quòd ex λευκολίνου rudentes ei facti essent, quorum & pulchritudinem propterea commendat Herodotus *lib.* 7. Sed & ὠμόλινον, ut dictum, *linteum* ipsum ex *crudo lino* textum est, apud Pollucem, qui inter res balneis & gymnasiis convenientes ὠμόλινον recenset, utpote quo sudorem in balneis extergebant. Quo sensu ὠμόλινον semper accipiendum apud Galenum, Aëtium, Paulum: Latini *Crudarium* dixere. Ex eodem utplurimum μοτοὶ fiebant, seu *linamenta*, vulneribus immitti solita: qui duorum generum, τιλτοὶ, *carptiles*, & ξυστοὶ, *rasiles* erant; quorum illi ex linteorum crudorum filis carptis, hi ex rasa lanugine, fiebant &c. Salmasius *ad Solinum pag.* 765. & 766. De cibis, V infrà in voce *Semicocta*.

Cruda salutatio, apud Tertullianum *de Panis. cap.* 11. dicta est, salutatio antelucana Candidatorum, apud vett. Romanos, de qua *suo loco*.

Crumata, apud Martialem *lib. 6. Epigramm.* 71.

> *Edere lascivos ad Bætica* crumata *gestus.*
> *Et Gaditanis ludere docta modis.*

Al. *Crusmata*, Græcè κρούματα, tympanorum sunt & cymbalorum pulsus, cum digitorum crepitu, cujusmodi saltationes Hispanis hodieque in usu esse docet Jul. C. Scaliger *Poëtic. lib.* 1. *cap.* 18. tres earum modos enumerans, *Chironomiam*, *Halma* & *Lactisma*, de quo ultimò suprà aliquid dictum est, ubi de *Calce*. Hinc *tinnula Gades*, apud Papin. Statium *lib.* 1. *Sylv.* 6. *vers.* 71. & *canori chori Gaditanarum*, apud Juvenalem, cujus V. Scholiasten *Pithœanum ad Sat.* 11. *vers.* 160.

Crupezia, Græcè κρουπέζια, à verbo κρούω & nomine πέζα, dicebantur ligneæ soleæ, quas sub pedibus habebant ad hunc solum usum factas, qui in Theatris pede pulpitum percutiebant, ad incentivum dandum, quò clarior sonus esset & ab omnibus meliùs intelligeretur. Ligneis enim sandaliis percutiebant, qui choro ἐνδόσιμον dabant. Imò cùm multi essent, qui saltantibus Pantomimis pede streperent, ut major sonantiorque ederetur crepitus, ferreis quoque soleis postea leguntur usi. V. suprà in voce *Crepitaculum*.

Crupsia, villa, vulgò *Crouchten*, ad Alisontiam fluv. Lucelburgensem. V. *Alisontia*.

Crupta, in *Glossis Bitus*; quod Græci interpretantur ἀπόκρυφον μέρος τοῦ ἱεροῦ, h. e. *adytum*, seu interiorem Ædis sacræ cellam, sive concham aut aspidem templi, speluncæ modo cameratam. Ad similitudinem namque speluncæ Dominici sepulchri istiusmodi olim Conchæ fiebant. Nempe gentes illæ, quæ mortuos non cremabant, subterranea quæsivere loca, illis recondendis, ne cadaveris odor putrescentis in supernis sentiretur: quæ *Crypta* dictæ. Unde *Cryptæ Martyrum* toties, in Patrum Scriptis. Hodieque Procerum monumenta, &, si qui alii gentilia sepulchra habent, *Cryptæ* veræ sunt, specus viz. defossi & subterranei fornices, in quibus aut terra obruta sunt corpora, aut marmoreis & plumbeis, atque etiam ligneis arcis condita, suprà extante ad memoriam ex marmore aut lapide structâ aliquâ massâ & inscriptâ, quod propriè *monumentum* vocatur. Nec alia fuere Judæorum monumenta, sed *Cryptæ* omnino, uti eas passim Auctores vocant, Σπήλαια Græci dixere. Nota certè Abrahami *spelunca duplex*, h. e. ἀμφίθυρος, *duplicem habens aperturam & ex duabus partibus ingressum*: & Lazari μνημεῖον seu σπήλαιον, quod ita describit Nonnus, ut fuerit specus subterraneus lapide structus & cameratus cum foramine desuper, ad demittenda cadavera, quod lapide vice operculi claudebatur. Cujusmodi generis aut formæ Græcorum quoque hypogæa fuisse, liquet. Atque in hæc, corpora, sicut erant pollicta & involuta linteis, tæniatim scissis, per ostium supernum, immisisse Judæi sicque illa, in nudo *Cryptarum* solo jacuisse, non in sarcophagis condita fuisse, videntur. Cavos in pariete monumenti excavatos, in quos veluti traderetur cadaver, vicem lectorum vel arcularum, quarum in Græcia usus, præbuisse, tradunt Magistri. Sic itaque & Dominus noster in *Crypta* sepultus est, ad cujus similitudinem apsides postmodum Templorum factas, suprà diximus, V. Salmasium *ad Solinum pag.* 1208. & *seqq.* & infrà in voce *Cryptæ*.

Crura, varicandi ac disparandi modi duo, quorum alterum Dædalus in simulacris primus expressit, V. infrà in voce *Varus*. Illa, uti pedes tibias, ac femora, fasciis involvebant Antiqui, Hebræi, Græci. Romani; interque eos ægroti primùm & imbecilles, dein homines delicati & molles. Et quidem de *cruralibus fasciis* Quintilianus *lib.* 11. *Palliolum*, inquit, *sicut fasciis, quibus crura vestiuntur, & focalia & aurium ligamenta, sola excusare potest valetudo*. Unde Pompejo inter alia objectum, quòd *candidâ fasciâ crus haberet alligatum*, apud Val. Maximum *lib.* 6. Quod tamen ille, quasi tegendo ulceri id faceret, excusare solitus est, teste Amm. Marcellino *lib.* 17. Clodius verò etiam purpureas gessit, quod nequitiæ solitum tributum, Cic. *de Harusp. Resp.* Unde, inter alia nequitiæ instrumenta, Herculi apud Omphalem agenti, etiam *crurales fasciæ* adscribuntur, in *Hippolito* Trag.

> Crura *distincto religavit auro,*
> *Luteo plantas cohibente socco* &c.

Postea promiscuè usurpari cœperunt, & quidem de puellis nota res ex Menandro, apud Pollucem & Horatio: quam ob caussam fœminas Græcis Poëtis ἑλκεσιπέπλους, διὰ τὴν ἔνδυσιν τῶν μηρῶν dictas, inquit Pausanias. De viris, ex aliis passim. Quod factum inprimis, postquam in frequenti usu calcei cœpere esse. Interim, Trajano imperante, fascias hujusmodi mediocris adhuc fortunæ homines ignorasse, Dio Chrysostomus docet *Serm. de Tyrannide*. Tandem verò inter ordinarias vestes & hæ numeratæ sunt, uti patet ex Ulpiano *l.* 25. *de aur. argent. mundo*. Περισκελίδας autem illas, sicut pedules fascias περιπεζίδας, Græci dixere. Unde *Periscelidis Ordo* in Anglia, adeò celebris, de quo suo loco. V. Isaac. Casaubonum *ad Suetonium Aug. cap.* 82. & de *Crurum gracilitate*, inter corporis vitia olim habita, infrà ubi de *Gracilitate*. At *Crurifragium*, servorum olim ancillarumque pœna. Suetonius *ibid. cap.* 67. *Thallo à manu — crura effregit*. V. & *in Tiberio cap.* 44. Publicum idem maleficorum hominum supplicium fuit: ut delatorum, sub Commodo. V. Eusebium *lib.* 5. agyrtarum, manticulariorum, aliorum, apud Agathiam *lib.* 4. In Christianos postmodum sæpe exercitum, ut in *Martyrologiis* videre est. V. Casaubonum iterum *ad Suetonii locum*.

Crusai, pop. Mygdoniæ, apud Dionys. de quibus V. Salmasium *ad Solinum pag.* 161.

Crusmata, V. suprà *Crumata*.

Crusta,

Crisna, seu *Crosina*, apud Ughellum *in Episcopis Vercellens.* & in *Charta* Ottonis M. apud Meibomium, tunica est ex ferinis pellibus, du Fresne *Glossar.*

Crustæ, apud Ciceronem 6. *Verr. Quæ probarant, iis crustæ aut emblemata detrahuntur*: de vasis argenteis cælatis dicitur. Nempe cùm hæc modò cælarent figuris totis extantibus, modò dimidiatis: illa *emblemata*, ſignaq; ἔντυπα & ἐμπαιστά, hæc ἀνάγλυφα & *crustæ* dicebantur, cùm sc. velut adfixæ imagines unum tantùm latus ostenderent. Utræque figuræ exemptiles erant; & plerumq; aliunde revulsæ vasculis puris immittebantur: unde ab anaglyphis divisæ. Qui proin vascula faciebant, *Vascularii*, qui emblemata iis illigabant, *Cælatores*, vel *Toreutæ* dicti sunt: quibus accessit tertium genus *Crustariorum Artificum*, qui *crustas* ex argento cælatas argenteis scyphis inducebant. Horum meminit Plinius *lib. 33. cap. 12. Habuit & Teucer Crustarius famam: subitoq; ars hæc ita exolevit, ut sola jam vetustate censeatur* &c. Operiantur autem *crustis* illis *cælatis* scyphi, calices, alia vasa. Salmasius *ad Solinum pag.* 1046. & 1048.

Crustæ Vestes, Gr. κρουστά, dicebantur illæ ex sericis, quarum trama quidem erat purpurea, subtemen autem alio colore infectum. Cujusmodi vestium usum privatis passim permissum, solis scenicæ & mimæ ulia parte vetabantur. *Cod. Theod. l.* 11. *de Scen. His quoq; vestibus noverint abstinendum, quas Græco nomine Latini crustas vocant, in quibus alii admixtus colori puri rubro muricis inardescit.* Nomen illis à densitate texturæ, quòd benè sc. essent percussæ. Lat. hinc quoq; *Cuncutes*: à quibus quid different Holoveræ, V. suo loco.

Crustulum, in tetrapharmaco, seu potiùs pentapharmaco Hadriani, memoratur apud Spartianum *in Vero*.

Crux, pro cruciatu & interitu in ligno, barbaris *Gabalus*, ex Hebr. *Gabal*, i. *terminus*, *stipes erectus in agris*; in carmine horrendo apud Livium *lib.* 1. *Arbor infelix*, Senecæ *Infelix lignum*, Græcis Σταυρὸς & Σκόλοψ, quorum tamen illud frequentius &c. vel *Simplex* fuit, idque primitus, cùm in uno simpliciq; ligno facta est affixio aut infixio, quorum posterius hoc supplicii genus Græcis Σκολοπίζειν & Ἀνασκολοπίζειν dictum est: vel *Compacta*, quæ manu facta est, idque duplici è ligno; Ξύλον proin δίδυμον, à LXX. in libro Josuæ versa. Hæc plena & vera *Crux* fuit, in qua brachia etiam explicabantur, atque ideo *Patibulum* non semel dicta. Ejus species triplex: *Decussata*, in qua duo ligna directa & æqualia inter se obliquantur, ad formam literæ X. *Andreanam* vocant, quòd is vulgò in ea cruciatus dicitur: *Commissa*, cùm ligno erecto brevius alterum supernè & in ipso capite committitur, sic ut nihil extet, quæ forma est examussim literæ T. Hanc Ægyptiis olim inter signa sacra fuisse docet Ruffinus: & *Immissa*, cùm ligno erecto transversum alterum injungitur atque immittitur, sed sic ut ipsum secet: in qua forma CHRISTUS JESUS mortuus creditur. Habet eminentiam aliquam & capitellum, aliter quàm in Commissa: unde ob 4. ejus angulos, Sedulius de cruce CHRISTI sic canit *lib.* 5.

Quattuor inde plagas quadrati colligit orbis,
Splendidus Auctoris de vertice fulget Eous,
Occiduo sacræ lambuntur sidere plantæ,
Arcton dextra tenet, medium læva erigit axem.

Fuere autem *Cruces*, ubique ferè gentium receptæ: Oriens quidem plerusque usurpavit, idque jam olim. De Syris V. Estheræ *cap.* 7. de Judæis Josuæ *cap.* 8. ut & in Numeris *cap.* 25. de Ægyptiis, apud Thucyd. *lib.* 1. & Justinum *lib.* 30. de Persis, apud Herodotum, ubi de Polycrate agit: de Afris, qui omnium creberrimè, neque solùm in homines viles, sed etiam Duces id supplicii exercuerunt, apud Valerium Max. *lib.* 2, *cap.* 7. de Græcis apud Plutarch. *in Alexandro* & Herodotum *in Calliope*, ubi de Xantippo Atheniensi agit. Romani statim sub primis Regibus usurparunt, unde *vetus veterrimumq; supplicium* Victori, & exemplum in Horatio, cui id sub Tullo parabatur, Liv. *lib.* 1. Liberâ quoque Rep. statim *Cruces* in usu, sed vix tamen nisi in homines viliores, & servos ferè. Juvenalis,

Pone Crucem servo.

Unde nomine *Servilis supplicii* capienda *Crux* venit, apud Tacitum *Hist.* 2. & 4. & Livium *lib.* 3. Nec tamen ob levem aut quotidianam noxam, Hor. *lib.* 1. *Serm.* 3.

Si quis eum servum, patinam qui tollere jussus
Semesos pisces, tepidumq; ligurrierit jus,
In cruce suffigat, Labeone insanior inter
Sanos dicatur.

Verùm ob graves & extremas, quales sunt: Delatura domini, V. Capitolinum in *Pertinace*, Herodian. *lib.* 5. ubi de Macrino Principe sermo est: Et in genere, omnis machina contra dominicam salutem, V. Paulum *lib.* 5. *sent. tit.* 12. Item Fuga diuturna aut repetita, V. Cic. *de Deiotaro* &c. In liberis hominibus apud Romanos rara *Crux*, sed vilioribus ac provincialibus. In quibus hæc crimina cruciaria fuere: Latrocinium, apud Sen. *Epist.* 7. & Petronium *in Satyr.* Sicariatus, Paulus *lib.* 5. *sent.* 23. Crimen Falsi, V. Firmicum *lib.* 6. Furtum tandem, sed non Romæ, apud Lampridium *in Alexandro*, ut alia omittantur. Seditionem tamen & innovationem præterire non licet, cujus prætextu damnatus est innoxius noster AGNUS: *Namq; Romanâ lege Auctores seditionis aut tumultus, pro qualitatis dignitate aut in Crucem tolli, aut bestiis objici*, auctor est Paulus *lib.* 5. *tit.* 22. In hos ergo tales ex ordine & more *Crux* usurpata, interdum regnū ei largius, & præsertim apud Reges. Alexander M. *duo millia Tyriorum*, qui hostes erant, *crucifixit*, Plutarch. *in eo*: Turbidos Judæos ad 800. in crucem egit Minutius Alexander in Judæa, Jos. *Antiqq. Jud. lib.* 13. *cap.* 22. bis mille Quintilius Varro, apud eundem *lib.* 2. *Excidii cap.* 3. quingenos & plures in singulos dies Titus, *lib.* 5. *cap.* 28. Christianorum decem millia uno tempore, uno loco sic interfecta esse, docet Martyrologium 22. *Jun.* Nec fœminis parcitum: Namque Tiberius, ob adulteratam in templo Isidis Paulinam, τούς τε ἱερέας ἀνεσταύρωσε καὶ τὴν Ἴδην αἰτίαν γενομένην αὐτοῖς, *& Sacerdotes crucifixit & Idam* (*ancillæ* nomen) *quæ corruptelæ causa fuerat*, Jos. *Antiq.* 18. *cap.* 6. &c. Duplex autem in *Cruce* figendi modus, vulgaris & rarus. In illo flagellatio solennis antecessor & rarò in crucem dati sunt nisi sic purpurati. Unde horrendi carminis apud Livium *lib.* 1. diserta lex, *Verbera intra aut extra pomœrium*: & tum denique succinebat, *Arbori infelici suspendito*. Idque potiùs flagris, quàm virgis, quæ honestiores. Usque adeò autem aspera flagella erant, ut sub iis multos interiisse, scribat Ulpianus *l.* 8. *de pœnis*. Quod magis fuit, cùm ea insitis talis aut ossiculis exasperabant: quod flagrorum genus Ἀστραγαλωτὰς μάστιγας dici notat Eustathius. Quo REDEMPTOR cæsus est flagro, Ἱμασθλην, id est, *loreum flagellum* appellat Nonnus:

Ῥιγεδανῇ Χριστοῖο δέμας φοινίξεν ἱμάσθλῃ.
Horrificâ Christi corpus rubefecit habenâ.

Fiebat hæc flagellatio, vel ante deductionem, idque domi aut in Prætorio, quod in SERVATORE factum: vel in ipsa deductione, per viam; quod moris fuit magis prisci. Si domi, ligabant interdum ad columnam. Plautus *Bacchid.*

— — — *Abducite hunc*
Intro, atq; adstringite ad columnam fortiter.

Si per viam sub furca id factum. Cùm deducebantur, miseri crucem suam aut certè ejus partem ipsi ferre sunt coacti: Unde Johannes *cap.* 19. Βαστάζων τὸν σταυρὸν αὐτοῦ, *Bajulans suam crucem*, nempe totam; Alii, qui ritu inprimis veteri sub furca cæsi ducebantur, non nisi istam ferebant. Porro trahere, divexare & stimulis agere tales moris erat, ut patet ex Plauti *Mostellaria*. Simul ad *Crucem* ventum, spoliati vestibus in eam agebantur, quod idem in CHRISTO observatum; funibusque adstringebantur, vel, quod frequentius, clavis affigebantur, qui in manibus pedibusq; fuere: Nonnus de SERVATORE,

Καὶ ποσὶ καὶ παλάμῃσιν ἀθέσφατα κέντρα κομίζων,
Et pedibus manibusq; ferens stimulos ferratos.

Horum ternos quidam, alii quaternos fuisse volunt. Imò per sævitiam multiplicati sæpe clavi. Quò supplicii v. tam acerbi justitia omnibus innotesceret, causa illius seu crimen, Romanis *Titulus*, item *Elogium*, Matthæi Evang. Αἰτία dictum, in tabella scribi & damnatis anteferri, vel appendi aut apponi solebat. Dio *lib.* 54. de servo, quem dominus agi in crucem, idque per forum jussit, μετὰ γραμμάτων τὴν αἰτίαν τῆς θανατώσεως αὐτοῦ δηλούντων, *Cum literis* (seu Titulo) *quæ causam mortis aperirent*. Sæpe tamen eo neglecto ac spreto, contenti fuere Superdictione, id est, ut Præconis præeuntis voce populo id nuntiaretur. Sic fixis mors lenta, molesta, & vel à stillante paulatim sanguine, vel à fame, vel ab avium ferarumque laniatu. Certè in *Cruce* fixi bestiis, in publicis inprimis spectaculis, sæpe objecti, apud Eusebium *lib.* 5. *cap.* 1. Martialem *lib.* 1. *de Laureolo*, Sueton. *in Nerone cap.* 49. &c. Interdum etiam lanceis transverberatos legimus, an ad accelerandum Fatum, ut in Marcelliano & Marco; Martyrol. 18. Junii, an ad explorandum, ut in nostro DOMINO factum est, cui miles jam mortuo lanceâ latus aperuit, sc. periculū facturus an bonâ fide obiisset. Crura affixis non fracta, nisi apud Judæos, ne fraus legi fieret, quæ jusserat ad Solem occasum suspendiosos deponi. Apud reliquas verò gentes, non depositi sic mortui sunt, sed tabo illic diffluentes, à Sole pluviaque fuere corrupti, sepulturæ exortes. Unde Theodorus Cyrenæus, Tyranno minitanti, respondit: *Sua nihil interesse, humi, an sublimi putresceret*, apud Ciceronem & Valerium. Quare ne quis deponeret, miles & custodia assedit, Petronius *in Satyr.* Plutarch. *in Cleomene* &c. quò possis referre vocem Pilati ad Judæos: Ἔχετε κουστωδίαν, ὑπάγετε, *Habetis custodiam, abite*. Hactenus vulgaris crucifigendi modus: Rarus vel ævo sepositus vel schemate aut fine insuetatus fuit. Ævo seposita *Furca* est, de qua V. intrà *suo loco*. Schemate à vulgari diversus fuit, cùm alio atque alio habitu hominem affigebant, ut ingeniosa in pœnas crudelitas est. *Alii capite conversò in terram suspendêre*, Sen. *Consol. ad Marciam cap.* 20. quod in Petro factum Chrysostomus refert *Orat. in Petr. & Paulum.* Obliquum jacensque Eunuchi corpus tribus stipitibus sive crucibus infixit Parysatis, apud Plut. *in Artaxerxe.* Inter duos palos dispessis manibus pedibusque alligatos, reperias in Martyrologio: Videas & inter arbores appensos, & iis reductis scissos, apud Propertium,

Arboreasq; cruces Sinis & non hospita Grajis
Saxa, & curvatas in sua Fata trabes.

Tertius figendi modus rarior, sine à vulgato divertit, cùm *Cruces* hominem capiebant moriturum non per ipsas, sed in ipsis: vel fumo flammaque, vel bestiarum moribus; Item cùm non vivi, sed mortui in ea appensi, apud Orientales inprimis; nec cadavera solùm, sed imagines quoque: ut in Celso factum, cujus *corpus à canibus consumtum est, & novo injuriæ genere imago in crucem sublata*, auctore Pollione *in XXX. Tyrannis* &c. Fuit autem *Crux* ex obvio quovis ligno constructa, è quercu Servatoris censetur. Silius quoque in ea crucifigit, *lib.* 1.

Quem postquam diro suspensum robore vidit.

Locus ei incertus & pro arbitrio, tamen plerunque conspectus aliquis ac juxta vias: In monte Calvariæ SERVATORIS fuit: *in excelsissimo Mycalensis montis vertice* Polycratis, Valer. Max. *lib. 6. cap. ult.* quin ipsa sæpe alta, præsertim in noxio aliquo insigni. Sed satis de his: Sustulit *Crucis* supplicium Constantinus M. sub Imperii sui extrema, postquam jam à primordiis ejus *Crux* in honore esse cœpit, à quo Maxentium aggressurus figuram ejus in cœlo vidit, cum verbis: Ἐν τούτῳ νίκα. *In hoc vince*, Zonaras *in Constant.* Tum enim militaribus eam signis injecit, & maxime Labaro, quod inter ea primum: in ipsis et am militum armis & quidem galeis mox effulgere cœpit. Imo in suum caput & ad Diadema Imperator transtulit: statuam quoque sibi erigi fecit Romæ in urbe media, quæ manu hoc teneret signum, cum inscriptione, quam apud Eusebium, qui volet, leget *de Vita Constantini lib. 1. cap.* 23. quod exemplum sequuti sunt Imperatores alii, (ut ex nummis illorum apparet, V. infra) etiam non Christiani, quemadmodum Occo in Galieno & Romulo Augustis notat: A' quo ritu etiamnum crucifer ille globus, inter Imperii Insignia. Hactenus Lipsius *lib. de Cruce.* Rivetus verò signum, quod Constantino apparuit, non fuisse *Crucem* ejus formæ, prout fingitur vulgò, sed literam Græcorum P. literæ X. insertam, quam oblique intersecabat hoc modo ☧. quæ primæ nominis CHRISTI initiales literæ, nomen ipsius significabant, ostendit. Vulgare enim *Crucis* signum potius literam T. retulisse, suprà visum, & docet Tertullianus *c. Marcion lib.* 3. Nec Eusebius, qui visionem hanc *de Vita Constant. lib.* 1. *cap.* 22. refert, nec Zonaras retro laudatus, aliam memorant inscriptionem, quàm ἐν τούτῳ νίκα, *in hoc*, vel *per hunc*, (cujus initiales literas Imperator vidit) *vince*: ut verba ad ipsum CHRISTUM commodissimè referri possint. De Labaro idem docet, non tum primùm in crucis formam fuisse conversum, sed jam antea eam imitatum esse, ut Pamelius post Tertullianum *in Notis ad Apologet. cap. 15. num.* 245. agnoscit. Sic itaque Constantinus Labaro nihil adjunxerit, nisi quòd auro intextum CHRISTI nomen velo imposuit. ut testatur Prudentius *c. Symmachum lib.* 1.

Christus purpureum gemmanti textus in auro
Signabat Labarum &c.

V. Andr. Rivetum *Summæ Controv. tract.* 2. 9. 19. & 20. Joann. Forbesium *Instructionum Historico-Theolog. lib. VII. cap.* 2. 5. & 8. inprimis verò Joan. Casp. Suicerum *Thesaur. Ecclesi.* in voce Σταυρὸς, nec non infrà in voce *Monogramma.*

Crux, in Nummis Impp. posterioris ævi passim, quos inter præcipuus est aureus ille Olybrii Augusti, in quo is exhibetur recto vultu, cum stemmate gemmato & crucigero, additâ *Inscr.* DN. ANICIUS OLYBRIUS AUG. in aversæ verò partis medio, *Crux* nuda conspicitur, cum lemmate, SALUS MUNDI, infrà CONOB. Cum duplici vero transversario stipite *Cruces* primum conspicere est in aureo nummo Constantini & Irenes matris: quas sane forma deinceps effictas à Græcis, satis declarant tum figuræ Græcanicæ vett. tum quæ reliquias Crucis servant Phylacteria, ut creditur. Sed & triplici effictam figuram *Crucis* apud Græcos observare est, ex pictura Græcanica Gazophylacii Canonicorum S. Genovefæ Paris. quæ cùm constet 4. tabellis, in harum una effinguntur S. Parasceve, S. Barbara, & S. Martina, singulæ dextrâ crucem tenentes, sed diversâ formâ. Nam S. Parasceve Crucem, ut vulgò dicitur *recruciatam*, seu in cruciculas in singulis brachiis desinentem; S. Barbara crucem cum duplici stipite transversario; S. denique Martina crucem nudam, nisi quòd sub extrema globulis exornatur: in altera verò tabella S. Thecla & S. Æcatharina cruces recruciatas perinde gestant: quas inter medius stat S. Stephanus Diaconi habitu &c. apud Car. du Fresne *in Dissertat. de Infer. ævi Numismatibus num.* 13.

Crux, apud Russos, solenni osculo tacta, fidei pignus in illa gente maximè solenne habetur. Quemadmodum de Pelagio scribit Sigebertus, ad A. C. 552. illum insimulatum mortis Vigilii Episcopi Rom. tenentem sancta Evangelia & *Crucem* publicè satisfecisse; & addit Anastasius *in eod.* ipsum Evangelium & Crucem super caput extulisse & tenuisse, qui mos postea sensim exolevit: unde solorum quatuor sanctorum Evangeliorum mentio fit *Nov.* IIX. *circa finem.* Ritum autem illum, ab ipso Magno Duce Michaele Fedeorovitio, in confirmationem Articulorum Stolborvenum, (quibus Suecis concessæ urbes & castella Ivanogrodia, Jamia, Coporia, & Nöteburgum, Magna Novogardia autem aliæque urbes Russis redditæ A.C.1617.) peractum, sic describit Petrus Petrejus *Chron. Rer. Moscovitic. Part.* 2. *pag.* 522. *Post reverentiam à Legatis exhibitam, & orationem à Magni Ducis Cancellario habitam, Literæ osculationis Crucis prælecta & in paropside aurea, imagini cuidam, supra quam Crux auro gemmisq; splendens, imposita sunt. Tum Magnus Dux & ipse brevi oratione defunctus, quâ pacem ratam se habiturum pollicitus est, idem vicissim à Rege stipulatus, caput inclinabat, duobusq; præcipuis suis Ministris, Principibusq; — coronam & sceptrum tradebat. Quo facto monuit Cancellarius Legatos, attenderent diligenter, quo pacto Magnus Dux Crucem osculaturus esset. Sic Magnus Dux de throno surgens, unumq; gradum promovens, faciem Cruci admovit, illamq;, uti videbatur, magnâ devotione osculatus est. Quod cùm fecisset, ipsemet Magnus Dux Legatis, Vidistis, aiebat, Crucem nos osculatos esse, fidemq; sic fatere, nihil eorum fore irritum, de quo inter Nos & Dominum vestrum, Potentissimum Regem Gustavum Adolphum Sueciæ, conventum est — Resumebat inde coronam & sceptrum* &c.

Crux Pectoralis, quam in Communione Rom. Episcopi ad pectus appensam deferunt, V. *Encolpium.*

Crypta Sacra, apud Petronium, *Ego sum ancilla Quartillæ, cujus vos sacra inante crypta turbastis*: eadem sunt cum iis, quæ paulò pòst ibidem, *Secreta*, item *nocturnæ Religiones*, Valerio *operta sacra*, Græcis κρύφια dicuntur, qualia erant Eleusinia, Samothracia, Mithriaca, Corytria, & alia id genus, in quibus ἐπιδείξεις & ostensiones illæ toties memoratæ locum habebant. Qui enim iis initiabantur, ea *accipere* & *invisere*; qui verò initiabant, ut Pontifices & Sacerdotes, ea *tradere* & *ostendere* dicebantur. Vetus Inscr. AURELIUS. VICTOR. AUGENTIUS. V. C. P. P. FILIO. SUO. ÆMILIANO. CORFONI. OLYMPIO. C. P. ANNO. TRICESIMO. CONSECRATIONIS. SUÆ. TRADIDIT. CORACICA. Et postea, OSTENDERUNT. CRIPHIOS, apud Salmasium *Not. ad Spartianum.*

Cryptæ, plurimæ in Orbe celebres. E' vivo alabastro excisæ ac variis concamerationibus, velut ingentibus aulis, distinctæ, in Ægypto Mumiarum seu medicatorum corporum receptacula sunt. Earum nobilissimam juxta Memphim hodiernam seu *Cairo*, describit Petrus de Valle *Itinerarii lib.* 1. & ex eo Kircherius *c. T.* 3. *Synt.* 13. *cap.* 4. Aliam ejusmodi Ichnographiam delineante, qui coràm *Cryptas* tales lustravit, Tit. Liv. Burratino Regis Poloniæ Architecto, apud eundem. Imò in istiusmodi *Cryptis*, velut integris civitatibus subterraneis, homines sæpe confertim habitare, produnt Historici. In Melita insl. istiusmodi *Cryptam* ingressus Gaffarellus A. C. 1637. integram in illa hominum Remp. deprehendit, qui in utroque sexu prægrandi statura & longævi, pane, caseo, lacte, cæpis, allio herbisque vivere soliti, tanto *Cryptarum* suarum tenentur desiderio, ut, si quando eos vel vendendi res suas vel comparandi alia necessaria Melitam adeundi necessitas urget, ibidem tanquam exilio damnati ægrè retineri possint. Hanc sub terra habitationem Arabicâ linguâ indigenis Insulæ familiari vocant *Ghaar Kebir*, id est, speluncam magnam, ut proin fides non deroganda omnis sit illis, quæ de Troglodytis ad Mare Erythræum infrà terram habitantibus, admiratione dignissima, scribunt Plinius, Solinus & Eliarus. Melitæ insl. vicina est Gauleos, vulgò *Gozzo*, in qua similem prorsus Cryptam hominibus refertam idem Gafarellus reperit; docetque, in utraque Ins. linguâ Arabica purâ, sine ulla Italicæ alteriusve mixtura, incolas uti; unde Maronitæ in montem Libanum reduces, dum Melitæ opportunitatem expectant, sæpe eos adeunt, ut iis Arabicè concionentur. Similiter in Hetruria, in agro Viterbiensi, pagus istiusmodi subterraneus est, cuniculis, sedilibus, loculis in vivo saxo excisis, multò Melitensi amplioribus, cujus indigenæ omnes Agriculturæ dediti; Nomen ei *Meniano*, sub dominio Principis Camilli Pamphylii. In Occ. quoq; Anglia 4. aut 5. mill. à nobili monasterio S. Edmundi speluncas istiusmodi antiquissimas, quas homines incolant, reperiri, annotavit Guil. Neubrissensis *in rerum Anglic. revolutionibus lib.* 1. *c.* 27. quæ vulgari linguâ, *Wulfputes*, quasi *Luporum latibula*, vocitantur. Nec alias regiones talibus *Cryptis* destitui, Geographi passim testantur. In Idalcanis regno Indiæ plerosque tum Brachmanes in monte Pagodum, tum plebejos in subterraneis meatibus habitare, referunt testes oculati. In Africa ad montes Lunæ, in intimis montium recessibus, homines contra Solaris æstus vim vitam degere, P. Petrus Pais narrat: quod idem de maris Caspii montibus refert Marcus P. Venetus. De subterraneis Romæ urbis *Cryptis*, ubi tot Martyres cum Pontificibus olim persecutionis tempore delituerunt. V. librum cui *Roma subterranea* titulus, & plura de istiusmodi hominum sive vivorum receptaculis, sive mortuorum conditoriis sub terra, apud Gaffarellum *lib. de Cryptis celebribus*, ut & suprà in voce *Crupta.*

Cryptæ, trichilæ, porticus & topia, conjunguntur Spartiano *in Vita Hadr* ubi in æstivis castris milites luxuriâ diffluentes ea usurpasse, ab Hadriano verò diruta esse tradit. In quibus *Cryptæ* hypogæa erant, quæ per summum æstum milites frigoris captandi gratia subibant, Salmas. Apud Scriptores Eccl. Rom. *Cryptæ* potissimum appellantur Oratoria & Sacella subterranea, cujusmodi plurima etiamnũ occurrunt in vetustioribus ædibus sacris, quæ in quibusdam Galliæ provinciis adhuc *Croustes* dicuntur, du Fresne *Gloss.* ubi

ut

in *Cryptis* condita olim ac sepulta Martyrum aliorumque corpora, refert ex Hieronymo *in Ezech. lib.* 12. *cap.* 40. & Gregorio Tur. *Histor. lib.* 1. *cap.* 139. V. quoque supra.

Crystallina Pocula, apud Statium *in Coma Earini*,

——— hic pocula magno
Prima duci, murraq; graves, crystallaq; portat
Candidiore manu:

maximo olim in pretio, ut & alia ex eo vasa. Solinus *cap.* 16. *Illic* (in Scythia) *& crystallus, quem licèt pars major Europæ & particula Asiæ subministret, pretiosissimum tamen Scythia edit. Multus ad pocula destinatur, quamlibet nihil aliud, quàm frigidum pati possit. Sexangulus invenitur. Qui eligunt, purissimum captant, ne quod rufum, ne nubilum vel spumis obstinum arceat perspicuitatem: tum ne duritia justo propensior obnoxium fragilitati magis faciat —— Livia Augusti ad magnitudinem* 150. *librarum inter Capitolina donaria crystallum dicavit.* Atque hi calices purissimi erant, quos *ἀκοιμήτους* dixere, uti diximus suprà in voce *Acemeta*. Cælabantur n. tantùm vitiosi, qui viz. capillamentum habebant rimæ simile, unde fiebant Calices diatreti, qui &, cùm cælarentur, sæpe frangebantur, præcipuè si nimia crystalli duritia esset, quæque cælo resisteret. Neque verò *κρυστάλλινα* solùm, sed & *κρυσταλλοφανῆ*, h. e. *vitrea, sed instar crystalli candida*, pocula cælabantur: quorum usus ad potandum, pulso auro & argento, magnopere apud Romanos fuit frequens. *Crystalla* itidem vocavit Martialis, *lib.* 2. *Epigr.* 74.

Quum tibi Niliacus portet crystalla catapius,
Sunt mihi de Circo pocula Flaminio.

Conficiebant nempe ista in Alexandria & pretiosa magnopere erant; cùm, quæ Romæ fierent, asse venderentur. Hinc Strabo vitri, quod in Ægypto conficiebatur, *πολυτελῆ κρυσταλλοειδῆ* appellat & *πολυχρόα*. At idem Vitriarios Romanos multa adinvenisse tradit, ad facilitatem vitri conficiendi vilitatemque. Hodie Veneti vitrarii, ex cineribus herbæ *Kali* seu *Vitrariæ* crystallina nitidissima ac pretiosissima efficiunt &c. Quam in rem V. Salmasium *ad Solinum pag.* 207. *& seqq.* nec non 1092. *& seqq.* De vitro autem illo, quod in candido tralucens crystallum quàm proximè imitabatur, cuique inter vitri genera ac colores maximum honorem atque pretium fuisse, vel inde patet, quòd calices hi tam carè venderentur, adi Plinium *lib.* 36. *cap.* 26. Idem erat *crystallum*, quo tincto adulterabantur gemmæ Indis, vitrum nempe *κρυσταλλοφανὲς*, seu *in candido translucens*, apud eund. *cap. de Smaragdis* &c.

Crystallinæ Sphæræ duæ tonitru edentes, asservantur in Musæo Kircheriano Romæ. Globi sunt trium digitorum in diametro ex rupea crystallo singulari arte in perfectam sphæram elaborati: qui transfusum Solarem radium in punctum colligunt; ibidemque appositum fomitem evestigio accendunt; objecta verò omnia scenicè catoptricâ provectione exhibent. Quos itidem effectus alias lentes præstare experimento demonstratur. Serviunt & ad caustica horologia concinnanda, quibus horâ monstratâ accenditur ignis magno cum strepitu & campanellæ pulsu horam monstrat. Quam in rem V. plura apud Georg de Sepibus *in Collegii Rom. S. J. Musæo pag.* 39. *&* 40. Ibidem *Crystalliferas* petras cerni, dicitur *p.* 42.

Crystallo, Soli opposito, admotam facem accendi, legimus apud Aristophanem in *Nub.*

ΣΤΡ. Ἤδη παρὰ τοῖσι φαρμακοπώλαις τὴν λίθον
Ταύτην ἑόρακας τὴν καλὴν, τὴν διαφανῆ,
Ἀφ' ἧς τὸ πῦρ ἅπτουσι; ΣΩ. τὴν ὕαλον λέγεις.
STR. *Vidistine apud pharmacopolas pellucidum*
Illum lapidem pulchrum pellucentem.
Quo ignem accendunt? SOCR. *Crystallum dicis.*

Ad quæ verba Scholiastes, *Crystallinum*, inquit, *instrumentum est rotundum, densum, ad hoc factum: cui oleo inuncto & ad Solem calefacto ellychnium admoventes atq; ita ignem accendunt.* Meminit etiam Theophrastus circa finem *lib. de Igne.* Et Plinius *lib.* 37. *cap.* 2. Medicos quosdam ait, *quæ sunt urenda corporum, non aliter utilius id fieri putare, quàm crystallinâ pilâ adversis posita Solis radiis.* Apud Baronium *ad A. C.* 751. §. 14. Zacharias Papa à Bonifacio consultus, an liceret eo igne in sacris uti, ita respondet, *De Igne verò, qui ex crystallis sumitur, ut asseruisti, nullam habemus traditionem* &c. V. Bochartum *Hierozoici Part. poster. lib. VI. cap.* 16.

Crystallus, Græcè *κρύσταλλος*, propriè est, τὸ παγὲν ὕδωρ ὑπὸ κρύους, Hesych. *aqua concreta frigore*, unde & vox Latinorum *Crusta*, & *κρυσταλλωθὲν ὕδωρ* Epiphanio, *aqua glaciata*, ad differentiam *κρυστάλλου λίθου*, *crystalli lapidis*; ad quem translata vox, ut quem omnes Vett. Solino excepto, frigore & longævâ nive densari scribunt. Plinius *lib.* 37. *cap.* 2. postquam de murrhinis disseruit, *Contraria*, inquit, *causa* Crystallum *facit, gelu vehementiore concreto. Non alibi certè reperitur, quàm ubi* maximè *hybernæ nives rigent: glaciemque esse certum est, unde & nomen Græci dedere.* Et paulo pòst, *Non reperitur in aquosis, quanquam in regione prægelida, vel si ad vada usque glacientur amnes, Cælesti humore, purvaque nive id fieri necesse est: ideo caloris impatiens, nisi in frigido potu, abdicatur.* Statius *lib.* 1. *Sylv.* 2. *versu* 126.

Raraq; longævis nivibus crystalla *gelarû.*

Idem *perspicuas nives* alibi pro eodem dixit,

Perspicuaque nives, Massylaq; robora & Indi
Dentis honos, uni parent commissa magistro:

Τὰ κρυστάλλινα intelligens, de quibus retro. Calvus quoque,

Atq; imitata nives lucens legitur crystallus &c.

Qua de sententia V. Salmasium *ad Solinum, pag.* 205. *& seqq.* & *pag.* 1092. Thom. Dempsterum *ad Corippum lib.* 3. Casp. Barthium *Commentar. poster. ad Claudianum*, Alios. Certè in rigentibus locis *Crystallus*, inter cautes, Alpium præcipuè, nascitur. Idem Plinius *d. l. Nos liquidò affirmare possumus in cautibus Alpium nasci, atque adeo inviis, ut plerumque fune pendentes eam extrahant. Peritis signa & indicia nota sunt.* In Scythia quoque Solinus *cap.* 15 *Illic & crystallus, quem licèt major pars Europæ subministret — pretiosissimum tamen Scythia edit.* Contra mentem Plinii, qui inter crystalli patrias Scythiam non numerat. Sed & idem *Indicas crystallos* agnoscit, experientiâ repugnante. Fortè vitrum accepit *κρυσταλλοφανὲς*, pro *crystallo*, sed nec hoc in India repertum. Certè Auctor *Peripli*, qui mercium Indicarum omnia genera, quæ in Arabicis Indicisque emporiis ac portubus vænales reperiebantur, studiosè recenset, nusquam meminit Crystalli; vitri quidem sæpe mentionem faciens: sed quod ab Ægypto in Indiam exportabatur à Mercatoribus, ut mercimonia Indica reveherent inde. Quòd verò Strabo Indiam *Crystalla* generare scribit *lib.* 15. per *κρυστάλλους* intelligit, *crystallina facie gemmas*, & candicantes, inter quas adamantes primas tenent: quibus *ἀνθρακας* opponit, h. e. *gemmas ardentes*, inter quas principatum tenet, qui *ἄνθραξ* propriè dictus est. Ejusmodi *κρυστάλλους λίθους* intelligit quoque Diodorus *lib.* 2. cùm ait eos in Arabia caloris divini vi cogi ac congelari & ἀπίστους διαμένειν, βαφαῖς δὲ πολυμερέσι ἀλλοιουμένους τὸ χρῶμα: quæ omnia Crystallo, de quo nobis sermo, neutiquam conveniunt. Namque fragilem eum esse constat, idemque uniformis est, nec pluribus coloribus naturâ imbuitur, cùm in candido tantùm transluceat. Nempe Indicos inprimis & Arabicos adamantes indigitat, qui & sexangulis lateribus nascuntur ut crystallus, & colore tralucido non differunt &c. Cæterùm *Crystallus* cælabatur argenti modo, uti diximus supra ubi *de Crystallinis Poculis*: inprimis qui vitio aliquo laborabat. Plinius ubi suprà, *infestantur plurimis vitiis, scabro, ferragine, maculosâ nube, occultâ aliquando vomicâ, prædurо fragilique centro & sale appellato. Est & rufa aliquibus rubigo: aliis capillamentum rimæ simile. Hoc artifices cælaturâ occultant. Quæ verò sine vitio sunt, puras esse malunt.* Atque hujusmodi vasa maximo in pretio fuere. Unde Nero amissarum rerum nuntio accepto, duos calices crystallinos in suprema ira fregisse illisos legitur apud Eund. *Hæc fuit ratio seculum suum punientis, ne quis alius ex his biberet.* Sed & vas amphorale visum, Xenocrates auctor est, & aliqui ex India crystallum sextariorum quatuor. Magnitudo amplissima Plinio visa, quam in Capitolio Livia Augusta dicaverat, *librarum circiter quinquaginta*, Solinus habet, *centum quinquaginta.* V. plura hanc in rem apud præfatos Auctores, Salmasium inprimis *loc. cit.* ubi & de opinione multis seculis inveterata, cui Solinus ansam dedit, quasi *Adamas in quodam Crystalli genere inveniretur*, multa eruditè addit. Nec omittendus Agricola, qui *Crystallum* è lapidescente perspicuo succo, quem sub terris aut inter gelidas rupium venas frigiditas vehemens glaciet duretque, generari contendit *Fossil. lib.* 6. &c.

CT.

Ctenariæ, Græcè Κτηνάριαι, dictæ sunt Græcis *regiæ*, h. e. portæ primariæ Ædium sacrarum, quòd cancellatæ essent, & instar *κτενὸς*, *pectinis*, effictæ. Anonymus *in Festum Restitut. Imagin. pag.* 741. Κατῆλθον λιτανεύοντες μέχρι τῶν βασιλικῶν πυλῶν τῶν καλουμένων Κτηναρίων. Ubi Interpres, *Descenderunt litaniam canentes ad usque palatii portas, quæ* Ctenariæ *dicuntur*: perperam de *Regiis Palatii* verba hæc accipiens, V. Car. du Fresne *Descript. Ædis Sophianæ num* 80.

Ctesibius, Alexandrinus, addes Hydraulidis tibiæ vel fistulæ, cujus canales aquâ inspirabantur, inventor extitit. Idem Horologia ex aqua composuit, quæ dividerent horas æquè noctium & dierum: cùm Solaria horologia jam essent reperta, & dies in horas XII. divisus. Sed & meminit Athenæus *lib.* 11. vasis cujusdam, quod Ῥυτὸν dicebatur, ab eodem facti, & in Templo Veneris Arsinoës dedicati, quæ Arsinoë Ptolomæi Philadelphi uxor fuit, post mortem *Veneris Zephyritidis* nomine culta; quemadmodum *Ctesibiacam* machinam ad hauriendâ & altissimè extollendâ aquam accommodatam Vitruvius describit. Ei autem mentem hydraulici organi, vel potiùs Horologii ex aqua conficiendi suggessisse dicitur Plato, facto Horologio nocturno, velut Clepsydrâ magnâ, uti videre est apud Athenæum *lib.* 4. Atque hinc, ex Ctesibii viz. inventis, aquarum Horologium profluxit, quo primo usi sunt Romani, V. Vitruvium *lib.* 9. *cap.* 9. & plura hanc in rem, apud Salmasium *ad Solinum p.* 589. 637. *& seqq.*

CU.

Cuba, Dea apud Romanos, & cum Edusa ac Potina, puerorum Præses: de qua sic Thom. Bartholinus *de Puerper. Vett. Finitâ ablactatione epulæ instructæ & pro ciborum auspicio Edusæ, potionis*

tionis Potinna, sacra fiebant, porcellis lactentibus & pane furfuraceo, ubi simul Cubæ initiabantur, sicut apud Christianos farre. Exportari denique in agros ad Dianam tumque nutriri cœperunt &c. At *Cuba*, apud Adelmum *de laudibus Virginum*,

En iterum sancti strofis stimulante draconis
Martyres in cubas mittuntur sominis farsas:

pro *cupa* est, de qua V. infrà.

Cubare, propriè de Cubicularibus lectis: uti *accubare* de Tricliniaribus, quæ & *accubita* dicuntur & *accubationes*. Sed & de lucubratoriis lectis id dicitur, de quibus V. Casaubonum ad *Sueton.* De vett. verò Romanorũ in *Cubando* mollitie, infrà ubi de *Pulvillis*.

Cubeba, seu *Cubabum*, vett. Latinis *Cumanum*, Græcè κώμακον, cum casia & cinnamomo memoratur Theophrasto, inter eas species, quæ ex Arabia & India afferebantur, hodieque in Java, ubi plurimum nascitur, *Cumac* dicitur. Fructus est vel semen, Græcis vett. μυρτίδανον quoque, à *myrti* similitudine dictum: quod illud piper est, quod passim ita exponi legimus, in *Lexicis* Græcorum. Genus certe esse piperis *Cubebam*, non antiquis modò, sed & Neotericorum multis persuasum est: sic & myrtidanum genus piperis apud Hippocratem est; cui simile & aliud genus piperis, quod *caudatum* dicitur. Unde liquet, falli Avicennam, qui *Cubebam* Arabum nostramque, *carpesium* interpretatur Galeni: hoc enim genus aromatis est, surculis cinnamomi virtute præditum. Cubeba vero non festuca est, seu surculus, sed fructus &c. V. Salmasium ad *Solinum pag.* 1306.

Cubicularius, Papiæ ex Solipatro, Custos Cubiculi, Græcè Εὐνοῦχος, namque etiam *custodire*, τὸ ἔχειν significat Leo *Nov. de Eunuchis* 98. Καὶ τοὺς εὐνούχους ... V. Cujacium *in l. h. de lib. & posth.* Ambrosium *Epist.* 5. ubi Gallicanus, cubiculi Præpositus, *Eunuchus regius* dicitur. Apud Socratem Eutropius, εὐνοῦχος πρεσβῦς τοῦ βασιλικοῦ κοιτῶνος. *Eunuchus præpositus Cubiculo regio* & primus Eunuchorum Consul factus, dicitur. Evagrius quoque *lib.* 4. Οἱ τοῖς βασιλικοῖς ... *inquit*, *Qui regiis cubiculis inserviunt, Eunuchi vulgo dicuntur.* Claudianus *in Eutr.*

Præfecti sed adhuc gemmis vestisq; dabantur,
Custodes sacroq; adhibere silentia somno.
Militia Eunuchi nunquam progressa cubile:
Non vita spondente fidem, sed inertia tantùm,
Mentis pignus erat, secreta monilia servent,
Ornatus curent Tyrios.

Hoc enim habitu naturæ fuit Eutropius is, quo Consule omnia monstra cessisse, scitè idem Claudianus ait: quemque in Cyprum inf. relegatum, facultatibus ejus in fiscum coactis, testatur, *l. 17. de pœn. in Cod. Theodos.* Unde apparet, castratis cubiculariis, qui vulgari appellatione *Eunuchi* audiunt, postmodum Principes, ad cubiculi tutelam, plerunque fuisse usos, more à Barbaris Principibus mutuato. Hinc Impp. *Eunuchum sacri cubiculi ministeriis adhæsurum*, dixere, *in l. 4. C. de præpos. sacr. Cubic. lib.* 12. V. Joh. Laurentium JC. *notis in Phædrum, fab. 5 lib.* 4. In Imperio Rom. Elector Brandenburgicus Imperii Archicamerarius dicitur, nomine à Camera, quæ Germ. *Cubiculum* designat, desumto. Imperatores enim Rom. olim suos *Cubicularios* seu *sacri Cubiculi præpositos* habebant, inter quos Primicerius erat, cujus officium cum hoc quadantenus coincidit. Limnæus Enucleat. *lib. 2. cap.* 10. V. de *Cubiculariis* Regum Franciæ, infrà. Interdum idem, qui *Camerarius* seu Thesauri Regii custos est, V. suprà *Bibliotheca*. Namque & *Cubiculum* idem nonnunquam quod *Camera* est, Ærarium, Thesaurus Principis seu locus, ubi reconditur: quâ notione etiam vox occurrit apud Ann. Comnenam *Alexiad. lib. 2. pag.* 55. Sed & iidem aliquando *Cubicularii*, cum Capellanis sunt, Sacellorum sc. quæ & ipsa *Cubicula* dicuntur, Custodes, &c. V. du Fresne *Glossar.* & suprà in voce *Cantor*.

Cubicularii Regum Franciæ I. & II. stirpis.

Ebero, sub Childeberto, Austrasiæ R.
Faraulfus, sub Chilperico I.
Eberulfus, sub eodem.
Chundo, sub Gunthranno, apud Greg. Turonensem *lib.* 7. c. 13. 18. 21. & *lib.* 10. *cap.* 10.
Bertharius, sub Theodorico II. apud Fredegarium c. 38.
Austrapius sub Dagoberto I. in vet. *Charta*.
Adalgisus, sub Carolo M. apud Eginhardum.
Reginfredus, sub eodem, *Ibid.*
Rothbernus, sub Carolo Calvo A.C. 852. V. Andradum *in Revelat.* &c.

Cubicularius Novæ Romæ, apud Ughellum *Italiæ Sacræ Tom. V. pag.* 1505. *Hilarius Sacerdos & Monachus & magnæ Ecclesiæ novæ Romæ Cubicularius*: dignitas fuit Eccles. eadem fortè, cum illa, quam Κουβουκλείου appellat Pachymeres *lib. 12. cap.* 2. quâque etiam donatus fuit Romanus quidam Κουβουκλείσιος τοῦ Θεοῦ ἁγίας καὶ μεγάλης Ἐκκλησίας, Πριμικήριος τοῦ βασιλικοῦ ... τοῦ Μεγάλου καὶ ..., cujus liber, περὶ ... laudatur P. Lambecio *Comm. de Biblioth. Cæsar. lib. 6. pag.* 141. ut & Joannes Cameniata, cujus Narrationem de Excidio Urbis Thessal. edidit Leo Allatius, in Epigraphe illius Κληρικὸς dictus & Κουβουκλείσιος. Ejusdem dignitatis meminit quoque Balsamon *ad Concil. VI. cap.* 7. Sed quæ propriè ea fuerit, definire haud omnino promtum est, cùm de ea sileat Codinus *in Catalogo Dignitatum Ecclesiasticarum*. In *Concilio* Nicæno *act.* 1. & 4. memoratur Cosmas Diaconus, Νοτάριος καὶ Κουβουκλείσιος τοῦ ... Πατριάρχου: qui in *Act.* 5. Κουβουκλείσιος dicitur. An eadem dignitas, quæ ὁ Κουβουκλεῖος appellatur *in Catalogo Dignit. S. Sophiæ* Medonitano, ubi ejus officium sic describitur, ut *Cubiculesius* videatur fuisse Capellanus Patriarchæ, &c. Car. du Fresne *in Glossario*.

Cubicularius Tonsuratus, in *Ordine* Rom. memoratus, in familia Pontificis Rom. sic dicitur, ad discrimen *Cubicularii Laici*, cujus idem quoque Liber meminit. Munus ejus circa vestes Ecclesiasticas, ut Laici circa quotidianas erat. Et quidem *Laico*, ut ibi habetur, *hæc cura est præscripta, ut sella Pontificis in secretario sit parata, donec ille veniat celebraturus divina Mysteria.* De Tonsurato ibidem alio loco *Pontifex autem per manus Subdiaconorum mutat vestimenta hoc ordine: defert ei plicata Cubicularius Tonsuratus accepta de manibus Ostiarii*, &c. Eligebantur autem *Cubicularii* isti Pontificii ex Schola Cantorum, ut videre est *ibid.* ut & in *Ceremoniali Rom. lib.* 1 *sect.* 2. apud eundem du Fresne. V. quoque Macros fratres *in Hierolexico*.

Cubiculata Navis, apud Senecam, V. infrà *Thalamegos*.

Cubiculum, apud Suetonium *Nerone c.* 12. *Icarus primo statim conatu juxta* Cubiculum *ejus decidit.* Græcè Cφαιριστήριον est Polyb. *lib.* 5. i. *papilio magnificus*, principibus primò Viris in Asia, cùm ad jus dicendum, vel ad spectandos ludos, vel etiam ob causam aliam propalam sederent, olim in usu; uti de Phocione ex Plutarcho, de Alexandro aliisque Regibus, ex aliis discimus. V. de eorum fabrica & magnificentia Athenæum *lib* 12. Inde similem *suggestum* seu tentorium Principibus suis Ludos spectantibus Romani in Orchestra extruxere, Suetonius *Julio c.* 76. Cum nascente enim Principatu hic mos apud eos cœpit. Vocatur *Cubiculum* à forma, quoniam hi ... in modum parvi cubiculi facti sunt. Utroque modo & *suggestum* & *cubiculum* nominat Plinius *Panegyr.* Polybius etiam ... Græci insuper ... Nicetas quoque τὸ βασιλικὸν ἐδέασμα. Casaubonus *ad l. Suetonii cit.*

Cubile, apud Plinium, ubi de Æde Dianæ Ephesiæ, *Id consecutus est ille* (Chersiphon Architectus) *eronibus arenâ plenis molli clivo, super capita columnarum exaggerato, paulatim exinaniens imos, ut sensim moles in cubili sederet*: sedes est, cui imponitur moles, & cum qua coagmentatur. Unde *Cubilia* & *coagmenta laterum ac lapidum*, apud Vitruv. Ὀπὰς, Græci dixere istiusmodi tignorum cubilia & asserum, Latini quoque *cava* & *columbaria*. V. Salmasium *ad Solinum pag.* 818. Apud Plinium *Cubile salutatorium*, locus est ædium, in quo quisque olim suos Penates habebat. Ita enim is *lib. 15. cap.* 11. ubi de malo cotoneo: *Omnia jam & virorum salutatoriis* Cubilibus *inclusa, simulachris noctium consciis imposita.* V. Hadr. Turnebum *Adversar. lib.* 11. *cap.* 28. Casaubonum *ad Suetonium pag.* 78. & suprà in voce *Cotonia*. De *Cubiculariis* verò *Imaginibus* Vett. *Ministeriis* item, *Velis* &c. infrà, ubi de *Imaginibus*, *Servis*, *Velis*.

Cubistica, prima species, triplicis saltationis Veteribus usitatæ, cujus Homerus meminit; Xenophonte ac Suidâ testibus: ars fuit, quâ homines variis modis pedes ac manus contorquentes in caput saltabant. Quemadmodum nostrâ etiam nunc ætate circulatores faciunt, qui, lucri gratiâ homines decipientes, varias urbes Comœdiis recitandis peragrant. Κυβίστημα eam vocat Lucianus & in *Gloss.* reperitur *Cernulus*, quam vocem etiam Seneca usurpat *Epist.* 8. etsi *cernuus* plures codices habeant. V. Mercurialem *Artis Gymn. lib.* 1. c. 3. & suprà in voce *Cernuus*.

Cubiti, Græcè πήχεις, Alexandrinis vocitati fuerunt pumili pueri vix *cubitum* alti, teste Luciano in Γνώμ. ... & Philostrato in *Nilo*: quales facie & garrulitate amabiles undique conquisiisse Augustus dicitur Suetonio in *eo cap.* 83. Iisdem matronas otium solitas oblectare, legas apud Dionem *lib.* 58. Imò & inter viros eruditos hujusmodi delitias esse versatas, Philostratus auctor est in *Herode*. Inter eos excellere garrulitate pueri Syri, Alexandrini & Mauri, uti discimus ex Luciano cod. Petronio, Martiale, Statio. Nudos à veste haberi, interim multo auro gemmisque exornari solitos, legas apud Dionem ubi suprà, Herodianum *in Commodo* & Philostratum *in Sophistis*, qui παιδία ψιθυρίσματα inde eos vocat. Alii ab iis pumili seu nani fuere, de quibus infrà. V. Casaubonum *ad Suet. d. l.* & infrà in voce *Delitiæ*.

Cubitorium, memoratum Cencio Camerario in *Ceremoniali lib.* 2. fuit lectus, qui Pontifici sternebatur sub Tribunali nempe, summo triclinii, in quo cum Clero & Proceribus epulari solebat, loco, q. fortè *Accubitorium*, Alemannus *in Dissertation. de Lateranensibus Parietinis c.* 4.

Cubitus, & *Cubitum*, Græcè πῆχυς, quòd in sumendo cibo Vett. in eo *cubabant*, uti vidimus suprà, ubi de *Accumbendi ritu*. Unde apud Martialem Zoilus, in medio lecti loco positus, ut laxiùs recumberet, neque vestes disturbarentur, *cubito* summovebat convivas, *lib. 3. Epigramm.* 82.

Jacet occupato galbinatus in lecto:

Cubitis

Cubitisq; trudit hinc & inde convivas
Effultus ostro, sericisq; pulvinis.

Inde genus mensuræ, habens duas spithamas & 2. pedes: juxta Aëtium, qui hanc longitudinem ascribit chelidoniæ aspidi, omnium nocentissimæ, ut videre est apud Salmasium *ad Solinum pag.* 442. Solino *duo cubita* sunt quatuor pedes, c. 52. ubi de Monocerotis cornu. Aliis *duo cubita* tres tantùm pedes sunt, cujusmodi *cubitus* λιθικὸς & ξυλοπριστικὸς dictus est, Heroni in *Isagoge*: eo enim ligna, quæ serrâ secabantur, & lapides, mensuram accipiebant. Apud Scholiastem quoque Pindari *Isthmion* 4. ubi de Hercule, Ἡρόδωρος γὰρ ἐν Οἰδίποδι φησι τ᾽ ἄλλων ὑπερτέρων, ὅτι ἦν ὅλον σῶμα πηχῶν ἔχων τεσσάρων καὶ ποδὸς, *Herodorus in Oedipode ait, reliquos superasse, utpote cujus totum corpus fuerit quatuor cubitorum & pedis*: septem pedes faciunt 4. *cubita* & *unus pes*; quam proceritatem plerique Scriptores Herculi tribuunt. Unde *septipedem hominem*, pro maximo dicebant, quod mensura ista longissimi hominis esse crederetur. Atque inde *Septipedes homines* perpetuo epitheto dicuntur Sidonio Apollinari Burgundiones, quasi longissimi ac procerissimi. V. plura de hoc mensuræ genere, *de Cubito vulgari, Babylonio* seu *Regio* aliisque huc pertinentibus, apud Salmasium ubi suprà *pag.* 42. & 123. De *cubitis* verò fluviorum, h. e. ἐπιστροφαῖς illorum seu *curvaturis ibid. pag.* 622.

Cubuclarius, in vet. *Inscr.* Romæ, II. I. t. M. Livius. AUGUSTÆ. L. AMARANTHUS SUPRA. CUBUCLARIOS. Alia, DIS. MANIBUS. POLYBI. CUBUCULARI. pro *Cubicularius*, Græci enim recentiores Κουβουκλάριοι dixere, quod Latini *Cubiculum*. Salmasius *ad Solinum pag.* 129. V. suprà in voce *Cubicularius.*

Cubus, apud Arnobium *lib.* 2. *Quadragenarium istum ad te vocas, & ex copperconclare non abstrusum aliquid, non involutum, non de triangulis, non de quadratis, qui sit* Cubus *aut dynamis*: ut & *dynamis*, nomina sunt quadratorum numerorum. Vetus Auctor Græcus *de Numeris*, Τετραγωνισμὸς καλεῖται οἱ ἀριθμοὶ ὅτι ἴσακις. τρὶς τρεῖς, θ. δύναμις. τρὶς θ, κζ, κύβος. τρὶς κζ, πα δυναμοδύναμις. τρὶς πα σμγ. δυναμόκυβος. τρὶς σμγ, κυβόκυβος. In Geometria v. τὸ τετραγωνικὸν, quod longitudinem & latitudinem habet tantùm, δύναμις, at quod βάθος præterea habet, Κύβος appellatur. Quam in rem V. Salmasium *ad Solinum pag.* 417. & 699. Aliàs κύβος, pro *tessera*, qua de vocis notione. V. infrà.

Cucchus M. Antonius JC. Ticinensis, scripsit *Institutiones Juris Can.* quas edidit A. C. 1564. *Notis* verò eruditis illustravit Sam. Maresius, Gerhard, von Mastricht *Histor. Juris Eccl. num.* 389.

Cuchenilla, vulgò *Cuchenillie*, inter merces Americæ pretiosiores. *Accedit* (Hispanis) *haud minus lucrum* (quàm ex Mexicanis & Peruvianis metallis hauriunt) *ex præstantissimis quibusdam mercimoniis, quæ ex sola America inde in reliquam Europam deferuntur, inter quæ principem locum obtinet vermiculus quidam, ex quo conficitur præstantissimus & summi pretii color purpureus, qui vocatur Cuchenillie*, Georg. Hornius *Orb. Polit.* V. suprà *Cochinilla.*

Cucullatæ Vestes, dictæ vulgò, quæ *cucullos* habebant. Isidorus, *Casula est vestis cucullata dicta per diminutivum à casa, quòd totum hominem tegat, quasi minor casa.* Sic *Loricæ cucullatæ*, quæ cum cucullis erant & totum hominem à capite contegebant usq; ad pedes, &c. Salmasius *ad Vopiscum in Bonoso.* A' *cucullo* seu *cuculla*, veste Scriptoribus Latinis notâ, quâ sc. caput operiebatur. Posterioris verò ævi Scriptoribus plerumque Monachicam vestem notat, quæ aliàs *casula* quoque & *capa* dicta est, & duorum digitorum mensuram non excedere jubetur, apud Ardonem in *Vita* S. Benedicti Abb. Anianæ *num.* 40. à Flocco verò, Gall. *Froc* distinguitur, in Concil. Viennensi, apud Haëftenum. In specie verò *Cuculla memorialis* dicitur Innocentio III. *lib.* 2. *Epist.* 11. ea, quam deferre jubebantur Canonici Regulares, qui Ordinem Regularem Canonicorum, sine Abbatis licentia, deseruerant & Monasticum susceperant: ii enim in Choro ultimi sedere, *in memoriam*, & pœnam desertionis jubebantur. Quippe id erat contra Sanctiones Eccles. *Concilium* Aquisgran. *Ne Canonici* cucullas *Monachorum induant*, &c. V. Carolum du Fresne *in Glossar.* & Macros Fratr. *in Hierolex.* quorum is *Cucullatos* S. Æmilianum Confessorem & Petrum Abælardum, aliquot Scriptoribus appellatos, observat.

Cucullus, Græcæ notationis, teste Salmasio: Κόκκος enim est *galea*, vel galerus, Hesych. unde *Cucus*, diminut. *Cucullus* & *Cucullio*, apud Capitolinum *in Vero*: tegmen fuit capitis acuminatum in summo, uti vocis origo innuit, κόκκος enim λόφον propriè seu *apicem* significat. Hinc *uncum* vocat Poëta,

Sic interpositis vitiis contaminat uncos
Urbica Lingonicus Tyrianthina bardocucullus.

quòd nempe hic apex bardocucullorum retro inflexus esset, non in ante, ut in Persicis & Phrygiis tiaris, vel etiam rectus. Ubi appositè *uncum* appellat. Tale enim hoc tegmen. Martialis, *lib.* 10. *Epigrammate.* 76.

Pullo Mævius alget in cucullo,
Cocco mulio fulget indutus.

Non tamen solorum fuit servorum, licèt hi verè *cucullati*: sed & liberi eo usi, unde idem Poëta de Mannejo, qui non modò ingenuum, sed etiam pro equite se venditabat. *lib.* 5. *Epigr.* 14.

Illic cucullo prospicit caput tectus,
Oculoq; ludos spectat indecens uno.

Ita autem caput texit, ut & partem humerorum velaret, quales à Monachis hodieque gestari videmus. Tegmen porro erat densum ac villosum, ad frigus atque imbrem arcendum, & ipsi lacernæ cùm opus esset injiciebatur; cum his enim sumebatur, (sed & pænulæ cucullatæ erant, at quamdiu togati fuere Romani, nudo incessisse capite leguntur) quapropter ipsa lacerna pro *Cucullo* & capitis tegumento sumitur, apud Horatium,

Turpis odoratum caput obscurante lacerna.

Et quia lacerna ac birrhus eadem res fuit, inde birrhus quoque pro *Cucullo.* Juven. *Sat.* 7.

——— ——— *Quò te nocturnus adulter*
Tempora Santonico velas adoperta cucullo?

Ubi vetus Interpres *Birrum Gallicum* explicat: Nam apud Santonas Galliæ opp. conficiebantur. Plerumque verò apud Rom. latendi causâ *Cucullus* sumtus est, ideo noctu frequens in discursationibus & ad dissimulandum personam. Proin de Messalina lupanar petente Juvenalis,

Sumere nocturnos meretrix Augusta cucullos &c.

Et Capitolinus de Vero: *Vagabatur noctu per tabernas & lupanaria, obtecto capite cucullione vulgari viatorio*, &c. Sed propter priorem usum antiquis Ascetis ac Monachis id vestis genus adhiberi cœpit, quod isti nunc *Capitium* à capite tegendo vocant; Veteribus verò alia hocce res fuit, teste Varrone. Apud omnes porro non eadem *Cuculli* forma, aliis acuminata, aliis rotunda est: Veterum verò cuculli oblongi erant, in acumen, ut diximus, desinebant, quæ forma hodieque (oblonga enim adhuc & in acutum plerumque involuta est) obtinet. Hinc per similitudinem *Cucullos* appellaverunt involucra, quibus thus, piper & alia odoramenta tegebantur. Martialis *lib.* 3 *Epigr.* 2.

Cujus vis fieri, libelle, munus?
Festina tibi vindicem parare,
Ne nigram citò raptus in culinam
Cordyllas madidâ tegas papyro:
Vel thuris, piperisq; sis cucullus.

Liburnici *cuculli* dicti sunt, quòd Liburnicâ lanâ conficerentur, de qua Plinius *lib.* 8. Bardaicus *Cucullus* seu bardus, militum erat è crassiore lana, sive ex caprarum pilis ac cilicio confectus. Ejus meminit Capitolinus *in Pertinace*, an idem cum *Bardocucullo*, de qua voce V. suprà *suo loco*? & plura de *Cucullo*, apud Octav. Ferrarium *de re Vestiaria part.* 2. *lib.* 1. *capp.* 20. 21. & 23. nec non *parte* 2. *lib.* 2. *cap.* 7 ubi figuram pænulæ cum cucullo, & quidem acuminato exhibet, tum in Mercurii imagine, tum in icuncula Ægyptiaca. Sed & *Cuculli pedum* occurrunt, in *Notis* Tyronis & Senecæ, de quibus V. Salmasium *ad Martial. lib.* 4. *Epigr.* 4.

Cuculus, Græcè κόκκυξ, Plinio *ex accipitre videtur esse, tempore anni figuram mutans, quoniam tunc non apparent reliqui, nisi perquam paucis diebus, ipseq; modico tempore æstatis visus non cernitur postea, lib.* 10. *cap.* 9. Sed non solùm Accipitrum id genus, *Emerillon* Galli vocant, cui similem *Cuculum* Aristoteles tradit *Histor. lib.* 5. *cap.* 7 verùm nec reliqui accipitres tum videntur, utpote ovis edendis occupati incubandisque. Æschylo idem cum upupa est, *Cucullus* enim vere procedit, æstate discedit, quo tempore upupa apparere incipit. Versus ejus sunt,

Τοῦτον δ᾽ ἐπόπτην Ἔποπα τῶν αὐτοῦ κακῶν
Πεποικίλωκε κἀποδηλώσας ἔχει
Θρασὺν πετραῖον ὄρνιν ἐν παντευχίᾳ.
Ὃς ἦρι μὲν φανέντος ἐκλευκοῦ πτερὸν
Κρίνου διαγλυφῶν, δύο γὰρ ἂν μορφὰς φανεῖ
Παιδός τε αὐτοῦ, νηδύος μιᾶς ἄπο,
Νέας δ᾽ ὀπώρας ἡνίκ᾽ ἂν ξανθῇ στάχυς,
Στικτὴν νιν αὖθις ἀμφινωμήσει πτέρυξ, κλ.

apud Aristotelem suprà laudatum. Ad quos versus V. notas insignes Salmasii *ad Solinum pag.* 238. & 239. Sed tam falsum ex *cuculo* fieri upupam, quàm falsum ex sycallide vel ficedula melancoryphum, uti docet idem *ibid.* Cæterùm *Cuculi* proprium esse hoc multi putant, ut alienis ovis incubet. Unde est, quòd hodieque vulgato sermone Galli sic eum per convitium appellent, cujus uxor mœcha est, quia alienos liberos fovet & nutrit inscius. Verùm non aliena ova incubare, sed in alieno nido parere *Cuculum* & aliis avibus ova sua incubanda excludendaque tradere, discimus ex Aristotele *Histor. lib.* 9. *cap.* 29. Theophrasto *de Causs. Plantar. lib.* 2. *cap.* 24. Plinio *d. l.* Oppiano *Ixeutic. lib.* 1. Aliis. Itaque Romanâ linguâ *Cuculus* non dicitur, qui ab uxore contumeliam patitur, sed qui facit: mœchus viz. qui instar cuculi cubat in lecto non suo. Hinc Artemona mulier, in *Asinaria* Plauti, Demænetum virum suum, in lupanari cum scorto deprehensum, hoc convitio excipit,

Etiam cubat cuculus ———

Item,

Cano capite te Cuculum *uxor ex lustris domum rapit.*

At cum,

At eum, quem Galli *cuculum*, Romani *curucam* appellabant, Juvenalis *Sat. 6.* quòd in hujus avis nido *Cuculus* plerunque pariat. Aliàs tamen & in palumborum, & turturum & alaudarum, & chloridum & pappo.um & passerum, & scolopacum (quam avem quidam intelligunt voce Hebr. *Kore Jerem. cap. 17. vers. 11.*) ὠοτοκεῖν cuculum, discimus ex Antigono *Mirabil. cap.* 109. Æliano *Histor. lib* 3. *cap.* 30. Isidoro *lib.* 12. *cap.* 7. &c. V. Sam. Bochartum *Hierozoici Parte poster. Lib. I. cap.* 13. plura verò de hac ave, apud Autores præfatos.

Cucumellum, inter sacra ministeria reponitur, apud Baronium *A.C.* 303. *num.* 12.

Cucumis, Græcè Σίκυος, inter nascentia in hortis, *mirâ voluptate Tiberio Principi olim expetitus. Nullo quippe non die contigit ei, pensiles eorum hortos promoventibus in Solem rotis olitoribus: rursusque hibernis diebus intra specularium munimenta revocantibus*, Plin. *lib.* 19. *cap.* 5. Græcis recentioribus ἄγγουρος dicitur; unde κιτράγγουρος, *citrinus cucumis*. Eorum enim alii sunt viridiores, alii pallidiores, & citrei coloris, alii nigri. *Citrinos cucumeres* memorat idem Plinius *ibid. Crescunt, quâ coguntur formâ. In Italia virides & quamminimi, in provinciis quammaximi & cerini aut nigri placent, copiosissimi in Africa, grandissimi in Asia, ubi cùm magnitudine excessere, pepones vocantur.* Sed & *melopepones* inde. Idem, *Ecce cùm maximè nova forma eorum in Campania provenit, mali cotonei effigie. Fortè primò natum ita audio unum: mox semine ex illo genus factum, melopeponas vocant. Non pendent hi, sed humi rotundantur. Mirum in his præter figuram coloremque & odorem, quòd maturitatem adepti, quanquam non pendentes, statim à pedículo recedunt* &c. Salmasio vero in totum differunt melopepones, vel σικύοι σπερματίαι, *cucumeres seminosi*, ut Græcia vocabat, à vulgariis cucumeribus, nec alter ex alterius seminio provenire possunt. Eorum semen è Græcia in Campaniam primùm eo tempore, quo Plinius scripsit, allatum est. Unde & Plutarchus paulo ante ætatem suam *Sicyopeponem* in cibos receptum memorat. V. Salmasium *ad Solinum pag.* 958. & 959. Plura verò de hoc fructu, apud Plinium *d. l.* Dioscoridem, Theophrastum, Alios.

Cucurbita, apud Autorem *Moreti*,

Et gravis in latum demissa cucurbita *ventrem*:

similis cum cucumeribus naturæ est, duntaxat in nascendo. *Vires sine adminiculo standi non sunt, velocitas pernix levi umbrâ cameras ac pergulas operiens. Inde hæc duo prima genera, camerarium & plebejum, quod humi repit. In priore mirè tenui pediculo libratur pendens immobile aura — quoque omni modo fastigiatur — crescit, quâ cogitur forma, plerumque & draconis intorti figurâ. Libertate verò pensili concessa, jam visa est novem* (alii legunt 3. alii 8.) *pedum longitudinis*, Plinius ubi suprà. Usus earum in cibis. *Et primus caulis in cibo — Cortex viridi tenet. deraditur nihilominus in cibis. Cibus salubri ac lenis — Cibis quò longiores, tenuioresque, eo gratiores. Et ob id salubriores, quæ pendendo crevere, Ibid.* Hinc inventa ratio est, *quâ* (non semini solùm, sed) *cibis quoque servarentur — & id quidem in muria fit. Sed & scrobe, opaco in loco, harenâ substrato, fænoque sicco opertas, ac deinde terrâ, virides servari tradunt, Ibid.* Ob quam cibi hujus salubritatem, proverbio jactatum, *Cucurbitâ salubrius*. Atque inde *lilium* quidem prisci super mortuo, at *Cucurbitam* super sano statuerunt, apud Auctorem Παροιμιῶν, ubi de Prov. ἢ κρίνον, ἢ κολοκύνθην: qui Diphili quoque illud citant, Ἐν ἡμέραισιν ἑπτὰ σοι γέρων ἐγὼ παρασχεῖν κολοκύνθην ἢ κρίνον, *In diebus ipsis septem tibi senex volo præbere* cucurbitam *aut lilium*. Ac si dicat, Intra hosce proximos septem dies tu quidem aut convalesces, aut morieris, V. Car. Paschalium *Coronar. lib.* 4. *cap.* 5. Sed & alius earum usus: *Nuper in balinearum usum venere urceorum vice, jampridem verò etiam cadorum, ad vina condenda*, iterum Plin. Imò, si eidem fides, vestitui quoque inservierunt. Arabes enim linum ex *Cucurbitis laniferis*, in arboribus genitis, colligere tradit *lib. eod. cap. de Lino*. Idem de arboribus Indiæ laniferis, *Ferunt*, inquit, *mali cotonei amplitudine*, cucurbitas, *quæ maturitate ruptæ ostendunt lanuginis pilas, ex quibus vestes pretioso linteo faciunt*. Qua de re quid sentiendum, V. Salmasium *ad Solinum pag.* 296. *& seqq.* De *Cucurbitis* verò *Medicinalibus*, V. iterum Plinium *lib.* 32. *cap.* 10. In *Musæo* Kircheriano Romæ, è *Cucurbitis Mexicanis* scutellæ excavatæ, figurâ sat amplæ, sed pondere levissimo, diversis figuris & tractibus subtilissimis variè effigiatæ; ut etiam colorum multiplicitate depictæ ac demum vernice Sinico magni splendoris superinducto, asservantur, uti docet Georg. de Sepibus *in Collegii Rom. S. J. Musæo p.* 34.

Cucutia seu *Cocutia*, V. suprà in *Concus* & *Crusta*.

Cudo, Græcè πῖλος, utrumque significat, & galerum seu pileum, & pedule: quemadmodum & *Cucullus*, quod ex Græco κύκκος i. *galea* vel *galerus*, ortum videtur: Nomen ei à *cudendo*, i. feriendo & fundendo; *udo* tamen pro *cudone*, de pedulibus dictum: Sic *Aulon* & *Caulon*, *Cosroëna* prov. & *Osroena* &c. Fiebant nempe ex coactili non lana, sed hircorum pilo & quasi succudebantur: quo modo etiam *Cudones* concinnabantur sive galeri. De pelliceo tamen galero *Cudonem* Silius dixit. V. Salmasium *Not. ad Capitolinum in Pertinace* & *Lampridium in Alexandro Sev.*

Cueva, nomen Familiæ in Hispaniis illustris, cujus origo adscribitur civitati Ubedæ. Ex ea, sub Petro & Henricó Regibus, floruit Johannes Sanctius *de la Cueva*, Guil. Martinezii Pater & Didaci Fernandezii ViceCom. *de Huelma*, avus. Hoc geniti sunt Beltramus & Johannes; ex quibus hic Dominus Soleræ fuit, & ejus ex filio Ludovico ac nepote Johanne pronepris Isabella *de la Cueva*, nupta Francisco Benavidio Comiti de Sancto Stephano, dominium ac nomen gentile posteris intulit. Eo enim matrimonio natus Didacus, ex Leonora *de Toledo*, Franciscum Benavidium *de la Cueva C. Sancti Stephani* seu *de Santistevan del Puerto Dn. de las Navas*, *Castellar ac Solera* (maritum Briandæ Bazaniæ & Benavidiæ, filiæ Alvari Marchionis Sanctæcrucii) & Isabellam *de la Cueva*, genuit. Ex ejusdem Johannis Dn. Soleræ filio Ludovico natus est Alfonsus *de la Cueva & Benavides* Dn. *de Vedmar*, reliquorum Dominorum & Marchionum *de Vedmar* sator. Beltramus verò, alter Didaci Fernandezii filius, à Rege Comes Ledesmæ A. C. 1462. biennio pòst Dux Albuquerquii creatus est. Ejus è primo thoro filius Franciscus Fernandezius, ultra titulos patrios Marchio *de Cuellar* salutatus est reliquosque Duces proievit. Pater nempe Beltramus ex Mencia Mendozia fuit Francisci *de La Cueva*, Ducis *de Albuquerque*: quo & Franciscâ Toletanâ genitus Didacus, è Maria *de Cardenas*, suscepit Beltramum D. Albuquerquiæ, extinctum A. C. 1612. Qui pater fuit, ex Isabella *de la Cueva D. de Albuquerque*, Francisci Fernandezii, qui ex Anna Henricia de Mendoza prolem suscepit. Tertio matrimonio Beltrami vitam debuit Christophorus *de la Cueva* & *Velasco*, qui ductâ Leonora *de Velasco* Comite, Comes *de Sirvela* factus est & reliquos hujus tituli ex se dedit, qui nomina *de la Cueva* & *Velasco* conjunxere. Sed & præter Christophorum eâdem matre natus est Antonius *de Ladrada*, cujus posteri Marchionum axioma obtinuere, sed per matrimonium ad Cerdanos Medinæselimi Duces transmiserunt. Phil. Jac. Spenerus, *Theatro Nobilis. Europ. Tom. I. pag.* 84. & *Tom III. Indic.* In scuto gentilitio hujus familiæ, inter alia, splendent aurea lilia tria, ab Hugone, è Comitibus Tolosanis orlundo, nominis *de la Cueva* instauratore, qui in memorabili prælio *de Salado*, contra Maurorum Reges, vexillum cruciatum, Avenione à Pontifice benedictum, prætulit, jubentibus Alfonsis Castellæ XI. & Lusitaniæ VII. Regibus A. C. 1340. In iisdem jam antè octo decusses erant aurei, post pugnam celebrem A. C. 1227. quâ civitas *Baeza*, à Maurorum jugo liberata est die S. Andreæ festo &c. Porrò Bartholomæus, Ducis Albuquerquii filius, A. C. 1543. à Paulo III. & Alfonsus, ab Urbano VIII. purpuram meruere. Claud. Chiffletius *Præf. de Num. antiqq.*

Cufa, & *Tufa*, idem quod Birrus, vestimentum vel pallium caput operiens: unde *Cofia*, Gall. *Coiffe*, galerus & pileus nocturnus; seu tegumentum capitis, quod supremam capitis partem seu cerebrum tegit, Salmas. *ad Vopiscum in Aurelian.*

Cugus, in *Usaticis* Regni Majoric. A. C. 1248. *Si quis dixerit alicui Cugus vel Renegat, & statim ibi aliquod damnum acceperit, non teneatur respondere alicui domino vel ejus locum tenenti*: Gallis *Coqu*, vel *Coucou*, *Cornard*; Occitanis *Cougoul*, olim *Coux*, convitium est, quo illi asperguntur, quorum uxores, iis tacentibus, mœchantur, *Argæ* hinc dicti Lacedæmoniis. An à *cuculis* avibus, quos inferior ætas *cucos* dixit, quique in aliarum avium nidis, putà currucæ, palumbi, turturis, alaudæ, chloridis, passeris, lusciniæ, motacillæ, rubeculæ & ruticillæ ova ponunt. Sed ita non qui ab uxore contumeliam patitur, sed qui facit, *Cuculus* dicendus: quæ etiam vocis apud vett. Latinos notio fuit. Artemona certè mulier, in *Asinaria* Plauti, Demænetum virum suum, in lupanari cum scorto deprehensum, hoc convitio excipit,

Etiam cubat cuculus.

Item,

Cum capite te cuculum uxor ex lustris domum rapit.

Cùm contrà, quem Galli *Cuculum*, Romani *curucam* appellarent. Juvenalis *Sat.* 6. de viro stolido, falsas adulteræ uxoris lachrymas miserante,

Tu tibi nunc curruca places, fletumq; labellis
Exorbes.

An à vulgi errore, quo etiam Acron Grammaticus insignis in *Horat. lib.* 1. *Sat.* 7. abreptus est, putantis *cuculi* proprium hoc esse, ut alienis ovis incubet. V. Sam. Bochartum *Hierozoici Part. poster. lib. I. cap.* 13. Verùm Gallos olim non *Cocu*, sed *Coux* dixisse, ita ut *Cocu* vox sit *Coux* repetita, contendit du Fresne, quamvis ejus etymon planum haud esse fateatur, *in Glossar.*

Culcitræ Subalares, apud Lampridium *in Heliogabalo*, *Nec cubuit in accubitis facilè nisi iis, quæ pilum leporinum haberent, aut plumas perdicum, subalares culcitras sæpe mutans*: Sunt pulvini, quibus undique fulciebantur delicatiores, cùm accumberent, ὑπαγκώνια dicta Gr. Lucianus *in Somnio sive Gallo*, Ἐπειδὴ κατακλίνεσθαι καιρὸς ἦν, πρῶτον ἀφίστανται ἀπὸ τὸν Θεσμόπολιν, ἦν ἀπανγγεῖν, ὦ Ζεῦ, τέττε, εἶπας, ὑπαγκώνια ὑποτιθέντες ὑπεστρώννυον ἀμφὶ τοῦ παιδὸς, ὡς διαμένοι ἐν τῷ σχήματι καὶ ἐπὶ πολὺ καρτερεῖν δύναιτο, *Postquam accumbendi tempus instabat, primùm subalares reposuerunt Thesmopolin, non adeò facilè per Jovem, quinque, puta, juvenes satis magni, subalares culcitras undique ei suffercientes, ut sic in hoc situ diu perdurare posset.* Aliter tamen Lampridii locum legit,

Lectione

Lectius, quem V. apud Casaubonum *Not. ad l. cit.* Sed & in Sacris mentionem istiusmodi *culcitrarum* à Prophetis fieri notum. Aliàs *Culcitræ* communiter farciebantur retrimentis & purgamentis lanæ, quæ ex politione vestimentorum detrahebantur. Item foliis candidis & mollibus herbæ, quam *centunculum* Latini, Græci γναφάλιον, quasi *tomentum*, ob hunc ipsum usum, dixere &c. Loco *culcitræ* verò tegetem usurpavisse pauperes, vel saga Gallica, notat Casaubonus *ad Theophr.* De *Culcitrarum* exactionibus, quæ fiebant à vassallis & tenentibus, ad dominorum exceptiones, cùm peregrè ibant, quæque Comitibus vel Tribunis aliisque Magistratibus fieri vetantur, *leg.* 2. 3. *Cod. Theod. de Salgamo hospitibus non præbendo*, V. Car. du Fresne *Glossar.* ubi *Culcitrarum* quoque usum & nomen à Gallis primum promanasse, probari nonnullis ait, ex Plinio *lib.* 1. *cap* 18. *Sicut in culcitris præcipuam gloriam Cadurci obtinent, Galliarum hoc & tomenta pariter inventum.* Sed frustra, cùm Græcis nominibus ex antiquo tomenta hoc modo inculcata γνάφαλα appel ata esse constet. Salmasius *ad Solinum pag.* 391. V. quoque supra in verbo *Cubare.*

Culcul, nomen granorum, quæ in deliciis Constantinopoli, præsertim recentia, ex Ægypto illuc adferri dicuntur. Ea Matthiolus nasci vult in Plinii staphylodendro, sed hoc siliquas fert, & in his nuceos sapore nucis avellanæ. Bellonius nucem esse gemini pugni amplitudine scribit, quæ illa grana ferat. Sed nec hæc conveniunt. De faba colocasia, seu etiam vero legumine Ægyptio alii accipiunt. Serapio *Habel culcul.* id est, *magnum semen Culcul*, Avisena *Hab Alchalchel* vocat *cap.* 309. Ger. Cremonensis *granum Alkilzel.* Idem Rhazi *Kilki* dicitur. E quibus Avisena, illud semen esse, sicut piperis granum, majus cartamo seu cneci semine, non plenè rotundum & suavis odoris, dum frangitur, unctuosúmque esse, tradit. Quosdam autem addit dicere, semen esse granati sylvestris, sed eos refellit *cap.* 466. de *Mugatb*, quæ radix est hujus arboris, quæ semen id fert: idque hoc argumento, quòd ea radix (quam nonnulli sylvestris quoque granati radicem esse volunt) Venerem juvaret: quod tamen de semine quoque fertur. Non pronuntiat verò idem Scriptor, ex qua arbore, vel frutice vel herba fuerit illud semen, ut planè videatur nescivisse. Unde nec hodie, quid *Culcul* seu *Cul cul* sit, ignorari, mirum. Salmasius *ad Solinum pag.* 1311. & in *Addendis ad h. p.*

Culeus, & *cu*..., Græcè κωλεὸς Æolibus, pro κολεὸς, saccus est ex lino, corio, vel cannabe. Sed corio inprimis. Hincque pœna parricidarum apud Romanos: apud quos parricidæ sanguineis virgis verberati, *Culleo*, ex corio vel bovis vel asini facto, cum cane, simia, gallo & serpente, simillimis huic monstro feris, inclusi in mare conjiciebantur. V. infrà, ubi de *Parricidis.* Ad quorum exemplum postea & alii fontium perditiores, quique maximè exosi, vel ante vel post supplicium, *culeo* inseri cœperunt; quod *coriis involvere* Vitruvius, Græci ...ῶσαι, item ...ς εἰς ἀσκὸν dixere. Quo modo Cleomedem suicidam, in culeum capite tenus insutum cruci affigi apud Plut. Ptolemæus jussit. Sed & liquidorum mensura fuit apud Romanos maxima, amphoras 20. continens. Plinius *lib.* 14. *cap.* 4. *Cato ..... culeos redire ex jugeribus scripsit (vinearum) efficacibus exemplis, non maria plus temeta conferre mercatori, non ius Rubrum littus Indicum vè merces petitas, quàm fundum ruris laborem.* Et paulo antè, *Annæo Senecæ* — *tanto prædii ejus amore capto, ut non puderet* — *tradere palmam eam, vineis quadrupliciato* — *intra decimum fere curæ annum: digna opera, quæ in Cæcubis Setinisque agris proficeret: quando & postea sæpenumero septenos culeos singula jugera, hoc est, amphoras centenas quadragenas musti dedere* &c. Sed in prioribus verbis *sexenas urnas*, habet Colum lla *loco cit.* Quindenos *culeos* legit Fulv. Ursinus *ad Varronem de Re Rust. lib.* 1. *cap.* 2. *pag.* 15. uti notat Dalechampius *Not. ad Plinium.*

Culex, apud Græcos generale nomen non habuit olim. Nam ...ζ recens est & ex Arabibus sumtum: κώνωψ, est vinarius *culex*, de quo notus ille versus Hadriani,

Ambulare per popinas,
Culices pati rotundos.

E'πwψ, *culex* in aquosis locis nascens, ut Hebr. יתוש *Jatthus* cujusmodi culicem, Titi ingressum nares, ejus cerebrum toto convulsisse septennio, fabulantur Judæi; quod idem de *Baetina*, Nimrodi culice, Arabes memorant. Ἀμφίγονος, *culex* est leoni metum incutiens, Hebr. *Maphgia*, ab *occurrendo* vel *incurrendo*, quia illum acriter impetit, in oculos irruens: nec solo morsu sed & voce terrirat & in fugam compellit; cujusmodi culicum olim magna vis fuit in Rhizophagis & Mesopotamia. Αἰγεῶ, in pinu nascitur; ψὴν, in caprifico & palma; σκνίψ in ulmo, quercu & ficu, &c. Quantam sæpe cladem *culicum* multitudo intulerit, V. de Mysiis Pausaniam *in Achaicis*, de Atarnitis, eundem paulo pòst; de Sapore, qui Nisibin obsidebat, Theodoretum *Religiosa Histor. cap.* 1. laudatos Bocharto *Hierozoici Part. poster. lib. IV. cap.* 13. Quare cùm tabeu circa Tiberiadem multi orirentur culices, Hebræi timentes, ne per nasum aut aures in infantium capita penetrarent, *nato infante, massam ex subigebant ex ovis immaturis & cerebrum ejus inungebant, ne morderet illud jacusia, in Bireschi Rabba sect.* 34. De palustribus verò Ægyptiis, quo pacto illi ab hoste hoc se defenderent, diximus suprà in voce *Conopeum.* V. plura hanc in rem, apud Bochartum modò laudatum *lib. IV. cap.* 17. Sed & *Culicum* operâ ficus juvantur & palmæ fructus maturescit. E' caprificis enim exeuntes culices, qui ex semine ejus nascuntur, Græcis κυνιψ..., item ψῆνες, dicti, ad maturitatem ficus eas pertundendo & aperiendo, perducunt, uti vidimus suprà, ubi de *Caprifico.* Simili prorsus modo curari palmas fœmines, ait Herodotus *Musâ* 1. *Culices* enim evolantes è maris palmæ fructibus inire fructus fœminæ palmæ, eosdemque maturare ac, ne decidui fiant, præstare, hacque fini fructum è masculis in arbore fœminæ alligari. Theophrastus verò, id quidem in ficubus fieri *Culicum* operâ concedit, at in palma id perficere sexus rationem & veluti coitum maris cum fœmina docet: nullos in mare palma ψῆνας, ut in caprifico, agnoscens. Quod & ipsum tamen, ob analogiam & similitudinem effectus ἐρινάζειν dicebatur. Salmasius *ad Solinum p.* 1334.

Culina, in *vet. Inscr.* quæ hodieque superest Tibure,

HERCULI. SAXANO SACRUM SER. SULPICIUS TROPHIMUS ÆDEM ZOTHECAM CULINAM PECUNIA SUA A SOLO RESTITUIT IDEMQUE DEDICAVIT K. DECEMBR. L. TURPILIO. DEXTRO. M. MAECIO RUFO COS. EYTYCHICUS SER. PERAGENDUM CURAVIT.

Significat locum Ædi sacræ vicinum, in quo funebres olim epulæ haberi solebant. Jac. Sponius *Itinerar. Græcia Part. III. pag.* 47. & 48. V. Ger. Jo. Vossium *Etymologic.* in hac voce.

Culipilarius, in *Glossis*, fœdi ministerii apud Romanos olim nomen: de quo Tertullianus *de Pallio cap.* 4. *Unde apud aliquos Numidas, etiam equis cæsariatos, juxta cutem tonsor — unde apud hirtos & hirsutos tam rapax à cute resina, tam furax à mento volsella?* Ubi Afrorum mollitiem increpat, ex Asia illuc transvectam, quæ deliciis infamis habita. Inde enim in Græcorum gymnasia atque hinc ulteriùs depilandi ille ac vellendi mos translatus; quas *munditias Xysticas* paulo pòst idem vocat, quòd hunc morem haberent homines xysto & palæstræ dediti, qui in medio etiam gymnasio sub omnium oculis depilari devellique consuevere. In quos proin graviter invehitur Clemens *Pædagogi lib.* 2. *cap.* 3. ubi etiam partem illam psilothro Veteres accurasse, docet: ὃ γένειον ἢ τὸ ..., quasi partes è diametro sibi oppositas, ibi memorans. Idem Persius innuit *Sat.* 4.

Quinque palæstritæ licèt hæc plantaria vellant,
Elixasque nates labefactent forcipe adunca,
Non tamen ista filix ullo mansuescit aratro.

Nempe Palæstritæ, non solùm athletas ungebant in Gymnasiis, hinc Γυμνασταὶ & Ἀλεῖπται dicti, sed & eorum partem mento oppositam vellebant ac resinâ levigabant, ut docet Salmasius *ad Tertullianum d. l.*

Culla, idem quod *Cucullus*, Joanni de Janua. Certè in Ordine Cisterciensi Moniales amplum & latum pallium, quo in majoribus Festis utuntur, etiamnum *Coulle* in Gallia vocant, du Fresne *Glossar.*

Cullencum, vulgò *Culant*, castrum Galliæ, in Biturigibus Cubis à Philippo August. captum, A. C. 1188. apud Rigordum in *Gestis* ejus.

Culmen, titulus honorarius summorum Magistratuum, in utroque *Codice.* Aliàs propriè ædes pastoralis & rustica, quòd illam *culmo* integi consuevere. Virgilius *Ecl.* 1.

Et jam summa procul villarum culmina fumant.

Manilius *lib.* 4.

At nisi Fata darent leges vitæque, necisque,
Romanæ casis essent fores, pecudumque Magistrò
In Capitolinos auxissent culmina montes.

Prudentius *in Diptochæo,*

Hospitium hoc domini est, illex ubi frondea Membra
Armentale senex protexit culmen &c.

Inde ad aliarum quoque ædium fastigia, Templorum imprimis denotanda, translata vox. Papin. Statius *Thebaid. lib.* 9. *versu* 194.

———— *Jam jam sub culmine fixus*
Excubat, antiquæ seu pendet gloria loci.

Et ædificiorum præcipuorum. Unde idem de incendio Romæ verba faciens, à Nerone patrato, *lib.* 2. *Sylv.* 7. ait:

Dices culminibus Remi vagantes,
Infandos domini nocentis ignes.

Ubi quid *culminum* nomine intelligat, docet Suet. *Tunc præter immensum numerum insularũ, domus priscorum Ducũ arserunt, hostilibus adhuc*

adhuc spoliis adornata, Deorumque aedes ab Regibus, ac deinde Punicis ac Gallicis bellis vota dedicataque & quidquid visendum atque memorabile ex Antiquitate duraverat. Hinc porro ad hominum praecipuos extensa, ut diximus. Est autem *Culmus*, unde *Culminis* nomen esse diximus, ab Æolico κάλαμος pro κάλαμος, propriè qui spicam fert; quidam verò sic stipulam cum ipsa spica vocant, ut contrà alii *spicam* appellant, cum ipso culmo. At hodie *Culmum* dicimus stipulam, quae in segete remansit, è quo defectae sunt spicae. Unde verbum *culmare*, de his qui culmum cum radice evellunt. Salmasius *ad Solinum pag.* 362. V. quoque infrà in voce *Stipula.*

Culpa, apud Papin. Statium *Thebaid. lib.* 2. *versu* 233.

> ——— — *tacitae subit ille supremus*
> *Virginitatis amor, primaeq; modestia culpae.*

Et *Achilleidos lib.* 2. *versu* 273.

> *Ast ego vel prima puerilis fabula* culpae
> *Narrabor famulis* ———

concubitus primus est, uti Scholiastes exponit, illud Maronianum Didus loquentis introducens:

> *Huic uni forsan potueram succumbere culpae.*

Namque & legitimi amplexus conjugum illâ non omni vacant. Majori jure de stupro: apud eundem *Thebaid. lib.* 9. *versu* 617.

> *Nec mihi secretis* culpam *occultare sub antris*
> *Cura fuit.*

Et Ovidium *Metamorph. lib.* 2. de Calisto à Jove vitiata.

> *Et nisi quod virgo est, poterat sentire Diana*
> *Mille modis culpam* ———

Unde *culpata sinus*, h. e. praegnans, de Danaë, apud eundem Statium, *Thebaid. lib* 6. *versu* 285.

> *Et gravis Acrisius, speciesq; horrenda Choroebi,*
> *Et Danae culpata sinus* &c.

V. Caspar. Barthium *Animadversion ad Statium d. l.*

Cultellata Vestes, h. e. Vestes in ligulas subinde incisae, quales Franci olim gerebant, damnatae passim Scriptoribus. *Chron. Vosiense*, *Dehinc repertae sunt pretiosae ac variae vestes designantes varias hominum mentes, quas quidam in sphaerulis & lingulis minutissimè frepantes, pisti Diaboli formam assumunt*, &c. Caesarius Heisterbach. *Miracul. lib.* 4. *cap.* 45. *Daemonem in specie viri, tunicâ* cultellatâ *contra se stare conspexit*: ut alios omittam. Hinc de ejusmodi Vestibus sic statuit Jacobus I. Rex Aragon. in *Constitut.* Catalan. *MSS. Item statuimus, quod nos, nec aliquis subditus noster, non portet vestes incisas, listatas vel tropatas* &c. Et Clericis earum usu interdictum legimus, in Concilio Melfitano *can.* 13. & Remensi *can.* 2. apud du Fresne *Glossar.* Alia vocis *Cultellare*, apud Agrimensores, notio, quibus eminentiam ad planum redigere significat. Unde *Cultellatus ager*, libratus est & ad planitiem exaequatam reductus. V. Salmasium *ad Solinum pag.* 689. *& seqq.* nec non infrà in voce *Culter.*

Cultellus, inter arma bellica, memoratur Rigordo *A. C.* 1214. *Habebant* cultellos *longos, graciles, triacumines, qualibet acumine indifferenter secantes à cuspide usque ad manubrium, quibus utebantur milites pro gladiis.* Gall. *coustille* vulgò. Unde *Cultellarii*, milites ejusmodi cultellis instructi, apud Catellum *Comitibus Tolosanis.* V. suprà *Coutellus.* Diminut. autem est à voce *Culter* & propriè significat *cultrum exiguum*, qualis inter crepundia infantum, uti docet Thom. Bartholinus de *Puerperio*, atque inter Investiturae olim symbola: seu gladii, qui potestatis signum est, vicem praeberet, ut qui magis ad manum esset; seu hocce symbolo significaretur, eum, qui rei dominium subibat, jus habere evertendi, disjiciendi, succidendi, metendi &c. in eo praedio, quod ipsi conferebatur. Vetus *Charta*, apud Augustinum *du Pas, in Stemm. Armoric. pag.* 246. *Quae omnia — gratuitâ voluntate cum quodam* cultello *obtulit.* Nonnunquam, ut & alia Investiturae symbola, quoque *Cultellus* frangebatur, ut furto surripi non posset. Tabularium Vindocin. apud du Fresne A. C. 1075. *Quae de re propria manu posuit jam dictus Comes auctoramentum, videlicet per unum* cultellum, *ut mos est, fractum, super Altare Trinitatis.* Cùm duo pluresque feudum conferrent, omnes simul imponebant *cultellum* Altari. Ibidem *in Charta A. C.* 1080. *Ego & duo filii mei* cultellum *unum super Altare Domini manibus nostris concorditer imposuimus.* V. plura apud praefatum Autorem ubi de variis *Investiendi modis.*

Culter, apud Plinium *lib.* 18. *cap.* 18. pars aratri: Ita enim is, *Vomerum plura genera. Culter vocatur praedensam, prinsquam proscindatur, terram secans, futurisque sulcis vestigia praescribens incisuris, quas resupinus in arando mordeat vomer.* Nempe resupinus vomer terram in arando mordebat. At *Culter* rectus, incisuris eam notabat. Unde illa locutio, *in Cultrum collocare*, de iis, quae recto situ ad perpendiculum posita sunt. Sic *Tympanum in cultro collocatum*, apud Vitruvium *lib.* 10. *cap.* 14. quod plano oppositum. Aliud paulo *cultellare* est, de quo verbo suprà. Nempe media Latinitas omnem vomerem, etiam planum ac resupinum, *Cultrum* dicere coepit, unde *cultellare*, non tantum in cultrum collocare, sed & ad planitiem redigere significat, apud Agrimensores. V. Salmasium *ad Solinum pag.* 820. &c. Alias *Culter*, quid sit notum: Et quidem, in sacris ejus usus insignis fuit. *Popa* enim, seu victimarius, ad *Sacerdotis* nutum, *cultro* jugulabat victimam, subinde dicens *Agon?* Unde *Agonali* festo nomen suspicatur esse Ovidius *Fastorum lib.* 1.

> *Nominis esse potest succinctus causa minister,*
> *Hostia Caelitibus quo feriente cadit.*
> *Qui calido strictos tincturus sanguine* cultros
> *Semper agatne rogat, nec nisi jussus agit.*

Hinc Virgilius *Æn. lib.* 6.

> *Supponunt alii* cultros, *tepidumq; cruorem*
> *Suscipiunt pateris* ——— ———

Nec ad jugulandum solùm victimam, sed & dissecandam adhibebatur. Dionysius Halic. *lib.* 7. Οἱ δὲ μάγειροι ... σφαγίδας ... V. infrà ubi de victimas *Dissecandi ritu.* Ad avium verò sacrificium *Culter* non adhibitus: Sed Sacerdotis pollice caput illorum discissum est, uti legimus Levitici *cap.* 1. *versu* 14—17. Sed & *Cultros* assumendi, cùm ad rem divinam irent, ritus, indigitatur Spartiano in Hadriano, *In Achaja quidem illud observatum ferunt, quòd cùm in sacris multi* cultros *haberent, cum Adriano nullus armatus ingressus est.* Quò spectat Prov. ὁ αἰξ τὴν μάχαιραν, &c. V. Casaubonum *ad l.* Nec omittendum, quòd *Culter* inter Investiturae quoque symbola fuerit, in *Chron. S.* Sophiae Beneventanae *pag.* 718. *Per unum* cultrum, *quem manu tenebam, dedi*: quemadmodum *Cultellus*, uti vidimus; & in specie *Cultellus plicatus*, in Tabulario Vindocin. suprà memorato *ad A. C.* 1079. &c. V. suprà *Cultellus.* De *Cultro venatorio* sic Martialis *lib.* 14. *Epigramm.* 3.

> *Si dejecta gemes longo venabula rostro,*
> *Hic brevis in grandem cominus ibit aprum* &c.

Cultus, apud Papinium Statium *Lib.* 2. *Sylv.* 1. *versu* 127.

> ——— ——— *sed adhuc infantia mixta,*
> *Jam tamen & validi gressus, mensuraq; major*
> Cultibus *& visa puero decrescere vestes*:

honestior est aut pretiosior vestitus; de qua vocis notione, V. Barthium *Animadversion. ad h. l.* nec non *Commentar. ad Claudianum.* Abusivè itaque de Tisiphone idem Statius *Thebaid. lib.* 1. *versu* 10. vocem usurpat,

> ——— ——— *riget horrida tergo*
> *Palla & caerulei redeunt in pectore nodi.*
> *Atropos hos atq; ipsa novat Proserpina* cultus.
> *Tum geminas quatit illa manus* ———

At *Cultus* Divinus, V. infrà *Majorum Religio.*

Cumaea Sibylla, adde: Pausanias in *Phocicis*, Hyperochum Cumanum Sibyllae illi nomen *Demo* fuisse tradere, scribit. Additque Cumanos urnam ostendere in Apollinis Templo, in qua dicerentur ossa Sibyllae sita: huic urnae postmodum inscriptum fuisse nomen *Demo.* Qua de sententia, ut & Justini Martyris, Sibyllam Babyloniam, Berosi filiam, *Sabbam* nomine, cum Sibylla Cumana eandem facientis, V. Salmasium *ad Solinum pag.* 647.

Cuminum, in embammatis locum habebat olim, quae ad *hepsemata* parabantur & os suave facere consuevere. Quemadmodum Veteres agallochi quoque lignum eodem fine mandebant & decocto ejusdem os colluebant: hodieque ligno casiae utimur ad eundem usum. De illo Plinius *lib.* 20. *cap.* 12. Cuminum *sylvestre praetenue est, quaternis aut quinis foliis velut serratis. Sed & magnus usus, in stomachi praecipuè remediis — Veruntamen omnem pallorem bibentibus gignit.* Hinc ejus ad fraudes abusus. Pergit enim, *Ita certè ferunt, Porcii Latronis clari inter Magistros dicendi adsectatores similitudinem coloris studiis contracti imitatos: & paulo antè, Julium Vindicem adsertorem illum à Nerone libertatis, captatione testamenti sic lenocinatum.* Nempe cùm Vindicis, qui pro Praetore Galliam tenebat, testamentum ac haereditatem Nero captaret; ejus cupiditati & voluntati sic obsecutus ille est, ut frequenti *cumini* usu contracto pallore simularet, adversâ se valetudine premi, quâ brevi periturus esset: quâ arte & Neronem elusit bonis suis inhiantem, & insuper ejus amicitiâ ac benevolentiâ summos honores assecutus est. Postmodum verò primus omnium, qui exercitibus praeerant, à Nerone defecit, Dalechampius *Not. ad l.* De convicio κυμινοπρίστης, *Cumini-sectoris*, quo Hadrianus Caesar olim adspersus, res notissima. Non omittendus verò modus *Cuminum* excutiendi, Veteribus usitatus. Nempe cùm Vett. quatuor modis grana excutere vel exterere consueverint, Judaei debiliora semina, atque inter ea *cuminum*, virgis solùm & flagellis, ex folliculis excussere. Unde Hieronymus *in Esai.* *Gith &* cyminum, *quae infirmiora sunt semina, non rotis plaustrorum teruntur — sed virgâ excutiuntur & baculo, quae vulgò flagella dicuntur*: quae ex ipso Propheta sumta *cap.* 28. *versu* 27. Graeci id ῥαβδίζειν dixere. V. Sam. Bochartum *Hierozoici Part. prior. Lib. II. cap.* 32. & infrà ubi de Veterum *Trituratione.*

Cumac, aromatis species, in Java Ins. ubi plurimum provenit, sic dicta, olim *Comacum* Latinis sive *Comacum*, Arabibus *Cubeba*, quod vide.

Cumulus, apud Solinum *cap.* 32. in *expandere*, de Nilo exundante,

dante, *Emissis omnibus* cumulis *totam fluctuationem erumpere*, i. dem quod *cumulus*, *agger*, *moles*, Græcè χῶμα: cujusmodi aggeres in Nilo ad emittendas aquas aut avertendas fieri consuevisse, diximus supra & docet Diodorus *lib.* 1. Τῦ γὰρ ὕδατος ... ἐπὶ πολὺ ..., καὶ ... Certè *Cumulus* etiam σωρὸς γῆς, *aggestum terræ*. Sed meliùs Salmasio Judice dixerit Auctor *Cumulos* de aquarum ipsarum ponderibus, ut alibi vocat. Namque à κῦμα, *fluctus*, Latinum *cumulus*. Unde Virgilius *Æneid. lib.* 1.

——— *Insequitur* cumulo *præruptus aquæ mons.*

Et *lib.* 2.

Non sic aggeribus ruptis cùm spumeus amnis
Exiit, oppositasq; evicit gurgite moles,
Fertur in arva furens cumulo, *camposq; per omnes*
Cum stabulis armenta trahit.

Inde vox ad modii aliarumque rerum abundantiam denotandam translata: quarum illa Christi verbis præcepta, ista similiter in Sacris Deo magnopere placuit semper. *Hilarem* enim *datorem gratum* [illegible] *habet*, ut ait Apostolus. Quod & Gentiles sensisse, discimus ex Virgilio *Æneid. lib.* 8. ubi de sacrificio Herculis à Potitiis facto.

Jamq; Sacerdotes, primusq; Potitius ibant
Pellibus in morem cincti, flammasq; ferebant.
Instaurant epulas & mensæ grata secundæ
Dona ferunt, cumulantq; *oneratis lancibus aras.*

Quæ ultima verba repetit *lib.* 12. ubi de sacrificio, quo fœdus Latinorum cum Trojanis firmatum &c. Quam in rem V. plura hic passim.

Cunabula Græcorum. Postquam materfamilias *partu viri familiam fundavit*, ut loquitur Apulejus *Metam. lib.* 10. id est, postquam masculum enixa est, quales *κίονας οἴκων*, *domuum columnas*, vocant Lycophron & Pindarus, nec immeritò,

Στῦλοι γὰρ οἴκων εἰσὶ παῖδες ἄρσενες.
Domi columnæ namq; nati masculi.

Recens à matre aquâ (apud Lacedæmonios vino Plutarch. *in Lycurgo*) lavari est solitus. De quo ritu sic in *Amphitruone* Plautus,

Postquam peperit pueros, lavare jussit, nos occepimus,
Sed puer ille, quem ego lavi, ut magnus est, ut multùm valet.

Lotus oleo inungebatur, quod in vase χύτλος dicto asservari moris erat; unde ritus χυτλῶσαι dictus: qui quoniam lotionem è vestigio insequebatur, verbum hoc non rarò apud Auctores de illa usurpatur. Callimachus *hymno in Jovem*,

—— Ἔνθ' ἐπεὶ ἄρ σε μήτηρ μεγάλων ἀπεθήκατο κόλπων,
Αὐτίκα δίζητο ῥόον ὕδατος, ᾧ κε τόκοιο
Λύματα χυτλώσαιτο ...

Eandem ob causam Bacchi ἀχύτλωτον λοχείην appellat *Dionys. lib.* 9. lotione enim non opus ei, qui è femore prodibat Jovis. Post hæc infans involvebatur fasciis: seu vesti, quam mater virginitatis tempore hunc in usum paraverat: Huic Erechthidæ intexebant imaginem Gorgonis colubros loco crinium gerentis, cum ægide Minervæ, cujus beneficio Perseus monstrum confecit. Juxtà duos ex auro dracones, in memoriam Erichthonii, qui à Pallade duobus draconibus commissus est custodiendus. Euripides *in Jone*,

—— —— ὅθεν Ἐρεχθεΐδαις ἐκεῖ
Νόμος τίς ἐστιν, ὄφεσιν ἐν χρυσηλάτοις
Τρέφειν τέκνα.
—— *Unde Erechtheidas ibi*
Lex est, serpentibus in auro pictis
Nutrire prolem.

A' quibus dein ad reliquos consuetudo fluxit. Sed nil aliud Dracones hi, quàm emblemata, fuisse videntur, quibus significatum, vigili curâ tam teneræ ætatis opus esse: Autore Festo enim: *Dracones dicti sunt* ἀπὸ τοῦ δέρκειν, *quod est, videre: clarissimam enim habent aciem, quamobrem incubantes eos thesauris, custodiæ causâ, finxerant.* Et quid aliud sunt ii quibus commissa infantia est, quàm Dracones Hesperidum poma custodientes, si ex fide munere suo fungi velint. Involutus hoc modo infans, *cunarum* vice aut clypeo impositus est, in omen bellicæ fortitudinis (quod de Hercule legimus, Lacedæmoniis insuper ac Celtis quoque, apud Strabonem *lib.* 7.) aut vanno seu ventilabro, *quod alimentorum copiæ & bonitatis symbolum conjectabant*, ut loquitur Cœl. Rhodiginus. Cùm quintum attigit vitæ diem, circa focum gestatus & sic Laribus initiatus est, ac membrum familiæ factus: quo tempore manus lavare obstetricibus in usu fuit. Interea floribus sertisque coronabatur domus, mittebanturque à gratulantibus cognatis polypodes ac sepiæ, munerum loco, quæ γενέθλια δῶρα dicuntur Æschylo *in Eumenid.* V. Athenæum: totaque hæc solennitas *Amphidromia*, & Genius seu γενέθλιος hic, inde ἀμφιδρόμιος, ab hac cursitandi seu saltandi circa focum ceremonia appellatus est: ubi obiter addendum, à nudis eam peragi fuisse solitam, unde *[illegible]* oportuit fuisse, Hesych. Nominis impositio sequebatur septimo à nativitate die, quem ἑβδομάδα habuere: vel potiùs decimo die, an magis decimâ nocte, festivitas enim ista Δεκάτη, iique, qui sacrificium obibant prætmitti solitum, Δεκάτην θύειν, vel Δεκάτην ἑστιᾶν dicebantur: conveniebant tum omnes cognati, testes, quemadmodum apud Romanos in Nominalibus fieri erat moris. Aristoph. *in Avibus*,

Οὐκ ἄρτι θύω τὴν δεκάτην ταύτης ἐγὼ
Καὶ τοὔνομ' ὥσπερ παιδίῳ νῦν δὴ θέμην.

Nomen quod accipiebat infans, in arbitrio parentis erat, communiter tamen primogenitus ab Avo nominari consuevit, Eust. *in Il.* ε. interim non rarò nomina pro variatione sortis conditionisque postea mutata. Sic Prœti filia, postquam adolevit, Theonoës nomen accepit: Leucippe, cùm emta est, Lacæna: Ismenias, in servitutem redactus, *Atraces* est nominatus, V. Euripidem *Hel. versu* 13. Achillem Tatium *lib.* 5. Eust. *Ismen. lib.* 9. & plura hanc in rem, apud Franc. Rossæum *Archæologiæ Atticæ lib.* 5. *capp.* 2. 13. 4 5. ut & infrà in voce *Nominalia.* Cæterùm *Cunæ*, rursum versum trahi aptæ inter obscœnas res recensentur & cum σπαργάνοις seu fasciolis confusæ. Has Nutrices movebant vel servi *Cunarii*, qui postea forsan puerorum eorundem Pædagogi, & ancillæ *Cunariæ*. Forma varia. Modo clypeus, modò cribrum & vannum, de quo Callimachus *Hymn.* 1.

—— —— Σὲ δὲ κοίμισεν Ἀδρήστεια
Λίκνῳ ἐνὶ χρυσέῳ.
—— —— *Te sopivit Adrastia,*
Vanno in aureo.

V. quoque Homerum *Hymno in Mercur.* Aliàs navigioli speciem habuere, eæque vel tectæ spiris vel apertæ fuere: nonnunquam versatilibus fulcris huc illuc moti infantes vel annulis pensilibus ad somnum compositi, & voluptatem, etiam grandiores, ex Gymnasticorum præcepto. Puerorum autem *Cunæ* ad latera, Medicorum verò etiam sursum deorsumque duci potuerunt. Magnatibus segmentatæ, non tam vermiculatâ picturâ, quàm stragulis purpureis, quibus flores accessere, & pelvis excrementis puerilibus recipiendis destinata. Præerat iis & pueris ipsis intra cunas *Cunina* Dea, de qua Inscr. apud Gruterum *pag.* 96.

CUNINÆ. FELICI.
SACR.
CLAUDIA. HELPIS.
D. D.

lacte placari solita. Juxta eas verò congestæ aviculæ, quibuscum luderent, item specula adjunctique catelli & dracunculi nec non cymbala: apud Septentrionales cultelli; aliis nummi à Nutrice accepti, à quibus etiam mobilibus curribus circumagebantur &c. Reponendus in *Cunis* his infans involucra sua habuit: quæ vel fasciæ, ve panni toto corpore circumducti vel incunabula, quibus *Cunis* alligabatur, ne motu exturbaretur. De fasciis, dicemus infrà; de *cunabulis* seu *incunabulis* omnino accipiendus est Plautus, *Amphitr.*

Nemo eum colligare quivit incunabulis.

Erant hæc Illustriorum ex purpura, interdum strophium mammarum virginale matris, purpurâ cinctum: & transiere subinde ad mortuos, sicut *σορός* mortuorum ad *cunas*. Annum verò superarunt in iis infantes nunquam &c. quiq; ante *Cunas*, obstetricum subjacebant curæ, pòst ad Nutrices transibant, de quibus *suo loco.* Puerilès Veterum *Cunas* repræsentat elegantissima tabella antiquissimi codicis manuscripti Geneseos, apud Lambecium *Comm. Bibl. Cæsar. lib.* 3. è quo codice fragmentum *cap.* 39. *Genes.* ita is delineat: *Hic præter varia ad Gynæcea Veterum, rem vestiariam & lanificium, spectantia, observatu dignissima* Cunæ *infantiles rursum versum trahi aptæ, in quibus jacentem puerum nutricali arte sopire ac crepundiis vel aliis adhibitis crepitaculis delinire gestit* Cunaria, *eodem planè modò, quo hæc describit Arnobius lib.* 4. *adv. Gentes.* Facit *Cunariæ* mentionem vetus lapis,

D. M.
TEIÆ. THREPTE. SO
ROR. PIISSIMÆ. CUNA-
RIÆ. RUFINÆ. V. V.
GLYPTUS. FRATER. QUI
ET. FELIX. VIVOS. VIVÆ
POSUIT.

Cunarii verò servi, Martialis meminit *libro* 11. *Epigrammate* 14. &c. V. Thomam Bartholinum *de Puerperio vet.* & Laurentium Pignorium *de Servis.* De usu verò *Cunarum* in ægris curandis, Hier. Mercurialem *de Arte Gymn. lib.* 3. *cap.* 12. & *lib.* 6. *cap.* 11.

Cunegundis, filia Welfi III. Bavariæ Ducis, soror Welfi IV. in quo Guelforum seu Welforum familia defecit, nupta Azoni Atestino seu Estensi, in hanc gentem Welficum nomen & jus intulit: ex eo mater Welfi cognom. Robusti, qui, avunculi hæres, Comes Altorfii & ex eo Henrici IV. Imp. beneficio Dux Bavariæ factus est. Eadem quibusdam creditur mater Azonis Estensis seu

Atestini Marchionis, à quo longa serie reliqui Marchiones, hodieque tandem Mutinæ ac Rhegii Duces orti: sed alii Azonem hunc, ex Judita Conradi II. Imp. filia, quam post Cunegundis obitum secundis nuptiis sibi Azo I. junxit, susceptum volunt. V. Phil. Jac. Spenerum *Sylloge Geneal. Histor. in Fam. Guelfica*.

Cuneus, aliquando totam Theatri machinam apud Rom. denotabat, quam spectatores tenuere; *Cunei* enim formam habebat, scenam versus in acumen desinens, retro latissima. Aliquando peculiarem significabat circa Theatrum locum, quem aliàs *Popularia*, eò quòd ibi vilior sederet turba, dixere: Unde *inter Cuneos residere* dicimus Proverbialiter, de plebe ima hominem, Cœl. Rhodiginus *lib. 8. cap. 8.* In quo posteriori significatu apud Martialem vox reperitur, *lib. 1. Epigr. 27.* in Sextilianum, in Spectaculo bibentem,

—— — bibis, quantum subsellia quinq.
Solus ———
Nec consessorum vicina numismata tantùm,
Æra sed à Cuneis *ulteriora petis.*

Ubi Sedilium ordines sunt, à *cunei* figura. *Cùm enim excurrerent ab angusto spatio ad ambitum extremum: strictiores erant necessariò quò propiùs accederent ad caveam*, Jul. Cæs. Scaliger *Poetices lib. 2. cap. 21.* Unde Scholiastes *ad l. Martialis*, *Nec ad vinum*, inquit, *nummos solùm corrogas ab assidentibus, tibi in eodem gradu vel cuneo sedentibus; sed & petis æra ulteriora à cuneis, id est, ab iis qui à fronte infrà, vel à tergo suprà sedent in eodem cuneo, seu ulteriore cunei gradu, vel in aliis utrinque cuneis.* Salmasio, *Cunei* spatia erant in Theatris, in quibus subsellia componebantur. *Viis per ambitum & in descensu invicem distinguebantur, per ambitum viæ cardines dictæ. Quod inter eas vias & cardines comprehensum esset*, Cuneum vocabant, *ad Solinum pag. 919.* Quia itaque multis versuris *Cuneos* intersecarent viæ, *Cardines* dictæ sunt: cùm in Circo limites, quia versuras non faciebant, perpetui ac rectâ serie currerent. Glossæ *cuneum* vertunt τὸν κερκίδα & θέατρα. Et sanè, ut *cuneus* in cacumen desinit, ita & *κερκίς*: Nam & summum pini cacumen & populi ab eadem causa *κερκὶς* vocatur Græcis. Nominat autem inter partes etiam Theatri Attici *Κερκίδα* Pollux, ex hoc Alexidis versu,

—— ἐνταῦθα δεῖ περὶ κερκίδα
Ὑμᾶς καθιζούσας θεωρεῖν ὡς ξένας.

Quod in Romano utique *Cuneus* fuit. Circa hos viæ erant seu cardines, quibus separabantur cunei & in ambitu & in descensu: unde qui in *Cuneis* locum non habebant sedemque, in via stabant, h. e. *περὶ τὴν κερκίδα*, *circa cuneum*. Tertullianus *de Spec.* *Apud spectacula & in via statur.* Atque hi *excuneati* inde dicebantur, uti ex Apulejo discimus &c. Sed & *φυλῆς θέατρον* cuneum interpretatur vet. *Glossarii* Auctor: an quòd *κατὰ φυλὰς* spectarent, & suus cuique tribui cuneus assignatus esset? Ita certè videtur. Cuneus, ut *φυλὴ*, certum *τάγμα* dicitur. Hinc viæ in Theatro, *discrimina popularium per proclivum* dicuntur, eidem Tertulliano, quia Cunei popularium viis per descensum discriminarentur: at cardines baltheorum propriè viæ per ambitum. Propter quam multifidam viarum in Theatro sectionem, proclive fuit è cuneis elabi ac refugere eum cui junctus esse nollet: at in Circi id sedilibus, utpote longâ serie porrectis, & nullis interversuris intercisurisque viarum distinctis, non ita facile fuit. Quam in rem V. plura apud Salmasium ubi suprà: item Lipsium *de Amphith. cap. 13.* & Buling *de Circo*. Porro militaris vox *Cuneus* fuit, significans aciem, quæ, literæ Græcorum Δ. assimilata, frontem habebat angustam, sed paulatim se pandens in maximam longitudinem desinebat. Vegetius *de re militari lib. 3. cap. 19.* *Cuneus*, inquit, *dicitur multitudo peditum, quæ juncta acie primò angustior, deinde latior procedit & adversariorum ordines rumpit: quia à pluribus in unum locum tela mittuntur, quam rem milites appellant caput porcinum.* A' *quo* distinguit Isidorus: *Nodus*, ajens, *propriè est densa peditum multitudo, sicut turma equitum. Dictus autem Nodus pro difficultate, quòd vix possit resolvi. Cuneus est collecta militum multitudo &c. eo quòd in unum omnes coguntur missilibus.* V. quoque Agathiam *lib. 2.* & Ammianum *lib. 17.* Aliquando *Globi* quoque dicuntur; nam *Cunei*, peditum sunt globi, ut vexillationes equitum turmæ; Globos autem etiam *Drungos* vocitatos, Vegetius suprà laudatus scribit, *lib. 3.* Meminit hujusmodi *Cuneorum*, Virgilius *Æneid. lib. 12.*

———— densi cuneis *se quisq. coactis*
Adglomerant ——

Et Statius *Thebaid. lib. 10. versu 734.*

Cornua nunc equitum, cuneos *nunc ille pedestres.*

Ubi Schol. *Cuneatim*, inquit, *compositum agmen, ut hostem faciliùs invadant*: quæ sunt Servii verba *ad Virgilii l. cit.* Sed & turrium moles *Cunei*, apud eundem *lib. eod. versu 872.*

—— simul insultans, gressuq. manuq.
Molibus obstantes cuneos, tabulataq. sævus
Destruit ——

Moles nempe alia super aliam elevatæ, à gradibus Theatralibus voce mutuatâ. Tandem *Cuneus*, Gall. *Coin*, in *Lexico Græco MS.* *Ἀργυροκοπεῖον*, item *σφηνοτύπον*, sigillum ferreum est, quo nummi cuduntur: à *cunei* figura. Hinc pro ipso monetam cudendi jure, in *Assisis* præsertim Hierosolym. *MSS.* passim. Etiam species vel forma panis, in *Chron. Windeshem.* Buschii *lib. 2. cap. 43.* Sic hodieque Picardi *Cuignet* appellant, panem lacte subactum & in varios angulos formatum, C. du Fresne *Glossar.* De *Cuneo Theatri*, V. quoq; Casaubonum *ad Suetun. Aug. cap. 44.*

Cuniculus, animal olim Hispaniæ peculiare, unde ei nomen forsè ex Hebr. שפן *saphan*, quo *cuniculum* denotari jam à multis annis, notum est. Certè è Græcis illud soli noverant Massilienses, qui ferè sunt in Hispaniæ confinio, & in Hadriani nummo, pro Hispania, habetur mulier sedens cum oleæ ramo in manu & *cuniculo* ad pedes, Bochartus *Hierozoici Part. poster. l. III. c. 33.* Certè vett. Græcos animalis hujus vix ullam habuisse notitiam vel inde patet, quòd non habeant nomen, quo id à leporibus distinguant. Ideò & Hispani nomen illi fecere. Plinius *lib. 8. cap. 55.* *leporum generis sunt & quos Hispania* Cuniculos *vocant.* Ab effodiendis sc. sub terra *cuniculis*, juxta illud Martialis *lib. 13. Epigr. 60.*

Gaudet in effossis habitare Cuniculus antris,
Monstravit tacitas hostibus ille vias.

Unde Strabo *γεωρύχους λαγιδεῖς* vocat, quia vocem Græcam, quâ eos uno verbo vocaret, non habebat. Polybius *κύνικλον*, Hispanicâ retentâ, appellavit, *Histor. lib. 11.* Medii verò ævi Græci Scriptores, cuniculum tum cognitum *δασύποδα* quidem aut *λαγίδιον*, unâ voce nuncuparunt, sed utraque valde impropriâ. *Δασύπους* Attica enim & antiqua vox *τὸν λαγὼν*, *leporem*, significat; *λαγίδιον* autem *fœtus leporis* est: quo tamen nomine Cuniculum insignierunt, quòd parvo lepori similis esset. Atque hoc sequutus Plinius *dasypoda* & *leporem* sic distinxit, ut dasypus sit cuniculus. Quantæ id fœcunditatis animal, idem indigitat: *Fœcunditatis*, inquiens, *innumeræ, famemque Balearibus Insulis, populatis messibus afferentes.* Et paulo pòst, *Certum est, Balearicos adversùs proventum eorum, auxilium militare à Divo Augusto petiisse.* V. quoque Solinum *pag. 23.* De venatione eorum idem, *Magna propter venatum eum viverris gratia est. Injiciunt eas in specus, qui sunt multifores in terra — atque ita ejectos supernè capiunt.* Cæterum & *Cuniculi* in cibos recepti, fœtus inprimis eorum in deliciis: *Fœtus ventre exectos vel uberibus ablatos, non repurgatis interaneis, gratissimo in cibatu habent: Laurices vocant, Ibid.* Nempe ex Græco *λεβηρίς*: quod propriè est concha levis vel superficies serpentis, & quidquid denique pilo caret & nudum est: unde fœtui cuniculi adhuc impili nomen &c. Salmasius *ad Solinum p. 82. & 283.*

Cuniculus, vox Militaris, meatus est subterraneus, suffossus, Festo. Nomen ei aut ab animali cognomine, quod sub effossâ terrâ latere est solitum: aut vice versâ & à *cuneorum* similitudine, qui in omnem materiam intrant findentes. Eorum agendorum rationem qui primus invenerit, Vegetius docet *lib. 4.* cùm ait: *Cùm Rhodiorum civitas oppugnaretur ab hostibus, & turris ambulatoria super murorum altitudinem ac turrium pararetur: mechanici ingenio inventum est tale remedium. Per noctem sub fundamenta muri* Cuniculum *fodit, & illum, ad quem die postero turris fuerat promovenda, nullo hostium sentiente, egesta terrâ cavavit intrinsecus & cùm rotis suis moles impulsa fuisset, tanto pondere solo cedente subsedit, ut nec jungi muris, nec moveri ulteriùs potuerit: ita civitas liberata est dejectaque machina.* Hinc Cæsar *de bello Gall.* *Aggerem cuniculis subtrahebant*, & *lib. 8.* *Eodem tempore tectos cuniculos agunt, ad caput fontis.* Item: Prov. *ὑπονόμοις πολιορκεῖν*, *cuniculis oppugnare*, quod de iis, qui non apertâ vi, sed dissimulanter ac dolis agunt, dicitur. Quemadmodum Catullus Luctatius in Senatu de Cæsare, apud Plut. *in vita Cæs.* Οὐκ ἔτι ὑπονόμοις, inquit, Καῖσαρ, ἀλλ' ἤδη μηχαναῖς αἱρεῖ τὴν πολιτείαν, *Cæsar non jam cuniculis, sed machinis tollit Remp.* Meminit ejusmodi *Cuniculorum* Claudianus *de Rapt. Proserp. lib. 2.*

At velut occultus securum prodit in hostem
Miles & effosi subter fundamina campi
Transilit elusos arcano limite muros,
Turbaq. deceptas victrix erumpit in arces,
Terrigenas imitata viros ——

Et Statius *Thebaid. lib. 2. versu 418.*

—— —— ceu septa novus jam mœnia laxet
Fossor —— ——

Ubi tamen subfossores murorum Barthius intelligit potiùs, quod artificium ita conficiebat, ut subfossos muros fulcirent ligneis tignis aut trabibus erectis, quibus materiam igni opportunam circumgerebant, ignem à longè fomentis grassantem ponebant, ipsique abscedebant. Ita palis illis aut destinis flammâ adesis ruebant moles. Quo modo *Cuniculum* sub mœnia Cumarum egit Narses apud Agathiam *lib. 1.* V. quoque Guil. Tyrium *Histor. Palæst. lib. 3. cap. 10. lib. 11. cap. 12.* & *lib. 16. cap. 5.* Guil. Britonem *lib. 2. Philippidos versu 318.* Rigordum ad A. C. 1191. Alios. Sed & *Cuniculorum*, de quali Claudiani suprà laudata verba loquuntur, celebris jam apud Curtium mentio *lib. 9.* *Valentissimam gentis urbem cuniculo cepit. Barbaris simile monstri visum est — quippe in mediâ ferè urbe è terra existebant, nullo suffossi specus ante vestigio facto.* V. quoque Quintilianum *Declam. 255.* E quibus duo *Cuniculorum* apud Vett. genera fuisse, colligimus. Hodierni *Cuniculi* militares, quibus immissus pulvis tormentarius atque accensus disjicit propugnacula, arces maximasque montium rupes, à Francis

Francisco Georgio Senensi inventi sunt; cujus discipulus Petrus Navarrus Cantaber primus eorum experimentum fecit, prope Neapolim, in arce Lucculliana, quæ *Ovi* dicitur, uti obscurum non est, ea conferenti, quæ de Senensi quidem Georgio Cardanus *Subtilit. lib.* 2. at de Cantabro Petro Guicciardinus retulit *Historiar. lib.* 6. Quemadmodum in *Pyrotechnia sua* duas has sententias conciliat Vannorius Biringuccius Senensis, & ex eo Gerh. Joh. Vossius *de Idolol. lib.* 2. *cap.* 63. Nomen eis, ut & veterum *Cuniculis*, ab animali cognomine, de quo M. Varro scribit apud Plinium *lib.* 8. *cap.* 59. *à cuniculis suffossum in Hispania oppidum.* Tanta nempe eorum fœcunditas ac copia: quam idem Plinius *lib.* 8. *cap.* 55. confirmat: *Leporum generis sunt, & quod Hispania cuniculos appellat fœcunditatis innumeræ, famemque Balearibus Insulis, populatis messibus afferentes.* Et mox, *Certum est, Balearicos, adversùs proventum eorum, auxilium militare à Divo Augusto petiisse.* Cujus rei & Strabo testis (qui *lib.* 3. cuniculos λαγιδεῖς vocat) subvertisse Balearium domos atque arbores, ut propterea armatam Romanorum opem implorare cogerentur, scribit. V. Vossium præfatum *lib.* 3. *cap.* 72. & suprà. Hinc *Cuniculatores* seu *Cunicularii* Lutatio *ad Statium d. l.* *Fossores dicuntur in exercitu, qui* Cuniculos *faciunt, per quos introgressi milites murorum fundamenta convellunt* &c.

Cuniculus, quoque pro canali, ut *Cuniculus, per quem vapor trahitur, in balneariis vaporibus. l.* 1. §. *hoc interdict. ff. de rivis.* Ad vulpium foveas, transfert Phædrus *lib.* 4. *fab.* 19.

Vulpis cubile fodiens, dum terram eruit,
Agitque plures altiùs cuniculos,
Per venit ad araconis &c.

Etiam in auraria metallica *Cuniculi* usurpari. Plinius *lib.* 33. *cap* 4. *Tertia ratio* (fodiendi Auri) *opera vicerit gigantum, cuniculis per magna spatia actis cavantur montes ad lucernarum lumina, eadem mensura vigiliarum est, multisque mensibus non cernitur dies, arrugias id genus vocant.* Sic Strabo ὀρυκτὸν vocat aurum, quod in Arabia *cuniculis* effodiebatur: ὑπόνομοι itidem Agatharchides & Diodorus vocant. Ita quoque eruebatur in Ægypto Æthiopiæ contermina. Agatharchides, καὶ τέμνουσι διὰ γῆς σύριγγας ὑπονόμους &c. Qua de re V. Salmasium *ad Solinum pag.* 1076.

Cunila, nomen est pluribus herbis designandis, pro diversitate fontis, è quo procedit. *Cunila* enim *origanum* est, ex Græco κονίλη; *conyza* est, ex Græco κόνυζα & *Cunila*, ὁ θύμβρος, species nempe thymbræ, quam Græci κεφαλωτὸν θύμβρον, h. e. *capitatam thymbram*, Sammonitus *cephaloten* vocat:

Et thymbræ species, quam commemorant cephaloten.

Plinius *Cunilam capitatam* appellat, *lib.* 32. *cap.* 10. Atque ea thymbra est, quæ *Cunilæ* nomen ex re sibi velut proprium, apud Latinos vindicavit; à *conis* sc. sic dicta, quòd ejus capitula conis vel strobilis similia sint, in acumen pariter desinentia ac turbinata, & ex multis velut squamis compacta. V. de his omnibus vocis hujus significatis, ut & de *Cunilagine*, herba simili, fusè disserentem Salmasium *pag.* 1276. & *seqq.*

Cunta, Hæretici in Anglia, circa A. C. 1247. quorum auctor *Cuntus* quidam. M. *Chron.* Belg.

Cuno, filius Egonis Comitis Auracensis, ex Agnete filia Bertholdi IV. Ducis Zeringensis, à Bertholdo V. Duce ejusdem familiæ, avunculo suo, ob electionem sui ad Imperium, cum fratre Bertholdo, Electoribus oppignoratus est: qui cùm repræsentare promissa non posset, ambo in captivitate detenti votum fecerunt, si liberarentur, sacrum ordinem suscipiendi, & liberati, vitrici Eberhardi I. Com. Wirtenbergici ope, voto satisfecerunt. Unde *Cuno* quidem Monachus Eslingensis (aliqui factum Episcopum ac Cardinalem volunt) aliqua Eslingensi Monasterio reliquit, quæ tamen permutatione tandem ad Eberhardum delapsa sunt. Circa A. C. 1240. Phil. Jacobus Speneruss *Sylloge Geneal. Histor. in Fam. Wirtenbergica.*

Cupa, genus navis. Item, urna seu arca sepulchralis. Vetus *Inscr.* Romæ: *D. M. D. Apulejus, Jonicus fecit Eutychiæ sorori suæ & Eutycheti filio ejus, in hac cupa mater & filius positi sunt*, V. suprà *Cuba.* Porro, vas ad reponendam Eucharistiam, in *Necrologio* Eccl. Paris. Propriè vas grande ligneum, rotundum, transportando vino, Gall. *cuve*, hodieque. Quæ vasa, cùm erant majora, recta statuebantur & operculis tegebantur, ut Nonius ex Varrone docet. Neque verò vinum solùm ibi servabant, sed etiam triticum similiaque, ut ex Jurecoss. discimus. Minora, doliis similia, utrinque clausa, apta deferendo huc illuc vino, ut scribit Herodianus. Atque his utebantur quoq; olim in pontibus contexendis & tumultuariis tabulatis extruendis. Jul. Capitolinus *in Maximinis*, *Ponte itaque cupis facto, Maximinus fluvium transiit, & de proximo Aquilejam obsidere cœpit.* Lucanus de ponte à Basilo confecto *lib.* 4.

Namque ratem vacuæ sustentant undique cupæ:
Quarum porrectis series constricta catenis
Ordinibus geminis obliquas excipit alnos &c.

Sed & majores illæ *cupæ*, ab altera parte apertæ, usum navium aliquando præbebant. Hesychius, κύπαι εἶδος τι νεώς, & in vett. *Glossis*, *cupa* exponitur γαυλός, ibidemque vertitur βοῦτις μεγάλη. Inter quas tamen id discriminis est, quòd hæc major, quàm illa: præterea *cupa* ab inferiore parte latiùs patebat, angustiùs à superiore; contrà buttis, quam Hero sic describit, ut in superiori parte dimetiens illius fuerit pedum 6. in inferiore 8. altitudo totius vasis, pedum 10. &c. Aliud verò *Cuppa* est, à Græco κύββα, quod ex κύμβη, scyphus vix aut patera: quod proin cum *cupa* nonnulli malè confundunt. Casaubonus & Salmasius *ad Spartianum.* Uti verò *Cupæ*, sic utres, pontibus conficiendis inserviisse, diximus suprà, in *Ascogrefi.* Hinc *de cupa vinum petere*, apud Cic. *in L. Pisonem*, *Pistor domi nullus, nulla cella; panis & vinum à propola atque de cupa.* Quod apud Vett. vilissimorum tantùm hominum fuit, cùm reliqui in cellis suis vinum haberent, neque è taberna peterent. V. Plut. *in Timoleonte*, ubi de Dionysio Jun. Corinthi in summa tenuitate agente. Aliud est *vinum petere de cuppa*, apud B. Augustinum *Confess. lib.* 9. *cap.* 8.

Cupha, celebris olim Asiæ urbs, in Arabia Deserta, haud procul ab Euphrate, Caliphatum sedes, Georg. Hornius *Orb. Polit.*

Cuphia, apud Papiam, aliosque recentioris ævi Scriptores, tegmen capitis est, quod totum caput ambiebat: olim virorum maximè, nunc mulierum, Gallis *Coiffe.* Σκούφιας dixit Codinus *de Offic. cap.* 2. *num* 52. meminitque *Cofiarum ferrearum* Froissardus 4. *volum cap.* 38. Hoc porro tegumento Clerici caput operiebant, præsertim cùm itineri se committerent: nam aliàs id iis vix indultum, ut patet ex *Constitutione* Ottoboni apud Lindwodum seu *in Concil.* Londin. A. C. 1268. *can.* 5. *de Hab. Cleric.* &c. V. du Fresne *Glossar.* A' forma κούφης l. *cucurbitæ*, etymon arcessit Dominicus Macer *in Hierolex.* V. quoque suprà in voce *Cufa.*

Cupidius Celerinus, Senator Rom. cujus sententiam, de eradendo Maximinorum nomine, appellandis Divis Gordianis, statuaque cum elephantis Maximo, Balbino & Gordiano statuendis, refert Capitolinus *in Maximinis, sub fin.*

Cupido, adde: Non minùs ac Venus, apud Athenienses, in veneratione fuit, qui vitulum ei, quemadmodum matri vaccam, sacrificare sunt soliti. Theocritus,

Ῥέξω πόρτιν ἐρωτι καὶ αὐτῇ βῶν Ἀφροδίτῃ,
Faciam vitulâ Cupidini, sed ipsi bove Veneri.

Nec in Veneris solùm templo egregiè à Zeuxide pictus, admirationem sui movit, sed in ipsa ad Academiam via Ἔρως & Ἀντέρως templum habuit proprium, cognomine τόξου insignis. Franc. Rossæus *Archæol. Att. lib.* 4. *cap.* 2. Ambo autem *ovorum progenies Dii Syri*, Arnobio *lib.* 1 quod de Venere & Cupidine intelligendum, docet Salmasius. Venerem certè cum filio in Syriam ad Euphratem, metu Typhonis, venisse, & figuram piscium formâ mutasse, scribit Hyginus. Unde Germanicus, Arati Interpres, piscium cœlestium par, *duo Syra numina* vocat:

—— *& Syriæ duo Numina pisces.*

Quasi pisces illi duo cœlestes, Veneris & Cupidinis instar referant, quos fabulæ volunt piscium figuram ad Euphratem sumpsisse, Typhonis metu. Atque *ovorum progenies* inde dicti videntur, quia pisces ex ovis nascuntur. Unde à piscibus, Syri, sed & à *columbis* (columbam enim ovum piscis fovisse, è quo nata Dea Syria, habet incertus *in Germanici Phænomena*) abstinuere. V. Salmasium *ad Solinum pag.* 281. plura v. hanc in rem, apud Jo. Seldenum *de Diis Syris.* Cœterùm ingens *Cupidinum* populus circa Venerem. Claudianus.

Mille pharetrati ludunt in margine Fratres.

Imò exercitum universum eorum Veneri ascribit Papinius *Thebaid. lib.* 8. *versu* 235.

—— *Illi Cythereia laudant*
Connubia & multâ dedactam Lampade Fratrum,
Harmoniam ——

V. eundem *Carm. Earini* &c. Quorum tamen unum solum ex illa, cœteros à Nymphis genitos, ait Claudianus laudatus *Epithalam. Honorii*, ubi post versum paulo antè citatum pergit,

Ore pares, ævo similes, gens mollis Amorum.
Hos Nymfæ pariunt, illum Venus aurea solum
Edidit: Ille Deos, cœlumque & sidera cornu
Temperat & summos dignatur figere Reges,
Hi plebem feriunt ——

Pingebatur verò *Cupido* seu Amor Veterum, humi fixis oculis, Bion *Idyllio* 3.

Ἁ μεγάλα μοι Κύπρις, ἔθ᾽ ὑπνώοντι παρέστα,
Νηπίαχον τὸν Ἔρωτα καλᾶς ἐκ χειρὸς ἄγοισα,
Ἐς χθόνα νευστάζοντα ——

Qualem omnino pudorem in adolescentulo facit Papinius *Thebaid.* 4. *versu* 318. *Ille ad humum pallens* —— Qua de re V. Barthii *Animadversiones ad l.* Inprimis verò celebris fuit *Cupido* Praxitelis, objectus à Cicerone Verri, propter quem Thespiæ visebantur, postea Romæ in Octaviæ scholis positus: item alter ejusdem nudus in Pario, coloniâ Propontidis, *par Veneri Gnidiæ nobilitate & injuriâ*, Plinius *lib.* 36. *cap.* 5. De cujus coronamento, V. Callistratum εἰς τὸ τοῦ Ἔρω ἄγαλμα. ut & plura, hanc in rem, apud Car. Paschalium *Coronarum lib.* 2. *cap.* 3.

Cupienus, pro *Pupienus*; constanti errore, apud Aur. Victorem scribitur, Salmasius *ad Vopisc.*

Cuppa, V. suprà *Cupa.*

Cuppedinarius, apud Lampridium *in Heliogabalo*, *Pinxit se ut*

cuppedinarium: Coquus est, à *foro Cuppedinis*, quod Varro perperam à *Cuppedio* quodam dictum autumat. *Cuppedo* enim vett. Latinis idem, quod *Cupido* fuit. Lucretius *lib.* 4.

Tam magis ardescit dirâ cuppedine *pectus.*

Et *lib.* 5.

Quantæ conscindunt hominem cuppedinis *acres*
Sollicitum curæ?

Sic Cicero *cuppediam*, pro *cupiditate*, dixit *Tuscul. lib.* 4. *Ambitio, mulierositas, pervicacia, liguritio, vinolentia, cuppedia.* Est autem *Cuppedia* & *Cuppedo* λιχνεία: hinc *Forum cuppedinis*, est forum λιχνείας, & *cuppediosus*, ὁ λίχνος; *Cuppedinarii*, qui res cuppedinis vendunt. V. Salmasium *Not. ad Æl. Lampridium in Heliogabalo.*

Cupressus, Græcè Κυπάρισσος, arbor est *natu morosa, fructu supervacua, baccis torva, folio amara, odore violenta, ac ne umbra quidem gratiosa, materie rara, ut penè fruticosi generis*, Plinio *lib.* 16. *cap.* 33. Hinc Diti sacra, juxta eund. ut & Festum, at Proserpinæ, juxta Servium: tum quòd sterilis, tum quia præciso capite moritur, & non renascitur subsecta, præterquam in Ænaria Ins. Atque ideo *funebri signo ad domos posita*, *Ibid.* & adhibita luctuosis sacris & funeribus Procerum Romanorum, privilegio quodam. Lucanus,

Et non plebeios luctus testata cupressus.

Et Statius *Theb. lib.* 4. *vers.* 46.

—— *frontes atq; omne* cupressus
Intexit plorata latus

Nonnunquam tamen & aliorum, V. Servium *ad Æneid. lib.* 3. Sed & Varro adhiberi rogis ait, propter gravem ustrinæ nidorem, ut odoris sui jucunditate eum leniret. Unde *invisa cupressus*, Horatio *Carm lib.* 2 *Od.* 14. *mœsta*, Statio *lib.* 4. *Sylv.*

—— *tempus nunc ponere frondes*
Phœbe tuas, mœstaq; comam damnare cupresso &c.

Interim lætâ fronde viret semper. Hinc eidem *Thebaid. lib.* 6. *versu* 99.

—— *Brumæ illæsa* cupressus.

Et cariem non sentit lignum ejus. Quæ causa fortè, quòd in Agone gymnico, qui in Creta olim agebatur. Victor è *cupresso* coronam nactus est, Plut. *Sympos. lib.* 1. *Probl* 2. Quòd item victimæ eâ coronabantur. Prudentius *Apotheosi*,

Pontificum festis ferienda securibus illic
Agmina vaccarum steterant; vitulaq; revincta
Fronte coronatas umbrabat torta cupressus.

Aræ quoque. Virgilius ubi de funere Polydori,

Aggeritur tumulo tellus, stant manibus aræ
Cæruleis mœstæ vittis, atraq; cupresso.

Et Statius ubi suprà. Ob eandem materiæ firmitatem, eorum, qui in bello ceciderant, corpora *arcis è cupresso* condi solita, scribit Thucydides: & Plato leges publicas sacrorumque ritus in *tabulis cupressinis* describi voluit, *de LL. lib.* 5. Vejovis etiam simulacrum ex hoc ligno Romæ, in arce, duravit, ab anno U.C. 551. usque ad Plinii tempora, *lib.* 16. *cap.* 40. Ipsum Jovis sceptrum inde edolatum, docet Hermippus, ut alia omittam. Pythagoreos tamen arcis aliisq; utensilibus cupressinis abstinuisse, Laertius refert, quòd ad funestos arbor usus adhiberetur. Porrò, pulchritudo ejus, quæ è proceritate est, mirè oblectat. Certè in Arcadia, apud Psophidem, tantæ proceritatis *Cupressi* fuere, ut proximus mons inumbraretur: dictæ παρθένοι, quia ferro intactæ & Alcmæoni sacræ; quòd eò is matre Argis necatâ se recepisset. Ob quam formam & elegantem inprimis venustamque comam, etiam χαρίεις appellatæ sunt, inter præcipua hortorum ornamenta. Plinius ubi suprà, *Metæ demum respectu non repudiata, distinguendis tantùm pinorum ordinibus: nunc verò tonsilis facta in densitate parietum, coërcitaq; gracilitate perpetuò teres.* Quod fieri solitum duobus modis ait Dalechampius, aut cùm in singulis ordinibus duabus pinis cupressum unam interponebant, aut cùm duobus pinorum ordinibus cupresso um unum interserebant. Cætera de eadem apud Plinium sic habent, *Trahitur etiam in picturas opere historiali: venatus classesve & imagines rerum, folio brevi q; & virenti supervestiens — Utraq;* (mas & fœmina) *immittitur in perticas asseresq; amputatione ramorum, qui XIII. anno denariis singulis veneunt. Quæstuosissima in satus ratione sylva: vulgoq; dotem filiæ antiqui plantaria appellabant.* In quo loco Salmasius pro *opere historiali*, legi vult *operis topiarii*, & pro *plantaria plantare*. Ut sensus sit, tam quæstuosam illam rationem Cupressorum ad asseres & perticas plantandarum fuisse, ut, cùm eas pangebant, vulgo dictitarent antiqui, *dotem filiæ se plantare*, V. eum *ad Solinum pag.* 173. Patria arboris Creta Ins. Plinius *ibid.* V. & suprà, ubi de phrasi Pliniana, *Appellare è sponso*: De memorabili verò *Cupresso*, quæ hodieque visitur Patris in Achaja, Sponium *Itinerario Græciæ Part.* 2. *pag.* 22. Similia *Cupresso* citri folia, de qua arbore diximus suprà. Fabulas de *Cyparissa*, filia Boreæ: item *Cyparissarum*, Eteoclis gnatarum: *Cyparissi* porro à Telepho geniti, prolixè exequitur Hadr. Junius *lib.* 1. *cap.* 20. & diximus de iis suo loco.

Cuprum, apud Solinum *cap* 52. *Tertius* (adamas) *in venis cupri apparet propior ad æream faciem. Quartus in metallis ferrariis legitur* &c. Seu *Cyprum*, æs Cyprium ejus ævo appellatum est. Sic cùm ait paulò post: *Nam & hi, qui in cypro deprehenduntur, frangi queunt*: non de Ins. *Cypro*, sed de *cypro*, vel *ære Cyprio* intelligendus est. Apud Innocentium Agrimensorem, *acumen Cyprinum*, clavus æreus: *Cyprini clavi*, Palladio. Plinius de vitro scribit, coqui solitum, *addito ære Cyprio ac nitro.* Quem locum Isidorus exscribens habet, *cupro & nitro.* Apud Trebellium quoque, *Arma cyprea*, & *cyprum* apud Spartianum *in Pescennio Nigro*: *Nam ex ære vel cypro cancelli superpositi esse dicuntur.* Etiam *Cyprini metalli* mentio, apud Anastasium in *Leone* III. *Nec non & fenestras ipsius Ecclesiæ ex metallo Cyprino decoravit.* Sed pro *cyprino*, legendum ibi *gypsino* esse, monet Salmasius. Postmodum & pro omni ære vox accepta: quemadmodum *Chalybs*, pro ferro primùm Chalybico, mox & pro omni ferro. Quod verò locum Solini spectat, non cepit is mentem Plinii, quem exscribit; hic enim disertè adamantem *Cyprium*, à solo natali, *Cypro* Ins. vocat, adeoq; non de venis *cypri* vel *cupri* id intellectum voluit. V. Salmasium *ad Solinum* passim, inprimis *pag.* 1294. 1295. & suprà, ubi de variis *Æris* generibus. In Corcyræ Ins. urbe Cassiope, jam semiruta, Græcos Ædem sacram habere *Panagiæ*, i. S. Virgini, dicatam, in qua viatores, admoto Dalmatico vel Corcyræo *cupreo* nummo statuæ Virginis, explorare soleant, an, quos domi reliquerint charos, in vita sint an non, refert Sponius: Si enim nullo alio adminiculo lamina adhæreat imagini, adhuc in vivis esse, de quo agitur; sin soluta cadat, obiisse, inter illos creditum. V. eum *Itinerar. Græciæ Part.* 1. *pag.* 122. Hodieque *Cupri* plumbique magna vis è Suecia affertur, in qua ditissimas *cuprifodinas*, Hollandorum quorundam industriâ, haud pridem in usum excitatas notum est. Nec omittenda vis *cuprifica* unius alteriusque in Hungaria fluvioli, cui ferramenta vetera immersa menstruo spatio, in optimum cuprum vertuntur, è quo Austriæ Hungariæque Magnates ad bibendi delitias pocula sibi fieri curant. Cujusmodi integram equi soleam *cuprificatam*, eaque parte, quâ extra aquam extabat, adhuc ferream, ipse oculis meis usurpavi. V. quoque in voce *Hungaria*.

Cura, mascul. pro *Curatore*. Treb. Pollio *in Claudio*, *Veterinarios — duos, Carpentarium unum. Curam Prætorii unum.* Quemadmodum enim in aulis Imperatorum & militia Palatina fuit, qui è re dicebatur *Cura Palatii*, quòd omnium fabricarum Principis curam gereret, sicut docet formula apud Cassiodorum *lib.* 7. sic in majorum Magistratuum comitatu fuit, qui dicebatur *Cura Prætorii*, quòd illa omnia curaret, quæ ad prætorium ejus Magistratus, cui fuerat attributus, pertinerent, Casaubonus & Salmasius *ad h. l.* Sic *Cura Domus*, in *Capitul.* Caroli M. *lib* 6. *cap.* 127. *Cura Epistolarum*, inter officia Præfecti Urbis, in *Not.* Imp. *Cura haræ*, pro subulco, apud Ovid. *Epist. ad Penel. Cura pacis*, apud Anianum *ad l.* 1. *Cod. Theod de Pignor.* qui Græcis Εἰρηνάρχαι &c. Inprimis verò celebris fuit *Cura Palatii*, postmodum *Curopalates* dictus, dignitas Palatina, quam suprà tetigimus, quâque qui dignatus à Principe fuerat, *aureâ virgâ decoratus inter obsequia numerosa, ante pedes Regios, primus incedebat*, apud Senator *lib* 7 *Epist.* 5. (Cujusmodi dignitas est apud Franciæ Reges, *Intendant des bastimens du Roy*) apud Gothicos nempe Italiæ Reges. Alia verò videtur dignitatis hujus fuisse functio, apud Augustos Byzantinos, quantùm conjecturâ licet assequi. qui donatos Apollinarem & Saturninum sub Constantio tradit Ammianus *lib.* 14. & 22. Tribunum item Æquitium, *lib.* 31. cujusque meminit Sidonius *carm.* 23.

Intra aulam soceri mei expetitus
Curam cùm moderatus es Palati.

In *Cod.* certè Theod. jungitur *Tribuno* & *Comiti Stabulorum*, *l. un. de Com. & Tribun. Schol.* & *l.* 1. *Qui à præbit. tyr. excus.* Sed quod illius potissimùm fuerit munus, non omnino constat: etsi probabile sit eosdem fuisse hos Officiales, cum iis, qui postmodum *Curatores Palatiorum*, vel qui *Præpositi Palatii* appellati sunt. At Alamannus hoc nomine *Præfectum Prætorianorum* indigitatum fuisse, contendit ex Procopio in *Hist. Arc.* scribente, Justinum Principem, Custodem Palatii constitutum ab Anastasio Augusto, quæ quidem dignitas eadem fuit, quæ *Curopalatæ*: cùm cæteri Scriptores eum hac passim donatum tradant, Evagrius, Vigilius Pontif. Alii. Certè maximam ejus fuisse dignitatem & tantùm Augustali minorem, docet, præter alios, Corippus *lib.* 1.

Par extans curis, solo diademate dispar
Ordine pro rerum, vocitatus Cura Palati.

Unde viros primarios & qui proximâ Augustos attingebant necessitudine ac affinitate, eâ potissimùm donatos legimus, in *Chron.* Alexandrino, apud Luithprandum *in Legat.* Zonaram, alios. Car. du Fresne *Glossar.* V. quoque in voce *Curopalates*. Dominic. Macer *Curopalatam* Majorem Domûs exponit & *Curopalatissam*, uxorem ejus dictam fuisse, annotat in *Hierolexico*.

Curagendarii, qui & *Curiosi*, in *l.* 1. *Cod. Theod. de Curiosis*, V. infrà in hac voce. Ejusdem originis vox est recentioris ævi *Curagulus*, in *Charta* Edmundi R. *Monastici* Angl. *Tom. II. Ego Edmundus — Rex Anglorum & Curagulus multarum gentium*, apud du Fresne.

Curalium, antiquioribus dictum, Græcè Κουράλιον, quod aliàs *Corallium*, V. ibi.

Curare, apud Spartianum *in Hadriano Cæs. Curasse eum Tra-*

jani libertos, curasse delicatos, eosdemq́; sæpe lusse — opinio multos firmavit: quibusdam' est ψαλίζειν, *psilothro curare*, uti dixit Lampridius in *Heliogabalo*; Casaubono est θεραπεύειν, i. *colere*, quod Galli dicunt *faire la Cour*. Ita enim is legit apud Martialem *lib. 6. Epigr. 50. in Telesinum,*

Obscœnos postquam cœpit curare *cinædos,*
Argentum, mensas, prædia solus emit.

Salmasius verò παρελθεῖν; *curasse* enim illud ad cultum corporis is refert, ut comendis & ornandis delicatis operam dedisse Hadrianum intelligamus. Nec movetur Martialis loco, apud quem *servare* legendum monuerit sicque ediderit Gruterus, pro *observare*. Confirmat tamen lectionem Gronovius, ex Plinio Sec. *lib. 1. Epist. 5. Nec me præterit, esse Regulum,* δυσκαθαίρετον. *Est autem locuples, factiosus,* curatur *à multis, timetur à pluribus.* Et eodem Poëta *lib. 11. Epigramm. 18.*

Turba tamen non deest, sterilem quæ curet *amicum.*

V. cum *Notis ad l.*

Curationes per Somnia, inter notas divinitatis olim habitæ. Hinc Dii illi πάρεδροι, novitii & ascriptitii, qui beneficio Principis alicujus, aut propriæ virtutis meritis, Numinis dignitatem erant adepti, ut aliqua divinitatis auctoritate censerentur, somniis & oraculis responsa dare & *curationes* facere dicebantur: quod in Æsculapio, Amphiarao, Trophonio, Aliis, stulta credidit antiquitas. Idem de Antinoo finxerunt, qui Hadriano; & jam olim de Hephæstione, qui Alexandro M. adulabantur. De quo postremo insignis est locus Luciani, Ὑπολαμβάνοντες δὲ οἱ κόλακες τὴν μεγαλωνοίαν αὐτοῦ τὴν Ἀλεξάνδρου ἐπιθυμίαν, προσεξίσταντο αὐτὸς καὶ ἀνεζωπύρουν ἐκεῖνῳ τὰ ὀνείρατα διηγούμενοι, τὸν Ἡφαιστίωνα ἐπιφαίνεσθαί τε καὶ ἰάσεις προστιθέντες αὐτῷ καὶ χρησμοὺς ἐπιφημίζοντες, καὶ τέλος ἔθυον παρέδρῳ καὶ ἀλεξικάκῳ θεῷ. Ubi tres divinitatis notæ recensentur, *ὀνείρατα, somnia; ἰάσεις, curationes* & χρησμοὶ, *oracula*, quibus etiam ἐπιφάνειαι, *apparitiones* adscribi possunt. Sed *Curationes*, per somnia plerumq; præscriptæ, ut in Æsculapii Fanis & Templis, uti videre est infra, ubi de *Melotis*, quibus eum consulturi incubabant. Ἐπιφάνειαι quoq; frequentes in somnis, quum Divus apparere visus per somnium hæc aut illa præcipiebat, ad sanitatem tuendam, aut ex morbo recuperandam. Cujusmodi remedia σωτήρια dicta sunt. Atque hinc illud in antiquis monumentis adeò frequens, SOMNIO MONITUS. Quales Divi proin ἀλεξίκακοι præcipuè habiti &c. De quibus V. plura apud Salmasium *ad Solinum pag. 351.* & *Not. ad Spartianum in Hadriano Cæs.* nec non infra in voce *Somnialis*.

Curator, in *Glossis* S. Benedicti *cap. de Magistr.* Φροντιστὴς καὶ λογιστὴς, nomen erat Magistratus, cujus erat in civitatibus rebus venalibus pretia imponere, Curialibus præesse, vectigalibus ac tributis persolvendis invigilare, ut est in *Curatoris Civitatis* formula, apud Senatorem *lib. 17. Epist. 12.* è quo præterea *Curatores* civitatibus, à Principibus datos, docemur. De Marco certè Capitolinus, *Curatores*, inquit, *multis Civitatibus è Senatu dedit, quo latiùs Senatorias tenderet dignitates.* Iidem verò & reditus civitatum colligebant, hinc λογισταὶ dicti. ut visum &c. Sic memoratur *Curator Alexandriæ*, Pollioni *in Æmil. Curator Aquini*, Spartiano *in Pescennio*, *Curator cellæ Carthaginis*, in *Collat. 1. contra Donat. cap. 1. Flamen perpetuus Curator Coloniæ Cirtensis*, Augustino eidem *c. Crescon. lib. 3. cap. 29.* &c. In Aula verò Byzantina *Megas Curator*, qui & simpl. nonnunquam Κουράτωρ, dignitas erat admodum illustris, cujus imperio milites quodammodo subjectos fuisse, discimus ex Gregorio M. *lib. 8. Epist. 7.* Eadem fortè cum *Curatore Imperialium Domorum*, Κουράτωρ τῶν βασιλικῶν οἴκων, in *Hist. Misc. lib. 18.* τῶν θείων οἴκων, Theophani &c. quorum hic tradit *pag. 412.* Nicephorum Imp. præcipua subditorum prædia εἰς τὴν βασιλικὴν κουρατωρείαν redegisse, i. *Magno Curatori subjecisse*, qui eorum reditus fisco inferret. A' quo *Summus Curator*, qui occurrit in vet. *Inscr. 431. 1.* alius fortè fuit. Sed & *Curatores* singulorum Palatiorum, non semel reperiuntur apud Scriptores Byzantinos: *Curator Palatii Hormisdæ*, in *Chron. Alex. Curator Palatii Manganorum*, apud Leonem Gramm. *Curator Palatii Antiochi*, in eodem *Chron.* &c. qui non quidem ipsorum Palatiorum, sed ærariorum, quæ in iis reposita, curam habebant, uti docet Henr. Valesius *ad Evagrium lib. 5. cap. 18.* apud Car. du Fresne in *Glossario*, ubi variorum aliorum *Curatorum* mentio fit. Sed & jam olim *Curator Aquarum*, quæ primùm fuere sub tutela Consulum & Ædilium, interdum quoque Censorum, primus ab Augusto nominatus est Messala Corvinus. Joh. Rosinus *Antiqq. Rom. lib. 1. cap. 14.* In lapidibus, *Curatores operum publicorum* memorantur, ut & apud Suetonium *in Augusto cap. 37.* cùm inquit: *Quoq́; plures partem administrandæ Reip. caperent, nova officia excogitavit, curam operum publicorum, viarum & aquarum alvei Tiberis, frumenti populo dividendi, præfecturam urbis. Triumviratum legendi Senatus, & alterum recognoscendi turmas equitum, quotiescumq́; opus esset.* Officium *Curatorum alvei Tiberis & cloacarum* fuit, curare ne quid detrimenti cloacæ caperent, & ut purgarentur, aquamque transmittere possent. *Quatuorviri viarum curandarum* primitus creati sunt, sed crescente viarum numero, quum hi non sufficerent singulis vel duabus aut tribus pluribusve viis muniendis, sarciendisque, prout temporis exigebat necessitas, singuli Cives præpositi fuerunt, qui *Curatores viarum* appellabantur. Qui Magistratus cùm prius incertus esset, nec nisi ad tempus crearetur, tandem perpetuus factus est, à Cæsare Augusto, Suetonius in *ejus vita cap. 27.* Meminit eorum Cic. *ad Atticum*, Plinius jun. & Plutarchus *in Gracchis*, ut & Tacitus. V. Joh. Rosinum *opere suprà laudato lib. 7. cap. 31.* Præter hos, divisâ in 14. regiones Urbe, per singulas eas duos *Curatores*, & duos Denuntiatores constituit. Priorum munus erat, procurare apud Principem commoda regionum, decorem & elegantiam viarum ac vicorum urbis, ne à privatis novis ædificiis interrumperentur, providere, & alia hujusmodi obire. Idem *lib. 7. cap. 35.* Tandem *Curatores Tribuum* erant, qui Tribuum procurarent commoda, perinde atque in vicis vicorum Magistri. Eorum meminit Terentius Varro *de Ling. Lat. lib. 5.* Ut addam aliquid de *Curatore viæ Latinæ*, sæpius is memoratur, in vett. *Inscriptionibus*, quarum unam apposuit Gregorius Fabricius *in Roma cap. 5.* Id officii sustinuisse Victorium Marcellum, ad quem habemus Epistolam Papinii Statii *lib. 4. Sylv. 4.* colligimus ex istis,

At tu, si longi cursum dabit Atropos ævi,
Detq́; precor, Latiiq́; Ducis sic Numina pergant,
Quem tibi posthabito studium est coluisse Tonante,
Quiq́; tuos alio subtexit munere fasces,
Et spatia obliquæ mandas renovare Latinæ:
Forsitan Ausonias ibis &c.

Ad quem locum V. *Animadversiones* Casp. Barthii: de *Aquarum Curatore*, apud Athenienses, V. suprà: de *Curatoribus locorum publicorum judicandorum*, Item *operum publicorum aliisq́;* V. Casaubonum *ad Suetonium Octavio cap. 32.* & *37.* &c.

Curbatulum, Petro de Crescentiis *de Agricult. lib. 10. cap. 28.* instrumentum est, ad capiendas aves, tempore nivium, ex paucis virgulis confectum, interiùs concavum, & in parte postremâ acutum, habens ostiolum, quod in terra jacet, coopertum paleâ, quod cum uno vimine in terram infixo elevatur & posteriùs percutit avem ad escam intrantem, quæ intus est, quam aliunde accipere nequit, cùm sit undique terrâ tectum, apud Car. du Fresne in *Glossario*.

Curcas, nucleus Ciborii Ægyptii, de quo sic Garcias ab Orto *lib. 2. cap. 21. Nascitur in Malavar fructus quidam, magnitudine avellanæ, cum suo putamine, non tamen adeo rotundus: candidus est, gustu, quali sunt tubera cocta: hunc Chiniquilenga vocant, id est, exiguum inhame. In Cairo, ubi frequens est, & quibusdam Malavar locis*, Curcas, *in Cambaja Carpata. Dependet ex ramis cujusdam plantæ, quæ seritur.* Ubi licèt non dicat, qualis illa planta, & quomodo fructus ille nascatur, certum tamen est, de faba Ægyptia Veterum debere intelligi. Certè *Curcas* nomen depravatum est ex κολοκασία; & Fabam Ægyptiam in Indiæ amnibus etiam nasci, tradit Strabo. Quòd verò *Curcas* in Cairo pariter vocari scribit, confundit illud *Curcas Indicum* cum Ægyptio hodierno *Culcas*, quæ mera est radix caule & fructu carens. Idem nucleum istum *Curcas*, ab Indorum aliis vocari *Chiniquilenga* ait, & *exiguum inhame* interpretatur; quo indicat, majus esse inhame ab exiguo isto diversum. *Inhame* porro Lusitani *Maurique* vocant, radicem colocasio bulbo parem, quam à Bæticis ajunt vocari *Alcoleas*, i. *Colocasium*. Parvum sic & magnum Inhame, *Colocasium* olim, ab amplitudine foliorum appellatum: quod utrumque etiam *Culcas* & *Curcas*. Sed Colocasio bulbo nec caulis, nec flos, nec fructus. Faba verò Ægyptia colocasia, & caulem & florem edit & mox fructum in calice, qualem nobis Garcias depinxit. Verùm & jam olim Fabam Ægyptiam colocasiam, cum Aro colocasio, seu bulbosa illius radice, hodie *Culcas* Ægyptiis dicta, passim confudere Auctores. V. Salmasium *ad Solinum pag. 1310.* & *1311.*

Curcuba seu *Curcuma*, mediæ & infimæ Latinitati lorum vel funis est. Lexicon Arabico-Lat. *Curcuba lorum.* Unde *Curcubæ* Isidoro sunt spiræ funium; atque hinc cypero *Curcuba* vel *Curcuma* nomen inditum, quòd funes ex eo in Græcia torquerentur. Hesychius, Κύπειρον σχοινία, *funes ex Cypero torti.* Nisi fortè κύπειρον is sumsit pro quolibet junco, speciem pro genere usurpans. Putat itaque Salmasius veriùs ita vocitatam vulgò *cyperi* radicem, ab inæqualitate ejus, qualis in lupatis equorum cerneretur. Namq; multis nodis ferreis olivarum instar, ac sibi cohærentibus, lupata olim facta esse hodieque fieri notum. *Curcuma* autem frænum vel lupatum propriè significat. Hesychius idem; ὁ κημὸς, ὁ κυρκοῦμα. Vegetius *de Arte Veterin. Curcumam constrictam oportet imponi, ne depravet dentes & labia.* Achmes, δεσμὸν ὀδόντων, ἤτοι κουρκούμαν &c. V. Salmasium *ad Solinum pag. 1001.* Auctor Anonymus *Historiæ Orbis Terr. Geogr. & Civ. Crocum Indicum, radicem esse* Curcumæ *nomine alias notam*, addit *cap. de Commerciis §. 8.* ubi de *Aromatibus*.

Curia, adde: *Curiarum* XXX. in quas populus Rom. divisus, origo hæc. In tres partes distributâ universâ multitudine, Romulus singulis præclarum aliquem virum Ducem præposuit: dein unamquamque rursum in decem partitus, totidem viros fortissimos illis præfecit, hasque *Curias*, illas Tribus vocari voluit. Cuique dein *Curiæ* sacra sua partitus est, assignatis in singulas Diis ac Dæmonibus, quos perpetuò colerent, sumtu in hæc ex ærario publico

blico attributo. Hæc quoties celebrarentur, aderant *Curiæ* suis vicibus epulumq; diebus festis præbebatur *Curialibus*, in aula cuiq; illarum propria, V. Dionysium Halicarn. *lib.* 2. Unde singulis *Curiis* fuisse aram alicujus Numinis, ut in Julia Victoriæ, de qua multa Dio *lib.* 51. & Suetonius *Aug. sub fin.* rectè censet Casaubonus. Appositè ad hanc rem Symmachus de illa ara ad tres Augg. qui tolli eam jusserant: *Illa ara concordiam tenet omnium: illa ara fidem convenit singulorum: nec aliud magis auctoritatem facit sententiis nostris, quàm quòd omnia quasi juratus ordo decernit.* V. Casaubonum *ad Suetonium Aug. cap.* 34. Nomina *Curiis* à raptis Sabinarum virginibus indita, statuit Livius *lib.* 1. *Dec.* 1. adstipulante Festo: sed Varro priùs, quàm raperentur Sabinæ, à Romulo *Curias* institutas, iisq; partim à Ducibus, partim à veteribus patriis, nomina fuisse imposita contendit: è quibus præter octo, de quibus infra, reliqua interierunt. Licèt autem primitus Tribuum partes essent *Curiæ*, postea tamen crescente Tribuum numero, eadem ratio observata non est. Qui sacris unicuique peculiaribus præerant, *Curiones* dicti sunt: illis hodie in Urbibus plerisq; Parœciæ respondent &c. *Curiam*, ubi Senatus habitus, primus ædificavit Tullus Hostilius R. in monte Cœlio, quæ ab auctore *Curia Hostilia*, nonnunquàm per excellentiam *Curia* audit: hic nemini, præter Senatores, considere fas erat, qui ibi de negotiis domesticis deliberabant. In *Curia Pompeja* verò, cui à Pompeio nomen, non Senatoribus modò, sed & aliis Magistratibus civicis coire permissum erat: in *Curia Julia* tandem, quam Jul. Cæsar condidit, extranea negotia, ut Legationes aliaque expedita sunt. V. Alex. *Genialium dierum lib.* 1. *cap.* 16. Joh. Rosinum *Antiqq. Rom. lib.* 6. *cap.* 2. & *lib.* 7. *cap.* 5. &c. nec non infra, in vocibus *Curiata* & *Curio*.

Nomina 8 Curiarum, quæ ad nos pervenere.

Calabra Curia, ubi tantùm sacrorum ratio gesta est; Varro.

Faucia, vel, ut alii malunt, Saucia, cujus initium duabus insignibus cladibus captæ Urbis & pacis Caudinæ memorabile fuit, Liv. *lib* 9.

Foriensis, cujus mentio apud Festum, una ex 4. quarum sacra in veterib⁹ curiis fiunt, Festus.

Rapta, cujus eadem cum priore ratio.

Tifata, à loco juxta Capuam cognomine dicta.

Titia, a prænomine Tatii Regis appellata videtur.

Vallensis, Festo memorata, una ex 4. quæ è vett. Curiis in novas, utpote ampliores cùm evocandæ essent, religio obstitit: itaque ejus sacra in veteri loco peracta sunt.

Velitia, cujus apud eundem Festum mentio, similis cum priori rationis fuit.

Recentiori ævo, *Curia*, Senatus Civitatis, cujus Magistratus *Decuriones* & *Curiales* dicuntur, in *Cod.* Theod. & Justin. *de Decur.* passim. Fuerunt autem istiusmodi *Curiæ* institutæ, in municipiis Senatûs Rom. exemplo, κτ᾽ τ᾽ βασιλεύουσαν πόλιν μίμησιν, ut est in Justiniani *Nov.* 38. unde & *Senatûs* nomen iisdem inditum, V. Jac. Gothofredum *ad tit. C. Th. de Decur. & Juriscoss.* Item Regius comitatus, Gall. *la Cour.* Guntherus *Ligurini lib.* 4.

Nec tamen emissâ tantarum plebe virorum
Vel Princeps vacuus, vel Curia *sola remansit.*

Aliquando nude, pro Papali, Gall. *la Cour de Rome.* Rythmi antiqui *de orig. Monasterii Pratensis in Flandria,*

Sis perrexit ad Curiam. *formam nequiens habere,*
Pauca [illegible] *habebat monetam, nihil poterat prabere,*
Et qui nihil potest dare, non est opus in Curia &c.

Ut alias vocis significationes omittam. In plur. *Curiæ*, dicti sunt solennes illi Regum Conventus, quos in præcipuis anni festivitatibus celebrabant, advocatis omnibus Regni Magnatibus atq; Prælatis; quorum lites ibi ac controversiæ, ut & alia majoris momenti negotia utplurimum disceptabantur. Indicebantur istæ *banno* seu edicto publico Magnatibus, Prælatis & Civitatum totius Regni Nunciis ad eas submonitis. Quo fine, ob angustias interdum Urbium, eligebantur nonnunquam amplæ planities, in quibus & tentoria & ædes & Palatia, ex lignis, tumultuario opere erigebantur, uti factum in illa *Curia* solenni, quam ad Moguntiam tenuit Fridericus I. ann. 1182. apud Arnoldum Lubec. *lib.* 3. *cap.* 9. ubi multa de hujusmodi Curiarum habet magnificentia, ut inter alia, quòd *officium Dapiferi seu Pincernæ, Camerarii seu Marscalli non nisi Reges, vel Duces aut Marchiones, administraverint.* V. quoque Richardum de S. Germano *in Chron. d. l.* 1233 Anonymum *de Gestis Friderici II. Imp.* Ditmarum *lib.* 4. *pag.* 36. & Albertum Argentin. *A. C.* 1356. In iis autem Reges ac Principes coronati procedebant, sacrisque liturgiis ac conviviis, eodem ornatu insignes, intererant: imponebatur verò illa eis, inter Liturgiæ solennia ab Archiepiscopis vel Episcopis. Unde *Coronatæ Curiæ*, istiusmodi Regum Conventus dicti sunt. V. quæ de duabus coronis aureis, coronandis Regi & Reginæ olim in Francia factis & coronulâ aureâ, quam consueverat Rex die coronationis suæ in prandio deportare, Abbati & Conventui S. Dionysii custodiendis traditis, habet, aliaque plura hanc in rem congessit, Car. du Fresne *Glossar.*

Curiales, inter alia iidem qui *Decuriones*, V. suprà. *Magnus Curialis*, dignitas in Civitatibus est. *Grand-Curial de Baugé, d' Tonne*, apud Guichenon. *in Probat. Histor. Bress.*

Curianum, adde: Vinetus *Cordan* esse mavult, scopulum in Oceano Medulico.

Curiata Comitia, in quibus populus Curiatim suffragium ferebat, hoc est, in quibus populi per Curias divisi Sententia rogabatur, ut quod plures earum statuissent, id ipsum populi jussum esse diceretur. De iis sic A. Gellius *lib.* 15. *cap.* 27. *In eodem libro scriptum est: Quum ex generibus hominum suffragium feratur, Curiata Comitia esse; quum ex censu & ætate, Centuriata; quum ex regionibus & locis, Tributa.* Fuere autem *Curiata* omnium Comitiorum antiquissima, ita ut primis illis temporibus omnia, quæ populi suffragiis fierent, non nisi Comitiis fierent Curiatis. Fiebant intra pomœrium, & ut plurimùm in foro, in loco, qui inde *Comitium* dictus, ut testis est Varro *de L. L. lib.* 4. Et post ejectos Reges, duabus potissimum rationibus habebantur: una fuit legum ferendarum, altera Sacerdotum quorundam creandorum. Differebant à Tributis, quòd in his simul vocentur, qui ejusdem regionis sunt, ut quisque suam dicat sententiam, in *Curiatis* verò singuli vocentur, qui ejusdem Curiæ sunt. Itaque si contigisset quosdam, qui nomina professi erant in aliqua Curia, domicilium mutare & in alterius locum commigrare, hi non cum iis, inter quos primùm nomen suum professi erant, ad Comitia Curiata, sed cum vicinis suis ejusdem regionis sive tribus, ad Tributa Comitia vocabantur. Deinde docet Dion. Halicarn. *lib.* 10. *Curiata* suffragia tum demum rata habebantur, ubi & Senatusconsultum præcessisset, num ad populum id promulgari oporteret, suffragiis curiatim collectis, nulloque vitio ex auguriis vel ostentis obnunciato: Tributa verò sine Senatusconsulto vel Sacerdotum aut Augurum approbatu fiebant, oportebatque ea intra unum diem confici, Oiselius *in A. Gellii locum suprà citatum.* Indicebantur *Curiata* Comitia per tricenos Apparitores, quorum singulos singulæ Curiæ habebant; in iis, cùm ritu præscripto propositio facta placebat, ad electionem procedebatur; sin minùs, intercedebat Tribunus Pl. sicque Comitia solvebantur. Convocandi habendique hæc Comitia jus primùm penès Reges erat; Postea Magistratibus quibusdam Patriciis, Consulibus, Prætoribus, Dictatoribus & Interregibus: Pontificibus etiam id concessum fuit, nec non Flaminibus. Suffragium in iis tulerunt cives Rom. sed ii tantùm, qui in Curias erant descripti, quales saltem fuere, qui in urbe habitabant, &c. Plura V. apud Joh. Rosinum *Antiqq. Rom. lib.* 6. *c.* 2. 3. 4. 5. 6. 7.

Curiones, apud Romanos dicti sunt, qui pro Curia quisq; sua sacra curabant. Instituit id Sacerdotium Romulus, populo in 3. Tribus Curiasq; 30. diviso: confirmavit Numa Pompilius, Dionys. Halic. *lib.* 2. Hi singuli à singulis Curiis eligebantur, quorum is, qui reliquis omnibus præsidebat, *Curio Maximus* dictus est. Hujus auctoritate cæteri regebantur, nec is, nisi omnium Curiarum suffragiis, Curiatis Comitiis creabatur. Sacra, quæ in Curiis fiebant, *Curionia*: & æs quod dabatur Curioni ob Sacerdotium, *Curionium*: ipsi Curiones quoq; *Flamines Curiales* dicebantur. Domus eandem publica, in qua sacris peractis quælibet *Curia* solebat convivari, *Domus Curialis*, nonnunquam simpliciter *Curia* vocitata est, V. Joh. Rosinum *Antiqq. Rom. lib.* 3. *c.* 13. Binos singulis Curiis, adeoq; 60. *Curiones* habet Thom. Godw. *Anth. Rom. lib.* 2. *sect.* 2. *c.* 5. Meminit *Curionum* quoque Martialis *Præfat. lib.* 2. *Epigramm. ad Decianum, Quid nobis*, inquit, *cum Epistola? parum enim tibi præstamus, si legimus Epigrammata? — Video quare Tragœdi epistolam accipiant, quibus pro se loqui non licet. Epigrammata* Curione *non egent, & contenta sunt sua, id est, mala lingua.* Ubi notat Turnebus, *Curionis* hujusmodi officium fuisse, omnia, quæ in Theatro, vel Principis mandato, vel Magistratus jussu edictove, vel alicujus postulato pronuntianda erant, proclamare, uti quasi præconem Theatralem sic egerit Curio, V. eum *Adversar. lib.* 25 *cap.* 8. Sic itaque Tragœdi, si quid esset, quod Principem vel populum, monitos rogatosq, vellent, epistolam exhibebant, quam vocalis aliquis *Curio* clarâ voce legebat: quoniam iis in Dramatico poemate, quæ extra scenam & argumenta essent, loqui non licebat &c.

Curiosi, Palladio, in *Vita* Chrysost. Κουριῶσοι, in *Gloss. Basilic.* Κουρίωσοι, dicebantur, qui delecti ex *Memorialibus*, atque etiam ex *Agentibus in rebus*, ab Impp. per singulas provincias, modò bini, modò singuli, annuum munus obituri, mittebantur, qui & cursui publico invigilarent, ne via, citra evectionem quis eo uteretur, & omnia, quæ geri in Rep. viderent, ad Principis notitiam deferrent. Dicti, quod *curis* agendis & evectionibus cursus publici inspiciendis operam darent, *l.* 13. *Cod. de curs. publ. Lib.* 12. *l.* 2. *C. de curios. l.* 1. *C. de offic. Magistr.* ad eosque cura vehicularis cursus pertineret, ut loquitur *Lab. ff. de muner. & hon.* Eosdem crimina Judicibus nuntiasse, indicat *l.* 1. *C. de curios.* Tertullian. *libr. de fuga in persec. In matricibus beneficiariorum & curiosorum. In passionibus S. Mamæ*, Heliodori cujusdam mentio fit, qui *Curiosi* officio fungebatur. Eòdem pertinent, [illegible] in verbo Κουρίωσος referuntur, [illegible]. Ea sunt hujusmodi, [illegible] *Tractus à Curioso urbis, media in urbe. Curiosos* etiam [illegible] vectigalium redemptoribus conjungit Julius Firmicus [illegible] *riosi litorum invenies, in Nov. un. Th. & Valent.* [illegible] *Primi scholarum Curiosi, in l.* 6. *ff. de curios. in Cod.* [illegible]. Joh. Laurentium *JC. notis in Phædrum lib.* 4. *fab.* 41. [illegible]

Quidam

— — *Quidam curiosior:*
Simonide, tu ex opibus nihil sumis tuis.

Ubi sic vocari communiter notat eos, qui solliciti sunt de aliis, ex Plauto *Stich. Act. 2. Sc. 1.*

Sed curiosi sunt hic complures mali,
Alienas res qui curant studio maximo.

Specialem dein vocis in antiquitate significatum, de quo retrò subjungit. Similes in Gallia *Contrarotulatores dispositorum equorum*, Gall. *les Controlleurs des Postes*, facit Scaliger *ad Manilium lib. 5.* In *Not.* Imp. occurrunt *Curiosi cursus publici præsentalis.* Et *Curiosi per omnes prov.* in *Nov.* Theodos. & Valent. *de Tribut. Fiscal.* &c. Qui cùm multiplici concussione & nequitiâ infames essent, sublati demum sunt à Juliano Imp. V. Jac. Gothofredum *ad tit. Cod. Theod. de Curiosis*, apud du Fresne indigitatum, qui *Curiosos & Correctores Fratrum ordinis Grandimontis* quoque memorat, ex *Aresto* Parlam. Paris. 15 Jan. 1322. V. quoque infrà, ubi de *Frumentariis.* Sed & hac voce per dicterium appellari homines graciles & macilentos apud Plautum legimus *in Aulul.* tanquam qui *curis* se excederent ac macerarent; quemadmodum *Incuriosi* contra pingues sunt. Unde *Agnus incuriosus*, apud Apulejum *Flor.* Eodem sensu *Curio Agnus*, pro macro, apud eundem Plautum reperitur &c.

Curiosi Naturæ, nomen Societatis in Germania illustris, inter præstantissimos Medicos, certis legibus, cultæ, auctore Joann. Laur. Bauschio, Medico celeberrimo, qui Suinfurti, in Franconico Circulo, liberâ Imperii Civ. communicato cum aliis Medicis consilio, deprehendit Rei Medicæ optime consultum iri, si singulari curâ præcipuorum Naturalium, in triplici Regno, *Minerali, Vegetabili* & *Animali*, indoles, differentiæ, vires, remedia, accuratè enarrarentur. Cui negotio quòd unius hominis vires ætasq; non sufficeret, eodem Anno M DC LII initium factum fuit Collegii hujus, & sub certarum Legum præcepta aliquot Medici in unam Societatem convenerunt, Bauschioque præfato Præside electo, duos ipsi *Adjunctos*, Jo. Mich. Fehr. & Georg. Balth. Mezgerum itidem Suinfurtenses, associarunt. *Argonauticæ expeditionis* nomen Societati, Bauschio *Jasonis*, cæterisq; similia, dare placuit, quibus cùm sensim alii sese adjunxissent, primus *Vitem Viniferam* seu *Ampelographiam Curiosam* edidit Phil. Jac. Sachs à Levvenh. Vratislaviensis A. C. 1661. Anno sequente promulgata fuit *Epistolâ Invitatoria*, ad quoscunque Medicos directa quibus in hæc Naturæ & Societatis castra descendendi prolubium subiret, unà cùm Legum tum temporis observatarum tessera & testimoniis variorum præcellentium Medicorum; Tabulâ item tum Archivo inscriptorum membrorum, quod scriptum sub nomine, *Salve Academicum*, Typis vulgatum est. Postmodum ipse Præses geminum tractatum emisit, de *Lapide Hæmatite & Aëtite*, A. C. 1665. Sequutus est Fehrius, qui de *Scorzonera* scripsit, & simul D. Bauschii *Unicornu fossile* eruit. Eodem verò anno, hoc defuncto, Sachsius præfatus, *Gammarus* seu Cancer cognominatus, *Gammarologiam Curiosam* emisit, & Fehrius in Præsidis defuncti locum electus est A. C. 1666. Idem de *Absinthio* librum vulgavit A. C. 1667. Post quem *Elaphographiam* Jo. Andr. Graba, Erfurtensis Medicus, & *Carduum Benedictum* Georg. Christoph. Petri Elect. Mogunt. Archiater: ipse Fehrius *Caruleum & Chrysocollam*, ex Bauschii scriniis, edidere. Quo facto constitutum, ut Societatis Regiæ in Anglia aliarumque quarundam in Gallia exemplo, quotannis *Ephemerides* Germanorum, h. e. *Miscellanea Curiosa Medico-Physica* ederentur, & quidquid in Anatomicis, Botanicis, Physicis, Pathologicis, Chymicis, Chirurgicis, vel ab Exteris, vel Germanis, per commercium literarum communicaretur, vel etiam à Germanis ipsis fidâ experimentorum veritate inventum fuisset, Erudito Orbi, quasi in una Tabula, delineatum exhiberetur. Quod ut feliciùs effectui daretur, Leges pristinæ partim mutatæ, partim auctæ, & ut *Fautores* nonnulli, alii ut *Collegæ* recepti: *Collectores* quoque in Urbe Vratislavia Silesiorum instituti sunt, ad quos ex omnibus oris literæ dirigerentur. Ipsi verò Societati nomen S. ROM. IMPER. ACADEMIÆ NATURÆ CURIOSORUM imposterum esse jussum est: cui cùm ipse Imperator Leopoldus patrocinium suum indulsisset, ab eo tempore magnis auctibus Societas crevit, & indies celeberrimorum Virorum accessione, non sine maximo Publicæ Rei emolumento, locupletatur. V. *Ephemeridum Medico-Physicarum Germanic. annum secundum A. C. 1671. editum Jenæ.*

Curius Fortunatianus, Historicus, memoratus Jul. Capitolino in *Maximo & Balbino, Priusquam de actibus eorum loquar — quamvis Curius Fortunatian⁹, qui omnem hanc historiam perscripsit, plura congerit*, h. e. pauca eorum admodum tetigit. Salmas. *ad l.* V. in voce *Curius.*

Curlandia, adde: Familiæ hujus illustris auctor est Gothardus Ketlerus, ex generosa inter Equites Westphaliæ familia, Magister Ordinis Livonici, ac à Rege Poloniæ Sigismundo Augusto *Dux Curlandiæ ac Semigalliæ* creatus; cujus progenitores sic habent: Gothardus *Ketler* Eques, ex Maria *de Batenberg*, genuit Gothardum Equitem Auratum, cujus ex Sibylla *de Nesselrode* filius fuit Gothardus I. Dux Curlandiæ & Semigalliæ præfatus: quo & Annâ Megapolitanâ, genitus Guilielmus D. maritus fuit Sophiæ Brandenburgicæ, extinctæ A. C. 1610. quo matrimonio editus Jacobus D. ex Luisa Carola Brandeburgica, filiâ Georgii Wilhelmi Electoris, suscepit numerosam utriusque sexus prolem, V. Phil. Jac. Spenerum *Theatr. Nobil. tom. II. p.* 61. & *in Ind.*

Curma, homo mancipii Tulliensis, non longè ab Hippona, cujus mirabilem visionem refert Augustinus *Tom. IV. de Cur. pro mort. ger. cap.* 12. ubi visionis hujus monitu postea ab eo se baptizatum esse, inter alia addit. Tob. Pfannerus *System. Theol. Gent. cap.* 19. *§.* 4.

Curmen, Κοῦρμι, Dioscoridi *lib. 2. cap.* 110. potus ex hordeo, zytho similis. V. Salmasium *ad Inscr. Herodis Attici pag.* 51. & Camdenum *in Agro Dorbiensi.*

Curraterius, Gallis dictur, qui *Conciliator* seu *Proxeneta* Latinis, ab *intercurrendo.* Salmasius *ad Vopiscum in Carino.* V. du Fresne in *Corraterius.* At apud Italos *Corraria* dicitur genus prædæ, quæ procul ab exercitu (extra 10. m. p. dicebant Romani) in liberis & injussis excursibus agitur, & quam illi à *bottino* distinguunt. V. Hug. Grotium *de Jure Belli & Pacis lib. 3. cap. 6. §.* 12.

Currere, de venis arborum, apud Plinium *lib. 16. cap* 39. *Communia his* (larici, abieti & sapino) *pinoq;, ut quadripartitos venarum cursus bifidosq; habeant, vel omnino simplices.* Unde Græcis τετράοζος, δίοζος, & μονόοζος arbor, quæ *quadrifidos* habet venarum cursus, vel *binos* utrinque ἐκδύσεις, vel *simplices.* Latini *fluvios* appellarunt quoque, & *fluviatam* arborem, quæ sic venis distingueretur. Dicuntur autem ἐκδύσεις & venæ in arbore *currere*, ut purpura Meliboea, in vestis extrema ora, *currit* apud Poëtam *Æn. lib.* 5.

— *chlamydem auratam, quam plurima circùm*
Purpura Mæandro duplici Melibœa cucurrit.

Et apud Homerum χαλκὸς ἔθει, *æs currit*, circa clypei ambitum. Unde *cursivenium*, gen⁹ aceris, apud eundem Plinium, quod Theophrasto ἰσόσπορον: utrumque ex correctione Salmasii, quem vide *ad Solinum pag* 1024. At, *Currere*, in *Charta* R. Abbatis Caroffi, A. C. 1308. apud du Fresne dicitur, qui ob crimen per urbem traducebatur, quod *trotari* citimæ ætatis Scriptores vocant: Cujusmodi pœnæ genus adulteris apud Francos infligi solenne, quemadmodum olim apud Pisidas, ut idem docet in verbo *Trotare.*

Curriculum, apud Horatium *Od. principe*,

Sunt quos Curriculo *pulverem Olympicum*
Collegisse juvat, metaq; fervidis
Evitata rotis —

An pro stadio & hippodromo? ut apud Ciceronem in *Catone maj. Quum Milo Crotoniates athletas se in* Curriculo *exercentes videret.* An pro ipso cursu curruque? V. Chabotium *ad l.* Certè *Curriculum* propriè, brevissimum vehiculi expediti genus, dictum est, quo in ludis olim usi: Græcè ἁρμάτιον. Ad Olympiacum autem Certamen, Circenseq; ludicrum respicit Poëta ubi vicisse olim maximæ gloriæ erat. Nutriebantur verò præcipuè ad hunc usum equæ. Virgilius *Georgic. lib.* 1. ubi de Epiro; *mittit*

Eliadum palmas Epirus equarum.

Et Horatius idem *lib. 2 Carm. Od* 16. de Grospho Eq. Rom.

— *tibi tollit hinnitum*
Apta quadrigis equa.

Erantq; solennia *Curricula* septem, totiesq; meta circumagenda, antequàm palmam impetrarent quadrigæ. Propertius *lib. 2. El. ad Cynthiam*,

Aut priùs infecto deposcit præmia cursu,
Septima quàm metam triverit antè rota.

Circa quem spatiorum numerum decurrendorum, cùm sæpius errare videret Agrippa, (τούς τε δελφῖνας καὶ τὰ ᾠοειδῆ δημιουργήματα κατεσκεύασε, ὅπως δι' αὐτῶν αἱ περίοδοι τῶν ἁρματηλασιῶν ἀναδεικνύωνται), *Delphinas & ovales fabricas constituit, quibus circuitus* Curriculorum *notarentur ac numerarentur*, apud Dionem. Imò & ante Agrippam Ova fuisse in Circo, quibus Curricula numerarentur, discimus ex Livio *lib.* 41. ubi ait Censores locasse carceres in Circo faciendos, *& ova ad notas curriculis numerandis*, id quod factum anno U. C. 580. Meminitque Varro illius ovi, *quod ludis Circensibus novissimi* curriculi *finem faciebat quadrigis.* Fuere itaque tot ova, quot *Curricula*, & primo Curriculo peracto, unum ovum è medio tollebatur, atque ita deinceps, uti ex verbis hisce Varronis colligere est; an singulis spatiis peractis; unum subinde ovum producebatur in medium, ut videtur innuere Cassiodorus? V. hic ubi de Circi *Palis ac Ovis.* Porro Latinis, unde emittebantur quadrigæ, *Carceres* dicti & *Ostia*: circa quas in cursu flectebant, *Metæ*: ubi stabant ad palmam accipiendam, post *Curricula* peracta; *Calx* seu *Creta*; quod locus ille cretâ præductus esset. Erat autem is à Carceribus non procul. Nempe victrices quadrigæ, quæ metam septimò circumagere anticipassent, quod superfuit spatii ad primas metas absolventes, ibi præmium accepturæ consistebant. V. Salmasium *ad Solin. p.* 911. & *seqq.* ut & hic passim.

Curru vehi, cum aliquo Procerum, magnus honor habitus. Vopiscus *initio Aureliani, Hilaribus, quibus omnia festa & fieri debere scimus & dici, impletis solemnibus, vehiculo me suo & judiciali carpento Præfectus urbis, Vir illustris, Julius Tiberianus accepit.* Epistola Smyrnensium, sanè insignis de martyrio Apostolici Viri

Polycarpi, apud Eusebium *Histor. Ecclesiast. lib. 4. cap. 14.* Καὶ ὑπάγει αὐτῷ ὁ Εἰρήναρχος Ἡρώδης, καὶ ὁ πατὴρ αὐτοῦ Νικήτης, οἳ καὶ μεταθέντες αὐτὸν εἰς τὸ ὄχημα, ἔπειθον παρακαθεζόμενοι καὶ λέγοντες τί γὰρ κακόν ἐστιν λέγειν, κύριος Καῖσαρ, ἢ θῦσαι καὶ διασώζεσθαι. Sic Honorium Imp. primores Senatorum curru suo invexisse Romæ, arguunt illa Claudiani *in IV. Conf.* ubi vetitos eos *currum* de more præcedere, canit,

> *Temnunt prisca senes, & in hunc sibi prospera fata*
> *Gratantur durasse diem, moderataq; laudant*
> *Tempora, quòd clemens aditu, pro tempore solus*
> *Romanos vetuit currum præcedere Patres.*

Ipsi Honorio, quòd eodem curru cum Patre Theodosio urbem esset invectus, idem Poeta, ut insignem honorem, adscribit, *in III. Consul.*

> *Quanti tum juvenes? quantæ sprevere pudorem*
> *Spectandi studio matres! Puerisq; severi*
> *Certavere senes? cùm tu genitoris amico*
> *Exceptus gremio, mediam veherere per urbem?*

Ut ad remotius ævum ascendamus, Adrastus Hypsipylam; Thetin Neptunus, *invitat curru*, apud Statium *Thebaid. lib. 5. versu* 699. & *Achilleidos lib. 1. versu* 79. Imò in Sacris, Jehu Rex Israelis jussit *Jehonadabum*, honoris ergò, *conscendere ad se in currum*, 2. Regum *cap. 10. versu* 15. Pharao verò *jussit* Josephum, qui secundus ab illo futurus erat, *insidere currui secundario*, Genes. *c. 41. v. 43.* V. Casp. Barth. *Animadvers. ad Statium d. l.*

Curruca, Græcè ὑπολαὶς, avicula est, in cujus nido cuculus plerunque parit. Philosophus de cuculo *Histor. lib. 6. cap. 7.* τίκτει δὲ ἐπὶ τῇ τῆς ὑπολαΐδος νεοττιᾷ, ὅταν τέκῃ καὶ ὠοτοκῇ; unde est, quod Theophrastus *de Caus. plantar. lib. 2. cap. 24.* cuculorum genus extare posse negavit, εἰ μὴ ἦν ἡ ὑπολαΐς, ἢ καὶ εἰς τὴν νεοττιὰν τὰ ᾠὰ τίθησι, *nisi curruca esset, in cujus nido ova poneret.* Quod haud usquequaque verum: cùm præter currucam etiam alias aves memorent Auctores, in quibus cuculus ὠοτοκεῖ: palumbes nempe & turtures, Aristoteles *in Mirabil.* alaudas, chloridas & pappos, Idem *Histor. Animal. lib. 9. cap. 29.* & Ælianus *Histor. lib. 3. cap. 30.* passeres, Isidorus *lib. 12. cap. 7.* luscinias, motacillas, rubeculas, & ruticillas, Gesnerus: avem denique קרא *Kore*, quæ scolopaci seu rusticulæ propior, Jeremias *cap. 17. versu* 11. Interim plerunque id in Currucæ nido fieri certum. Unde, sicut cuculus apud vett. Romanos, de mœcho usurpari consuevit, uti suprà vidimus ex Plauti *Asinaria*; Ita *Currucam* iidem appellavere, qui ab uxore contumeliam patitur. Sic Juvenalis *Sat. 6.* de viro stolido falsas adulteræ uxoris lachrymas miserante,

> *Tu tibi nunc, curruca, places, fletumq; labellis*
> *Exsorbes* &c.

V. Sam. Bochartum *Hierozoici Parte poster. lib. I. cap.* 12.

ad *Currum*, equos jungendi mos vetus is fuit, ut in quadriga quatuor equos ita jungerent, ut, duplici temone equis interjecto, perpetuum jugum omnibus conjiceretur. Tum nullus in curru funalis equus fuit, sed omnes jugales, quorum duos sinistros temo unus interjectus continebat, duos dextros alter temo. Primus Clisthenes Sicyonius ratione hac immutatâ, uno temone *currum* fecit, ac medios tantum duos jugo junxit, eisque singulos adjunxit ex utraque parte loro vinctos, quos παρηόρους Græci, *funales* Latini dixere; sicut alteros ζυγίους illi, *jugarios* vel *jugales* isti: Atque sic in Circensibus jugales duo fuere inter utrumque funalem, sic ut omnes quatuor equi æquatâ fronte irent, quemadmodum in antiquis monumentis, nummis, annulis, passim videre est. Ex illis autem quatuor equis funales dextri potissimi, utpote qui ducatum cæteris præberent, nempe in bellicis & aliis si forte curribus: funales verò sinistri, in agonisticis & Circensibus. Quia namque ad sinistram meta esset circumflectenda, in eoque posita victoria, maximam ad palmam adipiscendam momentum attulerunt sinisteriores funales. Quamobrem præstantissimus quadrigæ equus & adprimè flecti facilis, ac cæteris doctior, ad funem sinister locabatur: uti inprimis discimus ex Silio Ital. *lib. 16.* ubi de ludis Scipionis in Africa celebratis, & videbimus infrà, in voce *Funalis.* At hodie ad Currum sic quatuor equi junguntur, ut non omnes conquaternati æquatâ fronte procedant; sed bini funales conjuncti præcedant subsequentibus funalibus. Quam in rem V. plura apud Salmasium *ad Solinum pag. 897. & seqq.*

Currus, an Erichthonii inventum, qui turpitudinem crurum hac ratione abscondere fuerit conatus, V. in voce *Erichthonius*: an Minervæ? Suidas, Ἱππία Ἀθηνᾶ. Ταύτην Ποσειδῶνος εἶναί φασι θυγατέρα καὶ Πολυφῆς τῆς Ὠκεανοῦ. ἅρμα δὲ αὐτὴν πρώτην κατασκευάσαι, διὰ τοῦτο Ἱππίαν κληθῆναι. *Pallas Equestris; hanc Neptuni dicunt esse filiam, ex Polyphe Oceano genitâ: Currum autem primam fabricasse, atq; ob id Equestrem nominatam.* Unde Statius *Thebaid. lib. 2. versu* 723 de illa,

> — — *sive Aonia devertis Ithome*
> *Læta choris, seu tu Libyco Tritone repexas*
> *Lota comas, quâ te bijugo temone frementem*
> *Intemeratarum volucer rapit axis equarum.*

Ad varios usus homini inservit: de quorum primo, pulchrè Corippus *lib. 1.* rectè emendatus doctissimo Savaronio *ad Carmina Apollinaris Sidonii*; reliquos infrà subjiciemus passim, inprimis ubi *de Curuli vectatione*, quò pleraque huc spectantia rejicere placuit. Antiquissimis certè temporibus, non ex equis, sed ex *curribus* pugnatum, uti apud Homerum videre est, ubi binos in uno *Curru* fuisse, Heroa & Aurigam, unum ex fidissimis amicorum, legimus passim. Fuere autem *Heroum currus* tantis impensis, tanto opere, tamq; durabili materia fieri soliti, ut in longam sobolis successionem suffecerint, nec facile prioribus amissis potuerint in posteriores inveniri copiæ, uti notat vetus Expositor *ad Statium Thebaid. lib. 6. vers.* 349.

> *It Chromis Hippodamusq;, alter satus Hercule magno,*
> *Alter ab Oenomao, dubites, uter effera pressius*
> *Fræna magis. Getici pecus hic Diomedis; at ille*
> *Pisæi juga patris habet crudelibus ambo*
> *Exuviis, diroq; imbuti sanguine currus.*

Insignium enim & imaginum loco à posteris cumprimis asservati. Virgilius *Æn. lib. 1.*

> —— *Hic illius arma,*
> *Hic Currus fuit* ——

Et Juvenalis *Sat. 8.*

> — — —— *quid prodest, Pontice, longo*
> *Sanguine censeri, pictosq; ostendere vultus*
> *Majorum, & stantes in Curribus Æmilianos?*

Etsi namq; imagines fictæ, veri tamen utiq; *Currus* fuere custoditi. Hinc Scholiastes vetus, *ad Statium Theb. lib. 2. versu* 67. de Lajo,

> *Ut verò excelsis suamet juga nixa columnis*
> *Vidit & infectos etiamnum sanguine currus.*

Ad memoriam, inquit, *Heroum Currus conservatos in atriis domorum, exemplo Laji memorat* &c. Idem verò Veteres & devictorum Principum *Currus*, cum armis in tropæa suspendebant. Virgilius *Æn. lib. 7.*

> *Multaq; præterea sacris in postibus arma,*
> *Captivi pendent currus, curvæq; secures,*
> *Et cristæ capitum & portarum ingentia claustra,*
> *Spiculaq; clypeiq; ereptaq; rostra carinis* &c.

Neque verò Duces solùm exercituum Heroesq; curribus in bello usi: Sed & postquam equorum usus increbuit, ingens exercitus robur *Bellici Currus* habiti nihilominus fuere. Unde in sacra phrasi, *Currus Israelis & equites ejus*, junguntur 2. Reg. *c. 2. v. 12.* Quam in rem V. Sam. Bochart. *Hierozoici Parte prior. lib. II. c. 9 ubi de Salomonis equitatu*, & infrà aliquid, ubi de *Curribus Falcatis*

Currus Falcatus, inter præcipua Veterum militaris apparatus genera: de quo sic Curtius, ubi Darii aciem describit *lib. 4. cap. 9. Ingens* — *terror hostium, ducentæ falcatæ quadrigæ, unicum illarum gentium auxilium sequuta sunt. Ex summo temone hastæ præfixæ ferro eminebant: utrinq; à jugo ternos direxerant gladios, & inter radios rotarum plura spicula eminebant in adversum: aliæ deinde falces summis rotarum orbibus hærebant; & aliæ in terram demissæ, quidquid obvium concitatis equis fuisset, amputaturæ.* Prima verò hujusmodi Curruum mentio in libris Judicum occurrit *cap. 1. versu* 19. ubi *ferrati* appellantur: inde apud Livium *lib. 37. cap. 41.* Diodorum *lib. 17. cap. 58.* Xenophontem *Instit. lib. 6.* ubi Cyro inventionē eorum, ut quidem postea a Persis usurpati sunt, attribuit, & currus hos optimè describit; Vegetium *lib 3 cap. 24* Lucretium *lib. 3. versu* 746. ubi *falciferos currus* vocat, Alios. V. omnino Brissonium *lib. 3. pag 308. & seqq.* & Dempsterum *ad Rosini Antiqq. lib. 10. cap. 10.* Quomodo verò in exercitu distribui disponique consueverint, idem Curtius paulò exactiùs exponit *lib. cit. c. 12* Cum fremitu ingenti Barbarorum emissos in hostem, habes *cap. 13.* quo effectu, *cap. 15. Paucæ tamen evasere quadrigæ in ultimam aciem, iis, quibus inciderant, miserabili morte consumptis; Quippe amputata virorum membra humi jacebant.* Sic magnam horrendamque stragem in exercitu Romanorum edidisse eos, docet Appianus *in Bellis Syriacis* & *Mithrid.* Contra tantum itaque malum prudentiâ opus fuit. Et quidem Alexander præcepit, *Ut si falcatos currus cum fremitu Barbari emitterent, ipsi laxatis ordinibus impetum occurrentium silentio exciperent: haud dubius sine noxa transcursuros, si nemo se opponeret. Sin autem sine fremitu emisissent, eos ipsi clamore terrerent, pavidosq; equos telis utrinq; suffoderent.* Aliam rationem adversùs eos currus pugnandi Romani habuerunt, uti discimus ex Vegetio *lib 3. cap. 24.* & Frontino *lib. 2. cap. 3. 17. 18.* Ut de numero *Falcatorum Bellicorumq;* in genere *Curruum* aliquid addam: Mithridates centum habuit in suo exercitu, Plut. *in Lucullo*; Darius ducentos, Arrian. *lib. 3.* Antiochus Eupator trecentos 2. Maccab. *cap. 13 versu* 2. ut & Zera Chusæus 2. Paralipom. *cap. 14. versu* 9. Pharao sexcentos, Exodi *cap. 4. versu* 7. Syri trans Euphratente septingentos 2 Sam. *c. 10. versu* 18. Sisara nongentos, Judic. *cap. 4. versu* 3, 13. Sobæorum Rex Adarezerus millenos, 1. Paralipom. *c. 18. v. 4.* Sesacus Ægypti Rex, mille ducentos, 2. Paralip. *cap. 12. versu* 3. At Salomon Israelis Rex hos omnes supergressus, mille & quadringentos, 1. Regum *cap. 4. versu* 25. & 2. Paralip. *cap. 9. versu* 25. quos ille, ne tot currus & equites urbi Regiæ essent oneri, per Judææ oppida, hinc *Curruum urbes* dicta, distribuisse legitur 1. Reg. *c. 10. vers. 26.* Sicubi verò major *Curruum* numerus occurrere videtur, ea loca

de

de mendò esse suspecta, judicat Bochartus, quem V. omnino *Hierozoici Parte prior. Lib. II. cap.* 9. Nec omittendum, quòd Deum, qui equis curribusq; suos confidere non vult, Josuæ in mandatis dedisse legimus, ut *equis* hostium devictorum *suffragines succidat, & currus eorum igni comburat,* Josuæ *cap.* 11. *versu* 6. quod à Josua factum, uti Dominus præceperat, narratur *versu* 9. ad quem locum V. *Meditationes* Franc. Burmanni.

Currus Olympici, quadrijuges fuere: & quidem etsi in omnibus ludis omnis generis spectacula edebantur, tamen ludorum Olympicorum quadrigæ fuere propriæ. Olympiæ inquam, quòd ibi tantùm ludos actos esse, non Elide, firmat Strabo *lib.* 8. contra id, quod disertim ab Hygino traditum est, Elide, Peloponnesi urbe, certamina quadrigarum primùm fuisse instituta. Meminit hujusmodi Curruum Virgilius *Georgic. lib* 3.

Illi victor ego, & Tyrio conspectus in ostro
Centum quadrijugos *agitabo ad flumina* currus.

Et Statius *Thebaid. lib* 6.

Haud procul Herculeam Nemeen clamore reductus
Aspicis, atq; illic ingens certaminis instar
Quadrijugi

Quem proin *Quadrigarum furorem* Tertullianus alicubi vocat. At quanto magis insanit Nero, quem Suetonius memorat *Olympiis aurigasse curru decemjugi, cap.* 25. Dicebantur autem hi *Currus* proprio vocabulo Ἀθληταὶ, cum bellici πολεμιστήρια appellarentur: eratque ingens quoque eorum celebritas. Cujusmodi inprimis ille fuit, quem Argis Alcibiades emit, *qua de re*, inquit Plut. *in eo, extat oratio Isocratis* &c. Itaque cùm equos legimus victores, quadrigarios accipimus, ἀγωνιστὰς ἵππους, quos Poëtæ vocant ἀεθλοφόρους, *certamini destinatos*, ac tandem *præmiis donatos*. Apud Strabonem *lib.* 8.

Τῷ Νηλεῖ χρεῖος μέγ' ὀφείλετ' ἐν Ἤλιδι δίῃ
Τέσσαρες ἀθλοφόροι ἵπποι ——
Neleo multum debetis in Elide dia
Certantes quatuor pulli ——

Sed hac de re passim hic; V. inprimis supra ubi de more *ad Currum jungendi* equos, & plura apud Car. Paschalium *Coronar. lib.* 6. *cap* 15 & Salmasium *ad Solinum.*

Currus Secundarius, occurrit Geneseos *cap.* 41. *vers.* 43. *Et jussit* (Pharao) *eum* (Josephum) *insidere currui secundario.* Ubi Arabs Interpres *edit. Paris. lateralem equum secundum* Pharaonis vult intelligi. Namq; *currum* pro *equo*, passim reperias. Et notum, non Regibus solùm, sed & privatis binos, aut plures equos sæpe præstò fuisse, ut altero de via fesso, desilirent in recentē. V. quæ de Barbaris ad Istrum, Ælianus in *Tacticis*, de Mœsis Val. Flaccus *Argonautic. lib.* 6. de Quadis & Sarmatis, Ammian. *lib.* 17. de Romanis Festus, in *Paribus equis*, de hodiernis Tartaris Jo. Bapt. Tavernier, de aliis alii referunt. Sed Hebræa *d. l.* diserte habent, *Et sedere fecit eum in Curru suo secundario.* Nempe Reges etiam in bello, præter primariū Currum, alium habebant secundarium Quò pertinet, quod de Josia legitur, 2. Paralip. c. 35. v. 24. A curru demissum servi ejus imposuerunt על רכב המשנה אשר לו *super currum suum secundarium.* Ubi Kimchius, *Quia solebant Reges duplici curru vehi, quorum primus erat principalis, & in altero sedebant, cùm opus erat.* E quo ipso colligere est, tam licuisse Regi vacuum equum, quàm vacuum *Currum* deducere; contra quod è Magistris nonnulli ne unum quidem equum superfluum Regi divinâ Lege concessum fuisse, contendunt. V. Sam. Bochartum *Hierozoici Pars. prior. Lib. II. cap.* 9.

Currus Solis, 2. Regum *cap.* 23. *versu* 11. *Et cessare fecit* (Josias) *equos, quos Soli dederant Reges Juda, ab ingressu domus Dei ad domum Nathan-melechi Eunuchi, qui erat in Parvarim & Currus Solis combussit igni*: quibusdam quadrigæ fuere, in quibus sculptæ equorum effigies aureæ vel argenteæ vel æneæ Solis curru vecti. Sed veros hic equos intelligi, docet Bochartus; quos à *curribus* disertè distinguit Scriptura. Nempe & Equi Soli consecrabantur, & *Currus*; illi, *ut* ταχίστῳ ταχύτατοι, isti, quia in curru fingebatur totum orbem circumvehi. Ita de Rhodiis Festus, voce *October, Quotannis Soli quadrigas consecratas in mare jaciunt, quòd is tali curriculo fertur circumvehi mundum.* At apud Dionem Chrysostomum *Orat. Borysthen.* Οἱ Μάγοι τῷ Διὶ τρέφουσιν ἅρμα Νισαίων ἵππων, Ἡλίῳ δὲ ἵππον, *Magi Jovi* currum *educunt Nisæorum equorum, Soli autem unum equum.* *Currum* verò etiam Soli sacrum apud Persas, Xenophon habet *Institut. Cyri lib.* 8. ubi Cyri è Regia, in publicum, egressum describens, memorat in pompa ductos fuisse, *Currum album Jovi sacrum*, χρυσόζυγον *aureo jugo*, ἐστεμμένον *coronatum*, tum *Solis currum album, itidem coronatum.* Quâ superstitione imbuti Judææ Reges Manasse & Ammon currus itidem & equos Soli dicarunt, quod à pio Rege Josia abolitum est *d. l.* Eorum statio fuit à loco *Parvarim* dicto, qui Templo vicinus erat, usque ad Templi fores, ut ibidem habetur. V. Sam. Bochartum *Hierozoici Parte prior lib. II c.* 10. De *Curruum* verò in pompis Sacrorum apud Romanos usu, hic passim in voce *Armamaxa, Thensa* &c. cujus ritus vestigia apud Indos Idololatras observavit αὐτόπτης P. de Valle, quem vide *Itinerar. Tom. IV.*

Currus Triumphalis, Inter Triumphi præcipua ornamenta, apud Romanos fuit, *thus ab* Heroicis fortè temporibus desumpto, namque apud Homerum magnos illos Duces, quadrigis prœlium iniisse, & victum Hectorem ab Achille triumphabundo curru raptatum esse, legimus. Idem mos Persis; Unde Curtius *lib.* 4. *in limine*, ait: *Darius, qui modò non bellantis more, sed triumphantis, curru sublimis vehebatur.* Plinius *lib.* 28. *cap.* 4. & *lib.* 35. *cap.* 10. *facit & Alexandrum curru triumphantem*: de Romanis res notissima. Fuit autem *Currus triumphalis* neq; cisium, neque petoritum, neq; carruca, nec carpentum, nec plaustrum, nec rheda, nec sarracum, nec epiredium, nec covinus, nec arcirma, nec arcera, ac ne thensa quidem, quæ omnia Veteribus celebratissima sunt *Curruum* nomina, neque deniq; falcato currui similis erat, sed *rotunda ad instar turris*, ut ex Joh. Zonara annotavit Turnebus *Adversar. lib.* 6. *cap.* 16. Ex ebore eum factum fuisse, innuit Ovidius *Tristium lib.* 4. *eleg.* 2.

—— —— *Currus spectabat eburnos.*

Fastigium bracteis decorabatur aureis; Hinc Paulus Æmilius devicto Perseo, *in curru aureo* triumphasse dicitur, apud Eutropium *lib.* 4. Sic Constantinum *incedisse aureo solum carpento*, refert Ammian. *lib.* 16. &c. Nec minùs coronis, ac Imperatores ipsi milites que, ut & equi, ornari solebat. Claudian. *de laudibus Stiliconis lib.* 3.

—— —— —— *Currumq; secutus*
Laurigerum.

Idem, ut victoriæ aliquas notas populus oculis usurparet, sanguine respergebatur, L. Seneca *de Clem. lib.* 1. *cap. ult. in fin. Nullum*, inquit, *ornamentum Principis fastigio dignius, quàm illa corona ob cives servatos: non hostilia arma detracta victis non currus barbarorum sanguine cruenti, non parta bello spolia.* Virgilius *Æneid. lib.* 11.

Ducunt & rutilo perfusos sanguine currus

Ducebatur à quatuor equis albis, cujus ritus originem Plut. *in Camillo* & Livius 1. *Dec. lib.* 5. a Camillo arcessunt, memorat Ovidius *de Arte lib* 1.

Quatuor in niveis aureus ibis equis.

Idque stante Rep. Mutatis postea moribus, & pro equis leones junxit primus M. Antonius, civili bello, post pugnam Pharsalicam, Plinius *lib.* 8. *cap.* 16. Pompeius M. elephantis primò hunc in finem Romæ usus est, Idem *lib.* 8 *cap.* 2. Quos secuti sunt Cajus Cæsar Gallico triumpho, Sueton. *cap* 37. Claudius, Sueton. *cap.* 11. Domitianus, Alexander Severus &c. ritus auctore Baccho, quem de Indis triumphaturum, quatuor elephantos jugo submisisse, narrat Diod. Siculus *Biblioth lib.* 4. Anton Heliogabalus triumphavit *tigribus, ut Bacchum referret: leonibus, ut Matrem: canibus, ut exemplo careret*, apud Æl. Lampridium. Aurelianus Aug. *ad hostium timiditatem exprimendam, cervis vectabatur*, Fl Vopiscus. Denique Nero, *novo & portentoso exemplo, equas Hermaphroditas junxit*, Plin. *lib.* 11. *cap.* 49. At insolentius multò Susacus, an Sesostris, Ægypti Rex, *devictos bello à se Reges currui, cui insidebat, subjungere solitus est*; Lucanus Pharsal. *lib.* 10. *versu* 273.

Venit ad Occasum, mundiq; extrema Sesostris,
Qui Pharios Regum currus cervicibus egit &c.

Currus Velivolus, genus currus non minùs admirandum fuit; quo Mauritium Nassovium, rebus pro Fœderati Belgii libertate & gloria gestis inclytum, usum legimus; qui quòd ventis ageretur, *Velifer* dictus est, & *Velivolus*, proprio nomine *Sceverina*. Hujus laudi integrum *lib* 2. *Epigrammatum* dedicavit Hugo Grotius; è quo unicum hoc depromam:

Auræ jugales & quadriga ventorum,
Latè patentes quæ per aëris campos
Vastumq; inane, spiritus vago cursu
Servis Batavæ gentis Imperatori;
Ite, ite ad astra sede fulta sublimi,
Collegioq; nunciate cælesti,
Nassaviorum stirpis inclutum germen,
Vicisse forti Martis impetu terras;
Vicisse fluctus, atq; jura Neptuni:
Nunc & subacto patris Æoli regno
Dictare leges impotentibus flabris.
Flammata cæli templa, & aureos ignes
Restare tantùm; namq; & illa debentur.
At nos precamur, civitas Batavorum,
Ne jura Olympi vindicet, nisi serò:
Sed hic moretur, differatq; contentus
Cepisse cælum mente, dum vias Phœbi,
Lunæq; motus, siderumq; permensus
Ausus profundos æmulatur Euclidis,
Solertiaq; acumen Archimedeæ,
Pelusiosq; subjicit sibi fastus:
Hic voce mallis plebis & Senatorum
Princeps paterq; Patriæ salutari:
Hic sæpe fusis gentis Asturum turmis,
Victrice lauri vinciat comâ frontem,
Illoq; Curru *gaudeat* triumphali.

Quia *Currus* hujus inventor, idem hoc tetrasticho indigitat:

Ventivolam Tiphy deduxit in æquora navim,
Jupiter in stellas, æthereamq; domum.
In terrestre solum virtus Stevinia: nam nec
Tiphy tuum fuerat, nec Jovis istud opus.

Sinenses quoque ingeniosos, *Currus* habere *ventivolos*, quos velis per terram dirigant, creditum nonnullis est, sed fabulam hanc inde ortam suspicatur Martinius, *in Atl. Sinico*, quòd in provincia *Peking* plaustro unicâ rotâ instructo utantur, quod, uno illius medium occupante, atque eidem aliis duobus ab utroque latere assidentibus, vir mediocris roboris ligneis vectibus non minùs securè, quàm velociter, promovet. V. Auctorem Anonymum *Sina & Eur. cap.* 43.

Curruticuli, Hæretici iidem cum *Severianis*, apud Macrum *Hierolexico.* Lege *Corrupticolæ*, quos vide.

Curruum seu Bigarum Oppida, 2. Paralipom. *cap.* 8. *versu* 6. oppida erant, Salomonis *curribus* destinata. Josephus, *Τὰς δὲ πόλεις ἐκάλεσεν ἁρμάτων ἀπεσκευασμένων*, *Has autem* Curruum Urbes *appellavit.* Nempe partem equorum curruumque secum servavit, partem, ne Regiæ urbi essent oneri, per Judææ oppida distribuit. Et quidem, si Josepho credimus, equitum dimidia pars Hierosolymæ cum Rege commorabatur, at τῶν ἁρμάτων παρ' αὐτῷ ἐτήρησεν ὀλίγα, *prope se servavit curruum paucos.* Fuere autem oppida illa, per quæ currus suos equosque Salomon dispersit, nova, & in id ipsum ab eo condita ut Scriptura disertè asserit, 2. Paralipom. *d. l.* In eadem pabulum equis, quantum erat necesse, comportatum, 1. Regum *cap.* 4. *versu* 28. ubi Septuaginta perabsurde, *Τὰς κριθὰς, καὶ τὸ ἄχυρον, εἰς τοὺς ἵππους, καὶ εἰς τὰ ἅρματα ἔφερον*, V. Sam. Bochartum *Hierozoici Parte prior. Lib. II. cap.* 9 nec non suprà, ubi de *Curribus Falcatis.*

Cursor, nomen servi apud Vett cujus operam indicat ipsum nomen. Horum meminit Paulus JC. *l.* 99. §. 5. *ff. de Leg.* 3. Seneca *Epist.* 121. Suetonius *Nerone cap.* 30. Vopiscus *Aurel.* Lampridius *Alexandro*, Apulejus, *Metamorph. lib.* 10. Martialis *lib.* 3. *Epigramm.* 100.

Cursorem *sextâ tibi, Rufe, remisimus horâ.* &c.

Iidem à *Pedibus* dicebantur, Cic. *ad Atticum lib.* 8. quibus hodieque similes Gallico vocabulo, à familiaribus leucis, appellantur *Laquais.* Tit. Popma *de operis Serv.* Eorum præcurrere atque præcedere fuit. Martialis *lib.* 3. *Epigr.* 47.

Nec feriatus ibat ante carrucam,
Sed tuta fœno Cursor *ova portabat.*

Item prænuntiare, Apulejus *l. c. Misitque protinus* Cursorem, *qui vianti marito domus expugnationem nuntiaret.* V. quoque Tacitum *Jul. Agricol.* & Suetonium *Neron. cap.* 49. Imò & epistolas perferre, Suetonius *Ibid.* quidquid & Epistolas comitabatur, Martialis *lib.* 3. *Epigr. cit.*

Cursorem *sextâ tibi, Ruffe, remisimus horâ,*
Carmina quem madidum nostra tulisse reor.
Imbribus immodicis cœlum nam fortè ruebat,
Non aliter misti debuit iste liber.

V. plura in voce *Mazyes* ubi dicemus, ex hac potissimùm gente id genus servorum fuisse, disseremusq; de phaleris, quarum Suetonius *Neron. cap.* 30. meminit. Sed & *Cursorum Augustalium* meminit Augustinus *de Civ. Dei lib.* 5. *cap.* 26. quibus albam vestem attribuunt Suetonius *Domit. cap.* 12. & Aristides *Sacr. Serm.* 1. lienem inuri consuevisse vel potione extingui scribit Plin. *lib.* 11. *cap.* 37. quod de *cursoribus* in Turcia regiis quoque scribit Menavinus *lib.* 4. *cap.* 13. &c. Et hi Dominum, uti diximus, præcedebant, sicut Machærophori subsequebantur, Cic. *ad Q. Fratr. lib.* 1. *Epist.* 10. Asconius *in Milonian.* Juvenalis *Sat.* 7. *vers.* 8. &c. V. Laur. Pignorium *Comm. de Servis* & hic infrà: de Tabellariis autem, quorum officium *Cursores* etiam nonnunquam subiere, agemus *suo loco.*

Cursores, in imperio Constantinopolitano, idem planè quod *Viatores* priscis Romanis fuere: Non quidem qui in aciem hostilem excurrentes impetum facerent, ut notat Adr. Turnebus *Advers. lib.* 14. *cap.* 16. sed qui ad Principum ministeria essent idonei. Curopalates *de officiis aulæ Constantinop.* Πρωτοστράτωρ ἐστὶ καὶ Δεφένσωρ κουρσόρων, τούτων γὰρ μήτε τάξιν ἐχόντων, μήτε φλαμμούλων ἰδίων. *Provostrator est etiam Defensor Cursorum, horum quidem neque ordinem habentium, neque flammeolum suum.* Corippus *l.* 3. *num.* 5.

— —— —— *Jamq; ordine certo*
Turba Decanorum, Cursorum, in Rebus agentum.

Præcedebant hi Imperatorii Comitatus agmen, & in Palatio cum Decanis, Lampadariis, Mensoribus aliisque militabant, Lampadariis certè iidem junguntur *l. ult. Cod. de div. offic.* de quibus iterum modò dictus Poëta,

—— —— —— *prænuntius antè*
Signa dedit Cursor *positâ de more lucernâ.*

Similes omnino iis, qui in Galliæ Regum palatio dicti *les Guides des Chemins*, comitatum Regium præcedunt, ne quod in viis impedimentum obstet, quibus qui præest, *Capitaine des Guides* dicitur: uti qui *Cursoribus Palatinis* præerat, PRÆPOSITUS CURSORUM appellatur in vett. Elogiis. Ita enim inter alia habet vetus *Inscr.* SEP. AUG. LIB. ZIBI. PRÆP. CURSORUM. &c Ut verò paulo latiùs in historiam *Cursorum* hic me diffundam: Certè antiquissimos illos fuisse, docemur è Livio *Dec.* 4. *lib.* 1. *Hemerodromos vocant, ingens uno die spatium emetientes*: quantum illud, docet variis exemplis Lipsius *Cent.* 3. *epist.* 59. ubi *Cursorum* tria facit genera, hominum *Pedestrium, Equitum* ac *Animantium*, de quibus omnibus pauca subjungam. *Cursores Pedites*, quos *Hemerodromos* Græci, *Diarios Cursores* Lat. dixere, celebres fuere: Philippides, qui bello Persico ab Atheniensibus Lacedæmonem, auxilii petendi causâ, missus, *confecit biduo stadia mille ducenta sexaginta*, Plin. *lib.* 7. & Corn. Nepos; ea sunt Romana milliaria 157. leucæ hodiernæ, quæ horario spatio definiuntur, 40. Euchidas, ignis sacri petendi causâ, ab iisdem Delphos missus, uno die ivit redivitque stadia 1000. efficit Rom. milliaria 125. leucas hodiernas 31. & quod excedit. Anisis Lacedæmonius & Philonides Alexandri M. cursor à Sicyone Elin uno die 1200. stadia cucurrerunt, sunt leucæ 36. &leuca. Imo de eodem Philonide scribit Plinius *lib.* 11. *cap.* 71. *Ex Sicyone Elin* 1200. *stadia novem diei confecisse horis: indeque quamvis declivi itinere, tertiâ noctis horâ remensum:* addidque, *Nunc quidem in Circo quosdam* 160. *m. p. tolerare non ignoramus*; uno die 40. leucas, in illis Circi spatiis remetiendis, præmii causâ quosdam confecisse ostendens. Idem narrat, *Fonteio & Vipsano Coss annos* 8. *genitum puerum, à meridie ad vesperam* 45. *m. p. cucurrisse.* Posteriore quoque ævo, sub Leone Imp. *Indacus* quidam fuit, *qui in eundo conspectu* (veteris scriptoris verba apud Suidam) *subitò evanescebat fulguris instar, nec currenti magis, quàm volanti adsimilis. Certè quod iter homo mutatis equis uno die conficere non poterat, hic ipse suis pedibus & sine molestia conficiebat.* De Philippo nobili Juvene, in cohorte Alexandri, qui loricâ indutus ac arma gestans, pedes per 500. stadia Regem comitatus est, V. Curtium *l.* 8. Et haud pridem Reges Ingæ in Peruano tractu *Cursoribus* sed aliâ ratione usi sunt; qui per publicas regni vias, in dispositis casulis habitantes, tantâ celeritate per totum regnum jussa clamore nuntiavere, ut omnium equorum cursum ab iis superatum, scribant Hispani. Neque dissimilis ratio veterum Gallorum, ubi per istiusmodi homines *clamore significato & proximis tradito, quæ Genabi oriente Sole erant gesta, ante primam confectam vigiliam, in finibus Arvernorum audita sunt, quod spatium est* 160. *m. p.* Cæsar *lib.* 7. Sed magis mirandum, quod Diodorus Siculus tradidit: cùm Eumenes milites & arma expediret, *quosdam Persarum qui* 30. *dierum spatio aberant, eodem illo die hoc cognovisse, lib.* 19. &c. Quibus adjunguntur Turcarum *Peichi*, qui cum securicula in manu & phialâ odoratæ aquæ Byzantio Hadrianopolim die ac noctu pervenire dicuntur, quod intervallum est milliarium Rom. circiter 160. Diversum genus videtur, quod Laonicus describit, & *Viacidas* appellat, de quibus V. infrà *suo loco.* Verus proin Imp. apud Æl. Spartianum, *Cursoribus suis exemplo Cupidinum alas addidit, eosque ventorum nominibus vocitavit, Boream alium, alium Notum, item Aquilonem aut Circium appellans.* Ad *Cursores Equites* transeo, qui equis vecti publicis & celeriter subinde mutatis mandata deferebant; quod ministerii genus Theodorico R. apud Cassiodorum *lib.* 5. *Epist.* 5. *Cursuale ministerium*, hodie Gallis *la Poste* dicitur. Hujus inventi auctorem Cyrum facit Xenophon *lib.* 8. V. quoque Herodotum *lib.* 8. suntque isti, quos Persæ *Angaros*, item *Astandas* appellarunt: sed in eo ratio diversa ab illa quæ hodie in usu, quòd fere per horas hodie disponuntur, cùm per dierum spatia olim Equilia talia, atque iisque qui & *Cursores*, constituti sint. An Græci id genus usurpârint, incertum: Memorat tamen Livius, *T. Sempronium Gracchum, per dispositos equos prope incredibili celeritate, ab Amphissa Pellam tertio die pervenisse*, *lib.* 37. Romanos quod attinet, scribit Cæsar *lib.* 3. *Vibullium, omnibus oppidis, mutatis ad celeritatem jumentis, ad Pompejum contendisse.* Et infrà, *Nuntios per dispositos equites, de victoria Cæsaris, Mitylenam allatos.* Sed id tum nondù publico sumtu aut curâ: primùm demum Augustus cursum publicum ordinavit, docente Suetonio *in eo cap.* 49. verùm in vehiculis; singulares verò equi ac *veredi* postea accessere. Et de vehiculis quidem, ut de Catone, cujus Livius *lib.* 36. de Julio Cæsar, cujus Suetonius *cap.* 57. Mithridate, cujus Appianus, meminere, nisi adjiciam: Icelus, Galbæ libertus, ut patronum Imperii nuncio, & cæde Neronis primus lætificaret, *septimo ab Urbe die Cluniam* (*hoc in* mediam Hispaniam) *pervenit*, Plut. Annibal, apud Appianum victus à Scipione *Adrumetum uno comite venit, biduo & binoctio tria admodum stadiorum millia*, h. e. 375. mill. adeoque in diem noctemque 187. & semis, *emensus.* Sed quod magis est, nuntius à Maximo Romam missus, ut cædem narraret Maximini, *tanto impetu* (verba Capitolini) *mutatis animalibus cucurrit, ut quartâ die ab Aquileja Romam veniret*; quod spatium est 788. mill. ita in noctem diemque imputes 200. fere mill. quæ ipsa justa confecit Tiberius Cæsar pro exemplo (Plinio judice) summi cursus *lib.* 7. De equis, qui, ut dictum antè & ex Procopio aliisque liquet, successere: Narrat Socrates *in Hist. Eccles.* sub Theodosio Imp. Palladium quendam tridui spatio, ab urbe Constantinopoli ad fines Persarum equitem iisse, totidemque diebus rediisse; quæ sunt mill. 700. in diem paulo minus nostratia 60. quod possint ne *Cursores* hodierni, dubitatur meritò: etsi ratio ista horaria mutationis percommoda est & maximo cursui apta. Curiosior Ludovicus XI. R. Gall. dum Carolo Audace cæso, Atrebatis & reliquo Belgio imminens, nuncios rerum in horas [illegible] fertur. *Cursorum* quoque vicem non rarò animantes [illegible] Regi Ægyptio Marrhæ cornix fuit, literas hæc illius [illegible] ferre, cui mor-

cui mortuæ sepulchrum Rex condidit, Ælian. Columbarum inprimis usus olim hodieque frequens; Exempla Tyri à Christianis, & Lugduni Bat. ab Hispanis obsessi notissima, quibus internunciæ columbæ cum successu inserviere. In Oriente usitatum hunc mandata deferendi morem, per columbas, quæ uno die id spatii conficiunt, quod expeditus eques integro sextiduo ægrè emetiatur, observavit ac descripsit P. de Valle *Itin. tom. II.* quem vide, non deerit pretium operæ. Menesius, Arzillæ præfectus, audito Fessæ Regem Tingin properare, ut eam Christianis eriperet, catellam (quam forte Arzillæ per oblivionem civis Tingitanus reliquerat) literis illigavit ad Præfectum illum, & sub noctem destituit in litore, acriter verberatam, quæ libera, quantum potest, Tingin cursum intendit, literasque manè pertulit: quod spatium est milliarium circiter 75. V. Osorium *Lusit. Histor. lib.* 3. Hæc omnia tamen superat Ignium, per certa loca, conspectus splendor, quo pacto Helvetii, ingruente necessitate, dicto citius per omnes suas terras, periculum imminens nuntiare solent, pinu excelso in loco per intervalla flagrante. Quod idem de Anglis memoratur, qui ingruente turbarum metu altissimis palis, *Bekyns* illi vocant, faces imponunt, quo, velut edicto, brevi omnes moniti ad arma concurrunt, pro aris ac focis dimicaturi. Thom. Dempsterus *in Joh. Rosini Antiqq. Rom. lib. 7. c. ult. Paralipom.* Sed & *Cursores* nonnunquam Auctoribus vocantur οἱ Ταχυγράφοι, Notarii, qui notis verba cursim expediebant, de quibus infra. Apud Nic. Uptonum *de Milit. officio lib. 1. cap. 9. Cursores* dicuntur *Nuncii peditantes* Impp. Regum & Principum, *quorum officium est pedibus transire, qui insuper portant arma dominorum suorum in pixidibus depicta, pendentibus in suis cingulis sive cinctoriis supra renes — Et isti possunt esse milites propter peritiam in officiis habitam, non tamen sunt nobiles & vocantur Milites Caligati, ut C. de Nuptiis, L. A. caligato per Accursium,* V. infrà *Prosecutor.* In Ecclesia porro Rom. officium Ecclesiasticum *Cursoris* nomine veniebat, cujus erat Episcopis Epistolas deferre, Baron. *ann.* 44. *num.* 79. & *ann.* 58. *num.* 102. durantque etiamnum Romæ *Papæ Cursores*, qui deferunt mandata ejus bullasque divulgant. Sed & in aliis Ecclesiis *Cursores* satellites sunt Episcopalis Curiæ, apud Dominic. & Carolum Macros *in Hierolex.* Plura V. apud du Fresne *Glossar.*

Cursus, in Olympicis Ludis, tertio, vel etiam quarto certaminum loco, post Pugilatum viz. Luctam & Jaculum, recensetur Veteribus, uti ordine postremum, sic in maxima laude positum. Hinc apud Homerum Nestor, postquam Clytomedem pugnis, Ancæumque luctâ se vicisse narravit, addit quasi eximium hoc, *Il.* ψ.

Ἴφικλον δὲ πόδεσσι παρέδραμον —
Iphiclum autem pedibus præcurri —

V. quoque de Antilocho *Ibid.* de Orsilocho *Odyss.* ν. de Atalanta Ovidium *Metamorph. lib.* 10. de Polymnestore Milesio puero Athleta Solinum *cap.* 6. de Critone, Platonem *in Protagora* &c. Instituti origo an ab Apolline, qui Mercurium de *cursu* secum certantem prævertisse legitur, apud Pausaniam *lib.* 5. an ab Hercule, postquam Ællam Amazonem cursu superavit? apud Diodorum Sic. *Antiqq. lib.* 5. Erat autem *Cursorum* ἐν δρόμῳ γυμναζομένων, præcipuum munus, πλεῖστον ἀπολείπειν καὶ πορρωτάτω διαστῆναι, *plurimum relinquere* (post se Antagonistam) *& longissimè* (ab eo) *distare*, Plut. *Symposiac. lib.* 2. *Problem.* 4. Quod ut faciliùs assequerentur, nudi currebant; primitus quidem non planè, ut qui membris tegendis certa habebant indumenta. Quintus Smyrnæus *Paralipom. lib.* 4.

ἀμφὶ δ' ἄρα ζώματα ἑοῖς ἀσκεπέεσσι χαρεὶς
. . . Θάρσει, κατὰ δ' ἴσχει, ἄγε τινὰς ἀμφιβαλών.

Cujusmodi subligacula, ζώματα Homerus, περιζώματα & διαζώματα alii dixerunt. Usque ad Olymp. 32. ano. 1. quo Orsippus, quòd soluto ζώματι in cursu impeditus esset, effecit, ut postmodum nudi currerent. Iidem verò & inungebantur, quod in *Agonisticis* pridem notavit P. Faber *lib.* 2. *cap.* 12. Unde apud Papinium *Thebaid. lib.* 6. *versu* 575. cursurus,

—— —— *Palladios non inscius haustus*
Incubuit, pinguique cutem fuscatur olivo.

Ad quem locum V. Barthium *Animadversion.* & plura hanc in rem, apud Car. Paschalium *Coronarum lib.* 6. *cap.* 14. Præter *Cursum pedum*, vigebat in Ludis Olympicis, quoque *Cursus Equorum*, cujus coronam primus Iolaus accepit. Dictum autem certamen hoc est Ἱπποδρομία, ejusque spatium ἱππικὸν δίαυλον, quod erat 4. stadiorum, sicut minimum prioris cursus unum fuit stadium. Et primùm quidem unico equo certabatur, cujusmodi equi Κέλητες dicebantur Græcis, *Desultores* Latinis. Postmodum quadrigæ accessere, uti suprà vidimus, ubi de *Curru Olympiaco.* Præmium coronâ fuit ex oleastro aut simili fronde: aliquando & juvencæ & vitulæ, ut apud Q. Calabrum *lib.* 4. & phialæ, ut apud Pindarum *Nem. od.* 9. Tulerunt autem id domini equarum, licèt ipsi Cursui non interessent. Sic Chromius *loco hoc* quadrigas solùm misit & per Aurigam rem confecit. Sed & equi nonnunquam, excusso aurigâ, palmam obtinuisse leguntur, apud Plinium *lib.* 8. *cap.* 42. Artes quadrigarii hujus Certaminis variæ erant. Namque, (ut Magicas omittam, in Circensibus frequentes) cauti Agitatores in primis spatiis sustinebant equos spiritumque ac vires eorum dispensabant, priusquam ad finem venirent, ut integri ac indefecti prægressos jam defessos præverterent, in septimæ metæ flexu. Nec velocitate solùm prævertebant, sed & currus suos opponebant ac effundere æmulorum quadrigas conabantur. Quæ omnia conjungit Plinius *d. l. Claudii Cæs. Secularium ludorum Circensibus excusso in carceribus Aurigâ, albati equi palmam occupavere, primatum obtinuere, opposita effundentes, omnia quæ contra æmulos debuissent — facientes — peracto legitimo cursu ad metam stetere.* V. Silium Italic. *lib.* 6. & hic passim, inprimis in vocibus, *Occupare*, *Succedere* &c. Neque verò quadrigæ ex equis tantùm constiterunt, sed & è mulis & mulabus, uti legimus apud eundem Pindarum *Olymp. od.* 6. Fuitque mulorum certamen, qui essent clitellarii, κάλπη, bigarum, ἀπήνη dictum. Currentibus porro non defuere sui κάλωνες, uti pluribus docet Paschalius laudatus *cap. seq.* Nec omittendum, uti in pugilatu ter oportebat vicisse antagonistam, quod ἀποτριάζειν dictum, ita in *cursu*, ter vincere necesse fuisse, ut plena victoria obtineretur. Suidas in τριαχθῆναι, λέγουσι οἱ παλαιστικοὶ ἀπὸ τῆς πτώσεως, ὁ δὲ τρὶς ἀγωνισάμενος νικήσας φεύγει, ἥττηκεν, ἐλέγχει. V. quoque suprà in voce *Ter*, item hic infrà, ubi de *Equis*, nec non *de Curuli Vectatione.* Plura verò de *Cursu* Antiquorum, tum in Ludis Publicis, tum in Gymnasiis, apud Hier. Mercurialem *de Arte Gymnastica lib.* 2. *cap.* 10. & *lib.* 6. *c.* 7.

Cursus, in *l.* 5. *Cod. Theodos. de Curiosis, in his dumtaxat, in quibus cursus à provincialibus exhibetur*, V. quoque *l.* 3. & 4. *eod. tit.* est, qui aliàs *Cursus publicus* dictus, & Augustum auctorem habuit, *quò celeriùs ac sub manum cognosci posset, quid in provincia quaque gereretur*, hac enim fini *juvenes, primò modicis intervallis, per militares vias, dehinc vehicula disposuit*, apud Sueton. utilitate inventi pace belloque palàm maxima, sed calamitate non minore illorum, quorum possessionibus sive patrimoniis indicebantur angariæ aut veredi, ut scribit Arcadius JC. Conatus ex parte mederi æquissimus Nerva, qui durum munus remisit, sed Italis. Hinc nummi extant cum Inscr. VEHICULATIONE ITALIÆ REMISSA S. C. Trajanus verò severè, si minus ab Italicis, certè à provincialibus istud præstationis genus exegit, teste Aurelio Victore, qui *munus hoc posteriorum insolentiâ avaritiaque in pestem Romani Orbis versisse*, addit. Cujus querimonia etsi ad ipsius tempora propriè spectat, certum tamen est, jam inde à principio angariarum onere civitates & provincias multimodis semper esse vexatas: unde tot *LL.* tot Principum constitutiones, ad sublevandum cursum publicum promulgatæ. Cùm autem in *Cursu* hoc etiam eorum, qui illum usurpabant, sumptus intervenirent, videtur illorum commodis consuluisse Hadrianus, *qui cursum fiscalem instituit, ne Magistratus hoc onere gravarentur*, Ӕl. Spartian. Magistratus nempe, qui in provincias irent, aut per provincias suas iter facerent, non propriis ipsorum, sed Fisci impensis, uti publicis equis jussit. Quo subsidio ante Octavium Magistratibus provinciarum nihil erat opus; cùm præstò ipsis adessent præbendorum mancipes, qui equos, mulos, tabernacula, & quidquid ad iter necessarium, de publico exhiberent. Postea verò quàm mutata est per Augustum ratio vetus & cuique eorum, qui in provincias destinarentur, certum quid fuit attributum, pro cujusque dignitate, tum cœpere illi vecturæ sumtus experiri. Neque aliis ante Hadrianum vehicularium illum cursum usurpare licitum, quàm qui ex provinciis ad Principem destinabantur, aut qui à Principe in provincias mittebantur, aliquid annunciaturi. Interim mansere gravati provinciales; donec Antoninus primùm Pius eorum rationem habens, *Cursum publicum* sublevavit, diplomata paucis largiendo ac non nisi in publicis ac necessariis causis evectiones fieri sinendo, apud Capitolinum: Severus dein, ut se hominibus commendaret, planè à privatis ad Fiscum traduxit, ut videre est apud Spartianum, in *Vita* ejus. Post hunc Alexander Severus, jus antiquum retulisse visus, *præbuit Provinciarum Præsidibus mulos binos, equos binos*, apud Lampridium, sed non propterea minùs illis publicus cursus fuit necessarius: Extatque in *Cod.* lex Arcadii, Honorii & Theodosii A. A. A. quâ vetantur provinciarum Duces, postquam in illas venerint cursu atque angariis uti; quâ constitutione videtur beneficium illis collatum, partim confirmatum, partim abrogatum. Fuisse autem Hadrianum in ista facilem, testis illarum temporum historia: è qua insuper discimus, omnium qui hoc à Principe beneficium impetrassent, nomina in laterculo fuisse descripta &c. Casaubonus *ad Spartianum.* V. quoque Salmasium *Not. ad eum*, ut & *ad reliquos Scriptores suprà cit.* Sed & *Cursus*, in Ecclesia Rom. dicitur officium Ecclesiasticum seu series Orationum, Psalmorum, Hymnorum & cœterarum precationum, quæ quotidie in Ecclesia decantantur; quam à D. Hieronymo Damasi Episc. Rom. rogatu dispositam scribit Honor. Augustodunensis *lib.* 3 *cap.* 1. Hinc *Cursarius* seu *Cursinarius*, liber Ecclesiasticus, continens *Cursum* seu Officium Ecclesiasticum, in *Actis* Murensis Monasterii *pag.* 10. apud Car. du Fresne *Glossar.* V. quoque Macros Fratres *Hierolex.*

Cursus Clabularis seu *Clavularis*, species fuit Cursus Vehicularii seu Publici. Nam ab initio institutionis vehicula tantùm, h. e.

rhedæ, in usu cùm essent, item birota & veredi, quem cursum *velocis* nomine insignit *l.* 62. *Cod.* Th. postea angariæ quoque accessere, quem modò *clavularium*, modò *angarias*, videmus dici passim, & à priori distingui, V. *l.* 5. *Cod. Theod. de Curiosis* & quæ diximus suprà in *Clabulare*.

Cursus Equorum, *l'uæod ginon*, in *Libertatibus* concessis Villæ Franchæ ab Archembaldo D. Burbon. A. C. 1217. *Dom. Archimbaudus & Agnes ejus uxor constituerunt* Cursum equorum, *apud Villam Francham, in crastinum nundinarum, quæ sunt in octabis Pentecostes, & dederunt illi, qui cursum lucraretur, unam marcham argenti & illi qui eos equaret ad pontem de Baria* 5. *sol. V.* Thomasserium in *Consuetud. Bituric. lib.* 1. *capp.* 100. & 101. laudatum Car. du Fresne *Glossar.* In Anglia quotannis magnâ celebritate istiusmodi *Cursum* fervere, notum.

Cursus Fiscalis, apud Æl. Spartianum *in Hadriano l. c.* Salmasio idem est, quod *Cursus Publicus*, sic dictus, non quòd eum Fiscus exhibere tenеretur; hoc enim primus Severus demum instituit: sed quòd res *fiscales* eo transveherentur, aurum & argentum sacrarum Largitionum, cùm ad comitatum Principis destinabantur, vestes & aliæ species, *fiscales* appellatæ, &c. V. hic infra.

Cursus Publicus, jam suprà indigitatus, dicebatur, non quòd omnibus esset publicus, aut passim omnibus licentia fieret ejus usurpandi: Nam non privatis solùm eo interdictum, sed nec omnes Magistratus ejus usurpationem sibi vindicare audebant, sed illi tantùm, *qui ... administrationis insignia indepti & quos Majestas Equitum ac peditum pompa sublimaverat, qui tamen omnes in actu positi Reip. praefuissent, non hi qui honorarii tantum nominis suffragia prosequerentur*, ut fertur *l.* Grat. Valent. & Theodos. A. ... A. In alia *L.* Illustrium virorum mentio est, quorum honori hæc facultas defertur: Senatui conceditur *L.* 32. *cod. tit. de Publ. Cursu*: at *l.* 71. omnibus Judicibus interdicit ejus usu, excepto Præfecto Prætorio: *L.* verò 43. etiam Illustres Magistros pedestr. & equestr. illius usurpatione abstinuisse ostendit; sic variè, pro temporibus moderatâ publicæ evectionis ratione, & modò latiùs, modò arctiùs dispensatâ. Verùm sic appellatus est, quòd nemini privato, nec nisi iis, de quibus dictum, quosque vel ad se Princeps evocabat, vel a se dimittebat, ejus usus esset concessus: nec nisi in publicis causis evectiones fieri liceret, aut ad transmittendos Largitionales titulos &c. Necessitatem ejus exhibendi ex antiquo incubuisse Curialibus seu Decurionibus, discimus ex *l.* trium Augustorum suprà laudata: à quibus ad Fiscum eam transduxisse Hadrianum nonnulli volunt, ex verbis Spartiani *l. cit.* quem tamen locum aliter accipi à Casaubono & Salmasio vidimus. Severus certè tandem illos hoc onere sublevavit, ut suprà dictum, ubi etiam de *Cursus* hujus institutione.

Cursus Vehicularius, idem cum *Publico*: quâ generali appellatione rhedæ, cisia, veredi, angariæ, & omnia, quæ in cursu publico usurparentur, sive vehicula, sive animalia, comprehenduntur. Divisus in *velocem* & *clabularium*, quo nomine angarias venisse, visum est. Claud. Salmasius *ad Capitolin. in Antonino Pio.*

Curtana, adde: Cuspide acieque retusus est, in signum misericordiæ populis à Rege præstandæ, unde & nomen: Id v. etiam juris spectasse Ducem Lancastriæ docet Edvv. Cokus *ad Littleton. sect.* 35. Sic regii ensis Danici, *Lovi* nomine, quo Biarco usus, alius *Stirp* dicti, in eadem gente; duorum porro aliorum, qui Haldeni erant, *Lusingi* & *Hvyntingi*, meminit Saxo *lib.* 2. 4. & 7. V. Garallum *in Sacris Remensibus cap. de Ense Regio* & infrà in *Durandal.*

Curti, adde. An iidem cum Turcis, quomodo vocem hanc usurpat Albertus Argentin. *pag.* 148. V. Car. du Fresne *Histor. Byzantina lib.* 8. *cap.* 6.

Curtilarius, Gall. *Curtillier*, Officium Monasticum, cujus curæ potissimùm incumbebat, ex *curtili* Monasterii aut aliunde olera & pulmentaria Monachis subministrare, quod postea in beneficium & feudum Ecclesiasticum Rom. Pontifici obnoxium transiit, uti docet Doubletus *Histor. Monaster. Sandionys. lib.* 1. *cap.* 59. Interdum tamen nuncupantur ita, qui Domini sui principalis seu capitalis Curiam sequi tenentur & ejus placitis interesse, du Fresne in voce *Curtis*.

Curtisana, quænam dicantur in Italia, docet celebris Doctor Sorbonicus Claud. Espensæus *de Continentia lib.* 3. *cap.* 4. ubi postquam de instituto Pauli III. qui Cardinales quosdam & Viros alios graves delegerat, ad Ecclesiam emendandam A. C. 1538. disseruisset, dixissetque consuluisse illos, *corrigendum & hunc turpem abusum, quo illic* (Romæ) *meretrices, ut matronæ incedunt, aut mulâ vehuntur, affectantibus eas de medio die nobilibus familiaribusque Cardinalium atque Clericis, habitant etiam insignes ædes.* Addit, *Mirum certè tales tamosque viros consuluisse, minuendum modò scortorum fastum & luxum, non etiam semel ejicienda, an verò propter tam multos ibi cælibes retinenda? ô rem horrendam! mihi sanè sic et s sensisse dicere religio sit. Nos Gallos stolidos, scilicet ac simplices (sic enim nos illi vocant homines scilicet subtiles atque sapientes) non posse non graviter offendi tot mille luparum in iisdem muris, una in urbe, sub eodem propè (quod ajunt) tecto quotidiano conspectu, ac volumus videmus, occursu. Non enim jam, ut olim, sub moenibus habitant, aut sub Maenianis Circensibus, Martiali ob id ... dictæ. Quærit Q. Fabius lib.* 7. *cap.* 4. *An in lupanari cum aliena deprehensus adulter sit? non quæsiturus, nisi certo tum loco fuissent diversata. Nunc verò sub Christi Vicariis ac Petri successoribus, ut alius quidam cecinit,*

—— Urbs est jam tota lupanar,
Mater & Æmma regnat in urbe sua.

Quodque in Solone Plutarchus scribit, Athenienses mitibus nominibus urbanè imminuendo rerum atrocitatem mitigasse, meretrices hetaras, socias, amicas nuncupasse. Ita Romanenses sua Nundinalia pudoris propudia, Curtisanas *vocant. ô Italicum acumen!* Hæc Doctor ille Sorbonicus. Quanto potiora castra Balduini Flandr. Com. qui Imperator CPolitanus salutatus est, A. C. 1204. De quo etiam hoste, memorat Nicetas Choniates, adeò fuisse continentem, ut ne adspectu quidem impudico mulierem intuitus sit, quamdiu à propria uxore abfuit: & bis qualibet hebdomade vespere proclamari curaverit, ne quis in suo Palatio cubaret, qui alienam mulierem attingeret. Aula item vett. Imp. de quibus refert Johannes Chrysostomus Episc. CPolit. suo tempore (circa A. C. 400 regnantibus Honorio & Arcadio Augg.) lege cautum esse atque observatum, ut in Regiis seu Palatiis Imperialibus si quis introductâ meretricem cognovisset vel ebrietate aliave hujusmodi turpitudine sese maculasset, ultimo afficeretur supplicio, V. Jo. Forbesium *Instructionum Histor. Theologic. lib. IV. c.* 20. *§.* 5.

Curva Porticus, apud Spartianum, camerata est: *in qua pictum de musivo Pescennium Nigrum, inter Commodi amicissimos sacra Isidis ferentem*, legas *ibid.* V. Salmasium *ad Pescennii Vit.*

Curva Villa, *Courville*, adde: Municipium est, Ivoni non indictum, quod Autura fluv. qui in Pertico oritur, primum allait, Hadr. Valesius in voce *Autura*.

Curulis Magistratus, apud Romanos, dictus est, cui jus erat Sellæ Curulis, ut Dictator, Consul, Censor, Prætor, Ædilis Curulis. His orti *Nobiles* dicebantur, ob imagines Majorum, qui Magistratus Curules gesserant: quemadmodum ii *Novi* appellati sunt, quorum non Majores quidem, ipsi verò Magistratus Curules gessere: iis verò, *qui* nec ipsi, nec Majores id dignitatis tenuere, *Ignobiles* nuncupari soliti sunt. Fuit autem *Curulis sella* ex ebore, unde Horatio *Curule ebur*, cujus forma in nummis crebrò expressa: nec dissimilis sellis iis, quas Belgæ *Hispanicas* appellant, & quarum in aulis usus. Describit Plutarchus *in Mario*, & incurvis pedibus eas fuisse ostendit. Itaque in Glossis priscis Sella Curulis explicatur, *Ἀγκυλόπους δίφρος ...*. Sicuti autem Senatorum humiles erant sedes, ita hæ Sellæ sublimes & excelsæ fuere. Silius *lib.* I.

Hic altas eburis decoravit honore Curules.

Et Lucanus *lib.* 5.

Lentulus è celsa sublimis sede profatur.

Non quòd sellæ ipsæ altissimæ, sed quòd adjuncti plures gradus. Cassiodorus *Epist. lib.* 6. *Sellam curulem pro sua magnitudine multis gradibus enisus ascendit.* Nec ex ebore solùm, unde Græci *ἐλεφάντινον δίφρον* aut *δίφρον* talem sellam vertunt, factæ sunt, sed cælatæ insuper ac sculptæ: Unde Lipsius, *In iis, ornamenti causâ, signa fuerunt*: Ovidius *de Ponto lib.* 4 *Eleg.* 9.

Signa quoque in sella nossem formata Curuli,
Et totum Numidæ sculptile dentis opus.

Earum auctor apud Romanos Tarquinius fuit Priscus, origo ab Hetruscis, teste Livio *l.* 8. Nomen à curru, quia *in curru, quo honoris gratiâ in Curiam vehebantur Magistratus Curules, sella erat, supra quam considerent*, A. Gellius *lib.* 3. *cap.* 18. Isidorus verò sellas post currus vehi solitas refert, cùm ait: *Consules olim & Prætores, ob longinquitatem viæ curru in forum provectos: ideoque & sellas, quæ post eos vehebantur, in quibus sedentes jura redderent, Curules dictas.* Veriùs Lipsius à Curibus, Sabinorum oppido, nomen deducit. Currus autem in Curiam vehi L. Cæcilio Metello honoris causâ primùm concessum fuisse, vetus marmor in ejus elogium sculptum ostendit: L. CÆCILIUS L. F. METELLUS PONT. MAX. COS. II. DICTATOR. MAG. EQ. XV. VIR. AGRIS. DANDIS. QUI. PRIMUS. ELEPHANTOS. PRIMO. PUNICO. BELLO. DUXIT. IN. TRIUMPHO. PRIMARIUS BELLATOR. OPTIMUS. ORATOR. FORTISSIMUS. IMPERATOR. AUSPICIO. SUO. MAXIMAS. RES. GESSIT. MAXIMO. USUS. HONORE. SUMMA. SAPIENTIA. MAXIMUS. SENATOR. EX. ÆQUO. PECUNIAM. PARTAM. SINGULIS. LIBERIS. RELIQUIT. CLARISSUMUS. IN. CIVITATE. FUIT. TRIBUTUM. EI. UT. QUOTIENS. IN. SENATUM. IRET. CURRU. VEHERETUR. AD. CURIAM. QUOD. A. CONDITO. ÆVO. NULLI. ALII. CONTIGIT, apud Otelium *Notis in A. Gellii locum supra citatum.* Bello Gallico sellas has, quæ dignitatis aliàs insigne fuerant, in funestum usum esse versas, docet Florus *lib.* 1. *cap.* 13. Fuso enim ad Alliam Romanorum exercitu, jamque appropinquantibus Urbi Gallis Senonibus, *Majores natu amplissimis usi honoribus, in forum coëunt, ibi devovente Pontifice, Diis Manibus se consecrant: statimque in suas quisque ædes regressi, sicut in trabeis erant & amplissimo cultu, in*

Curulibus

Curulibus sellis *sese posuerunt: ut, cùm venisset hostis, in sua dignitate morerentur.* Et paulò pòst, *Ubi sedentes* in Curulibus *suis prætextati senes, velut Deos geniosque venerati, mox eosdem, postquam effigies liquebat, alioqui nihil respondere dignantes, pari vecordia* (Galli) *mactant.* Sed & aliquando vox *Curulis* substantivè sumitur, notante Stadio *in Florum lib.* 1. *cap.* 5. & tum præcipuum aliquem Magistratum officiumque designat.

Curulis Vectatio, jam antiquissimis temporibus in usu: siquidem, ut Arati vetustus Interpres testatur, primus qui equos junxerit, fuit Erichthonius, apud Plinium *lib.* 7. *cap.* 56. quem ob id inter cœlitum imagines relatum scribit. Manilius. *Astronom lib.* 1. Sed forma & modus *Curruum* diversa fuere. Nam idem Plinius *lib.* 16. *cap.* 42. materiem curribus faciendis idoneam abietem probat, rotarum verò axibus ilicem, fraxinum atque ulmum: unde Veteres ex hujusmodi lignis currus fabricasse elicitur, qui, prioribus illis seculis, duabus tantùm rotis construebantur, quibus alias duas, iterum Plinio teste *lib.* 7. *cap.* 56. postea addidere Phryges. Donec Scythæ sex etiam rotis *Currus* construxere, ut ex Hippocrate discimus, *lib. de aëre, aquis & loc.* Et quidem rotæ hæ Homeri ævo stanno ornabantur, at posterioribus seculis non rotæ modò, sed tota vehicula ebore exculta legimus, apud Plautum *Aulul.* sicuti Plinii ætate tota esseda atque vehicula auro ac argento insignita conspiciebantur, *lib.* 34. *cap.* 17. Variis præterea rebus cooperta fuere, sed plerunque pellibus, Plut. *Probl. Rom.* atque aliquando equis, aliquando mulis, aliquando bobus, interdum viris agi solebant. Quin Heliogabalum non modò varia, eaque monstrosa animalia, sed etiam mulieres nudas vehiculis *curribusque* junxisse, sicque vectum esse, tradit Lampridius *in eo cap.* 29. Gestatio porro ista Romæ olim, inter mulieres inprimis, maximis in deliciis fuit, eoque luxus aliquando pervenit, ut eas ipsa uti SCto vetare coacti sint Romani: cujus rei gratiâ cùm mulieres irâ percitæ inter sese conspirassent, ne qua eorum conciperet neque pareret, atque ita viros ulciscerentur, Romanos mutasse sententiam atque legem sustulisse scribit Plutarchus. Marcus tamen postea Aurelius Antoninus Philos. matronarum consulens modestiæ, ne in iis deinceps sederent, neque equis per urbes veherentur, denuo prohibuit. Neque minùs apud Gymnasticos hæc ipsa gestatio æstimata reperitur: quando, sive ludos & sacra certamina spectes, sive Medicorum attendas præcepta, in omnibus ea usitata apparebit. Nona certè & nonagesimâ Olympiade *Curruum certamen* in Olympicos invectum est ludos, frequentesque synorides, quibus animas nostras Plato *in Phædro* elegantissimè assimilavit, nec non bigæ quadrigæque, curruum genera, in publicis sacris certarunt. Quod postea studium ita apud Romanos excultum auctumque est, ut pauca vel nulla fere publica spectacula ederentur, quin *Curruum* certaminibus honorifica præmia proposita spectarentur, qua de re alibi dicetur. Nec à bellicis exercitationibus hoc studium abhorruit: ab Homeri namque ætate usque ad Xenophontis tempora, imò & posterioribus seculis perdurasse morem, è curribus quoque in bello dimicandi, notum est. Similem vectationem Medicos Gymnasticos, tam sanis conservandis, quam ægrotis sanitati restituendis, adhibuisse, testantur Galenus, Antyllus apud Oribasium, Herodotus, alii: è quibus Galenus duo ejus genera fecit *de tuend. valet. cap.* 11. alterum, in quo homines vecti sedebant; alterum, in quo jacebant: quæ utraque raro in Urbe, frequentissimè per vias & extra urbem peragi consuevisse, colligitur ex Plut. *Problem. Rom.* ubi tradit, in Septimontii festo Romanos coactos fuisse prohibere, *ne ea die vehiculo uti liceret*, ne urbs & festi solennitas relinqueretur. Nunquid autem sani simul ac valetudinarii in iisdem vehiculis exercerentur, indicasse videtur Herodotus, apud quem legimus, febricitantes curribus, qui manu ducebantur, nec non *bigis* gestari solitos, atque illos à principio per 30. stadia moveri, dein ista duplicare; hos à stadiis 30. aut 40. initium ducere & usque ad spatium altero tanto majus progredi consuevisse. Sanos verò omnibus *curribus* & tectis & apertis, sine ullo discrimine, usos esse, verisimile est: etsi fortasse Principes tectis potius vectos esse credi par est, quando refert Dion Historicus, Claudium Cæs. dum prosperâ uteretur valetudine, caputque tremulum & manus ac linguam titubantes haberet, primum omnium Romanorum vehiculo undique obtecto gestatum fuisse; sicut Plinius Jun. ob oculorum infirmitatem, eodẽ se aliquando usum testatur, *lib.* 7. *Epist.* 21. &c. V. Hier. Mercurialem *de Arte Gymnast. lib.* 3. *cap.* 11. & 6. *cap.* 10. ut & in voce *Currus.*

Varia Curruum apud Veteres genera.

Arcirma, seu Arcera.
Basterna, ad quas Matronæ se receperunt, cùm iis carpentorum usu interdiceretur. V. supra.
Biga.
Birotum.
Cantherinum.
Carpentum, Augustarum & Magistratuum Rom. vehiculum.
Carruca, quâ Matronæ utebantur.
Cisium, vehiculi biroti genus.
Covinus.
Epiredium.
Petoritum.
Pilentum.
Plaustrum.
Rheda.
Sarracum.
Synoris.
Thensa, vehiculum sacrum, in quo Deorum imagines, in ludorum Circensium pompa, vectabantur, uti diximus *suo loco*, &c. Et hæc omnia, quòd rotis agerentur, erant similia, distabant verò formâ, materia, magnitudine, modo, aliis, ut præter Mercurialem, videre est apud Joh. Laur. *de re Vehicul.*

Cusantia, vulgò *Cusance*, Familia in Gallia illustris, quæ ante 4. & quod excurrit secula florens, à matrimonio Isabellæ *de Vergy* Baronatum *de Beauvoir* & dein *S. Julien* titulis adjecit: Accessit ipsa hæreditas domus Vergiacæ atque ita Com. *de Champlite* titulus, sed extincta est, A. C. 1635. in Claudii Francisci filio, cujus progenitores ita habent. Fridericus B. *de Belvoir* Dn. *de Cusance* ex Luisa Balmia Com. *de Monte rebello* filia, pater fuit Theobaldi: quo & Peronâ Savoisia natus Claudius, ductâ Isabellâ *de Chasteauvirey*, filium habuit cognominem, maritum Philibertæ *de Lugny*, & ex ea genitorem Vandelini Simonis: cujus ex Beatrice Vergiaca filius fuit, Claudius Franciscus præfatus B. *de Belvoir* Dn. *De Cusance*, quo & Ernestinâ *de Witten & Bergen*, genitus est Clerialdus *de Cusance & de Vergy*, Com. *de Champlite*, Marchio Bergensis, qui obiit improlis A. C. 1635. Reliqui Vandelini & Beatricis liberi fuere Ermenfridus B. de S. Juliano (cujus uxor Dela de Rye etiam sine prole decessit) & Johannes Baptista Abbas *de Bellevaux.* Habuit verò Clerialdus sororem Beatricem, quæ nupta primò Eugenio Leopoldo *d'Oyselet*, postea Caroli Lotharingiæ D. uxor fuit, ex eo mater Principis *de Vaudemont* V. Phil. Jacobum Spenerum *Theat. Nobilit. Europ. Part. II. pag.* 71.

Cusculia, apud Plinium *lib.* 16. *cap.* 8. ex Græco Κουσκύλιον, grana sunt κόκκου βαφικοῦ, *cocci tinctoriæ*, quæ cùm scateant intus parvis vermiculis, quorum sanies coccino tingendo præclara est, & eximium illum colorem, quem nos miramur & adorarunt Veteres, efficit, inde factum, ut *Vermiculum* pro ipso cocco dixerint, V. suprà ubi de *Cocco*, nec non in voce *Cosculium.*

Cuscuta, Arabibus *Casuth*, Veteribus *Cassytas*, nonnullis est semen illud, quod circa ortum Caniculæ in Spina Babylonia satum, eodem die surgere & crescere legitur, ad eam amplitudinem ut spinam ipsam amplectatur totam, apud Plinium *l.* 13. *c.* 24. Sed *Cuscuta* sponte nascitur, nec spinis tantùm, verùm etiam aliis herbis & arboribus circumvolvitur. Unde epithymon potiùs & quod stœbæ spinæ innascitur, eo nomine venire possit. Certè Theophrastus κασύταν, quæ *Cuscuta* est vulgaris, ab illo semine separat, Τὸ Συριακὸν βοτάνιον, ὃ καλούμενον Κασύτας, καὶ δένδρεσι καὶ ἀκάνθαις ἐμφύεται καὶ ἄλλοις τισὶ, *Syriaca hæc herba dicta* Cassyta *& arboribus & spinis innascitur* &c. V. Claud. Salmasium *ad Solinum. pag.* 1291.

Cusilla, vulgò *Choisille*, amnis Galliæ, *inter quem & Ligerim, arcem in monte Budelli extruxisse*, legitur Fulco Comes Andicavorum. Iste mons Budelli nuncupatur hodie *Membrole* vel *Montbrole*, locus aut vicus inter Ligerim & *Cusillam*, qui paulò infra Turonos in dextrum Ligerim labitur. *Chosilium* fluv. vocant *Gesta* dominorum Ambacensium; *Coselium*, *Gesta* Episcoporum Turonicorum, apud Hadr. Valesium, in voce *Sicera fluv.*

Cusspatores, in *Glossis* Basilic. Κουσπάτωρες φυλακιταί, κούσπους γὰρ ξυλοπέδας καλοῦσι, *custodes sunt, cuspos enim lignea sandalia vocant.* Cippus nempe, seu *Cusspus* lignum erat, quo pedes reorum vincti in carcere tenebantur, annuli habens figuram, ut Eustathius docet. Unde *pedes ferrorum anulati*, Apulejo. Ex Gr. κυφὸς & κύφων, quo lignum appellabatur, quo cervix aut pedes noxiorum vinciri mos erat. Salmasius *ad Tertullianum de Pallio cap.* 5. V. quoque Meursium *Glossar.* & Fabrotum *ad Cedrenum.*

Cuspis, propriè hastæ ferrum, Græcè αἰχμὴ, item πόρπαξ, in una parte acutum, cui hastile vel hastæ lignum immissum erat. Hanc in occludendis foribus βαλάνου vicem aliquando usumque præbuisse, scribit alicubi Thucydides laudat° Polluci: Ὁ δὲ Θουκυδίδης στρογγύλῳ ἀκοντίῳ ἀντὶ βαλάνου ἔθη αἰχμῇ ἔνθα εἰς τὸν μοχλόν. Nempe uti hoc ferrum concavum erat, ut hastili induceretur: sic clavis demissa in βάλανον sese induebat, eamque ab imo sursum trahebat, quemadmodum hastæ lignum cuspidi immittitur. Qua de re V. suprà in voce *Balanus.* Apud Suetonium *Julio cap.* 62. ubi de prælio ad Dyrrhachium, *Aquilifer moranti cuspide comminatus est*: hastilis, quo aquilæ gestabantur, pars est posterior mucronata, quâ terræ infigebatur. V. Casaubonum ibi. Pro ipsa hasta, apud Poëtas, passim. Hinc Statius *Thebaid. lib.* 10. *versu* 206.

——— vade eja, ulciscere ferro
Nos saltem dixit, meq; hac ad limina visus
Cuspide sublata totoq; impellere curru.

Claudianus de Minerva.

Et Rancidentem quæ Cuspide *temperat arces* &c.

Tingi consuevisse *Cuspides* in præliis olim, ut nocentiores essent, Plinius tradit, veneno, quod inde *doryenion* dictum, *lib.* 21. *cap.* 31. de Strychno, *Hoc est venenum, quod innocentissimi Auctores simpliciter doryenion appellavere, ab eo quòd cuspides in præliis tingerentur*

tingerentur illo passim nocente. V. Plut. *Opusc.* περὶ ἀοργησίας, & infrà ubi de *Sagittis*, item *Veneno*.

Cussinus, in Eccles. Rom. pulvinar seu pulvillus, super quem in Altari ponitur Missale, Macer *Hierolex.* Vox Germanica est & *pulvinum*, seu *pulvillum* notat, V. infrà.

Custodia, Imperatoribus olim duplex, ex militibus Prætorianis, & Germanis, quos *Corporis Custodes, Scurras, Buccellarios* &c. dictos esse, docet Salmasius *ad Lampridium in Alex. Severo.* At *Custodia* in *Vita* S. Aicadri Abb. Gemetic. *cap.* 28. idem qui *Circa*, de quo suprà. Eodem nomine Monasterium suum, seu *Custodis* Monasterii dignitatem, insigniunt Franciscani, quo modo Græcis ἀσκητήρια dicuntur Mulierum Monasteria, apud Palladium *in Histor. Lausiaca capp.* 15. 39 & 144. Aliquando vox carcerem notat. Sic *Custodiæ* Reorum, apud Romanos, vel *Liberæ* erant, in quas ante confessionem tradebantur, vel apud Magistratus domi, vel apud privatos Nobiles custodiendi, quemadmodum de indice Bacchanalium, fieri sit Livius & de conjuratis Sallustius: Vel *arctæ* & Pœnales, in quas post confessionem illos conjici moris erat. *Custodia lignea* pars carceris erat, in qua cervices captivis frangebantur, aliàs *Robustius Codex*, & *Robur*, V. infra *suo loco*. Hinc *Custodiarum elogia*, apud Suetonium *Caligula cap* 27. *Custodiarum seriem recognoscens, nullius inspecto elogio — duci imperavit*, sunt quæ Græci Jurecons. vocant παραπεμπτήρια Judicum inferiorum, ut pedaneorum atque etiam Prætorum, V. *l.* 6. *ff. de custodiis & exhibit. reor.* At apud Tertullianum *Apolog.* Commentariensis pittacia sunt, quibus Judici breviter exponebat, quid de reis comperisset, horum moris fuisse, docet ex *l. Impp.* Gratiani, Valentiniani & Theodosii A. A. A. Casaubonus *ad Suetonium d. l.* &c.

Custos, frequens apud Romanos nomen, denotabat Viros sapientes, qui pueritiæ regendæ erant præfecti. Virgilius *Æneidos lib.* 5.

Custodem ad sese comitemq; impubis Juli
Epytiden vocat.

Horatius *Sat.* 1. *Serm.* 4.

Dum Custodis *eges*.

Et in *Arte*,

Imberbis juvenis tandem Custode remoto, &c.

Hi alio nomine ab eodem *Reges* vocantur, *Ode* 36. *lib.* 1. *Carm.* Aliàs *Comites* Latinis, Græcis antiquioribus Ἐπίτροποι & Ἀοιδοί, insequentibus Διδάσκαλοι & Παιδαγωγοί; quorum præcipuum munus erat, temperantiam docere: unde Ingenuorum liberis ante pubertatem statim præfici solebant, ut viderent, ne τὴν ὥραν χαρίζεσθαι auderent. Inprimis verò antiquitus matronæ quoque Γυναικωνῖτις illorum fidei committebatur, qualis celeberrimus ille Homeri fuit *Odyss.* γ. qui Ἀοιδὸς ab illo dicitur: ab aliis Εὐνοῦχος, non ob corporis labem, sed ob munus quod sustinebat; pudicitiæ enim Clytemnestræ custodiendæ admotus erat, à marito ejus absente: Hodie *Custodem* exponeremus. *Eunuchi* enim iidem dicebantur olim, qui *Custodes* postea. Sic de *Menæte*, Argiæ comite ac custode, Papinius Statius *Thebaid. lib.* 12. *versu* 201.

—— *Virginei* custos *monitorq; pudoris.*

V. quoque eum *lib.* 7. & 11. ubi de Phorbante & Actore, ejusdem Argiæ custodibus. Horum vice Barbari, quò suspicioni locus non esset, castratos postmodum ferè & *Eunuchos*, hoc sensu dictos, adhibuerunt. Qui cùm γυναικωνίτιδι non modò occuparentur, sed & puerorum curæ præficerentur, manifestam integris gentibus ruinam invexerunt. Qua de re V. querelam Platonis *de Legg. lib.* 3. Corruptela ad Græcos inde & Romanos manavit, uti discere est ex Ovidio, Propertio, Aliis. V. Dan. Heinsium *Introduct. in Hesiodi lib. cap.* 6. & suprà in voce *Cantor*. Hodie in Ecclesia Rom. *Custos* dicitur, Presbyter aut Clericus, cui Templi cura incumbit, æditmus, qui *Custos Ecclesiæ* in *Ord.* Rom. alibi *Custos Altaris*. Eiusdem. *Signum quoque dare in vespertinis nocturnisque officiis, vela, vestesque sacras ac vasa sacrorum, codices quoque, instrumentaque cuncta, oleum in usum Sanctuarii, ceram & luminaria, curare*, Isidorus *in Regula cap.* 19. In Monasteriis Fœminarum *Custrix* vocatur, quæ id officii gerit, apud Wolfardum Mon. *de Vita S. Walburgis lib.* 3. *cap.* 2.

Custos Angliæ, qui aliàs Gubernator, Rege absente, Gallis *Regent*, apud Florentium Wigorn. & Sim. Dunelmensem A.C. 1067. Sic Henrico III in Vasconia agente, Regina & Richardus Cornub. Comes. *Regni Custodes* fuere, apud Matth. Westmonasteriensem *A. C.* 1254 Henricus Knygthon Com. Cornubiæ *Gardianus terræ Angliæ*, quod idem, ab Eduardo I. in Vasconiam proficiscente constitutus legitur A. C. 1284. apud Eund. &c. Sed & Hiberniæ Prorex, *Custos Hiberniæ*, & dignitas ejus, *Hiberniæ Custodia*, stylo solenni, Joannis & Henrici III. Regum maximè ævo, dici consuevit. Imò & apud Gallos, *Custodes Regni* dictos esse olim, qui postea *Regentes*, docet *Charta* Philippi III. A. C. 1270. data in castris, juxta Carthaginem, apud Car. du Fresne *in Glossario*.

Custos Capellæ, apud Eadmerum *Histor. Novor. lib.* 4. *pag.* 88. ubi de crinibus aliquot Deiparæ Virginis (uti creditum) Anselmo Cantuariensi Arch. ab Ilgyro quodam concessis, verba facit: *Mihique nepote qui capellæ illius* Custos *eram, atque dispositor, custodiendos commendavit*: Capellanus est, ad quem sacri Ministerii seu rerum ad rem sacram peragendam necessariarum, quas inter sacra phylacteria habita, tum cura spectavit. A qua *custodia* proin simpliciter *Custodes* Capellani dicti videntur, Anastasius Biblioth. *in Leone I.* item *Custodes Martyrum*. Et Apocrisiarius, qui & Capellanus, *Palatii* hinc *Custos*, apud Hincmarum *de Ordine Palatii lib.* 16. non quòd revera Palatii custodia penès eum fuerit, sed quòd esset *Custos Palatinæ Capellæ*, in qua varia SS. lipsana, quæ Capellani custodiebant, atque in prælia nonnunquam deferebant &c. V. suprà, ubi de *Capellanis*.

Custos Crucis, apud Victorem Tunnensem *in Anastasio*, *Elias Episcopus Hierosolymitanus exilio traditur & pro eo Joannes Crucis* Custos *Episcopus ordinatur*: dictus est, cui S. Crucis Christi, ut vocatur, Hierosolymis in S. Anastasi servandæ cura incumbebat, ut in aliis Ecclesiis reliquiarum Martyrum custodia penès eos erat, qui *Custodes Martyrum* & *Martyrarii* nuncupati sunt. Sanè Francis Hierosolym. Regnum obtinentibus, hoc titulo Crucem servabat Canonicus S. Anastaseos, du Fresne: quem etiam de aliorum generum *Custodibus*, inprimis *de Custode Laboris*, in Monasteriis, *Custodibus Ordinis*, quo modo appellantur Decani in Ordine Cister. *Custodibus Pacis*, in Anglia; *Custode Palatii*, qui idem fortè, quod Cura Palatii, *in Charta* Lotharii Imp. A. C. 1131 de *Custode* tandem *Puerorum*, infantium seu eorum, qui adhuc pueri Monasteriis oblati erant, pluribus vide.

Custos Gregis, apud Virgilium *Ecl.* 5.

Atq; utinam ex vobis unus, vestriq; fuissem
Aut Custos gregis, *aut maturæ vinitor uvæ.*

Et *Custos* simpliciter, *Ecl.* 3.

Hic alienus oves Custos *bis mulget in hora*:

quibusdam nomen est Pastori mercenario speciale. Quemadmodum colligunt, ex Samuel. *cap.* 17. *versu* 20. ubi David oves legitur reliquisse על שומר *penès custodem*. Sed ne putetur id perpetuum; Pana etiam ita compellat Poëta *Georgic lib.* 1.

Pan, ovium Custos, *tua si tibi Mænala curæ.*

V. Sam. Bochartum *Hierozoici Parte prior. lib.* II. *cap.* 44. Ut alia quædam *Custodum* genera strictim attingam: Apud Curtium *lib.* 5. Tiridates *pecuniæ Custos* dicitur, i. ærario regio præpositus, Γαζοφύλαξ, uti vocat Diod. Siculus *lib.* 17. V. suprà in voce *Ærarium*. Apud Senecam *in Hippolyto*, *in initio dramatis*, *Retium Custodis* fit mentio: qui nempe inter venandum retibus præpositus sedebat, seu veriùs stabat. C. Plin. *lib.* 1. *epist.* 6. *Erant in proximo non venabulum & lancea, sed stylus & pugillaris & Custos statarius, qui ad retia sedet.* Sidonius Apoll. *Subsessorem* vocat, *lib.* 2. *epist.* 2. Sed & *Custodes coronarum*, in Ludis publicis partarum, clarissimæ familiæ olim fuere dictæ. Hinc Pindarus *Nemeor od.* 6.

—— [illegible] τύχᾳ
ἕτερον οὔ τινα οἶκον
ἀπεφάνατο πυγμαχίᾳ πλεόνων
ταμίαν στεφάνων μυχῷ Ἑλλάδος ἁπάσας.
—— *cum Dei favore,*
aliam nullam familiam
protulit pugilatu custodem
coronarum in sinu Græciæ universæ.

Et Aristophanis Scholiastes *in Argum. Nebul.* ex Herodoto vocat Alcmæonidarum familiam τεθριπποτρόφον, *quadrigarum altricem*: ut quæ multas victorias esset adepta. Nempe eadem ratione numerabantur coronæ, quâ statuæ, ut ex eodem Pindaro liquet, ubi modò bis, modò ter, modò septies, modò sedecies, modò sexagies ad coronam itum esse, refert, V. Car. Paschalium *Coronar. lib.* 5. *cap.* 13. &c.

Cuthlumises, ortus ex patruelibus Togrul-Beki, occupavit Armeniam, Cappadociam, Pontum, aliàs Imperii Græci provincias, Regio titulo, A. C. 1060. Georg. Hornius *Orb. Imp.*

Cutis, delicatulis olim solicitè curatâ, faciei inprimis. Hinc de Traiani delicatis Spartianus, *sæpe lini* consuevisse, tradit, tum ad nitorem candoremque *cutis* conciliandum, tum ne citò barbati essent. Martialis verò de muliere,

Deq; coloratis nunquam lita mater Etruscis.

Mulierem *nunquam litam* vocat, quæ faciem medicamentis eo fine nunquam induxerit. Et quidem medicamina, quibus nitor aut candor parabatur, dicebantur Græcis ἐπίχριστα λαμπρυντικά, item σμήγματα σμηκτικά. Præter illa τάσεις ποιοῦντα adhibebantur, quibus *Cutis* tendebatur, hinc *Tentipellia* vett. Latinis dicta. Priora indigitat Tibullus, ubi ait,

Quid succo splendente genas ornare ——

Posteriora Juvenalis;

Et pressum in facie digitis extendere panem.

Et,

Interea fœda aspectu ridendaque multo
Pane tumet facies.

Ubi vetus Interpres, *Medicamen*, inquit, *ad tendendam faciem vel cutem magis.* Alia autem erant ψιλωθρώματα, alia σμήγματα, quibus ad cutem poliendam utebantur; quorum illis sublatis, hæc adhibebant. Uti observavit Juvenalis *Sat.* adversùs sequiorem sexum, ubi eleganter cataplasmata *tectoria* vocat,

panem

panem viz. quo madido facie linentes, illum postea abstergebât fragmate ex asinino lacte, cùm ad mœchos irent. Hinc idē, *ibid.*

Ad mœchum tota veniunt cute ——

V. Aëtium *l.* 7. ubi enumerat omnia illa ἐκτακτῶν genera & nominat σμήγματα προσώπου λαμπρυντικά, σμήγματα προσώπου, πλάσματα, τριμμάτια & alias similes saponum & lomentorum species; quibus qui utebantur, tam ad faciem, quàm ad reliquum corpus, extergenda, polienda & nitidanda, *lini* propriè dicebantur. Salmasius *ad Spartianum in Hadriano Cæs.* In Comicis olim personis, adolescens frugi, corpore deligebatur exercitato, colore vividiore, addidere & rugas aliquot fronti, quod indicium Physiognomones optimi animi statuunt: *Nam distenta in fronte Cutis remissæ vitæ ac vecordis frequens indicium est.* Jul. Cæs. Scaliger *Poetic. lib.* 1. *cap.* 14. &c.

Cuzuba, Cuzubica seu *Cuzubita*, nomen Monasterii Donat. apud Baron. *an* 325. *num.* 19. & 20. Hinc *Cuzupitæ*, apud Augustinū *Ep.* 165. qui *Donatistæ* aliàs, item, *Montenses* & *Rupitani*, quos vide.

CY.

Cyamita, templum Heroi factum, qui fabas serendi modum primus Græcis tradidisse memoratur Pausaniæ; κύαμος enim *faba* est, a m. p. Eleusine, in agro Attico: cujus hodieq; rudera supersunt, jac. Sponius *Itiner. Græciæ Part.* 2. *p.* 178. Certè & *Cyamos* Plinio *l.* 2. *c.* 15. faba Ægyptia sive lotos dicitur, Græca voce retenta. Nempe nucleos radicis colocasiæ sive bulbos videntur si forte & κυάμους appellasse Græci in Ægypto, ἀπὸ τοῦ κύειν, quod his planta seri ac propagari soleret hincq; toti stirpi nomen id dedisse. Quod postea & huic loti generi dederunt & colocasiæ. Cùm enim utraq; planta sit colocasia, à foliorum amplitudine, eoq; nominum errore eandem fecerint utramq;, nomen κύαμος quod radici colocasiæ ob bulbos ejus conveniebat, etiam alteri colocasiæ ob appellationis confusionem attribuerunt. Salmasius *ad Solin. p.* 980. Ut ad Heroa præfatum redeam, Κυαμίτης ipse Græcè dictus est, Lat. *Cyamites*: cui illa ædes sacra erat. Quem cum Baccho eundem facit Hesychius, Ἴακχος. Ἥρως, ὃ ἐστι ὁ εν τῇ Αττικῇ ... *Jacchus Heros, cujus & ædes in Attica & statua, quidam eundem Bacchum vocant.* Sic fuerit Jacchus ille, non Cereris puer, sed indigena Attici soli Heros, & Bauous filius. Et fortasse Κυαμίτης dictus est, inquit Salmasius, non à faba satione, quam invenerit, sed a muliebris membri Baubº contrectatione, cujus Orphica, apud Clementem (ubi de exhilarata à Baubo Cerere historiam persequitur) meminerunt. Κύαμος namq; Græcis etiam pars illa est, quâ fecus muliebre censetur, ἀπὸ τοῦ κύειν. Sed & κυάμους referre ajunt, quo factum, ut Pythagoras hoc leguminis genere abstineri voluerit. Sunt tamen, qui κυάμους viriles ajunt esse testiculos, apud A. Gellium. Certè *Fabam* nominari in sacris Eleusiniis fas non erat &c. V. præfatum Salmas. *ad Solin. p.* 751.

Cyaneus, vulgò *Siagne*, amnis Galliæ, torrens ac piscosus inter Neapolim *La Napoule*, prius *Avenionetum* dictam, & Canoas *Canes*, olim *castellum Marcellinum*, quæ duo maritima sunt castella ad sinum maris, inter Caput Rubeum & Cap. Galupe interceptum. Hadr. Valesius *Not. Gall.* in voce *Lerinus*.

Cyaneus, Gr. κυάνεος, *caeruleus* Latine redditur. Certè Græci exponunt, qui color, aërinus dilutior est & extinctior, quàm purpura nigra, de qua alii vocem exponunt. Unde & Solinus *caeruleum nitorem* in hyacintho vocat, purpuram dilutiorē. Interim, uti in omni colore gradus sunt, sic & κυάνεον ... cyaneum valde saturum, purpuræ nigræ proximat. Hinc κυάνεον Græci non rarò ... *pro nigro*, ponunt. Sic Dionysius Periegetes de Indis, *corpus eos cyaneum* habere ait:

Τῶν μὲν ... χρόα κυανέη

...

Et Plinº *cyaneas sapphiros* ab iis distinguens, quæ *caeruleæ* sunt *cū purpura*, τὰς κυανέους ... intelligit, Theophrasto μέλανας dictas. Aliàs κυάνεον & πορφύρεον Græci sæpe confundunt, & alterū pro altero ponunt, ut de *Cyano* flore infrà videbimus, V. Salmasiū *ad Solinum p.* 231. *& seqq.* Nomen colori à *Cyano* gemma, de qua jam; addam priùs apud Vett. *vestibus cyaneis*, mollitiei signo & fuscis, totam familiam, præsertim matres & sorores luxisse funera infantum grandiorum natu, quorum corpora integra sarcophagocondi solebant, ex Th. Bartholino *de Puerperio Veterum*.

Cyanos, nomen gemmæ, apud Plin. *l.* 37. *c.* 9. *Reddetur & per se Cyanos, accommodata paulo antè jaspidis nomine, colore cæruleo. Optima Scythica, dein Cypria, postremo Ægyptia. Adulteratur maximè tinctura, idq; in gloria Regi Ægypti adscribitur, qui primus eam tinxit. Dividitur autem & hæc in mares feminasq;.* Ubi Salmasius *accommodatā gratiā è paulo ante nominato colore caeruleo*, reponit. Nempe color cœrulus vel cœrulum pigmentum est, quod Græcis κυανὸς dicitur, eodem cum gemma nomine. Λαζούριον recentiores Græci vocarunt, nostri *Azurium*. Hujus mentionem facit Plin. *l.* 33. *c.* 13. Nunc ait, *Cyanon* gemmam per se reddere accomodata illi gratiâ ex illo antè nominato pigmento. Sed &, quòd tria ejus genera Plinius facit, quodq; de tinctura addit Ægyptii, de *Cyano colore*, non de gemma, prodidit Theophrastus: ubi Ægyptium cyanum, qui factitius est, optimum esse vult, ... *ad poliones in parietibus, qua meraci eris & saturioris coloris sunt*, V. cum *Hist. l.* 7. *c.* 1. Doctii hodieq; *lapidem lazuli* vocantes Arabes gemmam cum colore confundunt. Cæterùm *Cyanon* gemmam nonnulli eandem faciunt, cum ea, quam vulgò *Turcosiam* vocamus. Sed *Cyanus* è translucidis, & sapphiro simillima; unde à Gemmariis utraq; gemma indiscreto nomine sapphirus appellatur. Turcica autem gemma Jaspidis potiùs species fuerit. Uti verò sapphirum aureis punctis collucere, sic *Cyanum*, aliquando aureo pulvere sparsum nveniri, tradit idem Plinius. Quæ duo malè confundit Solinus *c.* 15. *punctillis interlucentibus auratili pulvere Cyanum masculum variari* dicens. Puncta enim guttæ sunt, rariùs ac distinctiùs notatæ & quasi stellæ interspersæ, qualis erat sapphirus χρυσοστικτος: pulvis vero grana sunt minutiora spissiusq;, & quasi continuatim sparsa, in modum pulveris, qualia in *Cyano* apparent. A' *Cyano*, aliæ gemmæ *cyaneæ* dictæ sunt, ob coloris affinitatem. Sic inter Jaspides una fuit species cyanei coloris, inter sapphiros quoq; mares existimabantur ejusdem coloris &c. Salmas. *ad Solin. p.* 201. *& seqq.*

Cyanus, floris quoq; nomen, apud Plin. *l.* 21. *c.* 8. *In nomine & Cyanus color: item helichrysos nomen autem hi flores non fuere in usu, Alex. Magni.* Quē πορφύρεον, i. *purpureum*, vocat Meleager in *Corona Epigr.*

Τὰς δ' ἄρ' Ἀλκαίου ...

Ἠδ' ... πορφυρέης κυάνου.

Jesuita verò Pomey sic facunde describit: *Cujus hic flos coloris sit, tam Gallicum indicat nomen* Bluet, *quàm Latinum. Quàm autem merito cognominetur* Cyanus, *oculorum esto indicium; nihil certè cadere sub aspectum potest æquè cyaneum ac ipse est Cyani flos. Mole porro est tam exigua, ut vix excedat violam; tametsi cauliculi celsitate spicæ triticeæ adæquet culmum. Mira est formæ venustas, caeruleam dixeris stellam & foliola denticulatim fimbriata scintillantes radios. Odor ei nullus, at coloris decor eximius. Et coronam si adhiberes, agresti plebejoq; flosculo, haud dubium, quin evaderes esset dignus, qui hortenses inter, patritios q; flores conseretur.* V. eun *Descript. div.*

Cyathus, Gr. κύαθος, à χέειν, quod est *fundere*, quasi χύαθος, an à κύειν, quod antiquis κυάθιον, unde & κύαμος, uti vult Salmasius *ad Solinum p.* 981. an à κεύθειν, i. *occultare*, genus mensuræ fuit, continens cochlearia quatuor, f Sextarii partem duodecimam, apud Atticos sescunciam. Suidas duas et uncias tribuit. Unde ad poculi genus significandum translata vox. Martialis *l.* 1. *Epigr.* 72.

Nævia sex cyathis, septem Justina bibatur,

Quinq; Lycas, Lyde quatuor, Ida tribus.

Nempe prisci moris fuit, in compotationibus, in honorem absentis amicæ, amici vel Imperatoris, tot *Cyathos*, quot in eorum nomine essent literæ, haurire; quod vel apertè profitebantur, vel sodalibus ariolandum relinquebant. Itaque vel totidem poscebant *Cyathos*, vel poculum, quod tot cyathos caperet. Et quidem poculum 6. cyathorum *Semis*, septem *Septunx*, quatuor *Triens*, dicebatur. Apud eundem poculi 8. cyathorum fit mentio nomine *Bessis*, *l.* 11. *Epigr.* 37. &c. Idem *quadrantem duplicem* vocat poculum sex cyathorum, *l.* 9. *Epigramm.* 94.

Quadrantem duplica de seniore cado.

Nunc mihi, dic, quis erit, cui te, Catocisse, Deorum

Sex jubeo cyathos *fundere?*

Inde *ad Cyathos*, nomen officii: apud Sueton. quod *ad Cyathum* vocat Horatius *Carmin. lib.* 1. *Od.* 29.

Puer quis ex aula capillis

Ad cyathum *statuetur unctis?* &c.

V. infrà, ubi de *Pocillatore*. Sed & *Cyathus*, divinationibus adhibitus, quod genus Κυαθομαντεία dictū: cujusmodi divinandi medio Hilarionem Monachum, Italico cuidam, qui in ludicro Circensi à contraria factione, non equorum virtute, sed Magicis artibus, victus erat, opem tulisse, legimus in Græcorum *Martyrologiis*, V. infrà ubi *de Speculo in Divinatione*.

Cybele, adde: Infans exposita in monte Cybelo ibique à feris nutrita, postmodum à pastoris cujusdam uxore reperta est, unde ei nomen. Tympana, fistulas & cymbala invenit; hinc æra & tympana in ejus sacris locum habuere, buxusq; Claud. *de Raptu lib.*

Non buxus, non æra sonant.

Ubi æra, non tantum tympana, sed etiam nolas campanasq; indigitant, secundùm Dempsterum. Ausonius *Epist.* 25.

Cymbala dant flictu sonitum, dant pulpita saltu,

Icta pedum, tenſis reboant cava tympana tergis,

Isiacos agitant Mareotica sistra tumultus,

Nec Dodonæi cessat tinnitus aheni,

In numerum quoties radiis ferientibus ictæ

Respondent dociles moderato verbere pelves.

Pinus eidem dicata fuit, propter Atym, puerum ei in delitiis, sub ista arbore jacentem. Unde *Cybele* Jovem sic alloquitur, apud Virgilium *Æneid. lib.* 9.

Pinea sylva mihi multos dilecta per annos

Lucus in arce fuit summa.

Hinc Firmicus, *de errore profanar. Relig. in sacris*, inquit, *Phrygiis quæ matris Deûm dicunt, per annos singulos arbor pinea cæditur, & in media arbore simulachrum juvenis subligatur.* Aur. Prudentius in *Romano Mart.*

An ad Cybelles ibo lucum pineum?

Puer sed obstat Gallus ob libidinem,

Per triste vulnus, perq; sectum dedecus,

Ab impudicæ tutus amplexu Deæ,

Per multa matri sacra plorandus Deûm.

Atys videlicet, qui quòd fidem Deæ non servasset, furore ab hac immisso sesesum sub pinu castravit, unde hic pinui honor. Alii ipsummet in pinum à Cybele conversum fingunt. Utriusque venerationem in his sacris usitatam, multis prosequitur Catullus *Ep.* 62. unde *Taurobolii* & *Criobolii* mentio, apud Jul. Firmicum *libro Epigr. suprà laudato*, & in inscr. à Joh. Wovverio annotatâ,

DIS. MAGNIS.
MATRI. DEUM. ET. ATTIDI. SEXTILIUS. AGESILAUS.
ÆDISIUS V. C. CAUSARUM. NON. IGNOBILIS.
AFRICANI. TRIBUNALIS. ORATOR. TAURIBOLIO.
CRIOBOLIOQUE. IN. ÆTERNUM. RENATUS.
ARAM. SACRAVIT. DD. NN. VALENTE. V.
ET. VALENTINIANO. JUNIOR. AUGG. COSS.

Quando ejus sacra in urbem Romam recepta sint Pessinuntemq; missi, qui Deam arcesserent, V. Strabonem *l.* 10. Livium *Dec.* 3. *l.* 9. Suetonium *in Tiberio c.* 2. Sil. Italicum *l.* 17. *Punic.* &c. Sacrificabant autem ei porcâ Prætores quotannis, per sacerdotem utriusq; sexus è Phrygia, ubi primitus culta fuit. Hi ritu patrio amictu variegato seu synthesi induti, imaginem Deæ per plateas vicosq; urbis ferebant, palmis pectora ferientes, cymbalaq; pulsantes, magnâ populi insequente turbâ, inter eundum autem vel saltandum potius, ab obvio quovis stipem petebant, hinc *Μητραγύρται* & *Circulatores Cybelei* dicti: qui quòd ebrietate aliisq; sceleribus infames erant, nomina hæc in Prov. abiere, de hominib' nauci & nullius penitus pudoris; nec libero proin homini id officii subire licebat. Dicti verò sunt *Cybeles* sacerdotes communiter Galli, sub capite Archigallo, qui primus cymbala (unde & pocula illis in tympani formam) prælata pulsabat. V. in voce *Galli*. Iidem *Corybantes* nonnullis vocitati sunt, ut & *Curetes*, *Idæi Dactyli* ac *Lares*, de quib' V. *suis locis*. Hi *in caput saltantes*, vel *illud rotantes*, Serv. sacra peragebant: apud Apulejum *Milesiar. l.* 8. *diu capite demisso cervices lubricis intorquentes motibus, crinesq; pendulos rotantes in circulum. & nonnunquam suos incursantes musculos; ad postremum ancipiti ferro, quod gerebant, sua quisq; dissecabant brachia*, V. Joh. Rosinum *Antiqq. Rom. l.* 2. *c.* 4. & Thomæ Dempsteri *Paralipom.* Adde Barthium *ad Statium.*

Nomina Cybeles varia.

Berecynthia, à monte Berecyntho in Phrygia.	Mater Deûm.
	Ops.
Dea Syria.	Pessinuntia Dea, à Pessinunte Phrygiæ oppido.
Dindymene.	
Idæa mater.	Rhea.
Magna mater.	Tellus.

Cybiarii, apud Arnobiū *l.* 2. *Quid* cybiarios, *salinatores, bolonas, unguentarios, aurifices, aucupes, vannorum scirpearumq; vinctores*: sunt qui *Cybia* vendebant, rectè proin *salinatoribus* juncti. Est autem *cybium*, Gr. κύβιον, quadratum salsamenti frustum, quod proin inter genera piscium referens perperam Plinius, eodem errore pelamidem esse putavit *l.* 32. *c.* 11. *Cybium ita vocatur pelamis, quæ post quadraginta dies à Ponto in Mæotim revertitur.* Nempe, cùm moris haberent Græci, ut partes salsamentorum magnorum eodem nomine appellarent, quo piscem *pelamidas* vocarunt, ὡραῖα τόμους seu *frusta grandiora & selectiora*, ex iis confecta. Quæ postmodum in *Cybia quadrata*, unde nomen, particulatim iterum concidebantur: unde quòd τὰ κύβια ex pelamide ita in formam cubi parabantur, hinc & cybiis ipsis *pelamidis* nomen datum. Docet is certè idem *l.* 9. *c.* 15. *Pelamides in apolectos, particulatimq; consecta in genera Cybiorum dispartiuntur* &c. Ita Martialis *l.* 5. *Epigr.* 78. quo Tyrannium ad cœnam invitat:

Nondeerunt tibi, si soles προπίνειν,
Viles Cappadocæ, gravesq; porri,
Divisis cybium *latebit ovis.*

Ubi frusta hæc pelamidum ovis ruptis frixa tectaq; fuisse innuit, &c. Inter *Cybiosactes*, cognom. Ægyptii Regis turpissimarum sordium, παρὰ τὸ σάττειν τὰ κύβια, quod est *istiusmodi salsamentis ventrem onerare*. V. Salmasium *ad Solinum pag.* 1317.

Cybister, Gr. Κυβιστητὴρ propriè *cernuus*, à verbo κυβιστᾶν, *cernuare*. Hinc pueri in ludis sic dicti, qui capite in solo sistebant, pedibus in aërem erectis, Servius *ad illud Virgilii*,

Et sternacis equi lapsum cervice Thymœten.

Quo modo, inverso se, ac vibrato corpore, cernuos Pastores Consualib', inter cætera ludicra, salire consuevisse, legimus in vetustis monumentis. Mentio τοῦ κυβιστᾶν jam apud Homer. *Il. π. v.* 750.

Ἦ ῥα καὶ ἐν Τρώεσσι κυβιστητῆρες ἔασιν &c.

V. suprà in voce *Cernuus*, item ubi de *Cubistica Saltatione.*

Cybium, V. suprà *Cybiarii.*

Cyceon, Gr. κυκεὼν, adoris potio est, qua de suprà diximus. Sumebatur autem *Cyceon*, in sacris Eleusiniis, ob illum, quem Ceres è Baubone anu exhilarata, hauserat, postquam quæsitâ nequicquā filiâ in pagum Atticæ Eleusinem, tristitia, labore & siti confecta venisset. Unde inter symbola Eleusiniorum Arnobio quoq; memoratur *adv. Gentes l.* 5. *Ipsa deniq; symbola, quæ rogati sacrorum in acceptionibus respondetis, jejunavi atq; ebibi Cyceonem, ex cista sumsi & in calathum misi* &c. & Clementi. τὸ σύνθημα Ἐλευσινίων μυστηρίων, ἐνήστευσα, ἔπιον τὸν κυκεῶνα. V. Salmas. *ad Solin. p.* 750. & 751. Latinè *Cicetum*, quasi κυκητὸν dici, idem habet *pag.* 328.

Cyclades, adde: Insulæ hæ, cum Hellesponto & Asia propriè dicta, Proconsularē Provinciam Romanis constituebant, in Arcadii *Notit.* cùm priùs ad eandem Lydia, Phrygia min. & Caria pertinerent, quæ postmodum Vicario Asianæ Diœcesis sunt attributæ. Salmasius *ibid. pag.* 806.

Cyclas, limbus est & vestis limbo ornata per extremam oram, *Gloss.* Κυκλὰς ἡ περὶ τὴν χλαῖναν πορφύρα κύκλῳ. Tunica muliebris nempe aurata; cujusmodi etiam & viriles fiebant, quas jam inde à Gallieno Impp. usurparunt, usq; ad Imperii finem: quasq; privatis usibus contexi conficique vetuerunt A. A. Valentinianus & Valens *l.* 1. *Cod. Theod. de vestibus holov.* & *l.* 2. *eod. tit.* apud Salmasium *Not. ad Vopiscum in Saturnino*. V. quoq; in voce *Cyclades.*

Cyclaminus, adde: Idem herbæ nomen, de qua V. Plinium *l.* 25. *c.* 19. obi tria ejus genera pluribus exequitur. Ex iis primum *Tuber terræ* quoque dictum, in omnibus seri domibus jubet, contra mala medicamenta, & proin *amuletum* vocari addit, quod Græcis περίαπτον, φυλακτήριον & ἀμυντήριον, Varroni *præbiū*, quòd *prohiberet* noxā. Cujusmodi amuletum fascinus pueris, turpicula res, ut Idem ait. Unde Plauto *præfiscini*, i. bono omine, ἀβασκάντως. *In Asin.*

——— *sequere hac ergo*
Præfiscini &c.

V. Dalechampium *Notis ad Plin.*

Cycleus, pater Arionis, *quem Delphine eò* (Tænaron prom. in quo fanum Methymnæi Arionis) *advectum imago testis est, ad effigiem casus & veri operis expressa ære*, Solin. *cap.* 7. V. Pausaniam. Mentio *Cyclei*, in *Epigrammate*, quod subjectum imagini huic refert Ælianus, in hunc modum:

Ἀθανάτων πομπαῖσιν Ἀρίονα Κυκλέος υἱὸν
Ἐκ Σικελοῦ πελάγους σῶσεν ὄχημα τόδε.

apud Salmasium *ad Solinum pag.* 158.

Cyclicus Scriptor, apud Horatium *de Arte*, idem cum Epico Poëta Rhapsodo, Turnebo *Advers. l.* 19 *c.* 9. Salmasio verò non omne Poëma Heroicum Κύκλος Ἐπικὸς dictus est: Sed opus ex multis diversorum Poëtarum carminibus (qui Ποιηταὶ τοῦ Κύκλου vocabantur) compositum, mythicæ historiæ continuatam seriem, à prima conjunctione Cœli & Terræ, Deorumq; inde θεογονία, usq; ad Ulyssis reditum & exscensionē ad Ithacam, complectens. Itaq; horum alius *Θεογονίαν* scripserat, alius *Τιτανομαχίαν*, alius *Γιγαντομαχίαν*, alius *Argonautica*, alius *Θηβαΐδα*, alius *Iliada*, alius deniq; aliud opus mythologicum, ut non unius ætatis, ita nec unius nationis. Quæ omnia, juxta fabularum ordinem & temporum seriem concinnè & convenienter in hoc *Cyclo* aptata atq; inter sese connexa erant. *Orbem Mythologiæ* Latinè liceat vocare. Nomen inde, quòd sicut in Choro Dithyrambico homines, vel in corona (quorum utrumq; κύκλος Græcis) flores: sic in eo omnia Poëmata decenter juncta, ἀκολουθίαν ac seriem totius mythologiæ à condito Mundo, usq; ad tempora Troica, ostenderent. Similes appellationes, *ἄνθος, στέφανος, ἀνθολογίαι*, consimilibus operibus inditæ. Erant autem carmina illa simplici formâ facta, sine ulla arte & varietate. Unde Homericam poësin Vet. à *Cyclica* passim separāt; imò & Hesiodum aliosq; nonnullos istos solùm Heroicos Poëtas inter Cyclicos referentes, qui historico more ac simplicissimè *αὐτολογίαν* exposuerunt. Quis in unum τεῦχος Syntagma illud coëgerit, incertum: ab aliquo antiquo Grammatico id factum esse, verosimile est. Quemadmodum & alia pleraq; vett. Poëtarum opera, ob similitudinem argumenti, in unum aliquod corpus ab istiusmodi hominibus, congesta sunt. Sic Bucolica omnia, in unum collecta habentur; *Βουκολικὸν τεῦχος* memoratur in *Epigr. Græco* &c. Uti autem hic *Cyclus* versibus constitit: sic fuit & *Cyclus* similis, pedestri oratione compositus; ab eodem principio initium sumens in eundem finem desinens. Inter cujusmodi Scriptores primos Pherecydes fuit, Apollodorus ultimus; quippe cujus *Bibliotheca* nil aliud fuit, quàm *σύνοψις* & *ἐπιτομὴ* Epici Cycli. Quod opus cùm hodie distribuatur in tres libros, unico tamen libro comprehensum fuisse, discas ex Photio. Alii Scriptores ejusdem argumenti fuere Cadmus Hecatæus, & cæteri, qui *Ιστορικοὶ* dicti, oratione solutâ perscripsere. Porro *Cyclus Epicus* totus Græcorum fuit, nec ullam in eo partem Latini habuere. Unde proin Horatii locum *de Arte Poëtica*,

Nec sic incipies, ut Scriptor Cyclicus *olim:*
Fortunam Priami cantabo & nobile bellum.

Non de Romano aliquo Epico Poëta, qui Trojanum bellum ab initio fuerit persecutus: sed de *Iliadis* cujusdam Κυκλικῆς auctore Græco exponendum esse, censet Salmas. &c. Ad similitudinem *Cycli Epici*, appellatus postmodum est Κύκλος Παιδείας, *orbis viz. omnium Artium liberalium & scientiarum* κύκλια quoq; & ἐγκύκλια μαθήματα Tzetzi *Chil.* 10. Connexio enim quædam & cognatio inter se scientiarum est, quæ velut in choro κυκλίῳ manibus per mutua nexis aptè inter se cohærent. Nec in Historicis *Historia Augusta*, ex variis Scriptoribus contexta, ab Augusto usq; ad Diocletianum, dici incommodè posset, Κύκλος τῆς ἱστορίας Ῥωμαϊκῆς. Quem morem cùm imitatus Justinianus Corpus Juris, ex variis vett. Prudentium libris ac responsis compilatum, per Tribonianum curaverit conficiendum, pariter illud Κύκλον Νομικὸν, non minùs verè, quàm eleganter aliquis appellare posset. Quam in rem V.

tem V. plura egregia, apud Salmasium præfatum ad Solinum pag. 847. & seqq.

Cyclopea ludere, apud Pollionem *in Gallienis*, Cyclopea *etiam luserunt omnes apenarii, ita ut miranda quædam & stupenda monstrarent*, est τὸ ἀεὶ Κύκλωπα παίζειν. V. suprà ubi de *Apenariis*. Quisnam autem *Cyclops* is fuerit, V. suo loco. Hic saltem *Cyclopem dormientem* Parrasii celeberrimi Pictoris memorabo, ex Plinio *lib. 35. cap. 13. Sunt & alia ingenii ejus exemplaria, veluti* Cyclops dormiens, *in parvula tabella: cujus & sic magnitudinem exprimere cupiens, pinxit juxtà Satyros thyrso pollicem ejus metientes: atque in omnibus ejus operibus intelligitur plus semper, quàm pingitur* &c.

Cyclus, Græcis Κύκλος, pro *Indictione*, V. Henr. Valesium *ad Evagrium lib. 3. cap. 33.* ut & in voce *Indictio*. Apud Trebellium *in Tetrico* idem *Cyclus* est, quod Latinis *scutum*, clypeus, thorax, thoracleta, discus, missorium; Græcis προτομή, στέρνον, ἀσπίς, recentioribus μονόμαχον & στῆθος: clypeata nempe imago, seu statua pectore tenus, quæ scuto rotundo continebatur, Salmasius *ad Trebellium l. cit. & ad Tertullianum de Pallio cap. 4.* Et quidem ex κύκλος, transpositione literarum, κλύπεος, *Clupeum* fecere Latini, uti docet idem *Exercit. Plin. ad Solinum pag. 321.* V. quoque *pag. 869*.

Cyclus Epicus, Κύκλος Ἐπικός, opus erat totius Mythologiæ continuatam seriem, diversis Poëtarum carminibus, in unum syntagma compactis, interque se pro temporum ratione connexis, a Mundi initio seu Θεογονίᾳ, usque ad Ulyssis reditum, exhibens, uti videre est suprà in voce *Cyclicus Scriptor*. Atque hic fuit fons atque fundus τῆς μυθολογίας Græcanicæ: unde Poëtæ reliqui plerumque suas hypotheses depromebant. Hinc Horatius *de Arte Poët.* docens, quomodo Tragœdia scribenda, verbis his,

> *Rectiùs Iliacum carmen deducis in actus,*
> *Quàm si proferres indicta ignotaq; primus:*

ait argumentum Tragœdiæ meliùs sumi ex jam vulgata Mythologia, quàm novum fingi. Per *carmen* enim *Iliacum* non tam Homeri Iliada, quàm *parvam Iliadem* Leschis, & *Cypriam* Stasini, Cycli Epici partes, intelligit. Verùm, cùm hæc Cyclica narratio simplici & pedestri stylo fuerit exarata, *utilitatem* saltem fabulæ inde petendam suadet, quæ calamistris propriis inurenda sit & ἐξεργασίᾳ varianda, ut hoc modo publica videri desinat, in privatum jus scitè translata. Ita autem pergit,

> *Publica materies privati juris erit, si*
> *Nec circa patulum vilemq; moraberis orbem.*

Ubi hunc ipsum Cyclum intelligit, quem *patulum vilemque* vocat *orbem*, quòd non ullâ Poëticâ virtute censeretur, sed solâ fabularum materiâ & ordine commendaretur, quas latè & fusè carmine triviali monetâ percusso exponebat. Adde, quòd omnibus tereretur, propter hanc fabularum seriem. Unde inter res vulgares & omnium promiscuo usu protritas, τὸ ποίημα τὸ κυκλικὸν, recensetur Callimacho in *Epigr.* ἐχθαίρω apud Salmasium. Auctores Cycli, Κυκλικοὶ Ποιηταὶ & Ποιηταὶ τοῦ Κύκλου, Latinis *Scriptores Cyclici*, dicti sunt. Partes fuere Θεογονία, Τιτανομαχία, Θηβαΐς, Οἰχαλίας ἅλωσις, Ἰλιὰς μικρὰ, Φορωνίς, Ἀλκμαιωνίς, Νόστοι, Ἐπίγονοι & multa præterea alia, quorum meminere Veteres: de quibus, aliisque in dubio adhuc positis, utrum ad *Cyclum* pertinuerint, V. Salmasium *ad Solinum pag. 848. & seqq.* & quædam etiam suprà.

Cyclus Paschalis, ad Lunæ ætatem & diem Paschatis inveniendum, V. Gassendum *Kal. Rom. c. 4.* de *Cyclo Aureo*, cujus apud Compotistas passim mentio, ex MS. Thuan. hæc affert du Fresne.

> *Prima dies Jani quæ janua dicitur anni,*
> *Taurum tenet ne posterus ordo vacillet:*
> *Majori numero debetur tertius ordo,*
> *Sicq; minor sequitur, majori continuatur*
> *Per duodena loca, non est hæc regula verâ.*
> *Undenis Februi numerum conjunge sequentem,*
> *Sunt quoq; sex menses, Julius prior atq; sequentes,*
> *His, quamvis crescat, undenis summa propinquas.*
> *Octavo minor numerus sequitur, nec continuatur,*
> *Octavo succedentem conjungito in uno.*
> *October quintus prope debet habere sequentem.*
> *Nonarum quartis duodenis deniq; mensis*
> *Terdecimum numerum conjunctos atq; secundum.*
> *Linea sola tamen nemo sic esse recenset:*
> *Tali quippe modo componitur Aureus ordo.*

Cydantida, Græce Κυδαντίδαι, demus tribus Ægeidis, uti Harpocration & Stephanus, vel Ptolemaidis, uti Hesychius & Phrynichus habent.

Cydathenæum, adde: Andocidis Oratoris patriam facit Plut. qui vitam ejus descripsit. Servat loci nomen *Inscr.* quæ hodieque Athenis in exigua columna visitur,

ΔΙΟΝΥΣΙΟΣ
ΛΥΛΟΥ
ΚΥΔΑΘΗΝ ΜΕΤΣ.

apud Jac. Sponium *Itiner. Græciæ part. 3 pag 150.*

Cydimus, apud Papinium Statium *Thebaid. lib. 9. versu 117.*

> *Et super aqua exutum fator exarmata Lycaste*
> Cydimon, *heu similes perituro in corpore vultus*
> *Aspiciens:*

Nomen fuit boni ominis. Hesychius, Κύδιμος, ἔνδοξος, ἔντιμος. V. Casp. Barthium *Animadversion. ad Statium.*

Cydonia Mala, Græcis dicta sunt, quæ *Cotonea* Latinis, à *Cydone*, Cretensium præcipuâ urbe, unde ea allata primitus. Ea indigitat Virgilius, *versu Ecl. 2.*

> *Ipse ego cana legam tenerâ lanugine mala.*

Inter cœtera enim multâ lanugine sunt conspicua, Incisurisque distincta. Color eorum aureus, unde *Aurea* eidem, *Ecl. 3.*

> *Aurea mala decem misi, cras altera mittam.*

Ubi citrea non posse intelligi, quod alii malint, hinc probat Vir doctus, quòd citrus arbor non sic fuerit in Italia, Virgilii tempore, imò nedum Plinii ætate, ut Pastori obvia essent pretiosa illa poma, quæ amicæ mitteret. At *Cydonia* passim proveniebant, etiamque in sepibus colligebantur, teste Plinio. Hinc *ibid.* legas,

> *Quod potui, puero sylvestri ex arbore lecta*
> *Aurea mala decem misi.*

Adde quòd in Curia Conservatorum Herculis signum æreum visebatur manu gestare tria mala Cotonea, non citria, uti testatur Pierius in *Hieroglyph.* Veniunt illa rarò cruda in cibum: decocta verò hyeme cum sacchato & cinnamomo, summam obtinent in mensis auctoritatem. Servantur enim sacchato condita, haud secus ac melle olim, quod Martialis observavit, *l. 13. Epigramm. 24.*

> *Si tibi Cecropio saturata* Cydonia *melle*
> *Ponentur, dicas: hæc melimela mihi.*

Apud Romanos Græcosque inter ritus Nuptiales, pomi *Cydonii* quoque gustatio fuit. Quo de sic Alciatus,

> *Poma novis tribuì debere* Cydonia *nuptis*
> *Dicitur antiquus constituisse Solon.*
> *Grata ori & stomacho cùm sint, ut & halitus illis*
> *Sit suavis, blandus manet & ore lepos.*

Quo eodem fine Parthorum proceres grana ejus incoquere esculentis solitos, legimus &c. V. Auctorem Anonymum *Sinæ & Europæ p. 1018.* & plura hanc in rem suprà, ubi de malis *Coroneis*.

Cygnus, Callimacho *in Delum v. 252.* ἀοιδότατος πετεηνῶν Μουσάων ὄρνις: Proximû enim morti suavissimè canere, creditum olim plerisq; non sine tamen aliorum sibilo. Affirmanti sententiæ fidê non modicâ facit præclara illa & suspicienda arteriæ asperæ in hac ave structura, quæ cùm duplici reflexione tubæ bellicæ figuram exactissimè repræsentet, quâ quamlibet sonorum varietatem tubicines effingere solent, fortè inducatur quis, ut credat, sententiâ illam vero dissimilem non esse. Adde quòd Oppianus, in observãdo ac describendo has alites diligentissimus, à Favonio *Cygnos* ad cantum invitari auctor est, cùm decrepiti jam viribus destituuntur. Accedunt Ægyptii, Naturæ scrutatores acerrimi, qui *Cygnum* Musicæ esse hieroglyphicum voluerunt. Exempla habes apud Auctorem præfatum *Sinæ & Eur. c. 41.* nec non Reimannum *Thesaur. L. I.* Cæterùm & mole suâ & colore figuraq; hæc avis maximè speciosa, ob plumarum candorem eximium, *purpurea* Plinio dicta, hoc modo describitur Alfons. Cataneo: Prof. Medicinæ Ferrar. *Corpus totum undiquaq; uniformes cinerei coloris plumæ obtegebant: erat enim anniculus, aut nata minor. Primo enim anno — coloris est cinerei, eo verò elapso candidissimus. Pendebat libras viginti quatuor, dodrantes octo erat longus, staturâ humanam æquans. Collum enim totius reliqui corporis longitudine explet mensuram dodrantum quatuor, quo tanquam piscatoriâ lineâ usus, è fundo commodè pabulum haurire possit. Rostrum habebat sex digitos longum, à narium foraminibus supernè ad finem usq; nigrum, cætera cartilagine carnis colore vestitum. Inferior mandibula tota nigrescebat, frontis fine & rostri principio, utrinq; maculam nigram, quæ in triangulum summi rostri depressæ ac æquali superficie coëunt, est videre, inter quas fulvi coloris plumulæ frontem insigniunt. Latera utriusq; rostri interius serrata, palatum quoq; medium denticulorum in longum positorum ordine asperum, reliqua etiam scabrum. Linguam mediam sulcus denticulis palatum medium secantibus respondens dividit & ipsa prope radicem scaber. Pedes dodrantem & palmum longi, nigri sunt, sed non sine maculisq; partim cæruleis, partim rubicundis & albicantibus distincti. Membranæ digitis intertextæ squamulis minimis rotundis sunt inæquales. Digitos verò velut annuli quidam in latum intersecant. plumæ desinunt paulo suprà genu. inde ad extremos digitos tres palmi restant longitudinis. Alarum ambitus superior quatuor palmorum est: longissimæ alarum pennæ palmos septem cum dimidio æquant: cauda circiter tres palmos longa est, collum circiter octo. Vitam ducit olor ancipitem, tum in aquis, tum in terris, maximè in lacubus, paludibus, stagnis & perennibus fluviis, quorum confluens moderatè & sedatè fertur.* De pugna illorum cum Aquilis, volatu peregre advenientium, aliisq; huc pertinentibus V. Plinium *lib. 10. cap. 23.* Ælianum *Animal. lib. 10. cap. 36.* Alios, nec non infrà in voce *Olor*.

Cyites, Gr. Κυΐτης, lapis, qui intus partum habet, i. lapidem alium, *qui sentiatur etiam strepitu*, Plin. *l. 37. cap. 10.* Ubi malè vulgò *Cissites* legitur. Vide quæ suprà diximus de lapide *Aëtite*.

Cylinder Crystallinus, in *Musæo* Kircheriano: in quo experimento hydrotechnico in aqua, eodem *Cylindro* contentâ, varia jocantis naturæ spectacula exhibentur. Est hoc Cylindricum vas crystallinum, ad unum palmum cum dimidio longum, ad duas uncias in diametro latum; ab inferiori basi ad collum excurrens;

ad collum verò tantum restringitur, quantum latitudo pollicis humani aut indicis digiti requirit: dein ex vitro seu smalto variæ hominum aut animalium figuræ seu globuli fieri curantur intus cavi, diversosque levitatis gradus obtinentes, quorum pedes tenui foraminulo pervii sunt. Hæ figuræ ritè confectæ tubo aquâ repleto immittuntur; tum orificio tubi pollice aut digito immisso si prematur aqua, derepentè totum imaginum agmen, tanquam fulmine disjectum, ad fundum labitur. Et quidem graviores velociùs, leviores tardiùs, quarum hæ senilem impotentiam, illæ juvenilem promtitudinem imitantur. Quod si pressio remittatur, denuo ascendunt, velocitate corporis moli correspondente &c. Unde facilè colligere est, quàm exiguo negotio historicæ expressiones, aut mysteriorum repræsentationes in simili vitrea scena repræsentari possint. Georg. de Sepibus *in Collegii Rom. S. I. Musæo pag.* 14. Cœterùm *Cylindri*, apud Plinium *lib.* 37. *cap.* 5. ubi de Beryllis: *Indi mirè gaudent longitudine eorum, solosque gemmarum esse prædicant, qui carere auro malint, ob id perforatos elephantorum setis religant.* Et mox, de Europæis, *Cylindros ex iis facere malunt quàm gemmas, quoniam est summa commendatio in longitudine*: Lapides sunt longiores ac rotundi manufacti; quibus gemmas opponit, h. e. σφραγῖδας, aut *annulorum signacula*, quæ non in longitudinem cædebantur, sed ovali ferme fiebant figurâ. Sic ex uno *cylindro* plures gemmæ fieri poterant. Qui autem *cylindros* ex beryllis faciebant, duos umbones cylindri, h. e. ambo capita, ex auro comprehendebant: quod non faciebant nisi in optimis beryllis, quos perforandos non esse inter Europæos & Asianos conveniebat, cùm Indis placeret perforari & sine auro gestari, tanquã qui sic gratiores essent. Meminit *Cylindrorum* & Tertullianus de *Habitu Mul. Latent in circulis smaragdi &* Cylindros *vaginæ suæ solus gladius sub sinu novit.* Plinius quoque alibi. Qui idem de sardonyche: *Has Indis non habitas in honore Zenothemis scribit; tantæ aliàs magnitudinis, ut inde capulos factitarent. Etenim constat —placuisse in nostro orbe initio, quoniam solæ prope gemmarum scalptæ ceram non auferant.* V. Salmasium *ad Solinum pag.* 1107. *& seqq.* nec non suprà, in voce *Beryllus*: De κυλίνδροις verò cavearum, in Amphitheatris, uti Basilius vocat, infrà ubi de *Repagulis*, item *Rotulis*. Nec omittendum, *cylindri* exemplum, quo Fati cum libero Arbitrio convenientiam egregiè illustrat Chrysippus, apud A. Gellium *Noct. Attic. lib.* 6. *cap.* 2.

Cylistia Coronæ, V. infrà *Encylistiæ*.

Cylistræ, dictæ fuere mixturæ quædam impuræ ritusque superstitiosi ab Ethnicis in Tyronum initiatione ac jam consummatorum inauguratione, adhiberi olim soliti, quos proin Synodus Trullana à Christianis retineri noluit, quamvis esse suas Doctoribus peculiares notas, sed ab his Gentilismi sordibus purgatas, non prohibuit. V. de Sophistarum seu Doctorum titulo ac inauguratione Philostratum *de Vita Sophist. lib.* 2. Lucianum *Eunucho*, Eunapium *Proheresio*, alios. Propriè verò Κυλίστραι, volutabra sunt aprorum & suum, sed & equorum. Glossæ, *Volutabrum*, κυλίστρα ζώων: ubi equi intelliguntur, quos ζῶα Græci absolutè plerumque, ut & ἄλογα, appellasse notum. Hos Veteres in arena prope amnem aut lacum volutare consuefaciebant, eaque loca κυλίστρας & ἀλίστρας vocabant, item ἀλινδήθρας, uti docet Hesychius. Cujusmodi volutationes, in exercendis aut curandis equis hodiernis Equisonibus ignotæ, memorantur Solino *cap.* 32. V. Salmasium *ad Solinum pag.* 474. De Κυλιστικοῖς verò Pancratiastis, dicemus infrà ubi de *Volutatoria lucta*.

Cyllene, urbs Elidis, adde: Cùm Peloponnesus sub Venetorum esset imperio, exiguum oppidum ibi loci fuit; jam verò præter turrim quandam & murorum rudera passim dispersa nihil superest. Jac. Sponius *Itinerar. Part.* 2. *pag.* 5.

Cyllene, mons, adde: Potiùs ab Hebr. כלל quòd omnibus modis *perfectus* esset cunctaque complecteretur, hoc Mercurii epitheton. G. Hornius *Hist. Phil. lib.* 1. *cap.* 7. Hunc velut Deorum apparitorem, ἀνεσταλμένον & altè succinctum, delineat Martianus Felix.

Cylon, adde: De *Cyloniana* factione, quâ Pythagoræorum nomen in Italia seu majore Græcia extinctum est, V. Salmasium *ad Solinum pag.* 845.

Cymba, magnete animata, in Musæo Kircheriano, Romæ, V. infrà *Typhis Magneticus*.

Cymbalum inter Cybeles inventa, in cujus sacris Archigallus primus cymbala prælata pulsabat, ex ære fuit. Juvenalis *Satyra* 9. *versu* 62.

Cymbala pulsantis legatum fiet amici.

In quæ verba vetus Scholiastes, *Archigalli*, inquit, *cymbala percutientis*. Ita Claudianus *in Eutropium lib.* 1.

> *Vel si sacra placent, habeat pro Marte Cybellen,*
> *Rauca Celænæos ad tympana disce furores:*
> *Cymbala ferre licet, pectusq; illidere pinu,*
> *Inguinis & reliquum Phrygiis abscindere cultris.*

Ubi *Cymbala ferre*, rectè dictum, ad officium Archigalli designandum, inquit Dempsterus: Inde & quoscunque effœminatos, tympana vel *cymbala* gestare dicebant Vett. Plautus *Truculento sc. Ite.*

> *Mœchum malacum, cincinnatum, umbraticulum, tympanotribam*
> *Amas?*

Et quia *Cymbala* usitata in Cybeles sacris, hinc & poculis usi sunt sacerdotes ejus, cymbalum referentibus; parva autem erant, & cava, sine fundo ac auribus, proinde mollia ac parùm viris convenientia: ut locus sit datus Demostheni convicium faciendi Midiæ, quòd eis parum castrensibus biberet, Dorotheo auctore apud Athenæum *lib.* 11. Dicebantur etiam *Clemmateres*, quòd Græci κλέμματα vocant formam operimenti testudinis. Plinius *l.* 33. *cap.* 11. *Mox additum argentum in angulis, lineasque per commissuras; tympana verò si juvenc appellata* Scateras, *& lances, quas antiqui* Magidas *appellaverant.* Plautus,

> ——— ——— ——— ——— *Ipsum etiam*
> *Pauxillum argenti, levibus tonsum tympanis,*
> *Limari.*

In orgiis porro Bacchi *Cymbalorum* tympanorumque usum fuisse, ut & buxi, notat ex Poëtis, suprà laudatus Th. Dempsterus *Paralipom. ad Joh. Rosini Antiqq. lib.* 2. *cap.* 4. quem, si lubet, vide. Eleganter autem ea describit Rhabanus Maurus ex Antiquis, *Comm. in librum Judith*, *Cymbala sunt parvissimæ phialæ permixtis metallis compositæ, ventricula sua in lateribus habentes, quæ artificiosâ modulatione collisæ acutissimum sonum delectabili consonantiâ restituunt.* Illis ἀλαλαγμόν Apostolus, *tinnitum* Catullus, Virgilius, Ovidius, Alii; Sed *flictum* dat Ausonius, unde colligas nequaquam lenem eorum fuisse sonum, neque quem *Cymbala* nostra hodie habent, quem *tinnitum* dixeris, ahenis pulsatis ab eo datum potiùs. *Epist.* 25.

> *Dindyma Gargarico respondent cantica luco.*
> Cymbala *dant flictu sonitum* ———
>
Et paulo pòst,

> *Nec Dodonæi cessat tinnitus aheni,*
> *In numerum quotiens radiis ferientibus ictæ*
> *Respondent docites, moderato verbere, pelves.*

Fuere verò ejus figuræ, quâ cotyledonis folia, Latini *umbilicum Veneris* vocant. Coxendicibus assimilat Plinius *lib.* 25. *cap. ult.* acetabulis Isidorus *Origin. lib.* 3. *cap.* 21. Ambabusque manibus (erant enim utrinque manubriata, in extima concavitate) apprehensa & complosa concussaque sonum edebant. Inde *Cymbalistriæ*, quas sæpius Romæ in scalpturis Bacchanalium sacrorum occurrere, notat Laur. Pignorius *Commentar. de Servis*, ubi vett. *Cymbalorum* formam æri incisam exhibet. Atque hæc de *Cymbalis*, in Sacris Ethnicorum, usurpatis. Sed & in veri Dei cultu, qualis in V. T. vigebat, *Cymbala* adhibita, legimus Psalm. *ult. Laudate eum* Cymbalis *sonoris*: de quibus adi Coccejum *Commentar. ad l.* In *Historia* Vezeliac. *lib.* 4. *Cymbalum Refectorii*, campana est, quâ Monachi ciebantur ad sese reficiendos. Ad Ecclesiam quoque *Cymbalo* Monachos accitos, colligitur ex *Vita* Telliai Episcopi Landav. *cap.* 1. Sed & *Cymbalum* pulsatum ad mortuos indicat Gregorius M. *Dial. lib.* 1. *cap.* 9. In Choro quin etiam *Cymbalum* statuit Beletus *de Div. offic. cap* 86. apud du Fresne *Glossar.*

Cymbium, apud Papinium Statium *Thebaid. lib.* 6. *versu* 212. ubi de Ludis, in Archemori funere celebratis,

> *Spumantesq; mero pateræ verguntur, & atri*
> *Sanguinis & rapti gratissima* Cymbia *lactis.*

ut & Virgilium *Æneid. lib.* 3. ubi de Polydori funere instaurato,

> *Inferimus tepido spumantia* Cymbia *lacte,*
> *Sanguinis & sacri pateras* — —

Vasa sunt minuta, oblonga, instar cymbularum, veteri Scholiasti: pocula naviculis similia, ut & ipsa nominis figura indicat, Lutatio. Adde, quæ notavit P. Faber *Agonistic. lib.* 2. *cap.* 8. & Ausonius Popma *lib. de Instrumento Fundi pag.* 34. *Cymbia* ex argento cælata, occurrunt apud eundem Poetam *Æneidos lib.* 5. ubi de Ludis ab Ænea celebratis, in honorem defuncti patris Anchisæ,

> *Tertia dona facit: geminos ex ære lebetas*
> Cymbiaque *argento perfecta atq; aspera signis.*

Fictilia, ex argilla Saguntina, apud Martialem *lib.* 8. *Epigr.* 6.

> *Archetypis vetuli nihil est odiosius Eucti,*
> *Ficta Saguntino* Cymbia *malo luto &c.*

V. quoque Macrobium *Saturnal. lib.* 5. *cap.* 21.

Cyme, adde: Inde coloniâ deductâ ab Æolibus, Cumis Italicis origo fuit, uti habet Marcianus Heracleota,

> Μετὰ δὲ Λατίνους ἐστὶν ἐν Ὀπικοῖς πόλις
> Κύμη, πρότερον ἣν Χαλκιδεῖς ᾤκισαν,
> Εἶτ' Αἰολεῖς, μάλιστα τ' ἀκολουθοῦσιν
> Ἡ πρὶν Αἰολὶς Κύμη ὁ κειμένη πόλις.

Secundùm quem primò Chalcidenses Euboici, postea Cumæi Æolenses ex Asia, condidere *Cumas*. Strabo verò, *sub idem* tempus ab utrisque id factum, tradit, ducibus Hippocle Cumæo & Megasthene Chalcidense: quibus ita inter se convenerit, ut Chalcidenses coloniæ haberentur auctores, Cumæi Coloniæ nomen imponerent. V. Salmasium *ad Solinum pag.* 72. ut & in voce *Cuma*, ubi de Æolidis urbe *l. Cume*. Sed & Κύμη urbs Eubœæ fuit, de qua V. eundem Salmasium *d. l.*

Cymachus,

Cynætha, urbs Arcadiæ, cui nomen datum à *Cynætho*, Lycaonis filio, V. in voce *Cynæthium*. Sed & *Cynethum*, Inf. Ortygiam dictam esse, habet Solinus *pag.* 11. *Eadem est Ortygia, quæ clarissima in Cycladum numero multifariè traditur: nunc Asteria, à cultura Apollinis: nunc à venatibus Lagia vel Cynethus.* Ubi libri habent, *Cynetho*: fortè, à Κυναιθὼ, quod nomen factum est ab ardore canum venaticorum. Salmasius *ad l.*

Cynæthus, adde: Ὁμηρίδης is fuit, & ab Homero genus suum jactabat. Tales enim & ipsi carmina Homeri per successionem tradita ἐξῃσίδουν primitus, nomine postea ad alios translato, qui carmina ejus publicè recitabant, quamvis ad Homeri genus nihil attinerent, uti docet Scholiastes Pindari. Sed hos Ὁμηριστὰς potiùs vocatos esse discas ex Athenæo. Recitavit autem ea primus inter Homeridas Cynæthus, uti dictum, idque circa Olympiadem 69. ut testatur idem Scholiastes *ad Nemeonicas*. Cùm antiquiores Epici Poetæ sua ipsi Poëmata canerent ostenderentque &c. Salmasius ubi suprà *pag.* 867.

Cynamolgi, adde: Omnium ultimi erant versùs Meridiem, ultra quos latè desertam esse regionem, *à scorpionibus & solipugis gente sublatâ*, refert Plinius *lib.* 8. *cap.* 29. Iidem *Canarii* fortè dicti, quos dividua ferarum viscera cum canibus habere & partiario cum his vivere, ait, *lib.* 5. *cap.* 1. V. suprà *Canarii*.

Cyndalismus, Græcè Κυνδαλισμὸς, genus ludi, quo qui ludebant Κυνδαλοπαίκται vel Κυνδαλοπαίκτας dicti. Paxillum hi humectæ terræ infigentes, cumque altero paxillo verberantes, in capite seu summitate elidere nitebantur. Pollux *lib.* 9. *cap.* 7. Angl. *Dust — point.* A voce κίνδαλος, *paxillus*. V. suprà in voce *Cindalopalta*.

Cynegetæ, Græcè Κυνηγέται, Agatharchidi, Straboni & Diodoro pop. Troglodyticæ Æthiopiæ, qui feras omne genus venabantur, & earum carne victitabant, unde nomen illis. *Theratas* illos Plinius vocat, h. e. Θηρευτὰς, quod idem, *lib.* 4. *cap.* 12. *Gentis Troglodytarum idem Juba tradit Theratas, à venatu dictos, miræ velocitatis.* Ad quem locum V. Salmasium ubi suprà. Est autem propriè Græcis κυνηγέσιον, caro animalis, vel animal, quod homo vel alia fera venando cepit; quo modo *Venatio* Latinis sumitur, unde *Venaison* Gallorum. At κυνηγεσία, *venatus*, i. ipse venandi actus. Unde lux loco Aristotelis *de Histor. Animal. lib.* 8. *cap.* 5. ubi de lupis, quos *guaratores* Galli dicunt: Ἀνθρωποφαγοῦσι δὲ οἱ μονοπεῖραι τῶν λύκων μᾶλλον, ἢ τὸ κυνηγέσιον, *Lupi illi, qui sunt μονοπεῖραι*, (h. e. qui cæterorum luporum consortium fugientes soli incedunt) *humanis carnibus libentiùs quàm ferinis vescuntur.* Quem hactenus Interpretes malè habuerunt. Salmasius *ibid. pag.* 946. De *Cynegeticorum* Auctoribus, aliisque huc pertinentibus, V. infrà ubi de *Venatione*.

Cynici, adde: Circa barbam inprimis, quam prolixam & horridam aluere, superstitiosi erant. Hinc Zeno, illorum Magister, inter ἀπομνημονεύματα sua & illud habuit: *Barbam sicut vitem, rarissimè tondendam, eamque optimam, quæ maximè prolixa; quare à novacula immunem habendam, nisi fortè secus necessitas præscribat*, Laërtius, Heinsius *l.* 2. *de Sat. Hor.* Persius *Sat.* 1.

——— ——— *Multùm gaudere paratus,*
Si Cynico barbam petulans Nonaria vellat.

Supellex eorum pera, baculus, pallium: Ausonius *de Diogene Cynico*,

Pera, polenta, tribon, baculus, scyphus, arcta supellex
Ista fuit Cynici, sed putat hanc nimiam.
Namq; cavis manibus cernens potare subulcum,
Cur Scyphe te, dixit, gestio supervacuum

Vestis ut ex iisdem verbis patet τρίβων seu Abolla, id est, pallium detritum ac semilacerum, interim laxum ac semirotundum, quod rejici in humeros poterat & duplicatum totum corpus involvebat, sic ut humerus dexter & plerumque nudus exereretur. Sine tunicis enim, aut saltem strictis tuniculis humerum non velantibus induti ibant: Unde Cyprianus, *Cynicorum vocat exerti ac seminudi pectoris inverecundam jactantiam.* Factum id ab iis, tolerantiæ ostentandæ; Chrysostomus autem *Orat.* περὶ χήμονος, *ut plerique illorum solo Tribonio philosopharentur, reliqua flaccidi & flagitiis coperti.* Primum verò hoc habitu Herculem, Cynicæ sectæ auctorem, ut ait Ausonius *Epigr.* 26. usum fuisse, quem reliqua nudum, solâ leoninâ amictum, Veteres introduxere, sicque eum se imitari gloriati sunt. Inter homines primus ejus auctor Antisthenes fuit, qui Diogenem, cùm tunicam peteret, jussit πτύξαι θοἰμάτιον, complicare seu duplicare pallium, i. dextrum cum humero brachium exerendo, sicque partem quoque pectoris renudando, totam partem pallii dextram sinistro humero injicere, ut retro ad pedes caderet atque ita totum corpus involveret & constringeret. Diogenem tamen id primum fecisse contendit Laërtius, Τρίβωνα, inquiens, διπλώσας πρῶτος διὰ τὸ ἀναγκαῖον ἔχειν καὶ καθεύδειν αὐτῷ, *Pallium duplicans primus ob necessitatem* (quia tunicâ carebat) *& ut in eo dormiret*: Cùm enim Cynici humi cubarent sine culcita ac stragulis, eodem pallio involuti somnum capiebant, quod gerebant interdiu. Unde Diogenes διπλοείματος à vet. Poëta, & pallium ipsum Διπλοῒς appellatur. Latini *duplicem pannum* vocarunt. Horatius *lib.* 1. *Epist.* 17.

——— *quem duplici panno patientia velat.*

Cratetem quidem ab Atheniensibus reprehensum legimus quòd in sindone præter morem incederet, sed non aliud fuit ejus sindon, quàm pallium linteum ac tenue, quod mediâ hyeme quemadmodum idem grave ac villosum, in tolerantiæ summæ indicinam, æstate gestabat, cujus exemplum postea reliqui imitati sunt. Proteus quoque apud Lucianum in sindone inducitur pyram conscensurus, sed nec illa quidquam aliud, quàm fascia seu perizoma lineum fuit, quo se ille, in conspectu frequentiæ renudaturus, velut campestri succinxit, ut spectatorum oculis extremo illo actu parceret. Nec viri solùm, sed & mulieres *Cynicam* professæ sectam, in tribonio & quidem solo fuere. Menander apud Laërtium *Cratete*.

Συμπεριπατήσεις γὰρ τρίβων' ἔχουσ' ἐμοὶ,
Ὥσπερ Κράτητι τῷ Κυνικῷ ποθ' ἡ γυνή.
Mecum ambulabis gerens tribonium,
Ut nuper uxor cum Cratete Cynico.

Imò non Herculem solùm, ut dictum, sed Deos omnes, hoc habitu se referre jactabant, quorum simulachra, teste Dione περὶ σχήματος, solo pallio velata in templis cernebantur, ut etiam in nummis Æsculapii apparet, quos exhibet Oct. Ferrarius, qui prolixè de his agit, *de Re Vestiar. passim, inprimis Part.* 2. *lib.* 4. *capp.* 19. & 20. V. quoque infrà, in voce *Tribonium*. Ex Hæreticis, *Cynicorum* dogmata sectatos esse Valentinianos, scribit Irenæus *lib.* 2. *cap.* 58. cùm de illis ait: *Epicuri Philosophiam & Cynicorum indifferentiam æmulantes.* Et *lib.* 1. *cap.* 19. *Minutiloquium & sublimitatem circa quæstiones, cùm sit Aristotelicum, inferre fidei conantur*, priscorum Philosophorum scita cum Christiana religione illos miscere, ostendens. Magnam habuisse tandem *Cynicos* cum Stoicis affinitatem, tradit Laërtius *lib.* 6. & 7. & Juvenalis *Sat.* 13.

Et qui nec Cynicos nec Stoica dogmata legit,
A Cynicis tunicâ distantia.

De *Cynicis* sui temporis lepidè Martialis *lib.* 4. *cap.* 52. ad Cosmum:

Hunc quem sæpe vides inter penetralia nostræ
Pallados, & Templi limina, Phœbe, novi.
Cum baculo peraq; senem, cui cana, putrisq;
Stat coma & in pectus sordida barba cadit.
Cerea quem nudi tegit uxor abolla grabati,
Cui dat latratos obvia turba cibos:
Esse putas Cynicum, *deceptus imagine falsâ.*
Non est hic Cynicus, Cosme quid ergo, canis.

Unde, præter alia, discas, istiusmodi hominum, utpote ἀοίκων & ἀνέστιων habitationes plerumque in Templis fuisse. Quemadmodum de Diogene Hieronymus, *in portarum vestibulis & porticibus civitatum*, habitasse ait. Ut de successione Philosophorum hujus sectæ aliquid addam; illos strictim hic subnectere visum est.

Series Philosophorum Cynicæ Sectæ.

Antisthenes, *Cynicorum* pater, patriâ Atheniensis, sed matre Phrygiâ: docuit in Gymnasio, quod Κυνόσαργες dicebatur. Unde quidam sectæ nomen inditum volunt. Eum audivit Diogenes Sinopensis. Hunc Monimus Syracusanus, Onesicritus &

Crates Thebanus. Hunc audiere uxor ej^9 Hipparchia, Metrocles frater hujus, & Menippus Phœnicius: ut de Zenone Cittieo, & Menedemo Colotí Lampsaceni discipulo nil addam. Sed & Demetrius *Cynicus* Domitiani Cæs. tempore vixit Corinthi &c. V. Vossium *de Philos. Sectis* *cap.* 17.

Cyno, Græcè Κυνὼ, apud Hieronymum *in Jovinianum*, pro *Cynopoli*, quod vide.

Cynocaumata, apud Petr. Chrysologum *initio Sermonis* 51. sunt, calores à Sirio excitati, de quibus V. in Gemini *Eisagoga*, & Casp. Barthium *ad Statium lib.* 1. *Sylv.* 2. *vers.* 156. Adde, quæ suprà dicta sunt in voce *Canicula*.

Cynocephali, adde: De illis Solinus *cap.* 52. *Megasthenes per diversos Indiæ montes esse scribit, nationes caninis capitibus, armatas unguibus, amictas vestitu tergorum, ad sermonem humanum nullâ voce, sed latratibus tantùm sonantes, asperis rictibus*: an *rictibus*? Ἡμίκυνες, Apollonio dicuntur. Fabulæ occasio, quòd populi illi aucupio & venatu solo vesci consueverint, unde asperi iis ritus, nec dispar habitus; ut qui pellib^9 ferarum indui in more haberent. Ctesias verò non ipsis pellibus ferarum villosis amiciri eos tradit, sed alutâ vel pelle tenuissimâ confectâ, cui pili dempti: τὴν δὲ ἐσθῆτα ἔχουσιν οὐ δασεῖαν, ἀλλὰ ψιλὴν τῶν μαλθακωτάτων ἐκ δερμάτων. Ubi μαλθακὰ δέρματα sunt *alutæ*, vel pelles confectæ: quibus *tergus* opponitur, utpote corium αὐτόψιλον. Salmasius *ad Solinum pag.* 1005. & 1006.

Cynocephalus, adde: Ægyptiis olim in veneratione fuit, teste Tertulliano *Apologet. cap.* 6. & Augustino *de Civ. Dei lib.* 2. *cap.* 13. Sed inter Veteres non convenit, utrum habitus sit *Cynocephalus* ipse Anubis, vel ejus symbolum, an potiùs Mercurius, aut symbolum hujus. Pro Anubide facit, quòd canino fingeretur capite: unde *Latrator* Maroni *Æn.* 8. dictus, cujus figuræ causam attulit

attulit Vossius *de Idolol. lib.* 1. *cap.* 27. Pro Mercurio, literarum inventore, est, quòd *canis* ei sacratus, ob sagacitatem: Ideoque & Botanici anethum vocant tum *Cynocephalum*, tum *Mercurii genituram*. Præterea valde huc facit, quod Strabo ait, *Cynocephalum* esse cultum ab Hermopolitis, quorum civitas, ut vocabulum indicat, τῷ Ἑρμῇ sive Mercurio, fuit sacra. Est autem *Cynocephalus* simiæ caudatæ genus, sed, ut Aristoteles *Histor. Animal. lib.* 2. *cap.* 8. ait, cercopitheco majus atque efferatius, capite etiam propiùs ad canem accedens; unde & nomen κυνοκέφαλος, quasi *Caniceps*: Hodie Italis *Babuino*, Gallis *Babion*, Belgis *Baviaen* dicitur. V. Gerh. Johannem Vossium *de Idololatria lib.* 3. *cap.* 74. Cæterùm *Cynocephalus* sedens fuit apud Ægyptios hieroglyphicum duorum æquinoctiorum. Per æquinoctia enim duodecies in die urinam reddere & in nocte compertus, æquali interstitio servato, Trismegisto ansam dedit diem dividendi in 12. partes æquales. Adde, quòd & duodecies die toto æquinoctiali clamorem tollere, paribus intervallis dicatur. Unde in Horologiis quoque Aquariis sculpi *cynocephalus* consuevit, cujus ex veretillo profflueret aqua: quæ ne prolixiùs effunderetur, quàm par esset ad justam horæ mensuram, avulso ex animalis cauda pilo, ad ejus instar tenue ferrum parabant, quo aquæ fluxus temperaretur, ut ex Oro docet Salmasius, *Exercitationibus Plinianis ad Solinum p.* 644. *& seqq.*

Cynodontes, portentosorum hominum species, apud Isidorum *Origin. lib.* 9. *cap. de Portentis*, *Alii magnitudine partium, veluti capite informi, aut superfluis membrorum partibus, ut bicipites & trimani, vel* Cynodontes *quibus gemini procedunt dentes.* Quem errorem is hausit è Solino qui *cap.* 1. *Quidam*, inquit, *vice dentium continui ossis armantur soliditate — Ipsum dentium numerum discernit qualitas sexus, cùm in viris plures sint, in fœminis pauciores, quos* Cynodontas *vocant, & quibus gemini procedunt a dextera parte, fortunæ blandimenta promittunt, quibus ab læva, versâ vice.* Ad quem locum V. Salmasium *pag.* 32. & 33.

Cynolycus, Græcè Κυνόλυκος, in *Excerptis* Ctesiæ, Crocotta est, quæ quòd ex hyæna, lupo, & leæna, cani simili, nascatur, inde id nominis adepta est. V. Diodorum Sic. *lib.* 3. Plinium *lib.* 8. *cap.* 21. & suprà in voce *Crocutta*.

Cynopenæ, Græcè Κυνοπηναι, apud Tertullianum *in Apologet. Planè tertium genus dicimur.* Cynopenæ *aliqui vel Sciapodes vel aliqui de subterraneo Antipodes*, & *in lib. ad Nat. cap.* 8. sunt qui aliàs *Cynocephali*, pop. Indiæ, quasi *qui talia edunt, qualia canes.* Aucupio enim & venatione sola illos vitam sustentare suprà diximus, in voce *Cynocephali*.

Cynopolis, adde: Græcè Κυνῶν πόλις. Ejus incolæ *Cynopolitæ*, inter quos & Oxyrynchitas cruentum bellum ortum esse, quòd alteri alterorum Numina odissent, refert Plut. de Isid. & Osir. Οἱ δὲ Ὀξυρυγχῖται καθ' ἡμᾶς τῶν Κυνοπολιτῶν τὸν ὀξύρυγχον ἰχθὺν ἐσθιόντων κύνας συλλαβόντες καὶ θύσαντες, ὡς ἱερεῖα, κατέφαγον. Ἐκ δὲ τούτου καταστάντες εἰς πόλεμον, ἀλλήλους δὲ διέθηκαν κακῶς καὶ ὕστερον ὑπὸ Ῥωμαίων κολαζόμενοι διετέθησαν. *Oxyrynchitæ verò nostri,* Cynopolitarum *oxyrynchum piscem edentium canes interceptas mactarunt, & ederunt. Unde bello coorto, tum ipsi se invicem miseris modis afflixerunt, tum gravius postmodum à Romanis afflicti sunt.* Vicini nempe hi populi erant, & fluminis saltem alveo dirempti, teste Strabone: Ptolomæus verò in eodem latere Nili, quod ad Occidentem est, utramque locat gentem; quod & *Itinerarii* facit auctor. Unde horum potiùs bellum, nomine tamen *Ombitarum & Tentyritarorum*, quæ nomina mollius meliùsque versum inirent, descripsisse Juvenalem *Sat.* 15. suspicatur Salmasius. Inde *Cynopolitica Præfectura* seu *Cynopolites Nomus*, cujus urbs hæc metropolis fuit, ex adverso Coæ Inf. V. præfatum Auctorem *ad Solinum pag.* 452.

Cynosarges, adde. Collem sic Sponius vocat, haud procul Areopago, in quo Gymnasium prædictum & Templum Herculis, ubi contra Alcibiadem Plebiscitum marmori insculptum extabat. Ibidem spurii exponebantur. V. Joannem Meursium *Glossar.* & Gerh. Jo. Vossium *de Sectis Philosophorum cap.* 18. §. 2.

Cynosbatos, quasi *sentis canina*, arbor spinosa, Dioscoridi memorata inter eas, è quibus sepes vivæ olim fiebant: utpote quæ ἀκανθώδης, non minùs ac rubus & rhamnus & oxyacantha, congeneres spinæ. Illi in parabola Jothami Abimelechus comparatur Judicum, *cap.* 9. *versu* 15. qui cùm Gideonis nothus esset, occisis filiis ejus septuaginta, tyrannidem invaserat, sed infelici successu, juxta ultima parabolæ verba: *Sin minùs, exeat ignis è* cynosbato *& absumat cedros ipsas Libani.* Simile quid legimus, in parabola Joasi R. Israëlis 2. Regum *lib.* 14 *versu* 9. ubi is Amaziam Regem Jehudæ *spinæ* assimilat, quam bestia agrestis in Libano conculcavit. V. Salmasium *ad Solinum pag.* 270. & infrà in voce *Oxyacantha*.

Cynoscephalæ, V. *Cynos Cephale.*

Cynthia, Aglostheni apud Solinum *cap.* 11. mons Deli Inf. idem cum *Cyntho*, quem Capitolio non altiorem esse docet Jac. Sponius αὐτόπτης. *Itinerar. Part.* 1. *pag.* 176. V. *Cynthus.*

Cynura, adde: Aliter *Cynurus*, unde regioni *Cynuriæ* nomen, in qua urbes olim Thyrea & Anthene. Thucydides *lib.* 4. Περὶ τῆς Κυνουρίας γῆς ἧς ἀεὶ πέρι διαφέρονται, μεθορίας οὔσης, ἔχουσι δ' ἐν αὐτῇ Θυρέαν καὶ Ἀνθήνην πόλιν. Earum prior Thyrea, ubi locus in collimitio Argolidis & Laconicæ, utriusque populi certamine olim fuit celebris. V. Salmasium ubi suprà *pag.* 139.

Cyparissus, adde: Ejus meminit Statius *Thebaid. lib.* 7. *v.* 344.

> *Quis tibi Phœbeas acies, veteremque revolvat*
> *Phocida? quis Panopen, quis Daulida, quis Cyparisson* &c.

Stephano, πόλις ἐν Παρνασσῷ, πρὸς τοὺς Δελφοὺς — ἀπὸ Κυπαρίσσου τοῦ Μινύου, οἱ δὲ ἀπὸ τοῦ πλήθους τῶν αὐτόθι κυπαρίσσων, *Urbs in Parnasso, prope Delphos — à Cypario Minyis filio, an à multitudine cupressorum.* V. Casp. Barthium *Animadvers. ad l.* Postea *Ambryssus* dicta est, habuitque portum *Anticyræ* nomine: hodie ad vici parvitatem redacta, quem pluribus describit Jac. Sponius *Itiner. Græc. Part.* 2. *pag.* 73. & 74.

Cypassis, nomen Ornatricis, apud Martialem. Item tunica Omphales, quam habuit, cùm Herculem lecto suo accepit, dedicatam postea in templo Dianæ, cum *Epigrammate* Græco nondum edito, quod exhibet Salmasius *ad Tertullian. de Pallio cap.* 4. hoc modo:

> Χαῖρέ μοι ἁβρὴ κύπασσι, τὴν Ὀμφάλη ποτὲ Λυδὴ
> Λυσαμένη φιλότητ' ἦλθεν ἐς Ἡρακλέος
> Ὄλβιος ἦσθα κύπασσι, καὶ ὡς τότε καὶ πάλιν ὡς νῦν
> Χρύσεον Ἀρτέμιδος ναὸν ἐσῆλθες μέλαθρον.

Cyperum seu *Cypirum*, vetustioribus Græcis κύπειρον, recentioribus κύπερον, junci species odorata est, cujus radix *Curcuma* vel *Curcuba*, quam vocem vide. Inter genera, quibus *Cyphi* suffimentum Ægyptium, conficiebatur, memoratur quoque Plutarcho *de Iside & Osir.* Κύπερον, ῥητίνης τε καὶ σμύρνης καὶ ἀσπαλάθου καὶ σεσέλεως, ἔτι δὲ σχοίνου καὶ κινναμώμου καὶ λαπάθου. V. de illo Plinium *lib.* 21. *cap.* 18. & Salmasium *ad Solinum pag.* 999. *& seqq.*

Cyphon, catastæ genus, quâ rei vinciebantur aut torquebantur. Ita Aristoteles *Politic. lib.* 5. *cap.* 6. Heracleæ Eurytionem & Thebis Archiam, in adulterii pœnam, δεθῆναι ἐν ἀγορᾷ ἐν τῷ κύφωνι, *in foro* cyphoni *fuisse alligatos*, scribit. Suidas quoque Legis cujusdam fragmentum his verbis refert, Ἐὰν δέ τις ἐπηρεαζόμενος ἐπὶ τὸ νόμον παρ' οὐδὲν ποιῆται, δεδέσθω ἐν κύφωνι πρὸς τῷ ἀρχείῳ ἡμερῶν εἴκοσι περιῤῥεόμενος μέλιτι γυμνὸς καὶ γάλακτι ὥστε τὰς μελίττας καὶ μυίας δάκνειν, *Si quis verò per protervitam ea, quæ Legis sunt, nihili fecerit, per viginti dies prope Archivum Cyphoni nudus alligetur, melle & lacte perfusus, ut apibus & muscis sit pabulum.* Unde in Aristophanis *Plut. Act.* 2. *Sc.* 4. exclamat Blepsidemus, ut Πενίαν, i. *Paupertatem* ad se accedentem abigat,

> ὦ τύμπανα καὶ κύφωνες, οὐκ ἀρήξετε;
> *ô tympana &* cyphones *non succurretis?*

Et eandem *Sc. seq.* Chremylus amandat εἰς τὸν κύφωνα. Sic in Luciani Νεκυομαντείᾳ, inter Inferiorum supplicia sunt τροχοὶ, καὶ κύφωνες καὶ τροχοὶ, *tormenta & cyphones & rotæ.* Definitur porro *Cyphon* ab Aristophanis Scholiaste, Δεσμὸς ξύλινος, ὃν οἱ μὲν κλοιὸν ὀνομάζουσι, οἱ δὲ κηλίον (Suidas scribit κηλιδών) Diciturque eidem à verbo κύφειν, quòd, qui in his vinculis erant, *incurvari* cogerentur, sicque duplici pœnâ multarentur; dum & collum premebatur, neque illi se erigere ullo modo poterant. Alii ligna damnatorum cervicibus imposita, ne possent sursum aspicere, definiunt. Hesychius βασανιστικὸν κολαστήριον, ᾧ κατέτεινον τοὺς θανάτῳ κατακριθέντας, *lignum tortorium & pœnale, quo morti addictos extendebant* &c. Porro Κύφων non lignum solùm tortorium, sed & reum hac pœnâ dignum significabat. Scholiastes ubi suprà, ἔνθεν καὶ ὁ πονηρὸς ἄνθρωπος κύφων, *Unde vir scelestus vocatur Cyphon.* Quo ipso sensu videntur Seniores usurpasse, Proverbiorum *cap.* 7. *versu* 22. de illo, qui adulteræ lenociniis inescari se & irretiri sinit: ὥσπερ δὲ βοῦς ἐπὶ σφαγὴν ἄγεται, καὶ ὥσπερ κύφων ἐπὶ δεσμούς. Ubi vulgò κύων: i. *canis* legitur. Sed textus de cane nihil habet: כבל enim non *canis* sed *cippi* aut *compedis* genus est; & significare hic videtur κύφωνα, h. e. *virum cippo aut catastâ dignum.* Uti Diogenes de Dioxippo Olympionica dixit, cum ὑπὸ παιδίσκης ἐκτραχηλιζόμενον, *à puella obtorto collo trahi*, apud Ælianum *Var. lib.* 12. *cap.* 58. Quod aptè quadrat in eum, qui *Cyphoni* alligabatur &c. V. Sam. Bochartum *Hierozoici Parte prior. lib.* II *cap.* 56.

Cypria seu *Cypriaca*, Græcè Κύπρια, nomen Carminis, cujus auctor incertus: utpote quibusdam ad Stasinum, aliis ad Hegesiam Salaminium, nonnullis ad Homerum, illud referentibus, ut narrat Photius de Proclo. Homeri certè τὰ Κύπρια ἔπεα esse, negat Herodotus *lib.* 2. ea inprimis de causâ, quòd in Iliade tradiderit, Paridem raptâ Helenâ diu erravisse, nec rectum tenuisse cursum; quum *Cypriorum* conditor dixerit, triduo Spartâ Ilium eundem pervenisse, ventis usum ferentibus & tranquillo mari. Nempe non Cypriacas res aut origines illa Κύπρια tractabant, sed raptum Helenæ & bellum Trojanum, ut ex eod. *libro* patet. Unde & Ἰλιάς μικρὰ, Ἰλιάδος nomine eidem Auctori veniunt: à qua tamen diversa μικρὰ Ἰλιὰς, pars Cycli Epici, quæ Leschi Lesbio ab omnibus tribuitur. Cur igitur Κύπρια seu Κυπριακὰ, illius Poëmatis inscriptio, quærunt Eruditi? Sed Κύπρια, non Κυπριακὰ plerique appellant. Imò non Κύπρια, sed Κυπρία, titulum Poëmatis fuisse, docet Photius; ut intelligi possit Ἰλιὰς, Cypria

bo-

Ilias, quo nomine Poëma citatur à Charisio Sosipatro, ex Lævio vetustissimo Poëtâ Latino, qui illud verterat. Proclo verò *Κυπρία* absolutè titulus Poëmatis fuit, an *ἡ Κυπρία*, quo modo Venerem olim dictam esse, notum. Et Veneris nomen videtur inscripsisse operi auctor, quòd ex Paridis judicio, quo Venus Junoni Minervæque prælata est, raptus Helenæ sit consequutus, quam Venus Paridi promiserat, si victoriam ipsi adjudicaret, eaq; causa belli fuerit Trojani. Certè Dearum certamen eo tempore descriptum fuisse, constat ex fragmentis, quæ hodie supersunt: de raptu Helenæ ex Herodoto jam diximus. Fortasse & à gemino ovo ac Ledæ partu fuerat exorsus: Nam & Dioscurorum historiam carmine illo descriptam esse, scimus ex Grammaticis. Præterea, certamen Dearum & Paridis judicium libro demum II. illius operis narrabatur. Unde Horatius,

Nec reditum Diomedis ab interitu Meleagri,
Nec gemino bellum Trojanum orditur ab ovo.

Quod de *Κυπρίων* vel *Κυπρίας* auctore accipiendum. Lesches enim *μικρᾶς Ἰλιάδ⊙* autor non tam altè repetiit exordium sui carminis. *Κυπρία* ergo, i. *Venus*, fuerit operis titulus: ex quo nomine, retracto in primam syllabam accentu, alii *τὰ Κύπρια* fecerunt. *Κυπριακά* verò, librariorum culpâ irrepsit. Quam in rem V. plura apud Salmasium *ad Solinum pag.* 852. & *seqq.*

Cypria Accubitalia, apud Pollionem *in Claudio*: Mantelia, apud Vopiscum *in Aureliano*: Vela, foribus obtendi solita, in *Epist.* Epiphanii, memorantur. Namq; non solùm mantelium, mapparumq; & accubitalium, sed etiam peristromatum varii generis & aulæorum artificio Cyprus olim nobilitata est, Pollux. V. Salmasium *ad loc. cit.*

Cypriaci Tauri C. qui gibberes, in sylva Gordiani, apud Capitolinum.

Cypriana, annuum festum S. Cypriani, à Carthaginensibus, ad ejus ædem sacram, ante urbem, ad maris littus sitam, solenni cultu celebratum olim: item tempestas insignis ac periculosa, circa id festum in mari fere semper oriri solita. V. Procopium *Vandalic. lib.* 1. *capp.* 20. & 21. Incidit autem natalis B. Cypriani ad diem 18. Kl. Octobr. ante quam tempestatem typhonicam, à qua sibi metuere habent nautæ, rarò in Africa contingere, antiquis nautis observatum est. Unde imminentibus *Cyprianis*, nautæ se discrimini nunquam objiciebant: adeò certi erant fore omnino, ut eâ die tempestas ingrueret. Gordiani tamen Junioris exercitus simili tempestate, sub initium Julii, prope Carthaginem, dissipatus est. Salmasius *ad Capitolinum in Gord.*

Viri celebres.

Cyprianus Carthaginensis, adde: Episcopus, cognomen *Cæcilii* habuit, à Cæcilio, qui eum ad fidem convertit. Opera ejus fol. prodiere per Erasmum Basileæ 1521. 1558. Romæ, 1563. Parisiis per Marcellium 1564. Antverpiæ cum notis Pamelii 1568. 1589. per Sim. Goulartium Genevæ 1593. &c. *Erat ingenio facili, copioso, suavi, & quæ sermonis maxima est virtus, aperto, ut discernere nequeas utrum ornatior in loquendo, an facilior in explicando, an potentior in persuadendo quisquam fuerit*, Sixtus Sen.

Cyprianus, Cisterciensis Mon. in Academia Hispaniæ Complutensi: Ejus extant *in Cap.* 18. *Jobi Commentarii*, ut & *in Canticum Cant.* quos prohibitos esse nisi corrigantur, refert Jamesius. Idem nomen fuit Martyrium cum Justino Nicomediæ passo. Fuit quoque *Cyprianus Vinzibergensis*, in Africa Antistes, & *Cyprianus Pictaviensis*, apud Martyrem.

Cypriarches, *Κυπριάρχης*, epitheton Nicanoris 2. Macc. *cap.* 12. *versu* 2. V. Dominic. Macrum *Hierolexico*.

Cyprius Lapis, quo adamantes aliæque gemmæ perforabantur olim ac scalpebantur, *adamas* dictus est Plinio, ubi de Siderite adamante: *Nam & ictibus frangitur & alio adamante perforatur, qui è Cypro venit.* Et Solino *cap.* 52. ubi de adamantibus, *Plerique etiam alio adamante perforantur.* A' duritie nempe, ut ferrum ipsum *ἀδάμας* ab eadem ratione appellarunt. Fuit is autem ex cotium genere, aut coti similis quo gemmæ, ferri scalpturis resistentes, scalpi solebant & perforari: ut vel signaculis faciendis inservirent, vel ad monilia insererentur & collo suspenderentur. In ejus locum postea Armeniæ cotes successerunt. Plinius *lib.* 36. *cap.* 7. *Signis è marmore poliendis, gemmisq; etiam scalpendis atq; limandis, Naxium diu placuit ante alia. Ita vocantur cotes in insula Cypro genitæ, vicere postea ex Armenia invectæ.*

Cyprum, V. suprà *Cuprum*.

Cyprus, pro *Cyrtho*, Syriæ Urbe, apud Capitolinum in *Marco*.

Cyrbasia, Pileus altus, in formam coni fastigiatus. Dionysius, *Πίλους ὑψηλοὺς εἰς σχῆμα συνηγμένους κωνοειδῆ, οὓς Ἕλληνες κυρβασίας καλοῦσι*, *Pileos altos in formam coni coeuntes, Græci Cyrbasias dicunt.* Ad quos respiciens Varro ait, *Tutulati dicti, qui in sacris capitibus habere solent, ut metam.* Cujusmodi pileos Sacerdotum fuisse, dictum alibi, V. suprà in voce *Apex*, atque infrà, in *Tutulus*. Alanorum item, Isidor. *Eminent apicibus fastigatis Alani.* Nempe *Κυρβασία* propriè tiara Persica: Hesychius, *τιάρα, ἡ λεγομένη κυρβασία*. Et quidem cum vulgus ferebat, inflexam & incurvam, seu *ἐπικεκλιμένην*: rectâ verò & fixa, *κατεστηκυῖαν*, soli Regi conveniebat. Unde Herodotus de Scythis Sacis, *Σάκαι δὲ οἱ Σκύθαι περὶ μὲν τῇσι κεφαλῇσι κυρβασίας εἰς ὀξὺ ἀπηγμένας ὀρθὰς εἶχον πεπηγυίας*. Et Hesychius idem, *Ταύτην δὲ οἱ Πέρσαι βασιλεῖς μόνοι ὀρθὴν ἐφόρουν*. Aristophanes quoque *in Avibus*, ubi gallum gallinaceum, quasi Regem, ait gestare insignia Regia Persica, cristam suam, quam vocat ibi *κυρβασίαν ὀρθήν*. E' quo loco obiter discimus, Regiam tiaram fuisse paulo remotiorem à fronte, &, quà media frons est, exacutam magis & in mucronem fastigiatam. V. Car. Paschalium *Coronarum lib.* 10. *cap.* 2. & Salmasium *ad Solinum pag.* 556.

Cyrenaica, adde: Græcis *ἡ Κυρηναία*. Theophrastus, *ὃ δὲ θύον καὶ παρ' Ἄμμωνι γίνεται, καὶ ἐν τῇ Κυρηναίᾳ*; ubi *Cyrenaicum*, aliàs *Libycum thyum*, citrum est, è qua arbore Templorum vett. contignationes fuisse in Cyrenarum urbe, idem refert. More Græcorum *Cyrenaicam* dixit Solinus *c.* 38. *Circa Corycum Ciliciæ crocum plurimum optimumq; : dat dein Sicilia, dat Cyrenæa, dat & Syria, hoc primum est.* Incipiebat autem illa à Syrti majore, aræque Philænorum limitem ejus faciebant & Carthaginensium ditionis, h. e. Africæ minoris. In ea porro nulli montes, agri interior pars frugibus bona, flores laudatissimi, ora arboribus ferilis, mox 30. m. p. latitudine, & 250. longit. laseris modò ferax, (quòd jucundi odoris & gustu suave, magnas olim incolis opes afferebat) praedicatur Ariano *in Indicis*. V. Salmasium *ad Solinum passim*, inprimis *pag.* 318. & 1024. De lasere verò *Cyrenaico*, infrà suo loco: ut & de nummis Cyrenensium, suprà in voce *Battus*.

Cyrenaici, adde: Voluptatem autem eam intelligebant, non quæ in doloris privatione atq; animi tranquillitate consistit; sed quæ sita est in confluxu voluptatum particularium, quas quidem etiam in animi voluptatibus sitas esse confitebantur, sed præcipuè tamen ponebant in corpore. Postea divisa secta est in *Hegesiacam*, *Anniceriam* & *Theodoriam*, ab Auctoribus sic dictas. Qui omnes cùm in opinione de Summo Bono, modò relatâ, consentirent; Physicam etiam aspernarentur velut obscurâ & incertam: in aliis tamen abiere in diversum. Et quidem Theodorii opiniones de Diis omnes tollebant, ac sapientem ajebant tempore & loco opportuno etiam adulterium & sacrilegium commissurum, sineque pudore publicè cum scorto congressurum. Unde Cicero *de N. Deor. lib.* 3. *Afinis ex Aristippi schola prodire*, dixit. V. Vossium quoque *de Historicis Græcis lib.* 1. ut & Georg. Hornium *Histor. Philos. lib.* 3. *cap.* 17.

Philosophorum Sectæ hujus successio.

Aristippus, Socratis discipulus novam hanc hæresin condidit: vir *πολυλήϊστ⊙*. Eum excepit
Arete filia, à Patre edocta.
Aristippus II. Aretes fil. *μητροδίδακτ⊙* dictus, quòd à matre Philosophiam esset edoctus.
Theodorus cognom. *Ἄθε⊙*, Theodoriæ Sectæ conditor. Sed & Aristippus Senior duos alios discipulos habuit, Ptolomæum Æthiopa & Antipatrum Cyrenæum: quorum hunc audivit Epitimides Cyrenæus: hunc Parebates: istum
Hegesias, cognom. *Πεισιθάνατ⊙*, & Anniceris, à quo Plato est redemtus. Ab Hegesia & Anniceri *Hegesiaca* & *Anniceria* Secta nomen invenit, de qua posteriore V. inprimis Strabonem *lib.* 18.

Cyrene, urbs, adde: Urbs *docta* audit, apud Statium *lib.* 5. *Sylv.*

Quo non Munychiæ quidquam præstantius arces,
Doctaq; Cyrenes, Spartæq; animosa creavit.

Utpote doctissimorum hominum nutrix ac genitrix, ut ex præcedentibus videre est: inter quos Callimachus nominari insigniter meretur. Cujus utinam vel illæ solæ tabulæ extarent, quibus 120. libris celebrium in omni doctrina Virorum *Vitas* & *Scripta* adnotaverat, ut scribit Suidas. Veterum ex eadem urbe Scriptorum gloriam, reposuit Christianis temporibus Synesius: cui certè auctori paucissimi ex omni antiquitate præponendi videntur, qui quidem materie aut genere scriptionis illi comparari ullatenus possint. Casp. Barthius *Animadvers. ad Statium d. l.*

Cyrene, Gr. *Κυρήνη*, urbs Galliæ à Massiliensibus condita, vulgò *Courens*, vel *Corrent*, ad amnem Argenteum. Hadr. Valesius, in voce *Massilia*.

Cyreschata, Græcè *τὰ Κυρέσχατα*, urbs Persica fuit, in ultimis Sogdianæ finibus, ad Jaxartem fluv. (quem *Tanain* vocabant Macedones postmodum) condita à Cyro, qui ibi metâ expeditionum suarum positâ, urbi inde nomen dedit, quasi dicas *Κύρου πόλιν ἐσχάτην*, *Cyri urbem ultimam*. Quemadmodum & Alexander, *Ἀλεξάνδρειαν ἐσχάτην*, *Alexandriam ultimam*, eodem ferè in loco condidit, *Κυρεσχάτων* destructis. Occurrit vox apud Ammianum *lib.* 23. *Hic inter alia oppida celebrantur, Alexandria & Tribatra & Cyreschata metropolis.* Ad fines Persidis conditam fuisse, tradit Stephanus, *Κύρου πόλις, ἣ καὶ Κυρέσχατα καλεῖται*, *πόλις κειμένη ἐπὶ τοῖς ἐσχάτοις τῆς Περσίδ⊙*. Sed corrigit eum Strabo *lib.* 11. *ὅρους τῆς Περσῶν ἀρχῆς*, *termini Imperii Persici*, eam fuisse tradens. Non enim in Perside fuit, particulari illa Persarum regione, quam *ἡ Περσίδ⊙* nomine semper intelligunt Græci: sed in altera extremitate Persarum Imperii, in finibus sc. Sogdianorum. Interim rectè Stephanus *Κυρέσχατα* & *Κυρούπολιν*, i. *Cyropolin*, eandem facit, contrà quàm Ptolomæus, illas diversas statuens, *Κυρέσχατα* in Sogdiana, Cyropolin inter Mediæ urbes recenset. Arriano certè & Cur-

& Curtio *Cyropolis* dicitur, quæ Κυρέσχατα aliàs ad Jaxartem. Quam in rem V. Salmasium *ad Solinum pag.* 791. & 1193.

Cyriaca, Gr. Κυριακή, h. e. *Dominica*, nomen ædis sacræ, apud Walafridum *de Exord. & Incr. Eccl. cap.* 7. unde Germanorum *Kirchen*. Item nomen urbis Calabriæ Hieracensis: *A.* 986. *Comprehenderunt Saraceni, sanctam* Chiriachi *civitatem & dissipaverunt Calabriam totam, Chron.* Lupi Protosp. apud Dominic. & Car. Macros in *Hierolexico*.

Cyricetum, V. suprà *Cyricetum*.

Cyrillus, natione Græcus, Constantinopoli oriundus, ut quidam, Montis Carmeli Monachus Trithemio & P. Lucio. (Facessat tamen, inquit Baronius, istiusmodi fabella de Monachismo ejus) Archiepiscopus Alexandrinus, σύγχρονος Ambrosio. Claruit 432. in Conc. Ephesino, Sixto Sen. & Morneo: A. 370. in Syria, Bellarmino 431. Obiit A. C. 444. Ciacconio & Pareo. Ejus opera in fol. prodierunt Lat. Basileæ A. C. 1566. & Parisiis A. C. 1573. Gr. Lat. fol. Antverpiæ A. C. 1618. Tomis 6. fol. Parisiis A. C. 1632. 7. Volum. Joanne Auberto interprete, fol. ibidem A. C. 1618. &c. Μέγας ὁ τῶν λογάδων συνήγορος Magiro: *Athanasio, Basilio, Gregorio Naz. Nysseno & Chrysostomo par*, Leoni Imp. Σφραγὶς τῶν πατέρων, Athanasio: *Vir ingenii excellentissimi, & in omni doctrinarum genere instituti, Catal.* Test. Ver. De *Cyrilli Anathematismis*, V. Gerh. von Mastricht. *Histor. Juris Eccles. num.* 79.

Cyrnus, apud Silium Ital. *lib.* 16. ubi de Ludis Scipionis Equestribus in Africa celebratis, unus erat ex quatuor Agitatoribus, cujus quadriga prima exiit, solo *Lamponis* equi funalis sinistri nomine indigitata Poëtæ:

Evolat ante omnes, rapidoq; per aëra cursu
Callaicus Lampon fugit ——

Cujus rei rationem dicemus infrà, ubi agemus de Equis *Funalibus*.

Cyrographi Thyni, apud Catullum, sunt annuli Thyni signatorii, sculpturæ Bithynicæ, tales enim celebres erant ac nominati. An pro *Chirographis*; quemadmodum *Cyragra*, pro *Chiragra*, in vett. libb. *Cyras*, pro χεῖρας, apud Isidorum, in vetustissimis membranis: An pro *Cerographi*, q. ceram imprimentes & signantes? Salmas. *ad Vopisc. in Aureliano*. V. quoq; suprà in *Cirographi*.

Cyropolis, apud Plinium *lib.* 5. *cap.* 26. regio Persidis maritima est, *Persæ Rubrum mare semper accoluere, propter quod sinus Persicus vocatur. Regio ibi maritima Cyropolis*. Sed nulla ibi Persidis maritima regio hoc nomine unquam fuit; nec quidquam juvat *Regiam*, pro *Regione*, reponere: *Cyropolis* enim non fuit Regia Persidis, sed eadem cum *Cyreschatis*, de quibus dictum suprà: ubi etiam, quid Plinium in errorem induxerit, videre est.

Cyrrhas, nomen morionis, apud Martialem *lib.* 6. *Epigramm.* 39.

Hunc verò acuto capite & auribus longis,
Quæ sic moventur, ut solent asellorum,
Quis morionis filium neget Cyrrhæ?

Cyrtiadæ, Græcè Κυρτιάδαι, locus Atticæ ad Acamantidem tribum pertinens. Hesych.

Cyrus, adde: Nomen linguâ Persicâ *Solem* significare, scribit Plut. ut omnino ex Hebr. חרס descendat, à qua radice *Ceres* Ἔρως, Ἄρης, *Osiris*, *Heros*, *Horus*, *Iris*, aliaque derivat Georg. Hornius *Hist. Philos. lib.* 1. *cap.* 6. Nec difficile est conjicere, quo mori pastores *Cyri* nomen Spaco indiderint. Justinus enim scribit *lib.* 1. *Mox Rex inter ludentes forte delectus*. Nimirum summam inter rusticos virtutis opinionem obtinebat: qualibus in Oriente à planetis, Sole inprimis, nomina frequentissimè indita sunt &c.

Cyrus, fil. Apollonii, Medicus insignis, cujus memoriam servat *Inscr.* Lampsaci (quæ ejus genitale solum erat) hodieq; superstes:

Η ΓΕΡΟΥΣΙΑ
ΚΥΡΟΝ. ΑΠΟΛΛΩΝΙΟΥ. ΑΡ-
ΧΙΑΤΡΟΝ. ΑΡΙΣΤΟΝ. ΠΟΛΕΙ
ΤΗΝ. ΕΠΙΣΗΜΟΝ. ΠΡΟΣ. ΠΟΛ
ΛΟΙΣ. ΕΥΕΡΓΕΤΗΜΑΣΙΝ. ΕΙΣ
ΑΥΤΗΝ. ΑΛΕΙΨΑΝΤΑ. ΛΑΜ
ΠΡΩΣ. ΚΑΙ. ΠΟΛΥΔΑΠΑΝΩΣ.
ΚΑΙ. ΑΣΥΓΚΡΙΤΩΣ. ΚΑΙ. ΑΠΟ
ΧΑΡΙΣΑΜΕΝΟΝ. ΧΕΙΛΙΑΣ. ΑΤ
ΤΙΚΗΣ. ΤΗ. ΓΕΡΟΥΣΙΑ.

An idem cùm *Cyro*, Liviæ Drusi uxoris Medico, cujus meminit alia *Inscr.* Florentiæ extans,

CYRUS
LIVIÆ DRUSI CÆS
MEDIC.

Videtur omnino: cùm non aliis Principes Romani Medicis libentius uterentur, quàm è Græcia accersitis. Jac. Sponius *Itiner. Part.* 3. *pag.* 92.

Cyrus, fluv. adde: Cùm Coro à Strabone confunditur, cùm *Cyrus* in Caspium, Corus in Persicum mare, se exoneret. Salmasius *ad Solinum pag.* 1193. V. suprà in voce *Corus*.

Cythara, mel. *Cithara*, sæpe cum Lyra confunditur, ut apud Athenæum *lib.* 14. videre est: sed quantum ab ea differat, doctè Scaliger *in notis ad Sphæram Barbaricam Manilii* docet. Vetus Lexicon: *Cithara pectus Doricâ linguâ dicitur. Inde Cithara dicta, quòd initio creditur similis fuisse humano pectori; Aut, quia sicut à pectore, ita ex ipsa, cantus vel melodiæ eduntur.* Et certè Veteribus superior pars thoracis usque ad jugulum ita appellabatur, sicut & Chelys. Hieronymus scribit literam Δ. retulisse, sed variæ illius fuere species. Illam, sicut & cætera instrumenta Musica, Syris debere originem, arbitrantur Eruditi, Straboq; *lib.* 10. instrumentis plerisq; nomina barbara esse dixit, sicut Νάβλα καὶ Σαμβύκη καὶ Βάρβιτος καὶ Μαγάδις. Ita ergo *Cithara*, ab Hebr. כתר derivari videtur, quod *circulum*, *ambitum* denotat, sicut concavum *Cithara* esse solet: Mentio Danielis c. 3. sicut ibidem סבכא *Sabbeca*, Sambucam refert. *Abub* tibiam, unde Ambubajæ: *Nebel* Nablium &c. Pythagoreos tibiâ vel *Citharâ* commotos animos & ad vitia inclinantes mitigasse, ac ad meliorem frugem deduxisse, prodidit Hermogenes περὶ ἰδεῶν. V. & suprà in voce *Citharœdi*.

Cythera, adde: *Proveditorem* ibi Veneti habent, & arcem; unde sereno cœlo Candia Ins. prospici potest. Medio itinere exigua Ins. est *Cerigoto*, ad Nobilem Cythereum *Macarioti* pertinens, in qua nihil præter sylvestres capras In ipsa verò *Cythera* generosæ vites, & probæ notæ falcones, præter alia, leporum, coturnicum, turturum inprimis vim ingentem, reperiuntur Ibidem regiæ Menelai rudera, & rupem in cameram excavatam, quam *Balneum Helenæ* incolæ vocent, ostendi refert Jac. Sponius ubi suprà *Part.* I. *pag.* 164.

Cytheriaca Concha, apud Martialem *lib.* 2. *Epigramm.* 47.

—— —— *fuge retia mœcha,*
Levior ò conchis, Galle, Cytheriacis.

Eadem cùm *Concha Erycina*, Propertii: quam vocem de conchis puellarum accipit Rigaltius; alii de *Conchis*, aliàs *Veneriis* dictis, de quibus suprà. V. quoque Hadr. Junium *Animadversion. lib.* 5. *cap.* 7. & suprà ubi de *Concha Veneria*.

Cytherum, Græcè Κύθηρον, locus Atticæ, ad Pandionidem tribum pertinens, Philoxeni Poëtæ patria, de quo V. Diodor. Sic. *lib.* 14. Jac. Sponius *Itiner. Part.* 3. *p.* 150. ubi hanc *Inscr.* Venetiis superstitem adjicit,

ΕΠΙΚΤΗΣΙΣ ΟΝΑΣΟΥ ΚΥΘΗ
ΡΙΟΥ ΘΥΓΑΤΗΡ.

Cythisus, genus fruticis in Cythno Ins. primùm reperti. V. infra *Cytisus*.

Cytinium, adde: Imò, una ex quatuor Doricis urbibus, quæ *Tetrapolis* nomine olim insignes, metropolis fuere omnium Dorum. Strabo *lib.* 9. Καὶ μέντοι Δωριεῖς οὗτοι μὲν ἦσαν οἱ τὴν Τετράπολιν οἰκήσαντες, ἥν φασιν εἶναι μητρόπολιν τῶν ἁπάντων Δωριέων. Nomina illarum, *Erineum*, *Boium*, *Pindus*, *Cytinium*. E quibus Cytinium, cum *Erineo*, vicina oppida Parnasso monti agnoscit Strabo *lib.* 10. V. Casp. Barth. *Animadvers. ad Papinium Statium lib.* 4. *v.* 753.

—— *nos ferro meritas exscindere Thebas* &c.

Cytisus, Græcè Κύτισος, frutex est ab Aristomacho Atheniensi, miris laudibus prædicatus *pabulo ovium, aridus verò etiam suum: spondetq; jugero ejus annua H-S. M. M. vel mediocri solo reditus — Non ex alio pabulo lactis major copia aut melior — Apes quoq; nunquam defore* Cytisi *pabulo contingente, promittunt Democritus & Aristomachus — Canus aspectu brevitérq; si quis exprimere similitudinem velit, angustioris trifolii frutex — inventus est in Cythno insula, inde translatus in omnes Cyclades, mox in urbes Græcas, magno casei proventu — Non æstuum, non frigorum, non grandinum aut nivis injuriam expavescit. Adjicit Hyginus, ne hostium quidem, propter nullam gratiam ligni*, Plinius *lib.* 13. *cap.* 24. Interim adsita necat, sed ab halimo necatur, Salmasius *ad Solinum pag.* 173. Coronis quoque olim attributum, inde videtur colligi, quòd violæ sociatur, apud Ovidium *Metam. lib.* 13. ubi facit Chlorim loquentem,

—— —— *volucres ego mella daturas*
Ad violam & cythisos, & thyma grata voco &c.

V. Car. Paschalium *Coronarum lib.* 3. *cap.* 16.

Cytorus, adde: Unus fuit ex quatuor pagis, ex quibus Amastris composita, ab Amastride Dionysii Tyranni Heracleæ uxore, Darii sorore, quem devicit Alexander. V. Salmasium *ad Solin. p.* 189. & suprà in voce *Amastris*.

D.



Adde: Ex ד. *daleth* Hebr. inverso Δέλτα factum Græcorum, è quo rotundato *D.* effictum. Quòd enim Scaliger rotundiorem hanc figuram Romanorum, figurâ Græcorum triquetrâ antiquiorem esse, ex Farnesiana viæ Appiæ columna contendit, in assensum non pertrahit Vossium, qui sub Marco demum & Pio Antoninis monumentum illud ab Herode Attico extructum esse docet. Nec *D.* sed *IC.* quingenta significasse; pro quibus imperiti *D.* scripserint, vult Franc. Gouldmannus *in Lexic. Latino Gr. Anglico.* In notis antiquorum *D. Divus*, vel *Decimus*, vel *Devotus* vel *Diebus* vel *Dimidius*, vel *Dedicavit*. *D. A.* denotat *Divus Augustus*: D. Æ. *De ærario*. *D Aug. Divo Augusto*: D.B.M. *Diis bene merentibus*, D.C.P. *datum C.P.* in *extr. præf. Instit.* apud Calvin. *Lexic. Jurid.* D. C. S. *de Consilii sententia*: D. D *Decimus* vel *Dedicatio*, V. Cal ex Magn. Sig. D. M. *Deorum Manium*, uti in antiquis libris Plinii ubi de anagogitide gemma, *lib.* 37. *c.* 11. scriptum esse, unde alii *Deorum* fecerint, monet Salmasius *ad Solin. pag.* 1091. &c.

DA.

Daa, adde: Eorum regionem à mari Caspio incipere, & Orientem versùs tendere, Auctores tradunt; ipsi verò cum Bactrianis subjugati ab Alexandro M. Græciæ demum innotuerunt. Græcè Δααι & Δαοι, unde servi in Comœdia nova Attica Δᾶοι, Latinè *Davi* dicti sunt. Verisimile enim est, Alexandrum, gente hac subjugatâ, frequentes in exercitu suo inde loci fecisse servos, ac postea in Græciam eorum nomen & usum translatum fuisse. Unde apud Menandrum, Apollodorum, alios, qui post Alexandri M. ætatem fabulas in scena dictaverunt. *Davi* & *Getæ* frequentia servorum nomina sunt: cùm in vet. Comœdia, Ξανθίαι, Λυδοί, Φρύξ, Τίβιος & alia hujusmodi nomina iis imposita legantur. Apud eosdem *Daas*, Callainam gemmam nasci, habet Plinius *lib.* 37. *cap.* 8. V. plura de iis, apud Salmasium *ad Solinum pag.* 796. & *seqq.*

Dabuh, Arabibus hyæna dicitur, sicut *Jesef* Afris, de cujus animalis natura & captura apud Turcas, habes apud Busbequium *in Epistolis Legat.* ut & infrà, in voce *Hyæna*.

Dachareni, adde: Aliter *Nabatæi*, quibus nomen fecit Nabajoth, fil. Ismaëlis primogenitus; ut secundus Cedar, Cedarenis: quæ ambæ gentes conjunguntur Esaiæ *cap.* 60. *vers.* 7. *Omnes oves Cedar congregabuntur ad te, arietes Nebaioth tibi servient*: utpote rei pecuariæ famâ celeberrimæ. Extulerunt autem sese *Dacharenorum*, h. e. ἀρσενικῶν, seu *masculorum* nomine Nabathæi usque adeò, ut hodieque intima Deserti sui *Phelath midsjhar*, id est, *desertum masculum*, vocent Arabes, tanquam solis maribus penetrabile. Bochartus *Hierozoici Part. prior. Lib. II. cap* 48.

Daci, adde: Eorum uxores notis compungi consuevisse, ex Val. Flacco constat, & Phanocle, his versibus, de Thracum gente,

Ποινὰς δ' Ὀρφῆι κταμένου ἄλοχοι γυναῖκες
Εἰσέτι νῦν, κείνης εἵνεκεν ἀμπλακίης.

tabi, ob Orphei necem, in pœnam id factum, ait. Imò & Daci ἀνδρες, si Plinio fides, *lib.* 22. *cap.* 1. *maresq; etiam apud Dacos corpora sua inscribunt.* Quam in rem V. Salmasium *ad Solinum pag.* 38. & 39. Apud eosdem, honoratiores pileatos, viliores verò comatos, fuisse, docet Petrus Patricius *de Legationibus*, V. quoq; in vocibus *Comati* & *Pileati*. Quòd verò *Daci* Græcè Δακοι, iidem fuerint qui Δάοι antiquis, negat idem Salmasius, variis rationibus allatis, quas videre est ubi suprà *pag.* 795.

Dacia Aureliana, ab Aureliano Imp. nomen accepit. Vopiscus in *Vita* ejus, *provinciam trans Danubium Daciam, à Trajano constitutam — reliquit — abductosq; ex ea populos in Mœsiam collocavit, appellavitq; suam Daciam, quæ nunc duas Mœsias dividit*: Quod ipso vivo tantùm obtinuit. Hanc postea recentiores in duas provincias diviserunt, feceruntque *Daciam mediterraneam*, quæ interior esset longiusq; à Danubii ripa remota: & *Ripensem*, quæ ad ripam Danubii attingeret. V. Salmasium *Not. ad h. l.*

Daciciani Milites, apud Treb. Pollionem *in D. Claudio*, *cum faciant à Grato & Herenniano placari, nescientibus hoc militibus Dacicianis, qui jam sæviunt, ne graviter ferant*: Daci sunt. ut enim *Germanus, Germanicus, Germanicianus*, unde *Germaniciani exercitus*, apud Jul Capitol. *Clodio Albino*: *Pannon, Pannonicus, Pannonicianus*, apud Spartian. *in Severo Imp.* sic *Dacus, Dacicus, Dacicianus*: Salmas. *ad Pollion.* Sed & *Dacisciani*, legi posset, à *Daciscis*, h. e. *Dacis*, quâ formâ populorum nomina efferre tunc solebant. Sic *Dacisci equites*, pro *Dacis*, in libro *Notitiæ*, Salmas. *ad Capitolin. in Maximinis* & *Trebellium l. c.*

Dacnades vel *Dacnides*, Pomponio avium genus, quas Ægyptii inter potandum cum coronis devincire olim sunt soliti, quæque vellicando, morsicandoq; & canturiendo assiduè, non patiebantur dormire potantes Hesychius, Δακνὰς. εἶδος ὀρνέου. Nempe ἀπὸ τοῦ δάκνειν, quod *morsicare* est, nomen accepere. V. Gerh. Joh. Vossium *de Idolol. lib.* 3. *cap.* 44.

Dactyli, Græcè Δάκτυλοι, recentioribus Græcis dicti sunt, quos *balanos palmæ* vocat Plin. *lib.* 13. *cap.* 42. Ita enim propriè appellati palmæ communis fructus; abusivè postea qualibet palmulâ sic nominatâ. Unde hodieq; Ægyptiis arbor δακτυλοφόρος, *dactylifera*, *Dachel* dicitur, quod ex Δάκτυλος deflexum est. Propriè itaq; hujus communis palmæ & Ægyptiæ pomum appellarunt Vett. βαλάνους, recentiores δακτύλους, utrumq; à figura, *prælonga sc. gracilitate*, ut habet idem Plinius *l. c.* quo pacto glans ista palmæ exilior & procerior, ad instar *digitorum*, nomen hoc meritò ferat. At pomum caryotiferæ palmæ citrium malum maximum exæquans formâ & magnitudine, longè ab hac glande & dactyli imagine ac significatione recedit. Qua de re V. Salmas. *ad Solin. p.* 1320. & *seqq.* Nempe δάκτυλος primo significatu *digitus* est: unde *Dactyli Idæi*, & *Digiti Idæi*, iidem, uti infra videbimus. Indidem δακτύλιος, *digitulus*, apud Aristoph. Θεσμοφοριαζ.

Πρὸ τοῦ μὲν οὖν ἦν ἀλλ' ὑποῖξαι τὴν θύραν
Ποιησαμέναισι δακτύλιον τριώβολον.

Ubi voce hac indigitatur digitulus ferreus seu uncinulus, quo in foribus dolo aperiendis fures ac suppilatores hodieq; utuntur, *Lusciniolas* Galli vocant. Dicere nempe volunt fœminæ illæ apud Comicum antequam signacula foribus appenderentur, potuisse se facto digitulo ferreo triobolari subaperire fores, etiam Laconicis clavibus, quæ tamen vaferrimi inventi erant, clausas, & quæ vellent cumq; viris inscii suffurari. Item *annulus*, qui digito inseritur. Unde *Dactyliotheca*, ex Græco Δακτυλιοθήκη, annulorum istiusmodi repositorium; de qua sonat *Epigramma* 123. Martialis *lib.* 14. cui is titulus,

Sæpe gravis digitis elabitur annulus unctis:
Tuta mea fiet sed tua gemma fide.

Cujusmodi *dactyliothecam* primus omnium habuisse privignus Syllæ Scaurus Romæ legitur, apud Plinium *lib.* 37. *cap.* 1. Gorlæi verò *Dactyliotheca* libri nomen est, ut notum: quemadmodum Menandri fabularũ una, Δακτύλιος dicta, memoratur Athenæo *lib.* 6. quam Plautus, cùm vertere vellet, *Condalium* nominavit, à voce prisca *condalus*, i. *annulus*, ex Gr. κόνδυλος, quod *digiti articulum* significat &c. V. Jo. Kirchmannum *de Annulis c.* 1 & de corona è *Dactyli* gramine, Car. Paschalium *Coronarum lib.* 1. *cap.* 15.

Dactylicæ Tibiæ, ad ὑπορχήματα olim adhibitæ, sicut Spondaicæ ad hymnos Deorum, inæqualia habuere intervalla, qualia sunt in temporibus *dactyli* pedis, unde iis nomen. Jul. Cæs. Scaliger *Poëtices lib.* 1. *cap.* 20. Inventum autem *dactylus* Idæorum Dactylorum dicitur Diomedi Gramm. verbis his. *Hi namq; in insula Creta Jovem custodientes ne vagitu se parvulus proderet, lusus excogitato genere, clypeolis æneis inter se concurrantes tinnitu æris illisi, rhythmicâ etiam pedis* dactyli *compositione, celavere vocem infantis.* Quæ causa, quòd Musicæ studium ex Creta Insortum fuisse, vult Solinus *c.* 11. ad quem locum V. Salmas. *pag.* 171. Indidem Δάκτυλος dicta est pars quinta & ultima Πυθικοῦ Νόμου, in quo argumenti ratio ac tractus totus Apollinis pugnam, quinq; partibus constantem, complectebatur; Erant autem illæ Ἀνάκρουσις, Ἄμπειρα, Κατακελευσμὸς &c. postrema Δάκτυλος, à temporum numero; ab imitatione verò sibilantis inter moriendum serpentis, σύριγξ quoque dicta. V. eundem Scaligerum ubi suprà *lib. eod. cap.* 24.

Daduchi, Gr. Δᾳδοῦχοι, Lat. *Faciferi*, & Ἱεροφάνται Δᾳδοῦχοι, *Doctores sacrorum faciferi*, recepta in sacris Cereris seu Thesmophoriis olim vocabula, Jul. Pollux *Onomast. lib.* 1. *cap.* 1. *num.* 31. Sic Calliam Cereris Sacerdotem Δᾳδοῦχον vocat Plut. *Aristide*. Statius *lib.* 4. *sylva* 8.

Tuq; Actæa Ceres, cursu cui semper anhelo
Votivam taciti quassamus lampada mystæ.

Origo ritus ab exemplo Cereris quæ sub noctem quærendæ filiæ laborem, accensâ face exorsa est: unde sive locata sive picta, semper cum face cernitur. Martianus *l. de Nupt.* 2. *In eo sistra Niliaca, Eleusiniaq; lampas.* Et Dianæ Segestanæ simulachrum dextrâ facem præferebat. Lact. Firmianus *lib.* 1 *c.* 21. *Quia facibus ex Ætnæ vertice accensis Proserpinam Ceres quæsisse in Sicilia dicitur; idcirco sacra ejus ardentium tædarum jactatione celebrantur.* Cum istis faculis itaque, luto & furfure obliti currebant, observante Brodæo. Nec unus gestabat facem, sed currentes sibi mutuò tradebant, hoc modo: Unus ab ara facem accensam manu comprehendens, ad certum in templo locum currebat, quò cùm pervenisset, alteri successuro & similiter cursuro eandem tradebat, cum verbis, *Tibi trado*, *Tibi*. Quod tamen non de sacris Cereris tantùm intelligendum; Athenienses enim tria alia festa cum facibus seu lampadibus agebant, Panathenæa, Vulcanalia & Promethea: primusque iis, in

sacrificiis usus Vulcanus fertur, quòd is ignis usum primus reperisset & mortalibus ostendisset, ut scribit Ister apud Suidam in voce λαμπάδ@. Imò in omnium sacerdotum initiationibus, earum usum viguisse, discimus ex Heliodoro *lib. 9.* Interim communior & receptior consuetudo fuit, in Cereris Mysteriis faces gestare. V. Thomam Dempsterum *Paralipom. in Joh. Rosini Antiqq. Rom. lib. 2. cap. 11.* Hinc itaque inter symbola Eleusiniorum sacrorum, *Hierophantæ*, Δᾳδοῦχοι, *Præcones*, Alii, recensentur Clementi Alex. quem laudat Salmasius *ad Solinum*, ubi multa hanc in rem. Atque hi Ministri erant perquam honesti, sicut contrà contemti vilesq; οἱ Μητραγύρται, i. *famuli Idææ Matris*, de quibus V. infrà, in voce *Metragyrtæ*. Plura in voce *Eleusis*. Est autem δᾴς, unde voci origo, propriè τὸ λιπαρώτατον ξύλον, *pinguissimum lignum*, pini & piceæ, id quod, multo unguine piceo imbutum ac plenum, cò cædebatur ad lumina accendenda & faces, in Sacris inprimis, quas inde δᾳδας quoque appellarunt, Salmasius ubi suprà *pag. 505.* Unde & in Nuptiis Δᾳδοφόροι Græcis vocitati sunt, qui cum facibus Sponsam ad lectum usque antecedebant, uti diceimus infra, ubi de *Nuptiis* &c.

Dadus, Alberto Acarisio, qui Latinè *Datus* Gallis *dé*, tessera videtur esse à *dando*, quod qui in scrupulis calculum promoverat, *dare* dicebatur. Ovidius

Tu malè jactato, tu malè jacta dato.

Et Ausonius,

Narrantem fido per singula puncta recursu

Quæ data per longas, quæ revocata moras.

V. infra in *Decius*, item in verbo *Dare*.

Dædala, adde: Cariæ attribuit Ptolomæus, item Demosthenes, *in Bithyniacis*, Δαίδαλα Μαυσωλῶν, ubi Μαυσωλοὶ sunt Cares, uti adnotat Salmasius *ad Solin. pag. 782.*

Dæmon, adde: Vox, quanquam in medio significatu ab antiquis crebro usurpetur, tàm de bonis quàm de malis Geniis seu Angelis, unde Stoici illos definierunt οὐσίας ψυχικάς, *Substantias animales*, apud Plut. *de placit. lib. 1. cap. 8.* tamen contendit Eusebius προπ. *lib 4. cap. 3.* & ex eo Danæus, vocem Δαίμων in malam semper partem sonare, undecunque demum ejus origo arcessatur. Notus parentum primorum error, qui à Satana ad majorem scientiæ gradum affectandum seduci se passi sunt, unde ipse Dæmon simili peccato se perdidisse arguitur. Dicantur ergò *Dæmones*, quasi Δαήμονες, erunt idem quod ידענים Levitici *cap. 20.* Imò ipse Apollo, i. Δαίμων interrogatus, quomodo sibi supplicari velit, respondit,

Πάντοφι, παντοδίδακτε, ἐπολυστροφε, κέκλυθι Δαῖμον.

Et σοφὲ Δαίμων, apud Lactantium *lib. 1. cap 7.* Eandem ob caussam *Dæmonum* inventa Astrologia & Aruspicina & Auguratio & Oracula & ars Magica, ac mille Divinationis species sunt. Interim mavult eos Eusebius προπαρ. *lib. 4 cap. 3.* suprà laudato, à δειμαίνειν i. *terrendo*, nuncupatos, unde & in S. Scriptura שעירים appellantur. Utrumque non sine ratione conjungit Georg. Hornius *Histor. Philos. lib. 1. cap. 2.* ubi plura in hanc rem. Sunt autem *Dæmones*, Mosaicis temporibus jam in Palæstina culti: Namq; Deuteron. *cap. 32. versu 17.* ut grande peccatum refertur, *Sacrificium Dæmonibus factum*, ubi vox in Hebr. est לשדים *Laschedim*, quam LXX. reddunt δαιμονίοις, Vulgata similiter, item Vatablus, Junius, alii, *Dæmonibus* vel *Dæmoniis*: origo est à שדד *abolevit, perdidit, vastavit*. Levitici quoque *cap. 17. versu 7.* interdictum reperitur, Ne sacrificetis לשעירם *Laschirim*; ubi LXX. vertêre ματαίοις, h. e. *vanis, futilibus*, sive *non Diis*. Sed Aquila magis institit vocis proprietati: reddidit enim τριχωτοῖς, uti Ar. Montanus *pilosis*: quia hirsuti sunt sordidique. Et certè per *hircos* hos etiam *Dæmones* intelligunt R. David Kimchi *Radic.* & Maimonides *More Nevochim lib. 3 cap. 47.* causam adferentes, quia Satanas præcipuè in hirci figura se hominibus soleat offerre. Unde Gentiles & inter Numina retulere Faunos sive Ægipanas: pro quo *Capripedes Panes* ait Propertius *lib. 3 Eleg. 17.* uti *Capripedes Satyros* Lucretius *lib. 4.* Nec sanè alii ab his Sileni &c. Ex Gentium Scriptoribus, apud nullos de Spirituum cultu tam multa reperias, quàm apud Platonicos, quorum opinio erat, *Spiritus procurari certis precationibus*, ut habet Apulejus *de Deo Socratis*. Sed in quæstione est, utrùm bonos coluerint Spiritus, an malos: Et certè, quin propositum iis fuerit bonos venerari, nullum est dubium; sed præ bonis se mali Spiritus oggesserunt. Boni enim cultum ejusmodi, ut Deo proprium, aversabantur: & agnoscit Porphyrius, eos, quibus sacrificarent, libamine carnium delectari, imò fumigatione nidoreve vivere ac pinguescere; quæ ridicula quidem sunt, interea tamen, cujusmodi coluerint Spiritus, ostendunt &c. Spiritus quoque illos, qui Delphico & cæteris oraculis præsiderent, malos fuisse, hinc conspicuum est, quòd ludos, lectisternia & alia, nunc Jovis, nunc Apollinis, nunc alius Numinis honori, exegere. Quò spectat & μυστικὴ Vett. θυσία, *mysticum* sive *arcanum sacrificium*, sic enim in Christianorum opprobrium (quibus ita Eucharistiæ Sacramentum dicitur) nominarunt abominandum sacrificium suum; quantum colligere est ex sermone illius Thracis, apud Michaëlem Psellum *de operat. Dæmon. pag. 18.* Quo in sacrificio quandoq; etiam mactabatur (dictu horrendum) infans materno exsectus utero, uti legas apud Baptistam Carmelitam *in vita S. Catharinæ*, & multo jam antè apud Lucanum, *lib. 6.*

Vulnere si ventris, non quo Natura vocabat,

Extrahitur partus, calidis ponendus in aris &c.

Sed & hodie in Oriente Calecutenses, Deum quidem Mundi conditorem agnoscunt, *Temerani* eum appellantes; interim eum ajunt, quò curæ expers mundanæ suavius vitam ageret, Vicarium Orbi regundo præfecisse *Dæmonem* nomine *Deumum*: cujus simulachrum quàm horribile habeant, & quomodo Sacerdotes, qui illis *Bramini* dicuntur, sacra faciãt, legere est apud Lud. Vartomannum, Patricium Romanum *Navigat. lib. 5. cap. 2.* Japonii etiam *Dæmoni* fana extruunt luculenta, cui Reges illorum in prœlium ituri magnam pecuniæ vim vovent, vota etiam plebeii, in periculo constituti simpliciter faciunt. Similis cultus in India Occident. ubi Mexicanis nulla quidem solicitudo alterius vitæ est: pro bonis tamen temporalibus *Dæmoni* supplicant: tum etiam, ne noceat saltem, Acosta *rerum American. lib. 5. cap. 27.* De Tapujis V. infrà, aliisq; gentibus ejusdem Indiæ, apud Vossium *de Idolol. Lib. 1. cap. 8.* Addam tantùm ex medio ævo, de Saxonibus priscis, & illis *Dæmonas* fuisse cultos. Iis namque, ante tempora Karoli M. præter Finnum Deum & Deam Sibam, malus Deus, quem *atrum* ajebant, colebatur, ne noceret, ut est apud Georg. Fabric. *Orig. Saxon lib. 1.* Similiter Ungaris eandem superstitionem fuisse, legimus: quorum etiam Rex Vata, in Belo oppido natus, se iis devovit, honori illorum caput more Scythico rasit, tres cincinnos pagano ritu pendulos demisit, ut hodieq; Turcis est consuetudo, V. Anton. Bonfinium *Ungar. Lib. 12.* Atque hic apertus *Dæmonum* cultus est; præter quem alter est, usq; adeò occultus, ut ipsi, qui eum colunt, nesciant: ac propterea vel mortem potiùs opperant, quàm ut hujusmodi quid profiteantur. Tales nempe qui, multa vident esagere alios ex pacto cum Diabolo, ea ipsi citra pactum, saltem expressum, imitantur; sic quoque respondente eventu: Item, qui ista ab aliis pacti nescii didicerunt, ac tam miranda fieri putant, non vi dæmoniacâ, sed Naturæ: quippe longè potentioris, quàm vulgò credatur. Quò referendi, qui res vim humanæ potestatis exsuperantes agunt verbis aut characteribus quibusdam ignotis, quibus fortasse Diabolorum nomina & eorum invocationem signavere illi, qui primi illis ex pacto cum Dæmone usi sunt. Plin. *lib. 28. c. 1. Dixit Homerus profluvium sanguinis vulnerato femine Ulyssem inhibuisse carmine; Theophrastus ischiadicos sanari; Cato prodidit, luxatis membris carmen auxiliari, M. Varro podagris.* Unde Vindicianus Com. Archiatrorum, ad Valentinianum Imp. apud Marcell. Empir.

Gramine seu malis ægro præstare salutem,

Carmine seu potiùs. Namq; est res certa, salutis

Carmen ab occultis tribuens miracula rebus.

Nec ignotæ sunt Magicæ medendi formulæ, inter quas *Abracadabra* inprimis (unde Basilides suum *Abraxas*, quem pro summo Numine coluit, hausisse videtur) apud Cœl. Aurelianum *in Chron. cap 1.* Myrepsum *sect 2. antidot. 298 405. 419. & alibi* ac apud alios, sed hac de re plura V. apud Vossium *ubi suprà*, adde Barth. *Animadvers. ad Statium* passim. Hinc *Dæmoniaci*, apud Agobardum *Epist. ad Barth.* iidem, qui aliàs *Energumeni*, Δαιμονιζόμενοι Nicetæ *in Isaacio Angelo*: πνευματιζόμενοι ὑπὸ δαίμον@, Straboni: χειμαζόμενοι, in Concilio Ancyr. *can 16.* h.e. *tempestate jactati*, uti reddidit Isidorus Mercator; quo loco Cellotius *Hierarch. lib 6. c. 19. § 1* Χειμαζομένους censet esse *pœnitentes*, qui extra Ecclesiam stabant, pluviæ & hyemi obnoxii, in quos tempestates & aëris injuriæ omnes depluebant. Sed Pœnitentes, etsi extra Ecclesiam, stabant tamen sub porticu, non sub dio, uti apud Car. du Fresne videre est.

Dagascalci, seu *Dagescalci* inter ministros Monasteriorum, *foris ubiq; per villas positos*, recensentur, in *Charta* Henrici IV. Imp. A. C. 1116. apud Zyllesium.

Dagon, adde: Qui piscis habuisse formam idolum hoc volunt, Rabbinis Doctoribus usi dicunt, ab umbilico deorsum versus piscem, sursum hominem extitisse, quod colligunt ex 1. Sam. *cap. 5. vers 4.* sicq; per hunc Deastrum Philistæorum Neptunum vel Tritonem intelligunt. Et certè si verum est, quod de Oanne animali bicipite, ex mari Erythræo emerso & Babylonem quotidie perveniente, ubi omnifarias artes, literas, agriculturam, ædium constructiones, architecturam & leges Politicas homines docuerit, occidente verò Sole in Oceanum reverti solito, Berosus, Apollodorus & Polyhistor referunt, probabile est Satanã in forma piscis apparuisse hominibus, & ut divinitatis sibi conciliaret Famam, magnam eruditionem ac sapientiam præ se tulisse, unde tandem sub *Dagonis* nomine cultus, & *Adardag.* id est, *magnificus Dag* dictus est. Certè non absimili modo Triton describitur,

Frons hominem præfert, in piscem desinit alvus.

Pierius *Hieroglyph. lib. 1. cap. 28.* Secundùm Vossium conjectura suo is continebat tum Lunam sive Lunum, ut principium activum; tum Mare, ut passivum. Ratione prioris maximum erat Numen Hebræis, ac similiter LXX. Hinc & Sanchoniathonis Interpres Philo, apud Eusebium *Præpar. lib. 1* Δαγὼν ὅς ἐστι Σίτων, *Dagon qui est Siton*, ubi unum ex quatuor eum Cœli filiis facit, ac credit eum

ei nomen esse, à דגן *dagon*, i. *frumentum*, sed de isto fallitur, quia potiùs à דג *dag*, h. e. *piscis*: ut meliùs dicturus fuerit Ἰχθύων, q. d. *Piscis*, seu *Piscinus*. Namque & figura ejus suffragatur, erat enim semihomo ac semipiscis, ut dictum &c. V. Vossium *de Idol. lib. 2. cap. 76 sub fin.* Eodem facit, quod Salmasio *Dagon* est ἡ Κητώ, seu ὁ Κητώ, quòd ceti figuram habuerit; cui proin idem *Dagon* Azotiorum, & *Ceto* Joppensium, & *Derceto* Ascalonitarum. V. eund. *ad Solinum pag. 574.* & suprà in voce *Ceto*. Adde Jo. Seldenum *de Diis Syris Syntagm. 2. cap. 3.*

Dagsburgum, castellum Germaniæ in Palatinatu inf. munitissimum: à quo illustrissimæ olim Familiæ nomen, cujus Autor Hugo fuit, filius medius Hugonis I. Comitis, Eberhardo jun. geniti, de quo alibi. Fuit enim filius hujus Hugo Pater Gerhardi Metensium Comitis, à quo Lotharingiæ hodierni Duces: Hugonis II. Comitis, qui Comites *Dagsburgicos*, & Guntrani cognom. *Divitis*, qui Habspurgios, à quibus Austriaci Archiduces, dederunt, atque adeò communis trium familiarum ex Alsatica veteri procedentium, genitor. Ex Comitibus verò illis *Dagsburgicis* Leo IX. Pontifex Rom fuit. Phil. Jac. Spener. *Sylloge Geneal. Hist. in Fam. Austriaca.* Sed & *Dagsburgica*, una ex Familiæ illustris Comitum Leiningensium lineis, dicitur. Hæc enim in Friderici Comitis filio Friderico & Joffrido, in Leiningensem & *Dagsburgicam* dividi cœpit, circa principium seculi XIV. quarum hæc, priore extinctâ jam dudum, agnatorum jure sibi vindicato, adhuc durat. In qua, qui nunc vivunt, communem omnes agnoscunt Patrem Emiconem Catharinæ Nassaviæ (à qua Sarwerdensis prætensio illis obtigit) maritum, extinctum A. C. 1541. A' quorum majori filio, Joh. Philippo Hartenburgica linea cœpit, sed à minore Emicone *Dagsburgico Falckenburgius* ramus ortus est: cujus surculi sunt *Heidesheimius & Falckenburgius* seu *Dagsburgius*, in quo supersunt Johannes Casimirus (n. A. C. 1619.) & Anna (ux. Johannis Comitis Nassovii Sarbr. *in Idstein*) liberi Philippi Georgii Com. Liningensis & Dagsburgii (ex Anna Erpachia) Emicone præfato (qui obiit A. C. 1593) ex Ursula Fleckenstenia, geniti. Phil. Jac. Spener. *Theatr. Nobil. Europ. Part. I. pag. 152. & in Indic.* V. & infra, ubi de Familia *Leiningensi*.

Dagus, ταπίδιον, in *Glossario* Gr. Lat. Meursio Gallica vox est. *Dais*, tapes nempe, qui sellæ insternitur. At Galli ità vocant umbellam, quæ Regio Throno interponitur, unde legendum *supersellium* videretur: cujus quidem vocis *Dais* meminit Matth. Paris in *Vitis* Abbatum S. Albani *pag. 92.* *Solus in refectorio prandebit supremus* (loquitur de Abbate recens electo) *habens vasellum, Priore prandente ad magnam mensam: quàm Dais vulgariter appellamus.* Hodieq; *Dais* Galli vocant umbraculum, quod capiti sedentis aut cibum capientis superponitur. V. Car. du Fresne *Glossar.*

Dagusa Græcè Δαγοῦσα, urbs Melitenes ad Euphratem, in min. Armenia. Ptol. quam vocem pro *Dascusa*, apud Plinium *lib. 5. c. 32.* reponit Salmasius, *ad Solinum pag. 620* V. *Dascusa*.

Daha, pop. Scythiæ Asiaticæ, apud Solinum c. 15. ob notas, quibus se compungebant, Gelonorum & Agathyrsorum instar, *virgati* Poetis passim. Aliàs *Daa* vel *Dai*, Græcis Δάαι vel Δάαι; de quibus V. Salmasium ubi suprà *pag. 796* & retro in voce *Daa*.

Dajenus, apud Vitalem Episc. Oscensem, Judex est, Judæis Hispanicis sic dictus: an ex Hebr. *Dan*, *Glossa Basilic.* Δὰν, ὄνομα μεγάλης ἀρχῆς κτ̄ Πέρσας, *Dan nomen magni Principatus, secundùm Persas*, apud Eund.

Dairi, Monarchæ Japonensium. Hi enim, à Sinensibus ante 8. circiter secula orti, cùm Japoniam hactenus incultam occupassent, Regna in ea 53. constituerunt, quæ universa uni parebant Monarchæ, quem *Dairum* appellabant, ac Numinis instar venerabantur. Sed ab A. C. 1500. ob intestina dissidia decrescente indies *Dairorum* potentiâ ac auctoritate, Reges provinciarum rebellare passim ac suo arbitrio regnare cœperunt. Quorum præcipuus Nubunanga, Rex Voaris, urbe Meaco captâ A. C. 1570. potentissimus totius Japoniæ Rex evasit: ita tamen ut *Dairi* auctoritatem adhuc agnosceret; quod & sub successore obtinuit. Sed qui hunc excepit Taikosamma, A. C. 1600. à *Dairo*, sponte se abdicante, Imperator Japoniæ declaratus, novam Monarchiam condidit. V. Georg. Hornium *Orb Imp.*

Dalbodium, seu *Dalbuth* villa, aut *Dalbued* Baronia Galliæ, *in Chartis* Richardi II. Normannorum Ducis & Alexandri III. Pontif. Rom. memorata, vulgò *Daubeuf* dicitur. Sicut Elbotum *Elbeuf*, Guellebotum seu Guellebodium *Guillebeuf*. Hadr. Vallesius *Not. Gall.* in voce *Elbotum*.

Dalecarlia, adde: Gentem hanc, moribus asperrimam, è Danica captivitate elapsus Gustavus Ericsonius, è nobili Trollorum familia, ad arma contra Christiernum II. Dan. R. sumenda patriamque in libertatem vindicandam, cùm concitasset, magnâ mox Sueciæ parte pulsis Danis, communi Ordinum suffragio Rex electus est, Sueciæq; potentiæ, qualis hodie est, prima jecit fundamenta. Georg. Hornius *ubi supra*. V. quoq; in voce *Gustavus I.*

Dalmaunio, vulgò *Daumignon*, fluvius Galliæ, in Viromanduis; alluit Viromandum Monasterium *Vermand*, Textricium *Terni*, vel *Testri sur Daumignon*, Montiacum *Monchi* vel *Mousi la Gasse*, Atteiamq; *Attie*, præter alios vicos, atq; inter Hammum & Peronam in Sumnam influit, Hadr. Valesius in voce *Textricium*.

Dalmata Equites, apud Treb. Pollionem in *Claudio*, *In quo bello, quod gestum est, Equitum* Dalmatarum *ingens extitit virtus*: nempe in militia Romana ex hac provincia Equites per multa secula fuere, ut ex Historia sciri potest & *Not.* Imperii. De Marco Antonino certè Jul. Capitol. *Latrones etiam*, inquit, *Dalmatiæ atq; Dardaniæ milites fecit.* Ubi *latronum* nomine totam eam intelligere gentem, latrociniis deditam, docet Casaubonus. Meminit quoque *Dalmatarum militum* vetus Inscr. Moguntina, cujus initium:

PLASSI F. DIOCLEAS.
MIL. EX COHORTE. V.
DALMATARUM.

Dalmatenses Singillones, apud Trebellium l. c. Salmasio ἀνεκδοτοι sunt; à *singulum* enim *sigillum*, *sigillo*. Idem tamen σιγιλλίωνας apud Gregor. Naz cùm reperisset, *sigilliones seu sigiliones* hic legi posse putat, intelligique vestes *Dalmatarum sigillatas vel clavatas*, Vestium enim clavos σφραγῖδας etiam, i. *sigilla*, Græcis dici, notum. Clavatas autem fuisse istas *Dalmatenses tunicas*, quibus olim non nisi molles ac delicati, postea Episcopi quoq; Sacerdotesq; usi sunt, discimus ex Isidoro: *Dalmata, vestis Sacerdotalis candida, cum clavis purpureis.* V. Salmasium *Not ad Trebell.* & infrà, ubi de vestium *Sigillis*. Cœperunt autem Episcopi Presbyteriq; *Dalmaticas* pro colobiis habere, à quo palliis depositis, *dalmaticâ* relictâ, communi usui sese accommodantes de communi vestiti sunt. Tum *birrus* & *dalmatica* eorum quoque habitus fuit; hæc interior, ille exterior: eratumq; est, in eadem veste primùm & publicum frequentasse & sacram liturgiam celebrasse, donec mutatâ sensim seculari veste, pristinam retinuere præcipuè in celebrandis sacris Sacerdotes. Jam verò ante Sylvestrum Papam, Episcopos *dalmaticis* usos fuisse, contra quam docet Anselmus, discimus ex Auctore *Vitæ* Cypriani, ubi ait: *Cùm se dalmaticâ expoliasset, ad lineam stetit, cœpit spectatorem visitans* &c. V. Salmasium *ad Tertullian. de Pallio*, & in *Dalmatica*.

Dalmatia, adde: Urbes tamen S. Viti & *Zeng* Austriaci sunt juris. Quo pacto ad Austriacam Familiam pervenerit, V. in voce *Hungaria*. Namque Dalmatia, Croatia & Sclavonia, communi olim *Pannoniæ* nomine, confusis Illyrici Pannoniæque limitibus, comprehensæ, & Croatia, ad superiorem Pannoniam; Sclavonia, cujus pars etiam *Dalmatia*, ad inferiorem pertinuere, sicque magis pro accessione Regni Hungarici, quàm propriis Regnis, habendæ sunt. Tob. Pfannerus *de præcipuis Germaniæ Princip. gentibus Cap. I.*

Dalmatica, adde: De illa sic Oct. Ferrarius *de re vestiar. lib.* 1. c. 39. *Eam in sacris adhibitam constat, ejusdem etiam extra sacra usus primò quidem promiscuus, deinde in Diaconis, mox in Presbyteris, tandem in solis Episcopis, (ex Walafrido Strabone cap. 24. de rebus Eccl. ubi addit, à Rom. Pontifice earum usum aliis Episcopis permissum, aliis interdictum; jam verò eâ tam omnes Episcopi, & nonnulli Presbyterorum, sub casulis* Dalmaticas *gestant.* Et *lib. 3. cap. 9. Sylvestri Pontif. tempore, in locum Colobiorum, in sacris, Dalmaticæ venerunt id est tunicæ manuleatæ, quas Chirodotas Dalmatarum appellat Capitolinus in Pertinace, V. Alcuinum de divinis off. ubi ait fuisse illam ad instar crucis, habuisse in sinistra parte fimbrias, fuisse inconsutilem, ac largè manuleatam: habuisse lineas coccineas, vel ut alii purpureos tramites, vel clavos pariter purpureos ut tunicæ Senatorum* &c. Et paulo infrà, *Licèt Dalmaticæ à Colobiis distinguerentur, tamen pro eadem re aliquando sumtas notavit Salmasius ex Niceta Thes. Orthodoxi lib. 1.* Olim infames fuere, unde Principes *Dalmaticatos* in publico conspectos, pro magno dedecore posuere Scriptores, Lampridius *in Commodo, Heliogabalo* &c. non aliam ob causam quàm quia manuleatæ, quibus non nisi mulieres ac viri effœminati tunc usi. Quare Baronium dicentem, *Reges Dalmaticâ aliquando usos*, idem Auctor pluribus refellit, ostendens præter Commodum & Heliogabalum, nullum eam Principem gestasse. Quod enim de Pertinace ex Capitolino affert Baronius, ad rem non facit: Tantùm enim meminit Dalmaticarum, quæ Commodi fuerant, cujus rerum auctio sub Pertinace facta est. Idem eundem purpuratum, *Dalmaticam* cum Chlamyde, cum Colobio, cum Toga quoque & quidem Triumphali confundentem redarguit ibid. Porro, ut & hocce dictis adjungam, *Dalmatica* veste hac, non usos esse Diaconos, nisi in majoribus festivitatibus, colligit du Fresne ex Conc. Salegunstadiensi *can. 2.* docetq; maximè Diaconorum Eccles. Rom. propriam, neq; cæteris, nisi ex Indultu Pontificis, eâ uti fas fuisse: ex Cypriano in *Vita S. Cæsarii Arelat. Speciali quodam privilegio pallii usum ei permisit, & Diaconos ejus, perinde ut Romanæ Ecclesiæ Diaconos*, Dalmaticis *uti voluit.* Jacobus Card. *de Coronat.* Bonifacii VIII. *lib. 1. cap. 8.*

Nos Levitarum cunctis, nos illa Senatus
Dalmaticas *vestitu togas* &c. V. quoq; suprà.

Daltini, apud Stanihurstium *de Reb. Hibern. lib.* 1. Hibernis sunt scurræ, velites, seu servi à pedibus, du Fresne *Glossar.*

Dama, inter semifera animalia memoratur Plinio *lib. 8. c. 53. sunt capreæ — sunt & damæ & pygargi & strepsicerotes, multaq; alia haud dissimilia.* Gallis *Isarus* hodie, seu *Sarrius*, ex Græco ἰξαλος, ἰξαλος αἴξ. Πλατυκέρωτας interpretantur Grammatici, ζορκάδας dixere recentiores. At quos *Damas* Galli vocant, platycerotes sunt Veterum, cervorum genus. Salmasius *ad Solinum pag.* 224.

Cæterum damæ *timidi* Poëtis audiunt, vulgato epitheto. Virgilius *Georgicorum lib. 3.*

—— timidi damæ, cervique fugaces.

Statius *Achilleidos lib. 2. versu 408.*

Nunquam ille imbelles Ossæa per avia lyncas
Sectari, aut timidos passus me cuspide damas
Sternere &c.

At quàm fortia tentent prælia, innuit Martialis *lib. 6. Epigr. 55.*

Frontibus adversis molles concurrere damas
Vidimus & fati sorte jacere pari.

Et *Epigr. 74.*

Aspicis, imbelles tentent quàm fortia damæ
Prælia? tam timidis quanta sit ira feris?
In mortem parvis concurrere frontibus audent
Vis, Cæsar, damis *parcere, mitte canes.*

Quasi plus periculi ipsæ sibi mutuò creent, quàm canes infestissimi, &c. Plura de illis V. apud Sam. Bochartum *de Animalibus S. Scripturæ, Part. prior. lib. III. cap. 27.*

Damalio, apud Lampridium *in Alexandro Sev. Non quidem vilitatem* (carnis bubulæ atque porcinæ) *propofuit, sed jussit, ne quis feminatam occideret, ne quis lactantem, ne quis vaccã, ne quis* damalionem: in genere bucerino differt à vacca, quemadmodum in genere porcino, *lactans*, h. e. tener porculus, à *feminata*, i. scrofa. Nempe, qui vilitati carnis bubulæ volebant consultum, hi nec vaccas, nec *damaliones* comedebant; tauris autem, & bobus & vitulis parcebant minimè: ut de Ægyptiis & Palæstinis quoque Hieronymus scribit. Contrà est cùm agriculturæ ratio habetur, tunc enim *damalionibus* & vaccis passim vesci permittendum, vitulis verò nequaquam; unde lex Valentis, *Ne quis vitulos consumeret.* Salmasius *ad Lamprid.*

Damasceni Senes, apud Martialem *lib. 5. Epigramm. 18.*

Quòd tibi Decembri mense, quo volant mappæ,
Gracilesque ligulæ, cereique, chartæque,
Et acuta senibus testa cum Damascenis,
Præter libellos vernulas nihil misi:

Pruna sunt Damascena, quòd siccata vetustateque in rugas contracta, de quibus idem *lib. 13. Epigramm. 29.*

Pruna peregrinæ carie rugosa senectæ
Sume: solent duri solvere ventris onus.

Atque à *Damasco* Syriæ sic dicta, unde, in massam condita, afferebantur, sicut ficus, cottana, caryotæ. Hinc *globus prunorum*, apud Statium,

Nusquam turbine conditus ruenti
Prunorum globus, atque cottanorum.

Ubi *globus* est παλάθη, i. *massa*, item *offa*. Cujusmodi παλάθας de prunis Ægyptiis siccatis, & à nucleo liberatis, fieri similiter, scribit *lib. 4.* Propriè tamen vox παλάθη de caricis obtinuit, uti docet Salmas. *ad Solin p.* 1019. V. eum quoq; *p.* 1325. ubi de Isidoro Myxã cum *Damascenis* confundente pluribus agit. At *Damascenæ Rosæ*, Gall. *la Rose de Damas*, pulcherrimam descriptionem habes, apud Franc. Pomey *Diversl. Descript.* ubi inter alia, *Exilis hæc rosa*, inquit, *in hirsuto enascitur arbusto, crebris obsito spinarum aculeis. Ramusculis nihil asperius, nihil tortuosius & magis abnorme; Frondes temerè diffusæ incompositeque digestæ. Ipsemet flos quàm specie inconcinnus! quàm efformatus negligenter! Quaternis quinisque constat foliolis, parùm venustè in orbem & per oram explicatis, plura alia tenuioraque ambientibus, inscitè corrugata, & concinnata deformes in cirros. In umbilico, minutulæ extant stamina auro præpilata, crispæ taniolæ segmentis haud absimilia; Præterea nihil. At, quod mireris — flos inter formosissimos tamen præclarissimosque jure numeratur, quòd egregio splendidoque candore niteat; quòd odore cohonestetur adeò suavi, itaque jucundo, ut nihil aut afflari suaviùs, aut odoratu percipi jucundiùs possit*

Damascenus Iohannes, adde: Patriam Damascum habuit, floruitque, ut Petrus Martyr contra Gardinerum probat, circa A. C. 74?. Philosophus insignis, ut ex ejus *Rudimentis Logicis* patet, Scholasticorum apud Græcos, quemadmodum Petrus Lombardus apud Latinos, caput fuit. Ejus opera Syriacè scripta cùm ex Oriente attulisset Guil. Postellus, oppigneravisse ea cum aliis *MSS* Ottoni Henrico, Electori Palatino, scribit G. Hornius *Hist. Philos. lib. 6. cap. 2.*

Damascenus Jupiter, in vet. *Inscr.* apud Salmas. *ad Spartianum in Hadriano.*

Damascus, urbs Syriæ, adde: De ea Plin. *lib. 5. cap. 18.* inter alia, *Damascon Epoton riguis ex amne Chrysorrhoa fertilem:* uti legi jubet Salmasius. Ex cujus sententia Plinius verba Græci Auctoris, quo usus est, sic accepit, quasi Δαμασκὸς ἔποτος cum adjuncto vel epitheto diceretur, ad discrimen alterius cujusdam Damasci. Atqui ἔποτος idem, quod εὔποτος, *irriguus* & rivis bene satura est. Chrysorrhoas enim amnis totus ferè in rigua & rivorum deductiones convertebatur, & Damascum præcipuè rigabat ac εὔχολον reddebat: hinc nomen fortè adeptus, quòd sc. fertilem eam urbem redderet. V. illum *ad Solinum pag. 617*

Damasias, adde: Eo anno, qui fuit primus Olympiadis 35. septem Sapientes nomen ex numero invenerunt & inter eos primus judicatus Thales est; uti ex Eusebio docet Salmasius *ad Solinum pag. 843.*

Damia, adde: Sacrificium quoque Deæ huic Kal. *Mai* fieri solitum, *Damium* appellatum fuisse, docet Festus; à Græca voce Δῆμος, *populus*, quia pro populo fiebat. Unde Juvenalis,

Pro populo faciens, quantum Saufeja bibebat.

Jos. Scaliger *Not. in Festum.* V. quoque ubi de *Bona Dea.* Sic *Damiurgi*, qui & *Demiurgi*, apud Dorienses ii dicti sunt, qui publica negotia resq; civitatis administrabant, similes Atheniensium Demarchis, Hesych. V. Turnebum *Adversar. lib. 14. cap. 11.* laudatum Joanni Calvino *Lexic. Jurid.* Meminit eorum Livius *lib. 38. cap. 30.*

Dammæ, apud Solinum *cap. 5.* ubi de Sicilia, *Laudant alios montes duos, Nebroden, & Neptunium — Nebrodem dammæ & hinnuli gregatim pervagantur:* sunt quæ Δορκάδες Græcis & Κεμμάδες: Siculis Καμμάδες, unde Latini *Tammas* & *Dammas*, cum duplici *m.* fecere, ut vult Salmasius. V. suprà ubi de *Damis*, & Salmasium *ad l.*

Dammona, Græcè Δάμμωνα, Indiæ opp. de quo V. Salmasium *ad Solinum pag.* 1005.

Damna, apud Papinium Statium *Thebaid. lib. 6. versu 83.*

—— —— cuncta ignibus atris
Damnat atrox, suaque ipse perens gestamina ferri,
Si damnis *rabidum queat exsaturare dolorem:*

Profusiones sunt spontaneæ. Sic Petronius,

Damna *placent* ——

Et

—— —— —— Lucrinis
Eruta litoribus vendunt conchylia cœnas,
Ut renovent per damna *famem*

Quem acutum sermonem à nemine hactenus satis enarratum, ait Casp. Barthius *ad Statii locum.* Hinc *damnare*, quod pro *donare*, ut contrà, sæpe in libris, vitio Librariorum, reperiri, notat Cujacius. Certè Solinus *cap. 25.* de elephantis, *Cùm*, inquit, *venatu premuntur, pariter affligunt utrosque* (dentes) *ut ebore* damnato *non requirantur: hanc enim causam sibi inesse periculi sentiunt.* Id est, venatu pressi gnarique propter ebur se peti sponte illud abjiciunt ac donant venatoribus, ne requirantur. Salmasius *ad l.*

Damnati ad bestias, V. suprà, in voce *Bestiarii*, item ubi de *Ludis.*

Damostratia, concubina Commodi primùm, inde Cleandro nupta, apud Lampridium *Commodi.*

Danae, adde: Illam *Artemon pinxit, mirantibus eam prædonibus,* Plin. *lib. 35. cap. 11.* ubi *prædonibus* exponit *piscatoribus* Dalechampius. Nec omittendum, quòd *Danaen* in Italiam venisse, cum duobus filiis, Argo & Argeo, & ab Argo *Argiletum* dictum fuisse Romæ, notat Servius *ad Æneid. lib. 8.* At Poëta ipse Ardeam à Danae conditam scribit *lib. 7.*

—— —— quam dicitur olim
Acrisioneis Danae *fundasse colonis:*

ubi *Acrisionei* dicuntur *coloni*, ab *Acrisione*, i. filiâ Acrisii, Danaë. Salmasius *ad Solinum pag. 57.*

Dancko, filius Tassilonis, quem Caroli M. militem in Suevia sedem fixisse dicunt, Zolleriorum Auctor est; tenuitque arcem Zolleranam circa A. C. 819. Ejus posteri istâ graduum serie enumerantur: Rudolfus sub Henrico Aucupe, Otto, Wolphgangus, Fridericus I. Fridericus II. Fridericus III. Burcardus, cæsus ex partibus Rudolfi Anticæsaris, ad Mersburgum A. C. 1080. Fridericus III. (alii enim priorem Fridericum omittunt) Rudolfus II. frater Friderici V. Fridericus VI. Comites Zollerani, à patre in filium transmissâ successione. Hujus filii, Fridericus primus, post Eberhardum ex Voburgiis ultimum, Burggraviatu Norimb. seu Franconiæ Ducatu ab avunculo Rudolfo I. Imp. auctus, hodiernos Brandeburgicos: & Eitelfridericus, Zollerenses Principes, severe. Ex fratre verò *Danckonis* Gotbaldo, Comites Saulgaviæ, Sigmaringæ Landenbergæ & Pfullendorfii, non incelebres & affinitatibus illustres, ortum duxere. Phil. Jac. Spenerus *Sylloge Geneal. Histor. in Fam. Zollerio-Brandeburgica*

Dangeolum, castrum Galliæ in Cenomanis, memoratum Orderico Vitali *Histor. lib. 10.* vulgò *Dangeul*, vel *S. George Dangeul*, aliàs *S. George de Danguel*: locum habet sibi proximum *S. Martin de Dangeul* à Patrono dictum. Hadrian. Valesius in voce *Majatum.*

Dania, adde: Ejus nomine veniunt Chersonesi Cimbricæ pars maxima, & insulæ ad ingressum maris Balthici sitæ, ut habet Auctor Anonymus *Hist. Orbis Terr. Geogr. & Civ.* Continet autem Cimbrica Chersonesus Jutiam Sept. & Merid. Ditmarsiæ partem, cum parte Stormariæ, in qua Gluestadium, Crempa, ad ipsum Hamburgum usque, cui adsitum oppidulum Altena Regi Daniæ subest. Ex Insulis maris Balthici Danici juris sunt Selandia, Fionia, Falstria, Lalandia, Langelandia, *Aar*, Tassinga, quæ ad Fioniam referuntur. Alsena verò eidem adsita Holsatiæ Ducum est. Nobilitat *Daniam* non minùs ac Norvegiam, quæ ejus imperium agnoscit, celebris variorum generum piscatura, in qua & superiorum seculorum Reges sibi plauserunt. Hinc Christianus I. cùm A. C. 1474. Romam proficisceretur, Pontificem & Proceres Ecclesiæ Harengis, Asellis & Hermelinis pellibus, tanquam donis regno suo propriis, donasse legitur, apud Ham-

mannum

mannum *Chron. Oldenburg. part. 3. p. 208.* Fuit olim *Daniæ* regnum amplissimum. Gotricus enim R. 51. Gormonis R. filius, cum Carolo M. bellum gessit victriciaque ad Rhenum usque, subjugatis *Frisiis*, arma circumtulit. Factæ dein in plerasque politioris Europæ partes excursiones Nortmannicarum nomine celebres, sub Ducibus, gentem ubique formidabilem reddiderunt. Et Hastingus quidem in Italiam usque penetrans Lunam Liguriæ civ. diripuit: Alii duce Sigfrido A. C. 887. Lutetiam Parisiorum obsederunt, totâ Carolo Calvo Neustriâ extortâ. Angliæ Regem, ejecto Ethelredo, se pronuntiari curavit A. C. 1113. Sueno R. cujus successor Canutus fil. *Magni* emeruit nomen, sex præpollentium Regnorum, (præter Angliam Daniamque, Norvegiæ, & magnæ partis Sueciæ, dein Slaviæ & Sembiæ, quæ in tractibus Vandalicis fuisse videntur) Dominus. Ad similem magnitudinem sequentibus temporibus aspiravit sub Margarita Arctoa Semiramide, quæ Alberto Megapolitano Sueciæ R. victo *Daniam*, Norvegiam ac Sueciam in unum redegit regnum; donec Christiani II. tyrannide alienati Sueci, unione sublatâ, Reges sibi peculiares constituerunt. Status Regni quatuor sunt, Nobiles, Ecclesiastici, Civici & Rustici: habetque id peculiare, quòd dignitates Ducum, Comitum, Baronum, fere nullas hactenus admiserit, solo Nobilitatis titulo contenta; Ranzoviis exceptis, qui à Ferdinando III. Imp. Comitum titulo ornati sunt. Multùm autem Nobilium decrevit potentia, à quo Regnum A. C. 1660. Hæreditarium factum est. Sancitum enim tum inter alia, ut Codanoniæ, Falsteliæ, Lalæ & Mœnæ rustici, quos Nobiles hactenus mancipiorum habuerant loco, libertatem acciperent: Nobilium verò nemo, nisi de Rep. optimè meritus atque Baronis liberi titulo à Rege cohonestatus, vitæ ac mortis potestatem in aliquem haberet. V. Thuldenû *ad A. C. 1660. p. 391 & seqq.* In Regum titulo hoc memorabile est, quòd *Daniæ, Norvegiæ, Vandalorum & Gothorum Reges* scribantur. Ubi notandum I. & Duces Holsatiæ se à Norvegia denominare, sed singulari *Heredum* nomine. II. Vandalorum & Gothorum titulum etiam Sueciæ Reges admittere, sed inverso ordine, ut non Vandalorum & Gothorum, sed Gothorum & Vandalorum Reges se scribant: quemadmodum idem Rex, ratione Pomeraniæ, & Elector Brandeburgicus, Vandalorum Duces, Duces Megapolitani verò eorundem Principes appellantur. Insignium, quæ numerosis imaginibus abundant, hanc explicationem reddit Schvvaningius: Denotari *Leone* 9. corda transiliente Cimbriam Sept. & Gothiam; *Agno* Amalonico albo Gothlandiam; *tribus Leonibus*, quibus singulis tria corda adjecta, Daniam; *Dracone* fulvo & aureo in solo rubro, regionem Vandalorum; *Leone cum bipenni* Norvegiam; *Pisce* coronato Islandiam: *Coronis* tribus, unionem 3. Regnorum Daniæ, Sueciæ ac Norvegiæ; Geminis *trabibus* Oldenburgum: *Cruce* albâ Delmenhorstium: *Leonibus* binis cœruleis in solo luteo Cimbriam Mer. & Ducatum Slesvicensem: *Urticâ* albâ in solo rubro Holsatiam, *Cygno* candido in rubro solo, cujus collum aureâ insignitur coronâ, Stormariam: *Equite* tandem cataphracto, albo insidenti equo, in solo rubro, Dithmarsiam. De Scriptoribus rerum Danicarum, ut & aliis huc pertinentibus, V. Autorem prædictum *Histor. Orbis Terr.*

VIII. Regni Daniæ Dynastiæ ex Svvaningio & Pontano.

I. Danorum seu Selandorum, à *Dano* primo Regni conditore, ad Hotterum Sueco-Danum, fuit annorum 513. Regum 13. quorum ultimus Roivo ex posteris Dani fuit.

II. Sueco Danorum, ab Hottero præfato, ad Unguinum Gothlandum R. tricesimum tertium, annorum 672. Regum 19. quorum ultimus fuit Haldanus II. cognom. *Biergamus*,

III. Gothlandorum, ab Unguino ad Brochardum, annorum 55. Regum 4. quorum ultimus Sivaldus II.

IV. Scanorum, à Burchardo Illustri Scaniæ viro, ad Olaum Vegetum, annorum fuit 126. Regum 4. quorum ultimus Ringo seu Haquinus dictus est.

V. Norvegorum prior, ab Olao Vegeto ad Sivardum Ring. R. annorum 48. Regum tres.

VI. Norvegorum posterior à Sivardo II. ad Suenonem Celeberrimum, Regum octogesimum, annorum 237. Regum 17.

VII. Anglo-Danorum seu Suenonidarum, à Suenone præfato, ad Christianum I. Oldenburgicum: quorum primus Sueno, ultimus Christophorus Bavarus fuit, quo cum extincta est vetustissima Aboriginum Daniæ Regum prosapia, A. C. 1448. Regni Daniæ conditi 2488.

VIII. Oldenburgica tandem, à Christiano I Comite Oldenburgico fundata, A. C. 1448. cujus posteri fuerunt Johannes, Christianus II. tyrannide contra Suecos inprimis exercitâ, famosus & proin à Danis pariter Suecisque Regno ejectus: Fridericus I. Christiani I. fil. secundò-genitus, sub quo Pontificia Religio exulare cœpit: Christianus III. Bibliis in Danicam linguam translatis inprimis clarus, Fridericus II. Dithmarsiæ Domitor: Christian. IV Fridericus III. sub quo regnum hæreditarium factum est & Christianus V. hodie regnans.

Daniel, Propheta, adde: Hunc Prophetam, propter somnii expositionem à Nebucadnezare constitutum legimus רבסגנין על כל בבל: qui proin instituit puriores Sapientiæ Scholas in Perside, rejectis vel correctis priscorum Magorum placitis. Unde ingens ejus auctoritas, subinde florentibus qui *Danielis* placitis contra Veterum errores starent: & remansisse hujus Scholæ rudera usque ad CHRISTI tempora, patet ex Magis, qui venerunt ex Oriente Messiam adoratum V. Bezam *ad cap. 2. Matthæi*, Georg. Hornium *Hist. Philos. lib. 5. cap. 2.* &c.

Danneberga, adde: Sortitus est Principatum hunc Henricus, fil. major natu Ernesti D. Lunæburgici extincti A. C. 1546. ex Sophia Megapolitana, auctor sic lineæ *Dannebergicæ*, quæ nunc *Wolfenbuttelana* dicitur. Successionis in Grubenhagensis partem, Philippo ultimo illius lineæ A. C. 1596. mortuo, ab agnato Henrico Julio frustra petiit: Ejus postea filius Jul. Ernestus *Danneberga* præfuit, sed nullo masculo relicto A. C. 1636. vitâ excessit: successione ad minimum natu Augustum, (medius enim non procul Argentorato torrente Renchâ haustus, Francisci nomine) qui Friderico Ulrico Brunsuicensis lineæ ultimo extincto in Principatu quoque Wolffenbuttelano successit, devolutâ. Wilhelmus autem Henrici præfati frater minor natu Cellensem lineam orsus est. V. Phil. Jac. Spenerum *Sylloge Geneal. Histor.* & quemque horum Principum, *suo loco*.

Dapes, regia vox nonnullis, *ad Virgilianum illud Æn. lib. 1.*

Illi se prædæ accingunt dapibusq; futuris.

Sed Cyclopis idem *dapes* vocat *lib. 3.* quæ tamen essent immanes. Neque illis favet origo vocis: quippe de feris dicunt δάπτειν, & ἀναρπάζειν. J. C. Scaliger *Poëtices lib. 4. cap. 16.* Inde tamen *Dapifer*, eximiæ in Principum Aulis dignitatis nomen, V. in hac voce.

Daphne, cujus amator Leucippus, non vulgari fabulâ nobilitata est, à Pausania *lib. 8.*

Daphne, nemus, adde: Præcipuæ arborum lauri & cupressi erant, quas multis *Constitutionibus* cædere Impp. vetuerunt, ut ex *Codicis* titulo novimus. Erant & arbores aliæ multæ, quæ totum lacum instar pergularum tegerent, quas moris est in hortis pomariisque è vitis arbore aliisque conficere. Accedebat gratia florum, quos sub illis arboribus terra edebat, & aspectu & odoratu suavissimos, pro anni tempore alios atque alios, & ut loquitur Sozomenus, ἀναφαίνει τῶν ὡρῶν, &c. A Pompejo fuisse consecratum hunc lucum, addito nemore, scribit Sext. Rufus: Strabo tamen & *Daphnæ* appellationem, & religionem ejus luci, ut antiquam commemorat & totâ Syriâ celebrem. Sequentibus temporibus abolito priori nomine *Nero* dici cœpit, h. e. *aqua*, ob aquarum ibi copiam. νερὸ enim Græcis vulgaribus & barbaris *aqua* est: non tam à Syriaco נר seu Hebr. נהר, quàm ab antiquissima Græciæ purioris voce νηρὸ, h. e. *humidum* & *aquaticum*. V. Casaubonum ad *Capitolinum in Marco Antonino Phil.* & Salmasium *ad Treb. Pollionem in Balista.* Ibi fuisse illam nobilem Judæorum Synagogam, quæ dicebatur Σπήλαιον τῆς Ματρώνας, *Spelunca Matronæ*, cujus toties meminit Johann. Chrysostomus in *Orat.* quas Antiochiæ contra Judæos & ἰουδαΐζοντας Christianos habuit, ut & *Homil. 3 in Tit.* addit idem Casaubonus. Sed & *Daphne*, locus Ægypti est prope Pelusium, unde Δαφναῖος, Steph. hodieque *Dafni*, nomen est celebris Monasterii Calocerorum, in Attica, medio inter Athenas & Eleusinem situ, à *rhododaphne*, quæ ibi ubertim crescit, appellati, de quo V. Jac. Sponium *Itinerar. Græciæ Part. 2. pag. 275.* ut & in voce *Daphne*.

Daphnis, Grammaticæ artis Magister, memoratur Plinio *lib. 7. cap. 39. Pretium hominis in servitio geniti maximum ad hanc diem, quod equidem compererim, fuit Grammaticæ artis* Daphni, *Natio Pisaurense vendente, & M. Scauro principe civitatis HS. DCC. licente.* V. & Suetonium *lib. de Grammat. & Rhetor.* ubi eum à Lenæo Melissæo Πανὸς ἄγημα, *per cavillationem nominis*, dici consuevisse, addit. *Daphnis* enim, ille fabulis decantatus, Panis fuit delitium. Meleager,

Αἰπολικαὶ σύριγγες ἐν οὔρεσι μηκέτι Δάφνιν
Φωνεῖτ' αἰγιβάτῃ Πανὶ χαριζόμεναι.

Pan autem pecoribus præerat, & pecorum Magistris: unde per cavillationem nominis Πανὸς ἄγημα eum dicebat, non Panis delitias, ut Daphnis fuit, sed pecus. Salmasius *ad Solinum pag. 41.*

Daphnis, Milesius, & Pænius Ephesinus, ædem Milesii Apollinis symmetriis Jonicis instituerunt, teste Vitruv. Nempe postquam Apollinis Didymæi templum, quod in Milesiorum agro fuit, à Xerxe combustum esset, à Milesiis id refectum est, operi præfectis Pænio & Daphnide. V. infrà *Pænius*.

Daphnis, Græcè Δαφνὶς, item Δαφνίνη, *Daphnitis* Plinio, Ins. Æthiopiæ, in Arabico sinu; unde Casia *Daphnitis* fortè dicta, quòd ex ea afferebatur, ut omnium præstantissima, quippe proximè accedens ad cinnamomum, & ob id ψευδοκιννάμωμον quoque appellatum. Ei proin pretium à Mangonibus ad trecentos denarios factum esse, scribit Plinius, V. Salmasium *ad Solinum pag. 1306.* De *Daphnoide* verò V. suprà ubi de *Alexandrina Lauru*.

Daphnis, fons in delitioso Antiochiæ nemore, de quo suprà. Quem cùm multi *Castalium* appellarent, horum errorem acriter

 repre-

reprehendit Guil. Tyrius, fontem hunc Musis sacrum Poëtisque decantatissimum, non in Syria, ad Orontem fluv. sed in Phocide Græciæ reg. ad montem Parnassum, fuisse docens. Obtinuit nihilominus non apud vulgus solùm, sed etiam apud Eruditos, ut & montem Antiochiæ imminentem *Parnassum* vocarent & fontem, è radicibus ejus manantem, *Castalium*, ut ex Sozomeno & Marcellino docet Casaubonus *ad Spartianum in Hadriano.* Agathias *Epigrammatum* Poëta,

Μηδὲ ἀπαγγέλλε εἰς Κιλίκιαν ἰδὼν,
Μὴ πάλιν αἰρμένη χεῖρας Κασταλίας, &c.

V. suprà in voce *Daphne.*

Daphnus, portus Ægypti, cujus gentile Δαφνίτης. Idem *ibid pag.* 402.

Dapifer, adde: Quod de synonymia vocum *Dapifer* & *Seneschallus* dictum, confirmatur ex serie eorum in Franciæ regno, à Car. du Fresne exhibitâ, in voce *Seneschallus*: in qua modò hoc, modò illo nomine, promiscuè appellantur. Sic autem ista habet:

Series Dapiferorum Franciæ.

Guilielmus *Seniscalcus*, in *Charta* Henrici I *an.* 1060.
Radulfus *Dapifer*, in *Charta* Philippi Regis A. C. 1065.
Balduinus *Dapifer*, A. C 1069.
Fredericus *Seniscalcus*, sub eodem Rege, an 1071.
Robertus *Dapifer*, sub eodem ann. 1078.
Adam *Dapifer*, ann. 1080.
Hugo *Dapifer*, ann. 1083.
Guido de Montleherici Comes de Rupifortti, an. 1092.
Paganus de Garlanda *Dapifer*, *Regis Francorum*, interfuit expeditioni sanctæ, ann. 1096.
Hugo de Rupeforti Comes Creciacensis, Hugonis *Dapiferi* filius, ann. 1107.
Anselmus de Garlanda, *Dapifer*, ann. 1110—1120.
Guilielmus de Garlanda *Dapifer*, frater ejus: ut
Stephanus de Garlanda (Archidiaconus Paris. Decanus Aurelian. dein Belvacensis Episc.) *Dapifer* ann. 1120—1126.
Radulfus Com. Viromandensis & Vadensis, *Dapifer* usque in an. 1152.
Theobaldus Com. Blesensis, *Dapifer Regis*, usque in annum 1191. quo in Acconensi obsidione interiit. Ex hinc nulli *Dapiferi* occurrunt; imò *Chartæ* Regiæ omnes præferunt *Dapifero nullo* usq; ad an. 1262. Unde colligitur, dignitatem hanc non omnino extinctam, tametsi ad eam nemo postea provectus fuerit, huicq; successisse *Magni Magistri Hospitii Regii* dignitatem, penes quem est Aulæ & Palatii, atque adeò Familiæ Regiæ cura. De *Dapiferis* verò prædictis V. Auctores Car. du Fresne suprà laudato citatos.

Dapiferi, sive *Truchsessii in Waldburg*, nomen illustris in Germania Familiæ: quibus nonnulli Gebhardum Romuli D. Sueviæ sub Constantino M. *Dapiferum*, originem dedisse fabulantur: referuntque etiam, *Dapiferos* hos Walpurgios, Pincernas *de Winterstetten* & Dominos *de Thanne*, à tribus fratribus esse satos, sed transeant hæc. Certiora an æquè incerta sunt, quòd Babonem sub Carolo Martello & Mangoldum sub Carolo M. A. C. 801. *Dapiferos* ac Dominos *de Waldburg*, notant? Inde Eberhardum Friderico I. Imp. *Dapiferum* adsignant. Inprimis autem celebris est Henricus, qui A. C. 1268. à Conradino, ultimo Sueviæ Duce, in pegmate ferali datum annulum vel chirothecam, in hæreditatis indicium, Aragoniæ an Castellæ (variant enim, qui referunt) Regi attulisse, ac in hujus rei memoriam, Leones Suevicos, insignis loco, ut nunc quoque servantur, obtinuisse dicitur. In Johannis postea, qui decessit A. C. 1403. filiis, tres lineæ cepere. Prima in Eberhardo Sonnenbergensium Comitum, quæ præterito seculo defecit. Altera Wolfeccia, in Georgio, quæ nunc quoque superest, atque iterum in duos ramos dispescitur, Comitum in *Wolfeck* atque Comitum *in Zell.* Tertia demù, *Scheerensis*, in Jacobo cœpit, quæ nunc denuo in duas secta abiit: quarum priorem Comites Trauchburgenses in *Scheer* constituunt, alteram Com. *de Fridberg* & *Trauchburg.* Et quidem, quod Wolfeccios Comites attinet, Georgius præfatus, qui obiit A. C. 1531. ex Maria Oetingensi, genuit Georgium, ex Johanna Rappoltstenia, extinctâ A. C. 1569. patrem Jacobi extincti A. C. 1589 quo & Johanna Zimmerensi, natus Henricus, obiit A. C. 1637. susceptis ex Maria Jacobe Zollerana, Johannâ Eufrosynâ (ux. Hugonis Com. Montfortii) Johanne Episc. Constantiensi (n. 1598. & den. 1644.) Maxim. Wilibaldo (n. A. C. 1604. den. 1667. cui uxor fuit Magdalena Juliana Hohenloica; & post hanc Isabella Clara Arichottana) Annâ Mariâ (uxore Wilh. Henrici Truchsessii) & Jacobo Carolo, V. Spenerum *Theatr. Nobil. Europ. tom. II. pag.* 38. Quod Comites *in Zeil* spectat, præfati Jacobi, Johannæ Zimmerensis mariti, filius alter Frobenius, ex Maria *de Torringen*, Joh. Jacobum Com. *in Zeil* genuit, quo, & Annâ Wolckenstenâ, natus est Paris Jacob & Germani. Idem *pag.* 18 Porro Comites in *Trauchburg*, *Fridburg & Scheer*, Jacobus præfatus dedit, ex Ursula, filia Wilhelmi March. Hochbergæ & Roeteliæ, obiitque A. C. 1460. Ejus filius Johannes *Dn. de Waldburg in Scheer* extinctus A. C. 1507. ex Anna Oetingensi, genuit Wilhelmum defunctum A. C. 1517. quo & Sibyllâ Sonnenbergiâ, natus Wilhelmus obiit A. C. 1566. pater ex Johanne Furstenbergia Christophori, defuncti A. C. 1612. cui Anna Maria Furstenbergia Wilhelmum Henricum peperit Com. *de Fridberg & Scheer*, cujus, ex Juliana Sultzensi, filius superest Otto (n. 1615. ux. Maria Sidonia Schlickia) cum fratribus. In eadem linea Gebhardus fuit Archiepisc. quondam & Elector Coloniensis, qui Evangelicam doctrinam amplexus, post grave bellum, in Belgium tandem se recepit, uti de eo *suo loco* diximus. *Dapiferorum* autem sive Truchsessiorum nomen gentile, à dignitate in omnes hi sortiti fuere, cùm *Dapiferi* sint Imperii sub Archidapiferis Palatino-Bavaricis. V. iterum Spenerum *tom. III. pag.* 9. & *utroque tomo cit. in Indic.*

Dapsiles Coronæ, apud Plautum *Pseud. Actu* 5.

Unguenta atq; odores, lemniscos, corollas dari dapsiles.

Paschalio sunt coronæ, à mulieribus usurpatæ, quæ faciem tegerent, pudori velando. *Δασεῖς στεφάνους, coronas densas* & vultus inumbrantes vocat Plut. *Pelopidâ*, ubi invehitur in viros, thoracibus superponentes muliebria indumenta *καὶ δασεῖς στεφάνους.* V. Car. Paschalium *Coronarum lib.* 2. *cap.* 2.

Daræum Castellū, multis locis memoratum Procopio in *Persicis*, ab ipso in monte collocatur 28. stadiis à finibus Imperii Rom. & Persicis, centum plus min⁹ stadiis à Nisibi: ibidem urbem ab Anastasio conditam munitissimam, addit. Plinius *Daraon* vocat, *Δαρεῖα* Stephanus, Justinus *Daras* &c. Unde *Δαρεῖτις* Ptolomæo, regio circumjacens, quam in Media ponit, ubi & Tapyros & Anariacas recenset. An Plinio *Daritis* eadem? *lib.* 6. *cap.* 23. V. Salmasium *ad Solinum p.* 983. & 984 ut & in *Daritis.*

Dardanarii, adde: Eorum avaritiæ obviam itum apud Athenienses lege Solonis, *Μηδένα τῶν ἐν τῇ πόλει οἰκούντων σῖτον πλείω συνωνεῖσθαι φορμῶν πεντήκοντα*, *Nemo eorum qui Athenis degunt, frumenti plus quinquaginta phormis coëmito*, memoratâ Lysiæ κατὰ Σιτοπωλῶν. Apud Romanos tam mandatis, quàm constitutionibus, Romanorum Principum, *l.* 6. *ff. de extraord. crim l.* 38. *ff. de pœnis* &c. V. hic passim ubi de *Foro*, *Frumento*, *Pantapolis.*

Dardanellæ, arces, adde: Ad harum alteram, Abydum nempe, singulæ Christianorum naves, antequam Constanti nopolim petant, appellere ac Præfecto castelli 100. aureos persolvere coguntur, hac simul conditione, ne quinarium numerum unâ vice excedant, V. Thuldenum *ad A. C* 1656. *pag.* 256.

Dardani, adde: *Chlamydem Dardanicam manualem*, h. e. chlamydem in modum manti factam, vel ad formam manti accedentem, inter dona Gallieni, ad Claudium placandum, missa, memorat Treb. Pollio *in Claudio.*

Dare, apud Ovidium, ubi præcipit amanti cum amica sua ludenti, ut & malè tesseras jactet, & malè calculos moveat, sicque de industria perdat,

Seu ludes, numerosq; manu jactabis eburnos,
Tu malè jactato, tu malè jacta dato.

Græcis *διδόναι* est, & dicitur de calculis, in Tabulæ ludo sicut *jactare* de tesseris. *Dabantur* autem calculi, cùm movebantur, quod ex solius artis præscripto fiebat, cùm in jactandis tesseris fortuna dominaretur. Itaque malè jactabat, qui in tesserarum jactu fortunam parùm habebat faventem; at malè calculum *dabat*, qui malè ludebat & imperitè nec ex arte calculum promovebat. Interim etiam, qui malè jactasset, bene tamen calculum dare & sic fortunam corrigere poterat, in quâ artificii summa. Sed &, quotiescunque aliquis calculum dedisset, & mox pœnitentiâ ductus *datum* reducere vellet ac revocare, licebat hoc ei facere, modò fieri concederet quicum ludebat: quod Græci *ἀνάθεσθαι ψῆφον*, Cicero *reducere calculum* ait, unde *ἀναθέσθαι βίον*, elegantissimâ tralatione, *vitam in melius mutare*, apud Antiphontem *περὶ ὁμονοίας.* Inde calculi *dati*, tesseræ verò *jactæ*, quod invertentes hodiè Galli *datos* vel *dadas* tesseras, *jactus* verò vel *jactones* calculos nominant. Salmasius *ad Vopiscum in Proculo.*

Dare Staticulos, apud Catonem Macrobio laudatum, ubi de Cœlio Sen. *Descendit de cantherio, inde staticulos dare* &c. idem quod *Staticulos stare*, apud Plautum *in Sticho*,

——— *nunc omnes voco cinædos contra,*
Staticulos stare non magis potis sit, quam fungus imbris:

est *χορεύειν*, *motus saltatorios* edere. V. infrà in voce *Staticuli.*

Darense Regnum, à metropoli *Dara*, in Africa est, Fezzano & Maroccano vicinum, Georg. Hornius *Orb. Polit.*

Dariaves, Persicum nomen, pro quo Græci *Δαρεῖον*, *Darium* dicebant. Strabo *lib.* 16. *Αἱ δὲ τῶν ἐπωνύμων μεταπτώσεις, καὶ μάλιστα τῶν βαρβαρικῶν πολλαί, καθάπερ τὸν Δαριήκην Δαρεῖον ἐκάλεσαν* κτλ. V. in voce *Darius.*

Daricus, moneta olim Persica, par Attico stateri, viginti drachmarum argenti fuit. Unde *triginta illa millia Daricorum* quibus ex Asia sagittariis expelli se querebatur Agesilaus, faciunt sexcenta millia drachmarum; quæ sunt *ἑξήκοντα μυριάδες*, talenta centum, vicies quater sestertium, coronatorum 60. m. florenorum millia 180. *Quadragies centena millia* Pythii, apud Herodotum sunt octingenties centena millia drachmarum, *ὀκτακόσιαι μυριάδες*, ter millies ducenties sestertium, octoginta centena millia coronatorum: Cui summæ quæ deerant *septem millia Daricorum*, sunt 140. m. drachmarum, quatuordecim my-

riades quingenta sexaginta sestertia, quatuordecim millia coronatorum. V. Joh. Frid. Gronovium *de Pecunia vet. lib. 3. cap. 7.*

Darniensis pagus, memoratus Fulcuino *in gestis Abbatum Laubiensium*, tractus est Belgii, Gemblacum Monasterio vetere clarum, & Villare, *Wilier*, locum Nivialæ proximum, præ cæteris continens. Hadr. Valesius *Not. Galliæ* in voce *Sabis fluv.*

Dasusa, adde: V. plurima hac de urbe, apud Salmasium *ad Solinum pag. 610. & seqq.*

Dasius, nomen Principis Salapiæ, apud Livium *lib. 26. Salapiæ principes erant* Dasius *& Blasius:* Dasius *Hannibali amicus; Blasius, quantum ex tuto poterat, rem Romanam fovebat.* V. quoque Valerium Max. *lib. 3. cap. 8.*

Dasumius, pater Malennii, Salentinorum sive Japygiæ R. qui Lupias condidit, inter progenitores Marci Imp. memoratur Jul. Capitolino. Ab eo *Dasumiorum* appellatio inter gentes Romanas; quos alioquin obscurissimos nobilitat *SC. Dasumianum*, cujus fit aliquoties mentio in *tit.* Pandectarum de *Fidei commiss. Libertat.* Extat & lapis Romæ, L. DASUMIO JANUARIO positus; in alio nominatur DASUMIA THAIS antistita, quæ in alia vet. *Inscr.* corruptè *Basumia* dicitur, Casaubonus *ad Capitolinum.*

Data, Gloss. vett. *δεκάτη*, Græcis *δωρεὰ*, Gall. *Dace*, Ital. *Datio*, apud recentiores Scriptores, tributum est, pensitatio, vectigal, eo quòd tributa primitus gratuita essent, & ultro Domino *darentur* ac pensitarentur. Sic *Datio* Dalmatis Croatisque notabat dona seu xenia, quæ bis quotannis dabantur Bannis, Comitibus & Castellanis diebus fest. Nativitatis Domini & Paschatis, uti auctor est Joann. Lucius *de Regno Dalm. lib. 6. cap. 1.* apud du Fresne *in Glossario*, V. & hic ultrà.

Datarius Papæ, officium magnæ æstimationis est, Prælatitium plerumque, nonnunquam & Cardinalitium; à *data*, & signatione supplicationum expediendarum; ejus domus *Dataria*. Antiquitus ad Archidiaconum id officii spectasse legitur in *de Offic. Archidiac. cap. 7.* Est a. *Data* seu *Datum*, anni, mensis, diei que & loci Diplomati seu Chartæ adscripta notatio. Suid. & *Gloss. Basil.* Δατὸν, παρὰ Ῥωμαίοις, σημασία τῆς ἡμέρας καὶ τοῦ χρόνου κτλ. Origo vocis inde, quòd Impp. Constitutionibus, quæ Præfectis Prætorio aut aliis Magistratibus in provincias mittebantur, dies, quo datæ essent iis a quibus perferebantur, annotaretur, ut & dies, quo *acciperentur* seu reciperentur. Unde crebrò in *Constitut.* illis legitur, *Data* tali die, *Accepta* tali die, V. quoque in *Epistola* Anastasii ad Hormisdam Pontif. *Data quinto Kl. Januarias Constantinopoli Senatore V. C. Consule. Accepta pridie Idus Maii Florentio V. C. Consule.* V. Baronium *A. C. 314. n. 72. 319. num 30. 331. num. 23.* & Jac. Gothofredum *Prolegom. ad Cod. Theodos. cap. 9.* laudatos Carolo du Fresne, in voce *Data*. Adde Macros Fratres in *Hierolexico*, ubi quid inter *Actum* & *Datum* discriminis sit, exponitur fusius.

Dati, in *Conc.* Senonensi ann. 1269. *can. 6.* qui aliàs *Oblati* & *Donati*, in Monasteriis. V. ibi.

Datum, V. supra *Datarius*.

David, Ægyptiis est Archimandrita, aut quivis Monasterii præfectus; unde cùm aliquem cum systaticis sive formatis mittunt, ipse Præfectus Monasterii nomen iis subscribit, hoc modo, *Ille David illius loci.* Cujus prisci moris vestigia superesse in *Decreto* Gratiani *de Formatis*, in quarum fine *David* ponitur, ad notavit Scaliger.

Davila, sive *Avila*, Familia Hispaniæ vetus, ex urbe Avila oriunda. Ejus duæ præcipuæ sunt lineæ, primogenitorum, qui Domini *de las Navas* & *Villa Franca* fuere; in quibus sub Johanne I. Rege claruit Petrus *Gonsalez Davila*: & altera Dominorum de S. Romano & Villa nova. Ex illa Petrus I. Davila Comes *del Risco* creatus est A. C. 1475. cujus filius Stephanus, per alterum filium Petrum II. Marchionem *de las Navas* reliquorum Com. ac Marchionum *del Risco de las Navas* (in quibus etiam Henricus *Davila* & *Guzman* M. *de Povar* titulum gessit) fuit auctor. Hinc enim Petrus et Maria Cordubensi genuit Petrum III. patrem ex Hieronyma Henricia Guzmanna Petri IV. Stephani, quo & Johanna Manricia nati sunt Antonius Com. *del Risco*, Petrus Stephanus, Garsias & Hieronyma (ux. Hieronymi *Ruiz de Corella* Com. *de Cocentayna* M. *de Almenara*) omnes Nominis *Davila March. de las Navas.* V. Phil. Jac. Spenerum *Theatr. Nobil. Europ. tom. II. p. 61.* Alter verò Stephani præfati fil. Ludovicus, ab uxore Maria *de Zuniga Manuel & Sotomayor*, Mirabellum, ac illo nomine à Carolo V. titulum Marchionis obtinuit: Qui quamvis tantùm fœmellas genuerit, cùm Hieronyma hæres patrueli Alfonso *de Zuniga* & *Corduba*, ac iterum hujus filia Francisca, suo patrueli Antonio *de Toledo & Davila* nupserint, in Davilensi stirpe dignitas illa permansit. Fuere autem nati his ultimis, Antonius, Henricus & Balthasar, nominis *de Zuniga & Davila* March. Mirabelli: quorum postremus natus est A. C. 1620. Idem *pag. 69.* In hac Santromanensi nempe linea, plures ordine sibi invicem successere, Domini *de Santroman* & *Villa nova de Gomez*, quibus titulus *Velada* accessit, ex Davilensi linea à conjuge Sancio *Sanchez* Daviæ allata: Hujus filius pro Veladâ Marchionis titulum gessit, cum à Philippo II. nactus: pronepos verò Antonius *d'Avila & Toledo*, March. *de Santroman* dignitatem priori junxit, maritus Constantiæ Osoriæ, filiæ Petri Alvari March. *de Astorga*; frater Antoniæ, quæ Johanni Ludovico *de la Cerda D. Medinacelio*, nupsit. Idem *pag. 104.* Præter hos Comites *de Puñonrostro*, ex familia Ariarum, *Davilensi* quoque cognomine utuntur, fortè ob conjugium Consalvi Ariæ *de Arguello*, & Violantæ *Gonsalez Davilensis*. V. eundem *Auctorem tom. præfato in Indic.*

Daulium, opp. olim Græciæ, ad pedem Parnassi versùs Cæciam, à Lebadea 5. aut 6. mill. Nunc vicus quadraginta circiter aut quinquaginta domiciliis constans, hodieque *Daulia*. Ibi aliquot Græcorum templa, cum mesquita Turcica, rudera item castelli in clivo quondam existentis. Jac. Sponius *Itinerar. Græciæ Part. 2. pag. 348.* V. in voce *Daulis*.

Daunia, Familia Equestris Germaniæ, inter Rhenanas celebris semper habita est, è qua, si ex insignibus collectio facienda, ramus ille prodiit, qui Falckenstenios dedit Comites. Cæterùm illis etiam gratiâ Imperiali Comitum dignitas accessit, in Wilhelmo Johanne, Philippi Ernesti, ex Maria Ursulâ *Groschlagin de Dieburg*, filio. Hic ex Anna Magdalena Com. *de Althan*, Wiricum Philippum & Michaëlem Eustachium Com. *Daunios* genuit, V. Phil. Jac. Spenerum *Theatr. Nobilit. tom. III. pag. 61. & 71.* ubi de altero quoque Philippi Ernesti præfati filio marito N. Com. Preuneriæ, agit. Sed & in Rhingraviorum seu Comitum Rheni familia, *Daunium* habemus ramum, Philippus enim, Johannis, ex Johanna Sarwerdensi, filius alter *Daunicum* emisit ramum, qui iterum in tres præcipuè palmites abiit: Principum nempe Salmensium seu *de Neuville* eorum qui Grumbachii habitant, & *Daunensium*, quorum postremorum progenitores sic habent. Philippus prædictus, qui obiit A. C. 1521. ex Antonia Novocastrensi genuit Philippum Franciscum, extinctum A. C. 1561. quo & Mariâ Ægyptiacâ Oetingensi natus Adolphus Henricus obiit A. C. 1606. ex Juliana Nassovia pater Wolfgangi Friderici, qui, ex Elisabetha Solmensi, suscepit Johannem Ludovicum (n. A. C. 1620. cui uxor obtigit Elisabetha Agnata, & post hanc Dorothea Hohenloica) Annam Ludovicam (n. A. C. 1622. uxor Adolphi agnati) Amaliam Julianam (n. 1625. Canonicam Gandersheimensem) & Luisam (n. A. C. 1631.) Comites Sylvarum & Rheni seu Wild- & Rhingravios &c. *in Daun.* Idem *tom. I. pag. 155.* E quibus Johannes Ludovicus ex priore conjuge, liberos habuit Fridericum Philippum (n. 1644.) Joh. Philippum (n. 1645.) Henricum Ludovicum (n. ac den. 1646.) Leopoldum Wilhelmum (n. 1647.) & Annam Sybillam Florentinam (n. 1648.) E posteriore, Ludovicum Eberhardum (n. & den. 1651.) Dorotheam Walpurgin (n. 1655.) Wolfgangum Philippum (n. 1657.) & Julianam (n. ac den. 1658.) Idem *tomo II. p. 23. & 123.*

Daussenovia, opp. Wetteraviæ, Nassovicæ ditionis, communis cum Idstenio juris. Cyr. Lentulus *Delineat. Urb. & Agror. Nassovicæ ditionis MS.*

Davus, V. suprà *Daa*.

DE.

De die sumta convivia, apud Catullum, sunt convivia sumptuosiora, quæ diebus festis ac solennibus solito maturius institui solebant. Uti enim legitimum cœnæ tempus (*honestam & salubrem horam* vocat Tertullianus in *Apologet.*) apud Atticos erat, quum δεκάπουν aut δωδεκάπουν esset στοιχεῖον, at diebus festis & ἑξάπουν aut ἑπτάπουν observabant: ita Romani communiter epulabantur circa horam nonam, aut decimam, at in conviviis solennibus & festivis proximè horam quintam aut sextam accumbebant, cui utcunque ἑξάπουν στοιχεῖον vett. Atticorum respondit. *De die epulari* idem, vocat Livius; *de meridie*, alii: Nam absolutè *diem* pro *meridie* dicebant, cùm eo tempore dies maximè sit. Itaque *de die* tempus erat, quod statim à sexta hora seu meridie incipiebat: uti *de media nocte* Censorino tempus, quod mediæ nocti proximum est, dicitur. Salmasius *Ad Solinum pag. 648.* V. quoque infrà, ubi de *Tempestivis Conviviis*.

Dea, Gentilium nomen, apud quos sexus in divinitate discrimen habitum est: Imò & Dii ἀρσενόθηλυς conficti, unde *Lunus* & *Lunus*, *Mithra* mas & fœmina apud Persas, ut infrà videbimus, &c. Hincque tam numerosa Numinum Heroumque soboles, apud Hesiodum *in Theogonia* alibique, cùm Dii Deabus, vel alterutri eorum hominibus se miscuissent: quorum hos *Semideos* quoque appellatos esse, diximus in voce *Heroës*. Earum vehicula hoc vet. *Epigrammate* enarrantur:

Matronam magni vehit ardens pavo Tonantis,
Ad Veneris currum juncta columba cygno est.
Pallada bubo vehat, sed eam rota nulla figurat,
Anguibus alma Ceres, Persephoneq; venit.
Delia cum Luna est gemina provecta juvenca,
Venatrix cervas virgo Diana tenet:

apud Casp. Barthium *Animadversion. ad Papin. Statium Thebaid. lib. 4. versu 430.* Sed & nihil novum armare *Deas* suas Poetis. De Junone, iracundo & irritabili Numine, de Minerva, de Diana, nota res. Venerem pari etiam modo traductam, insigni exemplo & eloquentiâ ostentat Val. Flaccus *Argonauticôn lib. 2.*

Plura

Plura V. infrà in voce *Dii*, nec non ubi de *Quarum* qualibet suo loco.

Dea, castrum Galliæ, memoratum Gregorio Turon. *lib.* 3. *cap.* 21. in pago Biterrensi, Blondello hodie *Montadié*, Hadr. Valesio *Dieu* esse videtur, *in Not. Gall.* in voce *Capraria*. Item nomen Monasterii, in pago Herbatilico ejusdem Regni, in Pictonibus; quod *Monasterium S. Filiberti* recentiores dixere, & *de Grandilacu* cognominavere, *S. Filibert de Grandlieu*. Idem in voce *Herbatilicum*.

Dealbatores, inter Artifices, qui à publicis muneribus excusantur, recensentur *l.* 1. *de Excusat. Artific. lib.* 10. Ubi Cujacius eos ab *Albinis* ibidem memoratis sic distinguit, ut *Albinos* parietes dealbasse; *Dealbatores* alia quælibet dicat. Utrosque Salmasius à *Tectoribus* distinguit & *dealbare* proprium albarii operis, tectorii verò *linere* & *polire* esse docet. Græci tamen κονιατὰς tam Albarios, quam Tectores vocant, V. eum *ad Solinum pag.* 1229. & suprà ubi de *Albario opere*.

Deambulatorium, in Gloss. *MSS. peribulum*, h. e. solarium vel mœnianum, quòd in mœnianis vel solariis ambularent. Unde illud Augusti, *Quid? ego, ut me populus dicat bene cultum, in solario ambulaturus sum.* Nempe, cùm duplicis generis tecta haberent Vett. *plana*, aut *inclinata* ad stillicidia deducenda; hoc genus *fastigium* aut *culmen* Latini; ἀετὸν & ἀέτωμα, Græci: illud *mœnianum*, aut *solarium* dixere; propriè tamen mœnianum περίβολος vel podium erat, in circuitu solariorum positum, ne facilis in præceps lapsus esset, Hieron. *Epist. ad Suniam & Fretellam*. V. infrà ubi de *Mœnianis*, & plura hanc in rem apud Salmasium *ad Spartianum in Pescennio Nigro*. In his itaque mœnianis seu peribolis solebat ambulari. In *Vita* Geraldi Abbatis Grandis-Silvæ *num.* 12. *Deambulatoria Ecclesiarum* occurrunt, quæ sunt porticus Ædis sacræ corpus ambientes, apud Car. du Fresne G[illegible] *gar*.

Deaurandi Capillos artificium, indigitatur Flacco *lib.* 6.

> ——— *sanguine vultu,*
> *Et gravidæ maduere comæ, quas flore Sabæo*
> *Nutrierat, liquidoq; parens signaverat auro.*

A' quo χρύσωσις illa diversa, quâ intertexturâ aurearum bractearum barbam inaurasse Persarum Reges Joannes Chrysostomus memorat *in ad Coloss.* 3. Ut & illa, de qua dictum suprà ubi de *Auri scobe*. Neque hoc adeò mirum videri debet: nam & alias corporis partes *deaurabant*; ut papillas, Juvenalis de Messalina.

> ——— *tunc nuda papillis*
> *Constitit auratis* ———

Item ungues. Virgilius,

> ——— *præfulgens unguibus aureis,*

Ubi Servius, *ungues*, inquit, *solent deaurari*. Statius,

> ——— *auro mansueferas ungues.*

Quod hodieque Turcis in usu &c. V. Salmasium ad *Capitolinum in Vero*: ut de capulorum, statuarum &c. *deauratione*, suprà ubi de *Auro vinctis*, item in phrasi *in Auro* vel *sub Auro*. Hinc appellati *Deauratores*, qui inter Opifices immunitatis gaudentes jure, recensentur, *l.* 5. *C. de Excus. Artif. lib.* 10. Ubi Cujacius, alios esse ait *Deauratores*, alios *Aurifices*, χρυσωτὰς & χρυσοχόους, in vett. *Glossis*, du Fresne. Sed & inter *Inauratores* ac *Deauratores* distinguit Salmasius, cùm *Cameras inaurari per bracteas, pelles & argentea vasa deaurari per liquationes, consuevisse*, ait, *Not. ad Vopiscum in Aureliano*.

Debitum, apud Romanos probabatur vel Expensi latione, (Cùm enim creditor pecuniam numeravit ex arca sua, nomen illius cui eam dederat, in tabulis, cum summa debiti, perscribebat: quæ tabulæ etsi domesticæ, in judicio fidem faciebant pecuniæ creditæ;) vel Mensæ rationibus, cùm nimirum creditor per Argentarium sive Trapezitam nomine suo id fieri curabat (Tum enim Trapezita in rationes suas referebat, se nomine & mandato Sempronii Titio tantam pecuniam numerasse, quæ *ex mensa* sive *ex mensæ scriptura* dari dicebatur.) vel Chirographi exhibitione, vel Tabularum obsignatione i. per syngraphas obsignatas, vel denique Testium intercessione (solebat namque aliquando etiam pecunia mutuo dari, solis testibus præsentibus absque ulla scripturâ.) V. A. Gellium *lib.* 14. *cap.* 2. Salmasium *de M. U. cap.* 10. & 11. &c. Confessi igitur æris ac debiti judicatis triginta dies *justi* dati sunt, ad conficiendam pecuniam, quo tempore in jus vocari non poterant, sed justitium quoddam i. juris inter eos interstitium ac cessatio erat. His exactis, nisi dissolverent, ad Prætorem vocabantur, & ab eo, quibus erant judicati, addicebantur, hinc *addicti* appellati, nervoque aut compedibus vinciebantur apud Creditorem. Veteribus enim Romanis domi [illegible] privatos habere carceres permissum erat, in quibus vinctos detinere possent debitores sibi, quod solvendo non essent, addictos, unde illa querelæ apud Livium *l.* 6. *Gregatim quotidie de foro ad[illegible] duci & repleri vinctis nobiles domos & ubicunque Patri[illegible] bites, ibi carcerem privatum esse.* V. quoque eum *lib.* 2. Sic vinctis libræ farris singulæ in singulos dies dabantur, quod servorum fuisse diarium, docet Horatius *Sat.* 5. *lib.* 1.

> ——— *Rogabat*
> *Deniq; cur unquam fugisset, cui satis una*
> *Farris libra foret, gracili sic tamq; pusillo?*

(Far autem de pulte farrea, qui antiquus Romanorum victus fuit domi militiæque usurpatus, capiendum putat Oiselius; eratque puls hæc farina cocta cum aqua & sale.) Ita enim lex XII. Tabb. *Æris confessi debitique jure judicatis triginta dies justi sunto. Post deinde manus injectio esto, in jus ducito, ni judicatum facit aut quis endo em jure vindicet secum ducito, vincito aut nervo aut compedibus quindecim pondo ne majore aut si volet minore vincito, si volet suo vivito, ni suo vivit qui em vinctum habebit, libras farris in dies dato, si volet plus dato.* Erat autem jus interea paciscendi, ac nisi pacti forent, habebantur in vinculis dies sexaginta; inter eos dies trinis nundinis continuis ad Prætorem in Comitium producebantur, quantæque pecuniæ judicati essent, prædicabatur. Tertiis autem nundinis capite pœnas dabant, aut trans Tiberim peregre venum ibant & extra fines, ut mancipia educebantur ac serviebant, quod venditionis genus atrocius ac durius Græci πωλεῖν ἐπ' ἐξαγωγῇ dicebant, aut si plures forent, quibus reus esset judicatus, secabantur, partem quovis creditorum sibi sumente; juxta legem iterum XII. Tabb. *Tertiis nundinis partis secanto si plus minusve secuerint, se fraude esto.* Quod tamen nunquam factum legitur, quemadmodum nec Transtiberinæ venditionis exemplum ullibi extat, aut capitis pœnæ: Hinc apud Livium & Dionysium Halicarn. addictos nihil aliud quàm deplorare suam servitutem & quæ servitutem comitari solebant, cruciatus, tormenta, vincula, ergastulum, carnificinam, legimus. Ita enim apud Livium *lib.* 2. ille magno natu, qui se cum veste squalida, promissa barba, capillisque speciem oris efferantibus ac omnium malorum suorum insignibus, in forum projecerat, *Ductum se ab creditore, non in servitium, sed in ergastulum & carnificinam esse* &c. exclamat. Hactenus de *addictis*. *Nexi* dicebantur *Debitores*, non qui vinciebantur, Non enim lex XII. Tabb. *Nectito*, sed *Vincito*, dixit: *Sed liberi qui suas operas in servitutem pro pecunia dabant, dum solverent*, ut loquitur Varro *lib.* 4. *de L. L.* id est, obligati corpore, vel oppignorati. Eodem namque modo *nexus* ipse debitor dicitur, cujus corpus pro pecunia credita obnoxium est, quemadmodum bona *nexa* quæ obnoxia & oppignerata sunt. Utrique cùm debitum exolvebant seu pecuniâ seu operâ suâ, recuperabant libertatem dicebanturque *nomina sua liberare* &c. V. Oiselium *Notis in A. Gellii locum suprà laudatum*, Sigonium *de jur. Rom. lib.* 1. *cap.* 31. Michaelem Toxitam *Orat. pro P. Quintio*, Fr. Sylvium *in Epist. Vir. Illustr.* Cœl. Rhodiginum *lib.* 12. *cap.* 20. &c. Postmodum verò id abolitum, legeque cautum, ne *Debitoris* corpus in posterum obnoxium creditori esset, docet Livius *lib.* 8. *cap.* 28. *Eo anno plebi Romanæ velut aliud initium libertatis factum est, quòd ligari nexi desierunt: mutatum autem jus ob unius fœneratoris simul libidinem, simul crudelitatem insignem. L. Papirius is fuit*, &c. V. dignam lectam ibi historiam.

Decades Chartarum, sæpius occurrunt apud Anastasium in *Vitis* Pontific. pro chartæ scapis, quod pluresc. scapus tunc non haberet: cùm Plinii tempore plagularum, quas scapus tunc vulgò continebat, legitimus numerus vicenarius esset, V. infrà, in voce *Scapus*. Sic res aliæ multæ, per *decurias*, venditæ. Treb. Pollio in *Claudio*, *Pellium tentoriarum decurias triginta* &c. Salmasius ad h. l. V. quoque infra.

Decalitron, monetæ genus, apud Æginetas, statereм valebat Corinthium, Polluce teste: sex decem obolos Æginæos, sexdecim obolos Atticos cum besse seu duobus trientibus ejusdem oboli Attici: non solùm cum triente uno, ut vult Salmasius *de M. Usurarum cap.* 6. quippe cum sex oboli Æginæi decem Atticos æquarent, unus Æginæus continebat Atticum unum, & præterea ejus bessem seu duos trientes. Itaque *Decalitron* excedebat duas drachmas Atticas, quæ 12. tantùm obolos Atticos haberent, contra quàm sensere quidam. Idem erat *Decalitron* Corinthiacum & Syracusanum, cujusmodi pondere supra didrachmum, & semidrachmam atque aliquid amplius excurrentia, reperiri hodieque in capsis Antiquariorum, testis est *dicto loco* Salmasius. Unde non nisi per abusum vocis *Decalitron* drachmam aliquando vocari, patet. V. Joh. Fred. Gronovium *lib.* 3. *de Pecunia vet. c.* 3.

Decalogus, quid apud Christianos significet, notum. *Decem* nempe *capitibus* divina Lex absolvitur, quem numerum etiam Gentiles advertisse, sunt qui conjicere audeant. Refertur certè apud Platonem, ex narratione Eris Armenii, de iis, quæ mortuus apud Inferos viderat, inter alia, *Quosque aliis injurias intulisse constaret, pœnas singulatim pro quolibet decies reddidisse, ut animæ injuriæ* decuplam *darent pœnam. Itaque si qui cædis multorum causa fuerint civitatesq; & exercitus prodiderint, vel homines in servitutem egerint, vel alicujus alterius flagitii & sceleris conscii fuerint, in his omnibus pro quolibet facinore pœnas* decuplas *pendere*. Quibus Platonem Mosaicum *Decalogum* forsan imitatum, Marsilius adnotat, qui etiam cùm arbitratus sit, eum quodammodo in omnia *divinæ Legis decem præcepta* simul delinquere, qui unum aliquod ex illis violassent, jure decies puniendum judicaverit. V. Platonem *de Rep. lib.* 10. cum *Argum. & Commentar.* Marsilii Ficini, laudatum Tobiæ Pfannero *System. Theol. Gentil. cap.* 11. §. [illegible]

Decalvatio, pro pœna vel ignominiâ & injuria per abscissionem capillorum illatâ, frequenter occurrit apud Scriptores. Quippe

pe, ut ait Constantinus Africanus *Pantechn. lib. 2. cap. 16. Capilli caput custodiunt, honestant & defendunt: quibus si careas, maxime est inhonestas.* Hinc de Episcopis in Africa vexatis, *Appendix Cod. Theod. Constitut.* 14. *Alios ad solam divini cultus injuriam, avulsâ capillorum parte sœdatos* &c. Fuit autem pœna vulgaris, quâ in sontes olim sæviebant Gothi, Hispani & Franci: Latrones præsertim, fures, seditionumque incentores, ut videre est, apud Autorem *Vitæ* S. Bavonis *cap.* 10. Ordericum Vitalem *lib.* 8. & Lucam Tudensem. Childericum Regem Francorum *ignavissimum depositum & decalvatum* esse, scribit Monachus Sangallensis *in Carolo M. lib.* 1. *cap.* 10. Quendam *condemnatum à Synodo, calvariâ acceptâ in capite expulsum, segregatumque* fuisse à Congregatione, legimus in *Vita* S. Leodegarii *cap.* 14. &c. Sed & Hungaris peculiare esse hoc pœnæ genus, docet ex *Decretis* S. Stephani R. Hungar. *lib.* 2. *cap.* 8. & S. Ladislai, *lib.* 2. *cap.* 11. Car. du Fresne in *Glossario* hac voce. V. eum quoque in *Capillus*, *Crines*, *Depilare*.

Decanica, in *Nov.* 79. loca sunt publica, quæ tamen non sunt carceres, licèt in ea rei quandoque conjiciantur, custodiæ causâ, cùm & haberi in iis conventus soleant & recondi res pretiosæ, Cujacius *ad Nov. d.* apud Joann. Calvinum *Lexic. Jurid.* Carolo du Fresne *Decanicum*, Carcer est Ecclesiasticus: *Carcer Canonicalis* disciplinæ, in *Concil.* Coloniensi A. C. 1260. *can.* 1. 2. Quemlibet enim Episcopum, in Episcopatu suo unum vel duos habere carceres, *pro Clericis flagitiosis*, jubet Concilium Lambethense A. C. 1260. *Diaconica* eadem dici alibi adnotat Gothofredus *ad d. Nov. cap.* 3. V. du Fresne *Descr. S. Sophiæ n.* 84.

Decanus, adde: In quibusdam Ecclesiis Cathedralib⁹, *Decanos* superpellicio indutos, gladio cinctos, perâ instructos, calcaribus aureis pedes revinctos, cum accipitre super pugno, dignitatis suæ possessionem inire, docet idem du Fresne ex *Historia* Eccl. S. Aniani Aurelian. & *Probat.* V. plura hanc in rem, apud eum in *Glossar.* & Macros Fratres *in Hierolexico*.

Decanus, ex Græco Δεκανὸς, ex Astrotheologiæ veteris disciplina, appellatus est ὁ ὡροσκόπος, h. e. *nativitatis tempus inspiciens* Deus, qui nascentiæ præerat. Hesychius, ὡροσκόπος, ὁ σκοπῶν τὰς ὥρας, ubi supple, ὁ Θεὸς vel Δεκανὸς. De iis Manilius,

Quin partes in decimas dixere Decanon *agentem,*
A numero nomen positum est, quod partibus astra
Condita tricenis triplici sub sorte feruntur.

Nempe uniuscujusque signi cœlestis partes tricenas, in tres decurias ac tres *Decanos* fuere antiquitus, ab hujus artis peritis, contributæ. Et quidem tribus prioribus decem partibus unus Decanus præerat, qui & *primus Decanus* dicebatur: tribus sequentibus, *secundus*; tribus postremis, *tertius*. Sic quicunque nasceretur, aliqua signi parte exoriente, necesse erat eum ex tribus his Decanis aliquem pro horoscopo habere, cùm per decem signi partes unus eorum valeret ac potestatem haberet: uti tradit Hephæstion. In solis signorum interstitiis, quæ Græci μεθόρια dixere, nullos inveniri Decanos, qui nomen suum ac potestatem exerant, adeoque in illis genitos pro infelicissimis haberi, addens. Qua de re paulo aliter Firmicus, quem vide. Singulis porro Decanis terna Numina attribuerunt, quos appellavere Λειτουργοὺς, i. *Munifices*, qui novem Liturgi Dii rursus per infinitas alias Numinum potestates fuere divisi. Sic ut nulla pars signi Deo suo vacaret, sed in qualibet earum exoriente, Deus aliquis sive Decanus constitutus, in illo puncto nascentium tempus inspectare & vitam fortunasque constituere crederetur. Quin & Decani ipsi *Dii* dicebantur, ut dictum, unde *Numen Decanorum* passim apud Firmicum; imò Δεκανοὶ ubique Θεοὶ appellati Hephæstioni. Fuitque hæc eorum observatio vetustissima, & cum ipsis Genethlialogiæ incunabulis nata, apud Græcos & Chaldæos: nam & Necepso & Petosiris eos noverant, deque iis scripsit jam Teucer Babylonius. Nomina ipsorum apud Firmicum *Asican*, *Senacher* & *Sentacher*, apud alios alia: Græci antiquissimi πρόσωπα dixere, ut & Judæi & Arabes, פנים id est, *facies*. Iidem verò & stellis deputabantur: Sic primus Arietis Decanus, Marti deputabatur; secundus Soli, tertius Veneri. Hinc primus ille πρόσωπον Ἄρεως, secundus πρόσωπον Ἡλίου, tertius πρόσωπον Ἀφροδίτης, vocabatur. Ratio nominis, quòd stellæ, cui deputati erant, personam quisque sustinere illamque repræsentare credebatur. Qua de re Firmicus: *Sunt autem infinitæ potestatis —— & qui fata hominum suâ auctoritate designent. Sed & ipsi Decani singulis stellis deputantur, & si in ipso Decano stella fuerit, licèt sit in alieno domicilio, sic est habenda, quasi in suo sit domicilio.* Nempe quia Decanus ejus personam sustinebat. Pingebantur autem varia specie habituque; imò figuras eorum in annulorum sculpturis vulgò imprimendas curabant, ut amuleta essent: quas figuras ex Indorum, Persarum, Chaldæorum, Ægyptiorum sententiis receptis, Albumasar & Abenezra tradidere. Earum verò ratio primaria habita, quà ex Orientis Horizonte ascendebant, sicque hæc Numina Παρανατέλλοντα, *cum orientia sideribus* erant. Unde ansa singularis versùs Orientem adorandi, apud Gentes, quibus disciplina illa admissa &c. Ab astris postmodum vox ad castra descendit, pro eo, qui potestatem in dena capita exerceret, qui & *caput contubernii* dicebatur: inde in Ecclesiam translata est, ut vidimus, V. Salmasium *ad Solinum pag.* 653. *& seqq.*

Decaproti, *leg.* 3. §. *decaprot. ff. de muner. & honor. leg.* 10. *ff. de pollicitat. l. ult. §. mixta ff. de mun. & honor.* Latinè *Decemprimi*, Cic. *pro Roscio*, *Decretum Decurionum statim fit, ut decemprimi proficiscantur*: erant Decemviri, ex Decurionum ordine constituti, qui tributorum exactioni ita præerant, ut, si qua detrimenta Fiscus defunctorum culpâ contraheret, ipsi suis sumtibus resarcirent. Arcadius, *leg.* 18. §. 3. *Decaproti & Icosaproti tributa exigentes, & corporale ministerium gerunt & pro omnibus defunctorum fiscalia detrimenta resarciunt.* Officium eorum *Decaprotia* dicitur *l. ult. §. mixta*, Lat. *Decemprimatus*, *leg.* 1. *ff. de muner. & honor.* &c. Barn. Brissonius, apud Johannem Calvinum *Lexic. Jurid.* V. infrà.

Decarchones, Tribuni dicebantur Romæ à Populo creati, tempore Joannis XII. Macer *in Hierolex.* Docet nempe Sigonius *de Regno Italiæ lib.* 6. pulso Hugone Com. Arelatensi, qui cum Berengario juniore de Regno decertaverat, Reip. Rom. formam tum imutatam esse, novis Magistratibus, *Decarchonum* nomine lectis, cùm ait: *Consulum renovatum nomen efficit, ut mutatam sub hoc tempus Romanam Remp. arbitrer. Romani certè, Regibus Pontificibusque contemtis, novum statum Civitatis invexisse hac tempestate videntur. Argumento est, quod Ducis aut Magistri Militum magistratus, à quibus, Exarchis & Pontificibus civitatem tenentibus, urbs Roma diu est gubernata, per hæc tempora celebrari desiit ac pro eis Præfectus Urbis, Consules & Tribuni Pl. inducti sunt, qui Decarchonum nomen tulerunt.* Meminit eorundem Blondus *Dec.* 2. *lib.* 3. *Romæ enim duos Consules ex Nobilitate quotannis tunc fiebant, & Præfectus item ex Nobilitate creatus, populo jus dicebat: ex plebe autem creati singulis annis duodecim, quibus* Decarconibus *erat appellatio, Senatus vicem in conciliis & deliberationibus obtinebant.* V. Becclerum *in Ottone I.*

Decargyrum, Græcè Δεκάργυρον, monetæ majoris species eademque cum ea, quæ *Majorina* dicta, ex *leg.* 2. *Codicis Theodos. Si quis pecun. conflav.* Sic a. appellata est quòd *decem argenteis* minutioribus æstimaretur, proindeque sexta argenti libræ pars esset: quippe *argenti libra una in argenteos sexaginta dividebatur*, *l.* 1. *eod. Cod. de expens. Lud.* du Fresne. At Δηνάριον, *denarius* est, sicut ὁ μιλιαρήσιος, *assarius*, Salmasius ubi suprà.

Decebalus, adde: Plures alios ejusdem gentis Reges *Decebali* nomen habuisse, notat Casaubonus *ad Trebellium Pollionem in Regilliano*.

Decelea, adde: Hujus cives primos Nemeis ludis præfuisse, postea Corinthios, scribunt nonnulli. Alii tamen Cleonæos primos fuisse volunt, uti adnotat Jul. Cæs. Scaliger *Poëtices lib.* 1. *cap.* 25. V. de Nemeis Ludis suo loco. Inscriptiones aliquot vett. hujus demi memoriam servantes, easque antiquiores Duillianâ Romæ ipsâ, exhibet Jac. Sponius *Itiner. Part.* 3. *pag.* 108.

Decem Nummi, apud Romanos, singulis Equitibus, in Spectaculis desidentibus, dati sunt olim, ad vinum & bellaria; sestertii scilicet, quorum quivis assem cum dimidio faciebat, ut infrà videbimus. Unde Martialis *lib.* 1. *Epigr.* 12. ad Sextilianum potorem,

Cùm data sint Equiti bis bina numismata, quare
Bis decies solus, Sextiliane, bibis?

Idque è gradibus Theatri seu Amphitheatri, ut idem in eundem *lib. eod. Epigrammate* 27. ostendit,

Nec consessorum vicina numismata tantùm,
Æra sed à cuneis ulteriora rapis.

Ad quæ loca V. Salmasium, cui adde Hadr. Turnebum *lib.* 18. *cap.* 30. Lipsium *de Amphitheatro cap.* 13. Bulengerum *de Circo cap.* 34. &c. De *Decemjuge* verò *curru*, quo Nero Olympiis aurigavit, Suetonium *cap.* 25. *in eod.*

December, mensis nomen sic dicti, quòd decimus esset à Martio, quem anni primum habuere Romani. Ab adulatoribus Commodi Imp. *Amazonius* vocatus est, in honorem concubinæ ejus Martiæ, quam pictam in Amazone diligebat, ut ex Ælio Lampridio discimus: sed hanc appellationem diu non retinuit. Fuit in Vestæ tutela, habuitque ex ordinatione Romuli dies 30. ex Numæ constitutione 29. ex Julii Cæsaris instituto 31. Festa hoc mense celebrata sunt varia; Kalendis peractum fuit primum sacrum Fortunæ muliebris, quod tamen inde translatum est in 4. Non. Quintileis: Nonis Fauni festum erat: 3. Idus Agonalia: 18. Kal. Januarii Saturnalia: 14. Kal. Jan. Opalia seu feriæ Opis: 13. Kal. Januarii Sigillariorum festum incipiebat. 12. Kal. Jan. Divalia erant seu Angeronalia: quo die Herculi quoque ac Cereri mulso libari & sue prægnante sacrificari consuevit: 11. Kal. Jan. feriæ erant Laribus dedicatæ: 10. Kal. Larentinalia: 9. Juvenales ludi erant. Celebratum quoque hoc mense festum fuit, quod *Septimontium* dicebatur, sed quo die, incertum: Post Laurentialia ejus Varro meminit, *lib.* 5. *de L. L.* V. Job. Rosinum *Antiqq. Romanorum lib.* 4. *cap.* 16. Apud Athenienses Ποσειδεὼν dictus est, à Ποσειδῶν, i. *Neptunus*, huic enim Kalendæ ejus sacræ erant, Casaubonus *in Theophr. Char. ult.* proin vocatæ Ποσειδῶνος ἡμέρα i. *Neptuni dies*. Hujus mensis die 5. *Ἀλῶα* seu Dionysia τὰ κατ' ἀγροὺς: & d. 26. Ἁλῶα in Cereris honorem, obiere, V. Franc.

Rosseum *Archaeologia Att. lib.* 2. *cap.* 10. Apud Hebræos, ante captivitatem Babylonicam, *Mensis nonus*, post illam *Chislev* dictus est, Thom. Godvvynus *de ritibus Hebr. lib.* 3. c. 1. Eum *gravidum mero* vocat Papinius *lib.* 1. *Sylv.* 6. *versu* 5. ob Saturnalia aliaque festa præfata, & curam Genii ad forum uberem hyemali tempore. Accedit quòd tota hyems sacra erat Liberæ, quam Liberi seu Bacchi sororem sanctè cultam docet Cicero *de N. D. lib.* 2. & ex toreumate argenteo vetere, cui insculpta quatuor anni tempora commentario illustravit Steph. Pighius, Casp. Barthius *Animadversion. ad Statium.* Hinc *Decembrica* Libertas, apud Durandum *Ration. lib.* 6. *cap.* 8. V. infrà *Kalendæ*.

Decempeda, apud Horatium *lib.* 2. *Carm. Ode* 15. ubi de vett. Romanorum continentia:

——— *nulla* decempedis
Metata privatis opacam
Porticus excipiebat Arctos:

Interpreti veteri est, *regula decem pedum, quâ ab artificibus mensura fabricæ colligitur.* Nempe apud Cascos illos Romanos, quum ædificiorum privatorum magnificentia nondum publicorum mœnium sumtum superabat, nulla porticus tam longa fiebat, ut gromis & decempedis perducenda esset ac dirigenda ejus longitudo, sed in solis porticibus publicis metandis gromæ tum locum & usum habuere. Ubi verò porticus privatorum & xysti ampliores laxioresque facti sunt, quàm publici, tum privatis decempedis ac gromis, ad eas metandas fuit locus. Græcis Δεκάπους, item Ἄκαινα 10. erat pedum regiorum, duodecim verò pedes habuit Italicos. V. de illa fusè agentem Salmasium *ad Solinum pag.* 683. & hic in ubi *Acnua*, nec non de *Panis militar.*

Decemprimi nobilium Civitatum, apud Cic. *pro Rosc. Maximarum Civitatum Decemprimi Juridici*, apud Firmicum *lib.* 3. *cap.* 7. & *Popularium Civitatum Principes vel Decemprimi*, *cap.* 12. Iidem cum Decaprotis sunt, de quibus *Decemprimi Scholarum*, in *lib.* 10. *Cod.*, Theodos. *de Domest. & Protect.* qui in singulis Scholis Domesticorum & Protectorum, post Primicerium, ex decem sequentibus erant, & ad eum gradum *temporis prolixitate* pervenerunt, quem *Decemprimatum* vocat *lex* 7. & 8. *Cod. Theod. eod. tit.* du Fresne *Glossar.*

Decemviri, adde: Legati illi erant Sp. Posthumius, Ser. Sulpitius & A. Manlius. *Decemvirorum* nomina, Ap. Claudius T. Genutius, P. Sextus, Sp. Veturius, C. Julius, A. Manlius, Ser. Sulpitius, P. Curiatius, T. Romulius, Sp. Posthumius, qui omnes Consulari potestate functi erant. Eorum creandorum occasionem primam dedit C. Terentius Arsa Tr. Pl. legem se promulgaturum, de Quinqueviris legum de Consulari imperio scribendarum causâ creandis, professus an. C. 291. Coss. L. Lucretio Tricipitino, & T. Veturio Gemino. Cui cùm acriter Patres & Præfectus urbis Q. Fabius restitissent, perlata ea non est. Insequenti autem anno P. Volumnio & Servio Sulpitio Camerino Coss. collegium Tribunorum ad populum tulit de *Decemviris legum scribendarum* creandis, idque in annum unum, quod demum an. 303. effectui datum est, creatique sunt præfati Viri cum ea potestate, quam modò Consules, olim Reges habuissent, cessantibus interea omnibus reliquis Magistratibus, & provocatione sublatâ. *Hi* itaque, verba sunt Dionysii Halicarn. *lib.* 10. *assumtis civitatis gubernaculis, talem Reip. formam constituerunt: Penès unum illorum fasces erant & reliqua Consularis potestatis insignia. Is Senatum convocabat, decreta confirmabat, cæteraque Prætoris munia exsequebatur; reliqui ad minuendam potestatis invidiam non multùm à privatis differebant habitu. Deinde alius in potestatem succedebat servatis vicibus atque ita annuum imperium administrabatur, stato quodam dierum numero.* Sic decimo die jus populo singuli reddebant eoque die penès Præfectum juris fasces duodecim erant: collegis novem singulos solùm Accensos habentibus. Finito anno illorum imperio, cùm videretur aliquid deesse legibus, etiam in sequentem annum *Decemviri* creati sunt, tribus è plebe in loca aliorum surrogatis: Verùm cùm hi statim initio administrationis suæ de imperio retinendo conjurassent, adeoque tyrannicè multa agerent, accedente inprimis cæde L. Siccii seu Sicinii Dentati viri fortissimi (qui in eorum invidiam sermones ad populum, de creandis Tribunis Pl. severat) & Virginiæ judicio, damnati sunt & potestas in universum sublata, Joh. Rosinus *Antiqq. Rom. lib.* 7. *cap.* 19. Leges autem suas *Decemviri*, Centuriatis Comitiis, post peracta sacra plebiscito confirmatas, æreisque incisas columnis 10. una serie proposuerunt in loco fori maximè conspicuo: quibus cum postea duæ aliæ accessissent, hinc XII. Tabb. leges ortæ sunt, norma in posterum justitiæ apud Romanos observandæ, Dionys. Halic. *libro præfat.* Fuere & *Decemviri Coloniæ deducendæ*, & *Decemviri Epulones*, de quibus V. suprà in voce *Colonia*: & infra in *Epulones*. Item *Decemviri litibus judicandis*, qui adhibuerunt hastam Prætoriam atque eâ positâ judicarunt exercueruntque ea judicia, quæ *Centumviralia* dicta sunt, V. Joh. Rosinum *Antiqq. Rom. lib.* 7. *cap.* 30. Fuere & *Decemviri sacris faciundis*, qui primitus Duumviri à Tarquinio Sup. instituti postea à Sulla in Quindecimviros conversi sunt: Hi custodiebant & interpretabantur libros Sibyllinos, ab anu quadam prædicto Regi magnâ pecuniæ summâ venditos, erantque partim ex Patriciis, partim ex plebe lecti: V. Fenestellam *de Sacerd. cap.* 13. Joh. Rosinum *Antiqq. Rom. lib.* 3. *cap.* 24. &c.

Decena, vel *Decenna* Bractono *lib.* 3. *tr.* 2. *c.* 10. §. 1. dicitur *Decuria* seu *Decemvirale Collegium*, cui præerat Decanus [illegible], de quo suo loco. In Vallesia, pars ejus superior, quam [illegible] Vallesiani incolunt, ubi olim Viberi seu Juberi & Seduni, in septem Conventus dividitur, quos *Decennas* seu *Decenas*, Germ. *Zenden*, hodie vocant, V. *Vallesia*.

Decennalia, V. infrà *Ludi Decennales*.

Decernere digitis, apud Calpurnium *Ecl.* 2.

Et nunc alternos magis ut distinguere cantus
Possitis, ter quisque manus jactate micantes,
Nec mora, decernunt digitis:

ad digitum pugnare, dicitur Quintiliano *lib.* 8. *cap.* 5. uno verbo, *micare*, notum ludi genus est, V. Salmasium *ad Vopiscum in Carino* & infrà in *Dimicare*.

Decia, Lex, de Duumviris navalibus, lata à M. Decio Tribuno Pleb. C. Junio Bubulco II. Q. Æmilio Barbulâ II. Coss. anno U. C. 442. *Ut Duumviros navales classis ornandæ reficiendæque causâ populus juberet*, Livius *lib.* 9.

Decii duo Coss. imperante Valeriano, Treb. Pollio, *in Valeriano patre & filio*: *Duobus Deciis Coss. VI. Cal. Novemb. die, quum ob Imperatoris literas in æde Castorum Senatus haberetur, ireturque per sententias singulorum, cui deberet Censura deferri (nam id Decii posuerant in Senatus amplissimi potestate) ubi primùm* &c.

Decima, nomen unius è Parcis: Ita enim Cæsellius Vindex apud A. Gellium *lib.* 3. *cap.* 18. *Tria*, inquit, *nomina Parcarum sunt, Nona*, Decima *& Morta.* Fuit quoque nomen sacrificii apud Athenienses, Gr. Δεκάτη, unde δεκάτην θῦσαι vel δεκάτην ἑστιᾶσαι, à die decimo nativitatis, quo nomen imponi infantibus & sacrificium offerri moris erat, sicut apud Romanos in Nominalibus fiebat. V. Franc. Rosseum *Archæol. Attic. lib.* 5. *cap.* 5. & suprà in voce *Cunabula*.

Decima, legitima cœnæ, apud Romanos, hora. Martialis *lib.* 10. *Epigr.* 70.

Balnea post decimam *lasso, centumque petuntur*
Quadrantes, quando fiet amice liber?

Et *lib.* 7. *Epigr.* 50.

Hanc licet à decima, *neque enim satis anté vacabis,*
Sollicites, capiet centum parva duas &c.

Nempe homines negotiosi actiosique [illegible] vel in ipsa, vel post eam, cœnam inibant ad vesperam sc. inclinato die, quod *labente die* dixit Virgilius *Æneid. lib.* 4.

Atque eadem labente die convivia quærit.

Moriente die, Statius *lib.* 4. *Sylv.* 6. *versu* 3.

Ac moriente die rapias me cœna benignè
Vindicis ——

Non longè sc. ab occasu Solis. Sol enim post undecimam occidebat, & ad duodecimam (quæ ultima diei hora erat) nunquam perveniebat, quæ proin nec in Horologiis notari consuevit. Itaque qui post *decimam* cœnabant, unâ horâ fere Solis occasum præcipiebant. Unde Antoninus Philos. qui studiosissimus corporis curandi erat, & diligens horarum observator, longis diebus quidem, occidente Sole, circa corporis curam versabatur, ungendo, lavando, cœnando; longissimis verò nonâ aut decimâ, Galeno teste *Υγιειν. lib.* 6. At eam anticipabant homines otiosi & gulæ dediti, pro lubitu. Sed & festiva convivia maturiùs inibantur, ut diximus suprà ubi *de Die sumtis conviviis*. V. quoque ubi de *Cœna*, *Tempestivis Conviviis* &c. plura verò hanc in rem apud Salmasium *ad Vopiscum in Floriano.* Addam saltem etiam *decimâ horâ* Ludos cessasse, Suetonius *lib.* 6. *cap.* 21. Unde Caligula, inter plebem & equitem causam discordiarum serere cupiens, *tesseras decimâ maturiùs dabat, ut Equestria ab infimo quoque occuparentur*, apud Eund. in eo *cap.* 26. Sed & ad *decimam* usque tempus, quo res aguntur in Foro, producit Paulus JC. V. Casaubonum *ad l.*

Decima, seu *Decimæ*, Hebr. מעשר, id est, [illegible] Fuere vel arbitrariæ, quales Melchisedeco Abrahamus de præda hostium persolvit, Gen. *cap.* 14. *versu* 20. & quales Jacobus in Mesopotamiam proficiscens Deo vovisse legitur Gen. *cap.* 28. *versu* 22. vel constitutæ ac determinatæ in Lege Ceremoniali, de quibus V. Exodi 12. Levitici 27. Num. 18. Deuter. 14. Hæque iterum in multiplici fuere differentia. Dari solebant tum ex fructibus terræ tum ex pecudibus, ne menthâ quidem, aniso & cumino exceptis, Matth. *cap.* 23. *versu* 23. Item ex præda, sed de prioribus hic sermo. Itaque *Decima* prima dabatur Levitis ad alimentum: *Decima ex Decima* à Levitis solvebatur Sacerdotibus, filiis Aaron. Erat alia *Decima*, quam ex suis novem partibus reliquis post decimationem, reponebant sibi Israelitæ, quam comederent ascendentes temporibus diebusque indictis ad Templum, ibique invitarent Levitas & Sacerdotes, quæ *Decima secunda* vocabatur. Erant præterea *Decimæ* ab anno [illegible] tio quoque anno, de quibus Deuteronomii *cap.* 14. *versu* 28. V. A. Rivetum *Exercit.* 88. *in Genesin.* Et quidem peractâ messe & collectis frugibus, Paterfamiliàs primitias illarum primò seorsim posuit, èque reliquo decimam partem, Hebr. מעשר [illegible]

Magna

Magnascher rischon, id est, *primam Decimam*, solvit Levitis, Tobiæ c. 1. v. 7. in sua quisque civitate, Nehemiæ c. 10. v. 37. Sixtinus Amama tamen *l. de Decimis*, primas has *Decimas* à colono ipso aut ejus vicario Hierosolymas fuisse deportandas, contendit. Ex his Levitæ decimam iterum portionem Sacerdotibus decerpsere, מעשר מן המעשר, *Magnasher min Hammagnasher*, i.e. *Decimas Decimarum* dictam, Nehem c. 10. v. 48. Eadem *Decima Sanctitatum* appellata est, 2. Chron. c. 31. v. 6. Hanc in Templum afferre Levitæ tenebantur, Neh. c. 10. v. 38. residuum in alimentum iis cessit. V. Numer. c. 18. v. 31. Primis sic *Decimis* solutis, è reliquo *Decimas secundas* persolvit, easque vel in specie, ut vulgò dicunt, vel in numerata pecunia, quo casu tamen non decem de centum, sed duodecim dare necesse habebat. Has Hierosolymam afferebat Paterfamiliâs. Institutaq; Agape Sacerdotes ac Levitas invitabat, excepto tertio quoque anno, quo eas domi Levitis, orphanis, viduis ac pauperibus distribuit, Deut. c. 14. v. 18. Tertium autem illum annum numerabant ab anno Sabbathico, quo terra quievit: itaq; *Secundæ Decimæ* tertio quovis sextoque anno domi distribuebantur: Dicebantur illæ מעשר שני *Magnascher scheni*, i. *Secunda decima*, Tobiæ cap. 1. versu 7. מעשר עני, *Magnascher gnani*, seu *Decimæ pauperum*. Item & מעשר שלישי *Magnascher Schlischischi*, i. *Decima tertia*, Tobiæ c. 1. v. 1. annuq; ille tertius propterea dictus est *annus Decimarum*, Deut. c. 26. v. 12. Eadem ratione pecudum quoque Decimæ solvebantur: *Omnium decimarum boum aut gregum earum, quæ transeunt sub virgam: decimum quodq; esto sanctum Jehovæ*, Levitici c. 27. v. 32. & *versu seq. Ne aisquiras inter bonum & malum, neq; commutes ipsum: quod si ullo pacto commutabis ipsum, tum erit illud & quod susfectum est pro eo, res sancta erit, ne redimitor.* Ubi quidam *ea quæ transeunt sub virgam*, explicant, quæ sub virga seu custodia pastoris degunt; alii potiùs ritum hic respici, quo decimum quodq; per angustum aditum intromissis agnis vel bobus, decimantis virgâ tangi sicq; Domino segregari solebat, ex Hebræorum scriptis docent, V. Sol. Jarchi Levit. 27. 31. & Maimon. *de Primogen.* c. 7. *sect.* 1. 5. Hodieq; Judæi, licet patriâ extorres & Levitico Sacerdotio destituti, loco *Decimarum* pauperibus largiuntur decimam proventuum suorum partem; si non omnes, saltem ii, qui cœteris volunt haberi religiosiores. Namq; & Ezechiæ Regis jam tempore ita neglectim solvi *Decimæ* cœperunt, ut Inspectores quidam eligi necesse habuerint. 2. Chron. c. 31. v. 13. Quorum vel incuriâ sequentibus temporibus, vel populi avaritiâ factum, ut 130. annis ante CHRISTUM natum dari planè desierint; paucissimis exceptis. Unde Moses Koitsensis, *in diebus Johannis Sacerdotis, qui successit Simoni Justo*, magnum Senatum *Sanhedrim* dictum sanxisse, ut in posterum majoris fidei ac diligentiæ viri ei negotio præficerentur, refert &c. Cùm autem de pecudibus decimas solvebant Hebræi, numerare soliti sunt annum à mense *Elul* ad mensem *Elul*, i. ab Augusto ad Augustum: Cùm de frumento, leguminibus & oleribus, à *Tisri* ad *Tisri*, id est, à Septembri ad Septembrem: Cùm de arborum fructibus, à *Schebat* ad *Schebat*, à Januario ad Januarium, V. Buxtorfium *Synagogâ Jud.* c. 12. Thom. Godvvynum *de ritibus Hebr. l.* 6. c. 3. Sixtin. Amamam *de Decimis* &c. Quibus adde Franc. Burmannum *Synopsi Theol. Christianæ Part. prior. l. IV. c.* 12. *§.* 11. *& seqq.* ubi tum primitiarum, tum decimarum proventu, ditatos Sacerdotes & Levitas partem fructuum ferme sextam juxta Scaligerum & Amamam; quintam juxta Schikardum, possedisse, adjicit. Mysticam *Decimarum* significationem quod attinet, nil aliud illæ erant quàm tributum annuum, quod populus Deo pensitabat, ut terræ, quam incolerent, summo Domino; stipendium item Levitarum pro sacra eorum militia; & figura Christi, à quo omnis Ecclesiæ sanctitas ac decus, quemadmodum *decimæ* universam massam sanctificabant; Fideliumq; ejus, qui è Mundo edecumati universæ istius massæ flos ac libamen sunt &c. Ab Hebræis ad Gentes quoq; ritus hujus aliquam umbram sparsam esse, docet Florus *l.* 1. c. 12. ubi ex Vejentina præda *Decimas* Pythio Apollini, cujus ope consilioq; se hostes vicisse opinati sunt Romani, missas esse refert. Sed & Carthaginenses Herculi Tyrio omnium, quæ in proventuum rationes cadebant, mittere *Decimas* fuisse solitos, narrat Diodorus Siculus *l.* 20. Imò & privatis fuisse moris, *Decimas* bonorum suorum interdum aut Herculi polluceere, aut in sacras usus impendere, discimus ex Cic. *de Officiis l.* 2. ut de aliis taceam. Addam saltem in Ecclesia Rom. hodieq; *Decimis* locum esse. Apud quos porro occurrit, *Decima* pauperum, in *Charta* Birgeri Diaconi in D. A. C. 1252. item in alia alterius Birgerii A. C. 1299. *in Chartis* Jacobi Archiep. Upsaliensis A. C. 1280. Erici & Waldemari Ducum A. C. 1307. aliisq; apud Joannem Schefferum, quæ pars tertia est Decimarum Ecclesiasticarum, pauperibus primitus addicta, Car. du Fresne *Glossar.* Sic *Decimæ* Militares in *Charta* A. C. 1204. in *Chronol. Epp. &c. Lodovensium*, eædem videntur quæ *infeudatæ*, Gallis vulgo *Dismes infeodées*, quæ à Militibus seu Laicis nobilibus possidentur. Quarum quidem originem Carolo Martello nonnulli adscribunt: Arnoldus verò Lubecensis *lib.* 3. *cap.* 18. earum hanc refert originem: *Scimus autem Decimas & oblationes à Deo Sacerdotibus & Levitis primitus deputatas.*

Sed cùm tempore Christianitatis ab adversariis infestarentur Ecclesiæ, easdem Decimas præpotentes & nobiles Viri ab Ecclesiis beneficio stabili acceperunt, ut ipsi Defensores Ecclesiarum fierent, quæ per se obtinere non valerent. Quibus consona habet Crantzius *Metrop. lib.* 1. *cap.* 2. V. suprà in *Abbas-Miles*, & plura de *Decima*rum in Ecclesia Rom. usu ac ratione varia, inprimis *de Decimali subsidio proventuum Ecclesiasticorum*, semel atque iterum Regibus Galliæ à Pontificibus concesso, modoque *Decimas* illas ab Ecclesiasticis exigendi, apud Car. du Fresne *Glossar.* &c.

Decimæ apud Hebræos hoc modo datæ sunt.

6000. Manipuli cùm provenerunt Patrifamiliâs:
100. decerpebantur, ut Primitiarum loco Deo offerentur.
5900. sic remanebant Patrifamiliâs, è quibus duplices solvebat *Decimas*.
590. Levitis dabantur, *Primæ* nempe *Decima*.
59. à Levitis solvebantur Sacerdotibus, seu *Decimæ Decimarum*.
5310. cùm ita residui essent, inde Paterfam. illas *secundas Decimas* exolvit.
531. videlicet: quibus omnibus solutis
4779. Patrifamiliâs remanebant, in usum proprium: Itaque cùm
1121. manipuli, in utramque *Decimam*, impenderentur, manifestum est, ultra sextam totius proventus partem, id est, nonam decimam partem de centū in usum sacrorum fuisse expensam. Sixtinus Amama ex Scaligero.

Decimanus, seu *Decumanus* limes, in *Charta* Aistulfi Longob. R. A. C. 753. apud Ughellum *Ital. Sacr. Tom. II. pag.* 105. maximus interagrorum limites, qui ab Oriente in Occidentem ducebatur, sicut Cardo a Meridie in Sept. Salmasio nomen habet ab hora *decima*, id est, vespertino tempore, quòd ad Occidentem spectaret. Sed & *Decumanus*, à magnitudine dici potuit, cùm longior latiorque Cardine fuerit, utpote cujus latitudo ex lege Augusti fuit, pedum 40. cùm Cardinis saltem 20. haberet. Idem *Gallicus* quoque dicebatur, quia Gallia ab Occidente est Italiæ; *Montanus* item, à Gallicis Alpibus: sicut in Italia *Maritimi* Cardines vocabantur, quòd à Meridie & Septentrione, uti hic limes duci solebat, mare haberet Italia. His namque duobus limitibus, quasi viis amplissimis ac Regiis in decussem sese invicem secantibus, tota territorii assignati ac divisi limitatio dirimebatur, & quatuor regiones universæ perticæ fiebant. Porrò *primus maximus* appellabatur, ut & Cardo, quòd latitudine cœteros limites præcederent. Imò & *Duodecimanum* Veteribus dictum esse, ab hora 12. seu suprema, quâ Sol occidit, docet idem *ad Solinum pag.* 676. *& seqq.* ubi de Vett. Re Agrimensoria pluribus agit.

Decimatio, pœna fuit apud Romanos militaris, cùm integra Legio officium non fecisset, etiam apud alias gentes in more. Ejus antiquissimum exemplum extat apud Livium *lib.* 2. ab Appio Claudio Conf. ferocissimi ingenii viro, incertum an primùm editum, non multis post Reges exactos annis. Verba ejus sunt: *Appius Claudius Consul advocatâ concione invectus haud falsò in proditorem exercitum, militaris disciplinæ, desertorem signorum, ubi signa, ubi arma essent, singulos rogitans, inermes milites, signo amisso Signiferos, ad hoc Centuriones duplicariosque, qui reliquerant ordines, virgis cæsos securi percussit, cætera multitudo, decimus quisque ad supplicium lecti.* Rationem reddit Cicero *pro Cluentio*: *Statuerunt*, inquit, *ita Majores nostri, ut si à multis esset flagitium rei militaris admissum, sortitione in quosdam animadverteretur, ut metus videlicet ad omnes, pœna ad paucos perveniret. Nam miles, qui locum non tenuit, qui hostium impetum vimque pertimuit, potest idem postea miles esse melior & vir bonus & civis utilis: quare ne in bello propter hostium metum delinqueret, amplior ei mortis & supplicii metus est à Majoribus constitutus: Ne autem nimis multi pœnam capitis subirent, idcirco illa sortitio comparata est*, V. Carolum Sigonium *de antiquo jure Civ. Rom. lib.* 1. *cap.* 15. Alex. ab Alexandro *Genial. dier. lib.* 2. c. 13. Joh. Rosinum *Antiqq. Rom. l.* 10. c. 26. &c. Aliquando Ducis clementiâ mitigata pœna, & loco *Decimationis* vicesimatio vel centesimatio Legionis instituta est. Quanto atrocior ille fuit, qui *Decimationem* sic interpretatus est, ut novem ad supplicium raptis decimum quemque solùm vivere permitteret: & Basilius Imp. Græcus, qui cùm Bulgaros vicisset, 15000. captivorum oculos eruit: singulis saltem centuriis unoculum concedens, qui cœteros domum reducerent, apud Georg. Cedrenum *in Histor.* circa A. C. 1002. &c.

Decius, apud Jac. de Vitriaco *Histor. Occid. cap.* 10. *Ea quæ turpiter in Ecclesiis lucrabantur, in tabernis & ludis deciorum — turpius expendebant*, & in *Edicto* S. Ludovici R. Fr. apud Nangium, *Scholas etiam deciorum prohibemus omnino, ita ut tenentes eas districtè puniantur. Fabrica verò deciorum prohibeatur ubique*: talus seu taxillus est, Gallis *Dé*. Quos non fuisse quadratos olim, uti nunc sunt, discimus ex Pseudo-Ovidio *de Vetula lib.* 1.

Cùm decius sit sex laterum, sex & numerorum
Simplicium, tribus in deciis sunt octo decem &c.
Quarum non nisi tres possunt deciis superesse &c.

Vocis etymon nonnulli arcessunt à *dare*, tesserasque hujusmodi quasi *datos* volunt appellatas, V. suprà in *Dadus*. Alb. Acarisius *Dados* dictos vult, q. *ditos*, i. digitos, horum enim in hoc ludi genere præcipuus usus; Gallique *Dez* etiamnum Digitalia appellant. Carolus verò du Fresne *ludum Deciorum* nuncupatum putat, ex vet. Gallico, *Jus de Dé*, h. e. *Judicium Dei*, seu sortes per tesseras aleatorias jactæ, V. eum in *Glossario*.

Decoctores, apud Athenienses olim infamiâ notati: Ex lege Solonis, Ὁ τὰ πατρῷα κατεδηδοκὼς, ἢ ὧν ἂν κληρονόμος γένηται, ἄτιμος ἔστω, *Decoctores paternæ aut alterius cujusvis hereditatis, ignominiosi sunto*. Legem descripsit Diogenes Laërtius in *Solone*, & Æschines *in Orat. c. Timarch.* inter cœteros, quos orare Leges non sinebant, recenset οἱ τὰ πατρῷα κατεδηδοκότες, ἢ ὧν ἂν κληρονόμοι γένωνται. Sam. Petitus *Comm. in LL. Atticas lib. 5. tit. 2.* Orabant enim aliàs & suffragabantur in Concione omnes Athenienses, primò quidem seniores, deinde minores, pro ætatis uniuscujusque ratione atque ordine, ab anno ætatis vicesimo, ex quo Lexiarchico fuerant inscripti: quo honore infamiâ notati atque inter hos, *Decoctores*, ex prædicta lege carebant. V. eundem Petitum *Ibid. lib. 3. tit. 1.* Adrianus Cæs. *Decoctores*, si suæ auctoritatis essent, catomidiari in Amphitheatro & dimitti jussit, apud Spartianum, V. ubi de hac pœna. De iisdem Scaliger *Poetic. lib. 1. cap. 21.* *Voluntarios* decoctores, *qui ganea, aut alea, aut scorto aut luxu rem fecissent deteriorem quique sese ære obligassent, Atheniensium sequutus morem* (Otho Trib. Pl.) *toto Theatro abstinere jussit. Qui verò non sponte decoxissent, certa iis loca attribuit.*

Decreta, dicuntur Jurecons. quæ Princeps causâ cognitâ ex utraque parte pronuntiat. *Glossa Basilic.* Δικρῆτον, ἀπόφασις βασιλέως κἀ ἄρχοντος. Postea in Ecclesia, cùm Canones Conciliorum duplicis esse cœpissent generis, eos, quibus mores & disciplina Ecclesiæ regebatur, peculiari appellatione, *Canones*; quibus verò fidei determinabantur capita, Δόγματα Græci, *Decreta* Latini quoque appellarunt. Hinc in Justiniani *Nov. 131. cap. 1.* Δόγματα & Κανόνες disertè à se invicem distinguuntur, & apud Eusebium *Histor. Eccl. lib. 6. cap. 35.* ubi de Concilio agitur c. Novatum, quod Episcopi cœterique decreverunt, *de pœnitentia lapsis concedenda*, Δόγμα vocatur, Δόγμα πεκύρωται τοῖς πᾶσι, *Decretum ab omnibus factum est*. Quod tamen discrimen perpetuum non est; maximè sequiori ævo, quo indifferenter omnia decreta, sive dogmata fidei, sive ceremonias Ecclesiasticas respicerent, *Canones* dici cœperunt, item *Decreta* & *Capitula*, ut ex Conciliorum inscriptionibus liquet. Hæc in unum corpus, sub certis titulis, redegere Regino, Burchardus Wormaciensis, Anselmus Lucensis & Ivo Carnotensis; deinde Gratianus, qui sub Eugenio III. vixit, & opus suum *Decreta* appellatum evulgavit, A. C. 1141. Henr. Gandavensis *de Scriptor. Eccl. c. 44.* *Gratianus Monachus Bononiæ habitans, Codicem, quem* Decreta *vocant, compilavit*: In quo unà cum Canonibus seu *Decretis* Conciliorum *Decretales* quoque Pontificum *Epistolas* junxit, de quibus infrà. In specie *Decretum* dicitur Epistola Cleri & populi Ecclesiæ Episcopalis missa ad Metropolitanum & Episcopos diœceseos Metropolis, quâ eum, quem Episcopum elegerant, ab iis ordinari & consecrari postulant: Τὴν χειροτονίαν τὸ ψήφισμα, Palladio in *Vita* Chrysost. Cujusmodi Epistolæ formula extat, in *Ordine* Rom. hoc lemmate: *Decretum, quod Clerus & Populus firmare debet de electo Episcopo.* Atq; hoc modo, qui à Clero & Plebe legitimè electus est, postea; à Metropolitano & Episcoporum consessu publicè decernitur Episcopus, viso electionis *decreto*, ab omnibus subscripto *per Decretum fieri* dicitur Episcopus. V. C. du Fresne *in Glossario* & *Notis ad Cinnamum*.

Decretales, dictæ sunt Epistolæ Romanorum Pontificum, quibus respondent iis, qui aliqua de re illos consulunt. Incrementum enim Pontificum Rom. ex splendore, qui successu temporum accessit, & dominio Urbis, quod sibi acceperunt, multos, qui in rebus controversis consilia petebant, ad Romanos Episcopos consulendos excivit; qui petentibus rescribebant. Quod & Episcopi in Oriente & Occidente facere sunt soliti: quorum Epistolæ tamen hominum negligentiâ interierunt. Et quidem, cùm hæc Episcoporum ac Metropolitanorum rescripta primùm consilia solùm essent, circa finem seculi V. in Ecclesia inprimis Romana, majoris auctoritatis ac pretii esse, & inter Patrum scripta haberi cœperunt. Hinc in Synodo Rom. sub Gelasio A. C. 494. à LXX. Episcopis inter alia & hoc decretum: *Item Decretales Epistolæ, quas beatissimi Papæ pro diversorum Patrum consultatione, dederunt, venerabiliter suscipiendæ sunt.* V. c. *sancta Romana dist.* 15. Quo decreto Patres illi nondum quidem auctoritatem Canonis Epistolis illis dederunt; in censum tamen eorum librorum illos retulerunt, qui à Christianis tutò legi poterant; quosq; *Ecclesiasticos libros* nonnulli vocarunt. Quam ob causam, in d. c. hæ *Decretales*, post opuscula Patrum, *quæ in Ecclesia recipiuntur*, ante Martyrum monumenta recensentur: Primusq; qui eas collegit Dionysius Exiguus seculo VI. ineunte (à Syricio collectionem suam orsus, quia ultra eum genuinas nullas invenit) singulari eas & à Canonib' separato volumine complexus est. Postmodum verò inter Canones receptæ sunt, quem locum primus illis Cresconius dedit: Orientali Ecclesiâ nequicquam obluctante. A quo tempore Collectores eas catervatim Collectionibus suis inseruerunt; omnes quas habere potuit, etiam spurias, suæ farragini inferente Gratiano. Post quem *Decretales* separatim à Canonibus colligi cœperunt, primusq;, qui hic operam, sed privatam, impendit, Bernardus Circa fuit circa A. C. 1191. *Secundæ* collectionis tres fuerunt auctores Gilbertus, Alanus & Johannes Gallensis seculo XIII. *Tertiam* incepit Bernardus Major Compostellanus, quâ offensi Romani ab Innocentio III. impetrarunt, ut Pontificiâ autoritate aliqua Collectio ederetur, cui rei Petrus Beneventanus Notarius præfectus est, à quo primùm publica auctoritate *Decretalium* collectio facta est, circa A. C. 1210. *Quartæ* Collectioni ansam præbuit Concilium Lateran. in quo idem Innocentius capita 71. edidit, quibus adjectæ sunt aliæ *Decretales* & Rescripta, quæ per quinquennii spatium post tertiam Collectionem editæ erant. Atq; has quatuor Collectiones edidit Anton. Augustinus, Ilerdensis Episc. & *Notis* illustravit. *Quinta* Collectio Honorii III. Constitutiones habet, à Tancredo Bonon. Archidiacono collectas, sub ipsius Pontificis nomine: quam edidit Innocentius Cironius. Hanc tandem excepit *Sexta*, jussu & auctoritate Gregorii IX. facta, à Raimundo de Pennaforti Papæ Capellano, A. C. 1230. A quo in colligendis *Decretalibus* cessatum, usque ad Bonifacium VIII. qui tribus Cardinalibus commisit Compilationem *Decretalium*, quæ postea *liber sextus Decretalium* vocata est, quòd aliis quinque Gregorii esset addita: in Gallia autem non receptam esse, docet Duarenus *Præf. lib. de Sacr. Eccl. Ministr.* Accessere dein *Clementinæ*, & *Extravagantes*, sub Clemente V. & Joanne XXII. quo pacto Jus Pontificium ad umbilicum perductum est. Ut enim Gratiani Decretum Juris Civilis Pandectas; sic *Decretales* Codicem; Sextus Clementinæ & Extravagantes, Novellas repræsentant. Judicium *de Decretalibus* Franc. Duareni hoc est, *l. cit.* ubi de Collectione Gregoriana: *In eo* Decretalium *volumine multa inveniri licet, quæ à prisca illa disciplina, quam Decretorum liber à Gratiano editus continet, multùm degenerent: Atq; hinc natum est illud inter nostrates tritum ac vulgò jactatum, male cum rebus humanis actum esse, ex quo Decretis alæ accesserunt. Est enim hæc rerum humanarum conditio, ut ferè in deterius prolabantur* &c. Alludit nempe ad versus hanc in rem linguâ vernacula factos, jam ante bina secula, in quibus Decreta vocantur *Decrets*, & intelliguntur Decreta Gratiani; à Gregorio autem dicuntur additæ *alæ*, id est, ex *Decrets*, fecit is *Decret-ales*. V. illos ut & plura hanc in rem, apud Gerh. von Mastricht *Histor. Juris Eccl. num. 336. & seqq.* & hic passim, inprimis ubi *de Canonico Jure, Compilatione Decretalium*, & Collectoribus prædictis.

Decumana, nomen portæ apud Romanos, quæ à tergo castrorum erat, sic dicta, quòd ampla esset ac patens. Ex ea desertores ac facinorosi, in quos jure militari animadvertendum erat, educebantur, pœnis coërcendi. Jo. Rosinus *Antiqq. Rom. l. 10. c. 12.* Ad eandem Extraordinarii tendebant, fuitq; Prætoriæ portæ opposita, Salmasius *ad Solinum p.* 671. Apud eosdem Romanos *Decumani* dicti sunt Publicani, quòd *Decumas*, sic vectigal vocabatur frumenti, quod Provinciis tributi loco inter alia impositum erat, colligerent. Idem Rosinus *eodem l. c. 12.* Frumentum verò *Decumanum* dicebatur hæc decuma, quam quisq; arator sine pretio dare cogebatur: quæq; vel Romæ à Censoribus, vel in provincia, à Magistratu Rom. vendebatur Publicanis, ut pro ea certam pecuniæ summam populo Rom. repræsentarent. Unde phrases apud Ciceronem, *Emere & vendere decumas*, quorum illud fuit Publicanorum conducentium, hoc Ærarii locantis. Imò fuit & frumentum *Decumanum emtum*, quod ex alteris item decumis pretio persoluto aliquando accipiebatur. Idem *ibid.* V. quoque Joh. Fridericum Gronovium *de Pecunia vet.* & suprà in voce *Decimæ*. Sed & *Decumanus* limes, in re Agrimensoria maximus dicebatur, qui cum Cardine stellam efficiebat, & viæ regiæ ac militaris obtinebat locum. Ab eo etiam minores, illi paralleli, nomen accipiebant, *prorsi* aliàs dicti. Et sic cùm Decumanus & Cardo maximi ac primi centurias non clauderent, secundi Decumani & Cardines eas primi includebant. V. Salmasium ubi suprà *p. 632. & seqq.* ut & suprà in voce *Decimanus*. Ut & hoc addam, *Decumani Canonici*, in Ecclesia Mediolanensi, circa A. C. primùm occurrunt dicti, quos hodie *Capellanos Titulares* vocant, ut auctor est Joann. Puricelius *in Monum. Basilicæ Ambrosianæ p.* 375. & 376. in Gallia *Canonicos Vicarios* appellari, ait Car. du Fresne. Numerus eorum XXIV. est, quos *à B. Simpliciano in Ecclesia majore ordinatos esse*, legitur in libro, cui tit. *Flos Florum*, apud eundem, qui, *Decumanorum* horum crebram in veteribus Tabellis mentionem fieri addit.

Decuria, in vet. *Inscr.* Romæ, honori Herculis Somnialis facta,

V. F.
CVLTORES. HERCVLIS.
SOMNIALIS. DECVRIA. I.
DIS. MANIBVS.
SIBI. ET. POSTERISQVE. SVIS.
II. QVI. INFRASCRIPTI. SVNT.
Q. CECILIVS. Q. GAL. LVCCEIANVS.
Q. CECILIVS. A. MVNDVS. &c.

V. integram apud Salmasium *ad Solinum p.* 351. Gr. Δεκάς est, à denario

nario numero dicta. Hujusmodi enim corporatorum Collegia, uti & postmodum officia Domus Augustæ, per *Decurias* describi consuevisse, notat idem *Ibid.* Hinc Columella *lib. 1. c. ult.* *Classes verò non majores, quàm decem hominum faciendæ, quas* Decurias *appellaverunt Antiqui.* Quæ vox mansit quoque cùm amplior, imò sæpe minor numerus esset, Gronovius *de Pec. vet. l. 1. c. 1.* V. inprimis hac de re Casaubonum *ad Suet. Augusto c. 32.* ubi *de tribus Judicum decurii* agens, quibus quartam adjecit Augustus, voce *λευκώματος* seu *albi* (in quo fortè milleni) indigitari, is ait. Ibidem & i de *Equitum Decuriis* varia. Sed & Decuria Servorum occurrit apud Senecam *Epist. 47.* *Retulit illi gratiam servus ille in primam decuriam conjectus, in qua vocem Præco experitur.* Plautus *gregem venalium* vocat, *Aulul. Sc. 3. act. 3.* Nempe rejicula mancipia *per decurias* venibant; turdorum instar, quorum *decuria* seu *corona* meminit Martialis *in Xeniis, Epigrammate* 51. cujus lemma in nonnullis codd. est *Turdorum corona*; in aliis, *Turdorum decuria*: in Arondelliano utrumque, *Turdorum decuria sive corona.* Epigramma verò hoc,

Texta rosis fortasse tibi, vel divite nardo,
At mihi de turdis facta corona placet.

Sic *decuriæ pallium tenctoriarum triginta*, apud Treb. Pollionem *in Claudio* &c. V. quoque suprà *Decades*.

Decuriones, apud Romanos dicti sunt, decem Equitum præfecti; quemadmodum enim Centuriæ peditum in Contubernia, quibus præerant Decani, ita turmæ Equestres in *Decurias*, qui parebant Decurionibus, erant distributæ. Item Coloniarum & Municipiorum Senatores, in quibus legendis summam curam adhibitam esse, docet Cicero *in Epist. ad Lepcam lib. 6.* ubi *eos*, inquit, *qui præconium facerent, vetari esse in Decurionibus, qui fecissent, non vetari.* Ex horum ordine Decemviri legebantur, qui tributorum exactioni ita præerant, ut si quid detrimenti fiscus mortuorum causâ contraheret, ipsi suis sumtibus resarcire tenerentur. Joh. Rosinus *Antiqq. Rom. lib. 10. c. 24.* At *Decurio Palmyrenus*, apud Sext. Rufum, *Princeps civitatis* est Trebellio Pollioni, *unus ex principibus civitatis*, Fl. Vopisco in *Aureliano*, Odenatus sc. qui, priusquam Imperium raperet, unus τῶν πρωτευόντων, seu *Principum civitatis*, Palmyrenorum erat. *Decuriones* sc. seu Curiales in unaquaque urbe, Principes civitatis erant, & quasi Senatores: quorum primos *Principales* dictos esse, notum est. Salmasius *ad Vopiscum l. cit.*

Decursio Exercitus, à Scipione exhibita, memoratur Livio *lib. 29. cap. 22.* *Venientibus eis* (Romanorum Legatis) *Syracusas, Scipio res, non verba, ad purgandum sese paravit. exercitum omnem eò convenire, classem expediri jussit, tanquam dimicandum eo die terrâ marique cum Carthaginensibus esset. Quo die venerunt*, hospitio comiter exceptis, *postero die terrestrem navalemque exercitus, non instructos modò, sed hos* decurrentes, *classem in portu, simulachrum & ipsam edentem navalis pugnæ ostendit.* Apud eundem, sub consimilis *Decursionis* prætextu, Tyrannum, qui Lacedæmonem occupaverat, ab Alexamene occisum habes *lib. 35. cap. 35.* Gracchus quoque *jusso ornari copias peditum equitumque omnes & decurrere armatas*, Celtiberos ab auxilio circumsessæ urbi Certimæ ferendo deterruit, ibidem *lib. 40. cap. 47.* &c. Et quidem non Duces solùm, sed & quisquis in bellorum hujusmodi simulachris atque militaribus exercitationibus *decurreret*, prisco more coronatus fuit, uti docet Xenophon *Hellenic. lib. 3.* ubi de Agesilai exercitu, & Virgilius *Æneid. lib. 5.* ubi de Equestri Decursione puerorum, jussu Æneæ factâ, ait,

Incedunt pueri, pariterq; ante ora parentum,
Frænatis lucent in equis, quos omnis euntes
Trinacriæ mirata fremit Trojæq; juventus.
Omnibus in morem tonsa coma pressa corona.

Atque hinc mos ortus milites, in rei bene gestæ præmium, coronis donandi. Car. Paschalius *Coronarum lib. 7. cap. 2.* Hodie in Regum Principumque Aulis, *Decursio Equestris ad annulum* frequens est, cujus descriptionem hanc exhibet Fr. Pomey: *Equo cœpit in vehi mollique gressu spatium emetiri, velut exploraturus stadii mensuram; propiusque accedens ad columnam, annulum inde pensilem recto statuit sibi, itaque direxit, ut aspectu non emineret altius. Tum porrectam — sumit lanceam, deinde pari, quo venerat, gradu, redit ad stadii carceres. Hic, dato signo per Regios tubicines, Africanum suum dimidium agit in gyrum, admotisque calcaribus admittit eâ velocitate, ut fulgur videatur assequi. Itaque, quam initio cursûs, totâ explicati brachii porrectione, hastam tenueras sublimem, sensim acclinatam, erectamque in annulum, haud soleriter minùs, quàm feliciter, inferens, palmam prima hac decursione reportas, equo ad metam derepente inhibito, post aliquos ex arte in sublime saltus. Repetitâ decursione, parem retulit pari felicitate laudem; quam tertiâ tantisper imminuit, annulo duntaxat perstricto; cùm priùs semel iterumque abstulisset lanceæ cuspide. Ejus contrà æmulus, nimio actior victoriæ desiderio, victoriam amisit, collineavit nunquam rectâ hastâ aut in obliquum, aut in ipsum longurium annularem tantùm non impactâ*, in *Descript. div.* Galli istiusmodi exercitium vocant *Course de Bague*, Germ. *Ringelrennen*: quod in Torneamentorum locum successisse, diximus in hac voce. De *Decursionibus* Vett. circa rogum, jam ab antiquo ævo fieri solitis, alibi.

Decutes Togæ, Festi abbreviatori sunt detritæ; quemadmodum Græci quoque *συγκεκρουσμένα ἱμάτια* interpretantur, *ὧν ἡ κρόκις ἀποτέτριπται*), *quorum detriti sunt flocci:* Salmasio verò eædem sunt, quæ & *concutes* & *κροκωτὰ ἱμάτια* dicebantur; nam *decutere*, in *Gloss.* *κερκίζειν*, est *percutere seu concutere τῇ κερκίδι*, i. *radio textorio*, V. suprà.

Dedecus Canum, pœnæ genus, medio ævo in usu, de quo V. suprà, ubi de *Canum ferendi ritu*,

Dedicandi ritus, antiquissimo in usu. Et apud Hebræos quidem חנך & חנוכה; apud Græcos *ἐγκαινίζειν* & *ἐγκαίνια* & *ἐγκαινισμὸς*, idem, quod Latinis *Initiare* ac *Initia*, seu *Initiamenta* ac *dedicare* & *Dedicatio* est, consecratio sc. seu usibus sacris cultuiq; divino addictio, sive prima, sive denuo instaurata: quod Græci quoque *ἀφιδρύειν* & *ἀνατιθέναι τῷ θεῷ* dixere. Qui ritus ab Hebræis transiit ad Gentiles, apud quos proin mos inolevit, ut Ædes eorum sacræ, Aræ, Deorum statuæ, ambitusque circumjacentes per solennia sacra, quæ tum Eucharistica essent, tum Propitiatoria, ac veluti התודות seu Sacrificia illa, quorum in Ebræorum *Dedicationibus* mentio, dedicarentur, uti & interdum transferrentur, ampliarentur reficerenturve. Et quidem Græci vett. sacrificiis sumtuosioribus, ut victimis, pro arbitrio, Aras, Templa, Statuas Deorum dedicabant: sed verò, qui manu etiam tenaciore in *Dedicationem* offerebant, *χύτρας ollas* adhibebant, more solemni à mulieribus super capita circumferendas, in quibus Πανσπερμία seu leguminum omnigenûm elixorum mixtio, unde libatio fieret ἀφιδρυμένοις Diis *dedicatis* Eucharistica & Propitiatoria. V. Aristoph. *Pluto Actu 5. Scen. 3.* Hoc tamen temperamento adhibito, ut sacrificii sive genere sive modo, Deo ipsi dedicando neutiquam idoneo, non omnino uterentur: Proin cùm sacrificia tam multiplicia essent, quàm ipsa Numina, videtur in ipsa *Dedicatione* saltem plerunque, idem exhibitum, quod postmodum singulis in usu, utcunque pro sacrificantis liberalitate ultronea subinde auctum. Quò spectat *Dedicatio* Philoctetis aræ templique, in Cassandræ vaticinio apud Lycophronem,

Ἐν δ' αὖ Μακάλλοις σηκὸν ἔγχωροι μέγαν
Τῆς σῆμα δείμαντες, αἰανῆ θεὸν
Λοιβαῖσι κυδανοῦσι καὶ βουθύτοις βοῶν.
In Macellis (Italiæ urbe,) *tandem templum indigenæ magnum*
Super sepulchrum extruentes, æternum Deum
Libationibus honorabunt & boum sacrificiis.

Simile apud Eundem habes, de Parthenopes templo extructo & libationibus sacrificiisque annuis honorato, id est, iisdem *Dedicationi* adhibitis & postmodum quotannis iteratis. Atque ita quidem Salomo, Zorobabel, Judas Maccabæus, Herodes, sacrificiis, quæ DEO OPT. MAX. ex se idonea fuere in *Dedicationibus* pro libitu & variatim utebantur. Quibusnam verò ex auspiciis & quorum auctoritate publicâ, an Pontificis an Magistratus alicujus, hæc initiamenta penderent, apud Græcos non adeò liquet. Interim, cùm Areopagitæ aliive, quibus permissa erat potestas publica, jus haberent soli adprobandi *ἱδρύσεις* seu *novi Numinis*, etiam & veteris seu jam *ἐγχωρίου* ac publici qualemcunq; *Dedicationem* in usum publicum nullâ sine eorum auctoritate pro legitima Athenis habitâ fuisse, verisimile est. Ut enim alia omittam, cùm Imperatores, eorumque interdum delitiæ, ut Antinous, in Deos referendi erant apud Græcos, Romanis parentes, id non sine publica Provinciarum Urbiumque auctoritate, permissu Principis P. Q. R. nixâ factum esse, ex Historia Augustâ obvium est, V. Tacitum *Annal. lib. 1. & 4.* Vetustissima autem Græcorum in *Dedicationibus* vox, ut ex marmoribus quibusdam scriptisque eorum constat, fuit *ἀνέθηκε*, ut in Tripodum Epigraphis tribus, in literis Jonicis, apud Herodotum *Terpsich.* &c. Aliàs *ἱδρύσατο* & similia reperies. Fiebantque illæ nunc metro (quod rarius) plerunque prosâ; interdum etiam intersertis, quæ à Numine eo nomine desiderabantur, ut in *Dedicatione* fundi haud procul ab Urbe in Triopio, factâ ab Herode sive Rege, sive Rhetore, in quam Casaubonus & Salmasius edidere notas. Causa item accessit in turris Phari, velut Aræ, Sostrati Cnidii dedicatione, apud Strabonem *lib. 17.*

ΣΩΣΤΡΑΤΟΣ ΚΝΙΔΙΟΣ
ΔΕΞΙΦΑΝΟΥΣ
ΘΕΟΙΣ ΣΩΤΗΡΣΙΝ
ΥΠΕΡ ΤΩΝ ΠΛΩΙΖΟΜΕΝΩΝ.

Sostratus Cnidius, Dexiphanis fil. Diis Servatoribus, pro navigantibus. Frequentiùs verò ΑΠΟΛΛΩΝΙ, ΑΡΤΕΜΙΔΙ, aliis, inscriptæ sunt Aræ, citra *Dedicandi* verbi aliusve tantumdem innuentis causæve adjectionem. Etiam in pagis Atticis olim reperiebantur *Βωμοὶ ἀνώνυμοι*, *Aræ sine nomine* Dei alicujus: quemadmodum Romani, *si Deus, si Dea*, H. Grotius *ad act. Apost. cap. 17. versu 23.* In quibus omnibus non dubitandum, quin tum Sacrorum, quæ postmodum Diis continuanda essent, tum rituum aliorum, solennitas (plerunque saltem) annua, etiam *Dedicationis* nomine celebraretur &c. Atque his analoga obtinuere pariter, apud Gentes alias, quotquot Templa Ædesque sacras aris statuisque ornatas admisere. In scriptis certè tum chartaceis, tum

marmoreis Romanorum, habentur frequentissimæ Templorum *Dedicationes* solennes, quarum etiam, illis in usu, jura ritusque expressiùs occurrunt. Injussu Populi aut sine Plebis scitu aut Senatus consulto, quod Plebiscitum sæpius supplebat, aut demum Principis indultu (uti, apud Hebræos, jussu Synedrii M.) Ædes, Terra, Ager, ritè dedicari nequibant, ut de ædibus ac templis maximè liquet ex Livio *lib.* 9. *sub fin* ubi Corn. Barbatum Pontificem M. ait, *negasse, nisi Consulem aut Imperatorem posse Templum dedicare, atque ex auctoritate Senatus latum ad Populum fuisse, ne quis Templum Aramve, injussu Senatus, aut Tribunorum Pl. partis majoris dedicaret.* Scilicet anno ab U. C. 450. Postmodum verò ex auctoritate Pontificibus permissâ, atque lege Papiriâ, nec Ædium, nec Terræ, nec Agri, *sine Populi jussu aut Plebis scitu*, legitima fiebat dedicatio, ut videre est apud Ciceronem, jus *Dedicationum* sui ævi copiosiùs explicantem, *Orat. pro Domo sua* & *ad Attic. lib.* 4. *Epist.* 1. Sed & de SCti hic auctoritate impetrata, non semel Livius: Et demum, ex Lege Regia, & Cæsarum Pontificatu Max. penès eos erat, ut rerum aliarum, ita *Dedicationum* potestas & permissio; ante quam Legem, quæ Vespasiani tempori tribui solet, Senatu P. Q. contradicente, ne illis quidem id licebat, ut satis elicitur ex eo, quod habet Tertullianus *Apologetic. cap.* 5. & *adv. Nat lib.* 1. *cap.* 10. de Deo Alburno & de Jesu Christo, quem cùm amplecti vellet Tiberius, respuente Senatu, receptus non est. Interim in caussis sacris, adeoq; & *Dedicationibus*, plurimum auctoritatis sæpius Pontificibus minoribus, eorumque Collegio, Quindecimviris Sacris faciundis & Auguribus permisisse tribuisseque Imperatores, etiam post Legem præfatam, reperimus, V. Lampridium *Alex. Sev.* &c. Atque, ut *Dedicationes* fiebant sic recens extructarum Ædium sacrarum, aliorumque, ita & *restitutarum*, quemadmodum in Encæniis Zorobabelianis, Maccabaicis & Herodianis: & Templi veteris, ideò tantùm diruti, ut denuo extrueretur, spatium sive area, tametsi non ampliata aliterve mutata, denuo, interdum etiam, antequam reædificaretur, dedicabatur. Cujus rei egregium ac singulare exemplum habemus, in Capitolio sub Vespasiano restituendo, apud Tacitum *Histor. lib.* 4. ubi Prætor *dedicat*, præeunte verba Pontifice, & Auspices sistunt & effantur spatium. Nec legitimum erat Templum, quod non per Augures & Auspices consecraretur: itaque Magistratus summi, Pontifices, Augures, Auspices, *Dedicationibus* apud eos, simul cum *Dedicante* præerant, ut apud Ebræos Rex, Pontificis Oraculum, Propheta. Ritus ac formulæ *Dedicationis*, uti & personæ, quæ ei præessent, apud eosdem multiplices fuere, & ritibus personisq; Ebræorum analogæ. Verbis de Ædibus, Arearumque finibus & legibus, juxta quas sacrarentur, conceptis, præibat Pontifex, quem sequebatur Magistratus seu alius, qui dedicaret. Varro *de L. L. lib.* 4. *Ædis sacra, à Magistratu, Pontifice præeunte, dicendo dedicatur & Effata dicuntur quod Augures finem auguriorum cælestium extra Urbem agris sunt effati. Hinc effari Templa dicuntur ab Auguribus; Adfatus qui in his fines sunt.* Ritibus autem in illis, præter precationes, Augurales Silendi sive Effandi munus & sacrificia, singularis erat ille, *Dedicaturum*, dum verba præibat, postem ostii Templi manu tenuisse, illamque ei sic imposuisse, ut tum certò indicaret, Ædem sic usibus sacris addicendam, tum in eosdem, ex auctoritate publica dedicaret. Sic in Jovis ædibus, in Capitolio, dedicandis, *Postem tenuit* Horatius Pulvillus Cons. *inter precationem*, ut Livius, seu *inter nuncupationem solennium verborum*, apud Livium *Dec.* 1. *lib.* 2. & Val. Maximum *lib.* 5. *cap.* 10. 1. Cui apud Hebræos simile id fuit, cùm postes ædium novarum Mazuzis, de quibus infra, ex Lege ornabantur. Sed nec Sacra fuisse ulla, sine foco accenso, docet Varro apud Servium in *Virgilii illud Æneid. lib.* 3.

——— ——— Et Latam cognomine gentem
Hortor amare focos.

Porro, qui *Dedicationem* sive 'Αφίδρυσιν hujusmodi, etiam & 'Επιγραφὴν seu *Inscriptionem*, ad eam pertinentem, pariter procurabat, teste Dionysio Halicarnass. *lib.* 5. Haud parum verò gliscente tandem in his *Dedicationibus* magnificentia, accessere eis, præter Sacrificia, pulvinaria, ludi, epulæ, largitiones publicæ, alia. Festa insuper Dedicationis anniversaria celebrabantur: scilicet, ut Urbium, Principum, privatorum natalitia redeuntia, festa agebantur annua, ita & Templorum consecrationes; quemadmodum de Encæniis Maccabaicis apud Ebræos infrà videbimus. De peculiaribus sacrificiis in dedicationibus aliquot Deûm Magnorum, Matris Deum & Attidis, offerri solitis, quæ alibi, quàm in saxis, perrarò occurrunt, dicemus similiter infrà, in voce *Taurobolium*. Plura verò hâc de re; ut & de Christianorum veterum *Dedicationibus*, vide apud Joh. Seldenum *de Synedriis vett. Hebr. Part.* 3. *toto capite* 14. & 15. Car. Paschalium *Coronarum lib.* 4. *cap.* 15. ubi coronatos fuisse, qui aliquid Deo *dedicatum* irent, addit, Alios; nec non, ubi suprà de *Consecratione*.

Dedicatio, in Ecclesia Rom. dicitur dies festus Sancti alicujus, Ecclesiæ vicanæ Patroni, qui non ipsorum duntaxat vicanorum, sed etiam vicinorum pagensium concursu celebrari solet: unde Regiis olim securitatum privilegiis munitus legitur. *LL.* Eduardi Confess. *cap.* 3. *Ad* Dedicationes, *ad Synodos, ad Capitula venientibus — sit summa pax.* Concursum ad annuas has festivitates populorum, indigitat Gregorius M. *Homil.* 54. *in Evang.* & Auctor *Vitæ S. Popponis Abb. num.* 44. In ejusmodi verò *Dedicationibus*, solennes epulas celebratas fuisse, docemur ex Sidonio *Epist. lib.* 4. unde postmodum, quòd, qui ad hujusmodi festa in vicos ire solent, non tam pietatis, quàm commessationibus & ludicris indulgendi gratiâ, eò coibant, vox in malam partem trahi ac pro commessatione publica usurpari cœpit. Certè hac notione *Dedicationem* usurpavit Cæsarius Heisterbach. *lib.* 11. *cap.* 61. *Miles quidam erat — sic totus deditus vino, ut diversarum villarum dedicationes, tantùm propter bona vina, frequentaret.* Quas quidem commessationes attigit etiam Paulinus *Nat.* 9.

Sed rursum redeamus in atria, conspice rursum
Impositas longis duplicato tegmine cellas
Porticibus, metanda bonis habitacula digna,
Quos huc ad Sancti justum Felicis honorem
Duxerit orandi studium, non cura bibendi.

Et infrà,

Verùm utinam, sanis agerent hæc gaudia votis,
Nec sua liminibus miscerent pocula sanctis.

Atque inde est, quòd etiamnum Gallis, *faire la Dedicace*, est *gulæ & ebrietati indulgere.* Nec multùm juvit, quòd *convivia* hujusmodi *sabbatorum voluptaria*, ut Augustinus *Epist.* 56. seu *sabbatarium* hunc *luxum*, ut Sidonius *lib.* 1. *Epist.* 2. vocat, abrogatum voluit Romana Synodus, sub Eugenio III. *cap.* 35. Concilium Cabilonense *can.* 19. & Edgarus R. *in Can Saxonicis cap.* 28. hodieq; enim satis notabilia priscæ hujus ἀσωτίας vestigia superesse, nemo ignorat. V. Car. du Fresne *Glossar.* ubi supra.

Dediti, non semper recipi consuevere; ut in pugna ad Granicum Græci, qui Persæ militabant: apud Tacitum *Annal lib* 12. Uspenses, veniam liberis corporibus orantes, *quod aspernati sunt victores, ut belli potiùs jure caderent.* Sed & acceptos in deditionem sine conditione legas interfici, ut à Romanis Pometiæ principes, à Sulla Samnites, à Cæsare Numidas & ipsum Vercingetorigem: imò mos hic ferme perpetuus Romanorum in hostium duces sive captos, sive deditos, ut triumphi die occiderentur, quemadmodum Cicero nos docet 5. *Verr.* Livius tum alibi, tum *lib.* 28. Tacitus ubi suprà, Alii. Eodem Tacito memorante Galba decimari jussit, quos deprecantes in fidem acceperat, *Histor. lib.* 1 & Cæcina, in deditionem accepto Aventico, in Julium Alpinum è principibus, ut concitorem belli, animadvertit: cæteros veniæ vel sævitiæ Vitellii reliquit. Cujus rei causæ vel ad talionem, vel ad terroris necessitatem, vel ad resistendi pertinaciam, ab Historicis referuntur. Sed hæc non sufficere ad justam cædem, inter alia, inde liquet, quòd à captivis & *deditis*, seu *dedere* se cupientibus, periculum non est: ut ergò justè occidantur, crimen antecedat oportet, & quidem tale, quod æquus Judex morte vindicandum censeret. Unde *dedititiis* parci voluisse Divinam Clementiam, ex Jure Sacro militari discimus. V. hanc in rem plura apud Hug. Grotium *de Jure Belli & Pacis* passim, inprimis *lib.* 3. *cap.* 4 & *lib eod. cap.* 11. Cæterùm, uti Supplices, sic *Dedititios*, coronam nonnunquam iis obtulisse, quibus sese permittebant, legimus apud Polybium *in Eclogis Legat.* &c.

Dedo, filius Theodorici, ex Witikindea familia oriundi, cui à matre Juditha Mersburgica agnata ille Comitatus, præter avita *Sorbeck, Wethin, Wirtenberg, Budsez*, ab Ottone III. Imp. collatus: Cæsus est A. C. 1009. in prælio adversus Wernerum Marchionem. Filii *Dedonis*, Fridericus, Comites Palatinos Saxoniæ sevit; Theodoricus verò. gener Eccardi Marchionis Misniæ, Marchionatu Landsbergensi & Comitatu Eulenburgico ac Seuselicensi ab Henrico II. auctus, inter alios *Dedonem* genuit Lusatiæ, post mortem agnati Ottonis, ac Misniæ Marchionem, Henrici IV. Imp. hostem, cujus prosapia brevi extincta est: Thiemone fratre stemma propagante, cujus filio Conrado Otto dives prosatus, Saxonicos Principes hodiernos sevit. V. Phil. Jac. Spenerum *Sylloge Geneal. Histor. in Fam. Witikindea Saxonica.*

Deducere, verbum nuptiale de Sponsa, quum ad Sponsum à Nymphagogo ducebatur. Papin. Statius *Thebaid. lib.* 2. *versu* 2[illegible].

——— ——— illi Cytherea laudare
Connubia, & multa deductam Lampade [illegible]
Harmonien ———

Petronio *producere* est, *perducere* aliis, V. Joh. [illegible] *ad Propertium Eleg.* 3. *lib.* 4. & plura de hoc ritu infrà, in voce *Deductio Nuptialis.* Aliâ notione vox occurrit, apud eundem Poëtam *Achilleid. lib.* 1. *versu* 7.

Sic amor est ———
——— totâ juvenem deducere Trojâ.

Ubi vetus Scholiastes *omnem ejus historiam [illegible] [illegible] eum* (Achillem) *primùm ad Trojam, & dein omnes ejus res gestas, mortemq; persequi.* Totius enim Achillis descriptio fuit Achilleis Papinii, non eorum tantùm, quæ bellum Trojanum antecesserunt, ut nonnullis visum, compendium: adeoque [illegible] quasi manu comprehensâ deductionem, ab exordio ad finem vitæ Achillis, Poëta loquitur. V. de *ducendi* & *deducendi* Heroes, Poëtico verbo, Passeratium præfatum ubi suprà *lib.* 2. *Eleg.* 1.

Deductio Nuptialis, כניסה לחופה seu *Deductio in* [illegible]

num in *Thalamum* Hebræis dicebantur Nuptiæ, à Sponsalibus discriminatæ, cùm viz. post hæc Nuptiæ perfectæ fiebant ac absolutæ. Cujus discriminis vestigia apparent in lege illa militari Deuteron. *cap.* 20. *vers.* 5. *Vir ille, qui desponsavit sibi uxorem & nondum accepit eam, vadat & vedeat ad domum suam, ne fortè moriatur in bello, & alius accipiat eam.* Ita autem Sponsa *deducta*, neq; antè, vocabatur נשואה, id est, *Nupta*: post deductionem verò, per septē epuli nuptialis dies (de quibus infrà) Sponsus חתן Sponsa כלה ab omnibus; imò & post illos expletos, semper à Parentibus appellabantur. *Deductio* verò ita habebat: Sponsalia peracta sequebatur pactum dotale, Deductio item atque Nuptiæ, interim præstitutum seu permissum erat, puellis desponsatis ante Deductionem, moræ tempus, XII. nempe mensium, à pubertatis die putandorum, ubi ipso plenæ pubertatis exactæ die; aut postea intra annum, ab eodem die Sponsalia inita erant; si verò annus à pubertatis plenæ die præteriisset ante Sponsalia, & demum Deductionem postularet Sponsus XXX. duntaxat dierum: quo tempore parabat se Sponsa & castitas utrinque servabatur. Quòd si eo exacto Sponsus à deductione abstineret, alimenta inde ab eo Sponsæ erat præstanda: Sin Sponsa contumax ritè deduci nolebat, eadem ipsa agendi formula Sponso competiit, quæ in usu erat, ubi uxor contumax copiam sui marito denegaret. Hoc verò moræ tempore, seu ante Deductionem, Pacta etiam dotalia erant ineunda & Dos Sponsæ constituenda à Sponso; ut fere ἀντίφερνα seu Donatio propter Nuptias, jure Cæsareo appellari solita, Aliàs, ubi Sponsam ante dotis constitutionem Sponsus deduxerat, oportuit eum denuo ei dotem constituere, si Sponsalia infirmari nollet. Dote constitutâ, & temporis moræ ratione habitâ, deducere Sponsam Sponso licuit illis diebus, qui deductioni erant apti, nec enim Sponsalia, nec Deductio, omnibus horis ritè fiebat. Quibus autem diebus deducere non licuerit, dicemus infrà, ubi de *Nuptiali tempore*. Deductio verò non ita intelligenda est, ut omnino necessum esset, Sponsam ex ædibus suis sive paternis in Sponsi aliasve, adeoque in Thalamum aliarum ædium deduci: æquè enim illa fieri potuit, in ipsis ubi Sponsalia inibantur ædibus ac in ædes Sponsi aliasve. Ante deductionem autem in thalamum, adhibenda erat Benedictio solennis, quæ ritè adhibebatur tam in domo, ubi Nuptiale epulum celebrabatur, & ubi Thalamus erat, in quem Sponsa deducenda, quàm in alio quovis loco ex more huic rei præstituto. Nam recentioribus Judæis locus benedictionis fere atrium Synagogæ est, sed de hac benedictione, plura infrà, in voce *Hierologia Nuptialis*. Epulum, cujus modò mentio facta, per dies à Deductione minimùm septem, ubi virgo erat Sponsa; per triduum minimùm, ubi Vidua seu Vitiata ducebatur, lætè lauteque celebrandum erat. V. quæ suprà diximus, ubi de *Lætitia Nuptiali* & *Nuptiali Epulo*. In horum dierum primo, sequebatur *Deductio in Thalamum* seu *Introductio in Chuppam*, ut vocant, ante quam Nuptiæ non habebantur perfectæ. Unde Maimonides, *Non benedictio Sponsorum facit Nuptias sed Deductio in Thalamum.* Scilicet, si vinculum matrimonii spectes, in quantum planè personale erat, ex ipsis Sponsalibus seu pactione firmum habebatur ac ratum: sed si etiam dotis incrementum, successionem unde Vir, etiam cohabitationem aliave ejusmodi invicem comoda, jura ac officia consideres, non eadem erat illis Sponsalium ratio ac vis antè, quæ post deductionem. Atque ad Deductionem hujusmodi & solenne convivium (quo durante Sponsi è Thalamo suo, tum splendidis vestibus, tum nuptialibus comitum officiis, ornati progressus comparatur Soli Psalmo 19. *versu* 9.) spectat illud in Evangelio, Matth. *cap.* 25. *vers.* 10. de decem Virginibus, *Dum irent emere, venit Sponsus: & quæ paratæ erant, intraverunt cum eo ad nuptias & clausa est janua.* Omnibus sc. convivis futuris Sponsus & Sponsa, quæ jam deducebatur in Nuptias, solicitè expectandi erant observandiq;. Namque locum hunc de Sponso simul & Sponsa venientibus, quemadmodum in Deductione, capiendum esse, ostendit Syri comma primum ejus capitis, quo pro eo, quod est in Græco, εἰς ἀπάντησιν τοῦ Νυμφίου, habent, *in occursum Sponso & Sponsæ.* Similiter de convivis seu ministris, quorum officia Nuptialia Sponsis, toto illo Lætitiæ Nuptialis tempore præstanda erant, intelligendum illud, Matth. *cap.* 9. *vers.* 15. *Numquid possunt filii Thalami Nuptialis lugere, quamdiu cum illis est Sponsus.* Inter hos autem præcipui fuere Paranymphi, qui bini minimùm fuere, שושבינים, i. *Socii, Comites, Amici*, Sponsorum dicti; alter Sponsæ, Sponso alter. Quorum officium singulare erat antiquitus, decubitus locum perscrutari, eadem in domo eodemque in conclavi cum Neogamis pernoctare, officiose quæ nocte Deductionis Sponsi facerent observare, adeoque non tantùm illis in Deductione, sed etiam in ipso cubili seu thalamo, totâ illa nocte, inservire, ne fraus alterutrinque de Virginitate seu floris virginei testimonio committeretur. Plura de iis dabimus infrà, ubi de *Paranymphis*. Ab Hebræis transiit mos hic lætitiæ ac *Deductionis* in Orientem vicinum, uti discimus ex Historia Hasmoniaca, 1. Maccab. *cap.* 9. *vers.* 37. ubi filios Jambri facturos Nuptias, duxisse Sponsam è Madaba, filiam Chananæi cujusdam Principis, cum pompa magna, legimus: *Et ecce tumultus & apparatus multus & Sponsus processit & amici ejus & fratres ejus, obviam illis cum tympanis & musicis & armis multis.* Disertè etiam memorat Josephus *lib.* 13. *cap.* 1. Sponsam & ipsam deductam à Sponso, cum frequenti amicorum comitatu, οἷον εἰκὸς ἐν γάμῳ, *ut fieri solet in Nuptiis.* Quo pacto apud Græcos Romanosque Deductio fuerit peracta, dicemus in voce *Nuptiæ*. De Mahumedanis Africanis, ut ex Joh. Leone aliquid addam, post celebrata in Templo Sponsalia, Deductio sequitur in domum, nec sine facibus, & Sponsa matri mariti traditur: Quamprimùm verò Sponsa cubiculum ingreditur, maritus pede suo uxoris pedem tangit, statimq; ambo recluduntur. Epulæ dein nuptiales aliaque, pro Sponsorum conditione, solennia varia, V. illius *Descript. Africæ lib.* 3. *cap. qui in Matrimon. confirmandis* &c. Etiam de Moriscis scribit Jac. Bleda in *Defens. Fid. cap.* 14. *Indic.* 87. *Quamvis in facie Ecclesiæ matrimonium contrahant, non reputant verum esse matrimonium, donec expletis cunctis festæ ceremoniis, domum propriam aut conductam, aut alias ambo simul inhabitent*, &c. V. Seldenum *lib.* 2. *cap.* 1. 7. 11. 12. 13. 17. & hic passim, inprimis infrà, ubi de *Nuptiali Thalamo* & *Nuptiali velandi more*.

Deductio Thensarum, inter Imperatorum prærogativas. V. infrà *Tensa*.

Defensivæ, apud Radulfum de Diceto A. C. 1153. Vicecomites dicuntur, quibus locorum seu Comitatuum vel provinciarum cura commissa erat, quò vim & injuriam propulsarent, latrocinia compescerent, pacem publicam custodirent, & ab omni injuria regios subditos conservarent, sic idem A.C. 1198. *In Marchia principales* Defensivæ *locorum — ad pugnam accincti concurrerunt hostiliter*, apud Car. du Fresne in *Glossario*.

Defensor, cogn. Herculis, V. infrà *Desanaus*.

Defensores, adde: De *Defensoribus Civitatum*, V. Senatorem *lib.* 7. *Epist.* 11. ubi Formulam habes huc pertinentem, ut & infrà in voce *Ecdici*. At *Defensores* Regionarii, in *Ordine* Romano dicuntur, *Defensores Romanæ Ecclesiæ* aliàs appellati; quorum (cùm munus eorum esset potissimùm pauperum & Ecclesiarum defensioni ac commodis invigilare, in provinciis implorantibus Curiæ Rom. auxilium adesse, patrimonia quoque, ut vocant, Ecclesiæ Rom. in diversis provinciis constituta, curare) numerum Romæ ad VII. auxit Gregorius M. eosque VII. Regionibus assignavit, ut ipse testatur *lib.* 7. *Ind.* 1. *Epist.* 17. ubi de eorum Officio ac Privilegiis, pluribus agit. Horum qui ordine primus est, *Primus Defensor* seu *Primicerius Defensorum*, dicitur eidem *ibid.* Græcis Πρωτέκδικος, de qua dignitate multa congesserunt, Gretserus, Meursius, Goarus, Alii. V. Car. du Fresne *Glossar.* Hodie *Advocatos Consistoriales* nuncupari, & ad numerum XII. auctos esse, a Sixto IV. docent Macri Fratres in *Hierolexico*, ex Libro Fratrum de Rubeis, cui tit. *Defensor redivivus.* Ubi etiam addunt, vitas illorum scriptas esse erudito calamo Car. Carthari Advocatorum Decani.

Defigere, Phrygionis proprium. Sic *defigere pulvinar & foliar* dicitur *Phrygio*, Varroni apud Nonium, h. e. ἀκανθῶν: quam vocem satis intelligunt qui, quid Græci appellent τὸ ποικιλοτεχνεῖν & ποικίλλειν, norunt. Nempe variis argumentis vestes, pulvinaria, stragula & cætera id genus depingere acu, *defigere* est, Græcis κεντεῖν, & ποικίλλειν. Unde à punctis, *Contrapunctores* hodie ejusmodi Artifices Galli vocant, V. infrà passim, inprimis in voce *Phrygio*; & plura hanc in rem apud Salmas. *ad Lampridium in Heliogabalo* & *Fl. Vopiscum in Carino.* Idem verò Magicæ vanitatis verbum est, unde *defixio*, Græcè πῆξις, cùm quis in aliquo actu verbis herbisque aut alio quodam modo à naturali aliqua functione impeditur, fixusque ac immobilis hæret, non secus ac calamus aucupatorius (de quo suprà) seu arundo crescens aves quas tangebat, velut fixas vinctasque capiendas dabat: unde quoque verbum translatum esse ad Magos, vult Salmasius *ad Solinum pag.* 1088. ubi plurima hanc in rem. Inprimis verò *Defixio*, πῆξις seu ἀφροδισιασμός, de Veneris nodo seu Ligulæ nodo, dici consuevit, de quo V. infrà. Aliud est *Defingere*, in *versu* illo Nasonis,

Sagaq; phœnicea defingit Numina cera.

Idem sc. quod *fingere*. Ceras enim imagines intelligit, quas Veneficæ fingebant, Sagis etiam nostris hodie non incognitas: cujusmodi icunculis ad *defixiones* illis uti mos. Salmasius *ibid.*

Definitor, officium Monasticum, Visitator. Gregorius IX. in *Constit.* pro Benedictinis *pag.* 837. apud Brollium: *Omnes verò Abbates & Priores, annis singulis ad Capitulum venientes*, diffinitiones, *si quæ factæ fuerint, in suo reditu habeant bis in anno, in suis Capitulis & visitationis tempore, nihilominus recitandas*, apud Car. du Fresne *Glossar.*

Deflendi Cognatos, qui obiere, magna olim Veteribus religio fuit. Ausonius de suis *Parentalibus*, quæ hac ratione instituit: *Habet*, inquit, *hoc opusculum mæstam religionem, quâ Carorum meorum obitus tristi affectione commemoro.* Et *Epigramm.* 1.

Nomina carorum jam condita funere justo,
Fleta priùs lachrymis, nunc memorabo modis.

Usque eò, ut infelices putarentur etiam à morte, qui indefleti mansissent. Virgilius *Æneid. lib.* 6.

Nos animæ viles, inhumata infletaq; turba,
Sternamur campis —

Unde magnæ calamitatis loco habitum, non posse accedere & nostros

nostros *deflere*, vel hostium immisericordiâ; vel loci distantiâ prohibitos. Statius *Thebaid. lib.* 12. *versu* 152.

— — *stat pervigil illic*
Umbrarum custos, inhumataq; corpora Regi
Adnumerat. nusquam lachrymæ, procul omnia, fugant
Accessus hominum —

Tales enim velut insepulti æstimati, ut ex Virgilio *cit. l.* discimus. Quam superstitionem (disertè quamvis ab Apostolo prohibitam) Christianis etiam hæsisse, docet objurgatio Prudentii *Cathemerin. Hymn.* 1.

Quid turba superstes, inepta
Plangens ululamina misces,
Cur tam bene condita jura
Luctu dolor arguis amens?
Jam mæsta quiesce querela,
Lachrymas suspendite matres,
Nullus sua pignora plangat,
Mors est reparatio vitæ &c.

Barthius *ad Statium d. l.* V. quoque hic passim, inprimis ubi de *Lachrymatoriis* & *Præficis*.

Defossio, pœna apud Recentiores recepta: Furum, in *Consuetud.* Atkensibus A.C. 1231. in *Tabulario* S Bertini: *Adulterarum*, apud Hungaros &c. V. quoque in voce *Hovia*. Sed & olim, apud Romanos, Vestales, si incestûs essent convictæ, vivæ defodiantur. V. ibi.

Defrutum, apud Martialem *lib.* 4. *Epigr.* 45.

Hos fastus animosq; dat Sabello
Farris semodius, fabaq; fressa &c.
Et nigri Syra defruti *lagena*:

mustum est ad dimidiam decoctum, vel & vinum: Quo modo quia *Defrutum* lentius crassiusque fiebat, *lutosa*, i. glutinosa, illa vocat Statius *lib.* 4. *Sylv.* 9. *versu* 39.

Vel passum psithiis suis recoctum?
Dulci defruta, *vel lutosa cana*.

Quorum uterq; de Saturnalibus agit, quibus inter pauperiorum xenia etiam hoc erat. Voci origo à *defervendo*. Palladius *lib.* 11. c. 18. *Defrutum à defervendo dictum, ubi ad spissitudinem fortem ter defrumaverit effectû est.* V. quoq; Columell. *lib.* 12. c. 21. Plin. *lib.* 14. c. 6. &c.

Defuncti, qui curati ab antiquis, V. hic passim, inprimis suprà, ubi de *Cadaverum cura*. Addam hic saltem, ad mentionem eorum veniam præfari consuevisse Romanos, ex Plinio *lib.* 28 *cap.* 2. *Cur ad mentionem* defunctorum, *testamur memoriam eorum à nobis non sollicitari?* Et Plutarcho *in Cic.* Ῥωμαῖοι μὲν βαδίσματα δυσφημῶν, ἐξεῖναι λέγειν τὸ τεθνάναι, *Romani ne malè ominatè loquantur, abire dicunt, pro mori*; sicut Græci ejusdem εὐφημίας causâ, ἀποίχεσθαι: à mortis mentione abstinentes. Unde lethum λήθη τοῦ λύειν, quòd ii minimè sollicitandi, & à quiete avocandi. Quam ob causam porrò κεκοιμημένοι Græcis bonæ scævæ omine, & τελευτῶντες potiùs, quàm νεκροὶ, appellati sunt &c. Dalechampius *Not. ad l.*

Defundere, apud Ciceronem *de Finibus lib.* 2. *quibus vinum defusum sit è pleno Oenophoro*: Græcè ἀπαντλεῖν est & ἀποδιυλίζειν, diciturque de vino, quod è doliis (in quibus vinum non servabant Veteres) in amphoras, cados, & urceos; è cadis etiam urceisq; in crateres & pateras infundebatur, ut in illis conditum servaretur, in his propinaretur bibituris. A' quo *diffundere* diversum, quod Græcis διαχεῖν est, uti apud Poëtam,

— *deterataq; comam diffundere ventis.*

Nempe eadem differentia inter *diffundere* & *defundere*, quæ inter *digredi* & *degredi*, & similia: ut enim *degredi* est καταβαίνειν, sic *defundere*, καταχεῖν. Unde *defusum* meritò apud Ciceronem reponit Salmasius pro *diffuso*, quum ibi agatur de vini è majori vase, puta dolio, in alia minora infusione. V. eum *ad Solinum p.* 468. & 984. Inde ad unguenta vox transiit, quæ dicebantur ἀποδιυλίζεσθαι, cùm, postquam decocta essent & expressa, vasis reponerentur & defunderentur asservanda. *Ibid.*

Degenfeldia Familia, antiqua admodum & in Helvetiæ olim illustrioribus; unde Stumphio memoratur A. C. 850. aliquis Baro *de Degenfeld*, qui Episcopum Lausannensem occiderit. Mentio etiam fit circa A.C. 1200. cujusdam Romanæ *de Degenfeld*, Abbatissæ in Alsatiâ; & circa A.C. 1240. Ulrici Baronis ex eadem familia, Episcopi Curiæ Rhæticæ & S. Galli Abbatis. Exin relictâ, ob domesticas turbas, patriâ, in Sueviam concessere, novo non procul. Gemundâ condito castro, cui itidem nomen *Degenfeld* indidere. Primus verò dicitur A. C. 1360. ex Helvetia, in Sueviam, concessisse Conradus Dorotheæ *dell' etwvart* marit⁹. Cùm verò avitus titulus, cui fortuna non respondere videbatur, aliquandiu fuisset intermissus, Christophorus Martinus *à Degenfeld*, Cæsari suam ex Helvetiæ illis Baronibus deductionem demonstravit, atq; ita Baronum titulum renovari obtinuit: Cæsareis, dein Suecicis, tum Gallicis, demum, cùm mandatis Imperialibus avocatus esset, Venetis auspiciis, armis circumlatis, & rebus multis præclarè gestis, Dalmatiâ inprimis contra Turcas strenuè defensâ, inclytus. Fuit is Conradi, ex Margareta *de Zulnhart* filius, obiitq; A. C. 1653. Pater ex Anna Maria Adelmannia *de Adelmansfelden*, Adolphi Gustavi (extincti A. C. 1659.) Adolfi, Christophori, Maximiliani, Hannibalis, & Sophiæ Eleonoræ. V. Phil. Jac. Spenerum *Theatr. Nobil. Eur. tom. III. p.* 65. Ex hac verò ejus filia, cui Raugraviæ dignitas collata, suscepit Carolus Ludovicus Elector Palatinus utriusque sexus liberos, Carolum Ludovicum, Carolam, Luisam, Ludovicum, Ameliam, Elisabetham. Idem *Sylloge. Geneal. Hist. in Fam. Palat.*

Degis, Decebali Dacorum Regis frater, legatus ad Domitianum Imp. memoratus Martiali *lib.* 5. *Epigr.* 3.

Degradatio, in Communione Romana, Depositione longè gravior, est pœna Ecclesiastica, quâ Clericus, oblatis ordinis Insignibus, ab Episcopo, coram Judice Seculari, cui postmodum traditur, privatur titulo Clericali: Episcopis verò *degradatis* dirumpitur vestimentum Sacerdotale, uti Hebroinum Leodegario fecisse legitur in *Vita* S. Leodegarii *cap.* 14. Quò spectat Liber, cui tit. Διάλογος, seu, *Disput. Animæ & Corp.*

Ὥσπερ νόμον ἔχουσι, ἐν ταῖς ἐκκλησίαις,
Ἀρχιερεῖς, Ἐπίσκοποι, σὺν τοῖς Μητροπολίταις,
Καὶ ὅταν πλανήσῃ ἱερεὺς εἰς ἔγκλημα τὸ μέγα,
Ἐν πρώτοις λύουσιν αὐτὸν τὴν στολὴν τῆς ἀξίας,
Καὶ ὕστερον αὖθις σχίζουσι τοὺς χιτῶνας, οἴμοι,
Καὶ οὕτω τότε τὸν αὐτὸν ὡς μὴ ἱερέα κολάζουσι.
Sic Legem habent in Ecclesiis,
Archiepiscopi, Episcopi, cum Metropolitis,
Et cùm impegerit Sacerdos in crimen quoddam ingens,
Primùm ei tollunt stolam dignitatis,
Et sic rursus scindunt tunicas, væ mihi,
Atq; ita tunc illum tanquam non Sacerdotem puniunt.

Alias ceremonias, in Clericorum & Presbyterorum *Degradatione* fieri solitas, qui volet, legat in *Concilio* Tolet. IV. *can.* 27. Lemovicensi A. C. 1031. *sess.* 2. *in Pontificali* Rom. apud Luitprandum *lib.* 6. *cap. ult.* &c. Car. du Fresne *Glossar.* Sed & inter militares pœnas, *Degradationis*, apud Aragonenses, meminit Jacobus I. Aragon. R. in *Foris* Oscæ A. C. 1247. *fol.* 16. *de Degradatione Militis*, ubi sic describitur: *Cùm perventum fuerit ad ejus depositionem, ipsemet cingat sibi ensem, quo facto Princeps terræ, accepto cultello, in posteriori parte, id est, suprà renes, scindat ensis corrigiam omnino, de qua est accinctus, ita ut corrigiâ incisâ ensis per se cadat in terram; & sic ille, qui antè Miles erat, pravis suis meritis exigentibus, de Militiâ, quâ priùs decoratus extiterat, perpetuò sit depositus & damnatus.* In *Charta* Caroli Calvi, *Degradare* est beneficia Militibus auferre, apud Eundem, in *Addendis*.

Deicola, apud Martinum Episc. in *Epist.* ad Mironem R. Galliciæ, Monachi sunt. Id. V. *Culdei*.

Deifer, Gr. θεοφόρος, epitheton Apostolorum est, in *Epist.* Ludovici II. Imp. ad Basilium Imp. CP. apud Baronium. Item Polycarpi, & inprimis Ignatii Mart. apud Dionysium, de eorum martyrio loquentem. Anastasius *ad Action. I. VIII. Synodi*, *Tradunt Græci, quòd parvulus, quem Dominus advocatum statuit in medio, dicens, Nisi conversi fueritis & efficiamini, sicut hic parvulus* &c. *Iste Ignatius fuit, & idcirco hunc* Deiferum *nuncupant*. V. Joann. Baptistam Coteletium *ad Epistolam ejusdem Ignatii ad Ephesios*, laudatum Carolo du Fresne *in Glossar.*

Deili, fratres Palicorum, quorum lacus in Sicilia hoc exigendi sacramenti miraculo claruere, ut fures, qui sacramento raptum negarent, lumina aquis attrectantes, confestim fierent cœci, & *capti oculis admissum tenebris faterentur*, Solinus *cap.* 4. ubi tamen Sardiniæ adscribit, quod Siciliæ debebat. Aliis *Delli*. V. Salmasium *ad d. l.* & plura hanc in rem in voce *Palici*.

Deiloquus, θεολόγος, cognom. Gregorii Naz. apud Pet. Damianum *lib.* 1. *Epist.* 9.

Deipara, in Byzantinorum Impp. nummis, utpote Patrona ac Tutatrix urbis CP. habita, frequenter conspicitur. In eorum enim æreis primùm litera *M.* cum subjecta litera *A. Mariam* omnino seu *Deiparam*, denotavit; quam in Anastasii Dicori perinde æreis primùm licet observare, more hinc ad Successores derivato. Ipsam dein in nummis repræsentare inceperunt: Namq; habetur Romani Diogenis aureus, in quo ab ipsa *Deipara* diademate ornatur, quod ei acceptum tulisse, docet adscriptum lemma, ΘΕΟΤΟΚ. ΡΟΜΑΝω ΔΕSΡ. h. e. Θεοτόκος Ῥωμανῷ δεσπότῃ. Alium fere similem itidem æreum Octav. Strada exhibet. Eodem spectat æreus alter ab eodem descriptus, cujus facies una Deiparam Christum infantulum in sinu suo complectentem exhibet, cum solitis characteribus præpostero ordine collocatis, ΥΟ - ΤΗ, cùm scribi debuerint ΜΡ. ΘΥ. i. Μήτηρ Θεοῦ. In altera verò, habentur exarati hi characteres, ΘΗΚΟ ΡωΜΑΝω ΔΕCΠΟΤΗ Τω ΔΙΟΓΕΝΕΙ; ubi indubiè scriptum ΘΚΕ ΒΟΗΘΕΙ, ut in nummo alio aureo ejusdem Diogenis, & in Nicephori Botaniatæ Imp. jaspide, à Joanne Chifletio juri publico donatâ A. C. 1661. in qua efficta Deipara, utraque palmâ ad pectus extensâ, quemadmodum etiam stans exhibetur, in achate Orientali, apud eundem Chifletium, cum bina *Inscr.* perpendiculari, ab altera parte ΜΗΤΗΡ, ab altera ΘΕΟΥ, ut & in nummo æreo, quem du Fresne exhibet inter Zimiscianos, & in alio Isacii Angeli. In jaspide verò habentur soliti characteres, ΜΡ ΘΥ. In circulo autem, qui imaginem ambit, ΘΚΕ ΒΟΗΘΕΙ ΝΙΚΗΦΟΡω ΦΙΛΟΧΡΙΣΤω ΔΕCΠΟΤΗ ΒΟΤΑΝΕΙΑΤΗ. Interdum verò Christi effigies in scuto vel clypeo efficta, ab ipsâ *Deipara* utraque manu in sinu re-

[illegible]

nem, ut in nummis ejusdem Romani Diogenis & Isaacii Angeli, videre est. Is enim apud Graecos mos invaluit, ut Sanctorum imagines, in clypeis seu tabellis orbicularibus, Vett. imitatione, depingerentur, u de ἀσπίδων ἐμφανεῖς vocat P. Silentiarius, suis. Anastasius Bibl. V. supra in *Clypeus*. Alium modum effingendi Deiparae imaginem, tradit Scylitzes in Romano Argyro pag. 729. ubi ait, inventam fuisse in aede Blachernensi tabellam B. Virginis, Christum ad pectus applicatum tenentis. Sed & aliter nonnunquam, & ut Latini solent in ulnis se. Christum gestantem, eam a Graecis depictam collegit ex Theophane Cerameo & Theod. Studita du Fresne praefatus. Diogeniano autem similes habentur aurei Ioannis Comneni numini, in quibus idem diademate Deiparae excipit, cum his literis, ω ΔΕϹΠΟΤ, in facie verò altero effigitur Christus sedens. In altero ejusdem Augusti Deipara crucem ipsi duplicem porrigit, cum lemate, ω ΔΕϹ ΠΟΤ, supra caput. & ad latus Deiaprae, ΘΥ. ΜΡ. In alio praeterea, in quo stat ipse Ioannes, cum Narthece & globo crucigero, hisque literis, ω ΔΕϹ ΠΟΤ ΠΟΡΦΥΡΟΓΕΝΝ. aversa facies S. Virginis protomen praefert, cum utroque brachio extenso, ut in aliis inter Zimiscianos & Manuelis, Andronici Tyranni & Isaacii Angeli, solitisque characteribus ΜΡ. ΘΥ. In alio denique ejusdem Manuelis stat facie lusca, brachiis pariter erectis, in orecantis speciem: quasi ad Deum preces funderet, pro Imperii vel Urbis incolumitate. Car. du Fresne *Dissertat. de Infer. aevi numism.*

Deiphobus, adde: Therapnaeis olim cultus est, teste Aeneâ Gazaeo, qui in *Theophrasto* scribit, *Menelaum, Paridem ac Deiphobum, Therapnis Laconicis*. in veneratione fuisse, apud Vossium *de Idolol. lib. 1 cap. 13*. Pictus ab Antiphilo: de quo Plin. *lib. 35 c. 11. Laudatur — numerosâ tabula, in qua sunt Priamus, Helena, Credulitas, Ulysses*. Deiphobus, *Dolon*.

Deira, vulgò *Durham*. urbs Angliae, Regni olim cognominis caput. East-Saxonum enim Regnum, fundatum ab Ina A.C. 547. subdivisum postea est, in Regnum *Deirae* & Bervviciae. Georg. Hornius *Orb. Imper.*

Deis, genus mensae in Monasteriis, in *Vitis* Abbatum S. Albani. fortè cius, cui ut honoratiori umbraculum, quod *Dais* Gallis, imminebat. V. supra *Dagus*.

Delatores, V. deinde hic passim, inprimis in vocibus *Auscultatores*, *Cognitores*, *Sycophantae*.

Delegatus Apostolicus, idem cum *Responsali*, *can. Frater.* 16. *quaest. 1* V. *Responsalis*.

Delia, celebre Atheniensium festum, in Apollinis, quem eximiè coluere, honorem institutum; quorum toto tempore sacris operata Urbs nolebat quenquam capitis damnatum, dum Delum ibant redibantque Theori, poenas dare: lege latâ, Δημοσίᾳ μηδένα ἀποκτιννύναι πρὶν ἂν εἰς Δῆλον ἀφίκηται τὸ πλοῖον, καὶ πάλιν δεῦρο, *Delionum festos dies, dum Delum itur, reditur, damnatorum suppliciis ne funestato*. Cujus legis meminit Xenophon ac Plato, qui observant, Socratem triginta dies in carcere & in expectatione mortis exegisse post damnationem, quia *Delia* festa intervenerunt. Datum id autem honori Apollinis, ne hujus festi dies ultimo damnatorum supplicio pollucrentur, non enim omnibus id diebus festos observatum. Hinc Phocion quando ex plebiscito veneno sublatus est, festus erat dies, Jovi sacer. V. Plut. *in Phocione*. Qui sacro hac le atione defungebantur, Δηλιασταὶ, item Θεωροὶ dicebantur, quorum Princeps Ἀρχιθέωρος appellatus est, cui addebantur duo Parasiti seu Epulones ex Ceryceum genere, qui illo anno suum ibi munus obirent. Unde lex: Καὶ τὼ κήρυκε ἐκ τοῦ γένους τῶν κηρύκων τῆς μυστηριώτιδος, τούτους δὲ παρασιτεῖν τὸν ἐν Δηλίῳ ἐνιαυτόν, *Duo Ceryces sunto è gente Ceryceum Mysticorum; iidemque annum in Delio templo Parasiti sunto*. Fuere autem illi Ceryces, inter antiquissimas gentes populi Atheniensium, non caduceatores, neque praecones, ut quidam volunt, sed sacrorum Ministri. V. Sam. Petitum *Comment. in leges Atticas lib. 1. tit. 2*. Navis, quâ vehebantur Theori, similiter Θεωρὶς, item Δηλιὰς dicta, à Sacerdote Apollinis floribus sertisque exornari solebat: eratque illa ipsa, ut vulgò credebatur, quâ Theseus virgines, quae Minotauro quotannis offerendae in Cretam mittebantur, olim, monstro sublato, in patriam incolumes revexerat, ludis hinc festoque *Deliis* instituto. Ipsi Legati lauro ibant coronati: Unde Apollonius *lib. 2. Argonaut.*

Εὖτε [illegible] δάφνῃ καθύπερθε [illegible].

Quae ad festi solennitatem illuc mittebantur, Θεωρικὰ dicta sunt: Ibi enim primitò sacrificatum, dein circum altare Virgines *Γέρανον* saltabant, de quo V. infrà in voce *Grus*, & plura in hanc rem, in voce *Theori*.

Deliaca Supellex, Ciceroni appellata, in qua erant triclinia & lecti, cum pedibus & fulcris, ex *aere Deliaco* factis, Baifius *lib. de Vasculis*, apud Ioann. Calvinum *Lexic. Jurid.* Sic meminit *Deliacorum* Ael. Lampridius *in Alexandro Sev. Isium & Serapium decenter ornavit, additis signis & deliacis & omnibus mysticis*. h. e vasis *Deliacâ* specie, aut quae *Deliaca* imitarentur, uti loquitur Plinius *lib. 34*. Casaubonus *ad l*. De aere autem illo sic habet Plinii locus cap. *lib. cit. Antiquissima aeris gloria Deliaco fuit, mercatu in Delo celebrante toto orbe, et ideo cura officinis tricliniorum pedibus fulcrisque. Ibi prima nobilitas aeris, quae per venit deinde ad Deûm simulachra, effigiemque hominum & aliorum animalium. Proxima laus Aeginetico.*

Deliaci, memorati Plin. *lib. 10. c. 50.* gallinarii erant Mercatores, quos *gallinas saginare primos coepisse*, scribit. Eorundem meminit Cicero *in Lucullo*, *Quoniam gallinarium invenisti Deliacum qui ova cognosceret*. Item *Orat. pro C. Cornelio*, apud Asconium. Columella quoq; *lib. 8. c. 2.* Iidem ex gallis faciebant capones: quò Petronius alludens, de hominibus etiam dixit, *Deliaci manu recisi*, h.e. *spadones*. Quàm verò Romani vett. hujusmodi gallinarum delicias refugerint, docet Plinius, cùm post verba proximè memorata subjungit: *Interdictum lege C. Fannii Cons. XI. annis, ante tertium bellum Punicum, ne quid volucrum poneretur, praeter unam gallinam, quae non esset altilis: quod deinde caput per omnes leges ambulavit: inventumque diverticulum, in fraudem earum, gallinaceos quoque pascendi lacte madidis cibis*. V. Gerh. Joh. Vossium *de orig. & progr. Idolol. lib 3 cap. 91.*

Delicati, Latinis dicebantur, qui Graecis τὰ παιδικὰ seu ἐρώμενοι, quos & *delicias* dixit Cicero *pro Caelio*. Ael. Spartianus *in Hadriano*, *Corrupisse eum Trajani libertos, curasse delicatos, eosdemque saepe inisse per illa tempora — opinio multa firmavit*. Sed & *delicatae* quoque, h. e. dilectae, in vett. *Inscr.* in aede Cathedrali Pergami, ATESTIA L. D. L. ATESTIAE. TERTIAE. PATRON. BENEMERENTI. ET. CAPITONI BINETAE. ET. MARTIAE. ET. PRIMUL. DELICATIS. ET TELAMIO. CELERI. AMICO. CARISSIMO. ET. ATESTIAE. EGNATIAE &c. V Casaubonum *ad Spartian.* & Car. du Fresne *Glossar.* ut & hic infrà. Festo *delicata* primitus dicebantur, quasi *dedicata*, h. e. Diis consecrata: unde *delicatus* debitor, i. luxui consecratus: a *delico*, pro *dedico* &c. At *Deliciae*, apud Catullum,

Passer deliciae *meae puellae*.

& imitatione hujus, *Delicium*, apud Martialem *lib. 1. Epigr. 8.*

Stella delicium mei columba:

aliosque melioris aevi Scriptores, res est quae oblectat, quòd facilè eâ homines *laetantur* seu *deliciantur* & lascescentur. Unde *Deliciae Orbis*, notum Titi elogium. Sic porro dicuntur interiores amici, quos *dulces* Statius, Sulpicius Sev. Salvianus, Egesippus; *deliciosos* appellavit recentior aetas, ut ex Anastasio Biblioth. adnotat Barth. *Animadvers. ad Statium. Thebaid. lib. 11. v. 369* & *Advers. lib. 6. c. 20.* Sed & obscoenam notionem vox habuit, uti discimus suprà ex Cicerone, exempla habes, ubi de *Aminos* & *Daphnide*. Apud Comicos delitiosa nomina *ἑταιρῶν*, *Pagnium* &c. Jul. Caes. Scaliger *Poetices lib. 1. c. 13.* Casaubono *Deliciae* Latinis dicti sunt propriè pueri minuti & procaces, ac *garrulitate ipsâ amabiles*, ut ait Suetonius *Augusto cap. 84.* quos vett. Romani magno studio conquirebant, ex Syria inprimis, Alexandria & Mauritania, domesticae oblectationis ergo. Qualem habuit Augustus Sarmentum, apud Plut. *in Antonio*, ubi δηλίκιον illum Caesaris vocat, qualemque indigitat Jeremias, *cap. 31.* voce *Jeled schahaschuhim*, quem παιδίον ἐντρυφῶν Graeci vertunt. Fortassè & Salomon Prov. c. 8. v. 30. & seqq. Atq; sic in antiqq. lapp. plerisq; *Deliciae* & *Delicium* accipere mavult. Statius *Epicedio in Fil.* eos sic describit.

Non ego mercatus Pharia de puppe loquaces
Delitias, doctumque sui convitia Nili
Infantem, lingua nimium salibusque protervum
Dilexi

V. suprà in voce *Cubiti*. At *Delicati* eidem, quos nequissimi Graeci παιδικὰ dixere, item παῖδας ἁπαλοὺς, quos *κομῶντας ἐπὶ τῷ ἰνίῳ*, *in syncipite comam alere* solitos, Dio Chrysostomus *de Regno* ait. Interim confundi has voces saepe, non negat. V. illum *ad Suetonium d. l.*

Delii, V. suprà *Deli*.

Dellius, memoratus Hegesippo, *lib. 1. cap. 30. Dellius in hos usus est directus ab Antonio*; ita enim *MS.* habet, uti Josephus: cùm vulgò *Gellius* legatur, est ille ipse desultor bellorum civilium, cujus apud A. Senecam mentio. Ejusdem meminit quoq; *cap. 37.* Hegesippus, ubi tamen error est Auctoris, bis tribuentis Sossio, quod *Dellii* est apud Josephum, ut quidem judicat Joh. Fridericus Gronovius *Observ. in Ecclesiast. cap. 24.*

Delmenhorstium, adde: Antonio Gunthero, ultimo familiae suae mortuo, haereditatem inter Daniae Regem atque Holsatiae Gotorpiensis prosapiae Principem ita divisam esse, ut Regi Oldenburgum, *Delmenhorstium* Duci cederet; litem dein utrique obortam cum Joachimo Ernesto Duce Ploenensi, req; delatâ ad Caesarem, pro hoc pronunciatû, cui postea cum Rege convenerit, conditionibus non nisi fortè paciscentibus notis, tradit Tob. Pfannerus *de praecipuis Germ. Principum Gentib. cap ult.* ex *Recapitul.* aliisque *Actis* apud *Gastel. pag. 685. & 692.*

Delos, adde: Hodie *Dili* Graecis, in numero plurativo, eo quòd hoc nomine etiam Rheniam Ins. comprehendant, quae procul aspectantibus cum *Delo* eadem esse Insula videtur. Interim cùm separatim de alterutra loquuntur, hanc *magnam Delon*, (non *Fermene*, quod nomen est Ins. Thermiae 30. mill. inde distantis) illam *parvam* appellant. Est autem haec Insula deserta hodie, &, quia sub ruderibus tota jacet, penitùs inculta, leporum saltem cuniculorumq; copiâ abundans, unde *Lagia* nomine inter alia Insulae tributum diximus. Coturnices verò, unde & *Ortygia* illa quondam, nullae ibi hodie, nec palmeta ulla, quibus olim nobilem fuisse, Herodotus tradit. Lentiscum solùm fert, quae mastichem stillat.

ftillat. Cæterùm hodieque ibi viſuntur plurima Antiquitatis λεί-ψανα; Gymnaſii ſc. rudera. cujus memoriam ſervant duæ *Inſcriptiones*, quarum una Mithradati Evergetæ, altera Mithradati Eupatori, Ponti Regibus, dedicata eſt, unde piratæ Chriſtiani Inſulam *Scholas* etiamnum nominant. Porro Naumachiæ ibi Theatriq; reliquiæ: & truncus Apollo, è marmore, humi proſtratus, cujus quod reſtat, coloſſeam idoli magnitudinem teſtatur; haud procul Centauri Neſſi, Dejaniræ raptoris, & quatuor itidem ex marmore leonum, quædam ſuperſunt, qui, utpote Apollini ſacri, ornatui Templi inſerviſſe videntur. Imò vett. in hac Inſ. marmorum (quæ omnia ex Inſ. Paro petita) tanta ſtrages, ut ſub iis tota velut ſepulta lateat. Sub monte Cyntho, qui exiguus eſt, *Deli* urbis veſtigia ſuperſunt, ubi *Inſcr*. votum factum Serapidi, Oſiridi, Anubi, & Harpocrati, quibus fortè ibi loci ædes olim ſacra, continens; Dianæ verò, quæ alterum fuit Numen, juxta Apollinem fratrem, hic cultum, nihil planè reſtat, ut videre eſt apud Jac. Sponium *Itiner. Græciæ Part. I p.* 172.

Delphi, adde: Quinque templa *Delphica*, id eſt, in eodem loco Delphis ſucceſſivè extructa fuiſſe leguntur. Primum ex lauri ramis, ex agro vicino petitis. Secundum è cera & apum alis, à quodam cui *Pteras* nomen: Tertium ex ære (quemadmodum Spartæ templum erat Minervæ Χαλκοίκου) extructum; quod igne colliquefactum, vel, ut alii, terræ motu abſorptum legitur: Quartum è lapidibus conſtabat, architectis Trophonio & Agamede, primo anno quintæ Olympiadis in cineres redactum: Quintum ſeu ultimum ab Amphictyonibus conditum è ſacro ærario, per Spintharum, in loco maximè declivi, aditum habebat impeditum admodum & magnopere anguſtum. Huc cùm Athenienſes mittebant Legatos, qui Oraculum conſulerent, dicebantur illi Ἀνθεῶνες, adhibebanturque iidem ferme ritus, qui in annua legatione ad Deliacum feſtum uſitati erant. V. in voce *Theori*. Oraculum, poſtquam hic obmutuit, ad Hyperboreos Scythas ſe contuliſſe fertur. Claudian.

Luſtrat Hyperboreas Delphis ceſſantibus aras.

Unde Abatis Scytha, de ejus adventu & reſponſis librum edidiſſe, & Athenienſes, per totam Græciam peſte horribiliter graſſante inde moniti fuiſſe, ut reliquorum nomine vota preceſque facerent, leguntur. Quare, ſicut priùs Delphos, ita ab illo tempore dona eò mittere ſoliti ſunt. De ceſſatione Oraculi *Delphici*, egregiè Prudentius canit:

—— — *Ex quo hominis Deus induit artus,*
Delphica damnatis tacuerunt ſortibus antra.
Non tripodas Cortina regit, non ſpumat anhelus
Fata Sibyllinis fanaticus edita libris.
Perdidit inſanos mendax Dodona vapores,
Nec reſponſa refert Lybicis in Syrtibus Ammon.

V. Franc. Roſſæum *Archæol. Atticæ lib. 7. cap.* 2. & infrà in voce *Oracula*. Rudera verò Templi & urbis hodieque viſuntur, ſervatq; inſuper memoriam hujus *Inſcr*. quæ in pagi *Caſtri* (quem incolæ vet. eſſe urbis *Delphorum* λείψανα tradunt) templo Græco *Agios Helias* ſupereſt, & inter alia hæc continet, ΚΑΘΑΠΕΡ ΕΝ ΔΕΛΦΟΙΣ ΑΡΧΟΝΤΟΣ ΘΟΙΝΙΠΠΟΣ &c. Item alia, in Monaſterio 400. p. inde diſſito, in qua legitur, ΔΕΛΦΩΝ ΠΟΛΕΩΣ ΑΠΕΛΕΥΘΕΡΟΥ. Fuit autem hæc urbs primitus extructa, à Neptuni & Cleodoræ Nymphæ filio Parnaſſo, qui monti Muſarum ſede inclyto nomen dedit. Eâ verò diluvii Deucalionæi undis obrutâ, qui ſupererant incolæ, luporum ululatum ſecuti, in culmine Parnaſſi *Lycoream* condiderunt, à qua etiamnum culmen illud *Liacoura* Græci appellant. Nomen *Delphorum* quod attinet, *Delphum* quendam Apolline & Thyâ Sacerdote, filiâ Caſtalii, genitum, originem nomenque ei dediſſe volunt: Delphi autem filium Pythin *Pythonem* eam appellaſſe. Nunc ad exiguitatem vici redacta eſt, de quo vidimus. Plura hanc in rem inprimis de fonte Caſtalio, antro Corycio, ruderibus Gymnaſii, Stadii, aliiſque huc pertinentibus, V. apud Jac. Sponium *Itinerar. Græciæ Part* 2. *p* 54. & *ſeqq*. Idem nummi meminit Fauſtinæ, in cujus poſtica parte Templum Apollinis (quod non adeò videtur fuiſſe magnificum, utpote in quo 5. ſolùm columnæ viſuntur) cum voce ΔΕΛΦΩΝ, *Part.* 3. *pag.* 172.

Delphicæ Menſæ & *Delphicæ* ſimpliciter, Latinis; Græcis Δελφίδες τράπεζαι: quòd imitarentur figuram τοῦ δελφίδος ſeu τοῦ δελφικοῦ, ſeu, ut recentiores Græci dixerunt, τοῦ Δέλφικος τοῦ Ἀπόλλωνος, *tripodis Apollinis*, qui Delphis erat, ſic dictæ ſunt. Itaque rotundæ ſacturi erant, cujuſmodi fuiſſe Δελφικὰς τρίποδας, notiſſimum eſt, unde *orbes* dictæ Juvenali,

Qui Lacedæmonium pytiſmate lubricat orbem

Ubi *Lacedæmonius Orbis* menſa eſt, ex Lacedæmonio marmore, vel abacus. Horatius,

—— —— —— *lapis albus*
Pocula cum cyatho duo ſuſtinet

Ad quæ verba vetus Interpres, *Menſa*, inquit, *marmorea*, *quam* Delphicam *vocant*. Proſtabant ſc. pocula omne genus in illis Delphicis expoſita, & ibi pytiſſabant, abacumque ut & pavimentum effuſionibus rejectionibuſq; lubricabant, V. Salmaſium *ad Spartianum in Peſcennio Nigro*. Dicitur & *Delphicum*, eadem notione, apud Heſych. Sed & ſic triclinium appellatum eſt, in Majori Palatio CPolitano, in quo epulari conſueverat Imperator, uti ex Victore Tunn. in *Chron.* diſcimus, ubi hic loci Vitalianum Juſtiniani Patricii factione occiſum narrat. Vim vocis & originem disertè exponit Procopius *de Bello Vandal. lib.* 1. *c.* 21. à *Delphica* nempe, ſeu abaco miniſtratorio. Δελφίκιον illud Triclinium vocat Anna Comnena *Alexiad. lib.* 14. *pag.* 138. ad quam V. *Notas* Car. du Freſne. *Delphica* ſive Abaci, Varro quoque meminit *de L. L. cap.* 8. *Itaq; ſicut Abacum argento ornari videmus, ut alia paria ſint, alia diſparia, ſic in oratione.* E quo loco oſtendit Salmaſius, non ſemper in Delphica pares ſcyphos, h.e. ζεύγη, poni conſueviſſe, uti vult Agrœcius: *Quia*, inquiens, *ſcyphi in Delphica paria ſemper ſunt, unde ipſe Cicero, Scyphorum paria complura.* V. eum *ad Solinum pag.* 1047.

Delphin, vel *Delphis*, item *Delphinus*, inter cete minora, à Gr. Δέλφαξ, quibuſdam, i. *porcellus*, ſeu *porcella*, quòd interiora porco ſimilia habeat, nomen accepit. Unde *marſuinum* hodie Gallorum, h.e. *maris ſuem*, Vulgo *Souffleur* dictum. *Delphinem* eſſe putat Scaliger. Sed *varios* Veteres & δελφῖνα diverſum faciunt, & leve à nomine argumentum eſt: cujus originem alii ex Hebr. לויתן *Leviathan*, arceſſere malunt Cæterùm *velociſſimum eſt omnium animalium* — *& niſi multum infra roſtrum os illi foret, medio penè in ventre, nullus piſcium celeritatem ejus evaderet* — *tanta vi exiliens, ut plerumq; vela navium tranſvolet*. Iidem *pariunt catulos decimo menſe* — *nutriunt uberibus, ſicut balenæ*. — *pro voce gemitus humano ſimilis, dorſum repandum, roſtrū ſimum* — Porrò hoc *non homini tantùm amicum animal, verùm & Muſica arti, mulcetur ſymphoniæ cantu, & præcipuè hydrauli ſono. Hominem non expaveſcit, ut alienum: obviam navigiis venit, alludit exultans, certat etiam & quamvis plena prætexit vela* — *Eſt — in Nemauſenſi agro ſtagnum Laterra appellatum, ubi cum homine delphini ſocietate* (mugiles) *piſcantur*. — *Quæ in eodem genere piſcandi in Jaſſio ſinu Mucianus tradit, hoc differunt, quòd ultro neq; inclamati præſto ſint, parteſq; è manibus accipiant & ſuum quæq; cymba è delphinis ſocium habeat, quamvis noctu & ad faces* &c. Plin. *lib.* 9. *cap* 8. Ubi quod d. φιλανθρωπίας delphinorum ait, illuſtrat exemplo pauperis cujuſdam pueri, ex Bajano Puteolos in ludum literarium itantis, alterius item, in Africo litore Hipponis Diarrhyti degentis; pueri porro in Jaſſo urbe, alteriuſque cui *Babylonis*, & *Hermiæ* nomen &c. quorum hiſtorias ibidem vide. Adde *Delphinum Palæmonis* apud Pauſaniam in *Atticis*, & quæ affert hanc in rem Ælianus *Hiſtor. Animal. lib.* 6. *cap.* 15. idem Pauſanias *lib.* 3. *ſub fin.* Alii. Utut autem homini benevolum animal naturâ *Delphinus* eſt, ex eventu tamen acerrimus fit hoſtis: novit enim olfactu hominem, qui ex Delphini carne guſtavit, quem ubi deprehendit, devorat, Alberto Magno teſte. Fabula ex Tyrrhenis hominibus *Delphinos* factos, à Baccho tradit: unde *Tyrrheni greges* Statio *Achilleidos lib.* 1. *verſu* 56.

Armigeri Tritones eunt, ſcopuloſaq; cete,
Tyrrheniq; greges, circumq; infraq; recantur.

Eadem in vectura Thetidis illos ponit. Ovidius *Metamorph. lib.* 9.

Eſt ſpecus in medio — quò ſæpe venire
Frenato Delfine ſedens, Theti, nuda ſolebas.

V. Caſp. Barth. *animadverſ. ad Pap. Statium Achilleid. lib.* 1. *v.* 225. & plura de celeritate, ſaltibus, ac tota natura delphinorum ſanè per omnia admirabili, apud Oppianum, Ælianum, Alios. Addam ſaltem, uti balænis, ſic *delphinis*, branchias non eſſe, ſed fiſtulis ſpirare, quæ illis ad frontem, his à tergo ſunt, ex Auctore Anonymo *Sinæ & Eur. cap.* 42. Quòd verò peculiare *Delphinum* genus in Nilo eſſe, quorum dorſa ſerratas habeant criſtas, à quibus interimantur crocodili, contendit Solinus *cap.* 32. refellitur à Salmaſio, delphinos illos non eſſe Nili indigenas, ſed è mari immeare, neque quidquam privi habere, præter cæteros delphinas, quorum omnium ſint illæ criſtæ dorſuales, docente ex Plinio præfato *ad Solinum pag.* 447. V. quoq; infrà, ubi de *Simonis* vocabulo. Hinc Δελφινοφόρος ναῦς, ab effigie *delphini*, quam præferebat in prora apud Pollucem. Sed & ſic navis dicebatur, ab inſtrumento navali ſeu machinâ, in hoſtes emitti ſolitâ, cui δελφὶς quoque nomen. Cujuſmodi *delphines* ex plumbo erant, & in ſummitatem mali ſuſtollebantur, ut cum majori pondere ex alto dejicerentur, in naves adverſariorum: ut ex illo Ariſtophanis colligitur,

Τοὺς δελφῖνας μετεωρίζειν, καὶ τὰς ἀγκύρας ...

Qua de re eundem V. Salmaſium ubi ſuprà *p.* 570. & 571.

Delphinatus, nomen dignitatis in Gallia, quâ donabantur olim Comites Viennenſes; eò quòd complures ex iis, qui primò Comitatum hunc poſſederant, hoc nomine appellarentur. Hinc inter Ducatus, Marchionatus, Comitatus, Principatus, Vicecomitatus, & Baronias, *Delphinatum* quoq; poſuere Raynaudus & Roſentallus. In *Charta* A. C. 1285. apud Ducheſnium: in horum Comitum *Stemmate*, occurrit *Andreas quondam Delphinus Viennenſis & Albonis Comes*: à quo complures alii, Humbertus, Joannes, Guigo & Humbertus II. eadem dignitate donati leguntur. Quorum poſtremus quâ occaſione & conditione Galliæ Regi Principatum ſuum donaverit, diximus ſuo loco. V. quoq; Dionyſ. Salvagnium Boiſſium *de Uſu Feud. cap.* 1.

Delphini, apud Juvenalem,

Plebejum in Circo poſitum eſt, & in aggere fatum,
Quæ nudis longum oſtendit cervicibus aurum,
Conſulit ante Falas Delphinorumque *columnas*.

Columnæ erant in medio Circo, inter metas, cum aliis Circi ornamentis

mentis & columnis positæ. In Euripo illos locat Cassiodorus, cùm de Circo loquens, *Euripus*, ait, *maris vitrei reddit imaginem, unde illum Delphini quasi æquorei interfluunt*: ubi nomine *Euripi* quid veniat intelligendum, infrà dicemus. Erant nempe inter alias Circi columnas quædam, quibus insculpti *delphini*, vel quibus *delphini* pro basi fuere. Unde Tertullianus *de Spectac. Delphinos Neptuno vovenius columnæ. Sessiæ à sementationibus* &c. Auctorem & usum indigitat Dio, ubi de Agrippa, cùm videret in Circo homines sæpe errare circa numerum spatiorum decurrendorum, τούς τε δελφῖνας, inquit, καὶ τὰ ὠοειδῆ δημιουργήματα κατεστήσατο, ὅπως δι' αὐτῶν αἱ περίοδοι τῶν περιδρόμων ἀναδεικνύωνται, *Delphinos & ovales fabricas constituit, quibus circuitus curriculorum monstrentur ac numerarentur*. V. infra, ubi de *Ovis Circi*. Ibidem viles & triviales Astrologos consulebant mediocres & plebejæ fœminæ, spatium utrinque metarum seu intermetium per ambulantes, ut ex Juvenalis verbis citatis liquet &c. Salmasius *ad Solinum pag. 909. & seqq.* Sed & *Delphini*, ministeriis Ecclesiæ accensentur, Gregor. M. *lib. 1. Epist. 66.* Anastasio *in Sylvestro, Hilario* alibique: ubi ornamenta majorum lychnuchorum denotari, ait du Fresne *Glossar.*

Delta, adde: Triplex in Ægypto *Delta* habet Salmasius. Unum nempe, ubi Nilus in duas partes scinditur: alterum, *minus* dictum, ubi Bubastiacus fluvius fit dividuus in Busiriticum, qui per Pathmiticum ostium in mare abit; tertium, ubi idem Bubastiacus amnis se in alia duo diverticula findit, quorum alterum per Athribin urbem, alterum per ostium Pineptimi, in mare effunditur. Cæterùm ad ipsum *Delta* verticem, aliæ duæ fiunt ectropæ à majori flumine, quæ rectà Septentrionem petunt, quarum una est Thermutiacus fluvius, qui per Sebenniticum ostium exoneratur, alteri nomen est Τάλι, quæ per Bolbitinum exit. Qua de re V. Salmasium *ad Solinum pag. 477.*

Delubrum, dictum fuisse fustem delibratum vel decorticatum, quem pro Deo antiqui venerati sint, tradit Paulus Festi Pompeji abbreviator: cui Servius adstipulatur dicens: *Delubrum dictum propter lacum, in quo manus abluuntur, vel propter tectum conjunctum; aut certè ligneum simulachrum Delubrum dicimus, à libro, hoc est, à raso ligno factum, quod Græcè Ξόανον dicitur*; Varro *Rer. Divinar. lib. 7. Delubrum*, ait, *alios æstimare in quo præter Ædem sit area assumpta Deûm causa, ut est in circo Flaminio Jovis Statoris: alios, in quo loco simulachrum Dei dedicatum est.* Additque, *Sicut locum, in quo figerent candelam, Candelabrum appellatur, ita in quo ponerent Deum, nominatum Delubrum.* Quæ Varronis verba nobis servata sunt à Macrobio *Saturn. lib. 3. cap. 4.* qui adjicit: *His à Varrone præscriptis intelligere possumus id potissimùm ab eo probatum, quod ex sua consuetudine in ultimo posuit, ut à Dei dedicato simulachro* Delubrum *cœperit nominari. Virgilius tamen utramq; rationem diligenter est executus*, V. & reliqua, quæ sequuntur, uti etiam Servium *ad istud lib. 3. Æneidos*,

> *Principio* delubra *adeunt, pacemq; per aras*
> *Exquirunt.*

Ita ergo *Delubrum* fuit sanctior pars templi, in qua Idolum: Glossæ antiquæ, *Delubrum*, ναὸς, ἱερὸν, ξόανον, ἀνάθημα. Hæc in solemni victoria & triumpho coronabantur. Silius Ital. *Punicorum lib. 1. versu 743.*

> *Inq; vicem amplexi permixtâ voce triumphum*
> *Tarpeji clamant: Jovis & delubra decorant.*

Ubi fœdè à librario erratum, legendum enim *coronant*. Ibidem captabantur somnia; In templis enim, prævio sacrificio, incubare hostiarum pellibus, sicque sopitos somnia, quibus de futuris certiores redderentur, captasse homines, Virgilius *Æneid. lib. 8. his verbis* docet:

> —— —— —— *Huc dona sacerdos*
> *Contulit, & sacrarum ovium sub nocte silenti*
> *Pellibus incubuit stratis, somnosq; petivit.*

Meminit horum in *Delubris* somniorum Juvenalis *Sat. 6.*

> *Somnia, quæ humanas ludunt evanida mentes,*
> *Non delubra Deûm, nec ab æthere Numina mittunt,*
> *Sed sibi quisq; facit.*

V. Joh. Rosinum *Antiqq. Rom. lib. 2. cap. 2. cum Paralipom.* Thomæ Dempsteri. In iisdem homines *pericula sua diluere*, id est, solvere denarium in memoriam periculi superati, fuisse solitos, unde *Delubrum* dictum, notant alii. Suspendebant autem ibi pileum, vel scutum, vel alia suscepta votis. V. Martinium *in Lexic. Philol.*

Deludere, Gladiatorum verbum. Varro apud Plinium *lib. 36. cap. 27. Lix est fomes Inde enim cinis lixivus potui medetur: ut licet videre gladiatores, cùm deluserint, hac juvari potione.* Nempe, ludo finem imponere notat seu catalysin facere, quod Græci καταλύειν dixere. Hinc *Deludium*, apud Horatium *Epist. lib. 1.*

> —— —— *clamo* & deludia *posco*:

est cessatio à ludo, vel κατάλυσις ludi. Salmasius *ad Solinum pag. 409.*

Demagogi, Græcè Δημαγωγοί, Athenis Oratores dicti sunt publici, teste Polluce: quorum in Republica illa summam fuisse potestatem, ex antiquis monumentis satis perspicuum est. Hinc Diogenes Laërtius Demosthenem Δημαγωγὸν appellat: & Δημαγωγεῖν apud Isocratem *ad Nicoclem*, non quâvis oratione populum ducere flectereque, quod cujusvis Oratoris est, sed Populum Rempublicamque moderari, denotat. Non tamen omnes *Demagogi* Oratores erant, namque & exercitus Ductores, & qui principem in Rep. locum obtinebant, ita quoque appellari solebant. Hinc Hesychius, Δημαγωγὸς ἄρχων, ὁ ἐπὶ τὸ τὸν δῆμον ἄγειν καὶ διοικεῖν. Nonnunquam tamen Δημαγωγεῖν turbas movere & concitare in populo significare, idem testatur; abusu potestatis in abusum vocis transeunte. V. Loënsem *Miscellan. lib. 9. cap. 16.*

Demarchi, Græcè Δήμαρχοι, dicebantur in eadem Rep. præfecti τῶν Δήμων, quos illi, quando necesse erat, convocabant, eâdem potestate, quâ priùs Ναύκραροι vel Ναυκλάροι habuerant, (ut scribit Harpocration in *Lexico*, & Scholiastes Aristophanis *ad hæc verba Act. 1. sc. 1. in Nubibus*, Δάκνει με δήμαρχός τις) instructi. Iidem quisque per suum Δῆμον censum & facultates populi describebant, ad solvenda publica debita. A Clisthene institutos affirmat Aristoteles *de Rep. Athen.* Erat nempe urbs in Κώμας, ager verò in Δήμους divisus, Isocr. *in Areopagit.* ubi Interpres malè Δήμους *municipia* vertit, secundùm Oiselium *in A. Gellium lib. 3 c. 13.* Φρατρίας καὶ δήμους conjunxit Plato *de leg. lib. 6.* Quidam Φυλὰς seu tribum cum Δήμοις confundunt: sed rectè Ubbo Emmius inter Φυλὰς i. tribus, Φρατρίας i. curias & Δήμους i. populos, in quos populus universus divisus erat, distinguit: hinc Phylarchi, Phratriarchi, Demarchi. V. Postellum *de Rep. Ath.* Itaque Δήμους interpretatur quidem *Populos*, Fr. tamen Rossæus meliùs per *oppida* seu *urbeculas* exprimi sentit, ex Cic. *lib. 7. epist. 3* ubi de vocis hujus genuino significatu prolixè agit. Ante Cecropis regnum plurimi τῶν Δήμων peculiares habuere Reges, teste Pausaniâ *in Atticis pag. 30. l. 42.* nec mirum, cùm urbes sæpe æquarent aut superarent, uti discimus ex Aristide *in Panath. T. 1. p. 326* Olimq; Ναυκραρίαι dicebantur, auctore Solone, qui cuilibet Tribui duodecim naucrarias attribuit: postea à Clisthene, de quo retro, in Δήμους versæ sunt, Schol. Aristoph. *in Nub.* Numerus illorum, Eustathio *in Il. β. ex Strabone*, & Casaubono *in Athenæum lib. 6. cap. 9.* fuit 174. quorum quidam cognomines, saltem ratione situs καθύπερθεν & ὑπένερθεν, *superioris ac inferioris*, distinguebantur. Divisi erant omnes in *Majores* & *Minores*, quorum series infrà. In cunctis templa erant, teste Livio *Dec. 4. lib. 1.* ubi ait: *Templa pagatim sacrata.* Et paulo pòst, *Delubra sibi fuisse, quæ quondam pagatim habitantes, in parvis illis castellis vicisq; consecrata, ne in unam quidem urbem contributi Majores sui deserta relinquerent.* Similiter Pausanias *in Atticis* testatur, quemque eorum peculiare quoddam Numen coluisse, universos tamen τὴν Ἀθηνᾶν ἄγειν ἐν τιμῇ, *Minervam magno in honore habuisse.* Habebant etiam illorum quidam festa sibi propria: Sic Brauron *Brauronea* &c. celebrabat. Notitia horum Δήμων non exiguum apud Auctores usum habet, cùm de legibus, contractibus aliisque illorum ritibus certi quiddam rescire cupimus; ubi admodum exactæ reperiuntur formulæ, quibus sibi cavebant, ne ullâ ratione decipi aut iniquè taxari possent &c. V. Fr. Rossæum *Archæologiæ Atticæ lib. 1. cap. 6.* Meursium, & Jac. Sponium *peculiari tract. de Populis Atticæ, in Itiner. Græciæ Part 3.*

Series Demorum Atticæ, sec. literarum ordinem.

Ἀγγελὴ, *Angele*, ad tribum Pandionidem pertinens.
Ἀγνοῦς, *Agnus*, ad Demetriadem vel potiùs Attalidem.
Ἄγραι, *Agra*, à vett. Scriptoribus inter populos hos non memorantur; locus fuit prope urbem venationi destinatus.
Ἀγραυλὴ, *Agraule*, ad tribum Erechtheidem.
Ἀγχεσμὸς, *Anchesmus*, scopulus potiùs, quàm demus.
Ἀζηνιά, *Azinia*, ad tribum Hippothoontidem.
Ἀθμονον, *Athmonon*, ad Cecropidem.
Αἰγιλία, *Ægilia*, ad Antiochidem.
Αἰθαλίδαι, *Æthalidæ*, ad Leontidem.
Αἰξωνὴ, *Æxone*, ad Cecropidem.
Ἁλαὶ Αἰξωνίδες, *Alæ Æxonides*, ad eandem.
Ἁλαὶ Ἀραφηνίδες, *Alæ Araphenides*, ad Ægeidem.
Ἁλιμοῦς, *Alimus*, ad Leontidem.
Ἀλωπεκή, *Alopece*, ad Antiochidem.
Ἀμαξάντεια, *Amaxantea*, ad Hippothoontidem.
Ἀμφιαλή, *Amphiale*, prom. potius.
Ἀμφιτροπή, *Amphitrope*, ad Antiochidem.
Ἀναγυροῦς, *Anagyrus*, ad Erechtheidem.
Ἀνακαία, *Anacæa*, ad Hippothoontidem.
Ἀνάφλυστος, *Anaphlystus*, ad Antiochidem.
Ἀπολλωνιεῖς, *Apollonia*, ad Attalidem.
Ἀραφὴν, *Araphen*, Ἀραφὼν, ad Ægeidem.
Ἀργιλία, *Argilia*, incertum quò pertinuerit.
Ἅρμα, *Harma*.
Ἀτηνή, *Atene*, ad Attalidem.
Ἄφιδνα, *Aphidna*, ad Leontidem.
Ἀχαρναί, *Acharnæ*, ad Oeneidem.
Ἀχερδοῦς, *Acherdus*, ad Hippothoontidem.
Ἀχραδοῦς, *Achradus*, ad quam, incertum.
Βατή, *Bate*, ad Ægeidem.
Βελβίνα, *Belbina*, scopulus maris.

Βερμικίδαι, *Bermicidæ*, ad Ptolemaidem.
Βῆσα, *Bisa*, ad Antiochidem.
Βουτάδαι, *Butadæ*, ad Oeneidem.
Βραυρὼν, *Brauron*, ad eandem.
Βριλησσὸς, *Brilessus*, mons potiùs.
Γαργηττὸς, *Gargettus*, ad Ægeidem.
Δαιδαλίδαι, *Dædalidæ*, ad Cecropidem.
Δειράδες, *Deirades*, ad Leontidem.
Δεκέλεια, *Decelea*, ad Hippothoontidem.
Διόμεια, *Diomea*, ad Ægeidem.
Δρυμὸς, *Drymus*, opp. inter Bœotiam & Atticam.
Ἑδύπλιον.
Εἰρεσίδαι, *Eiresidæ*, ad Acamantidem.
Ἑκάλη, *Hecale*, ad Leontidem.
Ἐλαιεὺς, *Elæus*, ad Hippothoontidem.
Ἐλεῦσα, *Eleusa*, ad Hadrianidem.
Ἐλευσὶς, *Eleusis*, ad Hippothoontidem.
Ἔννα, *Enna*, quò referenda, incertum.
Ἐπικηφίδαι, *Epicidæ*, ad Cecropidem.
Ἐπικηφισία, *Epicephissia*, ad Oeneidem.
Ἐρεχθία, *Erechthia*, ad Ægeidem.
Ἐρικεία, *Ericia*, ad eandem.
Ἑρμος, *Hermus*, ad Acamantidem.
Ἐροιάδαι, *Eroiadæ*, ad Hippothoontidem.
Ἐρχεία, *Erchia*, ad Ægeidem.
Εὐκανθεῖς, *Eucantheus*.
Εὐπυρίδαι, *Eupyridæ*, ad Leontidem.
Εὐώνυμος, *Euonymus*, ad Erechtheidem.
Ἐχελίδαι, *Echelidæ*, quorsum ? ignoratur.
Ζωστὴρ, *Zoster*, prom. potiùs.
Ἡφαιστία, *Hephæstia*, ad Acamantidem.
Θήβη, *Thebe*, quò referenda, incertum.
Θημακὸς, *Themacus*, ad Ptolemaidem.
Θοραί, *Thoræ*, ad Antiochidem.
Θορικὸς, *Thoricus*, ad Acamantidem.
Θρία, *Thria*, ad Oeneidem.
Θρίων, *Thrion*, ad eandem.
Θυμαιτάδαι, *Thymætadæ*, ad Hippothoontidem.
Θυργωνίδαι, *Thyrgonidæ*, ad Ptolemaidem.
Ἰκαρία, *Icaria*, ad Ægeidem.
Ἱπποταμάδαι, *Hippotamadæ*, ad Oeneidem.
Ἰτέα, *Itea*, ad Antiochidem.
Ἰωνίδαι, *Jonidæ*, ad Ægeidem.
Καλὴ, *Cale*.
Κειριάδαι, *Ciriadæ*, ad Hippothoontidem.
Κεραμεικὸς ὁ εἴσω, *Ceramicus intra* urbem.
Κεραμεικὸς ὁ ἔξω, *Ceramicus extra*, cum Academia, ad Acamantidem.
Κεφαλὴ, *Cephale*, ad eandem.
Κηδοὶ, *Cidæ*, ad Erechtheidem.
Κήττιοι, *Citti*, ad Leontidem.
Κηφισία, *Cephisia*, ad Erechtheidem.
Κίκυννα, *Cicynna*, ad Acamantidem.
Κοθωκίδαι, *Cothocidæ*.
Κοίλη, *Coile*, ad Hippothoontidem.
Κολλυτὸς, *Collytus*, ad Ægeidem.
Κολωνὸς Ἵππιος, *Colonos Hippius*, clivus extra urbem.
Κολωνὸς Ἀγοραῖος, *Colonos Agoræus*.
Κονθύλη, *Conthyle*, ad Ptolemaidem.
Κορυδαλλὸς, *Corydallus*, ad Hippothoontidem.
Κριῶα, *Crioa*, ad Antiochidem.
Κρωπία, *Cropia*, ad Leontidem.
Κυδαθήναιον, *Cydathenæum*, ad Pandionidem.
Κυδαντίδαι, *Cydantidæ*, ad Ægeidem.
Κύθηρος, *Cytherum*, ad Pandionidem.
Κυνόσαργες, *Cynosarges*.
Κυρτιάδαι, *Cyrtiadæ*, ad Acamantidem.
Λακιάδαι, *Laciadæ*, ad Oeneidem.
Λαμπτρὰ καθύπερθε, *Lampra superior*, ad Erechtheidem.
Λαμπτρὰ ὑπένερθε, *Lampra inferior*, ad eandem.
Λάρισσα, *Larissa*.
Λαύρειον, *Laurium*, argentifodinâ nobile.
Λέκκον, *Leccum*, ad Antiochidem.
Λευκόνιον, *Leuconium*, ad Leontidem.
Λευκοπύρα, *Leucopyra*, ad Antiochidem.
Λήναιον, *Lenæum*.
Λίμναι, *Limnæ*.
Λουσία, *Lusia*, ad Oeneidem.
Μαραθὼν, *Marathon*, ad Æantidem.
Μελαιναὶ, *Melanæ*, ad Antiochidem.
Μελίτη, *Melite*, ad Cecropidem.
Μίλητος, *Miletum*.
Μόλσος, *Molsus*, ad Æolidem.
Μουνυχία, *Munychia*.
Μυῤῥινοῦς, *Myrrhinus*, ad Pandionidem.
Ξυπέτη, *Xypete*, ad Cecropidem.

Ὀα, *Oa*, ad Hadrianidem.
Ὄη, *Oe*, ad Oeneidem.
Οἶον Δεκελεικὸν, *Oeum Decelicum*, ad Hippothoontidem.
Οἶον Κεραμεικὸν, *Oeum Ceramicum*, ad Leontidem.
Οἰνόη, *Oenoe*, ad Æantidem, alia ad Hippothoontidem.
Παιανιὰ καθύπερθε, *Paania superior*, ad Pandionidem.
Παιανιὰ ὑπένερθε, *Pæania inferior*, ad eandem.
Παιονίδαι, *Pæonidæ*, ad Leontidem.
Παλλήνη, *Pallene*, ad Antiochidem.
Παμβωτάδαι, *Pambotadæ*, ad Erechtheidem.
Πάνακτος, *Panactus*, castrum Atticæ.
Πάρνης, *Parnes*, mons.
Πειραιεὺς, *Piræus*, ad Hippothoontidem.
Πεντέλη, *Pentele*, ad Antiochidem.
Περγασὴ, *Pergase*, ad Erechtheidem.
Περιθοίδαι, *Perithoidæ*, ad Oeneidem.
Πεῤῥίδαι, *Perrhidæ*, ad Antiochidem.
Πήληκες, *Peleces*, ad Antiochidem.
Πίθος, *Pithos*, ad Cecropidem.
Πλωθεία, *Plothia*, ad Ægeidem.
Πνὺξ, *Pnyx*.
Πόρος, *Poros*, ad Acamantidem.
Ποταμὸς, *Potamos*, ad Leontidem.
Πρασιαὶ, *Prasiæ*, ad Pandionidem.
Προβάλινθος, *Probalinthus*, ad eandem.
Πατρόκλου Νῆσος, *Patroclia*.
Πρόσπαλτα, *Prospalta*, ad Acamantidem.
Πτελέα, *Ptelea*, ad Oeneidem.
Ῥαμνοῦς, *Rhamnus*, ad Æantidem.
Σημαχίδαι, *Semachidæ*, ad Antiochidem.
Σκαμβωνίδαι, *Scambonidæ*, ad Leontidem.
Σκίρον, *Sciron*.
Σούνιον, *Sunium*, primùm ad Leontidem, inde ad Attalidem.
Σπόργιλος, *Sporgilus*.
Στειριὰ, *Stiria*, ad Pandionidem.
Συβρίδαι, *Sybridæ*, ad Erechtheidem.
Συπαληττὸς, *Sypalettus*, ad Hippothoontidem.
Σφηττὸς, *Sphettus*, ad Acamantidem.
Τίθρας, *Tithras*, ad Ægeidem.
Τιτακίδαι, *Titacidæ*, ad Æantidem.
Τρικόρυθος, *Tricorythus*, ad eandem.
Τρινεμεῖς, *Trinemeis*, ad Cecropidem.
Τυρμίδαι, *Turmidæ*, ad Oeneidem.
Ὑβάδαι, *Hybadæ*, ad Leontidem.
Ὑδροῦσα, *Hydrusa*, scopulus.
Ὑμηττὸς, *Hymettus*, mons habitatus.
Ὑσίαι, *Hysia*, prope Oenoën.
Φάληρος, *Phalerus*, ad Æantidem.
Φαρμακοῦσαι, *Pharmacusæ*, duo scopuli.
Φηγαιὰ, *Phigæa*, duplex; una ad Ægeidē, altera ad Pandionidem spectans. Sed prior Hadrianidi postea tributa.
Φηγοῦς, *Phegus*, ad Erechtheidem.
Φιλαΐδαι, *Philaidæ*, ad Ægeidem.
Φλυὰ, *Phlya*, ad Ptolemaidem.
Φορμίσιοι, *Phormisii*.
Φρεάῤῥιοι, *Phrearrii*, ad Leontidem.
Φρίττιοι, *Phrittii*.
Φυλὴ, *Phyle*, ad Oeneidem.
Φυρ - - *Phyrr* - - - in marmore XIII. Tribuum, apud Sponium. ad Antiochidem.
Ψαφίδαι, *Psaphidæ*, ad Æantidem.
Χιτώνη, *Chitone*, locus festo Dianæ Chitoneæ nobilis.
Χολαργὸς, *Cholargus*, ad Acamantidem.
Χολλίδαι, *Chollidæ*, ad Ægeidem.
Ὠρωπὸς, *Oropus*. De quibus omnibus (aliisque nonnullis controversi juris) V. Auctores præfatos & hic passim suis locis.

Demarchus apud Spartianum in *Hadriano*, *Per Latina oppida Dictator & Ædilis & Duumvir fuit. Apud Neapolim Demarchus in patria sua* &c. Nomen erat præcipui ac ordinarii Magistratus Neapoleos, ab antiquo, uti docet Strabo *lib.* 5. V. quoq; infrà in voce *Magister limitum*. In *Precepto* Caroli Simpl. pro Monasterio S. Dionysii, *Comitem* vox notat, apud du Fresne in *Glossar.*

Demetrius, Dianæ servus, & Pœnius, manum summam templo Dianæ Ephesiæ imposuerunt, Vitruvius *lib.* 7. *Præfat.* Græcè Ἱερόδουλος, & νεωκόρος τῆς Ἀρτέμιδος. V. Salmasium *ad Solin. p.* 814. De *Demetrio* verò ναοποιῷ, cujus mentio in *Actis*, infrà, in voce *Templum*.

Demo, Græcè Δημὼ, nomen Sibyllæ Cumanæ, apud Pausaniam in *Phocicis*, de qua V. eundem Salmasium, ubi suprà *p.* 647.

Democrates, Androcrates, Cyclæus & Leuco, à Pythia Græcis colendi dati sunt, maximè Platæensibus, Vossius *de Idol. lib.* 1. *cap.* 13.

Demonesus, inf. adde: Juxta Chalcedonem, in qua χαλκῶν, *Ærariafodina* nobilissima. Unde Δημονήσιος χαλκὸς, *Demonesinum æs*, magna apud Græcos famâ. V. suprà, ubi de *Ære*.

Dem-

Demetrius, Artifex, qui simulachrum Dianæ Ephesiæ dedolavit, memoratur Muciano ter Consuli apud Plinium *lib.* 16. *cap.* 40. mirantem, Mucianum edere nomen Artificis simulachri, quod antiquius esse non modò Libero patre, sed etiam Minervâ, prodiderit, quod insuper nullius Artificis manu factum, cœloque lapsum credebatur, h. e. *Διοπετὲς*, uti dicitur in Actis, ex sententia incolarum. V. Salmasium ubi suprà *p.* [illegible].

Demoparatus Sycionius, plectri officium, in cithara, ad solam manum primus transtulit, cùm priùs altera manu plectro eam pulsarent, alterâ nervos premerent certo intervallo. Quod tamen alii Epigono Ambraciotæ attribuunt. J. Cæs. Scaliger *Poëtices lib.* 1. *cap.* 48.

Demos, apud Plinium *lib.* 35. *cap.* 10. *Parasius—pinxit & Demon Atheniensium, argumento quoque ingenioso. Volebat namque varium, iracundum, injustum, inconstantem: eundem exorabilem, clementem, misericordem, excelsum, gloriosum, humilem, ferocem, fugacemque & omnia pariter ostendere.* Vulgus est, ex Græco ὁ *δῆμος*, de quo V. infrà suo loco, item in voce *Populus*. Aliam vocis notionem vidimus hic suprà.

Demosthenis Laterna, vulgò τὸ φανάρι τοῦ Δημοσθένους hodiernis Græcis, exigua turris est Athenis, è marmore, sex columnis striatis innixa, in Capucinorum Hospitio: cui se magnum hunc Oratorem barbâ semirasâ inclusisse, ut se in publicum prodire prohibitus eò majori attentione studiis suis vacaret, communiter tradunt. Sed potiùs monumentum fuisse honori alicujus Olympionicæ dicatum, ex figuris ei insculptis, & comparatione consimilium in eadem urbe turrium, contendit Jac. Sponius *Itinerar. Græciæ Part.* 2. *pag.* 172. ubi tum iconem, tum descriptionem illius accuratam habes.

Denarius, adde: Subintelligitur nummus. Fuitque, teste Flavio Sosipatro *lib.* 1. apud Romanos antiquos, *decem assium. Ideoque*, inquit, *in rationibus faciundis Denarium decussi inducto notamus ... cujus quarta pars, dupondius semis, sestertius dicitur, quòd de tribus assibus semis deficiat.* Priscianus *Denarium* per X. perscriptam notari dicit. Vocatus est itaque *Denarius* nummus vel assis, quòd taxaretur assibus libralibus decem, seu 10. libris æris. Æreus autem ipse nullus fuit, sed Consulum & primorum Cæsarum temporibus ex argento constitit, drachmæ respondens. Unde, etsi pro copiis Reip. & pro innocentia aut avaritia Triumvirorum ac officinatorum Monetæ in pondere variatum nonnihil videri posset, mox tamen postquam flari cœptus est argenteus nummus, in eo constiterunt *Denarii*, ut centum putarentur in argenti libra Romana, quemadmodum centum drachmæ in libra Attica. Livius *lib.* 22. narrat de permutandis captivis convenisse inter Duces Romanum Pœnumque, ut quæ pars plures reciperet, quàm daret, *argenti pondo bina & selibras in* militem præstaret: quas Plut. *in vita Maximi*, drachmas quinquaginta ultra ducentas, id est, totidem *Denarios*, vertit. Sic cùm quindecim millibus æris gravis damnatus Furius Camillus dicitur Livio auctore *lib.* 5. Plutarchus id vertit, mille quingentas drachmas, quibus mille quingenti *Denarii* respondent &c. Veteres enim drachmâ æstimasse *Denarium*, etiam ante illos, quos vocant *Denarios Imperatorios*, pluribus docet Gronovius, licèt non diffiteatur, subtili examine ut minam à libra, sic drachmam à denario differre. Unde & hodie *Denarios* reperiri, qui eodem cum drachma sint pondere, docet Agricola: testaturque Scaliger omnes fere, qui hodie supersunt, ejusdem ponderis esse, neque Regalem Castilianum excedere. Quare cùm Principatu Claudii, Annius Plocamus manceps vectigalium rubri maris Aquilonibus raptus ad insulam Taprobanam necessariò applicuisset, admiratum fuisse loci Regem justitiam Romanorum inde, quòd pares pondere *Denarii* essent in captiva pecunia, cùm diversæ imagines indicarent à pluribus factos, refert Plinius *lib.* 6. *cap.* 22. quo illi refelluntur, qui Claudium leviores fecisse hos nummos assertum eunt. Nec *Denarii* pondus pretiumve mutatum est, cùm æri aliquid detractum est, sed ei auctior assium, in quibus mutatio acciderat, numerus redditus est. Proin, dum librales fuerunt asses, decem illorum valuit, quemadmodum dena pondo æris; mutato pondere assium nihil additum argento denarii, sed detractum multum æri assis effecit, ut ille in argenti uncia eadem pars, quæ quondam, nempe octava, fieret assium sedecim. A quo tempore, æs excurrens partibus assis exprimi cœpit. Quando cudi cœperit *Denarius*, incertum: Nummum enim illum argenteum, quem Servius Tullius primus flasse dicitur Varroni apud Sosipatrum, septem scripulorum, *Denarium* fuisse, non est extra controversiam. Dein certum est, eum nummum non fuisse publici usus, sed notam memorabilis alicujus eventus, quod ne nunc quidem in Imperiis, urbibus, familiis cessat. Argentum publicè primùm signari cœpit A. V. C. 574. Q. Ogulnio Gallo, C. Fabio Pictore Coss. quinque ante Punicum bellum, 260. post Reges ejectos annis. *Cùm denis in diem assibus animam suam & corpus æstimari* queruntur milites apud Tacitum, testatur Plinius decem asses in stipendio militari diurno *Denarii* nomen retinuisse, ubi vox *Denarii* abusivè sumitur: revera enim, cùm *Denarius* tum 16. asses valeret, stipendium id, cujus Augustus auctor, faciebat in mensem denarios octodenos & dodrantem, id est, duodecim asses. Hinc de Domitiano Zonaras ait, illum ad tres aureos, sive septuagenos quinos denarios (quod quadrimestre stipendium fuit) adjecisse aureum unum sive 25. denarios. Aurei *Denarii*, quorum Plinius meminit, & quos apud Petronium movit pro calculis Trimalcio, non erant ordinarii nummi Romani, sed ἐπίχωροι peregrini vel dimidiati stateres Græcorum: nullum enim nisi argenteum *Denarium* Romanis fuisse, probat Gronovius. Ejus sexta pars obolus erat, pondus trium scripulorum fuit, *capita & navem* signa impressa habuit: ut colligitur ex Macrobio *Saturnal. lib.* 1. *cap.* 7. *Æs ita fuisse signatum hodieque intelligitur in aleæ lusu, cùm pueri denarios in sublime jactantes, capita aut navim exclamant.* E quibus verbis malè colligunt quidam, antiquitus *Denarios* æreos fuisse. Nam ære rudi & pòst signato, dum libralis as fuit, habitas massas, quæ denos æris valerent, uti non negatur, ita certum, hos non denarios, verùm *decusses* & *dena æris* vel *deni æris* appellatos esse: qui in argento faciebant denarium nummum. Cum hodierna pecunia comparatus *Denarius* facit Schellingum Belgicum, denos Bajoccos, quadraginta Marvedes, octo nummos Anglicos *eight pence* &c. *Denarium* hujusmodi, cùm virilem togam sumerent Romæ, quisque in ædem Juventutis eo die deferre tenebantur, de quo ritu sic Dionysius Halicarn. *lib.* 4. *Tradit L. Piso*, inquit, *Annalium primo, voluisse eum & urbanæ multitudinis scire numerum, tum nascentium, tum morientium, tum τῶν εἰς ἄνδρας ἐγγραφομένων, qui virilem togam sumerent, statuisseque quanti pretii nummos pro singulis inferre deberent cognati, in ærarium Ilithyiæ pro nascentibus; in Veneris ærarium in luco situm, quam Libitinam appellant, pro defunctis: in Juventutis, pro virilem togam sumentibus: unde poterat nosse, annis singulis, quantus esset in universum numerus civium, tum quàm multi ex his essent per ætatem militiæ idonei* &c. Pondus *Denarium* in argento signato valuit decem libras argenti, & ex consequenti mille denarios nummos. Sic in *Lege LXXXVIII. n. X. D. de leg.* 11. *deposita apud me à Seleuco patruo meo denaria tria*, pro tribus millibus *denarium*; & in vet. lapide *denaria quinque*, pro quinque millibus denarium legimus. V. plura apud Joh. Fridericum Gronovium *de Pecunia Vetere passim*: è quo *lib.* 4. *cap.* 13 prioribus adde, Constantinum M. veterum institutorum mutationibus gaudentem, etiam *Denarios* veteres abolevisse, in quorum locum *milliarenses* introduxit, graviores denario, 28. siliquarum & quatuor quintarum siliquæ, seu scriptulorum quinque ampliùs, cùm *Denarius* octodecim tantùm siliquarum, seu trium scriptulorum fuisset. Interim notat idem *ejusdem libri cap.* 15. ipsum veterem denarium *Milliarensis* nomen primùm tulisse, quia millesima pars seu millesimus nummus hujus generis erat in libra auri, vel unus ex illis, quibus argenteis millenis auri libra pensabatur: sed postea Milliarensis pondus auctum est, V. infrà in voce *Milliarensis*. Nec omittendum, Romanos ad exemplum Siculi decalitri suum formasse *Denarium*, non tamen ejusdem ponderis fuisse, Namque longè pretiosius & æs & argentum erat Romæ, quàm Syracusis, quum illi non nisi ære hactenus in pecunia fuissent usi, argentum pro gemma ducerent, hi jamdudum & argenteo & aureo nummo uterentur: Et vocabula quidem Siculorum adoptavere Romani, sed non ut eandem omnibus partibus rem significarent, sed ut multùm diversas, propter quandam analogiam, *lib.* 3. *cap.* 9. Francorum priscorum *Denarius* nomine *Sterlingi*, vel *Esterlingi* veniens, duodecimus erat in solido argenteo, vicesimus in uncia, 240. in libra argenti. Ad similitudinem enim aurei solidi, qui sub Constantini M. successoribus fuit, & 12. milliarensibus vertebatur, percusserunt Franci & hæ nationes argenteum, quem 12. æstimabant denariis sive sterlingis. Viginti solidi faciebant libram argenti, ut Romani 60. milliarenses: solidus igitur erat milliarensium trium & Romani quadrans solidi. Inde in legibus Frisonum *tit.* 16. solidus, *qui tribus denariis constat*: scilicet Romanis, qui proximâ ætate fuerant milliarenses. Itaque duodecim *Denarii* Francorum & tres Romanorum postremorum, iidem qui milliarenses, pretio universo nihil differebant. Idem *lib.* 3. *cap.* 6. Apud eosdem Francos, sequenti ævo, *denarii* nomen de aurea, argenteaque moneta, frequens occurrit: Et quidem *Denarii auri puri*, *Denarii cum Agno*, *cum Cathedra* seu *ad Cathedram*, *cum Corona*, *cum Leone*, *cum Liliis*, *cum Masse*, *cum Papilione*, *cum Regina*, *cum Scuto*: Item *Denarii argentei cum Corona*, *cum Cauda*, *cum Lilio*, *cum tribus Liliis*, *cum Scuto*, *cum Stella* &c. à Philippo IV. usque ad Carolum IX. cusi memorantur ac describuntur Car. du Fresne in voce *Moneta*, quem vide. Quid autem sit *per Denarium manumissio*, V. infrà ubi *de Manumissione*. Nec omittendum, quod idem Auctor de *Denarium calefactum fronti eorum, qui denarios bonos rejiciebant, imprimendi*; de *Denarium complicatum ex voto ad tumbam Sancti offerendi*; de *quatuor item Denarios super re, quam ut suam quis vindicabat, coram Judice ponendi*, ritu affert, ex *Capitulis* Caroli C. *tit.* 28. Rudolfo in *Miracul. Richardi Episc. Cicestr.* & *Stabilimentis Ludovici IX. lib.* 2. *cap.* 12.

Denarius S. Petri, pecunia, quæ ab Anglis quotannis Sedi Romanæ pensitabatur à temporibus Inæ West-Saxonum R. seu ut aliis placet, Offæ Merciorum R. seu Ethelvvolfi, ut nonnullis visum: quorum sententias sic conciliat Polydorus Virgilius, ut à

tribus istis Regibus *Denarium S. Petri* vicissim concessum dicat. Exigebatur is in singulas domos; At *LL.* Edvvardi *cap.* 10. & Guil. Nothi *cap.* 18. ab iis tantùm, *qui haberent* 30. *denariatas vivæ pecuniæ in domo sua.* Neminem certè ab hac pensitatione fere fuisse immunem, discimus ex *Vita* Offæ II. & Matthæo West. monaster. A. C. 704. *Summonebatur* autem is Denarius, *in Festo Apostolorum Petri & Pauli*, & colligebatur, in Festo Vinculorum S. Petri; idque ab ipsis Prælatis. Non tamen *in tributum*, licèt ita appelletur à Malmesburiensi *lib.* 2. *cap.* 2. sed *in eleemosynam* pensitabatur: unde *Regis Eleemosyna* dicitur, in *LL.* Edvvardi *cap.* 10. ac *Eleemosyna S. Petri*, in *Charta* Paschalis Papæ, apud Eadmerum *Histor. Novor. lib.* 5. *pag.* 113. Verùm, quod gratuitò priùs dabatur, postmodum Ecclesiastici patrimonii vicem obtinuit, *census que Ecclesiæ* appellatus, ad cujus exactionem etiam censuras Ecclesiasticas adhibitas esse, legitur apud Innocentium III. *lib.* 16. *Epist.* 173. tandem tamen is ad certam summam, sc. 200. *lib.* 26. *fol.* ab Episcopis colligendam, redactus est. Sic porro dispensata hæc annua pensitatio est, ut una ejus pars in Romani Pontificis usus, altera in usus Fratrum Ecclesiæ S. Mariæ, quæ *Schola Anglorum* vocatur, deferretur, ut videre est apud Lanfrancum *Epist.* 7. Ordericum Vitalem *lib.* 3. *pag.* 465. Alios. Reliqua invenies in voce *Romescot.* Sed non in Anglia modò, *Denarius S. Petri*, verùm & in aliis Regnis, exactus legitur. In Gallia enim pensitatum esse, auctor est Gregorius VII. *lib.* 8. *Epist. ult.* ubi à qualibet domo *unus denarius annuatim* exactus dicitur. In Polonia, *de unoquoque humano capite denarium S. Petri decimaliter solvere cæpisse*, Lokottum Sendomiriæ D. postquam à Papa coronam obtinuisset, discimus ex *Chronico* Aulæ Reg. *cap.* 9. *ad A. C.* 1320. De Bohemia Carolus IV. Imp. in *Vita* sua ista habet: *Processi cum ipso versùs Avenionem ad P P. Benedictum XII. ad concordandum cum eo de* Denario S. Petri, *qui datur in Diœcesi Wratislaviensi*, apud Car. du Fresne in *Glossario*.

Denasatus, in *Chron.* Montis Sereni apud Eund. dicitur, cui *nasus abscissus* est, pœna apud Occiduas gentes. V. infrà in *Nares* vel *Nasus*.

Dendrachates, nomen gemmæ, ex achatis speciebus, *arbusculis* (Δένδρον enim Græcis *arbor*) insignis, ut vult Plinius *lib.* 37. *cap.* 10. Imò non unâ, sed pluribus, adeò ut viridarii vel nemoris speciem præferat, ut canit Orpheus versibus hisce:

> *Εἰ καὶ δενδροφόροιο φέρεις πρέμνον σὺ χερὶ πέτρης,*
> *Μᾶλλον καὶ τίειρα θεοῖς ...*
> *Δένδρεα γὰρ μάλα πολλὰ ...*
> *Αἰθαλόεντα κλάδοισιν ...*
> *Τοίνυν οἱ καὶ φῶτες ἀχάτην δενδρήεντα*
> *Οὔνομ' ἐπωνυμίην, ὅτι οἱ ... ἄχατος,*
> *Κεῖνο δ' ἔχει λασίης ὕλης δέμας ...*

Ubi δενδρήεις ἀχάτης & δενδρόφυτος πέτρη idem planè est cum *Dendrachate* Plinii, quamvis hic à dendrachate separet eos achates, qui nemorum instar in India reddunt. V. Salmasium *ad Solinum pag.* 133. & 134.

Dendrolibanus, coronamentis omnium Deorum olim adhiberi consuevit. Qua de re sic ex Constantino *lib.* 11. *cap.* 16. Paschalius: *Existimabant, coronam, quæ ex hac arbore Diis offerretur, quovis sacrificio gratiorem esse. Ratio est, quòd Libanus, qui Syriæ mons est, priùs fuit juvenis frequens Deorum cultor. Hic à quibusdam sceleratis ob invidiam occisus vita quidem, sed non — benevolentiæ divinæ jacturam fecit. Certè Dii ei monti id nominis indiderunt; eamque frondem, quæ ibi provenit, gratam sibi esse, multis argumentis ostenderunt.* V. cum *Coronarum lib.* 4. *cap.* 2.

Dendrophori, nomen religionis vel superstitionis. *Cod. Theod. tit. de pag. & templ. l.* 20. *Omniaque loca, quæ Frediani, quæ* Dendrophori, *quæ singula quæque nomina & professiones gentilitiæ tenuerunt epulis vel sumptibus deputata, fas est hoc errore submoto compendia domus nostræ sublevare.* Dicti autem sic, qui in honorem alicujus Dei, ut Bacchi, vel Matris Deûm vel Sylvani, arbores stirpitus excisas per urbem humeris ferrent, Artemidorus *lib.* 2. *cap.* 42. Quam δενδροφορίαν sic expressit Commodianus,

> *Egregios Proceres currum servare Cybellæ,*
> *Quem traheret conducta manus Megalensibus actis,*
> *Arboris excisæ truncum portare per urbem,*
> *Attin castratum subitò prædicere Solem.*

Uti verò in Choro Bacchico Bacchæ propriè θυρσοφόροι, ita Sylvanus δενδροφόρος. Hinc *Dendrophorus Sylvanus* in vet. Saxo.

SYLVANO. DENDROPHORO. SACRUM.
M. POBLICIUS. HILARUS. MARGAR.
Q. Q. P. P. CUM. LIBERIS. MAGNO.
ET. HERMONIANO. DEN-
DROPHORIS.

A quo etiam, intexto in vexillis Corporatorum, de quibus mox, *Dendrophoros* dictos putat Scaliger *lib.* 3. *Epist.* 105. Conficiebant namque *Dendrophori* corpora etiam & Collegia in civitatibus, quæ *frequentiâ hominum multiplicari expedire*, ait Constantinus Imp. in *l.* 1. *C. Theod. de Centonar. & Dendrophoris*, in qua *Centonariis & Fabris* junguntur, sed quæ eorum fuerit ars, non omnino constat, tametsi videntur fuisse occupati rei militari. Fortè fuere, qui tentoriorũ ligna & *arbores* conficiebant, aut, qui ligna, arbores, materiasque ligneas ad ædificia construenda vendebant &c. V. Salmasium *ad Spartianum in Anton. Caracalla* & du Fresne *Gloss.* Vossio inprimis sic dicti sunt Cybeles sacerdotes Galli, quòd in ejus sacris pinum gestarent. Namque inter alios ritus eorum & hic erat, ut pinum statuerent, in memoriam pinûs, sub qua sese castraverat Attin: rami autem pinus coronis ornabantur, quia Cybele eam sic honorasset; stipes lanâ velabatur, eò quòd Cybele exanimati Attidis pectus lanâ velasset, ad teporem conciliandum. Unde Arnobius *lib.* 5. *Quid sibi vult illa pinus, quam semper statis diebus, in Deum Matris intromittitis sanctuario? Nonne illius similitudo est arboris, sub qua sibi furens manus & infelix adolescentulus intulit, & genitrix Divûm in solatium sui vulneris consecravit.* Atque hanc pinus gestationem δενδροφορίαν dictam, teste Strabone *lib.* 10. quique eam gestarent, *Dendrophoros*, docet. Sed & in *Inscript.* antiquis sæpiùs inveniri Cybelem turritam & Attin cum pinu, notat *de Orig. & Progr. Idolol. ubi de Cybele.*

Denicales Feriæ, apud Romanos peractis ad sepulchrum justis, Silicernio item & Visceratione exhibitis, celebrabantur, ad defuncti familiam purgandam. Joh. Rosinus *Antiqq. Rom. lib.* 5. *cap. ult.* ex A. Gellio *lib.* 2. *cap.* 22.

Dens, quasi *edens* dictus est. Sunt autem *Dentes*, minimè extra curam à Vett. habiti: Hinc ridet Maximinam Martialis *lib.* 2. *Epigr.* 41. quòd eos haberet sordidos, nigrosque,

> *Et tres sunt tibi Maximina dentes,*
> *Sed planè piceique buxeique.*

Et Horatius *lib.* 1. *Epist.* 18.

> *Asperitas agrestis & inconcinna gravisque,*
> *Quæ se commendat tonsâ cute, dentibus atris.*

Itaque, fricabantur lavabanturque quotidie. Plin. *lib.* 8. *Epist.* 18. quod fieri solitum vel spinâ argenteâ, Petronius *Satyr. ut deinde spinâ argenteâ dentes perfodit*: vel lentisco. Martialis *l.* 3. *Epigr.* 82.

> *Stat exoletus, suggeritque ructanti*
> *Pinnas rubentes, cuspidesque lentisci.*

Idem *lib.* 14. *Epigr.* 22. cujus epigraphe; *Dentiscalpium*

> *Lentiscum melius, sed si tibi frondea cuspis*
> *Defuerit, dentes penna levare potest.*

Fricabantur etiam certo pulvere, qui nativos dentes candefacere aptus fuit: V. Martialem iterum *lib.* 14. *Epigr.* 56. cujus lemma *Dentifricium.* Imò ne urinâ quidem aliisque rebus putidissimis illos levigare, dummodo nitidiores redderentur, eos puduit, L. Apulejus *Apologia lib.* 1. ex *Catullo*,

> —— —— —— *sua sibi urina*
> *Dentem atque russam pumicare gingivam;*
> *Misi, ut petisti, munditias dentium,*
> *Nitelas oris ex Arabicis frugibus*
> *Tenuem, candificum, nobilem pulvisculum,*
> *Complanatorem tumidulæ gingivulæ,*
> *Converritorem pridianæ reliquiæ,*
> *Ne qua visatur tetra labes sordium,*
> *Restrictis fortè si labellis riseris.*

Cùm igitur proprii vitiati erant, eburneos emebant, quorum sæpissime meminit Martialis, inprimis *lib.* 12. *Epigr.* 23.

> *Dentibus atque comis, nec te pudet, uteris emptis.*
> *Quid facies, oculo, Lælia, non emitur.*

Præcipuus nempe *dentium* ornatus candor est & æqualitas. Unde Sponsæ dentes gregi *tonsarum*, seu potiùs *dedolatarum* ovium, uti vocem Hebræam exponit Bochartus, conferuntur, Cantici *cap.* 4. *versu* 2. Dicuntur autem *cæsæ* seu *dedolatæ* oves, cùm inter se tam sunt similes, quàm si ex ligno, aut ære, ad eundem typum effictæ fuissent & fabrefactæ. Cujusmodi dentes ὁρμίσκῳ ... τῶν ... *monili pulcherrimo ex nitidissimis & magnitudine paribus margaritis constanti*, comparat *in Imaginibus* Lucianus. In Medicina, primus *dentem* Æsculapius evulsisse dicitur. Sed & *Dens*, in pœnam olim evulsus. Ditmarus *libro* 8. *initio*, *Quicunque post septuagesimam carnem manducasse invenitur, abscissis* dentibus *graviter punitur*, apud Polonos. Sic in *Consuetud. MSS.* Solemniaci in Arvernis, *dentis amissio*, pœna erat raptorum ex horto, vel vinea alterius fructuum, poterat tamen illa redimi 7. *solidis Podiensibus*, apud du Fresne *Glossar.* &c. De eorum in auguriis usu, V. Plinium *lib.* 7. *c.* 16. *Per dentes* jurare solitus Joannes Angl. R. legitur. *Dentibus literas scindendi* ritus, occurrit in *Chron.* Montis Ser. A. C. 1224. Et ut addam de *ferarum dentibus* aliquid: Dentes apri Calydonii ulnâ longiores asservati, in templo Minervæ Haleæ, Romam devictis Tegeatibus ab Augusto translati sunt. Nec pretiosius quidquam elephantorum dentibus, V. infrà, ubi de *Ebore*: uti nihil fortius dentibus leonis. Namque, ut canit Anacreon *Od.* 5.

> *Φύσις κέρατα ταύροις*
> *Ὁπλὰς δ' ἔδωκεν ἵπποις,*
> *Ποδωκίην λαγωοῖς,*
> *Λέουσι χάσμ' ὀδόντων*

Unde, cùm Syro sermone fera quævis vocetur *Animalium*, potissimùm hoc nomine intelligitur leo, Apocal. *cap.* 6. *versu* 8. *cap.* 11. *vers.* 7. & *cap.* 13. *versu* 1. Bochartus *Hierozoici Parte prior. lib.* III.

lib. III. cap. 2. De Vett. more, *Dentes feris nobilioribus, quæ in venatu occisæ, excussos, galeis inserendi,* dicemus infra. *Dentes calceati*, apud Plautum *Captiveis*,

Nunquam istoc vinces me Hegio, ne postules,
Cum calceatis dentibus veniam tamen:

sunt expediti & ad convivium præparati &c. V. Thom. Dempsterum *Paralipom. in Jo. Rosini Antiqq. Rom. lib. 5. cap. 36.* Nec omittendum, quod Thom. Bartholinus notat, Veteres infantes demortuos *ante dentes natos* urere non solitos esse, ex Plin. *lib. 7. cap. 16.* V. eum *de Puerperio Vett.* ut & infrà, ubi de *Infantibus*.

Denseletæ, pop. Thraciæ, apud Solinum *cap. 10. Strymonem accolunt dextro latere* Denseletæ: *Bessorum quoque multa nomina* &c. Græcis Scriptoribus Δανθαλῆται, Ptolomæo Δανθηλῆται, Laconibus Δανθαλῆται, dicti sunt: è quo postremo *Denseletas* fecerunt Romani. Salmasius *ad Solinum pag. 158.*

Dentifricium, lemma *Epigrammatis 56. lib. 14.* Martialis, quod sic habet:

Quid mecum est tibi? me puella sumat,
Emptos non soleo polire dentes.

Quo nomine pulvis denotatur; quo nativos dentes candefacere puellæ solitæ erant. Inprimis autem Arabicus lapis huic usui idoneus habebatur. Plin. *lib. 35. cap. 21. Arabicus lapis, ebori similis, dentifriciis accommodatur crematus.* Et Dioscorides de eodem, Ὀδόντων δὲ σμῆγμα γίνεται καυθεὶς ὁ λίθος. Hinc Appulejus *Apolog.*

Calpurniane salve properis versibus,
Misi, ut petisti, munditias has dentium,
Nitelas oris ex Arabicis rupibus.

Dentifricium utique ex Arabico lapide intelligens, qui crematus & in pulverem tritus, terendis dentibus comparabatur. *Nobilem pulvisculum* ibidem vocat. Salmasius *ad Solinum p. 665.*

Dentria, in vet. *Inscr.*

DENTRIÆ. L. F. POLLÆ
SACERDOTI. DIVÆ
AUGUSTÆ.

Dentrianus, apud Spartianum *in Hadriano Cæs. Fecit & sui nominis pontem — & colossum stantem atque suspensum per* Dentrianum *Architectum de eo loco, in quo nunc templum Urbis est, ingenti molimine, ita ut operi etiam XXIV. elephantes exhiberet, transtulit.* Ubi antiqui libri habent, *Detrianus*, quasi esset ex Græco Δημητριανός. Salmasius *ad l.*

Denuntiatio Belli, etiam ubi jus naturæ non requirit, honestè tamen & laudabiliter interponitur, putà ut ab offendendo abstineatur, aut delictum pœnitentiâ & satisfactione expietur. Namque,

Extrema primò nemo tentavit loco.

Unde Hebræis præceptum à Deo, ut civitatem oppugnandam priùs ad pacem invitarent, legimus Deuteron. *cap. 11. versu 11.* quo de V. Josephum *Antiqq. lib. 5. cap. 2.* Et Cicero *Officior. lib. 1. Ac belli quidem æquitas sanctissimè feciali populi Romani jure perscripta est: ex quo intelligi datur, nullum bellum esse justum, nisi quod aut rebus repetitis geratur, aut denuntiatum antè sit & indictum.* Hinc *promulgata prælia* dixit Ennius. Quò faciunt, caduceus apud Græcos; sagmina & hasta sanguinea apud Æquicolas & Romanos; porro renunciatio amicitiæ & societatis, post res repetitas 30. dies solennes; hastæ missio iterum, & alia id genus. Quorum tamen magnam partem suo tempore usurpari desiisse, docet nos Arnobius *c. Gent. lib. 2.* imò jam Varronis ævo quædam fuisse omissa, discimus ex illo, *de L. L. lib. 4.* V. hanc in rem Hug. Grotium *de jure Belli & Pacis lib. 3. cap. 3. §. 5. cum seqq.* ut & suprà in voce *Clarigatio*, item ubi de *Fecialibus*.

Denuntiatores regionum urbis, memorantur in *Inscr.* vett. apud Gruterum 250. 254. 4. *Denunciatio novi operis per jactum lapilli*, occurrit apud Rolandinum *in Summ. Notar. cap. 6.*

Deodanda, Scriptoribus Anglis appellantur bruta omnia & inanimata, quorum impetu vita hominis tollitur. v. g. *bos cornupeta, equus calcitrans, trabis aut domi casus, vel ruina navis in flumine fracta* &c. quod eorum pretium in pios usus erogaretur & Deo donaretur, Bractonus *lib. 3. Tract. 2. cap. 5. num. 8.* Apud Athenienses verò, canis qui momorderat, noxæ datus est, lege Solonis, apud Plut. in *eo*. Apud eosdem Draco etiam τὰ ἄψυχα, putà *ligna, lapides, ferrum*, quibus quis læsus esset, ὑπερορίζειν, *finibus ejicere*, jussit. Sed & Thasii pugilis Theagenis statuam, latâ sententiâ, ideo in mare dejecere, quòd ruinâ suâ quempiam oppressisset: apud Pausaniam *Atticis & Eliacis posterioribus*. V. quoque hic passim, inprimis ubi de *Bove Cornupeta*, & *Dicasteriis Atheniensium*.

Deogratias, formula salutationis vett. jam Christianis usitata, ut testatur Augustinus *in Psalmum 132. & Epist. 77.* Quem morem cùm deriderent Donatistæ, dicentes, *quid est Deo gratias:* respondet Augustinus, *itane surdus es, ut nescias, quid sit Deo gratias? Qui dicit, Deo gratias, agit gratias Deo. Vide si non debet frater Deo gratias agere, quando videt fratrem suum, non enim est locus gratulationis, quando se invicem vident, qui habitant in Christo: & tamen vos* Deo *gratias nostrum ridetis.* Hodie, in Communione Rom. inter Religiosos & in sacris Officiis, frequens hujus formulæ usus est, qua de re V. Dominic. Macrum in *Hierolex.*

Demarli, Hæreticorum secta, ex Manichæis seu Paulicianis apud Autorem *Histor. Vezeliacensis lib. 4. pag. 644.* Fortè iidem qui, hodie *Deistæ* Gallis dicti, omni religione posthabitâ, *solam divinitatis essentiam ore confitentur, Ibid.* Cujusmodi hominum turbam hoc tempore ingentem in eo Regno alibique passim esse, & quotidie incrementa capere, fama fert.

in *Deos* referendi viros benemeritos mos, memoratur Suetonio *in Julio cap. 88. Periit — atque in Deorum numerum relatus est.* Quod enim in antiquissimis Græcis historiis dici solet, aliquem à morte τετυχηκέναι τιμῶν ἡρωικῶν, vel ἰσοθέων vel ἰσοδαιμόνων, id Latini multo inverecundius dixere, *in Deorum numerum referri* vel *consecrari*. Fere autem conditoribus urbium aut aliis de publica re bene meritis, honores Heroici decerni soliti, donec paulatim pro Diis habiti etiam isti, uti de Lampsace ait Plut. *in Mul. præcl. factis*, cujus moris extat gravis censura apud eundem in *Romulo*. Dixerunt illud Græci ἐκθειάζειν, istud εἰς θεοὺς θέσθαι: atque istiusmodi adulatione reliquos mortales Attici cives superarunt. Romani ante Impp. hanc insaniam parciùs publicè insanivere. Solus è Regibus Romulus consecratus est, & postea pauci alii: privatæ tantùm ἀποθεώσεις fiebant, Parentum per liberos consecratorum, & domesticâ religione cultorum, ut Plut. docet in *Quæst. Rom.* Unde orta postmodum ἀποθέωσις Impp. tanquam Patrum Patriæ, initio in Cæsare ab Augusto facto, quem propterea θεοποιὸν vocat Juliani Silenus, hincque in reliquos omnes ritu propogato. Sed & Ptolemæum Ægypti R. à filio, & Aratum Ducem, ab Achæis, *in Deorum numerum relatos*, legimus in *Idyllio* Theocriti 17. & apud Polybium *lib. 9.* &c. Imò primis jam temporibus talium nomina post obitum in Rituales libros referri, & anno vertente memoriam eorum celebrari consuevisse tradit Cedrenus, de antiquorum Assyriorum ἀποθεώσει verba faciens: qua de re V. plura apud Casaubonum *ad Suetonium d. l.* & Athenæum *lib. 6. cap. 14.* nec non hic passim. Cum autem *Deorum* cuique sui essent πάρεδροι; Jovi οἱ δώδεκα θεοί, sex mares, sex fœminæ, quos propterea *Consentes* appellabant, i. σύνεδροι, *eadem sede præditi*: Matri Deum, Idæi Dactyli; Æsculapio Ὑγίεια, Ἴασω & Τελεσφόρος, aliis alii. Inde Poeta de Augusto,

Tuque adeò, quem mox, quæ sint habitura Deorum
Concilia, incertum est:

Id est, quibus Diis πάρεδρος sis futurus. Et de Antinoo Trajani delicio, Tertullianus, *Synhodi Deorum* factus est, *i.* in Synhodum & Concilium Deorum cooptatus, &c. Appellati nempe *Paredri* sunt, qui beneficio Principis alicujus, aut propriæ virtutis merito, Numinis dignitatem erant adepti: qui, cùm nil sit esse Deum nisi Dei quoque officio fungatur, somniis & oraculis responsa dare & curationes facere credebantur, quod in Æsculapio, Amphiarao, Trophonio, Hephæstione, aliis stulta credidit antiquitas. Unde & πάρεδροι Δαίμονες dicti, quos ad futura prænoscenda Magi evocabant, V. Salmasium *ad Spartianum in Hadriano Cæs.* & infrà in voce *Dii, Paredri*, item *Synodus*.

Depilare, injuriæ species, in *Spec. Saxon. lib. 3. tit. 37. §. 1.* Item pœnæ genus, Hungaris familiare, quemadmodum legimus in *Decretis* S. Stephani & S. Ladislai Hungariæ Regum, V. suprà *Decalvatio*.

Depositionis, in Academiis Ritus. Fuit antiquissimis jam temporibus moris, eos, qui in disciplinam Philosophorum se darent, certis quibusdam ritibus officii admonere, & velut initiare. Quò spectabat Pythagoræorum ἐχεμυθία: Cavilli & ludibria auditorum, quibus Sophistarum tempore Studiosi novitii excipiebantur, apud Eunapium *in Sophistis*: Λουτρὸν inprimis, i. *Balneum* Atheniensium, quod Nazianzenus vocat Νόμον Ἀττικὸν καὶ παιδιὰν σπουδῇ σύμμικτον, *Legem Atticam & ludum serium* & describit *Orat. in laudem Basilii M.* verba Latine sic habent: *Primùm,* inquit, de initiando loquens, *apud eorum aliquem, qui priores ipsum* (juvenem nempe peregrinũ accedentem) *arripuerint, hospitio accipitur, vel amicorum, vel propinquorũ, vel qui ejusdem sunt patriæ, vel qui artem Sophisticæ apprimè callent, ac lucra Magistris conciliant &c. Deinde à quovis volente cavillis lacessitur: quod quidem, ni fallor, eò faciunt, ut novitiorum fastum & superbiam retundant atque à principio ipsos in potestatem redigant. Lacessitur autem ab aliis impudentius atque audacius, ab aliis eruditius, prout ille vel rusticis & ineptis moribus, vel urbanitate fuerit præditus. Atque id ignaris quidem terribile atque inhumanum videtur: iis autem perjucundum suavitatisque plenum, quibus non ignota est ea consuetudo. Plus enim terroris habet hæc minarum ostentatio, quàm res ipsa. Tum per forum ad* Balneum *cum pompa deducitur. Pompa autem hoc modo se habet: Qui deducendi juvenis munere funguntur, ordine dispositi atque æquis spatiis distributi bini eum ad balneum antecedunt. Cùm autem propiùs accesserint, quasi fanatico furore correpti clamorem ingentem tollentes, (hic autem clamor jubet, ut ulteriùs progredi desinant — tanquam eos Balneum minimè admittat) simulque fores pulsantes & juvenem strepitu perterrentes, ac deinde intreundi ipsi potestatem facientes, ita demum eum in libertatem asserunt, atque à balneo redeuntem deinceps ut æqualem ac socium accipiunt. Atque hoc ipsis est totius ceremoniæ jucundissimum, nimirum ab his qui molestiam exhibent, quamprimum liberari.* Solus autem fere ex omnibus, qui

qui studiorum causâ Athenas veniebant, communi hac lege solutus fuit Basilius, quòd majorem honorem, quàm novitii conditio ferre videbatur, jam consecutus esse crederetur: de quo iste sonat tetrastichon Theodori Prodromi,

Καὶ ναὶ τὸ λοῦτρον τοῖς Ἀθήνησι ξένοις
Ὡς πάνδεινον, ὡς φοβερὸν, ὡς καινὸν θέα.
Ἀλλ' ἄρχεσιν τοῦ σοφοῦ Βασιλείου
Μόνος φυγόντος τὴν παλαιὰν νόμον.
Ingens Athenis hospites ex balneo
Timor obsidebat, & novo spectaculo.
At, in perito & moribus laudabili,
Hujus Basilio solvitur legis rigor.

Esseni quoque, qui vel soli Philosophorum nomine digni apud Judæos fuere, non statim, sed postquam foris anno integro iisdem vivere moribus, discipulos susceperunt. Imò nec postquam recepti erant, cum illis vivere poterant, nisi duobus aliis annis patientiæ signa dedissent, Porphyrius apud Eusebium πρ. ευ. *lib.* 8. *cap.* 1. Transiit ritus, per reliquorum seculorum seriem, ad nostram usque ætatem, & in Germaniæ inprimis Helvetiæque Academiis, sub *Depositionis* nomine, laudabiliter viget. Cujus finis ususque: ut sit quædam initiatio, per quam cooptentur in collegium hospites, quò privilegiorum & immunitatum fiant participes: ut sit examen ac exploratio ingenii & morum: ut Novitiorum fastus ac' φιλαυτία excutiatur: ut sit simulachrum patientiæ ab eruditis usurpandæ: utque variis symbolis Hieroglyphicis officii initiandus admoneatur & ad alacritatem in tuenda professione inflammetur. Abusus tamen effecit, ut in Italia, Hispania, Gallia, Anglia ampliùs non frequentetur, è Belgio quoque exulare hic ritus iussus sit: quem descriptum pluribus V. apud Olympiodorum; judicium de eo Lutheri apud Zeillerum *Epist.* 246. laudes apud Hoffmannum *Orat. de laude Depositionis*, Joh. Volck. Bechmannum *de Privilegiis Studiosorum*, quibus adde Limnæum Enucl. *lib.* 4. *cap.* 69. In Communione verò Romana, *Depositio*, pœna est Ecclesiastica, quâ Clerici gradu suo eiiciuntur, vel suspenduntur, degradatione minor, in *Vita* Ludovici Pii A.C. 818. alibique. V. suprà *Degradatio*. Item, dies obitus, quo mortuus terræ mandatur, vel quo quis vitam deponit; cujus appellationis causam fusè explicat Ambrosius *Serm.* 70. Vetus *Inscr.* Eboræ, apud Resendium, *Depositio Pauli, famulus Dei vixit annos L. & uno requievit in pace D. III. Id. Martias era DLXXXII.* Atque hinc dies obitus anniversarius, apud Joann. Episc. Abrinc. *de Offic. Eccl.* In specie verò festum S. Joannis Evangelistæ, quæ vulgò appellatur *Depositio, quia locum sepulturæ vivus intravit, & ita seipsum deposuit*, Durandus *lib.* 7. *cap.* 1. *n.* 19.

Deprecatoriæ Epistolæ in vet. *Cod.* Canonum ex Bibl. Reg. in Concilio Antioch. *can.* 8. *simplices* dicuntur ad marg. & opponuntur *formatis*, apud du Fresne *Glossar.*

Depulsorium Sacrificium, dicebatur olim apud Romanos, cùm solenne sacrificium faciebant, quo procurabantur ostenta & fulgura. Plin. *lib.* 28. *cap.* 2. *Alia sunt verba impetritii (* Sacrificii *) alia depulsorii, alia commendationis.* Ad quem locum V. Salmasium *Exercitat. Plinian. pag.* 585.

Deputare, V. suprà, *Coinquere*.

Deputati, vulgò olim teste Nonio dicti, Accensi, qui ut plurimum *deputabantur* ad obsequium Tribunorum, de quibus V. Vegetium. Vexillarii item seu Triarii veterani, de quibus Valerianus Imp. apud Vopiscum *in Probo*, in Epist. ad hunc, *Vestes tibi triplices dari jussi, salarium duplex feci, Vexillarium deputavi*, V. Salmasium *ad l.* In *leg.* 8. *C. de servis fugit. Fabricis & aliis operibus publicis deputati*, Ὁπλοποιοὶ sunt, qui numeri cujusque arma procurabant, *Fabricenses.* Peculiari verò ratione *Deputati* dicti, quod essent ἐν τοῖς ἀριθμοῖς συγκαταλεγόμενοι, ut est in *Nov. Justin.* 85. §. 2. & annonas de publico sumerent, perinde ac milites ipsi: unde *Statuti numerorum* vocantur Juliano Antecessori *Constit.* 79. §. 2. *Gloss. Basil.* Δεπουτάτοι, Δεποτάτοι, ἀφωρισμένοι. Cujusmodi sunt, qui *in Not. Imp.* dicuntur, *Deputati Scholæ Agentium in rebus*, & *Deputati Domesticorum*, & *Deputati Equitum & Peditum.* V. Jac. Gothofredum *in Paratit. ad tit. de Re militari lib.* 7. *Cod. Theodos.* Postmodum verò sequiore Græciâ, selecti quidam ex singulis ordinibus viri aliquot alacres, ex iis potissimum, qui minùs locupletes erant, *Deputati* vocati sunt; quorum munus erat, vulneratos in prælio reficere, collapsos ab equis erigere, laborantes è certamine asportare: quo fine, in dorso equi sui ad sellæ lævam, quisque horum scalam ferebat exiguam, de quibus copiosè Rigaltius *in Glossar.* ex *Tacticis* Mauricii ac Leonis. Sed & in Ecclesia Græca *Deputati*, officiales erant, qui Patriarchâ procedente, è via populum abigebant. Ordo M. Ecclesiæ, Ὁ Δεποτάτος προπορευόμενος ἔμπροσθεν τοῦ Ἀρχιερέως, καθαρίζει τὴν ὁδὸν διὰ τῆς ῥάβδου. Quibus paria habet *Catalogus Official.* M. Ecclesiæ, apud Goarum in *Eucholog. Græc.* ubi *Deputati* & *Ceroferarii* ordinatio ita refertur, quasi idem fuerit ministerium, du Fresne *Glossar.* Hinc ad *Deputatum* pertinuisse, luminibus accensis Evangelium associare ac sacra dona, quando ad Altare processionaliter deferebantur; indutum autem cum in hac ceremonia (*Magnus Introitus* Græcis dictâ) manto simili Episcopali, sed absque virgatis coloribus seu fluminibus; hocque officium porro exercuisse ipsum Imperatorem, die coronationis suæ; antiquitus tandem *Deputatum*, in eadem Ecclesia, fuisse ordinis minoris, i. Acolythi, officium, refert Dominicus Macer in *Hierolex.* ex Simeone Thessal. *Dial. de Myster. Eccl.* Eucologiis antiquis & Petro Arcudio *Concord. lib.* 5. *cap.* 9. Adde Cantacuzenum *lib.* 1. *cap.* 41. Codinum *de Officiis*, & Meursium. Hodie *Deputati*, inter Legatos ii dicuntur, qui à subditis ad Principem suum, aliquo in negotio, mittuntur: de quorum jure V. Vicquefortium *Tr. Gall. de Legatis*.

Derceto, adde: Eadem *Atargatis*, item *Ceto* dicta est, quam vocem vide, & plura hanc in rem, apud Salmas. *ad Solinum p.* 574.

Derectaris, V. infrà *Directarii*.

Derelictoria Virga, in *Tabula* S. Aniani Aurelian. videtur illa esse, quâ utebantur vulgò in investituris seu traditionibus rerum, quas *Ecclesiis* derelinquebant, & quam ad id in manus donatorum aut restituentium Canonici vel Monachi tradebant, du Fresn. *Gloss.*

Derentus, apud Rainaldum A. C. 1313. *n.* 9. moneta, eadem fortè, quæ *Tarenus* V. ibi.

Desanaus, epitheton Herculis Phœnicii. Eusebius *Chron. ad num.* 497. *Hercules*, inquit, *cognomento* Desanaus, *in Phœnice clarus habetur. Unde & ad nostram usque memoriam, à Cappadocibus & Eliensibus, Desanaus adhuc dicitur.* Quæ verbis iisdem legas, apud Marianum & Florentinum Wigorniensem. Apud Georgium Syncellum verò, qui Eusebium exscribere solet, pro Eliensibus *Iliensibus* & pro Desanaus Διοδᾶς legimus. Etiam *Desani* vocem suspectam reddit mira Latinorum Eusebii codicum &, ejus exscriptorum, inconstantia. Quorum quidam *Desinaus*, quidam *Desinas*, ut alia omittam, habent, unde suspicatur Vossius, hæc ex Δορσάνης, quo nomine Hercules apud Indos audiit, teste Hesychio, esse corrupta. *Dorsanes* autem vicinum est Chaldaico דרס *dares*, id est, *calcare, premere, incidere*: quod inter præcipuas Herculis laudes ponitur, ut qui Tyrannos calcarit & oppresserit. Etiam Persis Σάνδης dicebatur, auctore Agathiâ, ad quod posterioribus syllabis multum accedit Δορσάνης, &c. Interim nec illud damnari potest, quod nonnulli *Desanaus* vel *Desanes* legunt: præsertim cùm vicinum sit דשן *daschen*, h. e. *pinguis*, & per tralationem *pollens*; cujus appellatio optime conveniat fortissimo Herculi: qui idcirco in antiquis etiam *Inscr.* *Pollens* vocatus reperitur. Ut isthac Interamnæ Nahartium in Umbria, apud Gruterum *Inscript.* 215. 7.

LOCUS
SEPULTURÆ
CULTORUM
HERCULIS
DEFENSORIS
POLLENTIS
INVICTI.

Dici etiam possit, *Desanaus* conflari ex duobus vocabulis, quorum prius sit דשן, quod *pinguem* vel *opulentum* significare diximus & און. *on*. quod *fortem* notat, ut Geneseos *cap.* 49. *v.* 3. ubi id nomen à Jacobo tribuitur Rubeni primogenito: sic Herculi nomen id impositum sit ab opibus & fortitudine. V. Vossium *de orig. & progr. Idololat. lib.* 1. *cap.* 22.

Descensiones, Latinis quæ Græcis ἐμβάσεις, ... ἐναβάσεις, item λεκάνας vel λεκάνη, alvei sunt in balneis. Salmasius *ad Jul. Capitolinum in Clodio Albino.* Apud Anastasium in *Histor. Eccl.* ubi Theophanes ann. 5. Leonis Isauri κατάβασιν habet, *Descensus* est Latinis *Confessio*, seu locus sub altari, ubi recondebantur Sanctorum reliquiæ, & in quem gradibus descendebatur. V. suprà in voce *Confessio*, & in hanc rem plura, apud Car. du Fresne in *Glossar.*

Descriptor, in *Glossario* Arab. Latin. *qui populum per familias & tribus dividit* apud Eund.

Desertorum Bellum, apud Lampridium in *Commodo. Sub hoc bellum desertorum cælum arsit*: illud est, quod excitavit Maternus, Militiæ *desertor*, quodque unus Herodianus describit. Spartianus meminit in *Pescennio Nigro*, *Pescennius Severo, eo tempore, quo Lugdunensem provinciam regebat, amicissimus fuit: nam ipse missus erat ad comprehendendos desertores, qui innumeri Gallias tunc vexabant*, Casaubonus *ad h. l.* De *Desertorum* pœna, infrà.

Desiderata, in *Gloss.* Lat. Gr. λειτουργία, τελετή. Scaligero & Casaubono est, initiatio in Christianismo, id est, Baptismo, inprimis verò S. Eucharistia, teletarum teleta, sacramentorum sacramentum: de quo peculiariter usurpari verbum *desiderare*, apud Latinos Patres, iisdem observatum. Quò pertinet locus elegans Gregorii M. *lib.* 7. *Epist.* 24. de Judæorum quorundam conversione loquentis, *Si sanctum Pascha elegerint expectare, iterato cum Episcopo loquere, ut modò quidem catechumeni fiant atque ad eos frequenter accedas, ut atque sollicitudinem & animos eorum admonitione suæ adhortationis accendas, ut quanto expectatur eis longa dilatio, tanto se præparare & eam desiderio fervente debeant sustinere.* Vox è sacris Gentilium, ut aliæ non paucæ, petita, quâ illis epopeia, ultima mysteriorum pars, fuit denotata. Ad hanc diu toto quinquennio præparabantur, docebantur hoc temporis spatio i...

funt propter ardentissimo desiderio & cum *suspiriis* (quorum meminit Tertullianus *c. Valentinianos*) *inversam* diem exspectare. Similiter ergo in Ecclesia erudiebantur Catechumeni, ut magna cum aviditate S. Communionem peterent, unde illis *Competentium* nomen, sicut docent Augustinus, Isidorus, Alii. Extant certè Patrum, quà Græcorum, quà Latinorum, Homiliæ non paucæ ad Catechumenos, in quibus multa dicuntur, ad excitandam hanc in illorum animis cupiditatem. V. Casaubonum *Exercitat.* XVI. §. 43. 45. Propriè autem *Desiderare*, significat finem & exitum tempestatis vel *sideris*, quod desiit χειμάζειν, seu *siderare*: unde *desiderari* res dicta, quæ abiit, nec ampliùs extat. Salmasius *ad Solinum pag.* 425.

S. Desiderii vicus, vulgò S. *Geri*, locus est Galliæ, prope urbem Cadurcos, à Desiderio Cadurcorum Episcopo, quem S. *Geri* vocitant, cognominatus. Hadr. Valesius *Not. Galliæ* in voce *S. Gaudentii Castrum.*

Designatores, apud Romanos dicti sunt, qui constituendæ funebri pompæ præerant, unicuique incedendi locum ordinemque præscribentes, Sext. Pompejus. Sic *Designator*, in *l. Athl. in princ. ff. de his, qui not. infam.* illum significat, qui decernit ac disponit loca sedentium: hodie *Ceremoniarum Magister*, Carolo Macro *in Hierolex.* V. quoque Corrasium *Miscellan. lib.* 4. *cap.* 14. Præerant nempe hi cuicunque pompæ, & locum ordinemque incedendi, sedendique designabant. Plautus *in Prolog. Pænuli, Neu* Designator *præteriens obambulet, neu sessum ducat, dum Histrio in scena sit.* Horatius *Epist.* 2. *lib.* 1.

—— —— Dum ficus prima, calorq;
Designatorem *decorat lictoribus atris* &c.

Desperati, V. suprà *Confectores.*

Despotes seu *Despotus*, dignitas maximæ æstimationis in Aula CP. ex Græco Δεσπότης, *Dominus*; quâ donatos præsertim Imperatorum filios & consanguineos, ex Scriptoribus Byzantinis discimus. Joann. Lascaris dignitatem hanc Regiæ æqualem, Imperatoriæ proximam fuisse, docet. Postquam enim vox Βασιλεὺς, quâ olim Reges designabantur, Imperatorum Græcorum propria esse cœpit, nomen *Despotæ* Regibus tributum in Græcia, qui post Imperatorem ceteris omnibus præferebantur, quemadmodum in Occidente, post Imperatorum nomen, Regium præcellit. Hinc Cæsares Σεβαστοκράτορες aliàs ab Augusto appellati, sicque ad majorem dignitatem evecti, *Despotæ* dicti sunt: quemadmodum, qui primus ex Palæologis Imperium occupavit, Joannem fratrem, quum is adversùs Ætoliæ seu Acarnaniæ *Despotam* strenuè se gessisset, eadem dignitate ornavit, ne Duci hostium inferiorem dignitate Ducem opponeret, ratus optimè dictum, *ad destruendum Regem altero Rege opus esse.* Inprimis autem, uti dictum, Imperatorum filii hoc titulo, insignibusque, nulli alii Principi concessis, ornabantur; Aliquando tamen extranei quoque Principes, cum quibus vel affinitas vel fœdus initum, uti de Serviæ seu Triballorum Exarchis legimus. Alloquentes *Despotam*: ἡ βασιλεία σου, eum compellabant; sicut uxorem ejus Βασίλισσαν: ipse verò *Despotes* Imperatoris uxorem Δέσποιναν appellatione salutabat. Potestatem Despotarum quod attinet, Regna eorum in Græcia duo fuere, Peloponnesi, quæ nunc *Morea*, & Ætoliæ pariter ac Acarnaniæ, cum circumjacentibus Insulis; quorum illud non nisi à filio fratreve Imperatoris tenebatur: istud hodieque *Despotatus*, peculiari nomine appellatur. Hactenus Lascaris præfatus ad Card. de Aragonia in *MS.* Latini Latinii Viterbiensis, quod *Hierolexico* suo inseruere Macri Fratres. Sed & ipsos Impp. hanc appellationem ambiisse, ex nummis eorum discimus, in quibus non Βασιλεὺς, sed Δεσπότης, titulum describi curarunt, ut potissimùm observare est, in Alexii & Manuelis Comnenorum nummis aureis. Habetur enim quidem aureus Nicephori & Stauracii, in cujus altera facie ipse Nicephorus, cum *Inscr.* NIKHΦOPOC BASILEU, in aversa verò Stauracius, cum lemmate STAURACIb DESPOT. unde eâ ætate Δεσπότου appellatio, Βασιλέως seu Imperatoris nomine, inferior fuisse colligitur: Subsequentes tamen Impp. aliquot, se ipsos Δεσπότας in nummis inscripsere, Constantinus vel Michaël Ducas, Nicephorus Botaniates, Romanus Diogenes, Alexius, Joannes & Manuel Comneni, Isaacius Angelus, Alexius Angelus quique pòst imperarunt Augusti qui hacce nomenclaturâ à subditis vulgo etiam compellabantur, cum adjectione Sanctitatis hoc modo, Δέσποτα μου ἅγιε. V. Car. du Fresne *de Inferioris ævi Numism. num.* 35. & *Notis ad Cinnamum pag.* 468. ubi titulum hunc, in locum *Domini*, Latino idiomate exolescente, invectum & proprium primò Imperatorum; inde honoris causâ cum affinibus proximioribus communicatum (quod à Michaele Duca primùm Avunculo factum) tandem in Palatii præcipuam dignitatem, de qua retro dictum, migrasse, tradit: de qua sententia quid judicandum, ex dictis non obscurè colligas. *Rasciæ Despotam* idem habet, ex *Decretis* Alberti Hung. R. A. C. 1439. in *Glossar.*

Desultores, Gr. μεταβάται, dicti olim qui ex equo in equum transiliebant, non sine arte: Origo à barbaris gentibus, quibus in bellis equorum mutatio probata, ut uno equo fesso aut sudantibus alium siccum validumque celeriter transire possent. Tales Scythas fuisse, docet Amm. Marcellinus *lib.* 22. Indos Herodotus *lib.* 7. Numidas Strabo, & ante illum Livius *Dec.* 3. *lib.* 3. ubi *nec omnes Numidæ*, inquit, *in dextro locati cornu, sed quibus desultorum in morem binos trahentibus equis inter acerrimam sæpe pugnam in recentem equum ex fesso transsultare moris erat.* Usus eorum apud Romanos in curulibus & Circensibus stadiis, ubi non quadrigæ solùm, sed & *Desultores*, qui uno tantùm equo uterentur, certare solebant. Livius *Dec.* 5. *lib.* 4. *Semel quadrigis, semel desultorio misso.* Horum officium descripsit Hyginus *l. de fabulis cap.* 80. *Unde etiam Romani servant instituta*, cùm Desultorem mittunt: *Unus duos equos habet, pileum in capite, ex equo in equum transilit*: cui suffragatur Isidorus *lib.* 18. *cap.* 39. Desultor, *cùm ad finem cursus venisset, desiliebat, & ex equo in equum transiliebat.* V. quoque Suetonium in *Cæsare cap.* 29. Varronem *de R. R. lib.* 2. *cap.* 7. Cic. *Orat. pro L. Muræna* &c. Manilius *Astronomic. lib.* 5.

Nec non alterno Desultor *sidere dorso*
Quadrupedum & stabiles poteris defigere plantas,
Per quos vadit equos, ludet per terga volantum,
Aut solo vectatur equo, nunc arma movebit.
Nunc licet in longo, per cursus, præmia Circi,
Quidquid de tali studio formatur, habebit.

Propertius *lib.* 4. *eleg.* 2.

Est etiam aurigæ species Vertumnus, & ejus
Trajicit alterno qui leve pondus equo.

Græcè ἵππον κέλητα ἐλαύνειν, *equum desultorium agitare* dicunt, Interpreti Artemidori *Oneirocritic. lib.* 1. qua de re V. suprà in voce *Celes*; item infrà in *Singulator*, & ubi de *Sarmatico Ludo.* Eorundem, ut & gladiatorum, porro in funebribus ludis usus erat. Fest. Pomponius *lib.* 17. *Simpludiaria funera sunt, quibus adhibebantur D. T. ludi corbitoresq; quidam ea dixerunt esse, quibus neutrum genus interesset ludorum. Nam Indictiva sunt, quibus adhibebantur non ludi modo, sed etiam* Desultores, *quæ sunt amplissima* &c. Neque vero binos solum, sed & quaternos & senos transire aut transilire nonnunquam dicebantur, ut de Teutobocho legimus, apud Florum. Homerus *Desultoris* meminit, qui quaternos transiliret. *Il.* ό. quod difficile admodum esse, notat Eustathius. Hinc *Vertumnus*, à vertendis alternandisque equis, Propertio istiusmodi *Desultor* dictus est, ut vidimus. In quo equestri ludo, quia Sarmatæ præcellebant, *Sarmatici* nomen accepisse videtur, ut notat Salmasius *ad Vopiscum in Carino*; ubi de *Desultoribus* quoque, qui in Circo olim exhibebantur, ut missus nuntiarent, varia addit ex Cassiodoro *Variar. lib.* 3. *Epist.* 51. Hygino, Isidoro, Aliis. Hinc *Desultorium ingenium* Prov. pro inconstanti & in horas mutabili. V. Thom. Dempsteri *Paralipomena in Rosini lib.* 5. *Antiqq. Rom. cap.* 14.

Detrianus, Architectus insignis, apud Spartianum *in Hadriano.* V. suprà *Demetrianus.*

Detmoldia Linea, illustris Comitum Lippiensium in Germania Familiæ est; Ex hac enim qui nunc supersunt, omnes à Simone, A. C. 1614. mortuo sati sunt. Nam ab hujus filiis, Simone, linea Detmoldia, Ottone, Brakensis; demum Philippo, Backenburgica, descendit. Natus hic Simon Patri, ex Elisabetha Schauenburgica, genuit ex Anna Catharina Nassovia Hermannum Adolphum, cum fratribus sororibusq; illius: qui ex Ernestina Isenburgica, suscepit Simonem Henricum (*n.* 1648. *ux.* Amelia Burggravia *de Dhona.*) Mariam Magdalenam, Sophiam & Johannam, Comites Lippæ *in Detmold.* Sed & *Detmoldii* rami surculus Bisterfeldius est. Eodem enim Simone præfato, Simonis filio, ex Maria Magdalena Waldeccia, geniti sunt Jodocus Hermannus (ux. Elisabetha Juliana Sayno Witgensteinia) & Sophia Eleonora (quæ nupsit Georgio Wilhelmo Com. Leiningentii *in Westerburg* &c.) qui *Comites Lippiæ lineæ Detmoldiæ in Bisterfeld* dicuntur. V. Phil. Jac. Spenerum *Theatro Nobil. Eur. tom I. p.* 22. & *tom. III. p.* 31. & 84. ut & *Artis Heraldicæ Parte poster.*

Detrahendi clypeos imaginesq; damnatorum, mos priscus indigitatur Suetonio *Domitiano c.* 23. *Contrà Senatus adeò lætatus est* (morte Domitiani) *ut — scalas inferri clypeosq; & imagines ejus coràm detrahi & ibidem solo affligi juberet* &c. Nempe clypei & imagines dedicabantur sublimes, ut cuilibet notum, quæ proin in ignominiæ notam *detrahebantur* scalis admotis ac refigebantur, ut hîc clypeis ac imaginibus Domitiani, quæ in Curia erant, factum. Sic Justinus *lib.* 38. *tunc populus Alexandrinus statuas & imagines ejus detrahit.* Et inter Senatus acclamationes, extincto Commodo, fuit hæc, *Gladiatoris statuæ detrahantur.* V. Casaubonum *ad Suetonium l. cit.*

Devincire, verbum Magicum, V. suprà *Defigere*, & infrà ubi *de Devovendi ritu.*

Devium Scortum, apud Horatium *Carm. lib.* 2. *ode* 11. V. suprà in voce *Cataclystus*, insuperque Barthium *ad Statium tom. II. p.* 127; & *III. p.* 1091.

Deunx, apud Martialem *l.* 6. *Epigr.* 78. de potore nobili,

Misceri sibi protinus deunces,
Sed crebros jubet ——

Scyphus est undecim cyathorum capax: sicut *sextans*, duorum cyathorum, apud eundem *l.* 12. *Epigr.* 28. metaphorâ ab assis partibus desumtâ, *deunx* enim propriè assis est demtâ unciâ, seu undecim unciæ. V. suprà ubi de *Asse*, & ratione Veterum *Bibendi.*

Devorari à piscibus, pro infortunio insigni multis Auctoribus habitum, de quo V. notata Passeratio & Gebhardio, *ad Propertium lib. 3. Eleg. 6.* nec non infrà, ubi de *Naufragio.* A' *terra* autem *devorari*, summa execrationum, aut infelicium votorum fuit. Dido, apud Virgilium *Æneid. lib. 3.*

> *Sed mihi vel tellus optem priùs ima dehiscat,*
> *Aut Pater omnipotens adigat me fulmine ad umbras,*
> *Antè pudor quàm te violem* ——

V. Casp. Barthium *Animadversion. ad Statium Thebaid. lib. 9. vers.* 860. Cujusmodi poenam divinitus inflictam legimus Koracho, Dathani & Abiramo, qui contra Moysen insurrexerant, Numeror. *cap. 16. vers. 31. 32. Fuit quum absolveret eloqui omnia verba haec, ut finderetur humus, quae suberat illis; & aperiens terra os suum absorberet eos & domos eorum.* Quo pacto illos *vivos in sepulchrum descendisse*, dicitur *vers. seq. 33.*

Devota, apud medii ævi Scriptores, foemina seu virgo, quæ castitatem Deo vovit. Hodie Monialis, apud Macrum *Hierolexico.* Vocis origo ex veteri ævo, quo *devoti* dicebantur, qui debitam *devotionem* Majestati Imperatorum præstarent: unde in vett. Saxis, *Numine Majestatique ejus devotus*, Græcè *ἀφοσιωθεὶς*; quod qui facere detrectarent, *indevoti* & læsæ Majestatis rei dicebantur, Græcè *ἀφοσίωτοι.* Salmasius *ad Trebellium Pollionem in Gallienis.* De *devotione devotisque* varii generis, apud Hebræos, V. Joann. Seldenum *de Jure N. & Gent. juxta disciplinam Hebr.* & suprà ubi de *Anathemate* &c. Ita *Devotissimus*, Καθωσιωμένος, titulus honorarius, concessus *Domesticis* & *Protectoribus*, *in leg. 6. 8. 9. Cod.* Theod. *hoc tit.* Item *de Agentibus in rebus, Collat.* Carthagin. A. C. 411. apud Car. du Fresne *Glossar.*

Devovendi se ritus, apud vett. Romanos, talis erat: Cùm periculum aliquod imminere videbatur, & Auspices nuntiabant, Deos placatos non esse, tum unus aliquis ex Romanis sese pro exercitu suo & simul exercitum hostium *devovebat.* Licebat autem Consuli Dictatorique & Prætori devovere legiones hostium & se vel alium quem vellet, ex legione Romana scripta, civem. Si is, qui devotus esset, moreretur, tum probè factum videbatur: ni moreretur, signum septem pedes altum aut majus in terram defodi & piaculum hostiâ cædi oportebat: neq; ubi illud signum defossum esset, eò Magistratum Rom. descendere fas erat. Qui verò sese devovere volebat, nisi moreretur, neq; suum, neq; publicum divinum jure facere poterat, Liv. *lib.* 8. qui addit *Ei, qui sese devoverit, Vulcano arma, sive alicui Deo vovere vellet, sive hostia, sive quo alio vellet, jus esse: Telo super quo stans Consul precatus sit, hostem potiri fas non esse: si potiatur Marti suovetaurilibus piaculum fieri oportere.* Ratio ceremoniæ & verborum formula ex eodem, ubi de Decio Cos. loquitur, hæc: *In hac trepidatione*, inquit, *Decius Cos. M. Valerium magnâ voce inclamat: Deorum, ait, ope Valeri opus est, agedum Pontifex publicus populi Rom. praei verba, quibus me pro legionibus devoveam. Pontifex eum togam prætextam sumere jussit, & velato capite* (dicebantur autem in sacris *velati*, cùm *caput cinctum licio laneo* habebant, Varro *de L. L. lib. 4.*) *manu subter togam ad mentum exertam, super telum subjectum pedibus stantem, sic dicere*: Jane, Jupiter, Mars Pater, Quirine, Bellona, Lares, Divi Novensiles, Dii Indigetes, Divi, quorum est potestas nostrorum hostiumque, Diique Manes vos precor, veneror, veniam peto feroque, uti Populo Rom. Quiritium victoriamque prosperetis, hostesque Populi Romani Quiritium terrore, formidine morteque afficiatis. Sicut verbis nuncupavi, ita pro Republica Quiritium, exercitu, legionibus, auxiliis Pop. Romani Quiritium, legiones auxiliaque hostium mecum Diis Manibus Tellurique devoveo. *Hæc ita precatus, lictores ire ad T. Manlium jubet, maturéque collegæ se devotum pro exercitu nuntiare, ipse incinctus cinctu Gabino, armatus in equum insiluit, ac se in medios immisit.* V. quoque Florum *lib. 1. cap.* 14. ubi notat Salmasius ex Livio, Deorum monitu id factum, cùm utrique Consuli visa species viri supra humanum habitum denuntiantis, ex una acie exercitum, ex altera Imperatorem Diis Manibus Terræq; deberi. Patris exemplum postea filius imitatus est itidem Consul, pugnâ in agro Sentinate in Hetruria commissâ, ut victoriam exercitui suo damno lucraretur, Livius *lib.* 10. & Florus *lib. 1. cap.* 17. quem, quòd *intra Ciminios saltus* id contigisse referat, in tanta eruditionis luce, talia in historia Rom. peccare potuisse, stupet Salmasius. Idem multis pòst seculis fecisse Claudius Imp. legitur apud Victorem, *de Cæsaribus*, *cap.* 34. V. Dresserum *in Millen. IV. pag.* 450. Etiam Urbes exercitusque hostiles, post ritè evocatos Urbium gentiumque Deos, devovisse solitos esse Romanos, narrant Historiæ: Formula hæc: *Dis pater sive Jovis manes, sive quo alio nomine fas est nominare, ut omnes illam urbem* (Carthaginem) *exercitumque, quem ego me sentio dicere, fugâ, formidine, terrore compleatis, quique adversus legiones exercitumque nostrum arma, telaque ferent, uti vos eos exercitus, eos hostes, eosque homines, urbes agrosque eorum & qui in his locis, regionibusque, agris urbibusque habitant, abducatis, lumine supero privetis: exercitumque hostium, urbes agrosque eorum, quos me sentio dicere, uti vos eas urbes, agrosque, capita ætatesque eorum devotas, consecratasque habeatis, illis legibus, quibus quandoque sunt maximè hostes devoti: eosque ego vicarios pro me fide Magistratuque meo & populo Rom. exercitibus legionibusque nostris do, devoveo: ut me, meamque fidem, imperiumque legiones exercitumque nostrum, qui in his rebus gerendis sunt, bene salvos siritis esse. Si hæc ita faxitis, ut ego sciam sentiam intelligamque: tum quisquis votum hoc faxit, rectè factum esto, ovibus atris tribus Tellus Materque teque Jupiter obtestor.* Hæc fatus, cùm Tellurem dicebat, manibus terram tangebat, cùm Jovem, manus ad coelum tollebat: cùm votum recipere dixit, manibus pectus tangere solitus erat, Macrobius *Saturnalium lib. 3. cap. 9. ex lib. 5. Rer. reconditarum Sammonici Sereni.* Inveniuntur autem hæc Oppida *devota*, Stonii, Fregelli, Gabii, Veii, Fidenæ, Carthago & Corinthus. Multos quoque exercitus, oppidaque hostium, Gallorum, Hispanorum, Afrorum, Maurorum aliarumque gentium, hoc modo Diis Manibus devotos, prisci loquuntur Annales. De ritu verò *devovendi* se pro salute novi Principis, item pro ægris, V. Casaubonum *ad Suetonium Caligulâ cap.* 14. & hic passim. In genere autem *Devovere*, diris & imprecationibus defigere ac devincire est, sive se, sive alium. Qui enim *vota* facit ac se *devovet*, ligare se intelligitur. Sidonius *libro 8. Epist. 6. Ligant votis, solvunt victimis.* Sed & qui alium *devovent*, diris eum defigunt ac devinciunt. Quod & *obsecrare* dixere; cujus contrarium *resecrare*, quod est solvere obsecratione ac devotione liberare. Imò *devovere*, *defigere*, *obligare*, verba sunt apud Vett. Magicæ artis propria, quæ incantationibus, deprecationibus, diris, herbis, fascinationibus, animum ejus ac mentem, quem devovet, ita præpedit & extra se ponit, ut sui officii meminisse amplius non possit, aut muniis naturalibus defungi. Unde *Devoti* appellati priscis, qui maleficâ arte defixi ad conjugii munera obeunda inepti reddebantur, Salmasius *ad Solinum pag.* 1087. *& seqq.* Sed sanctior voci notio imposita à Christianis est, ut vidimus.

DEUS, laudandus super omnia in secula. *Ac Dei quidem* laus semper in toto animo, universaque nostra cogitatione versari debet. Quidquid sine Ejus communione facias, id verò factum ne putes. Quanto magis appellendus animus ad eas modulationes, quæ, quantum illius complectuntur, tantum Ejus concipiunt Divinitatis: fiuntque illorum affines concentuum, qui coelestibus anfractibus atque rotationibus sunt ab Opifice attributi. Dicitur autem Dei laudatio à Græcis ὕμνος, à Latinis *celebratio.* Unus igitur Ille cùm sit, idemque Trinus, vel ut solum canere, vel personas seorsim celebrare jus est homini Christiano: additis verecundè proprietatibus. Non ut disputatores morosi, sed ut pii Poetæ facere consuevere. Id quod post alios multos nos quoq; conati sumus. Namq; in Deum Patrem hymnum cùm scriberemus: tanquam rerum omnium conditorem, ab orbis ipsius creatione ad nos nostraque duximus Deum verò Filium, Dominum nostrum Jesum Christum, tanquam humani generis Servatorem. In quo abduximus animum nostrum à corporis carcere ad liberos campos contemplationis, quæ me in illum transformaret. Tum autem Sanctissimi Spiritus ineffabilis vigor ille tanto ardore celebratus est, ut, cùm levissimis numeris esset inchoatus hymnus, repentino divini ignis impetu conflagrarit. In Deo quidquid est, ipsemet est Deus: cognitionis autem nostræ imbecillitate, horum inferiorum exemplo atque imagine, quasi multa distinguuntur: Intellectus, à quo Voluntas, pòst quam Potentia. Verùm neque antè neque pòst quicquam. Sed non solùm simul, verùm etiam unum. A quo duo duxerunt Veteres maxima rerum actionumque omnium principia, Naturam & Fortunam. Natura enim est, Potentia Dei: Fortuna verò Voluntas &c. Verba sunt Jul. Cæs. Scaligeri, *Poëtices lib. 3. cap.* 112. Quid autem de se sciri quove modo à nobis coli velit unicum hoc nostrum εὐαγγέλιον, ex Verbo ejus petendum, *quod potentia est ad salutem cuivis credenti*, Rom. *cap. 1. versu* 16.

Deus Vult, clamor bellicus Peregrinorum Hierosolymitanorum, seu omnium, qui in Bellis sacris contra Saracenos, aliosque hostes militabant, Car. du Fresne *ad Joinvill. Dissertat.* 11. V. suprà, *Bellum Sacrum.*

Deus-Dedit, Rom. Eccles. Presbyter Cardin. scripsit, *de Privilegiis Rom. Sedis & Collectionem Canonum*, inscriptam Victori III. Gerh. von Mastricht *Histor. Juris Eccl. num.* 273.

Deuteriarius, V. infrà *Secundarius.*

Dexippus, adde: Non Rhetor solùm & Historiarum Scriptor, sed & Dux strenuus erat; cujus ductu victos Gothos, cùm vastarent Achajam & Athenas petiissent, narrat Pollio *in Gallienis.* Ejus sæpe meminit Georgius Monachus. Excerpta quædam ex historiis illius in altero Tomo Πρεσβειῶν, quem postea edidit David Hoeschelius, laudat Casaubonus *ad Lampridium in Severo.*

Dextra, fidei symbolum: Proin illam Gentiles Diis [illegible] consecrarunt; quemadmodum iidem caput Jovi, Neptuno pectus, frontem Genio, supercilia Junoni, oculos Cupidini, aurem Memoriæ, locum retro aurem *dextram* Nemesi, dorsum & po-

sticam

ficas partes Plutoni, renes & inguina Veneri, pedes Mercurio, genua Misericordiæ, talos plantasque pedum Tethidi, digitos Minervæ, os Suadæ &c. deferre soliti sunt, V. Joh. Rosinum *Antiqq. Rom. lib. 2. cap. 19.* Unde *fallere Dextram*, pro *fallere fidem*, apud Virgilium *Æneid. lib. 6.*

Quiq; ob adulterium cæsi, quiq; arma secuti
Impia, nec veriti dominorum fallere dextras.

In quæ verba Servius: *Quid est*, quærit, *fallere dextras Dominorum, quàm fidem dominis promissam fallere? Nam dextra olim fidei consecrata fuit:* unde jungere dextram, & dextræ dextram committere, *apud Poetas sæpe reperies, pro* pacisci & fœdus ferire. Ovidius *in Epist.*

Heus ubi pacta fides commissaq; dextera dextræ?

Idem *in lib. 1. Æneid. v. 412.*

—— —— —— *Cur dextræ jungere dextram*
Non datur?

Ait: *Majorum hæc fuit salutatio: cujus rei τὸ αἴτιον, id est, causam, Varro, Callimachum secutus, exposuit: asserens, omnem eorum honorem dextrarum constitisse virtute: ob quam rem hâc se venerabantur corporis parte.* Eandem osculari, in honore alicui habendo, antiquissimus mos fuit, V. Muretum *lib. 10. Var. lect. cap. 1.* Lipsium *Electorum lib. 2. cap. 9.* & Giphanium *in Scholiis ad Odyss. π.* Docet autem Plinius *lib. 11. cap. 45.* *Dextram aversam osculis appeti solere*, id est, partem ejus exteriorem: quod tantùm de manus alienæ osculo capiendum. Nam propriæ pars adversa, sive interior, adorari, hoc est, ori admoveri solebat. Reges inprimis, Principesque, præcipuè verò Tyrannos, hoc modo venerabantur subditi: Eum enim honorem solis potentioribus, tanquam demissionis notam & propriè fere Dominis à servis delatum constat. Nec falluntur, inquit, Laurentius *ad Phædrum*, qui à Candidatis Magistratuum istud natum autumant, quos etiam manus potentiorum, eorumque, quorum captabant gratiam, frequentiùs prensasse constat. Meminit moris Suetonius *in Caligula cap. 56.* ubi Imperatorem Chæreæ agenti gratias osculandum manum obtulisse, sed formatam commotamque in obscœnum modum, scribit. Idem prodidit, Domitianum Cœnidi, patris concubinæ, osculum, ut assueverat, offerenti, manum (aversam scilicet) præbuisse, *in Domitiano cap. 12.* Porro *Dextram* supplices, quemadmodum mentum quoque & genua, tetigere antiquitus: unde potiùs ad sequentia secula ritum deduxero. Docet enim Eustathius *in Il. α. vers. 427.* *qui incipit,*

Καί μιν γουνάσομαι,
Et ejus genua prehendam,

id est, ei supplicabo: Tria fuisse hominis membra, quæ à supplicibus contingi fuerint solita; Caput, seu mentum, διὰ τὸ ὑπογένειον; *Dextram*, διὰ τὸ τὴν χεῖρα, & Genua, διὰ τὸ βαδιστικόν. Interim omnem illum supplicantium gestum, verbo γονάζεσθαι, expressum fuisse, quoniam licèt fortè ii, quibus supplicabatur, caput averterent, & *Dextram* occultarent, unde Eurip. *Ὀρῶ σε δεξιὰν ὑπὸ εἵματος κρύπτοντα καὶ πρόσωπον ἔμπαλιν στρέφοντα, ὡς μὴ σου προσθίγω γονάτων*, tamen ultima anchora supplicibus restabat: genua nempe, quæ quò minus tangerentur, impediri vix potuit &c. Neque verò *dextram* solùm *manum*, sed & *dextrum pedem*, & *dextrum genum* Impp. CPolitanorum, Proceres certo anni tempore osculari consuevisse, dicemus infrà, ubi de ritu *Pedes lavandi*. Et *dextrum latus* plerumque honestius & auspicatius habitum. Unde occursum, aut conversationem malè ominosorum hominum, *flexo in dextrum corpore*, declinasse Veteres, tradit Lucianus: & pocula quoque in *dextrum latus* circumdari solita, habet Critias apud Athenæum *lib. 10.* unis Spartanis exceptis, qui ad lævam solebant κύλικας κυκλεῖν, *potionum tela in circuitum dirigere* &c. Ita ergo *Dextra* magno fuit in pretio; unde apud Græcos Δεξιοὶ οἱ ἀγαθοί, & δεξιοῦσθαι τὸ φιλοφρονεῖσθαι: imò Telemachus ab Antinoo *Dextram* suam per ludum tangi non sustinuit, illam non sine stomacho retrahens; quoniam non decebat τὸ ἅμα παίζειν, uti loquitur Commentator laudatus *in Odyss.* ubi plura in hanc rem egregia. Ut de ornatu *dextræ* aliquid addam: Hac manu Annulos olim gestatos, evidenter Jeremias ostendit, cùm *cap. 22. versu 24.* Deum sic introducit loquentem: *Etiamsi esses Conia, filius Joacim Regis Judæ, annulus signatorius in manu dextra mea, inde evellam eum.* Sirachus quoque *c. 49. v. 13.* *Quomodo amplificemus Sorobabel? Nam & ipse quasi signum in dextra manu Israel.* Ita apud Hebræos, apud Romanos verò, ante gemmarum usum (si Atteio Capitoni apud Macrobium *lib. 7.* fides habenda est) cùm sculptura adhuc annuli materiæ imprimebatur, sive ex ferro foret, sive ex auro, *gestabatur, ut quisque vellet, quacunque manu*: donec, postquam gemmæ etiam addi cœperunt, sinistra potissimùm manus huic gestamini destinata est. Interim & tum homines suprà modum molles ac luxuriæ dediti, etiam *dextram* in subsidium vocasse leguntur, si fors sinistra ferendo oneri non esset: id quod subindicare videtur Lucianus *Navig.* apud quem cùm Timolaus multos sibi annulos optasset, quærit ex ipso Lycinus, *Cur tandem non unus annulus omnia tibi ista* (quæ petebat) *potest, sed tam multis revinctam sinistram gravatam per singulos digitos? Imò verò excedit numerus & necesse etiam erit dexteram ferendo oneri succedere.* V. Johannem Kirchmannum *de Annulis cap. 4.* Ideo autem hoc onere, sequiori ævo, *Dextra* levata est, quòd sinistrâ magis occupata sicque officium ejus non solùm annulorum gestatione impediri, sed & ipsi annuli crebro motu facilè potuissent lædi. Idem *ibid.* V. quoque ubi de *Annulis* & *Sinistra*. De alio v. dextræ ornatu, infrà in voce *Dextrocherium*. Contrà *dextrarum* abscissione, monetam adulterantes puniti leguntur apud Matth. Paris. A. C. 1125. quo de pœnæ genere V. Car. du Fresne *Not. ad Alexiadem Annæ Comnenæ*, & infra in voce *Manus* &c.

Dextræ Tibiæ, V. infrà ubi de *Tibiis*.

Dextralia, eadem cum *Dextrocheriis*, V. ibi, ut & Salmasium *ad Capitolinum in Maximinis & Trebellium Pollionem in XXX. Tyrannis.*

Dextrarii, apud Recentiores passim, dicuntur equi majores & cataphracti, quibus utebantur potissimùm in præliis & bellis, V. Guil. Neubrigensem *lib. 2. cap. 11.* Auctorem *Chron.* Colmariensis *A. C. 1198.* Radulfum de Diceto *A. C. 1198.* Alios. Δεξιοί, Scriptoribus Byzantinis, V. Leonem Gramm. *in Michaële pag. 469.* Quòd *dextrâ* ducerentur, donec tempus prælii adesset, nomen adepti: Byzantinis hinc sequioribus, *δεξιά* seu *ευγρά*, ut docent Codinus *de Officiis cap. 5. num. 7.* & Anna Comnena *Alexiados lib. 1. cap. 13.* Παράσχοι Evagrio *lib. 6. capp. 14. & 15.* ut observat Henr. Valesius, apud Car. du Fresne *Glossar.*

Dextratio, apud Solinum *cap. 45.* ubi de quadriga Rutumannæ, *relicto*, inquit, *certamine ad Capitolium prosiluit, nec antè substitit — quàm Tarpejum Jovem tertia dextratione lustraret*: motus est seu conversio, quæ fit à sinistra ad dextram. Sic enim adorantes facere solitos, Plinius tradit, *In adorando dextram ad osculum referimus totumque corpus circumagimus. Quod in lævam fecisse Galliæ religiosius tradunt.* Et Plautus,

—— —— *quo me vertam nescio.*
Si Deos salutas, dextroversum censeo.

In qua circumactione corporis *dextra* pro centro est, & *dexter gyrus* interior propriorque centro, sinister verò exterior. Itaque *dextratione ædem lustrare*, est dextro interiore gyro eam circumire. Quomodo etiam aras circumiri consuevisse, diximus ex Aristophanis *Pace*,

Ἄγε δὴ τὸ κανοῦν λαβὼν σὺ καὶ τὴν χέρνιβα
Περίιθι τὸν βωμὸν ταχέως ἐπὶ δεξιά.

Contrario modo lustrabant rogos in decursionibus funebribus, & in Circensibus metam circumibant quadrigæ, uti videre est *suo loco*. Plura apud Salmasium *ad Solinum pag. 936.* & Barthium *ad Statium Thebaid. lib. 6. versu 223.*

Dextri, apud Recentiores, nomen spatii seu passuum certorum: Inprimis sic appellantur Ecclesiarum atque adeò locorum, qui aliquâ immunitate aut asyli jure gaudent, definita legibus circa eos spatia, quæ fere semper 30. passuum esse dicuntur. Unde per apocopen *Dex*, pro Banleuca seu districtu Urbis vel Oppidi, qui eadem, quâ Urbes & Oppida, immunitate fruitur, apud Occitanos, uti du Fresne docet. At Catellus *in Histor. Tolos. pag. 194.* voce hac terminos Tolosæ seu Urbium à crucibus, quæ limitum vice sunt, insignitos putat, quòd crux figuram decimi numeri X. effingat, qui *Dex* Occitanis dicitur. Quo pacto non à *Dextris* potiùs, quàm à *decussi*, etymon arcessendum erit. Nam lapidibus, aut arboribus, *decus* seu *decussis* appositus, termini ac limitis vicem præstabat. V. Carolum du Fresne *Glossar.*

Dextrianus, Architectus nobilis, sub Hadriano Imp. apud Spartianum in *Vita* ejus: ubi tamen antiqui libri omnes *Detrianus* habent. V. suprà.

Dextrocherium, apud Capitolinum in *Maximinis*, *Erat — magnitudine tanta, ut octo pedes digito videretur egressus, pollice ita vasto, ut uxoris* dextrocherio *uteretur pro annulo*, Treb. Pollionem in *Quieto*, *Alexandrum M. — mulieres in reticulis &* dextrocheriis *& in annulis — exsculptum semper habuerunt*: Alios: vox hybrida est, ex Græco Latinoque nomine composita, & armillarum speciem notat, quam *Dextrale* quoque Latini dixerunt. Solebant enim Veteres sæpe altero tantùm brachio armillas gestare, (*monocheria* hinc dicta in *Gloss.*) & quidem lævo interdum, ut de Sabinis notissima historia fidem facit; interdum *dextro*, ut nomen hoc declarat, quasi *δεξιόχειρον* dictum, idque frequentiùs. Plus enim in dextris erat decoris, si solæ ornabantur. Ezech. *c. 21. v. 24.* *tanquam armilla imposita brachio dextro*: quia *dextra* virilis fortitudinis nota est. Cujus egregium, apud Saxonem Grammat. extat documentum, de Wiggone *dextrocherio*, à Roisone Rege, donato. Erat namque id ornamenti genus utrique sexui commune, & *ante manicam portari*, ibique *uno clavo* jungi consuevit, Isidor. *l. 19. c. 31.* id est, in manus cum brachio commissura, ut Casaubonus; seu carpo, ut Bartholinus, exponunt. Quo nomine à brachialibus propriè sic dictis *Dextrocheria* diversa, quòd illa totum brachii progressum complecterentur, uti docet Xenophon *Pæd. lib. 6.* ubi inter *βραχιόνια* & *ψέλια* sic distinguit; licèt Strabo τὰ ψέλια & carpo & brachio latiùs assignet. Quod verò de clavo dictum, *copulam* vocat idem Capitolinus ubi suprà,

de arris sponsalitiis Juniæ Fadillæ loquens, *dextrocherium cum copula de hyacinthis quatuor*: hic enim *copulam* explicat Salmasius eam partem dextrocherii, quâ jungebatur & copulabatur, vel potiùs tæniam utraque dextrocherii parte pendulam, quâ illud alligabatur. Principibus autem familiaria fuisse, ex præcedd. discimus. Sed & in Cari Imp. dextra *gemmas fulgentes*, seu *dextrocherium*, adumbrat Chrysostomus *in laudat. Babylæ*; in Constantini, Lucifer Calarit. *de non parcendo delinqu.* &c. V. hanc in rem plura apud Thom. Bartholinum *de Armillis Vett.* Casaubonum & Salmasium *ad Capitolinum* & *Pollionem d. l.* nec non suprà, ubi de *Armillis*.

D I.

Diabambylum, candelabrum bimyxon, quod Patriarchæ CP. solebat præferri, eo die, quo creabatur, Imperatoris concessu: cùm aliàs *monobambylon* solùm ante eum ferretur. Pachymeres *Histor. Tom. II. lib. 2. cap. 28. At ille recepto Pastorali baculo ab Imperatore, ut fieri solet, honoratur Diabambylo.* Dominic. Macer *in Hierolexico*. V. suprà *Bammulum*.

Diabathrarii, memorati Plauto *Aulularia Act. 3. sc. 5.* ubi, fœminei luxus insaniam prolixè traducens, inter alia ait,

Sedentarii sutores, Diabathrarii &c.

quid essent, declarat Festus, cùm ait: *Diabathra genus fuisse soleatum Græcanicarum, quarum confectores diabathrarii.* Nævius apud Varronem *de L.L. lib. 6. Diabathra in pedibus habebat & erat amictus Equi voco.* V. Oct. Ferrarium *de Re Vestiar. lib. 3. cap. 21.*

Diacenisimus, Græcè Διακαινήσιμος, uti Codinus Curopalata *de offic. CP. cap. 14.* omnesque *Rituales* Græcorum libri habent, dicta est apud Græcos tota Hebdomas Paschalis, quæ Festum Paschæ proximè sequitur, & quâ Resurrectio Domini solenni ceremoniâ celebratur: à *renovatione*, Dominicus Macer ubi suprà.

Diacecaumene, Gr. Διακεκαυμένη, reg. Æthiopiæ vicina, Solin. c. 32. *Ægyptium limitem, quà ad* Diacecaumenem *tendit, incoluere populi, qui momentum, quo repararet mundum ad motus siderum annos, hoc studio deprehenderunt* &c. Marcianus Capella *Cecaumenem* vocat, ut & Servius, qui Garamantes populos, inter Libyam & Africam, juxta illam locat: Diodorus Κατακεκαυμένην. Quorum nominum eadem ratio, quam Hyginus tradit his verbis. *Quæ finis est ab æstivo circulo ad hyemalem, ea terra à Græcis* Diacecaumene *vocatur, quod neque fruges propter exustam terram nasci, neque homines propter nimium ardorem durare possunt.* Itaque quasi exusta dicta est, *Ignea* hinc quoque, seu *Torrida Zona* Latinis. Arnobius, *Age nunc veniat quæso per igneam Zonam magus interiore ab orbe Zoroastres.* Hic enim secundùm quosdam ex interiore Libya vel Æthiopia τῆς Κεκαυμένης vicina oriundus fuit. In illa Atheos quosdam reperiri, memorat Strabo *lib. 15.* V. Salmasium *ad Solinum pag. 473.* & suprà *Catacecaumene*.

Diacitrinus, citrini coloris intensioris, apud Monachum Sangal. aliosque passim:

Diaconia, adde: Carolo du Fresne *Diaconiæ* dicuntur loca, in quibus, per *Diaconos regionarios*, pauperes viduæ, pupilli & senes propriæ regionis alebantur: publicæ quodammodo pauperum hospitales domus, quæ Oratoria & Sacella adjuncta habebant, in quibus à Diacono egenis necessaria subministrabantur. Erant enim *Diaconi* isti, ut verbis utar Cujacii *ad Nov. 3.* τραπεζῶν *Ministri* i. mensarum, quæ apponebantur egenis, viduis, orphanis: quæ convivia agitabantur domi, adhibitis precibus. Erant autem ejusmodi hospitales domus Romæ, in regionibus omnibus, quarum usu præcipuo exolescente, ipsisque ædibus dirutis, *Diaconiæ* nomen ipsis Sacellis & Oratoriis mansit, à quibus earum præfecti, *Diaconi Cardinales Urbis Romæ*, eidem dicti sunt. Atque hac posteriore notione vox occurrit sæpius, apud Anastasium, cùm ait, vela Tyria, stauracina, vestes, coronas seu pharos, vasa Ecclesiastica, aliaque hujusmodi, quæ templa ipsa spectant, *Diaconiis* elargitos esse Pontifices, *pag.* 89. 110. 113. 117. 119. 130. 136. 137. &c. meminitque Synodus Rom. sub Leone IV. *cap. 39.* apud Holstenium, *Titulorum vel Diaconiarum Ecclesiæ*, de quibus aliquid infrà. Nec verò Romæ solùm, sed & in provinciis, extitisse *Diaconias*, idque ex instituto Gaji, contendit Idem, ex *Epist. ejus Decret. cap. 6. Diaconiæ* certè *B. Andreæ Neapoli*, meminit *Epitaphium* Theodimi Subdiaconi, item *Inscr.* Græca, quæ extat in æde SS. Joannis & Pauli, in eadem Urbe. De *Diaconia Pisaurensi*, agit Gregorius M. *lib. 4. Epist. 24.* &c. At, si Baronio fides, erant eæ tantùm in locis, in quibus Ecclesia Rom. patrimonia possidebat. V. omnino Car. du Fresne præfatum in *Glossar.*

Diaconiæ Romæ, quæ, præ cæteris, recensentur ab Anastasio Bibl.

Diaconia S. Agathæ.
Diaconia S. Archangeli.
Diaconia S. Bonifacii.
Diaconia SS. Cosmæ & Damiani.
Diaconia S. Eustachii.
Diaconia S. Georgii.
Diaconia S. Hadriani Mart. ab Hadriano I. Pontif. Rom. instituta.
Diaconia S. Luciæ.
Diaconia S. Mariæ.
Diaconia S. Mariæ in Atriano.
Diaconia S. Mariæ, quæ dicitur *Antiqua*.
Diaconia S. Mariæ, in caput Porticus.
Diaconia S. Mariæ ad Cosmedin.
Diaconia S. Mariæ, quæ dicitur *Dominica*.
Diaconia S. Mariæ in Via Lata.
Diaconia S. Martini.
Diaconia S. Nerei & Achillei.
Diaconia S. Sergii & Bacchi.
Diaconia ad Solis septem, Stron.
Diaconia S. Sylvestri.
Diaconia S. Sylvestri juxta Hospitale S. Gregorii.
Diaconia S. Theodori Mart.
Diaconia S. Viti Martyris. Hodie verò sunt
Diaconiæ XIV. quæ Cardinalibus *Diaconis* attribuuntur, V. Frisonum *Appar. ad Galliam Purpur. cap. 4.*

Diaconicon, adde: Item liber Ecclesiasticus, apud Græcos, quo omnia, quæ ad *Diaconi* munus obeundum in agenda re divina requiruntur, & eorum singula officia, uno velut fasce, continentur, ut monet Allatius *Dissertat. 1. de Libris Eccles. Græcor.* qui putat illud idem esse, quod Βιβλίον τῆς Διακονίας à Joanne Euchaitarum Episcopo. Sed & Διακονικὰ dicantur, preces quædam, quæ à Diaconis decantantur & Εἰρηνικά, i. *Pacifica*, vocantur, de quibus Liturgia Præsanctificat. Car. du Fresne *Descript. Ædis S. Sophiæ n. 84.* & *in Glossar.* item Macri in *Hierolexico*, ut & suprà in voce *Decanicum*.

Diaconus, adde: *Diaconi Regionarii* quinam dicti sint in Ecclesia Rom. ex suprà dictis liquet; nempe qui singularum Urbis Regionum, quæ VII. erant, *Diaconiis* præficiebantur. Horum VII. fuisse docet & Anastasius *in S. Evaristo*: munus eorum, cantare Evangelium in Stationibus, refert vetus *Ceremoniale*, apud Baronium A. C. 1057. *num. 22.* ubi XII. illorum fuisse additur. Præter hos, Diaconi erant Palatini vel Basilici, dicti à ceteris Cardinalibus Diaconis, quòd in Palatio & Basilica Lateranensi Papæ ministrarent, inquit Onuphr. Panvinius. At idem *Ceremoniale* VI. eorum fuisse, habet. Munus illorum Evangelium in Æde Lateranensi; ut Subdiaconorum Palatinorum, Epistolas & lectiones ibidem: cantare. De *Diaconis Stationariis*, quo modo appellarentur, qui Pontifici ad stationem aliquam profecto ministrarent, quorumque munus temporarium erat, V. Carolum du Fresne *in Glossar.* ut & de *Diaconis Testimonialibus*, qui Episcopum prædicantem custodiebant, in voce *Syncellus*. Hinc *Diaconale*, in *Chron.* Abbatum Gemblac. vestis Diaconorum. Et *Diaconale officium*, in Ecclesia CPolitana, de quo V. infrà in voce *Hieromnemon*.

Diactor, adde: Hinc διακτορία in Musica, τῷ κλάσει opposita, nomen accepit; quarum ista varietatem, flexumque sonorum & luxuriam cantus, illa claram & elatam simplicemque pronuntiationem, ἀπαγγέλλειν, qualis antiquitus fuit, denotat. Ut viz. solent nuntii, quos Διακτόρους Græci dicunt, qui res non solùm simpliciter & apertè narrant, ut gestæ sunt, sed etiam clarâ & elatâ voce. Salmasius *ad Solinum pag* 121.

Diacynthinus, apud Leonem Ostiensem *Chron. Casin. lib. 3. cap. 19.* jacynthini coloris intensioris est, Carolo du Fresne *in Glossar.*

Diadema, Græcè διάδημα, fascia fuit candida ut plurimùm & lata, quâ Reges olim Principesque caput evinciebant. Unde *vitta regiæ frontis*, Senecæ in *Thyeste*; item *vinculum*, Statio *Thebaid. lib. 12. versu 89.*

Accipe, nate, tui nova libamenta triumfi,
Accipe & hoc regimen dextræ, frontisq; superba
Vincula ——

Ubi *diademate* & sceptro porrecto, dignitas regia collata intelligitur. Dixi *candidam ut plurimum*, namque aliquando fuisse constat coloris purpurei melinique, id est, flavi, lutei, flammei. Darii, ab Alexandro victi, cidarim cœrulea fascia albo distincta circumibat, Curt. *lib. 3. cap. 3.* Interim candida plerumque erat, unde ταινίαν λευκὴν vocat Lucianus, *vittam albentem* Silius, *fasciolam candidam* Ammianus &c. Lata deinde fuit, quales erant Sacerdotum infulæ: *Infulam* autem Grammatici interpretantur *fasciam in modum diadematis, ex qua vittæ utrinque dependent, quæ plerumque lata est, plerumque tortilis ex albo & cocco.* Item tæniæ, quibus Hieronicæ coronabantur. Erat autem ex linea tenuique materia, cui unguentum è myrrha & odore illo, quem *Labyzon* dixere, addidisse Persarum Reges, tradit Athenæus *lib. 12.* Gestabaturque à Regibus perpetuò: unde in quotidiana pompa & comitatu Regis describendo occupatus Lucianus *Somn. seu Gall.* memorat τὴν ἐφεστρίδα, τὸ διάδημα, τὰς προπομποὺς κτλ. Quare & *perpetui* cognomen ei tribuit Victor in *Constantino*: & cum Rege victo sæpe in victoris potestatem pervenit. Statius *Thebaid. lib. 2. versu 457.*

——— *quin ausa luas, nostrisq; sub armis*
Captivo moribundus humum diademate *pulses.*

Quo casu, triumfo illud circumferri solitum est, uti *de Diademate* Cleopatræ factum ab Augusto, memorat Zenobius *Centur. 5. Adag. 24.* Neque verò unum solùm diadema Reges [illegible] ferebant, sed multiplicabant ea pro numero Regnorum. Sic Ptolemæus *duo diademata capiti suo, Ægypti & Asiæ*, imposuisse legitur 1. Maccab. *cap. 11. versu 13.* V. quoque Herodianum *lib. 6.* ubi de Artabano. Porro à Libero Patre diadema inventum, ut habet

habet Plinius *lib. 7. cap. 56.* Barbaris Regibus primitus usitatum & familiare: serò ad Græcos pervenit. Romanis antiquitus ignotum, postmodum in frequenti usu esse cœpit: & quidem Salmasius Julio, Victor modò Caligulæ, modò Aureliano, Jornandes Diocletiano; Cedrenus & Fasti Siculi Constantino illud primùm tribuunt. Fortè minùs constans & interruptus per intervalla, pro imperantium ingenio, mos, posteris occasionem dedit, ut primos ejus rei inventores crederent, penès quos primùm illius usum viderant. Primus certè Heliogabalus *gemmatum* usurpavit, quod post Diocletianum reliqui omnes Impp. imitati sunt. Erat id autem ex duplici linea margaritarum, & Græcis recentioribus *στέμμα* appellari cœpit. Coronæ dein sociatum est, unde cum corona sæpe confunditur. Aliud fuit *diadema*, quod solennibus diebus gestabatur, & quoties Rex undique suâ Majestate circumfusus, se in publico, non tam aspiciendum, quàm colendum, præbebat. Hoc *Sceptrifertum* dicitur Martiano Capellæ, quòd non gereretur, nisi cum reliquis quoque insignibus regiis, sceptro inprimis; & texebatur è pretiosissima quaque materia. Ovidius *de Ponto lib. 3.*

Barbara jam capti poscant insignia Reges,
Textaq; fortuna divitiora sua.

Insuper, uti priscum illud religabatur in occipitio caputque gestantis evinciebat, ita hoc non tam caput redimiebat, quàm capiti imponebatur, aut circumponebatur, quod *ἐπιθεῖναι* dixit Plut. de Attalo loquens *in Apophth. Reg.* &c. Quam in rem V. plura apud Car. Paschalium *Coronarum lib. 9. toto*, ubi *de Coronis & Diadematibus Regum*, Ans. Solerium *de Pileo*, *sect. 9.* ubi tum puri, tum *gemmati Diadematis* iconem addit, Alios. *Diadema* Regis Sinarum, ex corio durissimo undiquaque deaurato, quo & loco coronæ utuntur, visitur in Musæo Kircher.

Diadumeni, complures in vett. monumentis, inprimis in *Vaillant. Antiqq. Inscr.* occurrunt à *diademate naturali*, quo nonnulli insigniti nascuntur, ut videtur, nomen adepti: inter quos Antoninus eminet *Diadumenus* Imp. quem *Diadematum*, cùm adhuc puer esset, appellatum, Æl. Lampridius in *Vita* ejus narrat: *Solent deinde*, inquiens, *pueri pileo insigniri naturali*, *quod obstetrices rapiunt & advocatis credulis vendunt*, *siquidem Causidici hoc juvari dicuntur: at iste puer pileum non habuit, sed diadema tenue, sed ita forte, ut rumpi non potuerit, venis intercedentibus specie nervi sagittarii.* V. in voce *Diadumenus.* Talis & ille fortè fuerit, Theodorus Dux, inter Christianos milites clarus, quem venientem ad se his verbis excepit Licinius Imp. seu Tyrannus, *Δεῦρο ἐλθὲ ... τὸ διάδημα ...*, *congenitum tibi diadema: quam ob rem, ut Regem, juxta me considere oportet.* V. Casaubonum *Not. ad Lampridium.* Apud Plinium verò *lib. 34. cap. 8.* Polycletus Sicyonius — *Diadumenum fecit* (ex ære) *molliter juvenem, centum talentis nobilitatum*: vox mitratum seu fasciatum denotat, quales fuerunt Persarum nobiles, ... *διάδημα* ..., quod mitrâ caput evincirent. Quidam verò legunt *Diadematum*, i. diademate seu regio capitis insigni ornatum, uti docet Dalechampius *Not. ad l.*

Diæta, Salmasio mel. *Dieta*, parva cœnatio est, recentioribus *Zeta.* Vet. *inscr.* GESTATIO. CIRCINI. A. DIETA. APOLLINIS. AD. EANDEM. DIETAM. V in vocibus *Diæta* & *Zeta.*

Diætetæ, apud Athenienses erant, in quos litigatores de privatis contractibus, pro lubitu compromittebant: Eorum sententiæ standum erat, nec appellari poterat, vi legis: *Ἐὰν δὲ ... κυρία ἔστω*, *Arbitri compromissi sententia rata esto*, V. Demosth. *in Midiana* & Lucian. *Abdicato.* Idem apud Romanos obtinebat, *Quare stari debet*, inquit Ulpianus *lib. 13. ad Edictum*, *sententiæ Arbitri, quam de re dixerit: sive aqua, sive iniqua sit: & sibi imputet, qui compromisit.* Præterea erant *Arbitri* apud Athen. forte capti, quos *Διαιτητὰς κληρωτοὺς* vocavit Demosthenes: Hi sortitò dabantur è singulis tribubus, sexagenariis non minores, integri vitæ scelerisq; puri: erantq; numero quatuor & quadraginta è singulis tribub', sive in universum 440. V. Ulpianum *in Midianam*, Pollucem *l. 8. c. 10.* Suidam, qui illos solitos fuisse docet ... *διαιτᾶν.* Nam peregrinis non dabatur apud eos disceptare, ut sequitur ibidem: ... His forte distribuebantur lites, de quibus sententiam dicerent: is verò, qui sententiam de controversia, quæ illi sortitò obtigerat dirimenda, dicere nollet, ignominiosus habebatur. Pronuntiabant olim de omnibus controversiis, si rei, qua de disceptabatur, æstimatio esset major drachmis decem; quæ infra hanc summam erant, *τοῖς ...* relictis. Exceptione fori tamen adversùs *Diætetas* uti licuisse, docet Ulpianus *ad Midianam*, quod argumento est, illorum non fuisse hanc controversiam judicare. Dicebant sententiam jurati, juxta legem: *Τὸ δὲ ... διαιτητῶν*, cujus meminit Demosthenes *cont. Callip.* quomodo etiam compromissi Arbitri jurati pronuntiabant, ut est in Rescripto Justiniani Imp. ad Demosthenem P P. Suprema illis tempestas Sol occasus erat: quare si is, qui fugiebat, arbitrio se non stiterat ad hanc horam, *Diæta* præsenti tum litem addicebat, secundum legem, Ulpiano in Demosth. *Midian.* memoratam: *Τὸν διαιτητὴν ... ἐξαγαγεῖν ... ἡ ἡμέρα ... τὴν διαιτὴν ...* Sententiæ ab illis latæ subscribebant Archontes, Demosth. *in Midiana* Reddebant autem illi in locis publicis judicia, ut & sacris: quinetiam singulis Tribubus assignata videntur fuisse loca, in quibus eas *διαιτῶντες* sederent, Demosth. *passim.* Accipiebant ab Actore drachmam, quam *παράστασιν* nominabant, cùm adversarii nomen deferret apud illos atque litem æstimaret: etiam ab adversario, cùm de calumnia juraret, tantundem capiebant, Pollux *lib. 8. cap. 10.* Sed ab iis, ad Judices lege dabatur provocatio, *Ἀπὸ τῶν κληρωτῶν διαιτητῶν εἰς ... δικαστήριον.* At verò illi litis instrumenta in echino reponebant, & obsignabant, ne quà possent surripi, donec resignarentur apud Judices: quin etiam ipsi aliquando litigantes ad Judices jubebant ire. Quòd si quis *Diætetam* vel gratiæ dantem, vel sordibus corruptum, adversario litem addixisse accusaret, atque apud Judices probaret, notabatur is infamiâ. Præterea rationes suas referebant hi Arbitri affecto anno, apud Logistas, mense undecimo, nempe Thargelione. &c. V. iterum Demosthenem *in Midiana* & de his plura apud Sam. Petitum *Comm. in leges Atticas tit. 5. lib. 8.* In Dicasterio, quod *ἐπὶ Λύκῳ*, *ad Lycum* dicebatur, causas solitos fuisse agere Diætetas, scribit Possardus *de Mag. Athen. pag. 540.* Emmius tamen inter quatuor præcipua Judicia illud recenset, *Descr. Reip. Athen. pag. 41.* Nec ulla olim causa, quæ 10. excederet drachmas, ad Judices delata erat, nisi priùs à Diætetis ventilata Pollux *lib. 8. p. 407.* quod tamen *ἐν τοῖς ἱεροῖς*, *in sacris*, locum solùm habuisse videtur, Franc. Rossæus, *Archæolog. Attica lib. 3. cap. 4.* qui coronidis loco Bunæ Atheniensis meminit, quem cùm Elei & Calydonii *Diætetam* sive Arbitrum, in gravi, quæ inter utramque gentem agitabatur, controversia elegissent, ille utraque parte satis superque auditâ, sententiam in mortem usque distulit. Unde Prov. *Βοῦνος δικάζει*, *Bunas judicat*, de iis usurpari solitum, qui cunctabundi sunt & semper in suspenso negotia tenent, nil ausi definire, apud Zenobium.

Dialis Flamen, adde: Dictus est an à Dio, à quo vita dari hominibus putabatur, an à Jove, qui sit Dijovis, ut vult Ter. Varro? Certè huic ut assiduè præstò esset eique sacra faceret, à Numa constitutus est. Ceremoniæ, quas observare cogebatur, recensentur ab A. Gellio *lib. 10. cap. 15.* *Equo Dialem Flaminem vehi religio est. Classem procinctam extra pomœrium*, id est, *exercitum armatum videre: Idcirco rarenter Flamen Dialis creatus est Consul, cùm bella Consulibus mandabantur: Item jurare Dialem fas nunquam est: Item annulo uti, nisi pervio cassoque, fas non est: Ignem è flaminia, id est, Flaminis Dialis domo, nisi in Sacrum, efferri jus non est: Vinctum, si ædes ejus introires, solvi necessum est, & vincula per impluvium in tegulas subduci, atque inde foràs in viam demitti: Nodum in apice, neque in cinctu, neque in alia parte ullum habet: Si quis ad verberandum ducatur, si ad pedes ejus supplex procubuerit, eo die verberari piaculum est: Capillum Dialis, nisi qui liber homo est, non detonset: Capram & carnem incoctam, & ederam & fabam neque tangere Diali mos est, neque nominare: Propagines è vitibus altiùs prætentas non succidet* (nefas enim Flaminem inebriari:) *Pedes lecti, in quo cubat, luto tenui* (in signum fortè originis humanæ) *circumlitos esse oportet: Et de eo lecto trinoctium continuum non decubat: Neque in eo lecto cubare alium fas est: Neque apud ejus lecti fulcrum capsulam esse, cum strue* (genus est libi, cujus in solo tracta farinacea multa, velut toruli aut digiti, ordine structa & serie conjuncta ponebantur) *& ferto* (etiam libi genus, quod Salmasio *bonum* dicitur) *oportet: Unguium Dialis & capilli segmina, subter arborem felicem* (quæ spinas non fert, nec fructum baccamque nigram producit) *terrâ operiuntur: Dialis cottidie feriatus est* (alii legunt, *ferretus*, i. ferris instructus: Item *ferrarius*, i. ferta seu liba ad sacra ferens:) *Sine apice sub divo esse licitum non est: Sub tecto uti liceret, non pridem à Pontificibus constitutum.* Addit hic A. Gellius, Massurium Sabinum scripsisse, & alia quædam ei remissa, gratiamque aliquot ceremoniarum factam esse. *Farinam fermento imbutam attingere fas non est: Tunicam intimam, nisi in locis tectis, non exuit, ne sub cælo, tanquam sub oculis Jovis, nudus sit:* (Neque etiam poterat mungi, tanquam in conspectu Jovis.) *Super Flaminem Dialem in convivio, nisi Rex sacrificulus, haud quisquam alius accumbit: Uxorem si amisit, Flaminio* (i. Sacerdotio suo) *decedit: Matrimonium Flaminis nisi morte dirimi non est jus: locum in quo bustum* (i. cadaver combustum) *est, nunquam ingreditur: Mortuum nunquam attingit: Funus tamen exequi non est religio.* Easdem ferme ceremonias Flaminicas Diales observare necessum erat, de quibus V. infrà, in voce *Flaminica.* Addit Plut. *in Qu. Rom. 40. non potuisse hunc Flaminem plus tribus noctibus urbe abesse, neque pileum vel apicem usquam deponere.* Idem Gellius paulò pòst subjicit, verba Prætoris ex edicto prætorio, de *Flamine Diali* & sacerdote Vestæ hæc; SACERDOTEM. VESTALEM. ET. FLAMINEM. DIALEM. IN. OMNI. MEA. JURISDICTIONE. JURARE. NON. COGAM. Addit etiam verba Varronis ex 2. libr. *Rer. divin. Is solus album habet galerum* (qui *Albogalerus* Paulo) *vel quòd maximus est, vel quòd Jovi immolata hostia albâ fieri oportet.* Nec omittendum quod Plut. *Qu. Rom. 113.* superioribus adjungit: *Non poterat Flamen Dialis antiquitus aut Magistratum petere aut capere, ne à sacris*

sacris avocaretur & multa contra religionem facere cogeretur. Cæterùm à Numa usque ad Marii & Sullæ tempora, perpetuâ & continuatâ serie *Flamines Diales* fuere, usq; ad L. Corn. Merulam, qui in seditione civili L. Corn. Cinnæ & Cn. Octavii, anno U.C. 666. in Magistratu fuit occisus. Post quem, cùm C. Jul. Cæsar, qui postea Dictator fuit, id sacerdotium consecutus fuisset, non longè pòst à victore Sulla & sacerdotio & uxoris dote mulctatus est: à quo tempore usq; ad finem imperii Augusti Imp. per annos plus minus 100. Sacerdotium illud vacavit: donec *Flamen Dialis* iterum inauguratus est Sext. Corn. Maluginensis, post quem perpetuo ordine multi rursus fuere, usque ad novissima Imperii tempora, quibus cum reliquis Sacerdotiis veteris superstitionis, ab Imp. Theodosio etiam hoc funditus sublatum est. V. Joh. Rosinum *Antiqq. Rom. lib. 3. cap. 16.*

Dialogista, ab Avidio Cassio per contemptum, appellatus Marcus Antoninus Imp. apud Vulcatium Gallicanum, *Nec defuere, qui illum Catilinam vocarunt: quum & ipse se ita gauderet appellari, addens futurum se Sergium, si* Dialogistam *occidisset, Antoninum hoc nomine significans: qui tantum enituit in Philosophia, ut iturus ad bellum* &c. Quam interpretationem ut Vulcatius adjiceret, non magnopere opus erat; non enim obscurum est, Marcum intelligi à Cassio: qui in *Epist.* ad generum, *Marcus Antoninus*, ait, *philosophatur & quærit de clementia, & de animis & de honesto & de justo*, quibus verbis vox *Dialogista* exponitur. Sed magis eam Marcus ipse nobis aperit, qui se puerum *Dialogos* testatur scripsisse, Παρὰ Διογνήτῳ τὸ χειμῶνι διαλόγους ἐν παιδί. Verùm pœnituisse eum scripti ejus postea videtur, quòd id scriptionis multa habeat φιλοτιμότερα & ad ostentationem comparata, ut ibidem subjicit, Casaubonus *ad l.* Cum Vulcatio verò pugnat Dio, qui disertim scribit, ne levissimâ quidem unquam contumeliâ aut minimo maledicto perstrictum à Cassio Marcum, uti nec ipsum Cassium à Marco conviciis ullo modo lacessitum, nisi quòd *ingratum* eum sæpius compellaverit, V. illum.

Dialogus, cognomen Gregorii M. quo à Græcis, ob compositionem libri (cui is titulus) à Zacharia Papa in Græcam linguam translati, solebat appellari, Anastas. Bibl. *in Zacharia.* Quod cùm non satis attenderent nonnulli, Gregorio II. id cognominis attribuerunt, ut notat Baronius A. C. 726. *num. 30.* Eundem errorem in Cedreno miratur Fronto Ducæus &c. Sutlivius verò *Dialogos* hos Gregorii M. esse negat. V. Jo. Forbesium *Instructionum Historico-Theologic. lib. 5. cap. 13. §. 44.* Antiquitus autem *Dialogus*, soluta oratio dicta est, in qua sermo plurium referretur: cujusmodi sermones *Diverbia* in Comœdiis vocat T. Livius. Inventor eorum Alexamenes Tejus; nobilitavit postea hoc dicendi genus & argumentis illustribus & divinâ oratione distorsit ad Mimicam atque etiam Momicam lasciviam, Lucianus. Ac quemadmodum eam solutam dictionem coluere, postea metris inclusam, quibus ederent fabulas: ita primus Crates Atheniensis illis exolvit vinculis, Fabulasque sine metro dedit. Quod genus Διαλογικὸν, etiam ab gestu & actione Δραματικὸν appellatum est &c. V. Jul. Cæs. Scaligerum *Poëtic. lib. 1. cap. 3.*

Diamichius, idem qui *Chrysor.* V. suprà.

Diana, adde: Sic dicta, ab Jana, si Macrobio credimus, *d.* literâ additâ: Jana enim Luna est. Alii à Διὸς eam appellatam volunt, hoc est, à Jove, quasi *Joviana*, quia Jovis filia: Quidam quasi *Devianam* vocant, quoniam venantes per sylvas & devia errare solent. Triplex Ciceroni est *lib. 3. de Nat. Deorum*, Prima Jovis & Proserpinæ filia, pennati mater Cupidinis: Secunda, quæ celebratissima, & à Græcis primò, dein Romanis, summis honoribus culta, de quâ hic: Tertia, cujus patrem Upin vocat, matrem Glaucen. Pingebatur *Diana*, specie fœminæ comâ dissolutâ, quæ arcum tenebat & sagittam, cervos quoque cornutos in venatione insequi videbatur, ut hodieque in nummis antiquis cernere est. Addita quoque simulachro retia, tanquam necessaria venatus instrumenta, ut & venabula, lineæ versicolores, canesque catenati. *Dianæ* Segestanæ simulacrum etiam dextra manu facem præferebat, M. Tullius 6. *Verrind.* Venerationis indicium insigne, quòd solenne juramentum per illam olim conciperetur. Primum ei templum Romæ in Aventino monte extructum fuit à Latinis, Servio Tullio regnante: qui populis Latinis in unum corpus collectis, fœderis leges civitatibus conscripsit, conditoque templo, ritus celebrandi festi atque fori constituit: cujus rei memoria ne ullâ temporum injuria aboleretur, in ærea columna decreta concilii & civitates ejus conventus participes incidit. Columnam autem in templo Dianæ dedicavit, inscriptam literarum characteribus Græcanicis, teste Dionysio. Huic templo boum cornua fuisse affixa, cùm reliquis Deæ fanis cervorum affigerentur, tradunt Livius atq; Plutarchus. Fuit & ædes *Dianæ* in Cœliolo, quæ hodie S. Johanni Evang. sacra est: item in Suburâ. Cervâ illi litabatur, incidebantque ejus sacra in d. 2. Martii, & 13. Aug. seu Idus. Martialis *Epigr. 68. lib. 12.*

Majæ Mercurium creastis Idus,
Augustis redit Idibus Diana.

Tum mulieres voti damnatæ ac compotes, ab Urbe ardentes faces in nemus Aricinum, ubi religiosissimè fictitium hoc Numen colebatur, ferebant. Ovid. *in Fastis,*

Sæpe potens voti frontem redimita coronis
Fœmina lucentes portat ab urbe faces.

Venatores quoque eôdem faces spicatas deferebant. canes [illegible] morbo ac scabie affectos, infulis velatos, Deæ sistebant, omni instrumento venatorio ante illam collocato, Grotius *de Venatione.* Imò ipsa Diana his feriis vacare credebatur. Statius *lib. 3. Sylvarum,*

——— ——— ——— *Ipsa coronat*
Emeritos Diana canes, & spicula tergit,
Et tutas sinit ire feras.

V. Adrian. Turnebum *Adversar. lib. 7. cap. 26.* Græcis Ἀγροτέρα dicta, Athenis in Munychia, portu Atticæ Piræeo proximo, templum habuit, unde festum ei sacrum Μουνύχια, quod incidebat in d. 16. Aprilis, hinc Μουνυχιὼν vocati. Apud Ephesios autem inprimis culta est, ubi triplex templum habuisse, legitur: Quorum primum, cujus architectus Chersiphron fuit, ab Herostrato, ipso Alexandro M. natali die, incensum est, Olymp. 106. Idem secundum quoque aliquibus dicitur, quia postquam à prædicto *Chersiphrone Gnosio & filio ejus Metagene ædes instituta est. Demetrius postea ipsius Dianæ servus & Pæonius perfecere*, Vitruv. Postquam verò flammis datum est templum, novam & meliorem ejus structuram, collatis tum ex propriis facultatibus, tum ex mundo muliebri, sumtibus, fabricatam, refert Strabo: Dinocrate ejus architecto. De quonam horum templorum, intelligendus sit Plinius *lib. 36. cap. 14.* ubi magnificentiam ejus prolixè persequitur, dubitant Eruditi; sed ultimum intelligi vult Oiselius *Notis ad A. Gellii lib. 2. cap. 6.* V. quoque Salmasium *ad Solinum pag. 814.* & in voce *Templum.* Quid intelligendum per ναοὺς ἀργυροῦς Ἀρτέμιδος, *templa argentea Dianæ*, Actor. *cap. 19. versu 24.* dubitant Eruditi. Erasmus *in Annotat.* hoc vocabulo significari ædiculas seu thecas templi effigie, in quibus statuæ reponebantur, admonet. Simili ratione Chrysostomus κιβώτια μικρὰ, id est, *parva scriniola*, explicat. Et Ναΐδια appellari, *armaria* Plinio *lib. 35. cap. 2.* è quibus Majorum depromebantur imagines, apud Polybium deprehendimus. Beza verò, Demetrium *Templa argentea Dianæ* procudere fuisse solitum ait, i. aut in nummis, aut aliis imagunculis celeberrimi illius templi typum repræsentare ac peregrinis adventantibus divendere, ut etiamnum hodie faciunt ejusmodi Artifices iis in locis, ubi solent à nonnullis religionis causâ vota suscipi. Istæ igitur imagunculæ seu nummi, ab ea figura quam repræsentabant, *Templorum* cognomentum retulerunt, sicuti simili prorsus ratione Deliorum seu Atheniensium nummos quosdam *Boves*: eorundem Atheniensium alios quosdam Κόρας, i. *puellas*: alios Corinthiorum Πώλους, id est, *pullos*: alios Peloponnesiorum Χελώνας, *testudines* vocabant. Sic apud Rom. *Naves* quidam nummi dicti reperiuntur. Additque idem Beza, duos istiusmodi nummos pervetustos se inspexisse, in quorum altera parte Ephesinæ illius Dianæ πολυμάστου, in altera templi imago, cum his literis DIAN. EPHES. sculpta fuerit &c. Habuisse *Dianam* Gentilium cum Jemima, filia natu maxima Hiobi multum affinitatis, primo nomen docet: Ἡμέρα enim, i. *dies*, quod inter cognomina Dianæ fuisse docet Hesychius, Hebræis, Syris, Arabibusque est יְמָמָה: quin Latinorum *Diana* à die convenienter deducitur. Dein sedes utriusque: Nam & *Dianam Persicam* finxere &, quæ vagaretur circa Euphratem, id est, veriùs Arabica, quàm Persica. *Agrestem* fecerunt quoq; montium & nemorum custodem, id est, quæ in Arabia Deserta, quam incultam crediderunt, sedem habuerit suam. Formæ insuper præstantiâ *Diana* inclyta legitur, unde Ἡμέρα & Εὐκλεία nomen, quod Jemimæ apprimè convenit, Spanhemius *Histor. Jobi.* Unde fortè superstitionis origo, quamvis & *Dianæ* nomen aliis quoq; adaptatum esse notum sit, quemadmodum plures Veneres, plures Hercules &c. Antiquitas habuit. Plura V. apud Joh. Gerhardum Vossium *de Orig. & Progr. Idololatriæ passim*, Joh. Rosinum *Antiqq. Rom. lib. 2. cap. 7.* cum *Paralipomenis Thomæ Dempsteri* &c. Addam saltem, omnium cæterorum Numinum juramenta faciliora violari habita, quàm hujus Deæ, utpote cujus odium acerbissimum putabatur. Sed & multa fabulatorum commenta afferri posse, quibus neque ἀειπαρθένος illa semper virginitatis admodum cauta demonstrari possit, docet Casp. Barthius *Animadversion. ad Papin. Statium Thebaid. lib. 4. vers. 256.* De Templi ejus, quo olim Ephesus superbiebat, ruderibus, qualia hodieque visuntur, V. Jac. Sponium *Itinerar. Græciæ Part. I pag. 332 & seqq.* Idem *Inscriptionem* Latino-Græcam *Dianæ Ephesiæ*, Cæsari Augusto, Tiberio Cæs. filio ejus, & Civitati Epheso, factam & consecratam à Gajo Sextilio Pollione, 2. leuc. ab urbe, aquæductus, qui Ephesum pergebat, pontes strati monumentum, etiamnum extantem, exhibet *Part. 3. pag. 1*[illegible]. Apud Plinium, Apelles inter alia pinxisse *Dianam, sacrificantium virginum choro mistam, quibus vicerit Homeri versus idipsum describentis*, (*Il.* ζ) Item *Megabyzi Sacerdotis Dianæ Ephesiæ pompam*, legitur *lib. 35. cap. 10.* &c.

Epitheta Dianæ varia.

Æthiopica.
Agrotera seu Agrestis, dicta est, quòd in agris versaretur.
Alphea.
Aricina, V. *Nemus.*
Amphipyros.
Bubastis, ab oppido Ægypti nobili, ubi culta.

Caryatis.
Chiton, quasi *Tunicata*, quòd puerperæ doloribus defunctæ vestimenta ei sua consecrarent.
Cynegetis, q. *Canum altrix.*
Dictynna, à retibus.
Enodia.
Ephesia.
Εὐκλεία.
Hecate.
Ἡμέρα, ob formæ, quâ excellebat, pulchritudinem.
Hymnea.
Ilithyja.
Lephria.
Leucophryx.
Lochia, à levando seu curando partu.
Lucina, quòd in lucem fœtum produceret.
Luna, sub cujus Numine omnes Deas cultas fuisse; docent Eruditi.
Lye.
Munychia, apud Athenienses culta.
Noctiluca.
Ops, quæ parturientibus pariter & Venatoribus præerat.
Orthia.
Pergæa.
Proserpina.
Regina Coeli, apud Israëlitas.
Scilluntia.
Scythica.
Taurica.
Trivia &c.

A' Diana, dictus est quandoque *Mons Dianæ* Romæ, qui aliàs Aventinus appellatus communiter est: quia in eo præter altare Herculis, templaque Junonis, Minervæ ac Lucinæ consecrata, *Diana* quoque ibidem suum fanum habebat, ut suprà diximus. Quemadmodum idem mons *Murcius* quoque vocitatus legitur, à Murciæ, id est, Veneris templo, V. Joh. Rosinum, Alex. *Genial. dierum lib.* 9. *cap.* 11. Thom. Godvvynum *Anthologia Romana lib.* 1. *sect.* 1. *cap.* 7. &c. Sic *ad Dianam*, locus est juxta Spalatum, versùs Occidentalem portûs partem, in tab. Peutingeriana, ubi hodie Ædes S. Georgio dicata, quòd ibi loci fortè fanum aliquod hæc Dea habuerit, uti adnotat Sponius suprà laudatus *lib.* 1. *pag.* 104.

cum *Diana* equitare, sortilegii species. *Fragm. Capitular.* editâ à Stephano Baluzio *cap.* 13. *Illud etiam non omittendum, quòd quædam sceleratæ mulieres, retro post Satanam conversæ, dæmonum — illusionibus & phantasmatibus seductæ, credunt se & profitentur nocturnis horis* cum Diana *paganorum Dea & innumera multitudine mulierum equitare, super quasdam bestias & multa terrarum spatia intempestæ noctis silentio pertransire, ejusq; jussionibus, velut Dominæ, obedire* &c. Adde *Capitula* Erardi Episc. Turon. *cap.* 3. laudata C. du Fresne *Gloss.*

Diapasma, apud Martialem *lib.* 1. *Epigr.* 88.

> *Quid quòd ingravius missum* diapasmate *virus,*
> *Atq; ducta animæ longiùs exit odor?*

medicamentum est, cui odores immiscebantur, quod Fescennia ebria, (de qua hic sermo) cùm vini odorem supprimere vellet, unà cum aromatis & pastillis vocaverat, à διαπάσσω, i. *conspergo.* E' tusis autem & in pulverem redactis siccis aromatibus fiebant *Diapasmata*, quibus & lecti geniales ac discubitorii respergebantur, & quæ ad cohibendos sudores in balneis corporibus inspergebantur. Sic de baccare Plinius *lib.* 21. *cap.* 19. *tunditur ad diapasmata atq; vestibus odoris gratiâ inseritur.* Et de agallochi ligno, quod est aloe, ὅλου δὲ τοῦ σώματος διάπασμα ἐστι, *totius corporis diapasma est*, ait Dioscorides, itidem nempe tusum & in pulverem redactum. Quo pulvere cum myrrha mixto, etiam mortuorum corpora perungi consuevisse videntur: Hoc enim propriè οἱ μυρεψοὶ faciebant, quòd ξηρὰ ὑγρὰ, *siccis humida* miscerent &c. Salmasius *ad Solinum pag.* 1058. De iis Plinius *lib.* 13. *cap.* 2. *Regale unguentum appellatum — constat myrobalano, costo, amomo* &c. *Siccis odoribus constant, quæ* Diapasmata *vocantur.*

Diapsalma, apud Optatum *lib.* 4. *Legimus quadragesimo nono Psalmo sub secundo* Diapsalmate *Spiritum S dixisse* &c. quid propriè notet, quærunt Eruditi. Eberhardus Betuniensis in *Græcismo cap.* 10.

> *Quod canitur, Psalma est: interpositum* Diapsalma:
> *Est in psallendo sinpsalma innexio vocum.*
> *At quidam* Diapsalma *vocant exordia sensus*
> *Alterius: quidam pausam spiraminis esse*
> *Sancti: sed quidam, quòd sit mutatio metri*
> *Dicunt: at quidam, quòd sit distinctio rythmi.*

Hieronymo vox hæc Hebraica videtur, & *semper* denotare; ita ut, quibus illa connectitur, sempiterna esse confirmet. Solent enim Hebræi, in fine librorum, unum ex his tribus subnectere, *Amen, Sela* aut *Solam*; è quibus *Sela* idem est, quod *Diapsalma.* Igitur, ut ait Hieronymus, ut solemus nos completis opusculis, ad distinctionem rei sequentis, medium interponere, *Explicit* aut *Feliciter*, aut aliquid istiusmodi; ita & Hebræi, ut, quæ scripta sunt, roborentur, facere solent, ut dicant *Amen* aut *in Sempiternum*; aut scribenda commemorant, ut ponant *Sela*; aut transacta feliciter protestantur, *Solam*, h. e. *pacem*, in ultimo subnotantes. Sententiam suam Origenis verbis fulcit, qui inter alia Theodotionem, Symmachum & LXX. Interpp. vocem *Selah*, semper Διάψαλμα, reddidisse, addit Quid alii sentiant, V. apud du Fresne *Glossar.* & Macros Fratres in *Hierolexico*, A. Rivetum inprimis, *in Psalmos.*

Diasplendum, à Græco verbo διασφενδονάω, h. e. *violenter dispergo, dissipo*, patibulum erat inter duas inclinatas arbores, in quibus Martyrum corpora ligata, arboribus in pristinum situm maximâ vi redeuntibus, in partes discerpebantur, Macri Fratres *in Hierolexico.* V. infrà *Lacer.*

Diathyra, Διάθυρα Græcis, quæ *Prothyra* Latinis, de quibus V. Vitruvium *lib.* 6. *cap.* 10.

Diatrita & *Diatritarii*, in vett. Libris pro *Diatreta* & *Diatretarii*; dicebantur autem *Diatreta* vel *Diatreti* calices, non qui torno formabantur, ut nonnulli volunt: sed qui sculpebantur cælabanturque magnâ arte nec minori periculo; nam sæpe inter sculpendum frangebantur. Unde Martialis,

> ——— ——— *Quibus addere plura*
> *Dum cupis, hæ quoties perdidit auctor opus!*

Erant nempe calices vitrei, cavati perforatique, h. e. sculpti: à διατετραίνειν, *perforare seu cavare.* Salmasius *ad Flav. Vopiscum in Saturnino.* Seu potiùs crystallini cælati: è crystallo enim constitisse, pluribus docet Bochartus *Hierozoici Part. poster. lib. VI. c.* 16. V. iterum Salmasium *ad Solinum pag.* 204. & suprà ubi de *Acentetis.* Διάτρητα verò dicebantur in Circo fores carcerum cancellatæ & reticulato opere factæ, aliter hinc Διαφανῆ, Latinis propriè *Transenna.* Et in genere διάτρητον id omne opus est, quod visum transmittit, & διαφανὲς atque περιφανὲς quoque dixere, Idem *ibid. pag.* 921. De cujusmodi foribus V. hic ubi de *Cancellis*, item in voce *Transenna.*

Diaulus, species cursus, in Vett. Gymnasiis. Quamvis enim Antyllus hoc exercitationis genus triplex solùm fecerit, in anteriora, in posteriora & in orbem, currendi: apud Galenum tamen & Dolichum & *Diaulum* quoque reperimus, quorum alterum ait Græcis continuatum diu cursum significare, quem tamen major pars Auctorum duplicis stadii spatium extitisse censet; alterum verò definiunt fere omnes fuisse cursum, quo stadium semel currebant & recurrebant. Itaque *Stadium*, erat cursus unius tantùm stadii: *Dolichus*, duplex uno cursu stadium: *Diaulus* duplex & ipse stadium, sed reflexo cursu; Ut fieri posse credat Mercurialis, peristyli interioris ambitum, quem *Diaulum*, ob duorum stadiorum mensuram, vocatum tradidit Vitruvius *lib.* 5. *cap.* 11. hujuscemodi cursui inservisse. Hieron. Mercurialis *de Arte Gymnast. lib.* 2. *cap.* 10. V. quoque eum *lib.* 1. *cap.* 11. ubi de Palæstrarum ædificatione, & variis Gymnasiorum partibus verba facit. Istiusmodi autem Cursores, qui se, decursum relegerent spatium, sine intermissione tactâ metâ ad ἀφετηρίαν i. *carceres* recurrendo, διαυλοδρόμοι, *diaulodromi*, dicebantur. Unde pereleganter Philo Lunam, postquam plena fuit, διαυλοδρομεῖν ait τὴν αὐτὴν ὁδὸν, *recurrere eadem via, lib.* Περὶ Κόσμου, ubi totum hoc negotium accuratè persequitur. V. plura apud Car. Paschalium *Coronar. lib.* 6. *cap.* 13. Scaligerum *Poëtices lib.* 1. *cap.* 22. ubi *de Ludis*, Alios. Hinc Δίαυλον carmen idem Scaliger vocat id, in quo per eadem elementa recurritur, cujus exempla habes apud eum ubi modò *lib.* 2. *cap.* 30.

Dibaphum, purpuræ apud Vett. epitheton, quia bis tingebatur. Horatius *lib.* 2. *Od.* 16.

> ——— *Te bis Afro*
> *Muricè tinctæ*
> *Vestiunt lanæ.*

Non tamen, quod purpurâ, ut apud Græcos, sed quod cocco bis tinctum est, apud Hebræos id sonat, quibus שני *sani* dicitur: à verbo שנה, quod iterare & duplicare est. V. suprà. De istiusmodi purpura *lib.* 9. Plinius *cap.* 39. *Tarentina, inquit, successit dibapha Tyria, quæ in libras denariis mille non poterat emi. Hæc P. Lentulus Spinter Ædilis Curulis primus in prætexta usus improbabatur, quâ purpurâ quis jam non triclinaria facit!* Fuit autem is Spinter Ædilis ann. U.C. septingentesimo, Cicerone Consule &c. Casp. Barthius *ad Statium Thebaid. lib.* 9. *v.* 690.

Dicasteria, Athenis à Solone instituta sunt, ut sic æquam omnibus suis civibus libertatem constitueret, quod tum demum fore censuit, si à populo judicia redderentur. Itaque provocationem à Magistratibus ad Judices hâc lege dedit: Περὶ ἐκκλήτων, ὅσας αἱ ἀρχαὶ κρίνουσι, εἰς δὲ δικαστήριον ἐφιέναι ὅταν τις βούληται, *A' Magistratuum sententia ad Judices provocanto*, Plut. *in Solone.* Inter Judices autem, allegebantur omnes ex æquo cives Athenienses, sine ullo census discrimine: nam etiam Θῆτες Solonis lege, τοῦ συνεκκλησιάζειν καὶ δικάζειν μόνον μετέχειν τῆς πολιτείας, *In Comitiis & Judiciis partem habebant*, modò essent famæ integræ, annos triginta nati, neq; relati inter ærarios, quanquam poterant ex lege capi in Judices etiam illi, qui Senatu moti fuerant, contrarium obtinente apud Romanos. Legis verba, E'ξεῖναι ἐν τοῖς δικαστηρίοις [illegible], *In judices allegere eos qui Senatu moti sunt fas esto.* Capiebantur v. Judices sorte, è lege Solonis, qui Dicasteria κληρωτὰ fecit: Πάντας Ἀθηναίους λαχεῖν εἰς τὰ δικαστήρια, *Athenienses in sua quisque fora distribuuntor*; cujus legis mentio apud Demosth. *c. Aristogit.* Horum Tribunalium seu *Dicasteriorum* fuisse decem, docent Comici Interpretes *ad Plutum*, inscripta singula unâ harum decem literarum, A. B. Γ. Δ. E. Z. H. Θ. I. K. Athenienses itaque, qui vellent judiciis reddundis vacare, nomina sua dabant tabellæ inscriptæ, adscripto Patris Populique nomine: totidem etiam tabellæ erant, quarum

alia

aliæ aliis harum decem literarum essent notatæ, pro numero scilicet eorum, qui in hoc vel illo Foro essent judicaturi: Atq; ita fiebat, ut prout quisque hanc aut illam literam sortiretur, ita huic aut illi Foro judex traderetur. Quicunq; autem literæ sortem nactus erat, Fori ejus præconi ostendebat: tum ei tabellam dabat Præco, in qua nomen illius itemque Fori inscriptum, virgam item cum eodem Fori nomine, quibus potestatem judicandi καὶ τὸ δικάζειν nanciscebatur. Quod si quis, qui non sortitus esset, inter Judices sedere vellet, multabatur: In frontispicio autem cujusque *Dicasterii* rubris literis scriptum erat ΑΛΦΑ. vel ΒΗΤΑ &c. quo nomine nempe quodvis veniebat. Ab hoc numero denario Tribunalium ortum Prov. est, *Λύκου δεκάς*. Lyci enim Herois statua, lupi specie, in Atheniensium *Dicasteriis* collocata erat. Olim quinq; *περὶ φονικῶν πραγμάτων de criminalibus* judicabant, quibus tum adscripti erant Ephetæ, de quibus V. *infra*: postea Areopagitico, uni ex his 5. adscripsit Solon Judices, qui *Areopagitici* dicti sunt, ita ut quatuor tantum reliquis Ephetas adscripserit, qui cum non multo post deridiculo fuerint, quatuor his Tribunalibus alii dati sunt Judices sorte capti. Ita inter decem illa *Dicasteria*, quorum Judices sorte legebantur, recensenda sunt quatuor illa, *περὶ φονικῶν πραγμάτων*, Nempe τὸ ἐπὶ Παλλαδίῳ, τὸ ἐν Δελφινίῳ, τὸ ἐπὶ Πρυτανείῳ, & τὸ ἐν Φρεαττοῖ. Præterea sex erant Tribunalia, quæ *περὶ δημοσίων πραγμάτων, de rebus civilibus*, sententiam ferebant: Nempe Heliæa, Trigonum, Parabystum medium, Parabystum majus, Forum ad Lycum & tribunal Metichi: quibus septimum addit Aristophanes *Vespis*, τὸ Καινὸν dictum. Ex his Parabystum medium, (in quo Undecimviri, non sedentes, quemadmodum in reliquis *Dicasteriis*, judicabant res minimi momenti, quæ ne tantillum quidem pretio unum superabant Choem, i. duodecimam partem metretæ vini seu drachmam) expungi vult Petitus, ita ad denarium redibitur. V. Sam. Petitum *Commentar. in leges Atticas lib. 4. tit. 1.*

Series Dicasteriorum in Atheniensium Republica.

Τὸ ἐπὶ Παλλαδίῳ, *juxta Palladium*, cui nomen à Palladio ibi loci consecrato. Hic cædes per ignorantiam commissæ disceptabantur. primusq; in hoc Dicasterio judicatus legitur Demophoon.

Τὸ ἐν Δελφινίῳ *juxta Delphinium*, sic dictum in honorem Apollinis Delphinii ac Dianæ Delphiniæ. Hic judicabatur de cædibus, quas reus jure fecisse se dicebat: Primusq; Dicasterio huic se stitit Theseus.

Τὸ ἐν Πρυτανείῳ, *in Prytanæo*; Hic actum de cædibus, quarum causæ fuissent inanimatæ res, ligna, lapides, ferrum &c. si forte in hominem fuissent prolapsa, sive ab aliquo, sed qui ignorabatur, in eum projecta. Judices hujus Dicasterii Φυλοβασιλεῖς dicti: causa cædis exilio multata, Æsch. *c. Ctesiphontem*. Primum hic judicata fuit securis, qua Sacerdos, quem Βουφόνον vocavere, bovem ad Jovis Poliæi altare, tempore Erechthei R. mactavit.

Τὸ ἐν Φρεαττοῖ, *in Phreattye*: locus erat in parte Piræei mari proxima, cui à Phreato Heroe nomen. Hic judicabatur, si quis ob involuntariam cædem aliunde huc delapsus, tempore exilii sui sciens volensque homicidium commisisset. Cogebatur autem in navigio causam dicere, *μὴ γῆς ἔτι ἁπτόμενος, terram minime attingens*. Coram his Judicibus primus comparuit Teucer, innocentiam suam probaturus ob cædem Ajacis, ut sic reditum in Patriam, è qua ejectus propterea fuerat, impetraret.

Heliæa, sex ultimorum maximum, de pluribus causis cognoscebat & gravioribus quam reliqua: Constabat ex 500. Judicibus, sicut & de duobus aliis legitur, Poll. Unde mille quingenti Judices, tribus nempe Tribunalibus in unum convenientibus, coacti leguntur, apud Dinarchum. Habuerunt hi, *Heliastæ* dicti, juramentum quoq; peculiare, neque Apollinem Patrium, ut in reliquorum jurejurando, sed Neptunum in testem ac vindicem appellabant.

Trigonum, à figura triangulari appellatum, ut videtur.

Παράβυστον μεῖζον καὶ μέσον, *Parabystum majus & medium*; Erat in loco admodum obscuro; & hoc inprimis, ut supra dictum, de rebus levissimis judicabat. Unde ἐν παραβύστῳ, apud Ulpianum pro *clam*, seu *privatim*, Proverbialiter sumtum, reperitur.

Τὸ ἐπὶ Λύκῳ, *Forum ad Lycum*, sic nominatum à statua Lyci Herois, & Junonis, quorum uterque lupina facie ibi figurabatur. Alias Lyci statua omnibus Dicasteriis erat communis. Erat etiam templum prope hoc Forum Lyco sacrum, in quo Judices diurnam mercedem, tres nempe drachmas in diem, capiebant.

Μητίχου δικαστήριον, *Metichi Dicasterium*, seu *Tribunal*, cui nomen à Meticho Architecto: amplum admodum erat, & admittebat Judices, qui triginta annis majores, claris parentibus, nec ærarii erant.

Τὸ Καινὸν, V. supra.

His addiderunt quidam τὸ ἐν Ἀρδήττῳ, *Tribunal Ardettum*, occasione verborum Pollucis *lib. 8. p. 406.* ἐν Ἀρδήττῳ δικαστήριον, sed legendum: Ὤμνυον ἐν Ἀρδήττῳ δικασταί, *Jurabant in Ardetto Judices*. Locus is autem erat prope fluv. Ilissum, dictus ab *Ardetto* cive nobili, qui populum seditione collisum, ad mutuam concordiam, juramento ibi adegit: Unde factum, ut ibidem loci postmodum Judices *per Apollinem Patrium, Cererem ac Jovem Regem*, juramento se solenni adstringerent, se sententiam laturos secundum receptas leges. Fuere autem multa omnibus Judicibus communia, in quæ omnes jurabant: inprimis Kaput istud, quod post exactos 30. Tyrannos adscriptum fuit, habeturq; apud Andocidem, ἐν τῷ περὶ τῶν Μυστηρίων: Καὶ οὐ μνησικακήσω οὐδὲ ἄλλῳ πείσομαι. ψηφιοῦμαι δὲ κατὰ τοὺς κειμένους νόμους, *Neq; præteritorum in malum meminero, neq; alteri meminenti assensum præbebo: sed sententiam feram secundum receptas leges*. Pausanias *in Atticis*, inter minus celebria Dicasteria Trigonum refert, ubi etiam Βατραχιοῦν καὶ Φοινικιοῦν, à coloribus sic dicta, memorat, verum hæc forte non erant diversa à decem præfatis, sed ita appellata sunt ea, quæ his coloribus (suus enim cuilibet Dicasterio color) erant insignia; Ita enim Aristoteles *de Athen. Rep.* Τοῖς γὰρ δικαστηρίοις χρῶμα ἐπιγέγραπται ἐφ' ἑκάστῳ τῷ σφηνίσκῳ τῆς εἰσόδου, ὁ δὲ λαβὼν τὴν βακτηρίαν βαδίζει εἰς δικαστήριον τὸ ὁμόχρων μὲν βακτηρίᾳ, ἔχον δὲ τὸ αὐτὸ γράμμα ὅπερ ἐν τῇ βαλάνῳ. Plura V. apud prædictum Petitum, F. Rossæum *Archæologiæ Att. lib. 3. cap 3. & seqq.* Possardum *de Magistr. Athen.* Emmium *descript. Reip. Athen.* Meursium *Athen. Att. lib. 1. cap. 12.* &c.

Dicatio, in *l.* quadam Constantini *Cod. Theodos. Edictum autem continens indulgentiam nostram ad devotionem tuam misimus, ut tua dicatio & alii cuncti recognoscant, quid præstitimus memoratis*: idem quod *Devotio* est. Græcis ἀφοσίωσις, καθοσίωσις, titulus honorarius, quo Principes erga sibi subjectos uti solebant. Hinc in vett. saxis, *Numini Majestatiq. Principis* dicatus *& devotus* &c. Salmasius *ad Treb. Pollionem in Gallienis*. V. quoque supra, in voce *Devotio*.

Dicebam, exprobratio non creditæ veritatis est. Statius *lib. 4. Sylv. 3. vers. 124* ubi de Sibylla,

> *Tunc sic [illegible]*
> Dicebam, *veniet [illegible] campi,*
> *Atq; amnis, veniet favente cœlo,*
> *Qui fædum nemus & putres arenas*
> *Celsis pontibus & via levabis.*

Idem *Thebaid. lib. 11. versu 333.*

> —— ——— *ubi inclyta famæ*
> *Antigone? mihi nempe jacet: mihi victus es uni.*
> Dicebam, *quò tendis iter? quid sceptra negata*
> *Poscis?*

Quasi diceret, *utinam mihi paruisses*. *Dicebam enim tibi*; *Mane hic* &c. Vet. Schol. Ausonius *Epigramm. 13.*

> Dicebam *tibi, Galla, senescimus, effugit ætas* &c.

V. Jo. Passeratium *Not. ad Propertium lib. 1. Eleg. 9.* Similiter *Dicite* exprobrantis est, apud eundem Statium *lib. 5. Sylv. 5. versu 5.* ubi in Musas invehitur Poëta,

> —— — — *quæ vestra sorores*
> *Orgia, Pieriæ, quas incestavimus aras?*
> *Dicite* ——

Juvenalem item *Sat. 6.* Claudianum *de Laud. Stil. lib. 1.* Statium rursum *Theb. lib. 5. vers. 115.* ubi V. *Animadvers.* C. Barthii.

Dicerium, Græcè Δικήριον, dicebatur in Imperio Græco bulla cerea duplex, rubra & prasina, qua utraque utebatur Imperator, ut innueret, ad se pariter atque ad Patriarcham, docendi munus pertinere. Balsamon *de privilegiis Patriarch. pag. 444.* Ἐντεῦθεν δὲ οἱ πιστοὶ Δεσπόται καὶ Αὐτοκράτορες κατηχητικῶς ὁμιλοῦσι τῷ χριστωνύμῳ λαῷ ἢ θυμιῶσιν ὡς ἱερεῖς καὶ μετὰ δικηρίου σφραγίζουσι, i. e. *Hinc in usu venit, ut fideles Principes & Imperatores catechetico more cum populo Christiano colloquantur, aut suffitum faciant more Sacerdotum & cum cera duplici obsignent.* Sed Patriarcha prasinam solum adhibuit: Itaq; legitur bis *in Solutionibus quarundam quæst.* Manuel [illegible]. V. Johannem Kirchmannum *de Annulis cap. 8.* Salmasius *Dicerum* explicat, de signo utrinque seu utroq; latere expresso, quod Δίπλωμα βούλλαν & δίπλωμα κηρώματος Græcis, *duplicem Bullam*, Latini vocaverint; quemadmodum *simplex Bulla* dicta est, ubi ab una tantum parte signum erat impressum. Idem Δικήριον id duplex facit, rubrum & prasinum, *de Subscr. & Subsign. Testam. pag.* Quod non alienum à more bullandi Pontificum Rom. qui ante coronationem subscribunt, *Datum anno I. die tertio*, suscepti à nobis officii Apostolatus; tuncq; bullam solum simplicem adhibent, i. e. ab una tantum parte DD. Petri & Pauli imagines, in plumbo habentem; altera parte plana existente: post coronationem autem, *Dicerio* utuntur, cum prædictis sc. imaginibus ab una, & nomine Pontificis ab altera parte. Gerh. von Mastricht *Histor. Jur. Eccl. num. 402.* Idem Salmasius *Dicerati* nomine postulasse exactores folles sexdecim. ait *Not. ad Tertullianum de Pallio*, ubi quid *Dicerati* nomine intelligat, vide: illud enim Græcis Δικήρατον est.

Dicis causâ, apud Plin. *lib. 28. c. 2.* *Si Pontifici accidat* Dicis *causa epulanti, in mensa utiq; id reponi, adolerique ad Larem, piaculum* boni ominis causâ. Cum enim inaugurationes & sacra [illegible] epulis interesse solebant quondam Pontifices, atque ad [illegible] memoriam & imitationem quibusdam in sacris epulis [illegible] batur, quod ajebant, *Dicis causâ fieri*. Ἀφοσιώσεως ἕνεκα [illegible] δικαίου χάριν, exponit Constantinus, nimirum ut omen [illegible] averterent, sacris ritè peractis, quum epulabantur. Duarenus *Adv. lib. c. 47.* *non seriò, non verè, sed perfunctoriè tantùm, & per simulationem*

interpretatur. Et quidem in mancipationibus olim interveniebat, & commodabatur pecunia: nempe sestertius numus, ut *dicis gratiâ* numerationis loco intercederet, præsertim in donationibus, quæ fiebant per emancipationem, Gr. νόμου χάριν, *ut satisfiat juris solennitatibus*, vel λόγου χάριν, *ut dicere possent se emisse*, V. Cujacium *Observ. lib.* 10. c. 37. At Arnob. *princ. lib.* 4. c. *Gent. Dicis causâ*, clarissime nuspar, pro *boni lætiq; ominis gratiâ*, Dalechampius *ad loc.*

Dicta, quando Virgo olim appellata, V. infrà in *Pacta*.

Dictamnum, herba odorata, Lucinæ olim coronamentum fuit. Euphorion, de Lucina,

Στεφάνοιο ἐυλαχείη συνήθεϊ δικτάμνοιο,
Coronata florentibus ornabatur dictamnis.

Conveniebat enim Deæ, quæ parientibus præesse credebatur, herba, quæ confert πρὸς τοὺς τόκους τῶν γυναικῶν, *ad partus mulierum*, uti loquitur Theophrastus *de Plant. lib.* 1. Illam autem *ostendere cervæ vulneratæ, pastu statim decidentibus telis. Non est alibi, quàm in Creta — nec ibi spatiose nascitur, mireq; capris expetitur — Qui legere eam, in ferula & arundine condunt, præligantq;, ne potentia evanescat* &c. Plin. *lib.* 25. *cap.* 8. V. C. Paschalium *Coron. lib.* 4. *cap.* 2.

Dictare ad memoriam, apud Vopiscum *in Caro*, dicebatur, qui *memoriæ dictator erat*, Græcis Ἀρχιγραφεὺς τῆς μνήμης: quemadmodum & *Dictator Epistolarum*, ὁ Ἀρχιγραφεὺς τῶν ἐπιστολῶν &c. Quatuor enim erant *Dictatores* seu Ἀρχιγραφεῖς, Libellorum, Memoriæ, Epistolarum & Dispositionis, totidemq; scrinia; à *dictando* dicti; & sub se scribas habebant, ut diximus suprà in voce *Antigraphus*. Atq; hinc factum, ut recentiores Græci summi Imperii Magistratum in veteri Rep. h. e. *Dictatorem*, Ἀρχιγραφία dixerint, cùm ille tamen nihil minus fuerit quàm Ἀρχιγραφεύς. Hinc ille in *Chr. Alex.* Πόπλιος Κύριος ἀρχιγραφεὺς πόλεως, Δεῦτερος Στρατηγὸς ἐκλήθη, quod ineptissimum est. *Dictator*, qui epistolis aut libellis dictandis media ætate dabat operam, is propriè est, qui Græcis ὑπογραφεὺς. Sed *Dictatorem*, qualis apud Vett. fuit, de quo infrà, summæ nempe & regiæ potestatis Magistratum, nemo sanus vertit Ἀρχιγραφέα: Dionysius, aliiq; Græci vett. Μονάρχον interpretantur. Sed & *Dictatores* pro ipsis Scribis infima ætas posuit; & *dictare*, pro *scribere* usurpavit *Epistola* Gregorii, quæ in vett. & plurimis libris reperitur & præfixa legitur *Notis* Tironis ac Senecæ: *per dictator* (h. e. Dictatores suos) *scribendum curavit* &c. Salmasius *ad Vopisc. in Caro.* In vet. *Inscr.* apud Gruterum *pag.* 214. *Dictator*, nomen est Magistratus municipalis &c.

Dictata dare, propriè dicebantur Lanistæ, quando tironibus illi dabant præcepta, quæ Hirtio commemorantur *de Bello Af.* Suetonius *Julio cap.* 26. *Tirones neq; in ludo neq; per lanistas, sed in domibus per Equites Romanos, ac etiam per Senatores armorum peritos, erudiebat, precibus enitens — ut disciplinam singulorum susciperent, ipsiq;* dictata *exercentibus darent*: ad quem l. V. Casaubonum.

Dictator, adde: Sic dictus est, teste Varrone *de L. L. lib.* 4. vel quod à Consule *diceretur*; vel quòd ejus *dicto* omnes audientes essent. Alio nomine *Magister populi* est appellatus, sicut is, quem ipse *Dictator* postea asciverit, *Magister equitum* vocatus est. Et primò quidem seditionis sedandæ & rei gerendæ causâ hic Magistratus est institutus: Postea verò propter alia etiam ardua negotia creatus *Dictator* est: ut clavi figendi, Comitiorum habendorum, Latinarum feriarum, Senatus legendi &c. causâ. Conferebatur dignitas hæc alicui viro Consulari spectatæ virtutis, non à populo, aut per suffragia, nec à Senatu, sed à Consule, vivâ voce (rarius per literas:) Quæ cùm regulariter semestris esset, ad annum tamen, necessitate poscente, continuata est Camillo, bis L. Papyrio Cursori & Q. Fabio Maximo. Hinc illa Ciceronis lex: *Ast quando duellum gravius, discordiæ ve civium crescunt, unus ne amplius sex menses, nisi Senatus creverit, idem juris, quod duo Consules, teneto, isq; ave sinistra dictus populi Magister esto.* Quin etiam de pluribus legitur, quòd ante legitimum tempus, decimoquarto vel quinto die, postquam *Dictaturam* adepti fuerant, eandem deposuerunt. De *Dictatore* porrò notandum, non licuisse illi equum, nisi ituro ad bellum, conscendere, aut ullos sumtus facere ex ærario, sine Senatus, (quem convocandi jus habebat) consulto vel populi jussu: Proditque Dionysius *lib.* 5. *Neminem Dictatorum in hoc Magistratu gessisse se immodestè vel inciviliter; vulgoq; fuisse creditum, unicum id esse cujusvis insanabilis mali remedium: & extremam hanc salutis spem reliquam, cæteris deficientibus*: Donec *quadringentis annis elapsis à T. Largii vel Lartii Dictatura, L. Corn. Sulla primus & solus acerbè crudeliterq; eâ usus effecit, ut tum primùm sentirent Romani, quod superioribus temporibus ignoraverant, Dictaturam esse Tyrannidem*, V. Joh. Rosin. *Antiqq. Rom. lib.* 7. *cap.* 17. Stadium *Notis in Florum lib.* 1. *cap.* 11. &c. Quo factum est, ut quemadmodum olim Regnum, propter tyrannidem Tarquiniorum, ita *Dictatura*, propter odium dominationis Sullanæ, adde & Julianæ, sub titulo potestatis hujus exercitæ, in flagrantissimam omnium detestationem pervenerit: atque, uti Regnum instituto Valerii, ita *Dictatura*, lege Antonia ex Rep. in perpetuum quasi exilium fuerit relegata. Itaque *Dictaturam, quam pertinaciter ei deferebat populus, constanter repulit* Augustus, apud Vell. Paterculum *Hist. Rom. lib.* 2. *cap.* 89. V. Boeclerum *Notis in hunc locum.* Interim sub *Dictaturæ* nomine & honore eum regnasse ex Eutropio *ad lib.* 1. docet Schegkius.

Dictatorum apud Romanos series.

T. Lartius primus Dictator anno U. C. 256. Magister Equitum ei additus Sp. Cassius.
A. Posthumius an. 257. Mag. Equitum T. Ebutius.
M. Valerius Volesi fil. an. 260.
L. Q. Cincinnatus an. U.C. 294. L. Tarquinius, Mag. Equitum.
L. Q. Cincinnatus A. 316. Magister Equitum. C. Servilius Hala.
Mamercus Æmilius an. 318. L. Q. Cincinnatus Mag. Equitum.
A. Servilius Priscus vel Structus, ann. U. C. 319. Mag. Equitum A. Posthumius Ebutius Helinus.
Mamercus Æmilius iterum, an. 321. Mag. Equitum Posthumius Tubero.
A. Posthumius Tubertus an. 324. Mag. Equitum L. Julius.
Mamercus Æmilius denuo an. 329. Mag. Equitum A. Cornelius.
Q. Servilius Priscus, cujus filius C. S. Hala Mag. Equitum.
P. Cornelius an. 342. C. Servilius Hala Mag. Eq.
M. Furius Camillus an. 358. M. Equitum P. Cornelius Scipio.
M. Furius Camillus iterum, Mag. Equitum L. Valerius, an. 365.
M. Furius Camillus Dictator tertium, Mag. Equitum C. Servilius Hala an. 366.
A. Cornelius Cossus, T. Q. Capitolinus Mag. Equitum.
T. Quintius Cincinnatus an. 375. Mag Eq. A. Sempronius Atracinus.
M. Furius Camillus iterum, Mag. Eq L. Æmilius.
B. Manlius statim post Camillum: Mag. Equitum C. Licinius.
M. Furius Camillus Dictator quintùm, an. 380. Mag. Eq. T. Quintius Pœnus.
L. Manlius Imperiosus Dict. clavi figendi, an. 391. Magister Eq. L. Pinarius.
Appius Claudius, paulo pòst.
T. Quintius Pœnus an. 393 Magister Eq. Sergius Cornelius Maluginensis.
Q. Servilius Hala ann. 396 T. Quintius Mag. Eq.
C. Sulpitius an. 397. Mag. Eq. Marcus Valerius.
Cn. Marcus Rutilius primus Dictator de plebe, an 399. Mag. Equitum etiam de plebe C. Plautius.
T. Manlius L. filius, Mag. Eq. A. Cornelius Cossus.
C. Julius; Mag. Eq. L. Æmilius.
M. Fabius Dict. Quintus Servilius Mag. Equitum.
L. Furius Camillus Dict. P. Corn. Scipio Mag. Eq.
T. Manlius Torquatus Dict. A. Cornelius Cossus Mag. Eq.
L. Furius Camillus II. Dict. Cn. Manlius Capitolinus Mag. Equitum.
P. Valerius Publicola Dict. feriarum, Q. Fabius Ambustus Mag. Equitum.
M. Valerius Corvinus Dict. L. Æmilius Mamercus Mag. Equitum.
L. Papyrius Crassus Dict. L. Papyrius Cursor Mag. Eq.
P. Philo Dict. Junius Brutus Mag. Eq.
Claudius Regillensis Dict. C. Claud. Hortator Mag. Equitum vitio creati.
L. Æm Mamercus Dict. Comitiorum causâ, P. Philo Magister Equit.
P. Corn. Ruffinus Dict. M. Antonius Mag. Equitum vitio creati.
M. Papyrius Crassus Dict. P. Valerius Publicola Mag. Equitum.
Cn Quintilius Dict. clavi figendi. L. Valerius Mag. Eq.
M. Claudius Marcellus vitio creatus Dict. Spur. Posthumius Mag. Equitum.
L. Papyrius Cursor, Dict. Q. Fabius Max. Rutilianus Mag. Equitum.
A. Cornelius Arvina Dict. M. Fabius Ambustus Mag. Equitum.
Q. Fabius Amb. Dictator, Q. Æmilius Pætus Mag. Equitum vitio creati.
M. Æmilius Pap. Dictator, L. Val. Flaccus Eq. Mag.
L. Æmilius Dict. L. Fulvius Mag. Eq.
Q. Fabius Dict. A. Cæteranus Mag. Eq. in prælio moritur, succedit Fabius.
G. Menenius Dict. quæstionibus exercendis, M. Follius Mag. Equitum.
C. Petilius Dict. M. Follius Mag. Equit.
C. Jun Bubulcus Dict.
L. Papyrius Cursor III. Dict. C. Jun. Bubulcus Magister.
P. Cornelius Scipio Dict. P. Decius Mus Magister Equitum.
C. Junius Bubulcus Dict. M. Titinius Mag. Eq.
M. Valerius Maximus Dict. M. Æmilius Paulus Mag. Eq.
L. Cornelius Sulla Dict. perpetuus
C. Julius Cæsar similiter. Post quem
Augustus Imp. Dictaturam à populo oblatam recusavit, V. suprà.

Dictatus, nomen Legum seu Canonum, quibus Gregorius VII. sub quo Pontificia auctoritas ad apicem pervenit, potentiam Sedis Romanæ in posterum stabilitam voluit: *Privilegia Apostolicæ Sedis & Romani Pontificis*, vocat Baronius *Annalibus ad A. C.* 31. 32. & 33. ubi de iis ipsius Gregor. VII. *lib.* 2 *Epist* 55 laudat, & ex iis *Dictatus Papæ* appellatos scribit. Nempe à *Dictaturâ* (quo nomine quid priscis Romanis fuerit indigitatum, constat) *Dictatus* hi appellati sunt, ex quibus Jus Canonicum in immensum crevit, uti diximus suprà, ubi de *Canonico Jure*. & audientia Episcoporum in jurisdictionem, voluntaria aditio in necessitatem, arbitrium in legem transiit. Unde non immeritò Auctor *Apologiæ* Cleri Leodic. dixit, *ultimam manum sacris Canonibus imposuisse solum Hildebrandum.*

dum. Quales autem illi fuerint, infrà videbimus. De iis judicium Onuphrii Panvinii hoc est, in *Vita* hujus Pontific. *Gregorio in media quadragesima Romæ, in Basilica Lateranensi, quæ Constantiniana appellatur, primò Synodum generalem multorum Episcoporum — congregavit, in qua circa triginta edidit Capitula seu Canones, quos* DICTATUS *appellavit: quorum major pars antea parùm in usu fuerat, & à nemine prædecessorum suorum unquam attentata: verùm ad firmissimum Ecclesiæ statum jaciendum & ad omnia tentanda, quæ animo agitabat, idonea.* V. Gerh. von Mastricht *Juris Eccl. Histor. num* 257. & *seqq.* de ipso verò Gregorio hoc VII. qui priùs *Hildebrandus* dictus erat, suo loco.

Dictatus Gregorii VII. viginti septem.

I. Quòd Romana Ecclesia à solo Domino sit fundata.
II. Quòd solus Romanus Pontifex jure dicatur Universalis.
III. Quòd ille solus possit Episcopos deponere, vel reconciliare.
IV. Quòd Legatus ejus omnibus Episcopis præsit in Concilio, etiam inferioris gradus & adversùs eos sententiam depositionis dare possit.
V. Quòd absentes Papa possit deponere.
VI. Quòd cum excomunicatis ab illo, inter cætera, nec in eadem domo debeamus permanere.
VII. Quòd illi soli licet, pro temporis necessitate, novas leges condere, novas plebes congregare, de Canonica Abbatiam facere & è contra, divitem Episcopatum dividere & inopes unire.
VIII. Quòd solus possit uti Imperialibus insigniis.
IX. Quòd solius Papæ pedes omnes Principes deosculentur.
X. Quòd illius solius nomen in Ecclesia recitetur.
XI. Quòd unicum est nomen in Mundo, *Papæ viz.*
XII. Quòd illi liceat Imperatores deponere.
XIII. Quòd illi liceat de sede ad sedem, necessitate cogente, Episcopos transmutare.
XIV. Quòd de omni Ecclesia, quocunq; voluerit, Clericum valeat ordinare.
XV. Quòd ab illo ordinatus alii Ecclesiæ præesse potest, sed non militare, & quòd ab aliquo Episcopo non debet superiorem gradum accipere.
XVI. Quòd nulla Synodus absque præcepto ejus debet *Generalis* vocari.
XVII. Quòd nullū Capitulum, nullusq; liber Canonicus habeatur, absq; illi⁹ auctoritate.
XVIII. Quòd sententia illius à nullo debeat retractari; & ipse omnium solus retractare possit.
XIX. Quòd à nemine ipse judicari debeat.
XX. Quòd nullus audeat condemnare Apostolicam sedem appellantem.
XXI. Quòd majores causæ cujuscunq; Ecclesiæ ad eum referri debeant.
XXII. Quòd Romana Ecclesia nunquam erravit, nec in perpetuum, Scripturâ testante, errabit.
XXXIII Quòd Romanus Pontifex, si Canonicè fuerit ordinatus, meritis Beati Petri indubitanter efficitur Sanctus, testante Sancto Ennodio Papiensi Episcopo, eiq; multis sanctis Patribus faventibus, sicut in Decretis beati Symmachi Papæ continetur.
XXIV. Quòd illius præcepto & licentiâ subjectis liceat accusare.
XXV. Quòd absque Synodali conventu possit Episcopos deponere & reconciliare.
XXVI. Quòd Catholicus non habeatur, qui non concordat Romanæ Ecclesiæ.
XXVII. Quòd à fidelitate iniquorum subjectos potest absolvere.

Dicte, vel *Dictæus*, inter montes albos Cretæ, in Orientali ejus latere, mille ab Idæo passibus: à quo *Dictynnæus* diversus, qui ad Occidentem est. Dicæarchus *de Cretæ montibus*,

Ὄρος ἐν Δικτυνναίῳ ἐπὶ δυσμὰς φέρει.

Et in hoc *Dictynnæ* fuit templum, de qua diximus suo loco. *Dicte* autem, Græcè *Δίκτη*, Arato *Δίκτος* dicitur, solenni Poëtis enallage. Sic enim is,

Δίκτῳ ἐν εὐώδει ——

Dicte in fragranti.

In medio utriusq; montis Ida mons est, ad Septentrionale latus Insulæ, uti videre est apud Salmasium *ad Solinum pag.* 171. & 391.

Dictum, apud Solinum *c.* 9. *Macedonem Caranus insequitur, dux Peloponnesiæ multitudinis, qui juxta responsum dictum Deo, ubi capravium pecus resedisse adverterat, urbem condidit*: est *quod dixit Deus*, & propriè de Oraculi responso accipitur. Unde & *dictio*, pro oraculo, ὁ χρησμός. Pacuvius,

Flexa, non falla autumare dictio *Delphis solet.*

Et apud Accium, *apertè fatur dictio*, ὁ χρησμός. Sic dictum, τὸ χρησθέν. Salmasius *ad d. l. Solini p.* 156. In Sacris, *Dictum Domini*, frequentissimum, ut constat.

Dictynnæus mons & prom. Cretæ, ad Occiduum latus Insulæ, in quo olim *Dictynnæ* templum, uti vidimus suprà in voce *Dicte*. *Δίκταμον* dicitur Ptolemæo, corruptè pro *Δικτυνναῖον*, sicq; etiamnum montem Græci appellant. V. Salmasium ubi suprà *pag.* 891. ut & in voce *Dictynna*.

Didemarii, apud Commodianum, *de Simulachris Deorum*,

Detrudunt vos pauci scelerati,
Extricare suam cum quærunt vitam,
Subornant aliis esse sub mysterio, falsum
Indissimulantes, contensi Numine quodam,
Manifestumq; colunt & se sub figura fatigant,
Vidistis sæpe Didemarios, *quali fragore*
Lusorias iactant, dum furias fingere quærunt,
Aut cùm dorsa sua allidunt parca bipenne,
Cùm doctrina sua servant, quod cruore sanant;

Forsan *Dindymarii* sunt, Rheæ s. Cybeles, quam *Dindymenen* & *Andumenen* vocabant, à *Dindymo* Phrygiæ monte, ubi ei sacra fiebant, cultores ac Sacerdotes, aliàs *Galli* quoque, quia castrati: & *Corybantes* dicti, quòd, cùm insaniam ac belluinam quandam rabiem imitarentur, capita insanorum more projicerent, cujusmodi *Dindymarii lusorias facere* indicantur à Comodiano, Car. du Fresne *Gloss.*

Didia Clara, filia P. *Didii* Salvii Juliani Severi Aug. ex Manlia Scantilla Aug. Cornelii Repentini, Præfecti Urbis, uxor, unà cum matre *Augusta* appellata est. V. Spartianum in *Didio Juliano*.

Didius Proculus, frater major natu Didii Juliani Imp. filius Petronii *Didii* Severi & Æmiliæ Claræ, apud Eund.

Dido, adde: Carthaginensibus pro Dea fuit, teste Justino *lib.* 18. *Quamdiu Carthago invicta fuit, pro Dea culta est.* Quam, *Elissam Tyriam quidam Dido autumant*, Vellejus *lib.* 1. Priùs nempe vocabatur *Elissa* Idq; quia urbem eorum condidisset, cui, cùm solum ab Afris emere coacta esset, hinc Carthaginenses quotannis pro solo Urbis (*solarium* id Ulpianus *l.* 2 §. 1. *ff. ne quid in loc. publ. vocat*) solvere cogebantur: quod cum potentiores jam facti intermitterent, Bellum inter utrosq; coortum est, Justin. *lib.* 19. V. hac de re Vossium *de orig. & progr. Idolol. lib.* 1. *cap.* 32. Eusebio Ὀρίγω, *Origo*, primitus dicta est. Salmasius *ad Solinum pag.* 323.

Didymæus, nomen quo Luna & Sol simul Veteribus culti sunt. Macrobius, *Apollinem Didymæum vocant, quòd geminam speciem sui Numinis præfert, ipsum se illuminando, formandoque Lunam. Etenim ex uno fonte Lucis gemino sidere spatia diei ac noctis illustrant. Unde & Romani Solem sub nomine & specie Jani, Didymæi Apollinis appellatione venerantur.* V. de *Didymæi Apollinis* Oraculo Plin. *l.* 5. *c.* 29. Reddebat enim Apollo hic vocem, qualem Pythia reddebat, idque Mileti, ut discimus ex Origene *c. Celsum l.* 6. *sub fin.* & Stephano, qui uno templo in hac urbe utrumq; Numen cultum esse tradit. Seu potiùs, in Milesiorum agro, ut ostendit Salmasius. Hoc à Xerxe combustum, postea à Milesiis refectum est, cui operi Pæonis & Daphnis præfuisse videntur eidem. Idem *Μαντεῖον Didymæi Apollinis* quoq; *ἐν Βραγχίδαις* dicebatur, uti habet Pomponius Mela *cap.* 17. V. C. Barth *Animadvers. ad Statium Theb. lib.* 3. *vers.* 199. & Salmasium *ad Solinum pag.* 810. & *seqq.*

de *Die* sumpta convivia, V. suprà in voce *De*.

Dielcystinda, exercitationis apud Vett. genus, quod *Ludum distractorum* Mercurialis vocat. Ejus meminit Jul. Pollux his verbis: *Ἡ δὲ διελκυστίνδα παίζεται μὲν ὡς ἐπὶ τὸ πολὺ ἐν ταῖς παλαίστραις ...* *Dielcystinda autem plerumq; in palæstris luditur, verumtamen etiam alibi. Hæc autem sunt puerorum partes, alii trahentes alios, ... ad illam partem transmigraverint, penès illam victoria est.* Ad eundem ludū respicere videtur Socrates, apud Platonem *Theætet.* *Κατὰ σμικρὸν γὰρ προϊόντες λελήθαμεν ἀμφοτέρων εἰς τὸ μέσον πεπτωκότες ...* *Paulatim enim procedentes in medium ambarum ignoranter incidimus, & nisi aliquo modo nosmet ipsos defendentes evadamus, pœnas luemus; perinde atq; illi, qui in palæstris in linea ludunt, quando ab utrisque capti in contraria distrahuntur.* V. Hieron. Mercurialem Foroiuliensem *de Arte Gymnast. lib.* 3. *cap.* 5.

Diepholtia, adde: Olim sub proprio Comite, cujus Familiæ originem à quodam Ludolfo derivari legimus, cujus nepos Godscalcus Osnabrugensis vitâ functus est A. C. 1119. Alii præterea Episcopi Mindenses, Ultrajectini, Osnabrugenses, ex eodem sanguine oriundi fuere. Masculorum ultimus Fridericus Comes *Diepholti* excessit vitâ A. C. 1585. unde ad Lunæburgicos Comitatus delatus est. Fuit autem Fridericus hic Com. *Diepholtinus* & Bronchorstius, filius Rudolphi ex Margareta Hojensi, nepos Friderici &c. atque ex Anastasia Waldeccia, quæ biennio ante maritum est extincta, præter filium, qui ilico obiit, filiam habuit Annam Margaretam, quæ nupta Philippo Landgravio Hassiæ in *Butsbach*, obiit A. C. 1629. sicque gentem terminavit. Phil. Jac. Spenerus *Theatro Nobilit. Europ. Tom. II. pag.* 21. V. quoque *Inde*.

Dies, alius *Civilis*, qui 24. horis, quibus cœlum vel potiùs terra, si Copernico fides, circumrotatur, finiebatur: alius *Naturalis*, qui in 12. horas dividi solitus, quæ pro ratione dierum crescebant vel decrescebant. Imò cum nondum adhuc horarum usus esset, in duodecim tamen partes, etiam Herodoti ætate, Dies dividebatur, verum Æquinoctialis. Unde Salmas. *ad Solin.* inquit, *Ad Æquinoctialis diei partes duodenario numero æqualiter dividendas, Babylonii Græciq; omnes Astrologi vett. & Gnomonici rationes suas accommodarunt. Post repertas dein horas & horologia inventa, quum horæ ipsæ variarent, & pro dierum ratione modò breviores, modò longiores ponerentur, Astronomi tamen Astrologiq; omnes & Gnomonici, insuper habitâ horarum civili observatione, æquinoctiales solas ad usum ac rationes suas adhibebant* &c. Et paulò infra, *Quin etiam ad dierum augmenta et decrementa per singulos menses indicanda, non aliis horis quam æquinoctialibus vett. Calendariorum auctores usi sunt.* Eodem modo clepsydris dies breviores & longiores metiebantur, duodecimq; horis definiebant; quale horarium ex aqua primus fecit Romæ P. Corn.

Nasici; sed longè ante ipsum apud Græcos & Ctesibium. *Diei* initiũ Romani à media nocte, Babylonii ab Oriente, Umbri à Meridie, Athenienses ab occidente Sole exorsi sunt. Apud Hebræos *Dies* erat vel *Naturalis*, continens horas 24. tanquam Νυχθήμερον, vel *Artificialis*, qui cum Sole ortus cum eodem occidit, V. Joh. *cap.* 19. *vers.* 9. Priorem subdividebant in *Civilem*, operibus hujus vitæ destinatum, Angl. *A Working day*, quem ab Ortu Solis ad sequentis diei Ortum extendebant, Matthæi *cap.* 28. *vers.* 1. & *Festalem*, Angl. *a Festival or Holy-day*, quem rebus sacris dicatum, ab Occasu ad Occasum continuabant. *Diei* partes apud Romanos primùm duæ erant, *Ante Meridiem* & *Post Meridiem*. Dein in quatuor partes, quemadmodum & nox, divisus est; id quod testatur consuetudo militaris, cùm dicitur: *Vigilia prima, secunda, tertia & quarta*. Tandem verò plura Noctis & *Diei* tempora notata & propriis discreta nominibus, apud vett. inprimis Poëtas passim deprehenduntur, de quibus V. *infrà*. Apud Hebræos in 4. itidem partes *Diem* distributam fuisse legimus, Matth. c. 20. quarum 1. incipiens à sexta matutina se ad nonam usq; extendebat. 2. finiebat horâ duodecimâ. 3. ad tertiam pomeridianam pertingebat. 4. verò sextâ vespertinâ finiebatur. Harum prima pars seu primus ternarius dicebatur hora prima quandoq;, secundùm Toletum: secundus secunda, & sic consequenter. Hoc certum, horas apud Hebræos fuisse vel minores, vel majores, quarum illæ 12. hæ 4. fuere, quâ distinctione observatâ probè, non difficile erit inter se conciliare varia loca quæ sibi in Histor. Evang. contrariari primâ fronte videntur. Priores dictæ leguntur *Horæ Diei*, posteriores *Horæ Templi*, vel *Horæ Precationis*, de quibus V. infrà in voce *Hora*. Quot apud varias gentes quivis annus habuerit *Dies*, V. suprà in voce *Annus*. Hoc observatu dignum, quòd qui per Occasum in Indiam Or. navigant, *Diem* è numero dierum anni omittant: Dum enim Sol nautis hujusmodi semper seriùs & occidit & oritur, tandem absolutâ totâ navigatione & tot minutis, quibus Sole quotidie seriùs fruuntur, in unum aliquem Numerum majorem coëuntibus, tota dies efficitur, Chr. Becmannus *Histor. Orb. Terr. Geogr. & Civ. cap.* 1. Cæterùm non omnes *Dies* apud Rom. unius erant generis, sed varia eorum fuere discrimina ac diversitates. Numa primus, cùm annum in 12. distribuisset menses, eundem etiam in certa *Dierum* genera divisisset, ut quidam eorum essent *Festi*, alii *Profesti*, alii *Intercisi*: Festi iterum dividebantur in Sacrificia, Epulas, Ludos & Ferias. Profesti in Fastos, Comitiales, Comperendinos, Statos & Præliares. De quibus, ut & aliis huc pertinentibus V. apud Joh. Rosinum *Antiqq. Rom. lib.* 4. *cap.* 3. Porrò *Dierum* periodus septenaria, nulli non genti jam ab antiquo videtur cognita. Unde Joann. Philoponus *de Mundi Creatione lib.* 7. c. 14. Συμπεφώνηται πάντες ἄνθρωποι ἑπτὰ μόνας εἶναι ἡμέρας, ... *In illud certè omnes homines consentiunt, septem solos esse dies, qui in seipsos revoluti totum tempus constituunt.* Quibus subjungit, ... *Hujus rei quam certè aliam rationem dare possumus, præter illam solam, quam Moses designavit?* Nempe in Creationis historia numero septenario signatâ. Et de cycli dierum septenarii apud Gentiles usu aliquo, saltem notiores plerosq;, testimoniũ perinsigne exhibet Theophilus Patr. Antiochenus *lib.* 2 *ad Autolyc.* Certè Planetarum VII. nominum diebus hebdomadis adjectio ejusq; observatio similiter ex intima petitur antiquitate. Dio Cassius *Hist. lib.* 37. ubi verba Latinè sic habent, *Quòd verò septem stellis — dies assignatio receptum est, inventum quidem putatur Ægyptiorum. Sed in omnes tamen homines, haud ita pridem, ut sic dixerim, vulgari captum. Certè Græci vett. quantum equidem scio, nullo prorsus eam rem pacto cognitam habuere.* Imò jam in vetusto Apollinis Oraculo legitur ex Porphyrio, apud Eusebium *Præpar. Evang. lib.* 5. *cap.* 14.

> Κλήζειν Ἑρμῆν ἠδ' Ἥλιον ... ἠδὲ
> Ἡμέρῃ Ἠελίου, Μήνην δ' ὅτε τῆσδε παρείη
> Ἡμέρα, ἠδὲ Κρόνον ἠδ' ἑξείης Ἀφροδίτην.
> *Invoca Mercurium, & pariter Solem,*
> *Die Solis, Lunam itidem, cùm aderit ejusdem*
> *Dies, & Saturnum simili modo ac Venerem.*

Ex quibus, ait Jos. Scaliger *Prolegom. de Emend. Temp. demonstratur, quòd vetustissima sit appellatio dierum à Planetis, etiam apud Græcos*: Ubi etiam adnotat, in Oraculi explicationem, vulgus credidisse, Planetas apparere quemq; die suo; nempe omni die Martis ipsum Planetam sui videndi potestatem facere, & sic de cæteris: *Idq;*, inquit, *quod Orpheus designavit in* Ἔργοις καὶ Ἡμέραις,

> ... ...
> ... ...

Nam differt ... si Neomenia ... *inciderit in diem Martis, id est, feriam tertiam, abstinendum ab opere.* Quin & origo rei hujus, à Scriptore vet. Græco nondũ edito, Zoroastris & Hystaspis Scholæ Chaldaicæ & Ægyptiacæ tribuitur, apud Andr. Rivetum in *Dissert. de Orig. Sabbat. c.* 5. Fuit autem Zoroaster Magus nonnullis Abrahæ ... coætaneus. Oraculi etiam versibus modò citatis, continenter illa subjunguntur,

> Κλήζειν ἀρθέγκτοις ... Μάγων ...
> Τὸν ἑπταφθόγγου βασιλῆα, ... πάντες ...
> *Vocibus arcanis, quas Maximus ille Magorum*
> *Septisonæ Dominus reperit, notissimus orbi.*

Quibus verbis ab Oraculo designari Hostanem seu Ostanem dixerunt, qui præsentes fuere. Is verò itidem in Magia eousq; familiam duxit, ut *Hostanæ* apud Persas dicti sint ipsi Magi, Suid. in voce Ὀστάνης. Dicitur autẽ is *Septisonæ Rex*, h. e. *Concentus Septisoni* (septem viz. Planetarum) *dominus*, vel ἄναξ ἑπταφθόγγου, *ritus Septisoni*; ritûs nempe ἀφθόγγου, seu *Astrorum Sacrificulis* solennis, septies Deos illos seu Planetas verbis arcanis invocandi: *Septies*, sive ipsorum spectes per singulorum *dies* numerum, sive ritus ejusmodi solennis septemplicem cuilibet repetitionem. Nam & ea videtur fuisse in Ostanis disciplina hac Magica: quod elicere est ex versu, quem simul ac nominatus est ab audientibus Ostanes effutiit Oraculum;

> Καὶ σφόδρα καὶ κατ' ἴδιον ἀεὶ θεὸν ἑπταφθόγγῳ (fortè ἑπτάκις φωνῇ)
> *Et valde & singulatim semper Deum septemplici voce* (vel, *quemlibet suo die septies altâ voce invocabis.*)

Invocabantur nempe Dii velut Planetæ, quales existimari eos voluit antiquitas Gentilis. Unde etiam feriæ seu dies septimanæ, apud Astrologos, diu postea ἡμέραι τῶν θεῶν, *dierum Deorum*, nomen retinuere. Lemma est apud Petrum Alexandrinum, *Isag.* ... *ut sciatur; qualibet dies cujusnam Deorum sit*; i. cuinam in Orbe hebdomadico Planetæ sit assignanda, seu, quomodo ordine feriarum sit denominanda. Nec prætermittenda est hæresis illa vetusta, quæ dixit, *Nomina dierum, Solis, Lunæ, Martis, Mercurii, Jovis, Veneris, Saturni, à Deo ita posita ab origine Mundi, non hominum varia præsumtione nuncupata*, ut refert Philastrius *de Hæres. num.* 111. qui, dum ejusdem falsitatem detestatur, originem interea ejusmodi denominationi Planetariæ Hermeti Ægyptio tribuit. Quin nec desunt in Magistris priscis, qui illud Decalogi, *Memento diei Sabbati, ut sanctifices eum*, sic seorsim intelligi velint, ut etiam tunc temporis velut monitum haberetur, ne numerarent dies hebdomadis more eorum, qui Planetarum nomina iis indiderant, sed quemlibet ipsius *Sabbati* vocamine denotarent, quemadmodum cùm dicunt, *Primâ Sabbati, Secundâ Sabbati, Tertiâ Sabbati* &c. Plura hanc in rem V. apud Seldenum *de Jure Nat. et Gent. juxta Discipl. Ebr. lib.* 3. *cap.* 19. *& seqq.* & Salmasium *ad Solinum. pag.* 637. *& seqq.*

Diei Civilis partes apud Romanos.

Diluculũ, Angl. *the break of Day.*	Concubium, *Bed-time.*
Mane, *the full morning.*	Nox intempesta, *The first sleep.*
Ad Meridiem, *The fore-noon.*	Ad mediam noctem, *Towards mid night.*
Meridies, *Mid day, Noon.*	Media nox, *Mid-night.*
De Meridie, *After-noon.*	De media nocte, *A little after mid night.*
Solis Occasus, *Sun setting.* Hactenus Lux, sequitur Nox.	Gallicinium, *Cock-crowing.*
Crepusculum, *The Dusk of evening.*	Conticinium, *All the time from Cock crowing to the break of Day.*
Prima fax, *Candle tinding.*	
Vesper, *The night.*	

Varia Dierum appellationes.

Ægyptiaci Dies dicebantur, quolibet mense, dies duo infausti, Ægyptiorum superstitione, habiti, quos observari vetatur *Decret.* 26. *q.* 7. *c.* 16. V. *Atri*.

Albi, nominati sunt, quos pro fastis atque auspicatis habebant: à Scythis, qui Cresiâ notâ istiusmodi dies notabant, voce mutuatâ.

Amphidromius, V. suo loco.

Annales, V. infrà *Festa annalia*.

Atri dicti sunt, Græcè Ἀποφράδες, quasi *nefandi*, qui infausti habebantur: ut *Dies* postridie Calendas, Nonas & Idus, unde & *Postriduani* vocitati sunt.

Baronum, in vet. *Charta*, quibus sc. Barones convenire solebant, ad dijudicandas vassallorum lites.

Bissextus, Græc. Ἐμβόλιμος, dictus *Dies* est, qui quarto quoque anno addi solebat, ex horis quolibet anno residuis constans.

Boni, apud Sidonium *lib.* 5. *Epist.* 17. i. *dies feriati*. Sic Gallis, Festa majora, *les Bons jours*.

Censorius, *dies supremi judicii*.

Cinerum, Syn. Benev. anno 1091. *can.* 4. caput jejunii.

Civilis, V. suprà.

Comitiales, dicti sunt, quibus vadimonium licebat dicere; Hi iterum in triplici erant differentia.

Communes, festis opponuntur, *l. un. C. Th. de Imag. Imp.*

Comperendini, quibus vadimonium juberi licet. Græc. Κυρίαι ἡμέραι.

Conductus, id. cum *Stato*, V. ibi.

Consecrati, in *Concil.* Suession. ann. 853. *can.* 7. &c. illi dicuntur dies, quos in Natali Domini celebrari præcipiunt *Capitularia* Caroli M. *lib.* 2. *cap.* 35.

Consuetudinales, in vet. *Charta*, apud Guichenon. *in Bibl. Sebus. pag.* 325. dicuntur, quibus *consuetudines*, h. e. tributa, vel census exiguntur. Apud Græcos v. ἐπίσημος ἡμέρα est *dies solennis, insignis*.

Dies Coronæ, V. suprà *Curia Coronata*.

Depositionis, seu τῆς καταθέσεως cujusque Martyrum: cujus appellationis causam fusè explicat Ambrosius *Serm.* 70.

Fasti, quibus Prætori licebat fari tria verba solennia, *Do, Dico, Addico*. Hos in triplici differentia ponit Manutius.

Feriati, qui & *Festi*, & *Feriæ*, erant Dies sacri, quibus *facrire* victimas solebant.

Felicissimus, apud Commodianum,

num, *Instruct.* 75. *dies Paschatis* est.

Intercisi, Deorum hominumq; communes erant: in quorum horis quibusdam licebat jus dicere, quibusdam minimè.

Innominales, fuere dies non præliares, ante quartum Kal. Nonas, Idus.

Dies Iræ, dies illa V. infrà in voce *Prosa*.

Justi, dicebantur dies 30. qui debitori, ad conficiendam pecuniam dabantur, jure interea silente: Item dies 30. cùm, exercitu imperato & vexillo in arce posito, non licebat hostem lacessere.

Legitimus aperiendarum tabularum Testamenti, post mortem testatoris, apud Paulum *Sent. lib.* 4. *tit.* 6. intra triduum vel quinq; dies fuit.

Ligati, in *Spec.* Saxon. *lib.* 2. *art.* 10. §. 1. feriati sunt & opponuntur legalibus.

Dies Magnus, V. infrà.

Dies Marchiæ, apud Thom. Walsinghamum in *Richardo II. pag.* 278. dies est condictus Anglis & Scotis, ad conveniendum invicem in *marchis* & limitibus utriusque Regni, pro pace firmanda.

Natalis, antiquis dictus est, propter lætitiam aliquam insignem solennis: unde in Historiis ejusdem Principis tot natales, *nati vitalis, delati Imperii, adoptionis*. Apud Christianos quoque *natalis ordinationis, natalis suscepti summi Sacerdotii*, τῆ τελειώσεως seu *depositionis* &c. Casaubonus *ad Spartian. in Hadriano*. V. infra *Natalis*.

Nefasti, quibus non licebat Prætori fari: ut *dies pridie Kal. Januarii, Rerum prolationes, Messium, Vindemiarum & Dilationum causâ*: *Justi civiles & Nundinæ*.

Negotiosi vocitati sunt, qui, hominum causâ constituti, eorum negotiis impendebantur. Hi duplices erant, *Fasti & Nefasti*, de quibus V. *suprà*.

Neophytorum, apud August. *Epist.* 119. *cap.* 17. qui inter Magnum Pascha & Pascha clausum intercedunt, in quibus recèns baptizati albis induebantur.

Palmarum, V. *Ramispalma*.

Palustres, apud Guil. Tyrium *lib.* 21. *cap.* 25. & Persium *Sat.* 5. *crassi*, quibus homines feriantur & genio vacant.

Perendinus, dicitur *Dies* ab hinc tertius.

Postridiani dicti sunt, dies atri atque Ægyptiaci, quòd dies postridie Kal. Nonas atque Idus pro talibus haberentur.

Præliares, quibus fas erat repetere res, vel hostem lacessere: His *Non-præliares* oppositi, *Justi* viz. *Atri, Innominales*, & *Feriæ Latinarum, Saturnaliorum, Ditis ac Proserpinæ*.

Profesti, quasi *procul à festis*, dividebantur in *Fastos, Comitiales, Comperendinos & Statos*.

Sacri, Deorum causa instituti, nefasti omnes, quibus insunt *Sacrificia, Epulæ, Ludi, Feriæ*, hæq; vel *publicæ*, vel *privatæ*.

Sancti, dicti dies Quadragesimæ, V. Baronium ann. 519. *num.* 42. *Dies Sanctus* verò apud Alcuinum, *dies Dominicus* est.

Sanguinis, quo Bellonæ misso sanguine litabatur, Casaubonus *ad Lampridium*.

Stati, nominati sunt, qui judicii causâ cum peregrino instituti solebant.

Tertius *Dies*, id. cum perendio.

Dies Tinearum vel Murium, apud Audoënum in *Vita* S. Eligii, in quibus superstitiosi vana quædam observabant faciebantque, ne tineæ aut mures nocerent frugibus & segetibus &c. V. Alexandrum ab Alex. *Genialium Dier. lib.* 1. *cap.* [illegible] Bersmannum *Annot. in Calend. Rom.* Th. Godvvyn. *Anthol. Rom. lib.* 3. *sect.* 1. *cap.* 1. Car. du Fresne *Glossario*, Alios.

Dies, inter otium & curas antiquitus divisus, Sen. *de Tranquill. Vitæ lib.* 1. Nempe sex septem horas negotiis tribuebant plerique, reliquas otio & curæ corporis. Plut. *Quæstion. Rom.* ἡ μεσημβρία πέρας ἐστὶ τοῖς πολλοῖς τῶν δημοσίων καὶ σπουδαίων πράξεων, *Meridies plerisq; negotiorum seriorum terminus est*. Unde Romanos post meridiem neque fœdera, neque pactiones, facere solitos addit. Et Poeta Epigrammatarius,

Ἓξ ὧραι μόχθοις ἱκανώταται· αἱ δὲ μετ' αὐτὰς
Γράμμασι δεικνύμεναι ΖΗΘΙ λέγουσι βροτοῖς.

Alii, ut idem inquit Seneca, *medio die interjungebant*. Hoc est, peractis majoris momenti negotiis, circa Meridiem cibum sumebant, sed leviter; deinde meridiabantur, ac paulisper conquiescebant, quod Græcis quoque μεσημβριάζειν: postmodum ad negotia redibant, sed *quæ levioris fere operæ erant*, Id. Sed diem totum curis impendebant Philosophi, & qui occupatiorem vitam vivebant. Horatius,

—— *impransi correptus voce Magistri* &c.

Nec dies sufficit quandoque, sed maturiùs evigilandum erat, ut infrà dicemus in hac voce. V. plura hanc in rem, apud Casaubonum *ad Suetonium Augusto cap.* 78. qui ad eundem passim varia quoque, *de Dierum superstitiosa observatione, apud Rom. de Die, qui aditum ad honores patefecisset, Natali prælato*, aliaque in hanc rem adnotavit.

Dies Magnus, passim, Græcis μεγάλη ἡμέρα, item ἁγία κυρ., Festum Paschatis. In Campania verò Gallica, *Dies Magni Trecenses*, dicebantur Assisiæ publicæ & generales, quas Comites Campaniæ tenebant, ad dirimendas & dijudicandas supremo judicio majoris momenti controversias & quæ per appellationem ab Assisiis Ballivorum eò devolvebantur, inprimis verò lites Baronum Campaniæ, qui Comiti immediatè suberant: idque ter aut quater quotannis. Postquam verò Campania Galliæ Regibus accessit, missi identidem Trecas Judices, dicti sunt *Magistri Tenentes magnos Dies Trecenses*. Etiam Rex Philippus Pulcher bis *Dies* illos teneri quotannis præcepit, *Edicto* anni 1301. Sed & *Magnos Dies* vocarunt Galliæ Reges placita extraordinaria, quæ in Regni provinciis remotioribus cogebantur, delegatis ad ea tenenda selectis Judicibus, qui supremo judicio lites dirimebant, & in reos, quos regionis longinquitas in perpetrandis criminibus reddebat audaciores, severiùs inquirebant: cujusmodi erant Missi Dominici, qui à Regibus *ad Justitias faciendas* in remotiores Regni partes mittebantur, sub altera nempe Regum Franciæ stirpe. Nomen autem his Conventibus inditum à *Magnis Trecensibus Diebus*, de quibus suprà: adde saltem, interdum id privilegiis Regii Sanguinis Principibus quoque à Regibus indultum, ut *Magnos* iis perinde *Dies* cogere liceret &c.

Dieta, & *Zeta*, mel. quàm *Diæta* & *Zæta*, Salmasius *ad Histor. Aug.* V. suo loco. Eodem nomine in Communione Romana venit, Cursus Ecclesiæ ordinarius seu officium, quod quotidie celebari solet in Matutinis horis. Sic Beletus *de Div. Offic. c.* 21. in noctibus istorum dierum, qui solennes non sunt, Psalmos 12. quos vulgus *Dietam* vocat, cum sex antiphonis cani ait, ac tres lectiones, totidemque responsalia &c. V. quoque Durandum *lib.* 5. *cap.* 3. *num.* 29. Unde *Dietarius*, qui ad officium Eccl. statâ die deligitur, Gall. *qui est du jour*, C. du Fresne.

Comites Frisiæ, item Nassoviæ.

Dietericus, vir nobilis & strenuus, origine Frisius, *Comitatus* titulo magnam antiquæ Frisiæ & Bataviæ partem, terras Normannorum quotidianis incursionibus ferè vacuefactas, accepit à Carolo Simplice Gall. R. eâ conditione, ut contra Barbaros eas tueretur. Et quidem ditio hæc *Frisiæ* seu *Westfrisiæ Comitatus* dicta est, usque ad *Dietericum* ejus nominis quintum, erantque sub eo, præter Frisiam, Hollandia, Zeelandia, Trajectum & aliæ ditiones, usque ad urbem Neomagum, priscum Regni Frisiæ limitem. Postea verò *Hollandiæ Comites* isti Comites appellati sunt. Georg. Hornius *Orb. Imper.*

Dietericus, primus Nassoviæ Comitum memoratur Teutone antiquior Adolfo, qui anno C. 682. Nassoviæ regendæ præfectus, aliis primus dicitur; ex Clodunda Weibrechti Saxoniæ Ducis fil. pater inter alios, *Dieterici* Successoris. Cui è Gertrude Engelberti Altorfii Com. filiâ nati sunt, Ottho, patris in Comitatu hæres, Engelbertus &c. Præfuit *Dietericus* hic, circa A. C. 7[illegible]3 per annos 15. ut alios ejusdem familiæ omittam, Cyr. Lentulus *Geneal. Principum Comitumq; Nassoviæ MS.*

Dietgrenus, fil. Witikindi Jun. (qui Carolo *M.* contra Scotos militaverat) pulsus Saxoniâ ab Ottone D. agnato, pater fuit Dietmari & Friderici, quorum hic Marchionum Brandeburgicorum primorum (ex quibus Sigfridus ab Henrico Aucupe illi ditioni præfectus creditur) aliquorum Misniæ & Ostlandiæ Marchionum, & Mersburgiorum Comitum sator fuit: Ille, quòd Henricum præfatum à Cunrado Imp. obsessum liberaverit, ab hoc bonis restitutus creditur. V. Phil. Jac. Spenerum *Sylloge Geneal. Histor, in Familia Witikindea Saxonica.*

Dietherus, fil. Walravii Com. Nassoviæ, qui Stemmatis Weisbadensis fuit auctor, ex Adelheida (Dieterici Com. Cattimeliboci fil.) matre non consultâ, Prædicatorum ordinem Moguntiæ ingressus, voluntate Bonifacii VII. reclamante licèt Canonicorum Collegio, Trevirorum Archiepiscopus creatus est. Ob bellum postea Confluentinis illatum, cùm apud Clementem VII. accusatus esset, in itinere morbo correptus decessit, postquam præfuisset annos septem. Cyr. Lentulus ubi suprà.

Dietrichstenia, Familia Germaniæ illustris: in qua mentio alicujus Ruperti à *Dietrichstein*, jam circa A. C. 1088. ab Ottone verò II. Domino *de Dietrichstein* continuâ successione genealogia ostendi potest. Præcipua familiæ divisio superiori seculo facta est, in Pancratii filiis, Francisco & Sigismundo, è quorum utroque multa progenies derivatur: qua Principum partim, (hi à Sigismundo descendunt) partim Comitum & Baronum titulis insignes sunt. Et quidem Principalem lineam quod attinet, præfatus Sigismundus, qui obiit A. C. 1538. ex Barbara à *Rothal*, genuit Adamum, Patrem, ex Margareta *de Cardona*, Sigismundi Comitis *Dietrichstenii*: quô, & Johannâ de Scala, genitus Maximilianus Princeps Dietrichstenius, obiit A. C. 1655. ex Anna Maria Liechtenstenia susceptis, Annâ Franciscâ (ux. Walteri Com. *de Lesle*) Johannâ Beatrice (ux. Caroli Princ. Liechtenstenii) Eleonorâ (ux. Wilhelmi Com. *de Kaunitz*) Mariâ Annâ Cæciliâ, Franciscâ Antoniâ, quæ ambæ extinctæ; Mariâ Clarâ (ux. Friderici Com. Trautmansdorfii) Ferdinando (cui obtigit uxor Maria Elisabetha, fil. Joh. Antonii Princ. Eggenbergii) Maximiliano, Margaretâ & Carolo, qui obiit. V. Phil. Jac. Spenerum *Theat. Nobil. Europ. tom. II. pag.* 72. Ex altera verò uxore Sophia Agnete, Com. Mansfeldia, suscepit idem Maximilianus Franciscum Antonium, Mariam Theresiam, (ux. Caroli Adami Com. Mansfeldii, extinctam) Josephum, qui obiit, Philippum Sigismundum & Sophiam. Idem *tom. III. p.* 88. Francisci autem

præfati

præfati posteros quod attinet, is ex Barbara *ab Erolzheim* genuit Leonardum; quo & Luciâ *de Lindeck* natus Seifridus *de Dietrichstein*, pater fuit ex Ursula *de Siegersdorf* Erasmi *de Dietrichstein*, cujus ex Juliana Wagnia *de Wagensperg*, filius Sigismundus Ludovicus Com. *de Dietrichstein*, genuit ex Anna *de Meckau*, Sigismundum, Franciscum & Siegfridum, Comites *Dietrichsteinios*. V. eundem *tom. III. p.* 16. & utroque *Indic.*

Dieza, seu *Decia* urbs Germaniæ, in Wetteravia, sub proprio Comite ex familia Nassovica, ad Lanum fl. ubi primùm navigari incipit. Paret Guilielmo Friderico, Ernesti Casimiri filio, unà cum Nassovia, Daussenovia, Emsia, Cattimelibocensis Comit. parte, Beilsteinii dominio & majori Westervvaldiæ parte, Lentul. Olim verò proprios Comites habuit, quorum ultimo Gerlaco sive Gebhardo mortuo A. C. 1388. ad Cattimelibocenses Comites, ut videtur, transiit, quem, his quoque extinctis, cum Cattimelibocensi Guilielmus Jun. Hassus avitis terris adjecit. Inde lite cum Nassoviis ortâ, contra Philippum Cattum sententiam tulit Carolus Imp. A. C. 1551. qui cùm captivitate se excusaret, tandem quartâ ejus parte Nassoviis cessâ, reliquum sibi Hassiæ Landgravii stabilivere. Plannerus *de præcipuis Germaniæ Principum Gentibus cap* 8.

Diffidatio, adde: Per viros primarios, non verò per præcones, seu feciales aut heraldos, fieri consuevisse, docet du Fresne, ex Villharduino *num.* 112. Sæpe etiam, per Episcopos & Abbates, ex Matthæo Parisio *A. C.* 1233. Scripto plerunque ad hostem missò, medio ævo, ex *Foris* Oscæ A. C. 1247. *fol.* 25. aliisque Auctoribus, quos magno numero laudatos vide apud Eundem. Aliter vox sumitur, apud Suarezium *lib. 6. cap. 6. sect.* 24. ubi sub voce *Excommunicationis compr. henditur Depositio se: Diffidatio, quæ per sententiam Canonicam interdum fit, sic veritatem continere illam propositionem, impunè deponi vel occidi à quibuscunque posse.* Sic in *Excerptis*, ex libro Directoris Inquisitorum F. Nic. Emerici, cum *Comment.* Franc. Pegne ad Gregorium XIII. Venet. apud M. Ant. Zalterium 1607. *Hæreticos diffidamus atque bannimus.* Ubi Glossa, *diffidare & bannire, significans statuere vel præcipere, ut impunè possint interfici* &c.

Digami, non coronati olim, Vide suprà, ubi de *Corona Nuptiali*.

Digesta, pro scriptis, sæpe apud Tertullianum, V. Salmasium *Not. ad Pallium*. In specie sic vocatur opus Pandectarum Juris Civilis, *quia omnes disputationes ac decisiones in se habent legitimas, & quod undique fuit collectum, hoc in sinus suos receperunt*, Justinianus *Epist. ad Sen. quæ hodie se modo est instit. de vet. jure enucl.* Vulgò Opus hoc duplici ff. signatur, qua de re varias eruditorum sententias, V. apud Prateium JC. laudatum Joanni Calvino *in Lexic. Jurid.* qui majusculo *D.* rectius notari dixerit. Et in Corpore Juris Can. respondet Decretum Gratiani. V. infrà in voce *Pandecta*. Ab eodem verbo, *Digestus opum*, apud Statium *lib.* 3. *Sylv.* 3. *vers.* 87.

——— Jam creditur uni
Sanctarum digestus opum, partasq; per omnes
Divitias populos ———

est Redituum Imperatoriorum administratio, quæ penès Præfectum primo Ærarii, post Comitem Sacrarum Largitionum fuit. V. Sitzmannum *ad Itinerarium Rutilii Numatiani lib.* 1. *vers.* 581. Emericum Cruceium, & Barthium *ad Statium d. l.* nec non hîc passim. Sed & *digesti capilli* occurrunt apud Ovidium *Amorum lib.* 1. *Eleg.* 14.

Sæpe etiam nondum digestis manè capillis,
Purpureo jacuit semisupina thoro.

Hoc est, *collecti & ordine positi*, item *positi in mille modos*, seu *compositi*, ut idem loquitur *ibid. Eleg.* 11. *lib.* 2. *Eleg.* 8. & Juvenalis *Sat.* 6. de quo Ornatricum officio hîc passim.

Digiti Idæi, apud Ciceronem *de Nat. Deorum* iidem qui *Dactyli Idæi*, Græcis Δάκτυλοι Ἰδαῖοι, *Digitos Samothracios* Arnobius appellat, *lib.* 3. ubi de Laribus, *In diversis Nigidius scriptis modò tectorum domuumque Custodes, modò Curetas illos, qui occultasse perhibentur Jovis vagitus aliquando vagitum, modò* Digitos Samothracios, *quos quinque indicant Græci, Idæos Dactylos nuncupari*. Et in fine libri, *Aut si Curetas pro Laribus invocare, quos* Digitos Samothracios *pars vestrorum asseverat auctorum*. Ubi utrobique veram lectionem ex optimo exemplari Regiæ Bibliothecæ & membranis restituit Salmasius, quem V. *Exercitation. ad Solinum pag.* 64 ubi alios ab his *Digitiis* esse apud Auctorem *cap.* 2. & *Igidios*, pro *Icidios*, legendum, hoc autem nomine Deos *ambos*, *Penates* seu *Lares Familiares*, intelligendos docet. V. in voce *Dactyli*.

Digitulus ferreus seu uncinus, feris subaperiendis excogitatus, Gall. *Luscinioles*, V. suprà *Dactyli*.

Digitus, an ex *digerendo* an ex Græco δεικνύειν? Primore digito in erectum pollicem residente, Deos olim à Gentibus salutatos docet Appulejus *Metamorph. lib* 4. *Et admoventes oribus suis dexteram, primore digito in erectum pollicem residente: ut ipsam prorsus Deam Venerem, religiosis adorationibus venerabantur*. Ita nempe, primore digito pollicem premente, hunc ori admovebant sicque Solem aliaque sua Numina Vett. honorabant. Ritus recentior, quo iidem in adorando, dexteram ori admovebant, cujus jam mentio, apud Hoseam *cap.* 13. imò jam Psalmo 2. & 1 Regum 19. V. Gerh. Joh. Vossium *de Idolol. lib.* 2. *cap.* 3. In certaminibus *digiti sublatione* victos se fatebantur iidem, quod δάκτυλον ἀνατείνειν Græci dixere, & in Pugillatu ac Pancratio fieri solebat: quæ proin Lacedæmoniis improbata esse, tradit Plutarchus. In his enim usque ad ἀπαγόρευσιν certabatur, & vel confessio vocis, vel sine voce digiti sublatio, inferiorem ostendebat, Senec. *de Benefic. lib.* 4. *c.* 3. In Lucta verò non item, ibi namque ter dejectus ab adversario victus habebatur. At *digito monstrari*, signum *indolis* habebatur. Martialis *lib.* 9. *Epigramm.* 98.

Rumpitur invidiâ, quòd turbâ semper in omni
Monstramur digito ———

De qua re V. Casp. Barthium *Adversar. lib.* 139. & 163. quos ambos Diogeni Cynico Diogenis Laërtii illustrando integros impendit. Contrarium notavit ostensio *digiti medii* seu *impudici*, de qua idem Martialis agit *lib.* 1. *Epigramm.* 93. *lib.* 2. *Epigramm.* 28. & *lib.* 6. *Epigramm.* 70. V. quoque infrà &c. Ornatum *Digitorum* quod attinet, in Annulis est. Et quidem de *digitis*, quibus annuli inseri soliti, copiosè Plinius *lib.* 33. *cap.* 1. *Singulis primo digitis geri mos fuerat, qui sunt minimis proximi. Sic in Numæ & Servii Tullii statuis videmus. Postea pollici proximo induere, etiam Deorum simulachris. Dein juvat & minimo dare. Galliæ Britanniæque in medio dicuntur usi. Hic nunc solus excipitur, ceteri omnes onerantur.* Unde videmus, inter *digitos*, qui annulo insigniebantur, primum fuisse eum, qui minimo proximus est, dictus ob id Δακτυλιώτης vel *Annularis*. Macrobius *Medicinalem*, Auctor ad Herennium *lib.* 3. *Medicum* vocat: ubi de memoriæ artificio tractans, ita imaginem quandam instituit. *Et reum ad lectum ejus statuemus, dexterâ poculum, sinistrâ tabulas, medico testiculos arietinos tenentem.* Non enim dubium est, quin *digito* hoc suspensas haberi velit scorteas, i. e. è testiculis arietinis pelliceas crumenas, ut locum hunc interpretatur Politianus *Miscellan. cap.* 62. Cur autem communis consensus in hoc digito, & manu præsertim sinistrâ annulum sibi gestandum persuaserit, idem Macrobius *dicto l.* prolixè exequitur, duas afferens rationes, Hetruscam unam, *quòd aptior cæteris:* Ægypticam alteram, ex Anatomices fundamentis depromtam, quòd *nervus quidam de corde natus ad eum pergat*. V. quoque Aul. Gellium *lib.* 10. *cap.* 10. Johann. Salisberiensem *Polycrat. l.* 6. *c.* 12. Isidorum *de div. Offic. lib.* 2. *cap.* 19. &c. Quæ tamen opinio jam pridem explosa est, à Medicis recentioribus, qui nullo peculiari privilegio aut naturæ indulgentiâ hunc digitum gaudere, ex diligenti & accurata corporum humanorum sectione observarunt. Porro eundem annuli honorem *Indici* tributum, testatur idem Plinius: cui qui inserebatur, peculiari nomine Λιχανός Græcis dictus est. Jul. Pollux *lib.* 5. *cap.* 16. Λιχανὸς καλεῖται τῷ λιχανῷ περικείμενος. Sed de hoc pauciora extant, plura de *minimo*, de quo Plinius *ibid.* *Sunt qui tres uni minimo congerant: alii verò & huic unum tantùm, quo signanda signent. Conditus ille, ut res rara, & injuria usus indigna, velut è sacrario promitur: & unum in minimo digito habuisse, pretiosioris in recondito supellectilis ostentatio est.* Et notat Gorlæus, plerosque annulos sigillatitios, qui hodie reperiuntur, circumferentiâ adeò esse arctâ, ut, nisi rarò admodum, alii quàm minimo digito, aptari non possint: Dicebatur autem hic annulus Λιχανός. Medium *digitum* Plinius excipit, quanquam Gallis olim Britanisque morem fuisse asserit, ut eo annulos gestarent; cujus tamen rei testimonium vix alibi legitur. Romani verò videntur ideo vitasse, quòd hic *digitus* infamis vulgò & impudicus censeretur, ut legimus apud Persium *Sat.* 2. & Martialem *lib.* 6. *Epigr.* 70. Interim prodidit idem Plinius *lib.* 28. *cap.* 6. singultum & sternutationem sedari, *Si quis annulum è sinistra in longissimum dextræ digitum transferat.* Pollicem Plinius præterit: sed tamen eo etiam gestatos interdum annulos fuisse, non obscurè indicat Julius Capitolinus, qui Maximinum Cæsarem asserit fuisse, *pollice ita vasto, ut uxoris dextrocherio pro annulo uteretur*, V Joh. Kirchmannum *de Annulis cap.* 4. Præterea *Digitis* computandi ratio vetus admodum fuit, cujus origo ad Janum refertur, de quo sæpius jam laudatus Plinius, *lib.* 34. *cap.* 7. *Præterea Janus geminus à Numa Rege dicatus, qui pacis bellique argumento colitur, digitis ita figuratis, ut trecentorum sexaginta quinque dierum nota, per significationem anni temporis & ævi, se Deum indicaret.* Quod etiam Macrobio *Saturnal. lib.* 1. *cap.* 9. & Suidæ traditum est in Ἰανουάριος. Quorum verba sic capi debent, non quasi hunc dierum numerum manui haberet impressum, sed quia ad numerorum indicia *digiti* vel aperti essent, vel, variè complicati, flexique: quam computandi rationem sæpius tangunt Veteres, paulo fusiùs verò expressit B. Hieronymus *adv. Jovinianum*, at accuratissimè omnium Beda *de Computo*. Ex recentioribus V. Lil. Giraldum, *Annotationum Dialog.* 2. Colvium in *Appuleji Apolog* 2. Savaronem *in Sidonium l.* 9. *Ep.* 9. Wouwerium *Polymathiæ cap.* 7. laudatos Vossio *de Idolol. lib.* 2. *cap.* 16. & hîc infrà. Certè *Digitis* numerandi, apud Vett. mos frequens, quos numeros etiam maximos iis expressisse constat. Hinc *aureos digitis populo ostendisse*, legitur Didius Julianus apud Spartianum *In Capitolium pergenti populus obstitit, sed ferro & vulneribus & pollicitationibus aureorum, quos digitis ostendebat ipse Julianus, ut fidem faceret,*

summotus est. V. Casaubonum & Salmasium *ad l.* Simili modo apud Hebræos sacrorum ministeriorum sortitiones factæ sunt. Consentiebant enim primùm in numerum aliquem, tum ministeriis dici integris, tum sortitioni idoneum: sortes mox inibantur quatuor, de Altari sc. purgando, apparando igneque struendo; de Immolationibus aliisque sacrificiorum solemnibus; de Suffimentis & de Membris sacrificii in altare levandis. Tunc exclamante Præfecto הצביעו *Digitos extendite*, quisque per gyrum extendebat *digitum*, sive duos, sive tres (pollicis & tertii nullâ ratione habitâ) ac dum [illegible] illa fiebat, incipiebat præfectus numerare, ab eo, cujus pileum primò sic exuerat. Numeratis inde digitis extensis, usque dum compleretur numerus, in quem erat consensum, is qui numerum illum digitorum gestu compleverat, primus erat ex sorte in ministerium futurum &c. V. Joann. Selderum *de Synedriis Vett. Ebræor. lib. III. c.* 11. *n.* 4. qui numerandi hanc, non personas, sed *digitos* extensos, rationem, adhibitam fuisse ex eo, quòd receptum erat, Israëlitas, velut capite censos, aut per se, numerari fas non fuisse, addit *n.* 5. &c. Nec omittendum, quod *Digiti mutilatio* inter pœnas à Lege statutas, memoratur Walsinghamo *pag.* 124. De *Digiti* vero *crepantis signo*, apud Romanos olim delicatulos, in conviviis, adhibito, V. Martialem *lib.* 3. *Epigramm* 82. *lib* 6. *Epigramm.* 89. & *lib.* 14. *Epigramm.* 119. nec non Petronium, ubi de Trimalcione, *digitos*, inquit, *concrepuit* &c.

Digitus Impudicus, apud eundem Poëtam *lib.* 6. *Epigrammate* 70.

Ostendit digitum, sed impudicum,

medius intelligitur, de quo *suo loco*. At *Digitis* impudicitiam ostentare apud Lampridium *in Heliogabalo*, *Neque enim unquam verbis pepercit infamibus, quum & digitis impudicitiam ostentares, nec ullus in conventu esset pudor*, est digitos ita formare, ut obscænam figuram ostendant, Salmasius *ad l.* Sed & *LL.* Angliorum & Werinorum *tit.* 5. §. 8. ut & apud Verpum Catullum, *Digitus impudicus* dicitur, qui aliàs *Medianus, Medicus, Medius*; quo præcipuè improbi & obscœni deridebantur, ut & manibus similiter obscœnum in modum formatis. Quemadmodum viri, quorum uxores mœchabantur, corniculorum ostensione, h. e. duobus *digitis*, corniculorum instar erectis, deridebantur, uti suprà suo diximus loco. V. Salmasium *ad Lamprid.* & Tertullianum *de Pallio cap.* 4. ut & infrà, in voce *Sanna*: De *Digitorum* verò *micatione*, in voce *Dimicare*.

Dignatio, titulus honorarius, in *Epistolis* S. Augustini, Ruricii, Arnolfi Lexoviensis, aliorumque frequens. Guil. Brito *Philippidos lib.* 6. apud Eundem,

Audiat & nostris placidè sermonibus aurem
Inclinare velit Dignatio *vestra benignam.*

Dignitas, titulus itidem honorarius est, quo compellari Reges solebant apud Beslium *in Comitibus Pictav. pag.* 257. & Casaubonum *ad Pollionem*. In Ecclesia Romana, *Dignitas* dicitur in Ecclesiasticis beneficiis, quando beneficium habet administrationem rerum Ecclesiasticarum cum jurisdictione: vel ex eo, quòd habet nomen dignitatis cum prærogativa, in Choro & Capitulo: denique, quando Constitutio vel Consuetudo Ecclesiæ habet, quòd beneficium habeatur & reputetur pro *dignitate*, Archidiac. *de Consuet. cap.* 1 *lib* 6 apud du Fresne. Sed & in eadem Communione notum, vulgariter functiones sacras distribui, in Ordines & *Dignitates*; de quorum illis V. infrà. Istæ sunt *Episcoporum*, *Metropolitanorum*, *Archiepiscoporum*, *Patriarcharum*, *Cardinalium* & *Papæ*. *Dignitatum* gradus, in Rep. Rom. qui fuerint, memorat Trebellius Pollio in *Vita* Censorini, quos hic percurrit omnes à summo incipiens hoc modo: *Censorinus — bis Consul, bis Præfectus Prætorii, ter Præfectus Urbis, quartò Proconsul, tertiò Consularis, legatus Prætorius secundò, ædilitius quartò, quæstorius tertiò.* Nempe ascendentium ad Consulatum hi gradus erant: *Quæstor*, *Ædilis*, *Prætor*, *Consularis*, *Proconsul*, *Præfectus Urbi*, *Præfectus Prætorio*, *Consul*. Hic apicem omnium dignitatum & culmen obtinebat. Eodem ordine istas *dignitates* recenset vetus *Inscr.* Romæ in *Hortis* Matthæiorum, illustris etiamnum familiæ:

VETTIO. ABORIO. PRÆTEXTATO
QUÆSTORIO. CANDIDATO
PRÆTORI. URBANO
CORRECTORI. TUSCIÆ. ET. UMBRIÆ
CONSULARI. LUSITANIÆ
PROCONSULI. ACHAIÆ
PRÆFECTO. URBI
PRÆFECTO. PRÆT. II. ITALIÆ. ET. ILLY-
RICI.
CONSULI. DESIGNATO,

apud Salmasium *Not. ad Trebellium*. Sub postremis Impp. *Dignitatum* quatuor fuisse legimus genera, *Perfectissimatum*, quæ dignitas prima erat, ad quam cuivis, nisi sordidæ conditionis esset, aditus patebat: *Clarissimatum*, quâ qui præditi erant, prioribus quidem digniores erant, at reliquis inferiores. Tertium enim gradum constituebant *Spectabiles* Magistratus, Proconsules, Augustales, Comites Orientis &c. Quartum *Illustres*; quibus licet Consules & Patricii superiores essent, nulla tamen iis dignitatis nota solebat attribui, Justiniano prolo sic indigitatis: *Qui supra Illustres sunt*, l. 26. *C. de usur.* &c. V. Gothofredum *ad l.* 100. *de verbor. signific.* Cujacium *ad tit. de Dignit.* Goth. *ad* [illegible] 20. *cap.* 3. & hic passim inprimis ubi *de Officiis*.

Dii, ingenii ab *Unius* notitia exerrantis figmentum, [illegible] apud Gentiles, quot deprehenderunt vel usui suo, vel terrori, vel admirationi apta instrumenta; omisso Eo, qui solus horum Auctor, naturâ suâ invisibilis, per visibilia hæc sua opera ipsis, si vana mens fuisset, cognoscendum se liberaliter suggessit. Unde Lactanti⁹ *lib. de Ira Dei c.* 11 *si omnes*, inquit, *qui coluntur ut Dii, homines fuerunt & iidem primi ac maximi Reges: sed eos aut ob virtutem, quia profuerant humano generi, aut ob beneficia & inventa, quibus humanam vitam excoluerant, immortalem memoriam consecutos quis ignorat? nec tantùm mares sed & fœminas.* Theophilus Antiochenus contra *lib.* 1. *ad Autolyc.* Deos hos sceleratos ut plurimùm fuisse docet: quod Cyprianus quoque *tr. de vanit. Idolorum* ostendit. Ab hominibus ad bruta, ad olera herbasque, apud Ægyptios inprimis, quorum,

—— —— —— *Nascebantur in hortis*
Numina;

Ad inanimatas etiam res, metalla, mineralia, lapides: imò ad vitia, morbos aliaque innumera, se vero vacua Deo miserrimorum hominum devotio submisit. Nulli tamen creaturæ plus venerationis, quàm Soli Lunæque, unquam exhibitum: Quare non malè sub *Sole* omnes Deos mares, sub *Luna* omnes sequioris sexus, cultos docent Eruditi. Unde ad Græcos hæc Deorum multitudo confluxerit, an ab Ægyptiis, ut Herodotus vult; an à Thracibus, ut Plutarchus contendit, & ipsa vox [illegible] indigitare videtur disputent Eruditi: hoc certum non aliunde Deos omnes antiquiores, quàm ex Asia ac Oriente petendos esse. Prisci enim illi mortales, contemplationibus deditii, à reipsa nomen invenere מחקרים dicti: ita namque vocabantur [illegible]. Hi cùm jam cœlo recepti Indigetes essent, *Μάκαρες* ex Hebr. origine, vocati sunt, quo nomine nullum frequentiùs & magis propriè apud antiquos Poëtas Diis tribuitur. Denotat autem propriè eos, qui sagaci indagine in res etiam abstrusissimas penetrant & omnia etiam intimè latentia in lucem eruunt. Latini *Beatos* seu Felices postea tales dixere, quam vocem Horatius I. *Serm.* 9. *in verbis*,

Omnes composui Felices. *Nunc ego resto.*

ad mortuos transtulit: quòd hoc soluti corpore, in melioris vitæ possessionem venissent, ubi eadem ibi studia eos tractare perfuasi prisci illi erant, &c. V Georg. Hornium *Hist. Philos. lib.* [illegible] *cap.* 4. *ubi Nectar Ambrosiamque Poëtarum, cum reliquis huc facientibus, ex eodem fonte eruditè arcessit.* Cui adde Joh. Gerardi Vossii celeberrimum *tr. de Orig. & Progressu Idololatriæ.* Variæ autem divisiones *Deorum* fuere, tum apud Romanos, tum apud Græcos, ut alias gentes tacitus præteream. Quidam *Consentes*, quasi *consentientes* dicti sunt, quòd sine illorum consilio nihil gravioris momenti susciperet Jupiter: horum duodecim erant, de quibus vide suprà in voce *Consentes*. Iis apud Athenienses responderunt celebres illi *Duodecim Dii*, quos peculiari veneratione prosequuti sunt: præter quos iidem *Ascriptitios* Deos habuere quàm plurimos, domesticos ac peregrinos, notos atque *ignotum* illum, cujus in Actis Apost. mentionem Paulus facit. *Cœlestes* seu *Majorum gentium* vocavere, qui semper in cœlo fuisse crediti sunt: hi iidem cum Consentibus, Ovidio *Nobiles* appellantur, habitique sunt pro Penatibus illis XII. quos Æneas, è Trojæ ruderibus secum in Italiam detulit, Alex. *Gen. Dierum lib.* 6. *cap.* 6. Alios appellavere *Semideos*, item *Indigetes*, quos in cœlum merita vocarunt: Hi prioribus, *Cœlestibus* nempe & *Selectis* inferiores erant, & propriè non *Dii*, sed *Divi* dicebantur, ut Servius observat *in Æneid. lib.* 5. Eosdem *Animales* etiam appellatos esse deprehendimus, *quoniam animæ humanæ vertuntur in Deos*, Idem *in Æneid. lib.* 3. His addicti *Semones*, de quibus V. *suo loco*: qui omnes *Minorum gentium Dii* nuncupati sunt. Porro *Patrii* seu *Tutelares* sunt vocati, sub cujus tutela urbes gentesque erant: *Peregrini*, qui ab aliis gentibus colebantur: *Communes*, quibus ara communis, vel qui utrique parti communes erant, quales *Mars*, *Bellona*, *Victoria* &c. V. Joh. Rosinum *Antiqq. Rom. lib.* 2. Thom. Godvvynum *Anthologia Rom. lib.* 2. *sect.* 1. *cap.* 1. Franc Rossæum *Archæol. Attica lib.* 2. *cap.* 1. & *seqq.* E quibus verò entium classibus *Deos* sibi superstitio creaverit paucis ex Vossio subjungam: à Spiritib⁹ incipiendo, inter quos ante animas humanas Angelos; ante Angelos bonos, Principem malorum, quem κατ᾽ ἐξοχὴν *Satanam* dicimus: non solum tamen, sed unà cum Deo, boni omnis fonte, divino affectum fuisse honore contendit. Addam saltem prius, de Diis *Animalibus*, *Consentibus*, *Indigetibus*, *Localibus*, *Diis Manibus*, [illegible], *Syris*, *Vialibus*, præter prædictos Auctores accuratè [illegible] Salmasium *ad Solinum pag.* 64. 71. 350. alibique [illegible] num &c. de eorundem *famulitio*, *lachrymis*, *pondere* [illegible] de ritu eorum *omnes lavandi sacris sibi omnibus*; de [illegible] prisco more *encomia illorum decantandi super epulas*, [illegible] *tropæa figendi*, contra *conviciis illos, rebus non ex voto* [illegible] *tendi*, aliisque huc pertinentibus, Casp. Barthium [illegible]
ad [illegible]

ad Statium, inprimis *Commentario Superstitionum*, ubi totam hanc priscæ Dæmonolatriæ Camarinam eruditè movet, & hic passim: de omni verò eo, quod sub his fabulis boni latebat, Vossium *præfat. Op.* & Tob. Pfannerum *in Theologia Gentili pur.*

Tabula Πολυθείας Ethnicæ.

Dii Gentilium ex Spirituum classe.

I. Principium duplex, unum *Bonum*, alterum *Malum*, apud antiquissimos, inter Gentiles, Legislatores, Sacerdotes, ac Philosophos, venerationem invenit. Persæ, qui errorem hunc à Zoroastre hauserunt, Bonum *Oromasden*, quod alii *Lucem*: Malum *Arimanium*, quod Artaxerxes apud Plut. *in Themistocle τὸν πονηρὸν Ἀρειμάνιον δαίμονα*, alii *Ditem*, *Tenebrasque*, vocarunt. Ægyptii (exceptis Thebaidos incolis) in Bono, Patrem, Matrem & Prolem colentes *Osirim*, *Isin* & *Orum* nominarunt: Malo *Typhonis* nomine imposito. Græcorum quidam, à Pythagora edocti, Bonum ἓν *πέρας*, item Concordiam: Malum δ' *ἄπειρον*, item Rixam dixere. Sic & Romani Græcique reliqui, Deos omnes, pro malo bonoque effectu distinxere. II. Angeli, quos *Genios*, item *Dæmonas* nuncupavere, tanquam precum suarum apud Deum interpretes, divinæ voluntatis internuntios, & humanarum rerum custodes, coluere Platonici inprimis & hos sequuti vett. quidam Christiani. In specie Bonorum cultus in Phrygia & Pisidia viguit, V. Coloss. *cap. 2. versu* 8. Hæretici deinde *Angelici* dicti, eandem superstitionem amplexi sunt. Malis, præter Bonos, sacra fecerunt olim Saxones, Ungari: ipsi quoque Platonici. Hodiè Calecutenses, Japonii, Mexicani, Topujæ &c. III. Anima humana, non solùm apud Angilas delubra sibi quæsivit & aras, ut Mela & Plinius credidere: sed & apud Nasamones, ut Herodotus ostendit. Imò eousque postea se earum cultus extendit, ut apud omnes Gentes nihil eo fuerit frequentius. Et quidem Romani animas consecrarunt vel privata auctoritate: unde Lares, Larvæ, Lemures, Manes orti. Vel publicâ ἀποθέωσει Diis intulerunt, unde Indigetes innumeri & Penates. Inter quos Æneas, Quirinus, Semo Sancus, Faunus, Carmenta, Acca Laurentia, Flora, Anna Perenna, Romulus, Julius &c. Græci simili modo præclarorum virorum Animas pro Diis habuerunt: Unde Anius Eliensium, Aristæus Arcadum, Dioscuri Heroës Argivorum, Laconum, Sicyoniorum &c. Cretenses itidem, unde illorum Jupiter, &c. Phryges Cybelem cum Attide, Silenum, Hectora, Sarpedona, Protesilaum, Homerum, Alexandrum M. &c. coluerunt. Cilices Amphilochum & Mopsum, Nioben item venerati sunt. Cypriis Venus in honore fuit. Phœnices pro Diis habuere Saturnum, Rheam, Jovem, Junonem, alios. Syrorum Numen Atergatis erat, sive Derceto, quam Parthi quoque coluere. Indi, Ægyptii, Pœni, Celtæ, Scythæ, Iberi, Galli, Britanni, Germani &c. non minus, plurimas suorum Animas divinis affecere honoribus.

Ex Cœlestium corporum classe.

I. Sol, antiquissimis temporibus, pro Deo habitus est, ut patet ex Deuter. *cap.* 4. *versu* 19. Eum Syri sub nomine *Bal*, seu *Bel*: Phœnices sub *Beel-Samen*, *Adon* seu *Adonidis*: Ammonitæ sub nomine *Molochi*: Emesseni sub *Alagabals*: Assyrii sub Beli & *Adad* adorarunt. Idem à Moabitis & Madianitis *Baal-Peor* & *Beel-Phegor*: ab Ægyptiis *Orus*, & *Osiris*: ab Arabibus *Urotalt*, à Persis *Mithras*: ab Æthiopibus *Assabinus*, & *Ammon*: à Pœnis *Saturnus*: à Græcis *Apollo*, *Dionysius*, *Bacchus* seu *Jacchus*, *Hercules*, &c. à Romanis *Hercules*, *Mars*, *Janus* &c. ab Aquilejensibus *Belenus*, ut & Aremoricis ac Noricis, vocitatus est. Eidem & Massagetæ equum mactarunt, & Indi, Haaulitæ, Germani, Sarmatæ: hodierni quoque Americani non uno in loco litare leguntur. Imò sunt, qui omnium Deorum marium cultum, ut suprà dictum, ad unicum referre Solem contendant. II. *Luna*, post Solem, præcipuum cultum meruit. Hanc Orientales, ut & Afri *Οὐρανίαν* sive *Cœlestem*: Phœnices ac Syri *Astarten*, *Beltin* & *Salambonem*: Babylonii atque Assyrii *Mylittam*: Persæ *Anaitidem* seu *Zaretim*, Arabes *Alilat* vel *Alittam*, *Chinæque*: Ægyptii *Isidem*: Græci *Ἀφροδίτην*, *Οὐρανίαν*, *Dianam*, *Venerem* &c. Romani similiter *Dianam*, *Janam*, *Junonem*, *Ilithyiam*, *Cererem*, *Rheam*, *Suadam*, *Bellonam*, *Venerem*, *Proserpinam*, *Hecaten*, &c. appellavere. Imò huc tota Dearum classis relata creditur. III. Venus sive Hesperus, quæ unà cum Luna quoque *Φωσφόρος* sive *Luciferæ* nomine culta est. Et Lucifero quidem Desultatorii in ludis Circensibus equi: aliàs equus albus, sicut Hespero furvus, sacer fuit. Inde *Phosphoria* festum, apud Plut. Phosphori templum apud Gaditanos &c. Coluere antiquissimis temporibus stellam Venerem Ismaëlitæ; hinc Saraceni, qui oscula dant lapidi, quem Veneris dicunt: ut alias gentes omittam. Ipsi hodie Peruani Luciferum religioso honore dignantur. IV. Mercurius, in Oriente itidem primò cultus est, ubi tamen per eum potiùs Sol, imò quandoque & Luna est intellecta, prout rationem vel orationem Mercurius designabat. Sed & Stella Mercurialis, in honore fuit, apud Babylonios, sub *Sechet*, *Merkolis* & *Margemah* nominibus: Eadem Græcis Ἑρμῆς & Στίλβων. Edessenis Μόνιμος: Germanis *Woden*, *Teutates*, *Ermensul* &c. nominata est. V. Saturnus, cum Jove, idem Numen Orienti, nempe Solis, fuit: sed Astrologi varia unius Solis nomina inter Planetas partiti sunt. Dictus est *Phænon* & *Lampon*: item *Nemesis* idem creditus est: & præter alias gentes etiam Celtis in veneratione fuit, qui eum *Satar* vel *Sater*, item *Crodo*, quod ex *Crono* fortè corruptum, vocavere. VI. Jupiter stella, aliàs *Phaëthon*: Celtis vett. *Taranis*, q. Βροντῶν seu Tonans, in Germania, & omni Septentrione latissimè cultus est. Bohemi illi, ut & Marti, Bellonæ, ac Plutoni, asino litarunt: Suecos illi serviisse Saxo Grammaticus refert *lib.* 13. &c. VII. Mars, *Pyrois* cognominatus, etiam *Herculis stella* quandoque dictus: apud Græcos sub *Ἄρεως*: apud Babylonios sub *Ouf-cas*: apud Germanos sub *Hes* nominibus cultus, in variis Germaniæ vicinarumque regionum locis templa habuit. Hungaris quoque una cum Hercule, in veneratione fuit, teste Bonfinio *Hung. rer. lib.* 15. VIII. Stellæ fixæ, sub nomine *Militiæ cœli*, etiam ab Israëlitis idololatris cultæ leguntur. Præterea, Orionis, Arcturi, Pleiadum &c. nomina, idololatrico cultu fuisse profanata, docet Hieronymus *lib. de veste Sacerdotali*. Præcipua inter fixas Numina, sequentes fuere: IX. Canis seu Sirius, inter stellas fixas, ad divinum honorem primus evectus est, ab Ægyptiis Hespero quoque prælatus, dignatusque nominè Isidis. Romani rufas ei canes immolabant, ad portam Catulariam: unde facilè patet, cur Deo Robigo sive Rubigini, præter ovem, etiam canem mense Aprili immolarent. X. Piscis, Græcè dictus Νότιος, Germanico *Magnus*, à Syris cultus est: in hunc enim Phacetis, Veneris filia cùm in flagnum decidisset, transfigurata legitur. Hinc Aphacitis Venus, memorata Eusebio *in Vita Constant lib.* 3. *cap.* 53. XI. Geniculator seu ἐν γόνασιν, quibusdam Theseus, aliis Orpheus, nonnullis Thamyris, Panyasi Hercules existimatus est. XII. Ophiuchus, Hercules quibusdam, aliis Æsculapius fuit. XIII. Aries habitus est Jupiter Ammon: etiam Minervæ symbolum fuit. XIV. Taurus, ab Ægyptiis, sub nomine Osiridis vel Mizraim, cultus est: Quidam Josephum quoque Patr. ob Ægyptum in fame servatam bovis meruisse symbolum & in eo tandem divinos esse honores nactum asserunt. XV. Gemini, Gr. Δίδυμοι, receptiori Astrologorum opinione, fuere Castor & Pollux: aliis tamen fuere Hercules & Apollo: quibusdam Triptolemus & Jason XVI. Virgo, ex vulgari sententia, fuit Astræa, sive Justitia & Æquitas: Ægyptiis Isis, Ceres Romanis: aliis Concordia vel Pax, quæ etiam *Panda*. XVII. Pisces duo, à Vett. dicuntur Dii Syri, nempe Venus & Cupido, V. Scaligerum *ad Manilium* & Salmasium *in Solini Polyhistora*. XVIII. Cœlum ipsum seu Æther, *Cœlus* Romanis, *Uranus* Græcis, his gentibus pro Numine fuit. Aliquando pro Saturno cultum est. Usitatè Græci Romanique per Jovem Cœlum intellexere: quod factum imitatione Orientis, inque his Persarum, de quibus V. Herodotum *lib.* 1. & Strab. *lib.* 16. Imò ipse Plato, & qui eum hîc præivit, Pythagoras, Cœlum pro Deo agnovere. Idque ob duas inprimis causas, quia judicarunt illud materiæ esse perennis, ac incorruptibilis, & animâ præstantissimâ vegetari. Insuper divinitatem ei adstruxerunt Vett. quòd omnia Lunæ subdita gubernare dicatur. Hinc, quia res in terra triplici modo fieri videbant, ratione, fortunâ & necessitate, tria pro istis Numina introducta sunt. Cœlumque cultum sub *Minervæ*, *Fortunæ*, *Fati* seu *Parcarum* nominibus. *Minerva* dictum est Cœlum, quatenus ab ætherea natura, unde decerpta esse anima humana à multis credebatur, provenit tum Ratio, tum Voluntas, quâ liberè homo secundùm rectam rationem vivere possit. Hæc Græcis Ἀθηνᾶ, à Chaldæo תְּנָה, *meditatus est*, *studuit*, Ægyptiis *Neith*: magno in honore in Oriente primùm, dein in aliis Gentibus fuit. Sed notandum, cùm per illam Cœlum intelligitur, inprimis signari Æthera supremum & cum ea Mentem summi ætheris præsidem, & Mentis hujus prudentiam: interim cum summo Æthere Solem quoque ac Lunam in considerationem venire; quia ab his ingenium ac hominum sagacitas. *Fortunæ* nomen accepit Cœlum, quatenus spectabatur, ut causa per accidens rerum inprimis humanarum, quæ cœco ferri casu videbantur. Inprimis autem Luna hoc nomine venit, quam non solùm credebant causam esse, ut res generentur & corrumpantur: sed etiam nascentibus vim quandam imprimere, pro cujus diversitate variet temperamentum, mores, fortunæ. Coluerunt Cœlum sub hoc nomine Græci præcipuè, & in Italia Antiates ac Prænestini. Romani quoque eidem ædem trans Tiberim statuere. *Parcæ* tandem Astrologis ad Æthera reducebantur ac siderum posituram. Nempe Parca iis vis fuit cœlestis vitæ productrix & conservatrix ad certum usque spatium, quod à nemine excedi possit. Interim, sicut Fortunam, ita & Parcas, ad Lunarem potiùs potestatem particulatim retulere. Idem verò sunt Parca, Fatum, Necessitas; imò & Nemesis ac Adrastia. Quorum quantum habitum fuerit Numen, abunde illud arguit, quòd Jovem ipsum Fatis subjecerint, non Poëtæ solùm, sed & Philosophi, Stoici inprimis. Verùm de his omnibus prolixè & accurate agentem V. Vossium præfatum *de Orig. & Pr. Idol. lib.* 2. *cap.* 44. & *seqq.*

Et

Ex Elementorum Classe.

I. Elementa in genere, communem cum cœlis apud veteres Philosophos nacta honorem, à Prodico inprimis Ceo cum Sole & Luna pro Diis habita sunt. Empedocles Agrigentinus Elementa, cum lite & concordia inter Numina retulit. Integræ gentes, Græci Romanique *Rheæ*, *Neptuni*, *Junonis*, aliisque nominibus Elementa signabant. Idem de Persis posterioribus apud Herodot. *lib.* 1. & Strab. *lib.* 15. legimus. In specie, Tellus ex elementis, divinos ante alia obtinuit honores, & primò quidem laxè eà voce acceptâ, ut signat globum terræ aquæ permistum, cœlesti seu æthereo aereoque oppositum. Sic Sapientes in Tellure universam coluere naturam, quatenus ea ut fœmina consideratur: masculâ vi cœlestibus corporibus attributâ. Proin, quemadmodum hanc *Osiridem*, *Saturnum*, aliisque nominibus vocarunt; ita illam *Isidem*, *Opim* &c. dixere. Gliscente dein Deorum Dearumque numero, separato cultu Terram & Aquam, ut & Ætherem ac Aërem dignati sunt. Ita Tellus a Phrygibus culta est, sub nominibus *Rheæ*, *Cybeles*, *Matris Deûm*, *Majæ*, *Δημήτηρ*, *Φερέφαττα*: à Syris dicta est *Venus Byblia*, *Juno Assyria*, *Atergatis*; quæ nomina Telluri cum Luna fuere communia: ab Ægyptiis *Isis*, cujus sacra in honorem tum Lunæ, tum Telluris iisdem fiebant: Apud Samothraces, sub *Mercurii terrestris*: à Thracibus sub Dianæ seu Bendis nomine culta est: Græci eam *Δημήτηρ*, *Ῥέαν*, *Ὦπιν*, item suo nomine: Romani itidem modò *Tellurem*, modò *Cererem*, modò *Opem*, modò *Vestam*, *Junonem* quoque, *Venerem*, *Proserpinam*; modò Infernalium Deorum Nominibus insigniêrunt &c. Galli eam sub nomine *Ditis*: Germani sub nomine *Herthæ*: Scythæ sub *Apiæ*. Tartari sub *Kyrgessid*: Peruani sub *Pachamamæ* nominibus venerati leguntur. III. Ignis cultum Nimrodus instituisse creditur: cujus sacerdotes nomen dedere civitati *Ur* vel *Uroe*, ut & regioni *Orchoë*. Ei sacra fecerunt Persæ, Medi, Cappadoces, Phryges, Macedones. Etiam in insulis Cheneraq obtinuit ætate Benjamini Tudelensis hic cultus. Ægyptiis Vulcanus creditus est, utriusque sexus, Solis pater: Romanis Græcisque junioris Vestæ nomine, in eximia veneratione fuit. Sarmatis quoque ignem pro Deo fuisse, & inter alios Lituanis, quibus *Znick* dicebatur, refert Alex. Gaguinus *de prisca Lituanor. religione*. Ignem in Libya pro Deo habitum, refert Scaliger *Exerc.* 58. *sect.* 1. IV. Aquam cunctarum gentium præcipuè venerati sunt Ægyptii & Persæ. Unde tantus Nilo, (quem Osirim quoq; dixere) & Canopo, apud illos honor: ut apud hos *Atergatis* (quo nomine Lunam & Mare intellexerunt) apud Palæstinos *Dagoni*, apud Babylonios *Oanni*. Apud Græcos Romanosque diversorum sexuum variis nominibus culta est aqua. In Nominibus Aquarum masculis principatus cessit Oceano & Neptuno; in muliebribus familiam duxere Tethys & Amphitrite. Ut de fluviorum, fontium &c. Diis nil dicam. Veteres Scythæ *Thamimasadem* coluere, qui idem ac Romanorum Neptunus. Fontibus & lignis sacrificarunt Hessi ac Bohemi: Peruani Mare, sub nomine *Mammacocha*, flumina item ac fontes hodieque pro Diis habent. V. Aer, pro Numine habitus est ab Anaximene Milesio & Diogene Apolloniata. Similiter sapuere Assyrii & Arabes, quibus per *Venerem cœlestem* tum Luna tum aër subjectus intelligebatur. Item Ægyptii, qui eum *Minervam* dixere. Apud Græcos Romanosque dupliciter cùm consideraretur, partim ratione potentiæ activæ, partim passivæ: Priori respectu dictus est *Jupiter*, ad quem *Dijovis* & *Diespitris* referenda nomina, Posteriori *Junonis* adeptus est nomen. Quamvis enim utrique genti Lunam quoque ac Terram, ut supra vidimus, Juno indigitet, ut plurimum tamen Ἥρα sive Juno est aër: Imò Ἥρα solùm trajectis literis ex Ἀὴρ factum videtur. Hæc causa, cur Juno *Sospita* nuncupata est, quòd nempe in aëre, quem attrahimus, valetudo multum sita est. Aërem autem Græci Romanique marem dixere, quatenus est spiritus vegetans ac movens: fœminam autem, quatenus recipit exhalationes & quæ inde generantur: Quemadmodum hodieque Persæ, non tantum in animalium, sed etiam in plantarum, ac inanimatarum rerum omni genere, sexum distinguunt.

Ex Classe Meteororum.

I. Ventus à Persis pro Deo cultus: Eis in Phœnicia templum Uso olim statuit. Græcos quoque ventis supplicasse legimus: Apud Sicyonios aram fuisse ventorum, refert Pausanias: Ipse Augustus Imp. Circio sacrificavit. Huc pertinet Boreæ Orithyiam rapientis, Æoli, Titanum &c. fabula. Quid quòd flatus ventosis Gentilibus in Deorum numero fuisse Clemens Rom. docet *in* 5. *Recognit. ubi de Ægyptiorum Diis agit.* II. Fulmen ac tonitru, *Geryonis* nomine cultum est. Apud Romanos, si non pro Deo, saltem pro re sacra ac divina fulmen est habitum. Pro Numine id habuerunt Novogrodienses, quibus *Perun* dicebatur. Ingæ, Peruviæ olim Domini, Tonitru divino honore, sed minore quam Solem, venerati sunt. III. Cometæ ab omnibus iis pro Diis sunt habiti, qui stellas putarunt Deos: namq; & Philosophorum multi in harum censum Cometas retulere. Anima inprimis Jul. Cæsaris, in Cometam, ut creditur, versa, secutâ mox ejus apotheosi, eorum cultum astruit. IV. Castor & Pollux, item Helena, qui inter ignea meteora, eximiè apud Græcos inprimis culti sunt. V. Rot. ne segeti vitium afferat, Robigus Deus à Gentilibus imploratus est. Ei cùm mel debeat originem, non abs re erit Aristæi meminisse, qui ob hoc inventum in Deorum numerum relatus est. VI. Nubes, si Aristophani credendum, à Socrate divinis affecta est honoribus: quod idem Christianis objectum fuisse memorat Tertullianus *Apologet. cap.* 24. VII. Iris non incelebris Poetarum gregi Dea fuit, ab iis *Thaumantias* quoque dicta. Eidem purpureus aurigantium color in Circo Romano sacratus fuit. Peruani illam pro Numine habentes, eam cum duobus à latere serpentibus effingere dicuntur: ut non Ægyptiis modò vel Phœnicibus ac Græcis, sed his quoque serpentes symbolum divinitatis esse appareat.

Ex Fossilium Classe.

I. Lapis Βαιτύλος, in quo dormiens Jacob Patr. scalam vidit, magna in veneratione Israelitis fuit, usquedum divino coli honore a cultus nesciis cœpit. Hinc Βαιτύλια & Βαιτύλια vocarunt lapides rudes, quos seu symbola Numinis credebant, seu etiam animatos & verè Deos. Ethnicis *Abaddir* dictus est, Poetæ illum pro Jove objectum fuisse Saturno fabulati sunt. II. Lapis *Brachtham*, ab Arabibus pro Deo habitus est, in quo Abrahamum cum Agare congressum finxere. Alii camelum ei, cùm Isaacum sacrificaturus esset, alligasse commenti sunt. Hunc religiosè osculari eos solitos esse, refert Euthymius Zigabenus *in Panoplia*. Idem jugum locumque Arabiæ altissimum, nomine *Dysarem*, pro Numine, ut & Dachareni, coluere. III. Silicem Pessinuntios pro Deum matre veneratos esse, testatur Arnobius *lib.* 6. Quem à Legatis Romanis Romam deportatum, tradit Livius *lib.* 29. IV. Pyramidem albam pro Venere coluere Paphii, apud Max. Tyrium *Oratione* 38. V. Saxum ingens, seu prom. ad nasi similitudinem in mare prominens, sub S. [illegible] dictum, ante sesquiseculum adhuc à Finlandis pro Deo sub nomine *Sonis* cultum esse, refert Baro Herberstenius *Comm. rerum Moscoviticarum*. Propitiabant hunc, avenæ farinam butyro permixtam super eum fundendo. VI. Ferrum pro Numine: acinacem Scythæ coluisse leguntur, eique sacrificasse. Hinc & per acinacem jurat apud Luc. Toxaris. Securim geminam Tenedi incolæ venerati sunt. VII. Aurum atque argentum, stultorum mortalium Numen esse, docet eleganti carmine, apud Stobæum, *serm.* 89. Menander. Hæc pro Diis habita, sequentia Diis dicata sunt, hoc modo. VIII. Æs Veneri sacrum fuit: æreus tripus Apollini quoque consecratus est: Æsculanus Deus similiter inde originem apud Rom. habuit. IX. Ferrum Marti sacrum fuit, ut & Vulcano: Namque & ferro pugnatur & igni ferrum mulcetur, hoc est, mollitur, unde *Mulcibris* Vulcano nomen. X. Gemma dicta *Beliscolus*, Belo Assyriorum Deo consecrata fuit, teste Plinio *lib.* 37. *cap.* 10. Similiter Soli, qui non *Belus* modò, sed & *Adad* Assyrius vocatus est, tres hæ gemmæ fuere dicatæ, Adadi nephros, Adadi oculus, & Adadi digitus, eodem auctore. Apud Persas, ubi idem *Mithra* dictus est, Solis gemma *Mithrax*, vel *Mithridax* fuit. Etiam Jovi Ammoni sacra fuit gemma, quam *Ammonis cornu* vocarunt, quia is cum cornibus arietis fingeretur &c. Imò nec metalla solùm, sed etiam vasa inde fabricata, alia huic, alia alii Numini fuere consecrata: Quomodo scyphus erat sacer Herculi, & cantharus Libero, ut ex Athenæo & Macrobio liquet. Præterea fossilia cultui Gentilium in sacris locis, rebus ac personis multipliciter inservierunt, Æs inprimis, e quo templorum valvæ, Deorum statuæ, candelabra sacro usui destinata, pectoris tegmen & scuta, quæ Salii ex Numæ instituto gestabant &c. Sic lapidis usus in sacris Cybeles, eo sese evirantibus Gallis, sic alia.

Ex Classe Plantarum.

I. Allium cepasque inter Deos habuit Ægyptus, Plinius *lib.* 19. *cap.* 6. Eosdem olera in hortis veneratos esse, docet Prudentius *lib.* 2. *contr. Symmachum*. Item frumentum, Osiridem colentes. II. Arbores ac sylvas coluere Sclavi, Lituani, Celtæ, (quibus altissimam quercum Διὸς ἄγαλμα, *Jovis simulacrum haberi*, refert Max. Tyrius *Orat.* 38.) Gandenses, Vandali, Indi, Peruani hodierni, Samogitæ &c. Alii, si arbores non habuerunt pro Diis, habuere tamen pro Deorum receptaculis, unde Dryades & Hamadryades. III. Quercus inprimis apud Germanos, Gallos, Romanos magna in veneratione fuit, Lipsio teste *in Tac. de moribus Germ.* V. & infrà. IV. Far, frumentum, semina, sub Cereris Proserpinæque nominibus apud Græcos Romanosque culta sunt. Unde Clem. Alexandrinus Δηὼ *Ceres*, interpretatur τὸν σῖτον *frumentum*, &c. Accessit alterum Idololatriæ genus quo plantis Gentiles certa Numina præfecerunt: Sic Ceres frugibus præfuit: Seia & Segesta seu Segesia a serendo ac segete dicta est: Tutullina segetis tutatrix fuit: Occator, Sarritor & Stercorius ab officio quisq; suo nomina habuere. Nodinus curabat nodos & genicula culmorum: Hostilina segetes novis aristis æquabat: Lactucina præfuit lactescentibus frumentis: Patulena folliculis patescentibus, ut spicæ exirent, opitulata est: Runcinæ curæ erat runcatio: Fornax torrendis frugibus præfuit. Robigus robiginem

nem arcere creditus est, quemadmodum hodie de S. Judoco Latinis ritibus addicti opinantur. Arboribus præfuere: Puta, à putando dicta: Spinensis Deus, qui eradicaret ex agro spinas: Pomona, cui pomorum cura obvenisset: Flora invocata est, non ut frumenta modò, sed & arbores florescerent. Ciceris inventor Neptunus habitus est: Sirupos, qui e plantis fiunt, Serapis excogitasse dicitur: Arbores glandiferæ omnes Jovi, laurus Apollini, olea Minervæ, myrtus Veneri & Baccho, populus Herculi, vitis Libero, pinus Cybeli, Fauno & Pani: Ficus Baccho iterum: Cupressus Diti, palma Soli, buxus Cybeli, rosa Veneri &c. sacra fuere. Plura V. apud præfatum Vossium *toto l. 5.*

Ex Aquatilium Classe.

I. Pisces pro Diis habuere Syri inprimis ac Ægyptii, è quibus Oxyrynchum coluere Oxyrynchitæ: latum Latopolitani: nonnulli lepidotum: Syenitæ phagrum: Elephantinæ incolæ Mæoten: alii anguillam, quem cultum Antiphanes & Anaxandridas Comici facetè riserunt. Et de Syris, notum est grande illorum Numen Atergatis seu Derceto. Apud Lydos quoque pisces quosdam sacros fuisse memorat Varro *de Re R. lib. 3. cap. ult.* In sideribus porro delphinus, & pisces duo, inter XII. signa Zodiaci: item piscis magnus, cujus hi nepotes dicuntur: Adhæc cetus & hydra, cujus caudæ corvus insidet: piscium divinos honores satis superque loquuntur. Et quid aliud in mari Triton Nereidesque, quàm pisces fuere. Eodem Sirenes quidam referunt: quos quidam verè pisces, seu semipisces, aut planè mulieres, sed mutas ac penè brutas censent Ut de aliis marinis monstris nil dicam: II. Serpentes, in Diis culti sunt, apud plurimas gentes. Aspides *vehementer venerati sunt* Ægyptii, ut loquitur Ælianus *de An. lib. 17. cap. 5.* Borussi, præter feras arboresque, etiam sepentes coluere, teste Erasmo Stellâ *de Antiqq. Borussiæ lib 1.* Samogitis serpentem pro Deo esse, tradit Baro Herberstenius: Idem de Lituanis scribit Alex. Gaguinus *de Sarm. Eur.* In provincia Calecuto pro Numine ab Rege serpentes vastissimo capite coli, docet Scaliger in *Hist. Animal. lib. 2.* Et quid aliud docuit Æsculapius, sub serpentis imagine, tanto in honore olim habitus? III. Canthari sive scarabæi, divino cultu apud Ægyptios honorati sunt, iisque templa dicata. IV. Formicas Thessali coluere, quoniam Jupiter, sub formicæ specie, ex Eurymedusa genuerit Myrmidonem. V. Muscis bovem in Acarnania, ubi templum est Apollinis Actii, sacrificatum esse, tradit ex Heraclide Clemens. Nisi fortè hæc sacra potiùs Apollini, sicut Jovi Apomyio, muscarum depulsori fuisse oblata dicas. Interim si iis in Palæstina ab Accaronitis sacrificatum est, quòd mirum de Acarnanibus. Censet illud Philastrius, cùm scribit *cap. 13. Sunt qui muscam colunt, in civitate Accaron dicta*: quod collegit ex nomine *Beelzebub*, Numine Accaronitarum; illud enim conflatum ex *Baal*, i. *Dominus*, & *zebub*, quod est *musca*. Sed, ut verum fuerit hoc idoli nomen, quod Scaliger (illud *Baal Zebaum* id est, *Deum victimarum* vero nomine appellatum fuisse asserens) negat: Non *Deus Musca*, sed *Deus muscæ* sive *muscarius*, hoc est, *Abactor muscarum*, quod idem est ac ἀπόμυιος dictus fuisse censendus est. Quo facit Plinianum *l. 10. c. 28. Invocant Cyrenaici Achorem Deum, muscarum multitudine pestilentiam afferente: quæ protinus intereunt, quà litatum est illi die.* Ubi *Achorem Deum* Vossius, pro *Acharon*, sive *Accaron*, seu *Accaronitarum Deum* dictum vult. Cùm enim, quæ Plin. refert, conveniant nomini *Beelzebub*, Accaronitarum Numini, cujus tantum erat apud Palæstinos nomen, ut Judæi etiam Principem dæmoniorum sic dixerint: planè credibile est, Palæstinos in Cyrenaicam hunc cultum attulisse. Solitos autem fuisse Gentiles Numinibus suis nomina ab insectis, quibus se eorum ope liberari credebant, ridere, arguit etiam Trachiniorum Hercules Κορνοπίων, sic à fugandis locustis, seu potiùs pulicibus. Item Erythræorum Hercules Ἰποκτόνος, id est, interemtor vermiculorum &c. Alia omittam, non tamen hoc, Crocodilum hodieq; in certa Indiæ gente divinis affici honoribus & tanquam oraculum consuli: Plura V. apud Vossium *toto l. 4.* Ut & paulo infrà ubi de *Quadrupedibus.*

Ex Volatilium Classe.

I. Ciconia, pro Numine, culta est à Thessalis, auctore Clem. Alexandrino *in Protreptico*. Sed negat hoc Vossius, ostendens non alio Clementem fundamento niti, quàm quòd severè animadverterint, in eum qui ciconiam necasset: quo honore illas mactatas ab eis vult, quia regionem à serpentibus expurgassent. Eandem avem ab Ægyptiis quoque divinis honoribus affectam, Lucianus *in Deorum concilio* refert. II. Corvum, pro Deo, ab iisdem Ægyptiis habitum esse, docet Ambrosius *in Epist. ad Rom. cap. 1.* unde Κοράκεια seu *Corvina* sacra, prope Coptum celebrari solita. III. Accipitres coluere, in eadem Ægypto, Tentyritæ, teste Æliano *Histor. Animal. l. 10. c. 24.* De Philarum incolis idem refert Strab. *l. 17.* Unde & apud Hermopolim simulachrum fuit Typhonis equi fluvialis, cui accipiter insisteret cum serpente depugnans. Contrà Coptitæ, crocodilos venerati, accipitres egerunt internecem, veluti Numinis sui hostes, teste Æliano suprà laudato. IV. Ibin cultam ab Ægyptiis Lucianus *in Deorum concil.* quoq; refert: cui astipulantur Cicero *l. 1. de Nat. Deor.* Juvenalis *Sat. 15.* & Plinius *lib. 10. cap. 28.* Eandem contra serpentes, ab iis invocatas esse, narrat Herodotus *in Euterpe.* V. Aquilam venerati sunt Thebæi, *tanquam animal regium & majestate Jovis dignum*, ut docet Diodorus Siculus *lib. 1.* VI. Gryphes porro ab Ægyptiis, pro Diis habiti, teste Plut. *Symposiacôn lib. 4. quæst. 5.* ubi tamen alii legunt γυπὸς, *vulturis*, cujus pennis Isidis statuam exornasse leguntur. Quòd si prior lectio vera, & è vulgo Ægyptio non defuere, qui tam stultè saperent: At Sacerdotes, & alii, qui paulum videre supra vile vulgus, non habuere aves eas alio loco, quàm pro Deorum symbolis, ut sentit Vossius. Gryps enim sacer fuit Apollini sive Soli, Deorum summo, unde sub figura & nomine ejus Apollinem coluere, quod & de reliquis dici potest. VII. Vespertilionem pro Numine adorasse Mexicanos narrat Paulus Gyraldus *Hist. Ind. l. 3.* &c. Pertinet ad hunc Avium cultum tota doctrina Auguralis, seu scientia ex oscinum cantu, præpetum volatu, & pullorū tripudio futura prædicendi. V. Voss. *Part. 2. l. 3. à c. 76.*

Ex classe Quadrupedum.

I. Bos geminus Ægyptiis cultus, Heliopoli unus, Memphi alter: utrumq; *Apim* dixere, teste Plin. *l. 8. c. 46.* Ita vulgus: Sapientiores verò illum habuere pro symbolo Solis, istum pro Lunæ. Ab Ægyptiis Bovis cultus ad Indos manavit, teste Scaligero *Exercitat. l. 258. sect. 1.* quem ibi hodieq; vigere docet pluribus P. de Valle *Itin. tom. IV.* II. Canem iidem coluere Ægyptii, sed Cynopolitani præ reliquis, ut Cl. Alexandrinus *Admonit. ad gentes* docet. III. Felis sive Ælurus similem in eadem gente venerationem meruit: quam mortuam domi, soli am salisi, atq; ita Bubastim deferri, ut sacra in urbe sepeliretur, tradit Herodotus *in Euterpe.* IV. Ovem Saitæ ac Thebani coluere: sub ariete quoq; Jupiter Ammon cultus est. Samiis etiam ovem in veneratione fuisse, apud Clementem legas. V. Lupus pro Numine à Lycopolitanis est habitus, teste eodem. Delphis quoq; eundem fuisse cultum, refert Ælianus *Hist. An. l. 11. c. 40.* VI. Cynocephalus, quod simiæ caudatæ genus est, Hermopolitarum fuit Numen. Sed nec inter Vett. convenit, utrum Cynocephalus habitus sit ipse Anubis, vel ejus symbolum: an potius Mercurius, vel ejus symbolum. Nam & Mercurio, ob sagacitatem canem sacravit antiquitas, unde huic quadrupedi nomen. VII. Cercopithecus, sub *Cebi* nomine, apud Ægyptios iterum, in honore fuit, Juven. *Sat. 15.* Lucian. *in Conc. Deorum* &c. Gr. Κῆβον vocat Aristot. VIII. Leonem venerati sunt Leopolitani. Persæ quoque Deum suum Mithram seu Solem leoninâ effinxere facie. Ambraciotæ leænam, velut vindicem suæ libertatis, coluere. IX. Hircus, Mendesiis pro Numine fuit. Etiam capras divino affecerunt honore incolæ urbis Copti. Pan quoque, ut Græcis, ita Ægyptiis, pingi ac sculpi caprinâ facie & hircinis cruribus, solitus est. X. Mygalem, quasi Μυογάλην, animal partim murem, partim mustelam referens figura ac colore, ab Ægyptiis cultam testatur Plut. *Symposiacôn l. 4. quæst. 5.* XI. Ichneumona pro Deo Heracleotæ habuere, testibus Æliano *de Animal. l. 10. c. 47.* & Cl. Alexandrino *Admôn. ad Gentes.* XII. Crocodilus, ab Ombitis Ægyptiis, non minùs ac Dii Olympii à Græcis Romanisq;, est cultus, teste eodem Æliano. Etiam Arsinoë, quæ priùs *Crocodilorum urbis* dicta est, mirum in modum eum venerata est, Strabo: qui addit, à peregrinis ad locum venientibus placentis, carne ac mulso eum donari fuisse solitum, Nec desunt hodie inter Indos, qui eodem cultu bestiam afficiant. V. *suprà, ubi de Reptilibus.* XIV. Asini suisque cultus etiam Judæis, à Plut. & Tacito, sed malè tribuitur. Gnosticos utrumque animal coluisse, vel saltem Deum Sebaoth utraq; expressisse figurâ, indicat *Epiph.* Imò de Asini capitis cultu calumniam in veros quoque Christianos derivatam esse, innuit Minucius *in Octavio.* XIV. Suem venerati Cretenses sunt, ut auctor est Athenæus *lib. 9.* sed an tanquam Numen ipsum, an velut symbolum Numinis, in incerto est. XV. Simias Pithecusii in Ægypto coluere, Diod. *lib. 20.* nec ullum hodie apud Indos Orientales sacratius Numen, ut docet Petrus de Valle *Itiner. tom. 4.* Fanum ibi simiæ pulcherrimum memorat Maffæus *Hist. Ind. lib. 1.* Simiæ dentem, in cistula auro gemmisque insigni, religiosè asservatum in templo verticis *Pico d' Adam*, Lusitanis, magno cum Regulorum loci dolore abstulere A. C. 1554. pro quo oblata iis septingenta ducatorum millia. XVI. Mustelæ, pro Diis habitæ sunt à Thebanis. XVII. Echinum terrestrem tota Zoroastris schola venerata est. XVIII. Sorices murésque apud Musoritas, Troadis incolas, Tenediosque in veneratione fuere: an per eos Apollo cultus? V. Vossium *lib. 3. à cap. 50. usque ad cap. 76. Partis 2.*

Ex Hominum Classe.

I. Apud Babylonios Nabuchodonosor, quem puduit mandare, ut sibi sacrificarent superstiti, fieri jussit sacra suæ statuæ. II. Ad Medos hinc cum imperio transiit adorandi Regis consuetudo, in tantum ut Reges colerent, sicut Deum ipsum. Persæ eandem à Medis accepere, Strab. *l. 11.* Barn. V. Brissonium *regni Pers. lib. 1.* Hinc Cleo Alexandri adulator, eorum exemplo Macedonas hortatus est, ad eundem cultum suo Regi præstandum, Curt. *lib. 8.* III. Parthis, in minori Asia Lydis, in Africa Ægyptiis, V. Virgil. *Georg. lib. 4. cum Servii notis*, ut & *lib. 8.* IV. Æthiopes publicè pro Diis habuere Reges suos ac privatim etiam alios, qui benefecerunt. Strab. *lib. 17.* Apud Libyas Psaphon pro Deo cultus est: quem apud Pœnos quoque ambiit Anno. V. Græci, qui

Asiam peninsulam habitarunt, festos statuere dies Romanorum illis, qui justè sanctèque provinciam administrassent. Id factum fuit Q. Mutio Scævolæ, in cujus honorem *Mucia* celebrarunt, Cic. *in Verrem lib.* 2. Iidem in Luculli honorem *Lucullea* instituerunt, V. Plut. *in eo* & Appianum *in Mithrid.* VI. Græci Europæi non minus hic impegere: quorum plurimi Alexandrum M. divinis affecere honoribus. Athenienses non Demetrium solùm Poliorcetam, sed & adulatores ejus divino prosequuti sunt cultu, Burichoque, Adimanti & Oxythemidi, (quod nomen illis) *& aras & sacella & sacra* statuerunt, Athen. *lib.* 6. Idem honos Pyrrho Epirotæ habitus. VII. Apud Romanos primus, dum viveret, divino honore Augustus est affectus. Hinc ei Lugduni ac Narbone ara: Templa passim in provinciis: Sacerdotes *Augustales* dicti &c. Tiberium Cæs. *Deum suum* vocat Scribonius Largus *Epist. ad Jul. Callistum.* Cajus Caligula sibi ipsi templum condidit, apud Sueton. Claudius etiam vivus in Britannia cultus est. Quousque Domitiani processerit impudentia, notum. VIII. Christiani Imperatores ipsi, etsi gentilem illum non admitterent cultum, modos tamen loquendi reservarunt. Hinc de Constantino M. Amulinus, *Scripta cælestia Majestatis vestræ accepta atque adorata.* De Theodosio Pacatus, *Deum dedit Hispania.* Parta de Honorio Claudianus. Ipsi Theodosius & Valentinianus *Nostram divinitatem*: Honorius & Theodosius *Nostrum Numen* dixere &c. IX. Germanis Velledam pro Numine habitam fuisse, monet Tacitus *Histor. lib.* 4. cùm ait: *Munius Lupercus, legatus legionis, inter dona missus Velledæ: Ea virgo nationis Bructeræ, latè imperitabat, veteri apud Germanos more, quo pleraque fœminarum fatidicas, & augescente superstitione arbitrantur Deas.* Sed non eam fuisse opinionem omnium, vel majoris partis, alibi docet. X. Apud Hungaros, Janus, filius Vathæ, de castro Beli, qui primus Hungarorum dæmoniis se dedicarat, pro Dea coluit *Raedi*, quæ capta à Christiano Rege Bela carcereque conclusa fuit, usque dum proprios devorans pedes moreretur, Johannes de Thvvrocz *in Chron. Hung. parte* 2. *cap.* 39. Eandem *Varasoto* nominat Bonfinius *rer. Hungar. lib.* 12. &c. XI. Barbari hodierni eodem fere honoris gradu plurimis in locis Principes suos venerantur. Et quorsum spectat, quòd Mosci halitum suum, quo vivunt spirantque, Imperatori suo ferunt acceptum, ipseque omnium Russorum conservatorem se appellat. De iisdem narrat Thuanus *Hist. lib.* 21. *ad A. C.* 1558. *Moscos, ex Religionis suæ instituto, tandem quam Deo omnipotenti deferunt fidem, se Principi suo debere existimare.* Ut de aliis gentibus nil addam. XII. Nec homines solùm, sed & omnia ferme ejus: Labor, Quies, Somnus, Affectus, Juventa, Senectus, Mors, Virtutes, Vitia quoque, Opera, alia, inter Deos relata plurimas apud Gentes reperiuntur, sed de his infrà agetur. Ipse Homerus non alium Jovem, quàm mentem suam: non aliam Palladem, quàm suam prudentiam: non alium Apollinem, non Mercurium, quàm suam eruditionem, suam facundiam &c Orbi adorandos propinasse creditur. V. Eustathium *Comm. in eum passim*, & plura de his apud Vossium *Part. II. lib.* 3. *à cap.* 1. *usque ad cap.* 49.

Ex Affectionum Accidentiumq; numero.

I. Terminum cùm viderent habere Gentiles, omnes res naturales, ipsam Tellurem, Oceanum ac Mundum, inter Deos eum retulerunt, quod primus Tatius Sabinus, Varroni: Numa Pompilius Dionysio fecisse dicitur. Quemadmodum initium rerum sub *Jani* nomine coluerunt. II. Tempus ab Orphicis pro Deo cultum est, sub nomine Phanetis: à Græcis & Romanis, sub nomine Saturni: Tenebræ intra terram *Erebi*: supra terram *Noctis* nomine, inter Deos relatæ sunt, & huic quidem Gallum sacrificavere Romani: Diem Deorum numero addidit Plautus *prolog. Menæchm.* Diluculum ac Aurora, sub *Leucotheæ* & *Matutæ* appellationibus, templa arasque habuerunt. Quatuor anni tempestates *Horarum* nomine cultæ sunt. III. Locus, à nonnullis *Chaos*, ab aliis *Erebus* dictus, ac sub utroque nomine pro Deo habitus est. IV. Numerus, Pythagoricis res sacra, & Deorum nominibus appellatus est. Quaternarium inprimis coluere, per quem etiam jurare soliti sunt. V. Vis generatrix, nunc *Priapi*, nunc *Veneris*, nunc *Genii* nomine, adorata est: Fœcunditati Poppææ, adulatio publica, in gratiam Neronis, ædem exstruxit, apud Tac. VI. Infantia, in plura Numina: Vagitanum, Levanam, Ruminam, Edusam, Potinam, Cubam, Cuninam, Carnam, Ossilaginem, Statulinum, Fabulinum, Nundinam &c. divisa fuit. Quibus adde Intercidonam, Pilumnum & Deverram. VII. Juventus *Hora* dicta est, item *Hebe*: ædem habuit Romæ in Circo Max. VIII. Senectuti, apud Gaditanos ara posita legitur, apud Philostr. *de vita Apollonii lib.* 5. *cap.* 1. IX. Sanitas, *Salutis* nomine, Æsculapio sæpiùs juncta reperitur, habuitque templum Ægii, Achæorum urbe: Signum inauratum Romæ. Eadem sub *Junonis Sospitæ*, *Juturnæ*, *Jasonis*, aliisque nominibus, culta est. X. Morbi quoque pro Numinibus habiti sunt: Febris Romæ fanum in Palatio habuit. Pavorem Hostilius atque Pallorem coluit. Tussim, sub *Dianæ Chelytidis* nomine coluere Argivi ac Lacedæmonii. Scabiem divinis honoribus affectam fuisse, tradit Prudentius. Mors Lacedæmoniorum Phœnicumque fuit Numen. Eadem unà cum *Vita*, sub *Parcarum* nomine, venerationem invenit. XI. Anastasini Resurrectionem è mortuis Deam esse opinati sunt Athenienses, audito Paulo Apost. XII. Sonus *Echo* appellatus est: quam flantibus ventis adorarunt. Dodonæ cultam Philostratus habet *lib.* 2. XIII. Memoria per *Mnemosynen* culta est: Ipsa Oblivio inter Numina fuit. Et cùm Vigilia Diis addita non fuerit, Somnus tamen *placidissimus Deorum* vocatur Ovidio & Papinio: cui ove litatum. Eidem unà cum Musis sacra Trœzenii fecerunt. Filii ejus Morpheus, Icelos sive Phobetor & Phantasus similiter Diis leguntur accensiti. XIV. Fames, inter Deos Inferos fuit. Amor, Cupido, notissima Gentilibus Numina. Gaudium in primis Orci faucibus collocatur à Marone. Dolor quoque in Diis inferis fuit. Indignatio, sub *Nemesis* nomine culta est, apud Romanos æquè Græcosque. Spes ædem habuit Romæ, in Foro Olitorio: Audacia, *Martis* nomine, venerationem nacta est. Timor inter Numina infera à Virgilio reponitur: Romanis quoque pro Numine. Nec minùs Pudor, & quod mireris, Impudentia inter Deos relata est: cui ut & Injuriæ aram consecravit Athenis Epimenides. Ira, modum non tenens, *Furoris Furiarumque* nomine culta est: Misericordia quoque pro Dea fuit, V. infrà. XV. Alacritas sive Ὁρμὴ, Athenis aram habuit: & sub *Agenoriæ, Hortæ, Numeriæ, Stimulæ, Agonii* nominibus, invocata est. Labor ipse in Diis Infernalibus, & Otium sub *Quietis & Vacunæ*, nomine fuit. Auxilium Deum in scenam Plautus inducit *in Prol. Cistellariæ*: quò *Axiei* Dii quoque referri possunt. Ad successum laboris *Vertumni* Numen pertinet. XVI. Actioni pinsendi præfuit Pilumnus: itinerationi Dii Ἐνόδιοι Græcis, Latinis *Viales* & *Semitales*: quales fuere inprimis Mercurius & Trivia. XVII. Opinio pro Dea fuit: multo magis Scientia, Prudentia & Ars, quæ sub *Minervæ* nomine fuere cultæ; item *Bonæ Mentis Deique Catii*, quibus Dea Furina opposita est. Eloquentia seu facundia Poëtica per *Apollinem* ac *Musas*. Oratoria per *Palladem, Mercurium* ac *Suadam* fuit culta. Arti Gaditani aram posuere. XVIII. Virtutis Romæ primus fanum posuit Scipio Numantinus: Virtuti & Honori Marcellus: Anaxagoras Veritati aram extruxit: Romæ Justitiam consecravit Augustus: Pietatem Manius Acilius Glabrio: Eucharistia, seu Gratitudo tribus Gratiis denotata est. Fides ædem in Capitolio habuit; eadem sub *Jovis Fidii* vel *Sancti Fidii* nomine in cultu fuit. Justitia, per *Mercurium Nomium* seu *Eunomiam, Themidem, Dicen, Irenem, Nemesin* quoque culta est. Temperantia à Theognide inter Divas memoratur. Pudicitiæ gemina Romæ fuit ædes. Clementiæ Romani in Jul. Cæsaris honorem templum decrevere. Fortitudo sub *Virtutis*, & *Deæ Streniæ* nomine venerationem meruit, sacellumque Romæ habuit. XIX. Semivirtutes quoque in Deorum numero. Verecundiæ ara Athenis fuit: Misericordia ibidem culta est. Indignatio, contra Superbiam, invocata, eademque sub *Adrasteæ, Rhamnusiæ, Nemeseósque* nominibus, variis in locis divinis honoribus est affecta. XX. Vitia quinetiam suos habuere idololatras. Pro Numine Contumeliam vel Injuriam fuisse, ex Theophrasto, Clemente, Cicerone ac Zenodoto discimus. Calumniæ aram erexere Athenienses: Momus, maledicentiæ Deus fuit. Comessationes ac conviviorum luxus, sub *Comi* nomine, in pretio fuere &c. XXI. Felicitas, cum Priapo & Cloacina culta est, Augustinus *de Civitate Dei lib.* 4. *cap.* 23. Honori templum Romæ dedicavit Q. Maximus: Famam Athenienses coluere. Loquela, sub *Aji, Locutii* ac *Mercurii*, nomine in veneratione fuit. Silentium per Angeronam, Harpocratem seu Sigalionem cultum est. Risus, ut Numinis, meminere Pausanias & Appulejus. XXII. Societatem Oeconomicam quod attinet, Faustitas pro Numine fuit, & Εὐπραξία: Conjugalis vita sub *Junonis Gameliæ*, aliorumque innumerorum Deorum nominibus in veneratione fuit. Sub *Orbonæ* nomine orbitas culta est. Abeundi & adeundi libertas *Abeonæ* & *Adeonæ* nomine, pro Dea est habita. Amicitia per *Jovem Ὁμόγνιον* seu *Gentilitium*, Φίλιον & Ξένιον: Opes per *Mammonam*, apud Syros, *Plutonem* seu *Ditem* apud Græcos Romanosque, *Opem* etiam, *Tellurem* ac *Rheam*, fuere in veneratione: Quò pertinuere quoque *Pecunia*, *Æsculanus Deus* & *Argentinus* &c. Ipsa Paupertas pro Numine fuit. Ut de domo, partibus ejus, utensilibus aliisque huc spectantibus nil addam. V. Vossium *libro* 5. *cap.* 17. XXIII. Civilem quod spectat societatem, non solùm civitates urbesque Genios habuere suos, sed Roma quoque ipsa in Diis habita est, teste Livio. Unde Suetonius Augustum non passum fuisse sibi templum extrui, nisi *nomine Romæ pariter & suo*, docet Suetonius *in Augusto cap.* 52. XXIV. Legislatoria potestas *Themis* dicta est, cujus tres filiæ *Eunomia*, *Justitia* & *Pax*, Orpheo Hesiodoque memoratæ. Ipsæ Pœnæ, aliàs *Furiæ*, item *Erinnyes*, pro Diis fuere. XXV. Libertati ædem fecit T. Sempr. Gracchus, eidem ut & Jovi Victori sacræ fuere Idus Aprileis. Imò in gratiam Julii Cæsaris, qui libertatem oppresserat, Libertatis templum publica adulatio extruxit. XXVI. Concordia templum Romæ habuit, non uno loco. Cui opposita Discordia, inter inferorum fuit Deas à bello Bu-

lan

lina dicta. Et quia rerum gerendarum nervus pecunia est: Ideò XXVII. Monetæ Junoni templum Romæ vovit L. Furius Camillus Dict. quæ hinc dicta est, quòd in ejus fano pecunia cuderetur. XXVIII. Bellum quoque in Diis, sed inferis fuit, etiam sub *Martis*, *Bellonæ*, *Enyus* &c. nominibus in veneratione erat. *Veneris* quoque Συμμαχίας nomine venit, apud Mantinenses, teste Pauf. *in Arcadicis*. Facit huc *Pellonia* & *Fessonia*, quarum illa in pellendis hostibus, ista in viribus militi lasso affundendis, auxiliari credita est. XXIX. Victoria, non minùs Deorum numero fuit adscripta. Aram ejus instaurari à Theodosio poposcit Symmachus, quod non minori eloquentia Augustinus dissuasit. Nec *Venus Victrix* alia, quàm Νικηφόρος fuisse videtur, quam cum pomo & palmæ ramo effinxere Romani. Ad militiam quoque pertinet *Fortuna Equestris*, cui à Fulvio Flacco vota ædes. Paulæ pugnandi præfuere Dii *Pausi* &c. XXX. Triumphus Deus, in denariis argenteis Vulsonis apparet: in aliis quoque reperies icones Virtutis, Pietatis, Æternitatis, Religionis, Fidei, Concordiæ, Pacis, Spei, Justitiæ, Æquitatis, Clementiæ, Constantiæ, Securitatis, Victoriæ, Providentiæ, Felicitatis, Ubertatis, Liberalitatis, Munificentiæ, Indulgentiæ, Annonæ, Monetæ, Salutis, Lætitiæ, Hilaritatis, Juventutis, Pudicitiæ, Fœcunditatis, Nobilitatis, Honoris, Libertatis &c. XXXI. Pax Athenis aram, Romæ templum, habuit. Eadem *Panda* nomine culta videtur; item *Empanda*, cujus Festus meminit. Sic autem dicta est, quia pacis tempore pandantur urbium portæ. Sunt tamen, qui Cererem per Pandam intellectam velint, ut Æl. Stolo Præconinus Varronis Præceptor, sed aliter Varro ipse. XXXII. Salus publica, quæ ultimus civilis vitæ finis statuitur, & ipsa apud Romanos ædem meruit: quam extruxit Junius Bubulcus, depinxit C. Fabius hinc *Pictoris*, ut videtur, nomen adeptus. Ab ea vicina porta *Salutaris* accepit nomen. Nec a Salute populi diversa est Felicitas publica, prout nominatur in nummo Juliæ Mammeæ Augustæ. Illi ædem condidit L. Licinius Lucullus: & narrat Dio *lib.* 44. ut Jul. Cæsar istic loci, ubi fuerit Curia Hostilia, decreverit erigere templum Εὐτυχίας seu Felicitatis, ac post ejus excessum M. Lepidus illud absolverit. XXXIII. Ceterùm apud Festum etiam Dii Anculi, h. e. ministri: item Anculæ, quæ id in Deabus, quod in hominibus ancillæ &c. V. Vossium *ubi lib.* 8. & *in Orig. libris.*

Cultus rei partim spiritualis, partim corporea &c.

I. Adamus in Saturno cultus est, sicut Saturnus in Natura, quod idem de Noaho etiam dici potest. In Natura autem per Saturnum præcipuè significabatur Sol, à quo temporis mensura est. Nec Saturnus alius quàm Phœnicum Molochus, qui idem ac Natura & præcipuè Sol. Ita ergo Heros cum Naturæ genio in Saturno venerationem nactus est. II. Tubalcainus in Vulcano, sicut Vulcanus in igne, cultus est: ut eadem voce & natura Ignis & artis ferrariæ ac ærariæ repertor fuerit adoratus. III. Chami & Solis similiter cultus apud Ægyptios ac Libyes mixtus fuit. Macrobius *Saturnal. lib.* 1. *cap.* 21. *Ideo & Hammonem Deum*, inquit, *Solem occidentem Libyes existimant, arietinis cornibus fingunt, quibus maximè id animal, valet sicut Sol radiis.* IV. Javan, sive Janus, Jonibus Ἰάων, parens Græcorum, à Latinis, qui ab eo ortus, pro Numine habitus est, sed sic, ut unà cum eo Solem colerent. *Janum* quoque dictum. V. Mitsraim, Chami filius, Ægyptiorum genitor, sub *Osiridis* nomine apud posteros in veneratione fuit, sed quam cum Sole haberet communem. Porro, ut Osiris & homo & Sol, sic etiam Adonis: unde & Alexandrinis unus Osiridi Adonidique fuit honor. VI. Nimrodi seu Beli cum Sole itidem divisa devotio. Pertinet ad mixtum hunc cultum, quòd Ægyptii in duorum boum symbolis coluere tum Solem Lunamque; tum Regem Ægyptium & Josephum Patriarcham. Apis quoque symbolum fuit tum Lunæ, tum Josephi, ut hic quoque Numen geminum, unum naturale, alterum animale fuerit. Idem de Mnevi bove, in quo cum Sole Mitsraim quoque cultus, dici potest. VII. Uranus, cum cœlo sive æthere, communiter cultus est. Mixtus etiam fuit cœli & Regis Cretici, id est, Jovis Cretensis senioris, qui Cnosum condidit. Spartæ uno cultu affecti sunt Agamemnon R. & Jupiter, ac cum utroque cœlum seu æther. VIII. Mars non tantum Nimrodus fuit, sed etiam Ninus & Thurras, itidem Assyriorum Reges. IX. Liber uterque Ægyptius & Thebanus, cum Numine Solis & Liquoris in vite à Sole excocti, mixtum nactus est venerationem. Cum Sole etiam cultus Hercules, tùm antiquior ille Ægyptius sive Tyrius, tum recentior sive Thebanus. X. Æsculapii non minùs mixtus cultus fuit: Animalis quidem, quatenus id Messenio illi Epidauri incolæ nomen fuit: Naturalis, quatenus vim significavit salubrem de substantia Solis nobis subvenientem. XI. Aristæus an cum Cœlo, an cum Apolline i. Sole, cultus fuerit, in incerto est. XII. Cum Tellure interiori divinum cultum sortitus est Aidoneus sive Orcus Molossorum R. qui Proserpinam in campis rapuit Ennæensibus, ac ob præclarum scilicet facinus cum Dite sive Plutone meruit honorari. Ab Heroibus ad Heroinas transeo. XIII. In Minerva colebatur tum summus Æther, tum virgo Bœota, quam Ogygis Thebani R. filia educarat. Heroinarum aliæ tot sunt cultum cum Luna, Hespero, aut Tellure: de quibus pauca quædam subjungam. XIV. Isis à morte cum Luna culta est, unde & capiti ejus cornua addebantur. XV. Europa, Agenoris filia, cum Astarte, id est, Luna, communem nacta est venerationem. XVI. Venus, Cinyræ Cyprii R. amica, cum vi Naturæ generatricis, vel Luna, aut Hespero mixtum habuit cultum. XVII. Atergatis seu Derceto, Syriæ Heroina, Semiramidis mater, post mortem culta est cum Lunæ Nomine: item cum Nomine Telluris & Aquæ, quatenus Lunarem vim recipiunt. XVIII. Ceres, Heroina Sicula communem habuit cum Luna, Terræque vi frugifera venerationem. Quemadmodum filia ejus Κόρη seu Libera aut Proserpina, cum Terra inferiore, imò & cum Luna infera culta est. XIX. Ino filia Cadmi, cum Lucifero, vel potiùs Diluculo seu Aurora, est culta. XX. Semiramis Regina & Tellus, tanquam unum Numen colebantur: Eandem Suidas *Rheam* vocatam scribit. XXI. Acca Larentia in Flora, & Flora in Acca Larentia, id est, cum illa Tellus florifera sive vis naturæ, per quam plantæ florent, culta est &c. Præterea XXII. Sol & Nilus, res æthereæ & elementalis in eodem Osiride apud Ægyptios culti sunt. Quemadmodum in Iside simul Luna & Terra. XXIII. Sol & Humor, apud Thebanos, in Baccho divinis honoribus simul affecti sunt. XXIV. Luna & Aër, in Junone convenere &c. Addam etiam hic quædam de cultu mixto seu sociato rei Ætherea & Ætherea. XXV. Lunam & Hesperum, sive Dianam & Venerem, uno cultu venerari leguntur Persæ apud Strabonem *lib.* 15. Hinc Anaitidos templum, quod in Lydia Persarum ritu extructum erat, Dianæ appellat Pausanias *in Laconicis*: Veneris Agathias *Histor. lib.* 2. Persas secuti Arabes eodem cultu utrumque hoc sidus similiter complexi sunt: à quibus ea religio ad Saracenos derivata est; cujus reliquiæ etiamnum apud Muhammedanos supersunt. Hi enim & sextà die, Veneri sacrà, feriantur & Lunulis suis superbiunt: Etiam precatiunculæ eorum, *Deus Deus major & magna, nempe Luna & Venus Deus*, meminit Georg. Cedrenus: quam aliter paulo recenset Constantinus Porphyrogenneta. V. Vossium *lib.* 7. *passim.*

Mundi tandem Universi cultus.

I. Naturam Deum credidere Chaldæi, Medi & Assyrii, sed ita, ut non omnes ejus partes æquè esse divinitatis participes statuerent: verùm cœlum cœlestiaque corpora potissimùm. Hinc Beli apud Assyrios, Molochi apud Phœnices, Saturni; qui idem cum Jove & Apolline, apud Græcos Romanosque, cultus. II. Ægyptii sub nomine *Amun* sive *Ammonis* omnem rerum Naturam venerabantur: Nihilque aliud apud ipsos Jupiter Ammon, quàm apud Arcades Pan fuit: & apud Assyrios Belus. V. *suprà*. Iidem hanc occultam Naturæ vim etiam *Minervam* ac *Isidem* dixere. Nec obstat, quòd Isis Lunam denotaverit, namque & hæc *Natura parens* dicitur Appulejo *Metamorph. cap. undecima*. Dixere eandem *Osiridem* quoque, diverso respectu, utrumque sexum illi tribuentes. III. Pan, vetustissimum Arcadum Numen, quid aliud fuit, quàm τὸ πᾶν, hoc est, *Omne* seu *Universum*: & quia Sol in omnem Naturam imperium habet, Pan quoque Sol dicitur Macrobio. Hinc apud Athenienses, cùm triplex esset certamen, in quo lampadem alter alteri tradebat; unum in Piræo Minervæ, alterum in Ceramico Vulcano, tertium Prometheo in Academia sacrum; universa tamen referebantur in honorem Panos, tanquam Numinis universa reliqua complexi. Interim non semper Panos nomine ipsam rerum Naturam, sed & Spiritum illum Mundi hujus effectorem ac conservatorem adoratum esse, patet ex Plutarcho *lib. de defectu Oraculorum*. IV. Jupiter, ut Græcis, sic Romanis, cœlum quidem vulgò seu æthera, & aërem, insuper autem terram & aquam, & quidquid videmus, significavit. V. Apollo non semper Solem denotavit solum, sed quandoque etiam totum mundum, unde *κόσμου δύναμις, κόσμου πνεῦμα, κόσμου φῶς* Macrobio dictus est & Orpheo omnia fuit. VI. Janum *alii cælum, alii dixerunt esse mundum*, verba sunt Augustini *de Civitate Dei lib.* 7. *cap.* 28. VII. Saturnus quoque, cùm filius Urani dictus est, totius Naturæ vim ac virtutem, indigitavit: quem ex Ope, tanquam principio Naturæ corporeæ passivo, generasse fabulati sunt filios tres Jovem, Neptunum, Plutonem: totidemque filias, Junonem, Vestam, Cererem, in quos tota rerum Universitas divisa est. Aliter dein considerarunt quoque eum, quatenus tempus est temporumque conversio. VIII. Per Minervam etiam intellexisse Veteres Mentem divinam sese extendentem per Naturam universam, docet Athenagoras in *Apologia*. Quæ omnia ex Stoicorum placitis illustriora fiunt: Illis enim Mundus sive rerum Natura animal fuit divinum, constans mente divinâ & corpore mundano, cujus singulæ etiam partes Dii, vel Dei membra forent, quia divina illa mens partes singulas permearet. In rerum dein Natura omnium generationem ac corruptionem attenderunt, quæ conversio cùm esse non possit absque principii activi & passivi operatione, ratione activi considerarunt Naturam ut marem, ratione passivi verò, ut fœminam. Cùm verò dicerent, Mundum esse magnum ac

divinum animal, unum quidem Numen agnoscebant; illos verò plurimos, quos vulgus venerabatur, statuebant esse Dei seu animæ mundanæ sectiones mundano corpori permixtas, ac pro corporibus diversis diversa nomina sortiri. Sed satis de his: plura V. apud toties laudatum Vossium *de Orig. & Prog. Idol. lib. 7. à cap. 1. usque ad* 8. Quis verò tantam Deorum turbam non miretur, imò obstupescat? Quis etiam non rideat, an lugeat stultitiam Gentium, ubi videat admixta tot Numina vel ridicula, aut minuta, vel sordida quoque aut obscœna? Nec tamen æquè hac parte insanivere universi, vera enim ejusmodi Numina non esse videre sapientiores Gentilium. Interim nulli propiùs accesserunt ad veritatem, Atheniensibus, qui cùm præter sibi nota Numina etiam IGNOTO DEO aram posuissent, occasionem præbuere Gentium Apostolo, ad se de VERO DEO, verba faciendi: cui *Uni, qui solus est* OMNIA IN OMNIBUS, *sit honos, laus, gloria, decus, in sempiterna secula!*

Dii bene, formula apud Gentiles exclamandi, cum bona ominatione, quam *adominationem* dictam esse, contrariam *abominationi*, docet ex *Glossario* vet. inedito Barthius, necdum verò talium constipatoribus, notatam miratur, cùm illud alterum hinc ascendens, *Dii meliora!* longis logis illis illustratum sit. Statius *Thebaid. lib.* 12. *versu* 99.

Di bene! quòd tales stirpemq; animosq; venitis.

Contrarium, *Dii malè*, cùm rem propositam non probarent. Idem *Thebaid. lib.* 12. *versu* 99.

Dii malè, quòd positos humus alma diesq; resolvant.

Ad quem utrumque locum V. præfati Auctoris *Animadvers.*

Diisicum, insignis Monasterii nomen, quod à *S. Dio* Archimandrita Constantinopoli fundatum, *Dii* etiam nomine veniebat. Meminit Sancti hujus *Menologium* Græcum *ad d.* 19. Julii & *Martyrologium* Rom. 8. Februar. apud Macros Fratres *in Hierolexico.*

Dillenburgum, adde: Comitum Nassoviæ, per multas ætates, sedes, Auriacorum Principum eximio pari, Guilielmo & Mauritio, incunabula præbuit. Arx inter munitissimas Germaniæ, situ & operâ humanâ, meritò referenda; cum armamentario instructissimo, in excelsâ rupe: imminet oppido in valle ad Orientem Solem subjecto. Nomen à præterfluente *Dilla* fluv. Familiam Comitum quod attinet, linea *Dillenburgica* omnium stirpis Nassoviæ linearum præcipua, A. C. 1292. cœpit, ab Othone Henrici Divitis filio majori natu, cui *Dilleburgum* cessit, Walravio filio min. Weisbadensem Comitatum sortito. Pater fuit is Otho, *Dillenburgi* sedem qui primùs fixit, ex Agnete Solmensi, inter alios Henrici, qui arcem non tam vetustate, quàm incendio collapsam, ampliorem multo ac speciosiorem reddidit: Pater ex Adelheida Com. Arembergia, Othonis & Henrici, quorum hic Beilstenium obtinuit, ille *Dillenburgensem* lineam continuavit, Comitatu Viandensi, Baronatu S. Viti & parte dominii Grimbergensis, patrimonio aucto. Obiit autem A. C. 1369. relicto Johanne, qui ex Margareta filia Engelberti Com. Marcarum & Cliviæ liberos suscepit, Adolphum & Engelbertum: quorum is Dietzam avitæ ditioni adjecit, ductâ Juttâ, Gerhardi Com. Dietzensis filiâ ac hærede. Sed à filia eorum Jutta, Comitatus hic marito Com. Diepstenio ac Coninckstenio allatus est. Alter Johannis fil. Engelbertus, ductâ Johannâ, Johannis, Leccæ & Bredæ Toparchæ, filiâ, Baronatum Bredæ, à Johanne Brabantiæ D. emptum, ditioni avitæ adjunxit; defunctus A. C. 1446. Eo genitus Johannes, Comes Nassoviæ, Viandæ, Baro Bredæ, Toparcha Leccæ, Præfectus Brabantiæ; junctâ sibi Mariâ, Johannis Comit. Leccæ ac Heinsbergæ filiâ, ditiones iterum varias, ac inter eas, tertiam Juliaci agri partem, nactus est: Pater, inter alios, Engelberti ac Johannis, inter quos, cùm paternam crevissent hæreditatem, convenit, ut utricunque hæres masculus defuturus esset, ejus ditiones alteri lineæ accrescerent. Quo factum, ut Engelberto, qui non modo Brabantiæ, sed omnium per Belgium munitionum Præfectus, aurei velleris in domum Nassovicam decus intulit, Maximiliano I. Imp. percharus, sine liberis defuncto, A. C. 1504. Johannes in omnia ejus bona, quæ recentiora & in Gallico solo posita erant, succederet: Cattimelibocensi insuper Comitatu & reducto Dietzensi, avitis ditionibus adjectis. Pater hic ex Elisabetha Hassiaca, Annæ Comit. Cattimelibocensis hæredis filia, Henrici fuit, qui ditiones patrui Engelberti, ac Guilielmi, qui *Dillenburgum* & cætera in Germanico solo loca paterna nactus est. Quorum ille Arausionensem lineam primam orsus est, ex media uxore Claudia Auriacâ Renato Cabillonensi suscepto: Iste Carolo V. Cæs. à consiliis, Guilielmi qui Auriacam gloriam in *Dillenburgicam* familiam intulit, genitor, obiit A. C. 1559. ætatis 79. Ex Walpurgi, Johanis Egmondani filia, Elisabethâ & Magdalenâ; ex Johanna verò, Bothonis Comit. Stolbergii nata, Guilielmo Auriaco, Johanne suo in Germania successore, aliisque utriusque sexus susceptis. E quibus Guilielmus Renati Cabillonensis ultima voluntate hæres Arausionensis Principatus, hodiernorum Auriacorum Principum auctor est. Johannes, belli pacisque artibus clarus, Illustrem Scholam Herbornensem fundavit, Religionemque nuper repurgatam ad exteros usque promovit: defunctus *Dillenburgi* A. C. 1606. ætat. 71. Ei ex Elisabetha Liechtenbergicâ, nati sunt Wilhelmus Ludovicus, Frisiæ, Groningæ, Tendtrorum & Tubantum Præfectus, Johannes, Georgius, Philippus, Mechthilda, Ernestus, Casimirus & Ludovicus Guntherus, præter filias adhuc aliquot: ex Cunegunde Jacoba Friderici III. Elect. Palatini filia Amalia & Cunigunda, quarum illa Guilielmo Com. Solmensi nupsit: ex Johanna denique Ludovici Senior. Witgenstenii filia, Johannes Ludovicus, & quinque filiæ. Inter quorum masculos hæreditas sic divisa est, ut Guilielmo Ludovico *Dillenburgum*, Herbornâ, Dingenstenio, Ebersbachio, & Hegerâ adjectis, Johanni Sigena; Georgio, Westervvaldia; Ernesto Casimiro Dietza & Nassovia, Johanni tandem Ludovico, Hadamaria obveniret: quo pacto *Dillenburgensis* linea in quinque Comitatuum flexus secta, tot sedes Principatuum titulo futuras nobiles extruxit. Sed Guilielmo Ludovico, postquam ex Anna Guilielmi Auriaci filia nullam suscepisset prolem, Leovvardiæ Frisiorum A. C 1620. ætat. 60. extincto; Sigenensis linea, cujus Johannes auctor, inter Nassovicas, præcipua esse cœpit: Georgius verò hodiernos *Dillenburgicos* sevit, defunctus A. C. 1623. Is enim, ex Anna Amalia Nassovia, genuit Ludovicum Henricum Principem Nassoviæ *in Dillenburg*, quo, & Catharinâ Sayno-Witgensteniâ, (quæ novem annis ante maritum obiit A. C. 1651.) nati sunt Anna Amalia (*n.* A. C. 1616. ux. Ludovici Com. Wiedani primò, dein Christiani Com. *Sayne.*) Georgius Ludovicus (*n.* 1618. den. 1656. ux. Anna Augusta Brunsv.) Elisabetha (*n.* 1619.) Juliana (*n.* 1620. den. 1621.) Albertus (*n.* 1621. den. 1622.) Catharina (*n.* 1622. den. 1631.) Ludovica (*n.* 1623. den. 1666. Uxor Ludovici Com. Isenburgici) Henricus Wilhelmus (*n.* 1626. den. 1627.) Magdalena (*n.* 1628.) Adolphus (*n.* 1629. ux. Elisabetha Carola Holtzapfelia) Philippus (*n.* 1630. den. 1657.) & Maria Eleonora (*n.* 1632. den. 1633.) omnes *Principes ac Comites Nassoviæ &c. in Dillenburg.* E quibus Georgius Ludovicus, ex Anna Augusta uxore, sustulit Elisabetham Catharinam (*n.* 1639. den. 1641.) Sophiam Eleonoram (*n.* 1640.) Henricum (*n.* 1641. ex ux. Dorothea Elisabetha Lignicio-Brigensi, patrem N. Principis) Carolam (*n.* 1643.) & Ludovicam (*n.* 1652.) V. Phil. Jacobum Spenerum *Theatro Nobilit. Europ. tom. I. pag.* 82. & 163. Cyriacum Lentulum *Principum Nassoviæ Geneal. MS.* &c.

Diloris, apud Vopiscum *in Aureliano*, *Paragaudas vestes ipse primus militibus dedit: quum antea non nisi rectas purpureas accepissent, & quidem aliis monolores, aliis* dilores, *trilores aliis* &c. dicitur à numero lororum. Sunt autem *lora* in hoc genere tunicarum segmenta vestibus adtexi solita: *segmenta* dico, Nam Latini hac voce intelligunt lora aurata vel fascias auratas, vestibus & præcipuè muliebribus prætexi consuetas & eas maximè, quibus summa vestis ora prætexebatur. Aliter *panni* dicuntur, de qua voce V. infrà. Duo itaque panni seu lora vesti adsuta, *dilorem* eam faciunt, ut in illo Horatii,

Purpureus latè qui splendeat, unus & alter
Adsuitur pannus.

Sic apud Virgilium chlamys præmium victori datur, duplici mæandro purpureo ornata,

—— —— —— quam plurima circùm
Purpura mæandro duplici Melibœa cucurrit, &c.

Atque hujusmodi tunicæ Vett. jam cognitæ fuere, trilores verò, & quæ plures in circuitum zonas haberent prætextas, vel adtextas, non nisi sequior ætas admisit. Salmasius *ad Vopiscum.*

Dilutus Color, aliàs *blandus*, Græcè ὑδαρής, austero & meraco opponitur. V. suprà in voce *Austerus.* Metaphorâ desumtâ à vino: unde etiam *ebria* & *satura* dictæ lanæ, quæ multum *potavere.* Mattius *in Mimiambis*,

Et tonsiles tapetes ebrii fuco.

Alius Poëta,

Vellera, quæ Tyrios epotavere cruores &c.

Est autem *dilui*, Græcè [illegible], unde *Diluvies* & *Diluvium*, [illegible] &c. V. plura hanc in rem, apud Salmasium ubi suprà *pag.* 268. 345. &c. de *Diluvio* verò, in vocibus *Deucalion*, *Noë*, *Ogyges*, item *Pyrrha*: Hujus enim potiùs, quàm *Deucalionis*, nomine sæpe apud Scriptores venit illud, quod in Thessalia, Crotopi tempore, eodem cum Phaëtontis incendio, contigisse legitur. Unde *post Pyrrham*, apud Statium *Theb. lib. II. vers.* 469. i. post diluvium; *Pyrrhæ secula*, apud Claudianum *Bello Gildon.* &c. C. Barthius *ad Statium loco cit.*

Dimicare, propriè est sorte ac *micatione* finem imponere controversiæ. Et quidem *micare* de ea sorte dicebatur olim, quæ [illegible] per digitos subitò sub certo numero expansis: cujusmodi morem eleganter exprimit Nonnus *lib.* 33. describens certamen inter Cupidinem & Hymenæum, quos inducit miro jaculationis genere, Ganymede Brabeutâ, certare. Fuit autem *micandi* frequens usus apud Vett. in controversiis: nam etiam in contractibus, si de pretio aliave qua re non conveniret, *micando* controversiam tollebant; sic res in foro, sic carnes de lanio emebantur. Quod postea jure mutatum, cautumque est, ut sub exagio,

glo, h. e. *αὐτὸ σταθμῷ*, non *micatione*, carnes emerentur, auctore Aproniano Præfecto urbi, uti docet vetus *Inscr.* cujus initium, *Ex Autoritate Turci Aproniani V.C. Præfecti Urbis. Ratio docuit utilitate suadente, consuetudine micandi summota, sub exagio potius pecora vendere, quàm digitis concludentibus tradere* &c. V. Casaubonum *ad Suetonium Augusto cap.* 13. Inde vox extensa, ad decisionem controversiæ qualiscunque, etiam quæ pugnis, unde *πυκτεύειν* Græcis, & ferro fieret. Hinc *Dimicatio singularis*, pro monomachia, quam vocem vide. Sed & *Micatio digitorum* nonnullis lusus genus, frequens apud Græcos olim, quibus *δακτύλων ἐπάλλαξις*, de quo aliquid suprà, in verbo *Decernere*.

Dimidium, vox in re monetaria non antiqua; quæ cùm nummi speciei præponitur, *dimidium* de eo demendum docet. E. g. *Quintus dimidius solidus*, in *L.* Ripuar. *tit.* 20. est quartus solidus cum dimidio, & ita de cœteris. Simili planè modo Græci *πέμπτον ἡμιοβόλιον* dicebant, pro *duobus obolis & semis*; *ἕβδομον ἡμιτάλαντον*, pro *sex talentis cum dimidio*, uti observavit Casaubonus *ad Theophrasti Characteres*. V. Jac. Gothofredum *ad L.4.C. Th. de Suariis*, ubi *de Semidecima*, laudatum Carolo du Fresne *in Glossario*.

Diminia, vicus Bœotiæ, à Græco *διμηνιαῖος*, *bimestre*, nomen nactus, quòd in ejus agro semen in terram jactum non nisi duos menses sub illa lateat, memoratur Jac. Sponio *Itinerar. Græciæ lib.* 2. *pag.* 89.

Dimissoria Literæ, quarum mentio in *Canonibus* Concil. Afric. *can.* 106. alibique passim, *ἀπολυτικαὶ* Synodo Trullanæ *can.* 17. erant, quas Clerici ab Episcopis impetrabant, ut in alienam diœcesin transirent, in ea manerent, aut ab aliis Episcopis ordinarentur. V. Sirmondum *ad Sidonium lib.* 6. *Epist.* 8. Ferrarium *de Antiqq. Eccl. Epist. l.* 1. *c.* 8. Car. Labbeum *ad Synops. Basil. p.* 199. & *seqq.* Alios, laudatos Carolo du Fresne, ubi suprà.

Dimæritæ, à voce Græca *Διμοιρία*, i. *divisio*, cognominati sunt Apollinaristæ Hæretici, quòd, cùm priùs cum Arianis asseruissent, Verbum Divinum in Incarnatione Animam non accepisse; postea ex textu Evangelii convicti, faterentur quidem suscepisse Animam, sed intellectu carentem, cujus vicem Divinitas suppleret, hinc Christum *Dominicum Hominem* appellantes, Gregorius Naz. *Epist.* 1. *ad Cledonium*, apud Car. Macrum *Hierolex*. V. quoque Joh. Forbesium *Instructionum Historico-Theologic. lib.* 1. *cap.* 1. §. 6. & suprà, ubi de *Christomachis*.

Dimoto incedere, apud Lactantium quid sit, V. infrà *Summoto*.

Dindyma, adde: *Sacrum* speciatim hunc montem vocat Papinius Statius *lib.* 1. *Sylv.* 1. *vers.* 9. quòd in eo primùm homines *ἐχ θεοῦ κάτοχοι*, *Numine afflati* perhibeantur. Biceps autem is, cum quo proin minimè confundendus mons unius verticis in Cyzico Ins. ei cognominis, eidemque Numini sacer, uti videre est apud Scholiastem Apollonii *lib.* 1. *versu* 985. V. de utroque Casp. Barthium *Animadvers. ad Statium dicto l.*

Dinochares, celebris Architectus, Templo Dianæ Ephesiæ ultimam manum imposuit, sub Alexandro M. cùm prius, quod Herostrati scelere conflagraverat, à Chersiphonte fuerat extructum. Idem paucis pòst annis Alexandriam in Ægypto metatus est, hinc *Ptolemaicæ aulæ conditor* Ausonio dictus in *Mosella*,

> *Conditor hic forsan fuerat Ptolemaidos aulæ*
> Dinochares, *quadro cui in fastigia cono*
> *Surgit & ipsa suas consumit pyramis umbras.*

Etiam Arsinoës Templum inchoavit. Plin. *l.* 34 *c.* 14. *Eodem lapide* (*magnete*) *Dinochares Architectus Alexandriæ Arsinoës templum concamerare inchoaverat, ut in eo simulachrum ejus è ferro pendere in aere videretur intercessit mors & ipsius Ptolemæi, qui id sorori suæ jusserat fieri.* Alii *Dinocratem* vocant, sed meliores libri Plinii, præter locum modò dictum, ut & Ausonius, ut vidimus, *Dinocharem* appellant. V. de eo plura apud Salmasium *ad Solinum pag.* 812. & *seqq.*

Dinummium, seu *Dinummium* vectigal, quod fisco vel Reip. præstabatur Alexandriæ, pro mercibus, quæ importabantur vel exportabantur, à præstationis quantitate & modo, ut videtur, appellatum, in *l. un. C. de Alexandr. Primat. lib.* 11. Glossæ vett. *Binio*, *διπλοῦν*. Gall. *Double*. V. Salmasium *ad Solinum pag.* 1169.

Diocæsarea, urbs Asiæ min. adde: Salmasio eadem videtur esse cum Laodicea ad Lycum, quamvis diversas illas faciat Ptolemæus; Et quidem primò *Διόπολιν*, dein Laodiceam, tandem *Διοκαισάρειαν*, composito nomine ex *Jove* & *Cæsare*, à Polemone, Zenonis Rhet. filio, in gratiam Augusti, dictam esse, docet *ad Solinum pag.* 818. V. in vocibus *Diospolis* & *Laodicea*.

Diocles, Agitator celebris, in vet. *Inscr.* in qua trigarum, in curuli certamine, mentionem factam, observat idem Autor *Ibid. pag.* 100.

Diocletianus, Imp. adde: Palatii ejus, quod amplissimum habebat Spalati, rudera egregio commentario illustravit Jac. Sponius *Itiner. Part.* 1. *pag.* 103. & *seqq.* ubi delineationem quoque ejus æri incisam exhibet.

Diocmitæ, apud Capitolinum *in Marco*, *Latrones etiam Dalmatiæ atque Dardaniæ milites fecit. Armavit & Diocmitas. Emit &* *Germanorum auxilia* &c. & Ammianum *lib.* 17. Scaligero pro *Decimatæ*, à Docimeo, Phrygiæ urbe; Salmasio verò, dicti sunt *ἀπὸ τοῦ διωγμοῦ* sicque appellati videntur levis armaturæ, adeoque expediti, & ad persequendum fugitivos, aut latrones, idonei milites: quos & *Διῶκτας* appellabant. Certè Marcellinus, *genus semiermium*, inquit, *hominum*, *quos* Diocmitas *appellant*. Salmasius *ad Capitolin.* *Διωγμίτας* vocat Metaphrastes in *Vita* Athanasii.

Diodorus, Thebanus, multiforatilis tibiæ auctor, Polluci: quod inventum alii Pronomo, nonnulli Antigenidæ, Thebanis itidem, tribuunt. V. Salmasius *ad Solinum pag.* 120.

Diodotus Tryphon, piratici dominatus primus auctor Cilicibus, ab Antiocho Demetrii in castello quodam conclusus & ad mortem adactus est, Strab. Mansit tamen hæc *πειρατεία* Cilicum & in tantum progressu temporis crevit, ut Romani missis exercitibus & Imperatoribus suis eam evertere dignum habuerint. Salmasius ubi suprà *pag.* 770. & 771.

Diœcesis, Græcè *Διοίκησις*, dicebatur plurium provinciarum inter se copulatarum præfectura. Balsamon *in can.* 9. *Concilii Chalcedon.* *Διοίκησίς ἐστιν ἡ πολλὰς ἐπαρχίας ἔχουσα ἐν ἑαυτῇ*: quarum quælibet suas habebat Metropoles; quæ singulæ regebantur à Comitibus & Vicariis; plures verò unà & simul à Præfecto Prætorio. Earum mentio frequens in *Cod. Theodos.* & *Justin.* apud Marcellinum item, qui *Tractus* vocat. Autor Constantinus M. fuit, qui totum Imperium Rom. in IV. *Diœceses* distribuit, nempe *Italiæ*, *Illyrici*, *Orientis* & *Africæ*; è quibus vetus Imperium CP. duas medias integras comprehendit, Macedoniam nempe, Daciam, Orientem in specie sic dictam; Ægyptum, Asiam, Pontum & Thraciam: hodiernum verò Turcicum, tertiam insuper, Africam sc. complectitur. V. Bertenium *lib.* 1. *Pith. cap.* 2. & Jacobum Gothofredum *ad l.* 3. *Cod. Th. de Med.* & *in Topogr. ejusdem Cod. part.* 1. Atque inde manavit, ut *Diœceses* dicerentur potissimùm provinciæ, quibus præerant Metropolitani vel Archiepiscopi, ut in *Concilio* Chalcedon. *can.* 28. Has instituisse S. Dionysius Episc. Rom. dicitur Anastasio in *Vita* ejus. Postmodum verò abusivè sic dici cœperunt Episcoporum districtus, qui proprio vocabulo *Parochiæ* indigitantur passim. V. Car. du Fresne *Glossar.* Hinc *Diœcetes*, Gr. *Διοικητὴς*, apud Hegesippum, cui *Diœceses* à Constantino, ut diximus, institutæ, notiores erant, quàm procurationes apud vet. Aulam Rom. est Diœceseos alicujus administrator, Prætorio Præfectus, *lib.* 1. *cap.* 44. V. Joh. Fridericum Gronovium *Observ. in Eccl. cap.* 16. Minoris dignitatis erant *Diœcetæ*, de quibus Anastasius *in Ecclesf. Histor.* ubi vox *Administratores* in genere notat. *Diœceta Ergasiotanorum*, *l.* 5. *Cod. de Episc. aud.* & *in l. Cod. Th. de Alexandr. pleb. Primat.* vocantur, qui operariis & artificibus præerant. Sed & *Diœcetæ*, publicani, h. e. Collectores tributorum ac vectigalium sunt, Leoni *Nov.* 61. Theophani *in Chron.* Aliis. Unde legimus in *Epist.* Hadriani Pontif. ad Carolum M. in *Cod.* Carolino 92. *Missi Græcorum duo Spatharii Imperatoris cum Diœcet'n, quod Latinè Dispositor Siciliæ dicitur* &c. His præerat *Μέγας Διοικητὴς*, cujus dignitatis meminit Cantacuzenus *lib.* 3. *cap.* 14. & Codinus *de Officiis*. V. Jac. Gothofredum *ad l.* 1. *prædictam*. Car. du Fresne *Glossar.*

Diognetus, Pictor insignis, sub quo pingendi artem didicit Marcus Imp. Capitolino: an idem cum *Diogneto* Philosopho, cujus ipse Marcus meminit *de Vita sua*. V. Casaubonum & Salmasium *ad Capitolinum*, ut & in voce *Diognetus*.

Diogenianus, Tzetzi in *Vitis* Philosophorum citatur, qui vulgò *Diogenes*.

Diognetus, pugil, Cretensibus olim in veneratione fuit, teste Ptolemæo Hephæstionis *lib.* 5. qui addit, honore hoc eum dignatos, quia non alia de causa excidisset coronæ præmio, quàm quia adversarius, quem vicisset, nomen habuisset Herculis. Tanti enim illis Hercules erat, ut etiam ad ignominiam ejus pertinere arbitrarentur, si aliquis vinceretur *Herculi* cognominis. V. Vossium *de Idololatria lib.* 1. *cap* 14.

Diomedea Ins. adde: Specie & magnitudine erodiorum esse has aves, ab omnibus traditum. Forma earum, juxta Ovidium:

> *Ut non cygnorum, sic albis proxima cygnis.*

Imò non erodiis solum similes, sed & *erodios αὐτόχρημα* esse, legas apud Stephanum, item Antigonum *in Mirabil.* Unde Servius, *hodieq; Latinè Diomedeæ vocantur. Græci erodios dicunt.* V. de illis Auctorem sæpius laudatum ubi suprà *pag.* 92. & 93. *Ἀντίψυχοι* Græcis eædem avesdictæ sunt, quòd sanguine suo quotannis manibus *Diomedis* parentarent. Sic enim vocabantur Græcis, qui pro alio devovebantur & alieni Fati vicarii sua sponte mortem obibant, *animam pro anima* reddentes. Salmasius *ad Spartianum in Hadriano*. Plura de his avibus V. apud Sam. Bochartum *Hierozoici Part. poster. lib. II. cap.* 37. ubi illas *ἐρωδιοὺς* seu *ardeas* esse, eruditè probat.

Diomedes, Ætoliæ R. adde: Juxta ostium Timavi nemus ac templum habuit. Strabo *lib.* 5. *ἐν αὐτῷ δὲ τῷ μυχῷ τοῦ Ἀδρίου καὶ ἱερὸν Διομήδους ἐστίν, ἄξιον μνήμης, τὸ Τίμαυον.* Qui paulo pòst subdit, *Diomedi* apud Venetos equum album sacrificari consuevisse. Eundem,

dem, in Picena quoque regione pro Numine fuisse, Scylax Caryandensis auctor est in Peripl. ... Post Daunitas, gens est Umbrorum: in q. ea est Anconurbs. Hæc verò gens colit Diomedem, cui ille beneficit: ac ibidem ejus est Fanum. Imò & in insulis quinque, quæ ex adverso Marucinorum ac Pelignorum sitæ sunt, atque ab eo nomen accepere, *Diomedeæ* dictæ, cultum esse, discimus ex Theophrasto *Hist. Plant. lib.* 4 *cap.* 7. ubi platanum non esse in Adria, præterquam circa *Diomedis* delubrum, tradit. V. quoque Plinium *lib.* 10. *cap.* 44. & Augustinum *de Civ. Dei lib.* 8. *cap.* 16. qui posterior de eo sic habet: *Diomedem fecerunt Deum, quem pœna divinitus irrogatâ, perhibent ad suos non revertisse: ejusq; socios in volucres fuisse conversos. Quin etiam templum ejus esse aiunt in Insula Diomedea, non longè à monte Gargano, qui est in Apulia: & hoc templum circumvolare atq; incolere has alites, tam mirabili obsequio, ut rostrum aquâ impleant & aspergant: & eò si Græci venerint, vel Græcorum stirpe progeniti non solùm quietas esse, verùm & supervolare: si autem alienigenas viderint, subvolare & capita eorum, tam gravibus ictibus, ut etiam perimant, vulnerare.* Nempe, ob adulterium uxoris cùm domum reverti nollet, in Italiæ loca varia concessit, inque Apulia consedit: ubi Argyrippam sive Argos Hippium sive Arpos (uti & in Hirpinis Beneventum ad Equum Turicum) condidit, Gerh. Joh. Vossius *de Idolol. lib.* 1. *cap.* 40

Diomedis Custodia, carcer in Urbe CP. stante Imperio Græcorum, Exilium S. Martini Papæ *in Collectaneis Anastasii Biblioth. à Sirmondo in* 8. *edit pag.* 94.

Diomia adde: Nomen ei à *Diomo*, Herculis familiari, qui ibi Templum & Festum habuit suo honori dedicatum. Gr. Διόμεια, V. Meursium *de Pop. Attic.*

Dion, Laconiæ Rex, Orphes, Lycus & Caryæ pater, ex Iphithea, memoratur Servio *ad Eclogam.* 8. V. suprà *Carya.*

Dionysiaca Saltatio, quæ aliàs *Pyrrhica*, quoque dicta est, quòd in ea Liberi Patris apud Indos gesta saltarent; postquam vizeam nimis laboriosam priùs, posteri mitiorem fecere, pro lanceis, thyrsos, pro jaculis ferulas atque etiam lampadas, adhibentes, accinenteaque simul pulcherrima carmina, nec non ex tibiis ὄρθιον νόμον. J. C. Scaliger *Poetices lib.* 1. *cap.* III.

Dionysias, gemmæ nomen, apud Plinium, *nigra ac dura, missis rubentibus maculis; quæ ex aqua trita, saporem vini facit, & ebrietati resistere putatur, lib.* 37. *cap.* 10. Ad quem locum V. Salmasii *Exercitationes ad Solinum pag.* 718.

Viri celebres.

Dionysius Alexandrinus, Poëta insignis, tempore Veri Imperatoris, Salmasius *ad Spartianum, in Severo.*

Dionysius Carthusianus, adde: Dictus *de Leevvis*, aliàs *Richelius*, ex oppido ejusdem nominis, Hasbaniæ municipio, ditionis Leodicensis, juxta S. Trudonis oppidum, Carthusianus professione domus Bethleem in Ruremunda. Operæ ejus 12. Volum. extant. De eo Swertius, *Tanta*, inquit, *fuit operum ejus moles ut multitudine librorum superaverit S. Augustinum, & quod mireris, propriâ omnia manu.*

Dionysius Exiguus, V. infrà *Exiguus.*

Dionysius Milesius, Κυκλογράφος, stylo pedestri mythistoriam continuavit, Poëta falso viris doctissimis creditus. Ejus meminere sæpius Apollodorus & Scholiastes Apollonii. V. quoque Tzetzem *Chil.* 12. & plura de eo apud Salmasium *ad Solinum pag.* 847.

Dionysius Samius, scripsit περὶ Κύκλου, Athen.

Dioptæ, Græcis Διόπται & Διοπτῆρες, iidem cum *Curiosis* & *Speculatoribus*, quos vide.

Dioptra, Græcè Διόπτρα, instrumentum varii usus, ab Hipparcho excogitatum, memoratur Plinio *lib.* 2. *cap.* 26. Illius ope & fastigium aquæ explorabant, eamque librabant, & propugnaculorum acturrium altitudinem venabantur, singularumque stellarum loca atque magnitudines, & invicem distantias signabant Veteres. Quod cœlum metari dixit Ovidius, *radio describere*, Virgilius. Sic & groma *instrumentum diopticum* fuit, quo recturas limitum ac viarum, tam in castrorum, quàm in agrorum metatione instituenda, dirigebant. Unde *conspectus & conspiciendi rigoris*, tàm frequens apud Agrimensores mentio, in ea mensuræ ratione. Propriè verò Διόπτρα vitrum est seu specular, quod διάφασιν facit, uti nomen ipsum indicat, unde διοπτρ... lapis, ὁ διαφανής; sicut Κάτοπτρον, Speculum est. Nempe Διόπτρα est *specular*, per quod; Κάτοπτρον, *speculum*, in quo videtur: illud διάφασιν, illud ἔμφασιν facit. Hinc de vitreo speculari Symposius *in tit. Ænigm.* 68.

Perspicio penitus, nec luminis arceo visus.
Transmittens oculos intra mea membra meantes.
Nec me transit hiems, sed Sol tamen emicat in me &c.

Salmasius *ad Solinum pag.* 59. 672. & 821. Idem τὴν Διοπτρικὴν, tertiam Astronomiæ partem, à quibusdam constitui, monet *pag.* 656. In Musæo Kircheriano Romæ, varia exhibentur *Dioptrica* experimenta. *Inter quæ mireris Christi resurgentis effigiem sine omni subjecta materia comparere: Avicula, intra aquam caveam, garrulam luxuriari & circumsilire ita, ut intra aquam nutiquam madefias &c.* verba sunt Georgii de Sepibus *in Descript. ejus pag.* 39. ubi *Dioptricam*, Opticæ speciem, prosequitur. V. quoque suprà in voce *Anaclastica.*

Dioscoriani, Hæretici, V. ubi de *Eutychianis.*

Dioscuri, adde: Ædem seu templum iis Romæ vovit extruxitque bello Latino A. Posthumius Dictator, an U. C. 257. quòd victoriæ auctores ac nuntii Romanis fuissent. Conditum autem in Foro fuit, ubi visæ eorum imagines, vicinusque fons iis ibi dictus est. Ædem dein vetustate collapsam refecit de manubiis hostium L. Metellus, à Dalmatis subactis, *Dalmaticus* dictus. Quamvis autem utrique consecratum templum esset, tamen vulgò plerumque Castoris tantùm aut Castorum templum fuit appellatum. Unde jocus M. Bibuli, apud Suetonium, qui, cùm C. Cæsaris in Consulatu collega esset, & cum eo communi impensâ venationes ac ludos ederet, omnium autem illarum impensarum ac munificentiæ gratiam solus caperet Cæsar, dixisse fertur: *idem sibi, quod Polluci evenisse.* Historiam apparitionis *Dioscurorum in* prælio, de quo suprà, prolixè refert Dionysius *lib.* 6. V. quoque Livium *lib.* 2. & Florum *lib.* 1. *cap.* 11. Iidem etiam aliàs pro Romano Imperio excubuisse crediti sunt. Unde in bello Macedonico, *eodem die quo victus Perses in Macedonia, Romæ cognitum est*, verba sunt Flori *lib.* 2. *cap.* 12. *Duo juvenes candidis equis apud Juturnæ lacum pulverem & cruorem abluebant: hi nunciavere. Castorem & Pollucem fuisse creditum vulgò* &c. Cujus dæmoniaci miraculi, ut loquitur Freinshemius *in hunc locum*, meminere & Lactantius *lib.* 2. *cap.* 8. Valerius Max. *lib.* 1. *cap.* 8 ex ... Plut. *Æmilio* &c. quibus adde Plinium *lib.* 7. *cap.* 20. & Suetonium *in Nerone, à princ.* Rei memoriam quoque servant veteres denarii & nummi A. Albini C. T. quos percusserat in memoriam ... ilius A. Albini, qui Dictator an. U. C. 257. Latinos devicit. Nam in altera parte referunt Romæ Deæ caput, cujus ... laurea cingit, cum inscriptione, *Roma*. In altera visuntur Castor & Pollux pileati, stantes cum hastis erectis, ex cratere sive fontis receptaculo potum equis suis præbentes: cum inscriptione, *A. Albinus Sp. Fil.* Quales se Delphis vidisse, memorat Blanckardus *Notis in Flor. cap.* 11. *lib.* 1. Tigurino quoque bello, *eodem die*, inquit idem Florus *lib.* 3. *cap.* 3. *quo gesta res est, visi pro æde Castoris ac Pollucis juvenes laureati Prætori literas tradere: frequensq; in spectaculo rumor, Victoriæ Cimbricæ feliciter dixit* &c. Nec omittendum, quòd Gemini hi navis, in qua Paulus Apostolus vectus, tutela & parasemon fuere, unde & Διόσκουροι ea vocata est, Actor. *cap.* 28. *vers.* II. V. infrà in voce *Parasemon*, item *Tutela.*

Diospolis, adde: In celebri illa Ægypti urbe, vitrum murrinum, ad imitationem murrinorum verorum, fieri solitum, discimus ex Arriano, ubi ὑάλου μοῤῥίνης meminit, quæ ibi confici assueverit. Quod non de illa pretiosa murra, quæ ex Carmania & India advehebatur, sed de vitro veram murram mentiente, intelligi omnino convenit. Salmasius *ad Solinum pag.* 204. Sed & *Diospolis* primùm vocata est urbs Phrygiæ, quæ postea Laodicea dicta, tandem Diocæsareæ nomen accepit. Namque quod eam *Jovis jussu*, oraculo Apollinis vel somnio monitus, Antiochus condiderit, Διόσπολις, q. *Jovis civitas*, appellata est: ab ejusdem postea uxore Laodicea, nomen nacta; tandem verò in Augusti honorem *Diocæsarea* vocitata est, uti vidimus supra, in voce *Diocæsarea.*

Diospyros, apud Plinium *lib.* 27. *cap.* 11. ex Græco Διὸς πυρὸς, *Jovis frumentum*, genus cerasi, quod Romanis *duracinum*, Gallis *bigarreau* dicitur. Huic enim principatum ii, non secus ac Romani, inter cætera dedere, unde tam nobile nomen. Quemadmodum iidem Διὸς βαλάνους, *Jovis glandes*, vocavere castaneas, ut in glandium genere excellentissimas. Et Διὸς γάλα, *lac Jovis*, Euripidi lac præstantissimum dicitur:

Καὶ τυρὸς ... ἐστὶ καὶ Διὸς γάλα.

Excellenti certè & eximiâ suavitate fructus id cerasi genus insigne est, quod *duracinum* Latinis, quia & carnem & nucleum cæteris cerasorum generibus duriorem habet. Salmasius *ad Solinum pag.* 958.

Diostra, lucta vert. Græcis d... est, ... ut ... ab ...; ... enim in lucta præcipuè locum habebant; imò lucta nil aliud est, quam ... Hinc ... recentiores fecere Græci & ..., unde Gallicum *jouste*. Salmasius *ad Capitolin. in Pio.*

Dioxippus, inter Alcimachi, clari Pictoris, opera memoratur Plinio *lib.* 35. *cap.* 11. *Alcimachus Dioxippum, qui Pancratio Olympiæ, citra pulveris jactum, (quod vocant aconiti) vicit*; sub *pinxit*. V. de hoc Dioxippo Ælianum *Hist. lib.* 10. *cap.* 22. & *lib.* 12. *cap.* 58.

Diphthera, adde: Propria servorum olim, cum exomide, vestis fuit. Unde apud Aristophanem *Vespis* conqueruntur urbani senes, Philocleonem herum à servis suis domi clausum, sub custodia teneri, oblitis munerum quæ ab eo acceperant, neque enim illos subire memoriam Διφθερῶν καὶ Ἐξωμίδων, quas ipsis emerat &c. Ubi *Diphtheram* quidem Vett. Grammatici vestem ex corio sive pellibus interpretati sunt, quæ propria Pastorum & Agricolarum. Idem Comicus *Nubib. Ubi grandior eris, capellas agito è Phelleo, ut & Pater tuus Diphtheram indutus ..., scortean vestem indutus.* Ubi Scholiastes ... reddit, id est, *sagum ex pellibus, quod exomidi injiciebatur.* Quòd autem vi-

horum

liorum tegmen esset, propterea chlamydi, ut & ῥάκος & tribonium opponebatur, Lucian. *Timone*, *Pro molli chlamyde hanc Diphtheram sibi paupertas circumponis.* Ibi enim Timon ad inopiam redactus, σισυρνοφόρος διφθερίας, terram exercet: atque idem infrà à Jove ὑποδιφθερος, item διφθερίας dicitur, h. e. *sago pelliceo amictus.* V. quoque Dion. Chrysostomum *Orat.* 72. & Philostratum *in Heroic.* Polluci tamen *lib.* 7. *Diphthera dicitur tunica stricta cucullum habens.* Sed potuit quidem & tunica ex corio confici, propriè tamen de sago sive veste exteriori *Diphthera* nomen sonat: quam βαίταν quoque vocat Theocritus *Idyllio* 3. & 5. Has verò pelles caprarum fuisse, docet Varro *de R. R. lib.* 2. *cap. ult.* Fuitque harum vestium usus in ingenuis quoq; tempore pluviæ, ut scortex pænulæ, apud Romanos. Unde Anaxagoram, profectum in Olympiam, sudo ac sereno cœlo, sedisse ἐν διφθερίῳ, quasi brevi erupturâ pluviâ, sicque evenisse, narrat Laertius. Philostratus eandem rem referens *lib.* 1. *cap.* 2. ὑπὸ κώδιον vocat. V. Ferrarium *de Re Vest. p.* 208.

Diplois, Gr. Διπλοΐς, *pallium duplex*, Cynicorum olim vestis. Antipater *de Diogene* (qui hinc Διπλοειμένος dictus est) *Cui una pera, una Diplois.* Et infrà, *Baculus & pera, & duplex amictus.* Latini *duplicem pannum* vocarunt. Horatius enim *lib.* 1. *Epist.* 17. de eodem Diogene,

— *Quem duplici, inquit, panno patientia velat.*

Quid autem pallium διπλοῦν, seu *duplicare*, dixerint Græci, exponit Oct. Ferrarius, *de Re Vestiar. Part.* 2. *lib.* 4. *cap.* 19. Cùm nempe tunicâ Cynici carerent, necesse habuerunt, cum humero brachium exerentes, totam pallii partem dextram sinistro humero injicere, ut retro ad pedes caderet atque ita totum corpus involveret & constringeret, ut, nisi detraheretur, dilabi non posset. Quod *duplicare pallium* vocarunt, quemadmodum fuse ad Tertullianum Viridocti demonstrarunt. Habitus auctorem primum fuisse Antisthenem, docet Laërtius, ubi Diogeni tunicam petenti, mandasse πτύξαι θοἰμάτιον, i. *complicare* seu *duplicare*, ait. Idem tamen ex aliorum sententia Diogenem moris auctorem facit, primumq; cum pallium duplicasse, *ob necessitatem*, ut dictum, *& ut in eo cubaret*, narrat &c. Interdum tamen *Diplois* pro pallio communi usurpatur. Ita enim Eusebius *lib.* 7. *cap* 18. de statua Christi Domini atque Hæmorrhoissæ, Διπλοΐδα, inquit, κοσμίως περιβεβλημένον, *Diploidem seu Pallium decenter indutum.* Figuram Cynici duplicato pallio involuti, Româ ab Illustri Puteano sibi transmissam, inseruit idem libro præfato *l. c.*

Diplomata, apud Suetonium *Augusto cap.* 50. *In Diplomatibus libellisq; & epistolis signandis initio Sphinge usus est*: literæ sunt indices ac testes concessi beneficii abeo, qui præest Reip. Sic *Diplomata civitatis Rom.* dicuntur eidem *Nerone*, codicilli, quibus delatum erat jus civitatis: Et Apollonius Tyaneus *Diplomata* vocat, quibus Euphrates commendabatur Regionum & Urbium Præfectis. *Epist. ad eum*: Græcè διπλᾶ. Maximè verò sic appellabantur literæ, propter publicum cursum dari petique solitæ. Nomen inde, quòd formabantur in modum tabellarum duplicium: cùm aliæ literæ Principum, quibus aliquid jubebatur aut vetabatur, ἁπλᾶ γράμματα dicerentur, unde ἁπλῶν βασιλικῶν γραμμάτων, & διπλῶν βασιλικῶν διαλέξεων, apud Eusebium *lib.* 8. In illis porro, quidquid occasione illorum acciperetur, adnotari solebat, ut ex Epist. Apollonii *cit.* discimus; neque encausto solùm decorabantur, sed etiam ex solida materia, putà argento vel auro, nonnunquam fiebant, unde appellata χρυσόβουλλα; & διπλᾶ σφραγῖδα, apud Themistium *Orat.* 4. &c. V. Casaubonum *ad Suetonium d. l.*

Dipsacus Vett. aliàs Διψὰς ἄκανθα, *Spina sitiens*, quæ, quòd in confinio Arabiæ & Ægypti nasceretur, modò *Arabica*, modò *Ægyptia* dicta est, caput echinatum seu echino simile habuit, & proin carduus fullonius nonnullis creditur esse, quam *virgam pastoris* vulgò vocant. Recentiores certè Græci vocem sic usurparunt. Nicomedes, Δίψακος, ἀγριοτεάζελον, ὅπερ ἔγνωσαν οἱ Καπαδόκες, V. de illo Plinium *lib.* 14. *cap.* 11. & Salmasium *ad Solinum passim.* Aliàs *Dipsas* anguis genus est seu serpentis aquatilis, cujus morsus inextinguibilem sitim affert vix ullis remediis sedandam, de quibus eundem V. Plinium *lib.* 23. *cap.* 8. & *lib.* 32. *cap.* 5. ut & in voce *Dipsas*.

Dipsas, serpens, adde: In Ægypto & Arabia frequens, morsu sitim excitat inexplebilem, unde nomen. Est autem viperæ similis, vix dodrantalis, albo corpore, caudâ gracili, duabus lineis nigris insigni, quam incedendo sursum attollit; Aliter *causon*, & *prester* & *melanurus* & *ammobates* & *centrides*, dictus: de quo, præter Nicandrum & Medicos, V. Ælianum *Histor. lib.* 6. *cap.* 51. Lucianum *de Dipsadibus*, Nazianzenum *Jambico* 32. Epiphanium *in Marcosiis*, Isidorum qui *situlam* Latinè vocat; Solinum, qui in genere aspidum perperam eum censet, Sam. Bochartum *Hierozoici Parte poster. lib. III. cap.* 8 ubi vocem Hebr. *tsimmaon*, Deut. *cap.* 8. *versu* 15. non esse *Dipsadem*, sed δίψαν, *sitim* vel *siticulosum locum*, pluribus docet &c.

Diptagus, in *Chart.* quibusdam vett. apud C. du Fresne *Glossar.* pro δίπτυχον, *Diptychum*, occurrit. Erant autem Δίπτυχα, tabellæ plicatiles, geminas se pandentes ac porrigentes: *in quibus amores scribebantur*, Papias. Quem in usum triplices etiam tabellæ fuere, imò & polyptychæ, unde Gallorum *Pulctios* vel *Puletas*. De duplicibus certè Ovidius, ubi conqueritur, inanes suas tabellas rediisse,

— *vos ve duplices pro nomine sensi.*

Postea *Diptycha* Consulum, Quæstorum & majorum Magistratuum, eorum nominibus inscripta & imaginibus adornata, tabellæ erant, quas ipsi ad amicos mittebant, vice apophoreti, in Magistratus initi symbolum. Cujusmodi *Diptycha* tria repræsentat, cum imaginibus eorum ac inscriptionibus, Alex. Wilthenius *Comment. de Diptycho Leodiensi cap.* 1. & 7. & aliud egregium Consulare du Fresne *in Syntagm. de Nummis Impp. CP.* Ecclesiæ tandem vox propria facta est, observataque doctis tria *Diptychorum* in Ecclesia Græca genera, *Episcoporum* nempe, *Vivorum* & *Mortuorum*. Et quidem *Diptycha Episcoporum*, aliis *Tabellæ Episcopales*, Synod. Laod. 14. Κανών, Cyrillo ἱεραὶ δέλτοι, item κατάλογος τῶν Επισκόπων, dicebantur, in quibus Episcoporum vitâ functorum, qui Ecclesiam sanctè rexerant, nomina exarabantur; eorum præsertim, qui præ aliis vitæ innocentiâ inclaruerant, aut martyrii gloriam fuerant adepti. Horum memoria in solennibus precibus celebrabatur, ad superstites in imitationem eorum accendendos: unde sequiori ævo divorum invocatio occasionem traxit, V. suprà in voce *Canon*. Quia igitur scribi in *Diptychis*, erat quodammodo inter Sanctos collocari; ita ex iis deleri, erat aboleri ex hominum memoria & perpetua infamiâ notari: quod in Hæreticis potissimùm aut Schismaticis, vel etiam aliquâ vitæ labe infectis (qui Episcoporum [illegible] errore in *Diptycha* irrepserant) contigit, ut de Cyro, Sergio, Paulo, Pyrrho, Petro, Athanasius in *Agathone*; de Theodoro Mopsvest. Justinianus *in Edicto de Fide Orth.* de Teotgaudo & Gunthario, Hincmarus Rem. *Opusc.* 17. ad Nicolaum Pontif. testantur. Sed & interdum Ecclesiarum Præsules, vel hæresi infecti vel odio ducti Orthodoxorum Episcoporum nomina, vicissim eraserunt. Ita apud Victorem Tunn. *in Chron.* Petrus Patr. Antiochenus, *nomina Proterii & Salafatiarii de Ecclesiasticis Diptychis sustulit & Dioscori & Helluri, qui Proterium interfecerant*, eorum loco inscripsit: quod postmodum Synodi CP. decreto iterum mutatum. *Diptycha Vivorum* dicebantur ea, in quibus exarabantur nomina eorum, qui Ecclesiasticam aliquam functionem obibant; Imperatorum item, Augustarum, & aliorum dignitate conspicuorum; eorum porro, qui oblationes faciebant; plebis tandem populique mentione additâ. Quibus successu temporis accessere *Diptycha Mortuorum*, eorum nempe omnium, qui in fide obdormierant; pro quibus Deum orabant. Quorum nomina recitabantur, non tamen omnium, sed eorum solùm, quæ Sacerdoti à Diacono indicabantur. *Liturgia* S. Marci, Ὁ διάκονος τὰ δίπτυχα τῶν κεκοιμημένων, *Diaconus Diptycha eorum, qui obdormierant*, sc. legit. Cui sacerdos se inclinans, apprecatur, Καὶ τούτων, dicens, πάντων τὰς ψυχὰς ἀνάπαυσον Δέσποτα Κύριε ὁ Θεὸς ἡμῶν ἐν ταῖς τῶν ἁγίων σου σκηναῖς &c. *Et horum omnium animabus dona requiem dominator Domine Deus noster, in sacris tuis tabernaculis.* Quem usum mox amplexata est Romana Ecclesia, ut testatur Alcuinus: *Post illa verba, quibus dicitur, In somno pacis, usus fuit antiquorum, sicut etiam hodie Romana agit Ecclesia ut statim recitarent è Diptychis nomina defunctorum.* Memoria verò illa, quæ in Communione eadem hodieque peragitur, in Missa, post consecrationem, in hæc concipitur verba: *Memento etiam Domine famulorum famularumq; tuarum ill. qui nos præcesserunt cum signo fidei & dormiunt in somno pacis. Ipsis Domine, & omnibus in Christo quiescentibus, locum refrigerii, lucis & pacis, ut indulgeas, deprecamur*, apud Gregorium M. *In libro Sacram.* Quæ quidem oratio à Sacerdote sacra faciente, inter ipsa Missæ solennia, recitatur; At in Ecclesia Græca legebantur *Diptycha*, à Diacono, ad Altare: quibus lectis Sacerdos adprecabatur iis, quorum nomina recitata fuerant, ut vidimus: variè autem, pro varia Diptychorum parte. Nam cùm vivorum & defunctorum recitabãtur nomina, Sacerdos pro iis Deum deprecabatur: cùm v. Præsulum aut aliorum pietate illustrium virorum, tunc Populus iis acclamabat, dicendo, *Gloria Tibi Domine*, ut videre est in *Synodo* V. Oecum. &c. Nec omittendum in *Diptycha* quoque relata fuisse IV. prima Concilia, i. eorum titulos, *Nicænum* viz. I. *Constantinopolitanum* I. *Ephesinum* & *Chalcedonense*, uti docent Acta Synodi CP. è quorum Canonibus conflatus est Codex Canonum Ecclesiæ Catholicæ, de quo suprà. Erant & alia verò *Diptycha*, ut recèns baptizatorum & susceptorum &c. sed de illis V. Gerh. von Mastricht IC. *in Schediasmate de Susceptoribus infantium ex Baptismo*: item Rosvveidum *in Onomastico ad Vitas Patrum*, Cardin. Bona *Rer. Liturgic. lib.* 2. *cap.* 12. & Stephanum Baluzium *ad Capitul. pag.* 1129. laudatos Car. du Fresne *Glossar.* qui inter alia de *Diptychis* hisce egregia, voce *Diptycha*, casulam quoque seu planetam, vestem Sacerdotis sacra peragentis, nonnunquam intelligi, docet ex Hier. Rubeo *Histor. Ravenn. lib.* 3. *sub ann.* 515. ubi de casula Diptychorum imaginem referente, quæ in sacrario Classensi asservetur, multa.

Diptycha, V. hic suprà.

Dipylon, una ex Athenarum Urbis portis, quæ *Porta Thriasia* priùs, quòd per eam illò iretur, dicta est. V. de illa Jac. Sponium *Itinerar. Græciæ Part.* 2. *pag.* 195. præter Autores cæteros, qui de rebus Atticis scripserunt.

Dira,

Dira, adde: Ex Græco Δῖραι, *n.* in *r.* mutato; Græcis tres, geminæ Latinis erant, & precibus evocabantur inhostium perniciem. Unde carminis genus, quod imprecationes explicaret, eodem nomine nuncupatum est. Itali vocant *Desperatum carmen*: Cujusmodi permulta gravia legimus atque illustria, inprimis apud Virgilium *ad Battarum*, Ovidium *in Ibin*, Catullum in Ariadnæ conquestione. V. etiam in 4. *Æneid.* & quæ fundit Statianus Oedipus, sumpta de Græcis Tragicis. Item Senecæ Theseus ex Euripide; Hypsipyle Jasoni in Medeam &c. *Feralia vota*, Statius appellat *Thebaid. lib.* 11. *pag.* 344. Eorum enim votum omne in malis, monstris, morbis, suppliciis, exiliis, interitu, Scaliger *Poëtices lib.* 1. *cap.* 53. Formula solennis, quâ inimicos suos discedentes prosequebantur, *abeas nunquam rediturus*: Sic dirarum adventitiâ Solem ortum excepisse, & similibus imprecationibus digressum ejus & occasum lacessivisse, Atrantes vel Atarantes pop. Africæ, refert Mela &c. V. Salmasium *ad Solinum pag.* 411.

Dire, adde: Δειρή, i. *Cervix*. Sed & ἡ κατὰ Δειρὴν dicebantur fauces & angustiæ Arabici Maris, à quibus adhuc conductum mare, usque ad prom. Mossylum, ubi trajectus 200. ferme stadiorum est: Tum demum mare expanditur & aperitur ingens. Patebant illæ non plus, quàm in stadia sexaginta, h. e. octo millia passuum. Strab. *lib.* 16. Atque hucusque progressus est Sesostris, non verò usque ad Mosylicum Sinum, uti tradit Plinius *lib.* 6. *cap.* 29. Qua de re V. Salmasium *ad Solinum pag.* 1265. ubi Promontorio huic Δειρῇ, ex adverso in Arabico littore, Ocelim respondere, addit.

Directaneus, in *Reg.* S. Aureliani ad Virg. *cap.* 40. *Ad Lucernarium*, directaneus *parvulus, id est, Regina terræ cantate Deo— Quotidianis verò diebus ad Nocturnos inprimis* directaneus *dicatur, Miserere mei Deus*, alibique passim: dicitur Psalmus vel Hymnus, unico vocis tono, sine modulatione dictus pronuntiatusque; quem psallendi modum primitivam Ecclesiam maximè probasse, docet Isidorus *de Eccl. Offic. lib.* 5. *cap.* 5. & Joann. Sarisberiensis *Policratici lib.* 1. *cap.* 6. quorum hic, *Proinde quidam*, ait, *venerabilis vir, circiter septingentarum Monialium Pater, hanc Monasteriis suis præscripsit Legem, ut omnia earum cantica totius melica pronuntiationis exuant modos, & ut solâ Psalmorum ac Laudum sint significativâ pronuntiatione contentæ. Suspecta equidem fuit Viro sancto voluptati cognata mollities* &c. Hinc *Psalmus in directo* dictus, est qui non solenniter, sed sine modulatione antiphonæ pronuntiatur, apud Amalarium *lib.* 4. *cap.* 48. & in *Statutis* Sempringham. apud du Fresne *Glossar.*

Directarii, dicti qui in alienas ædes dirigebant, furandi gratiâ. Glossæ, *Derectarius*, ὁ εἰς τὰς ἀλλοτρίας οἰκίας ἐπὶ τῷ κλέψαι εἰσερχόμενος ἐκεῖνος, quæ interpretatio ab Ulpiano est, qui *lib.* 9. *de Offic. Proc. Directarios* ita exposuit. In iisdem Glossis, *Derectarii*, exponuntur εἰσπηδητῶντες & εἰσελθόντες & τοιχωρύχοι. *Dirigere* nempe absolutè positum est in medium procedere. Vopiscus *in Probo*, *Occisi sunt præterea multi* (leones) *qui dirigere nolebant, sagittis.* Tertullianus *in Scorpiaco*, *Nam & rursus ad Apostolos dirigit.* Sic apud Appulejum, *in aspectum dirigere.* Nec multo secus apud Manilium *lib.* 1.

In cujus caudam contento dirigit arcu
Mixtus equo, volucrem missurus jamque sagittam.

Idem *alibi*,

Cancer in ad versum capricorni dirigit *astrum*, &c.

V. Salmasium *ad l. cit. Vopisc.* Propriè verò *dirigere*, *in duas rectas & aquales partes scindere*, ac dissecare. Plautus, *Clypeatus elephantum ubi macharâ dirigit.* Titinnius apud Nonium, *pernam totam dirigit* &c. Unde Festi abbreviator, *dirigere apud Plautum invenitur pro discindere.* Hinc itaque potiùs *Directarii* dicti, qui fores effringerent ac dirigerent: Διορύκται, Basilio in *Epist.* usque eos cum latronibus jungit. Idem *ad Solinum p.* 1191.

Direptio, aliquando militi concessa, aut in populatione, aut post prælium oppidive expugnationem, ut signo dato discurreretur, antiquis seculis rarius occurrit. Occurrit tamen. Namque Suessam Tarquinius militi diripiendam dedit: castra Æquorum Q. Servilius Dictator: Vejos urbem Camillus: castra Volscorum Consul Servilius. Permisit & *direptionem* L. Valerius in agro Æquorum, Q. Fabius fusis Volscis, captaque Ecetrâ, mox alii sæpe. Victo Perseo Paulus Consul spolia jacentis exercitus peditibus, equitibus prædam circumjacentis agri permisit. Idem ex S. C. diripiendas dedit militi Epiri urbes, ut Athenas Sulla, Lucullus Tigranocerta, Severus Ctesiphontem &c. apud Livium, Dionem, Appianum. Ponitque Cicero inter modos acquirendi dominii, si quid ex hostibus captum sit, cujus prædæ sectio non venierit, *de Invent. lib.* 1. Qua de re quid sentiendum, V. Hug. Grotium *de Jure Belli & Pacis lib.* 3. *cap.* 6. §. 18. Interdum verò concessa *direptio*, quòd impediri non posset. Sic in expugnatione Cortuosæ, Hetruscorum oppidi, narrante Livio *lib.* 6. *publicari prædam Tribunis placebat, sed imperium, quàm consilium, segnius fuit, jam militum præda erat, nec nisi per invidiam adimi poterat.* Gallogræcorum quoque castra à C. Helvii agmine *direpta*, contra Ducis voluntatem, legimus apud eundem *lib.* 38. &c. Ad cujus verò direptionis militaris imitationem, *Direptionis venatio* instituta est, Heliogabalo auctore, de quo Spectaculi genere, V. infrà in voce *Sylva*. Sed & si quis Consuli aut Prætori non obtemperabat, apud Romanos, fabri res mittebantur, qui *supellectilem ejus diriperent*, [illegible] *eum coërcerent*, ut ait Cic. e quo insuper discimus, fabros, si adtus non pateret, solitos adhiberi & publicis operis [illegible] bari. Ad quem coërcitionis modum respicit Suetonius *Cæsare cap.* 17. *Vettium pignoribus captis & direptâ supellectile multatum— conjecit in carcerem*, ubi V. Casaubonum.

Diribitores, dicti sunt olim Romanis, qui in Comitiis tabellas ministrarent populo suffragium inituro; quarum una scriptum erat: *Utirogas*, duobus tantum primis elementis *U.R.* Alterâ *Antiquo*, unicâ etiam literâ *A.* idque hoc ordine. Sortitione inter Tribus & Centurias de prærogativa factâ, Magistratus in Tribunali, quod erat in campo Martio, sedens, per præconem vocabat Prærogativam centuriam ad suffragium: quæ de loco, in quo consistebat, in septum prope Tribunal, *Ovile* dictum, discessura ibat per pontes, qui erant augustæ viæ cò ferentes. Horum in initio stabant *Diribitores*, qui tabellas præfatas singulis ministrabant. Tum ingredientibus in Ovile Rogatores proponebant cistam, in quam conjicerent eam, quam vellent tabulam. Postquam dein totius centuriæ tabulæ collectæ, tum educendis suffragiis Custodes adhibebantur, quorum erat describere suffragia, id est, tot puncta in tabella notare, quot tabellæ similes reperirentur &c. Nomen itaque iis à *diribendo*, i. distribuendo. Translata dein in convivia vox, & *Diribitores* apud Appulejum *Milesiar. lib.* 2. audiunt, qui aliàs *Structores* & *Carptores* dextrè dissectos cibos conviviis dividerent. V. Joh. Rosinum *Antiqq. Rom. lib.* 5. *cap.* 14. & Thom. Dempsterum *Paralipom. in ejusdem lib.* 5. *cap.* 19. Hinc *Diribitorium*, quale Romæ ab Agrippa mirandæ artis inchoatum, perfecit post ejus obitum Augustus & publicavit, Dio *lib.* 55. *ad ann. U. C.* 757.

Diris, Vitruvio, fluv. est, qui ex montis Atlantis Septentrionali latere ortus, in decursu, *Nigri* nomen assumit, Salmasio alius à Nigro, & ipse tamen ingens, per Garamantas Æthiopas fluit, & sub terram absconditus Nubam paludem efficit. *Giris* auctori Tabulæ Peut. aliis *Siris*, Ptolomæo Γεὶρ. V. Autorem præfatum, *ad Solinum pag.* 420. & 421. ubi hæc nomina *Nigris*, *Giris*, *Diris* & *Siris* sæpe confundi, seu potius hæc flumina cum Nilo, & ex Hebr. שחור *Schicor*, quo Nilus indigitatur, Æthiopes linguâ suâ fecisse *Schihri*, hincque *Siris* & *Giris* vel etiam *Diris* corrupta esse, contendit.

Disares, memoratus Tertulliano *Apologet. cap.* 24. *Unicuique etiam provinciæ & civitati, suus Deus est: ut Syriæ Astartes, ut Arabiæ Disares*: Arabum fuit Numen, *Dusares* Stephano sive Hermolao Byzantio dictus, ubi ait, Δουσάρη, σκοπελὸς καὶ κορυφὴ ὑψηλοτάτη Ἀραβίας εἰσὶ δὲ ἀπὸ τοῦ Δουσάρου θεοῦ [illegible] Ἀραβίας καὶ Δαχαρηνοὶ τιμῶσιν, *Dusare, locus Arabiæ sublimis. Sic verò à Dusare vocatus, qui Deus Arabibus & Dacharenis cultus.* Qui Dachareni Felicis Arabiæ populus, aliter *Nabathæi* dicti sunt. Ejusdem Numinis, ac pariter Obodæ, meminit idem Tertullianus *adv. Nationes lib.* 2. *cap.* 8. quem Obodam Numen animale, ac Regem in Deos relatum fuisse, docet Gerh. Joh. Vossius *de Idolol. lib.* 2. *cap.* 8. *sub fin.* V. quoque in voce *Dysares*.

Discalceati, V. infrà *Nudipedes*.

Discedite, formula dimittendi concionem, apud Romanos sicut, *Nihil vos moramur Patres Conscr.* Senatum. Extat apud Tullium & Tit. Livium non semel. Casaubonus *ad Capitolinum in Marco*.

Discernentes, Sectarii in Hispania memorati in *L.* Wisigothorum *lib.* 12. *tit.* 2. §. 2. ubi disputationes de Fide prohibentur: *Nullus antiquorum Patrum impugnationibus suis sacras definitiones irrumpat: nullus modernorum* Discernentium *congruentes fidei tractatus spernat.* Sic Διακρινομένους quosdam habet Codinus *in Origin. CPolit.* apud Car. du Fresne *Glossario*.

Discerniculum, apud Lucillium,

Explicamo digiti, discerniculumque, capilli.

Nonio *acus est, quæ capillos mulierum ante frontem dividit.* Aliàs *discriminalis acus*, V. suprà in voce *Acus*. Ornatus autem ipse, quo capilli sic dividuntur, *Discrimen* appellatum est, ut infrà dicemus.

Disciplina, index doctrinæ est, Tertull. *de Præscript. cap.* 43. Hinc illa astricta olim admodum & severa in Ecclesia fuit, cujus ordinem sic describit Cyprianus, *Agunt pœnitentiam justo tempore, & secundùm disciplinæ ordinem ad exomologesin veniunt, & per manus impositionem Episcopi & Cleri jus Communionis accipiunt, lib.* 3. *Epist.* 14. Distinctiùs Concilium Quini-Sextum *cap.* 87. ubi 4. pœnarum Canonicarum gradus recensentur: *A Patribus nostris statutum est, ut qui sunt ejusmodi, annum defleant, [illegible] tur, sequentur* [illegible] *biennio audiant* [illegible], *triennio substernantur, septimo cum fidelibus consistant* [illegible] *bis mereri. Et sic oblatione digni habeantur* [illegible]. Quod de pœnitentibus intelligendum. Impœnitentes autem tum *Abstensione* tum *Excommunicatione* feriebantur.

ticbant, qui si post multiplices ac fraternas admonitiones totq; amoris circa fratrem laborantis specimina & formas, per Scripturarum [illegible] tandem peracta, *ligati* eousque detinebantur, donec resipuissent: quo casu per gradus præfatos in Ecclesiæ sinum recipiebantur denuo. *Clavium potestatem* Spiritus S. vocat in Evangelio, similitudine ab Oeconomorum & Administratorum domus El. *cap.* 22. *vers.* 22. aut à Doctorum Legis, qui inter alia *clavium traditione* creabantur, Luc. *cap.* 11. *vers.* 32. aut etiam à Janitorum officio, deducti, Ezech. *cap.* 44. *vers.* 5. V. de illa Jo. Forbesium *Instructionum Historico-Theologic. lib. XII.* Franc. Burmannum, Alios. De *Disciplina* verò *Domestica*, & *Militari*, infrà in voce *Quaria*, & ubi de *Militibus*. In *LL.* Wisigothorum vox passim occurrit, pro flagellatione vel aliâ pœnâ, ex Judicis decreto infligi solitâ. Apud Monachos itidem flagellatio est, interdum virgæ ipsæ. *Flagelli disciplina*, in *Reg.* S. Aureliani *cap.* 41. De qua sic Liber Ordinis S. Victoris Parisiensis MS. *cap.* 33. *Si aliquis disciplinam accipere debeat, erigens se super genua, modestè vestimenta [illegible], deinde procumbens à cinctura deorsum eisdem vestimentis tectus remaneat, & sic jacens aut prorsus taceat, aut hoc solummodo dicat, Mea culpa, ego me emendabo. Sed neq; alius interim loquatur, nisi fortè aliquis de Prioribus pro eo intercedat, usque ad jussionem Abbatis. Qui dum cessaverit, adjuvet illum fratrem ad induendum: qui indutus & erectus non se moveat, donec Abbas dicat, Ite sessum: & tunc inclinantes eat in locum suum. Hoc etiam sciendum, quod ille, qui inferioris gradus est, non debet verberare superiorem — sed æqualis æqualem, vel superior inferiorem* &c. V. Car. du Fresne *Glossar.*

Discipuli, Græcè Μαθηταὶ, dicti sunt, qui postmodum *Christianorum* accepere nomen. *Actor. cap.* 11. *vers.* 26. Ἐγένετο — χρηματίσαι πρῶτον ἐν Ἀντιοχείᾳ τοὺς μαθητὰς Χριστιανούς. *Factum est — ut Discipuli nominarentur primùm Antiochiæ Christiani.* Ad differentiam sc. aliorum Discipulorum Hæreticorum, ut refert Athanasius, *quia Dosutheus, Juda & Joannes, qui antea fuerant Apostolorum Discipuli, invenerunt falsa dogmata, Religioni Christianæ contraria* &c. V. Macros Fratres in *Hierolexico*.

Discoboli, dicebantur olim, qui *disco* vicissent, quod unum erat è quinque ludis, in stadio exerceri solitis. Se exercebant autem *Discis* milites, uti Homerus de Myrmidonibus, quos Achilles ducebat, scribit *Il. μ.* & Athletæ, tum in Gymnasiis, tum in publicis certaminibus: quod ut meliùs percipiatur, notandum, penès Scriptores varia *discum* significasse. Suidæ fuit instrumentum rotundum, quod aliquando adeò grave erat, ut vix ab uno homine elevari posset. De quo videtur locutus Solon apud Lucianum, ubi interrogatus, numquid *in Gymnasio globum quendam jacentem æneum atq; teretem, in parvi scuti figuram formatum, neque lorum neq; balteum habentem*, vidisset, *qui gravis & comprehensu difficilis erat — manu sursum extortum in aërem aliquos jaculari consuevisse* subjungit. Aliquando figuram Solis corpori similem habuit, unde *Discus Solis* apud Alexandrum Trallian. *Problem.* 2. Eadem voce dicta est quadra rotunda, quâ epulæ in mensas ferebantur, unde δισκοφόρος. Postremò, instrumentum significabat, de quo hic sermo. Quod quale fuerit, exponit Eustathius ὁ Παρεκβολεὺς *ad Il. λ.*

Δίσκοισιν τέρποντο:
Ludebant discis:

Hoc inquit: Δίσκος ἦν λίθος βαρὺς, ὃν ἐῤῥίπτουν οἱ γυμναζόμενοι, τὸ δὲ σιδηροῦν σόλον ἐκαλεῖτο, *Discus fuit lapis gravis, quem exercentes se projiciebant; ferream enim massam vocabant.* Cui suffragari videtur Martialis *lib.* 14.

Splendida cùm volitant Spartani pondera Disci,
Este procul pueri, sit semel ille nocens.

Alii, quibus Mercurialis accedit, credunt, *Discum* fuisse laminam quandam trium vel quatuor digitorum crassitie, longiorem paulo plus pede; aliàs lapideam, alias ferream, (æneam quoque, ex sepulchro Marci Mannii Philopatris Athletæ, in via Salaria) cujusmodi majorem partem, ne, dum ex alto rueret, frangeretur, fuisse putant planam, quasi lentis speciem referentem, quam in aërem projiciebant, sed modo à jaculorum missione diverso. Siquidem in mittendis jaculis brachia pandebant, mox seorsum impellebant; contrà in *Disco* manu ad pectus adductâ, atque extrorsum & deorsum reductâ, rotationis instar illum in aërem ejaculabantur, uti docet Propertius *lib.* 3.

[illegible] *Missile nunc* Disci *corpus in orbe rotat.*

Figuram hanc præter Dioscoridem, lenticulam Δίσκον nominantem, probat *Discoboli* marmorea statua, quæ hodie Romæ, in ædibus Joh. Baptistæ Victorii servatur: Alterius item *Discoboli* brachium lapideum, hodie in Magni Tusciæ Ducis ædibus *Pittis* vocatis asservatum: è quibus similiter ejaculandi modum intelligere licet. Quibus statuis similes alias duas *Discobolorum* fuisse verisimile est: quarum unam ex ære Myronem fecisse, aliam Tauriscum pinxisse, refert Plinius *lib.* 35. *cap.* 11. [illegible] etiam *Discorum* formam fuisse, ex eo conjicias, [illegible]. Discum vocat *orbem æneum*: & in M. [illegible] quibusdam Apolloniæ Illyrici excusis, hujusmodi [illegible] repræsentatur, in quo *Discum* quadram quandam [illegible] in medio perforatam fuisse, apparet, ut ex quarum [illegible] iconem apud præfatum Mercurialem *de Arte Gymnast. lib.* 2. *cap.* 12. videre est. Neque illud prætereundum, in hoc lusu, artificio, ut Pindari ostendit Interpres, fuisse omninò opus, ne jaculatores laude frustrati deriderentur, & damna afferrentur spectatoribus; uti inter alia Hyacintho contigit, quem à Phœbo hoc modo interfectum esse, docet idem. De *Disci* Medico usu, V. apud eundem Mercurialem *lib.* 5. *cap.* 10. Simile huic, alterum fuit exercitationis genus, quod ἁλτῆρες Græci, Latini etiam *Halteres* appellarunt; de quo dicemus infrà *suo loco*. Hic saltem, *Disci* Halterumque diversam figuram, Halteresque variis contorsionibus altiùs actos; *Discum* verò, etsi in altum projiceretur, tamen longitudinem spatii jactatione peracti potiùs mensum fuisse, eo ferme pacto, quo hac tempestate faciunt, qui sese in lateribus oblongis projiciendis exercent, monuisse sufficiat. V. infrà.

Discophorus, cogn. Abacuc Propheta, apud Hieronymum, & Sebastiani, inter Sanctos relati, in *Vita* S. Deicoli Abbatis Lutr. *cap.* 1. *num.* 4. quòd ille Danieli, iste pauperibus sanctisque cibos attulerit. Est enim *Discophorus*, seu *Dishifer*, idem quod *Dapifer*, in *Glossis* Ælfrici, Gall. *Maitre d'Hostel*. Sic *Discoferæ*, in Monasteriis fœminarum dicuntur ministræ mensarum, discos ferentes. *Discus* enim quid sit, notum; Cæsarius Arelat. Episc. *ad Oratoriam Abbatissam*, apud Car. du Fresne, ubi suprà. V. quoque Macros Fratres in *Hierolexico*.

Discretæ, in Monasteriis Sanctimonialium, quibus rerum secretiorum incumbit cura, quæ ad secretiora consilia admittuntur: ut *Fratres maturi*, in Virorum, apud eundem *Glossarii* Auctorem.

Discrimen, apud Ovidium,

Longa probat facies capitis discrimina puri.

Græcè διάκρισις & διακρίσιον, simplicissimus fuit ornatus capitis, capillis in duas partes per medium caput tæniis divisus. Hinc *puri capitis* addit, ut caput sic simpliciter discriminatum ab alio mulierum ornatu operosiore distingueret, qui etiam discrimen acus admittebat. Nempe, ut ex Tertulliano *de Virgin. vel.* discimus, mulieres omnes crines à fronte divisos gestabant (quo à Virginibus distinguebantur, quæ cirratæ erant) nec omnes tamen *discrimen* illud *puri capitis affectabant*. Sed & verba hæc accipi possunt de capillo tantùm pexo ac dentibus pectinis discriminato; πεκτὴν καὶ διακεκριμένην τρίχα Græci dicunt: quæ alium non admisit ornatum, præter pectinis discriminationem, non calamistris intorta, non in cumulum nodata, non spiris convoluta, nec structuris ædificata, quæ omnia comendi crinis genera longam faciem non decent. Sic *terram discrimine pectitam* vocat Columella *in Horto*, quæ rastri dentibus, quasi pectine, polita ac discriminata est:

Verùm ubi jam puro discrimine *pectita tellus*
Deposito squallore nitens sua semina poscit.

Certè ornatum hujusmodi capillorum, διάκρισιν κατεψηγμένων τριχῶν vocat Pollux, in describendo habitu personarum Comicarum, quibus τὰς περιεσγμένας καὶ ἀναδέσεις opponit. Sic tribus generibus διάκρισις crinium fiebat, *vittâ*, *acu*, *pectine*. Et quidem eadem acu capillum distinxisse & à fronte divisisse, moxq; comptum ac distinctum per annulos & fertas crinium fixâ eâ & insertâ, ne dissiparetur tota compago, retinuisse comptiores videntur. Isidorus verò acum *discriminalem* à *crinali* distinguit. Qua de re V. Salmasium *ad Solinum pag.* 759. & *seqq.* nec non suprà passim.

Discum, Græcè δίσκος & δισκάριον, dicitur Græcis, vas sacrum, in quo hostiam, ut vocant, consecrandam & consecratam ponunt Presbyteri, quod Latinis *Patena* vocatur: sed Græcorum *discus* lancis profundioris figuram habet, V. *Liturgiam* S. Chrysostomi, Johann. Damascenum *in Synodica ad Theophil. Imp. Chronicon* Alexandr. *pag.* 892. &c. Hinc *δισκοκάλυμμα*, *operculum disci*, velum quo sacer discus operitur, apud Anonymum *in Descr. S. Sophiæ*.

Discumbendi ritus, V. suprà *Accumbendi ritus*.

Discurrere, dicuntur Missi, qui mittuntur in provincias, qui inde *Missi discurrentes* passim appellantur, item *Discursores*, in *Edicto* Chlotarii II. R. apud Car. du Fresne *Glossar.* Sic Rectores *discurrere* dicuntur *l.* 5. *Cod. Theod. de Off. Rect. prov.* cùm intra provinciæ suæ fines per villas, ad querelas provincialium excipiendas sese conferunt. *Discursus Judicum*, memorat Senator *lib.* 5. *Epist.* 14. apud Eund.

Discus, cujus jactus in ludis solennibus olim apud Græcos certatum, in Pentathlo inprimis, seu Quinquertio, erat βαρὺς λίθος, *gravis lapis*, ut habet Glossogr. Græcus, seu rotunda quædam moles saxea, vel etiam plumbea, sive ferrea, quam qui altiùs in sublime, aut longius in tractu ultra designatam projecisset metam, victor fuit. Videtur fuisse figurâ planâ ac rotundâ, quali Solis corpus nobis apparet, quod Græci quoque δίσκον propterea vocant. Hunc itaque saxeum plerunque orbem nudi oleoque peruncti; ut & reliqui omnes athletæ, in altum contorquebant. Propertius *lib.* 3. *Eleg.* 13.

Missile nunc disci corpus in orbe rotat.

Torquebatur autem amento è crinibus facto, ut Claudianus innuit *l.* 2. *in Eutr.*

Quis meliùs vibrata puer vertigine molli
Membra rotet, vertat quis marmora crine supino?

Totam lusus hujus rationem eleganter expressit Ovidius *Metam. lib.* 10. *Fab.* 5.

Corpora veste levant, & succo pinguis olivæ
Splendescunt, latiq; ineunt certamina disci,
Quem prius aereas libratum Phœbus in auras
Misit & oppositas disjecit pondere nubes.
Decidit in solidam longo post tempore terram
Pondus & exhibuit junctam cum viribus artem &c.

Ejus jactu Hyacinthum ab Apolline, vel potiùs Zephyro hujus rivali, qui vehementi flatu discum in pueri caput diverterat, occisum ibidem Poeta refert. V. Thom. Dempsterum *Paralipom. in Joh. Rosin. Antiqq. Rom. lib.* 5. *cap.* 1. Meminit quoq; Διςκοβολίας hujus Horatius *Carm. lib.* 1. *Ode* 8.

—— —— —— *sæpe disco*
Sæpe trans finem jaculo nobilis expedito.

Ludi enim hoc genus Romani a Græcis acceperunt: cujus certamen apud Homerum habes *Iliad.* ψ. *sub finem* ubi Ajacem à Polypœta victum refert: & *Odyss.* θ. ubi Ulysses in hoc ludi genere Phæacenses exsuperasse legitur. E jactu *Disci* crepitus edentis aere cedente, cujus auditu discipulos ab auditione Philosophorum, qui in locis vicinis profiterentur, avocari solitos fuisse, refert *Cic. de Orat. lib.* 2. *Auditores Philosophorum audire discum quàm Philosophum malunt.* V. quoque Lucianum *in Anacharside*, & plura de hoc ludo, apud Fabrum *Agonistic. lib.* 2. *cap.* 1. Barthium *ad Statium* passim, & suprà in voce *Discoboli.* Nomen παρὰ τὸ δίσκειν, quod est *βάλλειν, projicere*: Usus verbo est Pindarus *Olymp.* Od 10 *antistr.* 4.

Μῆκος δ' Ἐνικεὺς ἔδικε πέτρῳ
Χερὶ κυκλώσας ὑπὲρ ἁπάντων,
Καὶ συμμαχίᾳ θόρυβον
Παραίθυξε μέγαν.
Sed longè Enic-us projecit lapidem
Discum, rotata manu super omnes,
Et sodalitio tumultum
Commovit magnum.

Discus, pro lance, κύκλῳ, Græcis πιζοχάφεις, Polluci, Hesychio, aliis; hincque propter clypeorum (κύκλοι enim Græcis Poetis etiam clypeus est) & *discorum* similitudinem, clypeata imago. Et quidem ejusmodi imaginem vocat Pollio *in Tetrico Jun.* discum Paulus silentiarius, in *Ecphrasi* Templi S. Sophiæ, ubi *discorum* meminit, in quorum medio erant Christi D. N imagines: *Missoria argentea anaglypha*, vocat Constantinus Porphyrog. V. Salmasium *ad Treb. Pollionem l. c.* ut & in *Casaubon*, ac suprà in voce *Clypeus.*

Discussores, in *Glossis* Isidori, *Examinatores*, dicti sunt Cognitores & Disceptatores rerum Fiscalium ab aliis tractatarum, seu qui in provincias extra ordinem mittebantur, examinaturi & investigaturi, quid tributorum nomine esset exactum, quid in reliquis resideret, quo, adeò provinciales ad reliquorum solutionem cogerent, de quibus plenè in *Cod.* Theod. & Justin. *tit. de Discussoribus*, qui ab *Inspectoribus* forte non alieni, de quibus infra. In *L. Wisigoth. lib.* 2 *tit.* 1 §. 34 *Discussores* juramenti sunt, missi à Principe in provincias, ad excipienda subditorum sacramenta fidelitatis, cum de novo ad Regale fastigium eveheretur, apud du Fresne *Gloss* Gerh von Mastricht JC. & Logothetas in Imperio CP. politicos, qui rationes fiscales seu publicas cognoscebant, disceptabant & discutiebant, *Discussores* nonnunquam appellari, ait *Hist Jur. Eccl.* n 292.

Dismam, apud Plinium *lib.* 37. *cap.* 7. genus fardæ, à magnitudine sic dictum, ex Græco δισμμα, quòd duæ σφραγῖδες ex eo fieri possent: μμα namque & σφραγὶς idem, & μμα, annuli gemma, Hesych Certa nempe magnitudo deligebatur in gemmis, ut ad annulos aptari possent, uti docet ex Theophrasto, ubi de chalcedoniis gemmis, Salmasius *ad Solinum pag.* 183.

Diserti, sæpius victores, coronatis foribus, olim ornabantur. C. Paschalius *Coronar. lib* 8. *cap.* 7. V. infrà ubi de *Rhetoribus.*

Dishypatus, nomen nobilissimæ Familiæ Byzantinæ, ortum ex dignitate hujus nominis illustri in Imperio CPolitano, de qua tamen Eruditis non multum liquet. Suidas Dictatori Rom. eam appellationem tribuit, q. *duplicem potestatem habenti.* Δισύπατος enim vi vocis *Bis-Consul* est. V infra *Dissipatus.*

Disloceuse, apud Plinium *lib.* 9. *cap.* 37. ubi purpuram pelagiam in varia genera dividit, pabulo & solo discreta, *Lutense* — *Algense* — *Taniense* — *Calculense* — *Ad longè optimum purpuris Disloceuse, id est, vario soli genere pastum*: Purpuræ genus est, quod vagum fertur & sedes subinde mutat; cùmq; lutense in luto semper hæreat, algense circa algam solùm vivat, tæniense melius utroque, sed etiamnum vilius ac dilutius calculensi, calculense optimum conchyliis tingendis fuerit quæ dilutior ac pallidior erat purpura, ad purpuras inficiendas optimum *Disloceuse* omnium q; præstantissimum habitum est. V. ad hunc locum, Salmasium *Exercitat. ad Solinum pag.* 1133. & infra ubi de *Purpura.*

Dismam, ex Græco δισώματος, q. *duplicis corporis*, frequens in antiquis monumentis, Romæ præcipue, V. suprà *Bisomum.*

Disparagare, apud Matth. Paris A. C. 1236. *Puellas nobiles — wardis, ac maritagiis, quas dant suis, disparagant*: est imparis conditionis genetisque duos matrimonio copulare. Invaluit enim jam olim apud Romanos, aliosque consuetudo, ut viri nobiles uxores sibi non jungerent, nisi pari natalium splendore illustres, ne, si abjectæ conditionis fœminis commiscerentur, generis nobilitatem turpi contubernio contaminarent: imitatione vett. Romanorum, ut videre est in *Nov. Theod. de Matribus*, *quæ se propriis servis junx.* Hinc apud Wisigothos lex fuit, *ut puella nobilis, quæ honestatis suæ oblita — ad inferiorem fortè maritum devenerit, portionem suam — quam de facultate parentum fuerat consecuta, vel consecutura, amitteret.* Quod ipsum de Saxonibus testatur Adam Bremensis *cap.* 5. de Francis, Gregorius Turon. *Histor. lib.* 3. *cap.* 31. de aliis Alii. Et quidem *LL.* Francorum, ut & Anglorum, Scotorum aliorumque, licebat Domino Feudali superiori puellam nobilem, cujus ex lege Tutor erat, cum ad legitimam ætatem pervenisset, quæ ad annum 14. definiebatur, matrimonio, dummodo compar esset, copulare. *Charta* Libertatum Angliæ A. C. 1215. apud Matth. Paris: *Hæredes maritentur sine disparagatione.* Apud Littletonem *sect.* 103 *Si hæres seu pupillus nobilis infra ætatem 21. annorum sit, Dominus tutor illius erit, & illum elocare poterit* &c. Quod si Dominus secus fecisset, hæredemque puerum seu puellam impari matrimonio junxisset, mulctabatur, apud Eund. *sect.* 107. Sed & per *Statuta* Hierosolym. seu *Assisias cap.* 190. & *seqq.* poterat Dominus mulierem viduam vel puellam, quæ 12. ætatis annum excesserat & feudum Militare, aut corporali, ut aiebant, servitio obnoxium, possidebat, ad matrimonium compellere, dummodo non impar esset &c. V. Car. du Fresne *in hac voce.*

Dispensatio, Latinis quibusdam Patribus, Hilario *lib* 11 *de Trinit* Vigilio Tapsensi *lib.* 1. *c. Eutycheten*, Joanni Antiocheno, apud Facundum Hermian. *lib.* 7. *cap.* 5. Alios, per excellentiam dicitur, quæ οἰκονομία eodem modo Græcis. *Oeconomia* quoque Hieronymo *Epist. ad Oceanum*; dispositio nempe Dei & providentia, qua vocare Gentes ad verum sui cultum & Ecclesiam suam, per Incarnationem, Nativitatem Mortem & Resurrectionem Christi, salvam facere decrevit. V. quæ de voce *Oiκονομία*, adnotavit Henr. Valesius *ad Eusebium Histor. Eccl. lib.* 1. *cap.* 1. Aliter vox sumitur, apud Augustinum *Epist.* 8 9. & 19. ubi disserit contra Hieronymi interpretationem, de Petro reprehenso à Paulo, id quod non verè, sed simulatoriè, & per quandam *honestam dispensationem* & *dispensatoriam* quandam *hypocrisin*, gestum scriptumque esse, scripsit Hieronymus *in ad Galat. cap.* 2. & *Epist. ad Augustin.* Item apud Leontium, ubi Dominum, *se nescire diem iudicii* dicentem, κατ' οἰκονομίαν, *per dispensationem* quandam id dixisse, à nonnullis statui, tradit *lib. de Sectis act.* 10. Expositionem nempe talem norat, a qua varia absurda & inexplicabilia, inde, inevitabiliter sequi, demonstrat Augustinus *d. l* Unde ad Acephalum illum, hoc vocabulo, eo sensu utentem, inquit Diaconus Rusticus *Dial. Aceph.* *Ergo dispensatio & hypocrisis nihil ab invicem differunt, & erit idem secundum idem & bonum & malum.* V. Forbesium *Instructionum Historico-Theologic. lib. XIII. cap.* 20. §. 35. de *Dispensationibus* verò *Episcoporum* per indulgentias severioris disciplinæ, erga Lapsos pœnitentes, in vet. Ecclesia, eundem *lib. XII. cap* 7. & *hic passim*, ubi de *Excommunicatione, Lapsis, Pœnitentia* &c.

Dispensatores, sequioribus seculis *Rationales* appellati, à rationibus quibus præerant, in principio singulorum erant apud Romanos civium & Principum. Unde Aur. Cassiodorus *lib.* 6. *Epist.* 8. *Per Rationalium*, inquit, *curam quondam Principum privatam fertur gubernasse substantiam.* Dein ad publica translatum officium est. Et privatorum quidem *Dispensatores* rei domesticæ curam agebant. Suetonius *in Galba cap.* 12. *Dispensatori breviarium rationum adferenti paropsidem leguminis pro sedulitate & diligentia porrexit.* Petronius *pag.* 21. *C. Pompeio Trimalcioni, V. viro. Augustali, Cinnamus. Dispensator.* Isidor. in *Glossis*, *Actarius dispensator.* Hi singulis noctibus domino seu patrifamilias totius diei expensas offerebant considerandas, ut docet vetus Scholiastes Juvenalis *ad vers.* 482. *Satyr.* 6. *Ratiocinium diurnum accipit in transversa charta scriptum.* Ipse Satyricus,

—— *Longi relegit transversa diurni.*

Ut proin constaret, rationes esse redditas, antequam cubitum iret dominus, rationibus à servo (ex horum enim numero *Dispensator* erat) sibi oblatis subscribebat, computatis diligenter singulis & expunctis: quod usque adeo religiosè observatum est, ut servus, qui a rationibus domino fuisset, testamento ab eodem manumissus, potuerit ab hærede in servitute retineri, nisi subscriptione probatas rationes ostendisset. Scævola JC. *l.* 41. *de fideicommiss. libertat.* *Post mortem testatoris Tutores Cupiae exactionem commiserunt, iste nummos vectallis expensavit eisdem Tutoribus, dein filius impubes decessit, cui mater hæres extitit, & Tutores tutelæ judicio filii condemnatum habuit. Cupitus ad libertatem proclamavit eo tempore, quo si viveret Martianus, annos sextum haberet, offerens rationem unius anni in diem mortis testatoris* ...

quid veterà subscripta fuerunt: quæsitum est, an ea quoque valorem, quas Tutores periculo suo egerunt, Cupitus reddere compelli debeat? Respondit, cum conditioni rationis reddendæ ita videri paruisse, si omne ex eo, quod gessit, & rectè desiderari possit, reddiderit. Fortè iidem *Cellarii* quoque & *Cellarienses* dicti sunt, quos Plautus *Condos promos Procuratoresq; peni* vocat. Publicum verò Urbis provinciarumq; proventum *Dispensatores* publici curarunt, instituto admodum antiquo: Namque & stante Republicâ summæ annui sive census Civitatis, in foro positâ hastâ, à Consule exigebantur. Cujus moris meminit Ovidius *de Ponto lib.* 4. *Eleg.* 5.

Aut populi censum positam componet ad hastam,
Et minui magnæ non finet urbis opes.

Sed de his plura V. infrà, in voce *Rationales.* Addam saltem, quòd *Dispensatores* Cæsarum & Augg. frequenter occurrunt, in vett. Saxis, quos non unius generis, in domo Augusta, docet Salmas. *ad Lamprid. in Antonino Diadum* quòdq; idem nomen, mansit in Regum postea Aulis Principumque, quos *Majores Domus* aliter, Galli *Maistres d'Hostel* vocant. Sic *Dispensator Domus Regiæ*, occurrit apud Blancam *Comment. Rer. Aragon. p* 782. quod officium sustinuit Vitalis Episc Oscens *120. Regis Francorum Dispensator*, dicitur in vet. *Charta* apud du Fresne. Nec semel in Palatiis Regum Angliæ *Dispensatores* memorantur, in qua gente notissima quoq; *Dispensatorum*, seu *des Despensiers*, familia, quæ ab hoc munere nomen adepta est. *Spensari* dicuntur Historicis Angliæ, V. in voce *Jarius*, & plura de hac voce apud C. du Fresne.

Dispensatorius Panis, idem cum eo, quem *Fiscalem* vetus Interpres Persii, alii *Gradilem* dixere, sc.

—— *populo gradibus* dispensus *ab altis:*

dictus est, qui populo gratis dividebatur, uti hic passim visum. Eundem cum *secundo* facit vetus Interpres Horatii, eum enim esse scribit (de secundo pane loquens) qui non sit siligineus, non primus, non postremus, sed *dispensatorius.* Quod mireris, cùm vel à prima ipsa institutione, quæ Aureliano Imp. vindicatur, populum Romanum siligineos panes, h. e. primos & mundos, accepisse constet. Sed fuisse tempus, in quo non mundos panes è Fisco percipiebat Populus, verum sordidos comparabat, ostendit *l.* 5. *Cod. Theod. de pane grad.* è qua colligas, mutasse id Valentinianum, vel potiùs in antiquum statum redegisse ut populo de prima nota seu mundi panes iterum distribuerentur; quos ante ipsum de secunda nota, nec gratuitos, sed pretio è Fisco comparabat. Salmasius *ad Vopiscum in Aureliano.*

Disphendone, supplicii genus. V. infrà *Lacer.*

Dispositio, variè sumitur. Apud Lampridium *in Alex. Sev.* ubi de bellicarum ejus expeditionum ratione, quid significet, facilè ex his noscitur: *Tacebantur secreta bellorum: itinerum autem dies publicè proponebantur, ita ut edictum penderet ante menses duos, in quo scriptum esset: Illâ die, illâ horâ ab Urbe sum exiturus, & si Dii voluerint, in prima mansione mansurus: deinde per ordinem mansiones, deinde stativæ, deinde ubi annona esset accipienda: & id quidem eousq; quamdiu ad fines Barbaricos veniretur. Jam enim inde tacebatur, & omnes ambulabant, ita ne* Dispositionem *Romanam Barbari scirent.* Sic apud Jul. Capitol. *in Gordiano III. Cujus viri tanta in Republ.* Dispositio *fuit, ut nulla esset unquam civitas limitanea potior quæ non posset exercitum Pop. Rom. ad Principem ferre* &c. Nempe *Dispositiones* hæ sunt, quæ à Principe ad Reip. administrationem *disponebantur*, pro urgentibus rerum necessitatibus, velut si in bellum profecturus esset, itinera annotarentur, & metationes, annona curaretur, aliaque: Quarum quidem *Dispositionum* scrinium peculiare erat, cui præerat *Magister & Comes Dispositionum*, de quibus copiosè Jac. Gothofredus *ad l.* 4. *Cod. Theod. de Prœvin.* Hinc translata vox ad Administrationes ipsas & Magistratus videtur. Ita enim Lampridius paulo pòst, *quum diceret, Nolle ab aulicis suas vendi* Dispositiones: *quod factum fuerat sub Heliogabalo, cùm ab Eunuchis omnia venderentur.* Mox, *quia de publicandis* Dispositionibus *mentio contigit, ubi aliquos voluisset vel Rectores provinciis dare, vel præpositos facere, vel procuratores, id est, rationales, ordinare, nomina eorum proponebat, hortans populum, ut si quis quid haberet criminis, probaret manifestis rebus* &c. Formula certè frequens in *Not.* Imp. & alibi: *Sub dispositione viri inlustris Præfecti Prætorio.* Quæ tamen fortè non incomodè ad priorem notionem firmandam quis referat. V. infrà, ubi de *Proximis & Scriniis.* At *Dispositus* Romaniæ, *in Aresto* an. 1400. apud Duchesnium *in Prob. Hist. Castilion.* idem quod *Despotes*

Dispunctor in vett. Glossis *Donator.* Quæ n. comoda militiæ solatia Impp. in *Cod.* Justinian. etiam *puncta* dixit *Cod. de adv. div. Jud.* Inde *adpunctator* vulgo Gallis, cui salarium constitutum est, dicitur, & *dispungere* donare est, Salmas. *ad Spartian. in Hadriano.* Sic Matricularii, cùm eis distribuebatur, cujus gratiâ nomina eorum in matriculam perscripta erant, *dispungi* pro *expungi*, dicuntur Optato *lib.* 3. antecedenti posito pro consequente. *Dispungere* enim *rationes*, est subducere propriè & summam facere, id quod præcedit, & ideo fit, ut accipiant, quod ipsis convenit, & expungantur. Sic Loth, hospitibus acceptis,

—— —— *pia pignora mensæ*
Officiisq; probis studio dispungit *amico:*

Carm. Cypriani *de Sodoma*, h. e. exsolvit, exhibet, præbet pignora suæ pietatis atque humanitatis, mensâ hospitali & probis seu sedulis officiis &c. Frid. Gronov. *Observ. in Ecclesiast. cap.* 8. & 19.

Disquisitores, V. infrà *Zetetæ.*

Dissecandi Victimam ritus, in Sacris Veterum usitatus, indigitatur Homero *Iliad. α.*

—— καὶ ἔσφαξαν καὶ ἔδειραν
Μηρούς τ' ἐξέταμον ——
Et jugularunt & excoriarunt
Femoraq; secuerunt.

V. quoq; Dionysium Halicarn. *lib.* 1. Apollonium *Argonaut. lib.* 1. Alios. Unde Levitici *cap.* 1. *vers.* 6. *Et nudabit pelle holocaustum, & illud frustatim concidet.* Nempe post victimæ jugulationem, sequebatur excoriatio, inde *dissectio.* Quod tamen in holocaustis non semper observatum, quæ cum ipsa pelle nonnunquam in ignem conjiciebantur. Exodi c. 29. 14. Levit. *cap.* 4. *vers.* 2. Numer *cap.* 19. *vers.* 5. &c. V. quoque Plutarchum de tauro Bubrosti Deæ oblato, & Lucianum *de Sacrificiis.* Fuit autem *dissectio* non temerè facta, sed cum arte & industria, ut colligitur ex eo, quòd in Poëta sæpe legitur, Μίστυλλόν τ' ἄρ' ἐπισταμένως ——

Dissecabantq; ritè aut doctè ——

Unde ex sacrificiis petita videtur vox ὀρθοτομεῖν, cùm dicit Paulus, ὀρθοτομοῦντα τὸν λόγον τῆς ἀληθείας, 2. Tim. *cap.* 2. *vers.* 15. Et Seniores, ἵνα ὀρθοτομῇ τὰς ὁδούς σου, Prov. c. 3. *vers.* 6. Et δικαιοσύνη ἀμώμου ὀρθοτομεῖ ὁδούς, Prov. *cap.* 11. *vers.* 5. Quam in rem V. plura apud Dilherrum Tract. *De Καινοτομία Gentilium.* Alii fuit ratio *dissecandi* bovem vel vitulum, in percutiendo fœdere; porcum item, porcamque: insuper canem, in lustrando exercitu, Vett. itidem usitata, de qua V. suprà ubi de *Bobus*, item in voce *Canis*, adde Sam. Bochartum *Hierozoici Parte priore lib II. cap.* 33. & Casp. Barthium *Commentar. de Sec. [illegible]*.

Dissipandi Cadavera mos atrox, occurrit apud Spartianum *in Severo, Senatorum deinde qui in bello* (contra illum) *erant interempti, cadavera* dissipari *jussit.* V. quæ suprà diximus, in voce *Cadaver*, ut & quæ dicemus infrà, in vocibus *Hostis & Insepulti.*

Dissipatus, seu *Dishypatus*, in aliquot *Chartis* Italicis, ubi *Richardus Judex Augustalis Dissipatus*, sub Alexio Comneno Imp. & *Joannes filius Ursi Imperialis Dissipati*, sub A. C. 1178. occurrunt: Græcè Δισύπατος, dignitas fuit in Imperio CP. de qua Eruditis parum liquet. Suidas, Δικτάτωρ ὁ διπλῆν ἔχων τὴν ἀρχὴν, ὁ παρὰ Ῥωμαίοις Δισύπατος λεγόμενος, ἢ ὁ μονάρχης, ὁ πάντων κρατῶν, *Dictator est, duplex habens imperium, apud Romanos Bis Consul* (hoc enim vox Δισύπατος indigitat) *dictus, vel Monarcha, summam rerum in sua potestate habens.* Id constat, nobilissimæ familiæ Byzantinæ nomen dedisse, ex qua memorantur, *Thomas Dishypatus*, sub Leone Bardæ fil. *Dishypatus* alter, sub Alexio Comneno, *Georgius Dishypatus*, Lector Ecclesiæ Sophianæ: *Manuel Dishypatus*, Archiep. Thessalonic. sub Theodoro Lascari, & *David Dishypatus*, cujus Scripta c. Barlaamum & Acindynum asservantur in Bibliotheca Regia, uti habet Car. du Fresne *Glossar.*

Dissoluti, delitiis & voluptatibus dediti homines, plerumque olim coronati conspiciebantur, uti inprimis exemplo Herculis docet Tertullianus *de Pallio* & Lucianus *Quomodo scrib. Hist. sit*, nempe postquam ille, apud Omphalem desidens, pristinæ virtutis oblitus est. Sic Aruntii cujusdam filia, μεθύοντα τὸν πατέρα καὶ στεφανώσασα, *postquam capiti patris à se inebriati coronam imposuisset*, cum perductum ad aram interfecisse legitur, apud Plut. *Parallel. Græc.* Et nota ἀκρατοποσίας corona, quam ab Alexandro M. Ducibus propositam, Promachus emeruit, sibi exitialem, apud Plutarchum *in Alex.* Neque in conviviis solùm tales erant, sed & mensis sublatis, per urbem coronati incedere soliti sunt, servantes eas coronas, quas in convivio acceperant. Plautus *Men. Actu* 4. *Sc.* 2.

Capiam coronam mî in caput; assimulabo me esse ebrium.

Et alibi,

Non ego te modò hic ante ædes cum corona florea
Vidi adstare ——

Florea enim hujusmodi corona fuit. Quod ipsum proin Horatius vocat, *piare Genium floribus & vino.* Porro sic incedentes ab injuria omni tuti erant. Quâ fiducia servus ille apud Aristophanem *Pluto* ait, ad dominum,

Οὐ γάρ με τυπτήσεις στέφανον ἔχοντά γε.
Non enim me verberabis, coronam habentem.

Quisquis namq; coronam gestabat, pro ingenuo habebatur. Neq; verò solùm is, qui in convivio celocem oneraslet, sibi ipse aliisq; coronam imponebat, sed sæpe aliam accipiebat, ut strenuus athleta Bacchi, inprimis si alium in hac palæstra victum dedisset, qua super re citat Euripidem *in Oeneo.* Athenæus *lib* 15. Quem morem ad mulieres quoque transiisse, discas ex Æliano *Histor. Var. lib.* 4. *cap.* 18. &c. Hinc itaque συστεφανοῦσθαι, *simul coronari*, est convivari, apud Alcman. *in Carm.* & στεφανούμενος, *coronatus*, intemperantem ac *dissolutum* notat Synesio *Ep.* 32. V. C. Paschalium *Coronar. lib.* 2. *cap.* 7. & 8. & suprà ubi de *Convivialibus Coronis.*

Distega, ædificia sunt duo tecta seu contignationes habentia, Græcè δίστεγα, sicut τρίστεγα, quæ ternis contignationibus constabant: στέγη enim *tectum* est. Cujusmodi διστέγου in scena quoque memorat Scaliger *Poetic. lib.* 1. *cap.* 21. *Scenarum quoq; facies aucta — ac postea casa cum cellis, postremò ad magnificentiam auctæ*

sunt projectis & menianis in Comœdia, in Tragœdia verò etiam prætoria, & palatia, regiæ, turres. In regiis διστέγιαι & διῆρες ὑπερῷα: quanquam privatis quoque in ædibus invenimus διστέγιας, è quibus πορνοβοσκοὶ & aniculæ mulieres prospectabant, captantes negotiorum suorum occasiones.

Distinctum, apud Plinium *lib.* 8. *cap.* 18. *Nabin Æthiopes vocant, collo similem equo — camelo capite, albis maculis rutilum colorem distinguentibus, unde appellata camelopardalis*: de maculis dicitur longis & lineatim ductis, quales sunt maculæ camelopardalis, quas ῥαβδωτὰς σπίλους, h. e. *virgatas maculas & in longum ductas*, vocat Strabo *lib.* 16. Sicut contrà *stellatum* & *superspersum*, de rotundis maculis & in vortices sparsis, quales pantherarum sunt. Salmasius *ad Solinum pag.* 388.

Distorti, inter delitias divitum, apud Romanos. Quintilianus *Declamat.* 298. *Gratus est ille debilitate, ille ipsa infelicitate* distorti *corporis places. Instit.* item *lib.* 2. *cap.* 5. Distortis *& quocunque modo prodigiosis corporibus apud quosdam majus est pretium* &c. Nempe primitus Romani ministeria & pædagogia habuere formâ exquisitissimâ: postea luxus invexit consuetudinem quærendi *distortos* & quocunque modo prodigiosis corporibus insignes. Hi maximè placebant & in pretio erant. Cujusmodi fuerit puerulus portentoso capite, quem Domitianus secum coccinatum solitus est circumducere, teste Tranquillo. V. Clementem Alexandr. de sui temporis mulieribus, & Amm. Marcellinum *lib.* 14. ubi de comitatu matronarum Romanarum. At Augustus Imp. *pumilos atque* distortos — *ut ludibria naturæ maliq. ominis abhorrebat*, apud eundem Tranquill. *cap.* 83. ubi Casaubonum vide, & hic passim, ubi de *Fatuis*, *Nanis*, *Spadonibus* &c.

Distribuendi coronas, in conviviis mos, Veteribus usitatus, V. supra ubi de *Coronis* & *Conviviis*.

Ditmarsia, adde: Huic genti, quamvis libertatem professa ægerrimè dominos ferret, antiquissimis jam temporibus, Bremensium Pontifices imperitavere, Caroli M. largitione, qui juxtà cum Stadensi Comitatu Ecclesiæ adsignavit. Verùm eos tuendæ à Danorum Normannorumque incursionibus provinciæ impares experti Impp. in Saxonum Duces contulerunt. Henrici Aucupis ætate, Henricum cogn. *Calvum* seu *Pinguem*, Comitem accepere, A.C. 921. Rediit postea Comitatus ad Ecclesiam, & quæ portio ejus censebatur, *Ditmarsia*, Henrico IV. imperante, Udoni Salisquellensi Marchioni clientelæ jure permissa est. Inde ad Ecclesiam reversam Hartvvicus, ex Udonis, ut videtur, prosapia, Ecclesiæ Bremensis Præsul, recepto familiæ nomine Stadensi Comitatu, *Ditmarsiam* reddidit, tædio gentis, in quam nunquam sine tumultu imperium esset; improbante Henrico Leone Saxonum Duce, qui Feudi Dominum sese gerebat. Is Reinaldum Comitem imposuit: sed Henrico apud socerum Britannum exule, Adolphus V. Holsatiæ Com. occupavit ditionē; postea cum Hartvvico II. Archiep. transactum, ut restitutâ eâ Ecclesiæ, Comites certum inde annonæ modum perciperent. At *Ditmarsi*, morem gerere detrectantes, ad Woldemarum Slesvici tum Præsulem versi, Dani subire clientelam: mox pòst prœlium ad Bornovedam, ad Adolfum reversi, circa A.C. 1189 Pòst ad Bremenses utcunq; reditum, & cum Holsatiæ Comitibus varia pacta inita, A.C. 1227. quæ cùm non sanctè satis colerent, Comites non unâ vice ipsos aggressi, frustra tamen fuere. Etiam à Friderico Imp. obsequium induere jussi, recusavere, Bremensi Ecclesiæ se subjectos causati. Inde bellum non ab uno Rege, cui à Friderico II. Dano & Adolpho Holsato Gottorp. renovato à Carolo V. Imp. jure, demum finis impositus, iis conditionibus, ut *Ditmarsi* veniam orantes, traditis belli instrumentis, Præfectis Principum post hæc obtemperarent & in singula agri jugera, florenum annuum quisq; persolveret, A.C. 1559. A' quo tempore, imperio Holsatorum semel bonâ fide admisso, quietiùs egere: jure, quod in illos adhuc Bremenses Præsules prætendebant, à Suecis, Rotschildensi atq; Hafniensi pactione, Daniæ Regibus remisso. V. Tob. Pfannerum *de præcipuis Germaniæ Principum gentibus cap.* 11.

Dithyra, Græce Δίθυρα, januæ sunt quadrifores, quarum singulæ tabellæ duplicantur, vel Δικλίδες, quæ in singulis partibus, ima & summa duplices habent tabulas, hinc *Quadrifores* dictæ Vitruvio, ubi de foribus, Græcis aliter Συνθυρίδες. A' quibus diversæ valvatæ, Græcis ἁπλόθυροι, quæ semel tantùm plicantur, ut infrà videbimus. Erant itaque in Διθύροις revera duæ θύραι (unde etiam nomen) in suis quæque cardinibus vertentes, & in medio conniventes, ubi jungebantur: δίπτυχοι etiam dici queant, quemadmodum pugillaria, *δίπτυχα*, *quæ & δίθυρα, bipatentia*. Salmasius *ad Solinum pag.* 927.

Divæ Memoriæ, titulus Impp defunctis concessus. V. infrà.

Divale Nomen, apud Spartian *in Anton. Caracal. Habet templum, habet Salios, — qui Faustinæ templum &* Divale *nomen eripuit*, idem. Sic *Divale Præceptum*, *Divalis Lex*, *sanctio Divalis*, pro Edicto Imperatoris, non semel in *Codice* Theodos. & Justin. At *Divalia*, feriæ erant Divæ Angeronæ, alio nomine *Angeronalia*. Institutæ sunt à Romanis, cùm anginâ omne genus animalium consumeretur; Macrob. *Saturn. lib.* 1 *cap.* 12. incidebantq; in 12. Kal. Januarii, quo die à Pontificibus sacrum fiebat in sacello Volupiæ, quam Verrius Flaccus Angeroniam dictam esse ait, quòd angores ac animorum solicitudines propitiata tolleret. V. Joh. Rosinum *Antiquit. Rom. lib.* 4. *cap.* 16.

Diventum, in *Epistola* Michaëlis Imp. in Conventu Paris. A. C. 530. *Misimus per prædictos Missos nostros — blattas duas, diveditina duo*, diventa *duo*. An idem cum *divellium*? Certè δίβελλον occurrit apud Codinum *de Officiis Aulæ CP. cap.* 5. *n.* 63. & *cap.* 6. *n.* 26. vexillum Imperatorum, quod Scutarius sive Armiger Imperatoris deferebat ante illum, cum ejus clypeo: dictum quasi *duplex velum*. Quod tamen non probat Car. du Fresne *in Glossar.*

Diverticulum, in Glossis, ἐκτροπὴ, [illegible] ὁδὸς, id est, semita, quales à via regia secantur aliorsum. Hinc ad fluvios vox traducta. Geographus ineditus Salmasii de Nilo, *Currit per millia DXX. nullum ostendit* diverticulum. Ubi *diverticuli* nomine intellige minores fluvios, in quos *Auctor alveus*, uti eleganter vocat Ammianus, *Magistrum flumen* vocant Galli, scinditur. Κέρατα Græci, Latini *cornua* quoque, *brachia*, *crines* &c. appellant. V. Salmasium *ad Solinum pag.* 478. & 479. nec non *p.* 622. ubi de *divertigio Euphratis*, uti vocant Geographicarum Tabularum concinnatores, sententiam suam pluribus exponit.

Dives, cogn. Crassi, de quo sic Plinius *lib.* 33. *cap.* 10. *Non erat apud antiquos numerus, ultra centum millia — Postea* Divites *cognominati, dummodo notum sit, eum, qui primus acceperit hoc cognomen, decoxisse creditoribus suis*. V. quoque eum *lib.* 21. *cap.* 3. & Valer. Maximum *lib.* 6. *cap.* 11. Quis verò hoc nomine dignus tum visus, exponit idem, cùm pergit: *Ex eadem gente M. Crassus negabat locupletem esse, nisi qui reditu annuo legionem tueri posset.* Exempla dein varia subjungit, tum ex Romana, tum ex reliqui Orbis historia; Populum Romanum stipem primùm Sp. Posthumio, Q. Marcio Consulibus spargere cœpisse, addens &c.

Divi, propriè qui ex hominibus Dii facti, quales erant Heroës, Penates & Lares, aliique Indigetes. Arnobius *lib.* 1. *appellatis Indigetes ac Divos*. Servius de Cæculo, & Prænestina urbe: *Ibi erant Pontifices & Dii indigetes, sicut etiam Romæ: erant etiam duo fratres, qui* Divi *appellantur. Horum soror, dum ad focum sederet* &c. Ubi *Divos fratres* appellatos scribit, quos Græci [illegible] dixere, h. e. Lares familiares. Et hi erant, quos *Animales Deos* vocabant, & *Conserentes*, ut ex Labeone, eodemque Arnobio, quem modò laudavimus, docet Salmasius *ad Solinum p.* 64. Hinc Imperatores, post consecrationem, *Divi* dicti. Petronius de Jul. Cæsare, *Specimine Belli Pharsal.*

Quid porro tu, Dive, tuis cunctaris in armis?

Et de eodem Virgilius *Æneid. lib.* 6. *versu* 793.

Augustus Cæsar, Divi *genus* —

Etiam Suetonius initio operis, *Julius Cæsar* Divus, *ætatem agens XVI. Patrem amisit.* Unde Tzetzes *Histor. pag.* 307.

Ὅδε θεὸς Ἰούλιος ἐκλήθη θεὸς Ῥωμαίοις.

Imò *Cerialem Anicium Consulem Designatum pro sententia dixisse, ut templum Divo Neroni quàm maturrimè publicâ pecuniâ poneretur*, in Commentariis Senatus reperisse se, tradit Tacitus *fine Annal.* 15. V. de Cæsare Jovis sermonem, apud Silium Ital. *Punicorum lib.* 3. *Nec Stygis ille lacus* &c. Ovidium *Metamorph. lib.* 15. & plura hanc in rem, apud Casp. Barthium *Adversarior. lib.* 11. *cap.* 10. *lib.* 12. *cap.* 4. *lib.* 16. *cap.* 7. *lib.* 49. *cap.* 15. & *Animadversion. ad Statium lib.* 2. *Sylv.* 7. & *Thebaid. lib.* 5. *vers.* 242. ubi *Divæ* epitheto, velut singularem Deam, Venerem gaudere, apud Poëtas, adnotat. At pro *Divi Lapides*, apud Æl. Lampridium *in Antonino Heliogab. Lapides, qui divi dicuntur, ex proprio templo Dianæ Laodiceæ afferre voluit*: lege *vivi* &c. V. infrà.

Dividendi prædam, mos priscus, indigitatur Livio *lib.* 5. alibique passim. Præda enim militi concessa, aut *dividebatur*, aut diripiebatur: illud fiebat vel stipendiorum, vel meritorum ratione. Et quidem stipendiorum ratione *dividi* prædam Appius Claudius volebat, si illud obtinere non posset, ut redacta inde pecunia in Ærarium deferretur. Ut autem *id* ordine fieret, in dies aut vigilias pars exercitus altera aut minor, ad comportandam prædam mittebatur: & quod quisque reperisset, ad jussum in castra deferebat, ut per Tribunos æqualiter divideretur, vocatis ad partem etiam his, qui castra servarent (quod & apud Hebræos in usu fuisse, legimus 1. Sam. *cap.* 30. *vers.* 24.) quique per valetudinem aut delegata ministeria aberant: uti videre est apud Polybium *lib.* 10. Quæ proportio porro in *dividenda* observata, aliaque huc pertinentia, infrà persequemur pluribus, ubi de *Præda*.

Divinatio, Græcis Μαντεία vel Μαντικὴ, (nempe ut volunt à μανίᾳ, quia causa sit externa incorporeaque ac ut Gentes putarunt divina; quo nomine etiam Dæmones complectebantur) Platoni definitur *ἐπιστήμη προδηλωτικὴ πράξεως ἄνευ ἀποδείξεως*, *Scientia præsignificatrix rei alicujus absq; ratione id demonstrante*. Ubi rationem excludit, ostendens de *Divinatione* naturali, qualis est in Prognosticis, quæ principia causasque in natura habet, adeoque ad Scientiam naturalem pertinet, non loqui: sed nomine hoc se complecti eam, quæ vel tota, vel ex parte humanum captum excedit. Talis *Divinatio*, vel planè divina est, ut illa quæ à Deo inspiratur, cujus generis complura in Scripturis exempla habemus: vel si non tota, ex parte saltem nititur commercio Dæmonum: vel ut

nullum

nullum appareat cum malo Spiritu consortium, tamen vana est ac superstitiosa. Cui arti quantopere vacarint Gentiles, ex innumeris *Divinationis* apud Graecos Romanosque speciebus apparet. Quamvis enim 4. solùm earum recenseat Propertius *lib. 4. Eleg. 1.*

Hoc nec arenosum Libyci Jovis explicat antrum,
Aut sibi commissos fibra locuta Deos,
Aut si quis motas cornicis senserit alas,
Umbraq; nec Magicis mortua prodit aquis.

Ad quem locum V. *Commentarium* Joannis Passeratii, longè plures tamen fuere, ut mox videbimus. E' quibus duae inprimis excellebant, *Augurium* & *Extispicina*. Unde Cic. *de Divin. lib. 1.* *Quae est autem gens*, inquit, *aut quae civitas, quae non extis pecudum aut Augurum aut sortium praedictione moveatur?* In quarum illa Phryges, Cilices, Arabes, Pisidii ac Umbri eminebant: Lacones quoque, apud quos tanta artis fuit veneratio, ut nunquam Augur à latere Regis illorum discederet. Ista Elide maximè exercebatur, à Jamidis & Clytidis, quae duarum erant familiarum, huic arti soli deditarum, nomina, Pindar. Sed & ex somniis celebre admodum divinandi genus erat, V. infrà in voce *Onirocritice*.

Series celebriorum Divinationis specierum, apud Gentiles.

ex Anima in corpus revocata futura sciscitandi ars Ψυχομαντεία, seu Σκιομαντεία dicta est: Ejus meminit Horatius in verbis, *Animas responsa daturas*, & Herodotus *lib. 6.* ubi causam exponit, cur Melissa à Periandro marito, hoc pacto interrogata, respondere recusaverit.

ex Annulis Δακτυλιομαντεία, quali divinationis genere Gyges usus est.

ex Aqua marina Ὑδρομαντεία, ex fontana Πηγομαντεία. Fiebat autem id vel bibendo ex illa V. Aristidem *Orat. de Puteo*: vel projiciendo aliquid in eam, ubi notabant, supernataretne an mergatur (sic in puteum Inus placentae conjiciebantur) vel imagines rerum cupitarum in iis venando, quod factum in fonte Apollinis Phryxaei in Achaja: vel immergendo phialam vitream, ut ex aquae in illa extractae limpiditate aut turbiditate de aegrorum valetudine edocerentur, vel tandem ternos in aquam lapides spargendo, ubi observatum, quibus orbibus in fundum descenderent: Loco aquae vino quandoque ac oleo utebantur, quo in pelvim infuso, Λεκανομαντεία dici solita est.

ex Avibus Ὀρνιθομαντεία, Gr. *Augurium* Latinis: quod divinandi genus primus dicitur invenisse Car, adjecisse postea ex reliquis animalibus Orpheus. V. in voce *Augur*.

è Clavibus Κλειδομαντεία.

è Cribro Κοσκινομαντεία, quod filo suspensum vel forfici impositum in orbem vertebatur, nominato interea eo, qui furti arguebatur, vel alterius cujusdam criminis. V. Theocrit. *Idyll. 3.*

è Dicto seu voce, Κληδονισμός, *Pythagorei non solùm voces Deorum observabant, sed & hominum*, Cic. *de Div. lib. 1.* Hinc infortunatum censebatur, si in convivio nominaretur *Incendium*: & proin abstinentes à vocibus malè ominatis, pro δεσμωτήριον, i. *carcer*, dicebant οἴκημα i. *domicilium*: pro *Erinnyes*, *Eumenides*: & Cic. inquit, *Nulla spes Reip. dicere non licet*, *Epist. ad Cassium* &c.

ex Eclipsi, quod genus divinationis cùm neglexisset Pericles, infelicem habuit navigationem: cùm observasset contrà Nicias, miserabili ac turpi clade cum toto exercitu caesus est.

ex Extis, *quibus omnes fere uti* inquit Cicero, V. infrà in voce *Extispicina*.

ex Facto: Sic infaustum habebatur in convivio, si bibente aliquo mensa tolleretur. Felix contrà, si casu aliquid vini in vestes fuisset infusum.

è Farina, Ἀλφιτομαντεία vel Ἀλευρομαντεία.

è Flamma, in sacrificiis hac ratione futura divinabant: Si admota, flamma victimas statim corriperet: Si tranquilla, pura, perspicua ac nitida, recto ductu turbinatae pyramidis instar attolleretur & insurgeret: Sique non nisi totâ victimâ depastâ moreretur, faustum habebatur. Contrà si fieret, infelix omen erat.

è Fonte Πηγομαντεία, V. suprà in voce *Aqua*.

è Fulmine Κεραυνοσκοπία: Ita infortunatum censebatur, si castra vel aedes sacrae de coelo tangerentur.

è Fumo Καπνομαντεία; Hic notabant, quas vertigines facerent, quantumque se attollerent, & quo motu, rectone an obliquo vel in orbes contorto aut complicato, agglomeratione quadam in tortiles spiras, & quo redolerent nidore, alienone an eo, qui è carnibus tostis effumaret.

è Gallo gallinaceo Ἀλεκτρυομαντεία, Sic Libanius Sophista & Jamblichus inquisituri, quis Valenti successurus esset, 24. literas inscripsere pulveri, unicuique tritici vel hordei grano imposito. Tum admisso gallo, carmina quaedam recitantes, attenderunt quae grana is comederet. Primùm comedit ex Θ. tum ex Ε. inde ex Ο. hinc ex Δ. Itaque collegerunt inde regnaturum, cujus nomen inciperet à ΘΕΟΔ. apud Zonaram.

ex Hominum occursu: Ita infelix erat, si Aethiops occurreret, aut mulier inter ambulandum rotans fusos.

ex Igne, quod vocabant, δι᾽ ἐμπύρων μαντείαν. Accendebant autem eum plurimis in locis ad Solis radios, eumque solicitè peculiari in loco conservabant. In Aegypto *Seraphim* habuerunt, & Persae sub nomine *Orimasda* talem ignem venerabantur. Athenis similiter in templo Minervae Poliados perpetua ardebat lampas, non minus ac Delphis & Romae in Vestae templo. Sed inprimis in hac Πυρομαντεία flammas observabant, V. suprà.

è Lapidibus Λιθομαντεία: Ita Sideritis, lapidis genus, aquâ fontana ablutus, infantis instar, futura vagiebat: quo pacto Helenum Trojae ruinam didicisse referunt.

è Lucerna, Λυχνομαντεία: cujus mentionem facit Plinius *Nat. Hist. lib. 30. cap. 11.* & Aratus *in Prognosticis*.

è Mortuis Νεκυομαντεία, vel Νεκρομαντεία, ubi vel ex ossibus futura vaticinabantur, quod Thessalis inprimis erat in usu: vel fervidum cadaveri infundendo sanguinem, responsum unde petebant; quemadmodum Ericto apud Lucianum: *Dum vocem defuncto in corpore quaerit, Protinus astrictus caluit cruor atraque fovit vulnera.*

Onirocritica, V. *suo loco*.

ex Ovis Ὠοσκοπία, de quo vaticinandi genere integrum volumen ob Orpheo compositum esse Suidas tradit.

è Pelvi, Λεκανομαντεία, V. suprà in voce *Aqua*.

è Phialis Γαστρομαντεία.

è Pice, quae ex taedis colligitur, comminuta in pulverem, & hoc in ignem conjecto, futura venabantur, observando: An exardescens inde flamma coeat, nec dispergatur: an dividatur contrà aut dissiliat, quorum illud faustum, hoc secus habebatur. Pugnans, deductus in diversa, procumbens in focum, crepitans, aegris malus: evanescens iis mortem minitari putabatur.

è Quadrupedibus Aruspicum erat judicare: cujus artis Tages inventor. V. suprà in voce *Aruspex*, & infrà in *Extispicina* Nec ex fibris solùm, sed & occursu eorum divinatio fiebat. Ita si lupus in castris, vel urbe visus incolumis evaderet: si domum ingrederetur ater alienus canis, infaustum habebatur. At felix erat indicium; si cerva lupum evaderet; si lupus ad dextram praetercurrisset hianti ore. Etiam ex hinnitu equorum divinabant, quod apud vett. Germanos usitatum. Sed praecipuè huc pertinebat, si quid in animantibus contigisset praeter naturae ordinem, ut si bos locuta esset aut mula gemellos peperisset.

Salissatio vocabatur seu Παλμική, cùm ex membri alicujus palpitatione futura discebant. Hinc *Salissatores* dicti Isidoro *Orig. lib. 8. cap. 9. qui dum eis membrorum quaecunque partes salierint, aliquid sibi exinde prosperum seu triste praedicebant.* Meminit hujus artis Plautus *Pseud. act. 1. sc. 1.* *Ita supercilium salit.* Theocritus *Idyll. 3.* *Salit mihi dexter oculus.* Alius, *salit mihi aliquid in laevae parte mamillae*, i. cor. Scripsisse Παλμικὰ Melampus & Posidonius Suidae dicuntur.

è Securi vel dolabra Ἀξινομαντεία.

è Sortibus, V. *suo loco*.

è Speculis Κατοπτρομαντεία vel Κρυσταλλομαντεία: Sic Nostradamus Catharinae Mediceae de filiorum fortuna solicitae futura praedixisse fertur sec. praet.

è Sternutatione divinatio frequens admodum & celebris erat. Post meridiem sternutasse felix, matutino tempore infaustum habebatur: ad dextram, faustum, ad sinistram secus, erat. Hoc omine Themistoclem Euphrantides ad pugnam animavit: Xenophon ab exercitu Dux electus est, &c. Timotheus verò illud risit, sed & Cicero *sternutamenta observari* praecepit, *de Divin. lib. 2.*

è Thure incenso ita divinabant; si ignis mox illud arreptum dissolutumque in fumum verteret & suffitum cieret gratum, laeta: si refugeret, aut foedum odorem exprimeret, abominanda ostendi credebantur: Sic Dion meminit loci quem *Nymphaeum* appellat, in quo ex suffito thure de omnibus rebus responsa fuerint petita, praeterquam de morte & conjugio.

è Tinnitu auris dexterae felicia, sinistrae infausta omnia fore augurabantur. Hinc vetus Epigramma: *Garrula quid toties resonas mihi noctibus auris? Nescio quem dicis nunc meminisse mei.* Meminit hujus divinationis Plin.

è Tonitru; Si ad laevam tonuisset, aut impare numero, felix augurium erat: si coelo sereno tonuisset, censebatur infaustum.

è Ventre, Γαστρομαντεία. Sic

è Vini consecrati ab libationes, ex sacrae aquae, quâ abluebantur & decoquebantur victimae, colore, sapore, motu, strepitu, subitis mutationibus argumenta eventuum colligebant: Tum molas, & libamenta, & praecipuè materiam eorum, ut hordeum,

far, & inde confectas farinas, quibus conspergebantur victimæ, scrutabantur & expendebant. Sed quis omnia enumeret? Quare, cui tanti ista, adeat Camerarium, Peucerum, Ragusæum, qui eruditè de *Divinatione* scripserunt. Refutat eandem Joh. Sarisberiensis *Policratici lib.* 1 & 2. Habes & de *Divinatione* judicium Camilli Franchini *Epist. ad Erastum centur. Epist. editâ à Goldasto*: quibus adde Joh. Gerh. Vossium *de Philos. c.* 22. Joh. Rosinum *Antiqq. Rom. lib.* 3. *cap.* 11. & Franc. Rossæum *Archæologiæ Atticæ toto libro* 7. Addam solùm apud A. Gellium exemplum perfidiæ Haruspicum Hetruscorum, cum eorundem pœnâ; unde versus ille scitè factus & pueris decantatus fluxit: *Malum consilium consultori pessimum.*

Divinationis novem apud Israëlitas genera: quorum 7 priora Deut. cap. 18. vers. 10, 11. octavum Hos. cap. 4. v. 12. ultimum Ezechielis c. 21. v. 21. prohibetur.

Planetarius, Hebr. מעונן dicebatur, qui ex Planetarum vel nubium inspectione dies horasque faustas vel minus faustas, negotio alicui aptas aut minus faventes, augurabatur. Observabant autem stellarum nubiumque colorem ac motum, & cùm huic rei vacabant, stabant facie Orienti, tergo Occasui, dextro latere Austro & sinistro Boreæ obverso.

Conjector, מנחש *Menachesch*, vulgo *Augur*, erat qui ex eventuum experientia regulas divinandi colligens, prout volarent, clamarent tacerenturque aves: si *mica panis ex ore excideret: scipio manibus elaberetur: clamaret gallus: præteriret capra: serpens ad dextrâ incederet, vel vulpes ad sinistrâ, hoc vel illud faciendum aut omittendum judicabat.* D. Kimchi. Hinc apud Gentiles dierum in atros candidosque: mensium etiam in faustos ac infaustos divisio. *Mense malum Majo nubere vulgus ait*, Ovidius *Fast.* Conabantur autem infausta indicia avertere, vel lapidibus petendo avem aut animal infaustum: vel vocem infelicem in eum, qui illam proferebat, retorquendo, verbis: *Eis kephalēn soi, In caput tuum recidat omen* &c.

Præstigiator מכשף *Mecaschschaph*, proprie vi vocis erat, qui hominum sensus formas rerum immutando falleret. Tales erant Ægyptii illi, Exodi *cap.* 7. qui Mosi, vera patranti coram Pharaone miracula, præstigiis suis obnitebantur. Horum præcipui ab Apostolo *Jannes & Jambres*, 2. Tim. 3. 8. in Talmud *Johanne & Mambre*, à Numenio Pythagoræo *Jannes & Mambres*, à Plinio *Nat. Hist. lib.* 30. *c.* 1. *Jannes & Jotapo* appellantur. Græca versio illos reddit *Pharmakous*, *Unguentarios sive Seplasiarios*. Cujusmodi impostoribus eleganter comparat Paulus falsos Doctores, *qui habentes formam pietatis, sed vim ejus abnegantes, captivas ducebant mulierculas*, 2. Tim. 3. 5, 6.

Incantator חובר *Chober* vocabatur, uti ex Maimonide *tract. Idol. cap.* 11. *sect.* 10, 11. qui in lingua peregrina sibique ignota verba quædam obmurmurans, ista vim aliquam habere sibi erat persuasus. Sic serpentem istiusmodi vocibus alloquentes, vim ei nocendi adimere se posse opinabantur: aut contrà hominem, contra serpentum morsus præmunire. Iidem loco aliquo Scripturæ cum in finem abusi, librum legis aut phylacteria infantibus imponere &c. soliti sunt. Nomen in lingua originali à fœdere habent vel societate, an quia commercium illis cum Satana? an quia frequenter conveniebant, epulantes invicem ac saltantes, ut docet Bodinus *Mag. Dæmon. lib.* 1. *cap.* 6. qui de eodem hominum genere loquens *lib.* 2. *cap.* 1. refert, recitatione versiculi alicujus è Psalmis, mulierem in butyro conficiendo impediri, qui si retrorsum pronuntietur, nil moræ esse, quin feliciter pergere possit.

Requirens Pythonem שאל אוב *Scheel Ob*, i. *consulens lagenam*: qui enim istiusmodi Spiritu insessi sunt, tanquam e lagena submissam & velut è cavo prodeuntem vocem edebant. Græci *Engastrimythous* tales, h. e. *Ventriloquos* vocant, quia è ventre oracula fundere credebantur. Exemplum in puella habemus, de qua Act. c. 16. *vers.* 16. ubi *Spiritum Pythonis* eundem judicat fuisse, cum *Spiritu Ob* Hebræorum, Augustinus *de doctr. Christ. lib.* 2. c. 23. Pythonissa quoque, quam Saul rogavit, ut Samuelem vocaret, *Ob* consuluisse legitur.

Ariolus ידעני *Jiddegnoni*, Gr. *Gnōstēs*, quæ utraque vox à *scientia*, quam tales se habere jactabant, dicta est. Rabbini vero nominis originem arcessunt à voce *Jadua*, quâ bestiam quandam hominem referentem indigitari ajunt: cujus osse intra dentes comprehenso vaticinia sua edere istiusmodi deceptores soliti sunt. Athenæus illam *anthrōpomorphon* vocat. Etiam Magos præcipuas bestiarum, quas vaticinatrices esse crederentur, partes comedere sicque per metempsychosin animas earum, in corpora sua demigrare opinari, docet Pererius *de Mag. pag.* 57. V. quoque Bodinum *Mag. Dæmon. lib.* 1. *cap.* 6.

Necromantes, Hebr. *Doresch el hammethim*, Græcè *Eperōtōn tous nekrous*, i. e. *interrogans mortuos*, nuncupabatur is qui è Diabolo sub cadaveris forma futura scire conabatur. Cujus rei memorabile exemplum extat 1. Sam. 29. in Saule, qui è Samuele mortuo scire cupiebat belli cum Philistæis eventum: Sed ejus loco Satanas apparuit. Prophetæ formâ speciéque assumtâ.

Consulens baculum שאל מקלו *Scoel maklo*, Hoseæ *cap.* 4. *versu* 12. quem divinandi modum ita exponit Hieronymus: *Quoties*, inquit, *ambigebant quamnam ex pluribus urbibus primùm aggressuri essent; baculos sumebant, quorum unicuique inscribant illarum civitatum nomina. Dein baculos sic inscriptos pharetræ immittentes illos agitabant concutiebantque, quorum qui primus exiisset urbem indicabat primùm infestandam.* Delrius vero in *Disquis. pag.* 592. istiusmodi homines baculos spithamâ vel digito metiri solitos refert, alternatim dicendo: *Faciam, non faciam*: donec ad extremitatem ejus pervenientes ultimam vocem pro Oraculo habuerint. *Rhabdomanteia* vel *Belomanteia* Gr.

Inspector jecinoris ראה בכבד *Roe baccabed*, Ezech. *cap* 21. *vers.* 21. Ibi enim Nebucadnezar in bivio, tersit cultros, imagines consuluit, inspexit jecur. Quod divinandi genus apud Gentiles frequentissimum, Græci *Hēpatoskopian* vocavere, quæ pars erat Extispicinæ, seu artis ex viscerum inspectione vaticinandi: Ubi colorem, locum, numerum observabant. Julio Cæsari duo boves, a Sacerdote dissecti, cùm corde carere deprehenderentur, exitium prædixere, V. Thom. Godwynum *de Rit. Hebræorum lib.* 4. *cap. ult.* &c.

Divinatrix Machina, in *Museo* Kircheriano exhibetur, quæ ad progressum unius statuæ in linea recta, ad diversa interdistincta spatia cælestium Planetarum characteres arbitrarios stare jussa stat & duo Genii ceteri circumsepti globo suis fulcris pari motu se in sphæræ centro contorquentes cum suis indicibus, quos ceu lancem in manu gestant, ad cognomina signa, in sphæratum circumferentia inscripta, se quoque sistunt, etiamsi unus ab altero per decem palmos distet, uterque autem à Magica statua per palmos quinque. Qua ratione tota Astronomia divinatoria includi potest, tantâ industriâ, ut curiosius hominis actus & passiones morales, putà virtutes & vitia, inclinationem, aversionem, alia, spectatori palam legenda exponat. Georg. de Sepibus *in Collegii Rom. S.I. Museo p.* 60. Ibidem Typhis Magneticus prostat, ad clavum cymbæ crystallinæ sedens, qua, inter alia, machinâ efficitur, ut spectatoribus intra circumferentiam descripta nomina aut etiam mente concepta Geniolus, non sine suspicione Magiæ, dicto citiùs indicet & quod propositum erat, vaticinetur, uti Auctor pluribus docet in *Arte Magnetica*. V. infrà *Typhis Magneticus*.

Divinitas præsens mortalibus, titulus Antonino Caracallæ Imp. tributus in marmore antiquo, quod Tusculi visitur, memoratur Jac. Sponio *Itinerar. Part.* 1 *pag.* 298. ubi eundem alio non minùs insolenti, *Dominum Terræ Marisque* in *Inscr.* Gr. Thyatiræ superstite, appellari, addit. Nempe *divinitatem* affectarunt etiam sceleratissimi Principes, vel adulatores eam illis affingebant, uti alibi diximus, inprimis suprà in voce *Divi*. Habebantur autem *Divinitatis* notæ, *somnia, curationes, oracula* & *epiphaneiai*: uti videre est, apud Lucianum, *de Hephæstione in Divos referendo*, Ὑπολαμβάνοντες δ' οἱ κόλακες τὴν μειρακιώδη ταύτην τοῦ Ἀλεξάνδρου ἐπιθυμίαν, προσέφερον αὐτὴν καὶ συνεξέκαον, ὀνείρατα διηγούμενοι τοῦ Ἡφαιστίωνος ἐπιφανείας τινὰς καὶ ἰάματα προσάπτοντες αὐτῷ καὶ χρησμοὺς ἐπιφημίζοντες, καὶ τέλος ἔθυον παρέδρῳ καὶ ἀλεξικάκῳ θεῷ. Cujusmodi curationes verò plerumque per somnia fiebant, ut in Æsculapii Templis: quemadmodum & *epiphaneiai* quoque in somnis frequentes, quum *Divus* apparere dormientibus visus hæc & illa præcipiebat sanitati vel tuendæ, vel ex morbo reciperandæ; qualia remedia *theragiai* vocabantur. Atque hi divi *alexikakoi* præcipuè habiti &c. V. quoque infrà, ubi de *Paredris Diis* & *Somniali Hercule*.

Divisio, panis aliorumque missilium, populo olim Romæ ac CPoli ubi fieri sit solita, videre est hic passim, in vocibus *Augustean*, *Missilia*, *Panis*, *Sparsio* &c. At *Divisio*, in Tabulario Lascarrensis Ecclesiæ A. C. 1101. apud Marcam *Histor. Benearn. lib.* 5. c. 10. pro examine est ferri candentis vel aquæ calidæ: vel sorte quavis. Nam & *sors* divisionem significat. Joann. Saresberiensis *Policratici lib.* 10. c 12. & Petrus Blesensis *de Præstigiis fortunæ, Sortilegi sunt, qui sub nomine fictæ religionis—rerum pollicentur eventus, quod genus sortes Apostolorum & Prophetarum & divisiones & inspectio tabulæ appellant*, apud Car. du Fresne in *Glossario*.

Divisio Apostolorum, Festum est, cujus mentio in *Martyrologiis* Bedæ, Usuardi & aliorum, d. 15. Julii, quo sc. Apostoli in diversas orbis provincias profecti sunt ac dispersi. *Chron.* El-

vangense & *Compilatio* Chronol. *A. C.* 1291 *Rex Romanorum Rudolphus obiit in Divisione Apostolorum.* Dicitur *Festum de Dispersione Apostolorum*, apud Albertum Stadensem *A. C.* 1098. Quo respexit Paulinus *Natali* 9.

——— Lux populis festiva recurrit,
Quâ sanctus quondam cœlo demissus ab alto
Spiritus igniti divisit fulmine linguas &c.

apud du Fresne ubi de *Festis*.

Divisores, dicti sunt apud Romanos, qui pecuniam, quâ Candidati populi suffragia emturi erant, singulis distribuebant. Quemadmodum Interpretes erant, qui pactionem faciebant, & Sequestres, apud quos pecunia deponebatur. V. Cic. *de petit. Consul. & alibi*, Asconium, Plut. Johann. Rosinum *Antiqq. Rom. lib. 7. cap.* 8. &c.

Diviter Homines, V. infrà *Rici Homines*.

Dium, Græcè [illegible], Eubœæ opp. ubi aquæ calidæ, memoratur Plinio *lib. 31. cap.* 2. ubi pro *Delio* Salmasius *Dium* reponit, quem V. *ad Solinum pag.* 177. ut & in voce *Dion*.

Dium Fulgur, Festo fulmen diurnum est, quod Jovi olim attribuebant: *Dium fulgur appellabant diurnum, quod putabant Jovis, ut nocturnum Summani.* Imò *Dium*, pro *Diali*, i. Joviali, ut *Dialis Flamen*. Et Appulejo, *Diale flumen*, [illegible]. Sic *Dius Fidius*, [illegible], unus ex Diis illis, qui templi tegmine nolebant integi, sed tectum perforatum habebant, inter quos & Terminus. Inde & *sub Dio*, quod alii dicunt *sub Jove*. Sed & [illegible] templum Jovis & [illegible] quoque Græcis, h. e. *divinus*, quasi [illegible], ut exponunt Grammatici. V. Salmasium ubi suprà [illegible]

Divortii duæ apud Romanos species erant: Repudium, quod in Sponsalibus & *Divortium* propriè dictum, quod in contum. [illegible] valebat nuptiis. Prioris formula erat: *Conditione tuâ non utor.* Posterioris, *Res tuas tibi habeto*, vel *Res tuas tibi agito.* Utraque dicebatur *Matrimonii renuntiatio*. de qua legem tulit Romulus teste Plutarcho, *quæ mulieri maritum relinquendi potestas adimebatur: viro autem ejicere uxorem concedebatur, si veneficio circa prolem fuisset usa, aut alienam pro sua supposuisset, aut Adulterium commisisset: quòd si quis alia de causa repudiasset conjugem, ejus ut ejus bona partim uxori cederent, partim Cereri sacra forent: & qui uxorem dimisisset, is Diis Manibus sacrum ei faceret.* Postea quoque, in XII. Tabb. permissum fuisse *Divortium*, ex eo licet suspicari, quod inquit Cicero *in Philippicis* de Antonio: *Frugi factus est, mimam illam suam sibi res habere dixit ex XII Tabulis, claves ademit, exegit.* Interim à condita Urbe usque ad annum 520. nullum *Divortium* Romæ intercessit, primusque id fecit S. Carvilius Ruga, M. Pomponio, C. Papirio, vel ut aliis placet M. Attilio, P. Valerio Coss. qui, verba sunt Valerii Maximi, *uxorem sterilitatis causâ dimisit: Qui quanquam tolerabili ratione moveri videbatur, reprehensione tamen non caruit: quia nec cupiditatem quidem liberorum conjugali fidei præponi debuisse arbitrabantur.* A. Gellius *lib. 4. cap.* 3. & Dion. Halicarnasseus *lib.* 2. à Censoribus eum coactum fuisse jurare scribunt, *Se liberûm quærendorum gratiâ matrimonium colere.* Ab eo tempore rei uxoriæ cautiones Romæ necessariæ sunt visæ, cùm antea nullæ fuissent: dimittique uxores cœperunt, etiamsi nihil gravioris causæ subesset. Unde P. Æmilius cùm Papyriam dimitteret, non tam pulchram quàm fœcundam, causam quærentibus amicis, non aliam attulit, quam *ab se calceum esse*. C. Sulpicius Gallus cum uxore divortium fecit, quod eam *foris capite nudo conversatam* reperisset: Q. Antistius Verus, quòd *eum libertina quadam vulgari secretò fuisset collocuta.* Sempronius Sophus, quòd *uxor ludos spectasset se ignorante*, Plut. in *Romulo & in Probl. Romanis*: Caj. Julius Cæsar Pompeiæ nuncium remisit ob adulterii cum Clodio nudam suspicionem, &c. V. Car. Sigonium *de antiquo jure civium Rom. l.* 1. *cap.* 9. Ratio autem *Divortii* hæc erat: Cùm vel morosior erat, vel sterilis uxor, *amici rogabantur vellent consilio interesse*, Valerius M. *lib.* 2. *cap.* 4. unde L. Antonius à M. Valerio Max. & C. Junio Bubulco Censoribus, Senatu motus legitur, *quod Uxorem virginem ductam repudiasset, nullo amicorum consilio.* Sic probatis in privato amicorum consilio rationibus, *Jusjurandum exigebatur Censoribus legitimas fuisse divortii causas*, A. Gellius *lib.* 17. *cap.* 21. Dein, ut nuptiæ firmabantur scriptis tabulis, ita fractis dissolvebantur. Juvenalis *Sat.* 9. *versu* 75.

—— Fugientem sæpe puellam
Amplexu rapui, tabulas quoque fregerat, & jam
Signabat: tota vix hoc ego nocte redemi,
Te plorante foris.

Tum maritus vel præsens uxorem exturbabat ædibus, vel per nuntium absenti libellum mittebat, quo legitimæ continebantur causæ, V. Isidorum *Origin. lib.* 10. c. 8. ubi inter alia & testium meminit, [illegible] 9. *ff. de divortiis*; quos numero septem, puberes civesque Romanos, ut in signandis tabulis dotalibus, esse oportebat. Mittebatur verò libellus hic vel per aliquem è libertis, vel per Procuratorem, V. Suetonium *in Tiberio cap.* 11. Nec mariti modò, sed & patres, impudicitiâ filiarum offensæ, ut ex hoc Suetonii loco patet, libellum hunc mittebant: ac multò vehementius crudeliusque Caligula, qui *quibusdam, absentium maritorum nomine, repudium ipse misit, jussitque in acta referri*, Sueton. *in vita ejus cap.* 36. Exeunti, quæ prius uxor fuerat, reddebatur quidquid in domum mariti secum attulerat. P. Ovidius *de Rem. Am.* & Joh. Badius Ascensius ibi.

Tutius est, aptumque magis, discedere pace,
Quàm petere à thalamis litigiosa fora.
Munera quæ dederis, habeat sibi lite jubeto,
Esse solent magno damna minora bono.

Adimebantur autem claves, quæ post conclamatum Hymenæum intranti in domum fuerant commissæ. Unde Ambrosius *Epist.* 65. *Mulier offensa claves remisit domum revertit*: & in *legg. Xviral. Res suas sibi habeto, claves adimito*, &c. V. Thom. Dempsterum *Paralipom. in caput Rosini suprà laudatum*: Apud Athenienses tam vir quàm mulier poterat alter alteri dicere, ut res suas sibi haberet; quin nomina illius rei propria jure Attico prodita erant, ut si vir discederet ab uxore, hoc diceretur [illegible]; si uxor discederet à viro, [illegible]. Scribebatur autem libellus *Divortii* apud Archontem à viro ipso, sive uxore, non autem per alium, ex hac Solonis lege: [illegible] *Uxor, quæ à viro divertit, libellum divortii ipsa, non per alterum, Archonti præsens offerto*, ut nempe hoc modo, si fieri posset, coràm sarciretur odium & utriusque iniretur gratia: Legis meminit Plut. in *Alcibiade*. Et Archon quidem, sortiebatur Judices, qui hac de re disceptarent, an legitima esset nec ne [illegible], vel [illegible] causa ullaque Judicibus illis decentibus solvebatur matrimonium, hinc apud Pollucem [illegible], V. Sam. Petitum *Comm. in Leges Atticas lib.* 6. *tit.* 3. Cæterùm, quamvis per leges licebat, turpe nihilominus apud Græcos habebatur, si quis uxorem ejecisset, vel si quæ reliquisset maritum. Apud Spartanos imprimis, ubi tamen non adeò sancta matrimonii jura erant, mulctam Lysandro Ephori imposuerunt, quòd uxorem suam repudiasset: Sed gravior ignominia uxori erat maritum relinquenti, quàm marito expellenti uxorem. Unde Medea apud Euripidem *versu* 236.

—— [illegible]
[illegible]
—— Non enim laudabiles mutationes
Fœminis, non licet infitiari maritum.

Ubi inter maritorum privilegia recenset, posse uxorem quæ displiceret dimittere: uxori contra nullâ maritum ingratum permutandi spe, nisi in morte, relictâ. Interim magnâ ferebatur apud omnes gloriâ maritus, qui unâ uxore contentus vixisset, & calamitas credebatur ingens, ad secundas nuptias, non post *Divortium* modò, verùm etiam post mortem conjugis, convolasse, ut patet, ex Euripide *in Alcest. versu* 464. ubi Chorus in maritum, etiam mortua uxore, aliam sibi jungentem, his verbis invehitur.

[illegible]
[illegible]
Si autem novum elegerit maritus thorum,
Sanè perquam mihi fuerit exosus.

V. Franc. Rosæum *Archæologiæ Attic. lib.* 4. *cap.* 11. Apud Hebræos, propter duritiem cordis eorum, permissum erat marito, uxorem quæ displicebat, dimittere, dato ei libello repudii, ipsis ספר כריתות *Sepher Kerithuth* id est, *libellus abscissionis*, hoc enim pacto de familia mariti quasi abscindebatur uxor, Gr. [illegible], dictus est. Sed cautè admodum id fiebat, nec nisi si decem hæc requisita adessent. 1. Oportebat id à marito fieri sponte. 2. Non aliter quàm scripto, 3. Causis divortii in eo expositis. 4. Quas inter maritum & uxorem intercessisse erat necesse. 5. Idque nomine ejus apposito. 6. Post scriptum libellum nihil omittendum erat eorum, quæ libelli traditionem solebant pro more præcedere. 7. Ita à marito uxori tradebatur. 8. Coram testibus. 9. Secundùm leges. 10. Si maritus præsens non erat, dabat libellum alius ejus loco. Formula divortii ex More Kotsensi *fol.* 133. talis erat: *Tali Hebdomade, tali mense, tali anno à creatione mundi, secundùm computandi rationem usitatam in hac civitate N. sita ad fluvium N. Ego è regione N. filius Rabbi N. è regione N. Ego inquam, habitans in tali loco, prope talem fluvium, proposui mihi sponte, nemine cogente, imò repudiavi, dimisi atque expuli Te, Te inquam, Te meam uxorem N. è regione N. filiam Rabbi N. habitantem in tali regione, & degentem in tali vel tali loco, juxta talem fluvium, quæ priùs uxor mea fuisti, Verùm nunc ego te repudio, dimitto & expello, ut res tuas tibi habeas, teque ad alium, cui nubas, conferas pro lubitu; neque mei causa alterius nuptias recuses, ab hoc die in perpetuum. Hoc tibi licitum sit, per me, quo sine trado tibi libellum separationis, libellum repudii & litteras dimissionis, secundùm legem Mosis ac Israel.*

N. filius N. testis.
N. filius N. testis.

Aliud apud eundem exemplar habetur, V. quoque Mosen Ægyptium *parte* 2. *fol.* 59. unde desumta est hæc testium subscriptio, quam apposuimus. Scribi autem hic libellus solebat à scriba seu Notario publico. Dimissa hoc modo uxor, quemadmodum & vidua,

vidua, non poterat ad secundas faces transire, nisi post nonaginta dies à die repudii effluxos, ut interea, an fortè è priori marito prægnans esset, fieret palàm, utque eo certius pateret, proles ne, quæ ex illa nascebatur, prioris an alterius mariti esset, V. Salomonem Jarchi *in Hoseæ cap.* 1. *versu* 10. & Maimonidem *de Divortiis cap.* 11. *sect.* 18. Circa tempora SERVATORIS nostri, apud Romanos, non tam à parte mariti, quàm a parte uxoris, *Divortium* frequentissimum erat, dimissoque priore marito, contra Romuli institutum & priscam consuetudinem, (Seldenus tamen & olim permissum fuisse contendit) uxores, prout libido ipsis suadebat, alios sibi asciscere maritos neutiquam erubuere. Unde Juvenalis *Sat.* 6. *vers.* 230.

—— —— - *Sic fiunt octo mariti*
Quinque per autumnos.

Et Martialis *lib.* 8.

Et nubet decimo jam Telesina viro.

Seneca quoq. *l. de Benefic.* 3. c. 16. *Non Consulum*, inquit, *sed maritorum numero annos suos computant*, &c. Libellusque, quem uxor marito dabat, Γράμμα τῆς ἀπολείψεως, vocabatur: Idem hodieque in Persia obtinere, docet P. de Valle *Itiner. tom.* 2. & 3. Quod apud Hebræos quoque invaluisse, discimus ex Marci *cap.* 10. *vers.* 12. *Si quæ uxor reliquerit maritum suum, aliumque sibi asciverit* &c. Non tamen, silentibus quamvis civilibus legibus, propterea etiam lege divinâ hujusmodi repudiandi licentia concessa erat, quæ non nisi adulterium, docente CHRISTO, legitimam repudii causam admisit. Itaque & conjugia cum ita relictis vel repudiatis inita illicita erant: utpote cum tales pro digamis haberentur. Hinc in Episcopo, inter alia, requirebatur, ut μιᾶς γυναικὸς ἀνὴρ, *unius uxoris vir* esset, 1. Tim. *cap.* 3. *versu* 2. & in vidua, ad sacros usus eligenda, ut fuerit ἑνὸς ἀνδρὸς γυνὴ, *unius mariti uxor*, 1. Tim. *cap.* 5. *versu* 9. id est, ut Episcopus post temerè dimissam uxorem, non aliam duxerit: neque vidua, post priorem relictum alii marito nupserit. Quòd enim Digamia successiva, quâ nempe ad secundas nuptias morte alterutrius conjugis intercedente transitur, his locis prohibita non sit, ostendi potest simili phrasi etiam apud Scriptores profanos usitatâ: Ita Horatius *lib.* 3. *Carm. ode* 14.

Unice gaudens mulier marito, &c.

V. Thom. Godvvynum *de ritibus Hebr. lib.* 6. *cap.* 4. Joh. Buxtorfium *de Sponsalibus & Divortiis* &c. De Hebræis ut aliquid addam, licet, ut diximus, *Divortium*, lege apud eos permissum esset, duplex tamen Uxorum genus eo ejici non poterat; quorum alterum erat earum, quæ præreptæ virginitatis falsò, idque in judicio capitali, fuere accusatæ: alterum illarum, quæ vi comprimentibus nuptæ; de quibus perpetuò retinendis expressa sunt Legis verba, V. Maimonid. *halach Naira Bethula cap.* 2. & 3. Reliquæ, ob triplex causarum genus, dimitti poterant, de quibus, V. Seldenum *Uxor. Hebr. lib.* 3. *cap.* 18. Interim per 700. à Lege lata aut circiter annos, *Divortii* mentio non occurrit, raraque alicubi etiam post eiusdem vestigia. Quod enim apud Fl. Josephum legimus, inverti illud omnino juris est, ubi nempe Salome, Herodis R. Antipatri filii soror, annis aliquot ante Christi natales, libellum repudii misisse Costobaro marito legitur. Similiter, quod ex eodem elicitur *Archæol. lib.* 18 *cap.* 7. de Herodiade, maritum sponte relinquente, nec illud huc facit, cùm nec illa origine Ebræa fuerit. Sed & *Divortii* libellum, ejusque usum quod attinet, ante Esaiam Prophetam, nomen ejus in Historia sacra similiter non occurrit, sc. non ante 700. à Lege de eo lata ampliùs annos elapsos. Usurpatur autem ab Esaia, ut à Numine dictum de Ecclesia Ebraica, *cap.* 50. *versu* 1. V. etiam *cap.* 54. Sub centesimum abinde annum apud Jeremiam, mentio iterum legis Repudii, *cap.* . *vers.* 1. & 6. V. quoque Malach. *cap.* 2. *comm.* 16. Ex quibus interim locis patet, rem illam in usu aliquo, atque inde, non e sanctione solùm sacra, sed & vulgo, notam fuisse. V. iterum Seldenum *cap. seq.* Hunc Ebræorum morem aliæ gentes certatim sequutæ, ut vidimus. Et ut Sectarios illos primitivi seculi, Cataphrygas, Montanistas, alios, quos λύσεις γάμων, *functiones Nuptiarum*, docuisse traditur, omittam: Ruthenos & Moscos *Divortia inter se frequentes celebrare*, scribit Alex. Guagninus *Sarmat. Eur.* ubi & modum addit: *Cùm sibi Vir & uxor mutuo displicent, tunc extra pagum in trivium ambo prodire solent, mantili arrepto, quod inter se manibus tenendo per medium discindunt, viro uxori dicente, VADE TU HAC, EGO ILLAC PERGAM.* Adjicit autem, *Sed hic per versus divortii modus nunc prorsus abolitus est.* Idem de Æthiopibus legitur, apud quos Franc. Alvaresius, qui ævo floruit præt. matrimonia ita contrahi ait, ut pignore utrinque sive pœnâ caveri soleat, ne alterutrinque fiat *Divortium*, V. eum *Reb. Æthiop.* Unde perspicitur, *Divortia* apud illos in usu, & quidem frequenti, fuisse. De Habassenis seu Abissinis, qui & ipsi Æthiopes, Orientalem simul atque Australiorem seu interiorem sub Euronoto, ultra Ægyptum, Africæ partem possident, similia tradunt Auctores: liberrimum nempe & inter illos, qui Hieratici generis non essent, Repudiorum fuisse usum. Ut de Mahumedanis aliisque in præsens sileam, de quibus omnibus, ut & plura in hanc rem, V. apud sæpius præfatum Joh. Seldenum *l. c. ut & capp. seqq.* &c.

Diurnales, apud Lanfrancum *in Decretis pro Ordine S. Benedicti*, *cap.* 1. alibique passim, dicuntur calcei, quibus interdiu utuntur Monachi, quum *Nocturnales* crepidas de nocte adhibeant.

Diurnarii, qui *diurna* conscribebant, efficiebant & quod *diet tim* fiebat vel decernebatur, in Diariis describebant. Junguntur illi Subscribendariis, Logographis, Censualibus, in *leg.* 8. *Cod. Th. de Cohort.* V. Car. du Fresne *Glossar.* & infrà, ubi *de Ephemeridibus Vett.* At *Diurnus*, apud Ivonem Carnot. *Epist.* 58. dicitur liber, in quo Consuetudines Romanæ Ecclesiæ continebantur, in quas novus Pontifex tenebatur jurare, Car. Macer in *Hierolexico.*

Dius, V. suprà *Diisticum*, & *Divum.*

Divus, dicebatur in uno latere Tabulæ lusoriæ locus, cui opponebatur *Antigonus*. Agathias,

—— —— μέσσαθι δ' ἄλλων
τέσσαρα τῷ πυμάτῳ ἀμφιπατοῦντα Δίῳ.

Et paulo pòst,

Δίζυγας Ἀντιγόνοιο διαστρέψαι ——

Ubi Δῖος Latinum nomen est, *divus*: quo Impp. Rom. post mortem appellatos esse, nemo nescit. Cùm itaque hic tabulæ ludus ad imaginem planè belli compositus esset, nigrique vel russei calculi cum albis certarent, in uno latere tabulæ locus erat, qui dicebatur *Divus*, quasi Regis Romani sedes: in altero oppositus, *Antigonus*, quod est nomen Macedonum Regis; quos semper Romanis adversos contrariosque fuisse, constat. Erat autem *Divus*, in dextro latere, ubi albi calculi statuebantur; in sinistro, ubi nigri, Antigonus. V. Salmasium *ad Vopiscum in Proculo.*

Divus Fidius, vel *Dius Fidius*, item *Sanctus*, Sabinorum fuit Deus, primùm apud Reatinos cultus, ubi quoque editus credebatur, teste Dionysio Halicarnassæo *lib.* 2. qui eum *Sabum* alio nomine appellatum esse, ex P. Catone ibidem refert. Eius ædes in urbe dedicata est à Sp. Posthumio Consule an U. C. 297. Nonis Junii, in loco Bellonæ, locata ab ultimo Regum Tarquinio, non tamen ab illo consecrata, V. eundem Dionysium *lib.* 9. ubi addit, eo demum anno ex S. C. ædem hanc à Posthumio dedicatam esse, ex inscriptione patere.

Dixi, usitatissima clausula, in fine orationum, tam Græcarum, quàm Latinarum. Asconius 2. *Verr. Moris Veterum fuit, quum satis visum esset fluxisse verborum, hanc sibi necessitatem finiendæ orationis imponere, ut dicerent ad ultimum, Dixi.* Nempe, Orator, si post se neminem speraret dicturum, oratione finitâ hanc vocem subjiciebat, quâ tota causa velut obsignabatur. Unde Sophocles *Electrâ*, Εἴρηκα μὲν νῦν ταῦτα: *Dixi nunc quidem ista.* Et Lycophron *Cassandra*, τὸν εἴρηται, *Tantum loquuta est.* Neque aliter Terentius *Phormione*, *Dixi*, *Phormio.* Quo vocabulo vulgò etiam terminant Panegyricas, aliasque Declamationes, sed præter consuetudinem Veterum, qui eam tantùm adhibuisse videntur in causis Forensibus. Quin nec in omnibus orationibus hujus generis id fiebat; sed in postrema duntaxat, cùm neminem præterea dicturum crederent, ac Judicibus tantummodo danda esset sententia, uti docet Polletus *de Historia Fori Rom. lib.* 1. *cap.* 12. estque hanc rem confirmare Luciani Dialogo, in quo de præstantia rerum gestarum Hannibal, Alexander & Scipio, apud Minoëm contendunt. Neque enim Hannibal, qui primus causam dicit, claudit hac voce orationem; sed Alexander qui secundus est, ac neminem alium post se dicturum putabat. Idem quoque comprobant orationes adversariæ in *Bis accusato* &c. Non tamen Orator solùm eam vocem adhibebat, verùm & habitâ ab utraque parte oratione, per Prætorem pronuntiari solebat, *Dixerunt*: quâ voce auditâ, in consilium mittebantur Judices, h. e. ad sententiam ferendam dimittebantur. Gerh. Joh. Vossius *Institut. Orator. l.* 2. *c.* 6. §. *ult.* Uti verò Oratores suam habebant clausulam: Sic Histriones, Comici inprimis, discedentes voce *plaudite* fabulam claudebant, Πέρας κορώνη vocat Lucianus in *Demonacte.* Rhapsodorum clausula erat, Σὺ δὲ ἄναξ χαῖρε: Citharœdorum, ἀλλ' ἄναξ μάλα χαῖρε; Tragœdorum eadem cum Rhapsodorum nonnunquam fuit &c. uti videre est apud Casaubonum *ad Suetonium Augusto cap.* 99.

D O.

Doana, V. infrà *Douana.*

Docimæum, adde: Græcè Δοκίμειον, Scaligero *Docimeum*. Incolæ *Docimenses* aut *Docimeni*, Stephano Δοκιμεῖς, apud Salmasium, *Not. ad Capitolinum in Marco.* Strabo vicum Phrygiæ hoc nomine habet, ubi Synnadici marmoris lapidicinæ fuerunt, quod hinc *Docimites* quoque dictum est. Ita enim is, Ἐπίκειται δὲ ἡ Δοκιμία κώμη, καὶ τὸ λατόμιον Συνναδικοῦ λίθου, οὕτω μὲν Ῥωμαῖοι καλοῦσιν, οἱ δ' ἐπιχώριοι Δοκιμίτην καὶ Δοκιμαῖον &c.

Doctum, in *Charta* Gennadii Episc. Asturic. æræ 953. nomen libri, in quo *Vitæ Patrum* scriptæ; fortè *Geronticum*, uti legendum putat, Car. du Fresne *Glossar.*

Doctor, adde: Sed & jam olim, apud Romanos *Doctoris* appellatio perhonorifica fuit, nec nisi insignibus tribuebatur viris. A. Gellius *lib.* 13. *cap.* 21. *statim ab initio: T. Castricius Rhetoricæ disciplinæ Doctor*: & *lib.* 18. *cap.* 2. *qui eadem audientes eosdemque Doctores colebamus.* Persius *Sat.* 6.

— — — Sed Bestius urget
Doctores Grajos.

Apud Hebræos *Doctoratus* insigne clavis fuit cum pugillaribus: quò CHRISTUS alludit Lucæ *cap.* 11. *versu* 52. ubi de Legisperitis est sermo. Hinc de R. Samuele scriptum: *Eo mortuo, clavem ejus & pugillares in loculo fuisse reconditos, eo quòd filium non haberet*, Camero in *Myrothec. ad Matth. cap.* 22. *vers.* 35. & *ad Lucæ cap.* 11. *vers.* 52. Denotavit autem mystica illa clavis, *Doctores* omnem scientiam in pectore suo reconditam habere, quam discentibus aperiant: Vocatur enim apud Lucam Κλεὶς τῆς γνώσεως, *Clavis scientiæ.* Unde notanter de Christo, cœlesti DOCTORE nostro, Apostolus, Ἐν ᾧ εἰσὶ πάντες οἱ θησαυροὶ τῆς σοφίας καὶ τῆς γνώσεως ἀπόκρυφοι, *In quo omnes thesauri sapientiæ & scientiæ absconditi sunt*, Coloss. *cap.* 2. *vers.* 3. vel etiam clavis ista secreta Scientiæ designavit, non reseranda profanis. Quò respexisse Horatius videtur,

— — Odisti claves & grata sigilla.

V. Georg. Hornium *Hist. Philos. lib.* 7. *cap.* 16. Sed & *Doctor* simpliciter, item *Doctor cohortis*, in vet. *saxo*, pro Armidoctore vel Campidoctore, V. ibi. In *Inscr.* alia Romæ, *Doctor Sagittariorum* memoratur, apud Jac. Sponium *Itinerar. Part.* 3. *p.* 36. &c.

Dodecagonum, figuram XII. Ventorum complectens ad exemplum Octagoni, ab Andronico editi, exhibetur à Salmasio *ad Solinum pag.* 1252. Post priscam enim primamque rationem, quæ ventorum quaternionem ponebat & antiquissimorum fuit temporum, sequenti ætate duæ maximè receptæ fuerunt, octonaria & duodenaria, aliis hanc aliis illam magis probantibus. Et quidem octonaria duodecimariâ antiquior fuit (contrà quàm sentit Plinius) ut quæ nondum Aristoteli innotuit, qui 8. ventos tantùm principales memorans, κυριώτατα illa vocat & ἀνεχομένα πνεύματα. Unde longè eo posteriorem esse Scriptorem libri *de Mundo*, ut qui partitionem in XII. ventos agnoscit, manifestum est argumentum. Nomina illorum sunt, *Favonius* Ζέφυρος; *Chaurus*, Ἀργέστης, Ἰάπυξ, Σκίρων; *Thrascias*, Κρικίας, Θρασκίας, Στρυμονίας; *Septentrio*, Ἀπαρκτίας, Βορέας; *Aquilo*, Βορέας, Μέσης, Καικίας; *Cæcias*, Καικίας, Θρασκίας; *Subsolanus*, Ἀπηλιώτης, Ποταμεὺς, Συριάτης; *Volturnus*, Εὖρος, *Euronotus*, Φοινικίας, Εὐρόνοτος, Καικίας; *Auster*, Νότος; *Libonotus*, Λιβόνοτος, Λευκόνοτος, & *Africus*, Λίψ. E quibus *Thrasciam*, *Cæciam*, *Phœniciam* & *Libonotum*, octo prioribus additos ait Plinius *l.* 2. *c.* 46. qua de re V. Salmasium *ad Solinum p.* 1241.

Dodecanisus, Gr. Δωδεκάνησος, nomen frequentissimum apud Græcos, quo Insulæ Sporades, & Cyclades omnes, ut & insulæ propiores præter Cyprum & Cretam olim dicebantur: Lat. *Duodecim insulæ.* Unde præfectus Callipolitanus, cujus nutui parebant, titulum habuit *Præfecti Dodecanisi*: quemadmodum hodienum Turcæ Sanzacko Callipolitano curam harum Insularum committere solent. Status earum hodiernus inquietus admodum ac turbulentus est variisque jam Turcarum, jam Venetorum invasionibus obnoxius: quo fit, ut utrisque pareant. Et Veneti quidem quotannis tributum 150. mill. Imperialium circiter ab iis exigunt, & *Cerigo* ac *Tino* fortalitiis suis firmatas tenent: Turca verò Tenedum munit, Lemnum, *Negroponte*, *Lango*, & nodum. V. Castlemanii Angli *descr. Candiæ, ad Regem M. Britanniæ, in append. ad Diarium Eur. Contin. Part.* 16. *pag.* 21. 22. ut & Auctorem Anonymum *Hist. Geogr. & Civ. Orbis Terr. cap.* 5. Ex insulis Asiæ propioribus huc pertinent Tenedos *Tenedo*, Lesbus, Chius *Scio*, Icaria *Nicaria*, Samus *Samo*, Pathmus *Palmosa*, Cous *Coa*, Carpathos *Scarpantho* & Rhodus, Idem.

Dodecatheos, herbæ nomen apud Plinium *l.* 26. *c.* 11. *Remedia hæc communia invenio. Ante omnes potam* dodecatheum — *Deinde panacis radices*: ex Græco Δωδεκάθεος. A *duodecim* nempe *Diis* majorum gentium sive Consentibus, primæ auctoritatis & dignitatis inter Numina Gentilium, nomen accepit. Ita enim idem *l.* 25. *c.* 4. *Abea* (herba moly) *maxima auctoritas est herbæ, quam* dodecatheon *vocant, omnium Deorum majestatem commendantis.* Intellige, *præcipuorum*, & V. deca plura *ibid.* Sed & sic dicta famosissima cœna Octavii juvenis, de qua sic Suetonius in eo *cap.* 17. *Cœna quoque ejus secretior in fabulis fuit, quæ vulgò* Δωδεκάθεος *vocabatur, in qua Deorum Dearumque habitu discubuisse convivas & ipsum pro Apolline ornatum, non Antonii modò epistolæ, singulorum nomina amarissimè annumerantis, exprobrant, sed & sine auctore notissimi versus:*

Cùm primùm istorum conduxit mensa choragum,
Sexque Deos vidit Mallia sexque Deas:
Impia dum Phœbi Cæsar mendacia ludit,
Dum nova Divorum cœnat adulteria.
Omnia se à terris tunc Numina declinarunt:
Fugit & auratos Juppiter ipse thronos.

Auxit cœnæ rumorem summa tum in civitate penuria ac fames. Acclamatumque est postridie, frumentum omne Deos comedisse: &, Cæsarem esse planè Apollinem, sed Tortorem, *quo cognomine is Deus quadam in parte urbis colebatur.* Eam tamen voluisse æmulari videtur Verus Imperii consortâ Marco dictus, *cujus notissimum fertur tale convivium, in quo primùm* (fortè Capitolino in mentem scribenti hæc non venerat factum Octavii) *duodecim accubuisse dicitur — Omne autem convivium æstimatum* dicitur *sexagies centenis millibus H S. — quod posteaquam Marcus audivit, ingemuisse dicitur & doluisse publicum fatum,* Capitolinus in *Vero*, ubi omnem convivii apparatum & dona *duodecim* illis *convivis* data, ordine exponit. De *Duodecim* verò *Diis*, quos isti repræsentare voluerunt, tum Romanorum, tum Atheniensium, V. in voce *Consentes*, item Duodecim.

Dodonis Curtis, vulgò *Doncourt*, vel etiam *Doncourt aux Templiers*, locus Galliæ, in agro Virdunensi memoratus in tabulis anni C. 821. apud Hadr. Valesium *Not. Gall.* in voce *Vabrensis pagus.*

Dogma, quid propriè sit, & quomodo à *Decreto* differat, V. suprà in hac voce. Macri Fratres, regulas seu canones, à Conciliis sancitas, *Dogmata*; à Pontificibus, cum Cardinalium Consistorio stabilitas, *Decreta*; solius Papæ ordinationes, *Decretales*, dici ajunt in *Hierolexico.*

Dolabræ, vallo diruendo, memorantur Livio *lib.* 9. *cap.* 37. refringendæ portæ, *lib.* 28. *cap.* 3. Inde *Dolabellæ*, Nobiles Romanis &c.

Dolichiste, adde: ex Græco Δολιχίστη, id est, *Maxima*, *longissima*, à *longitudine* sic dicta. *Maximam* autem eam vocat Strabo: Δολιχὴν simpliciter, i. *longam*, Stephanus, Δολιχὴ νῆσος πρὸς τῇ Λυκίᾳ, ὡς Καλλίμαχος. Ἀλέξανδρος δὲ ὁ Πολυίστωρ Δολιχίστην αὐτήν φησι. V. Salmasium *ad Solinum pag.* 785.

Dolichodromi, Cursorum genus, de quibus hic infrâ.

Dolichus, Galeno *de tuenda valet. lib.* 2. *cap.* 11. ut & *Diaulus*, cursus fuere genera, in Vett. Gymnasiis exerceri solita: quorum illum refert, Græcis *continuatum diu cursum* significare; cùm tamen major Autorum pars duplicis stadii spatium extitisse eum, censeat: alterum definientes cursum, quo stadium semel currebant. Secundum hos ita Stadium erat cursus, unius tantùm stadii; *Dolichus*, duplex uno cursu stadium; *Diaulus* duplex & ipse stadium, sed reflexo cursu, cui ambitus peristylii interioris, quem *Diaulum* ob duorum stadiorum mensuram vocatum refert Vitruvius *lib.* 5. *cap.* 11. inservisse videtur. Quapropter falsum, quod apud Suidam legitur, *Stadiodromas longiorem tractum metiri cursu Dolichodromis*; cùm contrarium manifestè suggerat Parmenonis *Epigr.*

Φησὶ πολυστίχιον ἐπίγραμμα, ὦ κατὰ Μῶμε,
Εἶναι, μὴ ζήτει ἐν σταδίῳ δόλιχον
Πολλάκις ἀπαυτολεῖ δόλιχον δρόμον ἐν σταδίῳ δὲ
Οὐδὲ ἰλαστήριος τρίνομος ἐστὶ νόμος.

Idem ex Proverbio, Μὴ ζήτει ἐν σταδίῳ δόλιχον, *Ne quære in stadio dolichum*, Polluci *lib.* 3. citato, confirmatur, quo innuitur, non esse rem majorem in minori quærendam. V. Hieron. Mercurialem *de Gym. l.* 2. *c.* 10. Scaliger δόλιχον majoris fuisse laboris, quàm δίαυλον, ex Platone *de LL. lib.* 8. notat *Poëtic. lib.* 1. *cap.* 22. Idem hinc Δολιχούρους versus vocat, versus hypermetros, quibus est quod demas, atque induas in sequentis syllabam per concretionem. Ut apud Maronem,

Et dulcem musti Vulcano decoquit humorem &c.

lib. 2. *cap.* 32.

Dolium, vini receptaculum est: & quidem *Dolia*, Græcè πίθους, sic à cadis distinguit Salmasius, ut cados ex ligno, dolia fictilia fuisse dicat. Hinc Græcorum Prov. Ἐν πίθῳ τὴν κεραμείαν μανθάνειν. V. eum *ad Vopiscum in Carino*, ubi de *Doliaribus Tibicinibus*, quos quidam fingunt, *Pithaulas*, pro *Pythaulas*, apud hunc Autorem legentes, multa. In horreis autem defodi *Dolia*, moris fuisse, notum è Scriptoribus *Rei R.* Poëtis & Jurecoss. Hinc Jul. Capitolinus, *in Pio*, inter omina Imperii, *in Hetruria*, inquit, *Dolia, quæ defossa fuerant, supra terram reperta sunt.* V. ibi Casaubonum. *Circa Alpes* tamen, *ligneis vasis condunt, circulisque cingunt* ait Plinius *lib.* 24. *cap.* 21. ubi de Romanorum more vina in *Doliis* colligendi, multa. Non enim in iis illud asservabant, sed inde in plura minora defundebant, ut amphoras, cados, urceos, quò ibi servaretur & inveterasceret, quod proin *defusum vinum* inde appellatum esse suprà diximus. V. Pignorium *de Servis*, ubi de Cella vinaria agens, vett. circa Alpes doliorum, quorum Plinius meminit, iconem exhibet, ut & hic passim in vocibus *Cupa*, *Vinum* &c. Sed & *Dolium*, machina militaris, apud Livium *lib.* 38. *cap.* 7. ubi de Ambraciæ obsidione, *Nova etiam — adversùs eos* (Romanos) *qui in cuniculo erant, excogitata res est.* Dolium *à fundo pertusum, qua fistula modica inseri posset & fistulam ferream operculumque dolii ferreum, & ipsum pluribus locis perforatum fecerunt, hoc tenui plumâ completum dolium ore in cuniculum verso posuerunt. Per operculi foramina longæ hastæ, quas sarissas vocant, ad summovendos hostes eminebant. Scintillam levem ignis inditam plumæ, folle fabrili ad caput fistulæ imposito flando accenderunt. inde non solùm magna vis fumi, sed acrior etiam fœdo quodam nidore ex adusta pluma cùm totum cuniculum complesset, vix durare quisquam intus poterat.*

Dolo, apud Suetonium *Domitiano c.* 17. *Stephanus — sinisteriore brachio, velut ægro, lanis fasciisque per aliquot dies, ad avertendam suspicionem obvoluto, ad ipsam horam* dolonem *interjecit — & attonito suffodit inguina*, sicæ vel pugionis genus est, intra lignum latentis.

Hesychius, Δόλωνες ξιφίδια ὑποκεκρυμμένα. Servius, *Dolo est flagellum, intra cujus virgam latet pugio.* Plut. in *Gracchis*, ἀγκυρὸν ξιφίδιον, *gladiolus, quo latrones utuntur*, exponit. Sic apud eundem Suetonium *Claudio cap.* 13. *reperti equestris ordinis duo in publico cum dolone ac venatorio cultro præstolantes, alter ut egressum è Theatro — adoriretur* &c. V. Casaubonum *ad locum prior.*

Dolonitæ, gens Persidis, inter mercenarios olim Romanorum. V. Procopium *lib. ult.*

Doloncus, Saturni filius, ex Thrace Titanide; frater Bithynis, quem eadem ex Jove suscepit: *Doloncis* pop. quos Δολόγκους Stephanus, Δολόγκας alii vocant, nomen dedit. Salmas. *ad Solin. p* 158.

in *Doloribus* veris, Deos accusandi Veterum mos, memoratur Martiali *lib.* 2. *Epigramm.* 65. *vers.* 3.

O grande fati crimen! ô gravem casum!

Quod jam ex Homero notissimum. Neque verò accusabant solùm, sed & statuas eorum cœno inquinabant, aut lapidabant, ut infrà dicemus. V. Casp. Barthium *ad Claudianum* & *Statium*.

Dolositas, finitore Augustino, est *fraus in verbis, aliud promendi, aliud sentiendi, in Ps.* 49. quam *Æquivocationem* hodie vocant. Eam docuere olim, Simon Magus & Corpianus, qui negabant, *Martyria esse debere.* Helcesaitæ porro, qui tempore persequutionis, *idola adorari, fidemque ore negari posse*, citra labem, modò id ex animo non fieret, statuebant. Basilidiani item, & Priscillianistæ, quorum dogma erat, *Jura, perjura, secretum prodere noli.* Valentiniani insuper, Massiliani seu Euchitæ, Origenistæ tandem & Rhetoriani: de quibus V. Tertullianum *de Præscr.* c. 48. Optatum Milev. c. *Parmenianum l.* 4. August. *Hær.* 16. & 70. Irenæum *l.* 1. *c.* 13. Tertullian. iterum *c. Valentinianos* c. 1. Alios, laudatos Jo. Forbesio *Instructionum Historico-Theolog. lib. III. c.* 20. §. 37. & 38.

Doma, Papiæ *tectum vel atrium, quod non tegitur.* Sic vocem sumit Hieron. *in Sophon. c.* 1. *Qui in domatibus adorant militiam Cœli, Solem & Lunam, astra reliqua* &c. Cujusmodi tecta in Oriente, hodieque in Melita Ins. in usu, Gallis quoque *Domes.* Abbo *Bell. Paris. l.* 1

Ergo bis octavis faciunt, mirabile visu,
Monstra rotis ignara modi compacta triadi
Roboris ingentis super argete quodque cubante,
Domate *sublimi coperto.*

Ex Græco δῶμα, Æol. δῶ.

Dombec, Liber Judicialis AngloSaxonum, ex *dom*, judicium & *bec* liber; memoratur Eduardo Confessori *in LL. cap.* 1.

Domesdei, adde: V. infrà quoque in *Rotulus Wintoniæ.* Sic olim apud Romanos extitere descriptiones accuratissimæ omnium Imperii provinciarum & prædiorum in iis contentorum, quæ & limites & possessorum nomina comprehenderent, ad quas ortâ lite ibatur. Asservabantur illæ in sacrario Principis. Sicul. Flacc *de Condit agror. p.* 19. *Quòd si quis contradicat, sanctuarium Cæsaris respici solet: omnium enim agrorum & divisorum & assignatorum formas, sed & divisionem, & Commentarios & Principatus in Sanctuario habet*, &c. Cujusmodi Commentariorum etiam meminit Frontinus *de Aquæductibus lib.* 1.

Domestici, apud Scriptores rerum tum Roman. ævi posterioris, tum Francicarum, crebro occurrunt. Et quidem apud Romanos sic prætoriani Milites dicebantur, quorum munus fuit Imperatorii corporis custodia, Gr. Οἰκεῖοι & Οἰκιακοί. *Protectores domestici*, dicuntur Ammiano *l.* 14. & 15. nec non in *Collat.* 1. Carthagin. *c.* 1. ubi *Devotissimi* indigitantur. Erant autem tum pedites, tum equites, uti docet Senator *Var. l.* 1. meminitque Ammianus idem Joviani, *Domesticorum ordinis primi l.* 25. quam dignitatem Valeriano quoque tribuit *l.* 27. Cohors eorum *Domesticorum Schola* dicta est eidem *l.* 26. τῶν οἰκείων συνταγμα, Juliano *Epist.* 22. Illis præerat *Comes Domesticorum*, idem *Domesticus Excubitorum* dictus. Δομέστικος τῶν ἐξκουβίτων, apud Theophanem *p.* 383. &c. Ex his quod Impp. Principesque deligerent, præcipua in Palatiis, Castris, Provinciis, munera obituros, videtur fluxisse, quòd Joannes Episc. Citri *Resp. ad Latin. Domesticum* idem sonare ait, quod *Præfectum, Capitaneum, Ducem*, Ἔξαρχον, πρωτεύοντα, ἐπιστάτην. Quemadmodum de iis, quos in Aula Francica sequioris ævi *Familiares* Reges appellatos notum, legimus. Neque v. Impp. solùm, sed & Præfecti provinciarum, urbium, exercituum &c. suos Domesticos habuere, unde *Domesticus Præfecti Prætorio, Ducis, Comitis* &c. crebrò occurrit. Quam dignitatem gradumque illustrem fuisse hinc liquet, quòd Heraclianus Comes Africæ, Sabinum Domesticum suum, generum sibi elegisse; & ipsi omnium fere consiliorum participes fuisse leguntur, apud Orosium *l.* 7. & Procopium *Vandalicor. lib.* 1. *c.* 4. &c. Sed & in Galliæ Regum Palatiis, *Domesticorũ* crebra mentio, apud Fortunatum, Greg. Turon. Fredegarium, Alios; quorum munus sic adumbrat Fortunatus *l.* 7 *carm.* 16. ubi de Condone Domestico,

Tedebertus enim Comitivæ præmia cessit,
Auxit & obsequiis cingula digna tuis.
Vidit ut egregios animus meliora mereri,
Mox voluit meritos amplificare gradus.
Instituit cupiens, ut deinde Domesticus *esses,*
Crevisti subitò, crevit & aula simul.
Florebam pariter veneranda Palatia tecum,
Plaudebat vigili Dispositore domus.

E quibus patet, *Domestici* dignitatem non illustrem modò fuisse, cùm Comitis dignitatem longè excederet, sed etiam idem muneris obiisse, quod apud Byzantinos *Cura Palatii*, atque adeò Aulæ Regiæ Curam habuisse: cujusmodi ministerium hodie commissum fortè iis est, qui *Magni Hospitii Magistri* Gallis dicti: qui ut cœteris *Hospitii Magistris* inferioribus præsunt, ita olim majores *Domestici*, cœteris ejusdem nominis acrituli in Aula Proceribus præerant. Plures enim hac simul functos dignitate, in Palatio constat; qui omnes Supremo & *Magno Domestico* suberant. Ex horum porro classe seligebantur, qui cœtera in provinciis Palatia Regia, Villas Regias & Fiscos publicos eorumque reditus curarent; ipsas interdum provincias regerent; & Justiciis interessent, ut pluribus accuratè docet Car. du Fresne *Gloss.* qui *Magnum Domesticatum* à Majordomatu diversum fuisse, etiam colligit ex *L.* Ripuar. *tit.* 88. *Jubemus, ut Optimates, Majores domus, Domestici, Comites, Grafiones — munera ad judicium pervertendum non recipiant*, V. quoque *Domesticus.*

Domesticus, adde: Car. du Fresne quoque memorat *Domesticum Icanatorum*, seu cohortium militarium, quæ dignitas instituta est à Nicephoro Generali Imp. in gratiam Nicetæ ejus ex filiâ Michaeli Rhangabi nuptâ nepotis, postmodum Patriarchæ CP. ex Niceta Paphlag. in *Vita* Ignatii Patr. *Domesticum Numerorum*, [illegible] *Scholarum*, qui cohortibus præerat, ex Eodem *ibid. Domesticum Optimatum*, qui copiis militaribus Thematis, quod Ὀπτιμάτων vocabant, erat præfectus, de quibus V. infrà: *Domesticum Stratorum*, ex Anastasio *Hist. Eccl. p.* 27. *Domesticum Thematum tum Orientalium, tum Occidentalium*, ex Codino c. 5. *n.* 92. Et de dignitate hujus nominis Ecclesiastica monet, binos fuisse, unum in dextro Choro, alterum in sinistro, ἐπιστάτας τῶν μελῳδῶν seu ἀρχῳδῶν, qui in Ecclesia post Protopsaltem cantui præfuerint, ex Constantino *de Admir. Imp.* c. 50. Scylitze, Joanne Cantacuzeno *Hist. l.* 1. c. 41. Aliis. Domin. Macer triplicis generis hos *Domesticos* faciens, primum Clero Patriarchali, secundum Clero Cappellæ Imperatoris; tertium Clero Cappellæ Imperatricis, *Despinicum*, à *Despina* Imperatricis titulo dictum, præedisse, scribit *in Hierolexico.*

Domicellus, adde: Apud Danos & Suecos similiter, Regum filios *Domicellos* nuncupatos, discimus ex Is. Pontano *Hist. Dan. l.* 7. & 8. & ex Erico Upsalensi *Hist. Suec. l.* 3. Liberos Mauritii Imp. *Parvulos dominos* vocat Greg. M. *l.* 6 *Ep.* 13. Apud Byzantinos quoque Augustos, sequioris præsertim ævi, eorum filii *Despotæ*, h. e. *Domini*, Principis indultu dicebantur; aliàs non Δεσπόται, sed Δεσποτόπουλοι. *Domicelli* dicti: ut de Constantino Andronici Sen. filio legimus, quem, negatâ à Patre Despoticâ dignitate, τῶν Ῥωμαίων Δεσποτόπουλον, *Romanorum Domicellum*, vocitatum esse, tradit Pachymeres *l.* 8. *c.* 26. *extremo.* Postea titulus etiam cum Magnatum Baronumque filiis communicatus: quo præsertim donati Militum filii, nondum Militari seu Equestri Cingulo accincti, uti annotat Chiffletius *In Vesontione Part.* 1. *c.* 26. cùm solis militibus honorifica *Domini* compellatio competeret. Sic Theodoricus Com. Hollandiæ, nondum sui juris factus, *Domicellus* appellatur, apud Jo. Bekam in *Wilhelmo Episc. Traj.* observatque Marca in *Hist. Benharn. l.* 6. *c.* 24. Nobiles illius tractus vulgò distribui in 3. ordines, Baronum, Militum *Caveri*, & Domicellorum, *Domengers*; quorum hi ut plurimùm iidem sunt cum iis, qui in cæteris provinciis *Scutiferi* nuncupantur. At postremis seculis, *Domicellorum* in Regum Principumque filiis evoluit appellatio, obtinuitque ut *Domini* dicerentur, præfixo tamen nomine proprio, ut *Joannes Dominus*, *Richardus Dominus* &c. Eodem planè modo, *Domicellæ* dictæ sunt universæ filiæ, Principum, Magnatum, Baronum, Militum, innuptæ, cùm uxores eorum *Dominæ* dicerentur. At in Francia usus invaluit, ut cæterorum quidem quantumvis Regii stemmatis Principum filiæ *Domicellæ*, Regum v. filiæ *Dominæ* compellentur. Unde notat Tillius, contra receptum hunc in Gallia morem, Franciscum II. Britanniæ Armor. Ducem in fœdere cum Carolo VIII. R. sancito A. C. 1488. Annam & Isabellam filias, *Dominas* appellasse. Sed & *Domicellas* ac *Dominas*, Canonicas in Germania seculares dici, refert Jac. de Vitriaco *Hist. Occid.* c. 31. ubi de vestimentis earum convictu in Ecclesia &c. multa habet. V. suprà *Canonicæ Seculares*: & plura hanc in rem, apud du Fres. *Gloss.*

Domicilium, ex domo & colo, pro *Domicolium*, nam *colere*, habitare est: Unde *incolatus* Arnobio, habitatio. *Ædicilium* dicitur Plinio *l.* 13. *c.* 16. V. Salmas. *ad Solinum p.* 587. & 950. Apud Liv. *Domicilium Plebis Romanæ*, carcer dictus est, ab Ap. Claud. XViro ædificatus, uti in sua contra illum invectiva docet Virginius *l.* 3. *c.* 57 Ad cujus imitationem Cic. *Verr.* 5. *Carcer*, inquit, *ille, qui est à crudelissimo tyranno Dionysio factus Syracusis, quæ Lautumiæ vocantur, in ipsius imperio domicilium Civium Romanorum fuit.* V. de Ap. Claudio & Virginio suis locis.

Domicœnium, triste Romanis habitum. Martialis *lib.* 5.

Si tristi domicœnio *laboras,*
Turani; potes esurire mecum. &c.

Nempe non pauperibus solum, sed & ditibus, ut qui domi inter familiares suos minus voluptatis caperent, quàm inter sodales foris. Hinc,

Ipse quoque, ad cœnam gaudebat Apicius ire,
Cùm cœnaret, erat tristior ille, domi,

apud eundem *lib.* 2. *Epigramm.* 69. Et quidem domino sic foris cœnanti *Adversitores* servi adversum ibant, officii & tutelæ gratiâ,

,ſĩ ; *Acceſſores* verò domini adventum præntiabant, uti infrà dicemus, in voce *Foris*.

Domiducus Deus, eodem fine apud Romanos, quo *Domiduca Juno*, colebatur. Jo. Roſinus *Antiqq. Rom.* V. ubi de *Nuptiis*.

Domina, apud Poëtas, præcipue de Proſerpina. Virgilius,

> *Hi* Dominam *Ditis ſolio deducere adorti.*

Apollonius Rhodius *Argonautic.* lib. I.

> *Eumenidum* Domina *Stygio caput exſerit antro.*

Ubi *Ditis* cum *ſolio* & *Eumenidum* cum *antro*, conjungendum eſſe, monet Barthius, *Dominam* verò abſolute poni, *Animadverſion. ad Thebaidem Statii* 4. *verſ.* 430. Aliàs *Dominæ*, Reginæ, & in univerſum uxores, uti docet Hadr. Turnebus *Adverſar. lib.* 21. *cap.* 6. Amicæ item, uti paſſim videre eſt, apud Martialem; apud quem *Domini* quoque pro amaſiis: quæ aliàs vox in ſalutationibus, poſt libertate mulctatam Remp. frequens eſſe cœpit. V. Poëtam hunc *lib.* 11. *Epigramm.* 73. *verſ.* 6. *lib.* 12. *Epigr.* 52. *verſu* 14. *lib. eod. Epigramm.* 77. *verſu* 5. &c. Apud medii ævi Scriptores, *Domina*, nudè, Deipara; hinc *Miſſa de Domina*, in *Chron.* Archiep. Upſal. Item Principum Magnatumque uxores, V. hic ſuprà. Canonicæ quoque Seculares *Dominæ* dicuntur; item Sancti moniales omnes, in *Reg.* Clariſſarum: quod tamen uſurpare vetantur, quæ Benedictinum inſtitutum ſequuntur, in *Statutis* Joannis Arch. Cantuar. an. 1279. apud du Freſne.

Domina, machinæ bellicæ ſpecies, Id.

Dominædius, ab *Domnædius*, unà voce, pro *Dominus ædium*, Gr. οἰκοδεσπότης, proprii nominis vicem ſubiit, ſicut *Dominus* & *Domina*, & quæ hinc contracta, *Domnus* & *Domna*. Inprimis ſic ferè ſemper S. Felicem vocat Paulinus Epiſc. Nol. quaſi *Dominum Ædis*, cui ipſe præſidebat *Epiſt.* 1. *Venientem in gremio jam communis patroni* Dominædii *mei Felicis excipiam.* Ita *Epiſt.* 9. 10. 12. & 28. & *Natali* 7. Id.

> —— —— —— *Quàm quid mihi teſtis*
> *Ipſe meis, quibus eſt item* Dominædius *egit.*

Quemadmodum Martyres *Dominos ſuos* non ſemel vocat Sugerius *de Conſecr. Eccl. S. Dionyſii*. Hanc porro vocem Domnædius, reſtituit apud Autorem Rhetoricæ ad Herenn. Salmaſius *lib. de Jure Att. pag.* 73. *Domnidius* habent *Notæ* Tyronis, V. du Freſne *Gloſſar.* & Macrum *Hierol.*

Dominatio, titulus honorarius Regum, in *Epiſtolis* Francicis alibique paſſim. Græcis Κυριότης, formula loquendi, hodieque Italis in uſu, *voſtra Signoria*. Guil. Britto *Philippidos l.* 6. *v.* 156.

> *Veſtra quidem plenè* Dominatio *novit, ut à quo*
> *Tam laudabiliter regitur tam nobile regnum* &c.

Domine, labia mea aperies, V. infrà *Verſus aperitionis*.

Domine Miſerere, vetus formula precandi in Eccleſia, Κύριε ἐλέησον Græcis, nec gentilibus planè fuit ignota. Si enim non antè, ſaltem jam Hadriani Cæſaris temporibus qui à nato CHRISTO 110. annis claruit, ſimiliter Deo ſupplicaſſe legimus ſapientiores. Tangit eum ritum nobilis illius temporis Scriptor Arrianus *Diſſertationum Epicteti lib.* 2. *cap.* 7. Τὸν θεὸν ἐπικαλούμενοι δεόμεθα αὐτοῦ, Κύριε ἐλέησον, *Deum invocantes, precamur eum, Domine miſerere noſtri*. V. Gerh. Jo. Voſſium *de Orig. & progr. Idololatriæ lib.* 1. *cap.* 2.

Domini appellatio, in ſalutationibus frequens, apud Romanos. Martialis *lib.* 6. *Epigramm.* 88.

> *Manè ſalutavi vero te nomine caſu:*
> *Nec dixi* Dominum, *Cæciliane, meum,*

Et ante eum Seneca, ignotos ſic appellari ſalutarique ſolitos teſtatur. Quemadmodum Δεσπότας Græci uſurparunt, in eodem officio occupati.

Domini, & *Domni*, Sancti paſſim appellati Scriptoribus medii ævi, obſervatque Joſephus Scaliger, *Not. ad Fragm. vett. Script. poſt libros de Emend. temp. p.* 36. Chaldæos Chriſtianos, præcipuorum Sanctorum, ut Apoſtolorum, nominibus, vocem *Mar*, quæ Dominum ſonat, ſimiliter præponere, ut *Mar Marcus*, *Dominus Marcus* &c. Epiſcopi item, etiam non adjectâ dignitatis nomenclaturâ, ſed Epiſcopatus ſolum nomine expreſſo, ut *Domino Mizenatis Eccleſiæ*, apud Gregorium M. *lib.* 4. *Epiſt.* 37. Porro, præcipui è Nobilitate, in *Annal.* Colmarienſibus, *Part. I. Ann.* 1248 *Eodem die Curiam habuit Rex Rudolfus cum gloria Dominorum*. Imperatores præcipuè & Reges, qui *Rerum* Domini apud Symmachum, Caſſianum, Cyprianum, Aimoinum, Sidonium, Gregorium M paſſim, Aliosque audiunt. *Dominus Orbis terrarum*, apud Alypium Antioch. *in Deſcr. Orb. c.* 17. §. 6. *Domini terrarum*, apud Arnulphum Lexov. *pag.* 31. Δεσπόται τῆς οἰκουμένης, paſſim in *Actis* Concilii Chalcedon. οἱ γῆς καὶ θαλάττης καὶ παντὸς ἀνθρώπων ἔθνους καὶ γένους δεσπόται, *Terræ Mariſque & univerſæ humanæ gentis generiſque Domini*, apud Photium, Baſſianum & Eunomium ad Valentin. & Marcian. in eod. Concil. *Act.* 5. 11. 13. *Terræ mariſque Dominus*, de Conſtante in *Epiſt.* African. Epiſc. *Dominus totius Orbis*, de Conſtantino, apud Ammianum *lib.* 15. &c. legitur. Car. du Freſne *Gloſſar.* V. ſuprà in voce *Deſpota*, *Divinitas*, ut & in *Domnus*.

Dominia, Veteribus dicebantur convivia hilariora. A. Gellius *lib.* 2. *cap.* 24. *Principes civitatis, qui ludis Megalenſibus antiquo ritu mutitarent, id eſt, mutua inter ſeſe* Dominia *agitarent*. Nomen illâ Domino ſive præbitore convivii: cujus idem meminit *lib.* 13. *cap.* 11. cùm inquit: *Dominum autem convivii eſſe oportet non tam lautum, quàm ſine ſordibus*. Latinis *Convivator* dicitur, utpote qui amicos aut hoſpites convivio excipit: Horatio *Parochus* & *Herus*, *lib.* 2. *Sat.* 8.

> —— —— —— *Vertere pallor*
> *Tum Parochi faciem nil ſic metuentis, ut acres*
> *Potores.* Item,
> —— —— *Sub hoc Herus, hæc gravida, inquit,*
> *Capta eſt murana.*

Græcis vocatus eſt, ὁ συγκαλῶν συμπόσιον, *qui extruit convivium*, & Ἑστιάτωρ, *Epulo*, qui dat epulum: Item Συμποσίαρχος, Συμποσιάρχης, ἄναξ, qui domo & mensâ excipit. Martiali *lib.* 12. *Epigramm.* 48. *Cœnarum Magiſter*. Aliàs tamen propriè *Magiſter convivii*, à Patrefamilias diſtinctus, dicebatur is, qui *Arbiter bibendi*, item *Rex convivii* dici ſolitus eſt. Hic talorum jactu creatus, certas bibendi leges præſcribebat, quas obſervare ſingulos erat neceſſe. V. Plut. *Problem.* 4. *lib.* 1. *Sympoſ.*

Dominica, ſeu *Dies Dominicus*, prima hebdomadis dies, *Dies lucis* & *Dies panis* Chryſoſtomo *de Reſurr. Regina & princeps dierũ*, Jacobo; *dierum Domina* Sophronio; *Dies pacis*, Theodoro Studitæ: Græcis Κυριακή, Ἀναστάσιμος, βασιλὶς καὶ ὕπατος τῶν ἡμερῶν, CHRISTO potiſſimùm, qui *Domini* in Eccleſia vet. nomine nudè appellari ſolebat, apud Chriſtianos dicata eſt; quòd maximis myſteriis, præ aliis, inſignis eſſet. In ea enim creavit Deus univerſum, Manna pluit in deſerto, Iſraëlitæ tranavere Jordanem, Chriſtus natus eſt, & à Johanne baptizatus: Idem in ea aquam in vinum in Galilææ nuptiis mutavit, eadem reſurrexit, miſit Spiritum S. Joanni in Inſ. Pathmo apparuit eique futurum Eccleſiæ ſtatum variasque ejus usque ad alterum Adventum ſuum periodos revelavit &c. Quibus de cauſis moti Apoſtoli, diem hanc, in locum Sabbati Judaici, divino cultui à Chriſtianis peragendo conſecrarunt, uti Auguſtinus teſtatur *Serm.* 25. *de Temp.* Conſtantinus dein Magnus, ad ejus obſervationem, Gentiles quoque coëgit, ut ex *Cod.* Theodoſ. colligitur: & Honorius Imp. piè conſtituit, ut in omnibus *Dominicis*, captivi è carceribus educerentur, à fidelibus eleemoſynas accepturi, *eod. Cod. l.* 7. *de Reor. Cuſt.* Hinc ab omni opere eo die ſemper ceſſatum. Theodorus Epiſc. Cantuar. *in Capitul. cap.* 7. *Græci & Romani in die Dominica non navigant, nec equitant, panem non faciunt, nec in curru ambulant, niſi ad Eccleſiam tantùm: nec balneant ſe Græci, non ſcribunt publicè* &c. Incipiebat autem obſervatio ejus jam olim à nona ſeu veſpera præcedentis diei, Concil. Ffort. *ann.* 794. *can.* 21. unde in plerisque vett. *Statutis* MSS. pro Artificibus Pariſienſis Civ. id potiſſimùm caveri, ut nemo quicquam artis exerceat diebus Dominicis, *ne au Samedi depuis le derrenier coup de Veſpres ſonné*, obſervat du Freſne. Quia verò dies hæc primum in hebdomade ſibi locum, ut dictum, vindicat, hinc hebdomas ſæpe nomen ſumit à *Dominica* præcedente, ut *hebdomada Paſſionis*, à *Dominica* præcedente, quæ *Paſſionis* dicitur: At Græci hebdomadis à ſubſequente Dominica appellationem deſumunt. v. g. *Palmarum hebdomadem* vocant, non eam quæ ſubſequitur *Palmarum Dominicam*, ſed quæ præcedit, quæq; Latinis *Paſſionis* eſt. Ita quarta Hebdomas Quadrageſimæ illis eſt; quæ *Dominicam* quartam antevertit &c. Excipiuntur tamen eæ hebdomadæ, quæ à Paſchate ad Pentecoſten excurrentes, à præcedente nomen *Dominica* trahunt. Appellationes cujusq; *Dominicæ* per totum fere Annum, & *Introitum* ut vocant, qui ad Miſſam dici ſolet, in Comunione Romana & Græca, ex Car. du Freſne *in Gloſſar.* & Macris Fratribus *in Hierolexico*, hìc ſtrictim ſubjiciemus.

Nomina & introitus Dominicæ cujusvis in Eccleſia Lat. & Græca.

Dominica prima Adventus Dominici, à qua Eccleſiaſtica Officia incipiunt, quarta eſt a Natali DNI. Ejus Introitus eſt, *Ad te levavi*. Græci vocant κυριακὴν δεκάτην τοῦ Λουκᾶ, i. *Dominicam decimam ex iis, in quibus S. Lucæ* Evangelium, per Lectiones ad Miſſam & inter Officia legitur, nempe *de Muliere habente Spiritum infirmitatis*. V. Allatium *de Dominicis Græcorum*.

Dominica ſecunda Adventus, Introitum habet: *Populus Sion*. Græcis *Dominica XI. Lucæ* ſeu *de Vocatis ad Nuptias*.

Dominica III. Adventus: Cujus Introitus, *Gaudete in Domino ſemper & iterum dico Gaudete*; Græcis *Dom. XII. Lucæ* ſive *de Decem, Leproſis*, appellatur.

Dominica IV. Adventus: Intr. *Memento noſtri Domine*. Græcis Κυριακὴ πρὸ τῆς Χριστοῦ γεννήσεως.

Dominica infra Octavam Natalis Domini, Intr. *Dum medium ſilentium*: Græcis, Κυριακὴ μετὰ τὴν Χριστοῦ γέννησιν.

Dominica, infra Octavam Circumciſionis, Græcis Κυριακὴ πρὸ τῶν Φώτων, nuncupatur.

Dominica I. poſt Epiphaniam cujus Intr. *in Excelſo throno* &c. Græcis, Κυριακὴ μετὰ τὰ Φῶτα. Illi n. Baptiſmũ Chriſti Φώτισμα vocant, ut notum.

Dominica II. cujus Intr. *Omnis terra*, Græcis *Dominica* XV. *de Zacchæo*, dicitur. V. infrà, *Feſtum Architriclini*.

Dominica III. cujus Intr. *Adorate Dominum*, Græcis *Dominica*

minica XII Lucæ ſive τελώνου, item στεφανίτης, ut & quæ antecedit hebdomas, in qua jejunant Armeni, quod jejuniū ἀρτζιβούριον vocant.

Dominica IV. V. VI. poſt Epiphaniam.

Dominica Septuageſimæ, cujus Intr. *Circumdederunt me.* Græcis Κυριακὴ τοῦ ἀσώτου, ſeu de *Prodigo*

Dominica Sexageſimæ, cujus Intr. *Exurge.* Græcis Κυριακὴ τῆς ἀποκρεῶ, i. *Carnisprivii.*

Dominica Quinquageſimæ, cujus Intr. *Eſto mihi:* Græcis Κυριακὴ τῆς τυροφάγου, & τυρινή, quòd poſt eam *caſei* & ovorum eſum intermittant, jejunium 40. dier. auſpicantes.

Dominica I. Quadrageſimæ, cujus Intr. *Invocavit me.* Græcis πρώτη τῶν νηστειῶν.

Dominica II. Introitus, *Reminiſcere.*

Dominica III. Intr. *Oculi mei.*

Dominica IV. Intr. *Lætare Hieruſalem.* Hâc Cardinales veſtibus roſeis induuntur & Pontifex fert manu Roſam auream benedictam, quam poſtmodum Regi alicui ſeu Magnati, magni muneris loco, ſubinde mittit.

Dominica in Paſſione Domini. ſeu V. Quadrag. à qua Paſſionis Officium incipit, Introitum habet, *Judica me Deus:* Græc. dicitur πέμπτη τῶν νηστειῶν, *quinta jejuniorum.*

Dominica in Palmis ſeu *Oſanna*, ſeu VI. Quadrageſ. V. ſuo loco. Ejus introitus, *Domine ne longè.*

Dominica ſancta in Paſcha ſeu *Dominica S.* nudè, V. *Paſcha.*

Dominica I. poſt Paſcha, ſeu *Octava Paſchæ* ſeu *Dominica poſt Albas*, Gr. Καινὴ & νέα Κυριακὴ & Κυριακὴ τοῦ Ἀντίπασχα, & ἀντιπασχάσιμος Κυριακή.

Dominica II. cujus Intr. *Miſericordia Domini*, Græcis Κυριακὴ τῶν ἁγίων μυροφόρων, quòd in ea feſtum celebrent trium mulierum, quæ coëmtis aromatibus ad Chriſti ſepulchrum acceſſerunt, ut eum ungerent.

Dominica III. cujus Intr. *Jubilate terra*, Græcis eſt Κυριακὴ τοῦ παραλύτου.

Dominica IV. cujus Intr. *Cantate Domino;* Græcis dicitur Κυριακὴ πέμπτη τῆς Σαμαρείτιδος vel μεσοπεντηκοστῆς.

Dominica V. quæ & *Dominica Rogationum*, Græcis Κυριακὴ τοῦ τυφλοῦ.

Dominica poſt Aſcenſionem, cujus Intr. *Exaudi Domine.* Græcis Κυριακὴ τῶν ἁγίων πατέρων τῶν τιη ἐν Νικαίᾳ.

Dominica ſancta Pentecoſtes.

Dominica I. poſt Pentecoſtem, quæ & *S. Trinitatis*, Græcis Κυριακὴ τῶν ἁγίων πάντων ſeu πρώτη τοῦ Ματθαίου. V. *Feſtum S. Trinitatis.*

Dominica II. cujus Intr. *Factus eſt Dominus Protector meus.* Græcis *Dominica* II. *Matthæi de Chriſto docente.*

Dominica III. Intr. *Reſpice me.* Græcè III. Matthæi.

Dominica IV. cujus Intr. *Dominus illuminatio mea*, Græcis *Dominica* IV. *Matthæi* ſeu *de Centurione.*

Dominica V. Intr. *Exaudi Domine*, Græcis V. *Matthæi*, *de Vexatis à Dæmone.*

Dominica VI. Græcis VI. *Matthæi*, ſeu *de Paralytico.*

Dominica VII. Intr. *Omnes gentes*, Græcis VI. *Matthæi*, ſive *de duobus cæcis.*

Dominica VIII. cujus Intr. *Suſcepimus, Deus.* Græcis VIII. *Matthæi*, ſeu *de 5. panibus & 2. piſcibus.*

Dominica IX. cujus Intr. *Ecce Deus, adjuva me!* Græcè IX. *Matthæi*, ſive *de Lunatico.*

Dominica X. Intr. *Dum clamarem.* Græcè X. *Matth.* ſeu *de Lunatico.*

Dominica XI. Intr. *Deus in loco ſancto.* Græcis XI. *Matthæi*, ſeu *de Parabola Regis.*

Dominica XII. cujus Intr. *Deus in Adjutorium.* Gr. XII. *Matthæi*, ſeu *de interrogante Jeſum divite.*

Dominica XIII. Intr. *Reſpice, Domine.* Gr. XIII. *M.* ſive *de Parabola vineæ.*

Dominica XIV. Intr. *Protector noſter.* Gr. XIV. *M.* ſive *de Vocatis ad nuptias.*

Dominica XV. Intr. *Inclina aurem tuam.* Græcè XV. *M.* ſeu, *de Interrogante Jeſum Juriſconſulto.*

Dominica XVI. Intr. *Miſerere mei Domine.*

Dominica XVII. cujus Intr. *Juſtus es Domine.*

Dominica XVIII. Intr. *da pacem.* Græcis, *Dominica I. Lucæ*, ſive *de venatione piſcium.*

Dominica XIX. cujus Introitus, *Salus populi ego ſum.* Græc. II. *Lucæ*, ſive *de Amandis inimicis.*

Dominica XX. cujus Introitus, *Omnia quæ.* Græcis III. *Lucæ* ſ. *de Filio viduæ.*

Dominica XXI. poſt Pentecoſtem, Gr. IV. *Lucæ* ſive *de Parabola ſeminis.* Ex his porro *Dominicæ principales* & *ſolemnes* dicuntur V. illæ, in quibus officia mutantur, ſc. *Dominica I. de Adventu*, *Dominica in Octavis Paſchæ*, *Dominica in Octavis Pentecoſtes*, *Dominica*, quâ cantatur, *Lætare Hieruſalem* & *Dominica in Ramis palmarum.* Durandus *lib. 7. cap.* 1. *num.* 4. *Privilegiatæ Dominicæ* dicuntur, quibus Hiſtoriæ ſunt appropriatæ, apud eund. *ibid. num.* 14. *Dominicæ* verò *vacantes*, ſeu *Vacat*, dicuntur in *Sacramentar.* Gregorii M. IV. *Dominicæ*, quæ jejunia 4. temporum proximè ſubſequuntur, eo quòd propriis careant officiis. V. Rupertum *de Div. Officiis lib.* 3. *cap.* 11. Obſervat quoq; Macer in *Hierolexico*, in *Dominica in Albis* hebdomade Papam albo birro indui; in *Dominica III. Adventus*, nec Diaconum, nec Subdiaconum caſulâ indui: *Dominicam* I. *Quadrag.* Græcis dici, *Dominicam Orthodoxiæ*, ob reſtitutum à Theodora Aug. poſt Theophili mortem, Imaginum cultum: In *Dominica Palmarum*, Competentibus prædicari Symbolum: in nulla *Dominica* jejunari & cujusvis *Dominicæ* vigiliam quoque ſacram eſſe &c.

Dominicalis, in *Concilio* Autiſiodor. *cap.* 24. *Ut unaquæque mulier, quando communicat*, Dominicalem *ſuum habeat*, quo Mulieres caput tegebant, ex Lini Epiſc. Rom. *Conſtitut.* Car. du Freſne in *Gloſſario.*

Viri Illuſtres.

Dominicus Fontanus, auſpiciis Sixti V. molimine memorabili obeliſcum Romæ tranſtulit, hominum 907. equorum 75. operâ, uſus, Caſaubonus *ad Spartianum in Hadriano.*

Dominicus Fulgoſus, primus Genuenſium Dux, electus circa *A. C.* 1327. Hornius *Orb. Imper.*

Dominiſſimus, in aliquot *Chartis* Hiſpaniæ, titulus Regum. C. du Freſne *Gloſſar.*

Dominus, appellatio fuit, quâ Imperatores olim inſigniebantur; quemadmodum & Auguſtæ, ſeu uxores eorum, *Dominæ* dictæ ſunt, quæ quando & quam ob rem in *Domnus* & *Domna* tranſierint, V. ſuprà in *Domicellus* & *Domini*, item in voce *Domnus.*

Dominus Vobiſcum, ſalutatio in Eccleſia Rom. Sacerdotalis, ut vocant, de qua Macri in *Hierolexico.*

Fœminæ Illuſtres.

Domitia Calvilla, Calviſii Tulli bis Conſulis vidua, mater ex Annio Vero, Marci Imperatoris, Capitolinus in *Marco.* Eadem Lucilla dicitur, apud Spartianum in *Didio Juliano.*

Domitia Lucilla, V. hic ſuprà.

Domitia Paulina, uxor Ælii Hadriani, & ex eo mater Hadriani Imp. apud Spartianum.

Domitiæ Horti, in reg. Urbis XIV. Victori, & Capitolino in *Pio*, ac Vopiſco *in Aureliano*, memorati: quorum is reliquias Hadriani in illis collocatas, hic Aurelianum Imp. potiſſimum ibi verſatum, tradunt.

Viri Illuſtres.

Domitianus, Cos. duodecies, quo & Dolabellâ collegâ natus Pius Imp. apud Capitolinum. *Flavii* ei prænomen quidam codices tribuunt, Caſaubonus & Gruterus *ad Capitolinum.*

Domitianus, Dux Aureoli fortiſſimus, qui originem ſe à Domitiano Imp. atque à Domitilla, trahere ajebat, vicit Marcianum Tyrannum. V. Trebellium Pollionem *in Gallienis & Marciano.*

Domitius Deus, in numero Deorum conjugalium, invocabatur olim, ut nova nupta domi maneret: quemadmodum *Domiduco* vota fiebant, cùm domum deduceretur. V. Joh. Roſinum *Antiqq. Rom. lib.* 5. *cap.* 37.

Domna, ſeu *Domina*, Auguſtarum appellatio, de qua V. in voce *Domnus.* Hinc & apud Gregorium Turonenſem legas, *Domna Brunechildis:* cujus vocis reliquiæ apud Italos ſuperſunt in nomine *Donna.* Fuit & nomen proprium, uxoris Severi Imp. cujus meminit Oppianus *Cyneget. lib.* 1.

Τὸν μεγάλη μεγάλῳ φυτεύσατο Δόμνα Σεβήρῳ.

Quem magna è magno profevit Domna Severo.

Ubi Rittershuſius vocem *Domna* appellativam eſſe contendit, ſed conſtat ex nummis Græcis ac Latinis, in loco Oppiani Δόμνα proprium eſſe nomen Imperatricis. In iis enim hæc inſcriptio, ΙΟΥΛΙΑ ΔΟΜΝΑ ΣΕΒΗΡΟΥ: in his, JULIA DOMNA AUG. Faber *Notis in Phædrum lib.* 2. *fab.* 4. Verùm & Salmaſio potiùs cognomen videtur, ut & Δόμνος, quæ ambo eâ tempeſtate non ſolùm apud Latinos, ſed Græcos quoque, Syros & Ægyptios, multo in uſu fuere. Etiam prius de Magnatum uxoribus & Sanctimonialibus, uti ex Salviano *de Gubern. lib.* 7. & Ugutione docet C. du Freſne, & poſterius de Viris ſanctitatis opinione claris, ut mox dicemus. V. Salmaſium *ad Spartianum in Severo.*

Domnedius & *Domnidius*, V. ſuprà *Dominiedius.*

Domnus, adde: Inprimis Eccleſiaſticâ dignitate aliquâ aut vitæ ſanctimoniâ inſignibus, id nominis tributum legimus. De Epiſcopis paſſim Gregorius M. Paulinus, Ennodius, Alii. Pontificibus præcipuè Rom. vindicat Onuphrius. Inde ad Abbates, & Monachos tranſiit hodieque Benedictinis, Carthuſienſibus, Cluniacenſibus Monachis in uſu eſt. Sed & Franciæ Reges peculiariter, *Domnos* appellitatos eſſe, auctor eſt Landulfus Sagax & Rabanus Maurus ad Othgarium &c. Diſcrimen verò inter *Dominum* & *Domnum*, Franci vett. quoque obſervaſſe videntur, cùm ſolum Deum *Domnes*, quosvis verò alios, in dignitate conſtitutos, voce *Dam* ſalutare ſolitos, tradit Car. du Freſne in *Gloſſario.*

Domus, ſeu Ædificium, primùm hominibus, ut ſe tuerentur adversùs Solis ardores & tempeſtatum injurias, vel ſpelunca erat vel tectum è frondibus. Ingenioſiores dein furcas erexere, virgultoque interſerto & luto inducto, parietes ſtruere. Poſtea non neceſſitati ſolùm, ſed etiam commoditati conſultum: Tandem

dem in rerum affluentia, summoque otio, etiam voluptati & elegantiæ est inservitum. At primò in templis & ædificiis publicis, mox in privatis etiam recessum à prisca frugalitate, eoque tandem deventum, ut quisque se tantò majorem visum iri crederet, quantò magnificentius habitaret. Ædificium primùm ex luto fuit, quod invenisse dicitur Doxius Cœli filius, *exemplo sumto ab hirundinum nidis*, teste Plinio *lib. 7. cap. 56.* Postea partim utilitas, partim luxus plurimùm excitavit ingenia, ut Architectonicem magis magisque excolerent, nonnulli etiam hac de Arte commentarios posteris relinquerent. Quales è Græcis Agatharchus, Democritus, Anaxagoras, Ctesiphon, Metagenes, Ictinus, Carpion, Philo, Hermogenes, Argelius, Satyrus, alii: è Latinis Fuffitius, Varro, P. Septimius, Cornelius Celsus, &c. Quorum hodie vix quidquam ad nos pervenit, præter libros 10. Vitruvii *de Architectonica.* V. Joh. Gerh. Vossium *de Philos. cap. 15.* Et quidem *Domus* seu *ædes Tulliana*, constitere sestertio tricies quinque, ut ipse refert *lib. 5. famil. Epistol. 6.* id est, scutatum octoginta septem millia quingentis, secundùm calculum Gronovii: quas ut emeret, vicies mutuum sumsisse, testatur A. Gellius. Has tamen superavit Antroniana domus Messallæ Consulis, cujus item Cicero meminit *lib. 1. ad Atticum Epist. 13.* quæ empta fuit scutatum 92. millibus & quingentis. Imò & M. Cœlius adolescens equestris, filiusfamilias, patre si non parco, at qui multis parùm splendidus videbatur, habitavit, postquam ab eo semigrarat, *decem millibus*, hoc est, conductum habuit ex ædiculis insulæ P. Clodii & tantùm non pauperis cellam annuis 250. Philippeis sive scutatis, ut quidem affirmat ipse Cicero, nam adversarii criminabantur *triginta millibus*, id est, 750. scutatis. His addatur, quod meritò stupeas, ex Plinio *lib. 36. cap. 15.* P. Clodium à Milone occisum, *sestertio centies quadragies octies*, id est, trecentis septuaginta millibus scutatorum emptos lares incoluisse. V. Fred. Gronovium *de Pecunia vet. l. 3. c. 16.* plura verò hanc in rem, supra in voce *Ædes* &c. Addam quædam, de *Domus obsignandi, lustrandi seu purgandi, coronandiq;* more, apud Vett. recepto. Et quidē *Domos* quoque olim annulis legimus obsignatas. In Elide certè obsignatam fuisse illam domum, in qua tres vacui lebetes Dionysio collocabantur, qui paulo pòst sigillo, quod integrum manserat, revulso, ab ingressis vino pleni reperti sint, tradit Aristoteles, *miracul. Audit.* ubi verba Latinè sic habent: *In Elide ædificium est, ut ferunt, stadiis distans octo ab urbe, in quo collocantur tres Dionysio lebetes vacui, vocatisque peregrinis, quibus servari hæc libeat, januarum claustra sigillis obsignant, quæ deinde resferant. Porro lebetes vino plenos cernunt, pavimento & parietibus omnibus integris & illæsis, ut artis suspicio dolosæ faciè abesse videatur.* V. supra in voce *Annulus.* Ipsæ porro *Domus*, quoties fiebat res sacra, lustrabantur sulphure sale mixto, & coronabantur virenti lauro, uti docent verba Tiresiæ alloquentis Alcumenam, apud Theocritum *Eid. κδ.*

—— Καθαρῷ δὲ πυρώσατε δῶμα θεείῳ
Πρῶτον, ἔπειτα δ' ἅλεσσι μεμιγμένον (ὡς νενόμισται)
Θαλλῷ ἐπιῤῥαίνειν ἐστεμμένον ἀβλαβὲς ὕδωρ.
—— *Puro autem lustrate domum sulphure*
Primùm, deinde sale mixtam (ut consuetum est)
Ramoq; virenti coronatam aspergite purâ aquâ &c.

V. quoque Plinium *lib. 5. cap. 5. lib. 7. cap. 56. lib. 9. c. 19.* & *lib. 25. cap. 9.* Sed & de Aulis Imperatorum, vox apud Auctores Latinos in frequenti usu. Unde Phædrus *lib. 5. fab. 7.*

Superbiens honorem vidit divinæ domus.

Ubi notat Laurentius: *Divina domus, id est, Augustæ, Imperatoriæ, Principalis: ex Ulpiano l. 12. ff. ad SC. Turpil. Quæ domus æternabilis dicta.* in *l. 5. de loc. fund. jur. emp. in Cod. Theodosiano, Domus Augusta*: alibi *Dominica, Regia* &c. De Familia item. Ovidius de Philemone & Bauci,

Tota Domus duo sunt ——

Hodieque apud Germanos, de Principum Regumque familiis. Unde *Domigenæ*, familiares, in *Historia* præcipuè Normannica &c. Plura vocis significata passim apud Barthium *ad Statium.* Nec hoc tamen omittendum, quòd Δόμος Græcis ipse Ναὸς, *Templum*, seu ædes sacra dicitur. Dionysius,

———— Ἱερὸν δόμον αἰπὺ θέλω.

Unde πρόδομος, tum in Procerum & Principum privatis ædibus, tum in sacris; & ὀπισθόδομος; quorum ille in fronte, iste in postico ædium erat, uti docet Salmasius *ad Solinum pag. 1216. & seqq.* De antiquissima verò & primigenia vocis notione, dicemus infrà, in voce *Oecus.*

Dona & Donum, Græcis ἅγια Δῶρα, seu τὸ ἅγιον Δῶρον, item τὸ Δῶρον, *Donum*, apud Cyrillum Alexandr. *c. Anthropomorph. cap. 12.* dicitur Corpus Christi, cujus in S. Eucharistia participes redduntur fideles. In *Liturgia* S. Chrysostomo tributa, Sacerdos ait, Ἀξίωσον προσενεχθῆναί σοι ὑπ' ἐμοῦ τοῦ ἁμαρτωλοῦ καὶ ἀναξίου δούλου σου τὰ Δῶρα ταῦτα: & mox vocem hanc explanans, subjungit, Σὺ γάρ εἶ ὁ προσφέρων καὶ προσφερόμενος, *Tu enim idem es qui offers & qui offerris.* Hildebertus Cenoman. *Carm. de Mysterio Missæ,*

Interea vadens in sacra veste Sacerdos,

Altaris dextram, Dona daturus adit, &c.

V. infrà in voce *Munus.* Apud Scriptores Francicos, *Dona Annua* seu *Regia*, dicuntur, quæ quotannis Regibus à subditis in Campo Martio, de quo supra, offerebantur, aut in Conventu Generali, *causâ suæ defensionis ac Reipublicæ*, ut inquit Hincmarus in *Quaternione pag. 406.* apud Cellotium: quibus ne quidem Monasteria eximebantur, ut est in Synodo Vernensi *ann. 755.* V. Ordericum Vitalem *lib. 4. pag. 523.* Sed & *Dona* appellabantur munera, quibus sese invicem prosequebantur Principes, aut cum Legatos mitterent, aut cùm sese inviserent, quod jam olim obtinuisse, & etiamnum obtinere, apud Turcicos Sultanos, docet du Fresne *ad Alexiadem p. 286.* Ut alias significationes vocis omittam, de quibus idem videatur in *Glossario.* Plura de *Donis*, & quidem de iis, quæ Numini offerre mos, V. infrà in voce *Donaria*; de iis, quæ Principibus, infrà, ubi de *Muneribus*: quæ Benemeritis, suprà in hac voce: quæ Militibus Victoribusque, similiter suo loco: quæ à Parentibus lustricis in Baptismo, Filiolis suis, itidem in hac voce &c. Addam hic saltem Plinii locum *lib. 18. cap. 3. Dona amplissima Imperatorum ac fortium civium* (apud vett. Romanos) *quantum quis uno die plurimum circumaravisset, item quartarii farris, aut heminæ, conferente populo—Quin & in sacris nihil confarreationis vinculo erat religiosius* &c.

Donaria, propriè loca sunt, in quibus dona reponebantur Deorum, abusivè templa, ut loquitur Servius *ad illum versum Virgilii Georgic. 3.*

Imparibus ductos alta ad donaria currus.

Postea nomine hoc accipi cœpere ipsa dona, quæ Diis dicata & consecrata ex tholis, parietibus aut columnis suspendebantur. Ita Macrobius *Saturn. lib. 3. Ornamenta verò sunt clypei, coronæ, atque hujusmodi donaria.* Hæc ritè per Pontificem consecrabantur more Majorum: & quia postmodum Principes Pontificum nomen assumsere, teste Dione *lib. 43.* inde illud quoque jus usurparunt *l. 9. D. A. R. D. leg. 8. de Relig. & sumtu fun. l. ult. ut in possess. Legat.* nisi hoc ita intelligendum, ut Principum auctoritate Pontifices consecrarent. Sicut olim per legem Papyriam non licebat rem ullam, sine injussu populi, consecrare, ut testatur Cicero *pro Domo.* Vide autem de ritu veteri consecrandi, Alexandrum ab Alex. *Genialium Dier. lib. 6. cap. 14.* & Connanum 3. *Comm. 1.* Theophilus hæc donaria vocat Δῶρα, Græci generali nomine Ἀναθήματα; qualia apud Græcos *tripodes Delphici, & coronæ aureæ, aliaque multa ac pretiosa munera, pro actione gratiarum, ob recuperatam salutem*, Phalar. *epist. 84.* De iis Lucanus *lib. 9. versu 517.*

Non illic Libycæ posuerunt ditia gentes
Templa, nec Eois splendent donaria gemmis.

Mart. Capella *de Nuptiis Mercurii lib. 1. Praniteus speculum, quod inter donaria ejus adytis Sophiæ defixerat, quo se recensens etiam vellet originem inquirere* &c. Eadem & *Dona* Latinis. Statius, *Achilleidos lib. 1. vers. 426.*

—— —— —— *Flammisq; liquescunt*
Dona Deûm.

Erant hæc velut argumenta casuum præteritorum. Nam emeriti milites sua arma: qui naufragium evasissent, vestes in tabella depictas Diis, Isidi vel Neptuno, dedicare solebant. Horatius *lib. 1. ode 5.* Virgilius *Æneidos lib. 6.*

—— —— *Casus effinxit in auro.*

Gladiatores, arma Herculi appendebant. Similiter Duces defuncti arma Diis, quos coluissent, suffigenda relinquebant: Parthenius moriturus, apud Papinium *Thebaidos lib. 9. in fine.*

Hæc autem primis tela infelicia castris,
Urbe, vel ingrata munus suspende Diana.

Et reduces ab expeditione. Ovidius *Epist. 13. Laodamia,*

Et sua det reduci vir meus arma Jovi.

Inscribebantur verò donariis istis tituli ac elogia, ut patet ex Statio *Sylv. 2. lib. 5. vers. 146.*

Belligeris hæc dona Diis, hæc tela dicavit,
Cernis adhuc titulos, &c.

Sed & servi & captivi, in libertatem asserti, catenam Laribus offerebant. Horatius *lib. 1. Sat. 5.* de Sarmento diu servo,

—— —— *donasses jamne catenam*
Ex voto Laribus, quærebat ——

Qui porro à morbo convaluere, membrum, quo laborarant, ex argento vel auro, unà cum remedio, cujus ope sanitati restituti sunt, de tholis suspendêre: quam ob causam longè celebrius, quàm ob structuræ magnificentiam, Templum Ephesinum fuit; è quo, antequam in artis regulas Medicina ab Hippocrate redigeretur, morbis remedia petere hoc pacto illius ævi homines solebant. Tibullus *lib. 1. Eleg. 3.*

Nunc Dea, nunc succurre mihi, nam posse mederi
Picta docet templis multa tabella tuis &c.

Quorum æmulos Christianos, quinto post Christum seculo, similiter cœpisse *Donaria* in templis appendere, imaginem habentia partium, quæ aliquo morbo afflictæ convaluerunt, discimus ex Theodoreto *in 8. Therapeutic.* cujus verba Latinè sic habent: *Quod verò votorum compotes fiunt, qui fideliter promittunt, palàm testantur eorum ἀναθήματα τὴν ἰατρείαν δηλοῦντα, donaria curationem indicantia.*

indicantia. Alii enim oculorum, alii pedum, alii manuum effigies offerunt ex auro vel argento confectas. V. Sam. Bochartum *Hierozoici Parte prior. lib. II. cap. 36.* ubi *de murium & mariscarum imaginibus*, ex solido auro, à Philistæis, Deo Israëlis, *oblatis*, prolixè agit: plura verò hanc in rem, apud Thom. Dempsterum *Paralipom. in Joh. Rosini Antiqq. l. 2. c. 2.* Addam saltem, ex Phædro, *Munera* quoque dicta fuisse hæc dona. Ita enim ille *lib. 4. fab. 10.*

Lucernam fur accendit ex ara Jovis,
Ipsumq; compilavit ad lumen suum.
Onustus qui sacrilegio cùm discederet,
Repentè vocem sancta misit Religio:
Malorum quamvis ista fuerint munera,
Mihiq; invisa &c.

In quæ verba Schefferus: *Munera*, inquit, *vocat donaria, quæ vulgò dari Diis & in templis eorum suspendi solebant. Dona templorum dixit Tacitus Annalium lib. 5. cap. 6.* &c.

Donati, in quibusdam provinciis nothi ac spurii dicti sunt. Sic Humbertus Delphinus, Amadeum *donatum* suum, ad ordinem Militarem promovisse se ait, in *Charta* A. C. 1351. apud Duchenium *in Delphinis Vienn.* In Ecclesia verò Rom. sic Laïci dicuntur, qui se & bona sua Monasteriis offerebant. His, ut est in *Præceptis Synodal.* Petri de Collemedio Archiep. Rotom. ann. 1245. *Jubentur, ut aliquod signum in eminenti loco portent & religioni congruentia indumenta, ut per hoc distinguantur ab aliis* &c. V. Car. du Fresne *Glossar.* & infrà in voce *Oblati*.

Donatica Hasta, eadem cum *hasta pura*, quæ sic dicebatur, quòd sine ferro esset, alio nomine *graminea*, quemadmodum exponit Turnebus *libro Adversariorum 19. cap. 21.* donari solebat apud Romanos, viris fortibus, in rei præclarè gestæ præmium, Joh. Rosinus *Antiqq. Rom. lib. 3. cap. 26.* Sic Festo *Donatica coronæ dictæ sunt, quòd his Victores in ludis donabantur; quæ postea magnificentiæ causâ institutæ sunt super modum apium capitibus, quali amplitudine fiunt, cùm Lares coronantur.* Et quidem hæ tanti æstimabantur, ut ille cœtera frugi Hippolytus cogatur fateri, se in Græcanicis certaminibus primum esse cupere, quamvis in civitate non recuset secundum locum, apud Eurip. *in Hippol. Actu 4.* Ajax verò ad patrem Telamonem, sine istiusmodi corona, non ausus fuerit redire, apud Sophoclem *in Ajace Flagell.* Qua de re V. Car. Paschalium *Coron. lib. 5. c. 7.* uti de *Donaticis Ludis* infrà.

Donationes Scenicæ, olim in auro fiebant, accipiebantque Histriones, præter mercedem Lege definitam aut pacto convento, loco antiquarum coronarum scenicarum, quæ viles admodum erant, coronas ex auro, item argento, uti quidem Casaubonus monet *ad Lampridium in Alexandro Sev. Scenicis nunquam aurum, nunquam argentum, vix pecuniam donavit.* Sed *auri* nomine *aureos* intelligit hic Salmasius, ex Spartiano in *Marci vita. Temperavit etiam scenicas donationes, jubens ut quinos aureos Scenici acciperent: ita tamen, ut nullus Editor decem aureos egrederetur.* Quâ Marci lege *donationes* Editorum circumscriptæ sunt. Imperatores vero solebant in Theatro Scenicis placentibus *donare*. Suetonius *de Galba*, *Cum autem choraulæ mirè placenti denarios quinque donavit prolatos manu suâ è peculiaribus loculis suis.* At Alexander *l. c.* ne argenteos quidem vel denarios Histrionibus donabat, sed æreos (qui nomine *pecuniæ* hic intelligendi,) idque raro. Ratio, *ne in oblectationes suas & suorum converteret, quod Provinciales dedissent*: aurum autem & argentum inferebant. V. Salmasium *ad Lampridium*.

Donativum, apud Æl. Lampridium *in Heliogabalo*, *Post concionem pronuntiavit his quasi militibus, ternos aureos donativum*: quæ *Donativi* summa legitima erat, Salmasius *ad Lamprid. in Alexandro Sev.* Casaubonus Pertinacem in singulos denarium trina millia promisisse, docet *ad Capitolinum in Vita ejus.* Idem, vicena millia quasi legitimum fuisse modum Donativi cuiq; militum Prætorianorum præsertim dari solita, post susceptum imperium; at Centurionibus duplum datum, Tribunis verò & Præfectis alarum adhuc alterum tantum, *ad Suetonium* observat *lib. 1. cap. 38.* Atque hoc est, quod *pro rata*, vocat Capitolinus *in Pio*, *Actis igitur, quæ agenda fuerunt, pariter* (Antoninus Pius & Verus) *castra prætoria petiverunt & vicena millia nummum singulis ob participatum Imperium militibus promiserunt, & cæteris pro rata.* V. eundem Casaubonum *ad Capitolinum*, nec non *ad Suetonii Julium cap. 38.* Uti autem *Donativum* militibus, sic *Congiarium*, dabatur populo. V. ibi.

Doncheriacum, adde: Aliter *Doncherium*, vulgò *Donchery*, Comitatui Castrensi attribuitur *in litt. Caroli Crassi*, ubi is *villam suam Dominicalem super Mosam fluv. sitam in Comitatu Castrensi, Doncherium nomine, Monachis cœnobii S. Medardi concessisse dicitur.* Mercatus in hac villa ædificati, mentio fit in *Literis* Henrici R. datis A. C. 1005. V. Hadr. Valesium in voce *Castrensis pagus*.

Donum, V. suprà *Dona*.

Doram, opp. Phœniciæ, prope Carmelum: item Dumæ, Δῶρα Josepho *Antiqq. lib. 13. cap. 11.* Δῶρα, *Ibid. cap. 17.* V. Bochartum *Hierozoici Part. prior. Lib. II cap. 18.*

Dorcas, apud Martialem *lib. 10. Epigr. 65. v. 13.*

Tam dispar aquilæ columba non est,
Nec dorcas timido fugax leoni

inter capreas sylvestres numeratur; magis tamen ad cervum accedit. A' Græco δέρκω, *video*. Cujusmodi animali nullo canum terrore, sed solâ togarum jactatione, à spectatoribus, in arena agitari, insuperque à Romanis in puerorum oblectationem mansuefieri consuevisse, docet Martialis *Epigrammate suo 98.* cui tit. *Dorcas lib. 13.*

Delicium parvo donabis dorcada *nato,*
Jactatis solet hanc mittere turba togis.

Color earum rufus communiter; at in illarum genere platycerotes aliquando totæ albæ sunt, ut docet Bochartus *Hierozoici Part. prior. lib. III. cap. 26.* & 27. Plura V. suprà ubi de *Capreis*, ut & in voce *Dorcas*.

Dorica Harmonia, *magnifica olim, sublimis, gravis, contenta, nihil habuit fusum, nihil solutum, nihil molle; sed plenum, vehemens, paucis modicisque flexibus bellicis conveniens numeris & motibus. Pannonum & Getarum Scytharumq; —— talem audivimus in Dalmatia ac Transylvania & Mysia superiore. Exultationem addiderunt Æoles, tumidamque fecerunt atque audacem: quanquam veterem simplicitatem retinuere, neque fregere, sicut Jones. Talis est Germanorum & bello apta, nec inepta conviviis, neque ab amoribus aliena —— utrinque affinis —— —— Jones autem suis moribus similem effecere mollem fluxamque* &c. J. C. Scaliger *Poëtices lib. 1 cap. 19.* ubi *de Modis & Tibiis*. V. quoque Salmasium *ad Solinum pag. 119.* & *seqq.* nec non infrà ubi de *Vet. Musica*.

Dormanum, adde: *Domnamantum*, in Trecensis urbis diœcesi, vocatur in *Vita* S. Bernardi. V. Hadrianum Valesium in voce *Trecæ*.

Dormio, quasi *Dermio*, à Græco δέρμα, i. pellis: quemadmodum ex *benus*, bonus, ex *hemo*, homo; ex Κέρκυρα, *Corcyra*, factum. Nempe vetus hæc in pellibus *dormiendi* consuetudo est: in sacris inprimis, quod propriè *Incubare* Veteres dixerunt. Tantopere namq; malignus Spiritus illusit Gentilibus, ut remedia in somnis indicaret, quibus sanitati restituerentur, sicque ii in templis pernoctando futurarum rerum eventum sciscitarentur. Captabant autem hæc somnia in ea parte templi, quam *Delubrum* dixere, & quidem prævio sacrificio ac peculiari diætæ curâ. Mactabantque plerumque Græci arietem Amphiarao, atque pelli ejus seu exuviis incubabant. Strabo *lib. 6.* Ἐναγίζουσι δ' αὐτῷ μέλανα κριὸν οἱ μαντευόμενοι, ἐγκοιμώμενοι ἐν τῷ δέρματι, *Sacrificant autem illi nigrum arietem vaticinia captantes, & somnum capiunt in pelle.* Similiter Calabri suis μηλωταῖς, seu ovium pellibus indormierunt, ad sepulchrum Podalirii. Virgilius *Æneid. lib. 8.*

—— —— —— *Huc dona sacerdos*
Cum tulit & cæsarum ovium sub nocte silenti
Pellibus incubuit stratis somnosq; petivit.

In porticu quoq; Apollinis Palatini fuisse Danaidum effigies, & contra eas sub divo totidem equestres filiorum Ægypti, è quibus statuis oracula per somnum postulantibus data fuerint, tradit Acron. Unde Persius *Sat. 2. vers. 56.*

—— —— —— *Nam fratres inter ahenos*
Somnia pituita qui purgatissima mittunt,
Præcipui sunto.

Idem in templo Serapidis fieri solitum legimus: Lacedæmonii in Pasitheæ fano somnia vatidica venabantur, nec ægris præsentius remedium visum est, quàm in Æsculapii Fano dormivisse, de quo V. Aristophanem *Pluto, Actu 2. sc. 3.*

—— Κατακλίνειν αὐτὸν εἰς Ἀσκληπιοῦ
Κράτιστόν ἐστι.

Cubitum eum reponere in Æsculapii fano
Optimum est.

Plautum item *Curcul. Act. I. sc. 1.* Ciceronem *de Divin. lib. 2.* Jamblichum *de myster. Ægypt. segm. 3. cap. 3.* ac alios. Unde apud Herodianum *lib. 4.* legimus, Antoninum Caracallam Pergamum Asiæ, ut Æsculapii curationibus uteretur, fuisse profectum. Eundem morem in Amphiarai templo apud Oropios viguisse, habet Pausanias *Attic.* in Fauni templo, Virgilius *Æn. 7.* in Capitolio, Servius *ad h. l.* ubi, *Ille incubat Jovi, id est, dormit in Capitolio, ut responsa accipere possit*, inquit. Neque nescivit hanc in pellibus incubationem Hieronymus, *ad illud Esai. c. 65. qui habitant in sepulchris & in delubris idolorum.* Imò quàm latè ea patuerit, argumento est, quòd & prope mare Caspium in Anariacæ Urbe, nomine Ναβάρκη, monstraretur Μαντεῖον ἐγκοιμωμένων, *Oraculum incubantium*, teste Strabone *lib. 11.* ac durasse apud Romanos, temporibus etiam Gratiani ac Theodosii Impp. indicat Prudentius *in Hamartig.* Aliquando porro lauro coronati somnum in istiusmodi locis sacris capiebant, somniorum præsidi, quam Βρίζω dixere, priùs sacrificio oblato, &c. Sed & accuratam hoc tempore victus habere rationem sunt soliti: jejunabant pridie, & per integrum triduum à vino abstinebant: à fabis quoque & immaturis crudisque fructibus, sibi cavebant solicitè. Unde Aristoteles negat fidem adhibendam *post έμφαγοῦσι [illegible]*, *somniis Autumnalibus*: & Plutarchus *Sympos. lib. 9.* vescentium fructibus ad maturitatem probè perductis insomnia, dicit esse ἀψευδέστερα, *minus fallacia*. Piscium quidam optimi, quidam pessimi habebantur: Polypi inprimis caput quam vim habere creditum fuerit.

V. apud

V. apud Plut. *lib. suprà laudato*, & Coel. Rhodiginum *lib.* 27. *cap.* 10. Nec vestium nulla habebatur ratio: Quare *ἐσθῆτι λευκὰς κοιμᾶσθαι ἐν ὕπνῳ φέρειν*, inquit Suidas: ita enim somnia clariora fore credebant. Tempus, quo maximè veracia habebantur somnia, matutinum erat, proximè Auroram præcedens, dictum Homero *νυκτὸς ἀμολγός*, *Odyss.* δ.

Ὥς οἱ ὀνειρόφι ἐναργὲς ἐπέσσυτο νυκτὸς ἀμολγῷ.

Unde Theocritus,

— — — *ἤγγελε δ' ἠὼς*
Εὖτε καὶ ἀτρεκέων ποιμαίνεται ἔθνος ὀνείρων.

Quæ verba tantùm non *παραφράζει* Ovidius:

Namq; sub Aurora jam dormitante lucernâ,
Tempore quo cerni somnia vera solent.

Primus autem ex somniis divinandi scientiam condidisse dicitur Amphictyon, Deucalionis filius, Plinio *lib.* 7. *cap.* 57. Amphiaraus vero Pausaniæ *in Atticis*, & Rhodigino *lib.* 27. *cap.* 14. *antiq. Lect.* de quo V. infrà quoq; in voce *Oneirocritice.* Interim exhibat horum hominum vanitatem, ipse Juvenalis *Satyra* 6. dum ait,

Non delubra Deûm, nec ab æthere Numina mittunt,
Sed sibi quisq; facit &c.

Plura V. apud Gerh. Joh. Vossium *de Idolol. lib.* 3. *cap.* 35. & infrà ubi de *Meletis*, ac *Somniis*: de annulis verò à dormiturientibus seponi olim solitis, apud Kirchmannum *de Annulis*; uti alia in hanc rem hic passim, ubi de Veterum *Cubitu*, *Lectis* &c. item voce *Somnus.*

Dormitio S. Mariæ, *Pausatio* in vetustiss. Kalendario Allatiano, festum est Ecclesiæ Rom. quod *Deiparæ Assumtio* dicitur, Græcis quoque *Κοίμησις.* Donnizo *de Vita Mathildis lib.* 2. *cap.* 14. apud du Fresne,

— *Sancta* Dormitio *Virginis atq;*
In medio mense, qui sumus nostitur esse,
Tunc celebrabatur.

Dormitorium, in *Gloss.* S. Benedicti *ἐγκοιμητήριον*, genus vestis est cubitum euntium. Apud Plinium *lib.* 2. *Epist.* 17. Cubiculum est. Scriptoribus medii ævi sumitur pro Monasteriorum conclavi, in quo plures sunt lecti, pluresque cellæ Monachicæ, ubi decumbunt, vulgò *Dorter.* Hæc fenestrata & patula fuisse, ut Monachi habere somni vel cubiculi inspectores arbitrosque possent, docet Vadianus *de Monaster. Germ. lib.* 1. Non verò semper istiusmodi *Dormitoria* in cellulas distincta, sed in eodem conclavi fuisse multos lectos, in quorum medio Abbatis, colligitur ex *Regula* Benedicti *cap.* 22. & aliis Scriptoribus, quos vide apud du Fresne *Glossar.* Hujusmodi *Dormitorii* curam qui gerebat, *Dortorarius* dicitur, in *Statutis* Ordinis de Sempringham, apud Eund.

Doromellum, vulgò *Dormeille*, vicus est Galliæ, ad Aroannam fluv. vulgò *Ouaine*: ad quem, non procul Doromello, Chlotarius Jun. à Theodeberto, ac Theodorico Regibus victus est acie, A. C. 599. ut Fredegarius docet.

Dorsale, apud Durandum *Ration. lib.* 1. *cap.* 3. *num.* 23. *Dorsalia* — *in choro pendentia, à dorso Clericorum*: pallium est, sive aulæum, quod parietibus appenditur. *Dorsile pallium*, Ekkehardo Jun. *de Casibus S. Galli cap.* 1. ubi Goldastus id exponit, tapetium tergo Principum ac divitum hominum sellis, arcuatum & parietibus appensum. Cujusmodi *vestem de dorso suo oxydeauratam*, id est, *Hyperpyrino auro splendente obductam*, S. Benedicto misisse Alexium Imp. legitur, apud Petr. Diaconum *Chronici Casin lib.* 3. *cap.* 57. Sed & *Dorsalia* vocabant pelles, quibus equorum terga Veteres insternebant. Trebellius Pollio, *Processerant etiam albi — cenateni — dorsualibus sericis discoloribus præfulgentes*, *in Gallieno.* Quemadmodum equum suum Volucrem sagis fuco tinctis cooperiebat Verus, Commodus pelle inaurata equum Pertinacem integebat. Quæ *Stragula* etiam dicta fuisse, notat Salmasius *ad Capitolinum in Vero.*

Dorsum rumpere, in *L.* Baivvar. *tit.* 6. *cap.* 2. *§.* 2. *Rumpatur dorsum ejus* 50 *percussionibus*: pœnæ genus est. V. hic ubi de *Humeris*, *Scapulis*, *Tergo.*

Doryphori, Persicæ militiæ genus. Curtius *lib.* 3. *cap.* 3. ubi de Darii exercitu, *Doryphori vocabantur, proximum his (Cognatis Regis sic dictis) agmen, soliti vestem excipere regalem, hi currum Regis anteibant; quo ipse eminens vehebatur.* Ex Græco *Δορυφόροι*, aliter *Αἰχμοφόροι*, Lat. *Hastiferi* seu hastati, etiam *Μηλοφόροι*, quòd aurea *mala* hastis præfixa ferrent, dicti sunt. Sumebantur illi ex *Immortalium* cohorte, & non temerè aut forte, sed *ἀριστίνδην*, legebantur, idque ex Persarum potissimùm gente. Excubabant autem in Regis aula, ejusque latus magno agmine muniebant; Excipiebant porrò vestem Regalem: Etiam unus ex iis, sellæ aureæ pedibus Regis, è curru descendentis, subjiciendæ causâ, regium currum consequi solebat, teste Athenæo *lib.* 12. Quare honori non modico ducebatur, in hujusmodi spiculatorum numeros referri. Erat porro illis Præfectus, sub quo militabant: neq; ii æs merebant, sed à Rege capiebant annonas, eisque ex Regalis mensæ reliquiis cibaria præstabantur, Brissonius *ad l.* Cujusmodi *Doryphoris viriliter puer*, ut habet Plinius, inter opera ex ære Polycleti, Ctesilai item & Aristodemi, celeberrimorum Artificum, ei memoratur *lib.* 34. *cap.* 8. Alii ab iis *Δορυφόροι*

fuere, hoc enim nomine, quasi *Donatarios*, Mariandynos servos suos, appellasse Heracleotas, *ἀφαιροῦντας τὸ πικρὸν τῆς προσηγορίας*, *parcentes acerbitati nominis*, tradit *ad Aristophanem* vetus Interpres Callistratus. V. Hug. Grotium *de Jure Belli & Pacis lib.* 3. *cap.* 13. *§.* 5.

Dos, adde: Uxorem *Dotis* datio dictio à concubinis secernebat, apud Athenienses: Unde in palliato Plauti *Trinummo*,

— — — *sed ut inops*
Infamis ne sim, ne mihi hanc famam differant, me
Germanam meam sororem in concubinatum tibi
Sic sine dote dedisse magis, quam in matrimonium.

Nuptiarum enim legitimarum certissimum argumentum erat dos, cùm *dotatas esse fœminas ad subolem procreandam replendamq; liberis civitatem, maximè sit necessarium*, inquit Pomponius. Quare eleganter Artemidorus filiam cum creditore comparat, quæ *Dotem* poscit grandis: negavitque meritò Isæus, Nicodemi sororem legitimam uxorem Pyrrhi fuisse, quia sorori Nicodemus dotem non dixit, non dedit. Hinc etiam qui *ἄπροικον*, *sine dote* uxorem ducebat, instrumentis dotalibus tamen acceptam dotem ferebat, cavebatque, ut idem docet Isæus *in Orat. περὶ τοῦ Πύῤῥου κλήρου*. Virginum autem quædam totam hæreditatem in dotem afferebant, ut orbæ, seu *ἐπίκληροι*, hinc *Dotales* dictæ: reliquæ tres tantùm vestes & quædam modici pretii vasa non elaboratæ artis ad maritum secum matrimonii ergò deferre Solonis lege jussæ sunt. Non quòd præter hæc, nullam aliam dotem sponsa marito attulit, sed excrescenti suorum luxui obviam iturus cavit, ne solenni illâ pompâ, quæ postridiè nuptiarum institui solebat, tribus vestibus plures deferrentur, neve hæc *Ἐπαύλια*, uti vocabantur, quæ in dotem cedebant, magno constarent. Præter hæc ulterius in dotem cedebant dona ea, quæ sponsæ à marito ejusque sodalibus ac cognatis dabantur, *ἀνακαλυπτήρια* Græcis, *διάφερνα* Alexandrinis vocata. Ipsam *Dotem* quod attinet, modum ejus non præscripsit Solon, proin dicebatur dabaturque pro uniuscujusque censu & fortunarum modulo. Unde apud Terentium *in Heautontimorumeno*,

MEN. Quid dotis dicam te dixisse filiæ?
CHRE. Duo talenta, pro re nostra ego esse decrevi satis &c.

Verùm ita, ut decima saltem bonorum paternorum pars filiæ in dotem daretur. Minima autem *Dos* videtur illa fuisse, quam præcepit dandam virginibus egenis, *ἐπὶ Θήτταις*, Solon à Zygitis, tres sesquiminæ seu centum quinquaginta drachmæ. *Dotem* divertens à marito uxor repetebat, postquam professa esset apud Archontem, non futuram se amplius in ædibus mariti: Repetebatur autem per eum, qui mulierem elocaverat seu desponsaverat, aut qui tutor datus fuerat; qui si dotem, quam repetebat, non accepisset, dicam *σίτου* *προικὸς εἰς* scribebat, interea singulis mensibus novem oboli ei pendebantur: quod intelligendum de minima dote, cujus paulo ante mentio facta est; Nam luculentiores dotes majus etiam pariebant fœnus pro rata. Cùm sine prole obiit uxor *Dos* redibat ad illum, qui desponsaverat; Si quis uxorem dimiserat, *Dotem* similiter reddere lege tenebatur, nisi redderet, usuram menstruam pendere necesse habuit & tutori mulieris pro ea de victu ad Odeum dabatur actio: hæ enim controversiæ in Odeo, ubi jus dicebat Archon disceptari solebant. V. Sam. Petitum *Com. in Leges Atticas lib.* 6. *tit.* 2. Apud Romanos, ad maritum uxore mortuâ delatam *Dotem* esse, docet Pseudocornutus *ad A. Persii Sat.* 2. *vers.* 14. ubi Nerium morte conjugum locupletatum esse refert. Hinc Martialis *lib.* 10. *Epigr.* 43.

Septima jam Phileros tibi conditur uxor in agro,
Nulli plus Phileros, quàm tibi, reddit ager.

Si item in adulterio maritus uxorem deprehendisset, dote eam mulctare poterat. Unde Acron *ad Sat.* 2. *lib.* 1 *Q. Horatii*, inquit, *antea adulteræ dotem tantùm perdebant.* Ipse Satyricus,

Janua frangatur, latret canis, undiq; magno
Pulsa domus strepitu resonet, vel pallida lecto
Desiliat mulier, miseram se conscia clamet,
Cruribus hæc metuat Dos deprensa.

A' *dote* dicta sunt *Dotalia pacta* sive tabulæ, quibus dote dicta signabantur. His cùm dicta fuerat dies, auspices noctu & sub auroram, auguriis operam dabant: Ipsa non priùs signabantur, quàm solennis stipulatio fuisset interposita, qui ritus colligitur è Plauti *Curculione Actu* 5. *sc.* 2. *in fine.* Signatis acclamabatur *Feliciter.* Juvenalis *Satyra* 2.

Signatæ tabulæ: dictum feliciter —

Talis enim erat faustæ ominationis exclamatio, quâ bona quæque ominabantur, & auspicatum contractus iniri eventum apprecabantur neogamis &c. V. Joh. Rosinum *antiqq. Rom. lib.* 5. *cap.* 37. *cum paralipom.* Joh. Dempsteri. Tempore nuptiarum apud Hebræos dotem offerebant sponsi, & sponsæ quisque suæ tabulas dotales, à Scriba consignatas in manus tradebat: Si virgo esset, ducentos denarios seu 50. siclos: si vidua, centum denarios seu 25. siclos; infra quam summam dos non æstimabatur, excedere autem & usque ad talentum auri extendi poterat. Exemplum istiusmodi contractus habes in Apocryphis, Tobiæ *lib.* 7. *cap.* 16. Aliud à Bertramo è Babylonico Thalmud desumptum, ita habet: *Sexto die hebdomadis, quarto mensis Sivan, anno à creatione mundi*

5150.

5250. *juxta computandi rationem usitatam Massilia, civitate maritima, Sponsus Rabbi Moses, filius Rabbi Juda, dicit Sponsa Clarona, filia Rabbi Davidis, filii Rabbi Mosis, civi Olyssiponensi; Esto uxor mea, secundùm legem Mosis & Israelis, & ego, secundùm verbum Dei, venerabor, honorabo, tuebor & regam te, pro more Maritorum apud Judæos usitato, qui venerantur, honorant, tuentur & regunt suas uxores fideliter. Ita ego polliceor tibi dotem Virgini debitam, nempe ducentos denarios argenteos, qui ad te vi legis spectant: insuper cibum, vestitum, & necessaria quævis: tandem commercium conjugale, pro more totius Mundi.* V. Thom. Godvvynum *lib.* 6. *de ritibus Hebræorum cap.* 4. & Jo. Seldenum *Uxor. Ebraic. lib.* 2. *cap.* 9. &c.

Donana, apud Saracenos, Sultanorum Palatium, ubi thesauri eorum asservabantur, Vicentius Belvac. *lib.* 31. *cap.* 145. Atq; hinc ædes, quibus Fiscales reditus, vectigalia, portoria, & cætera id genus tributa pro mercibus earumq; transvectione inferuntur, apud Hug. Falcandum *de Calam. Sicil.* Vox Gallis Italisq; etiamnum in notione in usu.

Doxologia, Græcè Δοξολογία, id est, *Glorificatio*, in Ecclesia dicitur Hymnus hic glorificationis, *Gloria Patri & Filio & Spiritui Sancto: sicut erat in principio & nunc & semper & in secula seculorum, Amen*: quem usurpabant Veteres in fine Hymnorum & Psalmorum, quò clariùs Deitatis unitatem, in Trinitate personarum, & unam Trinitatis gloriam, honorem eandemque glorificationem, palàm profiterentur, V. Basilium M. *de Spiritu S. cap.* 27. & 29. ubi antiquâ consuetudine populum Christianum, pro vespertino lumine, gratias agere solitum hacce formula, Αἰνοῦμεν πατέρα, καὶ υἱὸν καὶ ἅγιον πνεῦμα, addit. Fuit autem Hymnus ille diligenter in Ecclesia retentus, pro custodia doctrinæ Nicenæ, contra Arianos, qui æqualem eandemque Filio & Spiritui S. gloriam cum Patre tribuere recusantes, hanc *doxologiæ* formulam adhibebant: Σοὶ τῷ Πατρὶ, ἡ τιμὴ καὶ ἡ δόξα, διὰ τοῦ μονογενοῦς σου Υἱοῦ, ἐν τῷ ἁγίῳ Πνεύματι, *Tibi Patri honor & gloria, per unigenitum tuum Filium, in Sancto Spiritu*, teste eodem ubi suprà, *cap.* 25. Unde Leontium Arianum Episc. Antiochenum, in recitanda glorificatione, cùm alii canerent, *Gloria Patri & Filio*; alii, *Gloria Patri per Filium in Spiritu S.* ut fraudem absconderet, doxologiam tacitè recitasse, ut ultima saltem verba, *in secula seculorum*, ab iis qui prope erant, audirentur, refert Theodoretus *Histor. lib.* 2. *cap.* 24. Tempore verò Constantii Imp. eosdem glorificavisse, Πατέρα ἐν Υἱῷ, *Patrem in Filio*, refert Sozomenus *Hist. Eccl. lib.* 3. *cap.* 19. V. quoque Nicephorum Call. *Hist. Eccl. lib.* 9. *cap.* 24. &c. In Ecclesia Rom. Hymni hujus originem Hieronymo tribuit Remigius Autissiodor. Ita certè Hieronymus ad Damasum Episc. Rom. *Tom.* 1. *Concil. pag.* 625. *col.* 1. *edit. Paris. Precatur ergo Cliens tuus ut vox ista psallentium in sede tua Romana, die noctuq; canatur & in fine Psalmi cujuslibet, sive matutinis, sive vespertinis horis conjungi præcipiat Apostolatus tui ordo, Gloria Patri & Filio & Spiritui S. Sicut erat in principio & nunc* &c. uti suprà diximus, V. Jo. Forbesium *Instructionum Historico-Theologic. lib.* 1. *cap.* 22. *toto.* Apud Græcos duplex est, Μεγάλη, i. *magna*, nempe Hymnus Angelicus, *Gloria in Excelsis*; & Μικρὰ, *parva*, quæ sæpius in fine Psalmorum repetitur, Trinitatis Glorificatio, *Gloria Patri & Filio* &c. V. Germanum Patr. CP. *Hist. Eccl. p.* 154. Jac. Gothofredum *ad Philostrium pag.* 147. Meursium *in Glossar.* Goarum *ad Euchology. Gr. p.* 38. &c. laudatos Carolo du Fresne *Glossar.* ut & infrà in voce *Hymnus*.

DR.

Drachma, Gr. Δραχμὴ, genus nummi, quod interdum λεπτὸν, ὀβολὸν, ὀβελὸν, δηνάριον, quoque iidem dicebant, Romanis *Denarius* fuit, h. e. sestertii quatuor. Quod ad pondus, septem drachmæ unciam incurrunt; unde consequitur, cùm libra sit 12. unciarum, 84. drachmas fore in libra. Hinc Scribonius Largus *Epist. ad Callistum*: *Erit autem nota denarii unius pro Græca drachma. Æquè enim in libra octoginta quatuor apud nos, quot drachmæ apud Græcos incurrunt.* V. Oiselium *Notis in A. Gellium lib.* 1. *cap.* 8. Verùm subtili examine minam à libra, *Drachmam* à denario differre, docet Budæus: interim cùm ad ejus pondus proximus accederet denarius, utriusque par fuit ratio habita. Octavam unciæ partem fuisse, asserit Gronovius ex Isidoro *lib.* 14. *cap.* 24. *Drachma octava pars unciæ est, & denarii pondus, argenti tribus constans scrupulis, id est, octodecim siliquis.* Hinc Fannius,

> *Uncia fit drachmis bis quatuor: unde putandum*
> *Grammata dicta, quòd hæc viginti quatuor in se*
> *Uncia habet.*

Et Volusius, *Dividitur uncia in scriptula viginti quatuor.* Idem Gronovius, contra Hotomannum, non 84. sed nonaginta sex drachmas libram efficere, probat. Namque & Fannius Remnius, modò laudatus:

> *Accipe præterea patrio quam nomine Graji*
> *Mnan vocitant, nostriq; minam dixere priores:*
> *Centum hæ sunt drachmæ. Quòd si decerpseris illis*
> *Quatuor, efficies hanc nostram denique libram.*

Et Priscianus, *Italica autem mina drachmas habet nonaginta sex* &c. Valebat *Drachma* Attica sex obolos, sicut Æginæa decem: porro habebat 48. chalcos, & argentea decima pars fuit scutati aurei. Nam in argento & auro, non in ære, vetustiores drachmam ponebant, V. Frider. Gronovium *de Pecunia vet. passim.* Nomen quod attinet, *Drachma* à δράττεσθαι, id est, *continere* dicitur: quia comprehendit tantum κερμάτιον sive κέρματα, (sic Græci vocabant exiguos nummulos æreos, quos cum Seneca *minutias æris* vocare possumus) quantum manu quis in pugnum contractâ capere ac continere possit. Cùm antiquam ὀβολῷ, tum hanc *Drachmæ* originationem discimus, partim ex vett. Grammaticis, partim illo Plutarchi loco *in Lysandro*: Καὶ δοκεῖ παλαιὸν εἶναι τὸ τοιοῦτον· ἀρχαῖον γὰρ ἦν νόμισμα ὀβελίσκοις χρῆσθαι σιδηροῖς, ἐνίοις δὲ χαλκοῖς· ἀφ' ὧν παραμένει πλῆθος ἔτι καὶ νῦν τῶν κερματίων ὀβολοὺς καλεῖσθαι, δραχμὴν δὲ τοὺς ἐξ ὀβολούς· τοσούτων γὰρ ἡ χεὶρ περιεδράττετο, *Videtur autem omnino vetus moneta sic se habere, quia obeliscis utebantur* (id est, numulis obeli figuram imitantibus) *ferreis, quidam etiam æreis. Unde permanet, ut hodieq; multitudo minutiarum æris oboli vocentur*: Drachmæ *autem sex oboli, quia tantum manus complectebatur.* Oiselius verò *loco suprà laudato.* ab Hebræo דרכמן idem significante vocem deducit: Invenias Esræ *cap.* 11. *versu* 65. & Nehemiæ *cap.* 7. *vers.* 78. V. Vossium *in Etymol.* Mentio *Drachmæ* in N. T. Lucæ *cap.* 15. *versu* 8. *At quæ mulier habens drachmas decem* &c. item Act. *cap.* 19. *versu* 19. ubi ἀργυρίου *argentei* nomine venit. Erat autem apud Judæos quarta pars sicli. Hinc Δίδραχμον, *Didrachmum*, Matth. *cap.* 17. *versu* 24. ubi Syriaca versio habet *Duo Zuzim*, qui idem valuere apud Hebræos, quod Denarius apud Romanos duplex. Istiusmodi Didrachmus nummus seu siclus dimidius olim apud Israelitas quotannis templo pendebatur, ab omnibus vicesimum annum egressis, V. Exodi *cap.* 30. *vers.* 13. quod tributum postea à Cæsare in suos usus conversum, occasionem dedit Judæis, quærendi è Servatore nostro: *An liceat Cæsari tributum solvere?* Quibus Christus respondit, *Reddite Cæsari quæ Cæsaris sunt: & Deo quæ Dei sunt.* Itaque religiosiores ex illis, utrumque pependerunt, Cæsari suum & Templo suum *Didrachmum*: donec, everso templo, Vespasianus Capitolio id pendi lege jussit. Apud Græcos *Didrachmus aureus*, Gr. χρυσοῦς, pro argenti valebat drachmis viginti: quot drachmas fecere decem Didrachmi argentei &c. V. Thom. Godvvynum *de ritibus Hebræorum lib. ult. cap. ult.* &c.

Draco, Gr. Δράκων, per metathesin, ut vult Festus, quasi Δάρκων, à δέρκω, *video*: Cæsari Scaligero dictus à δρᾶν ἄχος, *facere dolorem*; Vossio, καὶ τὸ δρᾶν ἄκος, *facere medicinam*; nempe, quia innoxii sunt. *Veris enim draconibus ora parva, & ad morsus non dehiscentia*, Solinus *cap.* 30. ubi eos *non in dentibus, sed in cauda vim habere, & verbere potiùs, quàm rictu, nocere*, addit. Et si quis illis morsus est, nil notet, quod veneno careant: unde Veteribus in delitiis & oblectamentis, qui eos *agathodæmonas*, ἀγαθοὺς δαίμονας, vocabant. Servius *ad Poetæ versum illum*, de vipera,

> —— *calumq; exterrita fugit:*

Tellis, inquit, *gaudet, ut sunt ἀγαθοὶ δαίμονες, quos Latinè genios vocant.* Inde *innoxia Numina* Lucano *lib.* 5.

> *Vos quoque qui cunctis innoxia Numina terris*
> *Serpitis aurato nitidi fulgore dracones,*
> *Pestiferos ardens facit Africa.*

V. etiam infra in voce *Dracunculi.* Certè inter Deos *dracones* ab Ægyptiis relatos esse, docet Martianus Capella *libro* 1. ubi de Saturno, quem, *dracunculum anni*, proin vocat Albricus. *Draconis* enim *caudam vorantis* hieroglyphico Tempus huic genti denotatum esse, notum. Sic *Draconem luci Nemeæi*, pro Numine habitum, ducas ex Lucano *lib.* 3. Saltem sanctos fuisse *dracones* & angues priscis certum est, quos recensere longa sit series: Nec ullus majorum gentium Deaster, cui non consecratus aliquis talis Qua de re pluribus agit Casp. Barth. *Animadvers. ad Statium Thebaid. lib.* 5. *vers.* 460. & 511. omnes autem Æsculapio, præcipuè qui sunt fulvo colore, adscribit Pausanias *lib.* 2. Quæ altera ratio est, qua etymon suum roboret Vossius. Nam & Æsculapii filia *Panacea* dicta est ex πᾶν & ἄκος, *omne* & *remedium*, ut ipso nomine omnium morborum remedia promittat, Plinio teste *lib.* 24. *cap.* 4. Ideo autem Æsculapio olim *Dracones* dicati, quia Medicum ὀξυδερκῆ ac *circumspectum* esse oportet; quæ virtus cùm in milite quoque sit eximia, posterioribus Romani Imperii temporibus, *Draco* singularum erat cohortium signum, ut infrà videbimus. Porro *Dracones* non Dii solùm, vel saltem Diis sacri, habiti sunt, sed & corum specie Deastros Gentilium apparere gavisos frequenter legimus. Ac tum floribus sparsis, quà serperent, culti fuere. Ovidius *lib.* 15.

> *Annuit his, motisq; Deus rata pignora cristis,*
> *Et repetita dedit vibratâ sibila linguâ.*
> *Inde per infectis adopertam floribus ingens*
> *Serpit humum, flectitq; sinus.*

V. quoque Papinium Statium *Thebaid. lib.* 5. *vers.* 580. & de hoc aspersorum florum honore, Barthium præfatum *ad* [illegible] &c. Quòd verò illis jubas cristasq; affingunt Poetæ, confirmatur testimonio Jubæ Regis. Cornificius tamen *ad Herennium lib.* 4. ardelionem nescio quem, Romanum Forum circumeuntem, *jubatum draconem* vocat. Sed & qui ipsi Orientem lustrarunt, *cristatos dracones* visos testantur, inter quos Jac. Vitriacus *lib.* 1. *cap.* 87. Unde Juba de Africanis solùm (qui etiam soli ab æstu regionis venenum trahunt) intelligendus esse videatur. *Jubas* autem infra

fra & supra dracones, os habere auctor est Ælianus *lib.* 10. *cap.* 25. ac fœminas carere hoc ornamento, idem docet *lib.* 11. *cap.* 26. De aliis eorundem diximus suprà, in voce *Alat.* V. iterum Barthium ubi suprà, *Thebaid. lib.* 2. *vers.* 280. Ut pauca addam, illorum cristis Bacchum fuisse olim insignitum, Hecatem item dracone coronari solitam, discas ex Car. Paschalio *Coronarum lib.* 1. *cap.* 16. & *lib.* 7. *c.* 12. Eosdem multa egregiè ad Medicinam facientia, præcipuè Magicam in se habere vim, multis adstruit Plinius *lib.* 29. *c.* 4. Sed & Thesaurorum custodes olim fingebantur, quia ibidem vigilantiâ opus &c. V. Phædrum *Fabulâ* 6. & Vossium *de Idolol. lib.* 4. *c.* 54. Adde Salmas. *ad Solin.* ubi de draconibus, quos *elephantias* quosq; *chamædracontes* hic Auctor vocat, *pag.* 307. 308. 343. Sam. Bochartum *Hierozoici Parte poster. lib. III. cap.* 4. & quæ hic passim, inprimis in voce *Serpens.*

Draco, adde: *Persici Dracones* capti sub Aureliano memorantur Vopisco *in Divo Aureliano*, *Tunc illæ vestes, quas in templo Solis videmus, consertæ gemmis, tum* Persici dracones *& tiaræ* &c. Inter signa nempe Persarum, eâ quidem ætate, *Dracones* fuere; paulo verò antè Parthorum, qui in Oriente rerum erant Domini, & apud quos, cùm cohortes millenariæ essent, cuique cohorti suus draco erat. Erant autem hi *dracones* simulachra verorū draconum, ea arte expressa ad terrorem hostibus inferendum, ut vulgò apud Romanos aliquando crederetur, viva ipsa animalia, non illorum imitamenta, ad bellum ferre Persas: quæ in conflictu hostes appeterent, & miserè vorarent. Quam falsam auditionem ridiculè secutus erat Historicus ille, cujus ineptias exagitat Lucianus *de conscrib. Histor.* Præter Parthos Persasque Indi quoque, ac Scythæ, *draconibus* usi, ut ex Suida discimus. Ad Romanos à Parthis transiisse, vult Casaubonus *ad Vopiscum l. c.* Ab Assyriis, Codinus *de Offic. Constantinop.* Sed hos spectasse aliò vult Vossius: Nam *draco* illis vel Numen Bel, vel Numinis symbolum fuisse videtur, V. Hieronymum *Præfat. in Danielem.* Alii verò istiusmodi vexilla primùm cœpisse deferri, apud Romanos, tradunt, postquam Trajanus Dacos vicit, qui signis ejusmodi similiter utebantur. Erant autem *draconum* effigies depictæ, in ipsis vexillis lineis aut sericis, eæque purpureæ, Ammianus *lib.* 15. 16. Claudianus *in Ruffinum lib.* 2. Alii. Neque solum in militia, sed & in pompa, præferebantur. Trebellius *in Gallienis*, ubi de Gallieno Decennia celebrante, inter alia, *Hastæ*, inquit, *auratæ altrinsecus quingenæ, vexilla centena, præterea quæ collegiorum erant, dracones, & signa templorum omniumq; legionum ibant* &c. Hinc nomen Δρακόνιον, vexillo illi, quo in ceremoniis suis utebantur Byzantini Augusti recentiores, de quo aliisque eorum ornamentis accuratè agit du Fresne *ad Alexiadem.* A' Romanis porro *Draconem* fortè accepere, in præcipuum exercituum suorum vexillum, Impp. Occidui. Certè Guil. Brito, Currum Othonis describens, *Draconem* eidem pro signo impositum fuisse, disertè memorat *Philipp. lib.* 2.

Erigit in carro palum, paloq; Draconem
Implicat, ut possit procul hinc, procul inde videri,
Hauriat & ventos caudâ tumefactus & alis,
Dentibus horrescens, rictusq; patentis hiatu,
Quem super auratâ volucer Jovis imminet alâ.

Imò & Saxonibus, inter militaria fuisse *Draconum* signa, docet Witikindus *Gestor. Saxon. lib.* 1. & Anglis, ubi ab ineunte fere Regni origine ad hæc usque tempora præcipuum inter Regalia habeatur signa, non secus ac *Auriflamma* olim in Gallia, ostendit du Fresne: origine moris hujus ab Uterpendragone petita, quem, cùm stellam Draconis ignei effigie horridam in cœlo conspexit, futuri Regni omen, duos *Dracones* ex auro confieri, unumq; horum in Æde wintoniensi collocari jussisse, altero in præliis usum esse, tradit Matth. Monasteriensis *A. C.* 498. De Ducibus Normanniæ, idem docet du Fresne ex vet. quodam *Regesto* Fœderum Franciæ: De Flandriæ Comitibus V. *Chronic.* Andrense *p.* 491. De omnibus tandem penè nationibus, *le Roman de Garin*, apud C. du Fresne *Gloss.* Sed & *Draco* in Eccl. Rom. dicitur effigies *Draconis*, quæ cum vexillis in Ecclesiasticis processionibus, deferri solet, quâ vel Diabolum ipsum, vel hæresim triumphatam designari ajunt. *Consuetudines* Cœnobii Floriac. *Dominica in Ramis Palmarum duæ fiunt processiones: posterior ad Floriacum, præeunt vexilla & Draco.* Alibi: *Ad processionem portatur aqua benedicta & thuribulum sine igne & Crux &* Draco *in pertica. Unus verò de infantibus in cappa, à Magistro suo præparatâ, affert candelam accensam, ut præstò sit ignis, si extinguatur, qui in ore Draconis portatur. Ipso die portatur Draco à Thesaurario* &c. V. Beletum *de Divin. Offic. cap.* 123. & Durandum *Rat. lib.* 6 *cap.* 89 *n.* 12. & *cap.* 102. *n.* 11. laudatos, in *Gloss. cit.*

Draconarii, apud Petrum Diaconum *Chron. Casin. lib.* 4. *cap.* 39. ubi Henrico Regi, Romam adventanti, obviàm isse scribit *Bajulos, Cereostatarios, Staurofor os, Aquiliferos, Leoniferos, Draconarios* &c. Græcè quoque Δρακοναρίους, ut liquet ex Leonis *Constit.* 3. & Δρακοντοφόροι, quod est in *Glossis* Græco Latinis, dicti sunt qui *dracones*, vexilla sc. de quibus modò dictum, gestarent. Sed & Vopiscus jam eorum meminit in *Aureliano*, *Aquilifer legionis tertiæ, cum Vexilliferis & Draconariis.* Apud Romanos namque *Dracones* per singulas cohortes ad prælium ferebant. Lapso enim penè imperio aquilis dracones successêre. Sidonius Apollin. *Carm.* 2. *vers.* 232.

Ut primùm vestras aquilas provincia vidit,
Desiit hostiles confestim horrere dracones.

Ubi hostibus illos tribuit, aquilisque opponit: sed utrosque conjungit Vopiscus *d. l.* & Claudianus *de Nuptiis Honorii & Mariæ*,

Stent bellatrices aquilæ, sæviq; dracones.

De 4. *Ho. Consul.* idem,

——— ——— *Perventisq; tument post terga dracones.*

Atque hi quidem non è metallo aliquo formati, ut aquila, sed vel picti, vel intertexti, & in *linteo*, ut Tertullianus refert, *depicti.* Hinc vento moveri dicuntur Ammiano *lib.* 14. & Sidon. Apollinaris *Carm.* 5. *versu* 409. sic canit:

——— ——— ——— *Textilis anguis*
Discurrit per utramq; aciem, cui guttur adactis
Turgescit Zephyris, patulo mentitur hiatu
Iratam pictura famem.

Color istiusmodi vexillo purpureus, teste Isidoro *lib.* 14. *cap.* 42. Alioquin equitum cœruleum, peditum erat roseum vexillum. V. Thôm. Dempsterum *in Joh. Rosini Antiquitates Rom. lib.* 10. *paralipom.* & plura suprà.

Draconis Sanguis, concreto succo rubens, inter visus obsonia, quibus Mariam Mediceam Galliæ Reg. Amstelodami excepit Societas Indiæ Orientalis, memoratur C. Barlæo in *Medicea.* V. quoque suprà in voce *Cinnabari.*

Dracontia, nomen gemmæ, apud Plinium *lib.* 37. *cap.* 10. & ex eo Solinum *cap.* 30. quorum is, *Dracontites sive Dracontia è cerebro fit draconum:* hic, *Exciditur è cerebris draconum dracontias lapis, sed lapis non est, nisi detrahatur viventibus.* Græcè ἡ δρακοντίας, unde *dracontitis* apud Plinium reponit Salmasius, & ὁ δρακοντίτης, sub. *gemma.* Nempe crescit & coalescit gemma hæc in capite draconis, quam ut consequantur incolæ (in India id fieri idem Plinius habet) dormientibus his animalibus capita amputant. Quâ arte autem dracones à venatoribus sopiantur, idem Solinus mox ita exponit: *Præstantissimi audaciâ viri explorant anguium foveas & receptus: inde præstolati ad pastum exeuntes, prætervectiq; percitis cursibus, objiciunt gramina medicata — ad incitandum soporem: ita somno obsopitis, è capitibus exsecant lapides* &c. Paulo aliter venationis hujuscè modum enarrat Philostratus *Apollonii lib.* 3. ubi de palustribus montanisque draconibus prolixè disserens, in horum capitibus *inesse lapillos* hujusmodi tradit, *specie adspectuq; jucundos, neque non coloribus aut tincturis splendorem inducentes, effectu virtuteq; admirandos*, uti ex Græco reddit Barthius, qui totam hanc historiam, lectu jucundissimam, Latinè à se translatam, inseruit *Animadversionibus suis ad Papin. Statium Thebaid. lib.* 5. *vers.* 510. At de gemma ista Solinus iterum, *Usu ejus Orientis Reges præcipuè gloriantur, quanquam nullum lenocinium artis admittat soliditate; & quidquid in eo nobile est, non manus faciant, nec alterius quàm naturæ candor sit, quo relucet;* ad quem locum V. *Exercitationes* Salmasii *pag.* 387. & *seqq.*

Draconus, adde: V. infrà *Drahonus.*

Dracunculi, apud Æl. Lampridium *in Heliogabalo*, *Ægyptios* dracunculos *Romæ habuit, quos illi agathodæmones vocant:* erant parvi dracones, delitiarum aut superstitionis causâ domi ali soliti: qua de re multa adnotavit, in altera Suetonii editione, *ad lib. ejus* 3. *cap.* 72. Casaubonus: plura Gerh. Jo. Vossius *de orig. & progr. Idolol. lib.* 4. *c.* 58. quorum is non ab Ægyptiis, quod dicit Lampridius, sed à Phœnicibus, *Agathodæmonum* nomen illis esse inditum, docet *ad eum d. l.* Cum iisdem infantes in cunis jacentes lusitare consuevisse, diximus suprà ubi de *Cunabulis.* Nec fortè aliunde fabula orta de Alexandro, Scipione, Augusto & aliis, ex matrum cum draconibus congressu genitis; cùm etiam in lectos sese insinuare istiusmodi animalia, & juxta homines accubare innoxii consueverint. V. illustrem hac de re Luciani locum in *Alexandro*, nec non suprà in voce *Draco.* Est & *Dracunculus*, Græcè Δρακόντιον, nomen herbæ, quam cum colocasia, quæ κιβώριον fert & fabam Ægyptiam, confundit Plinius *lib.* 34. *cap.* 15. cum aro eandem facit Salmasius, & radicem quidem *Arum*, caulem verò *Dracunion* dictum ait, quòd varietate insignitus esset, serpentum maculis simili. V. ipsum Plinium id confirmantem *lib.* 34. *cap.* 16. Ostensam eam herbam oraculo Herculi, ut ulceribus suis diu insanabilibus ea tandem medicaretur, legas apud eundem Plinium; & certè τῶν κακοήθων ἑλκῶν ἄριστον φάρμακον, *medendis ulceribus malignis & inveteratis efficacissimum remedium*, Theophrastus vocat &c. V. Salmasium *ad Solinum pag.* 973. & *seqq.*

Dracus, dæmonum, qui circa Rhodanum fluv. visuntur, forma hominis & in cavernis mansionem habent, species; de quibus multa habet Gervasius Tilleber. *in libro MS. de Otiis Imper. Decis.* 3. *cap.* 87. Certè Occitanis etiamnum *Drac* seu *Drago*, est nympha Gall. *une fée.* Hinc iisdem *fa le Drac*, h. e. *Dracum se præbere*, Goudelinus apud Car. du Fresne *Glossar.*

Dragomannus, seu *Dragumannus*, vox quâ medii ævi Scriptores Græcanicum vocabulum Δραγουμάνος, quod *Interpretem linguarum Exoticarum* notat, ἑρμηνεία γλωσσῶν, Paulo dictum 1. Cor. *cap.* 12. *vers.* 10. efferunt; Michaël Dragumannus, in *Charta* Rogerii Duc. Sclavoniæ A. C. 1180. apud Joann. Lucium *de Regno*

 Dalmat.

Dalmat lib. 3. *cap.* 10. Erant nempe hujusmodi Interpretes, inter Principum Officiales, in Aula inprimis CP. quibus qui præerat, Μέγας Δραγουμάνος dicitur Pachymeri *lib.* 5. *cap.* 6. & Codino: *Maximus Palatinorum Interpretum*, Tyrio *lib.* 17. *cap.* 20. &c. Italis hodieque *Torcimano*, Gallis *Truchoman*, inde in usu est. Vocis originem nonnulli à Germanico arcessunt; alii ex Chaldaico *Targum*, de qua voce infrà, & V. Isaac. Casaubonum *Exercit.* 16. *in Baron.* Carolo du Fresne *Dragumani* seu *Turchimanni*, sic enim etiam tales dicti, ipsi *Turci* sunt, quibus vox *mann*, i. *vir*, adjecta: adeoque eidem, qui *Turcorum* suâ linguâ loquentium Interpretes erant, *Turcimanni* Europæis appellati sunt, in *Glossar.* V. de hujusmodi Interpretibus Car. Paschalium in *Legato cap.* 49.

Drahonus, fluviolus Germaniæ, in agro Trevirensi, aliàs *Dracontus*. V. ibi, vel *Drachonus*, sed minùs benè, vulgò *die Droan*, aut *Dron*: Fortunato *lib.* 3. *Carm.* 12. vocatur *parvus Rhodanus*: ad cujus & Mosellæ confluentes Mediolanum castellum Nicetii Treverici Episc. positum in monte fuisse tradit, hisce:

Quem Mosella tumens, Rhodanus quoque parvulus ambit,
Decertantq; sua pascere pisce locum.

Ausonio *tenuis* idem dicitur, in *Mosella*. V. Hadr. Valesium, in voce *Rhodanus*.

Dramatis Canticum, dicitur in Ecclesia Rom. Officii Antiphona, apud Macrum *in Hierolexico*. Apud Vett. verò Δραματικὸν genus dicendi appellatum est, à gestu & actione, quod aliter Δραματικὸν vocabatur. Cum enim hoc solutâ oratione primum constaret, dein metris inclusâ, quibus fabulæ ederentur; primus Crates Atheniensis illis exolvit vinculis, fabulasque sine metro dedit, & Δραματικὸν appellavit, δρᾶν enim Doricè *agere* est. Quamvis enim & sedendo quædam partes expediantur, à majori tamen parte genus hoc dictionis nominandum fuit: sed & in sessione quoque actio est. Genera ejus complura: antiquissimum *Pastorale*; proximum *Comicum*, è quo *Tragicum* natum; mistum autem, *Epicum*, de quibus omnibus V. suo loco, plura autem hanc in rem, apud J. C. Scaligerum *Poëtices lib.* I. c. 3.

Drillopota, dicti Vett. de quibus Juvenalis illud sonat,

— — — *vitreo bibit ille Priapo.*

V. Salmasium *ad Capitolinum in Pertinace.*

Dringenstenium, Germ. *Dringenstein*, opp. Germaniæ, in Comit. Nassav. Dillenburgico, cum castro præcelso, Dillenburgo 1. mill. German. distans. Cyr. Lentulus *Geneal. Princ. Nassov. MS.*

Dromades, ex tribus Camelorum speciebus Leoni Africano memoratis, *Raguahil* Arabibus: Graciles sunt exiguæque staturæ, qui, sarcinis gerendis inferiores, reliquos tantâ pernicitate superant, ut diei unius spatio ampliùs centum passuum millia conficiant, iter modico viatico ad dies 8. vel 10. per deserta perpetuantes. Iis nobiliores Numidiæ Arabes & Afri Lybici uti solent. Cumque Rex Tombuti magnâ celeritate alicujus momenti negotium Numidis mercatoribus indicare cupit, non alio jumento utitur. Indis *Bacambal* dicuntur, quos cum domino camelarium ferentes & viaticum necessarium, linguas 50. in diem facile conficere, scribit Vinc le Blanc *Itiner. Part.* 2. c. 22. Esaiæ *cap.* 66. v. 20. *Circaroth* dicti videntur Bocharto *Hierozoici Part. prior. Lib. II.* c. 4. quem omnino de hoc animali vide. Addam, quod apud Strabonem legitur *lib.* 15. eos quos è Drangis Ecbatana misit Alexander ad Parmenionem conficiendum, ἐπὶ δρομάδων καμήλων, *camelis dromadibus vectos, iter dierum triginta aut quadraginta, etiam indeg... undecim diebus peregisse*, illustre velocitatis eorum argumentum. De Zenobia tamen, cùm hoc camelorum genere uteretur in fuga ad Persas, captâ. V. Vopiscum *in Aureliano*.

Dromicum Templum apud Phoc. *cap.* 19. *Ubi & sacrum illius sepulchrum & templum* Dromicum *est*; & Codinum apud Leonem Allat. *de Templis Græc. In magna Ecclesia S. Sophiæ, quæ priùs* Dromica *erat*: dicitur Ædes, tectum laqueatum non habens, sed angustum solùm pontem, ex asseribus, super trabes, per latitudinem porrectum, ut adhuc Romæ in Templis S. Pauli, S. Cæciliæ, aliisque: Cujusmodi pontes *Corridori* Italis dicantur. Dominic. Macer *in Hierolexico*. Salmasio verò sic vocatur Templum, quod laqueatum est, ex Constantino *de Imperio*, ubi οἱ τρουλλωτοὶ ναοὶ, h. e. *templa, quorum culmen totum erat ex apside*, ἀπὸ τῶν δρομικῶν distinguens, in hisce ξυλοσκέπαστα appellat laquearia picta & cælata. Δρομικοὺς autem vocat, an quia fornicem oblongam & rectâ serie *currentem* absque ullis limbus haberent? An quia similiter essent tecta, ut sunt porticus illæ, quas Græci δρόμους ὑποστέγους appellant? Idem Εἰλημματικὴν καμάραν appellat, quæ ex structura factæ essent & concavos recessus haberent, ad discrimen τῶν δρομικῶν, quæ erant formâ semicylindri & oblongæ. V. Salmas. *ad Solinum pag.* 1219.

Dromones, naves cursoriæ, longæ & expeditæ, apud Isidorum *Origin. lib.* 19. *cap.* 1. Ælfricum *in Glossis*, Procopium *Vandalic. lib.* 1. Alios, à velocitate *cursus*, qui Græcis δρόμος dicitur Certè primus eorum usus fuit, ad cursum publicum; quem non equis tantùm, vehiculisque, sed navigiis etiam ac *dromonibus*, per flumina, lacus, sinus, ut res tulit, dispositis, stetisse discimus ex *Tab. Itiner.* quæ iter Veronâ Ravennam per Hostillam designans, Hostiliis Ravennam per Padum iter faciendum notat; & ex Senatore, apud quem Theodoricus R. *Dromonariorum Hostiliensium*, in hunc usum, meminit, *lib.* 2. *Epist.* 31. Sic Leonem Imp. navigia fabricari jussisse, quibus uterentur, cùm peregrè proficisci & navigare necesse esset, aut cùm in Palatia suburbana vel Asiatica, mari emenso, vellet transire, legimus apud Constantinum *de Admin. Imper. cap.* 41. ubi Βασιλικὰ δρομώνια illa vocat, sicut *Cursorias* Sidonius *lib.* 1. *Epist.* 5. &c. Sed & ad onera deportanda illorum usum, huicque potissimùm *Dromones* addictos fuisse, testatur idem Senator *lib.* 5. *Ep.* 16. Unde onerarias fuisse naves, ὁλκάδας Græcis dictas, innuit Theophylactus Simocatta *Hist. Mauric. lib.* 7. *cap.* 10. qui proin *Dromonem* illum, quem Mauritius, saluti suæ consulens, in portu CPolitano conscendit, ὑπερῷον ὁλκάδα appellat, *lib.* 8. *cap.* 9. At postmodum transiit appellatio, ad majores naves bellicas, ut videre est apud Leonem *in Tacticis*, Annam Comnenam, Guil. Tyrium, Thom. Walsinghamum, Alios. Scribitque Phil. Pigafetta *in Notis Ital. ad Leonis Tactica p.* 292. quæ in maris tractu CPoli Thessalonicam navigia decurrunt, etiamnum *Dromonia* appellari. Car. du Fresne *Glossar.* Hinc *Dromonarii*, similes classiariis, quorum meminit Suetonius *Vespasiano cap.* 8. sed non iidem. V. de illis Cassiodorum *lib.* 2. & 4.

Dropax, apud Martialem *lib.* 3. *Epigram.* 74.

Psilothro faciem levas & dropace *calvam*
Nunquid tonsorem, Gargiliane, times?

Unguentum est depilatorium, quo pilosa loca, hic faciem: *lib.* 2. *Epigr.* 29. brachia: apud Ausonium *Epigr.* 132. inguina; apud eundem Martialem *lib.* 10. *Epigr.* 64. crura; alibi alas &c. lævia ac glabra luxuriosi olim inter Romanos reddebant, quod δρωπακίζειν proin dixere. V. suprà ubi de *Alipilis* &c.

Drossatus Regni, apud Ericum *Histor. Suec. lib.* 3. *pag.* 81. Gubernator eidem est, *lib.* 4. *pag.* 121. Princeps Senatus, Jo. Loccenio.

Drotius, Scaligero, qui eo Nitiobriges à Petrocoriis dividi tradit, *Dragmus* fluv. Galliæ, vulgò *le Drot*, alluit Caput Drotii *Capdrot*, Bironem, Villam Regalem *Villereal*, Castelliones *Castillones*, Salvitatem *la Salvetat*, Duratium *Duras*, Montemsecurum *Monsegur*, & inter Gerundam ac *Cauderot* vicos in Garumnam devolvitur. Apud Aimoinum in *Vita* Abbonis, ubi, inter Dornoniam fluv. & Monasterium Regulæ *Aros* seu *Codros* torrentem aut fluviolum occurrere ait, legi vult Hadr. Valesius *Drot* seu *Codrot torrens*: ita ut *Drot* sit nomen fluvii; *Codrot* appellatio vici ad ejus ostium positi, & ita dicti, quasi *Cauda Drotii*: quæ duo, nimirum flumen & rivum, Aimoinus in unum confudit, V. Valesium in voce *Garumna*.

Drujas, apud Lampridium *in Alexandro Sever. Mulier Drujas eunti exclamavit* &c. alibique passim apud Scriptores *Historiæ Aug.* corruptè pro *Dryas*, Salmasio Judice, *Dryades* enim semper scribuntur in membranis; quæ quam cognationem cum antiquis Galliarum *Druidis* habuerint, ostendere non liquidum est. *Druidarum* religionem penitùs abolevisse Claudium, scribit Suetonius; qui tamen forte non omne illud genus extinxerit; Nam & *Druidarum* apud recentiores mentio, & stirpe eorum sati quidam in Galliis dicuntur, apud Ausonium. Verum præfati Auctores *Druidarum* virorum nusquam, mulierum tantùm *Dryadum* meminerunt, quæ ferè semper fatidicæ introducuntur & vaticinatrices & sagæ, videnturq; nominatissimæ fuisse, ut quæ consulerentur in rebus divinis, uti olim Delphica oracula: Sic de Aureliano Vopiscus, de Diocletiano Idem, de aliis alii. Fortè istæ, quòd plurimùm in lucis, *Druidarum* antiquorum imitatione, versarentur, ibique sacris operarentur, vel quòd ex eorum stirpe oriundæ crederentur, id nominis adeptæ sunt. Certè fatidicæ fuere & sortilegæ, cujusmodi mulierum artem in usu fuisse, apud antiquos Gallos Germanosque notum: apud Plutarchum enim legimus, in exercitu Cimbrorum & Teutonum mulieres fuisse, quæ ex verticibus aquarum & fluminum eventum pugnæ certò suis prædicerent. Nec diversi generis fuere *Fatæ* illæ, Gall. *Fées*, de quibus multa Francici Romanenses fabulantur. Salmasius *ad Lamprid.* A voce Celt. *Trewe*, i. *fides*, seu *Drus*, i. *amicus*, etymon arcessit Bucherius &c.

Druidæ, adde: De iis Ammian. Marcellinus *lib.* 15. *Per hæc loca*, inquit, *hominibus paulatim excultis viguere studia laudabilium doctrinarum, inchoata per Bardos & Eubages & Druidas. Et Bardi quidem fortia Illustrium virorum facta heroicis composita versibus, cum dulcibus lyræ modulis, cantitarunt: Eubages verò scrutantes seria & sublimia naturæ pandere conabantur. Inter hos* Druidæ *ingeniis celsiores, ut auctoritas Pythagoreæ decrevit, sodalitiis adstricti et consortiis, quæstionibus occultarum rerum altarumq; erecti sunt, & despectantes humana animas pronuntiarunt immortales.* Interim eas de corpore in corpus transire opinati sunt, teste Cæsare *lib.* 6. Georg. Hornius statuit, *Druydum* Philosophiam ab Assyriis Magis fluxisse, qui Germanicâ linguâ hodieque dicuntur *Trutten*, vel *Truttner*. Sicut igitur vox *Magus*, quam olim boni significatûs fuisse contendunt, nunc in malam partem accipitur: ita & *Druydæ* nunc idem vult dici, qui Diabolicis artib' dediti præstigiis hominibus illudunt. Unde hodieque à Frisiis dæmonem *Drus* vocari, refert Suffridus Petri: qui apud priscos Frisones *Druydæ* quoq; seu *Druysæ* fuisse (quorum inde ab antiquo Frisonis ævo ad Radbodum II. atque ultimum gentis Regem, decem hos, sed interruptâ

serie

ferie recenset: Hajonem, Vithonem I. Serapionem, Harconem I. Synnam, Harconem II. Vithonem II. Popponem, Sivardum & Occonem) *in Annalibus Frisiorum* narrat, V. G. Hornium *Histor. Philos. lib.* 2. *cap.* 12. Eosdem, ut & Gymnosophistas, obscurè ac per sententias philosophatos esse, docet Laërtius *lib.* 1. Lucanus,

Plurimaq; obscuri fudistis carmina Bardi.

Druncianus, gener Cassii Imp. cui post Cassii mortem ita pepercit Marcus Imp. ut tamen defuncti ejus bona fisco vindicaret, *l.* 7. *Cod. ad L. Jul. Maj.* & apud Capitolinum *in M. Antonino* Vulcatius *Druentianum* vocat. Casaubonus *ad Capitolinum*.

Drungarius, adde: *Magno Drungario* Classis, præ aliis suberat δρουγγάριος Δρουγγάριος τοῦ πλοΐμου, ut est apud Annam Comnenam *Alexiad. lib.* 12. *p.* 369. Apud Cedrenum memoratur quoq; *Drungarius Cibiraotarum*, in *Leontio*; Apud Auctorem *Historiæ Misc. lib.* 3. *Drungarius Ανδωναρίου* &c. V. *Glossarium* Meursii & Myrepsum *sect.* 1. *cap.* 443. laudatos Carolo du Fresne *in Glossario*. Originem vocis quod attinet, Græcam illam esse, sed barbarefactam à Græcis recentioribus, vult Salmasius. Ῥύγχος enim *rostrum* est, quod vulgares Græci jam olim dixere δρούγγον: qui militum multitudinem cuneatim rostratimque pugnantium, fronte sc. in angustum desinente, videntur sic appellasse; nam & *capita porcina* hujuscemodi cuneos fuisse vocatos, notum ex Vegetio & Ammiano. V. eum *Notis ad Vopiscum in Probo* (ubi tamen, *drungos* quandoque à *cuneis* distingui, & apud Vegetium ubiq; *globos* exponi, Græc. συστροφὰς, hocq. pugnæ genus usitatum maximè Barbaris non it inficias) & *ad Solinum p.* 311. & 364.

Drusi, pop. Syriæ ad montem Libanum, sub proprio olim Principe sui juris: hodie sub Turcis degunt. V. de *Drusorum* expugnatione Thuanum *lib.* 84. & Rauwolf *in Itinerar.* Plura autem de iis in voce *Drusi*. Georg. Hornius duos in Asia Principatus agnoscit, *Sidonis & Drusorum*, & Fachreddinum priorem tenuisse docet, *Orbis Polit. Part.* 2.

Drusilla, soror Caligulæ Cæsaris, primùm L. Cassio, postea M. Æmilio Lepido nupta, urbes per omnes divinis, post obitum, honoribus coli jussa est. Nec defuit Senatorii Ordinis vir Livius Geminius, qui juraret, se eam vidisse in cœlum ascendentem, cumque Diis conversantem: ac exitium sibi familiæque imprecaretur, si falleret, testes Deos & in his *Drusillam* invocans. Quo etiam juramento, quemadmodum Numerius Atticus similiter de Augusto jurans, seu potiùs pejerans, decies sestertium meruit, ut auctor est Dio *lib.* 59. ex quo etiam cognoscimus, eam habitu Veneris, cognomine *Panthea*, consecratam, quò proin J. Lipsius refert veterem hanc Inscr.

VENERI COELESTI
AUGUSTÆ SACR.
MUMMIA C. F. DORCAS
S. P. F. C.

V. Vossium *de Idolol. lib.* 1. *cap.* 12.

Dryæ. V. supra *Druidæ*.

Drymus, adde: Hesychio fuit Χωρίον ἐπὶ Ἀττικῆς ἢ φρούριον, *regio Attica & castellum*, V. Jac. Sponium *Itiner. Græciæ part.* 3. ubi de 174. *populis Atticæ*.

Dryphacta, apud Cyprianum *Epist.* 20. quæ est Celerini Confessoris, *Nam ipsam Lucianum semper appellavi — quia pro se donanumeravit, ne sacrificaret, sed tantùm ascendisse videtur usq; ad* Dryphacta *& inde descendisse*: vox est origine Græca, de qua Hesych. Δρύφακτοι, inquit, αἱ τε ἀγορᾶς ἐγκλίδες, ἢ τὰ ἐγκλεῖδες, ἢ τὰ δικαστηρίου περιφράγματα, *Tribunalis fores sunt seu cancelli, seu sepes* &c. V. suprà in voce *Cancelli*.

DU.

Ducalis Corona, utriusq; generis *Ducibus*, majoribus minoribusque, quorum hi in ditione majoris potestatis sunt, communis, è Regia parùm differt. Quippe in utrisque lamina aurea, quæ caput ambit, pretiosis quoque lapillis distinguitur. Ex ea exeunt flores & folia suâ serie laminam adumbrantia: Quâ ratione quercea olim, h. e. civica corona repræsentari solebat, ut ex numismatibus nonnullis Augusti videre est. Interim *Ducalis* è superiore parte tota patet, cùm Regum coronæ sint clausæ, Græcè hinc ἐπανώκλειστοι appellatæ. Quam in rem V. plura apud Car. Paschalium *Coronarum lib.* 9. *cap.* 22. Atque hæc pro recentiori vocis notione, quâ *Duces* denotantur, dignitate tales. Sed & *Duces* olim exercitus coronati erant, quoties exercitum lustrabant. Statius *Sylv. lib.* 4.

Sæpe coronatis iteres quinquennia lustris.

Unde Cassio exercitum lustranti lictor coronam inversam reposuisse legitur, apud Appianum Alex. *Bell. Civ. lib.* 4. Coronabantur porro Duces, tum à Ducibus aliis, tum à militibus, uti docet Paschasius ubi suprà, *lib.* 7. *cap.* 5. Et quidem lauro, post mortem. Val. Maximus *lib.* 1. *Annibal M. Marcellum interemptum legitimo jure elatum, Punico quoq; sagulo, & corona donatum aureâ, rogo imposuit.* Hinc de Polynice idem Statius *Thebaid. lib.* 12.

— Hostiles super ipse & victor acervos
Pacifera lauro crinem, vittaq; decorus
Accubat —

V. itenum Paschalium *d. Op. lib.* 4. *cap.* 5.

Ducas seu *Duccas*, Græcis Byzantinis Δούκας, apud du Fresne *in Histor. Gallo-Byzant.* ubi de *Conventionibus* Michaëlis Palæologi Imp. & Genuensium A. C. 1261. & in *Charta* Manuelis Imp. A. C. 1180. idem cum Latino *Dux* est. Hinc illustri inter Byzantinos familiæ nomen &c.

Ducatus, appellata primùm moneta *Ducatûs* Apuliæ est, cusa à Rogerio Siciliæ R. A. C. 1240. uti docet Falco Beneventanus; inde monetæ Veneticæ species, cui lemma:

Sit tibi, Christe, datus, quem tu regis, iste Ducatus.

Venetos enim *Ducem*, pro capite habere, nemo ignorat. Δουκάτον est, apud Phranzem *lib.* 3. *cap.* 27. *Zecchinum* hodie vocant, ab officina monetaria, quæ *Zecca* Italis. Hi primùm cudi cœpere, sub Joanne Dandulo, qui *Ducatum* iniit A. C. 1280. uti refert Petrus Marcellus *in Princip. Ven.* Rhodiensium quoque Militum, in *Statutis* Ord. Hospit. S. Joan. Hierosol. *tit.* 5. §. 42. ubi *Ducatus Rhodi* occurrit, apud du Fresne *Glossar.* &c.

Ducenarii, in vett. *Inscr.* obvii non semel, dicebantur in militia, qui ducentos homines regebant, ut *Centenarii*, qui centum. Inter Procuratores sic dicebantur, quibus ducena sestertia in salarium erant constituta. In vet. *Inscr.* Anquariæ Hispan. II. ITEM. PRO. AUG. PROV. BÆTI. AD. DUCEN. ACCIPIENDA. i. *Procuratori Augusti Provinciæ Bæticæ ad ducena accipienda.* Quasi dixisset, *Procuratori Ducenario.* Sic Pertinax, cùm apud Jul. Capitolinum, *ad sestertium ducenorum stipendium dicitur translatus in Daciam*, Procurator Ducenari* Daciæ factus intelligi debet, Salmas. Atq; hinc *Ducenarii* & Centenarii in Schola Agentium in rebus, in qua *Ducena* gradus erat proximus Principi Agentium, sic ut è *Ducena* ad Principatum Agentium promotio fieret. du Fresne. Sed & *Ducenarii equi*, ut & *Centenarii*, dicti sunt, qui *ducenta* & *centum* sestertia, in Ludis olim Circensibus merebant: *quadringenta* quoq; habet Martialis *lib.* 5. *Epigramm.* 25. cum legitimum præmium quinque essent aurei, ut docet Salmasius *ad l.* V. quoque infrà in voce *Miliarii*.

Ducere. Fatorum verbum est. Seneca Philos. *Ducunt volentem Fata, nolentem trahunt.* Tertullianus *in Jona*,

— — si sic tua dextera ducit &c.

de quo vocis significatu V. Casp. Barthium *Animadvers. ad Statium Thebaid. lib.* 1. *versu* 302. Item Architecturæ, unde *muros ducere*, apud Poëtam,

— — pars ducere *muros,*
Molirique; arcem —

Fossas ducere, quod Græcis ἀποφοσσεύειν, apud alios. Et quidem muri *jaci* ac *duci* dicuntur, ut & aggeres, qui materiâ congestâ eriguntur: at fossa duci, non *jaci* rectè dicitur; ducitur enim fossa, in qua jaciuntur fundamenta, quæ & ipsa ducuntur, ut & mœnia. Salmasius *ad Solinum pag.* 309. Plura verbi significata exequitur C. Barthius *ad Statium passim.* Apud Martialem, *ducere*, pro exhaurire est, *lib.* 3 *Epigramm.* 22.

Summa venenati potione duxisti &c.

Duces, apud Judæos, è captivitate Babylonica reduces, dicti sunt, qui, unà cum Pontificibus, Populum regebant. Postquam enim redux Ecclesia in patriam, varias subiisset vices sub Persis eorumque Satrapis Æchmalotarchis; Græcis, Lagidis præcipuè: tandem excusso jugo famulisque luparis, αὐτονομίαν sibi recuperavit, quâ non nisi à Romanis eadem deturbata est. Et primò quidem *Duces* habuit, non *Principes*; quorum primus Zerubabel פחת *dux Judæ* appellatur, Hagg. *cap.* 1. *vers.* 1. 14. & *cap.* 2. *vers.* 21. qui præter familiæ suæ, Esr. *cap.* 2. *vers.* 2. aut tribus suæ principatum, nullum Imperium, nisi Æchmalotarchæ seu Ethnarchæ, gessit; unde plures ei adjunguntur socii, ejusdemque dignitatis collegæ, Esr. *cap.* 4. *vers.* 2. 3. & *cap.* 3. *vers.* 2. 8. & *cap.* 9. *vers.* 1. 2. Cujusmodi fuere & Successores ejus; sicut Davidicorum *Ducum* ultimus, Janna Hircanus, ne quidem Hierosolymis habitavit, sed infestis sibi fratribus & Simeone Pontifice, trans Jordanem concessit. Sub *Ducum* itaque horum regimine Status Aristocraticus fuit quidem, sed tamen, ut non penès solos *Duces*, verùm Pontificem etiam, atque complures simul Sacerdotes, *Pontificum* nomine censeri solitos, summa rerum fuerit. Numerantur autem *Duces* sequentes, *Zerubabel, Mesullamus, Hannanias, Barachias, Hasadias*; post quem Asmonæorum *Principum* imperium cœpit, licèt *Duces* Davidici non defuerint usque ad Jannam Hyrcanum præfatum. Floruit hac periodo Ezras Scriba, auctor absolutissimæ & omnibus seculis memorandæ reformationis Ecclesiæ illius temporis ad normam Legis & Mosaicæ doctrinæ, princeps Virorum Synagogæ Magnæ, cujus operâ *Canon constitutus* & in suas partes distributus est, aliaque facta; quæ *Masoræ* nomine vulgò veniunt. Eodem tempore multis usitata fuisse videtur *Paraphrasis V. T. Chaldaica*; ortaq; hebdomadalis illa Sabbatina *Legis Prælectio*, in Judæorum Synagogis frequentata, cujus mentio Actor. *cap.* 15. *versu* 21. Etiam *Versio Septuagintaviralis*, ad hanc temporis periodum, licèt magis vergentem, referenda &c. V. Franc. Burmannum *Synops. Theol. Christian. Part. prior. lib. IV. cap.* 37.

Duces, & *Comites*, sub Impp. posterioribus, iidem erant primò; Quos enim ad quamlibet provinciam defendendam milite credito pe-

to peculiariter destinabat Imp. cùm *Duces* priùs vocarentur: *Comites* post Constantinum dicti sunt, quòd sub Comitivæ primi ordinis dignitate ducendis militibus ab Imperatore præficerëtur. Dein infimæ Latinitatis ævo, & illo tempore, quo jam nullum fuit in Occidente Imperium, *Duces* & *Comites* sic separati sunt, ut *Duces*, quibus una tota provincia aut urbes plures administrandæ crederentur, appellarint; *Comites* verò singularum Urbium Judices & Rectores, Salmasius *ad Pollionem in Macriano.* Sic sub prima Galliæ Regum stirpe *Duces* dicebantur, qui multis civitatibus, quarum singulæ suos Comites habebant, erant præfecti. *Victorinum Ducem super septem civitates*, EoricusGothorum Rex *præposuit*, apud Gregorium Turon *lib.* 2. *c.*20. Nicetius *in Urbe Arverna, Ruthena atq; Ucetia, à Childeberto R. ordinatus*, legitur apud Eund. *lib* 8. *c.*18. &c. gradusque Comitatus ad *Ducatum* fuit. Fortunat. lib. 10. *Poem.* 22.

Qui modò dat Comiti, det tibi jura Ducis!

Cujus promotionis formula habetur, apud Marculf. *lib.* 1. *Form.*8. & Senatorem *lib.*7. *Epist.*4. ubi, quale eorum fuerit munus, indicatur. V. quoq; Pithœum *Advers. lib* 1. *cap.*8. Hotomannum *de Verbis Feudal.* Marcam *Histor. Benehern. lib.*1. *cap.*18. *n.*5. laudatos Carolo du Fresne *in Glossar.* & in voce *Dux.* In specie *Duces Francorum*, vocati sunt Majores Domûs Regum Franciæ, *Histor. Franc. Tom. II. p.* 659 ubi de Erkenoaldo: Item Parisienses Comites, aut qui regiones adjacentes vel *Comitis* vel *Ducis* titulo regebant, quòd il præcipuam in Aula auctoritatem possiderent & Francorum in hisce tractibus *Duces* essent; unde postea Parisiensi tractui *Franciæ* peculiaris nomenclatura data est, quam hodieque *l' Isle de France* appellari notum. Primus autem hac dignitate ornatus est, Robertus cogn. *Magnus*, A. C. 861. cui successit fil. Hugo, cogn. itidem *Magnus* & *Abbas*: hunc excepit frater Odo, postmodum Rex Franciæ dictus A. C. 888. post quem frater ejusdem Robertus, *Dux* primùm & *Marchio Franciæ*, postea *Rex* itidem appellatus est A. C. 922. Successit Hugo Magnus Com. Parisiensis, à Ludovico R. *Dux Franciæ* dictus, A. C. 943. quem excepit fil. Hugo Capetus, A. C. 960. tertiæ Regum stirpis, quæ hodieque feliciter regnat, Autor. Car. du Fresne *Glossario.*

Duciani, in *l. un.* Cod. Justin. *de Litor. Custod.* Officiales sunt *Ducis* limitis, Id.

Ductu suo bellum gerit, qui per se; *Auspiciis suis*, qui per Legatos, illud obit. Hinc de Augusto Suetonius *cap.* 21. *Domuit autem partim ductu, partim auspiciis suis, Cantabriam, Aquitaniam* &c. Et in vet. *Inscr.* apud Plin *lib.* 3. *c* 20. de eodem, QUOD. EJUS. DUCTU. AUSPICIISQ. GENTES. ALPINÆ. OMNES QUÆ. A. MARI. SUPERO. AD. INFERUM. PERTINEBANT. SUB. IMPERIUM. P. R. SUNT REDACTÆ. Seneca paulo aliter *Ep.* 33. de Epicureis, qui omnia semper ad unum sectæ suæ ἀρχηγὸν referebant: *Omnia, quæ quisquam in illo contubernio locutus est, unius* ductu & auspiciis *dicta sunt.* V. Casaubonum *ad Suetonium d. l.*

Dudhaim, Genes. *cap.* 30. *vers.*14. *Quum autem abiens Ruben temporibus messis triticeæ, invenisset* dudhaim *in agro — dixit Rachel Leæ, da quæso mihi de* dudhaim *filii tui.* & *vers seq. propterea cubet ille* (Jacob) *tecum hac nocte pro* dudhaim *filii tui*: Tremellio & Junio redduntur in genere, *flores amabiles*, à דוד *dud*, i. amicus. *Jesminum* in specie, Ebræo Jarrio; *lilium.* Francisco Georgio Veneto, *mandragora*, LXX. Interpp. Chaldæo Paraphrasti & vet. Latino Interpreti &c. Et quidem postrema expositio reliquis receptior, & vero similior. Sed cur mandragoræ fructus tantopere Racheli expetitus fuerit, hærent Eruditi. Nam quòd conciliare somnum, quòd vim philtri habere, quòd fœcunditatem juvare dicitur, cum frigiditate ejus summa vix componi potest. Afferunt distinctionem locorum, constitutionum uteri & alia non pauca, de quibus ne cogitavit quidem unquam sancta fœmina. Quòd enim putant, adeo fuisse solicitam, de quærenda fœcunditate, ut ad eam rem medicamentis uti voluerit, vix temporum illorum convenit simplicitati. De philtris, indignum refutatione. Placet itaque Augustini judicium *c. Faustum lib.* 22. *cap.* 56. *Dicam quid sentiam — Cùm hæc mala* (mandragoræ sc.) *vidissem & propter istum ipsum sacræ lectionis locum, id mihi obtigisse gratularer (rara enim res est) naturam eorum diligenter, quantum potui, perscrutatus sum — Proinde rem comperi pulchram & suaveolentem, sapore autem insipido; & ideo, cur eam mulier tantopere concupierit, ignorare me fateor, nisi fortè propter pomi raritatem, & odoris jucunditatem.* Certè *novimus aliquando puellas & mulierculas, imò & viros, qui florem unicum quovis pretio redimere voluissent*, verba sunt A. Riveti, cujus eruditam *in h. l. Exercitationum* quæ *num.* 130. est, vide.

Duelli Judicium, ad veri probationem introductum, quo ambiguas controversias medio ævo dirimi mos fuit, à Septentrionalibus populis traxit originem. Apud quos, cùm ab initio jam in usu esset, *armis lites suas decernere*, ait Vell. Paterculus, præsertim id invaluit, ex quo Gundebaldus Burgund. R. in *LL.* suis *tit.* 45. statuit, *Ut si pars ejus, cui oblatum fuerat jusjurandum, noluerit sacramenta suscipere, sed adversarium suum veritatis fiduciâ armis dixerit posse convinci, & pars diversa nō cesserit, pugnandi licentia non negetur.* Quæ quidem lites dirimendi ratio recepta est postmodum, in *LL.* Alemannorum, Bajvvariorum, Longobardorum, Danorum, aliorum. Potissimùm verò propria fuisse Francorum videtur, et *Vitâ* Ludovici Pii A. C. 831. ubi de Bernardo: *Is ergo Imperatorem adiens modum se purgandi ab eo quærebat more Francis solito, scilicet crimen objicienti semet objicere volens, armisq; impacta diluere.* Neque tamen cuivis suapte sponte *Duello* contendere licebat, sed necesse erat, ut de eo subeundo Judices decernerent. Quo facto decertaturi pignus apud eum deponebant, ut postmodum, pro damni ac jacturæ compensatione, eo cederent victi, atque hoc *Duellum vadiare* dicebant. Interdum verò *Gagia duelli* ad Dominum spectabant: namq; & in eum finem apud Judices vel Dominum deponebantur, ut in mulctam pars illorum cederet. Jam verò dicebatur is *falsum vadium* incurrere, qui cum reo, quem appellasset, duellum inibat, ante peracta coram Judice sacramenta in hisce occasionibus fieri solita: ut &, qui eum, quem appellaverat, criminis non convicisset, quod Gall. *Se mettre en faux gages*; uti contrà, qui rem, quam intenderat, probasset, dicebatur *se mettre en lojaus gages.* Sed & interdum ipsi parti *Vadium* dabatur, ex *L.* Bajvvar. *cap.*17. §. 2 Quinimò is usus invaluerat, ut appellans chirothecam seu rem quamvis aliam coram Judice projiceret, eamq; appellatus, Judicis priùs petitâ veniâ, è terra levaret, eoque facto duellum in se suscipere profiteretur. Datis autem & receptis vadiis, jam non ampliùs pacem inter se Appellans & Appellatus poterant inire, inconsulto invitoq; domino, quin ab hoc, si paci consensum præbere nollet, ad perficiendum duellum poterant constringi: Et tum dies pugnæ ad quadragesimum solebat indici, uti docet du Fresne ex *Assisis* Hierosol. *MSS. c.*95. Arma *Duello* certantiū, si pedites essent, *Gladius* & *Clypeus* erant, *Specul.* Saxon. *lib.*1. *act.*63. Si equites, armatura tum ipsarummet partium, tum equorum, longè erat operosior, ut in iisdem *Assisis* videre est, apud Eund. Per *Statuta* S. Ludov. *lib.* 1. *c.*8 Si *Miles* de crimine aliquo capitali appellaretur à *Villano* aut *Custumario*, Militi liberum erat Equitem, contrà, si Villanus à Milite appellaretur, Militi peditem pugnare. Ætas, quâ quis duellum inire cogi poterat, erat 21. annorum, juxta *Stabilimenta* ejusdem Regis *lib.* 1. *c.*71. & 140. Eximebantur autem *Mulieres, Sexagenario majores, Ægroti; Sacerdotes* item, *Clerici ac Monachi*, quorum hi tamen *Vicarios* & *Campiones* dare tenebantur. Pœna succumbentium Duello fuit ultimum supplicium, suspendium, capitis minutio vel certè membri debilitatio pro criminis qualitate. Erant tamen varii casus, in quibus *Duello* non erat locus, quos V. apud du Fresne laudatum &c. Hanc verò pravam lites dirimendi consuetudinem, quam *impiam* vocat ipse Luitprandus Longobardor. R. in *LL. tit.* 71 §. 4. varia Concilia anathemate damnarunt, vel certè improbarunt: Reges quoque ac Principes penitùs abolere, in suis ditionibus, non semel annisi sunt, præsertim Ludovic⁹ IX. Franc. R. qui duella omnia in suis terris fieri prohibuit; At cùm inveteratâ consuetudo extirpari funditus non posset, eò tamen res deducta est, ut *Duella* non susciperentur, nisi in 4. istis casibus enarratis in *Arresto* 22. Jul. 1422. quorum primus est, *Ut crimen capitale esset.* 2. *Ut de crimine perpetrato omnino constaret.* 3 *Ut accusatus eo notoriè infamaretur.* 4 denique, *Ut res per testes probari non posset* &c. Plura hanc in rem, V. apud sæpius laudatum C. du Fresne *in Gloss.* ubi præter auctores complures de *Duellorum Regulis, Ritibus ac Cerem.* ex professo agentes, quos laudat, *Edictum* Philippi Pulchri R. Franc. jam quidem semel à Savarone, atq; iterum ab A. Favyno editum, è MS. longè emendatiùs exhibet, universam *Duellorum* usûs ac ritus seriem complexum: ut & suprà in *Campio*, item in voce *Campus*, nec non infra ubi de *Monomachia.*

Duillia lex, auctore M. Duillio Trib. Pl. anno U. C. 304. L. Valerio Poplicola Potito, M. Horatio Barbato Coss. voluit, *Ut qui plebem sine Tribunis Pl. reliquisset, quiq; Magistratum sine provocatione creasset, tergo & capite puniretur. Liv. lib.* 3 Fuit & *Duillia Mænia* lex, quam M. Duillius, & Lucius Mænius Tr. Pl. Cajo Marcio Rutilo, Cn. Manlio Capitolino Imperioso II. Coss. tulere anno U. C. 396. *Ut fœnus ne majus unciario exerceretur*, Liv. *lib.* 7. quæ lex repetitio fuisse videtur legis XII. Tabb. à qua fœnus unciarium constitutum fuisse, tradit Tacitus *Annal. lib.* 6. Iisdem auctoribus, eodem anno sancita lex fuit, *Ne quis postea populum se vocares: qui hoc fecisset, capitale esset.* V. Liv. *lib.* 7. suprà laudato.

Dulces, apud Sulpitium Sever. *in Dialogis* & alios Scriptores ejus generis, interiores sunt amici, quos *delitiosos* appellabat recentior ætas, ut ex Anastasio Bibliothecario notat Casp. Barthius *Adversar. lib.* 6. *cap.* 20. *delicias* melior. Sulpitius *Dial.* 3. *Postremò Aurelius Presbyter, dulcissimus meus, longiore via veniens, anhelus cucurrit.* Salvianus *Epist.* 8. *Domino & dulci suo Eucherio.* Et *in fine, Vale Dominus & Dulcis meus* &c. Sic *Dulcedo*, amabilitas morum, gratiâ singulari prædita conversatio, *Ut miræ Dulcedinis vir*, apud Hugonem Falcandum, *Dulcedo Dei*, in *Capit.* Caroli M. &c. V. Casp. Barthuum iterum *Animadvers. ad Statium Thebaid. lib.* 11. *vers.* 369.

Dulcia, V. infrà *Dulciarius.*

Dulciana, Musici cantus dulcioris species. Aimericus de Peyrato Abb. Moiliac. in *Vita* Caroli M. *MS.* apud du Fresne:

Quidam pel vim modicam ejiciebant,
Baculo sonos properantes.
Quidam flautas dulcorabant,
Cæteris sunctis concordantes.

Quidam

Quidam Dulcianam *anheniabant,*
Melos suave concinentes.
Quidam, diaphoniam dissonabant,
A dulcisono discrepantes &c.

Dulciarius, apud Treb. Pollionem *in Divo Claudio*, ubi recensentur ea, quæ Valerianus Imp. Claudio, tum Tribuno Martiæ quintæ legionis, tribui jussit: *Piscatorem unum*, Dulciarium *unum. Ligni quotidiani pondo mille* &c. & Lampridium *in Heliogabalo*; Dulciarios *& Lactarios tales habuit, ut, quæcunque coqui de diversis edulius exhibuissent, vel Structores, vel Pomarii, illi modò de dulciis, modo de lactariis exhiberent*: dicebatur, qui *Dulcia*, h. e. placentas vel liba, Græcè πεμμάτια, ἐδέσματα, γλυκίσματα, conficiebant. *Glossa*, Πλακουντάριοι, *dulciarii, placentarii*. Juvenalis, mustacea *dulcia* interpretatur; ubi Interpres monet, consuevisse antea per nuptias *dulcia* recedentibus erogari, pro apophoretis. Græci etiam γλυκυπέπτηρ dixere, unde vox vetus Latinorum *Lucunter* pro *Dulcio* &c. V. Salmasium *ad l. cit.* Fingebantur autem ex farina ista opera, & mille modis figurabantur, ut placentæ, scriblitæ, crustula, lucunculi, hami, lacertuli, spicæ, globuli, enchyta, circuli, liba, aliaque plurima. Martialis, *Mille tibi* dulces *operum manus ista figuras Extruet.* V. quoque infra in voce *Fictor*.

Dulcinistæ, à *Dulcino* quodam Novariensi, Valdenses dicti leguntur, apud Blondum *Dec. 2. lib. 9. ad A. C.* 1307.

Dulioti, Græcè Δουλιανοί, Hæretici, ex Arianis, qui Verbum Divinum, non Filium Æterni Patris consubstantialem, sed *servum* esse asserebant. Dominic. Macer in *Hierolexico*. V. *Christianocategori*.

Dulichium, adde: Sponio hodie videtur ea esse, quam *Thiaki* vocant, 3. solùm aut 4. mill. à Cephallenia distans, quam proin *parvam Cephalleniam* appellant nonnulli; quamvis pro Ithaca hanc sumat Strabo. Sed Ithaca hodie *Jathaco* nuncupatur, & versùs Orientem ingens portus visitur in Ins. *Thiaki*, cum ruderibus urbis, quam hodieque *Doliche* dicunt. Adde, quòd *Thiaki* Ins. altero tanto major sit, quàm Ithaca Straboni fuisse dicitur. Sed nec *Dulichium*, una ex Echinadibus videtur, si Homero fides. V. eum *Itinerar. Graciæ Part. I. pag.* 132.

Dulkak, apud Arabes Scriptores, monstrum est marinum, animal viz. forma hominis struthionem inequitantis, naves aggrediens, & vectores oppugnans, atque inclamans, *voce gloriationis festalitiæ*, h. e. læta & auribus gratâ, quo commento Sirenas illos denotare, conjicit Sam. Bochartus *Hierozoici Part. poster. lib. VI. cap.* 15.

Dunus fluv. alio nomine *Tala*, fluvius est Galliæ, in Caletis, vulgò *Dun en Caux*: Nascitur apud vicum, quem à re Fontem Duni appellitant, *Fontaine le Dun*, & attingens vicum, S. Petri veteris *S. Pierre le vieux*, Dunum fluvii nomine clarum, *le Bourg-Dun*, Vallem Duni *Val-Dun*, ad vicum S. Albini decurrit in mare. Victriacum super fluvio *Duno* & *Dunum* locum, memorat *Chronicon* Fontanellense. In *Literis* Caroli Calvi, *Dunus*, *tam superior, quàm inferior*, deprehenditur; ubi Dunus Superior forte est *Bourg-Dun*, inferior *Val Dun*. Richardus II. Normannorum Dux *in Duno terram* commemorans, & Geroldus Miles II. molas in villa dicta *Dun*, & mercatum, quem habebat, apud Dun, referens, ambo Burgum Dunum haud dubiè designant. V. Hadr. Valesium in voce *Caleti*.

Duo, in vet. *Inscr.* haud pridem detectâ in Æde Monasterii S. Acheoli juxta Ambianum, *Dua*:

PRO SALUTE ET
VICTORIA EXX G
APOLLINI ET UER
JUGODUMNO
TRIBUNALIA DUA
SETUBOGIUS ESUGGI
F. D. S. D.

apud Car. du Fresne.

Duo Maria, nomen Ins. *Baharaim*, in sinu Persico, margaritarum piscatione celebris, apud Andr. Bellunensem. V. suprà in *Baharaim*, & plura apud Bochartum *Hierozoici Part. poster. pag.* 678.

Duodecim, Græcè οἱ Δώδεκα, sub. *Dii*, Dii erant Consentes & præcipuo honore Romæ ac apud Athenienses culti, quorum picturæ seu imagines extabant in Ceramico. His altare sacrum erat, dictum Βωμὸς δώδεκα θεῶν, in quo paulo ante Siculum bellum lapide quodam se ipsum homo aliquis mutilavit, quod mali ominis habebatur. Per eosdem jurare soliti sunt, in familiari colloquio: Μὰ τοὺς Δώδεκα θεοὺς, *per Duodecim Deos*. V. Pausaniam *in Atticis pag.* 3. Plut. *in Nicia* & suprà in voce *Consentes*. Iidem *Duodecim* simpliciter appellantur, apud Martianum Capellam *lib. 1. de nupt. Merc. & Philol.* De his Suetonius *in Augusto* intelligi potest, cùm *cap.* 70. ait: *Cœna quoque ejus secretior in fabulis fuit, quæ vulgò* Δωδεκάθεος *vocabatur, in qua Deorum Dearumque habitu discubuisse convivas, & ipsum pro Apolline ornatum, non Antonii modò Epistolæ, singulorum nomina amarissimè annumerantis exprobrant, sed & sine auctore notissimi versus*:

Cùm primùm istorum conduxit mensa choragum,
Sexque Deos vidit Mallia, sexque Deas,
Impia dum Phœbi Cæsar mendacia ludit,
Dum nova divorum cœnat adulteria,
Omnia se à terris tunc Numina declinarunt,
Fugit & auratos Jupiter ipse thronos.

Et pergens addit: *Auxit cœnæ rumorem summa tunc in civitate penuria ac fames. Acclamatumque postridie, frumentum omne Deos comedisse: Et Cæsarem esse planè Apollinem, sed Tortorem.* V. Thom. Dempsterum *Paralipom. in Joh. Rosini Antiquit. Rom. lib. 2. cap.* 3. & Fr. Rossæum *Archæol. Att. lib. 2. cap.* 1.

Nomina Duodecim Deorum.

Jupiter.	Juno.
Mars.	Vesta.
Mercurius.	Minerva.
Neptunus.	Ceres.
Vulcanus.	Diana.
Apollo.	Venus.

Duodecim Tabulæ, præcipuum Romanæ Jurisprudentiæ caput, Jus Papirianum sequutæ sunt hoc modo. Initio civitatis populus sine lege certa, sine jure certo primùm agere instituit, omniaque manu Regis gubernabantur. Postea auctâ ad aliquem modum civitate, ipse Romulus in partes 30. seu Curias populo diviso leges quasdam Curiatas ad populum tulit: tulerunt & sequentes Reges, quas omnes Sext. Papirius, tempore Superbi, in unum collegit, unde Jus civile Papirianum ortum: de quo singularem scripsit librum Gran. Flac. Licinianus, in quo Romuli, Numæ Pompilii, aliorumque Regum leges exposuit. Exactis dein Regibus, lege Tribunitiâ in usu esse jus Papirianum desiit, omnibusque Regiis legibus abolitis, Pop. Rom. iterum incerto magis jure & consuetudine potius quàm lege, per 20. circiter annos uti cœpit. Itaque anno ab U. C. 291. C. Terentius Arsa Trib. Pl. Consulibus L. Lucretio Tricipitino & T. Veturio Gemino, legem se promulgaturum professus est, de Quinqueviris legum de Consulari imperio scribendarum causâ creandis. Sed resistentibus acriter primùm Patribus, & Præfecto urbis Q. Fabio, deinde etiam Consulibus, perlata ea non est. Verùm insequenti anno, P. Volumnio & Servio Sulpitio Camerino Coss. legem Terentillam à toto Collegio relatam Livius docet *lib.* 3. Dionysius verò *lib.* 10. non relatam eam hoc anno fuisse, sed Collegium Tribunorum ad populum tulisse, de Decemviris legum scribendarum creandis, ex quorum præscripto omnia tam privatim, quàm publicè gererentur, auctor est. Certatum exin aliquot annos, inter Patricios & plebem de hujus legis promulgatione, donec tandem anno 299. Spurio Tarpejo, A. Æternio Coss. Senatusconsultum factum est, ut Legati mitterentur ad Græcas urbes, quæ sunt in Italia: alii Athenas, qui peterent à Græcis leges optimas & instituto suo convenientissimas. Missi itaque sunt Sp. Posthumius, Ser. Sulpitius, A. Manlius, quibus anno tertio reversis, Tribuni Pl. urserunt ut Legumlatores crearentur: sic ejurantibus Magistratum Ap. Claudio & T. Genutio, qui in sequentem annum Coss. designati erant, & Tribunorum, Ædilium, Quæstorum Magistratu aliisque ad tempus antiquatis, Comitiis centuriatis Decemviri creati sunt, qui an. 302. assumtis civitatis gubernaculis Remp. constituere sunt aggressi. Hi leges conscriptas tum ex Græcorum jure tum è patriis consuetudinibus proposuerunt in decem tabulis cognoscendas cuilibet, ferentes admoneri se à privatis hominibus & hoc agentes, ut leges placerent omnibus: diuque consultaverunt cum Proceribus, revocantes ad exactissimum examen singulas. Ubi verò visæ sunt bene habere, primùm Senatu coacto, nemine contradicente, Senatusconsultum de iis fecerunt: deinde Centuriatis Comitiis in præsentia Pontificum, Augurum, aliorumque Sacerdotum, à re divina exorsi, calculos dederunt Centuriis: tum plebiscito quoque confirmatas, & in æreas columnas incisas, unâ serie proposuerunt in loco fori maximè conspicuo. Sequenti anno 303. cùm adhuc Leges quædam deesse viderentur, ad perfectionem Juris, additæ sunt ab iisdem Decemviris adhuc duæ, ut sic XII. Tabb. numerus conficeretur, de quibus ita Cic. *de Oratore*: *Plurima est in XII. Tabulis antiquitatis effigies, quòd & verborum prisca vetustas cognoscitur, & actionum genera quædam Majorum consuetudinem vitamque declarant. Sive quis civilem scientiam contempletur, totam hanc, descriptis omnibus civitatis utilitatibus ac partibus XII. Tabb. contineri videbit is: sive quem ista præpotens & gloriosa vita delectat (dicam audacius) hosce habet fontes omnium disputationum suarum, qui jure civili & legibus continentur. Fremant omnes licèt, dicam quod sentio: Bibliothecas mehercule omnium Philosophorum unus mihi videtur XII. Tabularum libellus, si quis legum fontes & capita viderit, & auctoritatis pondere & utilitatis ubertate superare.* V. quoque eundem *lib. 2. de Leg.* Livium, Dionysium &c. Quo magis dolendum est, earum nil nisi fragmenta quædam, hinc inde in Auctoribus dispersa, superesse: in quibus colligendis primus operam suam collocavit Aymarus Rivallius Allobrox easque est interpretatus *Historiæ Civ. lib.* 2. Hunc sequuti Oldendorpius Germanus & Franc. Balduinus, quorum

hic earum sententiam prolixè ostendit, & quomodo ex his tabulis Jus fluxerit civile, conferendo cum Pandectis declaravit. His successere Fr. Hotomannus, Jac. Cujacius, Jac. Rævardus, Pandulphus Pratejus, Adr. Turnebus, Jos. Scaliger & Justus Lipsius, nec non Lud. Cario & Joh. Rosinus *Antiqq. Rom. lib.* 8. qui omnes utilissimis commentariis quidquid ex his Legibus reliquum est illustrarunt. Ipsas verò integras Jurecoss. veteres Sextus Ælius, Servius Sulpitius Labeo & Cajus, quorum vix nomina reliqua sunt, eruditis scriptis suis explicuere. Ausonius eorum tripartitam divisionem fuisse scribit, ita ut prima pars egerit *de Jure sacro*: Secunda *de Jure publico*: Tertia *de Jure privato*: De Jure sacro, unicum restat Kaput: *Sacra privata perpetuò manento*: cœtera omnia de funeribus & sepulchris agunt. De Jure publico paulo plura supersunt. Tertiæ partis reliqui sunt Tituli: *De Patria potestate, de Testamentis ac Tutoribus, de suspectis Tutoribus, de legatis & hæredibus, de in Jus vocando, de Judiciis, de re judicata, de emptione venditione* & *usucapionibus, de Collegiis, de Servitutibus & Finibus regundis, de Injuriis aliisque delictis, de Furtis*. V. Rosinum retrò laudatum. Primam omnium in XII. Tabb. legum ab hisce verbis, *Si. in. jus. vocat* &c. incepisse docet J. Gothofredus *ad duod. Tabulas*: cujus cùm tria aut quatuor fuerint Kapita, horum ultimum laudat A. Gellius *lib.* 20. *cap.* 1. his verbis: *Verba sunt hæc de lege, Si. in. jus. vocat.* Unde colligit Oiselius, veteribus in more fuisse, cùm è XII. Tabb. legis Kaput aliquod referrent, ut legis principium ἀπὸ τοῦ ... præmitterent: quemadmodum hodie adhuc quamplurimi, cùm legis Kaput, sive paragraphum laudant, prima ipsius legis verba prænotare ferme solent. V. eum *Notis in locum Gellii præfatum*.

Duodecima Hora, seu *Duodena*, V. supra *Completorium*, & *Decima Hora*.

Duodecimviratus, apud JC. Anglos, est duodecim hominum, qui in quolibet fere judicio, sive civili, sive criminali, de facto priùs decernunt, quàm Judex de jure pronunciet, uti docet Covvellus, quorum Sacramentum cujusmodi fuerit, habent Fortescutus, Bractonus & Fleta, laudati Car. du Fresne, in voce *Juratores*, ut & in voce *Duodena*.

ad *Duos Pontes*, Germ. *Zvvei brucken*, Gall. *Deux-Pons*, opp. Germaniæ, in Palatinatu, sedes Ducum Bipontinorum, in cineres à Gallis redactum A. C. 1677. V. in voce *Bipontium*.

Dupla, seu *Nolula*, in tintinnabulis, quæ in Ecclesia pulsantur, recensetur Durando: fortè ea quæ in Hierologio pulsatur, Fr. Dominic. Macer. *Dupla* seu *Duplicia* ea monasteria dicta esse scribit, in quibus Monachi Monachæque vel simul vel contiguè habitabant; in *Hierolexico*. V. infrà *Ecta*.

Duplex Aureus, Gall. *Double d'or*, nummus aureus Francicus. Vet. *Regestum* 20. April. 1340. *Flebant duplices auri de 23. Karatz ponderis 36.* apud du Fresne *Glossar.* in primis in voce *Moneta*. At *Duplex* Bulla, Gr. Δίπλωμα Βουλλ, Δίστυχον Κηρόβουλλον seu ..., dicitur, quæ ab utraque parte signum impressum habet. Cujusmodi bullâ Pontifex utitur, post coronationem, habente ab una parte SS. Petri & Pauli icones; ab altera nomen Pontificis. V. suprà *Diterium*.

Duplex Officium, in Communione Rom. dicitur, in quo Antiphonæ integrè *duplicantur*, seu cùm duo Cantores in Choro, pluvialibus induti, canunt versiculos, & majori apparatu, candelis pluribus, campanarumque numerosiore pulsu festum peragitur: Hinc *Officium septem candelarum* & *Annale*, quoque dictum. Cujusmodi officio, Apostolorum, Evangelistarum & Confessorum præcipuas festivitates, celebrari, jussisse Pontifices, docet Dominic. Macer *in Hierolexico*. *Quinque verò candelarum*, item *Semiannale* & *Succentoris* officium dici *Semiduplex* legas, apud Eund.

Duplicarii, qui reliquerant ordines, virgis cæsii, Liv. *lib.* 2. c. 59. Ubi *Duplicarii* sunt, quibus ob virtutem duplicia dabantur cibaria, Varr. *de L. L. lib.* 4. Ita & Vegetius *lib.* 2. *cap.* 7. *Duplares*, inquit, *torquati & simplares torquati erant, quibus torquis aureus solidus virtutis præmium fuit, quem qui meruisset, præter laudes, interdum duas consequebatur annonas.* Idem *duplares armaturas* vocat, quæ duas annonas; *simplares*, quæ simplas, consequebantur. Idem Livius *lib.* 7. Consulem milites, qui in præsidio Decio fuerant, *duplici frumento* in perpetuum donasse, ait. Quem morem, duplicia cibaria virtutis ergò donandi vetustissimum esse ex Herodoto constat *lib.* 6. Hodie tales *Doppelsoldner* Germanis dicuntur.

Dupliones, in Glossis, διπλοῖ sunt, qui aliàs *binarii* dicebantur, ut Græcis διπλοῖ χρύσινοι, seu δίχρυσοι, quasi *duplices aurei*. Salmasius *ad Lampridium in Alexandro Sev.*

Duracina Cerasa, V. suprà in voce *Diospyron*: de *duracinis* verò *Persicis* & *duracinis uvis*, Salmasium *ad Solinum p.* 604. & 610.

Durandal seu *Durandart*, nomen spathæ, quam Carolo M. Francici Romanenses tribuunt, quam *Invincibilem* quoque dictâ, cum cœteris Regalibus ornamentis, in Ecclesia B. Dionysii in Francia asservari, sunt qui tradant. Ejus meminere *Gesta Philippi III. R. Franc.* ann. 1271. *Et quoniam à tempore Caroli M.—consueverunt Reges Franciæ Jocosam spatham prædicti Caroli ----- in die coronationis suæ —— à quodam de Nobilioribus ante se facere moveri & deferri: illam Roberto Comiti Atrebatensi —— tradidit illa die deferendam.* V. Turpinum *cap.* 18. & Lud. Moscardum *Histor. Veron. lib.* 4. Ad hujus fortè imitationem *Durissimus* appellabatur Spatha vel ensis Wilhelmi cognom. *Sectoris ferri* Com. Inculismensis, apud Ademarum *in Chronico*, *Cum Rege eorum Storim singulari conflictu dimicans ense certo nomine* Durissimo, *quem Walandersaber cuderat* &c. V. du Fresne *Glossar.* & suprà in voce *Curtana*.

Duriclarum, vulgò *Ducler*, prædium Galliæ, memoratum Monacho Centulensi *in lib.* 2. *Miracul. S. Richarii*, est in pago Rothomagensi Cisequanico, Gemetico non procul. V. Hadr. Valesium *Not. Gall. in voce Rothomagensis pagus*.

Durei, vel *Duri*, in *Tab.* Peutingeriana, iidem fortè, quos *Buros* vocant Dio & Capitolinus in *Marco*.

Duria, villa, adde: Conventibus Francorum ac Synodis olim celebris, *Durla vicus* dicitur Poëtæ Saxoni; nunc in Ducatu Juliacensi est, ad fluv. Ruram, ab ipso Juliaco non procul. Olim *Marcodurum*, V. *ibi*.

Duria, vulgò *Dore*, & *Doire*, fluvius Galliæ, in Arvernis ad quem Magnum *Manlieu* fuisse, memoratur *in Vita S. Boniti*. Influit in Elaver, postquam præ cœteris Curvam petram *Corpiere* alluit, Hadr. Valesius in voce *Magnus locus*.

Duria, Doria, adde: *Duria* Segusinus, ab oppido Segusione, vulgò *Susa* Italis, *Suse* Gallis dicto, quod alluit, *Doire Susine* Gallis dicitur, h. e. *Doria Segusinus*, ut ab altero Doria distinguatur: ad urbem Taurinos auget Padum, qui pòst Sturam, dein Orgum, postea Duriam majorem accipit. Idem in voce *Segusio*.

Durissimus, nomen ensis Guilielmi Com. Inculismensis, apud Ademarum *Chron.* V. suprà *Durandal*.

Durius, celebris Agitator, apud Silium Italicum *lib.* 16. ubi ludos à Scipione celebratos in Africa memorat.

Durus, propriè ὁ ἰσχυρὸς & καρτερὸς, ut *duri agrestes*, *duri agricolæ*, apud Poëtam: quales quia ut plurimum laboris patientes, hinc *durare* & *pati* idem. Poeta,

> *Durate & vosmet rebus servate secundis.*

Hoc est, καρτερεῖτε. Et apud Comicum, *Quis heic durare, si sit, sustineat?* Cujus loco *pati* absolutè usurpat, eodem significatu, Virgilius,

> *Certum est, in sylvis, inter spelæa ferarum*
> *Malle pati* &c.

Inde *vinum* & *acetum durum* apellari cœpit, de valido & robusto vel austero. Similiter *dura muria*, ἡ δριμεῖα, seu ἡ ἰσχυρότερα ἅλμη, *acerrima* seu *salsissima*, quæ liquidissima erat. Sic meminit *cœlestis aquæ sub dio salibus duratæ* Columella *lib.* 7. *cap.* 4. quâ greges perluebantur. Ubi *aqua durata salibus* est, quæ *dura*, i. salsa & acida evasit, cui rei plurimùm Sol confert. Alibi *durati pisces* occurrunt, i. sale duro vel dura muria salsi. Non enim duriores efficiuntur vulgato sensu pisces, qui saliti sunt, sed interdum etiam liquefacti in muria sic vocabantur &c. Salmasius *ad Solinum pag.* 345. & 346.

Dusii, Gallorum incubi dæmones, apud Augustinum *de Civ. Dei lib.* 15. *cap.* 23. *Ficarii Fauni* Romanis, Pa, iæ. V. ibi.

Dusiris, vel *Dostra*, vulgò *Doustre*, amnis est Galliæ, in Vice-Comitatu Tornennensi, qui pars est pagi Lemovicini, Cadurcini & Petrocorici, dictus à castro Torinna *Turenne*, V. Hadr. Valesium, in voce *Torinna*.

Dubmala, fluvius Brabantiæ, vulgò *Dommele*, in veteri pago Taxandrio: per Bustellam seu Boxtellam, & Sylvam Ducis, in Mosam defluit. Valesius in *Toxandri*.

Duumviri, adde: *Duumviros* sacris faciundis creavit ex numero Nobilium Tarquinius, hisque addidit duos ministros publicos, & per hos custodiri libros Sibyllinos voluit. Horum alterum M. Attilium, visum non bonâ fide rem gerere & ab uno ministrorum delatum parricidii, in culeum insutum projecit in mare. Cumque libri, qui in templi Capitolini cella subterranea, arcæ lapideæ inclusi, asservabantur, bello Marsico, cremato Capitolio, cum aliis donariis Jovis absumpti igni essent; è multis locis alii comportati sunt, partim allati ex Italicis urbibus, partim ex Erythris Asiæ, ex S. C. legatis illuc ad transcribendum missis, partim aliunde, Dionysius *lib.* 4. qui *Duumvirorum* curæ denuo committerentur, usque ad A. urbis cond. 388. quo ad populum tulerunt Tribuni Pl. C. Licinius & L. Sextius, ut pro Duumviris sacris faciundis Decemviri crearentur, quorum pars ex Patribus pars ex plebe esset, Liv. *l.* 6. Quindecimviri tandem à Sulla creati sunt: quod sacerdotium Theodosii Principatu, cum cœteris priscæ superstitionis sacris, abrogatum est, Joh. Rosinus *Antiqq. Rom. lib.* 3. *cap.* 24. Horum itaque curæ, fatalia Reip. pignora, libri nempe Sibyllini Prisco ab anu quadam peregrina oblati, committebantur inspiciendi, ut, veluti Deorum oraculis præmoniti, malo obviam ire possent cives: In omni igitur prodigiorum relatione, ad *Duumviros* itum est, qui libris illis literis inspectis prodigia expiabant, Livius *Dec.* 4. *lib.* 1. *in fine*, & *Dec.* 1. *lib.* 3. &c. V. Thom. Dempsterum *Paralipom. in locum Rosini laudatum*. Præter hos erant *Duumviri ædium sacrarum* locandarum, ædificandarum, consecrandarum vel restituendarum: quos Populus ex l. Papiria designare solebat, de quibus V. Cicer. *pro Domo sua* & Livium passim. *Duumviri navales* classis ornandæ reficiendæque, itidem à Populo Tributis Comitiis creati,

creati, de quibus Livium iterum vide *lib.* 9. Factum id primùm est an. U. C. 542. C. Junio Bubulco III. & Q. Æmilio Barbulâ II. Coss. bello cum Samnitibus fervente. Dein bello contra Ligures, item bello Illyrico, Liv. *lib.* 40. & 41. Extraordinarius enim hic Magistratus fuit, neque definitum tempus habuit: ut docet Rosinus *lib.* 8. *cap.* 40. Etiam *Duumviri perduellionis*, Magistratus inter Romanos extraordinarius fuit. Primùm creati à Tullo Hostilio R. de Horatio, qui partâ de Curiatiis victoria sororem, unum de hisce lamentantem, interfecerat, judicarunt. Mos dein etiam post Reges aliquandiu retentus, donec obsolesceret: quem tamen à Labieno Trib. Pl. postremis temporibus in Remp. relatum, Cicero gravissimè queritur. Meminit eorum præter Livium *lib.* 1. & 5. ac Ciceronem *pro Rabirio*, Plutarchus quoque, ut & Suetonius ac Dio *lib.* 37.

Dux Ducum, in *Synaxariis* 4. Octobr. dicitur S. Andaoctus Ephesius, Δοὺξ Δουκῶν καὶ Ἔπαρχος Μαξιμῖνος. *Dux Palatii* Sigeberti R. Adalgisus, occurrit apud Fredegarium in *Chron.* V. *Major Domûs*. *Dux Imperialis Curiæ*, Acerbus Morena Laudensis civis dicitur, in ejus *Historia Rer. Laudens. pag.* 118. apud C. du Fresne *Glossar.* &c. V. suprà, in voce *Ducalis Corona*, item *Duces*. Addam hic saltem, *Ducis* vocem, de Imperatoribus, Regibus, Principibus, sæpe occurrere apud Poëtas. Inprimis autem sic vocabantur primores omnium militum, qui, cristâ galeaque insigniti, exercitu cætero eminebant. Papin. Statius *Theb. l.* 10. *v.* 30.

> —— *Nusquam capita ardua belli,*
> *Monstratæque* Ducum *sepiens per agmina cristæ.*

Atque per arma noscebantur. Idem *Theb. lib.* 7. *vers.* 241.

> *Conscendunt muros, inde arma nitentia natis*
> *Et formidandos monstrant sub casside patres.*

V. quoque infrà, in voce *Ferculum*, & plura hanc in rem, apud C. Barthium *Animadvers. ad Statium d. l.*

D Y.

Dyagondas, Thebanus legislator, nocturna sacra lege perpetuâ sustulit, Cic. *de LL. lib.* 2. V. infrà ubi de *Nocturnis sacribus*.

Dyas, principium parium numerorum, uti *trias* imparium; unde & ἀρχὴ & γένεσις dicta. Bis duo, primus quadratus; qui δύναμις dicebatur. Bis quatuor, primus cubus, ut ex vett. Arithmeticis docet Salmasius. Sic apud Geometras, quod in recto mensuram accipit, vocabatur *Numerus*; quod in plano, *Dynamis*; quod in solido, *Cubus*. In numeris, *Dyas* lineæ respondet, quæ longitudinem habet tantùm; primus quadratus, præter longitudinem etiam latitudinem accipit & respondet embado sive areæ; primus v. cubus solido æquiparat. Salmas. *ad Solin. p.* 699.

Dynamero, apud Fulgentium *libr. de Continentia Virgiliana*; *Nec illaque Dardanus in* Dynameris, *aut Battiades in Paredris, aut Campester in Parabolicis Infernalibusque cecinerunt*: primi sunt ex tribus Μαγικῶν Spirituum seu Dæmonum, quos ille facit, gradibus. *Græcè* Δυναμερεῖς, *i. potentes & magni Dii* vel Spiritus, quorum in Oraculis reddendis & somniis mittendis semper certior fides & effectus major habitus. Græci quoque Θεοὺς δυνατοὺς vocarunt: *Divi potes* in Augurum libris, quos quidam de Penatibus accipiunt; Arnobius, ex Etruscorum disciplina, Jovis eos consiliarios & principes Deos habitos fuisse, scribit. Sed & *Dynameros*, apud Dardanum liceat interpretari, quos simpliciter Θεοὺς appellabant, qui distinguebantur in *Superos*, *Inferos* & *Medioxumos*, Græcis autem εἰς οὐρανίους, αἰθερίους, ἐπιγείους, χθονίους & ὑποχθονίους: quorum quia potestas major, quàm Heroum, vel eorum, qui ex hominibus Divi facti sunt, ideò Δυναμερεῖς dicti, apud Magicarum Artium peritos. Artemidorus eosdem vocat μείζονας τῶν θεῶν καὶ πρεσβυτέρους, καὶ τῇ τάξει προάγοντας, *Majores Deos & Seniores & ordine priores*, Salmasius *ad Spartian.*

Dynamis, seu *Dynamus*, in *Fragmentis Arithm.* Epaphroditi, *Decies in dynamum*, quid in numeris sit, diximus suprà, in voce *Dyas*. Numerus sc. quadratus, seu τετράγωνος, quam Numinis loco Pythagoras habuit. Ejus meminit Diophantus hisce *lib.* 1. *def.* 2. Καλεῖται ὁ μὲν τετράγωνος δύναμις, *Vocatur quidem quadratus potentia.* Hero item Alexandrinus, Αὐτὸς δὲ ἀριθμὸς καλεῖται πλευρὰ τοῦ τετραγώνου, ὁ δὲ τετράγωνος δύναμις, *Ipse numerus vocatur latus quadrati, quadratus verò potentia.* V. Oiselium JC. *Notis in A. Gellium lib.* 1. *cap.* 20. Sed & Δυνάμεις, τὰ φάρμακα apud Theophrastum. Unde Recentiorum τὰ δυναμερά, *drogues* Galli dicunt. Poëta,

> *Scire potestates herbarum* ——

Sic ἀρωματικὰς δυνάμεις vocat Dioscorides compositiones, ex multis seminibus calidis constantes, quæ fiebant juvandæ concoctioni, & quibus acetum oleumque admiscebatur. Salmasius *ad Solinum pag.* 1051. & 1273.

Dyris, nomen quo montem Atlantem incolæ vocabant. Auctor *epitomes* Strab. Ὅτι τὸ ἐν Μαυρουσίᾳ ὄρος τὸν Ἄτλαντα Ἕλληνες ὀνομάζουσιν οἱ Βάρβαροι Δύριν καλοῦσι. Plin. *lib.* 5. *cap.* 1. *Mox amnem, quem vocat Fut, abeo ad* Dyrim: *hoc enim Atlanti nomen esse, eorum linguâ convenit. CC. M. P.* &c. V. Salmasium ubi suprà *pag.* 305. Item nomen fluvii, qui ex præfato monte *ortus ex Septemtrionali regione, progreditur per Occidentem, ad lacum Heptabolum, & mutato nomine dicitur Niger*, Vitruv. de quo V. aliquid suprà in voce *Diris*, plura autem apud eundem Auctorem, *pag.* 421.

Dyrrhachium, adde: Hodie vicus est, ubi arcis adhuc veteris rudera visuntur. Jac. Sponius *Itiner. part.* 1. *pag.* 117.

Dysaules, in Eleusiniis sacris, V. Salmasium ubi suprà *p.* 750. ex Clemente Alex. qui *Baubonem*, *Triptolemum*, *Eubuleum*, *Eumolpum*, *Dysaules*, *Caduceatores*, *Hierophantas*, *Daduchos*, *Præcones*, & totam illam scenam *Eleusiniorum*, facundè traducit. 5. *Strom.*

Dystrus, pro Martio mense, apud Eusebium *Histor. Eccl. lib.* 8. *cap.* 3. V. Dominic. Macrum *in Hierolexico*.



E, una



E.

E. Una è vocalibus, in vocibus quibusdam Latinis veteribus, latius sonabat, ut posterius *E.* in *bene*: in quibusdam exilius & penè habebat sonum vocalis *I.* hoc est, medium inter *E.* & *I.* ut in *here*, cujus loco propterea *heri* scripserunt. Ita *sibe* & *quase* in multorum libris se reperisse & his Livium fuisse usum, ex Pediano, qui & ille ipsum sequeretur, se comperisse testatur Fabius. *E.* longum Græcis antiquis erat loco *H.* etiam post Simonidis, qui vocales H. & Ω. invenisse dicitur, ætatem: Unde in columna Farnesiana viæ Appiæ, prima in ΗΡΩΔΟΥ, per *E.* scribitur. Ac *E.* quidem priùs vocatum fuit *EI.* (quamvis semper *E.* nunquam *EI.* scripserint) teste Eustathio *in Iliad. E.* & Plutarcho, qui toto illo libro, quem inscripsit περὶ τοῦ *EI.* ἐν Δελφοῖς, haud aliter docet, quàm τὸ EI. Delphis dicatum esse quintam Græcorum literam. V. Gerh. Joh. Vossium *de Arte Gramm. lib.* 1. *cap.* 23. In lingua Gallica triplex *E.* sæpe in eadem voce reperiri, docent Auctores *Methodi linguæ Græcæ Gall. scriptæ tr. de Literis.* Ut in vocibus, *Netteté*, *Fermeté*, *Breveté* &c. primum *E.* apertum est, alterum obscurum & mutum, quod *fœmininum* vocant, tertium clarum vel clausum, respondens Græcorum *E.* ψιλῷ quod *masculinum* quoque indigitant. Iidem aliud quoddam E. habent, ad A. proximè sono accedens, unde *E.* in voce *Empereur*, tanquam *A.* pronuntiant: Latinos quoque in hoc imitati, apud quos *dicam* vel *dicem*, *faciam* vel *faciem* promiscuè scriptum fuisse, docet Quintilianus. Unde *A.* præsentis, sæpe in *E.* præteriti versum videmus: Sic *Facio*, *feci*: *Ago*, *egi*: item in Compositis ex *Arceo*, *coërceo*; *Damno*, *condemno* factum &c. Nec omittendum, huic vocali cum *O.* & *U.* affinitatem etiam nonnullam fuisse. Unde *Diu*, pro *die*: *Lucu*, pro *luce*: *Neptunus* pro *Nuptunus* &c. dictum fuisse deprehendimus: quo quoque factum, ut verba in *Eo.* præteritum in *UI.* forment, *Doceo*, *docui*: *Moneo* &c.

E A.

Eale, fera Æthiopiæ, de qua sic Plinius *lib.* 8. *cap.* 21. *Magnitudine est equi fluviatilis, cauda elephanti, colore nigra vel fulva, maxillis apri, majora cubitalibus cornua habens, mobilia, quæ alterna in pugna sistit variatque infesta aut obliqua, utcunque ratio monstravit.* Nempe cornua ejus ab radice mobilia sunt, unde cùm à fronte pugna est, tum infesta dirigit cornua; si à latere aggreditur hostis, tum ea obliquat. V. Salmasium *ad Solinum p.* 1010.

Earo, fluvius Galliæ, in Caletis, nomine hoc genuino ac incorrupto, Orderico Vitali notus, aliis corruptè *Eura*, vulgò *Jere*, aut *la riviere d'Jere*, Latino *E.* in *I.* & *A.* in *E.* commutatis, ut sæpissimè aliàs. Nascitur non procul ab Alberti mansionili *Aubermesnil*, quod alluit: Attingensque Fulcardi Montem *Foucarmont*, locum Abbatiâ celebrem, Alnetum *Aunoy*, vicos SS. Richardi & Remigii, Bettonis cortem in pago Tellau *Betencourt*, Petreum Pontem *Pierrepont*, Grandem chortem *Grancourt*, Petram *la Pierre*, Vallem Regis *Val le Roy*, aliàs *Val du Roy*, Septem molas *Sepmeules*, vicum ingentem, à numero molarum suarum seu vento seu aquâ agitari solitarum cognominatum; Tellejum *Tilly*, pagi veteris Tellau nomen servans, Alberti villam *Auberville*, vicum S. Sulpicii *S. Soupli*, aliàs *S. Suppli*: demum apud Criolium *Crieil*, castrum in Chartario Fiscannensi celebratum, devolvitur in Oceanum, 2. mill. à castro. V. Hadr. Valesium *Not. Gall. in voce Caleti*, & *Tellau*: ubi fluvium hunc *Tellas* quoque olim fuisse dictum, colligit ex Chron. Fontanellensi *cap.* 12. ubi hæc habentur: *Item Ulmirum & Warinnam fiscos duos, qui sunt in pago Tellau, juxta fluvios Tellas & Warinnam.*

Earinæ Vestes, dictæ sunt olim, quæ ex viridis coloris lana conficiebant, verno tempori, unde apud Græcos iis nomen, convenientissimæ. Quemadmodum in Anglia etiamnum hodie videmus, ubi hyems frigora sua remisit & lætiori facie terra aperitur, Regem totumque Procerum ordinem, venatum proficisci, concolorem anni tempestati, neque minus tum, quàm saltus ipsos, sylvam virescere, inquit Dempsterus. Meminit *Earinarum* ovium Tertullianus *lib. de habitu mul. ad finem*, *Non placet*, inquiens, *Deo, quod non produxit, nisi si non potuit purpureas &* Earinas *oves nasci jubere. Si potuit ergo, jam noluit: quod Deus noluit, utique non licet fingi.* Dicuntur etiam *Ærinæ*: quam vocem utramque junctam reperias in *Antholog. lib.* 1. *cap.* 60. *Epigramm.* 12.

> Σὺν λάλος ἀ λαλέουσα, τὰ ὄνυλεγον ἀντεγέρουσα
> Τὸν ξένον ἀ ξένα, ἀερὸν ἀερινά.
>
> *Vocalem vocalis, alatam alata,*
> *Hospitem hospes, vernam verna.*

Thalassina vocari videntur T. Lucretio *lib.* 4.

> —— —— —— *Teriturq; Thalassina vestis*
> *Assiduè, & Veneris sudorem exercita potat*, &c.

Ejusmodi vestes Græca in consuetudine fuisse, testatur Constitutio Syracusanorum, quæ floridas vestes penitus prohibebat, apud Phylarchum *Histor. lib.* 24. Neque minus lex Atheniensium, quâ scorta jubebantur ἀνθινὰ φορεῖν, *Floridas vestes gestare*, ut ex Suida clarum, in voce Ἑταιρῶν. Mollitiei enim non carebat suspicione hic habitus, unde eo indutus Liber Pater inducitur, apud Diodor. Siculum *lib.* 5. Interim Regibus quoque Persarum in usu fuisse, narrat Athenæus. & confirmant Eustathius *ad Hom. Il. lib.* 16. & Strab. *Geogr. lib.* 15. Quid quòd floridam hanc vestem cum Tunica picta Romanorum eandem esse nonnulli crediderunt. V. Thom. Dempsterum *Paralipom. in Joh. Rosini Antiqq. Rom. lib.* 5. *cap.* 31. & suprà, ubi de *Aërinis*.

East-Saxones, adde: Regnum eorum fundatum ab Ina R. A. C. 547. postmodum in Regnum Deiræ & Berviciæ subdivisum est; unumque fuit ex VII. Anglo Saxonum Regnis. Georgius Horn. *Orb. Imper.*

E B.

Ebenus, Hebr. הבנים *hobnim*, cum ebore, jungitur Ezech. *cap.* 27. *versu* 15. quia utrique est extremus color, eodem excellentiæ gradu; ebori viz. pulcherrimi candoris, hebeno speciosissimi nigroris. Utrumque politissimum, nitidissimum & incomparabili lævore conspicuum. Unde est, quòd in eosdem ferè usus adhibentur & ex utroque arcus fiunt, pectines, tabulæ lusoriæ, cultrorum manubria, alia. Adde, quod in iisdem locis nascuntur, India sc. & Æthiopia, quarum hæc *Indiæ* nomine quandoque intelligitur: ut ex Virgilio liquet, *Georgic. lib.* 2.

> —— —— *sola India nigrum*
> *Fert ebenum.*

Et 4.

> *Usq; coloratis amnis devexus ab Indis,*

i. *ex intima Æthiopia.* Porrò *ebenus* & ebur unà cum auro, perpetuum fuit Æthiopum tributum, ab eo tempore, quo Ægyptiorum Rex Selóosis (al. *Sesostres*) Æthiopes debellavit, Diodor. *lib.* 1. Postea eadem ab Æthiopibus Persas exegisse, docet Herodotus *Musâ tertiâ*, *cap.* 97. ubi *ducentas ebeni palangas*, in quodvis triennium, adferri ab iis in Persiam consuesse, tradit. Eadem gestasse Æthiopes dicuntur, in Ptolomæi Philadelphi pompa, apud Callixenum Rhodium. Unde in festo Adonidis, Alexandriæ, sub eodem Rege, magno apparatu celebrato, Syracusanæ mulieres, viso *ebeno*, auro, & ebore multo, in hæc prorumpunt verba, *Idyllio* 15. *vers.* 123.

> Ὢ ἔβενος, ὢ χρυσός, ὢ ἐκ λευκοῦ ἐλέφαντος
> Αἰετοί!
> *O ebenum, ô aurum, ô ex albo ebore*
> *Aquilæ!* &c.

V. Bochartum *Hierozoici Part. poster. l.* 1. *c.* 20. & Salmas. *ad Solin.* Ex hoc ligno porro simulachra Deorum ab antiquis facta, memorat Pausanias *in Arcadicis*, ubi materias enumerans, è quibus vulgò hujusmodi simulacra fieri solerent, *ebenum* primo loco recenset. Unde & Dianæ Ephesiæ imaginem inde factam, nonnullos tradidisse, refert Mucianus apud Plinium. Sed & ad alia ejus usus fuit. Solinus *cap.* 52. *Hebenum sola* (India) *mittit, nec tamen universa, verùm exigua sui parte sylvas hoc genus edit. Arbor est plerumque tenuis, & frequentior vimine, raro in crassitudinem caudicis exuberatur, hiulco cortice & admodum reticulato, dehiscentibus venis, adeò ut per ipsos sinus pars intima vix tenui libro contegatur: lignum omne atque mediale eadem ferme & facie & nitore, qui est in lapide Gagate. Indi Reges ex eo sceptra faciunt & quascunque Deorum imagines* —— *Idem ferunt materiâ istâ liquorem noxium non contineri, & quidquid maleficum fuerit, tactu ejus averti: hac gratiâ pocula ex hebeno habent* —— *Romæ Mithridatico triumpho, id primum Magnus Pompeius exhibuit* ad quem locum V. *Exercitationes Plinian.* Salmasii. De eodem Plinius *lib.* 12. *c.* 4. *Nuper allatam Neroni Principi, raram arborem ebenum à Meroën usque à Syene fine Imperii, per nongenta XCVI. M. passuum* —— *Accendi eam Fabius negat, uritur tamen odore jucundo. Duo genera ejus: rarum id, quod melius arbore miré modò, materie nigri splendoris, ac vel sine arte protinus jucundi; alterum fruticosum cytisi modo & totâ Indiâ dispersum.* Sed non sola *ebenum* India fert, verùm Æthiopia quoque & quidem Æthiopicæ primas dat Dioscorides. *Meroeticam* vocat Lucanus,

> —— *ebenus quamvis Meroëtica vastos*
> *Non operit postes* ——

Insula

Insula quoque Saronici sinus, *Ebanonisi* vulgò dicta, h.e. *Insula ebeni*, Gall. *l' Isle des Asnes*, uti docet Sponius *Itinerar. Graciæ Part. 2. pag. 366.* ubi foliis non carere hanc arborem, contra Pausaniam addit. De montibus vicinis metropoli Ins. Haiman *Kiunchen* in Sinis, idem habet Auctor Anonymus *Sinæ & Eur. cap. de Arboribus.* Inprimis verò in Æthiopico mari ferax *ebeni* Ins. Mauritia est, in qua ligno cædendo mancipia à Batavis (qui eam tenent) aliosque criminum damnatos, adhibitos fuisse (longè leviori triremium supplicio), donec, pretiosioribus lignis in notitiam adductis ebeni pretium eviluit, docet Jo. Baptista Tavernier *Tract. Gall. cui tit. la Conduite des Hollandois en Asie cap. 5.* ubi arborem hanc adeò gravem, firmisque radicibus nixam esse inter alia ait, ut typhonibus etiam impetuosissimis, qui certo anni tempore, cum omnium rerum arborumque aliarum strage, insulam perflant, resistat ex facili. Ibidem arborum, postquam in asseres dissecta est, in terra subhumida, ad 7. aut octo pedum profunditatem, per biennium, aut si densiores trabes sint, triennium sol re defodi, sicque demum lignum artificis manui sequax & longè nitidius evadere, legas. Unde discrimen operum ex ebeno, quæ ex India afferuntur quæque in Europa inde confiunt. Sed pro *ebeninis* nonnunquam venditari, quæ ex loto nigra, moro inveterata, cytiso, spina Ægyptia spinaque Indica fiant, monet Salmasius *ad Solinum pag. 1043.*

Viri Principes.

Eberhardus, filius Alberici, Ethone sive Hettone, filio Ethiconis (cui Athici cognom. *Adelrici*, Allatiæ Ducis, geniti, filium Ottopertum stemmatis Habspurgici propagatorem, secundùm quosdam, & præterea Theobaldum, Comitem Pfirretarum, ac Hugobertum *eorundem* habuit: Monachus tandem factus. Sed rectiùs, *Eberhardus* non stemma produxisse statuitur, inquit Spenerus qui Luttenie Monasterium ad mortem usque, quæ circa A. C. 900. eum rapuit, non desiit vexare. Pater Hugonis, à cujus filius Gerhardo, Lotharingiæ Duce: Hugone Dagsburgii & Guntramo natu minimo, Habspurgici Comites orti sunt. Fuit & *Eberhardus*, Adelberti eodem Ethicone, de quo retro, geniti filius, Allatiæ Dux, fundator Murbacensis Monasterii A. C. 724. quem quidam improlem, alii ex filio Ruthardo Kyburgensium, Thurgoviensium, Winterthuriorum, & Wendelburgiorum: ex Warino autem, Heltensteniorum, primorum Guelforum, quin & Burgundiæ & Capetinorum Galliæ Regum auctorem constituunt. Ex primis verò Guelfis Duce Bavariæ, Alemanniæ, Comites Altorfios, Zollerios, Heiligenbergios, Deckenburgios, Ravenspurgios, Oetingenses, Welpanos, Rhætos, Catimeliboccenses &c. nonnulli derivant.

Eberhardus, Comes Vohburgius, ultimus Norimbergæ Burggravius fuit: quo extincto Rudolfus I. Imp. Burggraviatum seu Franconiæ Ducatum contulit suo ex sorore nepoti, Friderico Comiti Zollerano: in cujus familia, ab eo enim hodierni Principes Brandenburgici orti sunt, adhuc durat. Phil. Jac. Spenerus *Sylloge Geneal. Histor. in Fam. Zollerio-Brandeburg.*

Eberstenia, adde: Inter titulos Marchionum Badensium etiam hic comparet, primusque Fridericus, Rudolfi Sen. nepos, eo insignitus legitur; an à matre Cunigunda, Ottonis Senioris *Eberstenii* Comitis filia? Certum hoc, ex ditione *Ebersteinensi*, per Hermannum fil. Rudolfi *Rastes & Cuppenheim*, Marchionatui accessisse. Tobias Pfannerus *de præcipuis Germaniæ Principum Gentibus cap. 9.* Fuit autem *Eberstenia*, Familia Germaniæ, inter illustrissimas Suevici tractus jam olim numerata, & ab Henrici Aucupis genero, quem alii Eberhardum, alii alio nomine compellant, originem traxisse dicitur. Ordo eorum, qui ex ipsis *Eberstenii* Comitatui præfuisse feruntur, ille est, ab iis subministratus Spenero, & à vulgaribus tabulis differens. Philippus maritus Mechtildis Saxonicæ A. C. 933. Bertholdus Utæ Sinaensis A. C. 1148. Bertholdus Agnetis Zolleranæ, A. C. 1182. Otto Margaretæ Hohenbergiæ, A. C. 1219. Sigebertus Hartmundis Nassovicæ A. C. 1251. Otto Agnetis Bipontinæ A. C. 1272. Eberhardus Adelheidis Sponhemiæ A. C. 1293. Henricus Claræ Freonsbergiæ A. C. 1297. Wilhelmus Margaretæ Lichtenbergiæ, A. C. 1309. Otto Irmingardis Badensis A. C. 1315. Johannes Elisabethæ Bipontinæ A. C. 1317. Heintzmannus Margaretæ Oetingensis, A. C. 1368. Bernardus Agnetis Vinstingensis, A. C. 1432. Johannes Mariæ Epsteniæ, A. C. 1450. ut recentiores omittam. Dicam saltem, Bernardum Comit. ex Cunigunda Truchsessia genuisse Wilhelmum, Patrem ex Johanna Hanoica, defunctâ A. C. 1572. Johannis Bernardi, quo & Margarethâ Hassiacâ natus Johannes Jacobus pater ex Margareta Solmensi, quæ obiit A. C. 1635. Johannis Friderici fuit, cujus ex Anna Amalia Criechingensi, filius Casimirus, ultimus gentis suæ, familiam clausit, A. C. 1660. Pater ex Maria Eleonora Nassovia, Albertinæ Sophiæ Esteræ, quæ postuma nata est A. C. 1660. Philip. Jacob. Spenerus, *Theatr. Nobilitat. Europ. Part. II. pag. 11.* Porro ejusdem stirpis creduntur surculi fuisse *Eberstenii* in Ducatu Brunsuicensi, quorum posterior defecit A. C. 1435. Item *Eberstenii* in Pomerania, Domini in *Neugarten*, è quibus Ludovicus *Com. Ebersteinius in Neugarten*, extinctus A. C. 1590. ex Anna Mansfeldia genuit Georgium Casparum numerosæ prolis patrem. Sed & *Eberstenii* Barones in Welseria familia lineæ Styriæ reperiuntur: Ernrich enim *Weltz in Spiegelfeld*, ex Johanna *de Kollonitsch*, Gothardum suscepit *Dn. de Weltz L. Baronem in Eberstein*: quo & Rosinâ *de Eybiswald* genitus Joh. Felix, ex Amalia Sidonia *de Freiberg* pater fuit Gotthardi Helfrici (n. A. C. 1654.) Domini *de Weltz* L. B. *de Eberstein* &c. V. iterum Spenerum *pag. 60. ut & in Indice.*

Ebodia, adde: Ejus frequens est apud P. Longobardum mentio.

Ebosia, apud Papin. Statium *lib. 1. Sylv. 6. vers. 15.*

Quòd ramis pia germinat Damascus,
Et quas percoquit Ebosia *Caunas*:

ubi *Ebosita* legendum docet J. C. Gevartius, eadem cum *Ebuso*, seu *Ebusa*, insula est longè fertilissima, una è Pityusis Straboni, è qua ficus præstantissimæ & amplissimæ Romam apportabantur, Græcè Βὔσ⊕, Ἔβυσος, Ἤβυσ⊕ & Ἠβύσσ⊕ ... V. Salmasium *ad Solinum pag. 279. & 938.* ut & in voce *Ebusus.*

Ebræi, dicti sunt posteri Semi, eò quòd à Nimrodianis se separassent: quorum proin errores ac placita rejiciebant, à Semo & Noacho meliùs edocti. Unde & Sethus *Pater omnium filiorum Eber* dicitur, Genes. *cap.* 10. de quo Interpretes variant: Sed nihil similius vero, quam ita dici, quòd sectatores ejus à Nimrodianis, qui Chamiæ & Japheti erant, fuerint distincti. Unde & nepos ejus *Eber* appellatur, & ipsi Euphratem *transiisse* leguntur: Hinc scribit Kimchi, quòd *Ebræus* sit ממשפחת עבר Nisi tamen אבי idem, quod *Præceptorem & Magistrum*, notat. In sola hac *Eberi* familia aliquandiu sincerior Philosophia hæsit, donec & ipsa cessit ingruenti barbariei, Georg. Hornius *Histor. Philos. lib. 2. cap. 2.* Hinc *Ebræa* lingua ab eodem *Ebero* dicta, quòd, cum illa antiquissima esset ac sanctissima, post Babylonicam confusionem, penès domesticos Ecclesiæ Dei Noachum, Semum, *Eberum* inprimis, fuerit recondita ac conservata. Quare Augustinus *de Civit. Dei lib. 16. cap. 11.* linguæ hujus conservationem *Ebero* & filiis ejus posteris attribuit, ab eoque sic dictam contendit: *Quia ergo*, inquit, *in illius familia remansit hac lingua, divisis per alias linguas cæteris gentibus, quæ lingua priùs humano generi non immeritò creditur fuisse communis, ideo deinceps Ebræa est nuncupata.* Quæ etiam causa videtur esse, quòd Genes. *cap. 10. versu* 22. quum cœpissent enumerari filii Semi, qui singuli gentes singulas procrearunt, primus commemoretur *Eber*, quum sit abnepos ipsius, filius Shelah, nepos Arphaxad, quem tertium Semus genuerat. Viguisse autem jam ante Diluvium linguam hanc, nomina propria Patriarchis antediluvianis data satis evincunt: Ipsam elegantiâ Græcam ac Latinam antecellere, prolixe ostendit Erpenius *Orat. 3. de ling. Hebr. pag. 106. 107.* Babylonem binâ vice fatalem experta est. Unâ, cùm universalis, ut dictum, omnium gentium esse desineret, post extructam famosam illam turrim: Alterâ, cùm etiam à Judæorum vulgari usu removeretur, Judæis temporis captivitatis suæ linguam ex *Ebræa*, Chaldaicâ, & Syriacâ mixtam assumentibus. Dialecti illius sunt, *Samaritana*, & duæ modò ultimò nominatæ: è quibus *Syriaca*, à *Chaldaica* haud multùm abludens, SERVATORIS nostri ac Discipulorum ejus vernacula fuit. Hujus Sub-Dialectos recenset Waltonus: *Babylonicam*, omnium purissimam, in qua scripta sint capita quædam Danielis & Esdræ, Targum Babylonicum &c. *Hierosolymitanam*, quâ scripta sint Talmud & Targum Hierosolymitanum: *Antiochenam* seu *Syriacam* in specie sic dictam, quam Christiani per Orientem sibi propriam fecerint, dum V. T. versiones in hac habuere Dialecto, sacra quoque sua hac linguâ celebrantes. Ejusdem etiam distinctas literas Christiani Antiocheni, nascente Ecclesiâ, introduxerunt, ne quid cum Nazaræis & Ebionitis Judæis, commune haberent. Sed omnes hæ jam vulgò adhiberi, etiam cum matre sua, fere desierunt. Auctor Anonymus *Histor. Orbis Terr. Geogr. & Civ. cap. 9. sect. 3. de Linguis.* V. quoque in voce *Hebræi.* De *Hebræorum* vero *Ritibus*, aliisque ad eam gentem pertinentibus, V. Joann. Buxtorfium utrumque passim, inprimis *in Synagoga Jud.* Jo. Seldenum *de Synedriis*, alibique, Th. Godvvynum, Alios.

Ebrietas, filia Veneris, apud Mythologos, uti verbis Praxillæ Poëtriæ Sicyoniæ docet Hesychius, in voce Βάκχα Διώνη. Cujus ex ære simulachrum Praxitelis memorat Plinius *lib. 34. cap. 8.* Coronam ejus fusè exequitur Car. Paschalius *Coronar. lib. 2. cap. 6.* & diximus aliquid de ea suprà, in voce *Dissolutis.* Primus Æschylus in scenam tragicam hujusmodi spectaculum intulit, cùm in *Cabiris* introducit Jasonis comites ebrios: *ipse forsasse haud multo minùs, cùm illa scriberet*, uti ait Scaliger *Poëtices lib. 1. cap. 16.* &c. Illam certè eleganter Bacchylides definit γλυκεῖαν ἀνάγκαν σευομέναν κυλίκων, quòd mentem sui compotem esse non patitur. V. Plinium *lib. 14. cap. 21* & Salmasium *ad Solinum pag. 1085.* ubi de voce ἀνάγκη multis eruditè disserit, ut & hic passim, inprimis ubi de Veterum *Bibendi* more.

Ebrodunum, vel *Eborodunum*, adde: Caturigum caput, in Alpibus Cottiis; *Kώμη* i. *vicus*, impropriè Straboni dicta. Itinerarium à Burdigala Hierusalem usque *Mansionem Ebridunum* appellat: Mansio autem, Græcis *μονὴ*, militum iter facientium erat, mutatio cursus publici, Græcis *ἀλλαγὴ*. Veteres Not. *provinciæ Alpium Maritimarum Metropolim* faciunt: Nimirum *Ebrodunum*, quod cum Statione Matris & Brigantione ac Rame Caturigisque in Alpibus Cottiis Veteres posuerant, Alpibus Maritimis recentiores adscripsere, licet Ebrodunum à mari longissimè absit. Sub eâ, tanquam Metropoli, Gervasius Tislebeiensis, *Digniensem*, *Niciensem*, *Antipolitanum*, *Glandetensem*, *Senecensem & Venciensem* suffraganeos Episcopatus constituit. Pro Antipolitano Grassensem ponit Notitia paulo recentior: Hodieque Ebrodunensi sedi subjacent Dinia, Nicæa pro Cemenello, pro Antipoli Grassa, Glannateva, Sanitium & Vincium. In concilio tamen Epaonensi & in Matiscodensi secundo, Ebrodunensis cum Vesontiensi non inter Metropolitanos Episcopos, sed inter provinciales tantùm locum habuit: Sic in Rejensi Concilio Armentarius Ebrodunensi Episcopatu dejectus esse dicitur, proptereà quod *sine Metropolitani auctoritate* fuisset ordinatus. Unde pro Metropoli *Ebrodunum* eo tempore nondum fuisse habitum colligitur. Nomen habet à re. Positum enim est in monte seu *duno*, cujus radices alluit Druentia. Ab eo Dalfini *Comites Ebreduni* olim vocitati sunt. In provincia Galliæ Ripensi fuisse *Præfectum classis Barcariorum*, vel *Barcariorum Sapaudiæ*, docet Notitia Imp. Continebantur autem tum *Sapaudiæ* nomine pars Dalfinatus vel Delphinatus, ut portio provinciæ Viennensis, ad ripas Rhodani, Isaræ ac Druentiæ; & ad oram maris posita, *Gallia Ripensis dicebatur.* Hæc classis in Druentia stabat, à quo *nautæ Druentici* in priscis lapidibus, Hadr. Valesius in voce *Caturiges*.

Ebrolacum, vel *Eborolacum*, Sidonio: *Eurogilum*, in Ludovici Pii Imp. *Vita*; unum fuit ex quatuor præcipuis Ludovici hujus palatiis villisque: Erant autem hæc IV. majora Palatia Regis Regnique Aquitaniæ, Teotuadum, Cassinogilum, Jocundiacum & Eurogilum: quod castrum positum in Arvernis, ad Sicaulam fluv. *Sioule*, vulgò *Ebreüle* appellatur, Hadr. Valesius *Not. Gall.*

Ebulus, coronamentum Panis, apud Virgilium *Ecl.* 10.

> *Pan Deus Arcadiæ venit, quem vidimus ipsi*
> *Sanguineis* ebuli *baccis minioq; rubentem.*

Car. Paschalius *Coronar. lib.* 4. *cap.* 1. Alii verò succo baccarum ejus Panis simulachrum tingi consuevisse, ante minii usum inventum, adeoque huc à Poeta, non ad frondes fruticis hujus, respici ajunt. Certè Jovis ipsius faciem diebus festis minio illini solitam, legas apud Plinium *lib.* 33. *cap.* 7. ut de aliis taceam. Quod fecisse Veteres, ut Deos suos hoc pacto ad preces haberent magis propensos, monet Bernard. Verzascha *Herbar. suo cap. de Ebulo.* Sambuco autem similis *ebulus*, & Græcis *χαμαιάκτη* dicitur, *Ibid.* V. quoque Salmasium *ad Solinum pag.* 1098. & 1280.

Ebur, Veteribus multiplici in usu, in simulachris, quibus effingebant Deos, in sellis & sceptris virorum Principum, in tabellis, pectinibus & tot aliis, in usum etiam privatum: In his, mensarum quoque pedibus, qui sæpius pardos hiantes repræsentabant. Unde Juvenalis *Sat.* 11.

> *Grande* ebur *& magno sublimis pardus hiatu.*

Multa quoque eburnea gestamina è Romano solo in Britanniam invehi solita; Strabo docet *lib.* 4. ubi *ἐλεφάντινα ψάλια καὶ περιαυχένια* inter ea nominatim memorat; *viriolas* exponit Salmasius, aliter Gr. *κρίκους*; quas ex ebore plerumque fieri solitas, inde docet. Quemadmodum eosdem dentibus belluarum marinarum ad eburneam claritatem candicantibus, ensium capulos insignivisse, Solinus habet *cap.* 22. Sed & scriptitasse in *ebore* Vett. hinc inter alia docet Salmasius, quòd *elephantinorum librorum*, quos cum *eboreis codicibus* apud Ulpianum eosdem facit, mentio apud Vopiscum *in Tacito* alibique apud Vett. passim. Quamvis enim idem hodie tentanti vix successerit, tamen id potuere Vett. calamis de harundine & atramento à nostro diverso usi. Nec dubio relinquit locum Martialis *Distich. in Apophoretis*, cujus lemma: *Eborei pugillares*:

> *Languida ne tristes obscurent lumina ceræ,*
> *Nigra tibi niveum litera pingit ebur.*

Ubi apertissimè candidum & nudum ebur atramento pingi perscribique indicat. Et allusum eò fortè à Plauto *in Mostellaria*, cùm dixit:

> *Una operâ* ebur *atramento candefacere postulet.*

Salmasius *ad Vopiscum in Tacito* &c. Jam vero Heroicis temporibus *eboris* usum fuisse notissimum antiquissimæ Fabulæ docent, de humero Pelopis eburneo, & eburneâ Pygmalionis statuâ, & somniis per eburneam portam immitti solitis. Unde ejus passim mentio, apud Homerum jam Hesiodumque; quorum ille tractandi eboris artem in Lydia & Caria vetustissimo ævo viguisse indicat, *Il.* δ. *versu* 141.

> Ὡς δ' ὅτε τίς τ' ἐλέφαντα γυνὴ φοίνικι μιήνῃ
> Μῃονὶς ἠὲ Κάειρα.
> *Ut cùm Lyda, vel Carica mulier aliqua ebur inficit rubro.*

Quod Virgilius sic imitatur *Æneid. lib. ult.*

> *Indum sanguineo veluti violaverit ostro*
> *Si quis ebur:*

Et Ovidius *lib.* 2. *El.* 5.

> *Mæonis Assyrium fœmina tinxit ebur.*

At in Scriptura nullus apparet *eboris* usus, ante Salomonis tempora, qui cùm ex India elephantos & multum ebur curasset in Judæam advehi, grande solium inde sibi construi jussit 1. Regum *cap.* 10. *versu* 18. & *eburnea palatia*, Psalmo 45. *versu* 9. ut habuit Menelaus *Od.* δ. Post quem Achab consimile palatium extruxisse legitur. 1. Regum *cap.* 22. *versu* 39. Sed & privatorum domus & lecti tales memorantur, Amos, *cap.* 3. *versu* 15. & *cap.* 6. *versu* 4. Et Tyri transtra navium erant *ex ebore in buxo, ex insulis Citim*, Ezech. *cap.* 27. *versu* 6. id est, ex ebore, quod buxo Corsico inclusum fuit. Quem Prophetæ locum, non parum illustrant hæc Poetæ, *Æneid.* 10.

> ——— *Quale per artem*
> *Inclusum buxo, aut Oriciâ terebintho*
> *Lucet ebur*, &c.

Atque ob hæc tam multa, dentium solùm gratiâ, venabantur elephantes in Lybia, quemadmodum Ælianus narrat, & Herodotus auctor est Æthiopas, tributi loco, dentes hosce Persidis Regi pendere consuevisse. Nec tamen tam latè ejus usus patuit; quàm putavit Oppianus *de Venatione lib.* 2. ubi sic canit:

> ——— ——— Ἐκ δ' ἄρα κεράων
> Τόξα τε καμπύλα καὶ μυρία τεύχεται ἔργα.
> *Ex cornibus verò*
> *Arcus rotundi & innumera fabricantur opera.*

Planè enim fallitur, cùm arcus ex *ebore* fieri credidit: quippe materies ejus rigida, non flexilis, est. Interim *eburneorum annulorum* meminit Artemidorus *lib.* 2. *cap.* 5. & Suidas. V. Kirchmannum *de Annulis cap.* 3. Sed nec ubique dentium istorum pretium grande, cùm vile sit, ubi elephanti degunt. Hinc, ut Plinius *lib.* 8. *cap.* 5. ex Polybio, is autem ex Gulussa Regulo, prodit, *in extremis Africæ, quâ confinis Æthiopiæ est, postium vices in domiciliis præbent, sepesque in iis & pecorum stabulis, pro palis elephantorum dentibus fiunt.* V. Vossium *de Idololatr. Orig. ac progressu libro* 3. *cap.* 50. *sub fin.* Sunt autem dentes elephantini, ex quibus fit *ebur*, maribus sursum, fœminis deorsum inflexi, Aristot. *Histor. lib.* 2. *cap.* 5. quos cùm pro cornibus habeant multi, refellit eos Bochartus merito: namque & Hebræi *ebur* שן *sen*, i. dentem appellant: & Chaldæi *sen dephil*, i. dentem elephantis. Porro elephantum arma pro dentibus habent, præter Herodotum, Aristoteles *Histor. lib.* 2. *cap.* 5. Dionysius Perieg. *versu* 1116. Ovidius *Metam. lib.* 8. *cap.* 4. Juvenalis *Sat.* 11. Plinius *lib.* 8. *cap.* 3. & Claudianus *de Laud. Stiliconis lib.* 3. Atque eam sententiam multis rationibus confirmat Philostratus *Apollon. lib.* 2. *cap.* 6. Nempe dentium instar hæc ossa ubique levia sunt & perpolita: at cornua radici quotannis lineam quandam, ut torno impressam, obducunt, quod in capreis & ovibus & bobus videre est. Et cùm iis solùm animantibus crescant cornua, quibus bifida est ungula, elephas habet multifidam. Denique solidi sunt elephanti dentes; non cornuum instar concavi. Nec verum est, quod Oppianus credi voluit, partes has Eboratio cornuum instar cedere; cùm rigidissima sit eboris materies, ut diximus. Scalpitur quidem & politur, sed magno nisu, ut hippopotami dentes &c. V. apud eundem Bochartum hanc in rem plura *Hierozoici Part. prior. l.* II. *cap.* 24. nec non suprà in *Ebenus*: & de *eburneâ canâ*, quâ Heliogabalus nonnunquam parasitos suos excepit, *Lampridium in Vita ejus*; uti de luxu Vett. in lignis tum operiendis, tum distinguendis, Plinium *lib.* 10. *cap.* 44.

Ebusopis, palatium Colchorum Regis, cujus cameræ aureæ & trabes argenteæ, ut & columnæ ac parastatæ, memorantur Eutychio, apud Bochartum *Hierozoici Parte posterior.* pag. 716.

Ebutianus, mel. *Æbutianus*, Præfectus, jussu Commodi, interemtus est. Lampridius in *Vita* hujus.

E C.

Ecbatana, adde: *Ecbatana Syriæ*, quæ Ἀγβάτανα propriè, memorat Stephanus ex Herodoto, quum editiones Herodoti hodiè legant Ἐκβάτανα. Sed & Mediæ metropolim quosdam *Agbatana* dixisse, ex Isidoro Characeno docet Salmasius, qua de re V. in voce *Ecbatana*. Syriæ autem urbem hoc nomine postea *Batanæam* dictam esse, idem Stephanus habet, V. in voce *Batanea*.

Ecclesia, adde: Atque hac inprimis notione vox accipitur, in Communione Rom. Unde, primam *Ecclesiam* à B. Petro Romæ constructam & consecratam, cujus dedicationem referant vett. Martyrologia ad Kalend. August. hodie ignorari: primam verò *Ecclesiam* palàm & publicè à Christianis conditam, eam esse Romæ, quam *S. Salvatoris* vocent; primam denique in honorem

honorem Deiparæ ædificatam, fuisse Diospolitanam seu Liddensem, 18. milliar. ab Hierosolymis; secundùm alios, Tortosanam seu Antaradensem in Syria, tradit du Fresne. V. omninocum in *Glossario* & Macros Fratres *in Hierolexico*. Sed & fastigium thuribuli, quòd in modum ædis sacræ assurgat; ciborium item, quo Altare sibi tegitur, hoc nomine venire, idem du Fresne addit, ex *Visitat.* Thesaurariæ S. Pauli Londin. A. C. 1295. & Ademaro Caban. in *Abb. S. Mart.* Lemov. apud Labbeum *Bibl. tom. II.*

Ecclesiani, appellati sunt à Cæsarianis, qui pro Pontifice stabant, durante Schismate, *In Histor. Trevir. pag.* 225.

Ecclesiasterium, apud Vitruvium *lib. 7. cap.* 6. parvum theatrum, in quo scena apud Alabandanos ab Apaturio concinnata, Jo. Calvinus *Lexic. Jurid.*

Ecclesiasticæ Literæ, apud Lupum Ferrar. *Epist.* 122. eædem cum *Commendatitiis* ac *Formatis*, V. ibi.

Ecclesiastici Libri, dicebantur olim, qui à Christianis tutò & sine periculo hæreseos aut falsi dogmatis, poterant legi. V. c. *sancta Romana dist.* 15. in quo Decretales Pontificum Epistolæ, post opuscula Patrum, *quæ in Ecclesia recipiuntur*, ante Martyrum monumenta recensentur: donec postmodum canonica illis auctoritas accresceit, Gerh. von Mastricht *Histor. Juris Eccl. num.* 338.

Ecdici, Gr. Ἔκδικοι, dicebantur olim defensores civitatum, qui inprimis publicas pecunias curabant & persequebantur Plin. *lib.* 10. *Epist.* 111. *Ecdicus, Domine. Amisenorum civitatis petebat apud me à Julio Pisone denariorum circiter quadraginta millia, donata ei publicè ante viginti annos, & Bule & Ecclesia consentiente; nitebaturq; mandatis tuis, quibus ejusmodi donationes vetantur.* Ubi habemus, nomen vetus & obliteratum persequentem. Cic. *lib.* 13. *fam. Epist.* 56. *Mylasii & Alabandenses pecuniam Cluvio debent. Dixerat mihi Euthydemus, cùm Ephesi essem, se curaturum ut* Ecdici *Mylasii Romam mitterentur. Id factum non est: Legatos audio missos esse: sed malo* Ecdicos, *ut aliquid confici possit.* Glossa vet. Ἔκδικος, Cognitor: qui custos legum & defensor ærarii, sicut à Manlio *Cognitor Urbis* dicitur, id est, defensor juris populi, cujus est ærarium, cujus commoda qui persequitur, urbis causam sustinet. Sic Horatius,

> *Si quæret, Pater Urbium,*
> *Subscribi statuis.*

Sic Lucanus de Catone: *Urbi pater est urbiq; maritus.* Hos ærarium defendere Martialis ait *lib.* 5. *Epigr.* 16.

> *Nam si falciferi defendere templa Tonantis,*
> *Sollicitisq; velim vendere verba reis.*
> *Plurimus Hispanas mittet mihi nauta metretas,*
> *Ac vario fiet sordidus ære sinus.*

Id est, si velim patronus causas defendere in foro, ubi Saturno falcem ferentis ædes: intelligendum autem certum genus causarum & maximè fœcundum pecuniam tractantibus: quasi diceret: *Si velim defendere ærarium Saturni*, id est, causas agere, quæ ærarium locupletant; accusare illos, à quibus mulcta, vel alio nomine ærario debitum petitur: aut iis item patrocinari. Fortassis etiam *falciferi* non *Tonantis*, sed *Sonantis*, scripsit Martialis, ob æs ibidem numerari solitum. Hoc tunc promiscuum erat & licebat occupanti, quum nullus esset Advocatus Fisci, quem primus demum Hadrianus Imp. instituit, teste Spartiano. Iidem *Sectores* quoque appellati nonnunquam, quia persæpe qui accusaverant, permixti erant redemptorum societatibus, unde *cognituras* & *sectiones* conjunxit Suetonius *in Vitellio cap.* 2. Et Tacitus, quem *sectionibus apud ærarium famosum* dicit, eundem *obliterata ærarii nomina retraxisse* ait, quod prorsus est Cognitoris seu *Ecdici*. Tandem, quia hi homines aliorum bona deferebant ad ærarium aut fiscum, factum est, ut delatores, & quadruplatores & [illegible] honestiore vocabulo dicerentur *Cognitores*, quod idem ac *Ecdici*, tanquam qui causas ærarii & fisci, atque ita Populi & Principis, susciperent sponte ac tuerentur, cujus operæ pretium partes de proscriptorum bonis consequebantur. Joh. Frid. Gronovius *de Pecunia vet. l.* 4. *c.* 3. V. quoque suprà in voce *Cognitor*.

Ecœta, ex Gr. Ὁμοίως, h. e. *Commorantes*: Monachorum fuit genus, qui cum Monialibus habitare consueverant & cum iis psallare; hoc pacto sororem Moysis Mariam, quæ, post transitum Maris rubri, hymnum Deo cecinit chorosq; duxit, imitari se dictitantes, Dominic. Macer *in Hierol.* V. suprà in voce *Dupla*.

Echeneis, Gr. Ἐχενηΐς, parvus admodum piscis est, petris adsuetus; *quo carinis adhærente naves tardiùs ire creduntur, inde nomine imposito, quam ob causam amatoriis quoq; veneficiis infamis est, & judiciorum ac litium morâ: quæ carmina unâ laude pensat -- partus continens ad puerperium. In cibis tamen non admittitur -- Mutianus muricem esse latiorem purpurâ, neq; aspero, neq; in angulos prodeunte rostro, sed simplice conchâ utroque latere sese colligente: quibus inhærentibus, plenam ventis stetisse navem, portantem nuntios à Periandro, ut castrarentur nobiles pueri, conchasque quæ id præstiterint apud Gnidiorum Venerem coli. Trebius Niger pedalem esse, & crassitudine quinque digitorum: præterea hanc esse vim ejus asservati in sale, ut aurum, quod deciderit in altissimos puteos, admotus extrahat*, Plin. *lib.* 9. *cap.* 25. aliter *Remora*, quod vide.

Echinus terrestris, à Schola Zoroastris, pro Numine, teste Plut. *Symposiac. l.* 4. *Quæst.* 5. nisi potiùs, ut anathema solùm, vel symbolum Numinis, habitus est, Gerh. Jo. Vossius *de Orig. & progr. Idol. l.* 3. *c.* 75. Præter hos *Echini marini* sunt, lanugine pari obsiti, ac pinnæ vel conchæ margaritiferæ, quorum duo genera σπάταγγοι & βρύσσοι: unde βρύττια ἐσθήματα seu πινικά, ab his posterioribus, qui minores & lanuginem molliorem habent, V. Hesychium in βρύττια, & Salmas. *ad Solin. p.* 1125. Inde vox translata ad castanearum operimenta & calicem, qua de re idem agit *p.* 175. & 601. *Ibid.* V. quoque in voce *Erinaceus*.

Echites, gemma viperеas habens maculas, unde nomen, memoratur Plinio *l.* 37. *c.* 11. ab ἔχις, Lat. *anguis*. Sicut *ophites* à serpentis similitudine appellationem accepit: quid autem inter utrumque hoc genus discriminis sit, V. suprà in voce *Anguis*.

Echo, Gr. ἠχὼ, *aëris & linguæ filia* Ausonio, Varroni *in Sesquiulysse*, *Pieridum comes, quæ tenet cavata putri gelu montium saxa*, Latinis aliàs *imago*; oritur, cùm *montium flexus crebrique vertices & conflexa cubito, aut confracta in humeros juga, concavi vallium sinus scindunt inæqualiter resultantem aëra*, Plin. *l.* 2. *c.* 44. [illegible] quidem Metellæ Crassi uxoris sepulchri editiore Appiæ viæ in loco conspicui effigiem edidit Lafrer. id quod ita constructum est, ut *Echo* quinquies totidem verborum sententiam regerat. Cyzici turris fuit, acceptæ vocis nomen numerosiore repercussu septies multiplicans, quod ibi casu contigit: Olympiæ autem arte, in porticu, quam ob id *heptaphonon* appellabant, quoniam tot vicibus eadem vox reddebatur, uti diximus jam suo loco. Casp. verò Barthius in ripa Rheni, inter Confluentiam & Bingium, septies decies redditum ab *Echo* sonum se numerasse, narrat *Animad. ad Statium Theb. lib.* 6. *vers.* 30. &c. *Echometra*, in Musæo Kircheriano, memorantur Georgio de Sepibus *in Descript. ejus p.* 17.

Eclectici, Gr. Ἐκλεκτικοί, dicti sunt Philosophi, *ἐκλεξάμενοι τὰ ἀρέσκοντα ἐξ ἑκάστης τῶν αἱρέσεων*, *seligentes quæ placerent, ex qualibet secta*, Suid. ex qualibet nempe, quod optimum videbatur: nullius in Magistri jurantes verba. Unde illos etiam Ἀναλογητικούς, ipsi autem sese, teste Laertio, Φιλαλήθεις nuncupavere. Origo sectæ à Potamone Alexandrino, qui Cæsaris Augusti ac Tiberii temporibus cùm viveret, pertæsus eum Pyrrhoniis ac Scepticis de omnibus ἐπέχειν, sectam *Eclecticorum*, Lat. *Electivam* Vossio, instituit. Præstantia sectæ ex eo elucet, quòd tanta sit imperfectio humani intellectus, ut ex vetustis illis sapientibus, nemo potuerit omne verum perspicere: unde videndum, non quis aliquid dicat, quam quid aliquis dicat. Itaq; postquam hoc philosophandi genus à Potamone introductum est, fere præstantissimi quique illud amplexi fuere: In his Sotion, Senecæ Magister, Sen. *Epist.* 8. Ammonius Plutarchi Præceptor, qui vixit temporibus Neronis & Vespasiani. Nec Plotinus ab eo alienus fuit, Porphyr. *in vita ejus.* E' Christianis quoque non aliam philosophandi rationem magis probavit Clemens, ut patet *ex l.* 1. *Stromatum*. Imò & Origenem, quòd ex Philosophis singulis verum excerpere soleret, laudavit discipulus suus Gregorius Thaumaturgus. Idem Lactantius laudat *Instit. Div. l.* 2. Sed ut optimum ac laudatissimum est, ita quoque difficillimum hoc Philosophandi genus: quare hebetes & inertes facilè hæc secta arcet. At non item eos, qui ingenii acie & judicio valent, dumodo magno flagrent amore veritatis ac virtutis. In examine autem tot sectarũ, primùm videndũ, quid quisq; dicat, cur ita dicat, quid adversæ parti respondeat. Quibus perpensis dispiciendum, an partes conciliari possint: quod si fieri non possit, examinandæ illæ sunt, nec cum Epicureis ad solum sensuum κριτήριον, aut ad solam rationem, sed ad utrumq; , ut Potamo fieri jubebat. Quæ duo eò majori studio jungenda, quòd videamus deceptos, non Philosophos duntaxat, sed quosdam etiam ex magnis Ecclesiæ Doctoribus: Ut qui terram, quia sic videatur, planam existimantes, sensu decepti Antipodas negant. Præterea, Disputationes institui, quibus veritas examinetur, utilissimum: Ita si sectam hanc sequamur, futurum ut non Jonici simus, vel Italici, vel Eleatici; non Platonici vel Peripatetici; non Stoici vel Epicurei; non Sceptici, vel cujusdam alterius sectæ; sed hæc omnia. Flores enim ex omnibus sectis legemus & inde corollam plectemus capiti nostro, quæ quanto plus traxerit ex vero bonoq;, tantò erit pulchrior atque odoratior, tantò etiam minus marcescens. Joh. Gerh. Vossius *Histor. Philos. lib.* 3. *cap. ult.*

Eclectus, unus ex Veri Imp. libertis, qui postmodum Commodum Imp. occidit. Capitolinus *in Vero, Habuit & alios libertos Verus improbos, Cœum & Eclectum, cæterosq;, quos omnes Marcus, post mortem Veri, specie honoris abjecit*, Eclecto retento, *qui postea Commodum filium ejus occidit.*

Eclogarii, homines dicuntur eruditi, qui olim quidquid fere legebant librorum, ex iis selectiora in suos usus excerpebant. Sic *Ecloga* reperiuntur è Diodoro & Polybio, è Ctesia & Theophrasto, è Strabone &c. Unde & Poëmata imitatione expressa *Ecloga* vocatæ sunt, ut Bucolica Maronis è Theocrito. Sed & loci insignes Ἐκλογαὶ nuncupantur, quòd excerpi notarique potissimùm soleant. Sic *in Vita Æschyli*, *Διὸ ἐκλογαὶ μὲν καὶ αὐτοῦ ὑπεραιρόμεναι, ...* ut annotavit Hadr. Turnebus *Adv. l.* 9. *c.* 15. apud Jo. Calvin. *Lex. Jurid.* Imò Casp. Barthio omnes mediores cantiones, quæ librorum titulos non ferrent, hoc

nomine insignire consuevisse Antiquitatem, notat *Animadvers. ad Papin. Statium lib. 4. Sylv. 1.* Ita Poëta hic *Epist. lib. 3. Sylv.* præmissâ, *Summa est Ecloga*, inquit, *quâ secedere mecum Neapolim Claudiam meam exhortor.* Et *Præf. lib. 4. Sylv. Juncta est* Ecloga *ad municipem meum Julium Menecratem.* Pariter de *Idylliis* suis Ausonius, *Præfat. Cupidinis crucifixi*, *Verùm quid ego huic eclogæ studiosè patrocinor? Certus sum, quodcunque meum scieris, amabis.* Neque aliter Horatii *Satyras* in vetustissimis exemplaribus inscriptas invenit Jac. Cruquius, ut in *Prolegomenis* earum longo sermone testatur &c.

Ecnephiæ, V. in voce *Travados.*

Ecthesis, adde: *Collectanea* Athanasii, edita à Sirmondo, & Jo. Forbesium *Instructionum Historico-Theologic. lib. 5. cap. 1. §. 2.* & 9. nec non *cap. 25. §. 35.*

Ectrapeli, apud Plinium *lib. 7. cap. 16.* ubi *de ratione partuum, Sesquipedales gigni, quosdam longiores, in trimatu implentes vitæ cursum, haud ignotum est. Invenimus — Euthymenis filium, in tria cubita triennio adolevisse, incessu tardum, sensu hebetem; & jam puberem factum voce robustâ, absumptum contractione membrorum subitâ triennio circumacto. Ectrapelos Græci vocant eos: in Latino non habent nomen*; quasi τὰς ἐκ τῆς συνήθους μεγέθους ἐκτετραμμένους, prodigioso incremento augescentes, sicque *ab usitato nostrorum corporum modo discedentes.* Hoc sensu ἐκτράπελα ζῶα occurrunt apud Hermogenem περὶ πολιτικοῦ λόγου. V. Dalechampium *Not. ad l.*

Ectypa, apud eundem Plinium *lib. 35. cap. 12.* ubi *de Plastices inventoribus*, *Primus* (Dibutades) *personas tegularum extremis imbricibus imposuit, quæ inter initia prostypa vocavit. Postea idem ectypa fecit*: Græcè ἔκτυπα, aliter ἔκφατα, dicuntur simulachra seu imagines; quæ totæ & apparentes ex omni parte eminerent; sicut πρόστυπα, quæ velut adfixæ unum tantùm latus ostenderent. Sic in cælatura Ε'κτυπος, *stans extra*, exposuit Satyricus *Sat. 1.* ubi de capro, in vase illo Veterum carminibus nobilitato,

Criminibus debent hortos, prætoria, mensas,
Argentum vetus, & stantem extra pocula caprum.

V. Salmasium *ad Solinum pag. 1046.* & supra ubi de *Cælatura.*

Eculeus, torquendi instrumentum, apud Veteres celebre. Catasta fuit lignea, cochlea, ad intendendum ac remittendum apta; atque ad torquendos homines, ut facti veritas eliceretur, instituta. Tormenti verò genus erat hujusmodi: ubi catastæ huic brachia pedesque ejus, qui torquendus erat, nervis quibusdam, quæ *fidiculæ* dicebantur, alligaverunt; tum catasta intenta atque in altum erecta, ut ex ea quasi è cruce quadam miser ille penderet, primùm compagem ipsam ossium illius divellebant. Deinde candentibus ejusdem corpori laminis admotis, atque bisulcis ungulis ferreis lateribus laniatis doloris acerbitatem augebant, V. Sigonium *de Jud. lib. 3. cap. 18.* Sozomeno *Hist. Eccl. lib. 5. lignum tortorium*: Prudentio *in Hymno D. Vincentii*, *stipes noxialis* appellatur. Qui igitur in *Eculeo* torquebantur, pendebant brachiis pedibusque retortis extenti, nervis sc. quibus devincta membra erant, propter summam intentionem crepantibus. Utque incitandi doloris causâ fidiculæ tendebantur, sic ejusdem remittendi eædem laxabantur. Extorquendæ autem de servis veritatis gratiâ Eculeum adhibitum fuisse, docet Cicero *pro Dejotaro* & *pro Milone.* Translatus inde ejus usus est, ad cruciandos homines, & acerbiore afficiendos supplicio, quod in Christianis Martyribus inprimis patuit. Nomen ei ab equo, quasi *Equuleus*, non quòd ei reus velut equo insideret, sed quòd illi finibus constrictus exiliret; sic ut manibus anteriori, pedibus verò posteriori Eculei parti alligatis in aërem elevaretur, simili modo, quo illi, qui cruci affiguntur, in sublimi pendent. V. Thom. Godvvynum *tr. Angl. cui titulus Anthologia Rom. l. 3. sect. 3. cap. 7.* & infrà in voce *Fidicula.*

E D.

Edapteon, Græcè Ε'δαπτέων, pop. Atticæ, cujus memoriam servat vetus *Inscr.* haud procul Athenarum urbe,

ΧΑΙΡΕ

ΑΘΗΝΑΕΙC ΘΕΟΚΡΙΤΟΥ ΕΔΑΠΤΕΩΝ

ΦΑΥCΤΟC ΛΕΟΝΤΟC ΜΕΙΛΗCΙΟC.

apud Jac. Sponium *Itinerar. Græcæ Part. 3.* ubi *de 174. Atticæ pop.*

Edeatræ, qui præerant Regiis epulis, fortè *Truchsessen* Germanis, memorantur Festo, ex Græco Ε'δέατρος. V. Calvinum *Lex. Jurid.*

Edemus, Cythniis olim in veneratione, Clemens Alexand. *Protrept.*

Edera, Dionysio sacra & in ejus cultu adhibita, miræ tenacitatis est, unde nonnemini visa ab *hærendo* nomen accepisse. Certè Gellius refert, Flamini Diali non modò eam tangere, verùm & nominare, ominosum fuisse, ne illigatus ullo modo videretur, sed liberè sacris operaretur, quia scilicet hedera arcto illo complexu nescio quid lasciviæ præ se ferat. Alii inde nominatam volunt, quod *edita* petat: ab *edendo* quidam probabiliùs, quod parietes exedat. A' Baccho usus ejus ad convivantes transiit, qui hederâ coronati accumbebant, ut vi illius frigidâ vim vini adstringerent, reprimerentque. Ad Poëtas item, & Poëtarum statuas, ut qui curarum vacui, sicque Bacchum semper juvenem æmulantes, constantem hederæ virorem mirè amarent &c. Quam in rem V. plura infra in voce *Hedera.*

Edere, verbum sacrum, de Decemviris, cùm libris Sibyllinis inspectis responsa darent, frequens apud Livium. Sic *lib. 40. Edidere, quibus Diis & quot hostiis sacrificaretur.* Et *lib. 42. Ob hæc prodigia libri fatales inspecti, editumque à Decemviris est, quibus Diis, quibusq; hostiis sacrificaretur.* Et *lib. 43. cap. 14. Publicorum prodigiorum causâ libris Decemviri aditis, quadraginta majoribus hostiis, quibus Diis Consules sacrificarent*, ediderunt, *& ut supplicatio fieret* &c. V. hic passim, de communi verò verbi notione supra, ubi de *Accumbendi* & *Cibi capiendi. Vett. ratione*, de *Editoribus Ludorum* infrà in voce *Munerarii.*

Edesia & *Bibesia*, divæ quibus in conviviis Gentiles litabant, V. supra *Bibesia.*

Edictum, apud Odon. de Diogilo *de Profect. Ludovici VII. in Orient. lib. 1. pag. 15. illo anno in quarta feria Pentecostes edictum accidit*: denotat nundinas Sandionysienses, à Dagoberto R. an à Carolo Calvo institutas, quæ alias *Indictum*, hodiè Gallis *la Foire du Lendit* dicuntur. Vide Carolum du Fresne in voce *Indictum.*

Edomator vocis, apud Tertullianum *de Pallio capite ultimo*, *De meo vestiuntur & primus informator literarum, & primus Edomator vocis & primus numerorum Harenarius, & Grammaticus & Rhetor* &c. non Phonascus est, ut quidam volunt. Huic enim pueros olim, inter prima illa rudimenta literarum, operam dedisse, verisimile non est, nisi ii qui Cantores Tragici vellent esse, aut Comœdi: Sed is, qui pueris legendi & rectè pronuntiandi artem tradebat, fortè *Enodator vocis* legendus. Nam hic quo modo singula quæque verba, quâ voce, quo motu oris essent enuntianda, præcipiebat. Quintilianus *lib. 1. cap. 1. Non alienum fuerit exigere ab iis ætatibus, quò sit absolutius os & expressior sermo, ut nomina quædam versusque affectatæ difficultatis, ex pluribus asperrimè coëuntibus inter se syllabis catenatos & velut confragosos quàm citissimè volvant.* Nempe unus hic erat ex tribus primis Præceptoribus ac Ludimagistris, qui rudes pueros primis & elementariis literis erudiendos suscipiebant, quos à Grammatico distinxit Tertullianus; qui solidiore eos doctrinâ imbuebat. Primus informator literarum, harum formas & potestatem cognoscere, scribendoque exprimere; *Primus vocis Enodator*, rectè pronuntiare; & primus numerorum Harenarius calculare monstrabat. Quæ tamen tria munera unius ejusdemque Doctoris ferme fuerunt, quem Γραμματιστὴν appellarunt Græci &c. V. Salmasium *ad l.*

Edon, adde: Gentem celebrem fuisse arguunt vestimenta ab ea dicta, quæ Thracibus in usu fuere. Suidas, Η'δωνὰ ἱμάτια Θρᾳκικά. Η'δωνὶς, κοινῶς, χρῆμα ὅπου λέγεται, Η'δωνοὶ, ἔθνος Θρᾳκῶν. V. Barthium *Animadversion. ad Papinium Statium Thebaid. lib. 5. versu 78.*

Eduardus, Dux Gelriæ, ex Familia Nassovica, filius Rinaldi II. ex priore eius uxore, Sophia, Florentii Bertholdi, postremi Machliniæ Dynastæ, filiâ, fratre majore natu Rinaldo III. cognom. *Crasso*, post decennale bellum, victo & per alterum decennium in captivitate detento, Gelriam, Zutphaniensemque ditionem rexit, Heckeranorum & Bronchorstiorum factionibus ferventibus. Contra Brabantos re non infeliciter per plusculos annos gestâ tandem, ab uno ex famulis sclopeto trajectus, in prælio ad Basiildam interemtus, stemmati suo finem imposuit, sub finem seculi XV. Sic Gelri Juliacensibus cessere, Guilielmo Duce, qui Mariam Rinaldi II. filiam duxerat, hæreditatis titulo, Rectore vacuos sibi asserente. Cyr. Lentulus in *Geneal. Principum & Comit. Nassov. MS.*

E F.

Effascinatrices Familiæ, in Africa, *quarum laudatione intereant probata, arescant arbores, emoriantur infantes*: in Triballis & Illyriis, *qui visu quoque effascinent interimantque, quos diutiùs intuebantur, iratis præcipuè oculis*: in Scythia similiter *fœminæ quæ vocantur Bithyæ*: in Ponto, *Thibiorum genus —— quorum notæ in altero oculo gemina pupilla, in altero equi effigies*: in Æthiopia, Pharnacum genus, *quorum sudor tabem corporibus contactis afferat*: Haud procul urbe Roma, in Faliscorum agro, familiæ Hirpiæ, *quæ sacrificio annuo, ad montem Soractem, Apollini fieri solito, super ambustam ligni struem ambulantes, non aduruntur* &c. memorantur Plinio *lib. 7. cap. 2.* ad quod V. *Notas* Jac. Dalechampii, ut & hic passim.

Effigies, apud Gentiles, primò Deorum, inde Hominum, solebant exprimi, sed non *nisi aliquâ illustri causâ perpetuitatem merentium, primò sacrorum certaminum victoriâ, maximeque Olympiæ: ubi omnium, qui vicissent, statuas dicari mos erat. Eorum verò, qui ter ibi superavissent, ex membris ipsorum similitudine expressâ, quas iconicas vocant. Athenienses nescio an primi omnium Harmodio & Aristogitoni tyrannicidis publicè posuerint statuas — Excepta deinde res est à toto orbe terrarum humanissimâ ambitione.* Et jam

jam omnium municipiorum foris statuæ ornamentum esse cœpere, prorogariq; memoria hominum & honores legendi a vo basibus inscribi ne in sepulchris tantùm legerentur. Mox forum & in domibus privatis factum, & in atriis. Honos clientum instituit sic colere patronos. Plin. *lib.* 34. *cap.* 4. V. quoque ubi de *Simulachris.*

Efforciati nummi, in *Charta* Bernardi Episc. Santonensis A. C. 1451. apud Sammarthanos dicebantur, quorum materia purior minusque adulterata erat. Sic *Moneta fortis* vel *fortium, libræ fortes* &c.

E G.

Egbertus, West-Saxonum Rex, Anglo-Saxonum heptarchiam in Monarchiam commutavit, ac abrogato *Saxonum* nomine universam gentem appellari voluit *Anglos* & Regnum *Angliam*, A. C. 800. Georg. Hornius *Orb. Imper. p.* 314.

Egenorum Jura, apud Hebræos olim insignia fuere. Eorum enim, quæ illis ex lege sacra debebantur; genus faciunt septuplex. Primum est *Angulus segetis.* II. *Spicilegium.* III. *Racematio.* IV. *Acini decidui.* V. *Quod per oblivionem relictum.* VI. *Decima pauperis*, & VII. *Eleemosyna*: quæ cuncta nomine מתנות עניים *Munerum, quæ pauperibus danda*, veniebant. Xenodochia verò primus in ea gente Hyrcanus instituisse legitur, apud Hegesippum *lib.* 1. *cap.* 1. Unde de illo Josephus *lib.* 13. *cap.* 16. Πρῶτος Ἰουδαίων ξενοτροφεῖν ἤρξατο. Insuper instituti sunt qualibet in urbe ac oppido גבאי צדקה *Exactores Eleemosynæ*, quemadmodum apud Christianos fieri videmus, qui hebdomadatim seu à vespera Sabbathi in vesperam eo nomine diligentiùs colligerent erogarentque nummos, alimenta id genus alia. Reponebant autem hi nummos in קופה *arca*, alimenta verò in תמחוי *scutella*: Collectam dein eleemosynam erogabant & de aliorum quoque inopia, atque erogationis modo, decernebant, v. g. *Qui haberet* (vesperâ Sabbathi) *duo prandia, ei non licuit ex scutella erogari. Qui habuerit quatuordecim, ei non licebat erogari ex arca*, non sc. in alimenta, &c. Quousque verò hæc jura extenderentur ad *egenos* Gentiles, ut & alia in hanc rem, V. apud Joann. Seldenum *de Jure N. & Gent. juxta Disciplin. Ebraor. l.* 6. *c.* 6.

Eggenbergica Familia Germaniæ, in Styria illustris, cui præcipuum axioma intulit Johannnes Ulricus, officiis & gratiâ apud Ferdinandum II. Imp. celebris ac *Principis & Ducis Crumaviensis* titulum ab Imperatore consequutus: Cuidein A. C. 1654. jus suffragii & sessionis accessit in Imperio, ob emtam Gradiciam. Ipse fatis concessit A. C. 1634. ex Sidonia Maria Thaunhusia, pater Principis Johannis Antonii defuncti A. C. 1649. quo & Annâ Mariâ Brandenburgicâ geniti sunt Johannes Christianus & Johannes Seifridus *Princ. Eggenbergii Duces Crumaviæ* &c. Ipsius verò Johannis Ulrici, pater fuit Seifridus D. *ab Eggenberg* nepos Christophori, pronepos Andreæ. V. Phil. Jac. Spenerum *Theatro Nobilitatis Europeæ Parte I. pag.* 104. *ut & in Indi.*

Egidienses Denarii, qui cudebantur, in civ. S. *Egidii*, vel nummi Comitum Tolosæ, qui *Comites S. Egidii* vulgò appellabantur. Car. du Fresne *Glossar.*

Egmondana Familia Belgii, inter præcipuas, à multis jam seculis floruit: in qua sub principium seculi 15. diversæ lineæ in Johannis & Mariæ Areuleæ filiis cœperunt. Ex illis enim prior Arnoldus D. Geldriam rexit, & filium nepotemque habuit successores. Fuit is filius Johannis Dni. *de Egmond*, qui obiit A. C. 1451. ex Maria præfata: atque ex Catharina Clivia ac Juliacensi, Adolphum genuit Geldriæ & Juliac. Ducem; qui defunctus A. C. 1477. ex Catharina Borbonia, filia Caroli I. Duc. Borbonii reliquit Carolum *de Egmond* Duc. Gelriæ ultimum: Obiit autem is A. C. 1538. nulla ex Elisabethâ fil. Henrici Duc. Brunsuicensis & Lunæburgensis prole susceptâ. Alter Johannis filius Dn. Iselstenii iterum duos genuit, Johannem I. Com. *Egmondanum* & Fridericum Com. Buræ; cujus hæreditas, per proneptem, Wilhelmo Principi Arausionensi allata est. Illius ex Magdalena Werdenbergia, filius Johannes II. obiit A. C. 1528. Pater ex Francisca Lucemburgica Gaveræ Principe, Lamoralli, seu Amurathis Com. Egmondani, Principis Gaveræ, in Belgicis Annalibus celeberrimi, decollati Albani Ducis jussu A. C. 1568. Quo, & Sabinâ Palatinâ, filiâ Johannis II. Com. Palatini Rheni *in Simmeren*, nati sunt Philippus, qui obiit A. C. 1590. Lamorallus, Carolus, Eleonora, (defuncta A. C. 1582. ux. Georgii *de Horn* Com. *de Hautekerke*) Sabina (ux. Georgii, Eberhardi Com. Solmensis) Maria Christina (uxor Guilielmi Lalan. Com *de Hochstraten* primò, dein Odoardi Bornovill. Cappers. Com. Henin. tandem Caroli Com. Mansfeldii) Maria Monialis, Magdalena, Anna Monial. Johannes, & Philippa. V. eundem Spenerum ubi suprà *tom. II. pag.* 24.

Egnatius Capito, vir Consularis, inter occisos à Commodo Imp. apud Lampridium.

Egnatuleius Honoratus, Nobilis Rom. sine causæ dictione interemtus, jussu Severi, Spartian.

Egrannia, aliàs *Egrennia*, recentioribus *Egrenius*, vulgò *Egreines*, quibusdam trunco nomine *Grane*, fluvius est Galliæ, unus ex quatuor illis, qui apud Abrincatuos, in colle Brimbalio, *la Bute de Brimbal*, orti, suo quisque alveo in diversa decurrunt. Attingit Longiledum Abbatiali Monasterio clarum *Lonlé*, vicumque S. Marci ad Egranniam *S. Marc de Grane*, aut potius *d'Egrane*, ubi Varennâ excipitur, mox Meduanam auctura. Reliqui amnes tres sunt Seva, Viria & Nigra Aqua. V. Hadr. Valesium *Not. Gall. in voce Abrincatui.*

Egregiatus, seu *Egregii* titulus honorarius, sicut plurimum, qui in Palatio militaverant, concessus, aut quibus provinciæ fuerant commissæ; Primipilaribus item, post emeritam militiam & Cæsarianis, ut est in *Cod. Th. l.* 1. *de Honorar. codicill. l.* 3. *de Cohortal. l.* 1. *de Cæsarian. leg.* 5. *de Decurion.* ex quibus colligitur, *Egregiatum* dignitate Perfectissimatu fuisse inferiorem. Respexit huc Lactantius *Divin. Institut. lib.* 5. *cap.* 13. *Nemo denique Egregius, nisi qui bonus: nemo Clarissimus, nisi qui opera misericordiæ largiter fecerit: aut Perfectissimus, nisi qui omnes gradus virtutis impleverit*, apud Car. du Fresne *in Glossario.*

de *Egrigoris*, titulus libri, qui sub nomine *Henochi* circumfertur, h. e. *de Angelis*: à Græco γρηγορεῖν, *vigilare.* Clemens Alex. *Pædagog. lib.* 2. *cap.* 7. *Beati enim, qui ad ipsum vigilarunt, se ipsos assimilantes Angelis, quos nos* Egrigoros, *hoc est, Vigilantes vocamus.*

E I.

Eilotæ, Spartanorum mancipia, de quibus diximus aliquid, in voce *Elotæ.* Cogebantur illi pileum gestare è canina pelle, ut & pelliceam vestem veluti vilem & luctuosam, adeoque testem illius miserrimæ conditionis, cui eam gentem necessitas adduxerat: εἱλωτείαν vocat Plato *de Legg. lib.* 6. V. quoque Athenæum *lib.* 14. & plura hanc in rem, apud C. Paschalium *Coronarum lib.* 9. *cap.* 26.

Eiresione, Græcè Εἰρεσιώνη, fuit ramus permagnus, ἐξ ἐρίων ἔχουσα στέμματα, *è lana habens stemmata*, surculos, caricas, & purorum fructuum series; seu truncus oleæ, omnes fructus habens suspensos & stemma album ac purpureum, ut habet Auctor *Etymolog.* vel, ramus oleæ lanâ redimitus omnigenis repletus primitiis, ut Plut. *Thesea*: quem pro foribus constituendi mos, apud Vett. celebris fuit, oraculo Atheniensibus inculcatus. Fortè enim & fame, & peste universam terram affligente, consultantibus, quo pacto malum averruncari posset, respondit Apollo, si sacrificium ante sulcamina terræ fieri suetum pro omnibus Atheniensibus fieret. Quâ re peractâ, lues cessavit: eaque re finitimi omnes gratulationis causâ omnium fructuum primitias Atheniensibus misere. Hinc itaque *eiresione* periculis hisce avertendis, pro foribus in posterum constituta est, mense Pyanepsione, quo & προηρόσια, h. e. *sacrificium præsementivum*, paulo ante sationem, quoque peragebatur: idque in omen abundantiæ & fœcunditatis. Unde apud Aristophanem *Equit.* populus conspicatus duos cives factiosos & protervos, qui fores ejus pulsaverant, indignabundus respondet, Τίνες οἱ βοῶντες; οὐκ ἄπιτ' ἀπὸ τῆς θύρας; Τὴν εἰρεσιώνην μου κατεσπαράξατε. *Qui hi clamantes? non abitis à janua; eiresionem meam fregistis.* Ac si dicat, mihi propter vos nulla annonæ abundantia, sed sterilitas potiùs est; turbatores estis mei & pestes civitatis. Sed & ramo hoc supplicabant Apollini Athenienses eo ipso die, quo Theseus unà cum sociis periculo exemtus creditur: simulque bellaria & calicem vini effundentes, hos versus canebant.

Εἰρεσιώνη σῦκα φέρει, καὶ πίονας ἄρτους
Καὶ μέλι ἐν κοτύλῃ, καὶ ἔλαιον ἀναψήσασθαι,
Καὶ κύλικ' εὔζωρον, ὡς ἂν μεθύουσα καθεύδῃ.
Eiresione fert ficus & pingues panes,
Et mel in catino & oleum ad detergendum,
Et calicem purum, ut inebriata dormiat &c.

Nomen vel à *lana*, Græcè ἔρια, quâ coronabatur; vel à complicandis seu commiscendis fructibus, quomodo lana in glomos sublata confunditur: vel ἀπὸ τοῦ ἐρωτᾶν, *ab interrogando*, quia Deum interrogabant, quid illo ramo post sacrificium facerent. Eam verò & *corythaliam* dicebant. Voxque postmodum ad quævis virgulta seu surculos aut virgas extensa est, unde πληγαῖς εἰρεσιωνωθείς, *verberatus virgis*, apud Aristophanem *Vespis.* V. Car. Paschalium *Coronarum lib.* 5. *cap.* 15. & Salmasium *ad Solinum pag.* 735. Simile quiddam fuit τῖνος, quam *coronam oleaginam lanâ intextam* interpretantur, apud eundem Paschalium *ibid.*

Eisenacum, V. *Isenacum.*

E L.

Elæopheria, hospitia dicta sunt, ad quæ Alexandrini euntes olivam, in signum pacis, ferebant, Cotta in voce *Hospitas.* quod ridet Gothofredus *Not. ad* §. 19. *l. mun.* 18. *ff. de muner.* V. & Joann. Calvinum *Lexic. Jurid.*

Elæothesium, V. suprà *Alipterium*, & infrà *Unctuarium.*

Elæus, fluv. Bithyniæ interioris, haud longe à Lilæo, memoratur Arriano in *Periplo.*

Elagabalus, sive *Alagabalus*, nomen Soli ab Emesenis datum: pro quo Græci ac Romani, ut vox ea quodammodo barbariem exueret, *Heliogabalus* dicere maluerunt: imò & Ἐλαιαγάβαλος pro eo apud Herodianum legas. Eum autem Solem esse, indicant tum Dio & Herodianus, qui Ἥλιον exponunt; tum lapides; in quibus est, SOL ALAGABALUS: item nummus

antiquus, In quo est SACERDOS DEI ELAGABALI. Nomen unde conflatum sit, non convenit; præterquam de parte priori. quæ est אלה *elah*, sive Arabicè *Alah*, Deumq; signat. Quod ad alteram partem, variè de ea doctissimus Fullerus *in Misellan. sacr. lib. 1. cap. 14.* Sed non dubitandum, ait Vossius, quin illa sit גבל *gabal*: quod tamen quomodo capi debeat, controversum. גבל enim principe significatione sumitur pro *finire seu terminum constituere*: sed præterea notat, *fingere, figurare, formare*. Unde Scythis גבול *gabul*, Arabibus גאבל *gabil*, h.e. πλάστης, sive *Fictor, Conditor*: quæ sententia Fullero inprimis placuit. Nempe ut *Elagabalus* idem sit ac ὁ Ἥλιος δημιουργὸς, *Sol opifex*, sive *Conditor Universi*, prout dicitur Porphyrio, apud Eusebium *Præp. Evang. lib. 3. c. 4.* quicum convenit, quòd idem Sol Κτίστης τοῦ κόσμου, *Conditor Universi*, nominatur in obelisco maximo, quem Constantinus M. Romam transferri jussit: ut locuples nobis testis est Ammianus *lib. 17.* ubi Romam novam seu Constantinopolim intelligi, ex obelisci inscriptione hodieque extantis liquet. Sed præterea גבל *gébel*, Arabibus montem notat. Ut *Elagabalus* sit *Deus mons* seu *Deus Montis*, in quo ædes illius foret: unde & symbolum ejus erat lapis ingens in montis modum fastigiati adsurgens &c. De Templo *Elagabali* illustris est Avieni locus, apud quem primùm sic legas, de situ Orbis:

Urbs mediis Apamea dehinc consurgit in arvis,
Et quà Phœbeam procul incunabula lucem
Prima fovent, Emesæ fastigia celsa renident.

Post eaque de Templo ipso:

Deniq; flammivomo devoti pectora Soli
Vitam agitant. Libanus frondosa cacumina turget:
Et tamen his certant celsi fastigia templi.

Ab hoc postea Numine Antonius Varius nomen *Heliogabali* accepit, quia priùs Sacerdos fuisset Dei Heliogabali, sive, ut Oriens efferebat, *Elagabali* aut *Alagabali*; idemque Deo huic templum Romæ constituit, teste Lampridio *in eo.* V. quæ de hoc Numine eruditè *ad Euseb.* Scaliger, eruditiùs *ad Lamprid.* Casaubonus, eruditissimè *ad eund.* Salmasius annotavit, verba sunt Gerh. Joh. Vossii *de Idolol. lib. 2. cap. 5.*

Elaites, hæmatites dictus est, sed crudus adhuc, à flavo *elates* colore, quâ voce integumentum fructûs palmarum, & fructum ipsum significari, pluribus docet Salmasius *ad Solinum pag. 409.* V. Plinium de hoc lapide *lib. 36. cap. 20.*

Eleasarus, Judæus, inspectante Vespasiano Imp. annuli sui ope multos à malo Genio obsessos, liberasse legitur; apud Josephum *Antiqq. lib 8. cap. 2.* cujus verba Latinè sic habent: *Vidi* ex popularibus meis *quendam* Eleazarum, *in præsentia Vespasiani, & filiorum, & Tribunorum reliquorum militum, multos à Dæmone correptos percurantem. Modus verò curationis erat hic: Admoto naribus Dæmoniaci annulo, sub cujus sigillo inclusa erat radicis species à Salomone indicatæ, ad ejus olfactum, per nasum, extrahebatur Dæmonium: & collapso mox homine, adjurabat id, ne ampliùs rediret, Salomonis interim mentionem faciens & incantationes ab illo inventas recitans. Volens dein* Eleazarus *his, qui aderant, ostendere suæ artis efficaciam, non longè inde ponebat poculum aut pollubrum aquâ plenum imperabatq; dæmonio homine exeunti, ut his subversis signum daret spectantibus, quod reliquisset hominem.* Et certum est, Annulorum usum, ab hominibus malè feriatis, qui hujusmodi annulos, stellâ aliquâ fortunatâ ascendente, certis characteribus insigniebant, iisque herbam vel lapidem, huic stellæ subditam, includebant, ad præstigias & incantationes fuisse translatum. Quibus appensis, hominem vel perpetuò victorem & ab omni veneno ferroque tutum fore: vel aliorum omnium amorem ac benevolentiam sibi conciliaturum, spondebant: malos Genios insuper pellere, morbis mederi aliaque, quæ fidem vix mereantur, præstare ita posse jactantes: Græci φυλακτήρια καὶ περιάμματα, Arabes *Talisman* appellarunt. E qua classe, præter præfati Judæi, annulus fuit Gygis, cui eadem cum Orci galea fuit potestas, de qua V. Andr. Schottum *Not. ad Zenobium.* Excessit item, Phocensium Tyranni, quorum strepitu de rebus suis eum admoneri consuevisse, tradit ex Aristotele Clem. Alexandrinus *1. Strom.* Ut & septem illi annuli Jarchæ, Indorum sapientissimi, Apollonio Thyanæo dono dati, quorum beneficio illum juventæ nitorem prætulisse, quamvis jam centenario majorem, auctor est Philostratus *lib. 3.* Quò referas annulum, cujus Lucianus meminit in *Philopseude*: Brachialia Zipangrinorum, in quibus lapides quosdam fuisse, tam efficacibus incantationibus imbutos, ut nullo modo vulnerari potuerint, scribit M. Paulus Venetus *lib. 3. cap. 3.* Annulum fatidicum, quo de successore Valentis Imp. quæsitum, apud Marcellinum *lib. 29.* Annulum Dicæi, qui Judicum amorem concillabat, apud Aristoph. *Pluto.* Eos, qui morbis averruncandis gestabantur, uti legere est apud Marcellum Empiricum *cap. 29.* & Alex. Trallianum *de Colico aff. lib. 10.* Eum, quo morbum Comitialem sanare fuisse solitum S. Eduardum Angliæ R. refert Cario *Chronic. lib. 3.* Illum tandem, qui inventus fuit in ore cujusdam mulierculæ jam mortuæ, cujus insano amore Carolum M. Imp. olim captum fuisse memorant, ut discimus ex Franc. Petrarcha *lib. 1. Epist. 3.* V. Joh. Kirchmannum *tr. de Annulis cap. 20.* ut & Stephanum Paschasium *lib. 1. des Recherches de la France cap. 31.*

Eleatica Philosophia, nomen Sectæ, cujus Xenophanes Colophonius, qui tempore Hieronis Regis Siculi, & Poëtæ Epicharmi, ut indicat Clemens, floruit, auctor fuit. Et res quidem ac dogmata ab illo, sed nomen ab ejus discipulis Parmenide & Zenone, Eleatis, sectæ hæsit. Fuit autem Ἐλέα, Lat. *Velia*, Lucanorum oppidum. Cicero *Acad. Quæst. lib. 4. Nobilis disciplina hujus, ut scriptum invenio, princeps Xenophanes, quem modò nominavi: deinde eum secuti Parmenides & Zeno. Itaq; ab his Eleatici Philosophi appellabantur.* Hic Xenophanes statuit: *Quatuor esse elementa, mundos innumeros, nubes fieri, cùm vapor a Sole evectus cogitur: Animum esse spiritualis naturæ: Deum esse formæ rotundæ, totum videre, totum audire, non tamen respirare, esseq; pariter mentem, prudentiam, æternitatem.* V. Sextum Philos. & Athenæum. Ejus successor Parmenides, in hoc à Præceptore abiit, quòd *duo tantùm elementa statuit, Ignem & Terram*: Idem primus *Terram dixit globosam, inq; medio sitam.* Hujus discipuli fuere Melissus & Zeno Eleates: quorum is *Universum hoc infinitum & immobile: deq; Diis nihil statuendum* putabat; hic *plures statuit Mundos, vacuum negavit, generationem esse ex mistura quatuor primarum qualitatum, atq; Animam etiam harum temperamento originem debere*, statuit. Zenonem audivit Leucippus, qui primus *Omnia fieri ex atomis inter se complicatis* docuit: Leucippi discipulus in Physicis Democritus Abderita fuit, qui idem à Magis & Chaldæis Theologiam ac Astrologiam didicit, Geometriam verò ab Ægyptiis: imò & cum Gymnosophistis Indiæ ac Æthiopiæ versatus legitur. De rerum naturâ ita sensit: *Primordia omnium esse ab Atomis & inani: Finem vitæ in Euthymiæ sive tranquillitatem* statuit &c. Illius auditor Protagoras fuit, cùm prius bajulus fuisset: Item Bion Abderita Mathematicus, qui primus docuit: *Regionem esse, ubi sex mensibus dies & totidem esset nox.* Ex *Eleatica* dein maximè secta, Epicurea fluxit, nemini enim plus quàm Democrito, Epicurus debuit. V. Joh. Gerh. Vossium *de Sectis Philos. cap. 7.*

Series Philosophorum Sectæ Eleaticæ.

Xenophanes Colophonius.	Zeno Eleates.
Parmenides.	Leucippus.
Melissus.	Democritus Abderites.

Epicurus.

Eleazarus, V. suprà *Eleasarus.*

Eleazus, Rex odoriferæ seu thuriferæ regionis, memoratur Arriano *Periplo Maris Erythr.* ubi de Dioscoridis Ins. quæ huic Regi suberat. Sedem habebat Sabbathis, in quam urbem omne thus, quod in ea regione nascebatur, convehi solitum, dicemus infrà, in voce *Sabbatha.*

Electi, Hæretici quidam ex secta Manichæorum, qui nec carnibus vescebantur, nec uxores ducebant; memorati Augustino *Epist. 74. deq; mor. Manichæor. lib. 2. capp. 13. 16. 18. 19.* Possidio in *Vita* Augustini *cap. 15. 16.* Leoni I. Pontif. *Serm. 5. de Jejun.* Prospero Man. *in Anathematismo Manich. cap. 3.* apud Sirmondum *Tom. 1. Concil. Gall.* Hieronymo *Epist. ad Ctesiph. adv. Pelagium cap. 2.* Aliis, laudatis Carolo du Fresne in *Glossar.* In *Ceremoniali* Rom. *lib. 1. sect. 10.* sic vocantur *Promoti ad Ecclesias sive Monasteria ante suam consecrationem* &c.

Electrei Nummi, apud Lampridium *in Alexandro Sev. Alexandri habitu nummos plurimos figuravit: & quidem* electreos *aliquantos, sed plurimos tamen aureos*; h. e. *electrini*, nunquam enim aliter optimi Auctores. Sic *Electrina vasa*, apud Marcellum Empir. sæpe. Salmasius *ad l.* De *Electro* verò, ejusque triplici specie, quarum una auro pretiosior, V. Sam. Bochartum *Hierozoici Parte poster. pag. 869.* ut & hic infrà.

Electrina Pocula, Magnatibus olim in pretio fuisse, docet Trebellius Pollio: *Quietus Tyrannus* electridem *pateram, quæ in medio vultum Alexandri haberet, & in circuitu omnem historiam contineret, signis brevibus & minutulis, Pontifici propinavit.* Lampridius item *in Alexandro*: *Helena dicitur Minervæ Lindiæ calicem ex electro consecrasse* &c. Ex eodem seu lapide seu gemma, etiam annuli fiebant, Artemidor. *lib. 2. cap. 5.* & nummi, ut docet *Savaro*, & diximus paulo antè, ac rusticarum fœminarum monilia, Isidorus *Etymolog. lib. 16. cap. 8.* Imò vasa quælibet, Neratius JC. & vites. Sidonius Apollin. *Carm. 24. in fine.*

Quis pomaria prisca Regis Indi
His nunc compares, aureasq; vites
Electro *viridante pampinatas?*

Ædificiorum quoque columnæ. Claudian. *de raptu Proserpin. lib. 1.*

Atria cingit ebur, trabibus solidatur ahenis
Culmen, & in celsas surgunt electra *columnas* &c.

Sed quid propriè esset *Electrum*, & ubi terrarum nasceretur, non levis inter antiquos contentio est. Poëtæ ex succo populi arboris expresso illud generari statuerunt, unde nota Heliadum fabula 3. Ovid. *lib. 2. Metam.*

Inde fluunt lachrymæ, stillataq; sole rigescunt
De ramis electra *novis* &c.

Sed Lucianus totâ Italiâ lustratâ, obitaq; Eridani, in quem præcipitatus Phaëthon fingitur, ripâ comperit non modò ibi electrum non gigni, sed nec populum ullam esse, è cujus cortice destillaret, ut Viginerius notat *ad Philostrati icones.* Alii consent, metalli id esse

esse genus, & ad argentum accedere : vel potiùs crama esse ex auro & argento, cujus quinta pars argentum sit. Plinius *lib. 33. c. 4. Omni auro inest argentum; ubicunq; quinta portio est, electrum vocatur: fit & cura electrum, addito argento; quòd si quintam portionem excessit, incudibus non resistit.* Ubi duplex statuit electrum, alterum naturale, alterum factitium. Imò triplex habet Servius *ad Æn. lib. 8. vers.* 402. cùm ait : *Tria sunt electri genera, unum in arboribus, quod Succinum dicitur: aliud quod naturaliter invenitur: tertium, quod fit de tribus partibus auri & una argenti.* Audi & Ambrosium *Hexaëm. lib. 3. cap. 15. Quòd electrum lachryma virgulti sit, & in tantam materiæ soliditatem durescat, nec levibus id asseritur testimoniis: quando folia & minutissimæ surculorum portiones, aut exigua quædam animantium genera in electro sæpe reperiantur, quæ videtur, cùm adhuc gutta esset mollior, recepisse & solidam tenuisse.* Certè Daniel Hermannus Prussus, *ranam & lacertam* succino Prussiaco insitam,

Quæ Jasens Gedani monumenta insignia servat:

erudito carmine celebravit; quod Laurentius Scholtzius *Historiæ Succini ab Andrea Aurifabro Vratisl. editæ lib. 5. Epist. Medic.* adjunxit. Unde autem ille succus, quærit Becmannus *de Orig. L. L.* Poëtis, ut dictum, ex populo arbore; Plinio *lib. 37. cap. 3. nascitur defluente medullâ pinei generis arboribus, ut gummi in cerasis, resina pinis. Erumpit humoris abundantia, densatur rigore vel tepore Autumnali.* Aliis succus & quasi sudor quidam terræ aut saxorum esse creditur, & ad classem bituminis pertinere. Georg. Agricola *de Nat. foss. lib. 4.* Quæ omnia ita concilies, ut ex arboribus quibusdam, quæ satæ sunt in locis succino abundantibus, illud manare dicas : quale enim solum, tales arbores, in quas è terra derivari, & inde iterum in terram destillare, docet Andr. Libavius *lib. de Succino.* In diversis autem illud mundi tractibus nasci, scribunt Eruditi. In littore maris Britannici inventum refert Hector Boëthius *de rebus Scot.* in mari Gothico, Finnico, Livonicoq; provenire, docuit Corn. Scribonius Gryphæus *in Epitom. Hist. Olai M. lib. 12. cap. 8.* in Hispania Strabo *lib. 3.* ad Padum inprimis, Priscianus Cæsar. *Periegesi*,

Hic electra legunt alvis fluitantia Celtæ,
Succina quæ memorant, mellis viniq; colore,
Quæ paleas rapiunt tactu, frondesq; caducas.

Autor Anonymus *Hist. Orbis Terr. Geogr. & Civ.* maris Balthici, quâ Prussiam alluit, speciale facit donum : Concedit tamen, in littoribus quibusdam Hiberniæ etiam ejusmodi quid non ita pridem observari cœpisse; atque etiam ad Viadri ripam, juxta pagum *Schaumburg* haud procul Custrino; ejus frusta non pauca reperiri, *cap. 3. de Hydrographia* &c. Idem videtur esse cum Lyncurio; cujus meminit Plinius *lib. 8. cap. 38.* & *lib. 37. cap. 2.* & 3. Cæterùm quod nomen *Electri* attinet, Græcis ἤλεκτρον dicitur, vel à fulgore Solis æmulo, quem iidem Ἠλέκτορα vocant: vel quòd, fluidum cùm sit naturâ, ad ejus occasum indurescat : vel παρὰ τὸ ἕλκειν, ἢ παρὰ τὸ ἕλκω τὸ ἕλκε, quòd tritum, ubi incaluit, paleas vel alia minuta ad se rapiat, unde Ἅρπαξ quoque *Harpax* dicitur, V. Auctores suprà laudatos, ut & hic infrà.

Electrum, Græcis Ἤλεκτρον, vox est ἐκ τῶν πολλὰ σημαινόντων. Apud Aristophanem enim *Equit.*

Ἐκ κοιλωνῶν τὰ ἠλέκτρων, κ̓ τὸ λέγω ἐκεῖν᾽ ἐκείνου.

Ἤλεκτρα clavi sunt ex *electro*, quibus muniebantur pedes lectorum. *Electrum* enim spuma auri seu purgamentum dictum est, μίγμα sc. auri & argenti; quod in auro fundendo & excoquendo extra ejiciebatur, uti patet ex Strabone, Hesychio, Suidâ, Aliis. Atque ex hoc fiebant clavi in pedibus lectorum, apud Vett. Nisi malis hic ἤλεκτρα, contractum esse ex ἡλολέκτρα, i. *clavi lectorum.* Quorum utrum sit, ἧλος etiam *clavus* vel *nodus* est, Salmasius *ad Solinum pag.* 1079. V. Bochartum ubi suprà. Apud Dionysium, ubi de Borysthene, Panticape & Aldesco, Scythiæ fluminibus,

Τῶν δὲ παρὰ προχοῇσι κατάγνυται ἐγγύθι πολλὸς
Ἠέρος ἡλεκτρου λίθος —

Eustathio est lapis quidam, sive calculus littoralis, Avieno crystallum, Salmasio succinum candidum, οἷα τε αὐγὴ Μήνης ἀρχομένης, *qualis splendor Lunæ in cornua crescentis*, ut apud Poëtam sequitur. Certè in Scythia etiam nasci succinum, ex Plinio discimus *lib. 37. cap. 2.* Et hæc communior vocis notio est. Recentiores Βερνίκην, Chymici ὕελον χρυσὸν vocant, Hesychius eleganter ὑαλόεντα χρυσὸν appellat, i. *vitreum aurum*, quòd auri formam habet simul & vitri. Quod enim in ostiis Padi colligi scripsere, χρυσοειδὲς erat, *cerei vel aurei colores*: unde *succini crines*, quos in Poppæa sua Nero celebravit. V. infrà. Hoc Poëtis lachryma est Phaëthontiadum; Philosophorum quibusdam bitumen arborum, aliis maris liquidum bitumen, quod ex occultis fontibus in illud influat; Nonnullis bitumen est & terræ pinguedo, quæ ex fissuris marinorum scopulorum erumpens in mare defluat, ibique aquarum sibi insitâ vi & Solis virtute, in gluten quoddam coalescat : id liquidum adhuc agitato ventis mari in littora ejectum, unà cum animalculis ei involutis, demum indurescere ajunt. In succineis enim seu electrinis massis, tanquam ergastulo condemnata, aut sepulchro condita, varia animalcula visuntur, muscæ, apes, formicæ, culices, alia : corticum item arboreorum fragmenta &c. Quæ longè nobilius ibi sepulta, quàm Mausoli ossa in magnifico illo tumulo, quem magna ambitione marito Artemisia extruxerat olim. Quò alludens Martialis, hoc Epitaphium api sic sepultæ erexit :

Et latet & lucet Phaëthontide condita gutta,
Ut videatur apis nectare clausa suo.
Dignum tantorum pretium tulit illa laborum,
Credibile est ipsam sic voluisse mori.

Idem de vipera simili modo condita, ubi rationem, quâ id fiat, exponit :

Flentibus Heliadum ramis dum vipera serpit,
Fluxit in obstantem succina gemma feram;
Quæ dum miratur pingui se rore teneri,
Concreto riguit juncta repentè gelu.
Ne tibi regali placeas Cleopatra sepulchro,
Vipera si tumulo nobiliore jacet.

Certè & Asdrubalem Hannibalis fratrem, in monte Floris succineo in tumulo jacere, memorant secula nostra, ut alia omittam. Uti autem Herculeus lapis ferrum, sic *Electrum* stipulas, plumas, lanam, ligna, folia plantarum & levissima quæque corpora ad se vi insitâ rapit. Quinimò, si quamcunq; rem pendulè & libero in aëre, filo alligatam, pendere sinas, omnia electrum, sed priùs, calore affrictione prævia animatum, attrahere deprehendes : ita quidem, ut graviora quoque ligna, filo æquilibratè levigata & suspensa, similiter venetur. Unde Aristoteles *Probl. L. omnia ad se attrahere* Electrum dicit; excipit solùm *ocymum* seu *herbam Basilicam*: quod tamen & ipsum succino non resistere, Kircherus docet, multiplici experimento id confirmans. Reperiuntur autem succina diversi coloris, pleraq; tamen fulvo auro simillima; Crystallum diceres glaucū, quæ vel intensiora magis aut minùs reperiuntur : alia albicare comperiuntur, quæ uti rariora, ita cariora. Nigri quoque coloris nonnunquam visuntur &c. Georg. de Sepibus *in Collegii Rom. S. J. Musæo pag.* 43. & 44. V. quoque infrà in voce *Succinum*.

Electus, Cubicularius Commodi, hoc interempto, unà cum Læto Præfecto Prætorio, ad Pertinacem, ad Imperium vocatum, venerunt, ut eum confirmarent. Jul. Capitolinus in *Vita* Pertinacis. Postmodum cum Pertinace ipse interemptus est. Id.

Eleemosyna, V. suprà, ubi de *Egenis*. At *Eleemosyna*, apud Scriptores medii ævi, domus est Monasterio vel Ædi sacræ adjuncta, in quâ *eleemosynæ* pauperibus erogabantur, ab eo, cui pauperum cura demandata erat: propriè *Hospitale Pauperum.* Eadem *Eleemosynaria* quoque non rarò dicta occurrit : cui qui præerat hodieque in Monasteriis præest, ac Monachorum eleemosynas aliorumque pauperibus distribuit, *Eleemosynarius* dicitur, de cujus officio prolixè agitur *in Libr. Ordinis S. Victoris Paris. MS. cap.* 14. apud du Fresne, item à Lanfranco *in Decretis pro Ord. S. Benedicti cap. 8. sect. 3.* Udalrico *Consuetudin. Cluniac. lib. 3. cap.* 24. Aliis. Decimas verò bonorum suorum seu redituum, Ecclesiarum possessores & Monachos pauperibus elargiri fuisse obstrictos, docet P. Damianus *lib. 1. Epist.* 14. &c. apud eundem du Fresne: V. quoque infrà. In Anglia verò *Eleemosyna Carucarum*, seu *pro aratris*, dictus est olim denarius, in singula aratra vel in singulas carucas, impositus, pauperibus in eleemosynam erogandus, Ethelredo, ut ferunt, Rege auctore. V. *LL.* ejus *cap.* 1. apud Eundem.

Eleemosynarius, quid propriè notet, V. suprà in voce *Eleemosyna*. Sic *Eleemosynarii Episcoporum*, occurrunt in *Conciliis* Oxon. A.C. 1222. *can.* 2. *Eleemosynarii Pontificum* in *Gestis* Innocentii III. *pag.* 150 *alibiq;* Inprimis *Eleemosynarii Regum Franciæ*, memorantur passim : quam dignitatem prorsùs aliam fuisse, à Capellanorum dignitate, contrà quàm sentit Frisonius, docet accuratè Carol. du Fresne. Et quidem *Eleemosynarii* Ludovici IX. Regis, qui illius sc. eleemosynas erogabat, meminit Gaufridus de Belloloco, in *Vita & Conversat. S. Ludovici cap.* 8. à quo tempore qui occurrunt Regum illorum *Eleemosynarii*, ex Car. du Fresne, hic infrà breviter subjiciemus, præmittentes hoc unum, auctam & novo titulo dignitatem hanc postmodum donatam esse, sub Carolo VIII. Qui enim priùs nudè *Eleemosynarius* audiit, ab eo tempore *Magnus Franciæ Eleemosynarius* appellari cœpit : cujus quanta sit hodie dignitas & prærogativa, Petrus Gallandius in *Vita* Petri Castellani, Matiscon. Episc. hisce exponit, *Est is honoris gradus omnium Ecclesiasticorum in Gallia facilè princeps; quo qui donatus est, Regi è somno excitato, inter primos salutatores adesse solet & de eo cognoscere, quo in loco & tempore rem sacram peragi velit. Aulæ totius Regiæ unicus Episcopus est : quocunq; in loco per totum Regnum Rex versetur, ab eo Sacramenta petere solet : Sacello Regis ordinando, Cantoribus ejusdem & Sacerdotibus omnibus Aulam sequentibus præest : dispensatio Regia in pauperes beneficentiæ & pauperum omnium curatio ejus unius propria est; ad ejus etiam curam pertinet per universum Regnum iis omnibus pauperum domiciliis, quæ tum Ptochodochia, tum Xenodochia appellant, atq; etiam iis, quæ leprâ infectis olim à Regibus attributa sunt, administratores idoneos præficere, præposteros & inutiles loco movere — ejusdem est omnem animadversionem ad se revocare, numerum leprosorum aut aliorum miserorum explere, ad referendas rationes omne Procuratorum & Administratorum genus cogere, corruptè — in suo munere versatos exigere, aliosq; in eorum locum subrogare : omnia quoq; Sacerdotia, quæ Regiæ potestatis sunt, quæ plurima sunt, præter Episcopatus & Abbatias, donare & conferre. Ad ejus quoque officium perti-*

pertinet, primo quoq; Regis in oppida ingressu, maleficos — regiâ veniâ illis concessâ laxare & liberos impune unitteere &c. apud eundem du Fresne *in Glossario.*

Eleemosynarii Franciæ, apud Scriptores occurrentes.

Fr. Joannes *des Granges*, Prior Vallis Scholarium, sub Philippo Pulchro, A. C. 1311.
Fr. Joannes *de Grandpré*, A. C. 1314.
M. Silvester *de la Cervelle*, sub Carolo V.
Ægidius *des Champs*, postmodum Episc. Silvanectensis, A. C. 1409.
Petrus *Cauchon*, Bellovac. Episc. A. C. 1431.
Joannes *d' Aussi*, Episc. Lingon. sub Carolo VII.
Joannes de Brevicoxa, postmodum Episc. Genevensis.
Joannes Balua, Episc. Ebroic. ac demum Cardinalis, sub Ludovico XI.
Joannes *d' Huillier*, Decanus Paris. sub eodem & Carolo VIII. Cæteri qui sequuntur, *Magni Franciæ Eleemosynarii* dicti sunt, uti monitum, facileq; in Regum Aulis primas tenuere.
Joannes *de Reli* Doctor Theologus, Carolo VIII. à Confessionibus, Episc. Andegavensis.
Franciscus *de Moulins*, Abbas S. Maximi in Aurelianis, A. C. 1500.
Gotfridus *de Pompadour*, In Camera Computorum Præses, Aniciensis Episc. sub Carolo VIII. & Lud. XII.
Adrianus *de Goufier*, Cardin. de Boissi, A. C. 1516.
Franciscus *le Roy de Chauvigni*, sub Francisco I.
Philippus Cossæus Episc. Constant. A. C. 1535.
Joannes *le Veneur*, Cardin. A. C. 1530.
Petrus Castellanus Episc. Matiscon.
Antonius *Sanguin*, Cardin. de Meudon, sub Henrico II.
Ludovicus *de Brezé*, Episcopus Meldensis, sub eodem Rege.
Carolus *de Humieres*, Episc. Bajocensis, A. C. 1578.
Jacobus Amiotus Melodunensis, Episc. Autisiodorensis, Caroli IX. Præceptor, obiit A. C. 1593.
Reginaldus *de Beaune*, Bituricensis, ac deinde Senonensis Episcopus, mortuus A. C. 1606.
Jacobus *Davy*, Cardin. Perronius, Senonensis Archiep. sub Henrico IV. & Ludovico XIII. obiit A. C. 1618.
Franciscus Rupifulcaudius Cardin.
Alphonsus Lud. Cardin. Richelius A. C. 1632.
Antonius Barberinus, Archiep. Remensis.
Emmanuel Theodosius *de la Tour d' Auvergne de Bouillon* A. C. 1672.

Elegia, in funeribus primùm dicta est, uti Ovidius in funere Tibulli innuit. Ejus inventorem nescire se, confessus est Horatius. Theoclen tamen quendam, sive Naxius ille, sive Eretriensis fuerit, tradunt furentem hoc carminis genus primum effudisse. Nomen à *miseratione*, ἐλεεῖν λέγειν, unde *miserabiles Elegos* appellavit Horatius. An potiùs ab ἒ ἒ λέγειν, quæ interjectio, ut & *ai ai*, frequens omnibus Tragicis. Cantabatur autem ad tibias *Elegia*, unde illam ᾠδὴν αὐλουμένην πρὸς αὐλὸν definit Scaliger &c. Postea usus translatus est ad longè diversissima: sc. ad amores, non tamen sine ratione. Nam & frequens conquestio in amoribus & verissima mors, quæ à nobis sexui huic vivitur. Diffusa tandem significatio, ad eum quoque, qui potitus esset, veluti apud Ovidium,

Ite triumphales circum mea tempora lauri &c.

Idem Scaliger *Poëtic. lib. 1. cap.* 50. Unde amatorios Poëtas tres *Elegiacos* in unum volumen compulsos, à vett. Criticis hodieque habemus. Sed & eodem carminis genere antiquos Poëtas multa ἱστορούμενα tractasse, Callimachum, Parthenium, Euphorionem, Alios,, docet Salmasius *ad Solinum pag.* 851.

Elei, pop. adde: *Μύαγρον* Deum placarunt, de quo infrà dicemus

Elementa, non minùs ac Cœlum & Sidera, & quidem post hæc, inter Vett. fuere Deos; qui honor sic primùm tributus eis, ut hunc cum cœlis haberent communem. Ita, cum Sole ac Luna, *Elementa* esse Deos, credebat Prodicus Ceus: & si in quorundam sententia siderum cultus non exprimitur, hi videntur cœlestes illos ignes intellexisse; uti fortè, cùm Empedoclem Agrigentinum pro Numinibus habuisse *Elementa*, cum Lite & Concordia, Simplicius scribit. Et hæc quidem Philosophi: de Gentibus totis liquidior res est: Quemadmodum de Græcis & Romanis, qui Rheæ, Neptuni, Junonis, aliisque nominibus ea signabant. Item Persis, qui, præter Cœlum, Solem, Lunam & Venerem, coluere καὶ πῦρ καὶ γῆν καὶ ἀνέμους καὶ ὕδωρ, *& ignem & terram & ventos & aquam*, uti clarè dicunt Herodotus *lib.* 1. & Strabo *lib.* 15. Dissentit quidē Trogus, qui unum ait Solem coluisse, verùm illud de antiquis Persis potest intelligi. Ex *Elementis* autem ante alia, Tellus prima videtur divinos hos honores obtinuisse; nisi quòd Aquam primùm Ægyptii videntur venerati; inde demum ad reliqua transitum, qua de re V. Vossium *de Idolol. lib.* 2. *cap.* 52. & *seqq.* ut & quodlibet Elementorum *suo loco.*

Elementa Prima, apud Horatium,

— *Pueris dant crustula blandi*
Doctores, elementa *velint ut discere prima.*

Jul. Capitolino *in Pertinace* dicuntur literæ elementariæ; aliquando *Literæ* absolutè: unde *Literatores*, qui illas docebant; qui & *Grammatistæ*, item *Calculones* aut *Cauculones*, ut in vetustis libris scribitur. Vetus *Epigr.*

— *Docendam suscepis cauculo pubem.*

Iidem enim fere, qui primas literas docebant, & calculo quoque pueros imbuebant &c. ut videre est suprà in voce *Edomator*. V. Salmasium *Not. ad Capitolinum.*

Eleonora, fil. Ferdinandi I. Imp. Guilielmo Mantuæ Duci nupsit. V. Spenerum *Sylloge Geneal. Histor. in Fam. Austriaca.*

Elephantarches, Græca vox, 2. Maccabæor. *cap.* 14. *vers.* 12. ubi ex *Elephantarcha* Nicanor Dux Judææ factus legitur: is dicitur, qui imperium habet in belluas, ut Craterus, quem Alexander elephantis suis præfecerat, apud Arrianum *lib.* 6. Quamvis enim in Æliani *Tacticis* is *Elephantarcha* propriè dicatur, qui 16. elephantos regit; ut *Ceratarcha*, qui 32. *Phalangarcha*, qui 64. tamen, latè sumto vocabulo, *Elephantarcha* dicitur, quisquis elephantis præficitur, quamlibet magno sint numero. Itaque Hermon, cui quingentos elephantos commiserat Ægypti Rex Philopator, *lib.* 3. Maccab. sæpe *Elephantarcha* vocatur: Et Regi Seleuco id cognominis inditum à Demetrii adulatoribus, quod plures haberet elephantorum centurias. Aliud Ἐλεφαντιστὴς in Philosopho *Hist. lib.* 9. *cap.* 1. nempe qui elephanto insiliens illum *ἀγκίστρῳ vel ἄρπῃ, falce dirigit.* Is alio nomine vocatur Ἐλεφαντηγός, quem ab *Elephantarcha* Pollux sic distinguit *lib.* 1. *cap.* 10. ut ab equisone differt ὁ Ἱππάρχης seu *Magister Equitum.* V. Sam. Bochartum *Hierozoici Parte prior. Lib. II. cap.* 27.

Elephantiæ Dracones, memorati Solino *cap.* 27. quibusdam dicti sunt, quòd *elephantiasin* morbum morsu inducant. Salmasio potiùs, quòd cum elephantis perpetuâ discordiâ pugnant, ut eorum sanguinem sorbeant, cujus sunt avidissimi. Hi non humi tantùm serpunt, ut *Chamædracones*, sed arbores etiam inscendunt, è quibus speculati in elephantos prætereuntes se injiciunt. Verùm à venatoribus sæpe deprehensi, cum elephantis pariter occiduntur: *præmia capientibus sunt oculi, pelles, dentes*, Philostr. *Apollonii lib.* 3. V. Salmasium *ad Solinum pag.* 343. Istiusmodi draconis ab elephante elisi sanguinem, *cinnabari* creditum esse Vett. diximus suprà.

Elephantine, Græcè Ἐλεφαντίνη, item Ἐλεφαντίς, urbs Ægypti, ὅρος, seu *μεθόριον* potiùs, *terminus* Æthiopiæ & Ægypti, claustrum olim Romani Imperii, à qua & Catadupis Nilus incipit, ex adverso Syenes posita, quam cum Philis Plinium confundere, docet Salmasius *ad Solinum pag.* 436. V. quoque *Elephantina.*

Elephantini Libri, apud Romanos dicti sunt, in quibus civium nomina inscripta, unà cum Actis publicis, in sanctiore Ærario, asservabantur: quod proin non rarò *Tabularium* vocatum reperitur apud Auctores. Meminit istiusmodi librorum Vopiscus *in Tacito*, ubi ait: *Habet Bibliotheca Ulpia in armario sexto librum Elephantinum, in quo hoc SC. perscriptum est: cui Tacitus ipse manu sua subscripsit.* Sic dicti Oiselio *in A. Gellii lib.* 11. *cap.* 17. quòd elephanto, seu ebore sectili constarent: & certè eboreorum codicum mentio quoque apud Ulpianum est *l.* 52. *D. de Legat.* 3. Scaliger tamen putat, ex omentis Elephantorum compositos fuisse, cui suffragatur Gerh. Joh. Vossius, qui tamen in ebore scribi potuisse, non negat. Unde Martialis *lib.* 14 *Epigr.* 5.

Languida ne tristes obscurent lumina ceræ,
Nigra tibi niveum litera pingat ebur.

Nihilominus non desunt, qui libros illos *Elephantinos* dictos fuisse contendant, non à materia, è qua constiterint, sed à prodigiosa illorum magnitudine: quemadmodum, quidquid vulgarem longè excedit mensuram, *Elephantinum* appellamus. V. Alexandrum *Genial. dierum lib.* 2. *cap.* 2. & de varia qua scribebatur materia, infrà, in voce *Scribendi ritus.*

Elephas, quadrupedes inter principatum tenet, de quo sic Hiobus *cap.* 40. *versu* 10. *Ecce nunc Behemoth, quem feci tecum, herbam tanquam bos comedit.* Ubi voce generali *Behemoth*, per excellentiam *Elephantem* significari, Hebræi contendunt; quos & Thomas Aquinas & Nic. Lyranus sequuntur. *Hunc*, inquit Deus *feci tecum*, h. e. eodem, ac te, die creavi, & in eadem, ac te, terra constitui. Addit, *boum more herbam comedere*: quasi dicat, tam vastam belluam non incutere nobis metum, quia bovis instar iis contenta sit, quæ in terra succrescunt. Et sanè tantum abest, ut homini sit metuenda, ut odore, quo plurimum valet, animadverso hominis vestigia, intermiscat, uti Plinius testis est. Et quæ de robore ac magnitudine ejus sequuntur. Sequitur, *Ipse est principium viarum Dei, qui fecit eum: applicavit ei gladium suum.* Quibus verbis *Elephantum* inter animantia, statuit esse opus Dei primarium; neq; etiam esse opus hominis, eum interimere: sed esse id Dei proprium. Quod de Jobi temporibus capiendum videtur. Nam ut Plinius habet *lib.* 8. *c.* 6. *Proboscidem facillimè amputari, Pyrrhi præliorum experimentis patuit.* Postmodo etiam reperta est necandi ratio: Nempe si, ut Livius ait *lib.* 27. *fabrile scalprum ipsi in compage, qua jungitur capiti cervix, quanto maximo fieri potest ictu malleo adigatur. primusq; eam celerrimam mortis viam in tantæ molis bellua instituerat Asdrubal.* Asdrubal ille, Annibalis frater, non totis 50. annis cæsus, ante mortem Judæ Maccabæi, adeoque 13. seculis Jobo, si is Mosi æqualis fuit, recentior. Magnitudinem quod attinet, variant Indici ac Libyci: de quo sic Philostratus *lib.* 2. *de vita Apollon.*

Apollon. cap. 6. Ὅσῳ ἵππου Νισαίου μείζων ὁ Λιβυκὸς ἐλέφας, τοσοῦτον Λιβύων οἱ Ἰνδοὶ μείζους. *Quanto est equo Nisæo major elephas Libycus, tanto Libycis elephantis majores sunt Indici.* Et ante eum Plinius *lib.* 8. *cap.* 9. *Indicum Afri pavent, nec contueri audent: nam & major Indicis magnitudo.* Præter magnitudinis discrimen, etiam animorum robore utrosque differre, scribit Livius, ubi Romanam adversùs Antiochum in Asia aciem describit, *lib.* 37. Sunt verò Indici novem cubitorum altitudine, latitudine quinorum, ut refert Ælianus, *de Animal. lib.* 13. *cap.* 8 atque addit, maximos θηναίους, proximos magnitudine Ταξίλας vocari. Nec tamen in continente Indiæ omnium maximi: majores illi, imò & robustiores & dociliores magis, qui in Ins. Taprobana, ut proditum est eidem *lib.* 10. *cap.* 18. atque idem Lusitanorum navigationibus compertum. De robore eorum vel cognoscere est ex eo, quod turres gestant, unde decem, vel quindecim milites mittant jacula, aut sagittas, ut Philostratus habet *l. c.* Imò Maccabaicæ, sive Asmonæorum historiæ, *lib. I. cap.* 6. *vers.* 37. narratur, ut bello Antiochi Eupatoris adversùs Judæos, tergo in turribus ligneis ac validis gestarint milites 32. cum Indo, belluæ Magistro, V. quoq; Oppianum *de Venat. lib.* 2. *versu* 531. & *seqq.* Nec magni modo sunt & robusti, verùm etiam vivaces. Nam 200. vel 300. annos vivere, testes sunt Aristoteles *Hist. Animal. lib.* 8. *cap.* 9. & *lib.* 9. *cap.* 56. Plinius *lib.* 8. *cap.* 10. Ambrosius *Hexaem. lib.* 6. & Nonnus *Dionysiacon lib.* 26. Ex recentioribus, qui in India diu versatus est, Joh. Baptista *Tavernier*, Gallus, *Itiner. sui part.* 2. *lib.* 1. *cap.* 18. ubi multa, aliisq; non notata, de *Elephantis*: nunquam scribit exactè discere potuisse ex eorum Magistris, quousq; ætatem extendere queant, conjicere se tantùm, ex dictis illorum, ad 130. annos atque ulteriùs vivaces esse. At majus hisce omnibus, quòd sic excellant ingenio ac sagacitate, qua de re præter Tullium *de Nat. Deorum lib.* 3. Strabonem *lib.* 6 Philostratum *de vita Apollon. lib.* 2. *cap.* 7. alios, V. Lipsium *Epist. de Elephantis*. E quibus unicum illud intersero, quòd discant adorare Regem, ut ait Aristot. *Hist. Anim. lib.* 9. *c.* 46. Ac fidem quoque facit, quòd Hier. Osorius *de Gestis Eman. R. lib.* 9. refert, ut A. C. 1514 Elephantus Indicus Romæ (ubi id animal, post inclinatam Imperii Rom. Majestatem visum nunquam erat) Leonem X. *Pontif. ter genibus flexis, & demisso corporis habitu, venerabundus salutarit.* Ubi cùm genua flexisse dicitur, hoc significatur, leviter flexisse calcaneum. Nec enim elephantus stans genua valet flectere: unde & credo, inquit Vossius, hæc bellua Ægyptiis (quod est apud Orum *Hieroglyph. lib.* 2. *c.* 86.) symbolum erat Regis: Nam Rex supplicat nemini. Paulò suprà memoratus *Tavernier* in Persia, Regem ab *Elephantis*, anteriores pedes prorsum, posteriores retro, quantum poterãt porrigendo, salutatum se vidisse, & hanc eorum genuflexionem, quibusdam memoratã esse, scribit, *Itiner Pers.* Imo *disciplinam siderum eos servare*, & *Solis exortum, motibus quibus possint, salutare*, Solinus: novaque Luná nitescente, descendere gregatim ad amnem quendam, *ibiq; se purificantes solenniter aqua circumspergi, atq; ita salutato sidere* (Luná) *in sylvas reverti*, Plinius, tradunt. Qua de re Salmasius *ad Solinum p.* 206. Interim tam vasta, tam valida, tam sagax bellua, non solùm fraude capitur humanâ, de quo Aristoteles *Hist. Anim. lib.* 4. *c.* 1. & præfatus Tavernier: sed & capta mansuescit,

Quaq; sui jussis obtemperat Inda Magistri
Bellua, servitium tempore victa subit,

ut canit Ovidius *Tristium lib.* 4. *Eleg.* 6. Quin etiam regitur à tredecim annorum puero, ut est apud Philostratum *de Vita Apollon. lib.* 2. Jugum quoque subit ac currum trahit, quod non solùm ex Oppiani *l. c.* sed vett. pariter nummis videmus. Arabicis inprimis, *quos nubos vocabant*, in agricultura, pro bubus, Indos consuevisse uti, docet Plinius *lib* 8. *c.* 1. Ad bellum porro assuefiunt, non solùm ut milites ferant, sed & ut falcibus instructi ipsimet hostes lancinent, ut memorabili exemplo docet Tavernier præfatus *Itiner. part.* 3. qui etiam in Regno Tunquinensi omnium maximos, eosque tam expeditos agilesque, ut in terram se submittentes sessorem facilè recipiant, reperiri ait, in *Descr.* ejus. V. quoque de eorum pugna Amphitheatrali, à Jul. Cæs. editâ, apud Suetonium *in eo cap.* 39. &c. Iidem ebur suppeditant hominum ambitioni, & tergore impenetrabili arma militibus; inde enim cetras paratas olim, apud Plinium habes Carne eorum vescuntur pop. inde *Elephantophagi* dicti, de quibus V. suo loco. Ut alia omittam, de quibus præter Auctores jam laudatos, fusè agit Gerh. Jo. Vossius *de orig. & progr. Idolol. lib.* 3. *cap.* 50. & Sam. Bochartus *Hierozoici Part. prior. lib. II. c.* 23. & *seqq.* ubi nomine *Behemoth* apud Hiobum *elephantum* non intelligi posse, inter alia multis probat. Nomen quod attinet, *ab ejus loci, in quo nascitur, populo*, illud *Elephantem traxisse*, dicit Salmasius ubi suprà *pag.* 389. Certè hoc nomine montem Æthiopiæ esse, vidimus suo loco.

Elephas, Scriptoribus Francicis, pro litui vel tubæ specie, crebrò usurpatur, *Olifant*. Sed & laudatur Olao Wormio *lib. de Cornu aureo pag.* 27. vetus cantilena Islandica Runica, quam sic Latinè vertit, *Per viginti milliaria Gallica audiebatur sonus Olifanti, dum fortiorum expugnator cornu inflavit durissimum*, V. Carol. du Fresne *Glossar.*

Elevatio Manuum, ritus antiquissimus, in juramentis & precibus usitatus, V. infrà ubi de ritu *Sublatis in altum manibus precandi*.

Eleusa, Græcè Ἐλαιοῦσσα, scopulus in sinu Saronico, cultus olim, & inter populos Atticæ recensitus, ad Hadrianidem tribum pertinebat, hodie *Elissa*, ut videtur, dictus. Inde oriundus Philodemus, Archon erat, uti ex vet. *Inscr.* docet Sponius; qui etiam aliam, ejusdem demi memoriam servantem, in quâ *Hierophantæ, Daduchi, Hierocerykis, Cerycis, Epibomi, Grammatei, Archigrammatei, Programmatei*, ὁ ἐπὶ βωμῷ, ἱερεῖς, & *Hieraulæ*, qualia cuique Tribui munera erant, mentio fit, exhibet, *Itinerar. Part.* 3. ubi de 174. *Populis Atticæ*.

Eleusis, adde: Ambitus ejus 2. mill. complectebatur, sed jam in ruinis est, utpote ab incolis, quibus nimium infesti piratæ Christiani fuerunt, penitùs deserta. V. ejus, ut & ruderum Templi Cereris Proserpinæque accuratam descriptionem, apud Jac. Sponium *Itiner. part.* 2. *pag.* 279. & *seqq.* ubi lipsana Cereris statuæ, ex candidissimo marmore, & basin ejus, in qua pompa sacrorum, cum verbis, ΝΟΥ ΝΙΓΡΕΙΝΟΣ ΙΕΡΟΚΗΡΥΞ, ære incisa curioso lectori sistit. Idem varias *Inscr.* quas ibi observavit, exhibet, *Part.* 3. ubi de 174. *Populis Atticæ*. Neq; verò in hac urbe solùm, sed imitatione ejus, in aliis quoque Græciæ urbibus, *Cereris Eleusinæ* Templa erecta, ac sacra instituta esse docet, exemplo Pheneatum Arcadiæ, Salmasius *ad Solinum pag.* 752.

Eliaca Secta, V. infrà *Eliensis*.

Elias Ehingerus, edidit *Codicem Canonum Ecclesiæ Orient.* ex Bibliotheca Augustana, Wittebergæ, A. C. 1614. post Joannem Tilium, qui eum Græcè, ex Bibliotheca Canonicorum Divi Hilarii Pictaviensis, primus ediderat A. C. 1540. Gerh. von Mastricht *Histor. Juris Eccles. num.* 189.

Eliberri, adde: Ad restituendam collapsam disciplinam lapsorum. Cui fini quoque in Oriente Petrus Alexandrinus Episc. eodem tempore scripserat *Canones Pœnitentiales*, qui hodieque leguntur, *in Bibliotheca Patr. Tom. VII.* & apud Theodorum Balsamonem *in Nomocanonis fine*.

Elicere, absolutè, verbum Magicum. Tertullianus *de Anima cap.* 28. *Quid si ab æditimo rerum à clam inspectione cognovit? Scimus enim Magos elicere explorandis occultis, per Catabolicos & Paredros & Pythonicos spiritus*, ad quem locum V. de la Cerda. Unde unicà huic rei voce, *eliciti Manes*, Statio *Thebaid. lib.* 4. *versu* 414.

Tam penitùs, duræ quàm mortis limine Manes
Elicitos *patuisse refert* ——

Quod quo modo quibusque sacris factum, exponit Statius idem *eod. libr.* fusiùs, quàm ullus alius fecit, ad quem V. *Animadversiones* Casp. Barthii. Quinam autem *elici* fuerint soliti, attigimus suprà ubi de *Aboris*.

Elices, sulci aquarii, ad siccandos agros, al. *Collicia*, V. ibi, ut & infrà in voce *Nares canalis*.

Elichrysus. Græcè Ἑλίχρυσος, item Ὀλόχρυσος, nonnullis idem cum *buphthalmo*, *chrysanthemo* & *chrysantho*, flos aureus est luce coruscâ & vegetâ, folio albo, in coronis olim, etiam Deorum, receptus. Plin. *lib.* 21. *cap.* 25. *Ad Solis repercussum aurea lucis in orbem veluti corymbos habet dependentes, qui nunquam marcescunt. Quâ de causa Deos coronant illo. Quod diligentissimè servavit Ptolemæus Ægypti Rex.* Et quidem prima è flore hoc Dianam coronasse legitur Helichryse Ephesia, unde flori nomen, *Etymol.* Eodem si se coronarent Magi, ad gratiam vitæ gloriamque pertinere, arbitratos esse, docet C. Paschalius ex Dioscoride, *Coronarum lib.* 3. *cap.* 15. Sed & ἑλίχρυσος, *auripigmentum* est, quo de V. Salmasium *ad Solinum pag.* 317. & 1229.

Elicius, adde: Aram ei in Aventino extruxit ac dedicavit Numa Pompilius, V. Livium *lib.* 1. qui quo pacto artem Jovis eliciendi edoctus fuerit, docet Arnobius, ut & Plut. *in Numa*: Huic cùm non ritè sacrum fecisset Tullus Hostilius, fulmine ictus cum tota domo conflagrasse legitur, apud eundem Livium *lib. præfato*. V. quoque Joh. Rosinum *Antiqq. Rom lib.* 2. *cap.* 5.

Elico, Gallici tumultus auctor: Plin. *lib.* 12. *cap.* 1. *Produnt Alpibus coërcitas Gallias hanc primùm habuisse causam superfundendi se Italiæ, quòd* Elico *ex Helvetiis civis earum, fabrilem ob artem Romæ commoratus, ficum siccam & uvam oleiq; ac vini promissa remeans secum tulisset. Quapropter hæc vel bello quæsisse, venia sit.* V. quoque Plutarchum *in Camillo* & Livium *Dec.* 5. *lib.* 1.

Eliensis, sive *Eliaca* secta Philosophorum, auctorem habuit Phædonem Eliensem, qui servus cùm esset, Socrate hortante, emtus sive ab Alcibiade, sive à Cebete Thebano, Sapientiæ studio se applicuit, sectæ novæ conditor. V. Strab. *lib.* 9. Diogenem *lib.* 2. Hesychium & Suidam. Phædonem hunc, Socratis discipulum & elegantium de Præceptore Sermonum auctorem, audivit Plistanus itidem Eliensis: Plistanum Menedemus Eretricus, à quo *Eretrici* dicti, qui *Eliaci* priùs vocabantur. V. Gerh. Joh. Vossium *de Philos. sectis cap.* 10. & in voce *Elis*.

Viri illustres.

Elimarus I. Hajonis, Dynastæ Frisii, ex Rixa sorore Hunonis *Gloriosi*, Comitis Oldenburgici, filius, Friderico avunculo, in Com. Oldenburgico successit: controversiam ei de hæreditate movente Milone Com. Alvenslebio, cujus pater Theodoricus filius erat Conradi, quem patruus Hunonis præfati progenuerat. Obtinuit

nihilominus *Elimarus*: cujus filius *Elimarus* itidem & Johannes duas dedere lineas, (tertius Bernhardus Henrici Leonis miles fuit:) hic quidem Wildeshusanam, quæ sec. 14. extincta est, ille verò Oldenburgicam.

Elimarus II. fil. prioris, præter Ottonem, Præpositum Bremensem, nepotum Christiani & Mauritii tutorem, genuit Christianum Bellicosum & Henricum; quorum hic Brockhusæ Comes novum ramum orsus est, in quo ultimus Conradus, à Butjadis cæsus A. C. 1358. filiam tantùm reliquit Margaretam Johannis Com. Diepholtani uxorem: Ille verò Oldenburgicos continuavit. Phil. Jac. Spenerus *Syll. Geneal. Histor. in Fam. Oldenburgo-Danica.*

Elissa Tyria, Justino memorata *lib.* 18. Carthaginem condidisse dicitur, hinc *quamdiu Carthago invicta fuit, pro Dea* ibi *culta.* Eam *Dido quidam autumant*, inquit Vellejus *Histor. lib.* 1. Prius nempe vocabatur אֱלִישָׁה *Elissah*: cujus posterior pars שֶׂה *agnus*; unde interpretantur, *Dei mei agnus.* Nisi idem nomen ac Prophetæ Elisæi, אֱלִישָׁע, quod à יֶשַׁע *salus*, ut sit *Dei salus*, vel *Deus salvans.* Apud Eusebium legas, Didoni priùs nomen fuisse Ὀρσηὶ: quod unde hauserit, incompertum. *Dido* autem Hebr. דִּידָה, *dilectulam* notat &c. Quia verò *Elissa* Tyria fuit, hinc natus Phœnicum, apud Appianum *initio Lybic. & Punic.* error, dicentium Xorum & Carchedonem urbem eam extruxisse. Nullus enim Xorus fuit, sed fabula de hoc conditore ex eo cœpit, quòd Carthago Tyriorum esset colonia: at Tyrus, Phœniciâ linguâ צוֹר *Tsor* diceretur. Græcis quippe nulla vox incipit à *TS.* sed pro duplici, *Tsade* sive *Ts*, habent KS. sive Ξ. unde multo plurima inchoant. Ergo pro Τσῶρος dixere Ξῶρος. Nisi pro *Xoro* scribendum *Zoro*: quippe in Eusebii *Chronico* legas ex Philisto, Zorum & Carchedonem esse Carthaginis conditores &c. V. Gerh. Joh. Vossium *de orig. & progressu Idolol. lib.* 1. *cap.* 32. ut & in voce *Carthago.*

Elixa, dicuntur quæ in aqua coquuntur, ipsa verò aqua sola quum fervet, *excoqui* & *decoqui* dicitur: inde Vett. *decocta.* Aliàs *elixa* etiam *decocta* vocantur. Et quidem parandi cibos modus hic recentior assaturâ est, unde Homerum Diis suis nunquam *elixas* carnes, sed solùm assas, apponere videmus: qui modus longè simplicior. Sed & de Agno Paschali legem habemus in Sacris, *Non comederis coctum in aqua, sed assum igne*: qua de re V. Bochartum *Hierozoici Parte prior. lib. II. cap.* 50. ut & suprà suo loco. Similiter in epulis sacrificalibus Gentilium, carnem perpetuò tostam vel assam fuisse, exceptâ arietinâ, quæ *elixabatur*, docet Alex. ab Alexandro *Genialium Dier. lib.* 4. *cap.* 17.

Elletia, Græcè Ἑλλώτια, festum Europæ Agenoris Phœnicis filiæ, in Creta dicatum, Hesych. Nempe Ἑλλωτὶς Europa Cretensibus dicta est, teste eodem. Quo etiam nomine corona venit, è myrto texta, ambitu cubitorum viginti, quam in hoc Festo in pompa, cum ossibus Europæ, vehi consuevisse, Athenæus tradit *lib.* 15. V. Salmasium *ad Solinum pag.* 172.

Ellus Magister, missus à Zenone Imp. contra Leontium, huic se conjunxit contra Imperatorem, Liberatus *Breviar. capp.* 16. 17. & 18.

Ellychnia, apud Statium *lib* 4. *Sylv.* 9. *versu* 29.

Non ellychnia *sicca, non replicta*
Bulborum tunica, nec ova tantùm &c,

stupæ sunt tortiles, lychnis oleo plenis flammam alentes, Gr. ἐλλύχνια, item θρυαλλίδες, & φλογμοί, Pollux *lib.* 6. *cap.* 18. & *lib.* 10. *cap.* 26. Quem in usum etiam adhibebantur *bulborum complicatæ tunicæ*, quas mox addit Poëta. Ex cicina uva præcipuæ claritatis fieri solita, scribit Plinius *lib.* 23. *cap.* 4. qui etiam *ellychniorum*, ex quodam sulphuris genere, meminit *lib.* 35. *cap.* 15. Ex Carystio lapide quæ torquebantur, non consumebantur ardendo. Sic Athenis lychnus aureus Minervæ consecratus pendebat, à Callimacho factus, cujus ἡ θρυαλλὶς ex hoc lapide, Pausan. *in Attic.* Hodieque Tartari ex herba Sinensi, quæ supra lapides nascitur, *ellychnium* concinnant perpetuum, quod nunquam emungitur, sed, cùm sordibus concrescentibus aliquantum oppletur, conjicitur in ignem, putresque illi adhærentes fungi post ustionem absterguntur, quòd incorrupta in igne illius materia perstet, ut refert Auctor Anonymus *Sina & Europ. cap.* 32. &c. V. quoque Salmasium *ad Solinum pag.* 178. C. Barthium *ad Statium d. l.* Alios. Producebantur autem *ellychnia* acu, uti *Moreti* Auctor habet de lucerna,

Et producit acu stupas humore carentes.

Quod προβάλλειν ἐλλύχνιον, item προάγειν λύχνον, & προμύξαι (namque & μύξα ellychnium) Græci dixere. Unde apud Heronem in *Pneumaticis* rationem tradi reperimus, quâ lychnus fiat αὐτοπροάγων, *cujus ellychnium sponte promoveatur & producatur.* Cujusmodi lychno usus fuisse Cassiodorus legitur &c. V. eundem Salmasium *ibid. pag* 1305.

Elogium, Tertulliano *Apolog. cap.* 11. & Suetonio *in Caligula*, appellatur titulus criminis, qui ad crucem damnatis præferri vel iis apponi, aut ipsi cruci inscribi fuit solitus. Romanâ voce *Titulus*, quâ & Johannes *cap.* 19. *versu* 19. usus est. Atque item Nonnus, *in hoc caput*:

Γράμμα φέρων πολλῶν λαλίον Τίτλον ἰοῦ.

Matthæus *cap.* 27. *versu* 37. αἰτίαν bene ac significanter vocat: Glossæ vett. Αἰτία, *caussa, materia, titulus.* Eædem Latinæ, *Titulus*, ἔλεγχος. Latini etiam pro causa. Ut Poëta,

Et pueris titulum mortis habere meæ.

Ἐπιγραφὴ τῆς αἰτίας dicitur Marci *cap.* 15. *versu* 26. & simpliciter Ἐπιγραφὴ Lucæ *cap.* 23. *versu.* 18. Hoc *Elogium* itaque, seu Titulus, ut dictum, aliquando præferebatur damnatis, ut docet Suetonius *in Caligula cap.* 38. *Præcedente titulo, qui caussam pœnæ indicaret, per coetus epulantium circumductus.* Sic Euseb. *lib.* 5. *cap.* 1. de Attalo Martyre loquens: Περιαχθεὶς, inquit, κύκλῳ τοῦ ἀμφιθεάτρου, πίνακος αὐτὸν προάγοντος, ἐν ᾧ ἐγέγραπτο Ῥωμαϊστί, Οὗτός ἐστιν Ἄτταλος ὁ Χριστιανός: *Circumactus per Amphitheatrum, tabellâ ipsum præeunte, in qua Latinè scriptum, Hic est Attalus Christianus.* Aliquando appendebatur iis vel apponebatur: ut iterum Suetonius in *Domitiano cap.* 10. *Patremfamilias detractum è spectaculis in arenam canibus objecit, cum hoc titulo: Impiè locutus parmularius.* Nonnunquam in capite crucis scribebatur, quod factum, cùm SERVATORIS crucifixi capiti superascribi jussit Pilatus: JESUS NAZARENUS REX JUDÆORUM Sæpe tamen neglecto aut spreto *Elogio* contenti Superdictione fuerunt, id est, ut Præconis præeuntis voce populo id nuntiaretur. V. Justum Lipsium *de Cruce lib.* 2. *cap.* 11. & Thomam Godvvynum *Anthologia Rom. lib.* 3, *sect.* 3. *cap.* 4. Sed & *Elogium* dicebatur epigraphe statuarum sepulchralium. V. ibi. Imò *Elogium* in genere nihil est aliud, quam titulus, causæ brevis explicatio, præfatio. Hinc de Caligula Suetonius *cap.* 24. *tres gladios in necem suam præparatos Marti Ultori, addito* elogio, *consecravit* &c. Ex Græco ἔλεγχος, quod propriè notabat scriptionem, causam pecuniæ expensæ continentem, sive præfationem summæ, quæ in rationes referebatur. Quacunque enim de causa pecuniam expendissent Veteres, id in rationes referebant, singulis summis titulo seu *elogio* præposito, unde constaret impensæ ratio. Cujusmodi ἐλέγχου exemplum & formula est in illo Vespasiani *cap.* 22. apud eundem, *Vespasiano adamato* HS. CCCC. Item illo ex rationibus Periclis, exagitato à Comicis, Εἰς τὸ δέον ἀνάλωσα δραχμάς. Hinc ἐλογιστεῖν, inferre rationibus cum indicatione causæ, Lat. *imputare* &c. V. Casaubonum *ad Suetonium, Julio cap.* 48. adde Jul. Cæs. Scaligerum *Poetic. lib.* 3. *cap.* 40. De *elogiis* verò *custodiarum*, eidem Suetonio memoratis, suprà.

Elohim, Hebr. אֱלֹהִים, nomen Deo proprium, in quo enallage numeri plur. pro singulari; quæ etiam usurpatur, ubi tantùm de unica SS. Trinitatis persona sermo est, V. Psalm. 45. *vers.* 7, 8. Hos. *cap.* 1. *vers.* 7. & *cap.* 12. *vers.* 3. Maximè autem Deo tribuitur, ubi respicitur ad ipsius fœdus cum homine, & ubi fidei nostræ, per quam Deo juranti astipulamur, fit professio, ut patet ex Genes. *cap.* 17. *vers.* 3, 7. & Deut. *cap.* 29. *versu* 12, 13. Origo ejus, vel ab Arabico אָלַהּ *coluit*, quasi σέβασμα, *Numen colendum*, seu *venerandum*; vel ab Hebraico אָלָה *juravit*, vel *adjuratio.* Analogicè nonnunquam Hominibus & Angelis tribuitur, quia nim. illis populus Dei ad tempus subjectus fuit, tanquam Θεοῖς λεγομένοις, 1. Cor. *cap.* 8 *vers.* 6. V. quoque Psalm. 82. *vers.* 6. Μιμητικῶς autem & ironicè etiam Diis alienis. Exodi *cap.* 20. *vers.* 3. Sic Dagoni tribuitur, Judic. *c.* 16. *vers.* 23. & Vitulo aureo, Exodi *cap.* 32. *vers.* 4. quia illi verò Deo substituebantur: ubi & similis enallage observatur. Fr. Burmannus *Synopsi Theol. Christianæ Part. prior. Lib.* I. *cap.* 16. §. 17. & *seqq.*

Elops, Græcè ἔλοψ, piscis magni pretii, cum Acipensere idem esse creditus Apioni Gramm. apud Athenæum *lib.* 7. Sed cum incognitum Romanis, ait Ovidius,

Et pretiosus elops, *nostris incognitus undis.*

Unde falli Apionem, arguit Plinius *lib.* 32. *cap.* 11. Rhodi certè optimus est. Plin. idem *cap.* 54. *Rhombus Ravennæ, Muræna in Sicilia*, Elops *Rhodi.* Et Varro in *Sat.* περὶ ἐδεσμάτων, *Ostrea Tarentina, Pectunculus Chius*, Ellops *Rhodius.* Archestratus tamen etiam commendat Syracusis captum,

Τὸν δ' ἔλοπ' ἐσθ' μάλιστα Συρακούσαις ἔνι κλειναῖς
Τόν γε πρεσβεύειν ——

Surrentinum quoque Ennius in *Hedypatheticis*,

Surrentia Elopem *fac emas* ——

Cum Anthia & *sacro pisce* cognominato nonnulli eundem faciunt, alii itidem diversum &c. Salmasius *ad Solinum p.* 1316.

Elpistici, Græcè Ἐλπιστικοὶ, Philosophorum genus, omnia *Spei* tribuentes, de quibus V. Plutarchum *Sympos.* adde quæ infrà dicemus, in voce *Spes.*

Elucidarium, tit. Libri, quem scripsit S. Anshelmus, seu quis alius Anonymus, *de Summa totius Christianæ Theol.* V. Dominic. Macrum *Hierolexico.*

Elucus, apud A. Gellium *lib.* 4. *cap.* 19. *Pueros impuberes compertum est, si plurimo cibo nimioque somno uterentur, hebetiores fieri, ad veterni usque aut* eluci *tarditatem*: quid sit, exponit apud eundem Cloatius Verus *lib.* 16. *cap.* 12. *tarditas quædam* viz. *animi & stupor*, ex Græco ἠλυγής. ut Salmasio visum, h. e. ὁ ἀπονενοημένος, *tarditate & stupore obsessus*, seu *ipsa* potiùs *tarditas animi & stupor*, maximè qui ex hesterno vino seu crapula procedit. Quo stupore Græci affectum ἠλεὸν appellant. Sic vocem usurpat Tertullianus

de Or.

de Cor. mil. Liberum — Harpocration industriâ hederatum argumentatur, quòd hederæ natura sit cerebrum ab eluco defensitare. Quasi dicat, hederam conducere, ne quis ex hesterno vino capitis dolorem sentiat. Apulejus item *Apolog. Crassus ipse ubi gentium est? an Alexandriam tædio domus remeavit? an parietes suos detergit? an, quod verius est, ex crapula eluco attenuatur.* Hesychius χάσμημα appellat, quia oscitationem comitem habet. Unde Erotianus *in Lexico*, ἀλύειν, ἀπορεῖν μετὰ χάσμης. V. Salmasium *ad Solin. p.* 1279. Ant. Thysium, & Jac. Oiselium *ad Gellium d. l.*

Elugere, apud Senecam *Consol. ad Polybium cap.* 35. de M. Antonio, *Eo ipso tempore, quo M. Antonius civium suorum sedis mortisq; arbiter, M. Antonii frater duci jubebatur. Tulit hoc tamen tam triste vulnus eadem magnitudine animi, quâ alia omnia adversa toleraverat: Et hoc fuit* elugere, *viginti legionum sanguine fratri parentare*; est luctum ponere, & justa facere amicis occisis. Veterum enim superstitio fuit, interemtorum Manes quiescere non posse, aut placari, nisi humanis victimis cæsis ad tumulos aut tumulis ab ultoribus. Hinc de Virginia Livius *lib.* 3. *Manes Virginiæ, mortuæ quàm vivæ feliciores, per tot domos ad expetendas pœnas vagati, nullo relicto sonte, tandem quieverunt.* Quare proximis eorum id muneris incumbere credebant, ut hostes mortuorum ulciscerentur, quod *mactare in tumulos* vocat Statius *Thebaid lib.* 5. *vers.* 674. sicque Manibus suorum placatis luctum deponerent. Quam in rem Claudianus pulchrè *de Laudibus Stiliconis lib.* 1.

Pallantis jugulum, Turno moriente, piavit
Æneas, tractusq; rotis ultricibus Hector
Irato vindicta fuit, vel questus Achilli.
Tu neque vesano raptas venalia curru
Funera, nec venale corpus meditaris in aurum
Sævitiam, turmas equitum, peditumq; catervas,
Hostilesq; globos tumulo prosternis amici.
Inferias gens tota datur —

V. Casp. Barthium *Animadvers. ad Statium d. l.* alibique passim, ut & infrà in voce *Manes*.

Elusa, Græcè Ἐλοῦσα, urbs Arabiæ olim, postmodum Palæstinæ tertiæ, accensita, Ptolom. de qua V. Salmasium *ad Solinum pag.* 484.

Exai, adde: Discipulis suis ὅρκον εἰς λατρείαν, *jurationem religiosam* tradidit, *per salem & aquam & panem & cœlum & æthera & ventum*, quem sequutus est Pseudopropheta Muhamed, Jo. Forbesius *Instructionum Historico-Theologicarum lib. IV. cap.* 5. § 14.

Elymos, tibia Phrygia. Jul. Cæs. Scaliger *Poëtices lib.* 1. *cap.* 20. *Buxo primi Phryges excavarunt eam* (tib am) *quæ Berecynthia cognominata fuit, quum antea* Elymos *diceretur.* Earum multum usum fuisse, apud Alexandrinos, docet ex Athenæo Salmasius *ad Solinum pag.* 125.

Elysium, adde: Beroaldus campos Græcorum *Elysios* nomen accepisse ab Eliza vult, quem inter primos illos, qui post diluvium in Græciam venerunt, fuisse, Æolisque condidisse, tradunt Eruditi. Nec improbat sententiam ejus Georgius Hornius *Historia Philos. lib.* 3. *cap.* 2. ubi ait: *Nam hoc unicè prisci Magistri agebant, ut persuaderent suis, esse post hanc vitam piis Manibus paratas sedes: ubi præmia bene actæ vitæ acciperent. Quis dubitet, quin idem fecerit Eliza? cui non poterat ignota esse, quæ de Paradiso sæpe multumq; à Patribus acceperat. Talem igitur locum suis descripsit, eoq; omnes pios abituros tradidit. Quin cùm posteri neque ubi esset, neque quod ejus nomen scirent, facili negotio Principis sui nomine, à quo illa omnia acceperant, eum insigniverunt. Unde natum illud Poëtis tempore celebratum πεδίον Ἠλύσιον* Hactenus Hornius.

E M.

E. M. in notis Antiquorum, *Ejusmodi*: item, *ex more* denotat &c.

Emancipatio, quid? V. Jurecoss. Apud Francos quo modo peragi consueverit, docet C. du Fresne, hanc ejus formulam exhibens, ex *Regesto* Feodorum Burgundiæ, *Nos Hugo Dux Burgundia N. fac. præsentes literas inspecturis, quòd — Robertus Miles filius noster petiit emancipari à nobis, seu liberari à patria potestate. Nos verò videntes & attendentes ipsius Roberti consensum & voluntatem circa* emancipationem *habentem & dandam à nobis, mutuo consensu intervenientes à parte nostra & ex parte dicti Roberti, ipsam præsentem* emancipationem *acceptantem legitimè emancipamus à sacris, seu à patria potestate In cujus testimonium præsenti emancipationi ad requisitionem dicti Roberti sigillum nostrum duximus apponendum. Dat. die Sabbathi post festum B. Lucæ Evangelistæ an. D.* 1272. V. alias hujus ritus formulas *Spicilegii* Acheriani *Tom. VIII.* & apud Rollandinum in *Summa Notariæ cap.* 7. *Rubr.* 5. In Monasteriis *Emancipatio* dicitur, cùm Monachus ad aliquam dignitatem promovetur & eo ipso ab obedientia Superioris eximitur. Sic Rogerus quidam in Abbatem assumtus, ab Alexandro Pontif. in signum *Emancipationis*, accepit *mitram, annulum & chirothecas* apud Rad. de Diceto *A. C.* 1179. neque prius benedictionem accipiebat Monachus in Abbatem alterius Monasterii electus, quàm à suo Abbate fuisset emancipatus, cujusmodi *emancipationis* formulam habes, apud eundem du Fresne, ex *Tabulario* Monasterii S. Remigii Rem. Quin etiam, si Abbas ipse ad majorem dignitatem v. g. Episcopatum, proveheretur, totus Conventus consensus requirebatur, ut ex Anselmi *lib.* 3. *Epist.* 6. & 7. colligitur. Porro etiam Ordines Religiosi *emancipari* dicuntur, cùm Ordinariorum jurisdictioni exempti, Sedi Pontificiæ immediatè subjiciuntur, apud Joann. Sarisberiensem *Policrat. lib.* 7. *cap.* 19. ubi in ejusmodi *emancipatos* graviùs invehitur &c. V. Car. du Fresne *Glossar.*

Embasicetas, inter ministros Veterum nuptiales. V. infrà, in voce *Fax*.

Embateria, Græcè Ἐμβατήρια, carmina dicta sunt Laconum bellica, qualia Tyrtei, quæ in præliis concinere solebant. Iisdem & tibiæ, & saltationes, quibus eadem fini utebantur, ἐμβατήριαι appellatæ. Jul Cæs. Scaliger *Poëtices lib* 1. *capp.* 18. & 20.

Emblema, ex Græco ἔμβλημα, quod operi cuipiam adjicitur, ornatus gratiâ. Fortunatus *de Vita Martini lib.* 2.

Emblema, gemma, lapis, toreumata, thura, falerna.

Latinis *inserta*, inserere enim est ἐμβάλλειν. Publius,

Frugalitas inserta est rumoris boni.

Fiebat id per artē *[illegible]*, quâ tesselæ aureæ altè in argentum impressæ includebantur, quod & *auro cludere* seu *includere* & *auro vincire ac ligare* dicebant: opera verò χρυσόκλειστα hinc & χρυσόδετα, V. suprà passim. De vasis propriè ac poculis, quæ si argentea erant, habebant *insertas* seu *emblemata* ex auro; sin aurea, emblemata è gemmis erant. Uti autem *emblemata* in pocula, sic planè specula in parietes inserebantur, item vitreæ istæ quadraturæ, quibus domum suam induxisse Firmus legitur, apud Vopiscum in *Vita* ejus. quæ proin *emblemata parietum* non sine ratione dicerentur. Sed &, uti signa poculorum *Emblemata* appellata sunt, sic signa quoque vestium, h. e. clavi, *emblemata* appellari cœperunt & *inserta* &c. Salmasius *ad Vopiscum in Aureliano*, *Firmo* &c Idem tamen *ad Solinum*, quasi seipsum corrigens, negat *insertam* Latinis pro *emblemate* dictam esse: Aliàs enim *non quæsisse*, inquit, *in Senatu Tiberius, quo nomine dici posset, in Latio, Græcum* ἔμβλημα. Ideoque in Publii versiculo legi vult,

Frugalitas incerta est rumoris boni.

h. e. culpatur ab his, laudatur ab illis &c. *pag.* 1122.

Embola, Græca vox Ἐμβολή. in genere transvectio mercium est quæ in navem ἐμβάλλονται, *injiciuntur*; In specie sic dicta est olim solemnis & annua *publicarum specierum transvectio*, quæ ex Ægypto fiebat, onus navium Alexandrinarū, quæ *αἰσία ἐμβολή*, in *Edicto* Justiniani 13. *cap.* 4. § 1. & *sacra embola* dicitur, in *l.* 10. *Cod. de Sacros. Eccles* & *Nov.* 163. *cap.* 2. Et quidem *Embola sacra* appellabatur primitus certus frumenti modus, quē necessariò Romæ subministrabat Ægyptus, jam ab Augusti ævo: unde ab ejus temporibus frequens apud vett. Scriptores Alexandrinæ classis mentio. Post Augustum multi Principes cùm circa hanc classem aliquid innovassent, Aurelianus quoq; frumentis Ægyptiacis alias species adjecit, quæ pars *embolæ sacræ* censerentur. Fl. Vopisc. in *Vita* ejus, *Vectigal ex Ægypto urbi Romæ Aurelianus vitri, chartæ, lini, stupæ atq; anabolicas species æternas constituit.* Ubi *anabolicas* species cum *embolicis* easdem esse, docet Salmas. V. suprà in *Anabolica*. Postea id videtur iterum mutatum: nam *sacram embolam* Græci Jurecoss. nominant [illegible] *αἰσίαν ἐμβολὴν* εἶναι *felicis embolæ frumentum*. V. Casaubon. & Salmas. *ad Vopisc.* Aliud est ἐμπολή & ἐμπολᾶν, *nundinæ* nempe & *emere*: quamvis Αἰγυπτίων ἐμπολαί Euripides vocat *merces* Alexandrinas vel *Ægyptiacas*, minutas illas variasque, unguenta, colores vitta, pupas & imagunculas puellarum, alias, quas qui vendebant, *[illegible]* & *[illegible]* Græcis, atq; etiam *παντοπῶλαι*, nonnunquam dicti sunt, quòd omne genus merces promercales haberent Idem Salmasius.

Emboliaria Mulier, apud Plin. *lib.* 7. *c.* 48. *Galeria Copiola* Emboliaria *reducta est in scenam, Cneo Pompejo, Quinto Sulpicio Consulibus, ludis pro salute Divi Augusti votivis, annum centesimum quartum agens* &c. ab *emboliis* seu *intercalibus* scenicis dicta est, quorū mentio apud Ciceronem *pro Sextio* & *Epist. ad Attic.* Salmas *ibid.* Hoc autem nomine appellari solebant cantiones, quæ in media fabula à Mimis interponebantur, ut quiescente Choro spectantium animi reficerentur, & ad sequentia attentiùs audienda præpararentur. Illarum mentionem facit C. Plinius. Sic in initio ludorum Cantiones Εἴσοδοι seu *Introitus*: & in fine Dramatis Ἔξοδοι decantari solebant. V. Thom. Dempster. *Paralip. in Jo. Rosini Antiq. Rom lib.* 5. *c.* 9. Propriè autem *Embolum*, Gr. Ἔμβολον, *axem rotis immissum*, quo tota currus coagmentatio firmatur, significat: unde Metaphoræ ratio patet.

Embolis, & *Embolum*, Græcis Ἐμβολισμός, *additio*, *additamentum*; propriè quod Epistolæ jam scriptæ additur, vel quod extra præcipuum ejus argumentum ad calcem rejicitur, in *Epist.* Pauli Pontif. ad Pipin. R. *Chartam Inferiorem* vocant Centuriatores Magdeb urg. alii *Post-scriptum*. Apud Scriptores Eccles. sic dicitur sextæ petitionis in Oratione Dominica pars posterior, *Sed libera nos à malo*; quia, ut ait Cyprianus *Serm.* 6 & ex eo Amalarius *de Eccles Offic. lib.* 3 *cap* 29. *in consummatione orationis venit clausula universas petitiones, & preces nostras collectâ brevitate concludens*, apud Car. du Fresne *Glossar.* Sic ἐμβόλιμοι μῆνες καὶ ἡμέραι, *intercalares menses & dies*; ἐμβόλιμοι item ἔπη, versus Auctorum, quos infer-

insititios & spurios Critici judicabant, adeoque *ἐμβόλιμα* faciebant. Salmasius *ad Solinum pag.* 19.

Embolus, in *Charta*, A. C. 1161. apud Ughellum in Archiep Pisan. *Tibi — concedimus Ecclesias, videlicet* Embolum *& Scalas, & Stateram, quæ sunt in CPoli*: urbis angiportus est. Ita Cinnamus *lib. 6. num.* 10. ab Alexio Comneno Imp. concessum ait Venetis *στενωπὸν ἐν Βυζαντίῳ, ὃ Ἔμβολον ὀνομάζουσιν οἱ πολλοί, angiportum Byzantii, quem* Embolum *vocat vulgus.* Sic autem appellabant Byzantini, ut plurimum porticus, quæ in urbe sparsim erant, unde postea vox ipsa regionibus, in quibus eæ erant, attributa. V. de hujusmodi porticibus, Salmasium *ad Solinum pag.* 1219. Hinc *Embolarii*, qui embolis præerant, in *Charta* cit. Sed & *ἔμβολον* dicebatur rostrum navis, super quod pars eminens in prora *προεμβόλιον*. Inter utramque erat ὁ *τόνος*, in quo loco effigies & protomæ diversorum animalium locabantur, quæ navi nomen dabant, uti dicemus infrà ubi de *Parasemis*. Sic *δελφινοφόρον* navium delphina supra rostrum navis, inter *ἔμβολον* & *προεμβολίδα* collocat Pollux, uti videre est apud eundem *ibid. p.* 570.

Embrimium, apud Cyrillum in *Vita* S. Euthymii Abb. *num.* 90. & in *Apophth. Patrum num.* 7. cervicalis seu pulvinaris erat species, super quod Ægyptiaci monachi sedebant & ad brevem somnum caput reclinabant, ex stramentis seu juncis constans. *Gloss. MSS Mattam* exponunt *ex grosso papyro tenuiter pectinatam.* Cassianus *Collat. I. cap.* 23. *Eisdem ipsis, quibus insidebamus, psiathiis admonens incubare*, embrimiis *pariter capiti nostro cervicalium vice suppositis, grossioribus papyris in longos gracilesq; fasciculos adaptatis.* Stoream fuisse, contendit Car. Macer. Ἀ *βρίζειν*, *dormire* & brevem somnum carpere, vocem deducit Casaubonus *Exercit.* 1. *ad Annal. Baron.* V. Macros Fratres *in Hierolexico*, & Carol. du Fresne in *Glossar.*

Emendator nomen officii apud Cartusienses, de quo sic antiqua *Statuta* ejusdem *Ord. cap.* 40. *De Emendatore: in Ecclesia, in Refectorio & in Claustro, excepta recordatione, ille emendat, cui injungitur à Priore.* Emendator *emendat in omnibus, quæ soli dicimus, excepto quòd ad recordationem emendat ille, qui est juxta librum* &c. apud eund. Apud Vett. *Emendatores carminum*, non rarò coronati memorantur. Nec enim sua tantùm scripta Poëtæ ad certamina deferebant, verùm etiam aliena, dummodo acrimoniam ingenii & doctrinæ opes in illis *emendandis* promsissent, uti de *Emendatoribus* Æschyli carminum docet Quintilianus *Institut. Orat. lib.* 10.

Emere, Liberi Patris inventum, Plinio *lib. 7. cap.* 56. Emere *ac vendere instituit Liber Pater.* Cui rei apud Athenienses Agoranomi præfecti sunt, quorum cura erat, ne imponerent & fraudem facerent, sive venditores, sive emptores, teste Theophrasto *in libris L.L.* Quare re etiam nondum *emptori* traditâ, sed arrâ tantùm à venditore acceptâ, si venditor à contractu recedere vellet, adversùs hunc competebat ei *ἀβεβαιώσεως* actio, uti ex Harpocratione discimus. Quanquam sine præsenti pecunia vix quicquam in ea Civitate *emeretur*, ut videre est in Plauti *Asinaria*. Ut autem obviam iretur Dardanariorum avaritiæ, lege cautum est, ne coëmerent, qui in Urbe erant, frumenti plus quinquaginta phormis, quæ ut exactè observaretur, *Sitophylaces* constituti sunt &c. V. hic passim ubi de *Foro, Pantopolis, Sitophylacibus* &c.

Emessa, mel. *Emissa*, Græcis, Ἔμεσα, Ἔμισα & Ἄμισα, urbe Phœniciæ Libanusiæ, apud Stephanum *ἐθνικὸν* Ἐμισηνός, ubi ab Aureliano Imp. contra Zenobiam de summa rerum pugnatum est, uti docet Flav. Vopiscus in *Vita* Aureliani. Meminit ejus Festus Avienus, cùm ait:

Urbs mediis Apamea dehinc consurgit in arvis,
Et quà Phœbeam procul incunabula lucem
Prima ferent, Emesæ *fastigia celsa renident.*
Nam diffusa solo latus explicat, ac subit auras
Turribus in cœlum nitentibus, incola claris
Cor studiis acuit.
Deniq; flammicomo devoti pectora Soli
Vitam agitant. Libanus frondosa cacumina turget,
Et tamen his certant celsi fastigia Templi.
Heic se indit juxta tellurem glaucus Orontes &c.

V. *Emisa.*

Emichs, in aliquot æreis infimæ ætatis nummis, in quibus nullum Imperatoris nomen adscriptum est, in aversâ parte, circa literam majusculam *M* legitur, quos quidem characteres *semissem æreæ alterius monetæ esse*, indicare docet Car. du Fresne *Glossar.*

Eminentia, titulus honorarius Imperatorum & Regum, in *Epistolis* Francicis, apud Nicolaum Pontif. *Epist.* 40 Gregorium VII. *lib.* 1. *Epist.* 75. alibique passim: Papæ tribuitur ab Anselmo *lib.* 3. *Epist.* 37. novissimè verò, ut proprius, concessus est ab Urbano VIII. Decreto 10. Jun. ann. 1630 Cardinalibus, Electoribus Imperii & Magistro Hospitalis Hierosolymitani. Id. *Eminentia sua*, apud Sidonium *lib. 4. Epist.* 17. V. Barthium *ad Statium Epist. lib.* 3. *Sylv.*

Emir, nomen Magnatum, & qui urbium ac oppidorum Præfecti sunt, apud Turcas & Saracenos, Guil. Tyrius *lib.* 10. *cap.* 46. *lib.* 15. *cap.* 11. & *lib.* 21. *cap.* 23. V. P. de Valle & Joan. Bapt. Tavernier in *Itinerar.*

Emir Emza Mirza, Muhamedis Hodabendæ Patris in Persia successor, octavo Imperii sui mense, manu tonsoris sui, jussu Procerum interemtus est: eum excepit Scha Abas, sub initium hujus seculi. Georg. Hornius *Orb. Imp. p.* 424.

Emirelmumenin, h. e. *Princeps credentium*, titulus apud Mauros Principum; ut & *Calipha.*

Emissarii, Servi dicebantur apud Romanos, qui juvenibus amasias & equos generosos perquirebant, Pædiano *furtorum conciliatores* dicti; Item, qui rapinas & divitum bona, quæ poterant proscribi, investigabant: memorati Ciceroni 4. & 5. *Verr. Epist. ad M. Marium*, Suetonio *Galbâ cap.* 15. Ammian. Marcellino, Aliis. Sed & in libris Regum eorum vestigium aliquod. V. Wolph. Lazium *Commentar. Reip. Rom. lib.* 12. *cap.* 5. & Tit. Popmam *de Operis Serv. pag.* 59.

Emmelia, Græcè *ἐμμέλεια*, saltatio tragica, gravis & modulata, Oratorum gestu propior. Unde Agamemnonem agens Hylas, cùm sese fecisset grandiorem, correptus est à Pylade præceptore, qui ipsum feliciùs expressit meditantem. Et Cephisias tibicen discipulum, qui contentiùs inflasset tibias, cecidit, addito elogio sanè divino: *Οὐκ ἐν τῷ μεγάλῳ τὸ εὖ, ἀλλ' ἐν τῷ εὖ τὸ μέγα.* Inventum Bathylli secundùm nonnullos: cujus varias schemas enarrat Scaliger, *χεὶρ καταπρηνής, χεὶρ σιμή* [illegible], *διπλῆ, ἐκπεταστὴ* &c. Cùm armata priùs esset, postmodum exarmata est, sic tamen ut prælii simulachrum retineret. Nam tametsi nudi pueri, unde *γυμνοπαιδικὴ* dicta fuit, sese numerosis motibus inferebant, tamen corporis flexionibus brachiorumque jactationibus palæstræ facies erat. V. de ea plura apud Jul. Cæs. Scaligerum *Poetices lib.* 1. *cap* 18.

Emodæ, vel *Emodes*, apud Melam, *septem* Emodes, *triginta Orchades*, Insulæ sunt, quæ aliis *Ebudes.* V. ibi.

Emon, seu *Emona*, urbs Pannoniæ super. in finibus ejus sita, quà in Noricum ibatur & Italiam, Ἤμωνα Herodiano, Ἤμων Zosimo *lib.* 5. ubi habes de conditu hujus Urbis digressiunculam. V. Casaubonum *Not. ad Capitolinum in Maximinis.*

Empastica, Græcè, Ἐμπαστική, quid Artis sit, V. suprà, in voce *Emblema.*

Empanda, adde: In Paganalibus sacris hoc nomine Cererem appellari solitam fuisse, tradit Jos. Scaliger *Conjectaneis in Varronem.*

Empenticam facere, apud Cœlium *in Epist. Ego quò sciverem C. Pompejum Baulis* Empenticam facere, *& usq; eò, ut ego misererer ejus esuriei, non sum commotus*: est strenuè esurire, & veluti esuritionis artem exercere. Ex Græco Ἐμπειναστική, sub. *τέχνη*. Salmasius *ad Solinum pag* 1005.

Emphanisticum, Græca vox ab *ἐμφανίζω*, quod à Clericis ab Episcopo ordinatis ex more dabatur Clericis aliis, quorum cura erat Clericorum recèns ordinatorum nomina in matricula describere & *insinuare*, quæ vis est vocis, quam habes apud Julianum Antecessorem *cap.* 131. & in Justiniani *Nov.* 56.

Emphracta Naves, quæ undique tectæ ac clausæ, dictæ sunt, ab *ἐμφράττω*, *obturo*, *occludo*: cujusmodi naves à Thasiis inventæ, teste Plinio, Livio, Cæsari, aliis, sæpe memorantur. Iis oppositæ *Aphracta* naves, seu absolutè *Aphracta*, h. e. navigia aperta & intecta, quorum meminit Cicero *ad Atticum*, *Nos Rhodiorum aphractis tranquillitatem anticipari mavimus*, Calvinus *Lex. Jurid.* V. infrà ubi de *Navibus.*

Emplecton, genus structuræ, apud Plinium *lib.* 36. *cap.* 23. *Græci è lapide duro ac silice æquato construunt veluti lateritios parietes — quod genus structuræ isodomon vocant. At cùm inæquali crassitudine structi sunt, pseudisodomon. Tertium est* emplecton, *tantummodo frontibus politis.* Ex Græco *ἐμπλέκω*, Ἐμπλέκεσθαι nempe proprium verbum mulierum est, quæ capillos in fronte comunt. Et quia in superficie tantùm ornati & implexi habentur, inde genus hoc ordinariæ structuræ, quod frontes tantùm politas haberet, *ἔμπλεκτον* vocitatum est. Salmasius *ad Solinum pag.* 1231. V. quoque eum, ubi de *ἐμπλοκῇ*, seu *ornatu muliebri* 763.

Empola, Græcè Ἐμπολή, *quæstus* seu *captura*: unde *Empolaria mulier*, apud Plinium, scenica est seu quæstuaria; nisi malis *Embolariam* legere, V suprà. Item merx, seu onus navis, quod propriè *ἐμβολὴ* seu *ἐμπολὴ* est: unde *Αἰγύπτια ἐμπολή*, ut vidimus in voce *Embola.*

Emptor, in Fleta *lib.* 2. *cap.* 17. Officium aulæ Regiæ, cui incumbit *oves & boves & porcos emere, & inde forum Regis capere, sed cum taxatione fide dignorum, quantum valet ad opus Regis, & quantum valuerint per quindenam, ante adventum suum, in partibus illis.* V. quoque suprà in verbo *Emere.*

Emsa, vicus Germaniæ, in Comit. Nassoviæ, thermis suis nobilis, distat Deciis in Occ. 3. mill. Nassoviâ 2. Cyr. Lentulus in *Geneal. Principum Nassov. MS.*

Emunctio narium, Quæstoris Castrici necis signum, apud Martialem *lib. 7. Epigramm.* 37.

Exprimeret quoties rorantem frigore nasum,
Lethalem juguli jusserat esse notam.
Turpis ab inviso pendebat stiria naso,
Cùm flaret madidâ fauce December atrox.
Collega tenuere manus ——

Pro

pro veteri sc. condemnationis & mortis Θ litera, Quæstor hic novam commentus notam, *emuncto naso*, signum occidendi hominis carnifici dabat. Itaque huic cùm aliquando opus esset nasum emungere, manum naso admoturum impediebant Quæstores collegæ ipsius, quasi daturum hinc cædis signum. Quæ occasio Poetæ in illum hoc *Epigrammate* jocandi. Simile quid de Justiniano Rhinotmeto legimus, quem cùm Leontius naso truncatum Imperio pepulisset, restitutus postmodum, *quoties truncas emungebat nares, unum aliquem è Leontii partibus mactari præcipiebat*, P. Diaconus *Longob. lib.* 6. At emungi quidam Persæ nunquam visi, Plin. *lib.* 7. *cap.* 19. ut qui exercitationibus, quibus à puero assueverant, eam corporum siccitatem sibi conciliassent, Varr. V. Salmasium *ad Solinum pag.* 34. Sed & *emungi*, de candelis: Unde *Emunctoria*, forcipes ad emungendum lychnum, inter vasa & ministeria sacra, memorantur Durando *Ration. lib.* 3. *cap.* 3. *num.* 28. Sed & in supellectile Tabernaculi V. T. *Emunctoria* seu forcipes recensentur, Exodi *cap.* 25. ubi postquam de Candelabro aureo prolixè Moses egit, subjungit *versu* 38. *Facies* emunctoria, *&, ubi quæ emuncta sunt, extinguuntur, fiant de auro purissimo.* Ubi Villalpandus censet, posterius instrumentum vas fuisse aquâ mundâ impletum, in quam forcipes infunderentur, atque ita submersis, abscissis lucernarum fungis, & extinctis, nihil grave olens in domo sacra sentiretur &c.

E N.

En & *Ena*, voces Nobilium utriusque sexus hominibus præponi solitæ, apud Benearnos, uti scribit Marca *lib.* 7. *cap.* 16. *num.* 5. Item apud Catalanos & Aragonenses, ut ex Raimundo Montanerio *in Chron. Aragon.* aliisque docet du Fresne. Significant idem, quod *Dominus* & *Domina*. Quò so te spectat Epitaphium, quod descripsit Catellus *Rer. Occitanic. lib.* 2. *p.* 171.

En Ramon Arnaldus jacet hoc in marmore clausus &c.

apud du Fresne *Glossar.*

Enaphori, apud Anastasium *in Paschali Pontif. jam prædictus Pontifex canistra* enafori *ex argento duo pens. lib.* 10. videntur canistra esse ἀνά φωτός, vel ἀνα φωτῶν, *in Valentino* II. enim apud eundem *anafodia* est, i. *unius* vel *novem luminum*, h. e. ἀνάφωτα vel ἐννεάφωτα, *canistra uno*, vel *novem luminibus, instructa*. Idem du Fresn: *Glossar.*

Enaria, apud Solinum *cap.* 3. *Enariam inarimen ab Homero nominatam*: nonnullis eadem est cum Pithecusa, quippe ab *enarüs*, i. *simiis*, nomen nacta, in quas Cercopes mutati finguntur. Servius, *Inarime, nunc Enaria dicitur — quia in eam ad contumeliam simiæ missæ sunt, quas Graiorum lingua ἀρίμους, id est, enarias dicunt, ob quam causam Pithecusam etiam vocitant.* Aliis diversas eas facientibus. V. in vocibus *Ænaria, Inarime, Pithecusa*, & plura hanc in rem apud Salmasium *ad Solinum pag* 97.

Encænia, adde: Gr. Ἐγκαίνια, idem cum Dedicatione, de qua suprà: inprimis Festum erat anniversarium, quo primæ dedicationis celebrabatur memoria. Sicut autem neque Urbs, neque atrium aliquod Templi ampliari citra Synedrii Magni decretum, apud Hebræos, poterat; ita *Encæniorum* institutio non aliunde pendebat: accedente insuper Regis, ac Prophetæ Oraculique sanctissimi auctoritate. Quod inprimis in Templi primi conditu eminuit. V. 2. Sam. *cap.* 24. *vers.* 19. & 2. Paralipom. *cap.* 3. *versu* 1. ut & Psalmum 30. qui ex Hebræorum sententia Consecrationibus Dedicationibusque adhiberi solebat, ut nempe in Festo Dedicationis anniversario, ita & in solenni illa Primitiarum, ad Templum, dedicatione ipsa, ex lege Deuteron. *cap.* 26. *versu* 2. instituta. Atque hæc prima loci, in Templum, dedicatio simul & sanctificatio, non minùs Ἐγκαίνια dicta, quàm meræ profanati postmodum Templi restaurationes, seu in sanctificationem pristinam restitutiones. Attinebant autem hæc *Encænia* ad mensem *Ethanim* i *Tisri*; seu septimum à *Nisan*, q. Septembrem, atque ad tempora Scenopegiæ festo proximantia, 1. Regum *cap.* 8 *versu* 2. adeoque ab Encæniis, quorum in Hist. Evang. mentio Joh. *cap.* 10. *versu* 22. probè sunt distinguenda, quippe quæ cùm celebrarentur, χειμὼν ἦν, *Hyems erat.* Ritus Urbis ampliandæ erat hic: Lex sacra est de sacrificio Eucharistico, quod תודה Levit. *cap* 7. *versu* 12. dictum, ex placentis azymis & oleo confectis consistente, præter panem adjectum etiam fermentatum, de qua prolixè V. Maimonidem *Halach Bith habechira cap.* 6. §. 10. 11. & 12. Quo ritu peracto, locus designatus, parem cum Urbe sanctitatem omniaque jura urbi singularia obtinebat. Similis ferme erat solemnium ratio, quando Templi atrio quid esset adjiciendum, excepto quòd hic non Eucharistici illius, sed alterius sacrificii, non admodum dissimilis, residui, Levitici *cap.* 2. *vers.* 1. seu ejus quod ex eo non comburebatur, usus erat: illius viz. quod מנחה dictum, frumentaceum erat. V. Maimonidem ubi suprà. §. 13. & 14. Sub Esra, Nehemia, cæterisque Synedris Synagogæ Magnæ, qui Urbem, Muros Templumque instaurabant, rituum eorundem habemus expressa ferme exempla, Exræ *cap.* 6. *versu* 16. & Nehemiæ *cap.* 12. ubi *Canticum* numero singulari expressum, videtur denotare Canticum dedicationis prædictum. * Interim pronuntiant Magistri, quoniam deerat tunc Lex & Oraculum, ideo novam sanctitatem non omnino loco alicui tunc accessisse, sed tantum modo pristinam seu veterem, velut designando solùm, fuisse instauratam. V. de hac Dedicatione Esraitica seu Zorobabeliana J. Bapt. Villalpandum *in Appar. Urbis & Templi part.* I. *lib.* 3. *cap.* 27. & 28. De *Encæniis* Maccabaicis, legimus Maccabæor. *lib.* 2. *cap.* 1. *versu* 9. & 18. *Festum itaque quinta & vigesima die mensis* Casleu *celebraturi, purificationem Templi, necessarium duximus significare vobis, ut etiam vos quoque* (Ægyptienses intellige Judæos) *agatis festum*, quasi aut instar *Scenopegiæ, & Ignis, quando Nehemias, ædificato Templo & Altari, obtulit sacrificium*, & quæ seqq. Habuit autem festum hoc (in quo similiter Psalmi 30. usus fuit, ut ex Ritualibus Judæorum Germaniensibus hodieque adservatis patet) ex more patrio dies celebrationis octo, ac sacrificiis hymnisque adhibitis, stante Templo, peragebatur, idemque omnino cum eo fuit, quod *Encæniorum* nomine habitum esse Hierosolymis, memoratur in Evangelio, ubi D. N. J. C. veluti simul celebrans, ambulabat in Templo, in porticu Salomonis, *i. e.* Nempe Hasmonaicæ illius seu Maccabaicæ dedicationis. Templi secundi, post Antiochi profanationem, memoria hoc ritu quotannis recolebatur. Neque enim tempus Dedicationis Salomonicæ, quod incidit in Autumnum, uti diximus; aut Zorobabelianæ, quod ad mensem *Adar* attinens, æquinoctium paulo præcedebat vernum, *hyemis* partem in Evangelio memoratæ aliquam sortiri potuit. Imò, utrum Hasmonaica illa dedicatio, celebratio anniversaria aliqua esset sive Salomonicæ sive Zorobabelianæ dedicationis, nondum liquet. Interim *Templum secundum* perpetuò ita vocatum est Zorobabelianum, ut non minùs id, quod ante Antiochi profanationem stetit, & quod exinde à Maccabæis instauratum est, quàm quod postea sub Herode innovatum legimus, contineret denotaretque, idque usque ad excidium Urbis Templique. Neque enim Templum habebatur aliquod tertium, nedum quartum, sed primum tantùm & secundum, licet hoc ita denuo dedicatum fuerit etiam & instauratum sub Hasmonæis atque dein reædificatum ab Herode, qui, si Josepho fides, *sublatis fundamentis priscis aliisque jactis, super ea Templum extruxit.* Scilicet ampliavit passim celsiusque reddidit, neque omnino ex demolitione illa prioris Templi jugis sacrificii aliorumque sacrorum illic intermissio fuit ulla, ut pluribus docet Seldenus. Sed & in *Encæniorum* Maccabaicorum festo λυχνοκαΐα, seu *luminum accensio*, non prætereunda: cui κυρτῶν, *facularum*, festum, quod erat Argivis anniversarium, teste Pausaniâ *Corinth.* seu Λαμπαδίων, cujus nomine triplex erat Atheniensibus festum seu certamen; uti etiam in Christianismo ritus ille quodammodo respondebat: quum festo, quod Ὑπαντὴ & Ὑπάντησις antiquitus, pro Simeonis & D. N. J. C. in Templo *occursu*, postridie Kal. Febr. ex institutione Pelagii I. ac Justiniani I. celebrato, conjunctus tandem fuit καθαρισμὸς, qui tunc temporis evenit B. Virginis Luc. *cap.* 2. *versu* 22. seu *Purificatio*, Syris dicta *Introitus Domini N. in templum.* Cui adjecisse dicitur Sergius, circa A. C. 690. sub Justiniano II. cereorum quotannis numerosissimorum usum solennem, velut ex ritu luminum in Lupercalib' & Februis, eodem mense, pro lustrationibus aut purificationibus adhibitorum paganico, Christianismi festivitati aptatum, unde ei nomina, *Chandeleur*, *la Chandeleuse*, & similia in linguis provincialibus, Germ. & Belg *Lichtmesse*, Angl. *Candlemasse*. Verùm de hac *luminum accensione* in festo illo Hebræorum, dicemus infrà suo loco. V. plura hanc in rem, apud Joh. Seldenum *de Synedriis Vet. Hebræorum Part.* 3. *cap.* 13. *toto* Sed & *Encænia Urbium*, ut & eorum anniversarii dies: *Thermarum*, *Statuarum* & aliorum de novo excitatorum operum publicorum, passim celebrata leguntur: quorum ritus & ceremonias pluribus descripsit du Fresne *in CP. Christ.* Templorum inprimis, quorum cùm ritus varii sint in Ecclesia Rom. præcipuus is est, quòd Sanctorum reliquiæ recondantur sub Altari. Porro oleo sacro inunguntur parietes: lustrantur aqua benedictâ interiùs & exteriùs; Episcopi vicini ad ea invitantur: strepunt convivia: deferuntur reliquiæ totius diœceseos, quæ finitâ dedicatione in suas ædes referuntur &c. Car. du Fresne *Glossar.*

Encarpi, apud Vitruvium *lib.* 4. *cap.* 1. sunt corollæ ex omni genere fructuum compositæ, quibus columnarum frontes ornabantur: Παγκάρπους στεφάνους aliàs Græci vocarunt. Sic ἐγκάρπων ἐλαίων, dicebant olivæ ramum, ex omnigenis fructibus implexum, quem ante fores statuebant Athenienses & quotannis renovabant. Salmasius *ad Capitolinum in Gordianis.*

Encaustice, Græcè Ἐγκαυστική, Lat. *Ars cerâ pingendi*, celebris olim. Nam ceram in hoc Picturæ genere tabulæ inducebant, non quidem liquefactam, sed cujusmodi esset: inducebant autem eam discolorem, prout exigeret id, quod in tabula vellent pingere. Ceris dein ita inductis instratisque, eas inurebant ac exæquabant, illud, quod sic pingerent, ἔγκαυστον, q. d. *inustorium*, vocitantes: Meminit Artis Varro *lib. de R. R.* 3. *cap.* 17. *Nam ut Pausias & cæteri Pictores ejusdem generis loculatas magnas habent arculas, ubi discolores sunt ceræ.* Item Martialis *lib.* 4. *Epigramm.* 47.

Encaustus Phaëthon tabulâ depictus in hac est.

Quid tibi vis dipyrus qui Phaetonta facis?

Et hæc una Artis ratio fuit, nempe cerâ pigmentis variis tinctâ rem conficiens. Erat verò & alter ceraria *Encaustices* modus, qui fiebat ceris liquefactis: de quo ita Vitruvius *lib. 7. cap. 9. Ceram Punicam igni liquefactam paulò oleo temperatam seta inducat: deinde, carbonibus inferreo vase compositis, eam ceram apprimè cum pariete calefaciendo sudare cogat, sitque, ut perequetur. Postea cum candelis linteisque puris subigat, uti signina marmora curantur. Hæc autem γάνωσις Græcè dicitur.* Salmas. ἔγκαυσις reponit. Id *Encaustices* genus à priori diversum fuit, eoque puppes navium pingebant. Præter quæ & tertium erat, sed citra ceram, idque in ebore: quæ tria complexus est Plinius *lib. 35. cap. 11. Encausto pingendi duo fuisse antiquis genera constat, cera, & in ebore cestro, id est, veruculo* (igni calefacto) *donec classes pingi cœpere. Hoc tertium accessit, resolutis igni ceris penicillo utendi; quæ pictura in navibus nec Sole, nec sale ventisque corrumpitur.* Quò Salmasius interpretatur illud Ovid.

—— —— Et picta coloribus ustis

Puppis, ut Ægeas concava findat aquas.

Neque naves solum, sed etiam fornices sive cameras, sic pinxisse, Idem *Notis ad Flav. Vopiscum* docet, ex Procopii *de ædif. Justin. lib.* qui hanc Encausticem factam ait κηρῷ τακέντι καὶ διαχυθέντι, *cerâ liquefactâ & diffusâ.* Et Plinii est *l. c.* sed de priori ratione ceris pingendi: *Idem (Pausias) & lacunaria primus pingere instituit & cameras, nec ante eum taliter adornari mos fuit.* In janüis etiam & atriis, inurendi huic Arti fuisse locum, Ausonius innuit *Epigramm.* 25.

Ceris inurens januarum limina,

Et atriorum pegmata.

Item muris obducebant ceræ loricam inque ea pingebant. Etymolog. Ἐγκαυματα... ἐγκαυστὴ ... καὶ ζωγράφοι, οἱ διαγράφοντες τοὺς τοίχους. *Encausta, picta: quia Encaustæ dicuntur Pictores, qui muros pingunt.* Ubi, judice Vossio, melius dixisset, esse genus picturæ, quo muros & alia *ceris pingerent.* Unde aliter Κηρογραφίαν vocarunt; inter quam tamen & Ἐγκαυστικὴν id discriminis fuit, quòd prior illa etiam comprehenderit κηρωτὴν, sive ebur aut cornu ignito veruculo depicta. V. Vossium *de Idolol. lib. 4. cap. 91.* Quis autem Artem hanc ceris pingendi, picturamque inurendi invenerit, auxeritque, Plinius docet *lib. 35. cap. 11. Ceris pingere ac picturam inurere quis primus excogitaverit, non constat. Quidam Aristidis inventum putant, postea consummatum à Praxitele. Sed aliquanto vetustiores* Encausticæ *picturæ exstitere: ut Polygnoti & Nicanoris & Arcesilai Pariorum. Lysippus quoque Æginæ picturæ suæ inscripsit* Ἐνέκαυσεν: *quod profectò non fecisset nisi Encausticâ inventâ. Pamphilus quoque, Apellis præceptor, non pinxisse tantùm Encaustica, sed etiam docuisse traditur Pausiam Sicyonium, primum in hoc genere nobilem.* Imo & Nicias huc pertinet, de quo sic Idem *lib. cit. cap. 4. Idem (Augustus) quoque in Curia, quam in Comitio consecrabat, duas tabulas impressit parieti: Nemeam sedentem supra Leonem, palmigeram ipsam, adstante cum baculo sene, cujus supra caput tabula bigæ dependet. Nicias scripsit se inussisse: tali enim usus est verbo.* Hodie utraque *Encaustices* ratio, de qua supra, exolevit penitusque ignoratur. Interim suam de hac inurendi ratione conjecturam affert Lud. Demontiosius *de Pictura pag. 159. & seqq.* Proximè verò ad vett. *Encaustum* accedit, quod *smaltum*, vocabulo ab Italis profecto, nuncupatur; quâ voce usum etiam Anastasium Bibliothecarium deprehendimus, estque ab ea Gallicum *émail*: unde qui id inurunt, *Emailleurs.* Gerh. Joh. Vossius *de Artibus popular. cap. 5. §. 47. 48.*

Encaustum Sacrum, quo Imperator olim Orientis aureas Bullas subsignabat, memoratur Brissonio *lib. de verborum signif.* Sed & Leo Imp. *leg. 6. C. de diversis Rescr.* diserte vetat, sacra Rescripta alio colore, quàm purpureâ inscriptione, lustrari, & cocti muricis tritique conchylii ardore ea signari præcipit, atque hujus sacri *Encausti* confectionem privatis sub gravi pœna interdicit. Etsi verò, quale id fuerit, liquido non constat; tamen ex his verbis patet, Imperialia Rescripta purpureis literis & encausto muriceo insigniri consuevisse. Hinc præfatus Brissonius ex *Epitome Chronicor.* Werveronis Monachi Leodiensis, Palæologum Imp. Ecclesiæ Rom. obedientiam spopondisse syngraphâ, cui conchylii sanguine subscripserit, refert. Et nota sunt illa in Aureis Bullis usitata verba, διὰ ἐρυθρῶν γραμμάτων τῆς βασιλικῆς χειρός. Nicetas in *Manuele Comneno lib. 1.* ἐρυθροβαφέσι γράμμασι & ἐρυθροῖς ... βασιλικοῖς γραφὰς vocat, ubi scribit Johannem Axuchum Magnum Domesticum custodiæ Palatii intentum, atque id agentem, ut Manuel etiam à civibus Imperator salutaretur, literas rubras, aureoque sigillo & serico munitas & conchæ sanguine pictas Clero magni Templi obtulisse, &c. V. eundem *lib. 6.* ubi Sultanum narrat Imperatori exprobrasse, quòd tam facilis esset in violandis fœderibus & retractandis magnis pollicitationibus, quas βασιλικαῖς quidem γραφαῖς καὶ βαφαῖς, *regiis rubricatisque illis literis*, insigniret, apud Joh. Kirchmannum *de Annulis cap. 8.* Ab *Encausti* hac voce est, quod Poloni colorem, quo scribitur, etiam atrum Synecdochicè appellant *incaust*, ut Itali *inchiostro.* Forte & inde Belgarum est *inkt*: nisi potiùs *inkt* per aphæresin sit pro *tinct*, ex *tincta* vel *tinctura*, quia penna in eo tingitur. Vossius *de Arte Grammatica lib. 1. cap. 39.* Aliud est, cum *encausto pingere lignorum opus camerarum* Agrippam invenisse, ex Plinio, docet Salmasius *ad Solinum pag. 1215.* illud enim ad Encausticem Artem pertinet, de qua dictum.

Encautarii, seu *Encautaria*, civitatum & provinciarum libri Censuales & publici sunt, *in l. ult. Cod. Theod. de Censu* & *l. 9. de Agricol.* Sic *Encautii breves*, libri, in quibus nomina & modus censualis possessionis continebantur, *in l. un. eod. Cod. de Collegiat.* apud du Fresne *Glossar.*

Enchiridion, Græca vox, quâ unum ex opusculis suis Augustinus insignivit; *Manuale* vulgò. Apud Græcos olim inter tralatitios librorum titulos. Plinius *Prologo op. Inscriptionis apud Græcos mira felicitas: κηρίον inscripsere ... alii κέρας Ἀμαλθείας — Jam Musæ, πανδέκται, ἐγχειρίδια, λειμῶν, πινακίδιον, inscriptiones, propter quas vadimonium deseri posset.* V. quoque A. Gellium *Præfat.* Sic notum Epicteti Ἐγχειρίδιον, notum Erasmi *Enchiridion militis Christiani.* Nempe ἐγχειρίδιον propriè *pugio* est, quod ob brevitatem aptiùs manu gestetur, quàm gladius. Ejusmodi autem libelli, iis qui rectè student vivere & credere, non minus in promtu semper paratique, quàm pugio militibus, esse debent. Gerh. J. Vossius *ad Gellium d. l.* At *Enchirium*, Græcè Ἐγχείριον, Hieronymo linteum est, quo Pilatus, post manuum lotionem, manus absterfit: apud Dominic. Macrum *in Hierolexico.* V. infra quoque *Epigmation.*

Enchores Lapides, apud Frontinum *de Coloniis*, *termini Tiburtini affixi sunt, sed & Lapides* enchores *signati sunt*: ex Græco ἐγχώριος, dicuntur lapides *αὐτόχθονες, in ipso solo nati.* At ἐγχώριον appellarunt Recentiores, ordine compositam structuram, sive ex silice, sive ex latere cocto fieret. Sic mentio ἐγχωρίου τοίχου apud Harmenopulum *lib. 2.* Περὶ καινοτομιῶν: ubi lateritius intelligendus, quemadmodum & apud Auctorem vet. Suidæ laudatum de Semiramide. Sed apud Constantinum *cap. 29.* lapidem vel silicem ordinarium vox notat. Etymon inde, quòd, ἐγχώριος situs omnibus lateribus vel silicibus, in ordinem structura composita esset. Nisi potior lectio ἐγχόρευτος, hinc dicta, quod ἐν χορῷ μίξει, *ad instar chori*, ordines lapidum habeat compositos. Chorus enim Gr. χορὸς, ordinabatur vulgò, χορὸς ... unde χορὸς pro *ordine.* Vitruvius de lateribus ædificii loquens, *lib. 2. cap. 3. Ergo ex utraque parte ad lineam quum struuntur, alternis Choris parietes alligantur* &c. V. Salmasium *ad Solinum pag. 1233.*

Encolpium, ex Græco ἐγκόλπιον, apud Anastasium *ad Act. 5. VIII. Synodi*: *Crucem cum pretioso ligno, vel cum reliquiis Sanctorum ante pectus portare suspensam ad collum, hoc est, quod vocant Encolpium*: parva crux pectoralis Episcopi, item quodlibet pectorale reliquiarium est, Dominico Macro in *Hierolex.* De cujusmodi *Encolpiis* plura dixit Car. du Fresne *ad Alexiadem Annæ Comnenæ pag. 247. 248.*

Encolpius, familiarissimus Alexandro Severo, cujus vitam scripsit, Lamprid.

Encombema, Gr. Ἐγκόμβωμα, genus vestis puellaris, Nonio. Cato *de lib. educ. Ut puellæ*, inquit, *habeant potiùs in vestitu chlamydas, encombomata, & parnacidas, quàm togas.* Polluci palliolum. Sed Ferrario verisimilius fuit ala, quæ ad instar palleoli in sinistra parte fuerit, quò dextra liberior atque operi expeditior esset, *de Re Vestiaria Parte 2. lib. 4. cap. 22.* Hinc verbum ἐγκομβώσασθε, i. *induite, innodate*, 1. Petri *cap. 5. versf.* ex ἐν, in, & κόμβος, *nodus*, V. Gomarum *ad h. l.*

Encrinomenos, inter Alcamenis ex ære opera, memoratur Plinio *lib. 34. cap. 8. Alcamenes fecit & æneum pentathlon, qui vocatur encrinomenos.* Ex Græco ἐγκρινόμενος, qua voce denotatur, qui athletis annumeratur & in eorum numerum recipitur, quod non fine solenni ritu factum, & prævia probatione, ab eo qui Ἐγκρίσεις ἀθλητῶν appellabatur. Cic. *de Offic. lib. 1. Atqui hoc idem Sophocles, si in Athletarum probatione dixisset, justâ reprehensione caruisset.*

Encyclia, Græcè Ἐγκύκλια, literæ sunt *Encyclicæ* seu *Circulares*, quibus, quæ in Conciliis seu Synodis acta erant, postquam confirmatione Imperiali obtentâ fides à Synodis stabilita in legem ibat, per Ecclesias à Patribus vulgabantur, atque observanda tradebantur. Franc. Burmannus *Synops. Relig. Christ. part. prior. lib. VIII. cap. 8. §. 20.* V. Jo. Meursium *Glossar.* Sic *Encyclius* Codex, dictus est liber in quo collectæ omnes *Epistolæ*, quas Patres Concilii Chalcedonensis Leoni Imp. miserunt, circa sensa Timothei Alexandrini, è Græco idiomate in Latinum sermonem translatus, ab Epiphanio Scholastico. Dominic. Macer in *Hierolexico.* At Ἐγκύκλιο παιδεία, item Κύκλος, Veteribus dicta sunt omnia, quæ τὸν κύκλον παιδείας, i. *omnium artium liberalium orbem*, constituebant. Quo nomine *Grammaticam, Rhetoricam, Logicam, Arithmeticam, Musicam, Geometriam, & Astronomiam* complectitur Tzetzes *Chil. 11.* V. supra ubi de *Cyclo Epico.* De *Encyclemate* verò, machinâ theatrali, infra in voce *Translatum.*

Encylistiæ Coronæ, seu *Cylistæ*, memorantur Polluci *lib. 7. cap. 30.* Paschalio videntur dictæ, quòd ἐν κυλίσει, *rotæ vehiculari*, & alv

& velut ad volubilitatem rotundatis, constarent, pomis viz. & fructibus duriusculis, quibus factum, ut possent κυλίεσθαι σφαιρούμενα, volvi, cùm impellerentur, ut ait Eustathius *Odyss.* ε. Appuleius certè *lib.* 11. *Individuo nexu corona totis floribus, totisque constructa pomis adhærebat.* Atque sic ab herbaceis & foliaceis coronis fuerint distinctæ. Folia tamen ficus, ob scabritiem, in iisdem videntur locum habuisse, idque singulari exemplo, fortasse imitatione ejus coronæ, quam Bacchus sibi fecisse dicitur, è foliis ficulneis, cùm triumphavit insidens currui, quem leones trahebant, Aristoph. *Equit.* Neque tamen in hoc tantùm nectebantur ut volverentur, sed potiùs, ut suspenderentur, ob pulchritudinem omnibus visendæ. Id quod scire licet, è loco Alexis *in Scirone*, ὥσπερ κύλιξ ... εἴρων ... *ut corona cylista suspensa.* Cujusmodi coronam e prunis maturis constantem, in Stadio, Athletæ cuidam obtigisse, memorat Hipponax apud Athenæum *lib.* 2. &c. V. C. Paschalium *Coronarum lib.* 1. *c.* 13.

Endosimum, Græcè τὸ Ἐνδόσιμον, canendi signum est, quod in Choro pede percusso dabant Coryphæi, sicque saltantibus *in gradibus* moderabantur. Hodie idem manu datur. V. hic passim, inprimis in vocibus *Mesochori*, *Pedicularii*, *Scabellum* &c.

Endothys, apud Hieron. Rubeum *in Histor. Ravenn.* qui ait, Maximianum Archiep. donasse Ecclesiæ Ravennensi *Endothyn bissinam pretiosissimam omnem Christi Dei historiam continentem*: præterea adjunxisse ex *auro alium* endothyn, *in qua auro textili picta erant omnium, qui illum præcesserant, Archiepiscoporum imagines*: mel. *Endytes*, ex Græco ἐνδύτης, velum hic videtur esse, quo Altaris pars anterior tegebatur. Aliàs Græci hoc nomine insigniunt mappam Altaris majorem seu mantile, quod Altari insternitur, uti discimus ex Goaro *ad Euchologium*. V. Car. du Fresne *in Descr. S. Sophiæ num.* 61. & Dominic. Macrum *in Hierolexico*.

Endromis, vestimentum fuit Chlænæ non dissimile, pingue, villosum densumque, cujus in palæstra præcipuus usus. Tertull. *de Pallio*, ubi de Cleomacho loquitur, qui ex pugile, turpiore palæstra, intercutitus factus erat: *Utique*, inquit, *sicut vestigia cæstuum viria occupavit, ita Endromidis solocem aliqua mulitia synthesi extrusit.* In quibus verbis *Synthesi*, lineo mollique palliο, *Endromida* hirsutum, pinguemque & soloci filo contextam opponit. Athletarum fuit, & licèt *pauperis munus* Martiali dicatur, à divitibus quoque in Gymnasiis adhibita est. Sumtam autem præcipuè ad pellendum frigus, Juvenalis docet *Satyra tertia*, cum ait:

—— —— *Igniculum brumæ si tempore poscas,*
Accipis endromidem.

Ubi vetus Interpres, *Endromidem lodicem, qua se cooperiat.* Nam, quemadmodum gausape & chlæna, sic & *Endromis*, quà amiciendo, quà insternendo adhibebatur. Idem cùm mulieres perstringit, quæ cum viris in palæstra exercebantur, ait:

Endromidas Tyrias & fœmineum ceroma
Quis nescit?

Tyrias, non quòd molliores essent, sed quia divites, ut saltem colore distinguerentur, eas absurdo luxu purpurâ tingebant: quales purpureas Homericorum Heroum chlænas fuisse scimus, qualem & Petronii coccinam gausapinam & apud eundem Juvenalem coccinam lænam. Dicta autem est *Endromis*, non quòd eo genere vestis ἐν δρόμῳ, *in cursu*, sive stadio ac palæstra uterentur, quid enim currenti incommodum magis? Sed quòd post cursum & quodlibet certamen usui esset, ne frigus madidos sudore artus penetraret. Cæterùm Græcis *Endromis*, non pro vestibus, sed pro calceis accipi, docti pridem observarunt ex Polluce *lib.* 3. *c. ult. Endromidas appellant cursorum calceamenta*, inquiente. Quò quidem trahunt illud Juvenalis,

Rusticus ille tuus sumit trechedipna Quirine.

Ubi *Trechedipna* interpretantur, Gallicolas parasitorum ad cœnam currentium. Sed Turnebus *lib.* 3. *cap.* 17. *Trechedipna* vestes Gymnasticas interpretatur & *Endromidas* intelligit, eò quòd Juvenalis hanc cum ceromate conjunxerit: vultque ideo sic dictam, quòd Romani adeò Gymnasticis exercitationibus fuerint dediti, ut ad eas tanquam ad cœnam currerent. V. Octavium Ferrarium *de re Vestiaria Part.* 2. *l.* 1. *c.* 11. Idem Pollux *ibidem*, αἱ δὲ ἐνδρομίδες, ait, ἴδιον τὸ Ἀρτεμίδος ὑπόδημα, *Endromides, proprium Dianæ calceamentum.* Venatorum certè cursorumque calceos sic appellatos fuisse, notat vetus Callimachi Scholiastes ad illud,

—————— λεύκαι ἔχοιεν
Ἐνδρομίδες ——

Τρεχέδειπνα, ob eadem ratione eosdem calceos appellabant, it αἴγεια δέρματα, *ex caprino corio*, Hesych. Latini *gallicolas*, item *trechedipna* Salmasio quoque. Atque ita quidem Ἐνδρομίδα Græci, qui Athletis etiam illas tribuunt, nunquam de veste, sed de calceamenti genere, accipiunt. Latinis verò vestis est crassa & solox. Optimæ Glossæ, *Gausapus*, ἐνδρομίς &c. V. cum ad Tertullianum *de Pallio cap.* 4.

Energumeni, Papiæ *Dæmoniaci*, de quibus V. Concilium Carthagin. IV. *can.* 92 Arausicanum I. *can.* 15. 16. Alia: locum quidem habebant in Ecclesia, *Can. omni die de consecr. dist.* 5. *Energumeni per vinumcæteris domorum Dei intrent*; sed cùm sacra Mysteria celebranda essent, unà cum aliis quibusdam expellebantur, clamante Diacono: *Ite Energumeni*: Macri Fratres *in Hierolexico*. Plura apud Jo. Casparum Suicerum *Thesauro Eccles.* in hac voce, & Tob. Pfannerum *de Ritibus Ecclesiæ vet. cap. de Energumenis.*

Comites Nassovii.

Engelbertus, filius Johannis Com. Nassovii Dillenburgicæ lineæ, ex Margareta, filiâ *Engelberti* Com. Marcarum & Cliviæ, frater Adolphi majoris natu, ductâ Johannâ, Johannis Leccæ & Bredæ Toparchæ filiâ, Baronatum Bredæ, à Johanne Brabantiæ D. emptum, ditioni avitæ adjunxit. Extinctus A. C. 1446. Ei ex uxore prædicta nati sunt Johannes, qui ductâ Mariâ Johannis Com. Lonæ & Heinsbergæ filiâ ditiones varias, interque illas tertiam Juliaci agri partem, nactus est: Henricus, Elisabetha aliique.

Engelbertus, filius natu major Johannis præfati, cum fratre Johanne, ne bona paterna fortunæ munere coagmentata divellerentur, pactum iniit, ut utricunque hæres deesset masculus, ejus ditiones, alteri, vel posteris ejus cederent: ipse autem recentiora & in veteri Gallia posita possidebat, vetera & in Germania sita Johanne occupante. Fuit is non modò Brabantiæ, sed omnium per Belgium munitionum, Præfectus: aurei velleris decus in domum intulit, Maximiliano I. Imp. & Carolo Pugnaci, ultimo Burgundionum Duci, mirè gratus. Bello inter Imp. præfatum & Ludovicum XI. Galliæ R. fervente, cùm de Flandriæ jure ageretur armis & jam superior res Gallica videretur, ipse profligatum jam prælium restituit, victoriâ Gallis extortâ. Litem inter Cæsarem & Burgenses ortam composuit, unde ab his arx, in honorem Nassoviorum, Bruxellis extructa: Limites Rheni & Transmosanam regionem in Cæsaris obsequium reduxit, cum Guil. Duce Juliacensi Millam, Gauglam, Wertam, Diestam, Sichemo, Seelhemo & Vice-Comitatu Antverpiensi commutavit: Obiit A. C. 1504. hærede fratre, nullis ex Limburge, Marchionis Badensis filia, liberis susceptis. Cyr. Lentulus *Geneal. Principp. Nassoviæ mscr.*

Enhydrus, Græcè Ἔνυδρος, apud Solinum *cap.* 31. *Quod Enhydrus conspicatus, ichneumonum genus, penetrat belluam*; ut antiqui quidam libri habent: *aquatilis est*, ut ἔνυδρα ζῶα, *aquatilia animalia.* Sed ichneumonis tale genus dari, negat Salmasius, qui proin vocem delendam è loco censet. Ἔνυδρος potiùs est, quæ aliis ἐνυδρὶς, aliis ἐνυδρίς, dicitur, Lat. *Lutra*, ab Attico ἐνυδρίς, cujusmodi animalia multa in Nilo, & sacra Ægyptiis fuere. Herodotus *Musa* 2. Γίνονται δὲ καὶ ἐνύδριες ἐν τῷ ποταμῷ, τὰς ἱρὰς ἥγηνται εἶναι. Sed crocodilo id neutiquam infestum: V. Salmasium *ad Solinum pag.* 446. Eidem auctori *Enhydros*, quoque gemma est, *cap.* 37. *Enhydros exudat, ut clausam in eo putes fontaneam scaturiginem.* Externam nempe ejus superficiem aquâ madefactam semper esse vult, velut clausam intus contineat scaturiginem aliquam, ex qua ille humor erumpit. At Plinius, *Enhydros*, inquit, *semper rotunditatis absolutæ, in candore est lævis: fluctuat intus in ea, velut in ovis, liquor.* V. eundem Salmasium *ibid. p.* 770.

Enimundus Bonifidius, vulgavit typis Henrici Stephani, suam *Juris Orientalis Digestionem* Græcè, additâ Latinâ suâ *Versione* ac *Notis*, A. C. 1573. Gerhard. von Mastricht *Histor. Juris Eccles. num.* 406.

Enna, Græcè Ἔννα, pop. Atticæ, Scholiasti Callimachi, qui ejus junctim cum Eleusine meminit, indigitatus. Unde Ἔννιος, pro quo Ἄννιος habetur in vet. *Inscr.* hodieque haud procul Athenarum urbe, superstite:

ΜΟΣΧΟΣ

ΜΟΣΧΙΩΝΟΣ

ΑΝΝΙΟΣ.

apud Jac. Sponium *Itiner. Part.* 3. *ubi de* 174. *Atticæ populis.* Sub qua Tribu fuerit, haud liquet.

Enneadecaeteris, Græ. Ἐννεαδεκαετηρὶς, novem ac decem annorum circuitus est, quem Meton, Phaini auditor, acceptâ ab eo rectâ Solstitii observatione, non composuit solùm, sed & publicè Athenis in Comitio monumentum erexit, quo populus doceretur, quibus anni Lunaris diebus observanda essent Solstitia toto illo annorum decursu, simulque omnium siderum errantium inerrantiumque ortus atque obitus & varias anni tempestates, ex eorum ortu & occasu, prænuntiatas ostendit, uti docet ex Arato Salmasius *ad Solinum pag.* 741. V. hic passim, inprimis in vocibus, *Heliotropium*, *Meton*, *Parapegma*.

Enodius, Græcè Ἐνόδιος, dictus est Ἑρμῆς, i. *Mercurius*, sicut Diana quæ Luna est dicta fuit Ἐνοδία, quia Mercurium viarum Præsidem fecerant: qui honos planè videtur competiisse Mercurio potiùs, ut Solem signabat, quàm stellæ Mercuriali. Solari enim lumine vias die cognoscimus; quod noctu Luna præstat. Idem omnino fuit Apollo Ἀγυιεὺς, quem & ipsum Solem esse, nemini dubium est. Interea occurrit ratio, quâ etiam hoc decus ad Mercurii stellam referre possis. Nam hæc præerat loquelæ: at, ut cogitationis symbolum est loquela, ita loquelæ signum est scriptura vel aliud quod eandem habet vim. Quid mirum igitur si & viæ monstratio Mercurii stellæ sit attributa, quando Mercurius ingereret

geretur formâ capitis humani impositâ lapidi quadrato, cui inscriptum foret quò via duceret. Ponebantur autem hujusmodi Hermæ in biviis, triviis, quadriviis, quos magna ex parte truncavit Alcibiades, ut est apud Andocidem *Orat. de Mysteriis*, item Plut. & Corn. Nepotem *Alcibiade*. At quia caput Mercuriale imponeretur cubo, eò Mercurius τετράγωνος dicebatur: à qua eadem causa est, quòd Mercurium appellarunt *lapidum congeriem* &c. V. Vossium *de Idolol. lib. 1. cap.* 32. suprà in voce *Acervus* alibique.

Enoticon, V. infrà *Henoticon*.

Ensalmus, incantatio, certis superstitiosis precibus constans; cujusmodi fuit oratio illa, *Crux Christi salva me*, à quodam Græco Archiep. composita, de qua Diana *Part. IV. Tom. 3. resol.* 62. V. Hieron. Bardum *Tract. Medico-Polit.* & Kircherium *Magia Ægypt. Tom.* 2. laudatos Macro in *Hierolex.*

Ensis, Prætorianis apud Romanos militibus latere dextro gestatus est, cùm cæteri milites lævo eos accinctos haberent. Joann. Antiochensis περὶ Ἀρχαιολογ. & *Epit.* Dionis, Ἐπὶ φυλακῇ γὰρ βασιλικῇ τεταγμένοι, ἐκ τῶν τοῦ δεξιοῦ μέρους, ἀλλ' οὐ τοῦ λαιοῦ τὰ ξίφη διαζώννυνται, *Custodia enim Imperatoriæ destinati, non sinistro, sed dextero latere, enses accingitis.* Nempe vetustissimis temporibus, miles Romanus dextro latere cinctum ensem gerebat, ut Polybius scribit, ἅμα δὲ τοῦ δεξιοῦ μηροῦ φέρουσι ... Postea, ut videtur, & sub Impp. soli Prætoriani milites ita cincti, reliqui verò sinistro enses habuere. Unde est, quòd in columna Trajani & Antonini, milites visuntur ad dextrum femur gladio cincti; quos prætorianos esse inde colligere est. Salmasius *ad Spartianum in Severo Imp.* Fuisse & *Ensium* quibusdam celebrioribus nomina sua propria, diximus suprà in voce *Curtana*, item *Durissimus*: Adde ex Justino pugionem, quo Philippus Macedo occisus, *Myrtalis* nomine insignem &c. Posteriori ævo celebris inprimis fuit Georgii Castriotæ, Epiri Despotæ, quem *Scanderbegum* vocant, ensis, in Urbini Ducis armamentario adservatus, ejus ponderis, ut à viro aliquo uno vix tellure sublevari possit, de quo V. Barthium *Animadversion. ad Statium Thebaid. lib.* 10. *versu* 252. ubi vett. Heroum enses μακροὺς τε παχεῖς τε Homero, *graves* Poëtis Latinis passim, appellari notat. Tam nobile autem belli instrumentum *Ensis* est, ut modò militiæ signum, modò ordines & officia militaria, eâ voce indigitari deprehendamus. Papin. Statius *lib.* 5. *Sylv.* 2. *versu* 94.

—— *fides dominus si dividat enses.*

Et in *Lyrico*, ad Maximum Junium, *lib.* 4.

Tu tuos parvo memorabis enses,
Quos ad Eoum tuleris Orontem &c.

V. quoque infrà in voce *Gladius*.

Entheca, Græcè Ἐνθήκη, apud Augustinum *Serm. de divers.* 49. *cap.* 4. *Enthecam nobis habere non licet, non enim est Episcopi servare aurum* &c. reconditorium est, & hinc pecunia reposita ad quosvis usus, thesaurus. Apud Jurecoss. Ἐνθήκη, *fundum* seu fundi instructum significare, observat Salmasius *lib. de Modo Usurar. pag.* 24. 25. V. Car. du Fresne *Glossar.*

Enthronisticum, in Ecclesia Rom. dicebatur olim pensio, quam non Clerici modò, sed & Episcopi, beneficiorum ac Episcopatuum possessionem adituri, solvere tenebantur, ex Græco ἐνθρονίζω, ab ἐνθρονίζειν. Macer in voce *Xenium*. Sic *Inthronisticæ*, Græcè Ἐνθρονιστικαὶ, dictæ sunt Literæ, quæ *Synodicæ* aliàs, quibus Episcopi, præsertim magnarum Sedium, cùm in sede Episcopali collocarentur, de onere sibi imposito, & fide, quam confiterentur, alios Episcopos certiores faciebant. Quæ, si orthodoxam confessionem continerent, literis εἰρηνικαῖς seu ἀποκρίσεσι excipiebantur: sin doctrinam exhiberent, a vera fide alienam, rejiciebantur, ab Episcopis Catholicis, & ab iis tantùm recipiebantur, qui ejusdem erant sententiæ. Cujusmodi literas Severus Patr. Antiochenus ad omnes Patriarchas misit, quæ Alexandriæ quidem receptæ, à reliquis rejectæ sunt, quòd in eis Severus anathema diceret Synodo Chalcedonensi &c. V. Evagrium *lib.* 4. *cap.* 4. & Nicephorum *lib.* 17. *cap.* 2. plura verò hanc in rem, apud Joh. Forbesium *Instructionum Historico Theol. lib. III. cap.* 16. §. 4. & Suicerum *Thesauro Eccl.*

Entoler, Hebr. אנטלר, in *Gemara* Hierosolym. Pontificis Max. apud Hebræos, procurator est seu mandatarius, ex Græco Ἐντολεὺς, quæ vox hoc sensu occurrit, in *Basilic. Tom. I. lib.* 8. *tit.* 2. §. 55. alibique passim. Unde Ἐντολὴ seu *Sevdixia*, pro *mandato*, etiam Latinis usurpatum. Luithprandus *Legat. ad Nicephorum Phocam*, Ἐντολὴν (alii legunt Ἐντολικὰ) id est, *præceptum conscripsit* (Otto Magnus) *quod & sigillo signavit suo, ut si ... tibi facerem; Scis, domine mi Auguste, quâ id fiduciâ dixerim.* Ἐντολὴν Judæos autem, sicut & Syri & Arabes aliique Orientis populi, voces non paucas aliunde in linguas suas admisisse, notum. V. de hac voce plura, ut & de Ἐντολεὺς hujusmodi juramento in animam Domini procuratorio, Jo. Seldenum *de Synedriis Lib. II. cap.* 10. §. 7. & 8.

Entypa Simulachra, Græcè ἔντυπα, quæ intus depressa sunt & incisa, sicut contrà ἔκτυπα, quæ prominent extantque: quorum hæc ad Sculpturam, illa ad Scalpturam pertinent. Scalpturæ enim propriè *Entypa* sunt, quæ impressas & refugientes in cavo præferunt figuras. Unde ... de gemmis signatoriis, dixit Clemens, quæ cavatæ sunt. V. hic passim, & plura hanc in rem, apud Salmasium *ad Solinum pag.* 1100.

Enyalius, adde: *Enyalii Jovis*, mentio apud Josephum: ex Histiæo Milesio antiquissimo rerum Phœniciarum Scriptore, qui de campo Senaar, ubi Babylon condita, sic scribit: Τῶν δὲ ἱερέων τοὺς διασωθέντας, τὰ τοῦ Ἐνυαλίου Διὸς ἱερώματα λαβόντας, εἰς Σενάαρ τῆς Βαβυλωνίας ἐλθεῖν. *Qui verò ex sacerdotibus conservati essent, acceptis Jovis Enyalii sacris, venere in Senaar Babyloniæ.* Ubi pro Ἐνυαλίου Josephus quidem legit Ἐνυαλίου. Sed Ἐνυαλίου rectè est, apud Syncellum, ex Eusebii *prior. Chronic. libro*: prout editus est in *Thesauro Tempp.* Rufinus videtur, cùm quid *Enyalius* esset ignoraret, vocem eam præteriisse. Saltem nec in MSo Vossii, nec in editis ullis, comparet. Sed inter Martis esse cognomina, auctor est Macrobius *Saturnal. lib. I. cap.* 19. atque idem docet Eustathius *ad Homer.* qui non semel usurpat. Ut & alii Poëtarum, & in his Bassus *Antholog. lib.* 1. à quo Spartiani trecenti, qui fortiter pugnantes ceciderant, *Epigrammat. εἰς αὐτοὺς*, vocantur, ...

—— δισσοῖς ... Ἐνυαλίου,
Invicti populus Enyalii, &c.

Quis autem ille Histiæi præfati Jupiter fuerit *Enyalius*, docet Vossius, ubi Belum, Nini Patrem, Assyriorum R. in sacris *Nimrodum* dictum, eundem esse ac Martem, demonstrat, in erudito opere *de Idolol. orig. & progr. lib.* 1. *cap.* 16.

E O.

Eone, arbor, ex qua Argo navis facta. Plinius *lib.* 13. *cap.* 22. *Cornelius arborem eonem appellavit, ex qua facta esset Argo, similem robore visum ferenti, quæ nec aquâ nec igni possit corrumpi — nulli alii cognitam, quod equidem sciam*: ad quem l. V. Dalechampium.

E P.

Epacta, Latinis sunt, *adjectiones annuæ lunares, quæ per undenarium numerum usque ad tricenarium in se revolventes, quas ideo adjiciunt, ut lunaris mensis ratione Solis sequatur. Luna enim juxta cursum suum* 28. *diebus cognoscitur & fiunt in anno lunares dies* 354. *remanentesque ad cursum solarem dies* 11. *quos adimunt: absque his enim non invenies lunam, quota sit in quolibet anno, mense vel die. Hæ Epactæ semper* II. *Kal. April. inveniuntur, quota quota fuerit luna, tota erit Epacta eodem anno: mutantur enim Epactæ circulo decennovennali*, Papias. Ad invenienda Festa mobilia & lunationes internoscendas, earum notitiam multùm valere, addit Macer in *Hierolex.* simulque regulam quolibet Martii mense *Epactam* novam dignoscendi hanc esse, adjit: *In quocunque vocati anno XI. dies supra epactam anni præteriti adjungendi sunt, et quando numerus excedit trigesimum, tunc excessus ..., erit numerus vocatus Epactæ.* V. Dionys. Exiguum *de rat. Paschæ*, Isidorum & Compotistas: præterea ex Recentioribus, Jos. Scaligerum *de Emend. Temp. lib.* 7. & Gassendum *de Kalend. Rom.*

Epanagnosticon, Græcè Ἐπαναγνωστικὸν, nomen libelli, quem Basilius Imp. in Concilio CPolitano IV. per Balanem Patricium, Vicarium suum obtulit. Anastasius Bibl. *ad Syn. VIII.* exponit *Scriptum quod palàm legitur.* Hodiè *Manifestum* vocari, ait Macer in *Hierolexico.*

Epanoclistus, est superiori parte clausus & coopertus, ex ἐπάνω, *suprà*, & κλειστὸς, *clausus*, epitheton coronæ, quam Chlodovæus Galliæ R. seu Joanna utriusque Siciliæ Regina, Papæ dono dederunt. Anastasius Bibliothecar. *in Hormisda*, *Regnum de auro purissimo epanoclistum cum catenulis suis, habens in medio Crucem auream.* Figuram ejus eadem prorsus ratione, quâ hodieque in capite S. Petri extat supra ciborium Lateranensis Basilicæ, exhibet Car. Macer in voce *Bulla*.

Epaphroditus, adde: Græcè Ἐπαφρόδιτος, venustus, non solum formosus, sed & felix. Hinc Sulla, qui *Felicis* cognomen assumsit, unde de eo Horatius,

—— *& optivo cognomine crescit.*

in iis literis, quas ad Græcos dabat, Ἐπαφρόδιτος, pro illo cognomento Latino sese inscribebat. Idem tropæa Mithridatica, & alia quæ in Græcia fixit, similiter inscribere solitus est. Rationem addit Plutarchus, sive quisquis Auctor est libri *de Fortuna Rom.* Πλεῖστον γὰρ Ἀφροδίτῃ ... Potius Salmasio, quòd Ἀφροδίτην in talorum jactu invocabant Veteres, ut secundaret jactus, unde felicissimus horum *Venus* dicebatur. Hinc & *venustum* Latini, non tantùm formosum & amabilem appellabant, sed etiam felicem & cui omnia prosperè affluerent; Græci similiter ἐπαφρόδιτον: quæ vox cùm propriè notaret τὸν εὔβολον, *cui Venus in talorum jactu fuerat*, quidque Venerem frequenter jacit, ad alia postmodum tradacta est. V. Salmasium *ad Solinum pag.* 54.

Epaphus, adde: Hunc Jovis & Ius filium Memphi cultum esse, Herodotus tradit *lib.* 2. Ὁ δὲ Ἆπις κατὰ τὴν Ἑλλήνων γλῶσσαν ἐστὶ Ἔπαφος, *Apis Græcorum linguâ est Epaphus*: quod repetit *lib.* 3. confirmatque Ælianus *de Animal. lib.* 11. *cap.* 10. Sed addit, Ægyptios hunc sermonem, ut mendacem, aversari; quia *Epaphus* multis post Apim seculis extiterit. Quam Ægyptiorum

sententiam probat Vossius, cùm Epaphus ex filia Libya nepotem habuerit Agenorem, pronepotem Cadmum; de cujus ætate suprà diximus. Nimirum ambitiosa Græculorum natio nihil æquè studebat, quàm ut Ægypto etiam ac Orienti dedisse Deos suos videretur: quod de Apide se consequi videbat, si eum *Epaphum* faceret &c. V. Vossium *de Idolol. lib. 1. cap. 15. & 29.*

Eparchus, Græcè Ἔπαρχος, nomen Dignitatis, in Aula Imp. Græcorum, *Provinciæ præses* seu *Prætorio Præfectus*: cujus edicta in libro, *Eparchicon* hinc dicto, consignari consuevere. Codinus tamen Stabuli Præfectum hac voce indigitare videtur, cùm ait, equum, cui aliquando Theophilus Imp. insidebat, à muliercula, cui *Eparchi* dolo ereptus fuerat, repetitum, eique redditum fuisse, inde que inolevisse morem, ut semper equos aliquos inanes in pompa Principes haberent &c. Meursius inter magnum Pappiam & magnum Drungarium biglæ, *Eparchum* medium collocat, in *Glossar.*

Ependytes, Græcè Ἐπενδύτης, tunica dicebatur apud Græcos, ratione interulæ, quam ὑποδύτην appellabant, & supra quam injiciebatur, non ratione pallii, cui suberat. Lat. *Superaria.* At Monachi Ægyptii, qui caprinam pellem seu melotem vel peram supra pallium (quod antiqui Monachi & præcipuè Græci, ut & horum Philosophi, supra omnem vestem injecerant) sumebant, *pelliceum ependyten* illam vocabant, uti discimus ex Hieronymo *in Vita Hilarionis*. V. Salmatium *ad Tertullianum de Pallio cap.* 1. & infrà in *Epideten.*

Epha, Hebr. עֵיפָה, Arabicè *Ghaipha*, Græcis hinc Γαιφὰ, & compressè γαιφὰς, opp. provinciæ Madianitidis, vicinum urbi Madian nominatæ, in littore Maris Rubri, à conditore suo filio Madianis primogenito, cujus mentio Genes. *cap.* 25. *versu* 4. dicta. Camelorum ejus meminit Esaias *cap.* 60. *versu* 6. *Turma camelorum operiet te, cameli juniores Madian & Epha;* Nullibi enim illi frequentiores, quàm in Madianitide. Sam. Bochartus *Hierozoici Part. pr. pag.* 82.

Ephialmatores, apud Jul. Firmicum *Mathes. lib.* 8. *cap.* 8. sic dicuntur ludiones, qui saltu corpora ejaculabantur: à Græco ἐφάλλομαι. Vide Manilium *lib.* 5.

Ephebæum, mel. *Epheberm* vel *Ephebium*, secunda pars Gymnasiorum apud Veteres, ubi illi convenire, atque de præmiis & exercendi genere pactiones facere solebant, qui simul exerceri volebant atque certare: quanquam Philander in ea fuit sententia, quod in *Ephebeo* puberes exercerentur, qua in re ipsum sequitur Mercurialis potiùs, quàm Guil. Choul.m, qui *de Antiqq. exercitat.* in Ephebeo *juvenes studendi gratiâ* sedisse literis mandavit. Utrum vero apud Romanos, qui cum Viris ante 16. annum pueros commercium ullum habere vetabant, hoc verum fuerit, liquidum non est. Neque interim negari potest, Galeni tempore, pueros exercere in palæstra consuevisse, cum is cujusdam ægritudinis, quam Commodus puer, atque Imperatoris filius, in palæstra acquisierat, faciat mentionem, *lib. de præc. ad Posth.* [illegible], *Sic autem, & quicunque per summum scandit, quemadmodum pueros in palæstra exercent, eos ad robur præparantes.* Ex quibus pueros in palæstris exerceri solitos satis constaret, nisi id quoque *in Bacchid.* testatus esset Plautus, ubi Lycus Pistocleri Pædagogus, patrum erga filios sui temporis indulgentiam taxans, de antecacti temporis moribus ita loquitur:

Nego tibi hoc annis viginti fuisse primis copiæ,
Digitum longè à Pædagogo pedem ut efferres ædibus.
Ante Solem exorientem nisi in palæstram veneras,
Gymnasii præfecto haud mediocres pœnas penderes.
Id quod obtigeras, hoc etiam ad malum accersebatur malum.
Et discipulus & Magister perhibebantur improbi.
Ibi cursu, luctando, hasta, disco, pugilatu, pilâ,
Saliendo se exercebant magis, quàm scorto, aut saviis.

Unde videre est, pueris summo manè palæstras adeundi præceptum fuisse, ut virorum, qui tum non aderant, commercium vitarent, atque literarum etiam studiis incumbendi otium superesset. Sed &, durante Neronis Principatum, Romæ Gymnasia fuisse, ex iisdem verbis colligi obiter potest. V. Hieron. Mercurialem *de Arte Gymnast. lib.* 1. *cap.* 8. Fuit autem *Ephebæum* (h. e. exedra amplissima cum sedibus, tertiâ parte longior quàm lata) in duplici porticu, in medio inter Coryceum, cui proximè Conisterium & in versura porticus frigida lavatio, ad dexteram, & Elæothesium sive Alipterium, ad sinistram, uti discimus ex Vitruvio *lib.* 5. *cap.* 11. & videre est ex figura palæstræ, quam ære expressam præfatus Mercurialis exhibet, *cap.* 6. *lib. citati.*

Ephebi, apud Athenienses dicti sunt, qui nomina sua inter *Ephebos*, id est, puberes, profitebantur: cujus professionis annus legitimus erat ætatis decimus octavus. Pollux *lib.* 8. *cap.* 9. [illegible]. Cujus ætatis ut certius caperetur argumentum, solebant virilitatem explorare, an per ætatem ad publica munia, *de* [illegible], *ad custodiam urbis agrique*, utiles essent: quod Δοκιμασία vocatum, cujus meminit Aristophanes *Vespis*. Albo dein *Ephebi* inscribebantur, eodem die quo liberi solebant εἰς τοὺς φράτορας referri, nempe Apaturiorum die, quæ Κουρεῶτις dicta est, quâ epulum quoque τοῖς φράτορσι præbebatur, hoc modo: Vinum, honori Herculis sacrum, propinabant cœtui præsenti, quem ritum Οἰνιστήρια appellavere. Athenæus *lib.* 11. [illegible]. Sic comam deponebant ipso hoc die, hostiamque Dianæ mactabant, quæ hostia Κούρειον dicebatur. Offerebant autem comam fluviis patriis, τοῖς ἐγχωρίοις ποταμοῖς, plerumque. Unde apud Pausaniam, *in Atticis*, legimus, Peleum crines suos Sperchio vovisse, si Achilles salvus rediisset: idem de Memnone, qui Nilo comam sacram fecit, narrat Philostratus. Contrarium jussi sunt facere Nazaræi, qui cæsariem suam in ignem conjiciebant, Numer. *cap.* 3. Sic postquam inscripti sunt, biennio expleto, anno nempe vigesimo, accedebat tertia professio apud populares, atque inscribebantur Lexiarchico, & ab hinc sui erant juris, mittique ad negotia poterant, ac Testamenti habebant factionem, è Lege scilicet annali, qui is, qui annos est natus viginti, [illegible]. Hoc vocabant Græci ἐγγραφῆναι εἰς ἄνδρας, quia tunc in viros transscribebantur: dicebatur quoque δοκιμασθῆναι, qui huic albo inscriptus est; quia prius Lexiarchico nemo inscribi poterat, nisi constaret natum esse parentibus civibus Atticis aut secundùm leges adoptatum: itaque populares jurati inscribendum judicabant. Jam verò δοκιμασθέντες è popularium suorum sententia, à Demarcho, apud quem adservabatur, Lexiarchico inscribebantur: idque ante Panathenæa, primis ineuntis anni diebus. Tum qui inscribebantur, buxeam accipiebant tabellam, in qua nomen uniuscujusque & paternum quoque populi, ad quem ille pertineret, erat inscriptum. Quibus omnibus ritè peractis, deducti *Ephebi* in ædem Agrauli, Cecropis filiæ, jusjurandum concipiebant in hæc verba: [illegible]. *Non dehonestabo hæc sacra arma: neque deseram Protostatem, quisquis ille sit, quem in versu meo excipiam. Pro aris & focis dimicabo, sive solus sive cum aliis multis. Patriam liberis non relinquam in deteriore, sed potiùs in meliore statu. Navigabo autem terram, eamque colam quantulacunque illa sit, quæ habenda mihi tradetur. Obtemperabo iis, qui judicia reddent prudenter. Parebo legibus, quæ obtinent, cæterisque omnibus, quas populus universo consensu feret. Quod si quis leges abrogare velit, populo non sciscente, minimè feram: Vindicabo autem, sive solus, sive cum aliis omnibus. Patria sacra colam: Testes Dii sunto, Agrauli, Enyalius, Mars, Jupiter, Nutrix terra, Diana:* ex Stobæo atque Polluce, quibus duo Kapita, quæ desiderabantur, ex Ulpiano *in Demosthenis Or.* περὶ παραπρεσβείας, Philostrato *in vita Apollonii*, & Plutarcho *in Alcibiade*, accessere. [illegible] *Ad mortem usque pro maricia terra dimicabo: Fines agri Attici statuam, frumentum, hordeum, vites, oleas.* E quibus patet, quando hoc juramentum præstabant *Ephebi*, fuisse instructos armis, quæ fortè in ipsa æde Agrauli adservata inde tanquam ex armamentario depromi solebant; quare etiam *sacra* dicta sunt. Quod de *navigatione in terram* additur, de Coloniis intelligendum est, quas frequentes admodum Athenienses deducebant, &c. Cœterùm album Lexiarchicum, ληξιαρχικὸν γραμματεῖον, in quo nomina *Epheborum* scribi mos, qui ad eundem *Demum* pertinebant, παρὰ τὸ λῆξιν, id est, τὸ κλῆρον ἄρχειν, nomen accepit, quia sui juris fiebant, rerumque suarum arbitrium consequebantur, quorum nomina in illo scriberentur. Fœminas verò quod attinebat, non ulli adscribebantur illæ Tribui, donec nubiles essent: tum etiam illarum nomina albo inserebantur, mense Gamelione, (quemadmodum *Ephebi* inscribebantur mense Pyanepsione) Paterque uniuscujusque virginis τοῖς φράτορσι epulum Γαμηλίαν dictum præbere solitus est, Pollux *lib.* 8. *cap.* 9. Romanorum moribus atque institutis, parentes liberos sibi natos profitebantur in Actis, apud Præfectos ærarii, ex quo cura tabularum publicarum à Quæstoribus ad Præfectos ærarii translata est, quod factum Nerone imperante: quod ut intra tricesimum diem fieret, primus M. Aurelius constituit, apud Capitolinum, ex qua natali professione ætas probabatur. Quanquam pubertas non tantùm ex numero annorum, sed etiam habitu

bitu corporis definiebatur, id est, ex aspectu erumpentis pubis, quæ sententia fuit Prisci, apud Ulpianum *in Reg. Iuris*, expressa à Servio ad hunc versum Virgilii *Æneid.* 7.

Jam matura viro, plenis jam nubilis annis.

Vide Samuelem Petitum *Comm. in Leges Atticas lib.* 2. *tit.* 4. & Francisc. Rossæum *Archaeol. Atticæ lib.* 5. *cap.* 13. Ab *Ephebis*, locus in Theatris Ἐφηβικὸν seu *Ephebicum* dictus est, è quo Juvenes spectabant, quemadmodum in Buleutico senes sedebant. Julius Pollux *Onomastic.* lib. 4. *cap.* 19. Ἐκαλεῖτο δέ τι καὶ βουλευτικὸν μέρος τοῦ θεάτρου καὶ Ἐφηβικόν, *Dicebatur etiam pars quædam Theatri Buleuticum & Ephebicum.* V. quoque Cœl. Rhodiginum *Variar. Lect. lib.* 8. *cap.* 8. Sed & ἔφηβος, nomen est jactûs, in talorum ludo, quem expressum in cippo sepulchrali Alexandri cujusdam Chii & *Ephebi*, memorat Salmasius *ad Solinum pag.* 1221.

Ephemereuta, officium religiosæ Essenorum familiæ, ex Græco ἐφημερεία, eò quòd per vices ad quemq; perveniebat: fortè non dissimile Hebdomadarii, in Monasteriis Christianorum, officio. Philo *de V. M. Ubi verò convenere Candidati & læti cum summa gravitate ad signum datum à quodam* Ephemereuta, *priusquam discumbant, stantes unâ serie decenti sublatisque in cœlum manibus atq; oculis; his, quoniam didicerunt cœlestia: illis, utpote incorruptis à muneribus & à quæstu illicito, precantur, ut placeat Deo id convivium*, V. Macrum *in Hierolex.* Sed & Ἐφημερίαι dictæ sunt *turmæ* seu *vices* aut *ordines*, in quorum 24. Sacerdotes ordinarios David distribuit, hebdomadatim in sacro Ministerio sibi invicem successuros. Horum 16. erant Eleazaridæ, 8. Ithamaridæ, 1. Chron. *cap.* 24. Dicebaturque cujusque Ἐφημερίας caput *Summus Sacerdos istius classis*: unde plurium Ἀρχιερέων eodem tempore mentio fit Marci *cap.* 14. *versu* 1. Sortiebantur autem non tantùm ipsæ Classes, sed & cujusque classis Sacerdotes, quo quisque ordine quodque munus peragerett. Sic Zacharias erat ex ἐφημερίας Ἀβιά, Lucæ *cap.* 1. *versu* 5. & sortitò accepit munus τοῦ θυμιάσαι, *suffitum adolendi, versu* 9. &c. V. Thom. Godvvynum *de Ritibus Hebræorum lib.* 1. *cap.* 5.

ab *Ephemeride*, servi nomen apud Romanos, cujus mentio in vet. marmore: PROC. AB. EPHEMERIDE. PROC. A. MANDATIS &c. an idem qui, *à Frumento* aliàs dictus, *diurnum*, in quod erogationes quotidianæ, servis factæ, referebantur, asservabat. Certè *quod Latini diurnum, Græci Ephemerida dicebant*, ait Isidorus *Origin. lib.* 1. *cap. ult.* Aliæ erant, *Ephemerides* Principum, quæ laudantur antiquis Scriptoribus, more à Græcis ad Romanos translato, quorum illi tamen his minùs hac in re accurati fuere, ut Casaubonus adnotavit, *ad Suetonium lib.* 2. Sic Flavius Vopiscus meminit *Ephemeridum* Aureliani Imp. *Ephemeridas illius viri scriptas habemus, etiam bella Historiæ charactere digesta*: Treb. Pollio Gallieni, quæ à Pulfurio Sura fuerant scriptæ; sic Probi *Ephemeridem* composuit Turdulus Gallicanus &c. V. Casaubonum *ad Spartianum & Vopiscum.* De *Ephemero* verò herba, Claud. Salmasium *ad Solinum pag.* 242. & *seqq.*

Ephesia Literæ, Græcè Ἐφέσια γράμματα, magicam virtutem habere credebantur, per quas quidquid optaret quis assequeretur & in omni negotio victor evaderet, Suidas, Eustathius *Odyss.* 19. Diogenianus, & Erasmus *in Adag.* Cujus superstitionis occasionem, ex Hebræorum *Ephod*, fortè desumptam fuisse, conjicit Car. Macer *in Hierolexico.*

Ephestris, Græcè Ἐφεστρὶς, vestimentum fuit militare, *Chlamys, Lacerna.* Hesychius, Ἐφεστρὶς χλαμύς. Ἐφεστρίδες δ' ἐπιβλήματα, quòd reliquis vestibus injicerentur. Athen. *lib.* 3. καὶ τὴν Ἐφεστρίδα τὴν ἄχρηστον, *Lacernam quam nondum indui.* Herodianus *lib.* 7. de militibus Maximini, qui in Senatum explorandi causâ ingressi fuere, ἄνοπλοι μὲν γυμνοί, ἐν λιτῇ δὲ ἐσθῆτι καὶ ἐφεστρίσι, *Inermes, vulgari vestitu, solamque chlamydes induti*: ubi malè quidam, *sagis induti.* Perperam itaque pro quovis vestimenti genere *Ephestrida* sumi nonnulli collegerunt ex eodem Herodiano, qui eas Senatoribus tribuit, in funere Severi, cùm ait: ἐν μὲν λαιῷ μέρει πᾶσα ἡ σύγκλητος μελαίναις ἐφεστρίσι χρώμενοι. Ibi enim Senatus depositis luctûs causâ togis, in pullis lacernis sive penulis erat, nam hæc vox de utroque vestimento usurpatur, quòd non multum dissimile esset: Itaque non *atris vestibus*, sed *pullis lacernis* aut *penulis* vertendum erat, Octavius Ferrarius *de re Vestiar. part.* 2. *lib.* 1. *cap.* 2.

Ephesus, adde: Variæ ejus appellationes, ut *Ortygia*, Ἑλαία, *Samorna*, Σισύρβα, *Smyrna*, Τραχεῖα &c. quæ apud Auctores occurrunt, potiùs fuere loca urbis diversa, his nominibus insignita, de quibus accuratè agit Salmasius *ad Solinum pag.* 810. Hodie *Ajasaluc* Turcis dicitur, teste Sponio, qui rudera ejus ac pristini splendoris tristes reliquias, quæ magno numero supersunt, præsens lustravit, ac diligenter exequitur, *Itinerar. Part.* I. *pag.* 324. & *seqq.* Idem nummi Caracallæ, in cujus altera parte duo Templa, cum *Inscr.* ΣΜΥΡΝΑΙΩΝ ΕΦΕΣΙΩΝ ΟΜΟΝΟΙΑ: alterius, Antonini Pii, in cujus postica parte Diana Ephesia, inter Æsculapium & Smyrnam Amazonem, media, cum lemmate, ΣΜΥΡΝΑΙΩΝ ΠΕΡΓ. ΕΦΕΣΙΩΝ ΟΜΟΝΟΙΑ: alterius, Marci Antonini, in cujus parte aversâ junctæ manus, cum verbis, ΕΦΕΣΙΩΝ ΚΑΙ ΣΑΡΔΙΑΝΩΝ ΟΜΟΝΟΙΑ: alteriùs, Commodi, cum *Inscr.* ΕΦΕΣΙΩΝ ΚΑΙ ΙΕΡΑΠΟΛΕΙΤΩΝ ΟΜΟΝΟΙΑ: alterius Antonini Pii, cum verbis, ΕΦΕΣΙΩΝ ΝΕΩΚΟΡΩΝ ΟΜΟΝΟΙΑ ΚΥΖΙΚΗΝΩΝ: item, Lucii Veri, in quo Diana & Jupiter sedens, cum lemmate, ΕΦΕΣΙΩΝ Β. ΝΕΩΚΟΡ. ΤΡΑΛΛΙΑΝΩΝ ΟΜΟΝΟΙΑ: Gallieni, in quo Diana & Æsculapius, cum verbis, ΕΦΕΣΙΩΝ ΠΕΡΓΑΜΗΝΩΝ ΟΜΟΝΟΙΑ: iterum Commodi, in quo expressus est currus à duobus Centauris tractus, in quo Jupiter sedet iconem Dianæ Ephesiæ manû tenens, cum *Inscr.* ΠΕΡΓΑΜΗΝΩΝ ΕΦΕΣΙΩΝ ΟΜΟΝΟΙΑ: Faustinæ tandem Junioris, in quo Venus & Diana cervis suis stipata, cum *Inscr.* ΜΕΙΛΗΣΙΩΝ ΚΑΙ ΕΦΕΣΙΩΝ ΟΜΟΝΟΙΑ; adeoque memoriam fœderum, quæ civitati huic cum urbibus vicinis, concessu Impp. intercessere, servantium meminit, *Itinerar. Part.* 3. *pag.* 176. & *seqq.* De *Ephesiæ Dianæ Templo* ter ædificato, de *Ephesino* item *Episcopo*, τῆς Ἀσιανῆς Διοικήσεως ἐξάρχῳ, V. Salmasium ubi suprà *pag.* 806. & 812.

Ephetæ, adde: Adscripti erant olim quinque Tribunalibus τῶν φονικῶν πραγμάτων, *de causis criminalibus*, sententiam ferentibus. Ita enim de iis Pollux *lib.* 8. *cap.* 10. Ἐδίκαζον δὲ οὗτοι ἐφ' αἵματι διωκομένους ἐν τοῖς πέντε δικαστηρίοις, *Judicabant autem homicidii accusatos in quinque Tribunalibus.* Sed uni postea ex his quinque, nempe Areopagitico, adscripsit Solon Judices, qui Areopagitici dicti sunt, ita ut quatuor tantùm *Ephetis* relinquerentur: qui non multo pòst derisui fuere, teste eodem. Itaque his quatuor Tribunalibus, nempe τῷ ἐπὶ Παλλαδίῳ, τῷ ἐπὶ Πρυτανείῳ, τῷ ἐπὶ Δελφινίῳ, & τῷ ἐν Φρεαττοῖ, alii dati sunt Judices sorte capti, cùm *Ephetæ* ἀριστίνδην legerentur, Samuel Petitus *Comm. in Leges Atticas lib.* 8. *titulo* 1. V. quoque Franc. Rossæum *Archaeol. Attic. lib.* 3. *c.* 3. ubi inter alia docet, ex Ubbone Emmio *de Rep. Athen. pag.* 20. à Dracone, Senatus Areopagitici auctoritatem imminutam, & ad *Ephetas* translatam: sed sequenti tempore, his insuper habitis, restauratam a Solone fuisse.

Ephod, V. infrà in voce *Superhumerale.*

Ephydriades, inter Nymphas, aquarum præsides, apud Poëtas, memorantur Alexandro Ætolo, apud Parthenium *in Eroticis*, *cap.* 14. *de Antæo*,

Αὐτὸς δ' ἐς Νύμφας ᾤχετ' Ἐφυδριάδας.

Ipse iter ad Nymphas vixit Ephydriadas.

V. Vossium *de Idolol. lib.* 2. *cap.* 78.

Epibaterion, carminis genus, Apobaterio oppositum. Cùm enim quis (de illustribus Viris dico) longam post peregrinationem, aut diuturno postliminio in patriam reversus esset, certâ die civibus convocatis aut habebat orationem, aut canebat carmen, quo, post laudatum in procemio Principem, aut Præfectum civitatis, Diis agebat gratias, pro felici reditu & cives benignè appellabat. Atque id Poëmatis genus ἐπιβατήριον Græcè dicebatur, ὅτι ἐπιβέβηκεν εἰς τὴν πατρίδα, *quod rediisset in patriam*, unde Latina vox facta: quod quo pacto secundum artem institui possit, accuratè docet Scaliger *Poëtices lib.* 3. *cap.* 106. Contrà, quod discedentes, aut à patria, aut ab aliena regione, adhibebant, Ἀποβατήριον dicebatur, de qua idem agit *c. seq.*

Epicedia, carmina funebria, de quibus sic Scaliger *Poëtices lib.* 1 *cap.* 50. *Quæ ad rogum dicerentur, erant Neniæ: quæ ad tumulum, Epitaphia, quæ in exsequiis, cùm justa persolverentur,* Epicedia. [illegible] *enim suis curare exsequias.* Latinè *Funebres orationes* dicuntur, quæ ipso in funere habentur, adeoque semel dicuntur: Cùm *Epitaphia* anniversaria esse possint. Idem *lib.* 3. *cap.* 122. Cujusmodi *Epicedium*, in Euryalo Pallantis, habes apud Virgilium &c.

Epicephisia, Græcè Ἐπικηφισιά, pop. Atticæ, tribus Oeneidis, haud procul *Cephissia*, de qua suo loco.

Epicleræ, Græcè Ἐπίκληροι, dictæ sunt apud Athenienses, virgines, quibus fratres non erant: *Orbæ* veteribus *Latinis* vocatæ. Hoc nomine autem veniebant filiæ, licèt plures fuissent, dummodo nulli adessent virilis sexûs liberi. Scholiastes Comici *ad hunc versum*, *in Vespis*,

[illegible]

Ἐπίκληρον.

Καλοῦνται, inquit, Ἐπίκληροι, [illegible]. *Appellantur* Epicleræ, *quamvis duæ pluresque sint filiæ.* Nonnunquam tamen vox sumitur, pro illa, quæ unica paternarum facultatum hæres est, V. Pollucem *in Onomastico lib.* 3. Unde in verba Menandri apud A. Gellium *lib.* 2. *cap.* 23. Ἔχω δ' ἐπίκληρον, *Locupletem intelligis*, inquit Jac. Oiselius, *& unicam paternarum facultatum hæredem, sive illi jam obvenit, sive defunctis parentibus obveniet hæreditas.* Harpocration distinguit inter Ἐπίδικος, Ἐπίκληρος, Ἐπίπροικος καὶ Ἐπικληρῖτις: vocatque Ἐπίκληρον pupillam & unicam hæredem, quæ & Ἐπικληρῖτις dicitur. Ἐπίπροικος, cui pars hæreditatis contigit (vel, ut alii, quæ vivente Patre cum certa dote elocata est), ad diffe-

tentiam

tentiam 'Επικλήρου, cui tota obvenit hæreditas) 'Επίκληρος, quæ & aliquando 'Επικληρῖτις, pupilla vocatur, de qua in judicio disputabatur, cuinam in matrimonium cedere debeat. Proximus enim agnatus, vel cognatus, illam vindicare jure poterat, ut ex Isæo ac Dinarcho patet. Magnæ hinc sæpe contentiones, si locuples pupilla: sin pauper, certâ pecuniâ honestè cogebatur elocare is, qui sanguine illam proximè attingebat. Ita autem lex habuit: Ἣν ἂν ἐγγυήσῃ ἐπὶ δικαίοις δάμαρτα εἶναι, ἢ πατὴρ ἢ ἀδελφὸς ὁμοπάτωρ, ἢ πάππος ὁ πρὸς πατρός, ἐκ ταύτης εἶναι παῖδας γνησίους. Ἐὰν δὲ μηδεὶς ᾖ τούτων, ἐὰν μὲν ἐπίκληρός τις ᾖ, τὸν κύριον ἔχειν, ἐὰν δὲ μὴ ᾖ, ὅτῳ ἂν ἐπιτρέψῃ, τοῦτον κύριον εἶναι, *Ex ea, quam in legitimam uxorem desponsaris Pater, aut germanus frater, aut avus paternus, legitimos liberos tollunto: Si nullus horum supersit, & Virgo orba sit, nubito ei, qui judicio obtinuerit: Si orba non sit, tutor eam desponsato.* Ubi verborum 'Εὰν μὲν 'Επίκληρός τις ᾖ, τὸν κύριον ἔχειν, hic sensus: Eam nubere illi, qui judicio expertus fuerit, & secundùm quem pronuntiatum fuerit. Nam Lex jubebat ἐπιδικασίαν εἶναι τῶν 'Επικλήρων ἁπασῶν; atque hæc quidem de dotalibus Virginib. i. quæ totam hæreditatem adferebant in dotem. Egenas quoq; qui Judicum sententiâ damnatus fuerat, aut ducebat ipse, aut alteri elocabat, dote dictâ datâ, Samuel Petit. *Comm. in Leg. Att. lib. 6. tit. 1.* Solis verò gentilibus & cognatis nuptum erat danda virgo 'Επίκληρος, ex hac lege: *Μὴ ἐξεῖναι ταῖς ἐπικλήροις, ἔξω τῆς ἀγχιστείας γαμεῖν, ἀλλὰ προσήκειν εἶναι αὐταῖς μετὰ τῆς χρημάτων τῷ ἐγγύτατα γένους συνοικεῖν, Virgo dotalis extra cognationem ne connubito: sed agnato proximo nubito, & omnia sua bona in dotem adferto.* Debebat itaque è Lege, qui ad se delatas jure credebat 'Επικλήρου Virginis nuptias, cæteros in jus vocare, ut sciret, an vellent controversiam sibi de illa movere: Imò quanquam in mariti, qui eam sibi adseruerat, manum è 'Επίκληρος, μετὰ τῆς δίκης καὶ τῆς ψήφου convenisset; poterat nihilominus, qui sibi factam credebat injuriam, in jus vocare illum, qui *Epiclerum* uxorem habebat judicio evictam & quæsitam. Citabatur tum apud Prætorem, isque qui cum eo agebat, deponebat sacramentum, quod Παρακαταβολὴν vocarunt, nempe decimam eorum partem bonorum, quæ talis fœmina secum ferebat; Sed fieri id intra quinquennium necesse erat, teste Isæo, &c. Plura V. apud Petitum modò laudatum, *loco prædicto.* 'Επίκληρον etiam Aristophanis Scholiastes 'Επικληρίδα καὶ Πατροῦχον appellavit: Eustathius sequiori ævi vocabulo Μαίνδα appellat. Consule quoque si libet Car. Sigonium *de Republic. Atheniens.* & Budæum *in Comment. linguæ Græcæ,* De ratione istiusmodi Virginum apud Hebræos aliàs agetur.

Epicombia, Græcis recentioribus quid notet, ex Cantacuzeno discere est *lib. 1. cap 41. Die, quo Imperator unctus erat, exit è Templo, ab aliquo ejus Optimatum, quem ad hoc delegerit, in populum jaciuntur epicombia* (Græcè 'Επικόμβια) *Sunt autem fasciculi, fragmentis linteis illigata habentes numismata aurea tria, totidem argentea, & obolos æreos totidem; spargantur hujusmodi fasciculi circa decies mille, in vestibulo præcipuè.* V. quoque Curopalatam *de Offic. Aul.* & Salmasium *Not. ad Vopiscum in Aureliano,* ubi de his sparsionibus multa.

Epicum Poëma, omnium princeps est, quia continet materias universas, utpote ex Pastorali, Comico & Tragico genere mixtum. Inprimis verò argumentum ejus, *Dux, miles, classis, equus, victoria,* uti Horatius docet ad *Epicum* nobilissimum Varium *Carmin. lib. 1. od. 6.* solis dactylicis senariis magniloquis enarrandum: quod carminis genus per excellentiam *Epos* dici meruit. Sumebant autem *Epica poëmata* Rhapsodi olim per partes cantillanda, unde iis nec erat finis, & initium sæpe aliunde pendebat: Rhapsodis interdum de suo alterutrum, aut etiam utrumque assuentibus. Uti porro hircum Tragici, juvencam Lyrici, sic taurum *Epici*, in certaminibus olim accipiebant, uti docet Scaliger ubi suprà, *lib. 1. cap. 44.* V. apud eundem plura hanc in rem passim, inprimis *lib. 3. cap. 96.* ubi *de Heroicis*: de *Epici* verò, *Cycli* materia & serie, suprà in voce *Cyclus.*

Epicurea, Secta Philosophorum, auctore Epicuro, ex Eleatica maximè secta profluxit. Epicurus nim, qui ejus conditor fuit, Olymp. 109. an. 3. septennio post Platonis excessum, nemini plus quàm Democrito debuit. Unde Cic. *de N. D. Democritus vir magnus inprimis, cujus fontibus Epicurus hortulos suos irrigavit.* Contemsit autem Rhetoricam, & Dialecticæ loco Canonicam substituit: Mathesin quoque insuper habuit: In Physicis verò, ubi Anaxagoræ dogmata maximè sequebatur, atomos à Leucippo & Democrito mutuatus, magnus omninò suis visus fuit. Quam naturæ scientiam universam sex libris complexus est Lucretius ipse *Epicureus*: è quibus perspicuum est, quod Canonica contenderat, omnia sensibus dijudicasse; adeò ut ne Solem quidem vel Lunam majorem putaret, quàm videretur. Itaque, ut Cleomedes *Meteorol. lib. 1.* ait, etiam majorem esse Solem manè, quàm meridie fatebatur, quia sic videatur sensui. Imò, quod magis ridiculum, cum manè accendi, vesperi Oceani aquis extingui opinatus est. Quod ad moralem Philosophiam attinet, summum bonum in voluptate posuit Epicurus, ubi cum Eudoxo sensisse multis videtur. Interim fœdus ejus error fuit, quòd negaret: *Deum mortalia curare.* Item, quòd *Animas cum corporibus interire* statueret. Ei in schola hæc successit Mus, servus ille quidem Epicuri, sed qui Discipulorum ejus omnium clarissimus evasit. Etiam inter sectatores illius Zeno Epicureus, Hermachus, Lucianus: & apud Romanos Lucretius, Cassius, qui Cæsarem sustulit, Maro sub vitæ finem, & Petronius Arbiter. Et hoc discipulorum Epicuri typhum fovit, quòd deficientibus sectis aliis Magistri sui scholam, semper succedentibus aliis atque aliis, persistere videbant. Gerh. Joh. Vossius *de Philos. Sectis cap. 8.* Eadem cum Epicuro jam sub mundi initia sensisse Cainum, & statim à diluvio Chamum, ostendit Georgius Hornius, *Historiæ Philos. lib. 1. cap. 9. & lib. 2. cap. 8.* Apud Judæos postea Sadducæi, Epicuri dogmata sectati sunt, ex disciplina Zadoci conditoris sui credentes: *Post hanc neque præmia bonis, neque pœnas malis instare, sed animam unà cum corpore interire.* Ex Hæreticis Valentiniani, & illi, contra quos Irenæus scribit, *Epicurei* erant ac Cynici, Iren. *lib. 2. cap. 58.* V. quoque in voce *Epicurus.*

Epicurus, adde: Ei festum à discipulis institutum, dicemus infrà, in voce *Icadistæ.* Ab iisdem imagines ejus in cubiculis repositas, in voce *Imagines.* Sed & imaginem in annulis habuisse, docet Cicero *de Finibus lib. 5. Nec tamen* Epicuri *licet oblivisci si cupiam: cujus imaginem non modò in tabulis nostri familiares, sed etiam in poculis & in anellis habent.* Sic Commodus Imperator Amazoniâ (ea erat Marcia concubina ejus, quam pictam in Amazone diligebat) Aristomenes Agathocle, Augustus Alexandro M. Chersonitæ Constantino M. Princeps ille vetus, apud Eustathium τὸν πολυτρόπῳ in *Hom.* Ulysse, signarunt. Kirchmannus *de Annulis c. 12.* At in Scriptis Hebræorum hæreticus est, item Christianus, qua de re V. Johann. Seldenum *de Synedriis vet. Ebræorum libro II. in Addendis p. 744.*

Epidaurus, urbs Peloponnesi, Æsculapii templo celeberr. adde: De ea proin Statius *lib. 1. Sylvâ 3. vers. 99.*

> *Si qua salutifero gemini Chironis in antro*
> *Herba thole quocunq; tibi Trojana recondit*
> *Pergamus, aut Medicis felix* Epidaurus *arvis*
> *Edocat* — —

Et Q. Serenus voto ad Æsculapium,

> *Tuq; potens artis, reduces qui tradere vitas*
> *Nosti, atq; in cælum manes revocare sepultos,*
> *Qui colis Ægeas, qui Pergama, quiq;* Epidaurum,
> *Huc ades* ——

Nempe Æsculapius in hâc urbe genitus habebatur, ex Apolline & Coronide, ut testatur Oraculum apud Pausaniam *lib. 2.* ubi & festum diem Atheniensibus fuisse *Epidauria* memorat. Inde *Epidaurius*, pro Medico celebri: Statius iterum *Thebaid. lib. 3. versu 398.*

> *Vulnera dum lymphis* Epidaurius *eluit Idmon,*
> *Nunc felix ferro, nunc ille potentibus herbis*
> *Mitior* —— —

Ubi Schol. vetus, *ut ab Æsculapio didicisse Medicinam indicet, patriam ei Epidaurum adscripsit* &c. Cœterùm memorabilem in *Epidaurii Templi* foribus inscriptionem memorat hanc Clemens *5. Strom.*

> *Ἁγνὸν χρὴ ναοῖο θυώδεος ἐντὸς ἰόντα*
> *Ἔμμεναι.*
> *Esse decet castum, sancti qui limina templi*
> *Ingreditur.*

Nempe non Solis sacrificiis rem peragi, sed insuper opus esse, ut sacrificatori puri sint, & à sceleribus abhorrentes, etiam Gentiles viderunt. Quam in rem non pauca congessit Brissonius *Formul. lib. 1.* V. Tob. Pfannerum *System. Theol. Gentil. cap. 15. §. 8.*

Epidecen, vel *Epidoten*, Ugutioni vestis Monachorum est: corruptè pro *Ependytes.* Sic enim vocata ab Hieronymo est vestis exterior Monachorum Ægyptiorum pellicea seu melotes, Occidentalibus ut plurimùm lanea: quam *superariam* Latini, *Scapulare* nonnulli vocant. V. suprà *Ependytes.*

Epidemia, Græcè 'Επιδημίαι, nomen festi apud Delios & Milesios, Apollini; apud Argivos, Dianæ sacri: quasi eo potissimùm tempore *inter eos* Numina illa *versarentur*, nomen nacti, ex ἐπὶ & δῆμος. In cujus postremo die, quasi abeuntes Deos suos, ad aras, certis hymnis prosequebantur, qui hinc ἀποπεμπτικοὶ dicti, quemadmodum discedentibus amicis προπεμπτικοὶ dabantur. Eis opponebantur κλητικοὶ, Lat. *Evocatorii*, de quibus infrà. Nempe cùm multorum locorum patrocinium Dii Gentilium suscepissent, partiri tempora æquum fuit, ut alibi aliàs præessent sedibus suis. Itaque certi dies festi erant, quibus evocabantur, & quibus iterum, quasi advenissent postmodum compositis carminibus ad suam quisque patriam dimittebantur. Cujusmodi hymnos à Bacchylide conscriptos ajunt. Julius Cæsar Scaliger *Poetic. lib. 3. cap. 114.*

Epidipnides, apud Martialem *lib. 11. Epigramm. 31.* ubi de

sordidè lauto Cæcilio, qui non nisi cucurbitas convivis apponebat, in frusta dissectas varieque apparatas:

Hæc cœna tibi tertiâ reponet.
Hinc feras epidipnidas parabis:

dapes sunt seu bellaria, quæ ἐπὶ δεῖπνον, *post cœnam*, apponi distribuique consuevere. V. de partibus Cœnæ apud Vett. *Antecœna*, *Cœnæ capite* seu *pompa*, & *Secundis Mensis*, seu *Bellariis*, Jo. Rosinum *Antiqq. Rom.* 5. *cap.* 29. ut & hic variis in locis.

Epigonation, vestis sacra Græcorum, Ἐπιγονάτιον, ad modum calicis bursæ formata, quam Episcopi aliique in dignitate constituti, inter Sacra, gestant ad genua usque pendulam, ad lævum latus: in memoriam lintei, quo Salvator in ultima cœna Discipulorum pedes loturus se præcinxerat, ut Balsamon habet. Simeon verò Thessalonicensis gladium divinæ prædicationis denotare ait: unde in eo effigies Seraphim depingitur, cum flammeo ac ancipiti gladio. S. Germano Patr. CPolit. ἐγχείριον dicitur, quâ voce etiam linteum, quo Pilatus post lotionem manus absterserat, insignitur. In Ecclesia Lat. solus Papa in solemni celebratione id indumenti adhibet, quod in forma manipuli est, & in *Ceremoniali* Rom. *Subcinctorium* & *Subcingulum* appellatur, &c. V. Macros Fratres *in Hierolexico*.

Epigoni, adde: V. quoque infrà, ubi de *Septem Ducibus*.

Epigramma, Græcè Ἐπίγραμμα, q. *Inscriptio*, est Poëma breve cum simplici cujusdam rei vel personæ vel facti indicatione: aut ex propositis aliquid deducens. Nempe *brevitas* ejus proprium, *argutia* anima ac quasi forma est. Nomen inde, quod quæ statuis, tropæis, imaginibus, pro *elogiis* inscribebantur, ea primo ἐτύμου significatu *Epigrammata* sunt appellata. Sed nec donaria seu anathemata, sine inscriptione fuerunt. Sic ipsum Poëma fuit statuæ inscriptio. *Ubi verò in librum transfertur, à contrario fit. Ipsa enim statua inscriptio est Epigrammatis—Titulus sc. quem Lemma vocat Martialis* &c. Jul. Cæs. Scaliger *Poëtic. lib.* 3. *cap.* 126 ubi plura de hoc carminis genere. Vetustissimus Poëta Meleager, ex omnibus antiquis Epigrammatariis, Στέφανον Ἐπιγραμμάτων olim contexuit, ordine alphabetico positis eorum nominibus, ac singulis Poëtis cum totidem floribus compositis ac comparatis. Quem secutus est Philippus, utrumque Agathias, qui Κύκλον τῶν Ἐπιγραμμάτων, seu Στέμμα seu Συλλογὴν (aliter enim atque aliter titulus is memoratur) similiter concinnavit, uti pluribus docet Salmasius *ad Solinum pag.* 848. & 849.

Epilogorum Dies, dicebantur apud Romanos, in quibus ad concitandam misericordiam, parvuli etiam reorum filii producebantur: quâ de re multa egregiè scripsit Quintilianus, meminit & Asconius.

Epimanicion, Græca vox, ἐπιμανίκιον, ad instar semimanicæ est, ad cubitum usque pertingentis; cujusmodi manicis antiquitus solis Episcopis licebat uti, ut Balsamon testatur & Simeon Thessalonic. idque in symbolum vinculorum Christi patientis. Hodie verò usus ejus omnibus Sacerdotibus est concessus. In Cappella Papali, Diaconum & Subdiaconum, præter manipulum hujusmodi, gestare in albæ manicis frustilla coloris currentis Festi expansa, juxtà priscum ritum, refert Dominic. Macer *ubi suprà*.

Epinicia, Græcè Ἐπινίκια, carmina erant epipompeutica, haud absimilia Pæanibus, nisi, quòd his gratulabantur Diis immortalibus, pro victoria, in præliis obtentâ; illa autem, in certaminibus, victori canebantur. Cujusmodi sunt omnia Pindarica, quæ extant: uti ex ipsis titulis patet: ut in Sacris carmen Mariæ, sororis Mosis, Deboræ, & illud πολύθρύλλητον de Saule ac Davide, *Saul percussit millia, David decem millia*. Gratulabantur autem in victoriis, vel cum acclamatione, vel laudes celebrabant sine illa, uti videre est apud Scaligerum *Poëtices lib.* 1. *cap.* 44. ubi plura de hac re. V. quoque suprà, in voce *Ballistea*.

Epiphania, Festum, quod Christiani celebrant ex ritu antiquo, d. 6. Januar. ut ex Ammiano *lib.* 21. colligitur; tanti olim habitum, ut pro impiis haberentur Imperatores, qui ei interesse neglexissent. Quo factum, ut & Julianus, cùm in Galliis ageret, & alii quidam Augusti, licèt Ariani, illud cum Christianis celebrare voluerint. Ratio nominis variè redditur: Nonnulli id sic putant dictum, quòd, cùm hac die Baptismatis Christi solennitas agatur, tunc primum Christus ἐπεφάνη, cœperit gentibus *manifestari*, imò ipsi suo præcursori Joanni, qui Joann. *cap.* 1. *vers.* 31. ait, *Ego nesciebam illum*. V. Hieronymum *in Ezech. lib.* 1. *cap.* 1. & Chrysostomum *Homil. de Bapt. Christi*. Isidorus verò Hispal. *de Offic. Eccl. lib.* 1. *cap.* 26. vult *Epiphania* appellata, quoniam stella ἐπεφάνη, h. e. *apparuit* in coelo, quando sc. Magi Christum jacentem in præsepi adorarunt: Hac enim die non Baptismi solùm Christi, sed & adorationis Magorum & primi in Cana miraculi, memoria recolitur. Alii censent, appellationem hanc abusivè festo inditam esse: Quippe cùm plurimæ Ecclesiæ in diem illum Natalem Domini & Baptismum ejus referrent, quod de Ægyptiacis disertè testatur Cassianus *Collat.* 10. *cap.* 2. de Græcis, Asiaticis & Syris, Epiphanius *in Panar. Hær.* 51. Natalis verò Christi ἐπιφανείας & ἐπιφανίων nomine donaretur à Patribus, quia tunc primùm apparuit nascendo Christus, factum postea in Ecclesia CP. quæ, Romæ usum amplexa, natalem Christi cœpit celebrare die 25. Decembr. ut priorem nomenclaturam diei sextæ Januarii attribuerit, quæ priùs, tanquam natalis Christi, colebatur. V. Casaubonum *ad Annal. Baronii Exercit.* 2. *cap.* 11. & Jac. Gothofredum *ad l.* 5. *Cod. Theod. de Spectaculis*. Et quidem hac die Græci Baptismum inprimis Christi celebrant, atque in ejus memoriam multis ceremoniis consecrant aquam, in quam postquam tribus vicibus crucem immerserunt, inde postea domos infirmosque aspergunt. In Latina verò Ecclesia adoratio præcipuè Magorum recolitur, & hoc die Sacerdos pluviali indutus ambonem ascendit ac mobilia totius anni festa annuntiat. Insuper Dominicani magno luminum apparatu hac nocte matutinum suum celebrant inque eo genealogiam Christi secundùm Lucam ad tertium nocturnum canunt &c. V. Car. du Fresne *in Glossar.* & Macros Fratres *in Hierolexico*. De ἐπιφανείαις, h. e. apparitionibus Deorum gentilium, V. suprà in voce *Divinitas*.

Epipompeutica, Græcè Ἐπιπομπευτικά, dicebantur carmina, quæ in pompis Veterum accini solebant, cujusmodi *Seculare carmen* Horatianum & *Epinicia*: de quibus V. Scaligerum *Poëtices lib.* 1. *cap.* 44.

Episcopa, in *Inscr.* vet. in æde Praxedis Romæ, *Quocirca & in ipso ingressu Basilicæ manu dextra, ubi utique benignissimæ Genitricis scilicet Dominæ Theodoræ Episcopæ corpus quiescit* &c. apud Dominic. Macrum *in Hierolex.* V. in *Episcopissa*.

Episcopi, Græcè Ἐπίσκοποι, Magistratus apud Athenienses nomen, qui per provincias & regiones ditioni suæ commissas excurrebant, quò illas in officio ac fide continerent. Latinis verò sic dicebantur, qui pani præerant, *leg. ult.* §. 7. *D. de Muner. & Honor.* cujusmodi fortè fuit ille, cujus mentio est in vet. *Inscr.* apud Joffredum *in Not. Urbis Nicæensis*, *pag.* 6. De *Episcopis* Ecclesiæ Rom. varii generis, *Episcopis* sc. *Abbatibus*, seu *Vagantibus*, qui nullas parochias habent: *Episcopis Cardinalibus*, h. e. propriis; item iis quibus id privilegii indultum, ut Cardinalibus accenserentur, quemadmodum de Archiepiscopo Magdeburgensi legitur, apud Henr. Meibomium; iis porro quibus jus Pontificem Rom. eligendi concessum est in Concilio Rom. A. C. 1059. *de Episcopis Cathedralibus*, quibus Chorepiscopi oppositi; *de Episcopis Commendatariis*, h. e. Cardinalibus, quibus non unus solùm, sed aliquando quatuor, quinque, sex Episcopatus in commendam concessi sunt, cùm sedes Pontificum adhuc Avenione esset: de *Episcopis Palatii*, seu Archicapellanis, qui apud Gallos, Bohemos, Croatas, olim in aulis versabantur, ut essent cum quibus de rebus Ecclesiasticis Reges tractarent: de *Episcopis primæ sedis* seu Primatibus: *de Episcopis* tandem *in partibus infidelium*, qui Latinis Hierosolymitano Regno pulsis, originem nacti sunt, V. pluribus agentes Car. du Fresne *in Glossario* & Macros Fratres *in Hierolexico*.

Episcopium, domus Episcopi, ubi non minus, quàm in Monasteriis, olim sacra sapientia tradebatur, quamvis hæc sæpius *Episcopiis* essent contigua, aut etiam eadem cum illis. Monasteria enim, Erasmo judice, eâ ætate dicebantur Episcoporum ædes, in quas se recipiebant à popularibus feriati negotiis, & in quibus illi sacras tum docebant literas, ac juventutem ad pietatem instituebant. Inde non solùm Monachorum Cœnobia, sed & Ecclesiæ, quæ Collegia & Capitula habebant, *Monasteria* & apud nostrates *Munster*, dicta sunt. Ita ergo veteres Episcopi prope suas Ecclesias, aut intra eas, Monasteria, id est, Collegia seu cœtus studiosorum doctorumque virorum habebant, è quibus ad Ecclesiarum regimen qui apti videbantur, promoveri solebant. In quali Monasterio Augustinus habitabat, sic ut nec ipse Monachus fuerit, nec Monachi inde prodierint, cùm potiùs illi Clerici ac Presbyteri essent, qui ibidem in *Episcopio* docti, collegæ Episcopi in officio pastorali erant, aut in Episcopos deligebantur. Quia autem non omnes Episcopi apti erant, ut alios ad sacra erudirent, operam deinceps dederunt, ut in Ecclesiis, ubi cathedra Episcopalis erat, talium Scholæ haberentur: Sic cœtus Canonicorum, qui istiusmodi Scholas regerent, emersere: ut, si Pastor peteretur, in oculis Episcopi essent, quos mitteret probatos. Imò Cabillonensi Synodo sub Carolo M. statutum, ut omnes Episcopi Scholas erigerent, in quibus bonæ literæ atque inprimis Theologicæ docerentur, legimus apud Baronium: & Tridentinum quoque Concilium sollicitum fuisse, de restituendis prælectionibus in Ecclesiis Cathedralibus deque instituendis seminariis in Collegiis Ecclesiarum Episcopalium, ex historia ejus notum est. V. Franc. Burmannum *Orat. Inaugur. de Collegiis* &c.

Episcopus, adde: Cùm Principibus viris obviam prodire olim mos esset *cum lumine multo & floribus votisque faustis*, ut ait Ammianus *lib.* 21. idem honos postea *Episcopis* exhibitus est, jam inde à temporibus primis florentis Ecclesiæ. Sic enim S. Cyrillus, se è Concilio Ephesino redeuntem, tantâ alacritate omnium exceptum esse, ut passim sibi mulieres præirent, θυμιατήρια κρατοῦσαι, *thuribula manibus tenentes*, narrat in *Epist.* ad Presbyteros Alexandr. quæ in Concilii *Actis* extat. Simile est, quod de-

cereis

tereisaccensis in Histor. Ecclesiast. observat Casaubonus, quos initio moris fuit rebus sacris praeire. Sic B. Chrysostomo cum cereis obviam processit populus CPolitanus, apud Theodoretum *lib. 5. cap. 34.* & hymnis, apud Sozomenum *lib. 8.* & suffitibus, apud Gregorium in *Vita* ejus *cap. 100.* Accessere postmodum choreae, cruces, alia, de quibus V. Casaubonum *ad Caligulam Suetonii cap. 13.*

Episcynium, apud Suidam ex *Epigrammate.*

Γυμνώσας βίου παντὸς ἐπισκύνιον,

Nudato vitae totius episcynio:

tralatitium est, & proprie cilium *Glossar.* vet. *cap. de membris*, Philoxeno supercilium, Tzetzi pars ciliorum, quam aliquando demittentes in loca palpebrarum, videmur ἄγροικοι ὄντες σκυθρωποί, *rustici quidam esse atque ferini*, Scholiasti vet. Homeri *ad Il. ρ. v. 136.* ubi de leone, pars supra oculos aut cutis, locus frontis in quo supercilia concurrunt; à σκύζεσθαι, *irasci*, quòd in iratis haec statim pars afficitur. Aliis v. potius ipsa demissio superciliorum, quam eleganti metaphora *nubem* vocat in *Physiognom.* Philosophus, quippe irato animali, eo & oculi pars obtegitur & vultus, tanquam nube obductus, fit tristior & morosior. Quod dum leo facit, *abbas*, vel *abis* Arabibus dicitur, uti docet Samuel Bochartus *Hierozoici Parte prior. lib. III. cap. 2.* ubi plura hanc in rem.

Episkyrus, inter pilae ludos apud Vett. memoratus Polluci, fiebat, *ubi paribus ad pares in duas turmas dispositis, media linea educebatur, quam scyrum vocabant, cuique pilam impositam quisque contendebat, ut intra alias duas lineas post utrorumque ordinem descriptas versantium, nisi*[illegible]*, immitteret, nimirum quibus contactis à pila victoria haberetur.* Lusores hi, dum pilam capiebant, atque alteri mittebant, alterum fugiebant, alterum expellebant, alterum magnis vocibus elevabant, sive evertebant, verisimile fit spectatores atque etiam se ipsos magnâ delectatione affecisse, eo magis quòd interdum motuum concinnitati dabant operam, ut ex Demoxeni verbis apud Athenaeum *Dipnosophist. lib. 1. cap. 12.* colligere est. Sic in alio parvae pilae lusu, φαινίνδα dicto, alio simulantes in aliam partem mittebant, decipientes e edulum &c. V. Hieron. Mercurialem *de arte Gymnastic. lib. 2. cap. 4.* & infra, ubi de *Pilae lusu.*

Epistates, dicebatur apud Athenienses, Proëdrus qui suum imperaret diem, Gr. Ἐπιστάτης. Cùm enim quinquaginta unius Tribus Prytanes simul non imperarent, sed Prytaneia in quinque hebdomades, ut ex Ulpiano liquet, distributâ, in totidem decurias quinquaginta illi dividerentur, prima decuria suam imperabat hebdomadem, secunda secundam, atque ita deinceps ordine sorte ducto: dicebanturque illi decem, qui in sua hebdoma de praeerant, Πρόεδροι. Hi inter se sortiebantur regna septem illorum suae hebdomadis dierum quibus praerant: atque ita fiebat, ut è decem Proëdris tres supercilent, qui suum non imperarent diem, reliquorum verò quisque die suo *Epistates* vocaretur; quod ne binis vicibus contingeret, vetuit lex: Δὶς οὐκ ἔξεστι γενέσθαι τὸν αὐτὸν Ἐπιστάτην, *Nemini bis esse* Epistatae *licet*, apud Pollucem *lib. 8. cap. 9.* Habebat enim is penes se, quum regnaret, Aerarii claves, ut & Tabularii item Sigillum publicum, unde metus erat, ne si pluries fieret *Epistata*, tyrannidem invaderet. Suidas, φυλάσσει δὲ Ἐπιστάτης ὁ λαχὼν τὰς κλεῖς, ... δημόσια γράμματα, ... Ab his Proedris atque *Epistatis* alii quoque fuerunt, eodem nomine dicti. Quotiescunque enim Senatus habebatur, aut Concio, ὁ ἐν τῇ ἡμέρᾳ ... *eo die imperans*, etiam *Epistates* dictus legebat novem Proëdros è singulis unum Tribubus, exceptâ illâ, penès quam Prytaneias erat imperium, teste Aristot. *de Rep. Athen.* Quorum novem Proëdrorum unus similiter *Epistata* dicebatur, sorte ex illis novem ductus ab *Epistata*, penès quem erat illius diei regnum. Hi Proedri Senatui & Concioni praesidebant, curabantque negotia: Relationem porro faciebant eorum, quorum causâ convenerant, sistebant in judicio coram populo &c. quas tamen partes fuisse praecipuè Proëdrorum *Epistatae*, patet ex Suida. V. Sam. Petitum *Commentar. in Leges Atticas lib. 3. tit. 1.* Aliter vox sumitur apud Plinium *lib. 34. c. 8.* ubi Silanion *Epistatem athletas exercentem ex aere fecisse dicitur &c.*

Epistola, Graecè Ἐπιστολὴ, quasi *missoria*, ἀπὸ τοῦ ἐπιστέλλειν (Isidorus interpretatur *missam*, *Orig. lib. 7.*) aliàs *tabula*, *tabella*, *codicilli*, quòd ante chartae & membranarum usum, in dolatis ex ligno codicillis perscribebantur, Hieronym. *Epist. 42.* V. quoque Homerum *Il. ζ. v. 169.* ubi Praetus literas Bellerophonti tradit scriptas, ἐν πίνακι πτυκτῷ, *in tabella plicata.* Cujusmodi tabellae fieri solebant inductâ cerâ, è fago, abiete, buxo, tilia, acere, citro, ebore. Unde Plautus *Epistolam* circumscribens *Pseudolo*, inquit,

Per ceram & lignum, literasq; interpretes.

Usi tamen & chartâ ad hanc rem, ut ex Martialis lemmate *lib. 14. Charta Epistolares*, discas: quod nomen hodieque Epistolae tribuunt Hispani. Sed sive tabella, sive charta adhiberetur, pagellae erant & species minuti libelli. Cic. *ad Caelium lib. 2. Epist. 13. Extrema pagella pupugit me tuo chirographo.* Et *lib. 11. ad Brutum Epist. 25. Altera jam pagella procedit.* Nisi quòd publicas literas ad S. P. Q. grandiore formâ & transversâ chartâ scribebant, sc. quasi historias, Sueton. *Julio cap. 56.* ubi primum hunc epistolas ad Senatum in paginas & formam memorialis libelli convertisse addit. Alia hodie literarum ratio. Sed nec *Subscriptio* Veteribus usitata, nisi forte in literis ad Imperatores; nec *Superscriptio* frequens fuit. Dabant enim plerumque & mittebant per pueros suos aut tabellarios notos: nec aliud in exteriore epistolae erat, quàm signum & linum; imago nempe vel propria, aut alicujus è Majoribus, vel emblema aliquod, impressum cerae seu cretae, quod lino seu vinculo, quo Epistola obligabatur, imponi imprimique solebat. Uti pluribus videre est, apud J. Lipsium *Instit. Epistolic.* A communi usu in scenam receptae sunt *Epistolae*; in qua Tragoedi si quid esset, quod Principem Populumque vel monitos vel rogatos vellent, *Epistolam* exhibuisse, legimus, quàm vocalissimus aliquis Curio clarâ voce legebat: quod iis in dramatico Poëmate, quae extra argumentum essent, loqui non liceret, V. hanc in rem Martialem *Epist. lib. 2. Epigramm.* Sed & *Epistolas* minus magnis libellis aut operibus praefigere, perque eas scripta ipsa amicis aut fautoribus commendare, eo aevo, moris fuisse, indidem discas: cùm vett. sequutique Poetae, extra quidem Autonium paresque alios, alio consilio fuerint Qua de re V. Casp. Barthium *Animadversion. ad Statium Epist. Sylvar. lib. 1.* &c. Idem porro nomen fuit Comoediae, ab Afranio editae, cujus Lipsius meminit *d. l.* Caeterùm quâ religione *Epistolas* suas legi voluerit Plato, V. apud Marsilium Ficinum *Argum. in Epist. ejus 2.* & *Argumen. in Platonem de Republ. lib. 6.* Plotinum item *d. l.*

Epistolae, in Ecclesia Romana, ex more, ab Alexandro Pontif. confirmato, dicuntur omnes Lectiones, quae ante Evangelium in Missa leguntur; cùm propriè loquendo solum Apostolorum sint *Epistolae*: quae proin *Apostolus* dicuntur, in Concilio Toletano IV. V. suprà. Quis autem *Epistolas* & Evangelia per annum in Missa recitanda distribuerit, V. apud Dominic. Macrum *in Hierolexico*, qui, non fuisse Diaconi munus antiquitus, canere Epistolam, sed Lectoris, quod etiamnum obtineat in Ecclesia Graeca, aliaque huc pertinentia, addit *in Hierolexico.* Hinc *Epistolarium*, ibidem, dicitur Liber Epistolarum S. Pauli, & aliorum, qui legitur in Liturgiis ejus &c. V. quoque infrà ubi de *Lectione* & *Praelectione.* In Ritu Ambrosiano ejusd. in Communionis, *Epistolellam* dici capitulum, quod in horis Canonicis legitur ante Responsoria, refert idem *Hierolexici* Auctor.

Epistolae Decretales, pars Canonici Juris, V. suprà *Decretales.*

Epistolae Formales, Graecis Ἐγκύκλιοι dictae, occurrunt apud Suetonium *Domitiano cap. 13. Cùm procuratorum suorum nomine formalem dictaret epistolam, sic coepit, Dominus & Deus noster sic fieri jubet.* Dabanturque ad Procuratores, quibus instar *formae* erant, quas sequerentur. Ad quod exemplum Ecclesiastico ritu olim Epistolae formatae, quarum genera duo. Nam aut de Ecclesiastico ritu praeceptove aliquo mittebantur, ab Episcopo per Ecclesias, eaeque *Epistolae solennes* Cassiano *cap. 11. Coll. 10.* aut commendabatur ab Episcopo ejusmodi Epistolâ Clericus aliquis, de sua Ecclesia in aliam proficiscens, ut videre est apud Sidonium *lib. 6. Ep. 8.* Neque fas Clerico sine ejusmodi literis proficisci, *Capitular. Caroli M.* Qui ritus hodieque in Ecclesia Orientis in usu, dicunturque συστατικά &c. Praeter has *Epistolae* erant, quibus Princeps rescribebat aut Magistratui, aut Praesidi, aut privato consulenti de jure, uti patet ex Epistolis Trajani ad Plinium *lib. 10.* V. Theod. Marcilium *ad Titum Suetonii cap. 6.* ut & hic passim, ubi de *Diplomatis, Formatis, Indictionalis.*

Epistolographica, Graecè Ἐπιστολογραφική, una ex triplici vett. Aegyptiorum docendi ratione, apud Clementem Alex. *5. Strom.* V. ubi d. eorum *Hierogrammateis.*

Epistemonarcha, ex Graeco Ἐπιστημονάρχης, doctrinae Ecclesiasticae Praefectus, & rerum ad Fidem pertinentium Rector, officium fuit in Aula CPolitana, simile ei, quod Magistri Apostolici Palatii est, uti vocatur, in Aula Pontificis Rom. apud Macrum ubi suprà. Mel. *Epistemonarcha.*

Epitaphia, carmina ad tumulum cantari solita, sicut *Epicedia*, in funere seu exsequiis. Et quidem cùm haec semel tantùm dicerentur, illa non rarò anniversaria fuere, quemadmodum Athenis. Nam & Pericles dixit, ut videre est apud Thucydidem, Plato quoque idem effecit, & Aristides tres scripsit sunt. Etiam orationem vel carmen ἐπιτάφιον, ad Mausoli viri sepulchrum, quotannis Artemisia instituit &c. *Inferiarum carmen* idem & *Parentalia.* Sed & *Epitaphium* ipsum elogium dictum est, quod tumulo inscribitur, V. suprà in voce *Epigramma*, & plura hanc in rem apud Jul. Caes. Scaligerum *Poetices lib. 3. cap. 122.* nec non infrà, ubi de Vett. *Parentandi ritu.*

Epitendesion, vox malè confecta, ex Graeco ἐπὶ τῶν δεήσεων, dignitas in Ecclesia CPolitana, de qua videri poterit Codinus, & ejus Commentatores. *Epistola* Michaelis Palaeologi Imp. ad Joannem XX. Pontif. Rom. apud Waddingum A. C. 1277. *num. 4. Ex honorabilissimo Archidiacono caeteri Imperialis Chori & Epitendesion ejusdem sanctae Constantinopolitanae Ecclesiae Georgio Metochita*, apud Car. du Fresne *Glossar.*

nihilominus *Elimarus*: cujus filius *Elimarus* iidem & Johannes duas dedere lineas, (tertius Bernhardus Henrici Leonis miles fuit:) hic quidem Waldeshusanam, quæ sec. 14. extincta est, ille verò Oldenburgicam.

Elimarus II. fil. prioris, præter Ottonem, Præpositum Bremensem, nepotum Christiani & Mauritii tutorem, genuit Christianum Bellicosum & Henricum; quorum hic Brockhusæ Comes novum tantum orsus est, in quo ultimus Conradus, à Butjadis cæsus A. C. 1358. filiam tantùm reliquit Margaretam Johannis Com. Diepholtani uxorem: Ille verò Oldenburgicos continuavit. Phil. Jac. Spenerus *Syll. Geneal. Histor. in Fam. Oldenburgo-Danica.*

Elissa Tyria, Justino memorata *lib.* 18. Carthaginem condidisse dicitur, hinc *quamdiu Carthago invicta fuit, pro Dea* ibi *culta.* Eam *Dido quidam autumant*, inquit Vellejus *Histor. lib.* 1. Prius nempe vocabatur אֱלִישָׁה *Elissah*: cujus posterior pars שֶׂה *agnus*; unde interpretantur, *Dei mei agnus.* Nisi idem nomen ac Prophetæ Elisæi, אֱלִישָׁע, quod à יֶשַׁע *salus*, ut sit *Dei salus*, vel *Deus salvans.* Apud Eusebium legas, Didoni priùs nomen fuisse 'Οριγὼ: quod unde hauserit, incompertum. Δειδὼ autem Hebr. דִּידָה, *dilectulam* notat &c. Quia verò *Elissa* Tyria fuit, hinc natus Phœnicum, apud Appianum *initio Lybic. & Punic.* error, dicentium Xorum & Carchedonem urbem eam extruxisse. Nullus enim Xorus fuit, sed fabula de hoc conditore ex eo cœpit, quòd Carthago Tyriorum esset colonia: at Tyrus, Phœniciâ linguâ צוֹר *Tsor* diceretur. Græcis quippe nulla vox incipit à *TS.* sed pro duplici, *Tsade* sive *Ts*, habent *KS.* sive Ξ. unde multo plurima inchoant. Ergo pro Τσῶρος dixere Ξῶρος. Nisi pro *Xoro* scribendum *Zoro*: quippe in Eusebii *Chronico* legas ex Philisto, Zorum & Carchedonem esse Carthaginis conditores &c. V. Gerh. Joh. Vossium *de orig. & progressu Idolol. lib.* 1. *cap.* 32. ut & in voce *Carthago.*

Elixa, dicuntur quæ in aqua coquuntur, ipsa verò aqua sola quum fervet, *excoqui* & *decoqui* dicitur: inde Vett. *decocta.* Aliàs *elixa* etiam *decocta* vocantur. Et quidem parandi cibos modus hic recentior assaturâ est, unde Homerum Diis suis nunquam *elixas* carnes, sed solùm assas, apponere videmus: qui modus longè simplicior. Sed & de Agno Paschali legem habemus in Sacris, *Non comederis coctum in aqua, sed assum igne*: qua de re V. Bochartum *Hierozoici Parte prior. lib. II. cap.* 50. ut & suprà suo loco. Similiter in epulis sacrificalibus Gentilium, carnem perpetuò tostam vel assam fuisse, exceptâ arietinâ, quæ *elixabatur*, docet Alex. ab Alexandro *Genialium Dier. lib.* 4. *cap.* 17.

Ellotia, Græcè 'Ελλώτια, festum Europæ Agenoris Phœnicis filiæ, in Creta dicatum, Hesych. Nempe 'Ελλωτὶς Europa Cretensibus dicta est, teste eodem. Quo etiam nomine corona venit, è myrto texta, ambitu cubitorum viginti, quam in hoc Festo in pompa, cum ossibus Europæ, vehi consuevisse, Athenæus tradit *lib.* 15. V. Salmasium *ad Solinum pag.* 172.

Ellus Magister, missus à Zenone Imp. contra Leontium, huic se conjunxit contra Imperatorem, Liberatus *Breviar. capp.* 16. 17. & 8.

Ellychnia, apud Statium *lib* 4. *Sylv.* 9. *versu* 29.

> *Non* ellychnia *sicca, non replicta*
> *Bulborum tunicæ, nec ova tantùm* &c.

stupæ sunt tortiles, lychnis oleo plenis flammam alentes, Gr. ἐλλύχνια, item θρυαλλίδες, & φλογμοὶ, Pollux *lib.* 6. *cap.* 18. & *lib.* 10. *cap.* 26. Quem in usum etiam adhibebantur *bulborum complicatæ tunicæ*, quas mox addit Poëta. Ex cicina uva præcipuæ claritatis fieri solita, scribit Plinius *lib.* 23. *cap.* 4. qui etiam *ellychniorum*, ex quodam sulphuris genere, meminit *lib.* 35. *cap.* 15. Ex Carystio lapide quæ torquebantur, non consumebantur ardendo. Sic Athenis lychnus aureus Minervæ consecratus pendebat, à Callimacho factus, cujus ἡ θρυαλλὶς ex hoc lapide, Pausan. *in Atticis.* Hodieque Tartari ex herba Sinensi, quæ supra lapides nascitur, *ellychnium* concinnant perpetuum, quod nunquam emungitur, sed, cùm sordibus concrescentibus aliquantum oppletur, conjicitur in ignem, putresque illi adhærentes fungi post ustionem absterguntur, quòd incorrupta in igne illius materia persistet, ut refert Auctor Anonymus *Sina & Europ. cap.* 32. &c. V. quoque Salmasium *ad Solinum pag.* 178. C. Barthium *ad Statium d. l.* Alios. Producebantur autem *ellychnia* acu, uti *Moreti* Auctor habet de lucerna,

> *Et producit acu stupas humore carentes..*

Quod προωθεῖν τὸ ἐλλύχνιον, item προάγειν λύχνον, & προσωθεῖν (namque & μύξα ellychnium) Græci dixere. Unde apud Heronem in *Pneumaticis* rationem tradi reperimus, quâ lychnus fiat *αὐτόματος προάγων*, *cujus ellychnium sponte promoveatur & producatur.* Cujusmodi lychno usus fuisse Cassiodorus legitur &c. V. eundem Salmasium *ibid. pag* 1305.

Elogium, Tertulliano *Apolog. cap.* 11. & Suetonio *in Caligula*, appellatur titulus criminis, qui ad crucem damnatis præferri vel iis apponi, aut ipsi cruci inscribi fuit solitus. Romanâ voce *Titulus*, quâ & Johannes *cap.* 19. *versu* 19. usus est. Atque item Nonnus, *in hoc caput*:

> Γράμμα φέρων τίτλοιο Λατινίδι Τίτλον ἰωῇ.

Matthæus *cap.* 27. *versu* 37. αἰτίαν bene ac significanter vocat: Glossæ vett. Αἰτία, *caussa, materia, titulus.* Eædem Latinæ, *Titulus*, ἔλεγχος. Latini etiam pro causa. Ut Poëta,

> *Et potuit titulum mortis habere meæ.*

'Επιγραφὴ τῆς αἰτίας dicitur Marci *cap.* 15. *versu* 26. & simpliciter 'Επιγραφὴ Lucæ *cap.* 23. *versu* 38. Hoc *Elogium* itaque, seu Titulus, ut dictum, aliquando præferebatur damnatis, ut docet Suetonius *in Caligula cap.* 38. *Præcedente titulo, qui caussam pœnæ indicaret, per cœtus epulantium circumducitur.* Sic Euseb. *lib.* 5. *cap.* 1. de Attalo Martyre loquens: Περιαχθεὶς, inquit, κύκλῳ τοῦ ἀμφιθεάτρου, πίνακος αὐτὸν προάγοντος, ἐν ᾧ ἐγέγραπτο 'Ρωμαϊστὶ, Οὗτός ἐστιν Ἄτταλος ὁ Χριστιανός; *Circumactus per Amphitheatrum, tabellâ ipsum præeunte, in qua Latinè scriptum, Hic est Attalus Christianus.* Aliquando appendebatur iis vel apponebatur: ut iterum Suetonius *in Domitiano cap.* 10. *Patremfamilias detractum è spectaculis in arenam canibus objecit, cum hoc titulo: Impiè locutus parmularius.* Nonnunquam in capite crucis scribebatur. quod factum, cùm SERVATORIS crucifixi capiti superascribi jussit Pilatus: JESUS NAZARENUS REX JUDÆORUM Sæpe tamen neglecto aut spreto *Elogio* contenti Superdictione fuerunt, id est, ut Præconis præeuntis voce populo id nuntiaretur. V. Justum Lipsium *de Cruce lib.* 2. *cap.* 11. & Thomam Godvvynum *Anthologiæ Rom. lib.* 3. *sect.* 3. *cap.* 4. Sed & *Elogium* dicebatur epigraphe statuarum sepulchralium. V. ibi. Imò *Elogium* in genere nihil est aliud, quam titulus, causæ brevis explicatio, præfatio. Hinc de Caligula Suetonius *cap.* 24. *tres gladios in necem suam præparatos Marti Ultori, addito* elogio, *consecravit* &c. Ex Græco ἐλέγχειν, quod propriè notabat scriptionem, causam pecuniæ expensæ continentem, sive præfationem summæ, quæ in rationes referebatur. Quacunque enim de causa pecuniam expendissent Veteres, id in rationes referebant, singulis summis titulo seu *elogio* præposito, unde constaret impensæ ratio. Cujusmodi ἐλέγχου exemplum & formula est in illo Vespasiani *cap.* 22. apud eundem, *Vespasiano adamato* HS. CCCC. Item illo ex rationibus Periclis, exagitato à Comicis, Εἰς τὸ δέον ἀνήλωσα δραχμὰς. Hinc ἐλλογεῖν, inferre rationibus cum indicatione causæ, Lat. *imputare* &c. V. Casaubonum *ad Suetonium*, *Julio cap.* 48. adde Jul. Cæs. Scaligerum *Poetic. lib.* 3. *cap.* 40. De *elogiis* verò *custodiarum*, eidem Suetonio memoratis, suprà.

Elohim, Hebr. אֱלֹהִים, nomen Deo proprium, in quo enallage numeri plur. pro singulari; quæ etiam usurpatur, ubi tantùm de unica SS. Trinitatis persona sermo est, V. Psalm. 45. *vers.* 7. 8. Hos. *cap.* 1. *vers.* 7. & *cap.* 12. *vers.* 3. Maximè autem Deo tribuitur, ubi respicitur ad ipsius fœdus cum homine, & ubi fidei nostræ, per quam Deo juranti astipulamur, fit professio, ut patet ex Genes. *cap.* 17. *vers.* 3. 7. & Deut. *cap.* 29. *versu* 12. 13. Origo ejus, vel ab Arabico אָלָה *coluit*, quasi σέβασμα. *Numen colendum*, seu *venerandum*; vel ab Hebraico אָלָה *juravit*, vel *adjuratio.* Analogicè nonnunquam Hominibus & Angelis tribuitur, quia nim. illis populus Dei ad tempus subjectus fuit, tanquam Θεοῖς λεγομένοις, 1. Cor. *cap.* 8 *vers.* 6. V. quoque Psalm. 82. *vers.* 6. Μιμητικῶς autem & ironicè etiam Diis alienis. Exodi *cap.* 20. *vers.* 3. Sic Dagoni tribuitur, Judic. *c.* 16. *vers.* 23. & Vitulo aureo, Exodi *cap.* 32. *vers.* 4. quia illi verò Deo substituebantur: ubi & similis enallage observatur. Fr. Burmannus *Synopsi Theol. Christianæ Part. prior. Lib. I. cap.* 16. §. 17. & *seqq.*

Elops, Græcè ἔλοψ, piscis magni pretii, cum Acipensere idem esse creditus Apioni Gramm. apud Athenæum *lib.* 7. Sed cum incognitum Romanis, ait Ovidius,

> *Et pretiosus* elops, *nostris incognitus undis.*

Unde falli Apionem, arguit Plinius *lib.* 32. *cap.* 11. Rhodi certè optimus est. Plin. idem *cap.* 54. *Rhombus Ravennæ, Muræna in Sicilia*, Elops *Rhodi.* Et Varro *in Sat.* περὶ ἐδεσμάτων, *Ostrea Tarentina, Pectunculus Chius*, Ellops *Rhodius.* Archestratus tamen etiam commendat Syracusis capeum,

> Τὸν δ' ἔλοπ' ἐσθιε μάλιστα Συρακούσαις ἐνὶ κλεινᾶις
> Τὸν γε κρατιστεύοντα ——

Surrentinum quoque Ennius *in Hedypatheticis*,

> *Surrentiâ* Elopem *facito ut* ——

Cum Anthia & *sacro pisce* cognominato nonnulli eundem faciunt, alii itidem diversum &c. Salmasius *ad Solinum p.* 1316.

Elpistici, Græcè 'Ελπιστικοὶ, Philosophorum genus, omnia *Spei* tribuentes, de quibus V. Plutarchum *Sympos.* adde quæ infrà dicemus, in voce *Spes.*

Elucidarium, tit. Libri, quem scripsit S. Anshelmus, seu quis alius Anonymus, *de Summa totius Christianæ Theol.* V. Dominic. Macrum *Hierolexico.*

Elucus, apud A. Gellium *lib.* 4. *cap.* 19. *Pueros impuberes compertum est, si plurimo cibo nimioq́ somno utantur, hebetiores fieri, ad veterni usque aut* eluci *tarditatem*: quid sit, exponit apud eundem Cloatius Verus *lib.* 16. *cap.* 12. *tarditas quædam viz. animi & stupor*, ex Græco ἠλύγη. ut Salmasio visum, h. e. ὁ ἠλυγιασμένος, *tarditate & stupore obsessus*, seu *ipsa* potiùs *tarditas animi & stupor*, maximè qui ex hesterno vino seu crapula procedit. Quo stupore Græci affectum ἠλεὸν appellant. Sic vocem usurpat Tertullianus

de Cor.

& Cor. mil. Liberum — Harpocration industriâ hederarum argumentatur, quòd hederæ natura sit cerebrum ab eluco *defensore.* Quasi dicat, hederam conducere, ne quis ex hesterno vino capitis dolorem sentiat. Apulejus item *Apolog. Crassus ipse ubi gentium est? an Alexandriam tædio domus remeavit? an parietes suos detergit? an, quod verius est, ex crapula* eluco *attenuatur.* Hesychius χάσμημα appellat, quia oscitationem comitem habet. Unde Erotianus *in Lexico*, ἀλύειν, ἀπορεῖν μετὰ χάσμης. V. Salmasium *ad Solin. p.* 1279. Ant. Thysium, & Jac. Oiselium *ad Gellium d. l.*

Elugere, apud Senecam *Consol. ad Polybium cap.* 35. de M. Antonio, *Eo ipso tempore, quo M. Antonius civium suorum vitæ sedit mortisque arbiter, M. Antonii frater duci jubebatur. Tulit hoc tamen tam triste vulnus eadem magnitudine animi, quâ alia omnia adversa toleraverat: Et hoc fuit elugere, viginti legionum sanguine fratri parentare*; est luctum ponere, & justa facere amicis occisis. Veterum enim superstitio fuit, interemtorum Manes quiescere non posse, aut placari, nisi humanis victimis cæsis ad tumulos aut tumulis ab ultoribus. Hinc de Virginia Livius *lib.* 3. *Manes Virginiæ, mortuæ quàm vivæ feliciores, per tot domos ad expetendas pœnas vagati, nullo relicto sonte, tandem quieverunt.* Quare proximis eorum id muneris incumbere credebant, ut hostes mortuorum ulciscerentur, quod *mactare in tumulos* vocat Statius *Thebaid lib.* 5. *vers.* 674. sicque Manibus suorum placatis luctum deponerent. Quam in rem Claudianus pulchrè *de Laudibus Stiliconis lib.* 1.

Pallantis jugulum, Turno moriente, piavit
Æneas, tractusque rotis ultricibus Hector
Irato vindicta fuit, vel quæstus Achilli.
Tu neque vesano raptas venalia curru
Funera, nec vanum corpus mediaris in aurum
Ex vitium, turmas equitum, peditumque catervas,
Hostilesque globos tumulo prosternis amici.
Inferiis gens tota datur ——

V. Casp. Barthium *Animadvers. ad Statium d. l.* alibique passim, ut & infrà in voce *Manes*.

Elusa, Græcè Ἔλουσα, urbs Arabiæ olim, postmodum Palæstinæ tertiæ, accensita, Ptolom. de qua V. Salmasium *ad Solinum pag.* 488.

Exai, adde: Discipulis suis ὅρκον δε λατρείας, *jurationem religiosam* tradidit, *per salem & aquam & panem & cœlum & æthera & ventum*, quem secutus est Pseudopropheta Mohamed, Jo. Forbesius *Instructionum Historico-Theologicarum lib. IV. cap.* 5. §. 14.

Elymos, tibia Phrygia. Jul. Cæs. Scaliger *Poëtices lib.* 1. *cap.* 20. *E buxo primi Phryges excavarunt eam* (tibiam) *quæ Berecynthia cognominata fuit, quum antea* Elymos *dicerentur.* Earum multum usum fuisse, apud Alexandrinos, docet ex Athenæo Salmasius *ad Solinum pag.* 125.

Elysium, adde: Beroaldus campos Græcorum *Elysios* nomen accepisse ab Eliza vult, quem inter primos illos, qui post diluvium in Græciam venerunt, fuisse, Æolasque condidisse, tradunt Eruditi. Nec improbat sententiam ejus Georgius Hornius *Historia Philos. lib.* 3. *cap.* 2. ubi ait: *Nam hoc unicè prisci Magistri agebant, ut persuaderent suis, esse post hanc vitam piis Manibus paratas sedes: ubi præmia bene actæ vitæ acciperent. Quis dubitet, quin idem fecerit Eliza? cui non poterat ignota esse, quæ de Paradiso sæpe multumque à Patribus acceperat. Talem igitur locum suis descripsit, eoque omnes pios abituros tradidit. Quin cùm posteri neque ubi esset, neque quod ejus nomen scirent, facili negotio Principis sui nomine, à quo illa omnia acceperant, cum insigni verunt. Unde natum illud Poëtis tantopere celebratum πεδίον ἠλύσιον.* Hactenus Hornius.

E M.

E. M. in notis Antiquorum, *Ejusmodi*; item, *ex more* denotat &c.

Emancipatio, quid? V. Jurecoss. Apud Francos quo modo peragi consueverit, docet C. du Fresne, hanc ejus formulam exhibens, ex *Registo* Feodorum Burgundiæ, *Nos Hugo Dux Burgundiæ N. fac. præsentes literas inspecturis, quòd — Robertus Miles filius noster petiit emancipari à nobis, seu liberari à patria potestate. Nos verò videntes & attendentes ipsius Roberti consensum & voluntatem circa* emancipationem *habentem & dandam à nobis, mutuo consensu intervenientes à parte nostra & ex parte dicti Roberti, ipsam præsentem* emancipationem *acceptantem legitimè emancipamus à sacris, seu à patria potestate. In cujus testimonium præsenti emancipationi ad requisitionem dicti Roberti sigillum nostrum duximus apponendum. Dat. die Sabbathi post festum B. Lucæ Evangelistæ an. D.* 1272. V. alias hujus ritus formulas *Spicilegii* Acheriani *Tom. VIII.* & apud Rollandinum *in Summa Notariæ cap.* 7. *Rubr.* 5. In Monasteriis *Emancipatio* dicitur, cùm Monachus ad aliquam dignitatem promovetur & eo ipso ab obedientia Superioris eximitur. Sic Rogerus quidam in Abbatem assumtus, ab Alexandro Pontif. in signum *Emancipationis*, accepit *mitram, annulum & chirothecas* apud Rad. de Diceto *A. C.* 1179. neque prius benedictionem accipiebat Monachus in Abbatem alterius Monasterii electus, quàm à suo Abbate fuisset emancipatus, cujusmodi *emancipationis* formulam habes, apud eundem du Fresne, ex *Tabulario* Monasterii S. Remigii Rem. Quin etiam, si Abbas ipse ad majorem dignitatem v. g. Episcopatum, proveheretur, totius Conventus consensus requirebatur, ut ex Anselmi *lib.* 3. *Epist.* 6. & 7. colligitur. Porro etiam Ordines Religiosi *emancipari* dicuntur, cùm Ordinariorum jurisdictioni exempti, Sedi Pontificiæ immediatè subjiciuntur, apud Joann. Sarisberiensem *Policrat. lib.* 7. *cap.* 19. ubi in ejusmodi *emancipationes* graviùs invehitur &c. V. Car. du Fresne *Glossar.*

Embasicœtas, inter ministros Veterum nuptiales. V. infrà, in voce *Fax*.

Embateria, Græcè Ἐμβατήρια, carmina dicta sunt Laconum ἐνόπλια, qualia Tyrtei, quæ in præliis concinere solebant. Iisdem & tibiæ, & saltationes, quibus eadem fini utebantur, ἐμβατήριαι appellatæ. Jul. Cæs. Scaliger *Poëtices lib.* 1. *capp.* 18. & 20.

Emblema, ex Græco ἔμβλημα, quod operi cuipiam adjicitur, ornatûs gratiâ. Fortunatus *de Vita Martini lib.* 2.

Emblema, gemma, lapis, tornata, thura, falerna.

Latinis *inserta*; inserere enim est ἐμβάλλειν. Publius,

Frugalitas inserta est rumoris boni.

Fiebat id per artē ἐμπαιστικήν, quâ tessellæ aureæ altè in argentum impressæ includebantur, quod & *auro cludere* seu *includere* & *auro vincire ac ligare* dicebant: opera verò χρυσοκόλλητα hinc & χρυσένδετα, V. suprà passim. De vasis propriè ac poculis, quæ si argentea erant, habebant *insertas* seu *emblemata* ex auro; sin aurea, emblemata è gemmis erant. Uti autem *emblemata* in pocula, sic planè specula in parietes inserebantur; item vitreæ istæ quadraturæ, quibus domum suam induxisse Firmus legitur, apud Vopiscum in *Vita* ejus, quæ proin *emblemata parietum* non sine ratione dicerentur. Sed &, uti signa poculorum *Emblemata* appellata sunt, sic signa quoque vestium, h. e. clavi, *emblemata* appellari cœperunt & *inserta* &c. Salmasius *ad Vopiscum in Aureliano, Firmo* &c. Idem tamen *ad Solinum*, quasi seipsum corrigens, negat *Insertam* Latinis pro *emblemate* dictam esse: Aliàs enim *non quæsisset*, inquit, *in Senatu Tiberius, quo nomine dici posset, in Latio, Græcum* ἔμβλημα. Ideoque in Publii versiculo legi vult,

Frugalitas interta est rumoris boni.

h. e. culpatur ab his, laudatur ab illis &c. *pag.* 1128.

Embola, Græca vox Ἐμβολή, in genere transvectio mercium est quæ in navem ἐμβάλλονται, *injiciuntur*; In specie sic dicta est olim solemnis & annua *publicarum specierum transvectio*, quæ ex Ægypto fiebat; onus navium Alexandrinarū, quæ αἰσία ἐμβολή, in *Edicto* Justiniani 13. *cap.* 4. §. 1. & *sacra embola* dicitur, in *l.* 10. *Cod. de Sacros. Eccles.* & *Nov.* 163. *cap.* 2. Et quidem *Embola sacra* appellabatur primitus certus frumenti modus, quē necessariò Romæ subministrabat Ægyptus, jam ab Augusti ævo: unde ab ejus temporibus frequens apud vett. Scriptores Alexandrinæ classis mentio. Post Augustum multi Principes cùm circa hanc classem aliquid innovassent, Aurelianus quoq; frumentis Ægyptiacis alias species adjecit, quæ pars *embolæ sacræ* censerentur. Fl. Vopisc. in *Vita* ejus, *Vectigal ex Ægypto urbi Romæ Aurelianus vitri, chartæ, lini, stupæ atque anabolicas species æternas constituit.* Ubi *anabolicas* species cum *embolicis* easdem esse, docet Salmas. V. suprà in *Anabolica*. Postea id videtur iterum mutatum: nam *sacram embolam* Græci Jurecoss. nominant τὴν τῆς αἰσίας ἐμβολῆς σῖτον *felicis embolæ frumentum*. V. Casaubon. & Salmas. *ad Vopisc.* Aliud est ἐμπολὴ & ἐμπολᾶν, *nundinæ* nempe & *emere*: quamvis Αἰγυπτίων ἐμπολὰς Euripides vocat *merces* Alexandrinas vel *Ægyptiacas*, minutas illas variasque, unguenta, colores vitra, pupas & imagunculas puellarum, alias, quas qui vendebant, ῥωποπῶλαι & γελγοπῶλαι Græcis, atq; etiam παντοπῶλαι, nonnunquam dicti sunt, quòd omne genus merces promercales haberent. Idem Salmasius.

Emboliaria Mulier, apud Plin. *lib.* 7. *c.* 48. *Galeria Copiola* Emboliaria *reducta est in scenam, Cnæo Pompejo, Quinto Sulpicio Consulibus, ludis pro salute Divi Augusti votivis, annum centesimum quartum agens* &c. ab *emboliis* seu ἐμβολίοις scenicis dicta est, quorū mentio apud Ciceronem *pro Sextio* & *Epist. ad Attic.* Salmas. *ibid.* Hoc autem nomine appellari solebant cantiones, quæ in media fabula à Mimis interponebantur, ut quiescente Choro spectantium animi reficerentur, & ad sequentia attentiùs audienda præpararentur. Illarum mentionem facit C. Plinius. Sic in initio ludorum Cantiones, Εἴσοδοι seu *Introitus*: & in fine Dramatis Ἔξοδια decantari solebant. V. Thom. Dempster. *Paralip. in Jo. Rosini Antiq. Rom. lib.* 5. *c.* 9. Propriè autem *Embolum*, Gr. Ἔμβολον, *axem rotis immissum*, quo tota currus compagmentatio firmatur, significat: unde Metaphoræ ratio patet.

Embolis & *Embolium*, Græcis Ἐμβολισμὸς, *additio, additamentum*; propriè quod Epistolæ jam scriptæ additur, vel quod extra præcipuum ejus argumentum ad calcem rejicitur, in *Epist.* Pauli Pontif. ad Pipin. R. *Chartam inferitiam* vocant Centuriatores Magdeburg. alii *Post-scriptum*. Apud Scriptores Eccles. sic dicitur sextæ petitionis in Oratione Dominica pars posterior, *Sed libera nos à malo*; quia, ut ait Cyprianus *Serm.* 6. & ex eo Amalarius *de Eccles. Offic. lib.* 3. *cap.* 29. *in consummatione orationis venit clausula universas petitiones, & preces nostras collectâ brevitate concludens*, apud Car. du Fresne *Glossar.* Sic ἐμβόλιμοι μῆνες καὶ ἡμέραι, *intercalares menses & dies*; ἐμβόλιμοι item ἔπη, versus Auctorum, quos

insititios & spurios Critici judicabant, adeoque ἐμβολίμους faciebant. Salmasius *ad Solinum pag.* 19.

Embolus, in *Charta*, A. C. 1161. apud Ughellum in Archiep Pisan. *Tibi — concedimus Ecclesias, videlicet* Embolum *& Scalas, & Stateram, quæ sunt in CPoli*: urbis angiportus est. Ita Cinnamus *lib.* 6. *num.* 10. ab Alexio Comneno Imp. concessum ait Venetis στενωπὸν ἐν Βυζαντίῳ, ὃ Ἔμβολον ὀνομάζουσιν οἱ πολλοί, *angiportum Byzantii, quem* Embolum *vocat vulgus.* Sic autem appellabant Byzantini, ut plurimum porticus, quæ in urbe sparsim erant, unde postea vox ipsa regionibus, in quibus eæ erant, attributa. V. de hujusmodi porticibus, Salmasium *ad Solinum pag.* 1219. Hinc *Embolarii*, qui embolis præerant, in *Charta* cit. Sed & ἔμβολον dicebatur rostrum navis, super quod pars eminens in prora προεμβολίς. Inter utramque erat ἡ στεῖρα, in quo loco effigies & protomæ diversorum animalium locabantur, quæ navi nomen dabant, uti dicemus infrà ubi de *Parasemis*. Sic δελφινοφόρον navium delphina supra rostrum navis, inter ἔμβολον & προεμβολίδα collocat Pollux, uti videre est apud eundem *ibid. p.* 570.

Embrimium, apud Cyrillum in *Vita* S. Euthymii Abb. *num.* 90. & in *Apophth. Patrum num.* 7. cervicalis seu pulvinaris erat species, super quod Ægyptiaci monachi sedebant & ad brevem somnum caput reclinabant, ex stramentis seu juncis constans. *Gloss. MSS Mattam* exponunt *ex grosso papyro tenuiter pectinatam.* Cassianus *Collat. I. cap.* 23. *Iisdem ipsis, quibus insidebamus, psiathiis adventus incubare*, embrimiis *pariter capiti nostro cervicalium vice suppositis, grossioribus papyris in longos graciles fasciculos adaptatis.* Stoream fuisse, contendit Car. Macer. A βρίζειν, *dormire* & brevem somnum carpere, vocem deducit Casaubonus *Exercit.* I. *ad Annal. Baron.* V. Macros Fratres *in Hierolexico*, & Carol. du Fresne in *Glossar.*

Emendator nomen officii apud Cartusienses, de quo sic antiqua *Statuta* ejusdem *Ord. cap.* 40. *De Emendatore: in Ecclesia, in Refectorio & in Claustro, excepta recordatione, ille emendat, cui injungitur à Priore.* Emendator *emendat in omnibus, quæ soli dicimus, excepto quòd ad recordationem emendat ille, qui est juxta librum* &c. apud eund. Apud Vett. *Emendatores carminum*, non rarò coronati memorantur. Nec enim sua tantùm scripta Poetæ ad certamina deferebant, verùm etiam aliena, dummodo acrimoniam ingenii & doctrinæ opes in illis *emendandis* promisissent, uti de *Emendatoribus* Æschyli carminum docet Quintilianus *Institut. Orat. lib.* 10.

Emere, Liberi Patris inventum. Plinio *lib.* 7. *cap.* 56. *Emere ac vendere instituit Liber Pater.* Cui rei apud Athenienses Agoranomi præfecti sunt, quorum cura erat, ne imponerent & fraudem facerent, sive venditores, sive emptores, teste Theophrasto *in libris LL.* Quare re etiam nondum *emptori* traditâ, sed arrâ tantùm à venditore acceptâ, si venditor à contractu recedere vellet, adversùs hunc competebat ei ἀρραβῶνος actio, uti ex Harpocratione discimus. Quanquam sine præsenti pecunia vix quicquam in ea Civitate *emeretur*, ut videre est in Plauti *Asinaria*. Ut autem obviam iretur Dardanariorum avaritiæ, lege cautum est, ne coëmerent, qui in Urbe erant, frumenti plus quinquaginta phormis, quæ ut exactè observaretur, *Sitophylaces* constituti sunt &c. V. hic passim ubi de *Foro, Pantopolis, Sitophylacibus* &c.

Emessa, mel. *Emissa*, Græcis, Ἔμεσσα, Ἔμισα & Ἄμισσα, urbe Phœniciæ Libanusiæ, apud Stephanum ἐθνικὸν Ἐμισηνὸς ubi ab Aureliano Imp. contra Zenobiam de summa rerum pugnatum est, uti docet Flav. Vopiscus in *Vita* Aureliani. Meminit ejus Festus Avienus, cùm ait:

> *Urbs mediis Apamea dehinc consurgit in arvis,*
> *Et quà Phœbeam procul incunabula lucem*
> *Prima ferent, Emesæ fastigia celsa renident.*
> *Nam diffusa solo latus explicat, ac subit auras*
> *Turribus in cælum nitentibus, incola claris*
> *Cor studiis acuit.*
> *Deniq; stamnicolum devoti pectora Soli*
> *Vitam agitant. Libanus frondosa cacumina turget,*
> *Et tamen his certant celsi fastigia Templi.*
> *Hic se indit juxta tellurem glaucus Orontes &c.*

V. *Emisa.*

Emichs, in aliquot æreis infimæ ætatis nummis, in quibus nullum Imperatoris nomen adscriptum est, in aversâ parte, circa literam majusculam *M* legitur; quos quidem characteres *semissem areæ alterius monetæ esse*, indicare docet Car. du Fresne *Glossar.*

Eminentia, titulus honorarius Imperatorum & Regum, in *Epistolis* Francicis, apud Nicolaum Pontif. *Epist.* 40 Gregorium VII. *lib.* 1. *Epist.* 75. alibique passim: Papæ tribuitur ab Anselmo *lib.* 3. *Epist.* 37. novissimè verò, ut proprius, concessus est ab Urbano VIII. Decreto 10. Jun. ann. 1630 Cardinalibus, Electoribus Imperii & Magistro Hospitalis Hierosolymitani. Id. *Eminentia tua*, apud Sidonium *lib.* 4. *Epist.* 17. V. Barthium *ad Statium Epist. lib.* 1. *Sylv.*

Emir, nomen Magnatum, & qui urbium ac oppidorum Præfecti sunt, apud Turcas & Saracenos, Guil. Tyrius *lib.* 10. *cap.* 46. *lib.* 15. *cap.* 11. & *lib.* 21. *cap.* 23. V. P. de Valle & Joan. Bapt. Tavernier in *Itinerar.*

Emir Emza Mirza, Muhamedis Hodabendæ Patris in Persia successor, octavo Imperii sui mense, manu tonsoris sui, jussu Procerum interemtus est: cum excepit Scha Abas, sub initium hujus seculi. Georg. Hornius *Orb. Imp. p.* 424.

Emirelmumine, h. e. *Princeps credentium*, titulus apud Mauros Principum; ut & *Calipha.*

Emissarii, Servi dicebantur apud Romanos, qui juvenibus amasias & equos generosos perquirebant, Pædiano *furtorum conciliatores* dicti; Item, qui rapinas & divitum bona, quæ poterant proscribi, investigabant: memorati Ciceroni 4. & 5. *Verr. Epist. ad M. Marium*, Suetonio *Galbâ cap.* 15. Ammian. Marcellino, Aliis Sed & in libris Regum eorum vestigium aliquod. V. Wolph. Lazium *Commentar. Reip. Rom. lib.* 12. *cap.* 5. & Tit. Popmam *de Operis Serv. pag.* 59.

Emmelia, Græcè ἐμμέλεια, saltatio tragica, gravis & modulata, Oratorum gestu propior. Unde Agamemnonem agens Hylas, cùm sese fecisset grandiorem, correptus est à Pylade præceptore, qui ipsum feliciùs expressit meditantem. Et Cephisias tibicen discipulum, qui contentiùs inflasset tibias, cecidit, addito elogio sanè divino: Οὐκ ἐν τῷ μεγάλῳ τὸ εὖ, ἀλλ' ἐν τῷ εὖ τὸ μέγα. Inventum Bathylli secundùm nonnullos: cujus varias schemas enarrat Scaliger, χειροκατάπληκτον, χεῖρα καταπρηνῆ, ξύλου παράληψιν, ἄπλων, ἐπισείειν κτλ. Cùm armata priùs esset, postmodum exarmata est, sic tamen ut prælii simulachrum retineret. Nam tametsi nudi puelli, unde γυμνοπαιδικὴ dicta fuit, sese numerosis motibus inferebant, tamen corporis flexionibus brachiorumque jactationibus palæstræ facies erat. V. de ea plura apud Jul. Cæs. Scaligerum *Poetices lib* 1. *cap* 18.

Emodæ, vel *Emodes*, apud Melam, *septem* Emodes, *triginta Orchades.* Insulæ sunt, quæ aliis *Ebudes.* V. ibi.

Emon, seu *Emona*, urbs Pannoniæ super. in finibus ejus sita, quà in Noricum ibatur & Italiam, Ἤμωνα Herodiano, Ἤμων Zosimo *lib.* 5. ubi habes de conditu hujus Urbis digressiunculam. V. Casaubonum *Not. ad Capitolinum in Maximinis.*

Empastica, Græcè, Ἐμπαστική, quid Artis sit, V. suprà, in voce *Emblema.*

Empanda, adde: In Paganalibus sacris hoc nomine Cererem appellari solitam fuisse, tradit Jos. Scaliger *Conjectaneis in Varronem.*

Empeneticam facere, apud Coelium *in Epist. Ego qui scirem C. Pompejum Baulis* Empeneticam facere, *& usq; eo, ut ego misererer ejus esuriei, non sum commotus*: est strenuè esurire, & veluti esuritionis artem exercere. Ex Græco Ἐμπεινητική, sub. τέχνη. Salmasius *ad Solinum pag* 1005.

Emphanistikum, Græca vox ab ἐμφανίζω, quod à Clericis ab Episcopo ordinatis ex more dabatur Clericis aliis, quorum cura erat Clericorum recèns ordinatorum nomina in matricula describere & *insinuare*, quæ vis est vocis, quam habes apud Julianum Antecessorem *cap.* 131. & in Justiniani *Nov.* 56.

Emphracta Naves, quæ undique tectæ ac clausæ, dictæ sunt, ab ἐμφράττω, *obturo, occludo*: cujusmodi naves à Thasiis inventæ, teste Plinio. Livio, Cæsari, aliis, sæpe memorantur. Iis oppositæ *Aphracta* naves, seu absolutè *Aphracta*, h. e. navigia aperta & intecta, quorum meminit Cicero *ad Atticum*, *Nos Rhodiorum aphractis tranquillitatem anteponi tranatus*, Calvinus *Lex. Jurid.* V. infrà ubi de *Navibus.*

Emplecton, genus structuræ, apud Plinium *lib.* 36. *cap.* 23. *Græci è lapide duro ac silice æquato construunt veluti lateritios parietes — quod genus structuræ isodomon vocant. At cùm inæquali crassitudine structi sunt, pseudisodomon. Tertium est* emplecton, *tantummodo frontibus politis.* Ex Græco ἐμπλέκω, Ἐμπλέκεσθαι nempe proprium verbum mulierum est, quæ capillos in fronte comunt. Et quia in superficie tantùm ornati & implexi habentur, inde genus hoc ordinariæ structuræ, quod frontes tantùm politas haberet, ἔμπλεκτον vocitatum est. Salmasius *ad Solinum pag.* 1231. V. quoque eum, ubi de ἐμπλοκῇ, seu *ornatu muliebri* 763.

Empola, Græcè Ἐμπολή, *quæstus* seu *captura*: unde *Empolaria mulier*, apud Plinium, scenica est seu quæstuaria; nisi malis *Embolariam* legere, V suprà. Item merx, seu onus navis, quod propriè ἐμβολὴ seu ἀμβολὴ est: unde Αἰγύπτια ἐμπολὴ, ut vidimus in voce *Embola.*

Emptor, in Fleta *lib.* 2. *cap.* 17. Officium aulæ Regiæ, cui incumbit *oves & boves & porcos emere, & inde forum Regis capere, sed tum taxatione fide dignorum, quantum valet ad opus Regis, & quantum valuerint per quindenam, ante adventum suum, in partibus illis.* V. quoque suprà in verbo *Emere.*

Emsia, vicus Germaniæ, in Comit. Nassoviæ, thermis suis nobilis, distat Deciis in Occ. 3. mill. Nassoviâ 2. Cyr. Lentulus *in Geneal. Principum Nassov. MS.*

Emunctio narium, Quæstoris Castrici necis signum, apud Martialem *lib.* 7. *Epigramm.* 37.

> *Exprimeret quoties rorantem frigore nasum,*
> *Lethalem juguli jusseras esse notam.*
> *Turpis ab invisò pendebat stiria naso,*
> *Cùm flaret madidâ fauce December atrox,*
> *Collega tenuere manus —*

Pro

Pro veteri sc. condemnationis & mortis Θανάτου litera, Quæstor hic novam commentus notam, *emuncto naso*, signum occidendi hominis carnifici dabat. Itaque huic cùm aliquando opus esset nasum emungere, manum naso admoturum impedierunt Quæstores collegæ ipsius, quasi daturum hinc cædis signum. Quæ occasio Poetæ in illum hoc *Epigrammati* jocandi. Simile quid de Justiniano Rhinotmeto legimus, quem cùm Leontius naso truncatum Imperio pepulisset, restitutus postmodum, *quoties truncas emungebat nares, unum aliquem è Leontii partibus mactari præcipiebat*, P. Diaconus *Longob. lib.* 6. At emungi quidam Persæ nunquam visi, Plin. *lib.* 7. *cap.* 19. ut qui exercitationibus, quibus à puero assueverant, eam corporum siccitatem sibi conciliassent, Varr. V. Salmasium *ad Solinum pag.* 34. Sed & emungi, de candelis: Unde *Emunctoria*, forcipes ad emungendum lychnum, inter vasa & ministeria sacra, memorantur Durando *Ration. lib.* 3. *cap.* 3. *num.* 28. Sed & in supellectile Tabernaculi V. T. *Emunctoria* seu forcipes recensentur, Exodi *cap.* 25. ubi postquam de Candelabro aureo prolixè Moses egit, subjungit *versu* 38. *Facies* emunctoria, &, *ubi quæ emuncta sunt, extinguantur, fiant de auro purissimo.* Ubi Villalpandus censet, posterius instrumentum vas fuisse aquâ mundâ impletum, in quam forcipes infunderentur, atque ita submersis, abscissis lucernarum fungis, & extinctis, nihil grave olens in domo sacra sentiretur &c.

E N.

En & Ena, voces Nobilium utriusque sexus nominibus præponi solitæ, apud Benehamos, uti scribit Marca *lib.* 7. *cap.* 16. *num.* 5. Item apud Catalanos & Aragonenses, ut ex Raimundo Montanerio *in Chron. Aragon.* aliisque docet du Fresne. Significant idem, quod *Dominus* & *Domina.* Quò fo te spectat Epitaphium, quod descripsit Catellus *Rer. Occitanic. lib.* 1. *p.* 171.

En Ramon Arnaldus jacet hoc in marmore clausus &c.

apud du Fresne *Glossar.*

Enaphori, apud Anastasium *in Paschali Pontif. jam prædictus Pontifex canistra* enafori *ex argento duo pens. lib.* 10. videntur canistra esse ἐννέα φώτων, vel ἐννεαφώτων; *in Valentino* II. enim apud eundem *enneafodia* est, i. *novem luminum*, h. e. ἐννέαφωτα vel ἐννεάφωτα, *canistra uno, vel novem luminibus, instructa.* Idem du Fresne *Glossar.*

Enaria, apud Solinum *cap.* 3. *Enariam Inarimen ab Homero nominatam*: nonnullis eadem est cum Pithecusa, quippe ab *enariis*, i. *simiis*, nomen nacta, in quas Cercopes mutati finguntur Servius, *Inarime, nunc Enaria dicitur — quia in eam ad contumeliam simiæ missæ sunt, quas Græcorum lingua* ἀρίμους*, id est, enarias dicunt, ob quam causam Pithecusam urbem vocitant.* Aliis diversas eas facientibus. V. in vocibus *Ænaria, Inarime, Pithecusa*, & plura hanc in rem apud Salmasium *ad Solinum pag* 97.

Encænia, adde: Gr. Ἐγκαίνια, idem cum Dedicatione, de qua suprà: inprimis Festum erat anniversarium, quo primæ dedicationis celebrabatur memoria. Sicut autem neque Urbs, neque atrium aliquod Templi ampliari citra Synedrii Magni decretum, apud Hebræos, poterat; ita *Encæniorum* institutio non aliunde pendebat: accedente insuper Regis, ac Prophetæ Oraculique sanctissimi auctoritate. Quod inprimis in Templi primi conditu eminuit. V. 2. Sam. *cap.* 24. *vers.* 19. & 2. Paralipom. *cap.* 3. *versu* 1. ut & Psalmum 30. qui ex Hebræorum sententia Consecrationibus Dedicationibusque adhiberi solebat, ut nempe in Festo Dedicationis anniversario, ita & in solenni illa Primitiarum, ad Templum, dedicatione ipsa, ex lege Deuteron. *cap.* 26. *versu* 2. instituta. Atque hæc prima loci, in Templum, dedicatio simul & sanctificatio, non minùs Ἐγκαίνια dicta, quàm meræ profanati postmodum Templi restaurationes, seu in sanctificationem pristinam restitutiones. Attinebant autem hæc *Encænia* ad mensem *Ethanim* i. *Tisri*, seu septimum à *Nisan*, q. Septembrem, atque ad tempora Scenopegiæ festo proximantia, 1. Regum *cap.* 8 *versu* 2. adeoque ab Encæniis, quorum in Hist. Evang. mentio Joh. *cap.* 10. *versu* 22. probè sunt distinguenda, quippe quæ cùm celebrarentur, χειμὼν ἦν, *Hyems erat.* Ritus Urbis amplianda erat hic: Lex sacra est de sacrificio Eucharistico, quod תודה Levit. *cap* 7. *versu* 12. dictum, ex placentis azymis & oleo confectis consistente, præter panem adjectum etiam fermentatum, de qua prolixè V. Maimonidem *Halach Bith habechira cap.* 6. §. 10. 11. & 12. Quo ritu peracto, locus designatus, parem cum Urbe sanctitatem omniaque jura urbi singularia obtinebat. Similis ferme erat solemnium ratio, quando Templi atrio quid esset adjiciendum, excepto quòd hîc non Eucharistici illius, sed alterius sacrificii, non admodum dissimilis, residui, Levitici *cap.* 2. *vers.* 1. seu ejus quod ex eo non comburebatur, usus erat: illius viz. quod מנחה dictum, frumentaceum erat, V. Maimonidem ubi suprà. §. 13. & 14. Sub Esra, Nehemia, cæterisque Synedris Synagogæ Magnæ, qui Urbem, Muros Templumque instaurabant, rituum eorundem habemus expressa ferme exempla, Ezræ *cap.* 6. *versu* 16. & Nehemiæ *cap.* 12. ubi *Canticum* numero singulari expressum, videtur denotare Canticum dedicationis prædictum. * Interim pronuntiant Magistri, quoniam deerat tunc Lex & Oraculum, ideo novam sanctitatem non omnino loco alicui tunc accessisse, sed tantum modo pristinam seu veterem, velut designando solùm, fuisse instauratam. V. de hac Dedicatione Esraitica seu Zorobabeliana J. Bapt. Villalpandum *in Appar. Urbis & Templi part.* 1. *lib.* 3. *cap.* 27. & 28. De *Encæniis* Maccabaicis, legimus Maccabæor. *lib.* 2. *cap.* 1. *versu* 9. & 18. *Facturi itaque quinta & vigesima die mensis* Casleu καθαρισμὸν τοῦ ἱεροῦ, *purificationem Templi, necessarium duximus significare vobis, ut etiam vos quoque* (Ægyptienses intellige Judæos) *agatis festum*, quasi aut instar *Scenopegiæ, & Ignis, quando Nehemias, ædificato Templo & Altari, obtulit sacrificium*, & quæ seqq. Habuit autem festum hoc (in quo similiter Psalmi 30. usus fuit, ut ex Ritualibus Judæorum Germaniensibus hodieque adservatis patet) ex more patrio dies celebrationis octo, ac sacrificiis hymnisque adhibitis, stante Templo, peragebatur, idemque omnino cum eo fuit, quod *Encæniorum* nomine habitum esse Hierosolymis, memoratur in Evangelio, ubi D. N. J. C. veluti simul celebrans, ambulabat in Templo, in porticu Salomonis, *i. e.* Nempe Hasmonicæ illius seu Maccabaicæ dedicationis, Templi secundi, post Antiochi profanationem, memoria hoc ritu quotannis recolebatur. Neque enim tempus Dedicationis Salomonicæ, quod incidit in Autumnum, uti diximus; aut Zorobabelianæ, quod ad mensem *Adar* attinens, æquinoctium paulò præcedebat vernum, *hyemis* partem in Evangelio memoratæ aliquam sortiri potuit. Imò, utrum Hasmoniaca illa dedicatio, celebratio anniversaria aliqua esset sive Salomonicæ sive Zorobabelianæ dedicationis, nondum liquet. Interim *Templum secundum* perpetuò ita vocatum est Zorobabelianum, ut non minùs id, quod ante Antiochi profanationem stetit, & quod exinde à Maccabæis instauratum est, quàm quod postea sub Herode innovatum legimus, contineret denotaretque, idque usque ad excidium Urbis Templique. Neque enim Templum habebatur aliquod tertium, nedum quartum, sed primum tantùm & secundum, licet hoc ita denuo dedicatum fuerit etiam & instauratum sub Hasmonæis atque dein reædificatum ab Herode, qui, si Josepho fides, *sublatis fundamentis priscis aliisque jactis, super ea Templum extruxit.* Scilicet ampliavit passim celsiusque reddidit, neque omnino ex demolitione illa prioris Templi jugis sacrificii aliorumque sacrorum illic intermissio fuit ulla, ut pluribus docet Seldenus. Sed & in *Encæniorum* Maccabaicorum festo λυχνοκαΐα, seu *luminum accensio*, non prætereunda: cui λαμπάδων, *facularum*, festum, quod erat Argivis anniversarium, teste Pausaniâ *Corinth.* seu Λαμπάδας, cujus nomine triplex erat Atheniensibus festum seu certamen, uti etiam in Christianismo ritus ille quodammodo respondebat: quum festo, quod Ὑπαπαντὴ & Ὑπάντησις antiquitus, pro Simeonis & D. N. J. C. in Templo occursu, postridie Kal. Febr. ex institutione Pelagii I. ac Justiniani I. celebrato, conjunctus tandem fuit καθαρισμὸς, qui tunc temporis evenit B. Virginis Luc. *cap.* 2. *versu* 22. seu *Purificatio*, Syris dicta *Ingressus Domini N. in templum.* Cui adjecisse dicitur Sergius, circa A. C. 690. sub Justiniano II. cereorum quotannis numerosissimorum usum solennem, velut ex ritu luminum in Lupercalib[9] & Februis, eodem mense, pro lustrationibus aut purificationibus adhibitorum paganico, Christianismi festivitati aptatum, unde ei nomina, *Chandeleur*, *la Chandeleuse*, & similia in linguis provincialibus, Germ. & Belg *Lichtmesse*, Angl. *Candlemasse.* Verùm de hac *luminum accensione* in festo illo Hebræorum, dicemus infrà suo loco. V. plura hanc in rem. apud Joh. Seldenum *de Synedriis Vett. Hebræorum Part* 3. *cap.* 13. *toto.* Sed & *Encænia Urbium*, ut & eorum anniversarii dies: *Thermarum*, *Statuarum* & aliorum de novo excitatorum operum publicorum, passim celebrata leguntur: quorum ritus & ceremonias pluribus descripsit du Fresne *in CP. Christ.* Templorum inprimis, quorum cùm ritus varii sint in Ecclesia Rom.. præcipuus is est, quòd Sanctorum reliquiæ recondantur sub Altari. Porro oleo sacro inunguntur parietes: lustrantur aqua benedictâ interiùs & exteriùs; Episcopi vicini ad ea invitantur: strepunt convivia: deferuntur reliquiæ totius diœceseos, quæ finitâ dedicatione in suas sedes referuntur &c. Car. du Fresne *Glossar.*

Encarpi, apud Vitruvium *lib.* 4. *cap.* 1. sunt corollæ ex omni genere fructuum compositæ, quibus columnarum frontes ornabantur: Παγκάρπους στεφάνους aliàs Græci vocarunt. Sic ἐγκάρπων ἐλαίων, dicebant olivæ ramum, ex omnigenis fructibus implexum, quem ante fores statuebant Athenienses & quotannis renovabant. Salmasius *ad Capitolinum in Gordianis.*

Encaustice, Græcè Ἐγκαυστική, Lat. *Ars cerâ pingendi*, celebris olim. Nam ceram in hoc Picturæ genere tabulæ inducebant, non quidem liquefactam, sed cujusmodi esset: inducebant autem eam discolorem, prout exigeret id, quod in tabula vellent pingere. Ceris dein ita inductis instratisque, eas inurebant ac exæquabant, illud, quod sic pingerent, ἐγκαυστὸν, q. d. *inustorium*, vocitantes: Meminit Artis Varro *lib. de R. R.* 3. *cap.* 17. *Nam ut Pausias & cæteri Pictores ejusdem generis loculatas magnas habent arculas, ubi discolores sunt ceræ.* Item Martialis *lib.* 4. *Epigramm.* 47.

Encaustus Phaëthon tabulâ depictus in hac est.

Quid tibi vis dipyron qui Phaëtonta facis?

Et hæc una Artis ratio fuit, nempe cerâ pigmentis variis tinctâ rem conficiens. Erat verò & alter ceratæ *Encausticæ* modus, qui fiebat ceris liquefactis: de quo ita Vitruvius *lib. 7. cap. 9. Ceram Punicam igni liquefactam paulò oleo temperatam setâ inducas: deinde, carbonibus in ferreo vase compositis, eam ceram apprimè cum pariete calefaciendo sudare cogas, fiatque, ut perequetur. Postea cum candelis linteisque puris subigat, uti signina marmora curantur. Hæc autem* [illegible] *Græcè dicitur.* Salmas. ἔγκαυσις reponit. Id *Encaustices* genus à priori diversum fuit, eoque puppes navium pingebant. Præter quæ & tertium erat, sed citra ceram, idque in ebore: quæ tria complexus est Plinius *lib. 35. cap. 11. Encausto pingendo duo fuisse antiquis genera constat, cera, & in ebore cestro, id est, veruculo* (igni calefacto) *donec classes pingi cœpere. Hoc tertium accessit, resolutis igni ceris penicillo utendi; quæ pictura in navibus nec Sole, nec sale ventisque corrumpitur.* Quò Salmasius interpretatur illud Ovid.

——— Et picta coloribus ustis

Puppis, ut Ægeas concava findat aquas.

Neque naves solum, sed etiam fornices sive cameras, sic pinxisse, Idem *Notis ad Flav. Vopiscum* docet, ex Procopii *de ædif. Justin. lib.* qui hanc Encausticem factam ait κηρῷ [illegible] καὶ [illegible], *cerâ liquefactâ & diffusâ.* Ex Plinii est *l. c.* sed de priori ratione ceris pingendi: *Idem (Pausias) & lacunaria primus pingere instituit & cameras, nec ante eum taliter adornari mos fuit.* In januis etiam & atriis, inurendi huic Arti fuisse locum, Ausonius innuit *Epigramm.* 25.

Ceris inurens januarum limina,

Et atriorum pegmata.

Item muris obducebant ceræ loricam inqueea pingebant. Etymolog. Ἐγκαυματα, [illegible] οἱ ζωγράφοι, οἱ διαγράφοντες τοὺς τοίχους, *Encausta, picta: quia Encaustæ dicuntur Pictores, qui muros pingunt.* Ubi, judice Vossio, melius dixisset, esse genus picturæ, quo muros & alia *ceris pingerent.* Unde aliter Κηρογραφίαν vocarunt; inter quam tamen & Ἐγκαυστικὴν id discriminis fuit, quòd prior illa etiam comprehenderit [illegible], sive ebur aut cornu ignito veruculo depicta. V. Vossium *de Idolol. lib. 4. cap. 91.* Quis autem Artem hanc ceris pingendi, picturamque inurendi invenerit, auxeritque, Plinius docet *lib. 35. cap. 11. Ceris pingere ac picturam inurere quis primus excogitaverit, non constat. Quidam Aristidis inventum putant, postea consummatum à Praxitele. Sed aliquanto vetustiores* Encausticæ *picturæ exstitere: ut Polygnoti & Nicanoris & Arcesilai Pariorum. Lysippus quoque Æginæ picturæ suæ inscripsit* Ἐνέκαυσεν*: quod profectò non fecisset nisi Encausticâ inventâ. Pamphilus quoque, Apellis præceptor, non pinxisse tantùm Encausticâ, sed etiam docuisse traditur Pausiam Sicyonium, primùm in hoc genere nobilem.* Imo & Nicias huc pertinet, de quo sic Idem *lib. cit. cap. 4. Idem* (Augustus) *quoque in Curia, quam in Comitio consecrabat, duas tabulas impressit parieti: Nemeam sedentem supra Leonem, palmigeram ipsam, adstante cum baculo sene, cujus supra caput tabula bigæ dependet. Nicias scripsit se* inussisse*: tali enim usus est verbo.* Hodie utraque *Encaustices* ratio, de qua suprà, exolevit penitusque ignoratur. Interim suam de hac inurendi ratione conjecturam affert Lud. Demontiosius *de Pictura pag. 159. & seqq.* Proximè verò ad vett. *Encaustum* accedit, quod *smaltum*, vocabulo ab Italis profecto, nuncupatur; quâ voce usum etiam Anastasium Bibliothecarium deprehendimus, estque ab ea Gallicum *émail*: unde qui id inurunt, *Emailleurs.* Gerh. Joh. Vossius *de Artibus popular. cap. 5. §. 47. 48.*

Encaustum Sacrum, quo Imperator olim Orientis aureas Bullas subsignabat, memoratur Brissonio *lib. de verborum signif.* Sed & Leo Imp. *leg. 6. C. de diversis Rescr.* disertè vetat, sacra Rescripta alio colore, quàm purpureâ inscriptione, lustrari, & cocti muricis tritique conchylii ardore ea signari præcipit, atque hujus sacri *Encausti* confectionem privatis sub gravi pœna interdicit. Etsi verò, quale id fuerit, liquido non constat; tamen ex his verbis patet, Imperialia Rescripta purpureis literis & encausto muriceo insigniri consuevisse. Hinc præfatus Brissonius ex *Epitome Chronicor.* Werveronis Monachi Leodiensis, Palæologum Imp. Ecclesiæ Rom. obedientiam spopondisse syngraphâ, cui conchylii sanguine subscripserit, refert. Et nota sunt illa in Aureis Bullis usitata verba, [illegible] γράμματα [illegible] βασιλικῆς χειρός. Nicetas in *Manuele Comneno lib. 1.* [illegible] γράμματα & [illegible] βασιλικὰ γραφὴν vocat, ubi scribit Johannem Axuchum Magnum Domesticum custodiæ Palatii intentum, atque id agentem, ut Manuel etiam à civibus Imperator salutaretur, literas rubras, aureoque sigillo & serico munitas & conchæ sanguine pictas Clero magni Templi obtulisse, &c. V. eundem *lib. 6.* ubi Sultanum narrat Imperatori exprobrasse, quòd tam facilis esset in violandis fœderibus & retractandis magnis pollicitationibus, quas βασιλικαῖς quidem γραφαῖς καὶ βαφαῖς, *regiis rubricatisque illis literis*, insigniret, apud Joh. Kirchmannum *de Annulis cap. 8.* Ab *Encausti* hac voce est, quod Poloni colorem, quo scribitur, etiam atrum Synecdochicè appellant *incaust*, ut Itali *inchiostro.* Forte & inde Belgarum est *inkt*: nisi potiùs *inkt*, per aphæresin sit pro *tinkt*, ex *tincta* vel *tinctura*, quia penna in eo tingitur. Vossius *de Arte Grammatica lib. 1. cap. 39.* Aliud est, cum *encausto pingere* [illegible] *opus camerarum* Agrippam invenisse, ex Plinio, docet Salmasius *ad Solinum pag. 1215.* illud enim ad Encausticem Artem pertinet, de qua dictum.

Encautarii, seu *Encautaria*, civitatum & provinciarum libri Censuales & publici sunt, *in l. ult. Cod. Theod. de Censu* & *l. 9. de Agricol.* Sic *Encautii breves*, libri, in quibus nomina & modus censualis possessionis continebantur, *in l. un. eod. Cod. de Collegiat.* apud du Fresne *Glossar.*

Enchiridion, Græca vox, quâ unum ex opusculis suis Augustinus insignivit; *Manuale* vulgò. Apud Græcos olim inter tralatitios librorum titulos. Plinius *Prologo op. Inscriptionis apud Græcos mira felicitas:* [illegible] *inscripsere* [illegible] *— Jam Musæ,* [illegible], ἐγχειρίδιον, [illegible], *inscriptiones, propter quas vadimonium deseri possit.* V. quoque A. Gellium *Præfat.* Sic notum Epicteti Ἐγχειρίδιον, notum Erasmi *Enchiridion militis Christiani.* Nempe ἐγχειρίδιον propriè *pugio* est, quòd ob brevitatem aptiùs manu gestetur, quàm gladius. Istiusmodi autem libelli, iis qui rectè student vivere & credere, non minus in promtu semper paratique, quàm pugio militibus, esse debent. Gerh. J. Vossius *ad Gellium d. l.* At *Enchirium*, Græcè Ἐγχείριον, Hieronymo linteum est, quo Pilatus, post manuum lotionem, manus abstersit: apud Dominic. Macrum *in Hierolexico.* V. infra quoque *Epigonation.*

Enchores Lapides, apud Frontinum *de Coloniis*, *termini Tiburtini affixi sunt, sed & lapides* enchores *signati sunt*: ex Græco ἐγχώριοι, dicuntur lapides αὐτόχθονες, *in ipso solo nati.* At ἐγχώριον appellarunt Recentiores, ordine compositam structuram, sive ex silice, sive ex latere cocto fieret. Sic mentio [illegible] apud Harmenopulum *lib. 2.* [illegible]: ubi lateritius intelligendus, quemadmodum & apud Auctorem vet. Suidæ laudatum de Semiramide. Sed apud Constantinum *cap. 29.* lapidem vel silicem ordinarium vox notat. Etymon inde, quòd, [illegible] sitis omnibus lateribus vel silicibus, in ordinem structura composita esset. Nisi potior lectio ἐγχόρειος, hinc dicta, quod ὡς χοροῦ τάξιν, *ad instar chori*, ordines lapidum habeat compositos. Chorus enim Gr. χορὸς, ordinabatur vulgò, [illegible] ζυγὸν καὶ στίχον: unde χορὸς pro *ordine.* Vitruvius de lateribus ædificii loquens, *lib. 2. cap. 3. Ergo ex utraque parte ad lineam quum struuntur, alternis* Choris *parietes alligantur* &c. V. Salmasium *ad Solinum pag.* 1233.

Encolpium, ex Græco ἐγκόλπιον, apud Anastasium *ad Act. 5. VIII. Synodi*: *Crucem cum pretioso ligno, vel cum reliquiis Sanctorum ante pectus portare suspensam ad collum, hoc est, quod vocant* Encolpium: parva crux pectoralis Episcopi, item quodlibet pectorale reliquiarium est, Dominico Macro in *Hierolex.* De cujusmodi *Encolpiis* plura dixit Car. du Fresne *ad Alexiadem Annæ Comnenæ pag.* 247. 248.

Encolpius, familiarissimus Alexandro Severo, cujus vitam scripsit, Lamprid.

Encomboma, Gr. Ἐγκόμβωμα, genus vestis puellaris, Nonio. Cato *de lib. educ. Ut puellæ*, inquit, *habeant potiùs in vestitu chlamydas, encombomata, & parnacidas, quàm togas.* Polluci palliolum. Sed Ferrario verisimiliùs fuit ala, quæ ad instar pallioli in sinistra parte fuerit, quò dextra liberior atque operi expeditior esset, *de Re Vestiaria Parte 2. lib. 4. cap. 22.* Hinc verbum ἐγκομβώσασθε, *i. induite, innodate*, 1. Petri *cap. 5. vers. 5.* ex ἐν, *in*, & κόμβος, *nodus*, V. Gomarum *ad h. l.*

Encrinomenos, inter Alcamenis ex ære opera, memoratur Plinio *lib. 34. cap. 8. Alcamenes fecit & æreum pentathlum, qui vocatur encrinomenos.* Ex Græco ἐγκρινόμενος, qua voce denotatur is, qui athletis annumeratur & in eorum numerum recipitur, quod non sine solenni ritu factum, & prævia probatione, ab eo qui Ἐγκριτὴς ἀθλητῶν appellabatur. Cic. *de Offic. lib. 1. Atqui hoc idem Sophocles, si in Athletarum probatione dixisset, justâ reprehensione caruisset.*

Encyclia, Græcè Ἐγκύκλια, literæ sunt *Encyclicæ* seu *Circulares*, quibus, quæ in Conciliis seu Synodis acta erant, postquam confirmatione Imperiali obtentâ fides à Synodis stabilita in legem ibat, per Ecclesias à Patribus vulgabantur, atque observanda tradebantur. Franc. Burmannus *Synops. Relig. Christ. pars. prior. lib. VIII. cap. 8. §. 20.* V. Jo. Meursium *Glossar.* Sic *Encyclius* Codex, dictus est liber in quo collectæ omnes *Epistolæ*, quas Patres Concilii Chalcedonensis Leoni Imp. miserunt, circa sensa Timothei Alexandrini, E Græco idiomate in Latinum sermonem translatus, ab Epiphanio Scholastico. Dominic. Macer *in Hierolexico.* At Ἐγκύκλια μαθήματα, item Κύκλια, Veteribus dicta sunt omnia, quæ τὴν Κυκλοπαιδείαν, i. *omnium artium liberalium orbem*, constituebant. Quo nomine *Grammaticam, Rhetoricam, Logicam, Arithmeticam, Musicam, Geometriam, & Astronomiam* complectitur Tzetzes *Chil.* 11. V. suprà ubi de *Cyclo Epico.* De *Encyclemate* verò, machinâ theatrali, infrà in voce *Translatum.*

Encylistiæ Coronæ, seu *Cylistæ*, memoratæ Polluci *lib. 7. cap.* 30. Paschalio videntur dictæ, quòd [illegible], *rotæ orbiculatis,*

& velut ad volubilitatem rotundatis, constarent, pomis viz. & fructibus duriusculis, quibus factum, ut possent κυλίεσθαι volvi, cùm impellerentur, ut ait Eustathius *Odyss.* ι. Appuleius certè *lib.* II. *Individuo nexu corona totis floribus, totisque constructa pomis adhaerebat.* Atque sic ab herbaceis & foliaceis coronis fuerint distinctae. Folia tamen ficus, ob scabritiem, in iisdem videntur locum habuisse, idque singulari exemplo, fortasse imitatione ejus coronae, quam Bacchus sibi fecisse dicitur, è foliis ficulneis, cùm triumphavit insidens currui, quem leones trahebant, Aristoph. *Equit.* Neque tamen in hoc tantùm nectebantur ut volverentur, sed potiùs, ut suspenderentur, ob pulchritudinem omnibus visendae. Id quod scire licet, è loco Alexis in *Sclera*, ἐκ τῆς κύλικος σίφωνα μινώμενον, *ut corona cylice suspensa.* Cujusmodi coronam e prunis maturis constantem, in Stadio, Athletae cuidam obtigisse, memorat Hipponax apud Athenaeum *lib.* 2. &c. V. C. Paschalium *Coronarum lib.* 1. c. 13.

Endosimum, Graecè τὸ Ἐνδόσιμον, canendi signum est, quod in Choro pede percusso dabant Coryphaei, sicque saltantibus inchoatae moderabantur. Hodie idem manu datur. V. hic passim, inprimis in vocibus *Mesochori*, *Pedicularii*, *Scabellum* &c.

Endothys, apud Hieron. Rubeum *in Histor. Ravenn.* qui ait, Maximianum Archiep. donasse Ecclesiae Ravennensi *Endothyn bissinam pretiosissimam omnem Christi Dei historiam continentem*: praeterea adjunxisse *ex auro aliam endothyn, in qua auro textili picta erant omnium, qui illum praecesserant, Archiepiscoporum imagines*: incl. *Endytes*, ex Graeco ἐνδύτης, velum hic videtur esse, quo Altaris pars anterior tegebatur. Aliàs Graeci hoc nomine insigniunt mappam Altaris majorem seu mantile, quod Altari insternitur, uti discimus ex Goaro *ad Euchologium*. V. Car. du Fresne *in Descr. S. Sophiae num.* 61 & Dominic. Macrum *in Hierolexico.*

Endromis, vestimentum fuit Chlaenae non dissimile, pingue, villosum densumque, cujus in palaestra praecipuus usus. Tertull. *de Pallio*, ubi de Cleomacho loquitur, qui ex pugile, turpiore palaestra, intercutitus factus erat: *Utique*, inquit, *fiunt vestigia casuum viria occupavit, ita Endromidis solocem aliqua mutilia synthesi carnisit.* In quibus verbis *Synthesi*, lineo mollique palio, *Endromida* hirsutam, pinguemque & soloci filo contextam opponit. Athletarum fuit, & licèt *pauperis munus* Martiali dicatur, à divitibus quoque in Gymnasiis adhibita est. Sumtam autem praecipuè ad pellendum frigus, Juvenalis docet *Satyrâ tertiâ*, cùm ait:

— — *Igniculum brumae si tempore poscas,*
Accipis endromidem.

Ubi vetus Interpres, *Endromidem lodicem, quâ se cooperiat.* Nam, quemadmodum gausape & chlaena, sic & *Endromis*, qua amiciendo, quà insternendo adhibebatur. Idem cùm mulieres perstringit, quae cum viris in palaestra exercebantur, ait:

Endromidas Tyrias & femineum ceroma
Quis nescit?

Tyrias, non quòd molliores essent, sed quia divites, ut saltem colore distinguerentur, eas absurdo luxu purpurâ tingebant: quales purpureas Homericorum Heroum chlaenas fuisse scimus, qualem & Petronii coccinam gausapinam & apud eundem Juvenalem coccinam laenam. Dicta autem est *Endromis*, non quòd eo genere vestis ἐν δρόμῳ, *in cursu*, sive stadio ac palaestra uterentur, quid enim currenti incommodum magis? Sed quòd post cursum & quodlibet certamen usui esset, ne frigus madidos sudore artus penetraret. Caeterùm Graecis *Endromis*, non pro vestibus, sed pro calceis accipi, docti pridem observarunt ex Polluce *lib.* 3. *c. ult. Endromidas appellant cursorum calceamenta*, inquientes. Quò quidem trahunt illud Juvenalis,

Rusticus ille tuus sumit trechedipna Quirine.

Ubi *Trechedipna* interpretantur, Gallicu las parasitorum ad coenam currentium. Sed Turnebus *lib.* 3. *cap.* 17. *Trechedipna* vestes Gymnasticas interpretatur & *Endromidem* intelligit, eò quòd Juvenalis hanc cum ceromate conjunxerit: vultque ideo sic dictam, quòd Romani adeò Gymnasticis exercitationibus fuerint dediti, ut ad eas tanquam ad coenam currerent. V. Octavium Ferrarium *de re Vestiaria Part.* 2. *l.* 1. c. 11. Idem Pollux *ibidem*, αἱ δὲ ἐνδρομίδες, ait, ἴδιον τῆς Ἀγροτέρας ὑπόδημα, *Endromides, proprium Dianae calceamentum.* Venatorum certè cursorumque calceos sic appellatos fuisse, notat vetus Callimachi Scholiastes *ad illud*,

— — — κνήμην ἔχοιμι
Ἐνδρομίδας — — —

Τρεχεδίπνα, ob eadem ratione eosdem calceos appellabant, iis addens δίφρου τό, *ex caprino corio*, Hesych. Latini *gallicolas*, item *trechedipna* Salmasio quoque. Atque ita quidem Ἐνδρομίδα Graeci, qui Athletis etiam illas tribuunt, nunquam de veste, sed de calceamenti genere, accipiunt. Latinis verò vestis est crassa & solox. Optimae Glossae, *Gausapus*, ἐνδρομίς &c. V. cum *ad Tertullianum* verbo *de Pallio cap.* 4.

Energumeni, Papiae *Daemoniaci*, de quibus V. Concilium Carthagin. IV. *can.* 92. Arausicanum I. *can.* 15. 16. Alias locum quidem habebant in Ecclesia, *Can. omni die de consecr. dist.* 5. *Energumeni pavimentum domorum Dei verrant*; sed cùm sacra Mysteria celebranda essent, unà cum aliis quibusdam expellebantur, clamante Diacono: *Ite Energumeni*: Macri Fratres *in Hierolexico*. Plura apud Jo. Casparum Suicerum *Thesauro Eccles.* in hac voce, & Tob. Pfannerum *de Ritibus Ecclesiae vet. cap. de Energumenis.*

Comites Nassovii.

Engelbertus, filius Johannis Com. Nassovii Dillenburgicae lineae, ex Margareta, filiâ *Engelberti* Com. Marcarum & Cliviae, frater Adolphi majoris natu, ductâ Johannâ, Johannis Leccae & Bredae Toparchae filiâ, Baronatum Bredae, à Johanne Brabantiae D. emptum, ditioni avitae adjunxit. Extinctus A. C. 1446. Ex ex uxore praedicta nati sunt Johannes, qui ductâ Mariâ Johannis Com. Lonae & Heinsbergae filiâ ditiones varias, interque illas tertiam Juliaci agri partem, nactus est: Henricus, Elisabetha aliique.

Engelbertus, filius natu major Johannis praefati, cum fratre Johanne, ne bona paterna fortunae munere coagmentata divellerentur, pactum iniit, ut utricunque haeres dresset masculus, ejus ditiones, alteri, vel posteris ejus cederent: ipse autem recentiora & in veteri Gallia posita possidebat; vetera & in Germania sita Johanne occupante. Fuit is non modò Brabantiae, sed omnium per Belgium munitionum, Praefectus: aurei velleris decus in domum intulit, Maximiliano I. Imp. & Carolo Pugnaci, ultimo Burgundionum Duci, mirè gratus. Bello inter Imp. praefatum & Ludovicum XI. Galliae R. fervente; cùm de Flandriae jure ageretur armis & jam superiores Gallica videretur, ipse profligatum jam praelium restituit, victoriâ Gallis extortâ. Litem inter Caesarem & Burgenses ortam composuit, unde ab his arx, in honorem Nassoviorum, Bruxellis extructa: Limites Rheni & Transmosanam regionem in Caesaris obsequium reduxit; cum Guil. Duce Juliacensi Millam, Gangiam, Wertam, Diestam, Sichemo, Seelhemo & Vice-Comitatu Antverpiensi commutavit; Obiit A. C. 1504 haerede fratre, nullis ex Limburge, Marchionis Badensis filia, liberis susceptis. Cyr. Lentulus *Geneal. Princip. Nassoviae nstr.*

Enhydros, Graecè Ἔνυδρος, apud Solinum *cap.* 31. *Quod Enhydros conspicatus, ichneumonum genus, penetrat belluam*; ut antiqui quidam libri habent: *aquatilis* est, ut ἔνυδρα ζῶα, *aquatilia animalia.* Sed ichneumonis tale genus dari, negat Salmasius, qui proin vocem delendam è loco censet. Ἔνυδρος potiùs est, qui aliis ἐνυδρίς, aliis ἐνυδρις, dicitur, Lat. *Lutra*, ab Attico ἰχνεύμων, cujusmodi animalia multa in Nilo, & sacra Aegyptiis fuere. Herodotus *Musa* 2. Γίνονται δὲ καὶ ἐνυδρίες ἐν τῷ ποταμῷ, τὰς ἱρὰς ἥγηνται εἶναι. Sed crocodilo id neutiquam infestum: V. Salmasium *ad Solinum pag.* 446. Eidem auctori *Enhydros*, quoque gemma est, *cap.* 37. *Enhydros exsudat, ut clausam in eo putes fontanam scaturiginem.* Externam nempe ejus superficiem aquâ madefactam semper esse vult, velut clausam intus contineat scaturiginem aliquam, ex qua ille humor erumpit. At Plinius, *Enhydros*, inquit, *semper rotunditatis absolutae, in candore est levis. fluctuat intus in ea, velut in ovis, liquor.* V. eundem Salmasium *ibid. p.* 770.

Enimundus Bonifidius, vulgavit typis Henrici Stephani, suam *Juris Orientalis Digestionem* Graecè, additâ Latinâ sui *Versione* ac *Notis*, A. C. 1573. Gerhard. von Mastricht *Histor. Juris Eccles. num.* 406.

Enna, Graecè Ἔννα, pop. Atticae, Scholiasti Callimachi, qui ejus junctim cum Eleusine meminit, indigitatus. Unde Ἐνναῖος, pro quo Ἀνναῖος habetur in vet. *Inscr.* hodieque haud procul Athenarum urbe, superstite:

ΜΟΣΧΟΣ
ΜΟΣΧΙΩΝΟΣ
ΑΝΝΑΙΟΣ.

apud Jac. Sponium *Itiner. Part.* 3. *ubi de* 174. *Atticae populis.* Sub qua Tribu fuerit, haud liquet.

Enneadecaeteris, Grae. Ἐννεαδεκαετηρίς, novem ac decem annorum circuitus est, quem Meton, Phaini auditor, acceptâ ab eo rectâ Solstitii observatione, non composuit solùm, sed & publicè Athenis in Comitio monumentum erexit, quo populus doceretur, quibus anni Lunaris diebus observanda essent Solstitia toto illo annorum decursu, simulque omnium siderum errantium inerrantiumque ortus atque obitus & varias anni tempestates, ex eorum ortu & occasu, praenuntiatas ostendit, uti docet ex Arato Salmasius *ad Solinum pag.* 741. V. hic passim, inprimis in vocibus, *Heliotropium*, *Meton*, *Parapegma.*

Enodius, Graecè Ἐνόδιος, dictus est Ἑρμῆς, i. *Mercurius*, sicut Diana quae Luna est dicta fuit Ἐνοδία, quia Mercurium viarum Praesidem fecerunt: qui honos planè videtur competiisse Mercurio potiùs, ut Solem signabat, quàm stellae Mercuriali. Solari enim lumine vias die cognoscimus; quod noctu Luna praestat. Idem omnino fuit Apollo Ἀγυιεύς, quem & ipsum Solem esse, nemini dubium est. Interea occurrit ratio, quâ etiam hoc decus ad Mercurii stellam referre possis. Nam haec praeerat loquelae: at, ut cogitationis symbolum est loquela, ita loquelae signum est scriptura vel aliud quod eandem habet vim. Quid mirum igitur si & viae monstratio Mercurii stellae sit attributa, quando Mercurii ingereret

geretur formâ capitis humani impositâ lapidi quadrato, cui inscriptum foret quò via duceret. Ponebantur autem hujusmodi Hermæ in biviis, triviis, quadriviis, quos magna ex parte truncavit Alcibiades, ut est apud Andocidem *Orat. de Mysteriis*, item Plut. & Corn. Nepotem *Alcibiade*. At quia caput Mercuriale imponeretur cubo, eò Mercurius τετράγωνος dicebatur: à qua eadem causa est, quòd Mercurium appellarunt *lapidum congeriem* &c. V. Vossium *de Idolol. lib.* 2. *cap.* 32. suprà in voce *Acervus* alibique.

Enoticon, V. infrà *Henoticon*.

Ensalmus, incantatio, certis superstitiosis precibus constans; cujusmodi fuit oratio illa, *Crux Christi salva me*, à quodam Græco Archiep. composita, de qua Diana *Part. IV. Tom. 3. resol.* 62. V. Hieron. Bardum *Tract. Medico-Polit.* & Kircherium *Magia Ægypt. Tom.* 2. laudatos Macro in *Hierolex*.

Ensis, Prætorianis apud Romanos militibus latere dextro gestatus est, cùm cæteri milites lævo eos accinctos haberent. Joann. Antiochensis περὶ Ἀρχαιολογ. & *Epit.* Dionis, Ἐπὶ φυλακῇ γὰρ βασιλικῇ ἐχθέντες, ἐκ τοῦ ἀριστεροῦ μέρους, ἀλλ' ἐκ τοῦ δεξιοῦ τὰ ξίφη διαζώννυσθε, *Custodiæ enim Imperatoriæ destinati, non sinistro, sed dextero latere, enses accingitis.* Nempe vetustissimis temporibus, miles Romanus dextro latere cinctum *ensem* gerebat, ut Polybius scribit, ἅμα δὲ τῷ εὐωνύμῳ μαχαίραν, ταύτην δὲ περὶ τὸ δεξιὸν φέρουσι μηρόν. Postea, ut videtur, & sub Impp. soli Prætoriani milites ita cincti, reliqui verò sinistro *enses* habuere. Unde est, quòd in columna Trajani & Antonini, milites visuntur ad dextrum femur gladio cincti; quos prætorianos esse inde colligere est. Salmasius *ad Spartianum in Severo Imp.* Fuisse & *Ensium* quibusdam celebrioribus nomina sua propria, diximus suprà in voce *Curtana*, item *Durissimus*: Adde ex Justino pugionem, quo Philippus Macedo occisus, *Myriales* nomine insignem &c. Posteriori ævo celebris inprimis fuit Georgii Castriotæ, Epiri Despotæ, quem *Scanderbegum* vocant, ensis, in Urbini Ducis armamentario adservatus, ejus ponderis, ut à viro aliquo uno vix tellure sublevari possit, de quo V. Barthium *Animadversion. ad Statium Thebaid. lib.* 10. *versu* 252. ubi vett. Heroum enses μεγάλους τε σιδηρέους τε Homero, *graves* Poëtis Latinis passim, appellari notat. Tam nobile autem belli instrumentum *Ensis* est, ut modò militiæ signum, modò ordines & officia militaria, eâ voce indigitari deprehendamus. Papin. Statius *lib.* 5. *Sylv.* 2. *versu* 94.

—— *fidos dominus si dividat enses.*

Et *in Lyrico*, ad Maximum Junium, *lib.* 4.

Tu tuos parvo memorabis enses,
Quos ad Eoum tuleris Orontem &c.

V. quoque infrà in voce *Gladius*.

Entheca, Græcè Ἐνθήκη, apud Augustinum *Serm. de divers.* 49. *cap.* 4. *Enthecam nobis habere non licet, non enim est Episcopi servare aurum* &c. reconditorium est, & hinc pecunia reposita ad quorvis usus, thesaurus. Apud Jurecoss. Ἐνθήκη, *fundum* seu fundi instructum significare, observat Salmasius *lib. de Modo Usurar. pag.* 24. 25. V. Car. du Fresne *Glossar.*

Enthronisticum, in Ecclesia Rom. dicebatur olim pensio, quam non Clerici modò, sed & Episcopi, beneficiorum ac Episcopatuum possessionem adituri, solvere tenebantur, ex Græco ἐνθρονιστικὸν, ab ἐνθρονίζειν. Macer in voce *Xenium*. Sic *Enthronisticæ*, Græcè Ἐνθρονιστικαὶ, dictæ sunt Literæ, quæ *Synodicæ* aliàs, quibus Episcopi, præsertim magnarum Sedium, cùm in sede Episcopali collocarentur, de onere sibi imposito, & fide, quam confiterentur, alios Episcopos certiores faciebant. Quæ, si orthodoxam confessionem continerent, literis ἀντιδοσιμαίοις seu εἰρηνικαῖς excipiebantur: sin doctrinam exhiberent, à vera fide alienam, rejiciebantur, ab Episcopis Catholicis, & ab iis tantùm recipiebantur, qui ejusdem erant sententiæ. Cujusmodi literas Severus Patr. Antiochenus ad omnes Patriarchas misit, quæ Alexandriæ quidem receptæ, à reliquis rejectæ sunt, quòd in eis Severus anathema diceret Synodo Chalcedonensi &c. V. Evagrium *lib.* 4. *cap.* 4. & Nicephorum *lib.* 17. *cap.* 2. plura verò hanc in rem, apud Joh. Forbesium *Instructionum Historico-Theol. lib. III. cap.* 16. §. 4. & Suicerum *Thesauro Eccl.*

Entoler, Hebr. אנטלר, in *Gemara* Hierosolym. Pontificis Max. apud Hebræos, procurator est seu mandatarius, ex Græco Ἐντολεὺς, quæ vox hoc sensu occurrit, in *Basilic. Tom. I. lib.* 8. *tit.* 2. §. 55. alibique passim. Unde Ἐντολὴ seu Ἐντάλμα, pro *mandato*, etiam Latinis usurpatum. Luithprandus *Legat. ad Nicephorum Phocam*, Ἐντολὴν (alii legunt Ἐντάλμα) id est, *præceptum conscripsit* (Otto Magnus) *quod & sigillo signavit suo, ne secus facerem; Scis, domine mi Auguste, quâ id fiducia dixerim.* Ἐντολὰς Judæos autem, sicut & Syri & Arabes aliique Orientis populi, voces non paucas aliunde in linguas suas admisisse, notum. V. de hac voce plura, ut & de Ἐντολεὺς hujusmodi juramento in animam Domini procuratorio, Jo. Seldenum *de Synedriis Lib. II. cap.* 10. §. 7. & 8.

Entypa Simulachra, Græcè ἔντυπα, quæ intus depressa sunt & incisa, sicut contrà ἔκτυπα, quæ prominent extantque: quorum hæc ad Sculpturam, illa ad Scalpturam pertinent. Scalpturæ enim propriè *Entypa* sunt, quæ impressas & refugientes in cavo præferunt figuras. Unde ἐντυπώματα de gemmis signatoriis dixit Clemens, quæ cavatæ sunt. V. hic passim, & plura hanc in rem, apud Salmasium *ad Solinum pag* 1106.

Enyalius, adde: *Enyalii Jovis*, mentio apud Josephum: ex Histiæo Milesio antiquissimo rerum Phœniciarum Scriptore, qui de campo Senaar, ubi Babylon condita, sic scribit: Τῶν δὲ ἱερέων τοὺς διασωθέντας, τὰ τοῦ Ἐνυαλίου Διὸς ἱερώματα λαβόντας, εἰς Σενναὰρ τῆς Βαβυλωνίας ἐλθεῖν. *Qui verò ex sacerdotibus conservati essent, acceptis Jovis Enyalii sacris, venere in Sennaar Babyloniæ.* Ubi pro Ἐνυαλίου Josephus quidem legit Ἐνυαλίου. Sed Ἐνυαλίου rectè est, apud Syncellum, ex Eusebii *prior. Chronic. libro*: prout editus est in *Thesauro Tempp.* Rufinus videtur, cùm quid *Enyalius* esset ignoraret, vocem eam præteriisse. Saltem nec in MSo Vossii, nec in editis ullis, comparet. Sed inter Martis esse cognomina, auctor est Macrobius *Saturnal. lib.* 1. *cap.* 19. atque idem docet Eustathius *ad Homer.* qui non semel usurpat. Ut & alii Poëtarum, & in his Bassus *Antholog. lib.* 1. à quo Spartiani trecenti, qui fortiter pugnantes ceciderant, *Epigramm.* εἰς αὐτοὺς, vocantur,

—— δοῦρατα δῆμος Ἐνυαλίου.
bellicosi populus Enyalii, &c.

Quis autem ille Histiæi præfati Jupiter fuerit *Enyalius*, docet Vossius, ubi Belum, Nini Patrem, Assyriorum R. in sacris *Nimrodum* dictum, eundem esse ac Martem, demonstrat, in erudito opere *de Idolol. orig. & progr. lib.* 1. *cap.* 16.

E O.

Eone, arbor, ex qua Argo navis facta. Plinius *lib.* 13. *cap.* 22. *Cornelius arborem* coneam *appellavit, ex qua facta esset Argo, similem robore visum ferenti, quæ nec aquâ nec igni posset corrumpi — nulli alii cognitam, quod equidem sciam*: ad quem *l.* V. Dalechampium.

E P.

Epacta, Latinis sunt, *adjectiones annuæ lunares, per undenarium numerum usque ad tricenarium in se revolventes, quas ideo adjiciunt, ut lunaris cursus rationem Solis sequatur. Luna enim juxta cursum suum 28. dies lucere cognoscitur & sunt in anno lunari dies 354. remanentque ad cursum solarem dies 11. quos adimunt: absque his enim non invenies lunam, quota sit in quolibet anno, mense vel die. Ipsæ Epactæ semper 11. Kal. April. inveniuntur, quo quota fuerit luna, tota erit Epacta eodem anno: volvuntur enim Epactæ circulo decemnovennali*, Papias. Ad invenienda Festa mobilia & lunationes internoscendas, earum notitiam multùm valere, addit Macer *in Hierolex.* simulque regulam quolibet Martii mense *Epactam* novam dignoscendi hanc esse, adjicit: *In quocunque recenti anno XI. dies supra epactam anni præteriti adjungendi semper, quando numerus excedit trigesimum, tunc excessus trigesimi, erit numerus recentis Epactæ.* V. Dionys. Exiguum *de rat. Paschæ*, Isidorum & Compotistas: præterea ex Recentioribus, Jos. Scaligerum *de Emend. Temp. lib.* 7. & Gassendum *de Kalend. Rom.*

Epanagnosticon, Græcè Ἐπαναγνωστικὸν, nomen libelli, quem Basilius Imp. in Concilio CPolitano IV. per Baanem Patricium, Vicarium suum obtulit. Anastasius Bibl. *ad Syn. VIII.* exponit *Scriptum quod palàm legitur*. Hodiè *Manifestum* vocari, ait Macer *in Hierolexico*.

Epanoclistus, est superiori parte clausus & coopertus, ex ἐπάνω, *suprà*, & κλειστὸς, *clausus*, epitheton coronæ, quam Chlodovæus Galliæ R. seu Joanna utriusque Siciliæ Regina, Papæ dono dederunt. Anastasius Bibliothecar. *in Hormisda*, *Regnum de auro purissimo epanoclistum cum casenulis suis, habens in medio Crucem auream.* Figuram ejus eadem prorsus ratione, quâ hodieque in capite S. Petri extat supra ciborium Lateranensis Basilicæ, exhibet Car. Macer in voce *Bulla*.

Epaphroditus, adde: Græcè Ἐπαφρόδιτος, venustus, i. non solum formosus, sed & felix. Hinc Sulla, qui *Felicis* cognomen assumsit, unde de eo Horatius,

—— *& optivo cognomine crescit.*

in iis literis, quas ad Græcos dabat, Ἐπαφρόδιτον, pro illo cognomento Latino sese inscribebat. Idem tropæa Mithridatica, & alia quæ in Græcia fixit, similiter inscribere solitus est. Rationem addit Plutarchus, sive quisquis Auctor est libri *de Fortuna Rom.* Πλεῖστον γὰρ Ἀφροδίτης εἶναι τοῦ κατὰ Μένανδρον ἀλλὰ τύχης μέτεχειν. Potiùs Salmasio, quòd Ἀφροδίτην in talorum jactu invocabant Veteres, ut secundaret jactus, unde felicissimus horum *Venus* dicebatur. Hinc & *venustum* Latini, non tantùm formosum & amabilem appellabant, sed etiam felicem & cui omnia prosperè affluerent, Græci similiter ἐπαφρόδιτον: quæ vox cùm propriè notaret τὸν εὐβολον, *cui Venus in talorum jactu favet*, quique Venerem frequenter jacit, ad alia postmodum traducta est. V. Salmasium *ad Solinum pag.* 54.

Epaphus, adde: Hunc Jovis & Ius filium Memphi cultum esse, Herodotus tradit *lib.* 2. Ὁ δὲ Ἆπις κατὰ τὴν Ἑλλήνων γλῶσσάν ἐστι Ἔπαφος, *Apis Græcorum linguâ est Epaphus*: quod repetit *lib.* 3. confirmatque Ælianus *de Animal. lib.* 11. *cap.* 10. Sed addit, Ægyptios hunc sermonem, ut mendacem, aversari; quia *Epaphus* multis post Apim seculis extiterit. Quam Ægyptiorum

sentem,

sententiam probat Vossius, cùm Epaphus ex filia Libya nepotem habuerit Agenorem, pronepotem Cadmum, de cujus ætate suprà diximus. Nimirum ambitiosa Græculorum natio nihil æquè studebat, quàm ut Ægypto etiam ac Orienti dedisse Deos suos videretur: quod de Apide se consequi videbat, si eum *Epaphum* faceret &c. V. Vossium *de Idolol. lib.* 1. *cap.* 15. & 29.

Eparchus, Græcè Ἔπαρχος, nomen Dignitatis, in Aula Imp. Græcorum, *Provinciæ præses* seu *Prætorio Præfectus*: cujus edicta in libro, *Eparchicon* hinc dicto, consignari consuevere. Codinus tamen Stabuli Præfectum hac voce indigitare videtur, cùm ait, equum, cui aliquando Theophilus Imp insidebat, à muliercula, cui *Eparchi* dolo ereptus fuerat, repetitum, eique redditum fuisse, hincque inolevisse morem, ut semper equos aliquos inanes in pompa Principes haberent &c. Meursius inter magnum Pappiam & magnum Drungarium biglæ, *Eparchum* medium collocat, in *Glossar.*

Ependytes, Græcè Ἐπενδύτης, tunica dicebatur apud Græcos, ratione interulæ, quam ὑποδύτην appellabant, & supra quam injiciebatur, non ratione pallii, cui suberat. Lat. *Superaria.* At Monachi Ægyptii, qui caprinam pellem seu melotem vel peram supra pallium (quod antiqui Monachi & præcipuè Græci, ut & horum Philosophi, supra omnem vestem injecerant) sumebant, *pelliceum ependyten* illam vocabant, uti discimus ex Hieronymo *in Vita Hilarionis*. V. Salmasium *ad Tertullianum de Pallio cap.* 1. & infrà in *Epidecen*.

Epha, Hebr. עֵיפָה, Arabicè *Ghaipha*, Græcis hinc Γαιφὰ, & corruptè γαιφὰς, opp. provinciæ Madianitidis, vicinum urbi Madian nominatæ, in littore Maris Rubri, à conditore suo, filio Madianis primogenito, cujus mentio Genes. *cap.* 25. *versu* 4. dicta. Camelorum ejus meminit Esaias *cap.* 60. *versu* 6. *Turma camelorum operiet te, cameli juniores Madian & Epha*; Nullibi enim illi frequentiores, quàm in Madianitide. Sam. Bochartus *Hierozoici Part. pr. pag.* 82.

Ephalmatores, apud Jul. Firmicum *Mathes. lib.* 8. *cap.* 8. sic dicuntur ludiones, qui saltu corpora ejaculabantur: à Græco ἐφάλλομαι. Vide Manilium *lib.* 5.

Ephebæum, vel *Ephebeum* vel *Ephebium*, secunda pars Gymnasiorum apud Veteres, ubi illi convenire, atque de præmiis & exercendi genere pactiones facere solebant, qui simul exerceri volebant atque certare: quanquam Philander in ea fuit sententia, quod in *Ephebeo* puberes exercerentur; qua in re ipsum sequitur Mercurialis potiùs, quàm Guil. Choulum, qui *de Antiqq. exercitat.* in Ephebeo *juvenes studendi gratiâ* sedisse scriptis mandavit. Utrum verò apud Romanos, qui cum Viris ante 16. annum pueros commercium ullum haber vetabant, hoc verum fuerit, liquidum non est. Neque interim negari potest, Galeni tempore, pueros exercere in palæstra consuevisse, cùm is cujusdam ægritudinis, quam Commodus puer, atque Imperatoris filius, in palæstra acquisierat, faciat mentionem, *lib. de præc. ad Posth.* Οὕτω καὶ ὅσοι ἀναρριχῶνται διὰ σχοινίου, καθάπερ οἱ παλαίστρῃ γυμνάζοντες τοὺς παῖδας εἰς τὸ ῥώννυσθαι παρασκευάζοντες. *Sic autem, & quicunque per funem scandit, quemadmodum pueros in palæstra exercens, eos ad robur præparantes.* Ex quibus pueros in palæstris exerceri solitos satis constaret, nisi id quoque *in Bacchid.* testatus esset Plautus, ubi Lycus Pistocleri Pædagogus, patrum erga filios sui temporis indulgentiam taxans, de antecacti temporis moribus ita loquitur:

Nego tibi hoc annis viginti fuisse primis copiæ,
Digitum longè à Pædagogo pedem ut efferres ædibus.
Ante Solem exorientem nisi in palæstram veneras,
Gymnasii præfecto haud mediocres pœnas penderes.
Id quoi obtigeras, hoc etiam ad malum accersebatur malum,
Et discipulus & Magister perhibebantur improbi.
Ibi cursu, luctando, hastâ, disco, pugilatu, pilâ,
Saliendo se exercebant magis, quàm scorto, aut saviis.

Unde videre est, pueris summo manè palæstras adeundi præceptum fuisse, ut virorum, qui tum non aderant, commercium vitarent, atque literarum etiam studiis incumbendi otium superesset. Sed &, diu ante Neronis Principatum, Romæ Gymnasia fuisse, ex iisdem verbis colligi obiter potest. V. Hieron. Mercurialem *de Arte Gymnast. lib.* 1. *cap.* 8. Fuit autem *Ephebeum* (h. e. exedra amplissima cum sedibus, tertiâ parte longior quàm lata) in duplici porticu, in medio inter Coryceum, cui proximè Conisterium & in versura porticus frigida lavatio, ad dextram; & Elæothesium sive Alipterium, ad sinistram, uti discimus ex Vitruvio *lib.* 5. *cap.* 11. & videre est ex figura palæstræ, quam ære expressam præfatus Mercurialis exhibet, *cap.* 6. *lib. citati*.

Ephebi, apud Athenienses dicti sunt, qui nomina sua inter *Ephebos*, id est, puberes, profitebantur: cujus professionis annus legitimus erat ætatis decimus octavus. Pollux *lib.* 8. *cap.* 9. καὶ εἰς μὲν τοὺς Ἐφήβους ἐνεγράφοντο ὀκτωκαίδεκα ἔτη γενόμενοι. Cujus ætatis ut certius caperetur argumentum, solebant virilitatem explorare, an per ætatem ad publica munia, εἰς τὸ περιπολεῖν τὰ περὶ τὴν πόλιν φρούρια, *ad custodiam urbis agrique*, utiles essent: quod δοκιμασία vocatum, cujus meminit Aristophanes *Vespis*. Albo dein *Ephebi* inscribebantur, eodem die quo liberi solebant εἰς τοὺς φράτορας referri, nempe Apaturiorum die, quæ Κουρεῶτις dicta est, quâ epulum quoque τοῖς φράτορσι præbebatur, hoc modo: Vinum, honori Herculis sacrum, propinabant cœtui præsenti, quem ritum Οἰνιστήρια appellavere. Athenæus *lib.* 11. οἱ μέλλοντες ἀποκείρειν τὸν σκόλλυν, εἰσφέροντες τῷ Ἡρακλεῖ μέγα ποτήριον, πληρώσαντες οἴνου, ὃ καλοῦσιν Οἰνιστήριαν, καὶ σπείσαντες, τοῖς συνελθοῦσιν διδόασι πιεῖν. Sic comam deponebant ipso hoc die, hostiamque Dianæ mactabant, quæ hostia Κουρεῖον dicebatur. Offerebant autem comam fluviis patriis, τοῖς ἐγχωρίοις ποταμοῖς, plerumque. Unde apud Pausaniam, *in Atticis*, legimus, Peleum crines suos Sperchio vovisse, si Achilles salvus rediisset: idem de Memnone, qui Nilo comam sacram fecit, narrat Philostratus. Contrarium jussi sunt facere Nazaræi, qui cæsariem suam in ignem conjiciebant, Numer. *cap.* 6. Sic postquam inscripti sunt, biennio expleto, anno nempe vigesimo, accedebat tertia professio apud populares, atque inscribebantur Lexiarchicô, & ab hinc sui erant juris, mittique ad negotia poterant, ac Testamenti habebant factionem, è Lege scilicet annali, qui is, qui annos est natus viginti, οὐδὲ ἐν πατρῴᾳ παρειλημμένος. Hoc vocabant Græci ἐγγραφῆναι εἰς ἄνδρας, quia tunc in viros transscribebantur: dicebatur quoque δοκιμασθεὶς, qui huic albo inscriptus est; quia prius Lexiarchico nemo inscribi poterat, nisi constaret natum esse parentibus civibus Atticis aut secundùm leges adoptatum: itaque populares jurati inscribendum judicabant. Jam verò διαψηφισθεὶς è popularium suorum sententia, à Demarcho, apud quem adservabatur, Lexiarchico inscribebantur: idque ante Panathenæa, primis ineuntis anni diebus. Tum qui inscribebantur, buxeam accipiebant tabellam, in qua nomen uniuscujusque & patris ejus atque populi, ad quem ille pertineret, erat inscriptum. Quibus omnibus ritè peractis, deducti *Ephebi* in ædem Agrauli, Cecropis filiæ, jusjurandum concipiebant in hæc verba: Οὐ καταισχυνῶ τὰ ὅπλα τὰ ἱερὰ οὐδ' ἐγκαταλείψω τὸν παραστάτην ὅτῳ ἂν στοιχήσω. Ἀμυνῶ δὲ καὶ ὑπὲρ ἱερῶν καὶ ὁσίων, καὶ μόνος καὶ μετὰ πολλῶν. Τὴν πατρίδα οὐκ ἐλάττω παραδώσω, πλείω δὲ καὶ ἀρείω, ὅσην ἂν παραδέξωμαι. Καὶ εὐηκοήσω τῶν ἀεὶ κρινόντων ἐμφρόνως, καὶ τοῖς θεσμοῖς τοῖς ἱδρυμένοις πείσομαι, καὶ οὕστινας ἂν ἄλλους τὸ πλῆθος ἱδρύσηται ὁμοφρόνως. Καὶ ἄν τις ἀναιρῇ τοὺς θεσμοὺς ἢ μὴ πείθηται οὐκ ἐπιτρέψω, ἀμυνῶ δὲ καὶ μόνος καὶ μετὰ πάντων, καὶ ἱερὰ τὰ πάτρια τιμήσω. Ἵστορες θεοί, Ἄγραυλος, Ἐνυάλιος, Ἄρης, Ζεὺς, Θαλλὼ, Ἡγεμόνη, i. e. *Non dehonestabo hæc sacra arma: neque deseram Protostatam, quisquis ille sit, quem in versu meo excipiam. Pro aris & focis dimicabo, sive solus sive cum aliis multis. Patriam liberis non relinquam in deteriore, sed potiùs in meliore statu. Navigabo ad terram, eamque colam quantulacunque illa sit, quæ habenda mihi tradetur. Obtemperabo iis, qui judicia reddunt prudenter. Parebo legibus, quæ obtinent, cæterisque omnibus, quas populus universo consensu feret. Quod si quis leges abrogare velit, populo non sciscente, minimè feram: Vindicabo autem, sive solus, sive cum aliis omnibus. Patria sacra colam: Testes Dii sunto, Agrauli, Enyalius, Mars, Jupiter, Nutrix terra, Diana*: ex Stobæo atque Polluce, quibus duo Kapita, quæ desiderabantur, ex Ulpiano *in Demosthenis Or.* περὶ παραπρεσβείας, Philostrato *in vita Apollonii*, & Plutarcho *in Alcibiade*, accessere. Ὑπερμαχῶν ἄχρι θανάτου τῆς ἐργασίμου. Ὅροις χρήσασθαι τῆς Ἀττικῆς, πυροῖς, κριθαῖς, ἀμπέλοις, ἐλαίαις, *Ad mortem usque pro nutrice terra dimicabo: Fines agri Attici statuam, frumentum, hordeum, vites, oleas.* E quibus patet, quando hoc juramentum præstabant *Ephebi*, fuisse instructos armis, quæ fortè in ipsa æde Agrauli adservata inde, tanquam ex armamentario depromi solebant; quare etiam *sacra* dicta sunt Quod de *navigatione in terram* additur, de Coloniis intelligendum est, quas frequentes admodum Athenienses deducebant, &c. Cœterùm album Lexiarchicum, ληξιαρχικὸν λεύκωμα, in quo nomina *Ephebarum* scribi mos, qui ad eundem *Demum* pertinebant, παρὰ τῆς λήξεως, id est, τὸ κλῆρος ἄρχειν, nomen accepit, quia sui juris fiebant, rerumque suarum arbitrium consequebantur, quorum nomina in illo scriberentur. Fœminas verò quod attinebat, non ulli adscribebantur illæ Tribui, donec nubiles essent: tum etiam illarum nomina albo inferebantur, mense Gamelione; (quemadmodum *Ephebi* inscribebantur mense Pyanepsione) Paterque uniuscujusque virginis τοῖς φράτορσιν epulum Γαμηλίαν dictum præbere solitus est, Pollux *lib.* 8. *cap.* 9. Romanorum moribus atque institutis, parentes liberos sibi natos profitebantur in Actis, apud Præfectos ærarii, ex quo cura tabularum publicarum à Quæstoribus ad Præfectos ærarii translata est, quod factum Nerone imperante: quod ut intra tricesimum diem fieret, primus M. Aurelius constituit, apud Capitolinum; ex qua natali professione ætas probabatur. Quanquam pubertas non tantùm ex numero annorum, sed etiam habitu

bitu corporis definiebatur, id est, ex aspectu erumpentis pubis, quæ sententia fuit Prisci, apud Ulpianum *in Reg. Iuris*, expressa à Servio ad hunc versum Virgilii *Æneid.* 7.

Jam matura viro, plenis jam nubilis annis.

Vide Samuelem Petitum *Comm. in Leges Atticas lib.* 2. *tit.* 4. & Francisc. Rossæum *Archæol. Atticæ lib.* 5. *cap.* 13. Ab *Ephebis*, locus in Theatris Ἐφηβικὸν seu *Ephebicum* dictus est, è quo Juvenes spectabant, quemadmodum in Buleutico senes sedebant. Julius Pollux *Onomastico lib.* 4. *cap.* 19. Ἐκαλεῖτο δὲ τι καὶ βουλευτικὸν μέρος τοῦ θεάτρου καὶ Ἐφηβικὸν, *Dicebatur etiam pars quadam Theatri Buleuticum & Ephebicum.* V. quoque Coel. Rhodiginum *Variar. Lect. lib.* 8. *cap.* 8. Sed & ἔφηβος, nomen est jactus, in talorum ludo, quem expressum in cippo sepulchrali Alexandri cujusdam Chii & *Ephebi*, memorat Salmasius *ad Solinum pag.* 1221.

Ephemereuta, officium religiosæ Essenorum familiæ, ex Græco ἐφημερία, eò quòd per vices ad quemq; perveniebat: fortè non dissimile Hebdomadarii, in Monasteriis Christianorum, officio. Philo *de V. M. Ubi verò convenere Candidati & læti cum summa gravitate ad signum datum à quodam* Ephemereuta, *priusquam discumbant, stantes unà serie decenti sublatisque in cælum manibus atq; oculis; his, quoniam didicerunt cælestia: illis, utpote incorruptis à muneribus & à quæstu illicito, precantur, ut placeat Deo id convivium*, V. Macrum *in Hierolex.* Sed & Ἐφημερίαι dictæ sunt *turmæ* seu *vices* aut *ordines*, in quorum 24. Sacerdotes ordinarios David distribuit, hebdomadatim in sacro Ministerio sibi invicem successuros. Horum 16. erant Eleazaridæ, 8. Ithamaridæ, 1. Chron. *cap.* 24. Dicebaturque cujusque Ἐφημερίας caput *Summus Sacerdos istius classis*: unde plurium Ἀρχιερέων eodem tempore mentio fit Marci *cap.* 14. *versu* 1. Sortiebantur autem non tantùm ipsæ Classes, sed & cujusque classis Sacerdotes, quo quisque ordine quodque munus perageret. Sic Zacharias erat ex ἐφημερίας Ἀβιὰ, Lucæ *cap.* 1. *versu* 5. & sortitò accepit munus τοῦ θυμιάσαι, *suffitum adolendi, versu* 9. &c. V. Thom. Godvvynum *de Ritibus Hebræorum lib.* 1. *cap.* 5.

ab *Ephemeride*, servi nomen apud Romanos, cujus mentio in vet. marmore: PROC. AB. EPHEMERIDE. PROC. A. MANDATIS &c. an idem qui, *à Frumento* aliàs dictus, *diurnum*, in quod erogationes quotidianæ, servis factæ, referebantur, asservabat. Certè *quod Latini diurnum, Græci Ephemerida dicebant*, ait Isidorus *Origin. lib.* 1. *cap. ult.* Aliæ erant, *Ephemerides* Principum, quæ laudantur antiquis Scriptoribus, more à Græcis ad Romanos translato, quorum illi tamen his minus hac in re accurati fuere, ut Casaubonus adnotavit, *ad Suetonium lib.* 2. Sic Flavius Vopiscus meminit *Ephemeridum* Aureliani Imp. *Ephemeridas illius viri scriptas habemus, etiam bella Historia charactere digesta*: Treb. Pollio Gallieni, quæ à Pulfurio Sura fuerant scriptæ; sic Probi *Ephemeridem* composuit Turdulus Gallicanus &c. V. Casaubonum *ad Spartianum & Vopiscum.* De *Ephemero* verò herba, Claud. Salmasium *ad Solinum pag.* 242. & *seqq.*

Ephesia Literæ, Græcè Ἐφέσια γράμματα, magicam virtutem habere credebantur, per quas quidquid optaret quis assequeretur & in omni negotio victor evaderet, Suidas, Eustathius *Odyss.* 19. Diogenianus, & Erasmus *in Adag.* Cujus superstitionis occasionem, ex Hebræorum *Ephod*, fortè desumptam fuisse, conjicit Car. Macer *in Hierolexico.*

Ephestris, Græcè Ἐφεστρὶς, vestimentum fuit militare, *Chlamys*, *Lacerna*. Hesychius, Ἐφεστρὶς χλαμύς. Ἐφεστρίδας δὲ ἐπεκάλουν, quòd reliquis vestibus injicerentur. Athen. *lib.* 3. καὶ τὴν Ἐφεστρίδα τὴν ἀρχαίαν, *Lacernam quam nondum indui.* Herodianus *lib.* 7. de militibus Maximini, qui in Senatum explorandi causâ ingressi fuere, ἄνοπλοι μὲν γυμνοὶ, ἐν λευκαῖς δὲ ἐσθῆσι καὶ ἐφεστρίσιν, *Inermes, vulgari vestitu, solaque chlamydes induti*: ubi malè quidam, *sagis induti*. Perperam itaque pro quovis vestimenti genere *Ephestrida* sumi nonnulli collegerunt ex eodem Herodiano, qui eas Senatoribus tribuit, in funere Severi, cùm ait: ἡ μὲν βουλὴ μέρος τοῦτο ἡ σύγκλητος μελαίναις ἐφεστρίσι χρώμενοι. Ibi enim Senatus depositis luctûs causâ togis, in pullis lacernis sive penulis erat, nam hæc vox de utroque vestimento usurpatur, quòd non multum dissimile esset: Itaque non *atris vestibus*, sed *pullis lacernis* aut *penulis* vertendum erat, Octavius Ferrarius *de re Vestiar. part.* 2. *lib.* 1. *cap.* 2.

Ephesus, adde: Variæ ejus appellationes, ut *Ortygia*, *Ptelea*, *Samorna*, *Σισύρβη*, *Smyrna*, *Τραχεῖα* &c. quæ apud Auctores occurrunt, potiùs fuere loca urbis diversa, his nominibus insignita, de quibus accuratè agit Salmasius *ad Solinum pag.* 810. Hodie *Ajasaluc* Turcis dicitur, teste Sponio, qui rudera ejus ac pristini splendoris tristes reliquias, quæ magno numero supersunt, præsens lustravit, ac diligenter exequitur, *Itinerar. Part.* 1. *pag.* 324. & *seqq.* Idem nummi Caracallæ, in cujus altera parte duo Templa, cum *Inscr.* ΣΜΥΡΝΑΙΩΝ ΕΦΕΣΙΩΝ ΟΜΟΝΟΙΑ: alterius, Antonini Pii, in cujus postica parte Diana Ephesia, inter Æsculapium & Smyrnam Amazonem media, cum lemmate, ΣΜΥΡΝΑΙΩΝ ΠΕΡΓ. ΕΦΕΣΙΩΝ ΟΜΟΝΟΙΑ: alterius, Marci Antonini, in cujus parte aversâ junctæ manus, cum verbis, ΕΦΕΣΙΩΝ ΚΑΙ ΣΑΡΔΙΑΝΩΝ ΟΜΟΝΟΙΑ: alterius, Commodi, cum *Inscr.* ΕΦΕΣΙΩΝ ΚΑΙ ΙΕΡΑΠΟΛΕΙΤΩΝ ΟΜΟΝΟΙΑ: alterius Antonini Pii, cum verbis, ΕΦΕΣΙΩΝ ΝΕΩΚΟΡΩΝ ΟΜΟΝΟΙΑ ΚΥΖΙΚΗΝΩΝ: item, Lucii Veri, in quo Diana & Jupiter sedens, cum lemmate, ΕΦΕΣΙΩΝ Β. ΝΕΩΚΟΡ. ΤΡΑΛΛΙΑΝΩΝ ΟΜΟΝΟΙΑ: Gallieni, in quo Diana & Æsculapius, cum verbis, ΕΦΕΣΙΩΝ ΠΕΡΓΑΜΗΝΩΝ ΟΜΟΝΟΙΑ: iterum Commodi, in quo expressus est currus à duobus Centauris tractus, in quo Jupiter sedet iconem Dianæ Ephesiæ manu tenens, cum *Inscr.* ΠΕΡΓΑΜΗΝΩΝ ΕΦΕΣΙΩΝ ΟΜΟΝΟΙΑ: Faustinæ tandem Junioris, in quo Venus & Diana cervis suis stipata, cum *Inscr.* ΜΕΙΛΗΣΙΩΝ ΚΑΙ ΕΦΕΣΙΩΝ ΟΜΟΝΟΙΑ, adeoque memoriam fœderum, quæ civitati huic cum urbibus vicinis, concessu Impp. intercessere, servantium meminit, *Itinerar. Part.* 3. *pag.* 176. & *seqq.* De *Ephesiæ Dianæ Templo* ter ædificato, de *Ephesino* item *Episcopo*, τῆς Ἀσιανῆς Διοικήσεως ἐξάρχῳ, V. Salmasium ubi suprà *pag.* 806. & 812.

Ephetæ, adde: Adscripti erant olim quinque Tribunalibus οἱ Ἐφέται φονικὰ κρινόμενοι, *de causis criminalibus*, sententiam ferentibus. Ita enim de iis Pollux *lib.* 8. *cap.* 10. Ἐδίκαζον δὲ τοῖς ἐφ' αἵματι διωκομένοις ἐν τοῖς πέντε δικαστηρίοις, *Judicabant autem homicidii accusatos in quinque Tribunalibus.* Sed uni postea ex his quinque, nempe Areopagitico, adscripsit Solon Judices, qui Areopagitici dicti sunt, ita ut quatuor reliqua tùm *Ephetis* relinquerentur: qui non multo post deridiculo fuere, teste eodem. Itaque his quatuor Tribunalibus, nempe τῷ ἐπὶ Παλλαδίῳ, τῷ ἐπὶ Πρυτανείῳ, τῷ ἐπὶ Δελφινίῳ, & τῷ ἐν Φρεαττοῖ, alii dati sunt Judices sorte capti, cùm *Ephetæ* ἀριστίνδην legerentur, Samuel Petitus *Comm. in Leges Atticas lib.* 8. *titulo* 1. V. quoque Franc. Rossæum *Archæol. Attic. lib.* 3. *c.* 3. ubi inter alia docet, ex Ubbone Emmio *de Rep. Athen. pag.* 20. à Dracone, Senatus Areopagitici auctoritatem imminutam, & ad *Ephetas* translatam: sed sequenti tempore, his insuper habitis, restauratam a Solone fuisse.

Ephod, V. infrà in voce *Superhumerale.*

Ephydriades, inter Nymphas, aquarum præsides, apud Poëtas, memorantur Alexandro Ætolo, apud Parthenium *in Eroticis*, *cap.* 14. *de Antheo*,

Αὐτὴ δ' ἐς Νύμφας ἤιεν Ἐφυδριάδας.
Ipsa iter ad Nymphas ivit Ephydriadas.

V. Vossium *de Idolol. lib.* 2. *cap.* 78.

Epibaterion, carminis genus, Apobaterio oppositum. Cùm enim quis (de illustribus Viris dico) longam post peregrinationem, aut diuturno postliminio in patriam reversus esset, certâ die civibus convocatis aut habebat orationem, aut canebat carmen, quo, post laudatum in procemio Principem, aut Præfectum civitatis, Diis agebat gratias, pro felici reditu & cives benignè appellabat. Atque id Poëmatis genus ἐπιβατήριον Græcè dicebatur, ὅτι ἐπιβαίνων εἰς τὴν πατρίδα, *quòd rediisset in patriam*, unde Latina vox facta: quod quo pacto secundum artem institui possit, accuratè docet Scaliger *Poëtices lib.* 3. *cap.* 106. Contrà, quod discedentes, aut à patria, aut ab aliena regione, adhibebant, Ἀποβατήριον dicebatur, de qua idem agit *c. seq.*

Epicedia, carmina funebria, de quibus sic Scaliger *Poëtices lib.* 1. *cap.* 50. *Quæ ad rogum dicerentur, erant Neniæ: quæ ad tumulum, Epitaphia, quæ in exsequiis, cùm justa persolverentur, Epicedia.* κηδεύειν *enim fuit curare exsequias.* Latinè *Funebres orationes* dicuntur, quæ ipso in funere habentur, adeoque semel dicuntur: Cùm *Epitaphia* anniversaria esse possint. Idem *lib.* 3. *cap.* 122. Cujusmodi *Epicedium*, in Euryalo Pallante, habes apud Virgilium &c.

Epicephissia, Græcè Ἐπικηφισία, pop. Atticæ, tribus Oeneidis, haud procul *Cephissia*, de qua suo loco.

Epiclera, Græcè Ἐπίκληροι, dictæ sunt apud Athenienses, virgines, quibus fratres non erant: *Orbæ* veteribus Latinis vocatæ. Hoc nomine autem veniebant filiæ, licèt plures fuissent, dummodo nulli adessent virilis sexûs liberi. Scholiastes Comici *ad hunc versum, in Vespis*,

Κἂν ἀποθνήσκων ὁ πατὴρ τῷ δῷ καταλείπων παῖδ'
Ἐπίκληρον.

Καλοῦσι γὰρ, inquit, Ἐπικλήρους, κἂν δύο ὦσι θυγατέρες, ἀλλὰ ἄρρενες, *Appellantur Epicleræ, quamvis duæ pluresque sint filiæ.* Nonnunquam tamen vox sumitur, pro illa, quæ unica paternarum facultatum hæres est, V. Pollucem *in Onomastico lib.* 3. Unde in verba Menandri apud A. Gellium *lib.* 2. *cap.* 23. Ἔχω δ' ἐπίκληρον, *Locupletem intelligit*, inquit Jac. Oiselius, & *unicam paternarum facultatum hæredem, sive illi jam obvenit, sive defunctis parentibus obventet hæreditas.* Harpocration distinguit inter Ἐπίκληρος, Ἐπίκληρος, Ἐπίπροικος καὶ Ἐπικληρῖτις: vocatque Ἐπίκληρον pupillam & unicam hæredem, quæ & Ἐπικληρίτις dicitur. Ἐπίπροικος, cui pars hæreditatis contigit (vel, ut alii, quæ vivente Patre cum certa dote elocata est) ad differentiam

tentiam Ἐπίκληρον, cui tota obvenit hæreditas) Ἐπίκληρος, quæ & aliquando, Ἐπίκληρος, pupilla vocatur, de qua in judicio disputabatur, cuinam in matrimonium cedere debeat. Proximus enim agnatus, vel cognatus, illam vindicare jure poterat, ut ex Isæo ac Dinarcho patet. Magnæ hinc sæpe contentiones, si locuples pupilla: sin pauper, certâ pecuniâ honestè cogebatur elocare eis, qui sanguine illam proximè attingebat. Ita autem lex habuit: Ἣν ἂν ἐγγυήσῃ ἐπὶ δικαίοις δάμαρτα εἶναι, ἢ πατὴρ ἢ ἀδελφὸς ὁμοπάτωρ, ἢ πάππος ὁ πρὸς πατρός, ἐκ ταύτης εἶναι παῖδας γνησίους. Ἐὰν δὲ μηδεὶς ᾖ τούτων, ἐὰν μὲν Ἐπίκληρός τις ᾖ, τὸν κύριον ἔχειν, ἐὰν δὲ μὴ ᾖ, ὅτῳ ἂν ἐπιτρέψῃ, τοῦτον κύριον εἶναι, Ex ea, quam in legitimam uxorem desponsarit Pater, aut germanus frater, aut avus paternus, legitimos liberos nasci: Si nullus horum superstit, & Virgo orba sit, nubito ei, qui judicio obtinuerit: Si orba non sit, tutor eam desponsato. Ubi verborum Ἐὰν μὲν Ἐπίκληρός τις ᾖ, τὸν κύριον ἔχειν, hic sensus: Eam nubere illi, qui judicio expertus fuerit, & secundùm quem pronuntiatum fuerit. Nam Lex jubebat ἐπιδικασίας εἶναι τῶν Ἐπικλήρων ἁπασῶν; atque hæc quidem de dotalibus Virginib⁹, i. quæ totam hæreditatem adferebant in dotem. Egenas quoq; qui Judicum sententiâ damnatus fuerat, aut ducebat ipse, aut alteri elocabat, dote dictâ datâ, Samuel Petit' Comm. in Leg. Att. lib. 6. tit. 1. Solis verò gentilibus & cognatis nuptum erat danda virgo Ἐπίκληρος, ex hac lege: Μὴ ἐξεῖναι ταῖς ἐπικλήροις, ἔξω τῆς συγγενείας γαμεῖν, ἀλλὰ πρώτως εἶναι αὐτὰς μετὰ τῆς χρημάτων τοῖς ἐγγύτατα γένους συναινεῖν, Virgo dotalis extra cognationem ne nubito: sed agnato proximo nubito, & omnia sua bona in dotem adferto. Debebat itaque è Lege, qui ad se delatas jure credebat Ἐπικλήρου Virginis nuptias, cœteros in jus vocare, ut sciret, an vellent controversiam sibi de illa movere: Imò quanquam in mariti, qui eam sibi adseruerat, manum ἡ Ἐπίκληρος, μετὰ τῆς νόμου καὶ τῆς ψήφου convenisset; poterat nihilominus, qui sibi factam credebat injuriam, in jus vocare illum, qui Epicleram uxorem habebat judicio evictam & quæsitam. Citabatur tum apud Prætorem, isque qui cum eo agebat, deponebat sacramentum, quod Παρακαταβολὴν vocarunt, nempe decimam eorum partem bonorum, quæ talis fœmina secum ferebat; Sed fieri id intra quinquennium necesse erat, teste Isæo, &c. Plura V. apud Petitum modò laudatum, loco prædicto. Ἐπίκληρον etiam Aristophanis Scholiastes Ἐπιπροικίδα καὶ Πατροῦχον appellavit: Eustathius sequiori ævi vocabulo Μαῖαν appellat. Consule quoque si libet Car. Sigonium de Republic. Atheniens. & Budæum in Comment. linguæ Græcæ. De ratione istiusmodi Virginum apud Hebræos alias agetur.

Epicombia, Græcis recentioribus quid notet, ex Cantacuzeno discere est lib. 1. cap. 41. Die, quo Imperator unctus erat, exit è Templo, ab aliquo ejus Optimatum, quem ad hoc delegerit, in populum jaciuntur epicombia (Græcè Ἐπικόμβια) Sunt autem fasciculi, fragmentis linteis illigata habentes numismata aurea tria, totidem argentea, & obolos æreos totidem; spargentur hujusmodi fasciculi circa decies mille, in vestibulo præcipuè. V. quoque Curopalatam de Offic. Aul. & Salmasium Not. ad Vopiscum in Aureliano, ubi de his sparsionibus multa.

Epicum Poëma, omnium princeps est, quia continet materias universas, utpote ex Pastorali, Comico & Tragico genere mixtum. Inprimis verò argumentum ejus, Dux, miles, classis, equus, victoria, uti Horatius docet ad Epicum nobilissimum Varium Carmin. lib. 1. od. 6. solis dactylicis senariis magniloquis enarrandum: quod carminis genus per excellentiam Epos dici meruit. Sumebant autem Epica poëmata Rhapsodi olim per partes cantillanda, unde iis nec erat finis, & initium sæpe aliunde pendebat: Rhapsodis interdum de suo alterutrum, aut etiam utrumque assuentibus. Uti porro hircum Tragici, juvencam Lyrici, sic taurum Epici, in certaminibus olim accipiebant, uti docet Scaliger ubi suprà, lib. 1. cap. 44. V. apud eundem plura hanc in rem passim, inprimis lib. 3. cap. 96. ubi de Heroicis: de Epici verò, Cycli materia & serie, suprà in voce Cyclus.

Epicurei, Secta Philosophorum, auctore Epicuro, ex Eleatica maximè secta profluxit. Epicurus enim, qui ejus conditor fuit Olymp. 109. an. 3 septennio post Platonis excessum, nemini plus quàm Democrito debuit. Unde Cic. de N. D. Democritus vir magnus inprimis, cujus fontibus Epicurus hortulos suos irrigavit. Contemsit autem Rhetoricam, & Dialecticæ loco Canonicam substituit: Mathesin quoque insuper habuit: In Physicis verò, ubi Anaxagoræ dogmata maximè sequebatur, atomos à Leucippo & Democrito mutuatus, magnus omninò suis visus fuit. Quam naturæ scientiam universam sex libris complexus est Lucretius ipse Epicureus: e quibus perspicuum est, quod Canonica contenderat, omnia sensibus dijudicasse; adeò ut ne Solem quidem vel Lunam majorem putaret, quàm videretur. Itaque, ut Cleomedes Meteorol. lib. 1. ait, etiam majorem esse Solem manè, quàm meridie fatebatur, quia sic videatur sensui. Imò, quod magis ridiculum, eum manè accendi, vesperi Oceani aquis extingui opinatus est. Quod ad moralem Philosophiam attinet, summum bonum in voluptate posuit Epicurus, ubi cum Eudoxo sensisse multis videtur. Interim fœdus ejus error fuit, quòd negaret: Deum mortalia curare. Item, quòd Animas cum corporibus interire statueret. Ei in schola hac successit Mus, servus ille quidem Epicuri, sed qui Discipulorum ejus omnium clarissimus evasit. Etiam inter sectatores illius Zeno Epicureus, Hermachus, Lucianus: & apud Romanos Lucretius, Cassius, qui Cæsarem sustulit, Maro sub vitæ finem, & Petronius Arbiter. Et hoc discipulorum Epicuri typhum fovit, quòd deficientibus sectis aliis Magistri sui scholam, semper succedentibus aliis atque aliis, persistere videbant. Gerh. Joh. Vossius de Philos. Sectis cap. 8. Eadem cum Epicuro jam sub mundi initia sensisse Cainum, & statim à diluvio Chamum, ostendit Georgius Hornius, Historiæ Philos. lib. 1. cap. 9. & lib. 2. cap. 8. Apud Judæos postea Sadducæi, Epicuri dogmata sectati sunt, ex disciplina Zadoci conditoris sui credentes: Post hanc neque præmia bonis, neque pœnas malis instare, sed animam unà cum corpore interire. Ex Hæreticis Valentiniani, & illi, contra quos Irenæus scribit. Epicurei erant ac Cynici, Iren. lib. 2. cap. 58. V. quoque in voce Epicurus.

Epicurus, adde: Ei festum à discipulis institutum, dicemus infrà, in voce Icadista. Ab iisdem imagines ejus in cubiculis repositas, in voce Imagines. Sed & imaginem in annulis habuisse, docet Cicero de Finibus lib 5. Nec tamen Epicuri licet oblivisci si cupiam: cujus imaginem non modo in tabulis nostri familiares, sed etiam in poculis & in anellis habent. Sic Commodus Imperator Amazoniâ (ea erat Martia concubina ejus, quam pictam in Amazone diligebat) Aristomenes Agathocle, Augustus Alexandro M. Cherlonitæ Constantino M. Princeps ille verus, apud Eustathium τὸν πολύτροπον in Hom. Ulysse, signarunt. Kirchmannus de Annulis c. 12. At in Scriptis Hebræorum hæreticus est, item Christianus, qua de re V. Johann. Seldenum de Synedriis vett. Ebræorum libro II. in Addendis p. 744.

Epidaurus, urbs Peloponnesi, Æsculapii templo celeberr. adde: De ea prorsin Statius lib. 1. Sylvâ 3. vers. 99.

> Si qua salutifero gemini Chironis in antro
> Herba, tholo quocunque, tibi Trojana recondis
> Pergamus, aut Medicis felix Epidaurus arenis
> Edocet — — —

Et Q. Serenus voto ad Æsculapium,

> Tuq; potens artis, reduces qui tradere vitas
> Nosti, atq; in cœlum manes revocare sepultos,
> Qui colis Ægeas, qui Pergama, quiq; Epidaurum,
> Huc ades —

Nempe Æsculapius in hac urbe genitus habebatur, ex Apolline & Coronide, ut testatur Oraculum apud Pausaniam lib. 2. ubi & festum diem Atheniensibus fuisse Epidauria memorat. Inde Epidaurius, pro Medico celebri: Statius iterum Thebaid. lib. 3. versu 398.

> Vulnera dum lymphis Epidaurius eluit Idmon,
> Nunc felix ferro, nunc ille potentibus herbis
> Mitior — —

Ubi Schol. vetus, ut ab Æsculapio didicisse Medicinam indicet, patriam ei Epidaurum adscripsit &c. Cœterùm memorabilem in Epidaurii Templi foribus inscriptionem memorat hanc Clemens 5. Strom.

> Ἁγνὸν χρὴ ναοῖο θυώδεος ἐντὸς ἰόντα
> Ἔμμεναι.
> Esse decet castum, sancti qui limina templi
> Ingreditur.

Nempe non Solis sacrificiis rem peragi, sed insuper opus esse, ut sacrificantes puri sint, & à sceleribus abhorrentes, etiam Gentiles viderunt. Quam in rem non pauca congessit Brissonius Formul. lib. 1. V. Tob. Pfannerum System. Theol. Gentil. cap. 15. §. 8.

Epideton, vel Epidiom, Ugutioni vestis Monachorum est: corruptè pro Ependytes. Sic enim vocata ab Hieronymo est vestis exterior Monachorum Ægyptiorum pellicea seu melotes, Occidentalibus ut plurimùm lanea: quam superariam Latini, Scapulare nonnulli vocant. V. suprà Ependytes.

Epidemia, Græcè Ἐπιδημία, nomen festi apud Delios & Milesios, Apollini; apud Argivos, Dianæ sacri: quasi eo potissimùm tempore inter eos Numina illa versarentur, nomen nacti, ex ἐπὶ & δῆμος. In cujus postremo die, quasi abeuntes Deos suos, ad aras, certis hymnis prosequebantur, qui hinc ἀποπεμπτικοὶ dicti, quemadmodum discedentibus amicis προπεμπτικοὶ dabantur. Eis opponebantur κλητικοί, Lat. Evocatorii, de quibus infrà. Nempe cùm multorum locorum patrocinium Dii Gentilium suscepissent, partiri tempora æquum fuit, ut alibi aliàs præessent sedibus suis. Itaque certi dies festi erant, quibus evocabantur, & quibus iterum, quasi advenissent postmodum compositis carminibus ad suam quisque patriam dimittebantur. Cujusmodi hymnos à Bacchylide conscriptos ajunt. Julius Cæsar Scaliger Poetic. lib. 3. cap. 114.

Epidipnides, apud Martialem lib. 11. Epigramm. 31. ubi de sordidè

sordidè lauto Caecilio, qui non nisi cucurbitas conviviis apponebat, in frusta dissectas varieque apparatas:

Has coena tibi tertiâ reponet.
Hinc feras epidipnidas parabit:

dapes sunt seu bellaria, quae ἐπὶ δείπνῳ, *post coenam*, apponi distribuique consuevere. V. de partibus Coenae apud Vett. *Antecoena*, *Coenae caput* seu *pompa*, & *Secundis Mensis*, seu *Bellariis*, Jo. Rosinum *Antiqq. Rom.* 5. *cap.* 29. ut & hic variis in locis.

Epigonation, vestis sacra Graecorum, Ἐπιγονάτιον, ad modum calicis bursae formata, quam Episcopi aliique in dignitate constituti, inter Sacra, gestant ad genua usque pendulam, ad laevum latus: in memoriam lintei, quo Salvator in ultima coena Discipulorum pedes loturus se praecinxerat, ut Balsamon habet. Simeon verò Thessalonicensis gladium divinae praedicationis denotare ait: unde in eo effigies Seraphim depingitur, cum flammeo ac ancipiti gladio. S. Germano Patr. CPolit. ἐγχείριον dicitur, quâ voce etiam linteum, quo Pilatus post lotionem manus absterserat, insignitur. In Ecclesia Lat. solus Papa in solemni celebratione id indumenti adhibet, quod in forma manipuli est, & in *Ceremoniali* Rom. *Subcinctorium* & *Subcingulum* appellatur, &c. V. Macros Fratres *in Hierolexico*.

Epigoni, adde: V. quoque infrà, ubi de *Septem Ducibus*.

Epigramma, Graecè Ἐπίγραμμα, q. *Inscriptio*, est Poëma breve cum simplici cujusdam rei vel personae vel facti indicatione: aut ex propositis aliquid deducens. Nempe *brevitas* ejus proprium, *argutia* anima ac quasi forma est. Nomen inde, quòd quae statuis, tropaeis, imaginibus, pro *elogiis* inscribebantur, ea primo teroque significatu *Epigrammata* sunt appellata. Sed nec donaria seu anathemata, sine inscriptione fuerunt. Sic ipsum Poëma fuit statuae inscriptio. *Ubi verò in librum transfertur, è contrario fit. Ipsa enim statua inscriptio est Epigrammatis—Titulus sc. quem Lemma vocat Martialis* &c. Jul. Cael. Scaliger *Poëtic. lib.* 3. *cap.* 126 ubi plura de hoc carminis genere. Vetustissimus Poëta Meleager, ex omnibus antiquis Epigrammatariis, Στέφανον Ἐπιγραμμάτων olim contexuit, ordine alphabetico positis eorum nominibus, ac singulis Poëtis cum totidem floribus compositis ac comparatis. Quem sequutus est Philippus, utrumque Agathias, qui Κύκλον τῶν Ἐπιγραμμάτων, seu Στέμμα seu Συλλογὴν (aliter enim atque aliter titulus is memoratur) similiter concinnavit, uti pluribus docet Salmasius *ad Solinum pag.* 848. & 849.

Epilogorum Dies, dicebantur apud Romanos, in quibus ad concitandam misericordiam, parvuli etiam reorum filii producebantur: qua de re multa egregiè scripsit Quintilianus, meminit & Asconius.

Epimanicion, Graeca vox, ἐπιμανίκιον, ad instar semimanicae est, ad cubitum usque pertingentis; cujusmodi manicis antiquitus solis Episcopis licebat uti, ut Balsamon testatur & Simeon Thessalonic. idque in symbolum vinculorum Christi patientis. Hodie verò usus ejus omnibus Sacerdotibus est concessus. In Cappella Papali, Diaconum & Subdiaconum, praeter manipulum hujusmodi, gestare in albae manicis frustilla coloris currentis Festi expansa, juxta priscum ritum, refert Dominic. Macer *ubi suprà*.

Epinicia, Graecè Ἐπινίκια, carmina erant epipompeutica, haud absimilia Paeanibus, nisi, quòd his gratulabantur Diis immortalibus, pro victoria, in praeliis obtentâ; illa autem, in certaminibus, victori canebantur. Cujusmodi sunt omnia Pindarica, quae extant: uti ex ipsis titulis patet: ut in Sacris carmen Mariae, sororis Mosis, Deborae, & illud ἐπάταξε Σαοὺλ ἐν χιλιάσι de Saule ac Davide, *Saul percussit millia, David decem millia*. Gratulabantur autem in victoriis, vel cum acclamatione, vel laudes celebrabant sine illa, uti videre est apud Scaligerum *Poëtices lib.* 1. *cap.* 44. ubi plura de hac re. V. quoque suprà, in voce *Ballistea*.

Epiphania, Festum, quod Christiani celebrant ex ritu antiquo, d. 6. Januar. ut ex Ammiano *lib.* 21. colligitur; tanti olim habitum, ut pro impiis haberentur Imperatores, qui ei interesse neglexissent. Quo factum, ut & Julianus, cùm in Galliis ageret, & alii quidam Augusti, licèt Ariani, illud cum Christianis celebrare voluerint. Ratio nominis variè redditur: Nonnulli id sic putant dictum, quòd, cùm hac die Baptismatis Christi solemnitas agatur, tunc primum Christus ἐπεφάνη, coeperit gentibus *manifestari*, imò ipsi suo praecursori Joanni, qui Joann. *cap.* 1. *vers.* 31. ait, *Ego nesciebam illum*. V. Hieronymum *in Ezech. lib.* 1. *cap.* 1. & Chrysostomum *Homil. de Bapt. Christi*. Isidorus verò Hispal. *de Offic. Eccl. lib.* 1. *cap.* 26. vult *Epiphania* appellata, quoniam stella ἐπεφάνη, h. e. *apparuit* in coelo, quando sc. Magi Christum jacentem in praesepi adorarunt: Hac enim die non Baptismi solùm Christi, sed & adorationis Magorum & primi in Cana miraculi, memoria recolitur. Alii censent, appellationem hanc abusivè festo inditam esse. Quippe cùm plurimae Ecclesiae in diem illum Natalem Domini & Baptismum ejus referrent, quod de Aegyptiacis disertè testatur Cassianus *Collat.* 10. *cap.* 2. de Graecis, Asiaticis & Syris, Epiphanius *in Panar. Haer.* 51. Natalis verò Christi ἐπιφανείας & ἐπιφανίων nomine donaretur à Patribus, quia tunc primùm apparuit nascendo Christus, factum postea in Ecclesia CP. quae, Romae usum amplexa, natalem Christi coepit celebrare die 25. Decembr. ut priorem nomenclaturam diei sextae Januarii attribuerit, quae priùs, tanquam natalis Christi, colebatur. V. Casaubonum *ad Annal. Baronii Exercit.* 2. *cap.* 11. & Jac. Gothofredum *ad l.* 5. *Cod. Theod. de Spectaculis*. Et quidem hac die Graeci Baptismum inprimis Christi celebrant, atque in ejus memoriam multis ceremoniis consecrant aquam, in quam postquam tribus vicibus crucem immerserunt, inde postea domos infirmosque aspergunt. In Latina verò Ecclesia adoratio praecipuè Magorum recolitur, & hoc die Sacerdos pluviali indutus ambonem ascendit ac mobilia totius anni festa annuntiat. Insuper Dominicani magno luminum apparatu hac nocte matutinum suum celebrant inque eo genealogiam Christi secundùm Lucam ad tertium nocturnum canunt &c. V. Car. du Fresne *in Glossar.* & Macros Fratres *in Hierolexico*. De ἐπιφανείαις, h. e. apparitionibus Deorum gentilium, V. suprà in voce *Divinitas*.

Epipompeutica, Graecè Ἐπιπομπευτικὰ, dicebantur carmina, quae in pompis Veterum accini solebant, cujusmodi *Secalare carmen* Horatianum & *Epinicia*: de quibus V. Scaligerum *Poëtices lib.* 1. *cap.* 44.

Episcopa, in *Inscr.* vet. in aede Praxedis Romae, *Quocirca & in ipso ingressu Basilicae manu dextra, ubi utique benignissimae Genitricis scilicet Dominae Theodorae Episcopae corpus quiescit* &c. apud Dominic. Macrum *in Hierolex.* V. in *Episcopissa*.

Episcopi, Graecè Ἐπίσκοποι, Magistratus apud Athenienses nomen, qui per provincias & regiones ditioni suae commissas excurrebant, quò illas in officio ac fide continerent. Latinis verò sic dicebantur, qui pani praeerant, *leg. ult.* §. 7. *D. de Muner. & Honor.* cujusmodi fortè fuit ille, cujus mentio est in vet. *Inscr.* apud Joffredum *in Not. Urbis Nrvensis*. *pag.* 6. De *Episcopis* Ecclesiae Rom. varii generis, *Episcopis* sc. *Abbatibus*, seu *Vagantibus*, qui nullas parochias habent: *Episcopis Cardinalibus*, h. e. propriis; item iis quibus id privilegii indultum, ut Cardinalibus accenserentur, quemadmodum de Archiepiscopo Magdeburgensi legitur, apud Henr. Meibomium; iis porro quibus jus Pontificem Rom. eligendi concessum est in Concilio Rom. A. C. 1059. *de Episcopis Cathedralibus*, quibus Chorepiscopi oppositi; *de Episcopis Commendatariis*, h. e. Cardinalibus, quibus non unus solùm, sed aliquando quatuor, quinque, sex Episcopatus in commendam concessi sunt, cùm sedes Pontificum adhuc Avenione esset: de *Episcopis Palatii*, seu Archicapellanis, qui apud Gallos, Bohemos, Croatas, olim in aulis versabantur, ut essent cum quibus de rebus Ecclesiasticis Reges tractarent: de *Episcopis primae sedis* seu Primatibus: *de Episcopis* tandem *in partibus Infidelium*, qui Latinis Hierosolymitano Regno pulsis, originem nacti sunt, V. pluribus agentes Car. du Fresne *in Glossario* & Macros Fratres *in Hierolexico*.

Episcopium, domus Episcopi, ubi non minus, quàm in Monasteriis, olim sacra sapientia tradebatur, quamvis haec saepius *Episcopiis* essent contigua, aut etiam eadem cum illis. Monasteria enim, Erasmo judice, eâ aetate dicebantur Episcoporum aedes, in quas se recipiebant à popularibus feriati negotiis, & in quibus illi sacras tum docebant literas, ac juventutem ad pietatem instituebant. Inde non solùm Monachorum Coenobia, sed & Ecclesiae, quae Collegia & Capitula habebant, *Monasteria* & apud nostrates *Munster*, dicta sunt. Ita ergo veteres Episcopi prope suas Ecclesias, aut intra eas, Monasteria, id est, Collegia seu coetus studiosorum doctorumque virorum habebant, è quibus ad Ecclesiarum regimen qui apti videbantur, promoveri solebant. In quali Monasterio Augustinus habitabat, sic ut nec ipse Monachus fuerit, nec Monachi inde prodierint, cùm potiùs illi Clerici ac Presbyteri essent, qui ibidem in *Episcopio* docti, collegae Episcopi in officio pastorali erant, aut in Episcopos deligebantur. Quia autem non omnes Episcopi apti erant, ut alios ad sacra erudirent, operam deinceps dederunt, ut in Ecclesiis, ubi cathedra Episcopalis erat, talium Scholae haberentur: Sic coetus Canonicorum, qui istiusmodi Scholas regerent, emersere; ut, si Pastor peteretur, in oculis Episcopi essent, quos mitteret probatos. Imò Cabillonensi Synodo sub Carolo M. statutum, ut omnes Episcopi Scholas erigerent, in quibus bonae literae atque inprimis Theologicae docerentur, legimus apud Baronium: & Tridentinum quoque Concilium sollicitum fuisse, de restituendis praelectionibus in Ecclesiis Cathedralibus deque instituendis seminariis in Collegiis Ecclesiarum Episcopalium, ex historia ejus notum est. V. Franc. Burmannum *Orat. Inaugur. de Collegiis* &c.

Episcopus, adde: Cùm Principibus viris obviam prodire olim mos esset *cum lumine multo & floribus votisque faustis*, ut ait Ammianus *lib.* 21. idem honos postea *Episcopis* exhibitus est, jam inde à temporibus primis florentis Ecclesiae. Sic enim B. Cyrillus, se è Concilio Ephesino redeuntem, tantâ alacritate omnium exceptum esse, ut passim sibi mulieres praeirent, θυμιατήρια κρατοῦσαι, *thuribula manibus tenentes*, narrat in *Epist.* ad Presbyteros Alexandr. quae in Concilii *Actis* extat. Simile est, quod de-

cercis

tucisaccensis in Histor. Ecclesiast. observat Casaubonus, quos initio moris fuit rebus sacris praeire. Sic B. Chrysostomo cum cereis obviam processit populus CPolitanus, apud Theodoretum *lib. 5. cap. 34.* & hymnis, apud Sozomenum *lib. 8.* & suffitibus, apud Gregorium in *Vita* ejus *cap.* 100. Accessere postmodum choreæ, cruces, alia, de quibus V. Casaubonum *ad Caligulam Suetonii cap. 13.*

Episcynion, apud Suidam ex *Epigrammate*,

Γυμνώσας βίου πάντα ἐπισκύνιον,

Nudato vitæ totius episcynio:

tralatitium est, & propriè cilium *Glossar.* vet. *cap. de membris*, Philoxeno supercilium, Tzetzi pars ciliorum, quam aliquando demittentes in loca palpebrarum, videmur ἄγριοι εἶναι ἐπισκύνιον ἔχοντες, *rustici quidam esse a que ferini*, Scholiasti vet. Homeri *ad Il. ε. v. 155.* ubi de leone, pars supra oculos aut cutis, locus frontis in quo supercilia concurrunt; à σκύζεσθαι, *irasci*, quòd in iratis hæc statim pars afficitur. Aliis v. potiùs ipsa demissio superciliorum, quam eleganti metaphora *nubem* vocat in *Physiognom.* Philosophus, quippe irato animali, eo & oculi pars obtegitur & vultus, tanquam nube obductus, fit tristior & morosior. Quod dum leo facit, *abbas*. *verabis* Arabibus dicitur, uti docet Samuel Bochartus *Hierozoici Parte prior. lib. III. cap.* 2. ubi plura hanc in rem.

Episkyrus, inter pilæ ludos apud Vett. memoratus Polluci, fiebat; *ubi paribus ad pares in duas turmas dispositis, media linea ducebatur, quam scyrum vocabant, cuique pilam impositam quisque contendebat, ut intra alias duas lineas post utrorumque ordinem descriptas adversariorum, metas scilicet, immitteret, nimirum quibus contactis à pila victoria haberetur.* Lusores hi, dum pilam capiebant, atque alteri mittebant, alterum fugiebant, alterum expellebant, alterum magnis vocibus elevabant, sive evertebant, verisimile fit spectatores atque etiam se ipsos magnâ delectatione affecisse, eo magis quòd interdum motuum concinnitati dabant operam, ut ex Demoxeni verbis apud Athenæum *Dipnosophist. lib. 1. cap.* 12. colligere est. Sic in alio parvæ pilæ lusu, *Phaeninda* dicto, alio simulantes in aliam partem mittebant, decipientes e edulum &c. V. Hieron. Mercurialem *de arte Gymnastic. lib. 2. cap. 4.* & infrà, ubi de *Pilæ lusu*.

Epistates, dicebatur apud Athenienses, Proëdrus qui suum imperaret diem, Gr. Ἐπιστάτης. Cum enim quinquaginta unius Tribus Prytanes simul non imperarent, sed Prytaneia in quinque hebdomades, ut ex Ulpiano liquet, distributâ, in totidem decurias quinquaginta illi dividerentur, prima decuria suam imperabat hebdomadem, secunda secundam, atque ita deinceps ordine sorte ducto: dicebanturque illi decem, qui in sua hebdomade præerant, Πρόεδροι. Hi inter se sortiebantur regna septem dierum suæ hebdomadis dierum quibus præerant: atque ita fiebat, ut è decem Proëdris tres superessent, qui suum non imperarent diem, reliquorum verò quisque die suo *Epistates* vocaretur; quod ne binis vicibus contingeret, vetuit lex: *Δὶς οὐκ ἔξεστι γενέσθαι τὸν αὐτὸν Ἐπιστάτην*, *Nemini bis esse* Epistatæ *liceto*, apud Pollucem *lib. 8. cap. 9.* Habebat enim is penes se, quum regnaret, Ærarii claves, ut & Tabularii, item Sigillum publicum, unde metus erat, ne si pluries fieret *Epistata*, tyrannidem invaderet. Suidas, φυλάττει δὲ ὁ Ἐπιστάτης τὰ ἱερὰ τὰς κλεῖς, ἐν ᾧ τὰ χρήματα, καὶ ἐν ᾧ τὰ γράμματα τῆς πόλεως, καὶ τὴν δημοσίαν σφραγῖδα. Ab his Proedris atque *Epistatis* alii quoque fuerunt, eodem nomine dicti. Quotiescunque enim Senatus habebatur, aut Concio, ὁ ἐν τῇ ἡμέρᾳ, *in die imperans*, etiam *Epistates* dictus legebat novem Proëdros è singulis unum Tribubus, exceptâ illâ, penès quam Prytaneias erat imperium, teste Aristot. *de Rep. Athen.* Quorum novem Proëdrorum unus similiter *Epistata* dicebatur, forte ex illis novem ductus ab *Epistata*, penès quem erat illius diei regnum. Hi Proëdri Senatui & Concioni præsidebant, curabantque negotia: Relationem porro faciebant eorum, quorum causâ convenerant, sistebant in judicio coram populo &c. quas tamen partes fuisse præcipuè Proëdrorum *Epistatæ*, patet ex Suida. V. Sam. Petitum *Commentar. in Leges Atticas lib. 3. tit. 1.* Aliter vox sumitur apud Plinium *lib 34. c. 8.* ubi Silanion *Epistatem athletas exercentem* ex ære fecisse dicitur &c.

Epistola, Græcè Ἐπιστολὴ, quasi *missoria*, ἀπὸ τοῦ ἐπιστέλλειν (Isidorus interpretatur *missam*, *Orig. lib. 7.*) aliàs *tabula*, *tabella*, *codicillus* quòd ante chartæ & membranarum usum, in dolatis ex ligno codicillis perscribebantur, Hieronym. *Epist.* 42. V. quoque Homerum *Il. ζ. v. 169.* ubi Prœtus literas Bellerophonti tradit scriptas, ἐν πίνακι πτυκτῷ, *in tabella plicata*. Cujusmodi tabellæ fieri solebant inductâ cerâ, è fago, abiete, buxo, tilia, acere, citro, ebore. Unde Plautus *Epistolam* circumscribens *Pseudolo*, inquit,

Per ceram & lignum, literasque interpretes.

Usi tamen & chartâ ad hanc rem, ut ex Martialis lemmate *lib.* 14. *Chartæ Epistolares*, discas: quod nomen hodieque Epistolæ tribuunt Hispani. Sed sive tabella, sive charta adhiberetur, pagellæ erant & species minuti libelli. Cic. *ad Cælium lib. 2. Epist.* 13. *Extrema pagella pupugit me tuo chirographo.* Et *lib. 11. ad Brutum Epist.* 25. *Altera jam pagella procedit.* Nisi quòd publicas literas ad S. P. Q. grandiore formâ & transversâ chartâ scribebant, & quasi historias, Sueton. *Julio cap.* 56. ubi primum hunc epistolas ad Senatum in paginas & formam memorialis libelli convertisse addit. Alia hodie literarum ratio. Sed nec *Subscriptio* Veteribus usitata, nisi fortè in literis ad Imperatores; nec *Superscriptio* frequens fuit. Dabant enim plerumque & mittebant per pueros suos aut tabellarios notos: nec aliud in exteriore epistola erat, quàm signum & linum; imago nempe vel propria, aut alicujus è Majoribus, vel emblema aliquod, impressum ceræ seu cretæ, quod lino seu vinculo, quo Epistola obligabatur, imponi imprimique solebat. Uti pluribus videre est, apud J. Lipsium *Institut. Epistolic.* A' communi usu in scenam receptæ sunt *Epistolæ*; in qua Tragœdo si quid esset, quod Principem Populumque vel monitos vel rogatos vellent, *Epistolam* exhibuisse, legimus, quàm vocalissimus aliquis Curio clarâ voce legebat: quòd iis in dramatico Poëmate, quæ extra argumentum essent, loqui non liceret, V. hanc in rem Martialem *Epist. lib. 2. Epigramm.* Sed & *Epistolas* minùs magnis libellis aut operibus præfigere, perque eas scripta ipsa amicis aut fautoribus commendare, eo ævo, moris fuisse, indidem discas: cùm vett. sequutique Poetæ, extra quidem Ausonium paresque alios, alio consilio fuerint. Qua de re V. Calp. Barthium *Animadversion. ad Statium Epist. Sylvar. lib.* 1. &c. Idem porro nomen fuit Comœdiæ, ab Atranio editæ, cujus Lipsius meminit *d. l.* Cæterùm quâ religione *Epistolas* suas legi voluerit Plato, V. apud Marsilium Ficinum *Argum. in Epist. ejus 2.* & *Argumen. in Platonem de Republ. lib. 6.* Plotinum item *d. l.*

Epistolæ, in Ecclesia Romana, ex more, ab Alexandro Pontif. confirmato, dicuntur omnes Lectiones, quæ ante Evangelium in Missa leguntur; cùm propriè loquendo solum Apostolorum sint *Epistolæ*: quæ proin *Apostolus* dicuntur, in Concilio Toletano IV. V. suprà. Quis autem *Epistolas* & Evangelia per annum in Missa recitanda distribuerit, V. apud Dominic. Macrum *in Hierolexico*, qui, non fuisse Diaconi munus antiquitus, canere Epistolam, sed Lectoris, quod etiamnum obtineat in Ecclesia Græca, aliaque huc pertinentia, addit *in Hierolexico*. Hinc *Epistolarium*, ibidem, dicitur Liber Epistolarum S. Pauli, & aliorum, qui legitur in Liturgiis ejus &c. V. quoque infrà ubi de *Lectione* & *Prælectione*. In Ritu Ambrosiano ejusdem Communionis, *Epistolellam* dici capitulum, quod in horis Canonicis legitur ante Responsoria, refert idem *Hierolexici* Auctor.

Epistolæ Decretales, pars Canonici Juris, V. suprà *Decretales*.

Epistolæ Formales, Græcis Ἐγκύκλιοι dictæ, occurrunt apud Suetonium *Domitiano cap.* 13. *Cùm procuratorum suorum nomine formalem dictaret epistolam, sic cœpit, Dominus & Deus noster sic fieri jubet.* Dabanturque ad Procuratores, quibus instar *formæ* erant, quas sequerentur. Ad quod exemplum Ecclesiastico ritu olim Epistolæ formatæ, quarum genera duo. Nam aut de Ecclesiastico ritu præceptove aliquo mittebantur, ab Episcopo per Ecclesias, eæque *Epistolæ solennes* Cassiano *cap. 11. Coll.* 10. aut commendabatur ab Episcopo ejusmodi Epistolâ Clericus aliquis, de sua Ecclesia in aliam proficiscens, ut videre est apud Sidonium *lib. 6. Ep.* 8. Neque fas Clerico sine ejusmodi literis proficisci, *Capitular. Caroli M.* Qui ritus hodieque in Ecclesia Orientis in usu, dicunturque ἀπολυτικά &c. Præter has *Epistolæ* erant, quibus Princeps rescribebat aut Magistratui, ut Præsidi, aut privato consulenti de jure, uti patet ex Epistolis Trajani ad Plinium *lib.* 10. V. Theod. Marcilium *ad Titum Suetonii cap. 6.* ut & hic passim, ubi de *Diplomatis*, *Formatis*, *Imbreviaturis*.

Epistolographica, Græcè Ἐπιστολογραφική, una ex triplici vett. Ægyptiorum docendi ratione, apud Clementem Alex. 5. *Strom.* V. ubi d. eorum *Hierogrammateis*.

Epistemonarcha, ex Græco Ἐπιστημονάρχης, doctrinæ Ecclesiasticæ Præfectus, & rerum ad Fidem pertinentium Rector, officium fuit in Aula CPolitana, simile ei, quod Magistri Apostolici Palatii est, uti vocatur, in Aula Pontificis Rom. apud Macrum ubi suprà. Mel. *Epistemonarcha*.

Epitaphia, carmina ad tumulum cantari solita, sicut *Epicedia*, in funere seu exsequiis. Et quidem cùm hæc semel tantùm dicerentur, illa non rarò anniversaria fuere, quemadmodum Athenis. Nam & Pericles dixit, ut videre est apud Thucydidem, Plato quoque idem effecit, & Aristides tres scripti sunt. Etiam orationem vel carmen ἐπιτάφιον, ad Mausoli viri sepulchrum, quotannis Artemisia instituit &c. *Inferiarum carmen* idem & *Parentalia*. Sed & *Epitaphium* ipsum elogium dictum est, quod tumulo inscribitur, V. suprà in voce *Epigramma*, & plura hanc in rem apud Jul. Cæs. Scaligerum *Poëtices lib. 3. cap.* 122. nec non infrà, ubi de Vett. *Parentandi ritu*.

Epitendesion, vox malè confecta, ex Græco ἐπὶ τῆς δεήσεως, dignitas in Ecclesia CPolitana, de qua videri poterit Codinus, & ejus Commentatores. *Epistola* Michaëlis Palæologi Imp. ad Joannem XX. Pontif. Rom. apud Waddingum A. C. 1277. *num.* 4. *Ex honorabilissimo Archidiacono cæteri Imperialis Chori &* Epitendesion *ejusdem sanctæ Constantinopolitanæ Ecclesiæ Georgio Metochita*, apud Car. du Fresne *Glossar.*

Epithalamium, carmen est, quo nuptiæ celebrantur, à Gr. *θάλαμος*, i. *cubiculum nuptiale*, aliter Γαμήλιον Græcis, à voce *γάμος*, *nuptiæ*. Et quidem, cùm carmen in Nuptiis non unum esset, in convivio *Scolia* canebantur, post cœnam *Epithalamium*, quum in cubiculum deduceretur Sponsa. Tertium genus apud Poëtas, quo res ipsa describitur: cujusmodi est apud Musæum de Leandro, apud Ovidium in nuptiis Orphei, apud Statium Stellæ, apud Claudianum ubi de Honorio & Maria, nec non operosum illud Ausonii. Postremum genus mistum est, & ex narratione, & ex cantione, quale pulcherrimum illud Catulli, quod malè inscripsit *Argonautica*, cùm Pelei sit *Epithalamium mistum*. V. de his omnibus prolixè agentem Jul. Cæs. Scaligerum *Poetices lib.* 3. *cap.* 101. ut & infrà, ubi de *Hymenæo*, ac *Nuptiis*.

Epitimium, Græcè Ἐπιτίμιον, apud Anastasium *ad Synod. VIII.* Joannem Diac. *Vita* Gregorii M. *lib.* 2. *cap.* 45. aliosque recentiores, propriè pœna est legibus Ecclesiasticis indicta Clericis delinquentibus. Hinc Ἐπιτίμιον τῶν Ἐκκλησιαστικῶν νόμων, Palladio in *Vita* Chrysostomi &c. V. S. Basilium & Anonymum, qui ei subjungitur, περὶ Ἐπιτιμίων. Pachymerem *lib.* 6. *cap.* 22. *lib.* 9. *cap.* 24. *lib.* 11. *cap.* 6. & Car. du Fresne *Notis ad Cinnamum pag.* 458.

Epitrachelium, Græcè Ἐπιτραχήλιον, iisdem Græcis Scriptoribus *Rerum Eccles.* stolam notat; hodieque Maronitæ, ac cæteri Arabes Christiani hinc *Batirsein* Stolam vocant Sacerdotalem. Dominic. Macer *Hierolexico*.

Epitropi, Græcè Ἐπίτροποι, dicuntur in Athenarum urbe Arbitri, quos è numero suo Christiani incolæ eligunt mutantq; quolibet semestri, ad decidendas quæ inter illos oriuntur lites, ut Turcici Judicis Tribunal hoc pacto quà pote declinent. Sunt illi octoni numero, è totidem parœciis selecti, & *Seniores* quoque, vulgari linguâ *Vecchiardi*, appellantur. Inter quos plerunque *Beninzeli*, *Palæologi*, *Limbonæ*, *Perali*, *Cavalari* &c. nomina præcipuarum hodie ea in Civitate familiarum Christi adhuc fidem profitentium. De quibus V. Jac. Sponium *Itinerar. Græc. Part.* 2. *pag.* 237. Eodem nomine Latini Græcissantes vocarunt, quem vett. *Villicum*, recentiores *Vicedominum* appellavere, V. Ausonium *Epist.* 8. & infrà in voce *Villicus*.

Epitu ykiakon, apud Anonymum Barensem in *Chron. A.C.* 1032. *Et adduxit Anatoliki* Epitu ykiakon, id est, ἐπὶ τῶν οἰκειακῶν, dignitas fuit in Palatio CPolitano, qui *Λογοθέτης τῶν οἰκειακῶν* dicitur Pachymeri *lib.* 1. *cap.* 13. *lib.* 2. *cap.* 21. *lib.* 5. *cap.* 13. &c. unde Magistratum hunc præfuisse Domesticis Palatii conjecerunt Viri docti. Carol. verò du Fresne, eundem fuisse cum eo, quem Vett. *Comitem rerum privatarum* vocabant, pluribus ostendit in sua *CPoli Christiana*.

Epitynchanus, nomen proprium Viri, in vett. *Inscr.* aliquoties obvium, Græcè Ἐπιτύγχανος. Salmasius *ad Capitolini Gordianos*.

Epiurus, Græcè Ἐπίουρος, per jocum Secundus Sophista cognominatus est, quasi *ligneus clavus*, quòd fabro patre natus esset; fortè allusione etiam factâ ad dicendi genus, quo utebatur, duro atque ligneo, apud Philostratum *de Vitis Sophistarum lib.* 1. V. Salmasium *ad Solinum pag.* 1102.

Epodos, Græcè Ἐπῳδὸς, dicebatur olim in Gentilium sacris, qui, post cantiones aliquas ad aras Deorum expletas, accedebat sacra certis versiculis clausurus, Galenus *de Offic. partium hum. lib.* 17. Unde Horatius, quum Odas scripsisset, quem illis librum superaddidit, *Epodon* inscripsit; uti Plato eum, quem post Leges statuebat, *Epinomida*. Sed & in Choro, postquam *στροφὴν* & *ἀντιστροφὴν* absolvissent, stantes terræ quietem repræsentabant, quo in statu cùm diversa à superioribus accinerent, Ἐπῳδὸν nominarunt: uti docet Scaliger *Poëtices lib. I. cap.* 9. V. quoque eum *lib. eod. cap.* 43. & *lib.* 3 *cap.* 97.

Epomanduodurum, aliter *Epamanduodurum*, aut *Epamanadurum*, oppidum olim Sequanorum, nunc vicus in Burgundia Comitatensi; positus est ad Dubim fluv. non procul à castro Piligarda. Vulgò *Mandeurre*. V. Hadr. Valesium in voce *Cambete*. Ab *equis* ei nomen, namque Epona equorum Dea olim Romanis: cujus nomine plurima loca insignita esse, notum est. Sic *Eporedia*, in Italia Transpadana, *Eponum*, *Epenburgum* in Bavaria &c. inde appellata. V. in voce *Epona*.

Epopta, apud Tertullianum *c. Valentinianos*, ubi totam mysteriorum Atticorum scenam & apparatum explicat. *Diutiùs initiant, quàm consignant, cùm* Epoptas *ante quinquennium instituunt*. Mox, *post tot suspiria* Epoptarum, *totum signaculum linguæ, simulachrum membri virilis revelatur*. Dicitur, qui *mysta* tantùm erat: quemadmodum alii quoque Auctores ἐποπτείαν cùm *μυήσει* loquendo confundunt. Aliàs *μύησις* propriè erat initiatio tum prima, quæ fiebat in *parvis Mysteriis*, Anthesterione mense, quâ præparabantur mentes & præpurgabantur, ad acceptionem majorum; tum secunda, quæ fiebat quinquennio pòst, in *magnis* Boëdromione mense: Ἐποπτεία verò, cùm intra sacrorum secretum anno post secundam hanc initiationem admittebantur. Qua de re V. Salmasium *ad Spartianum in Hadriano Cæsare*, & hic passim, inprimis in voce *Mysterium* & ubi de *Os signandi ritu*. Adde, quæ dicta sunt in voce *Eleusinia*. Sed & Ἐποπτίδες titulus libri, cujus Plinius meminit *Præfat. sub fin.*

Epos, Græcè Ἔπος, propriè Heroicum carmen; unde *Epici Poëtæ*, *Epicus Cyclus* &c. V. suprà *Epicum Poëma*, item ubi de *Cyclicis Scriptoribus*.

Eppstenia, Familia Germaniæ illustris, cujus origo à Sigfrido *Eppstenio* arcessitur, cujus filius Sigfridus, ex Abbate Fuldensi, Archiepiscopus Moguntinus electus est, A. C. 1059. Ejus ex fratre nepos, pariter dictus Sigfridus, gentem propagavit: in qua duo iterum Sigfridi, & alius Gerhardus, seculo decimo tertio, sedem Moguntinam tenuere; Nec minùs Wernerus Falckenstenius Archiep. Moguntinus *Eppsteniam* habuit matrem. Godofredus postea, qui decessit A. C. 1412. ex uxore Lucardi, filiâ Philippi Junioris, Dn. *de Falckenstein* & *Muntzenberg*, hæredem Kœnigsteinæ, pater fuit Godofredi atque Eberhardi: quorum ille ab uxore Juta Nassovia titulum Comitatus Diezii familiæ intulit, sed ejus nepos Godofredus, pater Agnetis, Emiconi Com. Leiningensi nuptæ, lineam clausit, A. C. 1520. cùm A. C. 1492. dimidiam dominii *Eppstenii* partem Wilhelmo Landgravio Hassiæ vendidisset. Hic (Eberhardus) Kœnigsteinam tenuit, & A. C. 1420. consensu fratris feudum Imperii fecit, atque primus Comitis titulum obtinuit; ex Anna Cronbergia pater Eberhardi II. Com. Kœnigstenii; quo & Annâ Nassoviâ genitus Philippus Comes, ex Luisa Com. de Marca, suscepit Eberhardum III. (qui extinctus A. C. 1535. ex Catharina de *Weinsberg* nullam prolem reliquit) Georgium (defunctum A. C. 1527.) Philippum Canonicum Moguntinum (qui obiit A. C 1509.) atque Annam hæredem, (nuptam Botoni Com. Stolbergæ, extincto A. C. 1567. uno ante uxorem anno) E quo matrimonio natus Henricus Com. Stolbergæ, ex Elisabetha Gleichensi, filium habuit Christophorum, defunctum A. C. 1638. Cujus ex Hedvige Reinstenia filius Johannes Martinus, ex Agnete Elisabetha Barbiensi, præter alios, genuit Christophorum Ludovicum (n. 1634.) patrem ex Luisa Christina Landgravia Hassiæ Georgii (n. A C. 1666) & Caroli (n. 1668.) V. Phil. Jac. Spenerum *Theatr. Nobil. Europææ Part. III. pag.* 13. & *in Indic.* nec non *Part. I. pag.* 29.

Epsiacum, villa olim Galliæ, vulgò *Itzich*, in pago Vabrensi, ad fluv. Alisontiam: memorata in *Literis* Audradi A. C. 786. apud Hadr. Valesium. in voce *Alisontia*.

Epulæ, apud Vett. festis diebus maturiùs solito institui, & diutiùs produci solebant, uti videre est hic, in voce *De die*. & ubi de *Tempestivis Conviviis*. Iisdem honorari à Magnatibus Principibusque Viris, magni semper æstimatum est. Hinc Statius *Præfat. Sylv. lib.* 4. *Primo autem septimum decimum Germanici nostri Consulatum adoravi. Secundo gratias egi sacratissimis ejus epulis honoratus.* Et Martialis, ipsius Jovis epulis Domitiani vocationem se prælaturum gannit, *lib.* 9 *Epigr.* 93. Inprimis lepida id docet historiola, apud Suetonium *Caligulâ cap.* 93. *Compererat provincialem locupletem ducenta HS. numerasse vocatoribus, ut per fallaciam convivio interponeretur. Nec tulerat molestè tam magno æstimari honorem cœnæ suæ. Huic postero die sedenti in auctione misit, qui nescio quid frivoli ducentis millibus traderet, diceretq; cœnaturum apud Cæsarem vocatu ipsius.* Ideo autem hic honor tantus fuit, quòd nunquam aliàs cuiquam fas esset, sedentem Principi loqui. Tunc verò etiam jacenti sive accubanti id licebat, V. *Sylvam* 2. Statii *lib. cit.* Plura V. hic passim, in vocibus *Cœna*, *Convivium*, *Euphrades*, *Mensa* &c. Peculiariter *Epulum* dicebatur convivium illud, quod Jovi aliisque Diis parabatur, aliàs *Lectisternium* appellatum. Moris enim apud Romanos, ut nonnunquam, placandæ alicujus Dei iræ, convivium in Templo illius exhiberetur, Diisque, tanquam *epulaturis* aut accubituris, lecti sternerentur. Sic meminit *Epuli Jovis* Valerius Max. *lib.* 2. *cap.* 1. *Jovis Epulo*, inquiens, *ipse in lectulum, Juno & Minerva in sellas ad cœnam invitantur*. Huic indicendo Triumviri vel Septemviri *Epulones* præerant: qui inde nomen accepere, quòd *epulas* indicendi Jovi cæterisque Diis potestatem haberent, uti legimus apud Ciceronem *Orat de Harusp. Resp.* In Idus Novembreis *Epulum* indictum refert Kalendar. Rom. V. Joh. Rosinum *Antiqq. Rom. lib.* 4. c. 13. & infrà in voce *Epulones*, item *Lectisternium*. Sed nec omittendæ *Epulæ* Collegiatorum, apud eosdem, magnificæ ac sumptuosæ adeò, ut etiam annonam incenderent, teste Varrone, V. Salmasium *ad Vopiscum Divo Aureliano* &c. Nec illud, quòd *publicè epulandi facultatem*, inter præmia Militibus, ob rem strenuè gestam, concessa recenseri legimus, apud Liv. *lib.* 24. *cap.* 15.

Epulones, dicti apud Romanos, qui à Pontifice eligebantur, ut Epulis, quæ Jovi aliisq; Diis certis temporibus indici solebant, sacrificiisque præessent. Hi tres primùm creati sunt, *Triumviri Epulonum* hinc nuncupati, an. U. C. 553. L. Furio Purpureone, M. Claudio Marcello Coss. eranteque primi isti: C. Ticinius Lucullus, T. Romulejus, qui legem de iis creandis tulerat & P. Porcius Leca; quibus non minùs, ac Pontifici, lege datum est togæ prætextæ habendæ jus. V Cic. *de Orat. lib.* 3 ubi inter alia: *Sed, inquit, ut Pontifices veteres propter sacrificiorum multitudinem tres viros* Epulones *esse voluerunt, quum essent ipsi à Numa ut etiam illud ludorum epulare sacrificium facerent, instituti.* Postea *Epulones Septemviri* fuere, ut ex veteribus cùm scriptorum, tum lapidum monumentis perspicuum est: quis autem eum numerum auxerit, ut pro Triumviris Septemviri crearentur, nemo tradit. A L. Corn. Sulla id factum fuisse, aliquot conjecturis ductus docet Onu-

phrius

phrius. Cæsar dein Dictator aliis tribus ad Collegium eorum Septemvirale additis *Epulonum Decemviros* constituisse legitur, apud Dionem *lib.* 43. Hos *Jovis parasitos* appellavit Varro, quod in contemptum ludicrum exponit Augustinus *de Civ. D. lib.* 6. *cap.* 7. Sed ex Athenæo & Hesychio liquet, Parasitos propriè fuisse, qui victimæ partem cum Sacerdotibus caperent: *Epulones* autem illi ad Pontifices referebant, si quid prætermissum, aut commissum, aut pollutum esset, ut munus illorum explicat Cic. *Orat. de Harusp. responsis.* Hi autem, ut cæteri Sacerdotes, à Collegiis subrogabantur, ante legem Domitiam, ut ex Liviana historia liquet. Post legem verò hanc, populi suffragiis is quoq; honor mandari cœpit. V. Joh. Rosinum *Antiqq. Rom. lib.* 4. *cap.* 28. & Sam. Petitum, qui Romanorum Epulones Viros, cum Parasitis Atheniensium eosdem facit, *Comment. in Leges Att. lib.* 1. *Tit.* 2. *de Sacrorum Ministris.* Aliud quid erant Athenis Ἑστιάτορες, quos *Epulones* etiam vocare posses, nisi vocem hanc sacra sibi vindicassent. Erat autem Ἑστιάτωρ, qui viscerationem atque epulum suæ præbebat Tribui: ex instituto Legis, quæ epula quædam φυλετικά, quædam δημοτικά esse jussit, Athen. *lib* 7. Horum fuisse sorte captos alios, alios etiam volentes, notat Harpocration. Sed & inquilinos suos habuisse Ἑστιάτορες, docet Ulpianus: quanquam & Choragi suam excipiebant Tribum, teste Demosthene *in Midiana.* V. eundem Petitum *lib.* 3. *tit.* 4. *pag.* 269. Apud Romanos quoque, epulum festis diebus præbebatur Curialibus, i. iis qui erant ejusdem Curiæ, in aula cuique harum propria, Dionys. Halicarnass. *lib.* 2.

EQ.

EQ. P. in notis antiquorum, *Eques Publicus*: EQ. R. *Eques Romanus*, denotat.

Equa Ænea, Olympiæ dedicata à Phormide Arcade, cui magicâ vi hippomanes inerat, quo equi incitabantur ad rabiem, memoratur Pausaniæ in *Arcadicis*, & Plinio *lib.* 28. *cap.* 11. Inscriptio fuit, Φόρμις ἀνέθηκεν Ἀρκὰς Μαινάλιος, νῦν δὲ Συρακούσιος. V. Salmasium *ad Solinum pag.* 940. Nempe ad Olympiam Circensemque in ἱπποτροφίαι *equæ* nutriebantur præcipuè ac formabantur. Unde *Georgic. lib.* 1. dicitur mittere

—— Eliadum palmas Epiros equarum.

Et Pindarus Chronio *equas* acquisivisse phialas argenteas, canit *Nemeorum Od.* 9. Plutarchus quoque *equarum Cimonis*, quibus Olympia vicerit, meminit in *M. Catone.* Habebantur itaque illæ multo in pretio, & in facultatibus præcipuè censebantur. Hinc in facultatibus Grosphi Equitis Rom. recensendis, ait Horatius *Carm. lib.* 2. *Od.* 16.

—— tibi tollit hinnitum

Apta quadrigis equa:

cui Poëta opponit sua *parva rura.* Eædem etiam senio confectæ solicitè curabantur. & mortuæ honorabantur sepulchris, ut de Cimonis equabus habes, apud Plut. *d. l.* & statuis, uti suprà vidimus. Rationem V. infrà in voce *Equus.* Sed & *Equa* eæque *intemeratæ*, Minervæ, cui cura & institutio equarum adscribebatur antiquitus, sacræ fuerunt. Statius *Thebaid. lib.* 2. de Minerva,

—— quà te bijugo temone frementem

Intemeratarum volucer rapit axis equarum:

ad quem l. V. Casp. Barthii *Animadvers.* &c.

Eques, nomen dignitatis, apud Romanos. Exactis enim urbe Regibus, in tres ordines populus Romanus distributus est: Senatorium. *Equestrem* & Popularem. Livius *lib.* 26. *Consensum Senatus Equester ordo sequutus est, Equestris ordinis plebs.* Ausonius,

Martia Roma triplex, Equitatu, Plebe, Senatu.

Differebat hæc divisio à priori, quâ in Patricios & Plebem, Patronos & Clientes populum Romulus distinxerat, quòd illâ cives Romani in certa genera ac gentes, hac in certos ordines distributi fuerunt. Non enim omnes Patricii Senatores, neque contrà omnes Senatores posterioribus temporibus Patricii fuere. Fuerunt autem Senatores appellati, qui à Regibus primùm, dein à Consulibus, pòst Censoribus in Senatum lecti essent, sive Patricii, sive *Equites*, sive Plebeji iidem essent. Senatorum autem filii, nondum in Senatum lecti, *Equites* sive ex Equestri ordine fuere. Secundus itaque ordo, de quo hic sermo, *Equester* fuit: quo nomine non ii intelligendi, qui à Romulo ex omni multitudine trecenti numero lecti, quos *Celeres* dixit, quique à Tarquinio Prisco ad sexcentorum numerum aucti sunt: neque etiam illi, qui equis stipendia meruere, quamvis hi quasi fundamentum & semina Equestris ordinis fuere: sed ii, quibus publicus equus & annulus aureus à Censoribus datus, quique ab iis in Equestrem ordinem lecti sunt. Hic ordo inter Senatum Plebemque medius fuit, & communicata cum eo sunt judicia publica, Plin. *Nat. Hist. lib.* 33. *cap.* 2. *ab initio.* De qua re sic Florus *lib.* 3. *cap* 13. ubi de Tribunitiæ potestatis seditiositate loquitur: *Quid ad jus libertatis æquandæ magis efficax, quàm ut Senatu regente provincias, ordinis Equestris auctoritas saltem judiciorum regno niteretur? Sed hæc ipsa in perniciem redibant: & misera Resp. in exitium suum merces erat. Nam & à Senatu in Equitem translata judiciorum potestas, vectigalia, i. Imperii patrimonium supprimebat* &c. Namque vectigalia Publicani ad hastam à Censoribus redimebant, quæstus sui causâ, ut ea à provincialibus suo periculo exigerent & Reip. datis sponsoribus repræsentarent. Hi autem fere *Equites* fuerunt, ad quos cùm judicia lege Gracchanâ translata essent, facile erat suæ sotietati favendo vel ludificare locationem, vel remittere, vel redemptionis parte relevare, atque tali coitione pecuniam publicam depeculari, ut docet Stadius *in locum Flori præfatum.* Hinc itaque *Judices selecti* dicti sunt, ut patet ex Seneca *de Benef. lib.* 3. *cap.* 7. *Non potest adhuc sumi judex ex turba selectorum, quem census in album & equestris hæreditas misit.* Ovidius *Tristium lib.* 2.

Nec mea decreto damnasti facta Senatus,

Nec mea selecto Judice jussa fuga est.

Nec omittenda clausula SCtis addi solita: *Senatus Populusq; & Equester ordo*, è quibus ordinis hujus dignitas dilucet. Legebantur autem in Equestrem ordinem à Censoribus ii, quibus Equestris census esset, qui erat Sestertiûm quadringentorum millium, teste Suetonio *in Cæsare.* Unde videmus conquerentem Plinium, *lib.* 14. *præf. Senatorum censu legi, Judicem censu fieri.* Martialis *lib.* 5. *Epigr.* 26.

Quadringenta tibi non sunt, Chærestrate, surge.

Dein in album referebantur, cujus meminit Suetonius *Domitiano cap.* 8. *Equitem Romanum erasit Judicum albo*: quod de *Equitibus* tantùm Rom. intelligendum, nam & in municipiis provinciisq; etiam Equester ordo, sed priori dignitate longè inferior erat. Sic inscripti *Equites* publico equo donabantur à Censoribus, quem Varro *de L. L. lib.* 7. vocat *mille assarium*, quia in hujus equi impendium ac sumtum propriè tantùm mille æris cedebat: Cui postea altera millia addita sunt, ad exhibendum curatorem equi servum. Quibus tandem pro stipendio videtur accessisse tertium mille æris. Et sanè oneri equum publicum non minùs, quàm honori fuisse, constat ex præmiis decretis P. Æbutio apud Livium *lib.* 39. Privato quoq; sumtu equus, licèt publicè datus, nutriendus erat, adeò ut qui *strigosum aut malè habitum in censu agendo duceret, mulctaretur, illoq; privaretur*, A. Gell *lib.* 4. *c. ult.* Vocabatur Census hic *Transvectio*, quam desuetam post longam intercapedinem revocavit in usum Augustus, apud Suetonium *in eo cap.* 38. V. quoque Val. Maximum *lib.* 4. *cap.* 1. *tit.* 12. ubi interalia videmus, primùm per centurias *Equites* distinctos, dum transveherentur, fuisse: quas numero ternario comprehendit Ausonius *in Gripho Ternarii*,

Tres Equitum turmæ.

Deinde & duas iis superadditas facile est perspicere ex Suetonii *Cajo cap* 16. Postea citatos, h. e. nomine suo compellatos vult Valerius: mox & *notam*, si deliquissent, inuri solitam. Fuit autem illa, vel ignominia, vel equi tantùm publici ademptio. Transvectionis tempus erat 3 idus Juliæ, quo die Equi hi publici traducebantur nudi, id est, sine strato. Martialis *lib.* 5. *Epigr.* 42.

Theatra loqueris & gradus & edicta,

Trabeasq; & Idus, fibulasq; censusq; &c.

Præter equum, annulo aureo à Censore donati insuper, supra plebem eminebant. Unde Interpretes ad Suetonii *Julium cap.* 33. *Nota*, inquiunt, *Equestris dignitatis annulus aureus.* Vetus Scholiastes Juven. *Sat.* 7. *versu* 89. Equitum *de numero, i. annulo*: Ipse Satyricus de hoc insigni ita canit:

Ille & militiæ multis largitur honorem,

Semestri vatum digitos circumligat auro.

Et *Sat.* 11. *versu* 43.

Talibus à Dominis post cuncta novissimus exit

Annulus, & digito mendicat Pollio nudo.

Præterea, angusto clavo insignes, hoc pacto à Senatoribus discernebantur. Ut enim latiores clavi purpurei in tunicis Senatorum assuebantur, ita minores, sive arctiores Equitum tunicas illuminabant, unde ipsi *Angusticlavii* dicti, quod ex Buchanano notavit Turnebus *lib.* 1. *cap.* 11. Hinc Paterculus de Mæcenate, *Quippe*, inquit, *vixit angusto clavo contentus*: & Statius *lib.* 6. *Sylv.*

Hinc parvus inter pignora Curiæ

Contentus arcto lumine purpuræ.

Equites tamen insigniores, qui & *Illustres* dicti, jus lati clavi non secus, ac Senatores habuisse, ex Dione notavit Lipsius *ad Tacitum.* Scribit enim Dio *lib.* 59. Cajum, cùm ordo Equestris ad paucos redigeretur, primores ex omni imperio etiam extra Italiam, qui genere & opibus excellerent, in eum allegisse & quibusdam eorum etiam ἐσθῆτι τῇ βουλευτικῇ, *Senatoria veste*, priusquam Magistratum ullum cepissent, uti concessisse in spem dignitatis: quod antea non nisi iis, qui Senatoriâ stirpe essent, permissum erat. Id tamen non diu obtinuisse illud declarat, quòd Præfecti Prætorio, qui ferme ex *Equitibus* legebantur, lati clavi jus non habuere. Interim non ipsos solùm *Equites Illustres*, sed & eorum filios jus lati clavi habuisse, docet Ovidius: Qui ubi ad ætatem Senatoriam pervenere, si nolebant, aut non poterant, in amplissimum ordinem adscribi, angustum resumebant. Unde idem,

Curia restabat, clavi mensura coacta est,

Majus erat nostris viribus illud onus.

Vestis equestris mentio habetur apud Dionem *lib.* 74. de Severo urbem ingrediente, sed illa est militaris: ibiq; Imperatorium paludamentum intelligitur, ne quis in angusto clavo ingressum credat. Sequitur enim, ipsum ab ipsa porta vestem urbanam induisse, id est, togam. Porro candidis quoque togis usi sunt *Equites*, Calpurnius *Ecloga* 7.

Aut

Aut Equites, aut nivei loca densavere Tribuni.

Quo colore divites omnes, præsertim Senatores & Magistratus similiter gaudebant: imò quoties festivitas peragebatur, totam civitatem candidis vestibus incessisse legimus: in ludis quoque plebeji juxtà ac patricii candidati spectabant. Tandem discretis à Senatu & Plebe ordinibus *Equites* in Theatris sedebant, in quatuordecim illius subselliis, idque lege Theatrali; de quo V. infrà in voce *Equestria*, & plura de *Equestri* apud Rom. *ordine*, quære apud Joh. Rosinum *Antiqq. Rom. lib.* 1. *cap.* 17. cum Thomæ Dempsteri *Paralipom.* Octav. Ferrarium *de Re Vestiaria lib.* 3. *cap.* 14. &c. Addam saltem, *Principem* hujus *ordinis* dictum esse, quem Censores primo loco scripserant in *Equitum* tabulis sive catalogo: quemadmodum *Princeps Senatus* dici consuevit, qui in Senatorum catalogo primus recitabatur. Nec omittendum, Transvectionis, cujus aliqua retro mentio, auctorem Qu. Fabium Rullianum fuisse. Ita enim Aur. Victor, *Hic primus instituit, ut Equites Rom. Idibus Quintilibus ab æde Honoris, equis insidentes, in Capitolium transirent.* Fuit autem hæc, non Equitum censio, sed transvectio quædam, quæ ordinis totius Equestris recognoscendi probandique gratiâ fiebat. Dionys. Halicarnassæus *lib.* 6. in Castoris & Pollucis honorem ritum hunc institutum fuisse contendit, & in memoriam victoriæ, quam Romani ex bello cum Latinis populis gesto an. U. C. 257. liberæ Reip. 14. reportarint, quamque Castor & Pollux equestri habitu aut equis vecti Romæ annuntiarint. Ubi inter alia: *Præter omnia verò,* inquit, *transvectio eorum, qui equos habent ex publico, qui per Tribus & Centurias distincti, ordine in equis vehuntur omnes, quasi è pugna redeant, coronati fronde oleagina & togis palmatis amicti, quas vocant Trabeas, initio pompæ facto de æde Martis, quæ extra urbem sita est, & pertranseuntes cùm cæteras urbis partes, tum forum ædemq; Castorum, nonnunquam virorum* 5000. *gerentes quidquid donorum militarium acceperunt à ducibus, egregium sanè spectaculum, dignumq; Imperii magnitudine.* Apud Athenienses οἱ Ἱππεῖς, i. *Equites*, secundum civium ordinem constituebantur. Cùm enim Populus antiquitus in tria genera, Eupatridas, Geomoros & Demiurgos esset divisus: Postea in Diacrios, Pediæos & Paralios, ratione situs: & tandem à Solone in Pentacosiomedimnos, *Equites*, Zeugitas & Thetas distributus est, censûs ratione habitâ. Dicti enim *Equites* sunt, οἱ τὰ ἱππάδα, id est, *Equestrem censum* τελοῦντες, i. Nimirum ἐκ ξηρᾶς ὁμοῦ καὶ ὑγρᾶς, *ex aridis simul & humidis*, trecentos modios, quique proin equum alere apti erant. Sam. Petitus *Equites* hos Reip. semitalentum: sicut Pentacosiomedimnos talentum, Zygitasque minas decem, pependisse ait. Proletarii enim seu Thetæ nihil conferebant. Inter hos autem Equestris ordinis verè *Equites* erant, qui habebant equum publicum, id est, quibus nullo bello data è publico pecunia ad alendum equum: Etenim etiam in pace stipendium accipiebant ὑπὲρ τῆς τροφῆς τῶν ἵππων, Ulpian. In horum numerum, crescente censu, etiam Proletarios allegi potuisse, ostendit exemplo Anthemionis, filii Diphili, Pollux *lib.* 8. *cap.* 10. &c. Addam saltem, *Equitum Romanorum* genus fuisse triplex. Nam aut domo sive origine fuere Romani, aut ex municipio Italiæ, aut ex provincia: illi propriè *Romani*, primoque dignationis gradu erant: isti *Municipales*, cujusmodi Cicero, apud Juvenal. *Satyr.* 8. secundo: hi *Provinciales*, qualis L. Seneca, apud Tacitum *Annal. lib.* 14. tertio ultimoque. Omnes autem hi in ordine Equestri Romæ erant: præter quos *Equites* quoque erant *Municipales & Provinciales*, simpliciter dicti, quòd in ordine Equestri tantùm Municipii sui essent & Provinciæ. Uti enim in Rep. Romana Consules, Senatus, Eques, Plebes: sic & in Municipiis Italiæ & Provinciarum, Duumviri, Decuriones, Equites, Plebeji. Theod. Marcilius *ad Vespasianum Suetonii cap.* 1. V. *ad eundem Suetonium* Casaubonum passim. De *Equestris Ordinis* apice summo, Præfectura sc. Prætorii, infrà.

Eques Galeatus, hastam vel spiculum longius in serpentem equi pedibus substratum intorquens, in area liliata, cum *Inscr.* PHILIPPUS DEI GRATIA FRANCORUM REX, conspicitur in altera parte nummi aurei à Philippo VI. Francorum R. cusi, in cujus altera, effecta crux in quadricircino, cujus in angulis totidem scutula exurgunt cum tribus liliis, & *Inscr.* solita, X P C. ut videre est apud C. du Fresne in voce *Moneta*, ubi typum ejus exhibet.

Equestria, locus erat in Theatro, Equestri ordini attributus. Subintellige enim, *Sedilia*, è quibus ludos spectarent, à Senatu & Plebe discreti. Erant autem *bis septem ordines*, Juvenal. *Sat* 14. *versu* 324 seu gradus quatuordecim, post Orchestram usque ad summam caveam, in quarum illa Senatus, in hac Populus considebat. Cujus distinctionis primus auctor L. Roscius Otho fuit, teste Floro *Epit. in T. Livii lib.* 99. ubi ait: *L. Roscius Otho Tr. Pl. legem tulit, ut equitibus Rom. in theatro quatuordecim gradus proximi assignarentur:* idque an. U.C. 686. Ejus meminit Horatius quoque *Epodon Ode quartâ*:

Sedilibusq; magnus in primis eques
Othone contempto sedet.

Et *lib.* 1. *epist.* 1.

Roscia dic sodes, melior lex an puerorum
Nænia?

Absolutè *Quatuordecim* nonnunquam dictos hos gradus reperias: Unde *in quatuordecim deduxisse*, apud Senecam *de Benefic. lib.* 3. *cap.* 9. Item *multis quatuordecim sunt clausa*, apud eund. *epist.* 44. sic *e vestigio in quatuordecim ad spectandum transiit*, apud Macrob. *lib.* 2. *cap.* 3. &c. Renovavit dein legem hanc Theatralem Julius Cæsar, an Augustus: Ita enim Plinius *lib.* 33. *cap.* 2. *Hac de causa constitutum, ne cui id jus esset, nisi cui ingenuo ipsi, Patri Avoq; paterno, sestertia quadringenta census fuisset, ex lege Julia theatrali, in quatuordecim ordinibus jus sedendi.* Interim, attritis bello civili Equitum opibus, mitigata lex, jusque hoc etiam iis indultum est, qui, cùm hoc censu non essent, patres tamen habuere tantum possidentes. Postea, ne hæc de sedibus Equestris lex interiret, eam velut fugitivam novo edicto secutus Domitianus: uti docet Martialis *lib.* 5. *Epigr.* 8.

Edictum Domini, Deiq; nostri,
Quò subsellia certiora fiunt,
Et puros eques ordines recepit,
Laudabat modo Phasis in theatro.

V. Laurentium JC. *Notis in Phædrum lib.* 5. *fab.* 7. Joh. Rosinum *Antiqq. Rom. lib.* 5. *cap.* 10. *cum Paralipomenis Thomæ Dempsteri*, Lipsium, Sigonium &c.

Equi in nummis, quid notent; quærunt Eruditi. Cùm enim nummi quidam equum Augustis adpictum præferant, quem habenis ii dextrâ prehendunt: Tristanus in Claudio existimat, fortunam Imperii eo designari, seu potius ipsum Imperium, pro cujus symbolo *Equus* semper fuerit habitus. At Circenses datos hoc pacto designari, longè probabilius censet du Fresne: nam & in Diptychis Leodiensi & Bituricensi, equos dextrâ ductos, quos inde *Dextrarios* Galli appellarunt, ad Circenses ludos licet intueri, ab ipsis, à quibus edebantur, aurigis distributos. Quod præter Symmachum satis innuit Capitolinus in *Gordiano*, & Marcellinus Com. de Consulatu Justiniani *pag.* 60. Ejusmodi verò cum *Equo* nummos Claudii & Numeriani exhibet idem. Alium Constantini nobilissimi Cæsaris, cusum anno votorum Vicennaliorum 20. cum lemmate, BEATA TRANQUILLITAS, dat du Fresne, indeque colligit, non in Consulatibus solùm, sed & in Votorum nuncupatione, Circenses editos esse: quod idem de Crispi Nobilissimi similiter Cæs. anno pariter Votor. Vicennal. cuso, quo Consulatus dignitatem nondum adeptus erat, dicendum judicat. Sed & Jovianum eodem modo in medallione effingi addit, *Dissertat. de infer. Ævi numism.*

Equina Juba, in Vett. galeis frequens. Statius *Thebaid. lib.* 4.

—— *capiti tremit area cassis*
Ter nivea scandente juba ——

Quem morem esse antiquissimum, ex eo liquet, quòd Homerus galeam Paridis vocat, κυνέην εὔτυκτον ἱππουριν, *galeam bene factam, caudâ equinâ ornatam*, *Il.* γ. Ovidius *jubas* itidem vocat, *Metam. lib.* 12.

—— *Fulva jubis cassis*

Silius Ital. *cristam equinam*, *lib.* 8. ubi de Curione,

Horridus & squamis, & equina Curio crista.

Sophocles verò galeas hujusmodi ἱππόκομοι, *Antig.* &c. Inprimis Numidis, utpote militaribus, hic ornatus placuit: quos proin *equis cæsariatos* vocat Tertullianus *de Pallio cap.* 4. i. equinis jubis aut caudis cristatos, ad quem locum V. Salmasii *Notas*.

Equis sepulchra constituta, apud Spartianum in *Adriano Cæs.* *equos & canes sic amavit, ut eis sepulchra constitueret:* Plinium item, Plutarchum, Ælianum, Martialem, alios. Præcipuè autem in Borysthene equo id officium usurpavit Hadrianus, cùm illo ad venandum diu multumque usus esset. Dio, Τῆς δὲ θήρας ... ὁ Βορυσθένης ὁ ἵππος, ᾧ μάλιστα θηρῶν ἠρέσκετο, ... Ἀποθανόντι γὰρ αὐτῷ καὶ τάφον κατεσκεύασε καὶ στήλην ἔστησε καὶ ἐπιγράμματα ἐπέγραψεν, *Venandi verò cupidinis, quâ flagrabat, signum Borysthenes equus est, quo in venatione præcipuè delectabatur. Huic enim exstincto & sepulchrum constituit, & columnam erexit, & epigrammata inscripsit.* E quibus Epigrammatis, unum exhibuimus suprà, in voce *Borysthenes*.

Equistrator, apud Auctorem *Vitæ S. Cypriani*, *Venerunt ad eum Principes duo, unus Strator officii Galerii Maximi Proconsulis, qui Aspasio successerat, & alius* Equistrator *à custodiis ejusdem officii:* est qui nudè *Strator* dicitur cæteris Scriptoribus, Græcè Ἀναβολεύς, Gall. *Escuier*: de quo Manilius lib. 5.

Aut sternabis equos armis aut ducet in arma,

h. e. *herum armatum in equum imponet*, apud du Fresne *Glossar.* V. infrà *Strator*.

Equitatio, inventum Bellerophontis. Plin. *lib.* 7. *cap.* 56. *Equo vehi Bellerophontem. Frenos & strata equorum, Pelethronium. Pugnare ex equo Thessalos* &c. invenisse ferunt; qua de re V. Hadrian. Turneb. *Adversf. lib.* 21. *cap.* 9. Stapiæ, recentiori demum ævo accessere, item sellæ & calcaria, de quibus suo loco. Regebant autem virgâ equos. De Numidis, Claudianus *Bell. Gildon.*

—— *sonipes ignarus habenæ,*
Virga regit ——

Et Silius Ital. *lib.* 1. ubi virgæ rationem indicat:

—— passim exultant Numidæ, gens inscia freni,
Queis, inter geminas per ludum mobilis aures,
Quadrupedem flectit, non cedens, virga, lupatis.

Quâ nempe leviter percutiebant colla aliàs mobilia. Nemesianus *Cynegetic.*

Nam flecti facilis, lascivaq; colla sequutus
Paret in obsequium lentæ moderamine virgæ,
Verbera sunt præcepta fugæ, sunt verbera freni.

Neve quicquam obstaculo esset, jubam equinam nodis implicabant implectebantque. Hinc Statius *Thebaid. lib.* 9. *versu* 687.

Colla sedent nodis & castigata jubarum
Libertas ——

Quæ res ornamento pariter erat equo, & commodo equitis. Quò autem aptiores humanis usibus equi essent, in exercendis iis curandisque diligentes admodum fuere. Ac proin in arena, prope amnem aut lacum illos volutare consuefaciebant, quæ loca huic rei destinata κυλίστρας dicebantur & ἁλίστρας, uti docet Pollux *lib.* 1. *cap.* 11. & Hesychius. Habebant porro peculiares scholas, in quibus jam dociles sagacesque reddebantur, ut nominibus etiam certis assuescerent, quibus auditis facerent imperium. Iterum Statius *Thebaid. lib.* 6. *versu* 460.

Nec jam sufficiunt stimuli, non verbera, voce
Nominibusq; ciens Pholoen, Admetus, & Irin &c.

Qua de re V. plura apud Casp. Barthium *Animadvers. ad hunc Poetam, passim.*

Equo Imperatoris, privato insidere nefas, Vopisc. in *Aurel.* quemadmodum nec in sella regia sedere tali licitum erat, Spartianus *in Hadrian.* Quod utrumque non in Romanis solùm Impp. servatum, sed & in aliis Regibus ac Principibus. Hinc apud Auctorē *Aruch* legimus inter triginta Regis Judæorum מעלות i. *prærogativas*, quibus Regia Majestas illi asserebatur, etiam duas istas: *Nemo Regis equo vehitur: Nemo ejus sella sedet* &c. Casaubonus *ad Spartianum.*

Equus, cùm robore, tum celeritate, commendatur, unde adeò multiplex ejus in vita usus. Celeritatis inprimis magnum argumentum est, quòd intra 24. horas, secundùm Arabes, iter expediunt centenorum millium, ut est apud Ludov. Romanum *Navigat. lib.* 14. Ac apud Vopiscum in *Probo*, per dies octo vel decem ita continuasse legas. Interim *equa* mari pernicior. Unde Horatius *l.* 2. *Carm. Od.* 16. habet,

—— Tibi tollit hinnitum
Apta quadrigis equa.

V. quoque Maronem *Georg. lib.* 3. ibique Servium. Adde, quòd urinam cursu non impedito reddunt, quæ causa quòd *Scythæ per bella feminis uti maluere*, Plin. *lib.* 8. *cap.* 42. Imò ejusdem est, *lib.* 10. *cap.* 63. *Vicisse Olympia prægnantem Echecratidis.* Et Herodoti *lib.* 6. de equabus Cimonis, *tres Olympiacas victorias reportasse* & proin è regione ejus sepulchri fuisse tumulatas; qui honor equabus antè Evagoræ Laconis quidem, sed equis tum nondum obtigerit &c. V. Gerh. Joh. Vossium *de orig. & progr. Idolol. lib.* 3. *cap.* 63. Sed & in sacris *Equorum* usus non infrequens fuit. Namque Soli à Persis *Equum* immolari consuevisse, præter Herodotum & Trogum, testis etiam est Xenoph. *Cyro-pæd. lib.* 8. Imò & Ovidius *Fastor. lib.* 1.

Placat Equo *Persis radiis Hyperion cinctum,*
Ne detur celeri victima tarda Deo.

Ubi & caussam illius sacrificii addit. Ac similiter ex Philostrato *de vita Apoll. lib.* 1. videmus, quia Sol candidus sit, eo album solitum ei fuisse equum sacrificari. Massagetas etiam id animal mactasse Soli, ait Herodotus *lib.* 1. Armenios item, Xenoph. Ἀναβάσ. *lib.* 4. De Spartanis idem narrat Pausanias *in Laconicis*: de Æthiopibus, Heliodorus *lib* 10. &c. Quâ eadem superstitione imbutos Judææ Reges, Soli currus & equos dicasse, quod tandem à Josia abolitum, legimus 2. Regum *cap.* 23. *vers.* 11. Fuere autem Reges illi Manasse & Amon, qui equos Soli dederunt seu consecrarunt, i. e. seposuerunt vel mactandos, vel, ut Hebræi sentiunt, manè cum pompa deducendos, versùs orientem Solem. His sive alendis sive exercendis, destinatum locum definit Scriptura, *ab ingressu domus Dei ad domum Nathan-Melechi Eunuchi, quæ erat in Parvarim, loc. cit.* Qui locus Templo vicinus fuit, sic ut ab eo ad Templi fores nihil fuerit, præter equorum stationem, V. Sam. Bochartum *Hierozoici Part. prior. Lib. II. cap.* 10. Sed & apud Romanos, publicis sacris *Equum* immolatum legimus, apud Plinium *lib.* 28. *c.* 9. *Flamini sacrorum equum tangere non licet, cùm Romæ publicis sacris equus etiam immoletur.* Quò facit, quòd & Ducum inferiis mactatos legimus, prisco recentioriq; ævo, de quo more V. Higinum *c.* 273. & C. Barth. *Adversar. lib.* 14. *cap.* 19. & *Animadvers. ad Statium Thebaid. lib.* 12. *vers.* 68. Aliàs *equus* singularis Lucifero, biga Lunæ, quadriga Soli, sacri &c. Porro in cibum nonnullis gentibus hoc animal placuit. Plin. *lib.* 18. *cap.* 10. *Sarmatarum gentes hac maximè pulte aluntur, & cruda etiam farinâ, equino lacte vel sanguine è cruris venis admisto.* Unde Martialis,

Venis & epota Sarmata pastus equo.

Quis autem primus *equo* vehi invenerit, suprà dictum, ubi alia quædam huc pertinentia. *Argentum incoquere — cæpere Galli equorum maximè ornamentis, jumentorumq; jugis, in Alexia oppido,* Plinius *lib.* 34. *cap.* 16. Ornamenta equorum eburnea maluere Britanni, Strab. *lib.* 4. In Consualibus olim apud Romanos coronati, utpote sacri Neptuno; ut & qui sacra vehebant: in Triumphis laureati fuere, Martial. *lib.* 7. *Epigramm.* 8. Aliàs Imperatorum, Consulum, Regum, Principum vett. falerati, de quibus V. Jul. Cæsaris Bulengeri *Collectanea de Imperatore lib.* 3. *cap.* 49. Quis verò junxerit primùm, & quòmodo olim ad currum jungi consueverint, diximus alibi. In Circensibus inprimis celebris eorum usus, quibus & nomina indita, urbium, insularum, montium, item à colore, aliisque rebus: ut inprimis videre est in vet. *Inscr.* Aquis Sextiis hodieque extante, in qua plurimorum equorum Circensium nomina, cum numero victoriarum, & patria. Initium sic habet,

.. II. PRÆMISIT ET C. T.
OCCUPAVIT ET CIT. CCCV.
INTROJUGIS VICIT.
SANIPPO CINIS. X. HILARO AF. I.
ÆGYPTO PE. I. MACVL. AF. I. &c.

reliqua V. apud Jac. Sponium *Itiner. Part.* 3. *p.* 23. & 24. Quod etiam de Heroum Deorumque equis, apud antiquissimos Poëtas, jam legimus. Insuper signa iis inurere, duas præcipuè literas *Sigma* & *Cappa* apud Græcos, tralatitium. Iidem hordeo equos pascebant, unde κριθιῶν πῶλοι dixere, quemadmodum similiter apud vett. Romanos, qui avenam non serebant, hordeum iis dabatur, uti docet Salmasius *ad Solinum pag* 387. Ob insignes porro tot dotes ususque tam varios, princeps apud Vett. præmium *Equus* habitus est Silius *lib.* 16.

Primus equum volucrem, Massyli munera Regis,
Haud spernenda tulit ——

Qua de re V. C. Barthium *ad Statium Thebaid. lib.* 6. *pag.* 644. In specie de Luciferi ac Hesper. equis, ad Statium eundem, ubi Hesperum *Nyctelium* vocat, ita Lutatius: *Lucifer & manè oritur & vesperi; sed equo mutato. Poëtæ autem quadrigas dant Soli, bigas Lunæ, equos singulos sideribus.* A' qua *Equi* mutatione vocatur, *Desultor*, sacratique illi sunt desultorii Equi, de quibus V. Cassiodorum *Var. lib.* 3. Eorundem meminit Isidorus *Origin. lib.* 18. *cap.* 36. *Quadrigas Soli, bigas Lunæ, & trigas Inferis, sejugas Jovi, desultores Lucifero & Hespero consecrarunt.* Nempe quia Lucifer de equo in equum desilire crederetur. Eorum unus *albus*, quo Lucifer vectus, apud Ovidium *Amor.* 2. *Eleg.* 11. At Hesperi equus *furvus*, ut indicat Ovidius idem *lib.* 2. *Fastor. vers.* 314. V. denuo Vossium *lib.* 2. *cap.* 31. Nec omittendus Darii Persarum R. mos, qui in sigillo sculptum habuit *Equum, δι' ὃν χρεμετίσαντα ἐβασίλευσεν, per quem hinnientem Rex factus fuit*, ut notat Thucydidis Scholiastes; Historiam V. apud Justinum *lib.* 1. *postremo*: Plura verò *de Equis*, inprimis *de* eorum *subnervatione*, cujus mentio Josuæ *cap.* 11. *vers.* 6, 9. 2. *Sam. cap.* 8. *versu* 4. & 1. Paralip. *cap.* 18. *vers.* 4. *de spinis abscissione & plantæ pedis excavatione*, quibus duobus mediis expeditiores eos ad cursum fieri, ait Chaldæus Paraphrastes Estheræ *cap.* 8. *versu* 10. apud Bochartum, ubi suprà passim, præcipuè *cap.* 11. De *equis* porrò ἀθλοφόροις, item *bellatoribus*, & terriculamenta hisce addendi more; de *equis Heroum*, ferarum spoliis insigniri solitis, Car. Paschalium *Coronarum lib.* 6. *cap.* 15. *lib.* 9. *cap.* 25, & *lib.* 10. *cap.* 18. Addam hoc unum, in Zacharia Propheta sex *Equorum* colores memorari, *rufum, album, nigrum, flavum* aut *gilvum, scutulatum, spadicem* aut *phœniceum.* Inter quos in pretio maximè *albus* est: Sed cùm albedo equorum duplex sit, alia pallori propior, alia candens & perfusa luce quadam; ille color in equo deterrimus, hic probatissimus: ille propriè *albus*, hic *candidus* dictus, Servius *ad Virg.* Cujusmodi candidis equis Camillus, & ante ipsum Romulus, ac post ipsum varii Duces ac Imperatores in triumphis, usi, V. de Augusto Ovidium *de Arte lib.* 1. de Stilicone, Claudianum, de aliis alios. Eodem candore delectati Principes, in solennibus in urbes ingressibus: uti de Innocentio & Alexandro III. Pontificibus Rom. legimus apud Sugerium *in Ludovico VI.* & in *Actis* Alexandri A. C. 1177. de Carolo IV. Lutetiam veniente, apud Continuatorem Nangii. V. quoque Henr. Valesium *ad Berengari Imp. Panegyr. pag.* 205. Hinc magni muneris loco, Ticinensi Episcopo concessit Joannes & Honorius III. *ut album equum coopertum equitaret, in Ramis palmarum & secundâ Feriâ post Pascha*, uti docet du Fresne *in Glossar.* ex Bulla utriusque Pontificis, aliisque Auctoribus hanc in rem laudatis. V. quoque Dempsterum *Antiqq. Romanar. lib.* 10. & suprà, ubi de colore hoc, ut & Barthium *ad Statium passim.* Apud Romanos *Equisones*, uti vocat Apulejus 7. *Met.* armenta equilia curabant: quos *equorum Magistros* appellat idem *lib.* 8. *Agasones*, Græcè Ἱπποκόμους, seu *Custodes equorum*, qui & *Equitii* & *Gregarii* dicti, cùm equorum grex dicatur *equitium*, in *Epit. antiq. Juris civ.* &c. V. Laur. Pignorium *Comm. de Servis.*

Equorum varia apud Scriptores genera ac epitheta.

Equi Albi, V. suprà.

Equi Appretiati, dicebantur equi militares vassallorũ, qui ad Regum aut Principum *submonitiones* in castra proficiscebantur. Eorum enim, priusquam ad bella & prœlia sese accingerent, equi æstimaban-

mabantur, ut, si interficerentur & perirent, pretium eorum Dominis à Rege aut Principe restauraretur. Maximum verò equorum pretium erat 25. libr. licèt pluris valerent, V. du Fresne *Gloss.*

Equus Armatus, præstationis species, in *Charta* 1306. Id.

Equi Assyrii, in Scriptura celebres sunt; in quibus Prophetæ laudant ungulas firmas, ut petra: impetum, qualem turbinis; volatum, ut aquilæ properantis ad escam; Eosdem pardis conferunt & lupis vesperæ acutiores esse asserunt. V. infrà *Nisæi.*

Equi Asturcones, V. *Asturcones.*

Equi Barbarici, V. suprà.

Equi Bellici, frementes fere describuntur Poëtis: armorum strepitu & fulgore non terrentur &c. Bochartus.

Equi Canonici militares, qui ex canone seu in canonem ad militares usus præstabantur, *l.* 3. *Cod.* Th. de Equorum conlat. &c. V. quæ de equis in canonem seu in *domum* Galliæ Regibus, ab omnibus, dari solitis, adnotavit du Fresne *Dissertat. 4. ad Joinvillam.*

Equi Cappadoces seu ex Thogarma, omnium nobilissimi: quorum 1500. quotannis ex Cappadocibus tributi nomine exegere olim Persæ. *Lex* Theodosii *gregem Dominicum* vocat, quia Cæsarum usibus servabantur, nec eos factionibus dividere licebat, nisi Impp. permissu. Quocirca Eutropio crimini datum, quòd Consul cùm esset, *ἀ-ναξίως ἀνεξέτατο*, *animalibus præter fas usus esset* &c. Bochartus *ubi suprà cap.* 9.

Equi Cataphracti, *Cooperti*, V. hic infrà *Vestiti.*

Equi Colatorii, V. suprà in hac voce.

Equi Coppatiæ, quibusdam dicti, quia terram ungulâ *κόπτουσι*, *pulsant*; vel qui literam *coppa* femori impressam habent. Schol. Aristoph. *in Nub.* Boch. c. 8.

Equi Curatoricii, *in l.* 29. *Cod. Theod. de ann. & tribut.* ii fortè, quibus Curatores in provinciis ad peragenda negotia utebantur, quique iis subministrabantur à provincialibus.

Equi Dacisci, apud Capitolin. *in Maximinis.*

Equi Desultorii, V. suprà.

Equi Detruncati, in *Concil.* Chalcutensi ann. 787. c. 19.

Equus Domitus, in *LL.* Malcolmi II. Scot. R.

Equi *ἐλκυστῆρες*, *trahentes*, i. restrictarii, Boch. *cap.* 9.

Equi Feri, apud Capitolinum in *Gordianis.*

Equi Flacci, apud Salmasium *ad Treb. Pollionem in Gallienis.*

Equi Funales, V. *Funales.*

Equi Guttonarii, V. in hac voce.

Equi Heneti, prope Hadriam memorati Euripidi, apud Bochartum *lib. II. cap.* 55.

Equi Hermogeniani, *l.* 1. *Cod. Th. de Grege Domin.* olim in pretio; à quodam Hermogene, à quo distrahebantur, an curabantur, dicti.

Equi Hunnisci, apud Salmasium *ad Capitolin.*

Equi Jugales, V. infrà.

Equi *Καλπωνικοί*, V. suprà *in Calpare.*

Equi Nigri firmissimi, unde Græcis *νωροί*: qui in Æthiopiâ frequentes, equitibus concolores, apud Bochartum ubi suprà. *Lib. II. cap.* 7.

Equi Nisæi, i. in Nisa nati, nobilissimi, procerissimi, validissimi, velocissimi, formæ peculiaris, flavi fere aut albi: quibus Assyrii utplurimum usi. His similes in Armenia & Parthia *equi*, ubi eorum gressus ad dominorum delicias arte molliti. V. eundem Bochartum *cap.* 9. *Nisæi* verò in Media campi, meminere Suidas & Eustathius *ad Dionysium.*

Equi Palmati, vel *Palmatii*, equi Cappadoces, à quodam Palmatio Cappadoce, qui Andavili opp. prope Tyanam habitabat, dicti, in *Itinerario Hierosolym.* seu *Burdigal.*

Equi Parthisci, Persisci, Phrygisci, V. suprà *Equi Hunnisci.*

Equi Pomellati, Gallis hodie, qui olim *Scutulati.*

Equi Sagmarii, qui *sagmas* portant, apud Vopiscum *in Aureliano* & Lampridium *in Heliogabalo.*

Equi Samphoræ, qui literam *San* femori impressam habebant, V. suprà *Equi Coppatiæ.*

Equi Scutulati, V. *Equi Pomellati.*

Equi Sellarii, qui *sellas* portant, V. Casaubonum & Salmasium, *Ibid.*

Equi ad Stallum, in *LL.* Wisigothorum *lib.* 8. §. 4. admissarii sunt. Gall. *Estalons.*

Equi ex Thogarma, V. *Equi Cappadoces.*

Equi Threcisci, apud Salmasium *ad Pollionem in Claudio.*

Equi Tolutares, V. infrà.

Equi Trecenarii & *Tricenarii*, similiter.

Equi Trepidantes, itidem.

Equus Vestitus, apud Arnoldum Lubec. *lib.* 2. *cap.* 4. idem cum *palliato*, apud Sugerium *in Ludov. VI. phalerato*, *in Annal.* Colmar. *cooperto*, apud Albertum Argentin. *strato* apud Anselmum Episc. Havelb. *Dial. lib.* 3. *cap.* 12. *armato*, de quo suprà: bellicus nempe sagoque instructus; cujusmodi equos in Nobilium funeribus offerri solitos, docet du Fresne &c.

Equus, qui postmodum *Aries* dictus est, in muralibus machinis Epei inventum ad Trojam, memoratur Plinio *lib.* 7. *cap.* 56. At inventum fuisse à Carthaginensibus, Septimius Florus ait. Vitruvius, in oppugnatione Gadium, primitus adhibitum scribit *lib.* 10. *cap.* 18. ad quem l. V. Barbarum; adde Hadr. Turnebum *Adversar. lib.* 8. *cap.* 20. aliosque Autores laudatos Dalechampio *ad Plin.* ut & suprà in voce *Aries.*

Equus Marinus, aliter *Hippopotamus*, animal est quadrupes & amphibium, quòd licèt inter aquas degat, inter terrestria tamen non malè refertur. Refert de illo Odoardus Barbosa, quòd sæpius visus sit à Lusitanis nautis, in Ins. *Cefala*, ad pascua exire & in pratis, pecudum instar, gramine vesci: deprehensum ita sæpius & circumventum in prædam venisse; quod si tamen eorum casus fefellisset, concitatissimo cursu ad cymbas adproperasse, illasque sic contrivisse, ut nautis inutiles redderentur penitus. Ad quinque cubitos excrescit in altitudine; pedesque aures, caudam & vocem habet equinam: nisi quòd ungulæ pedum taurorum in modum bifidæ sunt. Nares ei patulæ, labia repanda, rictus vastus, in quo utrinque tres magni, sed obtusi ac prominuli dentes. Humanam amare carnem, Aristoteles docet, qui de *Mirabilibus* Indiæ scribens, verba Alexandri ad se scribentis ita refert: *Ducentos milites levibus armis misisse, per amnem nataturos, itaq; quartam fluminis partem nataverunt; cùm — Hippopotami inter profundas aquarum gurgites ruerunt, raptosq; milites nobis flentibus absumpserunt.* Ad Nili ripam frequens est, uti & crocodilus: quæ proin duo *Behemoth* & *Leviathanem* Hiobi esse, Viri eruditi sentiunt. Asservat *Museum* Kircherianum belluæ hujus fragmentum ex dentibus dissectum, tantæ duritiei, ut cuivis silici æquiparari possit; non minùs enim percussum aut affrictum chalybe, quàm quivis alius silex, scintillas evomit: contra venena & hæmorrhoides, ut ajunt, efficax. Ibidem cauda quoque *Equi* hujus *Marini* ostenditur &c. Georg. de Sepibus *in Collegii Rom. Soc. Jesu Museo pag.* 31. V. quoque infrà, in voce *Hippopotamus.*

E R.

ER. in *Notis* antiquorum, *Eris*, vel *Erunt.*

Eranarches, Græcè Ἐρανάρχης, stipi colligendæ erogandæq; præfectus, dicebatur apud Græcos. Habebant enim hi id instituti antiquitus, ut, si quis in paupertatem dilaberetur, aut ab hostibus esset captus, aut virginem haberet nubilem, quæ ob inopiam collocari non posset, Eranarches *amicorum concilium haberet, & quantum quisq; daret, pro facultatibus imperaret*, ut hac *ἐράνῳ* seu *stipe* subveniri posset urgenti necessitati, Corn. Nepos *Epaminonda.* Sed & *ἔρανος*, *cœna collatitia*, quâ ratione Ἐρανάρχης idem cum *Convivii Magistro* esset, de quo suo loco.

Erasi, apud Plinium *in Panegyr. Datum est his, qui post edictum tuum in locum* erasorum *subditi fuerant, æquatiq; sunt cæteris, illi etiam, quibus non erat promissum*: Budæo, sunt deleti ex numero eorum, qui accipiebant congiarium, apud Calvinum *Lexic. Jurid.*

Erchia, adde: patria Xenophontis, de quo V. suo loco.

Ercifcunda bonorum divisio, V. infrà in voce *Herctum.*

Erechtheis, Tribus Atheniensis, ex XII. una, cui ab *Erechtheo*, qui Immaradum filium Eumolpi bello Eleusinio è medio sustulit, nomen, V. in voce *Erechtheus.*

Δῆμοι seu Populi Tribus Erechtheidis.

Agraule vel Agryle.	Lampra inferior, seu Maritima.
Anagyrus.	Pambotadæ.
Euonymia seu Euonymus.	Pergase.
Cephisia.	Phegus.
Lampra superior.	Subridæ.

Themaci vel Themacus.

Erechtheus, adde: Unà cum filiabus in Deorum numerum relatus est; Pater quidem, quia paruisset Oraculo dicenti, superiorem fore bello contra Eumolpum, Thracum R. si filiarum unam immolaret: Illiæ autem, quia & illa, quam Parens sacrificio, destinaverat, lubenti animo se ad hoc obtulit; & soror, imò universæ, ut alii ajunt, sorores, sese pro Patriæ salute interemissent. *Hyacinthidas* vocat Demosthenes *Orat. fun.* quia in Hyacintho vico immolatæ, ut habet Suidas. Eædem per excellentiam *Virgines* dictæ sunt, eodem auctore. Unde & Cicero *pro Roscio*: *Mortes etiam Virgines Athenis, Regis, opinor, Erechthei filiæ, pro Patria contempsisse dicuntur.* De *ἀποθεώσει* Patris & filiarum, sic Idem *de Nat. Deor. lib.* 3 *Ob eam ipsam causam* Erechtheus *Athenis filiæq; ejus, in numero Deorum sunt.* Sed & Buten filium habuit; cui sacra quoque esse facta, indicat Pausanias *Attic.* Apud Servium *Erechtheum* potiùs hunc quàm qui ante ipsum regnavit, Erichthonium, intellige, cùm *in Æn.* 7. scribit: *Virbius est Numen conjunctum Dianæ, ut Matri Deûm Attis, Minervæ Erichthonius, Veneri Adonis.* Ei Cecrops II. successit. Gerh. Joh. Vossius *de Idolol. lib.* 1. *cap.* 13.

Erechthia, adde: Isocratis, Oratoris illius clarissimi, patria.

Erecti, stabant Vett. in Gymnasiis, alibique, exercitationis causâ: idque multipliciter fiebat. Vel enim ante cibum, vel post cibum; vel pauco, vel multo tempore: vel in Sole, vel in umbra; hacque vel clausâ vel apertâ. Porro, vel uno pede, vel ambobus; & vel iis totis & planis, vel extremitatibus eorum, calcibus & summis digitis solùm nixi, stabant. De quibus omnibus, V. Hieron. Mercurialem *de Arte Gymnast. lib.* 3. *cap.* 3. & *lib.* 5. *cap.* 1. ut & infrà, ubi de *Standi* hoc ritu. V. quoque ubi de Philosophorum *Assess.*

Erenia.

Eremitæ, V. infrà *Laura*. Hinc *Fratres Eremitarum*, dicebantur in Communione Rom. Religiosi Ordinis Fratrum Minorum, qui loca deserta & solitaria, *Eremitoria* nuncupata, sub disciplina Fr. Pauli incolebant. Sed nomen paulo pòst defecit, inquit Waddingus *A. C.* 1375. *num.* 44. dum ab Eremitoriis ad occupanda etiam & reformanda majora Cœnobia transierunt, du Fresne *Glossar.*

Eretria, adde: *Eretria* Eubœæ, patria Menedemi fuit, qui scholâ *Eretriæ* instituta effecit, ut Philosophorum secta, quæ priùs *Eliaca* vocabatur, (ab auctore Phædone Eliensi) postea *Eretriaca* diceretur. Scripsit de Philosophis hisce volumen olim Sphærus Bosphoranus, Zenonis Cittiei auditor, teste Gerh. Joh. Vossio *de Sectis Philos. cap.* 10. V. suprà in voce *Eliensis*. Sed & *Eretria terra*, in medicaminibus nobilis, quæ optima τῇ χροιᾷ σποδίζει, *colorem cinereum exprimit*, ut ex Dioscoride docet Salmasius *ad Solinum pag.* 257.

Ergana, Gr. Ἐργάνη, cognom. Minervæ, apud Athenienses, quia omne opificium Sapientiæ sit inventum. Ei sacra erant primitus Χάλκεια, id est, *Æraria*, quæ etsi & ab opificum aliis celebrarentur, unde hoc festum Πάνδημον quoque vocarunt, quasi *totius Populi*, præcipuè tamen id à *fabris* fiebat, quare à Phanodemo, ut auctor nobis Harpocration, Vulcani festum dicitur. Videlicet cùm omnium haberetur Opificum, Minervæ vocabatur, at, quia in opificibus Fabri ferrarii ferunt primas, ac præcipuè hoc sibi festum vindicabant, solius haberi cœpit Vulcani, cui idcirco & Pollux tribuit. V. Vossium *de Idolol. lib.* 2. *cap.* 66. Aliàs Ἐργασία Græcis propriè *terræ cultura* est, quæ fossione vel aratione peragitur, separaturque ἀπὸ τῆς βοσκῆς, ἀπὸ τῆς ὑλοτομίας & ἀπὸ τῆς θηρεύσεως, ut videre est apud Theophrastum *de Causis lib.* 3. *c.* 25. Et γῆν ἐργάζεσθαι, *terram fodere* vel *arare* est, unde ἐργάσιμος γῆ &c. uti pluribus docet Salmasius *ad Solinum pag.* 589.

Ergastulum, propriè locus, ubi servi, si quid commisissent, vincti detinebantur, gravioris aliquo laboris genere exercendi: quemadmodum in Sophronisteriis, domibusque Disciplinaribus, hodieq; fieri assolet. Includebantur illi privatâ heri auctoritate. Promiscuè vox à nonnullis cum Carcere confunditur, qui publicum erat reorum receptaculum, in quod Magistratûs auctoritate liberi homines conjecti necabantur. V. Thom. Godvvyn *Anthol. Rom. lib.* 3. *sect.* 3. *cap.* 5. & suprà in voce *Carcer*, item *Fossor*; propriè enim ergastulum domicilium fossorum erat. Præerat iis *Ergastinus*, ut appellat Nonius, seu *Ergastularius*, ut Columella. V. Laur. Pignorium *Comm. de Servis*. Cujusmodi *Ergastula Servorum & liberorum tulit* Adrianus Cæs. apud Spartianum, h. e. sustulit, eandem planè ob causam, ob quam ea repurgaverat olim Augustus. Nempe multi etiam liberi & ingenui homines ex occulto & insidiis inter viam rapiebantur & in *ergastula* compingebantur à possessoribus, multi quoque sponte, ad vitandam militiam, in ea se conjiciebant, ut legere est apud Suetonium in *Augusto & Tiberio*; id quod Hadrianus penitùs sustulit, ut ne unquam illi fraudi occasio pateret. Sed de privatis hoc cape *Ergastulis*, in quæ servi à Dominis suis mittebantur. Publicorum enim passim, post Hadriani tempora, mentio etiam apud Jurecoss. apud quos abigeatores, incendiarios, plagiarios, alios, ad opus publicum aut in metallum damnari sæpe reperias; opus autem publicum & metallum *Ergastuli* nomine designari, notum. Sed nec de privatis diu id post Hadrianum obtinuit: Meminere enim iterum hujusmodi *Ergastulorum* Lactantius *Institut. lib.* 5. Apulejus, qui sub Pio & Marco floruit; Cyprianus *Epist.* 82. Gratianus, Valentinianus & Theodosius *l. fin. in Cod. Theod. tit. de Tiron.* Alii. Porrò vox *Ergastuli*, non origine tantùm, sed etiam, formatione Græca est, quam juxta alias complures à Siculis Romani accepere. Ut enim ab ἔργον, ἐργαστήριον, καπηλεῖον, καπήλιον &c. sic ab ἐργαστὴς, ἐργαστύλος, diminut. formâ, *qui terram colit*, & in ejus cultu, quà arando, quà fodiendo, laborat. Hinc *Ergastulus*, vel *Ergastilus*, ut in antiqq. libris habetur, apud Nonium in Lucilio, atque inde ἐργαστύλειον adject. locum, in quo ejusmodi ἐργαστοὶ vincti, ad opus faciendum detinebantur: quod postea in substantivum transiit: unde *Ergastulum* factum. Salmasius ad *Spartianum l. c.*

Ergatæ, Gr. ἐργάται, i. *operarii*: quo nomine inprimis dici Epirotarum agmina, qui patriam quotannis relinquere & ulteriora ditionis Turcicæ adire, operis simul & quæstus faciendi gratiâ, consuevere, adnotat Joh. Casaubonus *ad Suetonium in Vespas. c.* 2.

Erginul, Tartariæ pars, Septentrioni obversa, Arab. *Giermok*, ubi maximos describit fasianos Paulus Venetus, *caudas habentes longitudinis decem palmarum aut octo*, *lib.* 1. *cap.* 62. Ibidem muscus quoque, V. Geographum Nub. *pars.* 9. *Clim.* 3.

Erichthonius, Athen. R. adde: Ob quadrigarum inventum, inter sidera relatus *Heniochus* vel *Auriga* dictus est, teste Cæs. Germanico & Interprete; item Hygino *in Poetic. Astronom.* Ei in Imperio Pandion successit; ad cujus tempora non pauci Veterum referunt, quæ de Cerere, Ithaco, Celeo ac Triptolemo, narrantur. Quemadmodum *Erichthonio* coævus fuit Icarus, qui à Libero vini faciendi modum edoctus creditur: pater Erigones, quæ in cœleste Virginis signum dicitur conversa, de qua suo loco. Vossius *de Orig. & progr. Idolol. lib.* 1. *cap.* 13.

Ericia, Gr. Ἐρικεία, pop. Atticæ, ad tribum Ægeidem pertinens. Sponius ubi de 174. *Atticæ Pop.*

Principes ex Familia Brunsuicens.

Ericus, cognom. *Senior*, filius secundus Wilhelmi cognom. *Junioris*, Ducis Brunsuicensis, Gœttingensem & Calenbergiam lineam condidit, cùm frater ejus Henricus cognom. *Senior*, Guelferbytanam esset orsus. Palæstinâ visitatâ, in aula Maximiliani I. Imp. cui in bello Bavarico, prælio adversùs Bohemos, vitam, aureâ stellâ insignibus additâ ob id donatus, servaverat, vixit. Bello dein gravi, cum Hildeshemio Episcopo Johanne Lauvvenburgico implicitus, ab illo gravem accepit cladem: sed proscripto à Carolo V. ob pacem publicam violatam Episcopo, majorem partem diœceseos ejus subactam sibi addixit: Quo pacto arces 18. præter alias Nobilibus feudo concessas, oppida 7. & ad 1000. pagi *Erico*, & Henrico nepoti ejus accessere. Obiit A. C. 1540. Pater *Erici Jun.*

Ericus, cognom. *Junior*, filius prioris, Patri successit, sub tutela matris Elisabethæ Brandeburgicæ: à qua in religione Evangelica educatus, eam postea deseruit: matre ad rei nuntium extinctâ. Bello Smalcaldico Cæsari militavit, & A. C. 1546. adversùs Bremenses missus est, sed nullo successu. Bellum dein ei adversus patruelem Henricum A. C. 1552. ortum, sed sequente anno compositum est. Ipse Alberti Brandeburgici partes nihilominus tueri pergens, ejus causâ ad Cæsarem suscepit iter. Conscriptis postmodum A. C. 1557. copiis in Belgium iturus, in itinere Christophorum Arch. Bremensem coërcuit: inde adversus Gallos Hispanorum miles: prœlio ad Quintini Fanum interfuit. Daniæ R. anno 1563. ab eo sibi oblatas contra Suecos copias accipere recusante, hic stipendia solvere impos, à Monasteriensi Episc. inde Dantiscanis, pecuniam extorsit. Mox Borussiam invasurus, à Sororio Brandeburgico, Alberto, prohibitus est: Unde exercitus dilapsus. Tandem, cùm biennio antea, cum agnatis, Hojensibus Comitibus successisset, Papiæ vitam clausit A. C. 1584. nullis ex Sidonia Saxonica & Dorothea Lotharingica, ob cujus in regnum prætensiones Daniæ Regi terrori erat, relictis. Hæreditatem ejus crevit agnatus Julius. V. Phil. Jac. Spenerum *Sylloge Gen. Hist.*

Ericus Ruffus, primus ex Islandia colonos in Groenlandiam adhuc desertam deduxisse perhibetur, quem postea plures alii secuti. V. Georg. Hornium *Orbe Imper. pag.* 359. & in voce *Groenlandia*.

Erigena, vulgò dictus Joannes, qui *Scotus* Ingulfo, sub Carolo Calvo vixit, Imperatori huic gratus: quòd Hibernus esset, appellatus ita. *Eriugenam*, non *Erigenam*, in vett. *Codd.* dici, monet Sirmondus *ad Concilium Valentin.* III. *Irenses* porro non semel vocat Hibernos Order. Vitalis *lib.* 11. & 12. Galli *Irois*, Germani *Iren*; sed & Hiberniam *Erin* nominant iidem Galli. Hibernos verò etiam *Scotorum* nomine innotuisse, dictum suo loco. V. Car. du Fresne *Glossar.* & in voce *Joannes*, nec non infrà in voce *Scotus*.

Erigone, adde: V. infrà in voce *Virgo*. Ejusdem in honorem plerique Athenienses festum, quod Ἀιώρα dicebatur, instituisse censent: Alii tamen factum id honori alterius *Erigones*, Ægysthi & Clytemnestræ filiæ, contendunt, uti legere est apud Hesychium in Ἀιώρα, ubi utramq; opinionem adducit. V. Gerh. Joh. Vossium *de Idol. lib.* 1. *cap.* 13. Idem carminis nomen est, quod Tripho fecit, quo in poëmate *restis* frequens mentio, uti adnotat Jul. Cæs. Scaliger *Poetices lib.* 1. *cap.* 50.

Erinaceus, seu *Echinus*, Græcè χὴρ, unde Latinum *her*. Calpurnius,

— — *spinosi corporis herem*;

atque hinc *ericius* & *erinaceus*, absque aspiratione, item *er*, apud Plautum in *Captivis*,

modò venare leporem, nunc ërim tenes.

Ubi *eri*, h. e. erinaceo, asperum suum victum comparat senex, spinulento animali; mollem autem & delicatum lepori, cujus nihil mollius pilo. Ex *ericius* postmodum ῥίτζος fecere recentiores Græci. De iis Plinius, *infame animal, non ut vanum plerique, vita hominum super vacuum est: si non sint aculei, frustra vellerum mollitia in pecude mortalibus data, hac cute expoliuntur vestes.* Nempe non quælibet, sed è lana molliore factæ, *erinaceorum* cute, aut spinarum acervo, pectebantur: atque hæ *pexa* propriè, quæ nempe multo flocco opertæ sunt, eoque pexo & polito arte fullonis &c. Salmasius *ad Solinum pag.* 590.

Eripere Campum, verbum Circense. Nempe sicut de primo ostio missis dicebatur, *Occupavit & vicit*; de secundo, *Successit & vicit*: Ita de iis, qui tertio ostio exibant & tamen victoriam consequebantur, usurpabatur, *Eripuit & vicit*, uti ex *Tabula* Agitatorum Circensium discimus. Præmium siquidem *eripiendum* veluti erat primo & secundo loco egressis, siquidem talis palmam consequi vellet. Aut potiùs intelligendum, *Campum eripi*. Id namque disertè expressit in Circensibus Scipionis Silius *lib.* 16. ubi omnia Artis hujus vocabula studiosè posuit:

Tene, Astur, certamine fertis quisquam aequore palmam
Eripiet?

V. Salmasium ubi suprà *pag.* 904.

Erithia, opp. Mauritaniæ, à Phœnicibus conditum, de quo V. Salmasium ibid. *pag.* 289. ut & in voce *Erythia.*

Erminstraet, seu *Ermingstreet*, una è IV. Angliæ viis militaribus celebrioribus, quam eæ interscecant ac percurrunt, olim à Romanis extructæ: dicta quasi *via Mercurii*, quem sub nomine *Irminsuli* Germani vett. coluere. Mercurium autem Græcis Ἑρμῆν dictum, quòd viis crederetur præesse, notum. Reliquæ viæ erant, *Watlingstreat* seu *Werlamstreat*, quòd per Verolamium duxerit; *Ikenildstreat*, quòd ab Icenis initium habuerit, & *Fosse*, quòd fossa, ut putant, utrinque fuerit munita: dicunturque omnes, *Chiminii Regales*, in *LL.* Edv. Confess. *cap.* 12. & 13. *quorum duo*, inquiunt, *in longitudinem Regni, alii duo in latitudinem distenduntur.* Et *pacem Regis* habere dicuntur, ita ut, qui delicta in iis committunt, Regis judicio nudè subjaceant &c. V. C. du Fresne *Glossar.* & Galfridum Monumethensem *lib.* 1. *cap.* 18.

Ermulus, apud Aldhelmum Abb. Malmesbur. *Et ubi pridem ejusdem infandæ natrices, ermuli, cervuliq; crudâ fanis colebantur superstitione in profanis, versa vice discipulorum gurgustia, imò almæ araminûm ædes, architecti ingenio fabrè conduntur*: L. himmuli, ex Augustino *Serm.* 215. simile turpitudinis genus, cum cervula, de qua suo loco.

Viri Principes. Ex Familia Austriaca.

Ernestus, cognom. *Ferreus*, ob eximium robur, Princeps Styriæ, filius secundogenitus Leopoldi Probi, frater quoq; Leopoldi cognom. *Crassi* vel *Superbi*, Archiducis Austriæ, Styriæ lineæ conditor fuit: sicut frater ejus major natu Fridericus cognom. *Senior*, Tirolensem incepit. Reliquis fratribus de tutela Alberti V. altercantibus, solus quietus mansit. Ex Cimburgi Mazovia, fœmina robustissima, pater Friderici III. Imp. electi A. C. 1440. & Alberti, cognom. *Militis*, vel *Prodigi*, fundatoris Academiæ Friburgensis.

Ernestus, filius Maximiliani II. Imp. frater Rudolphi II. & Matthiæ Impp. moderati ac placidi ingenii Princeps, bis Polonis commendatus, nunquam tamen ut Rex eligeretur, impetrare potuit. Sic & opinio Gallici regni, cum quo nuptiæ Infantis proponebantur, fefellit. Croatiam verò & Carinthiam rexit, demum Belgio Hispani nomine præpositus A. C. 1594. qui exitialis ipsi & Hispano maximè luctuosus fuit. Erepti namque Frisii, detractæ Galliæ, arma improspera, insidiæ pacis infames, hostium res inclytæ ac florentes, apud ipsos inopes & turbidæ: eum in vitæ tædium aut mortis necessitatem egere. Gravitas illi morum erat: Belgæ fastum interpretabantur. Cæterùm rebus haud superior, consiliis & mandatis facilè regebatur. Ipsum quanto ab initio expectatior, tanto præsentem major contemtus excepit, ubi otium, Venus, morbi ipsius innotuere: ita ut famosis quoq; carminibus laceraretur. Oneravit ejus insuper famam apud Belgas, quòd urbibus quibusdam Hispanorum ingerere præsidia voluit. Post pacem obiter tentatam, & concilium Bruxellæ advocatum sub initium A. C. 1595. lentâ febre attritus & sanguinante morbo defecit paulo pòst. Leti causam introspectores secti post mortem corporis prodidere calculum, & in renibus vermem, etiam tum viventem, qui proxima arroserat. V. Thuanum *Histor. lib.* 112. & Hug. Grotium *Histor. Belg. lib.* 3. & 4.

Ex Fam. Oldenburgo-Danica.

Ernestus, filius Johannis cognom. *Junioris*, Holsatiæ D. Cæsaris adversùs Turcam miles, prælio ad Agriam A. C. 1596 cum parte exercitus, quæ plenam victoriam jam animo præceperat, ad prædas discurrente, sed à Cicada Bassa, qui palantibus superveniens magnam edidit stragem, oppressa, cecidit. Comes ei fortunæ frater quoque fuit Augustus: quorum ex fratre Alexandro nepos *Ernestus* Guntherus. Canonicus fuit Bremensis & locum tenens prætoriæ cohortis Christiani V. Daniæ R. Pater ex patrueli Augusta plurium liberorum.

Ex Fam. Palatino-Bavarica.

Ernestus, filius Alberti, ex veterum Austriacæ Marchionum prosapia, strenuus Henrici IV. Imp. adversus Hungaros miles fuit: Pater Luitpoldi I. cogn. *Pulchri.* Idem nomen patruo ejus fuit, Sueviæ Duci, cui duo filii in hac dignitate successere. Item filius Alberti cognom. *Sapientis*, Bavariæ Ducis, ex linea Monachensi, frater Wilhelmi natu majoris, qui Patri successit. Aventini discipulus, studiis sedulam navavit operam, unde in primis metallicarum rerum peritiam sibi comparavit singularem: Multas quoq; peregrinationes ignotus obivit. Electus Archiep. Salisburgensis & Episc. Passaviensis, Ecclesias illas æris alieni ope liberavit, & sine subditorum incomodo opibus auxit. Cùm verò ordines majores suscipere nollet, Episcopatum Canonicis resignavit A. C. 1554. in Comit. Glacensem in Bohemia suo ære emtum concessit, & reliquû ibi vitæ tempus exegit. Obiit A. C. 1560. Mæcenas eruditorum.

Ernestus, filius ultimus Alberti V. Bavariæ Ducis, Episc. fuit Frisingensis A. C. 1565. & Hildeshemius A. C. 1573. Cùm autem Episcopo Leodiensi mortuo A. C. 1580. Ordines Belgici eò promotum cuperent Matthiam Austriacum: Hispaniæ Regis & Cæsaris favore, *Ernestus* electus est. Demum, Gebhardo Truckfessio Archiep. Coloniensi, ob religionem, exauctorato, etiam illam dignitatem est nactus, tanquam Princeps opibus & affinitate præpotens, utraque insuper paternâ ac maternâ stirpe illustris: quo factum, ut Gebhardo, & suis & Palatini Joh. Casimiri viribus, frustra obnitente, Electoratum obtineret. Obiit A. C. 1612. A' quo tempore Archiepiscopatus Coloniensis in Bavarica familia hæsit. Ernesto enim successit, ejus ex fratre Wilhelmo nepos Ferdinandus: quem excepit Maximilianus Henricus, filius Alberti, (qui Ferdinando frater erat,) hodie imperans.

E' Fam. Saxonica.

Ernestus, Elector Sax. auctor lineæ *Ernestinæ*, V. in *Lexico.*

Joh. *Ernestus*, fil. minor natu Johannis Elect. *Ernesto* priore geniti, è fratris Joh. Friderici El. tutela egressus, commune regimen cum eo aliquandiu gessit, partem dein Franconicam A. C. 1542. nactus, Coburgi habitavit. Bello Smalcaldico Cæsari, ut fratris vitæ consuleretur, Wittebergâ tradidit. Item filius Joh. Friderici modò memorati, qui ante Patrem decessit.

Joh. *Ernestus*, fil. natu minor Joh. Friderici II. cum fratre Joh. Casimiro in gratiâ, quâ ob turbas à Patre datas exciderant, Comitiis Spirensibus receptus A. C. 1570. Marcsulæ primùm, dein Isenaci sedem habuit, ubi mansit etiam cùm Fratri succederet. Cæterùm simplicioris ingenii Princeps, Electori Saxoniæ gratissimus extitit: Extinctus sine prole A. C. 1638.

Joh. *Ernestus*, filius Johannis Saxoniæ D. è linea Vinariensi, literis & armis egregiè ornatus, magnique animi Princeps, suo fratrumque nomine regimen suscepit A. C 1615. Militarem operam Friderico Palatino Bohemiæ R. Pragæ A C. 1620. Batavis (à quibus Confess. Aug. liberum exercitium Amstelodami impetravit) Hagæ A. C. 1621. indè Danis A. C. 1625. adversus Cæsarem addixit, sumto legato Fuchsio. Sequente anno Osnabrugam, Furstenaviam, Widenburgam cepit. Mox factâ cum Mansfeldio per Marchiam irruptione, multa in Silesia occupavit. Tum in Hungaria Bethlenio junctus, sed brevi ab eo discors, Martini Fani in Hungaria obiit, proscriptionem morte suâ antevertens. Ex ejus fratribus, quos complures habebat; Bernhardus Brisaci victor, celeberrimus nostri ævi Ducum evasit: Wilhelmus & *Ernestus*, genus propagavere; ille Vinariensis lineæ continuator, hic novæ Gothanæ conditor. Wilhelmi fil. *Joh. Ernestus* Vinariæ habitat.

Ernestus præfatus, fil. Johannis, semel fratre Joh. Ernesto absente, administravit ditiones, A. C 1621. Inde ipse quoq; Suecicæ militiæ interfuit: Postquam verò Marti valedixit, ditiones suas mediis etiam in belli flammis & post eas restinctas, huic uni incumbens curæ, prudenter, feliciter atq; non sine multo earum profectu, diu rexit. Permissione impetratâ arcem Gothanam, nomine *Grimmenstein* in *Fridenstein* commutato, restauravit & unà cum urbe munivit. Pater ex Elisabetha Sophia agnata *Joh. Ernesti*; qui obiit ante Patrem A. C. 1657. Friderici, Alberti, Bernhardi, Henrici, Christiani, *Ernesti*, & alterius *Joh. Ernesti.* Elogium ejus nonnemo hoc carmine cecinit:

Eusebie, Pietas, Virtus, tria Numina, nomen
Dicite quod vestris par queat esse bolis.
Dicitis, Ernestus: *Sic verè dicitis, unum hoc*
Laudum vestrarum nomina nomen habet.

Nec omittendus ex eadem Saxoniæ Principum familia, *Ernestus*, fil. *Ernesti* El. de quo suprà: Arch. episcopus Magdeburgensis electus A. C. 1476. Administrator dein Halberstadiensis factus, fratrum Friderici III. El. & Johannis, qui fratri in dignitate hac postea successit, in condenda Wittebergensi Academia adjutor fuit. Moriens sibi *sola Servatoris opera sufficere* testatus est.

Ex Fam. Zollerio-Brandeburgica.

Ernestus, filius Joh. Georgii Ducis Jegerndorffi seu Carnovii, A. C. 1624. extincti, in Wirtenbergica aula aliquandiu vixit, tum Produx Berolini fuit. Obiit improlis A. C. 1624. lineamque, cujus Pater conditor erat, terminavit.

Christianus *Ernestus*, fil. Erdmanni Augusti, ante Patrem Christianum, Culmbacensis vel Beruthinæ lineæ conditorem A. C. 1655. extincti, natus est A. C. 1644. In aula dein Berolinensi aliquandiu versatus, inde A. C. 1657. Argentinensem Academiam invisit Galliâ dein. Italiâ & Belgio lustrato ad El. Brandeburgicum rediit Domum redux administrationem provinciæ suscepit ipse, & Comitia Ratisponensia visitavit A. C. 1664. pòst Imperialis exercitus pars ingens.

Ex Fam. Brunsvicensi.

Ernestus, fil Philippi D. Brunsuicensis, lineæ Grubenhagiæ, pius, constans ac fortis Princeps, ac summus Philippi Hassiæ Landgravii amicus A. C. 1545. Henricum Brunsuicensem agnatum suum, civitatem Brunsuicensem vexantem, ut se dederet coëgit. Inde in bello Smalcaldico, quo frater ejus Albertus occisus est, dextrum exercitus cornu duxit, A. C 1546. sed seq. anno cum Joh. Friderico Saxoniæ El. ad Mulbergam captus, hujus solatio eguit. Dimissus brevi, postea Carolo V. adversus Gallos meruit, & prælio Sanquintiniano, ubi fratrem alterum Johannem amisit, interfuit A. C. 1557. Decessit A. C. 1567. filiâ tantùm Elisabethâ, uxore Johannis Holsatiæ D. relicta. V. Thuan. *Hist. lib.* 41. Ex ejus progenitoribus *Ernestus* quoque fuit, filius Henrici cognom *Mirabilis*, qui lineam condidit: quemadmodum in fratribus Ernesti præfati Wolfgango A. C. 1595. & Philippo A. C. 1596. extinctis, eadem terminata est.

Ernestus, filius secundo-genitus Alberti cognom. *Pinguis*, Ducis Brunsuicensis, Gœtingensem seu *an der Lein*, Principatum,

in divisione paternæ hæreditatis nactus: cum ad filium Ottonem cognom. *Armipotentem* vel *Malum*, & nepotem Ottonem cognom. *Coclitem*, in quo ramus defecit, hæreditate simul ad Cellenses & Wolfenbutelanos Principes delatâ, transmisit.

Ernestus, fil. Henrici cognom. *Junioris*, seu *Medii*, Ducis Lunaburgici, cum Francisco fratre & aliis Principibus Augustanæ Confessioni subscripsit, ac Cæsari obtulit, sicque Smalcaldico fœderi accessit: quæ causa, quòd Investitura illi à Cæsare aliquandiu fuit negata. Postea ob imperium urbis Brunsuici cum agnato Henrico ei lis fuit, scriptis acta. Decessit Princeps pientissimus A. C. 1546. relictis ex Sophia Megapolitana Francisco Ottone successore; Friderico, cui prælium Sivershusanum ferale: Henrico lineæ Dannenbergicæ, nunc Wolffenbutelanæ, & Wilhelmo Cellensis, conditoribus: quorum ille Julium *Ernestum* inter alios genuit, qui post patrem Dannebergæ habitans, obiit A. C. 1636. fratribus minoribus Francisco & Augusto successione relictâ.

Ernestus, primogenitus fil. Wilhelmi præfati, Patri A. C. 1592. extincto, in Ducatu Cellensi successit, obiit A. C. 1611. relicto successore fratre Christiano, cognom. *Seniore*. Ejus ex fratre alio Georgio nepos, *Ernestus* Augustus, Episcopus Osnabrugensis, ex Sophia Palatina, egregiæ prolis parens est.

Ex Familia Badensi.

Ernestus, filius Christophori, Marchionis Badensis, ex Otilia Catimeliborensi, caput fuit lineæ Durlacensis, sicut Badensem major natu frater ejus Bernardus inchoavit. Tenuit itaque, cum Hochbergensi Marchionatu ac Roetelana ditione, inferiorem Principatum, in quo Durlacum, unde lineæ nomen. Evangelicæ Religionis cultor, transegisse dicitur A. C. 1537. cum nepotum ex Fratre tutoribus, ut si ob alterius æs alienum non solutum alteri molestia crearetur, hic illius Præfecturas aliquot occupare, & tantisper retinere posset, donec satisfaceret. Eo nati, ex Elisabetha Brandeburgica, Bernardus A. C. 1553. Albertus, cùm ex bello Turcico rediret, A. C. 1542. mortui, & stemmatis propagator Carolus: de quo V. suprà.

Ernestus Fridericus, filius natu maximus Caroli prædicti, ex Anna Palatina, cum Hochbergia Roeteliam accepit, sed fratris dein filio *Ernesto* Jacobo, cujus pridem tutor Evangelicam religionem (à patre hujus Jacobo abolitam) facessere jussis Romanis, restituerat, successit. Pro Joh. Georgio Brandeb. Episcopo Argentinensi in castra venit, A. C. 1592. ex quo, ei ob vastatas ditiones Hanoicas, lis intentata est. Edoardi agnati ditiones, ob debita, occupavit. Ad Reformatos dein animo applicito, obiit, A. C. 1604. nullâ ex Annâ Ostfrisia prole susceptâ. V. Thuan. *Histor. lib.* 99. 104. *&* 109. Ei successit frater Georgius Fridericus.

Ex Familia Hassiaca.

Ernestus, ex filiis Mauritii Hassiæ Landgravii, è secunda conjuge Juliana Nassovia, cùm pro matre arma gereret, à Lambojo prope Geisecum captus est A. C. 1648. Dein, cùm prius A. C. 1651. in arce sua Reinfelsa, cum Valeriano M. excito Giesâ Haberkorno & Menzero, instituti colloquium curasset, paulo pòst Coloniæ, cum uxore Eleonora Maria Solmensi, religionem Pontificiam amplexus, scriptis illam defendit: quibus responsum opposuit Drelincurtius, insignis Theologus Gallus, Ecclesiæ Reform. Parisiensis, quæ Carentone colligitur, Pastor.

Ex Familia Ascania.

Ernestus, nepos Alberti VI. Marchionis Salisquellensis, ex filia: filius Sigismundi Ascanii, ad filios Ottonem VI. Henricum, *Ernestum*, (quos *Walpurnos Comites* nominant) Richardum & Eficum, successionem transmisit. E quibus Efici filius Otto M. seu *Dives*, filium cumprimis celebrem habuit Albertum cognom. *Ursum* seu *Pulchrum*, novum quasi gentis conditorem, de quo V. suprà.

Ernestus, filius Georgii, Principis Anhaltini, extincti A. C. 1474. frater Waldemari, majoris natu, cujus filius Wolphgangus *ἄγαμος* concessit fatis A. C. 1566. ex Margareta Monsterbergiâ suscepit Johannem, Georgium & Joachimum: quorum ille Dessaviam tenuit, isti Harzkerodana ditio obtigit, ille Servestam nactus, inter alios Joachimum *Ernestum* genuit, qui unus post plura secula totius Principatus fuit possessor. V. in voce *Joachimus*.

Joh. Ernestus, ex filiis præfati Joachimi Ernesti, bellis Gallicis, Belgicis & Hungaricis clarus, obiit A. C. 1601. cœlebs. Phil. Jac. Spenerus *Sylloge Gen.*

Comites illustres.

Joannes *Ernestus*, Com. Nassovius, filius maximus natu Joannis, ex Magdalena Com. Waldeccia, natus A. C. 1582. bellis Belgicis inclaruit, frater Joannis Mauritii, Americanâ expeditione celebris, Cyr. Lentulus *Geneal. Princip. & Comitum Nassov. MS.*

Ernestus, Com. Schawenburgicus, (è cujus Majoribus Gerhardus Holsatus D. Slesvici, per Hedvigem filiam, generum habuit Theodoricum cognom. *Fortunatum*, Com. Oldenburgicum, mortuus A. C. 1459. Otto dein Holsatiam, quam post avunculi obitum Christianus I. Dan. R. suæ ditioni adjunxerat, genti suæ adserere conatus, acceptis demum 43000. flor. & Pinnenbergio Comitatu, jure suo cessit A. C. 1460.) à Ferdinando II. Imp. titulum Principis & Com. Holsatiæ nactus est. Quod cùm Christianus IV. Dan. R. in sui præjudicium fieri contenderet, cùm ex Majoribus ejus nullus Principatus nomen, nec post cessionem memoratam Holsatiæ titulum gessisset; & proin nec sessionem in Imperio Schawenburgici haberent, nec onera Imperii, exemti ab Holsatis, portarent, contentio orta est. Ad quæ *Ernestus*, negans in præjudicium Regis quidquam factum esse, contendit Principatus nomen illis ditionibus datum esse, quæ sine controversia ad se spectarent: Holsatiæ verò titulum ab Holsatis ipsis sibi esse tributum. Cæsar quoque pro Comite literas scripsit: sed armis, ut cederet, hic adactus est A. C. 1620.

Ernestus, prænom. Wolfgangus, Com. Werthemius, filius Ludovici è familia Leonstenia, in bello Turcico primùm, A. C. 1598. dein Germanico, stipendia meruit. Obiit improlis: frater Christ. Ludovici, qui Virnenburgiam & Joh. Theodorici, qui Rupifortiam, lineas cond dere.

Ernestus, Com. Mansfeldius, à Bohemis unà cum Com. Turrensi Exercitui præfectus est, A. C. 1618. Pilsnam urbem, quòd obsidionem quondam sub Hussitis fortiter tolerasset, plus æquo tumidam, expugnavit: electi dein Regis Friderici Palatini causam fortissime tuitus, illo victo A. C. 1619. partem Bohemiæ aliquandiu tenuit, donec victricibus armis cedere coact⁹ est. Etiam A. C. 1621. conventu Moguntino Unione dissolutâ, omnibusque præsidiis Friderico paulatim demtis, solus pro ipso arma gerere non destitit, in Palatinatu Hispanorum successus moratus, & Franconiam Alsatiamque depopulatus. Donec Christiano Brunsuicensi, qui auxiliares Friderico copias adducebat, ad Hæchstam à Tillio victo A. C. 622. à Rege cum Christiano actis gratiis dimissus est. Qui ambo ab Hollandis advocati, in itinere ad Floriacum cum Corduban o æquo Marte conflixere: obsidionem dein Bergarum ad Zoomam solvere Hispanis coactis. Inde Daniæ Regis partes amplexi, strenuè pro eo A. C. 1625. arma circumtulerunt: ad Dessavlam tandem Mansfeldius victus, cùm causam, quam semel tutandam susceperat, ad extremum usque propugnare non cessaret, veneno interiit, in Dalmatia A. C. 1626. quo ipso quoque Joh. Ernestus D. Vinariensis & Christianus præfatus, earundem partium clarissimi Duces, occubuere, &c. Addatur prædictis *Ernestus* Ludovicus D. Pomeraniæ, filius Philippi, qui Wolgastensem patrem nactus, annoque 1592. extinctus, ex Sophia Hedvige Brunsuicensi, filium reliquit Philippum Julium cognom. *Animosum*, sine prole extinctum A. C. 1625.

Erodius, Græcè Ἐρωδιὸς, aliàs *Ardea*, V. suprà ubi de *Diomedeis Avibus*.

Erogare, Græcè ἐξοδιάζειν, Lat. expendere, ac *detrahere de summa*; sicut *derogare*, propriè *detrahere* est, auctore Festo. Unde Solinus *cap.* 2. ubi de Corallis, *ubi in supera attolluntur, naturalibus saxis derogati, lapides fiunt.* Ut enim corallium extrahatur fundo maris, ferramento præciditur, sicque *derogatur*, h. e. descinditur & detrahitur naturali saxo, Salmasius *ad Solin.* Hinc *Erogationes*, in *Cod. Theod. l.* 6. *tit. de muríleg. & Gynæciar. Opifices vesti lineæ contexendæ, in usum erogationum nostrarum, operam dantes*: idem sunt, quod *Sacrum Ærarium* seu *Sacræ Largitiones*, Salmasius *ad Diadumenum Lampridii.* Et *Erogator militaris annonæ*, in *leg.* 16. *C. de Castr. pec. lib.* 12. qui rogam militibus & stipendia persolvebat: de qua dignitate V. Gregorium *M. lib.* 7. *Ind.* 2. *Epist.* 77. & 130. Apud Senatorem *lib.* 12. *Epist.* 11. *Erogator obsoniorum* est, qui obsonia à Principe populo collata distribuebat, C. du Fresne *Glossar.*

Erojadæ, Græcè Ἐροιάδαι, pop. Atticæ, ad tribum Hippothoontidem pertinens, Jac. Sponius *Itinerar. Part.* 3. ubi de 174. *Attica Pop.*

Eros, Græcè Ἔρος, corona dicta est accuratè plexa, *ex omnibus floribus*; παρὰ τὸ ἔρος, τὸ γῆς, ὥσπερ στέφανος ἐρρωμένος ἐκ γῆς, *tanquam corona è terra collecta.* Cujus generis fuit illa, quam gestabat mulier Apollonio per quietem visa, apud Philostr. in *Vita* ejus, *lib.* 4. στέφανον πάντων ἔχει ἐν γῇ καὶ ἐν θαλάττῃ, *corona omnia continens, quæ in terra mariq*, flores inprimis speciosissimos. Et quidem mortuis inprimis eæ nectebantur, *Etymolog.* Ἔρος, & Lucianus, ubi de more sepeliendi mortuos. Unde per excellentiam ἐστεφανωμένοι, *coronati*, dicebantur &c. uti pluribus exponit C. Paschalius *Coronarum lib.* 2. *cap.* 12. & *lib.* 4. *cap.* 5.

Erpachium, adde: Stirps horum Comitum inter Franconiæ familias, semper illustris fuit habita, quam ab Eginhardo Caroli M. genero nonnulli deducere amant. In ea licèt sæpius diversæ lineæ ortæ sint, nulla tamen earum ætatem tulit, unde ad unam subinde tota rediit Familia. Qui nunc supersunt, omnes fratres sunt Georgio Alberto Patre, sed duabus matribus, prognati. Ex Magdalena enim Nassoviâ, genuit is Georgium Ernestum (n. 1632. maritum Carolæ Christinæ Hohenloicæ & so-

tores: ex Elisabetha verò Hohenloica, Georgium Fridericum (n. 1636. den. 1653.) Georgium Albertum, (extinctum A. C. 1645.) Christinam Elisabetham (n. 1641. ux. Salentini Ernesti Com. Manderscheidii) Georgium Ludovicum (n. A. C. 1643. cui nupsit Amelia Catharina, filia Philippi Theodorici Com. Waldeccii) Georgium (n. 1646. maritum Ludovicæ Annæ, fil. Georgii Friderici Com. Waldeccii) & Georgium Albertum (n. 1648. cui uxor obtigit Anna Christina Dorothea Hohenloica in *Waldenburg* &c. E quibus Georgius Com. *de Erpach in Furstenau*, ex Luisa Anna præfata, Sophiam Carolam (n. 1672. den. 1673.) &c. Com. *de Erpach* suscepit. V. Phil. Jac. Spenerum *Theatr. Nobilit. Europ. Part. I. pag. 99. & part. III. p. 1. & 88.*

Errantes, facibus noctu iter dirigere soliti. Statius *Thebaid. lib. 12. versu 241.*

—— —— *quoties amissus eunti*
Limes & errantum comites solatia flammæ
Destituunt? gelidaq; fucem vicere tenebræ?

Ubi proin aptè comites flammas *errantum solatia* vocat. Ovidius *Metamorph. lib. 1.*

Ut facibus sepes ardent, quas forte viator
Vel nimis admovit, vel jam sub luce reliquit.

Quo de more Veterum V. Isaac. Casaubonum *ad Suetonii Cæsarem cap. 31.* Ab hominibus vox translata ad stellarum quasdam, V. infrà ubi de *Planetis*. Herbas item, quarum *erraticæ* illæ dictæ, quæcunque spatiosiùs fruticant & per terram serpunt, aut sub terra radices latiùs spargunt. In specie verò *erraticum* intybum vocatur, quod & *ambula*, uti diximus in hac voce, plura autem hanc in rem, apud Salmasium *ad Solinum pag. 831.* Itidem, *Error à Deo*, de quo Plotinus *Ennead. IV. 8. 1. & 5.* qui lapsum primorum Parentum adumbrare videtur Pfannero, quemadmodum & *Fuga* Empedoclis, V. eum *System. Theologiæ Gentilis purior. cap. 7. §. 10.*

Erubris, vulgò *Rower*, aut *Rober*, fluv. Germaniæ, ad vicum cognominem, in Mosellam dextrum (sicut è regione Celbis) influens. Utriusque meminit Ausonius *Mosellâ*.

Te rapidus Celbis, te marmore clarus Erubris,
Festinant famulis quamprimùm allambere lymphis.

V. Hadr. Valesium *Not. Gall.* in voce *Celbis*.

Erubrus, adde: V. *Erubris*.

Eruca, apud Martialem *lib. 11. Epigramm. 18.* ubi de prædio admodum sterili,

In quo nec cucumis jacere rectus,
Nec serpens habitare tota possit,
Erucam *malè pascit hortus unam;*

vermiculus est, qui olera depascitur, Belg. *Rupp*, de quo V. Plinium *lib. 17. cap. 24.* Idem herbæ nomen, quam *salacem* nominat idem Poëta *lib. 10. Epigramm. 48.* quòd amorem concitet. Unde in cœna nuptiali apud Romanos, præter cæteras epulas, bulbi, pinei, nuclei, *erucæ*, piper, apposita leguntur. V. J. C. Scaligerum *Poëtices lib. 3. cap. 101.* & de illa plura apud Plinium modo laudatum *lib. 19. cap. 8.* &c.

Erucius Clarus, quo bis & Severo Coss. natus est Severus Imp. memoratur Spartiano in *Vita* hujus. Pater filii cognominis, qui inter Nobiles Romanos, sine dictione causæ, Severi jussu, occisos numeratur eidem Scriptori. *Erucius* alii habent, sed *Erucius* in lapp. & in Auctorum scriptis nominatur. Salmasius *Notis ad locum.*

Eruditi, propriè dicuntur, qui Φιλολογίαν, i. *historiæ & rerum antiquarum cognitionem literasque humaniores*, tenent, ut ex Tullio docet Casaubonus *ad Augustum Suetonii cap. 89.* ubi hic Auctor Φιλολογίαν, *eruditionem variam*, & *Caligulam cap. 3.* ubi *eruditionem* simpliciter vocat. V. infrà in voce *Philologia*.

Erumandus, fluv. regionis Arachosiorum, memoratur Solino *cap. 54. Arachosiam Erumando flumini impositam Semiramis condidit.* Sed malè cum *Arachoto* confunditur, altero fluv. ejusdem regionis, ad quem urbs sita. *Erumandus* verò, Parabesten Arachosiæ urbem, aut Bactietin potiùs seu Bactietarum regionem, alluit: qua de re V. Salmasium *ad eum pag. 1175.*

Erythea, adde: V. quoque Vossium *de Orig. & progr. Idolol. lib. 1. cap. 34. lib. 3. cap. 8.* & Salmasium *ad Solinum pag. 283. & seqq.*

Erythræ, adde: Urbis hujus memoriam servat nummus, in cujus altera parte caput turritum, cum *inscr.* ΕΡΥΘΡΑΙ. in altera prora navis expressa, cum lemmate, ΕΡΥΘΡΑΙΩΝ, memoratus Jac. Sponio *Itiner. Part. 3. pag. 189.*

E S.

E. S. in *Notis* antiquis, *in Senatu*, notat &c.

Esajani, in Ægypto dicti sunt Acephalorum quidam, à quodam *Esaja* diacono, qui è Palæstina missus Alexandriam, ut eorum Episcopus esset, sed non receptus ab omnibus est. Liberatus *Breviar. cap. 18.*

Esbonitæ, adde: Ab opp. Ἐσβὼν, quod Ptolomæus Ἐσβοῦς vocat, & in Judæa seu tertia Palæstina collocat, uti docet Salmasius *ad Solinum pag. 488.*

Esca, ἴσκαι recentioribus Græciæ Medicis, propriè appellantur fungi, arboribus innascentes, quòd hi olim pro fomitibus essent, & *escæ* dicerentur. Servius ex *libro Commentariorum Claudii quarto*: *Fomites assula ambusta, ligna excavata, à fungis nomine accepta.* V. infrà in voce *Fomes*: uti de *Esca illice*, Salmasium *ad Solinum pag. 358.* & de *Escariis*, seu *Acetariis*, *pag. 375. 1273.* & 1326.

Escaëtor, Magistratus apud Anglos, cujus munus erat, res in fiscum Principis quolibet jure redactas, in provinciis diligenter exquirere & colligere: quemadmodum olim *Cæsariani*, *bona ad Principem devoluta, velut vacantia, occupabant, leg. 2. Cod. Theod. de bonis vac.* A voce *Escaeta*, qui ut plurimum appellantur bona, prædia, immobilia vel mobilia quævis, quæ ex delicto & forisfactura vassalli vel alio quolibet casu devolvuntur in Fiscum Domini feudi. Istiusmodi officialem in unoquoque Angliæ Comitatu, qui, à Magno Thesaurario annuatim constitutus, fisco militaverit & piscatus sit, exacto verò ministerii sui anno ad idem exequendum non fuerit receptus, habuisse Magnates aliquot, refert Spelmannus ex *Statutis* Henrici VIII. *cap.* 8. apud Car. du Fresne *Glossar.*

Escalona, nomen Ducalis in Hispania Familiæ, ex Gironis & Pachecis oriundæ, de quibus *infrà*. Johannes enim Pacheccus, March. *de Villena* & D. de *Escalona*, cùm duos haberet filios, primogenitus *Pacheci* servavit nomen & Duces de *Escalona* profecit; alter filius Petrus, à matre *Portocarreri* accepit nomen, & ex se Marchiones Villæ Novæ dedit. Itaque Joh. Ferdinando Pacheco D. *de Escalona* & Mariâ Portocarrera genitus Didacus I. Pacheccus obiit A. C. 1559. pater ex Johanna Henricia Didaci II. qui ex Luisa *de Cabrera & Bobadilla*, genuit Franciscum Pachecum *de Cabrera & Bobadilla*, Ducem *de Escalona*, defunctum A. C. 1574. quo, & Johannâ Toletanâ, quæ obiit A. C. 1595. natus Johannes Fernandez, defunctus A. C. 1615. ex Seraphina Brigantina reliquit Philippum Johannem Balthasarum D. *de Escalona* Com. de S. Stephano & Xiquena (cui uxor obtigit Catharina de Zuniga de Peneranda) Didacum Lopezium (maritum Luisæ Bernardæ March. *de Moya*,) Franciscum & Catharinam, cum Johanna. V. Philipp. Jacobum Spenerum *Theatr. Nobilit. Europ. Part. I. pag. 40.*

Escapium, Anglis *Escaping*, ex Gallico *eschapper*, evasio fugaque est, & usurpatur apud Anglos, de reo aliquo detento & in carcerem misso, qui libertate donatur, antequam Judicis sententiâ & mandato liberetur: idque vel incuriâ, vel consensu ejus, cujus fidei erat commissus, quo utroque casu hic ejusdem criminis, quo reus, damnari & si feloniæ, tanquam *felo*, si proditionis, tanquam *proditor*, puniri consuevit. Reorum autem custodia non tantùm Carcerarium spectabat, sed & loci incolas: adeò, ut si reus per eorum incuriam evaderet, ii *Escapii* pœnam modò dictam incurrerent. Quam ob causam, cùm reos custodiendi onus Urbium incolis non leve esset, ab eo sæpe beneficio Principum leguntur exemti, uti pluribus docet Carolus du Fresne, *ubi supra*.

Eschatocollion, apud Martialem,

Vix lectis tibi paginis duabus
Spectas eschatocollion *Severe*

Græca vox est & significat extremam schedam, ultimo nempe loco glutinatam, quam alibi idem Poëta dixit *summam schedam*,

Ohe jam satis est, ohe libelle,
Jam pervenimus usq; ad umbilicos
Tu procedere adhuc & ire quæris,
Nec summa potes in scheda teneri.

Post extremam nempe schedam, nulla amplius scheda est, sed libelli integumentum & umbilici. Ei opponitur *protocollum*: de qua utraque voce, ut & tota Vett. Re Chartaria, V. Salmasium *ad Flav. Vopiscum in Firmo.*

Escuderius, Scutifer, ex Gall. *Escuyer*, sed propriè famulus, apud Monachos, du Fresne in *Armiger*.

Esculus, Græcè αἰγίλωψ, non πλατύφυλλος, ut nonnulli volunt, arbor Jovi olim sacra. Virgilius *Georg. lib. 2.*

Pars autem posito surgunt de semine, ut altæ
Castaneæ, nemorumq; Jovi quæ maxima frondet
Esculus ——

A proceritate, firmitate & diuturnitate commendatur *ibid.*

Esculus inprimis, quæ quantum vertice ad auras
Æthereas, tantum radice in Tartara tendit.
Ergo non hyemes illam, non flabra, neq; imbres
Convellunt, immota manet multosq; per annos
Multa virûm volvens durando sæcula vincit.

Glande suâ, non minùs ac quercus cæteræ species, primos homines pavit, nondum inventis frugibus, unde ab *esca* nomen accepit, juxta nonnullos, sicut *fagus*, à Gr. φάγω. V. infrà in voce *Fagus*. *Hinc Samnitium bello civica (corona) iligna primò, fulgens magis placuit ex esculo Jovi sacra. Variatumque & cum quercu est; ac data ubique quæ fuerat, custodito tantùm honore glandis,* Plin. *lib. 16. cap. 4.* Tanti illa apud Vett. habita est. Sed & coronam Pythicam fuisse primitus ex *esculo* nexam, nondum repertâ lauru, docet Ovidius *Metamorph. lib. 1.*

Hic juvenum quicunq; manu, pedibusve, rotave

Floret,

Victrix, ofculae capiebat frondis honorem,
Nondum laurus erat ——

V. Car. Paschalium *Coronarum lib. 6. cap. 25.* & *lib. 7. cap. 11.* plura verò de hac arbore, apud Plinium *lib. 12. cap. 1. lib. 16. cap. 5. 6. lib. 17. cap. 20.* &c.

Esgardium, in *Statutis* Equitum Melitensium, Tribunal Appellationis in rebus criminalibus notat, apud Dominicum Macrum in *Hierolexico*. V. quoque C. du Fresne *Glossar.* in hac voce.

Esiciata, recentioribus pro *isiciata*, dicta inficia & minutalia ex carne, quibus vulgò farciebantur avium ventriculi, ut anserum & gallinarum. Vetus *Epigr.* cujus lemma, *Esiciata*,

Amisis propriis vacuato corpore carnes,
Accepitq; novas, dedit ac tulit, & grave lucrum
Perdendo acquirit, damnum bene crevit in illa.

Item aliud, de ansere farto,

Emines impletus pullorum carnibus anser,
Et varias mensæ torridus ambit opes
Inguinibus natis portat olus, vouris q; solutis
Traditur è medio esiciata nitens.

Apud Apicium *esiciata vulvula* & *cirrellorum esiciatorum*, mentio est: Græci ἀλλάντια vocant, V. infrà in *Isicia*, & plura hanc in rem, apud Salmasium *ad Lamprid. in Heliogabalo.*

Esophorium, Græcè Ἐσωφόριον, apud Anastasium in *Vita Joannis Eleemosynarii*, *Ille ergo putans, quòd egenus esset, exspoliavit se Esophoriū suum, quod illius melius erat & dat ei.* Mox *hypocamisum* dicitur eidem, *Et dicebat semper, quòd posset intentione dandi pauperibus expoliare divites, & ipsum etiam hypocamisum ab eis benevolè auferre.* Ὑποκάμισον enim Græci recentiores, item ἐσωφόριον, vocarunt, h. e. ad verbum, *Interulam*. Uti enim Græci sub χιτῶσι habebant χιτωνίσκους, sic Latini sub tunicis interulas, quæ immediatè corpori & ἐπὶ χρωτὶ insidentes, lineæ erant & nostris camisiis respondebant. *Subuculas* quoque appellavere, & *lineas* simpliciter V. Salmasium *Not. ad Tertullianum de Pallio cap. 5.*

Espinaa, Gall. *Espinay*, Familia Galliæ illustris: in qua *Dominorum de Espinay* mentio jam seculo duodecimo reperitur. Primarius eorum ramus, quibus demum Marchionum *d' Espinay* ac Com. *de Durctal*, titulus accessit, exaruit in Francisca, quæ Henrico Schombergio marito hæreditatem attulit. Ejus verò Patrui magni Lodovicus Marchiones *de Vaucouleur* atque Antonius Dominos *de Broon* ac Barones *de Molay* dederunt. Ex eadem stirpe rami Dominorum *de Duisse*, *Bois Gerrouls* (qui dein Marchionum hujus nominis ac Com. *de Rosenbal* titulis ornati sunt) & *de S. Luc* (inter quos primogenitus nomen C. *de Estelan* gessit.) Ut ad Franciscam redeam, Henricus Dom. *d' Espinay*, qui obiit A. C. 1506. pater fuit Guidonis II. extincti A. C. 1522. avus Guidonis III. defuncti A. C. 1551. quo & Luisâ *de Goulaine*, natus Johannes Marchio *Espinæus*, obiit A. C. 1591. pater ex Margaretha *de Scepeaux* Claudii, qui defunctus A. C. 1578. ex Francisca Rupifulcaudia, reliquit Carolum March. *de Espinay*, Com. *de Durctal*, qui improlis decessit A. C. 1609. maritus Margaretæ Rohaneæ *Guimenay*, & Franciscam hæredem, nuptam Henrico Schombergio Com. *de Nanteuil*, Domino *d' Espinay*. Spenerus ubi suprà? *Part. II. pag. 71.*

Espinoia, Familia Principatus titulo insignis, V. infrà *Melunia*.

Esquilina Tribus, secunda ex quatuor urbanis, ab *Esquiliis* dicta est: Ejus meminere Dionysius, Livius, Varro, Plinius ac Festus.

Esquilinus Mons seu *Esquiliæ*, adde: A' Tullo Rege sexto urbi additus & pomerio inclusus, nomen accepit, ut plerisque videtur, ab excubiis, quas Romulus in illo habuit, cùm Tito Tatio parum fideret; quasi *Excubinus*. Alii à quisquiliis dictum eum *Esquilias* arbitrantur, quòd aucupes ibi quisquiliis sparsis avibus illuderent. Alii verò, quòd excubiæ Esquiliæ à Rege Tatio in illo monte fuerint, sic appellarunt. V. Varronem *de L. L. lib. 4.* Colles in eo fuere tres, Cispius, Oppius & Septimius: Habuit ab Ortu Urbis muros, versus aggerem & castrum Prætorium: à Mer. viam Lavicanam: ab Occ. vallem inter Coelium & Palatinum longè lateque patentem: à Sept. Viminalem. Quomodo excultus olim & quibus ædificiis ornatus hic mons fuerit, V. in voce *Regiones*, in descriptione Regionis quintæ, quæ quia maxima parte hoc monte constabat, *Esquilina* dicta, Vicos inter alia habuit quindecim, cum Vico Africo in Esquiliis antiquo: Lucos octo: Ædes seu Templa duodecim: Ædiculas fedecim: Sacella tria, Amphitheatrum, Circum, Forum, Basilicam, Regiam Servii Tullii, Hortos varios, Vivarium, Thermas duas: Balineum Novati, & privata 75. Nymphæum Alexandri: Lavacrum Agrippinæ: Lacus Promethei duos & sine nomine 179. Castellum aquarum Marciæ, Juliæ & Tepulæ: Arcum Gallieni: Macellum Livianum, Horrea 23. Pistrina 22. Domos 180. &c. de quibus prolixè agentem adi Onuphrium Panvinium *de descr. XIV. Regionum urbis Romæ.* Jam verò mons hic cum reliquis rarissime habitatur, maximâ ex parte hortis & dispersis hinc inde templis, aut claustris religiosis occupatus: aut veterum ædificiorum ruderibus obrutus: Vetustissimis temporibus fageam sylvam habuit &c. V. Joh. Rosinum *Antiquitatum Rom. lib. 1. cap. 8. 9. & 13.*

Essedum, apud Martialem *lib. 1. Epigramm. 105.*

Turpes esseda quòd trahunt bisontes;

currus Britannicus est, petoritum. In quo etiam domi gestari vehique solebant Romani. Idem *lib. 12. cap. 57.*

Et rus in urbe est, vinitorq; Romanus.
Nec in Falerno colle major Autumnus,
Intraq; limen latus essedo cursus.

Ad quem locum V. Fr. Modium *Novantiq. Lection. cap. 109.* In *Gloss.* exponitur ἅμαξα Γαλλικὴ, *vehiculum Gallicum*, de quo V. Livium quoque, inprimis *lib. 1. cap. 28.* ubi *essedis carrisque superstantem armatum Gallum, Romanos in fugam vertisse*, ait: & plura, apud Jo. Laurentium JC. *de Re Vehicularia.* Hinc *Essedarii*, milites Galli, apud Jun. Philargyrum *lib. 3. Georg. Latini Poetæ*, & gladiatorum genus, apud Suetonium *Caligula*.

Esseni, qui & *Essei*, aliis *Osseni*, *Hessæi*, vel etiam aliquando *Hasidæi*, secta Judæorum magni nominis, qui quòd altius & sublimius omnia specularentur, soli Philosophorum in illa gente titulum mereri videbantur; Rationalem Philosophiæ partem, velut non necessariam, Naturalem ut altiorem; illam Sophistis, hanc otiosis hominibus relinquebant, de Deo, creatione ac virtutibus disputantes, Euseb. *lib. 8. præpar. cap. 4.* apud Georgium Hornium *Hist. Phil. lib. 4. cap. 2.* Nomen eis à Syriaco אסא *Asa*, quod *sanationem*, *curam*, *sanationem* designat. Unde tales viri hujus sectæ Θεραπευταὶ, feminæ verò θεραπευτρίδες, nuncupati sunt, quia præter studium Biblicum, cui præcipuè vacabant, Medicinam quoque diligenter excolerent. Cum Stoicis quædam, cum Pythagoreis plurima, habuere communia: 1. *Bona communia.* 2. *Abstinentiam à voluptatibus.* 3. *Vestitum candidum.* 4. *Juramenti fugam.* 5. *Venerationem natu majorum tantam, ut cùm in 4. ordines dividerentur si quis ex superiori aliquem ex inferiori ordine tetigisset, pollutus haberetur.* 6. *Aquæ potu usum* 7. *Oves ἀθύτους, sacrificia inanima.* 8. *Fatum.* 9. *Silentium, quod in mensa rigorosè exigebant.* Unde decem simul si sedentibus, nemo loquebatur invitis novem, Drus. *de trib. sect. lib. 4.* *Initiationis item ritum Pythagoricæ non dissimilem. Neminem enim in consortium, nisi per 4. annos continuos probè exploratum, admisere: quorum primo ipsi Dolabellum, Perizoma & Vestem albam contulerunt: Secundo, in sacris illum instruere cœperunt: Tertio & quarto melius subactos, tandem sub Juramenti fide, in Ordinem suum recepere.* Porro 10. *Orientem versùs adorabant.* 11. *Peculiari cultu Angelos prosequebantur.* 12. *Sabbathum præ aliis rigidè observabant, sic ut etiam Ἑβδομάδας ἑβδομάδων, id est, septimam quamque hebdomadam religiosè celebrarent.* 13. *Cælibem agebant vitam*: quod tamen non de omnibus intelligendum &c. Horum plus quàm quatuor millia, relictis urbibus agros colentes, nec hic certa incolebant loca, sed hinc illinc facilè migrabant: Interim Scholas habebant, ad hortos Balsami & Palmarum, circa Hierichuntem: quod tamen Theoreticos solùm in secta hac spectabat, qui totos se speculationibus dedere. Practici verò, alterum *Essenorum* genus, qui manuariâ operâ vitam sustentabant, in urbibus versabantur: de die bis edebant, cùm alteri non nisi cœnam caperent: aquâ & pane victitabant, cùm alteri pane & sale, vel etiam hyssopo vescerentur. De Practicis Philo *in lib. Quòd omnis vir probus.* De Theoreticis, *lib. seq. cui titulus de Vita Contemplativa*, prolixè agit. Originem Sectæ hujus quidam à Rechabitis, imò altiùs à Kenitis, quorum mentio Judic. *cap. 1. versu 16.* accersunt. Sed Kenitæ, non sectæ, verùm gentis familiæque nomen erat: & Rechabitæ non domos, sed tentoria inhabitantes, neque agrum colebant, neque vineam plantabant, quæ omnia ab *Essenis* factitata sunt. Cum Nazaræis illos quidam confundunt, sed malè: Non accessus enim ullus ad templum *Essenis* patebat, at Nazaræi, voto defuncti, ibi se Jehovæ sistere tenebantur, Numer. *cap. 6.* Unde in obscuro sectæ hujus initia latent. Primus, *Esseni* nomine notus, Judas quidam fuit, qui sub Aristobulo filio Johannis Hyrcani, adeoque centum ante C. N. annis, floruit: sed jam antè hanc sectam viguisse, ex Josepho *lib. 13. Antiqq. Jud. cap. 9.* patet, ubi Pharisæos, Sadducæos & Essenos, memorat, circa tempora Jonathæ, fratris Judæ Maccabæi, qui quinquaginta annis Aristobulo antiquior fuit. Hoc certum est, duravisse sectam hanc ad tempora Servatoris nostri, & ulterius quoque, ut ex Josepho & Philone dilucet. Interim expressa eorum mentio in N. T. nullibi fit, tum quia pauci admodum tum temporis, tum quia tranquilli & quieti, non ita contradicebant ac refragabantur Christo, quemadmodum Pharisæi ac Sadducæi solebant. Interim in Epistolis Paulinis passim dogmata illorum refutata legimus. In genere dogmata eorum rejicit Apostolus Coloss. *cap. 2. versu 20.* cùm ait: τί δογματίζεσθε. Essenos autem constitutiones ritusq; suos δογμάτων nomine insignivisse notum. In specie dein illorum quædam recenset *versu 9.* *Ne ederis, neque gustaris, neque attigeris*: Quos ritus cùm observarent, δι᾽ ἔρωτα σοφίας, ut ait Philo, *ob amorem Sapientiæ*, pergens Apostolus *rationem* tantùm, i. *speciem Sapientiæ* habere dicit, *versu 23.* Sic cùm 1. Tim. *cap. 5. versu 23.* idem discipulum suum Timotheum, *vino pauculo uti* jubet: cùm 1. Tim. *cap. 4. v. 3.* doctrinam

doctrinam rejicit, *Prohibentium contrahere matrimonium, jubentium abstinere à cibis*, ad *Essenorum* dogmata respicere videtur, Thom. Godvvyno *de ritibus Hebræorum lib. 1. cap. 12.* V. quoque in voce *Essæi*. Addo hoc unum, quòd nomen ἀπὸ τῆς ὁσιότητος, *à sanctitate*, nonnulli deducunt: Salmasio verò Ἐσσηνοὶ gentili nomine dicti videntur, sicut Γαζηνοὶ &c. à loco, ubi degebant. Quamvis enim Josephus oppidum nullum eos seorsim habuisse scribat, sed in singulis urbibus *multos* fuisse & corpus aliquod fecisse sive Collegium, Τάγμα ipsi dictum: Verisimile tamen esse ait in interioribus Judææ, tractu aliquo frequentiorem eorum turbam extitisse, ibique oppidum quoddam hoc nomine aliquando incoluisse, à quo Ἐσσαῖοι & Ἐσσηνοὶ ii dicti fuerint: ipsi verò oppido nomen hæsisse à *silentio & quiete vitæ tranquillitate*. Hinc *interiora Judææ, quæ Occidentem tuentur*, Essenos *tenere*, scribit Solinus *cap. 35.* ad quem V. Salmasium *p. 610. & seqq.* ubi plura de institutis eorum, locique, in quo habitaverint, situ, cultu inprimis Solis, quem iis nonnulli attribuunt.

Est, Dei nomen, etiam apud Gentiles. Quò pertinet Fani Minervæ, quod Sai in Ægypto erat, inscriptio, à Plutarcho *de Isid. & Osir. pag. 354.* relata, Ἐγώ εἰμι πᾶν τὸ γεγονὸς, καὶ ὂν καὶ ἐσόμενον, *Ego sum, quod Exstitit*, EST, *Eris*. Atque alia τὸ EI. Templi Delphici, in cujus sensum idem Plutarchus inquirens *tr. pec.* postquam neque numerum, ut quidam vocem istam exposuerant; neque ordinem, neque copulam, neque aliud quid tale eo significari monstrasset, tandem suam explicationem subjiciens, ἀλλ' ἔστιν, inquit, αὐτοτελὴς ὁ τοῦ θεοῦ προσαγόρευσις καὶ προσφώνησις, ἅμα τῷ ῥήματι τὸν φθεγγόμενον εἰς ἔννοιαν καθιστᾶσα τῆς τοῦ θεοῦ δυνάμεως. ὁ μὲν γὰρ θεὸς ἕκαστον ἡμῶν ἐνταῦθα προσιόντα οἷον ἀσπαζόμενος προσαγορεύει τὸ Γνῶθι σαυτόν. ὃ τοῦ χαίρε δὴ οὐδὲν μᾶλλον ἐστιν. ἡμεῖς δὲ πάλιν ἀμειβόμενοι τὸν θεὸν, ΕΙ φαμὲν, ὡς ἀληθῆ καὶ ἀψευδῆ, καὶ μόνην μόνῳ προσήκουσαν τὴν τοῦ εἶναι προσαγόρευσιν ἀποδιδόντες. Ἡμῖν μὲν γὰρ ὄντως τοῦ εἶναι μέτεστιν οὐδέν. *Sed est ex sese perfecta compellatio Dei simul cum verbo enuntiantis animo objiciens vim Dei. Deus enim unumquemque nostrum huc accedentem, veluti salutans compellat, Nosce teipsum inquiens — Nos vicissim respondentes Deo, Ei, id est, ES, dicimus, veram, certam, solam, solique convenientem ei appellationem, quâ Esse dicitur, tribuentes. Revera enim essentiæ nos nequaquam participes sumus.* Quod posterius cùm pluribus, atque in homine nihil fere præsens, sed omnia fluxa, & in præteritum futurumque divisa esse, ostendisset, ἀλλ' ἔστι, pergit, ὁ θεὸς, χρὴ φάναι, καὶ ἔστι κατ' οὐδένα χρόνον ἀλλὰ κατὰ τὸν αἰῶνα &c. *Deus autem, si ita dicendum sit, EST, & est nullâ ratione temporis, sed æternitatis* &c. V. Platonem *in Timæo*, Justinum Mart. *Orat. ad Gent.* Augustinum *de Civit. Dei lib. 8. cap. 9.* Plotinum *Ennead. III. lib. 7. cap. 2. 3. 5.* & *IV. lib. 4. cap. 10.* Appulejum *in Herm. Trism.* Alios, laudatos Pfannero *System. Theol. Gent. cap. 2. §. 30.*

Esterlingus seu *Sterlingus*, voces Anglis & inde cœteris nationibus familiares, in re monetaria: Significant autem modò monetarium pondus, ut in *Assisa* Davidis I. Scot. R. *de Ponder. & Mens. Inprimis sterlingus debet ponderare 32. grana boni & rotundi frumenti*: modò monetæ qualitatem, apud Joann. Saresberiensem *Ep. 31. Centum marchas — sterlingorum tradidit*: modò denique certam monetæ speciem; quam *denarium sterlingum* vocabant. De vocis etymo variant Eruditi, quorum sententias prolixè exponit Car. du Fresne *in Glossar.* suam denique subnectens, quæ talis est: Normanni Galliæ, ut primùm in Anglia sedem fixerunt, Wilhelmo Notho Duce, veteres regionis incolas, Saxonas origine, nullâ aliâ denominatione donarunt, quàm ea, quæ apud Francos in usu passim habebatur, *Esterlingorum* nempe, qua appellatione ii Germaniæ populi, qui in Daniæ confiniis habitabant, vulgò innotuerant. Unde cum Anglo-Saxonum monetam denotare vellent, quæ Normannicâ & Francicâ probatior erat, *monetam Esterlingorum*, h. e. Regum Saxonum, dicebant, eam sc. quæ ante Northannorum adventum in commerciis ibi obtinebat. Primus enim nominis hujus monetæ Order. Vitalis meminit circa A. C. 1066. nec ante Normannos Anglicos, apud ullum Scriptorem, occurrit. Jam verò Saxones Germanos, à quibus originem duxere Angli, *Osterlingorum* seu *Esterlingorum* appellatione innotuisse, probant plus satis *Annales* vett. Francorum, qui ita dictos observant, quòd ad Austrum seu ad Orientem habitarent, aliorum Saxonum respectu, qui magis ad Sept. & Occid. vergebant. Unde Witikindus *Gestor. Saxon. lib. 1.* Saxones tripartito divisos fuisse ait, *in Orientales, Angarios atque Westvalos*. E quibus Osterlingos haud procul ab Obacro statuit Poëta Saxo A. C. 775.

Inde movens Carolus regionis venit ad illas,
Quas Esterlingi retinent, fodisq; locatis
ad fluvium castris, qui nunc Ovacra vocatur &c.

Hactenus du Fresne. Gronovius sic de moneta hac: *Francorum priscorum denarius fuit: duodecimus in solido argenteo, vicesimus in uncia, 240. in libra argenti. Nam ad similitudinem aurei solidi, qui sub Constantini M. successoribus fuit & duodecim milliarensibus vertebatur, percussere Franci & hæ nationes argenteum, quem duodecim æstimabant denariis sive* sterlingis. *Quemadmodum igitur argenteus ille Francorum, Galliæ potitorum, solidus ad vetustiorem pecuniam exactus erat τεσσαρακοντάγραμμος, seu quindecim siliquarum nonaginta quasi siliquarum: Ita denarius, qui &* Esterlingus *vel* Sterlingus, *scripulum siliquam cum dimidiata habebat, vel septem siliquas & dimidium siliquæ. Unde Budæus lib. 2. de Asse, drachmam Atticam facit Sterlinos duos & dimidiatum. Nomen quod attinet, quidam Sterlingum, quasi Stellatum, a signo illi impresso. alii potius Esterlingum, a populis Orientalibus, qui Britannis, apud quos frequentissimo in usu moneta, Easterlings, Belgis Oosterlingen dicuntur, denominatum volunt*, V. Joh. Fred. Gronovium *de Pec. Vet. lib. 3. cap. 6.* & in voce *Sterlingus*.

E T.

ET. in notis Antiquorum, *Etiam*. ET NC. *Et nunc* significat.

Etariarcha, Græcè Ἑταιριάρχης, qui agmen, seu cohortem, ἑταιρείαν dictam, ducebat: quibus qui præerat, Μέγας Ἑταιριάρχης vocatus est, cujus dignitatis meminit Guil. Tyrius *de Bello Sacro lib. 21. cap. 16.*

Etanna, locus Galliæ. Tabulæ Theodosianæ notus, vulgò *Vienne*, ad Rhodanum: inter Petræ Castellum & Antoniacum, *auton.* Hadr. Valesius in voce *Rhodanus*.

Etesiæ, quasi *Anniversarii* venti, sunt Boreales, de scribentibus Græcis, à medio Julio usque in finem Augusti, eoque toto dierum Canicularium tempore flantes. Plin *l. 2. c. 47.* *Hujus* (Caniculæ) *exortum diebus octo ferme Aquilones antecedunt, quos* Prodromos *appellant: Post biduum autem exortus iidem Aquilones constantius perflant diebus quadraginta, quos* Etesias *vocant*. Nonnunquam in Zephyros, Aristotele teste, mutantur: quò respexisse videtur A. Gellius *lib. 2. cap. 22.* cùm illos *ex alia atque alia parte cœli spirare*, etsi dubitanter, dicit. Spirant autem interdiu tantùm, noctu verò desinunt: nec ubivis sentiuntur, verùm in iis tantùm Regionibus, quibus Carpathii montes versus Boream obtenduntur, id est, Græciâ, Macedoniâ, Serviâ, Bosniâ, Thraciâ, Asia minori ac Ægypto. Cujus causa vaporum è dissolutâ nive, qui montes illi abundant, ortorum copia: qui cùm circa meridiem potissimùm rarefiant, noctu autem condensentur; hinc fit, ut venti hi interdiu quidem spirent, nocturno autem tempore conticescant. Eodem, quo hi flant tempore, in Regionibus cis Carpathum, id est, Poloniæ parte ac Russia, etiam flatos ventos, sed Australes spirare, observatum Mart. Cramero *in Rebus Pol.* & Sigism. Baroni Herberstenio, *in Rebus Moscoviticis*: quod argumento fortiori est, non aliam, quàm à Carpathiis montibus, *Etesiis* originem esse. Annumerari iisdem possunt venti Boreales, qui in litore Indico Guzaratæ à Martio usque ad Septembrem, continuò perflant, quia nives in Caucasi montibus dissolutæ ingentem vaporum subministrant vim, qui Solis æstivi radiis versùs Austrum diffunduntur, Auctor Anonymus *Histor. Orbis Terr. Geogr. & Civ. cap. 2. Histor. Ventorum.* V. quoque Aristotelem *Meteorol. lib. 2.* Columellam *lib. 2. cap. 27.* Aldum Manutium *Quæsitis per Epist.* Casaubonum *ad lib. 3. Strabonis*, Wouvver. *de Polymat. cap. 11.* & Salmasium *ad Solinum pag. 421. & seqq.* inprimis *pag. 427.* ubi hos ventos Nili incrementorum efficientem causam esse, contendit pluribus.

Etesius Lapis, inter Porphyritas lapides, memoratur in *Lexico* Chymico, ὁ ἐτησιμαῖος ἐστὶ λίθος ἰσχυρὸς καὶ αὐθάδης. in lapidibus ad mortaria medicinalia aptis, Plinio *lib. 32. cap. 22.* *Etesiumque lapidem in his prætulere cæteri, mox & Thebaicum.* De quo multa miranda Chymici Scriptores, è quibus nonnulli factitium eum esse existimant. V. Salmasium *ad Solinum p. 1103.*

Ethe, inter opera Aristidis Theb. apud Plinium *lib. 35. cap. 10.* *Is omnium primus animum pinxit & sensus omnes expressit, quos vocant Græci* Ethe: *item perturbationes*; ex Græco ἤθη. De qua voce sic Scaliger *Poetic. lib. 3. cap. 1.* Ἦθος *qualiscunque affectio est, à quo ἔθος, i. mos pendet, est enim* Ἦθος *iracundia, consuetudo autem irascendi ἔθος, quare neque inanima, neque arbores, tametsi sint animantes, habent ἦθος, sed πάθος — differt autem ἦθος & πάθος non solùm gradibus — ita ut πάθος sit ἦθος vehemens, sed quia ἦθος est principium agendi, πάθος autem patiendi. Itaque qui perturbatur, pathos habet, ut invidus: qui perturbat, ἦθος, ut iracundus* &c. Fuit autem Aristidis *pictura, oppido capto ad matris morientis è vulnere mammam adrepens infans: intelligiturque sentire mater, & timere, ne emortuo lacte sanguinem infans lambat*, Plin. *ibid.* Sic amorem, iram aliosque affectus, alii Artifices expresserunt, operibus æternitati commendatis, apud eund.

Ethnarcha, Græcè Ἐθνάρχης, V. suprà, ubi de *Æchmalotarchis*. Sed & cùm Herodis M. testamento Archelao dignitas regia, cum Judæa, Samaria & Idumæa obtigisset, Ἐθνάρχην tamen eum, non *Regem*, appellatum dicit Josephus, priusquam regium nomen illi confirmatum esset ab Augusto: fratres autem ejus *Tetrarchas* solùm nominatos; qua de re V. Salmasium *ad Solinum p. 576.*

Ethnophrones, Græcè Ἐθνόφρονες, Hæretici, quòd mores ritusque *Gentilium* imitarentur, dicti, apud Damascenum *Cat. Hæres.* & Nicetam *Thes. Orthod. Fid. lib. 4. Hær. 42.*

Etruscæ Antiquitates, ex monte Vulterrano haud pridem erutæ, V. Georg. Hornium *Orb. Polit. pag. 434.* De *Etrusco* verò seu *Hetrusco*, cujus *Lachrymas* facundè prosequutus est Papinius Statius

Statii lib. 3. Silv. 5. ubi & Eruscâ uxore ejus, V. Animadversiones Casp. Barthii pag. 309. & seqq. Part. I.

Erymandri, pop. in Asia, memorati Ptolemæo, à fluv. cognomine nomen nacti sunt, quem cum Erymandro Plinii, & Erymando Solini, eundem vult esse, Salmasius ad Solinum pag. 1175. V. suprà, Etymandrus.

EU.

EU. in Notis antiq. Ejus &c.

Evagon, Græcè Εὐάγων, Pariorum legatus, apud Plin. lib. 28. cap. 3. Quorum è genere sunt Psylli Marsique & qui Ophiogenes vocantur in insula Paro: ex qua familia legatus Evagon nomine, à Consulibus Romæ in dolium serpentum conjectus experimenti causâ, circumlambentibus linguis miraculum præbuit, uti locum restituit Salmasius, quem vide ad Solinum pag. 348.

Evat, adde: Imò ipsum hoc Protomatris nostræ nomen esse, adeoque in sacris his, vestigia quædam primorum Parentum lapsus latuisse, docet Clemens Alexandr. Protrept. pag. 7. ubi Bacchi orgia celebrant, ἀνεστεμμένοι, inquit, τοῖς ὄφεσιν, ἐπολολύζοντες Εὐάν. Εὔαν ἐκείνην, δι' ἣν ἡ πλάνη παρηκολούθησε· καὶ σημεῖον ὀργίων βακχικῶν ὄφις ἐστὶ τετελεσμένος. Αὐτίκα γοῦν κατὰ τὴν ἀκριβῆ τῶν Ἑβραίων φωνήν, ὄνομα τὸ Εὐΐα δασυνόμενον ἑρμηνεύεται ὄφις ἡ θήλεια, Coronati serpentibus, ululantes Evan: illam per quam error est consecutus; & signum Bacchicorum Orgiorum est serpens consecratus. Jam verò si accuratè vox spectetur Hebraica, nomen Hevia aspiratum exponitur serpens fœmina, apud Tob. Pfannerum System. Theol. Gentil. purioris cap. 7. §. 10.

Evangeliarium, item Evangelistarium, quemadmodum Græcis recentioribus Εὐαγγελιστάριον, liber dicitur in Ecclesia Lat. in quo continentur Evangelia, singulis Missis legi aut cantari solita, compositus à D. Hieronymo, uti quidem tradit Honorius Augustodunensis lib. 1. cap. 88. qua de re diximus alibi. Ab eadem origine Evangelismus, Græcè Εὐαγγελισμός, apud Nicon. de Religione Armenorum, Quinta mensis Januarii vespere festum Evangelismi celebrant; Dominico Macro est Festum Annuntiationis Virginis Deiparæ, quod illos anticipare dicit, utpote in Quadragesima nullum Festum celebrantes. At Balsamoni Palmarum Festum est seu Dominica Palmarum, V. Macros Fratres in Hierolexico. Iidem, quibus Evangelium ceremoniis in Missa, apud Latinos, recitari soleat, fuse exponunt. Illud nudato ense in Vigilia Natalis Domini, in Matutinis, Moguntiæ legisse Carolum IV. Imp. habetur in M. Chron. Belg pag. 286. & apud Continuatorem Nangii A. C. 1378. Græcos Episcopos pallium deponere, Maronitas caput detegere, dum illud in Sacris prælegitur, iidem habent Macri: De divinatione per Evangelii inspectionem, de purgatione per S. Evangelium, de ritu Evangelium dorso portandi, V. Car. du Fresne in Glossario. At Evangelium æternum, nomen libelli, memorati Odorico Raynaldo ad A. C. 1256. num. 20.

Evangelus, Branchi successor. Fuit autem Branchus Oraculi apud Milesios, Branchidarum ab eo dicti, quod omnium certissimum post Delphicum habitum est, primus Præses, Smicri, sive, ut apud Lutatium seu Lactantium Statii Interpretem 8. Thebaidos versu 198. legas, Smiri filius. Cui cùm Evangelus in hoc munere successisset, Oraculum Evangelidarum quoque dici cœpit. V. quæ Photius in Μυριοβίβλῳ Cod. 186. refert, ex Cononis ad Archelaum Philopatorem narrationibus, fol. 33. & 44. Vossius de Idolol. lib. 2. cap. 12.

Eubecara, al. Abubecher, Mahometis successor & socer, regnavit annos duos. Ei successit Omar. Jo. Forbesius Instructionum Historico-Theologic. lib. 4. cap. 17. §. 1.

Eubuleus, in Eleusiniis olim Mysteriis, memoratur Clementi 7. Strom. de quo V. Salmasium ad Solinum pag. 750.

Eucærus, Græcè Εὔκαιρος, cognom. Demetrii Syriæ R. Antiochi Gryphi filio, quem cum amica Myrina totius Imperii auctoritatem communicasse refert Athenæus lib. 13. cap. 23. V. quoque Josephum lib. 13. cap. 21. Ejus memoriam servat nummus, in quo legitur, ΒΑΣΙΛΕΩΣ ΔΗΜΗΤΡΙΟΥ ΦΙΛΟΜΗΤΟΡΟΣ ΕΥΕΡΓΕΤΟΥ ΚΑΛΛΙΝΙΚΟΥ, apud Seb. Feschium JC. quem V. Epist. de Nummo Pylæmenis Evergetæ Regis Paphlagoniæ.

Eucharius Montacunes, unus ex Magistris Armeniorum sectæ, qui cum Jacobo Zanzalo paria docuit, de quo infrà, V. Nicephorum Call. lib. 18. cap. 53.

Eucharistia, pro Festo S. Sacramenti, in Ecclesia Rom. non semel occurrit, in Ordinario MS. Ecclesiæ Rothomagensis, apud Car. du Fresne Glossar. Quid autem propriè notet, V. suprà, ubi de Cœna Domini.

Purgatio per Eucharistiam, purgatio inter eas, quas vulgares vocant, locum olim non ignobilem obtinuit, ipsis Pontificibus ac Episcopis inita, & Conciliis quibusdam approbata; in quibus purgatio ejusmodi Sacerdotibus potissimùm imponitur, à quibus juramentum exigere nefas ducebant, V. Concilium Tribur. can. 21. Concilium Wormatiense cap. 10. & Binii Not. ad illud, ut & Capitulare Aquisgran. de Vita & Convers. Monachorum cap. 64. LL. Kanuti R. cap. 5. &c. Ita apud Ditmarum lib. 2. cùm Abrahamus Episcopus Frisingens. quòd à Julitta Henrici D. Bavar. uxore ac tum vidua, impensiùs dilectus fuisset, ab aliquot invidis infamaretur; eâ extinctâ, in die ejus depositionis, ille Missam cantans sic se purgavit: Ante communionem, versus ad populum—hoc, inquiens, delictum, quo diffamata fuit, si hæc unquam commisit, faciat Omnipotens Pater Filii sui, ut is Corporis & Sanguinis salutare remedium mihi provenire ad judicium—At tum cum mentis ac corporis innocentia sumsit—Credidítque populus &c. Eodem modo suspicionem adulterii, Sibico Spir. Episcop. conspirationis in Imperatorem Fridericus Archiepiscopus: Simoniæ, Gregorius VII. Pontifex Rom. cædis Adalgarii Episcopi Heduensis, Gyrfredus Mon. Flaviniacensis: matricidii, Eulalius Avernensis Com. Alii aliorum criminum à se amoliri sunt, V. Adamum Bremensem cap. 147. & ex eo Albertum Stadensem A. C. 1051. Reginonem A. C. 941. Lambertum Schafnab. A. C. 1077. Chiffletium in Histor. Trenorchiensi pag. 242. & Gregorium Turon. lib. 10. cap. 8. Meminit præterea Helgaudus in Vita Roberti R. Franc. ejusmodi examinis, formulamq; indicat, cùm ait: Præsuli cuidam de Domino non bene sentienti & quærenti pro quibusdam causis probationem in Corpore Domini nostri Jesu Christi, indignè tulit Rex... & scripsit ei his verbis: — Miror, quâ ratione quæsieris pro tuis iniquissimis imperiis & pro insitato odio, quod erga Dei servos habes, examinationem in Corpore & Sanguine Domini, & cùm hoc sit, quod à Sacerdote dante dicitur, Corpus Domini nostri Jesu Christi sit tibi salus animæ & corporis, cur tu temerario ore & polluto dicas, si dignus es, accipe, cùm sit nullus, qui habeatur dignus, cur divinitati attribuis ærumnas corporis & infirmum doloris humani divinæ commisceris naturæ? Priusquam autem quis admitteretur ad purgationem talem, tenebatur sacramento ad S. Evangelia præstito priùs se culpâ exuere, du Fresne ex MS. de Leone Pontif. & ex Judiciis Withredi Regis Cantuariorum cap. 23. V. eum omnino hac de re pluribus disserentem in Glossar.

Eucherius, Episcopus, adde: Baronius eum vixisse existimat, ultra A. C. 463. Bellarminus etiam ad annum 499. pervenisse contendit. Labbæo obiit A. C. 454. Valentiniano & Marciano Principibus. Opera ejus, inter quæ Quæstiones in V. T. difficiliores, nominumque Hebraicorum ac aliorum in SS. Literis occurrentium interpretatio: prodierunt fol. Basileæ A. C. 1531. Parisiis A. C. 1563. 1618 Romæ 1564. Explanationes in Genesin & in Libros Regum, quæ ibidem, an verò Eucherii sint, dubitat Bellarminus. Angloque potiùs cuidam adscribendas esse, opinatur. V. Guil. Crovvæum Elencho Scriptorum in S. Scripturam.

Euchetæ, V. Euchitæ.

Euchologium, Græcis Εὐχολόγιον: Sic vocant Rituale suum, præter orationes & preces, in Sacramentorum administratione adhiberi solitas, alias etiam functiones sacras continens, Macer in Hierolexico. Goarus ad illud Notas scripsit &c.

Eucnemos, ex Græco Εὔκνημος, Amazonis ex ære à Silanione factæ cognomen. Plinius lib. 34. cap. 2. Idem fecit—Strongylion Amazonem, quam ab excellentia crurum Eucnemon appellant, ob id in comitatu Neronis Principis circumlatam.

Euconthens, Græcè Εὐκονθεύς, populus Atticæ, cujus memoriam servat hæc Inscr. stelæ cujusdam sepulchralis, Salamine.

ΔΙΟΝΥΣΙΑ ΔΙΟΝΥΣΙΟΥ
ΜΙΛΗΣΙΑ ΘΕΟΦΡΑΣΤΟΥ
ΤΟΥ ΔΙΟΝΥΣΙΟΥ
ΕΥΚΟΝΘΕΩΣ
ΓΥΝΗ.

Apud J. Sponium Itinerar. Part. 3.

Euctemon, adde: De ejusdem sententia super occasu Pleiadum, & Vergiliarum, item de Æquinoctiis & Solstitiis, V. Salmasium ad Solinum pag. 735. & seqq.

Eucteria, Græcè Εὐκτήρια, loca seu œci, in quibus orabant vett. Christiani, hinc nomen adepti, Lat. Oratoria. Item libri, in quibus orationes actaque provinciarum continebantur, Alciatus in l. immunis. Cod. de agric. & cens. lib. 11. apud Jo. Calvinum Lexic. Jurid.

Eudæmones, apud Jul. Capitolinum in Opilio Macrino & Flav. Vopiscum in Aureliano, Arabes sunt, Felicis Arabiæ, quæ Εὐδαίμων Ἀραβία Græcis, incolæ. V. ibi. Sed & Εὐδαίμων Ἀραβία, item Ἀραβία simpliciter, nomen fuit emporio vel vico maritimo, in Arabia Fel. Auctori Peripli, qui sub Charibaëlis Homeritarum & Sabaitarum Regis imperio fuisse, tradit. V. de illo Salmasium ad Solinum pag. 496.

Evectiones, Recentioribus, item Tractoriæ & Combinæ, quæ Diplomata Vett. literæ sunt, quæ dabantur à Principe, ad combinanda publica animalia & cursum usurpandum, Salmasius ad Capitolinum in Pertinace. Præfectorum Prætorio muneris fuisse, evectiones dare, innuit Senator lib. 6. Epist 3. mentioque passim in Cod. Theodos. & Justin. tit. de Cursu publ. De Mansionariis, De Commeatu, alibique. Nestorius Patr. CP. c. Pelag. apud Marium Merc. Evectionem regiam non habentes, cursu regali iter quo pacto perficiunt, &c. Inde pro ipsis equis seu equitaturis, ubi de visitationibus Episcoporum & Archidiaconorum, &c. apud Stepha-

 num

num Tornac. *Epist.* 130. in *Statutis* Hugonis V. Cluniac. *ibid.* Sic in *Concil. Tolet. VII. can.* 4. taxatur numerus equorum, *pro Episcopi evectione* &c. du Fresne, Macer *Hierolex.*

Eventus Bonus, pro Deo, ab antiquis cultus est; cujus simulachrum, ut Plinius *lib.* 35. scribit, ab Euphranore ita factum erat, ut dextrâ pateram, sinistrâ spicam atque papaver teneret. *Boni Eventus* meminit Varro *de Re Rust. lib.* 1. inter colentes Divos Agricolarum. Idem Plinius modò laudatus, Praxitelem ejus simulachrum in Capitolio fecisse, adnotavit. Templi ejus quædam vestigia hodieque extare, inter Minervam & S. Eustochium, à plerisque creditum, testis Lilius Gyraldus. Quibus verò pigmentis *verum Eventum* ornare Poëta debeat, exponit pluribus Scaliger *Poëtices lib.* 3. *cap.* 11. ubi de *Eventu.*

Comites Nassoviæ prisci.

Everardus I. ex filiis Friderici & Rosinæ Blanceæ, Lopo Agabiæ Duce genitæ; frater Friderici, qui Comitum Sienæ auctor extitit: ductâ Margaretâ Com. Knechbergiâ, pater fuit *Everardi* & Julianæ, Ennoni Com. Bavariæ & Altorfii nuptæ.

Everardus II. Com. Nassoviæ, prioris filius, ex Helfenstenii domina, suscepit Arnoldum, Fridericum, Philippum, Joannem, Annam Arnoldi Com. Lucenburgii uxorem & Ameliam (Henrico Com. Lucelstenio nuptam.)

Everardus III. fil. Diderici ex Margaretha Com. Arnspurgensis filiâ, junxit sibi Mariam Joanne D. Isenburgico genitam, pater ex ea Magdalenæ, Joanni Sen. Comiti Mompelgardiæ; Mariæ, Sigismundo Lichtenbergii Toparchæ; Margarethæ, Alsomondo Domino Koppelstenii & Modinæ, nuptarum: & Henrici in primo ætatis flore extincti. Cyr. Lentulus *in Genealog. Comitum ac Principum Nassoviæ MS.*

Evergetæ, adde: Arachotis vicini & Drangis; ut à quorum regione in Drangianam transiit Alexander, quum Bactra peteret. Ab Ariis autem ad *Evergetas* pervenerat. *Ἀγριάσπας* priùs dictos, tradit Arrianus *de Expedit. Alex.* Meliùs fortè *Ἀριάσπας*, ab urbe cognomine, in confinio Drangianæ & Arachosiæ sitâ. Per eos *Ἐτυμανδρος* amnis fluit, de quo suprà. V. Salmasium *ad Solinum pag.* 1175.

Evergetes, adde: Sed & aliis quoque Principibus, ob insigne quoddam beneficium in Deos aut homines collatum, id tributum cognomen passim apud Vett. legimus. Certè in marmoribus Oxoniensibus laudatur Dionysius quidam, ΕΥΕΡΓΕΤΗΣ ΘΕΟΙΣ ΠΑΤΡΙΟΙΣ, & Clenodemus ΕΥΕΡΓΕΤΗΣ ΤΟΥ ΤΕ ΙΕΡΟΥ ΚΑΙ ΔΗΛΙΩΝ. Jam si Josepho credimus *Antiqq. Judaic. lib.* 11. *cap.* 6. Artaxerxes Persarum R. Mardochæum Judæum, ob detectam Eunuchorum in se conspirationem, *Εὐεργέτην καὶ Σωτῆρα* suum publico edicto vocavit. Sed solebant hoc laudis maximè Regibus suis impertire prisci, præcipuè Græci, ad omne genus assentandi conviti andique, pro innata genti levitate, compositi. Ita Philippum Macedonem R. inter alia *Εὐεργέτην* quoque à Græcis dictum esse, Demosthenes auctor est *de Coron.* Verùm potiori jure alter Macedoniæ Rex Antigonus, qui *Tutor* & *Δώσων* dictus est, communi Græciæ consensu id cognomen est adeptus, ob clementiam sc. in Spartanos exercitam, Polyb. *lib.* 5. *cap.* 9. Sed jam ante Antigonum Athenienses Demetrium Poliorcetem eodem elogio honoraverunt, Plut *in Demetrio*, ut & Antiochum Epiphanem, Samaritani, Jos. *Antiqq lib.* 12. *cap.* 7. Quin etiam Nilum, & Osirim, sic appellatum esse, dicas ex Juliano *Orat.* 3. & Plut. *Is. & Osir.* Inprimis verò hoc cognomine à patre avoque distingui se voluit Ptolomæus Philadelphi fil. Ægypti Rex, ob causam Hieronymo indigitatam *in Danielem cap.* 2. Cujus exemplo nepos ejus, VII hujus nominis, ob saginam ventris *Φύσκων* nominatus, *Evergetes* II. ab adulatoribus cognominari amavit, ab Alexandrinis *Κακεργέτης* potiùs, ob summam crudelitatem, dictus, Athenæus. *lib.* 12. *cap.* 27. Et quidem hujus est nummus iste apud Goltzium, ΒΑΣΙΛΕΩΣ ΠΤΟΛΕΜΑΙΟΥ ΦΥΣΚΩΝΟΣ ΕΥΕΡΓΕΤΟΥ. Nec Ægypti solùm, sed etiam Syriæ Reges præclari hujus cognomenti gloriam affectasse, liquet ex nummis Alexandri Eupatoris, Demetrii Philometoris Callinici, Philippi Philadelphi, Antiochi Eusebis. Imò & Mithridatem, Ponti Regem, magni Mithridatis Patrem, eodem cognomine usum fuisse, præter Strabonem *lib.* 10. & Appianum *in Mithrid.* docent nummi, in quibus scriptum, ΒΑΣΙΛΕΩΣ ΜΙΘΡΑΔΑΤΟΥ ΕΥΕΡΓΕΤΟΥ. Quorum exemplum postmodum æmulati Reges Regum Arsacidæ, uti similiter numismata illorum docent, ut alios omittam. Tandem, cùm Orbis imperio Cæsares potiti essent, ad illos hunc adulandi morem à Regibus suis Græci transtulere. Hinc Philo Judæus Augustum & Cajum, Athenienses Hadrianum, hoc cognomine decorasse leguntur, *in Flacc.* in *l. ad Cajum*, & nummo eximio, quem tamen ob nimiam inscriptionis insolentiam suspectum nonnulli non immeritò habent. V. plura hanc in rem, apud Seb. Feschium JC. *Epist. ad Tob. Hollanderum*, quâ nummum Pylæmenis Evergetæ Regis Paphlagoniæ eruditè exponit.

Evex, in *versibus* scriptis in Codice Evangeliorum, in *Chron. Novalic. cap.* 19. *Hist. Franc. Tom. II. pag* 227.

Fredonius qui pridem Pastor & inclytus Evex,

Nunc per decies quater stabili tustos evictus, est:

apud Car. du Fresne *Glossar.* An idem cum Gallico *Evesque*, h. e. Episcopus?

Eugeria, Dea olim Romanorum, cui, ut & Fluoniæ, prægnantes, partu instante, sacrificabant: illi quidem, ut conceptum alvo facilè egereret; huic, ut sanguis fluor, tam in partu, quàm in gestatione, cohiberetur. V. Sext. Pompon. Festum *de Verbor. signif.* Arnobium *adv. Gentiles lib.* 3. & Thom. Bartholinum *lib. de Puerperio Veterum.*

Evigilans-Canem, cognom. Herberti Senioris Com. Cenomanensis, apud Order. Vitalem *lib.* 3. & 4. quòd, ulturus patrem Hugonem, à Fulcone Sen. vehementer infestatum, nocturnis expeditionibus Andegavenses cives, *canesque* crebrò terreret & *vigilare* cogeret. At *Evigilans-Stultum*, apud Monachos, campana dicebatur, ad Matutinos pulsari solita, in vet. *Charta* A. C. 1183. apud Car. du Fresne: quòd, tepescente eo ævo pietate, *Stultos* eos, qui è lecto exsurgerent, ut in Ecclesiam se conferrent, ad concinendos hymnos matutinos, vulgus existimaret.

Evigilare maturiùs soliti Veteres, *vel officii, vel sacri causâ*, ut habet Suetonius *in Augusto cap.* 78. Et quidem celeberrimæ officii causæ erant, Toga pura, Sponsalia, Nominalia; item Magistratuum, Candidatorum & Funeris deductio, Salutationes, Recitationes, aliæ, memoratæ Tertulliano *lib. de Idolol.* Quæ officia cùm pleraque noctu vel primâ luce celebrarentur, adeoque maturiùs evigilandum esset, *nia somnumque sibi magnam Romam negasse*, queritur alicubi Martialis. Sed & *sacra publica*, ante lucem, peragebantur, ut videre est apud Plautum *Pænulo.* Unde Censorinus, *Romani à media nocte ad mediam noctem diem esse existimaverunt: indicio sunt sacra publica & auspicia etiam Magistratuum: quorum — si quid post mediam noctem & ante lucem factum est, eo die gestum dicitur* &c. V. Casaubonum *ad Suetonium d. l.* nec non *cap.* 53. ut & suprà, ubi de *Die*, apud Veteres in negotia & quietem diviso.

Evirati, apud Suetonium *in Tito cap.* 7. *Denique, ut fabiis pendus Regium, Berenicen — regredi domum & eviratorum greges abire præcepit.* Iidem cum *Eunuchis*, *Exoletis*, *Spadonibus*, quos vide.

Eulæus, adde: Susa præterfluit, & cum Choaspe ac Tigri in eandem paludem confluit, qui omnes junctim in sinum Persicum deferuntur, teste Strabone. Salmasio verò *Eulæus* idem cum Choaspe est, *ex quo tantùm Reges Parthorum bibere.* Plin. scribit *lib.* 31. *cap.* 3. Nempe fluvius hic in Media oritur, dein absconditur, postea in Susiana emergit; sicque alio nomine, ubi primùm oritur, alio, ubi denuo exoritur, appellatus est. V. præfatum Auctorem *ad Solinum pag.* 699. & *seqq.*

Eulogia, Græcè Εὐλογία, inter sacra Eucharistiæ nomina. 1. ad Corinth. *cap.* 10. *versu* 16. *Τὸ ποτήριον τῆς εὐλογίας, ὃ εὐλογοῦμεν, Calix benedictionis, cui benedicimus.* Propter Christum nempe *Εὐλογήσαντα*, dum sacra ista signa tractaret, Matth. *cap* 26. *vers.* 26. & Marci *cap.* 14 *versu* 22. Postea ad sacrati panis particulas, quæ absentibus, aliisque, Christianæ communionis testandæ causâ mittebantur, vox adhibita est. Non enim participantibus solùm sacrum hunc panem distribuere cœperunt, tempore primitivam Ecclesiam proximè insecuto, sed ad absentes, imò & ad infirmos, eum deferebant; quin & vino intinctum morituris in os ingerebant, *communionem* hinc eum & *viaticum* dicentes. Domum etiam persæpe secum adferebant, fervente præsertim persecutione, quò quotidiè Christum gustare atque ad certamen sese præparare possent. Quem morem hodieque, sed alio fine, imitantur ex Christianis nonnulli, dum consecratam hostiam, ut vocant, in ornata cistula, in Templo proponunt, *non gustandam, sed adorandam.* Sed & alium præterea panem habebant Vett. sacrum quidem, non verò sacramentalem, quem, communis fidei testandæ causâ, Episcopi ad diœcesicos Coëpiscopos mittebant: quas micas itidem *Eulogias* vocabant. Qui tamen, ut & alii nonnulli ritus, Conciliorum auctoritate subinde repressi, ac nimia illa signorum veneratio sæpe castigata est: quo eventu, sequentia secula satis superque condocefaciunt. Franc Burmannus *Synops. Theol. Christ. Part. II. lib.* 7. *cap.* 10. *§.* 3. & 41. Et quidem *Eulogias* priores, quarum institutionem primam Synodo Antiochenæ, sub Constantio Imp celebratæ, Balsamon adscribit *ad Can.* 2. iis solitas fuisse distribui, qui ob impedimentum quodpiam diebus festis, ac Dominicis *communicare non erant parati*, etiam ipsis Catechumenis, qui jus sumendæ Eucharistiæ non habebant (hinc *ἀντίδωρα* dictas, quòd vicem *Δώρου*, h. e. *Eucharistiæ*, præstarent) atque adeò cunctis præsentibus, post Eucharistiam peractam, docet du Fresne. Recipiebantur autem magnâ devotione à manu Ministri, oris osculo priùs salutatæ, ut Cabasilas habet; idque à jejunis, quemadmodum ipsa Eucharistia: unde si quis jejunus haud esset, *Eulogiam* vicino porrigebat, quod etiamnum observari in Ecclesia Græca, tradit Allatius *de Eccl. Occid. & Orient. cons. l.* 3. *c.* 9. *§.* 1. &c. *Eulogias* verò posteriores, seu privatas Episcoporum ac Presbyterorum, quod attinet, sive panes fuerint, sive cibi alii, in mensa ab Episcopis Presbyterisque consecrabantur, ac postea distribuebantur: Mittebantur etiam cum literis salutatoriis, quarum formulam exhibet Marculfus *lib.* 2. *Form.* 42. 43. 44. apud eundem C. du

Fresne

Prefatio in *Gloffar.* & suprà ubi de *Benedicto Pane.* Postea verò, quævis munera, & primò quidem, quæ sponte; inde tandem, etiam quæ ex debito offerebantur adeoque quævis præstationes, *Eulogiæ* dictæ sunt, ut pluribus probat idem *ubi suprà.*

Eulogimenopolis, h. e. *Benedicti Civitas*, dicta est urbs, ad radices Montis Casinensis, à Bertario Abbate ædificata, quæ postmodum, S. Germani corporeè translato, ab hoc nomen accepit. Auctor *Chronici Casin. lib.* 1. *cap.* 33.

Eumarides, ut & *Diabathra*, calceamenta erant viris mulieribusque communia, quemadmodum & *Pedila*: quibus tamen hoc singulare, quòd elegantia essent, atque ad delitias & ostentationem comparata, utpote variis picta coloribus, B. Balduinus *de Calceo antiquo cap.* 20.

Eumelus, Corinthius, adde: Amphilyti filius, Bacchiadarum generis, inter præcipuos & vetustissimos Cycli Poetas habetur. Poeta autem Historicus fuit, & tam prosâ, quàm versu, claruit, teste Pausaniâ. Inter opera ejus recensentur, *Bugonia* & *Europa.* Item Ἱστορ. Εὐρώπ, quæ fortasse pars fuerit *Corinthiacorum* illius: *Titanomachia* porro aliaque. Sed nihil in Poetica ejus γνήσιον dici posse, præter προσόδιον carmen in Delum, docet Salmasius *ad Solinum pag.* 858. & *seqq.*

Eumenidis Porticus, Athenis, juxta Bacchi theatrum, ambulationi & commercio Eruditorum consecrata olim, jam in ruinis, memoratur Jac. Sponio *Itinerar. Part.* 2. *pag.* 165.

Eumenides, adde: Has primus Orestes veneratione prosequutus est, cum ab Areopagitis ob matricidium in paternæ necis ultionem commissum, fuisset absolutus. Aliàs *Erinnyes* quoque dictæ; illis libamina, sed sine vino, mediâ nocte offerri solebant, quod his Deabus peculiare planè erat, teste Æschylo *in Eumen.* aliquòd Bacchi quoque, hinc *Nyctelii* cognominati, sacra nocturna erant; sed hæc in mediam præcise noctem non incidebant. Sacrificium autem ita peragebatur: Manus abluebant primò, purasque reddebant earum cultores, dein è fonte repletis tribus vasis, addito aquæ melle, unde Νηφάλια μειλίγματα, ora eorumque lanâ agninâ stipata habentes, Ortum versùs se convertebant, & è duobus horum poculorum aliquid effundentes, tertio deplebant totum. Tum utraque manu ter novem oleæ ramos humi, ubi χοὰς suas effundebant, defigentes, precibus suis defungebantur. V. Franc. Rossæum *Archaeol. Attica lib.* 2. *cap.* 4. Harum sacelli aditu interdicebatur, redeuntibus ab hostibus postliminio, ex Lege: Τοὺς δευτεροποτμους μὴ ἐξεῖναι εἰσιέναι εἰς τὸ ἱερὸν τῶν Σεμνῶν θεῶν, *Redeuntibus postliminio ab hostibus non licere sacellum Eumenidum adire.* Fuit autem ὁ Δευτερόποτμος is, cui, tanquam in bello mortuo, justa funera facta sunt: Talem reducem, per sinum laxæ stolæ, mulier demittebat, tanquam renasci videretur, teste Hesychio. Quem Atheniensium morem imitati ex parte Romani sunt, ut illustris Heros ad Festum observavit. Nam eum qui postliminiò ab hostibus revertebatur, nolebant Romani limen insistere, quia eo funestari putabant, tam limen utrumque & superum & inferum, si à mortuo calcaretur, quàm hominem ipsum: Idcirco tecto perforato in ædes admittebatur, ne ominosum illi esset per januam ingredi, per quam tanquam mortuus erat. Ii autem, quibus absentibus tanquam mortuis funus factum fuerat, duum erant generum: aut enim peregrè iverant historiæ vel negotiorum ergò, aut militatum abierant: quorum posterioribus Lex hæc dicta erat, ut Hesychius observavit. V. Sam. Petitum *Comm. in Leges Atticas lib.* 1. *tit.* 1. *pag.* 15. & 16. Nec omittendum, quòd *Eumenidum* statuas Ilisso flum. mergendi & abluendi ritus indigitatur Statio *Thebaidos lib.* 4. *versu* 54.

Sævus honos fluvio: Stygias lustrare severis
Eumenidas *perhibetur aquis* &c.

Eumolpus, in Eleusiniis sacris, memoratur Clementi 7. *Strom.* V. Salmasium *ad Solinum pag.* 750.

Eunis veneratio, magnæ devotionis indicium. Sic abblanditur eunei Dominæ Sperchios fluv. apud Papinium *Achilleid. lib.* 1. *versu* 103.

—— latèq; Deæ Sperchios abundat
Obvius & anici vestigia circuit undâ.

Et in Phœnice, Claudianus de cæteris volucribus,

Innumeræ comitantur aves, stipatq; volantem
Alituum suspensa cohors
Nec quisquam tantis è millibus obvius audet
Ire Duci, sed Regis iter flagrantis adorant.

V. de hoc ritu Casp. Barthium *Animadversion. ad Statium d. l.* & hic passim, ubi de *Amearubulantibus*, *Circumpedibus*, *Pedisequis* &c.

Eunuchi, vel nascuntur, vel fiunt: quorum illi propriè *Spadones*, hi *Castrati* dicuntur, V. ibi. Glossæ vett. Εὐνοῦχος ἀπὸ φύσεως, *Spado*: Εὐνοῦχος ὁ ἐκτομίας, *Castratus.* Nascuntur vitio aut debilitate parentum; Fiunt arte, casu, insidiis, sponte. Arnobius, Catullus *de Aty*, Plinius *lib.* 11. *cap.* 48. De spontanea exectione Lucianus *Syria Dea*: Varro *Lege Mænia*: *Si quis Patriam majorem parentem extinguit, in eo culpa: quod facit pro sua parte is qui se eunuchat, aut aliqua liberos producit.* Quales fuere, inter Gentiles, Galli Cybeles sacerdotes: inter Christianos Hæretici *Eunuchi* propterea dicti. Longè alia ratio illorum, de quibus Christus loquitur, Matthæi *cap.* 19. *versu* 12. ubi *per Eunuchos qui seipsos castrarunt propter regnum cœlorum*, non alii intelligendi veniunt, quàm ii, qui ex peculiari dono divinitus concesso à conjugio abstinent, ut Deo liberiùs inserviant. Sæpenumero tamen cogebantur à Principibus Medici facere *Eunuchos*: adeoq; ars ipsa, cujus erat præcipua cura, conservare naturalem corporis statum habitumque, aut læsum reparare, ac redintegrare, in maximum naturæ totius armata est detrimentum, ut queritur Paulus Ægineta. Mos hic à Persis originem habuisse creditur, unde à Spada Persidis vico, ubi primùm virilitas excisa est, *Spadones* nuncupati Stephano videntur. Eos postea aliæ quoque gentes, Romani inprimis, imitati sunt. Unde Petron. *Satyr.*

Persarum ritu malè pubescentibus annis
Surripuere viros.

Sicque pueri puellæ facti sunt, quos in mundo muliebri reponit Phædrus *lib.* 4. *fab.* 5. Illi enim, ut alios usus omittam, virginibus mulieribusque custodes, ac comites additi sunt, quasi possint εὐνὴν ἔχειν καὶ φυλάττειν, *lectum custodire*, unde etiam iis nomen: quamvis alii παρὰ τὸ εὖ νοῦ ἔχειν καὶ ἀπηλλάχθαι τῶν ἀφροδισίων, *quod à Venere alieni, optimo mentis statu fruerentur*, illos dictos volunt. Hinc Imperatores, *Eunuchum sacri cubiculi ministeriis adhæsurum*, dixere *lib.* 4. *C. de præpos. sacr. Cubiculi Lib.* 12. Castratis enim cubiculariis etiam Principes utebantur: è quibus Eutropius eminuit, qui eò potentiæ ascendit, ut Consulatum quoque impetraret omniaque sub Arcadio Imp. pro lubitu aliquandiu ageret; donec rerum novarum deprehensus, extractus vigore legis à se latæ ex ipso templo, capite pœnas dedit, A. C. 396. Idem hodieque apud Turcarum Imperatores eorum usus est. Itali, ut Musicæ aptiores reddantur, *Eunuchos* faciunt. Sed tam improbam luxuriam jam olim Romani Imperatores legibus coërcuere. D. Hadrianus, ne Spadones fierent, pœnâ legis Corneliæ de Sicariis irrogatâ, rescripto cavit *leg.* 4. *ff. ad leg. Corn. de Sicar.* Constantinus viros execantes capitaliter puniri voluit, *leg.* 1. *Codicis de Eunuch.* Justinianus talionis lege agere permisit, *Novel.* 142. quam pœnam jam apud Herodotum *Uraniâ*, veluti civilem ac legitimam, Hermotimus in Pannonium, à quo fuerat excisus, statuisse legitur: Namque Pannonium in potestatem suam redactum proprios liberos emasculare: ipsosque dein patri virilitatem eripere coëgit. Unde Ovidius *Eleg.* 3. *Amor.* 2.

Qui primus pueris genitalia membra recidit,
Vulnera quæ fecit, debuit ipse pati.

Nempe ut cædem cæde pensaret. Homicidium enim Eunuchismo committi *Apostolici Canones* sanciunt, Balsamon & Photii *Nomocan. tit.* 1. *cap.* 3. Quam ob causam manifestarios Mœchos, ejus conditionis, ut jure occidi potuissent, contumeliâ adficere permittebatur, putà raphanis & mugilibus forare: item viro spoliare, quò referri potest illud Phædri *fabul. suprà laudatâ*,

Id demum est homini turpe, quod meruit, pati.

Quod factum, illo per ludibrium de collo suspenso, Plaut. *Mil. Glor. sc. ult.*

Quin jamdudum gestio mœcho hoc abdomen adimere,
Ut faciam quasi puero in collo pendeant crepundia &c.

Nec fœminis parcitum primumque illas *Eunuchas* fecisse legitur Lydorum Rex Andramytes, apud Cœl. Rhodigin. *lib.* 20. *cap.* 14. & Alexand. ab Al. *Genialium dier. lib.* 2. Duas autem hujus Eunuchismi rationes proponunt Eruditi: Unam νυμφοτομίαν, cùm in locis muliebribus protuberante ultra modum νύμφῃ à sectione remedium petitur, Æginet. *lib.* 6. *cap.* 80 Alteram μαστοτομίαν. Sic Amazones viriles videbantur, & apud Arnobium ut Atys se viro, sic ejus amica mammarum honestate sese privavit: uterque scilicet inguina sibi demessuit. Nam papillæ inguen apud Lucilium habes:

Inguen ne existat papulæ, tamen ne boa noxis.

Suetonius *Tiberio cap.* 44. *Nondum lacte depulsos inguini, ceu papillæ, admoveret.* Unde inguina papillarum extantia habere, ὑπερμαζᾶν, τοὺς μεγάλους μαστοὺς ἔχειν: velaque & fasciæ, quibus extumidæ comprimuntur papillæ, στηθοδεσμίδες, *Spadonatus mammarum* dictæ, Rigaltius *in Phædrum fab.* 11 *lib.* 3. Addam hoc unum, *Eunuchos*, occursibus olim infames fuisse, quemadmodum Æthiopes, pumilos atque distortos & hujusmodi generis alios. L. Sen. *Sacerdos non integri corporis, quasi mali ominis res, vitanda est.* Lege divinâ quoque à communione sacrorum civiliumque munerum prohibiti sunt. Deuteron. *cap.* 23. *versu* 1. *Nec vulneratus teste neque exsectus virilitate, veniet in congregationem Jehovæ*; tanquam viz. munus aliquod obiturus. Aliàs enim in congregationem venire, ut sacris ibi interessent, illis licebat Exodi *cap.* 12. *versu* 18. Levit. *cap.* 22. *versu* 18. Num. *cap.* 9. *versu* 14. &c. Burmannus *in Deut. cap.* 23. *versu* 1. Candacis Æthiopum Reginæ *Eunuchi* historiam habes, Actorum Apostol. *cap.* 8.

Eunuchus Palatinus, apud Isidorum Pelusiotam, idem cum *Eunucho Regio*, apud Ambrosium *Epist.* 27. *ad Valentin.* II. dignitas fuit in Palatiis Impp. cui Cubiculi Augustalis erat cura commissa,

missa, Cubicularius. Leo. *Nov.* 98. Καὶ τῶν εὐνούχων ἀνεκάλεν φύλακας οἴκων, τοῦτο γὰρ ὁ πολλοῖς ἐγγυᾶ). Evagrius *lib.* 4. Οἱ δὲ τῶν βασιλικῶν ἐξυπηρετούμενοι κοιτώνων, οὓς Εὐνούχους ὁ συνήθεια καλεῖ κτλ. Quibus qui præerat, Ἀρχευνοῦχος dicitur, in *Chron.* Alexandrino ann. 5. Valentin. Julianus Imp. antequam Imperium iniret, *Eunuchum* fuisse nomen honoris, suo verò tempore contumeliæ, scribit *Misopogone*. V. hic suprà, ut & in voce *Cantor*.

Evocandi Manes ratio, horrendis ceremoniis peragi solita, qualis fuerit apud Gentiles, accuratè describitur prolixeque, Statio *Thebaid. lib.* 4. ad quem V. eruditas *Animadversiones* Casp. Barthii: ut & hic passim, ubi de *Aboris*, *Divinatione*, *Manibus*, *Necyomantia* &c. Addam hic saltem, hujusmodi *Evocatores* ipsis Diis indignabundos minitari consuevisse. Unde Tiresias, apud Statium *d. l. versu* 501.

Testor ait, Divi, quibus hunc saturavimus ignem &c.

Et ille Deorum suorum coactor, apud Lucanum *lib.* 6.

—— —— tibi, pessime Mundi

Arbiter, immittam ruptis Titana catenis &c.

Quò facit insignis locus Porphyrii, Πολλῷ δὲ τούτων ἀλογώτερον, ἐὰν μὲν δαίμων, ἢ περὶ ψυχὴ τεθνηκότος, αὐτῷ δὲ τῷ βασιλεῖ Ἡλίῳ ἢ Σελήνῃ, ἢ τινὶ τῶν ἐν οὐρανῷ ἀπειλῇ προσάγεται, τοῦ τε ψεύδεσθαι, ἵν᾿ οὕτως ἀληθεύωσιν κτλ. apud Eusebium *Præpar. lib.* 5. *cap.* 10. ad quem l. V. Franc. Vigerum.

Evocati, Dioni Ἀνάκλητοι, posteriori ævo dicti sunt, qui prius *Volones* dicebantur seu *Voluntarii* Livio; qui cùm vel propter ætatem, vel quòd legitima stipendia confecissent, cogi non possent, sponte militabant, Casaubonus *ad Capitolinum in Marco.* Salmasius eos facit eosdem cum *Principibus*, qui primi ordines seu primorum Ordinum ductores (unde tandem *Ordinarii* dicti) in prima acie pugnam capessebant. Veteres hi erant & exercitati milites, qui cùm è militia jam exiissent, ad eam sponte *revocabantur*, ordinum & præmiorum spe; hinc Ταξίαρχοι in *Glossis* dicti, qui Centuriones quidem non erant, sed cùm præliandum esset & ad manus veniendum, cùm acies ordinabatur, ordines ducendos accipiebant. Unde à Centurionibus passim separantur. V. Salmasium *ad Vopiscum in Bonoso.* Idem cùm duæ Statorum centuriæ in singulis castris essent, iis *Evocatos* præfuisse indeque *Evocatos Statorum* in antiquo saxo memorari, docet *ad Vulcatium Gallicanum in Avidio Cassio.* V. quoque infrà ubi de *Ordinariis.* Alii erant *Evocati Augusti*, quorum sæpe mentio in antiquis Inscr. EVOK. AUG. De iis Suetonius *Galbâ cap.* 11. *Delegit & Equestris ordinis juvenes, qui manente annulorum aureorum usu, Evocati appellarentur, excubiasque circa cubiculum suum, vice militum, agerent.* Ad quem l. Casaubonum vide.

Evocatoriæ Epistolæ dicebantur, quibus absentes ad Comitatum *evocabantur* à Principe, aut quibus iis, qui Principis aspectum ambiebant, veniendi concedebatur facultas. Nam sine *Evocatoria* ad Comitatum venire omnibus non licebat, *leg.* 3. *Codicis Theodosiani & Justinian. de Decur. & Silent.* Utriusque generis formulam exhibet Senator *lib.* 7. *Epist.* 34. & 35. V. Juretum *ad Symm. lib.* 4. *Epist.* 5. At *Hymni Evocatorii*, Κλητικοὶ dicebantur Græcis, quibus Deos vel invocabant, vel *evocabant*. Non uti prisci Romani, cùm eorum oppidorum, urbiumve, quas obsiderent, Numina *evocabant*; sed quomodo Orpheus in Hippam, Liberi patris nutricem; ubi initio Deos suos invocat, loca enarrans, quibus præsiderent, dein ad sacra sua venirent, precatur. Cujusmodi omnes Procli hymni, in quorum principio, κικλήσκω, καλέω, ἐπικέκλομαι, κλῄζω, in fine petit, παρεῖναι εὐμενεῖς ἱκέτας. Iis respondebant Ἀποπεμπτικοὶ ὕμνοι, quibus Deos è sedibus suis *evocatos*, postremo festorum die, quibus interea illos interfuisse credebant, quasi abeuntes, non sine gratiis ac desiderii significatione dimittebant ac prosequebantur. V. de utrisque Jul. Cæs. Scaligerum *Poëtices lib.* 3. *cap.* 113. & 114.

Evoe, Græcè Εὐοῖ, vox Bacchantium, ex nomine Dei tetragrammato, detorta. V. Sam. Bochartum *Hierozoici Partis prior. lib. II. cap.* 36. & suprà in voce *Jehova.*

Euonymus, Græcè Εὐώνυμος, pop. Atticæ, sub Erechtheide tribu, ab Heroë *Euonymo*, Cephissi fil. nomen adeptus, cujus memoriam servant variæ *Inscr* Salamine, Athenis, Venetiis, hodieque superstites. E quibus una Salamine habet:

ΘΡΑΣΥΜΗΔΗΣ

ΘΡΑΣΥΛΛΟΥ

ΕΥΩΝΥΜΕΥΣ

apud Jac. Sponium *Itinerar. Part.* 3. *ubi de* 174. *populis Atticæ.*

Eupator, adde: Græcè Εὐπάτωρ, cognomen fuit variorum vet. ævi Regum. Inter Syriæ Reges, Alexandri id cognomen fuisse, discimus ex nummo ejus, cui inscriptum, ΒΑΣΙΛΕΩΣ ΑΛΕΞΑΝΔΡΟΥ ΕΥΠΑΤΟΡΟΣ ΕΥΕΡΓΕΤΟΥ. Mithridatem, Ponti Regem illum famigeratissimum, Εὐπάτορα & Διόνυσον appellatum esse, docet Strabo *lib* 10. & Appianus *in Mithridat.* &c. Fuit autem Alexander is, qui ὁ Βάλας Josepho cognominatur *Antiqq. lib.* 13. *versu* 8. Hic enim à Ptolomæo Philometore Ægypti, Attalo Asiæ & Ariarathe Cappadociæ Regg. subornatus & copiis adjutus, victo cæsoque Demetrio Syriam invasit, seque Antiocho Epiphane genitum, credi voluit. Cui fabulæ, ut fides constaret, ΕΥΠΑΤΟΡΟΣ, ob *paterni generis gloriam*, Antiochi Regis, quem fratrem suum mentitus est, exemplo, ut & Εὐεργέτου cognomentum assumsit, Seb. Feschius JC. *Epist. ad Hollanderum, quâ Pylæmenis Paphlag. R. insignem nummum exponit.* Ab altero verò, Mithridate *Eupatore*, Amisus urbs ampliata, & pars, quam illi addidit, *Eupatoria* appellata est, Strab. *lib.* 12. Idem aliam *Eupatoriam* condidit, ad confluentes Lyci & Iris, quam imperfectam ab illo relictam, Pompejus, eo devicto, agro & civibus additis, *Magnopolim*, h. e. Pompejopolim, nominavit. Quod Plinius ad priorem Eupatoriam transtulit, viciniâ locorum deceptus. Salmasius *ad Solinum pag.* 889.

Eupatridæ, apud Athenienses olim erant civium nobiliores, qui regio prognati sanguine, dignitate cœteris antistabant. Primitus enim duo in Rep. civium, *quibus inter gradus dignitatis fortunæque aliquid interlucebat*, ordines erant, Εὐπατρίδαι nempe & Ἄγροικοι, Dion. Halicarn. *lib.* 2. quemadmodum apud Francos Nobiles & Rustici: apud Venetos, Patricii ac Plebeji: apud Romanos similiter, Patres & Plebs, nomina erant, quibus à se discernebantur cives. Postea in tres classes Theseus civitatem distribuit Εὐπατρίδας, Γεωμόρους & Δημιουργούς: quorum illi cæteris dignitate, isti utilitate, hi numero prævalebant, dicebanturque Εὐπατρίδαι, qui Regibus Heroibusque in Græcorum historiis celebribus erant editi. Auctor Etymol. Εὐπατρίδαι, καλοῦνται οἱ αὐτὸ τὸ ἄστυ οἰκοῦντες καὶ μετέχοντες βασιλικοῦ γένους, τὴν τῶν ἱερῶν ἐπιμέλειαν ποιούμενοι: vel etiam Aborigines & indigenæ, secundùm Hesychium. Hi ipsa in Urbe sedes suas cum Demiurgis, qui opifices erant, posuere: Reliqui verò, *Geomori* dicti, ruri habitabant, agrosque colebant. His omnibus idem jus esse voluit Theseus, latâ Lege: Τοῖς πολίταις ἔστω ἴσον εἶναι, *Omnibus civibus jus idem esto.* Hac tamen exceptione, ut solis ingenuis Nobilibus seu *Eupatridis* Sacerdotia, Magistratus & Legum rerumque sanctarum atque divinarum interpretatio concederetur, ex Lege: Τοὺς Εὐπατρίδας γινώσκειν τὰ θεῖα καὶ παρέχειν ἄρχοντας καὶ νόμων διδασκάλους εἶναι, καὶ ὁσίων καὶ ἱερῶν ἐξηγητάς, *Patricii Sacerdotia atque Magistratus obeunto, Legum rerumque sanctarum atque divinarum interpretes sunto.* Post Theseum verò Solon, censu civium acto, Athenienses universos in quatuor distinxit ordines, τμήματα seu τέλη dictos, Pentacosiomedimnos nempe, Equites, Zygitas & Proletarios &c. Familiæ *Eupatridarum* celebriores erant: *Praxiergidæ*, *Eteobutadæ*, *Alcmæonidæ*, *Cynidæ*, *Ceryces* & V. Sam. Petitum *Comm. in Leges Atticas lib.* 2. *tit.* 3. & Fr. Rossæum *Archæologiæ Atticæ lib.* 1. *cap.* 4.

Euphrades Genius, cujus simulachro mensas olim decorabant Gentiles. Hesychius, Εὐφράδης δαίμων ἐπιτραπεζίδιος. Sic εὐφροσύνη, *epulatio*, in Gloss. utrumq; ab ea verbi εὐφραίνεσθαι notione, quâ semper utitur D. Lucas Evang. ut, φάγε, πίε, εὐφραίνου. Et, φάγοντες εὐφρανθῶμεν. Et, εὐφραινόμενος καθ᾿ ἡμέραν λαμπρῶς. Nec non Athenæus *initio lib.* 5. & Curopalates, ubi agens de coronatione Impp. verbum compositum συνευφραίνεσθαι adhibet, eodem sensu. V. Casaubonum *ad Julium Suetonii cap.* 98.

Euphrates, adde: Cum Tigride, magni hic fluvius nominis est: Utriusque ortus in Armenia maj. egressus quoque idem in Sinum Persicum. Ambo etiam miscentur in loco, ubi Seleucus Nicanor Seleuciam condidit. In progressu, dum *Euphrates* Syriam & Babyloniam à dextro latere, Mesopotamiam à sinistro: Tigris verò Mesopotamiam à dextro & Assyriam à sinistro latere habet, Mesopotamiæ, utpote utroque fluvio interceptæ, tanquam *Interamnis*, nomen est ortum. Rigavit olim *Euphrates* veterem Babyloniam, quemadmodum novam nunc, seu *Bagded* Tigris, sed longè major utriusque gloria olim, cùm primis creati mundi temporibus Paradisum perluerent: *Phrat* enim seu *Frat*, qui omnium consensu *Euphrates* est, inter 4. Paradisi fluvios numeratur, Geneseos *cap.* 2. *versu* 14. Auctor Anonymus *Historiæ Orbis Terr. Geogr. & Civ.* Plura de eo, *diversis* inprimis *nominibus*, *origine*, *cursu*, *ostiis*, seu *divertigiis*, & *alveo* celebris hujus fluvii, V. apud Salmasium *ad Solinum pag.* 620. & *seqq.*

Eupyridæ, adde: Meminit hujus demi vetus in vet. saxo *Epigramma*, ubi de Hadrianeis, Ludorum genere in Hadriani Imp. honorem instituto:

ΚΟCΜΗΤΕΥΟΝΤΟC. ΠΛΟΥ-

ΤΑΡΧΟΥ. ΑΧΑΡΝΕΩC.

Σῆμα ἀρχιερέως χάλκεον μεγακλέος ἀρχῆς

Πατρὸς τοὔνομ᾿ ἔχων δήμου Εὐπυρίδης.

Ἐκ παίδων ἄθλοισιν ἐπεὶ νικήσας ἐφάνθη,

Καὶ σοφίας κῦδος μᾶλλον ἐπηγλάισεν.

ΑΓΩΝΟΘΕΤΗCΑC. ΑΔΡΙΑΝΕΙΩΝ.

apud Salmasium *ad Spartianum in Hadriano.*

Euripides, ludi nomen, illi maximè similis, quem *Angli* vocant *one and thirty*, i. *triginta unum.* *Continebat*, ut Cæl. Rhodiginus refert *lib.* 20. *cap.* 17. *numerum quadragenarium, quoniam videtur unus fuisse* Euripides *præfectorum quadraginta, qui triginta Tyrannis Athenis exactis.* V. Thom. Godwynum *Antiq. Rom. lib.* 2. *sect.* 3. *cap.* 13. *de Tesseris, Talis & Latrunculis.*

Euripus, adde: In Circo veteri Romano sic appellatum est aqua ingens

ingenti fossâ per tria latera Circi circumfusa, unde *Euripos* potiùs, quàm *Euripum*, in Circo dixere, quòd non unus, sed tres eorum essent, totidem viz. quot latera essent Circi, quibus aqua admitteretur. Et quidem Julium Cæsarem, elephantorum spectaculum editurum, Circi arenam Euripis circumdedisse, quum antea clathris ferreis cingeretur, scribit Plinius. Eos dein sustulit Nero, & loca Equiti addidit, eodem Auctore: à quo tempore nulli in Circo Euripi. Frontinus *de aqua duct. Quamopere curæ esset, ne quis violaret ductus, aquamve non concessam derivare auderet: cùm ex mu. tis apparere potest, tum ex hoc quòd Circus Maximus ne diebus quidem ludorum Circensium nisi Ædilium aut Censorum permissu irrigabatur.* Mansit tamen appellatio, & sequentibus temporibus in Circo tum Rom. tum CPolitano *Euripi* nomine insignitum est intermetium, h. e. spatium totum ab infimo Circo porrectum usque ad ultimum inter utrasque metas, instar crepidinis, è ligno septum munitumque, *ἀγωνὶς* hinc & *ἱπποδρόμου* Græcis dictum, circa quod curricula sua Agitatores obibant, cùm primitus intra *Euripos* currerent. Unde vet. Epigramma.

Namq; axis gemini terminum obitumq; docent.
Atq; his Euripus *quasi magnum interjacet æquor* &c.

Quæ fabrica ex ligno, per longitudinem medii Circi porrecta, quia non tantùm longam, sed etiam latam aliquantum fuisse necesse est, videtur quoque *Spina* fuisse dicta, metaphorâ a *spina* animalium, per medium dorsum porrectâ ac eminente, desumtâ: quemadmodum eadem *Euripi* appellationem, à septuplici quadrigarum circuitu retinuit. V. hujus *Euripi seu Spinæ*, in cujus medio obeliscus Solis erectus erat; infrà tres aræ, totidem suprà, imaginem ex veteri nummo apud Salmasium *ad Solinum pag.* 913. & plura hanc in rem hic passim, inprimis suprà in voce *Delphines*, ut & ubi *de Falis ac Ovis Circi*, nec non in voce *Spina*. Quod verò *Euripum Euboicum* attinet, ejus cursum singulis mensibus 18. vel 19. dies regularem, nempe à Novilunio per dies octo, item à die quæ plenilunium præcedit, per dies 7. nec non ante novilunium alterum per dies tres, atque his diebus Oceani Marisque Adriatici fluxum ac refluxum, intra 24. vel 25. horas geminum, imitari: reliquis verò diebus irregularem esse, & intra totidem horas duodecies, tredecies, & quatuordecies quoque variari, nisi violentia venti impediat, docet Jac. Sponius *antiquarius*, qui hoc modo Vett. diversas sententias conciliat, & plura egregia de celebri hoc *Euripo* curioso Lectori exhibet, *Epist. ad Abbatem Pocoike*, quam *Itinerario suo* inseruit *Part.* 2. *pag.* 318. & *seqq.*

Euronotus, adde: *Phœnicium*, Græcè *Φοινικίας*, priùs dictum esse, docet Salmasius *ad Solinum* 1251. & *seqq.* ubi de illo, ut & *Euroaquilo*, varia habes.

Europa, filia Agenoris, adde: Post raptam eam à Jove Cretensi, ut generali nomine appellant, quem Lycophron *Ἀστέρα*, Diodorus *lib.* 5. *Ἀστέριον*, Augustinus *de Civ. Dei lib.* 18. *cap.* 12. vocat *Xanthum*, in patris solatium, Astar. e, quatenus Numen animale, altera ejus filia, an illa ipsa Europa, inter Deos relata cultusque ejus institutus est, teste Luciano *in Dea Syr.* Dicitur verò *Europa* tauro vecta, quia in littore choreas agens navi rapta, cujus *ἐπίσημον* taurus, unde & navi nomen. Nisi cum Palæphato malis raptam à viro Cnossio, cui nomen Taurus. Historiam Eusebius priùs refert ad extrema Josuæ tempora: mox, alios secutus Auctores, ad quintum decimum Othonielis annum, V. Gerh. Joh. Vossium de *Idolol. lib.* 1. *cap.* 22. *sub fin.* Unde patet raptum hunc non habuisse Autorem Jovem Cretensem illum antiquissimum, qui Cres erat, à quo & Creta nomen accepit, Isaaco vel Jacobo Patriarchæ coævus; sed Jovem longè juniorem, cujus in Creta sepulchrum fuit, teste Euhemero & Cicerone, apud Lactantium *de falsa Relig. lib.* 1. *cap.* 11. Fuit autem is Rex Cretensis variis nominibus ab Historicis, ut vidimus, appellatus, cui famulus erat Marnas, à Gazæis postea cultus. Hic itaque Jupiter, ex rapta *Europa*, quod 200. circiter ante Helenæ raptum annis contigisse ostendit Vossius, genuit Minoëm I. qui Patri in Regno successit, Rhadamanthum & Sarpedonem Lyciorum Reges, de quibus, ut & plura de raptu hoc, V. apud præfatum Vossium *lib. cit. cap.* 14.

Europa, adde: Longitudinem maximam obtinet inter Promontorium S. Vincentii & Tanaim; Latitudinem, inter Prom. Rutubas seu *Nortcaep* in Finmarchia, & Prom. Tænarum seu C. *Matapan* ad Moream; quarum hæc 36. illa 74. graduum est.

Europa, prov. Thraciæ, adde: Mentio ejus in vet. *Inscr.*

PRÆSIDI. PROVINCIÆ. BYZACENÆ.
CONSULARI. PROVINCIÆ. EUROPÆ.
ET. THRACIÆ.

& apud Festum Rufum: *In ditioni Reip. sex Thraciarum provinciæ sunt acquisitæ, Thracia, Æmimontus, Mœsia inferior, Scythia, Rhodopa,* Europa, *in qua nunc secundæ arces Romani Orbis sunt constitutæ.* V. Salmasium *ad Vopiscum in Aureliano.*

Europa, Græcè Εὐρώπη, item Εὐρωπεία, nomen Poëmatis seu operis epici Clementi memorati, qui ex *Εὐρωπείας* versus citat, auctore non nominato. Hieronymus, unà cum *Βουγονίᾳ*, id Eumelo tribuit. Sed & hac inscriptione Nicandri poëma fuit. Et quidem Eumelus historiam *Europæ* Agenoris filiæ, Nicander descriptionem & *περιήγησιν* Europæ, complexus est. Stephanus hunc laudat *ἐν πρώτῳ τῆς Εὐρωπείας*, Athenæus *lib.* 7. *ἐν πρώτῳ*, Scholiastes Apollonii *ad* 4. *Ἀργον.* eundem nominat *ἐν δευτέρῳ Εὐρώπης*. Sunt tamen qui idem scriptum à nonnullis Eumelo, ab aliis Nicandro, adtributum velint. Imò & Hecatæus sæpe citatur à Grammaticis *ἐν Εὐρώπῃ*. V. Salmasium ad Solinum & suprà, ubi de *Cyclo Epico*.

Europus, inter Herculis posteros, Sosi fil. Prytanim genuit, quo Lycurgus natus est, Spartanorum Legislator. Salmasius *ibid. pag.* 16.

Eurus, adde: In octagona Andronici Cyrrhesti turre (quà octo ventos olim expresserat, qui tum solùm fuere noti) hodieque Athenis extante, primus hic se visendum præbet, juvenili specie, & in Oceano *Sud-ost*, in Mediterraneo verò Mari *Sirocco* vulgò appellatur. V. de eo pluribus agentem Salmasium *ad Solinum pag.* 1245. & *seqq.* ubi inter alia eundem cum Vulturno, & Græcis quidem *Εὖρον*, Romanis verò Volturnum appellatum esse, docet.

Eurytus, adde: in Oechalia olim cultus est. Vossius *de Idol. Part.* 1. *cap.* 13.

Eusebius, cognom. *Pamphili*, adde: Arianismum cùm jam tandem deposuisset, jussu Patrum Concilii Nicæni, quorum sententiam secutus fuerat, Symbolum *Nicænum* dictum composuit, quo in hodiernum usque diem Ecclesia usa est, Trithemius. *Vir longè clarissimus & in omni Historiarum genere exercitatissimus*, Casaubono. Scaliger verò *ut nullum Scholasticorum veterum illo plus ad historiam Christianismi contulisse, sic nullum plura errata in scriptis suis reliquisse, nullius plures hallucinationes extare*, docet; Ejus *de Præp. & Dem. Evangelica* libri, extant Gr. Lat. cum Notis 2. Vol. fol. Parisiis A. C. 1628. 3. Vol. ibidem A. C. 1629. fol. Genevæ 1612. Gr. tant. in fol. Lutetiæ A. C. 1544. & Basileæ A. C. 1579. *Commentaria in Psalmos omnes*, quæ Latina fecit Cassiodorus teste Bolduano, prodierunt fol. Basileæ A. C. 1491. &c.

Eusebius Emisenus, adde: Cognomento *Philosophus*, ex generosis Edessæ in Mesopotamia parentibus natus est, Sixt. Senensis. Extant *Homiliæ* ejus Lat. 8. Parisiis, A. C. 1554. Opera omnia itidem Lat. 8. ibidem, A. C. 1575. Vixit tempore Constantii Imp. sub quo mortuus, & Antiochiæ sepultus est, ideoque saltem ante annum 361. vivere desiit, Labbæus. *Episcopus elegantis & Rhetorici ingenii*, Hieronymo. De eodem Chamierus *Eusebius Emissenus*, inquit, *seu quicunque Auctor est earum homiliarum, Vir certè antiquus est & eruditus.*

Eustathius, Præsul Antiochenus, adde: Genere Pamphilus, Beriæ Syriæ primò, dein Antiochiæ Episcopus fuit. Ejus *in Hexaëmeron Comm.* Gr. Lat. cum Notis extat 4. Lugduni Batavorum A. C. 1629. Claruit A. C. 330. ut Trithemio, vel 340. ut Sixto Senensi visum est. Guil. Crovvæus *El. Scr.*

Eustathius, Sebastenorum Episcopus, temporibus Constantini M. asceticæ & monasticæ vitæ, apud Armenios, auctor, librum *Ἀσκητικὸν*, quem Basilio M. quidam tribuunt, composuit. Episcopos Presbyterosque ad antiquam *ἄσκησιν* reducturus civili habitu vesteque communi in Sacerdotibus condemnatâ eos ad Philosophicum pallium revocabat, ipse palliatus incedens: quem proin Synodus Gangrensis damnavit *can.* 12. Cùm pallium, quod Tertullianus *super omnes titulos & apices Sacerdotalem habitum* vocat, Constantini ævo *ἀσεβείας* τῆς ἱερωσύνης *σημεῖον* haberetur, h. e. *indecora Sacerdotio vestis*. Salmasius *ad Tertullianum de Pallio*.

Euthalius, incertæ Ecclesiæ Diaconus, natione Græcus, scripsit *in Epistolas S. Pauli Collectanea Gr. S. Patrum*, edit. Veron. A. C. 1632. Londini, A. C. 1635. Belodnerus autem ipsum tantùm collocat inter Commentatores *in ad Romanos & Corinthios*, ut & Bolduanus. *Euthalius* & Sophronius (qui obiit A. C. 634.) *de Vita & Peregrinatione D. Pauli* impr. ad calcem *Explicationis Actorum Apostol.* Christ. Pelargi tractatus, teste Bolduano, valde utilis est, ad intelligentiam Actorum Apostolicorum. V. Guil. Crovvæum *Elencho Scriptorum in SS. Scripturam*.

Euthymenes, Salaminius quidam, de cujus filio sic Solinus *cap.* 1. *Non omiserim Salamine* Euthymenis *filium crevisse in triennio tria cubita sublimitatis, sed incessu tardum, sensu hebetem, robustâ voce, pubertate festinâ, statimque obsessum morbis plurimis — compensasse præcipitem incrementi celeritatem.* Ad quem l. V. Salmasium *pag.* 44.

Euthymius seu *Euthymus*, eximius Olympiæ victor seu Pycta Locrensis, teste Plinio *lib.* 7. *cap.* 47. *consecratus est vivus sentiensque ejusdem Oraculi jussu, & Jovis Deorum summi adstipulatu*, V. quoque Ælianum *Var. lib.* 7. *cap.* 47. Cujus proin memoriam revocavit Nero, in medallione suo, quo alterâ facie ipse apparet, cum litt. IMP. NERO. CÆSAR. AUG. P. M. in alterâ, vir insigni habitu, triumphantis nempe specie, laureâ caput cinctus, dextrâ flagellum, sinistrâ palmam tenens, curru quadrijugo vectus, cum hoc nomine, EYTYMUS: Hoc enim modo Hieronicæ coronati per medium stadium deduci solebant. Neronis postea medallionem hunc revocavit seu recudit Trajanus Imp. in cujus altero latere ipse expressus est, cum Inscr. TRAIA-

NUS. P. F. AUG. in altero, simili habitu Euthymius, nisi levi discrimine, addito nomine EYTHYMIUS. Utrumque posteriori ævo denuo renovavit Honorius Imp. cum Inscr. EUTIMI NICA: quæ quidem eadem ferme sunt, quæ Præcones efferre solebant, cùm quis in certaminibus vicisset; ut apud Laërtium *in Diogen.* Νικᾷ Διώξιππος, & apud Xiphilinum *in Nerone*, Νικᾷ Καῖσαρ νικᾷ τὸν δὲ τὸν ἀγῶνα, &c. Car. du Fresne *de Infer. ævi Numism. num.* 64. V. quoque suprà in *Contorniati Nummi*, & in voce *Eythymus*.

Euthyni, Græcè Εὔθυνοι, in Atheniensium Rep. Magistratus erant, quos cum Logistis, (apud quos rationes gesti sui Magistratus referebant οἱ ἐν ἀρχῇ, intra 30. ab abdicato Magistratu dies) eosdem facit Auctor Etymologici; sed aliud docet Philosophus *Politic. lib. 6. cap. ult.* è quo tamen colligas, munus illorum à Logistarum munere non multùm diversum fuisse. Numero decem erant, sicut & Logistæ: Harpocration, Εὔθυνοι ἀριθμὸν ἀρχὰς παρ' Ἀθηναίοις, δέκα τὸν ἀριθμὸν ... Erantque non κληρωθεὶ. i. *forte capti*, sicut Logistæ, sed eligebantur ex optimis quibusque. Et quemadmodum Logistæ fuere, velut novem Archontes, sic *Euthyni*, tanquam Paredri Archontum, qui Logistis assidentes, ubi judicatum est, Magistratus potestate decedentes aliquid publico debere, id ab illis exigere soliti sunt. Referebant itaque Magistratus εὐθύνας rationes apud Logistas, qui cum *Euthynis* judicabant. V. Sam. Petitum *Comm. in Leges Atticas lib.* 3. *tit.* 2. & infrà in voce *Logista*.

Eutropius, nobilissimus gentis Dardanæ vir, ex Claudia Crispi filia, genuit Constantinum Chlorum, patrem Constantini Magni, Treb. Pollio *in Divo Claudio*.

Eutychenm, in *l.* 1. *Cod. Theodos. de Alexandrinæ plebis Primat.* cujus subscriptio ita concipitur: PP. (i. proposita) *Alexandriæ Eutychæo*; videtur esse Prætorium Præfecti Augustalis Alexandriæ. Vox efficta ex Græco Εὐτυχεῖον, fortè quòd ab Alexandria Romam & CPolim advenirent *Felices Embolæ*, atque adeò in Prætorio Præfecti Augustalis eæ pararentur. V. Jac. Cujacium *Observation. lib.* 23. *cap.* 3. & Jac. Gothofredum *ad h. l.* laudatos Car. du Fresne *Glossario*.

E W.

Evvvil, in *Decretis* Stephani R. Hung. *lib.* 2. *cap.* 17. & *lib.* 3. *cap.* 1. sunt finium apud Hungaros custodes, viarumque observatores, in centurias decuriasque divisi. Car. du Fresne *Glossar.*

E X.

EX. in notis antiquis, denotat, *ejus*, vel *exigitur*. EX. A. D. *ex ante diem.* EX. B. *ejus bona*. EX. B. S. *ex bonis suis*. EX. C. *ex consuetudine, concione* vel *conditione* &c.

Exacium seu *Exagium*, cujus crebra mentio apud Anonymum *de Ponder.* Nicandro subjectum, ubi ἐξάγιον scribitur, voce contractâ ex ς, quæ ἕξ significat, i. *sex* & ἄγιον, licèt non ab ἕξ deducatur: *certæ ponderationis genus* est, inquit Cujacius. Unde in *Glossis* Græco Latinis pro quavis pensatione sumitur, & in vet. Inscr. SUB EXAGIO PECORA VENDERE. Cujusmodi *Exagium* Solidi, inter Honorii Aug. nummorum typos in suo *de Stemmat. Byzantinis opere* delineari curavit du Fresne, ejusdem Augusti nomine & *Exagii* appellatione inscriptum. Quò pertinet *Novella* Theodosii Jun. & Valentiniani de pretio Solidi: *De ponderibus quoque ut fraus penitus amputetur, à nobis aguntur* Exagia, *quæ sub interminatione —sine fraude debeant custodiri* &c. Atque inde postmodum invaluit, ut id vocabuli pro ipso Solidi pondere usurpatum fuerit, quia solidus sexta pars unciæ fuerit: ut apud Zonaram, scribentem Nicephorum Phocam Imp. monetam imminuisse, cùm hactenus quodvis numisma, i. solidus aureus, *exagium* penderet, μὴ ζυγίζοντα, ... ἐξαγίῳ ... ἔλαττον. Sic *Exagium* usurpatum pro Solido, seu Solidi pondere: ex quo Saladinus *lib. de Ponder.* Solidum solo nomine differre ab *Exagio* ait, ut & poëta inferioris ævi *MS.*

Exagium solido differt à nomine solo,
Si solidum quæris, tres dragmas dimidiabis.

Quâ proin notione passim occurrit, apud Constantinum Africanum Medicum, qui sub Alexio Comneno vixit. V. Car. du Fresne *Glossar.* & *Differtat. de Infer. ævi Numism. num.* 77.

Exactor, publicanus, Τελώνης, Augustin. *de Civ. Dei lib.* 2. *cap.* 19. Ἐξάκτωρ quoque Tzetzai *Chil.* 5. *cap.* 17. *versu* 610. & Joanni Euchaitarum Episcopo,

Μυστηχάλῳ χθὲς ἐγγενὴς ...,
Καὶ ... ἐξάκτωρ τις ...

In vet. *Inscr. Exactor tributt. civit. Gall.* &c. V. Car. du Fresne. Sed & *Exactor*, in antiquo *Elogio*, quod Romæ extabat olim in Musæo Carpensi,

SEX. POMPEIVS FAVSTVS
SEX. POMPEI. EXACTOR.

servi apud Romanos nomen, cujus officium describit Scævola *l.* 41. *ff. de Fideicomm.* Apud Cæsares peculiaris fuit *Exactor hæreditatum, legatorum, peculiorum*, ut videre est ex vett. *Inscr.* Ad hæc, *Exactor auri, argenti, æris* in officina monetæ: *Exactor* item *operum Dominicorum*. Verùm qui ratiocinium non didicisset, excludebatur hoc officio, uti docet Pignorius *Comm. de Servis.* V. quoque Popmam *de Operis Servorum*.

Exafoci, apud Anastasium *in Benedicto III. Obtulit canistra exafoci ex argento purissimo*: pro *exafota*, ex Gr. ἑξάφωτα, i. *canistra sex luminibus, lucernis vel candelis instructa*, &c. V. suprà in voce *Enafoti*.

Exagium, trutina & certæ ponderationis genus, Cujac. Item ponderis nota, quæ pani imprimebatur, σφραγὶς Casaubono *ad Sueton.* & nummis, V. suprà in voce *Dimicare*, item *Exacium*.

Exaluminatus Color, in margaritis maximè laudatus: *Et in candore ipso*, verba sunt Plinii, *magna differentia. Clarior in Rubro mari repertus. Indicus specularium lapidum squamas assimulat—— Summa laus coloris est exaluminatos vocari.* Nempe à liquidi aluminis colore, cujus probatio in Plinio est, *Ut sit limpidum, lacteum, sine offensis fricantium, cum quodam igniculo caloris*. Quæ sumta sunt ex his Dioscoridis *lib.* 5. ... Quæ ultima verba sic reddit Arabs, *Et exhalat ex eo odor igneus*, apud Bochartum *Hierozoici Part. II. p.* 690. Quæ nempe limpidi & liquidi candoris, sic dictæ sunt, quas *claras* alibi Plinius idem vocat. At *exaluminatæ pelles*, quæ & *alutæ*, quòd verè exaluminarentur, ut candorem clarum acciperent. Cujusmodi usui alumen inservire legas apud eundem: Servius, *unde & aluta pellis alba per naturam.* Imò *per alumen*, nam *alutam* etiam *alumen* Latini dixere. Salmasius ubi suprà *pag.* 1166.

Examinator, nomen dignitatis apud Longobardos in *Charta* Siconis Principis, apud du Fresne.

Exarchus, adde: Delineavit idem nummos aliquot æreos Ravennenses, quos Ravennæ *Exarchorum* esse vel certè ab iis cusos existimat ac proin Mauricianis subjecit, quo imperante *Exarchi* illi maximè floruere. In eorum plerisque imago pectoralis effingitur fœminæ, caput coronâ murali exornatæ, cum inscr. FELIX RAVENNA. In postica, ejusdem Urbis monogramma describitur R. s. cui A. implexum est & E: in aliis Aquila cum alis expansis conspicitur Imperii Rom. insigne. V. C. du Fresne *Differt. de Infer. Ævi Numismat. num.* 74. Aliàs, in genere Ἔξαρχος, *Princeps*; Ἔξαρχοι, *Proceres*. Ἔξαρχοι τῶν φατριῶν, *Duces factionum*, apud Cedrenum: *Exarchus Africæ*, de Gennadio, apud Gregorium M. *Epist.* 59. & 72. *lib.* 1. Nec semel *Exarchi* dicuntur Pipinus & Carolus Martellus Majores Domus, in Chron. Fontanellensi *capp.* 2. 3. 9. Idem nomen dignitatis militaris fuisse videtur in *vet. Inscr.* apud Gruterum 528.7. &c. In Ecclesia *Exarchus Diœceseos*, cujus meminit Nicolaus I. Pontif. Rom. *Epist.* 8. *ad Michaëlem Imp.* dignitas fuit Metropolitanâ minor: cujusmodi *Exarchi* tres numerabantur sub Patriarcha CP. viz. *Ephesinus, Cæsareensis* & *Heracleus*, pro Asia nempe min. Ponto & Thracia. Sed & *Exarchus* dicebatur, minister Patriarchæ ejusdem, qui decimas aliosque Ecclesiæ CPolitanæ proventus exigebat atque in Conciliis post Patriarcham & ante Metropolitanos subscribebat, V. Codinum *de Offic. cap.* 1. *num.* 41. In *Novella* Justiniani *Exarchi Monasteriorum* occurrunt: *Exarchum Regni Burgundiæ & summum Principem Consilii sui & in omnibus faciendis agendisque suis præcipuum*, Heraclium Archiep. Lugdun. instituit Fridericus Imp. *Bullâ* suâ aur. A. C. 1157. &c. V. du Fresne *Glossar.* & Macros *Hierolex.*

Catalogus Exarchorum Ravennensium.

Longinus, præfuit ann. 16.	Isaacus Patricius.
Smaragdus, missus à Mauritio Imp. ann. C. 583.	Theodorus Calliopa.
Romanus, ab eodem A. C. 588.	Olympius.
Callinicus, similiter A. C. 598. quo ab Imperatore revocato, Smaragdus iterum eam dignitatem tenuit, ab A. C 602.	Theodorus Calliopa iterum.
Joannes Lemigius, à Phoca illi suffectus est, A. C. 610.	Theodorus.
Eleutherius, ab Heraclio missus est, A. C. 615. Post quem præfuere,	Joannes Platon.
	Theophylactus.
	Joannes Tizocop.
	Scholasticus.
	Paulus Patricius.
	Eutychius Patricius, ab Aistulpho Longobard. R. pulsus A. C. 752. V. Sabellicum *Ennead.* 8. Calvisium *Chronolog.* Alios.

Excæcandi olim hodieq; mos, frequens fuit. Et quidem de ea *excæcandi* ratione, quæ fiebat per βασάνιον seu *ferrum candens*, affatim diximus, in voce *Abacinare*: sed & aliæ occurrunt non paucæ. Apud S. Augustinum *lib.* 3. *c. Cresconium cap.* 42. Circumcelliones Donatistæ, *novo & inaudito sceleris genere, oculis calcem aceto permixto infundentes & infercientes*, eorum lumen extinguebant. Quemadmodum reos olim Persæ infuso oculis aceto fervido, visu privasse leguntur, apud Procopium *Persic. lib.* 1. *cap.* 6. & de Græcis Byzantinis idem habet Laonicus *lib.* 1. *p.* 23. Interdum chordâ ad frontem circumductâ oculi eruebantur. Anonymus Valesianus, de Constantino M. *Qui acceptâ chordâ in fronte*

fronte dissipissimè tortus, ita ut oculi ejus creparent. Unde *crêvér les yeux*, Gallis loquendi familiaris formula. V. iterum Procopium *Histor. arcan. cap. 6. extr. Chronicon.* CP. laudatum ab Alemanno & Meursium in Κέρδιν. Denique Pachymeres ait erutos oculos τοῖς σουβλίοις πασσάλοις, *paxillis obviis*, *lib. 5. cap. 30.* & scalpello percussos oculos, habet *Chronicon* Sublacense, *sub A. C.* 1003. Jam verò receptam inter pœnas in reos decretas, *Excaecationem* fuisse, Vett. & Recentiores testantur. In Oriente Principes inprimis hoc supplicii genere in consanguineos proximosque suspectos sæviunt &c.

Excaldationes, apud Capitolinum, *Lavacra muliebria* sunt, apud Lampridium *in Alexandro*; *aqua muliebris*, apud Vopiscum, *in Carino*: quibus rarò utebantur Viri, à luxuria alieni, interdum tamen. Lampridius de Alexandro, *Unctus lavabatur, ita ut vel nunquam caldariis, vel rarè, piscinâ semper uteretur.* Atque hæc sunt balnea, quæ *Cod. lib* 1. vetantur ab hospitibus suis exigere, vel præcipui belli Duces, nedum caligati milites. Chrysostomus *in I. ad Tim.* Στρατιώτας λουτροῖς καὶ θεάτροις ... καὶ ... , ... τὰς λουτροπόλας χρῆ). Ubi vox λουτρὰ non de quibusvis lavacris, sed *de excaldationibus*, accipienda. V. Casaubonum *ad Vulcatium Gallicanum in Avidio Cassio.*

Excellentia, titulus Principum, atque adeò Impp. apud Anastasium *in Hadriano* &c.

Excelsa, in quibus Israëlitæ idolis suis sacra fecere, hanc habuere originem. Antiquitus Gentiles non solùm nulla habuere templa, in quibus sacra peragerent, sed nec extruere illa licitum esse credebant: Quod enim Soli, quem pro Deorum summum habuere, capiendo sufficiens esset domicilium? Unde dicere soliti: *Mundus universus est Templum Solis*, Alex. ab Alexandro *lib. 2. cap.* 12. Postea, cùm templorum increbuit usus, non pauca tamen illorum intecta mansere, ὕπαιθρα Græcis dicta, qualia Terminus aliique miserorum hominum Dii habebant. Unde non alius sacris iis visus semper est convenientior locus, quàm colles montesque, quos Numinibus suis consecratum ivere, angustiis enim Templorum Fanorumque Divinitatem constringi non posse vel ipsi viderant. Hinc itaq; Mercurius *Cyllenius*, Venus *Erycina*, Jupiter *Capitolinus*, alii aliter, ab excelsis hisce locis cognominari cœpere. Hæc dein lucis cuique Deorum dicatâ arbore refertis, exornari sunt conati. Virgilius *Eclogâ* 7.

Populus Alcidæ gratissima, vitis Jaccho,
Formosa myrtus Veneri, sua laurea Phœbo &c.

A' Gentibus transiit consuetudo ad Israëlitas, qui sub Othniele & Ehude Judicibus, à vero Deo ad Idola primùm se converterunt, Judic. *cap. 3. versu 7. Quum itaq; facerent filii Israëlis quod malum videtur in oculis Jehovæ, obliti Jehovæ Dei sui, colerentq; Bahalimos & idola lucorum.* Quæ idololatria sequentibus temporibus tantum cepit incrementi, ut peculiare institueretur collegium Sacerdotum, qui *Prophetæ luci* dicti sunt, 1. Regum *cap.* 18. *versu* 19. ubi quadringenti eorum fuisse leguntur: Et peculiaria haberent Idola lucorum, ut patet ex 2. Chron. *cap. 15. versu* 10. ubi Maacha, avia Asæ R. *cum luco horrendam statuam fecisse* memoratur. Dum, quemadmodum Christianorum quidam Sanctis sua Templa dedicant, Petro, Paulo, Andreæ &c. cuique Numini peculiarem consecrarunt lucum. Unde apud Romanos quoq; Diana modò *Nemorensis*, modò *Arduenna*, modò *Albunea* appellata est, ab *Excelsis*, ubi luci ei sacri fuere. Imò non nomina solùm ab his accepere, sed etiam aliquando Luci appellati ipsi leguntur. Sic Josias Rex: *Exportasse lucum è domo Jehovæ* dicitur, 2. Regum *cap. 23. versu* 6. id est, Idolum, cui luci fortè figura insculpta erat: quemadmodum argentea simulachra templi Dianæ, à Demetrio fabricata, *templa Dianæ* appellantur, Actorum *cap. 19. vers.* 24. Duravit autem Idololatria hæc, usque ad tempora præfati Josiæ: Quamvis enim Hiskia R. *amovit Excelsa, fregit statuas & excidit lucum*, 2. Regum *cap. 18. versu* 4. hæc omnia tamen *rursus ædificavit* Manasses filius ejus, *ejusdem libri cap. 21. vers. 3. fecitq; lucum, quemadmodum fecerat Achab.* Donec ejus ex filio Ammone nepos Josias *Excelsa polluit, & confractis statuis ac succisis lucis eorum, implevit loca eorum ossibus hominum, cap. 23. vers.* 5, 6, 8, 13, 14, 15. circa A. Mundi 3322 ante C. N. 626. postquam durassent an. circiter 802. V. Thom. Godvvynum *de ritibus Hebræorum lib. 2. cap.* 4. Helvicum *Chronolog.* &c.

Exceptor, in vet. *Inscr. Exceptor Præsidis Provinciæ*, Notarius est, Amanuensis, qui acta Judiciorum describit Judicisq; *excipit* sententiam. Hinc *Primicerius Exceptorum*, primus Exceptorum, cujus dignitatis formulam exhibet Senator *l. 11. for.* 25. Collegium eorum *Schola Exceptorum* dicebatur. Apud Julianum Antecessorem, *Publicorum vectigalium Exceptores*, Ἐκλήπτορες sunt Græcis. V. Car. du Fresne *Glossar.* & Macros Fratres *Hierolexico.* Memoria eorum & in alia vet. *Inscr.* Romæ servatur, factâ in honorem Quinti Herennii Etrusci Cæsaris Consulis & Principis Juventutis, filii Trajani Decii Imp. ab *Argentariis & Exceptoribus itemq; Negotiantibus vini Supernatis & Ariminensis*, apud Jac. Sponium *Itiner. Parte 3. pag.* 38. ubi eos exponit *Nummularios* seu *Trapezitas.*

Excionita, V. infrà *Stylita.*

Excisio, Hebr. כרת sive *Gehenna*, pœnæ genus est in Sacris memoratum, quod non à Deo per homines, sed immediatè, gravioribus quibusdam peccatoribus olim irrogabatur. Enumerant autem Hebræi è Sermone sacro delicta XXXVI. quorum scienter & ultro commissorum nullum esse dicunt, quod non *Excisione* puniendum sit: hancque faciunt triplicem, *quâ* vix. *Corpus tantùm, quâ Anima tantùm, & quâ utrumq; excidatur*: è quibus mediam cum Platonicis statuunt, in quorum Philosophia memoratur ψυχῆς ..., *Anima sublata* seu *extincta*: Proclus *in Theolog. Platonic. lib. 6. cap.* 10. postremam cum Valentinianis, in quorum dogmatis dicitur, τὸ ... λόγιον ... *ordinem hominum materialem*, ἀπόλλυσθαι ἅμα τῇ ψυχῇ καὶ σώματι, *simul cum anima & corpore perire.* Et quidem primi generis ajunt pœnam esse prematuræ mortis, de qua Psalm. 55. *vers. ult.* eamque volunt designari in S. Literis, ubi dicitur, *Excidetur homo ille è medio populi sui*: quæ phrasis sexies occurrit in lege, totidem peccatis pœnam interminans, ut infrà videbitur. Generis secundi *Excisionis* pœnam vigesies septies, ad scelerum, quibus disertè præscribitur, numerum, haberi in Lege observant. Tertium verò genus ter memorari, dicunt, pro ternario peccatorum, quibus illa pœna insligenda, numero, & exprimi verbis hisce, *Excidendo excidetur anima illa, iniquitas ejus super eam*, Numer. 15. *vers.* 31. sicut secundi generis pœnam, *Et excidentur animæ sic facientes de medio populi sui*, Levitici *cap. 18. vers.* 29. Adeò ut ex secundo genere, ipsam planè velint esse desinere, Animam, corpore ante tempus suum moriendi aliàs naturale, minimè sublato; ex genere verò tertio, tam vitam ante tempus aliàs naturalem cœlitus præripi, quàm Animam ampliùs non omnino esse: atque inde, pro justitiæ seu iniquitatis modo, sive immortalem, sive mortalem animam pronuntiant: de qua sententia quid statuendum, notum. V. Joann. Seldenum *de Jure Nat. ac Gent. juxta discipl. Ebræor. Lib. 7. cap.* 9. & 10.

Delicta XXXVI. quibus Excisio in sacris literis insligenda traditur.

I. Qui consuluerit Ob & Jideoni, Levit. *cap.* 20 *vers.* 6.
II. Qui mactaverit extra, Levit. *cap. 17. vers.* 4.
III. Qui obtulerit extra, *Ibid. vers.* 9.
IV. Qui oleum confecerit, contra legem, Exodi 30. 33.
V. Qui confecerit suffimentum contra L. *Ibid. vers.* 38.
VI. Qui oleum unctionis effuderit, c. L. *Ibid. vers.* 33.
Sequuntur XV. concubitus incesti, de quibus V. Levitici *cap.* 1. & 10.
XXII. Qui profanat Sabbatum, Exodi *cap. 31. vers.* 4.
XXIII. Immundus, qui sanctum comederit, Levit. *cap. 7. vers.* 20.
XXIV. Qui in Templum ingreditur immundus, Numer. *cap. 19. versu* 13.
XXV. Qui comedit adipem, Levit. *cap. 7. vers.* 25.
XXVI. Qui comedit sanguinem, *Ibid. versu* 27.
XXVII. Qui comederit sacrificii residuum die tertio, *Ibid. cap. 19. vers.* 6.
XXVIII. Qui comederit residuum sacrificii, extra locum suum, *Ibid. v.* 7.
XXIX. Qui comederit fermentum in Paschate.
XXX. Qui comederit quid in die Expiationum, Levitici *cap. 23. vers.* 19.
XXXI. Qui opus aliquod fecerit die Expiationum, *Ibid. vers.* 30.
XXXII. Qui Pascha non observaverit, Num. *cap. 19. versu* 13.
XXXIII. Masculus, qui minimè fuerit circumcisus, Geneseos *cap. 17. vers.* 14.
XXXIV. Blasphemus, Numer. *cap. 15. versu* 30. & 31.
XXXV. Cultûs extranei seu idololatriæ reus, *Ibid.*
XXXVI. Qui ex semine suo dederit Molocho, Levit. *cap. 18. vers.* 21. & *cap. 20. versu* 5.

In quibus 36. criminibus quos gradus *Excisionis* faciant Hebræi, suprà vidimus.

Excisum, adde: Vulgò *Eixe*, vel *Eisse*, in Nitiobrigibus est, inter quod & Fines ponitur Aginnum, in *Itinerario Æthici.* Hadr. Valesius *Not. Gall.* in voce *Nitiobriges.*

Excitare, propriè *ex* sede sua *ciere* ac movere est. Martialis de illo, qui ab Equestribus surgere jussus est, *lib. 5. Epigramm.* 14.

Bis excitatus terve transtulit castra.

Hinc *excitare leporem*, in re Venatoria, canes dicuntur, quem de cubili suo ac fruticeto exire faciunt. Quod idem & *suscitare*, apud Martialem alibi,

Dum suscitanti Lectio reluctatur.

Inde oppida, muri, *excitari* dicti, & quidquid è solo in altum ædificatur & attollitur. Glebæ etiam, quæ aratro proscissæ levantur &c. Salmasius *ad Solinum pag.* 984. Apud Isiacos Mystas *Excitatio*, vox sacra, idem quod salutatio fuit. Hi enim bis in die Isidi laudes dicere soliti; primâ horâ, quâ Templum aperiebant (unde *Apertio* hic ritus) Deam suam salutabant, quod *Salutationem*, item *Excitationem*, dixere. Pòst totum diem stipe emendicatâ, inde ad octavam reduces, Deam componebant, eodemque defuncti ritu, ædem claudebant. Raderus *ad Martialem lib. 10. Epigr.* 48.

Excitatus Color, idem cum *vegeto*, *vivido*, *claro*, *acuto*, quem Græci ὀξὺν vocant, & *astricto*, *presso*, *nigricanti*, *saturo*, ..., opponitur: qui tamen colores, licèt in gradu colorum invicem opponantur, in eodem tamen simul possunt esse, sed diverso respectu. Tyria enim purpura nigrior & adstrictior adspicientibus appare-

apparebat; suspicientibus autem *excitatissimum* nitorem ac lumen affulgebat. At *excitatus* & dilutus, ut nec adstrictus & dilutus, simul esse nequeunt, nec in uno morari: unde conchylium neutrum horum habebat. Imò & Latini *pressum saturumq;* de clarissimis & excitatissimis coloribus nonnunquam usurparunt, intensissimum quemque in sua specie colorem, & qui diluto pallidoque maximè contrarius esset, ita vocantes, V. Salmasium *ad Tertullianum de Pallio cap.* 3. ubi etiam, antiquos pressiores & fusciores purpuras magis probasse; at recentioribus claras & *excitatas* potiùs placuisse addit.

Excommunicatio, in Ecclesia Israëlitica, tribus olim constabat gradibus. Quorum primus in Nov. Test. dictus est, *Ejectio è Synagoga*, Joh. *cap.* 9. *versu* 22. Judæis *Niddui*, i. *separatio*, vel *ejectio*, aut *elongatio*: Taliter enim excommunicatus ab omni commercio hominum spatio quatuor cubitorum elongare se tenebatur, neque edendo aut bibendo, dormiendo, lavando aut alia istiusmodi agendo propiùs ad ullum mortalium accedere, per triginta dies: nisi interea egisset pœnitentiam. Interim poterat interesse sacris, docere alios vel discere ab aliis: licebat ipsi quoque servos conducere, aliisq; ministrare. Quòd si in impœnitentia perseverasset, numerus dierum separationis duplicatus vel triplicatus, aliquando ad mortem usque extensus est: neque masculi ejus ad Circumcisionem admissi sunt priùs, quàm resipiscentiæ edidisset signa. Quòd si ex hac vitâ discessisset impœnitens, feretro lapis appendi solebat, ut indicaretur, lapidatione hunc hominem dignum fuisse, proin neque solenni ritu defunctum lugebant, aut exequias comitabantur; imò ne quidem majorum tumulis illatus is est, sed proprio in loco recondebatur. Alter gradus, vocatur in Nov. Test. *Traditio Satanæ*, 1. *Cor. cap.* 5. *versu* 5. Judæis חרם *Cherem* est appellatus: non eo sensu, quo vox hæc in Vet. Testamento variis in locis venit. Ibi enim modò res, modò personas devotas Deo, & sic à communi usu separatas denotare, patet ex Levitico *cap.* 27. *vers.* 29. Iosuæ *cap.* 7. &c. quarum illæ *ἀνάθημα*, hæ *ἀνάθεμα*, Græcis dicebantur: Aliud verò Apostolorum tempore significabat. Istiusmodi *Excommunicationis* species vel gradus, priori gravior, publicè exercebatur, in facie totius Ecclesiæ, addebanturque diræ ex lege Mosis: quæ dum publicè recitabantur, ardebant candelæ: iis autem finitis, extinguebantur: quo significatum, hominem illum cœlesti sic luce privatum esse. Fulmen hoc evibratum deprehendimus, in eum qui incestum commiserat in Ecclesia Corinthiaca, 1. Cor. *cap.* 5. *vers.* 5. item in Hymenæum & Alexandrum, qui naufragium fidei fecere, 1. Tim. *cap.* 1. *versu* 20. Tertius & gravissimus gradus, in Nov. Test. Syriacâ dialecto *Maranatha*, 1. Cor. *cap.* 16. *versu* 22. id est, *Dominus venit*: Judæis שמתא *Schammatha*, dictus est: quæ vox quibusdam idem denotat quòd *Μάραν ἀθὰ* seu *Maranatha*: aliis significat, *Hic est mors*; unde hic Excommunicationis gradus, *Excommunicatio ad mortem* dicatur; & fortè hinc origo phrasi, quâ Johannes utitur, 1. *epist. cap.* 5. *vers.* 16. cùm ait: *Est peccatum ad mortem*, id est, dignum anathemate seu ultimo & gravissimo *Excommunicationis* gradu. Cujus auctorem Enochum quidam faciunt, occasione verborum Judæ Ap. *versu* 11. Aliud quoddam *Excommunicationis* genus, quod omnes tres prædictos gradus complexum fuisse videtur, inter Sadducæos in usu erat, dictum: *Excommunicatio in secreto nominis Tetragrammati*; quo fulmine ipsi Samaritanos ferire sunt soliti, hoc modo: *Congregatis in Templo omnibus, trecenti Sacerdotes cum totidem tubis, libris legis et pueris; præstò adstantes, tubas inflabant: tum Levitæ cantando omnibus tribus Excommunicationis generibus execrabantur Samaritanos, in mysterio nominis Jehovæ & in Decalogo; nec non maledictionibus superioris atq; inferioris domus Judicii illos devovebant, ut neq; panem cum illis ulli Israëlitæ edere, neque ulli Samaritano proselyto esse liceret, neque ullam in resurrectione quisquam eorum haberet partem.* Quam formulam Rabbi Gersom etiam adhiberi voluit, erga eos, qui literas, insciis invitisque ad quos pertinebant, resignassent. V. Drusium *de 3. sect. lib.* 3. *cap.* 11. *ex Ilmedenu*, Buxtorfium *Epist. Hebr. pag.* 59. &c. In Græca Ecclesia, quatuor censuræ istiusmodi gradus erant. Primus *Σύστασις*, cùm à S. Cœnæ participatione peccatores remoti, in cæteris æquâ cum reliquis libertate fruebantur, ingrediendo templa, audiendo verbum Dei, etiam spectantes fideles ad sacram *σύναξιν* accedentes: & hi *Stantes* propterea, ab adstando & spectando dicebantur. Secundus *Ὑπόπτωσις*: cùm hâc censurâ notatus aditu quidem Templi non prohibitus, sed ponè suggestum consistens, cum Catechumenis tenebatur egredi. (Erant autem Catechumeni, pagani ad Christianismum perducti, sed baptismo adhuc carentes, adeoque nondum in Ecclesiæ sinum plenè recepti: His locus peculiaris in Templo, post Chorum, assignatus erat, qui & ipse *Catechumenum* dictus est, teste Hospiniano *de Templis pag.* 88.) Hi itaque neq; ipsi sacræ Cœnæ participes fiebant, neq; aliis participantibus adstare illis licebat, sed auditis verbis: *Ite, Missa est*; cum Catechumenis exire cogebantur: Et quamvis non prohibebantur *ὑποπεσεῖν*, *in genua procidere*, sicq; precibus suis defungi, tamen non in ipso cœtu, sed in loco illo Catechumenis destinato, id facere oportebat; *Succumbentes* à gestu hoc dicti. Tertius *Ἀκρόασις*: cùm ipsum Templum ingredi fas non erat, sed is, in quem censura stricta erat, in vestibulo solùm, eminus Dei verbum audire jubebatur: à communione precum & S. Cœnæ exclusus. Et hi *Audientes* nuncupati sunt. Quartus & postremus *Πρόσκλαυσις* dicebatur: cùm peccatores foris, extra Templum, constituti, ingredientes cum lachrymis precabantur, ut pro se Deum rogare non cessarent, *Plorantes* hinc nominati. Talis Ecebolius Philosophus Apostata fuisse legitur, qui ad portas Templi projectus clamavit: *Calcate me sal insipidum*, circa A. C. 367. apud Socratem *Hist. Eccl. lib.* 3. *cap.* 11. Hos ritus Ecclesia postea Latina à Græca mutuata est, sed utriusque origo ab Hebræorum consuetudine meritò arcessitur. Et triplicis illius apud Israëlitas *Excommunicationis* occasio fortè non malè desumitur, à tribus impuritatis gradibus: quorum primus excludens solùm à Castris Dei, respondebat gradui Excommunicationis *Niddui* dicto: Secundus à Castris Dei simul & Levitarum, gradui *Cherem* appellato: Tertius verò cùm e. g. ob lepram quis à Castris Dei, Levitarum & Israëlitarum, facessere jubebatur, referebat gradum Excommunicationis ultimum, *Schammatha* dictum. V. P. Fagium *in Num. cap.* 5. *vers.* 2. Thom. Godvvyn. *de ritibus Hebr. lib.* 5. *cap.* 2. &c. Adde Franc. Burmannum *Synopsi Relig. Christ. Part. poster. lib.* VIII *cap.* 5. §. 13. ubi paulo aliter de *Excommunicatione* apud Hebræos, ejusque gradibus disserit; ut & quæ hic habemus passim, in vocibus *Anathema*, *Maranatha* &c. Recentiori ævo *Excommunicati*, tenebantur intra annum absolutionem ab Episcopis impetrare & Ecclesiæ satisfacere, quod ni facerent, à Judicibus secularibus ad id adigebantur, uti docet du Fresne ex *Edicto* S. Ludovici A. C. 1228. Interdum etiam ad absolutionem petendam à Judicibus Regiis sub carceris pœna cogebantur, uti idem ostendit *Not. ad Joinvillam*. In Anglia ad id tenebantur intra 40. dies, quibus elapsis Ordinarius Cancellarium Regni de ea re certum faciebat, qui continuò ad Vicecomitem mittebat *breve*, quod *de Excommunicando capiendo* dicebatur, vi cujus excommunicatum in vincula compingebat. Quòd si sic Ecclesiæ satisfecisset, tunc aliud breve ad Vicecomitem mittebatur, quod *de Excommunicato deliberando* vocabatur. Si verò post dictos dies Barones vel alii contumaces mansissent, eorum subditi ab illorum fidelitate absolvebantur & terra eorum interdicto supponebatur, feudaque in manus superioris Domini transibant, quousq; injuriam passis & Ecclesiæ ab iisdem fuisset factum satis, uti pluribus docet idem du Fresne *Glossar.* In *Excommunicationes* autem mortuorum corpora in plateis aut agris insepulta relinquebantur; at, ne fœdus nares aut spectaculi horror mentes hominũ offenderet, illa ut plurimum humo injectâ aut tumultuariâ lapidum congerie operiebantur, quod *imblocare* dicebant Gallo-Belgæ, quibus *bloc* est tumulꝰ quidam altior, uti habet Lambertus Ardensis, de Arnoldo Ardeæ Dom. *pag.* 173. V. quoque Rudolfum Mon. in *Vita* S. Liobæ Abbatissæ *capp.* 3 & 4. aliosque laudatos Carolo du Fresne in voce *Imblocatus*. Quin & ea invaluit opinio, *Excommunicatorum* cadavera in cineres non abire, neque resolvi posse, sed in horrendum posteris exemplum indissolubili membrorum compage integra in omnia secula perdurare: apud Græcos præsertim, uti refert Goarus *ad Euchol. Græc.* Leo Allatius *Epist.* ad Paulum Zacchiam, Christoph. Angelus *de Hodierno Græcorum statu cap.* 25. & Franc. Richardus *de Insula S. Erini cap.* 15. *extremo* &c.

Excoriatio Victimarum, inter ritus sacrificales, memoratur Levitici *cap.* 1. *versu* 6. *Et nudabis pelle holocaustum*: post jugulationem nempe. Ut *Il.* α.

— καὶ ἔσφαξαν καὶ ἔδειραν,
Et jugularunt & excoriarunt.

V. quoque Apollonium *Argonaut. lib.* 1. & Dionysium Halicarn. *lib.* 7. Quod tamen in holocaustis non semper est observatum, apud Gentiles, uti de tauro Bubrosti Deæ oblato docet Plutarchus, V. quoque Lucianum *de Sacrificiis*. Sed & apud Hebræos, in sacrificiis pro peccato, pellis unà cùm carne cremabatur, extra castra, Exodi *cap.* 29. *vers.* 14. ut & pellis vaccæ rufæ, Numer. *cap.* 19. *versu* 5. At holocausti pellem servari Deus voluit & Sacerdoti dari, Levitici *cap.* 7. *versu* 8. Erat autem victimas *excoriare* Sacerdotum munus; ita tamen, ut Levitæ iis adessent, si res exigeret, 2. Paralip. *cap.* 29. *vers.* 34. & *cap.* 35. *v.* 11. &c. V. Sam. Bochartum *Hierozoici Part. prior. lib.* II *cap.* 33. atque infrà, ubi *de Sacrificiis*. Inde ad cruciatus hominum translatus ritus, à Tyrannorum immanissimis; qui vel totos quandoque pelle nudabant, quod hodieque apud Turcas in usu, vel partem corporis detrahentes, partem cutitam relinquebant. Sic caput Tharaci *excoriari* jussit Numerius Max. in *Passione* ejus; alii aliquando manus miserorum, nonnunquam terga, interdum faciei partem inter frontem & barbam, excoriabant, uti discimus ex Theodoreto *Histor. Eccles. lib.* 5. *cap.* 38. Antiquitatem supplicii loquitur fabula de Marsya, de quo suo loco. V. Casp. Barthium *Animadvers. ad Papin. Statium Thebaid. lib.* 5. *versu* 597.

Exscreare, in Templis, aut mungere, olim nefas. Arrianus *Epicteto lib.* 4. *cap.* 11. [illegible] Quod cùm imitarentur Histriones, eandem Theatro, tanquam Templo, reverentiam præstantes, hinc de Nerone Suetonius, *in certando*, inquit, *ita legi obediebat, ut nunquam*

nunquam excreare *ausus*, *sudorem quoque frontis brachio detergeret*, *cap.* 24. V. Casaubonum *ad l.*

Excrementa Quadrupedum, licèt spurca illa, imò ipsius suis, humano generi, divinâ benignitate, non nihil utilitatis præbent. Quippe, licèt ipsa ciborum sint retrimenta, agriculturæ tamen beneficio, prosunt nobis ad novum alimentum, sine quo durare vita nequit. Tum verò hoc non exiguum divinæ sapientiæ ac bonitatis erga nos argumentum est, quòd, etsi vix aliud excrementis fœdius ac fœtidius esse soleat, quibusdam tamen gratissimum indiderit odorem, quo cerebrum ac spiritus animales recrearent. Ita moschum redolent excrementa animalis ex mustelarum genere, quod *martem* vocant, & in Sarmatia inprimis frequens est. Optimumque odoramentum est ex sudore (qui & inter excrementa) cati Zibethici, quod ex Guinea adfertur. Gerhard. Joh. Vossius *de orig. & progr. Idolol. lib. III. cap.* 72. Sed & lapidem *Bezoar*, in excrementis animalis cujusdam Indici, è caprarum genere, reperiri tradit Jo. Bapt. Tavernier *tr. de Commercio Ind. Oriental.* Illud verò undiquaque fœdum, quòd idem in Regno *Boutan*, tantam erga Regem subditorum venerationem esse refert, ut etiam, quæ is quotidie excernit, illi solicitè colligant, exsiccent, in pulverem comminuant, atq; vasculis pretiosis inclusum secum circumferant, ut eo, quoties lubet, velut tabaci pulvere, per nares hausto, cerebri pituitam expurgent, aut etiam cibos condiant, V. eum *Itiner. Indiæ*, ubi *de Regno hoc*, & infrà in phrasi *Tegere pedes.*

Excubiæ, antiquitus institutæ erant incendiis arcendis: Unde Paulus JC. *L.* 1. *ff. de offic. Præfecti vigil. Apud vetustiores*, inquit, *incendiis arcendis Triumviri præerant, qui ab eo, quòd excubias agebant*, Nocturni *dicti sunt.* Item civitati ab insidiis tutandæ. Virgilius *Æneidos lib.* 9

Vigilum excubiis obsidere portas.

cujus rei imago extat, apud Suetonium *August. cap.* 23. *Hac, nempe, Variana clade, nunciatâ, Excubias per urbem indixit, ne quis tumultus existeret.* V. quoque Artemidorum *Onirocritic. lib.* 3. *cap.* 62. & suprà, ubi de *Circuitionibus Equitum*, alibique passim. Postea, quod bono civitatis fovendo antiquitus institutum fuerat, in usum suum verterunt mali Principes, & satellites suos seu stipatores, quorum ministerio tyrannidem stabilitum ibant, nomine hoc insignire cœperunt. Idq; non modò in Occidente aut Romano Imperio; verùm etiam in Oriente seu Byzantino Imperio. Unde Ἡμερόβιγλον, *diurna vigiliæ*, apud Curopalatem *lib. de Offic. Constantinop. pag.* 171. & rectè: Nam *vigiliæ nocturnæ, excubiæ diurnæ*. Isidor. Hispalensis *Etymol. lib.* 3. *cap.* 3. Sic Aurelio Cassiodoro *lib.* 11. *epist.* 19. *Tyrannorum excubiæ.* Claudius *de* 4. *Honor. Consul.*

Non sic excubiæ, nec circumstantia pila,
Quàm tutatur amor.

Apud Græcos quoque idem factitatum esse, perspicuum est ex Xenophonte *Pæd. lib.* 4. qui idem *lib.* 7. *Expedit.* Cyri νυκτοφυλακῶν meminit: Ubi Leunclavius *nocturnas Excubias*, meliùs Dempsterus *vigilias* vertit &c. Pulsabant autem noctu *Excubitores* isti nolam, cui respondere necesse erat, annotante Hadr. Junio: Sorteque ducebantur, Val. Flaccus *Argon.*

Excubiis sortita manus.

Utque privatorum foribus janitores, servi ostiarii aut canes appositi, ita Principum vestibula vigiles *Excubitoresq;* insidebant. Propertius ad privatam matronarum custodiam ritum deduxit, *lib.* 4. *Eleg.* 1. Denique in sacris Bonæ Deæ *Excubiæ* erant, quod Græcorum institutum fuisse notum, auctore rei Anacharside, apud Herodotum *Melpomene.* Ab hac mente Valerius M. *lib.* 1. *cap.* 2. *tit.* 1. *in Jovis O. M. templo*, inquit, *eximiâ facie puerum histrionem ad excubias tenendas posuisse.* Val. Flaccus suprà laudatus,

Linquis & undantes mensas, infectaq; pernox
Sacra Medon.

Cacozeliâ, ut in aliis plurimis, Israëlitarum, apud quos & sui Templo *Excubitores* erant, quibus præerat Custodiarum Præfectus, Hebr. ראש המשמר dictus, unus ex præcipuis Sacerdotibus, uti docet Fr Burmannus *Synops. Theol. Christ. Parte prior. lib. IV. cap.* 8. §. 49. Quemadmodum *Excubiis* stationariorum & legionariorum militum, qui palatium tuebantur, præerat vir summæ apud Imperatorem auctoritatis, præsertim translato Constantinopolim Imperio, *Cura palatii* primò, postea *Curopalates* appellatus: cui apud antiquos Francos *Major Domus* respondisse videtur, juxta Thom. Dempsterum *in Joh. Rosini Antiqq. Rom. lib.* I. *cap.* 4. & 8. Nicephorus *Comitem Excubitorum* signanter vocat in *Heraclio.* Ipsum verò locum Palatii, in quo milites *Excubitores* excubabant, *Excubitorium* appellatum esse, docemur ab Anastasio in *Collectaneis.* Cæterùm *Excubiarum* Desertorem gravissimè punivit Opilius Macrinus, qui *Tribunum, qui excubias deseri passus est, carpento rotali subter adnexum per totum iter vivum atq; exanimem traxit*, apud Jul Capitolinum. Nec omittendum arcanum *Excubiarum* symbolum Libertinorum, de quo sic Calvinus *Instruct. adv. Libertinos cap.* 3. *sub fin. Nec priùs arcanum excubiarum symbolum, ut ajunt, ipsis, quos ad sectam suam adducere volunt, revelant, quàm perspiciant ita à se fascinatos, ut facilè, quidquid voluerint, persuadeant.* V. de simili more Valentinianorum, apud Tertullianum *c. eos cap.* 1. Arianorum, apud Hilarium Pictav. *ad Constantinum Aug. lib.* 1. Aliorum, apud Jo. Forbesium *Instructionum Historico Theol. lib. I. cap.* 37. §. 11. &c.

Exculptores Fontium, V. infrà *Fontularum accensores.*

Excuneati, apud Appulejum, *Eximus quisque* excuneati *quæruntur*: dicuntur, qui in cuneis Theatri locum ac sedem non habebant, sed in via stabant. Tertullianus *de Spectac. apud spectacula & in via statur.* Græcè παρὰ τὴν κερκίδα; quo modo Hospites Athenis, qui sedem intrà cuneos non habebant, appellabantur. V. Salmasium *ad Solinum pag.* 919. & suprà ubi de Theatrorum *Cuneis.*

Excusati, apud Recentiores, potissimùm dicebantur Servi aut Liberti dimitti, qui, cùm pro qualibet culpa ad Ecclesiam veniæ impetrandæ causâ confugissent, dominis reddebantur de omni pœnarum genere securi & ad servitium consuetum redibant, datis priùs à Dominis ad Evangelia sacramentis, de concessa venia, & quòd nullam iis pœnam pro ea culpa, à qua *excusati*, h. e. absoluti essent, irrogarent. Quod sacramentum si domini violassent, tanquam perjuri mulctabantur, uti passim legitur in *Concil.* Aurelianensi I. *can.* 1. & 3 III. *can.* 13. IV. *can.* 24. V. *can.* 22 apud Gregorium Turon *Histor lib.* 5. *capp.* 3. 4. 49. &c. In Monasteriis, *Excusati* videntur il dici, qui ad Ædes sacras vel Monasteria confugiebant, & majoris securitatis gratiâ illis se quodammodo in servos dabant, apud du Fresne *Glossar.* qui de hac voce plura.

Execestus, adde: Ita autem hic, Ἐξήκεστος ὁ Φωκέων τύραννος δύο δακτυλίους φορῶν γεγοητευμένους, τῷ ψόφῳ τῷ πρὸς ἀλλήλους διεγίνωσκε τοὺς καιροὺς τῶν πράξεων. Ἀπέθανε δὲ ὅμως δολοφονηθεὶς καὶ τοι προσημανθέντος τοῦ ψόφου, ὥς φησιν Ἀριστοτέλης ἐν τῇ Φωκέων πολιτείᾳ, *Execestus Phocensium tyrannus, duos gestans incantatos annulos, qui inter se invicem ab iis edebatur, sonitu sciebat tempus rerum agendarum: mortuus tamen est dolo interfectus, etiamsi id ei priùs significasset sonitus, ut dicit Aristoteles in opere de Rep. Phocensium.* V. Kirchmannum de *Annulis cap.* 31. Plura de istiusmodi annulis diximus suprà, ubi *de Annulis*, item ubi de *Eleazaro Jud.*

Execratio, inter publicas olim pœnas: qualem Atheniensium erga Philippum R. hoc modo describit Livius *lib.* 31. *cap.* 44. *Rogationem exemplo tulerunt, plebsq; scivit, ut Philippi statuæ, imagines omnes, nominaq; earum, item Majorum ejus virilis ac muliebris sexus omnium tollerentur, delerenturq;: dies festi, sacra, Sacerdotes, quæ ipsius Majorumve ejus honoris causâ instituta essent, omnia profanarentur. Loca quoque, in quibus positum aliquid inscriptumve honoris ejus causâ fuisset, detestabilia esse, neque in iis quicquam postea poni dedicariq; placere eorum, quæ in loco puro poni dedicariq; fas esset. Sacerdotes publicos, quotiescunq; pro populo Atheniensi, sociisq;, & exercitibus, & classibus eorum precarentur: toties detestari atque* execrari *Philippum, liberos ejus, Regnumq;, terrestres navalesq; copias, Macedonum genus omne nomenq;.* Corn. Nepos *devotionem* vocat, in *Alcibiade*, quam in rem V. hic passim, ubi de *Anathemate, Diis, Excommunicatione*, alibi, nec non ubi *de Resecrandi ritu.* In Ecclesia Rom. *execrari dicitur mensa altaris, si superior tabula, in qua principaliter fit consecratio, mota, vel in sui forma mutata, vel enormiter, putà ultra mediocritatem fracta sit: tunc enim iterum consecrari debet*, C. du Fresne *Glossar.*

Executio Sententiæ capitalis, apud Hebræos, hoc modo fiebat. Sententiâ condemnationis lata, Synedri in locum procul à Synedrio duci faciebant reum, ubi pœnam subiret. Levit. *cap.* 24. *versu* 14. *Educ blasphemum extra castra.* Maimonides distantiam loci fuisse ait aut esse debuisse, circa milliaria sex. Quod tamen in Idololatriæ pœna sic temperabatur, ut is lapidaretur aut ad portam civitatis, ubi reus erat, aut ad ostium Synedrii. Neque differenda erat *executio*: ita tamen, ut dum sic ad supplicium ducebatur reus, si innocentiam ejus, utcunque in Foro damnati, satis quis asserere potuisset, liberandus esset Quam in rem Præco etiam anteibat clamitans, *Homo iste N. filius N. prodit pœnâ afficiendus, ob culpam talem, & talis & talis fuere ejus testes. Si quis eum insontem docere potest, accedat & rationes suas explicet.* Tum si adesset, qui id facere posset, redux in Synedrium reus novum subibat judicium, idq; tertiâ quoque vice. Sin minùs, cùm 10. cubitis à pœnæ loco reus abesset, Deo confessionem edere jubebatur: quâ peractâ præbebatur granum thuris in poculo vini, *ut turbaretur mens ejus*, inquit Misna, isque vel sacrificabat ipse, vel alius illius nomine. Testes dein illum neci dabant, quod si non facerent, præsentes id homines præstare mos erat. Eo autem die Synedris quidquam comedere fas non erat. Propinqui verò morte plexi (cujus nomine nec luctus ullus publicus) & Synedros & testes amicè salutare tenebantur, ut sententiam juxta veritatem latam sic agnoscerent &c. V. Jo. Seldenum *de Synedriis vett. Ebræorum Lib. II. cap.* 13. §. 3. quænam autem pœnæ in Foro Judaico capitales fuerint, videbimus infrà.

Executores, inter alia Judices dicti sunt, vel alii à Principe delegati, qui Conciliorum Statuta *executioni* curarent mandari: Ἐπιτηρηταί, *in Cod. Can. Eccles. Afric. cap.* 96. & Ἐκβιβασταί. Ἤρεσε πᾶσιν, ὥστε Ἐκβιβαστὰς [illegible] τῆς Ἐκκλησίας χειροτονεῖσθαι

πόλει ἐπιδεχθῆναι ... , ... ἐν ... ἐπιμελειθέντος) *ἐπαρχίας* &c. V. C. du Fresne *Glossar.*

Exegetæ, Gr. Ἐξηγηταὶ, dicti sunt in Rep. Athenienſium, Legum periti, qui in cauſa homicidii à Judicibus conſuli ſolebant, ut exponerent, anne *σὺν δίκῃ jure*, cædes facta eſſet. Poſtquam enim Actor ad cæſa porrecta Suovetaurilii jusjurandum concepiſſet, ſi ſciens falleret, ſibi ſuisque & toti genti mala omnia imprecatus; inſuper juramento affirmaſſet, ſe eſſe è cognatis occiſi; Reusque eodem ritu viciſſim juraſſet: Inſidebant ambo duobus argenteis ſcabellis, quorum illud, cui Actor inſidebat, Ὕβρεως, i. *Contumeliæ*; alterum cui Reus, Ἀναιδείας ſeu *Innocentiæ* dicebatur. Tum Actor tria quærebat ex Reo: Εἰ *κατέκτονας, an occidiſti?* Ὅπως *κατέκτονας, quo pacto occidiſti?* Τίνος *βουλεύματι, cujus inſtinctu & conſilio?* Ad quæ cùm Reus reſponderet: Occidiſſe ſe, ſed jure; Tunc *Exegetæ*, cauſis cædis illatæ ventilatis, pronuntiabant jure factam eſſe: id eſt, cauſas reum habuiſſe legitimas. Sic Draco Legiſlator, impunè licere occidere mœchum ſtatuit, ſi quis in uxore, vel in matre, vel in ſorore, vel in filia, vel in pellice, vel in nuru eum deprehendiſſet: Sic, ſi vis illata vi repelleretur, juſtæ cædis cauſa habita eſt &c. V. Franciſc. Roſſæum *Archæologiæ Atticæ lib. 3. cap. 3. ſect. 2.* Sam. Petitum *Comm. in Leg. Attic. lib. 7. tit. 1. de Sicariis* &c.

Exemplum, Gr. *ἀντίγραφον*, ſicut *Exemplar*, *ἀντίγραφον*, V. Salmaſium *de Modo Uſurar. cap. 1.* Item, argumentum, figura. Unde *marmora in exemplis*, apud Anaſtaſium, *in Leone III.* h. e. *exemplata*, figurata viz. & imaginata: cujusmodi *exempla* fiebant opere teſſellato, in quo diverſæ figuræ exprimebantur. Sic *pavimentum exemplis ſtratum, Ibid.* Atque hinc *ἐξεμπλωτὸν* Græci recentiores dixerunt, quidquid eſſet pictum ad alicujus rei inſtar exprimendum: Unde veſtes variis *Exemplis* & figuris ornatæ, *ἐξεμπλωταὶ* Euſtathio *ad Odyſſ. β.* Tapetes exemplati & figurati, *ἐξεμπλωτὰ σκουτία*, apud Nicetam *in Gl. Græco-Barb.* pro quo in Græco eſt *ἀλληγορικὰ τάπητες*, V. Nicol. Alemannum *Diſſertat. de Lateran. Pariet. 3* & Salmaſium *ad Spartianum in Peſcennio Nigro & Flavium Vopiſcum in Car. Imp.*

Exemti, apud Solinum *cap. 10.* de Thracibus, *Recentem natum parens fletu excipit. Læta ſunt funera adeò, ut exemtos gaudio proſequantur*: Mortui ſunt. Cavet nimirum malè ominatam mortis vocem. Sic idem *præc. cap. 9.* *Alexandro exempto Perdiccæ primùm data copia ampliſſimæ poteſtatis.* Pòſt de eodem, *Morbo violentia, apud Babylonem, humiliore, quàm vixerat, fortunâ exemtus.* De qua locutione V. Caſp. Barthium *Animadverſ. ad Statium Theb. lib. 12. verſu 44.*

Exenteratio, pœnæ ſpecies, in læſæ Majeſtatis reos, apud Anglos, uſitata, apud quos eorum interanea ſeu viſcera extrahuntur ac comburuntur, Walſinghamus *in Richardo II.*

Exequiarum Ritus. Apud Romanos, ubi animam ægrotus exhalare cœpiſſet, qui proximiores erant, ſi domi moriebatur, ſpiritum ejus ore excipiebant, ut deſiderium diſcedentis è vita amici teſtarentur, morientisque oculos claudebant (qui poſtea in rogo rurſus aperti) quod Quiritium magno ritu ſacrum fuiſſe, Plinius ſcribit *lib. 11. cap. 37.* Hinc apud Virgilium Anna Didoni *Æn. lib. 4.*

— *Extremus ſi quis ſuper halitus errat*
Ore legam.

Mænia tamen lege poſthac cautum fuiſſe, *Ne filii parentibus charos oculos ſugillarent*, id eſt, occluderent, auctor eſt Varro apud Nonium Marcellum. Dein defuncti corpus per intervalla, ſpatio 7. dierum, calidâ aquâ abluebatur, & unguentis quandoq; inungebatur, an fortè ſpiritus in deliquio jacentis (ut credi poterat) hac ratione revocari poſſet. Virgilius *eodem*,

— — — *Date vulnera lymphis,*
Abluam.

Et *Æneid. lib. 6.*

Per calidos latices, & ahena undantia flammis
Expediunt, corpusq; lavant frigentis & ungunt.

Quæ dum fiebant, defunctus ab affinibus & propinquis conclamabatur, ut ſi ſomno forſan ſopitus eſſet, hoc ſtrepitu excitaretur: Poſt ultimam conclamationem, *Exequiæ parari* cœperunt, hoc modo. Pollinctores ablutum unctumque corpus, candidâ veſte induebant: *Cadavera enim in honeſtiſſima veſte efferri mos erat, quæ in vulgo civium & in tacito funere Toga vulgata fuit, in Magiſtratibus Toga prætexta, in Cenſoribus purpurea tota*, Lipſ. Polybius *lib. 6.* Livius *lib. 34.* &c. Inde in veſtibulo ædium collocabatur ad januam ipſam, hoc ſitu, ut foràs ſpectaret, & facie pedibusque eſſet, in publicum verſis. Interim cupreſſis, ſequioribus temporibus, ædium aditus munitus, eaque quæ ad funus pertinebant, in templo Libitinæ, comparata ſunt. Sic die octavo ab obitu, ne fraudarentur ſolenni honore ſupremi dies, utq; eò promtius homines ad *Exequias* convenirent, evocabatur populus ad funus per præconem his verbis: *Exequias. L. Titio. L. Filio. Quibus. eſt. commodum. ire. jam. tempus. eſt. ollus. ex. ædibus. effertur.* Qui poſtquam conveniſſet, lecto conſtrato purpurâ, aut linteis ſplendentibus & in eo defuncti corpore collocato, tibicine præcedente, Funus procedere ſequentibus hominibus, (unde ritui nomen) cœpit. Et ditiores quidem lectis efferebantur, unde de L. Cornelio proditum eſt, quòd ſex millia lectorum in funere habuerit: At tenuis fortunæ homines capulis ſive feretris: Rurſus ad tubam majores natu, annotante Servio, minores ad tibias; & ditioris ac dignioris Fortunæ homines à propinquis virilis ſexus, cæteri à Veſpillonibus portabantur. Reliqua V. ſuprà ubi de *Cadaverum curâ*, *Cremandi ritus*, *Defunctis*, ubi quoque de Græcorum *Exequiis* actum, & infrà in voce, *Sepeliendi ritus.* Apud Hebræos, oculos morienti ſimili modo claudi ſolitos fuiſſe: ex Geneſ. *c. 46. v. 4.* *Et Joſeph imponet manum ſuam oculis ſuis.* Iidem abluerunt quoque corpus, ut in funere Tabithæ factum, Actor. 9. 37. Notandum hic tamen iſtiusmodi Baptiſmum vel ablutionem triplicem fuiſſe: *Βαπτισμὸν ἀπὸ νεκρῶν*, cum quis, quòd cadaver attigiſſet, legalem hanc impuritatem aquâ abſtergebat: *Βαπτισμὸν τοῦ νεκρῶν*, cùm ipſum defuncti corpus ritu Græcis quoque Romanisque, ut dictum, communi lavabatur: & *Βαπτισμὸν ὑπὲρ νεκρῶν*, cujus mentio fit 1. Cor. *cap. 15. verſ. 9.* cùm quis, vice mortui, ſine Baptiſmi ſacramento defuncti, Baptiſmum ſuſcipiebat, ſperans, quæ ſuperſtitio tum inter Corinthios regebat, id aliquâ ratione mortuo profuturum. Quemadmodum locum hunc explicat Ambroſius, & *Vicarium* iſtiusmodi *Baptiſma*, ut Tertullianus vocat *c. reſur. carnis*, inter Marcionitas quoq; ac Cerinthianos in uſu fuiſſe, docent Epiphanius *hær. 28.* ac Chryſoſtomus *in 1. Cor. 15.* Porro ritè ablutum cadaver aromatibus condiebant, quod primus inter Hebræos feciſſe legitur Joſephus Geneſ. *cap. 50. v. 2.* ab Ægyptiis ſine dubio edoctus, qui quo pacto mortuos condierint, exponit pluribus Herodotus *Euterpe.* Vocarunt hunc ritum Græci *Ταριχεύειν*, quemadmodum alterum conditurae genus, quo ſine exemptione viſcerum aromata extrinſecus tantùm cadaveri apponebantur, Ἐνταφιασμὸς: cujus mentio Joh. *cap. 19. verſu 40.* *Acceperunt ergo corpus Jeſu, & obvinxerunt illud linteis cum aromatibus, ſicut mos eſt Judæis funerare.* Aliquando cadavera iidem combuſſerunt, oſſibus in urnam collectis ac reconditis ut docet Amos *cap. 6. verſ. 10.* communiter tamen illa tota humare ſoliti ſunt, in ſepulchris gentilitiis, quæ illis *Cuchim* dicta: Erant autem hæc, cellæ quædam ſeu receptacula in loco ſepulturæ, quem modò קבר *Keber*, modò מערה *Magnara* appellarunt. Quoties defunctorum meminere, uſi ſunt verbis Prov. *cap. 10. verſ. 7.* *Memoria ejus ſit in benedictione.* Unde & Rabbini, quoties in teſtimonium advocant verba celebris alicujus Viri, qui jam è vivis exceſſit, addere ſolent: *Benedictæ memoriæ*, qui mos ad Chriſtianos quoq; tranſiit. Epitaphio quoque eos honorarunt, cujus vulgatiſſima formula: *Sit anima ejus ligata in horto Eden, vel in faſciculo viventium, Amen, Amen, Amen, Selai.* Nec convivium omittebatur, quo lugentium animi erigerentur & vires diuturno mœrore confectas illi reſumerent, quod *Panis virorum*, Ezechieli *cap. 24. verſu 17.* & alibi *Poculum ſolatii*, appellatur. Quemadmodum & apud Romanos, peractis ad ſepulchrum juſtis, convivia domi apparabantur, ad quæ amici atque cognati invitabantur: Præter quæ ſenibus quoque cœnam funebrem, quod *Silicernium* dicebatur: imò & populo interdum epulum iidem dabant, aut crudam ad minimum carnem diſtribuebant, quod *Viſceratio* vocabatur. Teſtabantur autem in *Exequiis* luctum Hebræi 1. Incidendo ſe, id eſt, partem aliquam corporis, certo quodam inſtrumenti genere: quem, utpote à Gentibus deſumptum, ritum, damnatum legimus Deuteronom. *cap. 14. verſu 1.* In quæ verba ſic commentatur P. Fagius: *Gentes quædam corporis partes acu vulnerabant vel aliàs incidebant, atramentumq; ſuperponebant, quod in cultum Dæmonum fiebat: Præcipitur ergo, ne ullo pacto ſicut gentes ſævirent carnes ſuas, quemadmodum Sacerdotes Cybeles & Dia Sororum.* Moris hujus meminit quoque Virgilius *Æneid. lib. 4.*

Unguibus ora ſoror fœdans & pectora pugnis.

2. Caput depilando: cùm vel radebant, vel manibus laniabant crines, vel emplaſtra capiti decalvando imponebant. Aliquando genas, vel palpebras quoque deglabrabant: quæ conſuetudo cùm itidem ab Ethnicis mutuata eſſet; Namque

— *Sectos fratri impoſuere capillos.*

Ovid. *Metam. 3.* eâ & Iſraelitis ſeverè interdictum legimus, Deuteronomii *capite præfato.* 3. Nudum gerendo caput, ut pulvere cinereque illud conſpergerent, quâ ceremoniâ, humo quam calcarent, indignos ſe eſſe ſignificabant. 4. Pedibus quoq; nudis incedendo. 5. Myſtacem obvelando & labia cooperiendo, quod partem veſtimenti in faciem ſubducendo fiebat. Hujus ritus mentio Ezech. *cap. 24. verſu 17.* V. quoque Davidem Kimchi, Abeneſram & P. Fagium *in Levitic. cap. 14. verſu 45.* 6. Veſtem ſcindendo, quod etiam apud Gentiles in uſu fuiſſe, docet Juvenalis *Sat. 10.*

— — *Sciſſaq; Polyxena pallâ.*

Tandem, cilicium ſumendo: qui duo poſtremi ritus memorantur Deuteronomii *cap. 37. verſ. 34.* *Laceransq; Jacob veſtimenta ſua, impoſuit cilicium lumbis ſuis, luxitq; propter filium ſuum diebus multis.* Sed hæc mœroris ſigna etiam in aliis calamitatibus edebantur. Maximè autem *Exequiis* propria erant inſtrumenta Muſica, & mulieres lamentatrices, quas Romani *Præficas* dixere: quorum illis ſpectatorum animi ad luctum permovebantur; hæ, præter hoc, etiam virtutes & res geſtas defuncti laudibus proſequebantur. In Nobilium virorumque illuſtrium

Strium, ac aetate grandiorum tubae: in vulgi verò infantiumque Exequiis tibiae adhibitae leguntur. Instrumentorum mentio Matthaei cap. 9. versu 23. Praeficarum Jerem. cap. 9. versu 17. &c. V. Thom. Godvvynum *de ritibus Hebraeorum lib. 6. cap. 5.* & hic passim, inprimis, in vocibus *Designator, Ferculum, Feretrum* &c.

Exercipedes, in Gloss. Ταχυδρόμοι, δρομεῖς καὶ κύρσορες. In omnibus nempe magnis familiis servi olim cursores; quos ad celeritatem *exerceri* solitos à Magistro, in porticibus aedium, ex Petronio discimus: *Notavi etiam in porticu gregem cursorum cum Magistro se exercentem.* Atque hinc iis id nomen. V. suprà ubi de *Cursoribus*.

Exercitamenta Veterum, quibus illi ad seria sese praeparabant, tanti sudoris fuere, ut saepe aequarint, aut etiam superarint bellicos ipsos labores. Unde hominibus istiusmodi exercitationum requiem bellum esse, eleganter dixit Plut. in *Lycurgo*: & coronae quae iis dabantur, non minoris aestimationis, quàm illae, quae militaris virtutis ac felicitatis praemia, fuere, Idem *ἐν τῷ αὐτ.* Quid inde utilitatis in Remp. redundet, Solon exponens apud Lucianum *de Gymn.* *Hunc pugilem esse*, inquit, *alium pancratio decertare docemus, ut & labores sufferre addiscant, & simul cedere plagis, ne vulnera avertentur.* Hinc eae Resp. in quibus pollebat severitas morum, & militaris disciplina, vix unquam suam rem militi commiserunt, non talibus exercitiis praetentato. Indidem & corpori robur & animo alacritas & constantia accedebat. Sic de exercitio Cn. Pompeji Sallustius, *Cum alacribus saltu, cum velocibus cursu, cum validis vecte certabat*, apud Vegetium *de Re Milit. lib. 1. cap. 9.* Praeerat iis *Veteranus quispiam, cui esset decus muralis aut civicae*, Plin. *Panegyr.* V. ubi de *Campidoctoribus*, *Paedotriba* &c. Exercebantur autem Vett. *cursu, lucta, pugilatu, palaestra, caestu pancratio, regendis & incitandis quadrigis, saltu*, aliisque modis, tum in *Gymnasiis* privatim, tum publicè in *Certaminibus Ludisq́*, qui in celebritate totius alicujus gentis peragebantur, de quibus omnibus hic passim, plura autem aud C. Paschalium *Coronarum lib. 6. toto*, Hieronymum Mercurialem, P. Fabrum, Alios, qui *Gymnastica* & *Agonistica* scripserunt.

Exercitatores Monachi, in *Vitis* Patrum, fortè qui aliàs *Circatores*, V. suprà in *Circa*.

Exercitium Armorum, apud Vegetium, propriè dicebatur, quod ense & gladio fiebat, cujus ars erat in feriendo adversario & se protegendo, uti pluribus docet Salmasius *ad Spartianum in Hadriano*. Sed & ad alia armorum genera extendi potest, quibus olim exercebant milites. Nam *ad omne genus armorum* dicuntur *exerceri*, eidem Vegetio, dum sc. hastile contorquent, sudem vibrant, jacula sagittasq; mittunt, ad palū battuunt. Aliud quid erat, *Armatura*, seu *Armaturae exercitium*, quippe quo nomine veniebat prolusio & meditatio campestris, quae in armis & sub signis fiebat, non secus ac si cum hoste confligendum esset; in qua prolusione discebat tyro & ordines servare & vexillum suum comitari, ad hastam, ad clypeum declinare & reliquos armaturae numeros atq; gestus, apud Vegetium *lib. 1. cap. 4.* V. iterum Salmasium *ad Lampridium in Alexandro Sever.*

Exercitus, militum multitudo est, quae palàm fines hosticos justè invadere. Quod enim furto fit aut latrocinantium more, & quod *justo* fit *exercitu*, passim opponunt Historici. Quare pro viribus hostium aestimandum, quae copiae exercitum faciant. Et quidem Cicero exercitum vocat. *sex Legiones & Auxilia*: Polybius, Romanum exercitum plerumque ait constitisse *sexdecim millibus Romanorum, viginti sociorum.* At minor quoque numerus implere potest ejus nominis mensuram. Namque Ulpianus exercitui praeesse cum ait, *qui vel uni Legioni cum Auxiliis praeest*, in *l. 2. D. de his qui not. inf.* id est, ut Vegetius exponit, *decem millibus peditum, duodecim millibus equitum.* Et Livius in *octo millibus* speciem justi exercitus ponit *lib. 3. cap. 1.* Quo modo etiam de Classe aestimandum, Hug. Grotius *de Jure Belli & Pacis lib. 2. cap. 16. §. 3.* Disposito autem ordine *Exercitus* rem gerere, quidam Palamedis inventum faciunt; alii Nestori contra Centauros pugnanti ejus gloriam attribuunt. Certè jam in Thebano bello Ordines militares observatos, Aeschylus, Seneca, Statius, alii Poëtae observant. Imò ad Patriarchae Abrahami aetatem ascendenti, Strategica jam & Tactica Ars sese offeret, qua de re latius infrà dicemus suo loco. V. quoque passim alibi, ubi de *Bello*, *Cohortibus*, *Legionibus*, *Militibus*, *Turmis* &c. De ritu *Exercitus lustrandi*, diximus quaedam in voce *Canis*. Addam hîc saltem nonnulla de *Exercitus coronandi* prisco more. Solebat id fieri non solùm in triumpho, uti de Liberi Patris & Alexandri M. *exercitu* legimus, qui hederatus uterque ex India rediisse legitur. Quamvis laureae coronae principem Liberum, ex Indis triumphantem, faciat Tertullianus *de Coron. Mil.* Sed & statim post pugnam, & quidem eo adhuc armato, quod de Marii exercitu, post Teutones Ambronesque caesos, tradit Plutarchus in *Mario*, & de Agesilai, partâ de Thebanis victoriâ, Xenophon *Hellenic. lib. 4.* Quin & Lacedaemonii, proprio instituto, quoque pugnabant coronati, uti refert Stobaeus *περὶ πολιτ. σερ. 48.* &c. V. C. Paschalium *Coronarum lib. 1. cap. 18. & lib. 8. cap. 17.*

Exhibere, vox Amphitheatralis, Martialis *de Spectac. Epigr. 9.* cujus lemma, *De Rhinocerote*:

> *Praestitit* exhibitus *totâ tibi, Caesar, arenâ,*
> *Quae non promisit praelia, rhinoceros.*

Ad quem locum V. Raderi *Notas*.

Exibilandi Histriones, qui exciderant, aut ineptè egerant, aut perperam pronuntiabant, consuetudo, non expectatâ Judicum sententiâ, indigitatur Demostheni ubi de Aeschine: cùm benè agentibus manuum plausu faveretur. Et quidem olim, quum esset ligneum Theatrum, calcibus pluteos tundebat populus, à qua pedum supplosione nostrum *explodere*, Graecorum *πληκτρίζειν*, aliter *κλώζειν*. At *συρίττειν sibilum* notat: uti alterum verbum à graculorum voce desumtum est. Porro, qui rectè agebant, *δοκιμάζονται*, qui malè, *φιμοῦνται*, appellabantur, J. C. Scaliger *Poëtices lib. 1. cap. 21.*

Exiguus, cognom. Dionysii, qui natione Scytha, instituto Monachus, dignitate Abbas, sub Theodorico R. & Successoribus claruit. Scripsit *Cyclum Paschalem*, ab A. C. 525. in quo, omissâ profanâ annorum Aerae Diocletianae computatione, annos numerare coepit, à Nativitate D. N. Vertit ex Graeco *Codicem Canonum* accuratiùs, quàm antea fuerat translatus, addiditque *Canones*, qui vocantur, *Apostolorum*, Sardicense Concilium & Africana quaedam. Primus *Decretales* collegit, à Siricio orsus, easque volumine singulari complexus est; quibus postea inter Canones locum dedit Cresconius &c. V. Gerh. von Mastricht JC. *Histor. Jur. Eccl. passim*, inprimis *num.* 72. 73. 74. & 154.

Exilium, poena antiquissima, utpote primo jam homini mox post peccatum inflicta. Hic enim, postquam in Paradiso de fructu vetito edisset, ab ipso statim Deo extra fortunata ista arva relegatus & in alium veluti orbem ac potiùs perpetuum *exilium*, expulsus est: ubi longas inter calamitates dum vitam traheret, tristem suum ac universi generis casum deplorare ac plangere, & Dei gratiam in promisso semine apprehendere solum curae habere debuit. Quò ipsum omnia impellebant, dum extra se creaturas omnes, suum ob crimen, pristino decore spoliatas, ac Mundi fata immutata; intra sese autem carnis tumultum, intellectus tenebras, voluntatis fastigio ac regno suo evolutae turpissimam servitutem ac languorem quotidie intueretur: quodque Deus *exilii* solatium adhuc dederat, in generis humani multiplicatione, illud verò in sobole sua & sequenti nepotum serie, ad impietatem & scelera omnia prolabentium, corrumpi & amaroris plenissimum esse sentiret. V. Genes. *cap. 3. vers. 23.* & 24. Eadem dein fratricidii Caino poena, *cap. seq. vers. 11. & seqq.* &c. In quibus tamen cùm Ecclesiastica magis fuerit, de illa V. hic passim, inprimis ubi de *Excommunicatione*. Apud Romanos (ubi poenam hanc capitalem fuisse, docet Livius *lib. 26. cap. 3.*) Exilium intellectum est, cùm aquâ & igni interdixerunt. Siquidem consuetudo loquendi obtinuit, ut omnes, quibus his elementis interdictum esset, quoniam solum vertere cogebantur, *Exsules* appellarentur, ut est *in Rhetoricis* ad Herennium. Interim *Exilium* in irrogatione poenae non nominabatur, sed *aquae & ignis interdictio*, quam necessariò illud sequebatur, V. Cic. *pro Caecina*. Ex illo autem cives jure Civitatis nudabantur, uti videre est, apud Jo. Rosinum *Antiqq. Rom. lib. 9. cap. 17.* Sed nec in *Exsules* ullum jus civitati manebat. Unde Alcibiadis filius, in Isocratea oratione, agens de temporibus ejecti Patris: *ὅτ' οὐδὲν αὐτῷ τῆς πόλεως μετεῖχεν*, inquit, *Cum nihil ad illum civitas nostra pertineret.* Et Heraclidae Argis ejecti ab Eurystheo, per tutorem suum Jolaum, apud Euripidem,

> *Quo jure jam nos ad Micenaeos trahas,*
> *Eadem agentes urbe quos urbe expulis?*
> *Nunc ergo cives non sumus* ——

uti ex Graeco vertit Grotius *de Jure Belli & Pacis lib. 2. cap. 5. §. 25.* In Imperio hodiè frequens eadem poena est, German. *Landsverweisung*, de qua inprimis differentem V. P. Martyrem *ad lib. 1. Regum circa fin.* ubi multis ac praegnantibus rationibus illam improbat, adde Theod. Reinkinck *lib. 2. class. 1. cap. 8. num. 8. & seqq.* nec non quae hic passim dicimus, ubi de *Abannatione, in Insulas deportatione, Ostracismo, Relegatione* &c. Apud Hebraeos quoque interdum (in facinoribus nec capitaliter, nec virgis punitis) irrogabatur *Exilium*, in Asyla sc. aliterve, sive ex Lege sacra, Numer. *cap. 35. vers. 15.* sive ex jure superinducto, praescriptum. Sic Lictorem, si flagello, quo quis verberandus erat, adjecisset lorum unicum, ultra quàm praestitutum erat, & flagellatus interiisset, relegandum fuisse, legas in *Misna tit. Maccoth. cap. 3. §. 14.* &c.

Eximietas, titulus honorarius, occurrit non semel apud Augustinum *in Epistolis*. Ab *eximius*, quo nomine Latinis primitus appellata sunt pecora, quae à reliquo grege *eximebantur*, ut Deo alicui sacrarentur, aut ad sacrificium servarentur. Eadem & *egregia*, h. e. *è grege* selecta & ex omni numero separata, Graecis *ἀφωρισμένα*, Salmasius *ad Solinum p.* 1090.

Exocataceli, Gr. Ἐξωκατάκοιλοι, dicebantur in Ecclesia CPolit. sex hi Officiales, Magnus Oeconomus, Magnus Sacellarius, Magnus Scevophylax, Magnus Chartophylax, Praepositus parvo Sacello & Protecdicus; eò quòd extra Patriarchium pernoctarent. Erant hae dignitates maximae auctoritatis, ita ut in publicis con-

sessibus

fessibus Episcopos præcederent, & in Patriarchatu Diaconorum officium exercerent: *CPolitani Cardinales* dicti, in *Epist.* Joannis IX. ad Augustum Basilicum Leonem Mentio eorum in *Actis* Concilii Florentini, *Patriarcha Papam stantem osculatus est in gena: nos verò cum* Exocatacœlis *sedentis dextram & genam osculati fuimus*, apud Macros Fratres in *Hierolexico*.

Exocionitæ, in *Histor. Eccl.* Anastasii Biblioth. Ariani dicti sunt Carolo du Fresne, quòd CPoli in loco *Exocionio* dicto conventus suos agerent, V. ejus *CPolim Christianam*.

Exodiarius, apud Romanos dictus est, qui in fine dramatis *Exodia* canebat. De eo sic vetus Schol. Juvenalis *ad versum* 175. *Sat.* 3. *Exodiarius apud veteres in fine ludorum intrabat, quòd ridiculus foret, ut quidquid lachrymarum atque tristitiæ coëgissent ex tragicis affectibus, hujus spectaculi risus detergeret.* Erat autem Ἔξοδιον carmen, quod in ludorum fine decantabatur: Quemadmodum, quod ab initio, Εἴσοδος, h. e. *Introitus*, & quod in medio cani solebat, Ἔμβολον q. *Insertum* dictum est. Juvenalis *loco modò laudato*,

> —— *Tandemq; redit ad pulpita notum*
> *Exodium.*

Et alibi,

> *Urbicus Exodio risum movet Atellanæ*
> *Gestibus Autonoës.*

Id in principio conciliandis auribus, revocandis animis, & tædio liberandis audiebatur, sed procedente tempore, *in vitium libertas excidit*, ut loquitur Horatius: qui *salis nigri* meminit *lib.* 2. *epist.* 2. quemadmodum Manilius *salis mordacis*, eodem respiciens *Astronomic. lib.* 5. Verùm ad Psalterium viros præcipuâ auctoritate hoc modo lacerandi ritus, severis Principum posteriorum edictis coërcitus est, teste Paulo JC. *lib.* 5. *Recept. sent. tit.* 4. *Psalterium, quod vulgò dicitur* Canticum, *in alterius infamiam compositum & publicè recitatum: tam in eos qui cantaverint, quàm in eos qui composuerint, extra ordinem vindicatur.* Tandem cœtum dimittebant. Horatius *in Arte Poet.*

> *Si plausoris eges aulæa moventis, & usque*
> *Sessuri, donec Cantor, vos plaudite, dicat.*

Vox postea, ad cujusvis rei finem translata est. Varro ταφῆς Μενίππου,

> —— *Quod cœperas modò in via*
> *Narrare, ut ad exodium adducas* &c.

Thom. Dempsterus Paralipom. *in Joh. Rosini Antiqq. lib.* 5. *cap.* 9. Petitus verò *Exodia* Atellanarum, non jactitata fuisse in fine fabularum, sed sparsim fabulis conserta contendit, aliaque proin ratione sic dicta esse, è Livio docet, qui *lib.* 7. inquit: *Postquam lege hac fabularum ab risu aut soluto joco res avocabatur, & paulatim ludus in artem verterat, juventus histrionibus fabularum actu relicto, ipsa inter se more antiquo ridicula intexta versibus jactitare cœpit, quæ inde* Exodia *postea appellata, consertaq; fabulis potissimùm Atellanis sunt.* Vult ergo *Exodia* appellata, quod ἐξόδιως, id est, obiter & præter argumentum fabulæ jactarentur. Idem ait, primùm inconditis versibus hæc jocularia fundi cœpisse: Postea non sicut antè Fescennino versu fuisse alternis jactata, sed impletas modis Satyras descripto jam ad tibicinem cantu, motuque congruenti peractas esse: Demum, ubi Livius post aliquot annos à Satyris ausus est primus argumento fabulam serere, atque ita fabularum res à risu & soluto joco avocata est, ex ludis in artem vertit, juventutem histrionibus fabularum actu relicto, ipsam inter se more antiquo ridicula versibus intexta jactitare cœpisse, quæ exinde *Exodia* appellata sint. Hæc vera *Exodiorum* principia, verumq; eorum argumentum, jocularia nempe & ridicula versibus intexta, sed antiquâ simplicitate, teste Donato. Unde Ἀρχαιολόγοι dicti: Glossæ, *Atellani*, σκηνικοὶ, ἀρχαιολόγοι, βιολόγοι; quæ ultima appellatio iis hæsit, non quod in *Exodiis* sententias βιωφελεῖς, *ad vitam utiles*, jacerent, sed quia repræsentabant & ludebant τὰ γελοῖα & opprobria hominum malorum. Quare olim cum Satyrâ eadem fuere: & exemplum apud Sueton *in Tiberio* habemus; *de quo nota vox in* Atellanico Exodio, *proximis ludis assensu maximo excepta, percrebuit: Hircum vetulum capris naturam ligurire.* Proin idem Schol. Juvenalis suprà laudatum Atellanas fabulas, quæ in fine ludorum docebantur, cum *Exodiis* confundere asserit. V. illum *Commentar. in Leges Atticas lib.* 1. *tit.* 1. *pag.* 75. & *seqq.* Salmasio *Exodiarius*, olim propriè Atellanus, postea pro Mimo seu Mimico scurra, accipi cœpit, V. Ammianum Marcellinum *lib.* 28. & prætatum Salmasium *ad Aurelianum Flav. Vopisc.* At Græcis recentioribus Ἐξόδιον, *exequias*, & Ἐξόδια ῥήματα, *ultimas morientium preces*, sonare, observat Meursius ex *Glossario Græco-Latino*. *Exodus* autem Tragœdiæ pars est, post quam nullus deinceps est Chori cantus, uti habet Jul. Cæs. Scaliger *Poëtices lib.* 1. *cap.* 11 &c.

Exoleti, V. suprà ubi de *Eunuchis*: de iis auferendis legem tulit Alexander Severus, apud Lampridium.

Exomis, Gr. Ἐξωμίς, tunica sine manicis, seu vestis stricta & angusta, ex qua humeri exerebantur nudique conspiciebantur. Veteres Critici *Exomides*, ἱματια δουλικὰ καὶ ἑτερομάσχαλα, *vestes serviles ex altera parte manuleatas*, interpretantur: & habebat omnino *Exomis* alam quandam seu manicam latiorem, quæ more pallii injici ac circumponi posset; Unde Hesychius eam partim tunicam, partim pallium facit, addens Ἑτερομάσχαλον appellari, *quòd alteram tantùm alam adsutam haberet.* Polluci *Exomis* dicitur, *vestis Comica, tunica scilicet alba, sine ornamentis in sinistro latere suturam non habens.* Subjicit huic adjectum fuisse palliolum album, quod Ἐγκόμβωμα dicebatur. Verisimilius tamen est, alam quæ ad instar pallioli, potiùs in sinistra parte fuisse, quò dextra liberior atque operi expeditior esset. Non fuisse tamen solùm servorum *Exomides*, declarat Aristophanes *Lysistratâ*, ubi cives senes ajunt:

> Ἀλλὰ τὴν ἐξωμίδ' ἐκδυώμεθα ὡς τὸν ἄνδρα δεῖ,
> *Sed Exomidem exuamus, ut virum decet.*

Et Ælianus *Variæ lib.* 9. *cap.* 34. *Diogenes, cùm venisset Olympiam & Rhodios quosdam adolescentes videret pretiosis vestibus amictos, ridens inquit: Hic est fastus. Deinde, cùm incidisset in Lacedæmonios, ἐν ἐξωμίσι φαύλαις καὶ ῥυπώσαις, in vili ac sordida Exomide: Hic, inquit, alius est fastus.* Quare Suidas interpretatur *tunicam ingenuorum, quæ brachia non tegeret, esset tamen vile indumentum.* Gellius præterea *lib.* 7. *cap.* 12. eas antiquissimo tempore à Romanis gestatas tradit. Porro tam Festus, quam Pollux, ut visum, Comicum vestimentum *Exomidem* fuisse ajunt: sc. servorum. Postquam enim ea vestis in desuetudinem abiit, antiquus servorum habitus in scena retentus est. Et quia hoc ejus proprium erat, ut humeri excarent, hinc Cynici, qui dextrum humerum exertum gerebant, inde Ἐξωμίαι & illorum Tribonium Ἐξωμίς dicta est. Ad tolerantiam quoque Catonis spectabat, quod pro tunica *Exomide* utebatur, prorsus ad exemplum servorum suorum, apud Plut. *in Catone* &c. A Colobio verò *Exomidem* sic distingue, ut Colobium dicas tunicam, quæ manicas quidem haberet, sed ad cubitum tantum pertinentes: Exomides vero iis omninò carebant sic ut tota brachia renudarentur. V. Octav. Ferrarium *de Re Vestiaria passim, inprimis parte* 2. *lib.* 4. *cap.* 22. In Scena autem *servis inserviunt albæ datæ exomides, pictæ florenti adolescentiæ, atræ senibus, interdum puniceæ genus quoddam, quam* [illegible] *vocabant à Serv. Priscis senibus candidæ, de more antiquitatis*, Jul. Cæs. Scaliger *Poëtices lib.* 1. *c.* 13.

Exomitæ, pop. memorati Vopisco *in Aureliano*: ubi alii *Axomitæ* legunt.

Exomologesis, Græcè Ἐξομολόγησις, vox Ecclesiæ, de qua sic Tertullianus, de pœnitentia loquens, post Baptismum peragi solita, *de Pœnis cap.* 9. *Is actus, qui magis Græco vocabulo exprimitur ac frequentatur*, Exomologesis *est, quâ delictum Domino nostro confitemur, non quidem ut ignaro, sed quatenus satisfactio confessione disponitur, confessione pœnitentia nascitur, pœnitentia Deus mitigatur. Itaq;* Exomologesis *prosternendi & humilificandi hominis disciplina est, conversationem injungens misericordiæ illicem. De ipso quoque habitu atque victu mandat, sacco & cineri incubare, corpus sordibus obscurare, animum mœroribus dejicere, illa, quæ peccavit, tristi tractatione mutare: cæterùm pastum & potum pura nosse, non ventris scilicet, sed animæ causâ: plerunq; verò jejuniis preces alere, ingemiscere, lachrymari & mugire dies noctesq; ad Dominum Deum tuum, & Presbyteris advolvi, & caris Dei adgeniculari, omnibus fratribus legationes deprecationis suæ injungere. Hæc omnia Exomologesis* &c. Vocem strictius Cyprianus sumit, de ea sc. externæ pœnitentiæ parte, quæ in *Confessione oris* consistit, quâ peccatum suum lapsus simpliciter confitetur. Sic enim ordinem disciplinæ publicæ describit *lib.* 3. *Epist.* 14. *Agunt pœnitentiam justo tempore, & secundùm disciplinæ ordinem ad* Exomologesin *veniunt, & per manus impositionem Episcopi & Cleri jus communicationis accipiunt.* V. eundem *lib.* 1. *Epist.* 3. Non solum autem notoria crimina olim confitebantur, sed etiam internam *de abnegatione* e. g. cogitationem, quam *Exomologesin conscientiæ* idem vocat, idque apud Sacerdotes aliosque fratres, ad obtinendum conscientiæ levamen, sicque publicâ peractâ pœnitentiâ palam absolvebantur. Ne verò petulantibus derisorum linguis temerè exponerentur Fratres, visum est permittere Sacerdotis judicio, an ea culpa publicari deberet, ad accipiendam publicam medelam & cœterorum ædificationem. Qua ratione institutioni Pœnitentiarii Presbyteri via strata est, de quo infrà, plura verò hanc in rem V. apud Jo. Forbesium *Institutionum Histor. Theol. lib.* 12. *cap* 5. §. 18. 19. 20.

Exorcista, adde: in Ecclesia Rom. tertius Ecclesiastici Ordinis gradus est, *qui cùm ordinantur, accipiunt de manu Episcopi libellum, in quo scripti sunt Exorcismi, accipientes potestatem manus imponendi super Energumenos* &c. in *Ord. Rom. Exorcizant* autem tum Energumenos, tum Catechumenos, quod olim binis vicibus fiebat, nempe primò vicesimo, dein iterum tertio ante Baptismum die. Imò & *Exorcismum* usurpant in rebus inanimatis, quibus sc. benedicunt, cum adjuratione, quâ ab iis repelli Dæmones aiunt: Ita *Exorcismum florum, olei, chrismatis olei, olei Catechumenorum* &c habet *Ordo* prædictus, & *aqua exorcisata* dicitur quibusdam, quæ vulgò *benedicta* &c. V. Car. du Fresne *Glossar.* & Macros Fratres *Hierolexico*. Cæterùm in Antiquorum lectione observatur, sæpiùs *Exorcistas* dici, qui aliàs *Catechistæ* vocantur, quique è Catechumenis sibi commissis Diabolum ejiciebant: non quòd propriè Dæmoniaci essent, sed quod Christum ignorantes sub Diaboli potestate viverent. Quo sensu vox occurrit, apud Theod Balsamonem in *Can.* 26. *Laod.* & Scholiasten Græc. Harmenopuli in *Epit.*

Can. Sect. 1. *tit.* 9. V. quoque Gregorium Naz. *Orat. de Baptismo*, Cyrillum *Hierosolym. Præfat. in Catecheses*, Alios. Propriè verò, expulsio Dæmonum, in nomine Christi, donum fuit extraordinarium, Apostolis, Episcopis, Presbyteris & Laicis nonnullis concessum, initio Christianismi, aliquotque pòst seculis, ad veritatis confirmationem & nominis Christi inter Judæos ac gentes amplificationem. Sic Christianos quosdam milites, Diabolos *per exorcismos* fugandi dono præditos fuisse, tradit Tertull. *de Cor. mil. cap.* 11. V. quoque eum *de Idolol. cap.* 6. Apud Cyprianum etiam, qui virtute divina Diabolos torquebant vexabantque, occurrunt non uno in loco. At *Exorcistæ* Judæi, quorum meminit Josephus *Antiqq. Judaic. lib.* 8. *cap.* 2. & Lucas in Actis *cap.* 19. *versu* 13. & 14. meri præstigiatores erant, & lucrum *exorcismis* suis sectabantur. Hinc Justinus Martyr Tryphoni Judæo objiciebat, *quod Judæorum* Exorcistæ *arte quadam, veluti gentes, in adjurationibus uterentur & thymiamata ac vincula adhiberent*, c. *Tryph. pag.* 243. *edit. Commel.* Unde, nisi ipsi Dæmones per collusionem cum hisce hominibus assensissent, conatus effectu caruit, imò & in contrarium vertit, uti in Actis legimus *d. l.*

Exormistones, Græcè ἐξορμισταί, recentioribus dictæ sunt muræna, quas antiqui Græci πλωτὰς, Latini *flutas*, vocabant; quòd sole torrefactæ in summo æquore natarent nec mergi possent, verum ob vitium imbecillitatem cùm pessum redire amplius non possent, in summo æquore, velut exanimes, ferrentur. Mentio earum apud Cassiodorum, qui pluribus eas describit, & *Siculas* vocat ac in Rhegino littore capi ait. Hinc Martialis de muræna fluta,

Quæ natat in Siculo pinguis muræna profundo,
Non valet exustam mergere Sole cutem.

Θαυμαστὸν ἰδέσμα, vocat Archestratus; *regium cibum*, idem Cassiodorus: cujusmodi murænas Romani Proceres in vivariis suis habebant; inter quos nota sævitia Vedii Pollionis, qui edentulis hujusmodi murænis, nam tales *exormistones* seu *flutæ* erant, damnata mancipia objicere solebat, uti Plinius refert *lib.* 9. *cap.* 23. V. Salmasium *ad Pallium Tertulliani cap.* 5. ut & infra in voce *Myrus*.

Exostra, Græcè ἐξώστρα, in Theatro machina dicebatur, seu sedes sublicis elata, strata longuriis, super quibus sella. Destinabatur autem ad ea recitanda, quæ secretò patrata essent in ædibus, qualia in *Oedipode* Sophoclis, Plauti *Amphitruone* & *Casina* & aliis. Ἐγκύκλημα eundem locum dictum esse, ait Scaliger *Poet. lib.* 1. *cap.* 21. de qua voce infra dicemus, in vocabulo *Translatum*.

Expeditare canem, vox Forestariis familiaris. *LL.* enim Forestarum cautum erat, ut accolarum atque adeò ipsorummet Forestariorum canes *expeditarentur*, ne cervos aut lepores regios venarentur, sed ad insequendas feras minùs pernices idoneique essent. Fiebat autem id vel abscissione trium ortellorum, seu unguium pedis anterioris, purà juxta ipsam cutem, vel excisione montis pedis, quem *pellotam* vocant: Atque ita *expeditatos* habere molossos & majores omnes canes, qui in forestis degunt, tenentur, sub pœna 3. solid. 4. den. Regi pendendorum, renovandaque *expeditatis* quovis triennio, juxta *L.* Joannis R. Angl. *an.* 1180. & Edw. 1. *de Forestis*, quæ extat apud Matth. Parisium A. C. 1215. Quàm antiqua hæc consuetudo sit, patet ex *LL.* Canuti R. *de Foresta capp.* 31. & 32. ubi *genuscissio* appellatur, Angl. verò *lawing*; ut & ex *LL.* Henrici I. *de Foresta c.* 17. ubi *misera canum expeditatio* dicitur. Sed & de eodem Henrico sic Ordericus Vitalis *lib.* 11. *Omnem ferarum venationem totius Angliæ sibi peculiarem vindicavit. Pedes etiam canum, qui in vicinia silvarum morabantur, ex parte præcidi fecit* &c. Istiusmodi porro *expeditatis* canibus, qui integros pedes habent, opponuntur in *Monastico* Anglic. *Tom.* II. *pag.* 165 apud du Fresne.

Expeditio, vocabatur olim, quocunque iret Imperator. Spartianus in *Pio*, *Expeditiones rarò suscepit, nisi quòd in Campaniam ad agros suos profectus est.* Ut & *Castra*: unde *Castrenses* & *Castrensiani* dicti omnes Palatini Ministri, quòd semper adessent Principi, non tantum in aula vel in Urbe, sed in castris etiam obsequium illi & ministerium exhiberent, ac in omnibus *expeditionibus* eum sequerentur. Iidem *Ministeriales* & *Ministeriani* vocati, item *Castrenses* & *Expeditionales* servi, in *LL.* Burgundionum, *Si quis servum natione barbarum occiderit lectum, ministerialem, sive expeditionalem* 55. *sol. inferat.* Vulgò *Vassos* & *Vassallos* & *Fideles*, dicebant, qui dominos suos ad bellum euntes sequi tenebantur iisque præstò semper adesse &c. V. Salmasium *ad Lampridium in Alexandro Sev.*

Expellens, apud Julianum Antec. *Constitut.* 124. §. 6. qui in *Nov. Justiniani* 128. §. 6. ἐκβιβαστὴς dicitur *Impulsor*, qui Canonicarius canonem publicum solvere renuentes ad id compellebat, aliàs *Compulsor* quoque, V. du Fresne *Glossar.*

Expiationis Festum, apud Israëlitas, incidens in diem decimum mensis Tisri, qui nostro Septembri respondet, Levitici c. 23. toto exponitur. Nomen habebat ab *expiando*: Sacerdos enim Summus, hoc in Festo inprimis, CHRISTI typum gerens, sua populique peccata confessus, certis ritibus ceremoniisque adhibitis, *Expiationem* faciebat pro Israëlitis, ad mundandum eos ab omnibus peccatis eorum, coram Jehova, *versu* 30. Concernebant autem ritus isti vel Sacerdotem summum conjunctim cum populo, *cessatio* viz. *requiesque quâ affligebant animas suas*, per jejunium nempe, *versu* 31. Unde *dies jejunii* festum hoc vocatur Jeremiæ *cap.* 36. *versu* 6. quò respiciens Apostolus Paulus, *quum jam esset periculosa navigatio, quòd jam etiam jejunium præteriisset* (nempe *Expiationis*, quæ in septimum incidebat mensem adeoque hyems immineret) *admonebat eos* &c. Actor. *cap.* 27. *versu* 9. vel ipsum Pontificem: Nempe ingressus in Sanctum Sanctorum, *versu* 3. quod non nisi hoc die quotannis fiebat, & sacrificium *pro se & familia sua* ab illo offerri prius solitum, *versu* 6. Itaque tunicâ lineâ sacrâ is indutus & femoralia linea super carnem suam habens, baltheoque lineo accinctus, & cidari lineâ tectus; quas vestes quum indueret, aquâ carnem suam lavare tenebatur: sumebat juvencum subrumum in peccatum, & arietem in holocaustum. A' cœtu verò filiorum Israelis accipiebat duos hircos in peccatum, & arietem in holocaustum. Tum accipiens duos illos hircos, sistebat illos coram Jehova ad portam tentorii conventus & imponebat iis sortes, sortem unam Jehovæ, alteram verò Hazazelis (quem Gr. Ἀποπομπαῖον, *Malorum depulsorem* seu *averruncum* vocarunt) Quo facto eum, cui obvenerat sors pro Jehova, mactabat, alterum, cui obvenerat sors Hazazelis, sistebat vivum coram Jehova ad faciendum expiationem super eum, ut dimitteret illum in desertum. Juvencum verò pro se & pro familia sua offerebat, *versibus* 3. *& seqq.* Peracto dein sacrificio utroque, cujus ceremoniæ exactè describuntur, *versu* 11. & *seqq.* nitens Sacerdos summus ambabus manibus suis super caput illius hirci, qui vivus erat, confitebatur super ipsum omnes iniquitates filiorum Israel, & postquam illas capiti hirci imposuit, emittebat eum per hominem commodum in desertum, *versu* 21. sicque populum de ablatione peccatorum ejus & reconciliatione cum Jehova, reddebat securum. Formulam Confessionis Hebræi hanc fuisse tradunt: *O Domine, populus tuus domus Israelis, peccavit, commisit iniquitatem, transgressus est coram facie tua, Quare te nunc humilimè precor, ô Domine, remitte peccata, iniquitates ac transgressiones, quas populus tuus domus Israël, peccavit, iniquè fecit & transgressus est coram te: sicuti scriptum est in lege Mosis servi tui: ut hoc die faciat expiationem pro vobis ad mundandum vos, & ad mundos vos reddendos ab omnibus peccatis vestris coram Jehova.* V. P. Fagium *in Levit cap.* 6. Et hæc erat *Expiatio anniversaria*, illustris ille Sacrificii Messiæ in cruce suo tempore offerendi, typus: cujus cum antitypo suo collationem V. Hebr. *cap.* 10. Hodierni Judæi, cùm sacrificium, utpote Templo destructo, offerre non possint, Gallum gallinaceum victimæ loco substituunt hoc modo: Ab anni principio ad decimum usque diem, quo festum *Expiationis* celebratur, appellare solent *Asbres jeme teschuvah*, i. *decem pœnitentiæ dies*; quibus durantibus jejunio se strenuè macerant, multum orant, confessionem inprimis peccatorum suorum quotidie manè ter recitant & magnam pietatis speciem præ se ferunt, abstinentes interea à *pane Christianorum*, & quæ alia sunt, quæ ad singularem munditiem ac puritatem facere videntur. Nono die manè ante lucem surgunt, scholamque ingressi canunt ac precantur prolixè. Inde domum reversi, mares singuli gallum in manus sumunt, fœminæ gallinam, gravidæ utrumque: tum Paterfamilias, cum gallo præ manibus in medium prodit, & recitatis *versibus* aliquot, inprimis 10. 14. 17. ex Psalmo 107. & *versu* 33. Jobi, *cap.* 33. expiationem aggreditur, & capiti suo gallum ter allidens, singulos ritus his vocibus prosequitur: *Hic gallus sit permutatio pro me, hic in locum meum succedat, hic sit expiatio pro me, huic gallo mors afferetur, mihi verò & toti Israëli vita fortunata, Amen.* Quod ille ter ex ordine facit, pro se sc. pro filiis suis & pro peregrinis, qui apud eum sunt: Gallo dein imponens manus, ut in sacrificiis olim, eum certis ritibus adhibitis mactat & assat, intestinis ejusque supra domus tectum projectis, ut corvi adveniant & cum suis peccatis in desertum avolent, ad instar hirci Hazazelis. Causa, quare gallo potiùs, quàm alio animante utuntur, hæc est, quia Vir Ebraicè גבר *Gebher* appellatur. Jam si *Gebher* peccaverit, *Gebher* etiam pœnam sustinere debet; quæ quum gravior esset, quàm ut illam subire possent Judæi, gallum gallinaceum, Talmudicâ seu Babylonicâ dialecto *Gebher* appellatum, in locum suum substituunt, quo sic justitiæ divinæ satisfiat. Factâ ita expiatione, ad sepulchretum suum pergunt, ibique orant, & eleemosynas distribuunt, tantum nempe pecuniæ, quanti gallus æstimatur: sicque oblationem à Deo suo pecuniâ redemtam in ollam conjiciunt vel veru transfigunt & suaviter postea epulantur. Plura si voles consule Buxtorfium Fil. *Synag. Judaic. auctâ & locupletatâ cap.* 25. & 26. Ab hoc *Expiationis* festo Israëlitarum occasionem sumpsere Græci quotannis, solemni ritu, urbes suas lustrandi ac expiandi. Producerunt nempe aliquot homines mortis reos, quos in morem victimarum sertis floribusque coronatos, è rupe vel alio quodam loco excelso, in mare præcipitarunt, Neptuno offerendos, additis verbis hisce: Περίψημα ἡμῶν γένε, *Sis pro nobis peripsema*, id est, expiatio vel reconciliatio pro nobis. Similiter, quoties peste affligebantur vel aliâ quadam contage, Diis suis certum aliquem hominem, in cujus caput malum

malum devolveretur, obtulerunt, quem περίψημα vocare sunt soliti: quæ ambo vocabula cùm adhibeantur ab Apostolo 1. Cor. *cap.* 4. *vers.* 13. ad duas has *Expiationis* apud Gentiles usitatæ species, respicere videtur Budæo *Annot. reliq. in Pand. de pœnis.* V. Thom. Godvvynum *de ritibus Hebræorum lib.* 3. *cap.* 8. Fr. Burmannum *Synopsi Theol. Christ.* & suprà in voce *Azazel.*

Sacerdotis summi, Festum hoc obeuntis, & SERVATORIS nostri parallelismus.

1. Sacerdos S. ingrediebatur Sanctum Sanctorum, Levit. 16. 3.
2. Semel in anno, Exodi *cap.* 3. *versu* 10.
3. Idque cum sanguine hircorum & vitulorum, Hebr. 9. 12.
4. Et quidem solus, *ibid.*
5. Sacerdotalibus amictus vestibus, Levit. *cap.* 16. *versu* 4.
6. Sumens duos hircos, Levitici *cap.* 16 *versu* 7.
7. Hircus portabat iniquitates populi.

1. Christus, noster Pontifex M. ingressus est cœleste sacrarium, Hebr. 9. 12.
2. Idque semel tantùm, ut in *eodem loco* habetur.
3. Per proprium suum sanguinem, *Ibid.*
4. Torcular calcavit solus, Esai. 53. 3.
5. Ad id officii à Patre ordinatus & unctus ab æterno.
6. Humanam assumsit naturam, ut duabus nunc Personæ ejus naturis constet; è quibus divina per hircum Hazazel utcunq; adumbrabatur: humanæ passione ac morte per hircum alterum, qui immolabatur, significatâ, Theod. *Quæst.* 12. *in Leviticum.*
7. Ecce agnus, qui portat peccata mundi, Joh. 1. 29. V. quoque 2. Cor. 5. 22.

Ab Hebræis transiit *Expiationis ritus* ad Gentiles utcunque, quorum nota κακοζηλία est. V. de illorum *Expiationibus ab aqua vivis & aqua marina*, multis agentem Andr. Tiraquellum *de Nobilit. cap.* 31. præterea Dilherum *de Cacozelia Gentil.* Alios.

Explicit, vox in fine librorum olim addi solita. Hieronymus *ad Marcellam*, *Scire debemus, apud Hebræos in fine librorum unum è tribus solere subnecti: ut aut Amen scribant, aut Sela aut Salom, quod exprimit pacem — ut solemus nos completis opusculis, ad distinctionem rei alterius sequentis, medium interponere*, Explicit, *aut Feliciter, aut aliquid ejusmodi.* Sic apud eundem, Testamentum Corocottæ Porcelli ita clauditur: *Explicit Testamentum Porcelli sub die KL. Lucerninas, Clibanato & Piperato Consulibus feliciter.* Est autem *Explicit*, idem quod finitur, seu absolvitur, eique opponitur *Incipit.* Cujus loco apud purioris ævi Scriptores *explicitum* habes, i. ex plicis solutum. Sic *Explicitum tractatum* legas apud Ulpianum. Et Martialis *lib.* 14. *Epigramm.* 1. *versu ult.*

Versibus explicitum *est omne duobus opus.*

Explodere, verbum Scenæ, de quo V. suprà ubi de *Exibilandi ritu.*

Exploratores Castrorum, quorum meminit Plinius *lib.* 36. *cap.* 19. iidem erant cum Frumentariis, quos *ad explorandum & annuntiandum*, si qui motus existerent, constitutos tradit Aur. Victor. Πρὸς τὸ ἀνιχνεύειν καὶ διαγγέλλειν: quod officium commune videntur habuisse cum Speculatoribus, quos Plutarchus vocat Διοπτῆρας καὶ Διαγγέλους, i. *Exploratores & Annuntiatores*; Dio Διοπτῆρας, Ἐρευνητὰς, *Exploratores & Scrutatores.* Interim cum iis non confundendi: Namque *Speculatorum Legionis*, & *Exploratorum Legionis*, distincta mentio in antiquis monumentis; ut & *Speculatorum & Frumentariorum*, quorum hi honestiore gradu militarunt, uti ex Dione docet Salmasius *ad Spartianum in Hadriano.* V. infrà, ubi *de Frumentariis & Speculatoribus.* Sed & in bello *Exploratores* prisci jam moris fuere, ut ex historia sacra Mosis liquet: quos, licèt mitti jure Gentium possint, deprehensos pessime tractari notum. Appianus, Ἔθος τοὺς κατασκόπους κτείνειν, *mos est exploratores interficere.* V. quæ infrà *de Manuum abscissione.* Justè interdum ab his, qui manifestè justam habent bellandi causam: ab aliis verò licentiâ illâ, quam dat belli jus. H. Grotius *de jure B. & P. lib.* 3 §. 18. Alia notio *Coronarum Exploratoriarum* apud Suetonium *Caligulâ*, quibus Imperator hic donavit comites suos & participes victoriæ, quorum virtutem habebat *exploratam* & satis superque testatam. Erant illæ distinctæ Solis ac Lunæ, Siderumque specie, quorum fulgore cùm *explorentur* omnia, hinc quoque talium dotes sibi *exploratas* esse, videtur voluisse indigitare Caligula. V. C. Paschalium *Coronar. lib.* 9. *cap.* 10. Erant verò & *Exploratores viarum*, indigitati Suetonio *in Tiberio cap.* 60. quo ministeriorum genere utebantur Proceres Rom. non solùm in viis agrorum, sed etiam in urbe, putà cùm ad balnea, aut cœnatum aliquò irent, ut ab iis per vias de lapidibus monerentur, aut alio quoquam, quod offendere posset: uti discimus ex Appulejo *lib.* 2. & Luciano *in Nigrino.*

Expomonogeron, tit. libri, ab Ordonio Mon. scripti, teste Ambrosio Morales, de quo V. C. du Fresne *Glossar.*

Exponendi Infantes mos, antiquissimus fuit. Namque de Moyse, nota historia in sacris: Unde Ezechiel Tragicus, Clementi Alexandrino & Eusebio laudatus,

Ἐνταῦθα μήτηρ ἡ τεκοῦσ' ἔκρυπτέ με
Τρεῖς μῆνας, ὡς ἔφασκεν, οὐ λαθοῦσα δὲ
Ὑπεξέθηκε.
Ibi mater quæ me peperit, abscondit me
Tres menses, ut dixit, cùm autem latere non posset,
Clam exposuit.

Sed Pharaonis iræ potiùs subductus, quàm *expositus* Moyses est. Apud Romanos, natos nepotes Amulius *exponi* curavit, Florus *Histor. Rom. lib.* 1. Græcos idem factitasse, Oedipi exemplum docet, apud Diodorum Sic. *lib.* 5. *cap.* 6. & Senecam Trag. *Oedipo.* Et quidem apud alios, in arbitrio id Parentum erat: apud Spartanos verò non priùs id licebat, quàm à viris ad id publicâ auctoritate constitutis exploratus esset infans, an εὐπαγὴς καὶ ῥωμαλέος, *sanus robustusque*, an secus esset. Quos Romani sequuti, lege latâ exponi partus vetuerunt, Livius *Dec.* 1. *lib.* 1. & Theodos *lib.* 5. *tit.* 7. nisi fortè monstrosi forent, Dionys. Halicarn. *lib.* 2. Nunquam enim sine commiseratione Deorum putabant istiusmodi fœtus nasci, quos abjicere aut necare Resp. interesse credebatur. At morem hunc Thebani, velut impium & ab omni humanitate alienum, sustulerunt meritò, lege lata: Ὅτι οὐκ ἔξεστιν ἀνδρὶ Θηβαίῳ ἐκθεῖναι παιδίον, *Ne cui Thebano viro liceat exponere infantem*: & Valentinianus ac Valens Augg. *lib.* 1. *Cod. de infant. exposit.* idemque habitum est *exponere*, quod *necare*, Paul. IC. *leg.* 4. *ff. de agnosc. lib.* Locus erat vel mare, vel fluvii, Justinus *lib.* 44. *Gargoris Rex nepotem suum Habidem in mare projici jussit.* Ad Nilum Moyses Ex. 3. 4. ad Tiberim Romulus Remusque expositi leguntur, Strabo *lib.* 5. *Geogr. Hos ad Tiberim exposuit secundùm morem quendam patrium.* Alii in deserto & aviis abjiciebantur: Unde Seneca de Oedipo, & in *alta nemora pabulum missi feris avidis.* Vel in puteos demergebantur, ut in Taygeto Lacedæmonii fecere: Vel denique ad cloacas deferebantur, ut colligere est ex illis Juvenalis verbis *Sat.* 6.

Transeo suppositos, & gaudia, votaq; sæpe
Ad turpes decepta lacus.

Exponebantur autem, *in vasculo de papyro facto ac bitumine illito*, ut ait Freculphus *Tom.* 1. *Chron. lib.* 2. *cap.* 8. quod *fiscellam* vocat Interpres Glycæ *Annal. parte* 2. *pag.* 206. quorum hic Romanam, ille Hebraicam hanc consuetudinem fuisse docet. Vel etiam in vase fictili, quod ὄστρακον appellat Aristophanes in *Ranis*, fasciis involutum infantem posuere: quò quidam trahunt verba Terentii *Andriâ, Actu* 4. *scen.* 4.

——— *Verum, vidi Cantharum*
Suffarcinatum.

Ubi Eugraphius vetus Grammat. *Cantharum*, inquit, *suffarcinatum dixit, quasi corbem supponendo puero repletum.* Alii *Suffasciatum* legunt, ad fascias infantis respicere Comicum rati. Χύτρα porro tale vas Græcis appellatum, unde χυτρίζειν pro *Exponere* dixere. Quid rei fuerit ἀντίπηξ, in qua Creusa furto conceptam prolem in Acropoli exposuit, in incerto est. Euripides ἄγγος vocat, seu *vas*, memoratque infantem illum, Jonem nomine, corio involutum, ei impositum fuisse,

—— —— ἀπ᾽ ἐκλύσας σκῦτος
Εἱλικτὸν ἀντίπηγος.

E quibus verbis colligit Rossæus, *arcam seu cistam* optimè reddi: Namque σκῦτος εἱλικτὸν, *corium quod convolvi potest*, quo nomine *Riscus* fortè veniat, vocatur. & ab una parte obseratum fuit, unde ἀντίπηξ, ab ἀντὶ & πήγνυμι, quemadmodum nostræ *hippoperæ* esse solent, & tandem rotundum erat & volvi aptissimum.

—— —— Κἀξέθηκεν ὡς θανούμενον
Κοίλης ἐν ἀντίπηγος εὐτρόχῳ κύκλῳ.
—— —— *Exposuitq; ut moriturum*
Cavæ in cistæ volubili orbe.

Sed quamvis miseri hi durique parentes Fortunæ ludibrio fœtus suos exposuere; operam tamen dederunt omnem, ut, quam optimè possent, ornamentis illos ac necessariis vitæ subsidiis instruerent. Hinc unà cum iis pretiosissima quæque exposita, aurum, gemmæ, annuli, monilia, aliaque quæ, si in vita conservarentur, iis alendis: sin morerentur, tumulandis honeste essent satis. Terentius *Heautont. Act.* 3. *sc.* 1.

— *Cùm exponendam do illi, digito annulum*
Detraho, & eum ut unà cum puella exponeret,
Si moreretur, ne expers partis esset de nostris bonis.

Heliodorus *Æthiop. lib.* 4. Ὥστε ὥρα σοι πάντως ἐπιδεικνύναι μοι τὴν ταινίαν ἣν ἐν τῷ παιδὶ συνεκτεθῆναι μετὰ τῶν ἄλλων γνωρισμάτων ἔλεγες, *Quamobrem tempus est omnino, ut mihi fasciam ostendas, quam cum filia expositam se cum cæteris indiciis recepisse dicebas*: cui monili utriusque parentis nomen insculptum fuisse idem paulò pòst refert. Ubi Γνωρίσματα seu *Indicia* ista dicta fuisse legimus, quæ aliàs Παίγνια i. *Crepundia*: & quia plerumque collo infantis circumligabantur, Περιδέραια appellata sunt. Unde suprà laudatus Ezechiel Tragicus de Moyse,

Ὑπεξέθηκε κόσμον ἀμφιθεῖσά μοι,
Παρ' ὄχθην κτλ.
Clam exposuit, ornatum circumdans mihi,
Juxta littus &c.

Verùm accuratioribus Γνωρίσματα in eo à Παιγνίοις distinguuntur, quòd illa non propriè ornatus aut alimoniæ causa infantibus addita

addita fuerint, sed ut tum ipsi eò facilius invenirentur, tum à parentibus suo tempore, si usus esset, agnosci possent. Erant enim plerumque notæ ac crepitacula, quorum strepitu, quoties se movebat infans, prætereuntes monerentur aliquem foetum hic expositum jacere: vel etiam monilia aut fasciæ, quibus Parentum nomina, ut modò ex Heliodoro vidimus, essent insculpta: Non enim semper ad necem misellli expositi sunt. Simile quiddam cum hoc *Expositionis* ritu habet consuetudo gentium, apud quas Matres proprios suos foetus lactare dedignatæ, Nutricibus eos non sine maximo sæpissimè tenellorum infantum damno, exponere non verentur: quod de Anglis suis conqueritur Franc. Rossæus *Archaeol. Atticæ lib.* 5. *cap.* 8. de aliis alii. Etiam Orestis in Phocidem delatio, ut ab Ægysthi insidiis tutus esset, affinis *Expositioni* fuit: Unde, quia ibi clam educatus erat, Sophocles juventutem illius *κρυπτὴν ἥβην*, ipsumque Lycophron εἰ *ἐκθέτῳ τι-θηνήσει* vocat. V. eundem *ibid.* & Thom. Dempsterum in Jo. Rosini *Antiqq. Rom. lib.* 1. *cap* 1. *Paralipomenis*, nec non infra ubi de *Parentibus*. Sed & *exponere*, vox signata, locum habens in iis, quas vocant Græci *ἐπιδείξεις*: quum pretiosissimæ quæque res foràs proferuntur, & *exponuntur* oculis spectancium. Casaubonus *ad Julium Suetonii cap.* 10.

Expressa Imago apud Plautum,

Ea causa miles hic reliquit symbolum
Expressam in cera ex anulo suam imaginem:

Græcè *ἔκτυπος*, extans, eminens est. Gemmæ nempe ad signandum scalptæ, ipsæ impressas habent figuras & in cavo incisas; *ἐντύπους*. Græci vocant ἢ *γλύμμα τ᾽ σφραγῖδος*. At cùm ceram signant, imaginem in ea exprimunt, quod *ἐκτύπωμα* iisdem dicitur. Salmasius *in Plinianis Exercit. pag.* 1105. V. quoque supra ubi de imaginibus *Ectypis*.

Expuere, V. infrà ubi de *Exsufflatione*, *Saliva* & *Sputo*.

Expungi, quid? infra ubi de *Matricula*.

Exsequiæ, V. suprà *Exequiæ*.

Exserere brachia, humerosque. Venatorum est. De Diana Papinius *lib.* 1. *Achilleid. lib.* 1. *versu* 347.

Sic ubi Virgineis Hecate lassata pharetris
Ad patrem fratremq; redit, comes hæret eunti
Mater & ipsa humeros exsertaq; brachia velat.

De Nævia, Juvenalis *Sat.* 1.

—— *Nævia Thuscum*
Figat aprum & nuda teneat venabula mammâ &c.

Bellatorum item. Frontinus *Strateg. lib.* 2. *cap.* 1. *Metellus Pius quodam tempore, cùm Sertorianos milites advertisset, magno impetu instinctos, deposcentes pugnam, humerosque exerentes & lanceas vibrantes, recepit exercitum.* De Camilla Virgilius *lib.* 11.

—— *medias inter cædes exsultat Amazon*
Unum exserta *latus pugnæ, pharetrata Camilla.*

V. eundem de Penthesilea *Æn. lib.* 1. Statium *Thebaid. lib.* 1. & quæ de *exsertis Cethegis* diximus suprà, in voce *Cinctum*. Et talis gestus erat Achillis ægrè latentis, inter Virgines, præsentibus Græcorum Legatis, apud eundem *Achilleid. lib.* 2.

Quòd nisi præcipitem blando complexa moneret
Deidamia sinu, nudataq; pectora semper
Exsertasq; manus, humerosq; in veste teneret &c.

Eodemmodo Mortis imago, utpote adferiendum semper parata, figurabatur. Val. Flaccus *lib* 2.

Et Dolus, & Rabies, & Lethi major Imago
Visa truces exserta *manus* ——

Unde *exsertus*, implacabilis, strictus. Prosper Aquitanus *in Epigrammatis*,

Cùm Deus exserta *peccantes verberat irâ,*
Ut norint homines, quid mereantur, agit.

Et *exsertè*, rigidè, pugnaciter. Tertullianus *c. Valentin. lib.* 3. *qui talia neque faciè producunt, neque* exsertè *defendunt.* Appulejus *lib.* 1. *Janitor interrupit*, exsertè *clamitans, ubi es tu* &c. V. C. Barthium *Animadversion. ad Statium Thebaid. lib.* 1. *versu* 413 alibique passim.

Exsufflatio, vel *Insufflatio*, in ritibus Baptismi usurpata, occurrit apud Dionysium *Hierarch. cap.* 2. ubi Catechumenus jubetur à Pontifice conversus ad Occidentem Satanam ter *ἐμφυσῆσαι*, *insufflare*: qua inter renuntiandum *exsufflatione* trinâ significatum Baptismi Candidatum dæmonem omnibus modis execrari & abominari. Cui ceremoniæ proximè accedunt Mosci, apud quos Susceptores ac Fidejussores, baptizandi nomine ter interrogati, *num Diabolo renuntient*, toties respondentes in terram expuunt. Sed & in Communione Rom. Sacerdos in Baptismo ter in faciem baptizandi sufflat, signum exprimens crucis capitis motu oris que, ut est in *Libro Sacramentor.* Gregorii M. &c. V. Car. du Fresne *Glossar.* Mos nempe priscus erat, hoc modo fastidium & contemtum suum indicare. Sic *Martyrolog. vet. in Januario, In Achaja S. Satyri martyris, qui transiens ante quoddam idolum exsufflavit in illud.* Suetonius *deflare* id vocat, in *Caligulâ cap.* 38. *ἐμφυσᾶν* Epiphanius *contra Marcos. lib.* 1. Sophocles *πτύσας προσώπῳ* &c. V. Casaubonum *ad l. Suetonii.*

Exsultatio, ferox & nimium gaudium est. Catullus,

Otium, Catulle, tibi molestum est,
Otio exsultas nimiumq; gaudes.

Tripudiatio & tumultus, more Sacerdotum Cybeles, qui sic servatum fingebant Jovem. Callimachus *Hymno Jovis versu* 52.

Οὖλα δὲ Κουρῆτές σε περὶ πρύλιν ὠρχήσαντο,
Τεύχεα πεπλήγοντες, ἵνα Κρόνος οὔασιν ἠχὴν
Ἀσπίδος εἰσαΐοι καὶ μή σεο κουρίζοντος.

Tralatum ab aqua fervente, quæ subtus impulsa exultat. Virg. *Æneid.* 7.

—— *magnò veluti cùm flamma sonore*
Virgea suggeritur costis undantis aheni,
Exsultantq; *æstu latices* &c.

V. C. Barthium *Animadvers. ad Statium Thebaid. lib.* 4. *versu* 64. & 783.

Exta, V. infrà *Extispices*. Dico hic saltem, *exta replicata* sive *duplicia*, lætissima semper habita, sive omnino essent replicata, sive tantùm ex parte: Sic jecur duplex, apud Val. Max. *lib.* 1. fel item geminum, apud Plin. *lib.* 11. læta portendebat. Prosecabantur autem cocta ut plurimum: interim fuisse Gentilium Deos tam bono stomacho, ut nonnunquam & semicruda, imò aliquando planè cruda, admitterent æqui, discimus ex Arnobio *lib.* 2. & 7. De more *exta cruda in mare porriciendi*, V. Livium *lib.* 24. *cap.* 16. &c.

Extelarius Cervus seu *Domesticus*, in *L. Sal. tit.* 36. §. 3. *edit. Heroldi*: *Si quis cervum domesticum, signum habentem, furaverit, qui ad venationem faciendam mansuetus factus est, & extelarium potuerit approbare, quòd extelarius fuisset* &c. dicitur cervus, quem mansuefactum Venatores in silvam præmittunt, quò cervi alii hinnulique, nihil metuentes periculi, illius socii facti, faciliùs in casses eorum aut tela incidant, cervo domestico habente collare, aliudque forte signum, ne venator in mittendo telo aberret: Unde quod extra teli periculum habendus sit, *Extelarii* nomen ei datum. De cujusmodi cervis domesticis agunt Justinianus *de Rerum divis.* & *L. Longob. lib.* 1. *tit.* 19. §. 13. 14. Car. du Fresne. Simile officium columbas ad id assuefactas, Aucupibus præstare, diximus suprà in voce *Columba Allectatrix*.

Extemplo, vox Auguralis, V. infrà *Templum*.

Extispices, ab *extis inspiciendis* dicti sunt olim Auspices, qui è victimarum in aris occisarum visceribus, ex artis suæ, quæ *Extispicina* dicta est, disciplina consideratis, futura prædicebant; de qua Cic. *Extis*, inquit, *omnes ferè utimur.* Hæc viguit inprimis Elide olim, in Græcia, ubi duæ familiæ erant, Jamidarum ac Clytidarum, ei ex professo addictæ; nec non Telmessæ in Caria. In Italia primùm *Extispices* omnes Hetrusci fuere, in quorum regione ars hæc maximè floruit: Romæ à primo Rege Romulo instituti sunt, teste Dionysio *lib.* 2. Et quidem apud Græcos totum victimæ offerendæ negotium *ἱεροσκοπία*: ars ritè mactandi *θυτική*: *extorum* inspectio, per Synecd. *Ἡπατοσκοπία* dicta est. Secandi actionem ipsam *ἱεροσφαγεῖν* vocarunt, signa observari solita *Σημεῖα* & *Extispices Σημειολύται*, dixere. Mali autem ominis erat, si victima ductorem non spontè sequeretur, sed vi pertrahenda esset, vel si ex ducentium manibus sese proripuisset, si profugisset, si elapsa ictum fefellisset, vel percussa aut exsiluisset altiùs, aut horridiùs exclamasset, aut non statim & quidem placidè concidisset: vel si semianimis provoluta in terram, eandem pedibus calcitrasset importuniùs: difficulter expirasset, vel jugulata non copioso diffluxisset sanguine, vel inter jugulandum triste aliquid infaustumque oculis auribusve occurrisset. Hæc enim offensi Numinis pœnasque minitantis signa habebantur. Ita de sacrificio Ægysthi Tragicus,

—— —— Πᾶν δὲ σῶμ' ἄνω κάτω
Ἤσπαιρεν ἠλέλιζε δυσθνήσκων φόνῳ.
—— —— *Totum verò corpus sursum deorsum*
Palpitavit vociferatumq; est moriens cæde, &c.

Quibus contraria signa læta omnia portendebant. Ex dissectis dein victimis, quod *Fissiculationem* vocabant, quodque propriè *Extispicum* erat, è signis salubribus noxiisque, ex habitu coloreque *extorum* & fibrarum, defectu aliquarum particularum in præcipuis organis aut præter naturam adnatis collectisque ex humorum affluxu abscessibus, sumebant conjecturas de eventuum conditione, in quam partem Numen, cui adornabatur sacrificium, propenderet. *Exta* autem dicebantur, quòd ea Diis prosecrarentur & maximè *extarent* eminerentque: Qualia erant *jecur, pulmo, lien, cor, præcordia, renes, lingua* &c. in quibus *Jecori* principatus deferebatur: Unde Philostratus, Ἐν ἥπατι, inquit, φασὶ τὸν τῆς αὐτῶν μαντικῆς εἶναι τρίποδα οἱ δεινοὶ ταῦτα, *in Hepate tripodem artis suæ constituunt ejus periti.* Ab hoc igitur contemplationem *Extorum* ordiebantur: quod si grata & nativa purpurâ ruberet, nullaque esset contaminatum labe: vel si caput ejus auctum duplicatumve, aut geminum jecur reperiretur: vel si extremæ fibræ versùs interiora replicatæ ac convolutæ viserentur: hæc eximiæ felicitatis argumenta certissima dare, & magnas accessiones, potentiæ amplificationem, prolationem finium, triumphos, summa dignitatum fastigia, designare augurabantur. Constitutis etiam in jecore geminis capitibus, unum hosti, alterum illi, in cujus gratiam divinatio instituebatur, destinabant: Hesychius partem convexam jecoris hosti, concavam verò, illi qui exta rimabatur,

mabatur, attributam fuisse refert. Et hæc quidem Græcis Βοηθὸς i. *familiaris*: illa verò iisdem Ἐπίδολος ac Ἀλάστωρ, Latinis *Hostilis* appellata est. Unde Manto apud Senecam *Oedipo Actu 2. scenâ 2.*

Hostile valido robore insurgit latus.

Ubi per *Hostile*, jecoris partem Hostilem denotat. Hic ergo si alterutrum eorum corrugatum emarcuisset, quod Catoni Consuli exta immolanti anno U. C. 636. contigisse legitur; vel colorem habitumque suum quovis modo mutasset, aut planè evanuisset, quod eidem evenit &c. adversa omnia minitari: Si verò velut inflatum atque distentum intumuisset & florido enituisset colore, motuque alacri & continuo micasset, victoriam certam spondere videbatur. Cajo Principi & M. Marcello subitò extabuisse annotatum est: quare prælio periisse est existimatus. Sedem illius, quam inprimis observari moris erat, Græci δοχὴν: spatium in medio, inter utramque partem, πυλαίαν & ἐνεχομένην; Hesychius ἰδὰς & σιωπηλὰς, Euripides πυλὰς &c. vocarunt. A' jecinore cor inspiciebant, quod Græcis iterum Καρδιουλκεῖν vel Καρδιουλκία dictum. Id si palpitaret, aut exiliret aut flaccesceret, aut minus justè appareret, aut omni destitueretur pinguedine, aut coivisset in rugas, aut inter exta omnino non videretur, exitii diræque & aversæ fortunæ omina præbebat. Nam & Julio Cæsari, quo die purpureâ veste processit & à conjuratis interfectus est, cor bis in optimis bobus defecit, & Cajo Mario Uticæ immolanti: Pertinaci quoque Cæsari, utriusque visceris, hepatis ac cordis defectus in ea, quam ante mortem mactari jussit, victima, interitum prænuntiavit. Si verò aut solito grandius, aut spissum, glabrumque & humectum, nec flaccidum, nec ex ariditate in plicas aut rugas contractum inveniretur, aut si summa in basi largiore pinguedine vestitum foret, aut ab aquila abriperetur, propitios hæc Deos & cœptis annuentes flatusque secundos aspiraturos, affirmabant. Corde explorato ad fellis, lienis, pulmonum & membranarum viscera ambientium considerationem *Extispices* se vertebant; ubi similiter certa quædam signa notabantur, quæ omnia recensere longum nimis foret. Hoc saltem adiicio, ex hac Extorum inspectione, Sacrificia divisa fuisse in *Muta*, in quibus nulla inerant signa: *Arguta*, quæ conspicuas & illustres notas exhibebant, & *Regalia*, quæ ridentis Fortunæ vultum ac felicitatem pollicebantur. Adeps ubique boni ominis erat, unde Æschylus: Κνίσῃ τε κῶλα συγκαλυπτὰ; & εὐλόγχους λοβοὺς Euripidi memoratæ. Post inspecta præfato modo viscera, flammæ quoque, fumi, pix ex tædis collecta, thus incensum aliaque attentè considerabantur, de quibus alibi. A' Gentilibus fœda hæc superstitio ad Israëlitas quoque transiit, dictusque illis est Extispex ראה בכבד *Roe baccabed*, id est, *Inspector jecoris.* Cujus specimen exhibetur apud Ezechielem *cap. 21. versu 26. Nam stabit Rex Babyloniæ in bivio, in capite duarum viarum, ad divinandum divinationem: scruget cultros, consulet imagines, inspiciet jecur* &c. V. Johann. Rosinum *Antiqq. Rom. lib. 3. cap. 11.* Franc. Rossæum *Archæologiæ Atticæ lib. 7. cap. 1.* Godvvynum *de ritibus Hebr. lib. 4. cap. 10.* & suprà in voce *Exta.* Insuper Salmasium *ad Solinum pag. 129.* Casp. Barthium *ad Statii versum 178. Theb. 8.*

—— *cæsis saliat quod Numen in extis,*

ut & hic passim, inprimis in voce *Magmentum*, item *Proficia*, & ubi de sacrificali verbo, *Reddere.* Addam saltem quæ apud Hesychium *Extispicina* vel *Haruspicina* vocabula vel signa occurrunt: ut ΓΑΛΟΣΣΑΙ, quam vocem interpretatur, σημεῖα ἐπὶ τ̃ ἥπατος. Sic alibi ΔΙΨΑΣ interpretatur idem, μέρος ἐν θύσει, ἐπὶ τ̃ ἥπατος. Item ΔΟΛΟΙ ΤΡΑΠΕΖΑ, ἐπὶ ἥπατος σημεῖον & alio loco; ΕΣΤΙΑΣ ΧΩΦΟΣ, μέρος τῦ ἥπατος ἐν θύσει; est etiam ΔΙΟΠΤΡΑ eidem σημεῖον hujusmodi, item ΔΙΟΣΚΟΥΡΟΙ. ΕΓΓΥΗ. ΕΠΙΘΕΟΣ. ΚΛΥΤΗΡ. ΠΟΤΑΜΟΣ. ΤΑΦΟΣ. ΠΥΛΑΙ. quæ & similia his nomina erant signorum, quæ in mactatis victimis observabant, & ex quibus responsa dabant consultantibus. ΛΟΒΟΣ quoque, etsi σημεῖον non erat, proprium tamen eius Artis verbum fuisse observant vett. Critici. In Hepate autem tripodem Vaticinatricis Artis collocasse *Extispices*, docet quoque Philostratus *lib. 8.* &c. V. Casaubonum *ad Capitolinum in Pertinace*, ad verba *Caput extorum non deprehendit.*

Extorres, apud Cyprianum *Epist. 19.* & *20* dicuntur, qui, ne Christum negare cogerentur, dimissis omnibus, se subtrahebant, &, ut Christi fidem salvam custodirent, bona sua Fisco possidenda dimittebant, in exteras regiones demigrantes. Adnumerabantur & hi Confessoribus; quòd si non voce liberâ coram Judice, saltem facto ipso Christum confiterentur. Car. du Fresne *Glossar.* & Dominic. Macer *in Hierolex.*

Extra, in Alani, Vincentii, aliorumque Canonistarum allegationibus Capitulorum Gratiani, Decretales notat; significabant enim illi hac voce, Capitulum esse *extra* Decretum Gratiani. V. Albert. Gentilem *de libr. jur. Canon. cap. 1.* & Gerh. von Mastricht *Histor. Jur. Eccl. num. 327.*

Extractio, Hebr. משך, Hiob. *cap. 28. vers. 18.* Græcè ἀνάσπασις, technicè dicitur piscatio margaritarum. Et quidem cùm duplici modo eas venarentur Veteres *urinando* & *per retia*, de utroque vox adhibita legitur. Manilius certè de margaritarum urinatore agens *Astronomic. lib. 5.* ait,

Cumque suis domibus concha, valloque latentes
Protrahit immersus ——

Ut enim *extrahenda* concha est, Alkzuin. *Attractum* vocat Hector Boëthius, ubi de margaritarum expiscatione in Scotia: *Piscantes id maximè observant, ut primo attractu testas conjunctas arctissimè detineant, protinus illis alioquin unionem evomituris.* Sed & concham è mari retibus traxisse non sufficit, nisi margarita quoque è conchis extrahatur. Itaque hic etiam *extrahendi* verbum adhibetur. Monachi *in Mesren*, *Cùm è conchis extrahuntur margaritæ, integræ sunt.* Sylvius apud Gesnerum *pag. 625. Uniones minimos ex mytilorum conchis extraxi* &c. Quò pertinet Plinii locus; *Crassescunt etiam in senecta, conchisque adhærescunt, nec iis avelli queunt, nisi limâ.* Hinc facilis sensus verborum Hiobi *d. l. Extractio sapientiæ præ margaritis, sc. quærenda.* Nempe opera, quæ in sapientiæ comparatione insumitur, *attractio* seu *extractio* appellatur, allusione ad concharum seu margaritarum extractionem; quia res est operosi laboris, sed quæ cùm semel ex voto successit, laborem largiter rependit insumtum. Sam. Bochartus *Hierozoici Part. poster lib. V. cap. 5.* Plura de *Margaritarum* piscatione, ipsisque *Margaritis* infrà.

Extraordinarii, militum genus apud Romanos, qui [illegible] ram accipiebant tendebantque ad Decumanam portam seu tergum castrorum, uti docet Salmasius *ad Solinum pag. 671.* V. infrà ubi de *Militibus.*

Extravagantes, adde: Sic dicuntur in jure Canonico Pontificum Rom. Constitutiones, quæ *Extra* Corpus Canonicum Gratiani sive *Extra* Decretorum libros vagantur. Harum viginti à Joanne XXII. privatâ auctoritate collectæ sunt, circa A. C. 1340. quas Guil. Occam, qui tum floruit, à multis reprehendi, pro hæreticis & falsis haberi adserit, errores ex libris & sermonibus Joannis varios recitans. *Joanninas*, ab Autore, illas nominat Cujacius *in c. ad audientiam 4. de spons. & matr.* Seculo dein XV. decrescente, alia collectio *Extravagantium* prodiit, quæ *Communes* vocantur, quia non unius Papæ. Quæ collectio itidem privatâ industriâ facta neque ab ullo Pontifice approbata legitur. Sunt in ea *Extravagantes* quæ jam Eugenii IV. Calixti III. Pauli II. Sixtique IV. qui cùm ad Pontificatum pervenerit A. C. 1471. & manserit in eo usque ad A. C. 1484. hoc tempore factam vulgatamque esse collectionem istam, est necesse. Quia itaque & hæc à privato facta est, cujus nomen latet, ideò nec ipsa olim magnæ auctoritatis fuit: jam verò, & hæc, & anterior Joannis Papæ præfati, postquam in Corpus Canonicum recepta est, magni apud Canonistas est ponderis. Extant harum quædam cum *Glossis* Joannis Monachi Picardi Cardin. Aliæ cum *Comment.* Gillermi de Monte Ladunо & Jo. Fr. de Panvinis, Idem Mastricht *num. 372.* & *383.* qui etiam *Extravagantes* in Corpore Juris Canon. respondere Novellis in Corpore Juris Civ. addit *num. 384.*

Extremâ Lineâ, apud Terentium *Eunucho,*

—— *Quid mihi? si non tangendi copia est,*
Eo ne videndi quidem erit? Si illud non licet,
Saltem hoc licebit? certè extremâ lineâ
Amare haud nihil est

Vox è Stadio desumta, in quo *extrema linea*, Græcè ὑστάτη γραμμή dicebatur, quæ longinqua ac maximè remota; sicut *prima* contrà, quæ propior erat ac interior. Euripides, ἐπ' ἄκρας ἥκων γραμμῆς. Nempe longinquas & ultimas lineas sibi admovebat qui propiores eas faciebat curendo: at qui primæ lineæ insistebat cursor, dum parabat sead cursum, non longius ab ea aberat, sed eam premebat, calcabatque. Hinc *extremâ lineâ amare* Comico est, de longinquo tantùm videre, nec prope habere aut tangere: cui contrario sensu *primâ lineâ amare* diceretur eleganter, cui propius suos amores nosse ac contingere daretur. Salmasius *ad Solinum pag. 922.* & *923.*

Extrema Unctio, in Ecclesia Rom. morientium sacramentum sive viaticum est, quo Sacerdos, oleo ab Episcopo conceptis verbis consecrato instructus, illos certis ritibus inungit sicque exeunti animæ commeatum præbet, uti videre est apud Ecclesiæ hujus Scriptores. V. quoque infrà ubi de *Oleo* & *Unctione.*

Extremitas, titulus animi submissionis, quo utebantur olim Prælati Ecclesiastici, Jonas Aurelianensis Episc. *in Epist.* ad Pipinum Aquitaniæ R. & *Epist. ad Matfredum*, Landericus Paris. Episc. *in Privilegio* pro Monasterio S. Dionysii, Agobardus Lugdun. de *Judaic. Superstit. lib. 1.* &c. apud Car. du Fresne *Glossario.*

Extricatæ Margaritæ, apud JC. dicuntur quæ in linea fuerunt. *Defilatæ* Galli vocant. Nam & *filum* margaritarum & *linum*, pro linea, cui intricatæ ac insertæ sunt margaritæ, ut infrà videbimus. Salmasius *ad Solinum pag. 1124.*

Exucontiani, Græcè Ἐξουκόντιοι, item *Aëtiani*, dicti sunt ex Arianis, qui, factâ eorum post Concilium Nicænum in varias sectas divisione, Filium Dei ἐξ οὐκ ὄντων, *è non existentibus*, factum esse, cum Ario dicebant, & addebant, Filium esse κατὰ πάντα ἀνόμοιον τῷ Πατρί, *per omnia dissimilem Patri.* Quales Acaciani, Aëtiani, Eunomiani &c. de quibus V. Jo. Forbesium *Instructionum Historico-Theologic. l. 1. c. 2. §. 7.* V. quoq. *Exucontii.*

Exverra

Exverræ, Februi quoddam apud Romanos genus, seu purgatio funestæ domus, è qua mortuus ad sepulturam ferebatur, per Everriatorem, certo scoparum genere, peragi solita, ab *exverrendo*: Festus, qui & hæc habet, *Everriatorem* vocatum, quem acceptâ jure hæreditate justa facere defuncto oportuerit; quæ si non fecisset, aut quid ea in re turbasset, capite luisse. V. Joann. Rosinum *Antiqq. Rom. lib.* 5. *cap.* 39. Atque hæ fiebant semel tantùm, cùm homo moriebatur; At *Denicales*, quas cum iis nonnulli malè confundunt, quotannis repetebantur. Vossius *de Idolol. lib. I. cap.* 13.

Exules, Poëtarum lege fuscis vestibus & subviridibus & coeruleis induti prodibant. Hinc, cùm Rhapsodi, qui Iliadem profitebantur, scipiones rubros haberent, quod signum cædium & furoris: ii qui Ulysseam profitebantur, croceis nitebantur scipionibus, quòd ejusmodi colore *Exules* designarentur. Aliquando tamen & albati producebantur &c. Scaliger *Poëtices lib.* 1. *cap.* 26. & *lib.* 3. *cap.* 41. V. plura suprà ubi de *Exilio*.

Exultet jam, initium benedictionis Cerei Paschalis, in Eccl. Rom. quâ in nocte Sabbathi Sancti benedicebatur, V. Durandum *Ration. lib.* 6. *cap.* 80 & suprà in voce *Exsultatio*.

Exundationes fluminum, pro infelicibus signis semper habitæ. Papin. Statius *Theb. lib.* 5. *vers.* 226.

— *fitis tunc plenior alveo,*
Signa mali, magna se mole Ismenus agebat.

De Tiberi, multis erroribus res nota. Plenus Julii Obsequentis *Commentariolus*, V. ad Petronii *Specimen Belli Civ. inchoati*, Horatium *lib.* 1. *Carm.* 2. Claudianum *in Eutrop. lib.* 1. *Commentaria*. Atque tum Gentiles in Christianos sæviendi occasionem rapuerunt, uti alibi vidimus.

Exuperator omnium Gentium, in Nummo Constantis Imp. ab *exuperando*, h. e. superando & subjugando Latinis. Hinc Commodus *Exuperatorius* dici amavit, ὑπερέχων, apud Dionem, & Decembrem eodem nomine insignivit: utpote hoc epitheto unicè gaudens, ut idem testatur, V. Salmasium *ad Lampridium in Commodo*. Apulejus *Exuperantissimus* dixit, pro ἐξοχώτατος, in Hermetis *Asclepio*: quod in Nummo Commodi, Jovi attribuitur epitheton, ita enim inscriptionem ejus I. O. M. EXSUP. exponit Car. Patinus, Jovi OPTIMO MAXIMO EXSUPERANTISSIMO, *Relat. Hist.* 3. ubi de horto Grævii Professoris Ultrajectini, in quo saxo incisam hanc interpretationem addit.

Exusta, apud Plinium *lib.* 6. *cap.* 29. *A promontorio Indorum, quod vocatur Lepte Acra, recto cursu præter* Exusta *ad Malichu insulam quindecies passuum esse*: Græcè apud Jubam ἡ Κατακεκαυμένη, Plinio regio Æthiopiæ est, quæ & *Διακεκαυμένη* appellata. At Juba hoc nomine intellexit Insulam, in Arabico Sinu sitam, quam prænavigabant, qui à Lepte Acra ad Insulam Malichu tendebant, itinere per medium sinum directo. V. Salmasium *ad Solin. p.* 1240. & *num seqq.* nec non suprà in voce *Catacecaumene*.

Exuviæ, propriè serpentum superficies. Solinus de scytale serpente *cap.* 27. *In hac tamen squamarum nitore hyemales* exuvias *prima ponit*. Græcis τὸ γῆρας & σύφαρ, ut apud Hesychium videre est. Unde & γῆρας χελωνῶν, *exuviæ testudinum*, & Latinis vett. *suber*, quod pellem & exteriorem corticem designat. A Græco ἐκδύειν, quod absolutè de serpentibus, sed & de lacertis ac testudinibus, usurpat Philosophus, quum corium exuunt. Salmasius *ad Solinum pag.* 340. Inde ad quadrupedia & feras, vox traducta: quarum in venatu captarum, si nobiliores essent, *exuviæ* memoriæ ergò Diis suspendebantur. De leone, Statius *Thebaid. lib.* 9. *versu* 195.

—— *sen jam sub culmine fixus*
Excubat, antiquo sen pendet gloria luco.

De apris, idem *ibid. vers.* 589.

— *Hic arcus & fessa reponere tela*
Armaq; curva suum, & vacuorum terga leonum,
Figere, & ingentes æquantia cornua silvas,
Vix ramis locus: agrestes adeò omnia cingunt
Exuviæ &c.

Quæ tholis lapsæ, inter infelicissima habebantur prodigia. Statius iterum *lib.* 4. *v.* 333.

Mirabar cur templa mihi tremuisse Dianæ
Nuper, & inferior vultu Dea visa, sacrisq;
Exuviæ *cecidere tholis* —

Aliquando vice clypeorum adhibebantur, uti de Cadmo leonis tergo serpentem illum immanem sustinente, apud Ovidium: de alio, aprugna pelle contra quadraginta sex hominum tela & gladios se tuente, apud eundem Statium *Theb. lib.* 2. *vers.* 583. &c. legimus, qua de re V. *Animadversiones* Barthii *ad l.* Eædem porro victoribus præmia dabantur, in iis hospites honoratissimi excipiebantur, à Regibus Heroibusque induviæ habebantur, tantâ hujus gestaminis olim æstimatione, ut Ætolos & Acarnanes de exuviis apri Calydonii, Thestiades item & Oeneum Meleagrum de spoliis sui bello quoque decertasse legamus. V. plura in hanc rem apud Car. Paschalium *Coronar. lib.* 9. *cap.* 15. ut & infrà in voce *Spolia*. Alia notio vocis est, apud Tertullianum *de Pallio cap.* 4. *Pallium super omnes exuvias & peplos augusta vestis, superque omnes apices & titulos*: ubi πᾶσαν ἐνδυμασίαν illâ denotatur. *Augustum*, de Diis; *Exuviæ* & pepli Deorum ornamenta, & Pepli quidem Dearum: ut *peplus Minervæ*, *peplus Junonis Deæ Cælestis*, apud Trebellium, *Exuviæ* Deorum Dearumque communes. Festus, *Tensa*, *vehiculum argenteum*, *quo* Exuviæ *Deorum ludicris Circensibus in Circum ad pulvinar vehebantur*. Apulejus, *Jovis exuvias*, *Milesiar.* 11. &c. Salmasius *ad Tertullianum d. l.*



F.

F & Φ. nota fuit apud Romanos Græcosque, fugitivorum fronti imprimi solita, crimen illorum, *fugam* viz. indigitans: idque primitus. Postmodum herorum iracundia ulterius processit; unde Eumolpum implevisse frontes Encolpii & Gytonis ingentibus literis, quas appellat *notum fugitivorum Epigramma*, refert Petronius. V. infrà, ubi *de Fugitivis*.

F A.

Faba, inter legumina maximi habita, multiplici sese utilitate commendat; de qua sic Plinius *lib.* 18. *cap.* 12. *Inter legumina maximus honos fabæ: quippe ex qua tentatus sit etiam panis — Ejus multiplex usus omnium quadrupedum generi, præcipuè homini. Frumento etiam miscetur apud plerasque gentes — Quin & prisco ritu fabacia suæ religionis Diis in sacro est, prævalens pulmentari cibo & hebetare sensus existimata, insomnia quoque facere. Ob hæc Pythagoricâ sententiâ damnata: ut alii tradidere, quoniam mortuorum animæ sint in ea. Qua de causâ parentando utique assumitur. Varro & ob hæc Flaminem eâ non vesci tradit, & quoniam in flore ejus lugubres literæ reperiantur; In eadem peculiaris religio. Namque fabam utique è frugibus referre mos est, auspicii causâ, quæ ideo refriva vocantur* &c. Nempe, quod leguminis hujus in vita communi usum attinet, in cibo fuit hominibus, sed tenuioribus. Unde *faba fabrorum* Martiali *lib.* 10. *Epigr.* 48. ubi fercula convivii à se instituti enarrat:

Et quæ non egeant ferro structoris Ofellæ;
Et faba fabrorum prototomique rudes.

Atque hinc Philosophis, frugalitatem & αὐτάρκειαν professis, de quibus V. Salmasium *ad Solinum pag.* 460. Earundem in Senatu Atheniensi usus fuit calculorum vice. Primitus enim *fabis* usi fuere, eisque modò albis & nigris; modò perforatis & integris. Hinc Suidas, κυαμεύεσθαι, κυάμῳ ψηφοφορεῖν, ᾧ ἐχρῶντο οἱ βουλευταί. Donec Xenotimo fraudem fecisse deprehenso, folia adhiberi sunt cœpta, uti legimus apud Auctorem *Etymologici*. Etiam Populus, in eadem Rep. qui in concionem convenerat, ante testulas inventas, *fabis* usus est, eodem Suidâ teste: qua de re V. plura apud Sam. Petitum *Comm. in LL. Attic. lib.* 3. *cap.* 1. In medicamentis quoque faciei πολτοποιίας locum habuisse, Martialis idem docet *lib.* 6. *Epigramm.* 93. de Thaide,

Psilothro viret, aut acidâ latet oblita cretâ:
Aut tegitur pingui terque quaterque fabâ &c.

Sacrum quod *fabæ* usum concernit, Carnæ Deæ, in Cœlio monte, fabariâ pulte & lardo (quoniam iis rebus vis corporis maximè conservatur) à Pop. Rom. Kalendis Juniis, quas hinc *Fabarias* vocabant, sacrificari consuevisse, institutore Bruto, post Tarquinios pulsos, discimus ex Macrobio *Saturnal. lib.* 1. *cap.* 12. In sacro quoque porcæ præcidaneæ far, triticum, hordeum, *fabam* & semen rapicium adhibebant iidem; & in Vinalibus pollucebant suffimenta ex eadem, unà cum milio molito & mulso consperso, Cato *cap.* 134. In Lemuribus porro, quæ Majo per trinoctium fiebant, *fabam nigram* lotis manibus pedibusque nudis, per ora versantes, ære tinniente, post terga rejiciebant, Lemures domo se ejicere clamantes, & ut abirent innoxii, orantes, expiari sic Manes arbitrati. In Parentalibus eodem leguminis genere vescebantur &c. Quam in rem V. plura apud Alexandrum ab Alexandro *lib.* 2 *c.* 22. Cœl. Rhodiginum *lib.* 9. *cap.* 8. Hadrianum Turnebum *Adversariorum lib.* 13. *cap.* 25. Scaligerum *ad Festum*, Jo. Dalechampium *Notis ad Plin.* Alios. Addo saltem, quæ de simili usu hodieque in Italia & apud Melitenses refert Car. Macer *in Hierolexico*, ubi, *In Melita*, inquit, *à defunctorum hæredibus ac consanguineis etiam pauperibus, pro anima defuncti, præter panis quantitatem, distribui solent fabæ coctæ, quas Beghillam vocant, ex Turcico vocabulo Begala, id est, faba, quod in multis Italiæ locis pro animabus defunctorum erogari vidi* &c. A *fabis* tamen, qui divinare ex somniis cuperent, abstinere jussos esse, quòd molesta gignant somnia, animamque perturbent, refert Plutarchus, *Symposiac. lib.* 8 *quæst.* 10. Etiam Flamini Diali *fabam*, non edere solùm, sed & tangere, fuit nefas, ex causa Plinio dicta. Quod Romani ab Ægyptiis accepisse videntur, apud quos ne aspicere quidem Sacerdotibus *fabas* licuisse, ait Herodotus *lib.* 2. An à Pythagora magis, qui *fabam velut parentem colueras, nam colorem ejus dicebat veluti humano sanguine infectum*, ut tradit Acro Schol. *ad Horatium lib.* 2. *Sat.* 6. hincque *par esse scelus comedere fabas & capita parentum*, inquit apud Lucianum: unde celebre ejus effatum,

— κυάμων ἄπο χεῖρας ἔχεσθαι,

apud Clementem 3. *Strom.* ubi tamen more Pythagoræ operte ac symbolicè testiculos intelligi nonnulli volunt, qui κύαμοι appellati, quia sint αἴτιοι τοῦ κυεῖν ἐπιοῦ καὶ αὔξειν τὰ κυόν, A. Gellius *lib.* 4. *cap.* 11. Ob quam causam, ne nominari quidem *fabas*, in Eleusiniis sacris, permissum fuisse, testatur Pausanias. V. suprà in voce *Cyamita*. Alii tamen, inter quos Plutarchus, *de Educ. lib.* Pythagoricum illud sic interpretabantur, ut Magistratus fugerent, quos olim suffragiis per *fabas* latis creatos esse, innuimus, V. Antonium Thysium JC. *Not. ad Gellium loc. cit.* & plura de hoc legumine apud Plinium ubi suprà, alibique passim. Transiit vox ad arbores, quæ nullam fabam ferunt, *Fabam* scilicet *Græcam*, seu Loton: item *Fabam Ægyptiam*, quæ loti species est & nonnullis cum colocasia eadem videtur. Cui nomen fortè inditum, quòd nucleis seu bulbis, luto macerato contectis & in flumen dejectis, seri soleret ac propagari, qui κύαμοι, eodem cum fabis nomine, ἀπὸ τοῦ κυεῖν, à *gignendo*, Græcis in Ægypto videntur appellati, ait Salmasius *ad Solinum*, ubi de arboribus hisce pluribus agit, *pag.* 979. & *seqq.* V. quoque infrà *Fabilla*.

Fabariæ Kalendæ, dictæ sunt apud Romanos Kalendæ Juniæ, quòd eo die *fabis* (quæ tum temporis adultæ) Deæ Carnæ, Jani uxori, quæ humanis vitalibus præesse credebatur, in Cœlio monte, sacrum fieret, Vide Nonium in verbo *Mactio*, & hic suprà.

Fabatar seu *Fabatarium*; vas amplissimum, in quo *fabacia*, de qua Apicius: vel puls fabata solebat apponi, apud Æl. Lampridium in *Heliogabalo*, *Barbas sanè mullorum iantas jubebat exhiberi, ut pro nasturciis, apiastris & fasiolaribus, & fænograis exhiberet plenis* Fabatariis *& discis*, V. Salmasium *ad l.* A *fabis* quemadmodum & Cantores olim, *Fabarios* dictos esse, quòd *pridie quàm cantandum erat, cibis abstinerent, psallentes tamen legumine vocis causâ quotidie uterentur*, adnotavit Isidorus *de Divin. Offic. lib.* 2. *cap.* 12.

Fabatus, Hegesippo *lib.* 1. *cap.* 44. *Moderator Rei Romanæ & intimus Cæsaris*; nimis superbis titulis, qui potiùs Mæcenati aut Agrippæ convenissent: Procurator fuit vel Dispensator, Διοικητὴς & Δοῦλος Καίσαρος, uti noscas ex Josepho, peculiosus fortè & olim libertus, certè cum omnibus ornamentis Herodi venalis. Joh. Fred. Gronovius *Observat. in Eccl. cap.* 16.

Feminæ illustres.

Fabia, Veri Imp. soror, *enisa est, ut Faustinâ mortuâ in ejus* (Marci Imperatoris) *matrimonium coiret, sed ille concubinam sibi ascivit procuratoris uxoris suæ filiam, ne tot liberis superduceret novercam*, apud Jul. Capitolinum in *Vita* Marci Antonini Philos. ubi tamen alii *Fadia* malunt, Gruterus *ad l.*

Fabia Orestilla, proneptis Antonini; ex Gordiano Sene, mater fuit Gordiani Jun. apud Eund.

Fabia Lex, de numero sectatorum promulgata, sed à populo repudiata est; Unde Cicero *pro Muræna*, *Tenuiores legi Fabiæ de numero sectatorum restiterunt*, inquit. *Fabia* Tribus, nomen obtinuit à clarissima gente Fabia, quæ in eam fuit relata. Mentio ejus extat apud Suetonium *in Augusto*, cùm ait: *Fabianis & Scaptiensibus, tribulibus suis, die Comitiorum singula millia nummum à se dividebat*. Item apud Horatium *lib.* 1. Epistol. ad Numicium,

— Hic multum in Fabia valet, ille Velina:

Fabiani, quidam ex Lupercis apud Romanos dicti sunt, sicut alii *Quintiliani*, à præpositis suis Fabio & Quinctilio sic appellati: quorum *Fabiani* Romuli, Quinctiliani Remi partium fuere, Festo & Ovidio testibus. His dein tertia sodalitas accessit, eorum qui *Juliani* dicti sunt, quòd in Cæsaris honorem instituti essent, Suetonius *in Julio*. Johann. Rosinus *Antiqq. Rom. lib.* 3. *cap.* 2. Sed cùm locum hunc à Rosino laudatum apud Suetonium frustra quæras, in *Augusto* ejus hoc saltem deprehendit annotatum Godvvynus, quòd sacra hæc, aliquandiu neglecta, renovaverit, *Anthol. Rom. lib.* 2. *sect.* 2. *cap.* 1. At Dio Julianorum institutorum meminit *lib.* 44. λουπέρκων τε ἐν τῷ Ἰουλίῳ γερουσίᾳ ... ἀνέθεσαν. Itaque tria Romæ Lupercorum collegia erant, quæ sacra quotannis ritè facerent. Hæc aliquantum remissa Augusti ævo, eodemmet restituta sunt. V. Ovid. Fastorum *lib.* 2. *Notis ad versum* 267.

Tertia post Idus nudos Aurora Lupercos &c.

Fabilla, apud incertum Poëtam in *Catalectis vet. Poëtarum*,

Angustam penitùs terras Phaëtontias ardet,

Quam

Quem recreas fessum, gillo, fabilla, mulo,

diminut. est à *fabula*: *parva* nempe *faba* seu *fabilla* dicebatur, quæ aliàs *Græca faba*, arbor quam Græci *lotum* appellabant, cujusque fructum suavissimum esse, refert Plinius. Hujus baccis videntur Vett. usi ad sedandam sitim, in maximis ardoribus, ut & cerasis: horum enim naturam penè habere fructum illum, idem Plinius tradit. Sed longè magis, propter umbram & opacitatem ramorum in æstivis caloribus expetebatur. Plinius iterum *lib.* 16. *cap.* 30. *Præcipuoque domibus expetitur, ramorum petulantiâ brevi codice latissimè ex spatiantium umbrâ & in vicinas domos transilientium. Nulli opacitas brevior, nec aufert solem hyeme decidentibus foliis, nulli rami longiores validioresque aut plures, ut dixisse totidem arbores liceat.* Unde non mirum, si per ferventissimos Augusti mensis æstus ejus arboris umbram gratam esse fessis, eosque recreare, dixit ille Poëta, Salmasius *ad Lampridium in Heliogabalo.*

Viri illustres.

Fabius Ambustus, prænom. *Marcus*, Q. Capitolini primùm, iterum M. Popilii, tandem ejusdem Capitolini in Consulatu collega; cognomen id nactus est, quòd fulmine ictus esset in natibus, *Jovis pullus* appellatus indidem, Arnobio *lib.* 4. Unde toti postea familiæ cognomen, apud Livium frequens. V. Salmasium *ad Solinum pag.* 840. qui de Consulatu ejus pluribus agit *ibid. pag.* 812. & *seqq.*

Fabius Dorsennus, adde: *Dossenum* vel *Dossenium* vocare libros, & rectum esse *Dossennum*, docet Salmasius, *Acharistionem* ejus Fabulam fuisse, vide Plinius, quam Nonius Plauto tribuit. V. Salmasium ubi suprà *pag.* 710.

Fabius Paulinus, inter Nobiles Romanos, sine causæ dictione, occisos, jussu Severi Imp. apud Spartianum.

Fabius Pomponianus, dux limitis Libyci, quo auctore, unà cum Vibio Passieno Proconsule Africæ, Afri Celsum Imperatorem contra Gallienum appellaverunt, peplo Deæ Cælestis ornatum, uti testatur Trebellius Pollio in *XXX. Tyrannis.*

Fabius Repentinus, alter ex duobus Prætorio Præfectis, quos in Tatii Maximi demortui locum substituit Antoninus Pius Imper. per concubinam Principis eò dignitatis pervenisse infamatus, apud Jul. Capitolinum in *Vita* Pii.

Fabius Sosianus, memoratur Vopisco inter eos, qui contra M. Fontejum, Firmum & purpurâ usum & percussâ monetâ Augustum vocitatum esse, contenderunt. V. Vopiscum in *Firmo.*

Fabrica Ferraria, Cyclopum inventum: uti Materiaria Dædali, aliorum aliæ, apud Plinium *lib.* 7. *cap.* 56. Romanis rerum longè lateque potitis, sub dispositione Magistri officiorum Palatii, septem in Gallia *Fabricas*, Argentorati sc. *Armorum omnium*, Matiscone *Sagittariam*, Augustoduni *Loricariam*, Suessionis *Scutariam*, *Ballistariam* & *Clibanariam*, Ambianis *Spathariam* & *Scutariam*: Prætereà tres Procuratores *Monetæ*, sex Procuratores *Gynæceorum*, Procuratorem *linificii* Viennensis, duos Procuratores *baphii*, tres denique Præpositos *Barbaricariorum* sive *Argentariorum*, memorat ex *Not. Imp.* Hadr. Valesius *Not. Galliæ*, in voce *Lugdunensis Gallia*, de quibus omnibus V. suo loco. Hinc *Fabricenses*, qui in sacris his Fabricis arma cudebant & fabricabant, de quibus titulus est in *Cod.* Theodos. & Justin. Eorum præpositi *Primicerii Fabricæ* appellati sunt, qui militabant sub dispositione Magistri officiorum Palatii, uti vilum &c.

Fabrilis Ars, apud Gentiles præsidem Vulcanum habuit; qui proin cum malleo pingebatur, quod Arnobio traditum *lib.* 6. quemadmodum idem in L. Cæsii nummo cum forcipe spectatur. Eidem Athenis sacra erant, Χαλκεῖα, id est, *Æraria*, dicta: quæ etsi, & ab Opificum aliis celebrarentur, unde hoc festum Πάνδημον vocabatur, i. *totius populi*, præcipuè tamen id à *Fabris* fiebat. Et quidem primitus hæc Minervæ fuisse, dictum suprà in voce *Ergana*. Utrius verò potiùs Numinis artificium hoc fuerit, si quæratur, respondet Vossius, Minervæ, si per eam intelligas sapientiam divinam; Vulcani, si hoc capiatur juxta historiam veterem, ut sit Tubalcainus, *Fabrilis* artis inventor; velut ex Mose præfatus Auctor ostendit, de *Idolol. lib.* 2. *c.* 66. sed si φυσικῶς, pergit Idem, malis considerare, sic quoque ratio se offert, cur Numen masculum, quale Vulcanus, huic præficeretur Arti. Nam Vulcanus propriè fuit ignis fabrilis, & quæ sequuntur, V. eum quoque *de Idolol. lib.* 2. *cap* 66. & de Commissionibus *Fabrorum*, aliorumque Artificum, Athenis, quolibet anno, publicè institui solitis, infrà ubi de *Mimmeriis Artibus*: de *Fabrorum* verò apud Romanos generibus variis, apud Laur. Pignorium *Comm. de Servis*, & Tit. Popmam *de Operis Servor.* de victu suprà in voce *Faba*. Adde betas, ex eodem Poëta *lib.* 13. *Epigr.* 13.

Ut sapiant fatuæ fabrorum prandia betæ.

Et frictum cicer, ex iis, quæ suprà de *Cicere* diximus. At de *Fabrûm Centuriis*, in prima apud Rom. Classe, Livium *lib.* 1. *cap.* 43. & suprà.

Fabula, Græcè Μῦθος, à *fando* dicta, narratio rei cujuscunque est, etiam veræ. Sic Terentius in *Hecyra Actu.* 4. *sc.* 3. *Jam nos fabulæ sumus*, *Pamphile*. Cicero etiam alicubi, & *Fabula Trojæ*, pro historia & rebus gestis ejus. Similiter Suetonius, in *Domitiano cap.* 15. *Evenit*, inquit, *ut id ei cœnanti, inter cæteras diei fabulas, referretur*: ubi *Fabulæ diei*, sunt narrationes rerum variarum, quæ de die acciderunt. Similem locutionem habet, *Augusto cap.* 70. Sulpitia,

Fabellam permitte mihi detexere paucis.

Ubi historiam innuit de pravo statu Reip. sub Domitiano. Sic apud Græcos quoque Μῦθος aliquando vera narratio est. Unde apud Isocratem μῦθοι, pro sermonibus aut libris religiosis ac Musicis sumuntur: & apud Homerum, nec non Callimachum eadem vox pro *vero sermone* sumitur. Proin ad veræ narrationis differentiam, quæ falsum recitat, *ficta Fabula* dicitur Ciceroni *de Finibus lib.* 4. *Quid? cùm fictas Fabulas, è quibus utilitas nulla duci potest, cum voluptate legimus.* Laurentius JC. *in Phædrum lib.* 1. *Prolog.* Obtinuit nihilominus usus, ut pro ficta falsaque narratione communiter vox adhibeatur. Et quidem *Fabulis* multùm prisci Sapientes usi sunt, ad utilia de virtutibus præcepta Juventuti instillanda: quod Phædrus indigitat *lib.* 4. *fab.* 1. ubi inter alia,

Sed diligenter intuere has nenias,
Quantam sub illis utilitatem reperies.

Synesius item, Διὰ παντὸς ὁ μῦθος ἱερὸς ... κεκαλυμμένος. Atque hinc est, quòd Georgius Decanus, *Poëtarum fabulas*, dicit, *ad vitam utilia præcepta per allegorias instituendam conficta.* Unde iterum Phædrus ait *lib.* 2. *Prologo*,

Nec aliud quidquam per fabellas quæritur,
Quàm corrigatur error ut mortalium,
Acuatque sese diligens industria.

Quia enim nuda docendi præcipiendique ratio molestiam hominibus ac satietatem afferebat, ad persuadendos ducendosque animos fabulæ dulcedo adhibita est: Quod Philosophandi genus, in Oriente inprimis usitatum, antiquissimum fuit & ne sacris quidem Scriptoribus intactum. Maximè autem in iis Æsopus excelluit, quæ causa est, ut fabulæ postea collectæ, quarum primus auctor Hesiodus videtur, uni Æsopo adscribi cœperint, teste Quintiliano *lib.* 5. *cap.* 11. Præter hanc Mythicæ Philosophiæ speciem, alia quoque fuit. Nam postquam prisci Heroes, jam fundatis Rebuspublicis ac Imperiis, verum sic Sapientiæ usum monstrassent, inde paulatim ex Foro & Aula Principum ad Scholas translata est. Tum viros quidem doctos, sed otio abundantes nacta, intra viriles illum & salutarem usum minimè se continuit: sed ad varias & miras dilapsa speculationes, vera falsis obscurissimo dicendi genere miscere cœpit, nec de hominibus & rebus naturalibus agere sat habens, in ipsum cœlum impetu facto, novam quasi Politiam ibi adornavit: Hinc *Theologia* alio nomine dicta, Lactant. *de ira Dei cap.* 2. de qua plura V. apud Georg. Hornium *Histor. Philos. lib.* 3. *cap.* 7. Ex Scholis transiit in Scenam, & commune nomen Tragœdiæ, Comœdiæ aliisque *Fabula* fuit, quam inter Romanos primus Andronicus, Græcorum more, dedisse legitur. V. Jo. Rosinum *Antiqq. Rom. l.* 5. *cap.* 8. Jul Cæs. Scaligerum *de Poët. passim* &c. Propriè tamen Mimus differt à *Fabula* sive Dramate. Fabula enim comprehensio est rei gestæ, cum quadam œconomia narrationis, explicatis quæ implicata sunt, ad certum exitum tendens, lætiorem, ut Comœdia, tristiorem, ut Tragœdia. At Mimus nec λύσιν habet plerunque, nec exitum. Cic. *pro Cælio*, *Mimi ergo est jam exitus, non fabulæ: in quo cùm clausula non invenitur fugit aliquis è manibus, dein scabella concrepant, aulæum tollitur.* Etiam in cætero *Fabularum* genere, certus erat modus imitandi & honesti decorique habebatur ratio, at Mimus, seu Planipes, quodcunque & quomodocunque imitaretur, partes suas agebat. Sed & antiquitus, cùm variæ species agerentur fabularum, diversæ personæ in singulis locum habebant, ut in togatis Romanæ, in palliatis Græcæ quidem, sed honestæ: In Mimo verò abjectæ tantùm & viles &c. Unde *Planipedes* & *Fabulones*, h. e. Mimos & Fabularum actores, distinguit eruditè Macrobius *lib.* 2. quem locum V. infrà, in voce *Fabulones*, plura verò hanc in rem apud Salmasium *ad Solinum pag.* 109.

Variæ Fabularum species & appellationes.

Amatoriæ, ab argumento dictæ sunt, quòd de amoribus agerent, ut Andria.

Atellanæ, ab Atella Oscorum oppido, omnium maximè jocosæ & dicaces. Docebantur in fine ludorum: easque qui agebant histriones, *Juvenes* dicti, inter omnes ludiones honestissimi, nec proin, uti cæteri, infames erant.

Calumniatoriæ, iterum ab argumento, ut Aristophanis Nubes & Ranæ.

Civilis fortunæ & morum, ut Thesaurus, Captivi, Aulularia Plauti.

Conviviales ac hilares, ut Bacchides.

Fallaces, ut Miles, Pseudolus.

Motoriæ, dictæ sunt, turbulentæ illæ ac negotiosæ, qualis Terentii Adelphi.

Palliatæ, Græcæ appellatæ sunt, à vestis genere genti illi usitato. Ut enim toga Romanorum, sic pallium Græcorum fuit gestamen.

Prætextatæ, in quibus Magistrat⁹ introducti, qui in prætextis: fortasse etiam pueri ac puellæ prætextatæ, vel potius sic appellatæ sunt, ab argumenti gravitate, atque honestate: quòd nulla in iis jocorum licentia, atque obscœnitas, quæ Magistratuum & pueritiæ sanctitatem dedeceret.

Statariæ, nuncupatæ sunt fabulæ sedatiores, in quibus non ita, ac in Motoriis, discurrebatur. Qualis Hecyra & Asinaria.

Tabernariæ, quod genus capiebat humilem fortunam negotiorum popularium, cum tunicis tantùm. Dictæ ab habitaculis, quòd cum tabernis scenæ disponebantur. Vel potius, quòd opifices, institores ac sellularii, qui in tabernis degere soliti, inducebantur.

Togatæ, Latinæ dictæ sunt omnes, à veste Romanis peculiari: in specie, illæ, in quibus viliores personæ inductæ, oppositè ad prætextatas.

Trabeatæ, novum genus togatarum, Prætextatis affines, auctore Melisso, quem Augustus præfecerat Bibliothecæ in porticu Octaviæ: à trabea, veste Regibus olim, dein Equitibus, cùm transvehebantur; triumphantibus item, usitatâ. V. quoque Octav. Ferrarium, *de re Vest. part. 2. lib 4. cap. 2.*

Fabulones, iidem cum Sannionibus & Apinariis, qui ridiculis quà dictis, quà gestibus, in scena risum movebant. Macrobius *lib. 2. Hac nobis sit literata lætitia & docta cavillatio vicem planipedis &* fabulonis *impudica & prætextata verba jacientis, ad pudorem ac modestiam versus imitata.* De cujusmodi Scenicis & Attellanis ita Varro:

Et orthophallica attulit psalteria,
Quibus sonant in Græcia dicteria,
Qui fabularum collocant exordia:
Ut Comici, Cinædici, Scenatici.

Inde igitur *Fabulones*, à *fabulis*: quas omnis generis, *prætextatas, togatas, tabernarias, Attellanas*, quas antiqui Poëtæ in scena dictabant, quaque omnes posteriorum Impp. ævo agi desierunt & in desuetudinem abierunt, in scenam revocasse & more antiquo in theatro exhibuisse legitur Hadrianus Imp. apud Ælium Spartianum in *Vita* ejus. V. quoque suprà.

Facere, sacrificale verbum, sicut Græcum ῥέζω & ἔρδω. In *Epigramm.* Homeri imagini, à Varrone apposito, apud A. Gellium *lib. 3. cap. 11.*

Capella Homeri candida hæc tumulum indicat,
Quòd hac Jetæ mortuo faciunt sacra.

Virgilius *Ecl. 3.*

Cùm faciam vitulâ &c.

Propriè verò de oleo, Latini vett. verbum usurparunt, unde *Factus*, oleum uno tempore factum, quem alii 160. modiorum, alii 120. faciebant, teste Varrone *de R. R. lib. 1. cap. 24.* Similiter ῥέζειν ἀλοιφαῖον λίπος, Lycophron dixit *in Cassandra*, quod Scaliger reddit *facere nitores unguinum*, i. oleum. V. Jo. Meursium *Commentar. in l.* ut alia omittam.

Faces, in sacris in bello, in nuptiis, in funeribus, olim adhibitæ. V. infrà in voce *Fax*.

Fachreddinus, aliis vulgò *Emir Saida*, vel *Princeps Sidonis*, omnium sub Ottomanico Imperio Principum potentiâ & auctoritate primus habetur: cujus familia longo ordine per Phœniciam & Galilæam dominationem exercuit. Ditio ejus complectebatur, præter regiones modò dictas, oppida Berytum, *Saida, Sour*, S. Johannis Acram seu *Ptolemaidem* &c. V. *le Voyage de Levant à Paris* 1632. laudatum Hornio *Orb. Polit. p. 271.*

Facialis seu *Facile*, in *Martyrologio* vet. in *S. Timotheo*, orarium est, h. e. linteum tenue, quo *facies* extergitur, φακιόλιον Græcis recentior. V. *Nomocanonem* editum à Joann. Baptista Coteleiro *cap. 50.* & quæ ibi observat Vir doctus. *Facitergium* quoque dicitur, in *Regulis* S. Cæsariæ Virg. ubi acu pingi illa consuevisse, innuitur, apud Dominic. Macrum *in Hierolex.*

Faciens, & *Patiens*, duo rerum principia, secundùm Stoicos, apud Diogenem Laertium *in Zen.* qui, cùm *Patiens* de Materia explicasset, *Facientis* sive τοῦ ποιοῦντος nomine Verbum Dei ἐνυπόστατον apertis fere verbis significat, Τὸ δὲ ποιοῦν, inquiens, τὸν ἐν αὐτῇ λόγον τὸν θεόν. Τοῦτον γὰρ ὄντα ἀΐδιον διὰ πάσης αὐτῆς δημιουργεῖν ἕκαστα. *Quod autem faciat* (h. e. principium *Faciens*) *Verbum Deum esse* (Stoici nim. docuerant) *quod in ipsa materia, nempe Patiente sit. Hunc enim quippe sempiternum, per ipsam omnem singula creare.* Quæ suffurati dici possent, ex Psalmo 33. *versu* 6. *Verbo Domini Cæli firmati sunt*, Tob. Pfannerus *Theol. Gentil. pur. cap. 5. §. 4.*

Facies, soli animalium est homini, cujus loco cœteris os & rostra, Plin. *lib. 11. cap. 31.* De ea sic Paschalius, *Ecquis non stupeat in illa altera* (capitis parte) *quæ est attributa vultui, qui vultus est imago ingenii? Nam quia frons est summum limen hominis, nimirum ibi sedent gravitas & majestas. Tectus in animo pudor manat per oculos, quos natura fecit insignes lenitate, acritate, flagrantia. In naso latet sagacitas; In genis nobilis illa ruboris purpura efflorescit. Ab ore manat sal sapientiæ. Denique in toto vultu est non solùm κεφαλῆς φρόνημα, Animus affectus, sed & ἦθος, divinitas. Certè hoc est in homine facies, quod puppis in navi, quod Zodiacus in cœlo, quod character in annulo. Ibi agnoscitur viva & expressa similitudo Dei, hoc est, totus homo*, Coronar. *lib. 5. cap. 3.* Hinc, inter alia hominis membra, *faciem* quoque coronatam, legimus, à sequiori inprimis sexu, tegendo sc. velandoque pudori, apud Plut *Pelop.* cujusmodi coronæ Plauto *dapsiles* dictæ, uti vidimus. Idem sexus in ea contra Solis æstum defendenda, gratiaque illius conservanda, ac cute emendanda multam omni tempore operam posuit, qua de re V. Plinium *lib. 20. cap. 2. lib. 21. cap. 10. lib. 29. cap. 3.* & quædam infrà, in voce *Oblinere*. Turpius illi, qui pingere consuevere: de quo more idem *lib. 22. cap. 1. Illinunt certè aliis* (herbis) *aliæ in populis Barbarorum feminæ, maresque etiam apud Dacos & Sarmatas corpora sua inscribunt — glastum in Gallia vocatur, quo Britannorum conjuges nurusque toto corpore oblitæ*, &c. V. Alex. ab Alexandro *lib. 1. cap. 20.* Quod ad simulachra quoque Deorum translatum. Plinius iterum *lib. 33. cap. 7. Enumerat auctores Verrius — Jovis ipsius simulachri* faciem *festis diebus minio illini solitam, triumphantiumque corpora, sic Camillum triumphasse.* Indidem huic inprimis parti in bello cavebatur: unde nota vox Cæsaris, *Miles faciem feri.* Quò igitur tuta esset, clausis galeis usi Vett. uti de Thebanis fratribus Papinius docet, *Thebaid. lib. 11. versu 526.*

Per galeas odia & vultus rimantur acerbo
Lumine —

V. quoque infrà, in voce *Nares*. Contrà, extremum contumeliæ genus, in *faciem* alterius sputum conjecisse, vel illam percussisse, uti ex historia Mariæ, Mosis sororis, Numeror. *cap. 12. versu 14.* & passionis Domini nostri, Matth. *cap. 26. vers. 67.* liquet. Quam in rem varia egregia congessit insignis Orator Gallus le Maistre in lib. cui *Plaidoyez* titulum fecit &c. Aliàs *Facies*, pro colore, pro tota figura, passim usurpatur, apud Solinum inprimis, ad quem V. *Exercitationes Plinian.* Salmasii *pag. 235. 239. 251. 703. & 1012.* Ad inanimata etiam translata, pro constitutione, ut *facies pugnæ*, apud Statium *Thebaid. lib. 11. v. 524.* ubi V. Barthium. Judæi פני, *facies* vel vultus quoque Decanos seu Deos Horoscopos vocarunt, uti suprà diximus in hac voce &c. V. quoque infrà in voce *Persona* & *Vultus*.

Facisferi, in bello olim, adhibiti, V. infrà in voce *Fax*.

Facinorosi, sepulturâ non arcendi. Certè Lex divina Hebræis data, ut omnis virtutis, ita & humanitatis Magistra, illos ipsos qui suspensi patibulo erant (quod valde ignominiosum censebatur) eodem die sepeliri jubet. Unde Josephus tantam ait Judæis esse sepulturæ curam, ut eos etiam, quorum corpora ad publicum supplicium damnata sunt, ante Solis occasum tollant & humô mandent: adduntque Hebræorum Interpretes, exhibitam hanc reverentiam divinæ imagini, ad quam homo sit conditus. Sic Ægysthum, qui adulterium cæde Regis cumulaverat, ab interfecti Regis filio Oreste humo mandatum, Homerus memorat *Odyss. γ.* Sed & apud Romanos, *obnoxios criminum digno supplicio affectos sepulturæ tradi*, permiserunt Diocletianus ac Maximinianus Impp. *l. 2. C. de relig.* Legimus quidem exempla eorum, qui insepulti abjecti, sed frequentiora civilibus, quàm externis bellis: & hodie videmusquorundam damnatorum corpora diu in publico conspectu relinqui, quem tamen morem plerique improbant. Contrà laudatos videmus, qui sepeliri jusserunt corpora eorum, qui idipsum aliis non permiterant, ut Pausaniam, Theseum, Alios. Exceperunt tamen Hebræi eos qui sibi ipsi mortem conscivere, quod Josephus docet *de Bello Jud. lib. 3. cap. 15.* nec mirum, cùm in hos aliud supplicium constitui non possit, qui mortem pro supplicio non habent. Græci verò sacrilegos, Diodorus *l. 16.* item proditores, Plut. *Antiphonte*. V. H. Grotium *de Jure Belli & Pacis l. 2. c. 19. §. 4.* & suprà in voce *Cadaver*.

Facitergium, Ital. *Fazzoletto*, linteum *faciei* tergendæ. Theodulfus *lib. 1. Carm.*

Quo facies humore levi palmasque fideles
Tergere, quis dandum textile mutuo habet.

V. suprà *Facialis*. Item sacra vestis, in *Chron.* Fontanellensi *cap. 16.* alibique; pro quavis mappa, etiam Altaris, usurpatur Helgaudo *in Roberto Francor. R.* Car. du Fresne *Glossar.*

Factiones, aliter *Partes*, dicebantur in ludis Circensibus, aurigarum pro palma certantium divisi cœtus, quos colores distinguebant à se invicem, &, pompâ procedente, favorem, studia ac sponsiones spectantium, prout quisque in hanc vel illam *Factionem* erat propensus, excitabant. Sidonius Apollinaris *Car. 23.*

Pars adversa micat.

Harum quatuor erant, de quibus ita Tertullianus: *Ab initio duo soli fuerunt colores, albus & rufus. Albus hyemi ob nives candidas, rufus æstati, ob Solis ruborem, voti erant. Sed postea tam voluptate, quàm superstitione provectâ, rufum alii Marti, alii album Zephyris consecrarunt: Prasinum verò terræ Matri vel Auctumno* &c. Dicebantur autem à coloribus viridis, cœrulei, coccini, albique panni, quo donabantur, *Prasina, Veneta, Rufata & Albata*: quibus Domitianus Imp. *duas gregum factiones aurati purpureique panni addidit*, Suetonius *in eo cap. 7.* Harum, ad reprehensionem usque, studiosi quidam Principes fuere. Prasinam amplexus est Caligula: Venetæ factioni Vitellius ita erat addictus,

addictus, ut ei semper faveret, Suetonius *in eo cap.* 14. Tum agitatores ipsos habuere in pretio, Caligula Incitatum, Nero Prasinum, Domitianus Passerinum & Tigrim: Nerva Scorpium &c. quorum victorias carmine extulit Martialis. Meminit Boculi cujusdam Asconius: M. Aurelii Dioclis C. Apuleji Dioclis, C. Pompeji Eusceni & Fusci vetera Epigrammata. Martialis tres *Factiones* conjungit:

Si Veneto, Prasinove faves, qui coccina sumis,
Ne fias ista transfuga veste, cave.

De Prasina separatim Juvenalis *Sat.* 11.

Totam hodie Romam Circus capit, & fragor aurem
Percutit, eventum viridis quo colligo panni &c.

In signum committendarum *Factionum* Praetor, qui plerumque hos ludos edebat, mappam candidam è sella suspendit, vel in aurigantes misit: qui mos fluxisse à Nerone legitur; Ille enim populo missus flagitante, mappam per fenestram jussit abjici, Cassiodorus *lib.* 3. *Variar.* Exhibebantur autem olim, ut Varro docet *de Pop. Rom.* viginti quinque missus, quorum ultimus *Ærarius* dictus est, eò quòd de collatione populi exhibebatur, quae desiit esse, postquam conferendae pecuniae consuetudo sublata est, Servius *in Georg. lib.* 3. Domitianum verò centum missus, sed quinis tantùm spatiis, exhibuisse, Suetonius narrat *in vita ejus.* Numerus victoriarum, ut ex marmoribus antiquis patet, tumulorum cippis aut statuarum elogiis, unà cum *Factionis* mentione, addito genere gentéque agitatoris, inscribi consuevit. Ita inter alia fragmentum veteris Inscriptionis: *Cl. Aurelio. Polyphemo. Domino. & Agitatori. Factionis. Russatae. Togeni. Caesareo. Sui. temporis. Primo. & Solo. Factionario ob gloriam.* Ex iisdem patet, in *Factionibus* singulis fuisse, quos *Procuratores* appellabant, item Medicos &c. Durarunt haec certamina, usque ad tempora Justiniani, sub quo, cùm ex Prasinae & Venetae contentione seditio exorta, & quadraginta fere hominum millia trucidata essent, *Factionum* nomina abolita sunt, V. Joh. Rosinum *Antiqq. Rom. lib.* 5. *cap.* 5. *cum Paralipomenis* Thomae Dempster, Salmasium *ad Solinum pag.* 901. & *seqq.* ubi totam Rem Circensem eruditè exponit, & *de Factionis inprimis Circi, in quatuor colores & greges divisae, origine ac instituto primo*, differentium sententias expendit, nec non suprà in voce *Aurigatio* &c. Ab his Circi *Factionibus*, ac coloribus, morem per varios colores excolendi servitia, quas *Livreas* vulgò appellant, fluxisse, arbitratur Octav. Ferrarius *de Re Vestiar. lib.* 3. *cap.* 4. V. in ea voce. Ab iisdem *Factionarii* dicti, in *Inscr.* modo memorata & *l.* 1. *Cod. Theodos. de Equis Cur.* qui Circorum factionibus praeerant: Δήμαρχοι Byzantinis Scriptoribus; *Factionum domini* Lampridio, V. Bulingerum *de Circo cap.* 47. Aliud quid *Factor* est, quam vocem iniquè Olearium cancellis circumscriptam esse à Veteribus, queritur Scaliger, cùm ea potius Poëtis conveniret. Erant nempe *Factores* Romanis dicti, qui oleum *facerent*, uti docet Laur. Pignorius *Comm. de Servis.* Sed & *Factores* appellatos esse, qui pilà trigonali luderent, adnotavit Coel. Rhodiginus *lib.* 10. *c.* 18.

Factum, nomen est *Constitutionis* cujusdam Honorii & Theodosii Augg. ad Agricolam Praef. Pr. Gall. in *Cod.* Autissiodor. quae *Edictum* Hincmaro, Sirmondus *Not. ad Sidonium Epithal. Polemii*, V. quoque Salmasium *ad Capitolin.* ubi *Factum* idem esse, quod Πραγματικὸν Graecis seu *Pragmatica Constitutio*, argutè docet. Solitae autem sunt Pragmaticae istiusmodi sanctiones, non nisi in publicis causis fieri, ad preces civitatum aut provinciarum & ad suggestionem plerunque Judicum & Praesidum provinciarum: atque dictae sunt, quòd longo tractatu & consilio habito solenniter ea multâ verborum disseratione formarentur; quâ ratione quidquid fit, Graecis Πραγματικὸν dicitur. Sic *Constitutionis* Fl. Constantini Tyranni, quâ sanxit, ut VII. provinciarum Galliae conventus Arelati, Imperii tum sede, agerentur, quamque primus in Ausonianis Lectionibus vulgavit Scaliger, inscriptionem in scripta scheda hanc fuisse, testatur *ad Symmachum* Juretus: FACTUM FL. CONSTANTINI AD AGRICOLAM PRÆFECTUM PRÆT. GALLIARUM. Plura V. apud praelatum Salmasium *Not. ad Vitam Germani*, & *infrà in voce Pragmatica Sanctio.* Apud Anglos hoc nomine designari Scriptum solenne, quo firmetur donum, concessio, pactum, contractus, & hujusmodi: quodque aliàs *Chartam* dicimus, docet Spelmannus, laudatus Car. du Fresne *in Glossar.* De voce verò *Factus*, V. suprà in *Facere.*

Facularum Accensores, dicebantur inter Christianos, qui Gentilium superstitionibus inhaerentes, lucernas ad fontes, quos Ethnici velut Numina venerabantur, accendebant: quae consuetudo variis Conciliis damnata est. Arelatense II. *Concil. can.* 23. *Si in alicujus Episcopi territorio — aut faculas accenderint aut arbores, fontes vel saxa venerentur* &c. In Concilio Nannet. *Candelam deferre* est, ut & apud Burcardum *lib.* 8. *cap.* 94. *Vel si aliquis vota ad arbores, vel ad fontes, vel ad lapides facias, vel ibi candelam seu quodlibet munus deferas, velut ibi quoddam Numen sit.* V. quoque *Capitular.* Caroli M. *lib.* 7. *cap.* 136. &c. *Excultores Fontium*, iidem vocabantur, Dominico Macro *in Hierolexico.*

Facundiae Corona, memoratur Tacito *Annal. lib.* 16. *Senatus (Neroni) offert victoriam cantus, adjicit facundiae coronam, quâ ludicrà deformitas velaretur.* Quâ ipsa Dea Pitho Venerem donasse è mari emergentem legitur, apud Pausaniam *Eliac. lib.* 1. Nempe *est facundus amor.* Unde Theseus, populo Atheniensi *facundià* suâ ex agris in urbem compulso, Veneris cultum mox introduxit, teste eodem in *Attic.* Sed & praeter coronas alia praemia ob *facundiam* collata, uti docet C. Paschalius *Coronar. lib.* 5. *cap.* 12. & *cap.* 13. V. quoque infrà ubi de *Oratoribus*, *Poëtis*, *Rhetoribus* &c.

Fadia, V. suprà *Fabia.*

Fadilla, filia Marci Imp. ex Faustina, apud Vulcatium Gallicanum *in Avidio Cassio.* Ejus memoriam servat *Inscr.* hodieque Epheso haud procul superstes, in basi quadrata, quae statuam ejus honori erectam sustinuerat:

ΦΑΔΙΛΛΑΝ ΘΥΓΑΤΕΡΑ
Μ. ΑΥΡΗΛΙΟΥ ΑΝΤΩΝΕΙΝΟΥ
ΚΑΙΣΑΡΟΣ ΣΕΒΑΣΤΟΥ.

Qua de V. Jac. Sponium *Itinerar. Part.* 3. *pag.* 139. de ipsa verò *Fadilla* plura, apud Herodianum *in Commodo*, ubi de Cleandri conjuratione, ab illa, Imperatori detecta &c.

Fadus & *Fada*, Gallis *Fais* vel *Fée*, daemonis species: *Fadas* & *Hadas* vocant Hispanici Fabularum concinnatores V. suprà in voce *Druiades*, & infrà in *Fea.*

Famina, V. infrà *Femina.*

Fax, vini purgamentum est: de qua Plin. *lib.* 14. *cap.* 21. *Fex vini siccata recipit ignes, ac sine alimento per se flagrat. Cinis ejus nitri naturam habet eademque vires hoc amplius, quòd pinguior sentitur.* Graecè τρύξ, uti τρύγημα, *vindemia* est. Unde Tragoediam q. τρυγῳδίαν, quae vox integra apud Aristophanem habetur *Acharnan.* dictam esse, Grammatici voluerunt. Primùm certè agi vindemiarum tempore coeptam, scriptum est; primusque Thespis, qui illam nitidiorem reddidit, pensiles scenas in plaustris circumegit addiditque nudis oribus *faecem*, pro persona. An verò haec vini, an olei fuerit, quam amurcam Latini dicunt, inter se non consentiunt iidem: aliamque vocis originem magis probat Scaliger *Poetices lib.* 1. *cap.* 7.

Fagus, arboris genus glandiferae, sicut robur, quercus & aesculus, cum qua postrema eandem illam esse irrisunt Grammatici, quòd *fagum* ἀπὸ τοῦ φαγεῖν dictam autumant, ut aesculum sive esculum ab *esca*, quòd harum glande primi mortales victitarint: cùm tum ex re, tum ex nomine constet, aesculum esse, quae Graecis φηγὸς, uti pluribus docet Salmasius *ad Solinum pag.* 507. & 508. Eadem, licèt distinguatur à quercu inter quercus tamen genera reponitur Theophrasto, & cùm quercus coronamentis olim victorum adhibita fuerit, φηγῷ ἐστεμμένην, *fago coronatam*, Deianiram, post Acheloum ab Hercule superatum, legimus, apud Philostratum *in Imagin.* Etiam, uti quercus Dodonaeae notissimae, sic apud Sophoclem responsa à duabus columbis redduntur, ex antiqua *fago*, *in Trachin.* V. C. Paschalium *Coronar. l.* 7. *c.* 13. Coeterùm post *fagum* quercus τὴν ἡμέρον, quam Macedones ἐτυμόδρυν, Latini *quercum* simpliciter appellabant, lignum fortissimum: at longè etiam robustius roboris, h. e. τὸ ἄγριον. Glans ejusdem dulcissima. Plin. *l.* 16. *c.* 6. Cortex, ut & tiliae, abietis ac piceae, *in magno usu agrestibus. Vasa corbesque ac patentiora quaedam messibus convehendis vindemiisque faciunt, atque praetexta tuguriorum. Scribit in recenti ad duces explorator, incisas literas tegentes succo. Nec non in quodam usu sacrorum religiosus est, Idem lib. eod. cap.* 9. Alios arboris hujus usus idem enarrat *cap.* 43. *Facilis & fagus — eadem sectilibus laminis in tenuia flexilis, capsisque ac scriniis sola utilis.* Item *cap.* 10 *Scandulae è robore aptissimae, mox è glandiferis aliis, fagoque.* Et *cap.* 18. *Fagi pectines transversi in pulpa. Apud antiquos inde & vasis honos. Marius Curius juravit, se ex praeda nihil attigisse, praeter guttum faginum, quo sacrificaret.* De poculis verò *faginis*, dicemus infrà.

Fagutal, adde: Etiam Viminalis mons *Fagutalis* dictus legitur, à sylva *fagea*, quae in ipso fuerat. Joh. Rosinus *Antiqq. Rom. lib.* 1. *cap.* 9. Sacelli *Fagutalis* meminit quoque Plinius *lib.* 16. *cap.* 10. ubi addit, non procul ab eo & lucum fageum fuisse: sed quis illud condiderit, ignoratur: Collocatur autem in regione decima, Idem *lib.* 2. *cap.* 5. *ubi de Jove ei firmo est.*

Faja, in vet. *Membrana* Sanctuarii Capuani, *In vigilia Revelationis S. Stephani infrascripta Ecclesiae venire debent cum fajsa ad Ecclesiam Capuanam*: Michaëli Monacho est, *machina hujusmodi formae: pertica alta & gracilis seu arundo intra 3 circulos aequè distantes immittitur; baculis & circuli adornantur: eminet signum crucis in vertice, & à pede crucis, bracteae seu vittae papyraceae tres vel 4. coloribus & incisuris pulchrae deorsum pendent, circulis alligatae, ut moveantur. Quare fajus seu faja rotunda meta, seu turris formam repraesentat.* Detortè ex *pharus*, ut idem vult. Car. du Fresne verò *bajis* legendum conjicit, *i. palmarum ramis*: Notum enim, Stephanum Protomartyrem cum palma in manu vulgò depingi, in signum Martyrii. Fortè fagorum rami, quos *Fajas* Longobardi appellabant, hic intelliguntur &c. Id.

Fairfaxius Thomas, famosus partium Dux sub Carolo I. Magnae Britanniae Rege, de quo V. Georgium Hornium *Orb. Imp.*

Falacer Flamen, dicebatur teste Varrone, qui Divo Patri *Falacri* institutus erat: Quis autem iste Deus fuerit, à nemine

Veterum traditur. Adr. Turnebus *Comment. in Varronem* suspicatur, *Falacrem* fortasse eum fuisse Deum, qui præfuerit Circi falis, de quibus modò dictum. De *Falacrino Vico*, in viâ Salariâ, qua itur Amiternum, memorato Suetonio in *Vespasiano cap.* 2. V. Theod. Marcilium.

Falæ, apud Juvenalem,

Quæ nullis longum ostendit cervicibus aurum,
Consulis ante Falas *delphinorumq́ columnas:*

Græcis ϕάλαι, teste Vitruvio, turres sunt rotundæ & in fastigio ovi referentes imaginem, ᾠοειδῆ δημιουργήματα Dioni hinc dicta: quæ Agrippa primus fabricanda curasse dicitur, ad ostendendum curriculorum in Circo numerum. Construebantur autem ad tempus, Ludorum nempe die, quibus peractis iterum removebantur. Servius *in* 9. *Æn. de Phalarica*: *Unde & in Circo* Falæ *dicuntur divisiones inter Euripum & metas, quòd ibi constructis ad tempus turribus, his telis pugna edi solebat.* Plura V. infrà ubi de Circi *Ovis*: de Delphinis verò, quos iis Juvenalis ac Dio jungunt, retro.

Falangus, apud Giraldum *in Topogr. Hiberniæ*, sagum est seu lacerna villosa: cujusmodi vestium descriptionem pluribus refert Gratianus Luches *in Cambrensi everso cap.* 13.

Falcatus Currus, V. suprà *Currus.*

Falcatus Ensis, V. infrà *Harpe.*

Falcidia Lex, lata est à P. Falcidio Tribuno Pl. Cn. Domitio Calvino II. C. Asinio Pollione Coss. anno U. C. 713. Cujus hæc capita à Jurisconsultis memorantur: *Qui cives Romani sunt, qui eorum post hanc legem rogatam testamentum facere volet, jus potestasq́ esto, ut hac lege licebit. Quicunq́ civis Rom. post hanc legem rogatam testamentum faciet, is quantam cuiq́ civi Romano pecuniam jure publico dare, legare volet, jus potestasq́ esto, dum ita detur, ut ne minus, quàm quartam partem hæreditatis ex eo testamento hæredes capiant. Eis quibus ita datum legatum erit, eam pecuniam sine fraude sua capere liceto: isq́ hæres qui eam pecuniam dare jussus damnatusve erit, eam pecuniam debeto dare, qua damnatus est. Si quis aliter, quàm hac lege liceat, pecuniam dederit, legaverit, hæredi quartam partem ejus pecuniæ, quæ data legata erit, ex eo testamento retinere liceto*, Paulus *l.* 1. *ff. ad leg. Falcid.* Eusebius *in Chronicis*, qui tamen latam fuisse scribit, ut quarta pars tum demum hæredibus superesset, si quatuor aut minus essent: quod in Jurisconsult. libris nusquam reperias: Tum & hujus verba refert Dio *lib.* 48. *Ut hæres quartam partem bonorum sibi relictorum, si graviter oneratus sit legatis, accipiat: cætera legatariis relinquat.* V. Joh. Rosinum *Antiqq. Rom. lib.* 8. *cap.* 18.

Falckenstenia, Familia Germaniæ Comitivæ axiomate illustris. Aliâs illa etiam *à Dhun* cognominatur: ex ea autem primus Wirichius feudum *Falckenstenium*, à Lotharingiæ Duce, per subinfeudationem, obtinuisse legitur; cujus nepos cognominis è tribus filiis tres lineas sevit. Ex his enim Johannes *Falckenstenianam*, & Sebastianus *Oberstenianam* orsi sunt, quæ tamen utraque nostro seculo masculorum defectu cessavit: Johannis in illâ, filiâ Sidonia Axelio Levvenhauptio Sueco nuptâ, in hanc familiam suum jus inferente. Tertia linea in *Bruch* seu *Broich*, à Philippo orta est: cujus pronepos Wilhelmus Wirichius est, qui nunc ultimus marium est superstes, filiumque turbato ordine naturæ sepelire coactus est. Filius is fuit Johannis Adolphi *Com. de Falckenstein, in Broich*, ex Anna Maria Nassavia: ductaq; uxore Elisabetha Waldeccia genuit Carolum Alexandrum, qui obiit A. C. 1659. Annam Elisabetham (ux. Georgii Wilhelmi Comitis Leiningensis) & N.N. (ux Emiconis Christiani itidem Comitis Leiningensis.) Phil. Jac. Speneru*s Theatro Nobil. Europ. Part. I. pag.* 71. 161. *& in Ind.* Rami Oberstenii probationem habes apud Eund. *Part III. pag.* 22. Ibid. *pag.* 37. quomodo *Falckenstenius*, in specie ita dictus, Levvenhauptiis accreverit, invenies.

Falco Cos. per servi sui operam Pertinaci insidias struxisse suspectus, impunitatem impetravit, & in rebus suis securè cùm vixisset, hærede filio periit: *quamvis multi* Falconem *nescisse dixerint, Imperium sibi parari. Alii etiam à servis, qui rationes interverterant, falsis testimoniis appetitum eum esse, dixerunt*, Jul. Capitolinus *in Pertinace.*

Falco, seu *Accipiter*, futuri maximi boni spem certam, in auguriis olim faciebat: Unde Darius, paulò ante quàm Persico potiretur regno, accipitrum duo paria vulturem vellicantium conspectu, spem futuræ magnitudinis animo concepisse legitur. Venatio quæ *Falcone*, qui inter accipitres primas obtinet, fieri solet, ignota Græcis non minùs, quàm veteribus Romanis erat. Itaq; Aristoteles, quòd vulgò ferebatur, Thracum pueros, societate cum accipitribus initâ, solitos aucupari, id portentosum censet, atque incredibile: etsi similia Ctesias de aquilis Indicis prodidisset. Demum circa Constantini & Theodosii tempora inter Romanos cœpit; & primi quidem Julius Firmicus & Sidonius Apollinaris *Falconum*, asturum & accipitrum prœlia memorant. Itaque his temporibus Protohieracarius esse incepit, sub quo alii in Curopalatæ matricula notabantur. Mox etiam ars ea libris consignata est: cujus antiquissimus scriptor fertur Demetrius Constantinopolitanus, quem vertit Latinè Petrus Gillius, vir utriusque linguæ & naturalis Historiæ scientissimus. Qui & alterum transtulit ejus argumenti opus, sed recentioris scriptoris ac durioris styli, quod inscribitur: Ὀρνεοσόφιον ἀγροικότερον, ut incerti videatur Auctoris. Imò & prius, quod aliâs ἀπὸ τῆς τῶν ἱεράκων ἀνατροφῆς τε καὶ θεραπείας, in Mediceo codice simpliciter scribitur, Βιβλίον ἱερακοσοφίου. Quæ ambo Lutetiæ ex Medicea prodiere Bibliotheca, curâ Nicolai Rigaltii: qui addidit quoque excerpta ex libro incerti Scriptoris de Natura Rerum, ubi agitur de diversis *Falconum* sive accipitrum generibus, eorumque morbis ac medicina. E junioribus tres de re Accipitraria libros elegantissimo scripsit carmine Jacobus Aug. Thuanus. V. Gerh. Joh. Vossium *de Philos. cap.* 7. & suprà in voce *Accipiter.* Hinc *Falconarius*, præpositus falconibus, apud Hincmarum Rem. *de Ord. Palatii cap.* 24. dignitas Palatii est, Gall. *Fauconier*, Ital. *Falconiere*: quibus qui præerat, Græcis Byzantinis Πρωτοϊερακάριος dicitur, uti vidimus, cujus officii, præter Codinum, meminit Pachymeres *lib.* 1. *cap.* 8. & *lib.* 10. *cap.* 25. V. quoque infrà in *Protohieracarius.* In Francia, *Magnus Franciæ Falconarius*, appellatur, in *Computo* hospitii Regis 1. Jan. ann. 1312. apud C. du Fresne, ubi de juribus ejus & prærogativis, in Aula, illius complura habes, in *Glossar.* è quo etiam de *Falconibus* ista hic subnectere placuit: Capiuntur falcones, aut in nido & *Nidularii* dicuntur, vulgò Gall. *Niais*; aut jam adulti, & *Ramales*, Friderico II. *lib. de Arte ven. Ramagii*, Gallis vulgò *Branchus*; adultiores, tamen antequam primùm deplumentur, *Horni* seu *Hornotini* sunt, vulgò Gallis *Sores*; postquam jam annum egerunt, & plumas exuerunt, hos anniculos & deplumatos, *Mutatos* seu *Muez* appellant. V. eundem du Fresne in vocibus *Gentilis, Girofalcus, Lainerius, Mutatus, Nidasius, Sacrus, Sutrilinnus, Sorus* &c. ut & hic infrà, in voce *Sabinus.* Salmasius ex *Orneosophio* Græcorum præfato, ἐξωπάγους, *qui foris capiuntur* & extra nidum, *Passagers* Gallis; νεοσσοτρόφους verò, *qui in nido*, Græcis vocatos, illosque meliores istis ac præstantiores habitos, adnotat *ad Solinum pag.* 773.

Falcula, apud Solinum *cap.* 27. ubi de Leonibus, *Gradientes mucrones unguium vaginis corporum claudunt, ne acumina attritu retundantur. Hoc adeò custodiunt, ut non nisi aversis* falculis *currant.* Et Plinium *lib.* 8. *cap.* 15. *Mirum pardos, pantheras, leones, & similia, condito in corporis vaginas unguium mucrone, ne refringatur hebeteturve, ingredi: aversisq́* falculis *currere, nec nisi ad petendum protendere*; ungues leonum aliarumque ferarum sunt, à *falcis* similitudine. Has avertunt, cùm earum acumina intra corpus recipiunt &c. Salmasius *ad Solinum pag.* 327.

Faldistorium, apud Jacobum Cardin. *de Coronatione Bonifacii VIII. lib.* 2. *cap.* 2.

Cumq́ genu flexo sedi prostratus & auro
Procubuisset herus, simul omnis & infula circùm
Pontificum supplex in faldistoria *pectus*
Funderet:

apud Durandum item *Ration. lib.* 4. *cap.* 30. *num.* 1. alibique, sella plicatilis est, uti nuncupatur, ab Aimoini Continuatore *lib.* 5. *c.* 33. Italis *Faldistoro*; An à Germ. *falten*, quod *plicare* est; ita ut iis accenseatur sellis, quas Græci ὀκλαδίας vocant, Athenæus *lib.* 12. Synesius *de Regno*, Hesychius, alii. An à Saxon. *Falde*, quod *septum claustrumq́*; unde *Faldao*, quod sedem seu *sellam brachiis conclusam*, denotat? V. du Fresne *in Glossar.* Dominico & Carolo Macris, propriè Episcopi seu Abbatis mitrati sedes humilis est, in qua solenniter celebrant Episcopi, ubi jurisdictione carent, vel in propriis quidem diœcesibus, sed cùm adest aliquis majore dignitate Eccl. præfulgens; seu cùm in collatione ordinum sedent, ante Altare seu in memoriam Passionis Domini *Feriâ* 6. &c. in *Hierolex.*

Falerina, adde: Eodem anno, quo Oufentina seu Ufentina, addita reliquis est & ab agro Falerno in Campania, quemadmodum Sigonius & Onuphrius conjiciunt, (nam eâ parte etiam Ufentina fuit) nomen accepit. Meminit ejus præter Livium, Josephus *Antiqq. Judaic. lib.* 13 *cap.* 16. *his verbis*: *C. Sempronius C. F. Falerina.* V. Joh. Rosinum *Antiqq. Rom. lib.* 6. *cap.* 19.

Falisci, adde: Ab *Haleso* Argivo auctore suo, primò *Falesi*, inde *Falerii*, urbs eorum, Liv. *lib* 7. ab eodem *Falesi*, & *interjectione* *Falesisci*, ac contractè *Falisci*, ipsimet appellati sunt; qui *Etruscorum* cognomento notanter insigniuntur, apud Plin. *lib.* 3. *cap.* 5. ut distinguantur ab *Æquis Faliscis*, quos duos populos malè nonnulli confundunt. *Æquorum* certè *Falisca*, meminit Strabo *lib.* 5. Οἱ δὲ Αἶκοι Φαλίσκοι λέγουσιν ἐπὶ τῇ Φλαμινίᾳ ὁδῷ κείμενον, μεταξὺ Ὀκρικλων καὶ Ῥώμης. *Alii verò Æquorum Faliscum ajunt in Flaminia via positam, inter Ocriculum & Romam.* Ut & Diodorus, apud quem, Φαλίσκος πόλις ἀπὸ τῶν Αἴκων ἔθνους, pro ἀπὸ τῶν Φαλίσκων ἔθνους, legit Salmasius, quem V. *ad Solinum pag.* 60. Nempe prope Soractem montem hi habitabant, ad quem Herpi, in *Faliscorum* agro positi, annuum sacrificium Apollini faciebant: *idq́ operantes, gesticulationibus religiosis, impunè insultabant ardentibus lignorum struibus*, Solin. *cap.* 2. At *Falisca Etruscorum*, Junonem impendio colebat, unde *Colonia Junonia* dicta est *Falisca.* Idem ibid. *pag.* 85.

Faliscus, & Cincius, primi personati egere Comœdiam. Scaliger *Poëtices lib.* 1. *cap.* 13.

Falquerii, Religiosi inter Turcas, V. Waddingum A. C. 1314. 9.

Falsarius, apud Albericum in *Chron.* MS. laudatum Carolo du

Fresn

Fresne in *Glossar. ad A. C.* 1214. ubi de pugna Bovinensi, *Ante oculos ipsius Regis occiditur Stephanus de Longo Campo, in capite percussus longo gracili trialemello, quem* Falsarium *nominant*: sica est, pugionis vel cultelli species. *Falsador*, ut videtur eidem du Fresne, apud Sanutum *lib.* 2. *part.* 4. *cap.* 8.

Falx, apud Pap. Statium *Achilleid. lib.* 2. *versu* 419.

—— arcumq; Getes falcemq; Gelonus:

& Claudianum *de Laud. Stilic. lib.* 1.

—— —— non falce *Gelonus*,

Non arcu pepulere Getæ, non Sarmata conto:

falcatum ensem notat, *qualem recentiores sibynam, sive acinacem vocant*, ait Barthius *ad Statium d. l.* De iisdem Sidonius *Panegyrico* Avitii,

—— —— junctus tibi vincitur illic

Cursu Herulus, jaculis Chunus, Francusq; natatu,

Sauromata clypeo, Salius pede, falce *Gelonus.*

Quam in rem V. plura apud Lipsium, *Analectis ad Militiam Rom. lib.* 3. *cap.* 3. & infrà in voce *Harpe*. Propriè verò *falx*, notum agriculturæ instrumentum, & hinc pacis symbolum est. Martialis *lib.* 14. *Epigr.* 34. cujus lemma, *Falx ex ense*:

Pax me certa ducis placidos curvavit in usus:

Agricolæ nunc sum, militis antè fui;

quasi totidem verbis expressum ex Esaia *cap.* 2. *versu* 4. V. de *falcibus* hisce, Plinium *lib.* 18. *cap.* 28. & in specie, *de Falcibus arborariis, lumariis, rustariis, silvaticis, sirpariis, sirpiculis & vineaticis*, Salmasium *ad Solinum pag.* 586. Habita autem *Falx* Saturni inventum est, an quòd tempus omnia metit, an quòd ipse repertor agriculturæ fuit, inde *Falcifer* Poëtis cognominatus. Hesiodus à matre datam Saturno, ut patri Cœlo genitalia illà absciderет, fabulatur: quæ cùm postea in Siciliam decidisset, inde promontorium *Drepanum* ab ea dictum, volunt nonnulli. Alii ita vocatum malunt à *falce*, quam Ceres à Vulcano raptam donavit Titanibus: Timæus ab altera, quâ Jupiter Saturnum castravit. Sed & Saturni falcem non ei à matre datam, verùm à Telchine, qui è Creta Rhodum delatus per Cyprum, inde ferrum & æs attulerit ex eoq; falcem illam fabricaverit, tradit Strabo *Geogr. lib.* 14. Quorum quicquid sit, frumenti in ea Insula, rerumque victui necessariarum, copiam hoc pacto adumbrare voluere Poëtæ: quibus occasionem insuper præbuit, quòd crebræ maris undæ illuc cum impetu irruentes ita terram corroserunt, ut in formam *falcis* insulam excavaverint, uti habet Interpres Apollonii. Plura de *Saturni falce*, V. apud præfatum Hesiodum *Theogoniæ versu* 161. & *seqq.* ac Lamb. Barlæum *Notis ad eum doctiss.* ulteriùs verò de *Falcium* in bello usu, apud Vett. suprà, ubi de *Curribus falcatis*, apud recentiores, ubi de *Elephantis*.

Fama, adde: Ducem Marti eam assignat Statius *Thebaid. lib.* 3. *versu* 427.

—— —— —— At vigil omni

Fama sono varies rerum succincta tumultus

Antè volat currum, flatuq; impulsa gementum

Alipedum, trepidas denso cum murmure plumas

Excutit ——

Optimâ ratione. Constant enim eâ fere bella & metu atque tumore, nec non terrore, atque audacibus dictis factisve, præcipua eorum momenta vertuntur. Cujusmodi bellicarum rerum tumultuantem & omnia percellentem *Famam*, nemo acutiùs, graviùs, meliùs, coloratius descripserit Lucano *Pharsaliæ lib* 1. V. hanc in rem Casp. Barthium *Animadvers. ad locum Statii*. Celeritatem inprimis idem Statius graphicè describit *Thebaid. lib.* 5. *versu* 691.

—— volucrem equitum prævènerat alas

Fama recens, geminos alis amplexa tumultus &c.

Quæ etiam tanta, ut sæpe quoque antequam res contingeret, Famam de ea vulgatam esse constet. Sic, antequam Maximus Tyrannus occisus esset in Gallia, Romæ in Circo Maximo populus, incertum ratione quadam percitus, an præsagio, *Sylvanus devictus est*, magnis vocibus exclamavit, apud Ammianum Marc. *Histor. lib.* 15. Hispaniæ Regis Philippi II. mors in Gallia nuntiata, mense Aug. A. C. 1598. demum Septembri mense insecuta est. Et Elizabetha Angliæ Regina, quo primùm die decubuit, in Gallia mortua dicta fuit, Petrus Matth. *Histor. lib.* 6. &c. Sed datam è morbo aliisque indiciis *Famæ* occasionem in hisce quis dixerit: at Bredam à Mauritio Principe A. C. 1590. expugnatam octiduo antè ex Anglia nuntiatum esse, quàm stratagemate nemini prævisо urbem aggrederetur Princeps, id verò admirandum prorsus, & in id valiturum, ut dicamus, Geniorum, modò bonorum, modò malorum, ministerium in talibus nuntiis, tam celeriter, cùm res facta est, vel antequam in nervum erupit, perferendis, agnoscendum omnino esse, qua de re pulchrè disserit Christoph. Forstnerus *ad Tacitum Notis Polit.* Plura de *Fama*, apud præfatum Barthium, ubi suprà, & Car. Paschalium, ubi de *corona Famæ* quædam habet, *Coronarum lib.* 5. *cap.* 1.

Fame necare, jurisdictionis species, apud Aragonenses. *Fori Oscæ A. C.* 1247. sub Jacobo I. Aragon. R. *Si homo infanzionis occiderit hominem infanzionis, talem homicidam potest dominus ejus in captione, fame, siti aut frigore necare.* Sic in *Observantiis* Regni Aragon *lib.* 6. *tit. de Privil. Militum* §. 9. *Si vassallus Domini non habentis merum aut mixtum imperium, in loco, occiderit vassallum, dominus loci potest eum occidere* fame, *frigore & siti in suo loco, licèt nullam aliam jurisdictionem criminalem habeat* &c. apud C. du Fresne *Glossar.* Sed & veteri ævo *fame* vel *spontanea*, vel *imperatâ*, mortem accersitam sæpe, legimus: apud Corn. Nepotem duo illustria exempla extant, Atticus & Eumenes. Hodieque principes fœminas in Regno Tunquinensi, in prostituti pudoris pœnam, *fame* enecari, docet Jo. Bapt. Tavernier *Descr. illius*. Cæterùm *Famem*, etiam extra pœnæ Judicialis rationem, nonnunquam obtingere homini tantam, ut non solùm ad absurda alia, sed &, quod horrendum, ad humanam carnem ipsam manum extendat, pluribus notatum est Guil. Fornerio *ad Cassiodorum lib.* 12 *Epist.* 27. Quod portentum irâ Cereris obvenire, creditum antiquis, uti patet ex Oraculo antiquo, apud Pausaniam *lib.* 8. cujus sententia est,

Ipsa Ceres flavam segetem subtraxit, & ipsa

Fœcundam invidis miseris pastoribus herbam.

Præmiaq; eripiens & prisci commoda honoris,

Liba iterum donata Deis absumere adegit.

Coget ea & natos & mandere membra vicissim

Ni festo populus placet libamine divam.

V. Casp. Barthium *Animadversion. ad Statium Thebaid. lib.* 8. *versu* 759. &c. Tam diro itaque malo ut maturè occurreretur, optimorum semper Principum cura, imò & inter præcipua Imperii arcana habitum fuit. Nulla enim alia de causa citiùs tum alibi, tum Romæ inprimis olim, seditiones odiaque populi in Principem exarsere. In Claudium hinc *fragmina panis*, apud Suetonium *cap.* 18. in Vespasianum *rapa*, apud eundem *cap.* 4. in Antoninum quoque Pium *lapides*, apud Aur. Victorem, à famelico populo jacta: & Michaël Ducas eandem ob causam *Parapinacii* convitio affectus legitur, apud Zonaram *lib.* 3. Quæ causa, quòd tam solicitè huic rei providerit Augustus, apud eundem *cap.* 42. Tiberius, apud Tacitum *Annali* 5. Claudius ubi suprà, Severus apud Spartianum, Theophilus apud Cedrenum, Alii. E qua provisione ortus *Canon Frumentarius* Urbis Romæ, concessa Alexandrinæ classi privilegia, aliaque munificentiæ Imperatoriæ in populum specimina edita, de quibus hic passim. At Veterum ἄλιμα, i. *pharmaca, famem eximentia*, ex malva potissimùm & asphodelo constitere; uti colligitur ex illo Hesiodi,

Οὐδ' ὅσον ἐν μαλάχῃ τε καὶ ἀσφοδέλῳ μέγ' ὄνειαρ.

Ubi vide Proclum, Tzetzem, Plutarchum *in Sympos.* & Athenæum *lib.* 2. *cap* 8. adde Sam. Bochartum *Hierozoici Parte prior. lib. III. cap.* 16. De facultate liberos oppignorandi vendendique, Parentibus urgente fame indultâ, apud politiores quoque gentes, dicemus infrà, ubi de *Paupertate*.

Familia, teste Festo, *antea in ingenuis hominibus dicebatur, quorum dux & princeps generis vocabatur Pater & Mater familiæ, postea hoc nomine etiam famuli appellari cœperunt.* Sen *lib.* 6. *Epist.* 67. *Ne illud quidem videtis, quàm omnem invidiam Majores nostri dominis, omnem contumeliam servis detraxerint, dominum Patremfamiliàs, servos familiares appellarunt.* Et certè Jurisconsultos vett. *Familiæ* nomine non hæreditatem universam intellexisse, sed eam tantùm quæ in numero servorum consisteret, ex Ulpiani hisce discimus *Familiæ appellatione omnes, qui in servitio sunt, continentur, etiam liberi homines, qui ei bonâ fide serviunt.* Hinc Hirtius *de Bello Hispan. Familiam & libertos convocavit.* Sæpeque occurrit apud Auctores *familia* & *pecunia* junctim posita, ad designandas hominis divitias, uti pluribus docet Salmasius *ad Solinum pag* 1263. ubi de actione *Familiæ erciscundæ* ex *Lege* XII. *Tabb.* Cæterùm postmodum & liberi & uxor & omnes qui sub unius potestate, in eadem domo, *Familiæ* nomine comprehendi cœperunt: Inde se extendit ad totam cognationem sanguinis, imò etiam res hæreditarias. Jac. Oiselius *in A. Gellium lib.* 1. *cap.* 9. Sic in variis olim urbibus, notissimas familias ab auctoribus suis nomina perpetuasse, *Homeridas* in Chio, *Eumolpidas* Athenis, *Alevadas* & *Scopadas*, in Thessalia, *Bacchiadas* Corinthi, *Nebridas* in Coo Ins. alibi aliàs, docet Salmasius ubi suprà *pag.* 864 Translata dein vox est, ad gregem tyronum, à Lanistis in scenicas voluptates emptorum: Emebant enim hi servos è catasta, quos omni crudelitatis genere exercerent & privatim instituerent, ut illi artem gladiatoriam edocti, munera edituris, elocarentur. Tantam autem in hac licitatione adhibuere curam, ne manca aut mutila haberent corpora adolescentes hi, ut Medicum quoq; adhiberent, qui vitium, si quod lateret, detegeret. De hac *Familia* Sen. *lib.* 6. *de Benef.* inquit *cap.* 12. *Lanista familiam suam summa cum cura administrat.* Sueton. *in Augusto c.* 42. *Venalitias & Lanistarum familias urbe expulisset*: & *in Caligula cap.* 26. *Vilissimos senio confectos, gladiatores quoq; pegmares, Patrisfamiliarum* (ita enim Lanistæ dicebantur) *notos sed insignes aliqua debilitate corporis, rabidis feris subjiciebat.* Idem *in Domitiano cap.* 10. pro Lanista *Patremfamiliàs* usurpavit. Sectis quoque Philosophorum *Familiæ* nomen tributum esse, docet Cicero 1. *de Legg. valde a Platonis familia discreparent.* Hinc Apulejus *lib.* 1. *de Philos.* Heraclitum, Pythagoram, Socratem, *Principes suarum familiarum* vocat. Quam vocem primitus Pythagoræis tributam, qui ὁμακόοι habebant in familia Pythagoræ, annotavit Georg. Hornius *Histor. Philos. lib.* 7. *cap.* 1. Ad quorum imitatio-

nem

hem hodieque *Familia amoris* nomine seipsos insignire hæreticos quosdam, nequissimorum & spurcissimorum, Gnosticorum vett. ac Priscillianistarum, sectatores, refert Joannes Forbesius *Instructionum Historico-Theologic. lib. XIV. cap. 2. §. 1.* &c. Hinc *Familiares*, quos laureatos olim in publicum exiisse, ineunte anno Kalendis viz. Januarii, citeriori ævo, & Martii, prisco, docet C. Paschalius *Coronarum lib. 8. cap. 8.* Indidem *Familiaris pars*, in victimis, item *Familiare fissum*, de quo V. suprà in voce *Auspices*, item ubi de *Jecinore*. Et Vestimenta *familiaria*, quæ ad vestiendam familiam parata sunt; ut saga, tunicæ, penulæ, lintea, vestimenta, stragula & similia. Hæc coloribus distinguebantur. Unde Seneca *Epist. 95. Agmina exoletorum per colores nationesq́; distincta*: & apud Petronium, *in aditu ipso stabat Ostiarius prasinatus cerasino succinctus cingulo*; qui color Trimalcioni in pretio fuit. Imò Lecticarios etiam, Cursores & id genus homines pænularum *familiari* colore, quem hodie *Livream* dicunt, fuisse insignes, docet Octav. Ferrarius *de Re Vestiar.* Nec hos solùm, verùm etiam, cùm ad captandam ingenui famam stulti divites omne genus doctorum familiæ aggregarent, Poëtas, Rhetores, Geometras; fortasse etiam Philosophos ipsos, ne fusco pulloque tribonio heri oculos læderent, ac veluti *familiam* funestarent, coactos esse, pallio eos colores adsciscere, quibus reliquus servientium grex eniteseeret, colligitur ex Luciano, qui hoc hominum genus, ut solet, falsè ridet, apud eundem *Parte 2. lib. 4. cap. 18.* Addam saltem, *Familiares*, apud Recentiores, præcipue dici quos Reges ac Principes in familiam suam peculiariter adsciscebant. Sic occurrit, apud Guil. Tyrium *lib. 21. cap. 16. Georgius Sinaites Imperialis aulæ familiaris*: apud Rob. Hovedenum *Robertus de Turneham familiaris Regis*: extatque *Diploma* Joannæ Reginæ Neapol. A. C. 1344. quâ Petrum de Aquila Minoritam in suum Capellanum & *Familiarem* assumit. Sed & *Formula* ejusmodi promotionis habetur, in *Monumentis Neapolit. Tom. III.* Waddingi *Histor. Minor. subjectis p. 3.* &c. Idem nomen illis esse, qui ex familiis Monachorum habebantur, licèt nec ex Monachis, nec ex Conversis essent, in *LL.* Alfonsi IX. Regis Castell. in *Statutis* Cluniacensibus S. Petri Venerab. *cap. 48.* alibi, cujusmodi *Familiarium* crebra mentio, in *Monastico* Cisterciensi, V. infrà ubi de *Oblatis*. Apud Hug. Falcandum, *Familiares Curiæ* appellantur præcipui Regis Consiliarii, quibuscum res majoris momenti disceptabat & dijudicabat: quæ dignitas *Familiaritas* vocatur eidem; item in *Actis* Innocentii III. apud Gobellinum Personam in *Cosmodromio æt. 6. cap. 17.* &c. apud Car. du Fresne *in Glossario*.

Famosus, apud Jul. Capitolinum *in Pio*, *Sed Repentinus famoso percussus est, quòd per concubinam Principis ad præfecturam venisset*: absolutè pro *famoso libello*, in Repentinum composito. Sic Græcis Latina voce Φάμωσον. Incertus Auctor apud Suidam in voce Φάμωσον· Ἀντεποίησεν εἰς αὐτὸν ᾠδὰς καὶ φαμώσους καὶ λοιπὰ λεγόμενα φαμώσσια: ubi ᾠδὰς vocat cantica in alterius infamiam composita, quæ *Psalteria* dicuntur Paulo JC. *Sent. lib. 5. cap. 4.* Glossæ Legales: Φάμωσον ἐστὶ ἀνώνυμον βιβλίον ἢ διαλλέλον Φάμωσον &c. Salmasius *ad Jul. Capitolinum l. c.*

Fanatici, apud Lampridium *in Heliogabalo*, sunt Galli Cybeles: apud Fredegarium *in Hist. Epit. cap. 65.* Gentiles; *Fani* enim voce propriè de Gentilium templis usos esse Christianos, discimus ex Ambrosio *Epist. 29.* apud Prudentium, Fanorum Sacerdotes, ut interpretatur Iso Mag. *in Glossis*. V. Galfridum Monumeth. *lib. 2. cap. 1.* laudatum Car. du Fresne *in Glossar.* ut & hic infrà, in voce *Fanum*.

Fandalitæi, Saraceni milites cismarini, in *Epist.* Arnoldi Arch. Narbon. apud Ughellum.

Fanesii, apud Solinum *cap. 19. Esse & Fanesiorum, quorum aures adeo in effusam magnitudinem dilatentur, ut viscerum reliqua illis contegant*, sub. *inductæ* corruptum est pro *Panotii*, judice Salmasio, quem V. ad eum *pag. 219.*

Fania Silva, adde. Proxima est silvæ Teoraciæ, nomenq; dedit pago cognomini. Utriusq; meminit Alexander III. Pont. in *Literis suis*, quarum apud Valesium mentio: *Quidquid terræ culta & inculta, inter duas silvas Faniam & Teoraciam habetur*; & Ratherii interpolator, quem, ex codice Laubiensi erutum, Andreas Chesnius ex parte publicavit, *per Ursmarum, in partibus Galliæ, in Fania f. & Teoracia, multos conversos fuisse, & constructas, quæ adhuc supersunt, Ecclesias, memoriæ tradens.* V. Hadr. Valesium *Notit. Gall.* in voce *Teoracia*.

Fano, ex Germanico *Fahnen*, sindon vel mappa est; item vexillum ex hasta dependens, in *L.* Alemann. *tit. 56. §. 6.* In Communione Rom. idem cum Corporali est, uti docent Petrus Abelardus, Auctor *Antiqq. Fuldens. lib. 1. trad. 39.* alii: item candidum linteum, cum quo oblata seu hostia, uti vocant, à Primo Cantorum offertur, ut est apud Durandum *Ration. lib. 4. cap. 30. num. 27.* C. du Fresne *Glossar.* Dominico Macro, subtilissimum est sericum velum variegatum, quo utitur Papa, cùm Pontificaliter celebrat, quodq; post albam induitur, & circa collum ligatur, et modum caputii ac suprà caput ejus imponitur, usq; quo planetà induitur, supra quam deinde ad modum mozettæ adaptatur, pallio superposito: Itaque pars *Fanonis* inferior infra planetam conditur. Colores autem, quibus variegatus, quatuor esse, & quidem eosdem, qui in *Ephod* V. T. erant, addit, V. omnino, si visum est, eum, ut & Carolum Fratrem ejus *in Hierolexico*.

Fanum, aliquando cum Templo, Ædeque sacra idem denotat, & à *fando* dictum est. Non quidem, *quòd Pontifices in sacrando fati sint finem*, ut Varro vult: sed quia ibi populus cum Deo, Deusque cum populo *fari* soleat. Quidam tamen à *Fauno*, quòd is primus *Fana* condiderit, vocis originem arcessunt. Hinc *fisset Fana*, vel *effari Templa*, dicebantur, qui, cùm ea vovissent, & id, propter quod vota erant suscepta, ex animi sententia successisset, loca in oppidis futurorum *Fanorum* definierunt, ac constituerunt: quod per Augures fieri solitum, idem Varro docet. Propriè tamen *Fanum*, sepulchretum seu cœmeterium, vel potiùs aream solumque Templi; *Templum* autem, ipsam ædem significasse, auctor est Hadr. Turnebus *Adversar. lib. 3. cap. 9.* V. quoque Jo. Rosinum *Antiqq. Rom. lib. 2. cap. 1.* & suprà, *Fanatici*.

Far, Frumenti genus vulgatissimum, cum siligine & tritico: *Primus antiquis Latio cibus, magno argumento in adorea donis.* Plin. *lib. 18. cap. 8.* Inter dona enim amplissima Imperatorum ac fortium civium fuere antiquitus, *quartarii farris*, (quod *adoream* dixere Vett.) *aut hemina, conferente populo*, Id. *lib. eod. cap. 3.* Imò *gloriam ipsam à farris honore adoream appellabant*, *Ibid.* *Far* autem, ut & hordeum, Veteres priùs torrebant, deinde molebant, demum coquebant, unde *far bis tostum*, apud Ovidium *in Fastis*, *panis est*, qua de re V. Salmasium *ad Solinum pag. 328.* & infrà, ubi de Veterum *Molis*. Sed & *Far*, in Nuptiis, adhibitum est, apud Hebræos: Romanos, apud quos inde *Confarreatio*, sanctissimum Nuptiarum genus, nomen accepit; alios. Et licèt sacra quæ fuere in Confarreatione Paganica, utpote Christianismo planè adversantia, sub ejusdem initia, etiam apud Paganos, jam à Tiberii Imp. ævo, evanuere, nihilominus *Farris* ipsius usus aliquis solennis, in libis conficiendis, diffringendis, communicandis locis, saltem in nonnullis semper obtinuit. Certè frequentissimus apud Anglos est & antiquissimus fuit liborum admodum grandium in Nuptiis usus, quæ *Bride-cakes*, i. *Liba Sponsalitia* seu *Nuptialia* appellitant, & tum à Sponsis ipsis confecta, tum à propinquis amicisq; solenniter muneri nuptiali data sunt. Similiter in agro Alexandrino, in vico Villæ Fori Nuptias per confarreationem, *libo inter nubentes & affines atq; cognatos partito*, fieri, refert Lancellotus Gallia in *Onomast. Alex.* Certè & in Græcorum ritibus, compotatio est in Ecclesia Nuptialis, quæ confarreationis vicem similiter præstare videtur &c. V. Joann. Seldenum *Uxor. Ebraic. lib. 2. cap. 25.* Porro *farre* coronatos Lares, inter alia, ac tenui serto, sive corollâ, habes apud Juvenalem *Sat. 9.*

O parvi, nostriq́; Lares, quos thure minuto
Aut farre & tenui soleo exornare coronâ.

Quo de coronamenti genere, V. C. Paschalium *Coronarum lib. 4. cap. 3.* & infrà ubi de *Spicea corona*. Plura verò de *Farre*, hic ubi de *Frumento* & *Tritico*, nec non apud Plinium passim, è quo locum hunc adnectere volui, *lib. 18. cap. 2. Numa instituit Deos fruge colere & molâ salsâ supplicare, atque — far torrere, quoniam tostum cibo salubrius esset. Id uno modo consecutum, statuendo non esse purum ad rem divinam, nisi tostum. Is & Fornacalia instituit farris torrendi ferias, & æquè religiosas terminis agrorum. Hos enim Deos tunc maximè noverant* &c.

Faramanni, in *L.* Burgundionum, *tit. 54. §. 2. & 3.* ubi opponuntur *Romanis*, i. veteribus terræ incolis: quædam videtur fuisse inter Burgundos hominum conditio; sed cujusmodi fuerit, incertum. V. C. du Fresne *Glossario*.

Farina, far molitum est Græcè Ἄλευρον, propriè enim *de farre* dicitur. At farina hordeacea, Græcè Ἄλφιτον, Latinis *polenta* appellatur, qua de voce infrà. Hesychius, Ἄλευρα κυρίως τὰ σίτινα, ἄλφιτα δὲ τὰ τῶν κριθῶν. V. de illa Plinium *lib. 18. cap. 9.* uti de usu ejus in sacris, infrà in voce *Mola*; in divinationibus item, quod genus Ἀλευρομαντείαν, & Ἀλφιτομαντείαν dixere Græci, apud Jamblichum. *Mola* certè hinc dicta eruditis, quòd *farre molito* aspergerentur victimæ. Sed & ex simila constabant in V. Test. sacrificia ex frugibus, מנחה dicta, cui affundebatur oleum, addebaturque thuris odores, Levitici *cap. 2. versu 1, 2, 3.* qua de re V. Franc. Burmannum *Synopsi Theol. Christ. Parte priore lib. IV. cap. 11. num. 31.* & infrà ubi de *Sacrificiis*. Sed & ex *farina* vel polenta, quæ in vinum addebantur, commixtum fiebat celebre illud potionis genus, quod inter Eleusiniorum sacrorum symbola Arnobius recenset, & κυκεὼν Græcis dictum est, *adoris potio* Latinis. V. suprà in hac voce &c.

Farius Equus, apud Raymundum *de Agiles pag. 162. Assumit omnibus pecuniis suis Cæsaream & Camelam adibant, ut ibi equos Faros mercarentur*: Arabicus est, generosus, Arab. *Faras*, unde Φάρας apud Achmetem *in Onirocriticis cap. 233.* Ἵππος ὁ φάρας ὁ λεγόμενος, & *cap. 152.* Φάραρ Ἀραβικός, apud Nicetam *in* [illegible] *num. 2.* quâ voce Saracenorum equos venire, Leo ait *lege de Tactic. cap. 18. §. 137.* Iidem *Alpharaces* dicti sunt, cum præfixo Arabibus familiari, in *Epistola* Joannis IX. Pontif. Rom. ad Adefonsum R. Gallæciæ, apud Sampirum: item *Maurisci*, in *Epist.* Leonis III. Pontif. Rom. *Numidæ & Ægyptii*, apud Gratium in *Cyneget. vers. 518.* &c. Cujusmodi equos in pretio fuisse, diximus suprà. A voce Φάρας, Galli equos generosos, *Auferans* & *Ferrands*

vocarunt, ut infrà videbitur: atque hinc emendat C. du Fresne Procopium *Gothic. lib. 1. cap.* 18. ubi Belisarium exhibet equo generosissimo insidentem, qui toto fuscus corpore anteriorem capitis partem ad nares eximio candore insignem habebat, addens: Οὗτον Ἕλληνες μὲν Φαλιὸν, Βάρβαροι δὲ Βαλὰν καλοῦσι, cùm priùs legeretur, Βάλαν. V. eum *in Glossario*, ut & *Notis ad Alexiadem pag.* 408. & 409.

Farnesius Alexander, adde: Auctor gentis Paulus III. Papa, fatis concessit A. C. 1549. Pater Petri Aloysii, qui patris beneficio primùm Camerini, dein Parmæ & Placentiæ Dux, defunctus A. C. 1547. ex Hieronyma Ursina, genuit Octavium, qui obiit A. C. 1586. Hoc & Margaretâ Austriacâ (filiâ Caroli V. Imp. ex Margareta Vangestia nobili Flandra) genitus Alexander, de quo dictum, ex Maria Infant. Portugalliæ (filia Edoardi Inf. Emanuele R. geniti) suscepit Rainutium I. defunctum A. C. 1622. Cui successit, ex Margareta Aldobrandina, filius Edoardus, qui obiit A. C. 1646. Pater, ex Margareta Medicea (filia Cosmi II. Medicei, M. Ducis) Rainutii II. qui Isabellam Estensem, filiam Francisci Mutinæ Ducis, A. C. 1656. extinctam, duxit. Spenerus ubi suprà *Part III. p.* 19.

Farrago, Hebr. בליל, Jobi c. 6. *vers.* 5. *An mugiet bos ad farraginem suam?* Et Esaiæ *cap.* 10. *vers.* 24. *Et boves & aselli colentes terram, farraginem subacidam comedent, quæ ventilata fuerit vanno & ventilabro.* A' בלל, quod in genere *miscere* est, & in specie *miscere diversas fruges*, aut *fœnum & paleam cum frugibus*, in pecorum aut jumentorum pabulum. Sic Judic. *cap.* 19. *versu* 21 *Et miscuit asinis ejus*, supple *farraginem in pabulum.* Ad quæ verba notat Kimchi, בליל sic appellari, *quia miscent ad bruti pabulum hordeum cum spina vulpis* (id est, avenâ) *aut unum eorum cum palea.* Sed & Græci habent in Esaia, Φάγονται ἄχυρα ἀναπεποιημένα ἐν κριθῇ λελικμημένῃ, *Comedent paleas commixtas hordeo ventilato.* Atque hoc *Farrago* est. Eam verò *subacidam* vocat Esaias, quâ viz. jumentorum fastidienti stomacho subvenitur: cui *dulce pabulum* opponunt Arabes, hoc camelo *tanquam panem ejus, illud verò pro bellariis* esse, dicentes, apud Sam. Bochartum *Hierozoici Parte prior. lib. II. cap.* 7. V. quoque cum *lib. eod. cap.* 31. ubi de *Boum pabulo & saginatione.* Plinium verò in tritici genere *farraginem* ponentem, V. *lib.* 18. *cap.* 5. & Dalechampium *Not. ad l.*

Farrata, apud Æl. Spartianum *in Antonino Geta*, genus edulii est, fortè placenta ex *farre* vel *farre*, conspersâ: quo modo & *Farreum*, libi genus est ex farre, apud Festum. Sed & *pultis farratæ* alicubi mentio est. Apud Juvenalem,

Ponebant igitur Tusca farrata *catino*
Omnia tunc, quibus invideas, si lividulus sis:

veteri Interpreti est, ex *farre* cibus, qui primus antiquorum fuit. Salmasius *ad Spartianum.*

Fartores, Festo dicuntur, qui aliàs *Nomenclatores* dicti, salutatorum nomina Candidatis seu Petitoribus in aurem clam infarciebant. Cùm enim his inprimis elaborandum esset, ut singulos cives nossent, eorumq; nomina tenerent, hoc autem in tanta populi multitudine & tantis vitæ occupationibus fieri vix posset, Ministrum instituerunt, qui Candidatis nomina omnium civium ut quisq; occurrebat, suggereret, eumq; *Nomenclatorem* vocarunt. Cicero *pro Murana, Monitorem*, Festus vero, ut dictum *Fartorem* dixit. V. Jo. Rosin. *Antiqq Rom. lib.* 7. *cap.* 9. Ab eodem themate *Fartum*, sive *Fertum*, genus libi erat, quod multis variisque rebus intus farciebatur. Nam Veteres, ut Cato scribit, struem farris, tritici, hordei, fabæ seminis rapicii, thure ac vino additis, ante messem parabant in porcæ præcidaneæ immolatione, Janoque & Jovi ac Junoni sacrificabant. Verrio *Fertum*, à *ferendo*, quòd ad sacrum ferretur. Ita Turneb. *Advers. lib.* 14. *c.* 18 *Ferctum & Forctum* Salmasio *bonum* dicitur, ab eodemq; fonte ait ita libum appellari, quòd bonum esset, Χρηστὸν. Hinc πλακοῦντες quoq; illa dicta. Ejus meminit A. Gellius *lib.* 10. *c.* 15. *Neq; apud ejus* (Flaminis Dialis) *fulcrum capsulam esse cum strue atq; ferto oportet.* In antiq. inscriptione legitur. *Porcam & agnam struibus & fertis.* Qui liba hæc ad sacr sferebant, quia id non fiebat sine strue, altero libi genere, compositâ voce *Strufertarii* nuncupati sunt. Unde verba illa Gellii *cap. supra laudato: Dialis cotidie festatus est*, H. Stephanus *feriatus*, id est fertis instructus: Jac. Oiselius verò *Fertarius*, tanquam ferta ferens, legit.

Fas sit mihi, apud Papinium Statium *lib.* 3. *Sylv.* 2. *vers.* 15.

Dicere quæ magni fas sit mihi sidera ponti:

formula est, seu præfatio, quâ Veteres excipiebant invidiam. V. in pari re Rutilium *Itiner. lib.* 1. & Ovidium, atq; ad illum Casp. Barthium *lib.* 1. *vers.* 175. plura verò de more *Invidiam deprecandi* Vett. infrà passim.

Fasces, apud Romanos, majorum Magistratuum erant insignia, quæ ipsis curuli sellâ vectis, à lictoribus præferebantur, Freinshemius *in Flor. lib.* 1. *c.* 5. Erant autem fasciculi virgarum; quibus erat obligata securis, ita ut ferrum in summo extaret. Cujus rei caussas Plut *in Problem.* ostendit, inquiens: *Vel indicium id fuisse iram Magistratus non debere esse in promtu & solutam: vel propterea sic institutum, ut solutio fascium quæ paulatim fit, moram aliquam iræ injiceret, & consultationem: fecisse, nonnunquam, ut sententia de supplicio exigendo mutaretur. Virgas verò & secures simul ipsis esse prælatas, ut cùm malorum alia sanabilia sint, alia insanabilia, virgis corrigerentur, quæ emendari possent: securibus immedicabilia amputarentur* &c. Horum originem ad Tarquinium Priscum refert Florus *loco prædicto*, cùm ait: *Duodecim namq; Tusciæ populos frequentibus armis subegit. Inde Fasces, trabeæ, curules, annuli, phaleræ, paludamenta, prætexta* &c. A quo tempore lictoribus 12. cum totidem fascibus per reliquam vitam usus est; teste Dionysio *lib.* 3. *cap.* 84. Quò & Silius alludit *lib.* 4 *versu* 84.

Bissenos hæc prima dedit præcedere fasces.

Alii Romulum *Fascium* auctorem apud Rom. primum, ab Hetruscis hoc dignitatis insigne mutuatum esse, & numerum eorum lictorumq; vel è numero avium, quæ ipsi augurio regnum portenderant, vel à duodecim Hetruriæ populis, quorum singuli communibus suffragiis creato Regi singulos lictores dederint, sumsisse contendunt. Certè eorum inventum Vetuloniæ Hetruriæ urbi adscribit Silius, unde Romam traducti sunt. Fuisse autem bacillos ex ulno, testis est Plautus. Plinius tamen betulam *arborem terribilem* ait *Magistratuum virgis.* Hos ante Magistratum in humeris ferebant lictores: sed & præter eos manu virgam gestabant, & ad submovendum, & ad januam tangendam, quoties Magistratus suam aut alienam domum intraturus erat. In triumpho laurus in *Fascibus*; ac laureæ virgæ in manibus militum & triumphantis: posterioribus tamen temporibus lauro perpetuâ *Fasces* donatos esse scribit Lipsius. V. Joh. Rosinum *antiqq Rom. lib.* 7. *cap* 3. Regibus exactis potestateque suprema duobus commissâ Consulibus, idq; ad anni solùm spatium, insignia hæc dignitatis penès illos mansere. Unde *alterum è consulibus* (Tarquinium nempe Collatinum) *fascibus abrogatis urbe dimissum esse*, memorat Florus suprà memoratus *lib.* 1. *c.* 9. Cui substitutus Valerius Publicola *fasces populo pro concione submisit*, apud Eund. *paulo post*, & apud Plut. ubi ait, ἀφεὶς τὰς ῥάβδους εἰς ἐκκλησίαν παρελθὼν ὑφῆκε τῷ δήμῳ τὰς ῥάβδους, *Fasces ipsos in concionem progressus populo submisit inclinavitq;*: professus hac ceremoniâ, sese populi Majestatem agnoscere honoresq; suos in ejus arbitrio esse. Secures etiam idem ut omnem populo metum terroremq; adimeret, à fascibus sustulit teste eodem Plut. De Prætorum, quibus duo lictores, secundùm Censorinum *de Die natali*; sex verò secundùm Polybium & Plutarchum erant concessi, fascibus, iterum Florus agit *lib.* 3. *cap* 20. *Capta*, inquiens, *de Prætoribus insignia & fasces ad Ducem* (Spartacum) *detulere.* Postquam Decemviri legibus scribendis consulari potestate creati sunt, penès unum illorum *Fasces* itidem erant & reliqua Consularis potestatis insignia; reliquis, quibus singuli accensi apparebant, non multùm à privatis differentibus: Donec ad tyrannidem aspirantes, singuli cum singulis insignibus regiis prodiere, prælatis cuique duodecim *Fascibus* ac securibus, quod antea antiquatum fuerat, sicque effecere, ut potestas, tertio anno postquam primùm in Remp. fuisset introducta, funditus tolleretur, accedente cæde Siccii & judicio Virginiæ. V. præfatum Rosinum *lib.* 7. *cap.* 19. Hinc vulgata phrases, *Fasces abrogare, Fasces submittere* &c Consul. quoque, plura si voles, Cœl. Rhodiginum *lib.* 12. *cap.* 7. Thom. Godvvynum *Antholog. Rom. lib.* 3. *Sect.* 2. *cap.* 2. & Car. Paschalium *in Coronarum libris*, ubi de lauro, Alios.

Fascia, ex Græco Βασκία, ut videre est, apud Salmasium *ad Solinum pag.* 183. non modò in vestitu, sed etiam in ornatu numeratur, Martiano Capellæ *lib.* 2 *de Nupt. At cingulum, quo pectus annecteret, sibi prudens mater addidit, & ne Philologia ipsius Phronesis, averet ornationis, quo pectori, quo veriùs coherentur, apponis.* Antiquitas vel ex sacris patet, nam Deuteron. c. 2. *versu* 32. (licèt Castalio non *fascias* ibi, sed *lemniscos* verterit) legitur, & Esaiæ *cap.* 3. *versu* 25. exponitur ab Aquila, *cingulum*: minus rectè, cùm cingulum ilia lateravé succingeret, *Fascia* verò, vel caput vel papillas, vel crura, vel denique pedes obvinxerit: vel totum quoque corpus involverit. *Fascia* fronti applicata seu Diadema, supremi in humanis rebus fastigii insigne, apud Persas tiaram cumulavit, ut ex Xenoph. *lib.* 8. *Cyripæd.* patet, ubi Cyrum describit in publicum prodeuntem, *habentemq; diadema circa tiaram*: quod ipsum tradit Dio Prusæus *Orat.* 14. Constabat autem illa ex cœruleo & albo interlinctis, teste Curtio *lib.* 3. quo diademate similiter Reginas usas fuisse, monstrat Baysius *de re Vestiar. cap.* 20. & Plut. *in Lucullo*, ubi de Monima. Multiplicabatur ea pro numero regnorum, 2. Maccab. *cap.* 2. sicque tiaræ apud eosdem apponebatur. Inter alias verò gentes *Fascia* hæc regalis, nudum caput cingebat, & pro *insigni regio* usurpabatur, ut loquitur Tacitus *Annal. lib.* 2. & Virgilius *Æn. lib.* 11. agens de rege Tyrrheno, ac Silius *lib.* 16. ubi de Syphace: qui diadema Africanis Regibus album fuisse docet: quale Julio quoque tribuit Suetonius *cap.* 79. unde *alba fascia* vocatur à Luciano *in Navigio.* Hodiernum quoque capitis tegmen, quod *Turbantem* appellant Turcæ, Græci recentiores Φακιόλιον, quasi *Fasciam complicatam*, vocant: coloris id albi Turcis, viridis Tartaris, rubri Persis; quamvis & hodie Tartari *circa birretum suum pretiosæ pellis fasciam ad duorum aut trium digitorum latitudinem gerant; quantum verò birreti supra fasciam eminet, tantundem rubra byssus quadiq; sparsa tegat*, Matt. Martinius *de bello Tartar.* Pectus Puellarum atq; matronarum *Fasciâ* regi, ex Scriptura S. discet: *Numquid obliviscetur virgo ornamenti sui, & sponsa fasciæ pectoralis?* nec Isidorus id ignoravit *Orig. lib.* 19. *cap.* 32. sic enim, quo graciliores essent, succingebantur. Terentius *in Eunucho Act.* 3. *Sect.* 3.

Demissis humeris esse, vincto pectore, ut
Graciles fiant.

Quæ fascia Græcis στρόφιον dicta est, teste Jul. Polluce. Turpilius *in Philopatre, Me miseram, quòd inter vias epistola excidit mihi infelix inter tuniculam & strophium collocata.* In cruribus antiquitus nullæ erant, stante enim florenteq; Rep. iis nudis incedebant, quippe quæ non nisi togâ demissâ tegerentur. Et Quintilianus, suâ quoq; ætate, *Fascias crurales* non consuevisse deferri, nisi propter morbi necessitatem, testatur *lib.* 11.c.3. Multi quoq, Romanorum ac Græcorum discalceati incedebant. Quibus Hebræi præiverunt, unde vetustissimæ picturæ Apostolos nudis cruribus exhibent. Ut de aliis gentibus taceam. Verùm obtinuit usus paulatim, ut omnes fasciis crura integerent, fœminæ inprimis: quod Cicero verbis his, quæ à Nonio Marcello referuntur, Clodium ut mulierarium insectatus, docet: *Tu*, ait, *cùm vincirentur pedes fasciis, cùm calanticam capiti accommodares*: Erant autem illæ purpureæ. Sed & viris illæ in usu: Pompeio, tibiales tereti *Fascias* (quas ex panno fuisse indicat Val. Max *lib.*6.c.2. præter morem aliorum civium) id vitio datum inprimis, quòd eas candidas gestaret. Unde ad illum Favonius, *Non refert*, inquit, *quâ parte corporis sit diadema*: vocans sic eum in suspicionem affectati regni. Nempe in Pompejo insolentiam rei color augebat: quia *Fascias cretatas* gerebat, ut Cicero loquitur, hoc est, candidâ cretâ dealbatas, qui color in fasciis regius erat. Sic de Alexandro Severo apud Æl. Lampridium, *fasciis semper usum fuisse* legimus. Imò *leg.*25. §.4. *ff de aur. vel arg. leg.* inter necessaria indumenta crurales fascias numerari, videmus. In pedibus quoque *Fascias* gestatas fuisse docet Plin *lib* 8. *cap.*57. cùm mures Carboni *Fascias, quibus in calceis utebatur*, arrosisse narrat. Et hæ erant *Pedules fasciæ*, quarum mentio *l.* 27. *in fin. ff. de aur. vel arg leg.* Pedum tegmina, quæ tamen usum calceamentorum non præstabant. Unde vesti cedere eas, quòd partem corporis vestiant, adferit Ulpian. in *d.l.*25.§.4.*ff de aur. vel arg. leg.* V. Balduinum *de Calceo*. Uti porrò pedes & crura, sic & tibias ac femora Vett. fasciis involvebant, Græci Romaniq;, Hebræi quoq, quod istis braccarum vicem, quibus barbaræ gentes tum usæ, præbuit uti suprà diximus, ubi de *Cruralibus Fasciis*. Non enim priùs braccis assuescere Romani cœpere, quàm post Augusti tempora, cum illi bella gererent cum Germanis, aliisq; Septentrionalibus populis, aut limites Imperii in illis oris tuerentur: Sed neq; tum vulgo notus illarum usus. Unde quod Alienus Cæcina legatus Germaniæ super. *braccas tegmen barbarum indutus, togatos alloqueretur*, superbiæ datum est, apud Tacitum *Histor. lib.* 2. Postquam vero frequentari cœperunt, femoralium tibialiumq; notio immutata est, transiitq; à veteri *fasciarum* ad eam, quæ hodieque obtinet V. Casaubonum ad *Augustum Suetonii c.* 82. Totum tandem corpus involvebant, hominis tum primùm nati, tum iterum denati. Postquam enim lotus infans & cunis imponendus erat, inter alia involucra, *Fascias* habebat, sæpius laneas varii coloris, (Magnates albas vel purpureas sibi selegerunt) quibus totus circumducebatur. Earum mentio Lucæ c 2 *verf.*7. ubi de Maria matre Servatoris: Ἐσπαργάνωσεν αὐτὸν, *Fasciis involvit eum*: & apud Terentium *in Andria*,

——— ——— *Verùm vini Cantharum*
Suffarcinatum.

Ubi quidam *Suffasciatum* legunt: eò quòd Matres expositure infantes, illos ἐν σπαργάνοις, *fasciis*, circumvolutos in fictili vase, quod *Cantharum* Poetæ vocant, recondidere. Eandem in defunctis postea iterum usus fuit: Linteo enim involvi cadaver, illudq; *Fasciis sepulchralibus*, à capite ad calcem, circumligari solebat, sudario, quo caput tegebatur, ad collum colligato, ut figuram rei exhibet Solerius *tr. de Pileo*. Hinc Lazarus, à Christo excitatus è mortuis, *prodiisse dicitur* δεδεμένος τοὺς πόδας καὶ τὰς χεῖρας κειρίαις, *pedes & manus vinctus fasciis*. Joh.c.11. v.44. Et Apulejus *Metam. lib.* 10. *Feralibus*, inquit, *amiculis obstrictus*. His color apud Græcos albus, ater apud Latinos fuisse videtur &c. V. Bartholin. *de Puerperio vett.* Franc. Rossæum *Archæol. Atticæ lib.*5 c 21. Thom. Dempsterum *Paralipom. in Joh. Rosini Antiqq. Rom. lib.*5.*cap.*35. Laurentium JC. *Notis in Phædrum lib.* 5. *fab.* 7. *in verf.*

Princeps ligato crure, niveâ fasciâ &c.

de *Fasciis* inprimis *Regalibus*, h. e. diadematis, quæ latæ; & *Sacerdotalibus* quæ tortiles hincque Græcis στρόφια propriè dicebantur, Salmasium ubi suprà *pag.* 371. Nec omittendum, quòd *fasciæ* etiam dictæ institæ purpuræ vel conchylii, quæ assui vestibus è panno solebant. Quo sensu capit locum Suetonii *Caligulâ cap.* 17. *Posteriore epulo, forensia — viris, pueris ac fœminis fascias purpuræ ac conchylii distribuit*, Casaubonus, quem vide. Plura verò hanc in rem hic passim: de *Fasciis* autem capitis, quarum in vett. Chirurgorum libris mentio, infra voce *Thais*. Hinc *Fasciola* diminutiv. quod vide, ut & infrà in vocibus *Instita*, *Tænia* &c. Medio ævo, *Fascia*, in Impp. aut Cæsarum nummis Consularibus in quibus viz. Consulari habitu effinguntur, quique iis Coss. cusi sunt, ut & Diptychis, occurrit. Nempe latior collum ambiens tunicis palmatis & togis pictis superfunditur, cujus pars dextera strictior, à dextero humero rectà circa pectus ultra genua descendit ipsumque humerum ac brachium dextrum circumvolvens, sinistrum humerum amplectitur, explicans, sese, latiorque sensim effecta ac circa dorsum delapsa, rursum à dextero latere per umbilicum transversim agitur & imam sinistri brachii partem, quâ manui illud conjungitur, involvit, reliquâ sui parte retro pendulâ: Atque ita quidem in *Diptychis*, Leodiensi & Bituric. Alexandro Wilthemio descriptis; quæ in Compendiensi, apud Sirmondum *ad Sidonium*, & in numismatibus, decussata tantùm ad pectus cernitur, fortè quòd reliqua & inferior corporis pars desit. Eam latum clavum esse Vett. nonnulli censent, qui trabeis aliisque vestibus attexebatur: & certè *Fascia* istiusmodi *Consularis*, quæ, ad collum convoluta, à cervice ad pectus descendebat, colobii referens speciem, graphicè describitur Acroni *ad illud Horat. Prætextam & latum clavum*: cùm ait: *latum clavum purpuram dicit, quæ in pectore extenditur Senatorum. Græci τὸ κολόβιον vocant. Usum ejus hodie retinent Principes, injicientes vesti à cervice ad pectus indumentum ex purpura vel pellibus pretiosis muris Pontici, vel aliis, dum regio habitu prodeunt in publicum.* Ubi κολόβιον vocat, non quòd *fascia* ejusmodi esset tunica contexta absque manicis, uti Diaconorum fuit: sed quòd clavus olim vesti adtextus, deinde ab ea avulsus, ita ad collum & humeros, circumvolveretur, & ad pectus deflueret, ut colobii revera speciem præberet &c. Dubitat tamen du Fresne, annon hæc *Fascia* sit potiùs illud in habitu Consulari, quod Scriptoribus inferioris ævi *Subarmalis* nomine insignitur: item, quod *Lorum Consulare* dicebant? V. eum *Dissertat. de inferioris ævi Numism. num.* 4. & *seqq*

Fasciculus Hyssopi, Hebr. אגדת אזוב, quâ aspergantur ædium postes & superliminaria, in Agni sanguine tingi jubetur, Exod. *cap.* 12. *verf* 22. Sic Levitici *cap.* 14. *versu* 6, 9. ex cedro, coccino & hyssopo *fasciculus* seu aspergillum fieri mandatur, quo in aquam & immolati passeris sanguinem immerso leprosi aspergendi erant septies, & domus etiam leprâ infecta purganda. Neque aliter aspergebantur aquis separationis homines, tentoria, vasa & quidquid aliud cadaveris contactu fuerat pollutum, Numer. *cap* 19. *versu* 6, 18. Cujusmodi *fasciculum* sic describit Maimonides *de Vacca rufa*, *cap.* 2. *sect.* 1. *Sumit vir mundus tres hyssopi caules, quos in* fasciculum *unum compingit, & singuli ramî spicas habent, quarum apicem immergit in aquam separationis, quæ est in vase.* V. infrà ubi de *Hyssopo* & *Majorana*. Myrrhæ *fasciculus*, principibus fœminis in Oriente olim, inter ubera, deferri solitus, occurrit Cantici *cap.* 1. *versu* 13. *Est amicus meus mihi, ut fasciculus myrrhinus, inter ubera mea pernoctans.* De aliis rebus in *fasciculum* colligi colligarique solitis, V. hic, in voce *Decas*, *Decimæ*, *Synthesis* &c. Addam saltem *Epigramma* 38. *lib.* 14. Martialis, cujus lemma, *Fasces calamorum*,

Dat chartis habiles calamos Memphitica tellus,
Texantur reliquâ tecta palude tibi.

ad quod V. Screvelium *Not.*

Fascinus, adde: Hujus idolum sub curru, eo loco, cui Imperator triumphans insidebat, suspensum fuisse, indicat Plinius *lib.* 28. *cap.* 4. *Deus Fascinus Imperatorum quoque, non solùm infantium custos, currus triumphantium, sub his pendens, defendit, Medicus invidiæ, jubetq, eosdem respicere.* Quò respicere videtur Tertullianus *in Apologet. Hominem se esse etiam triumphans Imperator in illo sublimissimo curru admonetur. Suggeritur enim à tergo: Respice post te, hominem memento te.* Certè enim *Fascino* vires quasdam inesse credebant, ad magna quæque turbanda, Heliodor. *Æthiop. lib.* 3. hancque vim vel oculis vel verbis attribuebant. Unde Plutarch. ὀφθαλμὸν βάσκανον, *oculum fascinantem* vocat: & de lingua Virg. *Eclogâ* 3.

Aut si ultra placitum laudarit, baccare frontem
Cingite, ne vati noceat mala lingua futuro.

Quod de infantibus ait Plin. *loco præfato*, exequitur prolixè Thomas Bartholinus *lib. de Puerperio veterum*, ubi pueris sive ante lustrationem sive pòst Caprimulgum insidiari & Lilith, item sagas & striges variis fascinis, docet, quæ vel allio vel alysso vel re turpi in collo ex annulo appensa superstitiosum vulgus abigi credat. Res illa turpis Priapus fuit, ita enim Varro *lib.* 6. *Fascinus erat res turpicula è collo pueris appensa*: proin ut aspectum effascinantium ab oculis puerorum abducerent, suspendebant ipsis è collo Mutinum Deum. Sic enim Cario ad mœchum, cui se virilia exsecturum minitatur, apud Plautum *Mil. Act.* 3. *Sc.* 1.

Quasi puero in collo pendeant crepundia.

Ejus figuram ex ære, è Musæo Parentis, exhibet Caspar. Bartholinus *Comment. in libr. præfat. de Puerp.* ut & alias hujus amuleti species, ex lapide Lazuli, corallio & crystallo, quæ apud Pignorium in *Mensa Isiaca*. Nec omittendum, quòd *Fascinum Deum inter sacra Romana à Vestalibus cultum*, Plinius narrat *loco suprà laudato*: Unde turpitudo illorum sacrorum facilè intelligetur. Plura V. apud Hadr. Turnebum *Adversariorum lib.*9. *cap* 28. Thom. Dempsterum *Paralipom. in Joh. Rosini, Antiqq. Rom. lib.* 10. & Reraldum *ad Martialem lib.* 6. *Epigr.* 29.

Fasciola, crebrò occurrit in *Regulis* Monasticis, cùm agunt de Monachorum vestibus, ubi maximè itinerantium fuisse, observat du Fresne. Hinc Lanfrancus *in Decretis* pro Ord. S. Benedicti *cap.* 7. ait, ad Camerarium pertinere, ut procuret *fratribus in iter profecturis cappas*, fasciolas, *calcaria*. Et *cap.*14. Monachum *fasciolatum aut cinctum, sine cappa*, in claustrum introire vetat, cùm

hæc

hæc itinerantium sint. *Regula* Magistri *cap.* 81. statuit, ut Monachi habeant in hieme, *pallium stamineum, braccas laneas & fasciolas, aut pedules*: vultque, ut *fasciolæ laneæ* non sint, sed *lineæ, ut aliquid distet à Clerico Monachus*. Porro Conventus Aquisgran. A. C. 817. *c.* 22. *fasciolas* duas Monachis concedit & duas alias, *quibus necesse est itineris causâ*. Tandem iis interdictæ sunt in Conc. Cloveshovensi A. C. 747. *c.* 38. *Nec imitentur seculares in vestitu crurium per fasciolas* &c. E quibus ultimis verbis, quod genus vestis fuerint hæ *Fasciolæ*, liquet. Nempe & Ciceroni *lib. de Arusp. resp. Fasciolæ* sunt, quæ Ulpiano *L. Argum. funt, D. de auro & arg. leg. fasciæ crurales*, Gallis *Jarretieres* dicuntur. Eginhardus *in Carolo M. Fasciolis crura & pedes calceamentis constringebat*. Monachus Sangall. *lib.* 1. *cap.* 36. *Fasciolæ crurales vermiculatæ* &c. Atque hinc nota Gallorum vox *Fesse*, seu, ut vulgò dicunt, *Face* vel *Fasce*, in armorum insignibus, Car. du Fresne *Glossar*. At *Fasciolam*, apud Odoricum de Forojulio *in Peregrin. sua num.* 4. *Portant autem* (Chaldææ incolæ) *super capita sua* fasciola *aurea de perlis pretiosis*: operimentum capitis est, Φασκώλιον Ducæ *cap.* 37. ubi de Turcis, qui illiusmodi tegmina nunc *Tulipantes* seu *Turbantes* vocant. Hinc Leunclavius testatur *in Pandect. Turc. num.* 240. Græcos etiamnum sic appellare Turcicos *Tulipantes*, quòd ex fasciis seu *fasciolis* convolutis & complicatis conficiantur, quod etiam Achmes innuit, *c.* 226. Φασκώλιον v. Saracenis etiam tribuit auctor *Vitæ S.* Nili Jun. *p.* 56. Quo modo Ismaelitarum *capita vittata* dixit Hieronymus in *Vita* Malchi: qui *fasciolas* quoque idem vestis genus videtur appellasse *Epist.* 2. *de Vita Cleric.* Aliter vocem Φασκώλιον explicant *Glossæ* Basilic. & *Lexicon* Gr. MS. apud du Fresne, nempe ζωνάριον seu *Semicinctium*; item *crumenam* seu *marsupium*, V. eum in *Glossario*, & suprà ubi de *Fiscis*.

Faselares, apud Æl. Lampridium *in Antonino Heliogabalo*, *Barbatas sane mulierum tantas jubebat exhiberi, ut proabsentiis, apiastris & faselaribus & fœnograco exhiberet plenis fabatariis & discis*: sunt *faseli*, & subinde *siliquæ*, seu *faselaria*, subinde *grana*. Sumebantur ea cum garo aut aceto, ut & fœnum Græcum. Galenus *lib.* 1. περὶ τροφ. δυνάμ. Περὶ φασήλων καὶ ὤχρων. [illegible] Et paulo post: [illegible] V. Salmasium *ad Lampridium l. cit.*

Fasiana Avis, rara in conviviis vett. Impp. Alexander Severus, *Calendis Januariis & Hilariis Matris Deûm, & Ludis Apollinaribus & Jovis epulo & Saturnalibus & hujusmodi festis diebus* solùm *fasianum*: *aliquando duos, additis gallinaceis duobus*, posuisse legitur apud Lamprid. Tacitus Imp. *non nisi suo & suorum natali & diebus festivissimis*, apud Vopiscum. Pertinax Imp. *nunquam privato convivio comedit, aut misit alicui*, apud Capitolin. Ita sobriis Principibus ultimus finis *fasianus* erat. Julianus planè abstinuit, qui, teste Marcellino, *phasianum & vulvam & sumen exigi vetuit & inferri munificis*. Contrà Heliogabalus, *habuit consuetudinem, ut unâ die non nisi de* fasianis *tantùm ederet, omnesq; missus solâ fasianorum carne strueret. Imò psittacis atq;* fasianis *icones pavit & alia animalia*, apud Æl. Lampridium &c. V. infrà *Phasianus*.

Fasti Dies, quasi Φασμοὶ, à Φάναι, quod à Φάω, *dico*, appellati, dicebantur Romanis, in quibus jus fari licebat; quibus proin *Nefasti* oppositi. Ovidius,

Ille nefastus erit, per quem tria verba silentur,
Fastus erit, per quem lege licebit agi.

Verba sunt: *Do* actionem, *Dico* jus, *Addico* aliquid. Eorum tria facit genera Paulus Manutius: Primum eorum, quibus fari semper & licebat & solebat. Atque hi propriè erant *Fasti* & toti propriè, quòd per eos, nisi cùm aliquis casus extra ordinem intervenirer, nunquam Prætor jus non dicebat: toti, quòd fari omnibus horis licebat; talium erant in anno dies 38. Alterum eorum, qui & ipsi propriè *Fasti* erant, sed non toti: hoc est, quibus quidem fari licebat, sed non omnibus horis: quales sunt, qui in Kalendario Rom. notantur his literis, EN. N.P. F P Q. REX. C.Q. S T. D. ubi EN. *Endotercisos* vel *intercisos* denotat. N. P. Nefastos primò, i. quibus quidem horis matutinis jus dicere non licebat, postmeridianis autem concessum erat: His contrarii erant F. P. *Fasti primò*. Q. REX. C. significat, *Quando Rex Comitiavit*. Q. ST. D. *Quando stercus defertur*. Hi autem erant omnes 65. Tertium genus Comitiales fuere, qui casu tantùm, non autem propriè *Fasti* erant: quia cùm Comitia non haberentur, tum fari solùm Prætor solebat. Hi modò toti erant Fasti, cùm nulla scilicet Comitia haberentur, modò ex parte, cùm haberentur illa quidem, sed minimè per totum diem. Atque hi numero erant 184. qui reliquis duobus generibus additi 287. numerum efficiunt. Reliqui, præter hos omnes, Nefasti erant. Primum autem *Fastorum* genus, notatur in Kal. lit. F. V. Joh. Rosinum *Antiqq. Rom. lib.* 4. *cap.* 3. Sed & *Fasti* sunt libri, in quibus τὰ φάσια notabantur. *Fastorum libri, in quibus totius anni fit descriptio*, Festus: seu, in quibus Reges vel Consules scribuntur. Hos à *Fascibus* dici, vult Isidorus. Festus autem modò memoratus à diebus festis vult nominatos; non qui *festi*, id est, Diis sint dicati, sed cùm dies fastos nefastosque contineant, decuit à candidioribus & melioribus diebus nominari; unde à Festo *fasti* dicuntur, nefastorum comparatione, Fungerus. V. Jos. Scaliger. *Castig. in Festum*. Est & nomen libri, à Nasone compositi: qui cùm duodecuplex esset, ut ipse Fastographus Poëta ait *in Tristibus*,

Sex ego Fastorum scripsi, totidemq; libellos.

Dimidia eorum pars periit. Argumentum operis ipse his versibus enarrat: *ad Aug.*

Sacra recognosces Annalibus eruta priscis,
Et quo sit merito quæq; notata dies.
Invenies illic & festa domestica vobis,
Sæpe tibi pater est, sæpe legendus avus.
Quæq; ferunt illi pictos signantia fastos,
Tu quoque cum Druso præmia fratre feres.

In quibus per *Annales priscos*, illos indigitat, qui dicebantur & *Pontificalium libri* & *Indigitamenta* & *Commentaria Pontificum*. His enim eam curam impositam esse, ut res gestas in tabulas referrent, docet Cicero *de Oratore*: *Erat initio Historia nihil aliud, quàm Annalium confectio: cujus rei memoriæq; publicæ retinendæ causâ ab initio rerum Rom. usque ad P. Mucium Pontificem M. res omnes singulorum annorum mandabat literis Pontifex Max. referebatq; in album* &c. Hos bene cùm *Fastis* miscet: in illis enim libris quidquid erat, in his visebatur etiam exaratum. Sed præter hos duæ erant apud Veteres tabulæ, quibus *Fastorum* nomen erat inditum: Una, in quâ varia dierum jura incisa; solemnia Deorum sacra, ludi & feriæ in eorundem honorem; res & victoriæ aliquot insignes. V. Valerium Max. *lib.* II. *cap.* 5. Alia erat, in qua nomina fere omnium Magistratuum continebantur: cujus frequens apud Scriptores mentio. V. *Notas* in Ovidii *Fastorum lib.* 1.

Fastidiatio, superstitionis species, memorata in *Capitulari* Gregorii II. Pontif. pro Bavaris § 8. *Ut incantationes & fastidiationes, sive diversæ observationes dierum Kalendarum, quas error tradidit paganorum, prohibeantur, sicut maleficia & malorum præstigia* &c. An ex *Fasti dies*? du Fresne *Glossar*.

Fastigium, in Gloss. ἀέτωμα, Gallis *Feste*, unde *Festagium* &c. Omnia enim ædificiorum tecta, apud Vett. aut erant plana, aut *fastigata*: & quidem in Græcia, Asia & toto penè Oriente, ædium privatarum tecta plana fiebant; ædes verò sacræ culmen & *fastigium* habebant. Cujusmodi fastigia quia erant proclinata, quemadmodum aquila alas demittit & extendit, hinc *fastigiis*, ἀέτωμα, ἀέτωμα & ἀετὸς, nomen. Vett. Romani *pectinata tecta* appellabant, quæ in duas partes essent devexa, Græci τὰ εἰς δύο ἀπολιτεύοντα; unde ἀετώματα, *fastigia* Galeno, qui totam hanc tectorum differentiam optimè explicat in *Commentar.* περὶ ἄρθρων. Sic itaque *Fastigium* vulgari notione nihil aliud erat, quàm tectum in utramque partem proclinatum, ad stillicidia deducenda, quod & *trichoron* dictum. Statius Papinius,

— *partitis distantia tecta trichoris.*

Nam pluribus *fastigiis*, i. *trichoris*, tecta plerunque fiebant, ut in *Epistolis* Ciceronis *ad Atticum* videre est: *Absolutum offendi in ædibus tuis tectum: quod supra conclavia non placuerat tibi esse multorum fastigiorum*. Hinc *tecta distantia partitis trichoris*, Statio. At *fastigium*, quo Cæsaris domus ornata est, cùm illi aræ, templa, pulvinaria, decernerentur, ut Deo, fastigii tantùm ornamentum fuit & *fastigium* dictum est, quod erat quodammodo *fastigii fastigium*. Cicero *in Philipp. Quem is majorem honorem consecutus erat, quàm ut haberet, pulvinar, simulacrum*, fastigium, *flaminem*. Nempe, quemadmodum fastigiis Templorum quædam addebantur ornamenta, quibus privatorum ædificiorum culmina carebant, ut statuæ, victoriæ & alia Deorum simulachra: Sic cùm multa Cæsari decreta essent, ut Deo, ejus quoque ædium fastigium eodem modo ornaverunt, quo solebant ornari Deorum Templa. Ideò Plutarchus, cùm de hac re verba facit, non ἀετὸν vocat seu ἀέτωμα culmen istud, sed ἀκρωτήριον, quòd *fastigio* domûs superpositum esset: de quibus acroteriis & fastigiorum ornamentis V. Vitruvium & Hesychium, è quibus disces, signa fictilia & ærea inaurata fastigiis Templorum, ornamenti vicem imposita, ἀκρωτήρια dicta esse. Plinius *lib.* 35. *cap.* 12. *Fictiles in fastigio Templi ejus quadrigæ, de quibus sæpe diximus*. Pausanias Corinthiac. [illegible] Livius *lib.* 26. *In æde Concordiæ, Victoria, quæ in culmine erat, fulmine icta decussaq; ad Victorias, quæ in antefixis erant, hæsit, neque inde procidit* &c. Ejusmodi proin Victorias & signa, Cæsaris olim domûs fastigio addita ad ornamentum, *Fastigium* vocarunt Latini Scriptores, cùm illo genere tantùm Deorum Templa decorari solerent. Salmasius *ad Spartianum in Pescennio Nigro*, & *Solinum pag.* 1213. V. quoque infrà in *Triclinium*. Inferioris ætatis Scriptoribus aliud quoddam, in Ædibus sacris, ornamentum hac voce indigitatum videtur, apud Anastasium Bibl. *in Sylvestro Pontif. Fecit Constantinus Augustus Basilicas istas, quas & ornavit: Basilicam Constantinianam, ubi posuit ista dona*, fastigium *argenteum battutile, quod habet in fronte Salvatorem sedentem in sella — fastigium ipsum, ubi stant Angeli — farum ex auro purissimo, quod pendet sub fastigio — fastigium argenteum in Basilica Constantiniana, quod à Barbaris sublatum fuerat, quod pensabat* &c. Et in S. Hilaro, *In medio cancellis arcus & columnis, cum fastigiis & Epistyliis undique ornatum ex musivo* &c.

Fata alicujus produci posse, si ejus vicem subeat alter, velut hostia quædam succidanea, Vett. persuasio fuit; Cujusmodi superstitionis, falsissimæ quidem, sed ex vero manantis, exempla non in Græcorum & Romanorum solùm historiis: sed & multarum aliarum gentium Barbararum, ut vel ex iis perspicere est, quæ de Canariarum Insularum incolis narrat Aloysius Cadamustus *cap.* 8. Neq; tantùm pro capitibus Principum hujusmodi permutatio fieri consuevit: verùm etiam pro quovis aliorum. De Antinoo, pro Hadriano devoto; nota historia ex Æl. Spartiano in *Vita* hujus. Aristides, Hadriani æqualis, in *Sacrarum quinta*, narrat, se, cùm periculosè ægrotaret, Philumenæ (erat hæc filia Callitychæ, nutricis quondam Aristidis) obitu obtinuisse, ut convalesceret. Sed & jam antè Hermeas, Philumenæ frater, pro eodem mortem visus est obiisse, ut idem narrat. Oportebat autem, ut qui pro aliquo moriebatur, & alieni fati vicarius fiebat, suâ sponte mortem obiret, quod & in victimis aræ admovendis scimus servatum: Græcisq; Ἀντίψυχοι dicti sunt, qui sic animam pro anima reddebant. Ut de Alcestide Euripides,

> *Ἐγώ σε πρεσβεύουσα κἀντὶ τῆς ἐμῆς*
> *Ψυχῆς καταστήσασα φῶς τόδ' εἰσορᾶν*
> *Θνήσκω, παρόν μοι μὴ θανεῖν —*

Dictys Cretensis, *Affuit & Eumelus Pheræus, cujus pater Admetus quondam vicariâ morte conjugis propria* fata *protulerat*. Hinc ἀντίψυχοι appellatæ aves Diomedeæ, quæ quotannis sanguine suo Manibus Diomedis parentabant. Lucianus ἀντάνδρους vocat, in *Tyranno* &c. V. Casaubonum & Salmasium *ad Spartianum in Hadriano Cæsare*. Plura verò, de voce *Fati*, item de phrasi *Fato perire*, apud eundem Salmasium *ad Solinum pag.* 1119. ut & suprà, in voce *Abori*. Hinc *Fatidicus*, Μοιρολόγος μάντις, qui themate posito & genesi inspectâ, quidquid homini in vita eventurū est, prænuntiare se posse jactat. *Glossæ*, *Fatidicus*, μοιρολόγος μάντις, ὁ τὴν τύχην λέγων καὶ τὴν μοῖραν. Duplex enim Fatum Veteribus fuit, *Universale*, fatum sc. Stoicorum, Græcè Εἱμαρμένη, concatenata rerum series suo tempore necessariò accidentium; & *Particulare*, Μοῖρα Græcis, quidquid nempe eventurum est cuiq; boni malique, usque ad ultimum vitæ finem, ipsum quoque exitum, qualis sit futurus, & quando, singulis, determinans. Unde μοίρας, pro *bona* aut *mala fortuna cuiq; attributa*, sumsere: etiam Parcas hoc nomine designarunt, quarum subtemine dispensari hominibus vitam, dixere fabulæ, quasque *Fata* quoque appellasse Latinos, ex A. Gellio discimus *lib.* 3. *cap.* 16. Atque hinc Μοιρολόγος, pro eo, quem diximus &c. De *Fatalibus* verò Libris Romanorum, quorum tam frequens apud Livium mentio, V. ubi de *Quindecimviris*, *Sibyllinis Libris* &c.

Fatui, inter alia Naturæ ludibria, sequioris ævi Romanis in deliciis fuere. Seneca *Epist.* 2. *Harpasten uxoris meæ* fatuam *scis hereditarium onus in domo mea remansisse*. Cujusmodi & Denderis ille fuit, de quo Cedrenus refert, *in Rebus Theophili Imp.* Sic *Gobiti*, *Distorti*, *Moriones*, *Nani*, alii, de quibus hic passim, & Chrysostomus *in ad* 1. *Tim.* omnia hæc paucis complexus, οἱ μὲν, ait, πόρνας ἄδοντας, οἱ δὲ παρασίτους, οἱ δὲ κόλακας, οἱ δὲ νάνους, καὶ μωρούς, καὶ νάνους. καὶ γὰρ ἐπὶ φύσεως ἀκρωτηριασμένους τοὺς ἀνθρώπους εἰς ἡδονὴν.

Fauces obligandi mos, memoratur Martiali *lib.* 6. *Epigr.* 41. *in raucum Poëtam*,

> *Qui recitat lanâ* fauces *& colla revinctus,*
> *Hic se posse loqui, posse tacere negat.*

Nempè ravi laborans Poëta hic, focale ad fauces & guttur servandum adhibebat; quod factum ejus absurdum à contrariis hoc modo notat: *Tu, quia* fauces *obligas, ostendis te raucum esse, nec posse loqui; idem tamen, quum ascendis & recitas, negas te posse tacere. Nec tacere ergo, nec loqui nôsti.* V. de *Focalium* apud Vett. usu, infrà.

Favere, apud Jul. Capitolinum *in Vero*, *Multas à Venetianis* (factione Circi) *passus est injurias, quòd — contra eos faveret*: apud Lampridium *in Commodo*, *Cùm sæpe pugnanti, ut Deo, populus favisset*: apud Spartianum *in Pescennio Nigro*, *Huic — ita Romæ fautum est à Senatoribus* &c. ut & *Favor*, voces fuere Circi ac Theatrorum propriæ: quæ non significant tacitam benevolentiam, sed quæ voce gestuque exprimeretur. Corippus de Ludis Justini *Cæs. lib.* 4.

> *Omnia roboribus sternunt loca plana politis,*
> *Conjungunt tabulas & ferri nexibus aptant:*
> *Quæ pondus strepitumq; virûm motusq;* faventis
> *Ferre queant populi.*

Et statim,

> *Disposuere gradus, quis staret in ordine longo*
> *Divisum in turmas, atq; in sua corpora vulgus*
> *Posset & exertas ad munera tendere palmas,*
> *Liberiùs spectare oculis manibusq;* favere.

Dabant autem signum *favoris* olim jactatâ togâ, ut videre est apud Ovidium *Amor. lib.* 3. ubi universum *favendi* modum pulcherrimè expressum, & acclamandi ritum ipsarumque adclamationum exempla & togæ jactationem, habes. Quod cùm non sine aliquo incommodo fieret, auctore Aureliano Imp. id mutatum est, cœperuntque loco togæ oraria jactari, h.e. loco laciniæ vestis, quam faventes motitabant in ludis Romanis, institas illis vel fascias, quas manu tenerent & ad favorem moverent, dedit hic Imp. apud Vopiscum: V. *ad eum* Salmasii *Notas*, ubi *Aurarios* ab *auris*, i. *favoribus*, qui *favebant*, appellatos esse, addit. Contrà sannas in eos adjiciebant, quibus non faverent &c. Casaubonus *ad Jul. Capitolinum in Vero.* V. quoque infrà in voce *Fautor*.

Favete Linguis, apud Papinium Statium *lib.* 2. *Sylv.* 7. *v.* 17.

> *Lucanum canimus*, favete linguis,
> *Vestra est ista dies*, favete *Musæ*:

formula est solita acclamationis, in sacris præcipuè Vett. usurpata. Plin. *lib.* 28. *cap.* 2. ubi de vi verborum & incantamentis carminum: *Victimas cædi sine precatione, non videtur referre, nec ritè Deos consuli — Vidimus certis precationibus obsecrasse summos Magistratus. Et ne quid verborum prætereatur, aut præposterum dicatur, de scripto præire aliquem, rursusq; alium custodem dari, qui attendat, Alium verò præponi, qui* favere linguis *jubeat: tibicinem canere, ne quid aliud exaudiatur* &c. Attius *in Oenomao*, apud Nonium,

> *Per urbem, ut omnes qui arcana astrumq; accolunt*
> *Cives, omnibus faustis augustam adhibeant*
> *Faventiam, ore obscœna dicta segregent.*

V. quoque Ciceronem *de Divinat. lib.* 2. Apud Græcos verba illa fuerunt, εὐφημεῖτε, σιγᾶτε. Euripides *in Jone.* Homerus *Il.* ι. Alii. Ipsum *favere* Festo *bona fari* est. Unde Ovidius,

> *Postera lux oritur, linguis animisq;* favete,
> *Nunc dicenda bono sunt bona verba die.*

Favere verò *linguâ*, etiam *pascere linguam* dicebatur &c. Qua de formula V. plura apud B. Brissonium *lib* 1. *pag.* 8. cujus cæteri, qui ejus meminere, nil nisi Analectæ sunt. Barthius *ad Statium d. l.*

Favilla, quasi *fovilla*, quòd ignem tectum foveat, hinc *vivens* dicta Statio *lib.* 2. *Sylv.* 1. *versu* 2.

> *Quod tibi prærepti, Melior, solamen alumni*
> *Improbus ante rogos, & adhuc vivente* favilla,
> *Ordiar?*

Ubi de Glaucia defuncto, ejusque cadavere in pyra cremato. Solebant autem has *favillas* vino exstinguere Veteres, uti nos alibi diximus, & confirmat C. Barthius *Animadvers. ad d. l.* V. quoq; suprà in voce *Cinis*.

Favissæ, apud A. Gellium *lib.* 2. *cap.* 10. *Catulus — voluisse se aream Capitolinam deprimere — sed facere id non quisse, quoniam* favissæ *impedissent*: Græcè θησαυρὸς, quasi *Flavissa*, dicta est Q. Val. Sorano, quòd in eas non rude æs argentumque, sed *flata* signataque pecunia conderetur. Meliùs quasi *Fovissa*, à *fovea*. Sequitur enim, apud Gellium, *esse cellas quasdam & cisternas, quæ in areâ sub terra essent: ubi reponi solerent signa vetera, quæ ex eo templo collapsa essent, & alia quædam religiosa è donis consecratis.* Nempe *Favissa* locus fuit subterraneus, in area templi, structurâ & fornice factus & operculo saxi clausus, quomodo & monumenta hypogæa. Cujusmodi monumentum *Orchivum thesaurum* eleganter dixit Nævius, apud eundem Gellium *lib.* 10. *cap.* 24.

> *Itaq; postquam Orchivo traditus est thesauro.*

Θησαυρὸς namque Græcis conditorium qualecunque sub terra, ut infrà videbimus, *favissa* vett. Latinis. Plut. *in Philopœmene*, Οὐ μὴν ἀλλὰ κομίσαντες αὐτὸν εἰς τὸν καλούμενον θησαυρὸν, οἴκημα κατάγειον, ὅτε φῶς ἔξωθεν οὔτε θύρας ἔχον· ἀλλὰ μεγάλῳ λίθῳ περιαγομένῳ κατακλειόμενον, ἐνταῦθα κατέθεντο. Quæ verba ita expressit Livius *lib.* 39. *Admonent deinde quidam, esse thesaurum publicum sub terra, saxo quadrato septum, eò vinctus demittitur, & saxum ingens, quo operitur machina, superimpositum est.* Varro similiter *thesaurum* pro *favissa* posuit, *de L. L. lib.* 6. *Sed quod Delphis in æde foramen ad latus est quoddam, thesauri specie, ὀμφαλὸν dixerunt.* Quòd verò *cisternam* Festus *favissam* vocat, hinc est, quòd ad earum instar fieri solerent favissæ. Sed &, cùm Græci θησαυρὸν quoque vocaverint locum circa templa, in quo erat aqua inclusa, quâ sese lustrarent ingressuri Templa, Σπονδεῖον aliter, item Περιρραντήριον, & hoc sensu quoque *Favissa* Latinè exponi posset &c. Salmasius *ad Solinum pag.* 1210. & 1211. V. etiam Scaligerum *ad Festum*, Anton. Thysium *ad Gellium d. l.* Alios.

Faunalia, adde: Celebrabatur hoc festum in pratis ac sylvis, fiebatque eâ die *Fauno* res sacra hædo & vino, teste Horatio *lib.* 3. *Carm. Od.* 18. ubi & reliqua ejus solennia sic explicat:

> *Si tener pleno cadit hædus anno:*
> *Larga nec desunt Veneris sodali*
> *Vina crateræ: vetus ara multo*
> *Fumat odore.*
> *Ludit herboso pecus omne campo,*
> *Cùm tibi Nonæ redeunt Decembres:*
> *Festus in pratis vacat otioso*
> *Cum bove pagus.*
> *Inter audaces lupus errat agnos:*
> *Spargit agrestes tibi sylva frondes,*
> *Gaudet invisam pepulisse fossor*
> *Ter pede terram.*

Fauni Ficarii, apud Hieronymum in versione Jeremiæ *cap.* 50. *vers.* 39. ubi in Hebræo est [illegible] איים, occurrunt: item apud eundem *in Esai. cap.* 13. ac Isidorum *Origin. lib.* 8. *in fine*, & rursus *lib.* 11. *cap.* 3. Sic apud Paulum Diaconum, Filmer Gothorum R. sagas quasdam, *Alrunas* vernaculo sermone dictas, ex castris suis proscriptas

ſcriptas relegavit in Scytharum ſolitudines; ubi ex earum concubitu homines ſylveſtres, quos nonnulli *Faunos ficarios* vocant, Hunnos procreaſſe crediti ſunt. Nempe, quia *Fauno* terrores Panicos, & φάσματα quæcunque terrorem videntibus incutientia, vett. Romani tribuerunt, Hieronymus ex Hebr. אימים, quod *terribile*, & אימה, quod *terrorem* ſonat, vocem אימים fieri eâque ſpectra quævis terribilia denotari, putavit. Iidem autem *Ficarii* dicti ſunt, non tam à *ficubus*, ut quidam volunt, quàm à *ficis*; de quibus paſſim Martialis, ut *libro* 1. *Epigr.* 66. *lib.* 4. *Epigramm.* 52. &c. Unde *ficoſus*, *lib.* 7. *Epigramm.* 70.

Ficoſa eſt uxor, ficoſus & ipſe maritus,
Filia ficoſa eſt, & gener atq; ſocer.

Definit autem *ficos*, Galenus ex Hippocrate, *ὑπεραυξήσεις σαρκώδεις ἐν τοῖς τῶν βλεφάρων τόποις γενομένας*, *carnoſas eminentias in palpebrarum locis obortas.* Quos tamen alii reliquis etiam corporis partibus, ſed iis maximè, quæ piloſæ ſunt, adgnaſci ſcribunt. Ab hoc itaque morbo, quo facies deformatur maximè, Fauni, Satyrorum genus, dici videntur; cùm Græcos videamus morbis non abſimilibus à Satyris deſumta nomina indidiſſe, utpote quibus perſuaſum, Satyros habere vultum quibusdam tuberculis tumoribusq; inæquale: Hinc *σατυριασμὸς* apud Hippocratem, de glandulofis eminentiis circa tempora & aures; item de elephantiaſi, cùm incipit efflorefcere: *σατυρίασις*, apud Philoſophum *de Gener. Animal. lib.* 4. *cap* 3. V. Sam. Bochartum *Hierozoici Parte poſter. lib. VI. cap.* 6 & quæ ſupra diximus, in *Druiſæ*, *Dryas*, *Fata* &c. De *Faunis* verò *ſaiiditis*, carminis genere, Feſto memorato, apud Scaligerum *Poëtic. lib.* 1. *verſu* 24. Addam ſaltem, (de quo jam aliquid dictum) *Semideos Faunos*, poſt longiſſima tempora etiam morti obnoxios, fuiſſe creditum. Nota certè hiſtoria magni Panis mortui apud Plut. cujus de interitu talium Geniorum V. Commentarium *de Def. Orac.* Ipſumq; Faunorum hoc genus patrem non ultra annos 120. vixiſſe, evincit Arnobius. Imò & conditionem eorum Nymphis deteriorem manifeſtò facit Papinius *Thebaid. lib.* 6. *verſ.* 96. ubi eorum greges interiiſſe durante Nemeæâ ſylvâ dicit; cum Nymphæ non niſi arboribus commori crederentur. *Faunos* autem *Nymphis* jungit, quòd & illi arboribus cognati: Claudianus *Rapt. Proſerp. lib.* 3. *de cupreſſis*,

——— ——— *pariter traxere ruinam*
Et pariter poſuere comam, campoq; recumbunt
Faunorum *Dryadumq; dolor* &c.

V. Caſp. Barthium *Animadverſion. ad Statium d. l.* & de *Faunorum* ludibriis, quibus puerperæ vexatæ, infrà.

Faunus, adde: Duos fuiſſe *Faunos*, Aborigenum Reges, priſcum & juniorem, teſtantur, Manetho Ægyptius, Dionyſius Halicarn. & alii: quorum ille vixit circa A. M. 2520. ſecundùm Funccium, regnante apud Aſſyrios Amyntâ: hic anno 3724. regnare cœpit, Pici fil. qui & cives ſuos, ritu ferarum viventes, mitiorem vitam docuit, & primus loca certis Numinibus & ædificia quædam ac lucos ſacravit: à quo & *Fana* ſunt dicta. Vir nempe ſapiens erat, cujus Philoſophiam rudibus ac ruſticis carminibus, de morum & Reip. conſtitutione, traditam fuiſſe, innuit Virgilius, cùm ait:

Carmina quæ antiqui Fauni *Satyriq; canebant.*

Notanter, *canebant*: Unde & Pici uxor *Canens* dicta eſt, quòd collapſum illud Philoſophiæ Muſicæ ſtudium in Italia reſtauraſſent, Ovid. *Metam. lib.* 14. Eo regnante Evander cum mediocri Arcadum globo in Latium venit, & *Fauni* liberalitate agros ac montem, quem poſtea *Palatinum* nominavit, accepit, Juſtinus *lib.* 43. Poſt mortem, à Romanis, tanquam unus Indigetum ſacris carminibusque honoratus eſt: ad quem illi Panicos terrores referre ſolebant. Sed Cotta, vir emunctioris naris, negat apud Ciceronem *Faunos* eſſe, aut eorum voces unquam fuiſſe auditas: unde quidquid horum ſylveſtrium Deorum, veræ *de Fauno* hiſtoriæ, ſuperſtitio attexuit, facilè collabitur. Habuit *Faunus* Romæ poſt Romulum templum, in monte Cœlio, circulari formâ, multis in ambitu columnis adornatum: & ædem in Inſ. Tiberina, quam Domitius Ahenobarbus & Scribonius Ædiles ex multatitia pecunia condiderunt, V. Joh. Roſinum *Antiqq. Rom. lib.* 2. *cap.* 17. Plura verò de *Fauno*, quem Græci Πᾶνα dixere & aucupii venationisque leporum præſidem habuere; de *Faunis* item, horumq; à Satyris ac Sylvanis diverſitate, apud Salmaſium *ad Solinum pag.* 433. & *ſeqq.*

Favonius, ventus, adde: Aliter *Zephyrus*, V. ibi; item *Hippalus*, viri nomine Indis, uti docet Plinius *lib.* 6. *cap.* 23. quod gloriæ ejus datum. Primus nempe hoc nomine gubernator navigationem ex Arabia in Indiam alto mari plenisque velis ingreſſus eſt, quum antea parvis tantùm navigiis ſinus circumvenirentur, teſte Auctore *Peripli*: ubi tamen Ἀνεμόν ventum ab eo ſic nominatum fuiſſe addit, & Λίβα intelligit, i. Africum, qui ad latus dextrum *Favonii*, quod ad Meridiem inclinat: qua de re V. Salmaſium *ad Solinum pag.* 1185. & 1244. Sed & *Favonium* apud Romanos, qui aliàs *Spurius* iisdem, Ζεφυρος Græcis, appellatum fuiſſe, docet Jo. Meurſius *Commentar. ad Lycophronem pag.* 207. ubi *de* 4. *generationis ſpeciebus* &c.

Favor, adde: Cujus verba, *Sed & in funere Favo Archimimus perſonam ejus ferens, imitansq; ut mos eſt, facta ac dicta vivi, interrogatis palàm procuratoribus, quanti funus & pompa conſtaret, ut audiis* *HS. centies, exclamavit; centum ſibi ſeſtertia darent ac ſe vel in Tiberim projicerent*, *cap.* 19. Ubi Gronovius cum Turnebo & melioribus ſcriptis nomen Archimimi putat eſſe *Favor*, non *Favo*: ſive ex omine popularis ſtudii, ſive ex eventu id Hiſtrio ille aſciverit. Et certè, quod refertur, ingenium ac elegantiam mimicam ſapit. Sic *Amor* nomen eſt proprium viri, in marmore Romano:

Conditus hic Amor eſt dictus de nomine patris,
Heu miſeri patris conditus hic amor eſt.

In alia inſcriptione idem fœminæ nomen eſt. Sed & *Favor* vocabulum quoque hominis eſt, in quarta fol. CCCCLXXIX. *Appio. Nigrino. Favori. Herminæ. Helpidi. Calæ. Jucundæ. Jucundinæ. Libertis. Suis.* Imò à neutris finxere maſculina: ut *Auſilius* Grammaticus apud Auſonium: *Obſidius* apud Florum: Sic *Corculus, Deſiderius, Tympanus*; *Præſidius* apud Procopium. J. Fred. Gronovius *de Pec. Vet. lib.* 4. *cap.* 6.

Fauſtina, fil. Antonini Pii, adde: *Junioris* cognomine ab avia diſtinguitur. Memoriam ejus ſervat nummus, in cujus altera parte Templum Delphicum Apollinis, quinque columnis nixum conſpicitur, cum lemmate, ΔΕΛΦΩΝ: apud Jac. Sponium *Itinerar. Græciæ Part.* 3 *pag.* 172 & 183.

Fauſtinæ, puellæ, adde: Meliùs *Fauſtinianæ*, de quibus ſic Jul. Capitolinus *in Marco*, *Novas puellas* Fauſtinianas *inſtituit, in honorem uxoris mortuæ*. V. ſuprà ubi de *Alimentariis puellis*

Fauſtinianus. Coſ. cum Gallieno memoratur Trebellio *in Gallienis*. & in *Faſtis* Siculis.

Fauſtinus Menſis apud Capitolinum *in Antonino Pio*, *Menſes Septembrem ac Octobrem Antoninum &* Fauſtinum *appellandos decrevit Senatus, ſed id Antoninus reſpuit.* V. Salmaſium *ad l.*

Fauſtitas, Dea Romanorum, cui fœtura & proventus pecoris curæ erat, cujus etiam gratiâ Priapus invocatur, apud Virgilium *Ecl.* 2. Meminit Horatius *Carm. lib.* 4. *Od.* 5.

Tutus bos etenim rura perambulat:
Nutrit rura Ceres almaq; Fauſtitas

Alibi verò rara vox. Chaborius *ad l.* V. & infrà *Felicia Tempora.*

Fauſtus Quintillus, Conſularis Augur, ſub Didio Juliano, apud Spartianum.

Fautores, in Olympicis Ludis certantium, memorantur paſſim. Ut enim ingenia hominum ſunt, in hujuſmodi ſpectaculis, *Curſûs* præcipuè, huic ille, alteri alter Fautor hortatorque aderat, οἱ τοῖς ἵπποις διακείμενοι, ut ait Plato in *Phædro*. Quæ ſtudia, in hunc illumque prona, non ſolùm eminebant in loco certaminis, ſed & antequam illò eſſet perventum, ut diſcimus ex Apollonio apud Philoſtratum, ubi morem hunc elegantiſſimis verbis deſcribit *lib.* 5. quorum hic ſenſus eſt: *Si quis athletam conſpicatus animoſum, ingentem, membrorum proportione compactum, ad Olympiam per Arcadiam vadentem, propiùs ad illum accedas, eiq; animos addas, horteturq; ut fortiter rem geras; cùm is è certamine victor redierit, tum demum vetet eum præconis voce victorem proclamari, nec redimire caput oleaſtro, delirare hercle videatur & alienis laboribus illudere. Ita* &c. In ipſo dein certamine, currentes læto celeuſmate excitabant, idque eò alacriùs, quò propiores metæ eſſent, uti docet Iſocrates *Orat. de Evagora*: Καὶ γὰρ ἐκεῖνοι παρακελεύονται ἐν τοῖς γυμνικοῖς ἀγῶσι, οὐ τοῖς ἀπολελειμμένοις, ἀλλὰ τοῖς περὶ τῆς νίκης ἁμιλλωμένοις, *Namq; illi acclamant, in gymnicis ludis, curſoribus non ignaviſſimis, ſed victoriæ proximis* &c. V. quoque ſuprà, *Favere.*

Fax, an à *faciendo* lucem, an à Græco φάος, *lux*? tenebris primùm pellendis reperta, ad varios poſtmodum uſus adhibita eſt. Et quidem *Facibus* adhibitis pleraq; Græciæ myſteria peragebantur, ut quæ noctu ut plurimum, & ſi interdiu, in templis ab obſcuritate venerationem conciliantibus Idolis ſuis, quippe quibus nullum plerunque, niſi ab ingreſſu, lumen, fierent. Unde celebres in Eleuſiniis Sacris Δᾳδοῦχοι, *Faciferi*, de quibus ſuo loco, nec non infrà ubi de *Metragyrtis*. Indidem *Actææ faces*, pro ſacris Minervæ, quibus illa Athenis culta, apud Statium *Thebaid. lib.* 2.

Centum ibi virgineæ vota Calydonides aris
Actæas tibi rite faces, & ab arbore caſta
Nectunt purpureas niveo diſcrimine vittas &c.

Etiam *Face ſublata* bellum publicatum, quam πυρσὸν dixere Græci, unde Πυρφόροι, qui, tubis nondum repertis, in medium utrinque procedentes *facibus projectis* prælii ſignum dabant. Uti diſcimus ex Euripide *Phœniſſis verſ.* 1387. ad quem locum V. Scholiaſten veterem. Unde Statius *Thebaid. lib.* 4. *verſu* 5.

Prima manu rutilam de vertice Lariſſæo
Oſtendit Bellona facem &c.

Quo de more plura, apud Jo. Paſſeratium, Jo. Meurſium *ad Lycophronem*, Caſp. Barthium *Animadverſion. ad Statium d. l.* & ſuprà, ubi de *Bello*. Sed & poſtmodum *faces* in bello retentæ, exurendis obſeſſorum turribus: quarum proin mentio apud eundem Statium *Theb. lib.* 10. *verſ.* 523.

——— ——— *pars ad faſtigia miſſas*
Exultant haſiſſe faces: *pars ima laceſſunt*
Scrutanturq; cavas cæcâ teſtudine turres.

Ubi *faces, ignes fixiles* exponit V. S. Eas deſcripſerunt & depinxerunt, qui Militiam veterem illuſtrarunt, Lipſius inprimis *Poliorcet. lib.* 5. plurimaque id genus obſervare licet in *Geſtis Francorum*

rum in Palæstina, opere imperfecto à Jac. Bongarsio curato. Etiam ad strategemata. Sic *facibus ardentibus anguibusq; prælatis Sacerdotes Tarquiniensium aciem Rom. turbavere*, apud Liv. *lib. 7. cap. 17.* V. quoque *facibus armatam multitudinem*, *lib. 44. cap. 33.* Illustrius longè exemplum habes in Gideonis historia sacrâ, Judic. *cap. 7. vers. 16. & seqq.* In nuptiis porrò, *faces* præferre Sponsæ, antiquissimi moris fuit, ut videre est apud Euripidem *in Medea.* Et quidem matrum id munus apud Græcos, uti docet Barthius *ad Statium Thebaid. lib. 6. vers. 138.* & *Adversar. lib. 35. cap. 8.* Ædilium apud Romanos, qui ex igne, in limine cum aqua posito, faces quinque accendebant, *cereorum* nomine appellatas, & ex spina arbore desumtas; cùm aliæ gentes ex picea pineave tæda illas cæderent. V. Jul. Cæs Scaligerum *Poëtices lib. 3. cap. 101.* & infrà, ubi de *Nuptiis.* Addo hic saltem singularem morem illas *concutiendi*, Barthio observatum *ad Statium lib. 1. Sylv. 2. vers. 4.*

Demigrant Helicone Deæ, quatiuntq; novena
Lampade solennem thalamis coeuntibus ignem.

V. quoque Val. Flaccum *lib. 8.* Ovidium *Epist. Phyllidis*, Catullum &c. Item nomen hujusmodi facem gerentis, ex Petronio: qui de Psyches agens nuptiis, *Embasicœtam* vocat, Græco nomine: *Jam Psyche puellæ caput involverat flammeolo, jam* Embasicœtas *præferebat facem* &c. Nec funeribus suæ defuere, in quibus *faces*, quibus pyræ incenderentur, aliunde, & nominatim ex rogo quopiam, rapi mos erat. Statius iterum *Theb. lib. 4. vers. 468.*

—— *nec raptas cunctatur frondibus atris*
Subjectare faces ——

Etiam *faces* in exequiis prælatæ, quas similiter concuti solitas, didicimus ex Ovidio ubi suprà.

Affuit Alecto brevibus torquata colubris,
Suntq; sepulchrali lumina mota face &c.

Qua de re V. hic, ubi de *Cadaverum cura*, *Defunctis*, *Funere*, *Mortuis*, alibique passim: plura vero de *Facibus*, in vocibus *Lampas*, *Tæda*, item ubi de *Cereis.* De vulgari usu, ut verbum adjiciam, *Adversitores* apud Romanos dicti sunt servi, qui domino foris cœnanti, cum *facibus*, adversùm ibant officii & tutelæ gratiâ: quibus non dissimiles, qui præcincti lumbos & lychnos ferentes, dominum à cœnâ revertentem domi præstolabantur, indigitat Lucæ *cap. 12. vers. 35.* Sic Duillium *ad funalem cereum*, domum reverti solitum, refert Val. Max. *lib. 3 cap. 6.* Idem *laternam prælatam* M. Antonio, habet *lib. 6. cap. 8.* Et Juvenalis de hoc ritu *Satyra 3. versu 282.*

—— *Sed quamvis improbus annis,*
Atq; mero fervens, cavet hunc, quem coccina læna
Vitari jubet, & comitum longissimus ordo:
Multum præterea flammarum & ahenea lampas.

V. Pignorium *de Servis.* Nec omittendus mos *inspicandi Faces*, Virgilio memoratus *Georgic. lib. 1.*

—— *ferroq;* faces *inspicat acuto:*

quod *Incidere* idem vocat *Ecl. 8.*

Mopse novas incide faces: tibi ducitur uxor.

Nempe in multas aristas concidebantur instar spicæ, habebantque lignum minutatim in tenues longasque astulas concisum, ut facilius ignem conciperent: *spicatæ faces* hinc Gratio,

Spicatasq; faces ferre ad nemora alta Dianæ:

quem versum explicat Salmasius *ad Solinum pag. 1063.* &c.

Faxo, Comica locutio: à Marone Heroicæ Poësi illata, *Æn. 9.*

Haud sibi cum Danais rem faxo, *aut pube Pelasgâ*
Esse putet, decimum quos distulit Hector in annum.

Et ejus imitatione à Val. Flacco *lib. 7.*

—— —— —— *jam fœdera* faxo
Æetæi putet ipsa viri, metuatq; morari.

Papinio item *Thebaid. lib. 5. versu 658.*

—— —— faxo *omnis fabula Lemni*
Et pater, & tumidæ generis mendacia sacri
Exciderint ——

Servius, *faciam, confirmabo, & est ἀρχαϊσμός.* Promissivum modum in eo verbo agnoscit Phocas Gramm. *Faxo faxis*, Donatus & Cledonius. Casp. Barthius *Animadvers. ad Statium d. l.*

F E.

FE. in notis antiquorum, *Fundaverunt*, vel *Fortem*, vel *Familiæ*, F. E. *Filius ejus.* FEA. *fœmina.* FEB. *Februarius*, significat &c. Gouldm.

Fea, Germanis *Albæ*, *Alvinnen*, Belgis *Witte Vrowen*, spectra erant formâ & habitu fœminarum apparentia, ad arborem, quæ hinc *Fearum arbor* dicta est, & fontem, prope vicum *Dompre*, in Lotharingia. Cum hisce commercii ac familiaritatis olim accusata Johanna Darcia, *Puellæ Aurelianensis* nomine in Gallia celebris, respondit S. Catharinam & Margaretam, quas sæpe vidisset & tetigisset, dum fuisset in carcere, esse cum quibus fuisset loquuta: & quòd terram seu pavimentum deosculata fuisset, per quod illæ transiissent & quòd consilium ab illis acciperet super omnib' responsis suis. Quòd ad arborem *Fearum* & apud fontem prope vicum prædictum, locuta fuisset cum his Sanctabus, non cum *Feis*: & quòd jam ab anno ætatis 13. cum iis cœpisset loqui. Addebat, sibi quidem sæpe imputatum fuisse in Lotharingia, quòd loqueretur cum *Feis*: negabat tamen unquam factum, aut illas unquam sibi visas, quod sciret. Interim fatebatur, fœminam quandam susceptricem suam jactare solitam, *Feas* sibi visas ad *Fearum* (sc. arborem) ita dictam, in vico paterno, in Lotharingia. V. Paschasium *Disquisit. Gallic.* seu *Recherches de la France l. 6. c. 5. pag. 461.* & suprà in voce *Fatua.*

Febris, adde: *Febrim ad minùs nocendum templis colebant, quorum unum adhuc in Palatio, alterum in arce Marianorum, tertium in summa parte vici Longi, in eaq; remedia, quæ corporibus ægrotorum innexa fuerant, deferebantur.*

Februarius, mensis à Numa additus, cùm Romulus eum præteriisset, à *Februo* lustrationum potente, cui à Numa dicatus est, nomen accepit. Lustrari autem eo mense civitatem mos erat, & justa Diis Manibus solvi, Macrob. *Saturnal. lib. 1. cap. 13.* De eo sic Festus: *Februarius mensis dictus; quod tum, id est, extremo mense anni populus februaretur, id est, lustraretur: vel à Junone februata, quòd ipsi eo mense sacra fiebant, ejusq; sacra erant Lupercalia, quo die mulieres februabantur à Lupercis amiculo Junonis, id est, pelle caprinâ, quam ob causam is quoque dies februatus appellabatur.* Cui assentiuntur Censorinus, Plutarchus & Ovidius, quorum hic etiam docet, apud priscos hunc mensem fuisse ultimum & præcessisse Januarium: à Decemviris autem legum scribendarum primùm institutum, ut post mensem Januarium collocaretur. Ita enim ille *Fastor. lib. 2. vers. 47.*

Sed tamen (antiqui ne nescius ordinis erres)
Primus, ut est, Jani mensis & antè fuit.
Qui sequitur Janum, veteris fuit ultimus anni
Tu quoque sacrorum Termine finis eras.
Primus enim Jani mensis, quia janua prima est,
Qui sacer est imis Manibus, imus erat.
Postmodò creduntur spatio distantia longo
Tempora bis quini continuasse viri.

Dies habet ab ultima Numæ constitutione viginti octo; quod Numam eo fecisse Macrobius docet, ut cùm reliqui menses imparem haberent dierum numerum, huic mensi pari dierum numero tributo, universa putatio totius anni impar fieret, tum, quòd Deo infero, cui hic mensis sacer erat, diminutio & par numerus (qui impare ignobilior) conveniret. Proin nec Jul Cæsar, cùm annum aliter ordinaret, aliquotque diebus adjectis augeret, ullum huic mensi diem addidisse legitur. Idem mensis intercalationi destinatus erat, ut docet Joh. Rosinus *Antiqq. Rom. lib. 4. cap. 1.* totusque attributus fuit Legationibus exterarum gentium audiendis. Atheniensibus dictus est *Anthesterion*, Hebræis *Chebeth* & *Adar.* V. Rosinum præfatum *Libr. ejusdem cap. 6.* Franc. Rosæum *Archæologiæ Att. lib. 2. cap. 10.* Thom. Godvvynum *de ritibus Hebr. lib. 3. cap. 1.* &c.

Festi apud Rom. dies mensis Februarii.

Kalendæ ejus, ut & omnium mensium, in tutela Junonis fuere. Iis festum erat dedicationis templi Junonis Sospitæ: Item luci Asyli: Eodem die rem divinam faciebant in æde Vestæ, & æde Jovis Tonantis.

V. dies, seu Nonæ, in Augusti, qui *Pater Patriæ* hoc die appellatus est, memoriam celebris erat.

Idibus, rursum ovis Idulis, uti in Januario, mactabatur. Iisdem feriæ quoq; Fauni erant. Idem dies ater sive religiosus erat, ob cædem Fabiorum.

XV. Febr. seu XV. Kal Martii, Lupercalia celebrabantur.

XVII. die, seu XIII. Kal. Martii. Quirinalia erant: Item Feriæ Stultorum, ac Fornacalia.

XXI. die seu IX. Kal. Martii Feralia vigebant, quibus Deæ Mutæ sacrificare mos erat. Eodem die, nubere, aut Diis Superis sacrum facere religiosum erat.

XXII. die seu VIII. Kal. Martii, Terminalia celebrabantur; quam ob causam, V. Varronem.

XXIV. die seu VI. Kal. Martii, Regifugium erat, i. sacrum in Tarquinii Româ fugientis memoriam institutum. Cujus meminit Ausonius in *Ecl. de feriis Romanis.*

XXVII. die, qui est III. Kal Martii, Equiria habebantur, ab equorum cursu, teste Varrone, dicta.

Pridie Kalendis Martii, qui est XXIIX. seu ultimus *Februarii* Tarquinios tyrannos prælio superatos à Romanis esse, tradunt nonnulli.

Apud Athenienses, hujus mensis die XII. incipiebant Ἀνθεστήρια, in Bacchi honorem, quæ festivitas triduum duravit: eodem mense Dionysia in Limnis, μεγάλα, & ἀρχαιότερα dicta, vigebant. Die XIII. Ludi agebantur, qui tertio anno Olympiadis 93. Calliâ Archonte initium sumsere. V. Donatum *in Terentium p. 289.* & Ulpianum *in Demosthenem p. 184.* In Romana Ecclesia eodem Mense Festum Purificationis, *Candelaria* dictum, celebratur, in quo in honorem B. Virginis fieri, quod ab Ethnicis in honorem Deæ Februæ, docet Gerson *de Direct. cordis Part. 3. Consid. 21.* Unde & Baronius, *abolitis Lupercalibus Romæ, hanc solennitatem introductam esse*, censet *Martyrol. ad 2. Februar.* V. suprà.

Fel, Neptuno dicatum olim & Junonis potentiæ, ut habet MS. codex Plinii, cùm impressi habeant, *& honoris potentiæ*, *lib. 11.*

cap. 37. ubi multis de eo agit. In Extispicina diligenter attendebatur, &c. si magnum esset, fortunata omnia felicisque promittebat: uti &, si geminum, *quod divo Augusto, quo die apud Actium vicit,* contigisse, legas *ibidem.* Sic idem Arato sacrificanti cùm accidisset, Aruspex, reconciliatum iri civium dissensiones, vaticinatus, verissimo eventu legitur, qua de re V. Alex. ab Alexandro *Genial. Dier. lib.* 5. *cap.* 25. At *fel* nuptialis hostiæ, circùm aram projici solitum est, cùm cæteræ partes adolerentur: quod in omen futuræ inter conjuges tranquillitatis factum esse, docet Jul. Cæs. Scaliger *Poëtices lib.* 3. *cap* 101. &c.

Felices Arbores, Festo fructiferæ, sicut infrugiferæ *infelices*, dictæ sunt, ex Catone. In specie *felices* Macrobio *esse putantur, quercus, æsculus, ilex, suber, fagus, corylus, sorbus, ficus alba, pyrus, malus, vitis, prunus, cornus, lotus, Saturnal. lib.* 3. *cap.* 20. Horatius *Epod.* II.

Inutilesq; falce ramosos amputans
Feliciores inserit.

Statius *Sylv. lib.* 3. *in Propemptic. Metii Celeris,*

— — *ubi germine primùm*
Candida felices *sudans opobalsama virga* &c.

Ad hujusmodi arbores, unguium Dialis & capilli segmenta operiebantur, apud Romanos. Flaminica quoque Dialis in rica *surculum de arbore felici* habebat. A. Gellius *lib.* 10. *cap.* 15. Ex iisdem desumebantur faces Nuptiales, & Caduceatorum supplicia. V. de iis infrà, ubi de *Spina alba*: de hisce sic Festus, *Supplicia sunt, quæ caduceatores portant; ea sumebantur ex verbena felicis arboris, nec enim ex alia — fas erat*: & plura hanc in rem, apud Jo. Meursium *Comm. in Lycophronem pag.* 295. De *infelicibus* verò dicemus infrà. Uti autem arbores *felices*, quæ fœcundæ, sic *hydram felicibus vulneribus renascentem*, dixit Minutius *Octavio* &c.

Felicia Tempora, in nummis quibusdam Latinorum, ΕΥΤΥΧΕΙΣ ΚΑΙΡΟΙ Græcè, in nummo Commodi Imp. à Laodicensibus cuso; in cujus altera parte quatuor juvenes, totidem anni tempora symbolo quisque suo denotantes, cum verbis præfatis infra, & in circuitu hisce, ΛΑΟΔΙΚΕΩΝ ΝΕΩΚΟΡΩΝ, adscriptis. Quo emblemate felicitatem suam, sub imperio Commodi, (de quo V. suo loco) adulatoriè significare voluerunt Laodicenses, Quemadmodum in alio nummo Nicæenses idem testati sunt, in cujus postica parte *Inscr.* hæc, corona inclusa, legitur: ΒΑCΙΛΕΥΟΝΤΟC ΚΟΜΟΔΟΥ ΚΟCΜΟC ΕΥΤΥΧΕΙ ΝΙΚΑΙΕΩΝ. Gestat autem præfatorum juvenum unus calathum floribus, utraque manu supra caput elatum; alter elatâ dextrâ falcem messoriam ostentat; tertius sinistrâ manu itidem elatâ calathum sustinet frugibus plenum, dexterâ verò assilienti cani blanditur: atque hi tres nudi sunt. Quartus, vestitus est, & leporem venatione captum sinistrâ suspendit &c. ut videre est apud Jac. Sponium *Itinerar. Tom.* 3. *pag.* 186. Græci aliter unâ voce *Εὐετηρίαν* dixere, de qua V. suprà ubi de *Annona Dea*: Latini *Faustitatem*, item *Felicitatem*, de cujus corona V. C. Paschalium *Coronarum lib.* 7. *cap.* 7.

Feliciter, solennis fuit apud Romanos acclamationis formula, quâ maximè quidem ad Duces & Imperatores, sed tamen nonnunquam ad alios quosvis, quibus bene vellent, utebantur. Suetonius *Domitiano cap.* 13. *Acclamari etiam in Amphitheatro epulari die libenter audivit. Domino & Dominæ feliciter.* Guntherus de Romanis, Fridericum Ænobarbum excipientibus *lib.* 4. *Ligur.*

Omnibus egregiè lætis totaq; catervâ
Acclamante viro faustum, Feliciter, *amen.*

Similiter de Demetrio Phalereo, qui Athenas occupaverat, Phædrus *lib.* 5. *fab.* 1.

Ut mos est vulgi, passim & certatim ruunt,
Feliciter *subclamans ipsi Principes.*

In nuptiarum solennitate inprimis usitata. Unde Juvenalis,

— — *Dictum* Feliciter *ingens,*
Cana sedet.

Et quod de Domitiano suprà diximus, in reducta post divortium uxore acclamatum fuit. Thom. tamen Dempsterus, vocem hanc non in nuptiis, sed in sponsalibus fuisse solennem contendit, probatque ex modò laudato Juvenali,

Signatæ tabulæ, dictum Feliciter —

Ubi ait, rectè *Feliciter*: Talis enim erat acclamatio faustior, quâ bona quæque, auspicatiorem inprimis contractus initi eventum, precabantur, *Paralipom. in Joh. Rosini Rom. lib.* 5. *cap.* 37. Eandem vocem soliti sunt Veteres in fine librorum adscribere, significare volentes, ad finem perventum esse. Hieronymus ad Marcellam, *Solemus completis opusculis, ad distinctionem rei alterius sequentis, medium interponere,* Explicit, *aut* Feliciter, *aut aliquid ejusmodi.* Completo sc. libro, vocem hanc subjiciebant Vett. ac statim scriptionem continuabant; quo modo sæpe antiquis in membranis invenias diversos libros, interdum etiam Auctorum diversorum opera, sine ullo spatio continuata, istiusmodi saltem dictione interpositâ. Librarii verò vocem illam modò appingere consuevere, fini prioris libri, modò sequentis initio. Sic apud *Historiæ Aug.* Scriptores, *Divus Claudius. Feliciter. Antoninus Pius. Feliciter* &c. V. Claud Salmasium *ad Trebellium Pollionem in Claudio*: *Lampridium* item *in Commodo. l.* 6. §. 4. *Cod. Theodos. de Collat. Bonor.* & suprà in voce *Explicit.*

Felis, Ægyptiis inter Numina fuit, ut refert Herodotus *Euterpe*; qui addit, mortuam domi saliri consuevisse, atq; ita Bubastim deferri, ut sacra in Urbe sepeliretur. De cultura quoque testis Cicero *de LL. lib.* 1. & *de Nat. Deor. lib.* 1. ac 5. *Tuscul. Quæst.* Sed hac de re plura diximus jam suprà, in voce *Ælurus*, hoc enim Græcum *feli* nomen est, item ubi de *Aurea fele* Cæterùm, in Sinis, prov. Pekinga *feles* habet omnino albas, longioribus pilis, protensisque auriculis, quæ canum Melitensium habentur locô, matronarumque sunt delitiæ: at mures minimè capiunt, fortè quia delicatè nimis nutriuntur. Haud tamen desunt aliæ, murium egregiæ venatrices, licèt minùs lautè habitæ, eoq; fortè meliores, Auctor Anonymus *Sinæ & Eur. cap.* 40. At *feles generosi*, ait Scaliger, *si famelici sint, languent atq; ad prædam sunt ignaviores: nitidiores, animi gratiâ venantur. Uti canes leporarii nobiles dominis, non sibi, capiunt feras, Poëtices lib.* 3. *cap.* 51. Idem *Exercit.* 217. *sect.* 9. in Malabarica regione, *Feles* esse agrestes, in arboribus agentes, tantæ velocitatis, ut potiùs saltu valeant, qui & volatus habeat speciem: nam pedes cruraque, non attingentes terram, agitare in aëre, ut per eum currere videantur, refert. Plura de hoc animali, V. apud Plinium *lib.* 11. *c.* 37. alibique passim. Ger. Joh. Vossium *de Idolol. lib.* 3 *cap.* 63. Alios: de *Felibus* inprimis *sylvestribus*, Sam. Bochartum *Hierozoici Parte prior. lib. III. cap.* 14 de *Fele domestica* Alexandri VII. Pontif. Philomathi *Musas Juven.* de *felinis oculis*, Salmasium *ad Solinum pag.* 190. nec non hic in voce *Cattus*, item *Mechlempe.*

Viri illustres.

Felix, cognom. Sullæ. Plinius *lib.* 10. *cap* 74. *Unus hominum ad hoc ævi* Felicis *sibi cognomen asseruit L. Sulla civili nempe sanguine ac patriæ oppugnatione adoptatum: sed quibus felicitatis inductus argumentis? quòd proscribere tot millia civium, ac trucidare potuisset.* Græcè *Ἐπαφρόδιτος*, ita enim in literis, quas ad Græcos dabat, pro illo cognomine Latino, sese inscribebat Sulla, uti diximus suprà in voce *Epaphroditus.*

Felix, Prætorianis cohortibus præfectus, apud Capitolinum *in Gordianis*: ubi *Felicio* mavult Salmasius; quod nomen non infrequens est in vett. monumentorum Inscriptionibus.

Felix, cognomen Opilii Macrini, qui, *quum Senatus eum Pium ac Felicem nuncupasset,* Felicis *nomen recepit, Pii habere noluit. Unde in eum Epigramma illatum Græci cujusdam Poetæ videtur exstare, quod Latinè hac sententiâ continetur,*

Histrio jam senior turpis, gravis, asper, iniquus,
Impius & felix sic simul esse cupit.
Ut nolit pius esse, velit tamen esse beatus;
Quod natura negat, nec recipit ratio.
Nam pius & felix *poterat dici atq; videri,*
Cui imperium infelix est, eritque sibi.

Apud Jul. Capitolinum *in Vita* Macrini, ubi & versus habes, quibus huic Epigrammati respondit.

Feltrum, V. infrà *Filtrum.*

Femina, V. infrà *Fœmina.*

Feminalia, Suetonio dicuntur *femorum* indumenta; quæ Vulgatus Bibliorum Interpres *Femoralia*; idem, ut & S. Benedictus aliique Scriptores Ecclesiastici *Succinctoria* & *Campestria*, M. Tullius *Subligacula* appellat. Quanquam hæc posteriora vocabula propriè sumta, breviora verecundorum tegmina significant: ut observavit post alios Jac. Pontanus *in Ovidium lib.* 5. *Trist. eleg.* 11. Horum usus non fuit in electo Dei populo, nisi in Sacerdotibus tempore ministerii. Unde ad Mosem divina vox, Exodi *cap.* 28. *versu* 42. & 43. *Fac quoque*, inquit, *eis* (Aharoni & filiis illius) *femoralia linea ad tegendum carnem nudam, à lumbis usque ad ima femina sunto. Hæc erunt super Aharonem & super filios ejus, cùm ingrediuntur tentorium conventus, aut quum accedent ipsum altare* &c. Hæc post ministerium deposita & in gazophylacium recondita fuisse, patet ex Ezechielis *cap.* 44. *versu* 19. ubi Sacerdotes ea *in cellas sanctitatis* reponere jubentur. Sed nec Romanis, neq; Orientalibus gentibus, per illa tempora *Feminalia* cognita fuere. Romanos enim togatos (nam armati, quod togæ operimento carerent, *feminalibus* tecti, tibialibus verò nudati fuere, ut ostendit columna Trajani) iis caruisse, probatur ex Suetonio *in Julio c.* 82. ubi de ipso sic ait: *Ut animadvertit undique se strictis pugionibus peti, togâ caput obvolvit; simul sinistra manu sinum ad ima crura deduxit, quo honestius caderet, etiam inferiore corporis parte velatâ.* Hinc & Saturninus Tyrannus, *Convivio discumbere milites, ne inferiora nudarentur, cum sagis jussit,* apud Trebellium. Imò & sine *feminalibus* sacrificasse eosdem, docet Martialis *lib.* 3. *Epigr.* 24. ubi de Aruspice quodam Tusco ei sermo est. Eorundem usus aliis quoque nationibus, etiam Christianis, antiquitus defuit. Unde Bulgari recèns ad fidem conversi, inter alia Nicolaum I. Pontif. consulentes, etiam hoc sciscitati leguntur: *Utrum femoralia induere deberent, nec ne?* Et Benedictus *in Regula cap.* 55. femoralia tantùm iter acturis concedit: quam regulæ particulam non admodum probans Joh. Cardinalis de Turrecremata *tr.* 121. *in illud caput* affirmat, temporibus S. Benedicti, rarum fuisse bracharum usum. Cistercienses quoq; Monachos, sub eadem militantes regula, non usos fuisse femoralibus, nisi inter equitandum, atque ideo Cluniacensibus Monachis *Feminalium* domesticum usum, tanquam peccatum

catum contra regulam communis Patris, fuisse objectum, tradit Jac. à Vitriaco Cardin. *Hist. Occid. cap.* 14. & P. Cluniacensis *lib.* 1. aliàs *lib.* 3. *epist.* 28. *ad Bernardum object.* 3. Plura V. apud Jul. Nigronium *tr. de Caliga cap.* 2. Salmasius *Feminalia* seu *feminales fascias* à braccis distinguens, *feminalibus* usos Romanos etiam sub Augusto & Augustum ipsum usum, frigoris præcipuè causâ atque fasciis hujusmodi *femina* involvere solitū; braccarum verò usum penitùs tum incognitum fuisse; voces interim ubique confundi Græcis Romanisque Scriptoribus, pluribus docet *ad Lampridium, in Alexandro Severo.* Sed & *feminales fascias* non minùs, ac crurales, jam Persis in usu fuisse, antiquissimis temporibus, contendit idem ex Justino *lib.* 1. ubi de Semiramide &c. V. quoque suprà, ubi de *Bracis*, & Casaubonum *ad Augustum Suetonii cap.* 82.

Femur, seu *Femen*, quasi *ferimen*, quòd hac maximè parte sustineatur homo & *feratur*, an à *femina*, quòd in ea parte ab illa viri sexus discrepet, Græcis unâ voce μηρὸς dicitur. Latini non nunquam subtiliùs distinguentes, *Femora* exteriores partes, *Femina* interiores vocant. In hac parte Veteres olim scriptitasse, docet Galenus *De usu partium lib* 3. ubi non super mensis vel pluteis, ut nos hodie, sed *super femore collocata charta*, atque ut ejus verbis dicam, ἐπιθέντας κατὰ τοῦ μηροῦ τὸ βιβλίον, scripsisse ait. Unde, quoties scriptioni operam darent, in Lectulos sese lucubratorios recipiebant, in quibus reclinati jacebant magis, quàm sedebant, uti infrà dicemus, in voce *Lectulus Lucubratoria*. Eandem partem in luctu feriri solitam, legimus passim. Seleucidas ibi anchoram habuisse, *notam generis naturalem*; scribit Justinus *lib.* 15. *cap* 4. &c. V. quoque infra *Phænomerides*, uti de tegmine eorum, hic suprà. Atque hæc prima vocis significatio: Decorè dein ad partes generationi destinatas denotandas translata est. Quo sensu occurrit Genes. *cap.* 24. *versu* 2. ubi *de ritu jurantis manum sub femore ponendi*, alibi non obvio: quo inter alia obsequium inferioris erga superiorem, velut quodam homagii signo, significatum fuisse, ait Rivetus; qui recentiori ævo simile quid in solennibus Fidelitatis juramentis præstitum fuisse: unde phrasis Gallorum *embrasser la cuisse*, h. e. femur amplecti, pro *exhibere summam reverentiam*, orta, addit *ad l. cit.* Cæterum de *femoribus* victimarum Numini oblatis, *de more super femur gladium accingendi*, aliisque huc spectantibus, hic passim.

Fenestra, ex Græco φαυστρα, quod à verbo φαύζω; antiquis *Festra* & *Fistra*, ex Græco Φαίστρα itidem, quod à φαιὸς, *perspicuus, lucidus*: illuminandæ domui inservit. Quo fine decorabantur olim ex speculari lapide, aut vitro in tenues laminas fuso, quæ ὕαλα Græcis, obducebantur. *Vitria* Latini appellabant, uti patet ex lemmate *Ænigmatis* Symposiani, in vetustissimo libro Salmasii, quod sic habet:

Perspicior penitùs, nec luminis arceo visus.

Quæ laminæ vitreæ, sive essent tesseræ, sive orbes, invicem gypso committebantur, sicut hodie plumbo, per ἁρμονικὰ ξύλα, uti eam vocat Philoponus *in* 2 *post. Anal. ad illa verba*, διὰ τὸ διιέναι λαμπτῆρος τὸ φῶς; ubi Philosophus per λαμπτῆρα intelligit aut laternam ex pelle pellucida factam, aut specular, sive vitreum, quod ad lucem excipiendam *fenestris* solet obduci. Fenestræ dein vitro versicolori ornari cœpere, uti memorat Anastasius *in Leone* III &c. Iisque affigebantur, hortuli, frutices, alia. Martialis *lib.* 11. *Epigramm.* 18.

Donasti, Lupe, rus sub urbe nobis:
Sed rus est mihi majus in fenestrâ.

Quod hodieque in Hispania & Italia Monachi faciunt, in *fenestris* arbusculas, mala citrea, hortos pensiles &c. ostendentes. Porro in publicis solennitatibus, uti tabernæ, & fores, ita quoque *fenestræ*, lauro, fronde, floribus, lucernis appensis instruebantur, atque ex iis fœminæ spectabant. Idem *lib.* 10. *Epigramm.* 6. ubi *de adventu Trajani*,

Quando erit ille dies, quo campus, & arbor, & omnis
Lucebit Latiâ culta fenestra *nuru?*

Recentiori ævo, armorum insignia iis aptabant, qui hastiludiis erant decertaturi, ut mox dicemus. Sed & cancellis muniebantur olim *Fenestræ* seu reticulis objectis, cujusmodi fenestram *reticulatam* vocat Varro *de Re Rust. lib.* 3. *cap.* 7. Græci δικτυωτὰς, 3 Regum. Apud Procopium Gazæum θυρίδες δικτυωτοῖς περιστοιχιζόμεναι διαφανέσι λίθοις κεκαλυμμέναι, occurrunt: ad quarum imitationem, apud Trebellium Pollionem, Gallienus *campages reticulos* appellasse legitur: erat autem Campagus, calceamentum regium. Itaque cùm *reticulorum* nomen ei auctor jungit, ornatus campagorum innui videtur: quorum obstragula crebris & aptè distinctis incisuris, retium ad instar, aliquando fuere *fenestrata*. Nec alia Tzangæ figura fuisse videtur: utriusque imaginem ex ære repræsentat Balduinus *de Calceo cap.* 18. Similiter in Cephisidori Comici *Trophonio*, apud Victorium *Variar. lib.* 14. *cap.* 15. λαικάζειν nomine calcei intelliguntur, tenuibus incisuris ad ornatum & elegantiam insigniti, qui aliàs *perforati, ac fenestrati*, Gallicè *decoupez, & dechiquetez* dicuntur, teste eodem *cap.* 12. Quale genus calceorum cernere est in statua iconica Eumenio Rhetori, in illustri Clivorum oppido ad portam mediastinam, posita, quod apud eundem Auctorem expressum habes *pag.* 117. Sed & in auribus *Fenestras* memorat Juvenalis *Satyrâ* 1.

—— —— *Molles quod in aure fenestræ.*

Certum quoddam Inaurium genus indigitans, dum foratis auribus inserebant tum gemmas, tum alia id genus. Unde Tertullianus *de Pallio*: *Aurem*, inquit, *foratu effœminatus*: alludens ad ritum illum Inaures gestandi, quæ ex perforatarum aurium cicatricibus & cavernis dependebant, unde & nominis etymon ac origo. V. Casparum Bartholinum *de Inauribus veterum Syntagm. c.* 1. Cùm ergo in auribus pedibusque *Fenestras* videamus, quid mirum, quod Momus olim in pectore illas desideraverit. Ita enim per eas, quid intus lateret, perspici posset, & sinuosi cordis recessus non tot fraudes, tot technas absconderent. Quam querelam Vitruvius *in præfatione libri tertii*, Socrati tribuit. V. quoque Lucianum *de Conc. Deorum*. In Monasteriis Monialium *Fenestra*, & *Fenestra versatilis*, *per quam danda & recipienda* transmittuntur, quæque Gallis *le Tour* vulgò, occurrit sæpius *in Statutis* Ordinis Sempringham. Cujus rei cura cui incumbit, *Fenestrarius* seu *Fenestraria* appellatur ibidem, Gall. *Touriere*. In *Charta* verò Friderici II. Imp. A. C. 1226 pro Eccl. Asculana, ubi legitur, *tenere fenestram apertam*. *Fenestra* est, ubi levioris momenti merces venum exponuntur. Sic *tenere fenestram panis*, in *Tabular.* Monasterii S. Bertini: *tenere fenestras venientes allia*, in *Tabulario* Episc. Autissiodor. *Ponere panem in sua fenestra*, in *LL.* Burgorum Scotic. *cap.* 67. &c. apud Car. du Fresne. Unde *Fenestragium*, jus istud exponendi panem vel alias merces in fenestris, in *Charta A. C.* 1294. apud eund. Sed & hac voce appellabant Galli, cùm in hastiludiis, qui decertaturi erant, antequam in arenam descenderent, armorum suorum insignia ædium suarum *fenestris* aptabant, quò cunctis, ut dimicaturi, innotescerent, V. omnino Auctorem hunc in *Glossario suo*. Plura verò de *Fenestris* Vett. tum *communibus*, tum *opere reticulato factis*, apud Salmasium *ad Solinum pag.* 921. 1095. & *seqq.* De *Fenestris* vero Lecticarum, infrà.

Fera, ab Æolico Φὴρ, pro θὴρ, per excellentiam leo est, apud Scriptores Arabes, Græcosque, uti docet Sam. Bochartus *Hierozoici Parte priore lib. III. cap.* 1. At apud Septentrionales, *Fera*, item *Fera Regalis*, ut in *LL.* Forestarum Canuti Regis, vulgò *Staggon*, cervus est, cujus venatio *regalis* dicitur: Unde narrat Luitprandus *lib.* 3. *cap.* 4. Lanthbertum Mediolan. Archiepiscopum, Burchardo Suevorum Duci, *quasi hoc esset privilegium amoris, concessisse cervum, quem is suo in brolio venarentur, quod nulli unquam nisi charissimis magnisque concesserat amicis.* Imò Nonius quoque notat, cervum κατ' ἐξοχὴν *ferum* appellari, à Virgilio *Æneid. lib.* 8.

Pellebatque, ferumque patrique in fonte lavabat.

Quod de apro etiam observavit Salmasius *Not. ad Capitolin.* cujus feminam, *feræ* nomine indigitari in *Charta* Fundat. Abbatiæ S. Mariæ Santon. A. C. 1047. apud Sammarthanos, adnotat du Fresne. Uti autem cervus *Fera regalis*, sic aper *Fera forestæ* dicitur, in iisdem *LL.* ubi non semel sibi invicem contradistinguuntur: non verò *capreoli, lepores & cuniculi*: quippe, ut est apud Hyginum *in Astronom. lib.* 2. nobiles Venatores circa lepores non occupantur; carpiturque proin Callimachus, quòd Dianam eorum sanguine satiari dixerit. At aprorum venationem Regibus quoque propriam fuisse, innuit Theganus *de Gestis Ludovici Pii cap.* 20. *In mense Augusto, quando cervi pinguissimi sunt, venationi vacabat, usque dum aprorum tempus advenerat* &c. V. C. du Fresne *Glossar.* Apud Jul. Capitolinum *in Gordianis* aliosque, *Feræ Libycæ* seu *Africanæ*, Dioni Λιβυκὰ θηρία passim, leones sunt pardique, ut interpretatur Servius. Conveniebant enim in Africæ certis locis variæ & ἀλλογενεῖς feræ, quas venatores captas Romam mittebant. Unde Capitolinus *l. c. feras*, inquit, *Libycas und die centum exhibuit; ursos mille*, Casaubonus &c. Sunt autem *Feræ* venatoribus hostium loco. Gratius *Cyneget.*

Tunc ipsum medio cassem qui nascitur ore
Per somos circuitu usque, sinus laqueabis, ut omnem
Concipiat tergo, si quisquam est, pluribus hostem.

Unde Venatio ipsa, Nemesiano,

—— —— *securi prælia ruris.*

Hincque, velut in tropæum, suspendendi ferarum capita, Diis Dianæque præcipuè, mos vetus. Virgilius *Ecl.* 7.

Setosi caput hoc apri tibi, Delia, parvus
Et ramosa Mycon vivacis cornua cervi &c.

V. infrà ubi de *Venatione*, item ubi de *Exuviis*. Contrà à *feris devorari*, ignominiosissimum mortis genus habitum, ut ex procœmio *Iliadis* discimus, *vers.* 4.

—— αὐτοὺς δ' ἑλώρια τεῦχε κύνεσσιν
Οἰωνοῖσί τε πᾶσι ——

Quo qui periissent, *non posse apud Inferos quiete frui*, persuasum fuisse Veteribus, vetus ait Scholiastes Statii *Thebaid. lib.* 12. *vers.* 98. E' sylvis postmodum in urbes translatæ sunt, vivariis extructis, in quibus servarentur delectationi magis secutæ, quod primus quis Romæ fecerit, Plinius docet *lib.* 8 *cap.* 52. *Vivaria horum* (ferorum) *cæterorumque, sylvestrium, primus togati generis invenit Fulvius Lippinus* (an Hirpinus) *qui in Tarquiniensi feras pascere instituit. Nec diu imitatores defuere L. Lucullus & Q. Hortensius.* Hinc cicurandi inventa ratio, unde *Mansuetarii* magistri & custodes, apud Romanos, servorum genus, in specie *Ursarii* &c. de quibus suo loco: plura vero hanc in rem, apud Plinium præfatum

loco

ona libro 8. uti *de ferarum pellibus se vestiendi more*, apud varias gentes frequentato, apud Salmasium *ad Solinum pag.* 1006. de more verò *feris homines objiciendi*, infrà. Hic verò non omittendum, quòd *ferino vultu* ipsa Gentilium Numina interdum voluere aspici: inter quæ Juno in Lyco *feræ* omnino formam habuit Athenis, Saturnus alibi &c. uti videre est apud Car. Paschalium *Coronar. lib.* 10. *cap.* 17. Sed & Minerva non *ferox* tantùm & *torva*, verùm etiam *fera* dicitur Val. Flacco *lib.* 3. quam in rem pluscula habes apud Barthium *ad Statium Theb. lib.* 2. *vers.* 715.

Feralis, apud Statium *Theb. lib.* 6. *vers* 32.

> —— *sedet ipse exutus honori*
> *Vittarum nexu genitor, squallentiaq; ora*
> *Sparsus & incultam* ferali *pulvere barbam*:

ver. Scholiasti est *designans mortem pueri cum damno familiæ*. Nempe *Feralis*, νεκρικός, Auctori *Onomastici*. Etiam quidquid extremè contrarium, ut *Feralia dicta*, apud Scriptorem *Glossarii Minut.* Βαρεῖα εὐχαί. *Feralia Vota*, apud Statium iterum *Thebaid. lib.* 11. *versu* 344. diræ, quibus devovit filios suos Oedipus. Sed & *ferales*, pediculorum infestiorum genus, apud Cœl. Aurelianum *lib.* 3. *Tard. cap.* 2. *de phthiriasi*. *Ferales coronæ*, gestantibus perniciosæ, qualis illa Cleopatræ, apud Plinium *lib.* 21. *cap.* 3. *Apud Græcos de coronis Mnestheus atq; Callimachus scripsere, quæ nocerent capiti: quoniam & in hoc est aliqua valetudinis portio, in potu atq; hilaritate præcipuè odorum vi surrepente fallaciter scelerata Cleopatræ solertia. Namq; — extremis coronæ floribus veneno illitis, ipsaq; capiti imposita, mox procedente hilaritate invitavit Antonium, ut coronas biberent — Ergo concerptâ in scyphum, incipienti haurire oppositâ manu* &c V. C. Paschalium *Coronar. lib.* 1. *cap.* 15. A' *Feralibus*, Manium sacro, de quo suo loco.

Ferctum, genus libi, à *farciendo* nonnullis, quasi *fartum* dictum, quòd multis variisque rebus farciretur. Nam Vett. ut scribit Cato, *struem farris, tritici, hordei, fabæ, seminis rapicii, thure ac vino additis*, ante messem parabant, in porcæ præcedaneæ immolatione, Janoque ac Jovi & Junoni sacrificabant. Salmasius *Ferctum*, quòd *bonum* esset, τὸ χρηστόν, appellatum maluit; indeque compositum genus libi *Strueferctum*, quasi *struem bonam*: ab antiquissima voce *forctum*, pro bono. *Fertum* alii vocant, & *Struefertum*: in vet. *Inscr. Porcam & agnam struibus & fertis*. Inde *fertilis* &c. V. eum *ad Solinum pag.* 1263. nec non Jac. Oiselium JC. *Not ad A. Gellium lib.* 10. *cap.* 15.

Ferculum, propriè τρόπαιον, cujus forma nota ex nummis & historia: Hinc *Fercula triumphalia*, quæ in triumphis *præferebantur*, uti vidimus, ubi *de Triumpho*. Item *funebria*, de quibus Statius *Theb. lib.* 6. *vers.* 126.

> *Portant inferias, arsuraq;* fercula *primi*
> *Graiorum, titulisq; pios testantur honores.*

Nempe eadem hæc, vel affinia saltem, triumphalibus, qualia in funere Ducum fortiumque virorum præferri mos. Sic arma truncis suffixa in tropæa nim. erigendis, portant Duces, in funere Pallantis, apud Virgilium *Æneid. lib.* 11. Sic infensissimi hostis sui cadaver avehendum, in alia quidem re, portat tamen ipse, & suis manibus vehiculo Hectoris imponit Achilles *Il.* ω. & Jason ipsemet fert ad rogum Cyzicum, apud Val. Flaccum *lib.* 3. &c. Erant his, ut & triumphalibus, tituli ascripti quorum essent, honoris ergò, uti ex *MS.* optimi glossa docet Barthius *ad Statii locum*. Imò & inimicorum, ex Virgilio *lib. cit.*

> —— *inimicaq; nomina figi.*

Alia omnino *funebria fercula* Suetonio *Caligulâ cap.* 15. *Ad transferendos matris fratrisq; cineres festinavit — nec minore scenâ Ostiam, præfixo in biremis puppe vexillo, & inde Romam Tiberi subvectos, per splendidissimum quemq; equestris ordinis, medio ac frequenti die, duobus* ferculis, *Mausolæo intulit*. Ubi Casaubonus, *Sic appellat*, inquit, *pompaticum instrumentum, in quo cineres erant, cùm inferrentur in Mausoleum, ob similitudinem aliquam* ferculorum *triumphalium: utraq; enim sic erant composita, ut elata gestari omnibusq; ostendi possent*. Alia item apud Plinium *lib.* 10. *cap.* 10. *Nullum in his* (milvis) *rapacissimam & famelicam semper alitem nihil esculenti rapere unquam ex funerum* ferculis: Hic enim cœna sepulchralis indigitatur, quæ in funeribus olim satis lauta parabatur, delataque ad rogum cum defuncto cremabatur, ex Apulejo *Floridor. lib.* 4. Dalechampius *Not. ad Plin.* Nec multo aliter vocem *tropæum* usurpat Suetonius, in funere Julii. Nempe *Ferculum* etiam τράπεζαν, *mensa una*, ob similitudinem cum tropæis. Non enim lances mensis imponebant elegantiores: sed machinulis quibusdam venusto artificio elaboratis partim imponebant; partim appendebant. Sic in *Satyr*is Petronii cœna lautissima describitur, cujus gustatio sive promulsis mensæ, ita fuerat exhibita: *In promulsidari* (mensa sc. h. e. *gustatoria*) *asellus erat Corinthius, cum bisaccio positus, qui habebat olivas* &c. Deinde remotâ gustatoriâ sequitur *Ferculum*, quod ita exhibetur, *Repositorium rotundum, duodecim habebat signa in orbem disposita: super quæ proprium convenientemq; materiæ structor imposuerat cibum: super Arietem cicer arietinum* &c. Similia apud Græcos legas. Quo sensu Suetonius de Augusto, *Cœnam*, ait, *trinis* ferculis, *aut cùm abundantissimè, senis præbebat, cap.* 74. Inde pro ipsis cibis, qui inferebantur. Coronari ea in conviviis moris fuisse, Athenæus docet, in iis Ludis, quos apud Daphnem Antiochus edidit, anseres, lepores, damas cum aureis coronis, convivio illatas, memorans *lib.* 5. V. Car. Paschalium *Coronarum lib.* 2. *cap.* 3. Plura v. hanc in rem, inprimis *de Ferculis triumphalibus*, V. apud J. C. Bulengerum *de Triumpho cap.* 25. de *Funebribus*, apud Caspar. Barthium *ad Statium loc. cit.* &c. Medio ævo, *Fercula*, quæ pro nuptiis celebratis Curioni seu Sacerdoti ex jure præstabantur, occurrunt passim, apud Scriptores Eccl. Rom. De *Ferculis fictitiis*, quibus parasitos suos lusit Heliogabalus, V. apud Lampridium in *Vita* ejus. *Ferculi Generalis* mentio est in *Charta* Joannis Thesaurarii S. Quintini A. C 1094. apud C. du Fresne: *Ordinavit etiam caritas eorum, ut in die S. Trinitatis, quæ ante Domini adventum quibusdam in locis celebratur, die sc. meæ nativitatis, quandiu viverem, & in anniversaria mei transitus commemoratione, refectio eorum uno quolibet generali* ferculo *communiter & indesinenter ampliaretur* &c.

Ferdinandus, nomen Arabicum est Carolo Macro, à *Ferh dinhandiu*, i. *Gaudium fidei habet ipse*, sive *Gaudium fidei apud eum*: quo primum appellatum fuisse S. Ferdinandum, Hispaniæ Regem, eo quòd hoc Regnum à Saracenorum tyrannide liberaverit, refert in *Hierolexico*. A' quo tempore auspicatum hoc nomen Hispanis habitum, ut dicemus infrà.

Ferdoni. monetæ species. quartam unius marcæ partem valens, memorata Gunthero *in Histor. CPolitana*, apud Canisium *Antiqq. Lectionum Tom. V.*

Feretrum, à *ferendo*, Gr. Φέρετρον, capulus erat, in quo defuncti cadaver, ad sepulturam efferri mos. Quod munus propinquioribus virilis sexus apud Romanos incumbebat, Servius. Itaque filii interdum parentes, & fratres sorores interdum elatas funere deferebant: nonnunquam servi libertate donati, plerunq; Senatorii, Prætorii & Consulares, quique amplissimis functi erant honoribus, Imperatorum ac Consulatuum virorum *Feretrum* detulere. Quare Pauli Æmilii, qui de Macedonia triumphavit, legati Macedonum, & Sullæ Dictatoris loculum Senatores ac Virgines sacræ extulerunt: Metello verò filii tres Consulares, duo Triumphales, unus Censorius, & alter Prætor lectum subiere: Ita enim propriè vocabatur, in quo ditiores, tubis præcinentibus, efferebantur. Quòd si defunctus tenuioris esset Fortunæ, à Vespis seu Vespillonibus, ad tibiæ cantum, portabantur &c. V. Joh. Rosinum *Antiquitatum Romanarum lib.* 5. *cap.* 39. Apud Athenienses, postridie collocationis, ὡς ἐφάνη ῥοδοδάκτυλος Ἠώς, *quamprimum apparuit roseos digitos habens Aurora*, ut Homerus ait, defuncti cadaver in *feretro*, a certis hominibus, quos Euripides *in Alcest. vers.* 607. προπόλους vocat, cùm ait:

> — — — — Πρόπολοι
> Φέρουσιν ἄρδην πρὸς τάφον τε καὶ πυράν,

efferri solebat. Quemadmodum idem alibi de Rheso, ab Ulysse interfecto, voce Φορήδην utitur. Hæc de adultis. Infantes quod attinet, eos ante dentes natos nec ussere, teste Plinio *Natur. Histor. lib.* 7. *cap* 16. nec integros in loculis reposuere. Hinc locus, ubi sepeliebantur, *Suggrundarium dictus*, caput solum cum gemino osse ut plurimum in urnula continebat; cujus formam Joh. Baptista Suarezius *in Antiqq. Gaditanis* ex ære exhibet. Grandiores natu sarcophago seu feretro integris corporibus, in loco communi vel ante aras, postquam illi ante Auroram, quasi à die rapti, cum facib⁹ funeralibus & ad tibias elati essent, condebantur. Unde apud Gruterum *Inscript. pag.* 689. L. Juli Marcelli, qui vixisse dicitur Ann. V. Diebus XXXI. *Corpus. integrum. conditum. sarcophago.* legimus. V. Thom. Bartholinum *de Puerperio veterum*, & hic passim, ubi de *Arcis & Capulis sepulchralibus*, item ubi de ritu *in Lectis efferendi mortuos*: nec non in voce *Loculus* & *Sarcophagus*: plura verò hanc in rem apud Georg. Fabricium *in sua Roma cap.* 21. ubi inter alia: *Faciendorum*, inquit, *loculorum & urnarum condendarum, non admodum diversa ratio fuit, cùm in Urbe tum in reliquâ Italia, atq; etiam Græcia. Marlianus scribit, antea concamerata fossionibus esse aperta, in campo Esquilino quædam unius testudinis, quædam duplicis concamerationis, ita ut ex superiore in inferiorem descenderetur. Pavimenta interdum vermiculata: in parietibus circumcirca loculos extitisse, singulos cum binis urnis. Alia quoq; fuisse antea plurium parietum modico intervallo distantium, in quibus totidem urnas fuisse contiguas & exiguo spatio rursus alias, hisq; alias impositas: has pauperum, illas divitum fuisse opinatus.* Et paulo pòst, *Inter Puteolos & Atellam, pulcherrimum monumentum est, quod Arcum celtæ nominant. Parietes ejus tetragoni, cum laqueari vermiculato: in cujus medio Centauri imago puerum vehentis. Loculi ultra sexagima, medii ampli, fortasse Patronorum: Laterales contracti, libertorum libertarumq;* &c. Adde Jo. Kirchmannum *de Funeribus*, Apud Ecclesiæ Rom. Scriptores, *Feretra, reliquias Sanctorum continentia*, ad corrigendas eleemosynas, in reædificationem ædium sacrarum, aut in alias necessitates, *cum processionibus circumlata*, non semel legere est. Quas *processiones ad offerendum* vocat Ægidius Aureæ Vallis in *Historia* Episc. Leod. *cap* 55. apud Car. du Fresne *Glossar.* A' *Feretri* similitudine, Hebr. עיש *ajis* vel עש *as*, Arab. *naas*, dicitur sidus Ursæ majoris & minoris, *Feretrum majus & minus*. E' septem enim stellis è quibus constant singulæ,

quatuor in quadrum digestæ q. feretrum constituunt, & tres sequentes, quæ nobis sunt *cauda ursæ*, Arabes *feretri filios* aut *filias* appellant, qui comitantur funus. Unde apertus jam sensus loci est, qui hactenus crucem Interpretibus fixerat, Jobi *cap.* 38. *vers.* 32. *An* עיש *seu feretrum deduces cum filiis suis?* Ubi inter alios Paraphrastes Chaldæus, *Et gallinam cum pullis suis deduces?* quam Græci *Pleiades*, Latini *Vergilias*, Galli *Pullicinariam*, vocant. V. Sam. Bochartum *Hierozoici Parte poster. Lib. I. cap.* 16.

Feria, nomen Familiæ in Hispania illustris, in qua jam, sub Henrico II. Johanne I. & Henrico III. Regibus celebris fuit Laurentius Suarezius *de Figueroa*, Dn. *de Zafra* & *Feria*, Magister Ordinis S. Jacobi, post egregia facta extinctus A. C. 1409. Hujus ex Maria *de Orozco* filius Gomesius, pater fuit Laurentii atq; Petri; quorum ille primus *Comitis Feriæ* elogium meruit, genuitq; Gomesium, patrem Laurentii & Garsiæ, a matre cognom. *de Toledo* nacti. Laurentio, ex uxore March. *de Priego*, genitus Petrus Fernandus *de Corduba Figueroa*, fratres habuit Gomesium Ducem primum *Feriæ* & reliquorum satorem, atque Alfonsum Fernandezium *de Corduba* & *Aguilar*, neptis maritum, & Marchionum *de Priego*, continuatorem. Gomezius modò dictus, ex Johanna Dormeria, cujus proavus Anglus erat, pater fuit Laurentii, qui extinctus A. C. 1607. ex Isabella Mendozia, qui obiit A. C. 1593. reliquit Gomesium II Ducem *de Feria*, March *de Villalva*, (cui uxor obtigit Francisca fil. Antonii *Folch de Cardona ac Corduba Duc. de Sesa*) ac Inicum Lopezium *de Mendoza*, utrumq; nominis *Suarez de Figueroa*. V. Phil. Jac. Spenerum *Theatr. Nobil. Europ. Part. II. p.* 112. Alphonsus verò præfatus ex Catharina Fernandina *de Corduba*, pater fuit Petri Fernandini Cordubensis *de Figueroa*, March. *de Priego*, quo & Johanna Henricia de Ribera, geniti sunt Alphonsus Fernandinus *de Corduba* March. *de Priego*, Dux itidem *de Feria*, (cui ex Johanna Henricia *de Ribera* natus est Ludovicus Ignatius Ferdinandus *de Corduba Figueroa Aguilar*, March. *de Priego*, Dux *de Feria*, March. *de Montalvan* & *Villalva*, maritus Mariæ Annæ *de Corduba* & *Aragon*) Ludovicus Ferdinandus *de Corduba*, Catharina Fernandina (ux. Henrici *de Corduba* & *Aragonia* D. *de Cardona* & *Segorbia*) ac Johanna Henricia *de Corduba* (cui maritus obtigit Petrus Andreas March. *del Algava* & *Ardales*) V. Eund. *ibid. pag.* 74. & *Part. III. pag.* 87.

Feriæ, adde: nomen eis *à feriendis victimis*, Festo; *à fando* Isidoro, quòd in eis nobis sit tempus dictionis, i. in divino vel humano officio fandi: antiquis *Festæ* (Vossius legit *Fesiæ*) quamvis quædam erant sine festo, dies vocabantur, quibus ab omni opere cessabatur, Macrobius *Saturnal. lib.* 1. *cap.* 16. Festos dies, in sacrificia, epulas, ludos & *Ferias* distinguit. Harum aliæ erant *Publicæ*, quæ iterum vel *Stativæ*, vel *Conceptivæ*, vel *Imperativæ* vel *Nundinæ* fuerunt: aliæ *Privatæ*, quæ iterum vel propriæ erant familiarum, ut Claudiæ familiæ, Æmiliæ, Juliæ, Corneliæ &c. de quibus XII. Tabb. *Sacra privata perpetua manento*; vel singulorum, ut natalium fulgurumque susceptiones, aut funerum, aut expiationum, Festus. Apud Veteres quoque quicunque nominasset Semonam, Sejam, Segetiam, Tutilinam, *ferias* observavit, teste Macrobio: Flaminica item, quoties tonitrua audierat, feriata erat, donec Deos placasset. Cæterùm *Feriæ* publicæ indicebantur & proclamabantur singulis mensib' à Rege sacrorum & à Prætore: ab hoc quidem, ut esset vacatio à forensibus negotiis, ab illo autem sacrorum ritè peragendorum gratiâ, Varro *de L. L. lib.* 5. idque in hunc modum, ut Arnobius *adv. Gentes lib.* 2. scribit: *Lavatio Deûm matris est hodie: Jovis epulum cras est: Æsculapii geritur celebraturq; vindemia: Lectisternium Cereris erit Idibus proximis: Telluris natalis est* &c. Prætorem quoque *Ferias*, quæ *Compitalia* dicebantur, more Majorum, verbis olim solennibus concepisse, auctores sunt A. Gellius *lib.* 10. *cap.* 24. Macrobius *Saturn. lib.* 1. *cap.* 4. &c. Imò nec Compitalitias solùm, sed etiam omnes Conceptivas ac Imperativas, patet ex Suetonio *in Claudio*: *Observavitq; sedulò, ut quoties terra in urbe movisset, Ferias advocatâ concione Prætor in urbe indiceret.* V. plura apud Jac. Ræyardum *Varior. lib.* 5. *cap.* 19. Quid porrò *Feriis* fieri deberet, Cicero *de LL. lib.* 2. docet: *Feriis jurgia amovento, easq; in famuliis operibus patratis habento: itaq; ut ita cadat in annuis anfractibus, descriptum esto: certasq; fruges, certasq; baccas Sacerdotes publicè libanto: hoc certis sacrificiis ac diebus. Itemq; alios ad dies ubertatem lactis fœtusq; servanto: idq; ne committi posit, ad eam rem & rationem, cursus annuos Sacerdotes finiunto, quæq; cuiq; divo decoræ grataq; sint hostiæ, providento.* Et paulo pòst: *Feriarum festorumq; dierum rationem in liberis requietem habet litium & jurgiorum: in servis operum & laborum, quia compositio animi conferre debet, & ad perfectionem operum rusticorum, & ad remissionem animorum: per quod tempus, ut sacrificiorum libamenta serventur, fœtusq; pecorum, quæ dicta in lege sunt diligenter habenda ratio intercalando est.* Eas sc. Sacerdotes affirmabant pollui, quoties iis indictis conceptisque opus aliquod fieret: Præterea nec licebat Sacrorum Regem vel Flaminem videre *Feriis* opus fieri, atque ideo per præconem denunciabatur, ne quid tale ageretur, & præcepti negligens mulctabatur. Imò, qui imprudens talibus diebus aliquod opus fecisset, porco piaculum dabat; prudentem verò expiare non posse Scævola Pontifex asseveravit. Sed Varro negavit eum pollui, qui opus vel ad Deos pertinens, sacrorumque causâ fecisset, vel aliquid ad urgentem vitæ utilitatem respiciens, actitasset. Scævola denique consultus, quid feriis agi liceret; respondit, id quod prætermissum noceret: Quapropter si bos in specus decidisset, eumque paterfamiliâs, adhibitis operis liberasset, non est visus ferias polluisse. Quod idem SERVATOR noster de Hebræorum feriis, Sabbatho viz. divinitus instituto, pronuntiasse, legitur in Evangelio. V. Joh. Rosinum *Antiqq. Roman. lib.* 4. *cap.* 3. Datâ v. *Feriis* seu feriatis diebus vacationem ab omnibus forensibus fuisse negotiis, Ulpianus docet *lib.* 7. *de Offic. Proconsulis*, cùm inquit: *Divus Trajanus Minucio Natali rescripsit, ferias à forensibus tantùm negotiis dare vacationem: ea autem, quæ ad disciplinam militarem pertinent, etiam feriatis diebus esse peragenda: inter quæ custodiarum quoque cognitionem esse. Leg.* 9. *D. de Feriis.* Honorius tamen postea & Theodosius Impp. *in Constitut. ad Anthemium Præf. Prætorio*, quæstionem haberi de latronibus, etiam per tormenta præceperunt, nullo, ne sanctissimo quidem, die festo excepto, *Leg.* 10. *C. de Feriis.* V. Sam. Petitum *Comm. in Leges Attic. lib.* 1. *tit.* 1. Apud Athenienses, honori Apollinis datum est, ne Deliorum dies ultimo damnatorum supplicio polluerentur: unde Xenophon ac Plato observant, Socratem triginta dies (dum nempe Delum ibant redibantque Theori) in carcere & expectatione mortis exegisse post damnationem. Quod in aliis festis non observatum: Hinc cùm Phocion veneno sublatus est, ex plebiscito festum fuisse diem, annotat Plut. *in Phocione.* Neque certè pœnis convenit cum diei festi ac læti religione: itaque Romani hac in parte religiosiores Græcis extitere, ut ex præcedentibus patet. V. Eundem *paulò suprà.* Apud Christianos, hebdomadis singulos dies hoc nomine insignitos, à septimana Paschatis, ait Car. du Fresne. Cùm enim lege Constantini M. hebdomades illæ duæ, ante & post Pascha, *ἄπρακτοι* & *feriatæ* esse juberentur, factum est, ut quia posterior (quæ ut sola feriata esset, postmodum usus obtinuit) prima anni erat Ecclesiastici hebdomas, omnes dies, etiam reliquarum per annum septimanarum, *Feriæ* dicerentur. Primus igitur hebdomadis illius dies *Dominicus* dictus, qui sequitur, *Feria secunda*, & sic deinceps, V. eum *in Glossario*, ubi etiam de *Feriis Jovis*, superstitionis paganicæ specie, Christianis interdictâ, in Concilio Liptin. A. C. 743. & de *Feriis Messivis*, seu vacationibus Autumnalibus, quarum meminit Papinianus *lib. Resp. tit.* 3. Adde Macros Fratres, ubi *de Feria II.* quæ dicebatur *prima Sabbathi*: de Feria IV. *Cinerum*: *de Feria V in Cœna Domini*, in qua Sacerdotes omnes ac Clerus, ex decreto Soteris, communicant: *de Feria VI. Parasceves*: *de Feriis Augusti* & *de Feriis Legitimis*, sc. secundâ, quartâ & sextâ feriâ, qui dies pœnitentium jejunio destinati sunt, in Eccl. Roman varia habent *in Hierolexico.* Hinc *Feriatica*, apud Isidorum Mercatorem in Conc. Laod. *can.* 37. *Non oportet à Judæis vel Hæreticis* feriatica, *quæ mittuntur, accipere, nec cum eis dies agere festos*: in Græca Edit. ἑορταστικὰ dicuntur & Filesaco exponuntur, *quæ ad Festi celebritatem apparata erant*, seu usûs, seu ornatûs, seu voluptatis causâ, *Select. lib.* 1. *cap.* 7. *pag.* 84. ubi τὰ ἑορτῆς τὰ ξένια vocari *in Canonibus*, ut vocantur, *Apostolicis can.* 70. addit, apud Car. du Fresne *Glossar.*

Feriarum variæ species ac nomina.

Æstivales, delassatis Musis olim hodieque institutæ. His durantibus Athenienses in circumjacentes insulas & æstuaria, vel etiam villas amœniores secessere, A. Gellius *lib.* 1. *cap.* 2. Romani deliciis Campaniæ fruiti sunt, Idem *lib.* 9 *cap.* 15.

Anniversariæ, quæ singulis annis recurrebant: quibusdam etiam *Stativæ* dictæ

Compitalitiæ, erant feriæ annales, quas Prætor hac formulâ verborum concipere solebat: *Die Noni post Kalendas Januarias Quiritibus Compitalia erunt.*

Conceptivæ dicebantur, quæ quotannis à Magistratibus vel Sacerdotibus concipiebantur, in dies vel certos vel etiam incertos: ut fuere, Latinæ, Paganalia, Sementaria, & Compitalia.

Denicales, per triduum colebantur, ut interea familia funere polluta quibusdam ceremoniis purgaretur. His nec mulos quidem jungere licuisse, docet Columella.

Imperativæ, quas Consul vel Prætor pro arbitrio potestatis indicebat, vel imperabat. Eædem *Indictivæ* quoq; appellatæ sunt, & à quibusdam ad Conceptivas, ratione incertitudinis diei referuntur.

Laribus dicatæ, V. *Compitalitiæ.*

Latinæ, erant *Feriæ* conceptivæ annales, à Latinis populis dictæ, & a Tarquinio Superbo institutæ: quarum & sacrificii participes erant tribus minus 50. populi. Sed de iis V. infrà.

Messis Feriæ, a die 8 Kal. Julii usque in Kal. Augusti, concedebantur non Foro solum, sed Scholis quoque. V. *l.* 2. *C. de Feriis* & suprà quoq; in voce *Æstivales.*

Paganales, seu Paganalia, erant feriæ conceptivæ annales, de quibus V. *suo loco.*

Præcidaneæ, Græcis [illegible], à *præcedendo dictæ*: Quarum mentio apud A. Gellium *lib.* 4. *cap.* 6. & Scaligerum *in Festum.*

Privatæ, vel propriæ erant familiarum, quæ ferias observabant ex usu domestico, celebrâ,

lebrationis: vel singulorum hominum, ut Natalitiæ, Exequiales seu Denicales, Expiatoriæ & Fulgurum susceptiones,

Propriæ, eædem cum Privatis.

Publicæ nuncupabantur, quæ ad salutem publicam spectantes ab omnibus observabantur. Ut Stativæ, Conceptivæ, Imperativæ, ac Nundinæ.

Sementinæ, erant Feriæ conceptivæ annales. Incidebant in diem 8. Kal. Februarii, Ovidio, Varroni, Festo, Macrobio memoratæ.

Stativæ, fuere universi populi communes feriæ, certis & constitutis diebus ac mensibus & in fastis statis observationibus annotatæ, in quibus præcipuè servabantur Agonalia, Carmentalia ac Lupercalia. Plures Varro refert *de L. L. lib.* 5.

Studiorum *Feriæ* Saturnalibus erant tum enim non in Foro solùm vacatio, sed & Scholæ clausæ fuerunt, Plinius Jun. *lib.* 8. *ep.* 7. Martialis *lib.* 5. *Epigr. ult.* V. quoque suprà in *Æstivales* & *Messis feriæ*, ac infra in *Vindemiales*.

Stultorum *Feriæ* d. 13. Kal. Martii, quo Quirinalia celebrabantur, vigebant. Nomen iis, quòd cum quisq; in sua Curia Fornacalibus feriaretur & sacra faceret, stulta populi pars, quæ sua Curia esset, ignorans, rem divinam Fornacalibus omissam Quirinalibus faciebat, Festus.

ob Successionem Imperatoris ferias imperatas fuisse, memorat Rosinus *Antiqq. Rom. loco suprà laudato*.

Victoriæ feriatus dies in Augustum incidebat; Interim ob victoriam ab Imperatore partam ferias imperatas quoque esse, docet Idem.

Vindemiales, à decimo Kalend. Septembris usque in Idus Octobris, celebrabantur, definiente Theodosio, V. *l.* 2. *C. de Feriis*. Non in Foro solùm iterum, sed & in Scholis. Meminit Augustinus *lib.* 9. *cap.* 2. *Et opportunè jam paucissimi dies supererant ad Vindemiales ferias, & statui tolerare illos, ut solenniter abscederem.* Item Minutius Felix, *in Octavio*: *Sanè & ad vindemiam feriæ judiciariam curam relaxaverant.* Quod Cyprianus quoq; testatur *Epist. ad Donatum*. Eas ad æstivales quidam referunt, sed propriè per æstivas ferias, Messivas intelligi debere, utpote quia illæ æstati, Vindemiales auctumno potiùs competebant docet Jac. Oiselius *Notis in A. Gell. lib.* 9. *cap.* 15. V. suprà in *Æstivales*.

Vulcani *Feriæ* celebrabantur die 11. Kalendarum Junii &c.

Feriæ Latinæ, quæ etiam simpliciter *Latinæ*, apud vett. Romanos celeberrimæ, primùm uno solùm die constabant, instituente Tarquinio: exactis inde Regibus, addiderunt alterum primi Consules: foedere postmodum cum Latinis populis icto, paulo post secessionem in Montem Sacrum (quam & causam Ædilium Pl. creatorum fuisse, indicat Dionysius, ut Ludorum qui *Feriis Latinis* fiebant, curam haberent) accessit tertius: deniq; post atrox certamen de Consulatu cum Plebe communicando reductâ concordiâ, quartus adjectus est, testibus eodem Dionysio Halicarn. *lib.* 6. Plutarcho *in Camillo*, & Livio *lib.* 6. *cap.* 42. Reliqua V. infrà, ubi *de Latinis Feriis*.

Feris, apud Romanos, in arena sontes objecti primùm sunt, Appio Claudio & M. Fulvio Coss. à quo horrore publico edicto matronæ sunt summotæ. Meminit immanis spectaculi Tertullianus *lib singulari*, ubi hoc modo defunctis parentatum fuisse graviter conqueritur. Objiciebantur autem illis homines, vel soluti, ut historia de Androdo, apud A. Gellium *lib.* 5. *cap* 15. docet, vel vincti: Ita enim homines cruci affixi, in publicis spectaculis, frequenter à bestiis lacerati sunt. Unde de Laureolo Martialis *lib.* 1.

Qualiter in Scythica religatus rupe Prometheus,
Assiduam nimio pectore pavit avem.
Nuda Caledonio sic pectora præbuit urso,
Non falsa pendens in cruce Laureolus.

Vopiscus in *Aureliano*: *Sanè Mnestheus postea, surrectus ad stipitem, bestiis objectus est* &c. Quem morem infamis & infanda illa turpitudo Neronis expressit, quâ *Viros Feminasq; ad stipitem deligatos, ipse feræ pelle contectus emissus è cavea*, medios invadebat apud Suetonium *in eo*, *cap.* 49. Cujus mentio quoque apud Xiphilinum è Dione: [Greek illegible]. In Christianos præcipuè hæc crudelitas postea exercita est. Hinc Paulus Ap. se Ephesi θηριομαχῆσαι, *cum feris pugnasse*, memorat: & de Blandina martyre narrat Eusebius *lib.* 5. *cap* 1. eam in ligno suspensam ac prostitutam lanienæ incurrentium ferarum, ob continuam orationem, multam alacritatem injecisse certantibus. V. Justum Lipsium *de Cruce lib.* 3. *cap.* 11. Similiter Ignatium, Præsulem Antiochenum, Romam deductum esse, ut ibi bestiis in Circo objiceretur, narrat suprà laudatus Eusebius *lib.* 3 *cap.* 32. & nota acclamatio: *Christianos ad Leones.* Hodie in Imperio Magni Mogoris non alia certior ad honores & summas dignitates via est, quàm cum *Feris* certamen, quod solo acinace instructi suscipere tenentur; gravissimâ in eos poenâ statutâ, qui aliud quoddam armorum genus præter eum adhibuissent, testibus *Indicarum rer.* Scriptoribus. V. suprà in voce *Bestiarii*.

Fermentacei, & *Fermentarii*, à Latinis per contumeliam Græci appellati sunt, quòd *fermentato* pane, in S. Eucharistia, uterentur; sicut hi illos vicissim *Azymitas* dixerunt. V. Rigordum A. C. 1201.

Fermentum, apud Plautum *in Casina*, de muliere, quæ irâ & indignatione exardescebat,

Nunc in fermento *tota est, ita turget mihi*:

quid sit notum. *Ex ipsa farina fit, quæ subigitur priùs, quàm addatur sal, ad pultis modum decoctâ, & relictâ, donec acescat*, Plin. *lib.* 18. *cap.* 11. Sicque mixtum farinæ, exiguâ quantitate, massam fervefacit & attollit, Lucæ *cap.* 13. *versu* 21. Ὁμοία ἐστὶ ζύμῃ, ἣν λαβοῦσα γυνὴ ἐνέκρυψεν εἰς ἀλεύρου σάτα τρία, ἕως οὗ ἐζυμώθη ὅλον, *Simile est* (Regnum Dei) *fermento, quod acceptum mulier indidit in farinæ sata tria, usq; quò fermentaretur tota.* Validiora nempe esse corpora, *quæ fermentato pane aluntur*, palàm est, Plin. *ibid.* Interim à Sacris illud maxima parte abesse, voluit Deus. Levitici *cap.* 2. *versu* 11. *Nullum munus, quod offeretis Jehovæ, conficitor fermentatum: nam ex nullo* fermento *& ex nullo melle adolebitis.* Quod Judæi propter idololatras factum hariolantur, cum q, iis rebus illis ad sacrificia uterentur, Deum contrariis ritibus placari voluisse. Apostolus verò ad mores refert, 1. Cor. *cap.* 5. *vers.* 7, 8. & Galat. *c.* 5. *vers.* 9. Nempe in fermento, etsi alioqui ad vitam hanc utili, corruptionis tamen symbolum ipsi quoque Ethnici agnovere. Unde Plut. *Quæst. Rom.* 109. scribit, non licuisse Flamini Diali fermentum tangere, quod & ipsum natum ex corruptione, & farinam, cui admiscetur, corrumpat: qua de re plura apud A. Gellium *lib.* 10. *cap.* 15. & Ant. Thysium ac Jac. Oiselium *Not. ad illum*. Inprimis vero in Paschate usus ejus prohibitus. Quam vis enim in oblationibus ex rebus inanimatis fieri solitis, quæ מנחה *minhah* Hebræis, maximè quæ fiebant ex simila, *fermentum* adhibere nefas esset: (de quib⁹ Levitici locus intelligendus) V. quoque Amos *cap.* 4. *vers.* 5. in sacrificiis tamen aliis, in quibus Hebræi agitabant convivia ex carnibus sacrificiorum poterant uti pane fermentato: quod contra Tacitum notandum *Histor. lib.* 5. azymis semper usos fuisse Judæos, tradentem. At Pascha mactare non licebat, donec fermentum omne ex domibus expurgatum esset, idque per integrum septiduum, sub poena non exclusionis solùm ex communione Ecclesiæ Israelis, sed etiam mortis transgressoribus irrogandæ, Exodi *cap.* 12. *vers.* 15 *cap.* 23. *vers.* 18. & Deuteron. *cap.* 16. *vers* 2. V. A. Rivetum *Commentar. in Exod. l. c.* & suprà ubi *de Azymorum Festo*. Adde Jo Buxtorfium *Synag Judaic. cap.* 12. ubi de inepta ac superstitiosâ hodiernorum Judæorum circa hanc legem scrupulositate varia habet. In oblatione tamen primitiarum, quæ fiebat festo Pentecostes, duos panes fermentatos offerre licebat, ex lege Levitici *cap.* 23. *versu* 17. V. quoq; *cap.* 2. *vers.* 12 Quod factum ideo docet Bermannus, ut hoc pacto reliquiæ veteris hominis in iis, qui in Christo sanctificantur, adhuc in hac vita superstites, indigitarentur, *Meditat in h. l.* &c. Plura *de Fermento*, inprimis *de variis Veterum illud conficiendi modis*, V. apud Plinium ubi suprà.

Fernandina, nomen Familiæ Ducalis in Hispania, quæ Toletanæ ramus est, cui initium dedit Petrus, ab Alfonso VI. post Toletum urbem devictam, *Toletani* nomen meritus. In hujus enim posteris Garsias Alvarus filios habuit duos, unum Petri cognominem; alterum Fernandum Alvarum: duorum ramorum auctores. Fernando Dno. *de Valdecorneja* præter Garsiam Alvarum Archiep. Toletanum, genit, Ferdinandus Alvarus *de Toledo* Dn. *de Higares*, titulum hunc ad posteros transmisit; ac utroque major Garsias Alvarus, pater fuit Ferdinandi, qui primus *Comes Albæ*, sive *de Alva de Tormes* nominatus est. Hujus filius Garsias Alvarus Com. *de Salvatierra*, March. *de Coria*, Ducatus Albæ axinma à Rege obtinuit. Inter cujus liberos Fernandus Dominos *de Villora*, Garsias *de Horcajada*, Petrus *de Mancera* dedit; sed primogenitus Fridericus *Alvarez* Ducalem dignitatem propagavit: Pater Garsiæ Alvari, à quo reliqui Duces *de Alba & Huesca* descendunt, & Petri Proregis Neapolitani, ex uxore Osoria Pimentellia March. *de Villa Franca*, Marchionum reliquorum cum cognomine *de Toledo Osorio* genitoris: quibus etiam titulus *Ducum de Fernandina* & Principum *de Montalvan* accessit, in Garsia I. Petri præfati & Mariæ Osoriæ filio. Is enim March. *de Villa Franca*, Dux *de Fernandina*, ex Victoria Columnia, pater Petri fuit: quo & Elvirâ Mendozia genitus Garsias II. *de Toledo Osorio* Dux *de Fernandina*, Mariam *de Mendoza* conjugem nactus, ex ea Familiam propagavit. V. Phil. Jac. Spenerum *Theatr. Nobilit. Europææ Part. II. pag.* 89.

Ferrandus, in *Chartâ* vet. apud du Fresne, *Et laxo Sancti Salvatoris & sanctâ fide caballum meum ferrandum*; & apud Guil. Britonem *Philipp. lib.* 12. ubi de Ferrando Com. Flandriæ capto in prælio Bovinensi:

At Ferrandus equis evectus fertè duobus,
Lecticâ duplici temone vehentibus ipsum,
Nomine quos illi color æquivocabat, ut esset
Nomen idem Comitis & equorum, Parisianis
Civibus offertur, Lupara claudendus in arce:

Color in equis est, sic appellatus; Fortè quem *Varium* olim vocabant, vulgo *Pommelé*, Gall. voce ortâ à colore equorum Arabi-

eorum, quos *Varas* appellabant, uti diximus. V. Car. du Fresne *in Glossario* & *Notis ad Alexiadem Annæ Comnenæ pag.* 409.

Ferratum, in Necrolog. Eccl. Rejensis, apud Sammarthanos A.C. 1316. vas fortè in Eccl. Rom. in quo aqua benedicta defertur, *Selles* in quibusdam Galliæ provinciis dictum, q. *Seilles*. Unde *Sellatum* conjicit legendum esse du Fresne. Propriè verò *ferratum* est & *sidêrôménon*, *quod ferro inductum & munitum est*: ut *ferrati obices portarum*, apud Ammianum *lib.* 21. qui *sidêrôménoi mochloi* Græcis. Sic Germanicus in *Arateis*,

Qualis ferrato subjcis clavicula dentes,
Succutit & foribus præducti vincula claustri.

Repete ex seqq. *claustro*. Non enim *ferrati dentes* clavi rectè dicantur, qui toti *ferrei* sunt. unde non bene vulgò *ferratos* legitur, quasi ad *dentes* hoc epitheton pertineret. Salmasius *ad Solinum pag.* 931.

Ferrebrachia, cognom. Guilielmi fratris Roberti Guiscardi, ob præclaram in bellis fortitudinem, quâ hostes æquè facilè, ac si ferreo uteretur brachio, conterebat. Guilielmus Apul. *de Gestis Norman.*

Is, quia fortis erat, est ferrea dictus habere
Brachia, nam validas vires animumq; gerebat.

Et *lib.* 2.

—— —— *Vir* ferrea *dictus habere*
Brachia *Guillelmus* &c.

Aliâ notione *Bras de Fer* Gallis dictus est Franc. Lanovius, Vir fortissimus, cujus vitam vernaculo sermone conscripsit Amyraldus Theologus Salmur. quem vide. Apud Suenonem *Hist. Dan. cap.* 7. Biornum quendam *Ferreum latus* dictum esse ob eximiæ nempe itidem *strenuitatis dignitatem*, observavit Car. du Fresne *Glossario*.

Ferreira, nomen Familiæ in Hispania illustris, quæ Portugallicæ stirpis est ramus. Cùm enim è naturalibus liberis Regum tres præcipuæ lineæ descenderint, prima à Dionysio Dn. *de Cifuentes* & deinde *Alba de Tormes*; Petri R. ex Agnete *de Castro* filio: Media Bragantina fuit, cujus auctor erat Alfonsus D. Brigantiæ ac Com. *de Barcellos*. Johannis I. Regis nothus. Ejus enim major natu filius Ferdinandus I. post Patrem Ducatum obtinuit, genitor trium filiorum; quorum primus Ferdinandus II. Duces continuavit: Tertius fuit Alfonsus, à quo Comites *de Faro*, *Odemira* atq; *Vimiero*, cogn. *de Faro* & *Noregna* orti sunt: Medius Alvarus Dn. *de Ferreira* numerosam posteritatem habuit, in qua alii cum nomine *de Mello*, Marchiones *de Ferreira* atq; Comites *de Tentugal*; alii Marchiones *de la Tour de Laguna*, alii Com. *de Gelves*, alii demum Duc. *de Veragua*, ac Marchiones *de Jamaica* appellati sunt. Et quidem, quod Marchiones *de Ferreira* attinet, Alvari præfati, ex Philippa *de Mello*, filius Rodericus *de Mello*, March. *de Ferreira*, Com. *de Tentugal*, ex Leonora de Almeida, genuit Franciscum I. quo & Eugeniâ Bragantinâ, natus Nunius Alvarus, ex Mariana *Mosqueso*, suscepit Franciscum II. *de Mello* March. *de Ferreira*, Com. *de Tentugal* (qui maritus primò Mariæ filiæ Lupi Osorii Com. de Altamira, dein Johannæ fuit. Antonio Pimentello March. *de Tabara* genitæ) Rodericum Archiep. Eborensem (defunctum A. C. 1641.) Eleonoram (ux. Emanuelis *de Moura* March. de Castello Roderici) & Johannam N. Manricio *de Silva* March. *de Portalegra*, nuptam. V. Phil. Jac. Spenerum *Theatr. Nobil. Part. II. pag.* 43. & *in Indice*: tertiam verò lineam è Portugalliæ nothis oriundam, *suo loco*.

Ferreta, adde: Hanc cum Suntgoia, aliisque terris marito Alberto Contracto Archid. Austriæ, attulit Joanna, Ulrici postremi Pfirtensium Comitum fil. eamque Carolo Audaci Burgundo centum aureorum millibus venditam Sigismundus Austrius, Friderici III. Imp. frater, victo isto ab Helvetiis occisoque, an redditis nummis, recepit. Transiit postmodum unà cum Altatia aliisque, pactione Monasteriensi, ad Galliæ Reges, non sine Episcoporum Basiliensium querela, ad quos *directum*, ut appellant, *dominium* Comitatus hujus spectaverat, satisfieri sibi ob adempta immeritis jura hisce nuperisq; Imperii Comitiis frustra precatos. V. Tob. Pfannerum *de præcip. Germ. Principum Gentibus cap.* 1.

Ferreum Lignum, in *Macao*, urbe Sinici Imperii, quæ haud pridem Lusitanis suberat, hisce dicta est arbor indigena, quòd colore, pondere ac duritie *ferrum* durissimum æquet, imò nec aquis supernatet, sed subsidat: unde instrumenta quæque ad perpetuitatem præbet. Ejusdem generis arbores ingentes visuntur in *Chaoking*, prope *Teking*, in monte *Cooleang*. Auctor Anonymus *Sina & Eur. cap.* 34.

Ferreus Annulus, antiquissimo in usu apud Romanos. Primus enim ejus Reip. temporibus, ne Senatori quidem jus erat aureum gestare; sed his tantùm, qui Legati ad exteras gentes ituri essent, annuli ex auro dabantur, *Credo*, dicente Plinio, *quoniam ita exteris honoratissimi intelligebantur*. Atque hi ipsi, Legatione perfuncti annulo publicè accepto non nisi in publico utebantur, intra domos *ferreis* contenti, teste eodem *lib.* 32. *cap.* 1. Imò &, cùm non Senatores solùm, verùm etiam Equites aureos annulos paulatim usurparent; fuisse tamen memoriâ Avorum etiam inter Senatores, qui *Præturâ quoq; functi in ferro consenuerint*, tradit idem Plinius: qui quoque, Divo Augusto decurias ordinante, *majorem partem Judicum in ferreo annulo fuisse*, auctor est. Sed & ipsi Triumphantes retinuerant priscæ simplicitatis vestigia. Nam *ferreo* annulo usos fuisse Imperatores Romanos, cùm curru aureo gemmisque magnificè ornato de hostibus victis triumphantes in Capitolium inveherentur, idem sæpius jam laudatus Auctor refert *d. l.* Quod tamen fiebat, præter communem morem & ad retundendam Victoris arrogantiam: Aliàs enim Senatoribus primùm, exin Equitibus, aurei annuli fuisse jus, notum est. V. Joh. Kirchmannum *de Annulis cap.* 15. Quorum usu increbrescente, *ferrum* inter servos habitum: Quanquam fuere, qui novitio quodam invento aurum ferro superinducerent, vel etiam merum purumq; aurum decolorarent & in ferri speciem deformarent; sic aurum gestantes, ut gestare ferrum crederentur. Ita enim rectè interpretatur Lipsius verba Plinii, servorum fraudem & occultam in annulis superbiam perstringentis: *Nec non & servitia jam ferrum auro cingunt; alii per sese mero auro decolorant.* Annulum autem hunc servis ad usum potiùs, nempe ad signandum, quàm ad ornatum, fuisse, refert Apulejus *lib.* 10. *Donec jussu Magistratuum ministeris publica contrectatis nequissimi servi manibus annulum ferreum deprehensum cum signo sacculi conferunt* &c.

Ferrugo, ut habet Servius *ad Æneid. lib.* 9. *coloris genus est, vicini purpuræ subnigræ*. Unde de hyacinthis, Virgil. *Georg. lib.* 4.

Et pinguem tiliam & ferrugineos *hyacinthos*.

h. e. purpureos aut subpurpureos; uti hanc vocem interpretatur Sam. Bochartus *Hierozoici Parte poster. lib. V. cap.* 10. V. infrà ubi de *Hyacinthis*, item *Purpurâ*.

Ferrum, optimum pessimumque vitæ instrumentum: *Siquidem hoc tellurem scindimus, serimus arbusta, ponimus pomaria, vites squalore deciso annis omnibus cogimus juvenescere. Hoc exstruimus tecta, cædimus saxa, omnesq; ad alios usus ferro utimur. Sed eodem ad bella, cædes, latrocinia, non cominus solùm, sed etiam missili volucriq;, nunc tormentis excusso, nunc lacertis, nunc verò pennato: quam sceleratissimam humani ingenii fraudem arbitror. Siquidem, ut ocyùs mors perveniret ad hominem, alitem illam fecimus pennasq; ferro addidimus*, Plin. *lib.* 34. *c.* 14. Unde in fœdere, quod expulsis Regibus populo Romano dedit Porsena, nominatim comprehensum est, *ne ferro, nisi in agricultura, uterentur*, *Ibid.* Indidem verò Deorum simulachra conflabantur: Namque Thebis olim *ferreus* Hercules fuit, quem fecit Alcon, laborum Dei patientiâ inductus. Scyphi item fiebant, quales Romæ dicatos in templo Martis Ultoris idem memorat. Scribendo porro inserviebat, ut videre est, ubi de *Graphio* & *Stylo*. De annulis ex eodem metallo factis, diximus suprà. Sed & hodieque, *Ferrea Corona* Caroli M. quâ Aquisgrani olim Imperatores exornabantur, inter Imperii cimelia recensetur, non vulgò solùm, sed & passim in Eruditorum scriptis. Verùm ex puro puto auro fabrefactam eam, sic tamen, ut in ea Veterum laudabilis parcitas satis eluceat, docet Hartm. Maur. *de Coronatione Caroli V.* apud Goldastum *in Polit. Imper. part.* 3. *discurs. pag.* 271. V. quoque Marq. Freherum *Not. ad Petr. de Andlo l.* 2 *de Rom. Imp. cap.* 6. Quin & Mediolanensem coronam, quâ eosdem in signum Lombardici seu Italici Regni insigniri consuetudo fuit, ex auro fuisse, circulo saltem interiori ferreo intertextam, hincque *ferrea* nomine Scriptoribus nonnullis indigitatam, docet Auctor *Limnæi Enucleati lib.* 1. *cap.* 15. In Tabernaculo V. Testam. cùm ex auro, argento ac ære vasa sacra essent, ad excoriandas tamen victimas unci *ferrei* adhibebantur. Et quamvis Templum postmodum sine mallei ictu aut serræ strepitu perfectum esset, ex lapidibus exasciatis, ad hos ipsos tamen præparandos ferro opus fuit. 1. Regum *cap.* 6. *vers.* 9 &c. Ipsa ejus rubigo, quâ *Natura benignitatem exigere ab ipso pœnas*, idem Plinius ait eleganter; Aristonidæ Artifici utilis fuit, in furore exprimendo Athamantis, Learcho filio præcipitato residentis, pœnitentiaq; simul indigitanda: *Ferrum enim & æs miscuit, ut rubigine ejus per nitorem æris relucente, exprimeretur verecundiæ rubor*, *Ibid.* Inventum autem *Ferrum* in Creta est, à Dactylis Idæis, si eidem fides, *lib.* 7. *cap.* 56. ante argentum aurumque, *Ibid.* Fabricam ferrariam primi excogitarunt Cyclopes: fundendi modum Theodorus Samius; ferruminandi rationem, Glaucus Chius; Telchines primi ex ære & ferro varia opera fecerunt, testibus Pausaniâ *in Phocicis*, Strabone *lib.* 20. Aliis; quam in rem V. plura apud Cœl. Rhodiginum *lib.* 15. *cap.* 14. 15. & *lib.* 18. *cap.* 5. Priùs nempe fundi necesse est, & cùm fragile sit, postea in alias fornaces transferri, ut ductile fiat, quod *sphyrêlaton*: hinc in regulas rotundas produci consuevit, quod *sphyrêlaton* dicebant Græci, à voce *hêlos*, *clavus*, quâ & regulæ illæ indigitabantur, uti pluribus docet Salmasius *ad Solinum p.* 1076. & *seqq.* ubi *de variis ferri ad aciem faciendam temperaturis*. Ut de patria aliquid addam, *Ferri metalla ubiq; propemodum reperiuntur*, Plin. ubi suprà: quod divinitus haud dubiè factum, cùm nihil fere in humana œconomia sine ferro perfici possit. De Insula Ilva seu Elba, in mari Tusco, sigillatim memoratur, in ea tantam esse ferri minerarum copiam, ut tota Insula non nisi *Ferrum* dici possit, quod etiam infimæ notæ non est, sed nobilissimum & præstantissimum omnium in Europa. At in Sinis ferrum, quod prov. Quantonia suppeditat, tale est, ut fistulæ ex eo fusæ pro bombardis nunquam dissiliant, sed, si nimio in-

faciant,

fariantur pulvere, vimque ignis ferre non possint, ad summum fundantur aperianturque non rarò sine additamento noxa. Fortè quòd ligneo carbone illic ferrum liquefit, qui lentitudinem illi aliquam conciliet: non fossili, qui illud nimium indurat constipatque. In eodem Imperio, in prov. Suchuena, circa urbem *Kiencheang* mons est *Tsexe*, è cujus lapidibus igne liquatis destillat *ferrum*, ad acinaces & gladios aptissimum, Auctor Anon. *Sinæ & Europ. cap.* 30. Unde & Plinius sæpe laudatus, *Ex omnibus*, inquit, *generibus palma Serico ferro est. Seres hoc cum vestibus suis pellibusq; mittunt*, d. l. V. quoque eum *cap. seq.* & præter Auctores jam dictos, Auctorem Anonymum *Histor. Orbis Terr. cap. de Commerciis*: nec non infrà, ubi de *Fodinis*. De *Ferri onere*, pœnæ levioris specie, apud Anglos, V. in *Fleta lib.* 1. *cap.* 26. §. 4.

Ferrum Candens, seu *Ferri candentis judicium*, purgationis genus medio ævo celebre, quo quis innocentiam suam tuebatur, nudâ manu *ferrum candens* deferendo, hac illæsâ, ritûs origine è veteri Ethnicorum superstitione, de qua Sophocles *in Antigona*, cùm ait:

> Ἦμεν δ' ἕτοιμοι καὶ μύδρους αἴρειν χεροῖν,
> Καὶ πῦρ διέρπειν, καὶ θεοὺς ὁρκωμοτεῖν.
> *Nos etiam parati fuimus vel ferrum candens tollere manibus,*
> *Et per ignem ambulare, & per Deos jurare* &c.

Danis *Jern byrd* vel *Jarn byrdh*, ut est apud Isaac. Pontanum *in Dania Descript p.* 772. Spectavit autem eos, qui vel ob ætatem, vel ob ægritudinem aliquam duellum inire non poterant: præsertim verò liberos homines, sicut *Aqua* fervidos. Apud Aragonenses tamen *villanos* quoque spectasse, videtur innuere *Charta* Sanctii Regis Aragon. apud du Fresne *Glossar.* Porro Monachis & Clericis id purgationis genus usitatum fuisse, uti Duellum secularibus, ex vet. *Not.* apud Charlonium *Notis ad Histor. Ingulfinam. Croilan*, idem docet Pachymeres *Histor. lib.* 1. *cap.* 12. eum, qui ad hoc Judicium se offerebat, triduano prius jejunio & oratione sumptaque S. Eucharistia, se parare consuevisse; custoditum interim & manu velo obsignata, cui sigillum adponebatur, ne quis eam unctionibus, adversus ignis sensum roborantibus, muniret: tum productum in medium, arrepto nudâ manu igni to ferro, ter definitum spatium emensum esse, tradit; id quod etiam firmant *LL.* Æthelstani R. *Saxonic. cap.* 23. & Sueno supra laudatus. qui tamen, non ante initum judicium, sed post illud peractum, per triduum continuum, obsignatam manum fuisse servatam, docet. Addit præterea idem Pachymeres, μύδρον hunc seu ignitum istud ferrum ἅγιον, *sanctum*, appellatum, quòd à Sacerdote benediceretur, ut colligitur ex Honorio Augustod. *lib.* 1. *cap.* 18. oratione, quam recitant Aventinus *Annal. Bojor lib.* 4. Lambardus *in Gloss. ad LL. Saxonic.* voce *Ordalium*, & Goldastus *Rer. Alemannic. Tom. II.* Interdum verò chirothecæ formam habuisse *ferrum* hoc, auctor est Saxo Gramm. *Histor. Danic. lib.* 10. *pag.* 171. Asservabantur autem esse, in iis Templis Monasteriisque, quæ ejusmodi judiciorum vulgarium jus habebant, habetur in *Charta* Fontanellensi A. C. 1083. nuper editâ, inter Concilia Ecclesiæ Rotomag. Jam verò Ritus omnes ac Ceremonias, quibus istiusmodi Judicium peragebatur, suggerunt *LL.* Adelstani R. apud Bromptonum *pag.* 856. Concilium Grateleanum, A. C 928. *can.* 7. Andr. Suenonis Archiep. Lundensis *LL. Scaniar. lib.* 7. *cap.* 15. Alii, magno numero laudati Carolo du Fresne *in Glossar.* Prohibuere tandem purgationem hanc alias, consimiles Fridericus I. Imp. in *LL. Sic. lib.* 2. *tit.* 31. Jacobus I. Rex Aragoniæ, in *Foris* Oscæ A. C. 1247. Alexander II. Rex Scotiæ, in *Statut. cap* 7. §. 3. &c. ex Pontificibus, Stephanus, Alexander III. Innocentius III. Honorius III. Alii. In Dania, Suenem Ottonis, qui Rex Daniæ dictus est A. C. 981 postquam Christi fidem recepit, duello abrogato, decrevisse, ut igniti ferri gestatione postmodum se purgarent, tradunt Saxo Gramm. *lib.* 10. & Ericus Upsaliensis *Histor. Suec. lib.* 1. *extr.* Quando verò ibidem *Ferri Judicium* abolitum sit, pluribus expendit Olaus Wormius *in Monumentis Danicis lib.* 1. *cap.* 11. &c. V. quoque infrà, *Ordalium*.

Fert, vetus Comitum atque adeò Sabaudiæ Ducum, uti vocant, *divisa* est, quam ante A. C. 1300. sibi adscripsisse, probat Guichenonus *Histor. Sabaud. pag.* 140. & 141. Fortè ex *Fert*, quo modo unum ex auguriis per avium volatus, quæ nec fausta, nec infausta erant, appellatum olim fuisse, docet Mich. Scotus *Physiognomia cap.* 56. *Sciendum est, quòd auguriorum quædam significant bonum eventum, ut Confert & Emponenib: quædam malum eventum, ut Viarum & Harenari: & quædam medium inter utrumq;, ut Fert & Confert.* Nempe fieri potest, ut qui ex illustrissimis illis Principibus lemma istud primus usurpavit, in animo habuerit, æqualitate Fortunæ, quam cæteris prætulerit seu mediam vitæ rationem, quæ nec altum saperet, & prosperis rerum successibus erigeretur, nec adversis deprimeretur, hoc pacto denotare &c. V. Car. du Fresne *in Glossar*,

Ferta, Melitensibus dicitur eleemosyna, quæ tempore *Offertorii*, vocant, colligitur. Dom. Macer. *in Hierolex.* At *Fertum*, libi genus apud vett. Romanos, V. suprà *Ferctum*.

Ferthingus, apud Anglos, in nummo argenteo, dicitur quarta pars denarii: Item nummus aureus quandoq; apud eosdem sic vocatur, quartam *Nobilis* partem valens, h. e. 20. denarios vett. qui hodie 5. solidos excedunt. Anglis *Farthing*. V. du Fresne *Glossar.*

Ferula, adde: Græcè Νάρθηξ, posterioribus Scriptoribus Latinis Byzantinisque, idem, quod prioribus *Labarum* dictum est, Car. du Fresne; cui Imperatorum idem fuit gestamen, etsi postmodum non eadem utriq; forma & figura fuerit. Labarum quippe fuit, quadratum ex panno aut serico confectum, Christiq; insignitum monogrammate. At Narthex *ferulæ* solidæ speciem prætulit, quæ paulò longior quàm latior fuit: Unde Medicos quosdam Νάρθηκας libros suos nuncupasse, monitum eidem *ad Alexiadem*, quòd libri speciem *Ferulæ* omnino referrent. Cujusmodi narthex præclarè effingitur, in Bulla plumbea Balduini II. Imp. CP. diplomati A. C. 1241. appensâ: in qua ipse Imperatorio habitu sedens, dextrâ virgam tenet, in cujus parte superiori nescio quid quadratum longius eminet, fimbriâ circumdatum & ad extremos angulos globulis vel margaritis exornatum: ab inferioribus verò angulis pendent vittæ, margaritis pariter distinctæ: hastæ extremum claudit globulus, seu margarita grandior, cui minor insistit. Narthecem ipsum exteriorem exornat circulus ovali figurâ unionibus contextus. At in *ferulis*, quæ effinguntur in nummis, apparent fere semper in quincuncem dispositæ margaritæ: ita ut liquido evincatur, diu servatas esse Labari seu Christi Monogrammatis reliquias. Scribit certè Codinus, moris esse, ut quando Imperator gestat stemma, dextrâ crucem, sinistrâ Νάρθηκα teneat. *de Offic. c.* 17. *n.* 37. Simeon vero Thessalon. *Ferulam* gestari ab Impp. tradit, in potestatis iis indultæ subditos castigandi symbolum, verba Latinè sic habent: *Insuper etiam virgam assumit, non gravem quampiam & auream, sed levem & mollem: ut nimirum cum mansuetudine castiget, non verò cum iracundia, aut quavis pernicie, neq; aut confringat aut perdat.* Ita Magistrorum aut Pædagogorum *ferulas* arbitrati sunt sequiores Græci, quæ revera Labara extitere C. du Fresne *Dissert. de Inf. ævi Numism. n.* 21. Transiit insigne hoc potestatis, ab Imperatoribus ad dignitates Ecclesiasticas, tum in Græca, tum in Latina Ecclesia, & alias *Baculus Pastoralis*, & *cambuta*, & *pedum* dicitur, Honor. Augustodun *lib.* 1. *c.* 216. Sic Νάρθηξ Patriarcharum occurrit apud Pachymerem *lib.* 11. *cap.* 1. *Ferula Abbatum* apud Leonem Ostiensem *lib* 3 *c.* 65. *Ferula Episcoporum* in *Annal.* Francorum Bertin. *A. C.* 858. 869 *Ferula Papalis*, apud Baronium, A. C. 1100. ubi de electione Paschalis II. &c. V. supra in vocibus, *Baculus, Cambuta* &c. Sed & *Ferulæ*, cornua sunt bimulis cervis nascentia, quæ aliàs *Subulæ*, Græcis ῥαβδίαι & πασσάλοι, Gallis *dagues*, de quibus V. Salmasium *ad Solinum p.* 221 & *seqq.* Propriè verò *Ferula*, arboris genus, Baccho sacræ, cujus corymbis coronis adhibebantur olim: de qua Plinius passim, alibi in primis 13. *c.* 17. ista habet: *Ferula calidis nascitur locis, atq; trans maria, geniculatis nodata scapis. Duo ejus genera: Narthecia Græci vocant assurgentem in altitudinem; Narthecium verò semper humilem. A geniculis exeuntia folia maxima, ut quæq; terræ proxima. Cætera natura eadem, quæ anetho & fructu similis. Nulli fruticum levitas major, ob id gestatu facilior, baculorum usum senectuti præbet.* Neq; verò ad gestandum solùm, sed & ad feriendum ferulæ usus est, Unde Martialis *Epigr.* 80. *lib.* 14. cujus lemma *Ferula* est,

> *Invisæ nimium pueris, gratæq; Magistris*
> *Clara Prometheo munere ligna sumus.*

Nempe eandem igni servando utilem (cava enim in ferula Prometheum Jovi surreptum ignem demisisse, canit Hesiodus) & pueris verberandis ait: quâ de *Magistrorum ferula* alibi. Sed & *ferulâ percuti*, inter pœnas olim delinquentium Monachorum, recensetur in *Vita* S. Galli. &c.

Fescennia, adde: Nubentibus, prætextis depositis, à multitudine puerorum, qui ad eam celebrationem frequentes conveniebant, obscœna olim acclamabantur, versusq; *Fescennini*, mollitie ac lasciviâ diffluentes, cujus moris plurima apud Veteres extant vestigia. *Fescenninorum* certè *Tripudiorum*, quæ admodû impudica erant, meminit Jul. Cæs. Scaliger *Poet. lib.* 1. *c.* 18. qui *ejusd. libri c.* 10. *quod Mimus est, ex Comœdia, hoc Fescennina carmina, ex Atellana esse*, docet.

Feschius Johannes Jacobus, Syndicus Basiliensis celeberrimus, Filius Remigii Consulis, post navatam in Academia Patria Literis elegantioribus ac Jurisprudentiæ insignem operam, cum Jacobo & Bonifacio Zuingeris, Italiam perlustravit, exacto biennio Basileam redux. Exin Genevam profectus, mox Legato Basiliensis Reip. Hornlochero ad Henricum IV. cogn. *Magnum*, Galliæ R. Interpretis loco Lugduni fuit. Inde post tempus aliquod, reversus Spiram se contulit, Justitiæ quasi officinam ac nobilissimorum Jurisconsultorum panegyrin. Patriæ dein redditus, Doctoratus suscepit axioma, & in Collegium Jurecoss. ascitus, Samuele Grynæo J. U. D & Pandect. Prof. ac Reip. Syndico è vivis sublato, Institutionum Cathedram meruit: donec Iselio & Guthio Collegis similiter defunctis, Codicis primò, dein Pandectarum electus est Professor: additâ arduâ Syndicatus provinciâ. Quibus muneribus per quinquaginta annos eximiâ cum laude defunctus, hoc temporis spatio ducentos & triginta Juris Candidatos Doctoratus Juridicæ, ac triginta quinq; alios, Licentiæ in U. J. summis honoribus insignivit. Tandem post varia in Remp. ac Academiam merita præclara, senectutis sarcinâ pressus, vitæ satur, obiit A. C. 1652. æt. 81. V. A. Maur. Holtermannum *Orat. de Vit. & Mort. ejus*

Fessonia, Dea apud Romanos, à *fessis* invocari solita; militibus imprimis in prælio defatigatis subvenire credebatur, V. Augustinum *de Civ. Dei lib.* 4. & suprà in voce *Dii*.

Festa, seu *Festi dies*, à *feriando* dicti, an ex Græco Ἑστία, *Vesta*, quod ab Hebr. אש & יה, quasi dicas *ignem Domino sacrum* quòd *festis* diebus sacrificia offerrentur, quæ ignis cœlitus delapsus accendebat. Hebræis חגים appellata sunt à *tripudiis* lætitiaque publica, qua celebrabantur; erantque in Ecclesia V. Test. instituta, tum recolendis singularibus Dei beneficiis, tum beatis sub Messia temporibus beneficiisque adumbrandis. Nec proin unius illa generis: Nam vel sæpius in anno redibant, eaque vel hebdomadica, vel menstrua, ut *Sabbatum* & *Neomeniæ*; vel anniversaria erant, ut *Festum Paschatis*, *Pentecostes*, *Scenopegiæ*, *Tubarum*, & *Dies expiationis*; vel denique certis annorum intervallis recurrebant; qualia erant *Annus Sabbaticus* & *Jubilæus*. Atque hæc divinæ institutionis erant; quibus postmodum accessere & alia nonnulla, ab hominibus introducta: Ut *Jejuniorum* quidam *dies*, in memoriam exilii Babylonici, Zachar. *cap.* 7. *vers.* 3, 5 & *cap.* 8. *vers.* 19 Festum *Purim* seu sortium, Estheræ *cap.* 9. Templi *Encænia*, in memoriam repurgationis à Juda Maccabæo peractæ, 1. Macc. *cap.* 4. *versu* 59 & Joh. *cap.* 10 *vers.* 22 ut Festum ξυλοφορίας, aliaque nonnulla, quæ Judæi hodie celebrant, omittam. Qui dies, cum diem festum ac sacrum instituere ac Ecclesiæ potiorum bonorum Sacramenta dare, solius Dei sit; polititici potiùs, quàm sacri, habendi sunt. Franc. Burmannus *Synopsi Theol. Christ. Parte prior lib. IV. cap.* 19. §. 11. Plura vero de *Festis* his, habes apud eund. *cap. eod.* ut & *duobus præced.* hic passim suo loco necnon aliquid paulo infrà. Cæterùm Gentilium simile quid & extra Ecclesiam factum; apud quos in multis olim Rebuspub. ut Atheniensi, Tarentina, aliis, evenisse legimus, ut crescente variis occasionib. *dierum festorum* numero, tandem plures voluptatibus dicati reperirentur, quam negotiosi & juridici. Idè Romanis contigerat ante Augustum, quod non una Ciceronis *in Verrinis* querela declarat. Augustus primus malo medicinam fecit, & *ne quod maleficium negotiumve impunitate vel mora elaberetur*, *XXX. ampliùs dies, qui honorariis Ludis occupabantur, actui rerum accommodavit* Suet. *in eo* §. 32. Idem postea factum à Claudio, ut narrat Idem in *Vita* ejus. Marcus quoque Antoninus Philosophus, quem Judiciariæ rei singularem diligentiam adhibuisse, fastisq; diebus judiciarios addidisse, *ita ut ducentos triginta dies annuos rebus agendis litibusq; disceptandis constitueret*, notavit Capitolinus; nec temerè, cùm vix ullo alio tempore, si antiquissima excipias, tot dies negotiosi in anno Romano fuerint, ut ex Kalendario vet. quod hodieque extat, & ex Historiis clarum est. At sequentibus temporibus dierum feriatorum numerus crevit iterum eousque, ut jam inde à temporibus Justiniani eorum in anno essent circiter centum sexaginta, uti ex illius *Codice tit. de Feriis*, docet Casaubonus *ad Sueton. in Augusto* &c. Præter sacra autem diebus his peragi solita, *feriabantur* ab omni opere, etiam Gentiles, uti suprà diximus, in voce *Cessatio*. Abstinebant insuper obscœnis tristibusque narrationibus. Vopiscus *Aureliano*, *Hilaribus, quibus omnia festa & fieri debere scimus & dici*. Ovidius *Fastorum lib.* 1.

Prospera lux oritur ——
Nunc dicenda bono sunt bona verba die.

Claudianus *Bello Get.*

Mandemusq; Noti flabris quocunq; timores
Pertulimus, ſed ne doleant ne tristibus aures &c.

Unde apud Græcos, dum Sacra fiebant lætæ expectationis βλασφημεῖν abominabile habebatur, ut patet ex Theophrasti *Charactere* περὶ δυσχερείας, V. quoque suprà in formula sacrorum, *Favete linguis*, & Nonium, qui *Festum* solenniter lætum & feriatum, apud Romanos, ritè exponit. Porrò à suppliciis temperabant, Græci Latinique, ut discimus ex Philone c. *Flaccum*. Unde cùm dies reditus Augusti in urbem *is dies* in perpetuum factus esset decreto Senatus teste Dione, *Observatum est*, inquit Suetonius *cap.* 57. *ne, quoties introiret urbem, supplicium de quoquam sumeretur*. Sed & diebus Festorum solennioribus vinctos solvi consuevisse, Livius refert *lib.* 5. ubi de Lectisternio primùm in Urbe facto ann. U. C. 355. *Et cum inimicis quoq; benignè ac comiter sermones habiti, jurgiis ac litibus temperatum, vinctis quoq; dempta in eos dies vincula*. V. etiam Ulpianum *ad Demosthenis illud*, τοῖς πολλοῖς ἐν τῷ δεσμωτηρίῳ ..., ex *Timocratea* &c. Habitum quod attinet, de illo aliquid suprà, ubi de vestibus *Albis Candidisq;*. Athenis in Panathenæis festis universos coronari consuevisse, refert Aristides in *Panath.* de cujusmodi *festis coronis*, V. Car. Paschalium *Coronarum lib.* 2. *cap* 11. & suprà, ubi de *Coronis*: Sicut in specie de *Festis diebus* Romanorum, in *Sacrificia*, *Epulas*. *Ludos* ac *Ferias*, divisis, apud Macrobium *Saturnal. lib.* 1. *cap.* 16. Atheniensium item, aliarumque Gentium, hic passim suis locis; quorum nomina Mensis cujusque diebus adscripta reperies. Ut pauca adjiciam de *Festis Ecclesiæ Rom.* ea magno numero habentur, *Dominica*, *Martyrum*, *Confessorum* & *Sanctorum*. Et quidem in honorem Martyrum tantùm *Festa* primitus celebrari consuevisse; Dein ex decreto Concilii Moguntini honorem eum ad Confessores quoque extensum A. C. 813; adeoque à Bonifacio IV. in honorem omnium illorum Sanctorum, quorum festa in diurno Anni circulo celebrari nequeant, institutum esse, ut illorum memoria Kal. Nov. recoleretur, tradunt Macri Fratres in *Hierolexico*. Horum verò præcipua habentur, *Nativitas Domini Pascha, Pentecoste* & *omnium Sanctorum*; quæ proin *Festa Annalia*, seu *annualia*, item *Festivitates Festivitatum* appellantur Brunoni Signiensi Episc. ad Petrum Diaconum *de Vir. illustr Casin. cap.* 34. Quibus addit *Festum Summorum Apostolorum Petri & Pauli*, ut & *Assumtionem S. Mariæ*, Bernardus Mon. *Cluniac. Consuetud. MSS.* apud du Fresne *cap* 52. Hæc Presbyteri & Diaconi, qui in villulis deserviunt, cum Episcopis suis in civitatibus celebrare tenentur, juxta Concil. Arvern. *can.* 15. Missas quippe, ut in hisce Festis majoribus, in Oratoriis facere prohibentur Presbyteri, in Concilio Agath. *can* 21, ita Laici præcipui, *sub præsentia Episcopi tenere* jubentur, in eod. Conc. Arven. *can. cit.* In specie, qui *Natale Domini, Pascha & Pentecosten, non communicaverint*, pro Acatholicis habentur, Conc. Agathensi *can.* 18. &c. Porrò, cùm duo Festa concurrunt eodem die, *Festum Duplex* vocant, quo casu dignioris Festum agitur, alterius sequenti. Appellant autem *Festa* quædam *in totum Duplicia*, quædam *simpliciter Duplicia*, quædam denique *Semiduplicia*. Dicuntur quædam *Duplicia*, in quibusdam Ecclesiis, quòd responsoria tam majora, quàm brevia, & versus à duobus cantantur & quia omnia incipienda à duobus incipiuntur, & quia Antiphonæ in Matutinis & Vespertinis duplicantur: dicuntur enim Completæ & ante Psalmum & post; sicut est, *Festum Natalis Domini*, *S. Stephani*. *S. Joannis Evang. Circumcisio Domini*. *Epiphaniæ*, *Purificationis*, *Annunciationis*, *Resurrectionis*, *Ascensionis*, *Pentecostes*. *S. Joannis*, *B. Apostolorum Petri & Pauli*. *S. Laurentii*. *Assumtionis B. Mariæ*, *Nativitatis ejusdem* & *Dedicatio Basilicæ*. Atque hæc sunt Majora Duplicia. *Minora* autem *Duplicia festa* sunt 2. & 3 *Feria infra octavam Pentecostes*, *Commemoratio S. Pauli Ap. Octava Apostolorum Petri & Pauli*, & *Assumtionis*, quodvis itidem *Festum*, quod unaquæque Ecclesia duplex ordinaverit celebrari. *Semiduplicia* vocant, in quibus præmissa non observantur sed tantùm tertium, sextum & ultimum responsoria cantantur, à duobus, nec incipiuntur à duobus, nec duplicantur antiphonæ, licèt versus & brevia responsoria à duobus dicantur: Talia sunt, *Festa Andreæ*, *Nicolai*, *Luciæ* &c. V. *Ordinar.* Præmonstrat. *cap.* 15. Beletum *cap.* 7. & Durandum *Ration. lib.* 7. *cap.* 1. *num.* 31. De *Festis* autem *triplicibus*, & *quadruplicibus*; Item de *Festis trium, sex, novem capparum*; *trium, novem, duodecim Lectionum*, & in specie de singulis *Festis* totius Anni, in eadem Communione, V. Baronium *Not. ad Martyrolog.* Car. du Fresne *in Glossario*, Macros Fratres *in Hierolexico*, & hic passim *suis locis*. Nec omittendum hic, *Festi* nomine, Curiam generalem, quæ ut plurimùm in diebus festis solennioribus, cum conviviis publicis, celebrari solebat. hincque convivium solenne (unde Gall. *Festin*) non raro venire ut observatum eidem du Fresne &c. *Festorum Hebraicorum*, quæ suprà indigitata, series hæc.

Festa Israelitarum.

Dedicationis festum, humanæ erat institutionis, in Novo Test. Ἐγκαίνια dictum, V. Johannis *cap.* 10. *vers.* 22. Auctorem habuit Judam Maccabæum, qui *cum patribus suis & tota Ecclesia Israëlis statuit, ut agerentur dies instaurationis altaris temporibus suis quotannis, diebus octo, incipientibus à 25. mensis Cislev, cum lætitia & gaudio*. 1. Maccab. *cap.* 4 *versu* 59.

Expiationis festum, V. suprà in voce *Expiationis F.* Ad illud alludere videtur Apostolus 1. Cor. *cap.* 4. *vers.* 13.

Jubilæus annus ultimum *Festorum* à Deo Israëlitis injunctorum celebrabatur quinquagesimo quoque anno, ut patet ex Levitici *cap.* 25 *v.* 8. Hoc, inter alios usus, populo in annorum computatione, inserviebat. Quod enim Græcis Olympiades, Romanis lustra, Christianis Indictiones, id Hebræis Jubilæa erant.

Noviluniorum festum: Primus enim cujuslibet mensis dies feriatus erat, quo adire Prophetas moris erat, ut patet ex 2. Regum *cap.* 4. *vers.* 23. vendere autem emereq; non licebat, Amos *cap.* 8. *vers.* 4. & præter ordinaria sacrificia, alia offerebantur. Horum autem præcipuum erat, quod primo die mensis septimi, nomine *Tisri*, qui juxta civilem computationem anni primus erat, celebrabatur. In hoc enim major erat sacrificiorum apparatus Numerorum *cap.* 29 *versu* 1. & 6. ac buccinæ clangebant ab Ortu Solis usq; ad Occasum, unde *Festum buccinarum* quoque appellatum est, quod in aliis Noviluniis non fiebat. V. de eo Psalm. 81. *vers* 4.

Pascha, institutum est à Deo, paulo ante Israëlitarum ex Ægypto egressum, Exodi *cap.* 12. *vers.* 27. celebratumque quotannis die 14. mensis *Nisan* aliàs *Abib* dicti, usque ad vigesimum primum ejusdem mensis diem: de quo V. infrà in voce *Pascha*.

Pentecoste, post Pascha, die quinquagesimo, unde festo nomen, celebrari solitum, institutum divinitus legitur Levitici *cap.* 23. *versu* 16 & *seqq.* Vocabatur etiam *Festum Septimanarum*, quia à Pascha ad Pentecosten septem hebdomadæ numerabantur quo ritè defunctis Israelitis fruges maturas demetere demum licuit. V. infrà suo loco.

Purim, Gr. Κληρωτήρια, à Persica voce *Pur*, sortem denotante, institutum est à Mardochæo

dochæo, in memoriam liberationis Judæorum, è manibus Hamanis, qui totam gentem internecioni destinaverat. Incidebat in diem 14. mensis *Adar* & durabat usq; ad finem diei 15. *Esther. cap. 9. vers.* 21. quo biduo, historia Estheræ in Synagogis prælegebatur, quotiesq; Hamanis fiebat mentio, pugnis malleisq, percutiebant scamna ac parietes, tanquam Hamani cerebrum elisuri, V. Hospinianum *de Festis fol.* 33. *ex Antonio Margarita in lib. de Ceremoniis Judæorum.*

Sabbathicus annus, qui septimo quoque anno recurrebat, solenni quoque festivitate celebratus est: Hoc anno durante nec agrum colebant, nec debitum ab iis, quibus crediderant, exigebant, unde ob priorem rationem *Sabbatum agri*, ob posteriorem *Intermissio Domini*, hoc festum dictum est, V. Levit. *cap.* 25 *vers.* 6. & Deut. *cap.* 15. *vers.* 2.

Tabernaculorum Festum, Gr. *Σκηνοπηγία*, celebrabatur à decimo quinto die mensis Tisri, usq; ad 21. diem ejusdem mensis: quo tempore habitabant Israëlitæ, post proventus terræ collectos, in tabernaculis, *ex termitibus arborum speciosarum, spathis palmarum, & ramis arborum densarum cum salicibus torrentis.* Levit. *cap.* 23. *vers.* 40 confectis. V infrà, & de his omnibus Thom. Godvvyn. *de ritibus Hebræorum Civ. & Eccl. libro tertio toto.*

Festina lentè, notum Augusti Symbolum, cujus emblema delphinus anchoræ circumvolutus. In quem sensum nummi uncialis aurei Germaniæ cujusdam Principis meminit Barthius, in quo istud Epigramma:

DILATIO NOCET.
PRÆCIPITATIO NECAT.
LENTE ERGO PROPERA.

V. eum *Animadversion. ad Papinium Statium Thebaid. lib.* 14 *versu* 800.

Festus Pescennius, Nobilis Romanus, inter eos, qui jussu Severi Imp. sine causæ dictione occisi sunt, memoratur Spartiano, in *Vita* hujus.

Fetiales, aliis *Fæciales*, vel *Feciales*, recentioribus *Heraldi*, Germ. *Herolden*, dicti sunt, quòd fidei publicæ inter populos præerant. *Nam per hos fiebat, ut justum conciperetur bellum, & inde desitum: Ex his mittebant, antequam conciperent, qui res repeterent: & per hos etiam nunc fit fœdus*, Varro. De eorum Institutione Plut. *in Numa* agit, & Dionysius Halic. *lib.* 2. sic loquitur: *Septima legum sacrarum pars dicata erat collegio.* Fetialium, *quos Græci Ειρηνοδίκας dicerent: sunt selecti à præstantissimis familiis, funguntur q; per omnem vitam eo sacerdotio, primo Numa hujus sacri Magistratus auctore.* Et paulo pòst, eorum officia hæc esse scribit: *Dare operam, ne Romani ulli fœderatæ civitati injustum bellum inferant: quòd si qua prior contra fœderis conditio. es aliquid commiserit, Legatos agere, & verbis primò suum jus repetere: quod si dedignetur facere postulata, tum verò bellum indicere. Itidem, si qui illatam sibi contra fœdus injuriam querantur, causam eorum cognoscere & comperto crimine sontes comprehensos læsis dedere: judicare item de Legatorum injuriis, & dare operam, ut serventur conditiones fœderum: pacem etiam conficere, aut si parum legitimè facta videatur, irritam reddere: præterea si quid Imperat. res contra jusjurandum peccaverint, cognoscere atq; expiare.* Illorum unus dicebatur *Paterpatratus*: erat autem is, cui pater & cui filii erant, & maximus habebatur, teste Plutarcho, qui addit, etiam suo tempore *Fetiales* privilegium auctoritatemq; aliquam retinere: Prætores enim corpora, quæ ob formam & florem ætatis custodiâ opus habuerint pudicâ, eorum fidei commendasse. De iisdem sonat lex Ciceronis: *Fœderum, pacis, belli, induciarum Oratores Fetiales judices duo sunto, bellaq; disceptanto.* Obsolevisse autem hunc morem per *Fetiales* res repetendi, & bellum indicendi, suo tempore M. Ter. Varro docet, ita enim verba illa, de quibus suprà, *Nam per hos fiebat, ut justum conciperetur bellum & inde desitum*, Turnebus & Scaliger exponunt. Idem *lib.* 12. *& de vita Pop.* ad Nonium sic scribit: Itaq; bella & tardè & nullâ licentiâ suscipiebant, & quòd bellū nullum nisi pium putabant geri oportere, priusquam indicerent bellum, Fetiales legatos repetitum mittebant quatuor, *quos* Oratores *vocabant.* Et *lib.* 3. *Si cujus Legati violati essent, qui id fecissent, quamvis Nobiles essent, ut dederentur civitati, statuerunt, Fetialesq; viginti, qui de his rebus cognoscerent, judicarent & statuerent, constituerunt.* Quibus ritibus autem bellum indixerint, vel fœdus ferierint, V. suprà in voce *Bellum*, & infrà in voce *Fœdus*. Addam saltem quædam ibi intacta. Indicebant bellum, verbenâ coronati, ut docet Virgilius *Æneidos lib.* 12.

— — Verbenâ tempora vincti.

Et capite velato, ut observavit Jac. Schegkius *Præmet. lib. epist.* 10. Intorquebant autem hastam in fines hostium, quod non minus in consuetudine Barbaris, quàm Romanis ac Græcis fuit. Ita Romanos Carthaginentibus *missâ hastâ* bellum indixisse, Festus *lib.* 8. testatur. Diod Siculus *lib.* 7 *cap.* 2 Alexandrum, cùm contra Darium pergeret, *è navi in litus hastam jaculatum esse*, refert. De Grambate idem narrat Amm. Marcellinus *lib.* 19. *in limine.* Et quidem Romæ columella erat, *bellica* dicta, ante Bellonæ templum, unde solebat Ovidio teste *Fastorum lib.* 6.

— Hasta manu belli prænuntia mitti,
In Regem & gentes cùm placet arma capi.

Eratque hæc hasta sanguine infecta, quod de M. Antonio in Marcomannicum proficiscente bellum, notavit ex Dione Adr. Turnebus *lib.* 25. *cap.* 18. & docet Amm. Marcellinus *loco modò laudato*, ubi de Grambate: *Hastam*, inquit, *infectam sanguine, ritu patrio nostriq; conjecerat more Fetialis.* Ut non immeritò Bellonam hastatam finxerit Pap. Statius *Theb. lib.* 2. *versu* 721.

Nec minus ardentes Mavors, hastataq; pugnæ
Impulerit Bellona tubas.

Imò sic depingebatur locabaturque in urbe, in Italia, in provinciis, neque modò florente Reip. antiquæ statu, sed etiam posterioribus declivis & jam lapsi Imperii temporibus. Unde Claudianus *de bello Gildonico*,

— — Humeris vix sustinet ægris
Squallentem clypeum, laxata casside prodit
Canitiem, plenamq; trahit rubiginis hastam.

Et *lib.* 2. *de Laud. Stiliconis*,

— — Cuspis trabe surgit eburnâ &c.

Usi autem in hoc ritu hastâ *Fetiales*, fortè *quòd telum bellis maximè idoneum fuerit*, maximique pretii & usus, in qua veluti *vis quædam Imperii tacita* continebatur. Quare & *reliquorum Deorum statuis hastas addebant*, & Principes illis, antiquissimis temporibus, pro sceptro usi leguntur, apud Justinum &c. Hæc de prisca Romanorum ætate, sed & apud antiquos Aborigines jam *Fetialium* usus deprehenditur, quos illi *Σπονδοφόρους*, *libaminum latores* vocavere, à ritu fœdera pangendi, teste Dionysio Halic. *lib.* 1. V. Joh. Rosinum *Antiqq. Rom. lib.* 3. *cap.* 21. *cum Paralipomenis* Thomæ Dempsteri. Verùm altiùs adhuc illorum originem arcessendam esse, probant Eruditi: qua de re, ut & plura egregia ad hanc materiam spectantia, V. in voce *Heraldus*.

Fetum, adde: Incolas, duos esse Deos, bonum unum, alterum malum, credere; Resurrectionem verò pro re impossibili non habere, memorat, qui illis Daniæ Regis auspiciis Evangelium annuntiavit, Joann. Mullerus *Afric. Landscaffi Fetu.*

Feudum, adde: Species quædam *Feudi* vel potiùs initia quædam ejus juris, quod postea variè introductum est, & *Feudorum* appellatione designatum, occurrunt apud Æl Lampridium *in Alexandro Severo, Sola, quæ de hostibus capta sunt, limitaneis ducibus & militibus donavit, ita ut eorum ista essent, si hæredes illorum militarent.* Erat sanè lex similis feudorum constituendorum: ut qui prædium colendum acciperet, daret fidem & militiæ munus aut aliud servitium exhiberet. Simile est, quod Vopiscus narrat *in Probo, Veteranis omnia illa, quæ angustè adeuntur, Isauriæ loca, privatis donavit: addens, ut eorum filii ab anno octavodecimo mares duntaxat ad militiam mitterentur.* Casaubonus *ad Lampridium.* Ipsum verò *Feudi* vocabulum, sub Carolo Crasso primò auditum, in ea sc. *Constitutione*, quam edidit de Expeditione Rom. circa A.C. 884. à Frehero, Goldasto, aliis, publicatâ: Leges autem *Feudorum* Lothario adscribi, tradit du Fresne *in Glossario*, ubi varias *Feudorum* species, ordine literarum digestas, fuse & eruditè exequitur: additque, *Feudatarium*, apud Anglos, Officialem esse a Magistro Curiæ Wardorum seu pupillorum, sub sigillo Curiæ illius, uni vel pluribus Comitatibus datum: qui in cognoscendis rimandisq; *Feudis*, ad Regem pertinentib' & ad tenuras pro Rege manifestandas, operam navet; Escaetori ideò adjunctus, ut omnibus nervis publicam utilitatem promoveat. Pupillorum porro terras lustret, valorem annuum investiget, prodat, indicat, censum recipiat & Curiæ receptori deferat, Viduis item tenentium Regis dotem assignet, ex Spelmanno.

Fezzanum Regnum, adde: Aliis *Fessanum*. Olim, cùm tota Africa, Romanis paruit: Inclinante dein Imperio, & Mauris, Vandalis ac Gepidis sese in Gallias & Hispanias diffundentibus, ab illis postremò infessum est. Donec ab Arabibus Muhammedanis Vandali expulsi, totaque Africâ exterminati sunt, nomine Christiano cum iis prorsus in his locis abolito. Sub Arabibus postea varia in hac Mundi parte Regna exorta, mutantibus ut fit Principum familiis pariter mutata sunt: quo factum, ut propter tot rerum vices, nomina antiqua populorum, civitatum & oppidorum confusa & fere obliterata sint, novis subinde dominis nova imponentibus, donec magna pars eorum in potestatem Turcicam concessit, solorum Regnorum *Fezzæ* & Marocci, in Tingitana sitorum, nomine ac splendore ad nostra usque tempora propagatis. Et *Fezzam* quidem ipsam Saraceni *Aulam Occidentalem* appellare soliti sunt, quòd Muhamedani Imperii quasi altera sedes esset. Ejus imperium condiderunt, circa A. C. 800. Ommiadæ. Cùm enim Ommiæ familia, per Abbacidas, Caliphatu Syriæ dejecta esset, partim in Africam, partim in Hispaniam, se recipientes, novos ibi Caliphatus constituerunt. E quibus oriundus *Idris*, urbem *Fezzam* statuit & eam Regni sedem fecit, assumto *Caliphæ* titulo. Hujus familiam extinxere Zenetei, circa A. C. 950. pulsi a Lautuniis. A. C. 1052. quo Abul-Texisius, Almohavidarum sive Lamptuniorum gentis Princeps, exterorum imperium exosus, administrationem rerum suscepit. Sub his desertâ *Fezzâ*, Imperii sedes Maroccū esse cœpit. à Josepho R. extructum. Lautunios Almoravidas expulere Almohadæ, circa A. C. 1139. destructi

structi à Merinis circa A. C. 1210. è quorum proin interitu per Hispaniam & Africam varia regna, (quæ priùs uni suberant) nata sunt, inter quæ *Fezzanum* & *Marocanum*, quod Merini obtinuerunt. His successere *Oatasseni*, anno Ch. 1420. sub quibus cùm Regnum *Fezzæ*, ex provinciarum defectione, vehementer debilitatum fuisset, circa A. C. 1500. Sceriphii rerum potiti sunt; quos Portugallicum bellum sec. præt. & rebellio Mahmedis Ben Abdallæ, A. C. 1612. graviter afflixit; Georg. Hornius *Orb. Imper.* qui Mauritaniam veterem hoc Regnum complecti, notat *Orb. Polit. Pars. IV.* Nec omittendum, quum studia in Africa, & Numidia præsertim hodieque insigniter floreant, præcipuas ibi Academias, *Fezzanam* esse & Tunetanam; & Fezzæ quidem, post Grammaticam, totos esse in Alcorano & Doctoribus Scholasticis, h. e. qui de Sacrorum ceremoniis & Theologia tractant: quemadmodum cæteræ omnes disciplinæ Tuneti florent, teste Clenardo. V. Georg Hornium *Histor. Philos. lib. 5. cap. ult.* ubi & hoc addit, cùm multa sint Fezzæ collegia, unum præ cæteris nobile esse, in quod Habu Henon quadringenta octoginta aureorum millia impenderit. Idem Doctores illorum *Alphakios* vocari refert, id est, Σοφοὺς, ut vocem hanc interpretatur Clenardus *Epist. lib. 1.*

F F.

FF. Jurisconsultis libros Digestorum seu Pandectarum notat, quas literas nullam habere rationem esseque omnino ex Notariorum invento, h. e. qui notis scribebant, censet Cujacius *Observ. lib. 12. cap. 40.* V. suprà, ubi *de Digestis.* In *Testam.* S. Fulcranni Episc. Lutev. apud Bolandum 13. Febr. ut & *in Tabulario Eccl. Priv. tt.* hæ literæ Sextarium aut Sextarios notant; sed *SS.* apud Bolandum restituit Car. du Fresne ex Tabulario, ubi hæ literæ non sunt *FF.* sed SS. cum linea transversa. V. Jac. de Partibus *Not. ad Alexandrum Jatros. cap. ult. lib. 3.* laudatum eidem.

F I.

F. I. In notis antiquis, *fieri jussit.* FI. B. *fide bonâ.* FID. *fides.* FID D. *fide dignus.* FIL. *filius* FID. SER. *fidelis servus* &c. designat. Fr. Gouldmannus *Dict. Lat. Angl. Græc.*

Facarius, in Palatio Pontificis, minister est, cujus officium lucernis ellychnia adaptare, uti ex Cencio Camer. *Ceremoniali MS.* habes, apud Dominic. Macrum *in Hierolexico.*

Fiber, animal ἀμφίβιον, idem cum *castore*, quam vocem V. suprà; *per uni versum Pontum plurimus — Lutris similis est, animal morsu potentissimum, adeò ut cùm hominem invadit, conventum dentium non priùs laxet, quàm concrepuisse persenserit fracta ossa. Testiculi ejus appetuntur* &c. Solinus *cap. 13.* Nomen ab extremitatibus fluminum, in quibus versatur, secundùm Grammaticos, quibus *fibrum* extremum est, unde *fibræ crinium, fibræ jecoris* &c. At Salmasio φιβρὸς Græcum est, & ἁπαλὸν ac τρυφερὸν significat, Æol. φίβρος, unde *Fiber*, à mollitie pili dictus, ut quem *plumâ molliorem* Plinius ait. Eadem illi origo *fibrarum* ac *fimbriarum* in vestibus: quod enim extremis vestibus assuebatur ornamenti gratiâ, φίβρα iidem Æoles, & ornamenta illa vestium φίβρας videntur appellasse. Namque φίβρας etiam κροκὸς & φιλόκοσμος exponitur. Adde, quod ornamenta illa vestium extremitatibus assui solita, cirris ac filamentis tenuibus & mollibus constabant, κροσσωτὰ Græci dicunt, unde *bucerres* & *cirratæ* vestes, de quibus suprà. V. Salmasium *ad Solinum pag. 186.*

Fibla, pro *Fibula*, in vet. *Inscr.* PRÆPOSITUM. A. FIBLIS. PRÆPOSITUM. A. CRYSTALLINIS. Unde *Fiblatorium*, pro *Fibulatorium*, nonnullis ipsa *Fibula*: apud Anastasium *in Gregorio III.* qui id inter ministeria sacra reponit. *Contulit dona diversarum specierum — amulas super aratas paria 2. pendentes*, fibulatoria *numero 5.* Et certè *Fibulas aureas*, pro donariis oblatas Ecclesiis, habet etiam Anonymus *de Miraculis S. Remacli cap. 11.* & 24. apud Mabillonium. At Suidas φιβλατώριον, interpretatur ἐπωμίδιον ἱματίου: quod proin videtur etiam fuisse vestimentum, quod subinde fibulis variis nectebatur. Cujusmodi fuit sagum illud, cujus meminit Pollio *in Regilliano*, Illyricum viz. quam provinciam tunc is regebat. Non enim omnia saga fibulata fuisse, ex hoc ipso loco disces, ubi Claudius, cùm à Regilliano duo sibi saga mitti peteret, *fibulatoria* se velle addidit. Sed & Gallica fuisse *fibulata*, Polyænus habet: ἱμάτιον δὲ χλανίδα πορφυρᾶν Γαλλικὴν καὶ αὐτὸς ἐνεπορπήσατο ... , *Et primus nigrum sagum insibulatus est* &c. Salmasius *ad Trebell. Pollionem.* At baltheum *fibulâ* milites stringebant communiter, unde baltheo junguntur sæpè fibulæ, & apud Græcos simpliciter ζωστῆρος & πόρπαι junctim non raro mentio. Et quidem Tribuni militares ex auro eas habebant: gregarii milites ex argento; usque ad Aureliani tempora, qui *fibularum aurearum usum* his *primus concessit*, apud Vopiscum. Imperatores plerunque gemmâ fibulæ vicem utebantur. Idem *in Carino, Nisi gemmâ fibula usus non est.* Quemadmodum & fibulæ muliebres plerunque ex gemma erant. Claudianus,

— *Et fulvâ nodatur jaspide pectus.*

Zenobia verò cochlidem, h. e. unionum concham, loco fibulæ, adhibuit, apud Trebellium &c. Nec omittendum, pallia, chlamydes & paludamenta Impp. sagaque militum unicâ tantùm *fibulâ* stringi consuevisse, unde *fibulæ* solùm mentio, apud Spartianum in *Hadriano*, Vopiscum *l. cit.* alibi, & πόρπαι Græci numero unitatis sæpe dicunt, Agathias *lib. 4.* &c. Salmasius *ad Spartianum atque Histor. Aug. Scriptores citatos.* V. quoque infrà in voce *Fibula.*

Fibrarum Inspectio, pars Extispicinæ; Græcis generali vocabulo Ἱεροσκοπία, & à fibris hepatis inprimis, Ἡπατοσκοπία dicta est. Dictæ enim sunt *Fibræ*, jecoris extremitates, λοβοί, nomen, ex eo nactæ sunt, quòd apud Gentiles in sacris ad Phœbi aras ab Ariolis ferebantur, quibus oblatis accensisque, responsa acciperent. Earum meminit Virgilius *Æn. lib. 10.*

— *Ille hominum Divûmque interpres Asylas,*
Cui pecudum Fibræ, *cœli cui sidera parent,*
Et linguæ volucrum & præsagi fulminis ignes.

Et *Georgic. lib. 4.*

— *Impositis ardens altaria* Fibris.

In dissectis itaque ab Aruspice victimis extorum *Fibrarumque* color ac situs notabatur, quæ si extremæ *Fibræ* versùs interiora replicatæ ac convolutæ viserentur, certissimæ felicitatis signa habebantur. Quòd si contrarium deprehenderetur, si ἄλοβον ... jecur, infaustum erat omen, secundùm illud Appiani *lib. 2.* Τὰ σπλάγχνα ἄλοβα εἰς κίνδυνον ἄγει θανάτου, τὰ ὄντα ἐν τῆς ... V. suprà in voce *Extispices.*

Fibula, Gr. Φιβλη, quòd ligat, Isidor. aliis à *figendo*, quasi *Figula*, πόρπη, ἐπωμὶς. Gloss. *Fibula*, πόρπη, φίβλη. Mart. quòd *fibras*, i. extremitates vestium constringat, aut quasi *Figula*, quia figit seu configit, dicta videtur. Eas non tam *in vestibus*, quàm *in ornatu* ponit Ulpianus JC. *l. 25. ff. de auro & argento leg.* idque tum civibus, tum militibus in usu: Præsertim tamen fœminarum attt numerabantur mundo, quod etiam iis principium fuisse creditur. Plin. *lib. 33. cap. 1. Fabricam etiam Deum fibulas & alia muliebris cultus, sicuti inaures, in principio factitavisse sine mentione annuli* ... Materia iis aurum argentumve vel quælibet alia metalla inaurata aut bracteis obducta. Trebell. Pollio *in Claudio*, *Ut Claudio in dona daret* Fibulas *argenteas inauratas duas &* Fibulam *auream*, præcepit sc. Valerianus Princeps Zosimo Syriæ Procuratori. Sic Virgilius de Didone *Æneid. lib. 4.*

Aurea purpuream subnectit Fibula *vestem.*

Quod apud Romanos non nisi extremâ Rep. factum, ut Plinius *lib. 33. cap. 3.* conqueritur, auri nempe luxum adeò in militia quoque dura illa atque horrida adolevisse, *ut M. Bruti in Philippicis campis Epistolæ repertæ sint frementes* fibulas *Tribunitias ex auro gestari.* Ita igitur cum invaluisset hic mos per bella civilia, ab eo tempore Tribunitium insigne esse cœpere. Aurelianus postea Imp. earum usum manipularibus etiam indulsit. Ex gemmis quoque constitisse, docet iterum Virg. *Æn lib. 5.*

— *Læto quem circumplectitur auro*
Baltheus, & tereti subnectit Fibula *gemmâ* &c.

Figuras *Fibulæ*, vestiariæ inprimis, varias expressit Joh. Rhodius *lib. de Acia*: sed major earum pars ad instar arcus fuit, ut fibula oblonga fuerit & incurva, acus recta, nervum in arcu exprimens. Quare facile fuerit intelligere, cur apud Quintilianum *lib. 6. cap. 3.* Junius homo longus, niger, macerque ac pandus appellaretur *Fibula ferrea.* Nam, quòd pandus esset sive incurvus, figuram fibulæ; quòd macer, tenuitatem, quòd niger, *ferri* colorem exprimebat. In antiquis monumentis ferè omnes orbiculari apparent figurâ, in medio ad instar bullarum protuberantes, ut tenaci in interiori parte duobus uncinulis utraque vestis pars necteretur. Sive duo semicirculi, aut virgulæ incurvæ vestimentis hinc inde aptarentur, quæ commissæ injectâ acu jungerentur. Philostratus in *vita Apollonii lib. 1. Puellæ ambos oculos, marito alterum effodit, usibus ad id facinus usa, quibus vestimentorum* fibulas *nectebat.* Ita Oedipum sibi *Fibulis* oculos cruentasse, ex Tragicis docti annotarunt. Illarum nullus in Toga usus, quæ cum communi usu non cingeretur, nec fibulâ quoque nectebatur. Dionysius solus *lib.* ... fibulæ in Toga meminit, ubi de Saliis loquitur. Sed vel erravit is, Togam Saliis adscribendo, cùm solas tunicas pictas *iis* agnoverit Livius, vel non præstitere fibulæ in trabeis Saliorum eundem usum, quem in vestimentis apertis ad partes divisas connectendas, sed potiùs adhibitæ sunt ad ipsam Togam contrahendam atque attollendam, ne scilicet ad pedes fluens impediret saltantes. Imò nec in Pallio fibula: Cùm enim tota ejus conformatio in eo posita esset, ut pars dextra sinistro humero imponeretur & à dextro brachio dextra exereretur; ut si deflueret ea pars, reponeretur ac decenter infra genua caderet; ut à dextro in sinistrum conjiceretur, ut non subduceretur altiùs aut fluens traheretur, nihil horum effici potuisset, si *Fibulâ* pallium fuisset nixum, h. e. si utraque pars ejus in humeris fibulæ morsu acquievisset. Quòd itaque Pallii fibulati meminit Tertullianus, non commune intelligit, sed quod olim Carthaginenses gesserant, antequam Togam induissent. Et Vopiscus *in Probo*, per *Pallia Gallica fibulata*, nihil aliud quàm Sagochlamydes intelligit: Suidas quoque, dum *de Persico pallio fibulato* loquitur, hoc ipso ostendit, commune Græcorum fibulâ caruisse. Chlænæ igitur & Chlamydes fibulam habuerunt, ideoque Homerus in Chlæna, voce περόνης usus est. Sic Chlamys

mys, quia aperta erat, in humeris vel ad cervicem fibulâ claudebatur. Ovidius *Metam. lib.* 14.

Purpureum chlamydis pennæ traxere colorem,
Fibula *quod fuerat, vestemq; momorderat aurum,*
Pluma fit.

Sagum item vestimentum apertum & infibulatum erat; Varro apud Nonium. *Quumneq; aptam mollibus humeris* fibulam *sagus ferret.* Idq; apud Romanos, Hispanos, Illyricos, Germanos quoq;, *qui spina sagulum infibulare* soliti sunt, teste Tacito: Verùm Gallicum sagum, quod ad instar tunicæ & manicatum erat, sine fibula fuisse videtur, interim & hujus in illo usus esse potuit, cùm ad pectus apertum esset. Unde de Gallis Diodorus: Ἐμπεπορπῶνται σάγους ... Quod apud Trebell. Pollionem Zenobia dicitur *galeata ad conciones processisse, media in Cyclade fibulâ muliebri astricta*, id eodem modo intelligendum, sicut de pallio suprà diximus. In Cyclade enim, quæ clausa & rotunda, propriè nullus fibulæ locus, at ne longius flueret, ac pedes more matronali perfunderet, fibulâ in pectore constricta revocabatur ac suspendebatur. Quemadmodum de Penthesi ea ait Poëta.

Aurea sub nectens exertæ cingula mammæ.

Sed & Lacernas fibulâ junctas credi par est, ut & reliqua amicula, quæ tunicæ injiciebantur, ne humeris defluerent. Imò Tunicas quoque ipsas, quas nempe χιτῶνας & χιτωνίσκους dixere, de quibus V. Pollucem *lib.* 8. in quibus *Fibulæ* loco futuræ erant. Trabeas tandem, licèt Togæ fuerint, fibulę jungebant, seu potiùs contrahebant, cùm Equites transveherentur: quemadmodum de Cyclade modò dictum: Ferrarius *de Re Vestiar. passim, inprimis* c. 16. & 17. *Part.* 2. *lib.* 1. Porro *Fibulis* circulisque connexas armillas Petronius indicat *Satyr.* & quidem lunatâ formâ, fibularum veterem in morem, de qua V. Plautum *Epidico Act.* 5 *sc.* 1. Cujusmodi *Fibula*, Latinis *Clausula*, Gr. Βάλανος dicta, teste Aristophane *Lysistratâ*:

Ὀρχουμένης μου τῆς γυναικὸς ἑσπέρας,
Ἡ βάλανος ἐκπέπτωκεν ἐκ τοῦ τρήματος.
Dum nostra sero saltat uxor vespere,
Elapsa pendens fibula *è foramine est.*

Ut exponit Thom. Bartholinus, quem vide *lib. de Armillis vett.* §. 4. In calceis etiam *Fibulæ*: Unde Tiraquellus *Annot. in Alexandrum Neap. Lunula*, inquit, *in Calceis* (nempe Senatorum Rom.) *erant* fibulæ *eburneæ, ad instar Lunæ corniculantis.* Nimirum Lunula hæc apposita illi loco, ubi extremitates calceorum inter se coeunt, hoc præstitit, ut transmitti per ansularum foramina, nec tamen excidere propter utrumq; acumen facilè posset. Balduinus *de Calceo* c. 9. ubi figuram illiusmodi fibularum exhibet: Græci ἐπισφυρίοις ἐλεφαντίνοις μηνοειδέσι reddunt. V. quoque Alb. Rubenium *de Calceo Senatorio*, ubi ex veterum Grammaticorum mente, de voce hac ἐπισφύρια prolixè disputat. Eobanus certè Hessus, versus illos Homeri *Iliad.* γ.

Κνημῖδας μὲν πρῶτα περὶ κνήμῃσιν ἔθηκε
Καλὰς ἀργυρέοισιν ἐπισφυρίοις ἀραρυίας.

Sic reddit: —— —— *Tum cruribus aptat*
Ære renidentes ocreas, quas Fibula *loris*
Arctabat niveis.

Deniq; non omittenda *Fibula theatralis* est, cujus usus apud Veteres fuit, ut Cantores & quicunq; in Theatro voce placebant, à Venere arcerentur. Fuit autem annulus æreus vel argenteus, quo trajiciebatur cuticula, eam partem operiens, quam exerceri nolebant, Rhodio docente. Hic non totum, unde procreamur, membrum transfigebat, sed tantum cutem glandis velamen: quo modo & pueros custoditos legimus, ne pubescens ætas in virilem præcipitaretur, apud Plinium *lib.* 33. Alii non annulum, sed thecam & vaginam fuisse dixerunt, moti auctoritate Martialis, *lib.* 11. *Epigr.* 76. Verùm hæc non fibula ipsa, sed subligaculum quoddam fuit, honestatis causâ adhibitum, præcipuè à Judæis, ad celandam circumcisionem. Ipsa autem *Fibula*, ut dictum, annulus fuit, qui ne facilè solvi posset, à fabro igne glutinabatur, & ab eodem cùm opus esset refibulabatur sive solvebatur, Octavius Ferrarius *de Re Vestiar. Parte* 2. *lib.* 1. *c.* 18. Eundem hodieq; apud Indorum quædā gentes morem vigere, narrant Itinerariorum Scriptores. Addam prædictis *Fibularum* in perforandis labiis usum antiquissimum. Unde, cùm Jobus de Leviathan c. 40 v. 21. ait, *Numquid pones circulum in naribus ejus aut armilla perforabis maxillam ejus*: Armillam *fibulam* interpretatur Bartholinus suprà laudatus, non absimilem hamo aut spinæ, idq; eò audacius asseverat, quòd *Fibularum* annulorumque usum in labiis perforandis non paucos professos esse, docet Joh. Rhodius *Dissert. de Acia* &c. V. quoque C. Barthium *Animadvers. ad Statium Theb. lib.* 6. *v.* 570. *torto auro*, & *lib.* 7. *v.* 658. *rasilis auro*, Schrevelium *ad Martialem lib.* 5. *Epigr.* 41. ubi de *Fibulis, in nobilitatis Insigne, Equitibus inanitis*, Salmasium *ad Solin. p.* 769. ubi de *Fibula Comœdorum & Tragœdorum*, nec non suprà in voce *Fibla*.

Ficarii Fauni, V. suprà *Fauni Ficarii*.

Ficedula, Græcè συκαλὶς, inter aves, quæ maximè palato placent, ordinem ducit. Martialis *lib* 13. *Epigr.* 5.

Cerea quæ patulo lucet ficedula *lumbo*.

Unde Juvenalis *Sat* 14.

—— —— *Qui radere tubera terræ,*
Boletum condire, & eodem jure natantes
Mergere ficedulas *didicit nebulone parente.*

Ei hoc peculiare, quòd lurconibus tota placeat, non, ut reliquæ aviтia, solis clunibus. A. Gellius *lib.* 15. *c.* 8. ex Phavorino: *Præfecti popinæ atq; luxuriæ — negant ullam avem, præter* ficedulam, *totam comessse oportere. Cæterarum avium — nisi tantum apponatur, ut à cluniculis inferiori parte saturi fiant, convivium putant inopiâ sordere* &c. Hinc Tiberius Cæsar, ut in *Vita* illius refert Suetonius, *Asellio Sabino HS. ducenta donavit, pro dialogo, in quo boleti & ficedulæ & ostreæ & turdi certamen induxerat.* Plura V. apud Gerh. Joh. Vossium *de Idolol. lib.* 3. *cap.* 92. adde Bochartum *Hierozoici Parte poster. lib.* 1. *cap.* 16. & Salmasium *ad Solinum pag.* 238.

Fico, in *Vitis* SS. Hiberniæ, genus calceamenti Monachici, vel fortè rusticorum. Certè Italis vox *rusticum* denotat, C. du Fresne *Glossar.* E ligno fuisse, legas apud Macrum *in Hierolexico*.

Fictile, apud Juvenalem,

—— —— *condire gulosum*
Fictile:

absolutè de vase fictili. Et quidem *Fictilia*, ex terra Samia, primùm omnium pocula fuere, neque in pauperiorum tantùm ædibus, sed & in opulentiorum conviviis, adeoq; etiam Deorum fanis ac sacrificiis, Sen. *Epist.* 90. *Tubero paupertatem & se dignam & Capitolio judicavit, cùm* Fictilibus *in publica cœna usus ostendit, debere bis hominem esse contentum, quibus Dii etiamnum uterentur.* Et *Epist.* 95 *in fine*: *Omnium illorum aurum argentumq; fractum est & millies conflatum, at omnibus seculis Tuberonis* Fictilia *durabunt.* Quod Græci moris fuisse docet Antiphanes, apud Jul. Pollucem *lib.* 10. *cap.* 19. ἐξ ὀξυβαφίων κεραμέων ἐπίνομεν, *ex acetabulis fictilibus bibebamus.* In templis *vasa Samia* Tertullian. *Apologet. cap.* 25. habet: *Fictiles urnas* Cic. *Paradoxo* 1. Plinius quoq; *fictilium* in iis *sympuviorum* meminit. Idem Templorum *fictiles parietes*, seu *fictilia fastigia*, memorat *lib.* 36. *cap.* 2. Ipsa Numinum simulachra testacea seu fictilia fuisse, Seneca ostendit *Consol. ad Helviam* c. 10. inquiens, *Tum per fictiles Deos religiosè jurabatur*: Propertius item *lib.* 4. *Eleg.* 1.

Fictilibus crevere Diis hæc aurea templa:
Non fuit opprobrio facta sine arte casa.

Miro ludibrio, cùm ex eadem massa, è qua ipsi homines, & vasa, quibus ad vitæ sustentationem utebantur, conflabant, Deos sibi fingerent. Postea crescente luxu ad ligna, ad metalla, itum, V. Thom. Dempsterum *Paralipom. in Joh. Rosini Antiqq. Rom lib.* 5. c. 30. Porro *defunctos sese multi* fictilibus soliis *condi maluerunt*, Plin. *lib.* 35. *cap.* 12. Ubi *fictilia solia*, Græcè ὀστράκινοι πύελοι, sunt arcæ fictiles, condendis mortuis, de quibus V. Salmasium *ad Solinum pag.* 1205. Etiam *fictilem cœnam* parasitis exhibuit Heliogabalus, apud Æl. Lampridium. In vase itidem *fictili* expositos olim infantes, diximus suprà, ubi de *Exponendi ritu* &c. Hine *Fictores*, qui ex argilla statuas & signa faciebant, Græcè Πλάσται, *Figuli* quoque Plinio *lib.* 35. *cap.* 12 ubi de primordiis Artis sic inter alia: *Fingere ex argilla similitudines, Dibutades Sicyonius figulus primus invenit, Corinthi filiæ opera: quæ capta amore juvenis, illo abeunte peregre, umbram ex facie ejus ad lucernam in pariete lineis circumscripsit: quibus pater ejus impressâ argillâ typum fecit & cum cæteris fictilibus induratum igni proposuit: eumq; servatum in Nymphæo, donec Corinthum Mummius everteret, tradunt.* Plura de hac re V. infrà in voce *Plastice*.

Fictio, Gallis dicitur, ea in armorum ludo armorum avocatio, quâ, qui conlato pede cum adversario, si quam corporis partem armis tectam & munitam observat, non in eam ictum dirigit, sed aliam se petere velle fingit; tunc adversario se aperiente & illam partem nudante, ut in aliam, quam peti videt, arma transferat, hic advocatis adversarii armis repentè, non eam partem, cui minabatur ictum, sed eam, quam detexit adversarius, ferit. Per cujusmodi simulationes etiam cestus avocari consuevisse, legimus apud Statium *lib.* 6.

—— —— *levat ecce diuq; minatur*
In latus atq; oculos, illi rigida arma caventi
Avocat & manibus nec opinum interserit ictum
Callidus, & mediam designat vulnere frontem.

Idem in pyctarum certamine atque gladiatorum in usu fuisse, discimus ex Quintiliano, ubi *manus* istiusmodi petitiones appellatas esse deprehendimus. V. Salmasium *ad Spartianum in Hadriano*

Fictor, qui ex argilla similitudines fingit, Græcè Πλάστης, uti suprà diximus, in voce *Fictile*. Hinc *Fictores, dicti à fingendis libis*, Varroni *de L. L.* quorum ordo memoratur in vett. *Inscr.* Ex farina namq; *fingebantur* opera dulciaria, quorum figuræ infinitæ erant, ut *placentæ, scriblitæ, crustula lucunculi, hami, lacertuli, spicæ globuli, enchyta, circuli, liba aliaq; plurima* Martialis.

Mille tibi dulces operum manus ista figuras
Extruet ——

imitatione viz. Plastarum. Quare *fingere* de Pistoribus passim occurrit. Apud Scribonium *fingere pillulas & pastillos*; Petronium, *ova ex farina pingui figurata*; Suetonium *Augusto cap.* 5. ubi quidam, ut Pistoris ac Numularii nepotem, Augustum taxans, *Materna*, inquit, *tibi farina: siquidem ex crudissimo Ariciæ pistrino hanc finxit manibus collybo decoloratis Nerulonensis mensarius.* Et apud Plut. ... V. Casaubonum *ad Suetonium d. l.* Sed & *Fictor* Isidoro, *qui fingit seu componit*

nis aliquid, ficus quo capillos mulierum linit & pertractat, ungit & nitidat. Orig. *lib.* 10. *cap* 7. V. quæ de Vett. luxu *in Capillis fingendis ornandisq;* suprà diximus passim.

Ficus, arbor & fructus. Et quidem illa *amplissima est, quædamq; & pyris magnitudine æmula*, Plin. *lib.* 15 *cap.* 18. In India vero, *ipsa se semper serens, vastis diffunditur ramis: quorum imi adeò in terram curvantur, ut annuo spatio infigantur, novamq; sibi propaginem faciant, circa parentem in orbem, quodam opere topiario. Intra sepem eam æstivant pastores, opacam pariter & munitam vallo arboris, decora specie subterintuenti, proculve fornicato ambitu* &c. Idem *lib* 12 *cap.* 5. Sub cujusmodi arbore latuisse primos homines, & ex ejus foliis consutis subligacula sibi fecisse, discimus ex Genes. *cap.* 3. *vers.* 6 *coll. cum versu* 7. ubi Scriptor sacer, *Consutis*, inquit, *foliis ficus, fecerunt sibi chagoros*, h. e. præcinctoria. Cùm enim latissima sint communi *ficui* folia, ut apud eundem Plinium legimus *lib.* 16. *c.* 24. foliorum inprimis Indicæ illius latitudo apta huic usui fuit, utpote *peltæ effigiem Amazonicæ habens.* *Ibid. lib.* 12. *cap. cit.* &c. Cæterùm arboris hujus lignum fragile, & invalidum & ad omnia ferme inutile est, unde homines molles & nullius frugi, Theocrito & Aristophani, ἄνδρες σύκινοι, *viri ficulnei* dicuntur: & notus proverbio *ficulneus Bacchus.* Certè hic Deaster è foliis ficulneis (quæ propter scabritiem in cylistiis videntur locum habuisse) coronamentum sibi fecisse sicque curru insidens, quem leones trahebant, de Indis triumphasse; idem ramum ficulneum sepulchro Prosymni, in obscœnæ libidinis argumentum, imposuisse, legitur, apud Auctorem *Etymologici* in θριαμβ., & Clementem Alex. *exhort. ad Græc.* Cujus fortè imitatione, famulas Latinorum, Nonis Caprotinis convivantes, κλάδοις συκῆς σκιαζομένας, *ramis ficus inumbratas*, i. coronatas, tradit Plut. *Camillo.* Sed & Macrobius auctor est, *Cyrenenses, cùm rem divinam Saturno faciunt, coronari ficis recentibus* consuevisse, *Saturnal. lib.* 3. *cap.* 7. quam in rem V. Scholiastem Nicandri *Alexipharm.* voce θρῖον, quod folium ficus propriè & Bacchi symbolum habitum est, Aristophanem *Equit.* Plut. *de Iside & Osir.* & C. Paschalium *Coronarum lib.* 1. *cap.* 13. & *lib.* 4. *cap* 2. Aptam tamen materiam scutis inde sumi, idem Plinius ait *lib.* 16. *c.* 28. ad quem l. V Dalechampii *Notas*, plura verò de hac arbore tenerrima, foliis apprimè caducis prædita, at longè fertilissima, apud eundem passim, ut & apud Salmasium *ad Solinum pag.* 1023. & *seqq.* qui etiam *de Ficu Ægyptia*, *pag.* 459. *de Cypria*, *pag.* 462. *de Indica*, *pag.* 105. *de Ficu Romanorum sacra duplici, Ruminali viz.* & *Navia pag.* 1137. & *seqq* varia habet. Transeo ad fructum hujus arboris, quem Afranius, Cicero *in Oeconomico*, Columella *in præfat.* à pomis distinguit, uti videre est apud eundem *p.* 596. Plinius tamen *pomum* vocat *lib* 15. *cap.* 18. *Supra omnia quiddam est, quo nihil mirabilius, tantam illam urbem* (Carthaginem) — *unius pomi argumento eversam*, quam historiam V. ibi: Græci σῦκον, ad differentiam arboris, quam συκῆν appellant. Hoc non maturescit, nisi caprifici ministerio, *sola enim ex omnium arborum fætu maturitatis causa medicatur ficus*. Plin. *in Ind.* V. hic ubi *de Caprifico & Culicibus.* At sic ad maturitatem perductum, dulcissimi saporis est. Hinc notæ Romanis *Caricæ*, *Chiæ*, *Cottana*, *Caunea*, quæ in massis conditæ in sportulis junceis afferebantur & in capsis servabantur, uti diximus suprà. Atque hæ siccæ seu siccatæ erant. Sed & *cum recenti fico salis vice caseo vesci* excogitatum esse suo ævo, Plinius sæpius laudatus ait *lib.* 15. *cap.* 18. quem locum explicat Salmasius *ad Solinum pag.* 937. Hodie optimæ notæ ficus *Fralassanes* dici & contra nimium Æstatis fervorem maximo emolumento assumi, notat J. Sponius. in descr. Corcyræ Ins. *Itinerarii Part.* 1. *pag.* 116. &c. De Lege Solonis, Ἐλαίαν δὲ καὶ συκῆν ἐννέα πόδας ἀπὸ τοῦ ἀλλοτρίου φυτεύειν, τὰ δὲ ἄλλα δένδρα πέντε πόδας. *Oleam & ficum novem pedes longè ab alieno fundo serito; cæteras verò arbores pedes quinq;*: memoratâ Plut. in *Solone*, V. Sam. Petitum *Comm. in l. L. Attic. lib. V. tit.* 1. Nec omittendum, cùm arbor hæc plurimum det fumi, ad fontes fumo necandos ligna ejus adhiberi olim consuevisse. Lucianus *in Proteo*, Τὸ τέλος δὲ καὶ τὸ κεφάλαιον [illegible] καὶ πυρὰν συνθεὶς κρεμῶν συκίνων, ὡς ὅτι μάλιστα χλωρῶν, ἐναποπνιγῆναι τῷ καπνῷ. τὸ πῦρ γὰρ αὐτὸ οὐ μόνον Ἡρακλέους καὶ Ἀσκληπιοῦ, ἀλλὰ καὶ τῶν ἱεροσύλων καὶ ἀνδροφόνων, οὓς ὁρᾶν ἔστιν ἐκ καταδίκης αὐτὸ πάσχοντας· ὥστε ἄμεινον τὸ διὰ τοῦ καπνοῦ. V. Casaubonum *ad Lampridium in Alexandro.*

Fidei Flamines, dicti sunt apud vett. Romanos Fæciales, à fœdere faciendo, quod antiquitus *Fides* dicebatur, teste Ennio & Pighio *Septim. lib.* 1. V. suprà in voce *Fætiales.*

Fidejussor, V. infrà *Sponsor.*

Fideles, adde: De discrimine Sacramenti *Fidelitatis* & *Homagii* pluribus agit Car. du Fresne *in Glossar.* ubi inter alia, Homagium à vasallo, genibus flexis, manibus in domini manus immissis: Sacramentum verò Fidelitatis, à vasallo stante & tactis sanctis Evangeliis fieri, consuevisse, docet.

Fides, quâ creditur, ex Græco πίστις, Æl. πίστις; at quæ tenditur, chorda viz. ex σφίς, σφιδὸς & φίς, φιδὸς: Latinis formata est. Et quidem, cùm in lyra lineas chordas seu fides intendisset Mercurius, quas ex bysso fuisse, docet Chabotius *ad Horatium lib.* 1. *Od.* 1. Apollo postmodum lineis exemptis, nerveas ei adaptavit: ἐκ χορδῶν ἐντερικῶν, *ex intestinis intortis & aridis*, uti dicitur in *præf. Pythiorum* &c. V. Jul. Cæs. Scaligerum *Poëtices lib.* 1. *cap.* 48. Didicisse autem *fidibus* Veteres, & cum cithara ad mare ambulantes, cecinisse Deorum laudes, ac fortium virorum gesta, Callimachus docet, & Cic. *de Senect.* Inde in convivia [illegible] translatus, hacque fini post cœnam lyra circumlata est: [illegible] *cùm imperitum se Themistocles diceret, habitus est indoctior*, ut Tu[...] utar verbis. Certè antiquitus, si qui fidibus docti, pari cum Philosophis in honore fuisse, apud Didymum legimus *Odyss.* [...] Athenæum *lib.* 1. Quintilianum *lib.* 1. *cap.* 20. Alios, V. [...] que suprà in voce *Cantor.* At postquam refrixit Virtutis [...], vergente in luxuriem seculo, voluptatis unius causâ *Fidicines* frequentes conviviis adhibiti sunt, teste A. Gellio *lib.* 1. *cap.* 11. *Fistulatores*, Fidicines, *tibicines*, *lascivientium deliciæ conviviorum*. Unde Æl. Lampridius *in Vero*, *Adduxerat secum & Fidicinas, & tibicines & histriones & omnia mancipiorum genera, quorum Syria & Alexandria pascitur voluptate.* Quos proin, *ut & Psalterias* [...] *hujusmodi chorum Diaboli, quasi mortifera Sirenarum carmina, proturbaret ex ædibus suis*, Furiam graviter Hieronymus *in Ep.* [...] hortatus est. Et certè ipsis Gentilium senioribus [...] dati sunt, qui è modestis suis conviviis hujusmodi portenta [...] cerunt. Quo nomine Theodosium Sen. præprimis laudat [...] Victor, & Trajanum Aug. Plinius Junior. Quapropter [...] *morem luxumq; barbaricum*, in Halyatte Lydorum R. reprehendit *loco laudato* A. Gellius, qui bellum Milesiis faciens [...] *fistulatores & Fidicines atq; fœminas etiam tibicinas*, [...] *que in procinctu habuit*, ex Herodoto *Musâ primâ.* Fuit autem ille Halyattes Crœsi parens. V. Thom. Dempsterum *Paralipom.* [...] *Joh. Rosini Antiquit. Roman. lib.* 5. *cap.* 29. Pignorium *de Servis*, Alios; & hic passim ubi de variis instrumentorum Musicorum, quibus *fides* intenduntur, speciebus. Addam saltem, sublime poema *fidibus* magis intentis cani solitum. Statius *Thebaid.* [...] *versu* 37.

> *Calliope, quas ille manus, quæ moverit arma*
> *Gradivus, quantas populis solaverit urbes,*
> *Sublatâ molire lyrâ.* ——

Remissis autem minùs altum. Claudianus.

> *Hactenus armatæ laudes, nunc qualibus orbem*
> *Moribus, & quanto frenet tueaturque amore*
> *Mitior, incipiat* fidibus *jam Musa remissis.*

Qua de re V. Casp. Barthium *Animadversf. ad Statium d. l.*

Fidiculæ, tormenti genus ex fidibus seu funibus. [...] quibusdam: dictæ, quia iis rei in Eculeo torquentur, ut *fides* [...] niatur, Isidor. Vel quòd sontes funibus, veluti *fidibus*, distenduntur, Fr. Gouldmannus *Lexico Lat. Angl.* Turnebo iisdem [...] quadam joci videntur nomen invenisse, *quòd, ut in fidibus nervi, ita hinc & indè multis funibus miseri distendebantur*, *Advers.* [...] *cap.* 3. Græcorum Στρέβλην illis non dissimilem facit Thom. Godvvynus *Anthol. Rom. lib.* 3. *sect.* 3. *cap.* 7. Earum meminit [...] lentis Imp. rescriptum *lib.* 4. *C. ad leg. Jul. Maj. Nullus omnino* [...] *inconsultis ac nescientibus nobis* Fidicularum *tormenta inferantur, militiæ ac generis, vel dignitatis defensione uti prohibemus*: & Valerius M. *Rupis verbera*, Fidiculas *laxavit, solvit eculeum.* Idem esse cum ungulis, quòd effodiant, idem Isidorus *Etymol. lib.* 5. *cap.* 27. asserit, de quibus Prudentius lib. [illegible] in Romano Martyre.

> *Non ungularum tanta vis fodit latus.*

Cum Equuleo idem planè tormenti genus *Fidiculas* facit Hier. Magius, quæ causa, cur quædam de Eculeo superiùs omissa [...] adnectere visum sit. Ei nomen, quòd parvi equi seu pulli equini effigiem repræsentaret: poterat & condignè *scamnum* appellari, exemplo Hippocratis Medici, qui non diversum admodum ab Equuleo organum à se excogitatum *Scamnum* vocavit. Græci Τύμπανον vocant, machinæ hujus non minùs, ac reliquarum [...] omnium, auctores: unde Pauli illud ad Hebr. c. 11. v. 5. ἐτυμπανίσθησαν, *tympanizati* seu *distenti sunt*, de Equulei cruciatu interpretatur Thom. Aquinas. Tympana enim, auctoribus Vitruvio, [...] & aliis, vocant Mechanici, axes, quorum capita foramina habent, quibus induntur vectes quò faciliùs versari possint, iisq; funes advolvantur, quibus pondera vel protrahuntur, vel sustolluntur, [...] ergatas non ad perpendiculum, ut fit, consistentes esse dicas, [...] jacentes potiùs. Fuit autem Equuleus ligneum scamnum, seu lignea arca, pedibus quatuor ligneis consistens, fundoq; carens, quæ utrinq; capiebat tympana & funes, quibus manus pedesque sontium & torquendorum obligarentur & protraherentur, non [...] exquisito totius corporis dolore. Hinc Sen. *in Epist. in Equuleo*, [...] quit, *longior factus est.* In hoc pendere solebant, quia suspensi in aere vacuo, corpore eo pacto extenso, & *divaricatis cruribus*, [...] Prudentius *in Martyr. Romani & Vincentii* ait, consistebant. Hodie antiquum servatur instrumentum apud Hispanos & [...], quorum hi *Gennam*, illi *Pulliedro*, meliori voce appellant. Neapoli quoque hujusmodi tormentum visitur, in arcem ab Hispanis invectum, quo in inquisitione criminis læsæ Maj. [...]. Fuit hæc olim pœna servilis, nec nobiliores & ingenui [...] rant torqueri; postea in Martyriis illo nihil frequentius. Nec [...] stendebantur solùm in ea, sed etiam flagris cædebantur, laminis ignitis cruciabantur, imò ungulis quandoq; ferreis laniabantur. Justinian. *de Malefic.* in C. Hactenus præfatus Magius [...]

Equuleo

Equuleo. Thomas Seghetus, in arce Mirandulana, tormenti genus ex asseribus compacti, in morem adamantis acuminati, effigiatum, se spectasse refert. Huc tanquam in equum conjiciebantur rei nudi, ita ut acumen premeret partem illam, quæ honestè nominari nequit, distentis per pondera manibus pedibusq;, quò graviores insiderent: quod *Equuleum*, *seu Cavalletum* incolis dici ait. Jungermann' v. *Notis in prædictum Magii libellum*, nec tympana, idem tormenti genus, nec *Fidiculas* censet. Auctor enim Schol. Aristophanis *in Pluto*, tympanum, lignum fuisse ait, quo verberabantur sontes: cui adstipulatur Sigonius *de Rep. Athen. lib.* 3. c. 1. & ipsa vocis Etymologia, παρὰ τὸ τύπτειν enim, *à verberando*, nomen invenit: Unde illud Pauli ἐτυμπανίσθησαν quidam, *fustibus cæsi sunt*, reddunt. *Fidiculas* autem alii id pœnæ genus esse volunt, quod hodie Italis *Funis*, Græcis σχοῖνος, Germanis *Folterseil, Zwick, Treibschnur, mit der man foltert*, Belgis *Pijnbanck*. Gallis *Gehenne* dicitur. Nebrissensis interpretatur id supplicium, quod Italiæ familiare, *Tratto di corda*, Hispanis *Trato de Cuerda* vocatur: quo reus rejectis in tergum manibus fune suspensus in præceps demittitur. Mihi tamen Isidori suprà laudati placet sententia, qui *Fidiculas* ungulas ferreas, quibus damnatorum latera finderentur, vel fodicarentur, unde *Fidiculæ*, vel *Fodiculæ*, fuisse ait. Quibus assentitur Prudentius *in hymno S. Romani Martyris*, cùm ait, de Asclepiade Judice loquens:

—— *Vertat ictum carnifex*
In os loquentis, inq; maxillas manum
Sulcosq; acutos, & Fidiculas *transferat,*
Verbositatis ut rumpatur locus.

Per *Fidiculas* enim ibi ungulas intelligi, sequentia ostendunt:

Implet jubentis dicta lictor improbus,
Charaxat ambas ungulis scribentibus
Genas, cruentis & secat faciem notis &c.

An aliud tormenti genus fuerit, cujus meminit Suetonius *in Tiberio*, cùm ait: *Excogitaverat inter cætera cruciatus genera etiam, ut longâ meri potione per fallaciam oneratos, repentè veretris deligatis*, Fidicularum *simul urinæq; tormento distenderet*, docti viderint. Gallonius id ab eo, quod in Martyrum rebus gestis aliisque Auctoribus, per *Fidiculas* indigitatur, diversum: nonnulli idem cum illo faciunt, V. præfatum Magii *libellum, cum Annotat. in fine subnexis.*

S. Fidis vicus, vulgò *S. Foy*, locus est Galliæ, ad fluv. Duranium, à Fide Virgine & Martyre nomen nactus. Hadr. Valesius *Not. Gall.* in voce *Sancti Gaudentii castrum.*

Fiernaldus, V. infrà *Filius Arnaldus.*

Figere, apud Propertium *lib.* 2. *Eleg.* 13.

Hæc igitur mihi sint lepores audacia molles,
Excipere & structo figere *avem calamo:*

est devincire ac ligare, & imobilem præstare, Græcè πήξαι; quod quo modo factum sit, diximus suprà, ubi de eo Aucupii genere, quod *Arundineum crescentem*, item *Calamum structum*, vocavere Vett. Inde ad res Magicas translatum id verbum, uti *defigere, devincire, ligare*, significare cœpit, vel simplicium herbarum, vel verborum potestate, vel alio aliquo modo, à naturali functione aliquem impedire ac devovere, uti inter alia videre est infrà, ubi de *Nodo Veneris*. At *columbam figere*, apud Poëtam; *damas figere* & *tigres*, apud alium; *pisces cuspide vel tridente figere*, apud Firmicum, jaculo est ac sagittâ trajicere & transfigere. Salmasius *ad Solinum pag.* 1087. Alia notio ejus, apud Statium *lib.* 3. *Sylv* 1. *v.* 96.

Tot virides lucos, tot saxa imitantia vultus,
Æraq;, tot scripto viventes lumine ceras
Fixisti?

ubi idē, quod *dedicare* & *consecrare* est. V. Servium *ad Æn. lib.* 12. &c.

Figiacum, vulgò *Figeac*, opp. Galliæ in Cadurcis, Monasterio veteri clarum, ad fluv. Sellam *Sele*: ad quem etiam Marcelliacum *Marsillac*, Monasterio cognomine illustre, V. Hadr. Valesium in hac voce.

Figlinum Opus, apud Vitruvium *lib.* 5. *cap.* 10. *Concamerationes vero si ex structura factæ fuerint, erunt utiliores; sin autem contignationes fuerint*, figlinum *opus subjiciatur*, lege *signinum*, quod ex *figlinarum fractis testis*, Plin. *lib.* 7. *cap.* 56. seu *ex testa tusa cum calce*, Salmasius *ad Solinum p.* 1214. fiebat, V. infrà ubi de opere *Signino*: de *Figlinis* verò, diximus jam aliquid in voce *Fictile*, & plura dicemus, ubi *de Plastice*. Et quidem primum *Figlinam officinam* apc ruisse Corœbum Atheniensem, habes apud Plinium *lib.* 7. *cap.* 56. Romæ verò *Numa Rex septimum collegium* Figulorum *instituit* Idem *lib.* 35. *cap.* 12. De *Figulis*, è corpore servorum, sic Pignorius ubi *de Familia rustica*, *Cretam effossam tractabant* Figuli — *in usum viz. fundi vasa parantes, quibus exportarentur fructus, velut amphoras & dolia, & in villæ ædificationem, tegulas, mercis etiam gratiâ, ut vasa venirent.* Figlinas *autem in agro quo modo exerceri oporteret, Hostilii Saserna pater & filius libris editis monstraverunt, ut testatur Varro* &c.

Figura, V. hic in vocibus *Fictor* & *Schema.*

In *Fila* aurum deduci, vetuit Aurelianus apud Vopiscum: *filis* enim aureis & subtemine serico vestes claræ & pretiosæ texebantur. Spartianus *in Pertinace, Vestis subtemine serico, filis aureis.* Postea verò inventum etiam, ut argentum in *fila* deduceretur, & filis argenteis vestes contexerentur: quod sub ultimis Impp. apud Græcos multùm in usu fuit. Dicta autem istiusmodi texta συρματὰ sunt, à *syrmate*, h. e. *filo argenteo*, sic enim vocabant: unde quoties apud Codinum συρματένιον legitur, argenteis intelligendum est textum filis seu argentatum. V. Salmasium *ad l.* & infrà in voce *Syrmatinum.*

Filaciorum Custodes, Anglis *Filazer*, XIV. numero in *Banco communi* sunt, teste Spelmanno. Est autem *Filacium*, filum crassius, quo in Curiis Judiciariis brevia & rescripta trajecta, invicem constringuntur, ne pereant. Gallis *Filace*. Gulielmus Thorn. *Istud breve est in* Filaciis *Marescalli*, apud C. du Fresne

Filia, unicum Matris votum, in Amazonum gente. Apud Romanos, supplicationes & vota Veneri, uti Τετράχθεια, seu Θυσία γενέθλιος, apud Athenienses, Pacique, magis pro filiis, quàm *filiabus*, concepta: interim sine ullo sexus discrimine & Puerpera *edere*, & Pater *suscipere* dictus est. Quæ prima nata, primogenituræ quoque jure aliquo gaudere consuevit. Namque *è solis femellis nunquam exponuntur primitivæ*, Th. Bartholinus *de Puerperio Vett.* Olim verò, si sexus esset sequioris, partum tollere nolebant patres. Ovidius *Metam lib.* 9.

Edita fortè tuo fuerit si fœmina partu;
(Invitus mando: pietas, ignosce) necetur.

Lustrico die, quo nomen adepturæ erant *filiæ*, lustrabantur, eratq; is octavus à nativitate, sicut maribus nonus, uti Festus docet, causam suggerente Censorino, ex Plutarcho *in Quæst. Rom.* Simul autem lustrabatur mater, longiori morâ. Et quidem apud Hebræos, quæ *filiam* esset enixa, octoginta dies in purificatione explevit, 40. saltem, quæ masculum. Tot enim diebus censebantur impuræ, quanquam septem tantùm diebus summa fuerit impuritas, reliquis à sacro contactu arcerentur. Eodem lustrationis die Ægyptii Arabesq; fœminæ clitoridem hodieq; incidunt, more diu inveterato. Apud Hebræos initio mensis nomen impositum, apud Græcos septimo à nativitate die Cumq; varia maribus apud Romanos essent, fœminæ & servi solis sere gaudebant nominibus, quæ variè ad distinctionem inflectebantur, nonnunquam prænominibus &c Qua de re V. infrà, in voce *Infans*, item *Puerpera*, alibique passim: uti de *Filiarum* educatione, in voce *Occuria*, item *Parthenon*. Cùm nuptiis jam maturuisset *Filia*, ex gremio Matris eam à Sponso rapi mos erat apud Romanos, quem ritum eleganter expressit Appulejus *lib.* 4. causam Festus, *Rapi simulatur virgo ex gremio matris, aut, si ea non est, ex proxima necessitudine, cùm ad virum trahitur, quòd videlicet ea res feliciter Romulo cessit.* Facem postmodum præferebat, in ipsa Nuptiali festivitate, mater, usu vetustissimo. Unde amissâ filiâ Mater, apud Claudian. *de Raptu lib.* 3.

—— —— *laniato pectore longas*
Inchoat illa vias, & sic ingressa profatur:
Non tales gestare tibi, Proserpina, tædas,
Sperabam, sed vota mihi communia matrum &c.

E quibus verbis etiam, quid in funere *Filiorum* à Matribus factitatum, discas, V. quoque Euripidem *Medeâ*, & hanc in rem plura apud Casp. Barthium *Adversar. lib.* 35. *c.* 8. ut & hic insuper, variis locis, inprimis, in vocibus *Puella*, *Virgo* &c. Transiit vox ad alia, similitudine invitante; unde phrasi sacrâ minores urbes majorum, & majores, ipsius Metropolis Hierosolymæ. *Filiæ*, toties appellantur. Sic, apud Monasticæ quoque Rei Scriptores, Monasteria, quæ ab aliis majoribus peculiari quadam familiaritate dependent. *Filias* dici, notat C. du Fresne *Glossar.*

Filia in Jesu Christo, tit. quo Papa utitur in literis ad Galliæ Reginam, Richelietus *Diction. Gall.*

Filicata Patera, quæ ad *filicis* herbæ speciem erat cælata, memoratur Salmasio *ad Pollionem in Claudio*, & *ad Solinum p.* 1047. Dicta autem *filix*, antiquitus *felix*, ex Græco πτιλὶς, seu πτέρις, quòd folia habeat ἐντετμημένα καὶ ἀναπεπταμένα ὡς πτέρυξ, *incisa & expansa, ut pinna*, Idem *ad Solinum pag.* 578. Ex ejus exustæ cineribus admixtà, quam *soldam* vocant vitrum hodie vilius conflatur, *filicarios calices* appellant Galli, sicut ex cineribus herbæ *Kali*, cum quodam silicum genere mixtis, nitidissima sua crystallina Veneti conficiunt, *Ibid pag.* 1096. V. plura de hac herba, apud Plinium *lib.* 27. *cap.* 9. &c.

Filicon, in *l.* 32. *Cod. Th. de Navicular.* Græcè φιλικὸν, pensitatio est, quæ ex benevolentia amice & ultro præbetur: quomodo *donum*, *mutuum* &c. recentiores usurparunt. Ita exactiones suas etiam Veteres specioso nomine palliarunt. C. du Fresne *Glossar.*

Filii Thalami, apud Hebræos, quinam dicti sint, V. infrà ubi de *Nuptiali Thalamo*. De vulgato illo in *Talmudibus* R. Simeonis כל ישראל בני מלכים הם. *universi Israëlitæ sunt filii Regum*: & dicto in hanc rem *Misnæ, cui dolent lumbi, ei nec infundere licet* (Sabbato) *vinum aut acetum, aut vero oleum licet. Modò nempe minimè oleum illud sit rosaceum Filii seu liberi Regum in vulneribus suis infundunt etiam oleum rosaceum* (in Sabbato) *quoniam similiter se oleo illo* (delitiarum seu voluptatis causâ) *diebus profestis imbuere solent. At verò respondit R. Simeon, Universos Israëlitas esse filios Regum*, V. Jo. Seldenum *de Jure Natur. ac Gentium juxta Disciplinam Ebræor. lib.* 6 *cap* 18.

Filiolitas, titulus honorarius, quo Pontifices utuntur cùm ad Principes suæ Communionis scribunt. V. *Rescriptum* Episcoporum Synodi Duziac. *ad Epist.* 27. Hadriani, Joannem X. *Epist. ad*

Carolum III. R. alios. At *Filiolagium* & *Filiolatio*, donum dicitur, quod *filiolo*, qui de sacro fonte suscipiebatur à Susceptore, in adoptionis spiritualis tesseram, solebat conferri, in *Chron.* Ademari Caban. A. C. 826. apud Lambertum Ardensem, alibi. Fere semper enim à Susceptoribus collata fuisse post Baptismum filiis lustricis munera, in signum adoptionis hujusq; vi bonorum suorum partem aliquam iis deberi existimasse priscos, constat. Sic Regem Wlfere, *duas provincias* profilio suo Ædilwacho Regi; alterum, *Regi Sudsexiæ Adelwoldo, insulam Wicth*; Philippum VI. Franc. R. Philippo Alenconio, profilio suo & è Carolo fratre nepoti 6000. *libratas* terræ; donasse, docet du Fresne, ex Beda *Histor. lib.* 4. c. 13. Henrico Huntindon. *Histor. lib.* 2. *pag.* 318. & *Diplomate* Philippi præfati.

Filius, non unius generis. Homeri Interpres *Il.* δ. quatuor generationis species recensens, γνησίους vocat, qui *legitimi* Romanis dicebantur; νόθους, *qui è pellice*; σκοτίους *spurios*, quorum pater in incerto est; & παρθενίους, *qui è matre, quæ virgo adhuc credita est, nati*: de quibus omnibus V. Meursium *ad Lycophronem pag.* 207. ut & reliqua huc pertinentia hic passim, inprimis in vocibus *Infans, Liberi, Parentes, Puerpera* &c. Et quidem apud Vett. Regum Principumque filii nothi pari cum legitimis in honore habebantur, uti docet præter Eustathium, Scholiastes incertus *Il.* θ. & Servius *ad Æneid. lib.* 3. Privatorum vero hominum, acceptis mille drachmis, quæ pecunia νοθεῖα dicebatur, contenti esse jussi sunt, Harpocration & Aristophanes *in Avib.* V. quoque infra ubi de *Nothis*. Ardua illa quæstio, *Filius natus Patre jam Rege num præferendus antè nato?* Certè priùs natum anteferendum esse, varia sunt quæ suadeant; obtinuitque hæc sententia in Perside, inter Cyrum & Arsicam (cui nomen factum *Artaxerxi Mnemoni*) in Judæa, inter Antipatrum Herodis M. filium & ejus fratres; in Hungaria, cùm Geissa Regnum adiit; & in Germania, non sine armis tamen, inter Ottonem I. & Henricum. Similiter in Regno Turcico, cum Bajazethes & Gemes, ille major natu, hic natus imperanti, inter se contenderent, prævaluit Bajazethes. Et priùs in Imperio Græco Constantinus Ducas Imperium filiis reliquit, quorum duo privato geniti, tertius Πορφυρογέννητος erat. Quòd Spartæ aliter factum, ex lege propria fuit ejus populi, quæ ob educationem magis accuratam natos in Regno præferebat. Idem accidere potest ex peculiari lege vestituræ primævæ, si Imperium detur in feudum vasallo & ex eo nascituris: quo argumento nixus videtur fuisse Ludovicus adversùs Galeatium fratrem, in controversia Ducatus Mediolanensis. Nam in Perside Xerxes, qui contra fratrem Artabazanem obtinuit Regnum, ut Herodotus notat, potentiâ Atossæ matris magis, quàm Jure, valuit &c. Quam in rem V. Hug. Grotium *de Jure Belli & Pacis lib.* 2. *cap.* 7. *num.* 28. & *seqq.* Quis verò recentioris ævi Scriptoribus *Filius Arnaldi*, quis item in *Foris* Aragon. *Filius Dalgo*, Hispan. *Fidalgo*, dicatur? V. infrà, *Filius Hernaudi*, item *Hidalgus*.

Filius Georgii, cognom. Alberti Flandrensis, quo à Turcis Arabibusque eum appellatum esse, legitur in *Gestis Francorum expugnant. Hierusalem sub fin.* & apud Gualterum Tervvan. in *Vita* S. Caroli Flandr. *cap.* 3. Non quòd à S. Georgio genus duxisse, sed quòd ipsum esse S. Georgium Militem inclytum & apud Græcos eo nomine celeberrimum, existimarent. V. quæ de S. Georgio observat Joannes Seldenus *in Titulis Honorar.* & du Fresne *ad Joinvillam*.

Filius Hernaudi, & junctim *Fiernaldus*, dicitur in Ordine Melitensi Eques novitius, apud Macros in *Hierolex.* Cujus appellationis origo aperitur in *Statutis* Ordinis Hierosol. *tit.* 19. *de Verbor. signif.* §. 33. *Per* Filios Arnaldos *intelliguntur hi, qui novissimè post alios Ordinem nostrum sunt professi, quasi tyrones. Quod quidem vocabulum, quod & ipsum Gallicum est, in Terra sancta frequens & commune fuit. Nam qui illic ex patribus Christianis nati erant, Pullani dicebantur: qui verò in partibus cismarinis nati eò veniebant, ab eis* (per contumeliam) *Filii Arnaldi dicebantur*: tanquam *fatui & idiotæ*, ut qui relictâ ultro patriâ ad Terræ S. tuitionem properabant, Jac. de Vitriaco *Histor. Hierosolym. lib.* 1. *cap.* 72. apud C. du Fresne *Glossar.*

Filius Ἰχθύος, Hieronymo *ad Chromatium*, dicitur Bonosus, qui in insulam se abdiderat, à continenti sejunctam, aquis circumfusam, ut Christo (voce Ἰχθύς Vett. intellecto) eò liberiùs vacaret. Jocus nempe ex eo petitus, quòd ΙΧΘΥΣ illis significabat Ἰησοῦς Χριστὸς Θεοῦ Υἱὸς Σωτήρ, quâ allusione Tertullianum quoque, Optatum Afrum, Augustinum, Paulinum, alios, uti notum. Gronovius *Observ. in Eccl. cap.* 19.

Filius Petri, cognomen Imperatorum quorundam ac Principum, qui Sedi Pontificiæ venerationem quandam peculiarem impenderunt, uti observavit Nic. Alemannus *Dissertat. de Lateranensibus Parietinis cap.* 11. Sic *Filia Petri*, dicta est Mathildis Comes, Bonifacii Ducis vidua, Gregorio VII. *lib.* 1. *Epist.* 11. *lib.* 2. *Epist.* 9. & Domnizoni non semel. Uti de eadem, Rangerius Episc. Luc.

Filiolæ Petri violæ post lilia dentur &c.

ob præclara nempe ejus in Pontifices sedemq; Rom. merita. V. in voce *Mathildis*.

Filius Tonitrui, V. *Boanerges*, & *Notas* Car. du Fresne *ad Alexiadem*.

Filtrei Capelli, in *Statutis* Hugonis V. Abbatis Cluniac. *Calcei filtrati*, in *Statutis* Adalardi Abb. Corbej. *lib.* 1. *cap.* 3. &c. à *filtro* nomen habent. Est autem *Feltrum* seu *Filtrum* lana coacta, quam infuso aceto ferro resistere, auctor est Plinius *lib.* 8 *cap.* 48. cujusmodi *gambesonem*, quem etiam *Feltri* nomine auctores quidam agnoscunt, describit Nicetas *in Isacio lib.* 1. *num.* 8. Unde *Loricæ e filtris*, apud Ekkehardum Jun. *de Casibus S. Galli cap.* 5. & Guil. Apul. *Norm. Rer. lib.* 3.

Proq; repellendis saxorum vel jaculorum
Ictibus, objectis rubicundis undique philtris
Ad pugnam veniunt &c.

Tentoriorum Filtreorum, meminit Thwroczius *in Chron. Hungar.* ubi de Tartaris; quos *idola* quoque *de filtro, ad imaginem hominis* confecta adorasse, tradunt Vincentius Belvac. *lib.* 30. *cap.* 7. & Odoricus Forojul. *in sua Peregrinat. num* 21. &c. V. C. du Fresne in voce *Feltrum* & suprà, ubi *de Coactilibus* & *Coactiliariis*. Galli hodieque *Feutres* vocant, pileos ex filtris & coactis ejusmodi lanis factos: & nota Italorum vox *Feltro*, ab eadem origine, Belgarum *Vilt* &c. Origo vocis ex Græco πιλωτὸν seu πιλωτὰ: quo modo dicuntur τὰ ἐκ τριχῶν συνθλιβόμενα, Gerh. Joh. Vossius *de Idolol. lib.* 3. *cap.* 70. ubi de coactilibus hujusmodi quamplurima.

Filum, quasi *pilus*, Fungero; quasi *bilum*, i. minimum in veste, aliis: in orbem nectendis floribus, foliis, herbis, ramulis, ut sic capiti redimiendo fierent idonei, adhibebatur. Tertullian. *de Coron. mil. Et inserti & innexi & in filo & in hirpo, quod liberi, quod soluti.* Ubi *scirpi* nomine *philyram* intelligit Paschalius *de Coronis lib.* 2. *cap.* 12. ubi *de nectendi coronas artificio*, V. quoque suprà ubi de *Coronis*. Imò & ex *filo*, cui hæreret folium olivæ, in quo nomen τῆς Ἀθηνᾶς, *Minervæ*, scriptum, corona fiebat, uti discimus ex Constantino Cæs. *lib.* 7. *cap.* 31. inter eas, quæ capitis dolores sedarent, recensita eidem Paschalio *lib.* 1. *cap.* 15. ut alia omittam. In Tabernaculo V. Testam. præter aurum, argentum, æs aliaque, serici quoque ac lanarum *fila*, hyacinthina & purpura coccoque tincta, locum habuere. Inprimis Altare holocaustorum, quod in Templo Salomonico ex solido ære confectum erat, medium cingebat *filum coccineum*, ad sanguines discernendos, ut videre est apud Burmannum *Synopsi Theol. Christ. Parte prior. lib. IV. cap.* 15. §. 11. Apud Romanos, cùm nudo capite in publicum prodire Flamini nefas esset, *solo filo*, urgente æstu, *caput cingebat*, diebus festis exceptis, unde ei nomen, Varro *de L. L. lib.* 1. *Filamen* certè vocatur in vet. *Inscr.* DIVÆ AUGUST. E ALBINUS ALB. F. FILAMEN DIVÆ AUG. PROVINCI E LUSITA. quod *filum lanæ* fuisse, docet Festus, & Livius *lib.* 1. V. Anton. Thysium JC. *Not. ad Gellium lib.* 1. *cap.* 12. Sed & in Magicis *filorum* usus: hinc *tria fila discoloria nodis necti* totidem jubet, ad ligandum in amoribus Daphnidem, Venefica Virgiliana *Ecl.* 8. Nec omittendus, *Filum de pallio projiciendi, in argumentum remissæ injuriæ*, ritus, indigitatus Egilo in *Vita* S. Sturmii Abbatis Fuld. *cap.* 18. de Pipino R. *Tollensq; manu sua de pallio suo filum*, projecit in terram, & dixit: *Ecce in testimonium perfectæ remissionis* filum *de pallio meo projicio in terram, ut conflictus pateat, quòd pristina deinceps annulletur inimicitia*, apud du Fresne *Glossar.* Ut de *filo* auro argentoque intorto aliquid addam: Armillæ vett. non solido semper, verùm & textili nonnunquam, & per *fila* intorto auro constabant, uti colligere est ex Plinio *lib.* 9. *cap.* 15. Unde פְּתִיל *filum*, Genes. *cap.* 38. *vers.* 18, 25. ubi agitur de iis, quæ à Juda Thamar arrhabonis loco poscebat, *armillam* Vulgatus exponit. Quod sciens Spondanus ἕλικας γναμπτὰς apud Homerum *Il.* σ. *tortiles armillas* reddidit. Tortiles enim sunt à filo auro intexto, cujusmodi filo ad vinciendos quin dentes feliciter usos esse Veteres, discimus ex *L. XII. Tab.* Hippocrate *de Arte*, & Celso *lib.* 7. *cap.* 12. hodieque edentulos imitari notum. Atque talem armillam apud Lucretiam Borgiam Ferrariæ D. serpentis effigie formatam, hisce decantat P. Bembus *in Carm.*

Dipsas eram: sum facta, Tago dum perluor, aurum
Tortile, Nympharum manibus datus —

V. Thom. Bartholinum *de armillis Vett.* Sed & *filis auris argenteisq;* & subtemine sericoq; vestes olim texebantur, claræ ac pretiosæ, ut vidimus &c. Porro etiam *Fila*, extrema circulorum, lineæ. Manilius de Horizonte,

— — — *variisq; notabis*
Fini cum visu pariter sua fila *moventem*.

De Æquinoctiali,

— *lucem, qui circulus æquat, & umbras*
Lanigeri & Libræ signo sua fila *secantem* &c.

Hincque extremæ lineæ, quibus circumscribuntur corpora, Arnobius *circumcæsuram* dixit: atque inde pro lineamentis, *habitu filoq; virginali*. Plautus, *scitum* filum *mulieris*. A. Gellius *lib.* 1. *cap.* 9 ubi verbum φυσιογνωμονεῖν exponit, *mores naturasque hominum, conjectatione quadam de oris & vultus ingenio, deq; totius corporis filo atq; habitu, sciscitari*: ad quem l. V. eundem Thysium. *Fila* pro nervis instrumentorum Musicorum, V. suprà in voce *Fides*: uti de *Filis multis in nodum strictis, cum cirris extantibus*, vestium apud Vett. ornamento, ubi *de Cirris* &c. de *Filo margaritarum*, infrà in voce *Linea* dicetur.

Fimbria,

Fimbria, ex *Fibrum*, quod Antiqui dicebant extremum, Varr. ex *fine*, ora vestimentorum; est *extremitas vestium* Nonio: Hinc Isidorus, *Fimbriæ vocatæ sunt oræ vestimentorum, h. e fines*. Græcis est πέζα, κράσπεδον, θύσανος, κροσσοί: è quibus tamen πέζα & κράσπεδον omnem vestium extremitatem significat, limbum sc. oram, laciniam & institam. Theocritus *Idyllio* 2.

Τὸ ἀπὸ τᾶς χλαίνας τὸ κράσπεδον ὤλεσε Δέλφις.

Θύσανος vero & κροσσοὶ propriè *Fimbriam*, qualiter Homerus αἰγίδα θυσανόεσσαν, & Plutarchus Luculli κροσσωτὴν ἐφεστρίδα appellat. Agnoscit discrimen hoc Pollux *lib.* 7. cùm κράσπεδα dicit τὰς τελευταίας ὄχθας τοῦ ἱματίου: θυσάνους vero τοὺς λεγομένους κροσσούς. Hesychius item, cùm κροσσοὺς vocat, τὰ κάτω τῶν ἱματίων τὰ γραμματοειδῆ, *villos sc. sive floccos & fimbrias*. Ita Suidæ κροσσοὶ est μαλλοί. Proin Marci *cap.* 6. *vers. ult.* (καὶ παρεκάλουν αὐτὸν ἵνα κἂν τοῦ κρασπέδου τοῦ ἱματίου αὐτοῦ ἅψωνται), vocem κράσπεδον quidam malunt interpretari, *limbum & laciniam pallii*, quam *fimbriam*. Ita enim & apud Plutarchum *in Graccho* de Scipione Nasica dicitur, τὸ κράσπεδον τοῦ ἱματίου θέμενος ἐπὶ τῆς κεφαλῆς, *Laciniam togæ capiti imponens*. Non ergò *Fimbriæ* sunt omnes vestium extremitates, alias ineptum esset, distinctionis causâ aliquod vestimentum *fimbriatum* appellare, sed *Fimbriarum*, tanquam ornamentorum, Scriptores meminere. Marcellinus *lib.* 14. *Ut longiores fimbriæ tunicæ perspicua luceant varietate liciorum, effigiatæ in species animalium multiformes* Suetonius *in Cæsare*, *Et cultu notabilem ferunt; usum enim lato clavo ad manus fimbriato*. Ad quem locum Beroaldus & Sabellicus, quid essent *Fimbriæ*, ex Plinio docuerunt, qui *fimbriata urticæ folia* esse tradit: & alibi, *fimbriatam avellanæ nucis barbam*, multifariam sc in oram recisam. Unde patet, *Fimbrias* in extrema vestimentorum parte fila fuisse floccosque dependentes, quas Itali *Frangias* appellant: it. ipsam vestium extremitatem, minutim concisam, capitibus in acutum desinentibus, ad instar pinnarum, quæ iisdem *Merli* dicuntur, Hinc Cic. *in Pisonem*, *Madentes*, inquit, *cincinnorum fimbriæ*. Capilli enim ferro vibrati & in cincinnos torti, in extremitate, cum solvuntur, fimbrias referunt. Quod autem attinet Cæsaris latum clavum, ad manus *fimbriatum*, in eo duplicem notat Auctor luxum, quòd manuleatam & chiridotam tunicam laticlaviam gestaret, quodque ex manicæ *fimbriatæ* essent: quale ornamentum minime viros deceret. Nec vestibus verò solùm, sed stragulis mappisque fimbriæ addebantur, ut ex Plinio ac Petronio patet: quorum ille inter signa lethalia recenset *Fimbriarum oram, & stragulæ vestis plicaturas*; hic Trimalcionem discumbere commodum incipientem describens, *Pallio coccineo*, inquit, *adrasum incluserat caput, circaque oneratas veste cervices laticlaviam immiserat mappam fimbriis hinc atque illinc pendentibus*. Nec dissimile linteum fuit, quo Atriensem accinctum describit Phædrus *in fabulis*. *lib.* 2. *fab.* 5.

Ex altè cinctis, unus Atriensibus,
Cui tunica ab humeris linteo Pelusio
Erat destricta cirris dependentibus.

Ubi per *Cirros* quidem Laurentius JC. *Notis in locum*, capillos contortos & crispatos: Vir doctus tunicam ipsam: Ferrarius vero *fimbrias* intelligit, illasque ad linteum Pelusium refert, quo tunica destricta. Fuit enim linteum illud sindon, sive mappa, qua ministri conviviorum accingebantur, quæ ad instar Petronianæ erat *fimbriata*. Quare idem *cirratas militares* apud Capitolinum *fimbriatas* itidem interpretari mavult, quàm hirtas aut villosas. V. Oct. Ferrarium *de Re Vestiaria Part.* 2. *lib.* 1. *cap.* 19. Salmasius verò à *fimbriis* sic *cirros* distinguit, ut illarum nomine intelligat rectos villos ac discriminatos, circa extimas vestium oras, nullo modo constrictas; horum autem, fimbrias in nodum coactas & contortas, cum extantibus & dependentibus villis. Sic *fimbriæ* fuerint *frangiæ* Gallorum, at cirri vestium, *houpes*. V. eum *ad Solinum pag* 761. & de *fimbriatis Vestimentis subuculisque*, quibus honestiores utebantur, Casaubonum *ad Suetonium lib.* 1. *cap.* 46. Apud Gregorium Turon. *lib.* 7. *cap.* 31. *Illud inter jurgia exprobrant, quòd velit eum à S. Antistitis fimbriis separare: fimbriæ* pallæ sunt *Glossarii* sæpiùs laudato Auctori, quibus Sanctorum sepulchra tegebantur &c.

Fimo, contumeliæ causâ, perfundendi Duces Principesque viros consuetudo, memoratur *l.* 1. §. 11. *ff. de extr. crim.* Pauli *Sent.* ... *lib.* 5. suggeritque exemplum Bibuli Consulis, Plut. *in Pompejo*. V. infra in verbo *Jacere*. Aliàs *fimus* animaliumque excrementa, non in Medicina modò, sed etiam in Agricultura, non parum possunt. *Ipsa res antiqua. Jam apud Homerum regius senex agrum ita suis manibus lætificans reperitur. Augeas Rex in Græcia excogitasse traditur, divulgasse verò Hercules in Italia, quæ Regi suo Stercutio, Fauni filio, ob hoc inventum, immortalitatem tribuit*, Plin. *lib.* 17. *cap.* 9. Et quidem, quadrupedum Columellæ *optimum existimatur stercus, quod asinus facit — Deterrimum suillum*, *lib.* 2. *cap.* 4. At Theophrastus post humana retrimenta, proximam facit bonitatem κόπρου τῶν ὑῶν, *stercorationis suillæ*, *Hist. Plant. lib.* 2. *cap.* 8. Quem sequitur Plinius, simul rationem reddens *lib.* 28. *cap.* 9. ubi, cùm laudasset adipem suillum, subjungit: *Neque est sicuti vitium causa, quoniam id animal herbarum radicibus vescitur. Itaque etiam fimo innumeri usus.* Quam in rem V. plura apud Gerh. Jo. Vossium *de Idol. lib.* 3. *cap.* 71. Inter aves, turdorum *fimum* inprimis lætas segetes facere, proximamque vim columbino, inde gallinario esse, auctor est Columella præfatus *lib.* 2. *cap.* 15. Nec mirum, si veteres Romani agros stercorarent turdorum aviumque fimo: ut quibus tanta fuere aviaria seu Ornithones, ut majora sæpiùs tecta haberent, quam totæ antiquitus fuissent villæ, qua de re alibi diximus. Bubulus verò fimus etiam igni alendo, ligni instar, apud quasdam gentes adhiberi consuevit, uti videre hic est, ubi de *Focatio*, seu *Subcinericio Pane*. Sed & Dardanios sub fimo speluncas defossas incoluisse, testis est Strabo *lib.* 7. &c. Plura hic passim, ubi de vocibus synonymis.

extra *Fines* projiciendi cadavera proditorum mos, V. infrà ubi de *Tractione*: de voce v. *Fines*, hic passim, in vocibus *Banleuca, Territorium, Torres* &c.

Fines Aquenses, & *Fines Arelatenses*, inscriptum rupi S. Victoriæ, vulgò *Sainte Venture*, in Castro S. Antonini 3. mill. procul aquis Sextiis, hoc modo,

FIN. AQ.	ab altera parte	FIN. AREL.

Collimitium utriusque urbis indigitat. Lapidibus enim regionum prædiorumque privatorum terminos distingui consuevisse, dicemus infrà ubi de *Lapidibus Terminalibus*. Sic in Isthmo Corinthiaco columnam olim statutam, Ioniæ ac Peloponnesi terminum, notat Jac. Sponius *Itiner. part.* 3. *pag.* 31.

Fingere, de cera, pigmentis, argilla. Hinc *componere*, quà lubet. Papinius Statius *lib.* 5. *Sylv.* 3. *versu* 191. de formatione juventæ,

Non tibi certasset juvenilia fingere Nestor
Corda

Idem *Theb. lib.* 5. *vers.* 228. de coma,

Aspiciens floremque genæ, & quas finxerat auro
Ipsa comas &c.

In quem sensum Isidorus *Orig. lib.* 10. *cap.* 7. *Fictor appellatus à fingendo & componendo aliquid, sicut quo capillos mulierum linit & pertractat, ungit & nitidat.* V. quoque suprà in verbo *Colligere*, & de prima vocis notione plura, in *Fictile*, item *Fictor*.

Finlandia, Magnus Ducatus Sueciæ, testamento Gustavi I. tributus Joanni filio, Erico Regis fratri: propugnaculum est Regni, contra excursiones Russorum firmissimum; in cujus limitibus arces validissimæ, *Wiburg. Kexholm*, aliæ. V. in voce *Finnonia*,

Fionia, adde: Ad eam 90. parvæ Insulæ pertinent, quarum præcipuæ Lalandia, Falstria, Femera, Georg. Hornius *Orb. Polit. part. IV.*

Firmatarius, Officium Monasticum, cui fortè incumbit reparationum seu sartatectorum Monasterii cura, illiusque *firmandi*: aut cui *Firmariæ* seu *Firmariorum* cura incumbit, du Fresne *Glossar.*

Firmum V. *Firmium*.

Firmus Imp. adde: In vet nummo ΦΙΡΜΙΟC dicitur, apud Hub. Goltzium, AYT. K. M. ΦΙΡΜΙΟC EYC. EYT. CEB. ETOYC. ΠΡΩΤΟΥ. libri tamen omnes, *Firmus* habent, non *Firmius* &c.

Fiscalia Vina, apud Vopiscum *in Aureliano*, quem vinum etiam in animo habuisse gratis dare, imò aliqua ex parte fecisse, colligit hic Autor, *quòd in porticibus templi Solis vina fiscalia ponuntur*: vina sunt, quæ Fiscus dabat Populo, non gratis, sed pretio. Sic *Fiscalis panis*, qui Populo dividebatur, gratis ille quidem, quem & *civilem* & *gradilem* & *dispensatorium* dictum esse notum. V. Salmasium *ad Vopiscum*. De *Fiscali Cursu* seu *Rheda*, qua Fiscales transvehebantur res; ut aurum argentumque sacrarum Largitionum, cum ad Comitatum Principis destinabantur, vestes aliæque species, quæ dicebantur *Fiscales*, egimus suprà ubi de *Cursu publico*. Nomen à *Fisco*. Sic recentiori ævo *Fiscalini*, Germ. *Leibeigene*, dicti, quorum corpora & bona *fisco* Regio debita. Nempe cùm Clodoveus Francorum R. Alemannis ad Tolbiacum superatis, Germaniam penè totam sibi subjecisset, ne cum libertate animos recipere possent, jugo servitutis hujus gravissimo eos pressit, quæ tum primum cœpit, & ex hoc fonte passim in Germaniam derivata, etiamnum durat. Principes namque Clodoveum insecuti hanc ipsam servitutem ratam habuere: & porrò etiam feudatariis suis, non tantùm possessiones, sed & corpora subditorum elocavere. Qui Ecclesiasticis donabantur, *Servi Ecclesiastici* appellati sunt &c. Stumpf. *Chron. Helvet. de Gallia lib.* 3. *cap.* 57. V. quoque infrà, voce *Fiscus*.

Fiscella, exilis *fiscina*, è junco contexta, apud Tibullum *lib.* 2. *Eleg.* 3.

Tunc fiscella levi detexta est vimine junci,
Raraque per nexus est via facta sero.

Græcè τάλαρος est. E cujusmodi *fiscellis*, quas *formellas* recentiores dixere, casei olim exprimebantur: quod & Gregorius Naz. *Carm.* 4. docet,

Τοῖς μὲν ἐγὼ ἀταλὸν πλάσθην φθίνει ἢ σείουσιν θ-
Οἷα ταρσοῖς, ταλάρῳ λαμβάνων αἴψα τύχοι.

V. Hesychium in vocibus ταρσοί, ταρσὸς & ταρσήτας. Unde *Fiscellus*, casei mollioris appetitor, quòd ex ipsa *fiscella* caseum recentem appetat. Sed & in *fiscellis*, infantes nonnunquam expositi. Sic instrumentum, quo Moses expositus, in vulgatis Bibliis *fiscella scirpea* nominatur Exodi *cap. 2 vers. 3.* cujus formam ex gemma Peirescii exhibet Thom. Bartholinus *de Puerperio Vet.* V. quoque suprà, ubi de *Expositionis ritu* &c.

Fiscus, adde: Hesychius & Suidas δημόσιον ταμεῖον, Augustinus *in Psalmum 146. Saccum publicum* reddunt. Hic sub avaris Principibus benè lieni comparatus est a Trajano Augusto, quòd *eo crescente artus reliqui tabescerent*, ut Aur. Victor ait in *Juliano*. Unde Andr. Alciatus *Emblem.* 146. & Claud. Minos,

Humani quod splen est corporis, in populi re
Hoc Cæsar fiscum dixerit esse suum.
Fisco aucto, reliqui tabescunt corporis artus,
Fisco aucto arguitur civica pauperies.

Quod fit, cùm ut Tacitus ait *lib. 5. bona ablata ærario in* Fiscum *coguntur.* Crescere autem credebatur fiscus Imperatorius, ex addictione bonorum proscriptorum, Cassiodor. *lib. 4. Epist. 32.* Hadrianus tamen *damnatorum bona in fiscum privatum redigi vetuit, omni summa ærario publico recepta.* Item ex naufragis: Unde Juvenalis *Sat. 4.* de Domitiano,

Quicquid conspicuum, pulchrumq; ex æquore toto,
Res Fisci *est, ubicunq; natat.*

V. in voce *Wreccum.* Ex thesauris inventis; ex causa intestati, cùm quis sine hærede decessisset; ex testamento &c. Quibus omnibus de causis ad *Fiscum* opes deferebantur, certis Delatori constitutis præmiis: quo factum, ut horum avaritiâ innocentissimi sæpe opibus suis Principis ærarium augere cogerentur. Unde Gronovius *de Pec. vet. lib. 4. cap. 3. Erat*, inquit *genus hominum specie commodorum ærarii vel* Fisci *sua commoda comparantium (quippe & præmiis invitatorum, quasi essent legum custodes ærario augendo inventarum, ut de Papia Poppæa loquitur Tacitus) qui Præfectis subjiciebant obnoxios mulctis aut debitores vel veteres vel latentes. Alii* Delatores *&* Quadruplatores; *qui mollius aut ipsi se* Cognitores *appellabant: quorum nonnulli, quia damnatorum subhastatorumq; etiam bona coemebant, iidem &* Sectores *erant & dicebantur. Ex qua nota Pætus fuit*, exercendis apud ærarium section. famosus (Tacit.) *& veterum debitorum persequutor.* Porro ex tributis, collectis ac vectigalibus augeri *Fiscus* solitus, sed nec ista boni Principis rigidè nimis exigebant. Proin Provinciis bello attritis non rarò tributa remissa, onerumque fiscalium indulgentia concessa legitur: quo nomine Constantinus inprimis M. celebris est, qui Æduæ civitati gravissimè afflictæ remisit, quod è quinquennio reliquum fuerat, teste ac Panegyristâ Eumenio Rhetore in *Orat. de Schol. restaur.* Theodoricus quoque Rex, quem *provinciæ Alpium Cottiarum, quòd per illam exercitus transierat, tertiæ indictionis tributa laxavisse*, memorat Aur. Cassiodorus *lib. 4. Epist. 36.* Imò interdum pauperes è *Fisco* iidem alebant, & posteriores Imperatores, convocatis generalibus Conciliis, Episcopis eò profecturis ex eodem fonte viaticum suppeditabant; Sev. Sulpitius *Histor. sacr. lib. 2 Ita missis per Illyricum, Italiam, Africam, Hispanias, Galliasq; Magistris officialibus, acciti numeratiq; quadringenti & aliquanto amplius Occidentales Episcopi, Ariminum convenere, quibus omnibus annonas & cellaria dare Imperator præceperat, sed id nostris, id est, Aquitanis, Gallis ac Britannis indecens visum, qui, repudiatis fiscalibus, propriis vivere maluerunt. Tres tantùm ex Britannia, inopiâ proprii, publico usi sunt; cùm oblatam à cæteris collationem respuissent, sanctius putantes* Fiscum *gravare, quàm singulos* &c. Hoc pacto non lienem *Fiscus*, sed ventrem refert, per quem verbis Corippi *lib. 2. n. 7.*

— — *Omnia membra cibantur.*
Venter alit corpus.

Hinc idem *alibi*,

Omnibus sufficiunt sacrati commoda Fisci,
Ex quibus est commune bonum, commune levamen,
Tutetur Fiscus *justorum nemine læso,*
Quæ sua sunt, capiat.

Hujus qui curam gerebat eique patrocinabatur, *Fisci patronus & Advocatus* dictus est, a Marco Antonino Philosopho primum institutus, teste Jul. Capitolino *in eo*: quemadmodum *Ærarii Præfectus* universi Populi censum curabat. Erat & *Fiscus* in exercitu, alendo indubiè militi, teste lapide Mathelico in Italia, apud Wolfgangum Lazium *Reip. Rom. lib. 6. cap. 1. C. Arrio. C. F. Cor. Clementi. Militi. IX. Coh. præ. Equiti. Coh. ejusdem. donis. donato. ab. Imperatore. Trajano. torquibus. armillis. phaleris. ob. bellum. Dacicum. singulari. Præfector. Pr. Tesserario. Optioni. Fisci. Curatori. Cornicul. Trib. evocato. Aug. coh. 1. Vigil. Stationarum. Coh. XIIII. urb. Coh. VII. Pr. trecenario.* Plura de *Fisco*, V. apud Marcellum Donatum Ponzanum *Dilucidat pag. 130. & seqq.* Brederodium & Barnabam Brissonium *in Repertor. Jur. ac Lexico*: Thomam item Demsterum *Paralipom. in Joh. Rosini Antiqq. Rom. lib. 7. c. 36.* de Servis *Fisci* publicis, quos Labeo *publica ministeria* vocat, Pignorium *lib. de Servis pag. 64. edit. Amstelodami A. C.* 1674. &c. Alia notio vocis, apud Scriptores Feudales, præsertim vetustiores, quibus *Feudum*, seu *Beneficium* ea quoq; notat: quia in primæva feudorum institutione Principes terras *fiscales*, seu patrimoniales, *Fidelibus* suis seu subditis concedebant in beneficium & feudum, idque ad vitam. Unde *Fisci* nomen retinebant, quia non omninò alienatæ erant, sed censebantur semper esse de dominio Donatoris ac Feofatoris: uno non desunt, qui vocem *Feudi*, ex *Fiscus*, confectam putent; ita ut, cùm Franci *fiesc* pro fisco dicerent, vocem *fiesc* postmodum in *fief* verterint, Car. du Fresne *Glossar.*

Fissiculatio, Veteribus dicta est apertio viscerum & extispicina, quæ *exta findendo* fiebat. Appuleius, *somniis confirmandis, extis fissiculandis.* Propriè verò de jecore *fissum* dicebatur, quod Græci πύλην vocabant. *Exta* enim jecur κατ' ἐξοχὴν appellabant. Salmasius *ad Solinum pag. 129.* V. suprà in voce *Extispices.*

Fistula, instrumentum Musicum pastorale, multo olim in usu. Fiebat autem ex pluribus cicutis sive cannis cerâ junctis. Martialis *lib. 14. Epigramm. 63.*

Quid me compactum ceris & arundine rides?
Quæ primùm extructa est Fistula, *talis erat.*

Nempe Martialis ævo jam diu hæc componendæ ejus ratio desoleverat: ac si quis revocare vellet, ridebatur. Ideò Ovidius cautè ait, quondam illam formam obtinuisse *Metamorph. lib.* ubi Dædali alas cum fistula graphicè confert. Junxisse autem *Fistulas* septem, docet Maro *Eclog.*

Est mihi disparibus septem compacta cicutis
Fistula.

Vel etiam novem: quandoquidem Theocritus *Ecl. 8.* ἐννεάφωνον, i. *novem vocum*, appellet. At Ovidius *Metamorph. lib. 13.* non veretur Polyphemo suo affingere quandam centum cannarum:

Sumptaq; arundinibus compacta est Fistula *centum.*

Nempe ei, qui mole corporis tantopere excedebat, conveniens etiam tam vasta fistula visa est. Quis verò artificium hujusce repererit, dissentiunt Veteres. Sed plures eam Panos putant gloriam, Virgilius *Ecl. 2. & 8.* Ovidius *Metam. 1.* Plinius *lib. 7. cap. 56.* qui *Fistulam*, inquit, & *monaulon reperit Pan Mercurii.* Isidorus verò *Origin. lib. 3. cap. 20.* tradit, quosdam hanc laudem Mercurio, alios Fauno, nonnullos Idi, pastori Siculo tribuere. Quæ sententia tamen cum priore facilè conciliari potest. De Mercurio namque non longè abit à Plinio, qui hunc filio Pani adsignat: Nec Faunus Latinorum alius est a Pane Græcorum. Pro *Idi* verò *Daphnidi* reponit Vossius; quando is pastor Siculus fuit & carmen reperit Bucolicum, ac eo, & *Fistula* alios oblectavit, ut de singulis istorum testis est Diod. Siculus *Biblioth. lib. 4. penè extremo.* V. Vossium *de Idolol. lib. 4. cap. 92.* Salmasio Panos inventum est πολυκάλαμον illa, de qua dictum hucusque, quam πολυκάλαμον σύριγγα, & simpliciter σύριγγα Græci vocaverunt. Sic Virgilius,

Pan primus cera calamos conjungere plures
Instituit —

Nempe lino hæc ligabatur, ceraque jungebatur, ut ex prædictis quoque videre est. Euphorion tamen Marsyæ id tribuit, & ante eum μονοκάλαμον σύριγγα, *singularem fistulam*, eamque longiorem, quali hodieque utimur, inflatam ait: Postmodum sensim crescente industria, ex multis calamis sive cannis compactam, eo modo quo diximus, tandem ex multis tibiis conjunctis, & disparibus operosiore curâ fieri cœpisse &c. V. Salmasium *ad Solinum pag. 832.* At *Fistularum*, quarum in Berecynthiæ Sacris usus, Phryges inventores feruntur. Meminit earum Claudianus *Raptu lib. 1.*

Non buxus, non æra sonant —

Et Statius *Thebaid. lib. 8. versu 221.*

Et moderata sonum vario spiramine buxus.

Ex buxo enim fuere, *Fortè quòd immortalitas Deorum Musicæ conveniret, & hæc arbor cariem nunquam pateretur*, ut habet vetus Auctor. Hinc & Attis, Matris Deûm amasius, *Fistulâ* quoq; & virgâ olim ornatus est. Quod sic exponit Macrobius, ut virgam dicat fuisse regiæ potestatis symbolum, quam Sol (Attinis schemate repræsentatus) obtinet, omnium rerum moderator: *fistulâ* verò significatum velit ventum sive aerem, qui terram ambit, imò etiam vehit ac sustinet. V. iterum Vossium ubi suprà *lib. 2. cap. 54. sub fin.* Sed & in sacris Liberi Patris fistulam hujusmodi adhiberi cœpisse, discimus ex Papin. Statio *Theb lib. 9. versu 480.*

Fœmineis experte choris, cùm Bacchica mugit
Buxus &c.

Porrò *fistulis* aves olim capi sive decipi solitas, legitur apud Veteres. In aucupio etiam crescentis arundinis, *fistulæ* habebant locum. Nam dum in manu aucupis calamus ad calamum junctus tacitè crescebat, donec ad alitem perveniret, alius interim *fistula* canebat. De quo genere intelligit Martialis,

Non solùm calamis, sed cantu fallitur ales,
Callida dum tacita crescit arundo manu.

V. suprà ubi de *Calamo aucupatorio*, ut & infrà, ubi de *Sibilo*. Alia

Fistula est, cujus operâ Vinum Eucharisticum in S. Cœna, à communicantibus olim hauriebatur, tenente illam Diacono intra calicem, & fidelium singulis porrigente, ut quisque adposito ore sugeret de calice, ex alio fistulæ capite, quemadmodum habet *Ordo* Rom. Αὐλὸς dicitur Cantacuzeno *lib.1.cap.* … Cujus usum in Monasterio Sandionysiano, Sacrorum Ministros, more antiquo sub utraque communicantes, hodieque retinere adnotat Car. du Fresne *in Glossar.* Nempe poculum Eucharisticum accipiebant primùm ipsi Fideles in S. Communione: postmodum à Sacerdote fidelium ori admoveri, & sacrum vinum illi infundi cœpit. Progressu temporis, *fistulæ argenteæ* adhibitæ sunt, ne quid calicem inter supremaque labra de Christi sanguine periret, quo de ritu V. Franc. Burmannum *Synopsi Theol. Christ. Pars. prior. lib. VII. cap.* 10 §.27. De *Casia* vero *fistula*, quæ & simpliciter *Fistula* Lat. & Σύριγξ Græcis, suprà &c. Hinc *Fistulator*, cujusmodi hominum in conviviis Vett. meminit A. Gellius *lib.* 1. *cap.* 11. Cicero verò *de Orat. lib.* 3. Graccho concionanti *Fistulatorem* amanuensem eburneam fistulam inflasse, ad quam ille vocem ac gressum componeret, refert. Prioris ordinis puella ex Hebræis fuisse videtur, in regio convivio calamos inflans, apud Abdiam *Histor. Apost. lib.* 9. è domesticorum viz. grege. Sed & fistulatoribus in bello usi, Halyattes Lydorum R. apud Plut. *de Musica*, aliique. V. Alex. ab Alexandro *Genial. Dierum lib.* 3. *cap.* 2. & Laur. Pignorium *lib. de Servis*, ubi, inter reliqua Musicæ instrumenta, *Fistulæ* quoque veteris figuram ex ære exhibet. Hi Συριγκταὶ Græcis, at, qui *fistula* ex harundinibus compactâ canere nescientes, stipulâ ludebant, quales utplurimum indocti bubulci erant, Παναβῶλαι vulgò dicebantur, uti suprà vidimus, ubi de *Calamis*. Verbo addendum discrimen, inter *fistulam* & *panduram*, quam voceRecentiores τὴν πολυκάλαμον σύριγγα sæpissimè appellant, illa enim ἔμπνευστον, hæc ἔντατον instrumentum fuit: nec non inter *fistulam*, & *tibiam*, quarum hæc, licet è cicutis quoque, calamis & buxo, tamen insuper ex ære, cornu, osse, aliis, quoq. conflabat: sed in forma major diversitas, uti ex loco Martialis supra citato liquet, V. quoque Salmasium *ad Solinum pag.* 832. & infra ubi de *Tibiis*.

Fitilla Puls, in sacris Vett. Plin. *lib.* 18. *cap.* 8. *Et hodie sacra prisca atque natalium* pulte fitillâ *conficiuntur*, *videturq; tam puls ignota Græciæ fuisse, quàm Italiæ polenta.* Aliis *fritilla* est, quod vide.

FL.

FL. in notis antiquis, vel *Flamen* vel *Flavius*.

Flabellifera, quarum meminit Plautus *Trinummo*, inter ancillas conspicuæ apud Romanos fuere. Domi autem *Flabellum* Eunuchorum fuit, ut indicat nobis Eunuchum mentitus Terentianus Chærea, & Eutropius Claudiani. Unde Laurentius JC. *notis in Phædri fab. lib.* 4 *fabul.* 5. *versibus*,

Seponis mœchæ vestem, mundum muliebrem,
Lavationem argenteam, Eunuchos glabros,

inquit, *Notandum Eunuchos fuisse in mundo muliebri, sed cui bono hi Eunuchi dati? Puta ut delicias dicerent, flabello ventulum facerent* &c. Aliquando tamen etiam mulierculæ alicujus, velut illius apud Martialem, quæ æstuanti Zoilo *prasino flabello tenue ventilabat frigus*, *lib.* 3. *Epigr.* 40. V. Laur. Pignorium *de Servis pag.* 422. Nempe, quia lecti Veterum non erant vulgò, ut nostri pannis oppansis clausi, ideò moris fuit ditioribus, ut quando meridianum somnum maxime captarent, astans aliquis ventulum faceret: simul refrigerandi causâ, & muscarum ac culicum abigendorum. Et quidem elegantiorum *Flabella* seu muscaria pavonina erant. Propertius,

Et modò pavonis caudæ flabella superbæ.

Tenuioribus illorum loco caudæ erant bubulæ, ut ex Æliano constat *lib.* 15. *c.* 14. Interdum agitatio manus eorum vicem supplevit, Greg. Naz. *de largiendo Mendicis*. Sed & corollam myrteam aut simile quid flabelli usum Athenis præstitisse, ex Aristophanis *Equitibus* potest colligi. Utplurimum vero è pennis fiebant inter se in unum fasciculum colligatis, quem κύκλον πτερῶν εὔπηκτον, *circulum plumeum benè compactum*, appellat Euripides, & morem hunc Barbaricum esse, atque à Phrygia ad Græcos allatum, notat in *Oreste*. Posteà vero quàm lecti velis tegi cœpere, ventilationis mos desiit. Porrò qui molliores erant, præsertim autem Virgines delicatæ, etiam cum per urbem incederent, servos cum *flabellis* simul umbellisque secum circumducebant, uti docet Dionysius Halicarn. *lib.* 7. Cujus τρυφῆς antiquitatem ex eodem Tragico colligere est. Unde Plutarchus *lib.* ὁ πρεσβυτέρῳ πολιτ. Herculem malè à quibusdam pingi ait, Lydis ancillulis permittentem se ῥιπίζειν καὶ παρακοσμεῖν, *ventilandum comendumque* &c. Casaubonus *ad Suetonium lib.* 2. *cap.* 82. Hodie apud *Indos* in processionibus, idolis eorum idem fieri, legas apud P. de Valle *Itiner. Tomo II*.

Flabellum, inter ministeria sacra Eccl. Rom. habetur, apud Hariulfum *lib.* 3. *cap.* 3. Efficitur id è pavonum pennis, illoque Diaconus utitur, vel potius duo Diaconi, ut habetur *lib.* 8. *Const. Apost. c.* 19. ex utraque parte altaris, ut, dum sacra peraguntur, muscas abigant, Græcis ῥιπίδιον, qui in ejus medio Seraphim depingunt: volunt enim hujus instrumenti usu alludi ad Seraphicos Spiritus, ante Divinam Majestatem cum timore ac tremore adstantes. Maronitæ orbicularis iis utuntur, ex argenteis seu cupreis laminis, ac circumcirca tintinnabula addunt, quæ à duobus Clericis utrinque post Sacerdotem tremulo motu agitantur; imò & ipse Sacerdos, pronuntiando verba illa *Sanctus* &c. tremorem beatorum Spirituum manibus exprimit, qui in nonnullis Ædibus quoque Organorum pulsu repræsentatur. Eadem *Flabella* adhibere dicuntur, Prior Conventualis Equitum Melitensium & Archiepiscopus Messanensis Episcopus item Trojæ in Apulia, in processione Festi Corporis Christi &c. V. Car. du Fresne *in Glossar.* Macros Fratres *in Hierolexico*, & Auctores utrobique laudatos.

Flacculæ, apud Trebellium Pollionem *in Gallienis*, *Pugiles flacculis, non veritate pugilantes*: videntur Salmasio pilæ vel pugilli, qui in morem pilæ laxæ & flaccidæ circumponebantur pugilantium brachiis, ut mollem & innoxiam plagam infligerent, V. eum *ad locum*.

Flagellare se invicem, & sibi nares præcidere, jubentur conspirationis complices, in *Capitulari* 2. & 4. Caroli M. A.C. 805. *cap.* 10. Sic *Flagellari nudus ad palum coram populo* legitur in Concilio Francofurt. A.C. 794. *can.* 5. adeò inter pœnas etiam recentioris ævi, *Flagellatio* frequens est. Hoc tamen discrimine, quòd viris etiam liberis & ingenuis sequiori ævo irrogabatur, quibus nullam infamiæ inurebat notam, Concil. Toletan. XIII. *can.* 2. olim vero, *flagella*, *virgæ*, *lora*, serviles castigationes fuere; At *fustes* liberis, sed tenuioris conditionis hominibus ingerebantur, *l. Capital. D. de pæn.* Accipiebant autem *flagella*, *super scamnum tensi*, in *L.* Sal. *tit.* 42. §. 1. sententiâ Judicis numerum verberum designante *L. ead. tit.* 13. & V. du Fresne *Glossar.* & Salmasium *ad Lampridium in Alexandro Severo*. Nec non suprà ubi de *Cruce*, & infrà ubi de *Verberibus*: adde etiam, quæ dicemus paulò pòst.

Flagellum, lemma *Epigrammatis* 55. *lib.* 14. Martialis,

Proficies nihil, hoc cædas licet usq; flagello,
Si tibi purpureo de grege currit equus.

Ubi de equis purpureæ factionis in Circensibus. Nempe *flagellum* aurigarum est. Unde Lunæ auriganti id adscriptum, ab Homero *Hymn.* & Papin. Statio *Thebaid. lib.* 8. *vers.* 274. quorum hic similiter de Aurora eleganter, *lib.* 5. *Sylv.* 4.

— *toties nostros Tithonia questus*
Præterit, & gelido spargit miserata flagello.

Idem Somno virgam alibi tribuit &c. Eo autem populum venerabantur olim Aurigæ, in Circensibus, ejus plausum captantes. Cùm enim Vett. dextram manum in adorando ad os referrent; aurigæ, qui dextrâ *flagellum* tenebant, flagellum ipsum osculabantur sicque adorabant. Dio *in Caracallo*, de ejus aurigationibus loquens, προσεκύνει καὶ αὐτοὺς, inquit, κάτωθεν τῇ μάστιγι καὶ χρυσᾶς, ὥσπερ εἷς τῶν ταπεινοτάτων, ᾔτει, i. *Ac ovo huras flagello venerabatur*: hoc nempe est, προσκυνεῖν τῇ χειρί, *manu venerari*. Idem *in Avito*, Ἐδόκει δὲ αὐτὸς ἁρματηλατεῖν καὶ χρυσοῦς … αἰτεῖν, τοὺς δὲ ἀγωνιστὰς καὶ σφαλῶς προσκυνεῖν &c. Salmasius *ad Vopiscum in Probo*. Porrò *flagellis* grana exteri mos jam vetus, de quo V. infrà, ubi de variis modis Vett. excutiendi *Grana*. Indi verò & in bello *flagella* quatiebant olim tubæ loco, Suid. iisque aërem & tympana verberantes, in hostes irruebant. V. Alex. ab Alexandro *Genial. Dier. lib.* 4. *cap.* 2. De eorum in suppliciis usu V. dicta dicendave &c. Diminut. est à *flagrum*, Gr. βλαδὸς, quia *flatu* agitatur, de quo mox. Hinc *Flagellatores*, de qua voce V. C. du Fresne *d. l.* & infrà, voce *Trita*.

Flagra, apud Martialem *lib.* 14. titulus est *Epigr.* 79.

Ludite lascivi, sed tantùm ludite servi,
Hæc signata mihi quinq; diebus erunt.

Saturnalibus enim, quæ quinquiduum durabant, feriabantur servi & à *flagris* heri abstinentes, illa clausa interea ac annulo signata habebant &c. Et quidem multus eorum in pœnis servilibus usus, apud Vett. certè *Flagra* seu *Flagella*, ante crucem olim adhibita, in quam rarò nisi sic purpurati acti sunt. Hinc Alexander apud Curtium *lib.* 8. eos, qui Petram obstinatè defenderant, *verberibus affectos, sub ipsis radicibus Petræ, crucibus jussit affigi*. Judæi apud Josephum *lib* 5. *Excid. cap.* 32. … μαστιγούμενοι καὶ προβασανιζόμενοι τοῦ θανάτου πᾶσαν αἰκίαν, ἀνεσταυροῦντο, *Flagellati & prius cruciati ante mortem omne genus verberibus, crucifigebantur.* Apud Romanos teste Livio *lib.* 34. ubi de servis conjuratis loquitur, *Multi occisi, multi capti, alii verberati crucibus affixi*. Et hic solemnis mos, imò lex: ac horrendum carmen disertè canebat, *Verbera intra aut extra pomœrium*: & tum denique succinebat: *Arbori infelici suspendito*. Fuere autem virgis magis vilia & magis acerba, unde inhonestissimo huic supplicio attributa sunt: & quidem propriè servorum erant, teste Terentio *Adelphis*,

— *Ad necem operiere loris? Loris liber?*

A qua proin nota servilem conditionem Menæ Horatius opprobrat *Epod. ode* 4.

Sectus flagellis hic Triumviralibus
Præconis ad fastidium.

Fures enim ac servos nequam, apud Triumviros capitales, puniri ad columnam Mæniam fuisse solitos, monet Asconius *Comm. ad primam in Verrem.* Quare significat Poëta, a Triumviris, quibus imperium & animadversio in servos, cæsum illum publicè *flagris*, idque sub præconis voce. Hinc ut novum & severum in Licinio Pontifice narrat Valerius *lib.* 1. *cap.* 1. quòd ei Virgo Vestalis, *quia parùm diligens ignis æterni custos fuisset, digna visa est, quæ flagro admoveretur.* Eorum lora è porcinis pilis fuisse, docet Joh. Rosinus *Antiqq. Rom.* aliis aliter confecta fuere. Quam aspera fuerint, docet Ulpianus, *L.* 8. *de pœnis*, *ubi ministrorum immanitate multos sub iis interiisse* notat. Et *horribile* id agnominare Horatio visum *lib.* 1. *serm.* 3.

Nec scutica dignum, horribili sectere flagello.

Quod magis fuit, cùm ea insitis talis aut ossiculis exasperabant, ut Romæ alibique factum, quæ *Flagra* Græcis ἀστραγαλωτὰ, Latinis *Talaria* vel *Taxillata*, item *Scorpiones*, fuere dicta. His in Parthis, Optimates quoque & Satrapas, ubi visum Regi, cædi fuisse solitos, testatur Athenæus *lib.* 4. Apuleius *Flagrum pecuinis ossibus catenatum* scitè vocat. *Metam. lib.* 8. qui idem flagrorum genus Gallis Matris Deum adscribit: quod Plutarchus quoque facit *l. c. Colot.* Eodem sanctissimum SERVATOREM nostrum cæsum quoque esse, sunt qui sibi imaginentur aut pingant. Sed illud Evangelistæ non habent. dicunt simpliciter, ut inter alios Matthæus, Τὸν δὲ Ἰησοῦν φραγελλώσας παρέδωκεν, ἵνα σταυρωθῇ, *Jesum cùm flagellasset tradidit ut crucifigeretur, cap.* 27. *v.* 26. Ἱμάσθλην i. *Loreum flagellum*, appellat Nonnus:

Ῥιγεδανῇ Χριστοῖο δέμας φοινίξεν ἱμάσθλῃ,
Horribili Christi corpus rubescit habena.

V. Just. Lipsium *de Cruce lib.* 4. *cap.* 2. & 3 Pignorium *de Servis* &c. In Equuleo *flagrorum* meminit Quintilianus, apud Magium *tr. de Equuleo.* A *Flagris* dicti sunt Festo *Flagratores*, hominum genus, qui mercede flagris cædebantur: qualis Parasitus ille Persarum Regis, apud Eust. *in Hom. Flagriones*, servi appellati, quòd huic pœnæ generi subjecti sint, Non. *Flagrĭtriba* Plauto, Fr. Gouldmannus *Lexico Lat. Angl.*

Flama, antiquis dicta est sacra infula, quam Flamines in capite gestabant: unde etiam iis nomen secundùm quosdam. Joh. Rosinus *Antiqq. Rom.* 3. *cap.* 15.

Flameum, V. *Flammeum.*

Flamines, Sacerdotes apud Romanos, quorum singuli ab eo Deo, cui sacra faciebant, cognominabantur. Horum tres Numa instituit, Jovi unum, quem insigni veste & curuli regii sellâ adornavit: dein Marti alterum, tertium Quirino. Unde *Flamen Dialis, Martialis & Quirinalis*, Liv. *lib.* 1. & Dionysius Halic. *lib.* 1. Quibus processu temporis 12. alii additi, & sic ad 15. numerum *Flamines* aucti sunt, hoc tamen discrimine, ut tres priores ex Patriciis crearentur, & majoris essent dignationis, hinc *Flamines majores* dicti: reliquis, qui *minores* appellabantur, ex plebeiis legi solitis, teste Festo. Inter omnes autem maxima erat dignitas *Flaminis Dialis*, cujus solius pileus dicebatur *Albogalerus*, fiebatque ex hostia alba Jovi cæsa, quæ *Idulis* nomen habebat, Scalig. *Conjectaneis in Varron.* Minimi habebatur Pomonalis. Atq; hi *Flamines* omnes, nomine licèt convenirent, collegæ tamen non erant, neque eorum quoddam Collegium vocabatur. Siquidem Flamen unius Dei sacerdos erat, habebatque sua quisque sacra, quæ per se quisque curaret quæque ad alios nihil omnino pertinebant, ut Cicero docet *de Legg. lib.* 2. ubi, de majoribus potissimùm loquens, tametsi non essent Pontifices, ita tamen in collegium Pontificum eos inscriptos esse ait, ut si quando de re aliqua apud Pontifices ageretur, ipsi unà Judices sederent. V. quoque eum *Orat. pro domo.* Creabantur autem à populo Comitiis Curiatis, A. Gellius *lib.* 15. *cap.* 27. Inaugurabantur dein a Pontifice M. quod cùm fieret, capti ducebantur a Patribus, velut ab hostibus, ideoque *Flamines capti* dicebantur, eodem teste *lib.* 1. *cap.* 12. Erant autem Pontifici omnes subjecti, qua de re memorabilem historiam narrat Livius *lib.* 37. Quare Flamini Diali antiquitus nec Magistratum petere nec capere permissum erat. Erat vero *Flaminum* sacerdotium ita perpetuum, ut tamen ob certas quasdam causas etiam sacerdotio possent privari, dicebanturque tum Flaminio abire. Sic P. Clœlius Siculus, M. Corn. Cethegus & C. Clodius, propter exta parum curiosè aris admota, Sacerdotium deponere coacti sunt: Sulpitio quoque inter sacrificandum apex à capite prolapsus, eidem Sacerdotium abstulit. Eorum pileus, vel potiùs velamentum, inquit Jos. Scaliger *loco præfato*, vocabatur *Flammeum*, unde illis nomen. Porro desinebat in conum, qui *Apex* dictus: Erat autem apex pileus subtilis e pellibus ovillis densus, Athenæo teste, id est, non corium nudum, verùm cum sua lanâ, aliàs *Galerum* quoque appellatus, docente Apulejo in *Apolog.* Sed Sacerdotum commune hoc capitis tegmen, ut ex C. Julii Cæsaris, Cn. Domitii, & aliorum nummis apparet, cujus summum fastigium Festus *Tutulum* nominavit. De pileo verò Flaminis Varro tradit, propriè *Albogalerum* appellatum, quod tamen soli Flamini Diali alii ascribunt. Præterea *Flaminum pileo*, verba sunt Festi, *adfigebatur apex virgula oleagina.* Sed & discrimen erat in ipsa gestatione: *Flamen* enim, teste Appiano *Civil. lib.* 1. *solus apicem semper fert, cùm reliqui Sacerdotes tantùm in ipsis sacris*: quod tamen ipsum Diali solum Flamini quoque vindicant, ex lege: SINE. APICE. SUB. DEIVO. ESSE. NEC. FAS. ESTO. IN. TECTO. UTEI. LUBET. LICETO. Morituro tamen necessarium fuit illum deponere, ne insigne Sacerdotii inter feralia esset, observante præfato Appiano. Eum itaque pileum *Flamines* amentis, qui *offendices* dicebantur, sub mentum adductis, religabant: cum ne excuteret caput, tum ut pone pendere pro libitu posset, ac regeri. Hunc cum per æstum ferre nimis molestum esset, filo tantum capita religare cœperunt laneo: nudis enim penitùs capitibus illos incedere religio erat. Interim festis diebus filo deposito, pileum sumsere. Vocavere autem filum hoc *Apiculum*: quem admodum virgula ex felici arbore addita, (quâ aves terreri, ne extra aberrarent, ait sæpè jam memoratus Festus) in Flaminibus *Strebula* dicebatur, *Inarculum* in Flaminicis, de quibus *infrà.* Plura de *Flaminibus* V. apud Joh. Rosinum *Antiqq. Rom. lib.* 3. *cap.* 15. Scaligerum *Annot. in Festum*, Jac. Oiselium *Notis in A. Gellium lib.* 1. *cap.* 12. &c. de *Flamine Diali* in specie supra, in voce *Dialis*. De pileo horum Sacerdotum, apud Phil. Rubenium *Elector. lib.* 2. *cap.* 25. & Anselm. Solerium *de Pileo sect.* 11 De læna, *Flaminum* veste, a Flaminica texi solitâ, apud Octav. Ferrar. *de Re Vestiar. lib.* 2. *cap.* 13.

XV. Flaminum nomina.

Carmentalis, qui Carmentæ sacra curabat, minor fuit & plebejus. Ejus meminit Cic. in *Bruto.*

Dialis, qui Jovi sacra faciebat, ex majoribus fuit, reliquorum omnium nobilissimus.

Falacer, Divo Patri Falacri institutus est, teste Varrone.

Floralis, Deæ Floræ sacris præerat.

Furinalis, Deæ Furinæ sacerdos fuit.

Lavinalis, & Lucullaris, in quibusdam Epigrammatibus, apud Onuphrium Panvinium memorantur.

Laurentialis, Accæ Laurentiæ curavit sacra.

Martialis, Diali dignitate proximus, major fuit & ex Patriciis creatus, Marti sacra fecit.

Palatualis, ei Deæ, in cujus tutela Palatium erat, institutus fuit.

Pomonalis, Pomonæ sacra fecit, omniumque vilissimus habitus est.

Quirinalis, Flamen major & Patricii generis, a Numa in Romuli honorem est institutus.

Virbialis, qui Deo Virbio, id est, Hippolyto, consecratus fuit.

Volcanalis, Volcano institutus est.

Volturnalis, Volturno vel Deo vel Flamini dicatus est. Præter hos, aliorum *Flaminum* in Scriptoribus & lapidum Epigrammatis, vetustioribus mentio fit, qui vic. Imperatoribus Augustis vitâ defunctis, & inter Divos relatis fuere instituti, usque sacra peregerunt: quorum tot fuerunt quot Imperatores a Romanis consecrati sunt. Horum nomina, & quæ ad illos spectant, summo studio ac diligentiâ persecutum videsis Onuphr. Panvinium *Comm. Reip. Rom. lib.* 2.

Flaminia Porticus, memorata Trebellio Pollioni, *in Gallienis, Porticum Flaminiam usq; ad pontem Milvium & ipse paraverat ducere, ut tetrastichæ fierent* &c.

Flaminica, dicta fuit *Flaminis* uxor: cui divortium facere non licebat: Ejus ornamentum capitis *Tutulus* fuit, quem vittam purpuream innexam crinibus & extructam in altitudine quidam, alii pileum lanatum formâ tali figuratum, quali Flamines Pontificesque utebantur, fuisse aiunt: cui virgula oleagina addita *Inarculum* nuncupabatur. Hanc *Flaminica Dialis*, in omni sacrificatione: Regina sacrorum verò in certis tantùm sacrificiis gerere tenebatur, teste Servio *in Æneid. lib.* 4. Et has inprimis univiras esse oportebat, ac virginitatis intactæ, ut observavit Tertullianus *Exhort. ad castitat.* Eadem hæ cum maritis ceremonias observabant, sed & seorsum illis incumbebant varia, de quibus ita Fabius Pictor apud A. Gellium *lib.* 10. *cap.* 15. *Flaminica Dialis* hoc habet peculiare, quòd *venenato* (ita pallium ejus, quòd flameo colore venenatum, i. e. tinctum esset) *operitur*, & *quòd in rica* (i. cingulo capitis, quo loco vittæ redimiebatur) *surculum de arbore felici habet: & quòd scalas, nisi quæ Græcæ appellantur, eas ascendere ei plus tribus gradibus religiosum est: atq; etiam quum it ad Argeos, quòd neq; caput comit, neque capillum depectit.* Eodem tempore *Flaminicæ Diali* vetitus concubitus, ungues ferro secare, crinem depectere, sicuti etiam mense Junio, cum ædes Vestæ purgabatur. Ovidius *Fastorum lib.* 6.

Donec ab Iliaca placidus purgamina Vesta
Detulerit flavis in mare Tibris aquis:
Non mihi detonso crinem depectere buxo,
Non ungues ferro subsecuisse licet.
Non tetigisse virum, quamvis Jovis ille Sacerdos,
Quamvis perpetua sit mihi lege datus.

Porrò nec licitum fuit *Flaminicis* sandalia ex morticino corio gerere.

gestare. Festus, *Mortuæ pecudis corio calceos aut soleas fieri Flaminicis nefas habetur; sed & occisa aliogui, aut immolatæ, quoniam sua morte extincta omnia tunc sunt.* Pallium *Flaminicæ*, de quo aliquid supra, describit Servius *ad Æneid. lib. 4. vers. 36.*

Sidonium picto chlamydem circumdata limbo.

V. Joh. Rosin. *Antiqq. Rom. l. 3. c. 15.* Gellium *lib. 10. c. 15.* cum *Not.* &c. *Flaminium* verò ministri *Flaminii*: ministræ *Flaminiæ*: ædes *Flaminia*: ipsum munus *Flaminium* dictum, testibus iisdem.

Flaminius Obeliscus, princeps Obeliscorum, qui Romæ visuntur, a proxima porta, vulgo *Porta del Popolo*, dictus, primò in Ægypto excisus ac Heliopoli erectus à Sennecerte Ægypti Rege, avulsus inde a Cæsare Augusto & Romam translatus, in Circo Maximo erectus est. Quem deinde, ob temporis vitia, ruinis sepultum, Sixtus V. denuo in lucem erectum, in amplissimæ areæ medio, ubi hodie visitur, constituit A. C. 1589. De quo V. Georg. de Sepibus *in Colleg. Rom. S J. Musæo pag.* 11.

Flamma, propriè fornacis est, quod *flatu* follium excitatur; Salmasio mel. à φλέγμα, Æol. φλέμμα, hincq; φλάμμα, dicta. Ejus inspectio, Gr. πυρομαντεία, pars Haruspicinæ fuit non ignobilis; dicebanturque tum Haruspices δι' ἐμπύρων μαντευόμενοι. Et quidem Delphis peculiares erant *Πυρκαεῖς*, ad id muneris destinati. Hi victimæ partes Diis debitas incensuri, utebantur igne, e certo lignorum genere, ad radios Solis excitato, & in sacro loco solicitè custodiri solito. Sic apud Ægyptios *Seraphim*, & apud Persas nomine *Orimasdæ*, quem pro Deo habebant, celebris ignis. Athenis in templo Minervæ Poliadis perpetua lampas ardebat, quæ à Virginibus custodiebatur, non aliter, quam Delphis, ac Romæ a Vestalibus fieri in usu erat. Cum itaque accensa flagrabat victima, *Flammæ* inprimis observabantur: teste Helena apud Eur.

Οὐδ' ἦν ἐν φλογὶ σῆμ' ὑγιὲς ἐμπύρου φλογός.

Nihil erat sani in ardente flamma.

In quem locum Scholiastes: *ἡ δὲ ἱερὰ φλὸξ ... οὐκ ἦν ὑγιὴς ... πυρὸς βλέπουσι*, quod interpretari videtur Silius Ital.

—— *Divinatumq; sagaces*

Flammarum.

Fiebat autem hoc modo: Si admota *flamma* victimas statim corriperet, & diffusa repentè totas occuparet ac consumeret: Si tranquilla, pura, perspicua ac nitida, nullis infecta coloribus alienis, ut nigro rutilove aut pallido; nec permixta vel sordibus, vel caligine, fumisque, sineque strepitu ac sine egestione atque ejaculatione favillarum turbulenta & crepitante, recto ductu turbinatæ pyramidis instar attolleretur ac surgeret: sique nonnisi victimâ depastâ atque exusta moreretur, placidè Numen hostiam acceptare ac complecti, annuereque quæ requirebantur, conjiciebant. Si contra multo vix flatu excitari posset; & cum exarsisset, non coiret, sed finderetur atque in hiatum dehisceret, nec in totam subito spargeretur ac penetraret victimam, sed viciniora sensim velut serpens lamberet atque ustularet, neque rectâ niteretur sursum, sed in vertigines gyrosque convoluta, atram secum & densam eveheret caliginem, aut reperet deorsum, aut dilaberetur ad latera aut alienâ nasceretur specie: Sique aut ventis disploderetur, aut restingueretur pluviis, aut insolitum crepitaret, & circumquaque multum crustaret ardentium favillarum, aut si palleret plus nimio vel nigricaret, aut evanesceret sponte, priusquam tota conflagrasset victima: aut si intactæ aliquæ partes remanerent & integræ, læsi infestique Numinis & sacrificium respuentis omen esse suspicabantur, Joh. Rosinus *Antiquit. Rom. lib. 3. cap.* 11. Quare usi materiâ, quæ facillimè ignem conciperet, aridis nempe virgultis seu φρυγάνοις, ut ex Aristophane *in Pace* dicimus: Οὐκ ἂν δοκεῖ σοι μᾶλλον τὰ φρύγανα τιθέναι.

De *Flamma* cœlitùs delapsa, seu *à conspectu Jehovæ exeunte*, quæ in Altari holocaustum consumsit, quæque solicitè postmodum a Sacerdotibus fovenda erat, ne si peregrino igne accenderetur victima, quod Nadab & Abihu fecerunt, gravissimè Deus offenderetur, V. Levitici *cap. 9. versu* 24. & 10. *vers.* 1. Similiter de *Flamma* Jehovæ decidente, & consumente Eliæ Prophetæ holocaustum, & ligna & lapides & pulverem ipsum: etiam aquam, quæ erat copio a in aquæ ductu, delingente, adi 1. Reg. *cap. 18. vers.* 38. Sed & *Flammarum eruptiones*, inter prodigia manifestaria habebantur Gentilibus. Jul. Obsequens *cap.* 51: *Amarie terra hiatu flamma exorta in cœlum emicuit. Cap.* 41 *In agro Vulsiniensi flamma è terra orta, cælumq; visa contingere.* Statius *Thebaid. l.* 5. *v.* 87. —— *quater antra Dei fumantis anhelos Excussere apices* &c.

Flamma item *super caput* alicujus visa: qualis in Achillis vertice, apud Homerum *Il.* σ. in Ascanii, apud Virgilium *Æn. lib.* 2. in Servii Tulli Rom. Regis apud Livium *lib.* 1. in Masinissæ dormientis, apud Silium Ital. *lib.* 16. in Augusti, apud Vellei. Paterc. *lib.* 2. in Neronis, apud Xiphilinum &c. effulsit, de quo auspicatissimi ominis genere, V. Paschalium *Coronarum lib.* 1. *cap.* 8 & infrà ubi de *Radiata corona*. De more verò *flammam transiliendi*, innocentiæ testandæ ergò, jam Sophocli *Antigone* indigitato, diximus ubi de *Purgatione vulgari* alibiq; passim. V. & infra *Ignis.*

Flammea, nomen floris, Gall. *La Pensée*, cujus hanc descriptionem exhibet Fr. Pomey, *Haud dubium, quin Flammea sit soror violæ germana. Sunt certè quidem specie ac forma usque adeò similes, ut internoscere haud proclive fuerit, nisi utriusq; parens Natura utramque inæquali affecisset dote. Odorem nempe legavit violæ*, Flammeæ *denegavit. Verùm, hanc vicissim locupletiore instruxit florum ornatu. Præter quàm quòd enim eam decoravit purpura, qua una violam exornat, aurum insuper adjecit, argentumq;, opere velut pictum Phrygionico. Atq; hæc omnia tam scitè distincta, tam venustè composita, nihil ut concinnius fingi possit: in Descr. div.*

Flammetta, nomen libri Hetrusci à Joh. Boccatio compositi, quem nisi firmissimo animo hominibus insuper habendum lectione judicat C. Barthius *Animadvers. ad Statium lib.* 5. *Sylv.* 1. *versu* 20. *Tristitiam enim*, inquit, *facere in aliis possit non facilè excutiendam, quod cuidam in Italia usu venisse scimus.*

Flammeum, vel *us*, auctore Nonio, *vestis fuit vel tegmen, quo capita matronæ tegebant.* Ferrario, *velum fuit amiciendo capiti, quod perpetuò à Flaminica gestatum, boni ominis causâ ad nuptias translatum est*: Flaminis enim uxori divortium non licuisse facere, suprà vidimus. Idem *Pallidum* mox vocat. Unde Tacitus *Annal.* 15. propudiosas Neronis cum Pythagora pocillatore, ut viro, nuptias referens, inter alia, *Imperatori impositum flammeum*, ait. Et Quintilianus *Declam.* 306. vetulam nubentem alloquens: *Operis*, inquit, *flammeo canos.* Nomen ei, non tam à Flaminica, quàm quòd primum *flammei*, id est, lutei coloris esset, Plin. *lib.* 21. *cap.* 8. Hinc Luc. *Pharsal. lib.* 2.

Lutea demissos velarunt Flammea *vultus.*

Sicut luteos nubentis soccos, Seneca exhibet in *Medea*. Idque ut pudorem exprimeret. Unde Joh. Meursius *Comm. in Lycophronem, in versum* ὁ περὶ καλύπτρας &c. inquit: *Hesione Podarcem fratrem, ab Hercule in captivitatem redigendum, dempto de capite* Flammeo *aureo redemit.* Et paulo pòst: Interpres vetus Juvenalis *Sat.* 2. *Flammeum. Vestis pudori similis, quam & propter pudorem accipiebant. Hinc videre est*, addit, *fuisse rubri coloris, talis enim vultus pudore suffusorum.* Postea color mutatus est: Nam album fuisse Festus docet: quemadmodum purpureum modò laudatus Interpres *ad Juvenal. Sat.* 6. Utrumque nectit Isidorus, alborem referens ad vitæ munditiem: purpuram verò ad sanguinis posteritatem, vel etiam, de quo modò, ad pudoris custodiam. Ad nuptialis hujus velaminis imitationem, velum consecratum, quo piæ Virgines Christo nubebant, *Flammeum* quoque dictum, refert Hieronymus *Epist.* 8. & 48. In *C. fœminæ* 30. *quæst.* 5. *Fœminas, cùm maritantur, ideo* Flammeo *velari*, additur, *ut se noverint semper maritis suis subditas esse.* Et certè antiquissimum fuisse hunc ritum, ut Sponsarum capita velo operirentur, discimus ex Geneseos *cap.* 20. *vers.* 16. V. Anselm. Solerium *de Pileo sect.* 6. in quam has notas adjecit Andreas Frisius: *Post dictam dotem, signatas tabulas, exhibita repotia, prælatas faces, aspersam aquam, sequebantur*

Flammea, sollicitum prævelatura pudorem.

Capitis hoc tegumentum erat, lutei vel si mavis flavi, ut reliquæ vestes nuptiales, coloris: quo simul pudori sequioris sexus & zelotypiæ virorum consulebatur. Scilicet ut unius aspectui pateret, quæ uni destinabatur: Et suberat aliqua etiam ominis religio; ac si perpetuum futurum esset illud consortium, quod sub velamento Flaminicæ, cui divortium facere non licebat, contraheretur. Flammeolum alii vocant. Consociationis illius & velandi ritum, Aurelii nummus exhibet (inscriptus: *Vota publica*) *ubi Imperator publico omnium voto & auspice Concordiâ, Faustinam sibi matrimonio jungit, sinistrâ nuptiales tabulas, dextrâ dextram sponsæ prehendens: cui Faustina junctâ manu fidem, Flammeolo pudicitiam, digito ori admoto obsequium & taciturnitatem pollicetur.* Eundem usum, & simul personam, quæ vultus sponsæ crocea seu potiùs lutea hac fasciâ vinxerit, docet Capella,

Flammea, virgineum quæ obnubere sueta pudorem,

Regina deme pronuba ——

Plura de *Flammeo*, Flaminicæ pallio, & de *Flammeo nuptiali*, item de *colore flammeo* seu luteo, V. apud Salmasium *ad Solinum pag.* 268. & 1155. ut & infrà in voce *Luteus*, nec non ubi de *Nuptiis*. Inde *Flammearii*, hujusmodi vestium opifices, Plauto *in Aulul.*

Flammearii, Violarii, Carinarii &c.

Flammulum, vox recentioris ævi Scriptoribus, Byzantinis præsertim, nota, quibus φλάμμουλον & φλάμμουλον dicitur: vexillumque notat in *flammæ* speciem desinens, cujusmodi illud est, quod Carolo M. porrigit S. Petrus, *in Lateran. Parietinis*, apud Nicolaum Alemannum. Salmasius à colore igneo & rubro, quem *flammeum* & *flammulum* dici ait, vocabuli etymon arcessit, *Not. ad Spartianum in Pescennio* Nigro. V. Car. du Fresne *Dissert. de Auriflamma, ad Joinvill.* & passim hic in vocibus *Bandum, Draco, Vexillum.* &c.

Flasilones, vestis species, nobilioribus in usu, apud Monachum Sangall. *de Carolo M. lib.* 2. *cap.* 41.

Flatus, seu obscœni ventris crepitus in Microcosmo, Macrocosmi ventos referunt, ut Andr. Laurentius ait *Anatomic. lib.* 1. *cap.* 2. Uti enim fulgura referunt excandescentium oculi coruscantes; tonitru, ructus & intestinorum murmura, quæ Græci *βορβορυγμοὺς* & *βορβορισμοὺς* appellant; pluviam, humores è ce-

rebro in nares, laryngem, pulmones, destillantes; rorem, lachrymæ; ita ventos cruditatum exhalationes, auriumq; sibili ac tinnitus; terræ motum palpitatio cordis, membrorumq; convulsio. Ad ventos autem etiam *Flatus* prædicti, ut & ad tonitrua, referri possunt: quos judicio stolidarum nationum, præ aliis quæ modò memoravimus, in Deorum numerum referri meruisse, indigitat Plinius *lib. 2. cap. 7. Gentes quædam animalia & aliqua obscœna pro Diis habent, ac multa dictu magis pudenda, per fætidos cibos & alia multa jurantes.* Sed expressius Clemens Romanus *Recognit. lib. 5.* ubi de Ægyptiorum Diis agens: *Crepitus*, inquit, *ventris pro Numinibus habendos esse docuere.* Item Minucius Felix *Octavio*, *Idem Ægyptii cum plerisq; vobiscum non magis Isidem, quàmceparum acrimonias, metuunt; nec Serapidem magis, quàm strepitus per pudenda corporis expressos, extremiscunt.* De Ægyptiis tamen mavult credere Vossius, istos *Flatus* hujusmodi non Deos propriè putasse, sed (quia tota fere eorum Theologia symbolica fuit) pro signis potius habuisse potentiæ divinæ. Nempe, quia & servandi, & si retineantur, perdendi hominis habent potestatem. Unde & Græcus Poeta Nicarchus, Regibus ipsis par habere Imperium, nugatur *Antholog. lib. 2.* Quæ tetricus aliquis, non tam similis, quàm simia Catonis, indigna chartis dixerit: Sed enim faciunt Minucio & aliis veterum Theologorum intelligendis. Ac quanto perspectior nobis fiet Gentilium pietas, tanto sanè gratiores erimus summo Deo, qui nos è tenebris illis eduxit, mentesque nostras illustravit, Verbi & Spiritus sui face. V. Gerh. Johannem Vossium *de Orig. & prog. Theologiæ Gentil. lib. 3. cap. 5.*

Flava Moneta, apud Martialem *lib. 12. Epigr. 65.*

Hos nisi de flava loculos implere moneta
Non decet: argentum vilia ligna ferant.

Aurea est: *flavum* enim eleganter aurum appellat, etiam Trebellius Pollio *in Gallienis.* Idem Poeta *flavos* absolutè dixit nummos aureos:

Et de moneta Cæsaris decem flavos.

Quemadmodum recentiores ὑπέρπυρον aurum appellarunt, unde ὑπέρπυρα vel ὑπέρπυρον, solidi aurei &c. Salmasius *ad Pollionem.* At

Flavi, in aliquot Græcorum Oraculis, Franci indigitati sunt, ob capillorum colorem. Sic Rogerus Hovedenus CPoli in Porta Aurea, scripta esse hæc verba refert, *pag. 650. Quando veniet Rex* Flavus *Occidentalis, tunc ego per meipsum aperiar & tunc Latini imperabunt & dominabuntur in civitate CPoli:* quando viz. Franci urbem cepere A. C. 1204. De quibus etiam, ut & de eadem expeditione intelligendus Leo Imp. *in Orat. de Restit. CP. à Leunclavio edita:*

Ἀλλά σε πυρότριχον καὶ ξανθὸν γένος,
Πάντως τεφρώσει, καὶ τὸ σὸν λύσει κράτος.

Sic ξανθοὶ iidem dicuntur Anonymo *in Paraphr. Orat.* ejusdem Leonis, τὸ ξανθὸν γένος Pachymeri *Histor. lib. 1. cap. 18.* ut *flavi*, Claudiano *in Ruffinum lib. 2.* quo epitetho etiam Britones, Auctor *libri de disciplin. Scholar. cap. 2* & Getas vocat Hieronymus *Epist. 7. ad Lat.* sicut contrà furvam gentem Indos appellavit Juvenalis *Sat. 2.* Eodem comæ colore nullus non Heros apud Vett. commendatur, ut in Homero, Theocrito, Hesiodo, & nemine non videre est. Par ratio in sexu sequiore, cujus formam rarò albis aut nigris, sæpius *flavis capillis* Poetæ commendant. Hinc medicamenta eam in rem adhibita, quorum Medici meminerunt in præceptis τῆς Κοσμητικῆς, & Plut. in Ἐρωτικῷ extremo. Aurearum item bractearum intertextura quædam mirifica, indigitata Chrysostomo, ubi de Barbaris Regibus, *ad Coloss. cap. 3.* Aliam χρυσώσιν capillorum indicat Val. Flaccus *lib. 6.* de qua V. suprà, ubi de *Deaurandi more.* Sed hoc rarius: inspersio verò nitelæ aureæ in frequentiore usu posita jam vetusto ævo, si Josepho de satellitibus Salomonis loquenti *lib. 8. Antiqq.* fides adhibenda &c. V. hanc in rem Casaubonum *ad Capitolini in Vero verba hæc: Dicitur sanè tantam habuisse curam* flaventium *capillorum, ut capiti auri ramenta resperger et, quò magis coma illuminata flavesceret;* & suprà, ubi de *Auri Scobe.* Adde Barthium *in Adversariis*, & *Pasicompsam* Petri Laurenbergii.

Flavii, adde: Prænomen hoc Claudius II. Imp postea sibi vindicavit, atque ex eo Constantinus Chlorus & Constantinus M. quique deinceps eos excepere CPolitani Augusti. Imò nec ipsi solùm Impp. sed Proceres quoque fere omnes, Consules, Præfecti, Præsides, & Viri clarissimi ac Patricii illud sibi adscripsere, ut ex *Inscr.* Gruterianis passim liquet. Apud Longobardos verò, primus Autharit Rex, *ob dignitatem*, Flavius *à suis appellatus est, quo prænomine omnes, qui postea fuerunt, Longobardorum Reges feliciter usi sunt*, inquit Warnefridus, *de Gestis Longobard. lib. 3. cap. 16.* Sed & ad Gothicos Hispaniæ Reges id cognominis perinde transiit, quorum primus Recaredus illud assumpsit, in Concilio Tolet. III. V. Bivarium *ad Pseudochronicon Maximi p. 73.* & Chiffletium *in Vindiciis Hispan. p. 350.* Unde *Flavia*, Gothorum Imperium appellatum, in vet. *Scheda*, laudatâ Gariello *in Episc. Magalon. p. 3.* &c. V. C. du Fresne in *Glossar.* in *Stemmatibus Byzantinis* & *Dissertat. de Inferioris ævi numism.* De *Flaviæ* verò *gentis* Templo, à Domitiano extructo, Suetonium in eo c. 1. 5. 17. & Martialem *lib. 9. Epigr. 2.* & 4. uti de *Coronis Flavialium*, in quibus Domitiani, ut rerum domini, imago efficta, V. Carolum Paschalium *Coronarum lib. 9. cap. 11.*

Flaviopolis, adde: Pro *Zelia* apud Plinium *Cæna* legi vult Salmasius, à qua *Cenea* & *Ceni* pop. V. eum *Exercitat. ad Solinum pag. 166.*

Fleckensteinia, Familia Germaniæ illustris, ad Henricum, qui A. C. 942. in torneamentis Rotenburgicis Societatis Rhenanæ caput electus perhibetur, originem suam refert. Sub finem fere seculi decimi tertii postea, in duas lineas abiit, quarum altera à Rudolpho orta, axioma Baronum *de Dachstul*, A. C. 1389 titulo conjugii obtinuisse dicitur, & quoad masculos in Georgio, hoc seculo; quoad fœmellas, in Anna Sibylla A. C. 1661. extinctis, defecit. Altera ab Henrico Rudolfi fratre sata, in Equestri statu permansit; sed agnatis nuper successit & non minùs in consortium Procerum Imperii admissa, nunc quoque superest. V. Phil. Jac. Spenerum *Theatr. Nobil. Part. II. in Ind.*

Fleta, dictus autor libri, qui *Fleta* inscribitur, quòd ab aliquot è Justitiariis, qui ob crimen repetundarum in carcerem hujus nominis conjecti sunt, in eo, sub Eduardo I. exaratus sit. Sic autem vocatur carcer Londoniensis; *the Fleet* Anglis, à præterlabente torrente seu fluviolo id nominis adeptus, uti docet Jo. Seldenus

Fletio, vicus Belgii, in Tab. Theodosiana memoratus: *Rhenus, Lugduno* XI. Prætorium Agrippinæ II. Matilone V. Albanianis XI. Nigropullo V. Lauri XII. Fletione XVI. Levefano VIII. Carvone XII. Castra Herculis VIII Noviomagi X. &c. ubi *Fletio*, ex mente Cluverii est *Fleeten* vel *Vvleden*, inter Trajectum vicus & Nigrumpullum, sive *Woerden*. V. Henr. Valesium ubi suprà, in voce *Lauri*.

Fletus, à *flendo* est. Est autem *flere*, quasi *lachrymis fluere*, h. e. ubertim flere; sicut *plorare*, cum voce; *lugere*, cum aliquibus dictis miserabilibus flere; *mærere* verò, cum silentio dolere: quæ tamen haud rarò miscentur. Est autem *Fletus* prima nascentium vox. Unde apud Georgium Palamum *Orat. 1.* eleganter Anima accusat corpus & se eo contineri & stringi in ipso matris utero queritur, nec liberari, dum in lucem prodit, sed oriri hinc ejulatus natalitiis cantibus ex adverso respondentes, & undique devincientes fascias, & cunabulorum vincula, sepulchralibus ligamentis cognata. Ἐκεῖθεν, inquiens, καὶ κλαυθμυρισμοὶ τῶν γενεθλίων ᾀσμάτων ἀντίφθογγοι καὶ σπαργάνων δεσμὰ καὶ κειρίαις ταφικαῖς συγγενῆ. Quem locum de cantibus ἀντιφθόγγοις optimè, ex nummo Antonini Pii, cujus aversa in parte Faustinæ partus videtur, sub specie matris Idææ, cum Tympanistis & Tibicinibus, explicat Gibertus Cupertus *Observationum lib. 2. cap. 9.* Imò uti nato infante, parentum aliorumque lætitia apud plerasque gentes, ita ploratus apud nonnullas nascentium *fletui* sociatur, ob tristia illa miseræ vitæ exordia. Unde non nasci optimum judicavit multorum consensus. Thraces certè natales hominum *flebant*, nec sine ceremoniis. Recèns namque natum circumsedentes fletu atque lachrymis prosequebantur, commemorantes, quot & quantæ illi, hanc vitam ingressuro, clades atque calamitates essent subeundæ, uti testis est Herodotus *lib. 5.* V. quoque Solinum *cap. 10.* & Valer. Maximum *lib. 2 cap. 1.* Contrà hominem defunctum cantu & tripudiis efferebant, Causianorum ritu, à quibus tibiarum ritus in funeribus fluxit: cùm reliqui mortales suos hinc discedentes *fletu* consueverint comitari. Inprimis postquam humata cadavera: quod *ultimum officium*, vocat vetus Scholiastes Statii *Thebaid. lib. 12. vers. 454.* ubi de Polynicis exequiis. Unde & Virgilius,

—— *inhumata, inflataq; turba.*

Quo cùm parentes proximique, ut æquum est, neque sine planctu, & pectoris laceratione, tum insuper præficæ huic fini olim adhibitæ, defungebantur, tam prodigæ lachrymarum, ut vasa quoque, hinc *Lachrymatoria* dicta, falso hoc latice replerentur &c. V. hic passim, ubi de rebus ad *Cadaverum curam & Funus* pertinentibus. De *fletu* verò mulierum in sacris Adonidis, nec non in *Thesmophoriis*, V. suo loco: at plura hanc in rem apud Gerh. Jo. Vossium *de Idolol. lib. 3. cap. 47.*

Flevum Castellum, vel *Flenium*, vulgo *Delft*, opidum elegantissimum, impositum Fossæ Flietensi, *de Vliet*, sive *Fliet* dicta, ante 500. annos factæ, ut ait Grotius adversùs Cluverium, qui Fossam Corbulonis eam esse existimabat. Mentio ejus in Tabula, cui à Theodosio nomen, ubi Batavia sic describitur: *Foro Hadriani* XII. *Flenio XVIII. Tablis XII. Caspingio XVIII. Grinnibus VI. Addusdecimum XVIII.* V. Hadr. Valesium in voce *Batavia* seu *Insula Batavorum.*

Flexus ad pectinem capillus, apud Æl. Spartianum *in Hadriano*, est capillus arte flexus calamistroque crispatus, Græcè ἴουλος vel ἰουλὸς; quem *in annulum positum* Quintilianus dixit, V. suprà.

Flexutes, à *flectendis* in equum gyris postea dicti sunt, qui priùs *Celeres* vocabantur. Plinius *lib. 33. cap. 2. Celeres sub Romulo Regibusq; appellati sunt, deinde* Flexutes, *postea Trossuli.* V. Salmasium *Not. ad Lampridium in Commodo*, & suprà in voce *Celeres.*

Flictus,

Flictus, cymbalorum pulsus est. Ausonius *Epist.* 25.

Cymbala dant flictu sonitum ——

Quem proin non lenem fuisse, neque qualem nostra cymbala hodie habent, utpote *tinnitum* potius edentia, inde colligit Barthius *Animadvers. ad locum Statii Thebaid. lib. 2. vers.* 78.

Æraq; taurinos sonitu vincentia pulsus.

Est autem *flictus*, à *fligo*, quod ab Æolico φλίβω, pro θλίβω, *premo*, uti docet Salmasius *ad Solinum pag.* 64.

Floccus, seu *Floccus*, vulgò *Froc*, Gall. Monachorum vestis, amplas habens manicas: an quòd esset *floccosa*, i. τριχωτὸς, uti vocem interpretatur vetus Moschionis Scholiastes, an quòd *flocci* instar, cùm ampla sit, huc & illuc levi flatu impellatur, V. C. du Fresne *Glossar.* & Macrum *Hierol.*

Flomesta, nomen Familiæ in Hispania illustris, quæ Benavidiæ ramus est. Diasius enim Sanctius *de Benavides* (de quorum origine diximus suprà) Dn. *de Santistevan del Puerto*, per duos filios totidem linearum auctor fuit. Primus enim Mendus Rodericus, generavit Diasium Sanctium Benavidium primum Comitem *Santistevan del Puerto* & reliquorum conditorem: Alter Manuel Benavidius Dominus *de Jabalquinto*, & ex hæreditate alterius fratris Gomesii I. *de Flomesta*, extitit. Hunc patrem habuere Gomesius Dn. *de Flomesta*, Johannes Dn. *de Jabalquinto* (cujus posteri *Marchionum* titulo exornati sunt) & Sanctius Dn. *de Carena & Almunnas* in provincia Guadicensi; reliquorum qui hoc titulo gavisi sunt sator. Et quidem Gomesius II. ultimò dictus, pater fuit Francisci, Marescalli Castellæ; quo & Leonorâ *de Velasco* genitus Gomesius III. itidem Castellæ Marescallus, ex Maria Manricia suscepit Ludovicum, eadem cum avo proavoque dignitate Marescalciæ gavisum: Cujus ex Aldoncia *de Bazan* filius Hieronymus *Marchionis de Flomesta* axioma obtinuit A. C. 1559. pater ex Anna Maria *de Zuniga & Bazan*. Ludovici: quo, & Angelâ Cortesiâ, nati sunt, Hieronymus, Ludovicus (cui uxor obtigit Anna, fil. Ludovici *Carrillo de Toledo*, March. *de Caracena*) & Maria Monialis. V. Phil. Jac. Spenerum *Theatr. Nobil. Eur. Part. II. p.* 32. Dicitur etiam *Fromesta*, ut habet Idem *l. c.*

Flora, adde: Catone tamen spectante, populus, ut nudarentur mimæ, postulare erubuit, Val. Maximus *lib. 2. cap.* 5. Introducebantur etiam hisce ludis funambuli elephantes &c. ut ex Suetonio *in Galba* & ex Fl. Vopisco *in Carino* apparet. Instituerunt illos Romani 4. Kal Maj. anno U. C. 596. ex Oraculis Sibyllæ, ut omnia bene deflorescerent, teste Plinio *lib. 18. cap.* 29. Ovidius *lib. 5. Fastorum* L. Posthumio Albino, M. Popilio Lænate Coss. anno U. C. 580. illos initium sumpsisse docet: cumque primùm mense Aprili celebrarentur, postea in Majum translata esse idem ait. In vico Patricio aut proximo, noctuque accensis facibus, habitos fuisse, discimus ex Alex. ab Alexandro *Genial. dier. lib. 6. cap.* 18. Dio scribit *lib.* 58. L. Sejanum Prætorem *Floralibus* ad ridendum Tiberium, qui calvus erat, omnia calvorum ministerio ad noctem usque peregisse: lumen quoque discedentibus à theatro per puerorum rasis capitibus quinque millia præbuisse. Plura V. apud Ovidium *loco suprà laudato*, ubi turpem hanc festivitatem prolixè persequitur. In colle Hortulorum, Circum fuisse *Floralibus* destinatum, ait Bart. Lat. *in Verrin. Or.* 7. Convocabantur autem meretrices, hisce ludis nudæ per vias discurrere solitæ, tubâ, quam *Floralem* Juvenalis vocat:

—— —— *Dignissima prorsus*

Florali matrona tubâ.

V. quoque Joh. Rosinum *Antiqq. Rom.* Thom. Godvvynum *Anthol. Rom. lib. 2. sect. 3. cap.* 3. Hospinianum *de Orig. Festorum* &c. Ut & hoc addam: Templi idolo huic sacri meminit Martialis *lib. 6. Epigr.* 27.

Bis vicine nepos (nam tu quoq; proxima Floræ

Incolis, & veteres tu quoq; Ficulias)

Erat id nempe è regione domus Martialis, Romæ. Idem *lib. 5. Epigr.* 22.

Sed Tiburtinæ sum proximus accola pilæ;

Quà videt antiquum rustica Flora Jovem.

V. quoque Ovidium *Fastorum lib.* 5. Inter opera Praxitelis è marmore, *Floram* memorat Plinius *lib. 36 cap.* 5. &c. Plura de *Flora* Dea, quam à Sabinis acceptam, non à Romanis primitus institutam, in honorem meretricis quæ sua legarit Populo Rom. *de Flora sacris*, diu ante Florales Ludos Romæ celebratis: *de Ludis Floralibus*, quando inprimis inceperint & quomodo annui facti sint, apud Gerh. Jo. Vossium *de orig. & progr. Idolol. lib. 1. cap.* 12.

Florea Corona, in capite convivarum. Esurie nempe sedatâ, siti excitatâ, poculisq; ingestis ac epotis, hujusmodi coronæ singulis convivarum exhiberi solitæ sunt: quas *serta* quoque, item *genialia serta*, passim vocant Poëtæ. Iisdem pocula insuper, & ministri coronabantur, uti videre est suprà, ubi de *Convivialibus Coronis*: pluribus vero apud C. Paschalium *Coronarum lib. 2. cap.* 2. Nempe *Florea Corona* plerunque significant meros jocos, meram festivitatem, meros amores. Unde & impositæ Virginum capitibus indices erant atq; adeò auguria instantium nuptiarum. Claudianus de Proserpina, *Raptûs lib.* 2.

Nunc finiat flores, sertisq; ignara coronat,

Augurium fatale thori ——

Quod inde factum, quia prisco ævo coma soluta & libera virginitatis erat signum, ut ex vett. monumentis apparet; itaque coacta & coronata præsentis jam aut saltem imminentis lætitiæ conjugalis indicium habebatur. Scindebantur autem ab amantibus, ac detrahebantur, nisi sponte defluerent, inprimis apud eos, qui luxuriem sectabantur. Unde Horatius, Tyndaridem invitans ad convivium, *Carmin. lib.* 1. jubet illam securam esse, nec Cyrum metuere, ne

—— *Scindat hærentem coronam*

Crinibus ——

Imò & suas ipsorummet coronas nonnunquam minutatim discerpebant amantes, cùm aut jam facti essent votorum compotes, aut in eo, ut amoribus potirentur, ut discimus ex Theocrito *Idyllio* 3. Qua de re Tullius *Tuscul. Quæst. lib.* 5. *Jam ipsæ defluebant coronæ.* Id est, ventum erat ad eam partem convivii, quâ in liberiores iri solebat jocos: qui plerunque incipiebant à defluxu coronarum. Quippe hæ eo artificio nectebantur, unguentisque insuper irrorabantur, ut facilè folia floresque defluerent. Quod si non fluerent, tunc scindebantur, ut dictum. Atque hinc factum, ut *floreas coronas* viris gravibus ac philosophis indignas censeat Plutarchus *in Sympos.* Interim & Ducibus illas convenire, Ovidius innuit *de Ponto lib.* 3. & Diis Deabusque excipiendis flores adhibitos, docet Athenæus *lib.* 15. Sed & urnas mortuorum, sepulchraque & rogos, iis coronari consuevisse, dicemus infrà, ubi de *Mortuis*. Plura verò hanc in rem V. apud præfatum Paschalium passim, in *Coronarum libris*.

Floreni, monetæ aureæ Florentinorum, apud quos cudi primùm cœpere A. C. 1252. titulo 24. ceratiorum, quorum 8. unciam conficiebant: In horum una parte sculptus fuit *flos* lilii, unde nomen, in altera effictus erat S. Joannes Baptista. Hinc ad cæterarum quoque gentium nummos tracta appellatio. Tradit enim Villaneus, *lib. 9. cap.* 170. Joannem XXII. Pontif. Rom aureos cudisse *Florenos*, circa A. C. 1322. similes pondere, lege & formâ Florentinis; nisi quòd, quâ parte effictus erat S. Joannes Bapt. in circulo illius nomen descriptum legebatur, ad latus verò S. Joannis, efficta erat mitra Papalis: in parte verò, ubi liliū erat, circulo descriptæ erant hæ voces. *S. Petrus, S. Paulus.* A' quo tempore, cùm Marchio Montferratensis, Spinolæ Genuenses, aliique aliquot Principes Italici, similes *Florenos* cudere essent aggressi, sub anathematis pœna id vetuit idem Pontifex, A. C. 1324. Floreni verò isti Pontificii, *Floreni auri de Camera*, apud Hemereum *in Augusta Viromand. Novelli Ducati Papales seu de Camera*, apud Rob. Cenalem *lib. de Ponder. & Mensur.* dicti occurrunt. Sed præsertim id nominis attributum monetæ aureæ Regum Franc. quam vulgò *Denarii* nomine insignibant; additâ notarum quarundam, quibus à se invicem distinguerentur hi nummi, nomenclaturâ. Hinc, quos *denarios ad Agnum*, seu *ad Mutonem, ad Massam, ad Cathedram & ad Scutum* vocant *Statuta* Regum præfatorum, *Floreni ad Agnum* &c. in vett. *Chartis* dicuntur. Nuperi Græci φλωρίον dixere, Meursius. V. C. du Fresne *in Glossar.* in hac voce, è quo addimus Epitaphium hoc vel Rhythmos potiùs in obitum Henrici VII. Imp.

Paulinum quendam variis

Corrumpit cum denariis

Quampluribus Florenis.

Ut Principem piissimum,

Monarcham invictissimum

Inficiat venenis.

Te cæcum cæci muneris

Præcipitant Floreni &c.

Idem in voce *Moneta* nummorum aliquot præfatorum Francicorum typos Lectori harum rerum curioso exhibet, Florenorum scil. cum cathedra, Gall *Florins d'or à la Chaire*; *Florenorum cum Massa*; item *Florenorum magnorum & parvorum*, Gall. *Florins d'or grands & petits*, sub Philippo IV. Reg. cusorum.

Florentia, adde: Familiam Magnorum Ducum, quibus nunc subest, V. infrà ubi de *Mediceis*, & plura de statu Reip. hujus, apud Georg. Hornium *Orb. Imper. & Polit.* Cimeliarchium Magni Ducis, exactè describit Jac. Sponius *Itinerar. Part. I. pag.* 60. & seqq.

Flores in auribus gestandi mos, indigitatur Josepho Laurentio *Polymathiæ lib. 2. Dissert.* 36. & confirmatur ex Athenæo *lib.* 12. *Molle sisymbrium, aut rosa, aut lilium auri insidebant.* Quò forsan respiciens Calphurnius *Ecl.* 6. ait,

—— *ramosaq; tempora molles*

Implicuere rosæ ——

Nisi de coronis id intelligi malis. Aliàs certè rosas implicitas, tum ex aliis passim, tum ex *Medea* Euripidis notum. Nec solæ illæ ornatui capillorum adhibitæ: nam præter laurum, myrtum, hederam, apium, vitem &c. capillis lilia circumdata habes apud Ovidium *Metam lib.* 12. hyacinthum, à virginib' Spartanis, apud Theocritum *Idyllio* 18. & anemonem, apud Nonnum *Dionysiac. lib.* 11. V. Bartholin. *de Inauribus Vett. c.* 3. & plura de floribus infrà, voce *Flos*.

S. Flori, vulgò *S. Flour*, oppidum Galliæ, apud Indiciacum, Plano monti impositum, in Alvernia superiore seu Cebennica, quem *Superiorem pagum* vocitant, *le Haut Pays*. Gulielmus de Podio Laurentii *cap.* 34. *S. Flori castrum Arvernia*, nunc, ut &

S. Flore Vellavorum Episcopo. Cum tit. Episcopatus: Sic enim Notitia Episcopatuum Galliæ, post A.C. 1322. composita, in Aquitanica I. seu in prov. Bituricensi tres ex veteribus Monasteriis novos Episcopatus collocat, *S. Flori*, Vabrensem & Tutellensem; primum ab urbe Arvernis; alterum à Rutenis; ultimum à Lemovicis, avulsos. Hadr. Valesius in voce *Tutela*.

Floriani, Hæretici, à *Floriano* quodam, Deum mala creasse blasphemante, dicti: Macer *in Hierolexico*. V. quoq; ubi de *Harpocratianis* & *Millsibus*, item infrà in voce *Florinus*.

P. *Florianus*, Tribunus, unà cum Vectio Apro itidem Tribuno, Didium Julianum Imperium recusantem, vi in castra duxerunt, apud Spartianum in *Vita* Juliani.

Floridi Lacus, in Sinensi Imperio frequentes, non sylvestribus minimeque frugiferis, sed manibus hominum satis, domesticisque floribus, quorum cultura singulis annis renovatur, semine intra ipsas aquas projecto. Quin imò in hortis ac viridariis, & in ipsis palatiorum atriis, inter vasa testacea ingentia, limo & aquâ repleta, excolunt eos ac educant Magnates, illorum pulchritudine ac amœnitate illecti. Flores hi *Lien* dicuntur, croceique coloris sunt: *Fula de Golfo* Lusitanis, quorum folia maxima & plerunque figuræ rotundioris, aquæ superficiei incubant atque supernatant, uti nymphææ per Europam solent. Eadem, ubi exiccata fuerint, olitoribus, scrutariis, aliis minutiorum mercium propolis, loco papyracei involucri, aut cuculli sunt, quibus eas venditas infarciunt. Auctor Anonymus *Sinæ & Europæ cap.* 33. V. quoque Petrum de Valle *Itinerar. Part. IV.* ubi de Goa, Indiæ, quæ Lusitanis subjecta, metropoli.

Floridus Color, Græcè ἀγὸς, item ὡραῖος, austero opponitur, apud Plinium *lib.* 35. *cap.* 6. *Sunt autem colores austeri & floridi, utrumq; aut naturâ aut misturâ evenit.* Floridi *sunt, quos dominus pingenti præstat, nimirum, Armenium, cinnabaris, chrysocolla, Indicum, purpurissum: cæteri austeri.* Erant nempe illi carissimi & ideò, quòd pretiosi essent, legibus excipiebantur, ut à domino, non à redemptore, repræsentarentur, ut alicubi Vitruvius. An verò eorum omnes *floridi*, disquirit Salmasius *ad Solinum pag.* 199. Aliàs *floridus*, Gr. ἀνθινὸς, idem cum colorio est, seu versicolore. Quo sensu vox sumitur, in lege Attica, Τὰς ἑταίρας ἄνθινα φορεῖν, *Meretrices* floridas *vestes indutæ sunto*, memoratâ Artemidoro *lib.* 2. *cap.* 3. & Clementi Alex. *Pædagogi lib.* 3. *cap.* 2. Item in Lege Locrensibus latâ à Zaleuco, apud Diodorum Sic. & Syracusanis, apud Athenæum *lib.* 12. qua de re V. Sam. Petitum *Comm. in LL. Atticas lib.* 6. *tit.* 5. *sub fin.* & Salmasium eundem *ad Vopiscum in Aureliano.*

Florinus, adde: Hinc *Floriniani*, quos *Florianos* Philastrius vocat *de Hæres. Part.* 3. *cap.* 10. minùs rectè, cùm à *Florino* dicti adeoque prior appellatio potior sit. Eidem *Milites*, Irenæo *Gnostici*, Epiphanio *Phibionitæ*, Theodoreto *Borboriani*, à sceleratissima sua vita, i. cœnosi, appellantur. *Eorum enim mysteria quis est adeò infelix, ut vel linguâ proferat? Hæretic. Fabul. lib.* 1. V. de iis Jo. Forbesium *Instructionum Historico-Theologic. lib.* 1. *cap.* 37 §. 4.

Flos, an ex Græco φλὸξ, quòd *flammæ* instar emicet. Martialis *lib.* 4. *Epigramm.* 44.

Perpetuo sic flore *mitet* ——

Certè, quod in cœlo stellæ, id in terra flores: hinc in tot usus mortalibus expetiti, & integris quoque urbibus nomina aut cognomina inde quæsita. Sic enim Tibur πολυάνθεμον; urbs Lydiæ Trallis apud Stephanum, & alia in Asia Straboni memorata, Ἄνθεια; Ptolemais Ῥοδοφόρος &c. dicta, qua de re V. Paschalium *Coronar. lib.* 2. *cap.* 13. Adhibentur autem illi vel conserti, vel soluti. Et quidem qui flores foliaque proceriore surculo sunt, nectebantur invicem; quæ verò minùs brevem habent, funiculis inter se juncta suebantur, addebantur unguenta &c. uti hic passim videre est, ubi de *Coronis* & illas *Nectendi artificio:* nec non paulò suprà, ubi *de Floreis Coronis*. Soluti quoque multiplicem omni ævo habuere usum, fragrantiâ naribus, formositate oculis, varietate animo mirificè blandientes. Unde præcipuè in conviviis, lætitiæ centro, usurpari leguntur. Non enim coronatis epulari sufficiebat, sed & conviviali quadam lascivia in ipsum poculum *flores* indebantur: id quod *coronas bibere* dixere Vett. Plinius *lib.* 21. *cap.* 3. *Apparatu belli Actiaci gratificationem ipsius Reginæ* (Cleopatræ) *Antonio timente, nec nisi prægustatos cibos sumente, fertur pavori ejus illusisse, extremis coronæ* floribus *veneno illitis, ipsâque capiti imposita; mox procedente hilaritate invitavit Antonium, ut coronas biberent. Quis ita timeret insidias? Ergo concerptâ in scyphum, incipienti haurire oppositâ manu: En ego sum, inquit illa* &c. Et ab amantibus, qui vel offerebant eos virginibus, vel, si earum copia non daretur, januis affigebant, quo de ritu Paschalius iterum ubi suprà pluribus agit, *lib.* 2. *cap.* 5. Iisdem mensæ, lecti, solum, viæ, & quid non, lætitiâ invitante, conspersa sunt, ut hic videre passim est. Tertullianus *de Coron. mil. Jam verò & in sinum conde si tanta munditia*, nempe florum. *In lectulum sparge, si tanta mollitia est; In poculum inde si tanta innocentia.* Jaciebantur porro in ædes sacras, statuas Numinum, inque Athletas victores, uti diximus suprà ubi de *Conjectu florum:* idque divinâ nonnunquam manu. M. Lucullum enim ejusque milites aura suavis è proximo prato sponte conspersit tantâ *florum* multitudine, ut scuta & galeæ iis coopertæ eam speciem hostibus præbuerint, quæ Luculli exercitum coronatum demonstraret, auctore Plutarcho *in Sullâ*. Numina ipsa Gentilium, Bacchum inprimis, *floribus* coronata, iisque apprime delectata esse, habent passim Scriptores prisci, Athenæus præ aliis *lib.* 15. Longus *lib.* 2. Alii. Unde & Inachus fluv. in quo Pallas lavare amabat, undas suas auro floribusque permiscet, apud Callimachum. Et *flores* aris frequenter imponebantur, uti patet ex ararum picturis *in Inscriptionum Collectaneis*, præcipuè illâ, quam Liviæ Augustæ monumentum censet Editor Thomas Hubertus Leodius *Annalium Friderici II. El. Palatini lib.* 1. Statio item *Theb. lib.* 8. *vers.* 297.

—— *geminas ergo ilices aras*
Arboribus vivis, & adulto cespite texi
Imperat, innumerosq; Deæ sua munera flores
Addit, & intacto spargens altaria lacte,
Incipit: ô hominum &c.

Sed & in funeribus *flores* sparsi. Virgilius,

Purpureos spargam flores ——

de quo ritu V. Lutatium *ad Statium Thebaid. lib.* 6. *versu* 199. Iique modò serti, modò soluti, uti docent Desider. Heraldus *ad Martialem*, Lipsius *ad Tacitum Annal. lib.* 14. Barthius *ad Claudianum*, Alii, & hic passim videre est. Illi verò *flores* verè ferales, quibus, honoris specie, Heliogabalus parasitos ita oppressit, ut animam efflarent; apud Lampridium. In sacris V. Testam. ut & hoc addam, non *florum*, sed *frugum fructuumq;* habita ratio. At recentiori ævo *Flores diversi coloris*, in Festo Pentecostes desuper immissi, ad varietatem charismatum Spiritus S. denotandam, occurrunt apud Joannem Episc. Abrincensem *de Offic. Eccl.* &c. Plura de *Floribus*, V. apud Plinium, Dioscoridem, Theophrastum, Alios; de *Floribus* inprimis *Coronariis*, Paschalium *Opere cit.* ut de *Floribus Sinicis cum Europæis collatis*, Auctorem Anonymum *Sinæ & Europ. cap.* 33. & de unoquoque sigillatim, hic suis locis. De *Flore* autem *æris, auri, purpuræ*, quæ impropria vocis notio est, apud Salmasium *ad Solinum pag.* 1076. 1080. V. & suprà in voce *Flores*.

Fluctus, in crinibus, idem quod *ordo, statio, gradus, annulus*; concinna nempe crinium per annulos inflexio & per gradus digestio *fluctuum* modò extantium, modò subsidentium, & invicem se propellentium undulatos intortosque motus planè referens. Martialis *libro* 5.

Illis cura sui vultus frontisq; decoræ
Semper erit: tortos in fluctum *ponere crines,*
Aut vinclis revocare comas, aut vertice denso
Fingere.

Ubi tortos *crines in fluctum ponere*, idem est, quod Quintiliano, *in annulos ponere*, V. suprà, ubi de *Annulis crinium.*

Flumen & *Fluvius*, synonyma, nisi quòd *Flumen* propriè ipsa aqua, *Fluvius*, decursus aquæ. Sunt autem *Fluvii*, venæ quasi minoris Geocosmi, fibris similes per folia plantarum excurrentibus, quibus unà cum lacubus aliisque partibus Oceani minoribus, è Mari origo, in quod etiam redeunt. Adeò nempe totus Geocosmus innumeris abundat cavernis, hydrophylaciis, siphonibus & hydragogis ductibus, in quos non potest non Oceanus incumbens gravissimo molis suæ pondere ingentem aquæ copiam effundere, & ad superiora terræ protrudere, haud secus ac antliâ pressas aquas in altum ejaculamur & diffundimus. Athanas. Kircherus *M. S. lib.* 5. *sect.* 1. *Disquisit.* 2. A' Gentibus pro Diis culti, quorum filiæ *Nymphæ* habebantur, ut inductione *fluviorum*, apud Poëtas inprimis celebrium, liquet. Ex Historicis unum satis sit adduxisse Rubiconem, cui equorum greges consecravit Cæsar, apud Suetonium §. 81. Hinc omnia animalibus à natura data iis ascripta sunt: caput, brachia, pedes, alia. Et quidem, caput quod attinet, ταυρομόρφοι, *tauriformes*, fingebantur, occasione illius Homerici *Il.* Φ.

Τὸν ἰαχῶν ἤιξε μεμυκὼς ἠΰτε ταῦρος.

Ubi mugitus iis taurinus tribuitur à Poëta: sicut viri cornuti formâ Cephissum ab Atheniensibus cultum esse, auctor est Ælianus *Variarum lib.* 2. *cap.* 33. ubi, quæ gentes Græciæ quâ formâ coluerint *Flumina*, notat. Utrumque jungit de Ismeno loquens, Statius *Thebaid. lib.* 9. *vers.* 420.

Cornua concutiens, sic turbidus ore profundo
Incipit ——

Brachia, ἐκτροπαὶ illorum dicuntur, quæ & *cornua* nonnunquam, pedes, ostia sunt. Præterea affectus humanos, domicilia item iis assignata legas; qua de re V. Barthium *ad Statium lib.* 5. *Sylv.* 4. *v.* 5. & *Theb. lib.* 4. *v.* 832. &c. Integram descriptionem spectrâ hujusmodi hanc Claudianus exhibet *Pan. Prob.* de Tiberi,

—— —— —— *Ilicet herbis*
Pallentes thalamos, & structa cubilia musco
Deseris, atq; domum Nymphis commendas herilem.
Illi glauca nitent hirsuto lumina vultu,
Cæruleisq; infecta notis, reddentia patrem
Oceanum: crispo densantur gramine colla.
Vertice luxuriat toto crinalis arundo,
Quam neq; fas Zephyris frangi, nec sole perustam

Æstivo

Æstivo candore mori; sed vivida frondet,
Æquævum complexa caput. Taurina levantur
Cornua temporibus, raucos sudantia rivos,
Destillant per pectus aquæ. Frons hispida manat
Imbribus, in liquidos fontes se barba repectit.

Quo modo etiam pingebantur, sic tamen, ut proni in lævam, quum quiescerent: Statio docente *Theb. lib. 2. vers.* 218.

— pater ipse bicornis
In lævum pronâ nixus sedet Inachus urnâ.

Itaque quicunque fluvium transituri, eum adorabant & manus lavabant, ex præcepto Hesiodi,

Μηδέ ποτ' ἀενάων ποταμῶν καλλίρροον ὕδωρ
Ποσσὶ περᾶν, πρίν γ' εὔξῃ, ἰδὼν ἐς καλὰ ῥέεθρα,
Χεῖρας νιψάμενος πολυηράτῳ ὕδατι λευκῷ.

Quod secuti Romani Petroniam amnem in Tiberim defluentem inauspicatò nunquam transibant, quod *perenne auspicari* dixere, teste Festo in *Petronio*. Militares insuper copiæ in trajectu sacrificabant, quod *θύειν τὰ διαβατήρια* Græcis indigitatum. Taceo coronas ex myrica aut arundine, capillorum primitias, virginitatem, equos taurosque, alia, iis consecrata, vota suscepta, & soluta; cœteraque quibus superstitio Idola sua antiquitus coluit, in recentius quoque ævum, imò præsentem ætatem, apud Idololatras Indos, valitura. V. etiam supra ubi de *Aqua*, & *Diis Gentilium*, Cœterùm sanguineo colore visi, vel etiam tempore non suo exundantes, inter prodigia semper numerati sunt, plenus Livius, Obsequens, Veterum alii, quibus adde C. Barthium *Animadvers. ad Papinium Statium Thebaid. lib. 4. vers.* 375. & *lib.* 7. *vers.* 405. Nec omittendus ritus Vett. *fluminibus gelidis* lavandi pueros, futuros Heroas. Ita enim Claudianus de Marte,

Flumina *laverunt puerum Rhodopeia Martem.*

Virgilius de Rutulis *lib.* 9.

Durum à stirpe genus, natos ad flumina *primùm*
Deferimus, sævoq; gelu duramus & undis &c.

V. eundem Barthium *ibid. Theb. lib.* 9. *vers.* 797. &c. Nec cadavera reorum vel hostium in fluvios projiciendi, V. infrà ubi de *Tractione*. Sed & suorum defunctorum corpora in eos dejicere solitos Æthiopas aliosque, discimus ex Alex. ab Alexandro *Genial. Dier. lib.* 3. *cap.* 2. &c. Plura de *Fluviis*, origine inprimis & maximorum ab Septentrione versùs Austrum fluxu, apud G. J. Vossium *de Idolol. lib.* 2. *cap.* 73. & *seqq.*

Fluvii totius Geocosmi notiores, ex Auctore Anonymo Hist. Orbis Terr. juxta alphabeti ordinem.

I. Europa.

α. Fluvii Russiæ. Dvvina, quæ vox Russis *binarium* denotat; quòd fluvios Jugam & wuymam recipiat. Egreditur in mare Album, ad Emporia S. Michaelis & S. Nicolai. Juga, Furnerio *Jug*, similiter. Moscua, urbem Moscuam præterlapsus, in Occam majorem fluv. se exonerat. Obius, pro termino Europæ communiter habitus, à lacu Asiæ Kithaisko ortus, in Oceanum tandem glacialem è regione Novæ Zemblæ exit. Occa, magnus fluvius, Moscuam recipit, & in Volgam defertur. Onega 90. mill. Russica ab Emporio S. Michaelis versùs Occid. distans, in Mare Album defluit. Petzora, in Oceanum Glacis Fretum Vaygatium exoneratur, post Obium. Tobol, fluvius ingens, in Siberia provincia, Obio recipitur. Volga, circa lacum Wolga ortus, in mare Caspium abit, ad urbem Astracanum. Wuyma, Furnerio *Suchama*, Dvvinâ recipitur. *β. Fluvii Lappiæ & Norvegiæ.* Cola, in extrema Lappia: præter quem Furnerius commemorat amnes salmonum feracissimos, *Jochenam, Oriogones, Pitsing, Ponoy, & Tiriberi.* Tenus, nautis *Tenoby*, in Norvegiæ Præf. Wardhusiensi. Trolheta, seu *Golan*, juxta Nidrosiam perlabens, ad Bahusium in mare tendit; quem unicum Lacus Wenerus, ex 24. quos absorbet, reddit. *γ. Fluvii Germaniæ super.* Albis *die Elbe*, ortus in valle montis Gigantæi, ad Chersonesi Cimbricæ partem Ditmarsiam, in Oceanum Germ egreditur. Amisius *die Ems*, haud procul Paderborna exoriens, ad Emdam eodem mergitur Oceano. Danubius *die Donau*, scaturiens in humo plana, è fonte perenni, in vico *Don-Eschingen*, in Duc. Wirtenbergensi, Ortum petit, & in Pontum Euxinum 6. ostiis evolvitur. Omnium in Orbe veteri post Nilum maximus. Drava, post Lubecam, quam alluit, in mare Balticum egreditur. Egra, Albim auget. Fulda, Visurgi recipitur, tunc demum hoc nomen merito. Havela, postquam Spreæ se junxit, Albim auget. Isera, Danubio recipitur. Milda & Molda Albim quoque augent. Mœnus & Nicer. Oenus Bavariæ fluv. Danubio miscetur. Rheni ortus in Alpibus; ostia tria, Vahalis *die Wahl*, qui Mosæ jungitur: Leccus *die Leche*, qui mare ingreditur & Isala, qui in Sinum Belgicum *de Zuyder-See* influit. Sala, in Albim abit. Viadrus *die Oder*, è Moraviæ & Silesiæ finibus manans, infra Stettinum, in lacum *das grosse Haff* se demergit, indeque per tria ostia mare Balthicum ingreditur, receptis Bobero, Neissâ & juxta Custrinum Wartâ. Ex hoc in Spream fossa haud pridem deducta est, &c. *δ. Fluvii Belgii.* Agnio, vulgò *Aa*, ortus in Comit. Rentiaco, per Slusam tandem ad litus Seelandicum ejicitur. Mosa, in Gallia, proximè Abbatiam *Verge*, in vico *Meuse*, ex lacu scaturiens; exit in mare, quà Vahali secundò jungitur. Scaldis fontem habet in Veromanduis: egressus infra Antverpiam in duo abit cornua, quorum alterum *die Honte* inter Walachriam & Slusas Oceano committitur: alterum ad urbem Bergam Somam accipit, iterumque in duo brachia divisum, Selandiæ insulas interluit &c. *ε. Fluvii Magnæ Britanniæ.* Avona, fluv. Angl. Bristoliam alluens, infra eam mari se committit. Birgus, fluv. Hiberniæ, cujus sorores Neorus & Suirus. Bovinda, vulgò *Boyn, s. Banney*, fluv. ejusdem regni. Daurona similiter. Dina & Donus, fluv. Scotiæ ad Aberdoniam. Gariensis fluv. post Tamesin, effluit ad portum *Jarmouth*, in Anglia. Humbrum, Angliæ æstuarium, constituunt Trenta & Urus: Eodem etiam Hulla influit, unde castello adjacenti nomen. Letha, amnis Scotiæ exiguus, prope Edenburgum. Liffius, fluv. Hiberniæ, alluit Kildariam Episc. sedem & Dublinum. Logia, ejusdem regni fluvius. Loxa, fluv. Scotiæ, cujus aqua semper tepet. Monmoy, fluvius Hibern. Neorus similiter, Suiri & Birgi soror. Nessus, Scotiæ fl. semper tepens. Sabrina *the Severen*, fluv. Angl. qui è monte *Plinlimon*, in Comit. Montgomerio ortus, Oceanum, ad castrum *Darley* munitum valdè ingreditur. Senneus vulgo *Shennin*, fl. Hibern. Suirus, similiter, Neori & Birgi soror. Tamesis, fluv. Angliæ celeberrimus, nomen ad Oxoniam, à confluxu Tamæ & Isis, meritus, ad ins. Scheppey, in mare effluit. Taus, totius Scotiæ maximus, illam in Australem seu *cis Taum* & Borealem seu *trans Taum* dividit. Tvvedus, Angliæ extremus ad Scotiam & limitaneus fluv. infrà *Werke*, Greyorum castellum, Tilli auctus, in ostii ripa ultimum Angliæ & munitissimum oppidum Barvicum habet. Vaga, ex eodem cum Sabrinâ monte natus, in idem æstuarium quoque se recipit &c. De Rennio, Tivio, Tobio, VVithama, qui Lincolniam præterlabitur, V. Camdenum *descr. Angl. in primis Walliæ*. *ζ. Galliæ fluvii.* Ailia *Oyse*, Sequanâ recipitur. Araris, in Rhodanum exit. Atax, ante Rhodanum in mare Medit. devolvitur: hunc cum Garumna conjungere statuit Sereniss. Galliæ Rex, vulgò *l'Aude*. Axona *Aine*, Sequanam auget. Carus *Cher*, Ligeri recipitur. Crausia *la Creuse*, similiter. Duranius, *la Dordogne*, ad oppidum Burgum in Garumnam sese exonerat. Durenis Rhodanum auget. Elaver *Allier*, Ligeri accedit. Garumna, *la Garonne*, in montibus Auræ, non procul ab urbe *Gadalup*, ortus, in mare evolvitur ostio ingenti, inter Solacium & Sojanum, in litore Santonico. Unus est è 3. maximis Gall. fluviis. Inger *l'Indre*, Ligeri recipitur. Isarus, accedit Rhodano. Ligeris *la Loire*, apud Velaunos in D. Eulaliæ parœcia ortus, in Oceanum evolvitur, juxta emporium Nannetes: auctus Elavere, Caro, Crausiâ, Ingere, Meduanâ, Vigennâ &c. Lotius *le Lot*, aliis *Olindus* seu *Oldus*, ante Duranium, Garumnam ingreditur, ad Aiguillonium. Matrona *Marne*, Sequanam auget. Meduana, *Majenne*, Ligeri excipitur. Rhodanus *le Rosne*, unus ex tribus maximis Galliæ fluviis, ortus in jugo Sempronio *Monsampron*, Penninarum Alpium celsissimo, haud procul à fontibus Arolæ, Rheni & Ticini, ad pagum *Neuville*, miscetur Lacui Lemano, & Galliam summâ vi interluens, tribus ostiis in mare se demittit. Sequana *la Seine*, prope oppidulum *Chanceaux*, in silva Belsaya in Burgundiæ Duc. diœcesi Heduensi scaturiens, egreditur in mare Britannicum, alveo 10. m. p. patente, inter Harflutum & Honflutum. Recipit Matronam, Axonam, Ailiam &c. Amplissimus est fluvius. Vigenna *la Vienne*, Ligerim auget &c. *η. Fluvii Hispaniæ.* Anas *Rio Guadiana*, ortum trahens in agro Laminitano, ad Palatium regium *Palacio del Rey* terrâ se condit, & post 20. minuta ad Metallinam *Metelin* iterum erumpit. Arago, Jaccam præterluens, Iberum auget. Atagus Pompejopolim alluit & similiter Ibero excipitur. Avia, in Minium fluens, partem limitum regni Portugalliæ constituit. Bætis *Guadalquivir*, ex monte Orospeda ortus, in Oceanum evolvitur ad *S. Lucar*, recepto Singuli infra Cordubam. Durius *Duero*, oritur in Pelendonibus ex monte Idubeda, & ad portum in mare demittitur *Port à Port*. Iberus *Ebro*, ortus apud Cantabros prope *Aquilar del Campo*, in mare Medit. descendit duobus ostiis, quæ insulam Alphaciam formant. Minius *Rio Minho*, è Vidunis Asturiæ jugis delabens, fluvio Aviâ recepto, limitum regni Portugalliæ partem explet. Salo, Ibero accedit. Sicoris, Leridam præterlabens, similiter Ibero excipitur. Singulis *Xenil*, infra Cordubam Bætin auget. Tagus *Rio Tejo*, in altissimis Orospedæ jugis ortus, infra Lisbonam, inter Prom. Magnum & Barbarum, egreditur: Recipit fluvios *Henares*, prope Complutum & *Manzanares*, qui Madritum alluit &c. *θ. Italiæ majores fluvii.* Arnus, non longè a Tiberi ortus, Florentiâ Pisisque visis, in mare abit. Athesis *Adese*, post Padum totius Italiæ maximus, ortus ex Alpibus, Garciæ postea jungitur, & Veronæ primùm navigari cœptus, in mare effluit ad P. *Fossa*. Padus *Po*, in finibus Marchion. Salutiarum ortus, infra Ferrariam Mare Adriaticum ingreditur, in alveos ductus. Flumina & lacus ultra 30. recipit, estque totius Italiæ maximus. Tiberis fluv. *Tevere*, nascitur in Apenninis finibus Aretinorum, prope fontes Arni; junctusque Palliæ ac restagnantibus aquis Clusinæ paludis seu Glanii amnis Arno committitur: Romam festinans 42. amniculos

culos in decursu recipit, in Hetruscum mare duobus ostiis, prope Ostiam, sese exonerans, &c. 2. *Hungariæ fluvii.* Arabo *Raab*, urbem cogn. alluens, unà cum Danubio ins. *Schut* constituit. Danubius, Presburgum, Comorram, Budam &c. alluit, V. supra. Dravus, ex Alpibus Noricis manans, ad locum accolis *Toblium* dictum, in Rasciâ Danubio miscetur. Granus *Gran*, cui adjacet urbs *Neusol*, ad ostium suum in opposito littore Danubii Strigonium urbem habet, *Gran* quoque dictam. Savus, ex Alpibus Carnicis oritur, ad Belgradum Danubio jungendus. Tibiscus *Tyssa*, in Carpathiis natus jugis, haud procul a Savi ostio, Danubio similiter accedit. Vaga *die Wage*, ad Guttam in Danubium evolvitur &c. Quibus adde Alutam & Mariscum *Maros*, Transylvaniæ fluvios, qui ambo in Carpathiis montibus orti, hic in Tibisco ad Segedinum: ille in Danubio supra Nicopolim desinit. 3. *Sarmatiæ fluvii.* Borysthenes, è lacubus Russiæ natus, recepto supra Kioviam Pripeto, in Pontum se exonerat Euxinum. Melle & lacte fluere vulgò dicitur. Cronius, Lithuanis *Niemien*, Germ. *Memel*, in Ducatu Sluskensi ortus, mare Balthicum ingreditur, per lacum Curionensem. Tanais, Russis *Don*, ortus è lacu Russiæ *Juvanowo jezioro*, egreditur in paludem Mæotidem duobus ostiis, ad quæ Tana nobile emporium. Eum cum Volga conjungere frustra tentavit Chamus Tartarorum, perfecit tandem Sachainbeterus Camouz, à quo *Fossa Camouz* nomen habet. Vistula *VVeixel*, oritur in montibus, qui Hungariam à Polonia dividunt, & per Poloniam progressus, in Prussia, prope Dantiscum, Emporium nobilissimum, per sinum Aquæ Dulcis *das frische Haff*, labitur in mare Balticum &c. Helvetiæ fluvios Rhætiæque V. in vocibus *Arola, Lacus, Limagus, Rhenus, Rusa* &c.

II. Asia.

Agradatus, fl. Persiæ, hodie *Jendri*. Anames, fl. Persiæ, nunc *Tissindo*. Andanes, ejusdem regni fluvius, qui hodie *Bassiri* nuncupatur. Araxes, Persiæ item fl. nunc *Bendimir*. Croceus, è maximis Sinici regni fluviis, à turbido colore luteo nomen habet. Cyrus, Persiæ fl. hodie *Tas*. Dirideres, ejusdem regni fl. *Tiriti* nunc. Euleus similiter, hodie *Siri*. Euphrates, in Armenia maj. ortus, Tigri ad Seleuciam miscetur: qui ambo dein divisi Mesopotamiam velut mediam comprehendunt, & in sinum Persicum evolvuntur. Unus ex 4. Paradisi fluviis fuit, *Phrat* seu *Frat*, in lingua Orig. dictus. Ganges, unus è maximis terræ fluviis, Indiam distinguit in duas partes, & in sinum regni Bengalæ, qui olim *Sinus Gangetici* nomen tulit, se demittit. Fluvios navigabiles recipit magno numero, & ab accolis sanctus habetur. Hydaspes, fluv. Indiæ in regno M. Mogolis, ad Nysam urbem Indo recipitur. Hypasis, ejusdem regni fluv. olim terminus expeditionis Alexandri M. Hydaspi jungitur. Jaxartes, in mare Caspium defluit. Jeniscea, fluvius ingens, mari Glaciali accedit, similis cum Nilo naturæ. Indus, fluvius Indiæ, unde huic nomen, olim *Sindo*, nunc *Pang-ab* Persis atque Mogolensibus, 5. alveis in mare Indicum devolvitur. Fluvios recipit, præter alios Hydaspim & Hypasin. Jordanes, fluv. nobilis Palæstinæ, ortus in loco primùm *Dan*, dein *Panium* dicto, in quo & Cæsarea Philippi postmodum condita fuit: Per lacum Samochonitidem & mare Tiberiadis fluens, in lacum Aspalthiten egreditur. Kiangus seu Yangiukiangus, h. e. *Filius maris*, Sinicum regnum dividit in partem Australem & Septentrionalem. Naharmalca hodiè dicitur, qui in Sacris *Pishon*, unus ex quatuor Paradisi fluviis, Chavilam, ad Sinum Persicum sitam, hodieque *Chelfa* dictam, rigat. Similiter *Naharsares* hodie, Arabiam alluens, *Gihon* videtur fuisse, ex iisdem fluv. unus: statuitque V.D. ambos hos fluv. Euphratis ac Tigridis alveos esse, in quos, antequam Oceanum subeunt, scindantur. Oxus, in Caspium mare effunditur. Sabbatius seu Sabbaticus, fluv. Syriæ, qui sex diebus fluit, septimo quiescit, teste Josepho *de bello Jud. lib. 7. cap.* 24. confer Plinium *lib. 31. cap.* 2. Idem confirmat Athan. Kircherus, ocularis testis Dominici Magrii fide *Mund. Subterr. lib. 5. sect. 4. cap.* 4. ubi in vicinis huic fluvio locis subterraneis tantum aquæ cogi posse, quæ fluvio in sex dies sufficiat, septimo autem deficiens eodem & fluvium privet, opinatur. Tigris, Asiæ ingens fluvius, in Armenia majori, sicut & Euphrates ortus, huic ad Seleuciam jungitur: qui ambo dein in diversum abeuntes Mesopotamiam intercipiunt, & in sinum Persicum exeunt. Videtur *Chidekel* esse, in Sacris literis, inter 4. Paradisi fluvios, memoratus. Namque & Assyriam alluit, & accolis ante hac Arabibusque hodienum *Diglito* seu *Diglath* dicitur, quod nomen ad *Chidekel* prope accedit &c.

III. Africa.

Cuama, fluv. Africæ, cum Zeila versùs Orientem manat. Niger, fluvius Nilo non minor, similis cum eo naturæ est, eodemque quo Nilus tempore, adjacentes regiones inundat. Regiones Guangaram, Zanfaram, Cassenam, Tombutum, Mellum &c. perluens, ad Prom. Viride egreditur. Nilus, Æthiopibus hodiè *Abavi*, celeberrimus Orbis fluvius, in prov. *Agaos*, regno Goiam vicina, in terra *Sagela*, è duobus fontibus, in apice montis, scaturiens, postquam Æthiopiam & Ægyptum interluit, septem ostiis in mare abit Mediterraneum. Sunt autem ista: *Canopicum* seu Heracleoticum & Agathodæmon fl. *Bolbitinum* & Taly fl. *Sebenniticum* & Pharmutiacus fl. *Mendesium, Patmeticum* & Busiriticus fl. *Taniticum, & Pelusiacum*. Quibus accuratiores Tabb. addunt ostium Peneptimum, tanquam Pseudostoma, & Diolcos Pseudostoma. Zairus, vulgò *Zaire*, versùs Occidentem manat, fluvius ingens. Zeila, in Orientem, sicut & Cuama, tendit.

IV. America.

Amazonum fl. *Rio de las Amazonas*, ex Andibus ortus, ostio 70. mill. inter Gujanam & Brasiliam, in Mare *del Nort*, se exonerat. Januarius *Rio de la Plata*, ex iisdem montibus cum priore ortus, in idem mare, supra Brasiliam, evolvitur. Maranonius fl. *Maragnon*, similiter ex Andibus ortum trahens, in Brasilia, in idem cum prioribus mare egreditur. S. Marthæ fl. ex eadem Americæ parte, in sinum Mexicanum se effundit. His addi possent & alii minores, quales *de Suyd-Revier*, *de groote Esopus*, *de kleine Esopus*, Rodenbergs *Revier*, *de Versche Revier* in novo Belgio &c. à Belgis sic appellati. Sed quoniam eorum cognitio in Europa minoris est usus, recensendis iis Auctor supersedere voluit. Reliquorum verò hic memoratorum totius Geocosmi fluviorum pleniorem Historiam qui desiderat, adeat ipsum *Lexic. univ.* & præfatum, è quo hæc fluviorum series depromta est, Auctorem, *cap. 3. de Hydrographia.*

Flustra, pro *fluctibus*, vox nota ex Festo & Tertulliano. Eadem sæpius utitur Aldhelmus Occident. Anglo-Saxonum Episcopus *lib. de virgin. cap.* 14. *Nec non etiam ferventia flustra & spumantis cataclysmi sociæ*, cœruleæ maris undæ, cùm propriis egrederentur terminos. Et *cap.* 17. Siquidem ligatis lacertis & connexis surarum artubus in profunda pelagi flustra demersos, sed Angelico fultos suffragio, effera fluctuum ferocitas contingere non audens, illæsos littoribus restituit. Idem in *Carm.*

Tunc omnes pariter glomerantes ordine [illegible]
Contra flustra *senem sistebant turgida [illegible].*

Alibi,

Merserat in pontum fretus virtute [illegible],
Algida sed vitreis miscebant æquora flustris &c.

V. Salmasium *ad Tertullianum de Pallio* & Joh. Frid. Gronovium *Observ. ad Script. Eccles. cap.* 4.

Fluta, V. suprà in voce *Exormiston*.

Fluvius, V. suprà *Flumen*.

FO.

FO. in notis antiqq. *Forum*. FOR. *fortè*, vel *fortis*, vel *forte* vel *Fortuna*, notat &c.

Focale, lemma *Epigrammatis* 42. *lib.* 14. Martialis,

Si recitaturus dedero tibi fortè libellum,
Hoc focale tuas asseras auriculas.

A *faucibus* dictum, quoniam involucrum est adversus cœli inclementiam. Eodem utebantur olim Poëtæ recitaturi, ne raucescerent. Idem Poëta *lib.* 4. *Epigr.* 40. in malè recitantem,

Quid recitaturus circundas vellera collo?
Conveniunt nostris auribus illa magis.

In quo utroque *Epigrammate*, aures potiùs lectoris & auditorum obstruendas esse *focalibus* jocatur Poëta, ne pessimos versus audiant, quam collum ac fauces eorum, qui recitent. Origo ab ægris, qui hinc *Focalati*, ut & *palliolati*, Senecæ dicti, palliolo, i. pileo caput, & *focali* fauces tectas involutasque habebant, uti docet Salmasius *ad Solinum pag.* 1289. Quod propriè *focillare* dictum est, ægras viz. fauces lanâ apposita fovere, Casaubonus *ad Suetonium Aug. cap.* 17. vel *focalibus* è fasciis laneis munire, uti habet Screvelius *ad Martialem d. l.* Hodie elegantiores *focalia* habent è subtiliore tela in densas plicas corrugata, quorum imago fuit in subuculis vel interioribus Vett. tunicis, circa collum fimbriatis, uti idem Casaubonus docet, ex Lycophrone, ubi indumentum illud, quo usa est Clytemnestra in tollendo Agamemnone, describens, *[illegible]* in eo memorat, i. *suturas cirratas*. Cirros verò fuisse, fimbrias in nodum coactas & contortas, cum extantibus ac dependentibus villis, diximus suprà.

Focaris Lapis, vox infimæ Latinitatis, est [illegible], lapis igniarius, *pyrites* Plinio *lib.* 36. *cap.* 19. *Pyritarum etiamnum aliqui genus unum faciunt, plurimum habens ignis, quos vivos appellamus. Hi exploratoribus castrorum maximè necessarii, qui clavo vel altero lapide percussi, ignem edunt, qua excepta sulphuratis aut fungis aridis vel foliis dicto citiùs ignem præbent.* Isidoro *pyrites vulgaris*, quem vulgò *focarem* dici addit. *Igniferum saxum* Apuleio &c. Sed alium propriè esse [illegible], Galenus monet, quum desit pyrites, [illegible] substituendum præcipiens: [illegible]. Pyrites namque est, qui vulgò *marcasita* dicitur, & venam æris habet, aliquando etiam argenti, admixtam. At [illegible] lapis *ignifer*, vel igniarius, quo ad ferrum attrito vulgò utimur ad ignem excutiendum, è silicum est genere. Incertus Auctor *de Lapidibus final. Lapis albus filicinus, si penalbus fuerit, Galactites nuncupatur: si mixtam venam habuerit, ignifer nomen habet.* Et notum illud,

[illegible] &c.

[illegible]

V. Salmasium *ad Solinum pag.* 717. 1143. & infrà ubi de re *Figularia*.

Focatius Panis Isidoro, qui Hieronymo *Subcinericius*, Græcis ἐγκρυφίας & ἐγκαίαs, Hebr. עוגה *ugga*, vel עגה, *uoga*, & mutatâ formâ מצות *maog*, panis est, in calido cinere coctus, inter panem vulgarem & placentam medius, quem Rhodi in usu fuisse, discimus ex Polluce, O' δὲ ἐγκρυφίας Ῥοδιακὸς, μιλιτόεις ἄρτος ὢν καλεῖται. Quò referendum, quòd in Onkelo Exodi *cap.* 16. *vers.* 31. manna sapuisse legitur, *ut ἐγκρυφίας in melle*. Nam ἐγκρυφίαν melle conditum fuisse, refert Lynceus Samius, apud Athenæum, *lib.* 3. & tantæ suavitatis, ut eo vescentes vix satiarentur & inter edendum semper esurirent, ut inter bibendum ebrii semper sitiunt. Ita cocti panis meminit Scriptura passim, Genes. *cap.* 18. *vers.* 6. Exodi *cap.* 12. *vers.* 39. inprimis 1. Regum *cap.* 19. *versu* 6. ubi de pane à corvo Eliæ allato; Oseæ *cap.* 7. *v.* 8. ubi Ephraimitæ (qui gentibus ita se commiscuerant, ut Judaicam religionem, quam in specie profitebantur, profanis Gentilium superstitionibus polluerent) cum ejusmodi pane, *qui inter coquendum non fuit versus*, conferuntur, & Ezech *cap.* 4. *v.* 12. quo Deus jubet, ut Propheta panem, pro carbonibus, humano stercore coctum comedat, quo miseros quandoque homines, ligni loco, uti notum; ut Erasmus in Prov. *Bolitiponam* de bubulo stercore in Frisia ad eundem usum adhiberi solito, testatur. V. Sam. Bochartum *Hierozoici part. prior. lib.* II. *cap.* 33.

Focus, Servio à *fovendo* dictus est *quidquid fovet ignem, sive ara sit, sive quicquid aliud, in quo ignis fovetur*. Peculiariter vox sumitur pro ara Diis domesticis, quos *Penates Laresque* olim dixerunt, sacra. Unde Plautus *Aulul. Act.* 2. *Sc.* 5.

Hæc imponentur in Focum *nostro Lari,*
Ut fortunatas facias gnatæ nuptias.

Arnobio *Genius Focorum* Lar dicitur, *lib.* 4. *adv. Gent.* Ideoque *Lares nigros* vocavit Prudentius *lib.* 1. *c. Symm.* & in veteri denario gentis Cæsiæ, Laribus Vulcanus superponitur. Servius etiam Tullius apud Dionysium Halicarn. *lib.* 4. Laris familiaris filius creditus, quòd ejus mater conceperit in *Foco*: in cujus rei memoriam Compitalia Laribus & ludos idem instituit. His, venerationis gratiâ, ignis accendebatur, annotante Capitolino *in Pertinace*: *Et cùm apud Lares sacrificaret, carbones vivacissimi extincti sunt, cùm inflammari soleant.* Hinc apud Italos vernacula vox *Focolare*, q. *Focus Laris*, & Sedulius *lib.* 1. *Carm.*

Hic latices colit, ille Larem: sed jungere sacris
Non audent inimica suis, ne lite propinquâ
Aut rogus extinguat non magnas fortior undas,
Aut validis tenues moriantur fontibus ignes.

Foci quoque coronari dicti, quum Lares coronabantur, quòd horum sedes apud Focum essent. Tibullus *lib.* 1. *Eleg.* 2.

Num feror incestus sedes adiisse Deorum,
Sertaque de sanctis diripuisse focis.

Sic Ovidius celebrans diem natalem uxoris, *coronâ* dicitur *velare focos*, *Trist. libro* 5. Imò disertim in foco Lares collocat Euclio ille Plautinus *in Aulularia*, ut vidimus: V. quoque Car. Paschalium *Coronar. lib.* 4. *c.* 3. *Focus* verò ex laterculis crudis antiquitus constabat: unde ejus Genius *Laterani* quoque nomine adauctus est, teste Arnobio suprà laudato: eratque in atrio, non procul à janua, in quo ignem ardentem servare Janitorum erat. Quare apud Petronium Lares argentei Trimalcionis, in ædicula, inter januam & atrium, locati leguntur. Arnobius in Coquinis fuisse indicat *advers. Gentes lib.* 4. *Et quid quæso, ut facias præsidatum, Focorum iste Deus fortitus est? Per humani generis coquinas currit, inspiciens & explorans, quibusdam lignorum generibus ardor in focnlis excitetur.* Eum luculentum, pro officio habebant Vett. Statius *Achilleid. lib.* 1. *vers.* 120.

— *properataque dapes, largoque fervat*
Igne domum —

Unde *focus pervigil*, inter pauperiorum quoque præcipua vota, Idem *lib.* 4. *Sylv.* 5. *v.* 13.

Nos parva tellus, pervigil & focus,
Culmenque, multo lumine sordidum
Solantur &c.

Porro corona in *Focum* addebatur, teste Catone *de R. R. cap.* 43. quæ ex lana fuit. Ovidius *Fastorum lib.* 3.

Decidit ante sacros lanea vitta focos.

Et Propertius *lib.* 4. *Eleg.* 6.

Costum molle date & blandi mihi thuris honores,
Terque, Focum *circa laneus orbis eat.*

Qui ambo hanc coronam indigitantes, ostendere voluerunt, lanam, ut ex Plinio notum, familiare maximè indumentum subministrare, & ob id Laribus eam convenire maximè. Usus ejus in expiatoriis & Magicis sacris inprimis, ut ex *Pharmaceutria* Virgilii palàm est:

Affer aquam & molli cinge hæc altaria vitta &c.

Et circa eum pueri circumferebantur per obstetrices vel ministras currentes, quinto à nativitate die, quod festum Ἀμφιδρόμια hinc & per metathesin Δρομιάμφια, appellavere Græci, V. Suidam in voce Ἀμφιδρόμια ad quem tamen locum, *focum* illum nil, nisi aras Deorum hostiis calentes, fuisse, notat Thom. Bartholin. *de Puerperio Vett.* Græcis Ἑστία, de qua voce V. in *Vesta*, nam & hanc esse inter Deos Penates, ab Ænea in Italiam delatos, creditum olim. Ut & hoc addam, hodie *focis* substernimus lapides, quos Græci πυρομάχους & πυρίτας, dixere, quòd in igne non dissiliant, neque frangantur nec crepitent, Lat. *Molares*, de quibus V. infrà, ut & Salmasium *ad Solinum pag.* 717. A' *Foco*, dicti *Focarii* servi, quorum meminit Ulpianus *l.* 1. §. 5. *ff. Naut. Caup. Stabul.* ubi eos Atriariis jungit: & *Focariæ*, mulieres culinæ adscriptæ, quarum mentio apud eundem *l.* 12. §. *eod.* Pomponium item & Paulum. Sunt tamen, qui *Focarias* concubinas interpretentur, occasione loci Varronis *de R. R lib.* 2. *cap.* 10. cùm ait, *Sed eas esse mulieres oportet firmas, non turpes, quæ in opere, ut in multis regionibus, non cedant viris: ut in Illyrico passim videre licet, quòd vel pascere pecus, vel ad* focum *afferre ligna ac cibum coquere vel ad casas instrumentum servare possunt.* V. Pignorium *de Servis*. A' *Foco*, quoque nota phrasis, *pro aris & focis pugnare*, orta est: in quæ verba milites Romanos jurare solitos fuisse, docet Turnebus *Advers. lib.* 10. *cap.* 7. Angli dicunt, *for God and our Country*. Apud Recentiores indidem *Foagium* seu *Focagium*, census est, qui exigitur à domino feudali pro singulis *focis* seu domibus subditorum ac tenentium suorum: καπνικὸν, Scriptoribus Byzantinis, Theophani, Cedreno & Scylitzæ, Zonaræ, aliis; Gall. *Fouage*, V. C. du Fresne *Glossario*, ubi, cùm in Normanniæ Ducatu inprimis obtinuerit, singulisque triennis à populo exsolvi solitum fuerit, pluribus & accuratè de hoc tributi genere agit. Sed & *Focos* appellatas esse aras, Inferis Numinibus consecratas, Servius ait, *ad Ecl.* 5. *Varro Diis Superis altaria, terrestribus aras, Inferis* focos *dicari affirmat.* Unde Statius *Thebaid. lib.* 4. *v.* 457.

Tres Hecatæ, totidemque satis Acheronte nefasto
Virginibus jubet esse focos —

Idem tamen aliter *ad Æn.* 3. *Focorum commemoratione instantium sacrificiorum mentio injicitur, quòd ita esse multis locis docetur. Quidam aras, superorum Deorum voluere esse; Medioximorum, id est, Marinorum,* focos; *Inferorum verò tumulos*; ad quæ verba V. Casp. Barthium *Animadv. ad Papinium Statium d. l.*

Foderatus, recentioris ævi Scriptoribus, de vestibus dicitur, quæ pellibus onerantur ac suffulciuntur, Gall. *fourr. é*, an à Succo-Germanico *foder*, ut vult Loccenius: an à *fodero* seu *fodro*; quòd qui ad *fodrum* seu pabulationem proficiscebantur, inde redibant rebus omnibus abundè instructi ac onerati, beneque *foderati* esse dicebantur? Est autem *Fodrum*, citimæ ætatis vox, notatque annonam militarem, ut habetur in *Vita* Ludovici Pii A. C. 796. seu, quæ præbebantur ad victum militum vel equorum, ut stramentum & palea, cui inde apud Gallos *Feurre* appellatio mansit: ex Germ. *futter*, h. e. pabulum equorum &c. V. Car. du Fresne *Glossar.* Unde *Foderarii*, Gallis *Fourriers*, qui ad *fodrum* exigendum vel tollendum pergunt. Idem Salmasius *Foderarios*, eosdem facit cum Hospitiorum Mareschallis, Vett. que mensoribus, quorum officium ac munus fuit, Principi ac Comitibus ejus & militibus hospitia præparare ac metari & singulis quibusque domos deputare & manu propriâ enotare, postibusque hospitaturi nomen adscribere, *Not. ad Lampridium in Alexandro Severo.*

Fodere oculos digitis, extrema defensio, ut patet ex non uno Plauti loco. Suetonius *Domitiano* §. 17. *Puer, qui interfuit cædi, hoc amplius narrabat, deducto ad terram Stephano colluctatum diu, modo ferrum extorquere, modò quanquam laniatis digitis oculos fodere conatum.* Sed & *oculum digito eruere*, in rixa, ira, jurgis, frequentissimum fuisse suo ævo, docet Martialis passim. Idem injustis Judicibus fecisse Alexandrum Severum, apud Lampridium legas, V. infrà ubi de *Oculis*. A' verbo *fodere* dictæ

Fodinæ, sunt ex partibus Continentis, à Natura ipsa formatis, ut è gremio suo metalla, mineralia, aliaque in humani generis usum, quotidianâ fœtificatione effundant. Auctor Anonymus *Hist. Orb. Terr. Geogr. cap.* 7. Cujusmodi *Fodinæ* omnium metallorum, cùm innumeræ sint in Imperio Sinico, eæque oppidò divites & copiosæ, aurum tamen & argentum ne eruatur, lege patriâ cautum est, eò quòd noxiis existiment terræ exhalantibus vaporibus in mineris passim interire homines, quorum vitam pluris, quàm metalla hæc (propter quæ Europæi & terrarum viscera scrutamur evacuamusque, & terræ superficiem hominibus) à Principibus æstimari, par est, Auctor Anon. *Sinæ & Eur. cap.* 30. Certè, custodes illi *fodinarum*, dæmonia crebrò laborantium oculis obversantia, quod divitis venæ indicium fossores habent, quid aliud quàm emissarii sunt principis inferorum, qui *sacram* hanc *auri famem* mortalium dum sistere se velle simulant, immensùm augent, hominibusque vel tantillum pietati assuetis meritò scrupulum injiciunt, terræ matris viscera Neroniano planè ausu pertentandi. Eorum gratiâ quòd execrationibus & sibilis sit abstinendum, nil movet, cùm nota sint illius ludibria, qui *feriam maximè* <u>(?)</u>, hominem viz. uti eum vocare solitus est Zoroaster, ludos facere pro lege habet, V. suprà ubi de his *Dæmonibus*. De terminis verò Artis hujus technicis, dicemus aliquid infrà ubi de *Metallis*.

Indicem Fodinarum Varenius hunc exhibet,

Æris, inter alia, fodina inſignis eſſe ſcribitur in Inſula Sumatra.

Argenti celeberrimæ ſunt in Angola fodinæ: Item in China, Chili, Cuba, Germania, Hiſpaniola, Japania, Java, Monomotapa, in Perſiæ montanis, Peruvia, Philippinis Inſul. Suecia &c. quibus etiam addere potes montes Siamenſes, ut & Sumatram inſ.

Auri ferax eſt Angola, Arabia, Guinea, littus Belgis *de Goud-kuſte*, Hiſpaniola, Java, Monomotapa, Peruvia inprimis & Caſtella aurea, ut & Philippinæ inſ. Circa Quito urbem Peruviæ fodinæ plus auri quam terræ largiri dicûtur: Similiter montes Siamenſes ac inſ. Sumatra aurifodinas largas poſſident.

Cupri multum in Cuba, Hiſpaniola & Java reperitur: Nullibi autem feracior cuprifodina hactenus innotuit; quàm quâ Suecia celebris eſt; in vaſto monte unius circiter milliaris, quem *den Kopperberg* incolæ vocant. Nec Germania hujus metalli parca eſt mater.

Ferrifodinas reperias in Cuba, Hiſpaniola, Java, Madagaſcaria inprimis: Item in Philippinis, Suecia, Sumatra &c.

Gemmeæ fodinæ illuſtrant Ceilanum inſulam, Congi regnum, ut & Golcondæ, ubi plurimi adamantes: Gujanam, inſ. S. Mariæ, &c. circa *Portovejo* ſmaragdinæ ſunt, in Peruvia &c. quibus adde regionem Chili. V. *infrà.*

Marmorea fodina ingens, in regno eſt Congi, imò tota illa terra ſubtus creditur eſſe marmorea.

Plumbi ferax Germania eſt.

Salisfodinæ nobiles, in Africa, ubi ex ſpecuum ſalinis, velut marmor candidi, rubei & cinericii coloris effoditur: in Aſia min. ad mare Caſpium, non procul à Volga fl. ubi inſ. Koſtovvata; Hinc Ruſſi illud per totam Ruſſiam devehunt: in Cuba mons ſalſus eſt: in Hiſpania in regno Muſſilipatano Indiæ Coromandeliæ, ad urbem Baganaga: Ormuſia inſ. tota nil niſi ſal eſt: in Perſiæ monte *Kiliſſim*: in Peruvia, 18. mill. ab urbe Lima: in Polonia, ad Pochniam 4. mill. à Cracovia: in Tirolenſi Comit. Germaniæ, in Tranſſylvania &c. Quibus adjice nobilia Burgundiæ Comitatenſis ſalis promptuaria.

Stanni fodinæ in inſ. Madagaſcaria non incelebres ſunt: Sic in montibus Siamenſibus, præter aurum & argentum, non parum ſtanni provenire dicitur. Ut taceam antimonii, vitrioli aliorumque mineralium fodinas, quibus Germania, Pedemontium &c. ſcatent. Argenti fodinas in inſ. Chili incolæ demoliti ſunt, ut & auri atque gemmarum. Nec Arabia auri tam ferax ac olim; & in regno quoq; Golconda gemmifera fodina in uſu non amplius eſſe perhibetur.

Feciales, à *fœdere faciendo* dicti, aliàs *Fidei Flamines*, cùm fœdus *fides* antiquis appellatum ſit, ut ex Ennio & Pighio *Septim.* 4. diximus, Sacerdotes erant apud Romanos, qui bellum denuntiabant, pacemque proclamabant, à Numa Pompilio primitus inſtituti, Pomp. Lætus *de Sacerd.* Horum officium erat Romanis injuſtum omne bellum diſſuadere; quibus ſi illata eſſet aliunde injuria, ad illam gentem Legati ibant, petitum, ut Romanis ſatisfieret. Quòd ſi verò illi triginta dies obſtinati manſiſſent, emiſſa in hoſticum ſagittâ bellum denuntiabant clarâ voce, unde *Clarigatio* dicta. Alii illos ariete in hoſtilem terram dimiſſo idem ſignificaſſe ajunt, unde Prov. *Arietem dimiſit.* Denotabat autem hic aries, agrum, quem hoſtes nunc poſſiderent, brevi Romanorum gregibus armentiſque in paſcua ceſſurum. Tum Imperatore exercitus Rom. deſignato jurante, ſe officio fortiter fideliterque functurum, illi ſacrificio Diis oblato, horum ab ejus capite iram avertere conabantur. Præcipuus illorum *Pater-patratus* dicebatur, id eſt, perfectus Pater, ut qui non ſolùm ipſe jam Pater eſſet ſuæ prolis, ſed adhuc ſuum in vivis patrem haberet. V. Dionyſ. Halicarn. *lib.* 2. Servium *Æneid. lib.* 2. Eraſmum *Adag.* &c. ut & ſuprà in voce *Fetiales.*

Fœcunditas, inter Numina Romanorum, teſte Tacito *Annal. lib.* 15. ubi ob natam Neroni filiam templum *Fœcunditati* decretum memorat. Eidem nummos cuſos, docet Bartholinus *de Puerperio vett.* Simile quid ara fuit, in Treveris, cui inſcriptum:

OB AGRIPPINÆ
PVERPERIVM.

Indigitata Suetonio *Caligulâ cap.* 8. V. ſuprà ubi de Gentil. *Diis.*

Fœderatæ Civitates, vocabantur olim, quæ neque Coloniæ, neque Municipia, neque Præfecturæ eſſent, interim ex fœdere Populo Rom. aliquid deberent. Hæ in cæteris liberæ ſuam Remp. ſuas leges & ſuos Magiſtratus habebant: Itaq; Senatus Populique in iis oppidis, ut in liberis civitatibus, memoriam uſurpari videmus. Caruere autem jure civitatis Romanæ, unde ex *Fœderatis* civitatibus multos nominatim civitate donatos legimus. Cœterum harum aliquanto uberior, quàm aliorum oppidorum, in Imperio Romano, numerus extitit: ſiquidem omnia Italiæ oppida præter prædicta, in hunc centum venere, Joh. Roſinus *Antiqq. Rom. lib.* 10. *cap.* 22. At.

Fœderati, in Novella Valentiniani *de Reddito jure arm. Magiſter militum Sigisvultus tam militum, quàm* fœderatorum, *cuſtodiam urbibus ac littoribus non deſinet ordinare*: Barbari ſunt, qui Romanis merebant, & Militibus, qui propriè Romani erant, contradiſtinguebantur; quorum meminere etiam Julianus Anteceſſor c. 187. Procopius *Vandalic. lib.* 1. *cap.* 11. & 19. & *Goth. lib.* 3. *cap.* 31. & 33. Harmenopulus *lib.* 4. *tit.* 12. Alii. Inprimis verò Gothi, qui à Conſtantino M. primùm conducti, id nominis ſortiti ſunt. Jornandes *de Rebus Get. de iis pag.* 102. *Qui fœdere inito cum Imperatore* 40. *ſuorum millia in ſolatia contra varias gentes obtulere, quorum & numerus & militia usq; in præſens in Republica nominantur, id eſt, Fœderati.* V. Suidam in voce *Φοιδερᾶτοι*, Sidonium *lib.* 1. *Ep.* 8. Olympiodorum apud Photium *pag.* 177. &c. His qui præerat, *Comes Fœderatorum* dictus eſt, de qua dignitate V. ſuo loco, ut & Car. du Freſne *Gloſſar.*

Fœdus, vel *à fide*, quod in fœdere interponatur fides, Feſt. vel, quod in eo *fœta* porca *fœdè* & crudeliter feriretur; vel à *Fœcialibus*, i. Sacerdotibus, per quos olim *Fœdera* fiebant, Gr. *σπονδὴ*, à libando, item *συνθήκη, συμμαχία*, appellatum, obligatio mutua eſt inter diverſas Reſpublicas, ad ferenda invicem certis conditionibus auxilia, Wendel. *Doctr. Pol. lib.* 2. *cap.* 27. Percuſſerunt v. *Fœdus* Romani, teſte Livio, in hiſtoria Tulli Hoſtilii, *lib.* 1. hoc modo: *Fetialis Regem Tullum rogavit, Jubesne me Rex cum Patre patrato Populi Albani fœdus ferire? Jubente Rege: Sagmina, inquit, te Rex poſco. Rex ait, pura tollito: Fetialis ex arce graminis herbam puram attulit, poſtea Regem ita rogavit: Rex facis ne me tu Regium nuntium Populi Rom. Quiritium? vaſa comitesq; meos? Rex reſpondit: Quod ſine fraude mea Populiq; Romani Quiritium fiat, facio. Fetialis erat M. Valerius, is Patrempatratum Sp. Furium fecit, verbenâ caput capilloſq; tangens (Paterpatratus ad jusjurandum patrandum, id eſt, ſanciendum fit) fœdus, multisq; id verbis, quæ longo effata carmine, non operæ eſt referre, peragit. Legibus deinde recitatis, audi, inquit, Jupiter, audi, audi Paterpatrate populi Albani, audi tu Populus Albanus, ut illa palàm prima poſtrema ex illis tabulis ceravè recitata ſunt, ſine dolo malo: utiq; ea hic hodie rectiſſimè intellecta ſunt illis legibus, populus Romanus prior non deficiat: ſi prior defecit publico conſilio, dolo malo, tu ille Dieſpiter Populum Rom. ſic ferito, ut ego hunc porcum hodie feriam, tantoq; magis ferito, quanto magis potes pollesq;. Ubi dixit, porcum ſaxo ſilice percuſſit.* Hæc vetuſtiſſimi apud Romanos *Fœderis* memoria eſt. Polybius, de *Fœdere*, inter Carthaginienſes & Romanos ſancito, loquens, Romanos ait in fœderibus faciendis, juraſſe Jovem lapidem, ac per Martem & Enyalium, hoc modo: *Fetialis ſumto in manus lapide, poſtquam de fœdere inter partes convenerat, hæc verba dixit: Si rectè ac ſine dolo malo hoc fœdus, atq; hoc jusjurandum facio, Dii mihi cuncta felicia præſtent: Sin aliter aut ago, aut cogito, cæteris omnibus ſalvis in propriis patriis, in propriis legibus, in propriis Laribus, in propriis templis, in propriis ſepulchris, ſolus ego peream, ut hic lapis è manibus meis decidet. Nec plura locutus, manu lapidem dejiciebat.* Feſtus verba hoc modo refert: *Si ſciens fallo, tum me Dieſpiter ſalva urbe arceq; bonis ejiciat, ut ego hunc lapidem.* Solebant autem *Fœdera* ſua Romani, ut & reliqua acta publica, in mappis linteisque libris, exarare. Unde Liv. *lib.* 4. *Prætermiſſa nomina Conſulum horum. Licin. Macer auctor eſt, & in fœdere Ardeatino & in linteis libris ad Monetæ inventos.* Similiter apud Græcos uſitatiſſimus fuit in *Fœderibus* ſanciendis ſacrificii ritus. mactabaturque plerumque porca fœta, ut ſuprà de Romanis viſum. Unde phraſis nata, *Ferire, icere, percutere fœdus.* Imò antiquiſſimum hunc ſacrificandi morem eſſe, ex Sacris diluçet, ubi *diſſectis per medium victimis, & dimidiata cujusq; parte è regione ſuæ alterius poſita*, partes, fœdus contrahentes, ſic pertranſiiſſe illas, innuitur Geneſ. c. 15. v. 10. Hinc Deus apud Jerem. c. 34. violatores fœderis ſecum initi ſic alloquitur: *verſu* 18. *Tradam homines iſtos qui non præſtiterunt verba fœderis, quod pepigerant coram me, quum tranſiverunt inter dimidiatas partes ejus vituli, quem diſſecuerant in duo &c. verſu* 20. *in manus inimicorum ipſorum.* Significabatur enim hac ceremonia, illos qui *Fœdus* hoc pacto feriiſſent, illo violato dignos eſſe, qui, quemadmodum victimæ hæ, ita & ipſi in partes diſſecarentur. Scythæ, Armenii & veteres Germani mutui ſanguinis hauſtu inierunt firmaruntque fœdera: Et Armenii quidem dextris manibus ſanguinem miſſum invicem ſorbuerunt; Germani verò veteres ſanguinem è ſectis frontibus manantem in poculis miſcentes biberunt. E brachio acinace ſanguinem elicuiſſe, eoque hauſto fidem Henrico Andio R. ſuo, Polonum quendam nobilem, teſtatum eſſe, præterito demum ſeculo, memorat *in Hiſt.* Thuanus. Frequentiora apud Vett. *Fœderis* ſymbola fuerunt ſal & panis, quorum uſu eoq; ſignificarunt, non minus neceſſaria eſſe vitæ humanæ fœdera, quam ſalis panisq; eſum. Hodie dextrarum porrectio & juramentum in fœderibus ſanciendis in uſu eſt, &c. V. Joh. Roſinum *Antiqq. Rom. paſſim.*

Fœmina, an à mollitie *fœminis* vel femoris, ut Scal. vult *L. L. cap.* 79. an a *fœtu*, quem ſe. concipit, parit, educat; aut pleniùs à *fœtu minando*, id eſt, ducendo dicta, non minus, ac melior ſexus, Deum auctorem habet, e coſta formata viri: adeoq; unà cum illo, ut imaginis divinæ, ſic ſummæ gloriæ, particeps eſt: *Ser vabitur enim,*

teſte

teste Apostolo 1.Tim. *cap.* 2. *vers. ult. liberos gignendo, si permanserit in fide ac charitate, & sanctificatione cum modestia.* Ubi primarium ejus in natura & conversatione humana officium indigitatur, prolem nempe concipere & conceptam fovere, de quo V. infra in voce *Puerperium*. Coeterum, post lapsum, illi *natura est infida, suspicax, inconstans, insidiosa, simulatrix, superstitiosa, cui si potentia adjuncta est, fit intolerabilis,* J.C. Scaliger *Poetices lib.3.cap.14.* De natalibus ejus, aliisque huc pertinentibus, diximus quædam suprà in voce *Filia*: reliqua habes in vocibus *Puella, Pallа, Sponsa, Uxor, Puerpera* &c. Hic operimenta ejus à capite ad calcem ex Antiquitate, utcunque eruemus: quibus sexui huic omnino opus, postquam nudata per lapsum justitiâ originali animâ, corpus nudum esse & pudor & externæ prohibuere injuriæ. Et quidem, caput *Fœmineum* quod attinet, ei tegimen quo operiatur congruere, Apostolus disertè tradit 1 Cor. *cap* 11. *versu* 6. *Si non operitur mulier, etiam tondeatur: quòd si turpe mulieri tonderi aut radi, veletur.* Proin Tertullianus *l. de cor. mil.c.*14. *humilitatis fœminea sarcinam*: Concilium Gangr. *subjectionis memoriam*: Chrysostomus in 1. Cor. 11. *signum muliebris subjectionis*, hoc tegmen vocant. Et semper id tulit gentium benè moratarum usus. Apud Hebræos enim, jam à gentis origine, velari aut contegi *Fœminarum* capita, ex usu fuisse, patet ex Geneseos *cap.*20. *v.*16. qui deinceps quoque tenuit. Unde iterum Tertull. *de cor. mil. cap.*4. *Apud Judæos tam solenne est fœminis velamen capitis, ut inde dignoscantur.* Idem apud alias quoque gentes in more positum fuit. Apuleius Græcæ mulieris caput mitella textili opertum repræsentat *Metam. lib.* 7. Romanas *Fœminas* velato capite processisse, sicut mares nudo ac aperto, testis est Plutarchus *cap.*14. *Rom.* Idque adstruunt exempla Liviæ, Marciæ, Faustinæ, quas nummi antiqui capite obducto repræsentant, addito lemmate: PUDICITIA. Poppæam quoque Sabinam, Neronis conjugem, nonnisi velatam, in publicum prodiisse, tradit Tacitus *Annal. lib.*13. Imò C. Sulpitii Galli uxorem à marito rejectam, quòd capite aperto foris versatam cognovisset, refert Valer. Maxim. *lib.*6. *c.*3. Insuper barbaris mulieribus perpetuum fuisse, capita tegere, Tertullianus auctor est *de vel. Virg. cap.* 17. & Arabicas mulieres, non caput modò habuisse tectum, sed & faciem suo quoque tempore, testatur Hieronymus *in Es. cap.* 4. Hinc apud Christianos, hujusmodi velamentum nubentibus esse jam olim adhibitum, discimus ex Ambrosio *de Virgin. lib.*3. &c. Velamentum autem capitis, *Fœmina* vel commune cum viris habebant; ut erat capitis tegmen, quod Neophyti in Baptismo acceptum per octiduum olim gestabant: vel peculiare, quod vel Natura ipsa suppeditavit, vel ars conficere docuit. Prius *coma* est ipsa, *quam mulieri pro velamine datam esse*, Apostolus *cap. suprà laudato vers.* 15. ait. Posterioris generis fuere varia, de quibus hic.

Operimenta Feminei capitis varia.

Calantica, Lytano *Cuffa*, Gallis *une Coiffe*, eadem cum *Mitra* fuisse eruditis videtur: de qua mox.

Caliendrum, in supellectile Dearum recensitum, ab Arnobio Regillum & Calyptra Dearum exponitur Adr. Turnebo *Advers. lib.*13. *c.*27.

Calyptra, propriè erat Reginarum tegmen: unde agri in Perside, cui nomen *Reginæ calyptra*, eo quòd illius proventus Reginæ in calyptræ sumt* attributi fuerant, meminit Plato *in Alcib. I.* Idem cum Regillo esse videtur.

Flammeum tegmen fuit, quo Matronæ nubentes capita operiebant, teste Nonio & Tacito *Ann. lib.*15. V. suprà in voce *Flammeum*.

Mavorte seu Mavortium, idem cum Ricinio, secundum Nonium; Suidas cum Cridemnone idem esse ait. Tegmen erat latius, quam ut caput solum operiret. V. infra in voce *Mavorte*.

Mitella, quasi parva *Mitra*, quòd mitri matronarum esset angustior, Virginum sacrarum apud Afros, olim integumentum erat, cui aurum intexebatur, ut colligere est ex Optato *l.*6. qui purpurâ illud tinctum fuisse ait.

Mitra aliquando sonat capitis redimiculum, è quo pendebant fasciolæ, *Phylle* dictæ, propriè tamen integrum muliebris capitis tegmen notat: quod cum Calantica idem facit L. ranus *Judith.*10

Pallium quoque fœmineum, quia prælongum & laxum erat, caput quandoque operiebat. Ut de Rebecca legimus Genes. *cap.*24. *v.*65. ubi tamen alii *Peplum* reddunt: Θέριστρον alii.

Peplum, Hebræis mulieribus à capite ad calcem gestari solitû, faciem totumq; Virginum corpus cooperuit. *Peplum æstivum* Pollux Θέριστρον Græcis dictum vocat.

Regillum, capitis Reginarum tegmen, cum Calyptra idem esse suprà diximus. V. quoq; *Caliendrum*.

Ricinius vel Ricinium, ab eo quòd post tergum rejicitur, teste Servio in *Æneid. lib.*1. idem cum Mavorte.

Stola, caput quoque muliebre velavit, teste Isidoro *l.* 19. *c.* 25. simulq; e scapulam cooperuit, à dextro latere in lævum humerum missa. Eadē *Ricinium & Mavorte* dicta.

Theristrum Gr. Θέριστρον, Polluci *Peplum æstivum*, fuit nuptialis amictus, unà cum capite faciem Virginum abscondens. Pudicitiæ id signū fuisse & humeros texisse, docet Hieron. *Ep. de suspect. contubernio*. Imò totū corpꝰ cooperuisse, ex Gen. *c.*38. *v.*14.

Velum, in specie, dicebatur sacratum Virginum operimentum; quod paulo diversum erat à velamine, quo viduæ Deo consecratæ, integebantur: fiebatque non de serico, sed de tincto aliquo linteo panno, ut docet P. Abelardus *Epist.* 8.

Vittæ, sive Matronales multiplices, sive Virginales simplices, ornamenta potius capitis quam tegmina erant, famosis mulieribus penitus interdictæ &c. Addi posset *apud quos* velum, ad humeros usq; demissum, quod ne a ventis decuteretur, capiti obligaculo quodam obstringebatur. V. Solerium *de Pileo*.

Reliquum corpus, ad pedes usque, pelliceâ primùm tunicâ, ab ipso Deo, in horto Edenis, statim post lapsum, confectâ Genes. *cap.*3. *vers.*21. obvelatum fuit. Apud Romanos, primis Urbis temporibus tam viros, quam *Fœminas* in toga incessisse, docet nos apud Nonium Varro *de vita Popul. Rom.* & quidem honestiores tum matronæ togâ utebantur *clavo aureo prætexta*, auctore Festo. Postmodum probrosis tantum fœminis cessit remansitque apud *Fœminas* honestas ingenuasque tunica; quam & *Stolam* dixerunt, ad talos usque demissa, cujus imam partem instita ambiit seu segmenta aut limbi aurei: hæc manicata sive manuleata quoque fuit & multis rugis ac plicis constricta, totum corpus, solâ facie exceptâ, operuit. Ei injiciebant *Pallium* sive *Pallam signis auroq; rigentem*, Virgil. quæ propriè vestis muliebris erat, deducta usque ad vestigia, Servius *ad Virgil.* rugisque vibrantibus sinuata. Id. Præter hanc amiculum quoque gerebant, pallâ quidem brevius, sic tamen, ut, si pars ejus lævo brachio aut humero non fulciretur, fluere & trahi necesse haberet, Plaut. *Pœnulo Act.*1. *Sc.* 2. Ut de Ricinio, Cyclade aliisque id genus nihil addam. Eousque enim tractu temporis muliebris processit luxus, ut nec vestibus, nec artificibus, circa illas conficiendas occupatis, nec ministris ministrabusque numerus modusque maneret, V. paulo infra. Prius tamen paucis monebo, ex lana linoque post pelles suprà memoratas, contextis vestibus muliebrem aliquamdiu acquievisse modestiam, donec holosericæ, byssinæ, bombycinæ, pellucidæ, suadente malesana ambitione, iis successere: In quas ita invehitur Seneca *de Benef. l.*7. *cap.*9. *Video sericas vestes, si vestes vocandæ sunt, in quibus nihil est, quo defendi aut corpus aut denique pudor possit, quibus sumtis mulier parum liquidò nudam se non esse jurabit* &c. Quantus fuerit Romæ olim muliebris ille in vestibus luxus, etiam nondum subactâ Asiâ, nondum orbis spoliis ac peregrinis deliciis bellicosi Martis gente emolliti, docet Senex ille Plautinus *in Epidico Act.* 2. *Sc.*2. quem vide, & Oct. Ferrarium, *ad l.* In ipsum Dei populum quanta circa hæc insania irrepserit, accuratè annotavit Esaias *c.*3. *v.*17. & *seqq.* Ad pedes descendo, quos ut spinę tribuliq; peccati vindices, lancinare cœperunt, de calceis cogitatum est. Hosè cæsorum animalium pellibus primò omnium consarcinatos fuisse, ex Gen. *c.*3. *supr. laud.* haud obscurè liquet. Unde & Martialis Romanorum calceum *lunatam pellem* vocat, *l.*2. *Epigr.*49. Et quidem crudæ primùm pelles adhibitæ fuere, postmodum concinnari tingiq; cœpere: è papyro dein, sparto, junco, ligno, ferro, ære, aliaq; materia confecta sunt hæc contra veprium aculeos remedia. ut de auro, argento, gemmis, linteo, serico &c. nihil addam. Apud Romanos eodem primo cum viris modo calceabantur *Fœminæ*, nisi quòd illi colore nigro, hæ albo prius, postea purpureo illi uterentur, Imperatores imprimis, hæ & cereo & hederaceo & mulleo & rubeo &c. Imò quantum curiosum hoc genus, cum luxuriæ agitatur genio, experiri omnia velit, ex eo non minus olim patuit, quod in calceorum genera virili sexui propria ac peculiaria, *Perones* etiam, quod mirere, manus quoq; injecerit. quo factum, ut Tertullianus eos *effœminatarum* epitheto insigniat, eorumq; *sutrinam Veneream* appellitet, cùm alias rusticorum præcipue aut peregrinorum essent, ex crudo corio sine ulla arte, ad nivem pluviamq; arcendam comparati, V. Balduin. *de Calceo*, nec non infra ubi de *Subere*.

Calceorum Femineorum varia genera ex Polluce & Balduino.

Acrosphyriâ, V. Poll. *in Onom.*

Ambracides, Amphisphyra, Aphracta, ibidem.

Baucides, croceo colore pretiosoq; cultu insignes, Ionicis mulieribus in usu erant.

Baxeæ, purpurâ tingi solitæ: eædem cum Crepidis.

Blautæ, seu *Laudes*, s. *Blandiæ*, idem quod crepidæ s. soleæ.

Canabia, V. Pollucem *in Onom.*

Cothurni Tragœdorum etiam fœminis cessere, quibus hodieq; in Gallia passim Hisp. & Italia nobiliores fœminæ utuntur. Gall. *Patins.* Unde de maritis dicterium: *Eos dimidium solùm uxorum suarum in lectis genialibus amplecti, altero dimidio cum calceis seposito.*

Crepidæ, crassiores paulo solex, pedibus calceandis ita inserviebant, ut superiorem illorum partem nudam relinquerent. Græcis propriè in usu. Constitere illæ duplici triplicique corio simul compacto, ūde *argutæ* dictæ.

Diabathra, viris mulieribusq; communia erant.

Endromides, Dianæ venatrici & cursoribus singularem præbuere calceatum. (nes.

Eumarides, utriq; sexui comuGallicæ, soleæ è ligno habuere, crepidis non dissimiles, Gallis usitatæ.

Mesopersicæ, Pollux *in Onom.*

Mullei, à rubro colore dicti, etiam fœminis usurpati sunt: ut patet ex illo Persii: *Solea puer objurgabere rubra.*

Noides,

Nosides, Nudipedia, Nyctipedes, V. Poll. *in Onom.*

Nymphides, sponsalia erant calceamenta.

Opisthocrepidæ, V. Poll. *in On.*

Pedila, communia utriq; sexui variis eximiisque coloribus erant picturata.

Peribarides, proprium ancillis calceamenti genus.

Perones, rusticum ac peregrinum calceamenti genus, fœminarumquoque cessere libidini, sed eorum aspera rusticitate in molliorem elegantiam immutatâ.

Phittacides, V. Polluc. *in Onom.*

Rhadi e, sandalii species; quòd facile inducerentur, vel præ tenuitate convolverẽtur, aut inverterentur, sic appellatæ.

Sandalia, muliebre calceamenti genus pulchrum & elaboratum. Colore enim infici, auro induci, tenuibus incituris dispungi, gemmis etiam aliis que id genus ornamentis instrui sunt solita.

Seleucides, V. Poll. *in Onom.*

Soleæ, plantarum calces, aut si mavis, pedum plantas tantùm infra tegebant, cœterisq; propè nudis, teretibus habenis jungebantur, ut ait A. Gellius *l. 13. c. 2.* Similes crepidis, nisi quòd simpliciores essent, cùm crepidæ duas vel tres solcas simul compactas haberent. Earum usus pro civili usu *Feminis* inprimis familiaris fuit: tegmen habebant nullum, pedibusq; habenarum corrigiarumque beneficio aptè adstringebantur. Per convivia tamen publicaq; spectacula etiam viri apud Romanos fuere soleati.

Sicyonia, calcei erant delicatioris cultus & amatorii: quos à candore & tenuitate describit Apulejus: quibus adde, dispunctionibus incisurisque variè ac artificiosè fuisse distinctos. Unde *multiformis* hic calceus Tertulliano dictus est *L. de vel. virg. cap. 12.* & plano ac uniformi, quo modestiores uti solebant, oppositus.

Tyrrhenica, quæ & Sandalia, loris inauratis variegatisq; fuere insignia, quibus Minervâ suam Phidias induit.

Uncinati calcei, Romanorum antiquissimi, ab unco, cujus propter acumen reflexum similitudinem referebant, appellati: utriq; sexui erant in usu. Unde Junonis Sospitæ simulachrum non aliis unquam ornatum fuisse, docet Cicer. *l. 1. de Nat. Deor.* &c.

Hæc de vestitu *Femineo*, quem *immundum muliebrem* dici vult Tertullianus *lib. de Hab. Mul.* postquam auro, argento & gemmis luxuriare cœpit: Quanta de ornatu addi possent, qui in cura capilli & cutis & earum partium corporis, quæ oculos trahunt, occupatur. Quanta de mundo hujus sexus, quem a cultu & ornatu quidam distinguunt, *ex l. 25. ff. de aur. & argent. leg.* quoque contineri volunt specula, matulas, unguenta, vasa unguentaria, & si quæ similia dici possunt, veluti lavatio riscus &c. Sed de his alias. Non possum tamen non addere tum artificum, quorum industriam muliebris delassavit luxuries, tum ministrorum, quarum patientia domi, illarum abusa est ambitio, succinctam seriem. De prioribus V. Plautum in *Aulular. Act. 3. Sc. 5.* quæ omnia explicata dat Octavius Ferrarius *de Re Vestiaria lib. 3. cap. 21.* Posteriores suggerit Pignorius *de Servis*, ubi mollem hanc & delicatam legionem prolixè lustrat. Jam enim apud Tacitum *Annal. lib. 3.* Severum Cæcinnam conquestum legimus, *Inesse mulierum comitatui, quæ pacem luxu, bellum formidine morentur, & Romanum agmen ad similitudinem barbari incessus convertant.* Et sanè mater Juliani martyris, apud Surium *tom. 1. in publicum prodit cum innumerabili familia utriusq; sexus.* Nec hyperbolicè quidem locutus est Cæcinna, si Ammianum Marcellinum *lib. 14.* audimus, qui Matronarum comites recenset, Textrices, Coquos, Spadones & universum promiscuè servitium. Et huc respexit Juvenalis *Sat. 6. v. 417.*

— Gravis occursu, teterrima vultu,
Balnea nocte subit, conchas & castra moveri
Nocte jubet.

ubi *Castra* appellat immodicum agmen, matronæ circumfusum.

Varia Feminei servitii officia ac nomina.

A. Admissionales dicti sunt, qui ad interioris domus cubicula áditum faciebant. De quibus Horatius *l. 1. Sat. 9. Haud mihi deero: muneribus servos corrumpam.* Adstetrix, de qua Ovidius *Met. l. 9. aderat, faciendis strenua jussis.* Alumna, ad nutricum agmen pertinebat; cujus mentio apud Paulum JC. *leg. 38. ff. de fidei comm. libert.* Amicæ, quarum greges conduxere, ut divitias & opulentiam jactarent. De his Juvenalis *Sat. 6. v. 349. Conducit Comites, Sellam, Cervical Amicas.* Ancillulæ ex Æthiopia, quemadmodum Mauros & Æthiopes servulos viri habuerunt. Imò & his usas esse *Feminas*, docet Tibullus *l. 6. eleg. 6.* Anteambulatrices, ex officio præibant. Aquarii & Aquarioli, ex Eunuchorum numero, aderant lavanti dominæ, & quæ ad lympham, curabant. In hujus interioris tutelæ gratiam *Custodes* dicti. Ab Argento potorio ministram habuit Livia, quæ illi vinum miscuit & ad cyathum stetit. Atrienses, Atrium tuebantur, perpetuò cirrati, ut patet ex Phædro *Fabul. l. 2. c. 5.* Auriculæ ornatrix: cujus meminit inscriptio Romæ, *Iulia Liviæ Augu. auriculæ ornatrix.* B. Baccariones, ex Eunuchis erant, dominæque ministranti lavabant. C. à Catellæ cura dicebantur, quæ nobiles Matronarum catulos curabant. Unde marmor, *Ossa Aurel. Liviæ. Aug. Ser. à. cur. Catellæ* &c. Cathedralicii pueri, à Cathedris *Feminarum* appellati sunt. De his Martialis *l. 10. Epigr. 13. Cùm cathedralitios portet tibi Rheda ministros* &c. Cinerarii ministri, erant à cincinnorum studio. Hi calamistros in cinere calefactos ministrabant: Iidem *Ciniflones* dicti. Comites, qui in publicum prodeuntem stipabant. Horum meminit Macrobius *lib. 2. Saturn. cap. 5. Advertерant in se populum Liviæ & Juliæ comitatus dissimilitudine: quippe cingentibus Liviam gravibus viris* &c. Coqui, cum reliqua familia culinari gulæ serviebant. Cosmetæ & Ornatrices, muliebrem ornatum tractabant. Earum meminere Juvenalis *Sat. 6. vers. 476.* & Ulpianus. Martialis quoque *l. 9. Epigr. 37.* ubi integram illarum officinam, *Comas, Pyxidem, Supercilia*, exponit. Cubicularii, cubiculi curam gerebant: Hi apud privatas *Feminas* Admissionalium vicem frequentiùs functi sunt. Cunaria, infantes in cunis observabat. Vetus lapis: *D. M. Teja. Threpte. Soror. Piissimæ. Cunariæ. Ruffina. V. F.* &c. Custodes & Excubiæ in vestibulis fuere. Etiam Eunuchi lavantis Dominæ ministri, ob interiorem hanc tutelam sic dicti sunt. Diætarii seu Zetarii cœnationem, & locum, ubi gaudium ac hilaritas debacchabantur, curæ suæ commissum habuere. E. Educator, ab educando nomen habuit. Ejus meminere Justinianus *lib. 1. Instit. tit. 6.* & Apulejus *Metam. l. 2.* Eunuchi, in familia Palatina, *præfecti gemmis vestiq; dabantur Custodes, sacroq; adhibentur silentio somno*, Claudian. *in Eutropium.* Iidem mulierum pudicitiam tuebantur, dominæ lavanti aderant, flabello ventulum faciebant &c. præcipua pars mundi muliebris. Laurentius *in Phædrum lib. 2. fab. 5.* De his V. quoque suprà, in *Aquarii. Baccariones* &c. F. Flabelliferæ inter ancillas conspicuæ erant. Licèt enim domi flabellum Eunuchorum fuit, tamen etiam mulierculæ alicujus nonnunquam. Unde, inter ancillarum officia, *flabellum tenere*, enumerat Hieronymus *in Epist. Paulæ.* Fontani, pocillatorum turbæ annumerandi: quorum mentionem facit Martialis *l. 7 Epigr. 50.* quod incipit: *Fons Dominæ* &c. G. Gerula, aliquando eadem cum Nutrice, aliquando diversa fuit. Ejus meminit Hieronymus *l. 1. adv. Jovinianum & ad Lætam*, ubi ait, *Habeat modestam gerulam.* I. Janitrices, & Janitores, fores observabant, quia sordidum videbatur appenso ut olim marculo eas pulsare. V. infrà *Ostiarii.* Internuncii, ut & Salutigeruli; apud parùm pudicas *Feminas*, portio comitatus earum fuere. De quibus V. Juvenalem *Sat. 14. v. 28.* & Apulejum *de Deo Socr.* qui illos Græco nomine *Δαίμονας* vocat. L. Lanipendiæ, inter Lanificas pensa partiebantur, quando ea munera sordere dominabus visa sunt. De iis Pomponius *Leg. 32. ff. de donat. inter vir. & ux.* Lecticarii, succollabant suppositis cervicibus & dominam incedere nolentem gestabant. Eorum meminit Seneca *Epist. 110.* M. Muliones quoq; inter Matronarum ministros, quæ vehiculo carpentario, quod à junctis mulabus trahebatur, uti solebant. quale esset, indicant nummi nomine ac imaginibus Juliæ ac Agrippinæ Augg. signati. N. Nutrices re & nomine fuerunt, quæ natos infantes procurabant, de quarum officio V. Plautum *Prolog. Pœnuli.* Nomine tantùm, quæ diligentiam infantibus & munditiem adhibebant, ut loquitur vetus Gloss. ad illud Juvenalis *Sat. 14. Hæc monstrant vetulæ pueris repentibus.* Pertinent huc, Bajuli, Geruli, Gerulæ, Nutricii & Nutritores. O. Obstetrices, opem parientibus ferebant, vetus Inscr. *Sallustia. Q. L. ... Obstetrix.* Ornatrices, ornatum tractabant: quod artificium ut probè addiscerent, Magistris tradi consuevere. *Illis* autem *cura sui vultus frontisq; decoræ Semper erat, tortosq; in flexum ponere crines, Aut nodis revocare.* Manilius *lib. 5.* Auriculæ Ornatricis, Galeæ Ornatricis, à Tutulo Ornatricis vett. Inscriptiones meminerunt. Ostiarius, ad ostium excubabat: Fuit autem is catenatus, & repellebat vel admittebat quos visum erat. P. Pedissequæ, in publico incedentem sequebantur, sicut Anteambulatrices præcedebant. Mart. Capella *l. 2. Periergia verò aliis comitata Pedissequis* &c. Hæ postea quoque prodeuntes cum comitibus stipabant. Q. Quasillaria à quasillo seu calatho dictæ. Petronius, *Nec contenta mulier tam gravi injuria mea, convocat omnes Quasillarias, familiæq; sordidissimam partem ac me conspui jubet.* S. Salutigeruli V. supr. *Internuncii.* Sandaligerulæ, & i. sandalium Dominæ pedi vel addebant, vel demebant: etiam aliquando præferebant. Non rarò enim aurea erant hæc calceamenta & margaritis intertexebantur. Talis erat, è cujus manu lavantis Dominæ calceum corripuit aquila, ut demitteret Memphi in gremium Psammetychi R. Item Vitellius, qui *pro maximo munere à Messalina petiit, ut sibi pedes præberet excalceandos*, apud Suetonium *in eo cap. 2.* Sarcinatricum mentionem facit Cajus JC. *Lege 27. ff. de peculio.* Silentiarii. ex Eunuchorum numero, non in Palatio solùm, sed & in familia privata fuere, teste Salviano *lib. 4. de Gub.* Hos quietis ministros dixit Procopius *de bello Pers. lib. 2.* ad Somnum dicti ministri, prioribus affines fuerunt. Eorum meminit Curtius *l. 6.* T. Textricum mentionem facit Amm. Marcellin. *lib. 14.* & Cajus JC. *leg. 27. ff. de pec.* Topiarii hortos exornabant, hederâ, myrto, lauru, chamædaphne, buxo, adiantho, acantho & ejusmodi generis aliis. Eorum meminit Plinius *lib. 16. cap. 33.* Inscr. vetus: *I ucrio. Aug. Topiario. ex Hortis* &c. à Tutulo, dicebatur Ornatrix, quæ hujus tegminis seu suggestus crinium curam gerebat. Romæ olim in Musæo Carpensi: *Aponia. Successa. à. Tutul. Ornatr.*

mbr.C. Baronius. Epigonus. Atriensis. V. plura infrà in voce *Titulus.* V. Vehicularii, in varia divisi erant genera. Ex iis enim fuere. *Basternarii:* Postquam enim carpento Magistratus uti cœpere, inde factum est, ut Matronæ ad Basternas sese reciperent. *Carrucarii*, dicebantur Burdones, qui carrucam Matronarum dormitoriam gestabant: *Muliones Carrucarii* quoque appellati, apud Capitolin. *in Max. Jun. Cisiarii*, à cisio, quod vehiculi biroti genus fuit, nomen habuere, *L.13.ff. loc. Junctores* jungebant rhedam equis vel mulis: Eorum meminit Alfenus apud Curopalatem. *Lecticarii*, V. *suprà. Muliones*, similiter. *Rhedarii*, rhedas curabant: De quibus Cicer. V. *in Miloniana.* Velarii, à velis accepere nomen, quæ in palatio fuere frequentia: Inscr. Romæ, *Ti.Cl.Tha...us. Præpositus Velariorum. Domus. Augustæ.* Eadem in privatis ædibus, tum ut visum arcerent, tum ut venerationem conciliarent Martialis *lib.1. Epigr.34. At meretrix abigit testem ve-lo q; seraq;.* Vestiplicæ, quid muneris obierint, ex ipsa voce dignoscitur. Earum meminit Fabius major *Declam.363.* Alii *Vestispicas* illas dictas esse, à veste spicienda, ex Plauti *Trinummo Act. 2. Sc.1.* contendunt. Quibus ex veteribus monumentis non male *Vestificos & Vestificas* annumeres. Rosimunda Alboini *Vestiariam* habuit, teste Diacono *de Gest. Longobard. lib.2. cap.28.* Umbelliferæ, tenebant *distenta suis umbracula virgis*, ut Ovidius loquitur. Quod insolens & ignominiosum in Atheniensibus notat Ælianus *lib.6 cap.1.* quòd nem.e inquilinorum puellas adigerent σκιαδηφορεῖν ταῖς κομμωταῖς &c. Præter has omnes, ancillas negotiationi à dominabus fuisse præpositas testantur JCti, *L.7. & 8. ff. de instit. act. L.5. §.2. ff. de tribut. act.* &c.

Apud priscos porrò *Fœminæ* formâ præstantes, super coronam, victoribus in præmium cedebant. Ita enim Hercules, velut singulare quiddam, prædicat, ubi præmia sibi donata recenset, —— γυνὴ δ' ἐπ' αὐτοῖς εἵπετο.

Mulier verò super ipsis sequebatur;

apud Euripidem *Alcest. Act 5.* Et cùm Trojâ captâ suis ducibus præmia distribueret, Telamoni Hesionem dedit idem, teste Xenophonte *de Venat.* Ipsæ tamen Olympiis interesse vetitæ, qua de re V. notata ex Pausania Bernartio & Barclajo, *ad Stat. Theb.l. 6.v.424.* — *Expectant præmia matres.*

Adde Val. Maximum *lib.7.c.16.* & Ælianum *Var. lib.10. c.1.* Interim ex ejusdem Pausaniæ *Laconicis*, equestri aut curuli certamine, non solùm admissas ad Ludos *fœminas*, sed etiam Olympionicas, fuisse, notat C. Barthius *Animadvers. ad d. Statii locum.* Et per Augustum eidem sexui superiora loca sunt assignata, omnibus in Ludis atque Spectaculis, præter Athletica certamina, teste Scaligero *Poetices lib.1.c.21.* cum antea viris mixtæ spectarent. Quemadmodum apud eosdem Rom. eodem modo antiquitus lavabant, uti diximus suprà, ubi de *Balneis mixtis*; more tandem *Novellâ* Justiniani 117. ægre coërcito. Plura de illis, earum viz. *coronis*, V. apud Car. Paschalium *in Coronarum libris passim*; *luxu*, præter dicta, apud Plinium *lib.33.c.12.* *ornatu*, eundem *lib.32.c.4* *osculo* illis figi solito, iterum *lib.7.cap.13.* *radendi malas more*, in funere, *lib.11. cap.37.* *flammis, lib.34.cap.6.* *successione in Regnis*, Hug. Grotium *de Jure B & P lib.2. cap.7. §.12.* aliisque huc pertinentibus, apud alios innumeros (ut quorum de hoc Sexu agentium, in sola Bibl. olim Mazariniana, numerum ad 400. ascendisse accepimus) nec non hic passim, uti de illarum *Communione* jam jam.

Fœminarum Communio, etiam Gentilium modestioribus damnata, ab Hæreticorum non paucis ex orco revocata est, Gnosticis præsertim, quos convenientiore vocabulo Βορβοριανοὺς Orthodoxi vocarunt, h.e. *cœnosos*, propter fœdissimam turpitudinem, quam in suis mysteriis exercebant, uti refert Epiphanius *Hær. 26.* & Augustinus *Hær. 6.* Simonianis item, quos hunc in finem etiam incantationibus, & amatoriis & agogimis usos fuisse, discimus ex Irenæo *adv. Hær. lib.1. c.20.* & Theodoret. *Hær. Fab. lib.1.* Carpocratianis porrò, qui promiscuum fœminarum usum κοινωνίαν μυστικήν, *communionem mysticam*, profanè appellare teste Clem. Alex. *3. Strom.* quique hac fini *artes Magicas operari, & incantationes, philtra quoq; & charitesia & paredros, & oniropompos, & reliquas malignationes*, ut habet Irenæus ubi suprà *cap.24.* nulli erubuerunt. Ἀδελφάδιμι insuper, Canis, Montanistis, Manichæis, Priscillianistis, Aliis, de quibus V. Clementem *l. cit.* Theodoretum *Hær. Fab. lib. itidem cit. cap. de Antitactis*, Irenæum *adv. Hær. lib.1. cap. ult.* Augustinum *Hæresi* 36. & 46. Alios Quorum sub *Christiano* nomine latentium, abominabili impuritate, pro ingenio suo, Satanas abusus, ipsum *Christi* sanctissimum nomen fidemque purissimam, apud ejus hostes calumniari nunquam destitit. Unde illa de promiscua & incesta Venere, de infanticidio ac Thyesteis epulis, jacta in Christianos à Paganis opprobria, quæ commemorat Justinus Martyr *Dial. cum Tryphon. Jud.* Athenagoras *Apolog. pro Christian.* Minutius Felix *Octavio*, Tertullianus *Apologet. cap.7.* & Eusebius *Hist. Eccl. lib. . cap.7.* Monente & Irenæo, *abuti quidem Hæreticos nomine Christi, seipsos Christianos falsò appellantes — blasphemari autem veros Christianos* (quibus talia objectabantur) *licet in nullo cum Hæreticis communi antes, neq; in doctrina, neq; in moribus, neq; in quotidiana conversatione adv. Hær. l.1. cap. 24.* &c. V. Jo. Forbesium *Instructionum Historico-Theologic. lib. IV. cap.8. §.2.* ut & infrà, ubi de Hæreticorum *Nocturnis coitibus.*

Fœnei Imperatores, apud Spartianum *in Pescennio Nigro, Amavit de Principibus Augustum, Vespasianum, Titum*, *reliquos fœneos vel venenatos vocans*: sunt οἱ οὐδένες ἢ οὐδαμοί, homines *fœni*, nullius pretii, nec pluris æstimandi, quàm *fœneæ* illæ imagines vel pilæ, quibus proritabantur tauri olim ad pugnandum. Cicero *in Corneliana, Postulabatur apud me Prætorem primum de pecuniis repetundis. Prospectat videlicet cominus quid agatur: videlicet homines fœneos in medium ad tentandum periculum objectos.* Quò alludens Martialis *Epigramm.* quodam in lusorem, qui, cùm florente ætate primus esset in arte pilæ, postquam desiit per senectutem ludere, factus est prima pila, ait:

Sed qui primus eras lusor, dum floruit ætas,
Nunc postquam desis ludere, prima pila es.

i. *contemtui habetur*, ut illa pila, quæ prima objicitur tauris iratis, quam discerpunt &c. Salmasius *ad l.*

Fœniculum, inter σύμφυλα, i. *olera quotidiani usus*, memoratur Cœl. Rhodigino *lib.6. cap.17.* multisque describitur Dioscoridi, Theophrasto, & ex his Plinio passim, qui inter alia *lib. 20.c.23. Fœniculum*, inquit, *nobilitavere serpentes gustatu senectam exuendo, oculorumq; aciem succo ejus reficiendo, unde quoq; intellectum est, hominum quoq; caliginem præcipuè eo levari. — Laudatissimum in Iberia* &c. Ad quem locum narrat Dalechampius, in Iberia caulem medium, dum floret, à rusticis demeti & igni admoveri; sicq; calfactum, succum lacteum exudare gummi similem, altero succo ad oxydercica & ocularia medicamenta efficaciorem. Et *lib.19.c.9. Reliqua ferulacei generis, ceu fœniculum, anguibus gratissimum, ad condienda plurima, cùm inaruit.* Græcè μάραθρον, unde ἱππομάραθρον, q. *majus fœniculum*, quod ipsum condimentis propè omnibus inseri, oxyporis etiam aptissime, quin & panis crustis subjici consuevisse, ait idem ubi suprà &c.

Fœnum, boum pabulum, Job. *c.40. v.10.* ubi de Behemoth, seu hippopotamo, ut Bocharto visum, dicitur, *Fœnum quasi bos comedet*, ut Hebræa Hieronymus vertit. Unde est, quòd apud Sirachidem arator invigilat, εἰς χορτάσματα δαμάλεων, Eccl. *cap.38. v.28.* Et Hesiodus *in Operibus lib. 2.* ubi de hyeme appetente,

Δὴ τότε χορτάζειν ἕλικας βοῦς ἔνδον ἐόντας.
Flexipedem in stabulis fœno *tum pascito vaccam.*

ut & *lib.1. versu* 604. ubi paleas addit,

Κάρφος δ' ἐσκομίσαι καὶ συρφετόν, ὄφρ' ἐπηετανὸν
Βουσὶ καὶ ἡμιόνοισιν ὑπῆρχοι —
Fœnum congerito, paleamq; ut pabula bobus
Annua sufficiant mulisq; —

Quod proin quando quave ratione secandum, Plinius exponit, *lib.18.c.28.* Sed & τοῖς κυρίταις τῶν βοῶν χόρτον περιελίσσειν τὸ κέρας, *bobus cornupetis cornu fœno circumligare solebant* Romani, ut obvii sibi caverent, Plut. *in Crasso*, cujus moris rationem idem exquirit *Quæst. Rom.71.* Et eò alludens Horatius *Sat. 4.*

Fœnum habet in cornu, longè fuge —

V. suprà, ubi de *Bove cornupeta.* Iidem in bello, cùm acies educenda & manus cum hostibus conferenda esset, primitus *fœni* manipulis, signi militaris loco, fuere usi, quos hastis alligatos signiferi deferebant, uti testatur Plut. *in Romulo*, ubi de acie hujus contra Amulium instructa: unde *Manipularium* nomenclatio orta: donec aucto Imperio propagatisque finibus quinq; signa ex ærario depromi & præire milites cœpere, *aquila viz. lupi, minotauri, equi & apri simulachra*, Plin. *l.10.c.4.* Indidem *Fœnicularium*, apud Cicer. *ad Atticum 12. In fœnicularium cogitet.* i. in aciem, ad exercitum, ut nonnulli exponunt, aliter Turnebo sentiente, qui vocem à *fœnore* deducit. De *fœneis imaginibus*, quibus olim in arena tauri irritabantur, diximus suprà &c. Qui verò *fœnum* secabant, *Fœnisectores* & *Fœnisecæ* dicti sunt, pars familiæ rusticanæ apud Romanos, qui, quandiu Creticæ tantum transmarinæque cotes notæ erant, nonnisi oleo falcis aciem excitabant, hincq; *cornu propter oleum ad crus ligato incidebant*, Plin. ubi suprà. Eorum insigne, è *fœno*, uti decebat, corona. Ovid. *Metam. l.14.*

Tempora sæpe gerens fœno *religata recenti,*
Desectum poterat gramen versare videri.

Et Propertius *lib. 4. Eleg. 2.*

Da falcem, & torto frontem mihi comprime fœno:
Jurabis nostrâ gramina secta manu.

Locus, quò congerebant desectum, *Fœnile* fuit, quæ unà cum palearibus, apothecis & horreis Vitruv. extra villam consultò rejicit, ut ab ignis periculo tuta essent, quod & legibus locationum consueverat aliquando exprimi, V. & Pignorium *Comm. de Servis.*

Fœnum Græcum, Gr. τῆλις, unde *telinum oleum*, de quo V. Salmas. *ad Solin. pag. 46.* aliter & κεράτιον & βούκερας, à seminis curvatura, Lat. *silicula* vel *siliquia*, describitur Plinio *l.18. cap.16. Et siliqua — repastinatione seritur, non altiore 4 digitorum sulco: quantoq; pejus tractatur, tanto provenit melius. Rarum dictu, esse aliquid, cui prosit negligentia.* V. quoq; eum *l.24.c.19.* Id ut & absentum (*absinthium*) apiastra, faeclaria, quorum meminit Lampridius in *Vita* Heliogabali, ubi ait, loco illorum, *barbas mullorum plenis fabatariis & dikis* eum jussisse exhiberi: in primis mensis olim apponebatur inter ea, quæ assumebantur fami irritandæ, V. Galenum *de Fœcula.*

*cult. Alim. lib.*2. & Apitium, ubi habes quomodo pararetur, Casaub. *ad Lamprid.* De *Fæno* verò, quod *Sanctum* Gallis, V. infrà, ubi *de Herba Medica.*

Fœnus, ex *fœtu*, i. partu pecuniæ, ut Gr. τόκος ἀπὸ τοῦ τίκτειν, Varro. Alii à *fundo*, quia fructus fundit: vel à *fœtendo*, quòd ejusmodi lucrum fœteat in Rep. primitus appellabatur naturalis terræ fœtus, postea per translationem, nummorum fœtum denotare cœpit, Festus. Hanc inter pecuniæ quærendæ rationes secundam, in *Politicis* Philosophus recenset, ac simul improbat, ut quæ maximè à natura abhorreat. Quemadmodum jam ante ipsum Plato omne *Fœnus* Rep. suâ arcuit. Sic ille, rogatus *quid fœnerari? quod hominem occidere*, respondit, & fœneratores furibus pejores à Majoribus æstimatos tradidit. Sic alius ad Cæsarem, *quare tollendus fœnerator in posterum*: Sic Romæ vetita aliquando usura fuit: & notum, pro δανείζειν substitutum πονηρεύεσθαι, pro *fœnerari* nimirum *improbè agere*. Interim maxima apud plerasque gentes fœnerandi invaluit licentia: Unde quantas eorum in egenos & obæratos crudelitas in Republica Rom. dederit turbas, ex Historicis affatim patet. Hinc enim ingens seditio an. U.C. 259. A. Virginio Tricosto Cælimontano, T. Vetusio vel Veturio Gemino Cicurino Coss. & ex seditione secessus in montem Urbi vicinum, postea *Sacrum* dictum; cui non aliud inventum remedium est, quàm ut Patres per legatos plebi debitorum levationem & nexorum solutionem offerrent, ei que insuper Tribunatum Pl. cujus constituendi tunc primum facta est mentio, atque Ædiles porro Pl. permitterent. Postea, cùm iterum horum hominum improbitas lacertos movisset, anno 301. Valerio Poplicola, C. Martio Rutilio Coss. de re fœnebri levanda actum, & alieni æris solutio in publicam curam versa est, Quinqueviris Mensariis creatis, quos *Mensores* à dispensatione pecuniæ appellarunt: Fuere illi C. Duellius, P. Decius Mus, M. Papirius, Q. Publius & T. Æmilius, Liv. *lib.*23. Qui idem alibi tradit, & an. 537. tempore secundi belli Punici Triumviros Mensarios creatos fuisse, quorum nomina: L. Æmilius, qui Consul Censorque fuerat, M. Attilius Regulus & L. Scribonius Libo, qui tum Tribunus erat Pl. Nec defuere leges licentiæ *fœnebri* coërcendæ, Licinia, Genutia, Duillia, Mænia, Sempronia, Valeria, Sulpitia, Gabinia, Julia & Claudia: quarum ultimam, quæ *Creditores in mortem parentum filiisfamilias pecuniam fœnori dare* prohibuit, ab Atheniensibus desumtam esse, ex Terentii *Phormione* discimus: His adde Pætiliam Papiriam, de qua Liv. *lib.* 8. Habebant autem Collybistæ pecunias *fœnori* exponendas in foro Kalendis singulis: Unde Horatius *Epodon Ode* 2.

Omnem relegit Idibus pecuniam,
Quærens Kalendis ponere.

Et quidem ante Iani templum. Cæterùm *Fœnus*, rectè ex menstrua ratione definitur: unde *Centesimas* dicere id usuræ genus, quo singulis mensibus de centum e. g. denariis unus, adeoque toto anno duodeni pendebantur. Hinc usuræ *sextantes, quadrantes, trientes, quincunces, semisses, septunces, besses, dodrantes, dextantes*, ex *Fœnore* menstruo nomen accepere. Et *sextantes* quidem dictæ sunt, ubi sextantes centesimæ pendebantur in mensem. *Quadrantes* tres annuos denarios centenis addebant. *Trientes* quatuor in centum solvebant, & sic consequenter, V. Joh. Fred. Gronovium *de Pecunia Vet. passim.* *Unciarium* autem *fœnus* dictum est, quod menstruam unciam, annuas duodecim uncias centesimæ partis, & sic unam centesimam sortis partem annuam reficit: quod constitutum legimus Duilliâ Mæniâ lege an. U.C. 396. seu potiùs repetitum, cùm idem jam XII. Tabb. Leges sanxissent. Quemadmodum Centesimam Licinia antè permiserat, postea verò Valerii quadrantem solvi jussum legimus, V. Joh. Rosin. *Antiqq. Rom. passim.* Athenis antiquitus ingens fœnerandi licentia erat, approbata veteri Solonis lege: τὸ ἀργύριον στάσιμον εἶναι, ἐφ' ὁπόσῳ ἂν βούληται ὁ δανείζων, *usurarum modus esto, quem stipulatus fuerit fœnerator.* Fuitque vetustissima in illa gente usura ἑξηκοστὸς τόκος, *sextantalis*, cùm obolus menstruus in drachmam dabatur, quod vocabant δανείζειν ἐπὶ ἑνὶ ὀβολῷ ... Usitatissimus verò fœnerandi modus Centesima erat, quæ τόκος ἐπὶ δραχμῇ vocabatur. Præter quæ erat *Fœnus* trientale τόκος ἐπίτριτος, cùm duo oboli menstrui in drachmam pendebantur: Item τόκος ἐπόγδοος, cùm tres oboli pro tetradrachma dabantur; quo pacto una mina vertente anno sesquiminam commodi lucrata est, & pro una in sortem elocata duæ cum semisse fœneratori restitutæ sunt. Imò exigebant & magis horrendum fœnus, si vellent, Ἡμεροδανεισταὶ toculliones, quibus drachma obolum semis quotidie pariebat; usura autem, quæ non solveretur, sorti accedebat atque deinceps fœnus superfœtabat, quod ἀνατοκισμὸν nuncupavere: Sed modus huic avaritiæ impositus est lege, Μὴ λαμβάνειν πολλοὺς τόκους. *Pecuniam ingenti fœnore ne occupato.* Nec omittendum, Danistas pecuniam suam temerè mutuò non dedisse, nisi ἐπὶ ἐνεχύρῳ, vel coram testibus vel scriptis etiam tabulis, ut constat ex Demosth. πρὸς Τιμόθεον: in cujus πρὸς τὴν Λακρίτου παραγραφήν, Syngraphæ exemplum reperire est; quemadmodum aliam, apud Romanos usitatam, nec multùm ab Atheniensium more abeuntem, exhibet Scævola *lib.* 28. ff. & inde in Pandectas retulit Trebonianus *leg.* [illegible] *de verborum oblig.* A fœnore urbano, quod menstruum erat, nauticum diversum fuit, quòd diarium esset: Secundùm cujus leges mille drachmæ in singulos dies pariebant drachmas centum viginti quinque, &c. V. Sam. Petitum *Comm. in Leges Atticas lib.* 5. *tit.* 4. & infrà in voce *Usura.* Apud Israëlitas, prohibuit Deus, ne pauperi fratri pecuniam fœnori darent, Exodi *cap.* 22. *v.* 25. Extraneo autem ad usuram concessit, Deuteronomii *cap.* 23. v. 19. Nec omne etiam moderatum fœnus Christus sustulit, Lucæ *cap.* 6. *vers.* 35. Sed is ostendit solùm, etiam iis mutuum dandum esse, à quibus nihil speramus reddi posse, non vero indistinctè omnibus etiam divitibus, mutuò dari vult, absq; omni spe restitutionis sortis lucrique insuper honesti, quod gratitudinis loco pro concesso tantisper nostræ pecuniæ usu, solvi ipsa æquitas jubet. V. hanc in rem planè egregia apud A. Rivetum *Explicat. in Decalogum, Exod.* 20. *versu* 15. *pag.* 1422. & *seqq.* Hinc *Fœneralia*, indigitata Livio *lib.* 35. tempus, quo *fœnus* cessabat & finiebatur, reddebaturque pecunia: *Cum libero vero fœnore obruebantur debitores, cujus coërcendi cùm ratio quæreretur, diem finiri placuit, fœneralia*, *quæ proximè fuissent, ut qui post eam diem sociis civibus Romanis credidissent pecunias, profiterentur, & ex ea die pecuniæ creditæ, quibus debitor vellet legibus, creditori jus redderetur.* De *Fœneratoribus* recentioris ævi, V. suprà in voce [illegible]

Fœnoris multifaria species ac nomina.

Besses usuræ, denariis centenis addunt quotannis 8. denarios: Singulis mensibus enim conficiunt decem asses duos trientes.

Centesimæ, 12. in 100. quotannis: in singulos menses unum, conficiunt.

Deunces, singulis annis, undecim denariis sortem augent.

Dextantes, quolibet mense tredecim asses trientem conficientes, decem annuos faciunt denarios.

Dodrantes usuræ, novem in centum quotannis conficiunt: singulis mensibus duodecim asses.

Quadrantes, tres annuos denarios centenis acquirunt.

Quincunces, in singulis menses 6. asses duos trientes: quotannis quinque denarios faciunt.

Semisses usuræ, quotannis centum denariis generant sex denarios: singulis mensibus octo asses. [illegible]

Septunces usuræ, in menses novem asses trientem, in annum septem denarios sorti adjiciunt.

Sextantes, ubi sextantes centesimæ in mensem, nempe asses duos duosque trientes pendi necesse; conficiunt in annum denarios duos.

Trientes, quatuor in centum annuos denarios conficiunt.

Unciarium fœnus, in singulos menses centesimæ partis unciam promittit: ut toto anno existat una pars integrà centesima. Semunciarium proin fœnus in centenos dimidiatum asciscit annuum. V. Gronovium *libro prœfato.*

Fœta, Latinis non solùm fœminæ prægnantes sunt, sed &, quæ onere levatæ parvulos lactant, uti Hebræis עָלוֹת, Gen. *cap.* 33. *vers.* 13. Plinius de panthera, *lib.* 8. *cap.* 17. *Fœta erat, catulis procul in caveam delapsis.* Varro apud Nonnum, *veniebant ad fœtam, amica gratulatum*, id est, ad puerperam. Virgilius *Georg.* 1. 3.

— — *nec tibi fœtæ*
More patrum nivea implebunt mulctralia vaccæ,
Sed tota in dulces consument ubera natos &c.

Sic *primùm fœta mater* Statio *Thebaid. lib.* 9. est, quæ primùm peperit, ad quem locum V. *Animadversiones* C. Barthii, & plura hanc in rem, apud Sam. Bochartum *Hierozoici part. prior. lib.* II. *cap.* 30. Inde *fœtus*, de animalibus propriè, cujus primitias Deo sacras lex vetus voluit: sic quidem, ut de mundis pecudibus ea, quæ nobilioris sexus erant, ad templum deduci & immolari, Exodi *cap.* 13. *versu* 2. immundæ autem, ove aut hœdo permutari, aut præcisâ cervice intra 30. diem necari necesse haberent, V. infrà ubi de *Primitiis.* Voce dein ad arbores, vineas &c. translatâ, ut videre est apud Salmasium *ad Solinum pag.* 173. & 259. *Fœtum* humanum *recentem* comesum, non sine horrore legas apud Guil. Brittonem *lib.* 7. *vers.* 540.

Contigit ut pareret ibi quædam fœmina, cujus
Fœtus *adhuc à matre rubens calidúq; cruore,*
Unguibus infixis multas transmissus in alvos.

Dirà viz. fame urgente, cujus exempla congerit varia C. Barthius *ad Statium Theb. lib.* 8. *vers.* 759. Plura de *fœtu* a *hominum* infrà dicemus, in voce *Prægnans*, it. *Puerpera.*

per *Fœtidos* cibos jurandi consuetudo, quibusdam olim gentibus in usu, memoratur Plinio *lib.* 2. *cap.* 7. *Gentes verò quædam animalia etiam aliqua obscœna pro Diis habent, ac multa dictu magis pudenda, per fœtidos cibos & alia similia jurantes.* Ubi ad Ægyptiorum allia, porrum, cepas, respicere videtur Dalechampio, V. in his vocibus, & plura hanc in rem, apud Alex. ab Alexandr. *Genial. Dier. l.* 5. *c.* 10. ut & suprà ubi de Gentilium *Diis.*

Foliata, in *Consuetud. Cluniac. MSS.* Bernhardi Monachi *cap.* 8. *de Granatario*, *Omni dominica fratribus debet per consuetudinem foliatas, quæ alio nomine Simila vocantur, ac in omnibus diebus Quadragesimæ, sed ista calida debent esse* &c. videntur esse ex placentulæ, quas *Gasteaux feuilletez* dicunt Galli, Car. du Fresne *in Glossar.*

Foliatum

Foliatum Unguentum, memoratum Plinio *lib.* 13. *cap.* 1. una cum spicato seu crocino, multo in usu Romanis olim fuit, unde & nomen Latinum Græci retinuere. Dioscorides, Φυλλάτον μύρον ἐστὶ, ὅπερ παρὰ Ῥωμαίοις καλούμενον χρῶν δὲ λίαν παρ' αὐτοῖς αἱ πλούσιαι τῶν γυναικῶν. *Foliatum, species unguenti sic Romanis dicti. Utuntur autem eo mulieres opulentæ.* Hinc de amica, nimium petente, queritur Martialis *lib.* 11. *Epigramm.* 27.

At mea me libram foliati *poscit amica,*
Aut virides gemmas, sardonychasq́ pares.

Sed & à viris adhibitum in potu est. Idem *lib.* 14. *Epigr.* 110.

Hac licet in gemma, quæ servat nomina Cosmi,
Luxuriose bibas, si foliata *sitis.*

Eousque enim luxuria invaluit, ut unguenta quoque biberentur &c. Idem autem cum nardino fuisse, vult Plinius, errore cum plerisque Vett. communi, qui aroma illud, quod absolutè *folium* dicebatur Romanis (unde unguento nomen) nardi foliū esse imbiberant: quæ opinio usque ad infima Græciæ tempora perduravit. Malabathrum seu malabathri folium sic Latinis *idsos* appellatum est, unde unguentum malabathrinum *Foliatum*, Græcis φύλλινον μύρον, ἤτοι μαλαβάθρινον. Errandi occasionem similitudo odoris nataliumque præbuit; Nardi enim spica, & Folium sive malabathrum, inter alia mirifica suavitate olentia, quæ mittunt Indi, præcipuam ac primam auctoritatem obtinuere semper. Hodie *Betre*, item *Tembul* dicitur id folium, cum quo cave confundas alterum *Folii* genus, inter aromata, Veteribus (sed post folium malabathri demum) cognitum, quod hodie Indis *Tamalabathra* appellatur, affinitate quidem nominis ad malabathrum Vett. accedens, ut & facie penè simili ac pari facultate præditum, diversæ tamen ab illo speciei, uti pluribus docet Salmasius *ad Solinum pag.* 1054. & *seqq.* V. quoque suprà in voce *Betre.* Addam hic saltem, *Folium* absolutè dictum, complicatum & in pilulam convolutum; *Folium* vero alterum, *Indici* cognomine Scriptoribus insignitum, in fasciculos collectum colligatumque advehi solitum. Sed & Jurisconsultus ea planè distinxit, *l.* 16. *D. de Public. & Vectig. Species pertinentes ad vectigal, putà Cinnamomum, piper longum, piper album, folium catasphaerum, folium Barbaricum, costum.* Ubi *Folium catasphaerum*, est folium malabathri, quòd inde σφαίρας, *i. pilulæ* conficeremus: *Folium* vero *Barbaricum* id, quod *Indicum* Græci recentiores nominarunt, quòd ex India deferretur in Ægyptum, per Barbaricum Sinum &c.

Folium, ex Græco φύλλον, florum arborumque velut coma est: de quorum natura, differentiis, mirabilibus, V. Plinium *lib.* 16. *capp.* 20. 21. 22. 23. & 24. Hic quædam de multiplici usu, quem hominibus præstant. Primos certè homines *consutis foliis ficus fecisse sibi præcinctoria*, legimus Genes. *cap.* 3. *versu* 6. & 7. & diximus suprà, ubi de *Ficu*. Ex iisdem strata sibi fecere antiquissimi mortalium, cujus rei exemplo Ulysses naufragus est, qui in littus Phæacum ejectus, ut corpori suo frigore & lassitudine tantùm non confecto consuleret, cubile sibi ex foliis, quorum magnam ibi copiam offenderat, paravit,

Ἐν δ' ἄρα μέσσῃ λέκτο, χύσιν δ' ἐπεχεύατο φύλλων.
In medio autem cubuit, copiam verò superingessit foliorum.

Apud Homerum *Od.* ε. Eadem postea culcitris infarta. Sic mulieres θεσμοφοριάζουσαι, apud Athenienses, per omnes sacrorum dies, quibus à maritis secubabant, habebant stramenta iis herbis ac *foliis* farta, quæ castitati conducere credebantur, uti diximus ubi de *Caduceo*. At excessus luxuriæ fuit, quòd *lectum foliis rosæ, quibus demtum esset album, replevisse* Ælius Verus legitur, apud Spartianum. Porro capiti inumbrando inservierunt, contra Solis ardorem, cùm pileorum usus nondum esset, quò faciunt antiquissimæ ex foliis coronæ Sylvani, Panis, Satyrorum, aliorumque: Et postmodum, cùm necessitas desiit, retenta, in oblectamentum convivantium, præmium victorum &c. de qua re suprà diximus ubi de *Coronis*, item ubi de *Floribus*, V. & de *Nectendi serendiq́ folia* modo. Addam saltem, *Foliaceâ coronâ* nihil apud Græcos præstantius habitum, hincque sacros Agones Φυλλίνους & Φυλλοφόρους, h. e. *foliaceos* dictos, ac τοῖς ἀργυρίταις, *pecuniariis*, fuisse contradistinctos, quòd in his argenti vel vilis lucri causâ, in illis non nisi virtutis gloriæque gratiâ certaretur, quippe quorum brabeum non aliud esset, quàm *folia*, materia non multæ rei, & brevi emarcescens. Sed & in scena herbarum *folia* grandiora ob faciem obtenta priùs, antequam fæcibus ora Thespis perungeret: unde à nobis *personata*, quia à Græcis προσωπεῖον & προσωπίς, J. C. Scaliger *Poetices lib.* 1. *c.* 13. Imò inter Hylophagorum alimenta fuisse, apud Diodorum invenias, *lib.* 3. *cap.* 3. Quò verò alter cum altero etiam absente sensa communicare, aut memoriæ ergò exarare posset, ex arboribus huic rei primùm *folia*, dein demum libri sive interior corticis tunica, postremò & tabulæ inservierunt. De *foliis* certè indicio sunt, quæ de Sibylla tradit Maro *Æneid. lib.* 6. fueruntque illa præcipuè palmarum & malvarum, uti testis est Isidorus *lib.* 6. *cap.* 12. quorum illa asperiora quidem, sed calami magis patientia: hæc molliora, sed quæ vix mucronem ejus sustinerent, adeoque glutine & aliis firmari opus habebant, Gerh. Jo. Vossius *de Arte Gramm. lib.* 1. *cap.* 36. Apud Athenienses quoque, post fraudem Xenotimi in fabis deprehensam, qui Senatu movebantur, *foliis inscribi cœpere*, uti in ὀστράκοις *seu testulis* eorum nomina signabat populus, quos vellet urbe excedere: unde ἐκφυλλοφορεῖν, & ὀστρακισμοῦ appellationes notissimæ. Quin & in aliis de rebus ferendis sententiis *foliorum* in eadem Rep. usus fuit, ut ex Polluce discimus *lib* 8. *cap.* 5. quam in rem V. Sam. Petitum *Comm. in LL. Atticas lib.* 3. *tit.* 1. Simile quid erat πεταλισμὸς Syracusanorum, qui *folio oleagino* nomen ejus, qui ob potentiam suspectior esset, inscribentes, quinquennii exilio afficiebant, cujus nomen sæpissime omnium in foliis legeretur, Diod. Siculus *lib.* 10. Passimque hic mos in Græcia obtinuit, antequam Ægyptus ab Alexandro M. in potestatem esset redacta, à quo tempore charta frequentari cœpit, manente interea *foliorum* nomine paginis librorum, sive illi è ligno, sive è papyro, sive ex membrana &c. constarent. In Sinis folia floris lacustris, *Fula de Golfo* Lusitanis dicti, quæ amplissima sunt, Olitoribus, Scrutariisque loco papyracei involucri, ad merces infarciendas inservire, suprà diximus in voce *Floridus Lacus*. Ut aliquid de lusibus Vett. adjiciam, solebant illi *folium olivæ* in hydriam conjicere, quod *Mercurium* vocabant & in ejus Dei honorem primùm eximebant, vocabanturque illud Κλῆρος Ἑρμοῦ, *Sors Mercurii*, Suid. Etiam Græci *foliis* papaveris & anemones herbæ (quæ τηλέφιλον dicebantur) periclitati leguntur, nunquid amasiis suis grati forent. Siquidem pollici imponentes ea ac indici mox collidebant: quæ si percrepuissent (quod πλαταγεῖν vocabant) aut ruborem concepissent, (unde φίλα dicta) amari se augurabantur; sin minùs, ut frustrati ingemiscebant, uti discimus ex Theocrito, & latiùs ex Cœl. Rhodigino *Antiqq. Lect. lib.* 19. *cap.* 4. Eosdem inscriptis *folio* his vocibus, ἡ δεῖνα καλὴ, *N. formosa*, amorem solitos fuisse testari, docet ex Erasmo Zuingerus *Theatri Vitæ Hum. Volum. III. lib.* 9. *pag. m.* 993. &c. De *Folio* verò κατ' ἐξοχὴν sic dicto, item *Folio Indico*, V. suprà in voce *Foliatum*.

Follanebrajum, vulgò *Follenbray*, locus Galliæ, seu villa Regia Francisci I. ac Henrici II. in pago Laudunensi, inter Calniacum & Codiciacum. Ejus meminit Hincmarus Laudunensis Episc. *Epist. ad Hincmarum Archiep. Remensem*. Nomen habet ab antiqua Gallica voce *Brajum*, quæ *lutum* significat: unde nominibus locorum, quibus palustris ac lutosus situs est, sæpissimè additum reperitur. Sic *Tenerchebrajum*, *Wibrajum* &c. V. Hadr. Valesium *Notit. Gall.* in voce *Brajum*.

Follati Calcei, apud Isidorum *lib.* 19. *cap. ult.* laxiores calcei sunt, qui, cùm pes premitur, & terræ insistit, inflantur & tumescunt; quum levatur, detumescunt: id quod propriè *follare* & *follicare* dicebatur, Salmasius *ad Pallium Tertulliani cap.* 3.

Folleralis, seu *Follaris*, follis æreus, monetæ species, apud Marcellinum Com. ubi *Terunciarium* Romanis dici ait. Item apud Falconem Benev. ubi de Rogerio Siciliæ R. & Scriptores Byzantinos, qui *Follis* nomine plerunque *Folleralem*, seu follem æreum, intelligunt. Fuit id genus pecuniæ omnium minimæ; nam apud Calculones follis idem erat, quod apud Arithmeticos μονάς: eorum 24. unum denarium argenteum, qui *Miliarensis* dicebatur, efficiebant: duodecim autem miliarenses unum aureum, sicque 288. folles inerant in uno numismate, Salmasius *ad Heliogabalum Lampridii*. Car. du Fresne observat, 600. folles æreos conficere libram argenti, ex *l.* 3. *Cod. Theodos. de Pistor* quæ definit, primam Præturam expendere 25000. follium, & 50. libras argenti; secundam 25000. follium, & 40. libras arg. tertiam denique 15000. follium, & 30. libras arg. Quos verò *senos folles*, quibus libra porcinæ carnis æstimabatur, vocat *l.* 3 *vel Cod. de Suariis*, ἑξάφολλον appellat Auctor *Rationalis* Peræquatorum, quo loco addit, ita nuncupatam additionem factam decreto, à Leone Isauro &c. Atque hæc *de Follibus*, sub & post Justinianum: Sub Constantino verò & ante eum, *folles* dicebantur sestertii, unde Hesychius *quadrantem* esset dixit τὸ λίτρον τῶν φολλέων. *Follis* tamen non semper pro æreo nummo usurpatus est, sed etiam summam aliquam vel auri, vel argenti, vel æreæ pecuniæ designabat; sicque ut *saccus auri*, *sporta auri*, ita *follis auri*, certa auri quantitas vocabatur. *Follis* enim & *saccus* & *marsupium* idem, Salmasius ubi suprà. V. quoq; C. du Fresne *Dissertatione de Infer. ævi Numism. num.* 90. & 91. ubi apud Hispanos hodieque monetam quandam minutam, quæ valeat *cornado*, sitque tertia pars blancæ, *Folluz* vocari, ex Covarruvia, addit. V. quoque paulo infrà.

Folliculi Lusus, Suetonio memoratus *in Augusto*, qualis fuerit, V. Alex. ab Alexandro *Genial. dier. lib.* 3. *cap.* 21. & hic infrà.

Follis, an à Græco φόλλις, an à *flatu*, quia spiritu impletur, an quòd Vett. *follem* pellem dicebant: quidquid enim ex corio factum est, ut impleatur, *Follis* dictum. Specialiter φῦσα, φῦσαι, πυρίπνοος φῦσα, cujus flatu fovent ignem Fabri. Cujusmodi ignis exsuscitatores *folles*, inter alia Anacharsis Scythæ inventa refert Ephorus, apud Strabonem *lib* 7. At illis ad parasitos deludendos abusus Heliogabalus legitur, apud Lampridium: *qui cum vilioribus amicis* folles *pro accubitis stravisse, eosq́ reflasse, prandentibus illis, ita ut pleriq́ sub mensis repentè invenirentur prandentes*, scribit, in *Vita ejus*. Alia vocis significata hic infrà.

Follis, unum ex quatuor pilæ apud Vett generibus, quæ omnia sub nomine Italicæ sphæræ Cœl. Aurelianum Medicum nonnulli complexum esse credunt. Erat autem pila magna ex aluta confecta, soloque vento repleta: quæ, si major erat, brachiis impelle-

pellebatur & simpliciter interdum *Pila* nuncupabatur, ut apud Nonium ex Varrone videre est. Sic Propertius *lib. 3. El. 12.*

Cùm pila veloces fallit per brachia jactus.

Interdum quoq; *pila velox*, ut apud Horatium *Sermon. lib. 2. Sat. 2.* &c. Cujusmodi pilæ exercitationem licet videre in Gordiani III. Imp. nummis, quos Mercurialis in suo *de Arte Gymn. lib. 2. c. 5.* depictos exhibet; unde conjicere est, unumquemque lusorum propriam habuisse pilam, cumque ludum, in sacrificiis Pythiis apud Apolloniatas, esse adhibitum, ut tum ex voce ΣΦΑΙΡΑ, tum ex palma, atque vasis sacrificio destinatis, colligitur. Cùm verò minor erat, pugnis ejiciebatur, atque *Follis pugillaris*, seu *pugillatorius*, Plaut. *Rudente Actu 3. Scen. 4.* vocabatur. Sed & eandem hanc pilam nonnunquam *folliculum* quoq; dictam, legimus apud Suetonium *Augusto*, quem hoc pilæ ludo valde delectatum memorat. Quomodo verò Martialis dixerit *lib. 4.* ubi *de Endrom.*

Plumea, seu laxis partiris pondera Follis.

cùm ex corio vento repleto pila hæc consueretur & non plumâ, ut omnes fere Latini Auctores uno ore fatentur, in abdito est: dici tamen potest, ob levitatem fortè *plumea pondera* vocitasse; cujus levitatis gratiâ neque pueri neque senes, alioqui imbecilles, inter ludendum, nimium defatigabantur. Quare Idem *lib. 14. Epigramm. 45.*

Ite procul Juvenes, mitis mihi convenit ætas,
Folle *decet pueros ludere*, folle *senes.*

Hinc & lusui huic dicatus locus nullis lapidibus aut lateribus sternebatur, ne laberentur pedibus ludentes, & si fortè lapsi essent, ex casu non paterentur damnum. Et propterea ex continuo terræ attritu pulvis excitabatur: quanquam etiam fieri potest, ut pavimento luderent, sed pulvere humili & exiguo illud aspergeretur, ita ut resiliens non impediretur pila, & ludentium magis firmarentur pedes. In pulverulento namque solo hanc exercitationem fieri consuevisse, innuit Martialis *lib. 12. Epigramm. 83.* quod vide. An verò ludus hic unus ex Græcorum fuerit ludis, dubium. Nonnulli pilam magnam Græcorum cum *Folle* Latinorum faciunt eandem: Alii corycum Græcorum, Latinorum *Follem* fuisse dicunt: Aliqui *Follem*, pilam inanem, superius descriptam, efficiunt, de quibus omnibus V. Hieron. Mercurialem *de Arte Gymnast. lib. 2. cap. 5.* & *lib. 5. c. 4.*

Follis, antiquitus sacculus ad custodiendam pecuniam. Plautus in *Aulul.*

Quin, cùm it dormitum, follem obstringit ob gulam.

Juvenalis,

—— *Veterem cum tota ærugine* follem.

Et quidem grandiusculus: unde plus Plauto *follium* ductitare, quam *perarum*. Inde pro ipsa pecunia cœpit accipi: ut thesaurus & pro loco, qui capit, & pro eo, quod capit pretiosum. Et ad æs, ad argentum, ad aurum significandum adhibebatur: æs quidem in singulis nummis, argenti nummorum ἀθροίσμασι, auri & materias ipsas seu libras. In ære & singulis numismatibus successit in locum veteris & dupondii & sestertii, postquam hic ex argento fieri desiit. Dupondius unciâ constans æris, asses semunciales valebat duos; Sestertius argenteus ejusdem generis quatrussis. Crevit interim pretium æris, asse ad quadrantem redacto. Sic æs, quod prius dupondii fuerat, quatuor assibus sufficit, & prodiit *Follis* ære dupondii, pretio sestertii: Non tamen, ut quatuor sestertii, sic quatuor *Folles*, sed quinque faciebant denarium. Nam libra argenti centum denariis, quadringentis sestertiis æstimata, quingentis æquiparatur *Follibus* &c. Et tunc argentum ad æs fuit, ut 1. ad 41. Libra auri ad argentum decupla, ut quatuor millia sestertium, mille denarium, ita quinq; millia efficiebat *Follium* sive assium viginti millia, qua libræ æris 416. cum excurrentibus octo follibus. Et sic erat aurum ad æs ut 1. ad 416. Itaque aureus Romanus, ut 25. denarios, centum sestertios, ita 125. habebat *Folles*; quod valuit ante Constantinum, & sub eo, usque ad Consulatum Anicii Paullini & Cejonii Juliani. Sexto suo Consulatu, id est, ante quinquennium, veteranis ad instrumentum rusticum emendum dari 25. *m. Follium* constituerat, ut est in *l. 3. Cod. Theod. de Veteranis*: quæ sunt 50. libræ argenti, æris librarum 2083. Eadem veteris argenti sunt vicena millia sestertium, quinque millia denarium, illa ipsa summa, quam pro emerito Augustus Prætorianis post sedecim annorum stipendia decreverat, teste Dione: quum legionariis post 20. annorum militiam tantùm tria millia denarium seu duodena millia nummum adsignasset. Sed id discrimen sustulit Constantinus &c. V. Joh. Frid. Gronovium *de Pecunia vet. lib. 4. cap. 16.* Erat & *Follis* modus auri oblaticii, quod Senatores Principibus, ex instituto Constantini M. uti Zosimus habet, pendebant ex censu, locupletiores auri libras octo, mediocres quatuor, tenuiores duas. Si qui præbitiones eorum implere non valerent, velut tenuissimos Senatorum, obligabat septem solidorum præstatio, ut loquuntur *leges 4. & 12. Cod. Theod. lib. 6. tit. 2. & l. 12. Cod. eodem de provinciis comit. dispos. & l. 2. Cod. Justin. de Prætoribus.* Heic ingemiscit Gronovius, *Heu me! magne Regum Senatus quò recidistis? Parum erat eripi vobis imperium, ærarium, provincias, nisi & tributarii fieretis illis, quibus olim imperabatis, quorum provincias ornari vestrum erat beneficium, qui suâ confessione servire vobis debebant, & universis tributis sæpe & plerumq; etiam singulis: nisi è visceribus vestris sagineretur [illegible] magna parte barbarus, barbarus miles, eorumq; donec & vos & ipsos, qui servitium vestrum quotidie vos pascere cogebant, & omnia [illegible].* Hunc [illegible] habuit sinistra pietas civitatem cum totô orbe Romano communicantium, ut non provinciales civium honorem, sed cives & [illegible] Senatus stipendiorum vilitatem subirent. Deponere tamen & injuriam illis & sibi pudorem voluere Arcadius & Honorius [illegible] *l. 2.* Sed serò, & postquam, quod Patribus relinquebatur, non ipsis, sed Alarico & Odoacro & horum pellitis satellitibus, [illegible]batur. Idem *sub finem capitis.* Tandem Epiphanius *Follem* & [illegible] describens, inquit: [illegible] *qui & sacculus, à duplicatione nominatur: duo namque sunt ac [illegible] argentei, qui faciunt minutos denarios* 250. Unde colligere est, diversa *Follium* fuisse genera. V. eundem Gronovium [illegible] *cap. 6.* & suprà.

Fomes, apud Macrobium *lib. 3. cap. 8.* [illegible] *quendam & ignitabulum ingenii virtutisq; si mens & corpus [illegible] vino flagret*: propriè materia est levis & arida, quo excipitur & fovetur ignis excussus & excusus ab ignitabulo. Et quidem Festus sic assulas vocat, quæ ex arboribus excutiuntur inter cædendum, Opilius verò non nisi eas jam excussas id nominis mereri ait apud eundem. Certè *fomites* dicta esse [illegible], *assulas [illegible] excussas*, hinc firmatur, quòd *fomo*, vetus verbum, [illegible] est, & *dolo.* Glossæ, πελεκῶ, *dolo, fomo.* Et alibi, [illegible], *dedolo.* Unde *consomare*, in illo Catulli,

Rustica consomata securi.

At Servius ex Clodii *Commentar. lib. 4. Fomites assulæ ambustæ, ligna excavata, à fungis nomine accepto.* Quod ideo dicit, quia fungi pro *fomitibus* prius erant & *escæ* dicebantur, unde recentioribus Medicis Græcis ἴσκαι fungi sunt arboribus innascentes. Dicta autem ligna hujusmodi arida, seu assulæ ambustæ, φρύγανα Græcis, item φρύγανα. Hesychius, φρύγανον, ξύλον ξηρόν. Glossæ, *fomites*, φρύγανα. Latinè *cremia* quoque, unde *cremiales arbores.* Cujusmodi assulis certo modo dispositis incensisque, οἱ [illegible] *ignispices*, olim ad vaticinia usi fuere, uti videre est apud Scholiastem Aristophanis *in Pace, versu*

Οὐκ ἂν δοκῶ σοι μαντικῶς τὸ φρύγανον ὑφάψαι.

Nonne videor tibi ex Vatum disciplina fomitem [illegible]?

Sed & folia hac fini adhibita. Plin. *lib. 16. cap. 40. Teritur [illegible] ligno, ignemq; concipit attritu, excipiente materiâ aridi* fomitis, *fungi vel foliorum.* Sulphurata postmodum, *ibid.* ut & apud Isidorum. Unde Dalechampius *Notis ad d. locum. Eam* (materiam [illegible]) *olim lucubrum vocaverunt. Paratur fere ex sulphuratis, [illegible] arborum insolatis & arefactis, acie sive acu nimirum carpo [illegible], lino, vel stupa* — [illegible] *Glossarium vetus appellat, [illegible] Scaliger.* V. quoque Salmasium *ad Solinum pag. 180. & [illegible].* De *Fomite* verò *accenso*, quem Olgerdus M. Lithuaniæ D. Demetrii Ivanovicii M. Moscoviæ D. minis irritatus, huic misit, antequam ille extingueretur, se Moscuæ futurum & arci illius hastam suam illisurum professus, Guagninum *Descript. Lithuaniæ.* Apud Marc. Capellam *de Nuptiis Mercurii & Philologiæ lib. 6.* ubi de Pallade,

Virgo armata, decens, Rerum Sapientia, Pallas,
Æthereus Fomes, *Mens & Solertia Fati* &c.

Vox ignem vivificum, calorem omnia vegetantem, æthereum vitalemque spiritum, in calore omnia vivificantem & foventem notat, Barthio: qui de Jove ipso multis *initio Arati sui* Avienum eundem in modum loqui addit, quemadmodum de Sole eundem Capellæ hoc,

Ignoti vis celsa Patris, vel prima propago,
Fomes *sensificus, mentis Fons, lucis origo.*

V. eum *Animadvers. ad Papinium Statium Thebaid. lib. 1. vers. 342.*

Fonoliadum, vel *Fonolietum*, vulgò *Fonoullet*, locus Galliæ, in Aquitania, sedes Archidiaconi, unius ex IV. Ecclesiæ Narbonensis, quorum reliqui sunt, Archidiaconus major Narbonensis, Archidiaconus Corbariensis, & Arch. Redensis. Hadr. Valesius in voce *Narbo.* Hinc ager *Fonoliadensis*, vulgò *Fenolhedes*, Hieronymo Zuritæ memoratus Erâ 1216. Castellania est in Diœcesi Electensi, quadraginta duos continens vicos. V. eundem in voce, *Minerva Castrum.*

Fons, à *fundendo*, quòd aquam fundat, dictus, scaturigo aquarum perennis, atque hinc inter rudis illius Antiquitatis Numina fuit. Martialis *lib. 4. Epigrammate 56. versu 7.* ubi de [illegible] *Bajano*,

Ergo sacri fontes *& littora grata valete,*
Nympharum pariter, Nereidumq; domus.

Ubi *sacros* vocat, ob divinitatis opinionem, quemadmodum ἱερὸν ποταμὸν Græci, διὰ τὸ ἀέναον, inquit Eustathius *ad Odyss.* Λ. propter *perennem fluxum.* Certè Persæ ab horum cultu [illegible] dicti sunt, non minùs ac ab ignis veneratione πυρολάτραι: quos proin eousque coluerunt, ut nec faciem aquâ eorum lavarent, neque aliter attingerent, quàm potus gratiâ & ob plantarum curam, Heraldus *ad Martial.* Atque hinc Κρηνίδες Nymphæ (κρήνη namque *fons* est) communi aliorum dæmonum cultu, aris, antris, templis honoratæ. Indidem oracula petita, quò [illegible] (nam πηγὴ itidem *fontem* notat) Gentilium multiplex spectat,

ctat. quos fortes in profundum aliquem *Fontem*, divinandi gratiâ, jactasse legimus, apud Suetonium *Tiberio cap.* 14. ubi ait: *Cùm juxta Patavium adiisset Geryonis oraculum, forte tractâ, qua monebatur, ut de consultationibus in Aponi fontem talos aureos jaceret, evenit, ut summum numerum jacti ab eo ostenderent, hodieq; sub aqua visuntur hi tali.* Quod Isaacus Casaubonus in Græcorum consuetudine moribusque fuisse, ostendit ex Sozomeno *Histor. Eccl. lib.* 5. c.19. allato etiam exemplo *Inus fontis*, ex Pausania *in Laconicis*. Et allusit Claudianus *de 6. Honorii Consulatu*,

——— ——— Cùmq; omnibus una
Sit natura vadis, similes ut corporis umbras
Ostendant: hæc sola novam jactantia fortem,
Humanos properant imitari flumina mores.

Rossæus Artis hujus quinque distinctas species recenset: 1. Cùm haustu *fontium* vates se fieri credebant, ὡς τῶν ἀναφερομένων ὑδάτων τοὺς μαντικοὺς γεμόντων, Aristides *Orat. de Puteo*. Quo nomine Castalius fons, in Bœotia, olim celebris fuit. Statius *Thebaid. lib.* 4. *vers.* 38.

——— ——— nec enim altior ulli
Mons hausto de fonte *venit* ———

2. Cùm in eos aliquid conjiciebant, attendentes an sideret id, an supernataret. Quo fine in fontem Inûs modò dictum placentas projicere moris fuisse, legas apud Pausaniam ubi suprà. 3. Cùm imagines earum rerum, quas scire desiderabant, in fontibus quærebant, uti de fonte Apollinis Phryxæi, in Achaja legimus. 4. Cum amissis in fontes phialis vitreis de morbi eventu inde auguria [illegible] ptabant, illas extractas iterum inspiciendo. 5. Cùm tres lapillos in fontes projicientes observabant, quales in descendendo gyros facerent. Quam in rem V. Franc. Rossæum *Archæologia Atticæ lib.* 7. *cap.* 2. Proin dona quædam in *Fontes*, ceu accepti beneficii præmia, conjiciebant, perceptâ forte discessuri, non minùs ac illi, qui Oracula consulebant, donaria votiva templorum seu tholis seu parietibus affigebant. C. Plinius *lib.* 8. *Epist.* 8. *Hunc subter fons exit & exprimitur pluribus venis, sed imparibus, eluctatusq; facit gurgitem, qui lato gremio patescit, purus & vitreus, ut numerare jactas stipes & relucentes calculos possis.* Ubi stipes in fundum conjectas apparet, sed & alia donaria juxtà affigebantur. Unde iterum Claudianus de Apono,

Tunc omnem liquidi vallem mirabere fundi,
Tunc veteres hastæ, regia dona, micant.

Ita nihil tam purum liquidumque, quod non sordibus suis superstitio conspurcare fuerit ausa. V. Th. Dempsterum *Paralipom. in Joh. Rosini Antiqq. Rom. lib.* 2. *cap.* 7. Laudabantur enim hanc in rem ii præcipuè, qui vitrea perspicuitate visum ad imum usque fundum admitterent. Unde Poëta, de fonte,

——— ——— *vitreus pellucidus undis.*

Et alius,

ò fons *Blandusiæ splendidior vitro.*

Et quia cuilibet Numini suum εἴδωλον, suam *effigiem* dabant Gentiles, Ægyptii canales salientesque sacrorum fontium λεοντόμορφους, *leoninâ facie* fabricabant, uti ex Oro docet Salmasius *ad Solinum p.* 431. &c. Duravit superstitio recentius quoq; in ævum. *Fontibus* enim & lignis sacrificasse olim Cattos sive Hessos, antequam à S. Winfrido, cognom. *Bonifacio*, primo Episcopo Moguntino, converterentur, docet Willibaldus, primus Episcopus Eistetensis, cujus librum edidit Canisius *Antiqq. Lection. part.* 2. & Serrarius, unà cum Bonifacii *Epistolis*. Eundem Bohemos cultum quoque *Fontibus* præstitisse, legimus apud Joh. Dubravium *Histor. Bohem. lib.* 1. Qui & huic rei firmandæ de Nympharum ab hac gente cultu & id genus Numinum, verba adducit è Procopii *Histor. Goth.* Idem *Histor. lib.* 9. sic scribit: *Cætera in Bohemia tranquilla erant, nisi quòd ad vomitum superstitiosi rursus revertebantur, Lares & Lemures colentes, victimasq; tum ad fontes, tum ad lucos & compita mactantes.* Sed & Peruani, Novi Orbis incolæ, non solùm Mare pro Deo habuere, *Mammacocha* illud appellantes; sed & flumina *Fontesq;*, divinis honoribus affecere, antequam illo Regno potirentur Hispani, teste Joh. à Costa *lib.* 5. *cap.* 2. & 4. V. Vossium *de Idolol. lib.* 2. c. 82. Sanctior eorum usus quòd philosophandi loca antiquissimis temporibus *Fontes* fuisse legimus. Unde juxta *Fontes Beersaba*, lucos sibi & amœna vireta plantasse Abrahamus Patr. legitur Genes. *cap.* 21. *v.* 19. & Christus, ad *Fontem* Jacobi considens, ad Samaritanam primò, dein ad discipulos suos, de rebus ad Regnum cœlorum spectantibus, disseruit, Joh. *cap.* 4. *vers.* 6 & *seqq.* Nempe prima hæc urbium origo fuit, Ad *Fontem* conveniebant pauci aliqui primitus, ac prope eum casam erigebant, hac commoditate è propinquo usuri. Mox pluribus ibidem casis ejusmodi extructis vicus ortus est, à Gr. πηγή, *pagus* appellatus: plures postmodum pagi in unum corpus coëuntes oppidum effecerunt; oppidorumq. semper insigne decus habitum fontes salubri aquâ perpetuò manantes. A' *Fonte*, dicti *Fontani*, qui fontium apud Romanos curam gessere, memorati Martiali *lib.* 7. *Epigr.* 15. ubi de fonte in ædibus Stellæ agit. Hos non magis Aquariorum, quàm Pocillatorum turbæ, annumerari vult Pignorius *lib. de Servis*: ubi ex Jurisconss. vasa hæc recenset salientibus aquis accommodata: *Plumbeum castellum, fistulas sub terra missas, ahenum lateribus circumstructum, fistulas salientes, epistomia, canales, automata, cambaros, perdices, crateres, vasa ænea.* Idem expressiones aquarum *Silenos* dictos, earumque modulos aut ad unciarum, aut ad digitorum rationem, institutas esse, ait. Unde factum, ut apud Paulum JC. in Epistola nescio cujus legamus, ὕδατος τοῦ ῥέοντος δάκτυλον, *aquæ fluentis digitum*: appositè ad veterem *Inscr.* Suessanam, in qua ordo Decurionum Coloniæ Suessæ C. Titio cuidam Chresimo permittit, *Ut. aquæ. digitus. in. domo. ejus. flueret.* &c. Plura de *Fontibus*, iis inprimis, qui præ cæteris aliquâ re notabiles, V. præter Plinium *lib.* 2. *c.*89. alibique, apud Vossium *de Idolol. lib.* 2. *capp.* 63. 70. 73. &c Auctorem *Sinæ & Eur cap.*28. Auctorem Anon. *Orbis Terr. Geogr. & Civ. cap.* 3. §. 21. Alios. Apud Ecclesiasticos Scriptores, *Fons*, vas est in Baptisterio, in quod baptizandi descendebant: κολυμβήθρα & δεξαμενὴ Græcis, uti pluribus ostendit du Fresne *Descript. S. Sophiæ num.* 83. Unde *Descensus ad fontem*, tit. Carminis à Canisio editi *Antiqq Lection. Tom. V. pag.* 745. quo describitur Litania, quæ canebatur, dum baptizandi *ad Fontes* deducebantur:

Mitte sanctum nunc amborum
Spiritum paraclitum,
In hanc plebem, quam recentem
Fons Baptismi parturit.

Influebant autem in Baptisteriorum fontes aquæ vivæ, per fistulas, canales & aquæductus, ut colligere est ex Ennodio *Carm.*149. Anastasio Bibl. *in Hadriano*, Alios: Atque interdum per columnas in medio fontium perforatas effluebant, ut idem Anastasius refert *in Hilaro*, ubi de Baptisterio Basilicæ Constantinianæ. Interdum per figuras animalium, v. g. cervorum, *Ibid.* agnorum, apud eundem *in Sylvestro* &c. Aliud quid sonat, *Fons aureus, cum gemmis*, in vet. Scheda apud Brovverum *Annal. Trevir. lib.* [illegible] *num* 114. ubi vas notat, in quo aqua, ad Missæ sacrificium, ut vocant, in communione Rom. reponitur. V. Car. du Fresne *Glossar.*

Fons Calcarius, vel *Forum Calcarium*, vulgò *Forcalquier*, locus Galliæ, in Provincia, Auctori incerto, cujus Chronicon definit in anno C. 1290. à Catello editum, memoratus: quum in anno 1265. *Carolum Regem, Ducem Apuliæ, Principem Capuæ, Comitem Andigaviæ, Provinciæ, Fontis Calcariæ* (potiùs Calcarii) nuncupat. Olim enim, qui in Provincia dominabantur, modò *Comites Provinciæ & Foricalcarii*, vel *Forcalquerii*: modò à capite regionis, *Comites Arelatenses*, aut *Arelatensium*, dicti sunt. Hadr. Valesius *Not. Gall.* in voce *Provincia.*

Fons Vennæ, vulgò *Fouvens*, castrum Galliæ, in Lingonibus. Hadr. Valesius *in hac voce* &c. Acidulas & *Fontes vinosos*, in Germania, videre est ad oppidum *Swalbach*; in Gallia ad opp. S. Baldomani, in agro Lugdunensi, quibus nomen *le Fontainefort*, quasi dicas, *Fons fortis*. Alios in Aquitania, prope urbem Bessam; in Hispania, prope Valentiolas, in Rhætia prope S. Mauritii vicum &c. Nec omittendus *Fons* juxta Paderbornam *Methorn* vulgò, cujus unus rivus aquâ clarâ, subcœruleâ, tepidâ & ebullienti fluit; Alter frigidâ, turbidâ, albicanti & sapore fortiori præditâ; Tertius mediæ inter utrumque naturæ, aquâ subviridi, clarâ, acidiq; nec injucundi saporis: E quorum medio quæ bibunt aves, mox tremere incipiunt, & convulsionibus correptæ moriuntur, compertumque est sectarum pulmones & intestina quasi contracta apparuisse. In Xansia regni Sinensis provincia magno numero videre est *Fontes Igneos*, quibus etiam ad coctionem incolæ utuntur, Neuhofius *Itiner. Chin. pag.* 12. In Herefordiensi Com. Angliæ, prope Castellum Richardi *Richards Castle* fons est *Fons Ossium*, vulgò *the Bonevvell*, communiter dictus, quòd ossiculis fluat, iis, quæ in ranis sunt, non dissimilibus; quæ licèt omnia eximantur, postridiè eadem tamen copia scatet. Plura talia Fontium miracula V. apud Varenium *Geogr. lib.* 1. *cap.* 7. *Prop* 17.

M. *Fontejus*, amator historiarum, memoratur Fl. Vopisco in *Firmo.*

Fontenæa, vulgò *Fontenay*, illustris in Gallia Familia, Rohanææ ramus. Carolus enim Johannis II. filius minor, pater fuit Ludovici (quo genitus Ludovicus cognom. *Magnus*, Dominos, vel, uti nunc vocantur, Principes *Guimené*, Duces *de Montbazon*, & Comites *Rupefortios* sevit) & Petri Dni *de Gié*, Marescalli Franciæ: cujus filius fuit Carolus Dn. *de Gié & du Verger*, (cujus posteritas in nepotibus defecit) & Petrus Dn. *de Fontenay*, maritus Annæ, quæ hæres primarii Rohanei rami fuerat: Unde in hujus posteris iterum *Vicecomitum de Rohan* Princ. *de Leon* & Dn. *de Soubize*, titulus continuatus est, ac demum Ducalis corona accessit. Donec ultimus masculus ex ea vitam clausit, seu Henricus Dux A. C. 1638. ex vulnere in prælio Reinfeldensi accepto, seu filius ejus (de cujus natalibus magnâ contentione agitatum est) Tancredus, in Parisiensibus motibus extinctus, successione, per Margaritam Henrici filiam, in domum Chabotiam illatâ, V. Phil. Jac. Spenerum *Theatro Nobil. Eur. Part. I. in Ind.*

Fontinalia, erant Fontium sacra, apud Romanos, d. 3. Idus Octobr. celebrari solita. *A' fonte*, inquit Varro *de L.L. lib.* 5. *quòd is dies feriæ ejus: ab eo autem tum & in fontes coronas jaciunt & puteos coronant*, Festus. Jos. Scaliger *Conject. in Varronem d. l.* notat, *Fontinalia* sacra fuisse & ferias ejus fontis, cujus delubrum fuerit, juxta portam Capenam, unde & ipsa *Fontinalis* dicta sit.

Foramen, in Ostiis Veterum duplex fuit. Alterum, per quod immissâ

immissâ ab his, qui foris erant, clave, adducebatur ac reducebatur aliquod ferratum veruculum seu pessulum, quo ostium intus retinebatur vinctum & posti junctum, ut hodieque fit. Alterum, & quidem vetustioris usus, in foribus, quæ seram habebant, ubi non reducebatur *βάλανος*, sed ab imo sursum trahebatur & clavim immissam sequebatur, ut suprà diximus, ubi de *Balanagra* & *Balano*. Hæ ut reserari possent ab iis, qui foris adstabant, satis grande *foramen* supra locum seræ relinquebatur in ostio, per quod manus transmitti quiret, & *βάλανος* in *βαλανοδόκην* demitti claudendæ januæ & rursus eidem aperiendæ *βαλανάγρα* in *βάλανον* immitti. Apulejus *lib. 4. Tunc itaq; — Lamachus — qua clavi immittendæ* foramen *sensim immissâ manu claustrû evellere gestiebat*. Quod latiùs patet ex *Tacticis* Æneæ, in quibus memoratæ fraudes, ab exteris admissæ, circa *βάλανον* eruendam ac dolo evellendam, absque ope *βαλανάγρας*, in plerisque urbium portis, non potuere admitti, nisi per *foramen* dictum. Per hoc enim immisso brachio si quis modulum balani cepisset, ad eum modulum clave factâ, etiam urbe exclusus vel ædibus, falsâ clave per foramen immissâ, fores reserare in proclivi habuit. Quò pertinet lepida historia, de Philosopho Lacyde apud Diog. Laërtium, qui, ubi quid ex penu prompsisset, signaculo (quo promtuaria & cellæ muniri solebant) rursus apposito, annulum quo signaverat, solebat per foramen ostii intro jacere: at servi, eo viso, per idem foramen manu immissâ annulum retrahebant & penu resignato rursumque signo impresso, quæcunq; vellent, indeprehensi ex promtuario amovebant. Cùm itaque nec sera satis secura & in signaculis quoque fraus facilis esset, ad illum modum postea itum est, quem primò memoravimus &c. V. Salmasium *ad Solinum pag.* 926. & *seqq.*

Forceps, inventum Cinyræ, Agriopâ geniti, Plin. *lib. 7. cap.* 56. an Vulcani, qui proinde cum *forcipe* spectatur, in nummo L. Cæsii, de quo suprà: cùm in usum innocentem diu valuisset, postmodum sævitiæ instrumentum esse cœpit, & reis cruciandis, Martyribus inprimis, adhiberi. Et quidem *Forceps*, cujus olim in Martyrum carnificinis usus, triplicis erat speciei, ut Baronius docet *Not. ad Martyrolog. 26. Junii*, è quibus unam hodieque asservari, in Bibliotheca Vaticana, legas apud Dominic. Macrum *in Hierolexico*. Græci *forcipes* ex auro adhibebant, ad tangendam reverentiæ causâ S. Eucharistiam, *λαβίδας* illis dictas: quod vocabulum ab iisdem postea translatum est ad cochleare, quo Eucharistiam secularibus, ut ajunt, conferunt. Id. Sed & *Forcipes*, quorum gemino dente componitur ignis in lychnis, inter vasa ac ministeria sacra Eccles. Roman. reponuntur, à Durando *Ration. lib. 1. cap. 3. num.* 29. V. Car. du Fresne in *Glossar.* in vocibus *Forcipes*, & *Forfex*, ut & suprà, ubi *de Ellychnio*. Imò & *Forcipes* jocis adhibitæ: Sic apud Suetonium Augustus *cap 75. Saturnalibus, & si quando aliàs libuisset, modò munera dividebat, vestem & aurum & argentum: modò nummos omnis notæ — interdum nihil præter cilicia & spongias & rutabula &* forcipes, *atq; alia id genus, titulis obscuris & ambiguis*. Putà, super *forcipe* scriptum erat, *Edentulo detur*: quia *forceps* est *ὀδοντάγρα*, eique utilis, cui vitiosi dentes sunt: super spongia, *Lippo detur* &c. V. Casaubonum *ad l.*

Forctum vel *Fortum*, ab antiquo *Foro*, i. *Fero*, pro bonis & hæreditate. Unde *Forctunus*, i. bonus, & *Forctuna*, i. bona, quo sensu *Fortuna* recentioribus absolutè sumitur; & *fortunæ*, pro bonis. *Forctis* quoque bonus & frugi, pro quo sequens Latii ætas *fortem* dixit. Aliter *Horctum* antiquis, sequenti ævo *Herctum* & *Hertum*, inde *Erctum* & *Ertum*, V. infrà *Herctum*.

Forculus, Deus, apud Romanos, qui *foribus* præerat, Augustinus *de C. D. l. 4. cap.* 8.

Fordicidia, adde: A' *fordis* bubus nomen habuere; quòd ea die publicè imolarentur boves prægnantes. *Forda* enim bos gravida, à *ferendo*. Ovidius *Fastorum lib.* 4.

Forda ferens bos est, fœcundaq; dicta ferendo.

Mactabantur autem singulæ in singulis Curiis, quarum numero 30. erant, teste Livio & Dionysio: idque Terræ Matri. Quod sacrificium à Numa institutum, in agrorum pecorumque sterilitate, latè prosequitur Ovidius *d. l. versu* 630. & *seqq.* Salmasius ab Accus. Græco *φορβάδα* vocis originem arcessit, & *Hordam* quoq; *ὀργάω* dictam fuisse, docet, *ad Solinum pag.* 1013. & 1262.

Fores, à *Fero*, an quia *foràs* aperiebantur, Serv. Priscorum enim ædes *Fores* habuerunt, quæ exterius atque in viam explicarentur: proin, non extrorsum solùm annulum ferreum vel æneum habuerunt, *Corvum* sive *Cornicem* Julio Polluci dictum, ut ex Plauto discimus; Sed & introrsus, quò pulsatis interius, antequam aperirentur, foribus, qui ante ædes in via constitissent, aut illac pertransirent, sibi caverent. Inde apud Terentium non semel legas, egrediente aliquo ex ædibus, *Fores obstrepuisse*, V. Ant. Muretum *Var. lib* 1. *cap.* 17 Quanquam & cardinibus æneis, qui aperiendis foribus stridebant, juxta illud Poëtæ,

—— —— *Cardo stridebat ahenus,*

strepitus ille ab aliis ascribitur. Consuevere autem hujusmodi annuli seu marculi introrsus appendi eorum civium foribus, quibus privatâ lege concessum erat, ut *Fores* ostiis aperiendis sic in viam panderentur: qua de re V. Plutarchum *in Publicola*, & Aristotelem *in magnis Oeconomicis*. Postea, quia sordidum videbatur appenso ut olim marculo eas pulsare exterius, Janitores, Janitrices ac Ostiarii adhibiti sunt: hodie verò hac religione soluti, marculos rursus in usum recepimus, præclarè nobiscum actum censentes, si Ostiarium alere non sit necesse. Introrsum quoque ædium *Foribus* tintinnabula appenduntur, quæ idem, quod marculi olim, monent &c. Hier. Magius *lib. de Tintinnabulis cap.* 19. V. suprà in phrasi, *Aperiri foris*, uti de *Foribus* ædium, interiorumque conclavium muniendi seris pessulisque, signaculis insuper firmandi, ratione apud Vett. usitata, hic passim, in vocibus *Balanagra*, *Balanus*, *Clavis*, *Claustrum*, *Claxendix*, *Foramen*, *Obex*, *Pessulum*, *Sera*, &c. de *Foribus* item *Cancellatis*, seu *Reticulatis*, *Duplicibus*, quas *Δικλίδας* dixere Græci, *Quadruplicibus*, quas *Δίθυρ*..., *Valvatis* &c. suo loco. Addam hic saltem, Gynæceorum inprimis apud Græcos sigillo & pessulo à maritis obfirmari consuevisse, uti queritur illa apud Aristoph. *Thesmophor.*

Εἶτα διὰ τοῦτο ταῖς γυναικωνίτισιν
Σφραγῖδας ἐμβάλλουσιν ἤδη καὶ μοχλούς,
Τηροῦντες ἡμᾶς, καὶ προσέτι Μολοττικοὺς
Τρέφουσι μορμολυκεῖα τοῖς μοιχοῖς κύνας.

De quo more etiam Menander, apud Stobæum, irridens eos, qui tam arctè uxores observent:

Ὅστις δὲ μοχλοῖς καὶ διὰ σφραγισμάτων
Σώζει δάμαρτα, ...
Μάταιός ἐστι, καὶ φρονῶν οὐδὲν φρονεῖ &c.

V. Joh. Kirchmannum, *de Annulis cap.* 10. & suprà in hac voce. Constat autem apud Gentiles præfuisse iis varios Deos, Forculum, V. suprà: Limentinum, qui limini præerat: Cardeâ, seu Carneâ, cui cardinis cura erat commissa: Janum, qui omnibus domus januis præfectus erat. Cui cùm ante focos aras Græci, haud procul à foribus, statuerent, Macrobio auctore, hinc in antiquis monumentis homines recensentur, *à Jano primo Palatino*, *à Jano medio*, *à Jano ab atrio*, & in genere *à Jano* dicti, qui à Janitoribus proximi ministri fuere. Sed de his V. infrà in voce *Janua*, *Janus*, *Ostiarius* &c. Nec curæ Deûm *Fores* commisisse contenti, *Fores* valvasque Numinum religiosè venerabantur, falsè notati B. Augustino *de Civ. Dei lib. 4. cap.* 8. Unde successu temporis nata superstitio, Fores fanorum, nominibus Divorum ascriptis, velut consecrandi; de qua Jamblichum videre est, *Pythag. lib. 1. cap.* 2. ubi, inter alia, Mnesarchum è Syria in insl. Samum reducem ibi Templum Apollini erexisse, cum *Inscr.* ΠΥΘΙΟΥ, memorat: more ad Christianos inde delato, quos januas Templorum picturis ornasse, discimus ex facto Epiphanii, id improbantis, relato à B. Hieronymo *Epist* 60. Hinc *Foribus ædium sacrarum caput illidendi*, magna in calamitate, mos, notatus Casaubono *ad Suetonium*, ubi hic de Augusto post acceptum de clade Variana nuncium. *Adeò*, inquit *consternatum ferunt, ut per continuos menses barbâ capilloq; summisso, caput interdum foribus illideret* &c. Aliquid enim religionis facto huic infuisse judicat, & ad fores ædium sacrarum transfert. Quemadmodum apud Tibullum legimus,

Non ego tellurem genibus prorepere supplex,
Et miserum sancto tundere posse caput:
Non ego si merui, dubitem procumbere Templis,
Et dare sacratis oscula liminibus.

Nempe putabant miseri, hac sui injuria leniri Deûm iram, ut Cicero docet 3. *Tusculan.* ex qua opinione multa fluxerunt in veteres ritus. Sed Suetonii verba & Florus & Oropius simpliciter acceperunt, & *parietem* pro *foribus* ambo posuerunt. Occurrunt autem sæpe istiusmodi *detestabilia genera lugendi*, ut idem Cicero *ibid.* vocat, qua de re infrà. Interim non omnibus Deorum Fanis suæ *fores*, uti nec parietes omnibus, erant. Meminit namq; Pausanias *in Atticis* Junonis Templi *οὔτε θύρας ἔχοντος*, *foribus carentis* in via à Phalero Athenas deducente. Cujusmodi templorum latera aut circuitus nullibi clausus, sed columnarum interstitiis ita tantùm distincta erant, ut ostii loco intercolumnium circumquaque quodlibet pariter haberetur; maximè in systolis & diastolis. V. Jo Seldenum *de Synedriis lib. III. cap* 16. §. 2. Quibus verò erant iis porro plerunque non nisi à *Foribus* lumen, unde magna illis obscuritas, venerationi conciliandæ utilis credita. Nec celebriores apud priscos *Fores* fuere foribus templi Jani, quas

—— *Sanguinei magna ostia belli*,

Val. Flaccus vocat *Argonaut. lib.* 5. Duæ autem fuere, Virgilio *Æneid. lib* 7. quibus reseratis, bello omnia fervere: clausis, quod tribus tantùm ab U. C vicibus contigit, pax alma mundo allucere solita est, Thom. Dempsterus *Paralipom. in Jo. Rosini Antiq. Rom. lib. 2 cap* 3. Sed de iis plura infrà, in voce *Janus*. Uti autem *Fores* suas Numinibus, & Numinum ipsorum ..., sacras habuere Gentiles, sic celebritate aliquâ jubente, aut aliâ quadam ratione invitante suas alienasque floribus, corollis, luminibus ex ornare sunt soliti. Unde Tertullianum habemus declamantem adversùs Christianorum illos, qui Gentilium more laureis postes suos exornabant, *de Idolis cap.* 16. ubi exemplum judicii divini in quendam recitat, cujus, ipso absente atque inscio, servi postes coronaverant, additque: *At luceant opera vestra; sed nunc lucent tabernæ & januæ nostræ: plures jam invenies Ethnicorum fores sine lucernis & laureis quàm Christianorum.* Nuptiarum die *Fores* myrto, exequiarum cupresso, iidem coronavere, de quo ritu alibi. Sed &

clientes patronorum, & amantes amicarum, & tenuiores potentiorum, *Fores* sertis redimire consueverunt, uti pluribus docet Car. Paschalius *Coronarum lib. 2. cap. 5.* Etiam Triumphalium virorum fores laureatas fuisse, discimus ex Seneca *ad Polyb. cap. 35.* Oratorum item, qui adversarios sæpe superassent: horum enim januas palmâ coronatas, ait Lucianus *Rhetor. Præc.* &c. V. plura hanc in rem hic passim, inprimis ubi *Coronis*, *Floribus*, *Marz* *gis*, *Postibus*, alibique.

Foreste Dominicum, in *L.* Longobard. *lib. 1. tit. 22. §. 7.* & apud Eginhardum *Epist. 7.* Silva Regia est: cujusmodi sylvas, majores sc. Principes sibi solis reservabant, quò in illis, certis anni tempestatibus, venarentur, aliis earum usu prorsus prohibitis. Unde Gunterannus R. Chundonem Cubicularium Regium, qui venando bubulum in Vosago occiderat, morte mulctasse legitur, apud Gregorium Turon. *lib. 10. cap. 10.* Sed & ipsis Regum filiis in iis venari nefas fuisse, disertè habetur in *Capitulis* Caroli C *tit. 43. cap. 32. In quibus ex nostris palatiis filius noster, si necessitas non fuerit, morari, vel in quibus forestibus venationem exercere non debeat. Carisiacus* (prope locum, qui hodie *Kiersi sur Oyse*, in pago Suessionensi) *penitùs cum forestibus excipitur. Silvacus* (hodie *Silve* locus dicitur, haud procul Farâ opp. in pago Laudunensi) *cum toto Laudunensi similiter. Compendium cum Causia* (quæ & *Cuisia*, hodie *Forest de Compiegne*) *similiter. Salmontiacus similiter. in Odreia villa* (inter Ambianos & Atrebates, hodie *Aire*, cui adjacet *Vastlau*, silva ingens) *porcos non accipiat: & non ibi caciet, nisi in transeundo. In Attiniaco parùm caciet. In Verno porcos accipiat tantùm. Arduenna penitùs excipitur, nisi in transeundo, & villæ ad servitium nostrum similiter. In Ligurio porcos & feramina accipiat. Aristallum* (seu *Herstallum*) *cum foreste penitùs excipitur. In Lens* (oppidul. etiamnum in Atrebatibus) *& Wara & Asteniaio* (*Stenay* fortè in Lotharingia) *& feramina & porcos capere potest. In Rugitusit, in Scadebile & in Launif, tantummodo in transitu & sicut minùs potest. In Crisiaco* (seu *Crisciaco*, hodie *Cressi*, in Comit. Pontivi) *similiter. In Lisgo porcos tantùm accipiat. Ut Adelelmus de forestibus diligenter sciat, quot porci & feramina in unaquaq; à filio nostro caciata fuerint.* Præter quas *Forestas Dominicas*, etiam *Aquisgranensis* meminit *Charta* Caroli M. pro Eccles. Osnabrug. A. C. 804. & *Vogasi*, Gregor. Turonensis *lib. 10. cap. 10.* aliiq; passim. Fiebant autem istæ venationes, à Principibus, cum tota Palatii Comitiva: unde *Venationes publicæ* vocantur ipsæ Forestæ Regiæ in *Chron.* Montis Ser. idque sub Autumnum ut plurimùm, unde *Venationes autumnales* dicuntur Eginhardo *A. C.* 817. 819 820. Quibus qui præerant, *Forestarii Regii* seu *Custodes Regiorum Saltuum* nominantur, apud Flodoardum *Histor. Rem. lib. 3. cap. 10.* V. Car. du Fresne *Glossar.* & infrà in voce *Protoforestarius*. Addam hic saltem, Francorum Reges priscos subjugatâ Galliâ, præcipuis Ducibus suis, partem Flandriæ, quam s. *Forestarii*, possidendam tradidisse. Quæ dignitas postquam durasset ad Caroli M. seu, ut alii volunt, ad Caroli Calvi principatum usque, sub hoc mutato Flandriæ regimine, in *Comitatus* dignitatem evecta, & *Forestarii* nomen in *Comitis* conversum est. Temple Eques Anglus *l' Estat des provinces unies.*

Foricella, locus Galliæ, in sylva Crisciacensi, dictus à sylva proxima atque cœnobio, quò Richarius secessit ibiq; obiit. Vulgo *Forestmoustier*, id est, *Forestis monasterium*. Abest à Centulo vico pagi Pontivi 10. m. p. ibiq; Richarius in honorem B. Mariæ Monasterium inchoavit, referente Hariulfo. A' capite autem pagi Pontivi in Ambianis Abbatisvilla, 2. leuc. ad Ortum versùs Centulum opp. & Mon. distat, positum ad Scarduonem amniculum, *Riviere aux Cardons*, qui in Suminam devolvitur, contra Abbatisvillam. Hadr. Valesius in voce *Centulum*.

Forfices, acies *forficum* instar instructa, apud A. Gellium *lib. 10. c. 9.* V. quoque suprà in *Forceps*.

Fori, V. infrà *Forus*.

Foricarii, memorati Paulo *l. 17. §. fiscus Dig. de Usur.* Κοπρῶνες B. Chrysostomo *in 1 ad Cor.* dicebantur illi, qui, ut Juvenalis,

Conducunt foricas, *& cur non omnia?*

Nempe simile exercebant vectigal illi, quod Vespasianus instituit, exigendo stipem ab iis, qui per diem vesicam exonerare vellent, amphoris, quæ per angiportus erant collocatæ, uti infrà dicemus. Eorum [illegible] *miserum & probrosum*, dicitur *Ibid.* Cui etiam aliud simile vectigal ab eodem Imp. excogitatum, & fimo equino impositum, narratur Tzetzi *Chil.* incertum quâ fide, quo Auctore. Tandem verò & urina & fimus omnes sordes factæ in Imperio Rom. vectigales, It. Casaubonus *ad Suetonium in Vespasiano cap. 23.* V. quoq; Cedrenum *in Anastasio*, tributum Chrysargyrum describentem.

Fornix Curia, una ex 30. Curiis Rom. V. Rosinum *Antiqq. Rom. lib. 6. cap. 3.*

Foris cœnare apud Romanos olim frequens. Quo fine illis Adversitores serviisse fuere, qui dominis *ad versum* ibant, officii & tutelæ gratiâ, teste Donato in *Adelphis*: quique per vias de lapidibus, quos offendere possent, monerent, Apulejus *Metamorph. lib. 11.* Anteambulones item, qui adventum Dominorum præmittebantur nuntiaturi, de quibus Plinius *lib. 1. Epist. 5.* & Juvencus *lib. 4.* videndi. Porro Lampadophori & Tædigeri, qui præcincti lumbos & lychnos ferentes, Dominos domi præstolabantur, à cœna revertentem, aut eorum erant comites. Tibicines quoque nonnunquam ac Fidicines. Val. Max. *lib. 3. cap. 6. Cajus autem Duillius, qui primus navalem triumphum ex Pœnis retulit, quotiescunq; epulaturus erat, ad funalem cereum, præeunte tibicine & fidicine, à cœna domum reverti solitus est.* Et verò sine his dominus bene potus qui domum se contulisset? Propertius *lib. 2. Eleg. 22.*

Hesternâ mea lux cùm potus nocte vagarer,
Nec me servorum duceret ulla manus;
Obvia nescio quot pueri mihi turba minuta
Venerat ———

V. Pignorium *Comm. de Servis*, & Tit. Popmam *de Operis Serv.* Apud Scriptores Eccl. *Foris esse* dicuntur Gentiles, Excommunicati, Hæretici. At *Foris — habitans*, in *LL.* Burgorum Scotic. *cap. 3.* Gallis *Forain* est, extraneus &c.

Forismaritagium, appellatum Forensibus Gallis est ea præstatio, quæ à servis seu adscriptis glebæ, exsolvebatur, pro facultate conjugis sibi adsciscendi ex libera conditione ac ingenua: vel ex servis alterius dominii Servus enim ancillam alienam, nisi Domini assensu, accipere non poterat. *l. Sal. tit. 27. §. 6* Sed & nec conservam suam, Eginhard. *Epist. 16.* nec liberam, ut est in *Epist. 15.* Quod etiam stante Romanorum Rep. quadantenus obtinuisse, testatur Tertullianus *lib. 2. ad Uxor. Nonne quiq; domini & disciplinæ tenacissimi, servis suis foràs nubere, interdicunt? Scilicet ne in lasciviam excedant, officia deserant, dominica extraneis promant* &c. Itaq; si qui consensu Domini non impetrato cum extranea vel extraneo nuptias iniissent, in illius *forisfacto* erant, ut & eorum bona, h. e. in caducum veniebant: cujus quidem moris memorabile exemplum habes apud Joann. Hocsemium *in Historia Episc. Leod. lib. 5. cap. 23. sub A. C.* 1296. Quia verò dominis interdùm tot adscriptitii servi non supererant, ut inter se nuptias inire possent, cogebantur illi cum alterius conditionis vel dominii viris fœminisq; matrimonia contrahendi facultatem iis impertiri, modicâ præstatione illis persolutâ: hacque conditione, ut liberi, qui ex iis nascerentur, inter dominos dividerentur, ut est apud Glanvillam *lib. 5. cap. 6.* Interdum etiam, in hoc casu, servorum seu adscriptitiorum inter dominos permutationes fiebant: ita ut si quæpiam adscriptitia alterius domini adscriptitio nupsisset, cùm illa legem mariti sequeretur & proin in alterius transiret dominium, vicissim mariti dominus alteram conjugis adscriptitii domino ejusdem probitatis ac notæ restituere teneretur &c. E' quibus satis patet, *Forismaritagium* præcipuum fuisse servitutis glebalis argumentum: unde in ejusmodi servorum manumissionibus, *manus mortua* & *forismaritagium*, in libertatis indultæ notam, remitti à dominis consuevere. V. hanc in rem plura, apud Car. du Fresne in *Glossar.*

Forma, apud Trebellium Poll. *in Victoria, Cusi sunt ejus nummi — quorum hodieq; forma extat apud Treviros*: Τύπος est seu signaculum archetypum, quo nummi formantur, [illegible] recentiores Græci dixere. Alibi, est nummi χαρακτὴρ, Latinis quoque *Figura*: Lampridius *in Alexandro Sev. nummos electrinos & aureos vultu Alexandri Magni figuravit.* Apud eundem *in seqq.* ipse nummus *formatus*, h. e. figurâ seu Principis charactere donatus: *Formas binarias, ternarias — usq; ad bilibres quoque & centenarias, quas Heliogabalus invenerat, resolvi præcepit*, h. e. nummos aureos, binos, ternos &c. aureos pendentes &c. V. Salmasium *ad Histor. Aug. passim*, præsertim *ad Lampridium l. cit.* Item Τύπος seu Epistola, litera *formata*, cui impressa est *forma*, seu imago scribentis, in sigillo sc. *Formæ* nomine passim venit. Unde Θεῖοι τύποι, *sacræ formæ*, quæ *Sacræ* nudè postmodum appellatæ sunt, apud Ulpianum, Capitolinum *in Antonino*, alios: quâ voce Constitutiones Principum dictas esse, observat Casaubonus *ad Lamprid.* V. infrà. In Eccl. Rom. *Forma* etiam sella est seu solium canentium in Choro, duplici constans parte, antica & posticâ: in quarum ista sedilia sunt plicatilia, cùm canentibus stare incumbit. Sic verò dictæ sedes ejusmodi videntur, quòd *formæ* seu imagines opere sculptorio vel penicillo adumbratæ in singularum *dorsalibus* effingerentur: vel potiùs, quòd supernè in modum formarum aquæductuum arcuatæ sint. Pars autem illa plicatilis erecta, præbens quandam sediculam, *Misericordia* vocitatur, V. in hac voce. At antica pars podii vicem præbet, ad quod procumbunt & curvantur, cùm venia petenda est &c. V. Car. du Fresne *Glossar.* De *formæ* verò amplitudine, quomodo eam, utpote vulgo gratam, apud Græcos Romanosque Principes viri, fœminæ inprimis, juvare solitæ sint, infrà ubi de *Subere*.

Formales Epistolæ Lat. quæ Græcis Ἐγκυκλίαι, V. suprà.

Formarius, dignitas in Monasteriis, qui *in bonis sit forma*, ut loquitur Ferreolus *in Regula cap. 17.* unde nomen, i. qui cæteris Monachis vitæ sanctitate præluceat, seu potiùs, qui Monachorum *spiritualitati* invigilet, in *Regula* S. Bened *cap. 58.* Gall. *Pere spirituel.* Hinc *Formaria*, simile in Monasteriis fœminarum munus. *Regula* Cæsarii *ad Virgines cap. 37. Si quis verò germanam suam, vel filiam — videre voluerit, præsente* Formariâ *vel qualibet seniore ei colloqui non negent.* Idem. V. quoq. Macrum *Hierolexico*.

Formata, in eadem Communione S. Eucharistia dicitur, à *forma* seu figura crucis sive Christi, ei imprimi solitâ. Durandus

lib 4. cap 41. Σφραγὶς, figura, in Liturgia vet. V. infrà, in voce Oblata. At Formatæ Ecclesiasticis Scriptoribus appellantur Epistolæ, quæ Græcis Κανονικαί, quòd Canonibus & Conciliorum Statutis introductæ fuerint. Maximè verò veniunt hoc nomine Epistolæ: Commendatitiæ, Pacificæ, Dimissoriæ, Communicatoriæ, aliæque hujusmodi, quas ad hoc invenere sancti Patres Concilii Nicæni, ut ait Atticus Patr. CP. ne aliqua fraus falsitatis temerè præsumeretur. Dabant enim Formatas Episcopi Clericis in alias diœceses profecturis, seu commendationis seu dimissionis seu communionis gratiâ. A' formis seu literis, quæ in earum fine solitæ apponi; nam formas literarum dixit Quintilianus lib. 1. cap. 1. seu potiùs à sigilli forma, quâ muniebantur. Formatam certè sigillatam interpretantur Glossæ Vaticanæ, [illegible] vertit Græcus Interpres Concilii Carthagin. sigillumq; iis adpositum, testatur Concilium II. Cabillon. can. 41. & Rathodus Trevir. in Formata sua apud Ivonem. Est autem forma hoc loco idem quod imago, seu typus, quòd in Episcopi, à quo exarabantur & dabantur istiusmodi literæ, sigillis, illius, vel Ecclesiæ patroni, figuræ exprimerentur: id quod testantur passim vetustissima Episcoporum vel Ecclesiarum sigilla. Quemadmodum dici videtur Lex formata, in l. 4. Cod Th. de Privil. eor. qui in sacro Pal. mil. lex sacro Principis typo vel sigillo munita, quæ Græcis istius ævi Τύπος passim appellatur. Sic Sigillum posterior ætas dixit Epistolam, sigillo munitam, uti docet Car. du Fresne in Glossar. in vocibus Formatæ & Sigillum. Formulas Epistolarum Formatarum complures dedit Sirmondus ad calcem Tomi II. Concill. Gall. item Papias in voce Formata.

Formellæ casei, apud Vulgatum Interpretem 1. Sam. cap. 17. versu 18. sunt casei ex formellis seu fiscellis, expressi; minùs propriè: nam formellæ seu τάλαροι seu fiscellæ, ex quibus caseus exprimitur, aliud sunt ab ipso caseo. Hinc barbaris seculis, formatica & formagines casei dicti sunt. Itaque in Aristotele, pro Græca voce ταλαρίδων, formagines dixit Gaza Histor. Animal. lib. 3. cap. 20. Pertinent autem ad casei formas seu fiscellas, hæc Gregorii Naz. Carm. 4.

> Τοῖς μὲν ἐμὸν ἁπαλὸν πλάσθη φρένα καὶ πέπηγεν
> Οἷα τυρὸς, ταλάρῳ λάεσσιν ἀυτὰ τύπου.
> Per hæc mens tenera mihi efficta est, & ut caseus nuper coagulatus,
> Fiscellæ formam protinus sumsi.

Et Carm. 49.

> Ὡς τυρὸν πλεκτοῖσιν ἰσόδυπον ταλάροισιν.
> Ut caseum flexis fiscellis similem.

V. Hesychium in [illegible], [illegible] & [illegible], & Bochartum Hierozoici Part. prior pag 316.

Formica, cognitionis & solertiæ symbolum, apud Arabes & Ægyptios, quarum hi [illegible], [illegible], Cognitionem exprimere volentes, formicam pingunt, Horus Apollo lib. 1. cap. 49. Illi in pueri nascentis manu formicam ponere soliti, addunt precem, Evest is ingeniosus & solers, Alcam. Sed & apud Græcos vetustissimos id animalculum ἴδρις vocabatur, i. docta & perita, ut apud Hesiodum videre est: cujus rei rationem pluribus exponit Sam. Bochartus Hierozoici Parte prior. lib. IV. cap. 22. Unde Plato in Phædone statuit, hominum πολιτικὸν καὶ ἥμερον γένος, civile & mite genus, post mortem in apes aut formicas migrare, & vicissim ἄνδρας μετρίους, homines modestos, ex illis progenerari &c. Idem animal pro modulo staturæ, plus robore valet & graviora fert onera, quàm ullum aliud. Unde Ovidius Metamorph. lib, 7.

> Grande onus exiguo formicas ore gerentes.

Et Plinius, Si quis comparet onera corporibus, earum fateatur nullis portione vires esse maiores. Ex Arabibus quoque Damir, Narratur non nemo cuidam Regi dixisse, Formicæ vires tibi indidit Deus. Quod cùm Regi displicuisset: at, inquit, ô Rex, nullum est animal præter formicam, quod pondera ferre possit se graviora. Et gentium una est, nomine Gerham, quam per formicas perdidit Deus. Fortasse in India, ubi omnes cibos & vestes conficerent, nisi promtuaria & cistæ procul à parietibus, quatuor columnis suspenderentur, pelvibus aquâ plenis ad columnarum pedes appositis, ut formicis inaccessæ sint. Quamvis ne sic quidem omnes arceantur: Glumas enim & minutas paleas pro cymbis adhibentes navigant, quocunque volunt. V. Benedum Curtium lib. 14. cap. 5. de Hortis, Quò pertinet Philippi Epigramm. de Rustico, qui mellis urceum ut à formicis defenderet, in mediis posuerat aquis, Anthologiæ lib. 1. cap. 33.

> Οἱ δὲ νέας καλάμας ὀχεύμενοι αὐθαίρετοι
> Αὐθαιρέτῳ σπεύδοντι ποσὶ ναυτικῷ ἐπεχέοντο.
> Illæ autem novas paleolas recentes per se ferentes,
> Suo ipsarum remigio celeriter accurrebant &c.

V. de cultu divino Formicæ, à Thessalis exhibito, Tob. Pfannerum Systemate Theol. Gentil. pur. cap. 1. §. 2. Plura verò de solertissimo hoc animalculo, apud Aristotelem, Ælianum, Plinium lib. 11. cap. 31. alibique passim, inprimis Vossium de Idolol lib. 4 cap. 7; Bochartum ubi suprà & Auctorem Anonymum Sinæ & Europæ cap. 38. Addo saltem, quòd palpebras nigrorem conciliare, ova formicarum cum muscis tritâ, ex vet. luxuriæ disciplina, tradit Plinius lib. 30. cap. 15. Quia verò Formica pusillum est animal, hinc Formicæ Scoticæ, per ignominiam & contemptum, ut pusilli, olim ab Anglis Borealibus vicini Scoti, quos animitus oderant, sunt cognominati, Ofthe Scotch tikes. Matthæus Paris. A. C. 1174. De formicis Scoticis tot interfectæ referuntur, quòd numerum omnem excedere dicebantur, apud C. du Fresne Glossar. De Formica succino inclusa, sic Martialis lib. 6. Epigr. 15.

> Dum Phaëthontea formica vagatur in umbra,
> Implicuit tenuem succina gutta feram:
> Sic modò quæ fuerat vitâ contemta manente
> Funeribus facta est nunc pretiosa suis.

Formido, peculiare Gentium Idolum. Hyginus Fabb. cap. 145. Jo. Hanc Jupiter dilectam compressit & in vaccæ figuram convertit — Id Juno cùm rescirct, Argum, cui undiq; oculi refulgebant, custodem ei misit. Hunc Mercurius Jovis jussu interfecit. At Juno Formidinem ei immisit, cujus timore exagitatam coegit, ut se in mare præcipitaret. In ministerio Furiarum. Varro Eumenidib.

> Sed nos simul at summum in speculam pervenimus,
> Videmus populum, Furiis instinctum tribus
> Diversum ferri, exterritum Formidine.

Quò alludit Ausonius Protreptico,

> —— Nec te clamor, plagæq; sonantes,
> Nec matutinis agitet Formido sub horis.

Terrenis enim pueris barbaras facies pingebant, sicut de Batavi vultu testatur Martialis Apophoret. 176. Terriculaq; hujusmodi idola dicebant Vett. Lucilius apud Lactantium lib. 1 cap. 21.

> Terriculas, Lamias, Fauni quas, Pompiliiq;
> Instituere Numæ —

V. Casp. Barthium ad Statium Thebaid. lib. 5. vers. 68. Hinc ad feras translatus Formidinis usus, sicque Venatoribus dicta est linea pennis distincta, quâ visâ illæ territæ in insidias agebantur, cervi potissimum. Virgilius Georgic. lib. 3.

> Hos non immissis canibus, non cassibus ullis,
> Puniceæve agitant pavidos formidine pennæ.

V. quoque eum Æn. lib. 12. Ovidium Metamorph. lib. 15. Fab. 43. Lucanum lib. 3. versu 437. Oppianum Halieut. lib. 4. Ausonium Epistol 4. Nemesianum Cynegetic. sub fin. præterea, Senecam de Clem. lib. 1. cap [illegible] alterum in Hippolyto, Arrianum in Epictetum lib. 2. cap. 1. Hieronymum in Orthodoxi & Lucifer. Dialog. cap. 3. Augustinum de Nupt. & Concup. lib. 1. Sam. Bochartum Hierozoici Parte prior. lib. III. cap. 26. & infrà ubi de Pennis. Unicum addam hic Senecæ locum de Ira lib. 2. cap. 12. Cùm maximos ferarum greges linea pennis distincta contineat & in insidias agat, ab ipso effectu dicta formido &c.

Fornacalia, festa erant apud Romanos, non stata illa quidem, sed indictiva, quæ fiebant Deæ Fornaci, Festus. Indicebantur autem die 17. Febr. à Curione Maximo: Auctor eorum Numa Pompilius, qui teste Plinio lib. 18. cap. 2. instituit Deos fruge colere & molâ salsâ supplicare, atq; far torrere, quoniam tostum cibo salubrius esset. Id uno modo consecutum, statuendo, non esse purum ad rem divinam nisi tostum. Is & Fornacalia instituit farris torrendi ferias & æquè religiosas terminis agrorum. Hos enim Deos tum maximè noverant. Tum itaque ad Fornacem, quæ in pistrinis erat, fiebat sacrificium, Joh. Rosinus Antiquit. Romanar. lib. [illegible] cap. 6. in quod Paralipomenis suis notat Thom. Dempsterus: [illegible] Romanos solâ pulte victitasse, incognito panis usu. V. plura apud Plutarch. Problem. Rom. cap. 89. Lactantium Divin. Instit. cap. [illegible] &c. ut & infrà in voce Mola. Eadem Fornicalia quoque dicta, V. ibi.

Fornax, Dea à Romanis habita est, quoniam, ante triticum & ejus usum, far fornacibus torrebatur. Unde Virgilius Georgic. [illegible] versu 267.

> Nunc torrete igni fruges.

Et Æneid. lib. 1. versu 184.

> Et torrere parant flammis.

Eius meminerunt Festus, Lactantius & Ovidius in Fastis. V. supra. Meminit Fornacis quoque Cato, ut & servi Fornacarii, Ulpianus ille tit. 38. hic l. 27. §. 9. ff. ad L. Aquil. Qui fornacem balnei caminumque succendit, Fornacator dictus est, l. 14. ff. de instr. vel instrum. legat. eundem Ulpianus Fornacarium nominat, lege modò laudatâ, cujus hæc sunt verba: Si Fornacarius servus colonis ad fornacem obdormisset, & villa fuerit exusta, Neratius scribit ex locato conventum præstare debere, si negligens in eligendis ministris fuerit. Sunt tamen etiam qui Fornacarium intelligunt pistricem [illegible] pistorem quoque. V. Pignorium de Servis & Tit. Per [illegible] operis Servor. Sed inter loca, quæ non intra balneas essent, verùm ipsis tantùm inservirent, primò Hypocaustum erat, quod, secundùm Vitruvium, erat fornax seu caminata structura subter [illegible] Calidario, Calidæ Lavationi atque Vasario (partibus Balnearum) supposita, in qua ad calefaciendum tum aquam, [illegible] prædicta, ignis succendebatur; qui ne extingueretur, à [illegible] Fornacatoribus ob id, in Pandectis à Papiniano vocatis, [illegible] ter cum pilis & glomis pice illitis excitabatur: lignis quoq; [illegible] meminit Plutarchus Sympos. lib 3. probl. 10. ubi ait, Ædilem [illegible] se, ne ignis balnearum extra incenderetur, neq; in eum [illegible] tur foliis, quòd horum nidores gravedinem capitis & vertigines

lavantibus invehant &c. Hieron. Mercurialis *de Arte Gymnast. lib* 1. *cap.* 10. V. & infrà, ubi *de Hypocausto.*

Fornix, cameræ species, instar hemicycli. Hinc de arcu triumphali, non rarò apud Auctores: quoniam prima illorum forma semicircularis fuit. Postea verò quadrati esse cœpere, ita ut in medio ampla esset porta *fornicata*, & ex ejus utroque latere aliæ minores additæ: Intra mediæ autem portæ *Fornicem* Victoriæ alatæ pependerunt, quæ demissæ Victori transeunti coronam imponerent. Sicut in superiore ejus parte spatia erant, in quibus aliquot homines, vel qui tubâ canerent, vel qui tropæa maximè insignia ostentarent: quæ magnificentia Augusti temporibus, vel paulo antè, cœpit. V. Joh. Rosinum *Antiqq. Roman. lib.* 10. *cap.* 30. Quia verò in *Fornicibus* meretrices habitare consueverunt, hinc pro lupanari seu meretricia sella, vox porro sumi cœpit. Unde *Fornicatores*, ut *migeu*, quibus apud vett. Christianos septem pœnitentiæ annos injunctos legimus, ut viz. duobus primis annis à precibus expellerentur & se deflerent ad fores Ecclesiæ, duobus aliis audirent; duobus sequentibus prostrati manerent, uno consisterent, sicque octavo demum ad communionem admitterentur, apud Basilium M. *Epist Canon. ad Amphiloch.* V. Joann. Forbesium *Instructionum Historico-Theologic. lib. XII. cap.* 6. §. 7. De *Fornicum* verò inventione, Plinium *lib.* 7. *cap.* 56.

Forovibiensis Ager, memoratus Solino *cap.* 2. V. in voce *Forum Vibii.*

Fors, Fortunæ epitheton, i. *bona*, pro quo recentiores *Fortuna* absolutè dixere. V. de voce antiqua *Forctis* & *Forctum* multis differentem Salmasium *ad Solinum pag.* 1262. De *Forte Fortuna* verò, infrà in voce *Fortuna.*

Fortenses, dicti milites legionis X. de quibus V. Henr. Valesium *ad Ammianum lib.* 18. *sub fin.*

Fortuna, adde: Quasi *Vortuna*, à volubilitate. Nam quæ priùs à *verto* dicta est *Vortuna*, postea mutato V. in digamma F. affinem literam, *Fortuna* appellari cœpit. Hæc in Selectorum quidem Deorum numero non fuit, interim potentissima habita est, & pluribus nominibus ornata, de quibus paulò pòst. Hinc servus ille Pseudolus, apud Plautum:

Centum doctûm hominum consilia hæc devincit Dea
Fortuna, atq; hoc verum est proinde ut quisq; Fortunâ utitur,
Ita præcellet, atq; exinde sapere eum omnes dicimus.

Imò quidquid ductu alicujus Imperatoris feliciter gestum esset, id omne *Fortunæ* dabatur. Quam *bellicum casum* exponit Servius *ad Æn.* 9. *versu* 41. Alii *Fatum*: Nonnulli *auspicia* appellant: atque adeò etiam absente Duce, prosperè gesta ejus *Fortunæ* imputabantur. Nota Timothei Atheniensis felicitas, quamdiu cœco huic Numini rerum suarum cursum ascriptum ivit: qui quamprimum suæ prudentiæ quidquam attribuere cœpit, aut fortitudini minùs prosper fuit: Et Sulla Romanus *felix*, quàm *fortis*, dici maluit. Quomodo effigiaretur ejus icon, notum, & exprimit illud Pacuvius, ut refert auctor *lib.* 1. *Rhetor. ad Herennium.*

Fortunam insanam esse & cæcam & brutam perhibent Philosophi,
Saxoq; illam globoso instare prædicant volubilem &c.

Apud Lactantium *div. Instit lib* 2. *cap.* 29 *Simulachrum ejus cum copia & gubernaculo fingitur.* Qualem pro *Virgine* in astra nonnulli retulerunt, non viz. quæ cœca & sine capite fingebatur; sed quæ felicitatis & abundantiæ habebat significationem, quæque eadem cum Iside ac Cerere, uti videre est apud Hyginum & Avienum. Atque hoc modo *Fortuna Principis* & *Fortuna Regia* & *Augusta*, in nummis & saxis veteribus exsculpta visitur. Salmasius *ad Solinum pag.* 1236. Alii alas quoque ei tribuunt: Horat. *lib.* 3 *Od.* 29.

— —— *si celeres quatit*
Pennas, resigno quæ dedit ——

Primus ei Romæ templum dedicavit Ancus Martius, sorore Numæ natus, *Virilemq;* cognominavit, teste Plutarch. *de Fortuna Rom.* Meminit templi P. Victor *in descript.* XVI. *urbis reg.* Post Ancum plurima eidem templa posuit Servius Tullius, *Primigeniæ* nempe, *Consequentis, Privatæ* & *Viscosæ*: alii dein eum sequuti aliis nominibus eam consecrarunt, ut infrà dicetur. Sed & *Fortunam auream*, velut pignus Majestatis, in cubiculis suis Romani Principes habuere, quam morituri ad eum transmittebant, qui illis esset successurus. Jul. Capitolinus *in Antonino Pio*, *Fortunam auream, quæ in cubiculo Principum poni solebat, transferri ad eum jussit.* V. eundem *in Marco* & Spartianum *in Severo.* Ad quem morem allusit Marcellinus, cùm recensens ea, quæ Valentiniani obitum præcesserunt, inter alia uxorem ei per quietem visam capillis passis amictuque squalenti horridam, *fortunam ejus esse cum tetro habitu jam discessuram*, æstimatum fuisse, ait. Non verò is antiquior ignis prælatione fuit, cujus mentio in eorundem Principum historiis demum: nam Domitianus Minervæ simulachrum in cubiculo habuit, Casaubonus *ad Julium Suetonii cap* 5. Nec omittendum, quòd, uti Genios, ita & *Fortunas* suas, variis locis adscriptas ferint Vett. qua de re pluribus agit C. Barthius *Commentario Superstitionum, Animadvers. Rutilianis lib.* 1. *cap.* 126. & *ad Statium Thebaid. lib.* 1. *vers.* 327.

Seu Fors illa viæ, seu prævia ducis Erinnys &c.

Quanto meliùs prædictus Pseudolus,

— — —— Fortunam negat
Esse ullam ——

cujus ne nomen quidem Homeri tempore Græci habuere. Cùm sapientissimo Dei O. M. consilio omnia in hoc rerum humanarum Theatro, maxima, medioxuma, minima, potenter gubernentur. V. Joh. Rosini *Antiqq. Rom. lib.* 2. *cap.* 16. *cum Paralipomenis* Thom. Dempsteri: plura v. de *Fortuna*, ut *quomodo à Chaldæis & Philosophis, tum ad Æthera, tum ad Solem Lunamq; reducta: quomodo vulgò concepta, ubi præcipuè culta: cur cæca, & Dea*; quo loco à Stoicis, Platonicis, Aristotelicis habita, V. apud Vossium *de Idolol. lib.* II. *cap.* 43.

Fortunæ cognomina ac epitheta varia.

Bona *Fortuna*, Gr. Ἀγαθὴ Τύχη, Fidei fuit comes: fuit item hæc formula auguralis.

Dubiæ, vicus in Aventino fuit, in reg. Urbis 13. ut P. Victor tradit.

Equestris ædem habuit magnificentissimam à Q. Fulvio Flacco Prætore locatam; qui Junonis Laciniæ proin in Brutiis ædem ad partem dimidiam detexit, ut ædem suam tegulis ejus marmoreis ornaret, V. Lipsium *Comm. ad lib.* 3. *Annal. Taciti.*

Fors *Fortuna* à Servio Tullio consecrata est, qui ei primus ædem fecit, extra urbem in ripa Tiberis: auxit dein vel restituit Carvilius, item Cl. Tiberius Imp. Hanc, qui sine arte aliqua vivebant, venerati sunt.

Fortis, cujus meminit Ovid. *lib.* 6. *Quàm citò venerunt Fortunæ fortis honores.*

Genitalis, de qua V. Thom. Bartholinum *de Puerperio veterum.*

Hera seu Domina, Q. Ennius apud Cicer. *de Officiis lib.* 1. *Vos ne velit an me regnare Hera.*

Malæ templum seu ara consecrata fuit, in Esquiliis. Liv.

Mammosæ ædes fuit, in capite viæ Novæ, à qua etiam vico nomen.

Mascula, ædem habuit prope templum Veneris, Plut. *de Fort. Roman.* dedicatam à Servio: qui & in Regia sua templum ei condidit.

Muliebris templum meruit, in memoriam liberatæ Urbis ab obsidione Coriolani, intercessione Veturiæ & Volumniæ, apud Dionysium Halicarn. *lib.* 8. Sæpe locuta est.

Natalis Primigenia, fortuita puerorum regere credita est: sicut necessaria illorum Fatum. Ei in Principis nativitate publicæ in Capitolio positæ fuere effigies.

Obsequens dicta est, quasi indigens vel clemens. Hujus ædes fuit in regione octava, de qua V. P. Victorem.

Parva, dicta à Servio, quòd matre natus captivâ, ejus beneficio, Rex factus sit.

Plebejæ templum fuit ab eodem Servio, eandem ob causam, extructum. Ovid. *Fast.* 6.

Prænestina, celebris admodum fuit, à loco, in quo colebatur, sic appellata. Cum Hercule simul culta est.

Primigenia templum in Capitolio habuit: Eidem aliam vovit ædem P. Sempronius Consul cum M. Cornelio Cethego an. U. C. 549. quam ipse Censor postea locavit, in colle Quirinali: dedicavit 10. annis pòst Q. Marcius Ralla Duumvir, Liv. *lib.* 26. & 34.

Privatæ *Fortunæ* sive propriæ delubrum in Palatio, à Servio fuit excitatum. Plut.

Prospera seu secunda, apud Ælian. *Var. Hist. lib.* 13. *c.* 43. eadem fuit cum Bona.

Publica, in Valle Quirini, quæ inter Esquilias & Quirinalem collem culta est, Ovidius *Fast. lib.* 4. Hanc cum Regia eandem facit Dempsterus.

Reduci templum Domitianus condidit, Martialis *lib.* 8. Eidem ara consecrata est Romæ, ob reditum Augusti, Dio *lib* 54. Ejus quoque meminit Claudianus *de* 6. *Hon. Cons.*

Regia, in interiori Principum cubiculo colebatur, eratque aurea. De illa V. Tacitum *Annal. lib.* 15. Jul. Capitolinum *in Antonino Pio*, & *Antonino Phil.* Fortè eadem est cum *Publica*, apud Sen. *de Ira l.* 1. *c.* 11. ubi ait: *Habuit in consilio Fortunam publicam.*

Salutaris, in marmoribus vetustis, vocata est illa, cui res in bello prosperè gestæ attribui solitæ sunt.

Sejæ ædem extruxit Nero, ex lapide Phengite: (quare etiam foribus opertis claritas ibi erat, haud alio quàm specularium modo luce inclusâ, Plinius *lib.* 37. *c.* 22.) à Servio R. sacratam aureâ domo complexus.

Τύχη, apud Græcos ejus nomen, quod tamen apud Homerum non extare, annotavit Augustinus.

Viscosa dicta est, quòd eminùs nos captet & rebus adhibeat. Plut *in quæst. Rom.* & *de Fort. Rom.* De ejus æde V. P. Victorem. Fuerunt & *Fortunæ* averruncæ, bene sperantis, blandæ, bonæ spei, convertentis & Virginis, à Servio Tullio extructæ ac consecratæ ædes, Plut. *in quæst. Rom. q.* 74. Q. Catulus *Fortunam* hujus diei consecravit, apud Plut. *in Mario* Ad cujus ædem signa seminuda fuisse à Pythagora Samio pictore facta, refert Plinius *lib.* 34. *cap.* 8. ubi perperam nonnulli legunt, *Fortuna hujus Dea.* V. Hadr. Turnebum *Adversar. lib.* 12 *cap.* 12. Meminit Fortunæ hujus diei, Cic. *de LL. lib.* 2. &c.

Fortunatæ, adde: Ab Hiſpanis mercatoribus primùm repertæ ſunt Hornio. circa A. C. 1370. quo tempore quælibet earum ſuam linguam ſuosque Reges habuit: at igne & ferro carebant, duabus ad vitam humanam maximè neceſſariis rebus Præcipua illarum fuit magna Canaria, in qua circa A. C. 1439. regnabant duo Reges, unus quidem Theldæ, nomine *Doramas*; alter Galderæ, nomine *Guat tritema*. Inſ. Teneriffa Duces habebat novem, liberâ electione ſuccedentes. Sub Henrico Galliæ R. Robinus Bracamontius Franciæ Archithalaſſus has Inſulas pro filio ſuo Joanne Betacourtio regio titulo impetravit; qui expeditione contra Barbaros ſuſceptâ *Regem Canariæ, Lanzarottæ, Fortaventuræ, Gomeræ, Ferro*, ſe appellavit; cui ordine ſucceſſerunt Menardus, Petrus, Barba, Ferdinandus, Beraz & Didacus de Herrera; qui omne jus ſuum tranſtulit ad Ferdinandum, Aragoniæ R. à quo tempore Inſulæ Hiſpanici juris iſtæ fuerunt. Georg. Hornius *Orb. Imp pag.* 479. Incolas, uxores ſuas aliorum uſui permittere, idq; cum Scythis habere commune, narrat Grotius *Hiſtor. Belg. lib.* 8. At de Veterum *Fortunatis Inſulis*, quas hodiernis Canariis longè magis Meridionales, utpote 10. m. ſtadium à continente Libyæ remotas, quarumque duas tantùm, *Planaſiam* viz. ſeu *Planariam* & *Soliam*, nonnullis, aliis ſex, nempe *Ombrion, duas Junonias, Caprariam, Nivariam, & Canariam*, docet agnitas, V. Salmaſium *ad Solinum pag.* 1297.

Fortunatianus, prænom. *Curius*, Hiſtoricus, memoratur Jul. Capitolino *in Maximino & Balbino*, ubi eum omnem hiſtoriam perſcripſiſſe, ait, V. Caſaubonum *ad l.*

Fortunatus, nomen balneatoris, apud Martialem, *lib.* 2. *Epigr.* 14. ad Paulinum,

Nec Fortunati *ſpernit, nec balnea Fauſti,*
Nec Grylli tenebras, Æoliamq; Lupi.

Ubi *Fortunatus, Fauſtus, Gryllus, Lupus*, nomina ſunt 4. balnearum & balneatorum mercenariorum, de quibus V. Raderum *ad l.*

Foruli Librorum, ſeu *Capſæ*. V. infrà in voce *Nidus*; ſic enim quoq; ii appellati. Et quidem in primis eorum vel ſummis optimos, in imis ſeu ultimis, minimæ æſtimationis libros, recondi conſueviſſe, diſcas ex Martiali *lib.* 1. *Epigr.* 118. ut ibi pluribus dicemus.

Forum, an à *ferendo*, quòd eò controverſias ſuas & quæ vendere vellent, conferrent, ut voluit Varro: an à voce *foràs*, quòd ſc. foràs & ſub dio ſit, ut alii: an à *fando*, ut Iſidorus ſentit, dictum, varias habet ſignificationes: quibus omiſſis, de iis tantùm dicam, quò res conferri ſolebant. Horum duo apud Romanos fuere genera: alia nempe ad Urbis ſplendorem facta, in quibus hominum fiebant conventus, vel negotiorum civilium vel delectationis causâ: alia ad communes Populi uſus parata, negotiantibus patebant. Prioris generis erant, *Forum* Romanum, Cæſaris & Auguſti: quibus Domitianus Imp. quartum additurus, morte præventus eſt: fundamenta tamen jecit, Nerva verò exædificavit & exornavit, *Tranſitorium* appellatum: quòd inde in tria *Fora* tranſitus pateret. Quintum & celeberrimum adjecit Trajanus, in quo columna 140. cubitorum altitudine fuit, res ab eo geſtas exactiſſimè referens. Poſterioris generis, plurima fuere, de quibus infrà aliquid ſubjungetur: poſtquam de *Foro Romano* hic paulo latiùs diſſeruero. Fuit hoc antiquiſſimum & propterea *Vetus* appellatum, teſte Herodiano, incipiebat à Capitolii radicibus, ubi nunc Septimii arcus eſt, & ſecundùm longitudinem ad S. Mariam novam, ubi Titi arcus, protendebatur: ſecundùm lat. à Palatini radicibus, ad viam ſacram & Saturni ædem pertingebat. Nonnunquam ſimpliciter *Forum* dictum eſt, aliquando *Latinum* ſeu *Latium*. non rarò *Palladium*, ab æde Palladis, plerunque *Romanum*, à dignitate Urbis, quòd præ cæteris eſſet ornatiſſimum, propter ædificia, & frequentiſſimum, propter judicia. Propertius *lib.* 4.

Atq; ubi nunc terris dicuntur jura ſubactis,
Stabant Romano *pila Sabina* Foro.

Eleganter id deſcribit Plautus *in Aſilite*. Habuit in circuitu undequaque tabernas, per pilas diſtinctas, quibus nomen aut ab opificibus, aut à ſitu, aut à numero. Ædificia, quibus inſigne fuit, enumerat Onuphrius Panvinius *lib. de Urbis regionibus*; nec non Bernardus Gamuccius *Antiqq. Rom. Italicè ſcriptis*. Mentionem hic ſaltem Roſtrorum faciam, quæ ibidem fuere, & ſtatuæ Marſyæ coronati, ad quam litigantes convenire ſolebant. Horatius *Lib.* 1. *Serm.*

Deinde eo dormitum, non ſollicitus, mihi quòd cras
Surgendum ſit manè, obeundus Marſyæ.

E regione Marſyæ Libonis fuit tribunal, ubi fœneratores conveniebant inter porticum Juliam & arcum Fabianum, ut vetus Interpres Perſii ſcribit &c. Reliqua apud præfatos Auctores reperies, quibus adde Georg Fabricium *in ſua Roma*. Hinc phraſes *Forum agere, indicere, ponere*: quarum poſtremâ utitur Manilius,

— — —— *Nec non laſcivis amores*
In varios, ponitq; Forum.

Ubi Scaliger, *abiicit curam Fori*; cui Barthius adſtipulatur, *ponere* pro *ſeponere* ſumens. Salmaſius, *pro cognitore ſcenicus exiſtis & Foro renuncias*. Gronovius verò, *ponit Forum*, i. *in menſa ſtatuit alveum ſive tabulam luſoriam*: ex Suetonio, qui *Forum aleatorium calefacere* ait, *in Auguſto*. Habuere & Athenienſes ſua *Fora*, juxta Legem: Πάντας Ἀθηναίους λαχεῖν εἰς τὰ Δικαστήρια, *Athenienſes in ſua quisq; fora ſorte diſtribuuntor*, ſed de his V. ſupra in voce *Dicaſteria*: & plura de *Foris Rom.* apud Joh. Roſinum *Antiqq. Rom. lib.* 9. *cap.* 7. è quo ſaltem pauca hæc addam: Comitium partem fuiſſe Fori Romani, in quo Roſtra erant. & præter quinque ſuprà memorata, in quibus jus dicebatur, fuiſſe quoque Salluſtii *Forum*, in monte Quirinali, quod poſt Africanam Præturam Salluſtius emit, unà cum hortis, qui & nunc *Salluſtiani* appellantur. In eo loco hodie S. Suſannæ ædes eſt.

Fora urbis Romæ, quæ negotiantibus inſerviebant.

Argentarii *Fori* meminit Vitruvius: ut Archimonii Victor.	Ruſticorum ſive Suburanum.
Aurelii mentionē facit Cicero.	Suarium: quibus adde Agonalium &c. Alexander ab Alex.
Boarium.	*Gen dier. lib.* 2. *cap.* 12. tredecim recenſet *Fora*: P. Victor
Ceditium, de quo V. Feſtum.	*lib. de Urbis regionibus*, ſeptendecim enumerat: Decem *Fororum* mentionem facit S. Ruffus. Onuphrius Panvinius novendecim recenſet, *in ſua Regionum deſcriptione*.
Cupedinarium.	
Eſquilini meminit Appianus.	
Jugarii. recentiores.	
Olitorium.	
Pecuarium.	
Piſtorium.	

Ut de *Foro rerum venalium*, in civ. Athenienſi, aliquid addam, *Agoranomi*, Græc. Ἀγορανόμοι, Magiſtratus erat, Veteribus paſſim memoratus, ob l. Ἀφροδίτης ... ἀγορᾶς. Harpocration, Ἀγορανόμοι ... ἀγορὰν ὤνια διοικοῦντες ἀρχαί. Proin illis curæ erat, ne imponerent & fraudem facerent, ſive venditores ſive emptores: ſæpius enim Athenis uſu veniſſe ſcribit Lyſias, ut Sitonæ, quò impunitiùs annonam flagellarent, falſa quædam comminiſcerentur & ſpargerent in vulgus. Imò adeò ſanctè legem hanc obſervatam voluere Athenienſes, ut Ariſtonici Lege cautum ſit, ne Piſcarii piſces minoris, quàm indicaſſent, venderent: ſi ſecus feciſſent, in carcerem raperentur. V. infrà, ubi de *Piſcibus*: quamvis hæc cura Opſonomis in ſpecie incumberet. In univerſum verò rerum venalium in Foro cura penès *Agoranomos* erat, qui eos, qui in Forum convenerant, ſi quid committerent in leges, flagris exdebant, Interpr. Comici *Acharn.* Iis vectigal pendebant, qui Athenas aliunde adportaſſent in Forum quidquam mercimonii. Unde Dicæopolis apud Ariſtophanem *eiusmate cit.* anguillam à Bœoto ſibi dari petit ἀγορᾶς τέλος, *Fori tributum*. Ita enim is,

Ἀγορᾶς τέλος ... ἄγων ...

Scholiaſtes: ... ἐν τῇ ἀγορᾷ ... τέλος ... λογισταῖς, ubi per λογιστὰς intelligit Ἀγορανόμους, *Mos erat antiquus, à vendentibus vectigal ſolvi Logiſtis*, V. Sam. Petitum *Comm. in LL. Attic. lib.* 5. *tit.* 5. Alii ab Agoranomis Sitophylaces erant, de quibus *infrà*. V. quoque ubi de *Pantopolis*: de *Fori* verò apud Romanos ornandi ab Ædilibus more, inſtituto circa annum U. C. 443. poſt partam de Samnitibus victoriam, Caſaubonum *ad Suetonium Julio cap.* 10. uti de *Fori ſubſelliis*, ad tempus ſolùm extrui ſolitis, horumque mancipibus, eundem *Nerone cap.* 19.

Forum Aleatorium, occurrit apud Suetonium iterum *Auguſto cap.* 71. *Luſimus enim per omnes dies*, Forumque *aleatorium calefecimus*. Nempe in plerisque urbibus inter loca Ædilem merentia fuit is, quò convenire ſoliti Aleatores: quem Cicero *ludum talarium*, Quintilianus *ludum talarem*, Auguſtus *Forum Aleatorium* vocat. *Forum* enim dicitur locus omnis, concurſu negotiantium celebris: ubicunque proin conveniebatur aleæ causâ, ibi *Forum Aleatorium* erat, non in foro tantùm; etſi ibi quoque alea exerceri ſolita, ſed non niſi ab hominibus perditis & profligatis, qui omnem exiſtimationis ſuæ curam poſuiſſent. Cicer. *Philippica* 2. *Hominem omnium nequiſſimum, qui non dubitaret vel in Foro aleâ ludere, lege quæ eſt de aleâ condemnatum, qui in integrum reſtituit, is non apertiſſimè ſtudium ſuum ipſe profitetur?* E quibus apparet, grave flagitium Romæ cenſitum fuiſſe *aleâ in Foro ludere*. Unde Auguſti verba non ſic accipienda, quaſi ille in Foro luſiſſet, ſed ita locutus videtur, ad declarandum ſuum in ludendo ſtudium & eorum, qui non parvo numero feſti celebrandi gratiâ ad illum convenerant. Quare addit, *forum calefecimus*, venuſtiſſimâ tranſlatione &c. Iſ. Caſaubonus *ad l.* V. quoque ſuprà, ubi de *Alea*.

Forum Claudii, adde: Centronum fuit caput, qui apud Claud. Ptolomæum in Grajis Alpibus inq; Italia locantur. Nomen inde, quòd ibi Claudius regionis præfectus primus jus dixiſſet, & quòd hic juridicus conventus eſſet. Poſtea urbs, incertum quam ob cauſam, dicta eſt. *Darantaſia*, recentioribus *Tarantaſia*: quod nomen non Urbi modò, ſed etiam toti tractui Alpino Centronum eſt attributum. Quippe & urbs ipſa in quibusdam tabb. *Tarantaiſe* vocatur, & regio Centronum *la Tarantaiſe*. Eginhardo in *Vita Caroli M.* inter Metropoliticas civitates *Darantaſia* recenſetur, quod ſincerum & incorruptum ejus nomen eſt. Sedes Metropolis haec ſub ſe duas habet, Sedunenſem & Auguſtanam, ac plerisque a veteri aliquo Monaſterio *Monaſterium* vocatur, ſicut Mimigarnaforda, urbs Weſtfalorum, Epiſcopatûs ſedes. Vulgò *Môtier* incolis: quædam tamen tabb. *Monſtier en Tarentaiſe*; nonnullæ *Monſtier* exhibent, tanquam non *Monaſterium*, ſed *Monſterium*, urbs appellata

landa sit. Si qua Moneto Sabaudo fides, *Darantasiam sive Monasterium*, hoc Isara dividit interfluitque. Antequam Metropolitæ fuit sedes, Placidi Valentiniani Principatu, ut & postea regnante in Italia Theodorico Ostrogothorum R. una fuit de civitatibus provinciæ Viennensis ac Viennæ subjecta: In ea proin Alcimus Avitus Viennensium Archiep. Basilicam S. Petri condidisse, ibique concionem ad populum habuisse legitur. V. Hadr. Valesium *Not. Gall.* in voce *Centrones*.

Forum Hadriani, in Tab. Theodosiana memoratum, locus Hollandiæ est, nunc *Voorburg*, quasi *Foorburg*, Hadr. Valesius, in voce *Batavia*.

Forum Trajani,, apud Spartianum *in Hadriano*, memoratur, ubi infinitâ pecuniâ, quæ Fisco debebatur, privatis debitoribus in urbe atque Italiâ, remissâ, syngraphas cum in *Foro Divi Trajani incendisse*, refert. Ejusdem meminit Capitolinus in *Marco*, quem *auctionem rerum aulicarum in eo fecisse*, ait. Et Lampridius, qui in *Vita* Severi scribit, hunc Imp. *statuas summorum virorum in Foro Trajani collocavisse, undiq; translatas* &c.

Forum Transitorium, item *Pervium*, dictum est Forum Divi Nervæ, in quo *statuas colossæas vel pedestres nudas vel equestres, divis Imperatoribus locavisse omnibus, cum titulis & columnis æreis, quæ gestorum ordinem continerent, exemplo Augusti*, legitur Alexander Sev. apud Æl. Lampridium. V. quoque Aurelium Victorem *in Nerva*.

Forum Ulpium, apud Jul. Capitolinum *in Marco*, *Multi nobiles bello Germanico sive Marcomannico — interierunt, quibus omnibus statuas* in Foro Ulpio *collocavit*. Idem est cum Foro D. Trajani. De *Foro* Castrorum, quod haud longè a Prætorio, de *Foro* item *Coloniarum*, in medio oppidi sic poni solito, ut inde quatuor portæ Coloniæ conspici possent, V. Salmasium *ad Solinum pag.* 670. & 671.

Forus, in navibus τὸ καλάστρωμα, frequentiùs in plur. *Fori*, τὰ ἴκρια quoque Græcis, i. *tabulata* Poëta,

Implessemq; focos flammis ——

At de navibus Taprobaniticis Plinius, *magnitudo alterna illium ad forum*. Ubi dicere vult, plana fuisse illarum latera, sicut *forum*, & ejusdem quoque cum foro magnitudinis; uti locum explicat Salmasius *ad Solinum p.* 1117. Hinc vox ad Circum translata; in quo *Fori* Livio dicuntur, ἴκρια δοκίσιν ξυλίναις ἐπικείμενα ἰκριώματα, *furcis vel sustentaculis ligneis imposita spectacula*, in quibus stans promiscue populus cùm spectaret antiquitus, Tarquinius Priscus Patribus Equitibusque distincta loca attribuit, in quibus sibi quisque istiusmodi *Foros* exstrueret. Superbus postmodum publicâ impensâ Foros mansuros faciendos curavit, genere & formâ a prioribus non diversos (nisi quòd illi opere fortuito & sine arte magis properati ac furcis simplicibus impositi essent) hincque *publicos* appellatos Livio *lib.* 45. qui manserunt usque ad extrema Reip. tempora, donec per ambitum Circi porticus ædificavit Cæsar, de quibus suo loco dicemus, V. quoque infrà in voce *Spectaculum*. Apud recentioris ævi, *Rerum* inprimis *Aragonicarum Scriptores*, *Forus* seu *Fori*, Hispanis *Fuero*, Lex vel consuetudo Municipalis. *Gloss. MSS. Fori, Edicta Regalia*. Marca *Histor. Benebarn. lib.* 5. *cap.* 2. *num.* 12. *Foros* appellari putat, non tam Consuetudines municipales, quam Jus ipsum publicum & privilegia, quibus utuntur Civitatum incolæ, cum ea, quæ contractus, successiones, testamenta & formulas judiciarias spectant, *Usaticorum* & *Morum* appellatione videantur donari in vett. *Chartis*. At unum idemq; has voces sonare, censet du Fresne. qui proin *Foros* Gothice appellatos potiùs vult Consuetudines municipales, quòd jura contineant, quibus in *Foris* seu judiciis uti liceat. Michaël del Molino *in Repertorio Fororum Aragon. Fori Aragonum*, inquit, *dicuntur Leges, quia Legum dispositionem Fororum vocabulum comprehendit*. Infra, *Fori Aragonum dicuntur Statuta* &c. Hinc *Forista*, apud eundem, pro *Legista*, *Decretista*, qui *Foros* diligenter legit vel commentatus est. Ita autem vocat is *Dom. Ximinium Petri de Salanova Justitiam Aragonum*, quem non semel laudat Hieron. Blanca, ut & Vitalem Episcopum Oscensem, de quo idem Molinus *pag.* 72. & 159. V. Car. du Fresne *Glossar.*

Fossa, apud Statium *lib.* 5. *Sylv.* 3.

Illic Oebalio non finderet aëra disco
Grajorum vis ulla virûm: non arva rigaret
Sudor equûm, aut putri sonitum daret ungula fossæ:

Locus est, ad equorum cursum effossus & comparatus, de quo V. Barthium *Animadv. ad l.* Apud Skenaum *ad Regiam Majest. lib.* 1. *cap.* 4. §. 2. ubi quædam placita criminalia pertinere dicuntur maximè ad eos, *qui habent & tenent curias suas cum socco & sacca, furca & fossa* &c. est caverna seu locus in terra defossus, aquisque repletus, ubi fœminæ furti damnatæ immerguntur. Scribit enim Spelmannus, apud Scotos in usu fuisse, delinquentes masculos furcâ suspendere, fœminas puteo vel fossæ immergere, idque privilegii habere intra dominia sua Barones, quod *fossæ* & *putei* vocent. Aliter vox sumitur, apud Gervasium Dorobern. A.C. 1195. *Mense Decembri Justitiæ, qui vocantur Errantes, missi per Angliam ab Archiepiscopo Cantuariensi, fuerant apud Cantuariam, ibiq; per Ministros Regis, judicio aquæ mandati sunt, vel periverunt criminosi, qui ad regiam pertinebant coronam. Qui verò ad Archiepiscopum pertinebant, in fossâ Archiepiscopi apud Westgate salvati sunt. Similiter qui ad Priorem & Conventum* &c. Hic enim *Judicium aquæ frigidæ* omnino indigitari videtur. Pertinet ad *fossæ* supplicium, quod scribit Tacitus *de Mor. Germ. Proditores transfugas arboribus suspendunt, ignavos & imbelles & corpore infames, cœno ac palude, injectâ insuper crate, mergunt*, apud Car. du Fresne *Glossar.* V. quoque infrà in voce *Puteus*. A *Fossa*, orta est vox *Fossatum*, apud citerioris ævi Scriptores, pro loco castrorum ipsisque castris, quòd castra vallo. & *fossa* circumcingerentur, quemadmodum vox Græca χάραξ, quæ *fossam* significat, similiter ad castra significanda, hincque ad urbes, ubi castra olim posita,, denotanda adhibita est, ut vidimus. Nempe sicut urbes, ita & castra *fossis* muniri solita. Sed & Circum veterem Romanum *fossâ* per tria latera ductâ ingenti aquam admisisse, diximus suprà ubi de *Euripis*. Agri quoque *fossis* sulcisque a se invicem distinguebantur, unde limites agrorum hoc nomine passim veniunt, apud *Agrimensoriæ rei* Scriptores. Etiam unus ex tribus alveis seu canalibus, quibus mari Alexandriâ adibatur, τάφρος i. *fossa*, dictus est, Plinio, Solino, Straboni; quo nomine hodieque multis in locis maritimi portus indigitantur, *fossitii* præsertim, Græcè ὀρυκτοί, quibus χυτοὶ λιμένες oppositi, de quibus V. Salmasium *ad Solinum pag.* 480. qui etiam de *Fossione vineæ* Veterum *triplici* seu pulveratione pluribus agit *pag.* 512. & *seqq.* &c.

Fossæ, locus Galliæ, in Gallia Narbonensi olim, hodie in Provincia, vulgò *Fos*, à Fossis Marianis proximis nomen accepisse videtur. Certè *Gesta* Dagoberti circa A. C. 950. composita in capitulo 18. quum *Massiliam, Fossas, Valentiam Lugdunumq;* junctim commemorant, *Fossarum* nomine vicum istum *Fos*, haud dubiè designant. Ab eo dictus est, ager *Fossensis*, vulgò *terroir de Fos*, proximus Maritimæ, quam vulgò *Martigiam* vocant. Hadr. Valesius *Not. Galliæ*, in voce *Maritima Avaticorum*. Idem nomen fuit loco ac Monasterio, inter Castellum *Chastelet* & Namurcum sito, in diœcesi Leodicensi, ad fluviolum Gervernam, non procul a fluvio Sabi: qui *Foss* vulgò nuncupatur, aliàs *Fossé*, cùm meliùs *Fosses* diceretur. Nomen a situ habet, & *Fossuense* Monasterium olim appellatus est. V. *Fossuense Mon.*

Fossores, infimum Servorum genus, quos compeditos fuisse docet Juven. *Sat.* 11.

Ipse focis brevibus ponebat olusculα, quæ nunc
Squallidus in magna fastidit compede Fossor.

Eorum domicilium Ergastulum fuit, quod quindecim vincti constituebant, si Appulejo *Apol.* credimus. Juvenalis *Sat.* 14. *versu* 23.

Quid suadet juveni lætus stridore catenæ,
Quem mirè afficiunt inscripta Ergastula, carcer
Rusticus!

His præerat *Ergastulus*, ut appellat Nonius, vel *Ergastularius*, ut vocat Columella. Ennus sanè Dux ille nobilis fugitivorum in Sicilia, Ergastularius servus fuit, teste Ammiano *lib.* 14. *in f.* Eorum opus *fodere* fuit, unde nomen: ideoque *invisam terram Fossori* canit Horatius *lib.* 3. *Carm. Ode* 18. Ex numero illorum Eutyches, Victorinus & Maro martyres: Nerei & Achillei conservi, quos Aurelianus à Nerva Cæsare, sibi donatos, tanquam servos suos, per sua prædia divisit, *jussitque eos tota die terram fodere, & canabrum edere ad vesperam*, id est, furfuraceum panem, ac canino more, nedum servili, tractari præcepit. Quo respexit Juvenalis *Sat.* 5. *versu* 10.

—— *Cùm possit honestius illic*
Et tremere & sordes farris mordere canini?

Et Suetonius forsan *Nerone cap.* 48. *Panem quidem sordidum oblatum aspernatus est*, dicens. *Fossoris* imago cernitur in antiqua ærea icuncula, cujus exemplar habes apud Laur. Pignorium *lib. de Servis*: Caput cœtera glabrum, nisi quà à vertice in occiput capilli, in geminum nodum constricti dependere videntur. Jam verò, cuculli sagati forma, quæ in ea cernitur, habitum indicat operariorum rusticorum, qui alioqui tunicâ induebantur, Cato *Tit.* 59. Et hi quidem semirasi fuerunt, velut etiam Ustores & Pistrinarii. At fugitivi omnino rasi. Et quia reditus agrorum non rarò lapidicinis, cretifodinis, arenariis, auri, argenti, sulphuris venis constabat; ideò adhibebantur huic operæ homines vincti, qui cæderent, *foderent*, emerent. Et quidem Athenæus narrat, Niciam Nicerati mille servos locasse ad fodinas argentarias, *lib.* 6. Cæsares certè, ad quos vectigalia & portoria lapidicinarum pertinebant, peculiares ministros, qui hæc procurarent, constituisse, ex elogiis aliquot sepulchralibus patet. Sub Impp. Ethnicis piorum habitacula plerumq; hæc loca fuere. reperitque Clemens Pontifex Chersonesum deportatus 2000. Christianorum ibi ad secanda marmora damnatorum: Fuit autem pœnæ appendix ferri candentis inustio, vel in pede vel in facie, vel in alia aliqua corporis parte. Quoniam verò plerumque Ergastulorum domini liberos & servos promiscue supprimebant, ideo consueverunt Principes Ergastula *recognoscere*, ut fecit Augustus Sueton. *cap.* 32. *repurgare*, ut Tiberius apud eund. *cap.* 8. *tollere*, ut Hadrianus, apud Spartianum,

V. Pignorium *Opere suprà laudato.* At *Fossores*, in *Actis* Proconsularibus, quæ recitat Augustinus *contra Cresconium lib. 3. cap. 29.* & *Epist* 241. dicuntur, qui aliàs *Fossarii* appellati, humandis corporibus operam navabant, ultimique collocantur in Ordine Ecclesiastico, in *Notis* Tyronis *pag.* 99. Κοπιαταὶ & Κοπιῶντες Græcis, in *Epist* Ignatio adscripta ad Antiochenos &c. V. in voce *Copiatæ*, item *Fossa*.

Foveis maximè Leones capi, Plinius docet *lib. 8. cap. 16.* quò respicit Ezechiel *cap. 19. vers.* 2. ubi Josiæ filios & successores Joachazum & Joachimum, Propheta eleganti allegoriâ confert cum leunculis, qui cùm prædari & rapto vivere jam inciperent, in venatorum *foveas* & casses inciderunt. Modum capiendi sic describit Xenophon, Ezechiele duobus ad summum seculis posterior, *lib. de Venat.* Ἔστι δὲ οἷς αὐτῶν καὶ ὀρύγματα ποιοῦσι, περιφερῆ, μεγάλα, βαθέα, ἐν μέσῳ λείποντες κίονα τῆς γῆς. Ἐπὶ δὲ τοῦτον εἰς νύκτα ἐπιδήσαντες δήσαντες αἶγα καὶ ἔφραξαν κύκλῳ τὸ ὄρυγμα ὕλῃ, ὥστε μὴ προορᾶν, εἴσοδον οὐ λείποντες. Τὰ δὲ, ἀκούοντα τῆς φωνῆς ἐν τῇ νυκτὶ, κύκλῳ τὸ φράγμα περιθέουσι καὶ ἐπειδὰν μὴ εὑρίσκῃ διόδον, ὑπερπηδᾷ καὶ ἁλίσκεται. *Sunt etiam* (feris) *quibus* foveas *magnas in orbem ducunt, profundam in medio relinquentes terræ columnam, cui capram sub noctem religatam imponunt & foveam ramis circumsepiunt, ne videatur, nullo aditu relicto. Illæ autem, audita per noctem voce, sepem obambulant, &, ubi transitum non inveniunt, transiliunt & capiuntur.* Quod idem venationis genus Arabibus hodieque notissimum est, qui *foveam* talem *Zubia*, seu *Zubiathon* & hædum ad columnam appensum, [illegible] appellant. Meminit ejusmodi *foveæ*, Statius quoque *lib. Sylvar.* 2. de mansueto leone Domitiani,

> *Non formidato supra venabula saltu*
> *Incitus, aut cæco* foveæ *deceptus hiatu.*

Claudianus, *foveæ* & *hædi*, in Stilichonem *Panegyr.* 2. de Dianæ leonibus,

> *Non illos tæda ardentes, non strata supernè*
> *Lapsuro virgulta foco, non vocibus hædi*
> *Pendentis stimulata fames, non fossa fefellit.*
> *Ultro se volvere capi, gaudentque videri*
> *Tantæ præda Deæ.*

Sed nemo pluribus eam describit Oppiano *Cynegetic. lib.* 4 quem vide, ut & plura hanc in rem apud Sam. Bochartum *Hierozoici part. prior. lib. III. cap.* 4. qui de *Foveis* quoque Vulpium quædam observatu digna adnotavit, *lib. eod. cap.* 13.

Foxia seu *de Foix*, nomen illustrissimæ in Gallia Familiæ, ex Carcassoniæ Comitibus ortæ: in quibus Bernardus Com. *de Conserans* & *de Foix* celebratur A. C. 1062. Hæreditatem Vicecomitatus Benearnensis attulit marito Rogerio Bernardo Margareta, Gastonis Vicecomitis filia. Ultimus verò masculus legitimus (nam à fratre ejus naturali Bernardo, familia Cerdana Ducum *de Medinaceli* oriunda adhuc superest, V. suprà *la Cerda*) fuit Gasto Phœbus Princ. Benearnensis, seu potius ejus Pater Gasto Phœbus mortuus, A. C. 13[illegible]. Inde nova familia in nomen Foxiorum successit, Dominorum *de Greilley* in agro Gevensi & *de Rolle*. Nam cum Erchenbaldus Captalis *de Buch* duxisset Isabellam, fil. Rogerii Bernardi *Foxii*, Vice-Com. *de Castelbon*, successionis illius jus domui illatum est. Hujus duo inprimis filii fuere Johannes *Com. de Foix* Vicecom. Benearnensis & Gasto Captalis *de Buch* quorum prior Gastonem & Petrum genuit; illum reliquorum *Foxensium*. Comitum & Vicecomitum Benearnensium, qui tandem regio Navarræ axiomate ornati sunt, & in Gastone ac Germana (de quibus paulo pòst) defecerunt, auctorem, hunc Vicecomitum *de Lautrec*, Dominorum *de l'Escun*, & *d'Esparre*, patrem. Posterior novam lineam orsus est, genitis inter alios Gastone Com. Candaliæ (Candaliorum cæterorum, quorum posteritas dein transmissa est ad Espernonios Valettanos, satore) atque Johanne: à quo hodierni Comites *de Gurson, de Meille, de Foix*, March. *de Trans* oriuntur. Præter hos, qui ex familiâ Devesia (Johannis XXII. Papæ) orti, *Carmanium* nomen assumpsere, *Foxium* etiam cognomen, ex pacto matrimonii Johannis Vicecomitis *de Carmain* atque Isabellæ Foxiæ asciverunt. Redeo ad Gastonem & Germanum præfatos; horum progenitores quod attinet, Johannes Dn. *de Greilly* Vicecom. *de Benauges*, ex Blanca, filia Gastonis Com. *de Foix* Vicecom. *de Bearn*, genuit Petrum; cujus ex Ressenburgi *de Perigord* filius Arcibaldus Dn. *de Greilly*, obiit A. C. 1413. Pater ex Isabella *de Foix*, filia Rogerii Bernardi Vicecom. *de Castelbon*, Johannis Com. *de Foix* Princ. *de Bearn*, qui defunctus A. C. 1436. ex Joanna Albretana, reliquit Gastonem Com. *de Foix* & *Bigorre* Princ. Benearni: quo & Leonorâ Navarræ Reginâ (fil. Johannis R. Aragoniæ & Navarræ) genitus Johannes Com. *de Foix* Vicecom. Narbonensis obiit A. C. 1493. Pater, ex Maria Aurelianensi Com. Stampensi, Gastonis *de Foix* Duc. Nemorosii (qui prælio ad Ravennam victor obiit A. C. 1512.) & Germanæ (ux. Ferdinandi Catholici Aragoniæ & Hispaniæ Regis primò; exinde Johannis Marchionis Brandeburgici; tandem Ferdinandi Aragonici Ducis Calabriæ) &c. Iidem *de Foix* quoque appellati sunt: imò & *Flussatum* familia dicta reperitur. V. Phil. Jac. Spenerum *Theatr. Nobil. Eur. Part. II. pag.* 10. & *in Ind.* ut & in voce *Foxium*.

FR.

F R. in notis antiqq. *frontes* vel *fratres*, vel *forum* significat. F. R. *Forum Romanum* vel *finium regundorum* &c.

Fractitata Vestis, apud Joannem Buschium in *Chron. VVindesem. lib.* 2. *capp.* 47. & 49. dicitur concisa, latissimis rimis & hiantibus, cujusmodi æstivo tempore hodieque nonnulli thoraces gestant, adeò fenestratos & hiantes, ut semimidi ferè appareant, vel certe, ut Chrysologus loquitur, *artificiosa nuditate vestiti.* Cujusmodi fissuras enormes, in Clericis præsertim, acriter perstringit Bernardus *de Consid. lib.* 3. *cap.* 5. proscriptas quoque a Wilhelmo Episc. Colon. A. C. 1360. du Fresne *Glossar.*

Franum, V. infra *Freni.*

Fraga, unedoni congenera, memorantur Plinio *lib.* 15 *c.* 24. *Aliud corpus terrestribus* fragis, *aliud congeneri eorum unedoni, quod solum pomum simile frutici terræque gignitur.* Fruticum sc. & arborum fructus in alto, non humi gignuntur, ut herbarum, quarum fructus in terra siti, ideo terræ & frutici simile pomum gigni dicit, fraga & unedones. Sic ἐγχθόνια κάρπιμα ἀπὸ τῶν δενδρικῶν Græci separant, unde *fraga terrestria*. Hinc fraga & unedonem eodem nomine appellant iidem, μιμαίκυλα ea vocitantes, quod *fragis* tamen peculiariter competit. Unde propter similitudinem ad communicatum postea & fructui arboris, quam Græci κόμαρον vocant, uti videre est, apud Salmasium *ad Solinum pag.* 611. Cæterum Melchiorem D. Brunsuic. fratrem Othonis Neapolitani Regis *fragorum* nimio usu interiisse, habes apud Crantzium *Vandaliæ lib.* 9 *cap.* 9.

Fragmen, apud Virgilium *Æn. lib.* 12.

> — — *ninero*
> *Dissiliit, fulva resplendent* fragmina *arena*:

idem cum fragmento. Cujusmodi *saxorum fragmina* inter Vett. arma eidem memorantur *lib.* 10.

> — *Lagum saxo atque ingenti* fragmine *montis*
> *Occupat os faciemque adversam* —

Statio item *Thebaid. lib.* 7.

> — *magno cum* fragmine *ripæ*
> *Cunctantem dejecit equum* &c.

V. infrà ubi de *Molaribus*. Sed & *fragmentis saxorum* excruciatos Martyres, qui illis nudi incumbere cogebantur, quorumque vulnera iis refricabantur, dicemus infra, voce *Testa*. In Claudium Imp. *fragmina panis*, contumeliæ causâ conjecta legimus in eo, apud Suetonium.

Fragor, apud eundem Poëtam *Theb. lib.* 6. *vers.* 41 ubi de funere Archemori, matrisque ac famularum ejus luctu.

> *Sic alium ex alio, quanquam lassata* fragorem
> *Pectora congeminant, integratque resultans*
> *Accensæ clamore fores* —

sonus est planctus & verberatorum corporum, vet. Scholiasti: quem in funere charorum lacertis pectora percutientes Matres edebant. Uti de luctu pariter Virgilius *Æn. lib.* 11.

> *Jam vero in tectis prædivitis urbe Latini*
> *Præcipuus* fragor *& magni pars maxima luctus.*
> *Hic matres miseræque nurus, hic chara sororum*
> *Pectora mœrentum, puerique parentibus orbi*
> *Dirum execrantur bellum* —

Quo de ritu infrà dicemus latiùs. Hinc sonus armorum concrepantium *fragor armis* eidem Statio *Theb. lib.* 1. *versu* 343.

> — *jam sævos fragor armis excitat enses.*

Quo pugnandi cupiditatem & ardorem milites testatum facere consuevere; more Helvetiis inprimis solenni, ut ex Thuano discimus, ubi Caroli IX. historiam exsequitur, Meldis discedentis Lutetiam parantis &c.

Framea, quibusdam à *premo*, quasi *premea*: aliis à *foro*, quasi *foramea*, nonnullis a *fremo*, tanquam *fremea*, rectiùs à πείρω, *trajicio*, unde πέρημα *trajectus*; teli genus erat apud Gallos olim Germanosque usitatum. Tac. *de moribus Germ. Hastas, vel ipsorum vocabulo*, Frameas *gerunt, angusto & brevi ferro, sed ita acri & ad usum habili, ut eodem telo, prout ratio poscit, vel cominus vel eminus pugnent.* Et paulò pòst, *Tum in ipso concilio vel Principum aliquis, vel pater, vel propinquus, scuto frameaque juvenem ornant.* Juvenalis *Sat.* 17.

> *Et Martis frameam, & Cyrrhæi spicula vatis.*

Isidorus verò non hastam, sed gladium ex utraque parte acutum fuisse ait: quod eruditis conciliandum relinquit Dempsterus *Antiquitt. Rom. lib* 10. *Rosini Paralipom. ad c.* 10. Reliquiæ nominis manent in Germanica Belgicaque lingua, quando instrumentum acutum, etsi in alium usum *Priem* & *Priem* vocant. Jac. Oiselius *Notis in A. Gellium lib.* 10. *cap.* 25.

Francavilla, nomen illustris in Hispania Familiæ, quæ Mendoziæ stirpis ramus est. Inicus enim Lopezius *de Mendoza*, qui A. C. 1445. primus *Comes del Real de Manzanares* & *March. de Santillana* creatus est, cùm septem habuisset filios, quintus eorum Petrus Gonsalus de Mendoza Cardin. & Archiep. Toletanæ Ecclesiæ præfuit. Sed ex liberis ipsius Rodericus Marchio *del Cenete* creatus dignitatem per filiam, ad primarium truncum Ducum *de Infantadgo* transmisit, alter Didacus Hurtadus Com. *de Melito* factus, posteros habuit Principes de Melito ac Duces

Francavilla

Francavillæ (qui tituli cum Mendozio epitheto deinceps in familia *de Sylva* Ducibus Pastranæ accreverunt, ut mox videbimus) & cum agnomine *de la Cerda* addito Comites *de Gelvet*. V. eundem Spenerum *Ibid. in Indic.* Præfatus verò Didacus, Hurtadus Princ. de Melito *Dux Francavillæ*, cùm ex Catharinâ *de Silva* Annam *de Mendoza & de la Cerda* genuisset, illa ex Ruis Gomesio *de Sylva* D. *de Pastrana* Princ. *Eboli*, Rodericum genuit Gomesium *de Silva & Mendoza Duc. de Pastrana & Francavilla* Pr. *de Melito*: quo & Anna *de Portugallia & Borgia* natus Ruis Gomesius, præter paternos titulos, March. *de Algezilla*, ex Leonora Mauricia *de Sotomajor*, suscepit Mariam, Rodericum & Annam Mariam. Idem *p.* 52.

Franci, adde: De gentis hujus priscæ consuetudinis nummaria libra, aureo argenteoque solido, denario item, seu Eterlingo, origine nummi, quo & ipsi & vicinæ gentes in hunc diem utuntur, V. egregiè disputantem Jo. Frid. Gronovium *lib. de Pecun. vet.* Eosdem olim omnes præter Regem circumtonsos fuisse, discimus ex Agathia. Quod tonsuræ genus, ἀστρογυρον, vel περιτρόχαλον Græcis dictum & alias plerasque gentes, quæ Imperium Rom. laceraruint, usurpasse verisimile est. Sane in exercitu Guilielmi Siculi, qui tempore Andronici Comneni in Thessalonicenses acriter sæviit, plerosque ἀνὰ τὴν κεφαλὴν περιτρόχαλα, Nicetas auctor est. Olim verò pueros delicatos, Dio Chrysost. *de Regno Orat.* 2. item meretrices, Hesychius, sic tonderi solitas, docent; Lege Dei prohibitâ re olim Judæis, uti discimus ex Levit. *cap.* 19. *vers.* 27. Casaubonus *ad Suetonium Octavio cap.* 45. V. quoque suprà in voce *Circumtonsi.*

Francia, adde: Primus hac appellatione Galliam donasse dicitur Gregorius M. *lib.* 4. *Epist.* 31. ad Mauricium Imp. & *lib.* 6. *Epist.* 33. quam prioribus Francorum (a quibus Gallia Romanis erepta id nomen) sedibus tribuit præ cœteris nummus Constantini Imp. in cujus parte FRANCIA legitur. At posterioribus seculis, & potissimùm sub prima secundaque Regum stirpe, cùm *Francorum* Imperium & dominatio in exteras regiones atque adeò longinquas sese protendisset, *Franciæ* nomine intellectæ sunt eæ omnes, quæ Francis parebant, aut paruerant, Quod inde manavit, quoniam Reges harum provinciarum à Francis orti & è Francia digressi, sese indidem *Francorum*, non autem regionum, quibus imperabant, Reges inscribebant, uti observatum ab Ottone Frising. *lib.* 6. *cap.* 17. & Sirmondo *ad Capitul. Caroli C. tit.* 1. &c. V. Car. du Fresne *Glossar.* & *Dissertat. de inferioris ævi Numism.*

Francicus, nomen olim aureæ apud Francos monetæ. Sub Joanne enim R. *Francici auri puri*, Gall. *Francs d'or fin*, cusi leguntur, in quibus Rex dextrâ gladium vibratum tenens, sago liliato & armis militaribus instructus, equo vestito ac liliato insidet: In aversa parte cruce floridâ conspicuâ. pond. 3. d. 1. gr. pretii 20. f. pond. 63. ad marcam Par. Quem imitatus Carolus V. eadem figura & pondere illos recudi curavit. At *Francici argentei*, Gall. *Francs d'argent*, cum Regis capite laureato, & *H.* coronato in crucis centro in lilia & flores desinente, solitaque inscr. SIT NOMEN &c. prodierunt sub Henrico III. hodieque in usu sunt. V. de utrisque C. du Fresne in voce *Moneta pag.* 624. 636. & 646.

Francisca, genus securis, quas ab usu Francorum ab Hispanis *Franciscas* appellatas, tradit Isidorus. Sic *Francisci* apud Æthicum *in Cosmogr.* alibiq; passim, pro *Francis*: uti *Spanijcum argentum*, pro *Hispanico*, apud Anastasium in *Vitis Pontific. Rom.* &c. Cujusmodi terminationem mutuatæ videntur reliquæ gentes, à Longobardis aut Sclavis, qui gentilitia & appellativa nomina plerumque in *isc* efferebant, quod potissimum solemne est etiamnum Dalmatis. V. Car. du Fresne *Glossar.* & Salmasium *ad Capitolinum in Maximinis.* At *Francisci*, in *Constit.* Friderici Imp. *contra Patarenos*, Hæretici quidam Waddingo, ad *A.C.* 1254. *num.* 16.

Principes Viri.

Franciscus, Dux Lunæburgicus, filius Henrici cognom. *Junioris*, mortui A.C. 1532. ex Margareta Saxonica; frater Ottonis, qui Harburgicos fevit & Ernesti, (à cujus filiis Dannenbergia & Cellensis lineæ ortæ sunt) Gifhornæ habitavit; cum Ernesto fratre Augustanæ Confessioni subscripsit, defunctus A. C. 1549. Princeps insigniter pius. Ei ex Clara filia Magni Ducis Saxoniæ infer. A.C. 1547. ductâ non nisi filiæ natæ sunt, Catharina & Clara, quarum illa Henrico Rutheno Burggravio Misniæ A. C. 1564. hæc Bernhardo Principi Anhaltino; iterum A. C. 1572. Bogislao Duci Pomeraniæ nupsit. Spenerus *Sylloge Geneal. in Fam. Brunsvic.* Idem nomen medio fuit filiorum Henrici, Dannenbergiæ lineæ auctoris, Ernesto præfato geniti: qui natus ex Ursula Saxon. Lauenburgica A. C. 1579. Canonicus Argentinensis & Coloniensis, non procul Argentorato, torrente Renchâ haustus, A. C. 1601. in Urbis hujus summo Templo sepultus est. Idem paulo *post.*

Franciscus, Dux Pomeraniæ Occid. filius secundo-genitus Bogislai XIII. ex Clara prædicta, natus est A.C. 1577. Episcopus que post Patruum Caminensis, comitatis elogio fuit inclytus. Maritus Sophiæ fil. Christiani I. Electoris Saxon. obiit A. C. 1620. successione fratri Bogislao XIV. Episcopatûs idem Caminensi, relictâ. Idem *in Fam. Vandal.*

Franciscus I. Dux Saxon. Lauenburgicus, filius Magni II. qui primus titulo Electoris Saxoniæ, quo Majores ejus gavisi erant, abstinuisse dicitur, ex Catharina Brunsuicensi: in Monasteriensibus Anabaptistis compescendis nomen adeptus olim, demum A. C. 1578. ob senium, filio cognomini regimen tradidit, & biennio pòst, cùm de Principatu filiorum contentiones mœstus vidisset, mortuus est. Pater ex Sibylla Saxonica, filia Henrici Ducis A.C. 1540. ducta, præter *Franciscum*, infrà memorandum, plurium utriusque sexus liberorum. Filiæ Sidonia Catharina Wenceslao D. Teschinensi, A. C. 1567. & Emerico Forgatichio A. C. 1586. Dorothea Wolffgango Brunsuicensi D. A. C. 1570. & Ursula Henrico itidem D. Brunsv. nupsere. Ex filiis Magnus III. in Sueciâ, A.C. 1560. ductâ Sophia Gustavi R. filia plerumque ætatem egit, inde tandem ejectus: Henricus, Archiepisc. Bremensis, Episc. Osnabrugensis & Administr. Paderbornensis fuit; etiam Monasteriensi Episcopatui, ni Papa obstitisset, admovendus; ac licet Evangelicus, cælebs tamen mansit: Mauricius in Belgio, Johanni Casimiro Palatino militavit: & Fridericus Præpositus Brem. & Canonicus Coloniensis, multa contra Gebhardum Truchsessium Archiepisc. egit, spe Electoratus adipiscendi, quâ tamen excidit, Thuan. *lib.* 78.

Franciscus II. filius prioris; olim in Belgio Alexandro Farnesio operam militarem addixerat A. C. 1579. unde ejus ope postea Mauritius frater, ab Hispanis in angustias redactus, servatus est. Decessit A. C. 1619. ex primo matrimonio Margaretæ Pomeranæ, fil. Philippi D. A.C. 1574. ductæ, Pater Mariæ, Philippi, qui patrem morte suâ præcessit A.C. 1605. & ante hunc Augusti, ad quem morte Patris regimen devolutum est. Ex altero Mariæ fil. Julii D. Brunsu. 1584. *Francisci* Julii, A. C. 1586. Julii Henrici, 1587. Ernesti Ludovici. 1589. Julianæ. 1594. *Francisci* Caroli 1596. Rudolfi Maximiliani. 1597. Hedvigis Mariæ, 1598. *Francisci* Alberti, 1601. Sophiæ Hedvigis, & 1604. *Francisci* Henrici. E quibus *Franciscus* Julius, obiit A.C. 1634. ex fœcundo thalamo Agnetis fil. Friderici D. Wirtenbergici, pater quatuor filiorum & trium alterius sexus, qui tamen omnes in infantia extincti sunt. *Franciscus* Carolus, aliquandiu Electori Saxoniæ militavit; cùmque pro Suecis delectus ageret A. C. 1630. Ratzenburgo, à fratre Augusto exclusus, ac à Pappenhemio captus est. Inde ad Pontificios transiit, Italiam frequenter invisit, ac tandem Neuhusii, nulla ex tribus uxoribus relicta sobole, obiit A.C. 1660. Porro *Franciscus* Albertus, cùm relicto Cæsare se Suecis applicuisset, in prælio Lutzensi Regi præstò fuit, cumque deinde Wallenstenii consiliis participaret, à Cæsarianis captus Egram, inde Viennam ductus; donec Kœnigsmarckio fugato A. C. 1642. in Dorstensohnium ad Suidniciam incidens, superatusque & captus, ex vulnere, decessit, ex Christina Margareta Megapolitana, fil. Johannis Alberti Duc. nullis liberis relictis. *Franciscus* tandem Henricus, Frantzhagæ habitavit, Suecicis auspiciis legionem duxit & ex Maria Juliana Nassovia genuit utriusque sexus liberos, sed moriens A.C. 1658. tantùm filias duas habuit superstites, Erdmutam Sophiam A. C. 1644. & Eleonoram Carolam A. C. 1646. natas, quarum illa nupsit Gustavo Rudolfo D. Megapolitano. Solus omnium stemma propagavit Julius Henricus: qui Religionem Pontificiam amplexus, ex secunda uxore Elisabetha Sophia Brandeburgica Joh. Georgii El. filia, Jani Razivilii vidua, A. C. 1628. ducta & seq. extincta, genuit *Franciscum* Erdmannum, in Evangelica Religione educatum, Suecorum aliquandiu militem in Polonia, atque Sibyllæ Hedvigis patruelis maritum, qui Patri successit, sed mox ejus fata secutus est, A.C. 1666. Eidem Henrico Julio, ex tertia conjuge Anna Magdalena Poppelia, præter filiam Mariam Benignam *Franciscam*, natam A. C. 1635. & dein Octavio Piccolomineo D. Amalfitano nuptam, natus est Julius *Franciscus* A.C 1640. qui solus suæ gentis spes, ex conjuge Hedvige Augusta, Fil. Christiani Augusti Com. Palatini Rheni, sobolem masculam expectat. Renovatâ Majorum prætensione, deinceps cum Electore Saxoniæ Johanne Georgio II. transegit, & mutuæ successionis pactum, inter utramque domum, inivit & obtinuit, A. C. 1671. Nunc in militia Imperii, inter supremos Duces, V. eundem Spenerum *in Fam. Ascanio-Anhaltina.*

Franciscus Philippus, Dux Holsatiæ, filius Philippi, Glucksburgiæ lineæ Auctoris ex Sophia Hedvige Saxo-Angrivaria, Ligeri mersus interiit A.C. 1650.

Viri celebres.

Franciscus Puccius Fedelinus, ignorationem & incredulitatem Evangelii, vel defectum Baptismi, ad salutem nulli obesse, modò studeat vitæ inculpatæ, quoad externos mores, nec præfractè quidquam neget; inesse n. omnibus naturâ hanc facultatem, ut possint & velint salvi fieri, etiam absque scrutinio quæstionum Theologicarum, asseruit: Romæ postea combustus. Osiander *Centur.* 16. *lib.* 4. *cap.* 46. & Joann. Ludov. Hartmannus *Hister. Concil. Tom.* 4. *Period.* 6. *Peric.* 16. *Exercit.* 67. apud Tob. Wannerum *Systematis Theologiæ Gentilis purioris cap.* 22. §. 4.

Franciscus Turrianus, V. infrà *Turrianus.*

Frangere

Frangere, apud Statium *Thebaid. lib.* 11 *versu* 28.

Armenti reges magno leo fregit *hiatu*,

comminuerit est, *à magno hiatu proprium leonum*. Barthius *ad l.* Unde frequens de leonibus hæc locutio, apud Poetas, eundem *Theb. lib.* 5. Horatium *lib.* 2. *Od* 23. Senecam *Troade*, & jam Homerum *Il.* λ.

Ὡς δὲ λέων ἐλάφοιο ταχείης νήπια τέκνα
Ῥηϊδίως συνέαξε ——

In Sacris quoque usitata. 1. Regum *cap.* 13. *v.* 26. *Tradidit eum Dominus leoni, & fregit eum.* Et *vers.* 28. *non fregit asinum*, i. ossa ejus non comminuit neque contrivit. V. quoque Ef. *cap.* 38. *v.* 13. & Dan. *cap.* 6. *vers.* 24. Indeque Arabibus *confractor* dicitur leo, uti docet Bochartus *Hierozoici Parte prior. lib. III. cap.* 1. Uti autem carnem & membra ferarum unguibus discerpit ac dilacerat, quod Hebræis est, פרק. sic ossa illarum *frangit* dentibus quod iisdem שבר. Quo fine cataphractum ei os, ut ait Phile, propter septum dentium, quorum tanta firmitas & durities, ut ex iis collisis ignis, tanquam de silice, eliciatur. Quapropter leones his maximè valere, canit Anacreon Ode 2.

Φύσις κέρατα ταύροις,
Ὁπλὰς δ' ἔδωκεν ἵπποις,
Ποδωκίην λαγωοῖς
Λέουσι χάσμ' ὀδόντων, κτλ.

V. quoque suprà in voce *Deus*: & de aliis verbi hujus notionibus, Isaac. Casaubonum *Not. ad illud Persii Sat.* 5.

Saturnumq; gravem nostro Jove frangimus *und.*

Apud quem eundem *Sat.* 7. ubi de Thebaide Statii publicè exhibita, verba *fregit subsellia versu*, quæ in notam victi Papinii trahit Scaliger, idem Vir eruditus, de signo victoriæ ejus explicat, quasi plausu & κρότῳ, *euge* & *sophos* acclamantium, subsellia fracta indigitare voluerit Satyricus, V. confirmantem ejus sententiam Casp. Barthium *Animadvers. ad Statium Thebaid lib.* 2. *versu* 214. ut & quæ suo loco de hoc Poeta dicta. Sic Gronovio *frangi* proprium verbum de infestis toris atque incumbendo depressis. Ausonius *Epist.* 2.

Gramineos nunc frango *toros* ——

Claudianus *in laude Serenæ*,

—— *Si placido cessissent lumina somno*,
Purpura fulgebat vistæ fractura *cubile*
Gramineum ——

i. præbitura se ad *frangendum*, in cubilis vicem, parata frangi, ut cubile. Statius de coma Glauciæ,

—— —— *crinemq; decorum*
Fregisset *roseâ lassis* ea *Thalia coronâ*.

Ubi *frangi* vult crinem exstructum, cùm superimpositâ coronâ deprimitur & sic q. destruitur &c. Hinc *frangere clivum*, pro superare inque eum invadere, apud Senecam: *frangere mammas*, Ezech. *cap.* 23. alia: Item *fragilis cucita*, apud Martialem *in Apophor. Epigr.* 160. V. Jo. Frid Gronovium *Observationum lib.* 4. *c.* 22. Ut de ritu *frangendi* sacro aliquid aspergam, in prima S. Cœnæ institutione, DOMINUS noster panem benedictum *fregit*, Matth. *cap.* 26. *vers.* 26. more a cœnis Iudaicis desumpto, ubi Paterfamilias, peractâ benedictione, panes frangebat & distribuebat. Christumque recenti Apostoli *panem fregisse* leguntur, unde & κλάσις τοῦ ἄρτου S. Cœna dicta Actor. *cap.* 2. *vers.* 42. Quod & in Ecclesia vet. per plura secula observatum est, uti docet Franc. Burmannus *Synopsi Theol. Christ. Part. poster. lib. VII. cap.* 10. *§.* 10. ubi ritus hujus mysterium explicat. At in celebratione Paschatis, *nullum os agno Paschali frangi* Deus voluit, Exodi *cap.* 12. *vers.* 46. Quod de minusculis quidem ossibus non intelligunt Judæi, sed ad generalem Dei legem quis excipiat quicquam? Quin ad agni ossa videtur alludi verbis Davidis Psalm. 34. *v.* 20. *Omnia ossa ejus servat* Deus) *ne unum quidem frangitur.* Et ipse Maimonides scribit, *idem esse, si quis durum os, aut tenerum confringat, Pesach cap.* 10. *sect.* 3. Et quidem videri poterat ea Lex ad id pertinuisse, quòd raptim Israelitæ edere jussi fuerant Neque enim, qui properant, in emedullandis ossibus tempus terunt, qua fere de causa franguntur, Sed & in ea lege latebat mysterium, de quo V. Joannem *cap.* 19. *v.* 36. plura verò hanc in rem, apud Sam. Bochartum *Hierozoici Parte prior. lib. II. cap.* 50. &c.

Frangia, V. suprà *Fimbria*.

Frascatæ Ædes, oratorium est in Vaticana Basilica. Anastasius Biblioth. *in Benedicto III. Quidam de Anglorum gente Romam venerunt, qui in Oratorio B. Gregorii Papæ & Confessoris Christi, in Principis Apostolorum æde Frascatæ constructa, unam tabulam argenteam posuerunt*, Macer *Hierolex.*

Frater, titulus quo se mutuò Christiani olim compellabant, *quòd unius Dei parentis homines, quòd consortes ejusdem fidei & spei coheredes*, ut ait Minutius, fraterno inter se more viverent: quod *& unum patrem Deum agnoverent*, ut Tertullianus in *Apologet.* quòd essent *cum omnibus, quos Sol videt, germanitatis necessitudine copulati*, ut Arnobius *adversus Gentes lib.* 4. quòd denique *omnes homines pro fratribus diligerent*, ut Lactantius ait *lib.* 5. *cap.* 10. Proin Gentiles *Fratrum* appellatione donare Christianos ampliùs non licuit, V. *Nomocanonem* editum, a Joanne Bapt. Cotelerio *cap.* 452. Item, quo sese invicem appellabant Reges, V. du Fresne, *Not. ad Alexiadem.* Porro, quo Provinciarum Rectores & Comites compellabantur ab Imperatoribus, Senator *lib.* 6. *in Formula Rectoris prov.* Episcopi quoque a Pontificibus Rom. hique vicissim ab illis, quod obtinuisse etiam post annum 1400. observat Joann. Launoius in *Histor. Regii Navarr. Collegii. Paris. pag.* 540. Eodem porro nomine dicti in Ecclesia Rom Monachi universi, quod eos mutuatos esse à primis Christianis, docet du Fresne *ad Cinnamum pag.* 433. Etiam Militares Ordines: Unde *Fratres de Palmis*, occurrunt apud Ordericum Vitalem *lib.* 13. de quibus V. Marcam *Histor. Benharn. l.* 5. *c.* 21 *Fratres S. Sepulchri, Spicilegii Tom. VIII.* &c. V. quoq; infrà in *Fraternitas* & *Fratres*, & plura hanc in rem, apud du Fresne *Glossar.* & Macros Fratres *in Hierolexico*.

Fraternitas, titulus honorarius, quo utebantur Reges cùm ad alios Reges scribebant. Luithprandus *in Legat. Sed & optimam amicitiæ arrabonam fraternitati tuæ nunc Dominus consulit.* Ἀδελφότης, apud Menandrum Protector. Sed & Episcopi ac cæteri Clero eodem titulo sæpe se mutuò compellasse leguntur. Aliquando verò *Fraternitas* ipsa Ecclesia dicta, vel certe ipsi Fideles, apud Tertullianum, Cyprianum, Ambrosium, Hieronymum, Alios. Porro, sic vocatus occurrit, *Fratrum* seu Monachorum cœtus, apud Liberatum Diac. *cap.* 11. Græcè Ἀδελφότης, apud Palladium *in Histor. Lausiaca*, & Ἀδελφότης quoque, apud Theod. Studitam in *Vita* S. Platonis *num.* 32. Etiam *Fraternitas* dicitur, Societas inita inter Monachos variorum Monasteriorum, qui sua sibi invicem bona ita communicabant, ut tanquam fratres alterius Monasterii haberentur, in illud reciperentur, exciperentur in Refectorio, precationum, seu, uti vocant, omnium *Beneficiorum* essent participes; pro iis, cum e vita migrassent, preces, perinde ac pro Monachis indigenis, pro more, funderentur &c. Cujusmodi *Fraternitatum* & Societatum Monasteriorum *Chartas* & exempla proferunt, *Historia* Abbatiæ Condom. Roverius *in Reomao*, Marlotus *Histor. Rem. lib.* 3. *cap.* 14. Alii laudati Carolo du Fresne in *Glossario*, ubi *Chartam* antiquam ac singularem, ad cujusmodi societatum formulam percipiendam, adscripsit ex *Tabulario* Flaviniacensi. Atque hinc *Fraternitates* dicebantur, præstationes, quæ fiebant Monasteriis ab iis, qui fraternitatem illorum susceperant, apud Anastasium IV. Pontif. Rom. *Epist.* 12. *ad Fratres S Joannis Hierosolymit.* Sed & *Fraternitas*, in eadem Communione, de Laicis, ut vocant, dicitur, qui in participationem orationum, suffragiorum, & *beneficiorum* à Monachis admissi, in *Fratres* vel *in Fratres & Monachos recipi*, dicuntur apud Ekkehardum Junior. *de Casibus* S. Galli *cap.* 8 Cujusmodi admissionis formulam, idem du Fresne exhibet ex *Chartul.* Campan. Bibl. Thuan. *fol.* 299. ubi de Comitissæ Campaniæ *in Sororem ordinis Cluniacensis receptione*, sermo est. Tandem *Fraternitatis* nomine seu *Fratriagii*, venire partem hæreditatis, quæ ad primogeniti fratres pervenit, docet pluribus id. du Fresne, *ubi suprà*.

Fratres Arvales, V. suprà *Arvales*.

Fratres Conjurati, apud Dunelmensem *pag.* 190. & 203. dicuntur qui Sacramento sibi invicem dato *fraternitatem* inibant, V. du Fresne *Dissert.* 21. *ad Joinvillam.* Aliter accipiendi in *LL.* VVilhelmi Nothi *cap.* 59. *Præcipimus, ut omnes liberi homines totius Regni sint* Fratres conjurati, *ad Monarchiam nostram & Regnum nostrum contra inimicos pro posse suo defendendum* &c. Hic enim intelliguntur, ad Reip. tuitionem sacramento mutuo adstricti alicujus Regis subditi: quo modo *Jurati* nudè vocabantur oppidani, qui unâ eademque lege vivebant. V. quoque *LL.* Edvvardi *cap.* 35. In quam sententiam præclarè Simplicius *in Epictetum p.* 65. Εἰ γὰρ κοινὴ μήτηρ ἡ πόλις, πατρὶς ἤτοι καὶ πατρὶς, δῆλον ὅτι κατὰ τοῦτο ἀδελφοί πως εἰσὶν οἱ πολῖται, *Si enim communis mater civitas est - patet Fratres inter se quodammodo esse cives*, apud du Fresne *Glossar.*

Fratres Conscripti, apud Scriptores Ecclesiæ Rom. dicuntur Laici, atque adeò alii, in album Fratrum seu Monachorum relati, seu potiùs eorum *fraternitate* donati: uti olim *Milites conscripti* dicti sunt, *qui in tabellas conscribebantur, ab iis, qui eos ducturi erant*, Isidor. *lib.* 9. *cap.* 3. vel ut Senatores, *Patres conscripti* appellati, *quòd eorum nomina in tabulas aureas contulisset* Romulus, ut idem Isidorus ait *cap. seq.* Iidem quoque *Fratres Spirituales*, appellati occurrunt in *Tradit.* Fuldens. *lib.* 3. *cap.* 40. Πνευματικοὶ nudè, in *Nomocanone* edito à Johanne Bapt. Cotelerio *cap.* 79. Quamvis aliàs *Fratres Spirituales*, dicantur Monachi vel ætate provectiores, vel morum probitate cæteris præcellentes, qui & *Fratres Maturi*, apud Adalardum in *Statutis* antiquis Monasterii Corbejensis *lib.* 1. *cap.* 3. Apud Græcos verò potissimùm sic vocati sunt, qui sese invicem *in Fratres* adoptabant, fraternitatem sacramento, in Ecclesia coram Sacerdote, sumtâ interdum divisâque Eucharistiâ, firmabant: Ἀδελφοὶ ποιητοὶ itidem, apud Gregorium in *Vita* Basilii Jun. *num.* 28. de cujusmodi *Fraternitatibus* copiosè du Fresne *Dissertat. ad Joinvillam* 21. V. quoque suprà. An iidem cum *Fratribus exterioribus*, quorum mentio in *Actis* Murensis Monaster. quosque Ecclesia Græcanica Μοναχοὺς vel Ἀδελφοὺς ἐξωτερικοὺς vocat, ad di-

stinguen

grimen *lemporum*, de quibus *Nov.* Alexii Comneni, apud Balsamonem *ad VII. Syn. cap.* 19. & Johannes Antiochenus Patr. *opusc. de Charisticar. num.* 14. V. eundem C. du Fresne in *Glossar.*

Fratres Gaudentes, appellantur in Italia Fratres ordinis Militiæ S. Mariæ Virg. quorum Ordo institutus primùm fuit, ab aliquot Nobilibus Bononiensibus sub *A. C.* 1261. quibusque Regulam præscripsit Urbanus IV. Pontifex Romanus a Cherubino Ghirardacco descriptam *in Indice Tom. I. Histor. Bonon.* qui plura de iis etiam habet, *libro* 7. ad eundem annum. ubi præterea observat, sic illos appellatos esse, quòd una cum uxoribus & filiis singuli fere in ædibus suis privatim manerent. Eorundem meminit quoque Ammiratus *Histor. Florentinæ lib.* 2. *sub A. C.* 1166. ut & Landinus & Velutellus *ad Danten in Inferno cant.* 23. Neque alii sunt, de quibus Marsilius Patav. *in Defensore Pacis part.* 1. *cap.* 8. *Neq; adhuc his clausi limitibus, Laicos quosdam quos in Italia* Fratres Gaudentes, *alibi verò Beginos appellant* &c. V. quoque Nicol. Uptonum *de Militari Offic. lib.* 1. *cap.* 3. Sed & sic ex Minoritis, qui justo licentius vivebant, nominatos fuisse, docet du Fresne *in Glossar.* ex VViguleo Hondio *in Metropoli Salisburg. Tom. II. pag.* 348.

Fratria, V. infra *Levir.*

Fratricelli, qui & *Fratres de paupere vita*, *Bizochi* & *Beguini* interdum dicuntur, Minoritarum secta, auctore Henrico Ceva exorta, qui pura & candida Francisci Instituta sectari se jactantes, a Cælestino V. Pontifice Romano auctoramentum sectæ se accepisse dicebant: damnati aliquoties, a Bonifacio VIII. & Johanne XXII. V. supra *Bizochi*, & plura apud C. du Fresne *in Glossar.*

Fraxinus, arbor procera ac teres, *multum Homeri præconio & Achillis hasta nobilitata. Materies est ad plurima utilis. Ea quidem, quæ fit in Ida Troadis, in tantum citro similis, ut ementes fallat*, Plin. *lib.* 16. *cap.* 13. Ubi quod de *hasta Achillis* habet, hinc est, quòd præcipuus ad hastas usus sit hujus arboris. Unde, ut *classica*, sic *fraxinum*, pro perpetuo belli instrumento usurpavit Claudianus *in Rufinum lib.* 1.

Hæc si ita forent, frueremur simplice cultu,
Classica non fremerent, non stridula fraxinus *iret;*
Non quateret puppes ventus, non machina muros.

Et *fraxineum robur*, pro hasta. Statius *Thebaid. lib.* 7. *versu* 716. Rationem addit Plinius *lib.* 16. *cap.* 43. *Obedientissima quocumq; in opere* fraxinus *eademq; hastis corylo melior, cornu levior, sorbo lentior. Gallica verò etiam ad currus flexibilis.* Cæterum tanta inter eam ac serpentes inimicitia est, *ut ne matutinas quidem occiduasq; umbras quàm sunt longissimæ, serpens attingat —— & si fronde ea gyroq; claudatur ignis & serpens, in ignem potiùs, quàm in fraxinum fugiat serpens*, Idem ubi supra. Quod de taxo prodidit Theophr. *Histor. l.* 3. *cap.* 1?. Plura de operibus, ad quæ *fraxinus* utilis, V. apud Vitruvium *lib.* 2. *cap.* 9.

Frea, Saxonum Dea, uxor Vodani, qui & ab iis pro Deo cultus est, de qua Paulus VVarnefridus *de Gestis Longobardorum lib.* 1. *cap.* 8. Matth. VVestmonasteriensis, VVilhelmus Malmesbur. Saxo Grammaticus *lib.* 1. & 5. Ordericus Vitalis *lib.* 4. Godefridus Viterb. Galfridus Monumeth. *lib.* 3. *cap.* 1. VVormius *in Fastis Danicis lib.* 1. *cap.* 15. *in Monum. Danic. lib.* 1. *cap.* 4. & Cluverius *German. antiq. lib.* 1 *cap.* 27. laudati Carolo du Fresne *in Glossario*, & Dominico Macro *in Hierolexico*. Ab ea nomen feriæ sextæ hebdomadis inditum, *Freytag*, apud Germanos, hodieque perdurat. Fuit autem *Vodan* vel *VVodan*, teste Paulo Diacono *de Gestis Longobard. lib.* 1. *cap.* 9. & Godefr. Viterbiensi præfato *Chronici part.* 17. a Romanis *Mercurius* sui linguâ redditus: an bene, quæritur. Certè *Wodan*, nec literaturæ, vel facundiæ, nec negotiationi Germanorum præfuit. Nec Deorum nuntius, eoque multo inferior, non Jove solùm, sed cunctis Saturni liberis: verùm summus Deus, universi præses iis habitus est. Iis enim *Wodan* sive *Woden* idem fuit, ac *Guodan* seu *Goede*, pro quo *Gode* vel *God* nunc dicimus. Quòd si itaque *Deorum maximè Mercurium* Germanis *cultum* esse, scribit Tacitus *de Moribus German.* alius saltem is fuerit a Mercurio Romanorum. V. proin quomodo cum Θεῷ Græcorum, seu *Thoyti* Ægyptiorum, illum faciat eundem, Gerh. Io. Vossius *de or. & progr. Idolol. lib.* 1. *cap.* 37. ubi & feriæ quartæ hebdomadis nomen ab eo impositum, ac *Woensdag*, quasi *Wodansdag*, illam hodieque Belgis dici, addit. Sunt tamen, qui Martem fuisse hoc nomine indigitatum contendant, quo pacto *Frea* Venus fuerit. unde *Frau* hodieque mulier, matrona, Germanis &c. V. infra.

Freda, apud Monachum Altisiodor. *A. C.* 840. ornamentum est vel umbraculum, quod feretris & capsis SS. superponebatur.

Fretiani, cum Dendrophoris aliisque, qui gentilitiæ superstitioni operam dabant, recensentur in *l.* 20. Cod. Theodos. *de Paganis*. Vide Jacobi Gothofredi Jurisconsulti conjecturas.

Fremitus, leoni proprius. Plinius *lib.* 8. *cap.* 16. *Ubi sævit in viros, priusquam in feminas, fremit.* Virgilius *Æn. lib.* 9. & 12.

—— fremit ore cruento.

Lucanus *lib.* 1.

—— vasto & grave murmur hiatu
Infremuit.

Seneca in *Oedipo*,

Cessat irati fremitus leonis.

Statius *Thebaid. lib.* 6. *vers.* 599. &c. Hebr. נהם *fremere* est, quod Chaldæi similiter Arabesque cuivis leoni tribuunt: quemadmodum Græcis quoque leonum epitheta, ἐριβρεμέται & ἐρίβρομος, sunt. At Scriptores sacri, de adultis verbum שאג *rugire*, de leunculis vero τὸ נהם *i. fremere*, usurpant, ut videre est Proverb. *cap.* 19. *versu* 12. & *cap.* 20. *versu* 2. Jerem. *cap.* 5. *vers.* 22. alibique passim. Vide Samuelem Bochartum *Hierozoïci Parte prior. lib.* III. *cap.* 3. Hinc ad alia vox translata. Ad milites, Statius *Theb. l.* 6. *v.* 618.

Arcades arma fremunt ——

Ad Deos, Virgilius *Æn. lib.* 10.

Talibus orabat Juno, cunctiq; fremebant
Cælicolæ assensu vario &c.

servato similitudinis decoro. Vide Barthium *ad Claudianum de Raptu lib.* 2.

Frœni equorum, Pelethronii inventum. Plin. *lib.* 7. *cap.* 56. *Equo vehi Bellerophon, frænos & strata equorum Pelethronius invenit.* At Virgilio *Georgic. lib.* 3.

Fræna Pelethronii Lapithæ, gyrosq; dedere
Impositi dorso ——

A' Pelethronio sc. Thessaliæ monte dicti, ubi primùm domiti equi dicuntur; qua de re Vide Hadrianum Turnebum *Advers. lib.* 21. *cap.* 9. Hi primùm pro necessitate rudes simplicesque, pro luxu, e ditissima materia confieri cœperunt. Ebore ornarunt Britanni, Strabo *lib.* 4. bracteis aureis crepantes, habes apud Prudentium *Psychomachia Luxur.*

Dum currum varià gemmarum luce micantem,
Mirantur, dum bracteolis crepitantia lora.

Unde *fræna sonantia*, apud Statium *Thebaid lib.* 9. *vers.* 818. gemmis insigniri consuevisse, docet idem *Thebaid. lib.* 3. *versu* 268.

Spumantem proni mandunt adamanta jugales &c.

V. quæ hanc in rem notat Aus. Popma *Comment. de Instrum. Fundi sub fin.* & Adr. Behotius *Apophoret. lib.* 1. *cap.* 4. *Fræno* autem Principum virorum equos a viro aliquo Magnate jam olim duci consuevisse, colligitur ex historia Estheræ *cap.* 6. *v.* 7. *& seqq. Tum dixit Haman Regi, viro cujus Rex delectatur honore, Afferant indumentum regium —— & equo cui insidet —— Tradentes indumentum & equum in manum alicujus è principibus Regis —— transvehunto cum equo illo per plateam civitatis* &c. Quem honorem recentiori ævo equitantibus Pontificibus, Archiepiscopis & Episcopis, ab Impp. Regibus, Principibus, exhiberi consuevisse, docet, pluribus Auctorum locis adductis, *Not. ad Cinnamum, pag.* 470. Car. du Fresne. Sic Continuator Nangii sub A. C. 1305. de Philippo Pulchro Franc. R. *Papa Clemente —— apud Lugdunum —— consecrato, dum suam ad domum rediens, gestans, ut moris est, sua coronationis insignia, per frænum equi, cui insidebat, à Rege Franciæ, qui ob hoc præ humilitate se ipsum pedestrem posuerat —— deductus maximo cum honore fuisset* &c. V. quæ idem habet de Joanne XXII. *ad A. C.* 1316. & Gobelinus Persona de Carolo Ungariæ R. & Urbano VI. *Cosmodr. æt.* 6. *cap.* 77. *ad A. C.* 1383.

Frepata Vestes, apud Gaufridum Vosiensem *part.* 1. *cap.* 71. *Repertæ sunt pretiosæ ac variæ vestes —— quas quidam in sphærulis & lingulis minutissimè frepantes, picti Diaboli formam assumunt*: Gallis sunt, *Habits troués, decouppez, frippez*, unde vocabulum *Trepatas vestes* habet Jacobus I. Aragon. R. *in Constitutionibus Cataloniæ MSS.* fortè q. *terebratas* seu perforatas.

Frerius, ex voce *Frater*, apud Græcos nomen est Religiosis eorum attribui solitum, uti discimus ex Georg. Pachymere *Histor. lib.* 5. *cap.* 8. unde Equites Hierosolymitanos, hodie Melitenses, *Freiros* appellat Cantacuzenus, quos *Fraires* Hispani, *Freres* Galli dicunt: Macer.

Fricandi mos, ante cœnam, Romanis usitatus, indigitatur Plauto *Pseudolo Act.* 4. *Sc.* 7.

Uncti hi sunt senes, fricari sese ex antiquo volunt.

Veteres nempe ante cœnam plerunque balneas adibant, deinungebantur, tum *fricabantur*, inde ad tonsorem ibant, demum accumbebant. Idem *Pænulo*, de ornatu muliebri agens,

Lavari, aut fricari, *aut tergeri, aut ornari,*
Poliri, expoliri, pingi, fingi

Quo in genere Lucilianum illud, *Scabor, suppellor, desquamor, pumicor, ornor, expilor, pingor* V. Tit. Popmam *de Operis Serv.* In palæstra similiter à servis gymnasticis atque reunctoribus vocatis athletæ *fricabantur*, ut unctio magis penetraret; qui proin servi universum eorum corpus modò leniter, modò secus pro mentes, perungebant, &, pro temporis ratione, modò tepidum, modò calidum, modò frigidum linimentum, applicabant, idque plurimum In Alipterio. Cyprianus meminit eorum qui nitro & aphronitro sese *fricabant*, *Ep.* 7. *l.* 4. Ad numerum fauces cæteraque membra. Vespasianum sibimet, in Sphæristerio, defricare solitum, ex Suetonio in *Vita* ejus discimus &c. Ungi namque & fricari cum ratione, sanitatem juvat. Plinius *lib.*

lib. 18. cap. 4. His remediis præsentissimis adnumeratur exercitatio, intentio vocis, ungi, fricari cum ratione. Vehemens enim fricatio spissat, lenis mollit: multa adimit corpus, auget modica. Unde hodieque apud Indos magna ejus, in balneis, ratio habita, quam qua ratione peragere soleant, V. apud Mandelslovium *Itiner. Orient.* Hinc

Frico, in Monasteriis, dicitur, cui *fricandi* aut tergendi quidpiam cura incumbit. Bernardus Mon. *in Consuetudd. Cluniac. MSS. cap. 12. de Hospitario*, apud C. du Fresne *Glossar.*

Principes Viri.

Ex Familia Austriaca.

Fridericus, cognomine *Pulcher*, filius natu maximus Alberti I. Imp. V. *Fridericus II. Imp.*

Fridericus, cognomine *Senior*, filius Leopoldi cognom. *Probi*, frater Leopoldi cognom. *Crassi* seu *Superbi*, VVilhelmi cognomine *Ambitiosi*, qui ambo improles decessere, & Ernesti, qui Styriam lineam orsus est, lineam Tirolensem à Patre inchoatam, continuavit: fugatus ab Helvetiis, cùm Abbati S. Galli auxilium ferret. Postea, cùm Iohannem XXIII. Pontificem in Concilio Constantiensi depositum abduxisset, Cæsar Sigismundus eum citatum, nec comparentem, Principum judicio proscripsit: executione Helvetiis mandatâ A. C. 1415. qui, postquam aliquandiu essent tergiversati, demum, cùm a Concilio urgerentur, Badenam & magnam partem ditionum illius occuparunt, & stipendii loco, donec sumtus refunderentur, retinuerunt: Tandem reconciliatus Cæsari *Fridericus* vita excessit A. C. 1439. Pater Sigismundi, cognom. *Simplicis*: qui primus, post varia contra Helvetios infeliciter gesta, fœdus illud memorabile cum iis iniit quod *Erbeinigung* vocatur, A. C. 1474. idemque renovavit A. C. 1477. sine prole extinctus, 1496. successore Maximiliano I. Imperatore Friderici III. Imperatoris filio.

Fridericus, filius Ernesti præfati, ex Cimburgi Mazovia, V. *Fridericus* III. Imp.

Ex Familia Oldenburgo Danica.

Fridericus, Comes Oldenburgicus, filius Hunnonis cognomine *Gloriosi*, pro Patre sene, (qui ab Henrico IV. Imperatore, ut cum leone pugnaret Goslariæ, damnatus erat) certamen subiit, & leonem, cui astu fictitium virum pinguedine carnis illitum prius objecerat, in hunc irruentem stravit. Henrici Crassi Ducis Saxoniæ auxilio, in Frisios, cum quibus Majoribus suis res fuerat, feliciter pugnavit, demum, cœnobium Rastedense, à Patre extructum, cœlebs ingressus, obiit. Hærede amitino Elimaro I.

Fridericus, filius minor natu Christiani I. Daniæ Regis, V. *Fridericus I. Daniæ Rex.* Ex priore conjuge Anna Brandeburgica, genuit Christianum III. Regem & Dorotheam natam A. C. 1504. Alberto Brandeburgico Duci Borussiæ nuptam, & extinctam A. C. 1547. Ex posteriore verò Sophia Pomerana, præter Elisabetham Magno & Ulrico Ducibus Megapolitanis, atque Dorotheam, Christophoro ejusdem generis, nuptas: filios suscepit tres, Iohannem, Adolphum & *Fridericum*, quorum hic natus A. C. 1529. Hildeshemium & Slesvicensem Episcopatus tenuit, ac Coadjutor Bremensis fuit, defunctus Chilonii, A. Christi 1556. Ille verò Holsatiam Gottorpinam lineam orsus est.

Fridericus filius Christiani III. Daniæ Regis, natus est A. C. 1534. ex Dorothea Lauenburgica, Patri mortuo in Regno suffectus est, V. *Fridericus II. Dan. R.*

Fridericus, filius secundò-genitus Christiani IV. V. *Fridericus III. R.*

Fridericus, filius primò-genitus Christiani V. Danorum Regis, ex Carola Hassiaca, natus est A. C. 1671. frater Christiani VVilhelmi anno seq. geniti.

Fridericus, Dux Holsatiæ, lineæ Sonderburgicæ, filius Alexandri, ex altera ejus conjuge Anna Margaretha Hassiaca, natus est A.C. 1651. Chiliarcha Cæsareus, Carolam D. Lignicíam duxit, & à Patre VVisenburgum emit, A. C. 1651. Item filius secundò-genitus Iohannis cognomine *Junioris*, natus A. C. 1581 Nordburgiam lineam incepit, obiit A.C. 1658. Ei, ex priore conjuge Iuliana Saxo-Angrivaria, ducta A. C. 1627. & mortuâ 1630. Iohan. Bogislaus, qui Nordburgi privatus vixit: è posteriore, Eleonora Anhaltina, geniti sunt, Christianus Augustus, Rudolphus *Fridericus*, Elisabetha Iuliana, nata 1634. Antonii Ulrici Ducis Brunsvicensis; Dorothea Hedvigis, n. A. C. 1636. Johannis Friderici Com. Hohenloici & Luisa Amœna, nata A. C. 1642. Johannis Adolphi patruelis, consortes. Item filius Adolphi Ducis, defuncti A. C. 1586. ex Christina Hassiaca, qui Episcopus fuit Slesvicensis, cujus Capituli Canonicos in servitutem redegisse Pater ferebatur. Obiit A. C. 1587. eruditione ac pietate celebris. Frater inter alios etiam Iohannis *Friderici*, Archiepisc. Bremensis & Episcopi Lubecensis, qui in bello Dano-Cæsareo vexatus, nomen Lipsiensi fœderi dedit Anno Christi 1631. & sequenti anno in Cæsareanos irruens, Verdam ac alia, suis recuperatis, occupavit. Eorum, ex fratre Johanne Adolfo, & Augusta Danica, nepos, fratrum maximus natu,

Fridericus, Patri extincto A. C. 1620. in Ducatu successit: Ab Arminianis Belgis, Synodo Dordracenti damnatis, in loco *Sebul* prius nominato, ad Eidoram, *Fridericostadium* condi passus est, in vicennium libertate Religionis promissa, quæ dein & in aliud prorogata: unde eadem venia Romani quoque & Mennonitæ ibi loci utuntur. Privilegia civitati concessa, A. C. 1632 aucta sunt, 1650. autem etiam Evangelicorum usibus templum conditum est. Involutus A. C. 1627. Cæsarei belli turbis, cum Rege avunculo non idem sensit, sed pacis causa ad filium pro ectus, non aliud obtinuit, quam ut promisso à Rege secessu tolerabilius suis esset, suscepto in arcem Gottorpinam dimidia ex parte præsidio, ex milite Cæsareano. Nordstrandiam Insulam, quod, seditionem in ea ortam sedaturus, cum vitæ periculo inde se recipere coactus esset, devovit, imprecatus rebellibus, ut quantum cum In ula sua undis jam eminerent, tantum illis mergerentur, quod factum A. C. 1634. quo majori Insulæ parte fluctibus sepulta, 6123. homines, 15000. jumenta periere. Gottorpii a Rege obsessus A. C. 1629. nuncio pacis Lubecæ conclusæ liberatus est. Domui suæ, ad exemplum Electoralium familiarum, jus majoritatis & alia privilegia ab Imperatore obtinuit. Itinere postea Persico ab A. C. 1635. (usque ad A. C. 1539) nobilitatus, quod suasore Ottone Bruckmanno, qui eidem cum Philippo Crusio præfuit, auspiciis suis voluit suscipi. Sed Bruckmannus inde redux capite luit in Legatione admissa: Adamus verò Olearius iter totum luculento scripto designavit, quod jam in alias linguas versum. Vicissim dein ad Ducem missa A. C. 1639. a Persa legatio, quæ omnia non levibus sumtibus gravavere, neque ullo operæ pretio, provinciam. Ultimo Schauenburgiorum extincto, A. C. 1640. ei pars Pinnebergici Comitatus in Holsatia obtigit, quam, indignante fratre Christiano, vendidit Ranzovio. Tonningam munivit A. C. 1644. In Succico bello, neutras fere partes secutus, & in pace Rotschildiensi superioritatem Ducatus Slesvicensis, qui quidem Daniæ feudum, & capitulum Suavestedium obtinuit. Obiit A. C. 1659. Princeps varia eruditione Theologica, Politica, Chemica & inprimis Mathematica cultissimus, duos globos artificiosissimos suo ex ingenio confici curavit, qui in technotamieio Gottorpino hodieque asservantur. Pater ex Maria Elisabetha Saxonica, ductâ A. C. 1630. liberorum sedecim; e quibus *Fridericus* natus A. C. 1634. Lutetiæ obiit, A. C. 1654. Johannes Georgius natus A. 1638. Episcopus Lubecensis, in regno Neapolitano, fatis raptus est, A. C. 1655. supervixere Patri Christianus Albertus & Augustus *Fridericus*: quorum is, natus A. C. 1641. intellectâ Parentis morte, *Fridericusburgo*, ubi cum sorore Regina morabatur, domum rediit; ductaque Friderica Amelia Danicâ A. C. 1666. ex ea *Fridericum*, inter alios, suscepit A. C. 1671. Hic vero, natus A. C. 1646. Episcopus Lubecensis, Succorum auspiciis vigiliarum Præfectus fuit, Christinæ Saxon. maritus. In eadem Familia Oldenburgo-Danica, habemus *Fridericum* Ulricum *de Guldenlewen*, filium naturalem Friderici III. Reg. Com. & Proregem Norvegiæ, nunc bello in Suecos occupatum: Georgium *Fridericum*, unum ex Filiis Alexandri Ducis Holsatiæ, lineæ Sonderburgicæ, &c. V. Phil. Jac. Spenerum *Syll. Geneal. Histor.*

Ex Familia Palatino-Bavarica.

Fridericus, Comes Palatinus, lineæ Bipontinæ, filius Johannis II. ex posteriore ejus conjuge Luisa Juliana Palatina, ductâ A. C. 1612. extinctâ A. C. 1640. sui ademta Patri (in quibus quarta pars vectigalium VVilzbachiorum & Cœnobium Hornbacense) restitutus est A. C. 1648. per pacem Monasteriensem. Obiit A. C. 1661. relictis ex Anna Juliana Nassovia Saræpontana, ducta A. C. 1640. non nisi tribus filiabus, è quibus Elisabetha nata A. C. 1642. Victori Amadeo Principi Anhaltino nupta: Sophia Amalia vitales auras hausit A. C. 1646. & Carola *Friderica*, nata A. C. 1653. dein VVilhelmo Ludovico agnato elocata est.

Fridericus Casimirus, frater minor natu Johannis II. filius Johannis I. ex Magdalena Clivia seu Iuliacensi, natus A. C. 1585. Landspergensis lineæ, (quæ jam Bipontinæ successit) sator: habitavit in Burgundia, ab uxore Amalia Nassovia Arausionensi, ductâ A. C. 1616. in ea Montfortiam ditionem assecutus. Decessit A. C. 1645. Pater *Friderici* Ludovici, qui natus A. C. 1619. Electore ad Comitia Electiva profecto, A. C. 1658. Vicariatum gessit. Anno Christi 1661. Bipontino patrueli successit, ortâ circa debita difficultate, cum a Johanne II. patruo contracta suscipere nollet. Vendidit Neoburgico prætensionem suam Juliacensem, conjugem duxit Anno Christi 1645. Julianam Magdalenam patruelem: eaque extinctâ, aliam ignobilem. Ex illa verò, inter alios utriusque sexus liberos, inprimis suscepit Carolum, natum A. C. 1659. mortuum A. C. 1673. & VVilhelmum Ludovicum, natum A. C. 1648. & successioni paternæ destinatum. Sed turbato mortalitatis ordine & hunc & ex eo, ac Carola *Friderica* agnata, nepotem Carolum Ludovicum, atque ita totam spem successionis, extingui vidit & lu-

xit. Sed & Bipontum à Gallis occupari ac horrendum in modum vastari, aliaque belli mala in ditione sua expertus est.

Fridericus, secundo-genitus ultim Caroli Bircofeldiæ seu Spanhemiæ lineæ auctoris, ex Dorothea Brunsuico-Lunæburgica, natus A. C. 1594. vitam sectatus est militarem, & decessit cœlebs, A. C. 1626.

Fridericus Henricus, filius primogenitus Friderici V. Elect. Palat. ex Elisabetha Britannica, natus A.C. 1614. a Bohemis in regno successor Patris designatus A. C. 1620 postea cum eo exul, in trajectu fluvii Teyæ prope Amsterodamum extinctus est, A. 1629. die 7. Januar. Ejus symbolum erat: *Mediis tranquillus in undis.*

Johannes *Fridericus*, filius natu tertius Phil. Ludovici, Neoburgicæ lineæ conditoris, ex Anna Juliacensi, genitus A. C. 1587. a fratre VVolfgango VVilhelmo, qui Neoburgicam lineam continuavit, Hiltpolsteinium A. C. 1615. item *Haydeck*, *Allersberg*, & Gizzinum, accepit: gravia cum fratre Augusto, ob Religionem, passus, demum A. C. 1644. nulla ex Sophia Agnete Hassiaca, ducta A. C. 16 4. & multoties matre, relictâ prole decessit. Idem nomen fuit filio majori natu Georgii Gustavi, lineæ Veldentiæ, ex Maria Elisabetha Bipontina, qui Dux Suecicæ Legionis Equestris, Augustæ extinctus est A. C. 1631. &c.

Ex Fam. Saxonica.

Fridericus, minor natu Filius Dietgremi, ex Bossena Pleissensi, cecidit adversus Normannos A. C. 876. Marchionum Brandeburgicorum primorum, (ex quibus Sigfridus ab Henrico Aucupe illi ditioni præfectus creditur) aliquorum Misniæ & Ostlandiæ Marchionum (inter quos Eduardus, post Ottonis III. mortem infeliciter Regnum Romanorum affectavit, à Sigfrido Com. Northemio cæsus, A. C. 1002.) & Mersburgiorum Comitum Sator. Ab ejus fratre Diethmaro ortus Theodoricus pater fuit Dedonis II. Christianus verò Com. Reveningensis & postea March. Lusatiæ, reliquos Marchiones fecit. Inter filios Dedonis præstari, ex Thetburga Brandeburgica,

Fridericus, Comites Palatinos Saxoniæ fecit (qui quatuor adhuc, post primum, continua successione *Friderici* nomen & dignitatem illam gessere: *Friderici* autem V. filia Sophia hæreditatem ad Hermannum, Thuringia Landgravium, attulit.) Frater Theodorici, quo inter alios natus Otto cognom. *Dives*, de quo f. l.

Fridericus I. cognom. *Admorsus*, Marchio Misniæ, fil. Alberti cognom. *Degeneris*, ex Margareta filia Friderici II. Imper. ob bella strenuè adversus Patrem, qui eum toto anno captivum tenuit, Principes Anhaltinos, Johannem & Woldemarum Brandeburgicos, duosque Imperatores Adolphum & Albertum (ubi celebris clades Suevorum ad *Lucka* A. C. 1307.) gesta, *Pressus* (Germ. *der Freudige*) dici meruit. Postea, Patre, intra Erfordiam concluso, ditiones feliciter rexit: In compensationem damnorum expensarumque, urbes Imperiales Aldenburgum, Cygneam & Chemnitium A. C. 1308. subegit. Tabe extinctus obiit, A. C. 1326. Ex priore conjuge Agnete Carinthiæ Duc. pater *Friderici* Claudi, qui sagitta confossus est, A. C. 1315. ex altera verò Elisabetha Arnshaugia, *Friderici*, de quo hic infra.

Fridericus II. cognom. *Severus*, vel *Gravis*, vel *Alacer*, filius prioris, delatam adversus Carolum IV. dignitatem Imperialem, A. C. 1347. acceptis 10000. argenti marcis cessit. Orlamundensem autem Comitatum, Comite Hermanno ob fastum pulso, sibi addictum, illi ad dies vitæ iterum concessit; dimidiam etiam partem Salzensis ditionis emit, latrociniis inservientes arces diruit: cum Suartzenburgicis & Erfordicis bellum gessit, obiit A.C. 1349. Eo, ex Mechtilde Ludovici Bavari Imp. filia, sunt geniti, Ludovicus Archiepiscopus Moguntinensis & Magdeburgensis atque Episcopus Halberstadiensis & Bambergensis, qui cum choreas duceret in Bacchanalibus A.C. 1381. Calbæ, decessit corruente conclavi oppressus: Sigismundus Administrator Mersburgensis: Balthasar, Landgravius Thuringiæ, bellica fortitudine clarus, & Eduardi III. Angl. Regis adversus Gallos miles, (qui ex uxore Margaretha, seu Catharina Norimbergensi, *Fridericum* cognomine *Pacificum* genuit) VVilhelmus cognomine *Cocles*, inprimis vero *Fridericus* III. de quo paulo post.

Fridericus III. cognomine *Strenuus*, Catharinæ Hennebergicæ fil. Henrici, suæ uxori Coburgensem principatum debuit, familiæ illatum, quem ipsa à matre Gutha, filia Hermanni, March. Brandeburgici obtinuerat. Carolo IV. in oppugnandis Ruthenis adstitit: nec minus adversus Adolfum Nassovium Archiepiscopum Moguntinum, fratris adversarium; ac Erfordiam, quæ ejus sequebatur partes, arma gessit; urbe obsessa, donec Imperator auctoritatem interponeret suam. Latrocinia idem compescuit, receptaculis prædonum arcibus eversis. Genuit Wilhelmum cognomine *Divitem*, Georgium, & *Fridericum* IV, de quo infra.

Fridericus IV. filius prioris cognomine *Bellicosus*, acta in castris pueritia dein etiam plurima fortiter gessit: in Franconia, contra factionem conjuratorum qui se *Stellares* nominabant: in Borussia pro Conrado, Ordinis Teutonici Magistro; in Thuringia, cùm Comites quosdam licentia insolentes compesceret: in Misnia, cùm Vice-Dominum Gribenstein i ejiceret: quibus effecit, ut, postquam Saxoniæ Ducatus extra Witikindeam stirpem hucusque hæsisset, in Dilingiis, Supplinburgiis, Guelfis, Ascaniis, tandem Alberto hujus postremæ gentis ultimo, sine prole extincto, A. C. 1422. ab Imperatore Sigismundo, præteritis Saxon. infer. Principibus agnatis, frustraque eandem dignitatem ambientibus Ludovico El. Pal. & Friderico Electore Brandeburgico, Ducatum Electoratu auctum nactus; eum VVitikindeæ stirpi denuo intulerit, A. C. 1425. Idem Lipsiensem Academiam A. C. 1409. cùm Pragâ Studiosi affluerent, instituit. Obiit A. C. 1428. Pater, ex Catharina Brunsvicensi, præter filias, Annam, Ludovici cognomine *Pacifici*, Landgravii Hassiæ, & Catharinam Friderici II. Electoris Brandeburgici conjuges, trium inprimis filiorum: Sigismundi, Episcopi Herbipolitani & Administratoris Mersburgensis, qui in exilio decessit, A. C. 1457. *Friderici* II. Successoris, & VVilhelmi, Landgravii Thuringiæ, nati A. C. 1425. quorum hic absque prole mascula decessit, Anno C. 1428.

Fridericus II. Elector, fil. prioris, natus A. C. 1412. cognom. *Placidus*, in Bohemos pro Alberto bellum gessit, eosque ad Satium, dein Sebritiam, fudit, nec non copias Polonicas dissipavit. Bellum illaturus *Friderico* Comiti Beichlingio, Archiepisc. Magdeburg. cùm hunc audivisset neutiquam ad bellum se parare, sed Deo causam commisisse; consilium omisit. Decessit A.C. 1464. Ei, ex Margaretha Austriaca, Friderici III. Imp. sorore, ductâ A. C. 1431. geniti sunt, præter eos, qui mature decessere, Ernestus & Albertus, duarum linearum satores: quos Conr. Kaufungus, olim Electoralis Aulæ Magister & Belli Dux, concepto in herum, qui Lytron, quod Bohemis, auspiciis ejus pugnans, captus, solverat, reddere nollet, odio, ex arce Aldenburgensi noctu abduxerat; mox insequentibus, quos fugienti Elector immisit, captus, & Principibus receptis, meritâ pœnâ affectus. Præter filios autem, *Friderico* filiæ fuere, Æmilia, Ludovico Duci Bavariæ nupta, Anna Alberto Electori Brandeburgico sociata, & Hedvigis, Abbatissa Quedlinburgensis.

Fridericus III. Elector, cognomine *Sapiens*, filius præfati Ernesti, ex Elisabetha Alberti Bavariæ Ducis filia, VVittebergensem arcem condidit: cum fratre Johanne VVittebergensem Academiam erexit, A. C. 1501. Philippum Palatinum Maximiliano Imperatori reconciliavit, Erfordiæ plebem contra Senatum tumultuantem sedavit, Lutheri opus Reformationis (de quo Electori pridem in somnio visio oblata) in Saxonia orsi, defensionem suscepit A. C. 1518. ex Wormatientibus Comitiis, in quibus *Fridericum de Thun*, Consiliarium suum, ne opprimeretur, ei præstò esse jusserat, redeuntem Wartpurgi asservavit, Imperium sibi, post Maximiliani mortem, delatum, suffragio suo ad Carolum V. transferre maluit, à quo, cum magna vis pecuniæ offerretur, nec recepit ipse, & à suis ne teruncium quidem accipi voluit. Demum, tumultu rustico jam orto A. C. 1525. Princeps pius, cœlebs, diuturnis calculi doloribus excruciatus, accepto in utraque specie Sacramento, obiit, cùm ad 30. Comitia Elector invisisset, successore fratre Johanne: cujus filius Johannes *Fridericus* I. Patri in Electoratu successit, (de quo V. in voce *Johannes*) pater, inter alios, Johannis *Friderici* II. de quo videsis ibidem.

Fridericus, filius Johannis Friderici modò dicti, ex Elisabetha Palatina, puer decessit, A. C. 1563. Item unus ex filiis *Friderici* VVilhelmi, de quo hic infrà, & Annæ Mariæ Palatinæ, natus A. C. 1599. venationi apud Johannem Georgium I. Saxoniæ Electorem Præpositus, in obsidione Budißinæ legionem duxit: hinc Hispanicis auspiciis delectus institutus, a re pecuniaria, in qua Hispani cum fraudati, laboravit; itaque Christiano Brunsuicensi se cùm addixisset, prælio Statlohensi captus, sed in gratiam Electoris dimissus, jam Daniæ Regis miles, ad Nienburgum cecidit, A. C. 1625. frater Johannis Philippi, Johannis Wilhelmi & Friderici VVilhelmi. Item filius Johannis, Vinariensis lineæ conditoris, ex Dorothea Maria Anhaltina, natus A. 1596. ad Floriacum, ubi Mansfeldius, cui militabat, & Brunsuicensis cum Cordubensi conflixere, cecidit, A. C. 1622. frater inter alios, Johannis *Friderici*, & *Friderici* VVilhelmi. Item unus ex filiis Ernesti Ducis ejusdem lineæ, natus A. C. 1648. qui cùm Argentinæ primò studiis dedisset operam, inde Gallias & Italiam peragrasset, aliquot mensibus ante Patris obitum Regimen, Patris nomine administrandum, accepit; inde cum fratribus ei successit. è conjuge Magdalena Sibylla agnata ducta A. C. 1669. Annæ Sophiæ A. C. 1670. Magdalenæ Sibyllæ A. C. 1671. (quæ obiit A. C. 1673.) Dorotheæ Mariæ, A. C. 1674. & *Friderici* A. C. 1675. Pater.

Fridericus D. Saxon. lineæ Albertinæ, fil. Alberti minimus natu

natu, ex Sidonia Bohemica, natus A.C. 1474. Senis studia excoluit; Magister dein Ordinis Teutonici in Prussia factus, primus, post transactionem cum Rege Casimiro A. C. 1446. factam, fidem dare Regi recusavit, usus auxiliis ac consiliis Maximiliani I. Imp. cùm verò parùm proficeret, ad fratrem natu maximum Georgium se recipere, quàm Regi extraneo se obstringi, maluit. Decessit Rochlicii A. C. 1510. Item filius Georgii præfati, ex Barbara Casimiri Regis Poloniæ filia, minor natu, ob simplicitatem vix aptus regimini, ex Elisabetha Mansfeldica, ducta A. C. 1525. obiit improlis, A. C. 1539 ut & frater ejus Johannes; successore Patruo Henrico, patre Mauritii & Augusti Electorum.

Fridericus VVilhelmus I. filius major natu Joh. VVilhelmi Vinariensis lineæ conditoris, ex Dorothea Susanna Palatina, natus A. C. 1562. in divisione, Altenburgicam ditionem nactus est. Dein, cum Johanne Georgio Brandeburgico, admotus tutelæ Christiani II. A. C. 1591. Electoratum administravit; ac initio mox, celebrato Torgæ Ordinum conventu, in ditionibus Lutheranam Religionem, cujus loco Christianus Elector Reformatæ faverat, reduxit, Ægidii Hunnii ad id negotii operâ usus. Decessit A. C. 1602. Theologorum fautor, & Lutheri scriptorum assiduus lector: Pater ex secunda conjuge Anna Maria Palatina præter filias, Johannis Philippi, *Friderici* suprà memorati, & *Friderici* VVilhelmi.

Fridericus VVilhelmus II. filius prioris minimus natu, fratrum suorum, & postea Joh. Ernesti patruelis, lineæ Gothanæ hæres, auspiciis agnati Electoris in Lusatia exercitum duxit A. C. 1634. inde ditionibus regendis incubuit: ex tomis Lutheri Germanis Jenensibus, VVittenbergensibus, Islebiensibus unum opus concinnari curavit, operâ Johannis Christfridi Sagittarii quod Altenburgi typis excusum est, A. C. 1664. extinctus A. C. 1669. Ei ex Magdalena Sibylla agnata præter alios, natus *Fridericus* VVilhelmus, A. C. 1657. qui Parenti successit, sed perbrevi regimine, utpote qui morte sua lineam hanc clausit, A. 1672. successione delatâ ad Ernestum D. lineæ Vinariensis, fratribus tamen Vinariensibus, præfecturis, quas occupaverant, concessis: erant autem hi Ernesti præfati, ex Fratre Johanne Ernesto, nepotes. Spenerus *in Fam. Saxon.*

Ex Fam. Zollerio-Brandeburgica.

Fridericus I. filius VVolphgangi ex posteris Danckonis, qui Zolleranam arcem tenuisse dicitur A. C. 829. secundùm Zimmetsheuserum, filius Conradi I. Burggravii Norimbergensis, circa A. C. 1168. nepotem habuit ex filio Conrado I. *Fridericum* II. quamvis alii hunc ejus filium faciant.

Fridericus II. Com. Zolleranus, filius an Conradi II. an *Friderici* I. V. *suprà.*

Fridericus III. prioris, ex Elisabetha Merania, filius: pater fuit Burcardi, qui cæsus ex parte Rudolfi Anticæsaris, cujus sororem Anastasiam in matrimonio habebat, ad Mersburgum A. C. 1080. Hoc genitus,

Fridericus IV. cognomine *Mante*: quo nati Rudolfus II. & *Fridericus* V. cui filius datur,

Fridericus VI. cui, cùm duo essent filii,

Fridericus VII. & Eitelfridericus: hic, Rudolfi I. Imp. ex sorore Elisabetha affinis, per filium minorem natu Eitelfridericum, Zollerenses, qui, in Principum gradum evecti hodie, in Hechingensem & Sigmaringensem lineam dispescuntur, sevit; Major verò ejus filius

Fridericus I. aliis etiam *Eitelfridericus* dictus, avunculo adhuc Habspurgi Comiti, in bello adversus Henricum Episc. Basil. & jam Cæsari in bello Bohemico operam navavit: eidem primus Imperatorii axiomatis nuntius. Quam ob causam, Eberhardo, ex Vohburgiis ultimo, Norimbergæ Burggravio extincto, Burgraviatum seu Franconiæ Ducatum Imperator nepoti contulit. Alia, ut Berytum & Cadesburga, ab uxore Elisabetha Merania, ultimi Meraniæ Duc. & Istriæ Marchionis Othonis filia, ei obtigere, nec non jus in Burgundiæ Comitatum, quod postea Hugoni Cabillonensi A. C. 1256. & 1269. vendidit, retentâ sola Advocatiâ Vesontinâ, quæ deinceps separatim vendita. Obiit A. C. 1290. Pater Conradi & *Friderici*, de quo mox.

Fridericus II. filius prioris, in bello Ludovici Bav. Imperatoris contra *Fridericum* Pulchrum, illius partes sequutus, hunc per ministrum Albertum *de Mosbach* cepit, ob id feudis aliquot donatus, tandem pacis pararius Ab Oetingensibus, Castellanis, Hohenloicis & Heideccanis plurima emit; inprimis ab Oetingensibus Onolsbacum: tum Johannem Lucenburgicum, in Regno Bohemico obtinendo, juvit. Obiit A. 1330. Pater ex Margaretha fil. Alberti Duc. Carinthiæ, Bertholdi Episcopi Aichstattensis ac Cancellarii Ludovici V. & dein Caroli IV. Impp. *Friderici* Episcopi Ratisbonensis, Alberti, & qui stemma propagavit, Johannis: quo extincto A. C. 1357. ex Elisabetha Hennebergica, natus *Fridericus* IV. apud Carolum IV. Imper. cui hostem Ludovicum Romanum conciliavit, non parùm fuit gratiosus. Decessit A. C. 1394 bis maritus Elisabethæ, *Friderici* March. Misniæ filiæ & Ingelburgis, Ludovico Romano Brandeburgico natæ: Pater verò, præter alios liberos, *Friderici* mox dicendi.

Fridericus, ex Burggraviis V. sed inter Electores I. prioris fuit filius. Hic, cùm Sigismundo Imp. in bellis Hungaricis ac Bohemicis militasset, post mortem Jodoci, March. Moraviæ, Marchiæ Vicarius, ab eo Imperatoris Budæ: dein, consensu reliquorum Electorum, Elector & Marchio, ab eodem, *ob merita, sumtus factos, & Marchiæ tranquillitatem*, Constantiæ creatus est Anno C. 1415. investiturâ solemniter peractâ Constantiæ in Concil. mens. Apr. an. 1417. Condidit postea arcem Coloniæ ad Suevum, A. C. 1427. Pomeranis Angermundam A. C. 1420. & Primislaviam, Ukkariæ Metropolim, eripuit: Norimbergensibus, cum Burggraviatu, arcem vendidit, servatis aliquibus juribus, feudis quibusdam Ecclesiasticis ac secularibus, Judicio Burggraviatus provinciali, venationibus, conductu contra urbem, & aliis; illi verò arcem dirutam in domum frumentariam converterunt. Inde Hussitarum bello cùm implicaretur, Dux Comitiis Norimbergensibus adversus eos declaratus, illis irritatis, Marchiam ab iis vastari & Francofurtum etiam obsideri vidit: Bernardum Duc. Saxoniæ Lauenburg. qui Prigniciam irruperat, vicit, Erdenoburgo destructo. Obiit A. C. 1440. Princeps auctoritate, magnanimitate & prudentiâ conspicuus. Pater, ex Elisabetha *Friderici* D. Bavariæ filia, plurium liberorum, inter quos secundo-genitus fuit *Fridericus* II. cognom. *Ferreus*, natus A.C. 1413. qui in Polonia educatus discendæ linguæ & moribus gentis, Vladislai V. ex filia Hedvige gener, & ex consensu Ordinum, in regno Successor destinatus, spe illâ excidit, Hedvige maturiùs extinctâ. Dein Vladislao mortuo A. C. 1446. oblatum Regnum, quòd Casimirus frater esset superstes, accipere recusavit; pro merito ob id ab Æneâ Sylvio laudatus: nec non Georgii Reg. Bohemiæ coronam à Pontifice sibi oblatam A.C. 1468. Basiliensis Concilii protector fuit, A. C. 1434. à Patre moriente, quòd bellicosior videretur, in Electoratu fratri majori Johanni prælatus, fratre minori *Friderico* cognom. *Crasso*, in communionem dignitatis ei addito, quo tamen hic jure cessit, defunctus A. C. 1463. litem inter Berolinenses ac Colonienses composuit, Marchiam novam, ante annos 57. a Jodoco Marchione Teutonico Ordini oppignoratam, redemit A. C 1455. Polonos & Lithuanos Francofurtum obsidentes depulit, A. C. 1450. Fœdus hæreditarium cum Saxonibus pepigit, A. C. 1451. cui Hassi accessere A. C. 1457. Bellum habuit contra Georgium R. præfatum, ob Lusatiam infer. ab Vladislao R. pridem concessam, quod ita compositum, ut Cotbusio, & oppidis aliquibus retentis reliqua ad Regem redirent. Gravissimum illud fuit, cùm Ottone D. Stettini mortuo, ex antiquo pacto sibi Ducatum assereret. A. C. 1464. ab Imperatore accepto feudo & insignibus, agnati autem Ericus & VVratislaus cum occuparent: sed & illud tandem in pacem desiit, Casimiri Pol. R. interventu. Haud longè ante obitum in Palæstinam profectus, decessit A.C. 1471. cùm priori anno ad fratrem Albertum, consensu Imperatoris & Electorum, Electoralem dignitatem transtulisset, utpote maribus destitutus, & nonnisi filiarum, ex Catharina *Friderici I.* Saxoniæ El. filia, pater, Margaretæ & Dorotheæ, quarum illa Bogislao D. Pomeraniæ A. C. 1476. hæc Johanni D. Saxoniæ inferioris nupsit.

Fridericus, ex filiis Joachimi II. El. Coadjutor Magdeburgensis fuit, A.C. 1547. Inde Episcopus Havelbergensis, demum Archiepiscopus Magdeburgensis A. C. 1551. & Episcopus Halberstadiensis A. C. 1552. factus. Ob eum, in admissione Concilii Tridentini, Pater promtiorem se præbuisse dicitur. Obiit Anno Christi 1552. veneno, ut creditur, extinctus nondum redempto pallio, quod tum 30000. aureorum vendebatur. Item filius Johannis Georgii Electoris, ex tertia ejus conjuge, Elisabetha fil. Joachimi Ernesti Princ. Anhaltini, natus A.C. 1588. cùm in Collegio Illustri Tubingæ vixisset, inde Ordinis S. Johannis, per Marchiam, Saxoniam, Pomeraniam & Vandaliam Magister creatus, an. 1610. an. seq. obiit. Item unus ex filiis *Friderici* VVilhelmi hodierni Electoris, ex prima ejus uxore Luisa Henrica Nassovia, genitus A. C. 1657.

Fridericus, filius minor natu *Friderici* II. Electoris suprà memorati, Franconicam lineam orsus est, sicut frater ejus Johannes Elector, Electoralis auctor fuit: idem post mortem alterius fratris Sigismundi, Voitlandiam nactus est. Cum Norimbergensibus litem habuit: Bello Bavarico ex partibus Cæsaris, prope Ratisbonam, copias Bohemicas cæcidit. Obiit A. C. 1536. Pater ex Sophia, fil. Casimiri Poloniæ Regis, numerosæ prolis, filiorum inprimis trium, à quibus totidem lineæ, Casimiri nempe, qui Culmbacensem; Georgii, qui Anspacensem vel Jagerdorffiam; & Alberti, qui Borussicam lineam orsi sunt. Idem etiam *Fridericum* habuit, natum A. C. 1497. Canonicum Moguntinum & Præpositum Herbipolitanum, qui bello stipendia fecit, contra Franciscum Galliæ Regem, auspiciis Caroli V. Imperatoris, defunctus Genevæ A. C. 1536.

Fridericus VVilhelmus, hodiernus Elector, V. in voce *VVilhelmus.*

Albertus

Albertus *Fridericus*, filius Johannis *Friderici*, March. Onoldsbacensis, ex Johanna Elisabetha, *Friderico* March. Badensis filia, natus est A. C. 1674. Item filius Alberti, Borussiacæ lineæ conditoris, ex Anna Maria Erici D. Brunsuicensis filia, natus A. C. 1553. à Polonis tutores accepit, ac dein Lublini, cùm major declararetur, simili ac Pater ceremoniâ, à Rege, feudum Borussiæ accepit: promisso etiam addito à Rege, suo & Successorum nomine, quo Augustanæ Confessioni cavebatur; nec non alio, quo nullam à Borussiaca Nobilitate appellationem recipere velle, nisi manifestâ injuriâ à Principe læsus aut justitia denegata sit, pollicebatur. Postea verò, ipso nuptiarum cum Maria Clivensi apparatu A. C. 1573. in mentis ægritudinem incidit, unde Georgius *Fridericus* patruelis Curator constitutus: quo mortuo curatela Joachimo *Friderico* Elect. concessa est, qui à Borussis homagium accepit, A. C. 1605. Eodem post Patrem munere provinciæ præfuit Joh. Sigismundus Elect. donec Dux decessit A. C. 1618. successore Georgio Wilhelmo Elect. Pater fuit ex præfata Maria Eleonora Annæ, quæ nata A. C. 1576. Johanni Sigismundo Electori Brandeb. prætensiones attulit Juliaco-Clivenses: Mariæ, quæ Christiano agnato; Sophiæ, quæ Wilhelmo Curlandiæ D. Eleonoræ, quæ Joachimo Friderico El. & Magdalenæ Sibyllæ, quæ Johanni Georgio I. Elect. Saxoniæ, nuptæ, obierunt annis 1649. 1610. 1607. & 1609. cùm natæ essent annis 1579. 1582. 1583. & 1587.

Georgius *Fridericus*, filius Georgii, Anspacensis vel Jägerndorffiæ lineæ conditoris, ex tertia ejus conjuge Æmilia, fil. Henrici Duc. Saxoniæ, natus A. C. 1539. tutore usus est Alberto patrueli, donec is proscriberetur: tum enim tutela quoque adempta, & Jegerndorfium Ducatum, donec is adolevisset, Ferdinandus I. Rom. R. sibi addixit, reddiditq; A. C. 1558. In Saganensem Ducatum & dominium Biberstenium, quod pignori ab eodem Ferdinando aliquandiu tenuerat, Religionem Evangelicam introduxit, sed debito soluto, restituit. Patruelis Alberti *Friderici* tutelam hicq; Borussiæ administrationem à Rege Poloniæ obtinuit, A. C. 1574. Heilsbronnæ natali suo, Gymnasium aperuit, in quo 100. alumni sustentarentur, & cum stipendio 50. aureorum mitterentur in Academias, A. C. 1582. Demum Princeps candidus, constans, & in omni fortuna sibi similis, arcibus provinciæ pluribus restauratis atque excultis, fato suo functus est A. C. 1603. nullâ ex duabus conjugibus, Elisabethâ Johannis agnati fil. & Sophia fil. Wilhelmi D. Brunsuicensis, prole susceptâ. Duxerat autem illam A. C. 1558. quâ extinctâ A. C. 1578. alteram sibi sociarat A. C. 1579.

Joachimus *Fridericus*. V. *Joachimus*.

Johannes *Fridericus*, filius Alberti March. Onoldsbacensis, ex priori conjuge Margaretha Sophia, filia Joachimi Ernesti Com. Oetingensis, natus A. C. 1654. Patri A. C. 1667. defuncto, in regimine, successit: maritus Johannæ Elisabethæ March. Badensis *Friderici* filiæ, quam in thorum ascivit A. C. 1672. ex ea pater Alberti *Friderici*, geniti A. C. 1674 &c. Spenerus *in Fam. Zollerianæ*.

Ex Familia Guelfica.

Fridericus, Dux Brunsuicensis, filius maximus natu Magni cognom. *Junioris* seu *Torquati*, ex Catharina, Woldemari Elect. Brandeburgici filia, ex transactione cum fratribus (qui Lunæburgum tenuere) A. C. 1374. initio solus Ducatus Brunsuicensis Administrator fuit: Brunsuicensium ope Ottonem Malum agnatum Wolfferbyto eiecit: Nobiles, qui fratem Bernardum captivum detinebant, prælio vicit. Demum ab aliquot Electoribus, ob virtutis famam, loco Wenceslai depositi, ad Imperiale fastigium electus, at in itinere, cùm Francofurto rediret, ad Fritzlariam, ab Henr. Com. Waldeccio, vel potiùs *Friderico* ab *Hartingshausen* & Cuntzmanno à *Falckenberg*, cæsus A. C. 1400. filium nullum reliquit: Pater solùm duarum filiarum, Annæ, quæ *Friderico* Austriaco, & Catharinæ, quæ Henrico Comiti Schwartzenburgio nupsere. Eo extincto, fratres Bernhardus Lunæburgicæ, & Henricus Brunsuicensis, linearum auctores, priori transactione, de Ducatu in solum primogenitum semper transferendo, abolitâ, pari potestate ditiones regere inceperunt, de quibus vide suo loco.

Fridericus, cognom. *Religiosus*, filius minor natu Bernhardi præfati, ex Margaretha Saxo-Angrivaria, frater Ottonis, qui sine prole obiit A. C. 1445. cum fratre Hachemolam arcem Com. Spiegelbergii, ob prædandi licentiam, expugnavit, A. C. 1434. Cùm dein Monasteriensibus, adversùs Archiep. Coloniensem opem ferret, ab hoc captus & Coloniam deductus est A. C. 1454. Reversus Cellis Cœnobium Franciscanorum extruxit, illudque ingressus, filiis, quos ad pietatem, justitiam & humanitatem, hortatus erat, regimen tradidit; sed eorum morte præmatura ad clavum retractus, septennio adhuc ditionibus præfuit, extinctus A. C. 1478. Ex Magdalena Brandeburgica, ductâ A. C. 1430. stemma propagavit: genitis Margaretâ, Ulrici D. Megapolitani *in Stargard* postea uxore, Bernardo & Ottone: qui cùm ambo ante Patrem, uti dictum, decessissent, hic tamen, ex Anna, filiâ Johannis Com. Nassoviæ, lineæ Dilleburgicæ, reliquit filium Henricum cognom. *Juniorem*, vel *Medium*: in cujus posteris quoque *Fridericus* fuit, Ernesti Ducis filius, prælio Siversbusano extinctus A. C. 1532. frater Henrici, qui Dannebergiam lineam, & Wilhelmi, qui Cellensem, orsi sunt. Item, unus ex Wilhelmi modò dicti filiis, Præpositus Bremensis, qui post fratrem Augustum Principatum Grubenhagium cum Cellensi administravit; obiit A. C. 1648. Ita enim inter fratres, quorum 7. erant, convenerat, ut uno solùm, qui Georgius erat, uxorem ducente, reliqui cœlibem degerent vitam, & regimini per vices præessent.

Fridericus Ulricus, primogenitus filius Henrici Julii Duc. Brunsuicensis, lineæ Guelferbytanæ, ex posteriore ejus uxore Elisabetha sorore Christiani IV. Dan. R. natus A. C. 1591. urbem Brunsuicum obsedit A. C. 1615. cui cùm *Fridericus* Com. Solmensis, Hanseaticæ Reip. nomine, subsidium intulisset, missus etiam eidem fini à Batavis Henr. Fridericus Nassovius esset, interpositione Daniæ R. plurimorum Electorum, Principum ac Civitatum, pax conclusa; seq. anno servatis privilegiis, à civibus Duci homagium præstitum, & proscriptio, quam ab Imperatore Dux obtinuerat, abolita est A. C. 1617. In causa autem Grubenhagia possessionem illius Principatus Lunæburgicis, cum fructibus & sumtibus restituere jussus est, A. C. eod. Translationem Electoratus in Bavarum palàm improbavit, A. C. 1623. Bello Danico, Regis avunculi partes secutus, cùm Wallenstenium ingressu in Principatum arcere frustra conatus esset, A. C. 1626. Rex, eo destituto, Ducatum Christiano fratri commisit; unde *Fridericus* Ulricus, post prælium ad Lutteram, ad Cæsarem redit; Guelferbytum Okkari inundatione domuit: ad Lipsiensem Conventum, ubi Evangelici convenerant, A. C. 1631 Legatos suos misit. Obiit A. C. 1634. sui rami ultimus, nullis ex Anna Sophia, fil. Johannis Sigismundi Elect. Brandeb. cum qua ei ob graves suspiciones non bene convenit, liberis relictis, habuitque hæredes agnatos Lunæburgicos, successore Augusto, filio minimo natu Henrici, Dannebergicæ, nunc Wolffenbüttelanæ lineæ, Auctoris.

Augustus *Fridericus*, filius natu maximus Antonii Ulrici, (præfato Augusto geniti) ex Elisabetha Juliana fil. Friderici Holsatiæ D. natus A. C. 1657. Argentinæ aliquandiu vixit, inde. peragratis exteris oris, autoritate Cæsaris legionem duxit Colonellus.

Johannes *Fridericus*, unus ex filiis Georgii, [illegible] lineæ Cellensis, & Annæ Eleonoræ, fil. Ludovici Landgravii Hassiaci, natus A. C. 1625. in divisione, Calenbergium Princ. obtinuit. Religioni Pontificiæ accessit, A. C. 1651. Fratre Christiano Ludovico mortuo, Cellensem Principatum prætendit, Hannoveræque habitat. Princeps est judicii cætera insignis ac in legendis libris industrius. In præsentibus motibus, Gallicis & Suecicis partibus favit, atque, ut pax maturaretur, fœdere junctus fuit; à quo abductus, neuter agit, copiis instructus non contemnendis. Uxorem habet, ab A. C. 1668. Benedictam Henricam Philippam, fil. Edoardi Com. Palatini Rheni, in Gallia natam ac educatam; pater ex ea filiarum.

Ex Familia Wirtenbergica.

Fridericus, filius Georgii Duc. Wittenberg. lineæ Montipelicardensis, auctoris, ex Barbara Hassiaca, Philippi Landgravii fil. initio Richovillæ, apud matrem, quæ dein Danieli Com. Waldeccio nupsit; dein vocatus Stutgardiam A. C. 1568. cum Ludovico sobrino propiori educatus est. Ejus autem nomine antea Christophorus agnatus Tutor, Claudium Franc. Louvianum *de Rye*, qui, ob prætensiones Novocastrenses, durante juris disceptatione, Hericuriam & dominium *Chastelot* vi occupaverat, armatâ manu dejecerat Hericuriâ. Tum adultior Germaniam, Daniam & Hungariam, *Fridericus* peragravit: Formulæ Concordiæ subscripsit A. C. 1581. Regimine suscepto Mompelicardum habitavit, & plurimum ornavit. Principum Germanorum Legatus, cum Wolfgango Com. Isenburgio, in Gallias intestinis bellis afflictas missus, A. C. 1586. antea colloquium Montpelicardi instituit, inter Bezam & Andreæ: dein etiam Badensi Colloquio interfuit, A. C. 1589. In Angliam, periculoso propter tempestatem itinere, profectus est A. C. 1592. Inde cùm successisset agnato Ludovico, A. C. 1593. sine prole mascula extincto, in Ducatu, agereum Austriacis cœpit, ut ab ipsorum jurisdictione eximeretur, ob quod, A. C. 1597. à fœdere Gallico se excusavit. Tandem, Imp. Rudolfus II. consentientibus Austriacis cæteris, bonâ pecuniæ summâ acceptâ, investituram Ducatuum duorum, ad primam & imediatam formam, abolitâ feudali obligatione, quâ ab aliquo tempore Austriacis obstricti fuerant, reduxit; quæ etiam ab illo tempore hucusque semper observata: reservatâ tamen Austriacis successione, in casum deficientis masculæ sobolis, ubi tantùm Religioni cautum, d. 24. Januar. A. C. 1599. Ad Jubilæum Rom. itinere occulto, profectus est, A. C. 1600. Cæterùm Eques fuit regiorum Gallici & Anglici Ordinum, & oppignorata sibi Ducatum Alensonium, in Gallia & Oberkircham, ab Episc. Argentinensi, possedit: Multa quoque Principatui loca adjecit; Templum & Collegium Montpelicardi condidit, ut & oppidum Freudenstadium, recipiendis è Styria exulibus, extructum. Obiit A. C. 1608. Princeps Heroici animi & acris judicii, ex Sibylla fil. Joachimi Ernesti Principis Anhaltini, liberorum 15. è quibus Sibylla Elisabetha nata, A. C. 1584. maritum habuit Joh. Georgium Saxonem, postea Electorem: Eva Christiana, genita A. C. 1590. Joh. Georgium March Brandeburgicum: Agnes, nata A. C. 1592. Franc. Julium D. Saxoniæ infer. Barbara, nata A. C. 1593. Fridericum

March. Bad. & Anna, quæ lucem hausit A. C. 1597. Inter filios,

Fridericus Achilles, natus A. C. 1591. virtute & literis probè excultus, *Consultatione de principatu provinciarum Europæ*, habitâ & vulgatâ innotuit, cumque per corporis molem ad Exteros ire non liceret, Geographicis & Historicis studiis aliisque Artibus ingenium excoluit. Habitandum per fraterna pacta nactus Neostadium ad Cocharum. Obiit A. C. 1631. cœlebs, ut & Magnus frater ejus: cui Neoburgum adsignatum fuerat. Reliqui tres *Friderici* præfati filii, Johannes *Fridericus*, Stutgardianam: Ludovicus *Fridericus* Montpelicardensem & Julius *Fridericus*, Julianam seu Brentianam, lineas orsi sunt.

Johannes *Fridericus*, filius natu maximus Friderici suprà memorati, natus A. C. 1582. Italiam, Germaniam, Galliam, Daniam, Bohemiam, Ungariam, Belgium lustravit. Patris succesfor, Unioni nomen dedit: Unde in bello Alsatico, una cum sociis, contra Leopoldinos egit, atque Udenhemium destruxit. Tractatibus dein quibus Unio dissoluta, subscripsit, A. C. 1626. Unà cum Lotharingiæ D. apud Cæsarem se, in causâ Palatinâ, Mediatorem interposuit, sed sine fructu: Circulum Suevicum, cujus Dux erat, totâ fere Germaniâ bello ardente, tranquillum prudenter servavit. Obiit A. C. 1628. candoris & constantiæ in primis elogio insignis. Ei, ex Barbara Sophia, fil. Joachimi Friderici El. Brand præter filias complures, filii fuere Eberhardus, qui Patri successit: (inter cujus liberos Johann. quoque *Fridericus*, Londini obiit A. C. 1659. & *Fridericus* Carolus, natus A. C. 1652. nec non Christina *Friderica* fuit, Alberti Ernesti Com. Oetingensis uxor, extincta A. C. 1674.) *Fridericus*, de quo infrà & Ulricus.

Fridericus, filius secundo-genitus Joh. Friderici modò dicti, natus A. C. 1615. Franciam ter, Italiam (ubi, cùm prædones exules numero superiores eum aggressi mortem intentarent, intrepidi animi documentum edidit) Angliam, Hollandiam, Daniam semel visit; hujusq; Regis consilio Electorem Saxoniæ, inde Imperatorem convenit: à quo ipsi Ducatus, si Religionem Pontificiam amplecteretur, oblatus est; quem ille cum Dei offensione & fratris injuria accipere renuens, pro ejus potiùs restitutione intercessit. Elusus, ad Bernardum Vinariensem in Burgundiam profectus, eoque mortuo in eodem exercitu volo diu commoratus est, donec duas legiones regendas accepit A. C. 1640. Ex quo, aliquot prælis contra Cæsarem, ad Guelferbytum inprimis; ac in Kerpensium agro Antoniano, A. C. 1642. fortiter rem gessit. Postea, ubi in Gallia aliquandiu egit variis promissis diu frustra habitus, Landgraviæ Hasso-Cassellanæ auspiciis, novam militiam, constitutus Generalis vigiliarum Præfectus, suscepit; interq; alia gesta, cùm ad Grevenbrugam Hassiacos in fugam Lambojus conjecisset Wirtenbergica legio, Ducem imitata, sola rem restituit, tormenta priùs deserta & ab hoste neglecta occupavit, victoriamque sic hosti extorsit. Pace Imperio redditâ, à fratre Neostadium (ubi sedes fuit) Weinsbergam & Mekmulam accepit, & hactenus post labores, otium exercitiis, curis & studiis Principe dignis, inter quæ Hoplotheca, Bibliotheca & Cimeliotamium instructissima Neostadii condidit. Coronationi Leopoldi I. Imp. interfuit: ab Imperio generalem peditatus & rei tormentariæ curam, A. C. 1672. accepit: Pater e Clara Augusta, fil. Augusti Duc. Brunsuicensis, ductâ A. C. 1653. inter alios, *Friderici* Augusti, nati A. C. 1654. Alberti A. C. 1657. Sophiæ Dorotheæ A. C. 1658. Ferdinandi Wilhelmi A. C. 1659. Antonii Ulrici A. C. 1661. & Caroli Rudolphi, A. C. 1667. è quibus *Fridericus* Augustus & Ferdinandus Wilhelmus, in prælio, quo Crequius Galliarum copiarum Dux ad Trevirim profligatus est A. C. 1675. egregia fortitudinis specimina edidere.

Ludovicus *Fridericus*, filius secundo-genitus *Friderici*, Georgio Montpelicardensis li...ex auctore geniti, frater Joh. Friderici præfati, natus A. C. 1586. post studia Argentorati ac Tubingæ exculta, Angliamque, Scotiam, Belgium, Italiam, Galliam & Germaniam peragratas, Mompelicardum pacto inter Fratres nactus est, A. C. 1617. cujus ditionis reditus aliquot fodinis & fabricis ferri institutis non parum auxit. Postea, mortuo fratre, regimen Ducatus Wirtenbergici tutorio nomine accepit. Obiit A. C. 1631. ex prima conjuge Elisabetha Magdalena Hassiaca. fil. Ludovici. pater Henricæ Luisæ, quæ nata A. C. 1623. Alberto March. Brandeburgico nupsit, extincta A. C. 1650. & Leopoldi *Friderici*, qui genitus A. C. 1624. sub Tutoribus fuit Eberhardo adgnato & Georgio Hassiæ Landgr. qui Montpelicardum Galliæ R. tuendum commisere; donec, pace Monasteriensi, omnes ditiones, extraneo præsidio deducto, ipse Princeps recepit. Singulis fere annis magno sumtu itinera in varia loca suscepit, decessit A. C. 1662. nulla ex Sibylla patrueli prole susceptâ: Ei successit frater Georgius, qui inter alios, ex Anna Colinia, Ottonem quoque *Fridericum* habuit sed immaturo fato abreptum.

Julius *Fridericus*, V. *Julius*.

Sylvius *Fridericus*, nepos Julii Friderici, ex filio Sylvio Nimrodo, natus est A. C. 1651. &c. V. Spencerum sæpius laudatum *Syll. in Fam. Wirtemb.*

Ex Familia Badensi.

Fridericus I. fil. Hermanni II. cognom. *Senioris*, Com. Tecensis frater fuit Lucelmanni & Hermanni III. quo genitus Albertus IV Rudolfum I. Imp. cum Eberhardo V Virtenbergico reconciliavit.

Fridericus II. filius minor natu Ludovici II.

Fridericus III filius Hermanni IV. obiit improlis.

Fridericus IV. fil. Hermanni VI. quo geniti sunt Hermannus VII.

Fridericus V. & Lucelmannus II.

Fridericus VI. Conrado IV. quem in ædibus suis Monachii occidit Suicardus Dominus Gundelfingæ genitus, fratres habuit Conradum V. Lucelmannum III. Ludovicum VII. Ulricum III. atque his clariorem *Fridericum*, de quo mox.

Fridericus VII. frater prioris, bellis exercitatus, atque apud Carolum IV. contra quem tamen Eberhardo V Virtenbergico adhæserat, A. C. 13?0. gratiosus fuit. Factus enim Advocatus provincialis Sueviæ & Alsatiæ: Mundelhemium à familia Hochschlitzia suæ genti asseruit, ac vi defendit; Fo natus.

Fridericus VIII. ex Anna Helfenstenia, Sigismundi Imp. in Italia miles fuit.

Fridericus IX. ultimus Tecensium Dux, ex Hedvige Aceslina filius Conradi VI. qui Friderici VIII. frater fuit, obiit A. C. 1439. unicâ ex Urslingæ Ducissa relictâ filiâ & herede Beatrice seu Judithâ, à qua Ducatus marito Eberhardo Com. Wirtenbergico obtigit: Mundelhemio dominio, à Jutha & Irmgardi *Friderici* VII. filiabus, Werthemiæ & Rechbergiæ stirpi illato.

Fridericus, fil. minimus natu Henrici II. Henrico I. Hochbergiæ lineæ conditore geniti. Item filius Hermanni V. lineæ Badensis, ex Gertrude, filiâ Henrici Metlingensis, hærede Austriæ, unde Dux Austriæ, Neapoli Caroli Andini jussu, cum Conradino Sueviæ hærede, quem, ad occupandum regnum sibi debitum profectum, contra matris voluntatem, comitatus erat, ætatis anno 28. decollatus est. Frater Agnetis, quæ nupta Ulrico ex Ortenburgiis Duci Carinthiæ, & post eum Meinhardo Com. Tirolis, mater fuit Elisabethæ Tirolensis, Alberto Imp. primo inter Habspurgios Duci Austriæ in matrimonium elocatæ.

Fridericus II. fil. Hermanni VI. ex Agnete Com. Vailsingensi, natu maximus, vetus Eberstenium castrum, sicut frater ejus Rudolfus V Pfortshemium, tenuit, novi rami auctor. In quo ipse Maulbronnensibus initiò gravis, dein ademta restituit: & mortuus est A. C. 1333. Pater, ex Adelheide, Com. Beuchlingensi, mortuâ A. C. 1348. Hermanni, de quo V. *suo loco*.

Fridericus III. filius Rudolfi præfati, ex posteriore ejus uxore Maria Oetingensi, frater Rudolfi V Veckeri. obiit A. C. 1353. suscepto ex uxore secunda, (prior enim Margaretha Com. Fittenlis sine prole decesserat A. C. 1348.) Ursula Tecensi, filia Conradi Ducis, filio Rudolfo, à statura *Magno* dicto. Idem nomen secundò genito Caroli, ex Catharina Austriaca fil. Ernesti Ducis, nato A. C. 1458. qui Episcopatu Ultrajectino 22. annos gesto, variis tumultibus, factionibus & bellis defatigatus, senioque confectus, se A. C. 15?6. abdicavit, in gratiam Philippi Burgundi, extinctus anno seq. &c.

Fridericus I. filius natu maximus Georgii *Friderici*, rami Durlacensis ex Juliana Ursula Ringravia, in lucem editus A. C. 1594. à Patre vivo Principatum suscepit, sed paulo pòst, in lite cum agnatis Edoardinis causâ cecidit & ad restitutionem condemnatus est A. C. 1622. unde ad Imperatorem susceptum iter; donec Eslingæ transactum, A. C. 1629. Bello Suecico variam fortunam expertus, in pacificatione Pragensi, ab amnestia exclusus, tandem verò pace Monaster. in sua restitutus est, eique, cùm locarum alternatio sancita esset, primus servatus locus. Obiit A. C. 1659. Uxores habuit quinque, Barbaram fil. Friderici D. Wirtenbergici, Eleonoram, fil. Alberti Ottonis Com. Solmensis, Mariam Elisabetham Waldeciam, fil. Volradi, Annam Mariam fil. Jacobi ultimi Com. Geroldsecciæ, & Elisabetham filiam Vratislai Com. Furstenbergici, quæ marito superfuit. Ex primo matrimonio natus est *Fridericus*, de quo mox; Carolus item Magnus: ex secundo Gustavus Adolfus, de quibus *suo loco*: ut filias omittam.

Fridericus II. Patris, de quo modò, successor, post iter Gallicum, primò Bernardo Vinariensi comitem se junxit, A. C. 1637. prælio ad Rhinfeldam A. C. 1638. strenuè pugnavit; inde Legatus legioni præfectus, mox Chiliarcha factus: à Bannerio ad Franciæ Regem missus, cum Card. Richelio de rebus gravissimis egit, A. C. 1640. Inde conflictibus ad Mersebergum & Wolffenbüttelium interfuit. Dehinc in Sueciam profectus, Christinam Magdalenam, filiam Johan. Casimiri Com. Palatini Rheni duxit, A. C. 1642. Tractatus pacis in Westphalia, suæ domus bono, A. C. 1647. invisit. Inde Poloniâ lustratâ, Comitia Ratisbonensia visitavit, A. C. 1653. Imperatori innotuit: affini Sueciæ R. bello Polonico operam navavit A. C. 1655. equitatus cura generali præfectus. Castrorum postea ad Danfiscum cura cum Steinbockio & Gardiano ei commendatâ; exin hosti in Mazovia cladem intulit. A Patre revocatus domum rediit. Otto inde bello Turcico, cum Episcopo Monast. supremum Imperialis Exercitus directionem

rium nactus, eo munere pro dignitate functus est; Archistrategus tandem bello præsenti Exercitus Germanici Philippoburgum, post acrem obsidionem, expugnavit, paulo pòst Argentinæ extinctus. Genuit ex uxore præfata, præter filias, Christinam natam *A. C.* 1645. & Alberto March. Brandeb. nuptam *A. C.* 1665. Catharinam Barbaram, in lucem editam, *A. C.* 1650. Johannam Elisabetham *A. C.* 1651. Joh. Friderici March. Brandeburgici uxorem, ductam *A. C.* 1672. filios duos, *Fridericum* cognom. *Magnum* & Carolum Gustavum; quorum is, natus *A. C.* 1647. uxorem duxit Augustam Mariam, fil. Friderici Holsatiæ Ducis, è qua aliquot jam liberos suscepit, inter quos filius patri cognominis eodem anno 1672. natus & extinctus est.

Carolus *Fridericus*. filius Caroli M. præfati, ex Maria Juliana, filia Georgii *Friderici* Com. Hohenloici, V. suprà *Carolus*.

Ernestus *Fridericus*. filius Caroli (Ernesto Durlacensis rami conditore geniti) ex secunda ejus conjuge Anna Palatina fil. Ruperti, cum Hochberga Rœteliam nactus, fratris Jacobi filio Ernesto Jacobo in infantia extincto successit; Evangelicam religionem, facessere jussis Romanis, quos frater introduxerat, restituit: pro Joh. Georgio Brandeb. Episcopo Argentinensi, in castra venit *A. C.* 1592. Edoardi ditiones, ob debita, ne Fuggeri involarent, occupavit: Illustre Gymnasium Durlacense instituit, & alendis 10. alumnis reditus addixit: Demum, qui olim Formulæ Concordiæ subscripserat, ad Reformatos animum applicuit, Basilea Doctoribus evocatis: Obiit *A. C.* 1604. nullâ ex Anna, fil. Edoardi Com. Ostfrisii, prole relictâ. Successit frater minimus natu,

Georgius *Fridericus*, ferventissimo in Augustanam Confess. zelo, & Religionis Controversiarum apprimè etiam peritus: præterea heroico animo & multâ prudentiâ inclytus, unde multis Magnatibus, Rudolfo inprimis II. Imp. admirationi fuit. Copias suo ære conductas adversùs Turcas duxit, *A. C.* 1600. ad Canisam fortitudinis speciminibus editis: Unioni nomen dedit & *A. C.* 1622. causam Palatinam tuendam suscepit, translatâ in filium provinciarum administratione seipsoque exercitu. Sed infelix cum Tillio & Cordubensi ad VVimpenam prælium conatus irritos reddidit. Obiit *A. C.* 1638. Ex priori conjuge Jul. Ursula Ringravia, fil. Friderici, Pater, præter filias, Catharinam Ursulam, Ottonis Landgravii Hassiæ, Annam Ameliam, VVilhelmi Com. Nassov. Saræpontani; Sibyllam Magdalenam, Johannis Com. Nassoviæ, uxores, Sophiamque Dorotheam, & Ernestinam Sophiam, virgines: trium filiorum, *Friderici*, de quo suprà, Caroli & Christophori. Ex posteriore, Agatha fil. Com. Erpacensis, Annæ & Elisabethæ, quarum illa mortalitatem exuit Anno Christi 1672.

Ex Familia Hassiaca.

Fridericus, filius Mauritii Landgr. Hasso-Casselani ex secunda ejus conjuge, fil. Johannis Com. Nassovii, Juliana, natus *A. C.* 1617. Eschvvegam tenuit, in Polonia, cùm ex Suecorum parte stipendia fecisset, ab hoste trucidatus *A. C.* 1655. Et ex Eleonora Catharina, Caroli Gustavi Sueciæ Regis sorore, filiæ tantùm natæ sunt: è quibus major natu Christina, in lucem edita *A. C.* 1648. Ferdinando Alberto D. Brunsuicensi, minor Carola, Augusto Saxoniæ Duci, nupsere; media Juliana in Suecia degit.

Fridericus, fil. minimus natu. Georgii, lineæ Darmstattinæ auctoris, ex conjuge ejus priore Magdalena fil. Bernardi Com. Lippiensis, natus *A. C.* 1585. lineam Homburgicam sede Hombergi sibi electâ, sicut Frater ejus major natu Darmstadiensem continuavit, orsus est. Decessit verò *A. C.* 1638. Pater, ex Margaretha Elisabetha, fil. Christophori Com. Leiningensis VVesterburgii, ductâ *A. C.* 1622. Ludovici Philippi, VVilhelmi Christophori, Georgii Christiani, Annæ Margarethæ (quæ Philippo Ludovico D. Holsatiæ nupsit *A. C.* 1650.) & *Friderici*. E quibus, primus obiit *A. C.* 1643. secundus Bingenhemium inhabitat, tertius ad Pontificios transiit: Quartus

Fridericus, Suecis bello servivit Danico, ubi in Hafniensi obsidione ei globus tormentarius pedem comminuit; à quo moderno Electori Brandeburgico operam addixit. Unde in hujus exercitu Generalis Locumtenens, in Alsatica expeditione, dextrum cornu tenuit: in prælio dein ad Fehrbellinum, in Pomerania, fortissimè pugnans, victoriæ magna pars fuit, in Rugiâ Ins. recuperanda *A. C.* 1678. non minùs celebrem operam navavit, postea in Stralsundæ obsidione occupatus. In Brandeburgica Marchia bona quædam emit, & VVevelingæ sibi sedem elegit: cæterùm Reformatorum religioni se applicuit. Uxorem habuit primò Margaretam fil. Abrahami Brahei Com. Wisingburgii Bened. Oxenstiernæ viduam, extinctam *A. C.* 1669. nunc Ludovicam Elisabetham fil. Jacobi Ducis Curlandiæ, ex ea pater duorum filiorum, quorum prior ...... *A. C.* 1672. alter Carolus Christianus *A. C.* 1674. lucem aspexere. Nec omittendus *Fridericus* fil. minimus natu Ludovici præfati (qui lineam Darmstattinam continuavit) ex Magdalena Brandeburgica, filiâ Johannis Georgii Elect. genitus *A. C.* 1616. Hic in itinere Italico, ad Religionem Pontificiam transgressus *A. C.* 1636. Melitensi ordini operam addixit, & in aliquot expeditionibus rem fortiter egit, ob quod ejus Ordinis per utramque Germaniam Prior constitutus, Heitershemium incoluit, Cardinalitium galerum nactus *A. C.* 1655. Inde, post mortem Card. Columnii, protector Nationis Germanicæ ab Imperatore factus, hinc cum aliis Coronarum Legatis, graves cum Cardin. Altierio, Pontificis nepote, lites habuit. Eidem collatus Episcopatus Vratislaviensis, & nunc præfectura Ducatuum in Silesia ad Imperatorem devolutorum, ad quæ capessenda in Italiam rediit.

Ex Fam. Wandalico - Megapolitana.

Fridericus, filius Adolfi Friderici Duc. Megapolitani, Suerinensis lineæ conditoris, ex secunda ejus conjuge Maria Catharina, filiâ Julii Ernesti D. Brunsuicensis, natus *A. C.* 1638. in Ungaria contra Turcas militavit, inde sub Electore Brandeburgico Colonellus stipendia meruit: nunc in *Grabau* habitat, maritus Christinæ Wilhelminæ, filiæ Christophori Hassiæ Landgravii, è qua filium suscepit.

Adolphus *Fridericus*; Dux Megapolit. Suerinensis lineæ auctor, sicut Johannes Albertus, frater ejus minor, Gustrovianæ; natus *A. C.* 1589. Patre Johanne, & matre Sophiâ Holsaticâ, filia Adolphi D. obiit *A. C.* 1658. Pater, ex Anna Maria fil. Ennonis Com. Ostfrisiæ, extinctâ *A. C.* 1634. præter filias, Sophiam Agnetem, (natam *A. C.* 1625. Erdmanni Augusti March. Brandeburgici, sed ante nuptias extincti, sponsam) & Annam Mariam (natam *A. C.* 1627. Augusto D. Saxoniæ nuptam, *A. C.* 1646. defunctam *A. C.* 1669.) Christiani, (qui natus *A. C.* 1623. ad Pontificios deflexit *A. C.* 1663. & *Christiani Ludovici* nomine assumto, conjugi adhuc vivæ superinduxit Isabellam Angelicam fil. Franc. Montmorencii Com. Butevillii, viduam Casparis Colinii, Duc. Castilionei) Caroli, Johannis Georgii & Gustavi Rudolphi (quorum is natus est *A. C.* 1629. hic *A. C.* 1631.) Ex Maria verò Cathar. Brunsv. Julianæ Sibyllæ, natæ *A. C.* 1638. *Friderici*, de quo suprà, Christinæ, n. *A. C.* 1639. Mariæ Elisabethæ 1646. Annæ Sophiæ 1647. Philippi Ludovici 1652. Henrici Wilhelmi 1653. & posthumi, qui Patri cognominis Adolfi quoque *Friderici* nomen habet.

Ex Fam. Vandalico - Pomerana.

Johannes *Fridericus*, filius Philippi Ducis Pomeraniæ Occid. ex Maria Saxonica, fil. Johannis Electoris, natus *A. C.* 1542. inter fratres maximus, Camini Episcopus electus *A. C.* 1556. Patri defuncto *A. C.* 1560. successit Stetini, & in bello Hungarico vexillum Imperii gessit *A. C.* 1566. Quadriennio pòst conventui Pacificatorio, qui Stetini celebratus, præses, Cæsaris nomine, præfuit. Thuan. *Histor. lib.* 47. *p.* 859. Eidem Maximilianus II. Imp. diploma confirmatorium novæ Marchiæ concessit, eumq; commendat, quòd turbas in Lithuania ac Livonia, *A. C.* 1557. suâ dexteritate sedaverit. Cùm de subscribenda Formula Concordiæ ageretur, illâ, quòd Augustana Confessio & corpus doctrinæ Pomeranum Ecclesiis sufficeret, omissâ, ad Reformatos inclinare visus est, unde Sal. Gesnerus pulsus, inde Stralsundam & hinc VVittebergam concessit. Tandem verò Dux in alia versus, Synodo convocatâ *A. C.* 1593. Gesneri adversarium Stichium condemnasse, Formulamque Concordiæ approbasse dicitur. Obiit anno seculari, ex Erdmuthi Brandeburgica, filiâ Joh. Georgii Electoris, *A. C.* 1577. ductâ, quæ vidua ad *A. C.* 1628. superfuit, nullâ prole susceptâ. Spenerus *Syll. Geneal. in hac Fam.*

Ex Fam. Ascanio - Anhaltina.

Fridericus, filius minor natu Christiani, Principis Anhaltini, qui ex Joachimi Ernesti filiis Bernburgium ramum cœperat, frater Christiani II. cognom. *Junioris*, qui eum continuavit, Harzgerodam accepit habitandam, inprimis Chymiæ studio ac peregrinationibus delectatus. Obiit *A. C.* 1670. Uxores habuit Johannam Elisabetham fil. Johannis Ludovici Principis Nassovii, quam extinctam *A. C.* 1647. acerbiùs luxit: post eam autem, Mariam Elisabetham fil. Simonis Com. Lippiæ, quæ mortua est *A. C.* 1659. eiq; peperit Carolam Elisabetham *A. C.* 1647. uxorem VVilhelmi primò Ludovici agnati & dein Augusti Holsatiæ Ducis; ac VVilhelmum *A. C.* 1653. Patris successorem, in cujus thalamo vivit Elisabetha Albertina fil. Alberti Ottonis Com. Laubacensis.

Ex Fam. Piasteo Silesia

Fridericus I. filius Johannis Ligniciæ Ducis ex Hedvige Lignicia (Patrui magni filiâ) natus *A. C.* 1446. in aula Onoldsbacensi, inde Brandeburgica Electorali, demùm Regia Bohemica educatus est. A civitate Lignicia, quæ Patri Avoque diu rebellis, cum Matre, solenni ceremoniâ, intromissus *A. C.* 1454. Consulem Ambrosium Bitschinium, motuum auctorem, capite multavit: quo pacto domino suo Principatus restitutus est, in eo plenè recuperando Alberto Brandeburgico adjumentum insigne ei adferente. Cum postea Georgius Bohemiæ R. quòd Hussitis accessisset, *A. C.* 1462. à Papa proscriptus, & Silesia ab ejus obsequio soluta esset, *Fridericus*, ob ejus studium, unà cum Olsnensi, eodem fulmine percussus est *A. C.* 1468. sed tandem, per Albertum præfatum, Pontificii Legati Rudolfi Episcopi Lavatini impulsu, adversùs Georgium electo Regi reconciliatus, Georgium, cujus dein filiam Ludmillam duxit *A. C.* 1475. eidem huic reconciliavit. De cætero, fideli Matthiæ præstitâ operâ, contra Bohemos & Polonos, Capitaneus Silesiæ & Lusatiæ super. creari meruit. Mundo valedixit *A. C.* 1488. Princeps, diligenti rei familiaris administratione (unde Briegam *A. C.* 1481. & alia Oppoliensibus agnatis oppignorata redemit)

redemit) & publici curâ optimè de Principatu meritus; relictis sub tutela viduæ, quæ decessit *A. C.* 1503. filio cognomine, de quo mox. Johanne item & Georgio, de quibus *s. l.*

Fridericus II. filius prioris, fratrum reliquorum, qui improles decessere, non minùs, ac Patris, successor, natus A. C. 1480. in aula Uladislai Hungariæ R. aliquandiu vixit, Matre ditiones administrante. Tum in Palæstinam profectus, ibique eques creatus, rediit A. C. 1511. Vratislavienses bello persecutus est, Capitaneus que infer. Silesiæ factus, A. C. 1519. inde, publicè facti ratione redditâ, Evangelio nomen dedit, A. C. 1523. illudque in utrumq; Principatum introduxit: quo fine Goldbergensem scholam non parùm excoluit, stipendia quoque Studiosis instituit, Anabaptistis verò & Schvvenckfeldianis masculè se opposuit. *Pitschen* & *Creutzburg* urbes oppignoratas, redemit A. C. 1530 triennio quoque, ab A. C. 1540. Glogovium Principatum oppignoratum tenuit, Ligniciam ædificiis ornavit. Cum prior uxor Elisabetha Polonica fil. Casimiri R. A. C. 1511. ducta, biennio pòst mortua sine liberis esset; ex altera, Sophiâ, fil. Friderici March. Brandeburgici, in thorum ascita A. C. 1519. defunctâ A. C. 1537. præter Sophiam, Joh. Georgio Electori Brandeburgico nuptam A. C. 1545. & seq. in partu extinctam, filios duarum linearum conditores, *Fridericum* III. Lignicensis & Georgium Brigensis, reliquit, quorum ille natus est A. C. 1520. iste A. C. 1524.

Fridericus III, modò dictus, eloquentiâ & linguarum cognitione clarus, cùm debitis gravatus esset, & aliàs quoque Regis Ferdinandi offensam incurrisset, in Galliam militatum profectus est A. C 1551. Ducatu curatelæ fratris comisso. Iterum reducem Cæsarei Commissarii Vratislaviæ stiterunt, filioq; in arce Lignicia ad mortem usque quæ secuta est A. C. 1570. custodiendum tradiderunt. Fuit autem is Henricus, ex Catharina fil. Henrici Duc. Megapolitani (quæ ducta A. C. 1538. mortua est A. C. 1581.) genitus. Cujus frater, iisdem editus parentibus, natu minor,

Fridericus IV. cognom. *Clemens*, natus A C. 1552. Ducatus curam a Cæsare nactus, eum justitiæ diligenti observatione administravit, interim sub eo debita crevere, Samoscium in Silesiam irrumpentem suis ad arma vocatis, à transitu Viadri prohibuit: Obiit, Ligniciæ lineæ ultimus, A. C. 1596. cùm ex triplici conjugio, Sidoniæ Mariæ fil. Wenceslai Adami D. Teschinensis ductæ & extinctæ A. C. 1587. Dorotheæ fil. Johannis D. Holsatiæ, ductæ A. C. 1589. mortuæ A. C 1593. & Annæ Mariæ Wirtenbergicæ fil. Christophori Ducis, in thorum ascitæ A. C. 1594. quæ ad A. C. 1617. superfuit, prolem non haberet. Fuere autem Henrici & *Friderici* hujus sorores, Catharina, quæ Friderico Casimiro D Teschinensi nupsit A. C. 1563. & Helena, conjux Sigismundi Curtsbachii Bar. *de Militsch.*

Fridericus, fil. minor natu Casimiri IV. Duc. Teschinensis, utriusq; Silesiæ Capitanei, ex Johanna Monsterbergica fil. Victorini Ducis, Episcopatui Vratislaviensi destinatus, cùm Bononiæ studiis cum fratre, Wenceslao incumberet, obiit ante Patrem, A. C. 1501. Wenceslai verò ex filio Wenceslao Adamo nepos *Frid.* Casimirus fuit, ex Maria Bernstenia, ante Patrem A. C. 1571. unicâ filiolâ Catharinâ, quæ obiit A. C. 1581. ex Catharina, fil. *Friderici* Ducis Lignicii præfati, relictâ, extinctus: unde solus superfuit Adamus Wenceslaus quo *Fridericus* Wilhelmus, ex Elisabetha Curlandica fil. Gothardi Ducis A. C. 1595. ductâ natus, primò quidem in Evangelica Religione educatus est, postea, ut à Jesuitis instrueretur, Monachium missus. Hic nostrâ memoriâ totam Micislai, Super. Silesiæ Ducum conditoris, lineam terminavit: Frater Elisabethæ Lucretiæ, quæ Gundaccaro Principi Lichtensteinio nupsit.

Joachimus *Fridericus*, filius minor Georgii Brigensis lineæ auctoris, ex Barbara Brandeburgica fil. Joachimi II. Electoris ductâ 1545. extinctâ A. C. 1595. genitus A. C 1550. studiis tinctus, in aula Brandeburgica, 7. annis vixit, & Electoris ad coronationem Poloniæ Regis legatus fuit, A. C. 1574. In Religionis negotio, dissidia publico interdicto vetuit & paulatim ad Reformatos deflexit. Olaviæ & post matrem Briegæ habitavit, tum Præpositus Magdeburgicus atque in re militari Silesiæ Generalis fuit. Ad eundem, morte agnati *Friderici* IV. de quo suprà, rediit Lignicius Principatus, quem per Wenceslaum Zedlizium Capitaneum administravit: Utrumque tandem Ducatum, morte suâ, quæ contigit A. C. 1602. ad filios, Annâ Mariâ Anhaltinâ fil. Joachimi Ernesti Principis, ductâ A. C. 1577. extinctâ A C. 1605. matre natos (qui sorores habuere Barbaram Agnetem Joh. Ulrici B. Schafgotschii conjugem & Mariam Sophiam virginem) Georgium Rudolfum & Joh. Christianum transmisit &c. V. Phil. Jac. Spener, *in hac Fam.*

Ex Fam. Nassovica.

Fridericus Henricus, filius Guilielmi Principis Arausion. Belgicæ libertatis Statoris ac Vindicis, ex Ludovica Colignia, famosi illius Galliæ Admiralli, qui in Laniena Parisiensi inter principes cecidit, A. C. 1572. filiâ natus A. C. 1584. Mauritio Fratri, juvenis adhuc, adfuit in prælio Flandriæ celebri ad Neoportum: postmodum defuncto, in administratione Belgii Fœderati successit, prudentiâ, fortitudine, rerum gestarum gloriâ, inclytus. Obiit A. C. 1647. ætatis 63. Pater ex Amal a Somensi Braunfelsia (fil. Joannis Comitis) quam duxerat jam ætate provectior, Guilielmi, qui Patris successor fuit; Ludovicæ, Friderico Wilhelmo Elect. Brandeburg. primis nuptiis junctæ; Albertinæ Agnetis, Guilielmo Friderico Com. Nassoviæ & Diezæ, Præfecto Groningensi, elocatæ; Henricæ Catharinæ, quam Enno Chaucorum Satrapa uxorem habuit & Mariæ Principi Simmerio, stirpis Palatinæ, lineæ suo ultimo, haud pridem extincto, nuptæ. V. etiam in voce *Henricus.*

Friedbergia Familia, ramus familiæ illustris Dapiferorum seu Truchsessiorum, in Germania, de quibus suprà, in voce *Dapiferi* diximus. Cùm enim in Johannis, qui decessit A. C 1403 filiis tres lineæ inciperent, ultima *Scheerensis* in Jacobo cœpit: quæ nunc in duas denuo secatur, quarum priorem Comites Trauchburgenses *in Scheer* constituunt, alteram Comites *de Friedberg & Trauchburg.* Et quidem horum progenitores ita se habent. Jacobi præfati filius Johannes, Wilhelmum I. genuit, defunctum A. C. 1517. ex Sibylla Sonnenbergia, patrem Wilhelmi II. qui extinctus A. C. 1566. ex Johanna Furstenbergia, Christophorum reliquit Dn. *de Waldburg in Scheer*: quo (obiit is A. C. 1612.) ex Anna Maria Furstenbergia, editus Wilhelmus Henricus Truchsessius Com. *de Friedberg & Scheer*, maritus fuit Julianæ Sulzensis, e qua ei natus A. C. 1615. filius Otto, uxorem nactus est Mariam Sidoniam Schlicktam &c. Idem Spenerus *Theatr. Nobil. Part. III.*

Frigida Lavatio, sive λουτρόν, locus erat Balneorum apud Vet. in quo frigidæ aquæ lavacra, & præsertim piscina, aliàs *Baptisterium* à Plinio jun. vocata, pro nationis usu ab Auctoribus citata, posita erant: tum ob eos, qui omni tempore illam prosequebantur, sive ob valetudinem, sive ob delitias: qualis Alexander Severus, quem *rarissimè in Calidariis, ferè semper in piscinis lavisse,* scribit Lampridius; tum ob æstatem, qua similis lavatio grata est. De ejus usu plura apud Oribasium *Collect. lib.* 10. Idem, quem modò laudavimus, Lampridius Heliogabalum *nunquam in piscinis se lavari passum esse, nisi illæ croco aliisve pretiosis unguentis essent infectæ*, memorat. Ab ea aberat *Frigidarium*, locus alter eorum in gratiam fabricatus, qui statim, post egressum Tepidarii aut Calidarii, frigido aëre frui avebant: neque enim aquæ ibi vasa reperiebantur (quemadmodum in *Frigida* Lavatione) ut eò plures æstate ibi convenire possent. Quamvis & in hac parte fieri potest, ut loturi quoque exuerentur, tum quia Apodyterium communis pro exercitatoribus spoliandis locus non parùm inde aberat, adeò ut denudatis ibi per Ephebeum, *Frigidam* Lavationem & reliqua loca transire necesse esset; tum, quia probabile est, in Ephebeo homines sæpius convenire consuesse, a quibus loturos haud quaquam nudos conspici honestum erat. Ad quæ vitanda in *Frigidario* se exuere potuerunt, eo magis, quòd Varro Pliniusque testantur, tam in urbibus, quàm ruri Apodyterium quoque balnei partem fuisse. Referri eodem potest Ciceronis illud, Ἀποδυτηρίῳ *nihil assius*, sed de hoc V. plura suprà. Etiam sudores in *Frigidario* detergi consuevisse, discimus ex Galeno *Method. lib.* 10. Erat autem *Frigidario* adnexum Tepidarium, uti docet Hieron. Mercurialis *de Arte Gymn. lib.* 1. *cap.* 10. In Palæstris verò *Frigidarium* prope Elæothesium fuit, ab eoque iter in propnigeum, in versura porticus: proximeque introrsus è regione *Frigidarii* concamerata sudatio longitudine majori quam latitudine &c. Idem *cap.* 6.

Frigida, apud Jul. Capitolinum *in Gordiano Jun. Pomorum & olerum avidissimus fuit — adeò ut semper pomorum aliquid recentium devoraret*: frigidarum *percupidus*: *nec facilè per æstatem nisi frigidas edit*, subint. *mensæ*, dicebantur omnia edulia id genus, quæ cruda eduntur, ut poma, olera, ostrea & similia. Idem tamen in *Maximino*, olera à *frigidis* distinguit & diversa facit. Neque enim omnia olera cruda edebantur, sed quædam etiam cocta, quæ proin sola non inter *frigidas* recenseri debent. Ἄπυρα ὄψα, Græci vocant, unde ἄρτον ἄπυρον Catonis, apud Plutarchum. Peculiariter vero vox usurpata occurrit de ostreis, echinis aliisq; ejusmodi, quæ in antecœna sumebantur. Macrobius *lib.* 3. *Antecœna echinos, ostreas crudas — peloridas, sphondylos* &c. Lactuca tamen etiam in *Frigidis* erat. Unde Martialis noti versiculi,

Claudere quæ cœnas lactuca solebat avorum,
Dic mihi, cur nostras inchoat illa dapes?

Idem alio loco,

—— —— *adfertur protinus ingens,*
Inter lactucas oxygarumq; liber.

Ubi antecœnam intelligit. Plutarchus porro ψυχρὰς illas τραπέζας ex crudis quoque oleribus facit constare, & per [illegible] lactucas intelligit. Sed & alia complura sub hoc *Frigidarum* veniebant nomen, eam ob rationem, quòd incocta apponerentur & esitarentur, faseoli, lupini, fœnum Græcum, olivæ & alia hujuscemodi multa, quæ in Antiquorum antecœniis locum habebant: Ostreæ tamen primum in iis obtinuere. V. Salmasium *ad Capitolinum loc. cit.*

Frigus, an à *rigor*, appositione τῦ F; an à Gr. Φρίσσω & Φρίκη, quæ de *mari* & de *horrore* dicuntur? sub utroq; Polo fontem suum habet, quibus proin plagæ subjectæ calore Solis ita non temperantur, ut habitabiles sint, quod de Septentrionali parte scripto edocti sunt Argonautæ Batavi sub finem sec. præt. Nempe oportuit, Sole caloris fonte, inter duos Tropicos, in medio, existente, sub Polo utroque *frigoris* fontem esse, qui toto Orbe, ad æstum Solis

tempe-

temperandum se diffunderet: uti experientia docet evenire post magnum Solis æstum spirante Borea. Absque quo *frigore* foret, brevi absumeretur aqueus humor; quo non minùs, quam calore, ad rei generationem ac conservationem opus est. Gerh. Jo. Vossius *de Idolol. lib. 2. cap. 2.* Per translationem, *Frigus* gratiæ sive amicitiæ tepor est, & favori opponitur. Quo sensu Fabius ait, *Rusticitas & rigor, & deformitas adferunt interim frigus.* Plin. *lib. 8. Epist.* 14. *Interim Panis aliena deliratio aliquid* frigoris *attulit.* Et Horatius Serm. *lib. 2. Sat.* 1.

——— *Majorum ne quis amicus*
Frigore *te feriat.*

Quod novè *refrigerare* dixit Paterculus, ubi de Planco *ab Antonio refrigerato, lib. 2. cap.* 83. sicut *frigidam suffundere* Plautus. Ad quorum mentem Seneca *Epist.* 123. *Vetitenus Montanus & amicitiâ Tiberii notus & frigore*: quem sc. Tiberius & ardenter amavit & subitò fastidivit. Certe amor ardor cùm sit, fastidium *frigus* cum ratione dicitur. V. Lipsium *Not. ad Paterc. d. l.* & Casaubonum *Animadvers. ad Suetonium Tiberio cap.* 41. Adde eundem *in Augusto c.* 66. ubi de ejusmodi *frigoribus* seu *frigusculis* amicorum amantiumque, quæ ψυχρολογία quoque Græci, & καταψυχρισμοὺς eleganter Ptolemæus dixit, varia affert.

Fringilla seu *Fringillus*, Græcis σπίζα, Italis *fringuello*, Gallis *pinçon*, Festo nomen habet, quod *frigore* solus ex avibus cantet. Eundem namque cum cum regaliolo facit, quem mortis omen Julio Cæsari fecisse, apud Suetonium habes *cap.* 81. Sed *fringillus* æstivis tantùm mensibus canit, hyeme silet: & quidem æstate in calidissimis locis eum degere, hyemem agere, in maximè algentibus, auctor est Aristoteles. Unde potiùs vocis etymon ex Græco φρυγίλος arcessit Salmasius, qui multis de hac avicula agit *ad Solinum pag.* 444. & 445. Cum turdis eam vulgò venum exponebant in Græcia aucupes, unde Comici ferè semper κίχλας & σπίνους conjungunt. Eubulus apud Athenæum,

Τίκτει δὲ φάττας καὶ κίχλας ὁμοῦ σπίνους.

Aristophanes *Pace*,

Κἀξ ἰοῦ δ' ἐπισυγκάλει τὰς κίχλας καὶ τὼ σπίνω.

Pollux etiam, ubi aves enumerat mensis commendatas, κίχλας, inquit, κοσσύφους, σπίζας, ἀλεκτρυόνας, περδίκας &c. Σπίνον autem & σπίζαν Græci pro eodem genere avis acceperunt. Hinc Aratus τὸν σπῖνον ait σπίζειν, quum vocem emittit, in *Prognost.*

Καὶ σπῖνος ἠῷα σπίζει.

Quod Avienus,

Et matutino fringilla *resultat ab ore.*

Quanquam σπῖνον etiam minimum passerculi genus indigitasse, infrà dicemus. Per heptadas verò *Fringilli* vendi soliti, quarum quælibet comparari potuit obolo unico, apud Aristophanem, *in Avibus*, ubi hæc conqueruntur, de quodam Philocrate, qui

Σπίνους ἵστ' ὠνῶν, πωλεῖ καθ' ἑπτὰ τοὐβολοῦ.
Fringillos coemens, septem vendit uno obolo.

h. e. duobus assariis, sive assibus, quo pretio quinque passeres venire, dicit Christus in Evangelio. V. Sam. Bochartum *Hierozoïci Parte prior. lib. 1. cap.* 23. &c.

Frisia, adde: In *Frisiæ* Orientalis seu Ostfrisiæ seu Emdæ Comitum Familia, antiquissima memoria est Edzardi Capitanei in *Gretzii*, qui Ennonis Ulrici A. C. 1373. extincti pater fuit. Ex ejus posteris Edzardum Frisii Rectorem & Judicem perpetuum elegerunt; fratrem autem hujus Ulricum Fridericus III. Imp. Comitem creavit A. C. 1453. Cui dignitati in Ennone Ludovico & Georgio Christiano nuper titulus *Principum*, beneficio Imperatoris, accessit. In Edzardi autem I. filiis divergium linearum primum factum est, cùm in Belgio Johannes Falcoburgiam lineam orsus esset, quæ tamen intra tertium gradum extincta defecit. Altera linea in *Frisia* substitit, ubi Johannis frater Enno Edzardum genuit, duarum linearum, quæ nunc sunt, conditorem. Inter has altera ipsa *Frisia* est, propagatore Ennone III. cujus γενεαλογίαι sic habent. Ulricus Com. & Dom. Frisiæ Orient. obiit A. C. 1466. pater ex Theda, fil. Ucconis Lerani Dn. de *Aurick*, Edsardi I. qui extinctus A. C. 1528. ex Elisabetha Rietbergica, fil. Johannis Com. Ennonem II. genuit, defunctum A. C. 1540. quo & Annâ Oldenburgicâ natus Edzardus II. obiit A. C 1599. Pater ex Catharina Suecica, fil. Gustavi R Ennonis III. extincti A. C. 1625. cui ex Anna Holsata, fil. Adolfi D. Slesv. & Holsat. genitus Ulricus II. (qui decessit A. C. 1648.) ex Juliana Hassiaca suscepit Ennonem Ludovicum, Georgium Christianum & Edzardum Ferdinandum: Quorum primus natus A. C. 1632. obiit A. C. 1660. ex Justina Sophia Barbiensi, filia Alb. Friderici, pater Julianæ (n. 1657) & Sophiæ Wilhelminæ, (n. A. C. 1659.) Principum Ostfrisiæ *in Norden*; alter (n. A. C. 1634. mortuus A. C. 1665.) ex Christina Carola Wirtenbergica fil. Eberhardi D. genuit Christianum Eberhardum, cum sororibus, Principem Ostfrisiæ s. Emdæ &c. ultimus (n. 1636. ex Anna Dorothea Criechingensi, fil. Com. Alberti Ludovici, duos reliquit filios, quorum posterior natus est A. C. 1667. die 31. Dec. pridie quàm Pater extingueretur. Phil. Jac. Spenerus. *Theatr. Nobil. Europ. Part. I. pag.* 78. *& in Ind.* Altera verò linea, *Rietbergica* dicta, auctorem habet Johannem, fratrem minorem natu præfati Ennonis III. quo & Sabina Catharina cognatâ genitus Johannes Annam Catharinam Com. Salmæ & Reiferscheidii duxit, pater ex illa Mariæ Leopoldinæ Catharinæ (Canonicæ) Friderici Wilhelmi, Francisci Adolfi Wilhelmi (Canonici Coloniensis, Argentinensis, Paderborn. & Osnab.) Ferdinandi Maximiliani (n. A. C. 1613. Canon. Coloniens. & Argentinensis) ac Bernardinæ Sophiæ (Canonicæ) Sed & ipse Johannes fratres sororesq; habuit. V. Eundem *Part. III. pag.* 87.

Frisii Panni, in *Statutis* Petri Venerab. pro Cluniac. prohibiti, an quòd crispati lanei essent, Gall. *Draps frizez*: an quòd e *Frisia* advehrenetur? dicti sunt, du Fresne *Glossar.*

Frithstoll, vox Saxonica, asylum, sanctuarium, refugium notat: In *Chartis* Imunitatum Ecclesiæ S. Petri Eborac. confirmatis anno 5. Henrici VII. *cathedra quietudinis vel pacis*, exponitur, ut & apud Ricardum Hagulstadensem *de Statu Eccl. Hagulstad. cap.* 14. *Quòd si aliquis vesano spiritu agitatus, diabolico ausu quenquam capere præsumserit in cathedra lapidea juxta Altare, quam Angli vocant* Fristoll, *id est, Cathedram quietudinis vel pacis, vel etiam ad feretrum sanctarum reliquiarum, quod est post Altare, hujus tam flagitiosi sacrilegii emendatio sub nullo judicio erit* &c. V. quoque Prynneum *in Libert. Angl. Tom. III. p.* 1102. & *Monasticum Angl. Tom. III. p.* 1102. Hujusmodi cathedræ complures erant in Anglia, præter Eboracensem istam & Hagulstadensem: Beverlaci autem celeberrima, quæ priscorum Regum benignitate, asyli nacta privilegium, tali honestabatur Inscriptione: *Hæc sedes lapidea* Freedstoll *dicitur, i. pacis cathedra, ad quam reus fugiendo perveniens, omnimodam habet securitatem.* Atque hinc, quòd Palatia Regia asyli gaudeant jure, voce hac palatium nonnunquam indigitatur: etiam in versione Psalmi 18. *refugium* eadem exprimitur. Car. du Fresne *Glossar.*

Fritilla Avis, quæ assiduè caudam quatit, Gr. ἴυγξ, *Gloss.* Græco-Lat. eadem proin cum motacilla, à verbo *fritinnire*, quod movere & subsilire est. Unde *fritillum*, in re tesseraria, pyxis, quâ tesseræ concutiebantur, priusquam in pyrgum mitterentur, Gr. ψηφοβόλος: de quo paulo infrà. V. Salmas. *ad Solin. p.* 70. At *Fritilla puls*, quâ sacra prisca atq; natalium apud Romanos confici consuevere, à *frigendo* Scaligero dicta est, quod è farina *fricta* pararetur. Apud Fabium certè Pictorem *olla fritilis*, in qua sal torrebatur, ut ex Nonio docet Dalechampius *ad Plinium lib.* 18. *cap.* 8 ubi sacri hujus mentio Alii tamen *Fitilla* ibi legunt, ut vidimus.

Fritillus, aliter *fimus, pyrgus*, *turricula* &c. erat pyxis cornea, docente Juvenalis Scholiaste *ad Satyr.* 14. v. 5. seu buxea, Scrivelius ad Martialem *lib. 4. Epigr.* 14. in quam antiqui tesseras mittebant: à *fritinniendo*, quia in hoc vasculo tesseræ fritiniebant, id est, juxta Nonium, cum sono subsiliebant concussæq; agitabantur, dicta. Cum pyrgo idem fuisse Horatius *lib. 2. Sat.* 7. videtur indigitare,

Mitteret in pyrgum talos.

Vocem Romanam pôsuit Martialis *Epigr. lib.* 14. cujus lemma est, *Turricula*, in quo docet evitandæ fraudis tollendiq; doli ratione hujusmodi turriculam inventam fuisse, quod hodieque, variis in locis, aulis inprimis, obtinet.

Quæris compositos manus improba mittere talos,
Si per me misit, nil nisi vota facit.

Orcam vocarunt, Persius *Satyrâ* 3.

——— *Angustæ collo non fallier orcæ.*

Et Pomponius Bononiensis Consularis ac Poeta,

Ecce dum orcam contemplor, taxillos perdidi.

Habuisse gradus, ostendit Sidonius Apoll. *lib. 8 Epist.* 12. *Hic tu ædificatus culcitris thoros, hic tabula calculis strata bicoloribus, hic tessera frequens eboratis resultatura pyrgorum gradibus expectat.* Et Ausonius,

Fundunt excelsi per cava buxa gradus.

Effusæ itaque ex angusto *Fritilli* collo in tabulam tesseræ (olim ternæ, postea binæ, tandem iterum ternæ, monente Salmasio) ingentem concitabant strepitum. Idem paulo antè laudatus Sidonius *lib. 2 Epist.* 9. *Inter aleatoriarum vocum competitiones, frequens crepitantiû* Fritillorum, *tesserarumq; strepitus audiebantur.* & *Carm.* 23.

Hic promens teretes pilas trochosq;
Hic talos crepitantibus Fritillis &c.

Anton. Thysius JC. *ad Aulum Gellium lib.* 1. *cap.* 21. V. quoque Thom. Dempsterum *Paralipom. ad Jo. Rosinum Antiqq. Rom* & infrà in voce *Pyxis*. Salmasius verò *fritillum* à pyxide distinguit, ut vidimus suprà, & dicemus pluribus in voce *Psephobolus*.

Froccus, Gall. *Floccus*. V. suprà *Floccus*.

Frondea Corona apud Plinium *lib.* 22. *c.* 6. ubi, postquam dixisset Romulum hujusmodi coronâ Hostum hostilium coronasse, quòd Fidenam primus irrupisset, addit, *P. Decium patrem Tribunum militum* frondea *donavit exercitus ab eo servatus Imperatore Cornelio Cosso Cos.* Cum Obsidionali malè confunditur, judicio C. Paschalii. Quippe *frondes* in arboribus tantùm sunt & arbustis, è quibus in sacris Agonibus coronæ plexæ, unde *frondes Ambraciæ*, apud Statium *lib. 2. Sylv. 2. vers.* 8. pro Actiacis Ludis, in quibus ob *frondeam coronam* certabatur. Iisdem simulachra Deorum cingebantur. Unde idem de Minervæ statua, *Achilleidos lib. 1. versu* 289.

Everant, dare veris opes, divaq; severæ
Fronde *ligare comas* ———

Alii item, ut videre est suprà ubi de *Coronis*. At obsidionalis è gramine fuit, uti in hac voce dicemus, & pluribus docet præfatus Pa-

schalius *Coronarum lib.* 7. *cap.* 16. Uti verò *frondes*, capiti eviaciendo inservierunt, sic, apud Hebræos olim, Festum Tabernaculorum in taguriolis & umbraculis, ex *frondibus*, in ædium fere tectis, extructis, agitabatur: quem in usum deligebantur arbores maximè frondosæ & comatæ, ac vivacioris succi, uti dicemus ex Levit. *cap.* 23. *versu* 40. & Nehem. *cap.* 8. *vers.* 16. V. quoq; infrà in voce *Osanna*. Sed & antiquitus *frondes* atq; flores ad sepulchrum ferre moris fuisse, postea lanam additam, notat Jo. Meursius *Com. ad Lycophronem p.* 175. &c. Sunt autem propriè *frondes* rami & brachia arborũ, unde *frondator*, qui ramos amputat, apud Virgil. *Ecl.* 1.

Hinc alta sub rupe canet frondator *ad auras:*

Indidem *Fronditius* miles is dictus, *qui præclara facinora Vulturnum tranatans*, fronde *capiti imposita*, *adversus Annibalem edidit*, apud Plinium *lib.* 17. *cap.* 1. Aliàs & folia sic vocantur, qua de re Salmasius *ad Solinum pag.* 386.

Frons, Genio olim sacra, teste Servio, qui addit, *unde quoties Deum veneramur* frontem *tangimus*: Plinio sic describitur *lib.* 11. *cap.* 37. *Frons & aliis* (animantibus) *sed homini tantùm tristitiæ, hilaritatis, clementiæ, severitatis index. In ascensu ejus supercilia homini* &c. Exporrigimus enim, cùm lætamur aut favemus; contrahimus illam, corrugamusque, cùm dolemus aut irascimur, quod ὀφρύων νέφος Euripides *in Hippolyto*, Latini *nubem frontis* appellant. Horatius,

Deme supercilio nubem ——

Τὸ ἐπισκύνιον, in leone Homerus *Il.* ρ. *versu* 135. inde ad Achillem translatum à Philostrato *in Heroum imag.* Ἐπισκύνιόν τε, καὶ ἐν μεσόφρυ ... *Episcynium*, *& iracunda ferocia pueri jam inest*, V. suprà in hac voce. Omisit Plinius pudorem, qui similiter in *fronte* sedet, unde μέτωπον τρίψαι, *os* seu *frontem perfricuisse* dicuntur, qui, verecundiæ nuntio misso, gnaviter impudentes sunt, qua de re V. Victorium *cap.* 6. 8. Ita *Frons* tabula est in sublimi posita, in qua satis conspicuis characteribus animi sensa exarata cernimus. Unde ejus magna apud omnes ratio semper habita. Et Gentiles quidem Genio eam consecrarunt, ut vidimus. Simili indicio gratiæ (sed veræ) divinæ, in Baptismate Christianis jam olim *Frons* signabatur. Victor Utic. *lib.* 3. *Pass.* 7. *fratr. sub Hunerico R. Nobis nullus de postibus* frontium *valebit evellere, quod in uno Baptismate artifex Trinitatis dignatus est titulare*. Æthiopes verò infantes ipso natali die inurunt, de quo more V. Bartholinum *Exercitat. Miscell.* Occasione [illegible] desumptâ, ex Ezech. *cap.* 9. ubi Jehova inclamans virum lineis indutum edixit, *Transi per medium — Jeruschalaimorum & insignito signo* frontes *illorum hominum, qui suspirant & qui exclamant propter omnes abominationes istas, quæ fiunt in medio illius*. Sed & Pontificis Summi, totiusque populi Israëlitici, *frontem* peculiari ratione munitam sacramque sibi voluit Deus, uti infrà dicemus, in voce *Frontale*. Inde porro ornandi coronandique *frontem* mos priscus, uti docet ille apud Athenæum, ἐστεφανωμένοι καὶ τὸ μέτωπον, *Coronatam autem & frontem gerebant*.

Στεφάνοις δ' ὅσοις πυκάζω
Τὰ μέτωπα μου ...
Quales plico coronas
Cùm frons mihi renidet.

V. ejusdem *Odem* à Casaubono e *MSS.* editam. Quòd si & caput redimiebant, sic tamen id fiebat, ut foliis coronarum plerunque *frons* inumbraretur. Quò inprimis pertinet, quòd à mulieribus ut plurimum eas coronas, quæ frontem faciemque insuper tegerent, usurpatas fuisse, pudori sc. velando, observat Plut. *Pelop.* &c. Sed hæc modestæ castigatæq; *Frontis* decus est. At, quorum impudentia effrons omnes honestatis characteres funditus delevit, opera data est, ut novâ arte ii *frontem literatam* haberent. Hinc notis inustas fugitivorum *frontes* apud Romanos, literisque inscriptas uncialibus legimus. Et Lucianus quidem typo vulpis aut simiæ, in ea parte vultus, inurendos esse nescio quos Philosophos judicat *Revivisc.* Val. verò Maximus servum quendam refitionis inexpiabili literarum notâ, per summam oris contumeliam inustum refert, quod ad literam Φ. vel F. Eruditi referunt, uti infrà latiùs videbimus. Quo more usque ad Constantinum M. servato, hic demum *in noxiorum facie scribi vetuit, quòd dedeceret faciem maculari, quæ ad similitudinem pulchritudinis cælestis esset figurata*, *lib.* 11. *Cod. Theod. de pœnis*. A quo tempore frontis ea contumelia in collaria transiit, uti pluribus docet Laur. Pignorius *Comm. de Servis*, & nos infrà videbimus, ubi de *Literatis*, *Splentiis*, *Stigmaticis*. Hodieque tamen in graviorum criminum reos, cum è finibus ejiciuntur, notâ *fronti* injustâ, animadverti solenne est &c. Quo pacto Romanorum pueri delicati *frontem* ornaverint, suprà diximus, ubi de *Coma*. De *Fronte* Taracum punctis notata, de *Frontis* vena, in Fœderibus scissâ, de Arte è *Fronte* vaticinandi, Gr. Μετωποσκοπία, alibi. De *Fronte librorum* pumicata apud Vett. V. Screvelium *ad Martialem lib.* 1 *Epigr.* 67. *vers.* 10. &c.

Frontale, Hebr. ציץ inter quatuor vestes, ad Pontificis solius cultum spectantes, memoratur Exodi *cap.* 28. *vers.* 36. & *seqq. Item facies bracteam ex auro puro, & insculpes ei sculpturis sigilli*, SANCTITAS JEHOVÆ. *Quam appones cum vitta hyacinthina, ita ut sit super ipsam cidarim: è regione anterioris partis ipsius cidaris esto.* *Et erit super frontem Aharonis, ut auferat Aharon iniquitatem sanctorum*[illegible] *sacrarum, quas consecraverunt filii Israëlis; secundum omnia dona sanctorum consecratarum ab illis: erit inquam super frontem illius jugiter, ut sit benevolentia erga illos coram Jehova*. Ad quem l. V. *Exercitationes* A. Riveti & *Meditationes* Franc. Burmanni. Sed & suum erat *Frontale* cuilibet Israëlitæ, in quod digitus intenditur Exodi *cap.* 13. *vers.* 9. *Ut sit tibi signum ad manum tuam & in monimentum inter oculos tuos, ut sit in lege Jehovæ in ore tuo*: de quo pluribus agemus infrà, ubi de *Phylacteriis*. Hodieque certè Galli *Frontem* vocant laminam illam, aliquot sacræ Scripturæ dictis inscriptam, qua Synagogam Judæi ingressuri frontem circumligare in more habent positum. Porro in sacris passim *Frontium* ornamenta occurrunt communiter usitata, tum in aliis gentibus, tum in Israëlitica, ut videre est inter alia Esaiæ 3. ubi sequioris sexus luxum perstringit Propheta. V. quoque Judicum *cap.* 8. *vers.* 24. alibique passim, ubi in Hebr. vox *Nesem* est, quam Græci ubique transtulerunt ἐνώτιον, *inaurem*, præterquam Jobi c. 42. *vers.* 11. ubi Symmachus reddidit ἐπιῤῥίνιον, *ornamentum nasi*, Vulgatus Esaiæ d. l. *gemmas in fronte pendentes*, Prov. *cap.* 11. *vers.* 12 *circulum aureum* &c. Quas varias expositiones sic conciliat Thom. Bartholinus, ut dicat gemmas in vitta frontem circumdante & ab ea pendulas naribus imminuisse, ad faciem ornandam. De quali ornatu sic Hieronymus Ezech *cap.* 16. *Verbum Hebraicum Nesem, exceptô Symmacho — omnes inaurem transtulerunt, non quòd inaures ponantur in naribus — sed quòd circulus in similitudinem factus inaurium, eodem vocabulo nuncupetur. Et usq; hodie inter cætera ornamenta mulierum, solent aurei circuli in os ex fronte pendere & imminere naribus*. V. præfatum Bartholinum *Miscellan. Medic. de Morbis Biblicis cap.* 19. ubi de *Annulis Narium*: uti de *Frontalibus* ac cristis elephantorum, quibus species illorum augebantur, Liv. *lib.* 37. *cap.* 40. &c. In Ecclesia Rom. *Frontale*, & *i. e.* est *apparatus pendens in fronte altaris, qui apparatus aliàs dicitur palla*, l indvvoil. & memoratur passim, apud medii & extimi ævi Scriptores. *Chronic.* Gemblacense, *pag.* 528. *Fecit tabulam argenteam* — frontale *quoq; ad Altare S. Exuperii Martyris. Visitatio* Thesaurariæ S. Pauli Londin. *A. C.* 1295. *Unum* frontale *de nigro samecto, cum barris & vineis de aurifrigio bono, ad majus Altare. Item aliud* Frontal. *fri-ctum, cum pluribus diversis scutis: & in medio brendantur imagines Crucifixi, Mariæ & Joannis — ad idem altare*, &c. *Frons altaris* dicitur, Durando *Ration. lib.* 1. *cap.* 3. *num.* 32. Plura apud Car. du Fresne, ubi *suprà*.

Frontoniani, dicti sunt à *Frontone* Cornelio Oratore, qui ejus sectæ erant. Non enim Philosophorum solùm, sed & Oratorum ac dicendi Magistrorum fuere sectæ ac successiones: ut vivente Titano, seu, ut alii malunt, Titiano (quo Oratore usus est Maximinus Junior) *Frontoniani* hi; qui cum ex æmulatione Titiano gloriam suam inviderent, verbis non parcebant, quin de illo detraherent, eumque *sui temporis simiam* dicebant, apud Capitolinum *in Maximino Jun.* V. Casaubonum *ibi*.

Fructesca, Dea *fructuum* apud Rom. qui, licet & aliis Diis agrestibus, tamen huic inprimis curæ esse crediti, Augustinus *de Civ. Dei lib.* 4. *cap.* 21.

Fructuarius, in *Ordinat.* Hospitii Ludovici IX. Fr. R. A. C. 1261. officium est in Domibus Regiis, Gall. vulgò *le Fruitier*: cui *fructus*, atque adeò candelarum & ceræ cura incumbit, du Fresne *Glossar.* A voce *fructus*, quo nomine Solino propriè venium, σῖτος, unde *Ceres* illi *magistra sationis fructuariæ* dicitur *cap.* 5. & Ammiano Marcellino, qui *fructuarios* & *arboreos fœtus*, [illegible] opponit *lib.* 23. quos plerunque Recentiores secuti, & *fructus* & *fruges*, de frumentis accipiunt. Sed Plinio *fructus* constabat apud Romanos *pomis & baccis & fructibus*, Arabibus *radice, surculo, frutice, cortice, lachrymâ, ligno, flore, folio & pomo*: ex arboribus scilicet & plantis odoriferis. V. eum *lib.* 12. *cap.* 11. & plura hanc in rem, apud Salmasium *ad Solinum pag.* 274. & 1064. Illis plenus calathus Autumni symbolum est, uti patet ex nummo Commodi, cujus suprà mentionem fecimus, in voce *Felicia*. De primitiis eorum in sacros usus conversis, dicemus infrà. At *Fructuarii Servi* apud Jurecoss. sunt, in quibus usumfructum quis habet, proprietate penes alterum remanente. V. Tit. Popmam *de Operis Serv.* uti de *Villa Fructuaria*, Vett. pluribus agentem Laur. Pignorium *Comm. de Servis*.

Fruges, propriè frumenta & legumina dicta sunt Vett. σῖτος Græcis & ὄσπρια. Accius in *Troadibus*,

Nocturna saxo fruges *frendes torridas.*

Virgilius,

—— —— *frugesq; receptas,*
Et torrere parant flammis & frangere saxo:

de quo torrendi illas more diximus aliquid suprà, ubi de *Far*. Sunt tamen, qui ne frumenta quidem hoc nomine censeri volebant, sed sola legumina, itaque *frumenta* à *frugibus* discernebant. Nonnullis *fruges*, quæ aristas habent, reliqua *frumenta*, dicuntur. *Minutas fruges* Ammianus Marcellinus *lib.* 23. & ante eum Cicero, dixere frumenta & legumina, de quibus propriè vocem sumi diximus, ad discretionem majorum frugum, ut sunt arboreæ. Nam *arboreas fruges* Cornificius vocavit arborarios fructus

[illegible] V. *Salmasium ad Solinum pag.* 214. Eorum usus post glandes, hominibus, Cereris beneficio, innotuisse dicitur. Arcades enim non alios, quam glandes, cibos habuisse, hinc patet, quod in notam antiquitatis suæ appellari voluerunt Βαλανηφάγοι, *glandivori*. Idem apud Romanos obtinuisse, discimus ex tabb. XViralibus, quibus cautum: Ut *glandem in alienum fundum procidentem colligere liceret.* Postea *frugibus* & *pane* reperto, lætus in nuptiis puer apud Athenienses canistrum panibus plenum ferens, exclamavit, Ἔφυγον κακὸν, εὗρον ἄμεινον, *Effugi malum, inveni bonum.* Itaque Cereris munus fruges inventæ, sed Triptolemi operâ earum satio gentibus cognita: Mart. Capella *lib.* 2. *de Nupt. Merc. & Philolog. Qui primi mortalibus usum rerum majoraq; commoda præstiterunt, ut vitem Dionysius apud Thebas, Osyris apud Ægyptios haustum vini, usumq; comperiens, Frumentum Isis in Ægypto, Triptolemus apud Atticos docuere, eademq; Isis lini usum sementemq; monstravit.* Et Hubertus Vellejus ac Fr. Laziardus *in Epit. Hist. Univ. cap.* 21. *Triptolemus agriculturam ampliasse, & quadrigas junxisse dicitur. Ceres etiam, præter instrumenta arandi, mensuras invenit, cùm prius per acervos triticum numeraretur.* Hincq; Thesmophoria, in honorem Cereris, & Eleusinia, in honorem Triptolemi, cui Eleusius pater, Athenis instituta & tanta cum religione celebrata de quibus V. *suo loco.* Sed hoc inventum potiùs Ægyptiis, quam Atheniensibus, Cretensibus aut Siculis attribuendum, ut pluribus ostendit Vossius. Namque de Atheniensibus id aperte negat Diodorus *lib* 5. fruges aliunde eò importatas docens; è Sicilia fortè. *Constat* enim, uti Cicero ait *Verr.* 6. *ex antiquissimis Græcorum literis atq; monumentis, insulam Siciliam totam esse Cereri & Liberæ consecratam.* Communis etiam opinio est, in Sicilia raptam esse Proserpinam, qua de re V. Eundem *ibid.* Unde adhuc minùs audiendi Cretenses, qui Cererem tradunt apud se natam, inde in Atticam, hinc in Siciliam, demum in Ægyptum profectam esse. In quo bis minimùm peccant: primùm, quòd Siculos putant, post Athenienses, accepisse *fruges*: deinde, ac inprimis, quòd Ægyptios etiam hisce postponant. Nec enim Athenienses ipsi diffitentur, summùm sub Cranao R. Cererem in Atticam venisse. At eo prior Cecrops R. Mosi fuit æqualis: quanto autem priùs frumento Ægyptiis sit usa, constare potest ex Josephi historia. Imò & antea in *Frugum* penuria è Cananæa eò profugit Abrahamus Patr. ut est Genes. *cap.*12. *vers.*10. &c. V. Autorem ipsum *de orig. ac progr. Idolol. lib. I. cap.*17. qui etiam de innumeris Gentilium Diis, quibus *Frugum* cura, prolixè agit *lib.* 2. *cap.*61. Atque hinc est, quòd *fruge Deos colere*, apud Romanos Numa instituit, Plin. *lib.* 18. *cap.* 2. præclarissimi muneris primitias iis libando. Quemadmodum Triptolemi apud Græcos simile institutum, postquam temporis injuriâ collapsum esset, restituit Draco, hac lege: Θεοὺς τιμᾶν ἐν κοινῷ ἑπομένους νόμοις πατρίοις, ἰδίᾳ κατὰ δύναμιν σὺν εὐφημίᾳ καὶ ἀπαρχαῖς καρπῶν πελάνοις ἐπετείοις, *Venerandos esse Deos — publicè secundùm patrias sanctiones privatim verò bonis verbis, frugumq; primitiis, libis annuis, pro facultatum modulo*, uti legimus apud Porphyrium περὶ ἀποχῆς τῶν ἐμψύχ. *lib.*4 Habuit autem Triptolemi lex, Θεοὺς καρποῖς ἀγάλλειν, *Venerandos esse frugibus Deos. Ibid.* Quæ tamen simplex & pauco parabilis colendi Deos ratio, non diu post Draconem obtinuit: cùm jam ante Solonem victimas Diis mactatas esse constet, ex Legibus ejus, quibus pretium illarum æstimavit, ut Plutarchus *in eo* testatur. V. Sam. Petitum *Comm. in LL. Atticas lib.* 1. *tit.* 1. & suprà in voce *Far.* Sed & *Frugibus* tumuli obsiti, apud Athenienses. Cùm namque par propemodum parentibus amicisque suo fato functis honos, qui Diis immortalibus, haberetur, religioneque consecrarentur eorum tumuli & monumenta, ad illa quoque ferebantur & superimponebantur oleæ, quas huic usui licebat ex agris evellere, itemque *fruges* obserebantur. M. Tullius *de LL.* 2. *Nam & Athenis jam ille mos à Cecrope, ut ajunt, permansit, hoc jus terrâ humandi: quam cùm proximi injecerant, obductaq; terra erat, frugibus obserebatur, ut sinus & gremium quasi matris mortuo tribueretur, solum autem frugibus expiatum ut vivis redderetur.* V. Sam. Petitum *Commentar. in LL. Atticas lib.* 5. *tit.* 1. *sub fin.* Nec omittendum hic gravissimum pœnæ genus in eos statutum, apud Romanos, qui *fruges* surripuissent, de quo sic Plinius iterum *lib.*18. *cap.* 3. *Frugem quidem aratro quæsitam furtim noctu pavisse ac secuisse, puberi XII. tabulis capitale erat suspensumq; Cereri necari jubebant gravius, quàm in homicidio, convictum: impubem Prætoris arbitratu verberari, noxamve duplionem decerni*: ad quem l. V. Dalechampii *Notas*, & plura hanc in rem, apud eundem Plinium passim, ut & hic infrà.

Viri illustres.

Frugi, cognomen Pisonis, qui à Macriano ad interficiendum Valentem missus, ubi eum providum futurorum imperare cognovit, concessit in Thessaliam, atque illic, paucis sibi consentientibus, sumsit Imperium. Treb. Pollio *in Eo.*

Frugi Crassus, ex Hadriani constitutione exul, in Insulam relegatus, cùm eâ egressus esset, quasi res novas moliretur, jussu ejus, occisus est. Æl. Spartianus *in Hadriano.*

Frugifer, cognomen Mithræ seu Solis, facie leonina cum tiara à Persis olim culti. Arnobius. *Inter Deos videmus leonis torvissimam faciem mero oblitam minio & nomine* Frugiferi *nuncupari.* Græcè Καρποδότης seu Καρποφόρος, uti dicitur in *Hymno*, in quo omnia ejus attributa κατὰ στοιχεῖον recensentur:

Καρπομηχάνος, Καρπὸς, Καρπὸς ...φόρος, Καρποζωοδότης.

Certè *Frugiferum* & Papinianus vocat *Theb. lib.* 1. *vers.* 718.

> —— *seu te roseum Titana vocari*
> *Gentis Achæmeniæ ritu, seu præstat Osirim*
> Frugiferum, *seu Persei sub rupibus antri*,
> *Indignata sequi torquentem cornua Mithram.*

Et Attinem, quem eundem cum Sole esse volebant, vetus *Epigr.* [illegible] Φοῖβος, quod idem. V. Salmasium *ad Aurelianum Vopisci.*

Frumentarii, apud Spartianum *in Hadriano*; *Erat curiosus non solùm domus suæ, sed etiam amicorum, ita ut per* Frumentarios *occulta omnia exploraret: nec adverterent amici, sciri ab Imperatore suam vitam, priusquam ipse hoc Imperator ostenderet*; nomen & officium fuit sub Impp. natum, & tunc primùm cognitum in ordinaria militia. Nam antea vox hæc de *Frumentariis negotiatoribus*, aut mensoribus tantum usurpabatur. Illi autem, quorum hic mentio, milites erant & singulis quidem legionibus certo numero adscripti. Unde in vet *Inscr. Frumentarius legionis illius & illius*, occurrit non rarò. Videntur hi originem habuisse à prima cursus institutione, quam ad hoc introduxit Augustus, ut omnia minima, maxima, quæ in provinciis gererentur, sibi maturè ac celeriter annunciari possent, juvenibus primò dispositis per militares vias, mox etiam vehiculis: quibus hoc muneris injunctum, ut res novas explorarent & Cæsari nuntiarent, vehiculisq; publicis & per intervalla mutatis iter accelerarent. Græcis Ἀγγελιαφόροι, & Γραμματηφόροι, atque etiam Πτεροφόροι, Latinis *Frumentarii*; quòd, cùm rei vehiculariæ præessent, *frumentum* militare, vel annonam militarem transvehendam à provinciis curarent, & in horrea militaria comportandam, vel etiam ex horreis in castra deferendam, ut publici cursus prosequutores, uti vocantur *Cod. Theod de cursu publ. l.* 47. & 48. Adde, quòd annonæ tributisq; exigendis præessent, & provinciales ad solvendum compellerent censusque agerent curam: nam eorum præfecti, iidem & censuum erant Magistri; unde Ulpium Julianum, quem Dio in *Fragm.* apud Fulv. Ursinum ex *Vita* Macrini. *Frumentariorum Curiosorumque præfectum* sub Caracallo fuisse dicit, idem Dio in vita Caracalli *Censuum Magistrum* vocat. Sic Agentes in Rebus, qui in locum *Frumentariorum* successerunt; Curiosi quoque, qui olim cum *Frumentariis* iidem erant; Sagones item ac Veredarii, quibus nominibus tempore Cassiodori appellati sunt, qui priùs *Frumentarii*, similiter utroque officio defungebantur. Porro *Frumentarii* quoque reis olim persequendis, exhibendis & in carcerem compingendis criminibusque nuntiandis operam dabant, uti discimus ex Eusebio *lib.*7. & Cypriano *Epist ult.* Curiosi enim hoc munus obibant, *ex l.* 1. *Cod. de Curiosis*: Curiosi autem & *Frumentarii* iidem. Sed *Frumentariis*, à Diocletiano remotis & penitùs sublatis, Curiosi ex corpore agentium in rebus per singulas provincias mittebantur, ad curas agendas & idem munus obeundum, quod olim Frumentarii: quos *ad explorandum annuntiandumq; si qui fortè motus existerent*, institutos esse, scribit Victor; *ad explorandum nuntiandumq;* πρὸς τὸ ἐρευνᾶν καὶ ἀπαγγέλλειν, quod officiũ commune videntur habuisse, cum Speculatoribus, cum quibus tamen minimè confundendi sunt: uti qui honestiori gradu militarunt. Unde apud Dionem legimus de Advento, cum, cùm priùs ἀγγελιαφόρος καὶ ἐρευνητὴς, i. *Speculator*, esset, per promotionem in ordinem τῶν Γραμματηφόρων seu *Frumentariorum* fuisse translatum: & in *Inscr. vet.* Schola Speculatorum refecta dicitur curante Frumentario. *Schola Speculatorum legionum primæ & secundæ adjutricium piarum fidelium Severianarum, refecta per eosdem, quorum infrà nomina scripta sunt; dedicante F. Æliano legato, Augusti proprætore, curante Aurelio Pertinace Frumentario* &c. V. Salmasium *ad Spartianum* & infrà *passim*. Quare autem Diocletianus *Frumentarios* removerit, exponit Victor Schotti *in Diocletian.*, *Ac remoto pestilenti* Frumentariorum *genere, quorum nunc Agentes rerum simillimi sunt, qui cùm ad explorandum annuntiandumq; si qui fortè in provinciis motus existerent, instituti viderentur, compositis nefariè criminationibus, injecto passim metu, præcipuè remotissimo cuiq;, cuncta fœdè diripiebant.* V. de his Baronium quoq; *ad A. C.*261. *num.* 17 & 18.

Frumentum, à *fruendo*, sicut *fructus* & *fruges*. quæ vocabula licèt non rarò confundantur, Eruditis tamen non idem planè denotant, ut dictum. De inventione ejus ususque sacro quoque jam vidimus. Ut verò hominum victui inserviret, comminuebatur in pila, ante molarum usum inventum: Erantque pilæ illæ vasa concava, in quæ antiqui siccata frumenta immissa pinsebant. Unde *Pistores* dicti, qui far hoc modo pinsebant, id est, *tundebant pilis*, vel molis postea trusatilibus frangebant. Servius *Æn. lib.* 1. *Quia apud Majores nostros molarum usus non erat, frumenta torrebant & ea in pilas missa pinsebant.* De Molis V. *suo loco.* Publicè v. Romæ *Frumentum* lege Gracchi populo divisum, senis æris trientibus in singulos modios, P. dein Clodii rogatione gratis datum est. Oct. Augustus, ubi Imperium adeptus est, ut hac liberalitate benevolentiam populi conciliaret, frequenter frumentum ei distribui curavit, sæpe levissimo, interdum nullo pretio, Sueton. *in eo c.*40. & Dio *lib.* 54. huncque in finem Præfectum frumenti dividendi

institutit, tesseris *Frumentariis* datis, quas qui exhiberent, frumentum à Principe accipiebant. Erant illæ, ut Hadr. Turnebus existimat *Adversar. lib.* 19. *cap.* 26. frustilla lignea quadrata, certâ insignita & notata formâ, Græcis proin *lignea* dicta: quanquam & rotunda etiam fuere, quæ propterea *σφαῖρα* Dioni i. globuli appellantur. Idem Præfectus *Minutiæ Curator* alio nomine dictus est Casaubono, ex vet. lapide, ubi sculptum, CVRATOR. AQVARVM. ET. MINVTIÆ. CVR. ALBEI. TIBERIS. ET. CLOACARVM. VRBIS. V. eum ad *Suetonium Augusto cap.* 35. Et quidem XII. in anno *frumentationes*, i. frumenti largitiones, factas esse, docet idem ex *Monumento* Ancyrano, in quo Augustum toto anno privatis sumptibus aluisse turbam frumentantium indigitatur. Fuit autem illa 320. millium ante Julii Cæsaris recensum & ordinationem, qui ad centum & quinquaginta millia eam redegit, teste Suetonio *lib.* 1. *cap.* 46. Augusto postmodum alia quinquaginta millia addente, uti habet Dio. Donec ad sexcenta millia numerus excrevisset, sub Severo, uti idem Casaubonus *Not. ad Spartianum* docet: qui etiam de præclari hujus instituti non levibus incommodis eruditè disserit, *ad Suetonium* ubi suprà *fine cap.* 43. V. quoq; retro, ubi de *Congiario*. Loco *Frumenti* dein panes erogari cœperunt, Aureliano auctore, uti discemus, ubi de *Pane gradili*, alibiq; passim. Aliàs annonæ cura in urbe penès Ædiles erat, qui ob id *Annonæ Præfecti* nuncupati sunt. Suppeditabant autem primitus Urbi frumentationem Sicilia & Sardinia: postea auctâ Rep. prolatoque Imperio subὲ oss domitâ jam Carthagine, ex Africâ; sub primis Impp. ex Ægypto, deniq; declivi jam Principatu, è Gallia fruges peti cœpere: Alexandrinæ tamen frumentationes præ cæteris celebres fuerunt. Unde, cùm, quæ ex Africa navigia sub Augusto in Italiam commeabant, Capreas ins. transitura velo solo contenta esse juberentur, Alexandrinis etiam suppara addere permissum fuit. Navibus dein aut classibus advectum *Frumentum* imponebatur caudicariis navigiis, ut per Tiberim in Urbem perferretur. Claudianus *lib.* 2. *de laudibus Stilichonis*,

> *Invecta Rhodani Tiberina per ostia classes,*
> *Cyniphiisq; ferax Araris successit aristis.*

Et quidem minores scaphæ, *Candicariæ*, majores *Annonariæ* dictæ sunt; quarum illis qui præerant, *Caudicarios* vel *Codicarios* passim appellatos deprehendimus. Aderant tum Mensores, qui in horrea publica, quæ quamplurima in Urbe fuerunt, frumentum intulere: unde depromebatur, cùm populo dividendum erat, ut suprà dictum. Extitere autem *Frumenti*, quod ex provinciis extrahebatur, tria genera: *Decumanum*, decumæ nempe, quod quisque arator sine pretio dare cogebatur: *Emptum*, quod aratores vendere, accepto ex Senatusconsulto pretio, necesse habebant, ut Romam ad alendum populum mitteretur, & *Æstimatum*, quod summa erat frumenti, quam æstimabat Magistratus in cellam suam, inq; usum familiæ suæ, pro qua pecuniam non rarò accipiebat. His adde *Frumentum imperatum*, quod empti altera species erat, cùm præter duas decumas, æqualiter omnibus civitatibus, pretio persoluto, imperabatur. Imò & fuisse quoddam, quod *honorarium* diceretur, ex Cicerone *in Pisone* discimus. Nec defuere *Frumento* sui Dii, præter Jovem Patrem, Tellurem matrem, Solem, Lunam, Cererem Liberumque, Pallas, Flora, Vertumnus, Seja & Segetia, Tullina & Tutanus, Robigus, Bonus eventus, Populonia & Fulgor, Pilumnus & Picumnus, Stercutius, Rufina &c. nec suæ leges: Clodia, Hieronica, Sempronia & Cassia, de quibus *suo loco*: & plura in hanc rem, apud Joh. Rosinum *in Antiqq. Rom. passim cum Paralipom. Dempsteri*, ut & suprà, ubi de *Alimentariis & Alimentorum Cura Annona, Augustione, Gradibus* &c. de *Frumenti* verò sive *ferendi* sive *spargendi*, in Nuptiis Hebræorum ritu, apud Seldenum *Uxor. Ebraic. lib.* 2. *cap* 15. ut & aliquid infrà ubi de *Hordeo*. Addam saltem, licet *Frumenti* proventus fere ubique sit, esse tamen gentes, quæ eo non utantur. Americani enim in suo *Maiz* acquiescunt, & Lappones loco panis exsiccatis utuntur piscibus. Asiaticorum quoq; magna pars oryzam in cibis suis ejus vice assumunt. Nec omittendum, regiones quasdam *frumentum* quidem ferre, sed non quantum satis est, nonnullas sibi quidem sufficere, non verò in tantum frumenti feraces esse, ut inde exportari queat: alias verò tam diviti ejus proventu beatas esse, ut cum aliis quoque communicare queant. Sic Ægyptus hodie Imperio Turcico; Russia, Belgis & Anglis, qui frumentum in emporio Archangeli coëmunt; Polonia iisdem Belgis, magna illud copiâ suppeditat, qui Dantisci id coëmptum non tantùm propriis suis provinciis, sed insuper Hispaniæ & Italiæ impertiuntur, quanquam hæc etiam è Sicilia aliquid accipiat. Germania per Albim Hamburgum & Oderam Stetinum transfert frumentum suum. Genuenses Bonâ & Veneti Tuni ex Barbaria sibi prospiciunt &c. V. Auctorem Anon. *Hist. Orbis Terr. Geogr. & Civ. cap. de Commerciis*: de Deorum v. qui *Frumento* apud Romanos præfuere, turba, Vossium quoque *de Idol. lib.* 2. *cap.* 61.

Frutis, cognom. Veneris, apud Solinum *cap.* 2. ubi Æneam ex Sicil à advenientem *in agro Laurenti, simulachrum, quod secum advexerat, dedicasse Veneri matri, quæ* Frutis *dicitur*, ait. Et Augustinum *de Civ. Dei lib.* 4. *cap.* 21. *Diis agrestibus supplicans, ut uberrimos fructus capiam, & ipsi maximè* Fruti *Sejæ*. Unde *Frutinal*, templum illius, apud Abbreviatorem Festi. Nomen deductum vult ex Græco Ἀφροδίτη Scaliger. Salmasio verò hæc omnia suspecta, qui Veneris Erycinæ templum & ædem Romæ fuisse, *Erucinamq;* vocatam atque aliquando dimidiatè ERVC. ut in vet. nummo Considi Noniani, hincq; apud Solinum *Frutis*, pro *Erucis*, à Ἐρυκὴ, & apud Festum *Frutinal* pro *Erucinal*, irrepsisse; apud Augustinum verò, *ipsi maximè Divæ frugis, Sejæ*, legendum esse, contendit, ad *Solinum pag.* 69. & 70.

F U.

FU. C. in notis antiqq. *fraudirre causâ*. FUNC. *functus*, denotat &c. Franc. Gouldmannus *Diction. Lat. angl.*

Fuci, alicubi in cibis, Bochartus *Hierozoic. Part. prior. Lib.* 1. c. ubi eos ab equis, sicut crabrones à mulis & vespas ab asinis deducere Servium ad *Georgic. lib.* 4. notat. Sunt autem *Fuci sine aculeo, velut imperfectæ apes, novissimæq; à fessis & jam emeritis inchoatæ, serotinus fœtus, & quasi servitia verarum apum. Quamobrem imperant iis, primosq; in opere expellunt, tardantes sine clementia puniunt. Neq; in opere tantùm, sed in fœtu quoq; adjuvant eas, multùm ad calorem conferente turbâ — Cùm mella cœperunt maturescere abigunt eos, multæq; singulos aggressæ (majores enim fuci) trucidant. Nec id genus nisi vere conspicitur. Fucus ademptis alis in alveum rejectus, ipse cæteris adimit* &c. Plinius *lib.* 11. *cap.* 11. V. quoque Senecam *de Clementia lib.* 1. *cap* 19. & suprà ubi de *Apibus*: plura verò de hoc insecto apud Ger. Jo. Vossium *de orig. & progr. Idolol. lib.* 4. *cap.* 67. 72. & 74.

Fucus, in *Mimiambis* C. Mattii apud A. Gellium *lib.* 20. *cap.* 9.

> *Jam tonsiles tapetes ebrii* fuco,
> *Quos concha purpurâ imbuens venenavit.*

Et Horatium *lib* 3. *Od.* 5.

> —— *Neq; amissos colores*
> *Lana refert medicata* fuco.

ex Græco φῦκος, nomen herbæ marinæ, maximè humilis, utpote caule carentis, solisque foliis capillaceis & lanuginis instar succinctis nascentibus, quam *algam maris* vocat Plinius *lib.* 32. *cap.* 6. & *Phycos thalassium*, *lib.* 25. *cap.* 10. Ei non ultimus olim inter herbas tinctorias locus, quippe cujus colore tænias & lanas vestimentaque tingi pulchriore, quàm purpuræ, quamdiu recens est, docet Theophrastus, ubi de *Fuco Cretico*, qui iisdem Græcis, item Φοινικοῦν φῦκος & Φοινίκιον, propterea dictus est: solus enim hic tingendo aptus. Itaque *conchyliis eum marinis substerni*, h. e. conchyliatæ vestis colorem eo colore præparari, habes apud eundem Plinium *lib.* 26. *cap.* 10. qua de re V. Salmasium *ad Solinum pag.* 1144. & *seqq.* Hinc *Fucus*, pro tinctura, & *fucare*, pro inficere vel tingere, propriè quidem rubeo & quadantenus puniceo; abusivè verò quocunque alio colore. Uti autem hoc herbæ genere vestes tingebantur, sic mulieres ruborem genis conciliabant radicula Syriacâ, quæ & ipsa *Fuci* nomen accepit, uti discimus ex Dioscoride, ubi reprehendit eos, qui algâ maris præfata ad fucum genis indendum usas esse existimarunt mulieres. Eædem anchusæ radicem, quæ & ipsa sanguineo colore inficit, ubi radicula illa in promtu non erat, eundem in finem adhibebant: Uti stibii nigro pulvere circumducebant supercilia & in arcum formabant. Quæ duo proinjungit Tertullianus *de Cultu Femin. In illum enim delinquunt, quæ cutem medicaminibus urgent, genas rubore maculant, oculos fuligine porrigunt* &c. V. infrà in voce *Phucarium*, item *Radicula*. Præterea verò, crocodili stercore, uti solitas pro *fuco* olim delicatas mulieres, Antiphanes Comicus docet apud Clem. Alexand. *Pædag. lib.* 3. ubi inter alia de iis ait, [illegible] V. plura apud Victorium *Var. Lect. lib.* 11. *cap.* 4. & Cœlium *Antiqq Lect. lib.* 29. *cap.* 9. Transiit labes ad fortiorem quoque sexum; Namque Astyagem jam Cyri avum subpictura tione oculorum & coloris infricatione & appositis comis, Medorum more, ornatum nobis exhibet Xenophon 1. *Pæd.* Et Lysicrates quidam in vulgi fabulam abiit, quòd capillos jam canos nigro tingeret, quò juvenis etiam dum videretur. Apud Martialem etiam ridetur Ollus, comam tingens, cùm barbam non posset, ut alia omittam. Quod virilis inprimis sexus dehonestamentum etiam Gentilium saniores graviter tulerunt. Unde Philippus Macedo, cùm quendam, quem in judicum album retulerat, barbam sensit & capillum inficere, expunxit eum, *Infidum* fatus, *in crinibus nil putare se fidendum in negotiis*, apud Plutarchum in *Apophth.* Sed & Pythia, Aristotelis filia interrogata, quinam color maximè deceret puellam, *eum quem verecundia efficeret*, respondisse legitur. Nota certè in sacris historia Iezebelis Israëlitarum Reginæ, quæ cùm *fuco apposito oculis suis*, victoriâ rerumque successu ferocem Jehu, delinire inque casses suos pertrahere vellet, jussu ejus è sublimi deturbata, canibus tandem in prædam cessit, 2. Regum *cap.* 9. *versu* 30. &c.

Fufidius JC. cujus auctoritate Paulus aliquoties utitur: fortasse is est, quem Cicero *in Bruto*, in aliquo Patronorum numero fuisse, scribit, & ad quem M. Scaurus tres libros *de Vita sua* scripsit, uti Plinius testatur *lib.* 33. *cap.* 1. V. Jac. Cujacium *Observ. lib.* 2. *cap.* [illegible]

Fug

Fuge Empedoclis, atque *error* à Deo, de quo Plotinus *Ennead.* IV. 8. 1. & 5. lapsus Adami vestigium aliquod videtur Tob. Pfannero, quem V. hanc in rem, *System. Theol. Gentilis pur. cap.* 7. §.10.

Fuggerorum Familia, in Germania illustris. Auctor ejus Joh. GeggingensisAugustæ civis factus est & textoriam exercuit: sed posteri virtute, meritis, opibus in fastigium hoc, quod nunc te nent, ascendere. Fundamentum jecit filius Johannis Jacobus, qui ex Mercatore factus est Consiliarius Maximiliani I. Imp. hujus verò filii, Ulricus atque Georgius ab Imper. Barones ac Domini *in Kirchberg* & *Weissenhorn* dicti sunt. Et quidem Georgius, qui obiit A. C. 1506. ex Regina *im Hoff*, genuit Raimundum atque Antonium. Quorum is (extinctus A.C. 1535.) ex Catharina Thurzonia, Johannem Iacobum atque Georgium suscepit, quorum hic *Comitis Kirchbergii* titulo insignis (defunctus A. C. 1569.) ex Ursula LichtensteniaPhilippiEduardi Pater fuit, (extincti A.C. 1618.) quo & Maria Magdalena Königseccia genitus Hugo, Mariam Julianam *Vohlin* sibi junxit ex eaque Albertum suscepit, ex Maria Francisca agnata, genitorem Paridis Georgii (n. A. C. 1651.) Hugonis Ottonis (nat. & denat. 1652.) Ferdinandi Francisci (n.1654. den.1655.) Joh.Edoardi (n.& den.1655.) Ferdin.Eustachii (n. & den. 1656.) ItbæMariæ Eleonoræ Leopoldinæ (n.1657.) &c. ComitumKirchbergæ & VVeissenhornæ &c. Phil. Jac. Spenerus *Theat. Nobil. Europ. part.* II. *l. pag.* 45. Antonius autem præfatus, è filiis Marco, Johanne & Jacobo, quos ei peperit Anna Rechlingeria, tres præcipuè lineas ab his suis capitibus nunc quoque dictas, produxit. Ex Johannis posteritate (*Hans Fuggerische Lini*) descendunt liberi Johannis Eusebii Fuggeri Com. Kirchbergæ, Mariæ Eleonoræ Dorotheæ Furstenbergiæ mariti, Maria Francisca Eusebia (n.A.C.1649.) Franciscus Leopoldus (n.1650. den.1657.) & Maria Eleonora (n.ac den.A.C.1653.) Comites *in Kirchberg* & *Weissenhorn* &c. Ex Marci progenie (*Marx Fuggerische*) Nicolaus est, qui ex Juliana Liechtenstenia, progenuit Johannem Franciscum (n.A.C.1637.) Joh. Carolum (n. ac den. A.C. 1638.) Maximilianam (n. A.C.1639. uxorem Comitis *de Schaumburg*) Julianam (n.1640.) Georg. Hartmannum (n. ac den. 1642.) Annam Elisabetham (n.1644.) & Franc. Casimirum (n. ac den. 1647.) &c. V. Eundem *ibid. pag.* 92. Ut & *Part.* III. *pag.* 65. ubi Ottonis Henrici, qui obiit A. C. 1644. ex Maria Elisabetha Truchsessia liberos enumerat octodecim. Fuit autem & is ex Johannis posteris &c.

Fugia, Dea lætitiæ, de *fugatis* hostibus, Lud. Vivi ad *Augustinum de Civ. Dei lib.* 2. *cap.*6.

Fugitivi Servi, è fuga retracti, stigmatibus apud Romanos notati sunt, aut pedicis ferreis coërciti. Ausonius *Epigr.* 15.

Aut inscribe istam, quæ non vult scribere, dextram,

Aut profugos ferri pondere necte pedes.

Et quidem prius quod attinet, locus Inustionis fuit frons, cui aliquando unica litera *F.* seu Φ. *fugæ*, seu φυγῆς index, aliquando integræ voces inscriptæ sunt. Certè apud Martialem ille Spleniis pluribus opus habuit, ut frontem numerosis literis inscriptam tegeret, *lib.*2. *Epigr.* 29. Postquam verò in noxiorum facie scribi vetuit Constantinus M. collaria hac fini adhibita sunt: quæ *fugitivis* apta fuisse, testatur & Lucilius apud Nonium, *Cum Manicis, Catulo, Collariq; ut* fugitivum

Deporiem ——

Cujusmodi collare cum hac *Inscr.* TENE ME, QVIA FUGI, ET REVOCA ME DOMINO MEO BONIFATIO LINARIO A ☧ΩX, ut & alia quædam memorat, typumque æneæ laminæ, unâ tantùm parte; & alterius, utrinque inscriptæ, exhibet Laur. Pignorius *Comm. de Servis.* Sed & non rarò dati ad pugnam bestiarum fugitivi & in Ludum conjecti, & cruci affixi sunt, ut idem pluribus docet. Recentiori vero ævo, aurium abscissione mulctatos, habes apud Gregorium *Turon. lib.* 5. *cap.* 48. At non semper retrahi potuere fugaces, quanquam *Vestales nondum egressa urbe mancipia retinere in loco precatione* crederentur, Plin. *lib.* 28. *cap.* 2. quosdam enim pernicitas ignominiæ pœnæque eripuit; alii socios nacti fugæ in eum aliquando numerum excrevere, ut majori vi reprimendi essent: quales illi apud Plinium *lib.* 15. *cap.*29. *Hac postea* (myrtea viz.) *ovantium fuit corona, excepto M. Crasso, qui de* Fugitivis *& Spartaco laurea coronatus incessit* &c. V. plura hic passim, ubi de *Cruce, Fronte, Inscriptis, Servis.*

Fuit, pro *Ivit*, in vet. Inscr. *Sex. Trattedio. Sex. f. pal. Maximiano. fuit. ad superos menses* 7. &c. Uti hodie Galli dicunt, *il a esté*, pro *il est allé*, du Fresne *Glossar.*

Fulcarius, in *Mirac.* Thomæ Aquin. idem qui *Falconarius*, Aucupii & falconum præfectus. Macer in *Hierolexico*: V. suprà.

Fulcrum, interdum *pluteus*, dictum Romanis unum ex 4. lectorum ἐνηλάτοις, cui caput incumbit, Græcis ἀνακλιντήριον, vel ἀνάκλιτον, LXX. Interpp. Geneseos, κεφαλὴ κλίνης. Cujusmodi ἀνακλιντήρια, lectorum quoddam apud Vett. genus erat, qui duo habebant, ἀμφικέφαλοι, quasi *utrinq; capitati*, dicti, Casaubonus ad *Spartianum in Vero*, V. suprà, ubi de *Anaclinteriis*.

Fulcus, in *Chartis* A.C. 1308. 1450. &c. urbs Galliæ, quæ vulgò *Monsolier* ab *fluv. Yonne*, dicitur *Monstrolium in fulco Yonæ*, ubi sc. Icouna fluv. bifurcus fit, & in duos canales dividitur: du Fresne *Glossar.* V. in voce *Monstrolium*.

Fulda, adde: Abbas *Fuldensis* Cancellarius Imperatricis est, eoque titulo Episcopum Hildeshemium præcedere ac proximum a Moguntino Præsule locum occupare contendit: unde lis orta A. C. 1063. Henrico IV. Imp. Curiam Goslariæ celebrante, eq; lite tanta hominum cædes, ut sanguis interfectorum è Templi foribus efflueret. Quare *Fuldensis* cædis damnatus, & magnâ bonorum parte tunc mulctatus est. Idem præ Coloniensi El. sedem, ad sinistrum viz. latus Imperatoris, cùm sibi deberi asseruisset, A. C.1184. Friderico I. Coloniæ versante, Imperator pro Coloniensi sententiam tulit, salvo tamen alterius jure. Primatem se fert omnium Abbatum, non Germaniæ solùm, sed & Galliæ, ac in Comitiis ad pedes Imperatricis, cujus Cancellarius est, locum habet. Hornius *Orbe Polit.*

Fulgentius Ferrandus, Ecclesiæ Carthagin. Diaconus, floruit Justini & Justiniani Impp. ævo; discipulus Fulgentii Episcopi Ruspensis, scriptis editis celebris. Memorantur enim, eius *Parænesicum ad Reginum Com.* qui *in Biblioth. Patrum* extat, *Epistola* ampla, ad Anatolium Diaconum Urbis Romæ: aliæ *duæ*, ad Fulgentium Episc. Rusp. & *alia*, ad Eugypium Abbatem, quæ primùm Romæ publicatæ, postea insertæ sunt *Tomo VI. Bibl. Patr.* Sunt quoque qui eum censent esse Auctorem *Vitæ* S. Fulgentii Rusp. Porrò scripsit *Breviationem Canonum*, quam primò edidit cum Cresconii Breviario Petr. Pithœus ex *Cod.* MS. Ecclesiæ Trecensis, Lutetiæ A.C. 1588. postea cum Codice Canon. Eccl. Rom. Parisiis A.C. 1610. prodiit: Chiffletius verò Augustoriti Pictonum eam vulgavit A. C. 1630. & Altaserranus Divione A. C. 1649. tandem *in Biblioth. Jur. Can.* retulerunt Voëllus & Justellus fil. Obiit circa A.C.550. V. Gerh. von Mastricht *Histor. Juris Eccl. num.* 157. *& seqq.*

Fulgetrum quid, Plinius docet *lib.* 2. *cap.* 43. *Si in nube luctetur flatus aut vapor, tonitrua edi: si erumpat ardens, fulmina: si longiore tractu nitatur, fulgetra. His findi nubem, illis perrumpi*, aiens. Idem nempe cum coruscatione, seu fulgure, unde quia coruscatio sæpe cum tonitru, *fulgetrum & tonitru* pro uno accepit Solinus *cap.* 54. Virgilius illud sic describit, *Æneid. lib.* 8.

Ignea rima micans percurrit lumine nimbos.

Nomen à *fulgo* antiquo, pro *fulgeo*, inde *fulgero*, ἀστράπτω, & *fulguro*, quod ei synonymum Plinius facit, alii sic distinguunt, ut *fulgero* sit id, quod diximus, *fulguro* autem κεραυνόω, medium enim Latinitatis ævum, imò etiam antiquius, *fulguris* voce fulmina appellavit passim, ut videbimus infrà, ubi de *Fulguritis*. Cæterum, *Fulgetras poppysmis adorare, consensus gentium est*, idem Plinius inquit *lib.* 28. *cap.* 2. Hoc est tenuibus sibilis ore emissis, vel leviter complosis manibus cavis, ad deliniendum Jovem iratum, qua de re V. Alexandrum ab Alex. *lib.* 5. *c.* 13. & Hadr. Turnebum *Advers. lib.* 4. *cap.* 25. Nempe *Fulgur* Romanis Numen videri possit, sed idem ac Jupiter. Ita enim Festus, *Provorsum fulgur appellatur, quod ignoratur noctu, an interdiu sit factum. Itaq; Jovi* Fulguri *& Summano fit* &c. Quo modo non tantùm est in editis, sed etiam in MS. Farnesiano: ac Lilius quoque Gyraldus *Fulgur* inter cognomenta Jovis reponit. Verisimilius tamen Vossius judicat, ut Græci Jovem dixere Κεραύνιον & Βροντῶντα, quæ Appuleius *Fulminatorem* & *Tonitrualem* vertit: ita hic quoque non *Jovi Fulguri* legendum, sed *Fulgenti*, verbo Augurum, qui *Fulgere* dixere pro *Fulgurare*, Cic. *de N. D. lib.*2. *Hinc etiam Augures nostri, cum dicunt*: JOVE FULGENTE TONANTE. An potiùs *Fulgurio*, siquidem Templi Jovi *Fulgurio* sacri, meminit Vitruvius. Scripsit autem de arte *Fulgurali* Bygois Nympha, apud Tuscos, teste Servio *Æn. lib.* 6. ac Cicero *Divin. lib.*1. auctor est, egisse de ea *Etruscorum & haruspicinos & fulgurales, & rituales libros Romanos etiam Augurales*, V. observationes eiuscemodi, apud eundem Tullium *Divin. lib.* 2. Etiam præter Plinium *lib.* 2. *cap.* 52. adi Senecam *Natural. Quæst. lib.* 2. *cap.* 47. ac seqq. tribus, & inprimis Ἐφήμερον βροντοσκοπίαν ἐκ τῶν τοῦ Τάγητος, *Consderationem fulgurum ac tonitruum, & earum significationem per singulos anni dies, petitam ex libris Tagetis*, quam RomanæUrbis propriam NigidiusFigulus arbitrabatur, quamque primus divulgavit Jan. Rutgersius *Var. Lect. lib.* 3. *cap.* 16. Gerh. Joh. Vossius *de Idol. lib.* 3. *cap.* 8. V. & hic infra *Fulmen*. Addam hic saltem, primum Apellem *Fulgetra* pinxisse, ex Plinio sæpius laudato *lib.* 35. *cap.* 10. *Pinxit & quæ pingi non possunt, tonitrua*, fulgetra, *fulgurάq;, Bronten, Astrapen, Ceraunobolon appellans.* In quibus verbis & ipse inter *fulgetra* & *fulgura* discrimen suprà notatum confirmat, posteriorem vocem de *fulminibus* accipiens.

Fulgor, cum Populonia, à Romanis cultus, ne populationes & *fulgura* fierent, memorantur Augustino *de Civ. Dei lib.*6. *cap.* 10. & Senecæ *lib. de Superst.* Idem cum *fulgure* aliàs, Plinio, nempe cum *fulgor* ἀστραπὴ Græcis, at cùm iisdem σέλας dicitur, longè aliud quid sonat, κυρίως viz. ἀέρος ἔξαψιν τὸ σέλας, *ignis confersi inflammationem in aere.* Cujusmodi σέλαος alia ἀκοντίζεται, *velut jaculatione in terras decidunt*, alia στηρίζεται, *stativa sunt.* — Ex quibus illa *fulminum notas edunt*, ut ait Seneca, & proin cum

 fulminibus

fulminibus inanguntur Plinio *lib.* 2. *cap.* 20. quia cadunt ut fulmina, & plerunque non sine noxa: unde ἐνηλυσία tecta Græcis, quæ iis feriuntur &c. V. Salmasium *ad Solinum pag.* 1136. De *fulgure* colorum gemmarum que, suprà voce *Color*.

Fulgur Cœli, cognomen Bajazethis I. quem vide, ut & ubi de *Turcis eorumq; Imperio*.

Fulguritum, Festo *id quod fulmine tactum. Qui locus statim fieri putabatur religiosus, quòd eum Deus sibi dicasse videretur.* A' *fulgurire*, hocque a *fulgure* dictum, quâ voce fulmina passim appellavit media Latinitatis ætas, imò etiam antiquior, inprimis in cærimonia condendorum fulgurum. Sic dixit Satyricus,

— *qui publica fulgura condis*,

i. fulmina. Plin. *lib.* 16. *cap.* 18. *Colitur ficus arbor in Foro ipso ac Comitio Romæ nata, sacra fulguribus ibi conditis.* Quò *Fulgurales libros*, Ciceroni *de Divin. lib.* 1. memoratos, refert Salmasius, sic ipsi dictos, quòd scientia fulminum observandorum iis traderetur &c. Itaque quamprimum locus aliquis de cœlo tactus esset, religiosus manebat, sic ut nec calcare licitum eum esset, uti discimus ex Artemidoro *lib.* 2. *cap.* 8. & Ammiano *lib.* 24. nec intueri, ut hic idem auctor est, *hoc modo*, inquiens, *contacta loca nec intueri nec calcari debere, Fulgurales pronuntiant libri.* Mox sacer fiebat, arâ ibidem extructâ & sacrificio facto, ex bidentibus ovibus. Unde & *Bidental* Romani vocarunt istiusmodi locum ovibus talibus expiatum consecratumque. Quo verò ingressus minus pateret, muro eum sepiebant. Pollux, περιτετειχισμένα δὲ τὰ κεραύνια ἄβατα ἐστιν, ubi περιτετειχισμένα, *muro consepta*, vocat, quæ Latini *Bidentalia* dixere. Apud Græcos porrò iisdem locis urnam imponi solitam, cum operculo, Pausanias auctor est. *Eliac. lib.* 1. quod Romani etiam imitati: Nempe in loco, qui de cœlo ictus fuerat, si quid esset, quod ab igne cœlesti ambustum aut denigratum, aut omninò tactum appareret, sive id lapis foret, sive terra, sive aliud quodcunque, in urnam condebatur, operculo imposito. Reliquiæ dein fulguris sic in urna positæ sub aram, foramen habentem supernè, defodiebantur, quæ ad sacrum faciendum & expiandum locum ibidem constituebatur, intra septum, & *Puteal* Romanis dicebatur. Addebatur nonnunquam Inscriptio, ut neminem lateret, fulgur sub illa conditum esse. Atque hoc est, quod *fulgura condere* vocabant. Lucanus,

— *tacito cum murmure condit*
Datq; locis nomen —

Ubi per *tacitum murmur* quid intelligat, docet vetus Interpres Juvenalis *ad verba cit. Condi fulgura dicuntur, quotiescunq; Pontifex dispersos ignes* (i. res fulmine ambustas aut scissas aut alio aliquo modo violatas) *in unum redigit quadam tacita ignorataque prece & locum aggestione consecratum it.* Idem & *procurare fulgura* dicebant. At quam rationem condendi fulguris Scholiastes Persii proponit, *In usu*, inquiens, *fuit, ut Augures vel Aruspices adducti de Hetruria, certis temporibus fulmina transfigurata in lapides infra terram absconderent, cuius impetratione rei oves immolabantur*, ad fulminum evocandorum morem pertinet, de quo Plinius agit *lib* 2. *cap.* 53. Et hæc *publica fulgura*, alia privata erant, de quibus eundem vide *lib. eod. cap. præc.* Apud eosdem porro Romanos hominum *fulguritorum* corpora, non cremabantur, sed terrâ itidem condebantur, nec magis locum, ubi jacebant, tangere licebat. Unde similitudine ab iis desumptâ, qui casu hujusmodi locum fortè tetigissent, Amphionis resilientis horrorem exaggerat Papinius Statius *Thebaid. lib.* 10. *v.* 464.

Qui tremor illicitæ cœli de lampade tactos,
Hic fixit juvenem, pariterq; horrore sub uno
Vox, acies, sanguisq; perit.

De arboribus verò *fulguritis*, V. aliquid suprà in verbo *Cinquere*: at plura hanc in rem, apud Salmasium *ad Solinum pag.* 1135. & *seqq.* Jos. Scaligerum *Conjectaneis ad Varr.* ubi loca sic tacta *Obstita* quoque appellari consuevisse, notat, Caspar. Barthium *Animadvers. ad Statium d. l.* Alios, inter quos Jo. Bapt. Tavernier de Tartaricæ cujusdam hordæ, circa domos *fulguritas*, superstitione similia refert, *Itinerar. Part.* 2.

Fulgurius, cognom. Jovis apud Romanos, cujus templum Vitruvius memorat, uti diximus suprà in voce *Fulgurator*.

Fulica, apud Virgilium *Georgic. lib.* 1. ubi de signis imminentis tempestatis,

— *cumq; marinæ*
In sicco ludunt fulicæ —

Gr. αἴθυια est nonnullis, quo tamen nomine potiùs mergus venire solet. Plinio est ἐρῳδιός, h. e. *ardea*, *lib.* 18 *cap. ult.* ubi de avibus tempestatum prænuntiis. Sed distinguit has aves Virgilius, cùm pergit,

— *notasq; paludes*
Deserit, atq; altam supra volat ardea nubem.

Aliis λάρος, quam *gaviam* Latini appellant, ex Græco καύηξ seu κηύξ. Ambrosio φήνη, qui, de ejus erga ossifragam affectu, mira tradit *Hexaemer. lib.* 5. *cap.* 18. &c. Aliter *fulix*, ex Græco φαληρίς, quam harpæ inimicam quamvis ἐπιεικῆ, adeoque avem marinam esse, ait Aristoteles *eod. cap.* [illegible]

tractans: Suidas quoque [illegible] & Lucano mergus, uti docet Salmasius *ad Solinum pag.* 92. & 93. qui tam diversas vocis interpretationes non nisi ex etymi ignorantia ortas esse, conjicit. V. quoque Sam. Bochartum *Hierozoici Parte poster. lib.* II. *cap.* 28.

Fuligine oculos illinendi mos, memoratur Tertulliano *de cultu Fœm. In illum enim delinquunt, quæ* — *genas rubore maculant, oculos* fuligine *porrigunt*: de quo V. infrà, in voce *Stibium*.

Fullo, a Græco βυθεῖν, *addensator*, nomen servorum apud Romanos, qui purganda poliendave vestimenta accepere. Eorum meminit Ulpianus *l.* 12. *ff. de furtis*, *l.* 13. §. 6. *ff. locati*, *l.* 12. §. 6. *ff. de instr. vel instrum. leg.* & *lib.* 32. *ad Edictum*, *l.* 2. *ff. de condict. sine causa.* Lavabant hi vestimenta cretâ, sed quo modo, quove ordine, præscripsit Lex Metella *de Fullonibus* dicta; & Plin. *Nat. Hist. lib.* 35. *cap.* 17. adeò hæc res priscis curæ fuit. Quis asserit Tiberius, dicens: *Terra hæc nova est, quam tu solitus pedibus argutarier, cum compescis cretam, vestimentaq; eluis.* Plautus *Aulularia* ejusdem opificii mentionem facit,

Stat Fullo, *phrygio, aurifex, lanarius,*

Et quidem à lavandi hoc officio Græcis πλύνται dicti sunt, sicut a densando Στιβεῖς. Νάκται, & à poliendo propriè Κναφεῖς. Tria enim eorum in poliendis vestibus munera observantur Eruditis, quorum primum τὸ πλύνειν, *lavare* seu tergere nitro, creta, cimolia & similibus, de quo diximus: alterum τὸ στοιβάζειν, *conculcare*, seu densare, conciliare & cogere vestimenta, quod & νάττειν: tertium tandem τὸ κνάπτειν, aliter τὸ ξαίνειν, *polire* seu *pectere*; ad quod κνάφον seu instrumentum politorium adhibebant, ex spinis factum, nonnunquam erinacei cutem, antiquitus acervo spinarum contorto, quem σύφος vocabant Græci, eam in rem usi. Nec verò solùm vetera vestimenta interpolabat *Fullo*, sed etiam novi panni à textore ad eum deferebantur, ut polirentur & pecterentur, unde *pexæ* vestes, de quibus infrà videbimus. Atque de his propriè dixerunt *polire*, *interpolare* verò de veteribus, unde *interpolis vestis*, ἐπίγναφος, iterum polita, & inde verbum *interpolare*. Quam in rem V. plura apud Salmasium *ad Solinum p.* 39. & *seqq.* ubi de *Fullonum Cardinis & spinis eorumq;* inprimis varia habet. Officinæ eorum *Fullonicæ* dictæ. Ulpianus *l.* 3. *ff. de aq. pluv. arc. Apud Trebatium relatum est, eum, in cujus fundo aqua oritur*, Fullonicas *circa fontem instituisse, & ex his aquam vicini in fundum vici immittere cœpisse: ait ergo, eum non teneri aquæ pluviæ arcendæ actione.* Sed & apud Judæos *Fullonum* fuisse usum, discimus, ex Marco *cap.* 9. *vers.* 3. ubi de transfiguratione Domini nostri loquens, *Et vestimenta ejus*, inquit, *facta sunt coruscantia, candida valde ut nix, qualia non potest fullo in terra dealbare.* Addam id saltem, cùm *Fullones* plurimum urinâ uti solitos, testentur multi veterum loci, inter quos Athenæus præcipuè videri poterit *lib.* 11. censet Berosidus *urinæ vectigal*, quod commentum Vespasianum ait Suetonius *in ejus cap.* 23. à *Fullonibus* exactum fuisse, de qua sententia V. judicium Casauboni *Animadvers. ad h. l.* Artem vero a Nicia inventam, habet Plin. *lib.* 7. *c.* 56.

Fullo, scarabæi genus, Soli apud Ægyptios sacer, propter quem scarabæos omnes in Deorum numerum eos retulisse, Plinius docet *lib.* 30. *cap.* 11. Græcè βολβοθήριον, à βόλβιτον seu βόλιτον, pedibus enim fimum *subigit*, & in pilas cogit, quas pedibus itidem volutat, sicque *fullonum* artificium imitatur. Idem erat inter notas bovis Apidis, quem *cantharum sub lingua* habere, Plinius refert *lib.* 8. *cap. de Api bove*, scarabæum illum hoc nomine intelligens, V. suprà in voce *Cantharus*.

Fulloniani, Hæretici, qui & *Theopaschitæ*, dicti sunt sectatores Petri Γναφέως, i. *Fullonis*, qui Chalcedonensi Synodo rejectâ, in omnes eos, qui Deum crucifixum & passum esse non agnoscerent, nempe, *secundùm ipsam Trinitatem*, adeoque, qui in Servatore naturam impassibilem divinam ab humana passibili distinguerent, anathematis fulmen vibravit, suosq; asseclas coegit Hymno τρισαγίῳ addere, ὁ σταυρωθεὶς δι' ἡμᾶς, *qui crucifixus est pro nobis*, ut hoc modo passibiliter prædicarent in Christo Deitatem & Hymnum ter sanctum ei soli dicerent. Johannes Forbesius *Instructionum Historico-Theologic. lib.* 1. *cap.* 16. §. 9. V. quoque ubi de *Petro Fullone*.

Fulmen, in Theologia Poëtica, ut & Tonitru, designatur *Geryonis* fabula, cui à γηρύειν, i. φωνεῖν, Lat. *sonando*, nomen. Unde quod is triceps, quòd boves ei tributi, quorumque sint Erythia sedes; quòd idem ex Chrysaore & Callirrhoe natus fingitur, erudite de *Fulminis* natura explicat Vossius. Et quidem apud Romanos hoc Græcosque non quidem Deus, sacrum tamen quid ac divinum habebatur, Aristot. *Problem. sect.* 23; *quæst.* 19. Persius *Sat.* 2. Ammianus *lib.* 23. &c. Refertque Plinius *lib.* 2 *cap.* 52. secundùm Tagetis disciplinam, undecim esse Deos, qui fulmina jaculentur: sed præcipuè à Romanis adsignari tribus sideribus supremis, Saturno, Jovi, Marti. Qui subtilius hæc consectati, eos Saturno ait tribuere Fulmina rectos habentia ictus, quæ *infera* appellata; Marti autem cremantia: cumque Hetrusci trina Jovis credant fulmina, Romanos duo ex illis iterare, diurnum Jovi tribuentes, nocturnum Summano, &c. Barbaræ verò gentes, ac Romanis ignotæ, *Fulmen* venerati sunt, non ut partem, vel partum Dei, vim fatidicam à toto, sive à

Parcæ

Patere; participantem: sed longe illustrius, ut verum plerumque Numen. Quo jam ab aliis relatum illud Bernardi *Serm.* 10. *Dom. I. Quadr. art.* 2. *Sed etiam hodie extant in Barbaria degentibus Aquitanis, qui Tonitru pro Deo adorant.* Honore eo dignati *Fulmen* dicuntur Novogrodienses, quibus *Perun* dicebatur; unde & vicinum est Monasterium *Perunski.* Inque ejus honorem perpetuus ex quercu ignis extruebatur, qui si negligentiâ extingueretur, capite Sacerdos luebat. Ajunt, cum idolum *Perun* projiceretur in flumen, natasse illud flumine adverso, vocemque hanc auditam, *Hæc vobis, Novogrodienses, in mei memoriam*: imò & fustem in pontem conjectum, hodieque certis anni diebus exaudiri vocem *Perun*, ac tum ab accolis concurri fustibus infestis, sic ut difficulter à Præfecto sedetur tumultus, auctoribus Sigism. L. B. Herberstenio *Reb. Moscov.* & Al. Gaguino *Sarm. Eur.* quorum prior etiam narrat de VVolodomiro R. ut in Chiovia ad Borysthenem idolum *Peruni* statuerit: ubi & Deorum meminit, *Ulada, Corsa, Dazeva, Striba, Simaergla & Marosch*; apud alterum hæc quoque de Lithuanis verba legas: *Fulmen quoque, quod Perunum Slavonica linguâ vocant, pro Deo colebant.* Affinia sunt, quæ de tonitru ab Ingis Peruviæ Dominis, pro Numine habito, dicemus infrà in voce *Tonitru.* V. Gerh. Ioh. Vossium *de orig. & progr. Idolol. lib.* 1. *cap.* 9. Cæterum *Fulminis* in divinationibus Vett. Romanorum inprimis præcipua ratio semper habita est, unde celebres apud hos *Fulgurales libri*, totam hanc scientiam latè complexi, de quibus aliquid diximus suprà, in voce *Bidental*, item *Fulguritum*, ubi etiam de more *Fulminis procurandi* pluribus egimus. Addo hic insignem Artemidori locum ibi citatum, totam rei summam continentem hisce: Κεραυνὸς δὲ ὁ κατενεχθεὶς παρὰ ἄνθρωπον τῶν χωρίων [illegible] ... [illegible] κτλ. *Quemadmodum enim fulmen ignobilia loca celebria reddit, ob aras ibi extrui & victimas mactari solitas, fertilia, ac magni pretii arva inaccessa facit ac deserta, quippe in quibus nemo amplius morari cupit: ita somnium* &c. Nec omittendum, quod in Etrusca disciplina de *Jactibus fulminum* (quas *manubias* dictas & Jovi, Vulcano ac Minervæ possessas, Servius auctor est *ad Æn.* 1.) *Fulmen regale* appellatum est, de quo sic Seneca ex Cæcinna, *Natural. lib.* 2. *cap.* 49. *Regalia fulmina sunt, quorum vi tangitur vel Comitium, vel principalia urbis liberæ loca: quorum significatio regnum civitati minatur.* Exemplum habes in Suetonii *Augusto cap.* 94. Sed nec illud, quòd *Fulminum coruscatione* auspicia Nuptialia multis faciunt Heroum connubiis, apud Poetas. Claudianus *de Raptu Proserp.*

—— *nisi Jupiter æthere summo*
Pacificas nubri torsisset fulminis alas,
Confessus generum: Nimbis Hymenæus hiulcis
Intonat, & testes firmant connubia flammæ.

Et ante eum Virgilius *Æn. lib.* 4.

—— *fulsere ather & conscius ignis*
Connubii ——

Ita nempe Junonem amplecti Jupiter credebatur &c. V. Casp. Barthium *Animadversion. ad Statium passim*, præsertim *Thebaid. lib.* 1. *vers.* 157. & *seqq.* ubi inter alia nullum sine *imbre* fulmen, quia non sine, qui ipsa est, aere, apud Poëtas fieri, & proin illud [illegible] Orpheo appellari, observat, ut & suprà ubi de *Fulguritis.*

Fulmentum, in vet. Proverbio apud Varronem, *Fulmenta lectum scandunt*: fulcrum lecti est, non gradus ad scandendum in lectum, ut opinatus est nonnemo. Ab eadem enim origine utrumque, *fulcrum* & *fulmentum.* Lucillius apud Nonium,

Subiicit huic fulcrum, fulmentas quattuor addit.

Idem, in alio versu,

Fulmentas lenis ac tinis subducere,

quæ nomina sunt vasorum vinariorum. Sed & *soccorum fulmenta*, apud Plautum, pro [illegible] iis suppingi solito. Eodem sensu & *fulmen* Veteres, pro *fulcimine* sc. dixere. Unde *subfulmen* & *suffulmen*, [illegible], propriè quo rotæ suffulciuntur, & verbum *suffulminare*, pro quo corruptum est, *sufflamen* & *sufflaminare* &c. Salmasius *ad Solinum pag.* 33.

Fulvia Lex, cujus auctor M. Fulvius Flaccus Cons. cum M. Plautio Hypsæo, anno U. C. 628. de civitate Italis danda lata, indignante atque aversante Senatu, ac misso & prope amandato in provinciam M. Fulvio, mox iterum sublata est. V. Appianum *Bell. Civ. lib.* 1. Val. Maximum *lib.* 9. *cap.* 5. &c. Triennio tamen post C. Gracchus Trib. Pl. legem retulit: *ut Sociis Latinis jus suffragii ferendi, perinde ac civibus Romanis, esset*, Plut. *in Gracchis.*

Viri illustres.

Fulvius Boius, Dux Rhætici limitis, sub Valeriano Aug. cujus meminit Vopiscus *in Aureliano.*

Fulvius Pius, *avus paternus* Severi Imp. apud Spartianum, l. *materni*, fuit enim pater Fulviæ Piæ, qua genitus Severus, Casaub. *ad l.*

Fulvius Sabinus, Prætor urbanus, sub Aureliano, apud Vopiscum *in vita ejus.*

Fumus, an ex *furvo*, quod nigrum, an ex Gr. θῦμα, θύμος, *suffimentum*, an ex Hebr. פוח *afflavit*? flammæ index est, è quo non minus futurorum scientiam sibi Vett. fingere studebant, ac ex ipsa flamma; *Clarus enim & cælum petens felicitatem, densus & terram repetentibus infortunia portendebat*, MS. Exegetes Statii *Thebaid. lib.* 4. *vers.* 432. Et ad eundem *lib. vers.* 468. Lutatius, *Ars aruspicina hæc habet; Ut & thuris motus & crepitus & fumi motus & flexus aruspex inde colligat.* Cujusmodi augurium disertissimè describit Ovidius *Tristium lib.* 5. *Eleg.* 5. De eadem divinationis specie Martianus Capella *lib.* 2.

Nam Sabæorum rapidis
Quid vapor edat aris,
Fumida quid thuricremis
Aura paret favillis,
Omina vel certa ferens
Vatibus auguratis,
Intrepidis, nec dubitans,
Vocibus annoverris.

Quam in rem V. plura apud Statii Commentatorem doctissimum Barthium *d. l.* & suprà aliquid in voce *Capnomantes*, item *Extispicina.* Sed & in pœnam *Fumus* adhibitus est. Certè *Fumi cruciatus* memoratur Vulcatio Gallicano in *Vita* Cassii, *Primus id supplicii genus invenit, ut stipitem grandem poneret pedum octoginta & centum, & à summo usque ad imum damnatos ligaret: & ab imo focum apponeret, incensisque, aliis alios fumi cruciatu, timore etiam alios necaret.* Sic Alexander Severus Turinum quendam, *in foro Transitorio ad stipitem illum ligari præcepit, & fumo apposito, quem ex stipulis atque humidis lignis fieri jusserat, necavit, præcone dicente, Fumo punitur, qui vendidit fumum*, apud Lamprid. Ejusdem crudelitatis exemplum habes apud *Martyrologiorum* Scriptores, in passione Felicis Presbyteri, & aliorum B. Martyrum, qui Valentiæ Cavarum [illegible], alibique in *Historiis* passim. Fiebat autem *fumus* ille præcipuè ex lignis viridibus, quæ humoris plurimum habere certum est & proin plurimum ex se dant fumi, quo in genere ficum excellere, ideoque ad sontes hoc modo necandos sæpius ejus ligna adhiberi consuevisse, diximus suprà. V. Casaubonum *ad Vulcatium Gallic.* & Salmasium *ad Lamprid.* Contra pretiosorum odorum *fumis* delectari Deos suos credebant Gentiles, uti post multos alios docent Arnobius & Lucianus. Notum illud ex Homero *Il.* α.

Κνίση δ' οὐρανὸν ἷκεν ἑλισσομένη περὶ καπνῷ.

Et Statio *Thebaid. lib.* 10. *versu* 55.

—— *arg..lis vigilant fumis.*

Ad quem locum V. Barthium suprà laudatum.

Funales Equi, qui hodie in curru quadrijugo præcedunt, subsequentibus jugalibus, olim sic disponebantur, ut in medio duo jugales irent & ad latera duo funales utrinque essent loro adnexi, sicque equi quatuor æquatâ fronte procederent. Euripid. *Iphigen. in Aulide*, ubi de Eumeli quadriga: in qua medii λευκοστίκτῳ τριχὶ βαλιοί, *pilo albis maculis distincto varii*, funales verò πυρσότριχες, *rufis pilis insignes*, erant. At Cleosthenis, qui vicit Olympia Olymp. 66. *funalium* unus erat phœniceus, alter niger, & jugalium unus varius, ut ex Pausania discimus, quartus non à colore, sed à patria *Samius* ei vocatur. Primus autem, qui tantum medios jugavit iisque singulos ex utraque parte simplici vinculo applicuit, quos Græci σειραφόρους, Latini *funarios* vocant, Clisthenes fuit Sicyonius, ut Isidorus habet *Origin. lib.* 18. *cap.* 35. cum priùs omnes jugarii essent &c. V. Sam. Bochartum *Hierozoici Part. prior. lib.* II. *cap.* 8. Erant vero præcipui in quadriga equi funales, σειραῖοι Græcis & σειραφόροι, Chrysostomo quoque [illegible] dicti: & quidem in bellicis & aliis si fortè curribus, dextri potissimi fuere, utpote qui ducatum cæteris præberent. Unde Hesychius ubi σειραφόρος, *i. funale*, [illegible], pro *imperatorie*, Græcis poni docet, addit: [illegible], *translatum est à dextris funalibus equis.* At in Agonisticis & Circensibus secus obtinuit. Quia enim ad sinistram meta erat circumflectenda, in eoque posita victoria, maximum ad palmam adipiscendam momentum attulerunt sinisteriores funales, quo hinc præstantissimus quadrigæ equus & adprimè flecti facilis frænoque docilis ad laterem sinister locabatur. Atque hinc est, quòd talis, utpote reliquis honoratior & primus numerandus, toti quadrigæ daret nomen & victoriæ titulum solus ferret, uti videre est in vett. *Inscr.* & pluribus docet Salmasius *ad Solinum pag.* 898. & *seqq.* V. quoque hic passim, inprimis infrà in voce *Sinister.*

Funalia, teste Servio in *Virgilii Æn. lib.* 1. *vers.* 731. dicta sunt, quia *ante usum papyri, antiquitus funes cerâ circundabant*: quod iisdem verbis expressit Isidorus *Etym. lib.* 20. *cap.* 20. Eorum figuram præferunt Angeli insculpti in vetere monumento è marmore Synnadico, in quo Patavii ossa Lucæ Evangelistæ, in templo D. Justinæ, jacere dicuntur. Et hoc procul dubio cognomen habet vox Ecclesiastica *Intorticia*, Ital. *Torcie* & *Torchii*: imò & Hispanica *Antorcha.* *Funalia* enim funes intortos referebant. Addatur etiam, tomitem gossypinum, quem hodie ceræ superinducimus, ab Italis appellari *Pavero*, corrupta papyri, cujus modo Servium meminisse vidimus, nomenclaturâ. Hos qui ge-

-rebant,

tebant, ad Zylanum, ad Funal., ad Lateruam, Lampadophori & Tedigeri appellati sunt. Hi præcincti lumbos & lychnos ferentes, dominum domi præstolabantur, a cœna revertentem, quorum aliqui Dominorum quoque comites erant. Val. Maximus *lib.* 3. *cap.* 6. *Cajus autem Duillius, qui primus navalem triumphum ex Panis retulit, quotiescunq, epulaturus erat, ad* Funalem *cereum, præeunte tibicine & fidicine, à cœna domum reverti solitus est.* Eorundem meminit Juvenalis *Sat.* 3. *v.* 282.

—— —— *Sed quamvis improbus annis*
Atq, mero fervens, cavet hunc, quem coccina læna
Vitari jubet, & comitum longissimus ordo:
Multum præterea flammarum & ahenea lampas.

Et verò sine his dominus benè potus, qui domum se contulisset? Propertius *lib.* 2. *Eleg.* 12.

Hesterna mea lux cùm potus nocte vagarer,
Nec me servorum duceret ulla manus;
Obvia nescio quos pueri mihi turba minuta
Venerat &c.

V. Laur. Pignorium *de Servis*.

Funambuli, apud Vett. jam olim, inter mirantis popelli spectacula: quæ, ut & aliæ exercitationes, licèt ubique locorum agerentur, præcipuè tamen in Gymnasiis effici consuevere. Eæ verò sunt τὸ διὰ σχοινίου ἀναρριχᾶσθαι, τὸ περιπλέκεσθαι, τὸ ἐκπλεθρίζειν, τὸ πιτυλίζειν, apud Galen. *per funem ascendere, manibus colluctari, plethrissare, pytilissare*. Quomodo autē per *funes* ascendēdo sese exercerent, ostendit ad oculum icon hujus rei, ex antiquis gemis expressa, apud Mercurialem. Meminit quoq; *Funambulorum* seu Schœnobatarum, voce Græca, Juvenalis *Sat.* 3. imò & jam diu ante ipsum Terentius *Hecyr. Prolog. primo*,

Ita populus studio stupidus in Funambulo
Animum occuparat.

De iisd. M. Cælius *l.* 8. *Ep.* 1. *Ego qui sciremQ. Pompejum Baulis schœnobaticam facere, & usq, eo, ut ego misererer ejus esuriei, non sum commotus* Ubi *Schœnobaticam* eleganter dixit *facere* Pompeium, quòd iis premeretur angustiis rei familiaris, ut illi pedes, quod *Funambuli* solent, diducere non liceret: Sunt tamen, qui pro, *Schœnobaticam*, legi velint, *Empenaicam*, qua de voce diximus retro. Magis tamen mirere elephantem *Funambulum*, apud Senecam in *Epist.* Hodie nulla gens Persis, in hoc genere ludi, exercitatior est, teste Joanne Tavernier *Itiner. Pers.* Non admodum dissimilis fuit is ludus, qui apud Hesychium & Pollucem, Σχοινοβατεῖν dictus reperitur, de quo alibi. Cùm verò non, sine capitis periculo, artem suam id hominum genus exerceat: adeoque puer funambulus lapsus esset, &, ut credi par est, collum fregisset, principatu Marci Antonini Imp. hic qui erat moderatione & pietate, ne id denuò accideret *funambulis culcitras subjici* jussit, apud Capitolinum; nempe per totum spatium, quà funis tendebatur. Sed & rete aliquando Schœnobatis, eodem fine, subtensum fuisse, docet Casaubonus *ad l.* V. ibidem Salmasium. Alia notio vocis est, apud Ordericum Vital. *lib.* 9. *Funibus per murum dimissi sunt, unde ad suam diuturnam ignominiam furtivi* Funambuli *vocati sunt* Hic enim ironicè sic appellantur ignavi quidam, qui ex obsessa urbe funibus e mœnibus demissi fugæ se dederunt &c. Quomodo verò à *Neurobatis* distinguerentur *Funambuli*, dicemus *infrà*. Manilius *Funambulum* elegantissimis his versibus describit,

—— aut tenues ausus sine limite gressus,
Certa per extentos ponit vestigia funes,
Et cœli meditatus iter, vestigia perdit,
Per vacuum & pendens populum suspendit ab ipso.

De eodem hoc ἀνεμοβάτῃ in antiquo *Cod. MS.* reperit Salmasius: *Vidi hominem pendere cum via, cui latior erat planta, quàm semita*; quod idem in hoc distichon Græcum coëgit,

Εἶδον ἐγὼ μέγα θαῦμα, ἐν ᾧ μέγα πλάτος ἐστὶ
Ἡ πτέρνη ἴχνους ἤπερ ὁδοῦ ὀλίγης.

Not. ad Vopiscum in Carino. V. etiam infrà, ubi *de Schœnobatis*.

Functio, apud Aur. Victorem in *Maximiano Herculeo, Parte Italiæ invectum tributorum ingens malum; nam cùm omnis eadem functione, moderateq, ageret, quò exercitus atq, Imperator, qui semper aut maxima parte aderant, ali possent, pensionis inducta Lex nova, quæ sanè illorum temporum modestia tolerabilis in perniciem processit* annonariam denotat; quemadmodum *pensio* tributum. Sic in *l.* 4. Cod. Theod. pensio legalis ab annonaria *functione* distinguitur, *tit. de indulg. debit.* &c. V. Salmasium *ad Treb. Pollionem in Tetrico Sen.* In *Gloss. Functio*, ἡ τελεσία. *Tributariæ functiones*, apud Salvianum *de Provid. lib.* 5. *pag.* 30. 1. *Edit*, quæ *Publica functiones* Senatori *lib.* 5. *Ep.* 39. Λειτουργίαι, in *Gloss. Curialia munera & onera* passim, in *Cod. Theodos. & Justin.* &c. V. du Fresne *Glossar.*

Funda, Phœnicum inventum, teste Plinio *lib.* 7. *cap.* 56. Meminit ejus Plato *de Legg. lib.* 8. ubi de mulierum propriis exercitationibus scribens, ἐν λίθοις, ait, ἐν χερσίν τε καὶ σφενδόναις ἁμιλλωμένας, unde colligit Mercurialis, inter exercitationes Vett. gymnasticas, ad fortitudinem militarem comparandam excogitatas, etiam hanc fuisse, quà *lapidibus* cum manibus, tum *fundis* emissis, inter sese certarent. Idemque putat, nomine *lapidum manibus emissi* Platonem halterem intellexisse, qua de voce V. *infrà*. Ab halteribus verò *funda* diversa fuit, funiculus nempe quidam, qui duobus capitibus manu sumebatur, altero cum ansula, ne exiret, altero sine, ut dimitti posset, atque in medio latior erat, ut ibi lapis contineretur. quem circumactum validè funiculo & ab uno capite dimisso, vehementer projiciebant *Funditores*. Quam projectionis formam, à Phœnicibus, ut dictum, duabus de causis repertam esse, verosimile est: Nempe tum, ut minus manibus ex lapidum asperorum attrectatione accederet nocumentum; tum ut longinquius, & majore impetu lapides evibrarentur. Unde Davidem, ad prosternendum Goliathum *funda* uti voluisse propterea apparet, quòd adversus robustissimum hominem maximo armorum impetu opus esse cognoverat. Et hoc genus certaminis, apud Balearium olim Insularum populos usque adeò celebratum fuit, auctore Vegetio *de Re milit. lib.* 1. *cap.* 6. ut matres filios suos aliis cibis vesci non paterentur, nisi quas *funda* suas fecissent. Quam ob causam Virgilius *Fundam* cognomine *Balearem* insignivit, *Georgic. lib.* 1.

Stuppea torquentem Balearis *verbera* fundæ.

Et Statius *lib.* 1.

Roberaq, & gravidas fundæ Balearis *habenas.*

Sic Ovidius *Metamorphos. lib.* 2.

Non secus exarsit, quàm cùm Balearica plumbum
Funda jacit, volat illud & excandescit eundo.

Bis autem vel ter circa caput rotabant *fundam*, antequam ejacularentur lapidem. Virgilius,

Stridentem fundam *positis Mezentius armis*
Ipse ter adductâ circùm caput egit habenâ.

Quem tamen morem nihili esse & dediscendum proin, docet Vegetius *lib.* 2. *cap.* 23. *Assuescendum est etiam, ut semel tantùm funda circa caput rotetur, cùm ex eâ emittitur saxum.* Notavit & J. Lipsius *Poliorcet. lib.* 4. *cap.* 2. & antè Stevvechius *ad Vegetium Commens.* 3 *cap.* 14. Plura V. apud eundem Vegetium *lib.* 4. *cap.* 22. & Hieron. Mercurialem *de Arte Gymnast. lib* 2. *cap.* 12. Uti de septingentis illis in Benjaminitarum exercitu, *qui præclusione manum dexteram suam, funda mittebant lapidem ad capillum sine curatione*, Judic. 20. *versu* 16. de Hispanis capite *fundas circumtres* (quas Philetas vocat *junceum ornamentum*) gestare solitus, Strabonem *lib.* 3. De supplicio, quod à *fundæ* Græco vocabulo nomen habet, suprà in *Diasphendone* &c.

Funda, in Circo Rom. dicebatur ultima meta, vel pars ejus, in qua ultimæ metæ, fortè quòd ibi Circus in angustias cogeretur ad instar *fundæ*, quæ in medio latior est, utrinque strictior: quemadmodum terrarum orbem, qui ad Ortum & Occasum in arctum stringitur, σφενδόνῃ ἐοικότα Dionysius esse dixit, in quæ verba pulchrè commentatur Salmasius *ad Solinum pag.* 663. Sed Circum *claudi utrinq, in teretem orbem*, dixit Corippus, quo pacto & prima pars illius, ubi primæ metæ, æque *fundæ* nomen meruerit. An potiùs sic ultima meta appellata est, à basis forma, quæ instar alæ annuli haberet: namque & palam annuli, de qua infrà, Græci σφενδόνην vocant. Ovatæ siquidem formæ erat; cui similis in vett. nummis metarum basis conspicitur, quæ tres obeliscos sustinet? Græci certè in suo Circo describendo, nec primarum quidem, nec ultimarum metarum mentiōnem faciunt, θύρας tamen, h. e. *ostia seu carceres* Circi opponunt τῇ σφενδόνῃ, i. *fundæ* ejus, ubi σφενδόνη necessariò ultimam partem Circi notat. V. eundem ubi suprà *pag.* 907 Sed &

Funda, apud medii ævi Scriptores bursa, crumena est, aliis *ventralis*, κοιλιδεσμὸς, h. e. sacculus pecuniæ, ad usum quotidianum necessariæ gestandæ accommodatus, & sub ventrem appensus, V. infrà in voce *Ventralis*. Hinc Recentiores sic appellarunt locum publicum, in quo Mercatores de rebus suis & commerciis invicem acturi conveniunt; quòd in eo deponatur communis eorum thesaurus vel pecunia ad eadem commercia, atque adeò merces ipsæ. Cujusmodi sunt *Bursæ* Antverpiensis, Amstelodamensis, Londoniensis &c. *Fundæ Tyri*, fit mentio in *Pactis* inter Venetos & Principes seu Barones Regni Hierosol. *A.C.* 1123. apud Guil. Tyrium *lib.* 12. *cap.* 25. Galli *Fonde*, Itali *Fundaco*, dicunt. Car. du Fresne *Glossar.*

Fundabulum, & *Fundibile*, machina oppugnatoria, quà jactantur lapides, apud Monstreletum.

Fundatus, in *Chronico* Fontanellensi, *cap.* 16. *pallia fundata seu* Infrà. *De vestimentis verò Ecclesiasticis, largitus est pallia, quæ dicuntur* Fundata *tria*: apud Anastasium *in Vitis PP. pag.* 109. *de palliis Tyriis atq, fundatis fecit vela numero* 65. &c. Bulengero est auro textus, acu pictus: qui idem esse opinatur, quod Itali *Drappo di fundo d'oro*, Galli *Etoffe à fond d'or*, vocant. Sed cum vox eadem tribuatur quoque vasis argenteis & aureis, ut *calix fundatus argenteus*, apud eundem Anastasium *p. eod. Calix major fundatus pag.* 126. 131. *Gabata aurea fundata, pag.* 122. &c. de acu pictis sumi non potest. V. du Fresne *Glossar.* & Macros Fratres in *Hierolex.*

Funditores, Græcis Γυμνῆτες, ut & cæteræ leves armaturæ, quos ψιλοὺς vocant. Hesych. Γυμνῆτες, οἱ μὴ ἔχοντες ὅπλα, οἱ δὲ τοὺς σφενδονιστάς, οἱ δὲ τοὺς γυμνοὺς μαχομένους. Unde iisdem

Γυμνῆ-

Funneriæ dictæ Insulæ, quæ ab eadem ratione Latinis *Baleares* vel *Baliares*, viz. a Gr. βάλλω, *jacio*: quod insularum harum incolæ insignes essent funditores. Stephanus certe *Baleares* & *Funditores* pro synonymis habet, cùm ait: Ἐκλήθησαν δὲ Βαλιαρίδες, ἀφ' ἧ βαλιαρεῖς τὸ ἰδιωτῶν, ὁ ἐσι σφενδονῆται. V. Salmasium *ad Solinum p.* 180. suprà in voce *Funda*, ut & ubi de his Insulis agimus.

Funebre Officium, V. infrà in voce *Funus*.

Funebres Ludi, in honorem defunctorum olim exhiberi soliti, originem jactant longè vetustissimam: Namque Æneas ad Pallantis, & ante eum Achilles ad Patrocli rogum mactavit inferias cum ludis, unde etiam Gladiatorum mos, sine dubio, ortus videtur. Nam quum primum captos ex hostibus jugularent, vitantes fœdi spectaculi horrorem, captivos inter sese commiserunt, ut penes eosdem esset & facinus & supplicium, quibusque sors & virtus dedisset, superessent: reliqui placarent Manes puris Manibus parentantium. A' Græcis hic mos propagatus est ad Romanos, a quibus hi ludi *Munera* dicti sunt. Sic Tertullianus *lib. de Spectac. Munus*, inquit, *dictum est, ab officio: quoniam officium etiam muneris nomen est. Officium autem mortuis hoc spectaculo facere se veteres arbitrabantur, posteaquam illud humaniore atrocitate temperaverunt. Nam olim, quoniam animas defunctorum humano sanguine propitiari creditum erat, captivos vel malo ingenio servos mercati in exequiis immolabant. Postea placuit pietatem voluptate adumbrare. Itaq; quos paraverant armis, quibus tunc & qualiter poterant eruditos, tantùm ut occidi discerent, mox edicto die inferiarum apud tumulos erogabant: ita mortem homicidiis consolabantur. Hæc muneris origo: Sed paulatim provecti ad tantam gratiam, ad quantam & crudelitatem: Quia ferarum v. luptati satis non fiebat, nisi & feris humana corpora dissiparentur.* Primus autem Romanorum Junius Brutus, in defuncti Patris honorem, dedisse Romæ Gladiatores dicitur: Aliis Appium Claudium & M. Fulvium Coss. hujus crudelitatis auctores facientibus. Tunc enim primùm fuere fontes feris in arena objecti, immanitate tanta, ut ab eo horrore matronæ publico edicto summotæ sint. Dabantur verò & à publicis Magistratibus & à privatis personis, & cum certaminibus & cum fabulis. In patrii funeris apparatu arenam inspersisse tradunt C. Cæsarem, cùm Ædilis esset, qui postea Dictator fuit. Claudius Princeps ex arbitrariis hos ludos statos fecit, quos Ædiles ederent: ex pecunia publica de Quæstoribus, quos *Gladiatorios* appellavit. Verùm postea ipse illorum pertæsus, cruentas has exequias sustulit: mansit tamen consuetudinis jus privatis, si nempe quadringenta millia in censu haberent. Hos qui curabant ludos, *Designatores* dicti videntur: quos sustulit tandem penitus Theodoricus Gothorum R. V. Livium, Suetonium, Tacitum, Dionem, Jul. Cæs. Scaligerum *Poetic. lib.* 1. *cap.* 35. Alex. ab Alexandro *Genialium dier. lib.* 3. *cap.* 7. Joh. Rosinum *Antiqq. Rom. lib.* 5. *cap.* 24. *cum Paralipomenis Th. Dempsteri*, qui de Desultoribus in hisce ludis aliisque huc spectantibus prolixe agit &c. ut & infrà in voce *Gladiatores*.

Funera, quæ aliàs Latinis *Præfica*, Judæis מקננות, Græcis ἀοιδοὶ vel θρήνων ἔξαρχοι, item κηδεῖαι dictæ, tristi cantu lugentium mœstitiam comitari solebant. Quod fiebat vel voce sola, ut in funere Alcestis, prohibente marito ejus Admeto, apud Eurip. *Alc.* 430.

> Αὐλῶν δὲ μὴ κατ' ἄςυ, μὴ λύρας κτύπ☉
> Ἔςω.

Vel voce instrumento alicui Musico se jungentes: non quidem citharæ, utpote Apollini dicatæ, at tibiæ inprimis. Unde Τυμβαῦλαι Græcis iidem, qui Romanis *Siticines* fuere. Rationem ritus hujus Macrobius reddit, cùm ait: *Mortuos quoque ad sepulturam prosequi oportere cum cantu, plurimarum gentium vel regionum instituta sanxerunt, persuasione hac, quia post corpus anima ad originem dulcedinis Musicæ, id est, ad cælum redire credatur.* Fr. Rousæus *Archæol. Attica lib.* 5. *cap.* 24.

Funerale Velum, quo feretra clarorum virorum condecorare medio ævo moris erat, occurrit *in Annalibus* Colmar. MSS. A. C. 1276. ubi *Baldachinum* vocatur: *Feretrum coopertum fuit Baldachino, quod Ecclesiæ reliquerat.* Eadem consuetudo viguit, in Civitatibus Italiæ, Bononiæ inprimis & Senis, uti Cherubinus Ghirardaccius refert *Histor. Bonon. ad A. C.* 1260. apud Macros, in voce *Baldachinum*.

Funes, olim è viminibus, nondum cognito cannabis usu. Lycophron *Cassandrâ*,

> Σφίγγεις μὲν Θόαντ☉ ὄν πλεκταῖς ἴτυ,
> *Avyeσι τετραμένα.*
> *Vibix manet Thoantis in tergis adhuc*
> *Lentis betullis sculpta.*

Calpurnius *Ecl.* 3.

> *Quod si dura times etiam nunc verbera Phyllis,*
> *Tradimus ecce manus, licet illæ vimine torto*
> *Si libet & lenta post tergum vite domentur.*

V. quoque Theocritum *Idyll.* 1. &c. In Ægypto *funes* ex interiore cortice sive libro papyri nectebantur, nec Ægypti Syriæque Reges aliis funibus diu usi sunt, in rebus navalibus, nondum sparto communicato, quæ proin *armamenta Nili* Plinius vocat *lib.* 13. *cap.* 11. Postea itaque è cannabe & sparto fieri cœperunt, de quibus V. suo loco. Imò & è serico, ut ex Candischii Nobilis Angli historia patet, qui ex America redux omnes navis suæ rudentes è serico albo habuisse legitur. Sed & *Funes*, è mulierum capillis, apud Jul. Capitolinum *in Maximino Jun.* ubi tantâ fide Aquileienses contra Maximinum fuerunt, *ut funes de mulierum capillis facerent, quum deessent nervi ad sagittas emittendas, quod aliquando Romæ dicitur factum*: habes hanc historiam apud Vegetium *lib.* 4. Lactantium *lib.* 1. & Servium *ad* 1. *Æneid.* Idem verò & aliàs sæpe usu venit in bellis. Cæsar *Belli Civ. lib.* 3. de iis, qui obsessi erant Salonis: *præsectis omnium mulierum crinibus tormenta effecerunt.* Aristides *in Rhodaica*, Πάλαι μὲν τὰ ἐκ τῶν γυναικῶν τῶν ἀπαιτησάντων μηχανήματα ἐδείκνυτε τοῖς ἐπιδημοῦσι. *Olim quidem ex tonsis mulierum capillis machinamenta ostendistis advenis.* Etiam Dio narrat *in Severo*, in obsessâ Byzantio rudentes de crinibus fœminarum tactos esse, Casaubonus *ad Capitol.* Olim tota res mensoria *funibus* è junco plexis, quæ proin σχοῖνία Græcis, peragebatur. Nec Hero Geodætes aliud agnoscit mensurandis terris organum, quàm σχοῖνον, h. e. *funiculum*, eumque δεκαοργυιαῖον quidem constituit metiendæ terræ arabili, pratorum verò mensuræ colligendæ, δωδεκαοργυιαῖον. Antiquiores tamen, qui de limitibus scripserunt, *pedum* tantùm meminisse, dein *funes*, tandem perticas adhibitas, monet Salmasius, qui pluribus hac de re agit, *ad Solinum pag.* 683. *& seqq.* Olympiæ emittendi currus & equi linea prætentâ seu *funiculo* cohibebantur, ne ante signum datum exirent, utq; in æquo limite continerentur omnes, teste Pausania: cujus loco carceres fuisse in Circo Romano, discimus ex Varrone, qua de re videndus idem Salmasius ubi modo, *pag.* 915. Porro *fune* Bacchus pontem junxit, Euphratem transiturus, ex vitigineis & hederaceis contorto sarmentis, quem, in urbe ejus loci *Zeugma*, asservatum, Pausanias habet *in Phocicis.* Indi verò Anthropophagi, *funibus* quibusdam, nodis multis diversissimis certo intervallo dispositis, historiarum suarum perpetuitati consulunt, quo de illorum more legi meretur Petrus Cieza *Histor. Indor. Tom.* 2. Etiam *funem è manibus extorquere*, certaminis genus, apud Danos olim celebre, uti videre est apud Olaum *lib.* 5. *cap.* 24 &c. De *funiculo* μεμιλτωμένῳ, *rubricato*, quo in concionem compellebantur Athenienses, diximus suprà, ubi de *Comitiis*: sicut de *funium* usu, in lampadibus, in voce *Funalia*. Hinc *Funarius*, cognomen militare Gratiani Imp. quòd ei adhuc privato funem venalitium portanti, quinque milites extorquere nequivissent, unde admiratio primùm, postmodum argumentum Imperii, apud Paul. Diaconum & Aurelium Victorem &c.

Fung-Ciang, urbs Sinici Imperii in prov. Xensia, sic dicta ab ave, quam incolæ maximæ felicitatis signum habent, & non nisi rarissime videri ajunt: *Fung* enim illis avem, *Ciang*, felicitatem notat. Pingunt illi avem hanc mirâ colorum varietate insignem semperque solam esse prædicant, & rarissimè quidem, optimo tamen totius Imperii omine, conspici, ajunt. Phœnicem credas, aut certè ex aquilarum genere aliquam diversicolorem atque ignotam speciem; cujus figurâ Sinenses tapetes suos vestesque pretiosiores exornare solenne est. Auctor Anonymus *Sinæ & Europæ cap.* 37.

Fungi, in arboribus nascentes, pro fomitibus olim erant & *escæ* dicebantur. Servius ex *libro Commentar. Clodii* 4. *Fomites assulæ ambustæ, ligna excavata, à fungis nomine excepto.* Unde apud recentiores Græcos Medicos Ἴσκαι, h. e. *escæ*, propriè appellantur *fungi* hujusmodi, quòd fomitum usum antiquitus præberent, V. supra in hac voce. Apud Sinenses etiam in hominum cedunt *escam*: In *Chekiang* namque, ex monte *Tienmu*, ad Quinsæum urbem, infinita vis *fungorum* per totum Imperium defertur, quos sale conditos exsiccant, ac per totum annum servant, dein coquendos aliquandiu aquâ macerant, quo pacto quasi recentes denuo evadunt, Auctor Anon. *Sinæ & Europæ pag.* 32. V. quæ de boletorum esu, habet *ad Claudium Suetonii cap.* 45. Casaubonus. At huic usui non sunt *Fungi impetriti*, h. e. in saxa durissima, priori servatâ formâ, conversi, quales in Musæo Kircheriano asservari, tradit Georg. de Sepibus, *in Descript. ejus pag.* 33.

Funus, initio tenui impensâ, postea invalescente luxu, magnificè curari cœpit. Unde non sepulchris modò, sed & collocationi, elationi ac productioni *Funerum*, modum Solon posuit. Fiebat autem collocatio pro arbitrio à cognatis, ut Patris à filio, filii à Patre, si superstitem haberet: aderantque ei promiscuè viri & fœminæ è cognatis. De elatione verò præscripsit, ut efferrentur ante Solis ortum, postridie collocationis: unde quia incensi funes seu funalia mortuis præferebantur, hinc *Funeri* nomen. Mutaverat tamen hic mos, quem postea revocavit Demetrius Phalereus, ut refert Cicero *de LL. lib.* 2. *Sed ait rursus idem Demetrius, increbuisse eam funerum sepulchrorumq; magnificentiam, quæ nunc fere Romæ est. Quam consuetudinem lege minuit ipse: Ante lucem enim jussit efferri.* Producebant apud Athenienses funus propinqui: neque tamen

fœminæ sexagenariis minores, quæ sobrinis natæ non essent, funestam domū intrare aut exequias ire poterant. At v. postquam *Funus* elatum est, cuique id licuit. Verùm quia tandem magna hominum celebritas funeribus producendis interesset, sublata illa est hac lege: *In funeribus celebritas virorum ac mulierum producendis ne interesto.* Sumptum quoque idem Legislator sustulit, nolens tribus plus vestibus, *Riciniis* dixerunt Decemviri Rom. mortuum componi aut condi: *Μὴ πλείοσιν τρισὶ ἱματίοις θάπτειν, Plus tribus riciniis mortem ne humato.* Neve lamentabilia essent, lessum & lacerationem prohibuit, quam ita expressere XII. Tabb. *Mulieres genas ne radunto, neve lessum funeris ergò habento.* Hippias dein tyrannus præcepit, ut in singulos mortuos Minervæ sacerdoti, quæ est in arce, penderetur obolus, hordei duo sextarii & frumenti totidem. Porrò cùm justa mortuo fierent, ipso nempe elationis die, & ab illa nono, item tricesimo anniversario & illo quo Natalem ejus celebrabant, *ne bove parentaretur,* iterum Solon sanxit. Immolabatur verò in effossa scrobe, atque hæc justa parentibus persolvere cogebantur lege liberi, aut si nulli liberi essent, hæredes. Inter cætera verò Silicernium exhibebant, Gr. *περίδειπνον*, *Circumpotationem* vertit Cicero (è cujus *libro de LL.* 2. constat, à Solone in servorum funere fuisse sublatam: *Servilis unctura omnisq; Circumpotatio tollitor*) idque jam à Cecropis tempore: Exhibebantur autem à propinquis & iis, qui propiori cognatione defunctos contingerent, inque iis defuncti, siquidem laudanda fecissent, celebrabantur; qui honos tantùm iis postea habitus est, qui in bello essent interfecti aut publicè sepeliebantur: quod fiebat in Ceramico extra urbem. ubi erant sepulti, idque ab iis solis, qui ad eam rem publicè erant constituti. V. Sam. Petitum *Comm. in Leges Atticas lib.* 6. *tit.* 8. uti de *Funeribus Romanorum* aliorumque hic passim, inprimis ubi de *Cadaverum cura, Consecratione, Defunctis, Exequiis* &c. Addam hic saltem, non hodie solùm, sed olim quoque, æra campanasque *Funeri* adhibitas esse, ut pervetus Theocriti Scholiastes annotat, quòd is sonus credebatur esse *καθαρὸς καὶ ἀπελαστικὸς τῶν μιασμάτων*, h. e. *avertere spectra & dæmonum ludibria.* Codonophori item atrati illud præcedebant, Suid. tum ut ad spectandum funebrem pompam homines accerserentur, tum, ut Flaminem Dialem admonerent funeris, ne ille ex improviso occurrens feralibus tibiis auditis pollueretur, V. Hier. Magium *lib. de Tintinnabulis capp.* 10. & 11. Nec omittendum hic, quamdiu apud Vett. Romanos lugere mortuos soliti sint. Constat ex Veterum monumentis, menses decem, tot enim Romuli habebat annus, viros ab uxoribus viduis lugeri consuevisse: ita quidem, ut ante legitimum luctus tempus nubere nemini possent, nisi veniâ à Magistratu aut Principe impetrata. Interim minuebatur nonnunquam luctus aut publicè, ædis dedicatione, lustro à Censoribus condito, voti solutione: aut privatim cùm liberi nascerentur, cùm honor familiam novus illustraret, cùm ab hoste capti domum redirent, cùm puella desponsaretur, cùm casto Cereris constitissent &c. de quibus eruditè disputat Jac. Rævardus *Var. lib.* 1. *cap.* 20. cui adde si placet Jac. Cujacium *Observ. lib.*6. *c.* 32. Cæl. Rhodiginum *Antiqq. lib.* 17. *capp.* 19. 20. 21. &c. Ut & de Christianorum medii ævi ritibus aliquid aspergam, consistebat *Funebre officium* eorum, in eleemosynis, oblationibus, sacrificiis; Commemoratione item ad altare, gratiarum actione, precatione &c. Quo pacto testabantur fidem suam, de Immortalitate animarum, & de beato statu defunctorum fidelium ac futura corporum resurrectione: simulque spem suam de suo quoque felici exitu æternaque beatitudine suo tempore obtinenda fovebant, sesèque mutuò ad sanctam defunctorum imitationem extimulabant. Quam in rem V. Joh. Forbesium *Instructionum Historico-Theologicarum lib. XIII. cap. 9. toto.* uti de *Funebri Laude*, infrà ubi de *Parentandi officio*; nec non retro in voce *Commemoratio*; de *Funebribus facibus*, ubi de *Scirpo*; de *Funebribus Ferculis*, suprà in hac voce; de *Coronarum* in hisce usu, ubi de *Coronis* &c.

Funerum apud Romanos varia species.

Censorium, V. *Publicum.*

Familiare, cujus procuratio justa erat absentiæ à militia excusatio, quando scilicet aliquis ex familia ejus, qui militiæ nomen dedisset, fatis concessisset. De eo V. A. Gellium *l.*16 *c.* 4.

Indictivum, cui adhibebantur non ludi modò, sed etiam Desultores, eaq; erant amplissima.

Publicum dicebatur, cùm ob alicuius obitum justitio indicto publicus luctus esset, sumtusq; ex ærario fierent. Sic Piso apud Tac. *Annal. l.* 6. Vitellius apud Suetonium *publico funere*, qui eximius erat honos, *elati* leguntur. Græci id *δημοσίᾳ θάπτειν* dixere, quam phrasin de Sphæro Cæsaris Pædagogo ac liberto, *lib.*48. & de Pisone *l.* 8. Dio usurpat.

Simpludiarium erat, cùm adhibebantur ludi duntaxat, corbitoresque. Quidam ita sic vocarunt, quibus neutrum interesset genus ludorum, Festus: ad quem locum notat Scaliger, *Simpludiaria dicta, quia simplices ludii adhiberentur, h. e. saltatores vel cornicatores sive viatores, quos Festus Corbitores appellat.*

Translatitium, quum quis peregrè aut apud hostes obierat. Tum enim cadaveri domum relato postea solemnia & exequialia officia peragebantur, quæ, quòd corpus transferretur, *Translatitia* dicta sunt.

Verum, cùm quis domi obiisset: Hocque erat vel Indictivum, vel Censorium, vel Simpludiarium, de quibus suprà &c.

Furcæ supplicium, olim in creberrimo usu, non in historiã solùm, sed Comœdiis priscis sæpè memoratur. Fuit autem ea vel ignominiosa vel pœnalis. De priori Isidorus *Orig. lib.* 2. *Furcifer dicebatur olim, qui ob leve delictum cogebatur à dominis, Furcam circa urbem ferre, prædicans peccatum suum, & monens cæteros, ne quid simile peccarent.* Qualis hæc *Furca* fuerit, describit Plut. in *Coriolano*, cùm humanè admodum habitos servos à priscis narrat: *Erat,* inquit, *magna castigatio delinquentis servi, si lignum currus, quo temonem sustentant, ferens exiret circa viciniam. Id enim passus, & sic conspicuus non ultra fidem habebat & vocabatur* Furcifer. Unde Plautus *Amph.*

Ego pol te istis tuis pro dictis & malefactis, Furcifer
Accipiam.

Græcè *σταυροφόρος*, *δικρανοφόρος* &c. Posterior, propriè supplicium fuit, ad quam ligati sub ea vel ad mortem cædebantur vel cæsi per viam ducebantur; deinde collo in eam injecto traducebantur ad supplicium, eratque lignum *δίκωλον*, vel potiùs *δίκρανον*, quo media parte collo inserto vinciebatur cervix rei. Sub ea, ad mortem cæsos esse, inquit Suetonius *Nerone cap.* 49. qui *pœnam more Majorum* interpretatur, *nudi hominis cervicem inseri furcæ, corpus virgis ad necem cædi.* Hoc modo Livius incestum cum Vestale punitum ostendit, *lib.* 22. Dionysius in culpa simili, & de iis qui Urbiniam stupraverant, *Antiq. lib.* 9. Quâ pœnâ propriè servi affecti: Sed & liberos interdum sub *Furca* cæsos esse, indigitat Epitome Livii *lib.* 55. Habenâ autem cædi servos solitos esse, constat ex Ulpiano *lib.*1. *§. Impub. ff. de S. C. Silaniano* & Horatio *lib.* 2. *Epist.*

In scalis latuit metuens pendentis habenæ.

Verùm etiam cum *Furca* in crucem non rarò tollebantur. Arnobius *lib. 7. adv. Gentes, Servum pessimè meritum per Circi arcam mediam traduxisse cæsum virgis, & ex more mulctasse post patibuli pœnâ.* Nempe alligari brachia manusque ad furcam solebant, atque ita circumduci, mox in ea attolli. Plautus *Mostell. Dispessis manibus patibulum habere.* & ex eo Nonius, *Patibulum afferre per urbem, deinde affigi cruci.* In ea appensos esse, constat ex Festo: *Furcillæ sive Furcilla, quibus homines suspendebant. Plin. Supplicia annua canes pendunt, inter ædes Juventutis & Summani, furcâ sambuceâ, arbore fixi,* id est, in furca ad arborem fixi. Idem clarissimè docet Firmicus *lib.*6. *Math. cap.* 31. *Severâ animadvertentis sententia patibulo suffixus, in crucem crudeliter erigetur.* Ubi primò patibulo, id est, furcæ, suffixus, dein sublatus in crucem dicitur. Habuere *Furcæ extrema bacilla figuram literæ V.* teste Varrone de *L. L. l.* 4. quemadmodum hodieque in curribus, quà temo cum axe coit, furca est sustentando illi aut fulciendo. Quâ mente Sidonius de Baccho,

Vite capistratas cogebat ad esseda tigres,
Intrabat duplicem quà temo racemifer arcum.

Itaque sive in ipsa *Furca* defixa in terram simpliciter, sive cum ea in altiorem arborem aut lignum sublati sunt. Figuram exhibet Justus Lipsius *lib.* 3. *de Cruce cap.* 6. Inferioris ævi inventum est *Furca* illa, seu instrumentum è ligno triplici, formâ jugi veteris, cui appensi homines laqueo strangulantur: quod supplicii genus in pleraque Europa hodie usitatum est. Cœpit id, cùm crux desiit, à Græcis enim usurpatum vix reperias, nec à Romanis quidem in publico: etsi ii in carcere, damnatis gulam (sed non ut appenderent) laqueo frangebant. Isidori quidem ævo nomen hoc & usum habuit: *Patibulum vulgo,* inquit, *Furca dicitur* (quod hodieque in Hispania, ubi ille scripsit, obtinet) *quasi ferens caput. Suspensum enim & strangulatum hæc exanimat.* Atq; hac notione novitia satis frequens hoc nomen in libris Legum, quas Tribonianus atque ejus adjutores collegerunt: quia, sublato crucis supplicio, quidni etiam *Furcam* veterem sublatam dicamus. Itaque ipsos Jurisconsultos usurpasse, non habet fidem apud juris & moris antiqui peritos, qui verè notant, pro cruce id substitutum, quandoquidem lege latâ Constantinus crucem sustulerat. Adeoque ipsi quoque, qui leges collectum ibant, in ævi illius & sequentis usum. Exempla plura sunt, & notata aliis: quædam etiam, ubi inconspectio; ut in illo Callistrati de Pœnis, *l.* 19. *Famosos latrones furcâ figendos placuit.* Ad *Furcam* enim novam non figuntur homines, sed adstringuntur. Sed fuerat *cruci figendos*: ubi moverunt alterum, altero retento, quod non debebat &c. Vide eundem Lipsium, *ibid. cap* 7. cui adde Titum Popmam *de operis servorum.* A' *Furcifero* autem priscæ significationis, *Trifurcifer* insignis furcifer dicitur, Plauto *in Aulularia,*

— *CON. tu trium literarum homo*
Vituperas me? AN. etiam fur trifurcifer.

Furfur,

Furfur, an ex Græco ..., an ex Lat. *fur*, per repetitionem? Varr. *Pascuntur farre & furfuribus hordeaceis*. Etiam in hominum cibo, sed infimæ conditionis, uti diximus, ubi de *Fosforibus*. V. quoque suprà, voce *Canabrum*, nec non ubi de *Pane*. Hinc vox translata, ad *furfuracea* illa *corpuscula*, quæ de corpore illoto ac squallido eunt, dum scalpitur, ac *squamæ* aliàs vocantur, uti videre est apud Salmasium *ad Pallium Tertull.* *cap.5.* ubi nec ab hac impetigine eruditam manum abstinet. An inde *Furfuraculum* quoque, Politorum instrumentum? V. infrà *Perforaculum*.

Furia Lex, de Testamentis, lata à C. Furio Trib. Pleb. *Ne cui, nisi manumissis, ... cognato, tertiis, aliis personis, supra mille asses, legare, mortis ve causa donare liceret, quod si quis majorem summam sibi legatam accepisset, redderet*, Theophil. *Instit. de Leg.* Coercendæ legis XII. Tabb. causâ, quâ uti quisque legasset suæ rei, ita jus erat, ut ait Justinianus. Ejus meminit Cic. *pro Balbo & Verrina 3.* V. Joh. Rosinum *Antiqq. Rom. lib. 8. cap. 18.* Fuit & *Furia Caninia*, cujus auctores P. Furius Camillus, C. Caninius Gallus Coss. an. 651. *Ut in testamentis ex tribus servis non plures, quàm duos, manu mittere liceat, usq; ad decem dimidiam partem: à decimo usque ad triginta, tertiam partem, ut tamen adhuc quinq; manu mittere liceat, à quibus ex priore numero: à triginta usq; ad centum quartam partem, itidè ut decem ex priori numero liberari possint: à centum usque ad quingentos, partem quintam similiter, ut ex antecedenti numero 25. possint fieri liberi*: eademque præcepit, *ne plures omnino quàm centum ex cujusquam testamento liberi fiant*. Eadem lex cavit: *libertates servis testamento nominatim dari*. Ulpianus *Institut. tit. 1.* Paulus *Sent. 4.* Caji *Institut.* &c.

Furiæ, adde: Iis serpentes, pro comis primus induxit Æschylus, qua de re V. in illo, ut & ubi de *Tragœdia*. Hinc, ad immittendos furores, crinibus uti fingebantur. Lucanus *lib. 9. v. 642.*

Eumenidum crines solos movere furores.

Eædem *semper-virgines* ferebantur. Sophocles, ... Ἐρινῦς. V. Casp. Barthium *ad Statium Thebaid. lib. 4. versu 457.* qui plura de *Furiis* egregio eodem Opere passim exhibet. V. quoque ubi de *Eumenidibus*.

Furina, adde: Eadem Flaminem suum habuit, *Furinalem* dictum. Incidebant autem *Furinalia*, in d. 12. Kal. Sextileis. Jo. Rosinus *Antiqq. Rom. lib. 7. cap. 11.*

Viri illustres.

Furius Celsus, præses Mauritaniæ Tingitanæ, sub Alexandro Sev. Æl. Lampridius, in *Vita* hujus. *Actæ sunt res feliciter & in Mauritania Tingitana, per* Furium *Celsum & in Illyrico* &c.

Furius Placidus Cos. memoratur Vopisco in *Aureliano*, *Vidimus proxime Consulatum* Furii Placidi *tanto ambitu in Circo editum, ut non præmia dari aurigis, sed patrimonia viderentur; quum darentur tunicæ subsericæ, lineæ paragaudæ, darentur etiam equi, ingemiscentibus frugi hominibus. Factum est enim, ut jam divitiarum sit, non hominum Consulatus* &c. Quid sit autem *Consulatum edere* & ..., diximus supra.

Furius Victorinus, Præfectus Prætorio, sub Marco Imp. apud Capitolinum in *Vita* hujus.

Furnaria, apud Suetonium *Vitellio, cap. 2. Plures auctorem generis libertinum prodiderunt — cujus filius sectionibus & cognituris uberius compendium nactus, ex muliere vulgari, Antiochi cujusdam* furnariam *exercentis filia, Equitem Romanum genuerit* absolutè positum est pro *Furnaria negotiatio*. In *Glossario* exponitur *Furnarius*, ..., ..., sed ea interpretatio minùs potiùs *Furnarii*, quàm ipsi Furnario conveniat, Casaubonus *d. l.* De *Fornii supplicio*, V. in Sacris historiam Danielis & Sociorum: Sed & eo, in *Furnarium* quendam, qui panem minori pondere, quàm constitutum erat, coctum vendidisset, usum in Persia Scha-Abam Regem, severum Justitiæ vindicem, legas apud Jo. Bapt. Tavernier *Itinerar. Pers.* V. quoq; infrà ubi de *Pistoribus*.

Furstenava Familia, Germ. *Furstenau*, ramus est Familiæ Erpacensis. Et quidem Georgius, filius quarto-genitus Georgii Alberti Com. Erpachii (qui obiit A.C. 1647.) ex Elisabetha Dorothea Hohenloica (defuncta A.C. 1655.) uxorem sibi junxit Ludovicam Annam, fil. Georgii Friderici Com. Valdeccii, ex eaque suscepit Sophiam Carolam (n. A.C. 1672. den. 1673.) ipse natus A. C. 1646. & *Com. de Erpach in Furstenau* titulo insignis, V. Phil. Jac. Spenerum *Theatr. Nobil. Part. III. pag. 1.* ut & in *Int.* nec non *Arte Herald. Tom. II.*

Furstenbergica Familia Germaniæ illustris, cum Comit. dignitate: quorum vetusta & inter Suevos celebris memoria, nuper ex parte Principali axiomate illustrior reddita est. Ejusdem familiæ partem credunt olim constituisse Comites Friburgenses, qui in Johanne (a quo Hochbergiis & nunc Badensibus *Badenweiler* contigit) defecerunt A. C. 1458. Quantum nunc ex hac stirpe superest, dividitur in ramum Heiligenbergo-Werdenbergium, a Joachimo Friderici A. C. 1559. defuncti filio, ortum, & a Joachimi fratre Christophoro Blombergium. Hic in Meskirchium & Stulingensem iteratò dividitur. Et quidem ramum Heiligenbergo-Werdenbergium quod attinet, Fridericus præfatus ex Anna Werdenbergica, fil. Christophori Com. Werdenbergæ & Heiligenbergæ, Joachimum genuit, extinctum A. C. 1598.) qui ex Anna *de Zimbern*, fil. Comitis Frobenii Christophori, filium habuit Fridericum (defunctum A. C. 1617.) qui ex Elisabetha Sultzia, fil. Alvici Comitis, Egonem progenuit, qui defunctus est A. C. 1635. Pater ex Anna Maria Zollerana, Ferdinandi Friderici Egonis (n. A.C. 1623. den. ... mariti Franc. Elisabethæ Com. *de Montrechier*) Leopoldi Ludovici (qui obiit A. C. 1639.) Francisci Egonis (n. A.C. 1626. Episcopi Argentinensis, qui nunc Parisiis degit) Hermanni Egonis (n. A. C. 1627. mariti Mariæ Franciscæ agnatæ) Johannis Egonis (A. C. 1629. extincti) VVilhelmi Egonis, Episcopi Metensis n. 1629.) Ernesti Egonis (defuncti A.C. 1652. Elisabethæ (quæ nupsit Ferdinando Com. *de Reckum*) Mariæ Franciscæ (n. 1633. cui mariti obtigere VVolfgangus VVilhelmus Com. Pal. Rheni Neoburgicus, den. 1651. dein Leopoldus VVilhelmus Marchio Badensis) & Annæ Mariæ (n. 1634. & nuptæ Ferdinando Carolo Com. Leonstenio) qui omnes Principes sunt ac Comites *de Furstenberg* &c. lineæ Heiligenbergensis. Phil. Iac. Spenerus *Theatr. Nobil. Part. I. p. 4.* Meskirchium verò quod spectat ramum, Christophorus filius alter Friderici Com. præfati, frater Joachimi, (defunctus A. C. 1559.) ex Barbara Montfortia, genuit Albertum, qui decessit A. C. 1599. Pater ex Isabella Bernstenia fil. Vratislai *Dn. de Bernstein*, Cancellarii Bohem. Christophori II (extincti A.C. 1614.) quo & Dorothea *de Sternberg*, natus Uratislaus Com. *de Furstenberg in Meskirch*, junxit sibi Mariam Helffensteniam, e qua suscepit, Maria Eleonora Dorothea (ux. Johan. Eusebii Fuggeri Com. *de Kirchberg*) Franciscus Christophorus (n. A.C. 1625. maritus Mariæ Theresiæ Princ. Arenbergæ) Frobenius Maria (n. 1627.) & Johannes Maximilianus Franciscus (qui obiit ..) omnes *Com. de Furstenberg lin. Blomberg. in Meskirch.* E quibus Uratislao, ex Francisca Carolina Com. Helfensteinia, geniti sunt Maria Francisca (n. C. 1658.) Joh. Martinus Ferdinandus (A. C. 1640.) Rudolfus Maximilianus & Ferd. VVilhelmus, qui postremi ambo obiere. Idem *Part III. pag. 4.* & 87. Stulingensem tandem quod concernit, alter filius Christophori II. & Dorotheæ *de Sternberg*, Fridericus Rudolfus Com. *de Furstenberg in Stulingen*, obiit A. C. 1655. ex Maximiliana Maria Pappenheimia (defunct. A.C. 1635. fil. Maximiliani Com. Pappenheimii *in Stulingen*, qui obiit A. C. 1635.) Pater Francisci Maximiliani, qui matrimonio sibi junxit Mariam Magdalenam de *Bernhausen*, insignis tit. *Com. de Furstenberg &c. in Stulingen, lineæ Blombergiæ*, V. eundem Spenerum *Part. I. pag. 133.* &c.

Furtum, contrectatio est rei alienæ, invito domino. Ei nomen an à *ferendo*, an à *furvo*, id est, atro, quòd nocte & velo gaudeant proximi bonis insidiantes? Saturno regnante nullum fuisse dicitur: Apud Lacedæmonios, *pueris illos & acres viros*, verba sunt A. Gellii *l. 11. c. 18* permissum legitur, *pro exercitio disciplinaq; rei bellicæ: quòd & furandi solertia & assuetudo acueret firmaretq; animos Adolescentium, & ad insidiarum astus & ad vigilandi tolerantiam, & obrependi celeritatem*. Apud Ægyptios quoque *Furta* tolerabantur, sed certa conditione Lege enim cautum, ut qui furtis operam dare cuperent, apud Principem furum nomen suum profiterentur, atque ad illum cuncta furto surrepta deferrent; Si quis autem furto quædam amisisset, indicabat illi præposito, atque sua facilè recuperabat, ita tamen ut quadrantem bonorum æstimatorum persolveret. Diod. Sicul. *Biblioth. l. 1. c. 80.* Romani verò gravissimè ea puniverunt. Et quidem *Furem, qui manifesto furto prehensus esset, tum demum occidi permiserunt Decemviri, si aut, cum faceret, nox esset, aut interdiu se telo cum prehenderetur, defenderet*, (conformiter legi, cujus mentio Exodi c. 22. v. 2.) *Et ceteris autem manifestis furibus, liberos verberari, addiciq; jusserunt ei cui furtum factum esset, si modò, id luci fecissent, neq; se telo defendissent. Servos item furti manifesti, verberibus affici & è saxo præcipitari: sed pueros impuberes Prætoris arbitratu verberari voluerunt, noxamq; ab his factam, sarciri*. Quod de servitute l. c. A. Gellius, è quo verba illa desumta sunt, id apud Hebræos similiter erat conveniens Exodi c. 22. v. 3. apud quos servitus hæc erat sexennalis, nisi antea labore suo tantum Domino acquisivisset, quantum res ipsa sublata valuisset, propter multæ enim debitum in servitute retineri nequibat. Mulieres autem in servitutem non addicebantur, Jos. *Antiq. Jud. l. 16* Postea apud Romanos, a lege all. Decemvirali recessum, & Prætores pœnam furti manifesti in pecuniariam quadrupli mutarunt, dupli in fures non manifestos intactam relinquentes. Imò postmodum non tantum civiliter, sed etiam criminaliter atque extra ordinem, *Furti* agi cœptum fuit, & pœna arbitrio illius, qui jurisdictioni præerat, relinquebatur. Constitutum quoque, ne licitum esset furem nocturnum vel diurnum occidere, nisi se telo defenderet, parcique ei sine periculo non posset, ut habetur *l. 9. D. ad l. Corn. de Sicar.* quod aliter & cum distinctione leg. XII. Tabb. obtinebat. Novissima hinc constitutio lata a Justiniano *Nov. 134.* ... quâ tamen pœnâ ipsa res non continetur, quam persequi dominus potest *§. 14. de Oblig. quæ ex del. & §. 18. de Act.* Apud veteres Athenienses severa admodum & acria de *Furtis* fuere judicia. Draco nitenim lege omne *Furtum* capite luebatur Solon postea pœnâ dupli sanxit, si quod furto perierat, recepisset dominus, decupli autem, si non recepisset. & tum si Eliasti videbatur, in nervo Græ-

βαδιζάτω dies quinq; totidémq; noctes fur detinebatur. Imò, qui dupli quoq; condemnabantur, vinculis stringi ignominiæ causâ fuisse solitos, patet ex Demosthene. Si nempe furtiva res intra 50. drachmarum pretium esset, quòd si furtivæ rei æstimatio esset supra hanc summam aut nox furtum factum esset, aut etiam interdiu in balineis, vel aliis publicis locis, capitis supplicio vindicabatur. *Furtum*, ex lege Solonis, quam repræsentat modo laudatus Demosthenes *ἐν τῷ κατὰ Τιμοκράτους*. Neque tantum in fures, sed etiam in eos, quorum ope & consilio furtum factum fuisset, lege animadvertebant. Judices autem harum causarum in illa Rep. Undecimviri fuere. Vide Sam. Petitum *Comm. in Leges Attic. lib. 7. tit. 5.* De furum pœna apud Israëlitas, V. Exodi *cap. suprà laudato.* Non tamen defuere sui *Furtis* apud Gentiles Dii, Furina, Luna dux, Laverna, Mercurius &c. sed potiores Diis fuere leges, quales apud Rom. Hostilia, Tabb. XII. &c. apud Græcos Draconis Solonisque supra memoratæ, apud Hebræos eæ, de quibus in *loco Exodi præfato.* Addam saltem, *Fures* & servos nequam, apud columnam Mæniam Romæ puniri olim fuisse solitos. Horatius, *Epod. 4.*

Sectus flagellis hic Triumviralibus,
Præconis ad fastidium

Nempe Triumviri Capitales judicio præsidebant. V. Pignorium *de Servis.*

Furtorum variæ apud Vett. species.

Cingulorum incisores *βαλαντιοτόμοι* manifesti, morte mulctabantur apud Athenienses, ex lege: [illegible] *Manifesti sacculari morte luunto.*

Conceptum per licium & lancem dicebatur furtum apud Romanos, qui morem hunc apud Athenienses usitatum ab iis mutuati sunt, cum qui res furtivas quærebant, nudi cincticulo amicti ædes suspectas intrabant: cùm prius Deos essent contestati, se inveniendi spe quærere. Si invenissent, is apud quem quærebant, mulctabatur. De iis lex: [illegible] *Qui furtum it quærere in domo aliena, cincticulo amictus intrato.* Nudi autem ingrediebantur, ne quid fortè vestibus conditum inferrent, dominoque ædium falsum crimen objectare possent. Lance vero ante oculos utebantur, ne gynæconitidem viderentur intrare corrumpendi fœminas potius causa, quàm furti concipiendi.

Ficus qui furabantur Athenis, olim quidem capite luebant, ex lege: *In Hortos irrumpere ficosq; deligere capital esto.* Sed facile mutavit, itaque postea multari tantùm sunt, juxta legem: [illegible] *Qui ficus clepserit, multator.*

Fimi fures apud eosdem graviter puniti sunt, ex lege: *Τὴν βόλιθον ὑφελόμενος κολάζεται*, quo nomine stercus præcipuè bubulum indigitabatur.

Per lancem & licium, V. suprà *Conceptum.*

Manifestum dicitur, quod deprehenditur, dum fit: faciendi finis est, cum perlatum est, quod ferri cœperat. De eo supra.

Nec manifestum, quod postea quandocunq; deprehenditur.

Non exhibitum, quando quis rem furtivam apud se quæsitam & inventam non exhibebat.

Oblatum, cùm res furtiva alicui a fure oblata est.

Plagium apud Athenienses Sicempse lege vindicabatur: [illegible] *Plagiarii manifesti morte luunto.*

Privatum.

Prohibitum, quando quis furtum apud se testibus præsentibus investigari prohibebat. V. Jac. Oiselium *in A. Gellium lib. 1. c. 18.*

Publicum, de quo Cato: *Fures privatorum furtorum in nervo & compedibus ætatem agunt, fures publici in auro atq; in purpura*, apud eund.

Sacculari, V. suprà *Cingulorum incisores.*

Scriptorum, de quo furti genere V. Salmas. *Prol. ad Solinum.*

Vesticularii seu manifesti effractores & perfossores parietum, Athenis capite plectebantur, ex Lege: [illegible]

Zonarii lectores. V. *Sacculari.*

Fusci, in Chron. Novalic. *lib. 6. Eodem tempore, quo Fusci morabantur in castro Fraxenedello*, Mauri sunt, Mauritaniæ incolæ, Gall. *les Noirs* vel *les Negres*, sicut *Fraxenedello*, Fraxinetum, de quo suo loco. A *fusco* colore, quem a *rutilo* ac *rufo* multum distare Salmasius docet *ad Solinum pag. 1142.* *Fuscinum* pro eo infima Latinitas dixit, unde *Fuscina*, Gallis *fouine*, à *fusco* pilo meles appellatur, felium agrestium genus, in domibus tamen frequens, præcipuè villaticis, noctu ferè tantum grassari solitum & gallinis, leporibus, pipionibus ovisque maximè infestum. Unde *lucifugam melem* vocat Gratius, qui galeros quoque ex eâ fieri venatoribus tradit:

—— *lucifugæque ex mele galeros.*

Quod proin genus studiose Vett. venati sunt, teste Nemesiano in *Cyneget.*

—— —— *feles & mluatem*
Arboris in trunco longis præfigere telis,
Implicitumq; sinu spinosi corporis erem &c.

V. eundem Salmasium ubi supra *pag. 1009.*

Fuscina, tridens, piscatorum instrumentum. Martialis *de Spectac. Epigr. 26.*

Fuscina dente tripex, nexu fusis anthora carum &c.

V. infrà, ubi de *Tridente.* Hinc *Fuscinula* [illegible], quâ Europæi utimur; catum etiam suum porrectos cibos prehendere docuit Philomathus (postea, Alexandri VII. nomine clarus) dignum proin habitum, cujus memoriam insigni carmine posteritati commendaret, quod videre est in *Musis* ejus *Juvenil.* [illegible] ex argento. At simili instrumento ex auro usa, Dominici S[illegible] Venetorum D. uxor, magno luxuriæ argumento, [illegible] bellico. Iaponios verò, duos eburneos bacillos, quibus ad [illegible] dum dextrè cibos tractent, vice ejus adhibere, legimus apud *Itinerariorum Scriptores.*

Fusia Lex, à P. Furio Philo Cos. cum Sexto Atiliano Serrano an. U.C. 527. rogata: *ut certis diebus, qui tamen fasti essent, agi cum populo non liceret*, voluit. Alia, lata a Q. Fusio Caleno Prætore, C. Julio Cæsare, M. Calpurnio Bibulo Coss. anno 690. *ut singula genera suffragium seorsim ferrent, quò sententiæ internosci possent:* Antea enim in Tributis Comitiis omnium simul suffragia confundebantur. Ejus meminit Dio *Hist. lib. 38.* V. Johan. Rosinum *Antiqq. Rom. lib. 8. c. 3.*

Fustanum, seu *Fustaneum*, apud Ordericum Vitalem *lib. 5. & Odelinæ conjugi ejus unum* Fustaneum *dedit.* Infrà, & O[illegible] *unum fustaneum* panni est ex gossypio confecti [illegible] linum, Gallis *Futaine*, Italis *Fustagno.* V. Car. du Fresne *Glossar.* & Macrum in *Hierolexico.* Vocis origo a *fuste*, i. ligno, in quo hæc lana nascitur. V. infrà ubi de *Gossypio.*

Fustes, antiquissimorum mortalium arma. Certè primùm belligerasse *fustibus* inter se Ægyptios & Afros, postea Belum Neptuni fil. gladios invexisse, scribit Higinius, *cap. 274.* Unde *Etymologici* auctor, [illegible] Et Horatius, [illegible]

Unguibus & pugnis, dein fustibus, atq; ita porro
Pugnabant armis, quæ post fabricaverat usus.

Cujusmodi veteris pugnæ simulachrum ciere in India lusus gratia homines, eo spectaculi genere delectatos, mox *fustibus* utrinque magno numero relictis discedere, & eminus [illegible] (quarum gratia id institui solet) ex arboribus delapsas, atque arreptis fustibus serio inter se digladiantes, acie non nisi truncis artubus aut morte dirimenda, spectare non sine ingenti risu, refert Jo. Bapt. Tavernier. *Itiner. Ind.* Eodem porrò modo in sontes animadversum, quos *fustibus* interficiebant prisci, aut lapidibus, cùm ferri usus adhuc in abdito esset. [illegible] Meursius *ad Lycophron. pag. 297.* Alia *fustigationis*, recentiori ævo ratio esse cœpit: cùm jam gladius esset, qui mortem inferret merentibus. V. infra in voce *Fustis.* Inde *Fustertus*, superior pars abietis, quia nodosa, ut solent esse *fustes* vel baculi &c. V. quoque hic in vocibus *Clava*, & *Sudes.*

Fustibalum, machinæ bellicæ species, apud Fulconem *Vit. Hierosolym. lib. 2. pag. 893.*

Aggeribus, plateis, magris, fustibalisq;
Assultus ineunt, cunctis utensilibusq;

Sed *fundibalisq;* legi mavult du Fresne V. *suprà.*

Fustis, an quòd præfixi in *fossis* stent, quos rustici *palos* vocant, Isidor. an a *fundo*, Mart. an a voce *fusus*, dictus, pœnæ genus est, à Romanis privatim olim ac in castris adhibitum. [illegible] *fuste* peremisse uxorem, quòd vinum bibisset, refert Valerius Max. *lib. 6.* Scipio, apud Livium, disciplinam militarem ad Numantiam corrigens, quemq; militem extra ordinem deprehendit, si Romanus esset, vitibus: si extraneus, *Fustibus* cecidit. Factum id autem hoc modo: Accepto fuste, Tribunus reum tantum attingebat damnatum, quod ubi factum erat, omnes, qui in castris erant, cædentes fustibus plerosque in ipsis castris conficiebant, ac si evasissent, ne sic quidem servari poterant. Quippe quibus neque in patriam redire liceret, neque a propinquis domum recipi possent. Infligebatur hæc pœna imprimis custodibus sive vigilibus in militia, qui tesseras non reddidissent, aut dormivissent, aut locum vigiliæ deseruissent. Item tergiductoribus & Præfectis alæ, qui negligenter vigilias curassent aut tesseras non propagassent. *Fuste* etiam cædebatur, qui furto sustulisset quippiam e castris, nec non qui falsum testimonium dixisset, & si quis flore ætatis abutens deprehensus esset &c. V. Jo. Rosinum *Antiqq. Rom. lib. 10. c. 25.* Hinc *Fustuarium mereri*, apud Cic. *orat. Phil. 3.* Anglis *cle a Club*, item *staff or cudgel.* Græcis [illegible], Jungermanno *Not. in Herr. Magnum de Equuleo:* cui [illegible] in [illegible] propriè est *fustibus* seu *rotundis lignis* [illegible] *cillis necare.* Probat id ex vet. Scholiaste Aristophanis *in Plut.*, ubi [illegible] interpretatur lignum, quo verberabantur [illegible], idque dictum vult [illegible] a verberando. Et [illegible] tur Hesychius, cùm ait. [illegible] &c. Cl. verò Salmasio aliter videtur, qui *Fustigatio*, Græcè [illegible] dicitur, & in pœnis publicis castiga-

castigatione virgarum levior fuit: unde varios pœnarum gradus recensens Lampridius in *Alexandro Sev.* fustes, ut minus graves, prius posuit: *Si quis de via in alicujus possessionem deflexisset, pro qualitate loci aut fustibus subjiciebatur, in conspectu ejus, aut virgis aut condemnationi, aut, si hæc omnia transiret dignitas hominis, gravissimis contumeliis* &c. Et quidem liberi, sed tenuiores homines *fustibus* cædebantur, *l. capitalium de pœnis*; cum virgæ & lora ingererentur servis. V. Salmasium *ad loc. cit.* Sed & in re Feudali *fustium* usus fuit. Hinc *per fustem investire* in vet. *Placito* sub Ludovico Imp. apud Viennam, A.C. 912. *Cum scuto & fuste se defendere*, in *l.* Longobard. *lib.1. tit.25. §.76.* & *lib.2. tit.55. §.29.* de Campionibus, quorum hæc arma erant: *Fustes ad sepulchra ponere*, superstitionis paganicæ species, memoratur Conrado Ursperegensi *A. C. 1124.* apud Car. du Fresne *in Glossario.* V. quoque suprà *Fustes*: At de *Fustigationis pœna*, apud Hebræos, Romanos, Græcos vett. Muhammedanos porro, ac Sinenses hodiernos, frequenti, varia egregia apud Jo. Seldenum *de Synedriis vett. Ebræor. l.2. c.13. num.5.* ut & infrà, ubi de *Verberibus*.

Fusus, in re lanaria, Clostercm inventorem habuit, *Plin. lib.7. cap.56.* fuit autem is filius Arachnes, de qua suo loco. Inter muliebris industriæ symbola, uti & colus, de quo suprà. Unde *Fusus* argenteus, clararum mulierum sepulchris olim appensus est. Ditmarus *lib. 21. pag. 25.* de filia Ottonis M. Imp. Conradi Franconiæ D. uxore: *In Ecclesia Christi Martyris Albani in Moguntia flebiliter est sepulta, cujus* fusum *argenteum in ejus memoria ibidem est suspensum.* More fortè ex veteri Romanorum consuetudine orto, apud quos Tanaquillæ, Tarquinii Prisci uxori, statuam fuisse positam, lanam, *fusum* & colum tenentem, in probitatis ac virtutis muliebris argumentum, legimus apud Plin. *lib.8. cap.48.* & Plutarchum *Problem. 30.* Quippe, ut ait Fulgentius *Mytholog. lib 2. laborem manuum & operationum libidinosa mulier non diligit.* Sanè, cùm *fusus* fœminarum *gladius* vel certè *scutum* dicatur, quo se contra desidiam sese tuentur, admodum vero simile est, inde profluxisse, ut earum insignia in *fusis* describantur, vulgò *lozengiis* dictis; quòd, ut censet Scaliger *ad Varronem*, lauri foliorum speciem referant, quasi *laurengiis*: quorum figura eadem est, quæ fusorum. Sed & fœminarum sigilla cerea Diplomatibus appensa ferè semper eâ formâ conspiciuntur, in quibus effinguntur dextrâ aviculam vel lilium, aut quid simile tenentes, depictis ad lævam armorum insignibus. Car. du Fresne *Glossar.* *Fusos* tamen *torquere mulieres per itinera*, legibus Romanorum interdictum, habet Plinius *lib.28. cap.2. Pagana lege in plerisque Italiæ prædiis cavetur, ne mulieres per itinera ambulantes torqueant fusos, aut omnino detectos ferant: quoniam adversetur omnium spei præcipueque frugum.* Eousque Vett. superstitio processit, quam latè hoc capite exponit Auctor, V. Dalechampium *Not. ad illud.*

Futile, Lutatio *ad Statium Thebaid. lib.7. vers. 297. vas fuit lato ore, quo utebantur in sacris Deæ Vestæ; quia aqua ad sacra Vestæ in terra non ponitur, quod si fiat, piaculum est, ideo excogitatum est vas, quod stare non posset, sed si positum statim funderetur. unde & homo, commissa non retinens, futilis dicitur, contra non futilis, bonus consiliis.* Quæ omnia ex Servio transcripta, *ad verba Maronis lib. 11.*

— *Consiliis habitus non futilis auctor.*

Ubi Servius vas fuisse ait *lato ore, fundo angusto*, & quæ sequuntur. Scholiastes Horatii eadem ferè de illo tradit, *in Artem Poët.* ubi *Futil* vocat, & *genus vasis sacris aptum, præcipuè Cereris*, fuisse scribit. A *fundendo*. Sic *Futum*, vas tricliniare ad affundendam aquam, habet Varro *de L. L. lib. 4.* Salmasius ex Græco χυτὸς *futus* deducit, unde *Futilis*, *ad Solinum pag. 1211.* Plura de hac voce V. apud Casp. Barthium *Animadvers. ad Statium d. l.*

Futura sciendi Ars, tantopere mortalibus nec sine sacrilegio expetita, & Veterum inprimis plerisque, variis modis quæsita, V. suprà ubi de *Divinatione*.





G.



. adde : Multùm hàc literâ antiquitas παρέλκον, i. supervacaneè, usa est. Unde Frugmentum, Gnatura, Gnavius &c. dixere, pro Frumentum, Natura, Navius, Tit. Probus in vit. Val. Max. In notis antiquis gaudium, gentem, Genium, Gellium, Gajum, gratiam &c. notat. Novam literam appellat Diomedes lib. 2. cap. de litera, nec sine ratione, cùm necdum inventa fuerit bello Punico primo, quandoquidem in basi columnæ rostratæ, quæ à Cajo Duillio posita, semper C. pro G. ponitur. Primus autem distinxit Sp. Carvilius, quem G. propriâ figurâ donasse, docet Terentius Scaurus, V. Gerh. Jo. Vossium de Arte Grammatica lib. 1. cap. 15. adde Salmasium ad Solinum pag. 891. ubi de ortu hujus literæ ex Coppa Græcorum varia habet.

G A.

Gabalus, Rom. Imp. adde : Convitii loco sic vocatum eum esse, nonnullis videtur; quod convitii genus obtinebat illo tempore, in hominem cruce vel gabalo dignum. Ut in versib' Macrini, apud Jul. Capitolinum,

> Si talem Gajum retulissent fata Poëtam,
> Qualis Latinis Gabalus iste fuit.

Ubi gabalus, quod crucem notat apud Nonium, hominem cruce dignum indigitat, eodem modo, quo apud Lucilium carcer eum, qui propter scelera habitat in carcere. Sed ex Servio, Gabalum etiam vulgò fuisse vocatum Heliogabalum, docet Salmasius ad Lampridium in Alexandro Severo. V. suprà in voce Alagabalus.

Gabarretum, vulgo Gabarret, locus Galliæ, in Novempopulana, caput agri Gabarretani, le Gaberdan, inter Elusam & Vasates positi. Olim sub Vicecomitibus, ut docet Gaufredus Burdigal. Archiep. in Epist. ad Sugerium Abbatem S. Dionysii, Noveritis nos apud Menusarium, ubi Auscitanus Archiep. & fere omnes Episcopi & Proceres totius Guasconiæ convenerant, Gavarritanum Vicecomitem convenisse, super infestatione terræ Domini Regis ab ipso & à suis. Aliud est Gabaretum, castrum Septimaniæ vel Gothiæ, quod vide suo loco.

Gabata, inter ministeria sacra Communionis Rom. passim occurrunt: Gabatæ medianæ anaglyphæ, Gabatæ liliatæ, Gabatæ columellatæ, in Histor. Episcopor. Autissiodor. cap. 20. Gabata electrina; Gabatæ aureæ Saxiscæ, Gabatæ interrasiles. Gabatæ aureæ fundatæ, Gabatæ aureæ purissimæ, interrasiles, sinopares, apud Anastasium in Vitis Pontificum &c. Quibus in locis lances sunt seu disci in Ecclesiis, à laquearibus pendentes, cereis vel lampadibus instructi. Idem Anastasius p. 128. Nec non & gabatas fecit ex auro purissimo pendentes, in pergula, ante altare. Guil. Bibliothecarius in Stephano VI. Gabatas argenteas cum lampadibus obtulit & continuatim vigiliis ardere præcepit &c. Vox nota Martiali lib. 7. Epigr. 48.

> Cùm mensas habeat fere ducentas,
> Pro mensis habet Annius ministros,
> Transcurrunt gabatæ, volantq; lances.

Et lib. 11. Epigr. 31.

> Sic implet gabatas, paropsidasq;
> Et leves scutulas, cavasq; lances.

Ubi gabatæ, sunt lancæ escariæ. Gavata habet Prudentius lib. 11. Pœm. 9.

> Carnea dona tumens argentea gavata perfert &c.

Formam gabatæ seu lychni pensilis, cujusmodi duæ perpetuò ardent in sacello Pontificio, quibus loco olei ceram infundi jussit Paulus IV. exhibet in Hierolexico, Dominicus Macer seu Magrius, ut alii vocant: cujus frater Carolus patinas quoque, hoc nomine olim dictas, ex Rhodo Insf. allatas, ad lagenæ figuram, refert ibidem se vidisse.

Gabba, adde : Græcè Γάϐα & Γάϐϐα, quam Arabes mercium gratiâ petebant. Plin. lib. 12. cap. 17. His commerciis Carras oppidum aperuere (Arabes) quod est illis nundinarium. Inde Gabbam omnes petere solebant, & Palæstinam Syriam. Sed & Stephano Gabba, πόλις Γαλιλαίας, urbs Galileæ, est. V. Salmasium ad Solinum p. 495.

Gabbara, gigas novem pedum & totidem unciarum, memoratur Plinio lib. 7. cap. 16. Procerissimum hominum ætas nostra Divo Claudio Principe Gabbaram nomine, ex Arabia advectum, IX. pedum & totidem unciarum vidit. Cùm aliàs septem pedum mensura longissimi haberetur hominis, ut quæ Herculi omnium Scriptorum consensu tribuitur. V. infrà Septipedes. At Gabbara, seu Gabares, vox Ægyptiaca, qua condita mortuorum cadavera, quæ alii Mumias dicunt, gens ista denotare consuevit. Augustinus de Divers. Serm. 120. cap. 12. Ægyptii soli credunt resurrectionem, quia diligenter curant cadavera mortuorum: morem enim habent siccare corpora, & quasi ænea reddere, Gabbaras ea vocant. V. Scaligerum Epist. 19. & infrà, in voce Mumia.

Gabe, adde : Una fuit ex urbibus, quas regionum instar singulas & in Regna contributas fuisse, sub nomine Tetrarchiarum, scribit Plinius lib. 5. cap. 18. ubi de urbibus Decapolitanæ Syriæ.

Gabinia Lex. inter leges de Majestate post XII. Tabb. rogatas prima, Ne quis coitiones clandestinas conflaret: qui fecisset, capitali supplicio plecteretur, sanxit, Sallustius in Declam. Porcii Latronis. Alia lata est ab A. Gabinio Trib. pl. anno U. C. 685. L. Cæcilio Metello, Q. Marcio Rege Coss. Ut bellum adversùs piratas Cn. Pompejo in triennium ita mandaretur, ut toto mari quod est intra columnas Herculis & in maritimis provinciis usq; ad 400. à mari stad. potestatem haberet imperandi Regibus. Præsidibus, Civitatibus, ut se rebus omnibus ad ejus belli administrationem necessariis juvarent. Ejus meminit Vellejus lib. 2. Dio lib. 38. Plut. in Pompejo, Appianus in Mithridat. Cic. de lege Manilia &c. Alia eodem auctore, eodemq; anno rogata, voluit : Ut ex Kalendis Februariis ad Kal. Martias quotidie Senatus cogeretur, & Legatis exterarum nationum daretur. Cic. lib. Epist. ad Quintum Fr. Alia reperitur lata ab A. Gabinio Tr. Pl. anno U. C. 614. Cn. Calpurnio Pisone, M. Poppilio Lænate Coss. Ut Comitiis, quibus Magistratus crearentur, populus non voce, sed per tabellam suffragium ferret. Et quò id liberiùs fieret, cautum est, ne quis inspiceret tabellam, ne rogaret, ne appellaret & ita ab omni parte liberum suum judicium in Magistratibus creandis populus haberet. V. Cic. de LL. lib. 3. de Amicitia, item pro Plancio.

Gabiniana Via, Salonâ Andetrium ducens, memoratur in vet. Inscr. apud Jac. Sponium Itinerar. Dalmatiæ p. 108. & Itiner. Part. 3. pag. 79. ubi ex marmore Spalatensi hæc exhibet.

> CVIVS VIÆ MILLIA
> PASSVVM SVNT CXLVII MV
> NIT PER VEXILLARIOS LEG.
> VII. ET XI. ITEM VIAM GABI
> NIANAM AB SALONIS ANDE
> TRIVM APERVIT ET MVNIT
> PER LEG VII.

Quod fragmentum ad Inscr. Tib. Cæsari factam, cujus ibidem meminit, pertinere, manifestum est &c.

Gablum, apud medii ævi Scriptores census, tributum, reditus, ex Hebr. Gab, quod idem sonat, si Guichartum audimus : Unde Gabella, quæ vox olim similiter quodvis vectigal seu tributum significavit, ut videre est in Charta Rogerii Siciliæ R. A. C. 1129. apud Bonfilium Constantium in Hist. Sicul. pars. I. lib. 4. ut & apud Scriptores Italicos, Joannem Villaneum lib. 6. cap. 60. lib. 8. cap. 9. lib. 9. cap. 16. lib. 10. cap. 19. Matth. Villaneum lib. 7. cap. 82. &c. Hodie salis tributo nude ascribitur, de quo sic du Fresne : Philippus R. ut hostibus suis faciliùs obsisteret, ad levius subditorum gravamen, aliquot salinaria horrea intra Regni fines instituit, quorum Procuratores, Commissarii ac supremi Judices. (Souverains Commissaires, Conducteurs & Executeurs desdits Greniers & Gabelles) delecti fuere Mag. Guilielmus Pinchon Archidiac. Abrincensis, Petrus de Vitain Archid. Paris. Mag. Philippus de Trie, Thesaurarius Bajocensis. Magister Requestar. Hospitii Mag. Rainaldus Charian, Guido Chevriers, Artus de Provins Milites, & Mag. Jacobus de Boulen. Postmodum verò, cum vererentur Franciæ Ordines, ne ejusmodi salarium vectigal fiscale perpetuumque fieret, & Principis ærario in posterum adscriberetur, pollicitus est idem Rex Edicto 15. Febr. A. C. 1345. se, cum primum Regnum belli vacaret metu, illud sublaturum. Extat præterea Statutum aliud Joannis R. 28. Dec. A. C. 1355. quo ex universorum Ordd. consensu, in bellorum impensas, denuo Gabella exacta est. Qui cùm in Pictavensi prælio ab Anglis captus esset, inter cætera tunc temporis ad illius redemtionem imposita tributa, eadem a Parisiensibus in annum permissa est Carolo Delphino, intra Vicecomitatus Parisiensis limites, 11. Aug. A. C. 1358. moxque totius salis, quod Parisiis tunc extitit, initâ recensione, paulo pòst salis modio 60. scutorum aureorum pretium impositum est; quorum 26. essent mercatoris, 34. Ducis & Ædilium urbis; ac Ducis quidem 26. Ædilium verò 8. Demum 26 Nov ejusdem anni, salis modio 100. scutorum pretium impositum est, quorum 26. essent mercatoris, 56. Regis, & 18. Urbis: quod dein iterum auctum anno seq. Inito denique ad Bretiniacum cum Anglis fœdere, quò Joannis lytrum penderetur, ab eodem Rege varia fuere indicta tributa A. C. 1360. in quibus salarium itidem vectigal, quod Aide sur le sel, appellatum fuit, ut & Gabelle de sel, in Chron. Flan-

drin

triæ extremo. A' quo tempore *Gabella*, ut cætera pene tributa, in fiscalem & perpetuam pensitationem in Francia transiit, quæ pro arbitrio Principis seqq. temporibus in immensum postea excrevit. Joann. Fortescutus *de Laudibus LL. Angliæ, cap. 35. Præterea non patitur Rex* (Franciæ) *quenquam Regni sui salem edere, quem non emat ab ipso Rege — Et si insalsum pauper quivis mavult edere, quàm salem excessivo pretio comparare, mox compelletur ille tantum de sale Regis emere, quantum congruet tot personis, quos in domo sua fovet* &c. Sed & ab Andronico Seniore Imp. CP. exactum hoc vectigal, docet Pachymeres *lib.* 10. *cap.* 9. Philippo verò Burgundiæ D. & Com. Flandriæ, cùm *more Regum Franciæ petiisset à suis de Gandavo concedi sibi gabellam salis*, denegatum id esse, tradit Ægid. de Roya, apud eundem du Fresne in *Glossario*. V. quoque in voce *Gabella*.

Gaditana Saltatio, omnium corruptissima. Martialis *lib.* 5. *Epigramm.* 78.

Nec de Gadibus improbis puellæ
Vibrabunt sine fine prurientes
Lascivos docili tremore lumbos.

Cujusmodi saltatriculas ex hac insula, erant qui circumducebant ad quæstum. Unde idem *lib.* 1 *Epigr.* 42.

Quod de Gadibus improbus Magister.

Inprimis postquam illarum saltatio & cantus perditis luxu Romanis in conviviis placuere. Juvenalis *Sat.* II.

Forsitan expectes, ut Gaditana canoro
Incipiat prurire choro &c.

Quò facit querela Quintiliani *lib.* 1. *cap.* 2. *Omne convivium obscenis canticis strepit, pudenda dictu spectantur.* Donec hæc omnia talentis in triclinio nequitiæ irritamenta sustulit optimus Imperator Theodosius, uti Christianum decebat, teste Paulo Diacono *de Gest. Rom. lib.* 12. Erant autem modi hujus saltationis tres, *Chironomia*, à manuum agilitate; *Halma*, à saltu, & *Lactisma*, à calcitratione, de quibus V. Jul. Cæs. Scaligerum *Poëtices lib.* 1. *cap.* 18.

Gage, Græcè Γάγαι, urbs montana Lyciæ, quæ aliàs Παλαιὸν τεῖχος & Παλαιόπολις dicta, ad fluv. cognominem, ubi *Gagates* lapis reperitur, de quo mox. V. Salmasium *ad Solinum pag.* 252. & 785. ut & in voce *Gage*.

Gagates, lapis *nomen habet loci & amnis Lyciæ. Ajunt & in Leucola expelli mari, atq; intra XII stadia colligi. Niger est, planus, pumicosus, non multùm à ligno differens, levis, fragilis, odore si teratur gravis. Fictilia ex eo inscripta non delentur. Cùm uritur, odorem sulphureum reddit. Mirumq; accenditur aquâ, oleo restinguitur — deprehendit fonticum morbum & virginitatem suffitus — Hoc dicuntur uti Magi in ea, quam vocant, axinomantiam* &c. Plin. *lib.* 36. *cap.* 19. Quibus paria habet Solinus c. 23. ubi *de Britannia insl.* Sed ad Thracium lapidem, quòd *aquâ accendi, oleo restingui eum*, ajunt, referendum: uti ad *Gangitem* lapidem pertinet, quod idem Plinius *lib.* 10. *cap.* 3. habet, ubi nihil *igne deperdere* eum scribit. Non solùm enim *gagates* facile accenditur, isque optimus, qui facilimè, sed etiam igne consumitur, eoque redigitur, ut in pulverem teri possit. Nec in axinomantia adhibitus est olim, sed *capnomantia*, ut suprà diximus. Etiam, quod Solinus *gagatem attritu calefactum adpicita detinere, atq; succinum*, addit, falsum prorsus esse, contendit Salmasius *ad eum pag.* 254. V. quoque suprà, ubi *de Electro*.

Gaggare, Anglis *Gaged*, h. e. *suffocare*, torturæ genus in Francia olim usitatum, de quo sic Joann. Fortescutus *de laude LL. Angliæ cap.* 22. *Quidam verò in equuleis extenduntur, quo eorum rumpuntur nervi & venæ in sanguinis fluenta prorumpunt: quorundam verò diversorum ponderum pendulis dissolvuntur compagines & juncturæ: & quorundam gaggantur ora usq; dum per illa tot aquarum infundantur fluenta, ut ipsorum venter mouis tumeat more, quò nunc venter ille, fossorio vel simili percussus instrumento, per os aquam illam evomat, ad instar balænæ, quæ cum halecibus & aliis pisciculis mare absorbuit, aquam despumat ad altitudinem arboris pomi* &c. Hoc seculo in usum revocatum, à Suecis, ut fertur, cùm, victricia per Germaniam circumferentes arma, hac omnino ratione è colonis extortum ibant, si quid bonorum hic ibi haberent absconditum. German. *der Schwedische Trunck*, h. e. *potio Suecica*. V. Car. du Fresne *in Glossar.*

Gaicum Monasterium inter formulas veteres Marculfo subjunctas, formulâ 41. commemoratum, in pago Galliæ Wastinensi, ab eo *Monasterium S. Mariæ* vocatur, & puellarum fuisse dicitur, hodie fortè *Gyles Nonnains*, h. e. Gaicum Nonnarum vel sacrarum Virginum: Sedet ad fluv. Lupam 3. à Monte Argisi leucis distantem. V. Hadr. Valesium in voce *Wastinensis pagus*.

Gailldorfia, Familia Germaniæ illustris, in Franconia, Limpurgicæ stirpis ramus est. Cujus origo à Conrado, quemadmodum altera capitalis linea hujus familiæ Speckfeldia vel Sonthemia, à Friderico, utroque Friderici defuncti A. C. 1414 filiis, descendit. Et quidem in linea *Gaildorfia* (quò etiam Schmidelfeldia referenda) Albertus Dn. & Pincerna *de Limpurg*, extinctus A. C. 1506. ex Elisabetha Com. Oetingensi, genuit Christophorum I. (qui obiit A. C. 1515.) patrem ex Agnete Werdenbergica Wilhelmi, extincti A. C. 1552. Quo & Annâ de Scala, genitus Christophorus II. qui mortuus est A. C. 1574. ex Eva Agnata, reliquit Albertum, defunctum A. C. 1619. cui ex Æmilia Roggendorfia, natus Joachimus Godofredus, decessit A. C. 1651. pater ex Barbara Dorothea Oetingensi, Wilhelmi Ludovici (n. 1624. den. 1657.) cui Elisabetha Dorothea Agnata nupta erat: Sophiæ Dorotheæ (n. 1625. †. 1627.) Friderici Cratonis (n. 1626. den. 1627.) Philippi Alberti (n. 1628. †. 1632.) & Ottonis Henrici (n. 1629. †. 1653.) qui omnes *Dn. & Pincernæ de Limpurg* &c. *lineæ Geildorfiâ-Schmidelfeldiæ*. In eadem linea, filius alter Alberti præfati & Æmiliæ, Johannes Wilhelmus (qui defunctus est A. C. 1655.) ex Maria Juliana Hohenloica, suscepit Philippum Albertum (n. A. C. 1648.) Joh. Fridericum (n. & †. 1651.) Wilhelmum Henricum (n. 1652.) Mariam Æmiliam (n. & †. 1653.) Joh. Wilhelmum (n. 1654. †. 1655.) & Sophiam Eleonoram (n. 1655.) ad quos etiam patuelis successio delata est. V. Phil. Jac. Spenerum *Theatr. Nobil Europ. Part. I. pag.* 55. 101. & in *Ind.*

Gaillardum, castrum Galliæ fortissimum, cujus mentio apud Rigordum in rebus anni 1202. à Philippo Augusto mensibus amplius quinque oppugnatum ac tandem captum est: quam obsidionem fusè describit Guil. Armoricus *de gestis Philippi Aug.* qui & *lib.* 7. *Philippi Gaillardica mœnia*, & *Rupem Gaillardam* vocat. Hodie vicus est & *Chasteau Gaillard* dicitur in insula prope Andeliacum vel Andeleium. De eo sic præfatus Armoricus: *Richardus*, inquit, *Rex firmavit in fluvio Sequana, in loco qui Portus Gaudii vocatur, munitiunculam, & in insula juxta vicum Andeliacum aliam fortentiam firmavit & ædificavit ibidem super ripam Sequanæ villam amænissimam, in loco munitissimo. Imminebat villæ rupes excelsa, in qua ædificavit arcem & circumcinxit muro altissimo & fossis profundissimis, totamq; munitionem illam vocavit* Gaillardum, *quod sonat in Gallico* petulantiam. V. quoque in voce *Gallardum*.

Gajus Cassius Longinus, natus ex filia Tuberonis, quæ fuit neptis Servii Sulpitii, Consul fuit cum Quartino, temporibus Tiberii Imp. magnæque in Civitate auctoritatis, donec à Cæsare eâ pelleretur. Expulsus itaque in Sardiniam, sed revocatus à Vespasiano, diem domi suum obiit, *l.* 2. *ff. de orig. Juris.* Fuit & *Gajus* JC. Hadriani temporibus, ex *l.* 7. *ff. de reb. dub.* qui pervenit ad tempora Antonini Pii, ut colligitur ex *l.* 42. *ff. de don. inter vir. & ux.* Ex hujus Commentariis, tam Institutionum, quàm Rerum Cottidianarum, Institutiones compositas esse, profitetur ipse Justinianus *Præfat. Instit.* V. latè Brissonium, laudatum Joanni Calvino in *Lex. Jur.*

Gala, aliis *Jala*, quibusdam *Gealus*, amniculus Galliæ, qui in Garumnam labitur, duabus leucis infra Burdigalam: quam ab hoc & altero fluviolo Burda nomen accepisse, opinantur nonnulli, inprimis Massonus. Sed Valesius Burdam nusquam se reperire, qui Burdigalæ aut uspiam alibi Garumnam augeat, refert, in voce *Bituriges Vivisci*. Vulgò *la Jalle*. In literis Philippi Pulchri datis A. C. 1295. memoratur *boca Jalæ, ubi Jala cadit in mare dictum Gironda*; & *Jala veteris* ac *Jalæ pontis* fit mentio.

Galactites, lapis ex *Nilo colore lactis est. Eundem dicunt leucogæam, & leucographidem & smectridem — Mittit eam & Achelous amnis*, Plin. *lib.* 37. *cap.* 10. Sed *leucogæa* & *smectris*, Græcè σμηκτρὶς γῆ, sic dicta, quòd ea Veteres uterentur ad dealbanda ac pumicanda vestimenta, *galaxia* & *morochthus* dicitur Dioscoridi, & terra potiùs, quam Nilus dat, est, quàm lapis, cum *galactite* non confundendus. Huic autem nomen dedit non color, sed succus lacteus, quem tritus reddebat: ipse namque cinerei coloris est. Eundem ἀναγχίτην & ἀδάμαντα scribit appellatum Orpheus, quòd Deorum mentem inflectere & pacatam hominibus, eorumq; sacrificiis attentam, reddere crederetur;

Τὸν ῥα παλαιγενέες μὲν ἀνογχίτην ἀδάμαντα
Κλῆιον, ὅτι γνάμπτει μακάρων νόον, ὄφρα θυηλὰς
Ἀζόμενοι ἱερῶν ἐπιχθονίων ἰλάσκωνται.

De quo lapidis hujus usu Magico, ut & plura hanc in rem, V. apud Salmasium *ad Solinum pag.* 137. & 1092.

Galata, seu *Pera*, adde: J. Sponius *pera*, hodiernis Græcis, idem valere quod Vett. πέραν, *trans*, Græcosque Constantinopoli Galatam profecturos, *Pas pera*, h. e. trans aquam ibo, dicere solere (quemadmodum & locus trajectûs *perama* illis est) atque inde oppido illi nomen hæsisse, docet, *Itiner. Part. I. pag.* 164.

Galatia, reg. adde: Sub Pontica olim diœcesi comprehensa, à variis Gallorum gentibus primitus fuit possessa. Et quidem Solinus *cap.* 41. *Tolistobogos, Veturos* & *Ambitutos* memorat, qui partem Phrygiæ occuparunt. Præter hos *Trocmi* Mæoniæ & Paphlagoniæ regionem insederunt, teste Cicerone *de Divin. Tectosages*, partem Cappadociæ uberrimam tenuerunt, quibus *Teutobodiacos* accenset Plinius *lib.* 5. *cap.* 32 à quibus sex gentibus *Galatiæ* ait nomen inditum. Alii auctores fere omnes, tres tantùm velut præcipuas gentes Gallorum nominant, quæ in Asiam transmigrarint, *Tolistobogos, Trocmos* & *Tectosages*; quos & regionem omnem à se occupatam & communi gentis sui nomine nuncupatam, in tres partes divisisse, & unamquamque partem in 4. provincias, quæ singulæ inde τετραρχίαι appellatæ sint, iterum distribuisse, referunt, V. Memnonem Historicum apud Photium & Strabonem *lib.* 12. Ipse Plinius tres illas gentes Galatarum præcipuas designat his verbis *d. l. Oppida Tectosagum, Ancyra: Trocmorum, Tavium: Tolistobogorum, Pessinus*: qua de re V. Salmasium *ad Solinum*

pag

pag. 877. qui etiam de *Galatico cocco*, qui præstantissimus, Gr. ὕσγη, varia habet *pag.* 273 Nominis originem quod attinet, γάλακτος propriè *album* significare, à voce γάλα, *lac*, hincque proprium nomen Siculum Γάλατος, item Γαλάτεια, deduci: tandemque genti Gallorum, à *lacteo candore*, idem à Græcis inditum, qui contrà Μαύρους & Λίβυας à *nigrore* sic nominarint, monet idem *pag.* 65.

Galaxius Lapis, V. suprà *Galactites*.

Galbanum, in Syriæ monte *Amano nascitur è ferula, quam ejusdem nominis resinæ modo stagonitim appellant. Quod maximè laudant, cartilaginosum, purum ad similitudinem Hammoniaci, minimeq; lignosum — adulteratur fabâ aut sagapeno. Sincerum si uratur, fugat nidore serpentes.* Plin. *lib.* 12. *cap.* 26. Ejus succum μετώπιον Græcis seu μέτωπον vocatum legas apud Dioscoridem, Χαλβάνη ὀπός ἐστι νάρθηκος ἐν Συρίᾳ γεννωμένης, ὅν ἔνιοι μετώπιον καλοῦσι: unde & unguento amygdalino, quod in eo conficiendo *galbanum* admisceretur, Ægyptii μετώπιον indidere nomen, ut vidimus. Odoratum non est, ut calamus & juncus (quæ sola inter res odoratas, in Syria nasci solitas, refert Theophrastus *Histor. plant. lib.* 9. *cap.* 7.) utpote βαρύοσμον καὶ δυσῶδες. Quare *oppidum Hispaniæ frustra diu oppugnatum, illitis demum* galbano *facibus succendisse*, legitur, qui primus Sulpiciorum *Galbæ* nomen tulit, apud Suetonium *Galba cap.* 3. ad quem l. V. *Animadversiones* Casauboni, ut & de *galbani* usu Medico Plinium *lib.* 24. *cap.* 5.

Galbea, & *galbina* seu *galbula*, avis est viridis aut lutei coloris, Græcis χλωρὶς & χλωρίων; unde mutuatâ voce Latini etiam *chlorum* dixere. Glossa Græco-Lat. χλωρὸς ὠχρὸς, *chlorus*. Cujusmodi avium lusibus delectatum esse Alexandrum Sev. Imp. narrat, in *Vita* ejus, Lampridius: *Summa illi oblectatio fuit, ut catuli cum porcellis luderent, aut perdices inter se pugnarent, aut aves* galbeæ *sursum & deorsum volitarent.* Martialis *galbinam* hanc avem vocat,

Galbina decipitur calamis & retibus albis &c.

At *galbeum* vel *calbeum*, à voce Græca κόσμιον, ornamentum fuit, vel armilla, quâ virtutis ergò donabantur milites. Sic Suetonius remedia vocat lana involuta & in brachio vicem armillæ gestata, *galbea*, & ab iis Galbam Imp. nominatum esse, ait, quòd ejusmodi remediis assiduè uteretur. De quo more armillas vel *galbea* gestandi, quibus remedia quædam erant inclusa, adversùs varios morbos facientia, V. Casaubonum *ad Suetonium*, plura verò de hac voce apud Salmasium *ad Lampridium* & Vopiscum *in Aureliano*: ubi colorem *galbinum* seu *galbineum*, aureum fuisse vel ad auri colorem proximè accessisse, docet ex Vegetio *lib.* 3. *cap.* 2. &c.

Galea, an Lacedæmoniorum, ut vult Plin. *lib.* 7. *cap.* 56 an Ægyptiorum, ut Herodotus *lib.* 4. an Curetum, ut Diodorus *lib.* 5. *c.* 15. inventum: à *galero*, quo multi antiquorum usi, dicta est, Varroni: aliis ex Græco γαλῆ, ῆς, quòd *ex felina* pelle fiebant, V. Scaligerum *in Varr.* & Isidorum; an à γαλέα, i. *vas militare*; an à γαλία, i. *latibulum*, lustrum, spelæum? tegmen est capitis militare, *de corio, sicut cassis de lamina*, Isidoro. Guilielmus *Hodæpor.*

Armo caput galea ——

Græcè κόρυς, περικεφαλαία, item voce antiquissima κυνέη: quæ denotat, ut jam indigitatum, κυνέη δορὰ, ἥγουν κυνὸς θαλαττίου ... ὡς ἐκάλυπτε τὰς κεφαλὰς οἱ παλαιοί, *caninam pellem, canis viz. marini, quæ priscis caput operuit.* Vossio verò *Galea* & *Galerus* non aliunde nomen habent, quàm quia essent ex pelle γαλῆς: quod animal vel idem est ac ἰκτὶς, vel simile, vetustissimis enim temporibus fiebant *Galeæ* ex mutorum animalium pellibus; quod & aliæ appellationes indicant. Namque κυνέην dixere, si foret è pelle canina; λυκέην, si ex lupina: Imò, apud Homerum *Il.* κ. κτιδέην κυνέην legas, pro *galea* ex pelle mustelæ. ἰκτὶς enim mustela sylvestris est, uti cognoscimus ex Plinio *Histor. lib.* 29. *cap.* 4. Et hinc Jovem Ammonem fingi consuevisse *cornutum*, statuit Vossius, quòd in bello pellem capitis bubuli, cum cornibus, pro galea habuerit, *de Idolol. lib.* 1. *cap.* 27. Postquam verò pro pelliceis galeis introductæ sunt æneæ ac ferreæ: figuram tamen muti animantis, aut capitis saltem, in ea expresserunt prisco nomine retento. Itaque *galea* nunc capite leonis erat insignis, nunc integræ volucris figura, & ita in aliis: cujus rei ignorationem spissos in Historia peperisse errores, luculentum hoc exemplum est. Anno U. C. 405. L. Furio Camillo & Appio Claudio Coss. cùm Galli ex Albanis se montibus profudissent: missus est adversùs eos Luc. Fur. Camillus, vel fausti ominis gratiâ; quia M. Camilli, qui ab iis Romam liberarat, erat filius. Castra is posuit in agro Pomptino: Ibi M. Valerius cum Gallo pugnavit, & si Romanæ credimus historiæ, corvi auxilio eum vicit. inde & *Corvi* cognomen jam olim accepisse creditus; non *Corvini*, ut vulgò putant. Posteros verò *Corvinos* dictos, verisimile fit; cùm constanter *Corvini* ubique, non *Corvi*, appellentur. V. Livium de pugna *lib.* 7. *cap.* 26. Val. Maximum *lib.* 3. *cap.* 2. Gellium *lib.* 9. *cap.* 11. Sext. Aurelium *de Viris Illustr. cap.* 29. Alios. In hac verò historia, quod de auxilio sacræ additur alitis, & quidem inspectante hinc Romano, inde Gallico exercitu, fabulosum habet Vossius; contendens, erroris originem inde esse, quòd Valerius *galeam* gestarit, cui corvi esset superadditum signum. Cum ejusmodi enim galea cùm depingi & effingi soleret Valerius, pugnans cum Gallo: progressu temporis imperitum vulgus judicavit, corvum galeæ insidentem imaginem esse veri corvi, cùm tantùm signum esset corvi ferrei, quo Valerii galea fuerat insignis &c. V. quomodo hanc conjecturam pluribus firmet Vossius *l. c.* Ex diversis itaque posteà materiis, ære inprimis, confici cœpere, quod aliquando sic expolitum est, ut speculi instar Solis radios excipiens intolerabilem hostium oculis fulgorem offunderet: ut de Diomede legimus, apud Homerum *Iliad.* ε.

Δαῖέ οἱ ἐκ κόρυθός τε καὶ ἀσπίδος ἀκάματον πῦρ,

Lucebat ei è Galea, *& ex scuto indefessus ignis.*

Sic de Ænea suo Virgilius,

Ardet apex capiti, cristisq; ac vertice flamma

Funditur.

Idem alibi de Turno. Cristis dein eas, ut Poëta hic indigitat, ornabant Veteres, & quidem Græci primitus è pilis equinis constantibus, quarum toties apud Homerum mentio, qui modò λόφον ἱπποχαίτην, modò ἵππουριν vocat, sicut inde Dorienses inprimis λοφαῖοι sunt appellati. Dein plumis, quas olores suppeditabant, ut docet Virgilius *Æneid. lib.* 10. ubi de Cycno,

Cujus olorinæ surgunt de vertice pennæ.

Et Romani quidem, teste Polybio, pinnas tres adhibuere prælongas, colore purpureo vel nigro: quod & Lamacho Aristophanes, & Tydeo Æschylus tribuunt. Virgilius de Turno, *Æneid. lib.* 7.

Cui triplici crinita jubâ galea *alta chimæram*

Sustinet ——

Πτερίνους φάλους vocat idem Polybius, quos in legione illa nova è Transalpinis, à Cæsare conscripta, cui *alaudæ* nomen inde militari lascivia inditum, insignes fuisse, vel aliquid peculiare habuisse, oportet. V. Suetonium *in Cæsare cap.* 24. Quemadmodum Cares olim eandem ob causam *gallos gallinaceos* fuisse vocitatos, testis est Plut. *Artaxerxe* &c. Nempe pennæ illæ plerunque gallorum erant gallinaceorum, interdum pavonum, aliarumque avium adhibebantur; sicut hodie struthiocamelorum & ardearum frequentes sunt in hoc usu, hæ præcipuè apud Turcas, de quibus V. Jo. Bapt. Tavernier *Descr. Seralii*. Quandoque non pennæ tantùm, sed & integræ aves, ut jam indigitatum, galeis impositæ leguntur: οἱ ἀλέκτορες sc. ὄρνιθες, *aves pugnaces*, ut ait Aristides *de Rhet. Orat.* 2. Cujusmodi est picus, apud Strabonem *lib.* 5. phœnix, apud Solinum *cap.* 36. gallus, apud Pausaniam *lib.* 6. corvus, de quo dictum &c. Insuper cornua adhibita, taurorum, urorum, hircorum; quibus postremis Pyrrhi galeam insignem fuisse, tradit in eo Plutarchus. Imò & capita ferarum integra, ursorum, apud Statium *Thebaid. lib.* 4. leonum, in περικεφ. arietum, apud Ammianum Marcell. *cap.* 19. ubi de Persarum Rege; aprorum, itidem in περικεφ. quorum dentibus Ulyssis galeam exornat Homerus *Il.* κ. sphingum, apud Euripidem *Elect. act.* 2. tigridum, apud Val. Flaccum *lib.* 6. Sic in galea Turni chimæram collocat Virgilius *Æneid. d. l.* in Palladis, gorgonem Aristophanes *Equit.* &c. Quæ omnia non tam ornatui, quàm terrori incutiendo, & Majestati conciliandæ, inserviebant: imitatione, ut Paschalius censet, prisci moris, Ægyptiorum Regum, quos eadem fini modò ignem, modò arborem, modò redolentia super caput unguenta gestasse, auctor est Diodorus Sic. *lib.* 2. Ad ornatum magis faciebant gemmæ & aurum, quibus Vett. galeas non rarò conspicuas fuisse legimus. Ita cerauniis, apud Prudentium *Psychom. Avaritiæ versu* 470. hyacinthisque renidentes galeas, apud Claudianum reperimus *Stilicon. lib.* 2. Pacis præsertim tempore, quo & oleâ idem Prudentius *c. Symm. lib.* 2. & lauro Statius *Thebaid. lib.* 7. eas insignes describunt: Hodie τὰ σῆμα, sive φάφια, conum galeæ insignibus superposita cumulant, Paschal. Additamenta nempe illa galearum plerunq; conus sustinebat, suprema & eminentissima pars galeæ, aliàs *apex* quoque dictus. Sed non omnis *galea* hunc apicem habebat, ut gregariorum inprimis militum: uti multæ cum cono quidem & apice, sed sine cristis & pennis, aliæ cum utroque fuerunt, uti ex Vett. monumentis docet Salmasius *ad Solinum pag.* 546. quarum ultimas has, graves omnino fuisse oportet, uti notat Barthius *ad Statium Thebaid. lib.* 9. *versu* 262.

Unde vehit, galeæq; vetant descendere cristæ.

Porro clausæ fuerunt Vett galeæ, usque adeò, ut ne videri quidem facies armatorum potuerint. Idem Papinius *Theb. lib.* 12.

Solve genas, liceat vultus fortasse supremùm

Cernere dilectos ——

Et nares quoque iis tectæ essent. Sidonius *Panegyr. Anthemii*,

Obtundit teneras circumdata fascia nares,

Ut galeis cedant ——

V. quoque eundem Barthium *Theb. lib.* 11. *vers.* 526. ubi cassides Vett. apertas non fuisse, sed ita clausas, ut nihil vultus penitus videri potuerit, pluribus confirmat, contra Paschalium contrarium asserentem *Coronar. lib.* 10. *cap.* 14. oculis nempe exceptis, ut liber esset in omnia prospectus. Unde Cyrum aurigas curruum militarium totos θωρακίσαι πλὴν τῶν ὀφθαλμῶν, *armasse, oculis exceptis*, refert Xenophon *Pæd. lib.* 6. Sed neque caput solum faciemque, verùm & collum, ab ictibus defendebant, galeæ, ut à quibus catenæ descendebant, quæ collum tuerentur,

—— *missas in terga catenas*,

vocat idem Statius *Thebaid. lib.* 9. *vers.* 697. V. suprà, ubi de Cono. Atque hactenus de primario Galeæ usu. Sed & eadem, cum suis

urget.

urget, poculum militis est, teste Luctat. Placid. ad Statii Theb. lib. 3. versum 663. Ipse Statius,

Hostilem Ismenon galeis, Dircemq; bibemus.

Pedo Albinovanus, sive Incertus auctor Elegiæ de obitu Mæcenatis, in principio:

Bacche coloratos postquam devicimus Indos,
Potasti galeâ dulce per ante merum.

Ejusdem ritus meminit Curtius lib. 5. *Siti maceratus accessit, ac dum galeâ haustam aquam sorbet, tela conspexit.* Seneca de Benefic. lib. 5. cap. 24. *Siti confectus, quia impeditus ire ad fontem proximum non poteram, repere manibus volebam, nisi commilito homo fortis ac strenuus aquam mihi in galea sua attulisset. Potes ergo, inquit, Imperator agnoscere ant illum hominem, aut illam galeam.* V. quoque Jul Frontinum Stratagem. lib. 1. cap. 7 &c. Etiam in Galeam sortes injectæ. V. Thom. Dempsterum Paralipomenis in Joh. Rosini Antiqq. Rom. lib. 10. Apud Suecos Gothosque ejusdem ostensione ac elevatione, signum colloquii, vel pacis & induciarum dari consuevisse, Olaus refert lib. 11. cap. 42. ut alia omittam. Plura hanc in rem V. apud Rei Militaris Scriptores; laudatos insuper C. Paschalium Coronarum lib. cit. cap. 13. & seqq. ubi totam Galearum historiam eruditè pertexit, & de earum hodierno in Principum insignibus usu inprimis varia præclara habet, Casp. Barthium Animadversion. ad Statium notatuno in loco, ut & hic passim. Inprimis in vocibus, Cassis, Corvus, Crista, Penna &c. Inde vox translata ad galeas capillorum, de quibus V. infra in voce Galericulum, item Galerus; & naves, de quibus mox.

Galea, nomen navis, quâ Ovidius in Pontum vectus: hæc enim Minervam pictam pro tutela gerebat, ejusdem vero galeam, in rostro proræ, pro parasemo. Verba ejus, Trist. lib. 1. Eleg. 9.

Est mihi, sitq; precor, flavæ tutela Minervæ
Navis, & à picta casside nomen habet.

Sed & lignum carinæ ad proram eminens, Græcè σῦγι dictum, quod multis in navibus in varias animalium effigies & πρόσωπα sculpebatur, cùm insigne navis non habebat, formabatur ut plurium in galeam atque hinc περικεφαλαία quoque, i. galea, vocabatur. Unde & Galeæ passim recentiori ævo triremes omnes & Liburnæ appellatæ sunt, quòd pars illa navi nomen imponere esset solita, Salmasius ad Solinum pag. 571. & 572. Cujusmodi naves longæ vocantur Guil. Tyrio lib. 20. cap. 14. rostratæ videm lib. 10. cap. 28 Liburnæ Ottoni Frising. de Gestis Friderici lib. 1. cap. 33. &c. Γαλαῖαι appellant Græci citeriores, Galli Galées. Sunt tamen, qui à galeo pisce, xiphias aliter dicto, cujus formam omnino repræsentant; item qui à γαλῆ, quæ vox Hesychio est ἰχθύος species, vocem deducant. Diminut. ejus est Galio vel Galeo, Gallis Galion, in Histor. Hierosolym. pag. 1167. & in Epistola Joannis Episc. Acconensis Tom. VIII. Spicilegii Acheriani pag. 377. apud Car. du Fresne in Glossario, qui etiam Not. ad Alexiadem hac de voce p. 316.

Galearii seu *Galiarii*, Recentioribus dicti sunt, qui ναυηγάται infimi ævi Scriptoribus, olim verò Calones appellabantur: qui prioribus sanè temporibus & stante adhuc disciplinâ rari in castris, nec nisi dignitorum, Ducum Tribunorumque erant; postea verò labantibus moribus, numero pene milites superabant, cùm ne gregarius quidem ullus sine servo esset. De his Eusebius in Chron. Ῥωμαῖοι Γαλ... μυριάδας δ' ... *Romani Gallorum quadraginta millia quadringentos interemerunt: captivos autem in servitutem redegerunt & militibus servos eos assignarunt*, galiarios vocantes: à galea, quam istiusmodi militum servi gestabant. Propertius,

Et fesso galeâ qui tibi portet aquam &c.

An hinc gariarii Gallorum, goujats, quomodo militum appellant pueros? V. Salmasium ad Spartianum in Hadriano Cæs. De his sic Pignorius: *Armigeris affines fuere Caculæ & Calones, sic dicti, quòd fustibus clavisq; ligneis armari solerent, ad tutelam dominorum — Hinc quod Evangelistarum Interpretes habent, missam fuisse cohortem ad vinciendum Jesum cum gladiis & fustibus, ita vertit Juvencus,*

Pars strictis gladiis, pars fidens pondere clavæ.

Et hi Clavatores dicti sunt, & Galearii. *Lixas Acron Grammaticus perperam servos militum appellat, cùm certum sit fuisse liberos homines — Lecticarios quoque idem Calones appellavit Seneca (Lectica fortunæ impositæ calonibus) quòd ligna seu asseres lecticæ portarent, κᾶλον enim lignum.* V. eum Comm. de Servis pag. 244. & 245. ubi de Servis Romanorum militaribus.

Galeotæ, Græcè Γαλεῶται, Stephano ἔθνος ... Σικελίας, *Vates quidam in Sicilia: portentorum Interpretes solertissimi*: quibusdam dicti videntur ab animali cognomine, Stellione Latinis, *quo nullum fraudulentius invidere homini*, ait Plinius lib. 30. cap. 10. cujusque solertiam ipse prædicat Salomo Proverb. cap. 30. vers. 24. Sed quia Hebraicè גלה gala, est revelare; quod vatum maximè proprium, Galeotarum nomen Hebraicum esse, suspicatur Bochartus, ut & alia magno numero, quæ, cum Phœnicum colonis, in Siciliam fuere translata, V. eum Hierozoici Parte prior. lib. IV cap. 7. Apud recentiores verò, Falconem Beneventanum pag. 3.. Romualdum in Chronic. MS. ...

num. Alios. *Galeota*, sunt remiges galearum vel galeotarum, de quibus supra.

Galeria, Tribus Romana, unde dicta sit, ex vett. Scriptoribus non liquet. Car. Sigonius de antiquo Jure Civ. Roman. lib. 1. cap. 3. opinatur, eam etiam à loco aliquo nobis jam incognito hoc nominis accepisse, quemadmodum reliquæ Tribus omnes à Servio institutæ. Onuphrius Comment. Rei Rom. lib. 2. addit, posse videri eam à flumine Thusciæ Galeso, cujus Virgilius mentionem facit, Galesam primò, dein Galeriam dictam. Ejus meminit Livius lib. 27. Galeria *Juniorum, quæ sorte prærogativa erat, Q. Fulvium & Q. Fabium Coss. dixerat.* V. quoque Plinium lib. 7. cap. 48.

Galeria Faustina Augusta, amita Marci Antonini Philos. Imp. apud Capitolinum.

Galericulum, seu *us*, capillamentum ascititium est, tegendæ calvitiei olim adhibitum: quo celatum Caligulam cap. 10. & Othonem Imp. cap. 12. refert Suetonius. Risit de more facetè hunc ritum Martialis lib. 12. Epigr. 45. In Phœbo,

Hædinâ tibi pelle contegenti
Nudæ tempora, verticemq; calvæ,
Festivè tibi Phœbe dixit ille,
Qui dixit, caput esse calceatum.

Quòd enim Galericulus hic ex pellibus & coriis pararetur, æquè ac calcei, caput à calvo Phœbo calceari non illepidè jocatur Poeta. Apud Rufium Avienum carm. 10.

Calvus eques capiti solitus religare capillos,
Atq; alias nitido vertice ferre comas:

ridiculum populo conspiciente, caput exhibuit, adversùm flante Boreâ:

Nam mox detectâ nituit frons unda galero,
Discolor apposita quæ fuit ante coma.

Ubi videmus Galerum quandoque pro Galericulo sumi. Sed & in discursionibus nocturnis atque ad dissimulandam personam sæpe sumebatur. Unde Juvenalis de Messalina lupanar subeunte,

Sed nigrum flavo caput abscondente galero.

In quæ verba Ferrarius: *Messalinam*, inquit, *cùm nigris capillis esset, flavum galerum sumsisse, sive ne dignosceretur, sive ut formosior amantibus videretur.* Hinc rotundum muliebre capitis tegumentum, in modum galeæ factum, quo meretrices uti solitæ, interpretatur hanc vocem vetus Scholiastes. Tertullianus de cultu fem. cap. 7. *Affigitis præterea nescio quas enormitates sutilium capillamentorum, nunc in galeri modum, quasi vaginam capitis & operculum verticis, nunc in cervicem retro suggestum.* Et mox, *si non pudet enormitatis, pudeat inquinamenti, ne exuvias alieni capitis, forsitan immundi, forsan nocentis & gehennæ destinati, sancto & Christiano capiti suppares.* V. quoque Adr. Junium de Coma cap. 7. Aliàs etiam ad capillos ab inquinatione, vel ut Plautus loquitur, collutulatione per unguenta, defendendos, adhibitum esse Galericulum, discimus ex Martiali lib. 12. Epigr. 50.

Ne lutet immundum nitidas ceroma capillos,
Hac poteris madidas condere pelle comas &c.

Hodiè Perruque dicitur, scitèque prisco illi Laconi definitur, Mendacium in capite. V. Octav. Ferrarium de Re Vestiaria part. 2. lib. 1. cap. 20. & Anselmum Solerium de Pileo, sect. 3. De galericulis v. scenicarum personarum, albis nigrisque, J. C. Scaligerum Poët. lib. 1. cap. 13.

Galerus, & *um*, & *ium*, à galeæ similitudine nomen habet, plerumque significat, ex pelle cæsæ hostiæ factum, Isidor. Vet. Diction. Galerium pileus ex corio; ita propriè esset γαλερῖν, ex pelle γαλῆς, id est, felis. Gloss. Isidor. *Galeria pileum pastorale, quod de junco fit*, V. Martialem. E junco antiquitus materiam fuisse, tradit Auctor vett. Glossarum, quæ & pileum pastoralem exponunt, nim. lato margine ob umbram, unde Umbellam quoque nonnulli dixerunt. Albricus de Imagin. Deorum, *Galerum quoque seu umbellam capite portabat.* Quomodo Hispanis hodie omne capitis latum tegumentum Sombrero dicitur. Venatoribus idem tegminis genus Gratius tribuit Cyneget. & quidem

— Incisumq; ex mæle galerus.

Promitim autem viaticum hoc pileum Mercurio adscriptum apud Poëtas. Claudianus,

Somniferam quatiens virgam, tectusq; galero,

quia ejus præcipuè inter omnes Deos munus, tranare aërem &c. Apud Romanos Sacerdotalis propriè pileus fuit: Servius Danielis, *Suetonius tria genera pileorum dixit, quibus Sacerdotes utuntur, Apicem, Tutulum, Galerum. Sed Apicem pileum subtile, circa medium virgâ eminente: Tutulum pileum lanatum metæ figurâ: Galerum pileum ex pelle hostiæ cæsæ.* De quo tegminis genere intelligendus porro Athenæus, apud quem Larensius inquit: Πίλους ... *Pileos capitibus imponimus è pellibus ovillis densis.* Ubi argumento hoc frugalitatis Romanæ Pontifex hic utitur, quòd etiam tunc inter sacra pileis illis ovillis uterentur, prisco ritu. Lanatus autem hic Galerus fuit, id est, non corium nudum, sed cum sua lana, & ideo duris, densus, crassior dicitur. Ejusdem meminit Appulejus in Apologia ...

quod

quod Imperatoribus paludamentum, quod Pontificibus galerum. Nomen à *galea*, quòd ejus formam imitaretur, uti docet Salmasius *ad Solinum pag.* 556. unde & pro *galea* sumi videtur, apud Virgilium *Æn. lib.* 7.

—— *fulvosq́, lupi de pelle galeros*
Tegmen habet ——

Sed & pro *Galericulo* accipitur, ut visum suprà. Plura V. apud Ans. Solerium *de Pileo sect.* 11. & Phil. Rubenium *Electorum lib.* 2. *cap.* 25. quibus adde Just. Lipsium de *Militia Rom. lib.* 3. *cap.* 1. Andr. Tiraquellum *Catalog. Muliebr. Ornamentorum*, inserto *Commentariis ad l.* 3. *Connubialium*, Casp. Barthium *Commentar. ad Calpurnium Ecl.* 1. & *Adversarior. lib.* 128. *cap.* 17. Apud Recentiores insigne *Ducalis potestatis galerum esse*, cæterùm de pileo Cardinalitio rubeo vocem propriè hodie usurpari, discimus ex *Ceremoniali Rom. lib.* 1. *sect.* 8. ubi de ritibus, quibus is novo Cardinali conferatur. V. quoque *lib.* 2. & hic infrà.

Galeri variæ species.

Albogalerus, pileus erat apud Romanos solius Flaminis Dialis, *vel quòd maximus, vel quòd Jovi immolatâ hostiâ albâ fieri oportebat*, Varro.

Cardinalium *Galerus* ruber, ex Innocentii IV. Pontif. decreto iis concessus, in Conc. Lugdun. A. C. 1244. significat, secundùm Martinum Polonum, pro Ecclesia occumbendum, & cervices gladio messori subjiciendas, si necessitas postulet. Secundùm alios, participium summæ & regiæ dignitatis, quâ Pontifex sibi in Ecclesiam vindicat, indigitare solet. Jam olim enim purpura regium indumentum fuit. Utuntur eo Cardinales, tum in equestribus pompis, tum in festivis processionibus: & quidem in illis pro tegmine, in istis pro umbraculo. Antiquitus autem in Consistorio quoque & in Conciliis eum adhibebant, V. Macros Fratres *in Hierolexico*, ut & Theophilum Rainaudum *de Pileo, sect.* 13. Simili *Galero rubro*, insuperque ense, ab Innocentio III. donatum esse Regem Scotorum Wilhelmum, scribit Hector Boethus.

Episcopis peculiare capitis tegmen est, viridis *Galerus* & mitra. Sic notat Petrus Bellonius *lib.* 3. *Observ. cap.* 24. Turcis quoq; in Religionis insigne viridem tiaram placere.

de Thessalicis *Galeris*, arcendo Soli accommodatis, multa habet Hadrianus Junius *Animadvers. lib.* 1. *cap.* 6. Erant illi marginati, ac iidem cum Petaso; quales sunt galeri nostrates: Aliàs enim pilei communes marginati non erant, verùm illis similes, quibus in lecto uti solemus &c. Figuras, V. apud laudatum Solerium.

Galeus, Græcè γαλεὸς, piscis genus in varias species divisum, è quibus *galeum alopeciam*, qui Rhodi optimus, pro acipensere accepit Archestratus apud Athenæum *lib.* 7. *pinguem canem* cum Syracusanis dici, addens:

Ἐν δὲ Ῥόδῳ γαλεὸν τὸν ἀλώπεκα κἂν ἀποθνήσκειν
Μέλλῃς, ἂν μή σοι πωλεῖν ἐθέλῃ, ἅρπαξον αὐτόν,
Ὃν καλέουσι Συρακόσιοι κύνα πίονα ——

Sanè Latini *catellos* eos pisces, Græci quoque σκύλλας, σκυλλία & σκυλάκια vocarunt. Sed acipenser minor galeis, ac porrectiore rostro est, uti habes apud Athenæum *d. l.* V. plura de *galeis* apud Salmasium *ad Solinum pag.* 1316. & de acipensere, suprà. At γαλεὸς ἀστερίας, *ascalabotes* est, *notis compunctis* seu stellio, de quo V. suo loco.

Gali, herba in Guzaratæ Regno vocatur, è qua Veterum Ἰνδικὸν, quod nonnulli jam aiunt inexploratæ inventionis esse, parari solitum fuisse, ait Salmasius. Hodie certè ejus ad tincturam [illegible] ibi plurimùm celebratur. V. eum *ad Solinum pag.* 1332. & infrà, ubi de *Indico*.

Galilæa, Syriæ reg. adde: Postquam Palæstina à Saracenis erepta est à Christianis, *Galilæa* & Tiberias, in eo Regno, Dominis propriis subesse cœpit, cum tit. *Principatus*: qua de re V. aliquid infrà, in voce *Princeps*. Porrò *Galilæa*, Græcis dicta est feria tertia Paschatis. Leo Gramm. in *Constantino Porphyrog.* Καὶ τῇ τρίτῃ τοῦ Πάσχα τῇ λεγομένῃ τῆς Γαλιλαίας εὐλογηθεὶς καὶ στεφθείς, *Et tertiâ feriâ Paschatis, quæ* Galilæa *dicitur, benedictionem accipit ac coronatur.* Ubi Scylitzes nudè habet, Τῇ τρίτῃ τῆς Γαλιλαίας, *tertiâ Galilææ*; Zonaras verò, Τῇ τρίτῃ τοῦ Πάσχα, *tertiâ Paschatis*, du Fresne *Glossar.* At Filesacus *lib. de Quadrag. cap. ult.* ait, hoc nomine intelligi tertiam à Paschate hebdomadem, cui id nominis adscripserint Græci, quòd circa istud tempus ibi potissimùm post resurrectionem Discipulis sese conspiciendum præbuerit Christus. Dominicus Macer, totum tempus Paschale usque ad Ascensionem, hoc vocabulo indigitari, contendit, *in Hierolexico.* Sed & *Galilæa* locum denotabat in Æde sacra, ubi omnibus Dominicis per annum processio terminabatur; præcedente Episcopo & sequente Clero: ut innueretur, Christum post resurrectionem Discipulos suos in Galilæam præcessisse. Id. V. & Auctores hanc in rem laudatos Carolo du Fresne *in Glossar.* è quibus Rupertus Tuitiensis *de Divin. Offic. lib.* 5. *cap.* 8. *Locus ille*, inquit, *quo processionem supremâ statione terminamus, rectè à nobis* Galilæa *nuncupatur.* Ubi tamen Hemereus *de Academ. Paris.* *lib.* 7. *Galilæam* porticum interpretatur, quam Franci *Galeri* vocant. Quâ notione videtur usurpasse Hugo Flaviniacensis in *Chron. Virdun. pag.* 168. *Et defunctus, in* Galilæa *tumulari meruit*, i. in claustri porticu &c. At *Galilæi*, per contemtum, Juliano Apostatæ Christiani appellati sunt, qui nec digniori nomine Dominum nostrum honorare sustinuit. De Paulo Lucianus, *Quando autem me* Galilæus *ille convenit recalvaster, naso aquilo, qui in tertium cælum usq; per aërem ingressus est.* De Christianis Theodoretus, *Histor. Eccl. lib.* 3. *cap.* 7. *At primùm vetuit, ne* Galilæi (*sic fideli Salvatoris nostri consecratos nuncupabant*) *Poëticam, Rhetoricam ac Philosophiam discerent.* Et Chrysostomus *Orat. c. Gentes*, Galilæos *nos in edictis suis pro Christianis tum ipse appellans, tum Principes, ut idem facitarent, exhortans* &c. V. Macrum *in Hierolexico.*

Galianthias, Præti filia, apud Thebanos culta [illegible], quos sacra eius ante Herculis sacra præmisisse, docet Antonius Liberalis *cap.* 29. V. Vossium *de Idolol. lib.* 1. *cap.* 13.

Galla nigra, ad tingendas lanas aliosque usus olim adhibita, de qua V. Salmasium *ad Solinum pag.* 274. & plura de *galla* in genere, apud Plin. *lib.* 16. *cap.* 7. *toto.*

Gallensis seu *Vallensis* Joannes, Volterris natus, duodecimo anno post primam Collectionem Decretalium (quod tempus incidit in Seculi XIII. initium) Pontificum, qui Bernardum Circam (primæ Collectionis Auctorem) secutus aliquas e[illegible] Decretales & Rescripta ex Gilberti & Alani collectionibus congessit: quibus etiam Cœlestini III. addidit & Scholiis suis illustravit. His postea Hugo Episc. Ferrar. ab Innocentio III. sæpe relatus & Bernardus Maior Compostell. Archidiac. suas interpretationes addiderunt. Sed & Anton. Augustinus se insuper Vincentii, Tancredi, Alani, Laurentii, aliorum, non pauca etiam sine nomine Scholia, in secundam hanc compilationem, vidisse testatur, eaque ejusdem Joannis Gallensis esse censet. *Præfat. Collect. antiq. decret.* Edita est quoque eadem Compilatio ab Anton. Augustino modò dicto, inter antiquas Decretalium collectiones, Gerhardus von Mastricht *Histor. Juris Eccles. num.* 348.

Galleti, apud Henr. Knygthonum *A. C.* 1342. *in quarum prima (acie) fuit Dominus Galfridus Chamis cum multis* Galletis, *qui statim victi sunt ab Anglis*: sunt *Gallenses*, quos *Galois* vocat Froissardus *volum.* 1. *cap.* 121. & alibi passim, quique Gallis contra Anglos semper militarunt. Eorum virtutem bellicam extollit *Chronicon* Bertrandi Guesclini MS. An quòd ita nuncupari ambirent viri nobiles, qui in Galliam, pro Gallensibus militandi causâ expeditionem susceperant? V. Duchenium *in Histor. Montmorenciaca*, laudatum Car. du Fresne *in Glossar.*

Galli, Sacerdotes; adde: Alii dictos eos volunt à *Gallo* quodam, qui primus Cybeles fuerit sacerdos. Quare autem se ipsos castraverint, hæc causâ perhibetur: Cùm Dea Cybele puerum Phrygem formosissimum Atyn nomine, suis sacris eâ lege præfecisset, ut perpetuo castitatem servaret, is haud diu pòst Sangaritidem Nympham compressit: Quare ab irata Dea in furorem actus, cùm Dindyma venisset, manusque sibi afferre conaretur, miseratione Deæ, furore utcunque liberatus, à se interficiendo quidem abstinuit, virilitatem tamen sibi amputavit, è quo tempore castratis Sacerdotibus Dea gavisa dicitur, qua de re prolixum extat Catulli carmen. De iis ita Apulejus *Milesiar. lib.* 8. *Diu capite demisso cervices lubricis intorquentes motibus, crinesq́; pendulos rotantes in circulum & nonnunquam suos in se morsibus musculos, ad postremum ancipiti ferro, quod gerebant, sua quisq́; brachia dissecant.* Totum itaque *caput torquere, crinem rotare, ac pariq́; circumagere* solebant hi seu Curetes, seu Corybantes seu *Galli.* Turnebus *in Eumenid*

—— *Tibi nunc semiviri teretem comam*
Volantes jactant Galli.

Unde *Gallantes*, Varroni dicuntur homines insani ac furiosi, ab his matris Deûm *Gallis*. Æra porro illis tympana & buxus, ut Valere est suprà in vocibus, *Corybantes, Curetes, Cybele* &c. Sil. Italic. *lib.* 17.

Circum arguta cavis tinnitibus æra, simulq́;
Certabant rauca resonantia tympana pulsu,
Semiviriq́; chori.

Eosdem *Idæos Dactylos* quoque & *Lares* nominatos reperias, quibus qui præerat, *Archigalli* nomine insignis, in omnes eos summum habebat imperium. Meminit ejus Tertullianus *Apologet. c. gent. cap.* 24. cùm ait: *Archigallus ille sanctissimus, die* 9. *Kal. Apriles, quo sanguinem impurum, lacertos quoq́; castrando libabat, pro salute Imp. Marci jam interemti, solita æquè imperia mandavit.* Hic primus cymbala prælata in illis sacris pulsabat. Juvenalis *Sat.* 9. *versu* 62.

Cymbala pulsantis legatum fiet amici.

Ubi vetus Schol. *Archigallum* indigitari vult: sicque videtur intelligendus Claudianus *in Eutrop. lib.* 1.

Cymbala ferre licet, pectusq́; illidere pinu,
Inguinis & reliquum Phrygiis abscindere cultris &c.

Veterum aliquot marmorum inscriptiones, ubi *Archigalli* mentio, collegere Lilius Gyraldus *Syntagm.* 4. *Hist. Deorum* & Onuphrius Panvinius. De iisdem *Gallis* non omittendus Dionysius *lib.* 2. ubi, *Romæ*, inquit, *nulla peregrina sacra sunt recepta publicè: sed etiam si qua [illegible] introducta sunt, fuo*

more

[illegible] tolluntur à civibus, abdicatis fabularum miraculis, sicut in matris Ideæ sacris fit. Prætores enim quotannis Romano ritu victimas ei cædunt & ludos faciunt: sacerdotio verò ejus funguntur Phryges, vir & mulier, eamq; vicatim circumferunt more suo circulatorio, pectora plangentes ad cantum tibiarum tympanorumq; sonitum. Ingenuus autem Romanus nemo est mitriacus, nec oberrat ad Phrygios modulos indutus synthesin, neq; ex decreto Senatus initiatur magnæ Matris orgiis. Recepta verò fuisse Cybeleja in urbem sacra, missosque Pessinuntem, qui Deam arcesserent, docet Livius *Dec. 3. lib. 9.* Sueton. *in Tiberio cap. 2.* Strabo *Geogr. lib* 10. &c. Adda m & hoc, solis hisce Sacerdotibus stipem colligere fuisse permissum, cùm cæteris id prohibitum esset. Unde Cicer. *de LL. lib. 2. Præter Ideæ matris famulos eosq; justis diebus, ne quis stipem petito.* Et paulo pòst interpretans hanc legem: *Stipem*, inquit, *sustulimus, nisi eam quam ad paucos dies propriam Ideæ matris excepimus. Implet enim superstitione animos.* Plura vide, præter Auctores suprà passim memoratos, apud Joh. Rosinum *Antiquit. Rom. lib. 2. cap. 5. lib. 4. cap. 27. alibi*, Thom. Godvvynum *Anthol. Rom. lib. 2. sect. 2. cap. 14.* &c. ut & infrà in voce *Metragyrta.* De ementito verò eorũ furore & ficta vaticinatione ac *gallandi* modo, V. inprimis *octavam* Appuleji *Milesiam*, ut & aliquid infrà, ubi de *Halicaccabo.* Sed & Murmillones antea *Gallos* vocatos esse, quòd genere armaturæ Gallico uterentur, notat Festus: quemadmodum *Samnites* gladiatores ab eadem causâ dicti sunt, quod Samnitum ornatu essent armati, Salmasius *ad Solinum pag. 39.*

Gallica, auctore A. Gellio *lib. 13. cap. 21. verbum novum, non diu ante ætatem M. Ciceronis usurpari cœptum*: genus quoddam calceamenti fuit, pedibus muniendis institutum, viatorium potiùs, quàm urbanum. Unde ejus usum intra urbem in Antonio damnavit Cicero, & in discipulis suis Castritius Rhetor, quos *Gallicis* calceatos per urbis vias incedere nequaquam decorum judicavit, apud præfatum Gellium. Nisi fortè in loco illo Gellii pro *Gallicis*, potiùs *Caligis* legendum. Gallorum fuisse proprium calceamentum, ipsa vox sonat; atque inde in Latium & Italiam delatum. Quibusdam id calcei genus videtur, quod hodieque Galli vocant *Galloches*, & pedes à frigore atque humore defendit. Verùm si Veterum *Gallicæ* soleis & crepidis fuere similes, ut ex Gellio discimus, multùm sanè quoad formam abiere ab hodiernis *Gallicis*, quæ superiorem etiam pedum partem operiunt, cùm illæ, solearum ac crepidarum instar, partem eam nudam apertamque relinquerent. Interim id inter *Gallicas* crepidasque discriminis statuit Balduinus, quòd *Gallicarum* soleæ olim, ut & nunc, è ligno fuerunt, crepidarum verò duplici triplicique corio simul compacto constiterint: atque harum imaginem hodieque adhuc apparere, in Capucinorum soleis, illarum in Fulliensium sandaliis exstare, V. ipsius *Calceum Antiq. cap.* 14. Jul. Nigronius *Gallicam* cum caliga eandem facit, aut certè, Reipublicæ primorumque Imperatorum ævo, tam exiguum inter utrumque hoc calceamenti genus discrimen agnoscit, quàm inter voces ipsas cernitur, quod fere nullum est: proinde alteram pro altera promiscuè usurpari, *lib. de Caliga c. 2.* ait. Cui assentiens Heribertus *in Onom. Nescio*, inquit, *an promiscuè* Gallica *pro caliga accipiendum.* Sed aliud quid fuisse *Gallicam*, saltem recentiori ævo, videtur colligi posse, ex Tertulliano *Carm. ad Senatorem cap. 2.*

— — *Caligaq; remotâ*
Gallica *sis pedibus molli redimitus papyro.*

Ubi indigitatur, Senatorem illum cum religione mutasse calceos, & caligâ spretâ, quâ hactenus usus fuerat, *Gallicam* induisse. Diminut. *Gallicula*: unde ad verba Auctoris ad Herennium, *pedibus soleæ lineæ inductæ sunt*, ait Dempsterus, Viros doctos observasse, *Gallicula* hosce calceos propriè nominari. Gloss. vet. *σανδάλιον, Gallicula* &c.

Gallicanus ex Consulibus, apud Jul. Capitolinum *in Gordiano III. Post hæc veterani ad Curiam venerunt — Ex quibus duo ingressi Capitolium, quum illic Senatus ageretur, ante ipsam aram à* Gallicano *ex Consulibus & Mæcenate ex Ducibus, interemti sunt:* Græcè Ὑπατικὸς, h. e. *ex Consule*, sive *Vir Consularis*; sicut Mæcenas *ex Ducibus*, id est, *qui Dux fuerat.* Utrique hi à Populo occisi sunt postea, apud eundem *in Maximinis.*

Gallicinium, ἡ ἀλεκτοροφωνία, Marci *cap. 13. v. 35.* tempus est antelucanum, quo matutina avis, gallus, cantu suo ad laborem homines excitat: & quidem propriè medium inter *μεσονύκτιον* & manè, ut definit Evangelista: *Mediâ nocte*, gallicinio *aut manè.* Unde Censorinus, partes diei enumerans, *cap. 19. Gallicinium, inter mediam noctem, & conticinium*, medio loco enumerat. Neque aliter Macrobius *Saturnal. lib. 1. cap. 3.* Et *Glossæ* vett. *Conticinium, ὁ μεταξὺ ἀλεκτοροφωνίας χρόνος, tempus, quod est inter gallicinia*: ubi plurali numero dicuntur, quia plura sunt. Gallus enim à media nocte canere incipit. Deinde medio inter *μεσονύκτιον* & auroram spatio rursus canit, quem proin cantum multi *secundum* vocant. Aristophanes Ἐκκλησιαζ.

Οὐδ' ἂν μὰ Δία νῦν ἦλθες, ὅτε τὸ δεύτερον
Ἀλεκτρυὼν ἐφθέγγετο — —
Neq; per Jovem, si tum venisset, cùm secundò
Gallus canebat.

Unde Adagium vetus, apud Parœmiographos, de quo multa Erasmus, Πρὶν ἢ τὸ δεύτερον ἀλεκτρυὼν ἐφθέγξατο, *Prius quàm gallus secundò canat*, i. *summo manè.* V. quoque Synesium *Epist.* 4. Melam *lib.* 1. *cap.* 10. Plinium *lib.* 10. *cap.* 22. &c. è quibus liquet, *secundum* illud *gallicinium* & quartam vigiliam, idem esse. Quamvis autem profundâ nocte bis galli canant, tamen cùm aliquid factum legitur *Gallicinii tempore*, absque numeri adjectione, semper posterius intelligitur, quod sic κατ' ἐξοχὴν vocatur, aut quia tunc galli acriùs & alacriùs canunt: aut quia posterior ille cantus hominibus est utilior, cùm ad diurnos labores eos excitet: aut denique, quia prioris gallicinii tempus alio designatur nomine; vocatur enim *μεσονύκτιον, medinoctium.* Itaque non solùm Marcus Evangelista, sed & Censorinus ac Macrobius *gallicinium*, inter mediam noctem & manè interponunt, ut vidimus: unde facilis conciliatio, inter Marcum & reliquos Evangelistas, circa designationem temporis, quo Christum Petrus ter abnegaturus erat. Nam juxta Marcum Christus Petro prædixit fore, ut ter abnegaret, πρὶν ἢ δὶς ἀλέκτορα φωνῆσαι, *antequam Gallus bis cantasset*; & verò, cùm cecinisset post primam abnegationem, post tertiam, ἐκ δευτέρου ἀλέκτωρ ἐφώνησε, *rursus cantavit gallus*, *cap. 14. vers.* 30, 68, 69, 70, 71. At in aliis non cantat gallus, ante tertiam abnegationem, Matthæi *cap. 26. vers.* 34. Lucæ *cap. 22. vers.* 34. & Joannis *cap. 13. vers. 38.* Quæ sic conciliantur, ut Petrum primò negasse statuamus circa mediam noctem, & tum gallum primò cecinisse; at tertiò negasse, circa quartam vigiliam, vel circa illud tempus, quod *Gallicinium* solet dici & gallum tum temporis iterum cantasse. Quo posito, hæc Christi verba, *Non cantabit gallus*, aut *priùs quàm cantet gallus*, idem erunt, ac si dixisset, *ante tempus gallicinii*, vel *Non cantabit gallus solenni illo cantu, à quo tempus, quo canit, ἀλεκτοροφωνία dicitur, priùs quam ter me negaveris* &c. V. hac de re multis eruditè disputantem Sam. Bochartum *Hierozoici Parte prior. lib. I. cap. 17.*

Gallicus Rutilius, Præfectus Urbi, carmine Papinii Statii, quod inscripsit, *Soteria pro Rutilio Gallico*, celebris est. V. Poëtam hunc *lib. 1. Sylv. 4.* cum *Animadversionibus* Caspari Barthii.

Galliena, consobrina Gallieni Imp. memoratur Trebellio Pollioni *in Celso, occupatis partibus Gallicanis, Orientalibus — Afri quoq; — Celsum Imperatorem appellarunt — Quare creatus per quandam mulierem*, Gallienam *nomine, consobrinam Gallieni, septimo Imperii die, interemtus est.*

Gallina, Græcè ὄρνις, quæ vox *avem* in genere significabat, apud Græcos vetustiores, Homerum & Hesiodum; Platonis ævo usurpari cœpit pro genere gallinaceo & per aliquot secula tam ad gallum, quàm ad gallinam, pertinuit: donec obtinuit usus, ut *gallinæ* nomen maneret proprium. Unde factum, ut Levitici *cap. 14. vers. 4.* ubi leprosus, qui mundatus est, Deo jubetur offerre δύο ὀρνίθια ζῶντα καθαρὰ, Origenes & alii *duas gallinas* intellexerint: non attendentes, illud καθαρὰ à Græcis additum, quod frustra fuisset, cùm omnis *gallina* ex lege esset munda. Arabibus *mater congregationis*, ut cui proprium est, quod non solùm ovis incubat, sed & pullos jam editos sub alis congregat, ut materno calore foveantur & vegetentur: cujus φιλοστοργίας illustre exemplum ex Alpheo Mitylenæo habes *Antholog. lib. I. cap. 87.* Hinc apud Euripidem *Hercule furente*, Megara de liberis, quos ex Hercule habuerat, solicita, eos sub alis servare se dictitat, ut pullos incubans gallina. Verba sunt,

Οἱ δ' Ἡρακλέους παῖδες, οὓς ὑπὸ πτέρυξ
Σώζω νεοσσοὺς, ὄρνις ὡς ὑποστάσα.
Et quos sub alis servo natos Herculis,
Pullis ut incubare gallina *assolet.*

Quæ simillima verbis Domini nostri, quibus in Evangelio suam φιλοστοργίαν, cum gallinæ, pullos suos summo studio ad se allicientis, ut ab imminente milvo sartos tectos sub alis tueatur, φιλοστοργίᾳ confert, Matth. *cap. 23. versu* 37. Cæterùm *Gallina*, inter avium, humano esui aptarum, præcipua genera, memoratur Galeno, *de Aliment. facult. lib. 3. cap. 19.* unde etiam Romani solas *Gallinas* vel columbas in aviariis habuerunt; illas in plano, has in sublimi, ut apud Varronem videre est, *de R. R. lib. 3. cap. 3.* Cibus namque parabilis ac facilis appetitu: solùm opus, quia durior recèns occisæ caro, ut coquatur cum lapathi sive rumicis herba, vel viva immergatur Falerno, uti Catius Epicureus Insuber, Tullio semel iterum memoratus, apud Horatium præcipit *lib. 2. Sat. 4.*

Si vespertinus subitò te oppresserit hospes,
Ne Gallina *malùm responset dura palato,*
Doctus eris vivam misto mersare Falerno,
Hoc teneram faciet —

Saginare verò illas Deliaci cœpere, ut Plinius ait *lib. 10. c. 1.* Erant verò hi Gallinarii Mercatores, de quibus suprà, in voce *Deliaci.* Quàm verò Romani vett. has delitias refugerint, docet idem Plinius, cùm *l. c.* ait; *Interdictum lege C. Fannii Cos. XI. annis ante tertium Punicum bellum, ne quid poneretur volucrum, præter unam gallinam, quæ non esset altilis: quod deinde caput per omnes leges ambula-*

 vit,

vit : inventumq́; diverticulum, in fraudem aurium, gallinaceos quoq; pascendi lacte madidis cibis. Earum atq; caponum cerebella in delitiis fuere multis; lurconibus inprimis, qui omnia raritate ac sapore æstimant. Unde & in Vitellii patina, de qua *in vita ejus* Tranquill*, etiam phasianorum ac pavonum, cerebella fuere. Et Heliogabalus, cerebellorum ergò, sexcenta struthiocamelorum capita convivis apposuisse legitur. Cristas *Gallinarum*, cum palmis anserinorum pedum tostis, condire, docuit Messallæ Oratoris filius, ut est apud Plinium *lib.* 10. *c.* 21. Pullos *Gallinaceos*, non sanos modò, sed etiam ægros mirè juvare, docet Simeon Sethi voce Ὀρνίθια. Item Ὀρνιθόπωλα, ubi quidem M. Fabius Calvus, ὀρνιθόπωλα putavit esse *trunculos, & pedes Gallinarum* : quo nomine à Lil. Gyraldo in Simeonis tralatione reprehendi meruit. Omnino enim ὀρνιθόπωλον est *pullus gallinaceus*. ὄρνιθες namq; per excellentiam, item ὄρνιθαι, *Gallinæ* Græcis dici meruerunt : quiq; Latinis *pulli*, hi posterioribus Græcis πουλλοι, ut Demetrio Constantinop. *Hieracosophii lib.* 1. *c.* 42. qui & *lib.* 2. *c.* 27. sic vocem usurpat : non generatim pro *ave*, quod vir quidam doctus putabat. Itidem Constantino Asynkio *in Vlasico*, ubi ait, Καὶ ὀρνιθοπουλίτζια καὶ πέρδικας, καὶ ὅμοια : interpretari oportet, *& gallinaceos pullos & perdices similiaq;*, non & *avium pullos*, ut generatim nimis exposuit idem longe doctissimus vir. V. Gerh. Jo. Vossium *de Idolol. lib.* 3. *c.* 91. Britannis tamen olim nefas habitum leporem, *gallinam* aut anserem gustare, aluisse tamen voluptatis gratiâ, docet Sabellicus *lib.* 6. *Enneade* 6. De usu *gallinarum* in sacris, sic Plin. *lib.* 10. *cap.* 56. *Ad rem divinam, luteo rostro pedibusq́; puræ non videntur : ad opertanea sacra, nigræ.* Ubi intellige sacra, quæ Opi fiebant in abdito, ne prophanorum oculis polluerentur, & *secinsa* quoque vocabantur, teste Dalechampio. Quòd verò idem illis pietatem in Deos tribuit *lib. eod. c.* 42. *Gallinis & religio inest. Inhorrescunt edito ovo, excutiuntq́; sese, & circumactæ purificant, ac festucâ aliqua sese & ova lustrant* : refellitur à Vossio *de Idolol. lib.* 3. *cap.* 83. ubi αἰτιολογίαν hujus, ut Plut. *Symposiac. lib.* 7. *Probl.* 2. appellat, physicam rationem eruditè exponit. Cæterùm *Gallinarum* tria genera Varroni *de R. R. lib.* 3. *Villaticæ, Rusticæ* & *Africanæ*, quæ alias *Numidicæ*, vulgò *gallinæ Guineæ* Gallis, Græcis olim *Meleagrides* dicebantur, quòd aliud nomen non haberent. Præter quas, *Gallinæ Medicæ*, ex genere quidem communi, sed generoso & magnitudinis non vulgaris, ad seminium præcipuè expetitæ & *Melicæ* vett. Romanis dictæ, celebres fuere, de quibus omnibus V. Salmasium *ad Solinum pag.* 871. & *seqq.* ut & hic passim : Bochartum *Hieroz. Part. poster. lib.* 1. *cap.* 18 19. &c. de *Gallina* verò candida Liviæ, præter Suetonium, Plinium adi *lib* 15. *cap. ult.* uti de *gallinarum* aliarumque avium Fartoribus ac Altiliariis plura, infrà ubi de Vett. *Saginandi arte* : de ratione verò eorundem ex *gallinarum pullis* divinandi, ubi de *Pullis*. At de *gallina*, sideribus illatâ, ab Interprete Chaldæo Jobi *c.* 38 *vers.* 32. diximus suprà, voce *Ferculum*, ψευδερμηνεία loci ex Bocharto ostensâ : quemadmodum inter idola populorum, quos ex Assyria in Judæam Salmanasser transtulit, *gallinam cum pullis* fuisse, voce *Succoth Benoth* indigitatam, 2. Regum *cap.* 17. *vers.* 30. malè Talmudicos asserere, dicemus suo loco.

Gallinago, Hebr. קרא *Kore*, 1. Sam. *cap.* 26. *vers.* 20. & Jerem. *cap.* 17. *vers.* 11. à nomine *Kora*, quod *palum acutum* notat, è quo fiunt sepes, Græcis σκολόπαξ, Plinio & Martiali *rusticula* & *rustica perdix*, Germanis *sneppe*, & Gallis *becasse*, à magnitudine rostri, unde Hebræum & Græcum nomen eidem inditum : avis est columbâ minor, edulis; imò in delitiis, longo rostro, vocem in guttore reciprocans, breves habens pedes, dorsum varium, pluviæ prænuntia, ac proin apud Arabes boni ominis esse credita, in Arabia, Ægyptoque inprimis frequens. In montanis degere amat, teste Bellonio, qui in Alpibus & Pyrenæis, ac in celsissimis Helvetiæ, Sabaudiæ atque Arverniæ montibus, æstate versari scribit. Unde Saulem *se velut avem* Kore *in montibus persequi*, queritur David *d. l.* &c. V Bochartum *Hieroz. Parte poster. lib.* 1. *cap.* 12. & plura infrà, voce *Rusticula*.

Gallonius Avitus, Legatus Thraciarum, ad quem Aureliani Aug. *Epistolam* habes, apud Flavium Vopiscum, in *Bonoso*.

Gallus, παρὰ τὸ κείρεσθαι, Isidoro, aliis à castratione vocatus, quòd tales erant *Galli*, Cybeles Sacerdotes; vel, quòd cristam habent in capite, *galeæ* similem : notæ pugnacitatis avis domestica, è Perside primùm in alias regiones pervenit, teste Athenæo *Dipnosophist. lib.* 4. *cap.* 29. nec magni solùm usus in auguriis fuit, de quo infrà, ut & in voce *Pullarii* : sed etiam Marti sacer, imò apud Syros olim divinos honores meruit, teste Luciano *lib.* 16. *de Dea Syra*. Hinc eorum cantus inter optimi eventus signa numerata Auguribus : & in Onirocritice seditiones ac pugnas denotare crediti sunt. Certè pugnax, ut dictum, animal est *regnumq́;, in quacunq; est domo, exercet. Item in victoria canit triumphum, seq; ipse principem testatur superbo incessu, arduâ cervice, cristis celsus, ac veluti radiatâ coronâ insignis*, Plin. *lib.* 10. *cap.* 21. A' qua tiara etiam seu crista recta capitis, absolutè dicebatur Græcis, Μῆδος, quamvis non esset Medici generis, & Περσικὸς ὄρνις, *Avis Persica*, Salmasius *ad Solinum pag.* 872. V. quoque infrà in voce *Tiara*. Hinc *gallum* antiquitas cassidi Minervæ imposuit, cujus proin conus propriè ἀλεκτρυὼν appellatus est, teste Pausania *lib.* 6. Plutarchus quoque tradit, Cari illi, qui Cyrum vulneraverat, Artaxerxem inter alia facultatem & jus gestandi *aurei galli* super lancea, ante ordines, concessisse, in *Vita* ejus : additque, Persas Caribus indidisse *gallorum* nomen, propter cristas ex avis hujus pennis, quibus galearum summitates ornare sunt soliti. Quemadmodum hodieque effigies ejus aspicitur non rarò coronæ comes. C. Paschalius *Coronar. lib.* 10. *cap.* 16. Ob eandem causam, sequiori ævo in fines hosticos, à bellum indicentibus, immitti solitum, observat C. Barthius *ad Statium Thebaid. lib.* 4. *vers.* 6. Quo facit porro, quòd culeo cum parricida sequentibus temporibus *gallum* canemq; includi voluit Constantinus Imp. cùm antea jam simia, & ante simiam serpens ei comes additus esset, Conr. Rittershusius apud Dempsterum *Paralipom. in Joh. Rosini Antiqq. lib.* 8. *capp.* 24. 26. 29. & 34. Quodq; Laertius *lib.* 2. gallinaceus tonsoris Midæ adversis Calliæ pennis ac rostro, spectante Socrate, pugnasse refert. Imò erat publicum Athenis certamen, ubi in theatro committebantur, ex lege : Ἀλεκτρυόνας ἀγωνίζεσθαι δημοσίᾳ ἐν τῷ θεάτρῳ μίαν ἡμέραν τοῦ ἔτους, *Galli gallinacei publicè committuntur in Theatro, uno quotannis die.* Meminit legis Ælianus *Var. lib.* 2. *cap.* 28. Convocabatur itaque populus, in his juvenes præcipuè, ad spectandum : at prius Lanistæ, quos avium vocat Columella, *Gallos* condocefaciebant ad pugnam, ut liquet ex Æschine ἐν τῷ κατὰ Τιμάρχου, & Platone *de Legibus lib.* 7. Erantque hi ludi Lanistarum in Sciro; nam fuisse ἐν τῷ Κυβείῳ testis est modo memoratus Æschines : at verò τὸ Κυβεῖον in Sciro erat : ἐν τῷ Σκίρῳ διέτριβον οἱ κυβευταί, inquiunt veteres Magistri. Pugna autem & commissio *Gallorum* fiebat in pegmate quadrangulari, victoremque victor sequebatur. Hinc Aristophanes *Avibus*,

ΘΕ. Ὄρνις ἔγωγε δοῦλος. Ευ. ἐνίκησε δέ
Ἀλεκτρυών.

Ubi Græcus Interpres, φυσικὸν, inquit, τοῦτο ἐν ταῖς συμβολαῖς τῶν ἀλεκτρυόνων, τοὺς ἡττηθέντας ἕπεσθαι τοῖς νενικηκόσι, *naturale hoc est in pugnis gallorum, ut victus victorem sequatur.* Lata hæc lex post bellum Persicum, teste præfato Æliano, & causam præbuit gallinaceorum pugna, quæ Atheniensibus, cùm, Duce Themistocle, arma inferrent Barbaris, oblata est : Fuit quippe illis exemplo ac incitamento ad fortitudinem, quod imitari quoque posteros voluere, ut fortiter agerent, fortiter paterentur : atque in hunc finem laudat & probat id Solon apud Lucianum περὶ Γυμνασίων. Sed & Pergamenis idem spectaculum quotannis publicè exhibitum docet Vossius *de Idolol. lib* 3. *cap.* 80. Etiam Romanis in usu hoc delectationis genus, si non publicè, privatim saltem, fuisse, constat ex Plutarcho *in Antonio* : Πολλάκις δὲ συμβαλλόντων ἀλεκτρυόνας, πολλάκις δὲ μαχίμους ὄρτυγας, ἐνίκων οἱ Καίσαρος, *Sæpius autem commissis gallis, sæpius pugnacibus coturnicibus, victores fuere Cæsaris.* Quo pacto Fr. Mendozam Ducem Hispanum celebrem, belli eventum inter Principem Mauritium & Archiducem Albertum fluctuantis auguratum fuisse, in Historia Belgica legimus : Is enim, prælio ad Nauportum, sub initium hujus seculi, à Mauritio captus, ut tædium custodiæ leniret, certamen duorum gallorum, quos Alberti ac Mauritii nominibus insigniverat, instituit, cumque Mauritius prævaleret, utrumque inclusum & saginatum per dies aliquot, rursus mutatis nominibus commisit, ubi qui sub Alberti nomine priùs victus fuerat, Mauritii nomine imposito, victor evasit. Reidanus *Annal. lib.* 18. In Anglia verò hodieq; publicâ solennitate, nonminùs ac Athenis olim, sponsionibus insuper ingentibus, ac dignâ spectaculo coronâ, pugnacis hujus alitis prælia visuntur. Qua de re noti hendecasyllabi Joh. Barclaji *Poem. lib.* 2. quibus titulus : *Pugna Gallorum gallinaceorum, cui Rex interfuit*, quod carmen, cùm prolixum satis, ea saltem quæ ad locum certaminis & apparatum athletarum horum spectant, adpono :

Est parvus locus editus columnis,
Ductus artifici manu in caparem
Et certaminis & cruoris orbem,
Sævis area bellicosa Gallis.
Non illic bibulam ingerunt arenam,
Quæ tot vulnera, sanguinemq́; celet.
Flava stramine textiliq; nodo
Arcta, huic aptiùs inuitere campo,
Qui vestigia nec profunda tardet,
Nec cursus malè fallat incitatos.
Circum (nam populi hic graves locantur)
Ascendunt gradibus theatra curvis.
Quò postquam vario corona discors
Consedit studio, & Diis vocatis
Ritè quisq; suæ est avi precatus,
Galli *de gemina eruti latebra,*
Tum luce horridulum intuentur hostem.
Scires ex habitu diu eruditos
Athletas solito intraire campo,
Nam cristæ decus & genas rubentes,
Doctâ forcipe perdidere cauti,
Ne quid figere rostra possit hostis,
Et prædam nimio obtinere morsu.
Falcatæ quoq; nulla pompa caudæ,
Ne certamine rupta sub calenti
Sit fallax mora cruribus &c.

Sic

Sic autem pugnaturis animos faciebant Veteres ab allii esu: unde *ἐσκοροδισμένος*, pro *forti* & *animoso*, ipsique *σκοροδιαλοι* inde dicti, quam vocem Petronius Latio intulit, pro *audaci*, uti discimus ex Salmasio eodem *ad Solinum pag.* 1186. Plura de hac gallinacea palæstra, V. apud Sam. Petitum *Comm. in LL. Atticas lib.* 1. *tit.* 1. *pag.* 84. Atque hæc *galli* pugnacitas porro causa, cur Idomeneo pro insigni placuerit, cujus statuam cum scuto sic Olympiæ spectatam olim, Pausanias *tradit lib.* 5. nec alia Marti victima gratior fuerit habita, apud Lacedæmonios, quos si Dux fortiter dimicasset, magnaque hostium clade vicisset, hac victimâ litare victorem voluisse, refert Alexander Neapol. *Genial. Dier lib.* 1. *cap.* 22. Cœterùm ut frater amatus à Pythagora *gallus candidus*, teste Plut. in *Numa*, à sectatoribus ejus pro Numine quoque habitus est, ut idem habet *Sympos. lib.* 4. *quæst.* 5. Ipse apud alios Æsculapio, Solique sacer: & Veteribus ad superstitionem non unam adhibitus. Inter quos *Alectryomantia*, h. e. *divinatione è gallis*, cùm Jamblichum scrutatum esse, de Imperatore futuro, Valens Cæsar rescivisset, foveam ipsi ante obitum parasse, & omnes conscios aut suspectos necavisse legitur, apud Socratem *Histor. Eccl. lib.* 4. *cap.* 19. Sozomenum *lib.* 6. *c.* 35. Nicephorum, Zonaram, Alios. Imò ad infernalia sacra Gentilium, quos animis Poëtarum Regumque evocandis *gallos* mactare consuevisse, docet Æn. Gazæus *Theophrasto*, V. quoque Barthium *Commentar. Superstitionum.* De superstitione Judæorum in festo Propitiationis *gallum* mactantium alibi. Apud Christianos verò, *gallus gallinaceus*, in summis ædium fastigiis & templorum obeliscis ex ære imponitur, caudâ latiore, quam ventus, qui flat, verberans & impellens, rostrum adversus se consistere cogit, Salmasius ubi supra *pag.* 1146. tum ut flantem indicet ventum, tum præcipuè, ut imagine hac in Templorum apice excubante, moneantur Episcopi Christiani gregis, vigilandum esse pro commissis sibi ovibus: nota enim avis hujus vigilantia, de qua egregie disserentem adi Ambrosium *Hexaemeri lib.* 5. plura vero de illa V. apud Gerh. Jo. Vossium *de orig. & progr Idol. lib.* , *cap.* 80. & 86. Sam. Bochartum *Hierozoid Poster. poster. lib.* 1. *cap* 16. ubi inter alia Hebræorum nonnullos à Cuthæis, de quibus 2. Regum *c.* 17. *v.* 30. nomine *Nergal*, gallum cultum esse, asserentes, eruditè refellit, Alios. Apud Romanos, qui gallos, capos, gallinas curaret servus, *Gallinarius* dictus est, de quo V. Varronem *de R.R. lib.* 3. *cap.* 9.

Gallus Antipater, *ancilla honorum & histericorum dehonestamentum*, Pollioni *in Claudio*.

Galnabis vel *Galnape*, lana, stragulum villosum, apud Smaragdum aliosque citimæ ætatis Scriptores: an à *galbanum*, an à *gausape*, voce detortâ, C. du Fresne *Glossar.*

Galopus, Gallica vox, ex Græcorum *κάλπη*, quæ *cursum* denotat, orta: ut enim à voce *κάλπη* verbum *καλπάζειν* & *καλπᾶν*: quod est *currere*; sic Latini *calpare* dixerunt, vel *calupare*, ab eadem. Atque deinde Gallorum *galopare*, pro *currere* de equis. Differebat tamen currendi modus ille, quem Græci *κάλπην* vocant, & quem Galli appellant *galopum*. Græcorum enim *κάλπη* cursus est, quem iidem *trotum* vulgò nuncupant, qui medius est inter *galopum* & *passum*. ut loquuntur &c. Salmasius *ad Capitolinum in Maximinis*. V. suprà in voce *Calpare*.

Galumna, apud Thietfridum Epternac. *in Floribus Epitaph. SS. lib.* 3. *cap.* 4. capitis operculum est, ex Græco *καλυμμα*. Id.

Gamacha Gall. *Gamache*, pedulis lanei species, superiorem etiam pedis partem tegens: Occitanis *garamacho*. An ex *campagus*? Idem. V. ubi de *Campago*.

Gamala, vel *Gamale*, adde: à *camelo* nomen habere, refert Josephus *lib.* 4. *de Bello*, ubi ait, *Gamalon* montem & urbem *εἰκὸς ἔχειν καμήλου τὸ σχῆμα, παρ' ὃ ὠνόμασται*, *Cameli speciem habere, unde el nomen.* Camelus enim Hebr. גמל *gamal* dicitur, Bochartus.

Gamalielus Patriarcha, memoratus Marcello Empir. *cap.* 23. & Honorio *l.* 22. *Cod. Theod. de Judæis, Cælicolis & Samarit. Quoniam* Gamalielus *existimavit, se posse impunè delinquere, quòd magis esset erectus fastigio dignitatum* &c. honorariæ enim præfecturæ codicillos ab Imperatore obtinuerat; Judæorum fuit Patriarcha, ut videre est apud Salmasium *ad Vopiscum in Saturnino*: non paganorum, ut contendit Casaubonus *ad eund.*

Gambeso, cento, centunculus, *Thoracomachus*, vestimentum coactile, ex coactili lana confectum, seu, *vestimentum, quod de coactili lana ad mensuram & tutelam corporis humani conficitur, de mollibus lanis, ut hoc indutis primum lorica vel clibanus, aut his similia, fragilitatem corporis ponderis asperitate non læderent*, ut ait Anonymus *de Rebus Bell. Notitiæ Imp.* subjectus. *Subarmale* appellatum quidam volunt; nec fortè alia *Chlamys cannabina*, in *Epist.* Juliani Propræfecti prov. Britanniæ, ad Sinnium Solennem, in vet. marmore, haud pridem detecto in Bajocassibus, apud Car. du Fresne *Glossar.* Apud Roger. Hovedenum *Wambasium* dicitur, an ex Saxon. *Wamb*, i. *venter*, quasi *ventris pectorisq. tegmen*, quod Germani *Wambis* vocant. Id.

Gamelium, Græcè *Γαμήλιον*, carminis genus, idem cum Epithalamio, à voce *γάμος*, i. *nuptiæ*, vel à verbo *γαμεῖν*, i. *generare*. V. suprà ubi de *Epithalamio*. Sed &, cùm Veteribus ante nuptias sacrificare mos fuerit, sacrificium id *Γαμήλια*, aliter *προγάμεια* & *προτέλεια*, Lycophroni *γαμήλιοι θυηλαί*, dictum est; quod Junoni, Veneri & Gratiis fieri consuevisse, docet *Etymologici* Auctor, ubi tamen *ἀπαγωγὴν τῶν ἐν ταῖς φρατρίαις θυγατέρων ἐγγραφῶν, inscriptionem in album τῶν φρατέρων*, exponit, festumq; hoc ab iis, qui jam nuptiis apti erant, *ὡς μέλλοντες γαμεῖν*, civibus suis exhibitum, docet. V. Jo. Meursium *Commentar. in Lycophr.* & suprà, ubi de *Ephebis*.

Gametum, inter machinas jaculatorias, memoratur Sanuto *lib* II. *part.* 4. *cap.* 22.

Gammadium, adde: Salmasius *gammadiones* dictas esse vestes *γαμμαδίους*, h. e. *gammis* literis distinctas, docet *ad Treb. Pollionem in Claudio.* Sic Dominico Macro, *Gammadia* est vestis sacra cum figuris in forma literæ Græcæ Γ. contexta, qui Latinos olim usos esse, ex musivis & antiquis Romæ picturis: nunc in planetis uti Græcos Episcopos, tradit. V. suprà in voce *Casula*. Du Fresne, quid *Gammadium* propriè fuerit, ex Scriptoribus ægrè percipi posse, censet. Sed & *gamma* Latinis, aliter *coxa*, *versura*, *cubitus*, Græcis *ἀγκών*. dicitur in fluviis, ubi amnis à recto cursu, quem prius instituerat, deflectitur ac curvatur, Salmasius idem *ad Solinum pag.* 622. quòd viz. literæ hujus curvaturam imitetur istiusmodi aquarum flexus &c.

Gandavum, adde: Vicecomitatus Gandavensis, Meluniæ seu Melodunensi Familiæ illatus in illa aliquandiu hæsit. Cum enim stirps hæc celebris in duos abiisset ramos, genitis ex Johanne Vicecomite *de Melun* & Johanna *de Tancarville* Johanne, & Isabella *de Antoing*, Hugone: ab illo Comites *de Tancarville* & reliqui Vicecomites *de Melun*; ab hoc descenderunt Domini de *Antoing*, quibus Vicecomitatus *Gandavensis* accessit & Principes Spinoii. Et quidem Vicecomites *de Gandavo* seu de *Gand* quod attinet, Johannes *de Melun* I. Hugonis I. Dn. *d'Antoing*, ductâ Johannâ *de Abbeville*, genuit Johannem II. patrem, ex Margareta *de Sarbruck*, Hugonis Viceccom. *de Gand*: quo, & Johanna *de Horn*. filiâ Arnoldi Hermanni Dn. *de Gaesbeck*, genitus Johannes III. *de Melun Vicecomes Gandav.* ex Elisabetha V Valdeccia, filia Philippi, defuncti A. C. 1539. suscepit Maximilianum, rami hujus ultimum: obiit enim is, ex Anna *Raulin d'Emeries*, nullâ prole relictâ. V. Phil. Jac. Spenerum *Theatr. Nobil. Europ. Part.* II *pag.* 94. & *in Ind.*

Ganeo, apud Eugraphium *in Terentium*, *Helluo est in vasor, & qui plurimum consumit.* Ganeo *tabernis operam dans & conviviis turpioribus.* Vett. enim Lat. *ganea* appellabat, quas recentiores *tabernas* dixere. Donat. *in Adelph. ad illud, In ganeum aliquo: Veteres*, inquit, *ganeum meritoriam tabernam dixere, ἀπὸ τῆς γῆς τουτέστι τῆς γῆς, quòd ipsa sit in terra, non in cœnaculo superiùs*. In quo fallitur Donatus, cùm *ganeum* sit pura puta vox Græca. Namque illi *γάνεον* dicunt seu *γάνος* locum voluptuarium, in quo lætæ vitæ homines ventri & libidini vacabant. *Γάνος* enim *lætitiam* & gaudium etiam dicebant, & *γάνυμαι gaudeo*, Hesych. Unde *ganeones* homines luxuriosi ac lustris dediti, nepotes & helluones, qui Latinis *ganeones*. Sic *γάνος* & *καπηλεῖον* eundem vocat Dio *in Fragm. apud Ursinum de Heliogab.* Strabo eosdem *καταγανοῦς* vocat, h. e. *genialiter ac voluptuosè viventes* &c. V. Salmasium *ad Spartianum in Hadriano*, & suprà in voce *Copa*.

Gangavia, apud Solinum *cap.* 20. Ptolomæo *Σκάνδια*, Melæ *Codanonia lib.* 3. *cap.* 6. Plinio *Scandinavia* est, V. ibi.

Gange, urbs, adde: ad ostium *Gangis* fluv. de quo V. Salmasium *ad Solinum pag.* 994.

Ganges fluv. adde: De *capti Gangis triumpho*, pulchrè Sidonius *in Burgo Leontii*; uti *Gangeticam Bacchi victoriam ebriatis versibus desultavit Panopolitanus Pantomimus*, verba sunt C. Barthii *Animadvers. ad Statium Thebaid. lib.* 12. *vers.* 788. Hodieque sacrum Indis hunc fluvium haberi, multis docent *Itinerariorum* Scriptores, P. de Valle inprimis *Itiner. tom. IV* & Jo. Baptista Tavernier *Itiner. Ind.* Hinc *Gangites*, apud Plinium *lib.* 10. *cap.* 3. *Tribus primis & quinto generi aquilarum in fœtificatu additur nido lapis ætites, quem aliqui dixere* Gangitem, *ad multa remedia utilis, nihil igne deperdens*: Straboni *Γαγγίτης λίθος*, lapis est, quòd in *Gangis* fluminis ripa inveniatur, sic dictus; cum *gagate* minimè, quod faciunt nonnulli, confundendus, de quo V. Salmasium *ad Solinum pag.* 251 ut & suprà, in voce *Aëtites*.

Gangra, adde: Habita fuit Synodus hæc provincialis, per Osium, ex Hispania in Orientem evocatum, à Constantino Imperat. circa A.C. 319. extantque *Canones* e us numero XX. in *Codice Canonum* antiquissimo *Ecclesiæ Cathol.* uti videre est, apud Gerh. von Mastricht *Histor. Jur. Eccl. num.* 25

Ganymeda, nomen Deæ, quam, recentiori nomine *Hebe* dictam, Græcis in cupressetо Phlyasiorum arcis cultam, memorat *Corinthiacis* Pausanias. V. in voce *Hebe*.

Ganymedes, adde: Vossio qui *Ganymedem* Jupiter rapuit, Tantalus fuit Phrygiæ ac Paphlagoniæ Rex, de quo sic Eusebius, ad annum 42. Judicis Israelitici Aod sive Ehud: *Ob raptum* Ganymedis *Troji, patri ejus & Tantalo bellum exortum est, ut scribit Phanocles Poëta.* Subjicit inde: *Frustra igitur Jovis fabula & raptrit aquila confingitur.* Fuit itaque Jovis nomen generale, Regibus omnibus conveniens. Quod verò aquila Ganymedem

rapuisse dicitur, id vel celeritatem raptus indicat, vel, quod Epiphanio visum, aquila fuerit *παράσημον* navis, ut taurus ejus, quâ Europa avecta est. Quanto hic Jupiter Phrygius tempore vixerit ante bellum Trojanum, non operosum est ex rapti & raptoris stirpe cognoscere. Quippe raptus fuit frater Ili, qui Ilium condidit, filius Trois, unde *Troas* & *Troja* dicta, nepos Erichthonii, pronepos Dardani, qui interemto fratre Samothraciam fugerat, unde Cabirorum sacris expiatus in Teucriam se contulit, ac filia Teucri Bateâ ductâ, in partem regni receptus est. Ilus autem Pater fuit Laomedontis, Avus Priami, Proavus Hectoris & Alexandri sive Paridis, ut hi ab Ilo *Ganymedis* fratre, tertia distent generatione. Fuit & frater *Ganymedis* Assaracus, pater Capyos, avus Anchisæ, Æneæ proavus, ubi itidem videmus, Æneam tertiâ ab Assaraco generatione esse dissitum. Jam verò Tantalus pater fuit Pelopis, Atrei & Thyestis genitoris: Atrei filius fuit Plisthenes, hujus Agamemnon & Menelaus: ut hi quartâ distent generatione à Tantalo. Nempe Ganymedes cùm raperetur, adolescens admodum erat: raptor Tantalus generatione totâ, h. e. 30. annis vel circiter provectior; sicque Phrygius hic Jupiter 100. quasi annis ante bellum Trojanum rapuerit Ganymedem. Quæ ostendunt, memoriâ deceptum esse Ciceronem, cùm sic scribit *Tusculan. Quæst. lib. I. Nec Homerum audio, qui Ganymedem à Diis raptum ait propter formam, ut Jovi pocula ministraret, non justa causa, cur Laomedonti tanta fieret injuria. Fingebat hæc Homerus & humana ad Deos transferebat, divina mallem ad nos.* Neque enim filius fuit Laomedontis, Priami frater, ut Tullius putavit, sed filius Trois, patruus Laomedontis, Priami patruus magnus, ut ex prædictis liquet. V. Gerh. Joh. Vossium *de Idolol. lib. 1. cap.* 14 cui adde Casp. Barthium *Animadvers. ad Papinium Statium Theb. lib. 1. vers.* 548. ubi inter alia *Ganymedem*, opilionem, & è caulis raptum, Luciano *Coll. rapti cum Jove*, at raptum inter germani & amatoris manus expirasse, Mythologis & Herodiano *lib. 1.* referri, observat.

Gar Ottisch, Germ. quasi *Totus Ottonicus*, cogn. Premislai, Regis Bohemiæ, quod se Ottonis IV. Saxon. D. Philippi Suevi æmuli, partibus totum addixisset. unde vocibus inversis *Ottogarus I.* hujus nominis appellatus est; hocque cognomen ad filium & nepotem transmisit. Georg. Hornius *Orb. Imper. pag.* 126. V. in voce *Ottocarus* vel *Ottogarus*.

Garama, oppidum Garamantum clarissimum, apud Plin. *lib. 5. cap.* 5. à Lepti Magna 5400. stadiûm, seu 30. dierum intervallo distans, Ptolom. ex relatione Flacci & Materni. V. Salmasium *ad Solinum pag.* 384. & 495.

Gararius, officium Monasticum, apud Adalardum in *Statutis* antiquis Monasterii Corbejensis *lib.* 1. c. 1. Custos forte, a *garir* vel *garer*, quod olim *custodire* Gallis.

Garderoba, apud Matth. Paris. A. C. 1245. vestiarium est seu locus, in quo asservantur vestes & *robæ*. In Aula Anglicana, sic dicitur locus Clericis tantum assignatus, qui in Francia *Camera Clericorum* appellatur: ubi Chartæ regiæ asservantur ipseque Thesaurus Regius, Car. du Fresne *Glossar.*. V. infrà in voce *Roba* Hinc *Thesaurarius Garderobæ* in Anglia nomen est, cui cura expensarum Regis & familiæ ejus commissa est. Is pecuniam, jocalia & xenia Regi facta recipit, recepta Regis secreta custodit & de receptis expensas facit rationabiles &c. V. Fletam *lib. 2. cap.* 17. §. 1.

Gardingus, dignitas magnæ existimationis in Hispania, Visigothorum Regum ævo. Concilium Tolet. *De accusatis Sacerdotibus, seu etiam Optimatibus Palatii atq; Gardingis.* Vossius Palatii Custodem fuisse vult, quem Itali *Guardiano* vocant. At Garzias Loaisa Archiepiscop. Toletanus *in Collect. Concilior. Hispan.* majorem quampiam dignitatem hoc nomine indigitatam olim ait: Namque in Visigothorum *LL. lib. 2. tit. 1. l. 1.* interveniebat in condendis Statutis simul cum Sacerdotibus; & post Duces Comitesque in iisdem *lib. 9. tit. 2. l. ult.* mox collocatur: *Si majoris loci persona fuerit, id est, Dux, Comes, sive etiam Gardingus*: passimque inter hujusmodi digniores Palatii Triumviros memoratur. V. Dominicum Macrum *in Hierolex*

Garganus Sinus, à prom. cogn. dictus, *Japyx* appellatur Virgilio *Æn. lib.* 11.

— *Gargani condebat Japygis arvi*:

Sed Japygiæ sinum à Gargano distinguit Plin. *lib. 3. cap.* 11. Nempe sic dicitur, in quo Ἰαπυγία ἄκρα. *Japygia prominentia*, è cujus ore ventus Argestes rectà in Calabriam ferebatur, atque hinc à Calabris *Japyx* nominatus est. Salmasius ubi supra *pag.* 1257.

Gargarius Locus, in vet. *Inscr.* quæ incipit,

PAGANI PAGI LVCRETI QVI SVNT
FINIBVS ARELATENSIVM LOCO GARGARIO
Q. COR. M·RCELLI LIB ZOSIMO IIIIII VIR.
AVG. COL. IVL. PATERNA ARELATE OB
HONOREM EIVS QVI NOTVM FECIT
INIVRIAM NOSTRAM OMNIVM SAECVLORVM
SACRATISSIMO PRINCIPI. T.
ÆLIO ANTONINO &c.

apud Jac. Sponium *Itiner. pars.* 3. Gall. *Garguiez*, vel *S. Jean de Garguiez*, quæ ædicula S. Johanni sacra, locus est Galliæ in provincia, haud procul Arelate, in radice montis, qui à Monastio S. Balmæ nomen habet, situs: ubi præter ædem dictam unicum divertorium, idque non satis commodum. V. quoque suprà in voce *ad Calnea*.

Gargilessa, vulgò *Gargilesse*, locus Galliæ in Biturigibus Cubis; memoratus in *Litteris* Roberti R. quæ Hubaldi Virsionensis, Arnulfi Dunensis & Giraldi *de Gargilessa* mentionem faciunt, apud Hadr. Valesium in voce, *Virsio castrum*.

Gargilius Martialis, adde: Inter secundæ notæ Historicos memoratur Vopisco *in Probo*. An idem cum *Gargilio* Martiali, qui de Re Hortensi libros ediderat, memorato Servio *in Virgilium* & Palladio? Casaubonus *ad Lamprid. in Alex. Sever.*

Gargittius, canis Geryonis, boves ejus custodiens, Cerberi frater, a pecoris abactore Hercule cæsus est, Pollux *in Fabulis*. V. Albricum *in Deorum imaginibus, cap. de Hercule*, ut & in voce *Gargettus*.

Garnachia, apud Gaufredum Vosiensem, *Part. 1. pag.* 74. vestis ampla, sine manicis; Ital. *Guarnaccia*. V. C. du Fresne *Gloss.*

Garrhara, apud Petrum Antioch. *Epist. ad Cerular. corona clericalis Episcoporum*: an corruptè ex Arabico *Karac*, quod *sphæram* notat, an ex Græco, *κάρα*? Dominic. & Carolus Macri *in Hierolexico*.

Reges Suprarbiæ.

Garsias Ximenius seu *Jnnicus* I. Rex primus Suprarbiæ & Ripagorzæ, secundum Christianorum in Hispania Regnum, pulsis Mauris, constituit, circa A. C. 724. postquam Pelagius, in montibus Asturiæ, Gallæciæ & Cantabriæ primum constituisset, A. C. 716. Sedem Regni Insam opp. elegit: Pro insignibus arborem viridem habuit, & super eam crucem rubram, in croceo campo, in memoriam istiusmodi apparitionis vel visionis, quam ante prælium cum Mauris habuisse dicitur: unde & nominis *Suprarbiæ* appellatio, Rittershusius *Exeg. Gen. fol.* 66.

Garsias Innicus II. Pompejopolim cepit seu Pampelonam, quò sede Regiâ translatâ, Regnum exuto priori nomine *Regnum Navarræ*, item *Pampelonæ*, dictum est. V. Georg. Hornium *Orb. Imp. edit.* 1677. *pag.* 270. & 271.

Garum Sociorum, memoratur Plinio *lib.* 9 *cap.* 17. *M. Apicius, ad omne luxus ingenium mirus, in sociorum garo (nam ea quoque res cognomen invenit) necare eos* (mullos) *praecellens putavit, atque ex jecore eorum excogitare provocavit halecem.* Item Senecæ *Nat. Quæstion lib. 3. cap.* 17. *Alios necant in garo & condiunt vivos.* Ut rectè in Hippolyto Salviano culpet Lud. Nonius *de Re Cibar. lib. 3. cap.* 27. quòd in Plinio *l. c.* pro *necare* legere mallet *siccare*. Inventi vero ejus si quæ est gloria, ea non penès Apicium, sed Græcos fuit. Est enim Platonis Comici, apud Athenæum *lib.* 2. ubi de garo: *ἐν σαπρῷ γάρῳ βαπτίζοντες ἀποπνίξουσί με, in putrido garo submergentes suffocabunt me.* Nec satis erat sic necare, nisi vitreamini inclusus mullus moriens spectaretur: unde Seneca *loco mem. In cubili natant pisces, & sub ipsa mensa capitur, qui statim transferatur in mensam. Parum videtur recens mullus, nisi qui in convivæ manu moritur. Vitreis ollis inclusi offeruntur, & observatur morientium color, quem in multas mutationes mors luctante spiritu vertit* &c. Fiebat hoc *garum*, & quidem laudatissimum, ex eliquata sanie putrescentium scombrorum, teste Plinio *lib. 31. cap.* 7. Unde Martialis *Xen.*

Exspirantis adhuc scombri de sanguine primo
Accipe fastorum munera cara garum.

Dixere verò *Sociorum*, quia à sociis Popul. Rom. apportaretur quales Hispani, unde idem Martialis *in iisdem Ep.* 40.

Hesperius scombri temperet ova liquor.

Nimirum Carthagine novâ sive Spartariâ fiebat atque id tanti pretii, ut nullus, præter unguenta, liquor cariùs divenderetur, teste Plinio *lib. 31. cap.* 7. Odoris tamen fuisse ingrati, indicat hoc Poeta antea memorati, *lib. 7. Epigr.* 93.

Unguentum fuerat, quod onyx modo parva ferebat,
Olfecit postquam Papilus, ecce, garum *est.*

Usum ejus hodieque esse Constantinopoli, traditum est Bellonio. Quod vero Johann. Langius *in Epist. Med. lib. 1 Epist.* 11. putat, Plinium vocasse *l. 9. c. 17. garum associorum*, atq; hoc valere *asotorum*, id locum habere minimè potest. Namq; *Sociorum* etiam appellavit Seneca *Ep.* 95. *Quid illud sociorum garum pretiosam malorum piscium saniem, non credis urere salsa tabe præcordia?* Habes & apud Martialem *in Xeniis lemmate, Epigr.* 99 ubi veram lectionem retinuit Aldina: Item Ausonium *Epist* 21. *ad Paulinum.* Imò apud Galenum *de Compos. Medicam. lib.* 3 *Γάρου μέλανος Ῥωμαῖοι λεγόμενον Σοκιόρουμ, Gari nigri, quod Romani Sociorum dicunt.* Sic enim rescribit Vossius: ubi perperam in Aldina *ἰσατίων*; in Basiliensi, *ἰσατίων*. Atque hac multiplici auctoritate etiam est tele-

lore, qui *Soſiorum* reſcribunt: quaſi id nomen impoſitum ſit à Soſiorum apud Romanos familia, memorata Tullio non ſemel & Horatio. Sed ut non dubitandum, quin recta ſit ſociorum appellatio: ita haud æque apertum, an non verius *Sociorum* dicatur, quaſi ſodalium ſive cœtus ſocialis, qui gulæ causâ convenisset. Sed magis placet, quod priori loco dictum. Variam *garorum* confectionem docent Geoponica Conſtantino tributa *l.* 20. *cap. ult.* ubi legas, garum αἱματιον, i. *ſanguineum*, eſſe præſtantius: quod idem, ac *ſociorum*, eſſe videtur. Galeno in verbis allatis μέλαν, *nigrum*, dictum, quo modo & Aetius vocat *l.* 3. *Cap.* 82. Πρωτεῖον, *primarium*, nominat Paulus Ægineta. Eo autem *nigrum* & *ſanguineum* dicebatur, quoniam conficeret ex piſcium cruore, qui nigroris illius cauſa erat. V. Gerh. Johannem Voſſium *de orig. & progr. Idolol. lib.* 4. c. 26. Idem hepar & caput, in multis maximè expetita docens, hepar non ſolùm per ſe edi conſueviſſe ait, ſed etiam impoſitum oleo & *garo* cum vini paulo, inque his eousque comminui, donec ex iis ſuccus fieret unicus, *halec* dictus, in quo mulli carnes, cum edere volebant, ſoliti ſint tingere, *cap. præc.* &c.

Garumna, adde: Nomen ipſi à rapiditate, namque antiquis Gallis & nunc etiam Britonibus *Garum* rapidum ſonat. Oritur Beemanno in montibus Auræ, non procul ab urbe *Guadalup* in lat. 42. evolvitur in mare in lat. 45. oſtio ingenti, quodque difficile propter Syrtes: Unde ad Rojanum plerumque nautæ quæruntur, qui ſuo periculo naves deducant. Burdegalam uſque admittit magnæ molis navigia: haudque procul ab oſtio admittit Duranium, ad opp. Burgum, cujus influxus in magna pericula navigantes adducit. Cum hoc fluvio Atacem conjungendo Galliam ex Mari Mediterraneo in Oceanum Occ. perviam facere ſtuduit Chriſtianiſſimus Rex hodie feliciter imperans. Atque ſimiliter Sequanam poſſe conjungi cum Rhodano eoque Mari Medit. mediis Armancione & *Ouche*, ductoque alveo 3. non ampliùs leuc. monet Furnerius *lib. 6. cap.* 15. qui alveum etiam mediante Lupia *Loin*, inter Ligerim & Sequanam ductum eſſe, refert *ibid. cap.* 16.

Garzonaſtaſium, vox barbaro-græca, ex voce medii ævi *Garſio* ſeu *Garzo*, h. e. *puer* ephebus, & στάσις, *ſtatio*: locum notat in ædis ſacræ medio, pueris deſtinatum. Macer *Hier.*

Gaſindus, in *L.* Longobard. *lib.* 1. *tit.* 9. *§.* 21. dicitur, qui ex familia alicujus eſt vel domo, famulus honoratior: Sic etiamnum Germanos *Geſinde* & *Hoffgeſinde* vocare Aulicos, Curiales, Palatinos, obſervat Freherus *ad conſtitutionem Adolfi Imp. de Inſulis Rheni*, apud Car. du Freſne *Gloſſar.*

Gaſmulica gens, tempore Balduini Imper. CP. inter Græcos Latinosque neutram ſe gerens, memoratur Nicephoro *lib.* 4. apud Car. Macrum *in Hierol.*

Gaſtaldus, adde: Carolo du Freſne munus hoc officiumque varium fuit & diverſum, pro temporum Principumque ratione. Nam apud Longobardos, qui officio iſti nomen indiderunt, *Gaſtaldi* primò dicti videntur, qui quaſi cuſtodes, actores ſive procuratores prædiis aut villis regiis imponebantur, velut *Oeconomi* Villicique. Præterim vero ita appellati ſunt, Regionum & urbium Præfecti. Unde *Gaſtaldus Tuſcanenſis*, memoratur Anaſtaſio in *Vitis Pontif. pag.* 76. *Gaſtaldus Beneventanus*, & *Capuanus*, Leoni Oſtienſi *lib.* 1. *capp.* 21. & 26. &c. Eratque officium eorum ſubjectis populis jura reddere, judiciisque præeſſe, ut patet ex *Conſtitutione* Pipini R. in *L.* Longobard. *lib.* 2. *tit.* 52. *§.* 19. Quam tamen juriſdictionem non abſque unius ſeu plurium Juriſperitorum conſilio exercebant. Porrigebatur autem illa in plebem ſolùm & viliora capita, non verò in nobiles aut vaſſos dominicos, qui Ducibus aut ſupremis duntaxat provinciarum Præfectis erant ſubjecti. Unde fortè eſt, quòd Albertinus Muſſatus *Gaſtaldiones* interpretatur *Tribunos Pl. de Henrici VII. Imp. Geſtis lib.* 7. Intererant porrò Placitis cum Comitibus aliisque Judicibus, &, ſi bellum eſſet, ſubditos in exercitum conducebant. Namque & horum quoque militare munus fuiſſe, docet præter *L.* Longobard *lib.* 1. *tit.* 15. Anaſtaſius *in Gregorio II.* tradens, *Longobardos penè trecentos cum eorum Caſtaldione interfectos*, à Neapolitano Duce, in Cumani Caſtri recuperatione. V. Erchempertum *in Hiſtor. Longobardic. num.* 15. & 62. Licèt autem id munus, *feudi* nomine donetur à Feudiſtis, tamen non fuiſſe perpetuum id, patet ex Paulo Diacono *Hiſt. Longobard. lib.* 5. c. 11. ubi ſcribit, *juſſu Grimoaldi Longobardorum Regis in Italia certas poſſeſſiones datas Alzeconi Duci Bulgarorum, ita tamen ut non Dux, ſed* Gaſtaldus *vocaretur*. Sed & Avaribus, ſive Hungaris ſuos fuiſſe *Gaſtaldos*, auctor eſt Theophanes *pag.* 296. qui eos primariis viris accenſet, Ὅτι Χάγανος, inquit, τῶν Ἀβάρων καὶ οἱ λοιποὶ ἄρχοντες, ἐξ ἀρχόντων καὶ Καστάλδοι καὶ οἱ ἐξοχώτατοι. De Anglis, V. Vitalem *lib.* 10. *pag.* 773. de Francis Meurſium *p.* 379. & plura hanc in rem apud Macrum in *Hierol.* & C. du Freſne *in Gloſſario*.

Gaſtra & *Gaſtrum*, vas æneum eſt, cum fundo anguſto. In Petronii *Satyrico* hoc nomine intelligit Caſaubonus amphoras, per angiportus Romæ collocari ſolitas, in quibus qui per diem veſicam exonerare vellent, ſtipem pendere cogebantur, à Veſpaſiano inſtitutam, ex Tit. vet. Scriptoris loco apud Macrobium *lib.* 3. *cap.* 17. V. cum ad Suetonium in *Veſpaſiano cap.* 23. ut & ſuprà ubi de *Foricariis* & *Fullonibus*. A' Græco γαστήρ, *venter*: unde γαστρολογία inter opera Terpſionis, quem primum editis regulis, quid edendum, à quo abſtinendum, docuiſſe, diſcimus ex Athenæo *lib.* 2.

Gaſtus, vett. Francis *Dominus*, ut auguratur Wendelinus, ex *Prologo L.* Sal. ubi quatuor Legislatores hanc condidiſſe dicuntur, *VViſogaſt*, *Bodogaſt*, *Salegaſt* & *VVindegaſt*: qui quidem Francorum Rectores fuerunt, in locis *Budeheim*, *Saleheim* &c. à ſuis, ut apparet, ſua ſingula nomina ſortiti; ut proin Bodogaſt obtinuerit locum *Boda-heim*, Salegaſt *Sale-heim*, VVindegaſt, *VVinde-heim* &c. Henricus Meibomius *Notis ad VVitekindum*, ait *Gaſt* vocabulum Germ. non ut hodie hoſpitem, ſed quemvis hominem ad omnia promtum agilemque olim ſignificaſſe. At Camerarius, *Gaſtos*, Germanico nomine, à ſapientia & ſcientia rerum, atque ingenii perſpicacitate, dictos exiſtimat, *Horarum Succiſiv. tom. III. cap.* 63. apud Car. du Freſne *Gloſſar.* V. quoque ubi *de Salica Lege*.

Gata & *Gattus*, genus navis, *in Chron.* Anonymi Barenſis A. C. 1071. & apud Laurentium Veron. *Bello Balear.* Item machina oppugnatoria, apud Monachum Florentin. *de Expugnat. Accon. Gattos & arietes fieri juſſit*, Vide ſupra, in *Cattus*.

Gavarretus, in Aula Regum Siciliæ Officium, ſub Normannis Principibus, cui non ſolùm cura & cuſtodia Palatii erat commiſſa; *ſed & illius erat eos, qui per diverſos Palatii carceres erant incluſi, frequenter inſpicere, eorumq́; ſtatum mitiùs aſperiuſq́, prout ei viſum erat, commutare & prout vellet, cuſtodes ſingulis deſignare carceribus*, Falcandus *in Hiſtor. de Siciliæ calamitat.* Cui ſimile fuit in Aula CPolitana Magni *Papiæ* officium, ut *in Notis ad Cinnamum* docet C. du Freſne. Ejuſdem nominis habentur Vicecomites in Beneharnis, *Vicecomites de Gavarreto* dicti, de quibus V. Marcam *Hiſtor. Beneharn. lib.* 5. *cap.* 28.

Gaudentes Fratres, V. ſuprà *Fratres*.

Gaudentii Caſtrum, in Vaſconia prov. Galliæ, memoratum Petro Monacho *in Hiſtor. Albig.* his verbis: *Monuerunt Comitem, ut maximam reciperet Vaſconiæ partem. Properans igitur Comes, perrexit ad Caſtrum, quod dicebatur* S. Gaudentius, *& fuerat Comitis Convenarum*: vulgò dicitur *S. Gaudens*, oppidumque eſt Galliæ, in Comit. olim Convenarum, poſtea Dominio Benearnenſi, non procul ab oppido S. Gerontii *St Girons*, & ab oppido S. Licerii *S. Lezé*, alias *S. Leger*. Hadr. Valeſius *Not. Gall.* in voce *Sancti Gaudentii*.

Gaudere, Gr. χαίρειν, ſerò epiſtolis additum eſſe nonnulli cenſent, cùm priùs alter alteri ſimpliciter ſcriberet, ut *Amaſis Polycrati*. Primum Cleonem ait Eubulus Comicus ſic ſcripſiſſe Athenienſibus è Sphacteria. Sed & Vett. ea voce uſi, non ſolùm in primo congreſſu, verùm & in diſceſſu. & *gaudere*, pro valere ac ſanum eſſe, uſurparunt, Suid. V. ſuprà ubi de *Epiſtolis*.

Gaudiacus Vicus, locus Galliæ in Carnutibus, vulgò *Jouy*. Valeſius voce *Ignoranais*.

Gaudianus, memoratur Capitolino *in Gordiano III.*

Gaudioſus, inter Duces, qui è diſciplina Probi prodiere, apud Vopiſcum *in Probo*.

Gaudium, inter Numina Romanorum memoratur Clementi Alex. *Protrept. pag.* 12. Aliàs *Gaudium*, ex homine nato ingens. Quamvis enim non naſci optimum judicavit gentium conſenſus, Thraces quoque hominum natales fleverunt, Perſæ item ante quartum vel quintum vel ſeptimum annum natos non aſpexerunt, finito nempe primo ſatorum circulo, quod & vett. Gallis placuit: veriſſimè tamen Dominus noſter, *Mulier*, inquit, *poſtquam peperit puerulum, jam non meminit afflictionis, propter* gaudium, *quòd homo ſit natus in mundum*. Et rident matres, poſt ſeptimum diem, quando vitalem ſperant natum. Meliorum etiam morum gentes de feliciter tranſacto puerperio lætabantur. *Gaudium* & ſalutatio inter amicos & clientes, *Hodie nate ſalve*; ab Oriente ad Romanos delato more: poſtes puerperæ tertia die coronati, munera natalitia puero oblata, polypi, ſepiæ, coronæ, gemmæ; puerperæ, umbellæ, armillæ & cæteris alia: porrò epulæ, ſpectacula, ſtatuæ exhibitæ. Quæ lætitia eo major apud Romanos fuit, quò majori prolis deſiderio Reipublicæ augendæ causâ, connubiique retinendi & ob jus trium liberorum, ardebant matres. V. Thom. Bartholinum *de Puerperio Vett.* & hic non uno loco. Inde *natorum gaudia*, apud Papinium *Thebaid. l.* 10. *v.* 420. pro liberis, *qui iis ex amore & gaudiis conſtant*, ut *ad l.* ait vetus Scholiaſtes &c. Sed & non minus Olympionicarum olim *gaudium* fuit, utpote victorum in certamine, quo in humanis rebus nihil habebatur præſtantius: ut alia omittam. Verùm & hic modus tenendus: *Gaudio* enim nimio extinctos habemus non paucos: duas fœminas apud Liv. *lib.* 7. à pugna Thraſymena & præter Chilonem, Sophoclem ac Dionyſium I. Siciliæ Tyrannum, utrumque Tragicæ victoriæ nuntio accepto, apud Plinium *lib.* 7. *cap.* 53. Alios. Nec mirum, cùm vehemens *gaudium*, velut paria cum dolore faciens, non rarò lachrymas quoque excutiat. Claudianus *Bello Gildon.*

Quem ſimul ut vidit natus
— *mixto tremuerunt* gaudia *fletu*.

Quam

cap. 8. Lipsius porrò notat, qui in Gymnasiis exercebantur, itemque balneis, eos fere lodiculâ, aut *gausapina* leviter obvolutos fuisse, & circa verenda maximè partes, ut Petronianus Trimalcio coccineâ *Gausapa* involutus: sed Ferrarius his in locis, totum corpus villosæ ac crassæ ejusmodi vesti involutum fuisse, frigori arcendo, contendit: quem non modò de lodicibus, stragulis & mappis, sed & de omnibus vestimentis villosis, quæ *Gausapa* dictæ, lænis, chlænis, tunicis, lacernis & pænulis, prolixè differentem, V. *lib. præfat. cap.* 9. *& seqq.*

Gazella, Arabicè *gazal*, capreæ hinnulus, nomen ab amore habet. Nam *gazala*, aliquem *amatorio sermone demulcere*, significat; & *algazlo*, est *de amore sermo* vel *carmen*: & *agzalo*, qui *hujusmodi sermones apprimè callet*, V. Anton. Thysium *in Miscellan.* Interim licet è caprearum genere *gazellæ* sint, nostris tamen longè sunt proceriores, & in illis locis, cervi, magnitudine vel pares vel suppares: Inprimis *è rim* inter illas, ut pinguedine, sic staturâ, eminet. Unde Balaamus de Israele, *Illi populo sunt elationes vũ reem*, i. *quales sunt elationes vu reem.* Quasi prædixisset fore, ut tam emineret populus ille inter reliquos populos, quàm eminet *reem* inter reliqua caprarum genera. Nisi quis id referre malit ad id, quod Arabes observant, huic animali peculiare esse, ut caput & aures multùm erigat, & propriâ voce id appellari *elationem aut eminentiam vũ rim*, &c. V. Sam Bochartum *Hierozoici Part. prior. passim, inprimis Lib. III. cap.* 27. Apud Albertum Aq. *lib.* 7. *c.* 66. *Gazela* vel *Gazella*, equus est Saracenicus, cursu prævalens. Sic apud Order. Vitalem *lib.* 10. de Balduino R. Hierosol. legimus, *Inde Rex cum suo commilitione gazellam suam ascendit*: quam *celerem equam fortissimamq;* suprà dixerat. De quo significatu vocis quid sentiendum, ex prædictis facile est videre.

Gazetum, apud Greg. Turon. *de Gloria Confess. cap.* 65. vinum est è Gaza Palæstinæ, magno olim in pretio. Commendant enim vinum *Gazeticum*, Sidonius *Carm.* 17. *ad Ommat.* Corippus *l.* 3. *n.* 3. Senator *l.* 12. *epist.* 12. Fortunatus *de vita S. Martin. lib.* 4. & Isidorus *lib.* 20. *cap.* 3. Ab eadem urbe *Gazzatum*, linum vel sericum subtilissimum, cujus mentio in Concilio Budensi A. C. 1279. *can.* 61. ubi ejus usus Monachis interdicitur, nomen videtur habere. Car. du Fresne *Glossar.*

Gazophylaces, apud Persas dicti sunt pecuniæ regiæ custodes, seu ærario regio Præpositi, à voce *Gaza*, celebri thesauris regiis recondendis oppido, de quo V. *suo loco.* Namque & apud Persas moris fuisse, ut publica pecunia magnatibus asservanda committeretur, docet Brissonius. Unde Curtius *l.* 5. *Tiridatem pecuniæ*, quæ ex una provincia cogeretur, *custodem* memorat & Begophanem arcis Babylonicæ & *regiæ pecuniæ* ejusdem provinciæ *custodem*, *eod. l.* Apud Josephum quoque *Antiquit. Judaic. lib.* 11. *cap.* 4. *βασιλικῶν γαζοφυλακίων*, *Regii ærarii*, mentio fit: ut & edicti Artaxerxis ad omnes, qui thesauris suis trans flumen præpositi erant, ut quidquid ab eis Esdras sacerdos, scriba legis Dei cœli, postulasset, illico præstaretur, Esræ *cap.* 7. V. quoque Strabonem *lib.* 15. ubi de *Suza*, Arrianum *lib.* 3. ubi de *Pasagardis*, Diod. Siculum *lib.* 17. Corn. Nepotem *in Datame* &c. Hæc gaza quàm immensa fuerit ac prodigiosa, licet videre ex variis Scriptoribus a præfato Brissonio adductis. Asservabatur ea plerunque in templis, quod loca ea sacra ac inviolata censerent: Abbas Urspergensis *Chronici pag.* 41. *Audita templi Hierosolymitani opulentia, quam Pompejus intactam reliquerat, in Palæstinam divertit, Hierosolymam adiit, templum pervadit, opes diripit*, &c. Plura V. suprà in voce *Ærarium.* Cæterùm גנזא *gaza*, Persis esse *thesaurum*, ut Syris גזבא, notat Suicerus. Quod verò inde Palæstinæ urbem *Gaza*, de qua diximus, quoque appellatam vult Pomponius Mela *lib.* 1. errare illum ostendit, cum in Hebræo nomen hujus civitatis non incipiat à ג, sed a ע. Dicta itaque ei *Gaza* ab Hebræa voce עזה, quasi dicas *valida*, quia urbs erat *ingens & munita admodum*, ut ait idem Pomponius. Et Diodorus scribit *lib.* 17. *munitissimam fuisse, ut Alexander bimestri obsidione obsessam ægrè ceperit.* V. Cl. Suicerum *Thesaur. Eccles.* voce Γάζα.

GE.

GENS. in notis antiquis *Gentes.* G. F. *gula filiorum*, *Germanus frater*, *Geminæ fidelis.* GG. vel GS. *gesserunt.* GEN. CORN. *gente Corneliorum* &c. GER. *Germanicus.*

Geada, sive *Geda*, ex hominibus in Deorum numerum à vett. relatus Britannis, teste Cœl. Sedulio, qui sub Theodosio Jun. vixit: Ita autem hic Op. *Paschali ad Macedonium Abbatem*, *B. Hieronymi coætaneum*,

Cùm sua Gentiles studeant figmenta Poetæ
Grandisonis pompare modis, tragicoq; boatu,
Ridiculove Getæ, *seu qualibet arte canendi,*
Sæva nefandarum renovent contagia rerum,
Et scelerum monumenta canant, ritusq; magistro
Plurima Niliacis tradant mendacia biblis.
Cur ego Davidicis adsuetus cantibus, odas
Chordarum resonare decem, sanctoque venenter
Stare choro, & placidis cælestia psallere verbis,
Clara salutiferi taceam miracula Christi!

Eosdem versus adducit Johannes Asserus Episc. in Anglia Scyreburnensis, sive, ut postea dixere, Saresburiensis; qui annum circa noningentesimum vitam scripsit Aelfredi, Anglo-Saxonum Regis: cujus genus, initio operis sui, ab hoc Geada sive Geta deducit. Nam Aelfredus ei vigesimus est a Frithuvvulfo. Post quem sub ungit, *Qui fuit Fingodvvulf, qui fuit* Geada; *quem Getam jamdudum pagani pro Deo venerabantur.* Postea verò hunc *Geada* decimum à Noe fuisse, persuadere nobis conatur. V. Gerh. Joh. Vossium *de Idolol. lib.* 1. *cap.* 36.

Gebellina, vel *Gibellina* pellis, V. in *rà* *Zibellina.*

Gebhardus, fil. Bertholdi I. Zeringiæ Ducis, Episcopus Constantiensis, A. C. 1085. fratris Bertholdi II. operâ creatus, Pontificiam factionem pro virili promovit. Phil. Jac. Spenerus *Sylloge Geneal. Histor. in Fam. Badensi.*

Gedrosia, adde: Una fuit ex IV. Satrapiis Parthorum, memoratis Plinio *lib.* 7. *c.* 23. de qua V. Salmasium *ad Solinum pag.* 794. 982. 1176. & *seqq.*

Gehenna, adde: Hodieque supplicii genus apud Gallos *Gehenne* dicitur; quod Hieron. Magius cum Equuleo Veterum, Hispanorumque *Pullicdro* idem esse vult. H. Junius *Nomenclatore suo*, ubi carceris suppliciique propria vocabula recenset, *Fidiculas* esse contendit, & ab Equuleo distinguit, dum ait: *Fidiculæ Suet. Machina multis intenta funibus, quibus ceu fidibus distendebantur facinorosi, ad exquirendam facti fidem, κολαστήριον, πυργίζειν, ἀρταμῆθλα, τροχὸς Aristoph. ξύλω βασανίζειν Sozomeno. Aleman. Folterseil, Zwick, Treibschnur mit der man foltert. Belg. Pijnbanck, Gall.* Gehenne. *Nebrissensis interpretatur illud tormenti genus, quod Italiæ familiare, tratto di corda: Hispanis tratto de cuerda vocatur: quo reus rejectis in tergum manibus fune suspensus in præceps dejicitur.* V. Gothofr. Jungermannum *Notis in H. Magium de Equuleo.*

Gelasinus, Deus risus, apud Martialem *lib.* 7. *Epigr.* 25. *in malum Poetam:*

Nec cibus ipse juvat morsu fraudatus aceti,
Nec grata est facies, cui Gelasinus *abest* &c.

A' verbo *γελάω*, *rideo*, V. infrà, ubi de *Risu.*

Gelati, nomen Academiæ Bononiæ, in Italia, institutæ, cujus meminit Jac. Sponius *Itiner. Part. I. pag.* 70.

Geldum, sive *Gildum*, vox Saxonica, solutio, præstatio, vectigal, tributum. Item mulcta judiciaria, compensatio delicti & pretium rei. *Capitulare* 3. *ann.* 813. *cap.* 13. *Quicquid involavit, novem* geldos *componere facias* &c. Unde *Wergeldum*, quasi valor seu pretium viri; *Orfgild*, pecoris pretium; *Angild*, simplex rei valor, *Twigild*, duplex, *Trigild*, triplex &c. Suntque voces complures, quibus in fine additum *geldum* species quasdam pensitationum designat: v. g. *Danegeldum*, *Hornegeldum*, *Penigeldum*, & aliæ id genus. In Anglia *Geldum Regis*, tributum dicebatur seu vectigal, quod exsolvebatur Regi; an idem cum *Danegeldo*, de quo suprà? V. Car. du Fresne *Glossar.*

Gelida Minister, indigitatus Juvenali *Sat.* 5. quis apud vett. Romanos dictus fuerit, V. infrà, ubi de *Nive.*

Gellia Cornelia Lex, à L. *Gellio* Poplicola, Cn. *Cornelio* Lentulo Coss. ann U. C. 681. lata est: *Ut cives Romani essent ii, quos Cn. Pompejus de consilii sententia singulatim civitate donasset*, Cic. *pro Balbo.*

Gellianus, Historicus Plinio memoratus, *lib.* 3. *c.* 12. *Gellianus auctor est, lacu Fucino haustum Marsorum oppidum Archippen, conditum à Marsya duce Lydorum*: perperam in *Ind.* ejusdem Auctoris *ad l. cit. C. Ælianus* vocatur, ubi vetus codex *Cellianus* scribit, Salmasius *ad Solinum pag.* 58.

Gellius Fuscus, adde: Apud Ciceronem *lib. de Legg.* Atticus ita de *Gellio* familiari loquitur, *Quia*, inquit, *me Athenis ex Phadro meo audire memini*, Gellium *familiarem tuum, cùm pro Consule in Græciam venisset, Athenis Philosophos qui tum erant, in locum unum convocasse, ipsisq; magnopere auctorem fuisse, ut aliquando controversiarum aliquem facerent modum. Quòd si essent eo animo, ut nollent ætatem in litibus conterere, posse rem convenire. & simul operam suam illis esse pollicitum, si posset inter eos aliquid convenire.* Cui Cicero respondens, *joculare istud Pomponi*, inquit, *& à multis sæpe derisum: sed ego planè vellem me arbitrum inter antiquam Academiam & Zenonem datum.* Ita *Gellius* hic inter tot litigantes Philosophorum sectas concordiam molitus, uti lites, ita controversias illorum, honorariâ arbitri operâ disceptari & componi posse credidit. Georgius Hornius *Histor. Philos. lib.* 6. *cap.* 13.

Gelnacus Vicus, Gall. *Jannay*, villa Galliæ, in Pictonibus, ad Clennum fluv. ab urbe Pictavis octo circiter mill. ped. distans; ad quam Ansoaldum Pictavorum Episcopum cum Clericis & populo venisse, dicit Auctor vetus, qui librum *de vita & virtutibus* B. Leodegarii Augustodun. Episc. ad Ermenarium ejus successorem, ante annos fere mille, composuit, apud Hadr. Valesium *Not. Gall.*

Gelon, Dinomenis filius, Hieronis frater, obiit Olymp. 76. relicto fratri regno. Sub eo, ex Arcadia in Siciliam migravit Phormis cujus equa ænea Olympiæ dedicata, ob hippomanes magico veneficio ei inditum, adeò famosa fuit. Pausan. *Arcadicis*.

Gelon, fons Siciliæ, à quo *Gelonium* stagnum, quod vide. At *Gelonem*, fontem non procul à Celænarum oppido, Plinius memorat *lib.31. cap. 2.* Vide Salmasium *ad Solinum pag.* 126.

Gelonis, urbs apud Budinos, quos cum *Gelonis* eosdem habebant Græci, V. eundem *ibid. pag.*189.

Gelotiana, cujus mentio apud Suetonium *Caligulâ cap.* 18. *Commisit & subitos* (Ludos) *cùm è* Gelotiana *apparatum Circi prospicientem pauci ex proximis mænianis postulassent*, vel domus, vel Insula fuit illis temporibus in Urbe nota, ad Circum, ut videtur, Maximum; in qua partem servitii Cæsariani habitasse, colligit Casaubonus ex vet. Lapide, in quo scriptum,

SYMPHORO
TESSERARIO
SER. CÆSARIS
DE DOMO.GELO
TIANA. FECIT.
PHILODESPOTVS
SER. CÆSARIS
EX. HERMÆO
FRATRI. B. M.

V. cum *Animadvers. ad d. l.* & infrà in voce *Hermæum*, ubi similiter pars familiæ Cæsarum habitasse videtur.

Gelria, adde: Ducatum hunc olim rexit Arnoldus *de Egmond* fil. Johannis Egmondani, defuncti Anno C. 1451. & Mariæ Arculeæ: frater VVilhelmi minoris natu Dn. Ielsteinii, à quo Comites Egmondani & Buræ descendere. Ipse Arnoldus, obiit 1473. ex Catharina Clivia, fil. Adolfi Duc. Clivii pater Adolfi *de Egmond*, Duc. Geldriæ & Juliaci; cui, extincto 1477. ex Catharina Borbonia, superfuit Carolus Dux, (maritus Elisabethæ Brunsuicensis fil. Henrici) in quo linea hæc *Geldriæ* Ducum extincta est, A. C. 1538. Vide Spenerum *Theatr. Part. II. pag.* 113. Priscis verò temporibus Adelheidi, VVichardi Gelriæ præfecti filia ducta, Otho VValravii Comitis Nassoviæ fil. Othonis magni nepos, primus *Gelriæ Comes*, ab Henrico Aucupe, pronuntiatus est, circa A. C. 1020. adjecta & Zutphaniæ provincia, quæ ab eo tempore *Gelriæ* mansit annexa. Sic Auctor is stemmatis fuit *Gelro-Zutphaniensis*, quod post annos demum 336. in Rinaldo III. & Eduardo fratre ejus, Gelriæ & Zutphaniæ Ducibus, exspiravit. Quo facto *Geldri* Juliacensibus accesserunt; donec haud longè post in Egmondanorum potestatem venere. Cyriacus Lentulus *in Geneal. Principum & Com. Nassov. MS.*

Gemara. V. infra *Misna*.

Gemelli Dii, Græci Θεοὶ δίδυμοι, memorantur Clem. Alexandrino *Protrept.* ubi ædem quidem utrique Numini suam, sed *gemellas* eas, & proximo intervallo dirutas, fuisse, docet: quales Virtuti & Honori Romæ extructas, habes apud Plinium *lib. 35. cap.* 10. Cæterum *gemelli* sunt, eodem partu editi, pro quibus Τετρωπάβερ. Diis Pacique, ab Atheniensibus vota fieri solita, discimus ex *Etymologici* auctore. De eorum primogenitura disceptant Jurisconsulti, masculis ferè faventes, ut fortioribus, quod in Hispaniam vett. Gothos primùm induxisse, legimus apud Thom. Bartholinum *de Puerperio Vett.* Nobile istiusmodi *Gemellorum* in Sacris par, memoratur Genes. *cap.*25. aliud *ibid. cap.* 38. In ovibus, quæ geminos parerent, *Ambegnas* vocatas Junonique sacrificatas, refert Fulgentius *de prisco Serm. ad Chalcidium lib.6. Bebius Macer, qui Fastorum dies scripsit, ait Junonicas, quæ geminos parerent, oves sacrificari, cum duobus agnis altrinsecus alligatis; quas oves ambegnas vocari, quasi ex utraq; parte agnos habentes.* Quam ovium fœcunditatem Græci ad Apollinem Nomium referebant. Unde Callimachus *Hymno in eum* petit, ut illius beneficio

Ἡ δὲ κε μουνοτόκος διδυμοτόκος αἶψα γένοιτο.
Quæ unipara erat, gemellipara *repentè fiat* &c.

V. Sam. Bochartum *Hierozoici Parte prior. lib. II. cap.* 46. ut & infrà in voce *Gemini*.

Gemia, Nonio *gulosi*, comedones: à Græco γέμω, unde γέμος & γεμίας, pro *comedone*, qui celocem saburrat. Eandem vocem in Lucilio legimus &c. Salmasius *ad Vopiscum*.

Gemina, apud Adhalardum *Statut.* Corbei. Monaster. *lib.2.c.3.* portio est cibaria Monastica duplicata, Gall. *Double pitance*, C du Fresne *Glossar.* At *gemina securis*, apud Papinium *Thebaid. lib.2. versu* 609.

— *gemina minitantem bella securi*,

una est utrinque vulnerans, bipennis, quam vocem V. suprà. De geminis tibiis, quas *pares* dictas vult Scaliger, V. ubi de *Tibiis*.

Geminas, inter Libertos, qui multum potuere, sub Marco & Vero Impp. memoratur Julio Capitolino *in Marco Antonino Philos. & Vero.* Pro *Gemino*; uti *Trophimas*, pro *Trophimo*, apud JC. Salmasium *ad Pollionem in Gallienis*.

Gemini, unum ex XII. Zodiaci signis, Græcis Δίδυμοι, recentiori Astrologorum opinione sunt Tyndaridæ sive Ledæi Juvenes, Castor & Pollux, quos, ut Hyginus ait *Poet. Astronom. cap. de Geminis*, *Jupiter inter notissima sidera constituisse existimatur. Neptunus autem pari consilio numerasse: nam equos his, quibus utuntur, donavit; & dedit potestatem naufragis saluti esse.* Unde *fratres Helenæ*, Horatio *lib.1. od.* 3. & *pueri Ledæ* eidem *Od.* 12. salutare sidus nautis habentur. Caussam *Comment. in Aratea Germanici* Cælius sive Calpurnius Bassus hanc reddit: *Castorem & Pollucem Geminorum honore decoratos, quòd principes pacationis dicantur: quòd mare totum prædonibus maleficisque pacatum reddidissent* &c. At alii, eodem Hygino teste, Herculem & Apollinem; nonnulli Triptolemum & Jasona, à Cerere dilectos, *Geminorum* nomine intellexerunt: priorum opinionem Arabibus sequutis, qui eum, qui cancro vicinus, *Abrachaleum*, alterum *Avellar*, corruptè vocitarunt. Imò alii, inquit memoratus Arati Interpres, *volunt Zethum & Amphionem esse: horum unus zonam, alter lyram habet.* *Nigidius Deos Samothraces dixit*, ducem viz. sequutus eum, cujus sub *Orphei* nomine hymni vel *teletæ* potiùs extant. Nam *Carmine*, quod Κουρήτων θυμίαμα inscribitur, sic is de iis:

Κουρῆτες Κορύβαντες, ἀνάκτορες εὐδύνατοί τε
Ἐν Σαμοθρᾴκῃ ἄνακτες —

Et mox:

Οἵ τε κ' οὐράνιοι Δίδυμοι καλεῖσθ' ἐν Ὀλύμπῳ.
Et qui cælestes Gemini *vocitamini Olympo* &c.

V. Gerh. Jo. Vossium *de orig. & progr. Idolol. lib. 2. cap.* 36. uti de signi hujus figura, Salmasium *ad Solinum pag.* 1237. Cæterum *Gemini*, iidem cum *Gemellis*; quorum sibi per omnia similium exemplum, Daucia & Tymber, Rutuli, Lari

— — *simillima proles*,
Indiscreta suis, gratusq; parentibus error,

apud Virgilium *Æneid. lib.* 10. V. quoque Statium *Thebaid. lib.9. v.* 295. *& seqq.* Lucanum *lib.* 3. Claudianum ubi de Castoribus, Alios. Quanto magis mira similitudo non unâ provinciâ natorum, apud Plinium, quos Toranius Mango Antonio Triumviro, ut *geminos* vendidit, cùm alter in Asiâ, alter trans Alpes genitus esset: detectâ fraude, quum à furente esset increpitus, magnitudinem pretii inter alia conquerente, argutè respondens, *ob id ipsum se tanti vendidisse, quoniam non esset mira similitudo in ullis, eodem utero editis. Diversarum quidem gentium natales tam concordi figura reperiri, super omnem esse taxationem; adeoq; tempestivam admirationem intulit, ut ille proscriptor animus, modo & contumeliâ furens, non aliud in censu magis ex fortuna sua duceret*, *lib. 8. cap.*21. Recens exemplum nobile, in Sebastiano Portugalliæ R. aliisque nonnullis, de quibus infrà ubi de *Pseudonymis*.

Geminus, Comœdus, inter Præceptores Marci Imper. apud Capitolinum.

Gemitus, ingens sonus est è profundo. Virgilius de Ætna,

ignefactisq; saxa sub auras
Cum gemitu *glomerant* —

Cùm nempe plenum mœrore pectus in sonitum erumpit, unde jumenta sub onere *gemunt*, h.e. edunt *sonum gravem & non clarum*, uti vocem explicat vetus Scholiastes Papinii Statii *ad Thebaid. lib.* 12. *vers.* 656. Poëtæ inde ad omnia lamenta vocem extendunt, uti docet Barthius ad eundem *lib. 3. Sylv. 3. vers.* 31. Propriè vero columbis tribuitur. Virgilius *Ecl.*1.

Nec tamen interea raucæ tua cura palumbes,
Nec gemere *aëria cessabit turtur ab ulmo*.

Hinc Gregorius *in Jobum lib. 32. cap. 4. Scimus, quia columbarum pulli, vel turtures pro cantu* gemitum *habent*. Quod ipsum etiam Græcis: unde ἔστενε τρυγών, *gemebat turtur*, apud Theocritum *Idyl.* 7. *v.*141. Alii turtures τρύζειν dicunt, & columbas γογγύζειν, ut videre est apud Pollucem *l.5. cap.13. §.2.* cui fit ὄρνεων φωνή. Est autem γογγύζειν, *murmurare*: unde *murmura* pro columbarum gemitu, in *Epithalamio*, cujus Gallienus auctor apud Trebellium. Et certè murmur *sonus gravis, non clarus* est, ut de gemitu dixit supra Statii Scholiastes. LXX. Interpretes μελετᾶν reddunt, unde περιστεραὶ μελετῶσαι dicuntur Theodoreto *Columbæ gementes*, in Ezech. *cap.* 7. *v* 16. Hebræis הגה, quod ad luctum ubique refertur. Unde pro *luctuoso gemitu* sumitur *vox columbæ*, Nahum c.2.v.7. ubi Reginam Nineves, cùm in captivitatem abducitur, comitantur ancillæ gementes, *tanquam voce columbarum, & pectora sua tundentes*. Nempe uti lachrymis, sic *gemitu* dolor egeri minuique videtur. Quod proin solarii genus in charorum funeribus quoque à Tyrannis vetitum occurrit, apud Statium *Thebaid. lib.*12. *versu* 393. Sic *interdictum, ne capite damnatos propinqui lugerent*, sub Tiberio, legimus, apud Suetonium *in eo* &c. Sed & de luporum voce *gemitum* usurpari invenias, hyænarum, item, de quibus suo loco. V. Sam. Bochartum *Hierozoici Parte poster. lib. I. cap.* 2.

Gemma, Æolicè quicquid ad ornatum induitur, ab ἧμα, Æol. ἧμμα, & addito digamma γέμμα. Unde Latini videri queant fecisse vocem *gemma*, de lapillo pretioso ac pellucido, qui auribus collo & digitis induitur ad ornatum. At major cæteris

qui

quæ ad ornatum destinantur, *cautes* dicitur. Ut enim lapis aliquis *gemma* sit, non solum τὸ εἶδος, τὸ κάλλος, τὸ στίλβον, τὸ διαφανὲς καὶ τὸ σπάνιον, *lævor, durities, splendor, dilucidita*s & *raritas*, sed etiam τὸ μικρὸν, *parvitas*, facit. Quamvis & e gemmis cavatis pocula olim facta, certum est: nam & amplissimæ quædam reperiuntur, ut achates, lychnitæ, carbunculi, charcedonii & similes. Sed hujusmodi parvi & rari lapilli, qui propriè *gemmæ* sunt, ad annulos præcipue sculpebantur; suntque hic primus ac vetustissimus eorum apud Græcos usus, ut sc sculpti auro includerentur, digitoque gestarentur, ad signandum. Proinde *gemma* propriè σφραγὶς est. Plinius de Obsidiano lapide, *Multi & gemmas ex eo faciunt*, i. σφραγῖδας seu σφραγίδια, *annulos signatorios*. In quem usum eligebantur, quibus nec minima forma, nec grandior, conveniebat. Hinc quoddam genus Sardæ gemmæ, quæ paulo amplior esset, *dipsam* dixere, quasi duplicis σφραγῖδος magnitudinem haberet. Cædebanturque non in longitudinem, sed ovali plerunque figura erant &c. Etiam vero *gemma* in annulo Græcis ψῆφος. Ita enim Suidas, ψῆφον καλοῦμεν λίθον τὸν ἐν τῷ δακτυλίῳ καὶ τὸν χρημάτων ἀριθμὸν, *Lapillum vocamus, tum lapidem in annulo, tum pecuniarum numerum.* Unde annuli ἄψηφοι Artemidoro sunt annuli gemmis carentes, *lib.* 2. *c.* 5. qui aliis ἄπηροι, V. Aristotelem *l.* 3. *Phys. Ausc. cap.* 9. item ἄλιθοι. Annulorum enim apud Vett. quidam *gemma* carebant, quidam habebant, eamque vel figura aliqua insignem, vel nulla. Plinius *lib.* 33. *cap.* 1. *Multis hoc modis, ut cetera omnia, luxuria variavit, gemmas addendo exquisiti fulgoris, censuque opimo digitos onerando: mox & effigies varias cælando, ut alibi ars, alibi materia esset in pretio. Alias deinde gemmas violari nefas putavit. ac ne quis signandi causam in annulis esse intelligeret, solidas induit.* Quid quod duas gemas (fortè & plures) in annulo insertas fuisse, videre est ex Epistola Valeriani Imperatoris, ubi *Annuli bigemmei uncialis* fit mentio, apud Trebellium Pollionem *in Claudio.* Notat autem hic Æl. Everh. Vorstius *Comm. de Annul. orig.* nullum fuisse lapidis pretiosi genus, modo aut scalpro aut cælo corrumpi posset, quod antiquis illis luxuriæ Magistris intactum fuerit relictum: solo adamante, ob insolitam, uti tum credebatur, duritiem, excepto; sed & hic quomodo vitiaretur, nostrâ ætate reperisse Mediolanensem quendam Jacobum Tresciam, qui Philippi Hispaniarum R. gentilitia insignia adamanti summa arte insculpserit. Interim, licèt omnes ferè gemmæ ad usum sigillorum inciderentur aut cælarentur, tres tamen maximè omnium ad hunc usum aptabantur, achates, onyx & sarda, eò quod ceram non traherent, pulcherrimeque ac sine labe effigiem exprimerent. Vitreas *gemmas* in annulis vulgus usurpasse, tradit Plinius suprà laudatus *l.* 35. *c.* 6. Cæterùm imagines, quæ *gemmis* incidebantur, aliæ erant cavæ, quæ scalpro fiebant: aliæ extuberantes prominentesque, quæ cælo; unde & quæ ejusmodi imaginem exhibebant, *Ectypæ* dicebantur, ἀπὸ τοῦ ἐκτὸς ἔχειν τὸν τύπον. Seneca *de Benefic. lib.* 4. *cap.* 26. *Paulus Prætorius in convivio quodam Tiberii Cæsaris habens imaginem ectypa & prominente gemma.* Talis itaque annulus, qui *gemmam* habet, tribus constat partibus, orbiculo, qui ipsa est ejus σφενδόνη; pali Græc. σφενδόνη seu σφενδόνιον, cui gemma inseritur & gemmâ. Sed &, sicut è succino & ebore, ita ex integris gemmis annulos factos legimus. Ita ex sarda integra annulum cum pala aurea & circulo argenteo, exhibet Gorlæus *Dactylioth. sua num.* 101. Nec omittendum, quid sibi apud Juvenalem *Sat.* 1. velit *Gemma uda.* Nempe, cum obsignarent olim literas tabulasque, lino, quo illæ constringebantur ac obligabantur, ceram vel cretam imponebant, in quam sigillum imprimerent, sed prius salivâ madefactum, ne cera illi adhæreret. Unde Scholiastes Juvenalis *ad l. cit. udam gemmam* interpretatur *salivâ tactam, propter signaculi impressionem.* Et Ovidius *Trist. l.* 5. *Eleg.* 4.

Flens quoque, me scripsit: nec quâ signabar, ad os est
Ante, sed ad madidas Gemma *relata genas*, &c.

V. Joh. Kirchmannum *de Annulis capp.* 3. & 7. ut & infrà ubi de *Signandi ritu.* Quæ verò minores essent, quàm ut annulis inservirent *gemmæ*, ad pocula transferebantur, uti de uxoribus Regum Magnatumque virorum scribit Epiphanius: artificio viz. τῆς λιθοκολλητικῆς, quo gemmæ poculis aureis includebantur, uti hic videre est, ubi de *Auro gemmato* & *Poculis gemmatis.* Inde ad hominem ornandum usus translatus, & quidem corporis partes, quæ *gemmis* margaritisque ornari solerent, Manilius expressit hoc versu.

Perque caput ducti lapides, per colla, manusque.

Nec adhuc Plinii ætate tunicis vestibusque illatæ sunt. Postmodum verò vestium gemmis ac margaritis consertarum luxus invaluit, uti ex *Hist. Aug.* Scriptoribus liquet. Quod à fœminis primùm usurpatum, inde ad meliorem sexum transiit. V. de inepta ostentatione Impp. Græcorum in *gemmis* vestitui infixis, Nicetam Choniatem, Luithprandum Ticin. & ejus Imperii *Annales.* Nullus tamen prodigiosior luxus, quàm qui *Gemmas* ad pedes ambitiosè abjecit & calcari docuit. Non enim Carinus Imp. in calceis *fibula gemmea* solùm usus est apud Vopiscum: sed & Diocletianus, auctore Eutropio *l.* 9. *adorari se jussit, cum ante* (?) *ob rem ornamenta gemmarum vestibus calceamentisque addidisset* cum prius Imperii insigne in chlamyde purpurea tantùm esset. Imò idem non minori luxu priùs jam usitatum ab Heliogabalo, testatur Lampridius, his verbis: *Habuit in calceamentis gemmas & quidem sculptas, quasi possent sculptura nobilium artificum videri in gemmis, quæ pedibus adhærebant.* Idem de Alexandro Severo eadem refert. Et sanè sequioris ævi Imperatores idem factitasse dubium non est; cum de Carolo M. Eginhardus testetur, *Hadriani & Leonis Pontificum hortatu calceos auro gemmisque distinctos induisse.* Atque hactenus tolerabilis ambitio fortè fuit, cum summorum Principum splendorem hæc cimelia auxere, sed quod inferioris notæ homines, fœminæ inprimis, eodem luxus procedere ausi sunt, id verò stuporem omnem superat. De iis certè agens Plinius *lib.* 9. *cap.* 35. *Gemmas*, inquit, *non tantùm crepidarum obstragulis, sed & totis socculis addunt. Neque enim Gemmas jam gestare satis est, nisi margaritas calcent, ac per uniones etiam ambulent.* Unde Lampridius *in Heliogabalo: Facta sunt*, inquit, *Senatusconsulta ridicula, de Legibus Matronalibus: quæ quo vestitu incederent, & quæ aurum vel gemmas in calceamentis haberent.* Quibus accinens Tertullianus *lib. de cultu fœminarum cap.* 7. *Et in peronibus*, ait, *uniones emergere de luto cupiunt.* Ut hinc discas; non tantùm socculis elegantioribus, quorum usus nitidum solum petit, addita fuisse gemmarum unionumque ornamenta, sed etiam crassioribus altioribusque calceamentis, quæ siccum præbent adversus limum lutumque pedibus integumentum. Vide B. Balduinum de *Calceo antiquo cap.* 6. Nec nudæ *gemmæ* suffecere luxui sculptas, eas & quidem in calceamentis quoque esse oportuit. Iterum Lampridius *Heliogabalo, Habuit & in calceamentis* gemmas, *& quidem* sculptas: *quod risum omnibus movit, quasi possent sculpturæ nobilium artificum videri in gemmis*, & quæ seqq. V. suprà Ut de *gemmatis ensium capulis, galeis, lectis, matellis, vehiculis, imo adeo supellectile*, nihil addam. Originem quod attinet, de illa sic Plinius *Proœm. lib.* 38. *Quæ fuerit origo gemmarum, & quibus initiis in tantum admiratio hæc exarserit, diximus —— in mentione auri annulorumque.* Dixerat autem *cap. de auro & annulis, Major vitæ ratio circa hoc instrumentum esse cœpit, incertum à quo tempore. Videmur tamen posse in externis auctoritatem ejus intelligere circa Polycratem Sami tyrannum, cui dilectus ille annulus in mare abjectus.* Ubi plurimam apud Græcos, Polycratis ejus tempore, jam fuisse auctoritatem gemmarum innuit. Idem *lib.* 37. *c.* 1 victoriam Ponticam Pompeji M. primùm ad margaritas gemmasque mores Urbis inclinasse, tradit. At antiquior longe illarum in Sacris usus, uti ex Historia Mosaica patet, ubi de Pectorali Sacro juris Sacerdotis Summi, cui XII. *gemmas* inseri jussit Deus, Exodi *cap.* 28. V. infrà in hac voce. Porrò *gemmæ*, non cælari, sed *sculpi* & *cavari* propriè dicebantur, ut quæ ad signandum impressas haberent figuras, quas in cera exprimerent, Vide suprà ubi de *Cabiariis* & *Cavatoribus.* Nonnullæ & perforabantur, ut filo ad monilia inseri possent, & collo suspendi. Poliendis autem & limandis scalpendisque Cypriæ & Armeniæ cotes accommodatæ erant. Idem fiebat adamantis fragmentis auro inclusis, hodie adamante in minutissimum pulverem contrito. Interim & *Ectypa gemmæ* meminit Seneca *d. l.* quæ non incisa erat depressis figuris, sed eminentem habebat & expressam imaginem, id quod *cælare* vocavere: verùm illa signando non erat. Salmasius *ad Solinum pag* 1046. De colore fulgoreque earum diximus aliquid suprà, in voce *Color.* Ut de adulterio verbum adjiciam, *gemmas adulterare tingendo crystallo primi Indi repererunt*, teste Plinio *cap. de Smaragdis*, ubi vitrum *crystalli* voce cum intelligere idem Salmasius docet. Inde *vitrea gemma*, pro falsis, in *Histor. Aug.* & *vitrum* absolutè de falso lapide apud Tertullianum, *Tanti vitreum, quanti margaritum*: uti vicissim *gemma*, pro vitro, non uno Martialis loco. Nempe vitrum intellige κρυσταλλοφανὲς, h. e. *in translucidum candidum*, cui inter vitri genera ac colores maximus honos ac pretium fuit. Hinc *gemmeus miles*, in ludo latrunculorum, apud Martialem *lib.* 14. *Epigram.* 20. &c. *Compositores gemmarum* occurrunt apud Plinium *lib.* 37. *c.* 6. de *gemmato auro* jam dictum. Plura de *Gemmis*, V. præter Plinium sæpè laudatum, apud Salmasium *ad Solin passim*, inprimis *pag.* 89. & 380. ubi *de distinctione gemmarum & lapillorum* apud Latinos (Græci enim λίθος de *gemma* quoque dicunt; *pag* 152. & 564. ubi *de sexu gemmarum*, è quibus mares colore aut feriore ac nigriore fulgent, fœminæ dilutioris coloris sunt, alibique: Anselmum Boëthium insuper *de Gemmarum & Lapidum Histor.* Jo. Latium & Franc. Ruæum *de Gemmis*, Baccium item. & ad eum *Gobelchoverum*, A. Rivetum *in Exodum cap.* 28 ubi *de Rationali* aut *Pectorali* Pontificis, Alios; ut & hîc de illarum unaquaque suo loco.

Gena, pas illa vultus est, in qua nobilis ruboris purpura efflorescit, C. Paschalius *Coronar. lib.* 5. *cap.* 4. De illis Plinius *lib.* 11. *cap.* 37. *Infra oculos malæ homini tantùm quas prisci* genas *vocabant, XII. tabularum interdicto radi eas vetantes, Pudoris hæc sedes. Ibi maximè ostenditur rubor. Infra eas hilaritatem risumque indicantes buccæ.* Hinc pulchritudinis ibi asylum. Statius *lib.* 1. *Sylv.* 2. *versu* 11. ubi in Violantilla Sponsa laborat, inter alia eam vocat,

Lumina demissam & dulci probitate rubentem.

Et *Thebaid. lib. 4. verſ. 274.*

Dulce rubens, viridiq́ genas ſpectabilis ævo.

Quas proin purpuriſſare ſtudebant, & fuco inficere, quibus vel naturâ, vel intemperantiâ vel morbo eæ minus florebant, ut videre eſt ubi de *Fuco*. Eas contrà in luctu unguibus lacerabant cruentabantque Romanæ matronæ antiquitus, donec à Decemviris lata lex, *Mulieres genas ne radunto, neve leſſum funeris ergò habento*; imitatione Solonis, qui ἀμυχὰς κοπτομένων ἀφεῖλε, *lacerationes plangentium ſuſtulit*, teſte Plutarcho *in eo*. Manſit tamen & ſequenti ævo. Ovidius *Triſtium l. I. cap. 30.*

Parce tamen lacerare genas, nec ſcinde capillos,

Tibullus *lib. I. Eleg. I.*

Tu manes ne lade meos, ſed parce ſolutis
Crinibus, & teneris, Delia, parce genis.

V. quoque Artemidorum *Oniriocrit. lib. I. c. 30.* Unde προσωποκοπτεῖν Ovidius idem reliquas aves invitat, *ad genas lacerandas*, in morte pſittaci ſui, *Amorum lib. 2. Eleg. 6.*

Ite, piæ volucres, & plangite pectora pennis,
Et rigido teneras ungue notate genas.

In pœnam verò *genis* alapæ colaphique infligi ſoliti, V. ibi. Porro Perſarum mos erat, ut, qui pares eſſent, oſculo ſe ſalutarent, inferiores autem ſalutando potentiorum *genas* manu tangerent, uti docet Alex. ab Alexandro *Genial. Dier. lib 2. cap. 19.* Ut aliquid de ornatu addam, indigitatur is Sacri Cantici *cap. I. v. 10.* *Ornatæ ſunt genæ tuæ* (gemmarum) *ordinibus, collum tuum torquibus*. Quo modo autem ornari queant gemmarum ordinibus, obſcurum non eſt. *Nempe ſi ex auribus pendeant, aut ſi inſpergantur mitrarum redimiculis, i. latis faſciis, quæ per malas productæ mento ſubligabantur. Nam in Syria mitra fuit muliebre capitis integumentum*, Bochartus *Hierozoici Parte poſter. lib. I. cap. 9.* Cæterùm *gena* propriè Becmanno *membranula eſt, quæ circumcirca oculos tegit aut munit, ab* עין *oculus, item* גנן *texit, circumdedit — poſtmodum ſignificatio ad partem genæ inferiori contiguam eſt dilatata, in Orig. L. L.* V. quoque infrà in voce *Maxilla*. Paulo laxiùs vocem accipit Plinius *in præced.* ut & Statius paſſim, ubi *barbam, fauces, oculos, palpebras, totum vultum*, ea voce indigitare, notat Caſpar. Barthius *Animadverſ. in eum.*

Genealogici Hymni, fabuloſorum ſeu hiſtoricorum partes, aut originem aut cauſam cujusque poteſtatis, olim enarrabant. Sic *Bacchi ortus. Jovis filius, qui Jupiter æther eſt. Semele arſit. Utrumque vim igneam vini oſtendit. Præterea immaturum ſatum, niſi ſucco abundet. Uritur enim vitis ſine humore. Ideo exemptum, in coxa inſutum, perficit Jupiter* &c. Jul. Cæſ. Scaliger *Poetices lib. 3. cap. 115.* Cujusmodi γενεαλογίαν Deorum omnium carmine tradidit Heſiodus, ad quem V. Lamberti Barlæi *Notas*. Poſtmodum Euhemerus Meſſenius, depromtâ ex titulis & inſcriptionibus ſacris, quæ in antiquiſſimis Templis habebantur, maximeque in Fano Jovis Triphylii (ubi aureâ columnâ à ſe poſitâ geſta ſua ipſe Jupiter inſcripſiſſe perhibebatur) hiſtoriâ, natales, patrias, ſepulchra illorum, exequutus eſt, ἄθεος equidem infamiam operis præmium adeptus, ut Cicero refert *de Nat. Deor. lib. I.* Idem Apollodorum feciſſe libro, quem *de Diis* compoſuerit, Athenagoras auctor eſt. Meminitque Leontis Sacerdotis cujusdam Ægyptii Auguſtinus, qui Alexandro Macedoni iſtorum Deorum originem, quamvis a Græcorum opinione diverſam, ita tamen tradiderit, ut homines fuiſſe declararet, *Tom. IV. de conſenſu Evangeliſt. l. I. c. 3. & de Civ. Dei lib. 6. c. 7. & l. 7. c. 26.* V. Tob. Pfannerum *Syſtem. Theolog. Gentil. pur. cap. 2. §. 18.* At his longè antiquiores ſunt Sanctorum catalogi, quos divini Scriptores, Moſes inprimis, & Evangeliſtæ Matthæus & Lucas ex vett. ſcriptis, pertexunt: eò exactiori hujus rei in Vet. Teſtamento cura, ut tanto certior eſſet fides de Meſſiæ ortu, ex ſtirpe Davidis, tribu Juda, & Patriarcharum illo Triumviratu incluto, fidelibus promiſſo. Sed &, quia Sacerdotes natalium jure ſibi ſuccedebant, & hæreditates a majoribus relictas non confundere licebat, *Genealogiæ* diligentior ratio tum habita, ut ex libro Eſræ inprimis elucet. In quo tamen ſtudio quis modus tenendus, præſcribit Timotheo ſuo Paulus *prior. Epiſt. cap. I. verſ. 4.* jubens, μὴ προσέχειν μύθοις καὶ γενεαλογίαις ἀπεράντοις, αἵτινες ζητήσεις παρέχουσι μᾶλλον, ἢ οἰκοδομίαν Θεοῦ τὴν ἐν πίστει, *ne attendas fabulis & genealogiis infinitis, quæ potiùs quæſtiones præbent, quàm ædificationem Dei, quæ eſt per fidem.* Nempe non negligendæ ſunt, quas Verbum Dei nobis tradidit, ita tamen, ut hic minimè hæreamus, ac conſideremus Spiritus S. in illis recenſendis ſcopum potiùs, quàm in hoc veluti campo nos fatigemus: quod illorum inprimis temporum Judæi fecerunt. Quemadmodum & de Tiberio Suetonius, *Maximè*, inquit, *curavit notitiam hiſtoriæ fabularis, usq́ ad ineptias ac deriſum. Nam & Grammaticos — ejusmodi ferè quæſtionibus experiebatur, Quæ mater Hecubæ* &c. Uti autem ſeriem generationis noſtræ ſanctificare dignatus eſt Servator noſter, dum ſecundùm carnem ſanctiſſimam ex Patribus naſci ſicque illorum poſteritati interſeri voluit, ita ſecundùm Deitatem idem ἀγενεαλόγητος, *ſine generis ſerie*, dicitur in illuſtri typo ſuo Melchiſedeco, Hebræorum *c. 7. v. 3.* ad quem l. V. Comentatores ſacros & *de Genealogiis familiarum Judaicarum* ab Herode, antiquitatem generis iis invidente, de qua ipſe gloriari non poterat, aliisq́ de cauſis, concrematis, Euſebium: Aliam verò vocis notionem paulò infrà.

Gener, tanquam *generis propagator* Becmanno *de Origin. L. L. p. 500.* cum Socero, moribus Rom. nec lavare, nec præſente eo ſedere poterat. Capitolin. *in Gordiano Sen. Socero ſuo Annio Severo tantum detulit, ut in familiam ejus quaſi filium migraſſe ſe crederet, ut nunquam cum eo lavarit, nunquam illo præſente ſederit, ante Præturam.* V. quoque Plut. *in Marco Catone*. Apud eosdem a *Genero*, & à Socero, donum accipere non licuit: & quidem ab illo, ne per patrem videatur ad uxorem pervenire donum; ab hoc, quod viſum æquum eſt, ut is, qui non dat, etiam non accipiat. Idem *in Quæſt. Rom.* &c.

Generale, apud Monachos eſt, *quod ſingulis in ſingulis datur ſcutellis. Pitancia, quod in una ſcutella duobus, verbi gratiâ: quando pro pitancia unum crudi caſei fruſtum, vel quatuor ova: pro generali ova quinq́, & caſeus nunquam niſi coctus. Sed ſi quid eſt* generale, *à noviſſimo incipit adminiſtrari & ad hoc ſcilla, ſicut ad olera, pulſatur. Pitancia verò à Priore & de hac hebdomadarii coquinæ nihil omnino ſe ex debito intromittunt; ſed Cellerarius, quibus ad hoc innuerit, cum his eam adminiſtrant; quidquid eſt* generale, *hoc apponunt, & niſi piſces ſint, quos Cellerarius ipſe ſingulis eis ſuggerentibus apponit: Si eſt alius generalis, adhuc unus eorum ſcillam ſonat, ſcutellas colligit, eas ſolas in quibus fabæ oleraq́ ſunt adminiſtrata* &c. Udalricus *Conſuet. Cluniac. lib. 2. cap. 35.* V. quoque librum *Uſuum* Ciſterc. Ord. c. 48. ubi de melle nunquam *generale* fieri debere innungitur &c. Apud eundem Udalricum alibi, *Generale piſcium* dicitur, cùm in ſingulis ſcutellis ſingulis Monachis piſcis apponitur. *Generalis* verò *refectio*, in *Charta* Caroli C. apud Doubletum *in Hiſtor. Sandionyſ. pag. 806.* eſt, quæ omnibus Monachis ex cibo aliquo præbetur &c. Car. du Freſne *Gloſſar.*

Generales, Præfecti Regionum, Γενεράλιοι Conſtantino Porphyrog. *de Themat. lib. I. c. I.* ubi, provinciis Orientis ab Impp. ſubactis, eas ſcribit diviſas εἰς Ἐπαρχίας καὶ Ἡγεμονίας καὶ Δουκάτα καὶ τοὺς καλουμένους Κονσιλιαρίους: additque Ἦσαν δὲ καί τινες αὐτῶν Πρόχειροι — ἀλλὰ μὴν καὶ Γενεράλιοι, uti legit du Freſne, *Erant autem etiam quidam illorum Principes — ut & Generales.* Qua voce exercituum Præfectos ac Duces hodie vocant Galli. Sed & Superiores Ordinum Religioſorum in Eccleſia Rom. ſimili appellatione inſigniuntur; *Pantocratoreni* Balſamoni *tit. de Fide ad can. 20. Photii.* V. du Freſne *Gloſſar.* & Dominicum Macrum *in Hierolex.*

Generatio, apud Canoniſtas, dicitur gradus cognationis & affinitatis, intra quem matrimonia contrahi vetant Canones & agnatio computatur. Ac ſacris quidem literis, de paucis, iisque proximis, cautum fuit, in Levit. nec longiùs fere proceſſit interdictum, quàm ne fratris ſororisque filia duceretur: quod in Republica Rom. quoque obtinuiſſe, innuit Gregorius M. *lib. 12. Epiſt. 31. ad Auguſtin.* Imperatores poſtea Chriſtiani etiam conſobrinas jungi vetuerunt, ut Theodoſius, *tantum*, verba ſunt Sexti Victoris, *pudori tribuens, ut conſobrinarum nuptias vetuerit tanquam ſororum.* Quas divinas Imperatoriasque *LL.* diu obtinuiſſe, colligere eſt ex Synodo Agathenſi *can. 61.* Epaonenſi *can. 30.* Aurelianenſi *III. can. 10.* Turonenſi II. *can. 21.* & ex Ennodio *lib 5. Epiſt. 34.* Primus Gregorius M. introduxit, ut cognationis gradus vetiti ad ſeptimum usque extenderentur, uti videre eſt *lib. 12. Epiſt. 32 ad Felicem.* Quem tamen rigorem temperavit Innocentius III. in Concilio Lateran. A. C. 1215. *can. 50.* in quo prohibitionem copulæ conjugalis intra quartum conſanguinitatis & affinitatis gradum prohibuit, &c. Apud Wiſigothos intra ſextum gradum nuptias prohibitas fuiſſe, ex *lib. 3. tit. 5. §. I.* apud Græcos item, ex Georgio Pachymere *Hiſtor. lib. 6. & lib. 9. c. 4.* diſcimus. V. Car. du Freſne *in Gloſſar.*

Generoſi, Raph. Regio dicuntur, qui à Nobilibus genus ducunt. V. C. Nepotem *in Cimone.*

Geneſia, Græcè Γενέσια, dies dictus eſt, quo quis eſt fato functus, ſicut *Geneſblia*, quo in lucem prodiit, Ammonius. V. Cæl. Rhodiginum *Antiqq. Lection. lib. 17. cap. 21.* & infrà, ubi de *Genethliaco Feſto*, nec non voce *Natalis*.

Geneſis, nomen doctrinæ reconditioris, apud Ægyptios, ad cujus ἀκρόασιν nemo, niſi circumciſus admiſſus. Origenes *Epiſt. ad Rom. cap. 2. lib. 2. Apud Ægyptios — nullus aut Geometriæ ſtudibat, aut Aſtronomiæ, quæ apud illos præcipua ducitur, nullius certè Aſtrologiæ &* Geneſeos, *quâ nihil divinius putant, ſecreta rimabatur, niſi circumciſione ſuſceptâ.*

Geneſius Marcianus, Syrus, Mammææ, Mæsâ Juliâ Aug. ſorore genitæ, maritus, ex ea Alexandrum Sev. Imp genuit, Dio: quem tamen Varii filium vocat Lampridius. V. Caſaubonum *ad hunc Auctorem.*

Genethliaci, dicti ſunt qui ex natali conſtellatione omina captabant. A. Gellius *lib. 14. cap. I.* Auguſtino *Planetarii, Confeſſ. l. 4.* Iſidoro *Mathematici, Orig. l. 8 c. 9* Perſio *Horoſcopi, Sat. 6.* Ipſi ſeſe *Chaldæos* appellabant, de qua voce Cic. *de Divin. lib. 2. Chaldæi non ex artis*, inquit, *ſed ex generis vocabulo nominati, diuturnâ obſervatione ſiderum, ſcientiam putantur effeciſſe, ut prædici poſſet, quid cuiq́ eventurum & quo quisq́ fato natus eſſet:* & *Mathematicos*, quò ſpecioſo hoc nomine facilius imponerent. Unde Sextus Empiricus

ricus adv. Mathem.lib. 5. ait, se isto libro non scripturum adversus Astronomiam, ἀλλὰ πρὸς γενεαλογίαν, ἣν σεμνοτέροις κοσμοῦντες ὀνόμασιν οἱ Χαλδαῖοι, Μαθηματικοὺς καὶ Ἀστρολόγους σφᾶς αὐτοὺς ἀναγορεύουσι, *Sed adversus genealogiam, quam Chaldæi magnificis ornantes nominibus, se ipsos Mathematicos appellant ac Astrologos.* Hinc etiam in Cod. Theod. & Justin. *Tit. de Maleficis & Mathematicis* & Impp. *in l. 9.* ad omnem ambiguitatem vitandam *Chaldæos* & *Mathematicos* conjungunt, ac omnem divinandi curiositatem perpetuâ lege silere jubent. Vocantur etiam *Babylonii* Julio Firmico *lib. 2. Astron. c. 3.* unde & *numeri Babylonii*, apud Horatium *lib. 1. Od. 2.*

—— —— Nec Babylonios
Tentaris numeros.

Ab inventoribus hujus scientiæ Babyloniis, à quibus eam in Græciam Berosus attulit, Salmasius *ad Solinum pag. 647.* Cæterùm etsi *Chaldæorum* nomen plerumque male audiit, utpote quo homines divinandi ex astris artem profitentes designarentur, tamen inter ipsos etiam Chaldæos fuisse, qui artem hanc minimè probantes eam ut vanam & suspectam haberent, luculenter testatur Strabo *Geogr. lib. 16.* ubi docet, Chaldæos ab ultima antiquitate Philosophiæ rerumque naturalium contemplationi deditos, singularem ac præcipuam curam Astronomiæ seu corporum motuumque cœlestium observationi impendisse: inter quos cùm aliqui in Astrologicis prædictionibus totum studium ponerent, à cæteris improbatos esse. Scripsit contra eosdem ex Veteribus Cic. *de Divin. lib. 2.* Sextus Empiricus *lib. 5. adversus Mathem.* Simplicius *in Epictetum c. 1.* Inprimis egregia atque illustris Favorini contra illos disputatio est apud A. Gellium *lib. 14. cap. 1.* cui in tota antiquitate vix similem reperias: ubi succinctè ac nervosè futilissimæ Artis fundamenta penitus subvertit. Inter recentiores præ cæteris eminent Hieron. Savanarola *in lib. adv. divinatricem Astrologiam*, J. Picus Mirandulanus *lib. 12. Disput. in Astrologiam*, Alex. de Angelis *l. 5. adv. Astrologos*, Sixtinus ab Hemminga *in Astrologia refutata*, Georg. Ragusejus *de Divin. lib. 1.* & Gassendus *in Phys. lib. 6. Sect. 2. ubi de Siderum effectibus agit.*

Genethliacum Festum, quotannis olim redibat, sicque dicebatur, quo memoria *nati natalisque* alicujus recolebatur. Plautus *in Persa, natalem diem* vocat,

—— hoc age accumbe,
Nunc diem suavem meum natalem inter nos agitemus amœnum.

Natalitia Cic. *Philippic. lib. 2.* Erat illud primò Principum progeniei proprium, mox aliis, etiam Philosophis, non viventibus solùm, sed & fato functis, exhiberi cœpit. Unde natum inter Γενέσια & Γενέθλια discrimen, de quo V. Suidam: & inter sacra publica ac privata. Cunctis religio inerat maxima: constitutæque, ne in demortuis omitteretur, usuræ, ad solvenda convivia, uti liquet ex illustri planè *Inscr.* marmoreæ tabellæ Bergomi, in Æde Benedicti, descript. Grutero *p. DCCLIII.* Eadem festivitate munera ab amicis missa, pro cujusque arbitrio: Imperatoribus nonnullis statutum pretium placuit. Exhibiti Ludi Theatrales, aliaque facta, de quibus latiùs dicemus infrà, ubi de *Natali Die*, V. quoque supra in verbo *Commendare*. De *Genethliaco* verò carminis genere, V. Jul. Cæs. Scaligerum *Poetic. l. 3. c. 102.* & plura huc pertinentia, ubi de *Nativitate* & *Natalitiis Ritibus*, nec non in voce *Puerperium*.

Genetyllis, adde: Huic, ut & Hecatæ, pro nascentibus vota olim fiebant, canisque immolabatur, non ob pariendi facilitatem, neque ob animalis sinceritatem, sed propter vigilantiæ, audaciæ ac fœcunditatis omen. Eidem festum à mulieribus, pro gravidarum partu, celebratum fuisse, refert Hesychius. V. Aristophanis Scholiasten, Thom. Bartholinum *de Puerperio Veterum* &c.

Geneva, adde: Plura de celebri hac urbe. V. apud Jac. Sponium *Histor. Genevæ.* Idem nomen illustris Familiæ, tit. Comitum insignis, sibi vindicavit: quæ ramus Thoireæ, non incelebris olim. In Thoireis primus reperitur Hugo Dn. *de Thoire*, circa A. C. 1080. Accessit dein titulus *de Villars*, & in penultimo stirpis Humberto *Comitum Genevæ*: quemadmodum in secundo-genitis nomina *de Beauvoir* & *de Montelier* inveniuntur. Et quidem Rudolfus Comes *Genevæ*, extinctus A. C. 1269. ex Maria Dna *de Varey*, fil. Hugonis Dn. *de Coligny*, Amedæum II. genuit, qui defunctus A. C. 1280. ex Agnete Cabillonensi, reliquit Guilielmum, patrem, ex Agnete de Sabaudia, nepte Thomæ de Sabaudia Com. Mauriennæ Princ. Pedemontii, Amedæi III. Com. qui obiit A. C. 1367. pater ex Mathilde Com. Arverniæ & Bononiæ, Mariæ Comitissæ *Genevæ*, quæ nupta Humberto VII. Dno *de Thoire & Villars*, filio Humberti VI. nepoti Humberti V. pronepoti Humberti IV. abnepote Humberti III. extincto A. C. 1423. ex eo suscepit Humbertum VIII. Dn. *de Rossilion & Annonay* Com. *Genevæ*, post avunculum Clementem VII. Papam; qui obiit ante Patrem A. C. 1406. & Luisam uxorem Guilielmi Viennensis Dn. *de S. George Seurre* &c. V. Phil. Jacob. Spenerum *Theatr. Nobil. Europææ Part. II. p. 64.* Sed *Comites Gebennensi* hi dicti occurrunt in vett. monumentis, non *Genevenses* aut *Gebennenses*, adeoque à *Gebennensi* agro, non ab urbe *Geneva* seu *Gebenna*, uti rudioribus seculis urbs appellata est, nomen habuere. Cumque processu temporis aliquot ex illis id nominis sibi assertum irent, *Petrus* inprimis, qui floruit circa A. C. 1370. atque in nummis à se cusis *Comitis Gebennensis* titulo insigniri voluit, opposuere se acriter Episcopi Gebennenses, interque eos Joannes Ludovicus de Sabaudia inprimis, uti præfatus Cl. Sponius pluribus docet ubi suprà *Tom. 1. lib. 2. pag. 47. & 48.*

Genialia, sunt omnia, quæ ad conjugum res pertinent, & *Genius* præses nuptiarum & thalami. Quorum hic præcipuè, sine adjectione ulla, *Genialis* dicitur, Juvenalis Sat. 10.

—— Thorusque palàm Genialis in hortis
Sternitur.

Id est, thorus nuptialis, de quo V. infrà ubi de *Lecto Geniali.* Hinc & *Genialia Jura Deûm*, apud Statium *Thebaid. l. 3. v. 689.* Ad quem l. Lutatius, *Conjugialia*, inquit. *Et bene uxor super conjugis juravit partes. Viri enim Genialia conveniunt mulieribus. Hoc est, mulieres fas est omnia in conjugio maritis accidentia participare. Genialia fœdera*, apud eundem *Achilleid. l. 2. v. 54.* conjugium &c. Inde vox ad quamcunque lætitiam extensa: unde *Geniales Dii*, Ceres & Bacchus eidem, *Thebaid. lib. 12. versu 618.* &c. Id verò observabant vetustissimi mortales, ne aliquid *geniale* facerent, à sepulchralibus statim officiis reversi. Hesiodus Ἔργων *lib. 2.*

Μηδ' ἀπὸ δυσφήμοιο τάφου ἀπονοστήσαντα
Σπερμαίνειν γενεήν, ἀλλ' ἀθανάτων ἀπὸ δαιτός.

Sic mortuos abominabantur, & obvia funera declinabant; quod cùm præsentiret Sophista Jamblichus, apud Eunapium, purissimi spiritus Diisque amicissimus habebatur. Unde Ovidius de infelicissimis nuptiis Terei & Progues *Metamorphos. lib. 6.*

Non Hymenæus adest illi, non gratia, lecto,
Eumenides tenuere faces de funere raptas,
Eumenides stravere thorum ——

Interim post usum Veneris non minùs purificabant corpora, ac post tactum defunctorum, quod polluti etiam faciebant lege divina pariter Hebræi. Hesychius, ἁγνεύειν, καθαρεύειν, ἀπὸ τοῦ Ἀφροδισίων καὶ ἀπὸ νεκροῦ. V. C. Barthium *ad Statium Thebaid. lib. 1. vers. 112*

Geniatus, apud Jul. Capitolinum *in Vero*, *Fuit decorus corpore, vultu* geniatus, *barba propè barbaricè demissa* &c. Salmasio Gr. ἐπίχαρις, qui facie est venustâ & geniali & plurimùm gratâ, atque amabili. *Genius* enim, inquit, venustas est & gratia, differtque à forma, ut venustas à pulchritudine. Uti proin sunt pulchri quidam, qui venusti non sunt: Sic aliqui vultu formosi, qui minimè tamen *geniati* sunt. *Geniatum* igitur in vultu est τὸ χαρίεν. Sidon. Apollin. *Epithal. Ruricii*

Quantus honos geniusque genis ——

Sed & Vopiscus *in Carino* genium ἀντὶ χάριτος usurpavit, pro eo quod Græci ὥρας σώματος dicunt &c. V. plura hac de voce apud eum *Not. in Capitolinum d. l.* Majorem emphasin in voce Barthius quærit, *ad Statium lib. 1. Sylv. 1. v. 1.* ubi Equum Max. Domitiani Imper. *molem geniatam* vocat Poëta, quasi Numen seu *Genium Principis* in illa machina agnosceret. Unde idem infrà *versu 56.*

—— insessaque pondere tanto
Subter anhelat humus; nec ferro aut ære laborat,
Sed Genio ——

V. de pondere Numinum eundem Barthium *ad Claudian.* Adr. Behotium *Apophoret. lib. 1. cap. 9.* & infrà in hac voce. Intelligit autem Numen Domitiano peculiariter addictum & familiare, quo aulam quoque ejus impleri, eoque juvari ipsum, dicit in *Epulo lib. 4. Sylv. 2.* Eundem memorat *in Abasc. Carm. 5. v. 73.*

—— cunctis supplex advolveris aris,
Et mitem Genium *domini præsentis adoras.*

Certè *Genii Principum*, inque Fanis & simulachris eorum; apud multos Scriptores occurrunt. Sic Templo *inferre Genium* jubet Herculem, idem Papinius *lib. 3. Sylv. carm. 1.*

Huc ades & Genium *templis nascentibus infer.*

Et *Genio Augusti* speciatim dedicatum Templum, refert Suetonius *in eo cap. 60.* &c. V. præfatum Barthium *Animadvers. ad Statium d. l.* nec non hic paulo infrà.

Genista, flore albo, justâ proceritate arborescit, lignosas & arboreas radices agit, cinericio caudice assurgit, numerosos implexosque ramos viridi pallore tingit; ex iisdem virgulas more passi dissiparique capillamenti demittit densissimas, prætenues, ferè cubitales, ramulosas, lentas, instar viminis obsequibiles, ocellisque distinctas creberrimis; unde rubi foliolis minutiora folia, flosculique imo tantùm nodulo rubentes cætera candidi existunt, pulchrè pendulis floridis virgulis, tanquam lineis margaritarum. Vere toto vernat &c. Auctor Anon. *Sin. & Enr. cap. 33.* Græcis σπάρτιον dicitur, non quòd ex genere sparti sit, quod nomen Latini de solo Hispanico vel Africano sparto usurpavere, sed quòd torquendis restibus & funibus idonea, cujusmodi herbam omnem σπάρτον Græcos appellasse notum. Unde Græci vett. ut *genistam à sparto* distinguerent, ferè addere

consuevere, *σπαρτία ὡς τὰς ἀμπέλους δεσμεῖται*. Ligandis enim vitibus servire, ex Galeno, Paulo, Plinio discimus: Sicut inde fructus suspensos, habet Martialis *lib. 1. Epigram. 44.*

Non tyra, quæ lenta veniunt religata genista &c.

Quam in rem V. plura apud Salmasium *ad Solinum p 263. & seqq.* ubi inter alia *τὰ σπάρτα* apud Homerum, quibus naves suebantur antiquitus, non de *genista*, sed de lino vult accipi, & Plinium insuper, *ex genista in Asia fieri lina ad retia pracipua, in piscando durantia*, docentem *lib. 19. cap 2.* refellit. Idem Plinius *tingendis vestibus aptas genistas*, habet *lib. 16. cap. 18.* & flores ad coronamenta quoque adhibitos. *libro 21. cap. 9.* Sed & nodulum, decerptum vitrinæis digitis, acetoque & sale conditum, vel sale tantum, si in vase firmo, aut linteo pondus accipiat, ne putrescat aut mucorem trahat ex aere, delitias præbere palato, quin & renes purgare, olivis Italicis longè efficacius, scribit idem Anonymus Auctor *d. l.* ubi de *genistæ* genere, inter Rhenum & Mosellam nascente agit, è cujus trunco lignoso nasci prætenues virgulas teretes, minutis foliis vestitas, quæ hinc demptis scoparum faginarum, imò & setacearum, suppleant vices, addit.

Genistæ, apud Papiam, *Heretici sunt Judæorum, quod è genere Abrahami se esse gloriarentur.* sic dicti.

Genita Mana, qualis olim Genius fuerit, docet Plutarchus *in Quæst. Rom. q. 52.* *Διὰ τί*, inquit, *τῇ καλουμένῃ Γενείτῃ μάνῃ κύνα θύουσι, καὶ κατεύχονται μηδένα χρηστὸν ἀποβῆναι τῶν οἰκογενῶν*; *ἢ ὅτι δαίμων ἐστὶν ἡ Γενείτα περὶ τὰς γενέσεις καὶ τὰς λοχείας τῶν φθαρτῶν*, *Cur* Genitæ, *ut vocant, Manæ canem immolant, votaq; faciunt, ne domi quis bonus nascatur, nisi quia genius est Genita, ortui & puerperio rerum corruptibilium præpositus?* Et paulo post, ut Romanos *Genitæ*, ita Græcos Hecatæ canem, pro nascentibus sacrificare dicit. Votum autem id, *Ne domi quis bonus nascatur*, explicat Bartholinus, *ne quis imbellis, lib. de Puerperio veterum.* Nempe Dea *genendi*, *Genita* dicta est, ut *Morta*, Dea moriendi, & *Pota*, Dea potus. *Mana* autem cognominata est, h. e. *bona*, non à *manando*, ut Plutarchus interpretatur, quasi præses sit *τῆς γενέσεως καὶ λοχείας τῶν φθαρτῶν*. Itaque *Genita Mana*, idem est quod *Genita bona*, ut *Cerus Manus*, in carmine Saliari, *Creator bonus.* Salmasius *ad Solinum pag. 412.* V. quoque de hac generationis Dea Sam. Bochartum *Hierozoici Parte prior. lib. II. cap. 56.*

Genitales Dii, qui genituræ humanæ præesse olim crediti sunt, fuere vel majorum gentium, ad nativitatis providentiam electi, diversi à Genialibus, propriè *Indigetes*, vel *Tutelares*, quibuscum consilium de rebus Achivis iniit Jupiter: *Γενέθλιοι* Græcis, quibus placidis vel iratis, prout quisque natus, ita felix vel infelix censebatur. De quibus intelligendus locus Ovidii *lib. 1. ex Ponto Epist. 8.*

At tibi nascenti, quod toto pectore lætor,
Nerunt fatales, fortia fila Deæ.

Ubi de hisce Diis placidis loquitur, sicut de iisdem iratis Plautus *Cistell. Act. 3. Sc. 1.*

Scelestus natus Diis inimicis omnibus.

Quorum in numero *Neptunus*, humore suo nativitatem promovens; cujus ædes Natalitiæ Lacedæmone &c. Vel minorum, ut *Parcæ*, *Partula* aliique complures, de quibus V. iterum Thom. Bartholinum *de Puerperio veterum pag. 51. & seqq.*

Genitales Notæ, apud Ammianum *lib 22.* *Est enim Apis bos diversis* genitalium notarum *figuris expressus, maximaq; omnium corniculantis lunæ specie dextro latere insignis*; Græcis sunt *τὰ ἐμφυῆ σημεῖα*, quas *ingenitas* & *ingenuas notas* vocat Solinus *cap. 32* *genitivas* Suetonius *in Augusto cap. 80.* *Corpore traditur maculoso, dispersis per pectus atq; alvum genitivis notis, in modum & ordinem ac numerum stellarum cælestis Ursæ.* *Notam generis naturalem*, Justinus *lib. 15. cap. 4.* ubi de Seleuco: *Originis ejus argumentum etiam in posteris mansit: Siquidem filii nepotesq; ejus, anchoram in femore* (quæ nata cum Seleuco parvulo fuerat) *veluti notam generis naturalem habuere.* *Ingenitum signum*, de eodem agens Ausonius, ubi de Antiochia:

——— ——— ——— *illa Seleucum*
Nuncupat ingenuum, cujus fuit anchora signum:
Qualis inusta solet generis nota certa per omnem
Nam subolis seriem nativa cucurrit imago &c.

De cujusmodi *Notis* haud protrita observavit Mich. Piccartus *Dec. 1. cap. 7.*

Genialitii Ludi, apud Jul. Capitolinum *in Pertinace*, quibus nativitatis memoria recolebatur. V Casaubonum *ad Spartianum in Hadriano*, & Salmasium *ad Capitolin.* nec non infrà, ubi de *Natali Die.*

Genius, adde: Colebatur *Genius* olim cujusque votis, numinis, statuis, & adhuc illustris apud Gruterum *pag. 109.* inscriptio, ex templo Herculis in Capitolio, ubi *Genio* pro salute Imperatoris ædes reparata: *Pro. Salute. D. D. Imp. Pii. Fel. Aug. et. matris. Aug. N. et. Kastror. ædem. Genio. cali. Adjanti. manipuli. ejus. sua. pecunia. refecerunt.* Per eum soli fere viri jurabant, sicut per Junonem plerunque fœminæ. Unde Seneca *Epist. 12.* *Villicus jurat per Genium meum se omnia fecisse*: nec minori religione per *Genium* Principis, quod maximum apud Veteres juramentum fuisse, demonstrat Tertullianus *Apolog. cap 28.* *Citiùs deniq; apud vos per omnes Deos, quàm per unicum Genium Cæsaris pejeratur.* Videbatur verò *Genius* variâ formâ, ater subinde & pelle amictus &c. V. plura apud Thom. Bartholinum *de Puerperio veterum*, Joh. Rosinum *Antiqq. Rom. lib. 2. cap. 14. cum Paralipomenis* Th. Dempsteri &c. Ut de *Geniis* Regionum, Civitatum, Locorumque aliquid adjiciam, Græci illos *ἐγχωρίους θεοὺς*, *Δαίμονας*, *Ἥρωας* dixere, *locorum sanctos incolas*, Gratius. Illorum enim unicuique *Genium* suum præesse credebant Veteres. De Regionibus Petronius, *Nostra regio tam præsentibus plena est Numinibus, ut facilius possis Deum, quam hominem, invenire.* De civitatibus Arnobius *lib. 1.* *Prudentissimi vobis videntur — qui Faunos, qui Fatuas, civitatum* Genios, *qui Pausos reverentur atq; Bellonas.* De locis quibuslibet Servius *Georgic. lib. 1.* Genium *dicebant antiqui naturalem Deum uniuscujusq; loci.* Vetus *Inscr.*

I. O M. - I- G-NO LOCI
HVIVS. Q. CÆCILI
VS. SECVNDVS
LEG. C. SERENI
PRocos. GALLIÆ
TRANSALPINÆ
V. S. L. M.

Sic *Genius Centuriæ*, *Genius Coloniæ*, *Genius Conventus*, *Genius Fontis*, *Genius Horreorum*, *Genius Lavacrorum*, *Genius Municipii*, *Genius Patriæ*, *Genius Theatri*, *Genius Venaticiorum* &c. memorantur passim in Lapidibus. De Mensis, Hesychius, in voce *Ἐπιτραπέζιος*: sic enim vocabatur, cujus simulachro mensæ decorabantur. De navibus Herodotus, qui *Παταίκους* vocat, quorum simulachra in navibus sculpebantur aut cælabantur. De portis quoque, ac stabulis, Prudentius *adv. Symmachum lib. 2*

Quanquam cur Genium Romæ mihi fingitis unum?
Cùm portis, domibus, thermis, stabulis soleatis
Adsignare suos Genios

Quâ de re V. Casp. Barthium *ad Statium Thebaid. lib. 1. vers 3?7.* ubi, sicut *Fortunas*, ita *Genios*, cuique loco adscripsisse priscos docet: Nec non ejusdem *Commentaria Superstitionum*, & *Animadversiones Rutilianas lib. 1. vers. 126.* Istiusmodi itaque *Genium* propitium sibi mutuò Veteres apprecabantur, Tertull. *de Idolol cap. ?.* Et cùm ingrederentur primùm aliquam regionem aut postliminiò in eam redirent, solebant eam religiosè salutare, in *Genii*, quem ei præesse credebant, honorem, Idem *Apologet cap. 21.* Eidem sacrificabant, Heliodorus *Æthiop. lib. 10.* multoque coronarum conjectu honorabant, Tibullus *lib. 2. Eleg. 2.* Etiam discessuri aliò, post sacra itidem peracta, quod *θεοῖς τὰ ἀποβατήρια* dixere Græci, ei *vale* dicebant. Ovidius *Metamorph. lib. 13.*

Troja, vale, rapimur, clamant, dant oscula terræ
Troades ——

De quibus ritibus multa apud Meursium *ad Lycophronem sub fin.* de *Genii* verò vocabulo *πολιούχου* Romanis, de *Geniis* item *magnis*, urbium regionumque præsidibus, V. Vossium *de Idolol. lib. 1. cap. 18. & 2. cap 62.* &c. A' *Genio* cœna, quæ à novo marito dabatur Sponsæ, die nuptiali, ut & comitibus ejus, Claudiano *Geniales epulæ*, dicta est: in quam aliquando majores sumptus, quàm in alia convivia, facere legibus Liciniâ & Juliâ permissum erat. Lectulus dein nuptialis componebatur, quem proprio nomine *Genialem* appellatum, Servius ostendit *in Æn. lib. 6.* toga verò sterni & maritorum *Genios* advocari consuevisse, docet Arnobius *adv. Gentes lib. 3* Et hinc fortasse *sacri Genium lecti* Juvenalis dixit. Eundem postea pro puerperis quoque stratum esse, suadet Prudentius *lib. 1. contra Symmachum*, uti infrà pluribus dicemus de *Lect. Geniali.* V. quoque suprà quædam in vocibus, *Genialis*, item *Geniatus*: ut & Schol. Martialis *lib. 7. Epigramm. 12.* ubi *Genium* cujuscunque rei gratiam, Venerem, leporem, dictum esse addit &c.

Gennesara, Lacus Galilææ, *Tiberiadis* aliàs, quod *Tiberiam* opp. ab Occid. ejus situm, item *Tarichea lacus*, quod à Merid. *Taricheam* haberet, ubi plurimæ *ταριχεῖαι*, i. *salsuræ*; nomen accepit à reg. cognomine, de qua ut & lacu V. Salmasium *ad Solin. p. 578. & seqq.* nec non in voce *Genesareth.*

Gens, apud Plinium *lib. 6. cap. 8.* ubi de Cappadocia, *Decem verò omnes in Asia dictas* gentes, *plurimis superfusa populis*; a *populo* distinguitur, sic, ut una *gens*, in complures *populos* dicatur divisa. Et sanè multi populi in una *gente*, imò, quot in unaquaque civitates, tot populi sunt. Sic idem in Galatia *sex gentes* numerat, populos verò 195. ut vidimus suprà. Et de India, *gentium in ea novem millia fuisse populorum autem innumeram multitudinem*, scribit: ad quem locum, V. Salmasium *ad Solinum pag. 99.* V. quoque suprà in voce *Demus.* Addo id solùm, non solùm singularum personarum, sed populorum quoque, imò & *Gentium*, statuas olim & simulachra facta esse: ut populi Romani apud Rhodios & alibi. *Simulachris gentium*, inter ornamenta Theatri Pompejani, memorantur Suetonio *Nerone cap. 46.* De quibus Plinius, *à Coponio XIV. nationes, quæ sunt circa Pompeji, factas*, Varronem tradere, scribit *lib. 36. cap. 5.* Et Martinus Polonus *in Chron.* *Erat Romæ consecratio [illegible] statuarum, quæ statuæ scriptum nomina gentis in pectore, cujus [illegible] habebant,* Pompeji exem-

pla

plum imitatus est Augustus, si quidem ex fide scribit hæc Servius: *Porticum Augustus fecerat, in qua simulachra omnium gentium collocaverat; quæ porticus appellatur, Ad nationes.* Cujusmodi imagines, à qualibet gente missas, in funebri pompa Principum quoque productas, discimus ex Dione, ubi de exsequiis Augusti, item ubi de funere Pertinacis. V. Casaubonum *ad Suetonium d. l.*

Gentiana Castra, in VII. reg. ponuntur à P. Victore; *Vicus* verò *Gentianus* dicitur Sexto Rufo: in quo quæ fiebant pocula, *Gentiana* vocabantur. Martialis,

Nec desunt tibi vera Gentiana.

V. Salmasium *ad Trebell. Pollionem in Gallienis,* & *ad Martialem lib. 4. Epigr.* 38. De radice vero *Gentiana*, cui à *Gentio*, de quo suo loco, Illyriorum Rege, nomen inditum, Auctorem Anonymum *Sina & Europa cap* 31. *sub fin.*

Gentilis, apud Ciceronem 1. *Tuscul. Quæst. Pherecydes Syrus primus dixit, animos hominum esse sempiternos; Antiquus sanè: Fuit enim meo regnante* Gentili: est cujusdam familiæ ac stirpis. Tullium enim Regem indigitat, ad quem genus Ciceronis etiam Scriptores nonnullos retulisse, Plutarchus quoq; testatur, etsi non de Romano illo sermocinetur. Sic cùm de malè sano homine dicimus, *ad Gentiles* deducendum, ejusdem familiæ homines intelligimus. Varro *de Re Rust. lib* 1. *cap.* 2. *Duo spectanda in colendo, quorum si alterutrum decollat, & nihilominus vult colere, mente est captus, atq; ad agnatos &* Gentiles *deducendus.* Nempe *Gentiles* sunt cognati, sanguine juncti, communem prosapiam contestantes, ut inter alia ex *Decreto* vet. Orientalium apud Sardicam Episcoporum, ex Parte Ariana, cum *Fragmentis Historicis* Hilarii edito, docet Barthius. Sed & Philoxeno *Gentilis* συγγενὴς est. In vetustissimo tamen *Jure Græco-Romano XII. Tabb.* separantur *Gentiles* ab agnatis, uti clarum est ex verbis relatis Cornificio *ad Herenn. lib.* 1 Meliùs igitur Cicero *Topicis, Gentiles sunt, qui inter se eodem nomine sunt. Non est satis. Qui ab ingenuis oriundi sunt. Ne id quidem satis est. Quorum majorum nemo servitutem servivit. Abest etiam nunc: Qui capite non sunt diminuti. Hoc fortasse satis est. Nihil enim video Scævolam Pontificem ad hanc descriptionem addidisse.* Ut sic usus hodiernorum idiotismorum, Hispani, Italici, Gallici, Anglicique, quibus *Gentilis*, pro nobili homine est, ex ipso veteris Eloquentiæ Romanæ profundo petitus videatur. Accessit, quòd multis *Gentilibus* instructi homines, ingruentibus Barbaris, majori æstimatione culti sint & sic in factionem quandam elati, ut res honoris iverit in generis prælationem. Sed & in *Commentariis Antiqui* Statii *Theb. lib.* 4. *vers.* 155. *Gentiles dicuntur, qui generis sui nobilitatem sequuntur & ostendunt,* Casp. Barthius *Animadversion. ad h. l.* Plura hanc in rem V. apud Budæum *ad Pandectas*, Andr. Tiraquellum *de Nobilitate cap.* 2. Andr. Alciatum & Jo. Brechæum *ad cap.* 53. *de Verbor. signif.* Anton. Goveanum *Variarum Lect. lib.* 2. *cap.* 19. cum primis autem Marcum Velserum *Rer. Augustan. lib.* 8. *princ.* At *Gentiles*, in *Cod.* Theodosiano *de Nuptiis Gentil.* alibique, apud Ammianum, Ausonium, ac in *Not.* Imperii, ubi *Schola Gentilium, Schola Gentilium Senior.* dicebantur Romanis, qui, iisdem aliàs *Barbari* appellati, illis militabant, eorum Fœderati, vel qui in Leges Romanas, ultro vel deditione, transibant. Militabant autem sub Dispositione Magistri Officiorum, de quibus plura in prædicta *Not.* & apud Ammianum *libb.* 15. 16. 20. 25. V. quoque Car. du Fresne *Glossar.* &c. Hinc *Gentilia* Sacra, dicebantur apud Romanos, quæ, *gentis* alicujus propria, certis ritibus & ceremoniis colebantur. Cùm enim Sacrorum alia publica, alia privata essent, illa publico sumtu pro populo fiebant; item pro montibus, pagis, curiis, sacellis: Ista verò pro singulis hominibus, familiis, *Gentibusq;* peragebantur. Erantque propria hæc sacra eorum Deorum, quos Penates, itemque Lares nominabant. V. Joh. Rosinum *Antiqq. Roman. lib.* 8. Anglis vocatur *Chappel-service*. Fr. Gouldmanuus &c.

Genu, ex Græco γόνυ, roboris sedes. Artemidorus *lib.* 1. *cap.* 49. Τὰ γόνατα αὐτὸ δὲ ἰσχὺν καὶ κίνησιν εἶναι τοῦ ἀνδρὸς· καὶ αὐτὸς κινήσεως, καὶ αὐτὸς πράξεως εἶναι. Quibus proin debilitatis, totum corpus imbecillum est. Plautus,

Tenebræ oboriuntur, genua *succidunt.*

Horatius,

Et corde & genibus *tremit.*

Quod ductum ex Homericis versibus, de homine timido, *Il.* ν.

Ἀλλὰ μετοκλάζει, καὶ ἐπ' ἀμφοτέρους πόδας ἵζει.

V. Casp. Barthium *ad Claudianum lib.* 3. ubi de Cerere, postquam raptum filiæ rescivit, dicitur,

Hæserunt lachrymæ, nec vox, aut spiritus oris
Redditur, atq; imis vibrat tremor ossa medullis,
Succidui titubant gressus ——

Eadem Misericordiæ consignavit Antiquitas. Plin. *lib.* 11. *cap.* 45. *Hominis* genibus *quædam & religio inest, observatione gentium. Hæc supplices attingunt, ad hæc manus tendunt: hæc, ut aras, adorant, fortassis quia inest iis vitalitas. Namq; in ipsa genu utriusq; commissura dextra lævaq; à priore parte gemina quædam buccarum inanitas inest, quâ perfossâ, ceu jugulo, spiritus fugit.* Aliam rationem V. infrà. Solennem nempe apud Vett. supplicandi ritum, *genua tangere*, fuisse, discimus ex Homero passim: inter alia *Il.* α. ubi de Thetide Jovi supplicante,

—— Θέτις δ' ὡς ἥψατο γούνων,
Ὣς ἔχετ' ἐμπεφυυῖα ——
—— *Thetis autem ut apprehendit* genua,
Ut tenebat inhærens ——

Primùm namque sedere solebant supplices, ante eum, ad quem confugerant, auxilium exoraturi. Dein caput ejus, cui se ingerebant, tangere conabantur, neque totum tamen, sed mentum modò, ut Homero videtur: vel barbæ meditullium quod Euripides probat. Id verò διὰ τὸ ἡγεμονικόν, *quia pars ea in nobis præcipua*, utpote τοῦ λογικοῦ seu *rationalis potentiæ* sedes est. Quòd si caput contingere non dabatur, dextram prehendebant, διὰ τὸ πρακτικόν, *quoniam maxima ei ad agendum facultas*: Quam si quoque removeret is, cui supplicabatur, ut apud Eurip. factum legimus, ἐγὼ σε δεξιὰν κρύπτοντα καὶ πρόσωπον ἔμπαλιν στρέφοντα, *Video te dextram occultantem & vultum avertentem*: ultima anchora *Genua* erant, quæ utraque manu amplexi, διὰ τὸ βαδιστικόν, quòd progrediendi ad auxilium instrumenta essent, iis tenaciter inhærebant. Quo factum ut solo verbo γονάζεσθαι totus aliquando supplicandi ritus denotetur. Apud eundem Poëtam Thetis paulo antè duo simul membra tetigisse, dextrâ mentum, sinistrâ *genua* Jovis, memoratur: cùm inquit,

—— —— —— Καὶ λάβε γούνων
Σκαιῇ, δεξιτερῇ δ' ἄρ' ὑπ' ἀνθερεῶνος ἑλοῦσα.
—— —— —— *Et prehendit* genua
Sinistrâ manu, dexterâ autem sub mento apprehendens.

Et hinc fortè factum, quòd Reges & Principes olim, præcipuè verò Tyranni, non manus solùm, sed & *Genua* subditis exosculanda præberent. Quem morem tangit Amm. Marcellinus *lib.* 28. *Ex his quidam, cùm salutari pectoribus oppositis cœperunt, osculanda capita in modum taurorum minacium obliquantes, adulatoribus offerunt* genua *suavianda & manus.* V. Laurentium JC. *Notis in Phædrum Fab.* 1. *lib.* 5. Neque verò eorum solùm *genua* complexu impedimus, quibus supplicamus, sed & *genu* tenus demissâ manu salutamus obvios, honoratiores præsertim, quod Ægyptiis jam olim in usu fuisse, scribit Herodotus *lib.* 2. imò ipsi *genua* flectimus, hinc militaris nostræ contestandæ ergò: de quo ritu antiquissimo precantiū adorantiumq; Deum ac Principes dici multa possent, alibi monenda. Etiam in S. Cœna, quam Veteres accubitu faciebant, Agapis conjunctam; dein stantes celebrabant: postmodū *de genibus* sacra mysteria sumi cœperunt. V. Franc. Burmannum ubi *de S. Cœnæ nominibus, personis, symbolis, Syn. Theol. Christ. Part. post. lib. VII. cap.* 10. §. 46. In *Kal* Maronitarum, apud Allatium *in Symmictis pag.* 103. *Genuum positio* appellantur pœnitentiæ causâ ducentæ, trecentæ aut plures factæ *genuflexiones* publicæ, ita ut *flexis genibus* & exosculati terrā illico resurgant, teste Gabriele Sionita, apud Car. du Fresne *Glossar.* De *genuflexione*, in sacris Ecclesiæ Rom. V. Macros Fratres *Hierolexico*, ut & infrà ubi de *Metanœa*, item in voce *Venia*. Porro memorabilis & ad victoriam efficax status fuit Chabriæ Ducis Atheniensium, in prælio contra Agesilaum summum Ducem, cùm is fugatis jam conductitiis catervis, *reliquam phalangem loco vetuit cedere, obnixoq;* genu *scuto, projectaq; hastâ impetum excipere hostium docuit. Quod usq; eo in Græcia fama celebratum est, ut illo statu Chabrias sibi statuam fieri voluerit, quæ publicè ei ab Atheniensibus in Foro constituta est. Ex quo factum, ut postea Athletæ, cæteriq; Artifices his statibus in statuis ponendis uterentur, in quibus victoriam essent adepti*, apud Corn. Nepotem *in eo.* At poplite in alterum *genu* imposito digitisq; pectinatim implexis, assidere parturientibus, superstitio prisca vetabat, cujus originem à facto Lucinæ arcessit Ovidius, quæ impeditura Junonis jussu partum Alcumenæ, ante januam ejus sedit,

—— *dextroq; à poplite lævum*
Pressa genu, *digitis inter se pectine junctis*
Sustinuit partus ——

Metamorph. lib. 9. Qua de re V. Thom. Bartholinum *de Puerperio Vet.* & plura huc facientia, infrà ubi de *Poplitibus*. Addam saltem, *genibus* nixos Deos Nixios pingi fingique consuevisse. Festus, *Nixii Dii appellantur tria signa in Capitolio, ante cellam Minervæ*, genibus *nixa, velut præsidentes parientium nixibus.* Quo eodem gestu statuam sibi erigi voluisse Ludovicum XI. Galliæ R. Chassanæus memorat, *de Gloria Mundi.*

Genua, adde: Cives initio libertatis suæ, ab anno Chr. 1100. Præfectos habuere; dein instituti Consules vario numero à binis ad denos & 24. Senatores. Prætor iis additus est, jussu Friderici I. A. C. 1194. Postea accesserunt Præfecti populi, singuli aut bini & aliquando omissi mirâ fluctuatione. Tandem compescendis factionibus, quæ inter Nobiles Plebemque frequentes erant, Dux creatus A. C. 1327. quod institutum, semel tantùm per triennium omissum, duravit usque ad A. C. 1390. Creatus autem Dux est, ex Nobilitate vel Plebe, in biennium. Anno verò modò dicto, ob Guelforum & Gibellinorum, Spinolarum & Auriorum, Fliscorum & Grimoaldorum factiones, in fidem sese dedere Carolo VI. Gall. R. exin in Vicecomitum Mediolan. potestatem concessere, à quorum jugo liberati sunt A. C. 1444 virtute Simonis Buccanigræ, Thuanus *lib.* 61. Ludovicus dein XII. & Franciscus I. Galliæ Reges *Genuam* recuperarunt; sed vindicatâ eâ per Carolum V. à Gallorum imperio, nova Reip. forma ab Andr. Auria, qui propterea

pterea *Patris Patriæ* elogium tulit, instituta est, A.C. 1528. Creati nempe Duces, quorum electio sorti commissa, potestas biennio definita est: Duci additi Gubernatores VIII. totidem Procuratores, V. Syndici. Quæ forma Reip. perstitit ad A. C. 1574. quo dissensiones inter Populum denuo Nobilesque extitere, quas Maximilianus II. Imp. Philippus II. Rex Rom. & qui tum Romæ sedebat Pontifex, sustulere, Idem: Plura hanc in rem V. apud Georgium Hornium *Orb. Polit. Part. 2. pag. 247. & seqq.*

Genutia Lex, quam tulit L. Genutius Tribunus Pl. C. Marcio Rutilio IV. Q. Servilio Halâ Coss. anno U. C. 411. fuit: *Ut liceret ambos Consules ex plebe creari*, V. Livium *lib. 7.* Alia ab eodem auctore, eodemque anno rogata, voluit: *Ne quis eundem Magistratum intra decem annos caperet, neu duos Magistratus uno anno gereret*, Idem *ibidem*. Alia eodem anno, eodemque auctore lata, fuit: *Ne fœnerare liceret* Ejus meminit similiter Livius *libro præfato*. Fuit & *Genutia Æmilia* lex, quam tulere ex SC. Cn. Genutius Aventinensis, L. Æmilius Mamercinus Coss. anno 390. *Ut, qui Prætor maximus esset, Idibus Septembris clavum pangeret.* Liv. iterum *lib. 7.* ubi addit: Legem ætate sua fuisse priscis literis verbisque scriptam, clavumque, quia raræ per illa tempora literæ erant, notam numeri annorum eoq; Minervæ templo dicatam legem, quia numerus à Minerva inventus sit. V. Joh. Rosinum *Antiqq. Roman passim.*

Geographia, est terræ universæ, quatenus nobis cognita est, descriptio, sicut *Cosmographia* totum Mundum, tam elementarem, quàm æthereum; *Chorographia*, regionem, & *Topographia* locum aliquem peculiarem, agrum seu territorium, oppidum, pagum, exsequitur. *Terræ* autem seu τῆς γῆς nomine intelligitur hic Globus Terr-aqueus, partibus suis solidis ac liquidis constans, h. e. ipsa Terra, Aqua & Aër, cujus ambitum *Athmosphæram* vocant. In quo Globo quid sigillatim considerandum sibi hæc Ars sumat, pete ex Cluverio, Varenio, Aliis. Primus autem qui *Geographiam* scripserit, Scylax habetur, quem Latinè reddidit & *Notis* illustravit Is. Vossius. Reliquorum qui proximè ab illo idem conati sunt, vix aliud superest, quàm mera nomina, quales Pytheas Massiliensis, Timosthenes Rhodius, qui Ptolomæi II. Archithalassus fuit & libros 10. *de Portubus* edidit, Eratosthenes, qui sub Ptolomæo IV. vixit, & Timosthenem sequutus dicitur. Hodie, quos ex antiquis frequentius usurpamus, sunt: è Græcis, Strabo, qui *Geogr. lib. 17.* Cl. Ptolomæus, qui *Geogr. Libros 8.* Stephanus, qui Περὶ Ἐθνικῶν; è Latinis, Pomponius Mela, qui *de Situ Orbis lib. 3.* scripsere. Plinius item & Solinus passim *Geographica* miscent, quorum illum fabulosarum narrationum communiter accusatum in multis excusat Auctor Belgicus, *den Anleitenaer over Plinius*, editus A. C. 1650 ad hunc, *Exercitationes* Salmasii non uno in loco perstringit Isac. Vossius *ad Melam*. Porro extat etiam *Itinerarium Antonini*, nec non *Tabula Peutingeriana*, à Velsero edita: quam utramq; reperire est in *Theatro Geogr. Vet.* Bertii Qui nostra ætate *Geographiam* veterem illustrarunt, sunt: Abraham. Ortelius, qui *Thesaurum Geographicum* & *Parergon Geographiæ Vet.* Petr. Bertius, qui *Theatrum* modò citatum; & Jo. Jansonius, qui accuratam *Orbis Antiqui Delineationem*, præmissa Georgii Hornii *Introductione ad Geographiam vet.* & *Atlantem*, edidere. Recentem Geographiam excoluerunt, Gerh. Mercator & Jod. Hondius, qui in fine præt. seculi primi Atlantem modò dictum meditati sunt, à Jo. postmodum ac Wilh. Blaeviis & Joh. Jansonio, ad 8. usque Tomos tandem adauctam. Circa idem fere tempus, Ortelius quoque *Theatrum Orbis Terr.* in lucem emisit. Postea Nic. Sanson Abbævillanus Tabulas Generales totius mundi 98. evulgavit. Quibus adde Vischerum, Fred. de Witt, Alios. Utramque *Geographiam* conjunxere Jo. Maginus, cujus extant *Geographiæ Vet. & Nov. Volumina* II. Phil. Brietius, cujus *Parallela* &c. Inter Compendiorum Scriptores, commendantur, Georg. Fournerius, qui *Geographicam Notitiam per littora Maris & fluviorum*, Eberh. Schulzius, Phil. Cluverius, qui *Introductionem ad Geographiam* Jo. Bunonis *Commentario* illustratam; Henr. Schævius, qui *Sceletum Geographicum* scripsere, Alii. De sola *Geographia Generali* prodiit liber doctissimus Bern. Varenii: cui similis est *Geographia & Hydrographia Reformata* Jo. Bapt. Riccioli *lib.* 12. Bononiæ A.C. 1661. Inter *Onomastica Geographica* excellit antè memoratus *Thesaurus* Ortelii & *liber undecimus Geogr.* Riccioli. Ex iis, qui præter locorum designationem & denominationem in Descriptione Orbis Historiam Civilem & Sacram adjecerunt, eminet Jo. Boterus Italus; in Gallia extant Petrus *d'Avity, Theatre du Monde* &c. In Germania Sebastianus Munsterus *Cosmographiam* edidit, quem Jo. Rau imitari conatus est; Lucas de Linda *Descriptionem Orbis & omnium Rerump.* Jo. Frid. Köpping *Orbem illustratum* edidere; ut *Archontologiam Cosmicam, Collectionem Rerumpublicarum, Hornii Orbem Politicum*, alia, omittam, petenda ex Riccioli suprà laudati *Geograph. Reform. lib. I. & initio lib. II.* V. quoq; Auctorem Anon. *Hist. Orb. Terr. Geogr. & Civ. cap.* 1. quod est *de Præcognitis Geographicis*: de Hydrographiæ verò in specie Scriptoribus, aliquid infra dicemus.

Geomantia, species divinationis, quâ dextra manu temerè lineæ ex punctis constantes in *terra* fiunt, & pro ratione figuræ, quam hujusmodi puncta exprimunt, judicium fertur de quæstionibus, quæ proponi solent. Græcè Γεωμαντεία. Eadem & circulos in arena describit. V. suprà, ubi de *Divinatione*, & plura hanc in rem, apud Bodinum *Dæmonom. lib. 1. cap. 6.*

Geometria, an Mercurii inventum, an Ægyptiorum, apud quos celebres inprimis Petosiris & Necepson, *quorum prudentiam ad ipsa secreta divinitatis accessisse*, ait Julius Firmicus, *Geometriæ*, Astrologiæ ac Astronomiæ inventum sibi tribuere, teste Diog. Laertio *lib.* 1. Cùm enim Nilus subinde exundans agrorum limites confunderet, illi sagaci ingenio *Geometriæ* rationes invenerunt, quarum indicio sua cuique portio bona fide restitueretur: inde ars in immensum crevit, Mart. Capella *lib. de Geogr.* Eam sequentibus temporibus in Sicilia excoluit Archimedes, *Vir in omni Geometria multùm ante alios admirabili subtilitate*, Apuleio *in Apol.* Qui inventis Mathematicis obsidionem Syracusarum unus in longum protraxit, Quintilian. *Institut. lib.* 1. *cap.* 17. tandem his expugnatis, dum pulveri intentus esset, à milite Marcelli, occisus, Plut. *in Marcello*, Plin. *lib.* 2. *cap.* 107 Val. Max. *lib.* 8 *cap.* 7. &c. Post hunc circa A. Christi 1059. Constantinopoli Michael Psellus, hac inprimis in Arte supra omnes alios floruit, plurimis in *Geometria*, Arithmetica, Musica & Logica, accurate elaboratis. V. Georg. Hornium *Historiæ Philosophicæ lib.* 5. *cap.* 8. Gerh. Jo. Vossium inprimis *lib. de Mathem.* & Salmasium *ad Solinum pag.* 672. ubi duas res Geographiæ maximè inservire, τὸ Γεωμετρικὸν nempe καὶ τὸ Μετεωρολογικόν, docet. *Geometria Practica combinata*, in usum Principum elaborata est, Auctore Athanasio Kirchero.

S. *Georgii*, quem Græci μεγαλομάρτυρα vocant, imago in nummis aliquot Joannis & Manuelis Comnenorum æris effigie cernitur, nudatum ensem vel spiculum dextrâ, clypeum sinistrâ tenentis: caput margaritarum lineâ seu unionibus distincto diademate, Imperatoris instar, cingitur. In Manuelis nummo adscribuntur hi characteres O. in quo A. minutulum includitur quo ἅγιος vulgò contrahunt Græci ΓΕ$^{Ρ}_{O}$-ΓΙΟC, id est, ἅγιος γεώργιος, *Sanctus Georgius*. Nec multum dispar est ejusdem figura, quam habet Constantini cujusdam πορφυρογεννήτου sigillum, apud Octav. Stradam, in quo stans habitu militari conspicitur, dextrâ spiculum tenens, sinistrâ clypeo Cruce insignito ac humi defixo innixus, cum hisce literis, O ΑΓΙΟC ΓΕ. Aliàs Græci, à quibus impensè cultus est, ἱππέα, *equitem*, fere semper hunc suum Sanctum depingebant, quòd eo habitu non semel, ut ajunt, in præliis adstitisse Græcis ac pro iis dimicasse conspectus sit. Ita certè à CPolitanis depictum esse, Auctores sunt Nicetas, Nicephorus Gregoras, Codinus, alii. Stricto porro ense conspicuum eum fingebant, quemadmodum in nummo Isaaci Comneni exprimitur &c. V. Car. du Fresne *Dissertatione de poster. Ævi Numism.* & plura hanc in rem, apud Auctorem Anonymum *Historiæ Orbis Terr. Geogr. & Civ. Part.* 2. *cap.* 4. quod est *de Regno Angliæ*. §. 15. ubi Patronum illum Angliæ ac Portugalliæ, seorsim etiam Regii Ordinis Equitum Periscelidis, inter alia, refert; addito Catalogo Scriptorum, qui historiam ejus in utramque partem literis prodidere. V. quoque infrà, *Georgius Cappadox*.

Principes ex Familia Palatina.

Georgius, filius Johannis II. Principis Palatini Simmerensis lineæ, A. C. 1557. extincti, sacris priùs destinatus, postea in conjugio vixit, nomine Evangelio dato. Militavit autem aliquandiu Philippo II. Hisp. R. Frater Friderici III. cognom. *Pii*, Electoris, & Richardi, qui Simmerensem Principatum tenuit.

Georgius Wilhelmus, filius Caroli, cui in divisione paternæ hæreditatis, Wolphgangi Ducis Bipontini, Bircofeldi ditio A. C. 1586. contigit, natus A. C. 1591. post varia itinera exacta, administrationem, defuncto Patre A. C. 1600. tutoribus commissam, tandem ipse suscepit, mortuus haud pridem. Primum ejus matrimonium cum Dorothea Solmensi felix ac fœcundum fuit. Alterum cum Juliana Ringravia, repudio diremtum: Tertium cum Anna Elisabetha Oetingensi sterile. Filii ejus Carolus Otto, natus A. C. 1625. Fridericus & Christianus.

Georgius Gustavus, filius Georgii Johannis, de quo infrà, Principis Veldentiæ, stirpis Palatinæ, ex Anna Maria Suecica Gustavi R. filiâ, natus A. C. 1564. Veldentiæ, quamdiu ob turbas licuit, habitavit, atque vitâ excessit A. C. 1634. Ex priori cum Elisabetha Wirtenbergica A. C. 1586. ad annum 1592. matrimonio nullâ prole susceptâ, ex altero autem, cum Maria Elisabetha Bipontina, ductâ A. C. 1601. defunctâ A. C. 1631. pater, præter eos, qui brevis ævi, Annæ Magdalenæ, natæ A. C. 1602. elocatæ Henrico Wenceslao D. Monsterbergio A. C. 1617. mortuæ A. C. 1630. Mariæ Elisabethæ, quæ nata A. C. 1616. Magdalenæ Sophiæ, quæ 1622. Johannis Friderici, qui dux Suecicæ legionis equestris Augustæ A. C. 1632. Caroli Ludovici, qui iisdem militans, ad Wolmerstadium duobus globulis trajectus, tertio pòst die extinctus est A. C. 1631. & Leopoldi Ludovici, nati A. C. 1625. Frater fuit *Georgii* Johannis Jun. de quo infra,

Georgius Johannes, cognom. *Ingeniosus*, filius Ruperti, Veldentiæ Lineæ conditoris, ex Ursula Rhingravia, natus A. C. 1543. sessionis ac suffragii in Imperio jus acquisivit, Luzelsteniam auxit, Pfaltzburgum condidit, quod tamen deinde in Lotharingi pervenit manus. Excessit A. C. 1592. Ex liberis ejus, & Annæ Mariæ Suecicæ

Sueciæ Gustavo R. natæ, nuptæ A.C. 1563. Ursula nata A.C. 1573. Ludovico D. Wittenbergico desponsata A.C. 1585. & defuncta A.C. 1636. Anna Margaretha, n. 1571. Richardi agnati uxor: Johannes Augustus n. 1575. extinctus, sine prole ex Anna Elisabetha agnata, 1611. Ludovicus Philippus n. 1577. in Hastiludio Heidelbergæ extinctus A.C. 1601. &, qui duas fevere lineas, *Georgius* Gustavus, de quo suprà, & *Georgius* Johannes, ille Veldentiæ, hic Lucelsteniæ familiæ, auctores.

Georgius Johannes cognom. *Junior*, prioris filius, natus A.C. 1586. post fratrem Johannem Augustum, Lucelstenium obtinuerat, ex Susanna Palatina (quam ipse duxit A.C. 1613. & cùm ab illo secessisset, Dux Wittembergicus suscepit) pater, præter alios, *Georgii* Ottonis, qui extinctus est Tubingæ A.C. 1635. Ipse pater decessit A.C. 1654. successore Agnato Leopoldo Ludovico, de quo infrà: V. Philipp. Jacobum Spenerum *Syll. Genealogico-Hist. in Fam. Palatina.*

Carolus *Georgius*, filius modò memorati Leopoldi Ludovici, ex Agatha Christina Hanovica, ducta A.C. 1648. n. A.C. 1660.

Georgius, cogn. *Dives*, filius Ludovici Bavariæ Ducis, Landshutensis rami, Ingolstadiensem Academiam condidit, & lineam masculam Landshutanorum Principum finivit, A.C. 1503. Cùm autem hæredem filiam Elisabetham Ruperto Virtuoso, Philippi cogn. *Ingenui*, Electoris Palatini, filio nuptam scripsisset, bellum Bavaricum ortum, Palatinis damnosum, Bavaris autem, qui successionem impetravere, non parum proficuum. Postquam enim Rupertus oblatos ab Imperatore duos trientes ditionum *Georgii* nomine tum dotis, tum prætensionum, quas ab antiquo adversus Bavaros habebant Palatini, respuisset, fiducia Bohemorum & Galliæ Regis, mox à Maximiliano ipse cum Patre proscriptus, ab amicis desertus, acri prælio ad Ratisbonam victus, & ditionibus suis spoliatus est; Filiis tandem ejus, parte aliquâ avitæ hæreditatis inter Nabum & Danubium, qui *Neoburgensis Principatus*, aliis *Palatinatus junior*, dicitur, concessâ.

Ex Fam. Saxonica.

Georgius, filius Friderici cogn. *Strenui*, Thuringiæ Landgr. ex Catharina Hennebergica, quæ Coburgensem Principatum, à matre Gutha filia Hermanni M. Brandeb. obtentum, familiæ mariti intulit, cum fratre Guilielmo cognom. *Divite*, Königsbergam à Schvvartzenburgico Comite: dein à Jodoco M. Moraviæ Marchiam Brandeburgicam A.C. 1410. quæ redemta biennio pòst ab Imp. Sigismundo, emit. Horum frater Fridericus cogn. *Bellicosus*, novum postea axioma domui intulit, Ducatu Saxoniæ cum Electorali dignitate, post Alberti Ascanii A.C. 1421. extincti obitum, à Sigismundo Imp. auctus.

Johan. *Georgius*, filius Wilhelmi Vinariæ Ducis tertio-genitus, ex Eleonora Dorothea Anhaltina, Brandeburgica auspicia in Prussia secutus olim, postea Cæsaris in Hungaria miles, dein exercitui Imperatorio in Alsatia, contra Gallos, præfuit, magna cum pietatis ac fortitudinis famâ. Marculam autem primò incoluit, mox Isenacum sortitus est, quemadmodum Johanni Ernesto majori Vinaria, & Bernardo minori natu fratribus, Jena obtigit; Rhenum, paulo infra Basileam, A.C. 1677. eximio ponte junxit, Brisaco, ut fama erat, imminens.

Georgius, fil. natu maximus Alberti cogn. *Animosi*, Albertinæ lineæ, è qua hodierni Electores conditoris, post Patrem avitas tenuit ditiones: Frisiam toties rebellem, quam Patri ejus ob virtutis præmium & sumtus in Austriacorum gratiam factos, Fridericus III. & Maximilianus I. Augg. concesserant, acceptis 200000. aureis Carolo V. permisit. In Reformationis negotio acerrimus Lutheri hostis extitit. Suis auspiciis A.C. 1519. colloquio inter Doctorem hunc & Eccium de potestate Pontificis Lipsiæ instituto, cùm videret parùm prospere rem Eccio succedere, exclamavit: *Sive sit jure divino, sive humano Papa, ipse est Papa.* Abr. Scultetus *in Annal. Eccl.* Pactum, quod cum agnatis alterius lineæ, ne quis ulli clientum vel subditorum ob religionem molestiam facesseret, inierat, non servavit, & inprimis Johanne El. mortuo, A.C. 1533. acerbiùs domi in Lutheranos inquirere cœpit, jusso ut omnes Paschate proximo symbola & confessionis tesseras exhiberent; quo tempore Lutherus Evangelicam complexos fidem ad constantiam hortatus: postea exules scripto solatus est. Joh. dein Friderico El. apud socios de persequutione conquesto, fœderi sacro A.C. 1538. nomen dedit: Tandem cùm paulo antea defuncto Hugone, ultimò Com. Leitnicensi, ditiones Misniæ accrevissent, amissis filiis, Johanne, & Friderico, moriens A.C. 1539. fratri Henrico, hæreditatem reliquit: eâ quidem conditione, ne quid in religione mutaretur, sin, ut ad Cæsarem Carolum & Ferdinandum fratrem ejus, ditiones devolverentur. Sed cùm nobilitas & populus conditionem juramento confirmare negavissent, propositum mansit irritum.

Ex Familia Brandeburgica.

Georgius Fridericus, fil. Georgii cogn. *Pii*, Anspacensis seu Jegerndorffiæ lineæ auctoris, tutore usus Alberto patrueli, donec is proscriberetur: Tum tutela quoq; adempta est, & Jegerndorffium Ducatum, donec is adolevisset, Ferdinandus R. Rom. sibi addixit, & A.C. 1558. reddidit. Ejus patruelis sui ditiones ipse quoque postea adivit, Saganensem Ducatum & dominium *Biberstein* à Rege Ferdinando aliquandiu pignori tenuit, debitoq; soluto restituit. A.C. 1574. patruelis Alberti Friderici tutelam, ac ita Borussiæ administrationem à Rege Poloniæ obtinuit. A.C. 1582. natali suo die Heilsbronnæ gymnasium aperuit, in quo 100. alumni sustentarentur, & cum stipendio 50. aureorum in Academias mitterentur: Decessit improlis A.C. 1603. Princeps candidus, constans & in omni fortuna sibi similis; arcibus insuper plurimis partim restauratis, partim conditis, de Principatu insigniter meritus. Ex eadem familia fuit *Georgius* Albertus, fil. minor natu Christiani, Culmbacensis seu Beruthinæ lineæ conditoris, natus A.C. 1619.

Ex Familia Brunsvicensi.

Georgius, fil. Wilhelmi D. Brunsuicensis, cui Cellensis obtigerat Principatus, pacto cum sex suis fratribus inito, ut uno solùm uxorem ducente, reliqui cœlibem degerent vitam, ipse conjugii conditionem sortitus est. Et initio quidem, in Belgio, Hispanis operam erat addicturus, A.C. 1607. nisi induciæ supervenissent. Inde exteras regiones peragravit. A.C. 1611. sub Daniæ R. adversùs Suecos prima stipendia fecit. A.C. 1616. à fratribus missus, Pragæ apud Imperatorem difficultates causæ Grubenhagicæ ursit, quæ paulo pòst expeditæ. In diæta circulari A.C. 1619. inferioris Saxoniæ Dux constitutus est militaris, sed titulo anno 1624. abdicato, seq. anno Cæsareas partes amplexus est, duarum primò, demum 17. legionum ductor. Paulo pòst ad Sueciæ R. partes apertè accessit, hocq; defuncto, tertiam exercitus partem duxit, rebus in Westfalia & ad Visurgim præclarè gestis. Pace post hæc Pragensi A.C. 1635. Cæsari reconciliatus: Gallassio A.C. 1637. Suecos in Pomeraniam rejicienti adstitit, & per otium recuperavit sua. Sed iterum Suecica dein sequutus est auspicia: ita tamen, ut quæ ejus subsidio gererentur, alienæ gloriæ cederent. Ad extremum, cùm Guelferbyto expugnando esset intentus, jam ab aliquot annis viribus fractus defecit; relictis ex Anna Eleonora Hassiaca, præter filiam Sophiam Amaliam Daniæ R. filiis Christiano Ludovico, cui Cellensis Principatus: *Georgio* Wilhelmo, cui Hannoverana seu Calenbergia portio, obtigere: Joh. Friderico, qui Pontificiâ religione assumtâ, coadjutor factus est Osnabrugæ, & Ernesto Augusto, Episcopo Osnabrugensi, qui ex Sophia Palatina familiam propagavit, nuper exercitus fœderatorum Principum, contra Galliæ R. pars magna.

Georgius, fil. Henrici cogn. *Senioris*, vel *Mali*, qui Guelferbytanam lineam condidit, Caroli V. miles in bello Smalcaldico, & dein Episcopus Mindensis, post fratrem Christophorum tandem Archiepiscopus Bremensis factus, Evangelio nomen dedit, in religione tamen publicè nihil mutavit: Frater ejus maximus natu Henricus cognom. *Junior*, Patri successit, V. Phil. Jac. Spenerum *Syllog. Geneal. Histor.*

Ex Familia Wirtenbergica.

Georgius, fil. minor natu Henrici Ducis Wirtenbergici, frater Ulrici, ab hoc Richovillanam ditionem obtinuerat, sed Christophorus dein Ulrici fil. totum Principatum Mompelicardensem & fructus Præfecturæ *Neuburg* adjecit. In priori, cùm ob vicos *Lonze*, & *Chagey* controversiam haberet cum Com. Ortenburgico, hunc coram judice Vesulienſi convenit, cùm Burgundia nesciat Pares Curiæ. In bello Smalcaldico inter Protestantes meruit: unde cùm reconciliaretur Ulricus Cæsari, *Georgius* exclusus, & bona, ut quorundam aliorum, proscripta sunt. Sed dein A.C. 1552. cum aliis in gratiam receptus, triennio postea monitu nepotis præfati, conjugem duxit, atq; post alterum triennium A.C. 1558. decessit. Ei successit filius Fridericus, quo nati Joh. Fridericus Stutgardianam, Lud. Fridericus Moupelicardensem & Jul. Fridericus Julianam seu Brentianam, aliàs quoq; *Apennagianam*, lineas orsi sunt.

Georgius, frater Leopoldi Friderici, Ludov. Friderico præfato, matre verò Annâ Eleonorâ Nassoviâ A.C. 1626. natus, successit fratri defuncto A.C. 1662. Hic fratre vivo Harburgi habitaverat, ab uxore Aña filia Casparis Colinii Marescalli multis bonis dotis nomine obtentis: Ex quibus Castellionem ad Lupam vendidit; literarum gloriâ inclytus. V. plura de eo in voce *Montisbelicardum.* Ex eadem familia est *Georgius* Fridericus, fil. Eberhardi Wittenb. Ducis penultimi, ex Maria Dorothea Sophia Oetingensi.

Ex Fam. Badensi.

Georgius, fil. Jacobi March. Badensis, Episcopus Metensis fuit.

Georgius Fridericus, fil. major natu Caroli, extincti A.C. 1577. ex secunda conjuge Anna Palatina, fratribus Ernesto Friderico & Jacobo superstes, ac solus tandem hæres, in Aug. Confess. ferventissimus, ipse Religionis controversiarum apprimè peritus fuit. Unioni nomine dato, causam Palatinam A.C. 1622. tuendam suscepit, translatâ in filium provinciarum administratione & exercitu scripto. Sed infelix cum Tillio & Cordubensi ad Wimpenam commissum prælium irritos conatus reddidit: Post quæ variis locis hinc inde commoratus, vivendi finem fecit, Anno C. 1638. Pater ex priori conjuge Juliana Ursula Ringravia (secunda enim Agatha Erpacensis nil nisi filias genuit) Friderici, Caroli & Christophori.

Ex Familia Hassiaca.

Georgius I. filius minimus natu Philippi cognom. *Magnanimi*, Hassiæ Landgravii, lineam Darmstattinam inchoavit: Ei à Patre superior Catimelibocensis Comit. pars assignata fuerat, sicut

Philippo inferior; qui cùm Reinfelsâ habitatâ, sterile contraxisset matrimonium, ille ex conjuge prima Magdalena Lippiensi, Ludovicum, suum in Principatu Darmstattino successorem, Philippum A. C. 1643. in balneo, sine prole, extinctum, & Fridericum Homburgicæ lineæ auctorem, genuit. Quorum ultimo, inter alios, *Georgius* Christianus natus est, Hispanorum primò, dein Gallorum auspicia, secutus, ac ad Romanam Eccl. transgressus. Idem ex fratre maximo natu Wilhelmo Christophoro nepotem habuit Leopoldum *Georgium*.

Georgius II. filius natu maximus Ludovici præfati, ex Magdalena Brandeburgica, Patri successit A. C. 1625. ab Imperatore privilegium, ut 18. ætatis anno administrationis capax esset, nactus. De causa Marpurgensi, cum agnatis A. C. 1627. transegit: sed postea cum Wilhelmi cognom. *Constantis* vidua ob eandem ei bellum ortum, quod Casellanæ parti utilius. Ad extremum, repentinâ morte A. C. 1661. oppressus, filios, ex Sophia Eleonora Saxonica Ludovicum habuit, successorem, quo nati *Georgius* & Ludovicus; ac *Georgium* juniorem, qui Suecorum auspiciis in bello Danico militavit, dein Dorotheâ Augustâ Holsatâ ductâ, à Patre Itteram habitandam obtinuit.

Ex Familia Vandalica.

Georgius, filius Alberti cognom. *Formosi* Ducis Megapolitani A. C. 1547. extincti, ex Anna Brandeburgica, in bello Smalcaldico, Cæsari militavit: tunc Henrico Brunsuicensi adversus urbem Brunsuicum: à quo copiis acceptis, Magdeburgum obsedit. Sed, cùm jam Electores Saxo & Brandeburgicus supervenissent, et abrogatum imperium, & ipse ab obsessis captus atque in urbem deductus est. Postea vi pactorum A. C. 1552. à Magdeburgicis dimissus, in Fœderatorum exercitu, tormento in obsidione Francofurti ictus, obiit. Ex eadem familia Adolphus Fridericus, Suerinensis lineæ conditor, præter alios Joh. *Georgium* genuit ex Anna Maria Frisia, ipse extinctus A. C. 1658.

Georgius, fil. major natu Bogislai X. cognom. *Magni*, totius Pomeraniæ Principis, Wolgastensem Ducatum nactus est, sicut frater ejus Barnimus X. cognom. *Pius*, Stetinensem Principatum accepit. Unà cum Erasmo Manteufelio Episc. Caminensi, omni operâ Evangelicæ doctrinæ restitit: cum Polonis perpetuum fœdus, Butovia & Lauenburgo acceptis, pactus est, & cum Brandeburgicis A. C. 1528. transegit, ut Pomerani à Cæsare investirentur, sed Marchionibus simultanea investitura, &, quoties homagium Ducibus præstandum, juramento in casum futurum successio firmaretur. Idem Dantisci ortos sedavit tumultus: Eo extincto A. C. 1531. frater Barnimus, Evangelium in ditiones introduxit, cum nepote Philippo, quem *Georgius* ex Æmilia Palatina susceperat. Idem nomen fuit uni ex filiis Bogislai XIII. extincto A. C. 1617. cujus frater Bogislaus XIV. ultimus familiæ fuit.

Ex Familia Ascania.

Georgius, cognom. *Senior*, filius Sigismundi Principis Anhaltini, obiit A. C. 1474. Pater *Georgii* cognom. *Robusti*, qui A. C. 1509. Sigismundi, fortissimi militis, qui A. C. 1306. & Rudolphi, qui Veronæ A. C. 1513. obiere orbi: & præter hos Waldemari ac Ernesti, qui solus familiam propagavit: Waldemaro enim genitus Wolfgangus cælebs fatis concessit A. C. 1566.

Georgius, Ernesti præfati filius secundo genitus, Hatzkerodanam ditionem nactus, eam dextre rexit, Smalcaldico fœderi adscriptus; sed simul Magdeburgensis & Misnensis Præpositus, atque Mersburgensis Episcopatus, cùm Augustus Saxo eum administraret, Coadjutor fuit. Cùm verò omnia Ecclesiastica munia, concionando, ægrotos consolando & Ecclesiam gubernando, ipse obiret, nunc quoque ejus *Theologica scripta*, & *Homiliæ sacræ* typis excusæ extant. Decessit cœlebs A. C. 1553. Frater Johannis & Joachimi.

Joh. *Georgius* I. filius maximus natu Joachimi Ernesti, (Joachimo præfato geniti) ex Agnete Barbiensi, Dessaviensem orsus ramum, litem cum Saxonibus habuit, de qua V. Thuanum *Histor. lib.* 130. Pater ex Dorothea Palatina, Johannis Casimiri & *Georgii* Ariberti, qui Woerbitii habitans, ex Johanna Crosecia, dominorum *de Radegast* auctor est. Prior verò uxor Dorothea Mansfeldia filias tantùm peperit.

Joh. *Georgius* II. filius Joh. Casimiri modò memorati, ex Agnete Hassiaca, natus A. C. 1627. Brandeburgico Electori gratus est, ejusque Vicarius Henricam Catharinam Arausionensem conjugem habet. Idem etiam nomen fuit uni ex filiis Francisci II. D. Lavvenburgici, extincti A. C. 1619.

Ex Fam. Piastea.

Georgius I. filius tertius natu Friderici I. Principis Lignicii, Briegam nactus, A. C. 1521. decessit, nullâ prole ex Anna Pomerana relictâ.

Georgius II. prioris ex fratre Friderico II. nepos, Briegensem Principatum obtinuit, cùm frater ejus major Fridericus III. Lignicensem esset nactus: sed hoc A. C. 1570 defuncto, Lignicium quoque Principatum rexit, curator nepotis. Briegam autem suam scholâ & ædificiis exornavit, & A. C. 1566. in expeditione Turcica Cæsari operam navavit: de cætero singularis Daniæ & Poloniæ Regum amicus Morienti A. C. 1586. ex Barbara Brandeburgica superfuere filii, Joh. *Georgius*, qui vitam non nisi ad A. C. 1592 produxit, Annæ Mariæ Wittenbergicæ maritus, & Joach. Fridericus.

Georgius Rudolfus, filius major natu, ex Anna Maria Anhaltina, Joachimi Friderici præfati, in aula Olsnensi educatus, varia obivit itinera, Principatum Lignicium, qui ei obtigerat, administrante Zedlizio. Inde ipse A. C. 1613. regimen suscepit, & inter varias rerum vicissitudines, Vicarius quoque Capitaneatus utriusque Silesiæ, usque ad A. C. 1653. gessit, quo mortuus est, nullâ ex Sophia Elisabetha Anhaltina & Elisabetha Magdalena Monsterbergica prole relictâ. Ipse verò cùm Augustanam Confessionem sequeretur, Reformatis adhæsit frater Christianus, illius successor.

Georgius, filius natu maximus Christiani modò memorati, cum fratribus Ludovico & Christiano, post exacta studia & obita itinera, A. C. 1653. singulari concordiâ, paternam hæreditatem divisit. Ipse Briegam obtinuit, & Capitaneus utriusque Silesiæ ab Imperatore constitutus est. Obiit A. C. 1664 filiâ solùm ex Catharina Sophia Monsterbergica relictâ, Dorotheâ Elisabethâ, quæ Henrico Principi Nassovio nupta, possessionem Principatus ad vitæ dies à Cæsare obtinuit.

Georgius Wilhelmus, prioris ex fratre Christiano nepos, haud pridem in flore juventæ, è vivis excessit, ultimus è Piasteis. V. in voce *Wilhelmus*, & plura de his Spenerum *Sylloge*.

Principes Comitesq. Nassovii.

Georgius, fil. Joannis, ex Oda Hannoniæ Com. Hassiæ fuit Præfectus: quo sine hærede mortuo Nassoviæ Comitatus ad Walravium Laurbergii Toparcham devolutus est sec. VIII.

Georgius, fil. Joannis ex Sibylla (fil. Ludovici Saxonici Palatini) pater fuit ex Joanna (Philippo Com. Bannerae genitâ) Philippi, Præpositi Bautensis, Adolfi & Joannæ, Jacobo Sabaudiæ Com. nuptæ.

Georgius, fil. Joannis cognom. *Senioris* (qui frater erat Guilielmi Auriaci, Belgicæ Libertatis instauratoris) ex Elisabetha Leuchtenbergica, natus est Dillenburgi A. C. 1562. hæreditate inter Fratres divisâ, præter Westervvaldiam & adjacentes Quatuor-pagos, Beilstenii dominium sortitò occupavit; adjuncto Dridorffio, quod oppidum cum territorio adjacente à Patre jam antè emerat. Sedem Beilstenii fixit: ab Anna Amalia Saræpontana, locupletissimâ dote auctus. E qua ei geniti, Joannes Philippus, Johannes *Georgius*, ambo celeri Fato functi; Joannes Philippus, anno æt. 17. Lutetiæ Parisiorum extinctus; *Georgius*, post iter Gallicum, Italicum, Belgicum, Andegavi mortuus anno æt. 25. Maria Juliana, Georgio Com. Witgenstenio elocata; Ludovica; Ludovicus Henricus, Catharinæ Witgensteniæ maritus; Philippus Wolffgangus, intra trimestre mortuus; Albertus, bello Belgico, globi ictu peremtus A. C. 1626. æt. 30. Amalia, Elisabetha, brevi extinctæ, Henrica, Anna Elisabetha & Mauritius Ludovicus, qui intra annum mortuus est. Illâ dein Fato defunctâ, Amaliam Witgensteniam sibi junxit, ex ea pater Margarethæ, A. C. 1606. quæ Othoni Comiti Lippiaco nupsit A. C. 1626. obiit . . . Cyr. Lentulus Geneal. *Comitum ac Principum Nassov. MS.*

Georgius Fridericus, filius Joannis Com. Nassov. ex Margaretha (Joannis Holsatiæ D. filiâ) genitus Dilleburgi A. C. 1606 Rhenoberacæ ab Ordd. Fœderati Belgii præfectus, uxorem duxit . . . ex Lusitanorum regia stirpe. Id.

Georgius Ludovicus, fil. primogenitus Ludovici Henrici, ex Catharina (Ludovici Com. Siena-VVitgenstenii fil.) uxorem duxit Annam Augustam (Augusti D. Brunsuici & Lunæburgi filiam) ex eâ, inter alios, pater Henrici, qui nono ætatis suæ anno Scholæ Herbornensis gubernaculum moderatus est &c.

Georgius Cappadox, Trib. mil. adde: Patronus Portugalliæ est, etiam Angliæ fuit, & præsertim Equitum Periscelidis, cujus acta peculiariter descripsit Pasicrates servus ipsius & Sim. Metaphrastes in Lipomanno & Surio *tom.* 2. Encomium S. Georgii μεγαλομάρτυρος (ita enim in Gr. titulus habet) ab Andrea Cretensi scriptum, habetur inter opera ejus *pag.* 175. quod idem est cum Actis à Metaphraste recensitis. Etiam templa ipsi olim frequenter consecrata esse, discimus inter alia ex Procopio *de Ædif. Justin.* 3. Καὶ ἱερὸν Γεωργίῳ τῷ μάρτυρι ἐν Βιζάνοις ἱδρύσατο, *Et templum Georgio Martyri condidit.* Liturgiæ quoque ipsi assignatæ, & festa instituta sunt; unde Seldenus colligit, *Georgium* hunc & verè fuisse, & malè cum *Georgio* Ariano, qui circa A. C. 360. vixit, neque Cappadox, sed Cilix, è Cappadocia verò missus fuit, ut ex Ammiano Marcell. *lib.* 28. & Athanasii scriptis liquet, confundi. Interim in picturâ *S. Georgii*, quâ effingitur Eques armatus, hastæ cuspide Draconem conficiens, juxta posita Virgine, quæ manibus extensis ejus auxilium implorat, plerique consentiunt. Symboli potius quàm Historiæ imaginem esse: agnoscitque Baronius, nihil in Actis antiquis ejus hac de re legi, sed à Jacobo à Voragine hæc absque aliqua priscorum auctoritate ad historiam relata fuisse, quod & Seldenus suum facit. V. Baronium *Martyrolog. ad* 23. *April.* Seldenum *Titl. of Honor p.* 2. *c.* 4. Auctorem Anonymum *Hist. Orb. Terr. Geogr. & Civ. c.* 4. *de Angliæ regno §.* 25. &c.

Geohyra.

Gephyra, inter urbes Seleucidis seu Seleucenæ, memoratur Straboni & Ptolomæo, de qua V. Salmasium *ad Solinum pag.* 618. & 631. At *Gephyri*, nomen Familiæ, Eustathii tempore adhuc florentis, de qua ille hæc habet. Narrat is paulo ante memoriam suam factum, ut illustris cujusdam Viri uxor uno partu pueros novem ederet: quorum septem cùm mater submergendos misisset, eos pater, casu interveniens, servavit jam pene fluitantes; hincque *Gephyros* dictos addit, à loco, ubi fuerant, nisi Deus adfuisset è machina, perituri. V. Casaubonum *ad Capitolinum in Antonino Pio.* An à ponte, unde præcipitandi erant, Græcis enim *γέφυρα pons* est, uti pluribus diximus suprà, in voce *Asiogephri.*

Ger, Græcè Γὴρ, fluv. maximus Libyæ, apud Ptolemæum, & Plin. *lib.* 5. *cap.* 4. qui *Niger* est Solino *cap.* 24. ubi V. Salmasium.

Gera, nomen illustris in Germania Familiæ, quæ stirpis Ruthenicæ seu *Reussen de Plavia* ramus est: Hi enim jam à pluribus seculis *Advocati S. Romani Imperii*, nec non *de Weida*, *de Plavven*, de Gera, *de Graz*, *de Gleisberg*, appellati sunt. Defecere autem superiori seculo tres nobiles rami, nempe præter Advocatorum *de Weida*, & ramum Burggraviorum Misniæ, qui titulus, cum Principali axiomate, familiæ collatus, à Sigismundo Imper. A. C. 1421. etiam *de Gera* stirps. Sed, cùm hodie duæ supersint lineæ, Senior & Junior, ad hanc decem filii Henrici, extincti A. C. 1635. ex Margaretha Schvvartzenburgica (quibus in *Gera*, *Salburg*, *Schlez*, *Lobenstein*, sedes) spectant. E quibus Henricus II. (omnibus enim in Ruthenica familia *Henrici* nomen) id est, filius præfati Henrici secundò-genitus, natus A. C. 1602. in *Gera* sedem nactus, familiam *Geranam*, ex Catharina Elisabetha Com. Schvvartzenburgica, propagare cœpit: Pater quippe præter Magdalenam Sibyllam (n. ac den. A. C. 1645.) Henrici II. (n. A. C. 1648.) Henrici IV. (n. 1650.) & Henrici VI. (n. 1651. den. 1652.) Sed & iisdem Parentibus editæ, Juliana Dorothea (n. 1649) & Christina Sibylla (n. 1653.) qui fratres & sorores Germani *Rutheni* seu *Reussen Domini de Planen lineæ jun. in Gera*, appellari solent. V. Phil. Jac. Spenerum *Theatr. Nobilit. Europæa Part. I. p.* 15. & *Part. III. p.* 88.

Geranion, à rostro *gruis* per Europam notum, inter decora hortorum numeratur, maximè si quà species peregre inferatur: quarum vel tredecim præstat, tametsi olim ad duas cogeretur tantùm. Radicem habet tenuem, longam, sine multis fibris, quasi villosam & rubescentem: folium est anemones, caulis rotundus, fusco rufus, villosus, nodosus instar calami straminei, ramulis adnascentibus cubiti longitudine. Mense Aprili excludit florem purpureum quinq; foliorum, penè universa æstate spectandum; cadenti succedit folliculus in rostrum acuminatus, cum quinq; granis dulcibus. Est & flos cœruleo purpureus, etiam in fuscum declinans: tum albus, tum cœruleus, tum minutior, sed hyacinthinus, tum sanguineus, medio albente. Auctor Anon. *Sina & Eur. c.* 33. Addit odorem jucundum Plin. *lib.* 26. *c.* 11. sed cum myrrhide ibi *geranion* confundere, ait Salmasius *ad Solin. p.* 707. Per Germaniam super. *Ruperti Herba* & *Dei gratia* quòd vocatur, insignem ejus olim in illa regione usum fuisse, colligitur. Ab eadem origine saltationis quoddam genus, in quo *gruum* volatum imitabantur, *γέρανον* dictum habet Jul. Cæs. Scaliger *Poet. lib.* 1. *cap.* 18. Machinam item scenicam idem *lib. eod. cap.* 21. *Est præterea machinæ genus gruinum, quo rapiebantur personæ, γέρανος dicitur. Hæc in fabulis Aurora Memnonem rapuit: Boreas Orithyiam* &c. De *Geranite* lapide, à *gruis* colore dicto, V. Salmasium *ad Solinum p.* 712. & 713.

Viri illustres.

Gerardus seu *Gerhardus*, filius Hugonis Comitis, qui communis trium familiarum ex Alsatica procedentium, Lotharingicæ, Dagsburgicæ & Habspurgicæ pater fuit, Metensium fuit Comes, cujus posteri, alii quidem Metensem Comitatum retinuere: Albertus autem & *Gerhardus* fratres, Duces Lotharingiæ super. facti, & ex his *Gerhardus*, amplissimæ stirpis auctor, Lotharingiæ Duces, qui nunc quoque supersunt, & plures ramos in Gallia produxere, tum aliquos Flandriæ & Egeshemios Comites similiter prosevit. Quemadmodum fratres ejus, Hugo Dagsburgiorum, & minimus natu Guntramus cognom. Dives, Habspurgiorum satores fuere, Vignierius apud Spenerum *Sylloge Geneal. Hist. in Fam. Austriac.*

Gerardus, filius Conradi Comitis Oldenburgici, cum Patre à Bujadis cæsus est, A. C. 1368. Item filius minimus natu Theodorici cognom. *Fortunati*, ex eadem familia, cognomen *Bellicosi* tulit, & Oldenburgios continuavit, quemadmodum frater ejus maximus natu Christianus I. Daniæ R. electus *Dano-Holsatica* familiæ auctor fuit, & alter Mauritius Delmenhorstanum ramum condidit, qui in liberis ejus defecit. Hic itaq; *Gerardus* A. C. 1462. fratrem Mauritium, instinctu Bremensium & Com. Hojensis sibi bellum inferentem, auxilio fratris Christiani & Wilhelmi D. Brunsuicensis ad Siburgum devicit; inde adversùs Christianum, à quo tamen A. C. 1467. ut Holsatia cederet, 43000. flor. acceperat, arma vertit. Verùm, cùm aliquoties è Marsia pulsus, non desineret vexare vicinos, Episcopi Monasteriensis & Bremensis, cum proximis civitatibus inito fœdere, bellum ei intulerunt, & Delmenhorsto A. C. 1482 expugnato, illum in potestatem redegerunt. Liberis parcitum, ipse verò abdicata administratione Monasticam profiteri jussus est: Decessit in Gallia A. C. 1500. Ex filiis ejus, Otto Canonic. Bremensis & Coloniensis, cum fratre Adolpho bello Dietmarsico periit A. C. eodem; Johannes, Patre pulso, administrationi admotus, stemma propagavit. Fuit quoque *Gerardus* Holsatus, D. Slesvici, familiæ Schavvenburgicæ, cujus filiâ Hedvige uxore ductâ Theodoricus Fortunatus, de quo suprà, jus successionis, in Slesvicensem Principatum & Holsatiam, liberis reliquit. Phil. Jacobus Spenerus *in Familia Oldenburgo-Danica.*

Geras Carthaginensis, Vitruvio *Geras Carchedonius*, ex Græco Athenæi, Γήρας Καρχηδόνιος, ut & Pephasmenus Tyrius, ad arietis machinæ inventionem, Carthagine factam, aliquid postea addiderunt. Vitruvius apud Salmasium *ad Tertullianum de Pallio cap.* 1.

Gerlacus, Com. Nassovius, lineæ Wisbadensis & Idsteniæ, filius Adolphi Imper. (ex Imagina *Gerlaci* Com. Limburgi filiâ) Patri in Comitatu successit A. C. 1298. Cæsaris Ludovici Legatus ad Pontificem ivit, A. C. 1331. obiit A. C. 1361. Ei geniti sunt, ex Agnete Conradi Hassiæ Landgravii fil. *Gerlacus*, supremi Moguntiacorum Collegii Archidiaconus, Carolo IV. in adipiscendo Imperii diademate adjutor; Adolfus, hæreditate cum fratre divisâ, patris in Wisbadensi & Idstenia ditione successor: ac Joannes, qui, Weilburgiam nactus, primus ejus Comes & Weilburgensis lineæ auctor extitit. Cyr. Lentulus *Geneal. Princ. & Com. Nassov.*

Germalus, vel *Cermalus*, locus, ubi expositi Remus ac Romulus, Palatio conjunctus & ficu Ruminali celebris fuit. Varro *de L. L. lib.* 4. Germalum *à Germanis Romulo ac Remo, quòd ad Ficum Ruminalem & hi inventi, quò aqua hiberna Tiberis eos detulerat expositos.* V. Salmasium ubi suprà *pag.* 1137.

S. *Germani* Civ. in radice Casini Montis, V. suprà *Eulogimenopolis.*

Germania, adde: Catalogum Auctorum, qui de singulis Germaniæ Circulis seu, ut Grotius vocat, *Pagis*, quos Helvetiorum Cantonibus & Polonorum Waivvodiis similes dicas, exhibet Auctor Anonymus *Hist. Orbis Terr. Geogr. & Civ. cap.* 6. §. 1. Regionem comendat frumenti copia, quâ viciniis Regionibus prospicit: & memorabile est, quod narrat Lansius, cùm A. C. 1591. Italiam, & in ea Romam gravissima fames premeret, & ex Holsatia, civitatibus Vandalicis atq; Belgio mercatores multis navibus eò ivissent, Pontificem cursori, qui adventantium *Germanorum* nuntium primus attulerat, mille ducatos donasse. *Orat. pro Germania.* Vini bonitatem loquuntur Vinum Rhenanum, Neccaricum, Mosellense, Franconicum & Austriacum: In Bavaria & Borealibus tractibus ubi id austerius est, melioris notæ cerevisiâ, qualis est Servestana, Brunsuicensis, Rostochiensis, Torgaviensis &c. compensatur. Equorum proventu celebris est Comitatus Oldenburgicus, suibus Westphalia & Bavaria, piscibus Marchia, sale Luneburgum, Hala Saxonum, Hala Suevorum &c. ut nihil dicam de metallis ac mineralibus, de quibus V. G. Agricolam *lib. de natura Fossilium & de re Metallica*, & Lazarum Erckerum *Beschreibung aller mineralischen Ertz und Bergwercken.* De lingua *Germanica*, ejusque propaginibus ac dialectis præcipuis, V. in voce *Teutoni*: De Philosophis verò *Germanorum*, Georg. Hornium *Histor. Philos.* &c.

Germaniciani, apud Suetonium *Tiberio cap.* 25. *Flagitabant ambo exercitus — ut æquarentur stipendio prætorianis.* Germaniciani *quidam etiam detrectabant Principem*, milites dicuntur Exercitus Germanici, Græcis οἱ ἐκ τῶν στρατιωτῶν τῶν ἐν τῇ Γερμανίᾳ. Sed & ipse exercitus *Germanicianus* dicitur eidem *Vespasiano cap.* 6. ad quem locum V. Casauboni *Animadversiones.*

Germanicus, inter titulos Domitiani Imp. apud Statium *lib.* 4 *versu* 2.

Læta bis octonis accedit purpura fastis
Cæsaris, insignesq; aperit Germanicus *annum.*

Titulus Carminis est, *Consulatus Imp. Aug. Germanici.* Sic sequens inscribitur, *Eucharisticon ad Imp. Aug. Germanicum Domitianum:* Hodie id nomen in Fastis Domitiano subjectum legitur. V. infrà ubi de *Rheni* simulachro, & plura hanc in rem apud Barthium *ad d. l.* ut & in voce *Domitianus.*

Germanitas, tit. honorarius, in Epistolis Episcoporum sibi invicem scribentium, apud Augustinum *in Epist.* 19. 97. 106. V. suprà *Fraternitas.*

Gerocomium, ex Græco Γηροκομεῖον, locus ubi *Senes* aluntur, in *Vita* Euphrosynæ Virg. *num.* 8. aliter *Gerontocomium*, Gr. Γεροντοκομεῖον, apud Julianum Antecess. *Constit.* 7. *Diversorium Senum*, in Monasteriis agnoscit Petrus Diaconus *de Mirac. S. Benedicti Casini patratis num.* 29. Inter quod Γεροντοκομεῖον & Γεροντοτροφεῖον id discriminis ponunt Grammatici, quòd istud ampla, hoc minor ædes sit, in qua aluntur senes. *Lexicon* Gr. MS. Γεροντοκομεῖον μέγα, Γεροντοτροφεῖον μικρόν, *Gerontocomium magnum, Gerotrophium parvum*, apud Carol. du Fresne *in Glossar.* qui de *Gerontocomiis* & *Gerotrophiis CPolis*, agit in *CPoli Christ.* Cæterùm *Gerontocomia* primùm instituisse Hyrcanum Judæorum Principem, refert Egesippus. Quem imitatus inter Christianos Impp. Mauritius, domum, in qua senes morbosi alerentur, nomine *vivarii sumptuosi*, extruxisse magnificis impensis, legitur apud Cedrenum &c.

Geroldsecia, Germ. *Geroldseck* vel *Hohen-Geroldseck*, Familiæ nomen in Germania illustris: cujus auctorem *Geroldum* Bavariæ Ducem, Hildebrandi D. Sueviæ filium & Hildegardis, Carolo Magno nuptæ, fratrem, constituunt; cùm alterum quidem ejus filium Bertholdum, Ducatui Sueviæ admotum, alterum *Geroldum*, castro *Geroldsecio* à Patre donatum, perhibent. Certè gens inter illustriores semper numerari meruit, & conjugiis dignis decora avita conservavit. Demum in Anna Maria, Friderici Com. Solmensis, & deinceps Friderici Marchionis Badensis, uxore, de cujus progenitoribus paulo post, tota defecit. Et quidem de ejus in Baronatum prætensione, in Instr. Pac. §. 4. cautum est: de cætero Cronenbergio Comiti titulus ille accessit, & ob illum, inter Proceres Imperii, locus. Alia Familia fuit Dominorum *Geroldsecia ad Vogasum*, in Alsatiæ oris, quæ cùm dudum defecerit, ejus nominis memoriam Rappolsteinii Comites servarunt. Redeo ad Annam Mariam præfatam, cujus progenitores ita habent: Waltherus Dn. *de Hohengeroldseck*, ex Elisabetha Liechtenbergica fil. Simonis, Theobaldum genuit, extinctum A. C. 1461. Quo & Dorothea *de Thengen* fil. Eberhardi Comitis, natus Gangolphus, ex Cunigunda Montfortia (quæ obiit A. C. 1515.) suscepit filium cognominem: cui Anna Rupinensis fil. Johannis *Com. de Liniau & Rupin*, genuit Quirinum Gangolphum, qui excessit A. C. 1569. Pater ex Maria Com. Honstenia Jacobi, inter masculos suæ gentis extremi. Obiit enim is A. C. 1634. non nisi duabus filiabus ex Barbara Rappolsteinia genitis: quarum una Maria Magdalena n. 1565. obiit A. C. 1587. altera Anna Maria, Friderico primùm Com. Solmensi *in Laubach*: inde Friderico M. Bad. *in Durlach*, nupta, uti dictum. decessit A. C. 1649. V. Phil. Jac. Spenerum *Theatr. Nobilis. Part. II.* & *in Indic.*

Geronticum, in Charta Sisnandi Episc. Iriensis æræ 952. apud Antonium Yepezium *Chronici Ordinis S. Benedicti Tom. IV. Libros, unum Ordinarium & unum Sacerdotalem, & unum* Geronticum, *tertium cum Officio Passionis & Missa ipsius Martyris* &c. liber est continens Vitas Patrum seu *Seniorum*, de quo ita Joannes Antiochenus nuper editus à Jo. Bapt. Cotelerio *cap. 5.* Ἡ πρώτως ἐν Αἰγύπτῳ συντεθεῖσα μεγάλη βίβλος τῶν ἁγίων γερόντων τῆς Σκήτεως, Θηβαΐδος, Λιβύης, [illegible] *Primùm in Ægypto concinnatus ingens Liber sanctorum Senum, in Scethi, Thebaide & Lybia, sanctam eorum conversationem & apophthegmata, juxta ordinem literarum, complexus.* Cujus, Latinè editi à Rosvveido, Græcum exemplar nactus idem publicavit *in Monumentorum Eccl. Græcæ Tomo I.* V. quoque *Notas* ejus *pag. 795.* & Car. du Fresne *in Glossar.*

S. *Gerontii* oppidum, S *Girons*, in provincia Galliæ Benearnensi, haud procul abest, à Castro S. Gaudentii, *S. Gaudens*, V. Hadr. Valesium in *Sancti Gaudentii castrum*.

Gerontocomium, V. suprà *Gerocomium*.

Gerra, crates vimineæ, Græcè γέῤῥα quoque; quas cùm Athenienses, Syracusas obsidentes, crebrò poscerent, irridentes eos Siculi *gerras* clamitabant; unde factum, ut *gerræ*, pro nugis & contemtu, dicantur, Fest. Hinc itaq; *Gerræ Siculæ*, proverb. Alii tamen scuta Persica ἐκ λύγων ἢ οἰσύων, *gerras* dictas esse volunt, ut apud Suidam & Eustathium videre est. Sed & fascini sic dicti sunt in Naxo, Veneris insula, Nonio teste &c. At *Gerres*, apud Martialem *lib. 3. Epigramm 77.*

Teq; juvant gerres, & pelle melandrya canâ:

minuta salsamenta sunt è loculatarum genere, de quibus V. Plinium *lib. 32. cap. ult.* & Hadrian. Turnebum *Adversar. lib. 24. cap. 46.*

Gerula, apud Isidorum. *Uri agrestes boves sunt in Germania, habentes cornua in tantum protensa, ut regiis mensis insigni capacitate ex iis gerulæ fiant*: vas vini est aut cujuslibet humoris capax, unde *Gerlas* hodie Burgundi vocant vasa ampla lactis aut aquæ gerula, ex ligno facta. Aliàs *Gerula*, apud Romanos, ministerii domestici nomen erat, à *gerendo* infantes. Hanc à Nutrice distinguit Hieronymus *ad Lætam, Nutrix ipsa non sit temulenta, non lasciva, non garrula, habeat modestam* Gerulam, *nutricium gravem*. Neq; verò hæc opera discreta semper, sed Nutricem aliquando *Gerulam* quoque fuisse, discimus ex Plauti *Prologo Pœnuli*,

Nutrices pueros infantis minutulos
Domi ut procurent, neu quæ spectatum afferant,
Ne & ipsæ sitiant & pueri pereant fame.

Etiam *Geruli* fuere servi, qui id officii sub Nutricibus præstarent, à Scholiaste Sophoclis *in Ajace flagellifero* Βαϊοῦλοι, *Bajuli* dicti, quòd bajulent gestentq; ulnis pueros: Unde in Aula Constantinopolitana olim *Magnus Bajulus*, apud Georg. Codinum. *Geruli* sportularum, similiter è ministerio fuere: de quibus Juvenalis *Sat. 3. v. 249.*

Nonne vides, quanto celebretur sportula fumo?
Centum convivæ, sequitur sua quemq; culina.
Corbulo vix ferret tot vasa ingentia, tot res
Impositas capiti, quas recto vertice portat
Servulus infelix, & cursu ventilat ignem.

Et hæc focorum migratio erat ab ædibus divitum ad tenuiorum & pauperum domus, qui sportulam officio diurno commeruissent: Illæ autem à culina in triclinium beatorum & divitum & in ipso triclinio fuerunt, quarum meminit Seneca *epist. 78.* & Martialis *lib. 7. Epigr. 48.*

Cùm mensas habeas fere ducentas,
Pro mensis habes Aminus ministros:
Transcurrunt Gabatæ, volantq; lances &c.

Hujus agminis portio fuit, ille apud Evangelii Scriptores Marcum & Lucam, lagenam seu amphoram aquæ bajulans: item illi apud Sidonium *lib. 9. Epist. 13.*

Geruli caput plicantes
Anaglyptico metallo,
Epulas superbiores
Humeris ferant onustis &c.

V. Laur. Pignor. *lib. de Servis*. Apud Suetonium *Caligula cap. 40.* *Vectigalia nova atq; inaudita — exercuit — Ex Gerulorum diurnis quæstibus pars octava* &c. *Geruli* sunt, ut φορεῖς Græcis, μισθωτοὶ & φορτηγοὶ Attici dixere; Latini etiam *bajulos* & *gerones*, ut Cic. *Epist. ad Atticum*. V. Casaubonum *ad l.* nec non Salmasium *ad Solin. p. 230.* &c.

Gerulphi, apud Gervasium Tillebet. *in Otiis Imperial. part. 1.* appellati Gallis dicuntur, qui Græcis Λυκάνθρωποι, Gallis *Loupgarous*, quasi *Lupi-homines*, hodie, V. suprà *Guaraones*.

Gerusia, ex Græco γερουσία, Sparta seu Lacedæmone olim, apud Romæ Senatus, fuit, ipsa quoq; à *Senibus* dicta, qui Græcis Γέροντες dicuntur, *in gl. l. Archigerontes, C. de Episc. aud.* Eodem nomine Χ. [illegible] apud Cretenses insignivit Aristoteles, V. Postellum *de Magistr. Athen. c. 30.* Inde & loco nomen, ubi Senatus habebatur. Plin. *lib. 35. c. 14. Sic struxere murum Athenis — sic Patris ædes Jovis & Herculis — domum Trallibus regiam Attali: item Sardibus Crœsi, quam* Gerusiam *fecere* &c.

Gesminus, Gall. *Jasmin*, floris nomen eximii, de quo sic Fr. Pomey, *An verni flos potest isto tenuior? Vix vincit mole violam. Atcandidiorem reperias ullum? Nivem & lac adæquat candore. Ecquis autem suaviorem olfacias? Nequaquam ambaris & moschi æquè suavis odor est. Quis demum vel cogitatione speciosiorem effingas? Stellæ cœlo dispar speciem præbet ac fulgorem. Adeò ut tam verè dici possit, quam alte, virentem cameram gelminis intertextam, inumbratamq; terrestre quoddam esse cœlum, quot pictum flosculis, odoriferis tot stellulis micans. Hujus flosculi parens planta — ita ductilis & sequax est, ut facili se patiatur in omnem partem: fœcunditatis usq; adeò felicis, ut floribus fundendis fatisq; ad certamen usq; luxuriet, generositatis porrò tam mira, ut in sublime sese efferat diffundatq; procera instar arboris. Adminiculis eget quidem, ut fulciatur, ut nitatur sursum; at suo non minori ornamento fit, quàm sui cultoris commodo atq; voluptate, quòd adminicula requiras. Si enim nixa fulcris, & illigata pergulis, hortorum contexit parietes, & testudines obtegit, & umbracula contexit, viriditate longè amœnissimâ frondiumq; texturâ ita eleganti, ut nihil ad affectum præclarius, nihil sit, quod oculis arrideat magis. Quid autem de Iberico illo gesmino dicam? Annon hortensium vasorum decus & ornamentum est? Minùs illud quidem ferax — at multo sanè speciæ venustius: non ita se crumitit, verum est at odorem longè quàm suaviorem emittit.* V. eum *Divers. Descrip.*

Gessaces, mons Illyrici, per quem Scythæ, factâ carragine, fugere conati sunt, sub Gallieno Imp. apud Trebellium Pollionem *in Gallienis*.

Gesta, pro Actis publicis, passim apud Recentiores. V. Car. du Fresne *Glossar.*

Gestamen, apud Solinum *cap. 2.* ubi de coralii ramulis, *Excantur ex illis nuncia* gestamina. *Habet enim — materia hæc quandam potestatem, ac propterea, quidquid inde fit, ducitur inter salutaria.* Et Plin. de eodem, *Aruspices eorum Vatesq; in primis religiosum ii gestamen amoliendis periculis arbitrantur*: dicitur, quidquid gestatur ad ornatum aut usum medicum magicumque, qualia *Periapta*, de quibus infrà. Sed & quidquid ad indutum; hoc enim nomine vestes etiam veniunt apud Latinos, ut Φορήματα apud Græcos: quotum recentiores Φορεσίας vocant quælibet vestimenta. Salmasius *ad Solinum pag. 90.* Neq; verò, ea quæ gestantur solùm *gestamina*, sed & vehicula, quæ *gestant*, quoque voce eâ indigitari consuevere, Græcis Φορεῖα, qua de ejus notione V. suprà in voce *Basterna*. Sic *Gestatoria* dicuntur medii ævi Scriptoribus, Alberto Aq *Hist. Palastinæ lib. 3. c. 4. lib. 7. c. 20. libro 9. c. 22.* Cæsario Heisterbac. *Mirac. lib. 2. c. 32.* Aliis. *Gestatoria* Sidonio *lib. 8. c. 8.* *Gestoria*, vet. Scholiastæ Statii *Thebaid. lib. 6. vers. 512.* lecticæ, quibus gestantur afflicti vulneribus aut casu aliquo alio, V. Casp. Barthium *ad h. l.* & hic infrà.

Gestationes, loca fuere apud Romanos, in quibus domini voluptatis vel morbi levandi gratiâ, à servis gestabantur. Plinius Jun. *lib. 2. Ep. 17.* Gestatio *buxo, aut rore marino, ubi deficit buxus, ambitur.* Ulpianus *l. 13. ff. de usufr. Etsi fortè voluptarium fuit prædium, viridaria vel* Gestationes, *vel deambulationes arboribus infructuosis opacas, atq; amœnas habens.* Neq; verò sub dio tantùm *gestabantur*, sed & sub tecto porticus alicujus. Juvenalis *Sat. 7. vers. 178.*

Balnea sexcentis & pluris porticus, in qua
Gestetur dominus, quoties pluit, anne serenum
Expectet, spargatq; luto jumenta recenti.

V. eundem *Sat. 4. v. 5.* In *gestando* quoque certus passuum numerus observatus est, ut in deambulando Ciceronem adhibuisse te-

statur Plutarchus, *in eo*: & patet ex antiqua inscriptione: *In. hoc. pomario. gestationis. per. circuitum. itum. &. reditum. quinquiens. efficit. passus. mille.* Gestabantur autem *navi, lectica, kamme, vehiculo*, docente Celso *lib. 2. cap. 15.* item *cathedrâ* & *sellâ*. Unde *Cathedrarii servi* Sidonio *lib. 1. Epist. 11.* & *sella gestatoria*, apud Suetonium *in Nerone ac Vitellio*: quam *portatoriam* vocat Coelius Aurelianus *lib. 1. cap. 1.* qui idem quoque *ferteriæ* & *gestatoriæ* meminit: Hanc duo homines gestabant &c. V. Laur. Pignor. *de Servis*. De *Gestationum* verò *in universum viribus*; de earum quæ *Vehiculis, Lectica* atque *Sellis*, viribus particularibus; de *Lecti pensilis* item, *Cunarum* ac *Navis gestationum* facultatibus, aliisque huc pertinentibus, differit prolixè Hieron. Mercurialis *de Arte Gymnast. lib. 6. capp. 9. 10. 11.* Nec omittendum, ut & de *gestatione* activa aliquid aspergamus, Romanos, apud quos priùs fas non erat rerum imagines annulis insculpi, postea tamen hunc morem migrasse, & cum aliorum, tum Ægyptiorum Numinum formas in annulis *gestasse*. Quam consuetudinem perstringens Plinius *lib. 2. c. 7. Alius*, inquit, *nullus est Deorum respectus, alius pudendus. Externis famulantur sacris ac digitis Deos gestant.* Et *lib. 33 cap. 3. Jam verò etiam Harpocratem statuasq; Ægyptiorum Numinum in digitis viri quoq; portare incipiunt.* Quod tum de annulis Magicâ arte formatis exponi potest, tum imprimis de superstitione illorum, qui simulachrum alicujus Numinis, à quo se juvari putarent, quotidie circumferebant. Sic Veneris Armatæ effigiem *gestabat* C. Julius Cæsar, apud Dionem *lib. 43.* Deæ cœlestis imaginem, Asclepiades Philosophus, apud Amm. Marcellinum *lib. 22.* & apud Appulejum *Apolog.* legimus: *Nam morem mihi habeo, quoquo eam, simulachrum alicujus Dei* (sudario linteo involutum) *inter libellos conditum gestare.* Imò nec Dei solum simulachrum; sed & hominis pro Deo habiti, vel Herois interdum, ferebant: ut Alexandri M. imaginem familia Macrianorum; quam viros in auro & argento, mulieres in reticulis, & dextrocheriis & annulis, tunicis quoque & limbis & penulis *gestitasse*, testis est Trebellius Pollio ubi *de Quieto, uno ex XXX. tyrannis*. De iisdem Alexandri M. nummis, in calceis quoque *gestatis*, diximus suprà. V. Joh. Kirchmannum *de Annulis cap. 11.* Etiam *gestatio* Infantum circa focum, per obstetrices vel ministros facta, antiquo ritu, non prætereunda penitùs. De qua sic Thom. Bartholinus *de Puerper. Vet. Maribus* (lustricus dies, quo nomen adipiscebantur) *nonus, fæmellis octavus, ultima hebdomadis aliis, qui etiam intra quintum diem subsisterunt. Praevas Nundina Deo festo, quod Suovetaurilibus peractum & circuitione. Circumferebantur pueri circa focum, unde* Ἀμφιδρόμια, *seu* Δρομιάμφια *per metathesin. Focus ille, nil nisi ara Deorum hostiis calentes. Expiabantur deinde aquæ aspersione per animulas lustrali, ex sputo & pulvere, ex balneis plerumq; sumto. Hinc eodem die vario ferculorum luxu, convivium agitatum* &c. De eodem sic Suidas: Ἀμφιδρόμια, ἣν ἄγουσιν ἐπὶ τοῖς βρέφεσιν ἐν ᾗ ἀπονίζονται τὰς χεῖρας αἱ συναψάμεναι τῆς μαιεύσεως καὶ τὸ βρέφος περιφέρουσι τὴν ἑστίαν τρέχουσαι, *Quintus à natu infantibus dies, quem Græci solemniter celebrant. Hoc die manus purgant illæ, quæ Obstetricis munere perfunctæ sunt. Infantes autem circa focum* gestant *currentes*. &c.

Gestatorium, apud mediæ ætatis Scriptores, lectica est, qua afflicti vulneribus, aut alio aliquo casu, gestantur, uti suprà diximus in voce *Gestamen*. Item feretrum, in quo Sanctorum reliquiæ, C. du Fresne *Glossar.*

Gestus, V. hic passim, ubi de *Chironomia, Pantomimis, Saltatione* &c. item in voce *Schema*.

Gesum, apud Statium *Theb. l. 4. v. 64.*

—— pars gesa manu, pars robora flammis
Indurata diu [illegible]

Servio *ad Æneid. octav. hasta virilis est. Nam & fortes*, inquit, *viros Galli gesos vocant.* Ubi virilis, *robusta* exponitur Barthio. Ὁλοσίδηρον vocat Pollux, *ex solido ferro*. Unde gravia omnia eo nomine censeri Poetis, multis docet Lipsius *Poliorcetic. lib. 4. c. 4.* Cum lanceis gesa junguntur, apud A. Gellium *lib. 10. cap. 25.* &c. Hinc *Gessatæ*, milites mercenarii, Polybius *lib. 2.* Διεπέμποντο πρὸς τοὺς κατὰ τὰς Ἄλπεις καὶ τὸν Ῥοδανὸν ποταμὸν κατοικοῦντας Γαλάτας, προσαγορευομένους δὲ διὰ τὸ μισθοῦ στρατεύειν Γαισάτους. ἡ γὰρ λέξις αὕτη τοῦτο σημαίνει κυρίως. *Mittebantur ad Gallos, qui circa Alpes Rhodanumq; fluvium habitant, quòd mercede militent, Gessatas dictos. Hoc enim propriè vox notat.* V. in voce *Gessatæ*.

Geta, Cæsar; adde: Ejus nummi, in cujus altera parte Cupido, inversam tenens facem, cum voce ΣΙΚΥΩΝΙΩΝ, quòd Sicyone cusus; Alteriusque, in cujus aversa facie Æsculapius & filia ejus Hygieia, manu serpentem gerens, cum literis ΠΕΡΓΑΜΗΝΩΝ, quòd Pergami, ubi ædem habuit Æsculapius, meminit Jac. Sponius *Itiner. Parte 3. pag. 183. & 185.*

Geta, V. supra *Geada*, ut & in voce *Daa*.

Geticus Maximus, per Satyram dictus est Antoninus Caracallus, ob *Getam* fratrem occisum, apud Æl. Spartianum.

G H.

Gheth, vox Hebræa, quâ utebantur Judæi ad *repudium* denotandum, in damnatione mulierum. Hodie verò significat locum separatum ac septum, in urbibus Christianorum, ubi à fidelibus seclusa separataque hæc natio habitat. Ital. etiam *Ghetto*; quod vocabulum secundùm Kabbalæ regulas numerum duodenarium designans, XII. Tribuum repudium appositè notat, Car. Macer in *Hierol.*

GI.

Giafiri, à Mahumetanis Christiani per convitium cognominantur, de quo V. Joann. Leunclavium *Histor. Musulman. l. 18.* ut & supra, in voce *Gauri*.

Gibber, ex Hebr. גבן, quod cognationem habet cum Hebr. גבנן & גבע, unde Gr. κυφὸς & ὕβος, quod propriè, ex vet. dicto liquet,

In dorso gibbus, *in pectore* gibber ——

Unde *gibber*, illiusmodi pectoris tumore deformis. Cujusmodi *gibberi fictile signum*, inter Saturnalitia munera, Martialis memorat, *lib. 14. lemmate Epigr. 182.* quod sic habet:

Ebrius hæc fecit terris puto monstra Prometheus,
Saturnalitio lusit & ille luto.

Origo sigilli, ex historia de Gegania prædivite fœmina, quam, cum candelabrum Corinthium, cum appendice Clesippi fullonis, *gibbo* fœdi, emisset, huic tamen monstro postea nupsisse, eumque hæredem ex asse scripsisse, ex Plinio diximus suprà, ubi *de Clesippea ἀναλήψει*. De *gibbo* v. Cameli, V. in hac voce.

Gibelini, seu *Gibellini*, adde: Hornius de factionum harum origine sic: Contendebant, inquit, de Imperio duæ potentissimæ familiæ, Henricus Superbus Bavariæ & Saxonum, ac Conradus III. Sueviæ, Duces, inter quos ad oppidum VVinsbergam prælio fervente A. C. 1140. Bavari inclamare suum Guelphum (Henrici Ducis fratrem) Suevi suum *Weiblingen*, quod opp. hodie Ducatus Wirtenbergici est & in quo natus ac educatus Conradus fuerat: unde *Guelphorum* & *Gibellinorum* (ex *Weiblingen* Italis vocem detorquentibus) nomina. Sed cùm paulò longiùs petita videatur hæc origo, aliam suggerit Joannes Kraus Canonicus Argentinensis in *Vitis* Impp. è domo Brunsuic. *Clamor*, inquit, *adhortationis ad resistendum ac fortiter dimicandum, in exercitu Welfonis fuit iste:* Hic Welff; *unde Fridericus ad confusionem Welfonis, præcepit clamare in suo exercitu*, Hic Gybeling, *quia in ista villa nutrix illum infantulum lactaverat. Itali autem, & Galli & Longobardi, non intelligentes, quid esset:* Hic Welff *&* Hic Gybeling, *fecerunt sibi exponi, quibus declaratum fuit, quòd Papales significarentur per* Welff, *& Imperio adhærentes per* Gybeling. à quo *Gibellini*, apud L. Joachimum Fellerum *Animadv. ad Georg. Hornii Orbem Imp. pag. 34.* Sunt tamen, qui priorem sententiam præferant, & ex *Weiblingen, Gibellingos* primum, inde *Gibellinos* factum contendant. Conradus certe III. præfatus *de Weiblingen* cognomen habuit, uti ex *Chronico* Laurishamensi *pag. 73.* perspicere est &c. V. quoque Felicem Osium, *ad Historiam Mussati*, Hieronymum *della Corte Histor. Veron. lib. 5.* Alios, e quibus welphonem VI. Henrici II. Bavariæ Ducis fratrem, à Conrado Imp. Ducatu, in Leopoldum Austrium translato, privatum, bellum Conrado, opibus Rogerii Siculi subnixum, movisse, quo primum factionum hæc nomina audita, insuper discimus.

Gidgad, Numeror. c. 33 v. 32. locus est, in quo castra metati Israelitæ: a verbo גדד, quod *exercitum contrahere* significat, unde גדוד *exercitus*. Hinc Pasagardas, quasi *Pasi gedud*, i. Persarum exercitum, dictas vult Salmasius *ad Solinum p. 1202.* Quemadmodum & apud Græcos nomen χάραξ, quod *vallum* significat, quo exercitus includitur, multis urbibus locisque hæsit, in quibus aliquando exercitus castra metati essent, uti diximus suprà in voce *Charax*.

Gigantes, adde: Hodieque Patagones, gentem Americæ Merid. communiter proceritate 6. & amplius cubitorum esse, adeoque ordinariam hominum reliquorum staturam excedere, memorant *Itinerariorum* Scriptores. An verò unquam natura tam vastam molem protulerit, qua prædita scribuntur inventa aliquot in locis cadavera 30. 40. 60. 100. 200. cubitorum, meritò dubitat Athan. Kircherus: cùm natura certum omnibus animalibus terminum præfixerit, quem, dum actiones suas ritè obire debent, egredi nequeunt. An Majores nostri communiter hodiernâ staturâ nostrâ proceriores fuerint, ab Eruditis quoque quæritur. Et Juvenalis illud nemini ignotum,

Terra malos homines nunc educat atq; pusillos.

Sed si olim à magnitudine sua recesserunt homines, cur decrementa hæc tandem fuere inhibita, cùm per tot secula idem staturæ modus manserit. Namque & Davidis tempore Goliathi statura 6. cubitorum pro gigantea habita fuit, quæ tamen ne hodie quidem magnitudinis consuetæ adeò ingens excessus est. V. Hier. Magium *de Gigantibus*, Chassagnonium *de iisdem*, Ant. Tesillum *de Termino magnitudinis & virium in animalibus*, Kircherum præfatum *Mund. Subterr. lib. 8. sect. 2. c. 4.* Voetium *Volum. I. Disput. de Creatione part. 8 pag. 704.* Auctorem Anonymum *Historiæ Orbis Terr. Geogr. & Civ. c. 9. sect. 2. §. 10.* cui titulus *de Gigantibus*.

Gigantomachia, Græcè Γιγαντομαχία, nomen carminis, quo *gigantum dimicatio*, ut Plinius vocat, descripta, pars fuit Cycli Epici, de quo suprà. Inter opera ex marmore Phidiæ memoratur huic Auctori *l. 36. c. 5. In scuto* (Minervæ) *Amazonum prælium*

lium celavit intumescente ambitu parmæ, ejusdem concavâ parte Deorum & gigantum dimicationem, in foleis verò Lapitharum & Centaurorum &c. Cœterùm quid de hac pugna & in Deos armis *gigantum* credendum, V. apud Philostratum *Apollonio lib* 4. Ea verò fabulâ malorum Spirituum, ex affectatis sedibus cœlestibus, depulsionem adumbratam fuisse, jam olim monitum, C. Barthius *ad Statium Thebaid. l.10. vers. 916.*

Gigliati, nummi, ut quidam volunt, argentei, in quibus *lilium* insigne Gallorum, quod Italis *giglio* insculptum erat; quorum sex *Florenum Rhodi* constituebant. Aliis, à Fratre Roberto *de Juli* (Ordinis Hierosolymit.) appellationem hæc moneta sumsit; dicunt enim ab eo institutum esse, ut singuli *Gigliati* singulis fratribus secundâ Quinquagesimæ feriâ distribuantur, quod tamen minimè constat. Borghinus *Dissert. de Monet. Florent.* existimat, *Gigliatos* appellatos esse nummos Regum Neapolitanorum ex gente Francica, quod in iis scutum liliatum esset effictum: Certè Caroli I. Regis Siciliæ aureum in Gazophylacio Regio, se vidisse testatur du Fresne, in cujus antica sedet Rex ipse, dextrâ sceptrum liliatum, sinistrâ globum crucigerum, tenens, cum hac Inscr. KAROLVS DEI GRATIA SICILIÆ REX. In postica scutum liliatum, cum *Labello* effingitur, cum Inscr. DUCATUS APULIÆ PRINCIPATUS CAPUÆ. Sed & in posteriorum ex eadem gente Regum monetis expressa fuisse horum liliata insignia, constat ex Antonio Rufio *in Comit. Provinc.* laudato Car. du Fresne *in Glossar.* Alii verò & quidem longè minoris pretii fuisse videntur *Gillati*, qui *Guillots* dicuntur in *Regesto* Parlamenti Paris. 12. Julii A.C. 1378. Iidem verò fortè *Gillati* illi, quorum mentio in *Charta* A. C. 1338. Dominorum Canneti in Provincia, & in *Charta* pro matrimonio Ferrandi Majoricani, cum Isabella fil. Guilielmi Principis Achajæ, scriptâ Messanæ, A.C. 1313. apud eundem.

Gilbertus, secundæ Compilationis Decretalium, unà cum Alano Episc. Autissiodor. auctor: qui ambo, Bernardum Circam imitati, collegerunt Decretales eorum Pontificum, qui post Circam vixerunt Sed iis nomen & gloriam facile præripuit Joannes Gallensis seu Vallensis, de quo supra.

Gillo, apud Cassianum Mon. & in vetustissimo *libro Epigr.*

—— gillo, fabilla, melo;

idem quod *bauca* seu *baucalis*, vas vinarium vitreum, Salmas. *ad Pollionem in Claudio*: fictile, in *Gloss.* Camberonensi MS. apud du Fresne. Unde *Gillonarius*, officium Palatinum, apud VVisigothos, *L. Wisigoth. lib. 2. tit. 4. §. 4.* idem cum *Buticulario*, apud Francos. De vocis γυλλὸ, apud Græcos recentiores, notione V. Cotelerium *Monum. Eccl. Gr. Tom. I. p. 744.*

Gilvus Color, Græcè κιῤῥὸς, flavo dilutior est. Unde Hippocrates *de victu in Morb. acut. Com. 3.* vinum album, cùm veterascit, semper fieri κιῤῥότερον, *gilvius*, & tandem etiam ξανθὸν, *flavum*, tradit. Eundem colorem in equis sæpe memorant Vett. Varro apud Nonium, in *Badius*.

Equi colore dispares ita dati,
Hic badius, iste gilvus, *ille murinus.*

Virgilius,

—— —— color deterrimus albis
Et gilvo.

Ubi Servius. *Gilvus est melinus color, quem vulgò fulvum vocant*: imo *flavum*. Isidorus, *Gilvus autem melinus color subalbidus. Melinus* dici videtur ἀπὸ τῶν μήλων, *à colore malorum*: Germ. *falb*, Gall. *fauve*, quia ad flavum maximè accedit. Cuius coloris ajunt fuisse Nisæos in Media equos, apud Persas tanti olim nominis. Phavorin. Sed, ut in vino, ita in equis, *gilvus* à flavo differt; quia in *gilvo*, color aliquantum dilutior est. Itaque Apocalyps. *cap. 6. v. 8.* ἵππος χλωρὸς, videtur esse *gilvus equus*: ibi enim χλωρὸς, ut passim, pro ὠχρῷ, sumitur. Porrò ὠχρὸν χρῶμα conflatur, λευκῷ ξανθῷ μιγνυμένου, *cùm flavo miscetur album*, ut in *Timæo* docet Plato. Syrus interpres reddit *equum pallidum*: ita equus ille equiti suo, id est, morti concolor, quæ *pallida* est. Unde colligere est, *pallidum* & *gilvum* colores vicinos esse. Apud Zachariam *c. 6. v. 2.* *serukim* equi, Bocharto *gilvi* exponuntur: sic in Esaia *cap. 26. v. 8.* vites dicuntur *serukim* & *cap. 19. v. 9.* lina Ægyptia *lina Serikoth*: cruda viz. quæ omnino nativi coloris, h. e. *flavi* vel *subflavi*, sunt &c. V. eum *Hierozoici Part. prior. lib. II. cap. 7.*

Gingiber, V. infrà *Zinziber.*

Gingras, sive *Gingris*, etiam *Gingros*, tibia, à Phœnicibus excogitata, Phrygiæ similis, quâ & Cares usos prodidere, inprimis apta funeribus. Nam Phœnices Adonim *Gingram* vocabant, in cujus luctu illam ad cantum accommodabant: sicut affini voce apud affines Ægyptios *gingiarus* habita est pusilla tibiola, sono acuto, ad monodias. Jul. Cæs. Scaliger *Poetices lib. I. cap. 20.* Græcè γίγγρας quoque & γιγγραῖνος αὐλός. *Gingrina* Solino quoque *c. 5. Sive* gingrinas, *quæ breviores licet, subtilioribus tamen modis, insonant: aut milvinas* &c. Ad quem locum notat Salmasius, ab imitatione soni, quem anseres faciunt, non nullos vocem arcessere. Certè Hesychius, γίγγρα, ait, ἐπιφώνημα τι τῶν χηνῶν λεγόμενον: unde γιγγραίζειν & γιγγρίζειν, Latinis *gingrire*, quod anserum proprium. Sic vicissim de tibicinibus γιγγρίζειν, Græci, ut ex Athenæo discimus, unde *gingrian* tibicen, apud Festum *pag. 119.*

Ginnus, Hesychio, ὁ πατὴρ ἵππος, ἡ δὲ μήτηρ ὄνος, *cujus pater est equus & mater asina.* Hinc pro mulo pumilo usurpatur vox. Martialis *lib. 6. Epigr. 77.*

Non aliter monstratur Atlas cum compare ginno.

Ubi antea legebatur, *mulo*, item *gibbo*. Nempe Poeta scripserat *ginno* & glossator aliquis, *mulo* in margine; quam vocem alii substituerunt vocabulo ignoto; alii dein pro *ginno*, *gibbo* supposuerunt. Atlas autem Nani nomen est, de quo Juvenalis *Sat. 8.*

—— Nanum cujusdam Atlanta vocamus.

Itaque in Martiali.

—— Atlas cum compare ginno,

nanus est seu pumilio mulo insidens æquè pumilo. Pro *ginno* verò vel *hinno burdonem* sequior ætas dixit. *Epigramma* vetus *de ambigenis,*

Hæ sunt ambigenæ, quæ nuptu dispare constant,
Burdonem sonipes generat commixtus asellæ
Mulus ab Arcadicis & equinâ matre creatus.

Sæpè tamen *burdo* & *mulus* promiscuè sumuntur &c. Bochartus *ubi suprà cap. 20.*

Ginsberca, locus Germaniæ, in Nassoviæ Comitatu, consilio de adiuvandis Belgis seculo præt. habito, memorabilis: horâ distat Hilchenbaco. Cyr. Lentulus *Geneal. Nassov. MS.*

Ginseng, celebratissima toto Imperio Sinico radix, nomen à figura habet, hominis viz. crura divaricantis, unde mandragoram nostratem credas, nisi quòd ea multò minor sit: Japonensibus *Nisi* vocatur. Siccata flavescit, fibras seu capillos, quibus alimentum sugat, vix habet, nigricantibus venulis circumspersa. Cùm manditur, dulcedine ingrata est, nonnullâ amaritudine, sed tenui admistâ. Auget plurimùm vitales spiritus suavemque corporis calorem excitat; balneo Mariæ, ut vocant, cocta adhibetur, atque fragrantem, aromatum instar, exhalat odorem. Ejus libra triplo argenti pondere appenso emitur; nascitur autem in Pekingia prov. nec non in Xansia, ubi civitatem *Leao* valde nobilitat &c. Auctor Anon. *Sinæ & Europ. cap. 31.* ubi plura de mira nobilis hujus radicis virtute.

Giostra, in *Histor. Cortusior. l. 5. c. 7.* monomachia ludicra: vox Ital. Gallis *Jouste*, Nicephoro Gregoræ *l. 10.* & Cantacuzeno τζουστρία. V. C. du Fresne *Dissert. ad Joinv. 6.*

Gipedæ & *Gipedes*, apud Treb. Pollionem *in D. Claudio. Denique Scytharum diversi populi, Peucini, Trutungi, Austrogothi — Gipedes, Celtæ etiam &c.* Gepidæ sunt Jornandi aliisque; sed Græcis scriptoribus sæpe Γήπαιδες vel Γήπαιδες. In antiquis schedis hæc verba, οἱ Οὖγγροι τὸ παλαιὸν ἐλέγοντο Γήπαιδες, *Ungari olim dicebantur Gipedes*, se offendisse, refert Casaubonus *ad locum.* Corippus,

—— —— Gypedasque feroces.

At Græci, ut dictum, Γήπαιδας eos vocant. Ita enim solent barbarica nomina & fera, ad Græcum sonum, formationemque Græcæ propiorem inflectere. Hinc Γήπαιδας eorum Grammatici ἐτυμολογοῦσι, quasi Γετῶν παῖδας, *Getarum filios*: quidam quasi Γῆς παῖδας, *Terræ filios.* Quemadmodum Erulos Ἐλούρους appellant, ἀπὸ τῶν ἑλῶν, *à paludibus*, in quibus habitabant, nominis originem arcessentes. V. Salmasium *ad Vopisc. in Probo.*

Girbitana Purpura, apud Treb. Pollionem *in D. Claudio, Albam subsericam unam, cum purpura Girbitana*; dicta est ab Insula *Girba*, quæ *Meninx* est Vett. in Oceano Merid. hodie *Gerbi.* In qua nobilissimum baphium; cujus mentio in *Nov.* Imp. ubi *Girbitanum baphium* non semel memoratur; unde proin *Girbitana* hæc purpura, apud Pollionem; cùm priùs nullo sensu legeretur *Sucubitana*, Salmasius *ad eum.*

Giris, in Tab. Peutingeriana, aliter *Diris* vel *Siris*, Ptolomæo Γεὶρ, ingens Africæ fluvius, per Garamantas Æthiopas fluit, &, sub terram absconditus, Nubam paludem efficit: de quo V. Salmasium *ad Solinum pag. 420. & 421.*

Girona Familia in Hispania illustris, cujus origo Guttiero adscribitur, qui ex Vasconia, cum Henrico Burgundo Lusitaniæ Regum satore, venerit, & Bragam acceperit dono. Filio cognomen datum est, *de Cunnas*, unde *Acunniorum* seu *Acugnorum* gentile nomen. Ex qua gente seculo decimo quarto vixit Martinus Vasquezius de Acunna, qui ex secundo quidem matrimonio, cum Maria Lusitana, Comitum Valentiæ auctor fuit; in primo autem conjugio ex Teresia *Girona* Alfonsum T*ellez Gironum* genuerat: Fuerat autem hæc Teresia, ex antiqua & celeberrima *Gironum* (è quibus Rodericus Consalvi memoratur vixisse A. C. 991.) stirpe oriunda, nominisque hæres, unde Alfonsus Martini filius, a Matre *Gironis* nomen adsumpsit. Huic uxor desponsata Maria fil. Johannis Fernandi Pacheci Dn. de Bello Monte: quæ suum item nomen in hanc gentem intulit. Et quidem primo filio Johanni *Pachei* nomen impositum, alteri Petro *Gironis*; à quo descendunt Comites de *Urenna*, è quibus dein Duces de *Ossuna* & March. *de Pennafiel* orti. Petrus enim *Giron* M. Mag. Ord. Calatravæ, defunctus A. C. 1466. ex Isabella *de las Casas* Johannis I. *Telles Gironis* Com. *de Urenna* pater fuit:

fuit: quo & Leonora *de la Vega Velasco*, natus Johannes II. ex Maria *de la Cueva* suscepit Petrum Gironem D. de Ossuna: cui Leonora Anna Guzmann (extincta A.C. 1573) genuit Joannem III. March. *de Pennafiel* Duc. Ossunæ: cujas ex Anna Maria de *Velasco* filius Petrus *Giron* Dux Ossunæ, in matrimonio Catharinæ Henriciæ de Ribera, filium habuit Johannem Tellez IV. Duc. Ossunæ. March. *de Pennafiel*, caput nominis *Giron*, cui nupsit Isabella fil. Christophori Gomezii *de Sandoval & Roxas* D. de Uzeda atque Mariæ Manricæ *Padilla*, soror Francisci &c. Obiit autem præfatus Johannes Tellez IV. A.C. 1656. relicto filio Casparo Tellea *Giron* D. Ossunæ & Uzedæ March. *de Pennafiel* Com. de Urenna. Phil. Jac. Spenerus *Theatr. Nobil. Europ. Part. I. pag.* 70 *& Part. III. pag.* 87. In Johannis verò filii primi Alfonsi suprà dicti) *Pacheci* cognominati March. *de Villena* & *Duc. de Escalona* filiis cognominum itidem diversitas est. Primogenitus namque *Pacheci* servavit nomen, & auctor est Ducum *de Escalona*, de quibus suprà dictum. Alter filius Petrus, à matre *Portocarreri* nomine accepto, ex se Marchiones Villanovæ dedit: in ejus tamen posteris, præter *Portocarreri* commune nomen, aliarum etiam familiarum a matribus appellationes reperias. Tertius, Alfonsus *Tellez* ad *Gironum* nomen rediit, & ab illo Domini *de la Puebla in Montalvan*, qui postea Comitum dignitate ornati sunt, & subinde *Pacechorum* nomen renovarunt, derivantur. V. eundem Spenerum *in Ind. Part. I.* in voce *Giron & Pacheco.*

Gisarma, in *Statutis* VVilhelmi Scotiæ R. c. 23. §. 4. Saxonicè *Hand-ax*, securis bellicæ species fuit. V. Henr. Spelmannum in *Glossar.* & Skenæum *de Verb. signif.* in voce *Gysarum*.

Gisilbertus, Comes Mansuariæ ex partibus Caroli Calvi stetit, atque ex Ermengarda, Lotharii Imp. filia, quam rapuerat, Raginerum I. & Ricuinum I. genuit; E quibus iste Ardennæ Comes, ex filiis Ottone & Ricuino II. aliquos primorum Lotharingiæ sup. Ducum, totamque familiam Limburgiam & Lucenburgiam, cujus rami in Belgium & Germaniam protensi sunt, ac nostro demum seculo exaruere, prosevit: Ille autem Hasbaniæ & Hainaci Dux, pater fuit *Gisilberti*, celebris Lotharingiæ Ducis, quem cùm Carolus Simplex pepulisset, restituit socer, Henricus Auceps Imper. Sed postea rebellem affinis Otto I. prælio occidit A. C. 939. Plura V. infrà in voce *Raginerus*.

Gista & Gistum apud Recentiores, hospitum susceptio, Gall. *Giste*: Jus est, quod dominis feudalibus competebat, in vassallorum suorum prædiis, qui statis ac conductis vicibus eos in domibus suis hospitio & conviviis excipere tenebantur. Quod quidem jus *Mansionaticum*, sub prima & secunda Galliæ Regum stirpe; sub tertia verò, *Gistum, Procuratio, Canaticum, Comestio, Pastus, Prandium* dictum est: Ad hoc inventum, ut dominus per terras vassallorum iter faciens, in publica diversoria non cogeretur divertere. Cujusmodi tamen exceptionibus ne nimium gravarentur vassalli, earum in anno numerus, ut plurimùm, in feudationum legibus definitus erat, quod passim astruunt vett. *Chartæ*. Interdum & famulorum comitatum, obsequiumque, cum quo dominus in domum vassalli divertere posset, circumscriptum legimus; sed & ipsæ *procurationum* expensæ definitæ nonnunquam: quæ postea in nudam præstationem abiere. Ab istiusmodi verò procurationibus nec ipsæ Ecclesiæ erant immunes. Quippe cùm Principes aut Magnates Monasteria extruebant, ab illis ea fere semper conditione dotabantur, ut statis in anno vicibus in iisdem hospitari & convivio gratis excipi illis liceret. Quod jus potissimùm Regibus ipsis, non in Monasteriis duntaxat, sed & in Ecclesiis Cathedralibus, quarum prædia & *dotes Regalia* dicuntur, competiisse legimus: adeò ut in earum collatione id privilegii sibi reservasse videantur. Hinc testatur Monachus S. Galli *lib.* 1. c. 15. 16. 17. Karolum M. in itinere non semel in Episcoporum domos divertisse & ab iis convivio exceptum. Cujus quidem juris adeò fuere studiosi, ut, etsi expeditionem & exercitum, pietatis gratiâ, indulsisse legantur, raro tamen *Gistum* aut *Procurationem* dimiserint, quod in *Historia Comit. Ambianens.* pluribus observat du Fresne. Idem tamen docet, ex *Regesto* quodam S. Ludovici, Matthæum Episc. Carnotensem, cum eodem Rege composuisse, super *gistis* & procurationibus, quas apud Carnotum & Fresneium villam Episcopi petebat, & pro *quitatione* ejusmodi *gistorum* eidem concessisse 500. Turon. annui reditus in perpetuum, A. C. 1259. &c. Ad hoc porro in Ecclesiis & Monasteriis id sibi juris reservabant Principes, ut, ubi *regiæ ac publicæ* deessent villæ, in quas diverterent, in Ecclesiarum domos, ex ipso *regaliorum* jure, secederent. Quin etiam nuntiis ac missis Regiis idem juris fuisse, ex Raderico patet *l.* 14. *c.* 34. ubi de Friderico I. Imp. &c. V. omnino præfatum Car. du Fresne *in Glossar.* ubi & Catalogum Ecclesiarum ac locorum, in quibus Franciæ Reges *jus Gisti* habebant, ex *vet. Regest.* & *Rotulo pergamen.* Cameræ Computor. Parisient. exhibet. Adde *Notas* ejus *ad Joinvillam pag.* 101. 102. & Chopinum *de Doman. lib.* 3. *art.* 13 *tit.* 20.

Giuma, hoc est, συνάξις, ἐκκλησία, ὁμιλία, dicitur Mahumedanis sexta hebdomadis feria, quæ eâ reverentiâ illis est, qua Judæis Sabbatum, Christianis dies Solis. V. Jos. Scaligerum *de Emendat. Temp. lib.* 2. & Joann. Seldenum *de Jure N. & G. juxta Disciplinam Hebræorum l.* 3. *c.* 29. nec non supra ubi de *Veneris die*.

GL.

Glacies, in frusta dissecta, aut nix frigore concreta, jam olim, vino diluendo adhibita est, ardentissimis æstatis caloribus, teste Plinio *lib.* 9. *c.* 1. *Hi nives, illi Glaciem potant, pœnasque montium in voluptatem gulæ vertunt: Servatur algor æstibus, excogitaturque, ut alienis mensibus nix algeat*: ubi in MS. codice *servatur rigor æstibus* magis apposité, quod nivem hanc aut glaciem ex Alpibus Liguriæ vicinis Romam transferrent. In eundem luxum facundè invehitur Lat. Pacatus *in Paneg. Theodos. Nam delicati illi ac fluentes, ac quales sæpè Resp. tulit, parùm se lautos putabant, nisi luxuria vertisset annum, nisi hibernæ poculis rosæ innatassent, nisi æstivam in gemmis capacibus* Glaciem *Falerna fregissent*. Increpat & morem, tanquam sanitati noxium, A. Gellius *lib.* 19. *cap.* 4. ex Aristotelis auctoritate. Nemo tamen in ea exagitanda frequentior Seneca, V. eum *Epist.* 78. *&* 96. *Nat. quæst. lib.* 4. *de Provid. cap.* 3. *de Ira lib.* 2. *cap.* 25. Plautus ejusdem meminit *Curculione sc. 4. ate viam*,

PH. Viden' ut expalluit? datin' isti sellam, ut assidat citò,
Et aqualem cum aqua? properatin' ocyus. CU. animo malè est.
PH. Vin' aquam? CU. Si frustulenta est, da obsecro hercle, obsorbeam.

Et Martialis *lib.* 9. *Epigr.* 23.

Nec labris nisi magna meis crystalla terantur,
Et faciant nigras nostra Falerna nives, &c.

Hanc verò ministravit *Gelidæ minister* dictus. V. Laur. Pignorium *de Servis*, Thom. Dempsterum *Antiqq. Rom. l.* 5. *c.* 30. &c. Alio fine *glaciem* per hyemem collectam totâ æstate servant Sinenses, ut viz. eâ in navibus destinatis quasi sepultos pisces, *Xiyu* illis, *Savel* Lusitanis dictos, ad Imperatorem Pekinum usque mittant, cui functioni unus ex præcipuis Eunuchorum præest. Auctor Anon. *Sina & Europ. cap.* 42. *de Piscibus*.

Gladiatorii Ludi, inter eos, qui *Honorarii* dicebantur, apud Romanos olim maximè frequentes, *Muneris* nomine non rarò apud Auctores veniunt, quique eos edere soliti, *Munerarii* appellantur. Origo illis à ludis funebribus, in quibus homines mactati defunctis Inferiæ fuere, ut de Ænea Pallantis & Achille Patrocli exequias celebrante legimus. Et primò quidem captivi ex hostibus jugulati sunt, dein ipsi inter se committi cœperunt, ut penès eosdem esset & facinus & supplicium. Postea servos mercati eodem modo immolavere: tandem, placuit impietatem voluptate adumbrare & servi empti sunt, quos Lanistæ omni crudelitatis genere exercebant, & artis suæ præceptis imbuebant satis diu, ut possent Munerariis, cùm occasio posceret, edoctos artem *Gladiatoriam* elocare: & hi propriè, qui in funere depugnabant, *Bustuarii*, nominati sunt, de qua voce V. *suprà*. Hos primus in defuncti Patris honorem Romæ dedit Junius Brutus: concessusque hic mos non Magistratibus solùm, sed & privatis hominibus, si nempe quadringenta millia in censu haberent, quod demum Tiberius, cùm multi eâ profusione ad inopiam redacti essent, constituit. A sepulchris ad Circum & Amphitheatra translati postea extitere admodum frequentes, & à Claudio Principe ex arbitrariis stati facti sunt, qui tamen mox immanitatis pertæsus ritum sustulit, privatis nihilominus manente consuetudine. Postremò, quod animus meminisse horret, in convivium à quibusdam recepti sunt, adeò familiariter, ut non possim non mirari præposterum Maximi Tyrii Philos. hominis consilium, qui non has Tragicas cœnas, sed Ænianum in convivio improbavit ludicram pugnam. Silius Campanis tribuit *lib.* 11.

Quin etiam exhilarare viros convivia cæde
Mos olim & miscere epulis spectacula dira,
Certatum ferro sæpe & super ipsa cadentum
Pocula respersis non parco sanguine mensis.

De eadem consuetudine egregiè Petrus Chrysologus *Serm.* 137. *In arenam vertitur domus, mensa migrat in caveam, fiunt de pransoribus spectatores, furore mutatur convivium, fit cædes cibus, vinum transit in sanguinem.* Primi sc. ut dictum, in his ludis exhibiti captivi erant, his dein servi fugitivi successere, porro è catasta servi à Lanistis emti ab iis erudiebantur, dicti *Tirones*, item *Familia*, sicut Lanistæ *Patresfamilias*; quorum paria proposita Editori Magister indicabat, jugulatorum pretia non accipiebat. Postea liberi quoque homines se ad emendam hanc voluptatem auctorari patiebantur inde *Auctorati* dicti. Imò, ludibrium humanæ infelicitatis! Nero Imp. 400. Senatores, 600. Equites ad eam operam exhibuit: alterum quoque Orbis monstrum Domitianus fœminarum pugnas noctu edidit. Obstringebant autem se tales juramento solemni, ad necem usque se pugnaturos, aut igni, virgis, ferro, corpus excruciandum oblaturos. Horat. *Serm.* 27.

Quid refert, uri virgis, ferroque necari?
Auctoratus eas, aut turpi clausus in arca.

Cùm instaret Solennitas, Editor, seu Munerarius, publico scri-

pto

pto Populum de nominibus *Gladiatorum* notisque (quivis enim ex his insigni aliquâ notâ conspicuus erat, pinnis inprimis pavonum in galea ornatus, Schol. Juvenalis *ad Sat. 3. v. 158.*) dierumque, quot durare ludi deberent & parium numero, aliisque certiorem reddidit. Unde Suetonius *in Julio*, *Munus populo pronuntiavit, in filiæ memoriam.* Imò in picta sæpe tabella, non loci solùm, sed & *Gladiatorum* ad pugnam compositorum, icones repræsentabant:

— — *veluti si*
Revera pugnent, feriant vitentque, moventes
Arma viri. Horatius *Sat. 7. lib. 2.*

Ut dein dies illuxit, arma prolata sunt, quæ duûm generum, *Lusoria* seu *Exercitoria* & *Decretoria* fuere, quia *hæc velut decreto Prætoris, sive Editoris, dabantur*, sic dicta. *Postquam enim inter se rudibus batuissent, ferro nudi transfigebant*, Cæs. Scaliger *Poet. lib. 1. c. 35.* Unde phrases ortæ, *Ventilare* seu *Præludere*: &, *Dimicare ad certum*, seu *Versis* i. *transmutatis armis pugnare*. Quò alludere videtur Apostolus 1. Cor. *cap. 9. v. 26, 27.* Οὕτω πυκτεύω ὡς οὐκ ἀέρα δέρων. ἀλλ' ὑπωπιάζω μου τὸ σῶμα, *Ita pugilem ago, ut non aerem cædens, sed contundo corpus meum.* Dimicaturi juxta artis regulas corpus gestusque componebant, tum ut tutiùs expectarent hostem, tum ut eum certiùs ferirent: quod *Status* seu *Gradus* dicebatur. Unde *cedere de gradu*, *demigrare de gradu*; & metaph. *De mentis statu deiicere*, seu *deturbare*. In conflictu, nefas erat cum gemitu vulnus excipere, jussos ferrum jugulo non recipere, eodemque vultu proprium sanguinem, quo hostilem, inspectare tenebantur. Quòd si quis lætus vulneratusque arma submitteret, nullum tamen jus adversario liberandi erat, cum id unice à Principe vel Populo penderet: quod *Missionem* dixere. Itaque *Gladiatores* imminentem sibi certam necem omni molimine avertere nitebantur, quia missio incerta erat: imò nonnunquam sine missione atq; ad certam mortem dabantur, quam crudelitatem Augustus sustulit, apud Suetonium *c. 49.* eousque enim tum illa processerat, ut nonsolum in certam mortem Munerarii omnes darent, sed & percussos jacentesque repeti, imò cadavera ictibus dissipari juberent, ne simulatâ eluderent morte, Lips. *de Gladiator.* Præmium victoris nonnunquam pecunia, nonnunquam sertum lemniscis complexum, seu palma lemniscata, ut eam vocavit Fr. Sylvius *in Orat. pro Sexto Roscio*: hinc Prov. *plurimarum palmarum homo.* Aliquando rude donabatur, & immunitatem ab istiusmodi pugnis consequebatur: Etiam pileum aliquando, plenamque libertatem & jus civis Romani impetrabat. Quò alludens Tertullianus *de Spect. cap. 21.* *Qui insigniori cuique*, inquit, *homicidæ leonem poscit, idem gladiatori atroci petat rudem, & pileum præmium conferat.* Cum a. missionem dabat populus, factum id est, premendo pollicem, sicut eundem convertendo, pugnam continuari jubebat. Juvenalis *Sat. 3.*

— — *Et verso pollice vulgi*
Quemlibet occidunt populariter.

Sese autem ipsi *Gladiatores* minimo provocabant digito, quò respexit Horatius *Lib. 1. Serm. Sa*.

Crispinus minimo me provocat, accipe si vis,
Accipe jam tabulas.

In ipsa verò pugna, digitum exerendo, se victos fatebantur. Persius *Sat. 5.*

— — *Digitum exere, peccas, &c.*

Durarunt hi ludi immanes, usque ad Theodoricum laudatissimum Gothorum Regem, qui eorum usum funditus sustulit; *Quid enim immanius, quàm vitam dare hominibus, ut eam ipsi mutuis cædibus ab sese auferant.* V. Alex. ab Alexandro *Genial. dierum lib. 3. cap. 7. & lib. 4. cap. 26. & l. 6. cap. 22.* Lipsium *Saturnal. lib 2.* Joh. Rosinum *Antiqq. Rom. l. 5. c. 24.* cum *Paralipomenis* Th. Dempsteri, Thom. Godvvynum. *Anthol. Rom. lib. 3. cap. 1.* &c. Spectacula hæc ad vivum exhibet Hier. Mercurialis *de Arte Gymn. lib. 3. cap. 4.*

Gladiatorum variæ species.

Andabatæ, quasi ἀναβάται, *ascensores*, in equis vel curribus, clausis oculis digladiabantur. Unde Prov. *Andabatarum more pugnare.*

Cubiculares.

Dimachærii, aliàs *Orbelæ* dicti, geminâ instructi machærâ pugnabant.

Essedarii, ab essedo, vehiculi genere, in quo depugnabant, nomen accepere.

Fiscales, v. Casaub. *ad Hist. Aug.*

Hoplomachi, qui armati digladiabantur, *Samnites* dicti sunt, usque ad Augusti tempora. Erant autem illorum arma, galea cristata, gladius cum clypeo, & crus sinistrum ocreatum habebât. His plerumque opponebantur Provocatores, de quibus paulo infrà.

Laquearii, instructi erant gladio & laqueo; quo, veluti Retiarii retibus suis, adversarii vel collo vel brachio injecto, illum ense dein suo certiùs feriebant.

Myrmillones seu *Mirmillones* dicebantur graviter armati, quod instar μύρμηκος formicæ, sub armorum onere, non incedere sed repere viderentur. Alii verò eos appellatos volunt, à *mirmillo*, armaturæ Gallicæ nomine, ex pisce indito, cujus imago in galea fingebatur. Aliter quoque *Galli* vocati sunt. Eorum arma fuere, gladius, scutum & galea, in cujus crista piscis icon, ut dictum, eminebat.

Postulatitii, V. Casaubonum *ad Hist. Aug.*

Provocatores, nonnunquam *Prolectores* dicti, cum Hoplomachis plerunque certabant: Instructi ense, clypeo & galeâ, habebant utrumq; crus ocreatum. Erant autem ocreæ ex ferro, Lips. *de mil. lib 3. dial 7.*

Retiarii, à reti jaculo sic nominati, eo contra Secutores pugnabant. Rete nempe gerebant sub scuto, quo adversarium suum involverent. Eo st. hoc capite Secutoris injecto, illum tridenti, quem altera manu tenebant, percutere sunt soliti, Juv. *Movente ecce tridentem.* Pugnabât in solis tunicis, unde *Retiarii Tunicati*, erantque spongiis instructi, ad sanguinem detergendum, & vulnera obturãda. Retiario pugnanti adversus Mirmillonem, cantatum: *Non te peto, piscem peto, quid me fugis Galle?* Gr. [illegible].

Secutores dicti sunt illi, qui cum Retiariis pugnabant, ab insequendo eos appellati. Eorum arma fuere scutum, quo rete adversarii declinarent, ensis & galea. Alii Mirmillones cum Secutoribus eosdem faciunt.

Spectatores dicebantur Gladiatores rude donati: quos ab Editore aliquando conduci solitos non pugnandi, sed spectandi causâ, legimus: unde in tesseris notæ frequentes SP. vel SPECT. id est, *Spectavit.* Pignorius *de Servis.*

Thraces, à Thracia armatura nomen habuere. Utebantur enim hi parmâ, scuti genere Thracibus primùm usitato, & sicâ, seu gladii genere in extremitate incurvi. Iidem *Parmularii* dicti sunt, quemadmodum & qui huic *Gladiatorum* generi favebant, &c.

Gladiolus, apud Plinium *lib. 21. cap. 11.* *Post hanc* gladiolus *commitatur hyacinthis*: flos est, quem ξίφιον seu Φάσγανον vocat Theophrastus, Latinique Scriptores retentâ voce Græcâ *Xiphium* vocant. Aliàs *Gladiolus* Romanis idem, qui ξίφος & ξίφη Græcis, lilio quoad formam similis, sed purpuræ nigræ colorem habens, simulque ad ruborem vergens, ac lineis discurrentibus varius, qualem *hyacinthum* tabulæ describunt. Nomen inde, quòd utrinque folium in aciem attenuatum habeat: quam ob causam ἶρις ἀγρία quoque Græcis dicebatur, quippe quæ & ipsa ob foliorum acumen *gladioli* nomine Latinis nonnunquam dicta est. Latini *Vaccinium* quoque appellavere, de quo purpuræ elegantis colorem apud Vett. confieri solitum esse, Vitruvius alicubi docet. Eodem Chymicos autores ad tingendas vitreas gemmas hyacinthino colore & ad hyacinthos faciendas uti consuevisse, Zosim. ut Plin. in Gallia ad servitiorum vestes adhiberi, refert, *l. 16. c. 18.* ubi & mancipiorum tardandæ pubertati à mangonibus usurpatum addit, qua de re V. infrà, ubi de *Venalitiis* &c. Peculiari hinc ritu effodi ξυρίδα consuevisse, habes apud eundem *lib. 21. cap. 7.* *Effossuri tribus ante mensibus mulsâ aquâ circumfusâ, hoc veluti placamento terræ blandiuntur, circumscriptam mucrone gladii, orbe triplici, & cùm legerunt, eam protinus in cœlum attollunt.* Ex Theophrasto *lib. 9. c. 9.* Ubi Salmasius, placentas ex trimestri frumento factas, quasi mercedis vice eo loco, unde *gladiolum* effodissent, infodi solitas, adeoque verba Theophrasti à Plinio perperam fuisse accepta, docet *ad Solinum pag. 1223. & seqq.* ubi plura hanc in rem.

Gladius, insigne apud Romanos Magistratus, publicum judicium exercentis, quemadmodum *hasta* Prætoris, privatim judicium obeuntis, fuit: Merum enim imperium est, habere *Gladii* potestatem, ad animadvertendum in homines facinorosos. Jo. Rosinus *Antiqq. Rom. lib. 9. c. 18.* Apud Germanos veteres *Gladius* concedebatur Juvenibus, cùm ipsos ad rem militarem primùm proveherent, *Arma enim sumere non ante cuiquam moris, quàm suffecturum civitas probaverit. Tum in ipso concilio vel Principum aliquis, vel pater, vel propinquus, scuto frameaque juvenem ornabant. Hæc apud illos toga.* Tac. *de moribus Germ.* indigitans, hanc arma concedendi consuetudinem Romanorum illi respondisse, qui post expletum ætatis annum decimum quartum ingenui adolescentes, depositâ prætextâ, virilem togam sumebant, & in forum deducti in viros transcribebantur. Hodieq; Nobilibus Germanis, jus *Gladii* conferendi manet, in quo quasi emancipationis ritu alapa etiam intervenire solet, quemadmodum veterem Romanorum manumittendi rationem, per rhapismata & alapas factum legimus, *L. ult. C. de emancip. lib.* & *Novell. 81.* Isidor. *lib. 9. cap. 4. sub fin.* &c. Vocant hoc Germani *Wehrhafft machen.* Sed ex eodem instituto mos ille Germanorum mediæ ætatis *Equites creandi*, sumsit originem: quem tangit P. Diaconus in *Longobardicis l. 1. c. 15.* *Scitis non esse apud nos consuetudinem, ut Regis filius cum patre prandeat, nisi priùs à Rege gentis externæ arma susceperit.* Indidem *gladio* accingendi Comites in Anglia, cùm inaugurabantur, ritus, tanquam jurisdictionis suæ symbolo, occurrit apud Matthæum Paris A. C. 1188. ubi de Hugone *du Puiset*, Dunelmensi Episc. Northumbriæ Comite creato, *Qui*, inquit, *à Rege gladio Comitatus accinctus, nomen sibi*

Comitis

Comitis superpo vit. Sic Hubertus Angliæ Justitiarius *gladio Comitatus Cantiæ à Rege accinctus*, dicitur apud Matthæum Westmonaster. A. C. 1127. *gladio Comitatus de Striguil, & gladio Comitatus de Essex, Willhelmus Marischallus, & Gaufridus fil. Petri à Rege Joanne*, apud Roger. Hovedenũ *p.793.*&c. Hugo quoq; de *Abrincis*, Comitatum Cestrensem *adeò liberum ad gladium, sicut ipse Rex totam tenebat Angliam, possedisse* legitur in vet. *Charta* &c. Nempe *gladius* jus gladii seu merum Imperium, ut dicunt, denotat. Lampridius *in Alex. Sev. Honores juris* gladii *nunquam vendi passus est, dicens, Necesse est, ut qui emit, vendat*, apud du Fresne. Uti enim hodie, sic & olim, nemo sui, sed Principis aut militaris alicujus Præfecti, auctoritate *gladium cinxit* unquam, uti peculiari *Tract.* docet Casp. Barthius, V. etiam hic passim, inprimis infrà in voce *Miles*. In bello præcipuè utile armorũ genus *Gladius* est, unde Romanos pila vel ob viam, vel ob festinationem sæpe abjecisse, & unicè *Gladiis* dimicasse, longeq; clariora spathis, quam aliis armis, gessisse, docet Vegetius *lib.1.c.15.* Hinc Virginio Consule jubente, exercitus fixis humi pilis, *Gladios* arripuit, apud Livium *lib.2.* Idem in prælio cum Samnitibus Duce Cons. Publio Philone: & contra Etruscos, in Consulatu Fabii Rutilii, factum esse refert *lib.* 9. Attilæ quoque apud Jornandem *de rebus Goth. cap.* 35. *confidentiam addebat Gladius Martis.* Sic Ludovicus IX. Gall. R. in conflictu cum Saracenis acerrimo in Ægypto, *Gladio Alemannico* strenuè rem gessit, Janvillæus Seneschallus *in ejus Hist.* & notissimus Georgii Castrioti Epirotarum Principis *Gladius*, quo sæpe cum equis equites cataphractos in duas partes divisisse memoratur. Nec sine causa Turcicus miles gladium suum leviter incurvum, qui illis *Kilisch* dicitur, tanti facit, ut maximo pretio eum comparare, diligentissimeque asservare soleat, neque facilè permittat ad exteros venalem exportari, ut auctor est Phil. Camerarius *Hor. Subcis. Cent.* 1 c.76. Gerebant autem *gladium* Veteres, procul à manu dextra ad sinistrum latus ex humero suspensum, uti diximus ex Statio *Theb. l.2 v.534.*

— & inclusum capulo tenus admovet ensem.

Et viz. cum paratum haberet. Et Sidonio *Panegyr. Anthemii,*

— bullis hostilibus asper
Applicat à leva surgentem baltheus ensem.

Quæ ratio eum gestandi, ex profundissimæ antiquitatis more, commodè in nostri ævi usum rediit: medio enim variavit, ut alibi diximus, V. Justum Lipsium *ad Tac. Annal. lib.* 1. & Jo. Meursium *ad Lycophronis ista,*

Καὶ φαργάνου ζωστῆρα —
Et ensis baltheum —

ubi circùm humeros baltheum, à quo *gladius* pendebat, Herobus gestatum esse, pluribus docet. Habebant verò emblematis variis ornatos illos, in capulis inprimis. Unde de Polynicis armatura agens Statius *Theb.l.4. v.* 87.

Aspera vulnifico subter latus ense riget Sphinx &c.

V. suprà in voce *Capulus*. Sed ad ignominiam pertinebat, quòd *gladiis* militum Cn. Pompeius, cùm in Sicilia bellum gereret, audiretque milites flagitiosè vivere, sigillum impressisse; eiq; qui amovisset, pœnam inflixisse, legitur; *Ἀκούων δὲ τοὺς στρατιώτας ταῖς ὁδοιπορίαις ἀτακτεῖν, σφραγῖδα ταῖς μαχαίραις αὐτῶν ἐπέβαλλεν, ἣν ὁ μὴ φυλάξας ἐκολάζετο*, Plut. *in Vita Pompeji.* V. Johan. Kirchmannum *de Annulis cap.* 10. In suppliciis porro exigendis, *Gladii* usus in Republica nullus fuit, cùm securi capita inciderentur. Lucanus *lib.* 8. *v.*774.

Tunc nervos, venasq; secat, nodosaq; frangit
Ossa diu, nondum artis erat caput ense rotare.

Demum sub Imperatoribus adhibitus est, & tum ignominiosior securis, honoratior *Gladii* pœna fuit. Unde ridicula illa reprehensio Bassiani Caracallæ, interfecto Papiniano, ut retulit *in eo* Æl. Spartianus: *Atqui oportuit gladio exequi mandatum meum.* Maximus tandem *Gladio* honor habitus est, cùm recèns creato Imperatori in manum daretur, tanquam summum jus, eximiaque potestas significanda per illum foret, Corippus *lib.* 2. *num.* 4 Atque adeò creati Præfecti prætorio *Gladio* coram Senatu & quidem stricto donabantur eadem de causa, ut potestas nempe in facinorosos animadvertendi significaretur, Hadr. Turnebus *Advers. lib.* 12. *cap.* 6. Hinc Guntherus *lib.* 1.

Hinc sacri celebresq; viri, quos laude serenâ
Infula, vel Gla*dius mundo facit esse verendos,*
Ex omni regione fluunt.

Unde mos profluxisse videtur, ut Principibus etiamnum *Gladius* præferatur, præsertim celebrioribus Comitiis aut festis: Idem *lib. eod.*

— — Posito diademate Petrus
Regali dextrâ tulit alti Principis ensem, &c.

V. Joh. Rosinum *Antiqq. Rom. lib.* 10. *cap.* 10. *cum Paralipomenis* Thomæ Dempsteri, Matth. Berneggerum *Quæst. in Taciti Germaniam* &c. Nec omittendus mos *consecrandi gladios*, insigni alicui facinori destinatos, aut per quos aliquid memorabile patratum esset, indigitatus Suetonio *Caligulâ cap.* 25. *Tres* gladios, *in necem suam præparatos, Marti Ultori, addito elogio, consecravit.* Et *Vitellio cap.* 10. *Pugionem quo se* Otho *occiderat — Marti dedicavit.* V. quoque Lucianum in *Tyrannicida.* Etiam myrto coronandi, quod de gladiis Harmodii & Aristogitonis, qui Hipparchum tyrannum occiderant, tradit Aristides. De nominibus *gladiorum* aliquot insignium diximus alibi, inprimis suprà in voce *Curtana.* De more Vett. ex gladiorum acie divinandi, dicemus infrà ubi de *Telis.* Varias *gladiorum* species recenset Aulus Gellius *lib.* 10 *cap.* 25. Unius hic mentionem superaddam, quem *Gladium Hispanicum* seu *Hispaniensem* idem vocat *lib.*9 *cap* 13. ubi de T. Manlii cum Gallo pugna loquitur; quem ita describit, de Hastatorum armatura agens, Polybius *lib.* 6. *Unà cum scuto ensis pendet ad dextrum femur, Hispaniensem vocant, anceps est, mucrone eximio: defertur violenter, eò quòd obeliscus ejus firmus stabilisq; existit.* Hisce punctim & cæsim feriebant, tantâ eorum firmitate, ut & galeas dividerent, teste Senecâ *de Benef. lib.* 5. V. Lipsium *de Milit. Rom. lib.* 3. *Dial.* 3. & plura hanc in rem apud Plinium *lib* 7. *cap.* 56. ubi Lacedæmoniorum inventum *gladium* inter alia facit, & hic passim, in vocibus, *Ensis, Pugio* &c. uti de *Gladio pisce* seu Xiphia, apud eundem Plinium *lib.* 9. *cap.* 25. *lib.*32. *cap.*11. Auctorem Anon. *Sinæ & Europæ cap. de Piscibus*, Alios; de *Gladio fluvio*, itidem apud Plinium *lib.* 18. *cap.* 37. &c.

Glasaria, V. *Glessaria.*

Glanis, Græcè γλάνις, Æliano *φιλοτεκνότατος ἰχθύων, ex piscibus suæ prolis amantissimus*, siluro forma similis est. Quæ res imposuit Plinio, ut, quod de *glanide* scripserat Aristoteles *Histor. Animal. lib.* 6. *cap.*14 ipse tribuerit siluro. Sic autem ille *lib.* 9. *cap.* 33. *Silurus mas solus omnium custodit ova, sæpe & quinquagenis diebus, ne absumantur ab aliis.* Ubi & in altero falsus, cùm ait, à solo hoc custodiri ova, cùm idem faciat cyprinus. *Fœtus* igitur, non *ova* dicere oportuerat. Atque hæc hallucinatio Plinii Theod. quoque Gazam aliosque in errorem impulit, ut qui propterea γλάνιδα semper cum Siluro eundem fecerint. Cæterùm fluviatilis hic piscis, ubi iterum Plinius impingit, & in deliciis fuit olim; ut ostendit Matron parodus, qui cum in Attica sua cœna recenset, apud Athenæum *lib.* 4. Et Ephippus Mnesimachusque apud eundem, qui *τεμάχη γλάνιδος, glanis tomacula sive segmenta* celebrant. V. quoque *lib.* 7. ubi Archippus fabulâ, quam *Pisces* inscripserat, ejusdem meminit, plura V. hanc in rem, apud Vossium *de Idolol. lib.* 4. *capp.* 16. & 30.

Glans, ab Æol. *γάλανος*, pro *βάλανος*, antiquissimorum mortalium cibus fuit. Plinius *lib.* 7. *cap.* 56. *Ceres frumenta* (invenit) *cùm antea glande vescerentur homines.* Lucretius *lib.* 5.

Sic odium cœpit glandis &c.

Et quidem primò cruda, dein sub cinere assata: unde *ex cinere calido glandes*, apud Arnobium *lib.* 2. Quas qui, mercede conducti, colligebant, *βαλανηφάγους* dictos esse, habemus ex Auctore *Proverbiorum.* Hinc *glandiferis arboribus honos apud Romanos perpetuus*, Plin. *lib.* 16. *cap.* 3. quarum quatuor idem recenset, *quercum, robur, æsculum & fagum* seu *cerrum*, de quibus vide Salmasium *ad Solinum pag.* 334. & 507. ut & hic suo loco: inprimis ubi de *Civica corona*, omnium maximè in pretio habitâ. Post frumenti inde usum repertum, Athenis puerum patrimum matrimum spinas cum *glandibus* & canistrum panibus ferentem, in nuptiis, clamare in more habuisse, *ἔφυγον κακόν, εὗρον ἄμεινον, effugi malum, inveni melius.* monet Meursius *ad Lycophronem pag.* 214. Interim etiam recentiori ævo, mansit earum primævus usus, apud nonnullos. Plinius iterum *lib.* 16. *cap.* 5. *Glandes opes esse nunc quoque multarum gentium, etiam pace gaudentium constat. Nec non inopia frugum arefactis molitur farina spissaturq; in panis usum. Quin & hodieq; per Hispanias, secundis mensis glans inseritur. Dulcior eadem in cinere tosta* &c. Plura de *glandibus* varii generis, *ibid.* nec non *cap. seq.* de *glande* verò *myrepsica*, seu *unguentaria*, Ponticę nuci simili, unde oleum balaninum exprimebatur, Vide Salmasium *ad Solinum pag.* 464.

Glanum, adde: Aliàs quoque *Clanum*, quod unà cum Ernagino Ptolomæus Salyis attribuit. Mella (nisi tamen corrupta sint ejus exemplaria, ut quibusdam videtur) *Glanon* aliud nobis obtrudit, Olliam inter & Citharistam Promuntorium, Hadrianus Valesius *Notit. Galliæ* in voce *Ernaginum.*

Glareâ, extra Urbem, substernendas marginandasque vias, quis primùm locaverit, apud Romanos, Vide infrà, ubi de *Viis.*

Glastum, Gallis herbæ genus, quo Britanni corpora tingebant, teste Plinio *lib.* 22. *cap.*1. *Simile plantagini* glastum *in Gallia vocatur: quo Britannorum conjuges nurusq; toto corpore oblitæ, quibusdam in sacris & nudæ incedunt, Æthiopum colorem imitantes.* *Guesdum* vel *Pastellum* Galli appellant; cujus lanis inficiendis maximus est usus. Vide Petrum Victorium *Var. Lect. lib.* 19. *cap.* 3. Salmasius *ad Solinum pag.* 254. pro *glastum*, apud Plin. *guastum* reponi jubet, quam vocem V. infrà.

porro *globulorum ligneorum* Joannes Xiphilinus Epitomator Dionis, quos quidam ad tesseras, Pignorius ad missilia refert. Et quidem ad Dionis seu Xiphilini mentem prope accedunt eburnea quædam circularia segmenta notis numeralibus inscripta, quæ Romæ eruta A.C.1607. Auctor præfatus vidit, quæque expressa ex archetypis habes, in ejus erudito *de Servis* opere: neque verò *globulos* illos seu sphærulas è tesserarum is numero penitus eximit, cùm non rarò videamus transire in aliam figuram res, quæ ab arte sunt, manentibus tamen primigeniis nominibus. De *globulis*, quos serico vel aureo filo contextos in calceis habent fœminæ nobiles, V. Balduinum *de calce*. At *Globulorum* Lusus, in *Musæo* Kircheriano inter perpetui motus tentamenta: Machina est seu Sphæristerium Mechanicum tripartitum, globulos in orbem agitans, motus principio adeo occulto, ut etiam peritissimos quoque Mathematicos in admirationem sui rapiat. Occupat hæc machina integræ fenestræ spatium, cujus ima pars in forma cubica tripalmare spatium complet; intus vero vacua pars rationem motus continuat: plana porro ejus frons eleganter in Optica porrectione sylvas, flumina, montes, valles, colles, hortos & id genus ingeniosi penicilli argumenta refert. In summitatis medio vertice, quà limbum spectat, & ostiolum, à quo continuatus trames extra verticale planum modicè (sc. ad *globulorum* diametrum) prominet ad imum usque plani, per oppositos hinc inde alternatim flexus, per declives excavatorum canalium semitas descendit, & alio insequente prior reascendit & hoc, quamdiu pondere in motus agitantur. Machinæ hi versus inscripti sunt,

Sic properas Mundus revolutus in orbe laborum,
Vivitur ingenio, cætera mortis erunt.

V. Georg. de Sepibus *in Coll. Rom. S. J. Musæo p.* 99.

Globus, vox militaris, quales etiam, *frons*, *subsidia*, *cuneus*, *orbis*, *forfices*, *serra*, *alæ*, *turres*, A. Gellius *lib.* 10. *c.* 9. juxta Vegetium *l.*3 *c.*19. *a sua acie separatus, vago super venta incursat inimicos:* figurâ *globosâ* ac rotundâ fuisse videtur, sac Oiselius *Notis in Gellium*. Aliter *Cohors*, item *Drungus*, quas voces vide; ut & plura hanc in rem apud Casp. Barthium *Animadversion. ad Statii illud Thebaid. lib.*6. *vers.* 414.

Evolvere globum, *& spatio, quo quisque valebat,*
Diducti.

Aliàs *globus*, idem cum sphæra inter insignia Imperatorum. Isidorus *lib.*18.*c.*3. *Pilam in signo constituisse fertur Augustus, propter nationes sibi in cuncto orbe subjectas, ut magis figuram orbis ostenderet.* Quod ipsum prætereà in nummis præstitit, in quibus orbem seu *globum* describi curavit: ex quo usus deinceps invaluit, ut aliquot ex subsecutis Impp. in suis pariter monetis effingi se pariter voluerint cum *globo* in dextra: quo symbolo teretem terræ figuram adumbrare Vett. sunt soliti. Unde Martianus Capella *lib.* 1. *duos globosos orbes, quorum unus auro, electro alius præniteba, dextrâ porrectiore corripuisse* Jovem fingit eoque habitu in Deorum consistorio consedisse, quibus cœli & terræ Imperium designaretur. Ita auctor est Codinus, stetisse CPoli Jovis ejusdem statuam *globos* tres dextrâ tenentem, qui tria mundi climata illius dominatui subdita indicarent. Narratque Ammianus, *l.*25. *Maximiani statuam Cæsaris Antiochiæ, locatam in vestibulo Regiæ, amisisse repentè sphæram æream, formatam in speciem poli, quam gestabat.* Imperatores verò *Mundi* se *Dominos* appellasse, satis declarant Caracallæ & Didii Juliani nummi, in quibus *globum* uterque gestat, cum *Inscr.* RECTOR ORBIS. Et Constantius in Obelisci Romani *Inscr.* DOMINUS MUNDI dicitur, ut de Juliano, de quo in vet. *Inscr.* Valentiniano, apud eundem Ammian. *lib.*29. aliis, nil dicam. Ejusmodi autem *globis*, uti in nummis effinguntur, interdum victoriolæ insistunt, laureas coronas porrigentes Imperatori, interdum cruciculæ. Sed posterioris illius usus notam, ante Valentiniani tempora, in iisdem vix reperias, tametsi crucis figura variis in locis impressa post Constantinum observetur. Post ipsum verò, *crucigeros globos* in utriusque Theodosii & aliorum numismatibus, conspicimus: transeunte à Byzantinis & Orientalibus Augustis postmodum ad Occidentales more, de quo V. suprà in *Crucigeri*: plura verò hanc in rem, apud Car. du Fresne *Dissertat. de Infer. ævi Numismat. num.* 18. 19. & infrà in *Palla*, *Pomum* &c.

Glomma, *Glonna* vel *Glonna*, locus Galliæ, ad Ligerim, in Pictonum agro Madalgico, ubi Monasterium S. Florentini vel S. Florentii, vulgò *S. Florent*, inter Castrum Celsum & Calonnam, Hadr. Valesius voce *Salmurus*.

Glomus, apud Philoxenum *in Glossar.* *τολύπη*, i. convolutio filorum in globum. Continuator Bedæ *Histor. Eccl. lib.*2. *cap.*15. Neque glomos, *ingens portantes paxillum, in introitu fiximus.* Globum vocat Horatius *lib.* 1. *Epist.*13.

—— *portes fasciculum librorum* ——
Ut vinosa globos *furtiva Pyrrhia lanæ.*

Ubi *glomera flaminum* exponit Non. *συστροφὴν* quoque & *κλῶσμα* Philoxenus modò laudatus. Hinc per tralationem crustulum, in orbis figura, *glomus* Festo, & *glomus Cygnorum*, apud Albium Ovidium Juventinum, Auctorem *Philomelæ*,

Grus gruit, inque glomis cygni prope flumina drensant.

de quo V. Casp. Barthium *ad Statium Thebaid. l.*2. *v.* 12. uti de verbo *glomerare* inde orto, *ibid. lib.*1. *v.*350. Apud Henr. Spelmannum, *Glomerarii* & *Glomerelli* occurrunt, in *Statutis* Academiæ Cantabrig. tertio hinc seculo editis, qui videntur fuisse quasi Commissarii dati, ad lites inter scholares & ministros eorum audiendas, in *Glossar.*

Gloria, fama est alicujus cum laude, unde à *γλῶσσα*, *lingua*, nonnullis deducitur. Ejus limites quàm ampli, dicat Plin. *l.*2.*c.*68. *Hæ tot portiones terræ, imò verò — mundi punctus (neque enim est aliud terra in universo) Hæc est materia* gloriæ *nostræ, hæc sedes; hic exercemus imperia, hic opes cupimus, hic tumultuatur genus humanum* &c. Idem tamen & æternam eam agnoscens, hic iterum eleganter, *l. eod. c.*7. *Deus est mortali juvare mortalem, & hæc ad æternam* gloriam *via! Hac proceres iere Romani*, & quæ sequuntur. Imò non suam hominique tendam magis, quam Numinis, etiam eminus vidère Gentiles: *gloriæ* hominum *immodicæ*, seu, ut Tertull. loquitur, *enormiori*, Deos invidere dictitantes. Martialis *lib.*6. *Epigr.*29.

Immodicis brevis est ætas ——

Et succensere, Statius *Theb lib.*6. *v.*691.

Atque illi exemplo, cui spes infringere dulce
Immodicas, Fortuna venis ——

peculiari huic rei Numine constituto, Fortunâ, seu Nemesi, omnis arrogantiæ vindice: quod proin, si quæ *gloriatio* excidisset, confestim deprecabantur. Ausonius *Eidyll.*14.

Absistat Nemesis, ferat & Fortuna jocantem;

Quemadmodum ad invidiam Deorum placandam in ædibus suis res turpiculas, *mutonia* appellat Glossographus, Græci *προβασκάνια* dixere, suspendere solebant. Quâ de re V. Heraldum *ad Martialem* & Barthium *ad Statium d. l.* nec non intrà, in voce *Nemesis*. Apud Recentiores

Gloria, titulus est honorarius, concessus Regibus Magnatibusque. Anastasius Bibl. in *Martino* de Exarcho: Oportet Gloriam *tuam, ut, sicut nobis suggessit Paulus Patriarcha hujus à Deo conservandæ urbis, peragere* &c. Unde *Gloriosi* dicti præcipui Magistratus. Idem in *Johanne PP. Quomodo nobis suggessit Platon* gloriosus *Patricius & Eupraxius gloriosus*. Reges etiam interdum ita compellatos, multis probat Bivarius *Commentar ad Pseudo-Maximum p.* 65. & *seqq.* ubi ejusmodi titulum VVisigothorum inprimis Reges affectasse observat. Triboniano verò JC. *Gloriosissimi* elogium tribuitur *l. ult. Cod. de lib. prae.* V. Joann. Calvinum *Lexic. Jurid.* & Car. du Fresne *in Glossar.* De Filio Dei autem, & Spiritu S. voce *Δόξα*, *Gloria*, indigitatis apud Scriptores Eccl. Joh. Casp. Suicerum *Thesaur. Eccl.* in *Δόξα*.

Gloria in Excelsis Deo &c. Hymnus Angelicus, *Δοξολογία* Græcis Patribus, dictus est: qui ut in S. Eucharistia caneretur, Telesphorus Papa instituisse dicitur Baronio *ad A. C.*154. *num.* 2. Symmachus postea Pontifex, ut Dominicis diebus tantùm, & Martyrum festivitatibus, cantaretur, ordinavit. Baronius id. *ad A.C.*514. *num.*12 Et quidem primitus solis Episcopis, temporibus modò dictis, hymnum hunc canere licuisse; Presbyteris verò non nisi Paschatis die id concessum, habetur in *Sacramentar. Gregoriano*. Unde ex privilegio peculiari idem Casinensi Abbati indultum à Zacharia discimus ex *Bullario Casin. Tomo II. constit.* 7. *num.*6. Bonifacius dein sanxit, ut feriâ quintâ Cœnæ Domini quoque decantaretur, ob signum lætitiæ, in publicorum pœnitentium reconciliatione, quæ hoc die celebratur, &c. Quam in rem plura qui scire desiderat, adeat Macros Fratres *in Hierolexico*. qui inter alia in eadem Ecclesia, *Gloria, Laus & Honor*, ad processionem, in Dominica Palmarum cani, addunt. V. quoque suprà ubi de *Doxologia*; & quæ de *Doxologia SS. Trin. de Doxologia* item Hymni Eccles. parte, eruditè congessit J. Casp. Suicerus ubi suprà, voce *Δοξολογία*.

Glossæ & *Glossemata*, dicebatur Veteribus lingua secretior, seu verba & voces aut antiquæ, aut minùs usitatæ atque à plebe summotæ; uti *Glossaria*, libelli, in quibus hujusmodi verborum interpretatio habebatur. Sequior ætas pro interpretatione, scholiis, commentariis dixit *Glossas*, & *glossare*, quod Latinè *interpretari*. Unde inter eruditos hodieque remansit, ut *Glossemata* vocentur *τὰ παρεμβεβλημένα*, quæ à Lectoribus explicandi causâ margini primùm aut in puro adscripta, librariorum deinde aut malorum correctorum error ipsis Auctorum scriptis inseruit ac permiscuit, Jo. Frid. Gronovius *Observ. in Eccl. c* 24. Sic *Glossæ* extant Accursii in Jus Civ. Joan. Semecæ & Barth. Brixiensis in Decretum, *Glossa ordin.* in Biblia. V. Isaac. Casaubonum *ad Athenæum l.*3. *c.*6. *in fin.* Cæl. Rhodiginum *l.*7 *c.*27 & *l.* 13. *c.*4. P. J. Maussacum *Dissert. crit. de Harpocratione, quam subjunxit Harpocrationis Dictionario à se edito*, Joann. à VVouveren *de Polymathia c.*9. Gerh. von Mastricht *Hist. Jur. Eccl. num.* 33. &c. Ut aliquot celebriores *Glossographos* addam, scripsit Varronis tempore Ælius Stilo *explanationem Carminum Saliarium*, è qua vett. Grammatici quædam adducunt *glossemata*, ut appellat Varro, h. e. *voces minùs usitatas*, ut interpretatur Quintilianus *l.*1 *c.* 14. Sic prodierunt *Ἀττικαὶ λέξεις* Philemonis, *Γλῶσσαι Κρητικαὶ* Hermonis, *Λακωνικαὶ* Aristophanis. Sed & variarum gentium vocabula fuere interpretati, Nicander Colophonius, Pamphilus, Amerias Macedo, Seleucus, Philemon, Timachidas, Philetas, Alii. V. Gerh. Jo. Vossium *Orat. Inst. l.*4. *c.*1. *n.*7. uti de *Glossographis*

recentioris ævi, Car. du Fresne *Glossographum* illustrem nostri ævi in *Præfat. Glossar.* De vocis v. γλῶσσα, in Sacris, & apud Scriptores Eccl. usu, apud J. Casp. Suicerum *Thes. Eccl.*

Glottis, avis, *prælongam exerit linguam, unde ei nomen. Hanc initio blandita peregrinatione* (coturnices enim abeuntes prosequitur) *avidè profectam, pœnitentia in volatu cum labore scilicet subit. Reverti incomitatam pigeat & sequi: nec unquam plus uno die pergit: in proximo hospitio deserit. Verùm invenitur alia, antecedente anno relicta: simili modo in singulos dies*, Plin. *l.*10.*c.*23. V. Salmasium *ad Solinum pag.* 182.

Glucksburgia Familia, ramus est stirpis Holsato-Sonderburgicæ; alias etiam *Luckeburgia* dicitur, habetque nomen à castro, quod loco cœnobii *Rudkloster* in Anglis conditum. Auctor ei Philippus unus ex filiis Johannis cognomento *Junioris*, qui Sonderburgicam lineam condidit & Elisabethæ Brunsuico-Grubenhagiæ, a prudentia Oeconomica singulariter commendatus & octuagesimo anno ætatis A. C. 1663. extinctus. Ei ex Sophia Hedvige Saxo-Angrivaria, ducta A. C. 1624. præter filias, Mariam Elisabetham, Georgii Alberti M. Brandeburgici; Sophiam Hedvigem, Mauritii Ducis Saxoniæ; Augustam Ernesti Guntheri patruelis; Christinam, Christiani D. Saxoniæ; Dorotheam, Christiani primùm Ludovici D. Lunæburgici; nunc, cujus religioni etiam accessit, Friderici VVilhelmi Elect. Brandeburg. conjuges atque Hedvvigem, natam A. C. 1640. geniti sunt aliquot filii, è quibus Franciscus Philippus, Ligeri mersus interiit A.C.1650. solus superest Christianus, qui *Glucksburgi* habitat, maritus Sibyllæ Ursulæ Brunsuicensis primùm, dein patruelis ... ex Plœnensibus. V. Phil. Jac. Spenerum *Syll. Geneal. Hist. in Fam. Oldenburgo-Danica*, & *Theatr. Nobilit. Europ. Part. I. pag.* 46 nec non *Arte Herald. Part. II.*

Glutinum, in re chartaria magni usus. Et quidem ratio chartæ ex papyro olim conficiendæ hæc erat: Papyrus solebat dispesci in tenues philuras, iis acu à se invicem separatis, ita ut suo quæq; ordine detraherentur. Sic dein separatæ, ad modum cratis sternebantur super tabulam, sive asserem ligneum, madentem turbida Nili aquâ, quæ contexebat, ac *conglutinabat* plagulas. Id *contexere biblos* vocat Lucanus: quia nempe plagularum una staminis, altera substeminis instar se haberet. Hoc modo contextæ plagulæ imponebantur prælo, ut humor exprimeretur, quo facto exponebantur Soli, ut magis siccarentur: siccatæ tandem digerebantur in scapum, uti quoque suprà diximus, ubi de *Charta*. Sed turbida Nili aqua in usu non mansit. Nam initio quidem ea fuit affusa marginibus, ut jungerentur schedæ seu philuræ papyri: postea autem pro Nili liquore vero *glutino* uti cœpere. Constabat itaque sic charta duabus rebus, *papyro & glutino*: unde duo hæc jungit Firmus apud Vopiscum, dicens, *Exercitum se alere posse papyro & glutino.* Nempe Ægyptius erat, ac tantas opes in utroque hoc possidebat, ut eas exercitui alendo sufficere existimaret. *Glutinum* verò illud, quia oris intergeritur, ut eas inter se jungat, à Plinio *Intergerinum* appellatur, *lib.* 13. *c.* 12. Atque ab hac *glutinandi* consuetudine primam schedam πρωτόκολλον vocat Justiniani *Novella* 45. uti Martialis ultimam schedam ἐσχατοκόλλιον: origine vocis à κόλλα, *glutinum*: non à κῶλον, *membrum*, quamvis sic Scaliger putabat, propterea πρωτόκωλον & ἐσχατοκώλιον scribendum contendens. Similiterque dicta μακρόκολλα, quibus modulus longior, V. Gerh. Joh. Vossium *de Arte Gramm. lib.* 1. *c.*37. Qui verò ita *glutinabant* chartam, *Glutinatores* apud Romanos audierunt. Servi erant, Librariis ministrantes, quorum memoriam antiqua *Inscr.* Neapoli servat:

MANLIO STICHIO
TIBERII CÆSARIS
GLUTINATORI.

In vet. Glossario *Glutinator* κολλητής est, meminit Cicero *ad Atticum, Etiam velim*, scribens, *mihi mittas de tuis Librariolis duos aliquos, quibus Tyrannio utatur* Glutinatoribus, *ad cætera administris.* Sed neque in chartis tantùm, verùm & in membranis, *Glutini* fuit usus, si antiquo Persii Glossatori *ad Satyr.* 3. credimus, qui *bicolorem membranam* ita interpretatur, quòd pars altera seu facies membranæ crocea esset, *glutinata* altera. Laur. Pignorius *Comm. de Servis.* Etiam malva, in qua antiqui scribebant, quia ob mollitiem folia calami mucronem vix sustinerent, *glutine* aliisque firmari solebat, uti ex Vossio discimus, *cap. præc.* &c. Neque verò *Glutini* hi solùm usus; sed & edule fuit apud Ægyptios. Plinius, *Mandunt quoq; crudum decoctumq;, succum tantùm ejus devorantes.* Unde quòd Firmus, qui in Ægypto Imperium occupaverat, totamque Ægyptum tenebat, *exercitum se alere posse papyro & glutino, publicè sæpè dixit*, apud Vopiscum: non de pretiis harum rerum, sed de speciebus ipsis accipiendum esse, contendit Salmasius. Et quidem, cum duæ essent species *glutini*, utramque edulem facit idem Plinius. Vulgare *glutinum* è pollinis flore temperabatur, fervente aquâ, minimo aceti aspersu: optimum verò erat ad chartas, quod ex molli panis fermentati colata aqua fervente parabatur. Dicebat igitur hic Firmus, tantum se habuisse chartarū, ut earum papyro, priusquam chartæ ex eo fierent & *glutino*, quod in eas perficiendas impendebatur, exercitum alere posset. V. omninò præfatum Salmasium *l. c.* & Plinium ubi suprà, alibique passim.

Glyxada, hodiernis Græcis locus Achaiæ, prope Patras, dimidia inde leuca distans, à dulcedine & copia malorum citreorum (quæ nullibi totius orbis præstantiora), aurantiorum & granatorum, nomen nactus: γλυκὺς enim *dulcis*, ut notum. V. ejus descriptionem, apud Jacobum Sponium *Itiner. Part.* 2. *pag.* ...

Glycera, inventrix corollarum, memoratur Plinio *lib.* 35. ... ubi de Pausia pictore: *Amavit in juventa* Glyceram, *inventricem corollarum, certandoq; imitatione ejus, ad numerosissimam florum varietatem perduxit artem illam.* Sed *vitricem* legi vult Salmasius, à *viendo* seu plectendo, Στεφανηπλόκος enim fuit, V. infra in voce *Stephanoplocos*.

Glycirrhiza, Græcè γλυκύῤῥιζα, h. e. *radix dulcis*, alias Σκυθικὴ ῥίζα, *Scythica radix*, uno nomine Σκύθιον, quòd in *Scythia*, circa Mæotim paludem plurima nasceretur; radix est tota lignea, coloris buxei planè & pallidi, cujus ligno ξανθίζειν τὰς γυναῖκας καὶ θάλλειν τὰ ἔρια, *capillos suos mulieres, & lanas tingere* consuevisse Veteres, Hesychius ait. Hinc χρυσόξυλον, quasi *aureum lignum*, appellatum suo tempore, in Græcia, notant Interpretes Aristophanis & Theocriti. Notus certè pallor auri. Catullus,

O quàm sæpe magis fuit ore expalluit auri

Idem ---- *inaurata pallidior statua* &c.

Porro ἄδιψος ea & ἄδιψον, Plin. *l.* 25. *cap.*8. *Magna & ea commendatio, quòd in ore eam habentes sitim famemq; non sentiant.* De eadem Auctor Anon. *Sinæ & Europ. Pectoris obstructionibus in ...ia solvendis: per Franconiam Orientalem succrescit & colitur, tanquam salix, sed humilior, non assurgit in truncum; & nisi tertio anno propagetur, evanescit: aliquando pollicis crassitudinem aquat sæpius. Salictum pullulans videtur ager, cap.*32. V. plura apud Plinium *lib.* 21. *cap.* 15. & Salmasium *ad Solinum p.* 1164. qui etiam de Recentiorum Γλυκυκάλαμον, q. *Dulci arundine*, quo nomine casiam fistulam vult intellectam, varia habet, *p.*1301. *& seqq.*

G N.

Gnæus, Festo *corporis insigne & prænomen, à generando dictum est, & ea ipsa ex Græco γίγνω apparet.* Nempe *gnavus* illi aut *gnarus*, genitiva nota est. Sed ἀγαίειν verbo vocem deducit & κατ... ac φόρμα significare docet Salmasius *ad Solinum p.* 38. V. de Gnæo prænomine, in *Cnæus*, & de *Genitalibus* seu *genitivis notis* suprà.

Gnidus, adde: Item civ. Illyrici, de qua V. Jac. Gronovium *in Epist. Livii Tomo II. sub. Elis.*

Gnoitæ, Hæretici, V. suprà *Agnoetæ*.

Gnome, Græcè Γνώμη, Lat. *Sententia*, Plutarcho *ἀπόφανσις est καθολικὴ, περὶ τῶν κατὰ τὸν βίον, λόγος σύντομος, dictum generale & breve, de re ad vitam pertinente.* Quæ cùm personæ alicui accommodatur, Νόημα, cùm auctor additur, Χρεία dicitur. Illarum autem quædam ostendunt, quid fiat; aliæ quid fieri debeat. Per quas posteriores, quæ revera γνῶμαι, Ethicam olim tradidere Sapientes, sententiis hujusmodi ad virtutem accensuri, & à vitiis homines avocaturi: ut inter alia VII. Græciæ Sapientum exemplo constat. Ut verò numero quoque illæ acceptiores essent, versibus plerunque hæ *gnomæ* comprehensi solitæ sunt: quemadmodum eodem consilio prisci Legislatores similiter leges suas scripsere. Ut enim carmina ad memoriam faciunt plurimùm, sic nescio quem enthusiasmum in se continere videntur. Hinc Γνωμολογία, quam ad Enthymema Aristoteles refert, quod in hac argumentandi forma antecedens plerunque *gnome* occupet, qua de re V. Vossium *Institut. Orator. lib.*2. *c.*15. *num.*3. *lib.*... 8. *num.* 11. alibique. Reliquas vocis notiones apud H. Steph. vide. Apud Scriptores Eccl. eâ modò *mentem* & *sententiam*, modò *voluntatem* seu προαίρεσιν, modò *consilium*, modò *æquitatem*, τῇ ἀκριβοδικαίᾳ oppositam, denotari, aliquando etiam τῇ ἀνάγκῃ opponi, docet Jo. Casp. Suicerus *Thes. Eccl.* in Γνώμη.

Gnomonica, Gr. Γνωμονικὴ, ars ex umbrarum momentis, indicio *gnomonis*, (styli, qui in medio amusio collocatur ad umbras indagandas, Σκιαθῆρας Græcis) non solùm horas, verùm etiam climatum diversitates & poli elevationes deprehendendi, memoratur A. Gellio *l.*1.*c.*9. Inventorem habuit Anaximandrum, vel juxta alios, Anaximenem Milesium. V. Salmasium *ad Solin. pag.* 632. & *seqq.* ubi inter alia, circa Olympiadem 50. *Gnomonicen* cum Astrologia à Babyloniis in Græciam venisse, ostendit. Quando verò Horologia cum horis primùm Romæ in usu fuerint, non ita proclive dictu est: Interim quadringentos septem annos elapsos fuisse, cùm à Marco Valerio horologium in foro positum, Plinius commemorat. Apud Græcos non multò Alexandri M. ætatem eorum usus antecessit. V. infrà in voce *Hora*. Athanas. Kircherus *Gnomonicam catoptricam*, sive *Horologiographiam* ... *xam*, qua per specula totius primi Mobilis doctrina, horarumque ductus, in interioribus domuum parietibus delineati, radio reflexo demonstrantur, edidit Avenione A.C.1634. Sed & γνώμων *norma* est, quam vocem, V. infra.

G O.

GOTH. in notis antiquis *Gothicus* denotat &c.

Gobelinus, apud Ordericum Vitalem *l.* 5. *p.*556. *Dæmon enim, quem de Dianæ fano expulit, adhuc in eadem urbe degit & in variis*

frequenter

frequenter formis apparens neminem lædit. Hunc vulgus Gobelinum *appellat & per merita S. Taurini ab humana læsione coercitum usque hodie affirmat.* Ex eorum genere, qui vulgò *Fauni* dicuntur, Gallis *Gobelins*, *Demons Follasires*. De quibus sic Cassianus *Collat. 7. cap. 32. Nonnullos eorum, quos etiam Faunos vulgus appellat, ita seductores & joculatores esse manifestum est, ut certa quæq; loca seu vias jugiter obsidentes, nequaquam tormentis eorum, quos prætereuntes potuerint decipere delectentur, sed derisu tantummodo & illusione contenti, fatigare eos potiùs studeant, quàm nocere* &c. C. du Fresne.

Gobio, seu *Gobius*, piscis genus, è quo saxatilis, ut &, qui in arenosis vivit littoribus, Galeno commendatur *de Alim. lib.* ubi & de gobiorum aliis judicium promit. Apud Athenæum tamen, multum succi gignere, at non boni; sed neque multum nutrire: interea sapore esse gratos, facileque excerni, Hicetius refert, ex Diocle & Mnesitheo. Honore certè non eo fuisse, quo mullos, aliosque pretii ingentis, discas ex Juvenali *Sat.* 11.

> *Nec mullum cupias, cùm sit tibi* gobio *tantùm*
> *In loculis* —

Et Martiale *in Xeniis*,

> *In Venetis sunt lauta licèt convivia terris,*
> *Principium cœnæ* gobius *esse soles.*

V. plura apud Gerh. Joh. Vossium *de orig.* & *progr. Idol. lib.* 4. c. 24. Addo saltem, portento simile habitum, cùm ex *gobiorum* lactibus centena fercula (tot enim convivæ accubuerant) exhibuit Venetiis vir patricii ordinis, in famosa illa cœna, quam describere pluribus visum est Egnatio *lib.* 9. *cap.* 1. & Sabellico *lib.* 8. *cap.* 7.

Gobionia Familia, Gall. *Goyon*, familia Galliæ illustris: in qua vixit Stephanus Dn. *de la Gouiniere*, & *de Chasteaugoyon*, pater Alani & Johannis; cujus posteritas non duravit, uti nec alterius Johannis, Alano I. geniti. Verùm Alani II. ejus fratris, filius Stephanus fuit, qui Bertrandum Dn. *de Matignon* Ludovicum Dn. *de Launay* & Stephanum Dn. *de Launay Goyon* suscepit. Medii successio defecit: A' primo descendunt Comites *de Thorigny* Dni *de Matignon*; à tertio Marchiones *de la Moussaye* Comites *de Quintin* & *de Ploüer*. Et quidem priores quod attinet, Bertrandus præfatus, qui obiit A. C. 1480. ex Johanna *du Perier*, fil. Johannis Com. *de Quintin*, filium habuit Guidonem; defunctum A. C. 1498. quo & Perrina *de Jeucourt*, natus Jacobus, obiit A. C. 1542. Pater ex Anna *de Solly* Jacobi Dn. *de Matignon*, (quem titulum à Majoribus accepit) Com. *de Thorigny*; qui, extinctus A. C. 1597. reliquit ex Francisca *de Daillon* fil. Johannis *de Daillon* Com. *du Lude*, Carolum *Goyon* Dn. *de Matignon* Com. *de Thorigny*: cujus & Eleonoræ Aurelianæ (fil. Leonori Aureliani D. Longavillani, qui obiit A. C. 1573.) liberi erant, Henricus Com. *de Thorigny* (cæsus duello à Buttevillio, ux. Henrica *de la Guiche*) Petrus Com. *de Thorigny* (maritus Mariæ f. Annæ *Malon de Bercy*, unde filius Franciscus C. *de Thorigny*) Leonorus (Episc. *de Lisieux* seu Lexoviensis & *de Constances* seu Constantiensis) ac Catharina (quæ nupsit Francisco *de Silly* D. *de la Rocheguyon*) Phil. Jacobus Spenerus *Theatr. Nobil. Europ. Part. II. pag.* 39. Posteriores quod concernit, Ludovicus *Goyon* Dn. *de Launay*, qui obiit A. C. 1538. è Stephano supra memorato oriundus, ex Ludovica *de Chasteaubriant* suscepit Almericum I, (*Amaury*) *Goyon* Bar. *de la Moussaye* Dn. *de Launay*: Patrem, ex Catharina *Madeuc*, Caroli *Goyon* Bar. *de la Moussaye* Com. *de Ploüer*: quo & Claudia *du Chastel*, genitus Almericus II. March. *de Moussaye*, Catharinam *de Champagne* (fil. Ludovici *Champagne* Com. *de la Suse*) sibi junxit, genuitq; Almericum III. cujus ex Henrica Catharina Turria, filiâ Henrici Turrii Duc. Bullionæi Principis Sedanensis, (qui obiit A. C. 1623.) varii supersunt liberi, nominis ac familiæ *Goyon* seu *Gobio*. V. eundem Spenerum *Part. eod. pag.* 114. ut & *in Indice*.

Viri Principes.

Godefridus I. è familia Giselberti Comitis Mansuariæ, de quo suprà: filius Henrici II. Dom. Lovanii (cujus avus Lambertus I. prælio ad Florinas, adversùs Godefridum cognom. *Gibbosum*, A. C. 1015. cecidit, pater Henricus I. pro Ducatu Lotharingiæ bellum gessit) ex Adela Thuringica, frater Henrici, qui primus *Brachbantiæ Patriæ Comitem* se dixit, cognom. *Senior* vel *Barbatus*, Ducatum Lotharingiæ inferioris, in familiam suam reduxit: quin & A. C. 1137. Marchionatum Antuerpiæ, quo A. C. 1126. à Waleramo D. Limburgi fuerat spoliatus. Ei successit ex Ida Namurcensi filius

Godefridus II. seu *Junior*, cui cum Henrico D. Limburgensi acre bellum fuit. Ei cùm moreretur A. C. 1143. successit ex Luidgardi Dagsburgia filius

Godefridus III. cognom. *in Cunis*, quòd in cunis prolatus in aciem, cùm prælium adversùs factionem Grimbergiam committeretur, victor infans fuerit. Ab hujus ex secunda conjuge Imagina Lossensi filiis Wilhelmo & *Godefrido*, Domini Peruveysii orti. Ex prima Margaretha Limburgica, præter Albertum Episc. Leodium, quem ad Rhemensium urbem cæsum A. C. 1128. sanctis annumerant, susceptus est Henricus I. cognom. *Probus*, Brabantiæ Ducum & Landgraviorum Hassiæ auctor: inter cujus filios *Godefridum* quoque nominant, à quo Dominis Gaesbeckiis & Heridaliis, cognom. *de Lovanio*, origo. Alter verò Henricus II. cognom. *Magnanimus*, Patris successor fuit, Henrici III. cogn. *Mansueti*, Ducis Brabantiæ genitor.

Godefridus, Vierzonti & Archoti Dominus, fil. Henrici III. præfati, hæredibus filiabus, cum filio ad Curtracum cecidit A. C. 1301. frater Johannis I. Brabantiæ & Limburgi Ducis. Fuit idem nomen uni filiorum Johannis III. quo sine masculo hærede, (filii enim omnes præmortui) extincto, successit, agnatis Hassis præteritis, ex Joanna gener VVenceslaus Lucenburgicus. Phil. Jac. Spenerus *in Fam. Hassiaca*.

Godefridus Bullionæus, adde: Hinc non Rex, sed Dux Hierosolymorum, creatus est, unde sepulchro ejus hæc tantùm inscripta: *Hic jacet inclytus Godefridus de Bouillon, qui totam istam terram acquisivit cultui Christiano. Anima ejus acquiescit in pace. Primus* proin *Rex* meritò Balduinus, qui eum excepit, dicitur Guil. Tyrio *lib.* 11. *cap.* 15. *secundus*, Balduinus de Burgo *lib.* 12. *cap.* 1. *tertius*, Fulco, *tit.* 16. *cap.* 1. Hornius.

Godendac, armorum species, quam Flandris fuisse familiarem, innuit Guil. Guiartus sub A. C. 1298. apud Car. du Fresne *in Glossar.* V. Joan. Villaneum *lib.* 8. *cap.* 55.

Godscalcus, filius Udonis Herulorum Regis, summi Christianorum osoris, ante regnum conversus, patris ab aliquo Saxone transfuga occisi necem in Saxonibus ultus est. Cæterùm, cùm apud suos fidem propagare vellet, ipse ejus præco à subditis A. C. 1066. occisus, duos reliquit filios Buthuen & Henricum: è quorum posteris Megapolitani & Vandalici Principes orti sunt. Idem *in Fam. Vandalica*.

Gatinga, Germ. *Göttingen*, urbs non incelebris Germaniæ in Duc. Brunsuicensi, haud procul à Witsenhusa Hassiæ oppido, olim sub proprio Principe fuit. Albertus enim cognom. *Pinguis*, Alberti cognom. *Magni* D. Brunsuicensis fil. natu minor, *Gatingam*, & fratre Wilhelmo mortuo, Brunsuicum cum Guelf. rbyto tenuit, cùm frater ejus Albertus cognom. *Mirabilis*, Grubenhagiam lineam condidisset. Ejus filiorum medius Ernestus Principatum *Gatingensem*, seu *an der Lein*, ad filium Ottonem cognom. *Armipotentem* vel *Malum*, & nepotem Ottonem cogn. *Coclitem* transmisit. Cujus tutor Wilhelmus cognom. *Senior*, Dux Guelferbytanus, ditiones initio 10000. aur. oppignoratas, inde eo sine hærede extincto, successione hæreditaria pro media parte obtinuit: alterâ Lunæburgicis agnatis ut cederet compelli non potuit: unde usque ad Mindensem transactionem linearum controversiæ. Hic cùm obiisset A. C. 1482. Wilhelmo *Gatinga*, & Friderico filiis ejus Hannovera contigit: quorum illo geniti Henricus cognom. *Senior* vel *Malus*, Guelferbytani, & Ericus cognom. *Senior*, *Gatingensis* seu Calenbergii rami auctores fuere: sed defecit hic in filio ejus Erico cognom. *Juniore* A. C. 1584. mortuo. Contigit transactio Mindensis, cujus suprà mentio A. C. 1512. quo Henricus cognom. *Junior*, Dux Lunæburgicus, agnatis Henrico & Erico præfatis, partem dimidiam, quam Lunæburgici in *Gatingensi* Principatu habebant, ut & in civ. Hannovera, quibusdam reservatis, concessit, alia vicissim ab ipsis recipiens. V. Phil. Jac. Spenerum *Sylloge Gen. Histor. in Fam. Guelfica*, & in voce *Gatinga*.

Gogravius, Germ. *Gograve*, Comes, qui sine causæ cognitione judicat; vel potiùs *Gograve* seu *Gaugraffe*, Præses aut Comes pagi; *Gau* namque & *Gow*, apud Teutones, pro pago seu territorio sumi, notum. *Speculum* Saxon. *lib.* 1. *art.* 2. §. 6. *Pagani proprium non habentes, suorum* Gograviorum *judicium expectent. Art.* 55. *Gogravius*, ab incolis trium villarum seu prædiorum eligi dicitur: ad tempus, *artic.* 58. § 2. quandoque ad hanc dignitatem infeudatur, *art.* 58. §. 1. *art.* 71. ubi tunc *Gogravius natus* dicitur. Ejus jurisdictionem cessare, cùm adest Comes, dicitur *artic. eodem* 58. §. 2. V. quoque *lib.* 2. *art* 13. § 1. &c. Car. du Fresne *Glossar*.

Goilartus, monetæ Petricoricensis, in Gallia, species: *Tabular.* Abbat. Deip. Santon. *Wilhelmus Comes, filius Guidonis Comitis, fecit fundere monetam suam, quæ dicebatur de* Goilart, *Ricardo cognomento de Santonis*; quæ *Goliardus* dicitur, in *Tabulario* Monasterii *de Chantoin* in Arvernis, apud du Fresne *Glossar*.

Golias, apud Silvestrum Giraldum *in Speculo Ecclesiæ lib.* 4. c. 18. *Parasitus fuit, gulositate pariter & dicacitate famosissimus — literatus tamen affatim, sed nec bene morigeratus, nec disciplinis informatus, qui in Papam & Curiam Romanam carmina famosa pluries & plurima, tam metrica, quàm rhythmica, non minùs impudenter, quàm imprudenter, evomuit.* Unde *Goliardi* quibusdam videntur dicti Breviloquo, *busones, joculatores*; de quibus Concilium Turon. seu Castelli Guntheri A. C. 1231. *can.* 21. *Statuimus, quòd Clerici Ribaldi, maximè qui* Goliardi *nuncupantur, per Episcopos & alios Ecclesiæ Prælatos præcipiantur tonderi vel radi, ita quòd non remaneat in eis tonsura Clericalis.* Certè *de familia Goliæ*, tales vocantur, in Concilio Senonensi *A. C.* 923. sub Gualtero Archiep. *can.* 13. & *versus ridiculos composuisse*, dicuntur, apud Matth. Paris. *A. C.* 1229. Artem verò fuisse, innuitur *cap.* 1. *de Vita & Honest. Cleric. in Sexto*: *Clerici, qui Clericalis ordinis dignitati non modicum detrahentes, se joculatores seu* goliardos *faciunt aut busones, si per annum artem illam exercuerint*: quæ eadem habet Concil. Salzburgense A. C. 1310. *can.* 3. nisi quòd *Galiardi* legit &c. Hinc Itali *Gagliardo*, Galli *Gaillard*, suum hausere. V. du Fresne *Glossar*. Macros Fratres *Hierolex.* Joannem Seldenum *ad Fletam p.* 524. Alios.

Gondia, vulgò *Gondy*, Familia Galliæ celebris. Origine Florentina est, & ab Antonio descendit, qui Magister Aulæ Delfini fuit; Ejus filius Albertus, Regi gratus, Ducis *de Rais* sive *Rez* titulum obtinuit: auctor ex filiis Carolo March. *de Belliste*, ac Philippo Emanuele Com. *de Joigny*, duarum linearum; sed hujus filius illius nepte ac hærede ductâ dominia iterum junxit. Quatuor ex familia ista Episcopi ac Archiepiscopi Parisiorum fuere. Majores *Gondiorum* autem sic habent: N. *Gondi*, Nobilis Florentinus, ex N. N. filium habuit Antonium præfatum Com. *de S. Trivier*, qui ex Maria de Petra viva, genuit Albertum Duc. Ratensem; cui ex Claudia Catharina *de Clermont*, natus Philippus Emanuel Com. *de Joigny*, in matrimonio Margaretæ *de Silly* (Antonii *de Silly* Com. *de Rochepos* filiæ) filium suscepit Petrum *Gondium* Duc. *de Rais & de Beaupreau*, ex Francisca seu Catharina cognatâ, aliquot liberorum Patrem. Spenerus *Theatr. Part. II. p.* 34.

Gondola, navigioli seu scaphulæ species, quâ æstuaria Veneta pertranseuntur; à Græcis recentioribus mutuata vox, quibus *κοντοῦρα*, idem quod *βάρκα*, sonat, Harmenopulus *lib.* 2 *cap* 11. *§.* 9. Non quòd *contis* regatur & ex iis navibus sit, *quæ non antennâ, sed conto reguntur*, ut est apud Hieronymum *in Vita Hilarionis*, uti volunt Covarruvias & Octav. Ferrarius; nam cymbæ Venetæ remis aguntur: sed quòd *κοντὸς* Græcis nuperis *brevis* sit, *ἰλλα* verò *navis*; sic enim *Gondola* est brevis navicula &c. du Fresne *Glossar.* Guil. Apulus *de Gestis Norm. lib.* 4. ita de Venetis,

Non ignara quidem belli navalis & audax,
Gens erat hæc: illam populosa Venetia misit,
Imperii prece, dives opum. divesq; virorum,
Qua sinus Adriacis interius vitimus undis
Subjacet Arcturo. Sunt hujus mœnia gentis
Circumsepta mari, nec ab ædibus alter ad ædes
Alterius transire potest, nisi lintre vehatur.

V. quoq; Brodæum *ad Anthologiam lib.* 1. & Meursium in *Glossario.*

Gonzaga, nomen Familiæ in Italia illustris, plurium Eruditorum Virorum studio excultæ: Inprimis verò Antonius Possevinus junior integro volumine *Gonzagarum* historiam exequutus est. Præcipui stirpis hujus rami sunt 1. *Mantuanus*, qui nunc cum Nivernensi unus est. 2. *Sablonetensis*, qui, primario palmite exciso, in Principibus S. Martini & Bozoli viret. 3. *Castilionæus.* 4. *Guastaldius.* 5. *Novellarius* vel *Nuvolarius* &c. Et quidem primum quod spectat, Fridericus *Gonzaga* March. Mantuæ, (qui obiit A. C. 1484.) ex Margaretha Bavarica fil. Alberti Ducis, pater fuit Francisci, extincti A. C. 1519. quo & Isabellâ Atestinâ genitus Fridericus Dux Mantuæ, obiit A. C. 1540. Pater, ex Margaretha Montferratensi fil. Wilhelmi Ducis, Ludovici Gonzagæ, D. Nivernii, qui decessit A. C. 1595. Ei ex Henrica Clivia fil. Francisci Clivii D. Nivernii, genitus Carolus I. D. Mantuæ, obiit A. C. 1637. pater ex Catharina Lotharingica (fil. Caroli Lotharingi Duc. Meduanii) Caroli II. Duc. Nivernii (extincti A. C. 1631. cujus sorores, Aloysia Maria ux. fuit Vladislai & Casimiri fratrum, Regum Poloniæ, ac Anna ux. Edoardi Com. Palatini Rheni) quo & Mariâ *Gonzagâ* Mantuanâ (fil. Francisci Duc. Mantuæ defuncti A. C. 1612.) genitus est Carolus *Gonzaga* III. Dux Mantuæ, maritus Isabellæ Claræ Austriacæ, & frater Eleonoræ (viduæ Ferdinandi III. Imper.) obiit autem is A. C. 1665. ætat. 36. relicto filio. V. Spenerum *Theatr. Nobilit. Tom. I. p.* 39.

Gordiæa, adde: Partem Tauri esse *Gordyæos montes*, docet Salmasius *ad Solinum pag.* 621. *Taurus — Sophenen & reliquam Armeniam majorem à Mesopotamia discerminat. Et primò quidem vocatur Taurus. alii Gordyæos montes nominant. in his montibus est Masius, Nisibi imminens. deinde magis magisq; attollitur, atq; appellatur Niphates, ex cujus latere Meridionali oritur Tigris, ut ex Septentrionali Euphrates* &c.

Gordius, & Protogenes aurigæ, *primò in certamine Curuli socii Heliogabali: post in omni vita & actu participes fuere*, Æl. Lampridius *in eo*: & quidem prior *Vigilum præfectus*, ab eodem factus dicitur, *in seqq.* Salmasius *Cordius* vult legi, *Not. ad Lampridium.*

Gorgades, apud Solinum, *Insulæ* sunt *obversæ promuntorio, quod vocamus Hesperuceras. Has incoluerunt Gorgones monstra & sanè usq; adhuc monstrosa gens habitat. Distant à continente bidui navigatione. Prodidit deniq; Xenophon Lampsacenus Hannonem Pœnorum Regem in eas permeavisse, repertasq; ibi fœminas aliti pernicitate, atq; ex omnibus, quæ apparuerant, duas captas tam hirto atq; aspero corpore, ut ad argumentum spectandæ rei duarum cutes miraculi gratiâ, inter donaria Junonis, suspenderit: quæ duravere usq; in tempora excidii Carthaginensis. Ultra* Gorgadas *Hesperidum insulæ* &c. *cap. ult.* Græcè *αἱ Γοργάδες*, item *Γοργίδες*; sic dictæ à pernicitate fœminarum, quas *Gorgades* vocat Plinius, i. pernices, sicut Græcis *γοργάδες ἀκάτιαι*, cita navigia sunt. An hæ *Gorgadum Insulæ*, id est, pernicium fœminarum, eædem fuerint, quas à *Gorgonibus* olim habitatas finxit vetustas, non adeò liquet. Salmasius *ad Solinum pag.* 1296. V. etiam in voce *Gorgones.*

Gorgasus, unà cum Nicomacho, ab Isthmio, Glauci Messenii filio, templo extructo cultus est, Pheris seu Pharis Messeniacis, uti habet Pausanias *Messeniacis.*

Gorge, apud Higinium *cap.* 174. *At sorores Meleagri, præter Gorgen & Deianiram flendo, Deorum voluntate, in aves sunt commutatæ.* Statium *Thebaid. lib.* 5. *versu* 207.

— Helimum temeraria Gorge
Evinctum ramis —

Γόργη Apollodoro *lib.* 1. de Oenei liberis, *καὶ θυγατέρα Γόργην*, *ἣν Ἀνδραίμων ἔγημεν* &c. Aliter *Gorgis*, eidem Higinio *cap.* 97. *Thoas Andremonis & Gorgidis filius Tyro venit, navibus XV.* Communiter Græcis monumentis literarum *Gorge* dicitur, à voce *γοργός*, *torvus*, item *pernix.* Hesychius, *Γοργώψ*, *πικρὸν βλέπων.* Unde fabula *Gorgonis* & *Gorgonum*, quam tamen Homero ignotam ex eodem Hesychio notat Barthius *ad Statium Theb. lib.* 9. *vers.* 74. V. & in voce *Gorgones.*

Gorgus, Græcè Γοργὸς, unus ex tribus amnibus, qui in Tigrim influunt, Ptolemæo memoratis, de quo V. Salmasium *ad Solinum pag.* 698.

Goritiæ Palatinatus, adde: Terram hanc clientelæ seu feudi jure à Rep. Veneta quondam habuisse Comites ejus, sunt qui affirment, ex quibus Leonhardus, nullo relicto hærede, vitâ excessit A. C. 1501. unde Comitatus iste Austriacæ Domui obvenit, cui jam magna ex parte pignoris jure obstrictus tenebatur. V. Fr. Sanson *dell' Orig. delle case illustri d' Ital. in Famil. Portia pag.* 141. G. de Roo *lib.* 11. Tob. Pfannerum *de præc. Germaniæ Principum Gentibus cap.* 1. &c.

de *Gorrevod* Guido, floruit in Burgundia A. C. 1180. in cujus posteris Johannes, seculo decimo quarto, genuit Johannem & Hugoninum: quorum hujus lineam terminavit, sed rebus gestis nobilitavit, Laurentius Comes *de Pont de vaux*, Carolo V. gratus. Ab isto autem, præter Dominos *de Cornon*, descenderunt Domini *de Salans*, qui demum Laurentii agnati successores fuere. tit. Ducum *de Pont de vaux* & *Principum Imperii* cum tempore aucti. Et quidem Ludovic⁹ Dn. *de Gorrevod* & *Fretechise*, filium habuit Johannem Dn. *de Cond*; qui ex Guicharda de Monte Regali, pater fuit Johannis *de Gorrevod* Com. *de Pont de vaux*: cujus, ex Claudia *de Semur*, filius Laurentius II. Dux *de Pont de vaux* March. *de Marnay*, obiit A. C. 1625. relictis ex Isabella *de Burgundia* (fil. Hermanni *de Burgundia* Com. *de Falais*) Philippo Eugenio Duce *de Pont de Vaux* Com. *de Salins* Dn. *de Gorrevod*, Carolo March. *de Marnay* dein Archiepiscopo Vesontionensi & Magdalenâ. V. Spenerum *Theatr. Nobil. Part. II. p.* 88.

Gortheni, Hæretici, apud Epiphanium *Hær.* 12.

Gortyn, adde: Amplitudinem hujus civitatis olim centum quinquaginta stadia implevisse, scribit Strabo *lib.* 10. ad quem locum V. Casp. Barthium *Animadversion. ad Statium Thebaid. lib.* 5. *versu* 361. Conditam à *Gortye* heroë, atque *Ellotiam* primò ab Europa Cretensibus sic dictâ, appellatam fuisse, legas apud Stephanum. Atymnum ibidem cultum esse, Solinus memorat *cap.* 11. ad quem V. Salmasium *pag.* 172. V. quoque suprà ubi de *Atymno.*

Gossipium, hisce describitur Plinio *lib.* 19. *cap.* 1. *Superior pars Ægypti in Arabiam vergens, gignit fruticem, quem aliqui* gossipion *vocant. plures xylon, & ideo lina inde facta xylina. Parvus est similemq; barbatæ nucis defert fructum, cujus ex interiore bombyce lanugo netur. Nec ulla sunt eis candore molliitiave præferenda. Vestes inde Sacerdotibus Ægypti gratissimæ.* Ubi *nec ulla sunt cum candore molliora & spissiora*, legi vult Salmasius. Non enim solum mollitie & candore præcipua est lana hæc xylina, Græcè *ἐριόξυλον*, quæ *lini* etiam nomine hinc veniebat, sed etiam spissa est, & *τὸ παχὺ* habet, quod lino non inest. Nucem ejus quod attinet, triplicem illa habet *διάζωσιν* seu *divisionem*, & cùm maturescit, dehiscentibus dissepimentis lana apparet, quæ inde extrahitur, uti de arboribus Tyli insulæ laniferis similiter scribit Theophrastus. Quia verò *bombycem* vocavere Vett. non solùm quæ ex vermibus sic dictis nebatur, sed molliorem omnem lanæ linique lanuginem, hinc recentiores *bombax* & *bambax*, de *gossypio* propriè usurparunt, ut vidimus. Hodie colitur hic frutex in Sicilia, Brasilia & nonnullibi in Oriente: optimum autem, quamvis minori numero, in Insl. Melita *gossipium* colligitur. Machinæ, quâ Turcæ in Asia utuntur, ad faciendum illud, iconem habes apud Jac. Sponium *Itinerar. Part. I* ubi de VII. Ecclesiis. Apud Sinenses, qui *gossypii* semen ante annos plus minùs octingentos accepere, tanta inde illi⁹ copia est, ut, cùm in unica civ. *Xanghai*, sub Nankinga, ducenta textorum millia numerentur, maxima ex iis pars *gossipio* texendo operam navet, in quo opere cùm mulieres potissimum excellant, viri agris colendis reliquisq; negotiis obeundis interea occupantur. Unde minùs mirum, solam hanc civitatem solvere Imperatori, ex solo *gossipio*, ducenta quinquaginta ducatorum millia. Ex hoc optimum habetur, quod in Nankinga conficitur, adeoq; reliquis carius est. Cæterùm gallinæ genus in Quansia prov. ejusdem Imperii est, quod *gossipium* quoque evomit, seu fila longiora, qualia ex gossipio confici solent; sed eadem, nisi colligantur, resorbet, aranearum instar &c. Auctor Anon. *Sinæ & Europ. cap* 37. Plura hanc in rem V. apud Salmasium *ad Solinum pag.* 296. & *seqq.* nec non 998. & suprà, in voce *Bombax.*

Gotharдус Kettlerus, Magnus Magister Ordinis Livonici ultimus, nomine Evangelio dato, in præsentia Principis Nicolai Radzivilii, Palatini Vilnensis & Commissarii Sigismundi Augusti Poloniæ R. solenniter Ordini renuntiavit. Quo facto Regi jura & pri-

& privilegia Ordinis, cum urbe Ripa: *Gothardo* verò Ducatus Curlandiæ & Semigalliæ, sub fide Regum Poloniæ, cessit, sec. præt. Christophorum, ex familia Megapolitanorum Ducum, Livoniæ Archiepiscopum, quòd cum Erico Sueciæ R. transegisset, nomine Poloniæ Regis, in venatione cepit ac dejecit, totâ diœcesi regno addictâ. Obiit A.C. 1587.

Gothium, h. e. *Gothorum*, monetæ, mentio est, in *Additam.* 2. *Burgundion.* §. 6. *De monetis solidorum præcipimus custodire, ut omne aurum quodcunq; pensaveris accipiatur, præter quatuor tantùm monetas. Valentiniani* (quos Gundebaldus *Præf. ad L. Burgund. Romanos* vocat) *Genavensis* (quæ moneta Regum Burgund. fuit, Genevæ cusa) *& Gothium* (i. Gothorum) *qui à tempore Alarici Regis adærati sunt, & Ardaricanos* (l. *Alaricanos*) *Quòd si quiscunq; præter istas quatuor monetas aurum pensatum non acceperit, quod vendere volebat, non accepto pretio perdat.* Plerique autem nummorum Regum *Gothicorum* Italiæ, Augustorum effigies & nomina præferunt in adversa parte, in aversa verò Regum istorum nomina titulosque, quòd, Byzantinis Principibus quodammodo obnoxii, hac Italiam conditione possiderent, ut ipsos pro supremis dominis agnoscerent monetamque eorum nomine cuderent, nominibus suis iisdem tantummodò inscriptis. Cujusmodi sunt, qui Anastasii, Justini & Justiniani effigies ac nomina præferunt, cum horum Regum nominibus: atque adeò ærei complures, Justini solius imagine & nomine insignes, qui in aversa parte monogrammata minuscula R D. aut similia habent: quod ex eo potissimùm colligere licet, quòd in nummi, qui Justini effigiem nomenque præfert, parte postica, circa idem monogramma, describatur hoc lemma, INVICTA ROMA, quòdq; qui eorum Regum nomina imaginesque repræsentant, similem habeant inscriptionem, cùm, iisdem Augustis imperantibus, Roma Gothicis Regibus pareret, jam ab ipso Honorio, sub quo in Alarici potestatem venit, à Belisario tandem recuperata &c. V. Car. du Fresne *Dissertat. de Infer. ævi numism. n.* 73.

Gothi, adde: Horum Senatoribus Sidonius Apollinaris perones attribuit, *Carm.* 7. *versu* 445.

—— —— —— *Nec tangere possunt*
Altatæ suram pelles, & poplite nudo
Peronem pauper nodus suspendit equinum.

Ubi simul docet, quòd cùm Romani sive calceis, sive peronibus (nam hi rusticorum & plebejorum apud Romanos fuere) tibiatim essent calceati; hi gentilitio more nudis cruribus, & suris nudoq; poplite incesserint. Unde idem *Epist.* 20. *lib.* 4. eorum *pedes*, inquit, *perone setoso talos adusq; vinciebantur. Genua, crura, suræq; sine tegmine.* V. B. Balduinum *de Calceo Antiq. cap.* 17.

G R.

GR. in notis antiquorum, *Genus regium* vel *rerum*; item *generis* vel *geris*. GR. D. *gratis dedit*, vel *datum*. GR. E. *gratia ejus* &c. GS. *gesserunt*, *genus*, vel *gest*. GT. *gentem*, vel *gentes*, denotat, Fr. Gouldmannus *Diction. Lat. Angl.*

Grabatus, apud Martialem *lib.* 6. *Epigr.* 39.

Sed in grabatis *tegetibusq; concepti.*

Et alibi,

Certa quem nudi tegit uxor abolla grabati.

Græcè κράβϐατος, lectus est pensilis, παρὰ τὸ κρεμᾶν τὰς βάσεις, *à suspendendis pedibus*, dictus, servorum, pauperum & mendicantium; hincque Cynicorum ac cæterorum, qui luxui bellum indixerant, Philosophorum: quòd, qui in hujusmodi lectis sederent, vel recumberent, terram pedibus non attingerent. Apud Senecam certè *grabatus* & *pannus* extremæ paupertatis sunt indicia, uti notat Casaubonus *ad Suetonii Augustum cap.* 21. Inde vox translata ad lectulum, quo meridiari solemus, quo pacto *grabatum*, quasi *carabatum*, quod in eo capite recumbamus, ex κάρα, *caput* & βατὸν, *pervium*, videri possit appellatum. Inde *Grabbatarii*, V. hic ubi de *Clinicis* & *Lecticariis*.

Gracilitas crurum, inter præcipua olim habita, quæ bonam formam corrumperent: fuitque hic habitus urbanorum dicteriis semper obnoxius. Seneca *In Sap. non cad. injur. lib.* 2. *In capitis meì lævitatem jocatus est, & in oculorum valetudinem & in crurum gracilitatem & in staturam.* Sic in Aristotele notatum, quod esset ἰσχνοσκελὴς, i. *persilis*, ut Comici vocarunt. Glossarium, *Persilis*, μακροσκελής. Plautus *todella crusculα.* Eubulus Comicus ψυχρὰ κῶλα, alii ψυδιπόδας. Uti contrà, quibus inferioris corporis partes erant crassiores, πλακοπόδας Αἰγυπτίας vocarunt, quod de Zenone Stoico dictum est. Similiter Neroni apud Suetonium, inter alia vitia corporis, tribuuntur *gracillima crura*; V. & de Domitiano eundem *cap.* 18. Ideo hoc vitium Caligula vectatione discussit. Idem *Caligulâ cap.* 3. *Formæ minùs congruebat* gracilitas *crurum, sed ea quoque paulatim repleta assiduâ equi vectatione post cibum.* Uti autem crurum, sic etiam manus vel brachii, *gracilitas*, inter deformitas notatis. Chrysostomus *in ad Ephes.* Οὐχ ὁρᾷς, ὅτι καὶ ἐν τῇ σαρκὶ πολλὰ γίνεται ἐλαττώματα, ὁ μὲν — ἔχει τὰς πόδας, ἕτερος χεῖρα ξηράν. Quam proin vel partis, vel etiam totius corporis, *gracilitatem*, duobus præsertim modis, dropace & convenientibus exercitiis, curari docet Galenus *Ὑγιειν. lib.* 5. 6. alibique.

Contrà alii *gracilitatem* affectabant, Ascetæ inprimis, aceti inter alia potu hanc in rem usi, uti pluribus videre est, apud Jac. Balde *Encomio Macrorum.*

Graculus, avium loquacissimum genus & importunum, à *garrulitate* nomen accepit, Isidor. *Orig. lib.* 12. *cap.* 7. A' *gerendo* tamen, quòd jacta segetum semina plurimùm *gerant*, vel quòd, ex olivetis cubitum se recipientes, duas pedibus baccas, tertiam ore *gerant*, Scaliger dictos vult, quasi *geraculos*, *ad Festum.* Sed & à *gregatim* volando sunt qui vocis etymon arcessant: & certè hinc notum proverbium neminem latet. Verùm & garritus *graculi* Pindarico carmine traductus: quem Antonino Caracallæ omen fuisse interitus, habes apud Cœl. Rhodiginum *Antiqq. Lect. lib.* 24. *cap.* 4. Imò &, in Jonia, Venetos sub sementis tempus solitos cum *graculis* fuisse pacisci, ut libis objectis cum maza, quæ illis forent ligmata, semina non refoderent omnino vel legerent, neque id sine successu, ex Apostolio idem refert *ibid.* Interim ex iisdem serenitatis & tempestatis signa sumi, refert Ælianus *de Animal. lib.* 7. *cap.* 7. Etiam Lemniis, quòd adverso volatu locustis occurrerent, quibus agri illorum devastabantur, in veneratione fuisse, discimus ex Plinio *lib.* 11. *cap* 29.

Gradiles Panes, qui aliàs *Fiscales*, item *Dispensatorii*, dicti sunt panes è Fisco olim erogari soliti, à *gradibus Amphitheatri*, in quibus uti olim congiaria Populo dividebantur, æra distribuebantur, missilia omne genus spargebantur & tesseræ mittebantur, ita etiam panes hi erogabantur; quorum numerum ad 80000. mill. quotidie se extendisse, Metaphrastes ait. De quibus *gradibus* accipienda vetus *Inscr.*

COLLEGIO DENDROPHOR.
ROMANOR. QUIBUS. EX
S. C. COIRE. LICET. ARGEN
TI. P. X. ET. HS. X. MILIA. N.
REDDEDIT.
QUÆ. DIVISA. SUNT. POPULO. PER
GRADUS.
KAL. AUG. N. COLLEGI.

h. e. *amphitheatri* vel *theatri*, in quibus omnes divisiones & *lustratione* fiebant. Hinc illæ locutiones, *de gradibus*, *in gradibus* & *gradibus* panem distribuere, pro hominibus, qui sunt in gradibus. *l.* 3. *Cod. Theod. de annon. civis & pane grad.* & *l.* 5. *tit. eod.* ubi *propriè* hi *gradus* vocantur, i. *popularium gradus*, qui unicâ voce *Popularia* appellantur, & distincti erant, à gradibus militarium, Equestrium & Senatorum: è quorum uno in alterum panis *gradilis* translatio vetatur *l.* 2. *Cod. ejusd.* Atque hoc quidem Romæ obtinuit, à tempore Aureliani, qui primus, ut porcinam, sic panem quoque, distribuit. Postea verò, cùm, ex Constantini instituto, annonæ civicæ Populo in Urbe CP. itidem, ut Romæ, erogarentur, non in Circo aut Amphitheatri gradibus, sed in Foro, id fieri solitum est: ubi Populus per *gradus* distinctus & per turmas divisus, cùm in suo quisque loco & gradu adstaret, panes illos civiles accipiebat. Corippus,

Dispoluere gradus, *quis stares in ordine longo*
Divisum in turmas atque in sua corpora vulgus.

Singularum enim urbis Regionum populares sua ibi loca adsignata habebant & *gradus* suos distinctos: quod & de Foro Romano forsan dicendum, ubi similes gradus constituti & erecti fuisse videntur, de quibus populo panes hi erogabantur. Suadent certè verba *l.* 5. *Cod. cit. de annon. civ. Popularibus enim, quibus non est aliunde solatium, quibus idem panis hodieq; distrahitur & eorum successoribus, clementia nostra deputavit, in quo nunc emitur loco, propriis gradibus erogandum.* Ubi autem panis emebatur, nisi in Foro? Sed & in eodem loco, sparsiones Consulum, quas Ὑπατείας vocabant, CP. factæ: Romæ etiam in Foro non minùs, ac Theatro aut Amphitheatro, sparsiones ejusmodi & missilia in Populum ab Impp. Consulibusque, jaci consuevere, Joseph *Orig. lib.* 19. *cap.* 1. V. Salmasium *ad Vopiscum in Aureliano*, & hic passim in vocibus *Annonæ Civicæ*, *Arcus*, *Augusteum*, *Civiles Panes*, &c. inprimis infrà in *Panis*.

Gradu pulsi, in pœnam, milites, qui alicujus essent in militia loci. Hinc illa *D. de re mil.* de militum pœnis: *Pro modo delicti aut castigatur, aut* gradu *militiæ dejicitur.* Quod *militiam mutare*, dicitur apud Rufum *de pœnis militar.* seu *militiâ moveri*, apud eund. Fustibus verò aut virgis subiiciebantur, qui in infimo *gradu* militabant. Salmasius *ad Lampridium in Alexandro Severo.* In Lucta, *gradu dejici*, vel *moveri*; in Circo *gradus lævos opponere*, quid sit, V. hic ubi de *Lucta*, & apud Salmasium *ad Solinum p.* 905. Apud Suetonium *Claudio cap.* 4. *Quid est, quòd dubitemus; quin per eosdem articulos &* gradus *producendus sit, per quos frater ejus productus fuit? Articuli* & *gradus* sunt, quæ Cicero *puncta* vocat, cùm dicit, *omnibus punctis honorem colligere.* V. Casaubonum *ad l.*

Graduale, seu *Gradale*, dicitur in Ecclesia Rom. Responsum seu Responsorium, vel Antiphona, quæ post Epistolam cantatur, à *gradibus*, non Altaris, sed ambonis: quia, dum Diaconus ad petendam benedictionem Celebrantis, & ad canendum Evangelium, ambonis gradus ascendit, ne totum illud tempus tacitum exigatur, in Choro *Graduale* cantatur. Bellarminus *lib.* 1. *cap.* 16. *de Missa.* Imò solet Romæ à Cantoribus celeriùs tardiusque canendo

nendo, commensurata, ad Diaconi functiones, Dominic. Macer *in Hierolexico* &c. A' Cœlestino Pontif. primò *Gradualia* instituta, tradit Anastasius in *Vita* ejus, ex *Cod. MS. Constitut.* Graduale *post officium ad Missam cantari.* Honorius Augustod. *Gradualia & Alleluja* Ambrosium composuisse scribit, *lib.* 1. *cap.* 88. Galli *Greel* dicebant &c. du Fresne *Glossar.* Tempore Paschali, exceptâ hebdomade primâ; ut & in Octava Pentecostes, *Graduale* non cani, observant Macri Fratres *in Hierolex.* Eodem nomine & liber venit, in quo *Gradualia* continentur. Amalarius *de Ord. Antiphonario in Prologo*, *Antiphonarium tria habet nomina — Quod dicimus* Graduale, *illi vocant Cantatorium, qui adhuc juxta morem antiquum apud illos, in aliquibus Ecclesiis, uno volumine continetur. Sequentem partem dividunt in nominibus. Pars quæ continet Responsoria, vocatur Responsoriale — quæ Antiphonas — Antiphonarius.* De *Gradualibus Psalmis*, V. infrà.

Gradus, Græcè Βῆμα, cognominatus Eratosthenes est, quòd in omni doctrinæ genere secundas à summis ferret, Suid. Apud Scriptores Eccl. Græc. Βῆμα, aliàs ἄδυτον, elatior est templi pars, seu chorus, nomen à *gradibus*, quibus eò ascendebatur, habens. In eo duo Altaria, nonnunquam tria, extructa sunt. Et quidem, ubi duo alterum in medio & majus, ἁγία τράπεζα alterum minus & ad sinistram ejus, πρόθεσις dictum est. Ubi tria, in eo, quod ad sinistram, exeuntibus libri, vestes, alia reponuntur. Eratq; tanta loci hujus veneratio, ut hinc ordinis Ecclesiastici homines οἱ ἀπὸ τοῦ βήματος sint appellati. Suicerus *Thes. Eccl.* voce Βῆμα, ex L. Allatio *de Templis*, Meursio *Glossar* & de la Cerda *Adversar. cap.* 148. *num.* 4. Sed & *Gradus, ambo, analogium, lectrum* L. Alemann. *tit.* 16. §. 2. *Clericus, qui in* gradu *in Ecclesia publicè Lectionem recitat; vel Gradale.* Recitabantur itaq; lectiones in *gradibus*: etiam sermones inde habebantur ad Populum. Sidonius *Carm.* 16.

Seu te conspicuis gradibus *venerabilis aræ*
Concionaturum plebs sedula circumsistit.

Erant porro *Gradus* ante Altare, seu ante Altaris gradus, unde pars ea ædis sacræ *Βῆμα* Græcis dicta; vel sanè, quòd ad eum lectionis locum per *gradus* veniretur, uti de ambone observavit du Fresne *in Descript. Ædis Sophianæ.* Sed & *graduum* in Ecclesiarum atriis ac propylæis, meminit Anastasius Bibl. *in Symmacho PP.* At *Gradus Presbyterii*, seu qui jacent ante cancellos, *Solea* Græcis, ex Ital. *Soglia*, ad quos amandari solebant Monachi, pro levioribus culpis, memorantur in *Usibus* Ordin. Cisterc. *cap.* 75. Unde formulæ passim occurrentes, *Petat veniam ante* gradum, *Ante* gradum *Presbyterii satisfaciat* &c. Car. du Fresne *Glossar.*

Gradus, in compositione capillorum, de quibus Maximianus, qui vixit tempore Boetii, in libro *Elegiar.*

Grande erat inflexos gradibus *numerare capillos:*
Grande erat in niveo pulla colore coma:

unde *coma compta gradulatim*: ab annulis crinium differunt. Inflexio enim ipsa & crispatio capillorum nexiles annulorum orbes imitabatur: Comæ tamen sic annulatim crispatæ, non etiam confusæ ac turbatæ & indiscriminatim temereque implexæ habebantur, sed per *gradus*, quosdam positæ & ordine digestæ; ita ut unaquæque annulorum series stationem quasi suam servaret & gradatim alveolatimque alia super aliam scanderet. In quibus exprimendis Latini *ordinem, stationem, gradus* usurpant. Euripides ὄρθιον dixit. Quintilianus *gradus & annulos* conjunctim posuit; Manilius *crines in fluctum ponere* eleganter &c. V. Salmasium *ad Capitolinum in Pertinace*, & passim suprà.

Gradus Academici, apud Europæos tres, tum ut eorum consequendorum spe excitari, qui studiis vacant, ad altiora ardentiùs aspirent, tum ne illotis, quod ajunt, manibus, in sublimiorum disciplinarum sacra irrumpant, sapienter sunt instituti. Postquam enim per Depositionis ritum (qui à consuetudine Romanorum, apud quos post completum annum ætatis 15. juvenes prætextâ positâ virilem seu liberam togam sumsere: vel Germanorum veterum, apud quos, teste Tacito, adolescentibus jus frameæ scutique concedi solitum est, originem traxisse videtur) studiis initiati sunt, Propædiæ curriculum emetiendum proponitur, quo defuncti feliciter *Baccalaureatûs* honore & titulo insigniuntur, qui ritus similiter, è re militari ortum habet: quid enim serium Sapientiæ studium, quàm militia est adversùs ignorantiam ac pravos mores, animæ nostræ internecinos hostes? Sic admittuntur ad sacrarium Realis Philosophiæ; cui qui perlitarunt, ad *Magisterii* evehuntur axioma. Postea superioribus appliciti Facultatibus, *Doctoralem* expectant dignitatem, & jus publicè docendi exambiunt: V. in vocibus *Depositio, Baccalaureus, Magister, Doctor, Universitas* &c. Idem jam olim obtinuisse, neque ex discipulorum subselliis quenquam, sine auctoritate Magistri sui, inter Philosophos se contulisse, vero simile est: cùm & apud Sinenses. Asiæ extremæ populos, literarum laude florentissimos, viguisse ante plurima secula eundem fere morem legamus. Apud eos enim severè, priusquam *Gradus* consueti conferantur, profectus Philomusorum etiamnum explorari certum est: Imò, jam aliquâ dignitate potiti quotannis denuo examini subjiciuntur, cui si minus ex officio responderint, etiam quem jam nacti fuerant, *Gradûs* jacturam faciunt. V. Lombardum *Epist. de statu regni Sinensis.* Apud Hebræos non minùs varii erant *Gradus*, per quos ad supremum eruditionis apicem ascenderent, & quidem circa tempora SERVATORIS nostri, titulorum istiusmodi numerus in imensum crevit, inprimis autem usitati erant: *Rab, Ribi, Rabbi* & *Rabban*, quibus omnibus eadem origo, à verbo רבב *Rabab*, i. *multiplicatus fuit*, cui respondit Græcum Πολυμαθὴς, Lat. *Magister* vel *Doctor*, multiplici eruditione instructus. Ex his *Rabbi* titulus erat sublimior titulo *Rab*, *Rabban* plus erat quàm *Rabbi*, nudum tamen nomen, ut *Haggæus, Zacharias, Malachias*, reliquis omnibus excellentius quiddam sonabat. Eâ ætate, ratio Academicæ methodi in illa gente hæc fuit. Studiosus dicebatur תלמיד *Talmid*, i. *Discipulus*: item קטן *Katan*, id est, *Junior*: etiam בחור *Bachur*, i. *electus* seu *cooptatus*, nempe in numerum Discipulorum. Postquam rudimenta posuit, dignumque se *Gradu* primo præstitit, חבר *Chaber*, seu socius Rabbi, manuum impositione, proclamatus est: cujus ceremoniæ auspicia à Mose, qui Josuam eodem ritu suum Successorem renunciaverat, arcessebant, Num. *cap.* 27. *vers.* 18. Vocarunt autem hunc ritum סמיכה vel סמיכות *Semicha* vel *Semichus*, quique manum promovendo imposuit, hac usus est verborum formula: *Ego tibi impono manum & manus tibi imposita esto*, V. Cunæum *de Rep. Hebr. lib.* 1. *c.* 21. Postea cùm eò eruditionis pervenit, ut alios etiam docere posset, *Rabbi* renunciatus est. Et quidem, quamdiu talis *Talmid* vel *Bachur* erat, Patris solùm nomine censebatur: cùm *Chaber* factus est, proprio nomine vocabatur: cùm *Rabbi*, tum titulus hic nomini ejus præfigebatur; hoc modo. Maimonides primùm dictus est *Ben Maimon*, i. filius Maimon: dein *Moses ben Maimon*, tandem *Rambam*, id est, *Rabbi Moses ben Maimon.* Sic Rabbi Levi fil. Gerson, primò *ben Gerson*, i. filius Gerson: exinde *Levi ben Gerson*, tandem *Ralbag*, id est, *Rabbi Levi ben Gerson* appellatus est. Tres hosce ordines conjunxit priscus ille inter Hebræos Sapiens, cùm dixit: *Multa à Rabbinis seu Magistris meis didici, plura à Sociis meis, plurima à meis Discipulis*, V. P. Fagium in *Scholiis suis ad c.* 4. *Pirke Aboth*, Th. Godvvyn. *de ritib. Hebr. lib.* 1. *c.* 7. & infrà, voce *Rabbi.*

Græci, apud Suetonium *Tiberio*, *cap.* 46. *Comites peregrinationum — cibariis tantùm sustentavit: una modò liberalitate ex indulgentia vitrici profectus, cùm tribus classibus factis pro dignitate cujusq; prima sexcenta sestertia, secundæ quadringenta distribuit, ducenta tertiæ, quam non amicorum, sed* Græcorum *vocavit*; iidem sunt, quos *palliatos* idem appellat *cap.* 48. *Julii*, *Convivatum assiduè per provincias duobus tricliniis: uno quo sagati palliatiq;, altero quo togati — accumberent.* In comitatu nempe Principum virorum, ut ex duobus his locis discimus, semper fuere *Græci*, iique ut plurimùm literati & Philosophi: ἐν γὰρ δὴ καὶ τοῦτο τῶν πολυτελῶν ἐδόκει, ut Lucianus ait. De *Medicis Græcis*, in Aula Romana, alibi diximus. Interim contemptim habiti, unde *Græculi convictores* vocantur *cap.* 56. ejusdem *Tiberii*, & nomen amicorum iis fuisse negatum, *loc. cit.* dicitur, quinetiam *Græcos* vel *Grajos* ἐσθλὴν μὲν χέρα fuisse nuncupatos. Sed & illustrioribus comitum opponuntur, dicto Suetonii in *Julio* loco. Fuisse autem morem Procerum Romanorum, ut ituri in provincias magnum secum comitum numerum Româ abducerent, eumq; à Scipione in Hispaniam eunte institutum, ex Appiano discas. V. Casaubonum *ad Suetonium*, ubi suprà: uti de *Græco & Græca, Gallo & Galla, in Foro Boario sub terra, in locum saxo conseptum, jam antè hostiis humanis, minimè Romano sacro imbutum*, apud Romanos, rebus creperis, *vivis demitti* solitis, Liv. *lib.* 25. *cap.* 40. De *Græcarum verò Artium opera mirandi initio, à Syracusis per Marcellum captis facto*, eundem *Ibid.*

Græci Impostores, Γραικοὶ ἐπίθεται, per convitium ab Ethnicis Christiani olim dicti sunt, uti testatur Tertullianus; & quidem Philosophi eorum, seu Viri ascetici, qui pari cum Philosophis Græcis amictu (qui τρίβων, seu τριβώνιον erat) malè quoq; propter illos audiebant, quòd plerique ex eorum numero Philosophos habitu ementirentur & fingerent, cùm de cætero pura puta mendicabula essent & impostores meri, Quintilian. *lib.* 1. *cap.* 1. Sed nec pallio tantùm, verùm & sordibus ac squallore insignes erant tam Philosophi, quàm Ascetæ Christiani: Unde illud Hieronymi, *Si tunica non canduerit, statim illud è trivio*, Impostor *&* Græcus *est*: quod de Philosophis & præcipuè Græcis accipi debet, qui non solùm sordidissimi, sed etiam ut plurimum impostores. V. Lucianum de Protheo Philos. & Philostratum de quodam, qui Philosophi habitum ejuraverat. Cujusmodi quoq; sordes affectarunt olim Monachi, nam quam semel induissent tunicam, nunquam exuebant, priusquam penitus tota usu detrita & scissa esset, ac de altera habitanda cogitandum foret, &c. Salmas. ad *Tertullian. de Pallio.* V. quoq; Hieronymum præfatum *Epist.* 10. *ad Furiam* & *Epist.* 23. *ad Marcellam.* Contrà Christiani Ethnicos *Græcos* appellabant, Idolorum cultum illis exprobraturi. *Glossæ* Gr. Lat. Ἕλλην ὁ ἐθνικός, *Paganus.*

Græcia, adde: Græcos aperto capite sacrificasse, docet ex Varrone Gyraldus *Syntagm.* 17. *Hist. Deorum.* Etiam passim nudis incedebant capitibus, aliquando tamen ex iisdem causis, ex quibus Romani aliæque gentes, pileos assumebant. Unde Ulyssem pileatum plerumq; exhibent, & Hippocratis icon simili modo tecta visitur. Castores item soliti pingi cum pileis, quia Lacones fuerant, quibus pileatis pugnare mos fuit, ut Festus scribit. Hinc Catullus,

— pileatis nona fratribus pila.

Nec inscelebres sunt causiæ Macedonicæ, galeri Thessalici, Atheniensium

nensium erobyli &c. de quibus V. Anselm. Solerium *de Pileo fol.* 8. Corpus pallio involutum habebant, quemadmodum Romani togati fuere, V. Octav. Ferrarium *de Re Vest. part.* 2. *lib.* 4. In pedibus crepidas gerebant, sine quibus pallium nunquam sumebatur: quemadmodum contrà calcei Togæ proprii fuere: antequam tamen illas induerent, pedes plerunque inungebant, quem morem Romanos imitatos fuisse, innuit Lucretius, cùm ait *lib.* 4. hæc duo conjungens,

Unguenta & pulchra in pedibus Sicyonia videns &c.

V. Balduinum *de Calceo*. De inaurium in Græcia usu, vide si placet Isidorum *Origin. lib.* 19. *cap.* 31. & Apulejum *de Dogmat. Plat. lib.* 1. ubi nobilitatis id insigne Athenis fuisse docet, cujus rei originem luculenter tradit Dio *Orat.* 32. & Casparum Bartholinum *de Inauribus Veterum*. De Philosophia illorum triplici, Heroica, Mythica & Philosophica; hacque in plurimas scissa sectas, Academicam, Cynicam, Cyrenaicam, Eleaticam, Electivam seu Potamonicam, Eliacam ac Eretriacam, Epicuream, Jonicam, Italicam, Megaricam, Peripateticam, Platonicam, Pyrrhoniam sive Scepticam & Stoicam, V. Georg. Hornium *Hist. Philosoph. passim*, & Gerh. Joh. Vossium *de Philosoph. Sectis*: uti de sepultura, item de structura, illorum, Salmasium *Exercit. Plin. ad Solinum p.* 378. & *seqq.*

Græco stadium, post incendium restitutum, inter opera Antonini Pii, Romæ extantia, memoratur Capitolino in *Vita* hujus: *Græcostasis* aliis, Casaub.

Græculus, per convitium dictus nonnullis Hadrianus Imp. quòd impensiùs Græcis studiis imbutus, ingenio suo ad ea sic declinaret, ut non tantùm Declamationes sermone Græco scriptas, sed & Rescripta & ad necessarios ac familiares Epistolas, reliquerit, ut ex Photio & Dosithei reliquiis discimus. V. Æl. Spartianum in *Vita* ejus.

Græcum Vinum, cujus mentio in *Ordine* Rom. *Deinde* (finitâ liturgiâ Pontificis) *descendunt Primates Ecclesiæ, ad Accubita invitante Notario Vicedomini, & bibunt ter, de* Græco *primùm, de Pactisi secundò de Procovia tertiò*: hodieq; *Greco* Italis, in ea Italiæ parte nascitur, quam Græci olim incoluere. Senator *lib.* 12. *Epist.* 4. *Nam licèt ingeniosa Græcia multifariâ se diligentia subtilitate commendet & vina sua aut odoribus condiat, aut marinis permixtionibus insaporet* &c. Virgilio *Aminæum* dicitur. Aliud est vinum *Græcanicum*, seu Asiaticum, quod *Bebote* dicitur, in *Glossa* S. Benedicti *cap. de Potionibus*, apud Car. du Fresne *in Glossar.*

Grafio, adde: Sed ex omnibus penè Scriptoribus, qui *Grafionum* meminere, id nomen eos pro *Comitibus* usurpasse constat. Nempe eâ tempestate Comites, licèt officio Judicis functi, vectigalia insuper publica exegere, quod fecere etiam Ballivi qui iis postmodum in provinciis successere: unde & *Judices fiscales* dicti sunt, quòd & Judices essent & vectigalium exactores. Vocis etymon quod attinet, Lipsius, Wendelinus, Jac. Eyndius *Chron. Zeland. lib.* 2. Alii à verbo γράφειν, *Grafiones* dictos volunt: Cum enim, inquit Eyndius, Præsides provinciarum commissas sibi ditiones per Juriperitos Scribas & per Quæstores, aliosque è comitatu regerent, literarumq; legendarum & scribendarum, multo magis juris dicundi, in tanta rum barbarie summa ignorantia esset; omnes, qui literas tractabant, in hoc munere *Graphios* tanq. *Graphiarios* ἀπὸ τοῦ γράφειν, dixerunt. Besoldus à Gr. γραῦς deducit, ita & *Graven* appellari sine, tanquam *Seniores*: quâ postremâ appellatione donatos constat Viros Optimates ac Urbium provinciarumq; præcipuos. Heigius à Belg. *Graben*, i. *fossâ*; quasi limitibus præfecti Comites fuerint. Alii à Saxon. *Grave*, i. *Judex*. Scriekius in *Orig. Celtic. Graeff* dictum vult, quasi *Gaer heeff*, h. e. tributorum exactorem, *Gravatorem* & *Gravaringum*, de quibus infrà. Nec abludit multùm Lambardi, Rastalli & Spelmanni conjectura, qui à Saxon. *gerepen*, per sync. *grepen*, h. e. *rapere*, originem ejus arcessunt, hoc enim Exactorum proprium &c. V. Car. du Fresne *in Glossario*.

Grallator, apud Plautum,

Cervum cursu vincere & grallatorem *gradu*:

pro quo in antiquissimis omnibus libris sic reperitur,

& clavatorem gradu.

Nempe antiqui alicujus Grammatici interpretamentum irrepsit, pro vero verbo Plautino: nam qui *grallatorem* clavatorem esse erat interpretatus, ansam narrationi huic dedit *Clava* ex Græco κάλα, *solea* est vel *gallica* ligneum sc. sandalium, quod in balneis gestabant: Unde *gralla* κᾶλα, quæ notiore vocabulo *colobathra* dicuntur, ab Auctoribus Græcis Latinisq;. Hinc *colobathrarii* dicti Nonio *Grallatores*: καλόβαθρα autem & κῶλα ξύλινα vocabant Græci, quibus innitebantur, quos γέρανοι appellabant, Pollux *lib.* 4. *cap.* 14 &c. V. supra in *Clava*, & plura hanc in rem, apud Salmasium *ad Solinum pag.* 413. ubi de *Grallatoribus Pantomimis*, seu οἱ Πανὸς σκέλεσι, à *grallis* seu cruribus ligneis, quas sumebant, ad effingenda Panum crura, sic dictis, varia.

Gramalla, laicæ vestis genus, quo in Hispania Barcinonenses & Castellani utuntur: maximè Urbium Ædiles, C. du Fresne *Glossar.* CaroloMacro vestis longa & lugubris est, ex laneo panno villoso, Italicè *Bajetta*, sive *Saja à riverso* appellata, & adhuc in Sicilia ac Melita in usu, ubi hodieque *Grammaglia* dicatur, quasi *Gramulis Malla*, h. e. villosa, ἀμφίμαλλος, in *Hierolexico*.

Gramen, inter herbas vulgatissimum, *geniculatis serpit internodiis crebroq; ab his & ex cacumine novas radices spargit. Folia ejus in reliquo orbe in exilitatem fastigiantur. In Parnasso tantum ederaceâ specie densius, quàm usquam, fruticans, flore odorato candidoq;. Jumentis herba non alia gratior sive viridis sive in fœno siccata* &c. Plin. *lib.* 24. *cap.* 1. Ex eo corona constabat Obsidionalis. Livius *lib.* 7. *Secundùm Consulis donationem, Legiones gramineam coronam obsidialem, clamore donum approbantes, Decio imponunt.* Quâ nullâ nobilior alia. Plin. *lib.* 22. *cap.* 3. *Gemmatæ, aureæ & vallares, murales, rostratæ, civicæ, triumphales, post hanc fuere; fuitq; cunctis magno intervallo, magnaq; differentia.* Nempe coronamentum id ipsius Martis fuit, uti victoris, cui *gramen* porrigere, priscus mos. Hinc P. Decius religione confessus est, quanta esset illius coronæ auctoritas. Siquidem eâ donatus *bovem album Marti immolavit & centum fulvos, qui ei virtutis causa dati fuerant simul ab obsessis*, Plin. *ibid.* Sumpta est autem ea ex *gramine viridi*, & quidem *decerpto inde, ubi obsessos servasset aliquis*, Idem *cap. seq.* Unde idem *lib.* 22. *cap.* 6. *Nulla ergo herba fuere certa in hoc honore, sed quæcunq; fuerant in periculi sede, quamvis ignobiles, ignotæq; honorem nobilem faciebant* &c. V. C. Paschalium *Coronar. lib.* 7. *cap.* 17. & infrà, ubi de *Obsidionali Corona*.

Grammateus, Græcè Γραμματεύς, nomen officii, in Ægyptiacis Sacris, de quo sic Apulejus *lib.* 11. *Tunc ex istis unus quem cuncti* Grammatea *dicebant, pro foribus assistens, cœtu Pastophorûm quod sacrosancti collegii nomen est, velut in concionem vocato, indidem de sublimi suggestu, de libro, de literis fausta vota præfatus.* Erant nempe i. Γραμματεῖς, veluti Curiones sacrorum, quos Græci Ἱερογραμματεῖς, Ἱερογραμματεῖς, & Ἱερομνήμονας, Latini prisci *Precias*, dixere. Adeoq; sacrificia in commentarios regerebant, quæ item à quocunq; facta essent & ordinem rituumq; faciendorum monebant ex jam factis, insuper silentium in sacris indicebant & favere linguis jubebant; sed de suggestu ac libro hi Ægyptii, cùm Præcones, apud Græcos de plano, & memoriter, id facerent. Harpocration Ἱερομνήμονας, & Hesychius Ἱερογραμματεῖς, etiam ex singulis urbibus ad Amphictyonum consessum mitti solitos memorat, quos *Scribas* & *Sacrorum Commentarienses* exponit Salmasius *Prolegom. ad Solinum.* In Novo Test. qui Γραμματεῖς dicuntur, Suicero iidem sunt cum Νομικοῖς seu Δ... V. eum *Thesaur. Eccl.* voce hac, & plura hanc in rem apud Fesselium *Adversar. sacr. lib.* 1. *cap.* 1. Jo. Vorstium *Philologia sacr. cap.* 3. nec non infrà, ubi de *Scribis*, ut & voce *Hierogrammati*.

Grammatice, antiquissimis temporibus, ars erat legendi & scribendi: ita enim apud Diodorum Siculum *lib.* 12. in legibus Charondæ definitur: nec alia ejus Aristotelem quoq; ævo facies fuit. Postquâ verò cœpta sunt artis præcepta observari, origines indagari, proprietates vocum tradi auctores omnes à certo hominum genere explicari: *Grammaticæ* simul quoq; nomen ad variam adeò cognitionem extendi cœpit. Imò quod mirandum magis, huic soli est *Grammaticæ* nomen attributum: ac legendi & scribendi ratio, veteri nomine spoliata, fere vocabatur *Grammatistica*, magisq; ... quàm pars artis esse putabatur. Sed neq; utriusq; vocabula hac postea in significatione perstiterunt: Postquam enim *Grammatistæ* in ludis suis variarum Artium elementa tradere Auctoresq; etiam pueris enarrare cœperunt: omnes illi *Grammatistæ* ac *Literatores* dicti sunt, qui mediocriter essent eruditi, ac potissimum si iidem ludi essent Magistri. *Literiones* contemtim appellat Augustinus *l. c. advers. Legis.* *Grammatici* verò appellati sunt, qui essent absolutè docti, ac inprimis literarum Professores. Sic Æl. Lamprid. *in Severo*, sic Jul. Capitolin. *in Antonino Philos.* sic alii olim distinxere. Et quidem *Grammaticæ* inventum Promethei fuit: circa *Grammaticam* vero primum Platonem quædam movisse deprehendimus, *in Philebo* & *Cratylo*. Verùm rudia hæc fuere Artis initia, magisq; ad Exegetem & vocum origines, quàm ad Methodicem, seu Artis præcepta, pertinent. Justiùs igitur Aristoteles ejus auctor censetur, qui primus voces distinxit in certas classes, primus quoq; generum doctrinam persequutus est, alia que nonnulla explicuit, ut inprimis ex lib. ejus de Poëtica diluxet. De methodo quoq; egit Theodectes: & fortassis uterq, horum aliquid Lampro & Ileo debuit; quemadmodum Ars post Aristotelem Epicuro, quem Γραμματοδιδάσκαλον fuisse, priusquam ad Philosophiam se applicaret, ex Hermippo testatum facit Diogenes Laërtius Philosophi certè sequentes, Stoici inprimis, Aristotelicis ac Theodectis inventis plurima accuderunt, sicq; in justum systema Ars excrevit tandè, operâ inprimis Alexandrinorum, qui non minùs ob *Grammatices* peritiam se jactare solebant, quàm Thebani, quia tibiis: Mitylenæi, quia citharâ optimè canerent, ut testis est Menander Rhetor *lib.* 1. *de genere Demonstr. cap.* 16. Apud Romanos, in quorum urbem primus *Grammatices* studium intulit Crates Mallotes, Attali legatus, quantus huic arti habitus sit honos vel ex eo patet, quòd summæ etiam dignitatis viri hoc studium amplexi fuerint, ut patet ex Suetonio *de Illustr. Gramm.* Quin & beneficio imunitatis gaudebant, ut indicat Arcadius Charisius *l. ult. D. de mun. & hon.* Mirum verò Hebræos, quorum lingua antiquissima est, serò adeo multoq; post ipsos Arabes de *Grammatica* Arte scribere cœpisse. Primus eorum fuit Rabbi Juda Davidis filius, cogn. Ching, oriundus ex Feaza Africæ urbe, circa A. C. ∞ XL. Proximus ab illo

pterea *Patris Patriæ* elogium tulit, instituta est, A.C. 1528. Creati nempe Duces, quorum electio sorti commissa, potestas biennio definita est: Duci additi Gubernatores VIII. totidem Procuratores, V. Syndici. Quæ forma Reip. perstitit ad A. C. 1574. quo dissensiones inter Populum denuo Nobilesque extitere, quas Maximilianus II. Imp. Philippus II. Rex Rom. & qui tum Romæ sedebat Pontifex, sustulere. Idem: Plura hanc in rem V. apud Georgium Hornium *Orb. Polit. Part. 2. pag. 247. & seqq.*

Genutia Lex, quam tulit L. Genutius Tribunus Pl. C. Marcio Rutilio IV. Q. Servilio Hala Coss. anno U. C. 411. fuit: *Ut liceret ambos Consules ex plebe creari*. V. Livium *lib. 7.* Alia ab eodem auctore, eodemque anno rogata, voluit: *Ne quis eundem Magistratum intra decem annos caperet, neu duos Magistratus uno anno gereret*, Idem *ibidem*. Alia eodem anno, eodemque auctore lata, fuit: *Ne fenerare liceret*. Ejus meminit similiter Livius *libro præfato*. Fuit & *Genutia Æmilia* lex, quam tulere ex SC. Cn. Genutius Aventinensis, L. Æmilius Mamercinus Coss. anno 390. *Ut, qui Prætor maximus esset, Idibus Septembris clavum pangeret.* Liv. iterum *lib. 7.* ubi addit: Legem ætate sua fuisse priscis literis verbisque scriptam, clavumque, quia raræ per illa tempora literæ erant, notam numeri annorum, eoq; Minervæ templo dicatam legem, quia numerus à Minerva inventus sit. V. Joh. Rosinum *Antiqq. Roman passim.*

Geographia, est terræ universæ, quatenus nobis cognita est, descriptio, sicut *Cosmographia* totum Mundum, tam elementarem, quàm æthereum; *Chorographia*, regionem, & *Topographia* locum aliquem peculiarem, agrum seu territorium, oppidum, pagum, exsequitur. *Terra* autem seu τῆς γῆς nomine intelligitur hic Globus Terr-aqueus, partibus suis solidis ac liquidis constans, h. e. ipsa Terra, Aqua & Aër, cujus ambitum *Athmosphæram* vocant. In quo Globo quid sigillatim considerandum sibi hæc Ars sumat, pete ex Cluverio, Varenio, Aliis. Primus autem qui *Geographiam* scripserit, Scylax habetur, quem Latinè reddidit & *Notis* illustravit Is. Vossius. Reliquorum qui proximè ab illo idem conati sunt, vix aliud superest, quàm mera nomina, quales Pytheas Massiliensis, Timosthenes Rhodius, qui Ptolomæi II. Archi halassus fuit & libros 10. *de Portubus* edidit, Eratosthenes, qui sub Ptolomæo IV. vixit, & Timosthenem secutus dicitur. Hodie, quos ex antiquis frequentiùs usurpamus, sunt: è Græcis, Strabo, qui *Geogr. lib. 17.* Cl. Ptolomæus, qui *Geogr. Libros 8.* Stephanus, qui περὶ Ἐθνικῶν; è Latinis, Pomponius Mela, qui *de Situ Orbis lib. 3.* scripsere. Plinius item & Solinus passim *Geographica* miscent, quorum illum fabulosarum narrationum communiter accusatum in multis excusat Auctor Belgicus, *den Anleiten ter over Plinius*, editus A. C. 1650 ad hunc, *Exercitationes* Salmasii non uno in loco perstringit Isac. Vossius *ad Melam*. Porro extat etiam *Itinerarium Antonini*, nec non *Tabula Peutingeriana*, à Velsero edita: quam utramq; reperire est in *Theatro Geogr. Vet.* Bertii. Qui nostra ætate *Geographiam* veterem illustrarunt, sunt: Abraham Ortelius, qui *Thesaurum Geographicum* & *Parerga Geographiæ Vet.* Petr. Bertius, qui *Theatrum* modò citatum; & Jo. Jansonius, qui accuratam *Orbis Antiqui Delineationem*, præmissa Georgii Hornii *Introductione ad Geographiam vet.* & *Atlantem*, edidere. Recentem Geographiam excoluerunt, Gerh. Mercator & Jod. Hondius, qui in fine præt. seculi primi Atlantem modò dictum meditati sunt, à Jo. postmodum ac Wilh. Blaeviis & Joh. Jansonio, ad 8. usque Tomos tandem adauctum. Circa idem ferè tempus, Ortelius quoque *Theatrum Orbis Terr.* in lucem emisit. Postea Nic. Sanson Abbævillanus Tabulas Generales totius mundi 98. evulgavit. Quibus adde Visscherum, Fred. de Witt, Alios. Utramque *Geographiam* conjunxere Jo. Maginus, cujus extant *Geographiæ Vet. & Nov. Volumina II.* Phil. Brietius, cujus *Parallela* &c. Inter Compendiorum Scriptores, commendantur, Georg. Fournerius, qui *Geographicam Notitiam per littora Maris & fluviorum*, Eberh. Schultzius, Phil. Cluverius, qui *Introductionem ad Geographiam* Jo. Bunonis *Commentario* illustratam; Henr. Schævius, qui *Sceleton Geographicum* scripsere, Alii. De sola *Geographia Generali* prodiit liber doctissimus Bern. Varenii: cui similis est *Geographia & Hydrographia Reformata* Jo. Bapt. Riccioli *lib.* 12. Bononiæ A.C. 1661. Inter *Onomastica Geographica* excellit ante memoratus *Thesaurus* Ortelii & *liber undecimus Geogr.* Riccioli. Ex iis, qui præter locorum designationem & denominationem in Descriptione Orbis Historiam Civilem & Sacram adjecerunt, eminet Jo. Boterus Italus; in Gallia extant Petrus d' *Avity, Theatre du Monde* &c. In Germania Sebastianus Munsterus *Cosmographiam* edidit, quem Jo. Rau imitari conatus est; Lucas de Linda *Descriptionem Orbis & omnium Rerump.* Jo. Frid. Köpping *Orbem illustratum* edidere; ut *Archontologiam Cosmicam, Collectionem Rerumpublicarum*, *Hornii Orbem Politicum*, alia, omittam, petenda ex Riccioli suprà laudati *Geograph. Reform. lib. I. & initio lib. II.* V. quoq; Auctorem Anon. *Hist. Orb. Terr. Geogr. & Civ. cap. 1.* quod est *de Præcognitis Geographicis*: de Hydrographiæ verò in specie Scriptoribus, aliquid infra dicemus.

Geomantia, species divinationis, quâ dextra manu temerè lineæ ex punctis constantes in *terra* fiunt, & pro ratione figuræ, quam hujusmodi puncta exprimunt, judicium fertur de quæstionibus, quæ proponi solent. Græcè Γεωμαντεία. Eadem & circulos in arena describit. V. suprà, ubi de *Divinatione*, & plura hanc in rem, apud Bodinum *Dæmonom. lib. 1. cap. 6.*

Geometria, an Mercurii inventum, an Ægyptiorum, apud quos celebres inprimis Petosiris & Necepson, *quorum prudentiam ad ipsa secreta divinitatis accessisse*, ait Julius Firmicus, *Geometriæ*, Astrologiæ ac Astronomiæ inventum sibi tribuêre, teste Diog. Laertio *lib. 1.* Cùm enim Nilus subinde exundans agrorum limites confunderet, illi sagaci ingenio *Geometriæ* rationes invenerunt, quarum indicio sua cuique portio bona fide restitueretur: inde ars in immensum crevit, Mart. Capella *lib. de Geogr.* Eam sequentibus temporibus in Sicilia excoluit Archimedes, *Vir in omni Geometria multùm ante alios admirabili subtilitate*, Apulejo *in Apol.* Qui inventis Mathematicis obsidionem Syracusarum unus in longum protraxit, Quintilian. *Institut. lib. 1. cap. 17.* tandem ea expugnatâ, dum pulveri intentus esset, à milite Marcelli, occisus, Plut. *in Marcello*, Plin. *lib. 2. cap. 107.* Val. Max. *lib. 8. cap. 7.* &c. Post hunc circa A. Christi 1059. Constantinopoli Michael Psellus, hac inprimis in Arte supra omnes alios floruit, plurimis in *Geometria*, Arithmetica, Musica & Logica, accuratè elaboratis. V. Georg. Hornium *Historiæ Philosophicæ lib. 5. cap. 8.* Gerh. Jo. Vossium inprimis *lib. de Mathem.* & Salmasium *ad Solinum pag.* 632. ubi duas res Geographiæ maximè inservire, τὸ Γεωμετρικὸν nempe καὶ τὸ Μετεωρολογικὸν, docet. *Geometria Practica combinata*, in usum Principum elaborata est, Auctore Athanasio Kirchero.

S. *Georgii*, quem Græci μεγαλομάρτυρα vocant, imago, in nummis aliquot Joannis & Manuelis Comnenorum æris efficta cernitur, nudatum ensem vel spiculum dextrâ, clypeum sinistrâ tenentis: caput margaritarum lineâ seu unionibus distincto diademate, Imperatoris instar, cingitur. In Manuelis nummo adscribuntur hi characteres O. in quo A. minutulum includitur quo ἅγιος vulgò contrahunt Græci ΓΕ$^{\text{P}}_{\text{O}}$-ΓΙΟC, id est, ἅγιος γεώργιος, *Sanctus Georgius*. Nec multum dispar est ejusdem figura, quam habet Constantini cujusdam στρατηγοῦ sigillum, apud Octav. Stradam, in quo stans habitu militari conspicitur, dextrâ spiculum tenens, sinistrâ clypeo Cruce insignito ac humi defixo innixus, cum hisce literis, O AΓIOC ΓE. Aliàs Græci, à quibus impensè cultus est, ἱππέα, *equitem*, ferè semper hunc suum Sanctum depingebant, quòd eo habitu non semel, ut ajunt, in præliis adstitisse Græcis ac pro iis dimicasse conspectus sit. Ita certè à CPolitanis depictum esse, Auctores sunt Nicetas, Nicephorus Gregoras, Codinus, alii. Stricto porro ense conspicuum eum fingebant, quemadmodum in nummo Isaaci Comneni exprimitur &c. V. Car. du Fresne *Dissertatione de poster. Ævi Numism.* & plura hanc in rem, apud Auctorem Anonymum *Historiæ Orbis Terr. Geogr. & Civ. Part. 2. cap. 4.* quod est *de Regno Angliæ*, §. 25. ubi Patronum illum Angliæ ac Portugalliæ, seorsim etiam Regii Ordinis Equitum Periscelidis, inter alia, refert; addito Catalogo Scriptorum, qui historiam ejus in utramque partem literis prodidere. V. quoque infrà, *Georgius Cappadox.*

Principes ex Familia Palatina.

Georgius, filius Johannis II. Principis Palatini Simmerensis lineæ, A. C. 1557. extincti, sacris priùs destinatus, postea in conjugio vixit, nomine Evangelio dato. Militavit autem aliquandiu Philippo II. Hisp. R. Frater Friderici III. cognom. *Pii*, Electoris, & Richardi, qui Simmerensem Principatum tenuit.

Georgius Wilhelmus, filius Caroli, cui in divisione paternæ hæreditatis, Wolphgangi Ducis Bipontini, Bircofeldi ditio A. C. 1586. contigit, natus A. C. 1591. post varia itinera exacta, administrationem, defuncto Patre A. C. 1600. tutoribus commissam, tandem ipse suscepit, mortuus haud pridem. Primum ejus matrimonium cum Dorothea Solmensi felix ac fœcundum fuit. Alterum cum Juliona Ringravia, repudio diremtum: Tertium cum Anna Elisabetha Oetingensi sterile. Filii ejus Carolus Otto, natus A. C. 1625. Fridericus & Christianus.

Georgius Gustavus, filius Georgii Johannis, de quo infrà, Principis Veldentiæ, stirpis Palatinæ, ex Anna Maria Suecica Gustavi R. filiâ, natus A. C. 1564. Veldentiæ, quamdiu ob turbas licuit, habitavit, atque vitâ excessit A. C. 1634. Ex priori cum Elisabetha Wirtenbergica A. C. 1586. ad annum 1592. matrimonio nullâ prole susceptâ, ex altero autem, cum Maria Elisabetha Bipontina, ductâ A. C. 1601. defunctâ A. C. 1631. pater, præter eos, qui brevis ævi, Annæ Magdalenæ, natæ A. C. 1602. elocatæ Henrico Wenceslao D. Monsterbergio A. C. 1617. mortuæ A. C. 1630. Mariæ Elisabethæ, quæ nata A. C. 1616. Magdalenæ Sophiæ, quæ 1622. Johannis Friderici, qui dux Suecicæ legionis equestris Augustæ A. C. 1632. Caroli Ludovici, qui iisdem militans, ad Wolmerstadium duobus globulis trajectus, tertio pòst die extinctus est A. C. 1631. & Leopoldi Ludovici, nati A. C. 1625. Frater fuit *Georgii* Johannis Jun. de quo infra.

Georgius Johannes, cognom. *Ingeniosus*, filius Ruperti, Veldentiæ Lineæ conditoris, ex Ursula Rhingravia, natus A. C. 1543. sessionis ac suffragii in Imperio jus acquisivit, Luzelsteiniam auxit, Pfaltzburgum condidit, quod tamen deinde in Lotharingi pervenit manus. Excessit A. C. 1592. Ex liberis ejus, & Annæ Mariæ

Succicæ Gustavo R. natæ, mortuæ A.C. 1563. Ursula nata A.C. 1573. Ludovico D. Wittenbergico desponsata A. C. 1585. & defuncta A.C. 1636. Anna Margaretha, n. 1571. Richardi agnati uxor: Johannes Augustus n. 1575. extinctus, sine prole ex Anna Elisabetha agnata, 1611. Ludovicus Philippus n. 1577. in Hastiludio Heidelbergæ extinctus A. C. 1601. &, qui duas fecere lineas, *Georgius* Gustavus, de quo suprà, & *Georgius* Johannes, ille Veldentiæ, hic Lucelsteniæ familiæ, auctores.

Georgius Johannes cognom. *Junior*, prioris filius, natus A. C. 1586. post fratrem Johannem Augustum, Lucelstenium obtinuerat, ex Susanna Palatina (quam ipse duxit A. C. 1613. & cùm ab illo secessisset, Dux Wittembergicus suscepit) pater, præter alios, *Georgii* Ottonis, qui extinctus est Tubingæ A. C. 1635. Ipse pater decessit A. C. 1654. successore Agnato Leopoldo Ludovico, de quo infrà: V. Philipp. Jacobum Spenerum *Syll. Genealogico-Hist in Fam. Palatina.*

Carolus *Georgius*, filius modò memorati Leopoldi Ludovici, ex Agatha Christina Hanovica, ducta A.C. 1648. n. A.C. 1660.

Georgius, cogn. *Dives*, filius Ludovici Bavariæ Ducis, Landshutensis rami, Ingolstadiensem Academiam condidit, & lineam masculam Landshutanorum Principum finivit, A. C. 1503. Cùm autem hæredem filiam Elisabetham Ruperto Virtuoso, Philippi cogn. *Ingenui*, Electoris Palatini, filio nuptam scripsisset, bellum Bavaricum ortum, Palatinis damnosum, Bavaris autem, qui successionem impetravere, non parum proficuum. Postquam enim Rupertus oblatos ab Imperatore duos trientes ditionum *Georgii* nomine tum dotis, tum prætensionum, quas ab antiquo adversus Bavaros habebant Palatini, respuisset, fiducia Bohemorum & Galliæ Regis, mox à Maximiliano ipse cum Patre proscriptus, ab amicis desertus, acri prælio ad Ratisbonam victus, & ditionibus suis spoliatus est: Filiis tandem ejus, parte aliquâ avitæ hæreditatis inter Nabum & Danubium, qui *Neoburgensis Principatus*, aliis *Palatinatus junior*, dicitur, concessâ.

Ex Fam. Saxonica.

Georgius, filius Friderici cogn. *Strenui*, Thuringiæ Landgr. ex Catharina Hennebergica, quæ Coburgensem Principatum, à matre Gutha filia Hermanni M. Brandeb. obtentum, familiæ mariti intulit, cum fratre Guilielmo cognom. *Divite*, Königsbergam à Schwartzenburgico Comite: dein à Jodoco M. Moraviæ Marchiam Brandeburgicam A. C. 1410. quæ redemta biennio pòst ab Imp. Sigismundo, emit. Horum frater Fridericus cogn. *Bellicosus*, novum postea axioma domui intulit, Ducatu Saxoniæ cum Electorali dignitate, post Alberti Ascanii A.C. 1422. extincti obitum, à Sigismundo Imp. auctus.

Johan. *Georgius*, filius Wilhelmi Vinariæ Ducis tertio-genitus, ex Eleonora Dorothea Anhaltina, Brandeburgica auspicia in Prussia secutus olim, postea Cæsaris in Hungaria miles, dein exercitui Imperatorio in Alsatia, contra Gallos, præfuit, magna cum pietatis ac fortitudinis famâ. Marcsulam autem primò incoluit, mox Isenacum sortitus est, quemadmodum Johanni Ernesto majori Vinaria, & Bernardo minori natu fratribus, Jena obtigit; Rhenum, paulo infra Basileam, A. C. 1677. eximio ponte junxit, Brisaco, ut fama erat, imminens.

Georgius, fil. natu maximus Alberti cogn. *Animosi*, Albertinæ lineæ, è qua hodierni Electores conditoris, post Patrem avitas tenuit ditiones: Frisiam toties rebellem, quam Patri ejus ob virtutis præmium & sumtus in Austriacorum gratiam factos, Fridericus III. & Maximilianus I. Augg. concesserant, acceptis 200000. aureis Carolo V. permisit. In Reformationis negotio acerrimus Lutheri hostis extitit. Suis auspiciis A. C. 1519. colloquio inter Doctorem hunc & Eccium de potestate Pontificis Lipsiæ instituto, cùm videret parùm prospere rem Eccio succedere, exclamavit: *Sive sit jure divino, sive humano Papa, ipse est Papa*, Abr. Sculterus in *Annal. Eccl.* Pactum, quod cum agnatis alterius lineæ, ne quis ulli clientum vel subditorum ob religionem molestiam facesseret, inierat, non servavit, & inprimis Johanne El. mortuo, A. C. 1533 acerbiùs domi in Lutheranos inquirere cœpit, jusso ut omnes Paschate proximo symbola & confessionis tesseras exhiberent; quo tempore Lutherus Evangelicam complexos fidem ad constantiam hortatus: postea exules scripto solatus est. Joh. dein Friderico El. apud socios de persequutione conquesto, fœderi sacro A. C. 1538. nomen dedit: Tandem, cùm paulo antea defuncto Hugone, ultimò Com. Leisnicensi, ditiones Misniæ accrevissent, amissis filiis, Johanne & Friderico, moriens A. C. 1539. fratri Henrico, hæreditatem reliquit: eâ quidem conditione, ne quid in religione mutaretur, sin, ut ad Cæsarem Carolum & Ferdinandum fratrem ejus, ditiones devolverentur. Sed cùm nobilitas & populus conditionem juramento confirmare negavissent, propositum mansit irritum.

Ex Familia Brandeburgica.

Georgius Fridericus, fil. Georgii cogn. *Pii*, Anspacensis seu Jegerndorffiæ lineæ auctoris, tutore usus Alberto patrueli, donec is proscriberetur: Tum tutela quoq; ademta est, & Jegerndorffium Ducatum, donec is adolevisset, Ferdinandus R. Rom. sibi addixit, & A. C. 1558. reddidit. Ejus patruelis sui ditiones ipse quoque postea adivit, Saganensem Ducatum & dominium *Biberstein* à Rege Ferdinando aliquandiu pignori tenuit, debitoq; soluto restituit. A.C. 1574. patruelis Alberti Friderici tutelam, ac ita Borussiæ administrationem à Rege Poloniæ obtinuit. A.C. 1582. natali suo die Heilsbronnæ gymnasium aperuit, in quo 100. alumni sustentarentur, & cum stipendio 50. aureorum in Academias mitterentur: Decessit improlis A. C. 1603. Princeps candidus, constans & in omni fortuna sibi similis; arcibus insuper plurimis partim restauratis, partim conditis, de Principatu insigniter meritus. Ex eadem familia fuit *Georgius* Albertus, fil. minor natu Christiani, Culmbacensis seu Beruthinæ lineæ conditoris, natus A. C. 1619.

Ex Familia Brunsuicensi.

Georgius, fil. Wilhelmi D. Brunsuicensis, cui Cellensis obtigerat Principatus, pacto cum sex suis fratribus inito, ut uno solùm uxorem ducente, reliqui cœlibem degerent vitam, ipse conjugii conditionem sortitus est. Et initio quidem, in Belgio, Hispanis operam erat addicturus, A.C. 1607. nisi induciæ supervenissent. Inde exteras regiones peragravit. A.C. 1611. sub Daniæ R. adversùs Suecos prima stipendia fecit. A. C. 1616. à fratribus missus, Pragæ apud Imperatorem difficultates causæ Grubenhagicæ ursit, quæ paulo pòst expeditæ. In diæta circulari A.C. 1619. inferioris Saxoniæ Dux constitutus est militaris, sed titulo anno 1624. abdicato, seq. anno Cæsareas partes amplexus est, duarum primò, demum 17. legionum ductor. Paulo pòst ad Sueciæ R. partes apertè accessit, hocq; defuncto, tertiam exercitus partem duxit, rebus in Westfalia & ad Visurgim præclarè gestis. Pace post hæc Pragensi A. C. 1635 Cæsari reconciliatus: Gallassio A. C. 1637. Suecos in Pomeraniam rejicienti adstitit, & per otium recuperavit sua. Sed iterum Suecica dein sequutus est auspicia: ita tamen, ut quæ ejus subsidio gererentur, alienæ gloriæ cederent. Ad extremum, cùm Guelferbyto expugnando esset intentus, jam ab aliquot annis viribus fractus defecit; relictis ex Anna Eleonora Hassiaca, præter filiam Sophiam Amaliam Daniæ R. filiis Christiano Ludovico, cui Cellensis Principatus: Georgio Wilhelmo, cui Hannoverana seu Calenbergia portio, obtigere: Joh. Friderico, qui Pontificia religione assumtâ, coadjutor factus est Osnabrugæ, & Ernesto Augusto, Episcopo Osnabrugensi, qui ex Sophia Palatina familiam propagavit, nuper exercitus fœderatorum Principum, contra Galliæ R. pars magna.

Georgius, fil. Henrici cogn. *Senioris*, vel *Mali*, qui Guelferbytanam lineam condidit, Caroli V. miles in bello Smalcaldico, & dein Episcopus Mindensis, post fratrem Christophorum tandem Archiepiscopus Bremensis factus, Evangelio nomen dedit, in religione tamen publicè nihil mutavit: Frater ejus maximus natu Henricus cognom *Junior*, Patri successit, V. Phil. Jac. Spenerum *Syllog. Geneal. Histor.*

Ex Familia Wirtenbergica.

Georgius, fil. minor natu Henrici Ducis Wirtenbergici, frater Ulrici, ab hoc Richovillanam ditionem obtinuerat, sed Christophorus dein Ulrici fil. totum Principatum Mompelicardensem & fructus Præfecturæ *Neuburg* adjecit. In priori, cùm ob vicos *Longe*, & *Chagey* controversiam haberet cum Com. Ortenburgico, hunc coram judice Vesulienti convenit, cùm Burgundia nesciat Pares Curiæ. In bello Smalcaldico inter Protestantes meruit: unde cùm reconciliaretur Ulricus Cæsari, *Georgius* exclusus, & bona, ut quorundam aliorum, proscripta sunt. Sed dein A.C. 1552. cum aliis in gratiam receptus, triennio postea monitu nepotis præfati, conjugem duxit, atq; post alterum triennium A.C. 1558. decessit. Ei successit filius Fridericus, quo nati Joh. Fridericus Stutgardianam, Lud. Fridericus Mompelicardensem & Jul. Fridericus Julianam seu Brentianam, aliàs quoq; *Apennagianam*, lineas orsi sunt.

Georgius, frater Leopoldi Friderici, Ludov. Friderico præfato, matre verò Annâ Eleonorâ Nassoviâ A.C. 1626. natus, successit fratri defuncto A. C. 1662. Hic fratre vivo Harburgi habitaverat, ab uxore Anna filia Casparis Colinii Marescalli multis bonis dotis nomine obtentis: Ex quibus Castellionem ad Lupam vendidit; literarum gloriâ inclytus. V. plura de eo in voce *Montisbelicardum.* Ex eadem familia est *Georgius* Fridericus, fil. Eberhardi Wirtenb. Ducis penultimi, ex Maria Dorothea Sophia Oetingensi.

Ex Fam. Badensi.

Georgius, fil. Jacobi March. Badensis, Episcopus Metensis fuit.

Georgius Fridericus, fil. major natu Caroli, extincti A.C. 1577. ex secunda conjuge Anna Palatina, fratribus Ernesto Friderico & Jacobo superstes, ac solus tandem hæres, in Aug. Confess. ferventissimus, ipse Religionis controversiarum apprimè peritus fuit. Unioni nomine dato, causam Palatinam A. C. 1622. tuendam suscepit, translatà in filium provinciarum administratione & exercitu scripto. Sed infelix cum Tillio & Cordubensi ad Wimpenam commissum prælium irritos conatus reddidit: Post quæ variis locis hinc inde commoratus, vivendi finem fecit, Anno C. 1638. Pater ex priori conjuge Juliana Ursula Ringravia (secunda enim Agatha Erpacensis nil nisi filias genuit) Friderici, Caroli & Christophori.

Ex Familia Hassiaca.

Georgius I. filius minimus natu Philippi cognom. *Magnanimi*, Hassiæ Landgravii, lineam Darmstattinam inchoavit: Ei à Patre superior Catimelibocensis Comit. pars assignata fuerat, sicut

Philippo inferior; qui cùm Reinfelsâ habitatâ, sterile contraxisset matrimonium, ille ex conjuge prima Magdalena Lippiensi, Ludovicum, suum in Principatu Darmstattino successorem, Philippum A. C. 1643. in balneo, sine prole, extinctum, & Fridericum Homburgicæ lineæ auctorem, genuit. Quorum ultimo, inter alios, *Georgius* Christianus natus est, Hispanorum primò, dein Gallorum auspicia secutus, ac ad Romanam Eccl transgressus. Idem ex fratre maximo natu Wilhelmo Christophoro nepotem habuit Leopoldum *Georgium*.

Georgius II. filius natu maximus Ludovici præfati, ex Magdalena Brandeburgica, Patri successit A. C. 1625. ab Imperatore privilegium, ut 18. ætatis anno administrationis capax esset, nactus. De causa Marpurgensi, cum agnatis A. C. 1627. transegit: sed postea cum Wilhelmi cognom. *Constantis* vidua ob eandem ei bellum ortum, quod Casellanæ parti utilius. Ad extremum, repentinâ morte A. C. 1661. oppressus, filios, ex Sophia Eleonora Saxonica Ludovicum habuit, successorem, quo nati *Georgius* & Ludovicus; ac *Georgium* juniorem, qui Suecorum auspiciis in bello Danico militavit, dein Dorotheâ Augustâ Holsatâ ductâ, à Patre Itteram habitandam obtinuit.

Ex Familia Vandalica.

Georgius, filius Alberti cognom. *Formosi* Ducis Megapolitani A. C. 1547. extincti, ex Anna Brandeburgica, in bello Smalcaldico, Cæsari militavit: tunc Henrico Brunsuicensi adversus urbem Brunsuicum: à quo copiis acceptis, Magdeburgum obsedit. Sed, cùm jam Electores Saxo & Brandeburgicus supervenissent, ei abrogatum imperium, & ipse ab obsessis captus atque in urbem deductus est. Postea vi pactorum A. C. 1552. à Magdeburgicis dimissus, in Fœderatorum exercitu, tormento in obsidione Francofurti ictus, obiit. Ex eadem familia Adolphus Fridericus, Suerinensis lineæ conditor, præter alios Joh. *Georgium* genuit ex Anna Maria Frisia, ipse extinctus A. C. 1658.

Georgius, fil. major natu Bogislai X. cognom. *Magni*, totius Pomeraniæ Principis, Wolgastensem Ducatum nactus est, sicut frater ejus Barnimus X. cognom. *Pius*, Stettinensem Principatum accepit. Unà cum Erasmo Manteufelio Episc. Caminensi, omni operâ Evangelicæ doctrinæ restitit: cum Polonis perpetuum fœdus, Butovia & Lauenburgo acceptis, pactus est, & cum Brandeburgicis A. C. 1528. transegit, ut Pomerani à Cæsare investirentur, sed Marchionibus simultanea investitura, &, quoties homagium Ducibus præstandum, juramento in casum futurum successio firmaretur. Idem Dantisci ortos sedavit tumultus: Eo extincto A. C. 1531. frater Barnimus, Evangelium in ditiones introduxit, cum nepote Philippo, quem *Georgius* ex Æmilia Palatina susceperat. Idem nomen fuit uni ex filiis Bogislai XIII. extincto A. C. 1617. cujus frater Bogislaus XIV. ultimus familiæ fuit.

Ex Familia Ascania.

Georgius, cognom. *Senior*, filius Sigismundi Principis Anhaltini, obiit A. C. 1474. Pater *Georgii* cognom. *Robusti*, qui A. C. 1509. Sigismundi, fortissimi militis, qui A. C. 1306. & Rudolphi, qui Veronæ A. C. 1513 obiere orbi: & præter hos Waldemari ac Ernesti, qui solus familiam propagavit: Waldemaro enim genitus Wolffgangus cælebs fatis concessit A. C. 1566.

Georgius, Ernesti præfati filius secundo genitus, Hatzkerodanam ditionem nactus, eam dextre rexit, Smalcaldico fœderi adscriptus; sed simul Magdeburgensis & Misnensis Præpositus, atque Mersburgensis Episcopatus, cùm Augustus Saxo eum administraret, Coadjutor fuit. Cùm verò omnia Ecclesiastica munia, concionando, ægrotos consolando & Ecclesiam gubernando, ipse obiret, nunc quoque ejus *Theologica scripta*, & *Homiliæ sacræ* typis excusæ extant. Decessit cœlebs A. C. 1553. Frater Johannis & Joachimi.

Joh. *Georgius* I. filius maximus natu Joachimi Ernesti, (Joachimo præfato geniti) ex Agnete Barbiensi, Dessaviensem orsus ramum, litem cum Saxonibus habuit, de qua V. Thuanum *Histor. lib.* 130. Pater ex Dorothea Palatina, Johannis Casimiri & *Georgii* Ariberti, qui Woerbitii habitans, ex Johanna Crosecia, dominorum *de Radugast* auctor est. Prior verò uxor Dorothea Mansfeldia filias tantùm peperit.

Joh. *Georgius* II. filius Joh. Casimiri modò memorati, ex Agnete Hassiaca, natus A. C. 1627. Brandeburgico Electori gratus est, ejusque Vicarius Henricam Catharinam Arausionensem conjugem habet. Idem etiam nomen fuit uni ex filiis Francisci II. D. Lavvenburgici, extincti A. C. 1619.

Ex Fam. Piastea.

Georgius I. filius tertius natu Friderici I. Principis Lignicii, Briegam nactus, A. C. 1521. decessit, nullâ prole ex Anna Pomerana relictâ.

Georgius II. prioris ex fratre Friderico II. nepos, Briegensem Principatum obtinuit, cùm frater ejus major Fridericus III. Lignicensem esset nactus: sed hoc A. C. 1570 defuncto, Lignicium quoque Principatum rexit, curator nepotis. Briegam autem suam scholâ & ædificiis exornavit, & A. C. 1566. in expeditione Turcica Cæsari operam navavit: de cætero singularis Daniæ & Poloniæ Regum amicus. Morienti A. C. 1586. ex Barbara Brandeburgica superfuere filii, Joh. *Georgius*, qui vitam non nisi ad A. C. 1592 produxit, Annæ Mariæ Wurtenbergicæ maritus, & Joach. Fridericus.

Georgius Rudolfus, filius major natu, ex Anna Maria Anhaltina, Joachimi Friderici præfati, in aula Olsnensi educatus, varia obivit itinera, Principatum Lignicium, qui ei obtigerat, administrante Zedlizio. Inde ipse A. C. 1613. regimen suscepit, & inter varias rerum vicissitudines, Vicarius quoque Capitaneatus utriusque Silesiæ, usque ad A. C. 1653. gessit, quo mortuus est, nullâ ex Sophia Elisabetha Anhaltina & Elisabetha Magdalena Monsterbergica prole relictâ. Ipse verò cùm Augustanam Confessionem sequeretur, Reformatis adhæsit frater Christianus, illius successor.

Georgius, filius natu maximus Christiani modò memorati, cum fratribus Ludovico & Christiano, post exacta studia & obita itinera, A. C. 1653. singulari concordiâ, paternam hæreditatem divisit. Ipse Briegam obtinuit, & Capitaneus utriusque Silesiæ ab Imperatore constitutus est. Obiit A. C. 1664 filiâ solùm ex Catharina Sophia Monsterbergica relictâ, Dorotheâ Elisabethâ, quæ Henrico Principi Nassovio nupta, possessionem Principatus ad vitæ dies à Cæsare obtinuit.

Georgius Wilhelmus, prioris ex fratre Christiano nepos, haud pridem in flore juventæ, è vivis excessit, ultimus è Piasteis. V. in voce *Wilhelmus*, & plura de his Spenerum *Sylloge*.

Principes Comitesq; Nassovii.

Georgius, fil. Joannis, ex Oda Hannoniæ Com. Hassiæ fuit Præfectus: quo sine hærede mortuo Nassoviæ Comitatus ad Walravium Laurbergii Toparcham devolutus est Sec. VIII.

Georgius, fil. Joannis ex Sibylla (fil. Ludovici Saxonici Palatini) pater fuit ex Joanna (Philippo Com. Bannerae genitâ) Philippi, Præpositi Baurensis, Adolfi & Joannæ, Jacobo Sabaudiæ Com. nuptæ.

Georgius, fil. Joannis cognom. *Senioris* (qui frater erat Guilielmi Auriaci, Belgicæ Libertatis instauratoris) ex Elisabetha Leuchtenbergica, natus est Dillenburgi A. C. 1562. hæreditate inter Fratres divisâ, præter Westervvaldiam & adjacentes Quatuor-pagos, Beilstenii dominium sortitò occupavit; adjuncto Dridorffio, quod oppidum cum territorio adjacente à Patre jam antè emerat. Sedem Beilstenii fixit: ab Anna Amalia Saræpontana, locupletissimâ dote auctus. E qua ei geniti, Joannes Philippus, Johannes *Georgius*, ambo celeri Fato functi; Joannes Philippus, anno æt. 17. Lutetiæ Parisiorum extinctus; *Georgius*, post iter Gallicum, Italicum, Belgicum, Andegavi mortuus anno æt. 25. Maria Juliana, Georgio Com. Witgenstenio elocata; Ludovica; Ludovicus Henricus, Catharinæ witgenstenix maritus; Philippus Wolffgangus, intra trimestre mortuus; Albertus, bello Belgico, globi ictu peremtus A. C. 1616. æt. 30. Amalia, Elisabetha, brevi extinctæ, Henrica, Anna Elisabetha & Mauritius Ludovicus, qui intra annum mortuus est. Illâ dein fato defunctâ, Amaliam Witgenstenïam sibi junxit, ex ea pater Margarethæ, A. C. 1606. quæ Othoni Comiti Lippiaco nupsit A. C. 1616. obiit . . . Cyr. Lentulus Geneal. *Comitum ac Principum Nassov. MS.*

Georgius Fridericus, filius Joannis Com. Nassov. ex Margaretha (Joannis Holsatiæ D. filia) genitus Dilleburgi A. C. 1606. Rhenobercæ ab Ordd. Fœderati Belgii præfectus, uxorem duxit . . . ex Lusitanorum regia stirpe. Id.

Georgius Ludovicus, fil. primogenitus Ludovici Henrici, ex Catharina (Ludovici Com. Siena-VVitgenstenii fil.) uxorem duxit Annam Augustam (Augusti D. Brunsuici & Lunæburgi filiam) ex eâ, inter alios, pater Henrici, qui nono ætatis suæ anno Scholæ Herbornensis gubernaculum moderatus est &c.

Georgius Cappadox, Trib. mil. adde: Patronus Portugalliæ est, etiam Angliæ fuit, & præsertim Equitum Periscelidis, cujus acta peculiariter descripsit Pasicrates servus *ipsius* & Sim. Metaphrastes in Lipomanno & Surio *tom.* 2. Encomium S. Georgii μεγαλομάρτυρος (ita enim in Gr. titulus habet) ab Andrea Cretensi scriptum, habetur inter opera ejus *pag.* 175. quod idem est cum Actis à Metaphraste recensitis. Etiam templa ipsi olim frequenter consecrata esse, discimus inter alia ex Procopio *de Ædif. Justin.* 3. Καὶ ἱερὸν Γεωργίῳ τῷ μάρτυρι ἐν Βιζάνοις ἐδείματο, *Et templum Georgio Martyri condidit.* Liturgiæ quoque ipsi assignatæ, & festa instituta sunt; unde Seldenus colligit, *Georgium* hunc & verè fuisse, & malè cum *Georgio* Ariano, qui circa A. C. 360. vixit, neque Cappadox, sed Cilix, è Cappadocia verò missus fuit, ut ex Ammiano Marcell. *lib.* 28. & Athanasii scriptis liquet, confundi. Interim in picturâ *S. Georgii*, quâ effingitur Eques armatus, hastæ cuspide Draconem conficiens, juxta posita Virgine, quæ manibus extensis ejus auxilium imploret, plerique consentiunt. Symboli potius quàm Historiæ Imaginem esse: agnoscitque Baronius, nihil in Actis antiquis ejus hac de re legi, sed à Jacobo à Voragine hæc absque aliqua priscorum auctoritate ad historiam relata fuisse, quod & Seldenus suum facit. V. Baronium *Martyrolog. ad* 23. *April.* Seldenum *Titl. of Honour p.* 2. *c.* 4. Auctorem Anonymum *Hist. Orb. Terr. Geogr. & Civ. c.* 4. *de Angliæ regno* §. 25. &c.

Gephyra.

Gephyra, inter urbes Seleucidis seu Seleucenæ, memoratur Straboni & Ptolomæo, de qua V. Salmasium *ad Solinum pag.* 618. & 631. At *Gephyri*, nomen Familiæ, Eustathii tempore adhuc florentis, de qua ille hæc habet. Narrat is paulo ante memoriam suam factum, ut illustris cujusdam Viri uxor uno partu pueros novem ederet: quorum septem cùm mater submergendos misisset, eos pater, casu interveniens, servavit jam pene fluitantes; hincque *Gephyros* dictos addit, à loco, ubi fuerant, nisi Deus adfuisset è machina, perituri. V. Casaubonum *ad Capitolinum in Antonino Pio*. An à ponte, unde præcipitandi erant, Græcis enim *γέφυρα pons* est, uti pluribus diximus supra, in voce *Assogephri*.

Ger, Græcè Γεὶρ, fluv. maximus Libyæ, apud Ptolemæum, & Plin. *lib.* 5. *cap.* 4. qui *Niger* est So'ino *cap.* 24. ubi V. Salmasium.

Gera, nomen illustris in Germania Familiæ, quæ stirpis Ruthenicæ seu *Reussen de Plavia* ramus est: Hi enim jam à pluribus seculis *Advocati S. Romani Imperii*, nec non *de Weida*, *de Plavven*, de Gera, *de Gratz*, *de Gleisberg*, appellati sunt. Defecere autem superiori seculo tres nobiles rami, nempe præter Advocatorum *de Weida*, & ramum Burggraviorum Misniæ, qui titulus, cum Principali axiomate, familiæ collatus, à Sigismundo Imper. A. C. 1421. etiam *de Gera* stirps. Sed, cùm hodie duæ supersint lineæ, Senior & Junior, ad hanc decem filii Henrici, extincti A. C. 1635. ex Margaretha Schvvartzenburgica (quibus in *Gera*, *Salburg*, *Schlex*, *Lobenstein*, sedes) spectant. E quibus Henricus II. (omnibus enim in Ruthenica familia *Henrici* nomen) id est, filius præfati Henrici secundò genitus, natus A. C. 1602. *in Gera* sedem nactus, familiam *Geranam*, ex Catharina Elisabetha Com. Schvvartzenburgica, propagare cœpit: Pater quippe præter Magdalenam Sibyllam (n. ac den. A. C. 1645.) Henrici II. (n. A. C. 1648.) Henrici IV. (n. 1650.) & Henrici VI. (n. 1651. den. 1652.) Sed & iisdem Parentibus editæ, Juliana Dorothea (n 1649) & Christina Sibylla (n. 1653.) qui fratres & sorores Germani *Rutheni seu Reussen Domini de Planen lineæ jun. in Gera*, appellari solent. V. Phil. Jac. Spenerum *Theatr. Nobilit. Europæ Part. I. p.* 15. & *Part. III. p.* 88.

Geranion, à rostro *gruis* per Europam notum, inter decora hortorum numeratur, maximè si quà species peregre infertur: quarum vel tredecim præstat, tametsi olim ad duas cogeretur tantùm. Radicem habet tenuem, longam, sine multis fibris, quasi villosam & rubescentem: folium est anemones, caulis rotundus, fusco rufus, villosus, nodosus instar calami straminei, ramulis adnascentibus cubiti longitudine. Mense Aprili excludit florem purpureum quinq; foliorum, penè universâ æstate spectandum; cadenti succedit folliculus in rostrum acuminatus, cum quinq; granis dulcibus. Est & flos cœruleo purpureus, etiam in sulcum declinans: tum albus, tum cœruleus, tum minutior, sed hyacinthinus, tum sanguineus, medio albente. Auctor Anon. *Sine & Eur. c.*33. Addit odorem jucundum Plin. *lib.* 26. *c.* 11. sed eum myrrhide ibi *geranion* confundere, ait Salmasius *ad Solin. p.* 707. Per Germaniam super. *Ruperti Herba & Dei gratia* quòd vocatur, insignem ejus olim in illa regione usum fuisse, colligitur. Ab eadem origine saltationis quoddam genus, in quo *gruum* volatum imitabantur, *γέρανον* dictum habet Jul. Cæs. Scaliger *Poet. lib.* 1. *cap.* 18. Machinam item scenicam idem *lib. eod. cap.* 21. *Est praeterea machinæ genus quinarum, quo rapiebantur personæ, γέρανος dicitur. Hac in fabulis Aurora Memnonem rapuit: Boreas Orithyiam* &c. De *Geranite* lapide, à *gruis* colore dicto, V. Salmasium *ad Solinum p.* 712. & 713.

Viri illustres.

Gerardus seu *Gerhardus*, filius Hugonis Comitis, qui communis trium familiarum ex Alsatica procedentium, Lotharingicæ, Dagsburgicæ & Habspurgicæ pater fuit, Metensium fuit Comes, cujus posteri, alii quidem Metensem Comitatum retinuere: Albertus autem & *Gerhardus* fratres, Duces Lotharingiæ super. facti, & ex his *Gerhardus*, amplissimæ stirpis auctor, Lotharingiæ Duces, qui nunc quoque supersunt, & plures ramos in Gallia produxere, tum aliquos Flandriæ & Egeshemios Comites similiter prosevit. Quemadmodum fratres ejus, Hugo Dagsburgiorum, & minimus natu Guntramus cognom. Dives, Habspurgiorum satores fuere, Vignierius apud Spenerum *Sylloge Geneal. Hist. in Fam. Austriac.*

Gerardus, filius Conradi Comitis Oldenburgici, cum Patre à Butjadis cæsus est, A. C. 1368. Item filius minimus natu Theodorici cognom. *Fortunati*, ex eadem familia, cognomen *Bellicosi* tulit, & Oldenburgios continuavit, quemadmodum frater ejus maximus natu Christianus I. Daniæ R. electus *Dano-Holsatica* familiæ auctor fuit, & alter Mauritius Delmenhorstanum ramum condidit, qui in liberis ejus defecit. Hic itaq; *Gerardus* A. C. 1462. fratrem Mauritium, instinctu Bremensium & Com. Hojensis sibi bellum inferentem, auxilio fratris Christiani & Wilhelmi D. Brunsuicensis ad Siburgum devicit; inde adversus Christianum, à quo tamen A. C. 1467. ut Holsatia cederet, 43000. flor. acceperat, arma vertit. Verùm, cùm aliquoties è Marsia pulsus, non desineret vexare vicinos, Episcopi Monasteriensis & Bremensis, cum proximis civitatibus inito fœdere, bellum ei intulerunt, & Delmenhorsto A. C. 1482. expugnato, illum in potestatem redegerunt. Liberis parcitum, ipse verò abdicatâ administratione Monasticam profiteri jussus est: Decessit in Gallia A. C. 1500. Ex filiis ejus, Otto Canonic. Bremensis & Coloniensis, cum fratre Adolpho bello Dietmarsico periit A. C. eodem; Johannes, Patre pulso, administrationi admotus, stemma propagavit. Fuit quoque *Gerardus* Holsatus, D. Slesvici, familiæ Schavvenburgicæ, cujus filiâ Hedvige uxore ductâ Theodoricus Fortunatus, de quo supra, jus successionis, in Slesvicensem Principatum & Holsatiam, liberis reliquit. Phil. Jacobus Spenerus *in Familia Oldenburgo-Danica.*

Geras Carthaginensis, Vitruvio *Geras Carchedonius*, ex Græco Athenæi, Γήρας Καρχηδόνιος, ut & Pephasmenus Tyrius, ad arietis machinæ inventionem, Carthag ne factam, aliquid postea addiderunt. Vitruvius apud Salmasium *ad Tertullianum de Pallio cap.* 1.

Gerlacus, Com. Nassovius, lineæ Wisbadensis & Idsteniæ, filius Adolphi Imper. (ex Imagina *Gerlaci* Com. Limburgi filiâ) Patri in Comitatu successit A. C. 1298. Cæsaris Ludovici Legatus ad Pontificem ivit, A. C. 1331. obiit A. C. 1361. Ei geniti sunt, ex Agnete Conradi Hassiæ Landgravii fil. *Gerlacus*, supremi Moguntiacorum Collegii Archidiaconus, Carolo IV. in adipiscendo Imperii diademate adjutor; Adolfus, hæreditate cum fratre divisâ, patris in Wisbadensi & Idstenia ditione successor: ac Johannes, qui, Weilburgiam nactus, primus ejus Comes & Weilburgensis lineæ auctor extitit. Cyr. Lentulus *Geneal. Princ. & Com. Nassov.*

Germalus, vel *Cermalus*, locus, ubi expositi Remus ac Romulus, Palatio conjunctus & ficu Ruminali celebris fuit. Varro *de L. L. lib.* 4. Germalum *à Germanis Romulo ac Remo, quòd ad Ficum Ruminalem & hi inventi, quò aqua hiberna Tiberis eos detulerat expositos*. V. Salmasium ubi supra *pag.* 1137.

S. *Germani* Civ. in radice Casini Montis, V. supra *Eulogimenopolis*.

Germania, adde: Catalogum Auctorum, qui de singulis Germaniæ Circulis seu, ut Grotius vocat, *Pagis*, quos Helvetiorum Cantonibus & Polonorum Waivvodiis similes dicas, exhibet Auctor Anonymus *Hist. Orbis Terr. Geogr. & Civ. cap.* 6. *§.* 1. Regionem commendat frumenti copia, quâ viciniis Regionibus prospicit: & memorabile est, quod narrat Lansius, cùm A. C. 1591. Italiam, & in ea Romam gravissima fames premeret, & ex Holsatia, civitatibus Vandalicis atq; Belgio mercatores multis navibus eò ivissent, Pontificem cursori, qui adventantium *Germanorum* nuntium primus attulerat, mille ducatos donasse, *Orat. pro Germania.* Vini bonitatem loquuntur Vinum Rhenanum, Neccaricum, Mosellense, Franconicum & Austriacum: In Bavaria & Borealibus tractibus ubi id austerius est, melioris notæ cerevisiâ, qualis est Servestana, Brunsuicensis, Rostochiensis, Torgaviensis &c. compensatur. Equorum proventu celebris est Comitatus Oldenburgicus, suibus Westphalia & Bavaria, piscibus Marchia, sale Luneburgum, Hala Saxonum, Hala Suevorum &c. ut nihil dicam de metallis ac mineralibus, de quibus V. G. Agricolam *lib. de natura Fossilium & de re Metallica*, & Lazarum Erckerum *Beschreibung aller mineralischen Ertz und Bergwercken*. De lingua *Germanica*, ejusque propaginibus ac dialectis præcipuis, V. in voce *Teutonic*. De Philosophis verò *Germanorum*, Georg. Hornium *Histor. Philos.* &c.

Germaniciani, apud Suetonium *Tiberio cap.* 25. *Flagitabant anxlo exercitus — ut æquarentur stipendio prætorianis.* Germaniciani *quidam etiam detrectabant Principem*; milites dicuntur Exercitus Germanici, Græcis οἱ ἐν τῷ στρατεύματι τῷ ἐν τῇ Γερμανίᾳ. Sed & ipse exercitus *Germanicianus* dicitur eidem *Vespasiano cap.* 6. ad quem locum V. Casauboni *Animadversiones*.

Germanicus, inter titulos Domitiani Imp. apud Statium *lib.* 4 *versu* 2.

Læta bis octonis accedit purpura fastis
Cæsaris, insignesq; aperit Germanicus *annum.*

Titulus Carminis est, *Consulatus Imp. Aug. Germanici*. Sic sequens inscribitur, *Eucharisticon ad Imp. Aug. Germanicum Domitianum:* Hodie id nomen in Fastis Domitiano subjectum legitur. V. infrà ubi de *Rheni* simulachro, & plura hanc in rem apud Barthium *ad d. l.* ut & in voce *Domitianus*.

Germanitas, tit. honorarius, in Epistolis Episcoporum sibi invicem scribentium, apud Augustinum *in Epist.* 19. 97. 106. V. supra *Fraternitas*.

Gerocomium, ex Græco Γηροκομεῖον, locus ubi *Senes* aluntur, in *Vita* Euphrosynæ Virg. *num.* 8. aliter *Gerontocomium*, Gr. Γεροντοκομεῖον, apud Julianum Antecess. *Constit.* 7. *Diversorium Senum*, in Monasteriis agnoscit Petrus Diaconus *de Mirac. S Benedicti Casini patratis num.* 29. Inter quod Γηροκομεῖον & Γηροτροφεῖον id discriminis ponunt Grammatici, quòd istud ampla, hoc minor ædes sit, in qua aluntur senes. *Lexicon* Gr. MS. Γηροκομεῖον μέγα, Γηροτροφεῖον μικρὸν, *Gerocomium magnum*, *Gerotrophium parvum*, apud Carol. du Fresne *in Glossar.* qui de *Gerocomiis* & *Gerotrophiis CPolit.* agit in *CPoli Christ.* Cæterùm *Gerontocomia* primùm instituisse Hyrcanum Judæorum Principem, refert Egesippus. Quem imitatus inter Christianos Impp. Mauritius, domum, in qua senes morbosi alerentur, nomine *vi varii sumptuosi*, extruxisse magnificis impensis, legitur apud Cedrenum &c.

Geroldseccia, Germ. *Geroldseck* vel *Hohen-Geroldseck*, Familiæ nomen in Germania illustris: cujus auctorem *Geroldum* Bavariæ Ducem, Hildebrandi D. Sueviæ filium & Hildegardis, Carolo Magno nuptæ, fratrem, constituunt; cùm alterum quidem ejus filium Bertholdum, Ducatui Sueviæ admotum, alterum *Geroldum*, castro *Geroldseccio* à Patre donatum, perhibent. Certè gens inter illustriores semper numerari meruit, & conjugiis dignis decora avita conservavit. Demum in Anna Maria, Friderici Com. Solmensis, & deinceps Friderici Marchionis Badensis, uxore, de cujus progenitoribus paulo pòst, tota defecit. Et quidem de ejus in Baronatum prætensione, in Instr. Pac. §. 4. cautum est: de cætero Cronenbergio Comiti titulus ille accessit, & ob illum, inter Proceres Imperii, locus. Alia Familia fuit Dominorum *Geroldseccia a Wogasum*, in Alsatiæ oris, quæ cùm dudum defecerit, ejus nominis memoriam Rappolstenii Comites servarunt. Redeo ad Annam Mariam præfatam, cujus progenitores ita habent: Waltherus Dn. *de Hohengeroldseck*, ex Elisabetha Liechtenbergica fil. Simonis, Theobaldum genuit, extinctum A. C. 1461. Quo & Dorotheâ *de Thengen* fil. Eberhardi Comitis, natus Gangolphus, ex Cunigunda Montfortia (quæ obiit A. C. 1515.) suscepit filium cognominem: cui Anna Rupinensis fil. Johannis *Com. de Lindau & Rupin*, genuit Quirinum Gangolphum, qui excessit A. C. 1569. Pater ex Maria Com. Honstenia Jacobi, inter masculos suæ gentis extremi. Obiit enim is A. C. 1634. non nisi duabus filiabus ex Barbara Rappolstenia genitis: quarum una Maria Magdalena n. 1585. obiit A. C. 1587. altera Anna Maria, Friderico primùm Com. Solmensi *in Laubach*: inde Friderico M. Bad. *in Durlach*, nupta, uti dictum. decessit A. C. 1649. V. Phil. Jac. Spenerum *Theatr. Nobilit. Part. II. & in Indic.*

Geronticon, in *Charta* Sisnandi Episc. Iriensis æræ 952. apud Antonium Yepezium *Chronici Ordinis S. Benedicti Tom. IV. Libros, unum Ordinarium & unum Sacerdotalem, & unum* Geronticum, *tertium cum Officio Passionis & Missæ ipsius Martyris* &c. liber est continens Vitas Patrum seu *Seniorum*, de quo ita Joannes Antiochenus nuper editus à Jo. Bapt. Cotelerio *cap. 5.* Ἡ πρώτως ἐν Αἰγύπτῳ συντεθεῖσα μεγίστη βίβλος τῶν ἁγίων γερόντων τῆς Σκήτεως, Θηβαΐδος, Λιβύης, τὰς ἱερὰς πολιτείας καὶ ἀποφθέγματα ἔχουσα κατὰ στοιχεῖον ἐμπεριεχόμενα. *Primùm in Ægypto concinnatus ingens Liber sanctorum Senum, in Scethi, Thebaide & Lybia, sanctam eorum conversationem & apophthegmata, juxta ordinem literarum, complexus.* Cujus, Latinè editi à Rosvveido, Græcum exemplar nactus idem publicavit *in Monumentorum Eccl. Græcæ Tomo I.* V. quoque *Notas* ejus *pag.* 795. & Car. du Fresne *in Glossar.*

S. *Geruntii* oppidum, *S Girons*, in provincia Galliæ Benearnensi, haud procul abest, à Castro S. Gaudentii, *S. Gaudens*, V. Hadr. Valesium in *Sancti Gaudentii castrum.*

Gerontocomium, V. suprà *Gerocomium.*

Gerræ, crates vimineæ, Græcè γέῤῥα quoque; quas cùm Athenienses, Syracusas obsidentes, crebrò poscerent, irridentes eos Siculi *gerras* clamitabant; unde factum, ut *gerræ*, pro nugis & contemtu, dicantur, Fest. Hinc itaq; *Gerræ Siculæ*, proverb. Alii tamen scuta Persica ἐκ λύγων καὶ οἰσύων, *gerras* dictas esse volunt, ut apud Suidam & Eustathium videre est. Sed & fascini sic dicti sunt in Naxo, Veneris insula, Nonio teste &c. At *Gerres*, apud Martialem *lib. 3. Epigramm* 77.

> *Teq; juvant* gerres, *& pelle melandrya canâ:*

minuta salsamenta sunt è locustarum genere, de quibus V. Plinium *lib. 32. cap. ult.* & Hadrian. Turnebum *Adversar. lib. 24. cap. 46.*

Gerula, apud Isidorum. *Uri agrestes boves sunt in Germania, habentes cornua in tantum protensa, ut regiis mensis insigni capacitate ex iis* gerulæ *fiant*: vas vini est aut cujuslibet humoris capax, unde *Gerlas* hodie Burgundi vocant vasa ampla lactis aut aquæ gerula, ex ligno facta. Aliàs *Gerula*, apud Romanos, ministerii domestici nomen erat, à *gerendo* infantes. Hanc à Nutrice distinguit Hieronymus *ad Letam, Nutrix ipsa non sit temulenta, non lasciva, non garrula, habeat modestam* Gerulam, *nutricium gravem*. Neq; verò hæc opera discreta semper, sed Nutricem aliquando *Gerulam* quoque fuisse, discimus ex Plauti *Prologo Pœnuli*,

> *Nutrices pueros infantis minutulos*
> *Domi ut procurent, neu quæ spectatum afferant;*
> *Ne & ipsæ sitiant & pueri pereant fame.*

Etiam *Geruli* fuere servi, qui id officii sub Nutricibus præstarent, à Scholiaste Sophoclis *in Ajace flagellifero* Βάϊουλοι, *Bajuli* dicti, quòd bajulent gestentq; ulnis pueros: Unde in Aula Constantinopolitana olim *Magnus Bajulus*, apud Georg Codinum. *Geruli* sportularum, similiter è ministerio fuere: de quibus Juvenalis *Sat. 3. v.* 249.

> *Nonne vides, quanto celebretur sportula fumo?*
> *Centum convivæ, sequitur sua quemq; culina.*
> *Corbulo vix ferret tot vasa ingentia, tot res*
> *Impositas capiti, quas recto vertice portat*
> *Servulus infelix, & cursu ventilat ignem.*

Et hæc focorum migratio erat ab ædibus divitum ad tenuiorum & pauperum domus, qui sportulam officio diurno commeruissent: Illæ autem à culina in triclinium beatorum & divitum & in ipso triclinio fuerunt, quarum meminit Seneca *epist.* 78. & Martialis *lib. 7. Epigr.* 48.

> *Cùm mensas habeat fere ducentas,*
> *Pro mensis habet Annius ministros:*
> *Transcurrunt Gabatæ, volantq; lances* &c.

Hujus agminis portio fuit, ille apud Evangelii Scriptores Marcum & Lucam, lagenam seu amphoram aquæ bajulans: item illi apud Sidonium *lib. 9. Epist.* 13.

> Geruli *caput plicantes*
> *Anaglyptico metallo,*
> *Epulas superbiores*
> *Humeris ferant onustis* &c.

V. Laur. Pignor. *lib. de Servis.* Apud Suetonium *Caligula cap.* 40. *Vectigalia novaatq; inaudita — exercuit — Ex Gerulorum diurnis quæstibus pars octava* &c. *Geruli* sunt, οἱ μισθῷ φέροντες Græcis, *προύνικοι* & *φορτηγοί* Attici dixere; Latini etiam *bajulos* & *gerones*, ut Cic. *Epist. ad Atticum.* V. Casaubonum *ad l.* nec non Salmasium *ad Solin. p.* 230. &c.

Gerulphi, apud Gervasium Tilleber. *in Otiis Imperial. part. 1.* appellati Gallis dicuntur, qui Græcis λυκάνθρωποι, Gallis *Loup-garous*, quasi *Lupi-homines*, hodie, V. suprà *Guaratores.*

Gerusia, ex Græco γερουσία, Spartæ seu Lacedæmone olim, quod Romæ Senatus, fuit, ipsa quoq; à *Senibus* dicta, qui Græcis Γέροντες dicuntur, *in gl. l. Archigerontes, C. de Episc. aud.* Eodem nomine X. *viros* apud Cretenses insignivit Aristoteles, V. Postellum *de Magistr. Athen. c.* 30. Inde & loco nomen, ubi Senatus habebatur. Plin. *lib. 35. c.* 14. *Sic struxere murum Athenis — sic Patris ædes Jovis & Herculis — domum Trallibus regiam Attali: item Sardibus Crœsi, quam* Gerusiam *fecere* &c.

Gesminus, Gall. *Jasmin*, floris nomen eximii, de quo sic Fr. Pomey, *An cerni flos potest isto amænior? Vix vincit mole violam. An candidiorem reperias ullum? Nivem & lac adæquat candore. Ecquis autem suaviorem olfacias? Nequaquam ambaris & moschi æquè suavis odor est. Quis demum vel cogitatione speciosiorem effingat? Stellæ cœlo delapsæ speciem præbet ac fulgorem. Adeò ut tam verè dici possit, quàm scitè, virentem cameram* gesminis *intertextam, inumbratamq;, terrestre quoddam esse cœlum, quod pictum flosculis, odoriferis tot stellulis micans. Hujus flosculi parens planta — ita ductilis & sequax est ut flecti se patiatur in omnem partem; fœcunditatis usq; adeò felicis, ut floribus fundendis foliisq;, ad certamen usq; luxuriet; generositatis porrò tam miræ, ut in sublime sese efferat diffundatq; procera instar arboris. Adminiculis eget quidem, ut fulciatur ut nitatur sursum; at suo non minori ornamento fit, quàm sui cultoris commodo atq; voluptate, quòd adminicula requirat. Si enim nixa fulcris, & illigata pergulis, hortorum convestit parietes, & testudines obtegit, & umbracula contexit, viriditate longè amœnissimâ frondiumq; texturâ ita eleganti, ut nihil ad aspectum præclarius, nihil sit, quod oculis arrideat magis. Quid autem de Iberici flavi* gesmino *dicam? Annon hortensium vasorum decus & ornamentum est? Minùs illud quidem ferax — at multo sanè specie venustius: non ita se promittit, verum est, at odorem longè quàm suaviorem emittit.* V. eum *Divers. Descript.*

Gessaces, mons Illyrici, per quem Scythæ, factâ carragine, fugere conati sunt, sub Gallieno Imp. apud Trebellium Pollionem *in Gallienis.*

Gesta, pro Actis publicis, passim apud Recentiores. V. Car. du Fresne *Glossar.*

Gestamen, apud Solinum *cap.* 2. ubi de coralii ramulis, *Excuduntur ex illis multa* gestamina. *Habet enim — materia hæc quandam potestatem, ac propterea, quidquid inde fit, ducitur inter salutaria.* Et Plin. de eodem, *Aruspices eorum Vatesq; in primis religiosum id* gestamen *amoliendis periculis arbitrantur*: dicitur, quidquid gestatur ad ornatum aut usum medicum magicumque, qualia *Periapta*, de quibus infrà. Sed & quidquid ad indutum; hoc enim nomine vestes etiam veniunt apud Latinos, ut φόρημα apud Græcos: quorum recentiores φορέματα vocant quælibet vestimenta. Salmasius *ad Solinum pag.* 90. Neq; verò, ea quæ gestantur solùm *gestamina*, sed & vehicula, quæ *gestant*, quoque voce eâ indigitari consuevere, Græcis φορεῖα, qua de ejus notione V. suprà in voce *Basterna*. Sic *Gestatoria* dicuntur medii ævi Scriptoribus, Alberto Aq *Hist. Palæstinæ lib. 3. c. 4. lib. 7. c. 20. libro 9. c.* 22. Cæsario Heisterbac. *Mirac. lib. 2. c.* 32. Aliis. *Gestatoria* Sidonio *lib. 8. c.* 8. *Gesteria*, vet. Scholiastæ Statii *Thebaid. lib. 6. vers.* 512. lecticæ, quibus gestantur afflicti vulneribus aut casu aliquo alio, V. Casp. Barthium *ad h. l.* & hic infrà.

Gestationes, loca fuere apud Romanos, in quibus domini vel voluptatis vel morbi levandi gratiâ, à servis gestabantur. Plinius Jun. *lib. 2. Ep.* 17. Gestatio *buxo, aut rore marino, ubi deficit buxus, ambitur.* Ulpianus *l. 13. ff. de usufr. Etsi fortè voluptuarium fuit prædium, viridaria vel* Gestationes, *vel deambulationes arboribus infructuosis opacas, atq; amœnas habens.* Neq; verò sub dio tantum *gestabantur*, sed & sub tecto porticus alicujus. Juvenalis *Sat. 7. vers.* 178.

> *Balnea sexcentis & pluris porticus, in qua*
> *Gestetur dominus, quoties pluit, anne serenum*
> *Expectet, spargatq; luto jumenta recenti.*

V. eundem *Sat. 4. v.* 5. In *gestando* quoque certos passuum numerus observatus est, ut in deambulando Ciceronem adhibuisse testatur

ftatur Plutarchus, *in eo*: & patet ex antiqua inſcriptione: *In hoc pomario, geſtationis, per circuitum, itum, & reditum, quinquiens, efficit, paſſus, mille.* Geſtabantur autem *navi, lecticâ, cavena, vehiculo*, docente Celſo *lib. 2. cap. 15.* item *cathedrâ* & *ſellâ*. Unde *Cathedrarii ſervi* Sidonio *lib. 1. Epiſt. 11.* & *ſella geſtatoria*, apud Suetonium *in Nerone ac Vitellio*: quam *portatoriam* vocat Cœlius Aurelianus *lib. 1. cap. 1.* qui idem quoque *ſertoriæ* & *geſtatoriæ* meminit: Hanc duo homines geſtabant, &c. V. Laur. Pignor. *de Servis*. De *Geſtationum* verò *in univerſum viribus*; de earum quæ *Vehiculis, Lecticâ* atque *Sellis*, viribus particularibus; de *Lecti penſilis* item, *Cunarum* ac *Navis geſtationum* facultatibus, aliisque huc pertinentibus, differit prolixè Hieron. Mercurialis *de Arte Gymnaſt. lib. 6. capp. 9. 10. 11.* Nec omittendum, ut & de *geſtatione* activa aliquid aſpergamus, Romanos, apud quos prius fas non erat rerum imagines annulis inſculpi, poſtea tamen hunc morem migraſſe, & cùm aliorum, tum Ægyptiorum Numinum formas in annulis *geſtaſſe*. Quam conſuetudinem perſtringens Plinius *lib. 2. c. 7. Alius, inquit, nullus eſt Deorum reſpectus, alius pudendus. Externis famulantur ſacris ac digitis Deos geſtant.* Et *lib. 33 cap. 3. Jam verò etiam Harpocratem ſtatuasq; Ægyptiorum Numinum in digitis viri quoq; portare incipiunt.* Quod tum de annulis Magicâ arte formatis exponi poteſt, tum imprimis de ſuperſtitione illorum, qui ſimulachrum alicujus Numinis, à quo ſe juvari putarent, quotidie circumferebant. Sic Veneris Armatæ effigiem *geſtabat* C. Julius Cæſar, apud Dionem *lib. 43.* Deæ cœleſtis imaginem, Aſclepiades Philoſophus, apud Amm. Marcellinum *lib. 22.* & apud Appulejum *Apolog.* legimus: *Nam morem mihi habeo, quoquo eam, ſimulachrum alicujus Dei* (ſudario linteo involutum) *inter libellos conditum geſtare.* Imò nec Dei ſolùm ſimulachrum; ſed & hominis pro Deo habiti, vel Herois interdum, ferebant: ut Alexandri M. imaginem familia Macrianorum; quam viros in auro & argento, mulieres in reticulis, & dextrocheriis & annulis, tunicis quoque & limbis & penulis *geſtitaſſe*, teſtis eſt Trebellius Pollio ubi *de Quieto, unus ex XXX. tyrannis.* De iisdem Alexandri M. nummis, in calceis quoque *geſtatis*, diximus ſuprà. V. Ioh. Kirchmannum *de Annulis cap. 11.* Etiam *geſtatio* Infantum circa focum, per obſtetrices vel miniſtros facta, antiquo ritu, non prætereunda penitùs. De qua ſic Thom. Bartholinus *de Puerper. Vet. Moribus* (luſtricus dies, quo nomen adipiſcebantur) *mos, ſemeliis octavus, ultima hebdomadis aliis, qui etiam intra quintum diem ſubſtiterunt. Praeivat Nundina Dea feſto, quod Succentauriſtibus peractum & circuitione. Circumferebantur pueri circa focum, unde* Ἀμφιδρόμια, *ſeu* Δρομιάμφιον *per metatheſin. Focus ille, nil niſi ara Deorum hoſtiis calentes. Expiabantur deinde aquæ aſperſione per animulas luſtrali, ex ſputo & pulvere, ex balneis plerunq; ſumto. Hinc coena die vario ferculorum luxu, convivium agitatum* &c. De eodem ſic Suidas: Ἀμφιδρόμια, ἣν ἄγουσιν ἐπὶ τοῖς βρέφεσιν ... *Quintus à natu infantibus dies, quem Græci ſolemniter celebrant. Hoc die manus purgant illa, quæ Obſtetricis munere perfunctæ ſunt. Infantes autem circa focum* geſtant *currentes*, &c.

Geſtatorium, apud mediæ ætatis Scriptores, lectica eſt, qua afflicti vulneribus aut alio aliquo caſu, geſtantur, uti ſuprà diximus in voce *Geſtamen*. Item feretrum, in quo Sanctorum reliquiæ, C. du Freſne *Gloſſar.*

Geſtus, V. hic paſſim, ubi de *Chironomia, Pantomimis, Saltatione* &c. item in voce *Schema*.

Geſum, apud Statium *Theb. 4. v. 64.*

> —— *pars geſa manu, pars robora flammis*
> *Indurata diu* ——

Servio *ad Æneid. octav. haſta virilis eſt. Nam & fortes*, inquit, *viros Galli geſos vocant.* Ubi virilis, *robuſta* exponitur Barthio. Ὁλοσίδηρον vocat Pollux, *ex ſolido ferro*. Unde gravia omnia eo nomine cenſeri Poetis, multis docet Lipſius *Poliorceticon lib. 4. c. 4.* cum lanceis geſa junguntur, apud A. Gellium *lib. 10. cap. 25.* &c. Hinc *Geſſatæ*, milites mercenarii. Polybius *lib. 2.* ... *Mittebantur ad Gallos, qui circa Alpes Rhodanumq; fluvium habitant, quòd mercede militant, Geſſatas dictos. Hoc enim propriè vox notat.* V. in voce *Geſſatæ*.

Geta, Cæſar, adde: Ejus nummi, in cujus altera parte Cupido, inverſam tenens facem, cum voce CIKYΩNIΩN, quòd Sicyone cuſus; Alteriusque, in cujus averſa facie Æſculapius & filia ejus Hygieia, manu ſerpentem gerens, cum literis ΠΕΡΓΑΜΗΝΩΝ, quòd Pergami, ubi ædem habuit Æſculapius, meminit Jac. Sponius *Itiner. Parte 3. pag. 183. & 185.*

Geta, V. ſupra *Geada*, ut & in voce *Daæ*.

Geticus Maximus, per Satyram dictus eſt Antoninus Caracallus, ob *Getam* fratrem occiſum, apud Æl. Spartianum.

GH.

Gheth, vox Hebræa, quâ utebantur Judæi ad *repudium* denotandum, in damnatione mulierum. Hodie verò ſignificat locum ſeparatum ac ſeptum, in urbibus Chriſtianorum, ubi à fidelibus ſecluſa ſeparataque hæc natio habitat. Ital. etiam *Ghetto*: quod vocabulum ſecundùm Kabbalæ regulas numerum duodenarium deſignans, XII. Tribuum repudium apposite notat. Car. Macer in *Hierol.*

GI.

Giafiri, à Mahumetanis Chriſtiani per convitium cognominantur, de quo V. Joann. Leunclavium *Hiſtor. Muſulman. l. 18.* ut & ſuprà, in voce *Gauri*.

Gibber, ex Hebr. גבן, quod cognationem habet cum Hebr. גבב & גבע, unde Gr. κύφος & ὕβος, quid propriè, ex vet. dicto liquet,

> *in dorſo* gibbus, *in pectore* gibber ——

Unde *gibber*, iſtiusmodi pectoris tumore deformis. Cujusmodi *gibberi fictile ſignum*, inter Saturnalitia munera, Martialis memorat, *lib. 14. lemmate Epigr. 182.* quod ſic habet:

> *Ebrius hac fecit terris puto monſtra Prometheus,*
> *Saturnalitio luſit & ille luto.*

Origo ſigilli, ex hiſtoria de Gegania prædivite fœmina, quam, cum candelabrum Corinthium, cum appendice Cleſippi fullonis, *gibbo* fœdi, emiſſet, huic tamen monſtro poſtea nupſiſſe, eumque hæredem ex aſſe ſcripſiſſe, ex Plinio diximus ſuprà, ubi *de Cleſippo egimus*. De *gibbo* v. Cameli, V. in hac voce.

Gibetini, ſeu *Gibellini*, adde: Hornius de factionum harum origine ſic: Contendebant, inquit, de Imperio duæ potentiſſimæ familiæ, Henricus Superbus Bavariæ & Saxonum, ac Conradus III. Sueviæ, Duces, inter quos ad oppidum VVinsbergam prælio fervente A. C. 1140. Bavari inclamare ſuum Guelphum, (Henrici Ducis fratrem) Suevi ſuum *Weiblingen*, quod opp. hodie Ducatus Wirtenbergici eſt & in quo natus ac educatus Conradus fuerat: unde *Guelphorum* & *Gibellinorum* (ex *Weiblingen* Italis vocem detorquentibus) nomina. Sed cùm paulò longiùs petita videatur hæc origo, aliam ſuggerit Joannes Kraus Canonicus Argentinenſis in *Vitis* Impp. è domo Brunſuic. *Clamor*, inquit, *adhortationis ad reſiſtendum ac fortiter dimicandum, in exercitu Welfonis fuit iſte:* Hic Welff; *unde Fridericus ad confuſionem Welfonis, præcepit clamare in ſuo exercitu*, Hic Gybeling, *quia in illa villa nutrix illum infantulum lactaverat. Itali autem, & Galli & Longobardi, non intelligentes, quid eſſet:* Hic Welff & Hic Gybeling, *fecerunt ſibi exponi; quibus declaratum fuit, quòd Papales ſignificarentur per* Welff, *& Imperio adhærentes per* Gybeling: à quo *Gibellini*, apud L. Joachimum Fellerum *Animadv. ad Georg. Hornii Orbem Imp. pag. 34.* Sunt tamen, qui priorem ſententiam præferant, & ex *Weiblingen, Gibellingos* primum, inde *Gibellinos* factum contendant. Conradus certè III. prætatus *de Weiblingen* cognomen habuit, uti ex *Chronico* Laurishamenſi *pag. 73.* perſpicere eſt &c V. quoque Felicem Oſium, *ad Hiſtoriam Muſſati*, Hieronymum *della Corte Hiſtor. Veron. lib. 5.* Alios, è quibus welphonem VI. Henrici II. Bavariæ Ducis fratrem, à Conrado Imp. Ducatu, in Leopoldum Auſtrium tranſlato, privatum, bellum Conrado, opibus Rogerii Siculi ſubnixum, moviſſe, quo primum factionum hæc nomina audita, in ſuper dicimus.

Gidgad, Numeror. c. 33. v. 32. locus eſt, in quo caſtra metati Iſraelitæ: a verbo גדד, quod *exercitum contrahere* ſignificat, unde גדוד *exercitus*. Hinc Paſagardas, quaſi *Paſi gedud*, i. Perſarum exercitum, dictas vult Salmaſius *ad Solinum p. 1202.* Quemadmodum & apud Græcos nomen χάραξ, quod *vallum* ſignificat, quo exercitus includitur, multis urbibus locis que hæſit, in quibus aliquando exercitus caſtra metati eſſent, uti diximus ſuprà in voce *Charax*.

Gigantes, adde: Hodieque Patagones, gentem Americæ Merid. communiter proceritate 6. & amplius cubitorum eſſe, adeoque ordinariam hominum reliquorum ſtaturam excedere, memorant *Itinerariorum* Scriptores. An verò unquam natura tam vaſtam molem protulerit, qua prædita ſcribuntur inventa aliquot in locis cadavera 30. 40. 60. 100. 200. cubitorum, meritò dubitat Athan. Kircherus: cùm natura certum omnibus animalibus terminum præfixerit, quem, dum actiones ſuas ritè obire debent, egredi nequeunt. An Majores noſtri communiter hodierni ſtaturâ noſtra proceriores fuerint, ab Eruditis quoque quæritur. Et Juvenalis illud nemini ignotum,

> *Terra malos homines nunc educat atq; puſillos.*

Sed ſi olim à magnitudine ſua receſſerunt homines, cur decrementa hæc tandem fuere inhibita, cùm per tot ſecula idem ſtaturæ modus manſerit. Namque & Davidis tempore Goliathi ſtatura 6. cubitorum pro gigantea habita fuit, quæ tamen ne hodie quidem magnitudinis communis metæ adeò ingens exceſſus eſt. V. Hier. Magium *de Gigantibus*, Chaſſagnonum *de iiſdem*, Ant. Terillum *de Termino magnitudinis & virium in animalibus*, Kircherum præfatum *Mund. Subterr. lib. 8 ſect. 2. c. 4.* Voetium *Volum. I. Diſput. de Creatione part. 8. pag. 704.* Auctorem Anonymum *Hiſtoriæ Orbis Terr. Geogr. & Civ. c. 9. ſect. 2. §. 10.* cui titulus *de Gigantibus*.

Gigantomachia, Græcè Γιγαντομαχία, nomen carminis, quo *gigantum dimicatio*, ut Plinius vocat, deſcripta, pars fuit Cycli Epici, de quo ſuprà. Inter opera ex marmore Phidia memoratur huic Auctori *l. 36. c. 5. In ſcuto* (Minervæ) *Amazonum prælium*

tinum calavit intumescente ambitu parma, ejusdem concava parte Deorum & gigantum dimicationem, in soleis verò Lapitharum & Centaurorum &c. Cæterùm quid de hac pugna & in Deos armis *gigantum* credendum, V. apud Philostratum *Apollonii lib* 4. Ea verò fabulà malorum Spirituum, ex affectatis sedibus cœlestibus, depulsionem adumbratam fuisse, jam olim monitum, C. Barthius *ad Statium Thebaid. l.10. vers.* 916.

Gigliati, nummi, ut quidam volunt, argentei, in quibus *lilium* insigne Gallorum, quod Italis *giglio* insculptum erat; quorum sex *Florenum Rhodi* constituebant. Aliis, à Fratre Roberto *de Juli* (Ordinis Hierosolymit.) appellationem hæc moneta sumsit; dicunt enim ab eo institutum esse, ut singuli *Gigliati* singulis fratribus secundâ Quinquagesimæ feriâ distribuantur, quod tamen minimè constat. Borghinus *Dissert. de Monet. Florent.* existimat, *Gigliatos* appellatos esse nummos Regum Neapolitanorum ex gente Francica, quòd in iis scutum liliatum esset effictum: Certè Caroli I. Regis Siciliæ aureum in Gazophylacio Regio, se vidisse testatur du Fresne, in cujus antica sedet Rex ipse, dextrâ sceptrum liliatum, sinistrâ globum crucigerum, tenens, cum hac Inscr. KAROLVS DEI GRATIA SICILIÆ REX. In postica scutum liliatum, cum *Labello* effingitur, cum Inscr. DUCATUS APULIÆ PRINCIPATUS CAPUÆ. Sed & in posteriorum ex eadem gente Regum monetis expressa fuisse horum liliata insignia, constat ex Antonio Rufio *in Comit. Provinc.* laudato Car. du Fresne *in Glossar.* Alii verò & quidem longè minoris pretii fuisse videntur *Gillati*, qui *Guillati* dicuntur in *Regesto* Parlamenti Paris. 12. Julii A.C. 1378. Iidem verò fortè *Gillati* illi, quorum mentio in *Charta* A. C. 1338. Dominorum Canneti in Provincia, & in *Charta* pro matrimonio Ferrandi Majoricani, cum Isabella fil. Guilielmi Principis Achajæ, scriptâ Messanæ, A.C. 1313. apud eundem.

Gilbertus, secundæ Compilationis Decretalium, unà cum Alano Episc. Autissiodor. auctor: qui ambo, Bernardum Circam imitati, collegerunt Decretales eorum Pontificum, qui post Circam vixerunt. Sed iis nomen & gloriam facilè præripuit Joannes Gallensis seu Vallensis, de quo supra.

Gillo, apud Cassianum Mon. & in vetustissimo *libro Epigr.*

— *gillo, fabilla, melo*;

idem quod *bauca* seu *baucalis*, vas vinarium vitreum, Salmas. *ad Pollionem in Claudio*: fictile, in *Gloss.* Camberonensi MS. apud du Fresne. Unde *Gillonarius*, officium Palatinum, apud VVisigothos. *l. Wisigoth. lib.* 2. *tit.* 4. §. 4. idem cum *Buticulario*, apud Francos. De vocis γιλλὼ, apud Græcos recentiores, notione V. Cotelerium *Monum. Eccl. Gr. Tom. I. p.* 744.

Gilvus Color, Græcè κιῤῥὸς, flavo dilutior est. Unde Hippocrates *de victu in Morb. acut. Com.* 3. vinum album, cùm veterascit, semper fieri κιῤῥότερον, *gilvius*, & tandem etiam ξανθὸν, *flavum*, tradit. Eundem colorem in equis sæpè memorant Vett. Varro apud Nonium, in *Badius*.

Equi colore dispares ita dati,
Hic badius, iste gilvus, *ille murinus.*

Virgilius,

—— —— *color deterrimus albis*
Et gilvo.

Ubi Servius, *Gilvus est melinus color, quem vulgò fulvum vocant*: imo *flavum*. Isidorus, *Gilvus autem melinus color subalbidus. Melinus* dici videtur ἀπὸ τῶν μήλων, *à colore malorum*: Germ. *falb*, Gall. *fauve*, quia ad flavum maximè accedit. Cujus coloris ajunt fuisse Nisæos in Media equos, apud Persas tanti olim nominis. Phavorin. Sed, ut in vino, ita in equis, *gilvus* à flavo differt; quia in *gilvo*, color aliquantum dilutior est. Itaque Apocalyps. *cap.* 6. *v.* 18. ἵππος χλωρὸς, videtur esse *gilvus equus*: ibi enim χλωρὸς, ut passim, pro ὠχρὸς, sumitur. Porrò ὠχρὸν χρῶμα conflatur, λευκοῦ ξανθῷ μιγνυμένου, *cùm flavo miscetur album*, ut in *Timæo* docet Plato. Syrus interpres reddit *equum pallidum*: ita equus ille equiti suo, id est, morti concolor, quæ *pallida* est. Unde colligere est, *pallidum* & *gilvum* colores vicinos esse. Apud Zachariam *c.* 6. *v.* 3. *serukim* equi, Bocharto *gilvi* exponuntur: sic in Esaia *cap.* 26. *v.* 8. vites dicuntur *serukim* & *cap.* 19. *v.* 9. lina Ægyptia *lina Serikoth*: cruda viz. quæ omnino nativi coloris, h. e. *flavi* vel *subflavi*, sunt &c. V. eum *Hierozoici Part. prior. lib. II. cap.* 7.

Gingiber, V. infrà *Zinziber*.

Gingras, sive *Gingris*, etiam *Gingros*, tibia, à Phœnicibus excogitata, Phrygiæ similis, quà & Cares usos prodidere, inprimis apta funeribus. Nam Phœnices Adonim *Gingram* vocabant, in cujus luctu illam ad cantum accommodabant: sicut affini voce apud affines Ægyptios *gingiarus* habita est pusilla tibiola, sono acuto, ad monodias. Jul. Cæs. Scaliger *Poetices lib.* I. *cap.* 20. Græcè γίγγρας quoque & γιγγραῖνος αὐλός. *Gingrina* Solino quoque c. 5. *Sive* gingrinas, *quæ breviores licet, subtilioribus tamen modis, insonant: aut milvinas* &c. Ad quem locum notat Salmasius, ab imitatione soni, quem anseres faciunt, non nullos vocem accessere. Certè Hesychius, γίγγρα, ait, ἐκφώνημά τι τῶν χηνῶν λεγόμενον: unde γιγγρίζειν & γιγγραίζειν, Latinis *gingrire*, quod anserum proprium. Sic vicissim de tibicinibus γιγγρίζειν, Græci, ut ex Athenæo discimus, unde *gingrium* tibicen, apud Festum *pag.* 119.

Ginnus, Hesychio, ὁ πατρὸς ἵππου, ἡ δὲ μητρὸς ὄνου, *cujus pater est equus & mater asina*. Hinc pro mulo pumilo usurpatur vox. Martialis *lib.* 6. *Epigr.* 77.

Non aliter monstratur Atlas cum compare ginno.

Ubi antea legebatur, *mulo*, item *gibbo*. Nempe Poeta scripserat *ginno* & glossator aliquis, *mulo* in margine; quam vocem alii substituerunt vocabulo ignoto; alii dein pro *ginno*, *gibbo* supposuerunt. Atlas autem Nani nomen est, de quo Juvenalis *Sat.* 8.

—— *Nanum cujusdam Atlanta vocamus.*

Itaque in Martiali.

—— *Atlas cum compare ginno*,

nanus est seu pumilio mulo insidens æquè pumilo. Pro *ginno* verò vel *hinno burdonem* sequior ætas dixit. *Epigramma* vetus *de ambigenis*,

Hæ sunt ambigenæ, quæ mutuo dispare constant,
Burdonem sonipes generat commixtus asellæ:
Mulus ab Arcadicis & equina matre creatus.

Sæpè tamen *burdo* & *mulus* promiscuè sumuntur &c. Bochartus *ubi suprà cap.* 20.

Ginsberca, locus Germaniæ, in Nassoviæ Comitatu, consilio de adjuvandis Belgis seculo præt. habito, memorabilis: hodie distat Hilchenbaco. Cyr. Lentulus *Geneal. Nassov. MS.*

Ginseng, celeberrima toto Imperio Sinico radix, nomen à figura habet, hominis viz. crura divaricantis, unde mandragoram nostratem credas, nisi quòd ea multò minor sit: Japonensibus *Nisi* vocatur. Siccata flavescit, fibras seu capillos, quibus alimentum sugat, vix habet, nigricantibus venulis circumspersa. Cùm manditur, dulcedine ingrata est, nonnullâ amaritudine, sed tenui admista. Auget plurimùm vitales spiritus suavemque corporis calorem excitat; balneo Mariæ, ut vocant, cocta adhibetur, atque fragrantem, aromatum instar, exhalat odorem. Ejus libra triplo argenti pondere appenso emitur; nascitur autem in Pekingia prov. nec non in Xansia, ubi civitatem *Leao* valde nobilitat &c. Auctor Anon. *Sinæ & Europ. cap.* 31. ubi plura de mira nobilis hujus radicis virtute.

Giostra, in *Histor. Cortusior. l.* 5. *c.* 7. monomachia ludicra: vox Ital. Gallis *Jouste*, Nicephoro Gregoræ *l.* 10. & Cantacuzeno τζουστρία. V. C. du Fresne *Dissert. ad Joinv.* 6.

Gipedæ & *Gipedes*, apud Treb. Pollionem *in D. Claudio. Denique, Scytharum diversi populi, Peucini, Trutungi, Austrogothi* — Gipedes, *Celtæ etiam & c.* Gepidæ sunt Jornandi aliisque; sed Græcis scriptoribus sæpe Γήπιδες vel Γήπαιδες. In antiquis schedis hæc verba, οἱ Οὔγγροι τὸ παλαιὸν ἐλέγοντο Γήπαιδες, *Ungari olim dicebantur Gipedes*, se offendisse, refert Casaubonus *ad locum*. Corippus,

—— —— *Gypedæque feroces.*

At Græci, ut dictum, Γήπαιδας eos vocant. Ita enim solent barbarica nomina & fera, ad Græcum sonum, formationemque Græcæ propiorem inflectere. Hinc Γήπαιδας eorum Grammatici ἐτυμολογοῦσι, quasi Γετῶν παῖδας, *Getarum filios*: quidam quasi Γῆς παῖδας, *Terræ filios*. Quemadmodum Erulos Ἐλούρους appellant, ἀπὸ τῶν ἑλῶν, *à paludibus*, in quibus habitabant, nominis originem arcessentes. V. Salmasium *ad Vopisc. in Probo.*

Girbitana Purpura, apud Treb. Pollionem *in D. Claudio, Albam subsericam unam, cum purpura Girbitana*; dicta est ab Insula *Girba*, quæ *Meninx* est Vett. in Oceano Merid. hodie *Gerbi*. In qua nobilissimum baphium; cujus mentio in *Not.* Imp. ubi *Girbitanum baphium* non semel memoratur; unde proin *Girbitana* hæc purpura, apud Pollionem; cùm prius nullo sensu legeretur *Succubitana*, Salmasius *ad eum*.

Giris, in Tab. Peutingeriana, aliter *Diris* vel *Siris*, Ptolomæo Γεὶρ, ingens Africæ fluvius, per Garamantas Æthiopas fluit, & sub terram absconditus, Nubam paludem efficit: de quo V. Salmasium *ad Solinum pag.* 420. & 421.

Girona Familia in Hispania illustris, cujus origo Gottiero adscribitur, qui ex Vasconia, cum Henrico Burgundo Lusitaniæ Regum satore, venerit, & Bragam acceperit dono. Filio cognomen datum est, *de Cunnas*, unde *Acunniorum* seu *Acugnorum* gentile nomen. Ex qua gente seculo decimo quarto vixit Martinus Vasquezius de Acunna, qui ex secundo quidem matrimonio, cum Maria Lusitana, Comitum Valentiæ auctor fuit; in primo autem conjugio ex Teresia *Girona* Alfonsum *Tellez Gironem* genuerat. Fuerat autem hæc Teresia, ex antiqua & celeberrima *Gironum* (è quibus Rodericus Consalvi memoratur vixisse A. C. 991.) stirpe oriunda, nominisque hæres, unde Alfonsus Martini filius, à Matre *Gironis* nomen adsumpsit. Huic uxor desponsata Maria fil. Johannis Fernandi Pacheci Dn. de Bello Monte: quæ suum item nomen in hanc gentem intulit. Et quidem primo filio Johanni *Pacheci* nomen impositum, alteri Petro *Gironis*; à quo descendunt Comites de *Urenna*, è quibus dein Duces de *Ossuna* & March. de *Pennafiel* orti. Petrus enim *Giron* M. Mag. Ord. Calatravæ, defunctus A. C. 1466. ex Isabella *de las Casas* Johannis I. *Telles Gironis* Com. de *Urenna* pater fuit:

fuit: quo & Leonora *de la Vega Velasco*, natus Johannes II. ex Maria *de la Cueva* suscepit Petrum Gironem D. de Ossuna: cui Leonora Anna Guzmann (extincta A. C. 1573) genuit Joannem III. March. *de Pennafiel* Duc. Ossunæ: cujus ex Anna Maria de *Velasco* filius Petrus *Giron* Dux Ossunæ, in matrimonio Catharinæ Henriciæ de Ribera, filium habuit Johannem Tellez IV. Duc. Ossunæ. March. *de Pennafiel*, caput nominis *Giron*, cui nupsit Isabella fil. Christophori Gomezii *de Sandoval & Roxas* D. de Uzeda atque Mariæ Manrici e *Padilla*, soror Francisci &c. Obiit autem præfatus Johannes Tellez IV. A. C. 1656. relicto filio Casparo Tellez *Giron* D. Ossunæ & Uzedæ March. *de Pennafiel* Com. de Urenna. Phil. Jac. Spenerus *Theatr. Nobil. Europ. Part. I. pag. 70. & Part. III. pag. 87.* In Johannis verò filii primi Alfonsi suprà dicti) *Pacheci* cognominati March. *de Villena* & *Duc. de Escalona* filiis cognominum itidem diversitas est. Primogenitus namque *Pacheci* servavit nomen, & auctor est Ducum *de Escalona*, de quibus suprà dictum. Alter filius Petrus, à matre *Portocarreri* nomine accepto, ex se Marchiones Villanovæ dedit: in ejus tamen posteris, præter *Portocarreri* commune nomen, aliarum etiam familiarum à matribus appellationes reperias. Tertius, Alfonsus *Tellez* ad *Gironum* nomen rediit, & ab illo Domini *de la Puebla in Montalvan*, qui postea Comitum dignitate ornati sunt, & subinde *Pacecorum* nomen renovarunt, derivantur. V. eundem Spenerum *in Ind. Part. I.* in voce *Giron & Pacheco*.

Gisarma, in *Statutis* VVilhelmi Scotiæ R. c. 23. §. 4. Saxonicè *Hand-ax*, securis bellicæ species fuit. V. Henr. Spelmannum in *Glossar.* & Skenæum *de Verb. signif.* in voce *Gysarum*.

Gisilbertus, Comes Mansuariæ ex partibus Caroli Calvi stetit, atque ex Ermengarda, Lotharii Imp. filia, quam rapuerat, Raginerum I. & Ricuinum I. genuit; E quibus iste Ardennæ Comes, ex filiis Ottone & Ricuino II. aliquos primorum Lotharingiæ sup. Ducum, totamque familiam Limburgiam & Lucenburgiam, cujus rami in Belgium & Germaniam protensi sunt, ac nostro demum seculo exaruere, prosevit: Ille autem Hasbaniæ & Hainaci Dux, pater fuit *Gisilberti*, celebris Lotharingiæ Ducis, quem cùm Carolus Simplex pepulisset, restituit socer, Henricus Auceps Imper. Sed postea rebellem affinis Otto I. prælio occidit A. C. 939. Plura V. infrà in voce *Raginerus*.

Gista & *Gistum* apud Recentiores, hospitum susceptio, Gall. *Giste*: Jus est, quod dominis feudalibus competebat, in vassallorum suorum prædiis, qui statis ac conductis vicibus eos in domibus suis hospitio & conviviis excipere tenebantur. Quod quidem jus *Mansionaticum*, sub prima & secunda Galliæ Regum stirpe; sub tertia verò, *Gistum*, *Procuratio*, *Cœnaticum*, *Convitio*, *Pastus*, *Prandium* dictum est: Ad hoc inventum, ut dominus per terras vassallorum iter faciens, in publica diversoria non cogeretur divertere. Cujusmodi tamen exceptionibus ne nimium gravarentur vassalli, earum in anno numerus, ut plurimùm, in feudationum legibus definitus erat, quod passim astruunt vett. *Chartæ*. Interdum & famulorum comitatum, obsequiumque, cum quo dominus in domum vassalli divertere posset, circumscriptum legimus; sed & ipsæ *procurationum* expensæ definitæ nonnunquam: quæ postea in nudam præstationem abiere. Ab istiusmodi verò procurationibus nec ipsæ Ecclesiæ erant immunes. Quippe cùm Principes aut Magnates Monasteria extruebant, ab illis ea ferè semper conditione dotabantur, ut statis in anno vicibus in iisdem hospitari & convivio gratis excipi illis liceret. Quod ius potissimum Regibus ipsis, non in Monasteriis duntaxat, sed & in Ecclesiis Cathedralibus, quarum prædia & *dotes Regalia* dicuntur, competiisse legimus: adeò ut in earum collatione id privilegii sibi reservasse videantur. Hinc testatur Monachus S. Galli *lib. 1. c. 15. 16. 17.* Karolum M. in itinere non semel in Episcoporum domos divertisse & ab iis convivio exceptum. Cujus quidem juris adeò fuere studiosi, ut, etsi expeditionem & exercitum, pietatis gratiâ, indulsisse legantur, raiò tamen *Gistum* aut *Procurationem* dimiserint, quod in *Historia Comit. Ambianens.* pluribus observat du Fresne. Idem tamen docet, ex *Regesto* quodam S. Ludovici, Matthæum Episc. Carnotensem, cum eodem Rege composuisse, super *gistis* & procurationibus, quas apud Carnotum & Fresneium villam Episcopi petebat, & pro *quitatione* ejusmodi *gistorum* eidem concessisse 500. Turon. annui reditus in perpetuum, A. C. 1259. &c. Ad hoc porro in Ecclesiis & Monasteriis id ubi juris reservabant Principes, ut, ubi *regiæ ac publicæ* deessent villæ, in quas diverterent, in Ecclesiarum domos, ex ipso *regaliorum* jure, secederent. Quin etiam nuntiis ac missis Regiis idem juris fuisse, ex Raderico patet *l. 14. c. 34.* ubi de Friderico I. Imp. &c. V omnino præfatum Car. du Fresne *in Glossar.* ubi & Catalogum Ecclesiarum ac locorum, in quibus Franciæ Reges *jus Gisti* habebant, ex *vet. Regest.* & *Rotulo pergameno*. Camera Computor. Parisiens. exhibet. Adde *Notas* ejus *ad Joinvillam pag.* 101. 102. & Chopinum *de Doman. lib. 3. art. 13 tit. 20.*

Giuma, hoc est, *σύναξις*, *ἐκκλησία*, *ἐπισύναξις*, dicitur Mahumedanis sexta hebdomadis feria, quæ eâ reverentiâ illis est, qui Judæis Sabbatum, Christianis dies Solis. V. Jos. Scaligerum *de Emendat. Temp. lib. 2.* & Joann. Seldenum *de Jure N. & G. juxta Disciplinam Hebræorum l. 3. c. 29.* nec non supra ubi de *Veneris die*.

GL.

Glacies, in frusta dissecta, aut nix frigore concreta, jam olim vino diluendo adhibita est, ardentissimis æstatis caloribus, teste Plinio *lib. 19. c. 4.* *Hi nives, illi Glaciem potant, pœnasq́; montium in voluptatem gulæ vertunt: Servatur algor æstibus, excogitaturq́;, ut alienis mensibus nix algeat:* ubi in MS. codice *servatur rigor æstibus* magis appositè, quod nivem hanc aut glaciem ex Alpibus Liguriæ vicinis Romam transferrent. In eundem luxum facundè invehitur Lat. Pacatus *in Paneg. Theodos.* *Nam delicati illi ac fluentes, ac quales sæpè Resp. tulit, parùm se lautos putabant, nisi luxuria vertisset annum, nisi hibernæ poculis rosæ innatassent, nisi æstivam in gemmis capacibus* Glaciem *Falerna fregissent*. Increpat & morem, tanquam sanitati noxium, A. Gellius *lib. 19. cap. 4.* ex Aristotelis auctoritate. Nemo tamen in ea exagitanda frequentior Seneca, V. eum *Epist. 78. & 96. Nat. quæst. lib. 4. de Provid. cap. 3. de Ira lib. 2. cap. 25.* Plautus ejusdem meminit *Curculione sc. Date viam*,

> *PH. Viden' ut expalluit? datin' isti sellam, ut assidat citò,*
> *Et aqualem cum aqua? properatin' ocyus.* *CV. animo malè est.*
> *PH. Vin' aquam?* *CV. Si frustulenta est, da obsecro hercle, obsorbeam.*

Et Martialis *lib. 9. Epigr. 23.*

> *Nec labris nisi magni meis crystalla terantur,*
> *Et faciant nigras nostra Falerna nives, &c.*

Hanc verò ministravit *Gelidæ minister* dictus. V. Laur. Pignorium *de Servis*, Thom. Dempsterum *antiqq. Rom. l. 5. c. 30.* &c. Alio fine *glaciem* per hyemem collectam totâ æstate servant Sinenses, ut viz. eâ in navibus destinatis quasi sepultos pisces, *Xiyu* illis, *Savel* Lusitanis dictos, ad Imperatorem Pekinum usque mittant, cui functioni unus ex præcipui. Eunuchorum præest. Auctor Anon. *Sina & Europ. cap. 42. de Piscibus.*

Gladiatorii Ludi, inter eos, qui *Honorarii* dicebantur, apud Romanos olim maximè frequentes, *Muneris* nomine non rarò apud Auctores veniunt, quique eos edere soliti, *Munerarii* appellantur. Origo illis à ludis funebribus, in quibus homines mactati de functis Inferiæ fuere, ut de Ænea Pallantis & Achille Patrocli exequias celebrante legimus. Et primò quidem captivi ex hostibus jugulati sunt, dein ipsi inter se committi cœperunt, ut penes eosdem esset & facinus & supplicium. Postea servos mercati eodem modo immolavere: tandem, placuit impietatem voluptate adumbrare & servi empti sunt, quos Lanistæ omni crudelitatis genere exercebant, & artis suæ præceptis imbuebant satis diu, ut possent Munerariis, cùm occasio posceret, edoctos artem *Gladiatoriam* elocare: & hi propriè, qui in funere depugnabant, *Bustuarii*, nominati sunt, de qua voce V. *suprà*. Hos primus in defuncti Patris honorem Romæ dedit Junius Brutus: concessusque hic mos non Magistratibus solùm, sed & privatis hominibus, si nempe quadringenta millia in censu haberent, quod demum Tiberius, cùm multi eâ profusione ad inopiam redacti essent, constituit. A sepulchris ad Circum & Amphitheatra translati postea extitere admodum frequentes, & à Claudio Principe ex arbitrariis stati facti sunt, qui tamen mox immanitatis pertæsus ritum sustulit, privatis nihilominus manente consuetudine. Postremò, quod animus meminisse horret, in convivium à quibusdam recepti sunt, adeo familiariter, ut non possim non mirari præposterum Maximi Tyrii Philos. hominis consilium, qui non has Tragicas cœnas, sed Ænianum in convivio improbavit ludicram pugnam. Silius Campanis tribuit *lib. 11.*

> *Quin etiam exhilarare viros convivia cæde*
> *Mos olim & miscere epulis spectacula dira,*
> *Certantum ferro sæpe & super ipsa cadentum*
> *Pocula respersis non parco sanguine mensis.*

De eadem consuetudine egregiè Petrus Chrysologus *Serm. 157.* *In arenam vertitur domus, mensa migrat in caveam, fiunt de præsoribus spectatores, furore mutatur convivium, fit cædes cibus, vinum transit in sanguinem.* Primi sc. ut dictum, in his ludis exhibiti captivi erant, his dein servi fugitivi successere, porro è catasta servi à Lanistis emti ab iis erudiebantur, dicti *Tirones*, item *Familia*, sicut Lanistæ *Patresfamilias*; quorum paria proposita Editori Magister indicabat, jugulatorum pretia non accipiebat. Postea liberi quoque homines se ad emendam hanc voluptatem auctorari patiebantur inde *Auctorati* dicti. Imò, ludibrium humanæ infelicitatis! Nero Imp. 400. Senatores, 600. Equites ad eam operam exhibuit: alterum quoque Orbis monstrum Domitianus fœminarum pugnas noctu edidit. Obstringebant autem se tales juramento solemni, ad necem usque se pugnaturos, aut igni, virgis, ferro, corpus excruciandum oblaturos. Horat. *Serm. 2. 7.*

> *Quid refert, uri virgis, ferroq́; necari?*
> *Auctoratus eas, aut turpi clausus in arca.*

Cùm instaret Solennitas, Editor, seu Munerarius, publico scripto

pto Populum de nominibus *Gladiatorum* notisque (quivis enim ex his insigni aliquâ notâ conspicuus erat, pinnis inprimis pavonum in galea ornatus, Schol. Juvenalis *ad Sat.3.v.158.*) dierumque, quot durare ludi deberent & parium numero, aliisque certiorem reddidit. Unde Suetonius *in Julio, Munus populo pronunciavit, in filiæ memoriam.* Imò in picta sæpe tabella, non loci solùm, sed & *Gladiatorum* ad pugnam compositorum, icones repræsentabant:

> —— —— *velut si*
> *Revera pugnent, feriant vitentq; moventes*
> *Arma viri.* Horatius *Sat.7.lib.2.*

Ut dein dies illuxit, arma prolata sunt, quæ duûm generum, *Lusoria* seu *Exercitoria* & *Decretoria* fuere, quia *hæc velut decreto Prætoris, sive Editoris, dabantur*, sic dicta. *Postquam enim inter se rudibus batuissent, ferro nudi transfigebant,* Cæs. Scaliger *Poet. lib.1. c. 35.* Unde phrases ortæ, *Ventilare* seu *Præludere*: &, *Dimicare ad certum*, seu *Versis* i. *transmutatis armis pugnare.* Quò alludere videtur Apostolus 1. Cor. *cap. 9. v.26, 27.* Οὕτω πυκτεύω, ὡς οὐκ ἀέρα δέρων. ἀλλ' ὑπωπιάζω μου τὸ σῶμα, *Ita pugilem ago, ut non aerem cædens, sed contundo corpus meum.* Dimicaturi juxta artis regulas corpus gestusque componebant, tum ut tutiùs expectarent hostem, tum ut eum certiùs ferirent: quod *Status* seu *Gradus* dicebatur. Unde *cedere de gradu*, *demigrare de gradu*; & metaph. *De mentis statu dejicere*, seu *deturbare.* In conflictu, nefas erat cum gemitu vulnus excipere, jussos ferrum jugulo non recipere, eodemque vultu proprium sanguinem, quo hostilem, inspectare tenebantur. Quòd si quis lætius vulneratusque arma submitteret, nullum tamen jus adversario liberandi erat, cum id unicè à Principe vel Populo penderet: quod *Missionem* dixere. Itaque *Gladiatores* imminentem sibi certam necem omni molimine avertere nitebantur, quia missio incerta erat: imò nonnunquam sine missione atq; ad certam mortem dabantur, quam crudelitatem Augustus sustulit, apud Suetonium c.49. eousque enim tum illa processerat, ut nonsolum in certam mortem Munerarii omnes darent, sed & perculsos jacentesque repeti, imò cadavera ictibus dissipari juberent, ne simulati eluderent morte, Lips. *de Gladiator.* Præmium victoris nonnunquam pecunia, nonnunquam sertum lentiscis complexum, seu palma lentiscata, ut eam vocavit Fr. Sylvius *in Orat. pro Sexto Roscio*: hinc Prov. *plurium palmarum homo.* Aliquando rude donabatur, & immunitatem ab istiusmodi pugnis consequebatur: Etiam pileum aliquando, plenamque libertatem & jus civis Romani impetrabat. Quò alludens Tertullianus *de Spect. cap 21. Qui insigniori cuiq;*, inquit, *homicidæ leonem poscit, idem gladiatori atroci petat rudem, & pileum præmium conferat.* Cùm a. missionem dabat populus, factum id est, premendo pollicem, sicut eundem convertendo, pugnam continuari jubebat. Juvenalis *Sat. 3.*

> —— —— *Et verso pollice vulgi*
> *Quemlibet occidunt populariter.*

Sese autem ipsi *Gladiatores* minimo provocabant digito, quò respexit Horatius *Lib. 1. Serm. Sat. 4.*

> *Crispinus minimo me provocat, accipe si vis,*
> *Accipe jam tabulas.*

In ipsa verò pugna, digitum exerendo, se victos fatebantur. Persius *Sat. 5.*

> —— —— *Digitum exere, peccas, &c.*

Durarunt hi ludi immanes, usque ad Theodoricum laudatissimum Gothorum Regem, qui eorum usum funditus sustulit; *Quid enim immanius, quàm vitam dare hominibus, ut eam ipsi mutuis cædibus ab sese auferant.* V. Alex. ab Alexandro *Genial. dierum lib. 3. cap.7.* & *lib. 4. cap. 26.* & *l.6. cap. 22.* Lipsium *Saturnal. lib 2.* Joh. Rosinum *Antiqq. Rom. l. 5.c.24.* cum *Paralipomenis* Th. Dempsteri, Thom. Godvvynum. *Anthol. Rom. lib. 3. cap.1.* &c. Spectacula hæc ad vivum exhibet Hier. Mercurialis *de Arte Gymn. lib. 3. cap. 4.*

Gladiatorum variæ species.

Andabatæ, quasi ἀναβάται, *ascensores*, in equis vel curribus, clausis oculis digladiabantur. Unde Prov. *Andabatarum more pugnare.*

Cubiculares.

Dimachærii, aliàs *Orbelæ* dicti, geminâ instructi machærâ pugnabant.

Essedarii, ab essedo, vehiculi genere, in quo depugnabant, nomen accepere.

Fiscales, v. Casaub. *ad Hist. Aug.*

Hoplomachi, qui armati digladiabantur, *Samnites* dicti sunt, usque ad Augusti tempora. Erant autem illorum arma, galea cristata, gladius cum clypeo, & crus sinistrum ocreatum habebāt. His plerumque opponebantur Provocatores, de quibus paulo infrà.

Laquearii, instructi erant gladio & laqueo; quo, veluti Retiarii retibus suis, adversarii vel collo vel brachio injecto, illum ense dein suo certiùs feriebant.

Myrmillones seu *Mirmillones* dicebantur graviter armati, quòd instar μύρμηκος formicæ, sub armorum onere, non incedere sed repere viderentur. Alii verò eos appellatos volunt, à *mirmillo*, armaturæ Gallicæ nomine, ex pisce indito, cujus imago in galea fingebatur. Aliter quoque *Galli* vocati sunt. Eorum arma fuere, gladius, scutum & galea, in cujus crista piscis icon, ut dictum, eminebat.

Postulatitii, V. Casaubonum *ad Hist. Aug.*

Provocatores, nonnunquam *Prolectores* dicti, cum Hoplomachis plerunque certabant: Instructi ense, clypeo & galeâ, habebant utrumq; crus ocreatum. Erant autem ocreæ ex ferro, Lips. *de mil. lib 3. dial 7.*

Retiarii, à reti jaculo sic nominati, eo contra Secutores pugnabant. Rete nempe gerebant sub scuto, quo adversarium suum involverent Fest. hoc capite Secutoris injecto, illum tridenti, quem altera manu tenebant, percutere sunt soliti, Juv. *Movet ecce tridentem.* Pugnabāt in solis tunicis, unde *Retiarii Tunicati*, erantque spongiis instructi, ad sanguinem detergendum, & vulnera obturāda Retiario pugnanti adversus Mirmillonem, cantatum: *Non te peto, piscem peto, quid me fugis Galle?* Gr. Διϰτυοβόλοι.

Secutores dicti sunt illi, qui cum Retiariis pugnabant, ab insequendo eos appellati. Eorum arma fuere scutum, quo rete adversarii declinarent, ensis & galea. Alii Mirmillones cum Secutoribus eosdem faciunt.

Spectatores dicebantur Gladiatores rude donati: quos ab Editore aliquando conduci solitos non pugnandi, sed spectandi causâ, legimus: unde in tesseris notæ frequentes SP. vel SPECT. id est, *Spectavit.* Pignorius *de Servis.*

Thraces, à Thracia armatura nomen habuere. Utebantur enim hi parmâ, scuti genere Thracibus primum usitato, & sicâ, seu gladii genere in extremitate incurvi. Iidem *Parmularii* dicti sunt, quemadmodum & qui huic *Gladiatorum* generi favebant, &c.

Gladiolus, apud Plinium *lib. 21. cap.11. Post hunc* gladiolus *commitatur hyacinthis*: flos est, quem ξίφιον seu Φάσγανον vocat Theophrastus, Latinique Scriptores retentâ voce Græcâ *Xiphium* vocant. Aliàs *Gladiolus* Romanis idem, qui ξίφος & ξίφια Græcis, lilio quoad formam similis, sed purpuræ nigræ colorem habens, simulque ad ruborem vergens, ac lineis discurrentibus varius, qualem *hyacinthum* tabulæ describunt. Nomen inde, quòd utrinque folium in aciem attenuatum habeat: quam ob causam Ἴρις ἀγρία quoque Græcis dicebatur, quippe quæ & ipsa ob foliorum acumen *gladioli* nomine Latinis nonnunquam dicta est. Latini *Vaccinium* quoque appellavere, de quo purpuræ elegantis colorem apud Vett. confieri solitum esse, Vitruvius alicubi docet. Eodem Chymicos autores ad tingendas vitreas gemmas hyacinthino colore & ad hyacinthos faciendas uti consuevisse, Zosim. ut Plin. in Galliâ ad servitiorum vestes adhiberi, refert *l.16. c. 18.* ubi & mancipiorum tardandæ pubertati à mangonibus usurpatum addit, qua de re V. infrà, ubi de *Venalitiis* &c. Peculiari hinc ritu effodi ξιφίδια consuevisse, habes apud eundem *lib.21. cap.7. Effossuri tribus ante mensibus multâ aqua circumfusâ, hoc veluti placamento terræ blandiuntur, circumscriptam mucrone gladii, orbe triplici, & cùm legerunt, eam protinus in cælum attollunt.* Ex Theophrasto *lib. 9.c. 9.* Ubi Salmasius, placentas ex trimestri frumento factas, quasi mercedis vice eo loco, unde *gladiolum* effodissent, infodi solitas, adeoque verba Theophrasti à Plinio perperam fuisse accepta, docet *ad Solinum pag. 1223. & seqq.* ubi plura hanc in rem.

Gladius, insigne apud Romanos Magistratus, publicum officium exercentis, quemadmodum *hasta* Prætoris, privatim judicium obeuntis, fuit: Merum enim imperium est, habere *Gladii* potestatem, ad animadvertendum in homines facinorosos. Jo. Rosinus *Antiqq. Rom. lib. 9.c.18.* Apud Germanos veteres *Gladii* jus concedebatur Juvenibus, cùm ipsos ad rem militarem primùm proveherent, *Arma enim sumere non ante cuiquam moris, quàm suffecturum civitas probaverit. Tum in ipso concilio vel Principum aliquis, vel pater, vel propinquus, scuto frameaq; juvenem ornabant. Hæc apud illos toga.* Tac. *de moribus Germ.* indigitans, hanc arma concedendi consuetudinem Romanorum illi respondisse, qui post expletum ætatis annum decimum quartum ingenui adolescentes, depositâ prætextâ, virilem togam sumebant, & in forum deducti in viros transcribebantur. Hodieq; Nobilibus Germanis, jus *Gladii* conferendi manet, in quo quasi emancipationis ritu alapa etiam intervenire solet, quemadmodum veterem Romanorum manumittendi rationem, per rhapismata & alapas, factum legimus, *L. ult. C. de emancip. lib.* & *Novell. 81.* Isidor. *lib. 9. cap. 4. sub fin.* &c. Vocant hoc Germani *Werhafft machen.* Sed ex eodem instituto mos ille Germanorum mediæ ætatis *Equites creandi*, sumsit originem: quem tangit P. Diaconus in *Longobardicis l.1.c.15. Scitis non esse apud nos consuetudinem, ut Regis filius cum patre prandeat, nisi priùs à Rege gentis externæ arma susceperit.* Indidem *gladio* accingendi Comites, in Anglia, cùm inaugurabantur, ritus, tanquam jurisdictionis suæ symbolo, occurrit apud Matthæum Paris A. C. 1188. ubi de Hugone *du Puiset*, Dunelmensi Episc. Northumbriæ Comite creato, *Qui*, inquit, *à Rege gladio Comitatus accinctus*, *nomen sibi*

Comiti superposuit. Sic Hubertus Angliæ Justitiarius *gladio Comitatus Canciæ à Rege accinctus*, dicitur apud Matthæum VVestmonaster. *A.C.* 1227. *gladio Comitatus de Striguil, & gladio Comitatus de Essex, Wilhelmus Marischallus, & Ganfridus fil. Petri à Rege Joanne*, apud Roger. Hovedenū *p.* 793. &c. Hugo quoq; de *Abrincis*, Comitatum Cestrensem *adeò liberum ad gladium, sicut ipse Rex totam tenebat Angliam, possedisse* legitur in vet. *Charta* &c. Nempe *gladius* jus gladii seu merum Imperium, ut dicunt, denotat. Lampridius *in Alex. Sev. Honores juris* gladii *nunquam vendi passus est*, *dicens, Necesse est, ut qui emit, vendat*, apud du Fresne. Uti enim hodie, sic & olim, nemo sui, sed Principis aut militaris alicujus Præfecti, auctoritate *gladium cinxit* unquam, uti peculiari *Tract.* docet Casp. Barthius, V. etiam hic passim, inprimis infrà in voce *Miles*. In bello precipue utile armorū genus *Gladius* est, unde Romanos pila vel ob viam, vel ob festinationem sæpe abjecisse, & unice *Gladiis* dimicasse, longeq; clariora spachis, quam aliis armis, gessisse, docet Vegetius *lib.* 1. *c.* 15. Hinc Virginio Consule jubente, exercitus fixis humi pilis, *Gladios* arripuit, apud Livium *lib.* 2. Idem in prælio cum Samnitibus Duce Cons. Publio Philone: & contra Etruscos, in Consulatu Fabii Rutilii, factum esse refert *lib.* 9. Attilæ quoque apud Jornandem *de rebus Goth. cap.* 35. *confidentiam addebat Gladius Martis*. Sic Ludovicus IX. Gall. R. in conflictu cum Saracenis acerrimo in Ægypto, *Gladio Alemannico* strenuè rem gessit, Janvillæus Seneschallus *in ejus Hist.* & notissimus Georgii Castrioti Epirotarum Principis *Gladius*, quo sæpe cum equis equites cataphractos in duas partes divisisse memoratur. Nec sine causa Turcicus miles gladium suum leviter incurvum, qui illis *Kilisch* dicitur, tanti facit, ut maximo pretio eum comparare, diligentissimeque asservare soleat, neque facilè permittat ad exteros venalem exportari, ut auctor est Phil. Camerarius *Hor. Subcis. Cent.* 1. *c.* 76. Gerebant autem *gladium* Veteres, procul à manu dextra ad sinistrum latus ex humero suspensum, uti diximus ex Statio *Theb. l.* 2. *v.* 534.

— & inclusum capulo tenus admovet ensem.

Ut viz. eum paratum haberet. Et Sidonio *Panegyr. Anthemii*,

— bullis hostilibus asper
Applicat à lævo surgentem baltheus ensem.

Quæ ratio eum gestandi, ex profundissimæ antiquitatis more, commodè in nostri ævi usum rediit: medio enim variavit, ut alibi diximus, V. Justum Lipsium *ad Tac. Annal. lib.* 1. & Jo. Meursium *ad Lycophronis ista*,

Καὶ Φαργάνε ζωστῆρ —
Et ensis balthuem —

ubi circùm humeros baltheum, à quo *gladius* pendebat, Herobus gestatum esse, pluribus docet. Habebant verò emblematis variis ornatos illos, in capulis inprimis. Unde de Polynicis armatura agens Statius *Theb. l.* 4. *v.* 87.

Aspera vulnifico subter latus eriget Sphinx &c.

V. suprà in voce *Capulus*. Sed ad ignominiam pertinebat, quòd *gladiis* militum Cn. Pompeius, cùm in Sicilia bellum gereret, audiretque milites flagitiose vivere, sigillum impressisse; eiq; qui amovisset, pœnam instituisse, legitur; *Ἀκούων δὲ τοὺς στρατιώτας κατὰ τὰς ὁδοιπορίας ἀτακτεῖν, σφραγῖδα ταῖς μαχαίραις αὐτῶν ἐπέβαλλεν, ἣν ὁ μὴ φυλάξας ἐκολάζετο*, Plut. *in Vita Pompeji.* V. Johan. Kirchmannum *de Annulis cap.* 10. In suppliciis porro exigendis, *Gladii* usus in Republica nullus fuit, cùm securi capita inciderentur. Lucanus *lib.* 8. *v.* 774.

Tunc nervos, venasq; secat, nodosaq; frangit
Ossa diu, nondum artis erat caput ense rotare.

Demum sub Imperatoribus adhibitus est, & tum ignominiosior securis, honoratior *Gladii* pœna fuit. Unde ridicula illa reprehensio Bassiani Caracallæ, interfecto Papiniano, ut retulit *in eo* Æl. Spartianus: *Atqui oportuit gladio exequi mandatum meum.* Maximus tandem *Gladio* honor habitus est, cùm recèns creato Imperatori in manum daretur, tanquam summum jus, eximiaque potestas significanda per illum foret, Corippus *lib.* 2. *num.* 4. Atque adeò creati Præfecti prætorio *Gladio* coram Senatu & quidem stricto donabantur eadem de causa, ut potestas nempe in facinorosos animadvertendi significaretur, Hadr. Turnebus *Adverf. lib.* 12. *cap.* 6. Hinc Guntherus *lib.* 1.

Hinc sacri celebresq; viri, quos laude serenâ
Infula, vel Gladius *mundo facit esse verendos,*
Ex omni regione fluunt.

Unde mos profluxisse videtur, ut Principibus etiamnum *Gladius* præferatur, præsertim celebrioribus Comitiis aut festis: Idem *lib. eod.*

— — Posito diademate Petrus
Regali dextrâ tulit alii Principis ensem, &c.

V. Joh. Rosinum *Antiqq. Rom. lib.* 10. *cap.* 10. *cum Paralipomenis* Thomæ Dempsteri, Matth. Berneggerum *Quæst. in Taciti Germaniam* &c. Nec omittendus mos *consecrandi gladios*, insigni alicui facinori destinatos, aut per quos aliquid memorabile patratum esset, indigitatus Suetonio *Caligulâ cap.* 25. *Tres gladios, in necem suam præparatos, Marti Ultori, addito elogio, consecravit.* Et *Vitellio cap.* 10. *Pugionem quo se Otho occiderat — Marti dedicavit.* V. quoque Lucianum in *Tyrannicida*. Etiam myrto coronandi, quod de gladiis Harmodii & Aristogitonis, qui Hipparchum tyrannum occiderant, tradit Aristides. De nominibus *gladiorum* aliquot insignium diximus alibi, inprimis suprà in voce *Curtana*. De more Vett. ex gladiorum acie divinandi, dicemus infrà ubi de *Talis*. Varias *gladiorum* species recenset Aulus Gellius *lib.* 10. *cap.* 25. Unius hic mentionem superaddam, quem *Gladium Hispanicum* seu *Hispaniensem* idem vocat *lib.* 9 *cap* 13. ubi de T. Manlii cum Gallo pugna loquitur; quem ita describit, de Hastatorum armatura agens, Polybius *lib.* 6. *Unà cum scuto ensis pendet ad dextrum femur, Hispaniensem vocant, anceps est, mucrone eximio: defertur violenter, eò quòd obeliscus ejus firmus stabilisq; existit.* Hisce punctim & cæsim feriebant, tantâ eorum firmitate, ut & galeas dividerent, teste Senecâ *de Benef. lib.* 5. V. Lipsium *de Milit. Rom. lib.* 3. *Dial.* 3. & plura hanc in rem apud Plinium *lib* 7. *cap.* 56. ubi Lacedæmoniorum inventum *gladium* inter alia facit, & hic passim, in vocibus, *Ensis*, *Pugio* &c. uti de *Gladio pisce* seu Xiphia, apud eundem Plinium *lib.* 9. *cap.* 25. *lib.* 32. *cap.* 11. Auctorem Anon. *Sinæ & Europa cap. de Piscibus*, Alios; de *Gladio flumine*, itidem apud Plinium *lib.* 18. *cap.* 27. &c.

Glalaria, V. *Glessaria*.

Glanis, Græcè γλάνις, Æliano *φιλοτεκνότατος ἰχθύων, ex piscibus suæ prolis amantissimus*, siluro forma similis est. Quæ res imposuit Plinio, ut, quod de *glanide* scripserat Aristoteles *Histor. Animal. lib.* 6. *cap.* 14 ipse tribuerit siluro. Sic autem ille *lib.* 9. *cap.* 33. *Silurus mas solus omnium custodit ova, sæpe & quinquagenis diebus, ne absumantur ab aliis.* Ubi & in altero falsus, cùm ait, à solo hoc custodiri ova, cùm idem faciat cyprinus: *Fœtus* igitur, non *ova* dicere oportuerat. Atque hæc hallucinatio Plinii Theod. quoque Gazam aliosque in errorem impulit, ut qui propterea γλάνιδα semper cum Siluro eundem fecerint. Cœterùm fluviatilis hic piscis, ubi iterum Plinius impingit, & in delitiis fuit olim; ut ostendit Matron parodus, qui cum in Attica sua cœna recenset, apud Athenæum *lib.* 4. Et Ephippus Mnesimachusque apud eundem, qui *τεμάχη γλάνιδος, glanis tomacula* sive *segmenta* celebrant. V. quoque *lib.* 7. ubi Archippus fabulâ, quam *Pisces* inscripserat, ejusdem meminit, plura V. hanc in rem, apud Vossium *de Idolol. lib.* 4. *capp.* 16. & 30.

Glans, ab Æol. *γάλανος*, pro *βάλανος*, antiquissimorum mortalium cibus fuit. Plinius *lib.* 7. *cap.* 56. *Ceres frumenta* (invenit) *cùm antea glande vescerentur homines.* Lucretius *lib.* 5.

Sic odium cœpit glandis &c.

Et quidem primò cruda, dein sub cinere assata: unde *ex cinere calido glandes*, apud Arnobium *lib.* 2. Quas qui, mercede conducti, colligebant, *βαλανισὰς* dictos esse, habemus ex Auctore *Proverbiorum.* Hinc *glandiferis arboribus honos apud Romanos perpetuus*, Plin. *lib.* 16. *cap.* 3. quarum quatuor idem recenset, *quercum, robur; æsculum & fagum* seu *cerrum*, de quibus vide Salmasium *ad Solinum pag.* 334. & 507. ut & hic suo loco: inprimis ubi de *Civica corona*, omnium maximè in pretio habitâ. Post frumenti inde usum repertum, Athenis puerum patrimum matrimum spinas cum *glandibus* & canistrum panibus ferentem, in nuptiis, clamare in more habuisse, *ἔφυγον κακόν, εὗρον ἄμεινον, effugi malum, inveni melius*, monet Meursius *ad Lycophronem pag.* 214. Interim etiam recentiori ævo, mansit earum primævus usus, apud nonnullos. Plinius iterum *lib.* 16. *cap.* 5. *Glandes opes esse nunc quoque multarum gentium, etiam pace gaudentium constat. Nec non inopia frugum arefactis molitur farina spissaturq; in panis usum. Quin & hodieq; per Hispanias, secundis mensis glans inferitur. Dulcior eadem in cinere tosta* &c. Plura de *glandibus* varii generis, *ibid.* nec non *cap. seq.* de *glande* verò *myrepsica, seu unguentaria*, Ponticę nuci simili, unde oleum balaninum exprimebatur, Vide Salmasium *ad Solinum pag.* 464.

Glanum, adde: Aliàs quoque *Clanum*, quod unà cum Ernagino Ptolomæus Salyis attribuit. Mella (nisi tamen corrupta sint ejus exemplaria, ut quibusdam videtur) *Glanon* aliud nobis obtrudit, Olliam inter & Citharistam Promuntorium, Hadrianus Valesius *Notit. Galliæ* in voce *Ernaginum*.

Glareâ, extra Urbem, substernendas marginandasque vias, quis primùm locaverit, apud Romanos, Vide infrà, ubi de *Viis*.

Glastum, Gallis herbæ genus, quo Britanni corpora tingebant, teste Plinio *lib.* 22. *cap.* 1. *Simile plantagini* glastum *in Gallia vocatur: quo Britannorum conjuges nurusq; toto corpore oblitæ, quibusdam in sacris & nudæ incedunt, Æthiopum colorem imitantes.* *Guesdum* vel *Pastellum* Galli appellant; cujus lanis inficiendis maximus est usus. Vide Petrum Victorinum *Var. Lect. lib.* 19. *cap.* 3. Salmasius *ad Solinum pag.* 254. pro *glastum*, apud Plin. *guastum* reponi jubet, quam vocem V. infra.

porro *globulorum ligneorum* Joannes Xiphilinus Epitomator Dionis, quos quidam ad tesseras, Pignorius ad missilia refert. Et quidem ad Dionis seu Xiphilini mentem prope accedunt eburnea quædam circularia segmenta notis numeralibus inscripta, quæ Romæ eruta A.C.1607. Auctor prælatus vidit, quæque expressa ex archetypis habes, in ejus erudito *de Servis* opere: neque verò *globulos* illos seu sphærulas è tesserarum is numero penitus eximit, cùm non rarò videamus transire in aliam figuram res, quæ ab arte sunt, manentibus tamen primigeniis nominibus. De *globulis*, quos serico vel aureo filo contextos in calceis habent fœminæ nobiles, V. Balduinum *de Calce*. At *Globulorum* Lusus, in *Musæo* Kircheriano inter perpetui motus tentamenta: Machina est seu Sphæristerium Mechanicum tripartitum, globulos in orbem agitans, motus principio adeo occulto, ut etiam peritissimos quoque Mathematicos in admirationem sui rapiat. Occupat hæc machina integræ fenestræ spatium, cujus ima pars in forma cubica tripalmare spatium complet; intus vero vacua pars rationem motus continuat: plana porro ejus frons eleganter in Optica porrectione sylvas, flumina, montes, valles, colles, hortos & id genus ingeniosi penicilli argumenta refert. In summitatis medio vertice, quà limbum spectat, & ostiolum, à quo continuatus trames extra verticale planum modice (sc. ad *globulorum* diametrum) prominet ad imum usque plani, per oppositos hinc inde alternatim flexus, per declives excavatorum canalium semitas descendit, & alio insequente prior reascendit & hoc, quamdiu pondere in motus agitantur. Machinæ hi versus inscripti sunt,

Sic properat Mundus revolutus in orbe laborum,
Vivitur ingenio, cætera mortis erunt.

V. Georg. de Sepibus *in Coll. Rom, S. J. Musæo p.* 99.

Globus, vox militaris, quales etiam, *frons*, *subsidia*, *cuneus*, *orbis*, *forfices*, *serra*, *alæ*, *turres*, A Gellius *lib* 10. *c.* 9. juxta Vegetium *l.*3 *c.*19. *à sua acie separatus, vago super venis incursat inimicos:* figurâ *globosâ* ac rotundâ fuisse videtur, sic Oiselius *Notis in Gellium.* Aliter *Cohors*, item *Drungus*, quas voces vide; ut & plura hanc in rem apud Casp. Barthium *Animadversion. ad Statii illud Thebaid. lib.*6. *vers.* 414.

Evolvere globum. *& spatio, quo quisq; valebat,*
Diducti.

Aliàs *globus*, idem cum sphæra inter insignia Imperatorum. Isidorus *lib.*18.*c.*3. *Pilam in signo constituisse fertur Augustus propter nationes sibi in cuncto orbe subjectas, ut magis figuram orbis ostenderet.* Quod ipsum præterea in nummis præstitit, in quibus orbem seu *globum* describi curavit: ex quo usus deinceps invaluit, ut aliquot ex subsecutis Impp. in suis pariter monetis effingi se pariter voluerint cum *globo* in dextra: quo symbolo teretem terræ figuram adumbrare Vett. sunt soliti. Unde Martianus Capella *lib.* 1. *duos globosos orbes, quorum unus auro, electro alius prænitebat, dextrâ porrectiore corripuisse* Jovem fingit eoque habitu in Deorum consistorio consedisse, quibus cœli & terræ Imperium designaretur. Ita auctor est Codinus, stetisse CPoli Jovis ejusdem statuam *globos* tres dextrâ tenentem, qui tria mundi climata illius dominatui subdita indicarent. Narratque Ammianus, *l.*25. *Maximiani statuam Cæsaris Antiochiæ, locatam in vestibulo Regiæ, amisisse repentè sphæram æream, formatam in speciem poli, quam gestabat.* Imperatores verò *Mundi* se *Dominos* appellasse, satis declarant Caracallæ & Didii Juliani nummi, in quibus *globum* uterque gestat, cum *Inscr.* RECTOR ORBIS. Et Constantius in Obelisci Romani *Inscr.* DOMINUS MUNDI dicitur, ut de Juliano, de quo in vet. *Inscr.* Valentiniano, apud eundem Ammian. *lib.*29. aliis, nil dicam. Ejusmodi autem *globis*, uti in nummis effinguntur, interdum victoriolæ insistunt, laureas coronas porrigentes Imperatori, interdum cruciculæ. Sed posterioris istius usus notam, ante Valentiniani tempora, in iisdem vix reperias, tametsi crucis figura variis in locis impressa post Constantinum observetur. Post ipsum verò, *crucigeros globos* in utriusque Theodosii & aliorum numismatibus, conspicimus: transeunte à Byzantinis & Orientalibus Augustis postmodum ad Occidentales more, de quo V. suprà in *Cruciger*: plura verò hanc in rem, apud Car. du Fresne *Dissertat. de Infer. ævi Numismat. num.* 18. 19. & infrà in *Palla*, *Pomum* &c.

Glomma, *Glonna* vel *Glonna*, locus Galliæ, ad Ligerim, in Pictonum agro Madalgico, ubi Monasterium S. Florentini vel S. Florentii, vulgò *S. Florent*, inter Castrum Celsum & Calonnam, Hadr. Valesius voce *Salmurus*.

Glomus, apud Philoxenum *in Glossar.* ἀγαθίς, i. convolutio filorum in globum. Continuator Bedæ *Histor. Eccl. lib.*2. *cap.*15. *Neq;* glomos, *ingens portantes paxillum, in introitu fiximus. Globum* vocat Horatius *lib.* 1. *Epist.*13.

— *portes fasciculum librorum* —
Ut *vinosa* globos *furtiva Pyrrhia lanæ.*

Ubi *glomera staminum* exponit Non. συςρεφεῖν quoque & κλῶσμα Philoxenus modò laudatus. Hinc per tralationem crustulum, in cybii figura, *glomus* Festo, & *glomus Cygnorum*, apud Albium Ovidium Juventinum, Auctorem *Philomelæ*,

Grus gruit, inq; glomis cygni prope flumina drensant.

de quo V. Casp. Barthium *ad Statium Thebaid. l.*2. *v.* 12. uti de verbo *glomerare* inde orto, *ibid. lib.*1. *v.*350. Apud Henr. Spelmannum, *Glomerarii* & *Glomerelli* occurrunt, in *Statutis* Academiæ Cantabrig. tertio hinc seculo editis, qui videntur fuisse quasi Commissarii dati, ad lites inter scholares & ministros eorum audiendas, in *Glossar.*

Gloria, fama est alicuius cum laude, unde à γλῶσσα, *lingua*, nonnullis deducitur. Ejus limites quàm ampli, dicat Plin. *l.*2.*c.*68. *Hæ tot portiones terræ, imò verò — mundi punctus (neq; enim est aliud terra in universo) Hæc est materia* gloriæ *nostræ, hæc sedes; hic exercemus imperia, hic opes cupimus, hic tumultuatur genus humanum* &c. Idem tamen & æternam eam agnoscens, sic iterum eleganter, *l. eod. c.*7. *Deus est mortalis juvare mortalem, & hæc ad æternam* gloriam *via! Hac proceres iere Romani*, & quæ sequuntur. Imò non suam homini quærendam magis, quàm Numinis, etiam eminus videre Gentiles: *gloriæ* hominum *immodicæ*, seu, ut Tertull. loquitur, *enormiori*, Deos invidere dictitantes. Martialis *lib.*6. *Epigr.*29.

Immodicis brevis est ætas —

Et succensere, Statius *Theb lib.*6. *v.*691.

Atque illi extemplo, cui spes infringere dulce
Immodicas, Fortuna venis —

peculiari huic rei Numine constituto, Fortunâ, seu Nemesi, omnis arrogantiæ vindice: quod proin, si quæ *gloriatio* excidisset, confestim deprecabantur. Ausonius *Eidyll.*14.

Absistat Nemesis, ferat & Fortuna manum;

Quemadmodum ad invidiam Deorum placandam in ædibus suis res turpiculas, *muttonia* appellat Glossographus, Græci προβασκάνια dixere, suspendere solebant. Qua de re V. Heraldum *ad Martialem* & Barthium *ad Statium d.l.* nec non infrà, in voce *Nemesis*. Apud Recentiores

Gloria, titulus est honorarius, concessus Regibus Magnatibusque. Anastasius Bibl. in *Martino* de Exarcho: *Oportet Gloriam tuam, ut, sicut nobis suggessit Paulus Patriarcha hujus à Deo conservandæ urbis, peragere* &c. Unde *Gloriosi* dicti præcipui Magistratus. Idem *in Johanne PP. Quomodo nobis suggessit Platon* gloriosus *Patricius & Eupraxius gloriosus*. Reges etiam interdum ita compellatos, multis probat Bivarius *Commentar ad Pseudo-Maximum p.* 65. & *seqq.* ubi ejusmodi titulum VVisigothorum inprimis Reges affectasse observat. Triboniano vero JC. *Gloriosissimi* elogium tribuitur *l. ult. Cod. de lib. prat.* V. Joann. Calvinum *Lexic. Jurid.* & Car. du Fresne *in Glossar*. De Filio Dei autem, & Spiritu S. voce Δόξης, *Gloriæ*, indigitatis apud Scriptores Eccl. Joh. Casp. Suicerum *Thesaur. Eccl.* in Δόξα.

Gloria in Excelsis Deo &c. Hymnus Angelicus, Δοξολογία Græcis Patribus, dictus est: qui ut in S. Eucharistia caneretur, Telesphorus Papa instituisse dicitur Baronio *ad A. C.*154. *num.* 2. Symmachus postea Pontifex, ut Dominicis diebus tantùm, & Martyrum festivitatibus, cantaretur, ordinavit. Baronius id. *ad A.C.*514. *num.*12 Et quidem primitus solis Episcopis, temporibus modò dictis, hymnum hunc canere licuisse; Presbyteris verò non nisi Paschatis die id concessum, habetur in *Sacramentar. Gregoriano*. Unde ex privilegio peculiari idem Casinensi Abbati indultum à Zacharia discimus ex *Bullario Casin. Tomo II. constit.* 7. *num.*6. Bonifacius dein sanxit, ut feriâ quintâ Cœnæ Domini quoque decantaretur, ob signum lætitiæ, in publicorum pœnitentium reconciliatione, quæ hoc die celebratur, &c. Quam in rem plura qui scire desiderat, adeat Macros Fratres *in Hierolexico*. qui inter alia in eadem Ecclesia, *Gloria, Laus & Honor*, ad processionem, in Dominica Palmarum cani, addunt. V. quoque suprà ubi de *Doxologia*; & quæ de *Doxologia SS. Trin. de Doxologia* item Hymni Eccles. parte, eruditè congessit J. Casp. Suicerus ubi suprà, voce Δοξολογία.

Glossæ & *Glossemata*, dicebatur Veteribus lingua secretior, seu verba & voces aut antiquæ, aut minùs usitatæ atque à plebe summotæ; uti *Glossaria*, libelli, in quibus hujusmodi verborum interpretatio habebatur Sequior ætas pro interpretatione, scholiis, commentariis dixit *Glossas*, & *glossare*, quod Latinè *interpretari*. Unde inter eruditos hodieque remansit, ut *Glossemata* vocentur τὰ παρεμβαλλόμενα, quæ à Lectoribus explicandi causâ margini primùm aut in puro adscripta, librariorum deinde aut malorum correctorum error ipsis Auctorum scriptis inseruit ac permiscuit, Jo. Frid. Gronovius *Observ. in Eccl. c.* 24. Sic *Glossæ* extant Accursii in Jus Civ. Joan. Semecæ & Barth. Brixiensis in Decretum, *Glossa ordin.* in Biblia. V. Isaac. Casaubonum *ad Athenæum l.*3. *c.*6. *in fin.* Cæl. Rhodiginum *l.*7. *c.*27 & *l.* 13. *c.*4. P. J. Maussacum *Dissert. crit. de Harpocratione, quam subjunxit Harpocrationis Dictionario à se edito*, Joann. à VVouveren *de Polymathia c.*9. Gerh. von Mastricht *Hist. Jur. Eccl. num.* 33. &c. Ut aliquot celebriores *Glossographos* addam, scripsit Varronis tempore Ælius Stilo *explanationum Carminum Saliarium*; è qua vete. Grammatici quædam adducunt *glossemata*, ut appellat Varro, h. e. *voces minus usitatas*, ut interpretatur Quintilianus *l.*1 *c.* 14. Sic prodierunt Ἀττικαὶ λέξεις Philemonis, Γλῶσσαι Κρητικαὶ Hermonis, Λακωνικαὶ Aristophanis. Sed & variarum gentium vocabula sucre interpretati, Nicander Colophonius, Pamphilus, Amerias Macedo, Seleucus, Philemon, Timachidas, Philetas, Alii. V. Gerh. Jo. Vossium *Orat. Inst. l.*4. *c.*1. *n.*7. uti de *Glossographis*

recentioris ævi, Car. du Fresne *Glossographum* illustrem nostri ævi in *Præfat. Glossar.* De vocis v. γλῶσσα, in Sacris, & apud Scriptores Eccl. usu, apud J. Ca p.Su cer m *Thes. Eccl.*

Glottis, avis, *prælongam exerit linguam, unde ei nomen. Hanc initio blandita peregrinatione* (coturnices enim abeuntes prosequitur) *avide profectam, pœnitentia in volatu cum labore scilicet subit. Reverti incomitatam pigeat & sequi: nec unquam plus uno die pergit: in proximo hospitio deserit. Verùm invenitur alia, antecedente anno relicta: simili modo in singulos dies*, Plin. *l.* 10. *c.* 23. V. Salmasium *ad Solinum pag.* 18:.

Glucksburgia Familia, ramus est stirpis Holsato-Sonderburgicæ; alias etiam *Lucksburgia* dicitur, habetque nomen à castro, quod loco cœnobii *Rudoster* in Anglis conditum. Auctor ei Philippus unus ex filiis Johannis cognomento *Junioris*, qui Sonderburgicam lineam condidit & Elisabethæ Brunsuico-Grubenhagiæ, a prudentia Oeconomica singulariter commendatus & octuagesimo anno ætatis A. C. 1663. extinctus. Ei ex Sophia Hedvige Saxo-Angrivaria, ducta A. C. 1624. præter filias, Mariam Elisabetham, Georgii Alberti M. Brandeburgici; Sophiam Hedvigem, Mauritii Ducis Saxoniæ; Augustam Ernesti Guntheri patruelis, Christinam, Christiani D. Saxoniæ; Dorotheam, Christiani primùm Ludovici D. Lunæburgici; nunc, cuius religioni etiam accessit, Friderici VVilhelmi Elect. Brandeburg. conjuges atque Hedvvigem, natam A. C. 1640. geniti sunt aliquot filii, è quibus Franciscus Philippus, Ligeri mersus interiit A.C. 1650. solus superest Christianus, qui *Glucksburgi* habitat, maritus Sibyllæ Ursulæ Brunsuicensis primùm, dein patruelis ... ex Plænensibus. V. Phil. Jac. Spenerum *Syll. Geneal. Hist. in Fam. Oldenburgo-Danica*, & *Theatr. Nobilit. Europ. Part. I. pag.* 46 nec non *Arte Herald. Part. II.*

Glutinum, in re chartaria magni usus. Et quidem ratio chartæ ex papyro olim conficiendæ hæc erat: Papyrus solebat dispesci in tenues philuras, iis acu à se invicem separatis, ita ut suo quæq; ordine detraherentur. Sic dein separatæ, ad modum cratis sternebantur super tabulam, sive asserem ligneum, madentem turbida Nili aquâ, quæ contexebat, ac *conglutinabat* plagulas. Id *contexere biblos* vocat Lucanus: quia nempe plagularum una staminis, altera subteminis instar se haberet. Hoc modo contextæ plagulæ imponebantur prælo, ut humor exprimeretur, quo facto exponebantur Soli, ut magis siccarentur: siccatæ tandem digerebantur in scapum, uti quoque suprà diximus, ubi de *Charta*. Sed turbida Nili aqua in usu non mansit. Nam initio quidem ea fuit affusa marginibus, ut jungerentur schedæ seu philuræ papyri; postea autem pro Nili liquore vero *glutino* uti cœpere. Constabat itaque sic charta duabus rebus, *papyro & glutine*: unde duo hæc jungit Firmus apud Vopiscum, dicens, *Exercitum se alere posse papyro & glutino.* Nempe Ægyptius erat, ac tantas opes in utroque hoc possidebat, ut eas exercitui alendo sufficere existimaret. *Glutinum* verò illud, quia oris intergeritur, ut eas inter se jungat, à Plinio *Intergerinum* appellatur, *lib.* 13. *c.* 12. Atque ab hac *glutinandi* consuetudine primam schedam πρωτόκολλον vocat Justiniani *Novella* 45. uti Martialis ultimam schedam ἐσχατοκόλλιον: origine vocis a κόλλα, *glutinum*; non a κῶλον, *membrum*, quamvis sic Scaliger putabat, propterea πρωτόκωλον & ἐσχατοκώλιον scribendum contendens. Similiterque dicta μακρόκολλα, quibus modulus longior, V. Gerh. Joh. Vossium *de Arte Gramm. lib.* 1. *c.* 37. Qui v. ita *glutinabant* chartam, *Glutinatores* apud Romanos audierunt. Servi erant, Librariis ministrantes, quorum memoriam antiqua *Inscr.* Neapoli servat:

MANLIO STICHIO
TIBERII CÆSARIS
GLUTINATORI.

In vet. Glossario *Glutinator* κολλητής est; meminit Cicero *ad Atticum*, *Etiam velim*, scribens, *mihi mittas de tuis Librariolis duos aliquos, quibus Tyrannio utatur* Glutinatoribus, *ad cætera administris.* Sed neque in chartis tantùm, verùm & in membranis, *Glutini* fuit usus, si antiquo Persii Glossatori *ad Satyr.* 3. credimus, qui *bicolorem membranam* ita interpretatur, quòd pars altera seu facies membranæ crocea esset, *glutinata* altera. Laur. Pignorius *Comm. de Servis*. Etiam malva, in qua antiqui scribebant, quia ob mollitiem folia calami mucronem vix sustinerent, *glutine* aliisque firmari solebat, uti ex Vossio discimus, *cap. præc.* &c. Neque verò *Glutini* hi solùm usus; sed & edule fuit apud Ægyptios. Plinius, *Mandunt quoq; crudum decoctumq;, succum tantùm ejus devorantes.* Unde quòd Firmus, qui in Ægypto Imperium occupaverat, totamque Ægyptum tenebat, *exercitum se alere posse papyro & glutino, publicè sæpè dixit*, apud Vopiscum: non de pretiis harum rerum, sed de speciebus ipsis accipiendum esse, contendit Salmasius. Et quidem, cum duæ essent species *glutini*, utramque edulem facit idem Plinius. Vulgare *glutinum* è pollinis flore temperabatur, fervente aquâ, minimo aceti aspersu; optimum verò erat ad chartas, quod ex molli panis fermentati colata aqua fervente parabatur. Dicebat igitur hic Firmus, tantum se habuisse chartarũ, ut earum papyro, priusquam chartæ ex eo fierent & *glutino*, quod in eas perficiendas impendebatur, exercitum alere posset. V. omnino præ[dic]tum Salmasium *l. c.* & Plinium ubi suprà, alibique passim.

Glycada, hodiernis Græcis locus Achajæ, prope Patras, ... inde leucâ distans, à dulcedine & copia malorum citreo[rum] (quæ nullibi totius orbis præstantiora) aurantiorum & ... torum, nomen nactus: γλυκὺς enim *dulcis*, ut notum. V. ... descriptionem, apud Jacobum Sponium *Itiner. Part.* 2. *pag.* ...

Glycera, inventrix corollarum, memoratur Plinio *lib.* ... ubi de Pausia pictore: *Amavit in juventa Glyceram, ... corollarum, certandoq; imitatione ejus, ad numerosissimam ... varietatem perduxit artem illam.* Sed *vitricem* legi vult Salmasius ... viendo seu plectendo, Στεφανοπλόκος enim fuit, V. infra in voce *Stephanoplocos*.

Glycirrhiza, Græcè γλυκύῤῥιζα, h. e. *radix dulcis*, alias Σκυθικὴ ῥίζα, *Scythica radix*, uno nomine Σκύθιον, quòd in *Scythia*, circa Mæotim paludem plurima nasceretur; radix est tota lignea, coloris buxei planè & pallidi, cujus ligno ξανθίζειν τὰς γυναῖκας ... τὰ ἔρια, *capillos suos mulieres, & lanas tingere* consuevisse Veteres, Hesychius ait. Hinc χρυσόξυλον, quasi *aureum lignum*, appellatum suo tempore, in Græcia, notant Interpretes Aristophanis & Theocriti. Notus certè pallor auri. Catullus,

O quàm sæpe magis fulgore expalluit auri

Idem —— *inaurata pallidior statua* &c.

Porro ἄδιψον ea & ἄλιμον, Plin. *l.* 25. *cap.* 8. *Magna & ea commendatio, quòd in ore eam habentes sitim famemq; non sentiunt.* De eadem Auctor Anon. *Sinæ & Europ. Pectoris obstructionibus liquida solvendis: per Franconiam Orientalem frequens & cultura, nunquam salix, sed humilior, non assurgit in truncum; & nisi tertio anno propagetur, evanescit: aliquando pollicis crassitudinem æquat ... rius. Salicetum pullulans videtur ager*, *cap.* 32. V. plura apud Plinium *lib.* 21. *cap.* 15. & Salmasium *ad Solinum p.* 1164. qui etiam de Recentiorum Γλυκυκάλαμῳ, q. *Dulci arundine*, quo nomine casiam fistulam vult intellectam, varia habet, *p.* 1301. *& seqq.*

G N.

Gnæus, Festo *corporis insigne & prænomen, à generando dicta est, & ea ipsa ex Græco γεννᾶν apparet.* Nempe *gnævus* illis aut *gnæus*, genitiva nota est. Sed ἀπὸ τοῦ ... verbo vocem deducit & ... ac φῦμα significare docet Salmasius *ad Solinum p.* 3[?]. V. de tali prænomine, in *Cneus*, & de *Genitalibus* seu *genitivis* ... supra.

Gnidus, adde: Item civ. Illyrici, de qua V. Jac. Gronovium *in Epist. Livii Tomo II. subjectis*.

Gnoitæ, Hæretici, V. suprà *Agnoetæ*.

Gnome, Græcè Γνώμη, Lat. *Sententia*, Plutarcho ... est ... καθολικὸς, περὶ τῶν κατὰ τὸν βίον, λόγος σύντομος, *dictum generale & breve, de re ad vitam pertinente.* Quæ cùm personæ alicui accommodatur, Νόημα, cùm auctor additur, Χρεία dicitur. Illarum autem quædam ostendunt, quid fiat; aliæ quid fieri debeat. Per quas posteriores, quæ revera γνῶμαι, Ethicam olim tradidere Sapientes, sententiis hujusmodi ad virtutem accensuti, & a vitiis homines avocaturi: ut inter alia VII. Græciæ Sapientum exemplo constat. Ut verò numero quoque ... acceptiores essent, versibus plerumque hæ *gnomæ* comprehendi solitæ sunt: quemadmodum eodem consilio prisci Legislatores similiter leges suas scripsere. Ut enim carmina ad memoriam faciunt ... mùm, sic nescio quem enthusiasmum in se continere videntur. Hinc Γνωμολογία, quam ad Enthymema Aristoteles refert, quòd in hac argumentandi forma antecedens plerumque *gnome* occupet, qua de re V. Vossium *Institut. Orator. lib.* 2. *c.* 15. *num.* ... 8. *num.* 11. alibique. Reliquas vocis notiones apud H. Steph. vide. Apud Scriptores Eccl. eâ modò *mentem* & *sententiam*, modò *voluntatem* seu προαίρεσιν, modò *consilium*, modò ... τῷ ἀπροβουλεύτῳ oppositam, denotari, aliquando etiam ... opponi, docet Jo. Casp. Suicerus *Thes. Eccl.* in *Γνώμη*.

Gnomonica, Gr. Γνωμονικὴ, ars ex umbrarum momentis ... *gnomonis*, (styli, qui in medio amusio collocatur ad umbras indagandas, Σκιοθήρας Græcis) non solùm horas, verùm etiam climatum diversitates & poli elevationes deprehendendi, memoratur A. Gellio *l.* 1. *c.* 9. Inventorem habuit Anaximandrum, vel juxta alios, Anaximenem Milesium. V. Salmasium *ad Solin. pag.* 632. & *seqq.* ubi inter alia, circa Olympiadem 50. *Gnomonicen* cum Astrologia à Babyloniis in Græciam venisse, ostendit. Quando verò Horologia cum horis primùm Romæ in usu fuerint, non ita proclive dictu est: Interim quadringentos septem annos ... ipsos fuisse, cùm à Marco Valerio horologium in foro positum, Plinius commemorat. Apud Græcos non multò Alexandri ætatem eorum usus antecessit. V. infrà in voce *Hora*. ... Kircherus *Gnomonicam catoptricam*, sive *Horologiographiam* ... *xam*, qua per specula totius primi Mobilis doctrina, ... que ductus, in interioribus domuum parietibus delineatis, ... reflexo demonstrantur, edidit Avenione A. C. 1634. Sed & ... *mo norma* est, quam vocem, V. infra.

G O.

GOTH. in notis antiquis *Gothicos* denotat &c.

Gobelinus, apud Ordericum Vitalem *l.* 5. *p.* 556. *Dæmon ... quem de Dianæ fano expulit, adhuc in eadem urbe degit & in ... frequen...*

quenter formis apparens neminem lædit. Hunc vulgus Gobelinum *appellat & per merita S. Taurini ab humana læsione coercitum usque hodie affirmat.* Ex eorum genere, qui vulgò Lutoni dicuntur, Gallis *Gobelins*, *Demons Follastres*. De quibus sic Callianus *Collat 7. cap. 32. Nonnullos eorum, quos etiam Faunos vulgus appellat, ita seductores & joculatores esse manifestum est, ut certa quæq; loca seu vias jugiter obsidentes, nequaquam torquentis eorum quos prætereuntes potuerint decipere delectentur sed derisio tantummodo & illusione contenti, fatigare eos potiùs studeant, quàm nocere* &c. C. du Fresne.

Gobio, seu *Gobius*, piscis genus, è quo saxatilis, ut &, qui in arenosis vivit littoribus, Galeno commendatur *de Alim. lib.* ubi & de gobiorum aliis judicium promit. Apud Athenæum tamen, multum succi gignere, at non boni; sed neque multum nutrire: interea sapore esse gratos, facileque excerni, Hicelius refert, ex Diocle & Mnesitheo. Honore certè non eo fuisse, quo mullos, aliosque pretii ingentis, discas ex Juvenali *Sat.* II.

Nec mullum cupias, cùm sit tibi gobio *tantùm*
In loculis —

Et Martiale *in Xeniis*,

In Veneris sunt lauta licèt convivia terris,
Principium cœnæ gobius *esse solet.*

V. plura apud Gerh. Joh. Vossium *de orig. & progr. Idol. lib.* 4. c.24. Addo saltem, portento simile habitum, cùm ex *gobiorum* lactibus centena fercula (tot enim convivæ accubuerant) exhibuit Venetiis vir patricii ordinis, in famosa illa cœna, quam describere pluribus visum est Egnatio *lib.* 9. *cap.* 1. & Sabellico *lib.* 8. *cap.* 7.

Gobionia Familia, Gall. *Goyon*, familia Galliæ illustris: in qua vixit Stephanus Dn. *de la Goniniere*, & *de Chasteangoyon*, pater Alani & Johannis; cujus posteritas non duravit, uti nec alterius Johannis, Alano I. geniti. Verùm Alani II. ejus fratris, filius Stephanus fuit, qui Bertrandum Dn. *de Matignon*. Ludovicum Dn. *de Launay* & Stephanum Dn. *de Launay Goyon* suscepit. Medii successio defecit: A' primo descendunt Comites *de Thorigny* Dni *de Matignon*; à tertio Marchiones *de la Moussaye* Comites *de Quintin* & *de Plouer*. Et quidem priores quod attinet, Bertrandus præfatus, qui obiit A. C. 1480. ex Johanna *du Perier*, fil. Johannis Com. *de Quintin*, filium habuit Guidonem; defunctum A.C.1498. quo & Perrina *de Jeuconrt*, natus Jacobus, obiit A. C. 1542. Pater ex Anna *de Solly* Jacobi Dn. *de Matignon*, (quem titulum à Majoribus accepit) Com. *de Thorigny*; qui, extinctus A. C. 1597. reliquit ex Francisca *de Daillon* fil. Johannis *de Daillon* Com. *du Lude*, Carolum *Goyon* Dn. *de Matignon* Com. *de Thorigny*: cujus & Eleonoræ Aurelianæ (fil. Leonori Aureliani D. Longavillani, qui obiit A. C. 1573.) liberi erant, Henricus Com. *de Thorigny* (cæsus duello à Buttevillio, ux. Henrica *de la Guiche*) Petrus Com. *de Thorigny* (maritus Mariæ f. Annæ *Malon de Berty*, unde filius Franciscus C. *de Thorigny*) Leonorus (Episc. *de Lisieux* seu Lexoviensis & *de Constances* seu Constantiensis) ac Catharina (quæ nupsit Francisco *de Silly* D. de *la Rocheguyon*) Phil. Jacobus Spenerus *Theatr. Nobil. Europ. Pars. II. pag.* 39. Posteriores quod concernit, Ludovicus *Goyon* Dn. *de Launay*, qui obiit A. C. 1538. è Stephano supra memorato oriundus, ex Ludovica *de Chasteaubriant* suscepit Almericum I. (*Amaury*) *Goyon* Bar. *de la Moussaye* Dn. *de Launay*: Patrem, ex Catharina *Madeuc*, Caroli *Goyon* Bar. *de la Moussaye* Com. *de Plouer*: quo & Claudia *du Chastel*, genitus Almericus II. March. *de Moussaye*, Catharinam *de Champagne* (fil. Ludovici *Champagne* Com. *de la Suse*) sibi junxit, genuitq; Almericum III. cujus ex Henrica Catharina Turria, filiâ Henrici Turrii Duc. Bullionæi Principis Sedanensis, (qui obiit A.C. 1623.) varii supersunt liberi, nominis ac familiæ *Goyon* seu *Gobio*. V. eundem Spenerum *Part. ead. pag.* 114. ut & *in Indice.*

Viri Principes.

Godefridus I. è familia Giselberti Comitis Mansuariæ, de quo suprà: filius Henrici II. Dom. Lovanii (cujus avus Lambertus I. prælio ad Florinas, adversùs Godefridum cognom. *Gibbosum*, A. C. 1015. cecidit, pater Henricus I. pro Ducatu Lotharingiæ bellum gessit) ex Adela Thuringica, frater Henrici, qui primus *Brachbantiæ Patriæ Comitem* se dixit, cognom. *Senior* vel *Barbatus*, Ducatum Lotharingiæ inferioris, in familiam suam reduxit: quin & A. C. 1137. Marchionatum Antuerpiæ, quo A. C. 1126. à Waleramo D. Limburgi fuerat spoliatus. Ei successit ex Ida Namurcensi filius

Godefridus II. seu *Junior*, cui cum Henrico D. Limburgensi acre bellum fuit. Ei cùm moreretur A. C. 1143. successit ex Luidgardi Dagsburgia filius

Godefridus III. cognom. *in Cunis*, quòd in cunis prolatus in aciem, cùm prælium adversùs factionem Grimbergiam committeretur, victor infans fuerit. Ab hujus ex secunda conjuge Imagina Lossensi filiis *Willhelmo* & *Godefrido*, Domini Petvveysii orti. Ex prima Margaretha Limburgica, præter Albertum Episc. Leodium, quem ad Rhemensium urbem cæsum A. C. 1128. sanctis annumerant, susceptus est Henricus I. cognom. *Probus*, Brabantiæ Ducum & Landgraviorum Hassiæ auctor: inter cujus filios *Godefridum* quoque nominant, à quo Dominis Gaesbeckiis & Herillalis, cognom. *de Lovanio*, origo. Alter verò Henricus II. cognom. *Magnanimus*, Patris successor fuit, Henrici III. cogn. *Mansueti*, Ducis Brabantiæ genitor.

Godefridus, Vierzonti & Archoti Dominus, fil. Henrici III. præfati, hæredibus filiabus, cum filio ad Curtracum cecidit A. C. 1301. frater Johannis I. Brabantiæ & Limburgi Ducis. Fuit idem nomen uni filiorum Johannis III. quo sine masculo hærede, (filii enim omnes præmortui) extincto, successit, agnatis Hassis præteritis, ex Joanna gener VVenceslaus Lucenburgicus. Phil. Jac. Spenerus *in Fam. Hassiaca.*

Godefridus Bullionæus, adde: Hinc non Rex, sed Dux Hierosolymorum, creatus est, unde sepulchro ejus hæc tantùm inscripta: *Hic jacet inclytus Godefridus de Bonillon, qui totam istam terram acquisivit cultui Christiano. Anima ejus acquiescit in pace.* Primus proin *Rex* meritò Balduinus, qui eum excepit, dicitur Guil. Tyrio *lib.* 11. *cap.* 15. *secundus*, Balduinus de Burgo *lib.* 12. *cap.* 1. *tertius*, Fulco, *tit.* 16. *cap.* 1. Hornius.

Godendac, armorum species, quam Flandris fuisse familiarem, innuit Guil. Gujartus sub A.C. 1298. apud Car. du Fresne *in Glossar.* V. Joan. Villaneum *lib.* 8. *cap.* 55.

Godscalcus, filius Udonis Herulorum Regis, summi Christianorum osoris, ante regnum conversus, patris ab aliquo Saxone transfuga occisi necem in Saxonibus ultus est. Cæterùm, cùm apud suos fidem propagare vellet, ipse ejus præco à subditis A.C. 1066. occisus, duos reliquit filios Buthuen & Henricum: è quorum posteris Megapolitani & Vandalici Principes orti sunt. Idem *in Fam. Vandalica.*

Gatinga, Germ. *Göttingen*, urbs non incelebris Germaniæ in Duc. Brunsuicensi, haud procul à Witsenhusa Hassiæ oppido, olim sub proprio Principe fuit. Albertus enim cognom. *Pinguis*, Alberti cognom. *Magni* D. Brunsuicensis fil. natu minor, *Gatingam*, & fratre Wilhelmo mortuo, Brunsuicum cum Guelf. rbyto tenuit, cùm frater ejus Albertus cognom. *Mirabilis*, Grubenhagiam lineam condidisset. Ejus filiorum medius Ernestus Principatum *Gatingensem, seu an der Lein*, ad filium Ottonem cognom. *Armipotentem* vel *Malum*, & nepotem Ottonem cogn. *Coclitem* transmisit. Cujus tutor Wilhelmus cognom. *Senior*, Dux Guelferbytanus, ditiones initio 10000. aur. oppignoratas, inde eo sine hærede extincto, successione hæreditaria pro media parte obtinuit: alterâ Lunæburgicis agnatis ut cederet compelli non potuit: unde usque ad Mindensem transactionem linearum controversiæ. Hic cùm obiisset A. C. 1482. Wilhelmo *Gatinga*, & Friderico filiis ejus Hannovera contigit: quorum illo geniti Henricus cognom. *Senior* vel *Malus*, Guelferbytani, & Ericus cognom. *Senior*, *Gatingensis* seu Calenbergii rami auctores fuere: sed defecit hic in filio ejus Erico cognom. *Juniore* A. C. 1584. mortuo. Contigit transactio Mindensis, cujus suprà mentio A. C. 1512. quo Henricus cognom. *Junior*, Dux Lunæburgicus, agnatis Henrico & Erico præfatis, partem dimidiam, quam Lunæburgici in *Gatingensi* Principatu habebant, ut & in civ. Hannovera, quibusdam servatis, concessit, alia vicissim ab ipsis recipiens. V. Phil. Jac. Spenerum *Sylloge Gen. Histor. in Fam. Guelfica*, & in voce *Gatinga.*

Gogravius, Germ. *Gograve*, Comes, qui sine causæ cognitione judicat; vel potiùs *Gograve* seu *Gaugraffe*, Præses aut Comes pagi; *Gau* namque & *Gow*, apud Teutones, pro pago seu territorio sumi, notum. *Speculum* Saxon. *lib.* 1. *art.* 2. §. 6. *Pagani proprium non habentes, suorum* Gograviorum *judicium expectent. art.* 55. *Gogravius*, ab incolis trium villarum seu prædiorum eligi dicitur: ad tempus, *artic.* 58. § 2. quandoque ad hanc dignitatem infeudatur, *art.* 58. §. 1. *art.* 71. ubi tunc *Gogravius natus* dicitur. Ejus jurisdictionem cessare, cùm adest Comes, dicitur *artic. eodem* 58. §. 2. V. quoque *lib.* 2. *art* 13. §. 1. &c. Car. du Fresne *Glossar.*

Goilartus, monetæ Petricoricensis, in Gallia, species: *Tabular.* Abbat. Deip. Santon. *Willelmus Comes, filius Guidonis Comitis, fecit fundere monetam suam. quæ dicebatur de* Goilart, *Ricardo cognomento de Santonis*; quæ *Goliardus* dicitur, in *Tabulario* Monasterii *de Chantoin* In Arvernis, apud du Fresne *Glossar.*

Golias, apud Silvestrum Giraldum *in Speculo Ecclesiæ lib.* 4. c.1[illegible] *Parasitus fuit, gulositate pariter & dicacitate famosissimus — literatus tamen affatim, sed nec bene morigeratus, nec disciplinis informatus, qui in Papam & Curiam Romanam carmina famosa pluries & plurima, tam metrica, quàm rhythmica, non minùs impudenter, quàm imprudenter, evomuit.* Unde *Goliardi* quibusdam videntur dicti Breviloquo, *busones, joculatores*; de quibus Concilium Turon. seu Castelli Guntheri A. C. 1231. *can.* 21. *Statuimus, quòd Clerici Ribaldi, maximè qui* Goliardi *nuncupantur, per Episcopos & alios Ecclesiæ Prælatos præcipiantur tonderi vel radi, ita quòd non remaneat in eis tonsura Clericalis.* Certè *de familia Goliæ*, tales vocantur, in Concilio Senonensi *A. C.* 923. sub Gualtero Archiep. *can.* 13. & *versus ridiculos composuisse*, dicuntur. apud Matth. Paris. *A. C.* 1229. Artem verò fuisse, innuitur *cap.* 1. *de Vita & Honest. Cleric. in Sexto*: *Clerici, qui Clericalis ordinis dignitati non modicum detrahentes, se joculatores seu* goliardos *faciunt aut busones, si per annum artem illam exercuerint*: quæ eadem habet Concil. Salzburgense A. C. 1310. *can.* 3. nisi quòd *Galiardi* legit &c. Hinc Itali *Gagliardo*, Galli *Gaillard*, suum hausere. V. du Fresne *Glossar.* Macros Fratres *Hierolex.* Joannem Seldenum *ad Fletam p.* 524. Alios.

Gondia, vulgò *Gondy*, Familia Galliæ celebris. Origine Florentina est, & ab Antonio descendit, qui Magister Aulæ Delfini fuit; Ejus filius Albertus, Regi gratus, Ducis *de Rais* sive *Rez* titulum obtinuit: auctor ex filiis Carolo Marck. *de Belliste*, ac Philippo Emanuele Com. *de Joigny*, duarum linearum; sed hujus filius illius nepte ac hærede ductâ dominia iterum junxit. Quatuor ex familia ista Episcopi ac Archiepiscopi Parisiorum fuere. Majores *Gondiorum* autem sic habent: N. *Gondi*, Nobilis Florentinus, ex N. N. filium habuit Antonium præfatum Com. *de S. Trivier*, qui ex Maria de Petra viva, genuit Albertum Duc. Ratensem; cui ex Claudia Catharina *de Clermont*, natus Philippus Emanuel Com. *de Joigny*, in matrimonio Margaretæ *de Silly* (Antonii *de Silly* Com. *de Rochepot* filiæ) filium suscepit Petrum *Gondium* Duc. *de Rais & de Beaupreau*, ex Francisca seu Catharina cognatâ, aliquot liberorum Patrem. Spenerus *Theatr. Part. II. p.* 34.

Gondola, navigioli seu scaphulæ species, quâ æstuaria Veneta pertranseuntur; à Græcis recentioribus mutuata vox, quibus κοντοδάς, idem quod *βάρκα*, sonat, Harmenopulus *lib.* 2 *cap* 11. §. 9. Non quòd *contis* regatur & ex iis navibus sit, *quæ non antemnâ, sed conto reguntur*, ut est apud Hieronymum *in Vita Hilarionis*, uti volunt Covarruvias & Octav. Ferrarius; nam cymbæ Venetæ remis aguntur: sed quòd κονδὸς Græcis nuperis *brevis* sit, ἰλάε verò *navis*; sic enim *Gondola* est brevis navicula &c. du Fresne *Glossar.* Guil. Apulus *de Gestis Norm. lib.* 4. ita de Venetis,

Non ignara quidem belli navalis & audax,
Gens erat hæc: illam populosa Venetia misit,
Imperii prece, dives opum divesq; virorum,
Qua sinus Adriacis interluitur ultimus undis
Subjacet Arcturo. Sunt hujus mœnia gentis
Circumsepta mari, nec ab ædibus alter ad ædes
Alterius transire potest, nisi lintre vehatur.

V. quoq; Brodæum *ad Anthologiam lib.* 1. & Meursium *in Glossario.*

Gonzaga, nomen Familiæ in Italia illustris, plurium Eruditorum Virorum studio excultæ: Inprimis verò Antonius Possevinus junior integro volumine *Gonzagarum* historiam exequutus est. Præcipui stirpis hujus rami sunt 1. *Mantuanus*, qui nunc cum Nivernensi unus est. 2. *Sablonetensis*, qui, primario palmite exciso, in Principibus S. Martini & Bozoli viret. 3. *Castilionæus.* 4. *Guastaldius.* 5. *Novellarius* vel *Nuvolarius* &c. Et quidem primum quod spectat, Fridericus *Gonzaga* March. Mantuæ, (qui obiit A. C. 1484.) ex Margaretha Bavarica fil. Alberti Ducis, pater fuit Francisci, extincti A. C. 1519. quo & Isabellâ Atestinâ genitus Fridericus Dux Mantuæ, obiit A. C. 1540. Pater, ex Margaretha Montferratensi fil. Wilhelmi Ducis, Ludovici Gonzagæ, D. Nivernii, qui decessit A. C. 1595. Ei ex Henrica Clivia fil. Francisci Clivii D. Nivernii, genitus Carolus I. D. Mantuæ, obiit A. C. 1637. pater ex Catharina Lotharingica (fil. Caroli Lotharingi Duc. Meduanii) Caroli II. Duc. Nivernii (extincti A. C. 1631. cujus sorores, Aloysia Maria ux. fuit Vladislai & Casimiri fratrum, Regum Poloniæ, ac Anna ux. Edoardi Com. Palatini Rheni) quo & Mariâ *Gonzagâ* Mantuanâ (fil. Francisci Duc. Mantuæ defuncti A. C. 1612.) genitus est Carolus *Gonzaga* III. Dux Mantuæ, maritus Isabellæ Claræ Austriacæ, & frater Eleonoræ (viduæ Ferdinandi III. Imper.) obiit autem is A. C. 1665. ætat. 36. relicto filio. V. Spenerum *Theatr. Nobilit. Tom. I. p.* 39.

Gordiæa, adde: Partem Tauri esse *Gordyæos montes*, docet Salmasius *ad Solinum pag.* 621. *Taurus — Sophenen & reliquam Armeniam majorem à Mesopotamia disterminat. Et primò quidem vocatur Taurus. alii Gordyæos montes nominant. In his montibus est Masius, Nisibi imminens. deinde magis magisq; attollitur, atq; appellatur Niphates, ex cujus latere Meridionali oritur Tigris, ut ex Septentrionali Euphrates* &c.

Gordius, & Protogenes aurigæ, *primò in certamine Curuli socii Heliogabali: post in omni vita & actu participes fuere*, Æl. Lampridius *in eo*: & quidem prior *Vigilum præfectus*, ab eodem factus dicitur, *in seqq.* Salmasius *Cordius* vult legi, *Not. ad Lampridium.*

Gorgades, apud Solinum, *Insulæ* sunt *obversæ promuntorio, quod vocamus Hesperuceras. Has incoluerunt Gorgones monstra & sanè usq; adhuc monstrosa gens habitat. Distant à continente bidui navigatione. Prodidit deniq; Xenophon Lampsacenus Hannonem Panorum Regem in eas permeavisse, repertasq; ibi fœminas aliti pernicitate, atq; ex omnibus, quæ apparuerant, duas captas tam hirtis atq; aspero corpore, ut ad argumentum spectandæ rei duarum cutes miraculi gratiâ, inter donaria Junonis, suspenderit: quæ duravere usq; in tempora excidii Carthaginensis. Ultra* Gorgadas *Hesperidum insulæ* &c. *cap. ult.* Græcè αἱ Γοργάδες, item Γοργίδες; sic dictæ à pernicitate fœminarum, quas *Gorgades* vocat Plinius, i. pernices, sicut Græcis γοργάδες ἀλιάδες, cita navigia sunt. An hæ *Gorgadum Insulæ*, id est, pernicium fœminarum, eædem fuerint, quas à *Gorgonibus* olim habitatas finxit vetustas, non adeò liquet. Salmasius *ad Solinum pag.* 1296. V. etiam in voce *Gorgones.*

Gorgasus, unà cum Nicomacho, ab Isthmio, Glauci Messenii filio, templo extructo cultus est, Pheris seu Pharis Messeniacis, uti habet Pausanias *Messeniacis.*

Gorge, apud Higinium *cap.* 174. *At sorores Meleagri, præter Gorgen & Deianiram flendo, Deorum voluntate, in aves sunt commutatæ.* Statium *Thebaid. lib.* 5. *versu* 207.

—— *Helimum temeraria* Gorge
Evinctum ramis ——

Γόργη Apollodoro *lib.* 1. de Oenei liberis, καὶ θυγατέρες Γόργη, ἣν Ἀνδραίμων ἔγημε &c. Aliter *Gorgis*, eidem Higinio *cap.* 97. *Thoas Andræmonis & Gorgidis filius Tyro venit, navibus XV.* Communiter Græcis monumentis literarum *Gorge* dicitur, à voce γοργὸς, *torvus*, item *pernix.* Hesychius, Γοργώψας, παρὰ τὸ ἀλεῖψαι. Unde fabula *Gorgonis & Gorgonum*, quam tamen Homero ignotam, et eodem Hesychio notat Barthius *ad Statium Theb. lib.* 9. *vers.* 74. V. & in voce *Gorgones.*

Gorgus, Græcè Γοργὸς, unus ex tribus amnibus, qui in Tigrim influunt, Ptolemæo memoratis, de quo V. Salmasium *ad Solinum pag.* 698.

Goritiæ Palatinatus, adde: Terram hanc clientelæ seu feudi jure à Rep. Veneta quondam habuisse Comites ejus, sunt qui affirment, ex quibus Leonhardus, nullo relicto hærede, vitâ excessit A. C. 1501. unde Comitatus iste Austriacæ Domui obvenit, cui jam magna ex parte pignoris jure obstrictus tenebatur. V. Fr. Sanson *dell' Orig. delle case illustri d' Ital. in Famil. Partia pag.* 142. G. de Roo *lib.* 11. Tob. Pfannerum *de præc. Germaniæ Principum Gentibus cap.* 1. &c.

de *Gorrevod* Guido, floruit in Burgundia A. C. 1180. in cujus posteris Johannes, seculo decimo quarto, genuit Johannem & Hugoninum: quorum hujus lineam terminavit, sed rebus gestis nobilitavit, Laurentius Comes *de Pontdevaux* Carolo V. gratus. Ab illo autem, præter Dominos *de Lornon*, descenderunt Domini *de Salans*, qui demum Laurentii agnati successores fuere. tit. Ducum *de Pontdevaux* & *Principum Imperii* cum tempore aucti. Et quidem Ludovic⁹ Dn. *de Gorrevod* & *Presschise*, filium habuit Johannem Dn. *de Cond*; qui ex Guicharda de Monte Regali, pater fuit Johannis *de Gorrevod* Com. *de Pontdevaux*: cujus, ex Claudia *de Semur*, filius Laurentius II. Dux *de Pondevaux* March. *de Marnay*. obiit A. C. 1625. relictis ex Isabella *de Burgundia* (fil. Hermanni *de Burgundia* Com. *de Falais*) Philippo Eugenio Duce *de Pont de Vaux* Com. *de Salins* Dn. *de Gorrevod*, Carolo March. *de Marnay* dein Archiepiscopo Vesontionensi & Magdalenâ. V. Spenerum *Theatr. Nobil. Part. II. p.* 88.

Gortheni, Hæretici, apud Epiphanium *Hær.* 12.

Gortyn, adde: Amplitudinem hujus civitatis olim centum quinquaginta stadia implevisse, scribit Strabo *lib.* 10. ad quem locum V. Casp. Barthium *Animadversion. ad Statium Thebaid. lib.* 5. *versu* 361. Conditam à *Gortye* heroë, atque *Ellotiam* primò ab Europa Cretensibus sic dictâ, appellatam fuisse, legas apud Stephanum. Atymnum ibidem cultum esse, Solinus memorat *cap.* 11. ad quem V. Salmasium *pag.* 172. V. quoque suprà ubi de *Atymno.*

Gossipium, hisce describitur Plinio *lib.* 19. *cap.* 1. *Superior pars Ægypti in Arabiam vergens, gignit fruticem, quem aliqui* gossipion *vocant. plures xylon, & ideo lina inde facta xylina. Parvus est similemq; barbatæ nucis defert fructum, cujus ex interiore bombyce lanugo netur. Nec ulla sunt eis candore mollitiave præferenda. Vestes inde Sacerdotibus Ægypti gratissimæ.* Ubi *nec ulla sunt cum candore molliora & spissiora*, legi vult Salmasius. Non enim solum mollitie & candore præcipua est lana hæc xylina, Græcè ἐριόξυλον, quæ *lini* etiam nomine hinc veniebat, sed etiam spissa est, & τὸ παχὺ habet, quod lino non inest. Nucem ejus quod attinet, triplicem illa habet διαίρεσιν seu *divisionem*, & cùm maturescit, dehiscentibus dissepimentis lana apparet, quæ inde extrahitur, uti de arboribus Tyli insulæ laniferis similiter scribit Theophrastus. Quam verò *bombycem* vocavere Vett. non solùm quæ ex vermibus sic dictis nebatur, sed molliorem omnem lanæ linique lanuginem, hinc recentiores *bombax* & *bambax*, de *gossypio* propriè usurparunt, ut vidimus. Hodie colitur hic frutex in Sicilia, Brasilia & nonnullibi in Oriente: optimum autem, quamvis minori numero, in Ins. Melita *gossipium* colligitur. Machinæ, quâ Turcæ in Asia utuntur, ad faciendum illud, iconem habes apud Jac. Sponium *Itinerar. Part. I* ubi de VII. Ecclesiis. Apud Sinenses, qui *gossipii* semen ante annos plus minùs octingentos accepere, tanta inde illi⁹ copia est, ut, cùm in unica civ. *Xanghai*, sub Nankinga, ducenta textorum millia numerentur, maxima ex iis pars *gossipio* suam operam navet, in quo opere cùm mulieres potissimum excellant, viri agris colendis reliquisq; negotiis obeundis interea occupentur. Unde minùs mirum, solam hanc civitatem solvere Imperatori, ex solo *gossipio*, ducenta quinquaginta ducatorum milia. Et hoc optimum habetur, quod in Nankinga conficitur, adeoq; reliquis carius est. Cæterùm gallinæ genus in Quansia prov. ejusdem Imperii est, quod *gossipium* quoque evomit, seu fila longiora, qualia ex gossipio confici solent; sed eadem, nisi colligantur, resorbet, aranearum instar &c. Auctor Anon. *Sinæ & Europ.* 37. Plura hanc in rem V. apud Salmasium *ad Solinum pag.* 296. & *seqq.* nec non 998. & suprà, in voce *Bombax.*

Gotharius Kettlerus, Magnus Magister Ordinis Livonici ultimus, nomine Evangelio dato, in præsentia Principis Nicolai Radzivilii, Palatini Vilnensis & Commissarii Sigismundi Augusti Poloniæ R. solenniter Ordini renuntiavit. Quo facto Regi jure

& pri-

& privilegia Ordinis, cum urbe Ripa: *Gothardo* verò Ducatus Curlandiæ & Semigalliæ, sub fide Regum Poloniæ, cessit, sec. præt. Christophorum, ex familia Megapolitanorum Ducum, Livoniæ Archiepiscopum, quod cum Erico Succiæ R. transegisset, nomine Poloniæ Regis, in venatione cepit ac dejecit, totâ diœcesi regno addictâ. Obiit A.C. 1587.

Gothium, h. e. *Gothorum*, monetæ, meminit est, in *Additam.* 2. *Burgundion.* §. 6. *De monetis solidorum præcipimus custodire, ut omne aurum quodcunq; pensaveris accipiatur, præter quatuor tantùm monetas. Valentiniani* (quos Gundebaldus *Præf. ad L. Burgund. Romanos* vocat) *Genavensis* (quæ moneta Regum Burgund. fuit, Genevæ cusa) *& Gothium* (i. Gothorum) *qui à tempore Alarici Regis adærati sunt, & Ardaricanus* (l. *Alaricanos*) *Quòd si quiscunq; præter istas quatuor monetas aurum pensatum non acceperit, quod vendere volebat, non accepto pretio perdat.* Plerique autem nummorum Regum *Gothicorum* Italiæ, Augustorum effigies & nomina præferunt in adversâ parte, in aversâ verò Regum istorum nomina titulosque; quòd, Byzantinis Principibus quodammodo obnoxii, hac Italiam conditione possiderent, ut ipsos pro supremis dominis agnoscerent monetamque eorum nomine cuderent, nominibus suis iisdem tantummodò inscriptis. Cujusmodi sunt, qui Anastasii, Justini & Justiniani effigies ac nomina præferunt, cum horum Regum nominibus: atque adeò æreî complures, Justini solius imagine & nomine insignes, qui in aversâ parte monogrammata minuscula RD. aut similia habent: quod ex eo potissimùm colligere licet, quòd in nummi, qui Justini effigiem nomenque præfert, parte posticâ, circa idem monogramma, describatur hoc lemma, INVICTA ROMA, quòdq; qui eorum Regum nomina imaginesque repræsentant, similem habeant inscriptionem, cùm, iisdem Augustis imperantibus, Roma Gothicis Regibus pareret, jam ab ipso Honorio, sub quo in Alarici potestatem venit, à Belisario tandem recuperata &c. V. Car. du Fresne *Dissertat. de Infer. ævi numism. n.* 73.

Gothi, adde: Horum Senatoribus Sidonius Apollinaris perones attribuit, *Carm.* 7. *versu* 445.

— — — Nec tangere possunt
Altata suram pelles, & poplite nudo
Peronem pauper nodus suspendit equinum.

Ubi simul docet, quòd cùm Romani sive calceis, sive peronibus (nam hi rusticorum & plebejorum apud Romanos fuere) tibiatim essent calceati, hi gentilitio more nudis cruribus, & suris nudoq; poplite incesserint. Unde idem *Epist.* 20. *lib.* 4. eorum *pedes*, inquit, *perone setoso talos adusq; vinciebantur. Genua, crura, suræq; sine tegmine.* V. B. Balduinum *de Calceo Antiq. cap.* 17.

G R.

GR. in notis antiquorum, *Genus regium* vel *rerum*; item *gerens* vel *geris*. GR. D. *gratis dedit*, vel *datum*. GR. E. *gratiis ejus* &c. GS. *gesserunt, genus*, vel *gess.* GT. *gentem*, vel *gentes*, denotat, Fr. Gouldmannus *Diction. Lat. Angl.*

Grabatus, apud Martialem *lib.* 6. *Epigr.* 39.

Sed in grabatis tegetibusq; concepti.

Et alibi,

Cerca quem nudi tegit uxor abella grabati.

Græcè κράβαττος, lectus est pensilis, παρὰ τὸ κρεμᾶν τὰς βάσεις, *à suspendendis pedibus*, dictus, servorum, pauperum & mendicantium; hincque Cynicorum ac cæterorum, qui luxui bellum indixerant, Philosophorum: quòd, qui in hujusmodi lectis sederent, vel recumberent, terram pedibus non attingerent. Apud Senecam certè *grabatus* & *pannus* extremæ paupertatis sunt indicia, uti notat Casaubonus *ad Suetonii Augustum cap.* 21. Inde vox translata ad lectulum, quo meridiari solemus, quo pacto *grabatum*, quasi *carabatum*, quod in eo capite recumbamus, ex κάρα, *caput* & βατὸν, *pervium*, videri possit appellatum. Inde *Grabbatarii*, V. hic ubi de *Clinicis* & *Lecticariis*.

Gracilitas crurum, inter præcipua olim habita, quæ bonam formam corrumperent: fuitque hic habitus urbanorum dicteriis semper obnoxius. Seneca *in Sap. non cad. injur. lib.* 2. *In capitis mei levitatem jocatus est, & in oculorum valetudinem & in crurum gracilitatem & in staturam.* Sic in Aristotele notatum, quòd esset ἰσχνοσκελὴς, i. *persilis*, ut Comici vocarunt. Glossarium, *Persilis*, μακροσκελής. Plautus *medella crassula*. Eubulus Comicus χαλκόχειλος, alii σφηκόποδας. Uti contrà, quibus inferioris corporis partes erant crassiores, κνημοπαχεῖς Aiγυπτίας vocarunt, quod de Zenone Stoico dictum est. Similiter Neroni apud Suetonium, inter alia vitia corporis, tribuuntur *gracilima crura*; V. & de Domitiano eundem *cap.* 18. Ideo hoc vitium Caligula vectatione discussit. Idem *Caligulâ cap.* 3. *Formæ minùs congruebat gracilitas crurum, sed ea quoque paulatim repleta assiduâ equi vectatione post cibum.* Uti autem crurum, sic etiam manus vel brachii, *gracilitas*, inter deformitatis notatis. Chrysostomus *in ad Ephes.* Οὐχ ὁρᾷς, ὅτι κἂν ... *(Greek partly illegible)* ... χεῖλος ἔχῃς. Quam proin vel partis, vel etiam totius corporis, *gracilitatem*, duobus præsertim modis, dropace & convenientibus exercitiis, curari docet Galenus *Ὑγιειν. lib.* 5.6. alibique.

Contrà alii *gracilitatem* affectabant, Ascetæ inprimis, aceti inter alia potu hanc in rem usi, uti pluribus videre est, apud Jac. Balde *Encomio Macrorum*.

Graculus, avium loquacissimum genus & importunum, à *garrulitate* nomen accepit, Isidor. *Orig. lib.* 12. *cap.* 7. A' *gerendo* tamen, quòd jacta segetum semina plurimùm *gerant*, vel quòd, ex olivetis cubitum se recipientes, duas pedibus baccas, tertiam ore *gerant*, Scaliger dictos vult, quasi *geraculos*, *ad Festum*. Sed & à *gregatim* volando sunt qui vocis etymon arcessant: & certè hinc notum proverbium neminem latet. Verùm & garritus *graculi* Pindarico carmine traductus: quem Antonino Caracallæ omen fuisse interitus, habes apud Cœl. Rhodiginum *Antiqq. Lect. lib.* 24. *cap.* 4. Imò &, in Jonia, Venetos sub sementis tempus solitos cum *graculis* fuisse pacisci, ut libis objectis cum maza, quæ illis forent ligmata, semina non refoderent omnino vel legerent, neque id sine successu, ex Apostolio idem refert *ibid.* Interim ex iisdem serenitatis & tempestatis signa sumi, refert Ælianus *de Animal. lib.* 7. *cap.* 7. Etiam Lemniis, quòd adverso volatu locustis occurrerent, quibus agri illorum devastabantur, in veneratione fuisse, discimus ex Plinio *lib.* 11. *cap.* 29.

Gradiles Panes, qui aliàs *Fiscales*, item *Dispensatorii*, dicti sunt panes è Fisco olim erogari soliti, à *gradibus Amphitheatri*, in quibus uti olim congiaria Populo dividebantur, æra distribuebantur, missilia omne genus spargebantur & tesseræ mittebantur, ita etiam panes hi erogabantur; quorum numerum ad 80000. mill. quotidie se extendisse, Metaphrastes ait. De quibus *gradibus* accipienda vetus *Inscr.*

COLLEGIO DENDROPHOR.
ROMANOR. QUIBUS. EX
S. C. COIRE. LICET. ARGEN
TI. P. X. ET. HS. X. MILLIA. N.
REDDEDIT.
QUÆ. DIVISA. SUNT. POPULO. PER
GRADUS.
KAL. AUG. N. COLLEGI.

h. e. *amphitheatri* vel *theatri*, in quibus omnes divisiones & *indictiones* fiebant. Hinc illæ locutiones, *de gradibus*, *in gradibus* & *gradibus* panem distribuere, pro hominibus, qui sunt in gradibus, *l.* 3. *Cod. Theod. de annon. civis & pane grad.* & *l.* 5. *tit. eod.* ubi propriè hi *gradus* vocantur, i. *popularium gradus*, qui unicâ voce *Popularis* appellantur, & distincti erant, à gradibus militarium, Equestrium & Senatorum: è quorum uno in alterum panis *gradilis* translatio vetatur *l.* 2. *Cod. ejusd.* Atque hoc quidem Romæ obtinuit, à tempore Aureliani, qui primus, ut porcinam, sic panem quoque, distribuit. Postea verò, cùm, ex Constantini instituto, annonæ civicæ Populo in Urbe CP. itidem, ut Romæ, erogarentur, non in Circo aut Amphitheatri gradibus, sed in Foro, id fieri solitum est: ubi Populus per *gradus* distinctus & per turmas divisus, cùm in suo quisque loco & gradu adstaret, panes illos civiles accipiebat. Corippus,

Dispolnere gradus, *quis starent in ordine longo*
Divisum in turmas atque in sua corpora vulgus.

Singularum enim urbis Regionum populares sua ibi loca adsignata habebant & *gradus* suos distinctos: quod & de Foro Romano forsan dicendum, ubi similes gradus constituti & erecti fuisse videntur, de quibus populo panes hi erogabantur. Suadent certè verba *l.* 5. *Cod. cit. de annon. civ. Popularibus enim, quibus non est aliunde solatium, quibus idem panis hodieq; distrahitur & eorum successoribus, clementia nostra deputavit, in quo nunc emitur loco propriis gradibus erogandos.* Ubi autem panis emebatur, nisi in Foro? Sed & in eodem loco, sparsiones Consulum, quas Ὑπατείας vocabant, CP. factæ: Romæ etiam in Foro non minùs, ac Theatro aut Amphitheatro, sparsiones ejusmodi & missilia in Populum ab Impp. Consulibusque, jaci consuevere, Joseph *Orig.* *lib.* 19. *cap.* 1. V. Salmasium *ad Vopiscum in Aureliano*, & hic passim in vocibus *Annona Civica*, *Arons*, *Augusteon*, *Civiles Panes*, &c. inprimis infrà in *Panis*.

Gradu pulsi, in pœnam, milites, qui alicujus essent in militia loci. Hinc illa *D. de re mil.* de militum pœnis: *Pro modo delicti aut castigatur, aut gradu militiæ dejicitur.* Quod *militiam mutare*, dicitur apud Rufum *de pœnis militar.* seu *militiâ moveri*, apud eund. Fustibus verò aut virgis subiiciebantur, qui in infimo *gradu* militabant. Salmasius *ad Lampridium in Alexandro Severo*. In Lucta, *gradu dejici*, vel *moveri*; in Circo *gradus* *laevos opponere*, quid sit, V. hic ubi de *Lucta*, & apud Salmasium *ad Solinum p.* 905. Apud Suetonium *Claudio cap.* 4. *Quid est, quòd dubitemus; quin per eosdem articulos & gradus producendus sit, per quos frater ejus productus fuit?* *Articuli* & *gradus* sunt, quæ Cicero *puncta* vocat, cùm dicit, *omnibus punctis honorem colligere*, V. Casaubonum *ad l.*

Graduale, seu *Gradale*, dicitur in Ecclesia Rom. Responsum seu Responsorium, vel Antiphona, quæ post Epistolam cantatur; à *gradibus*, non Altaris, sed ambonis: quia, dum Diaconus ad petendam benedictionem Celebrantis, & ad canendum Evangelium, ambonis gradus adscendit, ne totum illud tempus tacitum exigatur, in Choro *Graduale* cantatur, Bellarminus *lib.* 1. *cap.* 16. *de Missa*. Imò solet Romæ à Cantoribus celeriùs tardiusque canendo

nendo, commensurata, ad Diaconi functiones, Dominic. Macer in *Hierolexico* &c. A' Cœlestino Pontif. primò *Gradualia* instituta tradit Anastasius in *Vita* ejus, ex *Cod. MS. Constitut.* Graduale *post officium ad Missam cantari.* Honorius Augustod. *Gradualia* & *Alleluja* Ambrosium composuisse scribit, *lib.* 1. *cap.* 88. Galli *Greel* dicebant &c. du Fresne *Glossar.* Tempore Paschali, exceptâ hebdomade primâ; ut & in Octava Pentecostes, *Graduale* non cani, observant Macri Fratres *in Hierolex.* Eodem nomine & liber venit, in quo *Gradualia* continentur. Amalarius *de Ord. Antiphonario in Prologo*, *Antiphonarium tria habet nomina — Quod dicimus* Graduale, *illi vocant Cantatorium, qui adhuc juxta morem antiquum apud illos, in aliquibus Ecclesiis, uno volumine continetur. Sequentem partem dividunt in nominibus. Pars quæ continet Responsoria, vocatur Responsoriale — quæ Antiphonas— Antiphonarius.* De *Gradualibus Psalmis*, V. infrà.

Gradus, Græcè Βῆμα, cognominatus Eratosthenes est, quòd in omni doctrinæ genere secundas à summis ferret, Suid. Apud Scriptores Eccl. Græc. Βῆμα, aliàs ἄδυτον, elatior est templi pars, seu chorus, nomen à *gradibus*, quibus eò ascendebatur, habens. In eo duo Altaria, nonnunquam tria, extructa sunt. Et quidem, ubi duo alterum in medio & majus, ἁγία τράπεζα alterum minus & ad sinistram ejus, πρόθεσις dictum est. Ubi tria, in eo, quod ad sinistram, exeuntibus libri, vestes, alia reponuntur. Eratq; tanta loci hujus veneratio, ut hinc ordinis Ecclesiastici homines οἱ τοῦ Βήματος sint appellati. Suicerus *Thes. Eccl.* voce Βῆμα, ex L. Allatio *de Templis*, Meursio *Glossar.* & de la Cerda *Adversar. cap.* 148. *num.* 4. Sed & *Gradus, ambo, analogium, lectrum* L. Alemann. *tit.* 16. §. 2. *Clericus, qui in gradu in Ecclesia publicè Lectionem recitat: vel Gradale.* Recitabantur itaq; lectiones in *gradibus*: etiam sermones inde habebantur ad Populum. Sidonius *Carm.* 16.

Seu te conspicuis gradibus *venerabilis aræ*
Concionaturum plebs sedula circumsistis.

Erant porro *Gradus* ante Altare, seu ante Altaris gradus, unde pars ea ædis sacræ Βῆμα Græcis dicta; vel sanè, quòd ad eum lectionis locum per *gradus* veniretur, uti de ambone observavit du Fresne *in Descript. Ædis Sophianæ.* Sed & *graduum* in Ecclesiarum atriis ac propylæis, meminit Anastasius Bibl. *in Symmacho PP.* At *Gradus Presbyterii*, seu qui jacent ante cancellos, *Solea* Græcis, ex Ital. *Soglia*, ad quos amandari solebant Monachi pro levioribus culpis, memorantur in *Usibus* Ordin. Cisterc. *cap.* 75. Unde formulæ passim occurrentes, *Petat veniam ante* gradum, *Ante* gradum *Presbyterii satisfaciat* &c. Car. du Fresne *Glossar.*

Gradus, in compositione capillorum, de quibus Maximianus, qui vixit tempore Boetii, in libro *Elegiar.*

Grande erat inflexos gradibus *numerare capillos:*
Grande erat in niveo pulla colore coma:

unde *coma compta gradulatim*: ab annulis crinium differunt. Inflexio enim ipsa & crispatio capillorum nexiles annulorum orbes imitabatur: Comæ tamen sic annulatim crispatæ, non etiam confusæ ac turbatæ & indiscriminatim temereque implexæ habebantur, sed per *gradus*, quosdam positæ & ordine digestæ; ita ut unaquæque annulorum series stationem quasi suam servaret & gradatim alveolatimque alia super aliam scanderet. In quibus exprimendis Latini *ordinem*, *stationem*, *gradus* usurpant. Euripides τάξιν dixit. Quintilianus *gradus & annulos* conjunctim posuit; Manilius *crines in fluctum ponere* eleganter &c. V. Salmasium *ad Capitolinum in Pertinace*, & passim supra.

Gradus Academici, apud Europæos tres, tum ut eorum consequendorum spe excitati, qui studiis vacant, ad altiora ardentiùs aspirent, tum ne illotis, quod ajunt, manibus, in sublimiorum disciplinarum sacra irrumpant, sapienter sunt instituti. Postquam enim per Depositionis ritum (qui à consuetudine Romanorum, apud quos post completum annum ætatis 15. juvenes prætextâ positâ virilem seu liberam togam induere: vel Germanorum veterum, apud quos, teste Tacito, adolescentibus jus frameæ scutique concedi solitum est, originem traxisse videtur) studiis initiati sunt, Propædiæ curriculum emetiendum proponitur, quo defuncti feliciter *Baccalaureatûs* honore & titulo insigniuntur, qui ritus similiter, è re militari ortum habet: quid enim serium Sapientiæ studium, quàm militia est adversùs ignorantiam ac pravos mores, animæ nostræ internecinos hostes? Sic admittuntur ad sacrarium Realis Philosophiæ; cui qui perlitarunt, ad *Magisterii* evehuntur axioma. Postea superioribus applicati Facultatibus, *Doctoralem* expectant dignitatem, & jus publicè docendi exambiunt: V. in vocibus *Depositio*, *Baccalaureus*, *Magister*, *Doctor*, *Universitas* &c. Idem jam olim obtinuisse, neque ex discipulorum subselliis quenquam, sine auctoritate Magistri sui, inter Philosophos se contulisse, vero simile est: cùm & apud Sinenses. Asiæ extremæ populos, literarum laude florentissimos, viguisse ante plurima secula eundem fere morem legamus. Apud eos enim severè, priusquam *Gradus* conferri conferantur, profectus Philomusorum etiamnum explorari certum est: Imò, jam aliquâ dignitate potiti quotannis denuo examini subjiciuntur, cui si minus ex officio responderint, etiam, quem jam nacti fuerant, *Gradûs* jacturam faciunt. V. Lombardum *Epist. de statu regni Sinensis.* Apud Hebræos non minus varii erant *Gradus*, per quos ad supremum eruditionis apicem ascenderent, & quidem circa tempora SERVATORIS nostri, titulorum istiusmodi numerus in immensum crevit, inprimis autem usitati erant: *Rab*, *Ribi*, *Rabbi* & *Rabban*, quibus omnibus eadem origo, à verbo רבב *Rabab*, i. *multiplicatus fuit*, cui respondit Græcum Πολυμαθὴς, Lat. *Magister* vel *Doctor*, multiplici eruditione instructus. Ex his *Rabbi* titulus erat sublimior titulo *Rab*, *Rabban* plus erat quàm *Rabbi*, nudum tamen nomen, ut *Haggæus*, *Zacharias*, *Malachias*, reliquis omnibus excellentius quiddam sonabat. Eâ ætate, ratio Academicæ methodi in illa gente hæc fuit. Studiosus dicebatur תלמיד *Talmid*, i. *Discipulus*: item קטן *Katan*, id est, *Junior*: etiam בחור *Bachur*, i. *electus* seu *cooptatus*, nempe in numerum Discipulorum. Postquam rudimenta posuit, dignumque se *Gradu* primo præstitit, חבר *Chaber*, seu socius Rabbi, manuum impositione, proclamatus est: cujus ceremoniæ auspicia à Mose, qui Josuam eodem ritu suum Successorem renunciaverat, arcessebant. Num. *cap.* 27. *vers.* 18. Vocarunt autem hunc ritum סמיכה vel סמיכות *Semicha* vel *Semichut*, quique manum promovendo imposuit, hac usus est verborum formula: *Ego tibi impono manum & manus tibi imposita esto*, V. Cunæum *de Rep. Hebr. lib.* 1. *c.* 21. Postea cùm eò eruditionis pervenit, ut alios etiam docere posset, *Rabbi* renunciatus est. Et quidem, quandiu tantùs *Talmid* vel *Bachur* erat, Patris solùm nomine censebatur: cùm *Chaber* factus est, proprio nomine vocabatur: cùm *Rabbi*, tum titulus hic nomini ejus præfigebatur; hoc modo. Maimonides primùm dictus est *Ben Maimon*, i. filius Maimon: dein *Moses ben Maimon*, tandem *Rambam*, id est, *Rabbi Moses ben Maimon.* Sic Rabbi Levi fil. Gerson, primò *ben Gerson*, i. filius Gerson: exinde *Levi ben Gerson*, tandem *Ralbag*, id est, *Rabbi Levi ben Gerson* appellatus est. Tres hosce ordines conjunxit priscus ille inter Hebræos Sapiens, cùm dixit: *Multa à Rabbinis his Magistris meis didici, plura à Sociis meis, plurima à meis Discipulis*, V. P. Fagium *in Scholiis suis ad c.* 4. *Pirke Aboth*, Th. Godwyn. *de ritib. Hebr. lib.* 1. *c.* 7. & infrà, voce *Rabbi.*

Græci, apud Suetonium *Tiberio*, *cap.* 46. *Comites peregrinationum — cibariis tantum sustentavit: una modò liberalitate ex indulgentia vitrici profectus, cùm tribus classibus factis pro dignitate cujusq; primæ sexcenta sestertia, secundæ quadringenta distribuit, ducenta tertiæ, quam non amicorum, sed* Græcorum *vocavit*; iidem sunt, quos *palliatos* idem appellat *cap.* 48. *Julii*, *Convivatum assiduè per provincias duobus tricliniis: uno quo sagati palliatiq;, altero quo togati — accumberent.* In comitatu nempe Principum virorum, ut ex duobus his locis discimus, semper fuere *Græci*, iique ut plurimùm literati & Philosophi: ἐν γὰρ τῷ ... ut Lucianus ait. De *Medicis Græcis*, in Aula Romana, alibi diximus. Interim contemptim habiti, unde *Græculi* convictores vocantur *cap.* 56. ejusdem *Tiberii*, & nomen amicorum iis fuisse negatum, *loc. cit.* dicitur, quinetiam *Græcos* vel *Grajos* ... fuisse nuncupatos. Sed & illustrioribus comitum opponuntur, dicto Suetonii in *Julio* loco. Fuisse autem morem Procerum Romanorum, ut itaci in provincias magnum secum comitum numerum Româ abducerent, eumq; à Scipione in Hispaniam eunte institutum, ex Appiano discas, V. Casaubonum *ad Suetonium*, ubi supra: uti *de Græco & Græca, Gallo & Galla, in Foro Boario sub terra, in locum jam consæptum, jam antè hostiis humanis, minimè Romano sacro imbutum*, apud Romanos, rebus creperis, *vivis demissi* solitis, Liv. *lib.* 25. *cap.* 40. De *Græcorum* verò *Artium opera mirandi initio, à Syracusis per Marcellum captis facto*, eundem *Ibid.*

Græci Impostores, Γραικοὶ ἐπιθέται, per convicium ab Ethnicis Christiani olim dicti sunt, uti testatur Tertullianus; & quidem Philosophi eorum, seu Viri ascetici, qui pari cum Philosophis Græcis amictu (qui τρίβων, seu τριβώνιον erat) malè quoq; propter illos audiebant, quòd plerique ex eorum numero Philosophos habitu ementirentur & fingerent, cùm de cætero pura puta mendicabula essent & impostores meri, Quintilian. *lib.* 1. *cap.* 1. *Sed nec pallio* tantùm, verùm & sordibus ac squallore insignes erant tam Philosophi, quàm Ascetæ Christiani: Unde illud Hieronymi, *Tunica non canduerit, statim illud è trivio*, Impostor *& Græcus est*: quod de Philosophis & præcipuè Græcis accipi debet, qui non solùm sordidissimi, sed etiam ut plurimum impostores. V. Lucianum de Protheo Philos. & Philostratum de quodam, qui Philosophi habitum ejuraverat Cujusmodi quoq; sordes affectarunt olim Monachi, quam semel induissent tunicam, nunquam exuebant priusquam penitus tota usu detrita & scissa esset, ac de altera habitanda cogitandum foret, &c. Salmas. ad *Tertullian. de Pallio.* V. quoq; Hieronymum præfatum *Epist.* 10. *ad Furiam* & *Epist.* 23. *ad Marcellam.* Contrà Christiani Ethnicos *Græcos* appellabant, idolorum cultum illis exprobraturi. *Glossa* Gr. Lat. Ἕλλην ... *Paganus.*

Græcia, adde: Græcos aperto capite sacrificasse, docet ex Varrone Gyraldus *Syntagm.* 17. *Hist. Deorum.* Etiam passim nudis incedebant capitibus, aliquando tamen ex iisdem causis, ex quibus Romani aliæque gentes pileos assumebant. Unde Ulyssem pileatum plerunq; exhibent, & Hippocratis icon simili modo velatur. Castores item soliti pingi cum pileis, quia Lacones fuerant, quibus pileatis pugnare mos fuit, ut Festus scribit. Hinc Catullus,

... pileatis nona fratribus pila.

Nec tam celebres sunt causiæ Macedonicæ, galeri Thessalici, Atheniensium

ensium erobyli &c. de quibus V. Anselm. Solerium *de Pileo sect.* 8. orpus pallio involutum habebant, quemadmodum Romani to- ati fuere, V. Octav. Ferrarium *de Re Vest. part.* 2. *lib.* 4. In pedi- us crepidas gerebant, sine quibus pallium nunquam sumebatur: uemadmodum contrà calcei Togæ proprii fuere: antequam ta- en illas induerent, pedes plerunque inungebant, quem morem omanos imitatos fuisse, innuit Lucretius, cùm ait *lib.* 4. hæc duo onjungens,

Unguenta & pulchra in pedibus Sicyonia videns &c.

V. Balduinum *de Calceo.* De inaurium in Græcia usu, vide si pla- et Isidorum *Origin. lib.* 19. *cap.* 31. & Apulejum *de Dogmat. Plat. lib.* 1. ubi nobilitatis id insigne Athenis fuisse docet, cujus rei ori- inem luculenter tradit Dio *Orat.* 32. & Casparum Bartholinum *de Inauribus Veterum.* De Philosophia illorum triplici, Heroica, Mythica & Philosophica; hacque in plurimas scissa sectas, Aca- demicam, Cynicam, Cyrenaicam, Eleaticam, Electivam seu Po- tamonicam, Eliacam ac Eretriacam, Epicuream, Jonicam, Itali- cam, Megaricam, Peripateticam, Platonicam, Pyrrhoniam sive Scepticam & Stoicam, V. Georg. Hornium *Hist. Philosoph. passim,* & Gerh. Joh. Vossium *de Philosoph. Sectis*: uti de sepultura, item de structura, illorum, Salmasium *Exercit. Plin. ad Solinum p.* 378. *& seqq.*

Græco stadium, post incendium restitutum, inter opera Antoni- ni Pii, Romæ extantia, memoratur Capitolino in *Vita* hujus: *Græ- costasis* aliis, Casaub.

Græculus, per convitium dictus nonnullis Hadrianus Imp. quòd impensiùs Græcis studiis imbutus, ingenio suo ad ea sic de- clinaret, ut non tantùm Declamationes sermone Græco scriptas, sed & Rescripta & ad necessarios ac familiares Epistolas, relique- rit, ut ex Photio & Dosithei reliquiis discimus. V. Æl. Spartia- num in *Vita* ejus.

Græcum Vinum, cujus mentio in *Ordine* Rom. *Deinde* (finitâ liturgiâ Pontificis) *descendunt Primates Ecclesiæ, ad Accubita invi- tante Notario Vicedomini, & bibunt ter, de* Græco *primùm, de Pactisi secundò de Procovia tertiò*: hodieq; *Greco* Italis, in ea Italiæ parte na- scitur, quam Græci olim incoluere. Senator *lib.* 12. *Epist.* 4. *Nam licèt ingeniosa Græcia multifariâ se diligentiæ subtilitate commendet & vina sua aut odoribus condiat, aut marinis permixtionibus insaporet* &c. Virgilio *Aminæum* dicitur. Aliud est vinum *Græcanicum*, seu Asiaticum, quod *Bibulo* dicitur, in *Glossa* S. Benedicti *cap. de Potionibus*, apud Car. du Fresne in *Glossar.*

Grafio, adde: Sed ex omnibus penè Scriptoribus, qui *Grafionum* meminere, id nomen eos pro *Comitibus* usurpasse constat. Nempe eâ tempestate Comites, licèt officio Judicis functi, vectigalia insu- per publica exegere, quod fecere etiam Ballivi qui iis postmodum in provinciis successere: unde & *Judices fiscales* dicti sunt, quòd & Judices essent & vectigalium exactores. Vocis etymon quod atti- net, Lipsius, Wendelinus, Jac. Eyndius *Chron. Zeland. lib.* 2. Alii à verbo γράφειν, *Grafiones* dictos volunt: Cum enim, inquit Eyn- dius, Præsides provinciarum commissas sibi ditiones per Jurispe- ritos Scribas & per Quæstores, aliosque è comitatu regerent, litera- rumq; legendarum & scribendarum, multo magis juris dicundi, in tanta tum barbarie summa ignorantia esset; omnes, qui literas tra- ctabant, in hoc munere *Graphios* tanq. *Graphiarios* ἀπὸ τοῦ γράφειν, dixerunt. Besoldus à Gr. γραῦς deducit, ita & *Graven* appellari sint, tanquam *Seniores*: quâ postremâ appellatione donatos constat Vi- ros Optimates ac Urbium provinciarumq; præcipuos. Heigius à Belg. *Graben*, i. *fossa*; quasi limitibus præfecti Comites fuerint. Alii à Saxon. *Grave*, i. *Judex.* Scriekius in *Orig. Celtic. Graeff* di- ctum vult, quasi *Gaer heeff*, h. e. tributorum exactorem, *Grama- rium* & *Gravaringum*, de quibus infrà. Nec abludit multùm Lam- bardi, Rastalli & Spelmanni conjectura, qui à Saxon. *gerefen*, per sync. *grefen*, h. e. *rapere*, originem ejus arcessunt, hoc enim Exa- ctorum proprium &c. V. Car. du Fresne *in Glossario.*

Grallator, apud Plautum,

Cervum cursu vinceres & grallatorem *gradu*:

pro quo in antiquissimis omnibus libris sic reperitur,

& clavatorem gradu.

Nempe antiqui alicujus Grammatici interpretamentum irrepsit. pro vero verbo Plautino: nam qui *grallatorem* clavatorem esse erat interpretatus, ansam narrationi huic dedit. *Clava* ex Græco κλάβα, *solea* est vel *gallica*, ligneum sc. sandalium, quod in balneis gestabant: Unde *grallæ* κλάβαι, quæ notiore vocabulo *colobathra* dicuntur, ab Auctoribus Græcis Latinisq;. Hinc *colobathrarii* dicti Nonio *Grallatores*: καλόβαθρα autem & κῶλα ξύλινα vocabant Græci, quibus innitebantur, quos γύπωνας appellabant, Pollux *lib.* 4. *cap.* 14 &c. V. supra in *Clava*, & plura hanc in rem, apud Salmasium *ad Solinum pag.* 413. ubi de *Grallatoribus Panominis*, seu τῶν Πανὸς φορῶν, à *grallis* seu cruribus ligneis, quas sume- bant ad effingenda Panum crura, sic dictis, varia.

Gramalla, laicæ vestis genus, quo in Hispania Barcinonenses & Castellani utuntur: maximè Urbium Ædiles, C. du Fresne *Glos- sar.* Carolo Macro vestis longa & lugubris est, ex laneo panno vil- loso, Italicè *Bajetta*, sive *Saja à riverso* appellata, & adhuc in Si- cilia ac Melita in usu, ubi hodieque *Grammaglia* dicatur, quasi *Grandis Malla*, h. e. villosa, ἀμφίμαλλος, in *Hierolexico.*

Gramen, inter herbas vulgatissimum, *geniculatis serpit internodiis crebroq; ab his & ex cacumine novas radices spargit. Folia ejus in reli- quo orbe in exilitatem fastigiantur. In Parnasso tantum ederaceâ specie densiùs, quàm usquam, fruticans, flore odorato candidoq;. Jumentis herba non alia gratior sive viridis, sive in fœno siccata* &c. Plin. *lib.* 24. *cap.* 1. Ex eo corona constabat Obsidionalis. Livius *lib.* 7. *Secun- dùm Consulis donationem, Legiones* gramineam *coronam obsidialem, clamore donum approbantes, Decio imponunt.* Quâ nullâ nobilior alia. Plin. *lib.* 22. *cap.* 3. *Gemmatæ, aureæ & vallares, murales, rostratæ, civicæ, triumphales, post hanc fuere; suntq; cunctæ magno intervallo, magnaq; differentiâ.* Nempe coronamentum id ipsius Martis fuit, uti victoris, cui *gramen* porrigere, pristus mos. Hinc P. Decius religione confessus est, quanta esset illius coronæ auctoritas. Si- quidem eâ donatus *bovem album Marti immolavit & centum ful- vos, qui ei virtutis causa dati fuerant simul ab obsessis*, Plin. *ibid.* Sumpta est autem ea ex *gramine viridi*, & quidem *decerpto inde, ubi obsessos servasset aliquis*, Idem *cap. seq.* Unde idem *lib.* 22. *cap.* 6. *Nulla ergo herba fuere certæ in hoc honore, sed quæcunq; fuerant in periculi sede, quamvis ignobiles, ignotæq; honorem nobilem faciebant* &c. V. C. Paschalium *Coronar. lib.* 7. *cap.* 17. & infrà, ubi de *Obsidio- nali Corona.*

Grammateus, Græcè Γραμματεὺς, nomen officii, in Ægyptiacis Sa- cris, de quo sic Apulejus *lib.* 11. *Tunc ex istis unus quem cuncti* Gram- matea *dicebant, pro foribus assistens, cœtu Pastophororum quod sacro- sancti collegii nomen est, velut in concionem vocato, indidem de sublimi suggestu, de libro, de literis fausta vota præfatus.* Erant nempe Ἱερογραμ- ματεῖς, veluti Curiones sacrorum, quos Græci Ἱεροκήρυκας, Ἱερογραμ- ματεῖς, & Ἱερομνήμονας, Latini prisci *Præcias* dixere. Adeoq; sacri- ficia in commentarios regerebant, quæ item à quocunq; facta es- sent & ordinem rituumq; faciendorum monebant ex jam factis, insuper silentium in sacris indicebant & favere linguis jubebant, sed de suggestu ac libro hi Ægyptii, cùm Præcones, apud Græ- cos de plano, & memoriter, id facerent. Harpocration Ἱερομνήμο- νας, & Hesychius Ἱερογραμματεῖς, etiam ex singulis urbibus ad Am- phictyonum consessum mitti solitos memorat, quos *Scribas & Sa- crorum Commentarienses* exponit Salmasius *Prolegom. ad Solinum.* In Novo Test. qui Γραμματεῖς dicuntur, Suicero iidem sunt cum Νομικοῖς seu Διδασκάλοις, V. eum *Thesaur. Eccl.* voce hac, & plura hanc in rem apud Fesselium *Adversar. sacr. lib.* 1. *cap.* 1. Jo. Vor- stium *Philologiæ sacr. cap.* 3. nec non infrà, ubi de *Scribis*, ut & voce *Hierogrammatei.*

Grammatice, antiquissimis temporibus, ars erat legendi & scri- bendi: ita enim apud Diodorum Siculum *lib.* 12. in legibus Cha- rondæ definitur: nec alia ejus Aristoteleo quoq; ævo facies fuit. Postquã verò cœpta sunt artis præcepta observari, origines inda- gari, proprietates vocum tradi auctores omnes à certo hominum genere explicari: *Grammatice* simul quoq; nomen ad variam adeò cognitionem extendi cœpit. Imò quod mirandum magis, huic soli est *Grammatice* nomen attributum: ac legendi & scribendi ra- tio, veteri nomine spoliata, fere vocabatur *Grammatistica*, magisq; ἐγκύκλιος, quàm pars artis esse putabatur. Sed neq; utriusq; voca- bula hæc postea in significatione perstiterunt: Postquam enim *Grammatistæ* in ludis suis variarum Artium elementa tradere Au- ctoresq; etiam pueris enarrare cœperunt: omnes illi *Grammatistæ* ac *Literatores* dicti sunt, qui mediocriter essent eruditi, ac potissi- mum si iidem ludi essent Magistri. *Litteriones* contemtim appellat Augustinus *l. c. advers. Legis. Grammatici* verò appellati sunt, qui essent absolutè docti, ac inprimis literarum Professores. Sic Æl. Lamprid. *in Severo*, sic Jul. Capitolin. *in Antonino Philos.* sic alii olim distinxere. Et quidem *Grammatistice* inventum Promethei fuit: circa *Grammaticam* vero primum Platonem quædam movisse deprehendimus, *in Philebo & Cratylo.* Verùm rudia hæc fuere Artis initia, magisq; ad Exegeticem & vocum origines, quàm ad Metho- dicem, seu Artis præcepta, pertinent. Justiùs igitur Aristoteles ejus auctor censetur, qui primus voces distinxit in certas classes, primus quoq; generum doctrinam persequutus est, aliaque nonnulla ex- plicuit, ut inprimis ex lib. ejus de Poëtica dilucet. De methodo quoq; egit Theodectes: & fortassis uterq; horum aliquid Lampro & Ileo debuit; quemadmodum Ars post Aristotelem Epicuro, quem Γραμματοδιδάσκαλον fuisse, priusquam ad Philosophiam se applicaret, ex Hermippo testatum facit Diogenes Laërtius. Philo- sophi certè sequentes, Stoici inprimis, Aristotelicis ac Theodectis inventis plurima accuderunt. sicq; in justum systema Ars excrevit tandè, operâ inprimis Alexandrinorum, qui non minùs ob *Gram- matices* peritiam se jactare solebant, quàm Thebani, quia tibiis; Mi- tylenæi, quia citharâ optimè canerent, ut testis est Menander Rhe- tor *lib.* 1. *de genere Demonstr. cap.* 16. Apud Romanos, in quorum urbem primus *Grammaticæ* studium intulit Crates Mallotes, Attali legatus, quantus huic arti habitus sit honos vel ex eo patet, quòd summæ etiam dignitatis viri hoc studium amplexi fuerint, ut patet ex Suetonio *de Illustr. Gramm.* Quin & beneficio immunitatis gau- debant, ut indicat Arcadius Charisius *l. ult. D. de mun. & hon.* Mi- rum verò Hebræos, quorum lingua antiquissima est, serò adeo multoq; post ipsos Arabes de *Grammatica* Arte scribere cœpisse. Primus eorum fuit Rabbi Juda Davidis filius, cogn. *Chiug*, oriun- dus ex Feaza Africæ urbe, circa A. C. ∞ XL. Proximus ab illo

Rabbi Jonas Cordubensis, tertius Aben Esra Hispanus, quartus R. David Kimchi: qui omnes vixere intra millesimum a Christo annum annumq; supra eum ducentesimum. Ex recentioribus eminent R. Abraham de Balmis, & Elias Levita, de quibus V. Gerh. Jo. Vossium *de Arte Gramm. lib.* 1 *capp.* 1. 2. 3. 4. Hinc *Grammatici*, quos Corn. Nepos & Messala Corvinus *literatos & litteratores* appellant. Quò videndum an respexerit idem Cornelius, cùm *in Vita Attici* scribit, *in ejusdem familia fuisse pueros literatissimos*: Qualis Mæcenati C. Melissus fuisse legitur apud Sueton. *de illustr. Gramm.* A Protagoræ tempore, qui primus è Sophistis mercede docuit, teste Philostrato, non defuere *Grammaticis* & Rhetoribus amplissima præmia. M. Antonius Gnipho, quòd de mercede non paciscebatur, eo plura ex liberalitate discentium impetrabat. Remmius Palæmon ex schola quadragena annua capiebat: Tantidem docendum conduxit Calvinum Eficium equitem Rom. L. Appulejus. Verrius Flaccus habitationem in palatio, & centena sestertia in annum ab Augusto meruit: taceo servos literatores immanibus pretiis emtos, dein manumissos. Julius Cæsar addidit honorem, omnes liberalium Artium Doctores civitate donando. Quemadmodum dein Vespasianus Rhetoribus primus ex fisco annua centena constituit, sic ab Trajano honor & dignatio tanta Sapientiæ Professoribus ac dicendi Magistris, ut per eum spiritum & sanguinem & patriam recepisse prædicent Plinius ac Juvenalis. Hadrianus in summa familiaritate tum *Grammaticos* & Rhetores, tum Philosophos habuit: quibus omnibus Antoninus Pius, per omnes provincias, & honores & salaria detulit, constituitq; ut Metropoles gentium quinque tenerentur Rhetores, totidemq; *Grammaticos*, reliquæ minores civitates ternos haberent. Salaria, quæ è fisco iis decreta, mille drachmas statuunt Lucianus *in Eunucho*, & Philostratus *in Theodoto ac Chresto*: h. e. Romanæ monetæ sestertia quadraginta, aureos quadringentos; at nostræ coronatos mille &c. V. Joh. Frideric. *Gronov. de Pecunia vetere lib.* 4. *cap.* 11. Sed & *Grammatice*, nomen tragœdiæ, quam Callias Atheniensis composuit, sicque nominavit, *quòd è literis & sonum ducebat & argumentum. Nam Chorus nihil aliud, quàm saltatio, fuit, ex nominibus & sonis, & temporibus, & rhythmis elementorum*, uti ex Athenæo docet Scaliger *Poet. lib.* 1 *c.* 8.

Grammaticus, unus erat è tribus illis, quibus condiendi cadavera apud Ægyptios cura incumbebat. Primus enim *Grammaticus* posito humi corpore, circa ilia describebat, quantum à sinistra parte incidendum esset. Tum Scissor, Æthiopico lapide latus aperiebat, subitoq; aufugiebat, ob astantes, qui cum execratione lapides in eum conjiciebant. Sequebantur corporis Curatores, Ταριχευταὶ seu *Salitores & Pollinctores* dicti, existimatione digni: quorum unus scissuram per corporis interiora, præter renes & cor, ducebat: alter vino phœniceo odoriferis immixtis lavabat, dein cadaver lotum unguentis ex cedro & aliis rebus pretiosis per dies 30. ungebant: myrrha porro & cinnamomo liniebant, ut servari & odoriferum reddi posset, V. Herodotum *Euterpe*, Diodor. Sic. *lib.* 2. *c.* 5. Matthiolum *in lib.* 1. *Dioscor. pag.* 114. &c. In *Historia* Concilii Florentini *sect.* 5. *cap.* 14. *pag.* 132. memoratur Γραμματικὸς ὁ ἐπὶ τ̃ ἱερᾶς [illegible], & exponitur Cl. Suicero *sacri Consistorii Notarius publicus*, qui viz. ἐν τῷ Κα[illegible], i. *Consistorio*, ubi Patriarcha Senatum suum celebrabat, quidquid hic suis dictaret aut mandaret, describere tenebatur, V. eum *Thesauro Eccl.* voce Γραμματεὺς ubi & Γραμματεὺς uti LXX. Interpp. reddunt vocem Hebr. ספר, Jer. 33. *vers.* 18. *Notarium Castrensem* seu *Militarem*, juxta optimos Interpretes, reddi, notat.

Grana, quatuor modis à Vett. excussa ac extrita. Primò enim *virgis & flagellis*, ea ex folliculis excutiebant, Columella *lib.* 2. *c.* 21. Quo modo non nisi debiliora semina Judæos excussisse, docet Hieronymus *in Esai c.* 28. *vers.* 27. nempe Prophetæ hujus ætate, quâ triticum rota plaustri conterebatur. At olim *grana* quævis eodem baculo excussisse, discimus ex Judic. *c.* 6 *v.* 11. Unde Græci, [illegible]. Ita Deut. *c.* 24. *v.* 20. *Cùm excusseris olivam tuam*, baculo viz. arborem cædens, ut olivæ in terram cadant &c. II. Exterebantur quodam *tribuli* genere facto ex tabula lapidibus aut ferro asperatâ, quæ imposito aurigâ aut pondere grandi trahebatur jumentis junctis, Varro *de R. R. lib.* 1. *cap.* 52. Quod tribuli genus, Columellis *traha*, Virgilio *trahea*, à *trahendo* (quia rotas non habebat) Hebr. מורג *morag* vocabatur Esaiæ *c.* 41. *v.* 15. & à bobus trahebatur, 2. Sam. *c.* 24. *v.* 22. III. *Plaustro* rotis instructo ad triturandum utebantur: quod *Plostellum Pœnicum* vocat Varro, tanquam à Pœnis inventum, qui ex Chananæa venerant: & factum fuisse memorat ex asseribus dentatis cum orbiculis, i. rotulis; additq; in eo aliquem sedisse atque agitasse, quæ trahebant, jumenta & in Hispania citeriore aliisq; locis ita fieri, V. Hieron. *in Esai. c.* 25. *v.* 10. & 28 *v.* 27. & 41. *v.* 15. IV. Ab ipsis bobus aut jumentis aliis *grana* obterebantur; qui triturandi mos, apud Hebræos, Syros, Arabesq; olim in usu fuit. De Ægyptiis idem habet Cyrillus *in Esa. lib.* 3. *tom.* 5. ubi de Ægyptiorum filiis, postquam ex agro in aream manipulos comportaverunt, ait, [illegible], *His deinde boves immittunt, & circumagunt, ut spicas ungulis comminuant.* Sed & Græcorũ vetustissimos non alio triturandi modo usos fuisse, Homerus docet Il. *u.* Callimachus item *Hymno in Cererem*, & accuratiùs utroq; Xenoph. *in Oecon.* Quem morem antiquitus etiam Romanis fuisse non ignotum, docet vox *trimon* q. *triminum*, & Hieronymi illud, *Bos lassus fortiùs figit pedem*, quod videtur ex Comicorum aliquo sumtum, qui de bove triturante usurpaverit. Hodie idem triturandi modus, in Asia viget, teste Drusio *in Mishnam*, ut & apud Tartaros, circa Volgæ ostia degentes, uti id ipse vidit Olearius, *Moscov. & Pers. Itin. lib.* 4. &c. V. Sam. Bochartum *Hierozoici Part. prior. lib.* II *cap.* 32. Sed & *Grana*, Græcè [illegible], tesseræ in ludo talorum, hodieq; apud Gallos. Jo. Antiochenus apud Salmas. *Not. ad Vopisc. in Procul.* [illegible], *Per psephobolum & quæ in eo septem grana, astra septem, ... tarum: per pyrgum verò, altitudo cœli.* Nempe tota tessera septem hujuscemodi *granis* constabat, quatuor talis & tribus tesseris, quæ in psephobolo seu pyxide lignea movebantur [illegible] cutiebantur, priusquam super tabulam funderentur &c. De *Granariis* seu Horreis, V. Plinium *lib.* 18. *cap.* 21. Columellam *lib.* 1. ... Varronem *lib.* 1. *cap.* 57. Vitruvium *lib.* 6. *cap.* 9. &c.

Granadilla, flos Americanus, de quo sic Jesuita Pomey *in Desc. Divers. Granadilla flos ab Orbe novo nuper accersitus, cruciatuum à Christo Domino obitorum, instrumenta ferme omnia, mirabili ... formatione repræsentat. Extat medio in flore Columna & Columnæ imminet globulum ... Spongiæ. Et terni quoq; ... nent capitalis ... Clavi. Eminet & ... in Lanceam ... cum. Porro foliorum candor, purpureis inaratus sulcis, vibices ... rum exhibet sparsim, quibus ... inaratum, conspicuũq; fuit innocentissimi Jesu corpus candidissimum.*

Granatarius, nomen Officii in Monasteriis, de quo sic Udalricus *Consuet. Cluniac. lib.* 3. *c.* 18. *Secundus est, qui annonam recipit, quem & Granatarium vocamus. Huic quando messis tota est collecta, Prærianotescit, quanti modii de illa & de illa Obedientia sunt venturi, & quod semel audit, usq; dum sit redditum, in computo suo tenebit. Pistores sunt sub ejus manu, qui cùm frumentum acceperint, duas species panis sunt reddituri* &c. V. Fletam *lib.* 2. *cap.* 82. §. 1. & *c.* 84. apud ... Fresne. At *Grangiarius*, itidem officium Monasticum est, qui præest grangiæ, aut villæ vel prædio rustico. Fleta iterum *l. b.* 2. *c.* 82. §. 1. *Ne sustineatur, quòd Præpositus sit granatarius & grangiarius simul.* In Delphinatu, Galliæ provincia, *Grangers, Fermiers, Metayers* hi dicti. Idem

Granatum, V. infrà *Malogranatum*. Ejus flos *decussante ... hit puniceo colore, quo pulchrè splendescit, suavissimeq; radiat, ac velut accenditur. Et verò — igneam profectò sphærulam cernere te putes ... tiùs, quàm florem — seu carbunculum potiùs præditum vita, ... fulgore amœnissimè rutilantem — Structurâ constat quasi duplici: infernè quidem, qua surculo adhæret, in corticem rigescit, tenerum illum quidem sed æque nihilominus solidum, ac ... est ipsum, quo ... ducitur pomum. Figura corallino haud absimilis calici, crassiusculâ denticulatim incisâ senis septenisve crenis. Supernè autem & ex eadem ... cum ora imima, quina plùs minùs foliola sese tenuissimè ... plicantq; temerè, exilium confertam vim staminum ambientia, grumis ... minutis, singulorum apicem, nodo vincientibus — Sed enim quia ... commodi ex avulso flore? An nescis odoris illum esse ... tem? Cave deniq; ne ... sub ramusculi ... spinarum ... sentias* &c. Franc. Pomey ubi suprà. At *Granatus*, lapilli genus pretiosi, quales in diademate Regum Maurorum in Hispania Granatensium fuisse, docet Paschalius *Coro. lib.* 10. *c.* 9. De *Granatis Bohemicis una cum vena, Granati item Confectis frustis rubris grenato*, in Musæo Kircheriano asservari solitis, V. Georg. de Sepibus *in Descr. ejus p.* 42. Nomen utriq; à *granis granatorum* similitudine &c.

Grande Sophos, acclamatio usitata olim, quâ Oratori vel Poetæ ab Auditoribus applaudebatur: Σοφῶς, [illegible], *Pulchrè, benè, rectè! Euge, bellè! Facetè, lautè, lepidè, nihil suprà.* Horatius *de Arte Poet.*

Clamabat enim, pulchrè, bene, rectè.

Sidonius Apollin. *lib.* 1. *ad sophos ...* &c. Jungebatur etiam nonnunquam basiorum jactatio. Unde Martialis *lib.* 1. *Epigr.* ...

Audieris cùm Grande sophos, *dum basia captas* &c.

Hanc nonnulli ex Romanis Poetis magno mercabantur, ut viderentur eruditi; mercede proin conducebant auditores ac laudatores carminum suorum, qui illud *Grande sophos* largè ingeminarent, Idem *lib.* 6.

Quòd tam Grande sophos *clamat tibi turba togata,*
Non tu, Pomponi, cœna diserta tua est.

Horatius,

Non ego ventosæ plebis suffragia venor
Impensis cœnarum & tritæ munere vestis.

Hinc phrasis orta: *Frangere subsellia*, de Poeta, cujus carmen tanto plausu exceptum est, ut acclamationis violentiâ etiam subsellia rumperentur. Quemadmodum Sidonius Apollinaris *lib.* 5. *Ep.* ... *ad Sapaud.* ait: *Hunc olim perorantem & Rhetorica ... subsellia ... oratione frangentem, socer eloquens ultra ... familiam ...* Simili Græcorum loquendi modo utitur Polybius *lib.* 1. [illegible] &c.

Grando, Græcè χάλαζα, nix coagulata est, veteri Scholiastæ Papinii *Thebaid. lib.* 8. *vers.* 408. ubi *solidam nivem* eam vocat: de ejus natura V. Aristotelem *Meteorologic. lib.* 1 *cap.* 12. Niceph. Blemmydam *Epitom. Physic. cap.* 14. Platonem & ejus Commentatores

Jam.

rimas, Plutarchum *Placitis Philosophor. lib.* 3. *cap.* 4. Plinium *lib.* 2. *cap.* 60. Alios. Eam carmine averti posse, credidit prisca ætas, teste Plinio *lib.* 28. *cap.* 2. nec minor virtus *chalaziæ* lapidi tributa, ut supra vidimus. Sed nullâ ratione Ægyptii Magi amoliri potuere *grandinem*, quæ inter X. Ægypti plagas septima numero, *ut ea fuit magnitudinis, quanta antea nunquam — Et percussit in omni terra Ægypti cuncta, quæ fuerint in agris, ab homine usq; ad jumentum, cunctamq; herbam agri — & omne lignum regionis confregit*, Exodi *cap.* 9. *vers.* 24 & *seqq.* Nec Amalecitarum Sacerdotes, cùm in prælio contra Josuam, illorum plures *morerentur lapidibus grandinis, quos dejecit in eos Jehova de cælo, quàm quos occiderunt filii Israëlis gladio*, Josuæ *cap.* 10. *vers.* 11. Ταλαντιαίαν hujusmodi grandinem vocat Scriptor Apocalypseos *cap.* 16. *vers.* 21. h. e. *magnam, quasi talenti pondo*, cujusmodi *grandinem*, non tam naturæ vi, quam divino miraculo sæpe emitti, & his exemplis, & aliis, quæ Historia suppeditat, liquet. Sic Valentis Imp. tempore, 6. Id. Jul. grandinem magnitudine inusitatâ, lapidibus similem, CPoli decidisse, & multis in ore fuisse, eam irato Deo delapsam fuisse, memorat Socrates *Histor. Eccles. lib.* 4. c. 10. Nicephorus admirandam magis grandinem narrat, cecidisse pluribus in locis, saxis manuariis majorem, &, quæ circiter octonarum librarum pondus traheret, quo tempore Alaricus obtinebat, *lib.* 13. *cap.* 36. Sigebertus, inter alia grandinis, quæ apud Augustodunum cecidit, frusta, meminit unius, cujus longitudo fuerit pedum 16 latitudo 7. altitudo duorum, ad A. Chr. 824. Plura V. apud Sim. Majolum *Dierum Canicul. coll.* 1. Quousque autem, uti in aliis tempestatum generibus, sic in *grandine* quoque cienda, Magorum, Veneficarum, Satanæque, qui per illos operatur, permittente Deo, potestas procedat, alibi dicemus. De alia notione vocis, V. suprà, ubi de *Chalazia*. Hinc χαλαζοκοπία, apud Theophrastum *de Causis Pl. lib.* 5. *cap.* 9. Ἔστι πληγὴ καὶ ἀπὸ τοῦ ἀέρος συμβαίνουσα, καθάπερ ἡ χαλαζοκοπία, *Quædam plaga etiam à cœlo contingunt, ut si calami segetes* grandine *quassentur frangantúrque*. Nempe & vehementem *calamitatem* (à *calamis* segetis grandine confractis primitus sic dictam) crediderunt ipsi Gentiles θεοβλαβίαν, sive, ut Cicero ait, *irâ cælitum invectum malum*, *Tusc. Quæst. lib.* 4. apud Vossium *de Idololatria lib.* 3. *cap.* 12. ubi multa de *Grandine* egregia.

Grani & Granones, ea pars barbæ, quæ infra nares est, seu *mystax* dicitur, apud Ernulfum Episc. *Spicilegii Acher. Tom. II.* & in *L.* Frisionum *tit.* 22. §. 17. *Gernobada*, Ugutioni: unde tradit Lambertus Ardensis, Eustachium Com. Bononiæ & Balduinum Grossum Iossii Toparcham, *Gernabadatos* cognominatos esse, propter barbæ prolixitatem; quam vocem *aux Guernons* vertit Duchesnius *Histor. Guin. lib.* 3. *cap.* 2. & *lib.* 4. *cap.* 4. Idem cognomen Ranulfo Cestrensi Com. tribuit Joann. Brom tonus *pag.* 1013. Wilhelmo de Percy vetus *Charta in Monastico Angl. Tom. I. pag.* 73. & 74. Vocis origo fortè ex *Grani* & *barba*, vel ex *Gena* & *barba*, du Fresne *Glossar.* Quorum utrum sit, id certum, *granos* dictos esse Gotthorum capillos, sparsos ac discriminatos inque se annellatos crispatosque, seu *granorum* instar (unde iis nomen) in orbem flexos, quales in antiquis nummis Gothicorum Regum videre est. Eorum mentio in Concilio Bracar. *Placuit, Lectores in Ecclesia, in habitu seculari ornati, non psallant, neque granos gentili ritu demittant.* Et apud vet. Interpretem Bibliorum, in verba Judithæ *cap.* 10. *Et discriminavit crinem capitis sui*, interpretatur, *granam fecit*, V. Salmasium *ad Solinum pag.* 763.

Granis, Græcè Γρανὶς Arriano, fluv. Asiæ. V. *Granicus*.

Grant, Dæmonis species, in Anglia, *ad instar pulli equini annicli, tibiis erectum, oculis scintillantibus — comparet in plateis sæpissime, in ipsius diei fervore, aut circa Solis occasum & quotiens apparet, futurum in urbe illa vel vico portendit incendium. Cùm ergo sequente die vel nocte instat periculum, in plateis, discursu facto, canes provocat ad latrandum, & dum fugam simulat, sequentes canes ad insequendum — invitat: hujusmodi illusio convicaneis de ignis custodia cautelam facit, & sic officiosum Dæmonum genus, dum aspicientes terret, suo adventu munire ignorantes solet*, Gervasius Tilleberiensis S. *de Otiis Imperialibus lib.* 3. *cap.* 64 apud C. du Fresne *Glossar.*

Granum, propriè semen, quod spargitur, ὁ σπόρος, ὁ σῖτος; unde *granarium*, σιτοβολῶν; & *grania* vel *granea*, in Salica aliisq; *LL.* loca, ubi fruges in spicis reponuntur & excutiuntur. V. suprà in voce *Grana*. Idem primum ponderis rudimentum; fuerunt q; 24. granorum in scriptulo. Sic decem scriptulorum margarita (quo pondere maximæ cognitæ sunt Veteribus) 240 *granis* expendebatur, tempore Plinii. Hodie maximas, quæ ad Comorinum prom. capiuntur, centum *grana* pendere, tradit Garcias ab Horto, earum pretium solere esse 150. aureorum, addens. Idem vidisse quandam refert, quæ 160. grana tritici pendebat. In Persico sinu majores reperiuntur, quæ & cæteris omnibus candoris ac magnitudinis laude anteferuntur: inde Romanis adferebantur. Atque hæ sunt, quas hodie *Orientales* vocant, laudatissimas omnium. Salmas. *ad Solin. p.* 1170. De *grano Gnidio*, ut Plin. vocat *lib.* 13. *cap.* 21. seu *grano Galatiæ rubente*, ut Tertullianus, V. eund. *ibid. pag.* 301. & suprà de *Cocco*, seu grano quo infectores utuntur, Græcis per excellentiam κόκκος, i. *granum*, dicto.

Graphice, V. infra *Pingendi ars*.

Graphium, seu stylus, calami vice olim erat; cùm saxis & lateribus antiquissimi homines literas insculpsere. Gr. Γραφεῖον, Ausonio *calamo* & *calce*. Hiobus *cap.* 19. *Quis mihi det, ut exarentur in libro stylo ferreo, aut plumbi lamina, vel calce sculpantur in silice?* Etiam postquam ceratis tabellis eas exararunt: Unde Isidorus *Orig. lib* 6. *cap.* 9. *Græci & Thusci, primùm ferro in ceris scripserant.* Postea, quia ξιφηφορεῖν non liceret, quo gladii & pugiones vetabantur, *Graphiis* ad vulnerandos alios abuti cœperunt: quin eo fine, ut alios vulnerarent, *Graphia* etiam acquirebant. Ita Antyllus quidã, teste Plutarcho *in Gracchis*, γραφείοις μεγάλοις συντρηθεὶς, ἃ δι' αὐτὸ τοῦτο πεποιῆσθαι λέγονται, *Magnis confossus* Graphiis, *quæ eam in finem comparasse sibi dicebantur*. Propterea interdictus & *Graphii* ferrei usus fuit, jussiq; pro ferreo uti osseo. Unde T. Quinctius Atta *in Satyra*:

> *Vertamus vomerem in ceram, mucronemq; aremus osseo.*

At postea iterum rediit usus ferrei styli. Martialis *lib.* 14. *Epigr.* 21. cujus lemma *Graphiarium*,

> *Hæc tibi erunt armata suo graphiaria ferro,*
> *Si puero dones, non leve munus erit.*

Sed rediit & tum periculum. Sic Cascæ, ut apud Plut. est & Appianum, sive ut Suetonius ait, *in Julio cap.* 82. *Cassii brachium arreptum graphio Cæsar trajecit.* Idem *in Caio, cap.* 28. *Cùm discerpi Senatorem concupisset, subornavit qui ingredientem Curiam, repentè hostem publicum appellantes invaderent*, Graphiisq; *confossum lacerandum cæteris traderent.* Seneca *de Clem. lib.* 1. *cap.* 14. *Erixonem, Equitem Rom. memoria nostra, quia filium suum flagellis occiderat, populus in foro Graphiis* *occidit*. Idem Cassiano, apud forum Sullæ, & Joh. Scoto à discipulis suis accidisse legimus. V. Gerh. Joh. Vossium *de Arte Gramm. lib.* 1. *cap.* 35. Communiter, ut dictum, ex ferro erat, vel ære: aureum enim, cujus meminit Marcellus Medicus, velut & crystallina & onychina pugillaria, extra ordinem fuere. Illius formam sic descripsit Symposius *Ænigm.* 1.

> *De summo planus, sed non ego planus in imo,*
> *Versor utrinq; manu, diverso & munere fungor:*
> *Altera pars revocat, quidquid pars altera fecit*

Aptè sanè: Acumen enim ejus, si in imo digitis complectamur, ut poscit usus, ejusdem planities seu latitudo erit in summo: quorum illis scribebant, istâ abradebant. D. Hieronymus, *Stultus ego, qui me putaverim hæc absq; Philosophis scire non posse, qui meliorē styli partem eam legerim quæ deleret, quàm quæ scriberet.* Recondebatur autem in thecam, quam *Graphiarium* vocat Martialis, ut innocens haberetur, & asserit præter Suetonium *Claudio cap.* 35 Gregorius Turonensis *de Mirac. D. Martini lib.* 1. *cap.* 14. V. Laur. Pignorium *lib. de Servis*, ubi *Graphii* duplicis, minusculi unius, majoris alterius, effigiem ex ære exhibet, *pag.* 224. Sed & *Graphium*, in supellectile Monachica, recensetur in *Regula* Benedict. de quo multa congesserunt Hæftenus *Disquisit. Monastic. lib.* 9. *tract.* 2. *disquis.* 5. & Chiffletius *in Anastasi Childer. cap.* 13. Item, species machinæ bellicæ, apud Cherubinum Ghirardaccum *Histor. Bonon. lib.* 17.

Graphometrum, instrumentum mensorium, Veterum grumæ quadantenus simile, de quo V. Salmasium *ad Solinum pag.* 685.

Grassantes, apud Suetonium *Augusto cap.* 67. *Pædagogum ministrosq; Caji — superbè avarèq; in provincia grassantes, oneratis gravi pondere cervicibus, præcipitavit in flumen*: sunt qui rapinis provinciam exhauserunt, Syriam an Lyciam, cujus incolis, pro cætera sua lenitate, permisit hoc Augustus, ut suis legibus atque moribus in eos animadverterent. Aliàs enim Romanis id supplicii genus parùm in usu, Græcis fuisse non incognitum, testes Polybius, Diodorus, Plutarchus: de Syris, ex Evangelio & Hieronymo cuivis liquet. Casaubonus *ad Suetonium*. At *Grassatores* apud eund. *ibid. cap.* 32. *Nam & grassatorum plurimi palàm se ferebant succincti ferro, quasi tuendi sui causâ*: latrunculatores sunt & itinerum subsessores, cui periculo Roma & circumjecta Italia perpetuò obnoxiæ fuere, nec hodie quidem eo carentes. Juvenalis de iis hæc querela est,

> —— —— *nam qui spoliet te,*
> *Non deerit, clausis domibus postquam omnis ubiq;*
> *Fixa catenatæ siluit compago tabernæ.*
> *Interdum & ferro subitus grassator agit rem.*
> *Armato quoties tutæ custode tenentur*
> *Et Pomptina palus & Gallinaria pinus,*
> *Sic inde huc omnes, tanquam ad vivaria currunt.*

V. Appianum Ἐμφυλ. *lib.* 5 alibique, ubi *grassatorem* describit, ἀνδρῶν λῃστῶν ... ; & plura de illis, eorumque inhibitione, apud Jac. Cujacium *lib.* 19. *cap.* 11. Prima verò & genuina vocis notio, ex Catone, hæc est, apud A. Gellium, *Poeticæ artis honos non erat, si qui in ea re studebat, aut sese ad convivia applicabat*, grassator *vocabatur*. Nempe *grassari* juxta Festum, *antiquis erat adulari*. Ideo nim. quòd parasiti & adulatores *grassentur* per plateas ad captandam alienam mensam: quam artem famelici quidam Poëtæ non negligentes, divinam scientiam prostituebant. Jac. Oiselius JC. *ad Gellium lib.* 11. *cap.* 2.

Grates, non minùs ac Preces, indices sunt venerationis, quâ divinam bonitatem simul potentiamque prosequimur: nisi quòd *Grates* sequuntur beneficium, Preces antecedunt, Hobbesius *Elem. de Civ.*

de Civ. 15. 15.. Hinc in illis meliorem cultus divini partem esse, ipsi agnovere Ethnici, Appulejus in *Hermete Trismeg.* Xenophon *Memorabil. lib.* 4. *p.* 800. & *seqq.* Alii: & proin non *quotidianæ* solùm *grates* Numini ab iis exhibitæ leguntur: sed &, ubi, *singulari in casu*, præsentem illius opem experti essent, eodem officio functi reperiuntur. Ægeus, ob filium Theseum, à veneno servatum, apud Ovid. *Metam. lib.* 7. *Fab.* 22. & 23. Ovidius, ob Consulatum Sex. Pompejo delatum, *de Ponto lib.* 1. *Epist.* 4. Græcinum itidem Consulem designatum, *Ibid.* &c. Nec privatæ solùm, sed & *solennes grates publicæq;* actæ, cum insigni aliquo beneficio, ad Remp. inprimis spectante, Numen præsens sensere. Sic ob victoriam de hostibus reportatam, Cyrus apud Xenoph. *Paed. lib.* 4. Agesilaus apud eund. *Orat. de Agesil.* Argolici Duces, apud Ovidium *Heroid. Epist.* Tit. Quinctius Dict. L. Scipio, Cicero, Romanorum alii quàm plurimi Duces, apud Livium passim, *grates* Diis solennes egere. V. Brissonium *de Formul. lib.* 1. & 2. ubi etiam de gratibus privatim actis testimonia atq; exempla habes complura. Omnium tamen specimina superat sanctissima ista Hermetis Trismegisti, apud Appuleium, formula, quam subjungit *lib. cit. sub finem*, Tob. Pfannerus *System. Theol. Gentil. pur. cap.* 16. §. 26. — 31. In *Statutis* Ordinis Sempringham. *Gratiæ* dicuntur, preces pro agendis Deo gratiis, ad quas solùm, ut & Missas. *Sanctimoniales Laicas in stallis suis stare* volunt, apud C. du Fresne *Glossar.* De coronis, hominibus bene de Rep. meritis *gratiarum actionis ergò* offerri olim solitis, V. C. Paschalium *Coronar. lib.* 4. *c.* 15. & suprà ubi de *Benemeritis*; uti de *Gratitudinis* exemplis, in animantibus rationis expertibus, Plinium *lib.* 8. *c.* 16. &c. De voce verò Græca, χάρις, quæ *Gratia* Latinis, & inde deductâ χαρίσματα, earumq; apud Scriptores Ecclesi. usu, multa præclara apud Cl. Suicerum *Thesauro Eccl.*

Gratianus, adde: V. Gerh. von Mastricht *Histor. Juris Eccles. num.* 294. & *seqq.*

Gratulatoria Coronæ, memorantur Livio *lib.* 3. *Inter hæc à Latinis & Hernicis legati* gratulatum, *de concordia patrum & plebis, Romam venerunt; donumq; ob eam Jovi Opt. Max. coronam auream in Capitolium tulere parvi ponderis prout res haud opulentæ erant, colebanturq; religiones piè magis, quàm magnificè.* Sic re ab iisdem Romanis bene gesta adversùs Samnites, *Carthaginienses Romam miserunt, auream coronam* XXV. *pondo, quæ in Capitolio in Jovis cella poneretur*, apud eund. *lib.* 7. Multo ponderosior fuit, utpote *pondo CCXLVI.* quam Legatos Regis Attali ibidem posuisse, Idem habet *lib.* 27. Plura hanc in rem V. apud C. Paschalium *Coronarum lib.* 4. *cap.* 11. Atq; hic mos in vet. Rep. Romanâ viguit, ut sc. coronæ tales à provinciis mitterentur in Capitolium, ut ibi Jovi sacrarentur. Aliàs & statuæ Principum domusq;, plateæ item, theatra & templa floreis sertis conspergebantur, honestabanturque, uti habes apud eund. *lib.* 2. *cap.* 11. Ipsa etiam *in publicis gratulationibus* multitudo coronata conspiciebatur, velut circumplaudens illi, qui rem prosperè gessisset, ac felicitatem ejus participare gestiens. Sic *Vitellio*, inquit Tacitus *Histor. lib.* 2. *plaudens Populus cum lauru ac floribus, Galbæ imagines circùm templa tulit, congestis in modum tumuli coronis*, quam quisque scilicet capite tulisset. Ad quem *gratulandi* ritum alludi videtur Apocalypseos *cap.* 4. *vers.* 10. quo, quum tribuerent Animalia IV. gloriam & honorem & *gratiarum actionem* ei, qui throno insidebat, procidisse XXIV. Seniores & adorasse illum viventem in secula seculorum, & βαλεῖν τοὺς στεφάνους αὐτῶν ἐνώπιον τοῦ θρόνου, *abjecisse coronas suas ante thronum*, dicuntur &c. V. iterum Paschalium, de more hoc coronas ante pedes Numinum, apud Gentiles, ponendi *lib.* 4. *cap.* 11. *cit.* ut & plura, de *gratulantium* ritibus hic passim, ubi de *Favore, Gaudio, Lætitia* &c.

Gratus, Dux Romanus, sub Gallieno, cujus meminit Treb. Pollio *in Claudio.*

Gravaringi seu *Gravatores*, quorum meminit Ordericus Vitalis *lib.* 12. *p.* 876. *Eodem tempore Amalricus Ebroicensis Comes — Præpositos atq;* Gravaringos *in terra sua nimiùm furere videbat. Insolitas enim exactiones imponebant, ac pro libitu sua judicia pervertebant*: erant Præfecti ac Magistri Militum, in urbe quavis. *Warings* enim milites sunt Anglis, potiùs verò ministri seu milites Comitum, qui eorum jussa exequebantur, aut deniq; *Exactores* & Publicani, quomodo *Grafiones* dicuntur Sugerio *de Administr. sua cap.* 23. V. suprà, in voce *Grafio.*

Gravida, V. infrà *Prægnans.*

Gravis, propriè dicitur res, quæ tactum contundit & premit, Græcè βαρύ: sicut acutum seu ὀξὺ dicitur, quod eum pungit ac stimulat. Hinc vox translata, ad odores, in quibus *grave* dicitur, non tam quod fœtet, quàm quod fortiter ac vehementer olet, cui blandus ac lenis odor opponitur. Græci ἰσχυρὸν ὄζειν, item τὸ ἐμβριθὲς καὶ βαρυῶδες, βαρὺ quoque dixere, uti docet Salmasius *ad Solinum pag.* 360. Ad sonos item, quorum ὀξὺς, *acutus*, ille dicitur, qui auditum quasi scindendo penetrat; βαρὺς, *gravis*, qui aures obtundit & velut exsurdat. Cujusmodi sonum ad funerum res olim requisitum esse, notat vet. Scholiastes Papinii *Thebaid. lib.* 6. *vers.* 120. ubi Poëta,

Cùm signum luctus cornu grave *mugit adunco*
Tibia —

Ad colores tandem, in quibus *acutus* est, qui multo lumine radians oculos exhilarat, & tamen simul pungit ac extimulat, aliter *floridus* & *clarus*; *gravis* verò, tristior & obtusior, colore magis, quàm lumine satiatus, de quo diximus suprà, in voce *Austerus.* Vicissim amarum, quod gustus proprium est, ad tactum nonnunquam transfertur, & pro *gravi* ponitur: unde *amara sarcina*, pro gravi & premente, apud Valerium Maximum. Quam in rem V. plura apud præf. Salmasium ubi suprà, *pag.* 100. Sed & ulteriùs transiit ad Animam vox, in qua *gravitas*, virtutem notat tantopere in Romanis olim celebratam, de qua Plin. *lib.* 23. *cap.* 1. *Latium supercilium*, vocatur in Epigrammate *Priapeis* Variorum Poëtarum præfixo. Eam indigitat versus Incerti Poëtæ,

Malim unum Catonem, quàm trecentos Socratas.

Græcanica enim licentia, res notissima. V. Barthium *ad Statium lib.* 3. *Sylv.* 5. *vers.* 94. ubi utramque jungit Poëta,

Quid tandem risus libertatemq; Menandri,
Quam Romanus honos & Graja licentia miscent &c.

Hodie in Turcis *gravitatem* miratur, Jo. Bapt. Tavernier *Itiner. Turc.*

Grautungi, apud Vopiscum *in Probo*, *Sed quum & ex aliis gentibus plerosq; pariter transtulisset, id est, ex Gepidis*, Grautungis & *Vandalis*; *Gruthungi* vocantur Ammiano *lib.* 27. ubi *bellicosam gentem* vocat: Γρεύθυγγοι, Zosimo, & Claudiano,

Ausi Danubium quondam tranare Grothingi
In lintres fregere nemus.

Greuthingi, Idatio Episc. in *Fastis Coss.* &c. iidem cum *Trutungis* Æthici. V. infrà.

Gregorius VII. adde: Pontificiæ Monarchiæ Auctor præcipuus, *Dictatus* scripsit, quos vide *suprà.*

Gregorius IX. adde: Ejus jussu & auctoritate sexta Collectio Decretalium adornata est, à Raymundo de Pennaforti, illius Capellano A. C. 1230. V. infrà *suo loco.*

Gregorius XIII. adde: *Decretum* Gratiani primus vulgavit, A. C. 1582. Pontificatûs 11. & *Decretales* restituit. V. *Præfationem* Operi præmissam. Gerh. von Mastricht *Hist. Jur. Eccl. num.* 393. & 394.

Gregorius Presbyter, auctor fuit Collectionis Canonum, quam *Polycarpum* vocant, V. infrà.

Gregorius Strepius seu Grisca Urrepaja, V. infrà *Strepius.*

Greiffenstenia Familia, in Germania *illustris*, ramus est stirpis Solmensis. Cùm enim Otto Comes Solmensis, qui omnium, quotquot nunc supersunt in familia hac, communis parens est, decessisset A. C. 1409. reliquit filios, Bernardum, Brunfelsinæ lineæ auctorem & Johannem, à quo Lichensis & Laubachia linea ortum trahunt. Brunfelsina iterum in tres ramos divisa est, nempe *Brunfelsinum*, *Hungensem* & *Greiffenstenium*, de quo hic sermo. Et quidem Bernardus I. præfatus Com. Solmensis *in Braunfels* (qui obiit A. C. 1459.) filium ex Elisabetha Isenburgica, Johanne genitâ, habuit Ottonem, extinctum A. C. 1504. Quo & Annâ Nassoviâ genitus Bernardus II. obiit A. C. 1547. Pater ex Margaretha Hennebergica Philippi, qui decessit A. C. 1544. relicto, ex Anna Tecklenburgica (fil. Ottonis Com.) Conrado, defuncto A. C. 1592. Hujus (ex Elisabetha Nassovia) fil. Wilhelmus Com. Solmensis *in Greiffenstein*, ex Amalia Nassovia, genuit Johannam Elisabetham (n. 1601. den. . . .) Johannem Conradum (n. 1603. *d.* . . . nullis ex Anna Margaretha Agnata liberis relictis) ultimam (n. 1605. den. 1629.) Sabinam (n. 1606. uxorem Georgii Hartmanni Baronis *de Zinzendorf*) Amaliam (n. 1607. den. 1608.) Wilhelmum (n. A. C. 1609. cui primò Johanna Sibylla Solmensis, ex in Ernestina Sophia Hohenloica, nupsere) Ludovicum (n. 1614. maritum . . .) Cunigundam (n. 1615. *d.* 1635.) Annam Amaliam (n. 1617. uxorem Philippi Reinhardi Com. Solmensis) & Ernestum Casimirum (n. 1620. *d.* . . .) *Comites Solmenses* &c. *Lineæ Brunfelsinæ in Greiffenstein.* Spenerus *Theatr. Part. I. pag.* 158. V. quoque eum *Arte Heraldicâ Tom. II.*

Gremium, an à *gerendo*, quasi *geremium*, an ab *ingressu* difficili. nonnullis cum sinu confunditur. Sed de *Gremii* & *Sinus* discrimine, sic Marcilius *ad Sueton. Vespasiano cap.* 5. *Propriè sinus, ait, ad pectus, gremium infra pectus. Hinc illud Albinovani Consolatione ad Liviam.*

— Gremiumque sinusque.

Et Virgilianum Æneid. lib. 6.

— *Pandentemq; sinus, & totâ veste vocantem*
Cæruleum in gremium —

Et paulo pòst. De gremio est prov. vetus, Nec mulieri nec gremio credendum — At sinui non malè creditur, ut Cic. Epist. 12 *lib.* 2. &c. Itaq; *Gremium* propriè pars ea est hominis, in fœmineo inprimis sexu, quæ inter utrumq; femur intercipitur, uti patet ex tabula figulina, puerperarum votum continente, & Nemorensi olim Dianæ sacra, in qua obstetrix puerum in lucem jam editum *gremio* fovet, & dextrâ mulierem puerperam sustinet fere nudam, habitu dimisso, apud Jac. Phil. Tomasinum *de Donar.* Unde pudicè de locis genitalibus, apud Papinium *Thebaid. lib.* 1. *vers.* 234.

Scandere quin etiam thalamos hic impius hæres
Patris & immeritæ gremium *incestare parentis*
Appetiit —

Atque

Atque hinc de omni cura educationeque paterna ac materna; Claudianus IV. *Consul. Honor.*

Uberibus sanctis immortalique Deorum
Crescis adoratus gremio ——

Venantius Fortunatus *lib.8. carm.4.*

Quamque suis genibus caram nutrivit alumnam &c.

intimâ inde tutelâ. Statius *Thebaid. lib.10.*

Longævique Ducis gremio *commendat honorem*
Frontis ——

Et in Sacris sæpius. Unde amicissimi in *gremiis* suorum recumbantes, cibum olim cepere, apud Hebræos Romanosque, V. suprà ubi de *Accumbendi ritu*: ut ibi, tanquam firmissimo asylo, securi quiescerent. Quò proin & in periculis conjugi solitum. Certè in *gremio matris* Lysimachus & Philippus fratres, Ptolomæo Ceranno Vitrico, & Geta, à Bassiano Imp. fratre confossi sunt, V. ubi de iis: sanctitatem loci profanante truculentiâ, omnis humanitatis experte; quam tamen & leones, quibus irruentibus gremium apertum, reveritos legimus &c. V. Casp. Barthium *Animadversion. ad Statium d. l.* & hic ubi de *Femore, Genibus, Sinu.* &c. Vox postmodum ad alia translata; unde *Gremium Basilicæ*, apud Anastasium *Sylvestr., Canthara cerostata in gremio Basilicæ argentea* 50. media pars quibusdam seu Navis est, V. Jos. Arndium *Lexic. Antiqq. Eccl. pag.* 1088. Sic *e Gremio mittere*, in Collegiis & Monasteriis, Ecclesiis item conventualibus Commun. Rom. dicitur, cùm societatis quispiam qui ipsius & reliquorum nomine delegatur; cui opponitur *à latere Legatus*, cùm quis ab uno mittitur. V. Spelmannum *Glossar.* & Macros Fratres *Hierolexico.* At *Gremiale*, in eadem Ecclesia, dicitur pannus sericus, qui Episcopi sacra facientis, cùm in cathedra seu faldistorio sedet, *gremio* aptatur, in cujus medio crux, *ibid.*

Grepi, Sacerdotes Peguanorum, apud Ferdin. Mend. Pinto in. ubi uniusex illis, de statu utroque primi hominis, memorabilem narrationem habes, relatam à Tob. Pfannero *System. Theol. Gentil. purior. cap. 7.* §.10.

Grex, Latinis, quod ὄχλος Græcis: quorum utrumque de scenicorum propriè familiâ, collegio, choro, tam Patrumfamiliâs, quàm Ministeriorum. Petronius,

Grex agit in scena mimum: pater ille vocatur,
Filius hic, nomen divitis ille tenet.

Cujusmodi *greges* peculiares, nobiles Histriones, Romanis rebus florentibus, tam in domina gentium urbe, quàm aliis Italiæ civitatibus, habuisse, notum, ex *Inscr.* veteri honori nobilissimi illius Pyladis, de quo infrà dicemus, datâ, apud Mediolanum,

PYLADI.
PANTOMIMO. HONORATO
SPLENDIDISSIMIS CIVITATIBVS ITALIÆ ORNAMENTIS DECVRIALIBVS ORNATO
GREX
ROMANVS OB MERITA EIVS TITVLVM MEMORIÆ
POSVIT.

Ut de aliis. *Grex cursorum* occurrit apud eundem Petronium, *Notavi etiam in portico gregem cursorum cum Magistro se exercentem.* Ut &, *Grex Socraticus.* Sic *Grex Epicuri*, apud Horatium l. 1. *Ode* 37. &c. V. Casparum Barthium *Animadvers. ad Papinium Statium Thebaid. lib. 4. v.* 685. & Salmasium *ad Hadrianum Spartiani*, ut & quædam suprà in voce *Factio.* Adde Pignorium *de Servis, pag.* 42. ubi *de Gregibus servorum*, & *pag.* 536. ubi *de Gregibus equorum*, & qui illis præfecti erant, servis *Gregariis.*

Grietmanni, apud Frisones, Præfecti civitatum, in *LL.* Opbomicis, apud J. à Sande *Decision. Frisic. cap.* 1. *defin.* 1.

Griffo, in Magno *Ricordo* Leodiensi, monetæ species, 20. flor. totidem solidis æstimata. At *Griffones*, apud Matthæum Paris. *an.* 1190. *Cepit castellum inter Calabriam & Messanam, quod Monasterium* Griffonum *appellatur, ubi Gryfones insultum facientes in Hugonem Brunum Comitem Marchiæ, à Rege Richardo repulsi sunt*: Græci Byzantini Imperii sunt, quos Franci sic appellavere. Hinc Castellum *de Montegrifon*, in Peloponneso ad *mácandos*, seu vexandos Græcos, constructum, de quo V. C. du Fresne in *Gloss. Gallo-Byzant.*

Grimaciæ, Gallis dicuntur ridiculæ aut etiam horribiles vultus distortiones, quibus pueruli terrentur. Lat. *Sanniæ*; unde *Sanniones*, qui facie magis, quàm facetiis, ridiculi sunt. Salmasius *ad Tertullianum de Pallio cap.* 4.

Grimmus, filius minimus natu Micislai Herulorum Regis, frater Mistævonis & Mizdrachi, Rugiorum Principum conditor dicitur. Pater Critonis, qui Lubecam extruvit, ac Christianorum crudelis persecutor, Buthue Obotritorum Principe occiso, regnum hoc usurpavit. Sed ab illius fratre Henrico victus & interfectus successorem habuit seu filium seu agnatum Razonem bellicosum Principem & Razenburgi conditorem: post quem Rugiis filius Jaromarus I. Stralsundæ fundator, & Svanteviti idolo contemto, Christianæ fidei inter suos auctor; nepos VVizlavus, expeditionibus in Livoniam propagandæ fidei institutis notus, pronepos Jaromarus II. à quo Damgartum extructum: abnepos VVizlavus II. qui ἄπαις lineam finivit A.C.1325. hæredibus Pomeraniæ Principibus, ex Mistævone *Grimmo* fratre oriundis, reluctantibus Megapolitanis eadem stirpe prosatis & Danis, imperavere. Phil. Jac. Spenerus *Sylloge Gen. Hist. in Familia Vandalica.*

Griphus, Clearcho apud Athenæum, πρόβλημά ἐςι παιςικὸν, προςακτικὸν, τὸ διὰ ζητήσεως εὑρεῖν τῇ διανοίᾳ τὸ προβληθὲν, τιμῆς ἢ ἐπιζημίου χάριν εἰρημένον, *Problema est ludicrum, quo jubetur, ut vestigatione mentis, quod propositum est, inveniatur, præmii aut mulctæ gratia in medium prolatum.* Cujusmodi apud Vett. convivis, ingenii exercendi causâ proponi consuevisse, idem Athenæus late probat *lib.* 10. Meminit etiam Jul. Pollux *l. 6. cap.* 19 ubi compotorum ænigmata & *griphos* ita distinguit, ut illa statuat semper fuisse jocosa, hos quandoque serios. Verba sunt, τῶν μὲν συμποτικῶν αἴνιγμα καὶ γρῖφος· τὸ μὲν παιδιὰν εἶχεν, ὁ δὲ γρῖφος καὶ σπουδήν. Sequitur, solventi datum fuisse carnium aliquod ferculum, κρεῶν ἴσως εἰσφορά; ut ἅλμην ποτίζειν, *muriæ poculum* dabatur ei ebibendum, qui solvere non potuisset. Sed & alia præmia, alias item pœnas apud Græcos in usu receptas, legere est in Athenæo, ubi *suprà.* Athenis in Saturnalibus, tale quid agitatum esse, refert A. Gellius *l.* 18. *c.*2. At moris antiquitatem nihil tam astruit, quàm quòd legitur Samson triginta convivis suis ænigma solvendum intra 7. convivii dies proposuisse, ea lege, ut, si solverent, pro præmio acciperent 30. sindones & vestes mutatorias totidem: sin minùs, ipsi darent. Ænigma fuit, *De comedente exiit cibus, & de forti exiit dulce* Judic. *c.*14. *v.* 14. V. Sam. Bochartum *Hieroz. Parte poster. l. IV. c.*12. & Scaligerum *Poet. lib.*1. *cap.* 57.

Grisei Monachi, apud Cistercienses, Laici seu Conversi dicuntur, quòd hoc coloris genere vestiuntur. Olim verò omnes Cistercienses *Albi* magis, quàm *Grisei*, dicebantur, ut ex Bernhardi & Petri Gluniac *Epist.* liquet. V. Car. Macrum *Hierolex.* & infrà, ubi *de Ordinibus Monachorum.* Est autem *Griseus* color μονοφαιὸς Græcis, *pseudolactinus*, Joanni Diacono in *Vita Gregorii M. l.*4 *c.* 83. quem *cinericium* interpretatur Fridericus II. Imp. *de Arte venandi l.*1.*cap.*46. At *pelles grisiæ*, in *Chron. Trudonensi l.7.p.* 428. sunt pelles animalis cujusdam, quod vulgò *Vair* Galli appellant, in pretio semper habitæ: de quo animali attigit quædam C. du Fresne *ad Joinvillam Dissert.* 1.

Grivelæe, Gallis dicuntur pecuniæ per fraudem corrasæ, præcipuè quas Regii Rationales, in discutiendis ratiociniis & reddendis consueverunt per fraudem avertere & convertere in sinum suum: ad verbum sunt *stellaturæ*; quidquid enim variegatum est & stellatum, *grivelatum* vocant Galli, a varietate turdi, quam *grivam* dicunt. Salmasius *ad Spartianum in Pescennio Nigro.* V. etiam infrà in *Stellatura.*

Grolæa Familia, in Gallia inter illustres. Vixit autem Jacobus Dn. *de Grolée* Senescallus Lugdunensis A. C. 1180. Cujus filius Josselinus Guidonem ac Andream genuit. A' quorum illo Domini *de Grolée, de Vassalieu, de Mespieu, de Luys* (qui nunc Comites *de Grolée* dicuntur) de *Chasteaufort, de Auteville*; ab isto Domini *de Neyrieu.* qui nunc Marchiones *de Bressieux* & Comites *de Ribiers, de Viriville*, qui dein Comites & Marchiones *de Viriville* dicti, ac *de Passin* & *Cosances* (quæ superiori seculo defecit) divisi descendunt. Lineam *de Mespieu* quod concernit, Aymarus *de Groiée* Dn. *de Luys* & *Mespieu*, ex Catharina fil. Henrici Dn. *du Quart* & *Gergy*, pater fuit Arnoldi: quo & Francisca de *Chandieu* genitus Petrus conjugem habuit Artaudam *d' Arces*; ex ea pater Benedicti, cui Sebastiana Agnata genuit Stephanum maritum Ludovicæ *de la Poype*, patrem Gabrielis *de Grolée*, Dn. *de Mespieu.* V. sæpius laudatum Spenerum *Th. Nob. Eur. Part. II. p.*33.

Groma, seu *Gruma*, machina in castrorum metatione olim adhibita, eadem cum Chorobate, aut omnino similis, quæ ex regulis seu normis composita ferramento superponebatur (quod *interramentem ponere* dixerunt) sicque super ipsum quamcunque in partem movebatur percussa, ad dictandum rigorem & lineas dirigendas. Habuit autem ex corniculis omnibus perpendicula pendentia, h. e. fila sive funiculos & pondera, ut librata posset collocari. Incertus Agrimensor, *Et ferramento primo mutato, omnia indomita perpensa dirigere, cujus ex omnibus corniculis expensa ponderibus, & inter se comparata fila tenuere, vias ita perspicere.* *Nerviæ* dicti sunt funiculi illi, ex *nervis* constantes, è quibus rodus plumbi pendebat, ad perpendiculum faciendum. In capitibus verò extremis ancones erant, ad normam coagmentati: unde & *norma* dicta. Vetus Agrimensor, *ubi se consecueris normæ tuæ* &c. Locus ei in medio castrorum, prope Prætorium. Vide de ea pluribus disserentem Salmasium *ad Solinum pag.* 679. *& seqq.* Hinc *Gromatica Ars, Gromatici* Libri &c.

Grossus, monetæ aureæ species, Gall. *Gros.* Meminit ejus *Charta* Friderici II. Imp. A C. 1232. apud Goldastum *Tom. I. Constitut. Imperial. pag.*299. ut & *Decreto* Ludovici Hung. R. *art.*3 V. quoque *Histor. Cortusior. l.*1.*c.*10. De *Grossis Augustariis*, V. suprà. Item argenteæ. Hinc *Grossi Turonenses argentei*, Gall. *Gros Tournois d' argent*, in Gallia cusi sunt, sub Ludovico IX. Philippo Audace,

Audace & Carolo IX. de quibus agit Car. du Fresne in voce *Moneta*.

Grossus Rusticus, Princeps quidam Saracenus, qui regiones regno Ægypti & tractui Saraceno adjacentes possidebat tum, cùm Christiani primam expeditionem sacram susciperent, dictus est ab hisce, *præ nimia pinguiq; corpulentia, vitiq; persona, in qua totus rusticus esse videbatur*, ut ait Albertus Aquensis *lib.* 7. *c.* 11. & *l.* 10. *c.* 5. apud Car du Fresne *Glossar.*

Gruarius, apud recentiores, Primus est cognitor, seu Judex causarum ad silvas & venationem attinentium & delictorum, quæ in iis committuntur; cujus appellatio ad Majorem Forestarium devolvitur: *Gruier* Gallis, apud quos idem, secundum locorum discrimina, qui *Verdier, Forestier, Chastellain, Concierge, Maistre Sergent* &c. ut est in *Statuto* Henrici III. *de Forestis A. C.* 1583. *art.* 22. A Germ. *Gruen* vel *Gran*, h. e. *viridis*, unde Gallis *Viridarius*: Pithœus tamen à *Gru* vocem deducit, quod quemvis silvarum fructum sonat, ut sunt glandes, castaneæ, poma ac pira sylvestria, quæ ad firmam dantur à Gruariis. Id autem muneris viros primos atque adeò Militari cingulo donatos obiisse, docet Santyonus *pag.* 83. laudatus Car. du Fresne *Gloss.*

Grues, Varroni *Sat.* περὶ ἐδεσμάτων *Meliæ*, à Romanis, jam Augusti ætate, in mensam recepti sunt; sed sic, ut ciconias præ cerent: quemadmodum ex Cornelio Nepote refert Plinius *l.* 10. *c.* 23. Addit verò, suâ contrà ætate ciconias fuisse dispretas, ita ut nemo attingeret: *grues* vero expetitos inter alitum primas: Quomodo tam duræ carnis avem præpararint, ex parte indicat Horatius *lib.* 2. *Sat. ult.*

Magnomomo pueri magno discerpta ferentes
Membra gruis *sparsi sale multo, non sine farre.*

Et Plutarchus *de esu carnium lib. seu orat. poster.* Ἄλλοι γεράνων ὀμμάτια καὶ κύκνων ἀπορράψαντες καὶ ἀποκλείσαντες, ἐν σκότει πιαίνουσι, ἀλλόκοτοις μίγμασι καὶ καρυκείαις ... *Alii verò grues & olores, oculis priùs consutis, tenebricoso quodam in eo inclusos, saginant, ac mirificas intritorum miscellas & condimenta, carni earum, quæ obsoniùm futura, addunt.* Ad *Grues* etiam vipiones pertinent, de quibus Plinius *l.* 10. *c.* 49. ubi cùm dixisset, è Balearibus Insulis porphyrionem mitti, subjungit: *Ibi & buteo accipitrum generis in honore mensarum est: item vipiones: sic enim vocant minorem gruem.* Nomen à sono, ut *pipio*, apud Lampr. *Alex. in gallinis.* V. Gerh. Johannem Vossium *de orig. & progr. Idolol. l.* 3. *c.* 92. qui de earundem avium ordine, quem servant, cùm abeunt, redeuntque, item prudentiâ, quâ utuntur in se suisque, contra Aquilarum impetus, defendendis, pluribus agit *cap. præc.* 82. Adde Sam. Bochartum, è quo pauca hæc sub ungimus: Nec apud Romanos solùm, sed etiam apud vett. Græcos non in cibis tantùm, verùm & in delitiis fuere, maximè circa Thessaliam, ubi in villis opulentiores suas habuere γερανοβοσκεῖα, i. *gruum pascua*, quorum meminit Pollux post Platonem *in Politico*, &c. Porro *grus* migratoria avis est, & fugâ frigoris in remotissima loca proficiscitur. Unde Aristoteles *Hist. Animal. l.* 8. *c.* 12. Ἐκτοπίζουσιν, inquit, ἐκ τῶν ἐσχάτων εἰς τὰ ἔσχατα, *Ex ultimis in ultima migrant.* Id est, ut ipse interpretatur, ἐκ τῶν Σκυθικῶν εἰς τὰ ἕλη τὰ ἄνω τῆς Αἰγύπτου, ὅθεν ὁ Νεῖλος ῥεῖ, *Ex Scythicis arvis ad paludes, quæ sunt supra Ægyptum, unde fluit Nilus.* Quod idem refert Herodotus *l.* 2. *c.* 22. Ælianus *Histor. Anim. l.* 3. *cap.* 13. Alii. Et quidem, cùm è Thracia, quæ *gruum* olim patria credita, discedunt, ad Hebrum amnem convenire dicuntur, ut inde Ægyptum petant, Tzetzes *Chiliad.* 4. *Hist* 120. At Scythicis alio est iter, nempe per pontum, quem transvolant, inter duo promontoria Criumetopon & Carambin, quæ non nisi CLXXX.M. p. intervallo distant, Plin. *lib.* 4 *c.* 12. In cujus freti trajectu, ut & in reliquo itinere, miram earum emicare industriam, tradunt Vett. Plinius idem, Pontum transvolaturas *stabiliri saburrâ* asserit, *& cùm medium transierint, abjicere lapillos e pedibus, cùm attigerint continentem, & è gutture arenam.* Concentus consensusque inter migrantes minus est. Solinus. *Concors cura omnium pro fatigatis, adeo ut, si quæ defecerunt, congruant universæ, lassatasq; fulciant, usq; dum vires otio recuperentur.* In altum proin volant, ad omnes aëris mutationes intentæ, ne à tempestate obruantur, Aristoteles *Histor. Anim. l* 9. *cap.* 10. sed &, *ut de excelsiore speculâ metientur, quas petunt, terras,* Isidor. Agmen formam trianguli habet, qui basi à ventis impulsus summâ parte aërem secat, Cic. *de Nat. Deorum l.* 2. In primo agmine Duces habent, & ἐπιφώνους in extremo, ἐπισυρίζοντας ἐν τοῖς ἐσχάτοις, ὥστε ἀκούεσθαι τὴν φωνήν, *inter postremos insibilantes, ita ut vox audiri possit.* Philos. qui utrique e senioribus sunt, & viarum peritis, Ælian. Inprimis memorabile illud, quomodo se inter volandum mutuò juvent. *In tergo præ volantium colla & capita reponunt.* Quod quia *ipse dux facere non possit* —— *revolat, ut ipse quoque quiescat. In ejus locum succedit ex iis, quæ acquieverant, proxima, eaque vicissitudo in omni cursu servatur*, Cic. Eadem in vigiliis servatur vicissitudo, cùm enim volatu fessæ in terram descendunt, ut quiescant & somnum capiant, reliquis dormientibus, una aut altera, aut è toto numero paucæ per vices toti gregi invigilant, Aristoteles *l. c.* Vigiles autem lapidem pede ferunt, qui casu suo dormiturientes excitet, Solin. &c. Tempus migrationis quod attinet, *grues* è Thracia discedere scribit Arist. *Hist. l.* 8. *c.* 12. τῷ Μαιμακτηριῶνι, *Mæmacterione mense*, quod Ælianus exponit *lib.* 3. *c.* 13. *Autumno.* Reditus tempus idem sic definit, Ὅταν ἄρχηται ἀκμάζειν τὸ ἔαρ καὶ ἠρεμεῖν τὸ ἀέρος κατάστημα, ὀπίσω ἀνέρχονται, *Cùm incipit aeris serenitas & tranquillitas, postliminio revertuntur.* Nec omittendum, ab iis fortè ortum, quod apud Syros & Persas Ἄγγαροι, *Aggari* vel *Angari* dicebantur cursores Regii. *Grus* enim עגור *agor* Heb. unde *Angari*, qui cum gruibus certare videbantur cursus celeritate. Φασὶ ὅτι Θᾶττον τῶν γεράνων ταύτην τὴν πορείαν ἀνύειν. *Quidam hoc iter gruum volatu celerius confici tradunt.* V. omnino præfatum Bochartum *Hierozoici Part. poster. Lib.* I. *c.* 11. Adde Salmasium *ad Solinum pag.* 164. & *seqq.* Nec omittendum, quod nemo Vett. præter Dionem in *Vespas.* narrat, in Theatrum quoque grues ad pugnam productas. Sic a. is, Γέρανοι τε γὰρ ἀλλήλοις ἐμαχέσαντο καὶ ἐλέφαντες τέσσαρες κτλ. Ubi tamen Γερμανοὶ adjectâ literulâ legi, & commissiones gladiatorum intelligi vult Casaubonus *ad Suetonium Vespasiano c* 8.

Gruma, Gr. γνώμα βασιλικὰ, V. suprà *Groma.*

Grumbachium, nomen loci in Germania, sub proprio Comite ex Rheingraviorum Familia. Cùm enim Johannes Comes ex Johanna Sarwerdensi duos reliquisset filios, eorum minor natu Philippus Daunium ramum emisit, qui iterum tres palmites habet. Primus est Principum Salmensium, seu *de Neuville*, alter eos complectitur, qui *Grumbachii* habitant, tertius Daunensium est. Et quidem *Grumbachios* quod attinet, Philippus præfatus Com. Silvarum & Rheni *in Daun*, extinctus A. C. 1521 inter alios ex Antonia *de Neufchastel* filios, Philippum habuit Franciscum, qui obiit A. C 1561. Pater ex Maria Ægyptiaca Oetingensi Johan Christophori Com. Sylv. & Rheni *in Grumbach*, defuncti A. C 1585. quo & Dorothea Mansfeldica natus Johannes Com. decessit A. C. 1630. Ei verò Juliana Mansfeldica peperit, Emiconem (n 1612. *&* 1629.) Dorotheam (n. 1613. *&* ...) Adolfum (n. 1614. Annæ Julianæ Rheingraviæ maritum) Joh. Ernestum (n. 1615. *&* ...) Julianam (n. 1616. *&* ...) & Johannem extinctum, A. C 1629. omnes *Com. Sylvarum & Rheni* seu *Wild. & Rheingravios* &c. *in Grumbach.* Phil. Jac. Spenerus *Theatr. Nobilit. Europ. Part. II. pag.* 13. E quibus Adolfo ex Anna Juliana præfata nati sunt, Georgius Fridericus A. C. 1641. Leopoldus VVilhelmus 1642. Fridericus VVilhelmus 1644. Maria Magdalena An. C. 1645. (*&* 1646.) Elisabetha 1646. (*&* cod. an.) Johannes Georgius A. C. 1647. Amelia Christina (n. & den. 1648.) Juliana A. C. 1650. Dorothea Sophia (n. & den 1651.) Anna Amalia A. C. 1652. Anna Dorothea 1654. Eleonora Christina 1656. Joannes Adolfus (n. & den. 1657.) & Elisabetha, n. ... omnes *Com. Sylv. & Rheni in Grumbachio*, idem Spenerus *Part. III. pag.* 86.

Grunstadium, vulgo *Grunstatt*, locus Germaniæ *super.* sub Comite proprio, ex Familia Comitum Leiningensium, domus VVesterburgicæ. Cùm enim Emico, Catharinæ Nassoviæ maritus, obiisset A. C. 1541 major ejus filius Joh. Philippus Hartenburgicam lineam orsus est; minor verò, Patri cognominis, Dagsburgio-Falckenburgii rami auctor fuit, cujus surculi sunt Heideshemius & Falckenburgius seu Dagsburgius. Et hæc originaria ac antiquissima est Leiningensium Com. Familia, cui plerumque *Dagsburgiæ* nomen superadditur: Præter illam verò, altera est, quæ *Leiningensi* quoque nomine utitur, *Westerburgia* dicta, cui *Leiningensium* titulum attulit Margareta Landgravii Leiningensis filia, Reinhardo VVesterburgico nupta Hæc in duos nunc ramos quoque dispescitur, VVesterburgium & Leiningensem: in quo surculo uno Oberbrunnensi extincto, alter *Grunstadensis* superest. Et quidem hunc quod attinet, Cuno Com. *de Leiningen & Westerburg*, ex Mechtilde Com. Virnenburgica, pater fuit Reinardi; cui Sitnburga Saynensis Cunonem genuit Mariæ Stolbergiæ (extinctæ A. C. 1571) maritum: quo natus Philippus, ex Amalia Ripontina, Ludovicum suscepit: qui ex Bernardina Lippiensi filium habuit Philippum; ex Agatha Catharina Limpurgica, genitorem Ludovici Eberhardi Comitis Leiningensis & VVesterburg, &c. *in Alt & Neu Leiningen.* Hic Carolam Nassoviam sibi junxit, ex eaque suscepit *Phil.* Ludovicum (n... ux... *M. de Rury*) Leopoldum Ludovicum (n. A. C. 1656.) Ludovicam Carolam (1657.) Agatham *Julianam*, quæ obiit; VVilhelmumque Fridericum (n. A. C. 1659. den....) Comites Leiningenses & VVesterburg. lin. *in Grunstat, seu Alt & Neu-Leiningen.* Phil. Jac. Spenerus *Part. III. p.* 84.

Grus, Gr. Γέρανος, genus saltationis obliquæ & in se redeuntis, quâ Atheniensium Virgines, quotannis in festo *Delia* dicto, Delphis circa Apollinis altare, defungebantur, obliquos Labyrinthi, cui Minotaurus, quem Theseus necavit, inclusus erat, flexus exprimerent. Polluci *l.* 4. choreæ seu saltationis genus dicitur, ubi numerosa erat saltantium turba, quædam volantium gruum similitudine, præeuntibus utrinque ductoribus Hanc ad imaginem egressionis de Labyrintho, Theseum cum suis, circa aram Deliacam, saltasse idem tradit: quos postea quotannis ab Atheniensibus celebratus est. Saltantes autem altare percutere & oleæ ramum morsibus appetere, manibus post terga reductis solebant. Callimachus *Hymn. in Del.*

Περὶ μέγαν ὁ ῥίο βωμὸν ὑπὸ πλατάνῳ ἐνὶ ἔβην,
Ῥαπίδροις ᾗ πτυμον ἀδαλῶται ἀγίσ ἰθαίας,
Χεῖρες ἀποσχίζοντες &c.

V. Franc. Rossæum *Archæologiæ* vit. *lib.* 7.c.1.

Gruterus Lambertus, curavit editionem Operum Clementis Rom. factam Coloniæ, A.1570.

Gryllus, nomen Balneatoris, apud Martialem *lib.* 1. *Epigr.* 60. & *lib.* 2. *Epigr.* 14. Item genus picturæ, apud Plinium *lib.* 35. c.10. *Antiphilus* *jocoso nomine Gryllum ridiculi habitus pinxit. Unde hoc genus picturæ grylli vocantur.* Ubi tamen *Agellum*, & *Ægelli*, in MS legi, monet Ioan. Dalechampius. Propriè verò *Gryllus* insectum est in ædibus stridulum, quod in balneis præsertim frequens, unde aptum balneatori nomen Gr. γρύλλος quoque, a sono, quem edit, uti cicada, parte alvi fistulata, non ut locustæ (cujus speciem volunt esse Plinius) feminum attritu, uti nec alis, Scaliger *Exercit.* 273. Vide quoque Ulyssem Aldrovandum *de Insectis*, *l.*4.*c.*2. & Gerh. Io. Vossium *de orig. & progr. Idol. lib.*4.*c.*77. Belgis *krekel* vel *nachtkrekel*. Valde enim eos ratio fugit, qui sic cicadam interpretantur, quamvis cantu & forma non multum à cicada differat, alis exceptis. Cæterùm mederi faucium & gutturum morbis, calculoque & Americanis pro cibo esse, docet idem *capp.* 77. 83. & 89.

Grympa, Catanensibus in Sicilia vocatur S. Agathæ velum, filis longum, coloris castanei, auro prætextum, quod miri veneratione incolæ colunt. A' Græco γρυμπάνω, *involvo*, Dominico Macro *in Hierol.* Sed sine idoneo teste. γρυπάνιον apud Harpocrationem est, *palpito, incurvatus tremo &c.* *Id hastam nempe illud involutum*, pergit, *populo ostenditur, ac involutum conservatur. Ibid.* V. infrà *Guimpa*.

Gryphum pedes vel ungues poculis conficiendis inservire, tradit Arabicus Scriptor Damir *cap. de aka* seu *ama* vel *gryphe*. Gesnerus *de gryphe*, *Joannes de Montevilla scribit, ungues tanquam cornua bovis esse, è quibus magni pretii pocula fiunt.* At paulo post, se vidisse apud Aurifabrum addit, *cornu nigrum læve & in summo aduncum, ferè ut in rupicapris, triplo fortè crassius, cujus labris argenteum inducturus erat, ut pro poculo mensis adhiberetur*: quod cum is pro *gryphis* ungue venditasset, bovis alicujus peregrini, ut quem *Indicum* vocant, aut bubali fuerit cornu. Ejusdem proin commatis hoc Arabum commentum est, cujus omnia illa, quæ de *Gryphibus* nugacissimi Scriptores Ctesias & Aristeas Proconnesius scribunt. V. Bochartum *Hierozoici Part. post. Lib. II. cap.* 9.6. *inprimis verò Lib. VI. cap.*2. ubi verba illa Græcorum Interpp. Levit. *cap.*11.*v.*13. & Deuteron. *c.* 14. *v.* 12. *Βδελύξεσθε τὸν γρυπά, οὐ φάγεσθε τὸν γρυπά*, quæ Vulgatus reddit, *Ne comedatis gryphem*, de γρυπαιέτῳ, *gryphaquila*, interpretatur: quo vocabulo, post Æschylum, utitur Aristophanes *in Ranis*, pro majore aquila, quæ rostrum maximè aduncum habet. Propriè enim γρυπότης est vel nasi vel rostri insignis quædam aduncitas, unde ad reliqua transfertur, &c.

GU.

GU. in notis antiquis, *Genus*. GX. *grex*, significat &c.

Guacejum, seu *Vacejum*, vulgò *Gassay*, locus Galliæ seu castellum, in pago Oximensi, memoratum Orderico Vitali *l.*6 Had. Valesius voce *Oximensis pagus*.

Guarani, *Guaranci* & *Guarangi*, iidem qui *Varingi* & *Bagiscyæ* Græcis dicuntur, apud Leonem Ostiensem *l.*2.*c.*58. & Anonymum Bar. *Chron.* sub A.C. 1046. 1047. & 1066. V. Car. du Fresne *Notis ad Villharduinum*, & *Alexiadem Annæ Comnenæ*. Alias *guarare* Gallis, fugere est & ἀναλάζεσθαι, *fugiendo sibi cavere*, i. varicare, crura pandere, varicatis cruribus aufugere. Unde iisdem lupi *guaratores*, qui, cæterorum luporum fugientes consortium, soli incedunt, μονότροποι Græcis. Salmasius *ad Solinum p.* 946.

Guardia, nomen Familiæ Hispanicæ, in Gallæcia illustris. Cùm enim Consalvus Mexia Carrillo Dn. *de Sanctisimia* duxisset Agnetem filiam ac hæredem Roderici Mexiæ Dn. *de la Guardia*, duæ hæ lineæ coivere, atque inter posteros, præcipua fuit Marchionum *de la Guardia*, reliquis Ponziorum *de Leon* & Guzmanniorum cognomina usurpantibus. Primus autem March. *de la Guardia* titulum nactus est Gonsalvus Mexia Carrillo. filius ac nepos Roderici, quo & Annâ Manricia genitus Rodericus I. uxorem habuit Isabellam de Mendoza: ex ea pater Consalvi, cui uxor Maria de Cardenas genuit Rodericum II. (cui uxor obtigit Luisa Antonia fil. Ludovici Antonii Portocarreri Com. de Palma) & Franciscum, nominis *Mexia Carrillo March. de la Guardia*. Phil. Jac. Spenerus *Theatro Nob. Part.II. pag.*118.

Guastum, apud Plinium *l.* 20 *c.* 7. *Tertium genus est*, *in sylvis nascens*, *Isatin dicunt*, *hujus folia trita cum polenta vulneribus prosunt*, *quarto infectores lanarum utuntur*, *quod* guastum *vocant*: Uti legi jubet, pro *glastum*, Salmasius. Herba est multis regionibus quæstuosa, cæruleo colore inficiens, quâ vett. proin Britannos in bello, ut hostibus essent formidabiliores, usos scribit Alex. ab Alexandro *Genial. dier. l.* 1. *c.*20. Sed & conjuges eorum eodem succo se pingebant. Plinius *lib.*22. *c.*1. *Simile plantagini* glastum *in Gallia vocatur*: *quo Britannorum conjuges nurusq́; toto corpore oblitæ, quibusdam in sacris & nudæ incedunt, Æthiopum colorem imitantes.* Imò *omnes se Britanni vitro inficiebant, quod efficit cæruleum colorem*. Cæs. Idem autem vitrum Latinorum, quod ἰσάτις Græcorum & Gallorum vett. *guastum*, quod hodierni *guesdum* vocant: Isatis nempe sativa, qua Infectores lanarum uti consuevisse notum. Præparatur sic: viridem herbam molis trusatilibus premunt, ut herbaceam saniem exsudant: dein abacto liquore digerunt in magnos globos, quos tabulatis in cinerem computrescere sinunt, *Pastellum* plerisque locis, ab effigie pastillorum, in quam glomerantur, non inanites. Hos cortinis in estoria coquunt officinæ & laneos pannos ac vellera demergunt, ut cæruleum ebibant colorem. Cæruleam verò illam spumam innatantem, quam igni confervescentes eructant cortinæ, *Indum* Galli vocant, hanc ad Pictorum siccantes usum, C. du Fresne *Gloss.*

Guepia, vulgò *la Guepie*, castrum olim nobile Galliæ in territorio Albigensi, cujus meminit Petrus *Histor. Albig. c.* 54.

Gufferia Familia, inter illustres Galliæ, cujus originem aliqui à Guifredo Duce Aquitaniæ, alii ab Hunaldo I. *Guifferii*, Equitis Borbonii filio arcessunt. Claruit in ea inprimis Guilielmus, primus Cubicularius Caroli VII. cujus filius Guilielmus genuit Artum & Guilielmum; illum Dn. *de Boisy*, ac Magnum Magistrum; hunc Dn. *de Bonnivet* & Admiralem Franciæ. In illius ramo nunc sunt tituli Ducum *de Roannois*, Marchionum *de Boisy*, Com. *de Caravas*. Ex hujus posteritate sunt March. *de Bonnivet* Domini *de Crevecœur*. Artus enim *Gouffier* Dn. *de Boisy* Com. Stamparum, ex Helena *de Hangest*, *de Genlis*, pater fuit Claudii D. *de Roannois*: quo & Maria *de Brosse*, *de Bois*, *de Bretagne*, genitus Gilbertus, Johannam C. Carolam Cossaam sibi junxit; ex ea pater Ludovici, Claudiæ Lotharingæ, Ellebovii rami, mariti: quo è matrimonio prodiit Henricus *Gouffier*, March. *de Boisy*, pater, ex Anna Hennequina, Arti *Gouffier* Duc. *de Roannois*. Ph. Jac. Spenerus *Theatr. Part.II. pag.* 34. &c.

Guiana, adde: Incolas ejus æternam vitam, felicitatemque ac miseriam post hanc vitam, bonis malisque expectandam, credere, refert Rich. VVaitborn *Descript. Nov. Angl. Part. I. cap.* 4.

Guidones, Clerici dicti sunt, à Carolo M. Romæ instituti, ut Peregrinos ad visitanda sacra Urbis loca deducerent, eosque, si morerentur, sepelirent; quod Clericorum Collegium *Schola Guidonum* appellatum est, de quo infrà in voce *Porticani*. Inde *Guidonis porta*, una ex quinque Basilicæ Vaticanæ portis, apud Torrigium *de Cryptis Vat.* quòd ibi *Guidones* morarentur, hodie *Porta sancta* V. Macros Fratres *in Hierol.* in hac voce, nec non in voce *Brabanti*, ubi sic quoque XV. Ecclesiasticos Ultramontanos, in Æde S. Salvatoris prope S. Petrum in Vaticano, ad id muneris institutos à Carolo M. & *Guidones*, item (quæ vis vocis est) *Duces* vocatos esse, ac præter dicta Peregrinos, dum viverent Romæ, hospitio excepisse, addunt.

Guidemina, nomen duarum campanarum ingentis magnitudinis, quas Episcopus quidam, *Guilielmus* nomine, Famagustæ Cypri metropoli faciundas curavit, & à nomine suo appellatas in D. Nicolai templo suspendit. Meminit earum Hieron. Magius *lib. de Tintinnab. cap.* 14.

Guimpa, in *Regula* Roberti Arbriselli *cap.* 6. peplum est seu velum muliebre, quo etiamnum Monachæ utuntur, quod *Guimpe* Galli vocant. In specie sic Catanenses appellant S. Agathæ velum, quod *Grympam* alii malè dicunt, V. C. du Fresne *Not. ad Stabilimenta S. Ludovici lib.* 1. *cap.*54. & suprà voce *Grympa*.

Guisa, adde: hodie *Guisiæ* titulo gaudet N. filius Josephi Ludovici Ducis *de Guise*, *de Joyeuse*, *d'Angoulesme* Princ. *de Joinville* &c. (ex Ludovico Princ. Joinvillæ, Henrici II. fratre, & Franc. Maria Valesia Duc. Engolismensi) nati A. C. 1650. den. 1670. & Isabellæ Aurelianensis, quæ secundo genita fuit Johannis Baptistæ Gastonis Duc. Aurelianensis ex secundo matrimonio Mariæ Lotharingicæ. Spenerus ubi suprà *Part. I. pag.* 147. & *Part. III. p.* 78. & 88.

Guiscardus, cognomen Roberti Normanni Apuliæ Principis, V. in voce *Wiscardi*.

Guitefleda, vel *Vitefleda*, fluvius Galliæ, in Caletis, Orderico Vitali *lib.*12. memoratus, vulgò *Vitefleu* aut *Vitefleur*, Canejum *Cany*, Guitefledam *Vitefleu*, Paludellum *Palnel*, Vellas *Veules* præterlabitur, & ad Clicadentes in Oceanum effluit. Nomen habet à *fleda*, seu ab æstu accessuque maris: idem enim *fleta* est, quod *fleat* aut *flead* Bedæ & *fleet* Belgis Hadr. Valesius in voce *Amfleat*. Oritur autem apud Hericurtem seu vicum S. Malloni & currit leucas plus minus 4. Vocatur *Riparia de Witeflou*, in vett. tabb. Fiscannensibus: item *Pons de Witeflou*, in literis datis A. C. 1229. vicus autem ipse ibidem dicitur *VVitefle super mare*, *Witeflequm Witeflot villa*. Idem Valesius in voce *Caleti*.

Guimundus, Lanfranci discipulus, scripsit *de Corporis & Sanguinis Christi veritate, in Eucharistia*, V. Jo. Forbesium *Instruction. Hist. Theol. l. XI. c.*18. §.10. & *seqq.*

Gula, Censoriis legibus apud Romanos coercita. Plin. *lib.* 36. *cap.*1. *Extant Censoriæ leges, glandia in cœnis, gliresq́; & alia dictu minora, apponi vetantes. Marmora invehi, & maria hujus rei causa transiri quæ vetaret, lex nulla lata est.* Sapientioribus insuper Ethnicorum

Ethnicorum sæpius increpita, V. eundem *l.9.c.17.* & 35. *lib.* 10. *c.15.22.23.* & 51. *l.12.c.7.l.15.c.26 lib.31. cap.8* &c. & plura hanc in rem suprà, ubi de *Conviviis.* Quæ autem pars animalis sic propriè dicatur, explicat idem *lib.11.c.37. Tonsillæ in homine —— Quod inter eas uvæ nomine ultimo dependet palato, homini tantùm est. Sub ea minor lingua, epiglossis —— Opera ejus gemina, duabus interpositæ fistulis. Interior —— arteria —— exterior appellatur sanè gula, quâ cibus aut potus devoratur. Tendit hæc ad stomachum —— Ex cartilagine & carne arteria, gula nervo & carne constat.* Et infrà, *Summum gulæ fauces vocantur, extremum stomachus* &c. Apud Recentiores *Gula*, Gall. *Gueule*, vocabulum quo Feciales horum frequenter utuntur, ad designandum in insignibus rubeum colorem. Est autem *Gula* pellis rubricata, auctore Bernardo *Epist.* 42. *c.2. Horreant & murium rubricatas pelliculas, quas* Gulas *vocant, manibus circumdare sacratis.* Unde elicit du Fresne, *Gulas* fuisse pelles non nativi coloris, sed rubrici intinctas, ad idque adhibitas Armenicas, h. e. murium Ponticorum: interdum etiam ipsas Martes Zebellinas, albas sc. quales in Norvegia nasci, docet Adam Bremensis *c.* 239. V. Car. du Fresne *in Gloss.*

Gummi, Græcis κόμμι. Sic Chymicis Auctoribus electrum vel succinum, κόμμι ξηρὸν. Unde Persæ lac illud, quod lactis more quidem manat primò, deinde concrescit ut *gummi*, qualia sunt lac Cyrenaicum & Hammoniacum. *Xir*, lac Mambu *taba xir*, & mannæ aliquod genus *Xirqust*, appellant. Gummium enim genera omnia primò liquida ex arbore manant, deinde siccantur & durescunt, nunc rotundiore formâ, nunc longiore & cylindraceâ concrescentia. ξηρὸν autem *siccum* Græcis aridumque est. *Gummi optimum esse ex Ægyptia spina convenit vermiculatum, colore glauco purum, sine cortice, dentibus adhærens, pretium ejus in libras X.* iii. Plin. *l.13. c.11.* Ex Ægyptia scilicet spina nigra, quod κόμμι ἀκάνθης, hodie *Gummi Arabicum*, vocant. Et quidem Ægyptia spina (quæ & *acacia*) lachrymat gummi, tum incisa, tum etiam sponte sua. Quod sponte suâ manat, absque ulla arboris plaga, circa corticem adhærescit, ut in arboribus myrrhæ & thuris quoque videre est. Eam igitur ferro deradunt. At quæ ex incisa & percussa fluit, eam supposito vase excipiunt. Atq; hæc optima habetur, utpote quæ sine cortice est. Quemadmodum & è lachrymis thuris eam optimam & purissimam habitam, quæ in tegetes subjectas destuebat, ait Theophrastus, qui & hujus spinæ lucum ingentem circa Thebaicam præfecturam fuisse memorat. Quam in rem V. Salmasium *ad Solinum pag.* 533. & de reliquis quoque *Gummium* generibus, Plinium ubi suprà. De usu vero *gummi*, in adulterandis succis lachrymisque arborum, quæ concrescunt, eundem Salmasium *d.l. pag.* 301.

Gundebodingi, appellati Burgundi, & generaliter, qui *lege Gundeboda* vivebant, eâ sc. quam Gundebadus Burgundiæ Rex condidit, in *Capitular.* Aquisgr. an. 789. *cap.* 62.

Gunna, seu *Guna*, vestis pellicea, Gallis *Gonne*, Anglis *Gowne*, Græcis recentioribus γοῦνα, V. Constantinum *de Admin. Imp. cap.* 32. & alios, quos laudat Meursius in *Glossar.* Eandem vocem Italos pariter usurpare, pro viliori veste, observat Pergaminus ex Petrarcha *part. I. cant.* 1. 5. &c. apud du Fresne *Glossar.* Hinc diminut. *Gunella*, Gall. *Cotillon*, Ital. *Gonella*: unde *Grisegonella*, cognomen Goffridi Comitis Andegav. quòd tunicam griseam gestaret: & *Tresgonellus*, cogn. Episc. cujusdam Triscani, quòd triplici tunicâ uti soleret, in vett. *Schedis* apud Augustin. *du Pas*, in *Stemm. Armoric. part. I. pag.* 47. &c. Item *Gunarii*, pellium ejusmodi mercatores, à quibus dicta olim CPoli Basilica τῶν γουναρίων, de qua V. *Chronicon* Alexandrinum *pag.* 778. qui locus idem videtur cum eo, quem Leo Gramm. vocat τὰ γουνάρια τοῦ φόρου *p.* 505. Originem vocis à *Gaunaco* deducit Cluverius, *Germ. antiq. l.1.c.15.* quod Varro *magnum sagum* interpretatur, vocemque Græcam esse ait. Sunt autem Hesychio, Καυνάκαι, στρώματα, ἢ ἐπιβόλαια ἑτερόμαλλα, *Stragula, alterâ parte villosa*, V. eundem du Fresne & Octavium Ferrarium, *in Gonnâ.* Sed & *Gunna*, machinæ bellicæ seu missilis species, apud Th. Walsinghamum *p.* 126. *alibiq;*, inprimis *p.* 398. *Et illic figere vel locare* gunnas *suas, quas Canones Galli vocant, quibus validiùs urbem infestare possent.* E quo loco patet, *gunnam* eandem fuisse machinam cum *Canone* Gallorum, & à *gunne* Anglorum: & fortè *canones*, quasi *gunnones* dicti sunt. Hinc *Magister Gunnarius*, confector gunnarum vel gunnis præfectus, *Master Gunner* Anglis. Vocem ex *Mango* vel *Mangona*, contractam esse, opinatur Somnerus, apud du Fresne *Gloss.*

Gunfano, apud Hariulfum *Chron. Centul. lib.* 3. *cap.* 3. *Item poma* gunfanonum *septem argento auroq; parata*: vexillum, flammulum est, ex *Fano*, de quo suprà. Item *Fano* seu *Flammulum*, quod hastis appendebatur, recentioribus Græcis φλαμμούλιον, cujusmodi insularum ab hastis ac lanceis pendentium, mentio est apud Frontinum *Stratagem. l.1.c.12. num.* 5. quibus quæ carebant, *Hastæ puræ* dicuntur, in vett. *Inscr.* ubi donatos milites *Hasta purâ sine vexillis* interdum, in virtutis militaris præmium, legere est, 414. 8. 408. 13. &c. Hinc *Gunfanonarius*, uti vocatur Suppo, consobrinus uxoris, Ludovici Pii, in *Syn.* VIII. CPolit. Vexillifer, Signifer: Ital. *Gonfaloniere*; quo nomine supremus olim apud Florentinos Magistratus indigitabatur. Sed & hodieq; regitur Senensis urbs à tribus *Gonfanonariis*, quorum singulis tertia urbis pars regenda datur. Imò & Ecclesia Rom. suos habet *Gonfanonarios*, de quibus præ aliis agunt, Froissardus *vol.2.c.* 135. Joannes Villaneus *lib.8. c.69.* & Matth. Villaneus *l.* 9. *c.* 90. laudati Car. du Fresne.

Gurgiculus, nomen quo Mare Mediterr. appellare solebat Carolus M. apud Mon. Sangall. *l.1. c.29.*

Gussa seu *Goza*, machina bellica, in *Usaticis* Barcinon. *MSS. c.* 83. alibique, quòd *canis* formam referret, dicta: Occitanis enim *Gossas* canis species est, du Fresne *Glossar.*

Gustatio, Veteribus quid fuerit, docet Plinius Iun. *lib.* 3. *Ep. Post Solem plerumq; frigidâ lavabatur, deinde* gustabat *dormiebatq; minimùm: mox quasi alio die studebat in cœnæ tempus.* Nempe postquam exierant è balineis, ante unctionem aliquid esitabant, quod *gustatio* dicebatur. Sic in balineo demum post horam primam noctis, priusquam incepisset ungi, duas buccas se manducasse, refert Augustus, apud Suetonium *cap.* 76. ubi Casaubonum vide, & quæ suprà diximus, de veterum *Edendi ratione.* Alias *gustatio*, mensæ promulsis. Hinc *mensa gustatoria*, eadem cum *promulsidari*, qualem in Trimalcionis epulo Petronius sic describit: *In promulsidari asellus erat Corinthius cum bisaccio positus, qui habebat olivas in altera parte albas, in altera nigras. Tegebant asellum duæ lances, in quarum marginibus nomen Trimalcionis —— Ponticuli etiam ferruminati sustinebant glires melle & papavere sparsos: fuerunt & tomacula supra craticulam ferventia argenteam posita: infra craticulam Syriaca pruna cum granis Punici mali.* V. quoque infrà in voce *Promulsis.*

Viri Principes.

Gustavus Adolphus, filius minimus Friderici Marchionis Durlacensis, extincti A. C. 1659 literis probè excultus itinera varia obiit. Inde in Polonico bello easdem cum fratribus partes, Suecicas nempe tutatus, inprimis in Borussia res egit. Præfectus Morungæ, eam cùm fortiter defendisset, demum dedere coactus est. Post alterum iter Italicum, Romanæ se communioni addixit, A. C. 1663. resignato priùs Argentinensi Canonicatu. Bello exin Hungarico A. C. 1665. in Imperiali exercitu adversùs Turcas, peditatui Præfectus, in conflictu ad Gothardi fanum insignem fortitudinis laudem recuperavit. Cassidem tandem mitra permutans, jam Abbas est Fuldensis.

Gustavus Adolphus, Dux Megapolitanus, *rami Gustrovian.*, filius Joh. Alberti, ex Eleonora Maria Anhaltina, à Parentibus in Reformata religione educatus, mox Patre A. C. 1636. extincto, a Tutore Patruo Adolpho Friderico D. Suerinensi, matri invitæ ereptus ac Religioni Augustanæ Confess. admotus est. Cùm Razeburgius administrator esset designatus, eo jure in pacis commodum sese abdicavit, duobus in Capitulis Magdeburgico & Halberstadiensi Canonicatibus acceptis: quibus Argentinensis quoque accessit. Cùm Patruelis Rostochium urbem hostiliter accipiendo ingressus esset, ipse eodem se contulit: re citra motus majores peracta. Uxorem habet Mariam Sibyllam Holsatam: ipse verò natus est A. C. 1633. V. Phil. Jac. Spenerum *Sylloge Geneal. Hist.*

Guteli, Larium seu Dæmonum genus, apud Germanos, sic dicti, à *bonitate*, quòd in domibus versentur sine noxa, curamque præsertim jumentorum habeant. A' quibus non diversi, quos *Trulles* nuncupant, qui utroque sexu ementito apud Suecos maximè in famulatu feruntur fuisse. V. Jo. Vierum *de Præstigiis Dæmonum l.1.c.16.* & de uno alterove eorum lepidam historiam apud Auctorem Anon. *Sinæ & Europ.*

Gutta, Gr. σταγὼν, unde σταγονίας thus masculum, quod σταγόνι i. *guttæ*, simile sit, V. infrà: item σταλαγμὸς, unde vox, quam corvi edunt, quum aquæ stillantis sonum imitantur, eodem nomine indigitata, apud Aristotelem, V. Salmasium *ad Solinum p.* 1318. In gemmis idem cum puncto est, Solinus *cap.* 5. *De Corallo, quam Coralliachaten vocant, coralio similem, sed interim* guttis *auro micantibus.* Cujusmodi aureis guttis sparsum sapphirum χρυσοστιγῆ vocat Epiphanius. V. de ejusmodi gemmarum maculis hic passim, ubi de *Oculis, Stellis* &c. item in vocibus *Sparsus*, ac *Superspersus.* Etiam in equis *gutta*, V. infrà. At *Gutta Sicula*, apud Callimachum, dicitur humor ille, quem in poculo relictum, bibentes desuper in manum conversam invergebant, ac ludentes in cottabeum conjiciebant. Magni enim studii cottabus olim apud Siculos erat, apud quos & inventum fuisse, atque ita excultum, ut gradus etiam huic ludo constituerent, refert Dicæarchus *lib. de Alcmane.* Guttam autem hanc ex poculis *λάταγα* appellasse Thessalos ac Rhodios, scribit Clearchus *lib. de lingua*, de quo Græcorum lusu V. Athenæum *lib.* 15 *c.1.* & Casaubonum *ad eum*, nec non Suidam, in voce κοτταβίζειν. A' nomine *gutta*, *Guttatus*, qui & *Scutulatus* equus, Romanis appellatus est, qui Gr. ψαρὸς vel κατάστικτος: & quidem *Scutulatum* vocari dicit Isidorus, *propter orbes, quos habet candidos inter purpureum*, scutularum scil. forma; *Guttatum* idem definit, *album equum nigris intervenientibus maculis*: vel niger sic dicitur albis punctis respersus, quales sunt gallinæ Numidicæ, de quibus Martialis,

Et picta Perdix, Numidicæq; guttatæ.

guttatus planè exprimit Hebræum ברוד *barud* i. *grandinatus*, χαλαζώδης, maculis albis grandinis instar respersus, quæ occurrit, apud Zachar. c. 6. v. 4. 6. & Græcum λευκόστικτος, quod Eumeli equis usurpat Euripides *Iphigen. in Aulide v.* 221. λευκοστίκτῳ τριχὶ βαλιοὺς ὠκεῖς, *pilo albis maculis guttato varios*, cum intra *maculosæ terga* sunt Admeti equæ, apud Statium *Theb. l.* 6. *v.* 5.

—— —— *noctemq; diemq;*
Assimulant; maculis internigrantibus albæ.

V. Sam. Bochartum *Hieroz. Part. pri. l. Lib.* 11. c. 7. Ut alia omittam, inter aromata *Gutta gamba*, non minimum locum tenet, memorata Casp. Barlæo in *Medicea, Erat ad & inter visus obvia Draconis sanguis, concreto succo rubens* —— & *Gutta gamba, flavo colore essiquis intermicans. Sabæorum thus & myrrha* &c.

Guttonarii Equi, apud Vegetium *l.* 4. c. 6. *Inter tolutarios enim & eos, quos vulgus* guttonarios *appellat, ambulatura eorum media est*: idem cum trepidariis eu tre identibus sunt Idem *l.* 1. c. 56. *Sed ipsos equos, quos vulgò trepidarios, militari verbo* guttonarios *vocant*. Dicti à *gutto* vel *guttone*, qui propter oris angustiam minutim guttatimque evacuatur, quemadmodum *colatorii*, à sacco vel *colo*, quod minutim similiter vacuefieri consuevit. Uti enim Græci σταλάζειν, κατασταλάζειν, & σταλαγμὸν, καταστάλαγμα interpretantur, h. e. *minutam & per gradus promotionem progressionemq;*: Sic Latini *guttum* quoque & *gutturnium* in eadem significatione acceperunt. Hinc *guttonarii* equi, gradatim & minutim ambulantes; nam & ipsi trepidarii gradu minuto incedunt, etsi non tam minutim succreto colatoque quàm guttones: Græcis propterea σταλαγμῷ vel καταστάλαγμα, à λάκος, *guttus*, quod vas cum liquorem ore angusto minutim & guttatim funderet, minutum illum crebrumque incursu gradum tolutariorum & trepidantium equorum, sensim minutimque festinantium & succussantium, eadem voce indigitare voluerunt. Salmasius ad Jul. Capitolinum *in Maximinis*.

Guttur, animæ canalis, Plin. Græcè λαιμὸς, λάρυγξ, & λαρυγγός, canna pulmonis & aspera arteria, ex Heb. גרגרת fortasse a *sono glutientis*. *Homini tantùm & suibus intumescit, aquarum quæ potantur vitio*, idem Plin. Præsertim auctore Vitruvio, apud Æquicolas Italiæ & Medullos Alpinos, vulgò *Mitians & la Vallée de Tarentaise*. Juvenalis *Sat.* 13.

Quis tumidum guttur, miratur in Alpibus?

Non inest animalibus, quibus fauces non sunt, uti nec stomachus, nec colla, quemadmodum piscibus, in quibus *ora ventribus junguntur* &c. V. sæpius laudatum Plinium *lib.* 11. *cap.* 37. & Alex. ab Alexandro *Genial. Dier. l.* 2. c. 19. ubi quid in singulis hominum partibus religiosum & venerabile, eruditè disserit.

Guttus, apud Martial. *l.* 14. *Epigr.* 52. cujus lemma, *Guttus corneus*,

Gestavit modò fronte me juvencus,
Verùm rhinocerota me putabis:

à *guttis* dictus est, quod propter colli angustiam humor inde guttatim efflueret. Fiebat è cornu, ut & instrumenta alia domestica. Horat. *l.* 2. *Sat.* 2.

—— *cornu ipse bilibri*
Caulibus instillat, veteris non parcus aceti.

Nasumque habebat seu rostrum, unde *rhinocerota* vocat Poëta. Ut & Juven. *Sat.* 7. —— *magno cum rhinocerote lavari*.

Ubi Schol. *id est*, inquit, *magno gutto, quòd si ut rhinoceros, sit ingentis nasi*. Hoc enim in balneis utebantur lautiores superfundendi. Et quidem luxum in talibus natô ex cornu corneis vasis fuisse valde antiquum, docent Theophrasti *Characteres*, c. 5. ubi Ἀρεσκείας, Ἀμέλει ὁ τοιοῦτος ... κ. ... V. Barthium *ad Papinium Theb. l.* 2. *v.* 144. Figuram ejus habes, apud Pignorium *Com. de Servis p.* 84 ubi de Aliptarum apud Vett. instrumentis.

Guzmannium nomen, plures in Hispania Stirpes illustres nobilitat, quarum communis radix nondum reperta est. Inter reliquas facilè excellunt, in Bætica, Duces de Medina Sidonia, ab Alfonso Perezio *de Guzman* Bono, Dn. *de S. Lucar de Barrameda* à Mauris cæso A. C. 1347. derivati. Hujus nepos Johannes Alfonsus primus Comitis *de Niebla* titulum nactus est, & deinceps hujus major filius, (nam a minori Johanne postumo etiam Dni *del Adeso* orti sunt) Henricus Johannem Alfonsum primum Ducem de Medina Sidonia genuit: à cujus fratre Alfonso Dni *de Torralva* & *de Ugena* oriuntur; sed à filio Henrico (ut reliquorum mentionem, licet posteritate abundarint, omittam, propagata est Ducalis dignitas, nunc quoque superstes. V. infra in voce *Medina Sidonia*. Eidem stirpi accensendus est ramus Comitum *de Olivares*, à Petro Henrici, Alfonsi ac Johannis Alfonsi Ducum fratre protruitus, de quo infra itidem *suo loco*. Sed & *Guzmannis* adnumerari volunt Comites *de Teba*, & March. *de Ardales*, quorum auctor Petrus Suarezius *de Toledo*, Dn. *de Bolannos*, Mariæ Ramiræ *Guzmanniæ* maritus. Hæreditatem verò horum, alia non minùs *Guzmannii* nominis à Ludovico *Gonsalez de Guzman*, M. Mag. Calatravæ, lata linea Domin. & deinceps March. *de Algava*, crevit; cum Ludovicus *de Guzman*, March. *de Algava*, avunculo Marchioni *de Ardales* succederet. Idem nomen ferunt Comites priores *de Orgaz*, ab Alvaro Perezio *de Guzman*, Dn. *de Gibraleon*, descendentes; qui ad Mendozios successionem & nomen transmiserunt. Hujus enim filia Maria, nupta Johanni Hurtado de Mendoza, Dn. de *Mendibil*, genuit ei Alvarum *de Mendoza & Guzman* Dn. *de Mendibil*; cujus ex Maria *de Rojas* Dn. *de Santacruz*, filius Ludovicus Hurtadus de Mendoza & *Guzman*, ex Agnete Toletana Johan. Hurtadum genuit Com. *de Orgaz*, maritum Leonoræ de Mendoza & Patrem Stephani: quo & Maria de Figueroa natus est Johannes Hurtadus de Mendoza & Guzman, frater Leonoræ, quam sibi junxit Joh. Ludovicus de Silva & Ribera March. *de Montemajor*. Sed & in familia *de Sotomayor*, cognomen *Guzmannium* Antonius materno adjecit, cùm mater Teresia de Zuniga, succederet Patri in dominio *Ayamonte*, quod illius avia Teresia *de Guzman*, dotis nomine à Patre Johanne Alfonso *de Guzman*, D. de Medina Sidonia acceperat. Unde filius ex hoc matrimonio natus Antonius, modò dictus, cogn. *de Guzman & Zuniga March. de Ayamonte* tulit, pater ex Anna Cordubensi Francisci; qui, ex Anna Felicia *de Guzman & Zuniga* patruele sua, genuit Antonium (maritum Briandæ, filiæ Francisci Didaci; Lopezii de Zuniga D. *de Bejar*) Briandam *Sarmiento de la Cerda* (ux. Roderici March. *de Salter* primò, dein Inici Lopezii *de Mendoza*, Com. *de Tendilla*) & Annam Feliciam *de Guzman*; omnes nominis *de Guzman & Zuniga*. V. Phil. Jac. Spenerum *Theatr. Nobilit. Europ. part. II. pag.* 64. 112. &c. inprimis verò *in Indic. ubi Familiæ dispositionem exhibet*: nec non *Artis Heraldicæ Part. II.*

GY.

Gyas, vir Thebanus, apud Statium *Thebaid. l.* 2. *v.* 610.

Dircæumq; Gyan, & *Echionium Lycophontem*.

Alius apud eund. *lib.* 5. *v.* 222.

—— —— *fortemq; timebam*,
Quem desponsa, Gyan, *vidi lapsare cruentum*
Vulnere Myrmidones ——

Gyges, gigas, adde: Venti nomen in terra latentis, nam γύγης ... est, Hesychio; è quo gigantem fecit Hesiodus *Theogon.* cui addidit duos alios, Briareum & Cottum, qui tres vocabantur τριτοπάτορες, *tertio loco post Parentes*, viz. post Solem & Lunam; quibus apud Athenienses ὑπὲρ γενέσεως παίδων, *pro nativitate filiorum*, vota fiebant, sicut apud Romanos Veneri. V. Auctorem *Etymologici* & Gerh. Jo. Vossium *de Idol. lib.* 3. c. 1. nec non supra, ubi de Diis *Genethliis*.

Gyges alter, Maximinus à militibus cognominatus est, apud Capitolinum.

Gymnas, apud Papin. Statium *lib.* 2. *Sylv.* 2. *v.* 8.

Cùm stadio jam pigra quies canusq; jaceret
Pulvis, ad Ambracias conversa gymnade *frondes*.

Et *l.* 3. *Sylv.* 1. *v.* 43.

—— —— *hic tibi festa*
Gymnas, *& insontes juvenum sine cæstibus iræ*.

Gymnicus agon est, lucta, palæstra. Hinc *Therapnæa gymnas*, eidem *lib.* 4. *Sylv.* 2. *v.* 48. id est, Laconica palæstra. Quæ *præterea gymnades*, *Achilleid. l.* 1. *v.* 318.

—— —— *Tu frange regendo*
Indocilem, sexumq; tene, dum nubilis ætas,
Solvendusque pudor neve exercere proterva
Gymnadas, *aut isthris nemorum concede vagari*.

Ubi omnia virilia exercitia illustri puellæ, de qua ei sermo, vitanda dicit, præcipuè nudandorum corporum, quo more Gymnasia Spartana insaniebant: unde & nomen &c. V. quoque infra ubi de *Gymnicis* Ludis.

Gymnasiarcha, V. infra ubi de *Gymnasio* seu Ludo literario.

Gymnasium, locus, in quo gymnasticæ exercitationes habebantur; *publicus*, ut habet Galenus *de tuenda valetud. l.* 2. c. 2. *in separata urbis regione extructus, ubi ungebantur, fricabantur, luctabantur, discum jactitabant, aut tale quidpiam faciebant*. Sic nuncupatus; quoniam exercitatores ibi ut plurimum *denudabantur*, à Gr. verbo γυμνάζω, i. *nudari*. Unde Martialis *lib.* 3. *Epigr.* 68.

Gymnasium, *Thermæ, Stadium est hac parte, recede,*
Exuimur, nudos parce videre viros.

Et Bardesanes, apud Eusebium *de Præpar. Evang. l.* 6. c. 8. Græcos ait, non potuisse ulli vi siderum prohiberi, quin in *Gymnasiis* nudis exercerentur corporibus. An verò omnes & toti semper denudarentur, qui sanitatis tantùm exercebantur causâ, non est usque adeò compertum; verisimile est tamen, Luctatores, Pugiles atque alios quosdam potuisse denudari, quemadmodum Athletis in usu erat, quos tantùm subligacula pro verendis tegendis, tam in publicis, quam in privatis certaminibus habuisse, etiam usque ad Homeri tempora, à quo τῶν ζωμάτων fit mentio, omnis ratio decori exigit. Namq; Orsippi historia ab Eustathio *in Hom.* & Paus. *in Att.* aciata, cui subligacula delapsa victoriâ depserunt, ut inde postmodù indulgeretur ea non gestare, ita accipienda videtur, ut non magnis quidem & Athletâ facile impedituris, parvis tamen inpostrerum utendi necessitas esset, quem morem ad sua usque tempora perdurantem Romæ, scribit Pausanias. Primi autem qui *Gymnasia* extruxere, Græci fuere, si fides adhibenda est soloni, apud Lucianum *in Anacharsi*, & M. Tullio qui *de Orat. lib.* 2. scribit, *Gymnasia delectationis & exercitationis gratia*

gratia ab ipsis primùm instituta esse. Et quidem inter Græcos primi extiterunt Lacedæmonii, ut Athenæus ex Hippali sententia, & Plato in *Theæt. de LL. lib.* 1. memoriæ prodiderunt; quos etiam illa omnium præstantissima atq; speciosissima construxisse, ex Martiali *l.*11. intelligere est, ubi hi habentur versus:

Argivas generatus inter urbes,
Thebas carmine cantet aut Mycenas,
Aut claram Rhodon, aut libidinosæ
Ledæas Lacedæmonis palæstras.

Post Lacedæmonios sua quoque Athenienses erexerunt, in quorum urbe fuisse testantur Pausanias ac Suidas; unum *'Ακαδημίαν* vocatum, in quo Plato Philosophiam suam professus est: alterum *Λύκειον*, ubi Aristoteles docuit, quod Apollinis Lycii templum fuisse legatur, apud Lucianum *l. c.* tertium *Κυνόσαργες*, ubi nothi, spurii ac ignobiliores quivis exercebantur. Sed & præter hæc tria alterius quoque mentionem facit, quod *Cranium* vocat, Philostratus *in vit. Herodis Attici.* Cùm vero dictum est, *Gymnasia* hæc in urbe Atheniensium fuisse, sic capiendum, quod, licèt extra urbem essent, illi tamen essent proxima, ut in ea fuisse dici potuerint. In his etenim mortuos quoque sepeliendi consuetudinem Græcos habuisse, notat Cicero *Epist. l.*4. 12 ubi Servius se Marcellum interfectum, in Academia Atheniensium, nobilissimo totius Orbis Gymnasio, sepelivisse refert. Quæ vero Ligorius invenit & scribit, in vestigiis Hadriani Imp. Tiburtinæ villæ repræsentata, Athenæum, Hermæum, Panathenaicum; non tam *Gymnasia*, ubi corpora exercerêtur, quàm loca videntur fuisse, in quibus aut disciplinarum artiumque studiis opera dabatur; aut festa aliqua celebrabantur. Corinthum quoque *Gymnasium* habuisse, *Cranium* vocatum, auctor est Laertius *l.* 3. Imo nullum pene Græcorum oppidum fuisse, in quo *Gymnasium* non esset, dicere solitus est Anacharsis. Ad æmulationem postea eorum Romani quoque Gymnasia, *Palæstras* vocata, ædificare cœperunt; quos tamen cœteros quoscunque tum magnificentia operum, tum inæstimabili pulchritudine in hoc genere antecessisse, ex illis Thermarum ruinis, quæ ad huncusq; diem, non sine omnium stupore, perdurantes, conspiciuntur, facile convincitur. Martialis quoq; *l.*7. *Ep.* 34. de Neronis *Gymnas.* *Quid*, quærit, *Nerone pejus?*

Quid Thermis melius Neronianis?

Verùm & ante Neronis tempora fuisse Romæ Gymnasia, ex Plauti *Bacchid. Act.*3 *sc.*3. patet. *Gymnasia* enim tota aliquando *Thermas*, ob aquæ calidæ usum ibi frequentem, nuncupari, apud Auctores Latinæ ling. frequens est; sicut etiam interdum *Thermæ* significant eam Gymnasii partem, in qua lavabantur, ubi Propnigeum, Laconicum, Calida lavatio sitæ erant, ut ex verbis Martialis retro allatis videmus. Quomodo vero *Gymnasia* extruxerint Græci, prolixe exponit Vitruvius *l.*5. *c.* 11. & ex eo Hier. Mercurialis *de Arte Gymnast. l.*1. *c.*6. ubi & duplicem curioso Lectori iconem exhibet, unam Palæstræ cum peristylio quadrato; alteram cum oblongo: quò proin Lectorem remittimus. In his porro locis tanta tamque varia hominum conversantium solebat esse multitudo, ut referente Galeno 10. *Meth.* non rarò contentiones inter ipsos exorirentur, atque hinc ingens ac dissonus clamor: de quo conqueritur Seneca *Epist.* 6. & quem etiam in Thermis suo tempore Varro observavit, his apud Nonium verbis: *Ita, ubi fuisti Romæ eramus, in balneis plodere cœpimus & murmurari.* Primum autem hominum ibi convenire solitorum genus erant Philosophi, Rhetores, reliquique qui studiis delectabantur; Hi ibi legebant, colloquebantur, interque se disputabant, ut Juvenalis *Sat.* 7. innuit. Unde tria literatarum exercitationum Romæ loca fuisse, non uno in loco, docet Galenus, Templum Pacis, *Gymnasia publica* & *'Αθήναιον*, &c. Alterum genus erant Adolescentes, qui, ut exercitationum observationes atque modos addiscerent, ad *Gymnasia* accedebant; & hi liberi erant atque ingenui Terentius. *Eunucho Act.*3. *Sc.*2.

—— *Fac periclum in literis,*
Fac in Palæstra, in Musicis, quæ liberum
Scire æquom est adolescentem, solertem dabo.

Tertium Athletæ, qui inibi se exercebant, ut in publicis Ludis sacrisque certaminibus possent & Populum oblectare & victoriâ præmiisque potiri: Unde Suetonius refert, Neronem *quandoq; Gymnasium ingredi solitum, ut certantes Athletas spectaret.* Præterea eodem confluebant omnes illi sive nobiles, sive ignobiles, qui vel militaris disciplinæ, & fortitudinis, vel tuendæ sanitatis & boni habitus comparandi gratia, variis exercitationum generibus incumbebant, Cassiodor. *l.*9. *Ep.*23. *Ostentent juvenes nostris bellis, quod in Gymnasio didicere virtutis.* Scribitque Galenus *de Art. lib.*1. se anno ætatis suæ trigesimo quinto luxationem summi humeri in palæstra passum esse. Nec pauci in *Gymnasia* veniebant, ut ibi fricarentur, Licet enim frictiones à multis fierent ante reliquas exercitationes, nihilominus & multi erant, qui sine ulla exercitatione seorsim ab aliis, ut de Vespasiano tradit Suetonius, solùm fricabantur. Item, qui loturi erant: ubi divites atque Primates labra & colymbithras proprias in cellis alioqui communibus habebant, ubi soli lavarentur; quidam solia vel lignea vel argentea secum ferebant, ne pedes nudos collocarent, ubi vilissimi quique ponebant, Plin. *l.* 33. *c.*12. Hadrianum tamen Imp. lavari cum plebe solitum, referunt Auctores: demque de Tito Cæsare Suetonius scribit. Tandem plena spectatorum hic semper turba fuit, qui Athletarum certamina otiosi spectabant. Et quidem diebus festivis magis frequentata *Gymnasia* fuere, quòd tum Artifices, aliique variis servitiis detenti aliàs vacarent. An in Romanorum Thermis mulieres quoque versarentur, non liquet: verisimile tamen est, honestas Matronas ab iis abstinuisse, V. quæ de Poppæa, Domitii Neronis uxore, Plinius refert *l.*11. *c.* 41. Apud Spartanos vero mulieres unà cum viris in *Gymnasiis* promiscue se exercuisse, præter alios, satis testatur Propertius *l.*3 *Eleg.*12. quæ incipit:

Multa tuæ, Sparte, miramur jura palæstræ,
Sed mage Virginei tot bona Gymnasii &c.

De partibus *Gymnasiorum* dicemus infrà: eorum Ministros quod attinet, fuere illi: *Gymnasiarchus*, cujus munus erat toti Gymnasio præesse, & omnia moderari, tempus & horas præscribere, in peccantes animadvertere &c. *Xystarcha*, qui ambulacris Xystis, stadio & denique cunctis athletarum exercitationibus præerat, victores proclamabat, præmia decernebat &c. a quo diversus fuisse videtur *'Επιστάτης τῆς παλαίστρας*, *Præfectus Luctæ*, qui luctantium duntaxat Magister erat; Hippocrati *Παλαιστροφύλαξ*, *Palæstræ Custos* appellatus: & *Agonistarcha*, qui certaminum publicorum præfectus esset, in Amphitheatris & *Gymnasiis*, ubi Athletæ, in publicos ludos prodituri, prius exercebantur; munus suum obiens. *Gymnastes*, de quo infra: *Pædotriba*, qui Gymnastæ præcepta faciebat & usum, differentias ac modos exercitationum experientiâ quâdam callebat, sed ob ignorantiam sæpissimè aberrabat; militi proin & coquo à Galeno comparatus; quorum is Imperatoris, hic Medici mandata exequens, quæ ad bellicam scientiam, vel medendi artem pertinerent, ignoraret: *Sphæristicus*, eorum qui pilâ ludebant Institutor, *Servi* item fricandis, ad præscriptum Gymnastæ aut Pædotribæ, corporibus destinati: ut & *Reunctores*, qui corpora jam exercitata ungerent reungerentque. *Mediastini*, qui pavimenta everrebant, aliaque obibant ministeria. Aderant & *Servi balnearii*, qui lotos cum spongiis, modò purpurâ tinctis, modò candefactis: deinde cum linteis exiccarent: aderant *Pilicrepi*, qui sphæris pice oblitis curabant, ne ignis balneorum extingueretur: *Alipili*, qui ad vellêdos ab aliquibus corporis partib⁹ aliis præsertim pilos adhibebantur. Etiam *Janitores* suos quodque Gymnasium habuit; *Fornacatores* item: iisdemque porro ministrabant variarum rerum *Venditores*, inter quos Seneca numerat *Epist.*56. *Libarios, Botularios, Crustularios:* & quia inter exercendum sæpè vulnera, contusiones, contorsiones, luxationes, aliaque ejusmodi contingere solebant, *Medici* quoque præstò erant: unde *Medicos ludi matutini* & *Ludi magni* antiqua marmora habent, &c. Utrum autem temporibus luctus, *Gymnasia* aperirentur Romæ, non adeò constat. Athenis notat Laertius, in morte Socratis clausa illa fuisse, quod Athenienses ejus occisi pœnituisset. De *Gymnasticæ* speciebus variis ac exercitationum generibus, agit prolixè præfatus Mercurialis *tr. de Arte Gymn.* quem si placet adi. Dicam saltem de iis pauca quædam infrà, ubi de *Gymnastica*; nunc vero *Gymnasiorum* partes strictim enarrabo.

Gymnasiorum apud Vett. partes variæ.

Primæ eorum partes fuere *Porticus*, exedris sive cubilibus apertis plenæ, in quibus Philosophi, aliorumque Disciplinarum Professores ac amatores disputando, legendo, ac docendo se exercebant. Secunda fuit *Ephebeum*: ubi illi conveniebant, atque de præmiis & exercendi genere pactiones inibant, qui simul volebant exerceri ac certare. Tertia *Coriceum*, qui locus pro denudandis hominibus, qui vel exerceri vel lavari cupiebant, extructus erat: aliàs *Apodyterium*, Galeno *Γυμναστήριον*. Quarta, *Elæothesium*, Polluci *'Αλειπτήριον*, Plinio *Unctuarium*, ubi luctaturi & alias exercitationes vel balnea adituri, ungebantur reungebanturq;. Quinta *Conisterium*, in quo postquam Exercitatores uncti erant, pulvere conspergebantur, sicque inde in diversas exercitationes diversi prodibant. Et hæ quinq; partes etiam in Palæstra Græcorum è Vitruvio descriptæ reperiuntur. Sequuntur cœteræ, partim ab aliis indicatæ, uti passim videre est; partim ab eodem quoque explicatæ. Erat itaq; pars Sexta, *Palæstra*, ubi *cursu, luctando, hasta, disco, pugilatu, pila, saliendo se exercebant, magis, quàm scorto & suaviis*, Plaut. *Bacch.* Galenus has ibi exercitationes obiri consuevisse tradit, *luctam, pugilatum, appensum manibus ad funes, exercitationem quâ stabant pedibus & manibus in pugnum vinctis, easq; alteri aperiendas porrigebant, quâ ponderamanibus attollebant & ita persistebant, quod genus Halteres vocant, sciamachiam & armorum pugnam* &c. Septima *Sphæristerium*, in quo variæ exercitationes, pilæ præsertim cuncta exercitia peragebantur. Diversa hæc pars à Coriceo fuit, neque in publicis solùm, sed & in privatis *Gymnasiis* locum habuit. Octava pars fuerunt *viæ* illæ, quæ inter porticus ac muros sitæ erant, ab oneribus adjectis nudæ, nec non tota peristylii area; quæ & ad subministrandam porticibus ac cellis lucem factæ erant, & ad obambulandum aliasque exercitationes obeundas, quæ nec in aperto pulvere, nec in Xystis, aliisque locis fieri possent. Inprimis cursus in his factus videtur, atque ad id tum diauli, tum dolichi ibi constituti: saltus item ac disci exercitationes. Nona erant Xysti &

ſta, id eſt porticus rectæ, ubi Athletæ per hyemem & æſtatem, tempore luctationibus alieno exercebantur; ac ſubdiales ambulationes, ubi hyeme, tempeſtate leni, è porticu prodeuntes & æſtate ferè ſemper exercebantur ac ambulabant, quas περιδρομίδας Græci appellarunt. Decima & ultima pars, *Balneum* fuit: de quo, ut & reliquis *Gymnaſiorum* partibus, vide, præter Mercurialem ſuprà laudatum, Gerh. Joh. Voſſium *tr. de 4. Artibus Popularibus* & in hoc opere paſſim *ſuis locis*.

Gymnaſium, voce à corporis exercitiis ad animum translatâ, poſtmodum pro Ludo Literario ſumi cœpit, quòd in eo exercerentur ingenia: occaſione à Lyco Pædagogo apud Plaut. *Bacch. Act. 3. Sc. 3* monſtratâ, cùm ait: *Inde de Hippodromo & Palæſtra ubi revenisſes, cincticulo præcinctus in ſella apud Magiſtrum aſſideres* &c. Indigitat nempe, ex *Gymnaſiis* ſeu locis, in quibus palæſtricæ ſeſe exercebant, reverſos, in Scholas ſe contuliſſe. V. & Quintilianum *l. 11. c. 2.* Erant autem *Gymnaſiorum* hujuſmodi ornamenta plurima. Hinc Athenæus *l. 13. c. 5.* inter alia docet, Vett. Amoris ſtatuam in omnibus Gymnaſiis, etiam Athenis, locaſſe: ut oſtenderent, amorem doctrinæ optimum eſſe diſcendi Magiſtrum. V. quoque Lactantium *l. 1. c. 20.* Apulejum *de Philoſ. l.* &c. Et quidem ut de *Gymnaſiis* Athenienſium quædam aſpergam. Ludum literarium ſeu *Gymnaſium*, in Rep. hac, ad orientem Solem aperiri, ante Occaſum, claudi, lex voluit, ſicque pudicitiæ puerorum cavit, Æſchines *c. Timarchum*. Eadem ætatem puerilem ſupergreſſum in ludum ingredi, quamdiu pueri in illo erant: Mercurii præſertim feſtis diebus, ſub pœna mortis vetuit. Non admittebantur etiam, niſi qui conditionis ingenuæ ac liberæ eſſent. Ne verò quid contra legem committeretur, Magiſtratus conſtitutus eſt, Κοσμητὴς dictus, qui videbat, ne vel ludimagiſtri vel *Gymnaſiarchæ* provectiorem ullum accedere ſinerent, etiam diebus Muſarum feſtis, quæ agitabant pueri in ſcholis, aut Mercurii, quæ celebrabant in palæſtris: quorum illa Μουσεῖα, hæc Ἑρμαῖα dicta, per commeſſationes celebrabantur. Sed & Ephebi ſua habebant *Gymnaſia*, & ſuum Κοσμητὴν: verùm aliæ horum μελέται erant, jam enim ſolertes in literis, palæſtra, in Muſicis, militaribus exercitiis inſtruebantur, & ju[...]orum ora in ſeſe convertendo, è re bene geſta gloriolam utcunque captabant. Utrique habebant ſuos *Gymnaſiarchas*, qui licet inter Magiſtratus locum non haberent, tamen cùm plurium puerorum ſeu Epheborũ cura illis eſſet comiſſa, nec inter idiotas cenſebantur. Servos à *Gymnaſiis* excluſos dictum ante, & ait hac de re lex: Δοῦλον μὴ γυμνάζεσθαι, μηδὲ ξηραλοιφεῖν ἐν ταῖς παλαίστραις, *Servi ſe in palæſtra neque exercento, neque unguento*. Quin etiam pueris peregrinorum id conceſſum non fuiſſe, patet è populi ſcito, quo Coorum liberis id juris datum eſſe, in gratiam Hippocratis, legimus. Memoriam *Gymnaſiarcharum* Athenienſiũ ſervat vetus marmor, à Georgio VVhelero Nobili Anglo Athenis in patriam translatum, in quo Coſmetæ, Hypocoſmetæ, *Gymnaſiarchæ*, ex Demo præſertim Azinia, occurrunt non ſemel. Horum ultimorum functiones menſtruas fuiſſe, & curſum ſuum à Boedromione menſe incepiſſe, inde docet Jac. Sponius, qui totam *Inſcr.* exhibet *Itin. Part. 3.* ubi *de Populis Atticæ* voce Ἀζηνιά.

Gymnaſtes, miniſter erat Gymnaſiorum apud Veteres, poſt Gymnaſiarcham ac Xyſtarcham, præcipuus: qui, quemadmodum Gymnaſiarcha loci princeps, Xyſtarchus Athletarum Magiſter; ita is omnibus exercitiis præfectus erat, non ignobilis, ut qui eorum facultates pro ſanitate, modum & tempus utendi aliaque dignoſceret, haberetque ſub ſe miniſtros aliquos inferiores, Pædotribam, exercitationis luctæ Præfectum, Sphæriſticum, Fricatorem, Reunctorem ac Mediaſtinos, Alicrepos, Alicrepos, Janitores ac Fornacatores. Eum omnium exercitationum Magiſtrum extitiſſe, & Medico in multis parem, ut qui exactè calleret, quas à quibusvis exercitationibus, quo modo, quamdiu obiri conveniret, tradit Galenus de *tuend. valetud. lib. 2. cap. 2.* Unde Plato *de LL. lib. 11.* ſi quis ſervum ægrum Medico aut *Gymnaſtæ* vendat, non eſſe redhibendum vult, quaſi uterque languentes à ſanis dignoſcere ſcire debeat. Imò Baſilius *Hexaem. Hom. 11.* de hominis natura æquè *Gymnaſten* ac Medicum ſpeculari & quærere conſueviſſe docet. Xenophon *Progymnaſten* appellavit: Ἀλείπτην Ariſtoteles *Ethic. lib. 2. cap. 6.* & Celſus, ubi dixit, *Sanum hominem illæ ſeſe legibus obligare debere, neque Medico, neque Alipta egere*: per *Aliptam* hic non alium quàm *Gymnaſtam* intelligens. [...] quoque Ciceronem *Epiſt. 9. ad Lentulum*. Plato cum eodem [Pæ]dotribam confundit: Galenus verò eos valde diverſos fuiſſe docet; dum *Gymnaſtam* Medico & Imperatori: Pædotribam [mi]liti & coquo aſſimilat merumque nominat *Gymnaſtæ* miniſtrum. Sicut enim miles nihil eorum, quæ ad bellicam ſcientiam pertinent; & coquus eorum, quæ ad Medicinam, novit, [sed] alter Imperatoris, alter Medici duntaxat mandata exequi[tur]: pariter Pædotriba, exercitationum facultatem ipſe ignorans, *Gymnaſtæ* ſolùm juſſa exequebatur, niſi quòd & uſum & [diffe]rentias & modum exercitationum experientia quadam callet, interim ob ignorantiam toties aberraret, ut Galenus *de* [...] *Epiſt.* ſcribat, difficile fuiſſe prudentem Pædotribam invenire. Quam differentiam Ariſtoteles quoque cognoviſſe videtur, cùm *Politic. lib. 8.* concludit, adoleſcentes *Gymnaſticæ*, atque Pædotribicæ, tradendos eſſe: quarum altera qualem quendam faciat corporis habitum, altera operationes. Et *Polit. lib. 4. cap. 3.* Medis, ait, ἔργον τοῦ παιδοτρίβου καὶ τοῦ γυμναστικοῦ παρασκευάσαι τε καὶ ταύτην εἶναι τὴν δύναμιν. Ita *Gymnaſtes* Præfectus erat exercitationum; Pædotriba miniſter, & panifici, coquo ac ædificatori quodammodo reſpondens, facere panes, obſonia, ædes, ſcientibus quidem, minimè tamen, quid in ipſis ſit optimum, quid non optimum, intelligentibus & quam facultatem ipſorum unumquodque ad ſanitatem habeat, dignoſcentibus. Quod verò neutrum horum nominum apud Homerum extet, ratio eſt, quia ſemina duntaxat *Gymnaſticæ* artis, eorum temporis apparebant, neque adhuc ars in regulas & formam redacta, adeoque nec Artifex, nec Miniſter tum erant. Hieronymus Mercurialis *de Arte Gymnaſtica lib. 1. cap. 12. ubi de Gymnaſiorum Miniſtris*. In Olympicis ſeu Gymnicis Ludis, *Gymnaſtes* diu præexercitatum Athletam, ad ſacrum deducebat, & poſtquam à Præcone victor eſſet renuntiatus, eadem ratione inde reducebat, uti pluribus docet Car. Paſchalius *Coronarum lib. 7. capp 10. & 11.*

Gymnaſtica, Græcè Γυμναστικὴ, Latin. *Ars exercitatoria*, finitore Galeno *lib. ad Thraſ.* ἐπιστήμη ἐστὶ τῶν ἐν πᾶσι γυμνασίοις δυνάμεων, *quæ omnium exercitationum facultates novit*. Mercuriali eſt *Facultas quædam omnium exercitationum facultates contemplans, earumq; varietates opere ipſo edocens, vel gratia bonæ valetudinis conſervandæ, vel gratia optimi corporis habitus acquirendi atque tuendi*. Quartam enim is Medicinæ ſpeciem illam facit, & ab aliis affinibus hoc pacto diſtinguit. Quamvis enim ludi omnes antiquorum, nec non tota Athletica ipſa atque exercitationes belli gratiâ factæ circa eadem fere, circa quæ *Gymnaſtica* Medicina, verſabantur, finibus tamen multum diſcrepabant. Ludorum ſiquidem finis religio erat, Antiquis opinantibus, rem gratam ſeſe Diis eorum exhibitione præſtare; vel populi voluptas, cui maximè & Reſp. & Reges atque Imperatores ſtudebant, quò homines hoc pacto demulſi in officio continerentur. Qui verò belli gratiâ exercitationes hujusmodi obibant, id non ob aliud quid agebant, quàm ut agilitatem ac peritiam compararent, quibus poſtea, cùm opus eſſet, hoſtes ſibi ſubjicerent. Et quidem priores tantopere honorati fuere, ut, ſcribente Plinio, *dum Ludos inirent, ſemper aſſurgi, etiam à Senatu, in more eſſet, nec non ſedendi jus in proximo Senatui, atque vacatio munerum omnium ipſis, patribusq; & avis paternis*: Poſterioris autem diſciplinæ Doctores, duplicem habebant annonam, uti teſtis eſt Vegetius *de re Milit. lib. 1. cap 13.* At *Gymnaſticæ* ſuperiùs deſcriptæ, finis ſanitas fuit & bonus corporis habitus: ad quæ concilianda tantum ei facultatis eſt, ut Galenus, infinitos ſe propè imbecilles ad bonum habitum revocaſſe & innumeros item alios, ne in morbos laberentur, ſolâ *Gymnaſtica* conſervaſſe glorietur. Unde nullo pacto mirandum, ſi Majores adeò corporis γυμνασίαν æſtimaverint, ut non tantùm publica, eaq; præclariſſima exercendis corporibus loca, qualia *Gymnaſia* & Romanæ Thermæ fuerunt, extruxerint; verùm etiam in quibusvis ædibus privatis exercitationibus hujusmodi locus aliquis deſignaretur & quotidie in uſu eſſet. Semina Artis hujus jam Troiani belli ævo fuiſſe jacta, facilè ex Homeri libris colligitur, ubi animadvertimus, milites Græcos interdum diſco, luctâ, curſu, arcu & aliis hujuſcemodi, quæ poſtea ad *Gymnaſticam* Artem tranſierunt, ſeſe exercuiſſe, ſicut 8. inprimis & 23. *Odyſſ. libb.* legitur. Sed quo modo, quove ordine ad hanc Artem deventum, non adeò liquet. Veriſimile eſt, ut ex Plutarcho *Symp. lib. 5. Problem. 3.* elicitur, certamina priùs ſimplicia fuiſſe, in quibus victoriam ſolummodò atque coronam pro fine habuerint; ab his poſtea ad ſacrificia rem fuiſſe translatam, quando Deo ſacra facturi Populumque ad feſta accedentem oblectaturi, certamina inſtituebant: quæ à ſacrificiis demum ad *Gymnaſia* traducta, poſtquam creſcente luxu ſanitas variis inſultibus quati, ejusque exactior proin cura haberi cœpit. Tum itaque, fortè paulo ante Hippocratis ætatem, Herodicus, cujus meminit Plato *de Rep. lib. 3 Gymnaſticam*, quæ priùs in ſacrificiis & ludis, nec non in bellicis ſolùm exercitationibus locum habuerat, Medicinæ adjunxit; quam ab eo inchoatam poſtea Hippocrates, Diocles, Praxagoras, Eraſiſtratus, in Artis formam redactam, certis quibusdam præceptis ac terminis concluſerunt, eamque ad umbilicum perductam Γυμναστικὴν vocarunt ἀπὸ τοῦ γυμνάζεσθαι, *ab exercendo*, quaſi nullus alius ejus finis eſſet, quàm ut exercendo habitus corporis bonus obtineretur. Et quidem hanc ſolam *Gymnaſticen*, ſolitus eſt *legitimam*, Athleticam verò *vitioſam Gymnaſticam*, Galenus appellare. Viguit autem apud Græcos ſolùm Ars illa, ut teſtatum reliquit M. Varro *de R. R. lib. 2. proœm. quamdiu rura colentes Romani & culturâ fecundiſſimos agros habuerunt, & ipſi valetudine firmiores extiterunt*. Sed poſtquam creſcente deſidia in oppidis otiari, quàm ruri laborare, maluere, Græcorum urbana Gymnaſia ita frequentia extruxerunt, ut idem Varro conqueratur, ſuo tempore vix ſingula ſatis fuiſſe; quæ quidem, dum Roma ſub Imperatoribus floruit, omnium maxima

ac speciosissima: ut Romano postea Imperio declinante cæterisque in pejus ruentibus, unà etiam destructa fuere. Quo pacto Ars ipsa non parvam passa est jacturam: quæ ante Plauti tempora in Artis normam redacta, ut ex illis *Mostellariæ Act.* 1. *Sc.* 2. patet:

Cor dolet, cùm scio nunc ut sum, atq; ut fui:
Quo neque industrior de juventute erat
Arte Gymnastica, *disco, hastis, pilo,*
Cursu, armis, equo.

usque ad Imperii inclinationem adeò in frequenti usu erat, ut Plutarchus notet, *Sympos. lib.* 3. *Probl.* 6. *Omnes sua ætate* Medicos *exercitationibus fuisse occupatos.* Ut meritò mirari liceat, cur Budæus, sui seculi Phœnix, in suis *ad Pandectas Annot.* Romanos *Gymnasiorum & palæstræ exercitamentis minimè usos fuisse*, tradat. De locis, ubi *Gymnastica* exercebatur, diximus suprà, ubi de *Gymnasiis*. Species ejus, ut ex superioribus patet, tres fuere, *Vera* seu *legitima*, (ut Galenus ait) *Bellica* & *Vitiosa* seu *Athletica*, quæ non tam sanitati studebat, quàm hominum robori, quò in certaminibus vincere, aut præmia ac coronas mereri possent; Græcis modò Ἀγωνιστικὴ, modò Ἀθλητικὴ, modò Γυμνικὴ dicta, & quinque inprimis exercitationum generibus, *Luctâ, Pugilatu, Cursu, Saltu, Disco*, occupata, de qua V. suprà in voce *Athletica*. Primam verò quod attinet, nempe *Veram* seu *Medicam* (de *Bellica* enim plura hic addere instituti ratio non permittit) Plato *de LL. lib.* 2. ejus duo rursus membra facit Πάλην seu *Luctam* & Ὄρχησιν seu *Saltationem*: ideoque illa vel *Orchestica* fuerit vel *Palæstrica*; quo posteriori nomine intelligenda est universa illa exercitationum series, quæ vel in palæstra Gymnasiorum vel in loco palæstræ vicem gerente peragebantur. Et videtur huic sententiæ favere Galenus, cùm Ὀρχηστικῶς καὶ Παλαιστικῶς *solos facilè crura flectere* scribit. Mercurialis tamen, non adæquatam esse hanc *Gymnasticæ* partitionem deprehendens, eam hoc modo dividit: Duplicem nempe facit, alteram quæ motus hominum à seipsis factos solùm; alteram quæ motus ab aliis factos contempletur. Priorem in *Palæstricam* & *Orchesticam*, Platonem sequutus, subdividit, quarum utraque varias exercitationes sub se complectitur, ut videre est in utraque harum infrà *suis locis*. Posteriorem similiter, per omnes ejus species, diligenter persequitur, ut videre est in erudito ejus *Opere de Arte Gymn.* in quo *exercitationum omnium vetustarum genera, loca, modos, facultates, & quidquid ad corporis humani exercitium pertinet, diligenter explicatum, figurisq; authenticis repræsentatum* habes. Subjungam hic saltem ex eodem elenchum exercitationum illarum, quæ in Gymnasiis olim usitatæ, ut tum operis ejus argumentum habeas, tum in hoc nostro quamvis illarũ succinctè explicatam *suis locis* faciliùs invenias, postquam addidero, ab hac corporali exercitatione, cui se totos consecrabant veteris ævi homines, ad longè præstantiorem γυμνασίαν, quæ in vera pietate consistit, vocare nos Apostolum 1. Tim. c. 4. v. 8. ad quem l. V. Cl. Suicerum *Thes. Eccl.* voce Γυμνασία.

Exercitationum apud Vett. genera, per omnes Gymnasticæ species.

Acrochirismus, Gr. Ἀκροχειρισμὸς, i. *manuum colluctatio*, fiebat summis tantùm manibus, sic ut nulla reliqui corporis pars à digitis tangeretur. Quo in certamine Sostratum, cognom. *Pancratiasten*, maximam laudem consequutum & Ἀκροχειριστὴν quoque propterea per excellentiam dictum esse, legimus apud Pausan. *Eliac. lib.* 6. Apud Celtas multùm floruisse id certaminis genus, tradit Pausanias. V. Mercurialem *lib.* 3. *cap.* 5.

Afulegian, apud Avicennam, genus exercitationis est, quod virgis retortis cum pila magna aut parva lignea efficiebatur: fortè *Pilamalleo* non absimile. Idem *l.* 3. *c.* 8. *sub fin.*

Ambulatio, usque adeò Vett. æstimata est, ut inter cætera privatis exercitationibus destinata, & in Gymnasiis & extra illa, nullius majorem rei curam habuerint, quam ut accomodata omni tempore deambulationibus loca ædificarentur. *Lib.* 3. *cap.* 2.

Cæstus, *lib.* 2. *cap.* 9. V. *suprà.*

Cricilasia, Gr. Κρικηλασία, i. *Circuli impulsu*, *lib.* 3. *cap.* 8. V. *suprà.*

Cubistica, V. hic Ὄρχησις.

Cursus, cui locus in Gymnasiis peculiaris assignatus qui dē non erat, quòd in viis ut plurimum communibus, aut etiam in loco, ubi altus pulvis stratus erat, perageretur: tanti interim Athletis æstimatus est, ut lienem sibi inurendum non pauci illorum curarent, quò minus ille currendi celeritatem, ut solet, impediret. *Idem lib.* 2. *cap.* 10.

Detractio, Galeno memorata, exercitatio erat, velut si cuipiam alter mandasset, ut se violenter detraheret inflecteretque, dum ipse non manibus modò, verùm etiam cruribus spinaque constans & non flexus resistebat. Sic Milo è disco inuncto, super quem erectus stabat, ab iis, quos provocaverat, nulla ratione dimoveri potuisse legitur. V. eundem Mercurialem *lib.* 3. *cap.* 5.

Dielcystinda, q. d. *Ludus distractorum*, plerunque ludebatur in palæstris, interdum tamen etiam alibi. Duæ autem erant puerorum partes alii trahentes alios; eratque penès illos victoria, qui ad alteram partem transmigrassent, teste Jul. Polluce. Ejusdem exercitationis *in Theæteto* meminit Plato. V. Mercurialem *lib.* 3. *cap.* 5. *sub fin.*

Disci jactus, V. *suprà.*

Equitatio, V. itidem *suo loco.*

Exercitationem κατ' ἐξοχὴν agere dicebantur, si quis alterum, qui ipsum versùs se inclinabat, à latere aggressus, illum manibus complexus, ceu onus aliquod sublatum, invicem protenderet reduceretque, ac magis si dum gestabat ipse, nutu renutuque corporis usus esset. Item illi, qui à cervicibus pendentes deorsum trahebant, aliique ab Avicenna relati, apud Mercur. *l. c.*

per Funes ascensus, Gr. τὸ διὰ σχοινίου ἀναρριχᾶσθαι, vehemens fuit exercitationis genus, ut ex icone è vett. gemmis expressa, apud præfatum Auctorem, est videre, *lib. & c. cit. sub initium.* V. etiam hic infrà, ubi de *Staperda* & *Schœnobatis*, sed & superiùs, ubi de *Funambulis*.

Gestatio, fiebat vel in lectica & sella; vel per lectos pensiles & per cunas. V. Mercurialem *lib.* 3. *c.* 11. *&* 12. & in hoc opere *passim.*

Gladiatoria, V. suo loco.

Halteres, disco simile exercitationis genus, quod in palæstra actitari solitum scribit Galenus. V. infrà.

Hoplomachia, h. e. armorum ficta conflictio, Aureliano dicta est, quæ aliàs Monomachia, de qua *suo loco.*

Jaculatio, in genere erat, quævis ῥίψις, i. *projectio*, seu lapidis, seu jaculi, seu alterius cujusdam missilis; duas verò ejus species præcipuas constituit Plato, Τοξικὴν i. *Sagittationem*, & Ἀκοντιστικὴν *Jaculationem*; quarum illa fiebat tum solis amentis, tum arcubus, tum balistis: illa verò non modò sine his efficiebatur, verùm etiam grandiores sagittas, crassioresque virgas & plerumque graves requirebat palos. Quinimo Sagittarii solis brachiis sese movebant; Jaculatores autem in jactu brachia contorquebant extendebantque, & propterea dorsum femoraque pedibus immotis flectebant, uti infrà videbitur, ubi *de Jaculatione.*

Lucta, Gr. Πάλη, seu Καταβλητικὴ, i. *Dejectoria*, id certaminis fuit genus, quod Jacobo cum Angelo intercessisse legimus Gen. *cap.* 32. Fiebat illa in loco Gymnasii peculiari, nempe Palæstrâ, sive Porticu tecta, quæ *Xystus* vocabatur, ubi Luctatores bini nudi, uncti oleo & pulvere aspersi sese brachiis complicabant invicemque concertabant, alter alterum dejicere humi cogentendentes: ut videre est in icone vet. apud Mercurial. *l.* 2. *c.* 8. Ejus species, *Pancratium*, ex lucta & pugilatu compositũ s. *Volutatoria lucta*, cùm humi prostrati athletæ atque ibi invicem seque mutuò convolventes, alter alterum sibi subjicere nitebantur; quod Ἀνακλινοπάλην i. *Reflexionem*, videtur dixisse Martialis *lib.* 14. V. infrà, ubi de *Lucta*.

Macron sparton, raptorium machinamentum, Cœl. Aureliano memoratum *Chron. lib.* 5. *cap. ult.* exercitationi quoque inserviebat: quod vel ipsummet Petaurum, vel ei non dissimile fuisse, contendit Mercurialis *lib.* 3. *cap.* 8.

Manus arcta compressio, Galeno & Æliano *Var. Hist. l.* 2. *cap.* 24. memoratur, ubi de Milone narrant, manu cum punicum malum adeò arctè tenere solitum, ut illud à nullo, præterquam ab amasia ipsius, ei eripi posset, nempe quę ea in decertatione sæpius cum ipso sese exercuisset. Idem *lib.* 3. *cap.* 5.

Manuum colluctatio summis manibus fiebat, reliqui corporis omni parte intactâ, perdurabatque donec adversarius deficeret. Hac Athletæ perraro in publicis spectaculis contendebant, aliquando tamen ad usum eam esse revocatam, patet ex historia Sostrati τοῦ Ἀκροχειριστοῦ, apud Pausan. *Eliac.* Aliter enim hæc exercitatio *Acrochirismus* dicebatur, V. hic *suprà.*

Manuum digitorumq; pectinatim junctorum certamen erat, cùm alterũ quis mediũ complexus, aut etiam ipse medio comprehẽsus, manibus digitisque pectinatim junctis, aut quem complectebatur, absolvere sese jubebat, aut ipse se à complectente solvebat. V. iterum Mercurialem *l.* 3. *c.* 5. *sub fin.*

Naumachia, V. *suo loco.*

Petaurum, similiter.

Natatio, itidem.

Navigatio, quoque.

Ὄρχησις, in genere *Saltatio*, in specie tertia erat Saltationis species, à Cubistica, quâ homines variis modis pedes ac manus contorquentes in caput saltabant; & Sphæristica, sive pilæ ludo, qui saltando quoque peragitur, distincta: facultas nempe motibus ac gestibus corporis, artificio quodam, numero & ratione factis, hominum mores, affectus & actiones imitandi, Aristot. *princip. Poetic.* V. Mercurialem *lib.* 2. *cap* 7. & infrà ubi de *Orchestica.*

Oscellæ, V. *suo loco.*

Palæstrica, itidem.

Palus, similiter.

Pancratium, quoque.

Phonascia, vocis exercitatio. V. *suo loco.*

Pila,

Pila, similiter.
Piscatio, quoque.
Plethrissatio, Gr. τὸ ἐκπλεθρίζειν, Galeno & Avicennæ fuit, cùm in plethro, i. e. in sexta parte stadii quis prorsum retrorsumque vicissim, idque sæpè in utramque partem sine flexu cursitans, unoquoque cursu breve quiddam de spatio demebat, quoad denique in unico gressu constitisset. Idem *lib. 3. cap. 5.*
Pugilatus, V. *infrà.*
Pugna, in genere varias species sub se comprehendit; peculiariter verò sic dicebatur exercitatio illa, in qua duo ut plurimùm inter se dimicabant, vel ut ad bellicas pugnas ineundas fortitudinem ac peritiam sibi compararent, vel ut in ludis, Amphitheatris atque aliis publicis certaminibus spectaculisque coronas victoriæ consequerentur populumque oblectarent. V. infrà ubi de *Monomachia* & *Pugna.*
Pilam. Iludus, V. *suo loco.*
Pytilisatio, τὸ πυτιλίζειν, idem fuit, quod *gesticulari*, & crebro motu manus ciere, Politiano *Miscellan.* Ex Galeno verò & Avicenna colligitur, fuisse tale exercitationis genus, si quando summis pedibus quis ingrediens vel stans tensas in sublime manus hanc antrorsum, illam retrorsum celerrimè movisset: qui exercitatione maximè ante parietes stantes uti solebant, quo, si forte aberrassent, facilè, pariete apprehenso, erigerentur. Hanc Lycurgus vetuisse legitur, apud Plut. *in eo.* V. Mercurialem *l. 3. c. 5. pag.* 201.
Risus, inter vocis fuit exercitationes, quemadmodum & gemitus, & ploratus &c. V. eundem *lib. 3. c. 7.*
Saltatoria, una ex Gymnasticæ, hominum motus a se ipsis factos considerantis, speciebus; triplex erat, *Cubistica*, *Sphæristica* & Ὄρχησις in specie dicta, seu *Orchestica*, de quibus Mercurialis *l. 1. cap. 3. & seqq.* ac nos *passim.*
Saltus, Gr. Ἅλμα, in Athletica facultate insignem locum habuit: ut præter Pindaricos interpretes, qui, inter ludos in Pentathlo contentos, Saltum primum hoc versiculo fecerunt: Ἅλμα, Δίσκον, Ἄκοντα, Δρόμον, καὶ Πάλη. *Saltus, Discus, Jaculum, Cursus & Lucta*: testatur Aristoteles *l. de commun. animalium gressu.* In Gymnastica bellica non multum in usu fuit: in Medicina verò Gymnasticæ adhibitum fuisse Galenus, & apud Oribasium Antyllus, pluribus docent. V. Mercurialem *lib. 2. cap. 11.* & infrà ubi de *Saltu.*
Scaparda, Gr. Σκαπέρδα, Hesychio & Polluci, genus ludi fuit Funambulis non admodum dissimile; in eo trabs solo depacta erigebatur, in cujus summo foramen erat, per quod funis trajiciebatur, ex una parte funiculi, alter aversus circumligabatur, tum alter ab altera trahebat; sicque trahens socium usque ad summum traxisset, victor denunciabatur: sin alter resistens, minimè se trahi sinebat, penes ipsum judicabatur victoria, Idem *l. 3. c. 5.*
Schœnobatica, exercitatio vehemens, eadem cum ascensione per *Funem*, de qua hic paulò suprà diximus. Namque Funambulos, Gr. Σχοινοβάτας, qui hoc tempore lusus gratiâ per orbem vagantur, etiam Veteribus in oblectando populo fuisse adhibitos, ex icone, è Veterum sculptis gemmis expressâ, apud Mercurialem *lib. 3. c. 5.* videre est. Sed & Terentius *Hecyrâ*, *Prolog.* confirmat. Ei aliquid simile habuisse Scapardam diximus modò.
Sciamachia, V infrà.
Sphæristica, altera saltationis species fuit, Pilæ nempe ludus, qui saltando peragitur. V. infrà ubi de *Pila*, item *Sphæristica.*
Spiritus cohibitio, inter exercitationes & præsertim apotherapeuticas, ab optimis Gymnasticis, numerata legitur, apud Galenum *de tuenda valet. lib. 3. circa fin.* V. infrà.
Stando, quoque se exercuisse Vett. dicemus infrà, *suo loco.* V. Mercur. *l. 3. c. 3.*
Trochus, V. *suo loco.*
Vectatio, una ex illis exercitationibus quæ motus hominis ab aliis factos considerat, *in curribus* inprimis, antiquissima fuit, & ab Erichthonio primùm inventa nonnullis traditur. V. eund. *l. 3. c. 10.*
Venatio, ex omnibus corporum exercitationibus utilissima, secundùm Galenum, bellicæ etiam fortitudini assequendæ maximum adjumentum præbere credebatur. Eam Plato *de LL. lib. 7.* in tres species, Aquatilium, Volatilium & Terrestrium animalium distinxit. V. Mercurial. *l. 4. c. 15.* & infrà *suo loco.*
Vociferatio, exercitium fuit Histrionibus olim in crebro usu, quod docebant Magistri *Phonasci* dicti, unde Ars *Phonascia* Theophrasto. V. Mercurialem *lib. 3. c. 7.* & infrà, ubi de *Voce* ac *Vociferatione.*
Volutatoria lucta fuit, cùm non recti manebant & quoad stantes complecterentur; sed humi prostrati seq; mutuò convolventes, alter alterum sibi supponere nitebantur &c. V. in voce *Pancratium* &c.

Gymnesiæ, adde: Græcè Γυμνησίαι. Dictæ sic Baleares sunt Græcis, non quod populi illarum nudi essent, sed quòd funditores eximii, quales, ut & cæteræ leves armaturæ, quos ψιλοὺς vocant, Γυμνῆτες dicebantur. Hesychius, Γυμνῆτες, οἱ μὴ ἔχοντες ὅπλα, οἱ δὲ τοὺς σφενδονιτάς κτλ. V. suprà ubi de *Funditoribus.*

Gymnetæ, servi Argivorum, sicut *Helotæ* Spartanorum &c. de quibus V. Alexandrum Neapolit. *Genial. Dier. lib. 3. c. 20.*

Gymnici Ludi, dicti sunt apud Græcos olim, in quibus se nudi atque uncti exercebant palæstritæ, Gr. Ἀγῶνες γυμνικοί: idq; aliquo quinq; horum certaminum, *Saltu, cursu, jactu, disco, lucta*, quæ Simonides versu hoc expressit,

Ἅλμα, ποδωκείην, δίσκον, ἄκοντα, πάλην.

Vel omnibus simul, quod *Quinquertium*, vel *Quinquartium*, quasi *quinque artium ludus*, Gr. πένταθλον dicebatur: victorque *Pentathli* nomen tulit: Erant ludorum horum 4. celeberrimi: Olympia, Nemea, Pythia, Isthmia, de quibus V. *suo loco.* Ad Circenses Romanorum quoque appellatio translata est, namque & in iis, si non omnino, saltem maxima ex parte corpora, vestibus exutis, nudabant, quò expeditiores & agiliores ad certamen essent, Sed de his V. *suprà.* Quare autem Athletæ qui, cùm tempore Homeri adhuc περιζώματα i. *subligacula* haberent, sequ. temporibus planè renudaverint corpus, ad Orsippum causam refert Eustathius, qui circa Olympiadem 32. primum id instituerit, postquam perizomate soluto victus esset. Sic à nudis dicti agones *Gymnici*, in quibus Athletæ, oleo uncti & pulvere aut arenâ consper[si], certabant. Quam ob causam Augustus vetuit ejusmodi spectaculis fœminas interesse, V. quoque suprà in voce *Gymnas.* Antiquitus autem campestria subulata Athletas habuisse, Thucydides auctor est: quam modestiam & à Barbaris suo tempore servatam, addit Jul. Cæs. Scaliger *Poetic. lib. 1. cap.* 22. Plura de his Ludis V. infrà in hac voce.

Gymnopædia, Græcè Γυμνοπαιδία, saltationis species, apud Lacedæmonios olim in usu, qua in sacris *pueri nudi* defungebantur (unde nomen) Apollini pæana canentes, auctore Terpandro. Post quem Sacadas Argivus in Choris, contraria qui canerent, instituit: quippe ἐνδυμάτια, non nudi, sed induti. ut Cæs. Scaliger *Poetices lib. 1. cap.* 21. Fuit autem harmonia *Gymnopædica*, Emmeliæ propior, plus habens spondæorum & anapæstorum, cùm interpositis choriambis: qualis ode prima Horatii. Idem *ibid. c.* 48. ubi *de Lyricorum harmoniis.*

Gymnopodia, Gr. Γυμνοποδία, apud Pollucem *l. 7. cap.* 22 inter calceorum muliebrium species, quæ pedem ostenderent. Hujusmodi calceis Græcas mulieres delectatas olim, notum. Certè principes Græcarum formâ Thebanas mulieres, ore tecto, pedibus per calceos penè nudis, saltem conspicuis, inambulasse, refert Dicæarchus *Vitâ Græciæ*, in descriptione Bœotiæ: Φαινόμεναι δὲ — ὑπόδημα λιτόν, οὐ βαθύ. Φοινικοῦν δὲ τῷ χρώματι καὶ ἀπόδετον ἀνατεδάλευται ὥστε γυμνοὺς σχεδὸν ἐκφαίνεσθαι τοὺς πόδας, uti legi vult Casaubonus. V. Casp. Barthium *ad Statium Thebaid. lib. 2. vers.* 230.

Gynæceum, vel *Gynæconitis*, Gr. Γυναικωνῖτις, dicebatur locus secretior in ædibus ubi solæ *mulieres* degebant: Erat autem *Ὑπερῷον*, in superiori ædium contignatione, ut eò difficilior ad eas aditus pateret. Ita enim Didymus, Οἱ ἀρχαῖοι, inquit, ταῖς γυναιξὶν ὑπερῷον τοὺς θαλάμους κατεσκεύαζον ὑπὲρ τοῦ δυσπρόσιτον εἶναι. *Veteres mulieribus in superiori ædium parte thalamos seu cubicula extruxerunt, quò non ita facilè adiri possent.* Habebant ovalem figuram, Græcis Ὠά, vel Ὠία, unde fortè fabulæ de Helena ex ovo genita occasio, cùm in istiusmodi thalamo genita ac educata esset. Eò qui ascensum fuerit, an per scalas pensiles, an per gradus & anabathra consueta, in incerto est: Prius arridet Fr. Rossæo, probatque ex Euripide *in Phœnissis*, ubi Pædagogum Antigone in superius cœnaculum, ut exercitum ibi prospiceret, se deducturum, sic alloquitur:

Ὄρεγέ νυν, ὄρεγε γεραιὰν
Νέᾳ χεῖρ' ἀπὸ κλιμάκων
Ποδὸς ἴχνος ἐπαντέλλων.

Ejusdem κλίμακος apud Homerum mentio est, ubi de Penelope:

Κλίμακα δ' ὑψηλὴν κατεβήσετο οἷο δόμοιο,
De scala sublimi descendit sola domus.

V. præfatum Auctorem *Archeologiæ Atticæ lib. 4. cap.* 14. Ibidem fidioli, ut improbitate omni abstinerent, educabantur, ut ex Hesiodo discimus, in Ἔργ. ubi pueros ἑνδεκαμήνους, *undecennes*, & δυωδεκαμήνους, *duodecimestres*, omnia communia cum matribus, δίαιταν, τροφήν, οἶκον, habuisse ait: Sed, & qui provectiores ætate erant, quoties locus in cœnaculo deesset, prandium eò cœnatumque mittebantur, uti apud Lucianum legimus, ubi Eucrates filium suum ἐς γυναικωνῖτιν ablegat. *in Gallo.* Puellæ porro ad nuptias usque eodem loco custodiebantur, nisi haberent παρθενῶνα, cœcum peculiarem *Virginibus* destinatum, de quo infrà, ubi de *Oeconomia Atheniensium*, plura V. apud Dan. Heinsium *Not. ad Hesiodum d. l. p.* 274. & 289. Eodem modo vocabatur interior locus in æde Bonæ Deæ, ubi sacrificia peragebantur, quibus non nisi mulieribus interesse fas erat, V. Cicer. *Oratione de aruspicum resp.* Habebant autem *Gynæcea* suos Ephoros ac inspectores, viros graves ac sapientes, de quibus V. hic passim, inprimis vocibus, *Censor, Custos, Minister* &c. Donec

 progressi

progressu temporis scelestissimi Eunuchi matronarum œcos, virtutum olim ac egregiarum artium, quæ hunc sexum decerent, officinas, invasere, de qua labe suo loco. Alia fuere sub Impp. posterioris inprimis ævi *Gynæcea*, unde in Imperio Romano *Gynæceorum Procuratores* Magistratus erant, domibus, in quibus vestes Imperatoriæ conficiebant, & lanificia huic fini fervebant, præfecti, sub Comite sacrarum Largitionum, *Notitia* Imperii. Iis suberant *Gynæciarii*, in *l. 16. Cod. Theodos. de Murilegulis & Gynæciar. Si quis ex corpore* Gynæciariorum *vel Linteariorum, vel Linyfiariorum*: & *Gynæciariæ*, passim. Dicebantur sic opifices, qui vestibus Imperialibus texendis, in publicis Textrinis, quæ *Gynæcea* dicebantur operam dabant, obnoxiæ cæteroquin conditionis &c. Cujusmodi *Gynæcea*, seu, uti vocabant, *Genicia*, etiam Franciæ Reges habuere, in quibus ancillæ Regiæ rei lanariæ vacabant, *Geniciariæ* hinc & *Pensiles* dictæ: Imò à singulis fœminis lanarium tum opus Principes exigebant, præstationis vice, adeò ut ab eo præstando Sanctimoniales ipsæ vix eximerentur. Quia autem cum ancillis hujusmodi domini ipsarum, corruptione crescente, consuescere cœperunt, factũ ut publica ac priva ista *Gynæcea* pessimè audirent, & vox passim de Lupanaribus ac meretricũ cœtibus acciperetur. Imò in pœnam eò amandatæ tanquam in Lupanaria publica, si quæ vel stuprum commisissent, vel impari conjugio se implicuissent. Sic in *L. Longob. lib 2. tit. 9. §. 2.* mulier libera vel puella, quæ servo nupsit, in *Curiam Regis duci jubetur & intra pensiles ancillas constitui*: ubi *Edictum* Rotharis R. *tit* 88 §. 11. *Pisile* habet, quod idem est cum *Pensili* seu *Gynæceo*, unde fortè Gallorum vox *Poile*, de vaporario &c. V du Fresne *Glossar.* ut & suprà in voce *Domus*.

Gynæcocosmi, Magistratus erant Athenis, qui de mulierum ornatu statuebant, ne ulla ipsarum se quicquam indignum committeret, utq; singulæ pro ratione census ac facultatum induerentur. Calvinus ex *Postello de Magistr. Atheniensium*. V. quoq; in voce *Gynæconomi*.

Gypedæ, V. suprà *Gipedæ*.

Gypsati Servi dicebantur, qui venum exponebantur olim. Non quòd calceos haberent, quibus nota cretacea esset impressa, ut Vir quidam eruditus scripsit, sed quòd ipsi excalceati, cretatos seu *gypsatos* pedes haberent. Pro more enim nudis tales pedibus fuisse, indigitat de Cappadocibus & Bithynis Romam venum traductis loquens Juvenalis *Sat. 7. versu 16.*

Altera quos nudo traducit Gallia talo.

Pedes autem cretâ seu gypso notatos fuisse, docet Plin. *lib. 35. c. 17. Cretâ pedes venalium trans mare advectorum notare instituerunt Majores.* Idemq; rursus *ibid. c. 18. Cl. Cæsaris libertos vidimus, cum laureatis fascibus illò remitti, unde cretatis pedibus ad venissent.* Hinc Juvenalis *Sat. 1. versu 111.*

Nuper in hanc urbem pedibus qui venerat albis.

Ovidius *Eleg. 8. lib. 1.*

Nec tu si quis erit capitis mercede redemptus,
Despice gypsati *nomen inane pedis.*

Propertius item *Eleg. 5. lib. 4*

Aut quorum titulus per barbara colla pependit,
Cretati medio cùm saliere foro &c.

V. Pignorium *de Servis*, Balduinum *de Calceo*, Nigronium *de Caliga* &c. & hic infrà.

Gypsum, Gr. γύψος, quasi γῆ ἑψηθεῖσα, *terra cocta*, cognata calci res est: *Plura ejus genera, nam & è lapide coquitur, ut in Syria ac Thuriis: & è terra foditur, ut in Cypro ac Perrhæbis: è summa tellure & Tymphaicum est. Qui coquitur lapis, non dissimilis alabastritæ esse debet, aut marmoroso. In Syria durissimos ad id eligunt, coquuntq; fimo bubulo, ut celeriùs urantur. Omnium autem optimum fieri compertum est è lapide speculari*, Plin. *lib. 36. cap. 24.* Atque hinc *metallum gypsinum*, pro speculari lapide: quo ornatas olim fenestras, legere est apud Anastasium in *Vitis* Pontificum, ubi *Cyprinum metallum* perperam reposuere Correctores. *Gypsinas fenestras* illas vocat Isidorus *lib. 16. cap. 3.* & *lib. 19. c. 10.* De quibus sic Matthæus Sylvaticus *cap. 47. Lapis specularis, lapis Lunæ, Afroselinum — est lapis admodum vitri perspicuus. Dicitur autem in Hispanorum urbe Segundia primitus inventus esse. Ego autem vidi illum abundantiùs inveniri, in diversis partibus Theutoniæ: & vidi etiam in Gallia inveniri cum gypso: quia est gypsi extremitas quædam. Effusiùs autem scinditur in quaslibet partes tenues, & inde fiunt fenestræ sicut de vitro: nisi quòd loco plumbi oportet ponere lignum*, apud C du Fresne *Glossar.* V. de *gypso* metallo perfectè pellucido, Sam. Bochart. *Hieroz. Parte poster. lib. V. cap. 6.* & de *Fenestris* plura suprà. Repetam hic saltem, uti plumbo hodie, sic *gypso* olim laminas vitreas (postquam illæ in usum venere) in fenestris lanternisq; invicem, sive tesseræ essent, sive orbes, committi consuevisse, per artem, quam Γυψοπλαστικὴν vocat Philoponus *in Poster. Analyt. lib. 2.* ad verba illa, διὰ τί διϊὸν λαμπτῆρος τὸ φῶς; Sed & *usus* gypsi *in albariis sigillis ædificiorum & coronis gratissimus*, Plin. ubi suprà: coronis tamen admisceri prohibet Vitruvius *lib. 7. cap. 3.* Porro eousi Veteres ad dealbanda arma, cùm noctu vellent hostes aggredi, ut suos ab adversariis dignoscerent, Herodotus *Uran.* & Pausan. *lib. 10.* Etiam ad claudenda vini dolia opercula que continenda, uti discimus ex Petronio *Satyr.* Plinioq; iterum, qui *eo vina condere Africam* scribit *lib. 14. c. 10.* Præcipuè verò Plastis (qui hinc *Gypsochoi*, aliàs *Paradigmatitæ*, quòd à typo non discederent, dicti sunt) inserviit. Et quidem apud eundem *lib. 35. c. 12. hominis imaginem* gypso *è facie ipsa primus omnium expressit, ceraq; in eam formam* gypsi *infusa emendare instituit Lysistratus Sicyonius, frater Lysippi.* Alia V. *ibid.* At eo in perniciem suam abusus est C. Proculeius, Augusti Cæsaris familiaritate subnixus, qui *in maximo stomachi dolore mortem sibi conscivit*, gypso *poto*, uti idem habet *lib. 36 cap. cit.* In aliorum Dionysius Tyran. qui si quos usu oculorum privare vellet, *gypso* eos excœcavit, Galenus *de Usu part. lib. 10. cap. 3.* Et Emanuel Imp. Græc. qui Conradi III. Imp. exercitum *gypso* farinæ misto, magna ex parte sustulit, Sabellic. *lib. 4. Ennead. 9.* V. quoq; suprà, in voce *Gypsati*.

Gyrovagi, propriè appellati Monachi, qui Monasteriis suis relictis per diversas cellas, nescio qua pietatis specie, vagabantur: de quibus ita *Regula* S. Benedicti *cap. 1. Quartum genus est Monachorum, quod nominatur* Gyrovagum: *quia totâ vitâ suâ per diversorum cellas hospitantur, semper vagi & nunquam stabiles & propriis voluptatibus & gulæ illecebris servientes.* Et Paulinus *Poem. ad Cytherium*,

Qualia vagari per mare & terras solent
Avara mendicabula,
Qui dejerando Monachos se vel naufragos
Nomen casumq; venditant &c.

V. Car. du Fresne *Glossar.* De *Gyrophagis* verò Indorum, diximus alibi ex P. de Valle *Itinerar. Tom. IV.* & Joh. Bapt. Tavernier *Itiner. Ind.* Sed & *Gyrovagi* dicantur vett. Gentiles, qui in sacris in *gyrum* circumagere corpus solebant, Magicis inprimis, ut hic passim videre est, præcipuè ubi de *Orandi Ritibus*, & in voce *Rhombus*. Sed & Thaumaturgorum genus, de quo V. ubi de *Orchestopalariis*. Hodieq; Turcæ, in Festo, quod *Machia* vocant, vel propter vota populi, vel ad assequendam pluviam, serenitatem, victoriam, instituti solito, post epulum festivum, ordine, uno illorum tympanum pulsante, ludunt, regulatâ primùm totius corporis agitatione, motibusq; omnium membrorum valde decentibus ad instrumenti præludentis modulos: Tum in modum vertiginis, quadam velocissima *circumgyratione* totius corporis (in qua vis ludi) ita celeriter revolvuntur, ut homo ne sit, an statua, qui sic gyratur, haud facilè discernas, uti ex Cuspiniano Cl. Zuingerus refert *Theatro V. T. Tom. II. lib. 5. pag. 391. b.* V. quoque P. de Valle *Itiner. Tom. I.* &c.

Gyrus, in vet *Epigrammate*,

Septem etiam gyris *claudunt certamina palmæ,*
Quòd cælum stringunt singula sorte pari:

καμπτὴρ est in Circo seu καμπτὸς, qui, *flexus* propriè *circa metam*, hic pro toto spatii decursu sumitur, ut vidimus suprà. Certè tam Equestri vox nota, unde similitudo frequens apud Poëtas Musarum currus & equos agnoscentes, inde desumta. Columella *lib. 10. versu 226.*

Sed quid ego infreno volitare per æthera cursu
Passus equos audax, effreni tramite rapior!
Ista canat majore Deo —
Me mea Calliope, curâ leviore vagantem,
Jam revocat, parvoq; jubet decurrere gyro.

Sic *contrahere gyros* Musam orat Statius *lib. 4. Sylv. 7. vers 4. pro Heroicis cantibus Lyram redigere ad mitiores & tenuiores sonos*, vet. Schol. Primi autem,

Frena Pelethronii Lapithæ, gyrosq; *dedere*
Impositi dorso —

uti ex Virgilio ostendimus suprà, ubi de *Equitandi arte*. A voce *gyrus*, margarita *gyrosa* dicitur, apud Valgium *Epigram.* Charisio laudato,

Sint gurosa *rotunda margarita.*

pro *gyrosa*, Salmasius *ad Solinum pag. 1123.* &c.

Gytheates, unus ex Peloponensi sinubus, memoratis Plinio *lib. 4. cap. 5.* de quo V. Salmasium ubi modò, *p. 140.*

Gyzaceni, Græcè Γυζαντες, apud Stephanum dicti sunt, qui prius Βυζαντες, *Byzaceni*, V. suprà *Byzacium*.

H.

H, adde: in notis antiqq. *honestas* vel *hic*, seu *hoc*, vel *haeredes*, vel *homo*, vel *habet*, vel *huic*, vel *hora* vel *honor*, denotat. Etiam *Hadrianus* significat, V. ubi de *Monogrammatis Antiquorum*. Eandem literam vocabulis propriis, non sine mysterio, à Teutonicis praeponi solitam, censent nonnulli: V. g. in *H Ludovicus*, *H Lotharius*, *H Rhabanus*, & similibus; ajuntque *Herren*, i. *Dominum*, innuere, quemadmodum Latini *D.* plerunque usurpant. *Herr* autem, ut auctor est Walafridus Strabo *de Rebus Eccl. cap. 7.* ab *Heros*, seu potiùs *herus*, deducitur. V. Olaum Wormium *in Monumentis Danicis lib 5.* *H. coronatum*, in crucis centro in lilia & flores desinente, cum *Inscr.* SIT NOMEN DOMINI BENEDICTUM, conspicitur in *Francicis argenteis*, Gall. *Francs d'argent*, monetae genere, cuso sub Henrico III. Gall. R. Item in *parvis Liardis*, sub eodem; ejusque nomen utrobiq. designat. V. Car. du Fresne voce *Moneta*, & infrà in voce *Henrici*, item *Monogramma*. HC. AM N. *hunc amicum nostrum*. HC. L. *hunc locum*. HC. V. *huic vitae*. H. D. *hic dedicavit*, *dedicarunt*, vel *dedicaverunt*. H. D. D. *hoc dono datur* &c. in notis praefatis designat.

H A.

Hababa, mater ex Micea seu Mecca, Maximini Imp. V. suprà *Ababa*.

Habe, pro *have* vel *ave*, in *Inscr. LL.* in Cod. Theodos. *Habe Posthumiane carissime nobis*: *Have Marcelline*. Sic apud Trebellium Pollionem *in Claudio*, acclamat Senatus, *Claudi dux fortissime, habeas virtutibus tuis*, h. e. χαῖρε σύ, seu χαῖρε, uti docuit pridem Jac. Cujacius *ad Paulum lib. 3. Sent. tit. 4.* & *Observ. lib. 1. cap. 15.* V. quoq; Juretum *ad Symm. lib. 5. Epist. 38.* Alias *Habe*, ab *habeo*, imperantis est cum plena concessione, velut in formula divortiorum, de quibus suprà. Virgilius *Æn. lib. 10.*

Arma, quibus latatus, habe *tua* ——

Val. Flaccus *lib. 8.*

Vellus habe, *& nostris si quid super, accipe Templis* &c.

Imperiosius est, *tibi habe*, quod frequentatum Martiali. V. Casp. Barthium *ad Statium Theb. lib. 2. vers.* 116.

Habenae, A. Gellio sunt lora, quibus sandalia seu soleae ad pedem religabantur, circa digitos primores, non enim illae, calceorum instar, concavae erant, sed planae, & solùm πέλμα sive *spissitudinem* habentes, ejusmodi *habenis* omnino opus habebant. Turpilius,

Sandalio innexa digitis minoribus.

Graecis propriè ζυγόν. Pollux, Τυῤῥηνοὶ, τὸ κάττυμα ξύλινον τετραδάκτυλον, οἱ δὲ ζυγοὶ ἐπίχρυσοι. σανδάλιον γὰρ ἦν. Item ζυγός, idem, Καὶ ζυγοῖς δὲ τὸ περὶ τὴν σκυτὴν τῶν καλῶν ὑποδημάτων, ἐκ τῶν σανδαλίων τὸ τῶν δακτύλων ζυγόν. Hesychius, ζυγὸς ὁ παρακείμενος ἱμὰς ἐπὶ τοῖς δακτύλοις ἐπὶ τῷ σανδαλίῳ &c. Salmas. *ad Tertullian de Pallio c. 5.* Sed & *habenae*, fraena equestria, apud Statium *Theb. lib. 8. versu* 563.

—— *ruit primis ommixtus & agmina Lernae*
Nunc pedes ense vago, prensus nunc celsus habenis,
Ceu spectetur, agit ——

de quibus V. suprà in voce *Freni*

Habendum, adde: Ejus mentio fit *in MS. vita S. Arnulfi Mettensis Episcopi, ad Chlodulfum suus filium & successorem, ante annos mille compositae*: ubi prius Arnulfus sepultus erat, quàm Divodurum à Goerico ex eremo Vosago transferretur. Fuit Monast. *Habendense*, in vertice montis olim positum duplex Monachorum ac Virginum: Sed castello monasterioque hoc funditus ab Hungaris diruto, post aliquot annos, adjutore Ludovico Arnulfi Augusti filio, non in eodem loco, verùm ad radices montis trans Mosellam Monasterium instauratum esse ajunt: quod unà cum oppido suo Latini scriptores, prioris conditoris nomine, *Romarici Montem*, Germ. *Rumersberg*, Galli *Remiremont* appellant, & nunc nobilium Virginum Canonicarum apud Lotharienses illustre pridem Collegium est factum. H. Valesius.

Habes, Gladiatorum verbum, de quo V. Senecam *Agamemnone versu* 895. & Donatum *ad Andriae ista, Certè captus est, Habet.* Ex arena id mutuatus est Martialis *lib. 9. Epigramm* 87. ubi de Apolline, Severum Silium deflente,

Respexitq; suam, quae stabat proxima fratri,
Calliopen, & ait; tu quoq; vulnus habes.

V. suprà ubi de *Gladiatoribus*, & *Gladiatura*.

Habitatio, apud Suetonium *Julio cap. 38.* *Annuam etiam habitationem Romae usq; ad bina millia nummûm, in Italia non ultrà quingenos sestertios remisit*: τὸ ἐνοίκιον est, pensio sc. quae habitationis causâ penditur. Jurisconsulti etiam *obventionem* vocant. Et quidem anno U. C. 706. lex ista promulgata est à M. Coelio Rufo Praetore, in summa rerum omnium perturbatione, Romae; propter Caesaris absentiam: à quo exemplo manavit haec Julia lex, indigitata quoque Dioni in actis ann. 707. Eam renovavit Octavius, post praelium Philippense, teste eodem. *lib. 48.* in actis anni 713. Diversae autem in ea pensionum summae expressae quia caro in urbe *habitationes* constabant: fuitque Caesaris & Octavii mens, ut non nisi ad tenuiores hoc beneficium pertineret: pauperes autem adaequè, qui in Italia quingentis sestertiis habitarent, quiq; in urbe binis millibus. V. Plut. *initio Sullae* & Cic. *pro M Caelio*, qui, etsi filiusfamiliâs, cùm à patre semigrasset, XXX millibus habitabat. Sed & *solutae* à Principe *habitationis* exempla insecutorum quoque Impp. aevo occurrunt. Nam que Romanum Constantini filium ἀπέλυσεν καὶ τὸ ἐνοίκιον τῆς πόλεως, *solvisse habitationem Urbis*; neque id cum aliqua distinctione civium, sed promiscuè omnium, ἀπὸ τῶν ὑψηλοτέρων καὶ μέχρι τῶν ἐσχάτων, *à summo ad imum*, auctor est Cedrenus. At advenae & peregrini in sacris publicisque locis tendebant, si hospitem non haberent, ut infrà dicemus. Mendici item, inter quos vett. Philosophorum multi, in porticibus templorum aliisque locis publicis habitabant, uti de Diogene Dio Chrysostomus, de Stilpone Athenaeus, docent. Quòd si nimia esset eorum copia, *inter vicos aut inter vias tabernaculis positis manebant*, Sueton. ubi suprà *cap.* 39. Certè morari aliquantisper praetervehentibus aut praetereuntibus, valetudinis aut alia quâ justa de causâ, licere debet. Itaq; Ilioneus, apud Virgilium, cum Trojani in terra Africa consistere vetarentur, Deos judices advocat; & probata Graecis querela Megarensium, adversùs Athenienses, qui eos portubus suis arcebant, παρὰ τὰ κοινὰ δίκαια, *contra jus commune*, ut Plut. loquitur *in Pericle*. Imò & perpetua *habitatio* his, qui, sedibus suis expulsi, receptum quaerunt, deneganda externis non est, qua de re V. Hug. Grotium *de Jure Belli & Pacis lib. 2. cap. 2. §. 15. 16. 17.* Migrabant autem à conductis aedibus Romani Calendis Julius, uti discimus ex Martiali *lib. 12. Epigr. 32.* Caeterùm antiquissimi mortalium in antris habitarunt, inde casae & tuguria, tandem domus extructae, ut supra visum. Fiebant autem primae *habitationes* rotundae, unde *urbs*, ab *orbe* Latinis, πόλις ἀπὸ τῆς πόλου Graecis, & דור *dur*, primò *rotundare*, inde *habitare* Hebraeis est, uti docet Sam. Bochartus *Hierozoici Parte poster. lib V. cap. 8.* V. quoque hic in voce *Colons*, item *Urbs* &c.

Habitus, corporis tegumentum est; hoc autem duplex, aut cum ornatu, ut *spinther, armilla, annulus, mitella, flalagmus, strophium, capitium, zona, baltheus, plumula*, aut simplex, quales *bardocuculli, chlamydes, pallia, pilei* &c. V. J. Scaligerum *Poetices lib 1. cap. 13.* ubi de *Comicis personis*. Sed & *Habitus*, gestum formamq; notat in homine. Papinius *lib. 1. Sylv. 1. versu* 46.

At sonipes, habitus *animosq; imitatus equestres,*
Acrius attollit vultus ——

Et *vers.* 71.

Ac primùm ingentes habitus *lucemq; coruscam*
Expavit majoris Equi &c.

Porro utitur frequenter ac mirè hac voce Valer. Maximus, apud quem legas, *Habitus animi, civitatis, corporis, crudelitatis fortunae, gloriae, magistratus, maris mortalis & divinus habitus, mundi, patriae, patrimoniorum, pietatis, roboris caelestis, status, terrae, tranquillitatis, vultus* &c. observante C. Barthio *in Glossar. ad eum*. V. eundem *ad Historiam Aug.* multis, *in Adversariis*.

Habspurgum, adde: Ergoviae castrum fuit, quae hodie in Bernensium ditione est; antiquissima autem Comitum, à quibus Habspurgum conditum, sedes Altenburgum fuit, cujus rudera non procul Habspurgo ostenduntur. V. quoque Stiicerum *Chron. lib. 7. cap. 23.* &c.

Haceldama, adde: Franc. Adrichomius vult esse ad latus Australe Montis Sion, longitud. 72. latitud. 50. pedum, & à S. Helena muro circumdatum arcuatumque cum septem spiraculis, per quae Christianorum cadavera sepeliantur, addit, *Descript. Urbis Hierosolym. num.* 216.

Hada, vel *Ada*, Babyloniorum Dea Hesychius, Ἄδα· ἡδονὴ, πηγὴ καὶ παρὰ Βαβυλωνίοις ἡ Ἥρα, Ada, *voluptas, fons, & Babylonis Juno*. Junonis autem nomine Lunam vel Aerem à Gentibus olim cultum esse, notum. Apud eosdem proin Sol vel potiùs Æther *Adod* dictus est, quem Βασιλέα θεῶν, *Regem Deorum*, Sanchoniathon apud Eusebium vocat, eumque cum Astarte & Jove Demaroonte, in Phoenice regnasse dicit. Apud Assyrios cultum Macrobius habet *Saturnal. lib. 1. cap. 18.* *Deo quem summum maximumq;*

numq́ venerantur, Adad *nomen dederunt. Ejus nominis interpretatio sonat. unus* &c. Sed de hoc V. suprà, ut & Gerh. Joh. Vossium *de orig. & progr. Idolol. lib. 1. cap. 22*

Hadamaria, seu *Hademaris*, adde: Rivo *Albi* alluitur, vico quàm oppido vicinior cum esset, diligentia Joh. Ludovici Com. Nassoviæ, in Urbis splendorum erecta est, qui ibidem arcem magnificam extruxit, cum Monasterio duplici, Jesuitarum & Franciscanorum. Templum verò Cathedrale, trium quondam Dynastarum, Hassiæ, Trevirorum & Nassoviæ, qui *Hadamariam* divisis partibus regebant, conjuncta operâ & sumtu est conditum. Fuit autem præfatus Joh. Ludovicus filius quintus Johannis senioris, natus A. C. 1590. & divisione hæreditatis inter fratres factâ, *Hadamariam* cum Ellaria est sortitus: quibus postea Megerskirchæ dominium, & alia quædam, accesserunt. Ipse A. C. 1629. Viennæ ad Pontificiam Religionem transiit, inde in Consilium Aulicum Imperatoris receptus A. C. 1636 aurei Velleris dignitatem obtinuit, A. C. 1647. tandem inter Imperii Principes a Ferdinando III. Imp. assumtus, A. C. 1650 Quod ornamentum, ut Nassoviæ nomen supra antiquam dignitatem extulit, ita *Hadamariensem* lineam, singulari tum prærogativæ luce affudit. Cyr. Lentulus *Principum Nassov. Geneal.* Obiit A. C. 1653. ex Ursula Lippiensi, qua extincta est, Pater Mauritii Henrici n. A. C. 1626 (cui uxor obtigit Ernesti a Nassovia) Hermanni Ottonis (n. 1627. † 1661. Canonici Coloniensis & Argentinensis) Philippi Ludovici (n. 1628. † 1629.) Johannis Ernesti (n. 1631. den. 1651. Canon. Coloniens. & Argentin) Anselmi Ferdinandi (n. 1637. sed brevi mortui) Franc. Bernardi (n. 1637 Canonici Coloniensis &c.) ut Johannem Ludovicum (n. 1623. † 1624.) & Simonem Ludovicum (n. 1624. † 1628) præteream: præter filias complures, Johannam inprimis Elisabetham (quæ n. 1619 nupsit Friderico Princ. Anhaltino defuncto A. C. 1647.) & Sophiam Magdalenam (n. 1621. uxorem Ludovici Henrici Princ. Nassoviæ, den 1658.) qui omnes, *Principes & Comites Nassoviæ* &c. *Linea Dillenburgica rami Hadamarensis.* Phil. Jac. Spenerus *Theatr. Nobil. Eur. Pars. I. p. 59.*

Hadrianæ, item *Ælia Hadriana*, seu *Hadrianopoles*, multæ civitates ab Hadriano Imp. dictæ sunt, *ipsa etiam Carthago & Athenarum pars*, Æl. Spartianus *in Hadriano.* Salmasius novem hoc nomine Urbes dictas esse observat, quarum notissimæ duæ *Hadrianopoles*, quibus præter hoc aliud nomen non fuit: reliquæ enim sub prioribus nominibus remanserunt, quamvis eorum cives pro *Hadrianopolitis* se jactaverint & ita voluerint appellari Harum una in Cyrenaica, quæ *Hadrianopolis* in vetusta Peutingerorum *tabula* appellatur, hoc modo: *Bernicide XXVIII. Hadrianopolis XXV. Tauchira. Ptolemaide.* In *Itiner.* Anton. *Adriane* vocatur: *Beronice. M. P. XXX. Adriane. M. P. XXIX. Theucira. XVIII. Ptolemais. XXVI.* Altera in Thracia viginti quatuor m. p. distans à Plotinopoli, de qua V. vetus *Itiner.* & *tabulam* Peutingerorum præfatam: plura autem hanc in rem in voce *Hadrianopolis.*

Hadrianus, Imp. adde: Primus Imperatorum barbam nutrivit, Joh. Xiphilinus in *Trajano*: cætera formâ comptus, flexo ad pectinem capillo, teste Æl. Spartiano *ineo*: qui de ipso quoque, *damnatorum bona in fiscum privatum redigi vetuisse, omni summâ in ærario publico recepta*, refert. Idem Imperator, ne spadones porro herent, pœnâ legis Corneliæ de Sicariis rogata, rescripto cavit, *l. 4. ff. ad leg. Corn. de Sic.* & servo inter duos Senatores ambulanti colaphum jussit impingi, apud præfatum Spartianum

Hadrianus, adde: Eidem Carolo misit Collectionem Canonum & Epistolarum Decretalium, ad usum Ecclesiæ Occid. quam olim Dionysius Exiguus concinnaverat; quamque etiam tum in Germaniam, si non antea, transiisse probabile est, ubi obtinuit usque ad tempora Ricolfi Episc. Moguntini, qui Isidori Mercatoris Collectionem ejus loco introduxit. Sed & ipse *Hadrianus*, *Collectionem Canonum* aliquot, ex Græcis Latinisque Canonibus, Synodis Romanis atque Decretis Præsulum Principumq́, Rom. concinnavit, in gratiam Ingelrami Episc. Metensis, A. C. 785. quæ complectitur Canones LXXII quos Collectioni postea suæ inseruit Isidorus Mercator. *Conciliorum volumen* eam vocat Lud. Jacob à S. Carolo Cabillon. Burgundus Ordin. Carmelit. *Biblioth. Pontific. lib. 1. in Vita Hadriani* &c. V. Gerh. von Mastricht *Histor. Juris Eccl. num.* 191.

Hadrobolum, Græcè *ἁδρόβωλον*, apud Plin. *lib. 12. cap. 9. Gummi alii Brochon appellant, alii malacham, alii maldacon. Nigrum verò & in offas convolutum*, hadrobolum: inter nomina est à Mercatoribus Græcis bdellio imposita, quòd in offas convolveretur, *crassiore gleba.* Monet enim Menardus, *Anime orientale*, uti illud vocat, tam magnis glebis & adeò translucentibus afferri, ut pleriq; speciem esse *Charabe*, seu succini liquidioris sint suspicati *Brochon* v. ex Græco *βρεχὸς*, dicebatur, quod humectius & liquidius, *Malacha* seu *Maldacon*, quod molle esset, instar ceræ malaxatæ. Salmasius *ad Solinum pag.* 1151. V. quoque suprà ubi de *Bdellio*: & de *Hadrosphæro folio*, ubi de *Betre*, & *Malabathro.*

Hæc Dies, quam fecit Dominus &c. Versus qui in Ecclesia Rom. recitatur in Officio Paschali. Auctor *de Ordin. Antiphon. Versus, qui solet animum nostrum revocare ad aliquam introducendam orationem, auferetur in Paschalibus diebus, & cantatur pro eo ad aliquos cursus diurnales: Hæc dies, quam fecit Dominus*, apud Macros Fratres in *Hierolex.* voce *Versus.*

Hadi, V. infrà *Hadi.*

Hagera, Germ. *Hager*, locus Germaniæ, in Nassoviæ Principum ditione, fertili & irriguo solo, à Dilleburgo horæ spatio versùs Occidentem æstivum dissitus. Patria Johannis Textoris, qui *Genealogiam Nassoviæ Comitum* texuit. V. Cyr. Lentulum ubi suprà, *Appendic. de oppidis agrisq́, Nassoviæ.*

Hæmachates, species achatis gemmæ, apud Plinium *lib. 37. c. 10.* sic dictus, quòd *sanguineo* colore rubescat; seu quòd totus sit sanguinei coloris: cùm cæteri rubentibus & albis maculis distincti sint. De quo V. Salmasium *ad Solinum pag.* 134.

Hæmatites, itidem gemma, apud eundem *ibid. in Æthiopia quidem principalis, sed & in Arabia & Africa invenitur, sanguinei coloris, non omittenda promissis, ad coarguendas Barbarorum insidias. Zachalias Babylonius — humana gemmis attribuens facta, hanc non consensus oculorum & jecinorum medicinâ decorasse, à Rege etiam aliquid petituris dedit & litibus judiciisq́ interposuit.* Et *lib. præc. c. 20. Adulteratur schisto*, hæmatiten *discernunt venæ rubentes, & friabilis est natura.* Ad quæ loca V. *Exercitationes ad Solinum* Salmasii *pag* 408. & *seqq.* qui etiam de *Hæmatite*, ex magnetum genere, qui ferrum rapit, & *Androdamas* quoque dictus est, *pag.* 1103. de acoliis item & collyriis ex *Hæmatite* fieri solitis, *pag.* 1332. *ibid.* agit.

Hæmimontum, adde: ab Hæmo monte nomen habet, qui aliàs *Æmus* quoque. Sed & *Hæmimontanas celsitudines* alicubi cum nominat Ammianus. V. Salmasium *ad Vopiscum in Aureliano.*

Hæmorrhous, viperæ species, *colore arenoso — per corpus verò notis nigris & albis variegata*, uti ait Aëtius, quæ morsu sanguinem elicit, ita *ut quidquid animæ est, per cruorem evocetur*, Solinus *c. 27.* hinc nomen adepta, Cerastæ in multis similis est, unde Genes. *c. 49. vers.* 17. ubi Fata filiorum dispensans Jacobus de Dane ait, *Dan erit serpens super viam,* שְׁפִיפֹן *sephiphon super semitam, qui mordet calces equi, & cadit sessor ejus retrorsum*: vocem *Sephiphon* utrique communem esse vult Bochartus. Certè, ut alia omittam, *hæmorrhous* & cerastas solos, ex omni serpentum genere, ob gressum obliquum, *χωλεύειν* & *ἐπισκάζειν*, i. *claudicare*, ait Nicander. Hebræis autem *saphah*, claudicare, & *sephiphon*, serpens claudus est V. Bochartum *Hierozoici Parte Poster. lib. III. cap.* 12. & hîc ubi de *Cerastis*, item in voce *Sephiphon.* De *Hæmorrhoissa* verò, mulieris *sanguinis profluvio* laborantis, & à Christo sanatæ, Matth *cap.* 9. *vers.* 20. statua seu imagine, quam Paneade, urbe Palæstinæ, in Christi honorem, erexisse legitur, apud Scriptores varios, Philostorgium inprimis, V. Gothofredum *Dissertat. in Philostorgii librum 7. cap.* 3. & Suicerum *Thesauro Eccl.* voce *Αἱμοῤῥοοῦσα.*

Hæmus, victima apud Romanos dicta est, Jovi Fulminatori sacrificata, Lutat. quæ qualis fuerit, deprehendimus apud Statium *Theb. lib. 11. vers.* 223.

Vidimus urgentem nubes, lateq́, benignum
Fulmen, & auditos proavis agnovimus ignes:
Accipe nunc pecudes, & magni thuris acervos,
Vosivumq́, marem ——

Ubi vetus Schol. *Integrum Taurum*, inquit, *non castratum. Qui sacrificabatur Jovi Fulminatori, propter exhibitam vim magnam fulminis.* Cur autem *Hæmum* talem victimam nuncupatam fuisse, notet *ad eundem l.* Lutatius, in *Superstitionum Commentariis* exponit Casp. Barthius, sic tamen ut sibi ipsi non satisfaciat.

Hærere lateri, dicebantur olim propriè Monitores atque Custodes, viri insignes, quos vett. Heroës filiis, in bellum primùm missis, adjungebant, ut comites eorum essent perpetui. Qualem Scipioni Majori Ennium Poëtam adscribit Claudianus *præfat. 3. Stilicon.*

Hærebat *doctus* lateri, *castrisq́, solebat*
Omnibus in medias Ennius ire tubas.

Phœnicem Neoptolemo Papinius, *lib. 5. Sylv. 2.* Doreum Parthenopæo idem *Thebaid. lib 9. vers.* 808.

Hærebat *juveni devinctus amore pudico*
Mænalius Dorceus, cui bella, summq́, timorem
Mater, & audaces pueri mandaverat annos &c.

V. suprà in vocibus *Cantor, Comes, Custos*, alibique passim. Est autem *hærere alicui*, indefessum adesse: ut de gubernaculo suo Palinurus, *Æneid. 6.*

Cui datus hærebam *custos* ——

C. Barthius *ad Statium d. l.*

Hæres, an ex *hærendo* in hæreditate, an ex Hebr. ירש *possidere*, an ab *ære*, an ab *hero*, quòd herus fiat, dominio in se translato dictus, ante Solonem, extra gentem & familiam Atheniis non scribebatur, ex lege: *Ἐν τῷ γένει δεῖ μένειν τὰ χρήματα καὶ τὸν οἶκον*, *Extra gentem familiamq́, hæredem ne scribito*, Plut. *in Solone*: cujus ratio, quia bona testantis non sunt, sed gentis & familiæ, Plato *lib. 11. de Legg.* Neque etiam omnibus fas fuit indiscriminatim, è Solonis lege, sua testamento dare legare: Fœminis namq; & pueris dare hoc pacto non licebat, quod excederet pretium medimni hordei Cæteris, qui poterant testamentum facere, concessit Solon necessitudini generis amicitiam præferre, & quem vellent *Hæredem* scribere, nullis superstitibus liberis masculis

sculis: quod tamen de aboriginibus & indigenis civibus solùm intelligendum; adscitis enim, & plebiscito donatis, qui orti essent, eadem libertas negata fuit, bonis eorum in Ærarium relatis. Qui autem *Hæredes* scribebantur, etiam adsumebantur in filios, ut liquet ex Isæi *Orat.* unde, cùm peregrini filiorum loco esse non possent, nec *Hæredes* scribi poterant, nisi adoptione in familiam essent asciti. In conscribendis autem Testamenti tabulis Magistratus advocabatur, qui præsentiâ suâ illas vel confirmaret, vel stabiliret, vel solveret vel infringeret: Nominatim *Astynomus* aderat. Interdum etiam nullæ scribebantur tabulæ, quemadmodum Romæ Comitiis calatis, sed testator voluntatem suam pro concione declarabat & voce nuncupabat, quod fiebat itidem *ἐν ταῖς κυρίαις ἐκκλησίαις*. Quòd si Pater testamentum scripsisset, & liberis masculis hæredes substituisset, ratum id erat, si ante annum 20. ætatis liberi decessissent: ab anno autem vicesimo filius sui erat juris, neque ampliùs quidquam juris in ejus bona habebat alter, & proin substitutioni locus amplius non fuit. Superstite nihilominus fœmina prole, licebat testamento sua dare legare alteri, sub conditione, ut superstitem filiam in matrimonium duceret. Adoptatis verò non licebat hæredem scribere: aut enim filios habebant superstites, aut ab intestato hæreditatem ejus adibant Patris adoptantis propinqui. Itaque nec Pater τῇ φύσει cernere poterat hæreditatem filii, in alienam familiam adoptati. Filii porro inter se hæreditatem paternam ex æquo dividebant, secus ac apud Hebræos, ubi primogenito dupla portio obtigit. Nothi verò hæreditatem paternam, vel unicâ filiâ legitimâ extante, herciscere non poterant; imò ne quidem, Patre absque legitima prole defuncto, in ejus bona ullo modo aut jure veniebant, cognatis *ἀγχιστείας* jure ad hæreditatem vocatis. Accipiebant saltem τῶν νοθείων nomine ad quinque minas, vel, ut Solon postea mutavit, ad decem. Qui autem hæreditatem sibi vindicabat, faciebat id coram Prætore, toto vertente anno, excepto mense Scirrhophorione: quia affecto jam anno referendis potiùs rationibus, quàm juri dicundo, vacabatur. Petenda autem hæreditas erat intra 5. annos, à morte illius, qui hæreditatem adierat &c. V. Sam. Petitum *Comm. in leges Att. lib. 6. cap. 6.* De more verò *hæreditatem adeundi*, apud Romanos recepto, Joh. Rosinum *Antiqq. Rom. lib. 8 part. 3. Legg. XII. Tabb. ubi de Jure privato*, ut & infrà in voce *Testamentum*. Recentiori ævo *Hæredes*, nudè, interdum feudi paterni appellatione, dicebantur apud Francos, Nobilium filii ac *hæredes*, qui parentum hæreditatem quoad feuda adire non poterant, donec 21. annorum attigissent ætatem, cùm interim eorum Tutores ac Custodes prædiis pupillorum feudalibus fruerentur & eo nomine militaribus obsequiis ac servitiis obnoxii hominia dominis præstarent. Quod potissimùm introductum est, in favorem dominorũ Feudalium, quorum intererat vassallos habere, qui feudalia omnia servitia possent adimplere. Idq; jus est tutelæ Nobilis, quæ in Gallia adhuc observatur & in Anglia ac Normannia Regi defertur, censeturq; inter jura Regalia. Pupilli verò, minores ætate, quibus nullum fere jus erat in bonis paternis, quorumq; usufructus erat penès tutores, qui eos alere & educare pro conditione ac dignitate tenebantur, eorundem bonorum tantùm *Hæredes* nuncupabantur, tanquam solum iis aliquando fruendi jus competeret, eorumq; adipiscendorum, hæreditatis adeundæ instar, spe alerentur: qui etiam sibi iis in bonis, quorum *Dominos* sese inscribebant Tutores, jus esse indicarent, licèt possessionem nondum adiissent. Sic in vet. *Charta*, apud C. du Fresne, Bernardus *Hæres*, Robertus verò de Bova, *Baillivus terræ de Morolio*, inscribuntur: Nempe Robertus tutorio jure Morolium tenebat, Bernardo adhuc in pupillari ætate constituto &c. Imò & servatus hic mos in ipsis Regnorum Imperiorumq; successionibus occurrit. Observant enim nonnulli, Francicum Regnum delatum Pipino esse, quò illud regeret tutorio jure, Childerico III. adhuc impubere. Nec in alium finem data Odoni Aquitaniæ Duci Regia dignitas: tutelâ quippe Caroli Simplicis à Francis donatus, ut majori auctoritate gubernaret Regnum, in *Regem* coronatus est, Continuator Aimoini *lib. 5. cap. 42.* Albertus A. C. 994. Ordericus Vitalis *lib. 7.* Alii. Balduino quoque II. adhuc in puerili ætate constituto, Galli, qui CPoli & in toto Imperio Orientali sedem fixerant, consilio habito eligendum Principem censuerunt, qui Imperium, quoad Balduinus adolevisset, administraret & contra hostes tueretur. Quam in rem delectus Joannes Briennensis Exrex Hierosolymit. qui & filiam Balduino pacisceretur & Imperium tutoris vice administraret, concesso insuper *Imperatoris* titulo, eoque, ut mos est Impp. solenniter coronato; hac conditione, *ut quando Balduinus suæ tutelæ factus esset, Imperio cederet, illudq; genero resignaret.* Simili jure Philippus V. & Carolus Pulcher *Reges* sese inscripserunt *Navarræ*, quæ erat Joannæ, eorundem ex fratre Philippo IV. R. Franciæ & Nav. neptis, cujus adhuc impuberis tutelam suscepere, usurpato titulo Regio, quò iis majus in Regni negotiis administrandis accederet pondus. Quod Francorum secutus exemplum Arsenius Patr. Constantinop. coronâ donavit Michaëlem Palæologum, Joannis Lascaris Imp. Tutorem à patre relictum: addita pariter conditione, *quoad Joannes suæ tutelæ factus esset*, uti narrat Nicephorus Gregoras *lib. 4.* Verùm ea fidei integritas, quam in Francis mirè prædicat Nicetas Choniates, à Græcis minimè servata est &c. V. hanc in rem plura apud du Fresne præfatum *in Glossar.* ut & hic infrà. Hinc *Hæreditaria Charta*, Epistola est, quâ sc. quis filiam suam naturalem, quam ex ancilla suscepit, ingenuamq; ac *Denarialem* factam (h. e. *manumissam per denarium*) ante Regem, ad hæreditatem suam vocat, dicta est. Cujusmodi Epistolarum formulæ extant apud Bignonium *in Formulis vett capp. 46. & 49.*

Hæredum varis species, ex Joh. Rosino, Gronovio &c.

Sit Hæreditas 18. m. nummum, e. g.

ex Asse toto *Hæres* dicebatur, qui Legatarius non erat, licèt cohæredes haberet. In assem verò totum institutus dicebatur, qui solus hæres erat, Alex. ab Alexandro *Genial. dier. lib. 1. cap. 1.*

ex Besse, qui octo uncias hæreditatis, adeoq; ex prænotata summâ 12000. auferebat: ex Besse semuncia sextula scriptus, 13000. honestabatur.

ex Deunce, undecim partes nanciscebatur: sicut ex Deunce binis sextulis, habebat 17000

ex Dextante, 15000. capiebat: ex Dextante semuncia sextula 16000.

ex Dodrante, 13500. ex Dodrante binis sextulis 14000. lucrabatur.

Extraneus dicebatur, qui nec necessarius, nec suus; & proin testatoris juri subjectus non erat.

Fiduciarius & Imaginarius.

in Ima cera scriptus *Hæres* idem cum secundo & legatario hærede fuisse videtur.

Legatarius, seu in ima cera dicebatur, cui donum aliquod in testamento relictum est.

ex Libella, dictus est Hæres omnium bonorum: Libellæ enim nomine As seu tota hæreditas significata olim fuit.

Necessarius vocabatur, qui sive vellet sive nollet testator, *Hæres* erat: tam ab intestato, quàm ex testamento, secundùm LL. XII. Tabb.

Primæ ceræ, seu primæ tabulæ seu in primo gradu *Hæres*, appellabatur is, quem ex toto Asse hæredem vocat Alexander & Legatario contradistinguit.

ex Quadrante, 4. uncias sumebat, nempe 4500. nummos.

ex Quincunce, 7500. ex Quincunce binis sextulis scriptus 8000. consequebatur.

Secundi hæredes iidem cum Legatariis inque ima cera scriptis.

ex Semisse, 9000. ex Semisse semuncia sextula, 10000, capiebat.

ex Semuncia seu tribus sextulis, capiebat dimidiam totius assis unciam, adeoque 750. nummos.

ex Semuncia & sextula 1000.

ex Septunce, 10500. ex Septunce binis sextulis, 11000. capiebat.

ex Sextante scriptus habebat 3000. ex Sextante semuncia sextula 4000. ex Sextante uncia binis sextulis 5000.

Sextulâ aspergi dicebatur, qui sextam unciæ partem adeoq; septuagesimã secundã portionem totius hæreditatis consequebatur, sc. 250.

Suus & necessarius Hæres dicebatur filius, filia, nepos, neptisque ex filio & deinceps cæteri liberi, qui in potestate morientis fuere.

ex Teruncio scriptus, erã ex uncia & quinq. scripulis.

ex Triente, tertiam partem, nempe 6000 habebat: ex Triente semuncia sextula scriptus 7000 lucrabatur.

ex Uncia, duodecimam habebat hæreditatis partem, nempe 1500. ex Uncia & duabus sextulis 2000 &c. Ita dividebant olim hæreditatẽ 18000. numum, velut denarium, in partes Assis, distributam. V. Gronov. *de Pec. vet. lib. 3 c. 11.*

Nec omittendum, motas de hæreditate controversias coram Centumviris Romæ ventilatas fuisse; Unde querela inofficiosi Testamenti, item actio petitionis hæreditatis *Centumvirale judicium* appellatur, Cic. *in Bruto*, Plin *lib. 6. Epist. 4.* &c.

Hæres Norvvegiæ, inter titulos Daniæ Regum & qui ab iis originem trahunt, Holsatiæ Principum, à tempore Joannis Regis. Postquam enim Christianus I. Theodorici Fortunati Oldenburgii Com. filius, ad Daniæ Regnum evectus, unà Norvegiam accepisset; hoc natus Joannes R. Norvegos, rebellionem, ut sæpe antea, ausos, misso idoneis cum viribus Christierno filio, pulsis Suecis, quorum instinctu, fiduciaque obsequium exuerant, in ordinem redactos, in defectionis libertatisque malè usurpatæ pœnam, potissimâ ejus parte multavit: unde *Hæredes Norvegiæ*, Daniæ Reges Holsatique Principes, tanquam novo belli jure domitæ possessores, se dixere. Pfannerus *de præc. Germ. Princ. Gent. c. 11.*

Hæresis, Græcè *αἵρεσις*, ab *eligendo*, nomen habet. Vocarunt autem sic illi Philosophorum sectas, quòd unusquisque sibi aliquod genus disciplinæ ac sectæ proprium elegit eiq; sese addixit, tanquam suo judicio maximè probabili commodoque. Usitatissimè sanè tunc variæ Philosophorum factiones, *Hæreses* Græcis, *Sectæ* Latinis, citraque omnem contumeliam nominabantur, V. Cic. *in Paradox.* Quinetiam in S. Literis pro indifferenti vox accipitur, Actor. *cap. 15. vers. 5.* Ἐξανέστησαν δέ τινες τῶν ἀπὸ τῆς αἱρέσεως τῶν Φαρισαίων. *Cap. 26. vers. 5.* Ὅτι κατὰ τὴν ἀκριβεστάτην αἵρεσιν τῆς ἡμετέρας θρησκείας ἔζησα Φαρισαῖος. & *Cap. ult. vers. 22.* Περὶ μὲν γὰρ τῆς αἱρέσεως ταύτης γνωστόν ἐστιν ἡμῖν, ὅτι πανταχοῦ ἀντιλέγεται. Postea vox in malam partem sumi cœpit, de iis, qui Dei voluntate ac verbo ejus non contenti, proprio arbitrio, rationem Dei cognoscendi colendiq; eligunt, jam Apostolo notati, Tit. 3. vers. 10. Et quidem Patribus tales habentur inprimis, *Qui SS.*

Trinitatem non confitentur, adeoque *Catholicis* opponuntur, *Christianorum* nomine indigni. Dein, *Qui fidem Nicænam, vel IV. Conciliorum statuta non recipiunt.* Tandem, *Qui in quocunq; capite Religionis Christianæ contraria Orthodoxæ fidei sentiunt*, Zonar. *ad can. 6. Conc. præfati.* Qui omnes, non quidem supplicio afficiebantur, exceptis Manichæis, de quibus V. *Constitutionem* Anastasii aut Justiniani, *Cod. lib. 1. tit. 5. l. 11.* excommunicabantur tamen, & docere vetabantur, nec eorum contra Orthodoxos testimonia audiebantur. Porro libri eorum exurebantur, pœnâ, in scribentes manus amputatione, *Nov. 42.* Justin. in legentes, ultimo supplicio, sancitâ, Photius *in Nomocan. tit. 12. cap. 3.* in *Bibl. Juris Can. pag. 165.* omnisque opera dabatur, ne virus suum latiùs spargere possent. Sed nec eorum cœmeteria, aut Martyres adire; nec cum iis orare, aut matrimonium contrahere; nec denique ulla communione illis jungi, licebat, quæ omnia fusè exequitur Cl. Suicerus *Thesauro Eccl.* in vocibus *Αἱρετοὶ*, & *Αἱρετικός*. Quòd si verò ad meliorem illi mentem redirent, illorum aliqui recipiebantur in Ecclesiæ gremium, prævià libellorum, quos conversionis & fidei suæ testes dabant, exhibitione, ut inter alia de Valente & Ursacio legimus, apud Sozomenum *lib. 3. cap. 22.* qui sic accedente manuum impositione, *χειροθετούμενοι*, ad Ecclesiam redibant, uti de Catharis habet *can. 8.* Concilii Nicæni. Alii etiam baptizabantur, ut de Paulianistis seu Samosatenianis idem Concilium statuit; eò quòd non baptizati essent in nomine SS. Trinitatis, quippe quam negabant, Augustin. *Hær. 44.* de Phrygibus seu Montanistis, Concil. Laodicenum: de Sabellianis insuper similibusque Conc. CPolitanum I. *can. 7* &c. Nonnulli, non baptizabantur quidem, ungebantur tamen, ut de Novatianis, Photinianis & Quartadecimanis sanxit *can. 7.* Concil. Laodicen. quibus Arianos, Macedonianos & Apollinaristas addit Theod. Studites *Epist. ad Naucratium*, apud Balsamonem laudatum. Sicut baptizandis Marcionistæ, Tatcodrugi, Manichæi, alii: iis verò, qui libello exhibito hæresin solùm ejurabant, Meletiani, Nestoriani, Eutychianistæ, similesque jungi possunt. Quam de receptione *Hæreticorum* materiam accuratè tractat, præter Virum Cl. suprà laudatum, Vossius *Disputat. 19. & 20.* quarum illa, *de Catholicis promiscuè tingentibus quoscunq; ab Hæreticis seu Schismaticis baptizatos*, ista *de Catholicis discrimen facientibus in Hæreticis*, juxta dicta, agit. *Hæreticorum* autem examen ingens, ut videre est apud Augustinum, Epiphanium, Philastrium, Alios, qui de *Hæresibus Hæreticisq;* scripsere. De quibus id saltem addo, non paucos illorum, atque in his Priscillianistas inprimis ac Donatistas, per sectæ suæ principem jurare, atque in ejus memoriis controversias suas dirimere consuevisse, uti adnotat *ad Julium Suetonii cap. 86.* Casaubonus. V. de unoquoque illorum suo loco, in specie de iis, qui circa SS. Trinitatem, Personam item Filii ac Spiritus S. hallucinati sunt, in vocibus *Antitrinitarii*, *Christomachi* & *Pneumatomachi*. In *Concilio* Biterr. A. C. 1246. *Hæretici Vestiti*, convicti sunt & hæresia palàm professi: quibus opponuntur *Crediti*, qui tales creduntur quidem, sed hæresin publicè non profitentur. Car. du Fresne *Glossar.*

Hæsitantes, dicti sunt Eutychiani Hæretici. V. Leontium *de Sectis Act. 6. & 7.* & suprà ubi de *Acephalis*. Græcè *Διακρινόμενοι*: quod sc. à Synodi Chalcedonensis Communione *hæsitabundi* abstinerent. Quibus proin οἱ *Συνοδῖται*. *Synodita*, h. est, Synodo illi addicti, oppositi sunt, *Ibid.* V. Jo. Forbesium *Instructionum Historico-Theologic. lib. III. cap. 14. §. 4.* & Cl. Suicerum *Thesaur. Eccl.* voce *Διακρίνω*, item *Συνοδίτης*.

Hafnia, adde: Hujus Academiæ reditus 60000. Imperialibus auxit Fridericus II. Dan. Rex, Phil. Jac. Spenerus in *Familia Oldenburgo-Danica*.

Haga, seu *Hegin*, dictus apud vett. Germanos est aliquot provincialium districtus, certo pagorum ac vicorum numero constans, quem & *Circulum* vocabant: quæ vox hodieq; eadem notione obtinet, V. quæ de *Circulis* X Germanici Imp. (German. *Kraiß*) Politici habent. Appellationis rationem hanc adfert Monachus Sangall. *de Rebus Caroli M. lib. 2. cap. 2. Terra Hunnorum novem circulis cingebatur Et cùm ego alios circulos, nisi vimineos, cogitare nescius, interrogarem, quid aliud miraculi fuit Domine? novem* hegin *muniebatur. Cumq; & illos ulteriùs esse generis nescirem, nisi quales segetibus solent prætendi, inquisitus etiam de hoc dixit: Tam latus fuit unus circulus — quantum est spatium de Castro Turonico ad Constantiam. Ita stipitibus quercinis, faginis & abiegnis extructus, ut de margine ad marginem 20. pedes tenderentur in latum & totidem erigerentur in altum. Civitas autem universa aut durissimis lapidibus, aut cretâ tenacissimâ replebatur. Inter quorum confinia plantabantur arbusculæ, quæ, ut cernere solemus, abscissæ atq; projectæ comas candicum foliorumq; proferunt. Inter hos itaq; aggeres ita vici & villæ erant locatæ, ut de aliis ad alias vox humana posset audiri. Contra ea tem quoq; ædificia, inter inexpugnabiles illos muros, portæ non satis latæ erant constitutæ, per quas latrocinandi gratiâ non solùm exteriores exire solebant. Item de secundo circulo, qui similiter ut primus erat extructus, 20. milliaria Teutonica, quæ sunt 46. Italica, ad tertium usq; tendebatur: similiter usq; ad nonum. Quamvis ipsi circuli alius alio multo contractiores fuerunt. De circulo quoque ad circulum sic erant possessiones & habitacula undique versum ordinata, ut clangor tubarum intra singula posset cujusq; rei significativus* audiri, apud Car. du Fresne in *Glossar.* V. quoque quæ diximus, in *Hag. Turonica*. Aliàs vox *Haga*, communiter Germanis notat, sepem seu sepimentum ex virgultis confectum &c.

Haga Paganelli, *la Haye Paynel*, vel *Hepenell*, locus est Galliæ, inter quem & Abrincatas ponit Sabiniacum, Vicum in confinio Normanniæ & min. Britanniæ, Robertus de Monte S. Michaëlis in *Chron.* apud Hadr. Valesium in voce *Savinnejum*.

Hagiographa, Hebr. כתובים *Cetubim*, dicuntur Judæis libri vet. Canonis XI. *Verba dierum*, seu *Chronica*, *Esther*, *Esra*, *Nehemia*, *Psalmi*, *Proverbia*, *Ecclesiastes*, *Canticum Canticorum*, *Job*, *Daniel* (quem malè Prophetarum choro eximunt, aut saltem quis saltem inferiorem habent, contra Matth. *cap. 24. vers. 15.* ubi Daniel titulo *Prophetæ* ab ipso Christo insignitur) & *Threni*. Dividunt enim totum Vetus Testam. in *Thora*, i. Legem, *Nebiim*, i. Prophetas, & *Cetuphim*, i. Hagiographa: quæ ultima Christus sub *Psalmis*, ut præcipua eorum parte, comprehendere visus est, Lucæ *cap. 24. versu 44.* Quamvis aliàs in N. T. libri illi simpliciter in *Legem & Prophetas* dividantur, Matth. *cap. 5. versu 17.* Lucæ *cap. 16. versu 29.* & Actor. *cap. 28. v. 23.* Sed & *Hagiographa* dicebantur scripta omnia, in quibus sacra tractabantur, aut ex Canonicis libris petita, aut ad eorum exemplum composita, et quibus sententiæ aut historiæ quædam in Ecclesia recitabantur, ad populi ædificationem. Sic *Glossa ordin. Præf. ad lib. Tob. Legi*, inquit, *accepit* Hagiographa, *hoc est, sanctorum scripta.* Et Driedo *de Catal. S. Script. lib. 1. cap. 4. pag. 21. Dicemus duplicia esse apud Ebræos* Hagiographa, — *hoc est, sanctorum scripta — quædam, quorum auctoritas idonea est ad corroboranda ea, quæ sunt fidei. Hujus generis sunt* Hagiographa, *in Canone Bibliæ. Alia verò sunt* Hagiographa — *quorum auctoritas ad assertiones fidei corroborandas non est idonea, quamvis habeantur vera & sancta.* V. de quovis illorum suo loco. A' voce *Ἅγιος*, *sanctus*, & *γράφω*, *scribo*, quasi *Sancta scripta*, uti vocantur Epiphanio de *Ponder. & Mens.* De quarum priore voce ut pauca addam; *Ἅγια* non rarò apud Scriptores Eccles. Græcæ, Sacra Cœna appellatur, ut & *Ἅγια ἁγίων*, uti videre est apud Cl. Suicerum *Observat. cap. 4.* quo nomine pars olim Tabernaculi sanctissima, quæ soli summo Sacerdoti patebat, indigitata est, ut notum. Quemadmodum & Græci recentiores, *Ἅγια* locum in Templo vocant, quò solis Clericis ordinariò venire permissum: *Ἅγια ἁγίων* v. Altare majus, *in quo corpus & sanguis Domini consecratur*, ut ait Gentianus Hervetus *in fine Liturgiar.* Sed & vox *Ἅγιος* apud eosdem, Imperatoribus, cùm coronabantur, acclamari consuevit, uti Meursius docet *Glossar.* V. quoque infrà *Sanctus*. Inde autem derivata, *Ἁγιασμὸς*, inter alia, de S. Cœna itidem, ut & interdum de aqua benedicta: & *Ἁγιασμὸς*, de eodem Mysterio, ac de parte Liturgiæ, in qua celebratur nomen Domini hac formulâ, *Ἅγιος, ἅγιος, ἅγιος, κύριος Σαβαὼθ*, occurrit, apud eosdem Græcæ Eccl. Scriptores: uti pluribus videre est, apud Cl. Suicerum *Thesaur. Eccl.* in his vocibus.

Hagiosiderum, Gr. *Ἁγιοσίδηρον*, q. *sacrum ferrum*, unum est ex illis tintinnabulorum generibus, quæ Græci hodierni campanarum loco habent. Postquam enim constructis Monachorum Sacerdotumq; cœnobiis, Ethnicisq; Principibus Græciæ imperium obtinentibus, æreis tintinnabulis, quòd eorum sonus & nimiæ securitatis & auctoritatis indicium esset, abstinuere, Symandri & *Hagiosideri* usum excogitasse videntur: quem succedentia Christianorum Principum tempora adeò non excusserunt, ut etiam campanis in multa Græcorum templa invectis (viz. quæ in Christiano orbe sunt, reliqua enim campanis carere Turcæ jubent) Symandris tamen & *Hagiosideris* locus sit. Est autem *Hagiosiderum*, vel, ut hodierni Græco-Barbari vocant, *Agiosyderum*, ferrea lamina 4. digitorum latitudine, 16. verò longitudine, funiculo in medio librata. Hæc ferreo malleolo ternis interpolatis vicibus ab homine pulsari solet, qui Sacerdotem Eucharistiam ad ægrotos lectoque decumbentes deferentem solet præcedere, ut inter transeundum quisque rei admoneatur. Ejus figuram exhibet Hier. Magius *lib. de Tintinnabulis cap. 15.*

Hagira, seu *Hegira*, æra Muhammedana, ab Arab. *hegar*, i. *fugit*, exordium cœpit à fuga Pseudoprophetæ ex urbe Mecca in civ. *Medina Alnabi* factâ, A. C. 622. die 19. Jul. vespere illo, quod inter quintam & sextam feriam intercedit: in cujus temporis memoriam sacram suam solennitatem Muhammedani quot septimanis celebrant feriâ 6. sive die Veneris, uti pluribus docet Jo. Forbesius *Instructionum Historico-Theologic. lib. IV. cap. 1.* qui de annis *Hagiræ* & *mensibus Hagarenis* ac *diebus* similiter accuratè agit *cap. seq.* V. quoque in vocibus *Egira* & *Hegira*.

Haiti Ins. hodie *Hispaniola*, Georg. Hornius. *Orb. Imp. p. 488.* V. ibi.

Hakm, commune Tartariæ Regum nomen, unde *Chaganum* suos deduxerunt Latini Græcique, quo nomine appellant omnes Reges Scytharum, Hungarorum, Avarum & Turcarum: Idem. V. suprà, in voce *Chaganus* & *Chanus*.

Halabarches, seu *Alabarches*, apud Ruffinum, Alexandriæ Magistratus fuit Judæorum. Ita enim Josephus *Antiqq. lib. 20. c. 3.* *Fado autem, inquit, successit Tiberius Alexander, ejus Alexandri filius,*

lius, qui *Alabarchiæ magiſtratum geſſit*. Hine Equitem Rom. ſed natione Ægyptium appellat Tacitus *lib.* 15 & 17. Idem Joſephus *eod. lib. cap.* 5. *Eodem quo tempore etiam Marianna, dedignata Archelaum, migravit in thalamum Demetrii primi inter Alexandrinos Judæos, tam opibus, quàm genere, & tum* Alabarchiæ *Magiſtratum gerentis, è quo filium Agrippinum genuit* &c. V. ſuprà in *Alabarches*.

Halala, vicus in radicibus montis Tauri, ubi Fauſtina, uxor M. Antonini Philoſ. ſubito morbo exanimata obiit, Jul. Capitolinus in *Vita* Marci, ubi *Halala vicus* dicitur. Hinc ædes ibi Fauſtinæ poſita à Marco: in quo loco poſtea *filius Baſſiani Heliogabalus Antoninus ſibi vel Jovi Syrio vel Soli* (incertum enim id eſt) *templum fecit*, Spartianus *in Caracalla ſub fin.* Ἄλαλις fortè, in Ptolomæi libris, ad Euphratem in Palmyrena. V. ſuprà *Alala* & in voce *Halale*.

Halcyon, marina avis, παρὰ τὸ ἐν ἁλὶ κύειν, ex eo, *quòd in mari concipit & parit*, dicta, à cantus dulcedine commendatur. *Eâ* etiam *nullam avem ſuaviùs canere*, ait Oppianus; & Tymnæus, ut avem à cantûs gratia maximè laudet, *Antholog. lib.* 3. *cap.* 24. dicit, eam alcyonum cantum exæquare:

> Ὄρνεον ὦ χαίρουσι μελιλήμονα, ὦ παρόμοιον
> Ἀλκυόνι ζῶν σὺν φθόγγον ἱμειρόμενον:

Quæ cauſa, quòd, cùm Sirenes apud Poëtas figuram avium ex parte habeant, & ſtationem ad maris littus & miram cantus ſuavitatem, Scripturæ Interpretes *Sirenum* nomine *alcyones* intelligere, vult Cyrillus, *in Mich. cap.* 1. *verſ.* 8. ubi pro *ἀηδόνων*, *luſcinias*, quæ cum mari & fluctibus nihil commune habent, ἀλκυόνας reſcribi jubet Bochartus: quæ duæ voces, licèt ſcripturâ diſſimiles ſatis, tamen non rarò à librariis confunduntur. Addit Cyrillus, *alcyones* in maris finibus ovis incubare & propter nidum à fluctibus abreptum lugubre melos fundere: ut Val. Flaccus *Argonautic. lib.* 4.

> *Fluctus ab undiſoni ceu forte crepidine ſaxi*
> *Cùm rapit* alcyonis *miſeræ fœtumq; laremq;*
> *It ſuper ægra parens, queriturq; tumentibus undis.*

Imò velut omnium avium maximè θρηνητικὴν, i. *lugubrem*, eam Poëtæ deſcribunt, ut videre eſt, apud Homerum *Iliad.* ι. *verſ.* 559. Eurip. *Iphig. in Tauris verſ.* 1089. Moſchum *in Epitaph Bionis*, Propertium *lib.* 3. *Eleg. de natali amicæ*, alios. Nec omittendum, avem hanc Plutarcho autore, vincere, τὰς φιλοτέκνους χελιδόνας, *pro ſuis amore hirundines*, & τὰς φιλάνδρους πελειάδας, *amore conjugis columbas*: hinc ceryloſ, maritos ſuos, ætate graves, dicuntur αἴρεσθαι ἐπὶ τῶν πτερῶν μεταφρένοις, interſcapiliis ſuis ſublatos circumferre. Quò pertinent Almanis verſu, apud Antigonum *Hiſtor.* 27.

> —— Βάλε δὴ, βάλε κηρύλος εἴην,
> Ὅς τ' ἐπὶ κύματος ἄνθος ἅμ' ἀλκυόνεσσι ποτῆται.
> —— *Utinam cerylus eſſem* (alcyonum mares ſic vocant)
> *Qui maris ſuperficiem ſuper volat cum alcyonibus* &c.

V. Sam. Bochartum *Hierozoici Part poſter. lib. II.* c. 14. de nidis v. earum, qui admirationem habent, *pilæ figura, nec ferro intercidi queunt*, ut ait Plin. infra in voce *Nidus*: & plura de hac ave apud eundem *lib* 10. *cap.* 32. alibiq; paſſim, Cœlium Rhodiginum *lib.* 14. *cap.* 11. Alios: nec non in voce *Alcyone*.

Haldegaſtes, Dux barbarus, memoratus Valeriano *Epiſt. ad Aurelianum*, apud Vopiſcum.

Halec, piſcium genus, qui argenteo quodam ſquamarum fulgore, noctu præſertim, lucentes, vix dodrante majores ſunt & thriſſarum generi accenſentur, à Rondeletio, rei piſcariæ graviſſimo Judice. *Leucomenidas* Franc. Maſſarius vocat & cum geribus Plinii confundit. *Alaces* alii vocant: at ſi Cæſaris judicio ſtandum & cum multis loquendum, *halecea* dicantur, cum Priſciano & Soſipatro, qui *alecem* pro piſce muriâ condito accipiunt. Sunt autem ex iis, quos ἀγελαίους, *gregales*, Ariſtoteles vocat, quòd agminatim per Oceanum ferantur palabundi, tantâ interdum multitudine, ut oppoſitis retibus ſiſti nequeat impetus, quin illa rapiantur ac liquidi æquoris faciem obfuſcent. Quæ cauſa eſt, cur tam copioſa ſit illorum in retia infuſorum captura. Nam poſtquam ex Arctoi maris latebris diſcedentes, præcipiti vere, velut commutatis natalibus in æſtiva contendunt: tum verò claſſes variæ, Hollandica, Seelandica, Friſica, Flandrica, Gallica, Britannica & Scotica, quaſi ex condicto, ad evitandas ſimultates ac contentiones, partitæ inter ſe certas ac definitas ſtationes, ſub Britannia, Scotiæ ora & Orcadibus, ſingulæ pro viribus, iſti piſcium generi inſidiantur, navigiis rotundis, alvo pandâ, obtuſâ prorâ, quas *buſſas* vocant, ut ſuprà vidimus. Hi piſces vivi, quoad ejus fieri poteſt (nam ſimul cum defectu ſalo vitam quoque protinus expirant) per jugulatorem eundem & eviſceratorem, cui præ cæteris omnibus liberaliſſima merces datur, aperto priùs jugulo exenterantur, dein per ſalitorem condiuntur, feſtinatis operis; inde conduntur ſalſamentariis cadis, quos Latini *orcas* dicunt; poſtea venditi per alecarios cupariosque, de integro ſtipantur, inani turbâ, quæ lactibus & ovis caret, numero ſubmotâ, ac novâ muria obruuntur. Poſtremò per delectos, juratosque arbitros bonitatis exploratur fides, ſigilloque addito obſtringitur, non abſimili vetere religione, quâ Dianæ ſacerdos Lemniam rubricam, probatæ notæ ſigillo impreſſo, inſigniebat. Atque id quidem primum genus *halecum* conditaneum eſt, ſeu muriaticum, ut Plautus vocat: alterum eſt, quod leviter ſalitum in fumario duratur, ubi auri, vel æris potiùs colorem ducit, unde *ſoretum* voce Gothicâ, Galli id genus nuncupant, quòd ſubruffus, ad atrum accedens, color eâ linguâ *ſorus* vocitetur. Quantam verò piſcatio hæc vel ſoli Hollandiæ utilitatem afferat, dici vix poteſt, cùm in pluribus ejus civitatibus, plebs urbana pariter ac ruſtica inde victum quærat, æs alienum diſſolvat, familias ſuſtentet, opes conquirat, ac partas tueatur. Certè Oudewatenum, Wordam, Roterodamum, Sciedamum, Brielam, ut de aliis taceam, præcipuas hinc fortunas traxiſſe, plebemq; omnem propemodum, in texendis tragulis, everriculis, ſagenis, reliquoq; inſtrumento omni reticulato, quo piſcatio inſtituitur; item in torquendis reſtibus, unde retia plectuntur, toto anno occupatam habere, conſtat. Ex quo facilè perſpicitur, quantum momenti ad omnia poſitum ſit in hujus piſcationis ſucceſſu. Cum ea enim ſecunda decreſcit rerum omnium ferme edulium pretium, adverſâ intenditur: doloris ſenſu celeriter ad alias quoq; regiones tranſeunte, cùm in magnam Europæ partem diffundatur ea merx, utcunq; res ceciderint, vendibilis & expetita. Auctor Anon. *Sinæ & Eur. cap.* 42. V. quoq; infrà, ubi *de Harengarum piſcatione*: de *halece* verò ſucco, in quo mulli carnes olim tingebantur. Voſſium *de Idol. lib.* 4. *cap.* 25. de ſuperſtitione autem eorum, qui *halece* aut apuâ guſtatis Deæ Syriæ iram verebantur, Plut. *de Superſtit.*

Haleſus, Argivus, Faliſcæ conditor, memoratur Solino *lib.* 2. Faliſcæ viz. non Æquorum, de qua Strabo *lib.* 5. ſed Hetruſcorum. Et quidem ab *Haleſo*, priùs *Faleſii*, & ὑπεραγωγικῶς, ut nomina gentium apud Vett. plerunq; concipi ſolebant, *Faleſiſci*, inde contractè *Faliſci*, appellati; quorum urbs & *Falerii* indidem, pro *Faleſii*, dicta eſt. Salmaſius *ad Solinum pag.* 60.

Haleſus, apud Plinium *lib.* 5. *cap.* 29. fluv. eſt Colophonem alluens, prope lucum, unde oracula olim petebantur: Ἄλης Pauſaniæ. De quo V. eundem Salmaſium *ibid pag.* 860.

Halfkiueg, ſeu *Healfcyning*, dicitur Æthelſtanus Dux Orientalium Anglorum, i. Norfolciæ, *in Lib. Ramet ſect.* 14. apud Spelmannum, quaſi *Semi-Rex*, quòd apud Æthelſtanum R. quàm maximè gratia & auctoritate valeret: quemadmodum de Carolo Martello obſervavit Car. du Freſne. Vox Saxonica eſt.

Haliæetus, aquilæ ſpecies ſexto loco numerata Plinio *lib* 10. *cap.* 3. *clariſſima oculorum acie, librans ex alto ſeſe: viſoq; in mari piſce, præceps in eum ruens & diſcuſſis pectore aquis rapiens*; Inde nomen accepit. Idem *tantùm implumes etiamnum pullos ſuos percutiens, ſubinde cogit adverſos intueri Solis radios, & ſi conniventem illacrimantemq; animadvertit, præcipitat è nido, velut adulterinum atq; degenerem* &c. *Ibid.* In eam avem Pandareus, item Niſus, Megarenſium Rex mutati finguntur Poëtis: de quo poſteriori Ovidius *Metam. lib.* 8.

> *Et modò factus avis fulvis* haliæetus *alis*.

de utroque V. ſuo loco. Tam verò ſimilis illi, inter accipitrum ſeu falconum ſpeces, lanius ſeu lanarius, ut

> —— —— —— *ſæpe periti*
> *Ambiguo peccent decepti lumina vultu:*
> *Et niſi diverſo paſtu gauderet uterq;,*
> *Sæpe repertores artis turpiſſimus error*
> *Argueret* ——

ut canit Thuanus *de Re Accipitrar. lib.* 1. apud Sam. Bochartum *Hierozoici Parte poſter. lib. II cap* 19. &c.

Halicaccabus, è ſtrychnorum genere, frutex eſt, cujus radicem vaticinaturi olim adhibebant. Plin. *lib.* 21. *cap.* 31. Halicaccabi *radicem bibunt, qui vaticinari Gallantesq; furere, ad confirmandas ſuperſtitiones adſpici ſe volunt.* Nempe qui volebant aſpici furere & vaticinari, quaſi ab alicujus Numinis inſpiratione immiſſo furore, quia id pertinebat, ad confirmandas religiones, radicem hanc bibere ſolebant, ut ἔνθεοι inde conciperent & Numine repleti viderentur. De quo ementito furore Gallorum Cybeles, & ficta vaticinatione, Gallandique modo, V. Appulejum *Metam. lib.* 8. uti de Strychnorum effectibus, plura infra. *Bellonariam & Vaticam* herbam eam, quam ſumebant ad hoc, ut entheato ſpiritu pleni apparerent, appellatam quoq; eſſe, ex *Herbario* alterius Appuleji, docet Salmaſius *ad Solinum pag.* 1087. V. etiam ſuprà, ubi de *Corybantiaſmo*.

Halicarnaſſus, adde: Ruderum urbis hujus magna pars viſitur hodieque, in loco quodam inculto, è regione inſulæ Co, cui *Boudrum* nomen eſt. Sed & nummi, fœderis inter eam & civ. Pergamum, ſub Caracalla Imp. initi, memoriam ſervantis, in cujus antica parte, Caracallæ & Getæ, ſe mutuò reſpicientium, facies; in poſtica, Apollinis imago & Æſculapii, cum Inſcr. ΑΛΙΚΑΡΝΑCCΕΩΝ ΚΑΙ ..... ΣΕΞΤ. ΦΛΑΟΥ .. ſculptæ, meminit Jac. Sponius *Itiner. Part.* 3. *pag.* 180. V. quoque eum *Part.* 1. *p.* 365.

Halieuticum Boletar, librarum XX. apud Treb. Pollion. *in Claudio*, inter dona Gallieni ad Claudium miſſa: expreſſum cœlo habebat piſcatoris vel piſcaturæ ſpeciem, unde nomen. Quàm variis enim argumentis, in cælandis vaſis, Vett. luxuria luſerit, notum. Sic plane apud Theocritum in poculo piſcator expreſſus habetur & effigiatus:

> Τοῖς δὲ μέσα, χιτῶνι δὲ χέρσῳ, πίονα δὲ λευκὸν
> Λευρὸς, ἐφ' ᾧ πεπτῶσι, μέγα δὲ ἐν τοῖς βαθὺν ὕδωρ
> Ὁ πρεσβὺς, ... ἐκ ... [illegible]

Et in boletari picta Galatea, in veteri *Epigrammate* incerti Auctoris,

> *Ludere sueta vadis privato nympha natatu*
> *Externas mensas, membra venusta movens.*
> *Comptas nolo dapes, vacuum mihi pone boletar,*
> *Quod places, afficiam* &c.

apud Salmasium *Not. ad Pollionem.* Quid verò *boletar* sit, V. *suprà.*

Halimum, apud Plin. *lib.* 17. *cap* 24. *Necant invicem inter sese* (plantæ *umbrâ vel densitate atq; alimenti rapinâ necat & edera vinciens nec viscum prodest, & cytisus; necat viro, quod* Halimon *Græci vocant*: quid sit, et a multis olim disceptatum, eodem teste *lib.* 22 *cap* 22. Salmasio est *frutex Chali*, uti Arabes vocant, in Ægypto & Syria frequens, ex cujus cineribus, cum quodam silicum genere mixtis, pretiosa ac nitidissima crystallina conficiunt Veneti vitrarii. Crescit etiam in Narbonensi prov. ubi inde *Vitraria* dicitur: sicut cineres ejus inde, idem ferruminatos *soldam* vocant iidem. Latini *Ampulla iam* dixere, ob eandem causam, quod viz. ampullæ vitreæ fierent ex ea vel quòd ampullæ fractæ solidarentur eâ & malleharentur. Græcis Auctoribus κόμμαρος & κόμμαρον est, qui de ea mira prædicant: unde & Ἑρμοῦ βάσιν, & Ἡλίου στέφανον, item ἱερὸν κλάδον, *Mercurii basin, Solis coronam, Sacrum ramum*, illam passim nuncupant Scriptores Chymici. *Salis* enim *Chali*, seu *aluminis Catinæ*, quod idem cum solda Narbonensium, frequens illis usus est, præcipuè, in quibus ἡ πῆξις requiritur: eo Mercurium suum figunt, & ad argentum in aurum commutandum (qui *Sol* ipsis) utuntur &c. Certè herba Chali sapore salso est, unde & *Salsolam* eam Pandectarius vocat: ἅλιμος autem idem Græcè sonat: quam & ἁλιμωρίδα proin vocavit Menander *Trophonio.* Chali frutex est, in maritimis & juxta ripas aquarum salsarum nascens, cui folium pingue, spissum, læve, oblongum. Abstergentem vim habere, pannosque eo lavari, saponemque etiam præbere optimum, quinetiam mulieres eo uti, ad fucandam faciem & nitorem corpori conciliandum, Neoterici tradunt &c. Quæ omnia *halimo* Veterum conveniunt, inter cujus virtutes & hanc recenset Plinius: *præterea nitorem corpori fieri, dentibusq; candorem, si fricentur radice ejus.* Ut alia omittam, quæ Salmasius præfatus pluribus exequitur *ad Solinum pag.* 174. & 1096.

Halitæa, fons Ephesi, memoratur Plinio *lib.* 5. *cap.* 29. *Fons in urbe* Halitæa, *& templum Dianæ, complexi è diversis regionibus duo Selinuntes*: ubi vulgò *Callipia* legitur. Sed Ἀλιταίαν habet Pausanias. Ὑπέλαιον quoque dictum, ex Creophylo discas, quòd sub illa oliva flueret, quæ ibi ostendebatur, sub qua pausaverat primùm enixa Latona. V Salmasium ubi suprà, *pag.* 810. & 811.

Halitus, cujus reciprocatione cor animalis nativo igne æstuans refocillatur, inter præcipua Dei beneficia meritò reponitur Apostolo Actor. *cap* 17. *vers.* 25. *Deus dat omnibus vitam & halitum & omnia.* Hominis inprimis, cui peculiari ratione *insufflavit* Creator *in nares halitum vitæ*, dicitur Genes. *cap.* 2. *vers.* 7. metonymiâ etiam profanis Scriptoribus frequenti. Unde idololatricus plane is cultus, quo Russi Magnum suum Ducem venerantes, inter alia, quæ ei in accepti ferunt, *halitum* quoque numerant, ut vidimus. Cùm verò à dignitate suâ sponte descivisset homo, inter alia factum, ut *ejus tantùm* halitum *infici natura voluerit pluribus modis, & ciborum ac dentium vitiis, sed maximè senio* uti Plinius observat *lib.* 10. *cap* 53 agnoscens, quod miseriæ *hujus quoq; repertam pœnam esse, ut neq; id ipsum, quo vivitur, in vita juvaret.* Hinc remedia undecunque huic quoque malo quæsita. *Parthorumque* (quibus id vitii à juventa, propter indiscretos cibos, familiare est) *Proceres medentur grano Assyrii mali — in esculenta addito, Ibid.* Quemadmodum hodieque Indi suavitatem halitus malabathrum, seu *betre* suum continuè masticando sibi conciliant. Sed & jejunis sua graveolentia est, quæ sumto cibo emendatur. Significat eam Cæcilius Comicus apud Nonium, introducens maritum, uxoris parùm acceptæ odiosam comitatem & blanditias dedignantem,

> —— *Quis mihi*, inquit, *ubi*
> *Domum adveni, assedi, extemplo suavium*
> *Dat jejuna anima* ——

Vinosis præsertim, postridie crapulæ: cui proin pellendæ Fescenniacum trochiscos, ex aromatibus & pulvisculis odoratis confectos, jejuna sumsisset, neque verò remisisset fœtor, lepidè in eam jocatur Martialis *lib.* 1. *Epigr.* 88. ubi inter alia, rationem à contrario adducit,

> *Quid quòd olet graviùs mistum diapasmate virus*
> *Atq; duplex animæ longiùs exit odor?*

V. plura apud Plinium passim. Ut de cæteris animantibus unum hoc addam, *Animæ leonis virus grave, ursi pestilens, contacta halitu ejus nulla fera attingit — Elephantorum anima serpentes extrahit, cervorum item* &c. verbis ejusdem Plinii *loc. cit.* De *halitu* morientium ore charissimorum legi soluto, V. ubi de rebus ad hominis extrema pertinentibus; nec non infrà, *de Osculo*: de *halitu* verò in vocem formato, suo loco.

Halla, apud Recentiores, domus, domicilium, aula, sed propriè locus contectus *hallis*, i. ramalibus siccis (id enim vox *halla* notat in *L. Sal. tit.* 43 *§.* 3.) Maximè verò Francicis Scriptoribus sic dictæ sunt aulæ majores & publicæ, in quibus *Communia* congregantur, pro communibus negotiis, ubi etiam venum merces suas Mercatores exponunt. Rigordus *in Philippo Aug* A. C. 1183. *Duas magnas domos, quas vulgò* Halas *vocant, ædificari fecit, in quibus tempore pluviali omnes Mercatores mundissimè merces venderent, & in nocte, ab incursu latronum, tutè custodirent.* Nangius *eod. anno* &c. apud C. du Fresne *Glossar.* V. quoque in voce *Hallæ.*

Halla Saxonum, adde: Sedem ibi habet Augustus Joh. Georgii Elect. fratrum natu maximus Coadjutor Magdeburgicus, qui Archiepiscopus creatus à Canonicis, A. C. 1628. & introductus A. C. 1638. cum Leopoldo Wilhelmo Austriaco propterea litem habuit: cæterùm pace Pragensi A. C. 1635. & Osnabrugensi A. C. 1648. dignitas ei ad dies vitæ confirmata est. Unde inter Evangelicos Principes Primas, de Evangeliorum communi causâ hactenus bene mereri studuit. Idem Comitatum Barbiensem, ultimo Comite A.C. 1659. defuncto adivit, tituloq; adjecit. Heldrungam munivit: Gymnasium Augustum Weisenfelsæ instituit & ibidem arcem pulcherrimam extruxit: Pater ex Anna Maria Megapolitana, ductâ A.C. 1647. & defuncta A. C 1669. Johannis Adolfi (qui n. A. C. 1649. maritus est Johannæ Magdalenæ agnatæ, ex Altenburgicis) Augusti (n. 1650. qui Præpositus Magdeburgicus & Suecorum Chiliarcha, mortuus A C 1671. viduam reliquit Carolam Hassiacam) Christiani (qui n. 1651. Dux bellicus jam Imperio inservit) Henrici (n. 1657. qui Præpositus Magdeburgicus post fratrem factus est) Alberti (n. 1659.) præter filias Magdalenam Sibyllam (quæ n. 1648. Friderico agnato ex Gothanis nupsit) Annam Mariam (n. 1653.) Sophiam (n. 1654.) Catharinam (n. 1655. †. 1663.) Christinam (n. 1656.) Elisabetham (n. 1660. †. 1663.) & Dorotheam (n. 1662. †. 1663.) qui omnes *Duces Saxoniæ in Hall* &c. Phil. Jac. Spener. *Syll. Geneal. Hist.* & *Theatr. Part. I. p.* 162. Obiit autè Augustus præfatus Coadjutor Magdeburg. A. C. 1680. quo pacto, ad Serenissimum Electorem Brandeburgicum, vi Pacificationis Monasterio-Osnabrugensis, Hallæ aliorumque est delata successio. V. Phil. Jac. Spenerum *Sylloge Geneal. Histor. in Fam. Saxonica & Brandeburg.* nec non hîc infrà, in voce *Magdeburgum.*

Hallenses, monetæ minutioris genus, Germ. *Häller.* V. *Halla Sueviæ.*

Halma, una ex tribus Gaditanæ saltationis speciebus, cui à *saltu* nomen datum: hoc enim ἅλμα Græcis notat. J. C. Scaliger *Poet. lib.* 1. *cap.* 18.

Halsberga in *Testam.* Everhardi Ducis Forojul. apud Miræum *Cod. Donat. piar. cap.* 21. *Et helmum cum Halsberga*: *Habergeon* in *Statutis* Wilhelmi R. Scotiæ *cap.* 23. *§.* 2. Lorica est maculis contexta, Gallis *Cotte de mailles*, German. *Halsbergh*, id est, munimen colli, ex *hals*, collum, & *berghen*, tueri, custodire, Kilian. Sic λωρίκια μέχρι ἀστραγάλων ἀναστεμμένα διὰ λωρίων καὶ κρικελλίων, fuisse docet Leo in *Tactic.* *cap.* 5. *§.* 4. At Beslius etymon accersit, ab *al*, omnis & *berghen*, cooperire, ut *halsberga* fuerit armatura integra. V. du Fresne *Glossar.* Similiter & *Halsfang*, vox Saxon. occurrit in *LL.* Henrici I. R. Angl. *cap.* 11. in *LL.* Canuti §. 57. 67. & Edmundi §. 1. idemque notat, quod *Collistrigium* Latinis, vulgò *Pilorium.* Supplicii nempe machina est, quæ rei collum ex pegmate sublati, inter duas tabulas, comprehendit, populisque ad ignominiam exponit. Aliquando verò & ipsa mulcta pecuniaria, in commutationem pœnæ hujusmodi Regi vel Domino exsolvi solita, sic dicitur, Id.

Halter, apud Martialem *lib.* 7. *Epigr.* 67.

> —— *graveiq; drancis*
> Halteras *facili rotat lacerto.*

Et *lib.* 14. *Epigr.* 49. cujus lemma *Halteres.*

> *Quid percunt stulto fortes* haltere *lacerti?*
> *Exercet meliùs vinea fossa viros.*

Massa è plumbo est, ferro vel lapide, quibus in *saltu* sese olim librabant, in Gymnasiis Balneisque, ad sudorem excitandum. V. hic infrà.

Halteristæ dicti, qui *Halteribus* ludebant. Erant autem Ἁλτῆρες disco simile exercitationis genus, quod in palæstra actitari solitum scribit Galenus. Nam quòd duplex saltationis genus, seu exilitionis fuisse legimus; unum, quando saltantes vacuis manibus seipsos in sublime agebant: alterum, quando manibus pondúscula capiebant, ut illis firmati vehementius saltarent, quæ Aristoteles & Theophrastus ἁλτῆρας quoque nuncupavit: hi tamen multùm à prioribus erant diversi, ut legere est apud Oribasium *Cap. περὶ ἁλτηροβολίας* seu *Halteris jaculatione*, ubi inter alia docet, *Halteres* solitos fuisse projici, aut manibus extensis & vicissim inflexis: aut in manuum protensione, quæ quiescebant & ut plurimùm brevi motu movebantur, solùm contineri, ipsos verò, qui exercebantur, non secus ac pugiles introire & concutere, vel secundùm dorsi assensû manibus vicissim se flectere, consuevisse. Hinc etiam videmus, pondera istiusmodi, variis modis fuisse emota: perinde ac nostrâ ætate apud multos in usu habetur, qui lete-

ent-

exercent, aut lapidem vel ferreum vel plumbeum manibus ac brachiis extensis & circumactis in altum mittentes. Cujusmodi exercitationis formam exactè videre est, in imaginibus *Halterisiarum*, quas ex gemmis veteribus sculptis acceptas Ligorium ad se misisse, scribit Hieron. Mercurialis *de Arte Gymn. l.2. c.13. ubi icones expressæ*. Quales verò fuerint hi *Halteres*, Pausanias exponit *Eliac. l.5.* ... *Hi autem Halteres circuli oblongioris figuram habent, neque dimidio ad exactè sinum rotunditatem perveniunt. Ita verò facta earum est figura, ut manuum digiti tanquam per clypei ansam immittantur.* A quo paulo diversus Cœl. Aurelianus *Chro. l.4. c.2 Halteres* fuisse docet massulas quasdam, sive manipulos ex variis materiis modò levioribus modò gravioribus confectos, ea magnitudine, ut manu quilibet caperetur: qui, Mercurialis sententia, non tantùm solis manibus, verùm etiam funiculis halteribus ipsis circumdatis, deinde inter projiciendum explicatis emittebatur; perinde ac faciunt hisce temporibus multi qui sic aut rotulas ferreas, aut caseos, aut quid aliud simile projiciendo certant. An verò Ἁλτῆρες à Platone, inter cæteras ad fortitudinem militarem comparandam excogitatas exercitationes nominentur, explicatum non habetur. Videtur tamen *de L.L. lib.* 8. ubi de mulierum propriis exercitationibus scribit, verbis hisce, ... id voluisse, ut tum lapidibus à manibus, tum à fundis emissis inter se certarent. Nam & ἁλτῆρες aliquando lapides erant, quos è manibus exercitatores ejicere consueverant, ut adeò dissimile veri non sit, sub nomine lapidis manibus emissi ἁλτῆρα intellexisse Platonem. Veluti certum est, fundam ab *Halteribus* diversam, funiculum quendam fuisse, qui duobus capitibus manu capiebatur, altero cum ansula, ne exiret; altero sine, ut dimitti posset, atque in medio latior erat, ut ibi lapis contineretur, quem, circumacto validè funiculo, & ab uno capite dimisso, vehementer Funditores evibrabant &c. V. Hieron. Mercurial. *de Arte Gymn. l.2. c.12.* & suprà *suo loco*.

Hama, veterum Saxonum Numen, de quo Fabricius *in Saxonia sua*, ipsum Solem fuisse tradit. Fortè ab Hebr. חמה *chama*, i. *Sol*: unde *Ammonis* quoque vox orta videtur. V. Johan. Vossium *de orig. & progr. Idolol. lib. 2. cap. 11.*

Hama, Gr. ἄμη, *l. 3. de Officio Præf. Vigil.* alibique *in Pandectis*, recensetur inter instrumenta, quibus utebantur in restinguendis incendiis: quod etiam docet Juvenalis *Sat.* 14. V. suprà in voce *Ama*.

Hamartigenia, nomen libri, quem composuit Prudentius, apologiæ loco, contra Marcionem; cujus sectatores, quum Auctorem suum sequuti, duos Deos, bonum bonorum & malum malorum architectum assererent: Prudentius sententiam hanc refellens, veram mali originem hoc libro sibi proposuit exponere, quem proin ἁμαρτιγένειαν, h. e. *peccati generationem*, inscripsit. Macer *Hierolex*.

Hamberga, Comitatus Germaniæ, sub propriis olim Comitibus, quibus originem dedit Arnoldus, quintus & minimus natu filius VValravii Nassoviæ Comitis, ex Barbara Muntzenbergii Toparchæ filia. Is enim ducta in uxorem Demhildâ, Toparchæ Arenbergii filia, à feudo sive dote sponsali nomen posteris tradidit. Filius ejus Ludovicus arcem *Hambergensem* struxit, unde Comitum Hambergentium VVedriciorum origo: qui surculus jam arbori Nassoviæ agnatus est. Cyr. Lentulus, *Geneal. Princ. Nassov. MS.*

Hamed Ben Abdalla, contendentibus inter se de Africæ Imperio Sceriphiis, simulato Spiritu Prophetico, se à Deo missum actabat, pro liberanda ab eorum tyrannide Africa & Religionem Muhammedis tutandam: sicque rebellione contra illos excitatâ, regnis Fezæ & Maroci non contentus, *totius Africæ, omniumq; ad Chinam usq; regionum* sese appellavit *Regem*. Contra quem Mulei Sidan Marocci R. ducto exercitu arte Magicâ & incantationibus ab eo victus est; sed fraude intellectâ, receptis secum aliis Magis, iisdem artibus novum hunc Saracenorum Imperatorem superavit ac fluctuantem Sceriphiorum familiam, extincto æmulo, restituit, circa A. C 1612. Georgius Hornius *Orb. Imp. pag.* 478. ubi eum *Mulei Hamed Ben Abdalla vocat*.

Hamilcar, patre Carthaginensis, matre Syracusanâ, ob virtutem factus Carthaginensium Rex, h. e. Dux, post cladem suorum in Sicilia nusquam comparuit, etsi Gelo Syracusanus eum sedulò jusserit inquiri. Quare hinc factum, ut à suis in Deos referretur. Athenagoras *Legat. pro Christian.* V. quoque Herodotum *Musa* 7.

Hammanienses, pop. Africæ, de quorum situ ita Plinius *lib. 5. cap. 5. Post Nasamones Asbytæ & Macæ vivunt, ultra eos* Hammanientes *undecim dierum itin. à Syrtibus majoribus ad Occidentem*. Solino *Amantes* dicuntur, *cap.* 28. ad quem V. Salmasium *p.* 378. & 381. Vulgò *Hammanienses*, ut vidimus.

Hammochrysos Lapis, apud Solinum eundem *cap.* 37. ubi de lapidibus Persiæ, *arenis auro intermixtis, nunc bractearum, nunc pulveris habet quadrulas* i. parvas tessellas seu quadratos ... ab *arena* mixto *auro* dictus. Plin. *l.37. cap.11. Similitudo est in hammochryso, velut auro arenis mixto.* Sed quod de *quadrulis* habet Solinus, auctoritate destituitur, uti in Perside hanc reperiri gemmam, præter illum, nemo scribit. V. Salmasium ubi suprà *pag.* 712.

Hammodytes, serpentis genus *arenæ* concolor, unde ei nomen. Lucanus,

Concolor exustis, atque indiscretus arenis
Hammodytes —

Quamvis enim, *quod ad serpentes attinet, vulgatum est colorem ejus plerasque terræ habere, in qua occultantur*, ut ait Plinius *lib.8. cap.* 23. maximè tamen id de *hammodyte* verum; quem cum *cenchria* vel *cenchrine* eundem facit Salmasius *ad Solinum p.* 340. Sed de *ceraste* idem Diodorus habet *lib.3* ubi eum ... *arenam colore referre*, & proin ab imprudentibus calcari illosque remordere, quo pacto Æthiopiæ partem Ægypto subjectam prorsus olim id genus desolaverit, scribit. V. suprà ubi de *Ceraste*.

Hammolant vel *Hammelant*, nomen Comitatus memorati Nithardo *l.1.* & in *Annalibus* Bertinianis *ad A.C.* 837. uti & in iisdem *ad A.C.* 839. inter Ducatum Frisiæ & Comitatum Batavorum locati, quem postea Hollandiam dictum esse putat Hadr. Valesius. Nomen Germanicum est, compositum ex *ham*, quod vicum significat & *lant*, vel *land*, i. terra vel regio. V. eum *Not. Gall.* in voce *Moilla*.

Hammon, adde: Ejus effigiem post extinctam Cyrenis Battiadarum familiam, in Cyrenensium nummis, una cum Silphii caule sculpi cœpisse, diximus supr. in voce *Battus*. V. quoq; *Arietina Cornua*. Sed & *Hammonis cornu* gemma dicta, cujus Solinus meminit *cap.* 27. ubi de Africa & Cyrenaica reg. *illic & lapis legitur Hammonis vocant* cornu: *nam ita tortuosus est & inflexus, ut effigiem reddat cornu arietini. Fulgore aureo est. Prædivina somnia repræsentare dicitur, subjectus capiti incubantium.* Ad quem locum V. Salmasium *p.* 350. & *seqq.* ubi etiam de arbore *Hammoniacum* stillante varia.

Hamus, an ab ἅμμα, *ligamentum*, an ab ἀρπάζω, *rapio*, an potiùs ab Hebr. חח, ut censet Becmannus in *Originib. L. L.* notum piscibus capiendis instrumentum est: quo quòd non nisi ex auro uteretur Nero, inter argumenta luxus ejus jure reponitur. V. infra, ubi de Re *Piscatoria*. Imò & vulpes luposque *hamo* seu unco capi, dicemus ubi de *Vulpibus*. Sed & *hamus* in smaragdina Paschalini armilla, ab altero capitulo eminens, cujus iconem Bartholinus exhibet, idem præstitit, quod in aliis fibulæ, circulive, aut clavi, seu clotulæ, de qua re V. Thom. Bartholinum *Sched. de Armillis Vett. p.* 59. & 60. de *hamulis* Loricarum verò infrà.

Hanaperium, apud VVilh. Thorn in *Chron. Et 4. bacini in uno hanaperio*: vas amplum est, sive locus hanapis (quâ voce *vas, patera, calix, crater, in Glossar.* Ælfrici, apud Hariulfum *lib. 2. cap.* 10. alibi, venit) recondendis aptus. Præsertim verò apud Anglos sic dicitur Fiscus, vel sporta grandior, in Cancellaria Regis, cui inseruntur pecuniæ, ex sigillatione diplomatum, brevium, chartarum regiarum &c. provenientes, cui qui præest, *Clericus hanaperii* dicitur. Fortè, quia in Fisco olim hoc recondebantur *hanapi & scutræ*, cœteraque vasa, quæ in censum ac tributum persolvi solebant. Guibertus de *Vita sua lib 3. c.4. Magnus ille census monetæ Anglicæ, hanaporum & scutrarum, qui male collatus erat, brevi dilapidatus est.* Vel etiam, quia quæ in pecunia numerata Principibus quotannis exsolvebantur munera, *in hanapis* seu pateris præstabantur, uti monet du Fresne *ad Joinvillam pag.* 86. De quo more Symmachus *lib.* 10. *Epist.* 28. ubi de strenis annuis Imperatori oblatis: *Meritò vobis solemnes pateras cum quinis solidis, ut Numinibus integritatis, offerimus* &c. apud eundem du Fresne *Glossar.*

Hannibal Grimaldus, Com. Bobiensis, quòd se in clientelam Galliæ Regis dedisset, a Duce Sabaudiæ capite plexus, Comitatusque ejus in fiscum redactus est, A. C. 1617 Hornius *Orb. Polit. pag.* 242.

Hanok, clamor militaris, apud Anglos olim in usu, cujus mentio apud Nic. Uptonum *de Milit. offic. lib.* 4. ubi Statutum Henrici V. tempore guerræ exhibet, inter alia habens: *Item si quis clamorem vocatum* Hanok *aliquo modo sine nostra licentia inceperit, morte puniatur.* V. quoque suprà, *Clamor*.

Hanovia, adde: Memoria stirpis hujus à pluribus iam seculis inter VVetteravicos Comites floruit, neque conjugia alia fortunata fuere, quàm dignitati propriæ paria. Plurium prætereà deficientium insitione crevit, unde Muntzenbergicus, Rheineccius, Ziegenhainensis, (qui iterum è domo exiit) Liechtenbergius, Bipontinus, tituli. A. C. 1451 Reinhardus obiit, pater Reinhardi ac Philippi: quorum ille *Hanovicum* ramum propagavit, donec extremos ejus palmites, *Hanovicum* Philippus Ludovicus A. C. 1641. *Schvvarzenfelsium* Johannes Ernestus A. C. 1642. terminarent. Hic ab uxore Liechtenbergicum dominium

nium accepit, novæ lineæ auctor; cui ex Bipontina familia Bitschensis & Ochsenstenia (non sine controversia cum Leiningensibus VVesterburgicis) hæreditas accessit, atque demum ipsa Agnatorum successio. Præcipua posteritatis spes superest in sobole Joh. Reinhardi *in Bischoffsheim*, cujus Majores ita habent. Philippus Comes *Hanoviæ in Liechtenberg*, extinctus A. C. 1538. ex Sibylla fil. Christophori March. Badensis, pater fuit Philippi cognom. *Senioris*: qui defunctus A. C.1590. ex Eleonora Furstenbergia, reliquit Philippum cognom. *Juniorem*, qui obiit A. C. 1599. Hoc & Margareta Bipontina natus Johannes Reinhardus I. decessit A. C. 1627. successore filio, ex Maria Elisabetha Hohenloica, Philippo VVolffgango: qui (extinctus A.C.1641.) ex Johanna Oetingensi suscepit Fridericum Casimirum, Johannem Philippum & Johannem Reinhardum II. quorum hic ex Anna Magdalena Palatina suscepit Johannem Magdalenam, A. C.1660. Luisam Sophiam A.C.1662. Franciscam Albertinam A. C.1663. Philippum Reinhardum A. C. 1664. & Joh. Reinhardum A. C. 1665. omnes *Comites Hanoviæ* &c. *lineæ Liechtenbergicæ in Bischoffsheim*: defunctus A.C.1666. V. Phil. Jac. Spenerum *Theatr. Nobilit. Europ. p.* 156. *Parte I.* Idem ex illustrissima familia lineæ Schvvartzenfelsiæ, quam ramus Muntzenbergicus ex se dedit, mentionem facit *Part. II. p.* 116. & eorum, qui Muntzenbergici rami ultimi fuere, Majores notat, *Part. III. pag.* 56.

Hansgravius, in *Privilegiis* Ratisbonæ datis à Friderico II. A. C. 1230. *Cives potestatem habeant eligendi* Hansgravium, *qui disponat & ordinet extra civitatem & non intra, ea tantùm quæ respiciunt negotia nundinarum*: Comes est seu præfectus societatis vel confraternitatis, ex Germ. *Hanse*, societas & *Grave*, Comes, præfectus. V. Carol. du Fresne *in Glossario*, ut & in voce *Hansa*.

Hapala Ova, apud Marcellum Empiricum, *statim dare debes gentem & betam coctam vel alicam, vel ova* hapala, *vel ungellam discoctam*: item Apicium, ut observavit Turnebus. Unde *hapalar* & *apalar*, V, supra.

Haphe, V. infrà ubi de *Lucta*.

Hapiola, cognom Balduini Com. Flandriæ, filii Roberti II. in *Chronico* Andrensi *pag.* 409 qui Mejero & aliis *Securis* dicitur. Bellocampius proin *hapiolam* interpretatur vernaculè *hapiette*, seu *securiculam*, Gallicè *Hachette, potius Hache, in Histor. Merovingica*, apud du Fresne.

Hapsus, in 7. *libro* Celsi, *inducitur* hapsus *lanæ mollis, tepido oleo repletus*, inter Vett. periapta. Remedia enim, sive quæ Medici imperabant, sive quæ superstitio suadebat, vel ars Magica, persæpè lanæ involuta affectæ parti admovebant. Et quidem succum remedio futurum vel adhibebant *collectum floco*, ut Plinius ait: vel *lana hapso* utebantur &c. Casaubonus *ad Suetonium Galbâ cap.* 3.

Haracium, apud Vinc. Belvacensem *l.* 31. *c.*143.10. *millia equorum —— præter illos qui erant in pascuis & haraciis*, & *l.* 1. *Cod. Theod. de Grege Dominic. Greges dominici, haracia dominica*: grex equorum est, ἱπποφόρβιον Procopio *Vandalic. lib.* 1. *c.* 12. & *Goth. l.* 4 *c.*7. Gallis vulgò *Haras*. An ex Lat. *Hara*, stabulo vel grege porcorum: an ex Ital. *la Razza*, seu Gallico *la Race*, quòd in ejusmodi *Haraciis* equi, secundum ortus, generationis ac nationis speciem distinguantur. Nemesianus *in Cynegetico*,

—— —— Delectus equorum
Quos Phrygiæ matres Argæaque gramina pastæ
Semine Cappadocum sacris præsepibus edunt.

V. omnino Jac. Gothofredum, de gregibus dominicis Impp. *ad dict. tit.* Sed & Francici Reges sua habuisse *haracia* leguntur, in *Capitulari de Villis*, quod Carolo M. adscribitur: V. quoque Gregorium Turon. *lib.*8 *cap.*40. ubi *jumentorum fiscalium* meminit. Etiam Impp. CPolitani citerioris ævi, quibus præerat Magistratus, Λογοθέτης τῆς ἀγελῶν dictus, cujus, præter Codinum, meminit Pachymeres *lib.*9. *cap.* 5. &c. Aliud longè est *Harasse*, in *Assisis* Hierosolym. *MSS. cap* 94. ubi de armis agitur Militis, duello pedes decertantis, pro causa *murdri*: nempe scutum ingentis magnitudinis & ponderis; unde *harasser* Gallis hodie pro *fatigare*, quemadmodum *targer*, eadem fere notione, à *targia*, scuto itidem prægrandi, effictum est. Ingentium ejusmodi scutorum meminit Rigordus *A.C.* 1214. *Quidam de obsidione consueverat venire ad fossas, parma præunte, quam quidam famulus ante ipsum portabat, non manuali quidem parma, sed immensa, quales in obsidionibus deferri solent*, apud du Fresne *Glossar.*

Haraldus I. Rex Norveg. adde: *Harfagerus* seu *Comatus* cognominatus est, conditor regiæ *Harfagerorum* familiæ, quæ per 6. secula continua successione in Norvegia regnavit, donec extingueretur in Olao A. C. 1388. Georg Hornius *Orb. Imper. pag.* 357.

Hardeccia, Comitatus Germaniæ; qui titulus seculo decimo tertio in Mansfeldia familia, unà cum altero Burggraviorum Magdeburgensium, reperitur; quâ verò ratione ex illa migraverit, minùs compertum est. Post hæc tabulæ *Hardeccianæ* hodiernam familiam ex Dominis Prueschenckiis *de Suettenberg*, quorum sator Ulricus Annam Burggraviam Magdeburgicam atque Comitem *Hardecciæ* uxorem principio sec. 14. habuerit, descendere testantur: in quibus Henrico Comitatus in Comitiis VVormatiensibus concessus est, A. C.1494. unde deinceps nomen eorum in subscriptionibus Comitialium actorum reperitur & assignatus contributionis ad Imperii necessitates modus est, donec ab Austriacis eximerentur. Qui nunc supersunt, patrueles sunt, Julio & Philippo geniti: Philippus duas uxores habuit, & ex posteriore Eva Maria Sinzendorfia, suscepit Augustum (qui n. 1644. obiit Argentinæ 1665.) &c. . . Sororem ejus quorum progenitores sic habent. Stephanus *Prueschenck* Dn. in *Suettenberg*, ex Margaretha *de Reichenecke*, genuit Henricum Com ab *Hardeck*, qui Elisabethæ *de Rosenberg* maritus, filium habuit Julium, defunctum A. C. 1557. Hoc & Gertrude Eberstenia, genitus Henricus, uxorem habuit Annam Mariam de Turri, et ea pater Georgii Friderici: qui ex Sidonia *de Herberstein* Philippum præfatum suscepit. V. Phil. Jacobum Spenerum *Theatr. Nobil. Europ. Part. II. p.* 137.

Harderus Jo. Jacobus, Basil. Phil. & Med. D. Natus A. C. 1656. Patre Viro Amplissimo Jo. Conrado Hardero Archigrammateo & Scholarchâ, post multijugæ eruditionis, Medicæ præprimis, fundamenta domi forisque jacta, ad Professionem Rhetoricæ in Academia Patria vocatus A.C.1678. edidit anno seq. tractatus binos: *Prodromum* viz. *Physiologicum, de humoribus nutritioni & generationi dicatis*; cum *Examine Anatom. cochleæ terrestris Domiportæ*: Anno dehinc 1682. *Paonis & Pythagoræ Exercitationes Anatomico-Medicas*, S. R. I. Academiæ *Naturæ Curios.* (à cujus illustri Præside anno prçc. Collega solenniter fuerat renuntiatus, & *Paonis* agnomine insignitus) consecratas publici juris fecit: quas brevi, *vivo Θεῷ*, sequentur *Observationes Anatom. & Med. Curios. Admiranda* item *Cochlea terr. Domiportæ* cum *Limacologia*. Cæterùm cum Medicis celebratissimis Galliæ, Italiæ, Belgii, Germaniæ Helvetiæque literarium fovet commercium & haud pridem *Sereniss. Principi Badena-Durlacensi* dignus visus est, cui sanitatis curam concrederet &c.

Paona dum magni dixit me Cæsaris Argo,
Non quis sim, potiùs quem velit esse, docet.

Hardes, in *Charta* Gaufridi D. de Baucignies, fratris Ducis Brabantiæ, apud C. du Fresne, tortiles sunt ex virgultis laquei, Gallis *Hards* & *Harselles*, dicti: à qua voce indita resti ac laqueo, quo furciferi suspenduntur, appellatio, fortè quod ejusmodi tortilibus virgultis, ad majorem ignominiam eorum colla innecterentur iisque furcæ appenderentur: quod testatur VVippo de *Vita* Conradi Salici *pag.* 433. ubi de Romanis, qui seditionem commoverant, & jam ante *pag* 432. ubi de Ravennatibus &c. Sic Joanni Com. Hannoniæ, qui à fide defecerat, injunctum esse legimus, à Philippo Pulchro Gall. R. cujus vasallus, propter Comit. Austrevanti fuerat, ut in Curiam veniret, *pour amender à sa volonté; ayant un fil de soye entour son col, en guise de hart*, h. e. *filum sericum circa collum habens, laquei instar*, V. infrà in *Retorta*.

Harenam, seu *Herr nam* Michaëli Scoto *de Physionom.* unum est è XII. auguriis, de quibus in verbo *Vmæ*: *quando homo vel avis à dextro latere tui vadit in sinistrum, transiens post tergum tui & eam vides alicubi repausare: tunc est tibi malum signum super negotio.*

Harenarum Remedium, apud Suetonium *Augusto cap.* 80. *Coxendice & femore & crure sinistro non perinde valebat, ut sæpe etiam indeclaudicaret; sed* remedio harenarum *atque harundinum confirmabatur*; vel de fomentis calidis affectæ parti admotis, inter quæ *harenam* quoque Celsus numerat *lib.*2. vel de ambulatione in arena alta, capi potest, quam posteriorem sententiam plerique amplectuntur. Sed & de volutatione in *harena calida*, aut etiam littorali ac fluviali, locus intelligi potest. Sev. Sammonicus *cap. de Hydrope*,

Nec non & tepidis convolves corpus arenis.

Symmachus contra podagram eo remedio usus est, *l.* 8. *Epist.* 41. Multaque apud Græcos Medicos, Actium, Æginetam, alios, legas de ψαμμισμῷ & ψαμμώσεως. Palæstrico inprimis pulveri talem aliquam vim inesse credidit Lucanus, cum de fabuloso Antæo, ad hoc remedii genus alludens, canit *lib.* 4.

Auxilium membris calidas infudit harenas.

Imò etiam extra morbi necessitatem, Veteres, in exercendo corpore, volutasse se super *candente harena*, ut corpus ferendo calori assuefacerent, observant Eruditi; ex Laertio, ubi de *Diogene Cane*. V. Casaubonum *ad Suetonium d. l.* De *harena vero palæstrica* Plin. *l.* 36. *cap.* 23. uti de *harena, quâ marmora secantur*, &c. *eod. cap.* 6. Sed & ab *harena*, nomen gemmæ, serpenti, oraculo, uti vidimus in vocibus *Hammochrysos, Hammonytes*, *Hamm* &c. V quoque suprà *Arena*.

Harengarum piscatio & commercium, quod præcipuè Hollandorum est, ita se habet. Initio Junii mille & amplius naves majores emittunt, quas *Buysas* vel *Bussas* vocant, quarumve plurimæ 120. aliæ 100. 60. 50 &c. tonnarum, ut aiunt, sunt; impositis singulis 24 18. 16. hominibus, quibus olim 30. vel 40. naves bellicas defensionis ergò adjungebant, contra Ostendanos & Duynkerckanos: pacis verò tempore non nisi 4. vel 6.

ftius modi naves illos comitantur, ob metum piratarum. Sic instructæ hæ naves Hitlandiam versùs pergunt, & usque ad d. 14. Junii ibi subsistunt: Statuti enim loco inter piscatores observatur, ne ante diem illam retia projiciantur, quòd *Harengas* saliuræ citiùs haud aptas esse autument. Hinc porro piscationem ordiuntur, ac è regione Scotiæ ac Angliæ Yarmutham usque, hoc est, totis 200. milliaribus progrediuntur, quò circa Festum S. Bartholomæanum perveniunt & interjecto tempore bis vel ter etiam *Harengis* replentur, quas aliæ naves ipsis obviam venientes excipiunt atque ilico in destinatas regiones deferunt. Quas dein post festum præfatum in regione Yarmouthensi capiunt, cùm non amplius ad saliendum idoneas judicent vel domum avehunt, vel Anglis Yarmutham venientibus divendunt, unde *Harengæ* infumatæ fiunt. Lucrum, quod inde trahitur, ingens est, & singulæ harum navium una vice repletæ 2500. Imperiales lucrari creduntur, quod si bis aut ter fiat, tanto majorem efficiet summam. Unde non solùm Reipublicæ de necessariis prospicitur, sed & illi, qui Tutorum officio funguntur, orphanorum pecuniam, tanquam optimè collocandam, in Bussas e usmodi impendunt. De aliorum generum navibus minoribus, Pinckis, Galiottis & similibus, quarum 3000. & amplius eodem fine emitti solent, ut & aliis ad hoc commercium spectantibus V. Consilium Anonymi ad Ser. Regem Angliæ, *de incrementis Regni per capturam Harengarum, in Diario Europ. Continuat. 6. pag.* 388. ac Joh. Keymonii *Observationes de Piscatura Belgarum in Appendice ad Continuat. 16. Diarii Eur.* Quod enim Anglos attinet, illi itidem naves quidem emittunt, sed vix ultra quadringentas, quæ non nisi 7. hebdomadibus huic negotio vacant, & mense quidem Octobri ac Novembri, optimæ piscaturæ tempore jam elapso; Neque illi alto se committunt, sed littora legentes, cùm tempestas ingruit, in portus se recipiunt: cùm è contrario Belgæ totis 26. hebdomadibus & usque in finem Novembris ferè piscationi immorentur, nec adversæ tempestatis aut ullius alius periculi metu à proposito sese dimoveri patiantur. Proin ab Anglis res hæc non scriptis solùm, sed & ferro aliquoties ventilata, & ad promovendum piscationis successum singularia privilegia indulta sunt, d. 22. Aug. A. C. 1661. Imò jam Cromvelli tempore Belgæ intra decimum ab Anglia milliare piscari sunt prohibiti. Auctor Anonymus *Histor. orbis Terr. Geogr. & Civil. cap.* 10. *de Commerciis.* De eodem pisce, sic Vossius, *Harengus noster, piscis ut videtur Veteribus ignotus; ut quibus exigua maris Septentrionalis fuerit notitia —— quandoque tantum comitet ovorum, ut pontus æquet piscem ipsum —— Vulgò halecem nuncupant. Sed alius is piscis. Uti & mænis, quæ Persio mæna, uti & Plinio* &c. *de Orig. & Progress. Idol. l.* 4. *c.* 2. Idem de nomine ejus ita, *Harengi nostri ut bona quis satis prædicet! Vox ipsa est nova; sed fortasse ex Græco Τάριχος, quia sale conditur, unde* pekelharing *vocatur, quasi muriatum harengum di xeris. Solum injicit scrupulum, quòd piscis iste nec recens nec salitus, Romanis aut Græcis fuisse cognitus videtur, lib. eod. c.* 27. V. & suprà in voce *Bussa.*

Harimundus, apud Vopiscum, in *Epistola* Valeriani ad Aurelianum, in *Vita* hujus, idem cum *Fanimundo* vel *Faramundo* est, Salmasio *Not. ad l.*

Harlæus Christophorus, Præses Parlamenti Parisiensis, seculo præt. celeberrimus. Inter Dominos *de Harlay* primus legitur Stephanus, A C. 1250. cujus pronepoti Philiberto illam avitam Baroniam in Burgundia ademit Johannes Dux Burgundiæ, quòd Regi Franciæ adstitisset. Quare posteri, Domini *de Granvilliers, Nogent, Sancy* & *Cesy* dicti sunt: inter quos Ludovicus: superioris seculi principio, inter plures, filios tres habuit, totidem linearum auctores. A' Christophoro enim præfato, descendunt Comites *de Beaumont*: à Roberto, Domini *de Sancy* & Barones *de Montglas*; à Ludovico, Domini *de Chanvalon*, qui postea *Marchiones de Breval*, appellari meruerunt Et quidem Bellimontios Comites quod attinet, Christophorus aliquoties dictus *Dn. de Beaumont* (qui obiit 1572.) ex Catharina *du Val*, pater fuit Achillis *de Harlay*, Com. *de Beaumont*, cui ex Cathar. *de Thou* fil. Thuani Domini *de Bonneil*, natus Christophorus, decessit A. C. 1615. relicto, ex Anna *de Rabot d' Illins*, filio Achille, quo & Maria *de Bellievre* nati sunt Achilles & Magdalena *de Harlay.* V. Phil. Jac. Spenerum *Theatr. Nobil. Europ. Part. II. pag.* 104.

Harmenopulus Constantinus, Πανσέβαστος σεβαστὸς, νομοφύλαξ καὶ κριτὴς Θεσσαλονίκης, ut vocatur in titulo, qui præfigitur ejus *Epitome divin. Canonum*, h. e. *Sebastus*, *Nomophylax & Judex Thessalonicensis*, in utroque Jure versatissimus; floruit Seculo XII. Scripsit in Jure Civili Πρόχειρον νόμων, *Promptuarium Juris vel Legum*, quod A. C. 1556. edidit & Latinè vertit, Joannes Mercerus, postea Græcè & Latinè edidit, Dion. Gothofredus, cum paratitlis ad singulos titulos, variis lectionibus & nomenclatore Græcarum dictionum, A. C. 1577. Item Ἐπιτομὴν τῶν θείων καὶ ἱερῶν κανόνων, *Epitomen divinorum & sacrorum Canonum*, quam collegit ex Codice Canonum Ecclesiæ Orient. seu Synodorum Oecumenic. & Provincialium, item Patrum Græcorum Canonibus; in Tomum I. verò Juris Græco-Romani inseruit Joannes Leunclavius, publicatum Francofurti A. C. 1596. cum ejusdem Auctoris tr. de Sectis & vera Fidei Confessoribus Græcè & Latinè, à Marquardo Frehero edito. V. Gerh. van Mastricht *Histor. Juris Eccl. num.* 283. *& seqq.*

Harmiscara seu *Armiscara*, in *Capit.* VVormatiensi *A. C.* 829. *cap.* 1. alibique passim, gravior mulcta est, quæ à Principibus viris præsertim militaribus, atque adeò Magnatibus irrogari solebat; *sella* viz. vel *canis*, supra dorsum, per definitum spatium, *gestatio*, ut patet ex *Capitulari* Ludovici II. edito à Camillo Peregrino. Sic refert Innocentius III. *lib.* 13. *Epist.* 156. nobilem quendam Germanum, qui Subdiaconum quendam malè acceperat, ad hujusmodi compositionem cum eo devenisse, *ut —— cum ducentis militibus, à loco, in quo præfatum Subdiaconum captivaverat, usque ad civitatem Magdeburgensem & per omnes conventuales Ecclesias portaret opprobrium*, quod Harmiscare *vulgariter appellatur.* Cujusmodi Harmiscaræ, in Charta A. C. 1246. apud du Fresne, *Hachées* Gallicè, item *Processiones* vocantur; quòd solenni indicta processione Ecclesiastica à reis peragerentur: cujus moris exemplum idem du Fresne hoc profert, ex *Charta* A. C. 1196. *in Histor. MS. Remensi* Joannis Rogerii, ubi de Præposito Remensi, qui Canonicum Rem. malè tractaverat: *Item dictus Petrus —— chorum Remensem eundem processionaliter sequatur in camisia & brachis, capite, pedibus & tibiis denudatis, Remis, in duabus processionibus solennibus* &c. Ad vocis etymon pertinet, quod habet Brovverus *Annal. Tr. vir. lib.* 8. ubi ait, *scaram facere*, est *domino honesta jubenti servire & nuntium ejus, mandatum seu literas perferre.* Sic ergo vox composita fuerit, ex Germ. *arm*, i. *brachium* & *schara*, h.c. *deferre*, V. omnino Car. du Fresne. Aliter Amerbachius *Not. ad Cap. Car. M.*

Harmoge, Græcè ἁρμογὴ, commissura & transitus colorum, in Pictura. Plin. *lib.* 35 *cap.* 5. *Quibus coloribus singulis primi pinxissent —— diximus —— Tandem se ars ipsa distinxit & invenit lumen atque umbras, differentiâ colorum alternâ vice sese excitante. Deinde adjectus est splendor, alius hic quàm lumen: quem quia inter hoc & umbram esset, appellaverunt tonon: commissuras verò colorum & transitus, harmogen.*

Harmonia, Empedocli principium boni est, diciturque aliter *Amor* seu *Amicitia*, Plut. *de Iside & Osir.* Vide quoque infrà *Musica.*

Harmosta, Magistratus apud Lacedæmonios, qui extruendis arcibus & reficiendis urbibus præerant, Græcè Ἁρμοσταὶ, *aptatores* seu *Concinnatores.* V. Jo. Calvinum *Lexic. Jurid.* in hac voce, ut & voce *Episcopi*, item *Harmostes.*

Harmozon, prom. Carmaniæ, ad ipsas angustias Sinûs Persici, Gr. Ἁρμόζον, q. *conveniens* & *commodum.* Unde *Harmozei* pop. seu *Armozei*, Plin. *lib.* 6. *cap.* 25. *Promontorio Carmanis junguntur Armozei. Ibi portus Macedonum & aræ Alexandri in promontorio.* Item *Harmozusa* urbs, apud Ptolom. quam hodie volunt esse *Harmus* vel *Ormus*, manifesto nominis indicio. V. Salmasium *ad Solinum pag.* 1178. ut & in vocibus *Armozum, Armuzia* &c.

Haro, nomen illustris in Hispania Familiæ, quæ ex Dominis priscis Biscajæ deduci amat. Claruit inprimis sub Johanne II. Rege, Didacus Lopezius *de Haro* VIIII. hujus nominis, Domin. de Busto, cujus filius Johannes Alfonsus, nepos autem fuit Didacus Lopezius, Dn. *de Sorbas* & *Lobrin.* Huic ab uxore Beatrice *de Sotomayor* dominium *de Carpio*: hujusque nomine *Marchionis* titulus, ex filio Ludovico Mendezio, nepoti Didaco Lopezio *de Haro & Sotomayor* obtigit. A' quo reliqui Marchiones descendunt; & quamvis aliquoties successio in filias inciderit, retenta tamen est vel retracta Agnatorum matrimoniis Ludovici Mendezii *de Haro* & *Guzman* March. *del Carpio*, &c. nati A. C. 1618. progenitores sic habent. Didacus Lopezius *de Haro* Dn. *de Sorbas*, ex Beatrice fil. Ludov. Mendezii *de Sotomayor* Dn. *del Carpio*, filium habuit cognominem: quo, & Anna Guzmannia, natus itidem Didacus Lopezius *de Haro* & *Sotomayor*, Mariam sibi junxit *de Guzman*, ex ea Pater Ludovici: qui ducta Beatrice *de Haro & Sotomayor* March. *del Carpio* agnata, suscepit Didacum Lopezium March. *del Carpio*: cujus ex Francisca de *Guzman*, filius fuit præfatus Ludovicus Mendezius *de Haro* & *Guzman*, Marchio *del Carpio.* V. Phil. Jac. Spenerum ubi suprà *Part. II. p.* 96. Hic celebris est ille ἱερονικὴς & Minister Status in Regno Hispaniæ, cui Philippus IV. ob pacem A. C. 1660. feliciter ad Pyrenæos montes conclusam, cognomentum *della Paz*, ad posteros transmittendum, concessit: unde tituli ejus hi, *Ludovicus Mendez de Haro, Sotomayor, Guzman de la Paz, Marchio & dein Dux de Carpio, Comes Dux d' Olivarez, primus Minister Status*; qui cùm haud diu paci à se factæ superstes fuisset, reliquit ex Catharina Ferdinandina *de Cordua d' Aragon*, fil. Henrici D. de Cardona & Segorbia March *de Comares*, filium Casparum *de Haro Guzman Aragon de le Paz, Duc. de Carpio March. de Liche Com. Duc. d' Olivarez & S. Lucar*; cui uxor obtigit Antonia *de la Cerda de Medina Celi*, fil. Joh. Ludovici Ducis de *Medina Celi.* Idem *Parte III. pag.* 79. & *utrobique in Indic. ubi fam. dispositio.*

Haro, seu *Harou*, item *Clamor de Haro*, in Normannia potissimùm obtinet, & inclamari solet, dum crimen aliquod capitale *furtum, incendium,*

incendium, cædes &c. perpetratur. Tum enim ii, qui vocem audiunt, ad reum persequendum foràs exire tenentur eumque detinere, si pote est, ac Judicibus tradere: quod qui negligit, Principi aut Domino feudali, qui jus gladii habet, in cujus territorio crimen commissum est, *emendam* præstat. Unde jus habere dicitur clamoris *de Haron*, qui *altâ*, ut Galli aiunt, *justitiâ gaudet*. Sed & interdum usurpatur pro quovis clamore, in tumultibus excitari solito, apud Froissardum alibique. Origo ejus Rolloni, primo Neustriæ Duci, ascribitur, qui hoc primùm instituisse dicitur, ut nomen suum *Ha Roul*, inclamaretur ab iis primò, quibus vis illata erat, aut ab eorum affinibus ac cognatis, tanquam auxilium Ducis præsens implorantibus: postmodum etiam ab aliis, qui crimen aliquod capitale perpetrari vidissent &c. Vide Car. du Fresne in *Glossar.*

Harpa seu *Arpa*, instrumentum Musicum, cujus figura & forma *Delta* Græcorum efficit, sequioribus seculis notum, Germ. *Harpffe*, Gallis *Harpe*. Hanc à lyra distinguit Fortunatus *lib. 7. Carm. 8.*

Romanusq; lyrâ, plaudet tibi Barbarus harpâ,
Græcus Achilliacâ, Crotta Britanna canat.

Vossius verò *lib de Poematum cantu & viribus Rythmi p.* 118. illud fuisse instrumentum existimat, quo Bardi Gallorum olim uterentur Sacerdotes, quod lyræ non absimile fuisse, testatur Diod. Siculus. Sed & *Harpa* nomen avis, in quam Cleinidis Babylonii uxorem *Harpam* mutatam esse, unà cum *Harpaso* filio, in avem iridem cognominem, legas apud Ant. Liberalem, ex *Ornithogonia* Boei & Simmia Rhodio.

Harpago, in navibus, Anacharsidis inventum. Plinius *lib. 7. cap.* 56 *Rostra addidit Pisæus — Tyrrheni anchoram — Anacharsis* harpagonas: *& manus Pericles Atheniensis, adminicula gubernandi Typhis.* Cujusmodi *harpagones*, i. asseres ferreo unco præfixos, ex Punicis navibus in Romanas injectos, magno successu, habes apud Livium *l.30. c.* 10. V. & suprà *Hama.*

Harpastum, Gr. Ἁρπαστὸν, ex ἁρπάζω, *rapio*, quòd plures projectum conentur arripere extraque ludi limites ejicere: Pilæ genus grandé ac durum, ut Folle aliquanto minus, sic Paganicâ majus; ex corio vel etiam ligno, intus lanâ, pilis, aut lino stipatum. Hanc non in sublime, ut discum, sed in terram rotabant incredibili volubilitate, & solo repercussam *at the rebound*, ut Angli dicunt, raptant revocabant, unde illi nomen, ut diximus. Martialis *lib.4. Epigr.*19.

Seu lentum ceroma teris trepidumve trigona,
Sive Harpasta *manu pulverulenta rapis.*

Quo ludi genere qui se exercebant, instar reliquorum Athletarum subligacula induebant: teste eodem *Epigram. 66. lib. 7.*

Harpasto qu que subligata ludit.

Quod de ceromate dictum, de unguento gymnastico intelligendum est, non in *Harpasti* modò exercitatione, sed in omnibus aliis, adhiberi solito. Seneca *de brev. vit. c.* 12. *Qui in ceromate (nam proh facinus, ne Romanis quidem vitiis laboramus) spectator puerorum rixantium sedet.* Plin. *lib.* 35. *c.*12. *Plura de hac parte non sum dicturus, non Herentes magis, quàm de terra usu in ceromatis, quibus exercendo juventus nostra corpora vires animorum perdidit.* Juven. *Sat.* 6.

Endromidas Tyrias & fœmineum ceroma
Quis nescit?

V. Thom. Dempsterum *Paralipom, in Joh. Rosini Antiqq. Rom. lib.5. c.1.*

Harpe, ensis, adde: Eâdem Saturnus patrem Cœlum castrasse legitur, apud Hesiodum *in Theog.* Saturnum dein fil. Jupiter, idque in Insula Corcyra, quæ ideò *Harpe* quoque dicta. Sed & Nemesi *Harpen* tribuit Lycophron, reis infestam. Unde est, quòd Nonni *lib.*48. Diana Auræ irata, Nemesin in illam sic invocat,

Ἤ μιν ἀποξύνεις τεὸ χαλκείλατον ἅρπην.

Eam postea, unà cum Perseo, in cœlum inseruerunt Astronomi. Itaque apud Proclum, in Persei asterismo, quædam stellæ dicuntur καθεστηρίζουσιν ἅρπης, i. *ita disponi, ut harpes formam imitentur.* Non tamen tota in cœlum translata est. Argivis enim Mycenis ex ea nomen inditum, ut in *Alexipharmacis* tradit Nicander,

— — μύκης ὅτι κάππεσεν ἅρπης
Ἄκρον ὑπὲρ κρημνὸν Μελανθίδος.
capulus quòd decidit harpes
Super summum verticem Melanthidis:

unde à μύκης *Mycene*, Etymolog. &c. ξιφοδρέπανον autem *harpen* vocat Hesychius; λογχοδρέπανον Suidas; *hamatum ferrum*, Lucanus *l.* 9. cujus inventum Thracibus tribuit Clemens 1. *Strom.* potiùs à Phœnicibus Thraces accepere. Romani *ficam* dicebant: Fortasse κόπις & σάγαρις, apud Xenophontem *Cyropæd. lib.*2. ubi de Persarum armatura, idipsum fuit; neque diversa Laconum ξυήλη, cujus Hesychius meminit &c. Bochartus *Hierozoici Part. posteri. l.* V. *c.*15. An inde *Harpigeri*, apud Albertinum Mussatum *de Gestis Italicorum post Henricum VII. rubr.* 1. *Per latera distinctis* harpigeris, *lancearis, fundibulariis* &c.

Harpocration, adde: Horum Ælius, an Valerius, inter Præceptores Veri Imp. memoratur Capitolino.

Harpones, in vet. *Charta*, apud du Fresne, spicula ferrea 6. pedes longa, quibus balænæ configuntur: cujusmodi *harpones*, Gall. *harpons*, describuntur Cleiraco *ad LL. maris Oleron.* Hinc *Harponeurs* iisdem balænarum piscatores. Car. du Fresne *Glossar.*

Harpyia, adde: Fabulam istam nulli avium generi magis convenire sentit Vossius, quàm vespertilionibus Dariensibus in America; qui non modò gallos gallinasque, sed & canes felesque morsu interimunt, homines etiam infestant, sanguinem iis exugendo in maximum vitæ periculum conjiciunt, quando & nonnulli hinc tabe emortui, uti testis est Petrus Martyr *Ocean. lib.6. Decad.* 3. Sed hoc genus avium Veteribus ignotum fuit, qui Φυσικῶς per *Harpyias* intellexere ventos: *ideoque eas*, pellices Phinei Reges, quas aulâ expulere Calais & Zetes, Boreæ, h.e. Septentrionalis Reguli, ex Orythia apud Ilissum raptâ, filii, quorum sororem Cleopatram Phineus uxorem duxerat. *Cleopatram* autem vocant, Apollonius *Argonaut. lib.* 2. Apollodorus *de Diis lib.* 3. & Valerius Flaccus *Argonaut. lib.* 4. Sed *Cleobulam* appellant, Servius *ad Æneid. lib.3.* & Tzetzes *ad Lycophronem.* V. Gerh. Joh. Vossium *de Idolol. l.3. c.99.* *Sphinges*, cùm pennæ iis adduntur, *Harpyias* esse & exire, notat Petrus Bellonius *Observationum lib.* 2. *c.46.* V. Caspar. Barthium *Animadvers. ad Statium Theb. l.* 2. *v.* 522. & hic ubi de *Sphingibus* ac *Spinturniciis.*

Harrach, nomen illustris in Germania Familiæ; è qua primus ex Bohemia Austriæ immigrasse legitur, seculo decimo tertio Pribislaus. Cujus pronepos Bernhardus, Leonhardum & Johannem genuit, duarum linearum auctores: sed quæ à Johanne in *Goggitsch* descendebat, pridem defecit. Altera adhuc durat, Comitum axiomate illustris. Leonhardus enim Dn. *ab Harrach*, extinctus A. C. 1536. filium habuit ex Barbara *de Gonitz*, Leonhardum I. Bar. *ab Harrach*, qui obiit A. C. 1590. Pater ex Barbara *de Windisch-Graz* Leonhardi II. qui ex Maria Jacobe Zollerana, filiâ Caroli Com. *de Hohen Zollern*, Carolum suscepit Com. *ab Harrach*: quo, & Mariâ Elisabethâ *de Schrattenbach*, natus Carolus Leonhardus, fratrem habuit Ernestum Adelbertum, *Cardinalis ab Harrach* nomine celebrem, & ex Maria Francisca *ab Eggenberg*, filiâ Johannis Ulrici Principis, genuit Leonardum Ulricum, Leonoram (uxor. Nicolai Com. Palfi) & Teresiam. V. Phil. Jac. Spenerum *Theatr. Nobilit. Eur. Part. II. p.* 119.

Hart, nemus Germaniæ in Saxonia, de quo sic Henr. Rosla in *Herlingsberga*,

Saxoniæ nemus est viginti millibus & sex
Porrectum, dicis quod Teutona lingua vocat Hart,
Esse potest majus, sed non præstantius ullum
Silvis, sive feris: hoc autem dives habetur,
Quòd municipiis & pagis pullulat. Hart est
Hinc ideo dictum, quia durius omne, quod illud
Educat, est aliis.

Nempe Germanis vox *durum asperumq;* notat. Idem verò aliis quoque sylvis, in agro Raurico, Suntgoja &c. nomen, V. in voce *Jurassus.*

Hartenburgum, locus Germaniæ sup. sub proprio Comite, ex Familia Comitum Leiningensium. Emico enim Catharinæ Nassoviæ (à qua Sarvverdensis illi prætensio obrigit) maritus, qui obiit A. C. 1541. cùm varios haberet filios, eorum maximus natu Jo. Philippus I. *Hartenburgicam* lineam orsus est, minor verò Emico *Dagsburgico-Falckenburgici* rami auctor fuit. Obiit autem prior A. C. 1562. ex Anna Mansfeldia, pater Emiconis, qui decessit A. C. 1607. relicto ex Maria Elisabetha Palatina, Johanne Philippo II. extincto A. C. 1643. Quo & Elisabetha agnata, filiâ Emiconis demortui A. C. 1593. nati sunt Fridericus Emico *in Hartenburg* (n. A. C. 1621. maritus Sibyllæ VValdecciæ) & Joannes Philippus *in Bockenheim* seu *Emichsburg* A. C. 1622. † 1666. postquam primis nuptiis Agnetem VValdecciam, alteris Elisabetham Carolam Solmensem sibi junxisset.) E quibus Fridericus Emico, genuit Mariam Elisabetham A. C. 1648. Emiconem A. C. 1649. Christianam Magdalenam A. C. 1650. & Dorotheam Sibyllam A. C. 1652. *Comites Leiningenses & Dagsburgios &c. in Hartenburg*: Johannes verò Philippus, ex posteriore uxore, Mariam Magdalenam suscepit, A. C. 1659. Vide Phil. Jac. Spenerum *Theatro Nobilit. Europ. Part. I. p.*36. & 164. *item in Ind.*

Hartomundus, apud Vopiscum in *Aureliano*, ubi alii legunt *Harimundus*, quod vide.

Harthpenny, vox Saxon. ex *heord*, focus, & *pening* denarius, dictus est Denarius S. Petri, *in LL.* Edgari R. c. 4. quod singulis focis, h. e. domibus imponeretur. V. *Romescot.*

Harundo, coronamentum apud Poetas fluviorum: Hos enim ii jacentes, nudos, canâ barbâ, multumque promissâ, *μυρίκῃ ἢ καλάμῳ ἐστεφανωμένους, myricâ aut harundine coronatos*, fingebant, teste Dione Chrysostomo. Quâ ipsâ proin coronâ Tybrim donat Virgilius *Æn. lib.* 8.

—— *eum tenuis glauco velabat amictu*
Carbasus, & crines umbrosa tegebat arundo.

Item Mincium, *Æn lib.* 10. uti Calydonium amnem, Ovidius *Metam. l.* 9. Peucona, Val. Flaccus *Argonaut. l.* 6. alios alii. Sed & homines sæpe sic coronati. Et quidem Solibius Lacedæmonios, festis Promachiorum diebus, *arundine vernacula* redimiri solitos, tradit, apud Athenæum *libro* 15. Quo exemplo, Hispanos quosdam capite, cidare fundas junceas tres, memorat Strabo *lib.* 3. Arundine quoque juventutem Atticam, quæ Academiam frequentabat, cingi consuevisse, utpote coronamento tenui, nec exquisito, discas ex Aristophanis *in Nub.* hisce,

'Αλλ' εἰς 'Ακαδήμειαν κατιὼν, ὑπὸ ταῖς μορίαις ἀποθρέξεις
Στεφανωσάμενος καλάμῳ λευκῷ μετὰ σώφρονος ἡλικιώτου.

Inter Numina Gentilium, Dioscurorum hujusmodi corona propria credita est, etsi & Apollini gratam, propter arundines palustres lyris aptas, tradat idem Comicus *Ran.* V. Car. Paschalium *Coronar. lib.* 4. *cap.* 1. De *Harundinum* verò variis generibus earumque usibus aliis bello pacique, inprimis *in aucupiis, in domibus tegendis, in luxu, in navigando, in scribendo, in libris Veterum* &c. V. Plin. *lib.* 16. *c.* 27. & 36. Salmasium *ad Solinum*, & suprà passim, in vocibus *Arundo, Calamus, Canna.* Addam saltem verbum, de *Harundinum remedio*, ab Augusto in coxendicis ac cruris sinistri ægritudine adhibito, apud Suetonium, loco supra cit. ubi de *Harenarum remedio.* Quod quale fuerit, ne Medicis quidem præstantissimis notum; Casaubonus suspicatur, non aliud id fuisse, quàm cujus Cato meminit *cap.* 160. & ex illo Plinius *l.* 17. *cap.* 28. ubi ait: *Cùm a verti carmine grandines credant plerique: cujus verba inserere non equidem seriò ausim, quanquam à Catone prodita, contra luxata membra jungenda* harundinum *fissuræ* &c.

Haruspices, quibusdam *ab aris inspiciendis*, quasi *Araspices*, dicti; aliis hoc nomen habuere, quòd *exta* hostiarum *inspicerent.* Ab *harviga* nempe appellati, quæ erat propriè hostia, quâ aries mactabatur: 'Αρνα enim *arietem* appellarunt Græci, juxta Hesychium, unde & *aries* nomen accepit. Ab *harviga* itaque vel *harruga* dicti sunt *Haruspices*: illi enim, ut meminit Vitruvius, immolatis pecoribus inspiciebant exta, qualia sunt jecur, pulmo, ren, cor, præcordia, renes, an integra essent, nec ne vel ulla contaminata labe. Habuit vana disciplina hæc Hetruscos auctores, ut pluribus docet Peucerus *de Divinat.* V. quoque suprà in voce *Aruspex.*

Haspatici, uti legit du Fresne in *Miraculis* Eusebiæ Abbatissæ Hamatic. dicti sunt, qui *haspas* seu ostia effringebant, iidemque proin cum iis, quos *Directarios* Latini dixere. Vulgò habetur *Haspalici*; cujus loco mallet *Ravaltici* Henschenius, hoc enim vocabulo fæcem hominum undique collectorum vocant Flandri. V. du Fresne *Gloss.* & suprà ubi de *Directariis.*

Hassia, adde: Antiquissimis temporibus una cum Thuringia, cujus pars tunc censebatur, *Occidentalis Thuringia* dicta, *Reges* habuit, in Hermenfrido; *Duces* inde, in Burcardo, postea Henrico II. Imp. *Comites*, qui Aurelianenibus orti (è quibus Ludovici Barbati nepos *Landgravii* titulo, à socero Lothario Saxone Imp. ornatus) in Henrico Raspone, quem in Friderici II. odium Proceres Pontifici addicti Imperatorem renuntiaverant, extinctos A. C. 1247. Hinc nati inter Henricum Illustrem, Misniæ Marchionem, Juttæ (Henrici Rasponis soror erat) ex Theodorico filium & Sophiam Ludovico Henrici fratre prognatam Henrici Magnanimi Brabantiæ Ducis conjugem controversiâ, bellum aliquot annorum ortum, quod in hanc tandem pacem desiit, ut Brabantinis *Hassia*, Thuringia Misniensibus obveniret, easque ambas aliquando haberent, qui decedenti alterius stirpi mansissent superstites. adjectis de mutua defensione pactis, & receptis in successionem fæderisque communionem Brandeburgicis, qua de re V. plura infrà, in voce *Thuringia.* Titulus horum Principum hic est: *Landgravius Hassiæ, Princeps Hirsfeldiæ, Comes Cattimeliboci, Diezæ, Ziegenhaini, Niddæ, Schaumburgi, Isenburgi & Budingæ*, V. suis locis, & in hanc rem plura, apud Tob. Hannerum, *de præcipuis Germ. Princip. gentibus.*

Hasta, adde: Lucinæ, quæ Græcis Ilithyia & Ζυγία, Latinis Juno quoque & Opigena, vota non solum nuncupabant olim puerperæ, sed & *Hastas* consecrabant, publico vaccas nomine immolaturæ, quod in nummis ejus honori cusis apparet, ubi sæpe hæc Dea hastæ subnixa conspicitur. Idque olim voluit Plutarchus, *in Quæst. Roman.* "Ηρας, inquiens, ἱερὸν τὸ δόρυ νομίζεσθαι, καὶ τὰ ἀγάλματα αὐτῆς δόρατι στηρίζεται τὰ πλεῖστα, καὶ Κυρῖτις ἡ θεὸς ἐπωνόμασται, *Junoni sacra habetur hasta, & pleraque ejus statuæ hastâ nituntur, ipsaque dicitur Dea Quiritis.* Veteribus enim hasta *Quiris* dicta est. Unde etiam Juno passim *Quiris* ipsa appellatur, ut inter alia in inscriptione apud Gruterum *p.* 308. Et Mars *Quirinus*, cui hasta sacra fuit apud Romanos Sabinosque olim, Clem. Alexandrino ex Varrone teste. De hisce hastis A. Gellius *l.* 4. *c.* 6. Ut terram movisse, *nuntiari solet, eaque res procuratur: ita in veteribus memoriis scriptum legimus, nunciatum esse Senatui, in Sacrario, in Regia*, hastas Martias *movisse. Ejus rei causa Senatusconsultum factum est M. Antonio A. Postumio Coss.* &c.

In Nuptiis, *Hastæ* cuspide Sponsæ comam discriminatam fuisse, docet Plut. *in Qu. Rom.* Nimirum Celibaris hasta gladiatoris dicta est, quæ in capite mortui stetit, qua olim nova nupta simbrio prius coronata caput comere frontemque discriminare solebat, quod inde fortes se viros genituram ominaretur, aut quod Sponsi disciplinæ se obnoxiam fateretur. Ovidius,

Nec tibi quæ cupidæ matura videbere matri,
Comat virgineas hasta recurva comas.

V. Casparum Bartholinum *de Inauribus veterum.* In Foro defixa *Hasta*, Centumviralis judicii nota erat, unde ipsum hoc aliquando *Centumviralis hasta*, item *Prætoria*, ac *Decemviralis*, dictum est. In Bello *Hasta* in agrum hostilem conjectæ ritus, belli erat denuntiatio. Quo respexit Virgilius *lib.* 9.

En, ait, & jaculum intorquens immittit in auras,
Principium pugnæ.

Hanc *sanguineam* vocavit Livius, vel quòd è sanguineo frutice & ex arbore sanguinea, vel quòd cruenti coloris esset. Turnebus *Advers. lib.* 9. *cap.* 17. putat, eam, cujuscunq; demum ligni hastile haberet, sanguine fuisse cruentatam, ut cruentum atroxque bellum minaretur. Quò faciunt illa Ammiani Marcellini, de Persis Amidam obsidentibus *lib.* 19. *Vix ubi Grumbates hastam infectam sanguine patrio nostrique more conjecerat fecialis, armis exercitus concrepans involat in muros.* Servabatur autem illa in Templo Bellonæ Romæ & ab ipsis Imperatoribus in hosticum solebat ejici, postquam missa esset ante fanū Bellonæ. Festus, *Bellona dicebatur Dea bellorum, ante cujus templum erat columella, quæ Bellica dicebatur, supra quam hastam jaciebant, cùm bellum indicebatur.* V. quoque Xiphilinum ex *lib.* 71. Dionis Cassii de M. Antonio. Concluso dein bello suo loco reponebatur, Ovid. *Fastor. lib.* 6. V. Rob Valturium *de Militia R m. lib.* 1. *c.* 11. Blondum Flavium *Romanarum Antiqq.* primum ferè vindicem ante hæc duo ferè secula, Casp. Barthium ad Statium *Thebaid. l.* 6. *v.* 6. &c. Antiquissimis namque temporibus *hastis* præcipuè pugnatum esse, ex Homero habemus: quem in finem binas Heroes gestasse notat idem Barthius, *ad illud Statii Theb. l.* 4. *v.* 86. —— *gemino lucent hastilia ferro.*
Easque ingentes. Val Flaccus *lib.* 6. *v.* 435.

—— *ingentem campis hostilibus umbram*
Fert abies obnixa genu ——

V. de Thesei hasta, Papinium rursus *lib.* 12 *vers.* 731. Hinc iisdem innitebantur, Duce perorante. Claudianus *ell. Gildon.*

—— *stat circumfusa juventus,*
Nixa hastis, pronaq; ferox accommodat aures.

De quo statu militari, iterum Barthius pulchrè *ad Theb. lib.* 5 *v.* 19 Frigebant verò, in signum deditionis, quod apud Macedones in usu fuisse, sicut scuta capiti imposuere Romani, alii vittas, & ramos olivarum, præbuere, idem petituri, docet H. Grotius *de Jure Belli & Pacis l.* 3. *c.* 24. Inter præmia prom militaria *hastas* fuisse, legimus apud Tacitum *Annal. lib.* 3. ubi de Rufo Helvio, ab Apronio, *torquibus & hastis donato*: Et imperii militaris indices. *ad hastam*, sicut *ad habenam, ad nutum.* & similia, apud Ælianum. Sed & *Hastæ laureatæ*, aut Tabellæ laureatæ adhibebantur apud Romanos, à victoriarum & rerum secundarum nuntiis; pinnis verò signatas lanceas præferebant, cum adversa haberent nuntianda. V. infra in voce *Pinna*, & Salmasium *ad Æl. Lampridium in Alexandro Severo.* Ut nihil in præsens dicam de *Hasta*, in auctionibus, quarum signum erat, publicè defixæ, usu, unde non solùm pro ipsa auctione vox sæpius è sumta reperitur sed & hinc phrases ortum traxere, *sub hasta vendere, sub hasta subire, emere ab hasta*: neque de vallo, ex *hastis* obvectis, fieri solito, de quo Liv. *lib.* 36. *c.* 18. &c. Cæterum *hastis* optima fraxinus: *Præterea hæc ac teres, pennata & ipsa foliis; multumque Homeri præconio & Achillis hasta nobilitata*, Plin. *l.* 16. *c.* 13. Sed & ex corio hippopotami fiebant ξυστὰ κοντὰ, ut Herodotus vocat, h.e. *rasiles* vel *tornatiles hastæ.* Aristoteles δόρατα simpliciter habet, Plinius *hastas*: *Hippopotami corii crassitudo talis, ut inde tornentur hastæ.* Nam torno terebantur ac radebantur, quod qui faciebant, Δορυξόοι dicebantur, Salmasius *ad Solinum*, *pag.* 456. V. ubi de *Hippopotamo.* De inventione earum idem Plin. *lib.* 7. *cap.* 57. *Galeam, gladium, hastam Lacedæmonii invenerunt* —— *Hastas velitares Tyrrhenus* &c. De *hasta* verò Bacchi corymbis hederaque redimita, dicemus infra in voce *Thyrsus.*

Hasta, vestis Monachica, V. infra *Superpellicium.*

Hastator, officium in Francia Regum coquina, cujus memoria servatur in *Ordinat.* Hospitii S. Ludovici R. A. C. 1261. vulgò *Hasteur*, qui veru ad focum versat, Froissardus *Vol.* 1. *c.* 181.

Hastati, dicebantur in exercitu Romano, primi ordinis milites, qui armaturam Romanam ferebant. Erat autem illa primùm scutum, dein cum scuto ensis pendens ad dextrum femur, *Hispaniensis* dictus, anceps, mucrone eximio: ad hæc vertuta duo galea; ut ænea & crurum tegmen ocrea, cum *Hasta*, unde illis nomen. Iidem *Antesignani* dicti sunt, quòd ante signa, & quasi in eorum conspectu, pugnarent: quemadmodum Principes *Subsignani* & Triarii *Postsignani* dicti sunt. V. Lipsium *milit. Rom. l.* 2 *dial.* 3. Ordo incedendi hic erat: primùm Pilani seu Velites ibant, ex iis qui minimi ætate ac censu, eligi soliti. His adultiores

cultiores succedebant *Hastati*: quos ætate ac robore præstantiores excepere Principes; quibus tandem natu maximi & experientia cani successere Triarii, sic appellati, quòd in acie tertio ordine extremo subsidio deponebantur, Joh. Rosinus *Antiqq. Rom. lib.* 10. *c.* 9.

Hastingi, in *Charta* Guidonis Episc. Belvac. A. C. 1075. apud Loisellum, *Sed postmodum barbarorum incursione & impiorum, id est*, Hastingorum, *pervasione cuncta perdiderat*: Sunt Normanni Danique ab Hastingo Duce suo primario, quem natione Gallum ac in pago Trecassino ex infimo rusticorum genere ortum asserit Glaber Rodolfus *lib.*1.*c.*5. sic dicti. Simeon Dunelmensis, *Heastingenses* vocat, ad A. C. 1049. apud du Fresne *Glossar.*

Havana, adde: Portus hic *Americæ clavis*, & unicum potentiæ Hispanicæ in novo Orbe fundamentum est, inde tot arcibus & propugnaculis munitus, ut omnium judicio inexpugnabilis censeatur. Quidquid auri & argenti America mittit, illud omne portu hoc receptum, inde in Hispaniam defertur. Quæ causa, quòd qui classibus auriferis Hispanorum insidiantur, non nisi circa *Havanam* excubias agant, ut inter alia ab Hollandis factum, anno inprimis 1629. quo totam Hispanicam classem, portu hoc egressam, cum omnibus thesauris, quibus mirè saburrata erat, absque cæde & sanguine, momento quasi intercepetunt Georg. Hornius *Orb. Polit. part. I. cum Animadvers. Menckenii, pag.* 64. Inde autem, postquam ibi Hispanorum convenere naves, mense dein Septembri in Hispaniam solvunt, Autor Anonymus *Histor. Orbis Terr. Geogr. & Civ.*

Haud, id est, *lignum*, Arabibus absolutè dicitur aroma, quod ξυλαλόη vel ξυλαλοχία Græcis, cum agallocho seu xylaloe minime confundendum: de quo V. Salmasium *ad Solinum pag.*1054. & 1055.

Have, salutationis formula, crebra in *Constitutionibus* Impp. de qua V. Brissonium *de Formulis lib.*3. & suprà in voce *Ave*, item *Habe.*

Haveri, Officiales, in Civ. Bononiensi Italiæ. *Bullarium* Casin. *Tom. II. Constit.* 320. & 330.

Havila, Arabiæ pars margaritifera circa Catipham & Baharain, quam *Pison* alluit, h. e. ille Euphratis ramus, quem locorum αὐτόπτης Petrus Texeira, in sinum Persicum ferri ait, *en Catipha junto à Barhen*, id est, ad Catipham, prope Barhen, vel Baharain versùs, in quibus locis celebris illa margaritarum piscatio est, *Itinerar. ab India in Italiam p.* 73. V. Sam. Bochartum *Hieroz. parte poster. lib.V. cap.* 5.

Haustra, in *versu* Lucretiano:

Ut fluvios versare rotas atque haustra *videmus*:

modioli sunt, rotis aquam haurientibus & in summum referentibus, affixi. Nempe *haustoriæ machinæ*, apud Vett. vel rotis ac tympanis versabantur, hominibus calcantibus: atque hoc modo aqua è puteis extrahebatur, aut salinis affundenda, aut rigandis hortis aut ad alios quoscunque usus. Vel, citra hominum operam, ipsius fluminis impulsu, affixas circa earum frontes pinnas percutientis, circumagebantur ad eosdem usus. Atque has intelligit Lucretius: de quibus latiùs Vitruvius, *Circa earum frontes*, inquit, *affiguntur pinnæ, quæ cùm percutiuntur ab impetu fluminis, cogunt progredientes versari rotas, & ita modiolis aquam haurientes, & in summum referentes, sine operarum calcatura, ipsius fluminis impetu versatæ, præstant quod opus est ad usum.* Ab his modiolis seu *haustris* distinguenda ἀντλία Græcorum, seu *cadi*, qui propriè situli sunt, tollenonibus suspendi, aut trochleis per funes è puteo tolli soliti: *ancla* Latinis, V. infra in voce *Tolleno*, item ubi de *Trochleis*. Alia machina fuit, quâ Ægyptii aquam è Nilo *hauriebant*, agris rigandis: Κοχλίαν Græci, *Cochleam* Romani appellavere, cujus descriptionem ex eodem Vitruvio pete. Iisdem usibus inservit Ctesibiaca machina, eidem memorata, & ad aquam altissimè extollendam accommodata. *Pneumatica organa* vocat Plinius *lib.* 19. *cap.* 4. *Hortos —— riguos maximè habendos, si contingat profluo amne, si minus, è puteo pertica, organisque pneumaticis, vel tollenonum haustu.* Ad exhauriendam in navibus sentinam *Celones* adhibiti, V. suprà &c. Cùm vero sic irrigabantur horti, aquâ è puteis *hausta* & manibus infusa, βροχὴ propriè Græcis dicebatur, sicut ἄρδεια, quæ fiebat rivo inducto. V. Salmasium *ad Solin. p.*588. & 589.

Hautequerquii Comites, vide infrà ubi de Familia *Hornana.*

Heydeccia, seu *Heideccia* Familia, in Norico, Germaniæ provincia, illustris: ex qua memoratur vixisse Bernhardus A. C. 1292. VVilhelmus item & Georgius fratres *A. C.* 1360. quorum ille Herbrandum genuit, Friderici Patrem, cui uxor fuit Beatrix Dux Teciæ. Ultimus masculorum Spenero videtur Johannes, qui bello Smalcaldico VVirtenbergensium copiarum Dux fuit, V. Sleidanum *lib.*17. & Thuanum *lib.* 2. Hunc dein, licèt proscriptus esset à Cæsare, Mauritius Saxo Elector inter suos allegit; unde expeditionis in Cæsarem hic auctor habitus est, V. Thuanum *lib.*6. Filiam habuit is Mariam Dn. *de Heydeck*, quæ nupta Hieronymo Lib. Baroni *de Mærsberg* & *Befort*, obiit A. C. 1626. Ejus Majores sic habent. Fridericus præfatus L. B. *ab Heydeck*, ex Beatrice Duce, extinctâ A. C. 1410. reliquit Joannem, Annæ Hennebergicæ maritum & ex ea patrem Georgii: quo, & Anna Truchsessiâ, natus Johannes suprà memoratus, obiit A. C. 1553. ex Elisabetha Rappolstenia, pater Mariæ ultimæ suæ gentis. Ditiones hodie in Palatinæ Familiæ, aliquæ in Holcovitiorum, sunt potestate. Idem *Part. III. p.* 48. V. quoque cum *Arte Herald. Tom.II.*

Hazfeldia, Equestris in Germania Familia, inprimis à fratribus Francisco Herbipolitano & Bambergensi Episcopo, Melchiore Consiliario atque Campi Mareschallo & Hermanno, propagatore gentis, ad sublimiora evecta est, cùm Gleichensi titulo atque ita Comitum dignitate mactarentur. Progeniem eorum quod attinet, Godfridus *ab Hazfeld*, ex Maria seu Jutta *Wolfin à Peurbach*, pater fuit Georgii: quo, & Anna Steinbachia, genitus Godfridus, uxor. habuit Margaretham *à Seldam*, exque ea suscepit VVilhelmum, maritum Catharinæ *de Selbach in Crotdorff* & Patrem Sebastiani; cui Lucia *de Sickingen*, filia, neptis, proneptis Francisci, genuit Hermannum præfatum (cum fratribus) Comitem *in Hazfeld & Gleichen*, patrem ex Maria Catharina *de Daalburg*, Francisci, Melchioris, Henrici, Sebastiani, Luciæ (Christiano Com. *de Hohenloe* nuptæ) Mariæ (cui maritus Ludovicus Gustavus ex eadem Familia *de Hohenloe* obtigit) Catharinæ, Elisabethæ & Annæ. E quibus Henricus, junctâ sibi Catharinâ Elisabethâ *de Schanborn*, sobolem suscepit. V. Phil. Jac. Spenerum *Theatro præf. Part.II pag.*66. & *Part. III. p.*88. *ut & utrobique in Ind.* Plura V. hanc in rem, apud eundem *Arte Herald. Tom.II.*

HC.

HC. pro K. non semel occurit, præsertim in *Chartis* Longobardicis. *HCarolus* prò *Karolus*, apud Leonem Ostiensem, editum ab Angelo de Nuce; *HCalendæ*, pro *Kalendæ*, in *Epitaphio* Aligerni Abbatis Casin. apud du Fresne,

Conditur bis sepis ter ternis ritè HCalendis &c.

Sed in priori voce aliam rationem τοῦ H. reddunt alii, quam vide suprà. H. F. in notis antiquorum, significat, *Hic fundavit*, vel *honesta fœmina*, vel *fortuna* &c.

HE.

Hebdoma, Gr. Ἑβδόμη, festum erat publicum Athenis, septimo quoque die Lunæ celebrari solitum, in honorem Apollinis, cui dies ille sacer. Suidas, Ἡμέρας τινὰς ἐνομίζον Ἀθήνησι θεοῖς τισιν, οἷον νουμηνία καὶ Ἑβδόμη Ἀπόλλωνος. *Dies quosdam dicabant Athenis Diis nonnullis, ut Novilunium & Hebdoma Apollinis.* Factum id autem propterea volunt, quòd hic dies Apollinis haberetur natalis, ex Hesiodo Ἡμέραις,

—— —— καὶ ἑβδόμη, ἱερὸν ἦμαρ,
Τῇ γὰρ Ἀπόλλωνα χρυσάορα γείνατο Λητώ.
—— —— *Et Septima sacra dies est*,
Hac etenim Phœbum peperit Latona nitentem.

V. quoque Eustathium *ad Odyss.* ψ. Celebrabatur hoc festum ab Atheniensibus lauru cinctis canistrumque coronantibus, ac hymnum Deo canentibus, teste Proclo *in Hesiodi Dies*: Et tunc temporis convivia à juvenibus agitari fuisse solenne, colligere est ex A. Gellio *lib.* 15. *cap.* 2. cùm ait: *Is in conviviis juvenum, quæ agitare Athenis hebdomadibus Lunæ solenne nobis fuit.* &c.

Hebdomadarius, dicitur in Communione Rom. Monachus, qui suas in ministeriis monasticis vices per hebdomadem exsequitur: cujusmodi *Hebdomadarii* tot erant, quot officia in Monasteriis, ut colligitur ex Molano *de Canon. lib.* 2. *cap.* 15. ubi Thesaurarium in Ecclesia S. Petri Lovanii, eundem & Hebdomadarium, à trecentis annis & ampliùs fuisse, cui incumbat quotidie summum sacrum canere seu omnium horarum officium inchoare, licèt nomen ipsum indicet, hoc onus per hebdomadas solitum fuisse dividi, ait. V. infrà. Quibus omnibus qui præerat, ut singuli sua officia ritè exequerentur, *Archihebdomadarius* dictus est, Græcè Ἀρχιεβδομάριος, in Concilio CP. sub Menna *act.* 5. Cæterùm, ut super *Hebdomadarios*, priusquam septimanas suas ordirentur, ita &, cùm eas absolverant, orationes fundebantur, quarum Formulas habes inter *Opera* Alcuini *p.* 1194. Sed & *Hebdomadarii* vocabantur, qui per vices septimanatim ad cubiculum Imperatoris excubabant, V. Codinum *de Orig. CP. p.* 20. & Meursium in Ἑβδομάριοι, laudatos Carolo du Fresne *in Glossar.* necnon Cl. Suicerum *Thesaur. Eccl.* voce Ἑβδομαδάριοι, ubi *Coquum Monasterii* primitùs sic dictum; item Ἑβδομάριος, ubi Juvenes *hebdomadatim* cubiculum Imperatoris custodientes ita appellatos, hisque majores τοὺς Κενταρχίους sive Κουβικουλαρίους, ac supra hos τὸν Πριμικήριον τοῦ Κοιτῶνος, qui suberat τῷ Παρακοιμωμένῳ τοῦ Κοιτῶνος, fuisse, ex Meursio docet.

Hebdomadariorum in Eccl. Rom. genera varia.

Hebdomadarius Cantor, apud Udalricum *Consuet. Cluniac. lib.*2. *c.* 29.

Hebdomadarius Chori, cujus est *suâ hebdomade in Choro administrare officium*, apud Belet. *cap.*24.

Hebdomadar. Coquinæ, cujus est *coquinas purgare, scutellas lavare & ad coquorum necessaria*

via cursu pervolare, in *Vita* Adelberti Episc. Prag *cap* 13.

Hebdomadarius Defunctorum, qui horum curat officia, in *Statutis* Ord. Sempringham. *pag.* 73..

Hebdomadarius Invitatorii, cui invitatorium præcinendi munus commissum, apud Udalricum *loc. cit.*

Hebdomadarius Lector ad mensas, in *Regula* Magistri c.24.

Hebdomadarius majoris Missæ, apud Lanfrancum *cap.* 13.

Hebdomadarius Psalterii, in *Statut.* Ord. Sempringh. *p* 764.

Hebdomadarius sacri Altaris, in *Vita* Joan. Gorziæ Abbatis, &c. V. du Fresne *in Gloss.*

Hebdomas, Græcè Ἑβδομὰς, propriè septimus dies. Josephus de Essenis, Καὶ ταῖς ἑβδομάσιν ἔργων ἐφάπτεσθαι διαφορώτατα Ἰουδαίων· οὐ μόνον γὰρ τροφὰς ἑαυτοῖς πρὸ ἡμέρας μιᾶς παρασκευάζουσιν, ὡς μηδὲ πῦρ ἐναύοιεν ἐκείνῃ τῇ ἡμέρᾳ, κτλ. *Et singulis sabbathis ab opere abstinent religiosius reliquis Judæis; non enim solùm præcedente die cibos sibi præparant, ne ignem accendere cogantur eo die* &c. Sic τετρὰς, *quarta dies*, mensis, ἐνάτη, *nona*, & sic de reliquis. Postmodum recentiores de septenario dierum numero, quo septimana constat, vocem usurparunt, Salmasius *ad Solin. p.* 612. Fuit autem *Hebdomadum* observatio, qualis hodie obtinet, vix ante Theodosii tempora vulgò recepta: interim tale aliquid multo antè Græcos præsertim & Asiaticos, in functionibus vitæ quotidianæ, observasse constat. Quod quia imitatione Judæorum, qui jam tum per orbem sparsi erant, institutum est, etiam *Sabbathi* nomen retinuere multi. Certè Diogenes Grammaticus *disputare sabbatis Rhodi* consuevisse, legitur apud Suetonium *Tiberio* c.32. Septimo quoque die ferias pueris concedi in scholis solitas, tradit Lucianus *Pseudolog.* *Convivia juvenum hebdomadibus Lunæ Athenis agitari solenne fuisse*. Aul. Gellius *l.*15 *cap.* 2. *Sic exercitium septimi diei fuit omnium militum, ita ut sagittas mitterent & armis luderent*, apud Vulc. Gallicanum *in Avidio Cassio*: Alexander Sev. *septimo die Capitolium ascendit, Templa frequentavit*, apud Lampridium &c. Imo jam sua ætate adeo increbuisse septimi diei observationem, ex Judaico ritu; ut urbs nulla aut Græcorum aut Barbarorum fuerit, quæ cessationem ab opere diei septimi in suos mores non recepisset, scribit Joseph. *c. Appion. l.*2. Sed & ab intima antiquitate petendum *Hebdomadis* usum, & καθ' ἑβδομάδας *per hebdomades*, veteres Patres distinxisse temporum spatia, priusquam ratio computandi per menses & annos ab Astrologis fuisset inventa, (ut ait Georg Syncellus *Chronol. MS. in Bibl. R. Gall.*) Scriptores superiorum seculorum existimasse videmus, Joann. Philoponum, qui floruit sub annum Christi 600. *de Mundi creatione lib.*7 c.14. Theoph. Patr. Antiochenum, qui seculo, Josepho *antiq. Judai.* Scriptori proximo, scripsit, *lib.* 2. *ad Autolyc.* Alios: quibus adde Auctores, qui Planetarum VII nominum diebus *Hebdomadis* adjectionem ejusque observationem, ex intima itidem antiquitate petunt, qua de re V. supra in voce *Dies*. Dictum autem *Hebdomadis* ordo passim apud Vett. ejusmodi est, ut primus Soli tribuatur, postremus Saturno, cæteris intervenientibus, non aliter atque juxta morem hodiernum; seu ut Ausonio,

Cuncta supergrediens Saturni septima lux est,
Octavum instaurat revolubilis orbita Solem.

Ubi Solis diem *octavum, supremum & primum* pariter vocat; in octoade sc. ex repetitione factâ, est is tam supremus, quàm primus: uti etiam ex iis liquet, quæ ex Vettio Valente aliisque depromit Joan. Seldenus infrà laudandus. Nec obstat, quòd Nicolaus de Cusa Cardin. *in Reparat. Calendar. Septem*, inquit, *dierum numero apud omnes nomina revolvuntur, licèt de primo septimanæ die ac dierum nomine diversitas sit. Christianorum septimanæ initium est, à die Dominico, Græcorum & Alexandri à die Lunæ, Jesnargit* (Jesdegird) *à die Martis, Nabugodonosor à die Mercurii, Ethnicorum à die Jovis, Elhigera à die Veneris, Hebræorum à die Sabbati*: Dies enim, quos habet ille alios, velut pro variis septimanæ initiis, sunt dies Epocharum Chronologicarum, seu dies alii atque alii in septimana i. feriæ aliæ atque aliæ, à quibus anni solùm putantur, neque ad *orbis Hebdomadici* initium spectant, E. g. ubi ait, Septimanæ *Jesdegird*, id est, Persicæ initium esse a die Martis, id non aliter verum est, nisi intelligas, characterem annorum Persicorum a Regno Jesdegird, esse diem septimanæ tertium, interim septimanæ initio, etiam apud Persas in die Solis, non Martis, collocato, &c. V. præclara hanc in rem plurima, apud Seldenum præfatum, *de Jure N. & Gent. juxta Discipl. Ebræor. l.*3.*c.*11. *& seqq.* Præterea Casaubon *ad Suetonium d. l.* & infrà ubi de *Planetaria dierum ratione, Sabbatho, Septimo die* &c. Erat verò apud Hebræos olim *Hebdomas* vel *ordinaria*, dierum septem, Levit. *cap* 23. *v.*15. & Dan. *c.*10. *v.*3. vel *extraordinaria*, annorum septem, Levit. *c.*15. *v.* 8. & Dan. *c.*9. *v.*24. Apud eosdem *Hebdomadum festum* Pentecoste dicta est, Exod. *c.*34. *v.*22. eo quòd septem *hebdomades* a Paschate numerandæ essent: de quo V. infrà suo loco. Addam hic saltem strictim varias *Hebdomadum* appellationes, in Eccl. Rom. usitatas, ex C. du Fresne *in Glossar.* & Macris fratribus *in Hierol.* fusius de iis agentibus.

Hebdomadum in Eccl. Rom. appellationes variæ.

Hebdomada in Albis, quæ hebdomadem Paschalem & Dominicam in Albis subsequitur: incipit à Sabbato in Albis & terminatur Sabbato seq.

Hebdomada authentica, in *Charta* A. C. 1075. apud Puricellum, *in Monum. Ambrosianæ Basil.* V. *Hebdomada Major*.

Hebdomada Crucis, Germanis, quæ alias *Rogationum Hebdomas*, V. Macros.

Hebdomada de Excepto, dicitur in Ritu Ambrosiano, ultima hebdomas Adventus Macri *in Hierol.*

Hebdomada Expectationis, tertia septimana post Pascha, quæ sc. est post Ascensionē, quoniam repræsentat illud tempus, quo Apostoli expectaverunt adventum Spiritus S. apud Beletum c.130.

Hebdomada Indulgentiæ, dicitur *Hebdomas major*, quia *in ea pœnitentes absolvuntur*, Honorius Augustodun. *l.*3. *c.*72.

Hebdomada Major, alias *Authentica, Indulgentiæ, Pœnosa, Sancta, ultima hebdomas*, Gr. Ἑβδομὰς μεγάλη, V. *Hebdomas major*. Colitur hæc maximè ab Orientalibus Christianis, & Æthiopibus; apud quos præcipuè Nobiles totâ hâc hebdomade pullis induti vestibus, parum loquuntur ac rarò domo exeunt, Gonign. *lib.* 1 *c.*15.

Hebdomada Mediana, Quadragesimæ est quarta, in *Epist.* Pelagii Pontif.

Hebdomada Media jejuniorum Paschalium, apud Marcellin. Comitem Ἑβδομὰς, in Concil Chalcedon. *act.*11. μεσονήστιμος Joanni Chrysostomo, aliisque Græcis Scriptoribus est tertia Quadragesimæ hebdomas, juxta Latinos, quarta juxta Græcos, Allati *de Dominicis & Hebd. Græcor.*

Hebdomada Paschalis, Gr. Διακαινήσιμος, quæ festum Paschatis subsequitur & protenditur usque ad Sabbatum in Albis exclusive, apud Durandum *l.*6 *c.*81. *n.* 16.

Hebdomada Passionis, quæ Dominicam Palmarum præcedit, du Fresne *ad V. hebdomada*.

Hebdomada Pentecostes, Græcis τῆς ἁγίας Πεντηκοστῆς Ἑβδομὰς, ut est apud Morinum.

Hebdomada Pœnalis, Gallis *la Semaine peneuse*, quòd jejuniis & laboribus transigatur, illa est, qua Christus crucem subiit: eadem *Sancta* & *Ultima*, sc. *Quadragesimæ* V. suprà.

Hebdomas, apud Ausonium in *Mosella*, ubi insignes aliquot Architectos & Artifices recenset.

Forsan & insignes hominumque, operumque labores,
Hic habuit decimo celebrata volumine Marci
Hebdomas ——

nomen est operis celeberrimi, quod *Hebdomadum* libros inscripsit M. Varro: qui in illis imagines illustrium in quocunq; genere Artis virorum, subdito elogio versibus scripto, consignaverat. Salmasius *ad Solin. p* 818.

Hebdomas Major, adde: Gr. Ἑβδομὰς μεγάλη, vocatur hebdomas Passionis, in *Constitut.* quæ *Apostolicæ* dicuntur *l.*5.*c.* 33. de qua V. inprimis Chrysost. *Tom. V. Homil.* 58. quæ est *in* τὴν Μεγάλην Ἑβδομάδα, ubi appellationis caussas fusè indicat. Τῶν ἁγίων παθῶν Ἑβδομὰς, *sanctarum Passionum hebdomas*, vocatur in *Resp.* Timothei Alexandr. Σωτηρίων παθῶν Ἑβδομὰς, *salutiferæ passionis hebdomas* Alexandro, qui dicit, Constantinum M. lege sancivisse, ut ἄεργος, i. *feriata*, esset. Dies ejus σταυρωσίμους ἡμέρας, *crucifixioni adscriptos dies*, nuncupat Psellus *de operat. Dæmonum*. &c. apud Cl. Suicerum *Thesaur. Eccl.* voce Ἑβδομάς: ubi & *Hebdomadas apud Græcos à subsequente, non à præcedente* (quod apud Latinos fit) *Dominica nomen sortiri*, addit ex L. Allatio *de Dominicis & Hebdom. Græcor. num.*5 Idem de *Hebdomade*, Διακαινησίμῳ Græcis dictâ, quæ Festum Paschatis proximè sequitur, quamque feriatam idem Imperator esse voluit, varia egregia habet, voce Διακαινήσιμος, ut & Γονυκλισία. V. quoque infra, ubi de Vета in Sacris *Ingeniculatione*.

Hebenus, V. suprà *Ebenus*.

Hebion, V. *Ebion*.

Hebræi, adde: Nudis communiter incedebant capitibus nisi quòd tæniis quibusdam seu vittis fluentem cæsariem, extra luctus tempus, coercebant ac religabant. Erant autem illæ admodum angustæ, putà minimi digiti latitudine, & in modum coronæ capita cingebant, ad capillos circum tempora coercendos. Unde quia tempore luctus vel tondebatur coma, vel fluere sinebatur, dicebatur deponi corona. In mœrore verò, item ob defectum pluviæ diuturnum, operuisse capita leguntur. Jeremiæ c.14. *v.*3. *Etiam magnifici eorum emittent minimos suos ad aquas: venientes ad fossas non invenient aquas, revertuntur suis vasis vacuis, erubescent & pudore suffusi operient caput suum.* Idque arctè & validè appresso tegmine, quod non aliud erat, quàm pallium ad cervicem adhærens, quod condendo tum capiti adduxere. Observant tamen eruditi, illos cum alibi, tum maximè in templo orationi vacantes, velasse capita & caputiis fuisse tectos; imitatione Mosis, qui non audens aspicere contra Deum, ad rubi conspectum faciem suam abscondit, Exod. c.3 *v.*6. Proin Abulensis de variis capitis integumentis, quibus Sacerdotes olim usos fuisse conjicit, ex Exod. *c.*28 & 29 prolixè disputat. De cidari Pontificis, seu pileo, quo summus gentis Sacerdos tegi solebat V. Joseph. *Antiqq Judaic. l.* 3 *c.*8. Reliqua vestis pallium erat cum tunica, unde CHRISTUM nostrum Dominum, cum sectatoribus suis, palliatum fuisse more gentis docet Octav. Ferrarius,

contra illos, qui eos Tribonophoros fuisse contendunt. *Quòd si enim*, inquit, *Christus in tribonio incessisset, frustra milites super pannum ea, ut cententibus quidem bonis digna, fortem misissent*, V. cum *de re vest. part. 2. l. 4. c. 18.* Interius vestimenti genus tunica & interula fuit, unde de Tunica Christi inconsutili nota Historia Evangelica. Porro & nudis cruribus ac tibiis gens incessit, nec femoralium illis usus fuit, quod ex historia Noahi Genes. *c. 9.* patet: soli ea induere jubebantur Sacerdotes, cum per gradus ascenderent ad altare, Exodi *c. 20. v. ult.* & Ezech. *c. 44. v. 17.* Calceatos vero fuisse patet ex suprà laudato Exodi *cap. 3. versu ult.* ubi Deus ad Moisem æquo propius accedentem, *Extrahe*, inquit, *calceamenta tua, à pedibus tuis.* Plura de *Hebræorum* ritibus V. apud Th. Godvvyn. *libro, cui hic titulus, quem modò dixi*, ut & in hoc Opere *passim.* De Lingua eorum V. supra in voce *Ebraicè*, uti de Jejuniis suo loco.

Hebræum Castrum, unum ex duobus castris urbis Corinthi, arci Acrocorintho contiguis, quod sub Christianis Imperatoribus extructum, à Judæis, quibus ibi tum morari licuit, nomen nactum est. Vulgò *Ebreo-Castro.* Jam sub Turcarum potestate, cum tota regione, qui Corintho Judæos pepulerunt. V. Jac. Sponium *Itiner. Part. 2. p. 301.* Idem nomen hodie ruderibus veteris urbis Rhamnuntis est, in Attica, quam modò *Tauro-Castro*, modò *Ebræo Castro*, hodierni Græci appellant *ib. p. 315.*

Hecaerge, adde: Eadem cum Hecate, Vossio. Sicut enim Apollo Ἑκάεργος quasi ὁ τὰ ἑκάς εἰργαζόμενος, h. e. *vim suam in longè dissita exercens*, ut est apud Heraclidem Ponticum, sic Luna Ἑκαέργη, dicta est, quod & illa in longè dissita operetur. Et sanè Ἑκαέργην, utcunque virgo dicatur Hyperborea, non aliam primo, quàm Dianam sive Lunam, aliterque Λοξὼ vocitatam; innuit etiam Callimachus ejus Scholiastes *in Hymn. Dianæ, v. 204.* ubi hic: Οὖπις, inquit, ἐπίθετον Ἀρτέμιδος. ἢ παρὰ τὸ ἐπιβλέπειν τὰς τικτούσας. ἢ παρὰ τὴν θρέψασαν αὐτὴν Οὖπιν· ἢ διὰ τὰς Ὑπερβορέας κόρας, Οὖπιν, Ἑκαέργην, Λοξώ, ἃς ἐτίμησαν Ἀπόλλων καὶ Ἄρτεμις· καὶ ἀπὸ μιᾶς μὲν Οὖπις ἡ Ἄρτεμις. Λοξίας δὲ καὶ Ἑκάεργος ἐκ τῶν λοιπῶν ὁ Ἀπόλλων. *Opis epitheton est Dianæ: sive quia curam habeat parturientium: sive quòd Opis eam educaverit, sive propter virgines Hyperboreas, Opin, Hecaergen & Loxonem; quas honorarunt Apollo ac Diana, ac ab una quidem Diana assumsit nomen Opidis; ab aliis autem Apollo vocatur Loxias & Hecaergos.* Ubi Vossius mallet dixisset, ut Triviæ sive Dianæ custos dicta Opis, imo ipsa etiam Diana sic est cognominata; quod apertè Servius *Æneid. 11.* ut item à Loxone Apollo nuncupatus est *Loxias*: ita ab *Hecaerga* & Dianam *Hecaergam* & Apollinem vocatum *Hecaergum.* Sed de *Hecaerga* præterit, quia vix ea pro Hecate obtineret appellatio, at contra *Hecaergi* pro Apolline nomen Poetis frequens. Sic igitur colligit *Hecaergen* & Hecaten non solùm origine vocis convenire, namque & Hecate ab ἑκάς; sed eandem plane divam esse. Quod ipsum aliter etiam sic astruit. Siquidem Deliæ Virgines, quando nupturæ essent, dicabant comam detectam Opidi & *Hecaergæ*; ut est apud Pausaniam *in Atticis*, imo & Herodotum *in Melpomene.* Nam apud eum pro Ἄργην Ἑκαέργην legi debere, observatum jam diu doctissimo Leopardo *Emendat. lib. 10. c. 25.* At cui convenientius, quàm Dianæ, Virginitatis præsidi, valedicturæ virginitati suæ hunc honorem habitum ivissent? Et Athenis quoque pridie nuptiarum (προτέλεια dixere) virgines in honorem Dianæ, ad Deam placandam, canistra tulisse, similiter docet Theocriti Scholiastes *ad Idyll. 2.* Quare neutiquam dubitandum, quin Opis, *Hecaerga* & Loxo, diversa sint nomina uni eidemque Hecatæ sive Dianæ imposita, pro diverso effectu: ac *Opis* sit dicta, à cura puerperii: *Hecaerga*, quòd è longinquo operetur: *Loxo*, quod λοξῶς, i. *obliquè* per cœlum moveatur &c. V. Gerh. Joh. Vossium *de Orig. & progr. Idol. lib. 2. c. 29.*

Hecatæus Historicus, adde: Γενεαλογίας inter alia composuit, teste Stephano, apud quem citatur passim, ἐν πρώτῳ, ἐν τετάρτῳ γενεαλογιῶν. Historiam vero suam hoc modo exorsus est, Ἑκαταῖος Μιλήσιος ὧδε μυθεῖται· τάδε γράφω, ὥς μοι ἀληθέα δοκέει εἶναι. οἱ γὰρ Ἑλλήνων λόγοι πολλοί τε καὶ γελοῖοι, ὡς ἐμοὶ φαίνονται, εἰσί, apud Demetrium Phaler. *lib.* περὶ Ἑρμηνείας: quâ oratione nihil simplicius ac solutius: ita cola colis coacervata & temerè veluti sparsa jacent, nihilque habent, quo invicem aptè cohæreant & ad unguem juncta conniveant. V. de hoc genere scribendi antiquissimorum Scriptorum, Salmasium *ad Solinum pag. 846. & seqq.* ubi *Hecatæum* Protagorâ & Pherecyde Atheniensi antiquiorem, Eumelo verò recentiorem fuisse, inter alia, contendit.

Hecatæus, inter nobiles Toreutas, memoratur Plin. *lib. 33. c. 12.*

Hecate, adde. Huic, & Genetylli (quod Veneris cognomen) pro nascentibus olim vota fiebant, & canis immolabatur, non ob pariendi facilitatem, neque ob animalis sinceritatem, sed propter vigilantiæ omen, audaciæ insuper ac fœcunditatis, Th. Bartholin. *de Puerp. Vet.* Eidem periclitantes sacrificabant. Unde narrat Scholiastes Aristophanis *Pace*, Zerinthum antrum Thraciæ fuisse, quò confugere soliti, qui in magnis periculis versarentur, mox ubi *Hecatæ* & Corybantibus sacrificassent, fuerint liberati. Sed & nocturnis spectris & terriculamentis præesse credebatur, uti docet *ad Lycophronem* Jo. Meursius *p. 301.* Porro eam Τρίμορφον, quoque à Græcis Poëtis, & Τριγλήνην dictam esse, docet et Athenæus *l. 8.* prioris filius Gaspar *l. de Inauribus vet.* ubi τρίγληνον asserit commodè exponi *Tribacciam*, vel *Tribacam*; itaenim apud Petronium Arbitrum legit:

> *Quo margarita cara, Tribaca, Indica?*
> *An ut matrona ornata phaleris pelagii*
> *Tollat pedes?*

Significat autem vox illi margaritam, quæ tribus bacis unionibusque inauri insertis constabat: quippe binos ternosque elenchos aurea bracteâ conjunctos auribusque suspensos, idem *ad lib.* notat. Et quidem *Hecates*, cognomento τρίμορφος, statua, ab Alcamene facta, Athenis erat, prope simulachrum Victoriæ alis privatæ, teste Jo. Meursio ubi suprà. Alterius meminit Plin. *lib. 36. cap. 5.* Ephesi, in templo Dianæ, post ædem, *in cujus contemplatione*, ait, *admonent æditui parcere oculis, tanta marmoris radiatio est.* Hodieque conspicitur Ephesi, in muro arcis ex lapide *caput* sculptum, ad cujus latus serpens, ad alterum arcus est, quo *Hecatem triformem*, & quidem *capite* Lunam, *serpente* Proserpinam, *arcuque* Dianam, indigitari, judicat Jac. Sponius *Itiner. VII. Eccl.* in descr. Ephesi. Non esse tamen semper idem Numen cum Diana & Proserpina, ostendit Th. Dempsterus, ex Hesiodo *in Theog.* interdum enim *Hecate* tantùm animarum præses fuit. Luct. Placid. *ad vers. 481. lib. 4. Theb. Hecate*, inquit, *& Mercurius pias animas ducunt, nocentes Tisiphone.* Illi divites olim singulis mensibus epulas parabant magnificas, quibus pauperes vescerentur, ut patet ex Schol. Aristophanis in *Pluto*, V. Franc. Rossæo *in Archæol. Attica* &c. Græcorum enim hæc Dea fuit, annotante Joh. Rosinum *Antiqq. Rom. lib. 2. cap. 19.* Ut de Fanis ejus coronamentique genere, quo cingi idolum hoc solebat, verbum addam; in antris secretisque locis fana ejus erant, ut ex prædictis liquet. Sic in Colcho, ubi *secreta antra* Papinius, *Thebaid. lib. 6 vers. 739.* magnas solitudines, Plinius *lib. 6. cap. 10.* memorant, celebre Fanum, seu Ara Hecatæ fuerunt. Ovidius *Metamorph. lib. 7.*

> *Ibat ad antiquas* Hecates *Perseidos aras,*
> *Quas nemus umbrosum secretaq; sylva tegebat.*

Quia verò Numen subterraneum fuit, eam antiquitas, præter draconem, coronavit ramo quercino, inquit Scholiastes Apollonii Rhodii *lib. 3.* At Sophocles ἐν Ῥιζοτόμοις id tribuit *Hecatæ* ἐνοδίᾳ, *compitali*, cujus statua τρικέφαλος in triviis locabatur, quæque proin terrestris & sensibilis erat, juxta divisionem Deorum Artemidoro traditam *l. 2. c. 35.* Sed & χθονίᾳ *Hecatæ*, quam furiis ac dæmonibus aggregabant, idem ornatus fuit: in quo quercum umbras seu tenebras, in quibus degeret, signasse, docet Car. Paschalius *Coronarum lib. 7. c. 12.* &c. Hinc *Hecatæi Idus*, apud Statium *l. 3. Sylv. 1.* quòd hic dies Dianæ sacer adeoque à venationibus feriatus esset, uti observavit Hadr. Turnebus *Adverss. l. 7. c. 26.* *Hecatæia sacra*, apud Cor. Gallum in *Ciri*, quæ *Lethæa* eidem Statio *Theb. 4. v. 414.* aliis *Magica*, mortuis excitandis instituta: Ἑκάτης ἀγάλματα, apud Hesychium, canes; de quo epitheto, ut & plura de hoc cæcæ Gentilitatis spectro, V. apud Jo. Meursium *ad Lycophronis illud* τὸν τριμόρφου θεᾶς, *pag. 216.* Casp. Barthium *Animadversion. ad Statium passim*, inprimis *Superstitionum Commentario*, Vossium *de Idolol. lib. 1. c. 39.* ubi, inter alia, pluscula de trigla seu mullo ei sacro, Aliosinnumeros Μυθολογικῶν Auctores.

Hecatombæus, adde: Et festa sacra *Hecatombæa*, Kal. Jun. Athenis celebrari solita, memorantur Beuthero apud Theod. Zuingerum *Theatro V. Hum. pag. 4031. a.*

Hecatombe, adde: At, *si Imperatorium sacrificium esset, centum leones, centum aquilæ, & cætera hujusmodi animalia feriebantur*, Iul. Capitolin. *in Maximo & Balbino.* Sed & *Hecatombe* dicta, sacrificium octoginta unius boum, quos Nestor immolavit, cùm Telemachum hospitio excepisset, *Odyss. γ.* quòd hic numerus satis ingens & à centenario prope abesset, Eustath. *ad l.* ubi & de simili sacrificio Cononis, postquam circa Cnidum navalem victoriam reportasset. Idem *Chiliombe*, quæ mille victimis constabat, ab Atheniensibus, victore Miltiade, mense Thargelione, sacrificatæ meminit *Ibid.* Plura de ratione *Hecatombarum*, ex Scholiastis Græcis aliisque, etiam Christianis Scriptoribus V. apud Casp. Barthium in *Commentariis Superstitionum.* Ad convivia è Sacris illarum usum transtulit Paphlagoniæ quidam Rex luxu insignis, qui, ad imitationem sacrificii hujusmodi, Diis, ob ingentia beneficia, offerri superstitione veteri ævi soliti, omnibus centenis in convivio apponi jussis, à bobus unde sacrificio nomen, incipiendo, suo ventri non simplicem hecatombam sacrificasse legitur, apud eund. Eustath. *ad Odyss. α.*

Hecatompedon, apud Harpocrationem & Suidam, dictum est templum Minervæ in arce Athenarum, quæ ἑκατόμπεδον appellata, non tam à pulchritudine ac symmetria, ut Scriptores hi volunt, quàm à *centum pedum longitudine*, ut docet Jac. Sponius, qui illud pluribus describit *Itiner. Parte 2. pag. 142. & seqq.* ubi & iconismum ejus exhibet. *Parthenona* appellat Pausanias, utpote ædem Semper-virgini dicatam: qualem Minervam suam finxisse Gentiles, notum.

Hecatompylos, urbs in Parthia, adde: Caput Parthiæ, Plin. *l. 6. cap.*

6. *cap.* 15. à quo ad Caſpias Portas ſtadia mille nongenta & ſexaginta, ad Alexandriam verò ἐν Ἀρείοις, quatuor millia quingenta triginta, numerat, *Ibid.* V. Salmaſium *ad Solinum p.* 971.

Hecatontarchus, Græcè Ἑκατόνταρχος, h. e. *Centurio*; qua voce uſus eſt Balſamon in *Can.* 6. *in Trull.* ad denotandos Senes quosdam, qui in Diabolicis artibus alios inſtruebant, quosque *Primicerios* quoque & *Pſeudotheos*, h. e. *Deos mendaces*, appellat, apud Dominic. Macrum *in Hierolexico.*

Hechingum, adde: Vulgo *Hechingen.* Idem Illuſtri Familiæ nomen, quæ Zollerenſis ſtirpis ramus eſt. Inter filios enim Caroli Com. *de Zolleren* ſeu *Hohenzollern*, qui communis omnium, quotquot hodie in illa familia vivunt, ſator, obiit A. C. 1576. Eitelfridericus major natu, *Hechingenſem*, in qua primus Principale axioma obtinuit ipſius filius Johannes Georgius: Carolus verò ſecundogenitus *Sigmaringenſem* ramum ex ſe dedit; qui nunc eadem dignitate gaudet. Et quidem *Hechingenſis* lineæ quod attinet γενεαλογίαν, Eitelfridericus Com. *de Hohenzollern*, extinctus A. C. 1512. filium habuit, ex Magdalena Brandeburgica (Friderici fil.) Eitelfridericum; qui deceſſit A. C. 1525. Pater ex Johanna *de Borſel* (fil. Henrici *de Borſel* Com. *de Puchen & Grandpré*) Caroli ſenioris, defuncti A. C. 1576. Hoc & Annâ Badenſi (filia Erneſti March. Badenſis *in Pfortzheim*) genitus Eitelfridericus, obiit A. C. 1604. ſuperſtite filio, ex conjugio Sibyllæ Zimmerenſis, Johanne Georgio, qui Principali axiomate primus in ſua familia decoratus eſt. Huic genuit Franciſca Rheing-avia (fil. Friderici Com. Sylvarum & Rheni) Eitelfridericum (qui, maritus Mariæ fil. Henrici Com. *de Berg*, obiit A. C. 1661.) Georgium Fridericum (defunctum . . . .) Leopoldum Fridericum († . . . .) Philippum (cui nupſit Maria Sidonia Marchio Badenſis) Sibyllam (uxorem Erneſti Com. *de Marck*) Annam Mariam (uxorem Egonis Com. Furſtenbergici) Catharinam Urſulam (nuptam Wilhelmo March. Badenſi) Franciſcam (uxor. Jacobi Annib. Com. *ab Emps*) Mariam Renatam (uxor. Hugonis Com. Königseccii) Maximilianam (cui Joh. Fridericus Com. Trautſon maritus obtigit) & Mariam Annam (uxor. Com. Iſenburgici) *Principes omnes & Comites de Hohenzollern &c. in Hechingen.* Phil. Jac. Spenerus *Theatr. Nobilit. Europ. Part. I. pag.* 154. V. quoque ubi de Fam. *Zollerana.*

Hector, Priami fil. adde: Ilienſibus cultum olim eſſe, unà cum Helena, Athenagoras ait *Legat. pro Chriſt.* Ὁ μὲν Ἰλιεὺς θεὸν Ἕκτορα λέγει καὶ τὴν Ἑλένην Ἀδράστειαν ἐπιστάμενος προσκυνεῖ, *Ilienſes Deum* Hectorem *prædicant & Helenam, velut Adraſtiam, ſcientes adorant.* Atque idem de *Hectore* tradit Clemens Rom *Recognition. lib.* 10. V. Gerh. Joh. Voſſium *de orig. & progr. Idolol. lib.* 1. *cap.* 21. Sed & Hectoris lucum, in agro Thebano, memorat Strabo *lib.* 13. in loco, qui Διὸς γοναί dicebatur, quòd ibi natus à quibusdam crederetur Jupiter. Huc enim ex oraculo oſſa *Hectoris* è Phrygia transportata eſſe, in remedium variarum calamitatum, Thebanis (qui ſoli Bœotorũ ad Ilium non militaverant, teſte Artemidoro *lib.* 4. *cap.* 65.) incumbentium, tradit Scholiaſtes Homeri *ad Il.* ν. Ceterùm quæ de duobus his Heroibus Dio Chryſoſtomus in *Troica* narrat, veriſimiliora Homericis figmentis habent Eruditi. Fuerunt autem ii inter ſe ſimiles admodum, fato & virtute, ut & proſapiâ; qua de re feſtivam narrationem reperies, apud Aphthonium Sophiſtam. V. Caſp. Barthium *Animadverſion. ad Statium Tom. III. pag.* 1680. De *Hectorea* verò *tonſura*, memorata Anaxilao, apud Pollucem verſu,

Τὴν ἑκτορείαν ἔχω κόμην,

V. Euſtathium *Il.* ψ. Heſychium, Meurſium *ad Lycophronem* &c.

Hedera, an ab *hærendo*, miræ enim tenacitatis eſt, an quòd *edita* petat, an quod *edat* parietes, dicta? celebre olim Bacchi coronamentum fuit. Plin. *lib.* 16. *cap.* 34. *Dicitur — Alexandrum ob varietatem ita coronato exercitu, victorem ex India rediiſſe, exemplo Liberi patris: cujus Dei & nunc adornat thyrſos, galeasq́; etiam & ſcuta, in Thraciæ populis, in ſolennibus ſacris.* Nempe is vino oppoſuit *hederam*, & ex ea coronam plectere docuit, Plut. *Sympoſ.* 3. Unde in convivia idem coronæ genus tranſiit, & pocula inde ſumta, de quibus ſupra aliquid diximus, in voce *Ciſſybium.* Alii tamen Baccho placuiſſe *hederam* volunt, quòd illa vini vice fungitur, & *abſq; vino inebriat*, ἄνευ οἴνου ποιεῖ μέθην, ut idem Plut. ait *Sympoſ.* *Rom.* Certè *hedera* & *vitis* ſociatæ ſæpiſſime in ejusdem Idoli coronamento, ob arctam utriusque cognationem: namq; & altera alteri implicita mirè pulchreſcit, Virgilius *Ecl.* 5. & vitem fore feraciorem, ſi putator ejus *hederâ* eſſet redimitus, exiſtimatum eſt, Conſtantinus Cæſ. *lib.* 5. *cap.* 24. Quò facit fabula de adoleſcente, è Bacchi ſaltatoribus uno, cui Κισσῷ nomen, in *hederam* verſo, eidem indigitata *lib.* 11. *cap.* 31. Inſuper haſta Bacchi, uti in ſummo corymbis, ſic in medio & imo, *hederâ* implecti ſolita eſt, teſte Nonno *lib.* 9. Ejusdem aræ *hederas* imponi conſueviſſe, Scaliger docet *Poetices lib.* 1. *cap.* 21. Omnes etiam, in ſacris ejus, eodem modo fuere redimiti, V. Barthium *ad Statium lib.* 2. *Sylv.* 7. *verſ.* 11. &c. Sociabatur verò etiam violis, elichryſo, & in militibus quoque lauro, ut videre eſt apud Car. Paſchalium *Coronar. lib.* 1. *cap.* 17. & *lib.* 3. *cap.* 1. Præter Bacchum, Silenus quoque hederâ cingebatur, Salmaſius *ad Solinum pag.* 1041. de quo Sileno V. ſuo loco. Priapus item, & Satyri, Athen. *lib.* 5. Apollo porrò: Namque *Hedera* Libero quondam ſacra, i. Soli, quemadmodum & laurus eidem, ſub nomine Apollinis ob eandem cauſam. Hinc apud Macrobium *Saturnal. lib.* 1. *cap.* 18. inter alia legas, quòd Lacones feſto illo Apollinari, quod in Hyacinthi memoriam triduo ſolebant celebrare, *hederâ*, Bacchico ritu, conſueverint coronari. At Æſchylus quoq; dicit, ὁ κισσεὺς Ἀπόλλων, *Hedera gaudens Apollo.* Euripides item eundem ſic afflatur, Deorum Δέσποτα, Φιλόδαφνε, Βακχεῦ, Παιάν, Ἄπολλον, Εὔλυρε, *Domine, laurus amans, Bacche, Pæan, Apollo, lyra canore.* V. iterum Voſſium *lib.* 2. *cap.* 14. Muſæ tandem. Ita enim Calliopen, Muſarum nobiliſſimam, redimit Ovidius *Faſtor. lib.* 5.

Tunc ſic neglectos hederâ *redimita capillos*
Prima ſui cæpit Calliopeia chori.

Qua de re V. iterum Paſchalium ubi ſuprà, *lib.* 1. *cap. ult.* À Diis ad homines idem *hederæ* uſus tranſiit, Principes uti de Alexandro vidimus; Milites, in ejusdem exercitu; Luxurioſos & laſciviæ deditos, de quibus Athen. *lib.* 14. Mulieres quoque, quæ eadem capillitium religabant, uti de Thebanis habes, apud Euripidem. Sed & Poetarum ſacrum genus, *hedera* coronabantur. Fert namq; hæc victricem ſe vetuſtatis atque eò comitem immortalitatis ejus, quam ſibi præclariſſimi Scriptores ut præmium proponunt, Poetæ inprimis, quorum proin celeberrimus quisque ac cæterorum victor hac fronde caput evinxit. Hinc illa victrix Horatio *lib.* 1. *Epiſt.*

—— ſeu condis amabile carmen
Prima feres, hederæ *victricis præmia* ——

Hoc autem Poeticum, ut ſic dicam, hederæ genus Plinius ſic deſcribit *lib.* 16. *cap.* 34. *Aliæ & ſemen nigrum, aliæ crocatum, cujus coronis Poetæ utuntur, foliis minus nigris; quam quidam Dionyſiam, alii Bacchicam vocant, maxime inter nigras corymbis.* Ab hominibus ad alia, aras, thyrſos, ut dictum: Poetarum imagines. Unde Ovidius in Pontum relegatus, ſuæ imagini *hederam* demi vult, velut omnem jucunditatem, eamque, quæ nomini ſuo adhærebat, æternitatem, abdicans. *Triſt. lib.* 1.

Si quis habes noſtris ſimiles in imagine vultus,
Deme meis hederas, *Bacchica ſerta, comis.*

Pocula inſuper, quibus in conviviis libabant Sic ποτήριον κίσσινον, *poculum hederaceum*, Hercules ſumit apud Admetũ, Eurip. *Alceſt. Act.* 4. Cyclops, apud eund. *Cyclop. act.* 3. Ipſa convivia, quæ εἰσ στιβάδας ἐκάλει, *hederata convivia*, appellat Idem *Bacch.* &c. Etiam pro diademate fuit Antigono Macedoniæ R. apud Alex. Neapolitanum *Genial. Dier. lib.* 1. *c.* 28. Et ad ſimulachra Deorum Cilicia adhibita eſt, teſte Pauſania *in Arcadicis* &c. Quam in rem V. præfatum Paſchalium pluribus diſſerentem ubi ſuprà, adde Caſp. Barthium *Animadverſion. ad Statium paſſim*, Auctorem Anonymum *in Sina & Eur cap.* 34. Alios. De *Hederæ* verò *natura, corymbis, mammis ſeu acinis, genere triplici, nigra, candida & quæ helix dicta, nigraq́; ſpeciebus aniaino, erythrano, & chryſocarpo*, V. præter Theophraſtum, Dioſcoridem, Plinium, Alios, Salmaſium *ad Solinum pag.* 364. & *ſeqq.* Addo ſaltem, Flamini Diali, apud Romanos, illam adeo exſecratam aliis, *hederam* ne tangere quidem licuiſſe, an quòd, licèt formoſa virensq; ac, ſterilis tamen eſſet, & inutilis hominibus, imbecillaque, ac ea de cauſa aliis, quibus innitatur, opus habeat: an quòd eam mulieres Bacchicis furoribus deditæ rectam ferrent, & manibus diſcerperent ac devorarent; ideoque exiſtimaretur, ineſſe illi ſpiritum, qui de ſtatu rationis hominem deturbet aliamque prorſus ebrietatem, ab ea, quam vinum gignit, diverſam inducat? Debebat autem Jovis Sacerdos Bacchi orgia vitare. Jo. Roſinus *Antiqq. Rom. lib.* 3. *cap.* 16. Sed nec hoc omittendum, aliquem *Hederæ* uſum & in Eccleſiæ Rom. ritibus occurrere; de ea enim *in Paſcha, in Choro adminiſtranda*, quædam habet Hemereus *in Auguſta Viromand.* Car. du Freſne laudatus &c. Hinc *Hederacea patina argentea librarum* XXX. & III. inter munera à Gallieno Imp. miſſa Claudio Tribuno, apud Pollionem, quæ *hederæ* folia cæloexpreſſa habebat. Variis enim argumentis, in cælandis vaſis, luſiſſe Vett. induſtriam ſuprà diximus. At quæ corymbos, h. e. uvas hederæ habebat, *corymbiata* dicebatur: Sed & inter *hederæ* ſpecies κορυμβίας αὐτὸς recenſetur Theophraſto &c. De *Hederaceis* verò *poculis*, V. præter Plinium, & quæ ſuprà diximus, Dempſterum *in Jo. Roſini Antiqq. Rom. lib.* 1. *cap.* 30.

Hedinus, apud Hiſpanos, dicitur *Juſtitiarius Judæorum, qui exercet compulſiones & mandat ſententias executioni, & cognoſcit de minoribus cauſis* &c. Vitalis Epiſc. apud Blancam *in Commentar. Rerum Aragonicarum pag.* 784. laudatum Carolo du Freſne *in Gloſſario.*

Hedyſma, apud Plinium *lib.* 13. *cap.* 1. *Ratio faciendi* (unguenta) *duplex: ſuccus & corpus. Ille olei generibus fere conſtat, hoc odorum. Hæc ſtymmata vocant, illa hedyſmata*: ex Græco ἥδυσμα. Cornario eſt omne id, quo ſpiſſatum oleum ſuavi odore imbuebatur & perfundebatur; qualia recenſentur Dioſcoridi amomum, nardum, myrrha, balſamum, carpobalſamum, coſtum, amaracum. At Salmaſio odores στύμματα ſunt, oleum verò ἥδυσμα, condimentum viz. liquidum, quo veluti condiantur odores, qui corpus ſint & in oleum addantur, ut ſerventur quaſi quadam conditurâ. Ex liquidis autem ἡδύσματα præcipua facit, oleum & acetum, ex Polluce, ἡδύσματα, ἔλαιον καὶ ὄξος. Certè ἥδυσμα Græcis eſt, quidquid

quid ad saporem & gustum suaviorem conciliandum pertinet, proprieque τὸ ἡδὺ ad gustum refertur, inde ad odoratum translatum est. Quo factum, ut, cùm odorum alii spissando oleo tantùm adhiberentur in unguentis, alii ad conciliandam odoris suavitatem adhiberentur, hos posteriores quoque ἡδύσματα vocet Dioscorides. Adspergebantur verò hi solùm, & immergebantur, ut in oleo jam decocto maderent, quod ἀποβρέχειν & ἐμβρέχειν est eidem: cùm reliqui odores simul cum oleo decoqui moris esset. Sed propriè ἡδύσματα, quod diximus. Hesychius ἀρώματα exponit, alii βάμματα quoque & ἐμβάμματα appellavere. V. Salmasium *ad Solinum pag.* 465. & 466.

Hegesias, Archon Athenis *Olymp.* 114. quâ Alexander M. obiit. Josephus *c. Appionem lib.* 1. Alius, *Cypriorum* auctor nonnullis, Athen. *lib.* 15.

Hegesippus Historicus, adde: V. de illo inprimis Joann. Frideric. Gronovium *Observat. in Ecclef. Scriptores, passim*, præsertim *cap.* 1.

Hegira, adde: Nempe, ut in multis Christianorum simia Muhamedes fuit, ita principium æræ suæ eadem appellatione donavit, quâ Christiani à Diocletiano suam. Quemadmodum enim æra Diocletiani dicta est *æra Martyrii*, ita etiam Pseudoprophetæ hujus dicta est *Hegira*. h. e. διωγμὸς ὑπὲρ τῆς θρησκείας, *Persecutio Religionis ergo*, ut interpretatur Joan. Hesronita post Geographiam Nubiensem c. 8. Numerant autem Muhammedici menses hujus epochæ, à phasi Novilunii ad phasin sequentis Novilunii; quod intervallũ nunquam 30. dies excedit, neq; minus est 29. ita ut 4 menses alternatim consequentes 30. dierum sint & tres 29. sine ullo utrinque excessu &c. De *Veneris* hinc die, non minori apud Muhammedanos veneratione coli solito, quàm apud Hebræos *Sabbatum* est, apud Christianos *Dies Dominica*, V. suprà in voce *Giuma* & *Hegira*.

Hegumeni, Græcè Ἡγούμενοι, dicuntur Abbates apud Græcos, Anastasius *in Leone III.* alibique passim: unde *Egumenarchium*, apud eundem *in Hadriano I.* forte idem cum eo, quod Ἡγουμενεῖον vocat Alexii Comneni *Novella*, Monasterium viz. vel potiùs domicilium *Hegumeni* &c.

Heideccia, V. infrà *Heydeckia*.

Heidelberga, adde: Hinc nomen Familiæ *Heidelbergensis* Electoralis Palatinæ, cujus auctor fuit Fridericus, filius Stephani Com. Palatini Rheni, extincti A. C. 1459. & communis omnium, quotquot in parte Palatina supersunt, genitoris: frater Ludovici, à quo reliquæ lineæ, *Bipontina* inprimis ac *Lucelsteinia* s. *Lautereccia* seu *Veldentia*. Et quidem nactus is *Simmerensem Principatum*, pater fuit ex Margareta Egmondana, Arnoldi D. Geldriæ filia, Johannis I. qui extinctus A. C. 1509. ex Johanna Sarepontana, fil. Johannis Com. Nassovii, reliquit Johannem II. Comit. Palatinum Rheni *in Simmeren*, extinctum A. C. 1557. quo & Beatrice Badensi, natus Fridericus III. Elector obiit A. C. 1576. genuitque ex Maria Brandenburgica, fil. Casimiri Marchionis, Ludovicum Electorem qui decessit A. C. 1583. Hoc & Elisabethâ Hassiacâ (fil. Wilhelmo geniti Philippi Landgravii) genitus Fridericus IV. Elector, decessit A. C. 1610. ex Luisa Juliana Nassovia, fil. Wilhelmi Nassovii Principis Arausionensis, relicto Friderico V. Electore & Bohemiæ R. defuncto A. C. 1632. Huic Elisabetha Anglica (fil. Jacobi M. Britanniæ Regis, extincta A. C. 1662.) genuit Henricum Fridericum (A. C. 1614. *†*. 1629.) Carolum Ludovicum (A. C. 1617. maritum Carolæ Hassiacæ) Elisabetham (A. C. 1618.) Robertum (A. C. 1619.) Mauritium (*n*. 1621. *†*. . . .) Luisam Hollandinam Monialem (A. C. 1622.) Ludovicum (1623. *†* 1625.) Edoardum (1624. maritum Annæ Gonzageæ Niverniæ, defunctum 166 . .) Henricam (A. C. 1626. nuptam Sigismundo Rakozio Transylv. Principi, def. 1651.) Philippum (1627. *†*. 1650. Carolam (1628. *†*. 1631.) Sophiam (1630. ux. Ern. Augusti D. Brunsuic. & Lunæb.) & Gustavum (qui n. 1632. decessit 1646.) *Omnes Comites Palatinos ad Rhenum* &c. *Lineæ Electoralis sive Heidelbergensis*. E quibus Carolus Ludovicus Elector, ex uxore, Pater est Caroli, n. A. C. 1651. & Elisabethæ Carolæ, n. 1652. quorum ille uxorem habet Wilhelminam Ernestinam Christiani V. hodierni Daniæ Regis sororem; ista Philippo D. Aurelianensi, Ludovici XIII. Gall. R. fratri unico nupsit. V. Phil. Jac. Spener. *Theatr. Nobil. Eur. Part. I. p.* 142. & 162.

Heidenhemium, Dynastia in Ducatu Wirtembergico. Hæc ad Helfenstenios & *Heidenhemios* Barones quondam pertinuit; quorum familiâ in Degenhardo Præsule Augustano, A. C. 1307. extinctâ, ad Helfenstenios pignoris jure; inde ad Bavaros, migravit. Eam postea emit Ulricus Adamatus Wirtembergius, A. C. 1350. At iste, ab Imperatore proscriptus, atque hujus in gratiam hostilia ab Ulrico passus, armis eam rursus occupavit. Recepit quidem illius nepos, cui Ulrici itidem nomen, ab Alberto Bavaro, ob præstitam adversùs Palatinos egregiam operam: sed rediit ad Bavaros, post cladem à Winariensibus & Suecis ad Nordlingam acceptam, non nisi Pacis Westphalicæ beneficio, ad Wirtenbergicos Principes reversa, Tob. Pfannerus *de præc. German. Pr. gent. Cap.* 7.

Heideoti, factio quædam in urbe Leodiensi, de qua Magnum Chron. Belg. A. C. 1403. *Ceperunt certi cives Leodienses, qui seipsos nominabant* Heideotos (*quod interpretantur multi de Gallico in Latinum, Osores Justitiæ*) *rebellare D. Joanni de Bavaria Electo Leodiensi*. Suffridus Petri *in eodem Joanne cap.* 4. *Hedroites* appellat, ubi illos sic vocatos addit, *ob effrænem linguæ petulantiam, quâ sine pudore legitimis Magistratibus, ad captandam auram popularem, obtrectabant*, apud du Fresne *in Glossar.*

Heideshemia Familia, in Germania illustris, ramus est Leiningensium Comitum stirpis. Mortuo enim Emicone, Catharinæ Nassoviæ marito, A. C. 1541. qui omnium, quotquot hodie in Fam. Leiningensi Dagsburgica supersunt, pater extitit: major ejus natu filius Joh. Philippus Hartenburgicam lineam, minor Emico *Dagsburgio Falckenburgiam*, orsi sunt; cujus posterioris surculi sunt *Heideshemius*, & *Falckenburgius* seu *Dagsburgius*. Et quidem priorem quod attinet, Emico modò memoratus, cogn. *Senior*, Com. *in Leiningen & Dagsburg*, extinctus A. C. 1593. ex Ursula Fleckenstenia, filium Joh. Ludovicum Com. Leining. & Dagsburg. *in Heydesheim* reliquit, qui obiit A. C. 1625. Eo, & Mariâ Catharinâ Com. Sultzensi, genitus Emico, defunctus A. C. 1658. ex Christina Solmensi (fil. Alberti Ottonis Com.) suscepit Fridericum Emiconem (n. & *†*. 1634.) & Georgium Wilhelmum (n. A. C. 1638. maritum Annæ Elisabethæ Falckenstenicæ) Ex altera verò conjuge, Dorothea Waldeccia, sorore Philippi Comitis, nati ei sunt Emico Christianus 1642. qui Luisam Christinam Com. Falckenstenicam sibi junxit: Johannes Ludovicus. A. C. 1643. Beatrix Elisabetha (n. & *†*. 1644.) Alexandra Juliana (n. 1651. uxor Georgii Hassiæ Landgravii) & Anna Eleonora posthuma, quæ decessit A. C. 1661. omnes *Comites Leiningenses & Dagsburg. lineæ Heideshemiæ*. V. Spenerum *Theatr. P. I. p.* 102. & *P. II. p.* 84.

Heiligenberga, vulgò *Heiligenberg*, locus Germaniæ super. sub Comite proprio, ex Familia Furstenbergica: cujus quantum nunc superest, dividitur in ramum *Heiligenbergo-Werdenbergicum* & *Blombergium*, qui iterum in *Meßkirchium* & *Stulingensem* dispescitur. Et quidem priorem quod concernit, auctor ejus est Joachimus Comes, filius Friderici, extincti A. C. 1559. ex Anna Werdenbergica (filiâ Christophori, Com. *Werdenbergici & Heiligenberg.*) frater Christophori, qui Blombergium ramum inchoavit. Habuit Joachimus is in matrimonio Annam *de Zimbern* (Frobenii Christophori Com. filiam) & extinctus A. C. 1598. reliquit filium Fridericum, ex Elisabetha Sultzia, patrem Egonis: quo, & Anna Mariâ Zolleranâ, complures liberi orti sunt, ut videre est suprà, ubi de Fam. *Furstenbergia*. V. Phil. Jac. Spenerum *ibid. Part. I. pag.* 4.

Hel, vel *Bel*, commune omnium fere olim Orientalium gentium Numen, *Sol*: in unaquaque autem urbe peculiare cognomen habebat; ut Emissenorum *Elagabalus*. Palmyrenorum *Malachbelus & Aglibolus*, Persarum *Mithras*, Babyloniorum *Belus* &c. Salmasius *ad Vopiscum in Aureliano*.

Helbesus, nomen fontis & fluvii, in Sicilia. Solinus *cap.* 5. *Apud Segestanos* Helbesus *in medio flumine subitâ exæstuatione fervet*. Ubi de aquis calidis Segestanis loqui videtur, quæ Αἰγεστα ὕδατα Straboni, Ἐγεσταῖα Diodoro & Philoni apud Stephanum, dicuntur. *Helbesi* verò, præter Solinum, in Segestano agro, nemo meminit, Salmasius *ad eum pag.* 111.

Helcesaitæ, Hæretici, à Magistro suo *Elxai*, qui Trajani principatu extitit, hanc acceperunt traditionem, ut tempore persecutionis idola adorarent, fidemque suam ore negarent; hoc enim peccatum non esse, dummodo ex animo id non facerent. Iidem, inter alia, in aquarum cultu Ægyptios imitabantur &c. V. Eusebium *Histor. Ecclef. lib.* 6. *cap.* 38. Epiphanium *Hæresi* 19. Augustinum *Hær.* 10. ut & in voce *Elcesaitæ*.

Helciarii, apud Martialem *lib.* 4. *Epigr.* 63.

Quem (somnum) *nec rumpere nauticum celeuma,*
Nec clamor valet Helciariorum.

Sunt qui navẽ adverso flumine, vel qui navis anchoram seu grave aliud pondus, uno connixu & mutuo hortatu, moliuntur. Ab ἕλκω, *traho*, unde *Helcium*, apud Appulejum *Metamorph. lib.* 9. funis, quo equi currus oneraque trahunt; atque hinc *helciarii equi* quoque. Gerh. Jo. Vossius *Etymologic.* V. quoque de *Helciariis Servis* Tit. Popmam *de Operis Serv.*

Helena, filia Jovis adde: Cum Polluce ex ovo progenita dicitur, quia uterque educatus in superiore ædium parte, quæ Lacedæmoniis, uti testatur Eustathius *Odyss.* α. vocabatur ᾠόν, unde in usu ὑπερῷον. Ab Iliensibus pro Dea habita est, unà cum Hectore, ut ex Athenagora discimus *Legat. pro Christian.* Ὁ μὲν Ἰλιεὺς θεὸν Ἕκτορα λέγει, καὶ τὴν Ἑλένην Ἀδράστειαν ἐπιγινώσκων προσκυνεῖ, quæ verba jam suprà adduximus, in voce *Hector*. Alia fuit Helena Epidauriis culta, de qua sic Ptolemæus Hephæstion *in ephemeridibus lib.* 4. apud Photium *Cod.* 90. Ἡ Ἀφροδίτης Ἑλένη ἡ ... Ἀδώνιδι ... Ἐπιδάμνου θυγάτηρ, ἣν Ἐπιδαύριοι ... Ἀφροδίτης ... χρυσοῦ ... *Illa ministra Veneris in congressu cum Adonide Epidamnii filia, & ab Epidamniis Veneris figurâ culta, divitias inhiantibus largitur*. Ubi dubitari posse ait Vossius, an non vel priori loco Ἐπιδαυρίου, vel posteriori Ἐπιδάμνιοι, legi debeat. Namq; verisimile est, hanc Helenam filiam fuisse ejus, qui urbem sive Epidamni sive Epidauri, condidisset. V. eum *de Idol. lib.* 1. *c.* 39. quæ hanc in rem adnotavit Calepino. Bachius

thius *ad Æneam Gazæum*, nec non Jo. Meursium *ad Lycophronis illud*,

Πόθῳ δὲ [illegible] εἰς αἰθέρα [illegible].
Amore spectri pervagantis æthera.

Picta porro à variis *Helena* est, iisque excellentissimis Artificibus. Plin. *lib. 35. cap. 3. Lanuvii Atalanta & Helena comminus pictæ sunt nudæ ab eodem artifice, utraq; excellentissimâ formâ, sed altera ut virgo, ruinis quidem Templi concussæ. Pontius legatus Caji Principis eas tollere conatus est, libidine accensus, si tectorii natura permisisset.* A Zeuxide inprimis, cujus *Helena ἑταίρα*, *meretrix*, propterea dicta est, quòd ex illa pictura ingens fecisset lucrum, Ælianus *Variar. lib. 4.* &c. Ab eadem nomen sideri nautis infausto, habeturque pro signo naufragii, aut tempestatis saltem ærumnosæ certissimo, cùm flamma illa apparet: ubi contrà salutaria sidera, quæ *Pollucis & Castoris* dicunt. Statius *Thebaid. lib. 7. vers. 792.*

Scit perituravatis, cùm jam damnata sororis
Igne, Therapnæi fugerunt carbasa fratres.

Cui rei illustrandæ V. quæ produxerunt Hermolaus Barbarus *ad Plinium lib. 2. cap. 37.* M. Anton. Muretus *Var. Lect. lib. 6. cap. 11.* Alii. At Euripides, *Helenæ* sidus non minùs salutiferum agnoscit in *Oreste versu 1637.* ubi de Helena à se servata & astris illata sermocinatus Apollo dicit,

Κάστορί τε Πολυδεύκει τ' ἐν αἰθέρος πτυχαῖς
Σύνθακος ἔσται ναυτίλοις σωτήριος.

Quem cum reliquis omnibus, in contrarium euntibus, quomodo conciliare conetur Barthius, V. hunc *Animadvers. ad Statium d. l.* uti de *Helenæ cratere*, inter Veterum celebria, numerato Appulejo *Apolog.* Jo. Meursium *Commentar. in Lycophronem pag. 264.* & 265.

Helena, Adjabenorum Regina, adde: Eam grandiori natu filio Monobazo annulum Patris signatorium dedisse, commissâ ipsi Reipublicæ administratione, donec adveniret frater Izates, quem Pater Regni hæredem destinaverat, auctor est Josephus *Antiqq. lib. 20. cap. 2.* Ποιεῖται δ' οὖν, dicens, ἡ Ἑλένη καὶ μήτηρ τὸν πρεσβύτερον παῖδα Μονόβαζον βασιλέα, περιθεῖσα τὸ διάδημα καὶ δοῦσα τὸν σημαντῆρα τοῦ πατρὸς δακτύλιον, ἥν τε σαμψηρὰ παρ' αὐτοῖς ὀνομαζομένην, διοικεῖν δὲ ἐκέλευε τὴν βασιλείαν παρῄνει, μέχρι τὸν ἀδελφοῦ παρουσίας, *Patris hîs Helena & Proregem constituit grandiorem filium Monobazum, imposito ei diademate & dato Patris annulo signatorio, simulq; sampserâ, ut ipsi vocant: jussitq; eum administrare Remp. donec frater veniat.* Plerunque enim dominii ac potestatis symbolum annulum fuisse signatorium, seu sigillum, notum est. Unde & Philippum Macedonem, cùm in Byzantinos moveret, Alexandro filio, decimum sextum ætatis annum agenti, Macedoniæ & sigilli cum libera potestate curam demandasse, refert Plut. *in Alex.* Et Q. Catulum, cùm nocte quadam post dedicatum Capitolium somniasset, *Jovem Opt. Max. prætextatis compluribus circum aram ludentibus, unum secrevisse, atq; in ejus sinum signum Reip. quod manu gestaret, reposuisse*, refert Suetonius *in Augusto c. 94.* unde conjectura facta, in Augusti potestate fore aliquando Rempublicam. Rectè enim ibi *signum Reip.* Isaacus Casaubonus interpretatur *δημοσίαν σφραγῖδα*, quâ obsignari solita diplomata & quæcunque alia Reip. nomine signabantur. Idem de Hadriano memorat Spartianus, *à Trajano Imp. extraordinem gemmâ donatum & quidem eâ, quæ jam semel omen imperii fuerat*, narrans. Ut de Johanne Comneno, patri Alexio jamjam morituro annulum eo fine, ut Imperium sibi firmaret, dementi, apud *Nicetam*, aliisq; nihil addam. V. Joh. Kirchmannum Lubecensem *de Annulis lib. singul. cap. 22.*

Heleniani Nummi, quorum in Eruditorum gazophylaciis complures, in Franciæ Regis cimeliarchio octo ærei servantur, non unius omnino figuræ ac ornatus inscriptionisque, cui debeant ascribi, dubitant hujus rei curiosi; Matrine Constantini M. vel Juliani Parabatæ, vel etiam Crispi, si quæpiam fuit, conjugi. Matrem certè Helenam *Augustam* renuntiatam ejusque effigie cusos à Constantino aureos nummos, testantur Eusebius *de V. Const. lib. 3. cap. 46.* Sozomenus *lib. 2. cap. 11.* Nicephorus *lib. 8. cap. 31.* & Theophanes *anno 20. Constant.* qui monetam *ὡς Βασιλίδι* attribuisse ajunt. Ejusmodi autem nummos aureos Romæ repertos A. C. 1398. auctor est Thom. Walsinghamus; sed ii æreis rariores, quorum perinde inscriptiones atque etiam capitis ornatus, diversitatem quandam arguunt. Ac binorum quidem, qui hosce characteres præferunt, FL. HELENA AUGUSTA; in aversa verò facie, SECURITAS REIPUBLICÆ: prior nitidissimus, *Helenæ* caput exhibet tectum calyptrâ desuper reticulatâ & in cassidis modum protensâ, quæ aures ipsas & capillos, præterquam quà fronti superfunduntur, abscondit. Alter eam exprimit, duplici unionum lineâ caput cinctam, crinibus ad aurem contractis & collectis, crispatis aliis fronti imminentibus, uti ferme omnes alii, ita tamen, ut superior capitis pars perinde tecta videatur; Utrumque V. apud du Fresne *in Dissertat. de Numism. infer. ævi*, ut & alios quosdam, quos ibidem eruditè interpretatur &c. Utcunque verò sit de nummis hisce, id constat, ex iis inditam à vulgo *Sanctarum Helenarum* appellationem omnibus ferme numismatis Augustorum CP. ævi inferioris, maximeque iis, quos ejusmodi rerum studiosi, propter formatos malè characteres aut vultus ipsos, vel quòd nihil exquisitum contineant, solent aspernari. Fortè, quòd non *Helenæ* duntaxat, ut Divis ascriptæ, imagines, sed & crucigeros omnes nummos, sacri phylacterii aut encolpii vice ad collum quilibet appenderet, unde nummi hujusmodi plerunque videntur perforati: quod quidem etiam ante Constantinum obtinuisse observavit *in Anastasi* Chiffletius, tametsi id potissimum tum primùm profluxisse censendum est, ex nummis *Helenæ*, Romæ in ejus thesauro inventis, V. *suprà*; quæ fortassis Pontifex distribuerit, ut fœminæ de Ecclesia bene meritæ. Sed ex pecunia illa reperta, Pontificem *Capitolium rexaedificari & Castellum S. Angeli*, curavisse, refert Walsinghamus *p. 356.* Quod autem harum *S. Helenæ* monetarum vim mirè commendat Bolius, atque præsens esse adversùs Comitialem morbum remedium, ait, ipsi relinquimus. V. præfatum du Fresne *num. 69.*

Helepolis, vox Græca, *παρὰ τὸ ἑλεῖν τὰς πόλεις*, i. *à capiendo urbes*, machinam militarem ingentis molis significat, quâ loco arietum jam crebritate suâ despectorum, Demetrius Antigoni filius feliciter usus, Rhodo aliisque urbibus ejus operâ expugnatis, *Poliorcetes* appellatus est, i. *Urbium expugnator.* Extructa erat hoc modo: Testudo compaginabatur immanis, axibus roborata longissimis, ferreisque clavis aptata & contegebatur coriis bubulis, virgarumque recenti textura, atque limo ejus suprema adspergebantur, ut flammeos detrectaret & missiles casus. Conserebantur autem ejus frontalibus trisulcæ cuspides præacutæ ponderibus ferreis graves, qualia nobis Pictores ostendunt fulmina vel Fictores, ut, quidquid petiisset, aculeis exertis abrumperet. Hanc ita validam molem, rotis & funibus regens numerosus intrinsecus miles, languidiori murorum parti viribus admovebat concitis: & nisi desuper propugnantium valebant vires, collisis parietibus aditus patefaciebat ingentes, Amm. Marcell. *lib. 23. cap. 3.* In Argivæ urbis oppugnatione, cùm Demetrii milites, ob immensam ponderis gravitatem, muris eam applicare non possent, accersitus Herodorus Megarensis, qui tubis simul duabus adeò violenter uti solebat, ut quàm latissimè exaudiretur, sono illatum torpentes excitavit, ut velut adjuti, præter omnem spem, machinam, quam priùs nullâ ratione admovere poterant, urbi facilè admoverint, eamq; expugnaverint. V. Leon. Tho. *lib. 3. cap. [illegible]*

Helfenstenium, vulgò *Helffenstenium*, castrum Germaniæ, in Suevia, sub proprio olim Comite: quorum familia, inter Sueviæ Comites, antiquitate & splendore semper ex præcipuis fuit. Primum eorum titulum volunt nonnulli fuisse, Com. *von der Fels.* Originem eorum aliqui adscribunt veteri Guelforum sanguini, & nominatim Eticoni Henbrandi Com. Altorfii fratri, ac XII. celeberrimorum Guelforum patruo. Alii propinquiorem ortum ostendisse contenti, eos ex Dilingensibus Comitibus derivant. In his enim Ulricus Episc. Augustanus fratrem habuit ex Hugobaldo Patre Burchardum, castri præfati, atque ita hujus domus, cui inde *Helfenstenię* nomen, conditorem: a quo dein reliqui Comites hujus nominis sunt orti. Qui, quamvis, Comitatus aliquot partibus venditis, ipsi diminuere gentis splendorem visi sunt, non tamen minùs inter illustrissimas stirps perrexit censeri; & dein Gundelfingensis hæreditas accessit. Superiori seculo, in Ulrici & Catharinæ Sonnenbergiæ filiis Georgio atque Ulrico duo rami *Meßkirchius* & *Wiesensteigius* in diversum ire cœpere. Sed intra anni spatium utriusque masculi defecere, A. C. 1626. Habuit verò Georgius præfatus *Com. de Helfenstein & Meßkirch* conjugem Apolloniam *de Zimberen*, fil. Frobenii Christophori Com. & extinctus A. C. 1573. filium reliquit Georgium Frobenium, defunctum A. C. 1622. Quo & Mariâ *Helfenstenia* lineæ *Wiesenstieg*, fil. Rudolfi Com. nati sunt Georgius Wilhelmus (qui obiit 1626. mar. Sibyllæ fil. Johannis Com. *de Hohenzollern*) & Johanna (uxor Vratislai Com. Furstenbergici, extincta A. C. 1629.) *Comites Helfenstenii* &c. ultimi *lineæ Meßkirchiæ.* At Ulricus, Georgii frater, Catharinâ sibi Montfortiâ (fil. Hugonis Comitis) junctâ, Rudolfum I. genuit, Annæ Mariæ Lib. Baron. *de Stauffen*, maritum & patrem Rudolf. II. ultimi è totius stirpis masculis, A. C. 1626. demortui. Liberi enim ejus, ex Eleonora Furstenbergia (fil. Joachimi Comitis, quæ vitam produxit usq; ad annum 1650.) Henricus Fridericus (n. 1605. den. 1606.) Julius (n. 1606. † 1607.) Henricus (nat. 1607. den. 1626.) Maria Magdalena (n. 1609. den. 1618.) Anna Catharina (n. & den. 1611.) Maria Johanna (n. 1612. uxor primò Maximiliani Adami Landgr. Leuchtenbergici: exin Christophori Com. Palatini Rheni *in Birckenfeld*, den. 1665.) Isabella Eleonora (n. 1613. nupta Martino Francisco Com. Oetingensi *in Wallerstein*) Anna Victoria (n. 1614. †. 1618.) & Francisca Carlotta (n. 1618. ux. Vratislai Com. *de Furstenberg* †. 1641.) ante Patrem, exceptis filiabus aliquot, uti visum, præpostero Fatorum ordine decessere. In bona quædam successere Bavari: alia (inprimis Meskirchium) occuparunt Furstenbergii, quibus lis ab *Helfenstenii* filiabus earumque hæredibus movetur, quæ necdum decisa. V. Phil. Jac. Spenerum *Theatr. Nobilit. Europ. Part. I. pag. 9. & 20. ut & in Ind.*

Helia, nomen familiæ Romanæ, ab *Ælia* diversæ, de qua V. Salmasium ad *Æl. Spartianum in Hadriano.*

Heliaca Sacra, ab *Helios*, ex Græco Ἥλιος, sicut *Persica*, à *Perses*, apud Salmas. *ad Lampridium in Commodo.*

Trinitatem non confitentur, adeoque *Catholicis* opponuntur, *Christianorum* nomine indigni. Dein, *Qui fidem Nicænam*, vel *IV. Conciliorum statuta non recipiunt*. Tandem, *Qui in quocunq; capite Religionis Christianæ contraria Orthodoxæ fidei sentiunt*, Zonar. *ad can. 6. Conc. præfati*. Qui omnes, non quidem supplicio afficiebantur, exceptis Manichæis, de quibus V. *Constitutionem* Anastasii aut Justiniani, *Cod. lib. 1. tit. 5. l. 11.* excommunicabantur tamen, & docere vetabantur, nec eorum contra Orthodoxos testimonia audiebantur. Porro libri eorum exurebantur, pœnâ, in scribentes manus amputatione, *Nov. 42.* Justin. in legentes, ultimo supplicio, sancitâ, Photius *in Nomocan. tit. 12. cap. 3.* in *Bibl. Juris Can. pag. 165.* omnisque opera dabatur, ne virus suum latiùs spargere possent. Sed nec eorum cœmeteria, aut Martyres adire; nec cum iis orare, aut matrimonium contrahere; nec denique ulla communione illis jungi, licebat, quæ omnia fusè exequitur Cl. Suicerus *Thesauro Eccl.* in vocibus *Αἱρετικός*, & *Αἱρεσιάρχης*. Quòd si verò ad meliorem illi mentem redirent, illorum aliqui recipiebantur in Ecclesiæ gremium, prævia libellorum, quos conversionis & fidei suæ testes dabant, exhibitione, ut inter alia de Valente & Ursacio legimus, apud Sozomenum *lib. 3. cap. 22.* qui sic accedente manuum impositione, *χειροθετούμενοι*, ad Ecclesiam redibant, uti de Catharis habet *can. 8.* Concilii Nicæni. Alii etiam baptizabantur, ut de Paulianistis seu Samosatenianis idem Concilium statuit; eò quod non baptizati essent in nomine SS. Trinitatis, quippe quam negabant, Augustin. *Hær. 44.* de Phrygibus seu Montanistis, Concil. Laodicenum: de Sabellianis insuper similibusque Conc. CPolitanum I. *can. 7* &c. Nonnulli, non baptizabantur quidem, ungebantur tamen, ut de Novatianis, Photinianis & Quartadecimanis sanxit *can. 7.* Concil. Laodicen, quibus Arianos, Macedonianos & Apollinaristas addit Theod. Studites *Epist. ad Naucratium*, apud Balsamonem laudatum. Sicut baptizandis Marcionistæ, Tatcodrugi, Manichæi, alii: iis verò, qui libello exhibito hæresin solùm ejurabant, Meletiani, Nestoriani, Eutychianistæ, similesque jungi possunt. Quam de receptione *Hæreticorum* materiam accuratè tractat, præter Virum Cl. suprà laudatum, Vossius *Disputat. 19.* & *20.* quarum illa, *de Catholicis promiscuè tingentibus quoscunq; ab Hæreticis seu Schismaticis baptizatos*, ista *de Catholicis discrimen facientibus in Hæreticis*, juxta dicta, agit. *Hæreticorum* autem examen ingens, ut videre est apud Augustinum, Epiphanium, Philastrium, Alios, qui de *Hæresibus Hæreticisq;* scripsere. De quibus id saltem addo, non paucos illorum, atque in his Priscillianistas inprimis ac Donatistas, per sectæ suæ principem jurare, atque in ejus memoriis controversias suas dirimere consuevisse, uti adnotat *ad Julium Suetonii cap. 86.* Casaubonus. V. de unoquoque illorum suo loco, in specie de iis, qui circa SS. Trinitatem, Personam item Filii ac Spiritus S. hallucinati sunt, in vocibus *Antitrinitarii*, *Christomachi* & *Pneumatomachi*. In *Concilio* Biterr. A.C. 1246. *Hæretici Vestiti*, convicti sunt & hæresin palam professi: quibus opponuntur *Crediti*, qui tales creduntur quidem, sed hæresin publicè non profitentur. Car. du Fresne *Glossar.*

Hæsitantes, dicti sunt Eutychiani Hæretici. V. Leontium *de Sectis Act. 6.* & *7.* & suprà, ubi de *Acephalis*. Græcè *Διακρινόμενοι*: quòd sc. à Synodi Chalcedonensis Communione *hæsitabundi* abstinerent. Quibus proin *οἱ Συνοδῖται*, *Synoditæ*, h. est, Synodo illi addicti, oppositi sunt, *Ibid.* V. Jo. Forbesium *Instructionum Historico-Theologic. lib. III. cap. 14. §. 4.* & Cl. Suicerum *Thesaur. Eccl.* voce *Διακρινόμενοι*, item *Συνοδῖται*.

Hafnia, adde: Hujus Academiæ reditus 60000. Imperialibus auxit Fridericus II. Dan. Rex, Phil. Jac. Spenerus in *Familia Oldenburgo-Danica*.

Haga, seu *Hegin*, dictus apud vett. Germanos est aliquot provincialium districtus, certo pagorum ac vicorum numero constans, quem & *Circulum* vocabant; quæ vox hodieq; eadem notione obtinet, V. quæ de *Circulis* X Germanici Imp. (German. *Kraiß*) Politici habent. Appellationis rationem hanc adfert Monachus Sangall. *de Rebus Caroli M. lib. 2. cap. 1. Terra Hunnorum novem circulis cingebatur. Et cùm ego alios circulos, nisi vimineos, cogitare nescius, interrogarem, quid aliud miraculi fuit Domine? novem* hegin *muniebatur. Cumq; & illos ulteriùs esse generis nescirem, nisi quales segetibus solent prætendi, inquisitus etiam de hoc dixit: Tam latus fuit unus circulus — quantum est spatium de Castro Turonico ad Constantiam. Ita stipitibus quercinis, faginis & abiegnis extructus, ut de margine ad marginem 20. pedes tenderentur in latum & totidem erigerentur in altum. Civitas autem universa aut durissimis lapidibus, aut cretâ tenacissimâ replebatur. Inter quorum confinia plantabantur arbusculæ, quæ, ut cernere solemus, abscissæ atq; projectæ comas caudicum foliorumq; proferrent. Inter hos itaq; aggeres ita vici & villæ erant locatæ, ut de aliis ad alias vox humana posset audiri. Contra eadem quoq; ædificia, inter inexpugnabiles illos muros, portæ non satis latæ erant constitutæ, per quas latrocinandi gratiâ non solùm exteriores exire solebant. Idem de secundo circulo, qui similiter ut primus erat extructus, 20. milliaria Teutonica, quæ sunt 46. Italica, ad tertium usq; tendebatur: similiter usq; ad nonum. Quamvis ipsi circuli aliis alio multo contractiores fuerunt. De circulo quoque ad circulum sic erant possessiones & habitacula undique versum ordinata, ut clangor tubarum intra singula posset cujusq; rei significativus advertî*, apud Car. du Fresne *in Glossar.* V. quoque quæ diximus, in *Haga Turonica*. Aliàs vox *Haga*, communiter Germanis notat, sepem seu sepimentum ex virgultis confectum &c.

Haga Paganelli, *la Haye Paynel*, vel *Hepenell*, locus est Galliæ, inter quem & Abrincatas ponit Sabiniacum, Vicum in confinio Normanniæ & min. Britanniæ, Robertus de Monte S. Michaelis in *Chron.* apud Hadr. Valesium in voce *Savinnejum*.

Hagiographa, Hebr. כתובים *Cetubim*, dicuntur Judæis libri vet. Canonis XI. *Verba dierum*, seu *Chronica*, *Esther*, *Ezra*, *Nehemia*, *Psalmi*, *Proverbia*, *Ecclesiastes*, *Canticum Cantic.* *Liber Job*, *Daniel* (quem malè Prophetarum choro eximunt, aut reliquis saltem inferiorem habent, contra Matth. *cap. 24. vers. 15.* ubi Daniel titulo *Prophetæ* ab ipso Christo insignitur) & *Threni*. Dividunt enim totum Vetus Testam. in *Thora*, i. Legem, *Nebiim*, i. Prophetas, & *Cetuphim*, i. Hagiographa: quæ ultima Christus sub *Psalmis*, ut præcipua eorum parte, comprehendere visus est, Lucæ *cap. 24. versu 44.* Quamvis aliàs in N. T. libri illi simpliciter in *Legem* & *Prophetas* dividantur, Matth. *cap. 5. versu 17.* Lucæ *cap. 16. versu 29.* & Actor. *cap. 28. v. 23.* Sed & *Hagiographa* dicebantur scripta omnia, in quibus sacra tractabantur, aut ex Canonicis libris petita, aut ad eorum exemplum composita, ex quibus sententiæ aut historiæ quædam in Ecclesia recitabantur, ad populi ædificationem. Sic *Glossa ordin. Præf. ad lib. Tob.* *Largè*, inquit, *accepis* Hagiographa, *hoc est*, *sanctorum scripta*. Et Driedo *de Catal. S. Script. lib. 1. cap. 4. pag. 21.* *Dicemus duplicia esse apud Ebræos* Hagiographa, — *hoc est*, *sanctorum scripta* — *quædam*, *quorum auctoritas idonea est ad corroboranda ea*, *quæ sunt fidei. Hujus generis sunt* Hagiographa, *in Canone Bibliæ*. *Alia verò sunt* Hagiographa — *quorum auctoritas ad assertiones fidei corroborandas non est idonea*, *quamvis habeantur vera & sancta*. V. de quovis illorum suo loco. A' voce Ἅγιος, *sanctus*, & γράφω, *scribo*, quasi *Sancta scripta*, uti vocantur Epiphanio de Ponder. & Mens. De quarum priore voce ut pauca addam; Ἅγια non rarò apud Scriptores Eccles. Græcæ, Sacra Cœna appellatur, ut & Ἅγια ἁγίων, uti videre est apud Cl. Suicerum *Observat. cap. 4.* quo nomine pars olim Tabernaculi sanctissima, quæ soli summo Sacerdoti patebat, indigitata est, ut notum. Quemadmodum & Græci recentiores, Ἅγια locum in Templo vocant, quò solis Clericis ordinariò venire permissum: Ἅγια ἁγίων v. Altare majus, *in quo corpus & sanguis Domini consecratur*, ut ait Gentianus Hervetus *in fine Liturgiar.* Sed & vox Ἅγιος apud eosdem, Imperatoribus, cùm coronabantur, acclamari consuevit, uti Meursius docet *Glossar.* V. quoque infrà *Sanctus*. Inde autem derivata, Ἁγιασμὸς, inter alia, de S. Cœna itidem, ut & interdum de aqua benedicta: & Ἁγιασμός, de eodem Mysterio, ac de parte Liturgiæ, in qua celebratur nomen Domini hac formulâ, Ἅγιος, ἅγιος, ἅγιος, κύριος Σαβαώθ, occurrit, apud eosdem Græcæ Eccl. Scriptores: uti pluribus videre est, apud Cl. Suicerum *Thesaur. Eccl.* in his vocibus.

Hagiosiderum, Gr. Ἁγιοσίδηρον, q. *sacrum ferrum*, unum est ex illis tintinnabulorum generibus, quæ Græci hodierni campanarum loco habent. Postquam enim constructis Monachorum Sacerdotumq; cœnobiis, Ethnicisq; Principibus Græciæ imperium obtinentibus, æreis tintinnabulis, quòd eorum sonus & nimiæ securitatis & auctoritatis indicium esset, abstinuere, Symandri & *Hagiosideri* usum excogitasse videntur: quem succedentia Christianorum Principum tempora adeò non excusserunt, ut etiam campanis in multa Græcorum templa invectis (viz. quæ in Christiano orbe sunt, reliqua enim campanis carere Turcæ jubent) Symandris tamen & *Hagiosideris* locus sit. Est autem *Hagiosiderum*, vel, ut hodierni Græco-Barbari vocant, *Agiosydirum*, ferrea lamina 4. digitorum latitudine, 16. verò longitudine, funiculo in medio librata. Hæc ferreo malleolo ternis interpolatis vicibus ab homine pulsari solet, qui Sacerdotem Eucharistiam ad ægrotos lectoque decumbentes deferentem solet præcedere, ut inter transeundum quisque rei admoneatur. Ejus figuram exhibet Hier. Magius *lib. de Tintinnabulis cap. 15.*

Hagira, seu *Hegira*, æra Muhammedana, ab Arab. *hagar*, i. *fugit*, exordium cœpit à fuga Pseudoprophetæ ex urbe Mecca in civ. *Medina Alnabi* factâ, A.C. 622. die 19. Jul. vespere illo, quod inter quintam & sextam feriam intercedit: in cujus temporis memoriam sacram suam solennitatem Muhammedani quot septimanis celebrant feriâ 6. sive die Veneris, uti pluribus docet Jo. Forbesius *Instructionum Historico-Theologic. lib. IV. cap. 1.* qui *de annis Hagiræ & mensibus Hagarenis ac diebus* similiter accuratè agit *cap. seq.* V. quoque in vocibus *Egira* & *Hegira*.

Haiti Ins. hodie *Hispaniola*, Georg. Hornius. *Orb. Imp. p. 488.* V. ibi.

Hakan, commune Tartariæ Regum nomen, unde *Chaganos* suos deduxerunt Latini Græcique, quo nomine appellant omnes Reges Scytharum, Hungarorum, Avarum & Turcarum: Idem. V. suprà, in voce *Chaganus* & *Chanus*.

Halabarches, seu *Alabarches*, apud Ruffinum, Alexandriæ Magistratus fuit Judæorum. Ita enim Josephus *Antiqq. lib. 20. c. 3.* *Fado autem*, inquit, *successit Tiberius Alexander*, *ejus Alexandri filius*,

chus, qui Alabarchiæ magistratum gessit. Hinc Equitem Rom. sed natione Ægyptium appellat Tacitus *lib.* 15 & 17. Idem Josephus *eod. lib. cap.* 5. *Eodemque tempore etiam Marianna, dedignata Archelaum, migravit in thalamum Demetrii, primi inter Alexandrinos Judæos, tam opibus, quàm genere, & tum* Alabarchiæ *Magistratum gerentis, è quo filium Agrippinum genuit* &c. V. suprà in *Alarches.*

Halala, vicus in radicibus montis Tauri, ubi Faustina, uxor M. Antonini Philos. subito morbo exanimata obiit, Jul. Capitolinus in *Vita* Marci, ubi *Halala vicus* dicitur. Hinc ædes ibi Faustinæ posita à Marco: *in quo loco postea filius Bassiani Heliogabalus Antoninus sibi vel Jovi Syrio vel Soli* (incertum enim id est) *templum fecit*, Spartianus *in Caracallo sub fin.* Ἄλαλις fortè, in Ptolomæi libris, ad Euphratem in Palmyrena. V. suprà *Alala* & in voce *Halale.*

Halcyon, marina avis, παρὰ τὸ ἐν ἁλὶ κύειν, *ex eo, quòd in mari concipit & parit*, dicta. à cantus dulcedine commendatur. *Ea* enim *nullam avem suaviùs canere*, ait Oppianus, & Tymnæus, ut avem à cantûs gratia maximè laudet, *Antholog. lib.* 3. *cap.* 24. dicit, eam alcyonum cantum exæquare:

Ὄρνις ὁ χάλκεα μὲν μιμεόμενος, ὃ πλείονα
Ἀλκυόσιν ἴσα τὸν φθόγγον ἐκποιήσατο:

Quæ causa, quòd, cùm Sirenes apud Poëtas figuram avium ex parte habeant, & stationem ad maris littus & miram cantus suavitatem, Scripturæ Interpretes *Sirenum* nomine *alcyones* intelligere, vult Cyrillus, *in Mich. cap.* 1. *vers.* 8. ubi pro ἀηδόνας, *luscinias*, quæ cum mari & fluctibus nihil commune habent, ἀλκυόνας rescribi jubet Bochartus: quæ duæ voces, licèt scripturâ dissimiles satis, tamen non rarò à librariis confunduntur. Addit Cyrillus, *alcyones* in maris finibus ovis incubare & propter nidum à fluctibus abreptum lugubre melos fundere: ut Val. Flaccus *Argonautic. lib.* 4.

Fluctus ab undisoni ceu forte crepidine saxi
Cùm rapit alcyonis *miseræ fœtumque, laremque,*
Et super ægra parens, queriturque, tumentibus undis.

Imò velut omnium avium maximè θρηνητικὴν, i. *lugubrem*, eam Poëtæ describunt, ut videre est, apud Homerum *Iliad.* ι. *vers.* 559. Eurip. *Iphig. in Tauris vers.* 1089. Moschum *in Epitaph. Bionis*, Propertium *lib.* 3. *Eleg. de natali amicæ*, alios. Nec omittendum, avem hanc Plutarcho autore, vincere, τὰς φιλοτέκνους χελιδόνας, *prolis amore hirundines*, & τὰς φιλάνδρους περιστεράς, *amore conjugis columbas*: hinc cerylos, maritos suos, ætate graves, dicuntur αἴρειν ἐπὶ τῶν πτερῶν, *interscapiliis suis sublatos circumferre.* Quò pertineat Almanis versus, apud Antigonum *Histor.* 27.

—— βάλε δὴ, βάλε κηρύλος εἴην,
Ὅς τ' ἐπὶ κύματος ἄνθος ἅμ' ἀλκυόνεσσι ποτῆται.
—— *Utinam cerylus essem* (alcyonum mares sic vocant)
Qui maris superficiem super volat cum alcyonibus &c.

V. Sam. Bochartum *Hierozoici Pars poster. lib. II. c.* 14. de nidis vero earum, qui admirationem habent, *pilæ figura, nec ferro intercidi queunt*, ut ait Plin. infrà in voce *Nidus*: & plura de hac ave apud eundem *lib.* 10. *cap.* 32. alibiq; passim, Cœlium Rhodiginum *lib.* 14. *cap.* 11. Alios: nec non in voce *Alcyone.*

Haldegastes, Dux barbarus, memoratus Valeriano *Epist. ad Aurelianum*, apud Vopiscum.

Halec, piscium genus, qui argenteo quodam squamarum fulgore, noctu præsertim, lucentes, vix dodrante majores sunt & thrissarum generi accensentur, à Rondeletio, rei piscariæ gravissimo Judice. *Leucomenidas* Franc. Massarius vocat & cum gerribus Plinii confundit. *Aleces* alii vocant: at si Cæsaris judicio standum & cum multis loquendum, *haleces* dicantur, cum Prisciano & Sosipatro, qui *alecem* pro pisce muriâ condito accipiunt. Sunt autem ex iis, quos ἀγελαίους, *gregales*, Aristoteles vocat, quòd agminatim per Oceanum ferantur palabundi, tantâ interdum multitudine, ut oppositis retibus sisti nequeat impetus, quin illa rapiantur ac liquidi æquoris faciem obfuscent. Quæ causa est, cur tam copiosa sit illorum in retia infusorum captura. Nam postquam ex Arctoi maris latebris discedentes, præcipiti vere, velut commutatis natalibus in æstiva contendunt: tum verò classes variæ, Hollandica, Seelandica, Frisica, Flandrica, Gallica, Britannica & Scotica, quasi ex condicto, ad evitandas simultates ac contentiones, partitæ inter se certas ac definitas stationes, sub Britannia, Scotiæ ora & Orcadibus, singulæ pro viribus, isti piscium generi insidiantur, navigiis rotundis, alvo pandâ, obtusâ prorâ, quas *busses* vocant, ut suprà vidimus. Hi pisces vivi, quoad ejus fieri potest (nam simul cum defectu salo vitam quoque protinus expirant) per jugulatorem eundem & exvisceratorem, cui præ cæteris omnibus liberalissima merces datur, aperto priùs jugulo exenterantur, dein per salitorem condiuntur, festinatis operis; inde conduntur salsamentariis cadis, quos Latini *orcas* dicunt; postea venditi per alecarios cupariosque, de integro stipantur, inani turbâ, quæ lactibus & ovis caret, numero submotâ, ac novâ muria obruuntur. Postremò per delectos, juratosque arbitros bonitatis exploratur fides, sigilloque addito obstringitur, non absimili vetere religione, quâ Dianæ sacerdos Lemniam rubricam, probatæ notæ sigillo impresso, insigniebat. Atque id quidem primum genus *halecum* conditaneum est, seu muriaticum, ut Plautus vocat: alterum est, quod leviter salitum in fumario duratur, ubi auri, vel æris potiùs colorem ducit, unde *soreum* voce Gothicâ, Galli id genus nuncupant, quòd subrussus, ad atrum accedens, color eâ linguâ *sorus* vocitetur. Quantam verò piscatio hæc vel soli Hollandiæ utilitatem afferat, dici vix potest, cùm in pluribus ejus civitatibus, plebs urbana pariter ac rustica inde victum quærat, æs alienum dissolvat, familias sustentet, opes conquirat, ac partas tueatur. Certè Ondevvatenum, Wordam, Roterodamum, Sciedamum, Brielam, ut de aliis taceam, præcipuas hinc fortunas traxisse, plebemq; omnem propemodum, in texendis tragulis, everriculis, sagenis, reliquoq; instrumento omni reticulato, quo piscatio instituitur; item in torquendis restibus, unde retia plectuntur, toto anno occupatam habere, constat. Ex quo facilè perspicitur, quantum momenti ad omnia positum sit in hujus piscationis successu. Cum ea enim secunda decrescit rerum omnium ferme edulium pretium, adversâ intenditur: doloris sensu celeriter ad alias quoq; regiones transeunte, cùm in magnam Europæ partem diffundatur ea merx, utcunq; res ceciderint, vendibilis & expetita. Auctor Anon. *Sina & Eur. cap.* 42. V. quoq; infrà, ubi *de Harengarum piscatione*: de *halece* verò succo, in quo mulli carnes olim tingebantur. Vossium *de Idol. lib.* 4. *cap.* 25. de superstitione autem eorum, qui *halece* aut apuâ gustatis Deæ Syriæ iram verebantur, Plut. *de Superstit.*

Halesus, Argivus, Faliscæ conditor, memoratur Solino *lib.* 2. Faliscæ viz. non Æquorum, de qua Strabo *lib.* 5. sed Hetruscorum. Et quidem ab *Haleso*, priùs *Falesii*, & παραγωγικῶς, ut nomina gentium apud Vett. plerunq; concipi solebant, *Falesisci*, inde contractè *Falisci*, appellati; quorum urbs & *Falerii* indidem, pro *Falesii*, dicta est. Salmasius *ad Solinum pag.* 60.

Halesus, apud Plinium *lib.* 5. *cap.* 29. fluv. est Colophonem alluens, prope lucum, unde oracula olim petebantur: Ἄλης Pausaniæ. De quo V. eundem Salmasium *ibid. pag.* 860.

Halfkineg, seu *Healfkoning*, dicitur Æthelstelus Dux Orientalium Anglorum, i. Norfolciæ, *in Lib. Ramesiens.* §.14. apud Spelmannum, quasi *Semi-Rex*, quòd apud Æthelstanum R. quàm maximè gratia & auctoritate valeret: quemadmodum de Carolo Martello observavit Car. du Fresne. Vox Saxonica est.

Haliætus, aquilæ species sexto loco numerata Plinio *lib.* 10. *cap.* 3. *clarissima oculorum acie, librans ex alto sese: visoq; in mari pisce, præceps in eum ruens & discussis pectore aquis rapiens*; Inde nomen accepit. Idem *tantùm implumes etiamnum pullos suos percutiens, subinde cogit adversos intueri Solis radios, & si conniventem illacrymantemq; animadvertit, præcipitat è nido, velut adulterinum atq; degenerem* &c. *Ibid.* In eam avem Pandareus, item Nisus, Megarensium Rex mutati finguntur Poëtis: de quo posteriori Ovidius *Metam. lib.* 8.

Et modò factus avis fulvis haliæetus *alis.*

de utroque V. suo loco. Tam verò similis illi, inter accipitrum seu falconum species, lanius seu lanarius, ut

—— —— —— *sæpe periti*
Ambiguo peccent decepti lumina vultu:
Et nisi diverso pastu gauderet uterq;,
Sæpe repertores artis turpissimus error
Argueret ——

ut canit Thuanus *de Re Accipitrar. lib.* 1. apud Sam. Bochartum *Hierozoici Parte poster. lib. II cap* 19. &c.

Halicacabus, è strychnorum genere, frutex est, cujus radicem vaticinaturi olim adhibebant. Plin. *lib.* 21. *cap.* 31. Halicacabi *radicem bibunt, qui vaticinari Gallantesq; furere, ad confirmandas superstitiones aspici se volunt.* Nempe qui volebant aspici furere & vaticinari, quasi ab alicujus Numinis inspiratione immisso furore, quia id pertinebat, ad confirmandas religiones, radicem hanc bibere solebant, ut ἐνθουσιασμὸν inde conciperent & Numine repleti viderentur. De quo ementito furore Gallorum Cybeles, & ficta vaticinatione, Gallandique modo, V. Appuleium *Metam. lib.* 8. uti de Strychnorum effectibus, plurâ infrà. *Bellonariam & Vaticanam* herbam eam, quam sumebant ad hoc, ut entheato spiritu pleni apparerent, appellatam quoq; esse, ex *Herbario* alterius Appuleji, docet Salmasius *ad Solinum pag.* 1087. V. etiam suprà, ubi de *Corybantiasmo.*

Halicarnassus, adde: Ruderum urbis hujus magna pars visitur hodieque, in loco quodam inculto, è regione insulæ Co, cui *Bondrun* nomen est. Sed & nummi, fœderis inter eam & civ. Pergamum, sub Caracalla Imp. initi, memoriam servantis, in cujus antica parte, Caracallæ & Getæ, sè mutuò respicientium, facies; in postica, Apollinis imago & Æsculapii, cum Inscr. ΑΛΙΚΑΡΝΑC-CΕΩΝ ΚΑΙ . . . . . ΣΕΞΤ. ΦΛΑΟΥ . . sculptæ, meminit Jac. Sponius *Itiner. Part.* 3. *pag.* 180. V. quoque eum *Part.* 1. *p.* 365.

Halieuticum Boletar, librarum XX. apud Treb. Pollion. *in Claudio*, inter dona Gallieni ad Claudium missa: expressum cœlo habebat piscatoris vel piscaturæ speciem, unde nomen. Quàm variis enim argumentis, in cælandis vasis, Vett. luxuria luserit, notum. Sic planè apud Theocritum in poculo piscator expressus habetur & effigiatus:

Toi

Τῇ δὲ μέσῳ, χειτὸν δὲ γέρον, πέτρᾳ δὲ [illegible]
Ἄσπετος, ἰθ' ὡ [illegible], μέγα [illegible]
Ο [illegible], [illegible] δὲ [illegible]

Et in boletari picta Galatea, in veteri *Epigrammate* incerti Auctoris,

Ludere facta vadis privato nympha natatu
Externas mentes, membra venusta movens.
Compta nolendaces, vacuum mihi pone boletar,
Quod places, afficiam &c.

apud Salmasium *Not. ad Pollionem.* Quid verò *boletar* sit, V. *suprà.*

Halimum, apud Plin. *lib.* 17. *cap* 24. *Necant invicem inter sese* (plantæ) *umbrâ vel densitate atq; alimenti rapinâ necat & edera vinciens, nec viscum prodest, & cytisus; necat vero, quod* Halimon *Græci vocant*: quid sit, et a multis olim disceptatum, eodem teste *lib.* 22 *cap* 22. Salmasio est *frutex Chali*, uti Arabes vocant, in Ægypto & Syria frequens, ex cujus cineribus, cum quodam silicum genere mixtis, pretiosa ac nitidissima crystallina conficiunt Veneti vitrarii. Creicit etiam in Narbonensi prov. ubi inde *Vitraria* dicitur: sicut cineres ejus in [illegible], idem ferruminatos *Soldam* vocant iidem. Latini *Ampullariam* dixere, ob eandem causam, quòd viz. ampullæ vitreæ fierent ex ea vel quòd ampullæ fractæ solidarentur eâ & maltharentur. Græcis Auctoribus [illegible] & [illegible] est, qui de ea mira prædicant: unde & Ἑρμοῦ βάσις, & Ἡλίου στέφανος, item ἱερὸν κλάδος, *Mercurii basin, Solis coronam, Sacrum ramum*, illam passim nuncupant Scriptores Chymici. *Salis* enim *Chali*, seu *aluminis Catinæ*, quod idem cum solda Narbonensium, frequens illis usus est, præcipuè, in quibus ἡ πῆξις requiritur: eo Mercurium suum figunt, & ad argentum in aurum commutandum (qui *Sol* ipsis) utuntur &c. Certè herba Chali sapore salso est, unde & *Salsolam* eam Pandectarius vocat: ἅλιμον autem idem Græcè sonat: quam & ἁλμυρίδα proin vocavit Menander *Trophonio.* Chali frutex est, in maritimis & juxta ripas aquarum salsarum nascens, cui folium pingue, spissum, læve, oblongum. Abstergentem vim habere, pannosque eo lavari, saponemque etiam præbere optimum, quinetiam mulieres eo uti, ad fucandam faciem & nitorem corpori conciliandum, Neoterici tradunt &c. Quæ omnia *halimo* Veterum conveniunt, inter cujus virtutes & hanc recenset Plinius: *præterea nitorem corpori fieri, dentibusq; candorem, si fricentur radice ejus.* Ut alia omittam, quæ Salmasius præfatus pluribus exequitur *ad Solinum pag.* 174. & 1096.

Halitæa, fons Ephesi, memoratur Plinio *lib.* 5. *cap.* 29. *Fons in urbe* Halitæa, *& templum Dianæ, complexi è diversis regionibus duo Selinuntes*: ubi vulgò *Callipia* legitur. Sed Ἀλιταίαν habet Pausanias. Ἐλαιοῦς quoque dictum, ex Creophylo discas, quòd sub illa oliva flueret, quæ ibi ostendebatur, sub qua pausaverat primùm enixa Latona. V Salmasium ubi suprà, *pag.* 810. & 811.

Halitus, cujus reciprocatione cor animalis nativo igne æstuans refocillatur, inter præcipua Dei beneficia meritò reponitur Apostolo Actor. *cap* 17. *vers.* 25. *Deus dat omnibus vitam & halitum & omnia.* Hominis inprimis, cui peculiari ratione *insufflavisse* Creator *in nares halitum vitæ*, dicitur Genes. *cap.* 2. *vers.* 7. metonymiâ etiam profanis Scriptoribus frequenti. Unde idololatricus planè is cultus, quo Russi Magnum suum Ducem venerantes, inter alia, quæ ei in accepti ferunt, *halitum* quoque numerant, ut vidimus. Cùm verò à dignitate suâ sponte defecisset homo, inter alia factum, ut *ejus tantùm* halitum *infici natura voluerit pluribus modis, & ciborum ac dentium vitiis, sed maximè senio* uti Plinius observat *lib.* 10. *cap.* 53 agnoscens, quod miteris, *hujus quoq; repertam pœnam esse, ut neq; id ipsum, quo vivitur, in vita juvaret.* Hinc remedia undecunque huic quoque malo quæsita, *Parthorumque* (quibus id vitii à juventa, propter indiscretos cibos, familiare est) *Proceres medentur grano Assyrii mali — in esculenta addito, Ibid.* Quemadmodum hodieque Indi suavitatem halitus malabathrum, seu *betre* suum continuè masticando sibi conciliant. Sed & jejunis sua graveolentia est, quæ sumto cibo emendatur. Significat eam Cæcilius Comicus apud Nonium, introducens maritum, uxoris parùm acceptæ odiosam comitatem & blanditias dedignantem,

——— Quis mihi, inquit, *ubi*
Domum adveni, assedi, extemplo suavium
Dat jejuna anima ———

Vinosis præsertim, postridie crapulæ: cui proin pellendæ Fescennia cùm trochiscos, ex aromatibus & pulvisculis odoratis confectos, jejuna sumsisset, neque verò remisisset fœtor, lepidè in eam jocatur Martialis *lib.* 1. *Epigr.* 88. ubi inter alia, rationem à contrario adducit,

Quid quod oles graviùs mistum diapasmate virus
Atq; duplex animæ longiùs exit odor?

V. plura apud Plinium passim. Ut de cæteris animantibus unum hoc addam, *Anima leonis virus grave, ursi pestilens, contacta halitu ejus nulla fera attingit — Elephantorum anima serpentes extrahit, cervorum item* &c. verbis ejusdem Plinii *loc. cit.* De *halitu* morientium ore charissimorum legi solito, V. ubi de rebus ad hominis extrema pertinentibus, nec non infrà, *de Osculo*: de *halitu* verò in vocem formato, suo loco.

Halla, apud Recentiores, domus, domicilium, aula; sed propriè locus contectus *hallis*, i. ramalibus siccis (id enim vox *hallis* notat in *L. Sal. tit.* 43 *§.* 3.) Maximè verò Franciscis Scriptoribus sic dictæ sunt aulæ majores & publicæ, in quibus *Communia* congregantur, pro communibus negotiis, ubi etiam venum merces suas Mercatores exponunt. Rigordus *in Philippo Aug* A. C. 1183. *Duas magnas domos, quas vulgò* Halas *vocant, ædificari fecit, in quibus tempore pluviali omnes Mercatores mundissimè merces venderent, & in nocte, ab incursu latronum, tutè custodirent.* Nangius *eod. ann* &c. apud C. du Fresne *Glossar.* V. quoque in voce *Hallæ.*

Halla Saxonum, adde: Sedem ibi habet Augustus Joh. Georgii Elect. fratrum natu maximus Coadjutor Magdeburgicus, qui Archiepiscopus creatus à Canonicis, A. C. 16.8. & introductus A. C. 1638. cum Leopoldo Wilhelmo Austriaco propterea litem habuit: cæterùm pace Pragensi A. C. 1635. & Osnabrugensi A. C. 1648. dignitas ei ad dies vitæ confirmata est. Unde inter Evangelicos Principes Primas, de Evangeliorum communi causa hactenus bene mereri fluduit. Idem Comitatum Barbiensem, ultimo Comite A. C. 1659. defuncto adivit, tituloq; adjecit. Heldrungam munivit: Gymnasium Augustum Weisenfelsæ instituit & ibidem arcem pulcherrimam extruxit: Pater ex Anna Maria Megapolitana, ducta A. C. 1647. & defuncta A. C 1669. Johannis Adolfi (qui n. A. C. 1649. maritus est Johannæ Magdalenæ agnatæ, ex Altenburgicis) Augusti (n. 1650. qui Præpositus Magdeburgicus & Suecorum Chiliarcha, mortuus A C 1671. viduam reliquit Carolam Hassiacam) Christiani (qui n. 1651. Dux bellicus jam Imperio inservit) Henrici (n. 1657. qui Præpositus Magdeburgicus post fratrem factus est) Alberti (n. 1659.) præter filias Magdalenam Sibyllam (quæ n. 1648. Friderico agnato ex Gothanis nupsit) Annam Mariam (n. 1653.) Sophiam (n. 1654.) Catharinam (n. 1655. †. 1663.) Christinam (n. 1656.) Elisabetham (n. 1660. †. 1663.) & Dorotheam (n. 1662. †. 1663.) qui omnes *Duces Saxoniæ in Hall* &c. Phil. Jac. Spener. *Syll. Geneal. Hist.* & *Theatr. Part. I. p.* 162. Obiit autê Augustus præfatus Coadjutor Magdeburg. A. C. 1680. quo pacto, ad Serenissimum Electorem Brandeburgicum, vi Pacificationis Monasterio-Osnabrugensis, Hallæ aliorumque est delata successio. V. Phil. Jac. Spenerum *Sylloge Geneal. Histor. in Fam. Saxonica & Brandeburg.* nec non hic infrà, in voce *Magdeburgum.*

Hallenses, monetæ minutioris genus, Germ. *Häller.* V. *Halla Sueviæ.*

Halma, una ex tribus Gaditanæ saltationis speciebus, cui à *saltu* nomen datum: hoc enim ἅλμα Græcis notat. J. C. Scaliger *Poet. lib.* 1. *cap.* 18.

Halsberga in *Testam.* Everhardi Ducis Forojul. apud Miræum *Cod. Donat. piar. cap.* 21. *Et helmum cum Halsberga*: *Habergeon* in *Statutis* Wilhelmi R. Scotiæ *cap.* 23. *§.* 2. Lorica est maculis contexta, Gallis *Cotte de mailles*, German. *Halsbergh*, id est, munimen colli, ex *hals*, collum; & *berghen*, tueri, custodire, Kilian. Sic [illegible] διὰ [illegible] καὶ [illegible], fuisse docet Leo in *Tactic. cap.* 5. *§.* 4. At Beslius etymon accersit, ab *al*, omnis & *berghen*, cooperire, ut *halsberga* fuerit armatura integra. V. du Fresne *Glossar.* Similiter & *Halsfang*, vox Saxon. occurrit in *LL.* Henrici I. R. Angl. *cap.* 11. in *LL.* Canuti §. 57. 67. & Edmundi *§.* 1. idemque notat, quod *Collistrigium* Latinis, vulgò *Pilorium.* Supplicii nempe machina est, quæ rei collum ex pegmate sublati, inter duas tabulas, comprehendit, populisque ad ignominiam exponit. Aliquando verò & ipsa mulcta pecuniaria, in commutationem pœnæ hujusmodi Regi vel Domino exsolvi solita, sic dicitur, Id.

Halter, apud Martialem *lib.* 7. *Epigr.* 67.

——— *graveiq; draucis*
Halteras *facili rotat lacerto.*

Et *lib.* 14. *Epigr.* 49. cujus lemma *Halteres.*

Quid pereunt stulto fortes haltere *lacerti?*
Exercet meliùs vinea fossa viros.

Massa è plumbo est, ferro vel lapide, quibus in *saltu* sese olim librabant, in Gymnasiis Balneisque, ad sudorem excitandum. V. hic infrà.

Halteristæ dicti, qui *Halteribus* ludebant. Erant autem Ἁλτῆρες disco simile exercitationis genus, quod in palæstra actitari solitum scribit Galenus. Nam quòd duplex saltationis genus, seu exilitionis fuisse legimus; unum, quando saltantes vacuis manibus seipsos in sublime agebant: alterum, quando manibus pondusculа capiebant, ut illis firmati vehementius saltarent; quæ Aristoteles & Theophrastus ἁλτῆρας quoque nuncupavit: hi tamen multùm à prioribus erant diversi, ut legere est apud Oribasium *Cap.* περὶ ἁλτηροβολίας seu *Halteris jaculatione*, ubi inter alia docet, *Halteres* solitos fuisse projici, aut manibus extensis & vicissim inflexis: aut in manuum protensione, quæ quiescebant & ut plurimùm brevi motu movebantur, solùm contineri, ipsos verò, qui exercebantur, non secus ac pugiles introire & concutere, vel secundùm dorsi assensû manibus vicissim se flectere, consuevisse. Hinc etiam videmus, pondera istiusmodi, variis modis fuisse emulata: perinde ac nostrâ ætate apud multos in usu habetur, qui sese

exer-

exercent, aut lapidem vel ferreum vel plumbeum manibus ac brachiis extensis & circumactis in altum mittentes. Cujusmodi exercitationis formam exactè videre est, in imaginibus *Halteristarum*, quas ex gemmis veteribus sculptis acceptas Ligorium ad se misisse, scribit Hieron. Mercurialis *de Arte Gymn. l.2. c.13. ubi leonem expressa*. Quales verò fuerint hi *Halteres*, Pausanias exponit *Eliac. l.5.* *Οἱ δὲ ἁλτῆρες οὗτοι παρέχονται σχῆμα· τοῦ δὲ κύκλου παραμήκους, καὶ οὐκ ἐς τὸ ἀκριβέστατον περιφεροῦς ὄντος ἥμισυ, πεποίηται δὲ ὡς καὶ τοὺς δακτύλους τῶν χειρῶν διιέναι, καθάπερ δι' ὀχάνων ἀσπίδος*. *Hi autem* Halteres *circuli oblongioris figuram habent, neque dimidio ad exactissimam rotunditatem perveniunt. Ita verò facta eorum est figura, ut manuum digiti tanquam per clypei ansam immittantur*. A quo paulo diversus Cœl. Aurelianus *Chro. l.4. c.2 Halteres* fuisse docet massulas quasdam, sive manipulos ex variis materiis modò levioribus modò gravioribus confectos, eâ magnitudine, ut manu quilibet caperetur: qui, Mercurialis sententia, non tantùm solis manibus, verùm etiam funiculis halteribus ipsis circumlutis, deinde inter projiciendum explicatis emittebatur; perinde ac faciunt hisce temporibus multi qui sic aut rotulas ferreas, aut caseos, aut quid aliud simile projiciendo certant. An verò Ἁλτῆρες à Platone, inter cæteras ad fortitudinem militarem comparandam excogitatas exercitationes nominentur, explicatum non habetur. Videtur tamen *de LL. lib. 8.* ubi de mulierum propriis exercitationibus scribit, verbis hisce, *καὶ λίθοις ἐκ χειρός τε καὶ σφενδόναις ἁμιλλωμένων*, id voluisse, ut cum lapidibus à manibus, tum à fundis emissis inter se certarent. Nam & ἁλτῆρες aliquando lapides erant, quos è manibus exercitatores ejicere consuevere. ut adeò dissimile veri non sit, sub nomine lapidis manibus emissi ἁλτῆρα intellexisse Platonem. Veluti certum est, fundam ab *Halteribus* diversam, funiculum quendam fuisse, qui duobus capitibus manu capiebatur, altero cum ansula, ne exiret; altero sine, ut dimitti posset, atque in medio latior erat, ut ibi lapis contineretur, quem, circumacto valide funiculo, & ab uno capite dimisso, vehementer Funditores evibrabant &c. V. Hieron. Mercurial. *de Arte Gymn. l.2. c.12.* & suprà *suo loco*.

Hama, veterum Saxonum Numen, de quo Fabricius *in Saxonia sua*, ipsum Solem fuisse tradit. Forte ab Hebr. חַמָּה *chama*, i. *Sol*: unde *Ammonis* quoque vox orta videtur. V. Johan. Vossium *de orig. & progr. Idolol. lib. 2. cap. 11.*

Hama, Gr. ἄμη, *l. 3. de Officio Præf. Vigil.* alibique *in Pandectis*, recensetur inter instrumenta, quibus utebantur in restinguendis incendiis: quod etiam docet Juvenalis *Sat. 14.* V. suprà in voce *Ama*.

Hamartigenia, nomen libri, quem composuit Prudentius, apologiæ loco, contra Marcionem; cujus sectatores, quum Auctorem suum sequuti, duos Deos, bonum bonorum & malum malorum architectum assererent: Prudentius sententiam hanc refellens, veram mali originem hoc libro ubi proposuit exponere, quem proin ἁμαρτιγένειαν, h. e. *peccati generationem*, inscripsit. Macer *Hierolex*.

Hamberga, Comitatus Germaniæ, sub propriis olim Comitibus, quibus originem dedit Arnoldus, quintus & minimus natu filius VValravii Nassoviæ Comitis, ex Barbara Muntzenbergii Toparchæ filia. Is enim ducta in uxorem Demhildâ, Toparchæ Arenbergii filia, à feudo sive dote sponsali nomen posteris tradidit. Filius ejus Ludovicus arcem *Hambergensem* struxit, unde Comitum Hambergensium VVestriciorum origo: qui surculus jam arbori Nassoviæ agnatus est. Cyr. Lentulus, *Geneal. Princ. Nassov. MS.*

Hamed Ben Abdalla, contendentibus inter se de Africæ Imperio Sceriphiis, simulato Spiritu Prophetico, se e à Deo missum actabat, pro liberanda ab eorum tyrannide Africa & Religionem Muhammedis tutandam: sicque rebellione contra illos excitatâ, regnis Fezzæ & Maroci non contentus, *totius Africæ, omniumq; ad Chinam usq; regionum* sese appellavit *Regem*. Contra quem Mulei Sidan Marocci R. ducto exercitu arte Magicâ & incantationibus ab eo victus est; sed fraude intellectâ, receptis secum aliis Magis, iisdem artibus novum hunc Saracenorum Imperatorem superavit ac fluctuantem Sceriphiorum familiam, extincto æmulo, restituit, circa A. C 1612. Georgius Hornius *Orb. Imp. pag. 478.* ubi eum *Mulei Hamed Ben Abdalla* vocat.

Hamilcar, patre Carthaginensis, matre Syracusana, ob virtutem factus Carthaginensium Rex, h.e. Dux, post cladem suorum in Sicilia nusquam comparuit, etsi Gelo Syracusanus eum sedulò jusserit inquiri. Quare hinc factum, ut à suis in Deos referretur, Athenagoras *Legat. pro Christian.* V. quoque Herodotum *Musa 7.*

Hammanienses, pop. Africæ, de quorum situ ita Plinius *lib. 5. cap. 5. Post Nasamones Asbytæ & Macæ vivunt, ultra eos* Hammanientes *undecim dierum itin. à Syrtibus majoribus ad Occidentem*. Solino *Amantes* dicuntur, *cap. 28.* ad quem V. Salmasium *p. 378.* & 381. Vulgò *Hammanienses*, ut vidimus.

Hammochrysos Lapis, apud Solinum eundem *cap. 37.* ubi de lapidibus Persiæ, *arenis auro intermixtis, nunc bractearum, nunc pulveris habet quadrulas* i. parvas tessellas seu quadratos κύβους: ab *arena* mixto *auro* dictus. Plin. *l.37. cap.11. Similitudo est in hammochryso, velut auro arenis mixto*. Sed quod de *quadrulis* habet Solinus, auctoritate destituitur, uti in Perside hanc reperiri gemmam, præter illum, nemo scribit. V. Salmasium ubi suprà *pag. 712.*

Hammodytes, serpentis genus *arenæ* concolor, unde ei nomen. Lucanus,

Concolor exustis, atque indiscretus arenis
Hammodytes —.

Quamvis enim, *quod ad serpentes attinet, vulgatum est colorem ejus plerasque terræ habere, in qua occultentur*, ut ait Plinius *lib. 8. cap. 23.* maxime tamen id de *hammodyte* verum; quem cum *cenchria* vel *cenchrine* eundem facit Salmasius *ad Solinum p. 340.* Sed de *ceraste* idem Diodorus habet *lib. 3* ubi eum *χρόαν ἄμμῳ παραπλησίαν ἔχειν, arenam colore referre*, & proin ab imprudentibus calcari illosque remordere, quo pacto Æthiopiæ partem Ægypto subjectam prorsus olim id genus desolaverit, scribit. V. suprà ubi de *Ceraste*.

Hammolant vel *Hammelant*, nomen Comitatus memorati Nithardo *l.1.* & in *Annalibus* Bertinianis *ad A. C. 837.* ut & in iisdem *ad A. C. 839.* inter Ducatum Frisiæ & Comitatum Batavorum locati, quem postea Hollandiam dictum esse putat Hadr. Valesius. Nomen Germanicum est, compositum ex *ham*, quod vicum significat & *lant*, vel *land*, i. terra vel regio. V. eum *Not. Gall.* in voce *Mosella*.

Hamon, adde: Ejus effigiem post extinctam Cyrenis Battiadarum familiam, in Cyrenensium nummis, una cum silphii caule sculpi cœpisse, diximus suprà, in voce *Battus*. V. quoq; *Arietina Cornua*. Sed & *Hammonis cornu* gemma dicta, cujus Solinus meminit *cap. 27.* ubi de Africa & Cyrenaica reg. *Illic & lapis legitur* Hammonis *vocant* cornu: *nam ita tortuosus est & inflexus, ut effigiem reddat cornu arietini. Fulgore aureo est. Prædivina somnia repræsentare dicitur, subjectus capiti incubantium.* Ad quem locum V. Salmasium *p. 350. & seqq.* ubi etiam de arbore *Hammoniacum* stillante varia.

Hamus, an ab ἅμμα, *ligamentum*, an ab ἁρπάζω, *rapio*, an potiùs ab Hebr. חח, ut censet Becmannus in *Originib. L. L.* notum piscibus capiendis instrumentum est: quo quòd non nisi ex auro uteretur Nero, inter argumenta luxus ejus jure reponitur. V. infra, ubi de Re *Piscatoria*. Imò & vulpes luposque *hamo* seu unco capi, dicemus ubi de *Vulpibus*. Sed & *hamus* in smaragdina Paschalini armilla, ab altero capitulo eminens, cujus iconem Bartholinus exhibet, idem præstitit, quod in aliis fibulæ, circulive, aut clavi, seu clausulæ, de qua re V. Thom. Bartholinum *Sched. de Armillis Vett. p. 59.* & 60. de *hamulis* Loricarum verò infrà.

Hanaperium, apud VVilh. Thorn in *Chron. Et 4. bacini in uno hanaperio*: vas amplum est, sive locus hanapis (quâ voce *vas, patera, calix, crater, in Glossar.* Ælfrici, apud Hariulfum *lib. 2. cap. 10.* alibi, venit) recondendis aptus. Præsertim verò apud Anglos sic dicitur Fiscus, vel sporta grandior, in Cancellaria Regis, cui inferuntur pecuniæ, è sigillatione diplomatum, brevium, chartarum regiarum &c. provenientes, cui qui præest, *Clericus hanaperii* dicitur. Forte, quia in Fisco olim hoc recondebantur *hanapi & scutræ*, cœteraque vasa, quæ in censum ac tributum persolvi solebant. Guibertus de *Vita* sua *lib 3. c. 4. Magnus ille census monetæ Anglicæ*, hanaporum & *scutrarum, qui malè maturat, brevi dilapidatus est*. Vel etiam, quia, quæ in pecunia numerata Principibus quotannis exsolvebantur munera, in *hanapis* seu pateris. præstabantur, uti monet du Fresne *ad Joinvillam pag 86.* De quo more Symmachus *lib. 10. Epist. 28.* ubi de strenis annuis Imperatori oblatis: *Meritò vobis solemnes pateras cum quinis solidis, ut Numinibus integritatis, offerimus* &c. apud eundem du Fresne *Glossar.*

Hannibal Grimaldus, Com. Bobiensis, quòd se in clientelam Galliæ Regis dedisset, a Duce Sabaudiæ capite plexus, Comitatusque ejus in fiscum redactus est, A. C. 1617 Hornius *Orb. Polit. pag. 242.*

Hanok, clamor militaris, apud Anglos olim in usu, cujus mentio apud Nic. Uptonum *de Milit. offic. lib. 4.* ubi Statutum Henrici V. tempore guerræ exhibet, inter alia habens: *Item si quis clamorem vocatum* Hanok *aliquo modo sine nostra licentia inceperit, morte punietur*. V. quoque suprà, *Clamor*.

Hanovia, adde: Memoria stirpis hujus à pluribus jam seculis inter VVetteravicos Comites floruit, neque conjugia alia sumta sunt, quàm dignitati propriæ paria. Plurium prætereà deficientium insitione crevit, Unde Muntzenbergicus, Rheineccicius, Ziegenhainensis, (qui iterum è domo exiit) Liechtenbergius, Bipontinus, tituli. A. C. 1451. Reinhardus obiit, pater Reinhardi ac Philippi: quorum ille *Hanovicum* tantum propagavit, donec extremos ejus palmites, *Hanovicum* Philippus Ludovicus A. C. 1641. *Schwartzenfelsium* Johannes Ernestus A. C. 1642. terminarent. Hic ab uxore Liechtenbergicum domi-

nium accepit, novæ lineæ auctor; cui ex Bipontina familia Bitſchenſis & Ochſenſtenia (non ſine controverſia cum Leiningenſibus VVeſterburgicis) hæreditas acceſſit, atque demum ipſa Agnatorum ſucceſſio. Præcipua poſteritatis ſpes ſupereſt in ſobole Joh. Reinhardi *in Biſchoffsheim*, cujus Majores ita habent. Philippus Comes *Hanoviæ in Liechtenberg*, extinctus A. C. 1538. ex Sibylla fil. Chriſtophori March. Badenſis, pater fuit Philippi cognom. *Senioris*: qui defunctus A. C. 1590. ex Eleonora Furſtenbergia, reliquit Philippum cognom. *Juniorem*, qui obiit A. C. 1599. Hoc & Margareta Bipontina natus Johannes Reinhardus I. deceſſit A. C. 1627. ſucceſſore filio, ex Maria Eliſabetha Hohenloica, Philippo VVolffgango: qui (extinctus A.C.1641.) ex Johanna Oetingenſi ſuſcepit Fridericum Caſimirum, Johannem Philippum & Johannem Reinhardum II. quorum hic ex Anna Magdalena Palatina ſuſcepit Johannem Magdalenam, A. C. 1660. Luiſam Sophiam A.C. 1662. Franciſcam Albertinam A. C. 1663. Philippum Reinhardum A. C. 1664. & Joh. Reinhardum A. C. 1665. omnes *Comites Hanoviæ* &c. *lineæ Liechtenbergicæ in Biſchoffsheim*: defunctus A.C. 1666. V. Phil. Jac. Spenerum *Theatr. Nobilit. Europ. p.* 156. *Parte I.* Idem ex illuſtriſſima familia lineæ Schvvartzenfeltiæ, quam ramus Muntzenbergicus ex ſe dedit, mentionem facit *Part. II. p.* 116. & eorum, qui Muntzenbergici rami ultimi fuere, Majores notat, *Part. III. pag.* 56.

Hansgravius, in *Privilegiis* Ratisbonæ datis à Friderico II. A. C. 1230. *Cives poteſtatem habent eligendi* Hansgravium, *qui diſponat & ordinet extra civitatem & non intra, ea tantùm quæ reſpiciunt negotia nundinarum*: Comes eſt ſeu præfectus ſocietatis vel confraternitatis, ex Germ. *Hanſe*, ſocietas & *Grave*, Comes, præfectus. V. Carol. du Freſne *in Gloſſario*, ut & in voce *Hanſa*.

Hapala Ova, apud Marcellum Empiricum, *ſtatim dare debes fomentum & betam coctam vel alicam, vel ova* hapala, *vel ungellam discoctam*: item Apicium, ut obſervavit Turnebus. Unde *hapalar* & *apalar*, V. ſuprà.

Haphe, V. infrà ubi de *Lucta*.

Hapiola, cognom Balduini Com. Flandriæ, filii Roberti II. in *Chronico* Andrenſi *pag.* 409 qui Mejero & aliis *Securis* dicitur. Bellocampius proin *hapiolam* interpretatur vernaculè *hapiette*, ſeu *ſecuriculam*, Gallicè *Hachette, petite Hache, in Hiſtor. Merovingica*, apud du Freſne.

Hapſus, in 7. *libro* Celſi, *inducitur* hapſus *lanæ mollis, tepido oleo repletus*, inter Vett. periapta. Remedia enim, ſive quæ Medici imperabant, ſive quæ ſuperſtitio ſuadebat, vel ars Magica, perſæpè lanæ involuta affectæ parti admovebant. Et quidem ſuccum remedio futurum vel adhibebant *collectum flocco*, ut Plinius ait: vel *lana hapſo* utebantur &c. Caſaubonus *ad Suetonium Galbâ cap.* 3.

Haracium, apud Vinc. Belvacenſem *l.* 31. *c.* 143. 10. *millia equorum —— præter illos qui erant in paſcuis & haraciis*, & *l.* 1. *Cod. Theod. de Grege Dominic. Greges dominici, haracia dominica*: grex equorum eſt, [illegible] Procopio *Vandalic. lib.* 1. *c.* 12. & *Goth. l.* 4 *c.* 7. Gallis vulgo *Haras*. An ex Lat. *Hara*, ſtabulo vel grege porcorum. an ex Ital. *la Razza*, ſeu Gallico *la Race*, quòd in ejuſmodi *Haraciis* equi, ſecundùm ortus, generationis ac nationis ſpeciem diſtinguantur. Nemeſianus *in Cynegetico*,

—— —— Delectus equorum
Quos Phrygiæ matres Argæaq; gramina paſtæ
Semine Cappadocum ſacris præſepibus edunt.

V. omnino Jac. Gothofredum, de gregibus dominicis Impp. *ad dict. tit.* Sed & Francici Reges ſua habuiſſe *haracia* leguntur, in *Capitulari de Villis*, quod Carolo M. adſcribitur: V. quoque Gregorium Turon. *lib.* 8 *cap.* 40. ubi *jumentorum fiſcalium* meminit. Etiam Impp. CPolitani citerioris ævi, quibus præerat Magiſtratus, [illegible] dictus, cujus, præter Codinum, meminit Pachymeres *lib.* 9. *cap.* 5. &c. Aliud longè eſt *Haraſſe*, in *Aſſiſis* Hieroſolym. *MSS. cap.* 94. ubi de armis agitur Militis, duello pedes decertantis, pro cauſa *murdri*: nempe ſcutum ingentis magnitudinis & ponderis; unde *haraſſer* Gallis hodie pro *fatigare*; quemadmodum *targer*, eadem fere notione, à *targia*, ſcuto itidem prægrandi, effictum eſt. Ingentium ejuſmodi ſcutorum meminit Rigordus *A.C.* 1214. *Quidam de obſidione conſueverat venire ad foſſas, parma præienta, quam quidam famulus ante ipſum portabat, non manuali quidem parma, ſed immenſa, quales in obſidionibus deferri ſolent*, apud du Freſne *Gloſſar.*

Haraldus I. Rex Norveg. adde: *Harfagerus* ſeu *Comatus* cognominatus eſt, conditor regiæ *Harfagerorum* familiæ, quæ per 6. ſecula continuâ ſucceſſione in Norvegia regnavit, donec extingueretur in Olao A. C. 1388. Georg Hornius *Orb. Imper. pag.* 357.

Hardeccia, Comitatus Germaniæ; qui titulus ſeculo decimo tertio in Mansfeldia familia, unà cum altero Burggraviorum Magdeburgenſium, reperitur; quâ verò ratione ex illa migraverit, minùs compertum eſt. Poſt hæc tabula *Hardecciana* hodiernam familiam ex Dominis Prueſchenckiis *de Stettenberg*, quorum ſator Ulricus Annam Burggraviam Magdeburgicam atque Comitem *Hardecciæ* uxorem principio ſec. 14. habuerit, deſcendere teſtantur: in quibus Henrico Comitatus in Comitiis VVormatienſibus conceſſus eſt, A. C. 1494. unde deinceps nomen eorum in ſubſcriptionibus Comitialium actorum reperitur & aſſignatus contributionis ad Imperii neceſſitates modus eſt, donec ab Auſtriacis eximerentur. Qui nunc ſuperant, patrueles ſunt, Julio & Philippo geniti: Philippus duas uxores habuit, & ex poſteriore Eva Maria Sinzendorfia, ſuſcepit Auguſtum (qui n. 1644. obiit Argentinæ 1665.) &... Sororem ejus quorum progenitores ſic habent. Stephanus *Prueſchenck* Do. in *Stettenberg*, ex Margaretha *de Reichenek*, genuit Henricum Com. ab *Hardeck*, qui Eliſabethæ *de Roſenberg* maritus, filium habuit Julium, defunctum A. C. 1557. Hoc & Gertrude Eberſtenia genitus Henricus, uxorem habuit Annam Mariam de Turri, et ea pater Georgii Friderici: qui ex Sidonia *de Herberſtein* Philippum præfatum ſuſcepit. V. Phil. Jacobum Spenerum *Theatr. Nobil. Europ. Part. II. p.* 137.

Harderus Jo. Jacobus, Baſil. Phil. & Med. D. Natus A. C. 1656. Patre Viro Ampliſſimo Jo. Conrado Hardero Archigrammateo & Scholarchâ, poſt multijugæ eruditionis, Medicæ præprimis, fundamenta domi foriſque jacta, ad Profeſſionem Rhetoricæ in Academia Patria vocatus A.C. 1678. edidit anno ſeq. tractatus binos: *Prodromum* viz. *Phyſiologicum, de humoribus nutritioni & generationi dicatis*; cum *Examine Anatom. cochleæ terreſtris Domiportæ*: Anno dehinc 1682. *Pæonis & Pythagoræ Exercitationes Anatomico-Medicas*, S. R. I. Academiæ *Naturæ Curioſ.* (à cujus illuſtri Præſide anno præc. Collega ſolenniter fuerat renuntiatus, & *Pæonis* agnomine inſignitus) conſecratas publici juris fecit: quas brevi, σὺν Θεῷ, ſequentur *Obſervationes Anatom. & Med. Curioſ. Admiranda* item *Cochlea terr. Domiportæ* cum *Limacologia*. Cœterùm cum Medicis celebratiſſimis Galliæ, Italiæ, Belgii, Germaniæ Helvetiæque literarium fovet commercium & haud pridem *Sereniſſ. Principi Badenâ-Durlacenſi* dignus viſus eſt, cui ſanitatis curam concrederet &c.

Pæona dum magni dixit me Cæſaris Argo,
Non quis ſim, potiùs quem velit eſſe, docet.

Hardes, in *Charta* Gaufridi D. de Baucignies, fratris Ducis Brabantiæ, apud C. du Freſne, tortiles ſunt ex virgultis laquei, Gallis *Hards* & *Harcelles*, dicti: à qua voce indita reſti ac laqueo, quo furciferi ſuſpenduntur, appellatio, fortè quòd ejuſmodi tortilibus virgultis, ad majorem ignominiam eorum colla innecterentur iiſque furcæ appenderentur: quod teſtatur VVippo de *Vita* Conradi Salici *pag.* 433. ubi de Romanis, qui ſeditionem commoverant, & jam ante *pag.* 432. ubi de Ravennatibus &c. Sic Joanni Com. Hannoniæ, qui à fide defecerat, injunctum eſſe legimus, à Philippo Pulchro Gall. R. cujus vaſſallus, propter Comit. Auſtrevanti fuerat, ut in Curiam veniret, *pour amender à ſa volonté; ayant un fil de ſoye entour ſon col, en guiſe de hart*, h. e. *filum ſericum circa collum habens, laquei inſtar*, V. infrà in *Retorta*.

Harenam, ſeu *Herr nam* Michaëli Scoto de *Phyſionom.* unum eſt è XII. auguriis, de quibus in verbo *Venta*: *quando homo vel avis à dextro latere tui vadit in ſiniſtrum, tranſiens poſt tergum tui & tam vides alicubi repauſare: tunc eſt tibi malum ſignum ſuper negotio.*

Harenarum Remedium, apud Suetonium *Auguſto cap.* 80. *Coxendice & femore & crure ſiniſtro non perinde valebat, ut ſæpe etiam inde claudicaret, ſed remedio* harenarum *atque harundinum confirmabatur*; vel de fomentis calidis affectæ parti admotis, inter quæ *harenam* quoque Celſus numerat *lib.* 2. vel de ambulatione in arena alta, capi poteſt, quam poſteriorem ſententiam plerique amplectuntur. Sed & de volutatione in *harena calida*, aut etiam littorali ac fluviali, locus intelligi poteſt. Sev. Sammonicus *cap. de Hydrope*,

Nec non & tepidis convolves corpus arenis.

Symmachus contra podagram eo remedio uſus eſt, *l.* 8. *Epiſt.* 49. Multaque apud Græcos Medicos, Aetium, Æginetam, alios, legas [illegible]. Palæſtrico inprimis pulveri talem aliquam vim ineſſe credidit Lucanus, cùm de fabuloſo Antæo, ad hoc remedii genus alludens, canit *lib.* 4.

Auxilium membris calidas infudit harenas.

Imò etiam extra morbi neceſſitatem, Veteres, in exercendo corpore, volutaſſe ſe ſuper *candente harena*, ut corpus ferendo calori aſſueſacerent, obſervant Eruditi, ex Laërtio, ubi de *Diogene Cane*. V. Caſaubonum *ad Suetonium d. l.* De *harena* verò *palæſtrica* Plin. *l.* 36. *cap.* 23. uti *de harena, quâ marmora ſecantur, lib. eod. cap.* 6. Sed & ab *harena*, nomen gemmæ, ſerpenti, oraculo, uti vidimus in vocibus *Hammochryſos, Hammodytes, Hamm* &c. V quoque ſuprà *Arena*.

Harengarum piſcatio & commercium, quod præcipuè Hollandorum eſt, ita ſe habet. Initio Junii mille & amplius naves majores emittunt, quas *Buyſas* vel *Buſſas* vocant, quarumve plurimæ 120. aliæ 100. 60. 50 &c. tonnarum, ut aiunt, ſunt; impoſitis ſingulis 24 18. 16. hominibus, quibus olim 30. vel 40. naves bellicas defenſionis ergò adjungebant, contra Oſtendanos & Duynkerckanos: pacis verò tempore non niſi 4. vel 6.

stiusmodi naves illos comitantur, ob metum piratarum. Sic instructæ hæ naves Hitlandiam versùs pergunt, & usque ad d. 14. Junii ibi subsistunt: Statuti enim loco inter piscatores observatur, ne ante diem illam retia projiciantur, quòd *Harengas* salituræ citiùs haud aptas esse autument. Hinc porro piscationem ordiuntur, ac è regione Scotiæ ac Angliæ Yarmutham usque; hoc est, totis 200. milliaribus progrediuntur, quò circa Festum S. Bartholomæanum perveniunt & interjecto tempore bis vel ter etiam *Harengis* replentur, quas aliæ naves ipsis obviam venientes excipiunt atque ilico in destinatas regiones deferunt. Quas dein post festum præfatum in regione Yarmouthensi capiunt, cùm non amplius ad saliendum idoneas judicent vel domum avehunt, vel Anglis Yarmutham venientibus divendunt, unde *Harengæ* infumatæ fiunt. Lucrum, quod inde trahitur, ingens est, & singulæ harum navium una vice repletæ 2500. Imperiales lucrari creduntur, quod si bis aut ter fiat, tanto majorem efficiet summam. Unde non solùm Reipublicæ de necessariis prospicitur, sed & illi, qui Tutorum officio funguntur, orphanorum pecuniam, tanquam optimè collocandam, in Bussas e usmodi impendunt. De aliorum generum navibus minoribus, Pinckis, Galiottis & similibus, quarum 3000. & amplius eodem fine emitti solent, ut & aliis ad hoc commercium spectantibus V. Consilium Anonymi ad Ser. Regem Angliæ, *de incrementis Regni per capturam Harengarum, in Diario Europ. Continuat.* 6. *pag.* 388. ac Joh. Keymonii *Observationes de Piscatura Belgarum in Appendice ad Continuat.* 16. *Diarii Eur.* Quod enim Anglos attinet, illi itidem naves quidem emittunt, sed vix ultra quadringentas, quæ non nisi 7. hebdomadibus huic negotio vacant, & mense quidem Octobri ac Novembri, optimæ piscaturæ tempore jam elapso; Neque illi alto se committunt, sed littora legentes, cùm tempestas ingruit, in portus se recipiunt: cùm è contrario Belgæ totis 26. hebdomadibus & usque in finem Novembris ferè piscationi immorentur, nec adversæ tempestatis aut ullius alius periculi metu à proposito sese dimoveri patiantur. Proin ab Anglis res hæc non scriptis solùm, sed & ferro aliquoties ventilata, & ad promovendum piscationis successum singularia privilegia indulta sunt, d. 22. Aug. A. C. 1661. Imò jam Cromvelli tempore Belgæ intra decimum ab Anglia milliare piscari sunt prohibiti. Auctor Anonymus *Histor. orbis Terr. Geogr. & Civil. cap.* 10. *de Commerciis.* De eodem pisce, sic Vossius, *Harengus noster, piscis ut videtur Veteribus ignotus; ut quibus exigua maris Septentrionalis fuerit notitia — quandoque tantum continet ovarum, ut pondus æquet piscem ipsum — Vulgò halecem nuncupant. Sed alius is piscis. Uti & macis, quæ Persio mana, uti & Plinio* &c. de Orig. *& Progress. Idol. l.* 4. *c.*2. Idem de nomine ejus ita, *Harengi nostri tot bona quis satis prædicet? Vox ipsa est nova; sed fortasse ex Græco Τάριχος, quia sale conditur, unde* pekelharing *vocatur, quasi muricatum harengum dixeris. Solum injicit scrupulum, quòd piscis iste nec recens nec salitus, Romanis aut Græcis fuisse cognitus videtur, lib. eod. c.*27. V. & suprà in voce *Bussa.*

Harimundus, apud Vopiscum, in *Epistola* Valeriani ad Aurelianum, in *Vita* hujus, idem cum *Fanimundo* vel *Faramundo* est, Salmasio *Not. ad l.*

Harlæus Christophorus, Præses Parlamenti Parisiensis, seculo præt. celeberrimus. Inter Dominos *de Harlay* primus legitur Stephanus, A C.1250. cujus pronepoti Philiberto illam avitam Baroniam in Burgundia ademit Johannes Dux Burgundiæ, quòd Regi Franciæ adstitisset. Quare posteri, Domini *de Granvilliers, Nogent, Sancy* & *Cesy* dicti sunt: inter quos Ludovicus: superioris seculi principio, inter plures, filios tres habuit, totidem linearum auctores. A' Christophoro enim præfato, descendunt Comites *de Beaumont*: à Roberto, Domini *de Sancy* & Barones *de Monglat*; à Ludovico, Domini *de Chanvalon*, qui postea *Marchiones de Breval*, appellari meruerunt Et quidem Bellimontios Comites quod attinet, Christophorus aliquoties dictus *Dn. de Beaumont* (qui obiit 1572.) ex Catharina *du Val*, pater fuit Achillis *de Harlay*, Com. *de Beaumont*, cui ex Cathar. *de Thou* fil. Thuani Domini *de Bonneil*, natus Christophorus, decessit A. C. 1615. relicto, ex Anna *de Rabot d'Illins*, filio Achille, quo & Maria *de Bellievre* nati sunt Achilles & Magdalena *de Harlay*. V. Phil. Jac. Spenerum *Theatr. Nobil. Europ. Part. II. pag.* 104.

Harmenopulus Constantinus, *Πανσέβαστος σεβαστὸς, νομοφύλαξ καὶ κριτὴς Θεσσαλονίκης*, ut vocatur in titulo, qui præfigitur ejus *Epitomæ divin. Canonum*, h. e. *Sebastus, Nomophylax & Judex Thessalonicensis*, in utroque Jure versatissimus; floruit Seculo XII. Scripsit in Jure Civili *Πρόχειρον νόμων, Promptuarium Juris vel Legum*, quod A. C. 1556. edidit & Latinè vertit, Joannes Mercerus, postea Græcè & Latinè edidit, Dion. Gothofredus, cum paratitlis ad singulos titulos, variis lectionibus & nomenclatore Græcarum dictionum, A. C. 1577. Item *Ἐπιτομὴν τῶν θείων καὶ ἱερῶν κανόνων, Epitomen divinorum & sacrorum Canonum*, quam collegit ex Codice Canonum Ecclesiæ Orient. seu Synodorum Oecumenic. & Provincialium, item Patrum Græcorum Canonibus; in Tomum I. verò Juris Græco-Romani inseruit Joannes Leunclavius, publicatum Francofurti A. C. 1596. cum ejusdem Auctoris tr. de Sectis & vera Fidei Confessoribus Græcè & Latinè, à Marquardo Frehero edito. V. Gerh. van Mastricht *Histor. Juris Eccl. num.* 283. *& seqq.*

Harmiscara seu *Armiscara*, in *Capit.* VVormatiensi *A. C.* 829. *cap.* 1. alibique passim, gravior mulcta est, quæ à Principibus viris præsertim militaribus, atque adeò Magnatibus irrogari solebat; *sellæ* viz. vel *canis*, supra dorsum, per definitum spatium, *gestatio*, ut patet ex *Capitulari* Ludovici III. edito à Camillo Peregrino. Sic refert Innocentius III. *lib.*13. *Epist.*135. nobilem quendam Germanum, qui Subdiaconum quendam malè acceperat, ad hujusmodi compositionem cum eo devenisse, *ut — cum ducentis militibus, à loco, in quo præfatum Subdiaconum capitivaverat, usque ad civitatem Magdeburgensem & per omnes conventuales Ecclesias portaret opprobrium, quod* Harmiscare *vulgariter appellatur.* Cujusmodi Harmiscaræ, in Charta A. C. 1246 apud du Fresne, *Hachées* Gallicè, item *Processiones* vocantur; quòd solenni indicta processione Ecclesiastica à reis peragerentur: cujus moris exemplum idem du Fresne hoc profert, ex *Charta* A.C. 1296. *in Histor. MS. Remensi* Joannis Rogerii, ubi de Præposito Remensi, qui Canonicum Rem. malè tractaverat: *Item dictus Petrus — chorum Remensem euntem processionaliter sequatur in camisia & brachis, capite, pedibus & tibiis denudatis, Remis, in duabus processionibus solennibus* &c. Ad vocis etymon pertinet, quod habet Brovverus *Annal. Trevir. lib.* 8. ubi ait, *scaram facere*, est *domino honesta jubenti servire & nuntium ejus, mandatum seu literas perferre.* Sic ergo vox composita fuerit, ex Germ. *arm*, i. *brachium* & *shara*, h.e. *deferre*, V. omnino Car. du Fresne. Aliter Amerbachius *Not. ad Cap. Car. M.*

Harmoge, Græcè *ἁρμογὴ*, commissura & transitus colorum, in Pictura. Plin. *lib.* 35 *cap.* 5. *Quibus coloribus singulis primi pinxissent — diximus — Tandem se ars ipsa distinxit & invenit lumen atque umbras, differentiâ colorum alterna vice sese excitante. Deinde adjectus est splendor, alius hic quàm lumen: quem quia inter hoc & umbram esset, appellaverunt tonon: commissuras verò colorum & transitus, harmogen.*

Harmonia, Empedocli principium boni est, diciturque aliter *Amor* seu *Amicitia*, Plut. *de Iside & Osir.* Vide quoque infrà *Musica.*

Harmostæ, Magistratus apud Lacedæmonios, qui extruendis arcibus & reficiendis urbibus præerant, Græcè *Ἁρμοσταί*, *Aptatores* seu *Concinnatores.* V. Jo. Calvinum *Lexic. Jurid.* In hac voce; ut & voce *Episcopi*, item *Harmostes.*

Harmozon, prom. Carmaniæ, ad ipsas angustias Sinûs Persici, Gr. *Ἁρμόζον*, q. *conveniens* & *commodum.* Unde *Harmozei* pop. seu *Armozei*, Plin. *lib.* 6. *cap.* 25. *Promontorio Carmaniæ junguntur Armozei. Ibi portus Macedonum & aræ Alexandri in promontorio.* Item *Harmozusa* urbs, apud Ptolom. quam hodie volunt esse *Hormus* vel *Ormus*, manifesto nominis indicio. V. Salmasium *ad Solinum pag.* 1178. ut & in vocibus *Armozum, Armuzia* &c.

Haro, nomen illustris in Hispania Familiæ, quæ ex Dominis priscis Biscajæ deduci amat. Claruit inprimis sub Johanne II. Rege, Didacus Lopezius *de Haro* VIIII. hujus nominis, Domin. de Busto, cujus filius Johannes Alfonsus, nepos autem fuit Didacus Lopezius, Dn. *de Sorbas* & *Lobrin.* Huic ab uxore Beatrice *de Sotomayor* dominium *de Carpio*: hujusque nomine *Marchionis* titulus, ex filio Ludovico Mendezio, nepoti Didaco Lopezio *de Haro & Sotomayor* obtigit. A' quo reliqui Marchiones descendunt; & quamvis aliquoties successio in filias inciderit, retenta tamen est vel retracta Agnatorum matrimoniis Ludovici Mendezii *de Haro* & *Guzman* March. *del Carpio*, &c. nati A. C. 1618. progenitores sic habent. Didacus Lopezius *de Haro* Dn. *de Sorbas*, ex Beatrice fil. Ludov. Mendezii *de Sotomayor* Dn. *del Carpio*, filium habuit cognominem: quo, & Annâ Guzmaniâ, natus itidem Didacus Lopezius *de Haro* & *Sotomayor*, Mariam sibi junxit *de Guzman*, et ex a Pater Ludovici: qui ductâ Beatrice *de Haro & Sotomayor* March. *del Carpio* agnata, suscepit Didacum Lopezium March. *del Carpio*: cujus ex Francisca de *Guzman*, filius fuit præfatus Ludovicus Mendezius *de Haro* & *Guzman*, Marchio *del Carpio.* V. Phil. Jac. Spenerum ubi suprà *Part. II. p.* 96. Hic celebris est ille [illegible] & Minister Status in Regno Hispaniæ, cui Philippus IV. ob pacem A. C. 1660. feliciter ad Pyrenæos montes conclusam, cognomentum *della Paz*, ad posteros transmittendum, concessit: unde tituli ejus hi, *Ludovicus Mendez de Haro, Sotomayor, Guzman de la Paz, Marchio & dein Dux de Carpio, Comes Dux d'Olivarez, primus Minister Status*; qui cùm haud diu paci à se factæ superstes fuisset, reliquit ex Catharina Ferdinandina *de Corduca & Aragon*, fil. Henrici D. de Cardona & Segorbia March. *de Comares*, filium Casparum *de Haro Guzman Aragon de la Paz, Duc. de Carpio March. de Liche Com. Duc. d'Olivarez & S. Lucar*; cui uxor obtigit Antonia *de la Cerda de Medina Celi*, fil. Joh. Ludovici Ducis de *Medina Celi.* Idem *Parte III. pag.* 79. & *utrobique in Indic. ubi fam. dispositio.*

Haro, seu *Harou*, item *Clamor de Haro*, in Normannia potissimùm obtinet, & inclamari solet, dum crimen aliquod capitale *furtum, incendium,*

incendium, cædes &c. perpetratur. Tum enim ii, qui vocem audiunt, ad reum persequendum foràs exire tenentur eumque detinere, si pote est, ac Judicibus tradere: quod qui negligit, Principi aut Domino feudali, qui jus gladii habet, in cujus territorio crimen commissum est, *emendam* præstat. Unde jus habere dicitur clamoris *de Harou*, qui *aliâ*, ut Galli ajunt, *justitiâ gaudet*. Sed & interdum usurpatur pro quovis clamore, in tumultibus excitari solito, apud Froissardum alibique. Origo ejus Rolloni, primo Neustriæ Duci, ascribitur, qui hoc primùm instituisse dicitur, ut nomen suum *Ha Roul*, inclamaretur ab iis primò, quibus vis illata erat, aut ab eorum affinibus ac cognatis, tanquam auxilium Ducis præsens implorantibus: postmodum etiam ab aliis, qui crimen aliquod capitale perpetrari vidissent &c. Vide Car. du Fresne in *Glossar.*

Harpa seu *Arpa*, instrumentum Musicum, cujus figura & forma *Delta* Græcorum efficit, sequioribus seculis notum, Germ. *Harpffe*, Gallis *Harpe*. Hanc à lyra distinguit Fortunatus *lib.* 7. *Carm.* 8.

Romanusq; lyrâ, plaudet tibi Barbarus harpâ,
Græcus Achilliacâ, Crotta Britanna canat.

Vossius verò *lib. de Poematum cantu & viribus Rythmi p.* 118. illud fuisse instrumentum existimat, quo Bardi Gallorum olim uterentur Sacerdotes, quod lyræ non absimile fuisse testatur Diod. Siculus. Sed & *Harpa* nomen avis, in quam Cleinidis Babylonii uxorem *Harpam* mutatam esse, unà cum *Harpaso* filio, in avem itidem cognominem, legas apud Ant. Liberalem, ex *Ornithogonia* Boei & Simmia Rhodio.

Harpago, in navibus, Anacharsidis inventum. Plinius *lib.* 7. *cap.* 56. *Rostra addidit Pisæus —— Tyrrheni anchoram —— Anacharsis* harpagonas: *& manus Pericles Atheniensis, adminicula gubernandi Typhis*. Cujusmodi *harpagones*, i. asseres ferreo unco præfixos, ex Punicis navibus in Romanas injectos, magno successu, habes apud Livium *l.* 30. *c.* 10. V. & suprà *Hama*.

Harpastum, Gr. Ἁρπαστὸν, ex ἁρπάζω, *rapio*, quòd plures projectum conentur arripere extraque ludi limites ejicere: Pilæ genus grandé ac durum, ut Folle aliquanto minus, sic Paganicâ majus; ex corio vel etiam ligno, intus lanâ, pilis, aut lino stipatum. Hanc non in sublime, ut discum, sed in terram rotabant incredibili volubilitate, & solo repercussam *at the rebound*, ut Angli dicunt, raptam revocabant, unde illi nomen, ut diximus. Martialis *lib.* 4. *Epigr.* 19.

Seu lentum ceroma teris trepidumve trigona,
Sive Harpasta *manu pulverulenta rapis.*

Quo ludi genere qui se exercebant, instar reliquorum Athletarum subligacula induebant: teste eodem *Epigram.* 66. *lib.* 7.

Harpasto qui que subligata ludit.

Quod de ceromate dictum, de unguento gymnastico intelligendum est, non in *Harpasti* modò exercitatione, sed in omnibus aliis, adhiberi solito. Seneca *de brev. vit. c.* 12. *Qui in ceromate (nam proh facinus, ne Romanis quidem vitiis laboramus) spectator puerorum rixantium sedet.* Plin. *lib.* 35. *c.* 12. *Plura de hac parte non sum dicturus, non Hermæas magis, quàm de terræ usu in ceromatis, quibus exercendo juventus nostra corpora vires animorum perdidit.* Juven. *Sat.* 6.

Endromidas Tyrias & fœmineum ceroma
Quis nescit?

V. Thom. Dempsterum *Paralipom. in Joh. Rosini Antiqq. Rom. lib.* 5. *c.* 1.

Harpe, ensis, adde: Eâdem Saturnus patrem Cœlum castrasse legitur, apud Hesiodum *in Theog.* Saturnum dein fil. Jupiter, idque in Insula Corcyra, quæ ideò *Harpe* quoque dicta. Sed & Nemesi *Harpen* tribuit Lycophron, reis infestam. Unde est, quòd Nonni *lib.* 48. Diana Auræ irata, Nemesin in illam sic invocat,

Ἢ μιν ὀιστεύσεις τεῷ χαλκείλατῳ ἅρπῃ.

Eam postea, unà cum Perseo, in cœlum inseruerunt Astronomi. Itaque apud Proclum, in Persei asterismo, quædam stellæ dicuntur καθεστάχθαι ὡς ἅρπη, *i. ita disponi, ut harpes formam imitentur.* Non tamen tota in cœlum translata est. Argivis enim Mycenis ex ea nomen inditum, ut in *Alexipharmacis* tradit Nicander,

—— —— μύκης ὅτι κάππεσεν ἅρπης
Ἄκρον ὑπὲρ κρημνοῖο Μελανθίδος.
capulus quòd decidit harpes
Super summum verticem Melanthidis:

unde à μύκης *Mycene*, Etymolog. &c. ξιφοδρέπανον autem *harpen* vocat Hesychius; λογχοδρέπανον Suidas; *hamatum ferrum*, Lucanus *l.* 9. cujus inventum Thracibus tribuit Clemens 1. *Strom.* potiùs à Phœnicibus Thraces accepere. Romani *sicam* dicebant: Fortasse κόπις & σάγαρις, apud Xenophontem *Cyroped. lib.* 2. ubi de Persarum armatura, idipsum fuit; neque diversa Laconum ξυήλη, cujus Hesychius meminit &c. Bochartus *Hierozoici Part. posteri. l.* V. *c.* 15. An inde *Harpigeri*, apud Albertinum Mussatum *de Gestis Italicorum post Henricum VII. rubr.* 1. *Per latera distinctis harpigeris, lancearii, fundibularii* &c.

Harpocration, adde: Horum Ælius, an Valerius, inter Præceptores Veri Imp. memoratur Capitolino.

Harpones, in vet. *Charta*, apud du Fresne, spicula seu ferrea, 6. pedes longa, quibus balænæ configuntur: cujusmodi *harpones*, Gall. *harpons*, describuntur Cleiraco *ad LL. maris Oleron.* Hinc *Harponeurs* iisdem balænarum piscatores. Car. du Fresne *Glossar.*

Harpyiæ, adde: Fabulam istam nulli avium generi magis convenire sentit Vossius, quàm vespertilionibus Darienes in America; qui non modò gallos gallinasque, sed & canes feles que morsu interimunt, homines etiam infestant, sanguinemque iis exugendo in maximum vitæ periculum conjiciunt, quando & nonnulli hinc tabe emortui; uti testis est Petrus Martyr *Ocean. lib.* 6. *Decad.* 3. Sed hoc genus avium Veteribus ignotum fuit, qui Φοινικῶν per *Harpyias* intellexere ventos: *Phœnicum*, scilicet Phinei Reges, quas aulâ expulere Calais & Zetes, Boreæ, h. e. Septentrionalis Reguli, ex Orythia apud Ilissum rapta, filii, quorum sororem Cleopatram Phineus uxorem duxerat. *Cleopatram* autem vocant, Apollonius *Argonaut. lib.* 2. Apollodorus *de Diis lib.* 3. & Valerius Flaccus *Argonaut. lib.* 4. Sed *Cleobulam* appellant, Servius *ad Æneid. lib.* 3. & Tzetzes *ad Lycophronem*. V. Gerh. Joh. Vossium *de Idolol. l.* 3. *c.* 99. *Sphinges*, cùm pennæ iis adduntur, *Harpyias* esse & exire, notat Petrus Bellonius *Observationum lib.* 2. *c.* 46. V. Caspar. Barthium *Animadvers. ad Statium Theb. l.* 2. *v.* 522. & hic ubi de *Sphingibus* ac *Spinturnicibus*.

Harrach, nomen illustris in Germania Familiæ; è qua primus ex Bohemia Austriæ immigrasse legitur, seculo decimo tertio Pribislaus. Cujus pronepos Bernhardus, Leonhardum & Johannem genuit, duarum linearum auctores: sed quæ à Johanne in *Goggitsch* descendebat, pridem defecit. Altera adhuc durat, Comitum axiomate illustris. Leonhardus enim *Da. ab Harrach*, extinctus A. C. 1536. filium habuit ex Barbara *de Gainiz*, Leonhardum I. Bar. *ab Harrach*, qui obiit A. C. 1590. Pater ex Barbara *de Windisch-Graz* Leonhardi II. qui ex Maria Jacobe Zollerana, filiâ Caroli Com. *de Hohen Zollern*, Carolum suscepit Com. *ab Harrach*: quo, & Mariâ Elisabethâ *de Schrattenbach*, natus Carolus Leonhardus, fratrem habuit Ernestum Adelbertum, *Cardinalis ab Harrach* nomine celebrem, & ex Maria Francisca *ab Eggenberg*, filiâ Johannis Ulrici Principis, genuit Leonardum Ulricum, Leonoram (uxor. Nicolai Com. Palfi) & Teresiam. V. Phil. Jac. Speneruin *Theatr. Nobilis. Eur. Part. II. p.* 119.

Hart, nemus Germaniæ in Saxonia, de quo sic Henr. Rosa in *Herlingsberga*,

Saxoniæ nemus est viginti millibus & sex
Porrectum, dicit quod Teutona lingua vocans Hart,
Esse potest majus, sed non præstantius ullum
Silvis, sive feris: hoc autem dives habetur,
Quòd municipiis & pagis pullulat. Hart est
Hinc ideo dictum, quia durius omne, quod illud
Educat, est aliis.

Nempe Germanis vox *durum asperumq;* notat. Idem verò aliis quoque sylvis, in agro Raurico, Suntgoja &c. nomen, V. in voce *Jurassus*.

Hartenburgum, locus Germaniæ sup. sub proprio Comite, ex Familia Comitum Leiningensium. Emico enim Catharinæ Nassoviæ (à qua Sarvverdensis illa prætensio obtigit) maritus, qui obiit A. C. 1541. cùm varios haberet filios, eorum maximus natu Jo. Philippus I. *Hartenburgicam* lineam orsus est, minor verò Emico *Dagsburgio-Falckenburgii* rami auctor fuit. Obiit autem prior A. C. 1562. ex Anna Mansfeldia, pater Emiconis, qui decessit A. C. 1607. relicto ex Maria Elisabetha Palatina, Johanne Philippo II. extincto A. C. 1643. Quo & Elisabetha agnata, filiâ Emiconis demortui A. C. 1593. nati sunt Fridericus Emico *in Hartenburg* (n. A. C. 1621. maritus Sibyllæ VValdecciæ) & Joannes Philippus *in Bockenheim* seu *Emichsburg* (A. C. 1622. †. 1666. postquam primis nuptiis Agnetem VValdecciam, alteris Elisabetham Carolam Solmensem sibi junxisset.) E quibus Fridericus Emico, genuit Mariam Elisabetham A. C. 1648. Emiconem A. C. 1649. Christianam Magdalenam A. C. 1650. & Dorotheam Sibyllam A. C. 1652. *Comites Leiningenses & Dagsburgios &c. in Hartenburg*: Johannes verò Philippus, ex posteriore uxore, Mariam Magdalenam suscepit, A. C. 1659. Vide Phil. Jac. Spenerum *Theatro Nobilit. Europ. Part. I. p.* 36. *&* 164. *item in Ind.*

Hartomundus, apud Vopiscum in *Aureliano*, ubi alii legunt *Harimundus*, quod vide.

Hartpenny, vox Saxon. ex *heard*, focus, & *penning* denarius, dictus est Denarius S. Petri. *in 1 L.* Edgari R. c. 4. quòd singulis focis, h. e. domibus imponeretur. V. *Romescot*.

Harundo, coronamentum apud Poetas fluviorum: Hos enim ii jacentes, nudos, canâ barbâ, multumque promissâ, μυρίκῃ ἢ καλάμῳ ἐστεφανωμένους, *myricâ aut harundine coronatos*, fingebant teste Dione Chrysostomo. Quâ ipsâ proin coronâ Tybrim donat Virgilius *Æn. lib.* 8.

— *tum tenuis glauco velabat amictu*
Carbasus, & crines umbrosa tegebat arundo.

Item Mincium, *Æn. lib.*10. uti Calydonium amnem, Ovidius *Metam. l.*9. Peucona, Val. Flaccus *Argonaut. lib.*6. alios alii. Sed & homines sæpe sic coronari. Et quidem Sosibius Lacedæmonios, festis Promachiorum diebus, *arundine vernacula* redimiri solitos, tradit, apud Athenæum *libro* 15. Quo exemplo, Hispanos quosdam capite gestare fundas junceas tres, memorat Strabo *lib.*3. Arundine quoque juventutem Atticam, quæ Academiam frequentabat, cingi consuevisse, utpote coronamento tenui, nec exquisito, discas ex Aristophanis *in Nub.* hisce,

Ἀλλ' εἰς Ἀκαδήμειαν κατιὼν, ὑπὸ ταῖς μορίαις ἀποθρέξεις
Στεφανωσάμενος καλάμῳ λευκῷ μετὰ σώφρονος ἡλικιώτου.

Inter Numina Gentilium, Dioscurorum hujusmodi corona propria credita est, etsi & Apollini gratam, propter arundines palustres lyris aptas, tradat idem Comicus *Ran.* V. Car. Paschalium *Coronar. lib.*4. *cap.* 1. De *Harundinum* verò variis generibus earumque usibus aliis bello pacique, inprimis *in aucupiis, in domibus tegendis, in luxu, in navigando, in scribendo, in tibiis Veterum* &c. V. Plin. *lib.*16. *c.* 27. & 36. Salmasium *ad Solinum*, & suprà passim, in vocibus *Arundo, Calamus, Canna.* Addam saltem verbum, de *Harundinum remedio*, ab Augusto in coxendicis ac cruris sinistri ægritudine adhibito, apud Suetonium, loco suprà cit. ubi de *Harenarum remedio.* Quod quale fuerit, ne Medicis quidem præstantissimis notum; Casaubonus suspicatur, non aliud id fuisse, quàm cujus Cato meminit *cap.*160. & ex illo Plinius *l.*17. *cap.*18. ubi ait: *Cùm averti carmine grandines credant plerique: cujus verba inserere non equidem seriò ausim, quanquam à Catone prodita, contra luxata membra jungenda* harundinum *fissuræ* &c.

Haruspices, quibusdam *ab aris inspiciendis*, quasi *Aruspices*, dicti; aliis hoc nomen habuere, quòd *exta* hostiarum *inspicerent.* Ab *harviga* nempe appellati, quæ erat propriè hostia, quâ aries mactabatur: Ἀῤῥὰχ enim *arietem* appellarunt Græci, juxta Hesychium, unde & *aries* nomen accepit. Ab *harviga* itaque vel *harugа* dicti sunt *Haruspices*: illi enim, ut meminit Vitruvius, immolatis pecoribus inspiciebant exta, qualia sunt jecur, pulmo, ren, cor, præcordia, renes, an integra essent, nec ne. vel ulla contaminata labe. Habuit vana disciplina hæc Hetruscos auctores, ut pluribus docet Peucerus *de Divinat.* V. quoque suprà in voce *Aruspex.*

Hasparici, uti legit du Fresne in *Miraculis* Eusebiæ Abbatissæ Hamatic. dicti sunt, qui *haspas* seu ostia effringebant, iidemque proin cum iis, quos *Directarios* Latini dixere. Vulgò habetur *Haspalici*; cujus loco mallet *Rabalici* Henschenius; hoc enim vocabulo fæcem hominum undique collectorum vocant Flandri. V. du Fresne *Gloss.* & supra ubi de *Directariis.*

Hassia, adde: Antiquissimis temporibus una cum Thuringia, cujus pars tunc censebatur, *Occidentalis Thuringia* dicta, *Reges* habuit, in Hermenfrido; *Duces* inde, in Burcardo; postea Henrico II. Imp. *Comites*, qui Aurelianensibus orti (è quibus Ludovici Barbati nepos *Landgravii* titulo, à socero Lothario Saxone Imp. ornatus) in Henricò Raspone, quem in Friderici II. odium Proceres Pontifici addicti Imperatorem renuntiaverant, extinctos A. C. 1247. Hinc nati inter Henricum Illustrem, Misniæ Marchionem, Juttæ (Henrici Rasponis soror erat) ex Theodorico filium & Sophiam Ludovico Henrici fratre prognatam Henrici Magnanimi Brabantiæ Ducis conjugem controversiâ, bellum aliquot annorum ortum, quod in hanc tandem pacem desiit, ut Brabantinis *Hassia*, Thuringia Misniensibus obveniret, easque ambas aliquando haberent, qui deficienti alterius stirpi mansissent superstites: adjectis de mutua defensione pactis, & receptis in successionem fœderisque communionem Brandeburgicis, qua de re V. plura infrà, in voce *Thuringia.* Titulus horum Principum hic est: *Landgravius Hassiæ, Princeps Hirsfeldiæ, Comes Cattimeliboci, Diezæ, Ziegenhaini, Niddæ, Schauenburgi, Isenburgi & Budingæ*, V. suis locis, & in hanc rem plura, apud Tob. Pfannerum, *de præcipuis Germ. Principp. gentibus.*

Hasta, adde: Lucinæ, quæ Græcis Ilithyia & *Zygia*, Latinis Juno quoque & Opigena, vota non solùm nuncupabant olim puerperæ, sed & *Hastas* consecrabant, publico vaccas nomine immolaturæ, quod in nummis ejus honori cusis apparet, ubi sæpe hæc Dea hastæ subnixa conspicitur. Idque olim voluit Plutarchus, *in Quæst. Roman.* Ἥρας, inquiens, ἱερὸν τὸ δόρυ νομίζεται, καὶ τῶν ἀγαλμάτων αὐτῆς δόρατι στηρίζεται τὰ πλεῖστα, καὶ Κυρῖτις ἡ θεὸς ἐπωνόμασται, *Junoni sacra habetur hasta, & pleraque ejus statuæ hastâ nituntur, ipsaque dicitur Dea Quiritis.* Veteribus enim hasta *Quiris* dicta est. Unde etiam Juno passim *Quiris* ipsa appellatur, ut inter alia in inscriptione apud Gruterum *p.* 308. Et Mars *Quirinus*, cui hasta sacra fuit apud Romanos Sabinosque olim, Clem. Alexandrino ex Varrone teste. De hisce hastis A. Gellius *l.*4. *c.* 6. Ut terram movisse, *nuntiari solet, eaque res procuratur: ita in veteribus memoriis scriptum legimus, nunciatum esse Senatui, in Sacrario, in Regia*, hastas Martias *movisse. Ejus rei causa Senatusconsultum factum est M. Antonio A. Posthumio Coss.* &c.

In Nuptiis, *Hastæ* cuspide Sponsæ comam discriminatam fuisse, docet Plut. *in Qu. Rom.* Nimirum Cœlibaris hasta gladiatoris dicta est, quæ in capite mortui steterit, qui olim nova nupta simbrio prius coronata caput comere frontemque discriminare solebat, quod inde fortes se viros genituram ominaretur, aut quod Sponsi disciplinæ se obnoxiam fateretur. Ovidius,

Nec tibi quæ cupidæ matura videbere matri,
Comat virgineas hasta recurva comas.

V. Casparum Bartholinum *de Inauribus veterum.* In Foro defixa *Hasta*, Centumviralis judicii nota erat, unde ipsum hoc aliquando *Centumviralis hasta*, item *Prætoria*, ac *Decemviralis*, dictum est. In Bello *Hastæ* in agrum hostilem conjectæ ritus, belli erat denuntiatio. Quò respexit Virgilius *lib.*9.

En, ait, & jaculum intorquens immittit in auras,
Principium pugnæ.

Hanc *sanguineam* vocavit Livius, vel quòd è sanguineo frutice & ex arbore sanguinea, vel quòd cruenti coloris esset. Turnebus *Advers. lib.*9. *cap.* 17. putat, eam, cujuscunq; demum ligni hastile haberet, sanguine fuisse cruentatam, ut cruentum atroxque bellum minaretur. Quò faciunt illa Ammiani Marcellini, de Persis Amidam obsidentibus *lib.* 19. *Vix ubi Grumbates hastam infectam sanguine patrio nostrique more conjecerat fecialis, armis exercitus concrepans involat in muros.* Servabatur autem illa in Templo Bellonæ Romæ & ab ipsis Imperatoribus in hosticum solebat ejici, postquam missa esset ante fanū Bellonæ. Festus, *Bellona dicebatur Dea bellorum, ante cujus templum erat columella, quæ Bellica dicebatur, supra quam hastam jaciebant, cùm bellum indicebatur.* V. quoque Xiphilinum ex *lib.* 71. Dionis Cassii de M. Antonio. Concluso dein bello suo loco reponebatur, Ovid. *Fastor. lib.*6. V. Rob Valturium *de Militia Rom. lib.*1. *c.* 11. Blondum Flavium *Romanarum Antiqq.* primum ferè vindicem ante hæc duo ferè secula, Casp. Barthium ad Statium *Thebaid. l.*6. *v.*6. &c. Antiquissimis namque temporibus *hastis* præcipuè pugnatum esse, ex Homero habemus, quem in finem binas Heroes gestasse notat idem Barthius, *ad illud Statii Theb. l.*4. *v.*86. — *gemino lucent hastilia ferro.*
Easque ingentes. Val. Flaccus *lib.*6. *v.* 435.

— *ingentem campis hostilibus umbram*
Fert abies obnixa genu —

V. de Thesei hasta, Papinium rursus *lib.* 12 *vers.* 731. Hinc iisdem innitebantur, Duce perorante. Claudianus *Bell. Gildon.*

— *stat circumfusa juventus,*
Nixa hastis, *pronasque ferox accommodat aures.*

De quo statu militari, iterum Barthius pulchrè *ad Theb. lib.* 5 *v.* 19. Erigebant verò, in signum deditionis quod apud Macedones in usu fuisse, sicut scuta capiti imposuere Romani, alii vittas, & ramos olivarum, præbuere, idem petituri, docet H. Grotius *de Jure Belli & Pacis l.*3. *c.*24. Inter præmia proin militaria *hastas* fuisse, legimus apud Tacitum *Annal. lib.* 3. ubi de Rufo Helvio, ab Apronio, *torquibus & hastis donato*: Et imperii militaris indices, *ad hastam*, sicut *ad habenam, ad scutum*, & similia, apud Ælianum. Sed & *Hastæ laureatæ*, aut Tabellæ laureatæ adhibebantur apud Romanos, à victoriarum & rerum secundarum nuntiis, pinnis verò signatas lanceas præferebant, cum adversa haberent nuntianda. V. infra in voce *Pinna*, & Salmasium *ad Æl. Lampridium in Alexandro Severo.* Ut nihil in præsens dicam de *Hastæ*, in auctionibus, quarum signum erat, publicè defixæ, usu, unde non solùm pro ipsa auctione vox sæpius ibi sumta reperitur, sed & hinc phrases ortum traxere, *ad hastam locare, sub hasta subire, emere ab hasta*: neque de vallo, ex *hastis* objectis, fieri solito, de quo Liv. *lib.*36. *c.*18. &c. Cæterùm *hastis* optima fraxinus: *Procera hæc ac teres, pennata & ipsa folio; multumque Homeri præconio & Achillis* hasta *nobilitata*, Plin. *l.*16. *c.*13. Sed & ex corio hippopotami fiebant ξυστὰ ἀκόντια, ut Herodotus vocat, h. e. *rasiles* vel *tornatiles hastæ*: Aristoteles δόρατα simpliciter habet, Plinius *hastas*: *Hippopotami corii crassitudo talis, ut inde tornentur hastæ.* Nam torno terebantur ac radebantur, quod qui faciebant, Δορυξόοι dicebantur, Salmasius *ad Solinum*, *pag.* 456. V. ubi de *Hippopotamo.* De inventione earum idem Plin. *lib.* 7. *cap.* 57. *Galeam, gladium, hastam Lacedæmonii invenerunt* — *Hastas velitares Tyrrhenus* &c. De *hasta* verò Bacchi corymbis hederaque redimita, dicemus infra in voce *Thyrsus.*

Hasta, vestis Monachica, V. infra *Superpellicium.*

Hastator, officium in Franciæ Regum coquina, cujus memoria servatur in *Ordinat.* Hospitii S. Ludovici R. A. C. 1261. vulgò *Hasteur*, qui veru ad focum vertit, Froissardus *Vol.* 1. *c.*182.

Hastati, dicebantur in exercitu Romano, primi ordinis milites, qui armaturam Romanam ferebant. Erat autem illa primùm scutum, dein cum scuto ensis pendens ad dextrum femur, *Hispaniensis* dictus, anceps, mucrone eximio: ad hæc verutа duo galeaque ænea & crurum tegmen ocrea, cum *Hasta*, unde illis nomen. Iidem *Antesignani* dicti sunt, quòd ante signa, & quasi in eorum conspectu, pugnarent: quemadmodum Principes *Subsignani* & Triarii *Postsignani* dicti sunt. V. Lipsium *milit. Rom. l.* 1. *dial.* 3. Ordo incedendi hic erat: primùm Pilani seu Velites ibant, ex iis qui minimi ætate ac censu, eligi soliti. His a-

ꝺukiores ſuccedebant *Haſtati*: quos ætate ac robore præſtantiores excepere Principes; quibus tandem natu maximi & experientia cani ſucceſſere Triarii, ſic appellati, quòd in acie tertio ordine extremo ſubſidio deponebantur, Joh. Roſinus *Antiqq. Rom. lib.* 10. *c.* 9.

Haſtingi, in *Charta* Guidonis Epiſc. Belvac. A. C. 1075. apud Loiſellum, *Sed poſtmodum barbarorum incurſione & impiorum, id eſt*, Haſtingorum, *pervaſione cuncta perdiderat*: Sunt Normanni Daníque ab Haſtingo Duce ſuo primario, quem natione Gallum ac in pago Tricaſſino ex infimo ruſticorum genere ortum aſſerit Glaber Rodolfus *lib.*1.*c.*5. ſic dicti. Simeon Dunelmenſis, *Heaſtingenſes* vocat, ad A. C. 1049. apud du Freſne *Gloſſar.*

Havana, adde: Portus hic *Americæ clavis*, & unicum potentiæ Hiſpanicæ in novo Orbe fundamentum eſt, inde tot arcibus & propugnaculis munitus, ut omnium judicio inexpugnabilis cenſeatur. Quidquid auri & argenti America mittit, illud omne portu hoc receptum, inde in Hiſpaniam defertur. Quæ cauſa, quòd qui claſſibus auriferis Hiſpanorum inſidiantur, non niſi circa *Havanam* excubias agant, ut inter alia ab Hollandis factum, anno inprimis 1629. quo totam Hiſpanicam claſſem, portu hoc egreſſam, cum omnibus theſauris, quibus mirè ſaburrata erat, abſque cæde & ſanguine, momento quaſi intercepерunt Georg. Hornius *Orb. Polit. part. I. cum Animadverſ. Menckeni, pag.* 64. Inde autem, poſtquam ibi Hiſpanorum convenere naves, menſe dein Septembri in Hiſpaniam ſolvunt, Autor Anonymus *Hiſtor. Orbis Terr. Geogr. & Civ.*

Haud, id eſt, *lignum*, Arabibus abſolutè dicitur aroma, quod ξυλαλόη vel ξυλοχία Græcis. cum agallocho ſeu xylaloe minimè confundendum: de quo V. Salmaſium *ad Solinum pag.*1054. & 1055.

Have, ſalutationis formula, crebra in *Conſtitutionibus* Impp. de qua V. Briſſonium *de Formulis lib.*3. & ſuprà in voce *Ave*, item *Habe.*

Haveri, Officiales, in Civ. Bononienſi Italiæ. *Bullarium* Caſin. *Tom. II. Conſtit.* 320. & 330.

Havila, Arabiæ pars margaritifera circa Catipham & Baharain, quam *Piſon* alluit, h. e. ille Euphratis ramus, quem locorum αὐτόπτης Petrus Texeira, in ſinum Perſicum ferri ait, *en Catipha junto à Barhen*, id eſt, ad Catipham, prope Barhen, vel Baharain verſus, in quibus locis celebris illa margaritarum piſcatio eſt, *Itinerar. ab India in Italiam p.* 73. V. Sam. Bochartum *Hieroz. parte poſter. lib.V. cap.*5.

Hauſtra, in *verſu* Lucretiano:

Ut fluvios verſare rotas atque hauſtra *videmus*:

modioli ſunt, rotis aquam haurientibus & in ſummum referentibus, affixi. Nempe *hauſtoriæ machinæ*, apud Vet. vel rotis ac tympanis verſabantur, hominibus calcantibus: atque hoc modo aqua è puteis extrahebatur, aut ſalinis affundenda, aut rigandis hortis aut ad alios quoscunque uſus. Vel, citra hominum operam, ipſius fluminis impulſu, affixas circa earum frontes pinnas percutientis, circumagebantur ad eosdem uſus. Atque has intelligit Lucretius: de quibus latiùs Vitruvius, *Circa earum frontes*, inquit, *affiguntur pinnæ, quæ cùm percutiuntur ab impetu fluminis, cogunt progredientes verſari rotas, & ita modiolis aquam haurientes, & in ſummum referentes, ſine operarum calcatura, ipſius fluminis impetu verſatæ, præſtant quod opus eſt ad uſum.* Ab his modiolis ſeu *hauſtris* diſtinguenda ἄντλια Græcorum, ſeu *cadi*, qui propriè ſituli ſunt, tollenonibus ſuſpendi, aut trochleis per funes è puteo tolli ſoliti: *antlia* Latinis, V. infrà in voce *Tolleno*, item ubi de *Trochleis*. Alia machina fuit, quâ Ægyptii aquam è Nilo *hauriebant*, agris rigandis: Κοχλίαν Græci, *Cochleam* Romani appellavere, cujus deſcriptionem ex eodem Vitruvio pete. Iisdem uſibus inſerviit Cteſibiaca machina, eidem memorata, & ad aquam altiſſimè extollendam accommodata. *Pneumatica organa* vocat Plinius *lib.* 19. *cap.* 4. *Hortos* —— *riguos maximè habendos, ſi contingat profluo amne, ſi minus, è puteo pertica, organisque pneumaticis, vel tollenonum hauſtu.* Ad exhauriendam in navibus ſentinam *Celones* adhibiti, V. ſuprà &c. Cùm verò ſic irrigabantur horti, aquâ è puteis *hauſta* & manibus infuſa, βρέχειν propriè Græcis dicebatur, ſicut ἀρδεία, quæ fiebat rivo inducto. V. Salmaſium *ad Solin. p.*588. & 589.

Hautequergnii Comites, vide infrà ubi de Familia *Hornana.*

Haydeccia, ſeu *Heideccia* Familia, in Norico, Germaniæ provincia, illuſtris: ex qua memoratur vixiſſe Bernhardus A.C.1292. VVilhelmus item & Georgius fratres *A. C.* 1360. quorum ille Herbrandum genuit, Friderici Patrem, cui uxor fuit Beatrix Dux Teciæ. Ultimus maſculorum Spenero videtur Johannes, qui bello Smalcaldico VVirtenbergenſium copiarum Dux fuit, V. Sleidanum *lib.*17. & Thuanum *lib.* 2. Hunc dein, licèt proſcriptus eſſet à Cæſare, Mauritius Saxo Elector inter ſuos allegit; unde expeditionis in Cæſarem hic auctor habitus eſt, V. Thuanum *lib.*6. Filiam habuit is Mariam Dn. *de Heydeck*, quæ nupta Hieronymo Lib. Baroni *de Marſperg* & *Befort*, obiit A. C. 1626. Ejus Majores ſic habent. Fridericus præfatus L. B. *ab Heydeck*, ex Beatrice Duce, extinctâ A.C. 1410. reliquit Joannem, Annæ Hennebergicæ maritum & ex ea patrem Georgii: quo, & Anna Truchſeſſiâ, natus Johannes ſuprà memoratus, obiit A. C.1553. ex Eliſabetha Rappolſtenia, pater Mariæ ultimæ ſuæ gentis. Ditiones hodie in Palatinæ Familiæ, aliquæ in Lobcovitiorum, ſunt poteſtate. Idem *Part. III. p.* 48. V. quoque cum *Arte Herald. Tom.II.*

Hazfeldia, Equeſtris in Germania Familia, inprimis à fratribus Franciſco Herbipolitano & Bambergenſi Epiſcopo, Melchiore Conſiliario atque Campi Mareſchallo & Hermanno, propagatore gentis, ad ſublimiora evecta eſt, cùm Gleichenſi titulo atque ita Comitum dignitate mactarentur. Progenitores eorum quod attinet, Godfridus *ab Hazfeld*, ex Maria ſeu Jeta *Wiſſin à Feurbach*, pater fuit Georgii: quo, & Anna Steinbachia, genitus Godfridus, uxor. habuit Margaretham *à Schlitz*, exque ea ſuſcepit VVilhelmum, maritum Catharinæ *de Selbach in Crotdorff* & Patrem Sebaſtiani; cui Lucia *de Sickingen*, filia, neptis, proneptis Franciſci, genuit Hermannum præfatum (cum fratribus) Comitem *in Hazfeld & Gleichen*, patrem ex Maria Catharina *de Daalburg*, Franciſci, Melchioris, Henrici, Sebaſtiani, Luciæ (Chriſtiano Com. *de Hohenloe* nuptæ) Mariæ (cui maritus Ludovicus Guſtavus ex eadem Familia *de Hohenloe* obtigit) Catharinæ, Eliſabethæ & Annæ. E quibus Henricus, junctâ ſibi Catharinâ Eliſabethâ *de Schanborn*, ſobolem ſuſcepit. V. Phil. Jac. Spenerum *Theatro præf. Part.II pag.*61. & *Part. III. p.*88. *ut & utrobique in Ind.* Plura V. hanc in rem, apud eundem *Arte Herald. Tom.II.*

HC.

HC. pro K. non ſemel occurit, præſertim in *Chartis* Longobardicis. *HCarolus* prò *Karolus*, apud Leonem Oſtienſem, editum ab Angelo de Nuce; *HCalenda*, pro *Kalendæ*, in *Epitaphio* Aligerni Abbatis Caſin. apud du Freſne,

Conditur his ſeptis ter ternis ritè HCalendis &c.

Sed in priori voce aliam rationem τοῦ H. reddunt alii, quam vide ſuprà. H. F. in notis antiquorum, ſignificat, *Hic fundavit*, vel *honeſta fœmina*, vel *fortuna* &c.

HE.

Hebdoma, Gr. Ἑβδόμη, feſtum erat publicum Athenis, ſeptimo quoque die Lunæ celebrari ſolitum, in honorem Apollinis, cui dies ille ſacer. Suidas, Ἡμέρας τινὰς ἐνόμιζον Ἀθήνησι θεοῖς τισιν, οἷον νουμηνία καὶ Ἑβδόμη Ἀπόλλωνος, *Dies quosdam dicabant Athenis Diis nonnullis, ut Novilunium & Hebdoma Apollinis.* Factum id autem propterea volunt, quòd hic dies Apollinis haberetur natalis, ex Heſiodo Ἡμέραις,

—— —— καὶ ἑβδόμη, ἱερὸν ἦμαρ,
Τῇ γὰρ Ἀπόλλωνα χρυσάορα γείνατο Λητώ.
—— —— *Et Septima ſacra dies eſt,*
Hac etenim Phœbum peperit Latona nitentem.

V. quoque Euſtathium *ad Odyſſ.* ψ. Celebrabatur hoc feſtum ab Athenienſibus lauru cinctis caniſtrumque coronantibus, ac hymnum Deo canentibus, teſte Proclo *in Heſiodi Dies.* Et tunc temporis convivia à juvenibus agitari fuiſſe ſolenne, colligere eſt ex A. Gellio *lib.* 15. *cap.* 2. cùm ait: *Is in conviviis juvenum, quæ agitare Athenis hebdomadibus Lunæ ſolemne nobis fuit.* &c.

Hebdomadarius, dicitur in Communione Rom. Monachus, qui ſuas in miniſteriis monaſticis vices per hebdomadem exſequitur: cujusmodi *Hebdomadarii* tot erant, quot officia in Monaſteriis, ut colligitur ex Molano *de Canon. lib.* 2. *cap.* 15. ubi Theſaurarium in Eccleſia S. Petri Lovanii, eundem & Hebdomadarium, à trecentis annis & ampliùs fuiſſe, cui incumbat quotidie ſummum ſacrum canere ſeu omnium horarum officium inchoare, licèt nomen ipſum indicet, hoc onus per hebdomadas ſolitum fuiſſe dividi, ait. V. infrà. Quibus omnibus qui præerat, ut ſinguli ſua officia ritè exequerentur, *Archihebdomadarius* dictus eſt, Græcè Ἀρχιεβδομάριος, in Concilio CP. ſub Menna *act.* 5. Cœterùm, ut ſuper *Hebdomadarios*, priusquam ſeptimanas ſuas ordirentur, ita &, cùm eas abſolverant, orationes fundebantur, quarum Formulas habes inter *Opera* Alcuini *p.* 1194. Sed & *Hebdomadarii* vocabantur, qui per vices ſeptimanatim ad cubiculum Imperatoris excubabant, V. Codinum *de Orig. CP. p.* 20. & Meurſium in Ἑβδομάριοι, laudatos Carolo du Freſne *in Gloſſar.* nec non Cl. Suicerum *Theſaur. Eccl.* voce Ἑβδομαδάριοι, ubi *Coquum Monaſterii* primitùs ſic dictum; item Ἑβδομάριος, ubi Juvenes *hebdomadatim* cubiculum Imperatoris cuſtodientes ita appellatos, hisque majores τοὺς Κοιτωνίτας ſive Κουβικουλαρίους, ac ſupra hos τὸν Πριμικήριον τοῦ Κοιτῶνος, qui ſuberat τῷ Παρακοιμωμένῳ τοῦ Κοιτῶνος, fuiſſe, ex Meurſio docet.

Hebdomadariorum in Eccl. Rom. genera varia.

Hebdomadarius Cantor, apud Udalricum *Conſuet. Cluniac. lib.*2. *c.* 29.

Hebdomadarius Chori, cujus eſt *ſuâ hebdomade in Choro adminiſtrare officium*, apud Belet. *cap.*24.

Hebdomadar. Coquinæ, cujus eſt *coquinas purgare, ſcutellas lavare & ad coquendum neceſſaria*

via cursu pervolare, in *Vita* Adelberti Episc. Prag *cap* 13.

Hebdomadarius Defunctorum, qui horum curat officia, in *Statutis* Ord. Sempringham. *pag.* 732.

Hebdomadarius Invitatorii, cui invitatorium præcinendi munus commissum, apud Udalricum *loc. cit.*

Hebdomadarius Lector ad mensas, in *Regula* Magistri c. 24.

Hebdomadarius majoris Missæ, apud Lanfrancum *cap.* 13.

Hebdomadarius Psalterii, in *Statut.* Ord. Sempringh. p 764.

Hebdomadarius sacri Altaris, in *Vita* Joan. Gorziæ Abbatis, &c. V. du Fresne *in Gloss.*

Hebdomas, Græcè Ἑβδομὰς, propriè septimus dies. Josephus de Essenis, Καὶ ταῖς ἑβδομάσιν ἔργων ἐφάπτεσθαι διαφορώτατα Ἰουδαίων· οὐ μόνον γὰρ τροφὰς ἑαυτοῖς πρὸ ἡμέρας μιᾶς παρασκευάζουσιν, ὡς μηδὲ πῦρ ἐναύοιεν ἐκείνῃ τῇ ἡμέρᾳ, κτλ. *Et singulis sabbathis ab opere abstinent religiosiùs reliquis Judæis: non enim solùm præcedente die cibos sibi præparant, ne ignem accendere cogantur eo die* &c. Sic τετρὰς, *quarta dies*, mensis, ἐννὰς, *nona*, & sic de reliquis. Postmodum recentiores de septenario dierum numero, quo septimana constat, vocem usurparunt, Salmasius *ad Solin. p.* 612. Fuit autem *Hebdomadum* observatio, qualis hodie obtinet, vix ante Theodosii tempora vulgò recepta: interim tale aliquid multo antè Græcos præsertim & Asiaticos, in functionibus vitæ quotidianæ, observasse constat. Quod quia imitatione Judæorum, qui jam tum per orbem sparsi erant, institutum est, etiam *Sabbathi* nomen retinuere multi. Certè Diogenes Grammaticus *disputare sabbatis Rhodi* consuevisse, legitur apud Suetonium *Tiberio* c. 32. Septimo quoque die ferias pueris concedi in scholis solitas, tradit Lucianus *Pseudolog.* *Convivia juvenum hebdomadibus Lunæ Athenis agitari solemne fuisse*, Aul. Gellius *l.* 15. *cap.* 2. *Sic exercitium septimi diei fuit omnium militum, ita ut sagittas mitterent & armis luderent*, apud Vulc. Gallicanum *in Avidio Cassio*: Alexander Sev. *septimo die Capitolium ascendit, Templa frequentavit*, apud Lampridium &c. Imo jam sua ætate adeo increbuisse septimi diei observationem, ex Judaico ritu; ut urbs nulla aut Græcorum aut Barbarorum fuerit, quæ cessationem ab opere diei septimi in suos mores non recepisset, scribit Joseph. *c. Appion. l.* 2. Sed & ab intima antiquitate petendum *Hebdomadis* usum, & καθ' ἑβδομάδας *per hebdomades*, veteres Patres distinxisse temporum spatia, priusquam ratio computandi per menses & annos ab Astrologis fuisset inventa, (ut ait Georg. Syncellus *Chronol. MS. in Bibl. R. Gall.*) Scriptores superiorum seculorum existimasse videmus, Joann. Philoponum, qui floruit sub annum Christi 600. *de Mundi creatione lib.* 7. c. 14. Theoph. Patr. Antiochenum, qui seculo, Josepho *Antiqq. Judai.* Scriptori proximo, scripsit, *lib.* 1 *ad Autolyc.* Alios: quibus adde Auctores, qui Planetarum VII. nominum diebus *Hebdomadis* adjectionem ejusque observationem, ex intima itidem antiquitate petunt. qua de re V. supra in voce *Dies*. Dierum autem *Hebdomadis* ordo passim apud Vett. ejusmodi est, ut primus Soli tribuatur, postremus Saturno, cæteris intervenientibus, non aliter atque juxta morem hodiernum; seu, ut Ausonio,

Cuncta supergrediens Saturni septima lux est,
Octavum instaurat revolubilis orbita Solem.

Ubi Solis diem *octavum*, *supremum* & *primum* pariter vocat; in octoade sc. ex repetitione factâ, est is tam supremus, quàm primus: uti etiam ex iis liquet, quæ ex Vettio Valente aliisque depromit Joan. Seldenus infra laudandus. Nec obstat, quòd Nicolaus de Cusa Cardin. *in Reparat. Calendar. Septem*, inquit, *dierum numero apud omnes nomina revolvuntur, licèt de prima septimanæ die ac dierum nomine diversitas sit. Christianorum septimanæ initium est, à die Dominico, Græcorum & Alexandri à die Lunæ, Jesnargis* (Jesdegird) *à die Martis, Nabugodonosor à die Mercurii, Ethnicorum à die Jovis, Elhigera à die Veneris, Hebræorum à die Sabbati*: Dies enim, quos habet ille alios, velut pro variis septimanæ initiis, sunt dies Epocharum Chronologicarum, seu dies alii atque alii in septimana i. feriæ aliæ atque aliæ, à quibus anni solùm putantur, neque ad *orbis Hebdomadici* initium spectant, E. g. ubi ait, Septimanæ *Jesdegird*, id est, Persicæ initium esse à die Martis, id non aliter verum est, nisi intelligas, characterem annorum Persicorum à Regno Jesdegird, esse diem septimanæ tertium, interim septimanæ initio, etiam apud Persas in die Solis, non Martis, collocato, &c. V. præclara hanc in rem plurima, apud Seldenum præfatum, *de Jure N. & Gent. juxta Discipl. Ebræor. l.* 3. *c.* 11. *& seqq.* Præterea Casaubon. *ad Suetonium d. l.* & infrà ubi de *Planetaria dierum ratione, Sabbatho, Septimo die* &c. Erat verò apud Hebræos olim *Hebdomas* vel *ordinaria*, dierum septem, Levit. *cap* 23. *v.* 15. & Dan. c. 10. *v.* 3. vel *extraordinaria*, annorum septem, Levit. c. 25. *v* 8. & Dan. c. 9. *v.* 24. Apud eosdem *Hebdomadum festum* Pentecoste dicta est, Exod. c. 34. *v.* 22. eo quòd septem *hebdomades* à Paschate numerandæ essent: de quo V. infrà suo loco. Addam hic saltem strictim varias *Hebdomadum* appellationes, in Eccl. Rom. usitatas, ex C. du Fresne *in Glossar.* & Macris fratribus *in Hierol.* fusiùs de iis agentibus.

Hebdomadum in Eccl. Rom. appellationes variæ.

Hebdomada in Albis. quæ hebdomadem Paschalem & Dominicam in Albis subsequitur: incipit à Sabbato in Albis & terminatur Sabbato seq.

Hebdomada authentica, in *Charta* A. C. 1075. apud Puricellum, *in Monum. Ambrosianæ Basil.* V. *Hebdomada Major*.

Hebdomada Crucis. Germanis, quæ aliàs *Rogationum Hebdomas*, V. Macros.

Hebdomada de Excepto, dicitur in Ritu Ambrosiano, ultima hebdomas Adventus Macri *in Hierol.*

Hebdomada Expectationis, tertia septimana post Pascha, quæ sc. est post Ascensionē, quoniam repræsentat illud tempus, quo Apostoli expectaverunt adventum Spiritus S. apud Beletum *c.* 130.

Hebdomada Indulgentiæ, dicitur *Hebdomas major*, quia *in ea pœnitentes absolvuntur*, Honorius Augustodun. *l.* 3. *c.* 72.

Hebdomada Major, aliàs *Authentica, Indulgentiæ, Pœnosa, Sancta, ultima hebdomas*, Gr. Ἑβδομὰς μεγάλη, V. *Hebdomas major*. Colitur hæc maximè ab Orientalibus Christianis, & Æthiopibus; apud quos præcipuè Nobiles totâ hâc hebdomade pullis induti vestibus, parùm loquuntur ac rarò domo exeunt, Godign. *lib.* 1. c. 35.

Hebdomada Mediana, Quadragesimæ est quarta, in *Epist.* Pelagii Pontif.

Hebdomada Media jejuniorum Paschalium, apud Marcellin. Com. μέση Ἑβδομὰς, in Concil. Chalcedon. *act.* 11. μεσονήστιμος Joanni Chrysostomo, aliisque Græcis Scriptoribus est tertia Quadragesimæ hebdomas, juxta Latinos, quarta juxta Græcos, Allati *de Dominicis & Hebd. Græcor.*

Hebdomada Paschalis, Gr. Διακαινήσιμος, quæ festum Paschatis subsequitur & protenditur usque ad Sabbatum in Albis exclusive, apud Durandum *l.* 6 *c.* 81. *n.* 16.

Hebdomada Passionis, quæ Dominicam Palmarum præcedit, du Fresne *ad Villeharduin.*

Hebdomada Pentecostes, Græcis τοῦ ἁγίου Πνεύματος Ἑβδομὰς, ut est apud Morinum.

Hebdomada Pœnalis, Gallis *la Semaine peneuse*, quòd jejuniis & laboribus transigatur, illa est, qua Christus crucem subiit: eadem *Sancta* & *Ultima*, sc. *Quadragesimæ* V. suprà.

Hebdomas, apud Ausonium in *Mosella*, ubi insignes aliquot Architectos & Artifices recenset,

Forsan & insignes hominumque, operumque labores,
Heic habuit decimo celebrata volumine Marci
Hebdomas ——

nomen est operis celeberrimi, quod *Hebdomadum* libros inscripsit M. Varro: qui in illis imagines illustrium in quocunq; genere Artis virorum, subdito elogio versibus scripto, consignaverat. Salmasius *ad Solin. p* 818.

Hebdomas Major, adde: Gr. Ἑβδομὰς μεγάλη, vocatur hebdomas Passionis, in *Constitut.* quæ *Apostolicæ* dicuntur l. 1. c. 13. de qua V. inprimis Chrysost. *Tom. V. Homil.* 58. quæ est εἰς τὴν Μεγάλην Ἑβδομάδα, ubi appellationis caussas fusè indicat. Τῶν ἁγίων παθῶν Ἑβδομὰς, *sanctarum Passionum hebdomas*, vocatur in *Resp.* Timothei Alexandr. Σωτήριος παθῶν Ἑβδομὰς, *salutifera passionis hebdomas* Alexandro, qui dicit, Constantinum M. lege sancivisse, ut ἄπρακτος, i. *feriata*, esset. Dies ejus σταυρωσίμους ἡμέρας, *crucifixioni adscriptos dies*, nuncupat Psellus *de operat. Dæmonum.* &c. apud Cl. Suicerum *Thesaur. Eccl.* voce Ἑβδομάς: ubi & *Hebdomadas apud Græcos à subsequente, non à præcedente* (quod apud Latinos fit) *Dominica nomen sortiri*, addit ex L. Allatio *de Dominicis & Hebdom. Græcor. num.* 5 Idem de *Hebdomade*, Διακαινησίμῳ Græcis dictâ, quæ Festum Paschatis proximè sequitur, quamquè feriatam idem Imperator esse voluit, varia egregia habet, voce Διακαινήσιμος, ut & Γονυκλισία. V. quoque infra, ubi de Vett. in Sacris *Ingeniculatione*.

Hebenus, V. supra *Ebenus*.

Hebion, V. *Ebion*

Hebræi, adde: Nudis communiter incedebant capitibus nisi quòd tæniis quibusdam seu vittis fluentem cæsariem, extra luctus tempus, coercebant ac religabant. Erant autem illæ admodum angustæ, putà minimi digiti latitudine, & in modum coronæ capita cingebant, ad capillos circum tempora coercendos. Unde quia tempore luctus vel tondebatur coma, vel fluere sinebatur, dicebatur deponi corona. In mœrore verò, item ob defectum pluviæ diuturnum, operuisse capita leguntur, Jeremiæ c. 14. v. 3. *Etiam magnifici eorum emiserunt minimos suos ad aquas: venientes ad fossas non invenient aquas, reversi sunt suis vasis vacuis, erubescunt & pudore suffusi operiunt caput suum.* Idque arctè & validè appresso tegmine, quod non aliud erat, quàm pallium ad cervicem adhærens, quod condendo tum capiti adduxere. Observant tamen eruditi, illos cùm alibi, tum maximè in templo orationi vacantes, velasse capita & caputiis fuisse tectos; imitatione Mosis, qui non audens aspicere contra Deum, ad rubi conspectum faciem suam abscondit, Exod. c. 3. v. 6. Proin Abulensis de variis capitis integumentis, quibus Sacerdotes olim usos fuisse conjicit, ex Exod. c. 28. & 29. prolixè disputat. De cidari Pontificis, seu pileo, quo summus gentis Sacerdos tegi solebat V. Joseph. *Antiqq. Judaic. l.* 3 c. 8. Reliqua vestis pallium erat cum tunica, unde CHRISTUM nostrum Dominum, cum sectatoribus suis, palliatum fuisse more gentis docet Octav. Ferrarius,

contra illos, qui eos Tribonophoros fuisse contendunt. *Quòd si enim*, inquit, *Christus in tribonio incessisset, frustra milites super pannum ea, ut senioribus quidem bonis digna, sortem misissent*, V. eum *de re vest. part.* 2. *l.* 4. *c.* 18. Interius vestimenti genus tunica & interula fuit, unde de Tunica Christi inconsutili nota Historia Evangelica. Porro & nudis cruribus ac tibiis gens incessit, nec femoralium illis usus fuit, quod ex historia Noahi Genes. c. 9. patet: soli ea induere jubebantur Sacerdotes, cum per gradus ascenderent ad altare, Exodi c. 20. *v. ult.* & Ezech. c. 44. *v.* 17. Calceatos vero fuisse patet ex suprà laudato Exodi *cap.* 3. *versu ult.* ubi Deus ad Mosem æquo propius accedentem, *Extrahe*, inquit, *calceamenta tua, à pedibus tuis.* Plura de *Hebræorum* ritibus V. apud Th. Godvvyn. *libro, cui hic titulus, quem modò dixi*, ut & in hoc Opere *passim*. De Lingua eorum V. supra in voce *Ebræi*: uti de Jejuniis suo loco.

Hebræum Castrum, unum ex duobus castris urbis Corinthi, arci Acrocorintho contiguis, quod sub Christianis Imperatoribus extructum, à Judæis, quibus ibi tum morari licuit, nomen nactum est. Vulgò *Ebræo-Castro.* Jam sub Turcarum potestate, cum tota regione, qui Corintho Judæos pepulerunt. V. Jac. Sponium *Itiner. Part.* 2 *p.* 301. Idem nomen hodie ruderibus veteris urbis Rhamnuntis est, in Attica, quam modò *Tauro-Castro*, modò *Ebræo Castro* hodierni Græci appellant *ib. p.* 315.

Hecaerge, adde: Eadem cum Hecate, Vossio. Sicut enim Apollo Ἑκάεργος quasi ὁ τὰ ἑκαθεν ἐργαζόμενος, h. e. *vim suam in longè dissita exercens*, ut est apud Heraclidem Ponticum, sic Luna Ἑκαέργη, dicta est, quod & illa in longè dissita operetur. Et sanè Ἑκαέργην, utcunque virgo dicatur Hyperborea, non aliam primo, quam Dianam sive Lunam, alterque Λοξὼ vocitatam, innuit etiam Callimachus eius Scholiastes *in Hymn. Dianæ*, *v.* 204. ubi hic: Οὖπις, inquit, ἐπίθετον Ἀρτέμιδος. ἢ παρὰ τὸ ὀπίζεσθαι τὰς ὠδινούσας. ἢ παρὰ τὴν θρέψασαν αὐτὴν Οὖπιν· ἢ διὰ τὰς Ὑπερβορέας κόρας, Οὖπιν, Ἑκαέργην, Λοξώ, ἃς ἐτίμησαν Ἀπόλλων καὶ Ἄρτεμις· καὶ ἀπὸ μιᾶς μὲν Οὖπις ἡ Ἄρτεμις. Λοξίας δὲ καὶ Ἑκάεργος ἐκ τῶν λοιπῶν ὁ Ἀπόλλων. *Opis epitheton est Dianæ: sive quia curam habeat parturientium: sive quòd Opis eam educaverit, sive propter virgines Hyperboreas*, Opin, Hecaergen *&* *Loxonem; quas honorarunt Apollo ac Diana, ac ab una quidem Diana assumsit nomen* Opitis; *ab aliis autem Apollo vocatur Loxias & Hecaergos.* Ubi Vossius mallet dixisset, ut Triviæ sive Dianæ custos dicta *Opis*; imo ipsa etiam Diana sic est cognominata; quod apertè Servius *Æneid.* 11. ut item à Loxone Apollo nuncupatus est *Loxias*: ita ab *Hecaerga* & Dianam *Hecaergam* & Apollinem vocatum *Hecaergum.* Sed de *Hecaerga* præteriit, quia vix ea pro Hecate obtineret appellatio: at contra *Hecaergi* pro Apolline nomen Poetis frequens. Sic igitur colligit *Hecaergen* & Hecaten non solùm origine vocis convenire, namque & Hecate ab ἑκὰς; sed eandem planè divam esse. Quod ipsum aliter etiam sic astruit. Siquidem Deliæ Virgines, quando nupturæ essent, dicabant comam detectam Opidi & *Hecaergæ*: ut est apud Pausaniam *in Atticis*, imo & Herodotum *in Melpomene.* Nam apud eum pro Ἄργην Ἑκαέργην legi debere, observatum jam diu doctissimo Leopardo *Emendat. lib.* 10. *c.* 25. At cui convenientius, quàm Dianæ, Virginitatis præsidi, valedicturæ virginitati suæ hunc honorem habitum voluêre? Et Athenis quoque pridie nuptiarum (προτέλεια dicere) virgines in honorem Dianæ, ad Deam placandam, canistra tulisse, similiter docet Theocriti Scholiastes *ad Idyll.* 2. Quare neutiquam dubitandum, quin Opis, *Hecaerga* & Loxo, diversa sint nomina uni eidemque Hecatæ sive Dianæ imposita, pro diverso effectu: ac *Opis* sit dicta, à cura puerperii: *Hecaerga*, quòd è longinquo operetur: *Loxo*, quòd λοξῶς, i. *obliquè* per cœlum moveatur &c. V. Gerh. Joh. Vossium *de Orig. & progr. Idol. lib.* 2 *c.* 29.

Hecatæus Historicus, adde: Γενεαλογίας inter alia composuit, teste Stephano, apud quem citatur passim, ἐν πρώτῳ, ἐν τρίτῳ γενεαλογιῶν. Historiam verò suam hoc modo exorsus est, Ἑκαταῖος Μιλήσιος ὧδε μυθεῖται· τάδε γράφω, ὥς μοι ἀληθέα δοκέει εἶναι. οἱ γὰρ Ἑλλήνων λόγοι πολλοί τε καὶ γελοῖοι, ὡς ἐμοὶ φαίνονται, εἰσί, apud Demetrium Phaler. *lib.* περὶ Ἑρμηνείας: quâ oratione nihil simplicius ac solutius: ita cola colis coacervata & temere veluti sparsa jacent, nihilque habent, quo invicem apte cohæreant & ad unguem juncta conniveant. V. de hoc genere scribendi antiquissimorum Scriptorum, Salmasium *ad Solinum pag.* 846. & *seqq.* ubi *Hecatæum* Protagorâ & Pherecyde Atheniensi antiquiorem, Eumelo verò recentiorem fuisse, inter alia, contendit.

Hecatæus, inter nobiles Toreutas, memoratur Plin. *lib.* 33. *c.* 12.

Hecate, adde: Huic, & Genetylli (quod Veneris cognomen) pro nascentibus olim vota fiebant, & canis immolabatur, non ob pariendi facilitatem, neque ob animalis sinceritatem, sed propter vigilantiæ omen, audaciæ insuper ac fœcunditatis, Th. Bartholin. *de Puerp Vet.* Eidem periclitantes sacrificabant. Unde narrat Scholiastes Aristophanis *Pace*, Zerinthum antrum Thraciæ fuisse, quo confugere soliti, qui in magnis periculis versarentur, mox ubi *Hecatæ* & Corybantibus sacrificassent, fuerint liberati. Sed & nocturnis spectris & terriculamentis præesse credebatur, uti docet *ad Lycophronem* Jo. Meursius *p.* 301. Porro eam Τρίμορφον, quoque à Græcis Poetis, & Τρίγληνον dictam esse, docet ex Athenæo *l.* 8. prioris filius Gaspar *l. de Inauribus vet.* ubi τρίγληνα asserit commodè exponi *Tribacciam*, vel *Tribacam*; ita enim apud Petronium Arbitrum legit:

Quo margarita cara, Tribaca, Indica?
An ut matrona ornata phaleris pelagii
Tollat pedes?

Significat autem vox illi margaritam, quæ tribus bacis unionibusque inauri insertis constabat: quippe binos ternosque elenchos aurea bracteâ conjunctos auribusque suspensos, idem *ead. lib.* notat. Et quidem *Hecates*, cognomento τριπρόσωπος, statua, ab Alcamene facta, Athenis erat, prope simulachrum Victoriæ alis privatæ, teste Jo. Meursio ubi suprà. Alterius meminit Plin. *lib.* 36. *cap.* 5. Ephesi, in templo Dianæ, post ædem, *in cujus contemplatione*, ait, *admonent æditui parcere oculis, tanta marmoris radiatio est.* Hodieque conspicitur Ephesi, in muro arcis ex lapide *caput* sculptum, ad cujus latus serpens, ad alterum arcus est, quo *Hecatem triformem*, & quidem *capite* Lunam, *serpente* Proserpinam, *arcuque* Dianam, indigitari, judicat Jac. Sponius *Itiner. VII. Ecl.* in descr. Ephesi. Non esse tamen semper idem Numen cum Diana & Proserpina, ostendit Th. Demsterus, ex Hesiodo *in Theog.* interdum enim *Hecate* tantùm animarum præses fuit. Luct. Placid. *ad vers.* 481. *lib.* 4. *Theb.* *Hecate*, inquit, *& Mercurius pias animas ducunt, nocentes Tisiphone.* Illi divites olim singulis mensibus epulas parabant magnificas, quibus pauperes vescerentur, ut patet ex Schol. Aristophanis in *Pluto*, V. Franc. Rossæo *in Archæol. Attica* &c. Græcorum enim hæc Dea fuit, annotante Joh. Rosinum *Antiqq. Rom lib.* 2. *cap.* 19. Ut de Fanis ejus coronamentique genere, quo cingi idolum hoc solebat, verbum addam; in antris secretisque locis fana ejus erant, ut ex prædictis liquet. Sic in Colcho, ubi *secreta antra* Papinius, *Thebaid. lib.* 6 *vers.* 735. magnas solitudines, Plinius *lib.* 6. *cap.* 10. memorant, celebre Fanum, seu Ara Hecatæ fuerunt. Ovidius *Metamorph. lib.* 7.

Ibat ad antiquas Hecates *Perseidos aras,*
Quas nemus umbrosum secretaq; sylva tegebat.

Quia verò Numen subterraneum fuit, eam antiquitas, præter draconem, coronavit ramo quercino, inquit Scholiastes Apollonii Rhodii *lib.* 3. At Sophocles ἐν Ῥιζοτόμοις id tribuit *Hecatæ* ἐνοδίῳ, *compitali*, cujus statua τριπρόσωπος in triviis locabatur, quæque proin terrestris & sensibilis erat, juxta divisionem Deorum Artemidoro traditam *l.* 2. *c.* 35. Sed & χθονίᾳ *Hecatæ*, quam furiis ac dæmonibus aggregabant, idem ornatus fuit: in quo quercum umbras seu tenebras, in quibus degeret, signasse, docet Car. Paschalius *Coronarum lib.* 7. *c.* 12. &c. Hinc *Hecatæi Idus*, apud Statium *l.* 3. *Sylv.* 1. quòd hic dies Dianæ sacer adeoque à venationibus feriatus esset, uti observavit Hadr. Turnebus *Advers. l.* 7. *c.* 26. *Hecateia sacra*, apud Cor. Gallum in *Ciri*, quæ *Lethæa* eidem Statio *Theb.* 4. *v.* 414. aliis *Magica*, mortuis excitandis instituta: Ἑκάτης ἀγάλματα, apud Hesychium, canes; de quo epitheto, ut & plura de hoc cæcæ Gentilitatis spectro, V. apud Jo. Meursium *ad Lycophronis illud* περσέφαγγα θεὰς, *pag* 216. Casp. Barthium *Animadversion. ad Statium passim*, inprimis *Superstitionum Commentario*, Vossium *de Idolol. lib.* 1. *c.* 39. ubi, inter alia, pluscula de trigla seu mullo ei sacro, Alios innumeros Μυθολογικῶν Auctores.

Hecatombæus, adde: Ei festa sacra *Hecatombæa*, Kal. Jun. Athenis celebrari solita, memorantur Beuthero apud Theod. Zuingerum *Theatro V. Hum. pag.* 4031. *a.*

Hecatombe, adde: At, *si Imperatorium sacrificium esset, centum leones, centum aquilæ, & cætera hujusmodi animalia feriebantur*, Jul. Capitolin. *in Maximo & Balbino.* Sed & *Hecatombe* dicta, sacrificium octoginta unius boum, quos Nestor immolavit, cùm Telemachum hospitio excepisset, *Odyss.* γ. quòd hic numerus satis ingens & à centenario prope abesset, Eustath. *ad l.* ubi & de simili sacrificio Cononis, postquam circa Cnidum navalem victoriam reportasset. Idem *Chiliomba*, quæ mille victimis constabat, ab Atheniensibus, victore Miltiade, mense Thargelione, sacrificatæ meminit *Ibid.* Plura de ratione *Hecatombarum*, ex Scholiastis Græcis aliisque, etiam Christianis Scriptoribus V. apud Casp. Barthium in *Commentariis Superstitionum.* Ad convivia è Sacris illarum usum transtulit Paphlagoniæ quidam Rex luxu insignis, qui, ad imitationem sacrificii hujusmodi, Diis, ob ingentia beneficia, offerri superstitione veteris ævi soliti, omnibus centenis in convivio apponi jussis, à bobus, unde sacrificio nomen, incipiendo, suo ventri non simplicem hecatombam sacrificasse legitur, apud eund. Eustath. *ad Odyss.* α.

Hecatompedon, apud Harpocrationem & Suidam, dictum est templum Minervæ in arce Athenarum, quæ ἀκρόπολις appellata, non tam à pulchritudine ac symmetria, ut Scriptores hi volunt, quàm à *centum pedum longitudine*, ut docet Jac. Sponius, qui illud pluribus describit *Itiner. Parte* 2. *pag.* 142. & *seqq.* ubi & iconismum ejus exhibet. *Parthenona* appellat Pausanias, utpote ædem Semper-virgini dicatam: qualem Minervam finxisse Gentiles, notum.

Hecatompylos, urbs in Parthia, adde: Caput Parthiæ, Plin. *lib.*

6. *cap.*

6. cap. 15. à quo ad Caspias Portas stadia mille nongenta & sexaginta, ad Alexandriam verò *ἐν Ἀρείοις*, quatuor millia quingenta triginta, numerat, *Ibid.* V. Salmasium *ad Solinum p.* 971.

Hecatontarchus, Græcè Ἑκατόνταρχος, h. e. *Centurio*; quâ voce usus est Balsamon in *Can. 6. in Trull.* ad denotandos Senes quosdam, qui in Diabolicis artibus alios instruebant, quosque *Primicerios* quoque & *Pseudotheos*, h. e. *Deos mendaces*, appellat, apud Dominic. Macrum *in Hierolexico.*

Hechingum, adde: Vulgo *Hechingen.* Idem Illustri Familiæ nomen, quæ Zollerensis stirpis ramus est. Inter filios enim Caroli Com. *de Zolleren* seu *Hohenzollern*, qui communis omnium, quotquot hodie in illa familia vivunt, sator, obiit A. C. 1576. Eitelfridericus major natu, *Hechingensem*, in qua primus Principale axioma obtinuit ipsius filius Johannes Georgius: Carolus verò secundogenitus *Sigmarigensem* ramum ex se dedit; qui nunc eadem dignitate gaudet. Et quidem *Hechingensis* lineæ quod attinet γενεαλογίαν, Eitelfridericus Com. *de Hohenzollern*, extinctus A. C. 1512. filium habuit, ex Magdalena Brandeburgica (Friderici fil.) Eitelfridericum; qui decessit A. C. 1525. Pater ex Johanna *de Borsel* (fil. Henrici *de Borsel* Com. *de Puchen & Grandpré*, Caroli senioris, defuncti A. C. 1576. Hoc & Annâ Badensi (filia Ernesti March. Badensis *in Pfortzheim*) genitus Eitelfridericus, obiit A. C. 1604. superstite filio, ex conjugio Sibyllæ Zimmerensis, Johanne Georgio, qui Principali axiomate primus in sua familia decoratus est. Huic genuit Francisca Rheingravia (fil. Friderici Com. Sylvarum & Rheni) Eitelfridericum (qui, maritus Mariæ fil. Henrici Com. *de Berg*, obiit A. C. 1661.) Georgium Fridericum (defunctum . . . .) Leopoldum Fridericum (*d.* . . .) Philippum (cui nupsit Maria Sidonia Marchio Badensis) Sibyllam (uxorem Ernesti Com. *de Marck*) Annam Mariam (uxorem Egonis Com. Furstenbergici) Catharinam Ursulam (nuptam Wilhelmo March. Badensi) Franciscam (uxor. Jacobi Annib. Com. *ab Empi*) Mariam Renatam (uxor. Hugonis Com. Königseccii) Maximilianam (cui Joh. Fridericus Com. Trautson maritus obtigit) & Mariam Annam (uxor. Gotti. Isenburgici) *Principes omnes & Comites de Hohenzollern &c. in Hechingen.* Phil. Jac. Spenerus *Theatr. Nobilit. Europ. Part. I. pag.* 154. V. quoque ubi de Fam. *Zollerana.*

Hector, Priami fil. adde: Iliensibus cultum olim esse, unà cum Helena, Athenagoras ait *Legat. pro Christ.* Ὁ μὲν Ἰλιεὺς θεὸν Ἕκτορα λέγει, καὶ τὴν Ἑλένην Ἀδράστειαν ἐπιγινώσκων προσκυνεῖ, *Ilienses Deum Hectorem prædicant & Helenam, velut Adrastiam, scientes adorant.* Atque idem de *Hectore* tradit Clemens Rom. *Recognition. lib.* 10. V. Gerh. Joh. Vossium *de orig. & progr. Idolol. lib.* 1. *cap.* 21. Sed & Hectoris lucum in agro Thebano, memorat Strabo *lib.* 13. in loco, qui Διὸς γοναὶ dicebatur, quòd ibi natus à quibusdam crederetur Jupiter. Huc enim ex oraculo ossa *Hectoris* è Phrygia transportata esse, in remedium variarum calamitatum, Thebanis (qui soli Bœotorũ ad Ilium non militaverant, teste Artemidoro *lib.* 4. *cap.* 65.) incumbentium, tradit Scholiastes Homeri *ad Il.* ν. Cæterùm quæ de duobus his Heroibus Dio Chrysostomus in *Troica* narrat, verisimiliora Homericis figmentis habent Eruditi. Fuerunt autem ii inter se similes admodum, fato & virtute, ut & prosapiâ; qua de re festivam narrationem reperies, apud Aphthonium Sophistam V. Casp. Barthium *Animadversion. ad Statium Tom. III. pag.* 1680. De *Hectorea* verò *tonsura*, memorata Anaxilao, apud Pollucem versu,

Τὴν ἐκ βρέγματος τὴν ἑκτόρειον κόμην,

V. Eustathium *Il.* ψ. Hesychium, Meursium *ad Lycophronem* &c.

Hedera, an ab *hærendo*, miræ enim tenacitatis est, an quòd *edita* petat, an quòd *exedat* parietes, dicta? celebre olim Bacchi coronamentum fuit. Plin. *lib.* 16. *cap.* 34. *Dicitur — Alexandrum ob raritatem ita coronato exercitu, victorem ex India rediisse, exemplo Liberi patris: cujus Dei & nunc adornat thyrsos, galeasq́; etiam & scuta, in Thraciæ populis, in solennibus sacris.* Nempe is vino opposuit *hederam*, & ex ea coronam plectere docuit, Plut. *Sympos.* 3. Unde in convivia idem coronæ genus transiit, & pocula inde sumta, de quibus suprà aliquid diximus, in voce *Cissybium.* Alii tamen Baccho placuisse *hederam* volunt, quòd illa vini vice fungitur, & *absq; vino inebriat*, ἄνευ οἴνου ποιοῦσα μέθην, ut idem Plut. ait *ubi supr.* Certè *hedera* & *vitis* sociatæ sæpissime in ejusdem Idoli coronamento, ob arctam utriusque cognationem: namq; & altera alteri implicita mirè pulchrescit, Virgilius *Ecl.* 5. & vitem fore feraciorem, si putator ejus *hederâ* esset redimitus, existimatum est, Constantinus Cæs. *lib.* 5. *cap.* 24. Quò facit fabula de adolescente, è Bacchi saltatoribus uno, cui Κισσὸς nomen, in *hederam* verso, eidem indigitata *lib.* 11. *cap.* 31. Insuper hasta Bacchi, uti in summo corymbis, sic in medio & imo, *hederâ* implecti solita est, teste Nonno *lib.* 9. Ejusdem aræ *hederas* imponi consuevisse, Scaliger docet *Poetices lib.* 1. *cap.* 21. Omnes etiam, in sacris ejus, eodem modo fuere redimiti, V. Barthium *ad Statium lib.* 2. *Sylv.* 7. *vers.* 11. &c. Sociabatur verò etiam violis, elichryso, & in militibus quoque lauro, ut videre est apud Car. Paschalium *Coronar. lib.* 1. *cap.* 17. & *lib.* 3. *cap.* 1. Præter Bacchum, Silenus quoque hederâ cingebatur, Salmasius *ad Solinum pag.* 1041. de quo Sileno V. suo loco. Priapus item, & Satyri, Athen. *lib.* 5. Apollo porrò: Namque *Hedera* Libero quondam sacra, i. Soli, quemadmodum & laurus eidem, sub nomine Apollinis ob eandem caussam. Hinc apud Macrobium *Saturnal. lib.* 1. *cap.* 18. inter alia legas, quòd Lacones festo illo Apollinari, quod in Hyacinthi memoriam triduo solebant celebrare, *hederâ*, Bacchico ritu, consueverint coronari. At Æschylus quoq; dicit, ὁ κισσεὺς Ἀπόλλων, *Hedera gaudens Apollo.* Euripides item eundem sic affatur, Deorum Δέσποτα, Φιλόδαφνε, Βάκχε, Παιάν, Ἄπολλον, Εὔλυρε, *Domine, laurus amans, Bacche, Pæan, Apollo, lyra canore.* V. iterum Vossium *lib.* 2. *cap.* 14. Musæ tandem. Ita enim Calliopen, Musarum nobilissimam, redimit Ovidius *Fastor. lib.* 5.

Tunc sic neglectos hederâ *redimita capillos*
Prima sui capit Calliopeia chori.

Qua de re V. iterum Paschalium ubi suprà, *lib.* 1. *cap. ult.* A' Diis ad homines idem *hederæ* usus transiit, Principes uti de Alexandro vidimus; Milites, in ejusdem exercitu; Luxuriosos & lasciviæ deditos, de quibus Athen. *lib.* 14. Mulieres quoque, quæ eadem capillitium religabant, uti de Thebanis habes, apud Euripidem. Sed & Poetarum sacrum genus, *hedera* coronabantur. Fert namq; hæc victricem se vetustatis atque eò comitem immortalitatis ejus, quam sibi præclarissimi Scriptores ut præmium proponunt, Poetæ inprimis, quorum proin celeberrimus quisque ac cæterorum victor hac fronde caput evinxit. Hinc illa victrix Horatio *lib.* I. *Epist.*

—— *seu condis amabile carmen*
Prima feres, hederæ *victricis præmia* ——

Hoc autem Poeticum, ut sic dicam, hederæ genus Plinius sic describit *lib.* 16. *cap.* 34. *Aliqui & semen nigrum, alii crocatum, cujus coronis Poetæ utuntur, foliis minus nigris: quam quidam Dionysiam, alii Bacchicam vocant, maximè inter nigras corymbis.* Ab hominibus ad alia, aras, thyrsos, ut dictum: Poetarum imagines. Unde Ovidius in Pontum relegatus, suæ imagini *hederam* demi vult, velut omnem jucunditatem, eamque, quæ nomini suo adhærebat, æternitatem, abdicans. *Trist. Lib* 1.

Si quis habes nostris similes in imagine vultus,
Deme meis hederas, *Bacchica serta, comas.*

Pocula insuper, quibus in conviviis libabant Sic κισσύβιον, *poculum hederaceũ*, Hercules sumit apud Admetũ, Eurip. *Alcest. Act.* 4. Cyclops, apud eund. *Cyclop. act.* 3. Ipsa convivia, quæ κισσοφόρα θοινήματα, *hederata convivia*, appellat Idem *Bacch.* &c. Etiam pro diademate fuit Antigono Macedoniæ R. apud Alex. Neapolitanum *Genial. Dier. lib.* 1. *c.* 28. Et ad simulachra Deorum Cilicia adhibita est, teste Pausania *in Arcadicis* &c. Quam in rem V. præfatum Paschalium pluribus disserentem ubi suprà, adde Casp. Barthium *Animadversion. ad Statium passim*, Auctorem Anonymum *Sinæ & Eur. cap.* 34. Alios. De *Hederæ* verò *natura corymbis, mammis seu acinis, genere triplici, nigra, candida & quæ helix dicta, nigraq́; speciebus dualibus, erythrano, & chrysocarpo*, V. præter Theophrastum, Dioscoridem, Plinium, Alios; Salmasium *ad Solinum pag.* 364. *& seqq.* Addo saltem, Flamini Diali, apud Romanos, illam adeo expetitam aliis, *hederam* ne tangere quidem licuisse, an quòd, licèt formosa virensque, sterilis tamen esset, & inutilis hominibus, imbecillaque, ac ea de causâ aliis, quibus innitatur, opus habeat: an quòd eam mulieres Bacchicis furoribus deditæ rectam ferrent, & manibus discerperent ac devorarent; ideoque existimaretur, inesse illi spiritum, qui de statu rationis hominem deturbet aliamque prorsus ebrietatem, ab ea, quam vinum gignit, diversam inducat? Debebat autem Jovis Sacerdos Bacchi orgia vitare. Jo. Rosinus *Antiqq. Rom. lib.* 3. *cap.* 16. Sed nec hoc omittendum, aliquem *Hederæ* usum & in Ecclesiæ Rom. ritibus occurrere; de ea enim *in Pascha, in Choro administranda*. quædam habet Hemereus *in Augusta Viromand.* Car. du Fresne laudatus &c. Hinc *Hederata patina argentea librarum* XXX. & III. inter munera à Gallieno Imp. missa Claudio Tribuno, apud Pollionem, quæ *hederæ* folia cælo expressa habebat. Variis enim argumentis, in cælandis vasis, lusisse Vett. industriam suprà diximus. At quæ corymbos, h. e. uvas hederæ habebat, *corymbiata* dicebatur: Sed & inter *hederæ* species κορυμβίας κιττὸς recensetur Theophrasto &c. De *Hederaceis* verò *poculis*, V. præter Plinium, & quæ suprà diximus, Dempsterum *in Jo. Rosini Antiqq. Rom. lib.* 1. *cap.* 30.

Hedinus, apud Hispanos, dicitur *Justitiarius Judæorum, qui exercet compulsiones & mandat sententias executioni, & cognoscit de minoribus causis* &c. Vitalis Episc. apud Blancam *in Commentar. Rerum Aragonicarum pag.* 784. laudatum Carolo du Fresne *in Glossario.*

Hedysma, apud Plinium *lib.* 13. *cap.* 1. *Ratio faciendi* (unguenta) *duplex: succus & corpus. Ille olei generibus fere constat, hoc odorum. Hæc stymmata vocant, illa hedysmata*: ex Græco ἥδυσμα. Cornario est omne id, quo spissatum oleum suavi odore imbuebatur & perfundebatur; qualia recensentur Dioscoridi amomum, nardum, myrrha, balsamum, carpobalsamum, costum, amaracum. At Salmasio odores στύμματα sunt, oleum verò ἥδυσμα, condimentum viz. liquidum, quo veluti condiantur odores, qui corpus sint & in oleum addantur, ut serventur quasi quadam conditurâ. Ex liquidis autem ἡδύσματα præcipua facit, oleum & acetum, ex Polluce, ἡδύσματα, ἔλαιον καὶ ὄξος. Certè ἥδυσμα Græcis est, quid-

quid ad saporem & gustum suaviorem conciliandum pertinet, proprieque τὸ ἡδὺ ad gustum refertur, inde ad odoratum translatum est. Quo factum, ut, cùm odorum alii spissando oleo tantùm adhiberentur in unguentis, alii ad conciliandam odoris suavitatem adhiberentur, hos posteriores quoque ἡδύσματα vocet Dioscorides. Adspergebantur vero hi solùm, & immergebantur, ut in oleo jam decocto maderent, quod ἐναφέψειν & ἐμβρέχειν est eidem: cùm reliqui odores simul cum oleo decoqui moris esset. Sed propriè ἡδύσματα, quod diximus. Hesychius ἀρώματα exponit, alii θυμιάματα quoque & [illegible] appellavere. V. Salmasium *ad Solinum pag.* 465. & 466.

Hegesias, Archon Athenis *Olymp.* 114. quâ Alexander M. obiit. Josephus *c. Appionem lib.* 1. Alius, *Cypriorum* auctor nonnullis, Athen. *lib.* 15.

Hegesippus Historicus, adde: V. de illo inprimis Joann. Frideric. Gronovium *Observat. in Eccles. Scriptores, passim*, præsertim *cap.* 1.

Hegira, adde: Nempe, ut in multis Christianorum simia Muhamedes fuit, ita principium æræ suæ eadem appellatione donavit, quâ Christiani à Diocletiano suam. Quemadmodum enim æra Diocletiani dicta est *æra Martyrii*, ita etiam Pseudoprophetæ hujus dicta est *Hegira*, h. e. διωγμὸς ἕνεκα τῆς θρησκείας, *Persecutio Religionis ergo*, ut interpretatur Joan. Hesronita post Geographiam Nubiensem c. 8. Numerant autem Muhammedici menses hujus epochæ, à phasi Novilunii ad phasin sequentis Novilunii; quod intervallū nunquam 30. dies excedit, neq; minus est 29. ita ut 4 menses alternatim consequentes 30. dierum sint & tres 29. sine ullo utrinque excessu &c. De *Veneris* hinc die, non minori apud Muhammedanos veneratione coli solito, quàm apud Hebræos *Sabbatum* est, apud Christianos *Dies Dominica*, V. supra in voce *Giuma & Hegira*.

Hegumeni, Græcè Ἡγούμενοι, dicuntur Abbates apud Græcos, Anastasius *in Leone III.* alibique passim: unde *Egumenarchium*, apud eundem *in Hadriano I.* forte idem cum eo, quod Ἡγουμενεῖον vocat Alexii Comneni *Novella*, Monasterium viz. vel potiùs domicilium *Hegumeni* &c.

Heideccia, V. infra *Heydeckia*.

Heidelberga, adde: Hinc nomen Familiæ *Heidelbergensis* Electoralis Palatinæ, cujus auctor fuit Fridericus, filius Stephani Com. Palatini Rheni, extincti A. C. 1445. & communis omnium, quotquot in parte Palatina supersunt, genitoris: frater Ludovici, à quo reliquæ lineæ, *Bipontina* inprimis ac *Lutelsteinia* s. *Lautereccia* seu *Veldentia*. Et quidem nactus is *Simmerensem Principatum*, pater fuit ex Margareta Egmondana, Arnoldi D. Geldriæ filia, Johannis I. qui extinctus A. C. 1509. ex Johanna Saræpontana, fil. Johannis Com. Nassovii, reliquit Johannem II. Comit. Palatinum Rheni *in Simmeren*, extinctum A. C. 1557. quo & Beatrice Badensi, natus Fridericus III. Elector obiit A. C. 1576. genuitque ex Maria Brandenburgica, fil. Casimiri Marchionis, Ludovicum Electorem qui decessit A. C. 1583. Hoc & Elisabethâ Hassiacâ (fil. Wilhelmo geniti Philippi Landgravii) genitus Fridericus IV. Elector, decessit A. C. 1610. ex Luisa Juliana Nassovia, fil. Wilhelmi Nassovii Principis Arausionensis, relicto Friderico V. Electore & Bohemiæ R. defuncto A. C. 1632. Huic Elisabetha Anglica (fil. Jacobi M. Britanniæ Regis, extincta A. C. 1662.) genuit Henricum Fridericum (A. C. 1614. †. 1629.) Carolum Ludovicum (A. C. 1617. maritum Carolæ Hassiacæ) Elisabetham (A. C. 1618.) Robertum (A. C. 1619.) Mauritium (n. 1621. †. ...) Luisam Hollandinam Monialem (A. C. 1622.) Ludovicum (1623. †. 1625.) Edoardum (1624. maritum Annæ Gonzageæ Niverniæ, defunctum 166..) Henricam (A. C. 1626. nuptam Sigismundo Rakozio Transylv. Principi, def. 1651.) Philippum (1627. †. 1650. Carolam (1628. †. 1631.) Sophiam (1630. ux. Ern. Augusti D. Brunsuic. & Lunæb.) & Gustavum (qui n. 1632. decessit 1646.) *Omnes Comites Palatinos ad Rhenum &c. Lineæ Electoralis sive Heidelbergensis*. E quibus Carolus Ludovicus Elector, ex uxore, Pater est Caroli, n. A. C. 1651. & Elisabethæ Carolæ, n. 1652. quorum ille uxorem habet Wilhelminam Ernestinam Christiani V. hodierni Daniæ Regis sororem; ista Philippo D. Aurelianensi, Ludovici XIII. Gall. R. fratri unico nupsit. V. Phil. Jac. Spener. *Theatr. Nobil. Eur. Part. I. p.* 142. & 162.

Heidenhemium, Dynastia in Ducatu Wirtembergico. Hæc ad Helfenstenios & *Heidenhemios* Barones quondam pertinuit; quorum familiâ in Degenhardo Præsule Augustano, A. C. 1307. extinctâ, ad Helfenstenios pignoris jure; inde ad Bavaros, migravit. Eam postea emit Ulricus Adamatus Wirtembergius, A. C. 1350. At iste, ab Imperatore proscriptus, atque hujus in gratiam hostilia ab Ulrico passus armis eam rursus occupavit. Recepit quidem illius nepos, cui Ulrici itidem nomen, ab Alberto Bavaro, ob præstitam adversùs Palatinos egregiam operam: sed rediit ad Bavaros, post cladem à Winariensibus & Suecis ad Nordlingam acceptam, non nisi Pacis Westphalicæ beneficio, ad Wirtenbergicos Principes reversa, Tob. Pfannerus *de præc. German. Pr. gent. Cap.* 7.

Heideroti, factio quædam in urbe Leodiensi, de qua Magnum *Chron. Belg.* A. C. 1403. *Ceperunt cerni cives Leodienses, qui seipsos nominabant* Heideotos (*quod interpretantur multi de Gallico in Latinum, Osores Justitiæ*) *rebellare D. Joanni de Bavaria Electo Leodiensi*. Suffridus Petri *in eodem Joanne cap.* 4. *Hedrotios* appellat, ubi illos sic vocatos addit, *ob effrænem linguæ petulantiam, quâ sine pudore legitimis Magistratibus, ad captandam auram popularem obtrectabant*, apud du Fresne *in Glossar.*

Heideshemia Familia, in Germania illustris, ramus est Leiningensium Comitum stirpis. Mortuo enim Emicone, Catharinæ Nassoviæ marito, A. C. 1541. qui omnium, quotquot hodie in Fam. Leiningensi Dagsburgica supersunt, pater extitit: major ejus natu filius Joh. Philippus Hartenburgicam lineam, minor Emico *Dagsburgio-Falckenburgicam*, orsi sunt; cujus posterioris surculi sunt *Heideshemius*, & *Falckenburgius* seu *Dagsburgius*. Et quidem priorem quod attinet, Emico modò memoratus, cogn. *Senior*, Com. *in Leiningen & Dagsburg*, extinctus A. C. 1593. ex Ursula Fleckenstenia, filium Joh. Ludovicum Com. Leining. & Dagsburg. *in Heydesheim* reliquit, qui obiit A. C. 1625. Eo, & Mariâ Catharinâ Com. Sultzensi, genitus Emico, defunctus A. C. 1658. ex Christina Solmensi (fil. Alberti Ottonis Com.) suscepit Fridericum Emiconem (n. & †. 1634.) & Georgium Wilhelmum (n. A. C. 1638. maritum Annæ Elisabethæ Falckenstenie) Ex altera verò conjuge, Dorothea Waldeccia, sorore Philippi Comitis, nati ei sunt Emico Christianus 1642. qui Luisam Christinam Com. Falckenstenium sibi junxit: Johannes Ludovicus, A. C. 1643. Beatrix Elisabetha (n. & †. 1644.) Alexandra Juliana (n. 1521. uxor Georgii Hassiæ Landgravii) & Anna Eleonora posthuma, quæ decessit A. C. 1661. omnes *Comites Leiningenses & Dagsburg. lineæ Heideshemiæ*. V. Spenerum *Theatr. P. I. p.* 102. & *P. II. p.* 84.

Heiligenberga, vulgò *Heiligenberg*, locus Germaniæ super. sub Comite proprio, ex Familia Furstenbergica: cujus quantum nunc superest, dividitur in ramum *Heiligenbergo-Werdenbergium* & *Blombergium*, qui iterum in *Meskirchium* & *Stulingenium* dispescitur. Et quidem priorem quod concernit, auctor ejus est Joachimus Comes, filius Friderici, extincti A. C. 1559. ex Anna Werdenbergica (filiâ Christophori, Com. *Werdenbergici & Heiligenberg.*) frater Christophori, qui Blombergium ramum inchoavit. Habuit Joachimus is in matrimonio Annam *de Zimbern* (Frobenii Christophori Com. filiam) & extinctus A. C. 1598. reliquit filium Fridericum, ex Elisabetha Sultzia, patrem Egonis: quo, & Anna Mariâ Zolleranâ, complures liberi orti sunt, ut videre est suprà, ubi de Fam. *Furstenbergia*. V. Phil. Jac. Spenerum *ibid. Part. I. pag.* 4.

Hel, vel *Bel*, commune omnium fere olim Orientalium gentium Numen, *Sol*: in unaquaque autem urbe peculiare cognomen habebat; ut Emissenorum *Elagabalus*, Palmyrenorum *Malachbelus & Aglibolus*, Persarum *Mithres*, Babyloniorum *Belus* &c. Salmasius *ad Vopiscum in Aureliano*.

Helbesus, nomen fontis & fluvii, in Sicilia. Solinus *cap.* 5. *Apud Segestanos* Helbesus *in medio flumine subitâ exæstuatione fervet*. Ubi de aquis calidis Segestanis loqui videtur, quæ Αἰγεσταῖα ὕδατα Straboni, Ἐγεσταῖα Diodoro & Philoni apud Stephanum, dicuntur. *Helbesi* verò, præter Solinum, in Segestano agro, nemo meminit, Salmasius *ad eum pag.* 111.

Helcesaitæ, Hæretici, à Magistro suo *Elxai*, qui Trajani principatu extitit, hanc acceperunt traditionem, ut tempore persecutionis idola adorarent, fidemque suam ore negarent; hoc enim peccatum non esse, dummodo ex animo id non facerent. Iidem, inter alia, in aquarum cultu Ægyptios imitabantur &c. V. Eusebium *Histor. Eccles. lib.* 6. *cap.* 31. Epiphanium *Hæresi* 19. Augustinum *Hær.* 10. ut & in voce *Elcesaitæ*.

Helciarii, apud Martialem *lib.* 4. *Epigr.* 63.

> *Quem* (somnum) *nec rumpere nauticum celeusma,*
> *Nec clamor valet* Helciariorum.

Sunt qui navē adverso flumine, vel qui navis anchoram seu grave aliud pondus, uno connixu & mutuo hortatu, moliuntur. Ab ἕλκω, *traho*; unde *Helcium*, apud Appulejum *Metamorph. lib.* 9. funis, quo equi currus oneraque trahunt; atque hinc *helciarii equi* quoque. Gerh. Jo. Vossius *Etymologic.* V. quoque de *Helciariis Servis* Tit. Popmam *de Operis Serv.*

Helena, filia Jovis adde: Cum Polluce ex ovis prognata dicitur, quia uterque educatus in superiore ædium parte, quæ Lacedæmoniis, uti testatur Eustathius *Odyss.* α. vocabatur ᾠόν, unde in usu ὑπερῷον. Ab Iliensibus pro Dea habita est, unà cum Hectore, ut ex Athenagora discimus *Legat. pro Christian.* [illegible] verba jam suprà adduximus, in voce *Hector*. Alia fuit *Helena* Epidauriis culta, de qua sic Ptolemæus Hephæstion *nov. Histor. lib.* 4. apud Photium *Cod.* 90. [illegible] *Illa ministra Veneris in congressu cum Adonide Epidamnii filia, & ab Epidamniis Veneris figurâ culta, divitias inhiantibus largitur*. Ubi dubitari posse ait Vossius, an non vel priori loco Ἐπιδαυρίου, vel posteriori Ἐπιδάμνιοι, legi debeat. Namq; verisimile est, hanc Helenam filiam fuisse ejus, qui urbem sive Epidamni sive Epidauri, condidisset. V. eum *de Idol. lib.* 1. *c.* 39. quæ hanc in rem adnotavit Caspar. Barthius

chium ad Ænnam Gazæum, nec non Jo. Meursium ad Lycophronis illud,

[illegible]
Amore spectri pervagantis æthera.

Picta porro à variis *Helena* est, iisque excellentissimis Artificibus. Plin. *lib. 35. cap. 3. Lanuvii Atalanta &* Helena *cominus pictæ sunt tabulæ ab eodem artifice, utraq; excellentissimâ formâ, sed altera ut virgo, ne ruinis quidem Templi concussæ. Pontius legatus Caji Principis eas tollere conatus est, libidine accensus, si tectorii natura permisisset.* A Zeuxide inprimis, cujus *Helena* ἑταίρα, *meretrix*, propterea dicta est, quòd ex illa pictura ingens fecisset lucrum, Ælianus *Variar. lib. 4.* &c. Ab eadem nomen sideri nautis infausto, habeturque pro signo naufragii, aut tempestatis saltem ærumnosæ certissimo, cùm flamma illa apparet: ubi contrà salutaria sidera, quæ *Pollucis & Castoris* dicunt. Statius *Thebaid. lib. 7. vers. 792.*

Scit peritura ratis, cùm jam damnata sororis
Igne, Therapnæi fugerunt carbasa fratres.

Cui rei illustrandæ V. quæ produxerunt Hermolaus Barbarus *ad Plinium lib. 2. cap. 37.* M. Anton. Muretus *Var. Lect. lib. 6. cap. 11.* Alii. At Euripides, *Helenæ* sidus non minùs salutiferum agnoscit in *Oreste vers. 1637.* ubi de Helena à se servata & astris illata sermocinatus Apollo dicit,

Κάστορί τε Πολυδεύκει τ' ἐν αἰθέρος πτυχαῖς
Σύνθακος ἔσται ναυτίλοις σωτήριος.

Quem cum reliquis omnibus, in contrarium euntibus, quomodo conciliare conetur Barthius, V. hunc *Animadvers. ad Statium d. l.* uti de *Helenæ cratere*, inter Veterum celebria, numerato Appulejo *Apolog.* Jo. Meursium *Commentar. in Lycophronem pag. 264. & 265.*

Helena, Adjabenorum Regina, adde: Eam grandiori natu filio Monobazo annulum Patris signatorium dedisse, commissâ ipsi Reipublicæ administratione, donec adveniret frater Izates, quem Pater Regni hæredem destinaverat, auctor est Josephus *Antiqq. lib. 20. cap. 2.* Πείθεται Ἰούδας, dicens, [illegible] *Paruit his Helena & Proregem constituit grandiorem filium Monobazum, imposito ei diademate & dato Patris annulo signatorio, simulq; sampsenâ, ut ipsi vocant: jussitq; eum administrare Remp. donec frater veniat.* Plerunque enim dominii ac potestatis symbolum annulum fuisse signatorium, seu sigillum, notum est. Unde & Philippum Macedonem, cùm in Byzantinos moveret, Alexandro filio, decimum sextum ætatis annum agenti, Macedoniæ & sigilli cum libera potestate curam demandasse, refert Plut. *in Alex.* Et Q. Catulum, cùm nocte quadam post dedicatum Capitolium somniasset, *Jovem Opt. Max. prætextatis compluribus circum aram ludentibus, unum secrevisse, atq; in ejus sinum signum Reip. quod manu gestaret, reposuisse*, refert Suetonius *in Augusto c. 24.* unde conjectura facta, in Augusti potestate fore aliquando Rempublicam. Rectè enim ibi *signum Reip.* Isaacus Casaubonus interpretatur δημοσίαν σφραγῖδα, quâ obsignari solita diplomata & quæcunque alia Reip. nomine signabantur. Idem de Hadriano memorat Spartianus, *à Trajano Imp. extraordinem gemmâ donatum & quidem eâ, quæ jam semel omen imperii fuerat*, narrans. Ut de Johanne Comneno, patri Alexio jamjam morituro annulum eo fine, ut Imperium sibi firmaret, dementi, apud *Nicetam*, aliisq; nihil addam. V. Joh. Kirchmannum Lubecensem *de Annulis lib. singul. cap. 22.*

Heleniani Nummi, quorum in Eruditorum gazophylaciis complures, in Franciæ Regis cimeliarchio octo ærei servantur, non unius omnino figuræ ac ornatus inscriptionisque, cui debeant ascribi, dubitant hujus rei curiosi; Matrine Constantini M. vel Juliani Parabatæ, vel etiam Crispi, si quæpiam fuit, conjugi. Matrem certè Helenam *Augustam* renuntiatam ejusque effigie cusos à Constantino aureos nummos, testantur Eusebius *de V. Const. lib. 3. cap. 46.* Sozomenus *lib. 2. cap. 11.* Nicephorus *lib. 8. cap. 31.* & Theophanes *anno 20. Constant.* qui monetam ὡς Βασιλίδι attribuisse ajunt. Ejusmodi autem nummos aureos Romæ repertos A. C. 1398. auctor est Thom. Walsinghamus; sed ii æreis rariores, quorum perinde inscriptiones atque etiam capitis ornatus, diversitatem quandam arguunt. Ac binorum quidem, qui hosce characteres præferunt, FL. HELENA AUGUSTA; in aversa verò facie, SECURITAS REIPUBLICÆ: prior nitidissimus, *Helenæ* caput exhibet tectum calyptrâ desuper reticulatâ & in cassidis modum protensâ, quæ aures ipsas & capillos, præterquam quà fronti superfunduntur, abscondit. Alter eam exprimit, duplici unionum lineâ caput cinctam, crinibus ad aurem contractis & collectis, crispatis aliis fronti imminentibus, uti ferme omnes alii, ita tamen, ut superior capitis pars perinde tecta videatur; Utrumque V. apud du Fresne *in Dissertat. de Numism. infer. ævi*, ut & alios quosdam, quos ibidem eruditè interpretatur &c. Utcunque verò sit de nummis hisce, id constat, ex iis inditam à vulgo *Sanctarum Helenarum* appellationem omnibus ferme numismatis Augustorum CP. ævi inferioris, maximeque iis, quos ejusmodi rerum studiosi, propter formatos malè characteres aut vultus ipsos, vel quòd nihil exquisitum contineant, solent aspernari. Fortè, quòd non *Helenæ* duntaxat, ut Divis ascriptæ, imagines, sed & crucigeros omnes nummos, sacri phylacterii aut encolpii vice ad collum quilibet appenderet, unde nummi hujusmodi plerunque videntur perforati: quod quidem etiam ante Constantinum obtinuisse observavit *in Anastasi* Chiffletius, tametsi id potissimum tum primùm profluxisse censendum est, ex nummis *Helenæ*, Romæ in ejus thesauro inventis, V. *suprà*, quæ fortassis Pontifex distribuerit, ut fœminæ de Ecclesia benemeritæ. Sed ex pecunia illa reperta, Pontificem *Capitolium reædificari & Castellum S. Angeli*, curavisse, refert Walsinghamus *p. 356.* Quod autem harum *S. Helenæ* monetarum vim mirè commendat Bosius, atque præsens esse adversùs Comitialem morbum remedium, ait, ipsi relinquimus. V. præfatum du Fresne *num. 69.*

Helepolis, vox Græca, παρὰ τὸ ἑλεῖν τὰς πόλεις, i. *à capiendo urbes*, machinam militarem ingentis molis significat, quâ loco arietum jam crebritate suâ despectorum, Demetrius Antigoni filius feliciter usus, Rhodo aliisque urbibus ejus operâ expugnatis, *Poliorcetes* appellatus est i. *Urbium expugnator.* Extructa erat hoc modo: Testudo compaginabatur immanis, axibus roborata longissimis, ferreisque clavis aptata & contegebatur coriis bubulis, virgarumque recenti textura, atque limo ejus suprema adspergebantur, ut flammeos detrectaret & missiles casus. Conserebantur autem ejus frontalibus trisulcæ cuspides præacutæ ponderibus ferreis graves, qualia nobis Pictores ostendunt fulmina vel Fictores, ut, quidquid petiisset, aculeis exertis abrumperet. Hanc ita validam molem, rotis & funibus regens numerosus intrinsecus miles, languidiori murorum parti viribus admovebat concitis: & nisi desuper propugnantium valebant vires, collisis parietibus aditus patefaciebat ingentes, Amm. Marcell. *lib. 23. cap. 3.* In Argivæ urbis oppugnatione, cùm Demetrii milites, ob immensam ponderis gravitatem, muris eam applicare non possent, accersitus Herodorus Megarensis, qui tubis simul duabus adeò violenter uti solebat, ut quàm latissimè exaudiretur, sono illarum torpentes excitavit, ut velut adjuti, præter omnem spem, machinam, quam priùs nullâ ratione admovere poterant, urbi facilè admoverint, eamq; expugnaverint. V. Leon. Tho. *lib 3 cap.* [illegible]

Helfenstenium, vulgò *Helffenstenium*, castrum Germaniæ, in Suevia, sub proprio olim Comite: quorum familia, inter Sueviæ Comites, antiquitate & splendore semper ex præcipuis fuit. Primum eorum titulum volunt nonnulli fuisse, Com. *von der Fels.* Originem eorum aliqui adscribunt veteri Guelforum sanguini, & nominatim Ericoni Isenbrandi Com. Altorfii fratri, ac XII. celeberrimorum Guelforum patruo. Alii propinquiorem ortum ostendisse contenti, eos ex Dilingensibus Comitibus derivant. In his enim Ulricus Episc. Augustanus fratrem habuit ex Hugobaldo Patre Burchardum, castri præfati, atque ita hujus domus, cui inde *Helfensteniæ* nomen, conditorem: à quo dein reliqui Comites hujus nominis sunt orti. Qui, quamvis, Comitatus aliquot partibus venditis, ipsi diminuere gentis splendorem visi sunt, non tamen minùs inter illustrissimas stirps perrexit censeri; & dein Gundelfingensis hæreditas accessit. Superiori seculo, in Ulrici & Catharinæ Sonnenbergiæ filiis Georgio atque Ulrico duo rami *Meskirchius & Wiesensteiginus* in diversum ire cœpere. Sed intra anni spatium utriusque masculi defecere, A. C. 1626. Habuit verò Georgius præfatus *Com. de Helfenstein & Meskirch* conjugem Apolloniam *de Zimbern*, fil. Frobenii Christophori Com. & extinctus A. C. 1573. filium reliquit Georgium Frobenium, defunctum A. C. 1622. Quo & Maria *Helfenstenia lineæ Wiesenstieg*, fil. Rudolfi Com. nati sunt Georgius Wilhelmus (qui obiit 1626. mar. Sibyllæ fil. Johannis Com *de Hohenzollern*) & Johanna (uxor Vratislai Com. Furstenbergici, extincta A. C. 1629.) *Comites Helfenstenii &c. ultimi lineæ Meskirchiæ.* At Ulricus, Georgii frater, Catharinâ sibi Montfortiâ (fil. Hugonis Comitis) junctâ, Rudolfum I. genuit, Annæ Mariæ Lib. Baron. *de Stauffen*, maritum & patrem Rudolf. II. ultimi è totius stirpis masculis, A. C. 1626. demortui. Liberi enim ejus, ex Eleonora Furstenbergia (fil. Joachimi Comitis, quæ vitam produxit usq; ad annum 1650.) Henricus Fridericus (n. 1605. den. 1606.) Julius (n. 1606. *d.* 1607.) Henricus (nat. 1607. den. 1626.) Maria Magdalena (n. 1609. den. 1618.) Anna Catharina (n. & den. 1611.) Maria Johanna (n. 1612. uxor primò Maximiliani Adami Landgr. Leuchtenbergici: exin Christophori Com. Palatini Rheni *in Birckenfeld*, den. 1665.) Isabella Eleonora (n. 1613. nupta Martino Francisco Com. Oetingensi *in Wallerstein*) Anna Victoria (n. 1614. *d.* 1618.) & Francisca Carlotta (n. 1618. ux. Vratislai Com. *de Furstenberg d.* 1641.) ante Patrem, exceptis filiabus aliquot, uti visum, præpostero Fatorum ordine decessere. In bona quædam successere Bavari: alia (inprimis Meskirchium) occuparunt Furstenbergii, quibus lis ab *Helfensteniis* filiabus earumque hæredibus movetur, quæ necdum decisa. V. Phil. Jac. Spenerum *Theatr. Nobilit. Europ. Part. I. pag. 9. & 20. ut & in Ind.*

Helia, nomen familiæ Romanæ, ab *Ælia* diversæ, de qua V. Salmasium ad *Æl. Spartianum in Hadriano.*

Heliaca Sacra, ab *Helios*, ex Græco Ἥλιος, sicut *Persica*, à *Perse*, apud Salmas. *ad Lampridium in Commodo.*

Heliastæ

Heliastæ, Judices erant numero 500. apud Athenienses. Pollux, *ἡ Ἡλιαία ἐν πολιτικοῖς*, dicti ab *Heliæa*, Foro primo ac celeberrimo ex sex illis, *ἐν οἷς ἐδικάζοντο περὶ δημοσίων πραγμάτων*, *in quibus causas disceptabant civiles*, V. suprà in voce *Dicasterium*. Idem Forum seu Tribunal maximum horum erat, non quidem Judicum numero, nam par ille fuisse videtur saltem in duobus aliis: (Cùm enim fieret aliquando, ut duorum Tribunalium Judices coirent ad jus dicendum, fiebant mille Judices, Demosth. *in Timocratea*. imò cùm tria convenirent, mille quingenti fuere, Dinarch. *ἐν τῷ κατὰ Δημοσθένους*) sed quia longè plures graviores; lites & causæ in eo dijudicabantur: itaq; nemo non optabat sorte ad hoc Tribunal legi. Postquam autem hoc modo *Heliastæ* lecti sunt, Jusjurandum solenne præstiterunt, cujus Latinè formula sic habet: *Sententiam feram secundùm Leges & Populi Atheniensis scita & Quingentorum Senatusconsulta. Tyrannum aut paucorum dominatum nusquam non approbabo: Neq; si quis popularem Atheniensium statum evertere conetur, aut dicat aut decernat adversùs hæc assensum præbebo, neq; novas tabulas fieri, aut agrum domosq; populi Atheniensis dividi patiar. Exules non restituam, neq; capitis damnatos: neq; eos qui urbem incolunt, expellam, adversùs Leges receptas & populi Atheniensis scita Senatusq; consulta, neq; quenquam alium ut aggredi sinam. Neminem Magistratum gerere sinam, qui rationem alterius à se gesti Magistratus non reddiderit, sive sit è Novemviris, sive Hieromnemon sive quis aliui eorum, qui eodem cum Novemviris die Magistratus sortiuntur, sive Præco, sive Legatus, sive Assessor: neq; eundem bis in eodem Magistratu esse, aut duos Magistratus gerere eodem anno. Munera non accipiam propterea quòd judex in Heliæa sedeo, non ego ipse, neq; alter mihi, neq; ullus me conscio, nulla arte, nulla fraude. Non sum minor annis triginta. Utramq; partem audiam ex æquo. Sententiam feram de re, de qua instituta erit actio. Jovem, Neptunum, Cererem vindices testor, imprecorque exitium ipse mihi & familiæ meæ, si quid horum non observavero: si fidem contrà datam libero, omnia prospera atque fausta*, V. Demosthenem *in Timocratea*. Cæterorum Judicum, qui in aliis Tribunalibus jus erant dicturi, paulo diversum juramentum erat, quanquam certum est, multa fuisse omnibus Judicibus communia, in quæ jurabant omnes: In his inprimis Kaput istud, quod post exactos triginta Tyrannos adscriptum fuit habeturque apud Andocidem *ἐν τῷ περὶ τῶν Μυστηρίων*, his verbis: *Καὶ οὐ μνησικακήσω οὐδὲ ἄλλῳ πείσομαι, ψηφιοῦμαι δὲ κατὰ τοὺς κειμένους νόμους*, *Neque præteritorum in malum meminero, neque alteri meminenti assensum præbebo: sed sententiam feram secundum receptas Leges.* Fuerunt tamen *Heliastarum* quædam propria, ut quæ de Magistratibus dicuntur: Namque Magistratus a Judicibus approbabantur & non nisi probati Magistratum gerebant, fiebatque eorum *δοκιμασία*, antequam munus suum adirent, in *Heliæa*. V. Sam. Petitum *Comm. in Leges Atticas lib. 4. tit. 1.*

Helicæ duæ spirales, tortuosis voluminibus serpentum gyros scitissimè mentientes: Organum automato tympano animatum, omnis generis avium concentum e lens & sphæricum globulum in medio aëre continuo venti impulsu vacillantem sustinens, *in Musæo* Kircheriano Romæ. V. Georg. de Sepibus *in Collegii Rom. Soc. Jesu Musæo pag. 2. Helicum* autem inventorem Persicum, Dæmonas propterea propitiasse, habes apud Laërtium.

Helices, Festo *fistei aquarii sunt, per quas aqua collecta educitur è terris*: Vitruvio spiramina, Græcis *ἀναπνοαί*: aliter *Elices*, V. Salmasium *ad Vopiscum in Probo*, & infrà in voce, *Nares canalis*. Sed & *helix*, hederæ genus, V. ubi de *Hedera*.

Helichrysos, memoratus Plinio *lib. 21. cap. 8. In nomine & Cyani color: item helichryso: omnes autem hi flores non fuere in usu, Alexandri Magni ætate*; in Dioscoridis antiquissimo exemplari, & apud Hesychium *ἑλίχρυσος*, flos fuit in coronis celeberrimus, uti ex Alcmane, Ibyco & Cratino laudatis Athenæo *lib. 16.* palam est. Unde hallucinatum Plinium, qui Alexandri ætate nondum in usu fuisse, affirmat, docet Salmasius *ad Solinum pag. 966.* V. suprà in voce *Elichrysos*, item ubi de *Chrysanthemo*, namque & sic flos ille ob colorem dictus.

Helicon, instrumentum Musicum apud Vett. à Musarum monte nomen, & à numero earum chordarum numerum, ducens, uti scriptum reliquit Ptol. *lib. de Musica*. V. Jul. Cæs. Scaligerum *Poetices lib. 1. cap. 48.*

Heliodorus, Avidii Cassii, cui *Heliodorus* quoque pater fuit, filius, jussu Marci Imp. deportatus est, apud Jul. Capitolinum in *Vita Marci Antonini Philosophi.*

Heliogabalus, adde: *Habuit in calceamentis gemmas & quidem sculptas, quod risum movit omnibus, quasi possent sculptura nobilium artificum videri in gemmis, quæ pedibus adhærebant*, Lampridius in eo. Quem secutum postea Alexandrum Severum idem, & Carolum M. Eginhardus prodidere. In murrhinis quoque & onychinis minxisse, idem Lampridius tradit. Idem gemmatum quoque Diadema, inter Imperatores, primus usurpavit, uti diximus suprà, ubi de *Diademate*. Porro calceamentum nunquam iterasse, neque annulos bis induisse, narratur eidem Lampridio: à quo luxu annulorum inprimis V. graviter dehortantem Basilium M. *Orat. πρὸς τοὺς πλουτοῦντας.* Joh. Kirchmannus *de Annulis cap. 17.*

Heliopolis, civ. Ægypti, adde: Quòd in collimitio Arabiæ condita esset, & quidem ab Arabibus, ut Plinius scribit, hinc factum est, ut alii Arabiæ, alii Ægypto eam adjudicaverint. *Urbem Solis* Latinâ voce eam vocat Solinus *cap. 33.* ubi de phoenice, *Rogos suos struit cinnamis, quos prope Panchaiam concinnat, in Solis urbem strue altaris superpositâ.* V. Salmasium *ad Solinum pag. 545.*

Heliotropium, flos, terra editus parelius videtur: *Minimè certè quidem ambigas, Naturam, illud dum moliretur, direxisse manum & opus exegisse ad exemplum Regis astrorum; & floribus cum dum voluit Regem, suum stellis florentibus florentem dedisse Sistem, cùm hunc florem in lucem edidit. Ita est profectò; vel ex aspectu ipso & appellatione, non adumbratum, sed expressum in flore Solem dicas* Heliotropium; *utq; Solare nomen gerit, sic Solis speciem ipsam præferre, ac formæ præstantiam. Et verò, nonne item, ut Sol, radiis caput habet redimitum aureis? Annon ad Solem nunquam non conversus hic flos, ut ipsius indicat nomen, eandem, quam ille, metitur viam, insistit semitam? Quid multis? Ut Sol planetas reliquos & stellas splendore obscurat, magnitudine superat; Ita* Heliotropium *cæteros staturæ proceritate facilè flores supereminet, totius habitus elegantiâ & singularum partium conformatione longè multumq; antecellit*, Pontey *Descript. div.* Ex *ἥλιος*, *Sol*, & *τρέπω*, *verto*. V. plura de hoc flore, apud Plin. *lib. 19. cap. 6.*

Heliotropium, gemma. Plin. *lib. 37. cap. 10.* Heliotropium *nascitur in Æthiopia, Africa, Cypro, porracei coloris, sanguineis venis distincta. Causa nominis, quoniam dejecta in vas aquæ fulgorem Solis accedentem percussu sanguineo mutat, maximè Æthiopica. Eadem extra aquam speculi modo Solem accipit, deprehenditq; defectus, subeuntem Lunam ostendens. Magorum impudentiæ vel manifestissimum in hac quoq; exemplum est, quoniam admistâ herba* heliotropio, *quibusdam quoque additis precationibus, gerentem conspici negant.* Ubi quod *porraceum* vocat, *πράσινον* Græcis est, & *viridem colorem acutissimum* notat. Cætera sic habent; in aquam missa hæc gemma fulgorem Solis accendebat, & augebat radios repercussu, contrà extra aquam, instar speculi, Solem accipiebat, & deprehendebat ejus defectus, subeuntem lunam ostendens. Quod vice versa quodammodo fiebat & contra naturam Solis, unde quòd naturam *Solis* quasi *inverteret* & mutaret, nomen accepit. Sol enim in aqua, tanquam in speculo videtur, non obstantibus radiis, nec lumini officientibus; unde, qui Solis defectus contemplari volunt, aquâ in vas fusâ, deficientem eum Lunamque subeuntem otiosè ac securè intuentur, quod oculis in ipsum Solem intentis facere non possent, fulgore ejus nimio oculorum aciem præstinguente: at contrà accidit in heliotropio gemma, quæ fulgorem Solis accendit in aqua, cum vero sine fulgore extra aquam ostendit. Quod additur de usu Magico, Solinus *præcantationibus legitimis consecratam*, id præstare ait *cap. 27.* proprio verbo usus, de quo V. suprà & plura hanc in rem apud Salmasium *ad Solinum pag. 344 & seqq.*

Heliotropium, machina denotandis *τοῦ ἡλίου τροπαῖς*, *Solstitiis*, à Veteribus excogitata, ex polo (unde *πόλος* quoque dicta) & gnomone constans, ad cujus instar postmodum Horologia facta sunt. Ipsa vero hæc instrumenta, non horis monstrandis, quæ tum nondum inventæ erant, sed solsticiis solùm & æquinoctiis, inserviebant, unde & *Horologia æquinoctialia* vocare possis. Nam & gnomonem erectum habebant, ad umbrarum incrementa & decrementa notanda; lineas item duodecim in hæmisphærio vel polo signatas, ex numero partium diei æquinoctialis, per quas umbra decurreret. Interim solis Mathematicis & Astronomis usui erant; nec populo, nisi quatenus populus ex iis discebat, quando futuri erant Solstitiorum & Æquinoctiorum dies, quod in rebus inprimis Rusticis procurandis non parvi momenti est. Ideo publicis locis urbium ponebantur ab Astrologis hujusmodi *ἡλιοτρόπια* machinæ, quemadmodum in Achradine Syracusarum Archimedes, Athenis in Pnyce Meton, in Syro Ins. Pherecydes, alibi Alii fecere. Sic enim populus ex iis discebat, quo die Solstitia & Æquinoctia essent observanda, quot dies adhuc superessent ad illud & illud Æquinoctium sive Solstitium, quot dies præteriissent. Ut ille apud Aristophanem in *Γηρυτάδῃ* dici sibi postulabat, ex *Heliotropio* Metonis, *πόσαι ἡλίου τροπαί*, quota dies esset numeranda à Solstitio confecto? Quam in rem Vide plura apud Salmasium ubi suprà *pag. 645. & seqq.* ut & retro in voce *Æquinoctia.*

Helium, adde: Sec. Vossium Batavis *Hiel*, unde vicus *Wiel-biel*, ubi latiùs *Helus*, seu *Hilus* fluit: item *Bree-biel*, à quo contractum *Briel*; oppidum Brilæ, ad Helium ostium, quasi dicas *Latum Helium*, sive, *Hilum*, V. in voce *Briela.* Sic quem Romani *Hesum*, quo nomine Martem Germani dixere, extulerunt, is Germanis, absque Romana terminatione, fuit *Hes*, vel *Hies*, vocali variata &c. V. Gerh. Joh. Vossium *de orig. & progr. Idolol. lib. 2. cap. 33.*

Helius, gladiator nobilis, apud Martialem *lib. 5. Epigrammate 24.*

Hermes, quem timet Helius, *sed unum* &c.

Helleborum, seu *Elleborum*, non unius generis, inter quæ unum à Melampode, cujus fama divinationis artibus nota est.

Melam-

Melampodii accepit nomen, quod *pastorem eodem nomine invenisse tradunt, capras purgari pasto illo animadvertentem, datoq; lacte earum sanasse Prætidas furentes*; Eodem *domos suffiebant purgabantque spargentes & pecora, cum precatione solemni*; quod proin & religiosius colligebatur, uti Plinius, è quo hæc deprompta, exponit *lib. 25. cap. 5. Primùm enim*, inquiens, *gladio circumscribitur. Dein qui succisurus est, Ortum spectat: & precatur, ut id liceat sibi concedentibus Diis facere, observatq; aquilæ volatus: fere enim secantibus interest, & si prope advolavit, moriturum illo anno, qui succidit, augurium est.* Cæterùm *elleborum* candidum, studiorum gratiâ, ad pervidenda acriùs, quæ commentabantur, sæpius Veteres sumptitaverunt, uti de Carneade, Zenonis libris responsuro, *ibid.* legimus. Galli verò sagittas in venatu *elleboro* tingebant, circumciso vulnere teneriorem sentiri carnem affirmantes. Idem *sub fin. cap. cit.* Eodem aquæ mixto, Amphictyones, ex consilio Eurylochi, hostes Cirrhenses vicerunt, apud Polyænum *lib. 4.* quod inventum Soloni tribuit Suidas. V. quoq; Pausaniam *Arcadicis*. Optimum in Anticyra, quam vocem proin pro ipso *Helleboro* Persius sumpsit,

—— *Anticyras melior sorbere meracas.*

V. Salmasium *ad Solinum pag.* 1093. ut & ubi de hac Insula: plura verò de *Helleboro* apud Herbariæ Rei Scriptores.

Hellen, fil. Deucalionis, adde: Ἑλλάδα, urbem Thessaliæ, condidit; unde *Helladis* nomen maximè propriè Thessaliæ convenire, Dicæarchus ait. Qua de re V. Salmasium ubi suprà *cap.* 142.

Hellenismus, altera species Idololatriæ, quæ Sabaismo successit. Cùm enim cœlum, Solem & stellas, mox à dispersione Babylonica, colere incepissent Sabæi; huic cultui hominum defunctorum & dæmonum venerationem addidere Græci, qui tantam Numinum turbam invexerunt, *ut major fere Cælitum inveniretur populus, quàm hominum*, Plin. Inde *Hellenismi* nomen. Cùm enim homo esset creaturarum excellentissima & anima immortali præditus, inde pronum fuit hominibus eximiis & magna meritis divinitatem ac divinos honores, præcipuè post mortem, ascribere. Quam Idololatriæ Græcanicæ originem & hominum ἀποθέωσιν, ex vero tradit Auctor libri Sapientiæ, *cap.* 14. *vers.* 15, 16, 17. V. quoque Plinium *lib. 2. cap. 6.* & plura hanc in rem, apud Burmannum *Synopsi Theol. Christ. Part. prior. lib. III. cap. 8. §. 25.* & *seqq.* Vossium, Alios.

Hellenistæ, nonnullis dicti sunt Judæi, per Græciam dispersi. Cùm enim Hebræi partim in Palæstina degerent, & Hebræo textu uterentur: partim extra Palæstinam variis in locis, Græcia inprimis, morarentur, & Septuaginta Interpretum versionem Græcam adhiberent, illi *Hebræi seu Judæi*, hi verò *Hellenistæ* dicti sunt. Meminit utrorumque Lucas in *Actis Apost. cap. 6. vers.* 1. Ἐγένετο γογγυσμὸς τῶν Ἑλληνιστῶν πρὸς τοὺς Ἑβραίους, *Ortum est murmur* Hellenistarum *adversùs Hebræos*, ubi malè quidam exponunt, *Græcorum*. Hos cum Paulus pro Gentibus generaliter accipit, & Hebræis in genere, sub quibus Hebræi Palæstinam incolentes & per Helladem dispersi, comprehenduntur, non uno in loco opponit. V. Thom. Godvvynum *de Ritibus Hebræorum lib.* 1. *cap.* 3. Patribus *Græcienses* nonnunquam &c. Atque hanc sententiam multis tuetur Heinsius *Aristarcho*. Cl. Suicero verò hi Ἑλληνισταὶ, qui Ecclesiam Christi nascentem composuerunt cum Hebræis, gente extranei, religione Judæi adeoque proselyti fuere è Græcis. Sic autem ei dicti sunt à sermone, quo utebantur, inprimis quia non veri Græci erant, utpote in Syria nati, unde non tam Ἕλληνες, quàm Ἑλληνισταὶ appellati sunt. Certè inter VII. Diaconos *Hellenistas*, & ex Hellenistarum corpore electos, unus *Proselytus Antiochenus*, nomine Nicolaus, vocatur, Actor. *cap.* 6. *vers.* 5. V. cum *Thesauro Eccl.* in hac voce, & plura hanc in rem, apud Salmasium *de Hellenistica*, Balduinum Walæum *ad Act. cap. cit. vers.* 1. inprimis Crojum *Observat. in N. Testam. capp.* 30. 31. & 32. Nominis origo à verbo ἑλληνίζω, quod, præter vulgare significatum, modò *more Græcorum*, seu *Græcatim* ut ait Tertullianus *de Pallio cap. 4. vivere*: modò *Græcorum* seu *Gentilium impietatem amplecti & profiteri*, vel *docere*: modò *optimè Græcè loqui & scribere*, etiam significat, apud Scriptores Eccl. qua de re V. eundem Suicerum vocibus Ἑλληνίζω, & Ἑλληνισμός.

Hellespontus, adde: Cum Cycladibus & Asia propriè dicta, Proconsularem olim provinciam constituebat. V. Salmasium *ad Solinum pag.* 806.

Hellunones, flumine mersi, apud Scotos. H. Boëthius *in Scotia.*

Helpis, in *Inscr. vett.* CII. 2. GENIO. GENIALIS. SPEI. HELPIDIS ex Græco Ἐλπὶς, *Spes* est, quam Genialem coluisse Veteres, cùm spe carere non possent, hinc patet. Sed & *Elpistici* Philosophorum genus, omnia Spei tribuentes, de quibus V. Plut. *Sympos.* & plura hanc in rem, apud Barthium *Animadvers. Papin. ad Theb. lib. 1. vers.* 323.

Helsingia, adde: Olim Regni nomen, cujus quanta fuerit amplitudo, exinde patet, quòd ad Sundam Daniæ fretum hodieque Helsenburgum & Helsenora veteres potentis hujus per Norvegiam Succiamque *Helsingici* Regni reliquiæ extent, ut à Scania in Potniam. Lappiam ac Scritofinniam usque fuerint extensæ. Tandem verò à Succiæ Regibus ita destructum est, ut nulla præterea ejus supersit memoria. Georg. Hornius *Orb. Imper. cum Notis Felleri pag.* 762.

Helviani Sodales, dicti sunt post mortem *Helvii* Pertinacis Imp. qui *Marciani* fuerant, uti loquitur Jul. Capitolinus *in Pertinace*; quasi Marcianorum tum fuisset nomen sublatum. Meminit tamen amborum lapis vetus Romæ, ubi hæc inter cætera: SODALI. MARCIANO. AURELIANO. COMMODIANO. HELVIANO. SEVERIANO. Casaubonus *ad Capitolinum.*

Helvicus Christophorus, Germanus, Giessæ Theologiæ Professor. Ejus varia extant, *Chronologicum* inprimis *opus, æqualibus Denariorum, Quinquagenariorum & Centenariorum intervallis; cum assignatione Imperiorum, Regnorum, Dynastiarum, Regum, Electorum, Principum, Pontificum Romanorum, nec non & Turcicorum Impp. aliorumq; Virorum illustrium, celebrium, Prophetarum, Theologorum, Jureconsultorum, Medicorum, Philosophorum, Oratorum, Historicorum, Poetarum, Hæreticorum, Rabbinorum, Conciliorum, Synodorum, Academiarum &c. itemq; usitatarum Epocharum, digestum.* Quod de novo recognovit, auxit & continuavit Joh. Justus Winckelmannus Consiliarius & Historiographus Hassiaco-Oldenburgicus. De eo Neander *in Georg. Vir*, inquit, *præstans pietate, doctrinâ, cognitione rerum sacrarum & Historiarum ætatum, temporum atq; Gentium omnium.* Obiit A. C. 1617. Schuppio teste.

Viri illustres.

Helvius Cinna, C. Cæsaris jussu, paratam habuit legem, quam absente isto ferret, ut uxores, quas & quot quisque vellet, ducendi haberet potestatem; Sed ne promulgata quidem, nedum perlata est. Suetonius *in Cæsare cap.* 52.

Helvius Pertinax, Imp. Rom. V. *Pertinax.*

Helvius Successus, libertinus, pater *Helvii* Pertinacis Imp. filio nomen, ex continuatione lignariæ negotiationis, quòd *pertinaciter* eam rem gereret, imposuisse fertur, Capitolinus in *Vita* hujus. Nempe coctiliciam in Liguria tabernam exercens pater cùm mediocres opes consequutus esset, filium literas curavit docendum, ὅσον ἀποζῆν ἀπ' αὐτῶν, ut ait Dio: Filius verò, contra Patris voluntatem, maluit paternam negotiationem continuare, neque ab ista sententia diu potuit dimoveri, *Pertinacis* hinc nomen adeptus. Casaubonus *ad l.*

Helvolæ, uvæ varii coloris, è quibus dubii coloris vinum conficitur, *vin paillet* Gallis dictum. Plinius *lib. 14. cap. 2. Insignes jam colore inter purpureas nigrasq; medio* Helvolæ, *sæpius variantè & ob id Varianæ à quibusdam appellatæ.* Et Columella *lib. 4. c. 2. Sunt & Helvolæ, quas nonnulli varias appellant, neq; purpureæ, neq; nigræ, ab helvo — colore vocitatæ.* V. Bochartum *Hierozoici Part. I. lib. 2. cap.* 7.

Hemerocallis, flos est, *primo post violam loco, ineunte vere, spectabilis: officiosus adeò & liberalis, ut, quò maturiùs suâ nos præsentiâ recreet, gratissimoq; odore reficiat, vix expectet, dum hiems abeat, dum defluant nives. Emergit binis ternisve stipatus à radice foliis prælongis ac latis, culmo erectus tereti, anguinoso ac vacuo, ad instar subuli; circùm enascens à lateribus, non tantùm ab apice; & in plurimos hinc inde emicans oblongos, molliculosq; calyces, coloris modò candidi, modò cyanei, aliàs subrubri; effigie fistulæ, extremâ orâ serratim incisâ, reflexaq; per ambitum*, Franc. Pomey *Descript. di vers.*

Hemerodromi, cursorum genus, apud Græcos, Corn. Nepos *in Miltiade*. Ad quorum imitationem Augustus, *quò celeriùs ac sub manum annuntiari cognoscique posset, quid in provincia quaq; gereretur, juvenes primò modicis intervallis, per militares vias, dehinc vehicula, disposuit.* apud Suetonium in *Eo, cap.* 49. V. suprà, voce *Cursores*, item infrà, ubi de *Speculatoribus*. Livius certè *Hemerodromos* Græcis dici, qui *Speculatores* Latinis, ait *lib. 31. cap.* 24.

Hemerousios, nomen insignis tabellæ, à Pausia pictæ. Plinius *lib. 35. cap. 11. Parvas pingebat tabellas, maximeq; pueros. Hoc æmuli eum interpretabantur facere, quoniam tarda picturæ ratio esset. Quamobrem arti daturus & celeritatis famam, absolvit uno die tabellam, quæ vocata est* hemerousios *puero facto.* Ex Græco ἡμερούσιος, *diurnus.*

Hemicyclium, Græcè ἡμικύκλιον, *semirotundus suggestus* Appulejo, *sigma* Latinis, de quo V. infrà. Dico hic paucis, subsidium vel accubitum fuisse, formâ lunatâ vel semicirculari; Salmasius *ad Æl. Lampridium in Antonino Heliogabalo*. De *Hemicyclio*, in Ædibus sacris Communionis Rom. V. infrà in voce *Tribuna*. Sed & inter machinas Theatrales *hemicyclium*, quo agebantur è mari enantes, memoratur Jul. Cæs. Scaligero *Poëtices lib. 4. cap.* 21.

Hemina Monachorum, in *Regula S. Benedicti*, est certa vini mensura, quam iis sufficere per diem existimavit; de cujus quantitate cùm multa habeant *Regulæ* Interpretes, collegit ea omnia Hæftenus *Disquisit. Monastic. lib. 10. tract. 4. disq.* 2. ac præsertim nuperus Scriptor, *in Dissertat. Gallica, de Vini hemina & libra panis, in Reg. S. Benedicti, editâ A. C.* 1667. De ἡμίνα Βασιλικῇ, *Heminâ Regiâ*, seu *Imperatoria*, quæ eadem cum *Capitolina, Italica, Urbana*, majorque eâ, qua vulgò utebantur etiam Romæ, nedum in provinciis, V. Salmasium *ad Capitolinum in Maximinis*, ubi docet, moris fuisse, ut publicæ mensuræ, & pondera in Capitolio

servarentur, & *Heminam Romanam*, h. e. sextarii dimidium, consuetum modum fuisse modicorum potorum, addit.

Hemisphærium, Græcè ἡμισφαίριον, Architectis dicitur genus ædificii, quod instar habet illius hemisphærii, quod supra nos est, & à testudine sic distinguitur, quòd hæc ex duobus arcubus constet, in medio centro invicem sese secantibus, *hemisphærium* vero in convexo totum sit sphæricum. Astronomis genus antiquissimi horologii, quod πόλος quoque vocatum æquinoctia ostendebat, & in exuberanti facie gnomone erecto, horas monstrabat, auctore Beroso Chaldæo. Post quem scaphen seu scaphiũ, vas rotundum itidem, sed cavum, in cujus medio fundo, stylus erigebatur, ad horas monstrandas, repertum est, ab Aristarcho Samio: cujusmodi horologia, hemisphærio inverso h. e. scaphæ, similia Vitruvius quoque *hemisphæria* vocat. Sed *hemisphærium* id propriè est, quod diximus. V. Salmasium *ad Solinum pag.* 639. & *seqq.* nec non infrà, in voce *Polus*, item *Scaphium*.

Hemodes, inter Tauri montis nomina. Mela, *Ubi terras dirimit, exit in pelagus. Idem autem & Taurus, ut dictum est, dicitur, quà spectat Orientem, Imaus. Deinde* Hemodes, *Caucasus & Paropamisus* &c. Aliàs *Hemodus*, quod vide.

Henkini, in *Vita* Caroli IV. Imp. *Si Pater noster arripuerit istas pecunias, disperget eas inter Rinenses* Henkinos, *& sic decepti manebimus*: per contumeliam dicuntur Rheni accolæ, *die Hencker*, carnifices, furciferi, apud C. du Fresne *Glossar.*

Hennebergensis Comit. adde: Chronicon familiæ hujus edidit Cyriacus Spangenbergius. Originem aliqui per errorem adscribere Columniis Romanis volunt. Cæterum auctor modò laudatus primam memoriam alicujus Comitis *Hennebergici* invenit, qui Marescalli Herbipolensis munere functus sit A. C. 753. quod dein officium in familia hæreditarium mansit. Godvvaldus Com. Henrici cogn. *Aucupis* Imper. gener, dicitur tres filios genuisse; inter quos duo posteriores, Hermannus & Bertholdus, ille Dominos Durlacenses, hic Marchiones Sainfurtenses severit, posteritate tamen non in multos gradus protensâ. Primus verò Gebhardus stemma propagavit. Deinceps ex Popponis XIII. filiis, Hermannus Coburgum, quod habebat, per filiam Gutham seu Brigittam in Brandeburgo-Ascaniam familiam transmisit, paulo pòst alterius conjugii occasione in avitam domum reversurum. Præcipua divisio in Henrici VIII. qui prædictorum Popponis filius & Hermanni frater erat, filiis incepit: in qua Henricus XII. Coburgum à conjuge recepit, sed per filiam ad Misnicam stirpem transtulit, à qua nunc etiam tenetur. Fuit autem illa Catharina, quæ à matre Gutha, fil. Hermanni Marchionis Brandeburgici, obtentum, dotis loco marito Friderico cogn. *Strenuo* March. Misniæ attulit: Unde suprà memoratus Spangenbergius *lib.* 5. *cap.* 11. memorat, Fridericum III. Electorem, quoties Avos & Avias pingi curaret, adjecisse: *Lieber mahlet mir die Henne nur lustig und wacker, denn sie ist eine gute Henne gewesen*. In ejus Epitaphio:

Oderat hæc luxum, nec pulchra monilia gessit,
Indelibatæ simplicitatis amans.

Ipsa verò linea, Principibus adscripta A. C. 1310. Bertholdo ab Henrico VII. Imp. id axioma primum nacto, duravit usque ad annum 1583. quo Georgius Ernestus memoratus totam domum clausit. Medius ramus auctorem Henricum habuit, qui *Hartenberg, Schvvartza & Rombild* obtinuit; ac tertius in *Asba* Hermannum: è quibus prioris posteritas in filiis & nepotibus defecit, posterioris stirps diutius floruit, sed tandem accepto prius titulo Principali A. C. 1486. exaruit in Alberto A. C. 1549. cujus Progenitores ita habent. Henricus II. Com. *Hennebergæ* lineæ Aschensis, extinctus A. C. 1341. ex Sophia (fil. Guntheri Com. Schvvarzenburgici) Hermannum V. reliquit, maritum Agnetis Schvvartzenburgicæ & Patrem Friderici I. qui obiit A. C. 1422. Huic Elisabetha *Hennebergica* (fil. Henrici XIII. & neptis Johannis Principis Henneberg. lineæ Schleusingensis, qui decessit A. C. 1359.) genuit Georgium, quo (obiit is A. C. 1465.) & Johannâ Nassoviâ (fil. Philippi Comitis) natus est Fridericus Princeps *Hennebergæ*, extinctus A. C. 1488. cujus ex Elisabetha Wittenbergica (fil. Ulrici Adami Com. Wittenbergiæ) filius Hermannus, defunctus est A. C. 1535. Pater, ex Elisabetha Brandeburgica (fil. Alberti Elect.) Bertholdi XIX. qui Annâ fil. Ernesti Com. Mansfeldii ductâ, obiit A. C. 1549. Alberti, qui maritus Catharinæ fil. Botonis Com. Stolbergæ, ultimus suæ lineæ decessit A. C. 1549. Ottonis VI. Canonici Argentinensis, defuncti A. C. 1547. Georgii III. Canonici itidem Argentin. qui obiit 1521. Friderici III. defuncti A. C. 1501. Apolloniæ (cui maritus obtigit Gothofridus Wernerus Com. *de Zimbern*) Elisabethæ, Annæ & Margaretæ Monialium, qui omnes *Principes ac Comites Hennebergæ* &c. *ultimi lineæ de Asba* fuere. V. Phil. Jac. Spenerum *Theatr. Nobilit. Europ. Parte I. pag.* 132. & *in Ind. ubi Familiæ dispositionem exhibet.* Qui ramum Schleusingensem gentis præcipuum terminarunt, hos habuere Majores. Johannes Princeps & Comes *Hennebergæ*, qui obiit A. C. 1359. ex Elisabetha Leuchtenbergica fil. Friderici Landgravii, Henricum genuit, Mechtildis Badensis Rudolfo M. Marchione genitæ maritum & Patrem Wilhelmi, qui defunctus est A. C. 1426. Hoc & Annâ Brunsuicensi (filiâ Ernesti Ducis) genitus Wilhelmus, obiit A. C. 1444 Pater ex Catharina Hanovica (fil. Reinhardi Comitis) Wilhelmi, extincti A. C. 1480. Huic Margareta Brunsuicensis (fil. Henrici D. Brunsuico Luneb.) genuit Wilhelmum, qui decessit A. C. 1559. præmissis partim, partim relictis ex Anastasia Brandeb. fil. Alberti Elect. Wilhelmo, qui n. A. C. 1500. decessit A. C. 150; Annâ, quæ n. & den. 1502. Johanne Abbate Fuldensi, qui obiit A. C. 1541. æt. 38. Wolfgango n. 1507. & den. 1537 Margaretâ n. 1508. den. 1543. postquam Johannis Com. *de Sayn & Witgenstein* uxor fuisset; Catharina, uxore Henrici Com. Schvvartzenburgici, quæ n. A. C. 1509. obiit A. C. 1567. Christophoro n. 1510. *†*. 1548. Georgio Ernesto, qui natus A. C. 1511. maritus fuit primò Elisabethæ (fil. Erici D. Brunsuicensis) dein Elisabethæ Wittenbergicæ (fil. Christophori D.) & defunctus est A. C. 1583. Dorotheâ n. A. C. 1512. Poppone n. 1513. marito Elisabethæ primùm Brandeburgicæ (fil. Joachimi Electoris) subinde Sophiæ Brunsuicensis (fil. Ernesti D.) mortuo 1574. Casparo n. 1515. den. 1517. Walpurgi, quæ nupta Wolffgango Com. *de Hohenloe*, obiit A. C. 1570. æt. 54. & Elisabethâ n. 1517. uxore Johannis Comitis Solmensis & Reiferscheidii, extinctâ 1577. qui omnes *Principes de Henneberg* &c. *ex linea Schleusingensi*, ultimi fuere familiæ suæ. V. eundem Spenerum *Part. II. Theatr. laudati, pag.* 50. Nec omittendum Joannis Friderici, Joan. Guilielmi & Joan. Friderici junioris, fratrum Ducum Saxoniæ, cum Guilielmo ejusque filio Georgio Ernesto & Poppone Principibus *Hennebergæ*, adsentientibus reliquis Saxonibus atque Hassis, pari jam vinculo adstrictis, de futura successione pactum, eas in leges, ut, si Saxonum familiam deficere contingeret, Coburgia ditio Hennebergiis (quorum jam fuerat vetustis temporibus, à Carinthia Henrici Hennebergii filiâ, mariti Friderici Landgravii Thuringiæ domui illata, uti dictum) si Hennebergici, Saxoniæ Ducibus Principatus illorum obveniret, eo nomine ad 673040. fl. exsolvenda obligatus; cujus vi Saxonibus hæc accessio facta. Tob. Pfanner. *de præc. Germ. Principp. gent.* c. 2.

Henoticon, adde: Integrum id extat, apud Evagrium *Histor. Eccl. lib.* 3. *cap.* 14. & apud Nicephorum *Hist. Eccl. lib.* 16. *cap.* 12. De eodem libellus agit Synodicus, sub Synodo Cl. Alexandr. Petri Mongi ad A. C. 480. ubi inter alia, Zenonem impium Mongum dato ei suo *Henotico*, Alexandriam remisisse dicitur: Ὅς ἐν τ...ν... συναπήμενο... σύνοδο, τὴν ἐν Χαλκηδόνι ἁγίαν ἀναθεματίσασαν σύνοδον. Vox Græca à verbo ἑνόω, unde & ἕνωσις, quod apud Scriptores Eccles. in genere *unionem* seu *unitionem*, in specie eam *unionem*, quâ temporibus Constantini Porphyrogeniti & Romani, schisma ortum sub Leone Philos. ob *de trigamia* quæstionem, sopitum est, denotat. Quam Ἕνωσιν quotannis mense Julio è suggestu prælegi solitam, docet Jo. Meursius *in Glossario*. V. quoque Suicerum *Thesaur. Eccl.* in hac voce, ut & in voce Ἑνοῦσθαι.

Henrici, dicti sunt in Gallia denarii aurei, ab Henrico II. Rege cusi, in quibus ejus laureati & armis instructi efficta protome & in aversa parte crux, ex literis H coronatis compacta, pond. 2. den. 20. gran. pretii 50. solid. Turon. Gallicè *Deniers d'or, dits Henris.* Aliter *Ducati* quoq; appellantur, & duplices etiam cusi sunt. Sed & utrique *Henrici*, paris ponderis, cum figura muliebri galeata, super trophæo sedente, Victoriolamque lauream porrigentem dextrâ præferente, cum *Inscr.* GALLIA OPTIMO PRINCIPI, sub eodem Rege, prodierunt. V. Car. du Fresne *Glossar.* ubi de *Moneta*

Henriciani, dicti sunt per convitium à Pontificiis ii, qui adhærebant Henrico IV. & V. Impp. quorum inter errores hunc præcipuum censet Car. Macer, quòd, quando dixerat Christus Petro, *Pasce oves meas*, nullam his verbis Papæ in Imperatores potestatem collatam esse, asseruerint. V. eum in *Hierolexico*. C. du Fresne *Henricianam* hæresin Simoniam fuisse, quam præfati Impp. in Episcopatuum & Ecclesiarum investituris exercuerint, ait, ex Guilielmo Apuliensi *de Gestis Normann. lib.* 3.

—— —— Quia Rex Henricus ab illo
Damnatus fuerat, propter commissa nefandis
Accumulata modis: nec enim venundare sanctas
Ecclesias veritus, perversum dogma colebat
Simonis, & nullum donabat Pontificali
Culmine, præter eos, qui maxima dona tulissent &c.

V. omnino *Henricum* IV. Quanto autem *Henricianos* hosce odio prosequuti sint Pontifices, discimus ex *Vita* S. Anselmi Lucensis Episc. à Luca Waddingo editâ *cum Notis*, ubi inter alia hæc habentur §. 38. *Henricianos verò penitùs penitusq; nisi post magnam eorum conversionem & pœnitentiam, reprobavit.*

Comites Principesq; Viri, ex Fam. Nassovia.

Henricus, filius Diederici, ex posteriore ejus conjuge Elisabetha, Toparchæ Breuburgi filiâ, Patri in Comitatu successit: Ductâ Irmingardâ, Com. Sponhemii filiâ, pater Johannis, qui ex Sibylla Com. Lucelburgica filium quoque *Henricum*, ecqui ipsum mortuum; &, ex filio VValravio primogenito, nepotem habuit ejusdem nominis, religionis voto, cum VVaremundo & Johanne fratribus, obstrictum.

Henricus, primogenitus Ottonis Com. Nassoviæ, Toparchæ Lopperæ, Laureburgi & Sonnebergii, capitis omnium quotquot hodie supersunt linearum, ex Magdalena Walravii Comitis Sponhemii filia, Canonicorum Ecclesiæ Cathedralis, quæ est Moguntiæ, numero adscriptus est. Hujus fratre Walravio mortuo, prima

stemmatis divisio facta est, altero ejus filiorum in provincia Nassoviæ Patri suffecto, altero Geldriæ adepto Principatum: donec altera diremptio facta est octavo ab Othone præfato gradu, cùm ex liberis Henrici cogn. *Divitis*, Othoni Dilleburgum cederet, Walravio Weisbadensis obtingeret Principatus. V. infrà.

Henricus, filius major natu Walravii (qui egregiam Conrado Imp. navavit operam) *Principis* nomine aliquoties in priscis Annalibus venit: sive quod Comitis amplitudinem videretur egressus, sive quòd communi *Principum* nomine etiam Comites tum comprehenderentur. Pater fuit, ex Agnete fil. Burggravii Strombergensis, *Henrici*, qui primâ adolescentiâ in Imperatoris comitatu excessit, Othonis & Walravii: è quibus Otho, præter Nassovicam ditionem & prædia Norbergæ rustica ac urbana à Majoribus hæreditate tradita, etiam Suabachiam & Cadelbergiam possedit. Ei, è Comitissâ Varneburgensi, natus est filius *Henricus*, de quo jam. Obiit verò *Henricus* præfatus, A. C. 1199. Cyriac. Lentulus *Geneal. Nassov.*

Henricus, cognom. *Dives*, filius prædicti Ottonis, opum magnitudine & territorio ultra Majorum fines dilatato fuit inclytus: captus à Gallorum R. 100000. coronatorum ei persolvit lytrum; hodieq; Bruxellis picturâ conspicitur, urbis ex humeris ejus dependentis. Obiit 1254. Ex Machtilde, Diederici Geldriæ & Zuphaniæ Com. filia, liberi ei nati sunt plures, è quibus Walravius, primus Weisbadæ, Weilburgi & Idsteinii Comes: Otho, Dillenburgici Comitatus primus auctor, hæreditate Patris divisâ, fuere.

Henricus, Othonis modò dicti filius primo-genitus, ex Agnete Solmensi, arcem Dillenburgensem incendio collapsam, ampliorem quàm erat antea speciosioremq; reddidit. Memoria ejus servatur aulæis intexta, his verbis: *Henricus Comes de Nassovv, à Leyden, de Assen, Solms, habens conjugem, præter cæteras quibus abundabat virtutes, in requoq; militari non infimam nactus est gloriam, sed strenuum, vigilantem & integrum præbuis se semper Ducem, quæ res suis & civibus & subditis universis plurimum peperit admirationis pariter & amoris.* Decessit A. C. 1323. Ei ex Adelheida Com. Arembergii filiâ, nati sunt Otho & *Henricus*, qui, factâ cum fratre hæreditatis partitione, Beylsteinii dominium sortitus est, V. hic infrà.

Henricus I. modò dict°, Beylsteinii rami conditor, ductâ uxore, ex Westerburgicorum Comitum familia, filium reliquit nominis sui ac ditionum hæredem.

Henricus II. fil. prioris, maritus fuit Comitis Loniæ: è qua ipsi natus est

Henricus III. qui ex Maria Randerodia uxore Johannem I. suscepit; cujus filius,

Henricus IV. uxorem duxit Evam, Comitis Senæi filiam; ex ea pater Johannis II. & Bernardi: quorum is *Henricum* genuit ex Maria Solmensi, Ordinis Hierosolym. Equitem, prælio ad Papiam occisum, & Johannem III. in quo Beilstenius ramus exaruit, Dillenburgicis successoribus.

Henricus, ex posteris Othonis præfati (cujus minorem natu fratrem *Henricum I.* Beylsteinium ramum deduxisse diximus) filius natu maximus Johannis (qui Cattimelibocensi Comitatu & reducto Dietzensi, Nassoviæ fines auxit, defunctus A. C. 1516) ex Elisabetha Henrici Hassiæ Landgr. & Annæ Cattimelibocensis fil. hæreditatem cum Guilielmo fratre ita crevit, ut concessis ei Germanicarum ditionum possessionibus, ipse Belgicarum ditionum acpræfecturarum commoda sortiretur, sicque in bona ab Engelberto patruo possessa succederet. Princeps fuit belli pacisq; artibus eximius, gratiâ apud Carolum V. cui à cubiculo & consiliis intimis fuerat, florentissimus: ut cui Imperator coronam Imperialem captumq; Galliarum Regem Franciscum I. se inprimis debere confessus est. Hinc Brabantiæ, provinciarumque annexarum administratio ei commissa: nec minor apud Cæsaris sororem Mariam gratiæ gradus, quâ jubente exercitum, Cæsaris nomine contra Regem Galliæ conscriptum, duxit; nominis Famâ per totam Europam longè lateq; dispersâ. Obiit A. C. 1538. æt. 55. Bredæ sepultus. Ei ex Francisca, Jacobi Sabaudi, Comitis Romandii & Valisensis, filia, uxore primâ: Mencia item Mendozâ Marchionis Genettæ & Calabriæ Ducis fil. conjuge tertiâ, nulli nati sunt liberi. Media verò Claudia Auriaca, Johannis Cabillonensis filia, Philiberti Auriaci soror, in conspectu Annæ Galliæ Reg. educata & ab ipso Francisco I. elocata, Renatum Cabillonensem, *René de Chalon*, ei peperit, qui defunctus A. C. 1544. Guilielmum, Guilielmi Patrui Nassoviæ Com. natu maximum filium, hæredem scripsit, à quo hodierni Principes Arausionenses descendunt, V. infra. *suo loco.*

Henricus, filius minimus natu Guilielmi præfati (cujus filium maximum Guilielmum à patrueli Renato hæredem scriptum esse diximus) per eadem cum fratribus Ludovico & Adolfo literarum vestigia, ad res gerendas præparatus, eandem cum iis in Gallia & Belgio sortem, adversis & secundis belli eventibus, expertus est. Tandem, pro derelictis Religionis & Libertatis in Belgio reb° fortiter pugnans, unà cum Ludovico & Adolfo fratribus in deserto Moccano, occubuit A. æt. 24. seculo præt. Fuit & *Henricus* fil. Johannis, ex Margaretâ Holsata (Johannis Duc. filiâ) frater Johannis Mauritii, qui Americanâ expeditione celebris hodieq; superstes est, Holsatiæ præfectus, diem ibi obiit extremum A. C. 1652.

Henricus, filius Georgii Ludovici (Ludovico Henrico, cui Dillenburgi sedes, geniti, A. C. 1618. † 1656.) ex Anna Augusta, Augusti Ducis Brunsuico-Lunæburgici filia, nono ætatis anno Scholæ Herbornensis gubernaculum rexit: panegyrico carmine, à Cyriaco Lentulo laudatus; cujus ultimum distichon ita habet,

Henricum *timeant hostes, vereantur amici,*
Dum rapidas Rhenus volvet & Ister aquas.

Henricus, filius primò-genitus Ernesti Casimiri (inter Johannis Senioris filios quarto loco geniti) ex Sophia Hedvige Duc. Brunsuicensi & Lunæburgensi, natus A. C. 1612. Arnhemii; Lugduni ac Groningæ literarum deposito tyrocinio, militiam anno æt. 17. sectari cœpit: Sylvæ Ducis obsidioni interfuit, hostium in Velaviam conatus coercuit, rebusque aliis præclarè gestis, Patri (cui suprema castrorum ac provinciarum post Mauritium Principem cura, Ultrajecti insuper Præfectura, commissa erat) A. C. 1632. ad Ruremundam sclopeti ictu occiso, successit: novâ Tencterorum administratione auctus. Omnium dein Auraico periculorum ac triumphorum socius, anno C. 1640. æt. 28. præeunte (quod rarum in Batavia) terræ motu, strenuè pugnando obiit.

Henricus, major natu filius Gerhardi, lineæ Geldricæ & Zutphaniensis (cui Otto, Valravio Com. Nassoviæ natus, originem dedit) ex Hedvige, Florentii Crassi, Hollandiæ & Seelandiæ Comitis filiâ, Friderico Barbarossæ Imp. bello in Insubribus gesto adfuit: inde reversus Cœnobium opulentissimis reditibus instructum erexit, prope Dotecomum, pietatem ac munificentiam Friderici, qui, pœnitentia incensi apud Mediolanenses templi adductus, Trajecti ad Rhenum idem fecerat, æmulatus. Obiit A. C. 1162. ex Maria, Godofredi II. Hierosolym. Regis filia, quæ ipsi magnam Velaviæ partem dotis loco attulit, pater Gerhardi II. Othonis II. (qui fratri successit) Mariæ (Comiti Lonæ nuptum datæ) & Margaretæ (cui Engelbertus Marcæ & Montium Comes maritus obtigit.) Idem nomen fuit Othonis II. modò dicti filio primò-genito, qui, ob vitæ sanctimoniam, Divorum numero adscriptus est: item, ejusdem ex filio Gerhardo III. nepoti, qui Leodii fuit Episcopus, bello, quàm sacris, aptior. Imposuit is Guilielmo Hollandiæ Comiti coronam Imperatoriam Aquisgrani, frementeque Pontifice ac Episcopis, diœcesin 26. per annos armis tuitatus in armis tandem periit. V. Cyr. Lentulum *Geneal. Nassov. Princ.*

Fridericus *Henricus*, fil. Wilhelmi Principis Arausionensis, Belgicæ libertatis statoris, ex quarta ejus conjuge Ludovica, Caspari Colinii Galliæ Admiralii filiâ: frater Mauritii Principis, rerum gestarum gloriâ celeberrimi, natus est A. C. 1584. Inter armorum strepitus educatus, quantum otii suffurari potuit, literis & literatorum conversationi dedit: Ephebos vix egressus castris Mauritii se adjunxit, omnium ejus periculorum ac victoriarum socius, re in discrimen summum ad Neoportum Flandriæ deductâ fratrem deserere, obtestatus licèt, ut se meliori temporum articulo servaret, noluit. Induciarum tempore, Procerum decreto, liberando obsidione Brunsuico copias, & insequenti tempore, majores in Palatinatum Principi auxiliares ipse duxit. Mauritio extincto summæ rerum admotus, anno rerum mutationibus insigni 1629. Sylvam-Ducis expugnavit, Vesaliam cepit, Velaviam purgavit; Bredam porro, Trajectum ad Mosam, Schenckianam arcem, partim occupavit, partim recepit &c. mari non minùs victoriis, auspiciis suis, obtentis, gloriosus. Obiit, vitæ felicitatisq; satur, nisi quòd Antverpiæ recipiendæ facultatem à suis civibus commodatam non esse ingemuit, A. C. 1647. æt. 63 ex Amaliâ Solmensi Braunfelsia, Joannis Alberti, Guilielmi, qui Patris successor ei non diu superfuit; Ludovicæ, quæ Friderico Wilhelmo Electori Brandeburgico nupsit; Albertinæ Agnetis, cui maritus obtigit Guilielmus Fridericus Com. Nassoviæ & Dietziæ, Præfectus Groningensis; Henriettæ Catharinæ, quam Enno Chaucorum Satrapa sibi junxit, & Mariæ, quæ Ducis Simmerensis, haud pridem sine prole extincti (unde ditiones illæ ad Electorem Palat. revolutæ) uxor fuit, Pater. E quibus Guilielmus, ex Maria Britannica, filia Caroli I. M. Britanniæ Regis, filium habuit posthumum Guilielmum *Henricum* Principem Arausion. qui matrimonio sibi junxit Annam, Jacobi Eboracensis Ducis, Caroli II. M. Brit. R. fratris, filiam 1677.

Ludovicus *Henricus*, filius Georgii, Johanne Seniore tertiò geniti, Saræ-ponte natus A. C. 1594. literis, peregrinationibus, militiâ exercitus, primogenitorum locum & præcipuam Comitum Nassoviæ sedem Dillenburgum; cum oppidis territoriisque eò pertinentibus, obtinuit. Difficillimis temporibus Remp. sapienter rexit; Hanoviam à Cæsareanis occupatam, uno die neque illo integro cepit, captam suæ libertati & justo Rectori restituit; pace per Germaniam restitutâ, concordiæ inter suos & finitimos conservandæ incubuit; Lyceum Herbornense, bellorum injuriâ fere collapsum, restauravit, Professoribus longinquis è locis, ubi illos eruditionis famâ florere audierat, accitis; citeriorem Rheni ripam recrudescenti latrocinio liberavit. Uxorem duxit A. æt. 21. Catharinam, Ludovici Com. Sayno-Witgensteinii filiam, extinctam A. C. 1651. è qua ei nati sunt Georgius Ludovicus, Johannes Albertus, Henricus Guilielmus, Adolphus, Philippus,

Anna Amalia, Elisabetha, Juliana, Catharina, Ludovica & Magdalena; non ordinis nascendi, sed sexûs hic ratione habiti. Horum è numero Anna Amalia (n.1616.) uxor primò fuit Ludovici Com. VViedani; exin Christiani Com. Sayn. Georgius Ludovicus, (n.1618. den. 1656.) uxorem habuit Annam Augustam Brunsuicensem, ex ea pater *Henrici* suprà memorati: Ludovica (n. 1623. den. 1666.) nupta fuit Johanni Ludovico Com. Isenburgico: Adolfus (n. 1619.) Elisabetham Carolam Holtzapf'eliam sibi junxit. Ipse verò horum omnium Pater primus lineæ suæ Principale axioma intulit. V. Cyriac. Lentulum sæpius memoratum *Geneal. Histor. Principum Nassov.* & Phil. Jac. Spenerum *Theatr. Nob. passim, inprimis part. I. p.82.* V. quoque infrà *Ludovicus.*

Viri alii Illustres.

Henricus, nomen commune omnium Ruthenorum s. *Reussen de Plavia*, quæ illustris in Germania Familia est, de qua infrà, ... *Rutheni.* Unde lineas stirpis cognoscere à se invicem difficile est. Et quidem defecere superiori seculo tres nobiles rami, hodieque qui supersunt, in duas lineas *seniorem & juniorem* dispescuntur; quarum illi annumerantur, qui in Graiziæ utraque domo & Burckii habitant: ad istam decem filii *Henrici* ex Magdalena Schvvartzenburgica (quibus in *Gera, Salburg, Schleitz & Lobenstein* sedes) spectant. Et quidem hos quod attinet, *Henricus* cognom. *Jun.* ex Dorothea de Gera, pater fuit *Henrici* Dn. *in Plavv*, extincti A C. 1461. quo & Irmgardi Kirchbergii genitus *Henricus*, obiit A. C. 1498. pater ex Magdalena Schvvartzenbergia (fil. Erckingi Baronis) *Henrici*: qui junctâ sibi Æm. Annâ Mansfeldia, (fil. Ernesti Com.) suscepit *Henricum* defunctum A. C. 1572. Huic Dorothea Solmensis (fil. Friderici Magni Com.) peperit *Henricum*, extinctum A. C. 1635. cui ex Magdalena Schvvarzenburgica (fil. Alberti Com. Schvvartzenburgi *in Rudelstat*) præter filias, Julianam Mariam (n.1598. ux. Davidis Com. Mansfeldii) Agnetem (n 1600. ux. Ernesti Ludovici Com. Mansfeldii) Elisabetham Magdalenam (n.1601. den...) Sophiam Hedvvigem; Dorotheam Sibyllam (n.1609. uxorem Christiani Pincernæ *de Tautenburg*) Annam Catharinam (n.1615.) & Ernestam (n. 1618. uxorem Ottonis Alberti Domini *de Schonburg*) geniti sunt filii decem sequentes;

Henricus I. natus & denatus, A. 1599.

Henricus II. in *Gera*, natus A. 1602. duxit Catharinam Elisabetam Schvvartzenburgicam.

Henricus III. in Salburg, natus A. C. 1603. obiit A. C. 1640. pater ex Juliana Elisabetha Rhingravia, defunctâ A. C. 1653. *Henrici* I. (qui natus A. C. 1639. uxorem sibi junxit ex Comitum Hardeccensium stirpe) ac Magdalenæ Julianæ (nat. 1641. †. 1649.)

Henricus IV. natus A.C. 1604. extinctus Anno Christi 1628. æt. 24.

Henricus V. & VI. nati & denati A. C. 1606.

Henricus VII. natus A. C. 1610. den. 1611.

Henricus VIII. natus & den. 1613.

Henricus IX. in *Schleitz*, natus 1616. den. 1666.

Henricus X. in Lobenstein, natus A. C. 1621. uxorem duxit Mariam Sibyllam Ruthenam. Omnes nominis *Rutheni, Dn. de Plavven* &c. *Lineæ junioris.* V. Phil. Jac. Spenerum *Theatr. Nob. Eur. Part. I. p.15.* & 48. ut & *in Ind.*

Henriquezia, Familia Hispaniæ illustris: orta ab Alfonso *Henriquez*, Friderici M. Magistri Ord. S. Jacobi (qui frater gemellus Henrici Castiliæ R. occisus est A. C. 1358.) filio, & primo ex sua familia Castellæ Thalassiarcha seu Admiralio. Hic duos cum genuisset filios, eorum minor Henricus Comites *de Alba de Aliste* sive *de Liste* sevit. Primogenitus Fridericus patris in Admiralis officio successor, Comitis *de Melgar & Rueda* titulum acquisivit. In ejus filiis iterum duæ incepere lineæ: nam Alfonsus ad posteros Thalassiarchæ munus transmisit: qui insuper nomen *Ducum Medinæ de Rio secco* obtinuerunt. Ex Maria enim (fil. Petri Fernand. *de Velasco* Com. *de Haro*) pater fuit Ferdinandi Henricii Adm. Castiliæ *D. de Medina de Rio secco*, qui ex Maria Girona genuit Ludovicum Henricium seu *Henriquez*, maritum Annæ *de Cabrera & Moncada*, ac ex hac patrem Ludovici II. qui præter dignitates titulosque avitos, à matre nomen *de Cabrera* insuper assumsit. Eo & Annâ Mendoziâ genitus Ludovicus III. pater fuit ex Victoria Columna (fil. M. Antonii Columnæ D. *de Paliano* Princ. *de Tagliacozzo*) Johannis Alfonsi *Henriques de Cabrera* Admiral. Castiliæ Duc. *de Medina de Rio secco*, cui juncta Luisa *de Sandoval* (fil. Christophori Ducis de Uzeda) liberos ei complures peperit nominis *Henriquezii de Cabrera*, Phil. Jac. Spenerus *Theatro Nobilit. Europ. Part. I. p. 134.* Alter verò Friderici præfati filius Petrus, ab uxoribus Beatrice & Catharina (quæ germanæ & filiæ Per. fani *de Ribera* Com. *de los Molares* erant) successionem nomenque *de Ribera* suæ domui, cum officio supremi Judicis Andaluziæ, intulit. Unde Comites *de los Molares* & Marchiones *de Tarifa* descendunt, quibus axioma Ducale *Alcalæ* titulo accessit. Habuit Petrus is, ex Catharina, filium Ferdinandum I. *Henriquez de Ribera* Com. *de los Molares*; qui ex Agnete Portocarrera, genuit Ferdinandum II. *Henriquez de Ribera* Duc. *Alcalæ*: cui Johanna Cortesia (fil. Ferdinandi extincti A. C. 1547.) Ferdinandum II. March. *de Tarifæ* peperit; quo & Annâ Gironâ (fil. Petri Gironi D. Ossuræ) nati sunt, Ferdinandus *Henriquez de Ribera* D. *Alcalæ*, maritus Beatricis (fil. Christophori *de Mora* March. *de Castel Rodrigo*) Petrus Gironus (cui nupsit Antonia Portocarrera *M. de Alcala de la Lameda*) & Johanna Henriquezia de Ribera (ux. Alfonsi Fernand. *de Corduba Figueroa M. de Priego*) nominis *Henriquez de Ribera.* Idem *pag.* 98. Sed &, præter Duces Alcalæ ac Marchiones Tarifæ, in altero hoc familiæ ramo, clarent etiam Marchiones *de Villa nova del Rio*, à Friderico *Henriquez*, Ferdinandi I. præfati Ducis Alcalæ, fratre derivati: Hic enim Marchio *de Villa nova del Rio*, ex eadem Catharina prædicta genitus, Mariam de Corduba uxorem habuit: pater ex ea Ferdinandi; qui ex Maria Manricia (fil. Garsiæ Fernandezii Manricii Com. *de Osorno*) genuit Antonium *Henriquez de Ribera* Marc. *de Villa nueva del Rio*, qui obiit, nullâ ex Anna fil. Antonii *Alvari de Toledo* Duc. *de Alva*, prole susceptâ, & Antoniam hæredem, cui maritus obtigit Ferdinandus Alvarus *de Toledo* Dux Albanus (*de Alva & Huesca*) V. eundem *part. II. p. 56.*

Hepar, in Extispicina Vett. inprimis spectabatur: unde *Extorum* nomine κατ' ἐξοχὴν denotatum, licet pulmonem quoque & cor cœteraque inspicerent. Virgilius *Georg. l. 1.*

Tristibus aut extis fibræ apparere minaces.

Ubi *fibræ*, jecoris extremitates sunt, λοβοὶ τοῦ ἥπατος. Et Appulejus, *somniis conformandis, extis fissiculandis.* Ubi *exta* iterum de jecore, cujus propriè *fissum* dicebatur, ut vidimus suprà. Et quidem summam & altissimam *Hepatis* fibram inprimis considerabant, quam proin *Caput extorum* solebant nuncupare. Id geminum, vel impensè auctum, vel fibrâ introrsum replicatum contractumque felicia promittebat; tristia verò luridum, saniosum, pustulosum, cocturâ tabescens, quovis modo vitiosum. Qua de re V. Alexandrum ab Alex. *l. 5. c. 25.* Sic ritè exploratum & probatum *Hepar* in ara ponebatur, Hyginus, *Ipse Prometheus immolat tauros duos, priùs verò eorum jecinora cùm in ara posuisset, reliquam carnem ex utroque tauro in unum compositam corio bubulo texit.* Neque verò solum, sed quod ex immolata quoque hostia defectum, quasi auctarii vice, simul imponebatur, *augmenti* nomine. Aliquando & *magmentum* superaddebatur: quas voces V. ut & infrà in voce *Prosiciæ.* Atque hæc pars extorum prosicata Diis adolebatur: reliquâ inter eos, qui sacro intererant, ad comedendum, distributâ. Salmasius *ad Solinum pag. 129.* V. quoq; infrà in voce *Jecur*, ut & ubi de variis *Divinationis* speciebus. Hinc *Hepatites* gemma, memorata Plinio *lib. 37. c. 11.* & *Hepatizon* genus æris, *suo colore pretiosum, ad jecinoris imaginem vergens*, apud eundem *lib. præc. c. 2.* &c.

Hephæstion, Alexandri M. amicus, adde: Eundem in Divos extulit Alexander, per quem somnia immitti, curationes fieri & oracula reddi, creditum esse, refert Lucianus. Ut enim alia qua divinitatis auctoritate istiusmodi Deorum Paredri (quo nomine dicebantur, qui beneficio Principis, aut propriæ virtutis merito, in consortium Deorum, erant recepti) censerentur, talia illis vulgò adscribi solebant. V. Salmasium *ad Spartianum in Hadriano*, Vossium *de Idolol. l. 1. cap. 25.* & infrà ubi de *Paredris.*

Hephæstion, Gramm. adde: Inter Græcos Grammaticos, quos Verus Imperator audivit, memoratur Julio Capitolino; exstatque ejus etiamnum de *Re Metrica* elegans libellus. Salmasius *ad l.*

Hephæstion, seu *Hephæstium*, Græcè Ἡφαίστιον, quasi τὸ ἱερὸν Ἡφαίστου, *templum Vulcani*, uti hanc urbem vocat Scylax *in Periplo*, urbs Lyciæ prope Chimæram, est Plinio *lib. 6. cap. 27. Mons Chimæra noctibus flagrans*, Hephæstium *civitas, & ipsa sæpe flagrantibus jugis.* Et Solino *cap. 39. Et quoniam naturæ inibi est ignea, Vulcano urbem proximam Lycii dicarunt, quam de vocabulo numinis sui* Hephæstiam *vocant.* Sed ultra Tauri promontorium, quod est contra Chelidonias, in parte Pamphyliæ, longè utrique à Chimæra, illud *Hephæstion* alii ponunt: & quidem in *Hephæstiis* montibus, de quibus V. suo loco, & plura hanc in rem apud Salmasium *ad Solinum p. 801.*

Heptamyxos Lucerna, apud Hegesippum *lib. 5. c. 10. Lucerna, quæ super candelabrum ponitur, quæ sub modio erat, idest sub legis mensura, nunc est sub gratiæ plenitudine*, heptamyxo *frequens lumen effundens*; ut δίμυξος, τρίμυξος, est lucerna septem *myxos* seu *nares*, ut alii vocant, habens. Candelabra enim antiquius fiebant, ut plurimis loculis insertas candelas capere possent. V. Gronovium *Observ. in Scriptores Eccles. cap. 22.*

Heptas, Græcè ἑπτάς, *septenarius*, quod nihil gignit, par virgini perhibetur, usque adeò ut & *Pallas* dicatur. Unde coronam Virginitatis seu diadema virginale constare ex *heptade* radiorum, *ac maximè, in medialis gemmæ lumine præminere*, ait Martian. Capella *lib. 1. 2. & 7.* V. quoque Macrobium *in Somn. lib. 1. c. 6.* Hieronymum *Epist. lib. 2. Epist. 19.* Car. Paschal. *Coron. lib. 1. c. 6.* & plura de hoc numero hic passim, in vocibus *Hebdomas, Septem, Septimana.*

Hepaticus, in Ord. Rom. *In septuagesima Pascha* ... hepaticum

ticum, *atque in quintam decimam diem, ante Pascha*: & *Eptaticus*, in *Poem.* Alcuini præfixo *Bibliothecæ* seu *Libris sacris*, edito *lib.* 2. *Commentar. Bibl. Cas. pag.* 406.

Eptaticus enim librum decurrit in istum,
Quem Ruth consequitur famina clara satis;

corrupte pro *Heptateucho*, seu tomo S. Bibliorum, continente Pentateuchum Moysis & sequentes duos libros Josuæ & Judic. In hunc commentatus est Gregorius M. quem tractatum à Successore ejus Stephano II. Cantorum Scholæ donatum fuisse, tradit Guilielmus Bibl. apud Torrigium *de Cryptis Vaticanis*, laudatum Dominico Macro *in Hierolexico.* V. in voce *Heptateuchus.*

Her, ex Græco χὴρ, apud Calpurnium,
— *spinosi corporis herem*
idem cum echino seu erinacio est, quas voces vide.

Hera, V. suprà *Æra*, & *Era*. Sed & in Bibliotheca Thuanæa habetur vetus Canonum Codex, qui in sectiones vel capita dividitur, quæ *Heræ* appellantur: ubi interdum HR per contractionem scribitur. Similiter in veteri forma celebrandi Concilii provinc. apud Mabillonium, Conciliorum Canones per *Heras* laudantur, *p.* 458. 459. Faustus Rejensis *Epist.* 6. *per crucis enim signum & per sacrum Jesu nomen apud Græcos*, Hera *utriusque supputationis imprimitur. Capitula ad L. Alem. c.* 27. *Si litus fuerit in Ecclesia & in* heris *generationis dimissus fuerit*, 13. *sol.* — *componat.* Ubi *Hera Generationis* videtur appellari series ipsa generationis, ut tam ipse, quàm filii, & nepotes libertatem consecuti fuerint, &c. V. Car. du Fresne in voce *Æra*.

Hera Diana, apud Johann. Sarisberiensem *l.* 2. *c.* 17. Luna dicitur seu *Noctiluca*.

Heraclammon, duorum Numinum, *Herculis* & *Ammonis*, appellatio in unum conflata; sicut *Bessantinous*, *Hermammon*, *Hermathena*, *Hermeraclas* &c. Salmasius *ad Spartian. in Hadriano.*

Heraclas Presbyter, ἀνυπόδητος, per complures annos nudipes incessit, à vino aliisque ad vitam necessariis in tantum abstinens, ut in vitæ discrimen incideret: pallium quoque Philosophicum, quo, qui puriore & exactiore normâ Christi fidem colebant, tum utebantur, gestavit &c. Eusebius *Histor. Eccl. l.* 6. *c.* 3. & 10. V. Salmasium *Not. ad Tertullianum de Pallio cap.* I.

Heraclea, Thraciæ urbs, adde: Nomen *Perinthi* hodieque lapidi insculptum, in Ecclesia Cathedrali Græcorum hujus urbis, cernitur: Sed jam iterum antiquum *Heracleæ* nomen, quod sub posterioribus Impp. resumsit, servat. Fuit autem *Inscr.* modò indigitata facta in honorem Severi Imp. qui urbem Byzantium hujus urbis imperio subdiderat, in pœnam partium Pescennii Nigri pertinaciter nimis defensarum. Jac. Sponius *Itinerar. Part. I. p.* 217. & *seqq.*

Heraclea, apud vet. Interpretem Alexandri Jatrosophistæ *Passion. l.* 2. ubi de ligaturis & characteribus, *Aliud de Lapide medicamentum: sculpens in eo* Heracleam *rectam suffocantem leonem, includens in annulo aureo & dabis ad utendum in digito & sanus erit*, statua Herculis est. Cujusmodi fortè gemma est, quam servat Gazophylacium Canonicorum Regular. S. Genovefæ Paris. in qua sculptus *Hercules leonem suffocans*, cum hisce characteribus lat. malè formatis, CKYAΘPON; quam propediem cum aliis rarioribus ejusdem gazophylacii monumentis publicabit *C. de Moulinet*, Ordinis Procurator Gener. uti habet Car. du Fresne *Glossar.*

Heracleo, pro *Heracleopolis*, quod vide, & de ejusmodi urbium appellationibus, apud Recentiores passim occurrentibus, Salmasium *ad Æl. Spartianum in Hadriano.*

Heracleotica Nux, eadem cum Pontica, ab urbe Ponti *Heraclea* de qua suo loco, V. Theophrastum *Histor. lib.* 3. *c.* 2. ubi τῆς ἡρακλεωτικῆς solidum ac dentum putamen esse dicit, alibique passim. Διὸς βάλανος Græcis dicta est, uti pluribus docet Salmasius *ad Solinum p.* 602. V. infrà in voce *Nux*. De *Heracleotico* verò Nili ostio, eundem Salmasium *p.* 477. & *seqq.* ubi principalem Nili alveum circa ostia *Canopicum* & *Heracleoticum* vocatum esse, probat.

Heraclianus, Dux Gallieni, post interemptum Odenatum, ad feram nimis vindictam contra Persas missus, à Palmyrenis victus est. Treb. Pollio *in Gallienis.*

Heraclidarum Descensus, seu Reditus, nota celebris & character temporum est in antiquis Chronicis, à quo initium plerique faciunt historiæ veræ. Unde Ephorum Cumanum, cùm res publicè gestas scribere instituisset, veteribus fabulis omissis, τὰ ἀπὸ τῆς Ἡρακλειδῶν καθόδου πεπραγμένα συνταξάμενον ταύτην ἀρχὴν ποιήσασθαι τῆς ἱστορίας, *illa, quæ ab* Heraclidarum reditu *facta, collegisse, hocque initium fecisse historiæ suæ*, legimus apud Diodorum *l.* 4. ubi Callisthenem & Theopompum ejus exemplo pariter abstinuisse à priscis fabulis, addit. Sed in diversa tempora conjicitur ab Historicis hæc epocha: fortè quia τῆς καθόδου conatus etiam irriti id nomen à nonnullis tulerunt, uti conjicit Scaliger *in Eusebianis*, qui 4. nobilia intervalla, inter cladem Illi & primam Olympiadem, notans, quibus tanquam metis designati tempus à vett. Chronologis, Herodoto, aliis, observavit, primam locat Ἡρακλειδῶν καθόδου, à Troja capta LXXX. ann. Certè *Heraclidæ*, mortuo Eurystheo, à quo Peloponneso pulsi fuerant, cùm primò reditum conantes cæde Hylli ausis excidissent; postea rursum sinistrà eundem conatum resumsissent; tertia demum vice, Tisameno in Peloponneso imperante, destinata perfecerunt. De quo ultimo & vero reditu sic Velleius *l.* I. *c.* 1. & 2. *Post Orestis interitum, filii ejus Penthilus & Tisamenus regnavere triennio. Tum fere anno octogesimo post Trojam captam, centesimo & vigesimo, quàm Hercules ad Deos excesserat, Pelopis progenies, quæ omni hoc tempore, pulsis* Heraclidis, *Peloponnesi imperium obtinuerat, ab Herculis progenie expellitur. duces recuperandi Imperii fuere, Temenus, Cresphontes, Aristodemus; quorum atavus fuerat. Eodem fere tempore Athenæ sub Regibus esse desierunt.* E quibus Temeno (cui utpote maximo natu & expeditionis principi ab aliis tota hæc res tribuitur) Argi cessere; Cresphonti per sortem Messene. Aristodemus ipse jam fulmine perierat: igitur filii ejus gemini Procles & Eurysthenes Spartâ potiti sunt, à quibus familiæ duæ Regiæ Spartan. sunt ortæ, V. Pausan *Laconic.* & C. Nepotem *Agesilao*. Consentiunt in tempore reditus Velleio Thucydides, Plutarchus, Tatianus. Quos inter recentiores secuti sunt Scaliger, Calvisius, Alii: quam in rem V. plura apud Anton. Thysium JC. *Not. ad Vellej. Paterculum d. l.*

Heraclitæ, Hæretici, qui, *Heraclium* auctorem sequuti, conjugium damnabant, & infantes Regnum Dei consequi inficiabantur, 24. *quæst.* 3. *can.* 39. apud C. Macrum *in Hierol.*

Heraclitus, missus à Severo Imp. *ad obtinendas Britannias*, memoratur Spartiano in *Severo*: in *Vita* Pescennii tamen idem Auctor *Bithyniam* habet, Casaub.

Heraclius, Imp. adde: De nummo adulterino Heraclii, medallione videlicet insigni aureo, adeptæ ab eo crucis, à Persis, atque in urbem Regiam relatæ, historiam referente: de nummis item Constantini & Constant. ex familia *Heracliana*: porrò de nummis ejusdem familiæ Τρικέφαλοι seu *tricipitinis*, V. C. du Fresne *Dissert. de infer. ævi Numism. num* 65. & 72. ubi etiam de *Heraclio* Parente, *Heraclio* Juniore, qui, & *Constantinus* nuncupatus, diebus tantùm 103. post patris excessum imperavit, pater Constantis; quo genitus Constantinus Pogonatus, *Heraclius* & Tiberius II. varia, V. quoque infrà, ubi de nummis *Tricipitinis*.

Heraclius Lapis, Græcè Ἡράκλεια λίθος, apud Ptolomæum, lapis est, qui ferrum trahit, quemque posteriores Græci μαγνῆτιν λίθον, *Magnetem*, appellarunt; contra vetustiorum consuetudinem, qui eum lapidem, qui ferrum trahit, Ἡράκλειον λίθον, *Heraclium lapidem*, perpetuò appellantes, à Magnete eum separarunt: hoc nomine intelligentes lapidem argentei nitoris, qui in vascula tornabatur, uti discimus ex Theophrasto *Comment. de Lapp.* & Hesychio, quorum hic, Μαγνῆτις, inquit, λίθος, αὕτη πλανᾷ τὴν ὄψιν ἀργυρῷ ἐμφερὴς οὖσα, ἡ δὲ Ἡρακλεῶτις τὸν σίδηρον ἐπισπᾶται. Interim & *Heraclius lapis*, Μαγνῆτις & Μάγνης dici potuit. Uti enim ab *Heraclea* Lydiæ urbe, *Heraclius*, ita à Magnesia, ejusdem regionis urbe, Μάγνης vocitatus est: Sed & nascebatur quoque in Magnesia Europæa Macedoniæ contermina. Unde factum, ut, cùm primùm Μάγνης λίθος propriè *Magnesiarum lapidem*, denotaret; postea eo nomine censeri cœperit omnis lapis hujus generis, etiamsi patriam non haberet Magnesiam. V. Salmasium *ad Solinum p.* 1102. & *seqq.* & infrà ubi de *Magnete*.

Heræi Ludi, Argis olim in laudem τῆς Ἥρας *Junonis*, celebrari soliti, memorantur Livio *l.* 27. *cap.* 30. ubi de curatione eorum ad Philippum delata.

Heraldus, adde: Nicolaum item Uptonum *de Militari officio lib.* 1. *cap.* 12. Auctorem libri Gall. *Heraut de la Guerre*, editi Parisiis A. C. 1610. Columberium, &, qui primo loco dicendus erat, Phil. Jac. Spenerum Opere illustri *de Arte Heraldica I. h. Vol. in fol.* Francofurti impresso.

Heras, Medici nomen, apud Martialem *lib.* 6. *Epigramm.* 78.

Herba, antiquis *Ferba*, à Φέρβα Æolico, pro φορβὴ, Hebr. עשב boum enim pabulum est. Dan. *cap.* 4. *v.* 29. *herbâ, ut boves, te cibabunt.* Et *v.* 30. *Herbam, boum instar, comedebat.* V. Sam. Bochartum *Hieroz. Parte prior. Lib. II. c.* 31. Sed & priscis Ægyptiis *herbas* ac palustres caules radicesque, quas gustu experti comprobassent, in esum placuisse, ac proin, in prisci victus memoriam, eâ herbâ, quam *gramen* dicunt, manibus decerptâ, Deos orare ad suam usque ætatem solitos, refert Diodorus *lib.* 1. *c.* 4. Hinc in coronas quoque adhibita, quibus victi victores donabant, Pindarus *Pythior. od.* 4. Accius in *Meleagro*, *Gaudent, currunt, celebrant, herbam conferunt, donant, tenent; pro se quisque cum corollarum connectis caput* &c. Erat nempe hæc *herbæ* traditio confessio ejus, qui victus esset in loco herbido. Ipsam Obsidionalem Romanorum, non ex gramine solùm, sed ex omni *herbæ* genere, necti consuevisse, colligitur ex Plinio *lib.* 22. *c.* 6. *Nulla ergò herba fuere certæ in hoc honore, sed quæcunque fuerant in periculi sede, quamvis ignobiles ignotæque, honorem nobilem faciebant.* Unde mos, in investituris prædiorum terrarumque, medio ævo, *herbam* usurpandi tradendique, fluxisse videtur, uti diximus suprà, in voce *Cespes*. Nominatim certè investituræ *per herbam & terram*, qui cespes est, mentio occurrit in *Formulis* incerti Auctoris

cap.

*cap.*20. Et in *Consuet.* Hanoviensi, cùm apparitor feudum Vassalli pignori capit, *herbam & wasonem* de terra eruit, apud C. du Fresne ubi de *Investitura*. Aliud est *herbas dare*, in *L.* Salica *tit.* 21.§.1. *Si quis herbas alii dederit bibere & mortuus fuerit.* Hic n. veneficio seu veneficis potionibus alicui vitam vel mentem auferre, phrasis notat. Venenorum enim plura sunt genera *aliud ex radicibus herbarum contrahitur* &c. Quintil. *Declam.* 350. Claudianus *in Rufinum lib.*1.

— Nec me latuere fluentes
Arboribus succi, funestarumq; potestas
Herbarum —

Cujusmodi proin *herbas super se habere*, vetantur campiones, *in L. Longob. l.*2. *tit.*55. *§.*11. V. Car. du Fresne *Glossar.* Transiit ad luxum *herbarum* usus, sequiori ævo, & *formæ gratiâ — in corporibus suis aliquas externarum gentium usos herbis, advertis animum,* Plinius *l.*22.*c.*1. qui herbis quoque *infici vestes* consuevisse, notat *cap.seq.* ut de usu Magico nil dicam, de quo præter id, quod dictum, multa habet idem Plinius *l.*1..*c.*17. *&* &c. Hinc *Herbaria* Ars, quam à Chirone inventam, apud eundem legas *l.*7.*c.*56. & *Herbarii*, Scriptores qui περὶ τῶν βοτανῶν, *de Herbis*, aliquid memoriæ prodidere; quales complures jam olim inter Græcos Latinosque fuere, eidem memorati *l.*25.*c.*2. Postea *Herbarii* dicti sunt ῥιζοτόμοι seu βοτανολόγοι, qui Medicas herbas legebant vendebantque, ut ex Firmico discimus, V. Salmasium *ad Solin. p.*1051. Primi verò pinxere *Herbarum effigies atque ita subscripsere effectus*, Cratevas, Dionysius & Metrodorus teste Plinio, ubi suprà &c. Plura hanc in rem vide apud eundem *totalibro*, præterea Theophrastum & Dioscoridem, ex medii & recentioris ævi Scriptoribus, Constantinum Imp. περὶ Γεωργικ. Matthiolum, Tabernæmontanum, Salmasium *ad Solinum*, Alios: ut & hic passim

Herba Medica, Gallis *Sainfoin*: Chaldæo Interpreti apud Hiobum *c.*6.*v.*5. *an mugiet bos ad ferraginem suam*, אספסתא *Aspaspatha*: Arabicè *Ratba*, cùm est recens, & *Cotb*, cùm est arida, Plinio sic describitur *l.* 18. *c.* 16. *Medica, externa etiam Græciæ, ut à Medis advecta per bella Persarum, quæ Darius intulit: sed vel in primis dicenda. Tanta dos ejus est, cùm uno satu ampliùs, quàm tricenis annis, duret. Similis est trifolio, caule foliisq; geniculata: quidquid in caule assurgit, folia contrahuntur. Unum de ea & cytiso volumen Amphilochus fecit confusum. Solum, in quo seratur, elapidatum purgatumq; subigitur Autumno: mox aratum & occatum integitur crate iterum & tertium — Ita praeparato seritur mense Majo — Secatur incipiens florere & quoties refloruit. Id sexies evenit per annos, cùm minimùm, quater. In semen maturescere prohibenda est, quia pabulum utilius est, usque ad trimatum. Dari non ad satietatem debet. Et viridis utilior est.* V. quoque Theophrastum *Hist. l.*8.*c.*8. Columellam *l.*2.*c.*12. Dioscoridem, Alios: è quibus Dioscorides, *Medicè*, inquit, ὅταν μὲν ἀρτι φυομένη τυγχάνῃ τῷ ... ἐμφερής, προκόπτουσα δὲ στενοφυλλοτέρα γίγνεται. *Medica, cùm recens prodit, similis est trifolio pratensi: at cùm adolevit, foliis fit angustioribus.* Aristoteli si credimus *Hist. l.*3.*c.*21. Medica herba si vaccis detur, & reliquis animalibus, quæ ruminant, copiam lactis extinguet. Contrà Sotion *in Geoponicis lib.* 17. hac herba nutritas boves lactantes plus lactis habere, affirmat. Certè apud Ælianum *Hist. l.* 12. *c.*11. bos Onuphis in Ægypto ... *Medicâ herbâ Medicâ pascitur*, quâ sacro bovi faginando nulla aptior crederetur. Sam. Bochartus *Hierоz. Pars prior l.*2.*c.*31 De *Herba Paradisi*, V. in voce *Faisan*, item *Malabathrum*, de *Herba Sabina*, infrà in hac voce.

Herbatica Animalia, apud Vopiscum *in Probo*, *Venationem in Circo amplissimam dedit, ita ut populus cuncta diriperet. Genus autem spectaculi fuit tale: Arbores validæ per milites radicitus vulsæ connexis longe lateq; trabibus affixæ sunt, terra deinde superjecta, totusq; Circus ad sylvæ consitus speciem, gratiâ novi viroris effrondnit. Immissi deinde per omnes aditus Struthiones mille, mille cervi, mille apri, mille damæ, ibices, oves feræ & cætera* herbatica animalia, *quanta vel ali potuerunt, vel inveniri. Immissi deinde populares, rapuit quisq; quod voluit* &c. sunt, quæ Græcis ποηφάγα dicuntur. Cujusmodi animalia populo diripienda primus legitur exhibuisse Heliogabalus, *boves, camelos, asinos & cervos, Imperatorium id esse* dictitans, apud Lampridium; cùm ante ipsum, qui Consulatum inibant, miserint in populum nummos aureos argenteosque, vestem, gemmas, margaritas, tabulas pictas; *mancipia* etiam, *jumenta atque mansuetas feras*, ut Nero apud Suetonium: Sed sic, ut tesseræ harum rerum animaliumque nominibus inscriptæ raperentur à popularibus, dein singulis daretur in manum, quod tessera cuique rapta assignabat, sive illud animal esset, sive mancipium, sive vestis, sive aliud quid. Ut autem nemo ante Alagabalum boves ipsos & asinos & mulos cæteraque id genus *animalia herbatica* populo objecit diripienda: sic venationis hoc genus, quod *Sylva* dicebatur, item *Direptionis venatio*, sub Impp. recentioribus exolevit, neque à Constantino M. usque ad Justinianum aliosque sequentes, alia in usu fuere missilia ac sparsiones Consulares, quam aureorum, argenteorum & æreorum numismatum. V. Salmasium *ad Vopiscum l.c.* & infrà in voce *Sylva*, quam cum *Pancarpo* malè nonnulli confundunt.

Herbertus Eduardus Baro *de Cherburg*, Anglus, peculiari libro probare conatus est, omnes Religionis ad salutem necessariæ partes absolvi quinque his articulis: *I. Esse Deum. II. Eum debere coli. III. Virtutem cum pietate conjunctam præcipuam partem esse cultus divini. IV. Horrere scelerum adeoque pœnitentia. V. dari, fore post hanc vitam præmia ac pœnas.* V. librum ejus de *Religione Gentil.*

Herbidæ Vestes, memoratæ Cypriano *Lib. de disc. & hab. Virg.* cùm ait, *Neque enim Deus coccineas aut purpureas oves fecit, aut herbarum succis, id est, virides, seu carinas & conchyliis tingere & colorare lanas docuit*: à colore haud dubiè nomen habuere Anceadem cum Earinis, vestibus viridis coloris & verno tempori convenientissimis? V. *ibi.* Fuere autem in Græco usu, ut Constitutio Syracusanorum docet, quæ floridas vestes penitùs prohibuit, apud Phylarchum *Hist. l.*24. Neque minùs lex Atheniensium, quâ scorta ubebantur ἀνθινὰ φορεῖν, *vestes floridas ferre.* Non enim mollitiei suspicione hic vestitus caruit: quare Liber Pater iis indutus introducitur apud Diodorum Siculum *Bibl. l.*5. Et delicatiores Romæ plerunque eo indumento velabantur. Papinius Statius *l.*2.*Sylv.*1. *v.*137.

— Modò puniceo velabat amictu,
Nunc herbas *imitante sinu, nunc dulcè rubenti*
Murice, nunc vivis digitos accendere gemmis
Gaudebat.

Martialis *l.*5. *Epigr.* 24.

Herbarum *fueras indutus, Basse, colores,* &c.

Interim & Reges Persarum sic indutos fuisse, docet Athenæus: hodieque in Anglia, ubi hyems frigora sua remisit, & læto facie terra aperitur. Rex totusque Procerum ordo venatum proficiscens hoc indumenti genere utitur. neque minùs, quàm saltus ipsi ac campi, virescit aula. Fluvii quinetiam pene sic ornabantur olim; Unde Ausonius *Idyllio* 3 *sive Mosella*, *v.* 270.

Cæruleos nunc Rhene sinus, hyaloq; virentem
Pande peplum.

In calceis quoque *Herbidum* hunc colorem quibusdam arrisisse, discimus ex Martiano Capella, *de Nupt. Mercurii & Philologiæ lib.*1. *Calceos autem smaragdineæ fluctu viriditatis herbosos, vestigiis ejus annexuit*, &c. V. Thom Dempsterum *Paralipomenis in Joh. Rosini Antiqq. Rom. lib* 5.*cap.*31. Barthium *ad Statium d.l.* & *lib.*2. *Sylv.* 2. *v* 90. ubi *herbidum* colorem, à *viridi*, distingui, ex Martiano Capella *l.c.* & non solùm hunc, sed varium quandoque colorem, ad viridem tamen magis spectantem, eâ voce denotari, ex Sidonio, Prudentio, Aliis, docet &c.

Herberna, adde: Horæ spatio expedito viro Meridiem versùs, a Dilleburgo distat, inter Dillam ad Orientem & assurgentes ad Occidentem colles porrecta, nomen accepit an a fonte (*born* enim Germanis *fontem* notat) quo Dynastæ olim delectati, an a salubri & peculiari Dei munere concessâ aqua. Namque & his temporibus, circa A. C. 1650. inter aridos ad Solem occiduum colles, scaturigo multiplici venâ erupit, multorum ex periculosis morbis & à cæcitate ad sanitatem reversorum experimento comprobata; quam egregio carmine prosequutus est Cyr. Lentulus. Emporium est non incelebre, mercatu septendiali; præterea ternis in biduum nundinis, vernis, autumnalibus & hyemalibus, stridens: Sed Gymnasio, in quo Theologiæ inprimis hactenus studium viguit, clarius. Cum Sigena, Beylstenio & aliis ultra Lanum locis, sortitò obtigit Othoni, primo Comiti Dillenburgico, qui sedem in hac arce fixit A. C. 1250. filius minor natu Henrici cognom. *Divitis*, frater Walravii, cui Weisbada, Weilburgum & Idstenium obtigere. Sed in nepotibus Othonis Beylstenium à Dilleburgo avulsum est. Sequentibus temporibus, Johannis cognom. *Senioris* (qui, frater minor natu Guilielmi Auriaci, patri Guilielmo in ditionibus Germanicis successit) hereditas ita inter filios ejus divisa est, ut maximo natu Guilielmo Ludovico, Frisiæ, Groningæ, Tencterorum & Tubantum Præfecto, Dillenburgum, adjectis *Herbornâ*, Dringenstenio, Ebersbachio & Hager; Johanni Sigena; Georgio Wellerwaldia, Ernesto Casimiro Dieza & Nassovia; Johanni tandem Ludovico Hadamaria obveniret, sicque Dillenburgensis Comitum Nassoviæ linea in quinque ramos dispesceretur, A. C. 1606. Quorum primo sine liberis defuncto, cum successioni ejus Johannis Sigenensis liberi destinarentur; factum tamen vel morientis testamento, vel superstitum fratrum conventione, ut, ne patrimonium amplius, & Schola *Herbornensis* in illorum manus veniret, qui Religionis Reformatæ jacta in illis locis fundamenta labefactare possent, Georgii filius Ludovicus Henricus (hac tamen conditione, ut Wellerwaldia & Beylstenio, quod itidem pater acceperat, cederet) primogeniti locum, Guilielmi Ludovici ex asse hæres, occuparet, V. de eo supra. Theologi, qui in illo Gymnasio floruere, ab A. C. 1584. fuere, Doctor Caspar Olevianus, Trevirensis; Mag. Joh. Piscator Argentinensis; M. Jodocus Nahumius Palatinus; Matthias Martinius Waldeccensis, quem postea Schola Bremensis Rectorem nacta est; Johannes Heinsdius Waltorffensis, Sphinge edita celebris; Guilielmus Zepperus *Herbornensis*; Johannes Bisterfeldius Lunæburgensis, D. Hermannus

mannus Ravenspergerus, Groningâ Frisiorum huc vocatus; Georgius Pastor, Ellariâ Hadamariensis, Groningam vicissim ad docendum hinc evocatus; Joh. Jacobus Hermannus, Argentinensis; Ernestus Nolde nobilis Livonus aliique editis scriptis & pietate clarissimi. Etiam Jurisconsulti non incelebres Gymnasium hoc illustrarunt, præter alios Johannes Gœddæus J.U.D. VVestphalus, in Academiam dein Marpurgensem vocatus; Doct. Joh. Althusius, VVitgenstenius, Juridicis & Politicis scriptis clarus, Emdæ postea Syndicus; Doct. Antonius Matthæus Marpurgensis, in Patriam inde revocatus; Phil. Henricus Hoenonius J.U.D quem scripta, & Cæsaris, Nobilium ordini cum interventis, favor, celebrem fecere; ut alios omittam. Nec Medicinæ illustrandæ defuere, Johannes Pincierus Hassus, Poeta insignis, Marpurgum *Herbornâ* invitatus; Joh. Matthæus Marpurgensis, alii. Philosophiam tandem ibidem non sine laude docuerunt, Hieron. Treutlerus Silesius, Marpurgi exin Professor & Rodolfo II. Imp. à consiliis: Doct. Otho Melander Matthiæ Imp. itidem à consiliis; Mag. Henricus Gutberlethus Hersfeldensis, Hammensis postea Scholæ in VVestfalia Rector, Joh. Henricus Alstedius Ballersbacensis ex *Herbornensi* districtu eruditione & scriptis, Encyclopædiâ inprimis suâ, celeberrimus; Mag. Philippus Lud Piscator; &, qui extra ordinem docendi hic munus subierunt M. Gilbertus Jacchæus Aberdonensis Scotus, quem Lugduno-Batavi pretio superiores sibi vindicarunt; ac Mag. Haloinus Gothofredus Ultrajectinus. Hodie docendi munere funguntur: in Theologia, Doct. Joh. Heinius Gutenbergâ Hassus, operi in Feurbornium intentus, & Conradus Posthius *Herbornensis*. In Jure Philippus Daumius, Dillenburgensis, in locum Cunonis, Heidelbergam evocati, suffectus; & D. Jacobus Burckhardus Basiliensis, Principi à Consiliis ac in Patria Academia Institutionum Professor designatus. Medicinam feliciter facit Lud. Christianus Cnopius, aliàs *Blanckenpos*, Herbornensis. Philosophiam cum laude docent Cyr. Lentulus Politices Profess. & *Principum Nassov. Genealogiæ proximè edendæ* (unde ista hausimus) Auctor, Joh. Philippus Schmid, VVetteravus, Ethicam & Metaphysicam prælegit, Godofridus Heidfeldius Nassovio-Tridorffianus Historias & Græcam Linguam profitetur, Justi Henrici, Nassovicæ Domus Consiliarii, frater. Quibus extra ordinem accessit haud pridem Joh. Jacob. Gantensuilerus, Basiliensis, L. A. tum Mag. & Logicæ Professor: postea Hanoviam, & anno proxime elapso, in Academiam Duysburgensem, à Serenissimo Electore Brandeburgico ad Theologiam docendam, vocatus &c.

Hercia, apud Bernardum Mon. *in Consuet. Clun. MS. cap.* 77. *Palliæ super altare non ponuntur, & hercia non illuminatur*: candelabrum est, in modum orcæ seu trigoni, Gall. *herce*, confectum. Sic apud VVilhelm. *Thorn. p.* 2152. *Hercia*, candelabrum est luminibus instructum variis, quod ad Cenotaphii caput erigi solebat. V. du Fresne *Glossar*.

Hercitæ, servorum genus, qui in agris versabantur, apud Vett. V. Alex. ab Alexandro *Genial. Dier. l.* 3. *c.* 25.

Herctum, vox antiqua, hæreditatem, patrimonium, bona, denotans; ab *hercto*, quod & *forctum* & *horctum*, & *erctum*, pro bono. Unde formula, *Hercto non cito*, apud vett. Jurecoss. de cohæredibus, qui hæreditatem inter se non ciebant, h. e. hæreditatem & bona defuncti non dividebant. In cujusmodi societate inseparabili vixisse omnes olim, qui à Pythagora in cohortem discipulorum suorum assumebantur, ait Gellius *l.* 1. *c.* 5. Et actio XII. Tabb. quæ dabatur *Hercto ciundo*, i. hæreditati dividundæ, his verbis concepta, *Familiæ herctí ciundæ*. Ubi *Familiæ* appellatione nobilissimam partem familiæ, quæ in servis consistebat; *hercti* verò, reliqua bona, contineri, docet Salmasius, Tribonianum, quòd loquendi hoc genus non caperet, id mutasse in *Familiæ herciscundæ*, qui titulus in *Digestis* occurrit & familiæ id esse dividendæ putavisse, addens, *ad Solin. pag.* 1162. & 1263. V. quoque suprà in voce *Consortium*.

Herculaneæ Machæræ, apud Jul. Capitolinum in *Pertinace Imp.* ubi de auctione rerum Commodi, *Et toga armaq; gladiatoria —— & macharas* Herculaneas, *& torques* &c. enses sunt iis similes, quos Pictores & Poetæ Herculi tribuunt; nam & Commodus *alter Hercules* haberi voluit. Alioquin *Herculaneus gladius* magnus est, ut Ἡρακλεία νόσος, i. μεγάλη, interprete Galeno. Sic *Lanceæ Herculaneæ* in *Claudio II.* apud Trebellium Pollionem. V. Casaubonum *Not. ad Capitolinum*.

Herculeæ Idus, Idus Octobres à Commodo Imp. dictæ, qui cùm nova nomina cuique mensium imposuisset, Octobrem *Herculem* vocasse legitur, apud Lamprid. *Commodo*, V. Salmas. *ib.*

Hercules, adde: A ceto devoratum, in ejus ventre aliquandiu delituisse, Lycophron ait, —— ὅν ποτε γνάθοις

Τρίτωνος ἠμάλαψε κάρχαρος κύων κτλ.

—— *ori quem quondam suo*

Consi voravit campa manducus canis &c.

Triduum habet Theophylactus *Commentar. in Jonam*, ubi historiam hanc ad Servatorem nostrum detorquet. Aliter Flaccus *Argonaut. l.* 2. aliique. Certè ex sacra Jonæ historia occasionem fabulæ huic inter Græcos datam, docet Vossius *de Idol.* V. quoque quæ suprà diximus, ubi de *Cane Carcharia* &c. Ejus simulachrum ex ferro, Alconis opus, memoratur Plinio *l.* 34. *c.* 14. ut &, Antæum sustinentis, ex ære; Idem *Herculem pictilem*, *l.* 35. *c.* 12. marmoreum, Menestrati, alium Dipœni ac Scillidis opus, *lib.* 36. *cap.* 5. item tristis insaniæ pœnitentia pictam effigiem, *lib.* 35. *cap.* 11. &c. habet. Communiter substrato pallio in cubitum nixum consuevisse fingi, observat Barthius ex *Lapithis* Luciani, Ἐς δὲ χάμευνα, χαμαὶ ἐπὶ τὸν τρίβωνα ὑποβαλόμενος, κείμενος ἐπ' ἀγκῶνος, οἷον τὸν Ἡρακλέα γράφουσι. Quò alludit Statius *lib.* 3. *Sylv.* 1. cujus tit. *Hercules Surrentinus Pollii Fel.*

Hic tibi Sidonio celsum pulvinar acantho

Texitur, & signis crescit torus asper eburnis.

Ad quem locum V. præfatum Barthium, qui ad eundem Poetam de *Hercule* plurima egregia passim aspergit. Inde *Herculaneus nodus*, seu *Herculeus*, memoratus Plinio *l.* 28. *c.* 6. *Vulnera nodo Herculeo præligare, mirum quantum ocyor medicina est. Atq; etiam quotidiani cinctus tali nodo vim quandam habere utilem dicuntur: quippe cùm Hercules eum prodiderit.* Græcè Ἡρακλεωτικὸν ἅμμα, seu Ἡρακλεῖον, quod Athenagoras in *Apol.* & Oribasius describunt. Eo cingulum inprimis Sponsarum Romanarum, ex ovilla contextum lana, necti solitum, quòd Heros ille fœcundissimus ab omnibus creditus esset, discas ex Alex. ab Alexand. *Gen. Dier. l.* 2. *c.* 5. & Jul. Cæs. Scaligero *Poetices l.* 3 *c.* 101. &c. Plura v. *de Hercule*, V. apud Geth. Jo. Vossium *de Idol. lib. I.* & *II.* passim, uti de *Herculis stella*, quæ eadem ac *Martis*, *lib.* 2. *c.* 33.

Herculis varia cognomina.

Ægyptius, *Gignon* vel *Gigon* vocatus: qui duplex, unus Osiridi æqualis, alter Josua seu Hercules Cananæus. V. Vossium *d. op. l.* 1. *c.* 27.

Ἀλεξίκακος.

Ἀπόμυιος, à Romanis cultus.

Cananæus, idem cum Josua.

Caranus, & *Recaranus*, sub Aventino Inventori patri dedicavit aram, quam *Maximam* appellavit, Auctor incertus *de Orig. urb. Rom.* ex Cassio. V. Vossium ubi suprà *l.* 2. *c.* 15.

Cubans, cujus simulachrum in urbis regione XIV. fuit.

Defensor, templum habuit Romæ in eadem regione; in quo, ut Jovis Propugnatoris, milites honesta missione donati, & gladiatores emeriti, arma clypeosque suspendebant.

Magnus, ædem habuit, in regione IX. quam L. Corn. Sylla ex carmine Sibyllino ædificasse dicitur. P. Victor. *ædes Herculis Magni Custodis Circi Flaminii*: idque pridiè Non. Junias.

Margusanus, V. Vossium *de Idolol. l.* 1. *c.* 35.

Melicarthus, idem cum Tyrio, qui & Sidone cultus, idem *ibid. c.* 22.

Musagetes, cum novem Musis repræsentatur in nummo Q. Pomponii Musæ, quem habet in suis *Emblematis* Johannes Sambucus.

Musarum Herculi, ædem condidit M. Fulvius Nobilior Censor anno U.C. 566. triennio postquam de Ætolis triumphavit, in qua Musarum signa, quæ captâ Ambraciâ Romam transmiserat, posuit, Liv. *lib.* 38. Vetustate dein collapsam restituit Marcius Philippus, Vitricus Augusti, Suetonius *in Augusto*.

Muscarius, à Romanis cultus est, sicut ab Elidis incolis Jupiter ἀπόμυιος, & à Philistæis 2. Reg. 1. 2. *Beelzebub*.

Ogmius, Gallis eloquentiæ symbolum fuit, Vossius *l.* 1. *c.* 35. & *l.* 2. *c.* 15.

Olivarius & Pacifer, V. Hub. Goltzii *Thesaur.*

Pollens, in *Inscr.* Interamnæ Nahartium in Umbria. V. Vossium *l.* 1. *c.* 22.

Prodicius, signum adolescentis in lubrico constituti, V. eundem *lib.* 2. *c.* 15.

Saxanus, vocatur, in marmore Tiburtino, V. infrà *Saxanus*.

Silvanus, seu Rusticus in *Inscr.* antiquis, idem cum Marte Sylvano: utrumque enim apud Pontifices eundem habitum, notat Macrobius. V. & infrà.

Somnialis seu Ὀνειροπομπός, V. infra in voce *Somnialis*.

Thebanus, V. Vossium *l.* 1. *c.* 13. 26. & 27. & 32.

Trinoctigena, V. Casp. Barthium *ad Statium Thebaid. lib.* 5. *v.* 179.

Triumphalis, simulachrum habuit in Foro Boario; Cui nomen, quòd iis diebus, quibus Romæ triumphus agebatur, triumphali induebatur habitu.

Tyrius, V. Vossium *l.* 1. *c.* 34.

Victor dictus est, quòd omne genus animalium vicerit: Ejus Romæ duæ fuere ædes, una ad portâ Trigeminam, altera in Foro Boario. Hæc ad maximam aram extructa fuit rotunda, in quam nec servi nec mulieres admittebantur. Eandem neq; canes neque muscæ intrabant, Plin. *l.* 10. *c.* 29. In illa quoque nullum lectisternium factum fuisse, Macrobius in *Com. Balbo* & Servius docent. Alteram verò M. Octavius Herennius extruxit, qui primò tibicen, dein Mercator, à prædonibus circumventus fortissimè pugnavit, & victor evasit, Macrob. Plura alia Herculis cognomina vide apud Hub. Goltzium in *Thes.* Salmasius ædem *Herculis Victoris* in Foro Boario, cum æde Herculis *Triumphalis*, eandem facit *ad Solinum pag.* 10. ad quem Autorem, de hoc Gentium idolo idem plura passim.

Hercules,

Hercules Alter, inter cognomina Maximini Imp. à militibus ei tributa, apud Capitolinum.

Hercules Romanus, Ῥωμαῖος Ἡρακλῆς, inter titulos Commodi Imperatoris, quoties ad Senatum scribebat, apud Lampridium.

Hercules Rusticus, apud Æl. Lampridium in *Vita* ejusdem, *Habuit & hominem — quem Onon appellabat, sibi charissimum, quem & ditavit & Sacerdotio Herculis Rustici præposuit*: is dicebatur, qui jungebatur cum Sylvano, quem & *Sylvanum Herculem* dicebant. *Hercules* autem & *Silvanus* sæpè conjunguntur in antiquis *Inscr.* ut HERCVLI ET SILVANO; SILVANO ET HERCVLI. Salmasius *ad l.*

Hercyna, adde: Ἕρκυνα Pausaniæ, Trophonii fil. Lebadiæ culta est. V. Livium *lib. 45. cap. 27.* & Pausaniam *lib. 9.*

Hereberga, seu *Alberga*, apud medii ævi Scriptores, jus *Gisti* est, quam vocem V. suprà.

Heregravius, vel *Hargravius*, apud eosdem, Comes militaris seu exercitus Dux, ut inter alia in *Chronico* Alsatiæ non semel *Heretochius*, Scriptoribus Anglicis, Saxon. Quod officium qui gerebant, gradu inferiores Vicecomitibus, *ordinabant acies densissimas in præliis & alias constituebant —— eligebantur verò per commune Concilium per provincias & patrias universas & per singulos Comitatus* &c. V. *LL.* Eduardi Confess. *cap. 35. de Heretochiis*, apud Spelmannum *in Glossar.*

Herenachus, Dignitas Eccl. apud Hibernos hæreditaria, eadem cum Vicedomini vel Oeconomi functione. V. Henr. Spelmannum in *Glossario*, ut & in voce *Corba*

Herennianus, inter Duces, qui è Probi disciplina prodierunt, memoratur Vopisco *in Probo.*

Herennius Nepos, inter Nobiles Rom. à Severo, sine causæ dictione, occisos, apud Spartianum.

Hereum, apud Solinum *cap. 2.* ubi de oppidis in Italia, à Græcis extructis, *Hereum à Græcis in honorem Heræ; sic enim Junonem Græci vocant*: Ἥραιον Stephano est. Vide in voce *Eraeum.*

Heribannum, adde: At non exigebatur mulcta, nisi præcessisset jussio dominica: & tum pars tertia ejus ad Comitem spectabat: quam tamen ipsi exigere non licebat, sed Misso dominico, à quo is suam tertiam recipiebat. Persolvebatur autem non in terris vel mancipiis, sed in auro & argento, armis, palliis & animalibus, sive talibus speciebus, quæ ad utilitatem pertinent. Donec tandem gravissimis Normannorum ingruentibus bellis & incursionibus, indicta in Francia à Carolo Calvo ad exsolvendum, de quo convenerat, iis tributum, vectigalia & collectæ, à quibus ne ipsi quidem eximebantur Presbyteri: *Et Herbanni ab omnibus Francis accipiuntur*, in *Annal. Francorum Bertin. A.C.* 866. idque pro modo prædiorum, ita ut pro manso ingenuili seu servili denarius persolveretur. Unde percipitur, cur in Impp. aliquot privilegiis, pro Ecclesia Mindensi, *Bannum* sive *Heribannum* ab illius possessionibus & agris exigere prohibeantur Judices publici &c. V. du Fresne *Glossar.*

Hericius, seu *Herinaceus*, in cibir, apud Damirem, Scriptorem Arab. *cap. de Reptil.* Tum autem carnem ejus jucundam esse, si capite percusso uno ictu interficitur, priusquam in se urinam reddat, tradit Plin. *l. 30. c. 8.* qui idem prolixè animal hoc describit *lib. 8. c. 37.* V. suprà in voce *Erinaceus.*

Heriles Principum seu Dominorum filii, q. *minores Heri*; quos sequior ætas *Domicellos* dixit. V. Terentium in *Andria*, Prudentium *περὶ στεφ. in Fructuoso.* Alios: Δεσπόσυνοι, Xenophonti, Theophilo, Harmenopulo &c. Eodem modo *Regum Fratres* vocat Jonas Aurelianensis *Præf. ad Opusc. de Instit. reg. ad Pipinum R. Aquit.* V. suprà in *Despotni.*

Herimanni seu *Arimanni*, certum hominum apud Longobardos genus, quos immediate subditos fuisse Comitibus ipsis, Judicibus, Sculdasiis &c. legimus in *LL.* Longobard. sub quibus in oppidis & castris militabant, invigilabantque eorum tuitioni: quasi *viri exercituum*, ex Germ. *here*, exercitus & *mann*, vir; Galli dicerent *Hommes de guerre, Hommes d'armée*: adeoque milites, beneficia ac prædia ab Imperatore concessa possidentes, vassalli minores, Goldast. Vel certè fuere ipsi villarum incolæ seu subditi, prorsus diversi à servis, cùm nulli oneri subiacerent, præterquam *hostis & placiti*, ex *here* dominus & *man* homo, quasi *Homines Domini*, id est, vassalli. Liberæ enim conditionis homines fuisse, certum est. Obligatio eorum eundi in exercitum, *Arimannia* seu *Arimandia*, *Paulor. l. 5.* quæ meritò inter jura Regalia ibi recensetur &c. Vide Car. du Fresne *Glossar.*

Heripperetus, apud Brovverum *Annal. Trevir. p. 473.* equus militaris, quem tres mansi collato sumtu Seniori, Curiam Imp. vel Longobardicam aliamve meditanti expeditionem, cogebantur subministrare, addito mancipio quod equum curaret. Vox Germ. est, Lat. *Domini equus*, vel *Exercitus*, i. *militaris equus.*

Herlinini Milites, apud Petr. Blesensem *Ep. 14.* per contemtum vocantur Aulici, quòd poculis potiùs, quàm gladiis, dimicent. An ab *Herlino*, Anglo, exercitus in Saracenos ductore, sed militiæ prorsus imperito? V. Car. Macrum *in Hierol.*

Hermæ, apud Corn. Nepotem *Alcibiade cap. 3. Accidit, ut una nocte omnes* Hermæ, *qui in oppido erant Athenis, dejicerentur, præter unum, qui ante januam Andocidis erat, Andocidisque Hermes dictus est.* Græcis Ἑρμαῖ, sunt τετράγωνοι κίονες, *quadratæ statuæ*, æneæ aut marmoreæ, sine manibus, caput humanum ostendentes, reliquo corpore rudi relicto, Mercuriumq; referentes, unde nomen, quas ante januas religionis ergò positas habuerunt Athenienses. Apud eosdem singulæ Tribus in viis publicis similes statuas erectas habuisse videntur: Ut & viri de Rep. bene meriti. Ponebantur etiam in biviis, triviis & quadriviis, & in fronte scriptum habebant, quà via duceret. qua de re V. Vossium *de Orig. & progr. Idolol. l. 2. c. 32.* Quod primum fecisse Hipparchum, inscriptis Ethicis præceptis saluberrimis, tradit in *…* Plutarchus. Sed & *Hermæ προπύλαιοι* ante portas statuebantur, quorum unum Anagniæ ictum cœlitus, refert Liv. *lib. 27. cap. 5.* &c. V. Hildebrandum *ad Nep.* Apud Philoxen. Ἑρμαῖον ὕσπληγξ, repagulum est in Stadio, quod ab *Hermulis*, (parvis hujusmodi statuis) laxabatur, inventum Tlepolemi Myrensis. Ita enim is,

Τληπόλεμος ὁ Μυρεὺς Ἑρμαῖ' ἀφετήριον ἱερὰ
Ἱππόδρομον Θῆκεν πᾶσι ὁ Πολυκρίτου κλ.

Quod inde in Circum traductum, teste Cassiodoro. Nempe transversarium lignum, inter duo arrectaria & extantia positum, quod ὕσπληγξ dicebatur, signo dato funibus laxabatur, & in lineam cavatam (quæ βαλβίς) decidens, limini januæ complanato simile existebat, quo pacto potestas dabatur currendi. Duo v. illa ligna arrectaria, quæ *ἱστάμενα ἐκατέρωθεν τῆς βαλβῖδος* Hesychio, in modum *Hermarum* efformata fuere, qui fune demisso utrinque repagulum solvebant. Qua de re V. Salmasium *ad Solinum pag.* 924 ut & suprà in voce *Balbis*. Adde quæ dicemus, in voce *Mercurius*. &c.

Hermæa, Gr. Ἑρμαῖα, festum erat apud Cretenses, in quo Domini servis epulantibus ministrabant. Caristius *in Hist. Comm.* apud Athenæum *lib. 14. c. 17.* Idem mos apud Athenienses obtinuit, & Babylonios, apud quos durante festo *Sacæas*, per 5. integros dies, servi imperabant suis dominis, & unus ex illis stolam regiam induebat. Ctesias *Annal. Persic. lib. 2.* & Berosus *Rerum Babylon. lib. 1.* Simile omnino jus in festo *Peloria* dicto, apud Thessalos; Et cui ignota Saturnalia Romanorum? V. Thom. Dempsterum *Paralipom. in Rosini Antiqq. l. 4.* Sed & in urbe Pellene Θεόξενα, vel Ἑρμαῖα, Ludos, quibus ἆθλον erat læna, memorat Salmasius *ad Solinum pag.* 849. At apud Suetonium Tranq *in Claudio Cæs. cap. 10. Hermæum* diætæ nomen est, seu domûs, quæ à parte familiæ Cæsareæ inhabitata videtur Casaubono, sicut de *Gelotiana Domo* retro videmus. V. quoque suprà, ubi de *Gymnasiis.*

Hermammon, duorum Numinum *Mercurii* & *Ammonis* in unum conflatum nomen, V. suprà *Heraclammon.*

Hermannus Grun, Consul Coloniensis, à duobus Canonicis leoni objectus, feram feliciter confecit, circa A. C. 1260. quo Episcopus Urbem sibi subjicere omni nisu conatus est. Georg. Hornius *Orb. Polit. Part. 2. cum Animadvers. Menckenii.*

Hermas, Rom. c. 16. v. 14. inter eos, qui à Paulo Apost. salutantur; quis fuerit, acriter inter Bellarminum & Baronium Purpuratos Rom. Eccl. Patres controvertitur. V. C. Macrum *Hierol.* & voce *Hermes*. In Bibliotheca Patrum habentur libri tres *Hermæ* huic inscripti, qui à Patribus Ποιμένος, *Pastoris*, nomine insigniuntur, ut videre est apud Tertull. *de Orat. cap. 12.* Origenem *Philocal. capp. 1. & 8. Clem. 1. Strom.* Alios. De cujus libri auctoritate quid statuendum sit, docent Rob. Cocus *Censur. quorundam vett. Scriptor.* & Andreas Rivetus *Critico Sacr. lib. 1. c. 12.*

Hermathena, adde: Collocabatur simulachrum hoc miro artificio implicatum in omnibus olim Bibliothecis, Gymnasiis & Scholis, quo Philosophiam cum Eloquentia jungendam esse significatum est. Et talem certè fuisse Philosophiam Græcorum, docet Cicero *de Orat. lib. 3.* ubi *iidem erant*, inquit, *& sapienter sentiendi & ornatè dicendi Auctores.* Nec Numinum istiusmodi mixtio infrequens erat: Sic Mercurius Herculi miscebatur; de quo V. infrà in voce *Hermeracla*. Sic Phœbus Baccho. Lucanus *lib. 4. de Parnasso*,

Mons Phœbo Bromioque sacer, cui Numine mixto
Delphica Thebanæ referunt Trieterica Bacchæ.

V. Georgium Hornium *Hist. Phil. lib. 7. cap. 7.*

Hermeas, frater Philumenæ, pro Aristide Hadriani Imp. fermè æquali, gravissimè ægrotante, mortem obiit, ut ipse Aristides narrat, *Sacrar. quinta*, V. suprà ubi *de Fatis producendis.*

Hermellina, apud Thvvroczium *in Salomone R. Hungar. cap. 52. Cumque tetigisset veprem lancea, quædam* Hermellina *albissima mirum in modum lanceæ ejus insedit, & super ipsam discurrendo, in sinum ejus usque devenit*: mus Ponticus est, Gallis *Hermine*, ab *Armenia* dictus, quòd inde ejusmodi murium pelles in Europam adveherentur; *Herminiam* enim pro *Armenia* dixere recentioris ævi Scriptores. Car. du Fresne *Glossar.* & *Dissertat. I. ad Joinvillam.*

Hermendatum, Hispanis & Navarrenis maximè, jurisdictionis

in fures & facinorosos certa quædam & memoratu digna species est. Cùm enim inter bella tam externa, quam civilia, Magistratuum solicitudo latrociniis compescendis non sufficeret, cœpere plebeji, quorum præcipuè res agebatur, societates (Hispan. *Hermendauas*) inter se contrahere, constitutumque est, ut, quoties hujusmodi aliquod scelus à facinorosis committeretur, universi facto ad æris campani sonum concursu (*ab eris & repici de campanes*, in *Charta A. C.* 1452.) in illos impetum facerent, pœnas abripiendis debitas sumturi: quæ quidem Societatum harum jurisdictio postea Regia auctoritate confirmata est. V. Oyhenartum *in Notis Vascon. l. 1. c. 6.* & infrà, *Huesfinia*, it. *Juncta.*

Hermeraclas, ex Ἑρμῆς, *Mercurius*, & Ἡρακλῆς, *Hercules*, simulachrum erat Mercurium simul ac Herculem referens, quemadmodum *Hermathena* cum Mercurio τὴν Ἀθηνᾶν *Minervam* expressit. Indigitavit autem id commentum, cum Fortitudine facilè Eloquentiam conciliari. Hinc is, qui Hercules Gallicus appellatus est, insignis Philosophus & Orator fuisse dicitur, quem proin ita effigiabant: Clavâ Leonis exuviis armatus linguam tenebat excitam, cujus è mucrone innumerabiles aureæ catenulæ prodeuntes, innumeram hominum ponè sequentium turbam trahebant, Lucianus *in Hercule Gallico*. Eundem cum Mercurio sive Hermete Ægyptio plurimi commiscent, namque hic inter alia nomina, *Hercules* quoque legitur appellatus: unde nota Ἑρμαϊκὴ ῥοπή, V. Georg. Hornium *Hist. Philos. lib. 2. c. 12. sub finem*, & suprà in voce *Heraclammon.*

Hermes, gladiator nobilis, apud Martialem *lib. 5. Epigramm.* 24. quod, ejus laudibus dicatum, sic finit, alludens ad Hermetem Trismegistum, cujus summa in Philosophia scientia erat,

Hermes, gloria Martis universi;
Hermes, omnia solus & ter unus.

Hermochemia, Gr. Ἑρμοχήμιος (ita enim apud Steph. Byzantium in Αἴγυπτος legit Vossius) Ægyptus dicta est, quasi *Chemia* seu *Ægyptus Hermæ*. Ægyptum enim à Chamo, *Chemiam* seu *Chamiam* dictam esse, notum: *Hermes* autem sive Mercurius, maximo apud Osiridem in pretio fuit, & gentem multò accuratius loqui, variarum etiam rerum nova nomina, scribendi item legendique artificium, siderum porrò scientiam ac sacrificia tandem sacrosque ritus docuit, à quo proin terra appellata est primitus. Hesychius, Ἑρμοχύμιος γῆ ἡ Αἴγυπτος τὸ πρότερον οὕτως ἐκαλεῖτο, *Hermochemia* (scribi jubet præfatus Vossius) *terra Ægyptus primò sic vocabatur.* Et ejusdem Mercurii sepulchrum Hermupoli ostensum, refert Clemens Romanus *Recognition pag. 110. edit. Sonniana A. C.* 1563. V. Voss. *de Idol. l. 1. c. 27.*

Hermogenes JC. inter Consiliarios Alexandri Sev. Imp. apud Lampridium *Hermogenianus* est, Papiniani discipulus: qui scripsit *Epitomen Juris libb. 6. Fideicommissorum libros* &c. Jacobus Cujacius *Observationum lib. 2. c. 27.* apud Jo. Calvin. *Lex. Jur.*

Hermotimus, Clazomeniis olim cultus. Tertullian. *de Anima, ut Hermotimum, cui Clazomenii mortuo templum contulerunt.* Nam *Hermippum*, hic perperam legi solere, monitum jam diu Paulo Leopardo *Emendat. lib. 8. c. 3.* Sana lectio retenta à Tertulliano ejusd. *lib. c. 44. Cæterùm de Hermotimo, anima, ut ajunt, in somno carebat; quasi per occasionem vagaturi hominis, proficiscente de corpore. Uxor hoc prodidit: Inimici dormientem nacti, pro defuncto cremaverunt. Cives* Hermotimum *Templo consolantur.* Ubi repone *vacaturi.* V. eundem Vossium *c. 21. l. cit.*

Hermunduri, adde: Eorum meminit Capitolinus in *Marco Imp. Gentes omnes ab Illyrici limite usque ad Galliam conspiraverant, ut Marcomanni, Narisci*, Hermunduri *& Quadi*, quos 4. populos Tacitus etiam jungit. Casaub. *ad l.*

Hermunii, al. *Hermanii*, species apud Aragonios *Infancionum*, quorum alii *Barones* vel *Rici homines*: alii *Mesnadarii*, alii simpliciter *Milites*, alii simpliciter *Infanciones* nominantur, uti habet Vitalis Episc. Oscensis. V. infrà *Infanciones.*

Hermus, adde: Hodie verò ejusmodi auri ramenta, nec in *Hermo*, nec in Pactolo, amplius observari, notat Jac. Sponius *Itiner. Part. 1. p. 301.* Qui idem in egregio nummo, fluvium hunc, pro more reclinatum, innixumque urnæ aquam effundenti, cum fronde in manu & voce ΦΩΚΑΙΕΩΝ infrà (utpote qui à Phocæa urbe non procul distabat) & *Inscr.* in circuitu, ΕΠ. CTP. ΑΥΡ. ΕΥΤΥΧΟΥC. ΤΟ. Β. hoc est, *sub Strategia seu Præfectura Aurelii Eutychis, quâ secundâ vice fungebatur*, memorat *Part. 3. pag. 191.*

Hero, adde: In vet. nummo, ab Abydenis cuso, *Hero & Leander* conspiciuntur, quorum hic fretum trajicit, illa in turre excelsa facem ostentat, cum *Inscr.* ΗΡΩ ΛΗΑΝΔΡΟΣ ΑΒΥΔΗΝΩΝ. In alio Severi Imp. latus alterum eandem historiam repræsentat, nisi quòd non *Hero*, sed loco ejus Cupido, facem effert. Memorantur ambo Jac. Sponio *Itiner. Part. 3. p. 172.* ubi prioris typum curioso Lectori exhibet.

Herodes, inter XXX. Romanorum Tyrannos, Odenati, ex priore uxore, filius, cum Patre accepit Imperium, homo omnium delicatissimus, cui erant sigillata tentoria & aurati papiliones & omnia Persica &c. Cui quantum Pater indulserit, quantumque infensa noverca Zenobia fuerit, V. apud Pollionem.

Herodes Atticus, adde: Marathone oriundus, patre Attico, qui Nervæ principatu, reperto thesauro, immensas opes concessu Imperatoris sibi paraverat; avo Hipparcho, seu, ut Suidas vocat, Plutarcho, qui ob avare & crudeliter administratam provinciam, bonis fuerat exutus floruit sub Trajano, Hadriano, Antonino Pio & Marco Aurelio. Extructis in Græcia pluribus ædificiis sacris profanisque, & legatis cuique Atheniensium denis thaleris, de patria optimè meritus est. In studiis egregiè versatus, eloquentiâ inprimis inclytus (cujus tyrocinia sub celebri illo Rhetore Phavorino posuerat) opera quædam reliquit, Philostrato indigitata, sed quæ temporum injuriâ periere. Etiam Consulatu functus est, collega Torquati ann. C. 143. & ductâ matronâ insigni Romanâ, cui *Regilla* nomen, in ejus memoriam Odeum Athenis extruxit, illaque defunctâ domum suam marmore nigro ex Paro ins. luctus indice, undique ornavit, templo quoque illi in suburbano suo *Triopæa* dicto, Romæ haud procul, consecrato. Obiit æt. anno 76. duorum liberorum pater, Marathone genitali solo ex ultima sua voluntate sepeliendus: sed Athenienses grati erga eum animi testandi causâ, in ipsa Urbe, inque Stadio Panathenaico, quod ejus magnificentiâ in pristinum splendorem reparatum fuerat, prosequente funus toto Populo, splendidè tumularunt. Nomen ejus integrum fuit, *Tiberius Claudius Atticus Herodes*, uti ex vet. *Inscr.* Athenis hodieque superstite, in qua *Pontifex Imperatorum* inter alia vocatur, docet Jac. Sponius *Itiner. Part. 2. p. 213.*

Heroes, adde: in Theatro eadem machina, quæ demissa Deos ostendebat ex improviso, per aerem quoque *Heroas* vehebat; veluti Tlepolemum, Medeam, Perseum, Bellerophontem. Jul. Cæsar Scaliger *Poetices lib. 1. c. de Theatro.* Plura de *Heroibus*, V. apud Car. Paschalium, *in Coronarum libris*, Casp. Barthium *Animadvers. ad Statium*, & hic passim, inprimis in voce, *Anima*, item *Dii.*

Heroicum Carmen, V. suprà *Epicum Carmen.*

Herones, apud Plinium *l. 36. c. 14.* ubi de Dianæ Templo, *Summa miracula, epistylia tantæ molis attolli potuisse, id consecutus est heronibus harenâ plenis, molli pulvino super capita columnarum exaggerato, paulatim exinaniens ab imo* &c. Turnebo sunt texta quædam storeatum & tegetum more, in quibus interdum pauperes dormiebant, & fruges reponebantur; sed & vasa sic viminea vocabantur, tegetibus similia & cophinis, φορμοὶ Græcis, Macri Fratres *in Hierol.* V. suprà *Ærones.*

Hesiodus, adde: Eum cum cithara pingi, carminaque illius epica à Rhapsodis quoque, ἐπὶ ῥάβδῳ, pronuntiari consuevisse, docet Salmas. *ad Solin. p. 867. & 868.* qui & *Hesiodi Astrologiam*, quæ Ἀστρικὴ βίβλος inscripta, ex Plin. & Callimacho meminit *p. 7[illegible].*

Hesione, adde: Inter opera Antiphili Pictoris sua ætate clarissimi, memoratur Plinio *l. 35. c. 10.* ubi de eo, *Hesionam nobilem pinxit & Alexandrum ac Philippum cum Minerva, qui sunt in Schola in Octaviæ porticibus*, V. infrà in vocibus *Schola* & *Porticus.*

Hesperica vel *Hesperidum* Mala, inter initia Dionysii mysteriorum olim, recensentur Orpheo, versibus his apud Clementem,

Κῶνος καὶ ῥόμβος καὶ παίγνια καμπεσίγυια,
Μῆλά τε χρύσεα καλὰ παρ' Ἑσπερίδων λιγυφώνων.

Dicta ab *Hesperidum* Nympharum hortis, unde ab Hercule primitus in Græciam illata sunt. Ἑσπερίδας quoque Timachidas vocat & Aristocrates, qui apud Laconas hæc mala Diis apponi consuevisse, in *Laconicis* tradunt. Eadem sunt cum aurantiis nostris, de quibus suprà diximus. V. Salmasium *ad Solin. p. 955. & seqq.* Fuit autem hortus is ad Oceanum Atlanticum, minimè confundendus cum horto *Hesperidum*, ab urbe Libyæ *Hesperidibus* (quæ postea *Berenice* dicta) cui vicinus erat, nomen adepto, uti docet idem *ibid. p. 373. & 374.* Cœterùm *Hesperidum fabulam* φυσικῶς interpretatur ita Vossius: *Quòd Hercules rapuisse fertur mala Hesperidum, eo signatur, Solem exortum luce sua præstringere lumen stellarum; quæ generali nomine per* Hesperidas *intelliguntur — Per hortum Hesperidum intelligitur cœlum stellatum — mala aurea sunt stellæ —— Draco, qui custodit, vel Zodiacus est, vel Horizon* &c. V. eum *de Orig. & Progr. Idol. l. 2. c. 15.*

Hesperus, adde: sicut Sol exoriens, quadrigis vectus, annuli Amphitruonis, apud Plautum, apophragisma fuit, sic in publico sigillo Locrorum Hesperiorum, qui & *Ozoli* dicti, *Hesperum* fuisse, refert Plato *l. 10.* Ἔχουσι τὰ ἐπὶ τῇ δημοσίᾳ σφραγῖδι τὸν Ἕσπερον ἀστέρα ἐγκεχαραγμένον. V. Joh. Kirchmannum *de Annulis c. 13. ubi varia animalia, historias item & fabulas, res inanimatas, literas Hieroglyphicas, & alia annulis insculpi consuevisse, docet.* Desultorii autem illi equi sacri erant, uti diximus suo loco. Cœterùm idem hoc cum Lucifero sidus esse, primus Pythagoras ostendit, V. infrà, voce *Lucifer*, item *Phosphorus.*

Hesus, adde: Hunc enim Galli, ut est apud Cæsarem *de bello Gallico l. 6. bella regere arbitrabantur.* Unde & illi, ut ibidem legere est, *cùm prælio dimicare constituerunt, ea, quæ bello cepissent, plerumque devovebant.* Victima homo fuit: Procopius *Gothic. rer. l. 2.* ubi de Thules sive Scandinaviæ (sic enim cepit) incolis, Τῶν ἱερείων σφίσι τὸ κάλλιστον ἄνθρωπός ἐστιν, ὅνπερ ἂν δοριάλωτον ποιήσαιντο πρῶτον. τοῦτον γὰρ τῷ Ἄρει θύουσιν, ἐπεὶ θεὸν αὐτὸν νομίζουσι μέγιστον, *Hostiarum illis pulcherrima est homo, quem bello primum ceperint. Hunc verò sacrificant Marti, quoniam illum Deorum censent maximum.* Quem verò Romani *Hesum* extulere, is Germanis absque terminatione Romana, fuit *Hees*, vel *Hies*, vocali variata:

ut Rheni ostium, quod Romanis *Helium*, id Batavis *Hiel*, uti suprà vidimus. Hinc *Hises-dag*, & contractè *Hii-dag*, qui Romanâ linguâ *Martis dies*. Vulgò usitatius, *t.* vel *d*, ut in aliis multis præmisso, Germanis inferioribus *Thiis dag*, vel *diingdag*. Nisi malis fuisse prius *Chiis-dag*, à *Chesus* seu *Chisus*. Nam olim *H.* & *CH.* variabant, haud secus ac *S.* & *J.* unde iidem, pro diversa dialecto, *Catti*, *Chatti*, *Hessi*. Idem autem dies nonnullis Germanorum *Erich dag* dicitur, cujus vocabuli pars prior magnam habet convenientiam cum Græco Ἄρης, *Mars*, vel Ἔρις, *contentio*. Interim Germani, non, ut Romani, *Martis* nomine sidus Martis, sed, ut videtur, Jovem vel Apollinem, intellexere, h. e. *Solem* ac *Cælum*. V. Vossium *de Idol. l. 2. capp. 13. 32. 33.*

Hesychastæ, in *Nov.* Justin. 5. *tit.* 3. Monachi sunt, à communi vita segregati & ab aliorum consortio separati, ut cœlestium rerum contemplationi meliùs vacent, ab ἡσυχάζω, *quiesco*, Mac

Hesychia, Clazomeniis Palladis Sacerdos Alex. Neapol. *l. 2. c. 8.*

Hetariarchæ, Gr. Ἑταιριάρχαι, dicti sunt, qui cohortibus constatis ex Romanorum sociis præerant de qua dignitate multa dixit du Fresne *Notis ad Alexiadem p. 227* Horum præfectus *Megas etæriarcha* appellatus est, Guil. Tyrio *Hist. Sacr. l. 21. c. 16.*

Hetrusca Coronæ, quæ binæ Magistratibus apud Romanos præferri solebant olim, memorantur Tertulliano *de Cor. Milit.* *Præferuntur etiam illis Hetruscæ. Hoc vocabulum est coronarum, quas gemmis & foliis ex auro quercinis ob Jovem insignes, ad deducendas thensas cum palmatis togis sumunt.* Earundem meminit Plin. *l. 33. c. 1.* ubi de triumphantibus: *Neque aliis, uti mos fuit, quàm qui — vulgò triumphabant. Et cùm corona ex auro* Hetrusca *sustineretur à tergo, annulus tamen in digito ferreus erat, æquè triumphantis & servi fortasse coronam sustinentis.* In quibus verbis tamen *Hetruscam* videtur is nominare, non tam, quæ exemplo Magistratuum triumphantibus præferebatur, quam eam, quam servus eodem curru cum triumphante vectus, sustinebat, quamque *Insignem* Paschalius vocat, ut infrà videbimus. Cæterum aurei illarum lemnisci fuere, ut ex eodem discimus *l. 21. c. 3.* *Accesserunt* (coronis) *& lemnisci, quos adjici ipsarum coronarum honos erat, propter* Hetruscas, *quibus jungi nisi aurei non debebant.* Hinc Tertullianus iterum, *Triumphis laurea foliis struitur, hæc adumbratur lemniscis & inauratis laminulis, unguentis delibuitur* &c. Nempe harum coronarum altera civica querna, altera victrix laurea; utraque aureis lemniscis & gemmis insuper ornata erat. V. Car. Paschalium *Coronar. l. 8. c. 6.* &c.

Hexaclinon, apud Martialem *lib. 9. Epigr. 60.*

Et testudineum mensus quater hexaclinon,
Ingemuit citro non satis esse suo:

stibadium est seu accubitum sex lectis instructum. Postquam enim triclinia, quæ tribus lectis constantia omnibus mensis poterant convenire, ab usu recesserunt, sigmata & stibadia iis successere, quæ, cùm essent unus perpetuus lectus semirotundus, secundùm mensarum magnitudinem varianda erant, atque hinc à numero convivarum modò *Hexaclina*, ut hic cùm sex, modò *Octoclina*, cùm octo caperent &c. dicta sunt. Salmasius *ad l.* V. quoque hic in vocibus, *Sigma*, *Stibadium*, *Triclinium*.

Hexaemeros, Ἑξαήμερος Gr. h. e. *sex dierum opus*, nomen libri operisque insignis, à Basilio, Gregor. Nyss. ut & Ambrosio editi: in quo Historiam Creationis VI. dierum eruditè exponunt.

Hexamita Vestimenta tapetiaque, quorum apud Vett. occurrit non rara mentio, ad polymitum opus referuntur Salmasio; ut quæ eodem modo in tela de liciis variantibus texebantur: cùm τὰ ὑφαντὰ & ποικίλα, *plumata* seu *acu picta opera*, acu defigerentur & variarentur. Nicetæ βλαττία ἑξάμιτα, item πεπλία ἑξάμιτα; πεπλία enim Nicetæ recentioribus Græcis *tapetia* sunt. Fluxit autem ex illa voce ἑξάμιτον *samitum* infimæ Latinitatis, de quodam panni serici genere. V. infrà ubi *de Polymitis*, & plura *de Hexamitis*, item *Dimitis* & *Trimitis*, à liciorum numero sic dictis, apud Vopiscum *in Carino Imp.*

Hexaphyllum, sex folles, Salmasius *ad Tertull. Pall.* V. suprà.

Hexaphoron, apud Martialem *l. 2. Epigr. 81.*

Laxior hexaphoris *tua sit lectica licebit.* &c.

genus lecticæ, à *sex* servis, unde nomen, *gestatæ*, quibus divites & nobiliores Romani circumferebantur, sicut *Octophorum* ab *octo*, V. infrà. Erat id laxius, ad modulum opum & luxus, itaque delicatiorum proprium: cùm modesti & frugi homines quatuor tantùm bajulos adhiberent, ut de Philologia in cœlum eunte docet Martianus Capella *lib. 2.* Uti verò vivi in *Hexaphoris* delitiabantur, sic mortui in iisdem efferebantur. Idem *Epigr. 77. l. 6.* *Invidiosa tibi quàm sit lectica, requiris?*
Non debes ferri mortuus hexaphoro.

V. Laur. Pignorium *Commentar. de Servis*, & infrà ubi de *Lectica*.

Hexapla, V. in voce *Biblia*.

Hexapsalmus, Gr. Ἑξάψαλμος, s. Ἑξάψαλμον, senio Psalmorum in Matutinis cantari solitus, in Eccl. Græcan. ut & in Apodipnis seu Completorio, memoratur *Typico* Sabæ *capp. 1. & 5.* nec non *Menæo*. Ut plurimùm verò in Matutinis canebatur, erantq; III. XXXVII. LXII. LXXXVII. CII. & CXLII. Cl. Suicerus *Thes. Eccl.* in hac voce. V. & Jo. Meursium *Glossar.*

Hexecontalithos, Gr. ἑξηκοντάλιθος, gemmæ nomen, apud Solin. *c. 31.* ubi de Troglodytis, *Lapide uno gloriantur, quem* Hexecontalithon *nominant, tam diversis notis sparsum, ut sexaginta gemmarum colores in parvo ejus orbiculo deprehendas.* Ἑξήκοντα autem *sexaginta* Græcis est. Sed cùm non tot sint colores principales, rectiùs Plinius ait, *Hexecontalithos in parva magnitudine multicolor hoc sibi nomen adoptavit, l. 37. c. 10.* quod multos colores illa gemma ostenderet, non quòd exactè & rotundè 60. gemmarum præferret colores, sic dictam esse, significans. V. Salm. *ad Sol. p. 411.*

HI.

H.I. in notis antiquorum: *hæreditatis jure*, vel *heredis jussu*, vel *hic invenies*. H.L. *honesto loco*, vel *hic locus*. HIC. LOC. H.E.R. NON. SEQ. *hic locus heredes non sequitur*. H.L. N. *honesto loco natus*. H.M. *honesta mulier*, vel *hora mala*, vel *hora mortis*. &c.

Hiberi, apud Fl. Vopiscum in *Aureliano*, ubi de seditione intramurana, à monetariis excitatâ, *Hi compressi sunt, septem millibus* Hiberorum, *Ripariensium & Castrianorum & Dacifcorum interemptis*; fuere, qui in Prætorianis legionibus vel aliis aut inter auxiliares merebant. V. *Iberia*.

Hibernacula, primùm militibus apud Romanos ædificata, hibernacula viz. pellibus contecta, memorantur Liv. *l. 5. c. 2.* ubi de obsidione Vejorum. In oppidis autem illa extruere vetiti sunt, apud eund. *l. 26. c. 1.* V. infrà ubi de *Pellibus* &c.

Hiceteria, V. *Eiresione*. [illegible]

Hida & *Hyda*, vox Saxon. terræ portio, quantum sufficit ad arandum uni aratro per annum, aliis *Carrucata*. Order. Vital. *l. 8. p. 678* *Omnes carrucatas, quas Angli* Hidas *vocant, funiculo mensus est & descripsit.* Hanc 100. acris constare, ait Gervas. Tilleber. 4. virgatis, *Codex MS.* apud Spelmannum; 8. harum, alius *in Monast. Angl.* Omnium autem *Hidarum* in qualibet Angliæ provincia, missis per unamquamque *scyram* Justitiariis suis, numerum iniit Guilielmus Rex, apud Robertum de Monte A.C. 1085; quem ex vet. scheda maxima ex parte exhibet Spelmannus *Glossar.*

Hidalgus, Nobilis apud Hispanos, qui alias *Infancio*, apud Hier. Blancam *Comm. Rer. Aragon. p. 734.* de cujus vocis etymo V. Covarruv. *var. Resol. Tom. 2. c. 1. n. 11.* & Seb. Cobarruv. *Thes. linguæ Castel.* in voce *Fidalgo*. Illos *Hijos dalgo*, vocat Blanca & Militibus seu *Cavalleris* opponit *l. c.* *Filii dalgo* dicuntur in *Foris Aragon. l. 1. tit. de Officio Justitiæ Aragon.* apud du Fresne *Gloss.*

Hiems, ex Æolico χειμας, ut habet Salmasius *ad Solin. p. 310.* in tres partes ab antiquissimis Græcis divisa est, quarum mediam Brumæ assignabant. Galenus, de anni partitione, secundùm Hippocratem, *Epidemic. princ.* Οἱ δ' αὐτοὶ καὶ τὸν χειμῶνα τεμόντες, μέσον μὲν αὐτοῦ ποιοῦσι τὸν περὶ τὰς τροπὰς χρόνον. Hæc aliter *adulta hyems*; sicut pars prima, *nova*, & ultima, *præceps*. At Romani initium *Hiemis* ducebant à Bruma, sive Solstitio hiberno, ut tempus æstivum à Solstitio æstivo auspicabantur. Sicque Attici initia hiemis & æstatis mense uno & dimidiato altero ante Solstitia numerabant, & totidem diebus post utrumque Solstitium, tam hiemem, quàm æstatem, finiebant. Appulejus *in Medicinal. Incipit tempus æstivum VIII. Kalendas Junias* &c. Quod non observatum multis eruditis fraudi fuit, in constituendis hibernis & æstivis Atticorum mensibus, nec non in conciliandis variis Græcorum ac Romanorum Scriptorum locis, quibus hiberni menses diversimode constituti occurrunt, uti pluribus docet idem Salmasius ubi suprà *p. 314. & seqq.* Erat autem non December solùm pluribus apud Romanos Dæmoniorum festis, *Agonalibus*, *Consualibus*, *Divalibus*, *Divi Julii festo*, *Laurentialibus*, *Saturnalibus*, occupatus; sed & tota *Hiems* Liberæ sacra erat, quam Liberi seu Bacchi sororem sanctè cultam, docet Cicero *de N.D. lib. 2.* Id quod videre est in argenteo toreumate vetere, cui IV. anni tempora insculpta, à Stephano Pighio *Commentar.* insigni illustrato. Pingebantur porro *Tempora Hiemalia* variis modis. Ventus aperto hiatu frigora exspirans, eorum emblema frequens. Quò alludit Martialis *lib. 7. Epigr. 36.* *Turpis ab invito pendebat stiria naso,*
Cùm flaret medias fance December [illegible]

V. Casp. Barthium *Animadv. ad Papinium Statium lib. 2. Silv. 1. v. 215.* In vet. nummo Laodicensium Neocororum, cui inscriptum, ΕΥΤΥΧΕΙϹ ΚΑΙΡΟΙ, *Hiems*, exprimitur imagine hominis vestiti, sinistrâ leporem tenentis. Tum enim, ut Virgilius,

Auritosq; sequi lepores, tum figere damas &c.
Cùm nix alta jacet, glaciem cùm flumina trudunt.

V. suprà *Felicia Tempora*. Nonnunquam oleo cæterisque odoribus coronari consuevisse, habes apud Paschalium *Coron. l. 4. cap. 2.* &c. Velis autem ac specularibus cœnationes suas hoc tempore muniebant, & igne multo *hiemem* domabant prisci, ut scribit Seneca *Natur. 4.* igne ἀκάπνῳ: nempe seu prunarum, quas in foculis vel batillis inferebant cœnationibus. At carbonum loco thus, cinnamomum, casiam, costum & alia odorata adhibuit Heliogabalus, de quo Lampridius proin, *Odores*, inquit, *Indicos sine carbonibus ad vaporandas zetas jubebat incendi*, ad quem locum Casaubonum vide. Hinc *Hiemantes*, Pœnitentium Ordo in vet. Eccl. V. infrà *Hyemantes*.

Hiera Sycamina, opp. Ægypti, ad orientalem Nili, memoratum in *Tab.* Peutingeriana, de quo V. Salmas. *ad Solin. p. 448.*

Hieracites, gemmæ nomen, apud Plinium *lib. 37. c. 10.* *Hieracites alternatu milvinis nigrisq; veluti plumis*: ex Græco ἱερακίτης quod à ἱέραξ, *accipiter*, *milvus*; hujus enim colorem refert. Actius,

ες, Ἱερεὺς ἀλλ᾽ ὁ ... λογ... μὲν ἦν, ... περὶ τὸ μᾶλλον ... χειρῶν ... &c.

Hierapolis, Syriæ urbs, adde: Derceto ibi culta olim, quæ *Atargatis*, Straboni & Plinio. Salmasius verò *Syriam Deam κατ' ἐξοχὴν* sic dictam, Numen fuisse peculiare Hierapolitanorum, idque totum fœmineum, Lucian. Ἡ δὲ ἐν τῇ ἱερῇ πόλει πᾶσα γυνή ἐστι; cum Atargatis seu Derceto piscis imagine, vel figura ex pisce & fœmina mixta coleretur: docet ubi supra *p.*574. Quanquam nomina hæc non raro confundantur, ut diximus, in voce *Atargatis*, item *Derceto*.

Hierapolis, Phrygiæ urbs, adde: Hodie penitus deserta, Turcis *Bambuk-kalé*, h.e. turris bombacina, ob rupium vicinarum albedinem, dicitur, visunturque rudera ejus è regione Laodiceæ, inter quas ambas urbes Lycus interfluit, sed propior Hierapoli. Templorum ibi ruinæ quamplurimæ, ingensque copia fontium mineralium, ut neutiquam mirum sit, ἱερὰν πόλιν, *sanctam urbem*, fuisse olim appellatam. Inprimis, pulcherrimum ex candido marmore balneum, ubi *Inscr.* a Tinctorum corpore facta, & magnifici Theatri superbæ reliquiæ, in cujus introitu *Inscr.* ΑΠΟΛΛΩΝΙ ΑΡΧΗΓΕΤΕΙ dicata, etiamnum ibidem conspiciuntur. Jac. Sponius *Itiner. Part.* 1. *p.*357. & 358. V. eundem *Part.* 3. *p.* 150. 151. & de *aquis Hierapolitanis*, Strabonem *Geogr. l.* 13. uti de *Hierapolitico marmore*, Salmasium *ad Solin. p.* 574.

Hierarcha, Græcè Ἱεράρχης, Pachymeri Sacrorum moderator est & curator ac provisor: cujus officium καθαίρειν, φωτίζειν, τελειοῦν, *purgare, illustrare, & perficere*, ut habet S. Maximus *de cælesti Hierarch.* c. 3. qui primo quidem Christum ipsum, dein S. Paulum ac cœteros Apostolos, & post hos Episcopos, hoc elogio insignit, ... quoque, Τελετάρχας & Τελεσιάρχας illos appellans. Hinc Ἱεραρχία, *sacrum regimen*: de qua utraque voce V. Cl. Suicerum *Thes. Eccl.* Sed & *Hierarchia* nomen libri, quem Dionysio Areopagitæ vulgò ascribunt, de Angelorum variis ordinibus gradibusque tractantis, Macer *Hierolex.* De quo quid sentiendum, V. in voce *Dionysius Areopagita*.

Hierei, in *l.* 4. *Cod. Theod. de Jud. cal. & Sam.* dicuntur Presbyteri Judæorum, ex Gr. Ἱερεῖς, Salmasius: De cujus vocis apud Scriptores Eccl. usu, V. quæ eruditè congessit Cl. Suicerus ubi suprà.

Hierocles, Heliogabali amasius, apud Lampridium.

Hieroglyphica, adde: Etiam literas *Hieroglyphicas* Vett annulis insculptas fuisse, ex Heliodoro planum est *l.* 8. apud quem memoratur Charicleæ annulus, lapidem, qui *Pantarbe* vocatur, in pala insertum habens, & literis quibusdam pictus: ... γράμμασι δὲ ἱεροῖς ... . Nempe quod cuique in mentem veniebat, hoc vel illo apophthegismate utebatur: plerunque tamen, ut Meursius notavit, eas annulis signaturas insculpserunt, quæ sibi convenirent, vel ob eventum quempiam, vel artem quam factitarent, vel munus quod gererent &c. Kirchmannus *l. c.* Cœterùm *Ars veterum Ægyptiorum Hieroglyphica*, quâ Sacerdotum priscorum in Obeliscorum, statuarum, aliorumque monumentorum, hieroglyphicis symbolis disponendis, ordinandis & singula cum singulis combinandis, ratio, modus & methodus, genuinè exponitur & *Hieroglyphica Sapientia tandem Restituta* jure dici potest, auctore Athan. Kirchero, prælum expectat. V. etiam infra ubi de *Obeliscis*.

Hierologia Nuptialis, seu Benedictio, quæ Sacrorum genus, ab Hebræis & Christianis, uti varia Sacra à Paganis, Nuptiis adhiberi solita est, magna cum religione. Et quidem, præter solennem Sponsalium benedictionem, Deductioni in Thalamum seu ipsis Nuptiis, alia Benedictio solennis, apud Hebræos, præmitti consuevit: dicta ברכת חתנים *Benedictio Sponsorum* seu ברכת נישואין *Benedictio Nuptiarum* seu *Deductionis*, quæ rite adhibebatur, tam in domo, ubi epularis lætitia celebrabatur, & ubi Thalamus erat, quam in alio quovis loco ex more præstituto. Cùm verò unica in domo Sponsalia sequebatur Deductio in thalamum, utraque benedictio eadem in domo fiebat. Formula verò hæc erat: *Benedictus sis Domine Deus noster, Rex mundi, qui universa creavit in gloriam suam. Benedictus sis Domine Deus noster, Rex mundi, creator hominis. Benedictus sis Domine Deus noster, qui creavit hominem ad similitudinem suam & ad similitudinem imaginis Archetypi sui, & præparavit ei ex ipso artificium* (i.e. fœminam) *usq; in seculum. Benedictus sis Domine Deus noster, Creator hominis, Gaudendo gaudebit & exultabit sterilis, colligendo liberos suos in sinum suum in lætitia. Benedictus sis Domine Deus noster, qui lætari facis Sion in liberis suis. Lætando lætari fac par hoc amatum, juxta lætitiam à te donatam creaturæ tuæ in horto Eden ab antiquo. Benedictus sis Domine Deus noster, qui lætari facis Sponsum & Sponsam. Benedictus sis Domine Deus noster, Rex Mundi, qui creavit gaudium & lætitiam Sponso & Sponsæ, exultationem, cantum, hilaritatem, jubilationem, amorem, fraternitatem, pacem & amicitiam. Confestim Domine Deus noster audiatur in urbibus Judææ, & in plateis Jerusalem vox gaudii & lætitiæ, vox Sponsi & Sponsæ, vox affectus mutui Sponsorum ex thalamo suo & pueri è choro modulationis suæ. Benedictus sis Domine Deus noster, qui lætari facis Sponsum cum Sponsa.* Eadem in *Ritualibus* Judæorum hodiernis habetur, nec sine præeunte vini poculo ejusque benedictione, ut in Sponsalium benedictione. Adjicitur in *Ritualibus*, *Benedictus sis Domine, qui lætificas Sponsum & Sponsam, quiq; consortunas. Confitemini Domino, quoniam bonus est, quoniam in seculum misericordia ejus durat. Multiplicentur gaudia in Israele & fugiant suspiria.* Cujusmodi formulas aliasque Esdræ acceptas ferunt. Quin ut decem minimum eique majores ætate, atque ingenui adessent huic benedictioni, ex more exigebatur: cujus numeri ansam ex historia Ruthæ sumunt Magistri, ubi hujus & Boazi nuptiis adfuisse decem Seniores, legimus *c.*4 *v.* 2. & 11 Horum qui maximus natu aut dignissimus, Benedictionem præibat; quæ integra, post solennem mensæ benedictionem, toties iteranda erat, quoties, durante Virginis convivio septiduano, convivæ alii aderant, quàm qui Benedictionem audierant Deductionis; at quamdiu iidem tantùm, qui Benedictioni deductionis adfuerant, convivæ manebant, postrema ejusdem pars duntaxat mensæ Benedictionem, in Virginis convivio nuptiali, quotidie sequebatur. Quod itidem dicendum, ubi cælebs Viduam duxerat, at ubi Viduus Viduam, post Deductionis diem non erat iteranda. Si verò, contra morem Majorum, Benedictionem deductio fortè antevertebat, adhibenda ea erat tempore aliquo opportuno insequenti. Habent autem Benedictionis hujusmodi exemplum, ut ante Legem datam, in eo quod de Rebecca legitur, Genes. c. 24. v. 60. ita post, Ruthæ & Boazi nuptiis, Ruth. c. 4. v. 11. Etiam inter formulas, actusque primarios Legis Studioso ediscendos, Benedictionis, quam exhibuimus, formulam, non omnino ignorandam fuisse, ajunt nonnulli. Utrum verò hanc, aliamve Sponsalitiam, an utramq; intellexerit Josephus *l.* 4 *c.*8. ubi ... ἐπὶ τῷ γάμῳ θυσίας, seu *Sacra Nuptialia* memorat, viderint alii, Seldenus *l.* 2. *Ux. Ebr. cap.*12. Septem Benedictionum meminit auctor libri Tobiæ *c.* 7. & 8. ubi de nuptiis Raguelis & Saræ prolixè agens, inter alia addit: *Statim etiam dictis septem Benedictionibus, epulari cœperunt*; quo de numero consule Maimonidem, Jos. Caro, aliosque præfato Seldeno citatos *c.*6. Apud Paganos loco Benedictionis Sacræ, varia erant Nuptialia Sacra, de quibus alibi actum. Sed & benedictio planè Conjugalis habetur in illo Juvenal. *Sat.* 2. suprà laudato, ut & Græcorum formulâ, cuivis actui solenni præmitti solitâ, Ἀγαθῇ τύχῃ; Latinorum item, *Quod sanctum felixq; sit* &c. V. Libanium *Declam.* 35. Apud Christianos Sacra itidem Nuptialia, ipsaque veluti contractus Consecratio ac Benedictiones Nuptiis passim consuevere adhiberi atque à Sacrorum Ministro peragi, nec sine Eucharistiæ sæpius communione, ut in Occidentis moribus, à qua in Oriente arcentur Digami Trigamique per biennium trienniumque. Quin & à nonnullis sancitum legimus, Nuptias non celebrandas omnino die, quo habetur Cœna Domini, *Ordinat.* Eccl. Genevens. 34. Quanquam etiam dotis assignatio, arrarum usus, ritusque vett. velut non necessarii, aut sæpius prætermissi, aut pro arbitrio aboliti sunt, nihilominus tum in Occidente passim (idque non magis inter Pontificios, quàm Reformatos) Benedictionis sacræ ac celebrationis Nuptialis à Ministro sacro peragendæ usus obtinet, ac per plura secula obtinuit; tum in Oriente, ubi sacra hæc nomine τῆς ἐκκλησίας Ἱερολογίας & Ἱεροτελεστίας, id est, *Benedictionis Nuptialis*, continentur. Hinc Tertullianus ad Uxor. *l.* 2. *c. pustr.* de Christianorum sui temporis, circa annum nempe Christi 200. matrimoniis, *Unde*, inquit, *sufficiamus ad enarrandam felicitatem ejus matrimonii, quod Ecclesia conciliat, & confirmat Oblatio & obsignat Benedictio, Angeli renunciant* &c. Ubi oblationem pro Eucharistia sumit Baronius etiam, & Angelos pro Ministris, contractum ritè initum renuntiantibus. Eique coævus Clemens Alexandr. *Pædagog. l.* 3. *c.* 1. ubi in uxorum ex alienis capillis ornatum invehitur, Τίνι γὰρ, inquit, ὁ Πρεσβύτερος ἐπιτίθησι χεῖρα; τίνα δὲ εὐλογήσει; *Cui enim manum imponit Presbyter? Cui autem benedicet?* Et quidem Alfonsus Ciacconius, in *Evaristo* (qui obiit circa A.C. 110.) inquit, *Ut connubia publicè ac legitimè fierent, jussit; & ne vir & uxor antea unà dormirent, quàm à Sacerdote benedicerentur.* Platina verò id Soteri Papæ tribuit, circa A.C. 175. à quo decretum esse scribit, *Ne legitima haberetur uxor, nisi cui Sacerdos ex instituto benedixisset* &c. *Epistola* item Decretali Callisti I. qui floruit Anno C. 220. pro non legitimè conjunctis habentur, *absque dotali titulo ac benedictione Sacerdotis copulati*; & de Sylvestro, qui Papa fuit sub A. C. 320. legitur, constituisse eum, ut Episcopus fieret, qui unius uxoris fuerat, *uxore à Sacerdote benedictâ*, apud Damasum in eo Ut de Siricio & Hormisda, quorum ille circa A.C. 390. iste circa A.C. 520. vixere, nil addam: Apud quorum, ut & recentiorum seculorum, Scriptores satis obvia est Benedictionis Nuptialis seu Ἱερολογίας τῶν γαμικῶν mentio. In Synodo quoq; Carthag. IV sub A.C. 398. Canon habetur, *Sponsus & Sponsa, cùm benedicendi sunt à Sacerdote, à Parentibus suis, vel à Paranymphis offerantur, qui cùm Benedictionem acceperint, eadem nocte, pro reverentiâ ipsius benedictionis, in virginitate permaneant.* Hincmarus it. Arch. Remens. an. 860. invectus in eos, qui ex raptu fieri arbitrabantur conjugium & ex iniquo contubernio legitimum matrimonium, & divinam memorans primi Conjugii Benedictionem, *Ejus etsi, ait, imitatione etiam sancta Ecclesia antiquitus formulas*

& venerabiliter custodi vit eos, qui in illa, velut in Paradiso Dei, conjugio copulandi essent divina benedictione & missarum celebratione conjungens. Quæ viz. honesta & religiosa conjunctio, Deo auctore cœpta, & ejus benedictione firmata, etiam inter Gentes, quæ nullam legem acceperunt, nullam Dei habuerunt notitiam, legitimo ordine & naturali lege servata est. Sic ille, seu potius Episcopi omnes, per Gallias & Germaniam *in Epist.* ad Cæsarem pro cultu & sanctimonia Domus Domini, edita ad calcem Opusculorum Petri Blesensis. A' quo tempore per totum Christianum inolevit orbem, ut Nuptiæ non solum à Ministro Sacro benedicerentur, sed & ejusdem interventu contraherentur, aut contractus, ante à Sponsis initus, denuò ipso præeunte celebraretur: ut eo facilius legitimæ Nuptiæ à clandestinis, aut illicitis contuberniis, discriminarentur. Interim Seldenus contendit, non pro recepto undique jure obtinuisse, ut Benedictio sacra, & quidem à sacro Ministro peragenda, Nuptiis esset necessaria, ante Leonem Imp. seu A. C. 900 aut circiter, Imò ex *Novell. 74. cap. 4.* probare conatur, nondum Justiniani tempore apud Christianos Orbis Rom. inolevisse, ut Matrimonia Benedictione sacra sacrove aliquo Ministro, ex jure recepto necessarióve firmarentur: quidquid in adversum sive Pontifices decreverint, sive Patres scripserint. Leo itaque illo decente, sanctionem primus edidit, *[Greek illegible]*, *Ne matrimonia citra sacram Benedictionem firma habeantur.* Quam in rem ejusdem memorat constitutionem Harmenopulus *Prochir lib. 4. tit. 4.* ut & aliam Alexii Comneni 200. postea annis Orientis Augusti. Atque Leonina hæc vim juris postea obtinuit, sicque hinc jus in matrimoniis celebrandis Sacerdotale, quatenus jus intuemur Cæsareum, ortum habuit, cum antea, etiam sine Sacris, rata satis in Oriente haberentur conjugia. Quod ad Occidentem, ex verbis Epistolæ Evaristi Papæ, saltem Evaristo tributis, in Capitula Caroli & Ludovici Cæsarum relatis, ibique vim Legis obtinentibus, videtur sane non solum Benedictionis sacræ usus, adeoque ipsa contrahendi formula, in cœtu sacro, præeunte Sacro Ministro inolevisse, sed & Matrimonium ipsum inde tantùm pro legitimo habitum esse: quod evenit sub A. C. 820. Alibi autem iidem Impp. ut publicæ fierent Nuptiæ statuere, ubi nihil de Benedictione sacrâ. Etiam in LL. VVisigothorum hisce antiquioribus *l. 3. c. 14.* &c. expressa in connubiis mentio permissus Comitis, Dotis constitutionis, Tabularumque Dotalium, ut quæ testimonii publici vicem obtinerent, nulla verò Benedictionis sacræ aut Ministri sacri. Quod & de aliis LL. Veterum dicendum, quæ in Re Nuptiali, sub illud ævum, adeo diversæ, ut Francus v. g. qui Saxonicam jure Saxonico duxisset, eam non legitimam uxorem censeret, quia non ducta jure seu ritu Francico, renitente interim Concilio Tiburienti. Postea verò, quod de Benedictione Sacra sic in Imp. Occidentale receptum est, in alia Regna Christiana, quæ vicina fuere, aliter atque aliter sensim diffusum est, &c. De ritu Benedictionis in Eccl. Roman. ex *Ordine* Romano, cui tit. *Ordo ad benedicendam Sponsam*, alibique dicemus quædam infrà, ubi *de Nuptialibus Ritibus ac Formulis.* Addo hic saltem, esse præter Benedictionem communem, apud Pontificios, Benedictionem aliam, *Sacramentalem* dictam, quæ secundis Nuptiis jure Eccl. Rom. Canonico negatur, idque tametsi pars altera tantùm antea conjugium inivisset nullum. Unde in Ordine præfato, sub finem, SI BENEDICENDÆ SINT NUPTIÆ, habetur, *Parochus Missam pro Sponso & Sponsa, ut in Missali Romano, celebret, servatis omnibus, quæ ibi præscribuntur.* In Missali autem habetur hæc Missa, cujus initium: *Deus Israel conjungat vos, & ipse sit vobiscum, qui misertus est duobus, unicis, & nunc Domine fac eos plenius benedicere te.* Et sequitur Psalmus 128. aliaque ex Epistolis & Evangeliis, Ephes. c. 5. & Matth. c. 19 Nuptiis propria, præter communionem atque de invicem fide servanda commonitionem. Quo facto aspergi solent aquâ benedictâ, dicitque Sacerdos: *Placeat tibi Sancta Trinitas,* & det BENEDICTIONEM, legitque ut solitum est, Evangelium S. Johannis, *In principio erat Verbum* &c. uti suprà meminimus. In eadem Ecclesia præterea Annulus (alicubi & arrha) coronaque Nuptialis benedicuntur, V. infrà. In Anglia sequuntur insuper Benedictiones singulares Cubiculi Sponsalitii ac Lecti, ipsorumque in lecto Sponsorum, nocte sequente peragendæ. Ibidem, finitis solemnibus atque orationibus, quæ dicebantur super Sponsos prostratos ad altaris gradum & introductis illis in Presbyterium, scilicet inter Chorum & Altare, ex parte Ecclesiæ Australi & statutâ muliere à dextris Viri, viz. inter ipsum & altare, incipiebat olim officium Missæ, & prosternebat se Sponsus & Sponsa, in oratione ad gradum Altaris, extenso super eos pallio, quod tenebatur à quatuor Clericis per 4 cornua, in superpelliceis, nisi alter eorum priùs fuisset desponsatus & benedictus: tunc enim non habebatur pallium super eos, nec dicebatur Sacramentalis Benedictio; id est, Benedictio aliqua, cujus verba mysterium Sponsaliorum inter Christum & Ecclesiam suam designent. Hæc enim, ut monitum, secundis nuptiis negata, *Quia caro benedicta trahit ad se* (ut habet Rituale Sarisburiense) *carnem non benedictam.* Verùm olim sub Eduardo III. A. C. 1321. quamplurimi Sacerdotes etiam secundis Nuptiis istiusmodi Benedictionem adhibebant, inde Romam convolare coacti, ut suspensionis, quæ hinc contracta, relaxationem à Johanne XXII. impetrarent. *Post Missam* (pergit idem Rituale) *benedicatur panis & vinum vel aliud quid potabile, in vasculo & gustent in nomine Domini, Sacerdote dicente: Dominus vobiscum. Oremus: Benedic Domine panem istum & hunc potum & hoc vasculum, sicut benedixisti quinque panes in deserto & sex hydrias in Chanaan Galileæ, ut sint sani & sobrii atque immaculati omnes gustantes ex eis; Salvator Mundi, qui vivis & regnas cum Deo Patre, in unitate Spiritus Sancti Deus.* Et sequuntur Benedictiones Cubiculi atque Lecti &c. uti diximus. In qua formula quid immutatum sub Eduardo VI. A. C. 1549. quid biennio pòst, plurimaque alia hanc in rem V. apud Seldenum laudato *lib. II. c. 24.* &c. ut & hic infrà, ubi de *Velandi more.*

Hieromnemon, Græcè Ἱερομνήμων, Diaconale officium erat in Ecclesia CPolitana magnæ existimationis; cui incumbebat, Patriarcham *Pontificaliter* induere, preces in libro indicare, in throno locum electis ac consecratis adsignare, & *contacium* ordinationis consuetum intonare: uti Ceremoniarum Magistri in Aula Pontificia solent, V. Macrum *in Hierolexico.* Faciebat autem id una cum Canistrisio, ut viz. sacrâ stolâ indueret Patriarcham, quod si Sacerdos esset *Hieromnemon, uno eodemque nomine,* officio suo defungebatur, neque, in ministerio indumentorum Patriarchalium, Diaconi vicem agebat, ut auctor est Joannes Episc. Citri *Resp. ad Constant. Cabasilam.* V. plura apud Codinum *de Officiis* Aulæ CP. De *contacio* verò, Græcè κοντάκιον, quod in genere *tomum* seu *volumen*, in specie librum denotat Vitam sacta de alicujus Sancti continentem, V. Jo. Meursium *Glossar.* Habuere autem & Gentiles Ἱερομνήμονας suos, imo ab illis vox retenta in Ecclesia, de quibus diximus aliquid retro voce *Grammateus.*

Hieromonachi, Græcè Ἱερομόναχοι, Græcis dicuntur, qui non simpl. Monachi, sed Sacerdotes sunt. *Historia* Concilii Florent. *sect. 3. c. 15.* Ἱερομόναχος ὁ Κύριος Παχώμιος κλ. *Monachus sacerdos D. Pachomius* &c. Aliter Ἱερώτεροι Μοναχοὶ & Ἱερεῖς Μοναχοί. V. Meursium *Glossar.* in voce Ἱερομόναχος, & Suicerum *Thesaur. Eccl.* in eadem: quorum hic etiam de vocibus Ἱεροφάνται & Ἱερουργοί, Apostolis κατ' ἐξοχὴν tributis apud Scriptores Eccles. quædam addit.

Hieronica, V. infrà ubi *de Ludis Sacris. Olympionicis* &c.

Hieronymus Magius, eruditione multiplici, machinarum inprimis peritia præter. secul. inclaruit. Natus apud Anglarienses Anglariæ, in ditione Mediolanensi, quæ Petrum quoque Martyrem, Hispanicarum rerum ac novi Orbis per decades Scriptorem, & Angelum Caninium eruditis linguis ad miraculum instructum dedit: sub Francisco Robortello Utinensi Bononiæ, Eloquentiæ atque Historiæ, literis vacavit. Ad Jurisprudentiam dein se, Græcis etiam literis probè instructus, contulit, Inde Judex causarum militaris à Venetis in Cyprum missus jus ibidem dixit. Obsessa postea à Turcico exercitu Famagusta A. C. 1571. ac vertente anno captâ, vivus in hostium manus perveniens & in Asiam abductus, ibi duro servitutis onere pressus est. E' qua ut liberaretur, scripsit è vinculis *de Tintinnabulis Commentarium*, ad Carolum Rymium Maximiliani II. Imp. & alterum *de Equuleo*, ad Franciscum de Noailles Episc. Aquensem Caroli VII. Gall. Regis Legatos, qui cùm nihilominus miserum negligerent, à Mahomete Bassa domino suo die 27. Mart. A. C. 1572. nocte strangulatus & inter ejus mancipia sepultus est. Edidit superstes hæc fere: *Annotationes in Æmil. Probum, de Mundi exustione & die Judicii, Variarum lectionum seu Miscellaneorum libb.* &c. Edere verò promisit *in Bucolica Virgilii, de Antiquorum prandiis & cœnis, Annotationes in A. Gellium, Hortorum libros, de Machinis, de Urbium expugnatione & propugnatione lib. de Urbium Architectura, Necrotaphologiam seu de sepulchris & sepeliendi ritu lib. 10.* [Greek illegible] *libb. 5.* Porro, *Lexicon Juris, Annotationes in Institutiones Juris, ad L. Juliam de adult. L. Cùm vir nubit, Apophyades ad Budæi Annotationes in Pandectas* &c.

Hieronymus Presbyter, Æthicum Histriæ Sophistam Græcum compilavit, de quo vide Salmasium ubi suprà *p. 826.*

Hierophanta, Græcè Ἱεροφάντης, Sacerdotis nomen apud Athenienses, quos cicutæ haustu Veneris ardorem restinguere consuevisse; imo se ipsos evirasse, tradit Hieronymus c. *Jovinian.* & *Epist.* 11. Propriè verò sic dicebatur in sacris Hecates: quemadmodum in sacris Mithriacis *Pater sacrorum*, in sacris Matris Deum, *Tauroboliatus.* Vetus *Inscr.* Romæ: VETTIO. AGORIO. PRÆTEXTATO. VIRO. C. PONTIFICI. VESTÆ PONTIFICI. SOLIS. QVINDECIMVIRO. AUGURI. TAVROBOLIATO. CURIALI. NEOCORO. HIEROPHANTÆ PATRI. SACRORUM. Eum ἠχεῖον, i. e. *tintinnabulum* sive nolam pulsare Athenis consuevisse, refert Apollodorus *lib. de Diis* V. Franc. Svvertii *Notas in Hieronymum Magium lib. de Tintinnabulis c. 10.* ubi & inter Symbola Eumolpidarum *Hierophanta* fuit. Salmasius *ad Solinum p. 750.* & 752. Hinc Fœm. *Hierophantria*, uti de ejusdem Vettii uxore legimus, in alia Inscr. FABIÆ. AGORIÆ. PAULINÆ. &c. SACRATÆ. APUD. ELEUSINAM. DEO. JACCHO. CERERI. ET. CORÆ. SACRATÆ

APU-

APUD. ÆGINAM. DEABUS. TAUROBOLIATÆ. ISIACÆ. HIEROPHANTRIÆ. DEÆ. HECATÆ &c. apud eundem *ad Lampridium in Heliogabalo.* Sic porrò Sacri Doctores sive sacrarum rerum consulti dicti sunt, quales Romanorum fuere Pontifices, de quibus ita Dionysius *lib. 2. Pontifices*, inquit, *de omnibus causis ad sacra pertinentibus judicant, tam inter Magistratus sacrificos, quàm inter privatos homines. novasq; leges de sacris arbitratu suo condunt, sicubi destituuntur scriptis legibus: & magistratus, penès quos ceremoniæ sunt, ac sacrificiis Sacerdotesq; omnes, examinant: Ministros quoque sacrorum in officio continent, ne quid præter solennes ritus faciant, à profano etiam & imperito vulgo consuluntur de cultu Deorum ac Geniorum, aliisq; Religionibus, quòd si quem animadvertant præscripta sua contemnere, eum mulctant pro delicti magnitudine. Ipsi nullius potestati sunt obnoxii, nec tenentur ad reddendam rationem vel Senatui vel Populo.* Eadem fere Cicero habet in *Orat. pro Domo, pro Lentulo* &c.

Herophilus Chalcedonius, Phalaridis συγχρον@-, cum gravissimo morbo laborantem sanavit, Anatomicâ inprimis scientiâ illustris, ut quam facinorosorum à Rege sibi missorum dissectione magnopere auxit. Unde Tertullianus *de Anima c. 10. Herophilus ille Medicus, aut lanius, qui septingentos* (vivos nempe) *exsecuit, ut naturam scrutaretur* &c. V. Vossium *de Philos. cap. 11. §. 2.*

Hierophylax, Græca itidem vox, *sacrarum rerum custos*, nomen Officii in Eccl. Gr. *Sacrista* Latinis. V. Dominicum Macrum in *Hierolex.* & in vocibus *Æditu*us ac *Sacrista.* Ast *Hierofiarchus*, Princeps sacrorum, quod Pontificis Max. proprium; pro *Hierophylace* legit *in L. annua 20. §. 1. de ann. leg.* Alex. ab Alexand. *Genial. Dier. lib 5. c. 17.*

Hierosolymitani Equites, V. *Melitenses Equites.*

Higra, Anglis dicitur quidam *quotidianus aquarum* Sabrinæ fluv. *furor, quem vel voraginem vel vertiginem undarum dicam, nescio*, ait Guilielmus Malmesbur. *lib. de Pontif. qui fundo ab imo verrens arenas & conglobans in cumulum cum impetu venit, nec ultrà quàm ad pontem pertendit, nonnunquam etiam ripas transcendens & magna parte circuitâ terræ victor egreditur. Infelix navis, si quam à latere attigerit: nautæ gnari cùm vident illam* higram — *venire, navem obvertunt & per medium secantes violentiam ejus eludunt*, apud du Fresne *Glossar.*

Hikenild, nomen unius ex 4. Angliæ viis celebrioribus, V. supra *Ermiostreet.*

Hilaria, adde: Græci, à quibus Romani accepere, hunc diem vocabant ΑΝΑΒΑΣΙΝ (sicut præcedentem, planctu & lamentatione personantem, ΚΑΤΑΒΑΣΙΝ) sicque finita catabasi & luctus simulatione peracta hoc die τῆς ἀναβάσεως & lætitiæ exordium celebrabant. Postea verò & ipsi τῶν Ἱλαρίων assumpsere nomen, ut Photius docet *in Excerptis ex Isidori vita*, Dionysius *Epist. ad Demophilum* & Maximus Scholiastes, V. Casaubonum *ad Lampridium in Alex. Severo* & Salmasium *ad Flav. Vopiscum in Aureliano.* Cæterum *Hilaritatis* sedes frons est Plinio *lib. 11 c. 37. Frons & aliis, sed homini tantùm tristitiæ, hilaritatis, clementiæ, severitatis index.* Oculi Plauto, *Rudente*,

Proh Dii immortales, Veneris hæc quidem effigia est,
Ut in ocellis hilaritudo *est.*

Et nescio cui in nudo corpore prædicata *hilaritas membrorum*? Barthius *Animadversion. ad Papinium Statium Achilleidos l. 1. v. 167.* In coloribus *Hilare* idem, quod *vegetum, floridum, acutum, clarum, excitatum*, Græcis ἰξὺ, ἰταμὸς, ἐπιτεταμένον, quum scilicet color lumine intensiore & clariore excitatur. Ei *tenuum, saturum, pressum*, Græcè βαθὺ, βαρὺ, κατάκορες, &c. cum viz. plus coloris, quàm luminis adest, opponitur, ut hic passim videre est, ubi de his vocibus. V. quoque Salmasium *ad Solinum p. 345.*

Hilarodi, Græcè Ἱλαρῳδοὶ, Poetarum genus, Ionicis minùs fœdi. Inter quos Simus cum fuisset præstantissimus, *Simodi* sunt postea cognominati. Prodibant in veste candida, virili, auro coronati, calceisque primum, dein crepidis usi sunt. Similes his Aulodi, Magodi, Lysiodi. Eratque Aulodus *Hilarodo* per omnia similis & par: Sed *Hilarodus* puero puellave psallente canebat, Aulodus tibicine modos faciente. Aulodo & Hilarodo præmium corona, tibicini & psaltæ nulla &c. Postea, uti Mimi & Satyri, ita & hæc introducta quoque inter fabulas, & *Hilarodus* quidem à Tragœdo, Magodus à Comico, Jul. Cæs. Scaliger *Poet. lib. 1. c. 52.* V. quoque Salmasium *ad Solinum*, ubi de variis Mimilogiæ speciebus agens Ἱλαρῳδίαν, cum Ὑποτραγῳδίᾳ, quæ & Φλυακογραφία, & Rhintonica fabula, eandem facit, *pag. 109.*

Hilda Abbatissa, *post multa, quæ fecit in terris, opera cælestia, ad percipienda præmia vitæ cælestis, de terris ablata transivit, A.C. 680.* Beda *Hist. Eccl. gentis Anglor. lib. 4. cap. 23.* Monasterium, cui præfuit, *Streaneshalh* dictum est, Joh. Forbesius *Instructionum Historico-Theolog. lib XIII. cap. 9. §. ult.*

Hildemundus, Dux barbarorum, apud Vopiscum *in Aurel.*

Hindeni Homines, in *LL.* Adelstani Regis *cap. 3 & 7* ex Saxon. *hyndene*. h. e. *societas*, sunt homines ejusdem societatis ac contubernii, contubernales. Saxonibus enim in more erat, ut omnem hominem olim æstimarent ac pro natalis sui ratione capite censerent; præterea secundùm cujusque valorem in classem (vel collegium) parium suorum, quam *hyndene* nuncuparunt, referrent: trium sc. harum unam, *infimam, mediam, summam.* Infimæ classis erant, qui valerent 200. sol. dicti *Twyhindeman*: Mediæ, qui 600. sol. *Syxhindam*; Summæ, quorum singuli valerent 1200. sol. *Twelfhindi.* Pariterque uxores eorum *Cyrlisiam* i. *Twyhyndam, Syxhyndam & Twelfhyndam* nominarunt, Somnerus apud C. du Fresne *in Glossar.* V. eandem hominum partitionem, è quibus *Twelfhindi*, aliter *Thani*, perfectè nobiles habebantur, præsertim in *LL.* Alvredi Regis *cap. 12. 30. 31. 32.* &c. apud Bromptonum & Henricum I. *cap. 76. & 87.*

Hinderling, in *LL.* Edvvardi Confess. *c. 35.* vocabulum contumeliæ est, Occidentalibus olim Saxonibus familiare: quasi *posthabitus & remotus*, ex voce *hinder*, remotus, & *ling*, imago Sicut contrà *Adeling*, iisdem erat *nobilis imago.* V. C du Fresne *Glossar.*

Hinnuleus, Græcè νεβρὸς, cervus anniculus est, qui nihil adhuc cornuum habet, nisi ὥσπερ σημεῖον χηλὰς, ἀρχὴν τινα, *velut indicii ergò, initium quoddam*, ut habet Philosophus: *tuber* vocant Venatores, Salmasius *ad Solinum pag. 221.* Ἐλλὸς quoque Græcis cervi *hinnulus* est, tanquam ἐν ἕλει τὰς διατριβὰς ἔχων, *in paludosis locis degens.* Bochartus *Hierozoici Part. prior. lib III. c. 17.* Namque & ad caprearum, damarum, leporum, similiumque *hinnuli* vox quoque extenditur, ab *hinni* similitudine ducta. Et quidem hinnulis cervorum nihil pernicius, teste Xenoph. *Cynegetic.* unde Sponsi celeritas, in suppetiis Sponsæ ferendis, *hinnuleorum celeritati* confertur, Cant. *c. 2 v. 9. Similis est dilectus meus capreæ, aut hinnulo cervorum*, V. quoque *v. 17.* & Cantic. *c. 8. v. 14* Nempe ut venatorum adventu, tanquam re insuetâ, magis percelluntur, quam cervi jam adulti, ita majore nisu fugiunt & alas pedibus addit timor. Sed ille impetus non diu durat: quò enim acriori fugâ auferuntur, eò faciliùs fatiscunt, uti ex eodem Xenophonte Pollux habet *l. 5. c. 12.* Pellis illorum νεβρὶς, ab Histrionibus, qui Satyros simulabant, adhibita; inprimis in Bacchicis olim Sacris magni fuit usus, uti dicemus infrà, in voce *Nebris.* Plura verò hanc in rem vide apud Bochartum ubi suprà, *cap. 24.*

Hinnus, dicitur ex equo & asina genitus, Varroni *lib. 2. cap. 8.* sicut *mulus*, qui procreatur ex asino & equa. Græcis ἴννος, ὕννος & γίννος, V. suprà, *Ginnus.*

Hippace, Plinio *lib. 25. cap. 8.* ubi de Scythica herba, seu glycyrrhiza, herbæ genus est. Ita enim is, *In ore eam habentes sitim famemq; non sentiunt, idem præstat apud eos* Hippace *dicta, quod in equis quoq; eundem effectum habeat. Traduntq; his duabus herbis Scythas etiam duodecim dies durare in fame sitiq;.* Salmasius verò lac equinum concretum hac voce denotari, docet ex Theopompo, quem Hesychius laudat in Ἱππάκη. Quò alluditur versu illo,

Et lac concretum cum sanguine potat equino.

Nempe duabus his rebus, radice Scythicâ seu glycyrrhizâ, & *Hippace* seu lacte equino concreto sitim tolerabant, vel in duodecimum usque diem Scythæ vett. quod & hodierni faciunt, uti vidimus de *Tartaris.* V. eum *Exercit. Plin. ad Solinum pag. 1 5.*

Hippalus, Gubernator primus navigationem ex Arabia in Indiam alto mari plenisque velis ingressus est, quum antea parvis navigiis sinus circumveherentur, Auctor *Peripli.* In cujus proin honorem Indi Favonio vento, cujus beneficio navigatio illa feliciter succedit, *Hippali* indidere nomen, uti docet Plinius *lib 6. cap. 23. Indos autem petentibus utilissimum est ab Ocelì egredi. Inde vento* Hippalo *navigant diebus quadraginta, ad primum emporium Indiæ Muzirim.* Ἵππαλον verò sic Indis vocitatum, scribit *Peripli* Auctor præfatus. V. Salmasium ubi suprà *pag. 1185* ut & hic ubi de *Libonoto.*

Hippicum, in *L.* Solonis, apud Plut. Ὅπου μὲν ἦν φρέαρ δημόσιον ἐντὸς ἱππικοῦ, χρῆσθαι τούτῳ, ὅπου δὲ πλεῖον ἀπεῖχε, ζητεῖν ὕδωρ ἴδιον. *Publico puteo, qui intra Hippicum sit, utuntor: si majus sit intervallum, privatum sibi quisq; effodiunto*: eidem Auctori stadiorum quatuor intervallum est. Hesychius verò unius tantùm stadii facit, Ἱππικὸν, τὸ στάδιον: quod Petitus præfert notatione nominis, nam videtur esse illud intervallum, quod sine ulla intermissione equus conficit & decurrit. V. eum *Commentar. in LL. Atticas lib. 5. tit. 1.* nec non infrà in voce *Puteus.*

Hippius, cognom. Neptuni, Lat. *Equester*, qui primus equos domuisse, artemque equitandi tradidisse fertur, Diodorus *lib. 6. cap. 15.* V. quoque Joh. Rosinum *Antiqq. Rom. lib. 2. cap. 13.*

Hippo Regius, adde: Ad hujus discrimen *Hipponem* alterum Græci διάῤῥυτον dixere, *propter aquarum signa*, ut ait Plinius *d. l.* ubi Græcâ voce retentâ *Diarrutum* vocat, uti pro *Dirutum* legi vult Salmasius. Certè & Solinus *Diarrhyton* habet, *cap. 27.* ubi tamen in eo recedit à Plinio, quòd à freto interfluente sic dictum vult. Sed nullum ibi fretum, & uterque Hippo mari adpositus, quorum hic διάῤῥυτος dictus est, non ob aliam causam, quàm quòd aquarum riguis abundaret. V. Salmasium *ad Solin. p. 321.*

Hippobotes, adde: Seu *Hippobotum*, V. infrà, ubi *de Nisæis Equis.*

Hippocentauri, adde: Bocharto Centaurus vel Hippocentaurus idem est, qui κέντωρ vel ἱπποκέντωρ, i. qui pungit equum. Unde apud Poetam *Il. δ.*

—— —— *Καδμεῖοι κέντορες ἵππων.*

Ex *κέντωρ* dein factum *Κένταυρος*, ut *ταῦρος* ex Phœnicio תור *tor* &c. Idem conjectat Ælianus de Italico illo Mare, quem biformem fuisse volunt: *Hippocentaurum* verò, quem Antonio apparuisse dicit Hieronymus, spectrum fuisse diabolicum, facilè ex verbis ejus colligas, qui monstro huic sermonem & humani sermonis intellectum tribuit, quæ in brutum animal neutiquam quadrant. V. Samuel. Bochartum *Hierozoici Part. poster. lib. V. cap.* 10.

Hippodromus & Peristylum, loca erant Alexandriæ, quorum hoc ingens intercolumnium, è quo Hermon elephantos, ad tempus agitatos, in *Hippodromum* suburbanum, ubi Judæi horam morti suæ destinatam expectabant, deduxisse, Maccabeor. *lib.* 3. legitur. Ille, conditus est à Lagi fil. Ptolomæo, qui primus in Ægypto regnavit & de patris nomine locum hunc *Lagium* quoque nominavit, V. Strabonem *lib.* 17. Plutarchum *in Antonio* & Epiphanium *lib. de Ponder. & Mensur.* laudatos Bocharto *Hierozoici Part. prior. lib. II. cap.* 26. Apud Latinos pro Circo vox accepta. Martialis *lib.* 12. *Epigramm.* 5.

Pulvereumq; fugax Hippodromon *ungula plaudit:*

quòd ibi equi de pernicitate certabant. Nempe *ἱπποδρομία*, item *ἀγὼν ἱπποδρομίας*, Græcis dictum est equestre cursus certamen, cujus coronam primus Iolaus, equos ab Hercule mutuatus, accepit. Ejus spatium *Ἱππικὸς δίαυλος*, appellatum est, item *Ἱππόδρομος*, à voce *ἵππος*, *equus*, & *δρόμος*, *cursus*. V. Car. Paschalium *Coronarum lib.* 6. *cap.* 15. & suprà ubi de *Circo*, *Cursu*, *Equis* &c. Addo saltem, *Hippodromum* CPolitanum, qui 550. passus longus, 120 latus est, hodieque *Atmeydan* Turcis appellatur, accuratè describi à Jac Sponio *Itinerar. Part. I. pag.* 231. & *seqq.* ubi, inter alia, typum ejus ex ære exhibet, cum hac *Inscr.* Græca, in basi obelisci, à Theodosio, postquam collapsus esset, denuo erecti:

ΚΙΟΝΑ ΤΕΤΡΑΠΛΕΥΡΟΝ ΑΕΙ ΧΘΟΝΙ ΚΕΙΜΕΝΟΝ ΑΧΘΟΣ
ΜΟΥΝΟΣ ΑΝΑΣΤΗΣΑΙ ΘΕΥΔΟΣΙΟΣ ΒΑΣΙΛΕΥΣ
ΤΟΛΜΗΣΑΣ ΠΡΟΚΛΟΣ ΕΠΕΚΕΚΛΕΤΟ ΚΑΙ ΤΟΣΟΣ ΕΣΤΗ
ΚΙΩΝ ΗΕΛΙΟΙΣ ΕΝ ΤΡΙΑΚΟΝΤΑ ΔΥΩ.

Est autem hic obeliscus, ex quinque columnis una, quibus *Hippodromus* iste insignis erat, cum olim in Stadio non nisi tres columnæ extarent, uti infrà dicemus.

Hippomanes, herba Theocrito in Arcadia nascens,

Ἱππομανὲς φυτόν ἐστι παρ' Ἀρκάσι, τῷ δ' ἐπὶ πᾶσαι
Καὶ πῶλοι μαίνονται ἀν' ὤρεα καὶ θοαὶ ἵπποι;

sic ei dicta, quòd ejus insano desiderio equi teneantur: sed aliis omnibus Auctoribus indicta inauditaque. *Ἱππομανὲς* nempe virus est, quod effluit ab inguine equarum, quando in Venerem incitantur. Inde tuberculum, quod caricæ magnitudine innatum fronti pulli equini de ventre afferunt & à matribus statim præroditur. Quod utrumque ad veneficia & amatoria facere creditum esse olim, ex Aristotele *Hist. Anim. lib.* 8. *cap.* 24 notum est. Sed præcipuè ad philtra quærebatur caruncula illa in fronte pullorum nascentium reperta. Satyricus,

Et totam tremuli frontem Cæsonia pulli
Infudit ——

Dulcedinem hinnientium vocat Lælius *in Apologia* Appuleji, ubi pleraque philtra describit; *Matri præreptum amorem* Virgilius,

Quæritur & nascentis equi de fronte revulsus,
Et matri præreptus amor ——

Namque *id statim editu partu devorat fœta, aut partum ad ubera non admittit. Si quis præreptum habeat, olfactu in rabiem id genus agitur*, Plin. *lib* 8. *cap.* 42. Sed & prius *Hippomanes tantas in veneficio vires habet, ut, affusum æris mistura in effigiem equæ Olympiæ, admotos mares equos ad rabiem coitus egerit*, Idem *lib.* 28. *cap.* 11. Ubi indigitat equam ære fusam Olympiæ dedicatam à Phormide Arcade, cui magicâ arte, in effigie ejus fundenda, æris mixturæ virus illud affusum erat, V. infrà in voce *Phormis*. Et hujus meminisse videtur Theocritus, illudque non *Ἱππομανὲς φυτὸν*, *Hippomanem herbam*. sed *Ἱππομανὲς χυτὸν*, *Hippomanes fusile*, aptè vocasse. Quo pacto & ille liberatur à culpa, & sensus prodit facilis: *Quemadmodum equi furore perciti per montes decurrunt ad* Hippomanes *χυτὸν*, *quod est apud Arcades: ita Delphus amore præditus relictâ palæstrâ huc statim accurrat.* Præter hæc verò, tertium quoque *Hippomanes* occurrit apud Aristotelem, quod equæ tum ejiciant, ubi semel salitæ, sed non ad satietatem, fuerint; quodq; præcipuè venenariis & *φαρμακευτρίαις* expetitum tradit, *Hist. Animal. lib.* 6 *cap.* 18. de quo, ut & plura hanc in rem, V. apud Salmasium *ad Solinum pag.* 939. & *seqq.*

Hipponium, adde: Græcè *Ἱππώνιον*, urbs Bruttiorum, Latinis *Vibo Valentia*, colonia deducta, memoratur Solino *cap.* 2. *A Zanclensibus Metaurum locatum. à Locrensibus* Hipponium, *quod nunc Vibo dicitur*: Uti veram lectionem reponit Salmasius Marcianus,

Ἱππώνιον καὶ Μέδμα φκίσαν Λοκροί.

Græcis *Ἵππων* quoque, unde Latinum *Vibo*. Eò Proserpinam ad legendos flores profectam esse, Strabo ait, *διὰ τὸ εὐλείμονα εἶναι τὰ περικείμενα χωρία*, *quòd pulchris pratis abundarent circumjecta loca*, *lib.* 6. Unde apud matronas usus obtinuit, ut ubi quælibet coronas necteret, quas ipsa sibi legisset, vitioque daretur, si quæ diebus festis emptitias gestaret. C. Paschalius *Coronar. lib.* 3. *cap.* 18. Inde *Vibonensis Sinus*, quem *Ἱππωνιάτης* Græci Scriptores vocant. V. Salmasium *ad Solinum pag.* 67.

Hippophaes & *Hippophaos*, phei vel flœbes genus, à magnitudine sic dictum, spinisque ingeniculatum, ante Plinii ætatem, fullonibus in usu fuit ad vestes poliendas, hinc & *κναφεὺς* appellatum. Nempe Fullones antiquitus acervo spinarum accumulato & contorto vestes pumicabant vellicabantque, cum *κνάφον* vocantes & *κνάφος*: quem ex ipsa hac planta contorta, ut in unum spinæ contraherentur, facere solebant, unde & ipsam *κνάφον* insuper & *κνάφον* nuncupabant. Eundem usum & *Hippophæston* præbuit, de quo utroque V. Salmasium ubi suprà *pag.* 295. & *seqq.* Postmodum aliæ res ad eundem finem à Fullonibus adhiberi cœperunt, erinaceorum cutis, spinæ aliæ, aliterque dispositæ, ut quas *aënas* vocat idem Plinius, quod instrumentum erat spinis refertum ex hippophæsto &c. V. suprà, ubi de hac Arte.

Hippopotami, cum tigribus, exhibiti occurrunt, apud Capitolinum *in Antonino Pio. Edita munera, in quibus elephantos & crocutas, & strepsicerotas & crocodilos etiam atq; hippopotamos — cum tigribus exhibuit.* Etiam *Hippopotamo sedisse*, legitur Firmus apud Vopiscum. Est autem *Hippopotamus* bellua aquatica, Nili incola, uti crocodilus; magnitudine & corporis mole paucis animalium suppar: hinc *θηρίον* Græcis, Latinis *Bellua κατ' ἐξοχὴν*, Hebræis *Behemoth*, Quam vocem, apud Hiobum *cap.* 40. *vers.* 10. de *Hippopotamo*, exponit Sam. Bochartus *Hierozoici Part. poster. lib. V. c* 15. idque eo fidentiùs, quòd *Hippopotamus* animal est amphibium, tam terrestre, quàm fluviatile; neque ullum aquatilium ad terrestrium formam tam propè accedit. Licèt enim in fundo, lecuque Nili degat, bovis tamen instar (quem etiam mole corporis & formâ capitis pedumque refert, Italis hinc *bomarin*, h. e. *bos marinus* dictus) ad pabulum prodit, è fluvio,

Εἶαρ ὅτε χλοάουσα νέον δ' ἀνεχήλατο ποίη.
Pabula cùm incipiunt herbâ florere recenti:

ut Nicander ait *Theriac. vers.* 569. In eo, præter vastam corporis molem, admirationem excitant, robur immane, tergus impenetrabile, stupendus oris hiatus, & portentosa voracitas, candor dentium & firmitas; mari, terræ & amni vita communis & in tanta corii duritie, inter omnia animalia, bruta ingenium sagacissimum, ut est in Ammiano *lib.* 22. Ob quæ, apud Papremitanos, sacrum fuisse animal. scribunt Herodotus & Plutarchus, quamvis in reliqua Ægypto, tanquam Typhonis symbolum, execrationi fuerit. Ossium inprimis firmitatem quod attinet, major ea in hippopotamo, quàm in elephante est; qui cùm nihil habeat dente firmius, tamen hippopotami dens, non candore solum, sed & duritie antecedit, Odoard. Barbosa *in Cephala descript.* quod & confirmant Dieppenses, artifices in ea arte peritissimi, qui belluæ hujus dentem ebore difficiliùs scalpi asserunt. Nec ignotus dentium ejus apud Vett. usus, è quibus Pausanias, in matris magnæ statua Proconnesi, cætera scribit ex auro constituisse, sed faciem ex hoc dente, quo pro ebore usi sint, *Καὶ αὐτῷ τὸ πρόσωπον ἀντὶ ἐλέφαντος ἵππων τῶν ποταμίων ὀδόντες εἰσὶν εἰργασμένοι*, *in Arcad.* Sed & tantæ soliditatis ac spissitudinis corium ejus est, ut torneetur in hastas & missilia. *Δόρατα* vocat Philos. *Histor. lib.* 2. *cap.* 7. *Ξυστὰ ἀκόντια*, *rasilia tela*, h. e. torno, aut radulâ seu dolabra expolita, Herodotus *in Euterpe*. Poeta,

—— —— *rasa hastilia virga.*

Captura ejus operosa admodum & difficilis est, nec aliter quàm dolo capitur. Nempe circa cubile illius fossa excavata cannis obtegitur & arenâ aggestâ, in qua latet arca, in quam ex improviso bellua decidens includitur, Achilles Statius *lib.* 4. quod non aliter fieri, quàm *πολυχειρίᾳ τῶν τυπτόντων δὶς σιδηροῖς ἐμβόλοις*, *multâ manu & molimine cudentium rostibus ferreis*, congregatis in eam rem undiquaq; navigiis, ubicunq; apparuerit, refert Diodorus &c. Primus a. *Hippopotamum* Romæ ostendit, in temporario Euripo, Scaurus Ædilis, pater illius quem defendit Tullius: à quo tempore in amphitheatris sæpe visi sunt, ut dictum. Unde apud Calpurnium *Ecl.* 7. Corydon Romæ in Spectaculis, inter cætera, se vidisse narrat,

—— —— *Equorum nomine dignum,*
Sed deforme pecus, quod in illo nascitur amne,
Qui sata riparum venientibus irrigat undis.

Sed ætate Juliani Apostatæ in Ægypto jam defecerant, Themistius *Orat.* 10. *infestantis multitudinis tædio ad Blemmyas migrare compulsi*, ut ait Marcellinus *lib. cit.* ubi hodieque *Hippopotamus* reperitur & *Bichab* vocatur & *Gomer*, quòd in *profundis demersum* hoc animal ea veluti *scrutetur*. V. omnino Bochartum ubi *suprà*, cui adde Salmasium *ad Solinum pag.* 441. & *seqq.* nec non Vossium *de orig & progr. Idolol. lib.* 3. *cap.* 56. ubi *de terguris ejus duritie*; *cap.* 62. ubi *de ejus libidine & impietate in patrem*; *cap.* 85. ubi *de hieroglyphico vett. Ægyptiorum, quo imis Regum sceptrum hippopotamum subjiciebant*, alibique passim.

Hippos, opp. Siciliæ, Steph. de quo, ut & oppido Palæstinæ cognomine, in Reg. Decapolitana, V. Salmasium ubi suprà *pag.* 617.

Hipposelinum, Nemeonicis olim, cum præfatione virtutum, præmii loco datum est, V. Alex. ab Alexandro *Genial. Dier. lib.* 5. *cap.* 8.

Hippo

Hippothoontis, una ex duodecim Tribubus Atheniensium, ab Hippothoonte Heroë indigena nomen accepit. V. Pausaniam *in Atticis*, *p.* 4. & 5. Franc. Rossæum *Archæol. Attica lib.* 1. *cap.* 5. ut & suprà, voce *Demarchi*.

Δῆμοι seu Populi Tribus Hippothoontidis.

Achardus.	Corydallus.
Amaxantea.	Decelia.
Anazæa.	Elæus.
Aræadæ.	Eleusis.
Azania.	Oeum Decelicum.
Cœriada.	Oeum ad Eleutheras.

Sphendale. &c.

Hippuros, portus Taprobanes, apud Solinum *cap.* 53. quem *Hippurus* vocat Plinius *lib.* 6. *cap.* 22. unde Ἵππουρος nomen ejus fuisse, colligit Salmas. *ad Solin. p.* 1117. Aliàs *Hippurus*, Gr. ἵππουρος, inter pelagicos pisces refertur Ovidio & Oppiano, sic dictus: quia pinnarum longitudine *caudam* referat *equinam*, vel potiùs quia instar *equi* ὀρούει, i. *ruit*, sive concito fertur gradu. Quem Carystium inprimis laudabat Archestratus, apud Athenæum *lib.* 7. ut suavem, commendabat Epicharmus *in Hebes nuptiis* & Matron parodus, *ibid.* Rondeletio hodie *lampugo* est Hispanorum, qui carne est pingui ac suavi, sed duriori, ut glauci thunnique. V. eum de *Pisc. mar. lib.* 8. *cap.* 19. & Vossium *de Idolol. lib.* 4. *c.* 27. At ἱππουρις, apud Homerum, galea est, ex cauda equina seu setis conum habens, V. suprà.

Hircia Lex, ab A. Hircio, qui postea in pugna ad Mutinam cecidit, lata est: *Ut Pompejani ad dignitates non admitterentur*. Cic. *Philipp.* 13. *in Anton. Epist.* Etiam *Hirtia* nonnulli scribunt. V. in voce *Hirtius*. Aliàs *Hircia*, genus farciminis hircino sanguine inculcatum, quo in sacrificiis olim utebantur. Arnobius *lib.* 7. *Sed si magnificum videtur atq; amplum, jugulare Diis tauros, si illibata, si solida concremari animantium viscera, quid sibi reliqua hæc volunt — apexabones, hirciæ, silicernia, longavi?* Festo *Irceus* dicitur &c. Salmasius ubi suprà *pag.* 128.

Hircipili, apud Festum sunt *densorum pilorum homines*, ab *hirco*, animali maximè hirsuto, dicti. Hinc שעירים *Hirci*, idola vel dæmones dicti sunt, Levitici *cap.* 17. *vers.* 7. & 2. Chronic. *cap.* 11. *vers.* 5. fortè propter Ægyptios, qui non modò *Hircum* in Deos retulerunt, sed & in ejus cultum tanto furore ferebantur, ut oporteret Sacerdotes, paterna Sacerdotia per Ægyptum suscepturos, huic Deo primùm initiari. Diodor. *Bibl. lib.* 1. Accedit, quòd complures Dii gentium, ut Pan Mendesius, Faunorumque & Satyrorum omne genus, aut hircinâ specie aut hirco proximâ culti sunt. Et in Majemonide *More Nev. lib.* 3. *c.* 46. Ethnici, apud Arabes & Chaldæos, Dæmones existimabant *Hircipilos* esse. Nempe Diabolus *hirci* specie potissimùm se conspiciendum præbet, uti legimus in Jamblichi *Babylonicis*, & apud Philostratum *Vit. Apollon. lib.* 6. *cap.* 13. Idem judicium de Silvanis & Faunis & Gallorum Dusiis, de quibus Augustinus *de Civ. Dei lib* 15. *c.* 23. Neq; id Hebræos latuit, qui proin Esaiæ *c.* 13. *vers.* 21. & *c.* 34. *vers.* 14. pro voce *hirci*, quæ in textu est, ponunt dæmonia vel *pilosos*, Græcis reddentibus δαιμόνια & ὀνοκενταύρους &c. V. Bochartum *Hierozoici Parte posterior. lib. VI. c.* 7.

Hircus, inter animalia, quæ magnificè incedunt, memoratur Proverb. *c.* 30. *vers.* 31. quod prisci Interpretes intelligunt de hirco, qui præcedit gregem. Hic enim tum non minus, barbæ & sexus fiduciâ, quam leo & equus, de quibus *ibid.* cum quadam pompa ac fastu fertur, tanquam capris suis se venditans, quod Ælianum non latuit *lib.* 7. *c.* 26. nec Pollucem *lib.* 1. *c.* 12. *sect.* 19. *Hircos* autem singulos ad denas capras parat Varro *de R. R. lib.* 2. *c.* 3. quâ proportione servatâ etiam inter oves & arietes, Jacob Esavo fratri obtulit cum ducentis capris viginti hircos, & cum ovibus ducentis arietes viginti, Genes. *c.* 32. *versu* 14. Deducit autem capras *Hircus* ad pascua summo manè, unde inter alia nomina, quæ Hebræi illi tribuunt, צפיר *tsaphir* quoque, i. *matutinus*, dicitur Dan. *c.* 8. *vers.* 5. & 21. Quod cùm & aliis pecoribus commune sit, id tamen peculiare huic generi, quòd certo anni tempore (nempe tum cùm Canicula oritur cum Sole) eò conversi Ortum respiciunt, Plut. *utra Animal.* &c. Porro *Hirci* ad sacrificia, ad lanienam, ad commercia, ad Venerem, aliaque, non minùs ac ad præcedendum gregem, parati sunt & idonei, ut videre est Psalm. *66. c.* 15. Ezech. *c.* 27. *versu* 21. Prov. *c.* 27. *vers.* 26. Genes. *c.* 31. *vers.* 10. & Jer. *c.* 50. *vers.* 8. In quibus proin locis omnibus עתודים i. *parati*, dicuntur, unde Phrygium *Attidis* vel *Athydis*, qui Cybeli in delitiis fuit, nomen deducit Cl. Bochartus. Certè hircinum esse nomen Atydis & ab hirco sumptum, apertè docet Arnobius *lib* 5. De usu eorum in V. T. Sacris. V. inprimis suprà in voce *Azazel*. Quem cacozeliâ suâ imitati Gentiles, eandem victimam Baccho immolarunt, quòd vites rodat. Martialis *lib.* 3. *Epigr.* 24.

Vite nocens rosâ stabat moriturus ad aras
Hircus, *Bacche, tuis victima grata sacris.*

Sed & Athenienses, ingruente bello, in campis Marathoniis, vovisse totidem Dianæ *hircos*, quot peremissent hostes, notat Cæl. Rhodiginus *Antiqq. Lection. lib.* 23 *cap.* 26. Contrà *Hirci* à Mendesiis culti, apud quos fœminæ quædam, quod relatu horrendum est, eæque non de plebe, se iis fœdè submittebant, tanquam religione addictæ, idq; ἀναφανδὸν aliquando, ut ait Herodotus, propalàm:

Tantum religio potuit suadere malorum:

V. Ælianum *Histor. lib.* 7. *c.* 19. ut & in voce *Mendes*. Ἀ qua tamen fœditate abominanda animal aliàs salacissimum & à mulieribus formosissimis provocatum nonnunquam abhorruisse, testatur Plutarchus *lib. quòd bruta ratione utantur*. Nempe sola in brutis natura sæpe plus potest, quàm in homine ratio sibi relicta. Atque hinc Moses, Levit. *c.* 17. *vers.* 7. ubi Israëlitas ex Ægyptiaca servitute liberatos offerre vetat ampliùs sacrificia sua *pilosis, cum quibus fornicati erant*; sic illos à cultu hircorum dehortatur, ut videatur simul alludere ad impurissimas has Ægyptiorum libidines, eidem Bocharto: ut taceam templa ab iisdem animali huic erecta, festosque dies consecratos, de quibus V. Eliam Cretensem *in Naz. Orat.* 4. Nisi malis Panem in hirci forma iis cultum, hincque id animalis pro sacro habitum, qua de re V. quæ suprà diximus. Alia quædam ut adjiciam, *Hircum* Tragicis Poëtis præmium fuisse, docet Scaliger *Poëtices lib.* 1. *c.* 44. & innuit id ipsum *Tragædiæ* nomen. Sed & *Hircos*, in Circensibus, pueri olim equitabant phaleratos atque capistratos. Anyte *Antholog. lib.* 1. *c.* 33. *Epigr.* 28.

Ἡνία δή τοι παῖδες ἐνὶ, τράγε, φοινικόεντα
Θέντες, καὶ λασίῳ φιμὰ περὶ στόματι,
Ἵππια παιδεύουσι θεοῦ περὶ ναὸν ἄεθλα,
Ὄφρ' αὐτοὺς φορέῃς ἥσυχα τερπομένους.
Purpureas tibi pueri, ô hirce, *habenas*
Imponentes & capistrum circa hirsutum os:
Equestria ludunt Dei circà templum certamina,
Ut ipsos portes blandè exhilaratos.

V. suprà quoque in voce *Capella*. Insuper *hircinæ barbæ* suffitu Arabes morbis suis occurrisse; eosdem in *hircinis pellibus* styracem urere consuevisse, ad sanandum odorum suorum fastidium, tradit Plinius, ubi de *Styrace*, qua de re V. Salmasium *ad Solinum pag.* 541. Sed & *hircorum*, aut hinnulorum pellibus, qui Satyrorum in Theatris personam sustinebant, indui solitos, Pollux habet. Pyrrhi galeam *cornibus hircini* fuisse insignem, refert Plutarchus in *Vita* ejus: & cui ignota *cilicia*, à *Ciliciis hircis*, quorum setæ productæ & hirsutæ illis texendis erant optimæ, ut & Cinyphiorum, nomen nacta? V. suprà in ea voce &c. Cæterùm in Arabia inprimis ingens hujus pecoris proventus est. Unde *Arabes* Josaphato Regi pro tributo solvisse leguntur arietum septingentos ultra septem millia totidemque hircorum, 2. Paralipom. *c.* 17. *versu* 11. notaque, quæ de Arabum Nabathæorumque hircis, in historia ladani, habent Herodotus *lib.* 3. *c.* 112. & Plin *lib.* 12. *c.* 17. Translata vox ad Principes, qui, uti *Arietes*, sic & *Hirci*, quandoque appellantur, occurrit Esai. *c.* 14. *vers.* 9. & Dan. *c.* 8. *versu* 5. in quo posteriori loco Alexander *Hircus caprarum* vocatur, V. Commentatores *ad eum*, & plura hanc in rem, apud Sam. Bochartum *Hierozoici Part. prior. lib. II. c.* 53. & 54. Vossium *de orig. & progr. Idolol. lib.* 3. *capp.* 62. 69. & 71. alios.

Hirdstraa, appellatum est *vetus Jus Aulicum Norvegicum*, cum Jani Delmeri Dani *Lat. versione & Notis* editum; à voce Saxon. *Hired*, i. conventus, familia, seu Dan. *Hird*, Aula, domus, & *straa*, Leges scripto comprehensæ. C. du Fresne *Glossar.*

Hirémanni, apud Anglo-Saxones, videntur iidem Spelmanno fuisse, qui *Arimanni* apud Longobardos: Somnero vero iidem fuere cum *Hirdemannis*, h. e. *Aulici*, in *Jure Aulico Norveg.* sic sæpiùs appellatis, V. hic suprà.

Hirmologium, liber Eccles. apud Græcos, Εἱρμολόγιον dictus, quòd *εἱρμοὺς contineat omnes Octoechi herilium & Deiparæ solennitatum ac totius anni*. Est autem iis *Hirmos* seu Εἱρμὸς hymnus seu troparium, à quo reliquorum troparioram, quæ in ea ode canerentur, consequentia & species ducebatur, uti docet Allatius *Dissertat.* 1. *de libris Eccl. Græcor.* ex Simeone Thessalon. Archiep. *lib. de Templo, Sacerdote & Mystagogia*, & Zonara *Commentar. in Can. Anastasimos Damasceni in Proœm.* In Ecclesia Latina *Tractum* appellari vult Meursius, sed *tractum* à trahendo dictum, eò quòd *tractim* cantetur, nec, quæ subsequuntur, ad illius Musices normam concinantur: *Hirmum* verò esse canonem & regulam modulationis subsequentium troparioram, ait idem; qui & *Hirmos* Musicalibus notis à Josaph. Cucuzele digestos asservari in Bibliotheca Barberina, adnotat. Cæterùm Εἱρμῶν frequentissimam mentionem fieri in *Euchologio*, *Menologio*, *Paracletice* & reliquis Græcorum *Ritualibus*, docet Cl. Suicerus *Thesauro Eccles.* voce Εἱρμός.

Hirpex, à Græco ἅρπαξ, Ἁρπάγη Euripidi,

Σκάπτων μακέλῃ γῆν τε κ' ἁρπάγῃ δίκρῳ.

Ἵρπηξ Hesychio: Festo *genus est rastrorum ferreorum, quod plures habet dentes ad extirpandas herbas in agris*: hincque quòd *rapiat* & verrat quæ in terra serpant inutilia, & sic agrum purget ac mundet, nomen accepit. Ἀ cujus instrumenti similitudine occatorias quoque crates seu rastra dentata, quibus occabatur ager ad glebas comminuendas, & exæquandas, Rusticos *irpices* vocasse, docet Servius *ad illud Poëtæ*,

Viminea q; trahit crates ——.

Quam

Quam vocem hodieque retinentes Galli crates hujusmodi dentatas, quibus semina, postquam jacta sunt, operiunt. *Herses* vocant. Utuntur autem ut plurimum hujusmodi *hirpicibus* in iis agris, qui nec depressos habent sulcos, nec porcas extantes. Quales agri non solent inarari jactis seminibus, sed arantur, priusquam serantur, dein tractis illis cratibus dentatis operiuntur terrâ semina: quem serendi modum Gallis vindicat Plinius *lib.* 18. *cap.* 24. V. Salmasium *ad Solinum pag.* 729.

Hirsfeldia, Abbatia Germaniæ, cum tit. Principatus: cujus Præsules cùm ab aliquot jam seculis, ad depellendas vicinorum Nobilium injurias, quas à Buchenaviis, Goerziis, aliisque varias pertulere, alienâ ope indigerent; Friderico Misniæ Marchioni à Ludovico V. Imp. A.C. 1327. postea Gunthero Trevirorum Archiep. atque Falckensteniis Comitibus A.C. 1398. tuendi traditi sunt. Tandem Albertus Abbas, perpetuo patrocinio Ecclesiæ suæ consulturus, à Ludovico Hassiæ Landgravio illis legibus illud obtinuit A. C. 1432. *Ne unquam à Landgraviis Abbatia avelleretur, quorum fidei spontaneâ clientela se submiserit; ut arcibus atq; urbibus, præsidiis Hassicis, quando Landgraviis lubeat, firmandis viribusq; contra quoscunq; hos juvare obstricta esset*: translata in eosdem facultate redimendi bona, aliis ab Abbatibus obligata &c. In quam formulam utrinq; repetitis pactionibus consensum est A. C. 1458. & 1490. Postea Philippus, metu amittendorum jurium ex Abbatia ista à Majoribus paratorum, quem Volperti Antistitis tentata in Abbatiam Fuldensem *incorporatio* intenderat, ad novas conditiones Cratonem Abbatem adegit A. C. 1517. *Ne viz. nunquam* Hirsfeldia *alienæ Ecclesiæ accessio fieret, neve ad Prælaturam ejus alia quàm Electionis aut Postulationis via, neq; iis pateret, qui sacri Principatus dignitate jam ornati aut Hassiæ Landgraviis exosi essent.* Bello dein Rustico, quo subditi quoque Abbatis correpti, *Hirsfeldiam* velut belli jure ingressus, Urbem immunitatibus, Abbates atque Capitulares libertate exuit, atque per totam illam ditionem publicæ Religionis cultum mutavit. A quo tempore cum subditis suis in ordinem redacti *Hirsfeldiæ* Principes propiùs servitio, quàm imperio, absuere, donec Hassi melius rati, si Abbatum jure nomineque ipsi regnarent, non multo labore, quod voluere, indepti sunt; Ottone Mauritii filio primùm Joachimo Abbati & isti fratre Guilielmo, qui morituris succederent, subrogato. Quod cùm Rudolfus II. & Matthias Impp. proposito edicto, nemine tamen nominato, improbarent A. C. 1617. non tamen cessere Catti; quin potiùs Pace Westphalicâ id tandem impetrarunt, ut satisfactionis loco, ob accepta à Pontificio milite damna, flagitatæ, terram istam *secularis Principatus* nomine sibi retinerent. Tob. Pfannerus *de præc. Germ. Principp. Gentib.* c. 8.

Hirudo, apud vetustiores Latinos, quasi *biludo*, ex Græco ἕλος, *palus*, quod in paludosis locis degat; Græcis βδέλλα, à verbo βδάλλειν, quod *exsugere* notat. Hebr. עלוקה *alaka*, dicitur, à *pendendo* & adhærendo. Non enim est

—— *missura cutem, nisi plena cruoris* ——

Quò respiciens Plautus *Epidico Actu* 2.

—— *jam ego me vertam in* hirudinem,
Atque eorum exsugebo sanguinem.

Atque hinc in Medicina ad eliciendum sanguinem *hirudines* adhibentur; sed si aliquando affixæ capita relinquant, insanabile inde vulnus, & certa pernicies. Uti de Messalino è Consularibus patriciis, cùm ad genua admisisset, apud Plinium legimus *lib.* 32. c. 10. Sed & aliquando corpus subingrediuntur. Et tum, *si in ventriculo aut intestinis hæreant, per secessum, muriæ exhibitione, pelluntur: Si in faucibus; æger in solio calido ad mentum usque demersus, frigidam ore copiosam continet, cujus illecebrâ* hirudo *allecta, calorem fugiens, egreditur*, Æginetа *lib.* 5. c. 36. & Aëtius *Tetrab. lib.* 4. *Serm.* 1. c. 56. Plinii ævo *Sanguisuga* vox in usum venit, in qua infrà plura.

Hirundo, avis migratoria est. Anacreon *Ode* 33.

Σὺ μὲν φίλη χελιδὼν
Ἐτησίη μολοῦσα,
Θέρει πλέκεις καλιὴν,
Χειμῶνι δ' εἰς ἄφαντος &c.

Abit autem hibernis mensibus, & sub veris initium redit. Unde apud Theognim *lib.* 3. de Rhodiorum sacrificiis, ita incipit cantilena, quam ostiatim canebant οἱ χελιδονίζοντες, i. *Agyrtæ, qui* hirundinem *venisse nuntiabant*, Ἦλθ' ἦλθε χελιδὼν καλὰς ὥρας ἄγουσα, καὶ καλοὺς ἐνιαυτοὺς, ἐπὶ γαστέρα λευκὰ, ἐπὶ νῶτα μέλαινα, *Venit, venit* hirundo, *pulchra tempora adducens & pulchros annos, albo ventre & nigro dorso.* Et, uti Theon ad Aratum scribit, piscem Borealem Vett. cum *hirundinis* capite pingebant, & ἰχθὺν χελιδόνιον vocabant, quæ veris præludium ortu suo significabat. Mora earum 6. mensium; uti enim initio veris veniunt, sic recedunt in fine æstatis. At quò migrent, non compertum est. Isidorus in genere, *Maria*, inquit, *transvolat ibiq; hieme commoratur* hirundo. Herodotus, de Æthiopia sub Ægypto *lib.* 2. *cap.* 22. milvos & *hirundines* toto anni tempore ibi esse, nec per hyemem discedere, ait. Anacreon *ubi suprà*.

Χειμῶνι δ' εἰς ἄφαντος,
Ἢ Νεῖλον, ἢ 'πὶ Μέμφιν.

Hyems autem non conspiceris,
Sive Nilum, sive Memphim petas &c.

Utut sit, discedens agmen deserere apud eas grave crimen, si fides Martiali *lib.* 5. *Epigr.* 68.

Hibernos peterent solito cùm more recessus,
Atthides in nidis una remansit avis.
Deprendêre nefas ad tempora verna reversæ,
Et profugam volucres diripuere suæ.

Sed & à frigore manentibus non leve periculum. Plinius *lib.* 2. *cap.* 37. *Signum orientis sideris* (Arcturi) *servetur hirundinum abitu, namq; deprehensæ intereunt.* Tamen in apricis locis quasdam manere certum est, quæ non moriuntur omnes, sed mutantur & deplumantur, Aristot. *Hist. Animal. lib.* 8. c. 16. & Plin. *lib.* 10. c. 24. Cujusmodi *hirundini* Eutropii Eunuchi jam effœti depile caput & tineâ exesum confert Claudianus *in Eutropium lib.* 1. &c. Cæterùm, *Hirundines Thebarum tecta subire negantur, quoniam urbs illa sæpe capta sit: nec Biziæ in Thracia, propter scelera Terei*, Plin. *lib.* 10. *cap.* 24. Qua de re V. ubi de *Philomela, Progne, Tereo*. Cujus tamen facinus in Daulide Phocidis ponit Pausanias, & inde esse ait, quòd in illa regione *hirundines* non nidulentur, neq; ova excludant. Eidem volucrum *soli flexuosi volatus, velox celeritas: quibus ex causis neque rapinæ cæterarum avium obnoxia est. Eadem demum sola avium non nisi in volatu pascitur*, Plin. ubi modò. Nempe, cùm multæ aliæ sint aves, quæ & flexuosè volent & celeritate præstent, nullæ tamen sunt, quæ volatum flexuosum tanta velocitate expediant. Hinc ab hominibus aliquando ad varia celeriter annuntianda adhibitæ. Plinius *ibid. Cecina Volaterranus equestris ordinis quadrigarum dominus, comprehensas in urbem secum auferens, victoriæ nuntias amicis mittebat, in eundem nidum remeantes illito victoriæ colore. Tradit & Fabius Pictor — cùm obsideretur præsidium Romanum à Ligustinis*, hirundinem *à pullis ad se allatam: ut lino ad pedem ejus alligato nodis significaret, quoto die adveniente auxilio eruptio fieri deberet* &c. A fusco earum colore *Chelidoniæ aspides*, & *Chelidoniæ gemmæ*, nomen accepere, de quibus V. aliquid suprà. Sed & in *Hirundinis* nido lapis *Icterias*, h. e. quo sanantur Icterici, reperiri dicitur, docetque Bochartus, eius pullos croco tingi ab Arabibus, quo viso pater, eos ictero laborare suspicatus, lapidem illum ex India in nidum afferat & pullis supponat, *Hierozoici Part. poster. lib.* 1. c. 10. ubi plura alia de hac ave. Adde Gerh. Jo. Vossium *de Idol. lib.* 3. *capp.* 15. 73. 78. 82. 84. 85. 97 ubi de eadem: & *lib.* 4. c. 19. ubi de *Hirundine*, pisce volucri &c.

Hirundo, machinæ bellicæ species. Henricus Rosla in *Herlingsberga*, apud du Fresne *Glossar.*

Non hic unigena fabricatur machina: namque
Hæc Librilla, quasi saxa pondera librans:
Obtinet illa Suis, sed Hirundinis *hæc: fiat ista*
Illa vocata notâ &c.

Hirundo Marina, piscis est volans, Hisp. *Volador*, cujus ala plusquam palmaris, asservatur in *Musæo* Kircheriano Romæ. Ibidem *Hirundo Marina* pendula, ventos spirantes extra Musæum monstrat. Pisciculus nempe in Musæi laqueari intra nauticæ pyxidis ventorum schemata & differentias ad mundi plagas collocata referentia, pendulus est; qui se continuo motu agitando nunquam quiescit, nisi supra venti ejus rhombo, qui extra Musæum spirat. Itaque ad flantium ventorum varietatem, in loco ventis impervio, rostro suo ad rhombum spirantis venti se perpetuò convertit. Georg. de Sepibus *in Collegii Rom. S. J. Musæo pag.* 23.

Hispania, adde: De ea sic M. Cato apud A. Gellium *lib* 2. c. 22. *Sunt in his regionibus*, inquit, *ferrariæ, argenti fodinæ pulcherrimæ, mons ex sale mero magnus: quantum demas, tantum accrescit.* Hinc maximam argenti fodinam ad novam Carthaginem fuisse, quæ continuo labore 40000. hominum singulis diebus 20000. drachmarum Populo Rom. tribuerit, testatur Strabo *lib.* 3. & vicena millia pondo argenti annis singulis Asturiam, Galliciam ac Lusitaniam exhibuisse, aliorum fide commemorat Plinius. Erat & χρυσίτης ἄμμος, *aureum sabulum*, quod *baluca* vel *balluca* incolis dicebatur, teste Plinio modò laudato *lib.* 33. c. 4. Ejus mentio in Jure quoque Civili *l.* 1. *Cod. de Metall.* & *l.* 3. & *seqq. Cod. Theodos. eod. tit.* De arena illa autem seu sabulo ita Plinius: *Apud nos tribus modis* (aurum invenitur) *fluminum ramentis, ut in Tago Hispaniæ, Pado Italiæ, Hebro Thraciæ, Pactolo Asiæ, Gange Indiæ: nec ullum absolutius aurum est, cursu ipso tritug; perpolitum. Alio modo puteorum scrobibus effoditur.* De puteis quoque Strabo: & inter hæc ramenta nonnunquam grandiores deprehendi massas, annotant Scriptores neoterici, Petrus Martyr inprimis &c. Nec præclaros solùm viros dedit hæc regio variis temporibus, verùm etiam Arabicæ Philosophiæ satis diu sedes fuit, à quo tempore Mauri in *Hispaniam* fuere post Rodericum transgressi. Cordubæ inprimis, qua de re V. Georg. Hornium *Histor. Philos. lib.* 5. c. 10. Victi à Romanis Hispani, in eorum habitum transierunt & togati incedere cœperunt: calceos verò antiquitus è sparto, (quod *Hispanica herba* & *Hispanicus juncus* Vett. dictum, V. Salmasium *ad Solinum pag.* 264 & infrà ubi de *Sparto*) sicut è papyro Ægyptii habuere. Quare Plinius de sparto, quod in Hispania [illegible] frequens,

frequens, cùm loquitur, ait: *Hinc strata rusticis, hinc calceamina, & pastorum vestis*: Quod hodieq; obtinere, docet B. Balduinus, qui se eos in Gallia sæpe in sparteis ejusmodi calceis incedere vidisse, testatur Istiusmodi calcei iconem habes, in Auctoris hujus *edit. ult. Amstelodami A.C.*1667.*p.*23. In bello, lanceæ illis & clypei seu scuti, quã *Cetram* vocavere, olim usus. Liv. *Dec.*4. *lib.*1. *Hispani sine ulla mole in utres vestimentis conjectis ipsi cetris suppositis incumbentes, flumen transvere.* Jul. Cæsar *de bello Civ. lib.* 1. *Erant legiones Afranii tres, Petreji duæ, præterea scutatæ citerioris Hispaniæ, & cetratæ ulterioris Hispaniæ cohortes circiter octoginta* &c. Hinc *Hispan*⁹ & *Hispaniensis*, quæ Veteres sic distinxere, ut *Hispanus* diceretur, qui origine & patria talis esset; *Hispaniensis*, qui alibi ortus ibi moraretur. Ut *Hispaniensem exercitum* vocat Suetonius *Vespasiano c.* 6. qui in illa provincia erat collocatus, nec tamẽ ex illa provincia esset. Omnes enim legionarii cives Romani erant. At illud discrimen posterioribus neglectum. Unde apud Vopiscum Bonosus *domo Hispaniensis* dicitur, qui origine Hispanus erat &c. Solinus *res Hispanienses*, de rebus Hispanicis dixit, & Hispaniæ quidem nativus. Salmasius *ad eum p.* 840. V. quoq; eum *p* 260. ubi de *Hispaniæ, post Constantinum M. in VI. provincias facta divisione.* At *Hispanus*, apud Thvvroczium *in Chron. Hungar. I. part. c.*15. ubi de Attila & prælio Catalaunico, nomen dignitatis militaris est. A' cujusmodi *Hispanis* Capitaneis ortum nomen apud Hungaros *Ispan* quidam censent, quibus idem est ac *Comitatus*, Judicium provinciale, cui sc. *Hispanus* Capitaneus præerat. C. du Fresne *Glossar.*

Hispanus Petrus, V. infrà *Petrus Hispanus.*

Hister, Tuscis ludio vocabatur, hoc est saltator: unde Romani rem pariter cum nomine accepere. Salmasius *Not. ad Flavium Vopiscum Carino Imp.* V. quoq; in voce *Histrio.*

Historia, quæ ad memoriam refertur, sicut Poësis ad phantasiam & Philosophia ad rationem, Cadmi inventum perhibetur Plinio *lib.*6. *c.* 56. estq; vel *Naturalis*, vel *Civilis*. Illa naturæ res gestas & facinora commemorans, pro triplici ejus statu, prout nempe illa vel libera est & cursu consueto se explicans; vel a pravitatibus & insolentiis materiæ contumacis, & ab impedimentorũ violentia, de statu suo detruditur; vel deniq; ab arte & operâ humanâ constringitur fingiturque: subdividitur, *in Historiam Generationum, Prætergenerationum & Artium* seu Mechanicam & Experimentalem; quarum prima libertatem Naturæ, altera errores, tertia vincula pertractat. Ista, nempe *Civilis*, in tres quoq; species dispescitur, *Sacram* sive *Ecclesiasticam*, *Civilem* in specie dictam, & *Literarum ac Artium*. Quarum hæc ultima ex omni memoria repetit, quæ Doctrinæ & Artes, quibus mundi ætatibus & regionibus floruerint; Ista exempla Majorum, vicissitudines rerum, fundamenta prudentiæ civilis, hominumq; nomen & famam, suæ curæ comissa habet, & in *Memorias*, *Antiquitates* ac *Historiam justam* (hæcq; iterum in *Chronica*, *Vitas* & *Relationes*, & Chronica in *Historiam Universalem* ac *Particularẽ*, item in *Annales* & *Acta Diurna*) subdistinguitur: Illa, sc. Sacra seu Ecclesiastica, res ad Ecclesiam spectantes persequitur, & tres iterum partes habet. *Historiam Eccl.* in specie sic appellatã, *Historiam ad Prophetiam* & *Historiam Nemeseos* seu *Providentiæ*. Quarum illa Ecclesiæ militantis tempora & statum diversum memorat, sive illa fluctuet, ut Arca in diluvio, sive itineretur, ut Arca in eremo, sive consistat, ut Arca in templo. Secunda singulis è Scriptura prophetiis eventuum veritatem jungit. Tertia, vindictas Dei seras & inopinas, salutes subitò affulgentes & insperatas, consilia divina per ambages rerum tortuosas & stupendas spiras, tandem se manifestò expedientia & similia pertractat. Appendices *Historiæ*, quæ circa *verba* hominum (quemadmodum Historia ipsa circa *facta*) versantur tres constitui possunt, *Orationes*, *Epistolæ* & *Apophthegmata*. De quibus omnibus V. accuratissimè disserentem, Franc. Bac. de Verulamio de *Augment. Scientiar. lib.* 2. *capp.* 12. *prior.* Methodum verò *Historiam*, Civilem inprimis, legendi, egregiam, præscribit Just. Lipsius *Chil. Epist. p.* 463. ipsos autem *Historicos* omnis ævi, paucis enarrat & de quovis eorum judicium fert, Gerh. Jo. Vossius *de Historicis Gr. & Lat.* Ut de *Historico tempore* aliquid adjiciam, Varro Mythicum tempus usque ad primam Olympiadem deducit, & inde Historicum tempus facit incipere. Alii ab Heraclidarum Reditu illud ordiuntur. Et quidem Scaliger *in Eusebianis*, quatuor nobilia intervalla, inter cladem Ilii & primam Olympiadem notat, quibus tanquam metis designaverint tempus illud vett. Chronologi, Herodotus, aliique Primum est, Ἡρακλειδῶν κάθοδος, *Heraclidarum Reditus*, à Troja capta, LXXX. an. Secundum, Οἰκισμὸς Λέσβου κατὰ πόλεις, *Habitatio Lesbi per urbes singulas*, post cladem Ilii CXX Tertium, Ἰωνικὴ ἀποικία, καὶ κτίσις Κύμης Φρικωνίδος, *Jonica transmigratio & Cumæ Phriconidis extructio*, post Trojam CXL. Ultimum Κύμης ὑπὸ Σμυρναίων, *Cumæ à Smyrnais condita initia*, CLVIII post Trojam. De quorum primo V. suprà, *Heraclidarum Descensus.*

Historiæ dicuntur Ecclesiæ Rom Scriptoribus, Lectiones, desumtæ ex libris Historicis Vet. Testam. & aliis, quæ in Ecclesia statis diebus recitantur, V. C. du Fresne *Glossar.* ubi versus, *Historias* per circulum anni continentes.

Historiographus, Pictor historiarum, apud Ugutionem. Ἱστοριογράφος Μανόηλος, in *Inscr.* quæ visitur in æde Deiparæ Betleemitana, legiturq; apud du Fresne *ad Joinvillam Dissertat.* 27. Ἱστορεῖν & ἀνιστορεῖν Græcis recentioribus pingere est, Joann. Damascen. *in Synodica ad Theophilum Imp.* Unde Italorum *historiare* &c. Car. du Fresne *Glossar.*

Histria, adde: de *Histria* vel *Histrica civ. excidio* V. Capitolinum *in Maximino & Balbino.*

Histriones, adde: De his lex Solonis, Μὴ ὑποκρινέσθω ἔλαττον ἐτῶν, μὴ νεώτερος ἢ τριάκοντα, *Histrio fabulam ne agito annorum triginta minor.* Athenis enim *Histriones* omni notâ vacui erant & Poetæ ipsi cives Attici in scenam prodibant, quod de Sophocle, Aristophane, aliis, observatum est veteribus. Romæ verò notabantur infamiâ. Unde Laberii querela, quem asperæ libertatis Equitem Romanum Cæsar invitavit quingentis millibus, ut prodiret in scenam & ipse Mimos ageret, quos scriptitabat:

> *Ergo bis tricenis annis actis sine nota*
> *Eques Romanus, Lare egressus meo,*
> *Domum revertor Mimus. Nimirum hoc die*
> *Uno plus vixi, mihi quàm vivendum fuit.*

Scilicet: *Ait Prætor: qui in Scenam prodierit, infamis est.* Unde factum, ut Scenici spectaculorum deberentur obsequiis eaq; Scenicis nati non possent detrectare, sed vel inviti ad ea præstanda adigerentur. Nec nisi dubiis in rebus Reip. ad arma vocabantur: & primus Valentinianus Imp. A. C. Dionysiano 371. constituit, licere Scenicos, in extremo vitæ periculo constitutos, baptizare, &, si fortè evasissent, noluit ad scenam revocari. Mulieres verò Scenicis prognatas, antequam possent scenica præstare officia, sacro tingere lavacro licebat *l.* 1. *Cod. Theod. de Scenicis.* Imò & mulier Scenica, quæ, in Ecclesiam Christi admitti & baptismate tingi desiderans, postulabat eo nomine vacationem officiorum scenicorum, impetrabat eam *l.* 8. *Cod. Theod.* Si verò, postquam religionis obtentu hanc veniam nacta erat, quæstum corpore fecisset, in Scenam revocabatur, & *ministeriis ludicris* pœnæ ergò deputabatur, id est, repræsentabant tales non nisi Γραῖδια seu ridiculas anus, donec ipsæ revera senectute fierent deformes: Sed nec tunc quoq; absolvebantur, quanquam non possent non pudicè, quod ævi reliquum supererat, agere propter servitutem ac deformitatem. Inter *Histriones* tamen infames non censebantur, qui agebant Attellanas. Has enim & iis sparsim conserta Exodia tenuit olim Romana juventus nec *ab Histrionibus pollui passa est*, Liv. *lib.* 7. Postea tamen fabulas illas cùm *Histriones* quoq; agere cœpissent, illi inter cæteros ludiones honestissimi, & cum cæteri infamia notarentur, neq; pro civibus haberentur, Attellanarum actores neq; tribubus movebantur, neq; à militaribus stipendiis repellebantur, Val. Maxim. *lib.*2. *c.*1. Dicti autem hi sunt *Juvenes*, quorum ludos meminerunt veteres Inscript. & Callistratus *lib.* 6. *de Cognitionibus*, apud Jurecons. *l.* 28. §. 3. *D. de Pœnis.* V. Sam. Petitum *Comm. in Leges Atticas lib.*1. *tit.*1. *p.*75. & *seqq.* E' scena in convivium Comœdos, & *Histriones* & Archimimos & Pantomimos familiares frequenter, jam indè à devicta Asia, inductos, conqueritur Livius *lib.* 39. *Luxuriæ enim peregrinæ origo est ab exercitu Asiatico invecta in urbem. Ii primùm lectos æratos, vestem stragulam pretiosam, plagulas & alia textilia, & quæ tũ magnificæ supellectilis habebantur, monopodia & abacos Romam advexerunt. Tum Psaltriæ Sambucistriæq;, & convivalia ludionum oblectamenta addita epulis.* Et notat de luxu Metelli Sallustius *Histor. lib.*2. *Ad cœnam invitato exornatas fuisse ædes per aulæa & signa, scenasq;, ad ostentationem* Histrionum *fabricatas*. Hinc apud eundem *in Jugurtha* Marius, *Sordidum me*, inquit, *& incultis moribus ajunt, quia parum scitè convivium exorno, neq;* Histrionem *ullum, neq; pluris pretii coquum, quàm villicum, habeo.* V. Pignorium *lib. de Serv.* & Tit. Popmam *de Operis Servor.* Addam paucis, *Histriones* scenam ingressos, populum salutasse. In vet. *Epigr.* de Pantomimo,

> *Ingressus scenam populum saltator adorat:*

Unde Neronis in scenam prodeuntis vox, Κύριοί μου εὐμενῶς μου ἀκούσατε, Dioni notata. Baculum autem in manu habebant, eumque pro argumento fabulæ, formâ ac materiâ varium, (cujus loco sceptrum erat, cùm Regem saltarent) uti de eodem Nerone docet Philostratus, *lib.* 5. Dein, prooemium recitabant, quo spectatorum suo gregi benevolentiam conciliarent, idque coronati, more Oratorum, fausti ominis ergò, Dionys. Halicarnass. *Antiqq. lib.* 3. V. suprà ubi de *Coronario ære.* Iidem è Scena discedentes plausum petebant, eaque erat extrema fabulæ clausula. Erat illa,

> *Δότε κρότον, καὶ πάντες ὑμεῖς μετὰ χαρᾶς κτυπήσατε.*

Quibus verbis vitæ suæ mimum quoque Augustum clausisse legitur, apud Suetonium *cap.* 99. Quod si quid commisissent, *virgis* in eos animadvertebatur, hisque per trina Theatra cæsi traducebantur; quod jus, Magistratibus ademptum, Augustus ipse severissimè exercuit, ut de Stephanione docet Suetonius, *cap.* 45. Nec omittendum, *Histrionibus* in Scena, velut in Templo, neque excreare, neque mungere licuisse, uti ad eundem Auctorem notat Casaubonus *Nerone cap.* 24. &c.

Histrix, adde: Idem Ordo *Camalli* dictus est, juxta Carol. du Fresne, institutus à Carolo Aureliani & Valenti Duce, à *camallo*, quod conspicitur in torque, in cujus ima parte pendet *histrix*, surrectis echinis horrida, virenti humo insistens & collum camallo tecta: *histrici* verò impendet corona Ducalis, ut in Casulis & Dalmaticis, olim ab eodem Duce Cælestinis Parisiensibus

Anna Amalia, Elisabetha, Juliana, Catharina, Ludovica & Magdalena; non ordinis nascendi, sed sexûs hic ratione habitâ. Horum è numero Anna Amalia (n.1616.) uxor primò fuit Ludovici Com. VViedani; exin ChristianiCom. Sayn. Georgius Ludovicus, (n.1618. den. 1656.) uxorem habuit Annam Augustam Brunsuicensem, ex ea pater *Henrici* suprà memorati: Ludovica (n. 1623. den. 1666.) nupta fuit Johanni Ludovico Com. Isenburgico: Adolfus (n. 1629.) Elisabetham Carolam Holtzapfeliam sibi junxit. Ipse verò horum omnium Pater primus lineæ suæ Principale axioma intulit. V. Cyriac. Lentulum sæpius memoratum *Geneal. Histor. Principum Nassov.* & Phil. Jac. Spenerum *Theatr. Nob. passim, inprimis part. I. p.82.* V. quoque infrà *Ludovicus.*

Viri alii Illustres.

Henricus, nomen commune omnium Ruthenorum s. *Reussen de Plavia*, quæ illustris in Germania Familia est, de qua infrà, in voce *Rutheni.* Unde lineas stirpis cognoscere à se invicem difficile est. Et quidem defecere superiori seculo tres nobiles rami, hodieque qui supersunt, in duas lineas *seniorem* & *juniorem* dispescuntur; quarum illi annumerantur, qui in Graiziæ utraque domo & Burckii habitant: ad istam decem filii *Henrici* ex Magdalena Schvvartzenburgica (quibus in *Gera, Salburg, Schleitz* & *Lobenstein* sedes) spectant. Et quidem hos quod attinet, *Henricus* cognom. *Jun.* ex Dorothea de Gera, pater fuit *Henrici* Dn. *in Plavv*, extincti A.C. 1461. quo & Irmgardi Kirchbergiâ genitus *Henricus*, obiit A.C. 1498. pater ex Magdalena Schvvartzenbergia (fil. Erckingi Baronis) *Henrici*: qui junctâ sibi Æm. Annâ Mansfeldia, (fil. Ernesti Com.) suscepit *Henricum* defunctum A. C. 1572. Huic Dorothea Solmensis (fil. Friderici Magni Com.) peperit *Henricum*, extinctum A. C. 1635. cui ex Magdalena Schvvarzenburgica (fil. Alberti Com. Schvvartzenburgi *in Rudelstat*) præter filias, Julianam Mariam (n.1598. ux. Davidis Com. Mansfeldii) Agnetem (n 1600. ux. Ernesti Ludovici Com. Mansfeldii) Elisabetham Magdalenam (n.1601. den. . .) Sophiam Hedvvigem; Dorotheam Sibyllam (n.1609. uxorem Christiani Pincernæ *de Tautenberg*) Annam Catharinam (n.1615.) & Ernestam (n. 1618. uxorem Ottonis Alberti Domini *de Schanburg*) geniti sunt filii decem sequentes;

Henricus I. natus & denatus, A. 1599.

Henricus II. in *Gera*, natus A. 1602. duxit Catharinam Elisabetam Schvvartzenburgicam.

Henricus III. in Saiburg, natus A. C. 1603. obiit A. C. 1640. pater ex Juliana Elisabetha Rhingravia, defunctâ A. C. 1653. *Henrici* I. (qui natus A. C.1639. uxorem sibi junxit ex Comitum Hardeccenium stirpe) ac Magdalenæ Julianæ (nat. 1641. d. 1649.)

Henricus IV. natus A.C. 1604. extinctus Anno Christi 1628. æt. 24.

Henricus V. & *VI.* nati & denati A. C. 1606.

Henricus VII. natus A. C. 1610. den. 1611.

Henricus VIII. natus & den. 1613.

Henricus IX. in *Schleitz*. natus 1616. den. 1666.

Henricus X. in Lobenstein, natus A. C. 1621. uxorem duxit Mariam Sibyllam Ruthenam. Omnes nominis *Rutheni*, *Dn. de Plavven* &c. *Lineæ junioris.* V. Phil. Jac. Spenerum *Theatr. Nob. Eur. Part. I. p.15.* & 48. ut & *in Ind.*

Henriquezia, Familia Hispaniæ illustris: orta ab Alfonso *Henriquez*, Friderici M. Magistri Ord. S. Jacobi (qui frater gemellus Henrici Castiliæ R. occisus est A. C. 1358.) filio, & primo ex sua familia Castellæ Thalassiarcha seu Admiralio. Hic duos cum genuisset filios, eorum minor Henricus Comites *de Alba ac Aliste* sive *de Liste* sevit. Primogenitus Fridericus patris in Admiralis officio successor, Comitis *de Melgar* & *Rueda* titulum acquisivit. In ejus filiis iterum duæ incepere lineæ: nam Alfonsus ad posteros Thalassiarchæ munus transmisit: qui insuper nomen *Ducum Medinæ de Rio secco* obtinuerunt. Ex Maria enim (fil. Petri Fernand. *de Velasco* Com. *de Haro*) pater fuit Ferdinandi Henricii Adm. Castiliæ *D. de Medina de Rio secco*, qui ex Maria Girona genuit Ludovicum Henricium seu *Henriquez*, maritum Annæ *de Cabrera & Moncada*, ac ex hac patrem Ludovici II. qui præter dignitates titulosque avitos, à matre nomen *de Cabrera* insuper assumsit. Eo & Annâ Mendoziâ genitus Ludovicus III. pater fuit ex Victoria Columna (fil. M. Antonii Columnæ D. *de Paliano* Princ. *de Tagliacozzo*) Johannis Alfonsi *Henriquez de Cabrera* Admiral. Castiliæ Duc. *de Medina de Rio secco*, cui juncta Luisa *de Sandoval* (fil. Christophori Ducis *de Uzeda*) liberos ei complures peperit nominis *Henriquezii de Cabrera*, Phil. Jac. Spenerus *Theatro Nobilit. Europ. Part. I. p 134.* Alter verò Friderici præfati filius Petrus, ab uxoribus Beatrice & Catharina (quæ germanæ & filiæ Per. Fani *de Ribera* Com. *de los Molares* erant) successionem nomenque *de Ribera* suæ domui, cum officio supremi Judicis Andaluziæ, intulit. Unde Comites *de los Molares* & Marchiones de *Tarifa* descendunt, quibus axioma Ducale *Alcala* titulo accessit. Habuit Petrus is, ex Catharina, filium Ferdinandum I. *Henriquez de Ribera* Com. *de los Molares*; qui ex Agnete Portocarrera, genuit Ferdinandum II. *Henriquez de Ribera* Duc. *Alcalæ*: cui Johanna Cortesia (fil. Ferdinandi extincti A. C. 1547.) Ferdinandum II. March. Tarifæ peperit; quo & Annâ Gironâ (fil. Petri Gironi D. Ossunæ) nati sunt, Ferdinandus *Henriquez de Ribera* D. *Alcalæ*, maritus Beatricis (fil. Christophori *de Mora* March. *de Castel Rodrigo*) Petrus Gironus (cui nupsit Antonia Portocarrera M. *de Alcala de la Lameda*) & Johanna Henriquezia de Ribera (ux. Alfonsi Fernand. *de Corduba Figueroa* M. *de Priego*) nominis *Henriquez de Ribera*. Idem *pag. 98.* Sed &, præter Duces Alcalæ ac Marchiones Tarifæ, in altero hoc familiæ ramo, clarent etiam Marchiones *de Villa nova del Rio*, a Friderico *Henriquez*, Ferdinandi I. præfati Ducis Alcalæ, fratre derivati: Hic enim Marchio *de Villa nueva del Rio*, ex eadem Catharina prædicta genitus, Mariam de Corduba uxorem habuit: pater ex ea Ferdinandi; qui ex Maria Manricia (fil. Garsiæ Fernandezii Manricii Com. *de Osserno*) genuit Antonium *Henriquez de Ribera* Marc. *de Villa nueva del Rio*, qui obiit, nullâ ex Anna fil. Antonii *Alvari de Toledo* Duc. *de Alva*, prole susceptâ, & Antoniam hæredem, cui maritus obtigit Ferdinandus Alvarus *de Toledo* Dux Albanus (*de Alva & Huesca*) V. eundem *part. II. p. 56.*

Hepar, in Extispicina Vett. inprimis spectabatur: unde *Extorum* nomine κατ' ἐξοχὴν denotatum, licèt pulmonem quoque & cor cœteraque inspicerent. Virgilius *Georg. l. 1.*

Tristibus aut extis fibræ apparere minaces.

Ubi *fibræ*, jecoris extremitates sunt, λοβοὶ τοῦ ἥπατος. Et Appulejus, *somniis conformandis, extis fisiculandis.* Ubi *exta* iterum de jecore, cujus propriè *fissum* dicebatur, ut vidimus suprà. Et quidem summam & altissimam *Hepatis* fibram inprimis considerabant, quam proin *Caput extorum* solebant nuncupare. Id geminum, vel impensè auctum, vel fibrâ introrsum replicatum contractumque felicia promittebat; tristia verò luridum, saniosum, pustulosum, cocturâ tabescens, quovis modo vitiosum. Qua de re V. Alexandrum ab Alex. *l.5. c.25.* Sic ritè exploratum & probatum *Hepar* in ara ponebatur, Hyginus, *Ipse Prometheus immolat tauros duos, priùs verò eorum jecinora cùm in ara posuisset, reliquam carnem ex utroque tauro in unum compositam corio bubulo texit.* Neque verò solum, sed quod ex immolata quoque hostia desectum, quasi auctarii vice, simul imponebatur, *augmenti* nomine. Aliquando & *magmentum* superaddebatur: quas voces V. ut & infrà in voce *Prosiciæ.* Atque hæc pars extorum prosicata Diis adolebatur: reliquâ inter eos, qui sacro intererant, ad comedendum, distributâ. Salmasius *ad Solinum pag. 129.* V. quoq; infrà in voce *Jecur*, ut & ubi de variis *Divinationis* speciebus. Hinc *Hepatites* gemma, memorata Plinio *lib. 37. c. 11.* & *Hepatizon* genus æris, *suo colore pretiosum, ad jecinoris imaginem vergens*, apud eundem *lib. præc. c. 2.* &c.

Hephæstion, Alexandri M. amicus, adde: Eundem in Divos extulit Alexander, per quem somnia immitti, curationes fieri & oracula reddi, creditum esse, refert Lucianus. Ut enim aliqua divinitatis auctoritate istiusmodi Deorum Paredri (quo nomine dicebantur, qui beneficio Principis, aut propriæ virtutis merito, in consortium Deorum erant recepti) censerentur, talia illis vulgò adscribi solebant. V. Salmasium *ad Spartianum in Hadriano*, Vossium *de Idol. l.1. cap. 25.* & infrà ubi de *Paredris.*

Hephæstion, Gramm. adde: Inter Græcos Grammaticos, quos Verus Imperator audivit, memoratur Julio Capitolino; extatque ejus etiamnum de *Re Metrica* elegans libellus. Salmasius *ad l.*

Hephæstion, seu *Hephæstium*, Græcè Ἡφαίστιον, quasi τὸ ἱερὸν Ἡφαίστου, *templum Vulcani*, uti hanc urbem vocat Scylax in *Periplo*, urbs Lyciæ prope Chimæram, est Plinio *lib. 6. cap. 27.* *Mons Chimæra noctibus flagrans*, Hephæstium *civitas, & ipsa sæpe flagrantibus jugis.* Et Solino *cap. 39.* *Et quoniam natura subest ignea, Vulcano urbem proximam Lycii dicarunt, quam de vocabulo numinis sui* Hephæstiam *vocant.* Sed ultra Tauri promontorium, quod est contra Chelidonias, in parte Pamphyliæ, longè utique à Chimæra, illud *Hephæstion* alii ponunt: & quidem in *Hephæstiis* montibus, de quibus V. suo loco, & plura hanc in rem apud Salmasium *ad Solinum p. 801.*

Heptamyxos Lucerna, apud Hegesippum *lib. 5. c. 10.* *Lucerna, quæ super candelabrum ponitur, antè sub modio erat, idest sub legis mensura, nunc est sub gratiæ plenitudine*, heptamyxo *frequens lumen effundens*; ut δίμυξος, τρίμυξος, est lucerna septem *myxos* seu *nares*, ut alii vocant, habens. Candelabra enim antiquitus fiebant, ut plurimis loculis insertas candelas capere possent. V. Gronovium *Observ. in Scriptores Eccles. cap. 22.*

Heptas, Græcè ἑπτάς, *septenarius*, quòd nihil gignit, par virgini perhibetur, usque adeò ut & *Pallas* dicatur. Unde coronam Virginitatis seu diadema virginale constare ex *heptade* radiorum, *ac maximè, in medialis gemmæ lumine prænitere*, ait Martian. Capella *lib. 1. 2. & 7.* V. quoque Macrobium *in Somn. lib. 1. c 6.* Hieronymum *Epist. lib. 2. Epist. 19.* Cat. Paschal. *Coronar lib. I. c.6.* & plura de hoc numero hic passim, in vocibus *Hebdomas, Septem, Septimana.*

Heptaticus, in Ord. Rom. *In septuagesima Paschæ ponunt* heptaticum

ticum, *usque in quintam decimam diem, ante Pascha*: & *Eptaticus*, in *Poem.* Alcuini præfixo *Bibliothecæ* seu *Libris sacris*, edito *lib.* 2. *Commentar. Bibl. Cas. pag.* 406.

Eptaticus enim librum decurrit in istum,
Quem Ruth consequitur femina clara satis;

corruptè pro *Heptateucho*, seu tomo S. Bibliorum, continente Pentateuchum Moysis & sequentes duos libros Josuæ & Judic. In hunc commentatus est Gregorius M. quem tractatum à Successore ejus Stephano II. Cantorum Scholæ donatum fuisse, tradit Guilielmus Bibl. apud Torrigium *de Cryptis Vaticanis*, laudatum Dominico Macro *in Hierolexico*. V. in voce *Heptateuchus*.

Her, ex Græco χὴρ, apud Calpurnium,
— *spinosi corporis herem*:
idem cum echino seu erinacio est, quas voces vide.

Hera, V. suprà *Æra*, & *Era*. Sed & in Bibliotheca Thuanæa habetur vetus Canonum Codex, qui in sectiones vel capita dividitur, quæ *Heræ* appellantur: ubi interdum HR per contractionem scribitur. Similiter in veteri forma celebrandi Concilii provinc. apud Mabillonium, Conciliorum Canones per *Heras* laudantur, *p.* 458. 459. Faustus Rejensis *Epist.* 6. *per crucis enim signum & per sacrum Jesu nomen apud Græcos*, Hera *utriusque supputationis imprimitur. Capitula ad L. Alem. c.* 27. *Si litus fuerit in Ecclesia & in* heris *generationis dimissus fuerit*, 13. *sol.* — *componat.* Ubi *Hera Generationis* videtur appellari series ipsa generationis, ut tam ipse, quàm filii, & nepotes libertatem consecuti fuerint, &c. V. Car. du Fresne in voce *Æra*.

Hera Diana, apud Johann. Sarisberiensem *l.* 2. *c.* 17. Luna dicitur seu *Noctiluca*.

Heraclammon, duorum Numinum, *Herculis* & *Ammonis*, appellatio in unum conflata; sicut *Bessantinous*, *Hermammon*, *Hermathena*, *Hermeraclas* &c. Salmasius *ad Spartian. in Hadriano*.

Heraclas Presbyter, ἀνυπόδητος, per complures annos nudipes incessit, à vino aliisque ad vitam necessariis in tantum abstinens, ut in vitæ discrimen incideret: pallium quoque Philosophicum, quo, qui puriore & exactiore normâ Christi fidem colebant, tum utebantur, gestavit &c. Eusebius *Histor. Eccl. l.* 6. *c.* 3. & 10. V. Salmasium *Not. ad* Tertullianum *de Pallio cap.* 1.

Heraclea, Thraciæ urbs, adde: Nomen *Perinthi* hodieque lapidi insculptum, in Ecclesia Cathedrali Græcorum hujus urbis, cernitur; Sed jam iterum antiquum *Heracleæ* nomen, quod sub posterioribus Impp. resumsit, servat. Fuit autem *Inscr.* modò indigitata facta in honorem Severi Imp qui urbem Byzantium hujus urbis imperio subdiderat, in pœnam partium Pescennii Nigri pertinaciter nimis defensarum. Jac. Sponius *Itinerar. Part. I. p.* 217. & *seqq.*

Heraclea, apud vet. Interpretem Alexandri Jatrosophistæ *Passion. l.* 2. ubi de ligaturis & characteribus, *Aliud de Lapide medicamentum: sculpens in eo* Heracleam *rectam suffocantem leonem, includens in annulo aureo & dabis ad utendum in digito & sanus erit*, statua Herculis est. Cujusmodi fortè gemma est, quam servat Gazophylacium Canonicorum Regular. S. Genovefæ Paris. in qua sculptus *Hercules leonem suffocans*, cum hisce characteribus lat. malè formatis, CKYAΘPON; quam propediem cum aliis rarioribus ejusdem gazophylacii monumentis publicabit *C. de Moulinet*, Ordinis Procurator Gener. uti habet Car. du Fresne *Glossar.*

Heracleo, pro *Heracleopolis*, quod vide, & de ejusmodi urbium appellationibus, apud Recentiores passim occurrentibus, Salmasium *ad Æl. Spartianum in Hadriano.*

Heracleotica Nux, eadem cum Pontica, ab urbe Ponti *Heraclea* de qua suo loco, V. Theophrastum *Histor. lib.* 3. *c.* 2. ubi τῆ ἡρακλεωτικῶν solidum ac densum putamen esse dicit, alibique passim. Διὸς βάλανος Græcis dicta est, uti pluribus docet Salmasius *ad Solinum p.* 602. V. infrà in voce *Nux*. De *Heracleotico* verò Nili ostio, eundem Salmasium *p.* 477 & *seqq.* ubi principalem Nili alveum circa ostia *Canopicum* & *Heracleoticum* vocatum esse, probat.

Heraclianus, Dux Gallieni, post interemptum Odenatum, ad seram nimis vindictam contra Persas missus, à Palmyrenis victus est. Treb. Pollio *in Gallienis.*

Heraclidarum Descensus, seu Reditus, nota celebris & character temporum est in antiquis Chronicis, à quo initium plerique faciunt historiæ veræ. Unde Ephorum Cumanum, cùm res publicè gestas scribere instituisset, veteribus fabulis omissis, τὰ ἀπὸ τῆς Ἡρακλειδῶν καθόδου πεπραγμένα συνταξάμενον ταύτην ἀρχὴν ποιήσασθαι τῆς ἱστορίας, *illa, quæ ab* Heraclidarum reditu *facta, collegisse, hocq; initium fecisse historiæ suæ*, legimus apud Diodorum *l.* 4. ubi Callisthenem & Theopompum ejus exemplo pariter abstinuisse à priscis fabulis, addit. Sed in diversa tempora conjicitur ab Historicis hæc epocha: fortè quia τῆ Καθόδου conatus etiam irriti id nomen à nonnullis tulerunt, uti conjicit Scaliger *in Eusebianis*, qui 4. nobilia intervalla, inter cladem Ilii & primam Olympiadem, notans, quibus tanquam metis designari tempus à vett. Chronologis, Herodoto, aliis, observavit, primam locat Ἡρακλειδῶν καθόδου, à Troja capta LXXX. ann. Certè *Heraclidæ*, mortuo Eurystheo, à quo Peloponneso pulsi fuerant, cùm primò reditum conantes cæde Hylli ausis excidissent; postea rursum sinistrà eundem conatum retentassent; tertia demum vice, Tisameno in Peloponneso imperante, destinata perfecerunt. De quo ultimo & vero reditu sic Vellejus *l.* 1. *c.* 1. & 2. *Post Orestis interitum, filii ejus Penthilus & Tisamenus regnavere triennio. Tum fere anno octogesimo post Trojam captam, centesimo & vigesimo, quàm Hercules ad Deos excesserat, Pelopis progenies, quæ omni hoc tempore, pulsis* Heraclidis, *Peloponnesi imperium obtinuerat, ab Herculis progenie expellitur. duces recuperandi Imperii fuere, Temenus, Cresphontes, Aristodemus; quorum atavus fuerat. Eodem fere tempore Athenæ sub Regibus esse desierunt.* E quibus Temeno (cui utpote maximo natu & expeditionis principi ab aliis tota hæc res tribuitur) Argi cessere; Cresphonti per sortem Messene. Aristodemus ipse jam fulmine perierat: igitur filii ejus gemini Procles & Eurysthenes Spartâ potiti sunt, à quibus familiæ duæ Regiæ Spartan. sunt ortæ, V. Pausan *Laconic.* & C. Nepotem *Agesilao*. Consentiunt in tempore reditus Vellejo Thucydides, Plutarchus, Tatianus. Quos inter recentiores secuti sunt Scaliger, Calvisius, Alii: quam in rem V. plura apud Anton. Thysium JC. *Not. ad Vellej. Paterculum d. l.*

Heraclitæ, Hæretici, qui, *Heraclium* auctorem sequuti, conjugium damnabant, & infantes Regnum Dei consequi inficiabantur, 24. *quæst.* 3. *can.* 39. apud C. Macrum *in Hierol.*

Heraclitus, missus à Severo Imp. *ad obtinendas Britannias*, memoratur Spartiano in *Severo*: in *Vita* Pescennii tamen idem Auctor *Bithyniam* habet, Casaub.

Heraclius, Imp. adde: De nummo adulterino Heraclii, medallione videlicet insigni aureo, adeptæ ab eo crucis, à Persis, atque in urbem Regiam relatæ, historiam referente: de nummis item Constantini & Constant. ex familia *Heracliana*: porrò de nummis ejusdem familiæ Τρικέφαλοις seu *tricipitinis*, V. C. du Fresne *Dissert. de infer. ævi Numism. num* 65. & 72. ubi etiam de *Heraclio* Parente, *Heraclio* Juniore, qui, & *Constantinus* nuncupatus, diebus tantùm 103. post patris excessum imperavit, pater Constantis; quo genitus Constantinus Pogonatus, *Heraclius* & Tiberius II. varia, V. quoque infrà, ubi de nummis *Tricipitinis*.

Heraclius Lapis, Græcè Ἡράκλεια λίθος, apud Ptolomæum, lapis est, qui ferrum trahit, quemque posteriores Græci μαγνῆτιν λίθον, *Magnetem*, appellarunt; contra vetustiorum consuetudinem, qui eum lapidem, qui ferrum trahit, Ἡράκλειον λίθον, *Heraclium lapidem*, perpetuò appellantes, à Magnete eum separarunt: hoc nomine intelligentes lapidem argentei nitoris, qui in vascula tornabatur, uti discimus ex Theophrasto *Comment. de Lapp.* & Hesychio, quorum hic, Μαγνῆτις, inquit, λίθος, αὕτη πλανᾷ τὴν ὄψιν ἀργυρῷ ἐμφερὴς οὖσα, ἡ δὲ Ἡρακλεῶτις τὸν σίδηρον ἐπισπᾶται. Interim & *Heraclius lapis*, Μαγνῆτις & Μάγνης dici potuit. Uti enim ab *Heraclea* Lydiæ urbe, *Heraclius*, ita à Magnesia, ejusdem regionis urbe, Μάγνης vocitatus est: Sed & nascebatur quoque in Magnesia Europæa Macedoniæ contermina. Unde factum, ut, cùm primùm Μάγνης λίθος propriè *Magnesiarum lapidem*, denotaret; postea eo nomine censeri cœperit omnis lapis hujus generis, etiamsi patriam non haberet Magnesiam. V. Salmasium *ad Solinum p.* 1102. & *seqq.* & infrà ubi de *Magnete*.

Heræi Ludi, Argis olim in laudem τῆ Ἥρας *Junonis*, celebrari soliti, memorantur Livio *l.* 27. *cap.* 30. ubi de curatione eorum ad Philippum delata.

Heraldus, adde: Nicolaum item Uptonum *de Militari officio lib.* 1. *cap.* 12. Auctorem libri Gall. *Herand de la Guerre*, editi Parisiis A.C. 1610. Columberium, &, qui primo loco dicendus erat, Phil. Jac. Spenerum Opere illustri *de Arte Heraldica I Is. Vol. in fol.* Francofurti impresso.

Heras, Medici nomen, apud Martialem *lib.* 6. *Epigramm.* 78.

Herba, antiquis *Ferba*, à φέρβω Æolico, pro φορβὴ, Hebr. עשב boum enim pabulum est. Dan. *cap.* 4. *v.* 29. *herbâ, ut boves, te cibabunt.* Et *v.* 30. *Herbam, boum instar, comedebat.* V. Sam. Bochartum *Hieroz. Parte prior. Lib. II. c.* 31. Sed & priscis Ægyptiis *herbas* ac palustres caules radicesque, quas gustu experti comprobassent, in esum placuisse, ac proin, in prisci victus memoriam, eâ herbâ, quam *gramen* dicunt, manibus decerptâ, Deos orare ad suam usque ætatem solitos, refert Diodorus *lib.* 1. *c.* 4. Hinc in coronas quoque adhibita, quibus victi victores donabant, Pindarus *Pythior. od.* 4. Accius in *Meleagro*, *Gaudent, currunt, celebrant, herbam conferunt, donant, tenent; pro se quisque cum corona clarum connectit caput* &c. Erat nempe hæc *herbæ* traditio confessio ejus, qui victus esset in loco herbido. Ipsam Obsidionalem Romanorum, non ex gramine solùm, sed ex omni *herbæ* genere, necti consuevisse, colligitur ex Plinio *lib.* 22. *c.* 6. *Nulla ergo herba fuere certæ in hoc honore, sed quæcunq; fuerant in periculi sede, quamvis ignobiles ignotæq;, honorem nobilem faciebant.* Unde mos, in investituris prædiorum terrarumque, medio ævo, *herbam* surpandi tradendique, fluxisse videtur, uti diximus suprà, in voce *Cespes*. Nominatim certè investituræ *per herbam & terram* qui cespes est, mentio occurrit in *Formulis* incerti Auctoris

*cap.*20. Et in *Consuet.* Hanoviensi, cùm apparitor feudum Vassalli pignori capit, *herbam & wasonem* de terra eruit, apud C. du Fresne ubi de *Investitura*. Aliud est *herbas dare*, in *L.* Salica *tit.* 21. §. 1. *Si quis herbas alii de terit bibere & mortuus fuerit.* Hic n. veneficio seu veneficis potionibus alicui vitam vel mentem auferre, phrasis notat. Venenorum enim plura sunt genera. *aliud ex radicibus herbarum contrahitur* &c. Quintil. *Declam.* 350. Claudianus *in Rufinum lib.* 1.

> —— *Nec me latuere fluentes*
> *Arboribus succi, funestarumq; potestas*
> *Herbarum* ——

Cujusmodi proin *herbas super se habere*, vetantur campiones, *in L. Longob. l.* 2. *tit.* 55. §. 11. V. Car. du Fresne *Glossar.* Transiit ad fucum *herbarum* usus, sequiori ævo, & *formæ gratiâ* —— *in corporibus suis aliquas exterarum gentium illos herbis, advertis animum,* Plinius *l.* 22. *c.* 1. qui herbis quoque *infici vestes* consuevisse, notat *cap. seq.* ut de usu Magico nil dicam, de quo præter id, quod dictum, multa habet idem Plinius *l.* 1. *c.* 17. *toto* &c. Hinc *Herbaria* Ars, quam à Chirone inventam, apud eundem legas *l.* 7. *c.* 56 & *Herbarii*, Scriptores qui περὶ τ̃ βοτανῶν, *de Herbis*, aliquid memoriæ prodidere, quales complures jam olim inter Græcos Latinosque fuere, eidem memorati *l.* 25. *c.* 2. Postea *Herbarii* dicti sunt ῥιζοτόμοι seu βοτανολόγοι, qui Medicas herbas legebant vendebantque, ut ex Firmico discimus, V. Salmasium *ad Solin.* p. 1051. Primi verò pinxere *Herbarum effigies atque ita subscripsere effectus*, Cratevas, Dionysius & Metrodorus, teste Plinio, ubi supra &c. Plura hunc in rem vide apud eundem *toto hoc libro*, præterea Theophrastum & Dioscoridem, ex medii & recentioris ævi Scriptoribus, Constantinum Imp. περὶ Γεωργικῶν, Matthiolum, Tabernæmontanum, Salmasium *ad Solinum*, Alios: ut & hic passim.

Herba Medica, Gallis *Sainfoin*: Chaldæo Interpreti apud Hiobum *c.* 6. *v.* 5. *an mugiet bos ad farraginem suam*, אספסתא *Ispasta*: Arabicè *Ratba*, cùm est recens, & *Cath*, cùm est arida, Plinio sic describitur *l.* 18. *c.* 16. *Medica externa etiam Græciæ, ut à Medis advecta per bella Persarum, quæ Darius intulit: sed vel in primis dicenda. Tanta dos ejus est, cùm uno satu amplius, quàm tricenis annis, duret. Similis est trifolio, caule foliisq; geniculata: quidquid in caule assurgit, folia contrahuntur. Unum de ea & cytiso volumen Amphilochus fecit conjunctum. Solum, in quo seratur, elapidatum purgatumq; subigitur Autumno, mox aratum & occatum integitur crate iterum & tertium —— lta praeparato seritur mense Majo —— Secatur incipiens florere & quoties refloruit. Id sexies evenit per annos, cùm minimùm, quater. In semen maturescere prohibenda est, quia pabulum utilius est, usque ad trimatum. Dari non ad satietatem debet. Et viridis utilior est.* V. quoque Theophrastum *Hist. l.* 8. *c.* 8. Columellam *l.* 2. *c.* 11 Dioscoridem, Alios: è quibus Dioscorides, *Medica*, inquit, ἐστὶ μὲν ἀρχὴ φυομένη παρόμοιος τῷ τριφύλλῳ ..., *Medica, cùm recens prodit, similis est trifolio pratensi: at cùm assurgit, foliis fit angustioribus.* Aristoteli si credimus *Hist. l.* 3. *c.* 21. Medica herba si vaccis detur, & reliquis animalibus, quæ ruminant, copiam lactis extinguet. Contrà Sotion *in Geoponicis lib.* 17. hac herba nutritas boves lactantes plus lactis habere, affirmat. Certe apud Ælianum *Hist. l.* 12. *c.* 11. bos Onuphis in Ægypto ... Μηδικῆς, *herbâ Medicâ pascitur*; quâ sacro bovi saginando nulla aptior crederetur. Sam. Bochartus *Hieroz. Pars prior. l.* 2. *c.* 31 *De herba Paradisi*, V. in voce *Folium*, item *Malabathrum*, de *Herba Sabina*, infrà in hac voce.

Herbatica Animalia, apud Vopiscum *in Probo*. *Venationem in Circo amplissimam dedit, ita ut populus cuncta diriperet. Genus autem spectaculi fuit tale: Arbores validæ per milites radicitus vulsæ connexis longe lateq; trabibus affixæ sunt, terra deinde superjecta, totusq; Circus ad silvæ consitus speciem, gratia novi viroris effrondnit. Immissi deinde per omnes aditus Struthiones mille, mille cervi, mille apri, mille damæ, ibices, oves feræ & cætera herbatica animalia, quanta vel ali potuerunt, vel inveniri. Immissi deinde populares, rapuit quisq; quod voluit* &c. sunt, quæ Græcis φυτοφάγα dicuntur. Cujusmodi animalia populo diripienda primus legitur exhibuisse Heliogabalus, *boves, camelos, asinos & cervos, Imperatorium id esse* dictitans, apud Lampridium; cum ante ipsum, qui Consulatum inibant, mitterent in populum nummos aureos argenteosque, vestem, gemmas, margaritas, tabulas pictas; *mancipia* etiam, *jumenta atque mansuetas feras*, ut Nero apud Suetonium: Sed sic, ut tesseræ harum rerum animaliumque nominibus inscriptæ raperentur à popularibus, dein singulis daretur in manum, quod tessera cuique rapta adsignabat, sive illud animal esset, sive mancipium, sive vestis, sive aliud quid. Ut autem nemo ante Alagabalum boves ipsos & asinos & mulos cœteraque id genus *animalia herbatica* populo objecit diripienda: sic venationis hoc genus, quod *Sylva* dicebatur, item *Direptionis venatio*, sub Impp. recentioribus exolevit, neque à Constantino M. usque ad Justinianum aliosque sequentes, alia in usu fuere missilia ac sparsiones Consulares quam aureorum, argenteorum & æreorum numismatum. V. Salmasium *ad Vopiscum l. c.* & infrà in voce *Sylva*, quam cum *Pancarpo* malè nonnulli confundunt.

Herbertus Eduardus Baro *de Cherbury*, Anglus, peculiari libro probare conatus est, omnes Religionis ad salutem necessariæ partes absolvi quinque his articulis: *I. Esse Deum. II. Illum debere coli. III. Virtutem cum pietate conjunctam præcipuam partem esse cultus divini. IV. Horrere scelerum atque pœnitentia. V. dari fore post hanc vitam præmia ac pœnas.* V. librum ejus de *Religione Gentil.*

Herbidæ Vestes, memoratæ Cypriano *Lib. de disc. & hab. Virg.* cùm ait, *Neque enim Deus coccineas aut purpureas oves fecit, aut herbarum succis, id est, virides, seu carinas & conchyliis tingere colorare lanas docuit:* a colore haud dubie nomen habuere Anteadem cum Earinis, vestibus viridis coloris & verno tempori convenientissimis? V. *ibi.* Fuere autem in Græco usu, ut Constitutio Syracusanorum docet, quæ floridas vestes penitùs prohibuit, apud Phylarchum *Hist. l.* 24. Neque minus lex Atheniensium, quâ scorta jubebantur ἀνθινὰ φορεῖν, *vestes floridas ferre.* Non enim mollitiei suspicione hic vestitus caruit: quare Liber Pater iis indutus introducitur apud Diodorum Siculum *Bibl. l.* 5. Et delicatiores Romæ plerunque eo indumento velabantur. Papinius Statius *l.* 2. *Sylv.* 1. *v.* 137.

> —— *Modò puniceo velabat amictu,*
> *Nunc* herbas *imitante sinu, nunc dulcè rubenti*
> *Murice, nunc vivis digitos accendere gemmis*
> *Gaudebat.*

Martialis *l.* 5. *Epigr.* 24.

> Herbarum *fuerat indutus, Basse, colores,* &c.

Interim & Reges Persarum sic indutos fuisse, docet Athenæus: hodieque in Anglia, ubi hyems frigora sua remisit, & lætiori facie terra aperitur, Rex totusque Procerum ordo venatum proficiscens hoc indumenti genere utitur, neque minùs, quàm saltus ipsi ac campi, virescit aula. Fluvii quinetiam pene sic ornabantur olim; Unde Ausonius *Idyllio* 3 *sive Mosellâ*, *v.* 270.

> *Caeruleos nunc Rhene sinus, hyaloq; virentem*
> *Pande peplum.*

In calceis quoque *Herbidum* hunc colorem quibusdam arrisisse, discimus ex Martiano Capella, *de Nupt. Mercurii & Philologiæ lib.* 1. *Cæteros autem smaragdinea fluctu viriditatis herbosos, vestigiis ejus annexuit,* &c. V. Thom Dempsterum *Paralipomenis in Joh. Rosini Antiqq. Rom. lib* 5. *cap.* 31. Barthium *ad Statium d. l.* & *lib.* 2. *Sylv.* 2. *v* 90, ubi *herbidum* colorem, à *viridi*, distingui, ex Martiano Capella *l. c.* & non solùm hunc, sed varium quandoque colorem, ad viridem tamen magis spectantem, eâ voce denotari, ex Sidonio, Prudentio, Aliis, docet &c.

Herberna, adde: Horæ spatio expedito viro Meridiem versùs, à Dilleburgo distat, inter Dillam ad Orientem & assurgentes ad Occidentem colles porrecta, nomen accepit an à fonte (*born* enim Germanis *fontem* notat) quo Dynastæ olim delectati, an a salubri & peculiari Dei munere concessa aqua. Namque & his temporibus circa A. C. 1650. inter aridos ad Solem occiduum colles, scaturigo multiplici venâ erupit, multorum ex periculosis morbis & à cæcitate ad sanitatem revertiorum experimento comprobata, quam egregio carmine prosecutus est Cyr. Lentulus. Emporium est non incelebre, mercatu septendiali; præterea ternis in biduum nundinis, vernis, autumnalibus & hyemalibus, stridens: Sed Gymnasio, in quo Theologiæ inprimis hactenus studium viguit, clarius. Cum Sigena, Beylstenio & aliis ultra Lanum locis, sortitò obtigit Othoni, primo Comiti Dillenburgico, qui sedem in hac arce fixit A. C. 1250. filius minor natu Henrici cognom. *Divitis*, frater Walravii, cui Weisbada, Weilburgum & Idstenium obtigere. Sed in nepotibus Othonis Beylstenium à Dilleburgo avulsum est. Sequentibus temporibus, Johannis cognom. *Senioris* (qui, frater minor natu Guilielmi Auriaci, patri Guilielmo in ditionibus Germanicis successit) hæreditas ita inter filios ejus divisa est, ut maximo natu Guilielmo Ludovico, Frisiæ, Groninga, Tencterorum & Tubantum Præfecto, Dillenburgum, adjectis *Herbornâ*, Dringensteinio, Ebersbachio & Hagero, Johanni Sigena: Georgio Westerwaldia, Ernesto Casimiro Dietza & Nassovia; Johanni tandem Ludovico Hadamaria obvenirent, sicque Dillenburgensis Comitum Nassoviæ linea in quinque ramos dispesceretur, A. C. 1606. Quorum primo sine liberis defuncto, cum successioni ejus Johannis Sigenensis liberi destinarentur; factum tamen vel morientis testamento, vel superstitum fratrum conventione, ut, ne patrimonium amplius & Schola *Herbornensis* in illorum manus veniret, qui Religionis Reformatæ jacta in illis locis fundamenta labefactare possent, Georgii filius Ludovicus Henricus (hac tamen conditione, ut Westerwaldiâ & Beylstenio, quod itidem pater acceperat, cederet) primogeniti locum, Guilielmi Ludovici ex asse hæres, occuparet, V. de eo supra. Theologi, qui in illa urbe hoc Lyceo floruere, ab A. C. 1584. fuere, Doctor Caspar Olevianus, Trevirensis; Mag. Joh. Piscator Argentinensis; M. Jodocus Nahumius Palatinus; Matthias Martinius Waldeccensis, quem postea Schola Bremensis Rectorem nacta est; Johannes Heidfeldius Waltorffensis, Sphinge edita celebris; Guilielmus Zepperus *Herbornensis*; Johannes Bisterfeldius *Lunæburgensis*; D. Hermannus

mannus Ravenspergerus, Groningâ Frisiorum huc vocatus; Georgius Pastor, Ellariâ Hadamariensis, Groningam vicissim ad docendum hinc evocatus; Joh. Jacobus Hermannus, Argentinensis; Ernestus Nolde nobilis Livonus aliique editis scriptis & pietate clarissimi. Etiam Jurisconsulti non incelebres Gymnasium hoc illustrarunt, præter alios Johannes Gœddæus J.U.D. VVestphalus, in Academiam dein Marpurgensem vocatus; Doct. Joh. Althusius, VVitgenstenius, Juridicis & Politicis scriptis clarus, Emdæ postea Syndicus; Doct. Antonius Matthæus Marpurgensis, in Patriam inde revocatus, Phil. Henricus Hoenonius J.U.D quem scripta, & Cæsaris, Nobilium ordini eum inferentis, favor, celebrem fecere; ut alios omittam. Nec Medicinæ illustrandæ defuere, Johannes Pincierus Hassus, Poeta insignis, Marpurgum *Herbornâ* invitatus; Joh. Matthæus Marpurgensis, alii. Philosophiam tandem ibidem non sine laude docuerunt, Hieron. Treutlerus Silesius, Marpurgi exin Professor & Rodolfo II. Imp. à consiliis: Doct. Otho Melander Matthiæ Imp. itidem à consiliis; Mag. Henricus Gutberlethus Hersfeldensis, Hammensis postea Scholæ in VVestfalia Rector; Joh. Henricus Alstedius Ballersbacensis ex *Herbornensi* districtu eruditione & scriptis, Encyclopædiâ inprimis suâ, celeberrimus; Mag. Philippus Lud Piscator; &, qui extra ordinem docendi hic munus subierunt M. Gilbertus Jacchæus Aberdonensis Scotus, quem Lugduno-Batavi pretio superiores sibi vindicarunt; ac Mag. Haloinus Gothofredus Ultrajectinus. Hodie docendi munere funguntur: in Theologia, Doct. Joh. Heinius Gutenbergâ Hassus, operi in Feurbornium intentus, & Conradus Posthius *Herbornensis*. In Jure Philippus Daumius, Dillenburgensis, in locum Cunonis, Heidelbergam evocati, suffectus; & D. Jacobus Burckhardus Basiliensis, Principi à Consiliis ac in Patria Academia Institutionum Professor designatus. Medicinam feliciter facit Lud. Christianus Cnopius, aliàs *Blanckenpot*, Herbornensis. Philosophiam cum laude docent Cyr. Lentulus Politices Profess. & *Principum Nassov. Genealogiæ proximè edendæ* (unde ista hausimus) Auctor, Joh. Philippus Schmid, VVetteravus, Ethicam & Metaphysicam prælegit, Godofridus Heidfeldius Nassovio-Tridorffianus Historias & Græcam Linguam profitetur, Justi Henrici, Nassovicæ Domus Consiliarii, frater. Quibus extra ordinem accessit haud pridem Joh. Jacob. Gantenstuilerus, Basiliensis, L. A. tum Mag. & Logicæ Professor: postea Hanoviam, & anno proximè elapso, in Academiam Duysburgensem, à Serenissimo Electore Brandeburgico ad Theologiam docendam, vocatus &c.

Hercia, apud Bernardum Mon. *in Consuet. Clun. MS. cap. 77. Pallia super altare non ponuntur, & hercia non illuminatur*: candelabrum est, in modum orcæ seu trigoni, Gall. *herce*, confectum. Sic apud VVilhelm. *Thorn. p. 2152. Hercia*, candelabrum est luminibus instructum variis, quod ad Cenotaphii caput erigi solebat. V. du Fresne *Glossar.*

Hercitæ, servorum genus, qui in agris versabantur, apud Vett. V. Alex. ab Alexandro *Genial. Dier. l. 3. c. 25.*

Herctum, vox antiqua, hæreditatem, patrimonium, bona, denotans; ab *hercto* quod & *forctum* & *horctum*, & *erctum*, pro bono. Unde formula, *Hercto non cito*, apud vett. Jurecoss. de cohæredibus, qui hæreditatem inter se non ciebant, h. e. hæreditatem & bona defuncti non dividebant. In cujusmodi societate inseparabili vixisse omnes olim, qui à Pythagora in cohortem discipulorum suorum assumebantur, ait Gellius *l. 1. c. 9.* Et actio XII. Tabb. quæ dabatur *Hercto ciundo*, i. hæreditati dividundæ, his verbis concepta, *Familiæ, hercti, ciundæ*. Ubi *Familiæ* appellatione nobilissimam partem familiæ, quæ in servis consistebat; *hercti* verò, reliqua bona, contineri, docet Salmasius, Tribonianum, quòd loquendi hoc genus non caperet, id mutasse in *Familiæ herciscundæ*, qui titulus in *Digestis* occurrit & familiæ id esse dividendæ putavisse, addens, *ad Solin. pag.* 1262. & 1263. V. quoque suprà in voce *Consortium.*

Herculaneæ Machæræ, apud Jul. Capitolinum in *Pertinace Imp.* ubi de auctione rerum Commodi, *Et toga armaq; gladiatoria — & macharas* Herculaneas, *& torques* &c. enses sunt iis similes, quos Pictores & Poetæ Herculi tribuunt; nam & Commodus *alter Hercules* haberi voluit. Alioquin *Herculaneus gladius* magnus est, ut Ἡράκλεια νόσος, i. μεγάλη, interprete Galeno. Sic *Lanceæ Herculaneæ* in *Claudio II.* apud Trebellium Pollionem. V. Casaubonum *Not. ad Capitolinum.*

Herculeæ Idus, Idus Octobres à Commodo Imp. dictæ, qui cùm nova nomina cuique mensium imposuisset, Octobrem *Herculem* vocasse legitur, apud Lamprid. *Commodo*, V. Salmas. *ib.*

Hercules, adde: A ceto devoratum, in ejus ventre aliquandiu delituisse, Lycophron ait, — ὅν ποτε γνάθοις

Τρίτωνος ἠμάλαψε κάρχαρος κύων κτλ.

— *eri quem quondam sui*

Consi voravit campe manduces canis &c.

Triduum habet Theophylactus *Commentar. in Jonam*, ubi historiam hanc ad Servatorem nostrum detorquet. Aliter Flaccus *Argonaut. l. 2.* aliique. Certè ex sacra Jonæ historia occasionem fabulæ huic inter Græcos datam, docet Vossius *de Idol.* V. quoque quæ suprà diximus, ubi de *Cane Carcharia* &c. Ejus simulachrum ex ferro, Alconis opus, memoratur Plinio *l. 34. c. 14.* ut &, Antæum sustinentis, ex ære; Idem *Herculem tselitem, l. 35. c. 12.* marmoreum, Menestrati, alium Dipœni ac Scillidis opus, *lib. 36. cap. 5.* item tristis insaniæ pœnitentia pictam effigiem, *lib. 35. cap. 11.* &c. habet. Communiter substrato pallio in cubitum nixum consuevisse fingi, observat Barthius ex *Lapithis* Luciani, Ἐς δὲ χαμεύνας, χαμαὶ καὶ τὸν τρίβωνα ὑποβαλλόμενος, κείμενος ἐπ' ἀγκῶνος, οἷον τὸν Ἡρακλέα γράφουσι. Quò alludit Statius *lib. 3. Sylv. 1.* cujus tit. *Hercules Surrentinus Pollii Fel.*

Hic tibi Sidonio celsum pulvinar acantho
Texitur, & signis crescit torus asper eburnis.

Ad quem locum V. præfatum Barthium, qui ad eundem Poetam de *Hercule* plurima egregia passim aspergit. Inde *Herculaneus nodus*, seu *Herculeus*, memoratus Plinio *l. 28. c. 6. Vulnera nodo Herculeo præligare, mirum quantum ocyor medicina est. Atq; etiam quotidiani cinctus tali nodo vim quandam habere utilem dicuntur: quippe cùm Hercules eum prodiderit.* Græcè Ἡρακλεωτικὸν ἅμμα, seu Ἡράκλειον, quod Athenagoras in *Apol.* & Oribasius describunt. Eo cingulum inprimis Sponsarum Romanarum, ex ovilla contextum lana, necti solitum, quod Heros ille fœcundissimus ab omnibus creditus esset, discas ex Alex. ab Alexand. *Gen. Dier. l. 2. c. 5.* & Jul. Cæs. Scaligero *Poetices l. 3. c. 101.* &c. Plura v. *de Hercule*, V. apud Gerh. Jo. Vossium *de Idol. lib. I. & II.* passim, uti de *Herculis stella*, quæ eadem ac *Martis, lib. 2. c. 33.*

Herculis varia cognomina.

Ægyptius, *Gigon* vel *Gigon* vocatus: qui duplex, unus Osiridi æqualis, alter Josua seu Hercules Cananæus. V. Vossium *d. op. l. 1. c. 27.*

Ἀλεξίκακος.

Ἀπόμυιος, à Romanis cultus.

Cananæus, idem cum Josua.

Caranus, & *Recaranus*, sub Aventino Inventori patri dedicavit aram, quam *Maximam* appellavit, Auctor incertus *de Orig. urb. Rom.* ex Cassio. V. Vossium ubi suprà *l. 2. c. 15.*

Cubans, cujus simulachrum in urbis regione XIV. fuit.

Defensor, templum habuit Romæ in eadem regione; in quo, ut Jovis Propugnatoris, milites honesta missione donati, & gladiatores emeriti, arma clypeosque suspendebant.

Magnus, ædem habuit, in regione IX. quam L. Corn. Sylla ex carmine Sibyllino ædificasse dicitur. P. Victor. *ædes Herculis Magni Custodis Circi Flaminii*: idque pridiè Non. Junias.

Margusanus, V. Vossium *de Idolol. l. 1. c. 35.*

Melicarthus, idem cum Tyrio, qui & Sidone cultus, idem *ibid. c. 22.*

Musagetes, cum novem Musis repræsentatur in nummo Q. Pomponii Musæ, quem habet in suis *Emblematis* Johannes Sambucus.

Musarum Herculi, ædem condidit M. Fulvius Nobilior Censor anno U.C. 566. triennio postquam de Ætolis triumphavit, in qua Musarum signa, quæ captâ Ambraciâ Romam transmiserat, posuit, Liv. *lib. 38.* Vetustate dein collapsam restituit Marcius Philippus, Vitricus Augusti, Suetonius *in Augusto.*

Muscarius, à Romanis cultus est, sicut ab Elidis incolis Jupiter ἀπόμυιος, & à Philistæis 2. Reg. 1. 2. *Beelzebub.*

Ogmius, Gallis eloquentiæ symbolum fuit, Vossius *l. 1. c. 35. & l. 2. c. 15.*

Olivarius & Pacifer, V. Hub. Goltzii *Thesaur.*

Pollens, in *Inscr.* Interamnæ Nahartium in Umbria. V. Vossium *l. 1. c. 22.*

Prodicius, signum adolescentis in lubrico constituti, V. eundem *lib. 2. c. 15.*

Saxanus, vocatur, in marmore Tiburtino, V. infrà *Saxanus.*

Silvanus, seu Rusticus in *Inscr.* antiquis, idem cum Marte Sylvano: utrumque enim apud Pontifices eundem habitum, notat Macrobius. V & infrà.

Somnialis seu Ὀνειροπομπός, V. infra in voce *Somnialis.*

Thebanus, V. Vossium *l. 1. c. 13.* 26. & 27. & 32.

Trinoctigena. V. Casp. Barthium *ad Statium Thebaid. lib.* 5. v. 179.

Triumphalis, simulachrum habuit in Foro Boario; Cui nomen, quod iis diebus, quibus Romæ triumphus agebatur, triumphali indueretur habitu.

Tyrius, V. Vossium *l. 1. c. 34.*

Victor dictus est, quòd omne genus animalium vicerit: Ejus Romæ duæ fuere ædes, una ad portâ Trigeminam, altera in Foro Boario. Hæc ad maximam aram extructa fuit rotunda, in quam nec servi nec mulieres admittebantur. Eandem neq; canes neque muscæ intrabant, Plin. *l. 10. c. 29.* In illa quoque nullum lectisternium factum fuisse, Macrobius in *Corn. Balbo* & Servius docent. Alteram verò M. Octavius Herennius extruxit, qui primò tibicen, dein Mercator, à prædonibus circumventus fortissimè pugnavit, & victor evasit, Macrob. Plura alia Herculis cognomina vide apud Hub. Goltzium in *Thes.* Salmasius ædem *Herculis Victoris* in Foro Boario, cum æde Herculis *Triumphalis*, eandem facit *ad Solinum pag.* 10. ad quem Autorem, de hoc Gentium idolo idem plura passim.

Hercules Alter, inter cognomina Maximini Imp. à militibus ei tributa, apud Capitolinum.

Hercules Romanus, Ῥωμαῖος Ἡρακλῆς, inter titulos Commodi Imperatoris, quoties ad Senatum scribebat, apud Lampridium.

Hercules Rusticus, apud Æl. Lampridium in *Vita* ejusdem, *Habuit & hominem — quem Onon appellabat sibi charissimum, quem & ditavit & Sacerdotio Herculis Rustici præposuit*: is dicebatur, qui jungebatur cum Sylvano, quem & *Sylvanum Herculem* dicebant. *Hercules* autem & *Silvanus* sæpè conjunguntur in antiquis *Inscr.* ut HERCVLI ET SILVANO; SILVANO ET HERCVLI. Salmasius *ad l.*

Hercyna, adde: Ἑρκύνα Pausaniæ, Trophonii fil. Lebadiæ culta est. V. Livium *lib.* 45. *cap.* 27. & Pausaniam *lib.* 9.

Hereberga, seu *Alberga*, apud medii ævi Scriptores, jus *Gisti* est, quam vocem V. suprà.

Heregravius, vel *Hargravius*, apud eosdem, Comes militaris seu exercitus Dux, ut inter alia in *Chronico* Alsatiæ non semel *Heretochius*, Scriptoribus Anglicis, Saxon. Quod officium qui gerebant, gradu inferiores Vicecomitibus, *ordinabant acies densissimas in præliis & alias constituebant — eligebantur verò per commune Concilium per provincias & patrias universas & per singulos Comitatus* &c. V. *LL.* Eduardi Confess. *cap.* 35. *de Heretochiis*, apud Spelmannum *in Glossar.*

Herenachus, Dignitas Eccl. apud Hibernos hæreditaria, eadem cum Vicedomini vel Oeconomi functione. V. Henr. Spelmannum in *Glossario*, ut & in voce *Corba*

Herennianus, inter Duces, qui è Probi disciplina prodierunt, memoratur Vopisco *in Probo.*

Herennius Nepos, inter Nobiles Rom. à Severo, sine causæ dictione, occisos, apud Spartianum.

Heretum, apud Solinum *cap.* 2. ubi de oppidis in Italia, à Græcis extructis, *Heretum à Græcis in honorem Heræ; sic enim Junonem Græci vocant*: Ἡραῖον Stephano est. Vide in voce *Eretum.*

Heribannum, adde: At non exigebatur mulcta, nisi præcessisset jussio dominica: & tum pars tertia ejus ad Comitem spectabat: quam tamen ipsi exigere non licebat, sed Misso dominico, à quo is suam tertiam recipiebat. Persolvebatur autem non in terris vel mancipiis, sed in auro & argento, armis, palliis & animalibus, sive talibus speciebus, quæ ad utilitatem pertinent. Donec tandem gravissimis Normannorum ingruentibus bellis & incursionibus, indicta in Francia à Carolo Calvo ad exsolvendum, de quo convenerat, iis tributum, vectigalia & collectæ, à quibus ne ipsi quidem eximebantur Presbyteri: *Et Herbanni ab omnibus Francis accipiuntur, in Annal. Francorum Bertin. A.C.* 866. idque pro modo prædiorum, ita ut pro manso ingenuili seu servili denarius persolveretur. Unde percipitur, cur in Impp. aliquot privilegiis, pro Ecclesia Mindensi, *Bannum* sive *Heribannum* ab illius possessionibus & agris exigere prohibeantur Judices publici &c. V. du Fresne *Glossar.*

Hericius, seu *Herinaceus*, in cibis, apud Damirem, Scriptorem Arab. *cap. de Reptil.* Tum autem carnem ejus jucundam esse, si capite percusso uno ictu interficiatur, priusquam in se urinam reddat, tradit Plin. *l.* 30. *c.* 8. qui idem prolixè animal hoc describit *lib.* 8 *c.* 37. V. suprà, in voce *Erinaceus.*

Heriles Principum seu Dominorum filii, q. *minores Heri*; quos sequior ætas *Domicellos* dixit. V. Terentium in *Andria*, Prudentium *περὶ στεφάν. in Fructuoso.* Aliis: *Δεσπόσυνοι*, Xenophonti, Theophilo, Harmenopulo &c. Eodem modo *Regum Fratres* vocat Jonas Aurelianensis *Præf. ad Opusc. de Instit. reg. ad Pipinum R. Aquit.* V. supra in *Despotyni.*

Herimanni seu *Arimanni*, certum hominum apud Longobardos genus, quos immediatè subditos fuisse Comitibus ipsis, Judicibus, Sculdasiis &c. legimus in *LL.* Longobard. sub quibus in oppidis & castris militabant, invigilabantque eorum tuitioni: quasi *viri exercituum*, ex Germ. *here*, exercitus & *mann*, vir; Galli dicerent *Hommes de guerre, Hommes d'armée*: adeoque milites, beneficia ac prædia ab Imperatore concessa possidentes, vassalli minores, Goldast. Vel certè fuere ipsi villarum incolæ seu subditi, prorsus diversi à servis, cùm nulli oneri subjacerent, præterquam *Justis* & *placiti*, ex *here* dominus & *man* homo, quasi *Homines Domini*, id est, vassalli. Liberæ enim conditionis homines fuisse, certum est. Obligatio eorum eundi in exercitum, *Arimannia* seu *Arimandia*, *Feudor. l.* 5. quæ meritò inter jura Regalia ibi recensetur &c. Vide Car. du Fresne *Glossar.*

Heriperretus, apud Brovverum *Annal. Trevir. p.* 473. equus militaris, quem tres mansi collato sumtu Seniori, Curiam Imp. vel Longobardicam aliamve meditanti expeditionem, cogebantur subministrare, addito mancipio quod equum curaret. Vox Germ. est, Lat. *Domini equus*, vel *Exercitus*, i. *militaris equus.*

Herlinini Milites, apud Petr. Blesensem *Ep.* 14. per contemtum vocantur Aulici, quòd poculis potiùs, quàm gladiis, dimicent. An ab *Herlino*, Anglo, exercitus in Saracenos ductore, sed militiæ prorsus imperito? V. Car. Macrum *in Hierol.*

Hermæ, apud Corn. Nepotem *Alcibiade cap.* 3. *Accidit, ut una nocte omnes* Hermæ, *qui in oppido erant Athenis, dejicerentur, præter unum, qui ante januam Andocidis erat, Andocidisque Hermas dictus est.* Græcis Ἑρμαῖ, sunt τετράγωνοι κίονες, *quadratæ statuæ*, æneæ aut marmoreæ, sine manibus, caput humanum ostendentes, reliquo corpore rudi relicto, Mercuriumque referentes, unde nomen, quas ante januas religionis ergò positas habuerunt Athenienses. Apud eosdem singulæ Tribus in viis publicis similes statuas erectas habuisse videntur: Ut & viri de Rep. bene meriti. Ponebantur etiam in biviis, triviis & quadriviis, & in fronte scriptum habebant, quà via duceret, qua de re V. Vossium *de Orig. & progr. Idolol. l.* 2. *c.* 32. Quod primum fecisse Hipparchum, inscriptis Ethicis præceptis saluberrimis, tradit in ... Plutarchus. Sed & *Hermæ προπύλαιοι* ante portas statuebantur, quorum unum Anagniæ ictum cœlitus, refert Liv. *lib.* 27. *cap.* 5. &c. V. Hildebrandum *ad Nep.* Apud Philoxen. Ἑρμῆς ἀφετήριος, repagulum est in Stadio, quod ab *Hermulis*, (parvis hujusmodi statuis) laxabatur, inventum Tlepolemi Myrensis. Ita enim is,

Τληπόλεμος ὁ Μυρεὺς Ἑρμῆν ἀφετήριον ἦρεν
Ἰσοδρόμους θέειν ταῖς ὁ πολυκράτης κλ.

Quod inde in Circum traductum, teste Cassiodoro. Nempe transversarium lignum, inter duo arrectaria & extantia positum, quod ὕσπληγξ dicebatur, signo dato funibus laxabatur, & in lineam cavatam (quæ βαλβίς) decidens, limini januæ complanato simile existebat, quo pacto potestas dabatur currendi. Duo v. illa ligna arrectaria, quæ ἑκατέρωθεν ἐστήκει ... τῆς βαλβῖδος Hesychio, in modum *Hermarum* efformata fuere, qui fune demisso utrinque repagulum solvebant. Qua de re V. Salmasium *ad Solinum pag.* 924 ut & suprà in voce *Balbis.* Adde quæ dicemus, in voce *Mercurius.* &c.

Hermæa, Gr. Ἑρμαῖα, festum erat apud Cretenses, in quo Domini servis epulantibus ministrabant. Caristius *in Hist. Comm.* apud Athenæum *lib.* 14. *c.* 17. Idem mos apud Athenienses obtinuit, & Babylonios, apud quos durante festo *Saceas*, per 5. integros dies, servi imperabant suis dominis, & unus ex illis stolam regiam induebat. Ctesias *Annal. Persic. lib.* 2. & Berosus *Rerum Babylon. lib.* 1. Simile omnino jus in festo *Peloria* dicto, apud Thessalos; Et cui ignota Saturnalia Romanorum? V. Thom. Dempsterum *Paralipom. in Rosini Antiqq. l.* 4. Sed & in urbe Pellene Θεόξενα, vel Ἑρμαῖα, Ludos, quibus ἆθλον erat læna, memorat Salmasius *ad Solinum pag.* 849. At apud Suetonium Tranq *in Claudio Cæs. cap.* 10. *Hermæum* diætæ nomen est, seu domûs, quæ à parte familiæ Cæsareæ inhabitata videtur Casaubono, sicut de *Gelotiana Domo* retro videmus. V. quoque suprà, ubi de *Gymnasiis.*

Hermammon, duorum Numinum *Mercurii* & *Ammonis* in unum conflatum nomen, V. suprà *Heraclammon.*

Hermannus Grun, Consul Coloniensis, à duobus Canonicis leoni objectus, feram feliciter confecit, circa A. C. 1260. quo Episcopus Urbem sibi subjicere omni nisu conatus est. Georg. Hornius *Orb. Polit. Part.* 2. *cum Animadvers. Menckenii.*

Hermas, Rom. c. 16. v. 14. inter eos, qui à Paulo Apost. salutantur; quis fuerit, acriter inter Bellarminum & Baronium Purpuratos Rom. Eccl. Patres controvertitur. V. C. Macrum *Hierol.* & voce *Hermes.* In Bibliotheca Patrum habentur libri tres *Hermæ* huic inscripti, qui à Patribus Ποιμένος, *Pastoris*, nomine insigniuntur, ut videre est apud Tertull. *de Orat. cap.* 12. Origenem *Philocal. capp.* 1. & 8. *Clem.* 1. *Strom.* Alios. De cujus libri auctoritate quid statuendum sit, docent Rob. Cocus *Censur. quorundam vett. Scriptor.* & Andreas Rivetus *Critico Sacr. lib.* 1. *c.* 12.

Hermathena, adde. Collocabatur simulachrum hoc miro artificio implicatum in omnibus olim Bibliothecis, Gymnasiis & Scholis, quo Philosophiam cum Eloquentia jungendam esse significatum est. Et talem certè fuisse Philosophiam Græcorum, docet Cicero *de Orat. lib.* 3. ubi *iidem erant*, inquit, *& sapienter sentiendi & ornatè dicendi Auctores.* Nec Numinum istiusmodi mixtio infrequens erat: Sic Mercurius Herculi miscebatur; de quo V. infrà in voce *Hermeracla.* Sic Phœbus Baccho. Lucanus *lib.* 4. *de Parnasso,*

Mons Phœbo Bromioque sacer, cui Numine mixto
Delphica Thebanæ referunt Trieterica Bacchæ.

V. Georgium Hornium *Hist. Phil. lib.* 7. *cap.* 7.

Hermeas, frater Philumenæ, pro Aristide Hadriani Imp. fermè æquali, gravissimè ægrotante, mortem obiit, ut ipse Aristides narrat, *Sacrar. quinta*, V. suprà ubi *de Fatis producendis.*

Hermellina, apud Thvvroczium *in Salomone R. Hungar. cap.* 52. *Cumque attigisset veprem lancea, quædam* Hermellina *albissima mirum in modum lanceæ ejus insedit, & super ipsam discurrendo in sinum ejus usque devenit*: mus Ponticus est, Gallis *Hermine*, ab *Armenia* dictus, quòd inde ejusmodi murium pelles in Europam advcherentur; *Hermeniam* enim pro *Armenia* dixere recentioris ævi Scriptores. Car. du Fresne *Glossar.* & *Dissertat. I. ad Joinvillam.*

Hermendatum, Hispanis & Navarrenis maximè, jurisdictio-

in fures & facinorosos certa quædam & memoratu digna species est. Cùm enim inter bella tam externa, quam civilia, Magistratuum solicitudo latrociniis compescendis non sufficeret, cœpere plebeji, quorum præcipuè res agebatur, societates (Hispan. *Hermendadas*) inter se contrahere, constitutumque est, ut, quoties hujusmodi aliquod scelus à facinorosis committeretur, universi facto ad æris campani sonum concursu (*ab eris & repici de campanis, in Charta A. C.* 1452.) in illos impetum facerent, pœnas ab ipsis debitas sumturi: quæ quidem Societatum harum jurisdictio postea Regia auctoritate confirmata est. V. Oyhenartum *in Notis Vascon. l.* 1. *c.* 6. & infra, *Hussium, it. Juncta.*

Hermeraclas, ex Ἑρμῆς, *Mercurius*, & Ἡρακλῆς, *Hercules*, simulachrum erat Mercurium simul ac Herculem referens, quemadmodum *Hermathena* cum Mercurio τῆν Ἀθηνᾶν *Minervam* expressit. Indigitavit autem id commentum, cum Fortitudine facile Eloquentiam conciliari. Hinc is, qui Hercules Gallicus appellatus est, insignis Philosophus & Orator fuisse dicitur, quem proin ita effigiabant: Clavâ Leonis exuviis armatus linguam tenebat exertam, cui us è mucrone innumerabiles aureæ catenulæ prodeuntes, innumeram hominum pone sequentium turbam trahebant, Lucianus *in Hercule Gallico.* Eundem cum Mercurio sive Hermete Ægyptio plurimi commiscent, namque hic inter alia nomina, *Hercules* quoque legitur appellatus: unde nota Ἑρμαϊκὰ ἔργα, V. Georg. Hornium *Hist. Philos. lib.* 3. *c.* 12. *sub finem*, & supra in voce *Heraclammon.*

Hermes, gladiator nobilis, apud Martialem *lib.* 5. *Epigramm.* 24. quod, ejus laudibus dicatum, sic finit, alludens ad Hermetem Trismegistum, cujus summa in Philosophia scientia erat,

Hermes, gloria Martis uni versi,
Hermes, omnia solus & ter unus.

Hermochemia, Gr. Ἑρμοχήμιος (ita enim apud Steph. Byzantium in Αἴγυπτος legit Vossius) Ægyptus dicta est, quasi *Chemia* seu *Ægyptus Hermæ*. Ægyptum enim à Chamo, *Chemiam* seu *Chamiam* dictam esse, notum: *Hermes* autem sive Mercurius, maximo apud Osiridem in pretio fuit, & gentem multò accuratius loqui, variarum etiam rerum nova nomina, scribendi item legendique artificium, siderum porrò scientiam ac sacrificia tandem sacrosque ritus docuit, à quo proin terra appellata est primitus. Hesychius, Ἑρμοχυμιος γῆ ἡ Αἴγυπτος τὸ πρότερον οὕτως ἐκαλεῖτο, *Hermochamia* (scribi jubet præfatus Vossius) *terra Ægyptus primò sic vocabatur.* Et ejusdem Mercurii sepulchrum Hermupoli ostensum, refert Clemens Romanus *Recognition pag.* 110. *edit. Sommiana A.C* 1563. V. Voss. *de Idol. l.* 1. *c.* 27.

Hermogenes JC. inter Consiliarios Alexandri Sev. Imp. apud Lampridium *Hermogenianus* est, Papiniani discipulus: qui scripsit *Epitomen Juris libb.* 6. *Fideicommissorum libros* &c. Jacobus Cujacius *Observationum lib.* 2. *c.* 27. apud Jo. Calvin. *Lex. Jur.*

Hermotimus, Clazomeniis olim cultus. Tertullian. *de Anima*, *ut Hermotimum, cui Clazomenii mortuo templum consulerunt.* Nam *Hermippum*, hic perperam legi solere, monitum jam diu Paulo Leopardo *Emendat. lib.* 8. *c.* 3. Sana lectio retenta à Tertulliano ejusd. *lib. c.* 44. *Cæterùm de Hermotimo, anima, ut aiunt, in somno carebat; quasi per occasionem vagaturi hominis, proficiscente ut corpore. Uxor hoc prodidit. Inimici dormientem nacti, pro defuncto cremaverunt. Cives* Hermotimum *Templo consolantur.* Ubi repone *vacatur*. V. eundem Vossium *c.* 21. *l. cit.*

Hermunduri, adde: Eorum meminit Capitolinus in *Marco Imp. Gentes omnes ab Illyrici limite usque ad Galliam conspiraverant, ut Marcomanni, Narisci*, Hermunduri *& Quadi*, quos 4. populos Tacitus etiam jungit. Casaub. *ad l.*

Hermunii, al. *Hermanii*, species apud Aragonios *Infancionum*, quorum alii *Barones* vel *Rici homines*: alii *Mesnadarii*, alii simpliciter *Milites*, alii simpliciter *Infanciones* nominantur, uti habet Vitalis Episc. Oscensis. V. infra *Infanciones.*

Hermus, adde: Hodie verò ejusmodi auri ramenta, nec in *Hermo*, nec in Pactolo, amplius observari, notat Jac. Sponius *Itiner. Part.* 1 *p.* 301. Qui idem in egregio nummo, fluvium hunc, pro more reclinatum, innixumque urnæ aquam effundenti, cum fronde in manu & voce ΦΩΚΑΙΕΩΝ infrà (utpote qui à Phocæa urbe non procul distabat) & *Inscr.* in circuitu, ΕΠ. CΤΡ. ΑΥΡ. ΕΥΤΥΧΟΥC. ΤΟ. Β. hoc est, *sub Strategia seu Præfectura Aurelii Eutychis, quâ secundâ vice fungebatur*, memorat *Part.* 3. *pag.* 191.

Hero, adde: In vet. nummo, ab Abydenis cuso, *Hero & Leander* conspiciuntur, quorum hic fretum trajicit, illa in turre excelsa facem ostentat, cum *Inscr.* ΗΡΩ ΛΕΑΝΔΡΟΣ ΑΒΥΔΗΝΩΝ. In alio Severi Imp. latus alterum eandem historiam repræsentat, nisi quòd non *Hero*, sed loco ejus Cupido, facem effert. Memorantur ambo Jac. Sponio *Itiner. Part.* 3. *p.* 172. ubi prioris typum curioso Lectori exhibet.

Herodes, inter XXX. Romanorum Tyrannos, Odenati, ex priore uxore, filius, cum Patre accepit Imperium, homo omnium delicatissimus, cui erant sigillata tentoria & aurati papiliones & omnia Persica &c. Cui quantum Pater indulserit, quantum que infesta noverca Zenobia fuerit, V. apud Pollionem.

Herodes Atticus, adde: Marathone oriundus, patre Attico, qui Nervæ principatu, reperto thesauro, immensas opes consessu Imperatoris sibi paraverat; avo Hipparcho, seu, ut Suidas vocat, Plutarcho, qui ob avare & crudeliter administratam provinciam, bonis fuerat exutus floruit sub Trajano, Hadriano, Antonino Pio & Marco Aurelio. Extructis in Græcia pluribus ædificiis sacris profanisque, & legatis cuique Atheniensium denis thaleris, de patria optimè meritus est. In studiis egregiè versatus, eloquentiâ inprimis inclytus (cujus tyrocinia sub celebri illo Rhetore Phavorino posuerat) opera quædam reliquit, Philostrato indigitata, sed quæ temporum injuriâ periere. Etiam Consulatu functus est, collega Torquati ann. C. 143. & ducta matronâ insigni Romanâ, cui *Regillæ* nomen, in ejus memoriam Odeum Athenis extruxit, illaque defunctâ domum suam marmore nigro ex Paro inst. luctus indice, undique ornavit, templo quoque illi in suburbano suo *Triopæ* dicto, Romæ haud procul, consecrato. Obiit æt. anno 76. duorum liberorum pater, Marathone genitali solo ex ultima sua voluntate sepeliendus: sed Athenienses grati erga eum animi testandi causâ, in ipsa urbe, inque Stadio Panathenaico, quod ejus magnificentiâ in pristinum splendorem reparatum fuerat, prosequente funus toto Populo, splendide tumularunt. Nomen ejus integrum fuit, *Tiberius Claudius Atticus Herodes*, uti ex vet. *Inscr.* Athenis hodieque superstite, in qua *Pontifex Imperatorum* inter alia vocatur, docet Jac. Sponius *Itiner. Part.* 2. *p.* 213.

Heroes, adde: in Theatro eadem machina, quæ demissa Deos ostendebat ex improviso, per aerem quoque *Heroas* vehebat; veluti Tlepolemum, Medeam, Perseum, Bellerophontem. Jul. Cæsar Scaliger *Poetices lib.* 1. *c. de Theatro.* Plura de *Heroibus*, V. apud Car. Paschalium, *in Coronarum libris*, Casp. Barthium *Animadvers. ad Statium*, & hic passim, inprimis in voce, *Anima*, item *Dii.*

Heroicum Carmen, V. suprà *Epicum Carmen.*

Herones, apud Plinium *l.* 36. *c.* 14. ubi de Dianæ Templo, *Summa miracula, epistylia tantæ molis attolli potuisse; id consecutus est heronibus harenâ plenis, molli pulvino super capita columnarum exaggerato, paulatim exinaniens ab imo* &c. Turnebo sunt texta quædam storearum & tegetum more, in quibus interdum pauperes dormiebant, & fruges reponebantur; sed & vasa sic viminea vocabantur, tegetibus similia & cophinis, φορμοὶ Græcis, Macri Fratres *in Hierol.* V. supra *Æronef.*

Hesiodus, adde: Eum cum cithara pingi, carminaque illius epica à Rhapsodis quoque, ἐπὶ σκηνῆς, pronuntiari consuevisse, docet Salmas. *ad Solin. p.* 867. & 868. qui & *Hesiodi Astrologiamque* Ἀστρικὴ βίβλος inscripta, ex Plin. & Callimacho meminit *p.* 7[illegible].

Hesione, adde: Inter opera Antiphili Pictoris sua ætate clarissimi, memoratur Plinio *l.* 35. *c.* 10. ubi de eo, *Hesionam nobilem pinxit & Alexandrum ac Philippum cum Minerva, qui sunt in Schola in Octaviæ porticibus*, V. infrà in vocibus *Schola* & *Porticus.*

Hesperica vel *Hesperidum* Mala, inter initia Dionysii mysteriorum olim, recensentur Orpheo, versibus his apud Clementem,

Κῶνος καὶ ῥόμβος καὶ παίγνια καμπεσίγυια,
Μῆλά τε χρύσεα καλὰ παρ' Ἑσπερίδων λιγυφώνων.

Dicta ab *Hesperidum* Nympharum hortis, unde ab Hercule primitus in Græciam illata sunt. Ἑσπερίδας quoque Timachidas vocat & Aristocrates, qui apud Laconas hæc mala Diis apponi consuevisse, in *Laconicis* tradunt. Eadem sunt cum aurantiis nostris, de quibus suprà diximus. V. Salmasium *ad Solin. p.* 955. & *seqq.* Fuit autem hortus is ad Oceanum Atlanticum, minimè confundendus cum horto *Hesperidum*, ab urbe Libyæ *Hesperidibus* (quæ postea *Berenice* dicta) cui vicinus erat, nomen adepto, uti docet idem *ibid. p.* 373. & 374. Cæterùm *Hesperidum* fabulam φυσικῶς interpretatur ita Vossius: *Quòd Hercules rapuisse fertur mala Hesperidum, eo signatur, Solem exortura luce sua præstringere lumen stellarum, quæ generali nomine* Hesperidas *intelliguntur* — *Per hortum Hesperidum intelligitur cœlum stellatum* — *mala aurea sunt stellæ* — *Draco, qui custodit, vel Zodiacus est, vel Horizon* &c. V. eum *de Orig. & Progr. Idol. l.* 2. *c.* 15.

Hesperus, adde: sicut Sol exoriens, quadrigis vectus, annuli Amphitruonis, apud Plautum, aposphragisma fuit, sic in publico sigillo Locrorum Hesperiorum, qui & *Ozoli* dicti, *Hesperum* fuisse, refert Plato *l.* 10. Ἔχουσι τε ἐπὶ τῇ δημοσίᾳ σφραγῖδι τὸν Ἕσπερον ἀστέρα ἐγκεχαραγμένον. V. Joh. Kirchmannum *de Annulis c.* 13. *ubi varia animalia, historias item & fabulas, res inanimatas, literas Hieroglyphicas, & alia annulis insculpi consuevisse*, docet. Desultorii autem illi equi sacri erant, uti diximus suo loco. Cæterùm idem hoc cum Lucifero sidus esse, primus Pythagoras ostendit, V. infrà, voce *Lucifer*, item *Phosphorus.*

Hesus, adde: Hunc enim Galli, ut est apud Cæsarem *de bello Gallico l.* 6. *bella regere arbitrabantur.* Unde & illi, ut ibidem legere est, *cùm prælio dimicare constituerunt, ea, quæ bello cepissent plerumque devovebant.* Victima homo fuit: Procopius *Gothic. ver. l.* 2. ubi de Thules sive Scandinaviæ (sic enim cepit) incolis, Τῶν ἱερείων σφισὶ τὸ κάλλιστον ἄνθρωπός ἐστιν, ὅνπερ ἂν δοριάλωτον ποιήσαιντο πρῶτον. τοῦτον γὰρ τῷ Ἄρει θύουσιν, ἐπεὶ θεὸν αὐτὸν νομίζουσι μέγιστον, *Hostiarum illis pulcherrima est homo, quem bello primum ceperint. Hunc verò sacrificant Marti, quoniam illum Deorum censent maximum.* Quem verò Romani *Hesum* extulere, is Germanis absque terminatione Romana, fuit *Hes*, vel *Hies*, vocali variata:

 ut

ut Rheni ostium, quod Romanis *Helium*, id Batavis *Hiel*, uti suprà vidimus. Hinc *Hifes-dag*, & contractè *Hii-dag*, qui Romanâ linguâ *Martis dies*. Vulgò usitatius, *t*, vel *d*, ut in aliis multis præmisso, Germanis inferioribus *Thiis dag*, vel *diisdag*. Nisi malis fuisse priùs *Chiis-dag*, à *Chesus* seu *Chisus*. Nam olim *H.* & *CH.* variabant, haud secus ac *S.* & *J.* unde iidem, pro diversa dialecto, *Catti, Chatti, Hessi*. Idem autem dies nonnullis Germanorum *Erich-dag* dicitur, cujus vocabuli pars prior magnam habet convenientiam cum Græco Ἄρης, *Mars*, vel Ἔρις, *contentio*. Interim Germani, non, ut Romani, *Martis* nomine sidus Martis, sed, ut videtur, Jovem vel Apollinem, intellexere, h. e. *Solem* ac *Cœlum*, V. Vossium *de Idol. l.2. capp.13.32.33.*

Hesychastæ, in *Nov.* Justin. 5.*tit.*3. Monachi sunt, à communi vita segregati & ab aliorum consortio separati, ut cœlestium rerum contemplationi meliùs vacent, ab ἡσυχάζω, *quiesco*, Mac.

Hesychia, Clazomeniis Palladis Sacerdos Alex. Neapol. *l.2.c.8.*

Hetæriarchæ, Gr. Ἑταιριάρχαι, dicti sunt, qui cohortibus conflatis ex Romanorum sociis præerant de qua dignitate multa dixit du Fresne *Notis ad Alexiadem p.227* Horum præfectus *Megas-hetæriarcha* appellatus est, Guil. Tyrio *Hist. Sacr. l.21.c.16.*

Hetrusca Coronæ, quæ binæ Magistratibus apud Romanos præferri solebant olim, memorantur Tertulliano *de Cor. Milit.* *Præferuntur etiam illis* Hetruscæ. *Hoc vocabulum est coronarum, quas gemmis & foliis ex auro quercinis ob Jovem insignes, ad deducendas thensas cum palmatis togis sumunt.* Earundem meminit Plin. *l.33.c.1.* ubi de triumphantibus: *Neque aliis, uti mos fuit, quàm qui — vulgò triumphabant. Et cùm corona ex auro* Hetrusca *sustineretur à tergo, annulus tamen in digito ferreus erat, æquè triumphantis & servi fortasse coronam sustinentis.* In quibus verbis tamen *Hetruscam* videtur is nominare, non tam, quæ exemplo Magistratuum triumphantibus præferebatur, quàm eam, quam servus eodem curru cum triumphante vectus, sustinebat, quamque *Insignem* Paschalius vocat. ut infrà videbimus. Cæterùm aurei illarum lemnisci fuere, ut ex eodem discimus *l 21.c. 3. Accesserunt* (coronis) *& lemnisci, quos adjici ipsorum coronarum honos erat, propter* Hetruscas, *quibus jungi nisi aurei non debebant.* Hinc Tertullianus iterum, *Triumphi laurea foliis struitur, hæc adumbratur lemniscis & inauratis laminulis, unguentis delibuitur* &c. Nempe harum coronarum altera civica querna, altera victrix laurea; utraque aureis lemniscis & gemmis insuper ornata erat. V Car. Paschalium *Coronar. l.8. c.6.* &c.

Hexaclinon, apud Martialem *lib.9. Epigr. 60.*

Et testudineum mensus quater hexaclinon,
Ingemuit citro non satis esse suo:

stibadium est seu accubitum sex lectis instructum. Postquam enim triclinia, quæ tribus lectis constantia omnibus mensis poterant convenire, ab usu recesserunt, sigmata & stibadia iis successere, quæ, cùm essent unus perpetuus lectus semirotundus, secundùm mensarum magitudinem varianda erant, atque hinc à numero convivarum, modò *Hexaclina*, ut hic cùm sex, modò *Octoclina*, cùm octo caperent &c. dicta sunt. Salmasius *ad l.* V. quoque hic in vocibus, *Sigma, Stibadium, Triclinium.*

Hexaemeron, Ἑξαήμερον, Gr. h.e. *sex dierum opus*, nomen libri operisque insignis, à Basilio, Gregor. Nyss. ut & Ambrosio editi: in quo Historiam Creationis VI. dierum eruditè exponunt.

Hexamita Vestimenta tapetiaque, quorum apud Vett. occurrit non rara mentio, ad polymitum opus referuntur Salmasio; ut quæ eodem modo in tela de liciis variantibus texebantur: cùm τὰ κεντητὰ & πλουμία, *plumata* seu *acu picta opera*, acu defigerentur & variarentur. Nicetæ βλαττία ἑξάμιτα, item πλουμία ἑξάμιτα; πλουμία enim & ἀπλώματα recentioribus Græcis *tapetia* sunt. Fluxit autem ex illa voce ἑξάμιτον *samitum* infimæ Latinitatis, de quodam panni serici genere. V. infrà ubi *de Polymitis*, & plura *de Hexamitis*, item *Dimitis* & *Trimitis*, à liciorum numero sic dictis, apud Vopiscum *in Carino Imp.*

Hexaphollum, sex folles, Salmasius *ad Tertull. Pall.* V. suprà.

Hexaphoron, apud Martialem *l.2. Epigr.81.*

Laxior hexaphoris *tua sit lectica licebit.* &c.

genus lecticæ, à *sex* servis, unde nomen, *gestatæ*, quibus divites & nobiliores Romani circumferebantur, sicut *Octophorum* ab *octo*, V. infrà. Erat id laxius, ad modulum opum & luxus, itaque delicatiorum proprium: cùm modesti & frugi homines quatuor tantùm bajulos adhiberent, ut de Philologia in cœlum eunte docet Martianus Capella *lib 2.* Uti verò vivi in *Hexaphoris* delitiabantur, sic mortui in iisdem efferebantur. Idem *Epigr.77.l 6. Invidiosa tibi quàm sit lectica, requiris?*

Non debes ferri mortuus hexaphoro.

V. Laur. Pignorium *Commentar. de Servis*, & infrà ubi de *Lectica.*

Hexapla, V. in voce *Biblia.*

Hexapsalmus, Gr. Ἑξάψαλμος, s. Ἑξάψαλμον, senio Psalmorum in Matutinis cantari solitus, in Eccl. Græcan. ut & in Apodipnis seu Completorio, memoratur *Typico* Sabæ *capp.1.* & 5. nec non *Menæo*. Ut plurimùm verò in Matutinis canebatur, erantq; III. XXXVII. LXII. LXXXVII. CII. & CXLII. Cl. Suicerus *Thes. Eccl.* in hac voce, V. & Jo. Meursium *Glossar.*

Hexecontalithos, Gr. ἑξηκοντάλιθος, gemmæ nomen, apud Solin. c.31. ubi de Troglodytis, *Lapide uno gloriantur, quem* Hexecontalithon *nominant, tam diversis notis sparsum, ut sexaginta gemmarum colores in parvo ejus orbiculo deprehendas.* Ἑξήκοντα autem *sexaginta* Græcis est. Sed cùm non tot sint colores principales, rectiùs Plinius ait, *Hexecontalithos in parva magnitudine multicolor hoc sibi nomen adoptavit, l.37.c.10.* quòd multos colores illa gemma ostenderet, non quòd exactè & rotundè 60. gemmarum præferret colores, sic dictam esse, significans. V. Salm. *ad Sol. p.411.*

HI.

H.I. in notis antiquorum: *hereditatis jure*, vel *heres jussit*, vel *hic invenies*. H.L. *honesto loco*, vel *hic locus*. HIC. LOC. H. ÷ R. NON. SEQ. *hic locus heredes non sequitur*. H.L.N. *honesto loco natus.* H.M. *honesta mulier*, vel *hora mala*, vel *hora martis*. &c.

Hiberi, apud Fl. Vopiscum in *Aureliano*, ubi de seditione intramurana, à monetariis excitatâ, *Hi compressi sunt, septem millibus* Hiberorum, *Riparienfium & Castrianorum & Daciscorum interemptis*; fuere, qui in Prætorianis legionibus vel aliis aut inter auxiliares merebant. V. *Iberia.*

Hibernacula, primùm militibus apud Romanos ædificata, tabernacula viz. pellibus contecta, memorantur Liv. *l.5.c.2.* ubi de obsidione Vejorum. In oppidis autem illa extruere vetiti sunt, apud eund. *l.26.c.1.* V. infrà ubi de *Pellibus* &c.

Hiceteria, V. *Eiresione.*

Hida & *Hyda*, vox Saxon. terræ portio, quantum sufficit ad arandum uni aratro per annum; aliis *Carrucata*. Order. Vital. *l.8. p.678 Omnes carrucatas, quas Angli* Hidas *vocant, funiculo mensus est & descripsit.* Hanc 100. acris constare, ait Gervas. Tilleber. 4. virgatis, *Codex MS.* apud Spelmannum; 8. harum, alius *in Monast.* Angl. Omnium autem *Hidarum* in qualibet Angliæ provincia, missis per unamquamque *syram* Justitiariis suis, numerum inîit Guilielmus Rex, apud Robertum de Monte A.C.1083. quem ex vet. scheda maxima ex parte exhibet Spelmannus *Glossar.*

Hidalgus, Nobilis apud Hispanos, qui alias *Infancio*, apud Hier. Blancam *Comm. Rer. Aragon. p.734.* de cujus vocis etymo V. Covarruv. *var. Resol. Tom.2.c.1.n.11.* & Seb. Cobarruv. *Thes. linguæ Castel.* in voce *Fidalgo*. Illos *Hijos dalgo*, vocat Blanca & Militibus seu *Cavalleris* opponit *l. c.* *Filii dalgo* dicuntur in *Foris Aragon. l. 1. tit. de Officio Justitiæ Aragon.* apud du Fresne *Gloss.*

Hiems, ex Æolico χειμας, ut habet Salmasius *ad Solin. p. 310.* in tres partes ab antiquissimis Græcis divisa est, quarum mediam Brumæ assignabant. Galenus, de anni partitione, secundùm Hippocratem, *Epidemic. princ.* Οἱ δ' αὖτοι καὶ τὸν χειμῶνα τέμνουσι, μέσον μὲν αὐτοῦ ποιοῦντες τὸν ... τὰς τροπὰς χειμερινάς. Hæc aliter *adulta hyems*; sicut pars prima, *nova*, & ultima, *præceps.* At Romani initium *Hiemis* ducebant à Bruma, sive Solstitio hiberno, ut tempus æstivum à Solstitio æstivo auspicabantur. Sicque Attici initia hiemis & æstatis mense uno & dimidiato altero ante Solstitia numerabant, & totidem diebus post utrumque Solstitium, tam hiemem, quàm æstatem, finiebant. Appulejus *in Medicinal. Incipit tempus æstivum VIII. Kalendas Junias* &c. Quod non observatum multis eruditis fraudi fuit, in constituendis hibernis & æstivis Atticorum mensibus, nec non in conciliandis variis Græcorum ac Romanorum Scriptorum locis, quibus hiberni menses diversimodè constituti occurrunt, uti pluribus docet idem Salmasius ubi suprà *p.314.* & *seqq.* Erat autem non December solùm pluribus apud Romanos Dæmoniorum festis, *Agonalibus, Consualibus, Divalibus, Divi Julii festo, Laurentialibus, Saturnalibus*, occupatus; sed & tota *Hiems* Liberæ sacra erat, quam Liberi seu Bacchi sororem sanctè cultam, docet Cicero *de N.D. lib.2.* Id quod videre est in argenteo toreumate vetere, cui IV. anni tempora insculpta, a Stephano Pighio *Commentar.* insigni illustrato. Pingebantur porro *Tempora Hiemalia* variis modis. Ventus aperto hiatu frigora exspirans, eorum emblema frequens. Quò alludit Martialis *lib.7. Epigr. 36.* *Turpis ab inviso pendebat stiria naso;*

Cùm flaret medio à fauce December atrox.

V. Casp. Barthium *Animadv. ad Papinium Statium lib.1 sylv.1.v. 215.* In vet. nummo Laodicensium Neocororum, cui inscriptum, ΕΥΤΥΧΕΙϹ ΚΑΙΡΟΙ, *Hiems*, exprimitur imagine hominis vestiti, sinistrâ leporem tenentis. Tum enim, ut Virgilius,

Auritosq; sequi lepores, tum figere damas &c.
Cùm nix alta jacet, glaciem cùm flumina trudunt.

V. suprà *Felicia Tempora*. Nonnunquam oleo cœterisque dotibus coronari consuevisse, habes apud Paschalium *Coron. l.4.cap. 2.* &c. Velis autem ac specularibus cœnationes suas hoc tempore muniebant, & igne multo hiemem domabant prisci, ut scribit Seneca *Natur.* 4. igne ἀσκάπνῳ nempe seu prunarum, quas in foculis vel batillis inferebant cœnationibus. At carbonum loco thus, cinnamomum, casiam, costum & alia odorata adhibuit Heliogabalus, de quo Lampridius proin, *Odores*, inquit, *Indicos sine carbonibus ad vaporandas zetas jubebat incendi*, ad quem locum Casaubonum vide. Hinc *Hiemantes*, Pœnitentium Ordo in vet. Eccl. V. infrà *Hyemantes.*

Hiera Sycamina, opp. *Ægypti*, ad orientem Nili, memoratum in *Tab.* Peutingeriana, de quo V. Salmas. *ad Solin. p. 448.*

Hieracites, gemmæ nomen, apud Plinium *lib. 37. c. 10.* *Hieracites alternata milvinis nigrisq; veluti plumis*: ex Græco ἱερακίτης quod à ἱέραξ, *accipiter, milvus*, hujus enim colorem refert. Actius,

ας, Ἱεροκλέους λίθῳ ἐκ τῆς λοφῆς μὲν ἔτι, ἐς πρὸς τὸ μέλαν ἐπιχειρ... χειμαῖς ... &c.

Hierapolis, Syriæ urbs, adde: Derceto ibi culta olim, quæ *Atargatis*, Straboni & Plinio. Salmasius verò *Syriam Deam* κατ' ἐξοχὴν sic dictam, Numen fuisse peculiare Hierapolitanorum, idque totum fœmineum, Lucian. Ἡ δὲ ἐν τῇ ἱερῇ πόλει ... γυναικεῖα; cum Atargatis seu Derceto piscis imagine, vel figurâ ex pisce & fœmina mixta coleretur. docet ubi supra *p.*574. Quanquam nómina hæc non raro confundantur, ut diximus, in voce *Atargatis*, item *Derceto*.

Hierapolis, Phrygiæ urbs, adde: Hodie penitus deserta, Turcis *Bambouk-kalè*, h.e. turris bombacina, ob rupium vicinarum albedinem, dicitur, visunturque rudera ejus e regione Laodiceæ, inter quas ambas urbes Lycus interfluit, sed propior Hierapoli. Templorum ibi ruinæ quamplurimæ, ingensque copia fontium mineralium, ut neutiquam mirum sit, ἱερὰν πόλιν, *sanctam urbem*, fuisse olim appellatam. Inprimis, pulcherrimum ex candido marmore balneum, ubi *Inscr.* à Tinctorum corpore facta, & magnifici Theatri superbæ reliquiæ, in cujus introitu *Inscr.* ΑΠΟΛΛΩΝΙ ΑΡΧΗΓΕΤΕΙ dicata, etiamnum ibidem conspiciuntur. Jac. Sponius *Itiner. Part.* 1. *p.*357. & 358. V. eundem *Part.*3. *p.* 150.151. & de *aquis Hierapolitanis*, Strabonem *Geogr. l.* 13. uti de *Hierapolitico marmore*, Salmasium *ad Solin. p.* 574.

Hierarcha, Græcè Ἱεράρχης. Pachymeri Sacrorum moderator est & curator ac provisor: cujus officium καθαίρειν, φωτίζειν, τελειοῦν, *purgare, illustrare, & perficere*, ut habet S. Maximus *de cœlesti Hierarch.* c. 3. qui primò quidem Christum ipsum, dein S. Paulum ac cœteros Apostolos, & post hos Episcopos, hoc elogio insignit, ... quoque, Τελεταρχὰς & Τελεστὰς eos illos appellans. Hinc Ἱεραρχία, *sacrum regimen*: de qua utraque voce V. Cl. Suicerum *Thes. Eccl.* Sed & *Hierarchia* nomen libri, quem Dionysio Areopagitæ vulgò ascribunt, de Angelorum variis ordinibus gradibusque tractantis, Macer *Hierolex.* De quo quid sentiendum, V. in voce *Dionysius Areopagita*.

Hierei, in *l.*4. *Cod. Theod. de Jud. cal. & Sam.* dicuntur Presbyteri Judæorum, ex Gr. Ἱερεὺς, Salmasius: De cujus vocis apud Scriptores Eccl. usu, V. quæ eruditè congessit Cl. Suicerus ubi suprà.

Hierocles, Heliogabali amasius, apud Lampridium.

Hieroglyphica, adde: Etiam literas *Hieroglyphicas* Vett. annulis insculptas fuisse, ex Heliodoro planum est *l.* 8. apud quem memoratur Charicleæ annulus, lapidem, qui *Pantarbe* vocatur, in pala insertum habens, & literis quibusdam pictus: ... γεγραμμένοις δὲ ἱεροῖς ... Nempe quod cuique in mentem veniebat, hoc vel illo apophthegismate utebatur: plerunque tamen, ut Meursius notavit, eas annulis signaturas insculpierunt, quæ sibi convenirent, vel ob eventum quempiam, vel artem quam factitarent, vel munus quod gererent &c. Kirchmannus *l. c.* Cœterum *Ars veterum Ægyptiorum Hieroglyphica*, quâ Sacerdotum priscorum in Obeliscorum, statuarum, aliorumque monumentorum, hieroglyphicis symbolis disponendis, ordinandis & singula cum singulis combinandis, ratio, modus & methodus, genuinè exponitur & *Hieroglyphica Sapientia tandem Restituta* jure dici potest, auctore Athan. Kirchero, prælum expectat. V. etiam infra ubi de *Obeliscis*.

Hierologia Nuptialis, seu Benedictio, quæ Sacrorum genus, ab Hebræis & Christianis, uti varia Sacra à Paganis, Nuptiis adhiberi solita est, magna cum religione. Et quidem, præter solennem Sponsalium benedictionem, Deductioni in Thalamum seu ipsis Nuptiis, alia Benedictio solennis, apud Hebræos, præmitti consuevit: dicta ברכת חתנים *Benedictio Sponsorum* seu ברכת נישואין *Benedictio Nuptiarum* seu *Deductionis*, quæ rite adhibebatur, tam in domo, ubi epularis lætitia celebrabatur, & ubi Thalamus erat, quam in alio quovis loco ex more præstituto. Cùm verò unica in domo Sponsalia sequebatur Deductio in thalamum, utraque benedictio eadem in domo fiebat. Formula verò hæc erat: *Benedictus sis Domine Deus noster, Rex mundi, qui universa creavit in gloriam suam. Benedictus sis Domine Deus noster, Rex mundi, creator hominis. Benedictus sis Domine Deus noster, qui creavit hominem ad similitudinem suam & ad similitudinem imaginis Archetypi sui, & præparavit ei ex ipso artificium* (i.e. fœminam) *usq; in seculum. Benedictus sis Domine Deus noster, Creator hominis, Gaudendo gaudebit & exultabit sterilis, colligendo liberos suos in sinum suum in lætitia. Benedictus sis Domine Deus noster, qui lætari facis Sion in liberis suis. Lætando lætari fac par hoc amatum, juxta lætitiam à te donatam creaturæ tuæ in horto Eden ab antiquo. Benedictus sis Domine Deus noster, qui lætari facis Sponsum & Sponsam. Benedictus sis Domine Deus noster, Rex Mundi, qui creavit gaudium & lætitiam Sponso & Sponsæ, exultationem, cantum, hilaritatem, jubilationem, amorem, fraternitatem, pacem & amicitiam. Confestim Domine Deus noster audiatur in urbibus Judææ, & in plateis Jerusalem vox gaudii & lætitiæ, vox Sponsi & Sponsæ, vox affectuum nuptialium Sponsorum ex thalamo suo & pueri è choro modulationis suæ. Benedictus sis Domine Deus noster, qui lætari facis Sponsum cum Sponsa.* Eadem in *Ritualibus* Judæorum hodiernis habetur, nec sine præeunte vini poculo ejusque benedictione, ut in Sponsalium benedictione. Adjicitur in *Ritualibus*, *Benedictus sis Domine, qui lætificas Sponsum & Sponsam, quiq; eos fortunas. Confitemini Domino, quoniam bonus est, quoniam in seculum misericordia ejus durat. Multiplicentur gaudia in Israele & fugiant suspiria.* Cujusmodi formulas aliasque Esræ acceptas ferunt. Quin ut decem minimùm eique majores ætate, atque ingenui adessent huic benedictioni, ex more exigebatur: cujus numeri ansam ex historia Ruthæ sumunt Magistri, ubi hujus & Boazi nuptiis adfuisse decem Seniores, legimus c. 4. v. 2. & 11. Horum qui maximus natu aut dignissimus, Benedictionem præibat; quæ integra, post solennem mensæ benedictionem, toties iteranda erat, quoties, durante Virginis convivio septiduano, convivæ alii aderant, quam qui Benedictionem audierant Deductionis; at quamdiu iidem tantùm, qui Benedictioni deductionis adfuerant, convivæ manebant, postrema ejusdem pars duntaxat mensæ Benedictionem, in Virginis convivio nuptiali, quotidie sequebatur. Quod itidem dicendum, ubi cœlebs Viduam duxerat, at ubi Viduus Viduam, post Deductionis diem non erat iteranda. Si verò, contra morem Majorum, Benedictionem deductio fortè antevertebat, adhibenda ea erat tempore aliquo opportuno insequenti. Habent autem Benedictionis hujusmodi exemplum, ut ante Legem datam, in eo quod de Rebecca legitur, Genes. c. 24. v. 60. ita post, Ruthæ & Boazi nuptiis, Ruth. c. 4. v. 11. Etiam inter formulas, actusque primarios Legis Studioso ediscendos, Benedictionis, quam exhibuimus, formulam, non omnino ignorandam fuisse, aiunt nonnulli. Utrum verò hanc, aliamve Sponsalitiam, an utramq; intellexerit Josephus *l.* 4. *c.* 8. ubi ... τὰς ἐπὶ τοῖς γάμοις θυσίας, seu *Sacra Nuptialia* memorat, viderint alii, Seldenus *l.* 2. *Ux. Ebr. cap.* 12. Septem Benedictionum meminit auctor libri Tobiæ c. 7. & 8. ubi de nuptiis Raguelis & Saræ prolixè agens, inter alia addit: *Statim etiam dictis septem Benedictionibus, epulari cœperunt*; quo de numero consule Maimonidem, Jos. Caro, aliosque præfato Seldeno citatos *c.* 6. Apud Paganos loco Benedictionis Sacræ, varia erant Nuptialia Sacra, de quibus alibi actum. Sed & benedictio planè Conjugalis habetur in illo Juvenal. *Sat.* 2. suprà laudato, ut & Græcorum formulâ, cuivis actui solenni præmitti soliti, Ἀγαθῇ τύχῃ; Latinorum item, *Quod faustum felixq; sit* &c. V. Libanium *Declam.* 35. Apud Christianos Sacra itidem Nuptialia, ipsaque veluti contractus Consecratio ac Benedictiones Nuptiis passim consuevere adhiberi atque à Sacrorum Ministro peragi, nec sine Eucharistiæ sæpius communione, ut in Occidentis moribus, à qua in Oriente arcentur Digami Trigamique per biennium trienniumque. Quin & à nonnullis sancitum legimus, Nuptias non celebrandas omnino die, quo habetur Cœna Domini, *Ordinat.* Eccl. Genevens. 134. Quanquam etiam dotis assignatio, arrarum usus, ritusque vett. velut non necessarii, aut sæpius prætermissi, aut pro arbitrio aboliti sunt, nihilominus tum in Occidente passim (idque non magis inter Pontificios, quàm Reformatos) Benedictionis sacræ ac celebrationis Nuptialis à Ministro sacro peragendæ usus obtinet, ac per plura secula obtinuit; tum in Oriente, ubi sacra hæc nomine τῆς εὐλογίας Ἱερολογίας & Ἱεροτελεστίας, id est, *Benedictionis Nuptialis*, continentur. Hinc Tertullianus ad Uxor. *l.* 2. *c. postr.* de Christianorum sui temporis, circa annum nempe Christi 200. matrimoniis, *Unde*, inquit, *sufficiamus ad enarrandam felicitatem ejus matrimonii, quod Ecclesia conciliat, & confirmat Oblatio & obsignat Benedictio, Angeli renuntiant* &c. Ubi oblationem pro Eucharistia sumit Baronius etiam, & Angelos pro Ministris, contractum rite initum renuntiantibus. Eique coævus Clemens Alexandr. *Pædagog. l.* 3. *c.* 1. ubi in uxorum ex alienis capillis ornatum invehitur, Τίνι γὰρ, inquit, ὁ Πρεσβύτερος ἐπιτίθησι χεῖρα; τίνα δὲ εὐλογήσει; *Cui enim manum imponit Presbyter! Cui autem benedicet?* Et quidem Alfonsus Ciacconius, in *Evaristo* (qui obiit circa A.C. 110) inquit, *Ut connubia publicè ac legitimè fierent, jussit; & ne vir & uxor antea unà dormirent, quàm à Sacerdote benedicerentur.* Platina verò id Soteri Papæ tribuit, circa A.C. 175. à quo decretum esse scribit, *Ne legitima haberetur uxor, nisi cui Sacerdos ex instituto benedixisset* &c. *Epistolâ* item Decretali Callisti I. qui floruit Anno C. 220. pro non legitimè conjunctis habentur, *absque dotali titulo ac benedictione Sacerdotis copulati*; & de Sylvestro, qui Papa fuit sub A. C. 320. legitur, constituisse eum, ut Episcopus fieret, qui unius uxoris fuerat, *uxore à Sacerdote benedictâ*, apud Damasum in eo. Ut de Siricio & Hormisda, quorum ille circa A. C. 390. iste circa A.C. 520. vixere, nil addam: Apud quorum, ut & recentiorum seculorum, Scriptores satis obvia est Benedictionis Nuptialis seu Ἱερολογίας τῆς γαμικῆς mentio. In Synodo quoq; Carthag. IV sub A.C. 398. Canon habetur, *Sponsus & Sponsa, cùm benedicendi sunt à Sacerdote, à Parentibus suis, vel à Paranymphis offerantur, qui cùm Benedictionem acceperit, eadem nocte, pro reverentia ipsius benedictionis, in virginitate permaneant.* Hincmarus it. Arch. Remens. an. 860. invectus in eos, qui ex raptu fieri arbitrabantur conjugium & ex iniquo contubernio legitimum matrimonium, & divinam memorans primi Conjugii Benedictionem, *Exinde, ait, imitatione etiam sancta Ecclesia antiquitus solenniter*

& venerabiliter custodivit eos, qui in illa, velut in Paradiso Dei, conjugio copulandi essent divina benedictione & missarum celebratione conjungens. Quæ viz. honesta & religiosa conjunctio, Deo auctore cœpta, & ejus benedictione firmata, etiam inter Gentes, quæ nec jam legem acceperunt, nullam Dei habuerunt notitiam, legitimo ordine & naturali lege servata est. Sic ille, seu potius Episcopi omnes, per Gallias & Germaniam *in Epist.* ad Cæsarem pro cultu & sanctimonia Domus Domini, edita ad calcem Opusculorum Petri Blesensis. A' quo tempore per totum Christianum inolevit orbem, ut Nuptiæ non solum à Ministro Sacro benedicerentur, sed & ejusdem interventu contraherentur, aut contractus, ante à Sponsis initus, denuò ipso præeunte celebraretur: ut eò facilius legitimæ Nuptiæ à clandestinis, aut illicitis contuberniis, discriminarentur. Interim Seldenus contendit, non pro recepto undique jure obtinuisse, ut Benedictio sacra, & quidem à sacro Ministro peragenda, Nuptiis esset necessaria, ante Leonem Imp. seu A. C. 900 aut circiter, Imò ex *Novell. 74. cap. 4.* probare conatur, nondum Justiniani tempore apud Christianos Orbis Rom. inolevisse, ut Matrimonia Benedictione sacra sacrove aliquo Ministro, ex jure recepto necessariove firmarentur: quidquid in adversum sive Pontifices decreverint, sive Patres scripserint. Leo itaque illo docente, sanctionem primus edidit, *δεῖ τὸ τὰ συνοικέσια ... ἱερᾶς εὐλογίας μὴ ἐῤῥῶσθαι, Ne matrimonia citra sacram Benedictionem firma habeantur.* Quam in rem ejusdem memorat constitutionem Harmenopulus *Prochir. lib. 4. tit. 4.* ut & aliam Alexii Comneni 200. postea annis Orientis Augusti. Atque Leonina hæc vim juris postea obtinuit, sicque hinc jus in matrimoniis celebrandis Sacerdotale, quatenus jus intuemur Cæsareum, ortum habuit, cùm antea, etiam sine Sacris, rata satis in Oriente haberentur conjugia. Quod ad Occidentem, ex verbis Epistolæ Evaristi Papæ, saltem Evaristo tributis, in Capitula Caroli & Ludovici Cæsarum relatis, ibique vim Legis obtinentibus, videtur sane non solùm Benedictionis sacræ usus, adeoque ipsa contrahendi formula, in cœtu sacro, præeunte Sacro Ministro inolevisse, sed & Matrimonium ipsum inde tantùm pro legitimo habitum esse: quod evenit sub A. C. 820. Alibi autem iidem Impp. ut publicæ fierent Nuptiæ statuere, ubi nihil de Benedictione sacrâ. Etiam in LL. VVisigothorum hisce antiquioribus *l. 3. t. 4.* &c. expressa in connubiis mentio permissus Comitis, Dotis constitutionis, Tabularumque Dotalium, ut quæ testimonii publici vicem obtinerent, nulla verò Benedictionis sacræ aut Ministri sacri. Quod & de aliis LL. Veterum dicendum, quæ in Re Nuptiali, sub illud ævum, adeò diversæ, ut Francus v. g. qui Saxonicam jure Saxonico duxisset, eam non legitimam uxorem censeret, quia non ducta jure seu ritu Francico, renitente interim Concilio Tiburiensi. Postea verò, quod de Benedictione Sacra sic in Imp. Occidentale receptum est, in alia Regna Christiana, quæ vicina fuere, aliter atque aliter sensim diffusum est, &c. De ritu Benedictionis in Eccl. Roman. ex *Ordine* Romano, cui tit. *Ordo ad benedicendam Sponsam*, alibique dicemus quædam infra, ubi *de Nuptialibus Ritibus ac Formulis.* Addo hic saltem, esse præter Benedictionem communem, apud Pontificios, Benedictionem aliam, *Sacramentalem* dictam, quæ secundis Nuptiis jure Eccl. Rom. Canonico negatur, idque tametsi pars altera tantùm antea conjugium inivisset nullum. Unde in Ordine præfato, sub finem, SI BENEDICENDÆ SINT NUPTIÆ, habetur, *Parochus Missam pro Sponso & Sponsa, ut in Missali Romano, celebret, servatis omnibus, quæ ibi præscribuntur.* In Missali autem habetur hæc Missa, cujus initium: *Deus Israel conjungat vos, & ipse sit vobiscum, qui misertus est duobus, unicis, & nunc Domine fac eos plenius benedicere te.* Et sequitur Psalmus 128. aliaque ex Epistolis & Evangeliis, Ephes. c. 5. & Matth. c. 19 Nuptiis propria, præter communionem atque de invicem fide servanda commonitionem. Quo facto aspergi solent aquâ benedicta, dicitque Sacerdos: *Placeat tibi Sancta Trinitas,* & det BENEDICTIONEM, legitque ut solitum est, Evangelium S. Johannis, *In principio erat Verbum* &c. uti suprà meminimus. In eadem Ecclesia præterea Annulus (alicubi & arræ) coronaque Nuptialis benedicuntur, V. infrà. In Anglia sequuntur insuper Benedictiones singulares Cubiculi Sponsalitii ac Lecti, ipsorumque in lecto Sponsorum, nocte sequente peragendæ, ibidem, finitis solemnibus atque orationibus, quæ dicebantur super Sponsos prostratos ad altaris gradum & introductis illis in Presbyterium, scilicet inter Chorum & Altare, ex parte Ecclesiæ Australi & statutâ muliere à dextris Viri, viz. inter ipsum & altare, incipiebat olim officium Missæ, & prosternebat se Sponsus & Sponsa, in oratione ad gradum Altaris, extenso super eos pallio, quod tenebatur à quatuor Clericis per 4. cornua, in superpelliceis, nisi alter eorum priùs fuisset desponsatus & benedictus: tunc enim non habebatur pallium super eos, nec dicebatur Sacramentalis Benedictio; id est, Benedictio aliqua, cujus verba mysterium Sponsaliorum inter Christum & Ecclesiam suam designent. Hæc enim, ut monitum, secundis nuptiis negata, *Quia caro benedicta trahit ad se* (ut habet Rituale Sarisburiense) *carnem non benedictam.* Verùm olim sub Eduardo III. A. C. 1321. quamplurimi Sacerdotes etiam secundis Nuptiis istiusmodi Benedictionem adhibebant, inde Romam convolare coacti, ut suspensionis, quæ hinc contracta, relaxationem à Johanne XXII. impetrarent. *Post Missam* (pergit idem Rituale) *benedicatur panis & vinum vel aliud potabile, in vasculo & gustent in nomine Domini, Sacerdote dicente, Dominus vobiscum.* Oremus: *Benedic Domine panem istum & hunc potum & hoc vasculum, sicut benedixisti quinque panes in deserto & sex hydrias in Chanaan Galileæ, ut sint sani & sobrii atque immaculati omnes gustantes ex eis; Salvator Mundi, qui vivis & regnas cum Deo Patre, in unitate Spiritus Sancti Deus.* Et sequuntur Benedictiones Cubiculi atque Lecti &c. uti diximus. In qua formula quæ[illegible] mutatum sub Eduardo VI. A. C. 1549. quid biennio pòst, plura[illegible] alia hanc in rem V. apud Seldenum laudato *lib. II. c. 24.* &[illegible] ut & hic infrà, ubi de *Velandi more.*

Hieromnemon, Græcè Ἱερομνήμων, Diaconale officium erat in Ecclesia CPolitana magnæ existimationis; cui incumbebat, Patriarcham *Pontificaliter* induere, preces in libro indicare, in throno locum electis ac consecratis adsignare, & *contacium* ordinationis consuetum intonare. uti Ceremoniarum Magistri in Aula Pontificia solent, V. Macrum *in Hierolexico.* Faciebat autem id una cum Canstrisio, ut viz. sacrâ stolâ indueret Patriarcham; quod si Sacerdos esset *Hieromnemon, ἀπὸ ἱερωσύνης, unde nomine,* officio suo defungebatur, neque, in ministerio monumentorum Patriarchalium, Diaconi vicem agebat, ut auctor est Joannes Episc. Citri *Resp. ad Constant. Cabasilam.* V. plura apud Codinum *de Officiis* Aulæ CP. De *contacio* verò, Græcè κοντάκιον, quod in genere *tomum* seu *volumen*, in specie librum denotat Vitam sacta, ut alicujus Sancti continentem, V. Jo. Meursium *Glossar.* Habuere autem & Gentiles Ἱερομνήμονας suos, imo ab illis vox retenta in Ecclesia, de quibus diximus aliquid retro voce *Grammateus.*

Hieromonachi, Græcè Ἱερομόναχοι, Græcis dicuntur, qui non simpl. Monachi, sed Sacerdotes sunt. *Historia* Concilii Florent. *sect. 3. c. 15.* Ἱερομόναχος ὁ Κῦρος Παχώμιος κλ. *Monachus sacerdos D. Pachomius* &c. Aliter Ἱερώμενοι Μοναχοὶ & Ἱερεῖς Μοναχοί. V. Meursium *Glossar.* in voce Ἱερομόναχος, & Suicerum *Thesaur. Eccl.* in eadem: quorum hic etiam de vocibus Ἱερομύσται & Ἱεροτελεσταί, Apostolis κατ' ἐξοχὴν tributis apud Scriptores Eccles. quædam addit.

Hieronica, V. infrà ubi *de Ludis Sacris, Olympionicis* &c.

Hieronymus Magius, eruditione multiplici, machinarum inprimis peritia præter. secul. inclaruit. Natus apud Insubres Anglariæ, in ditione Mediolanensi, quæ Petrum quoque Martyrem, Hispanicarum rerum ac novi Orbis per decades Scriptorem, & Angelum Caninium eruditis linguis ad miraculum instructum dedit: sub Francisco Robortello Utinensi Bononiæ, Eloquentiæ atque Historiæ, literis vacavit. Ad Jurisprudentiam dein se, Græcis etiam literis probè instructus, contulit, Inde Judex causarum militaris à Venetis in Cyprum missus, jus ibidem dixit. Obsessa postea à Turcico exercitu Famagusta, A. C. 1571. ac vertente anno capta, vivus in hostium manus perveniens & in Asiam abductus, ibi duro servitutis onere pressus est. E' qua ut liberaretur, scripsit e vinculis *de Tintinnabulis Commentarium*, ad Carolum Rymium Maximiliani II. Imp. & alterum *de Equuleo*, ad Franciscum de Noailles Episc. Aquensem Caroli VII. Gall. Regis Legatos, qui cùm nihilominus miserum negligerent, à Mahomete Bassa domino suo die 27. Martii A. C. 1572. nocte strangulatus & inter ejus mancipia sepultus est. Edidit superstes hæc fere: *Annotationes in Æmil. Probum, de Mundi exustione & die Judicii, Variarum lectionum seu Miscellaneorum libb.* &c. Edere verò promisit *in Bucolica Virgilii, de Antiquorum prandiis & cœnis, Annotationes in A. Gellium, Hortorum libros, de Machinis, de Urbium expugnatione & propugnatione lib. de Urbium Architectura, Necrotaphologiam seu de sepulchris & sepeliendi ritu lib. 10. Μισοπωγωνίας libb. 5.* Porro, *Lexicon Juris, Annotationes in Institutiones Juris, ad L. Juliam de adult. L. Cùm vir nubit, Apophyades ad Budæi Annotationes in Pandectas* &c.

Hieronymus Presbyter, Æthicum Histriæ Sophistam Græcum compilavit, de quo vide Salmasium ubi suprà *p. 826.*

Hierophanta, Græcè Ἱεροφάντης, Sacerdotis nomen apud Athenienses, quos cicutæ haustu Veneris ardorem restinguere consuevisse, imo se ipsos evirasse, tradit Hieronymus *c. Jovinian.* & *Epist. 11.* Propriè verò sic dicebatur in sacris Hecates: quemadmodum in sacris Mithriacis *Pater sacrorum*; in sacris Matris Deum, *Taurobolians.* Vetus *Inscr.* Romæ: VETTIO. AGORIO. PRÆTEXTATO. VIRO. C. PONTIFICI. VESTÆ. PONTIFICI. SOLIS. QVINDECIMVIRO. AUGURI. TAVROBOLIATO. CURIALI. NEOCORO. HIEROPHANTÆ. PATRI. SACRORUM. Eum ἠχεῖον, i. e. *tintinnabulum* sive nolam pulsare Athenis consuevisse, refert Apollodorus *lib. de Diis.* V. Franc. Svvertii *Notas in Hieronymum Magium lib. de Tintinnabulis c. 10.* ubi & inter Symbola Eleusiniorum *Hierophanta* fuit, Salmasius *ad Solinum p. 750. & 752.* Hinc Fœm. *Hierophantria*, uti de ejusdem Vettii uxore legimus, in alia Inscr. FABIÆ. AGORIÆ. PAULINÆ. &c. SACRATÆ. APUD. ELEUSINAM. DEO. JACCHO. CERERI. ET. CORÆ. SACRATÆ

APUD

APUD. ÆGINAM. DEABVS. TAUROBOLIATÆ. ISIACÆ. HIEROPHANTRIÆ. DEÆ. HECATÆ. &c. apud eundem *ad Lampridium in Heliogabalo.* Sic porrò Sacri Doctores sive sacrarum rerum consulti dicti sunt, quales Romanorum fuere Pontifices, de quibus ita Dionysius *lib.* 2. *Pontifices*, inquit, *de omnibus causis ad sacra pertinentibus judicant, tam inter Magistratus sacrificos, quàm inter privatos homines, novasq; leges de sacris arbitratu suo condunt, si nulla destituuntur scriptis legibus: & magistratus, penès quos ceremoniæ sunt, ac sacrificia Sacerdotesq; omnes, examinant: Ministros quoque sacrorum in officio continent, ne quid praeter solennes ritus faciant, à profano etiam & imperito vulgo consuluntur de cultu Deorum ac Geniorum, aliisq; Religionibus, quod si quem animadvertant præscripta sua contemnere, eum mulctant pro delicti magnitudine. Ipsi nullius potestati sunt obnoxii, nec tenentur ad reddendam rationem vel Senatui vel Populo.* Eadem ferè Cicero habet in *Orat. pro Domo, pro Lentulo* &c.

Herophilus Chalcedonius, Phalaridis ἐγχειρ..., cum gravissimo morbo laborantem sanavit, Anatomicâ inprimis scientiâ illustris, ut quam facinorosorum à Rege sibi missorum dissectione magnopere auxit. Unde Tertullianus *de Anima c.* 10. *Herophilus ille Medicus, aut lanius, qui septingentos* (vivos nempe) *exsecuit, ut naturam scrutaretur* &c. V. Vossium *de Philos. cap.* 11. §. 2.

Hierophylax, Græca itidem vox, *sacrarum rerum custos*, nomen Officii in Eccl. Gr. *Sacrista* Latinis. V. Dominicum Macrum in *Hierolex.* & in vocibus *Æditmus* ac *Sacrista*. Ast *Hierofiarchus*, Princeps sacrorum, quod Pontificis Max. proprium; pro *Hierophylace* legit in *L. annua* 20. §. 1. *de ann. leg.* Alex. ab Alexand. *Genial. Dier. lib.* 5. *c.* 17.

Hierosolymitani Equites, V. *Melitenses Equites.*

Higra, Anglis dicitur quidam *quotidianus aquarum* Sabrinæ fluv. *furor, quem vel voraginem vel vertiginem undarum dicam, nescio*, ait Guilielmus Malmesbur. *lib. de Pontif. qui fundo ab imo verrens arenas & conglobans in cumulum cum impetu venit, nec ultra quàm ad pontem pertendit. nonnunquam etiam ripas transcendit & magna parte circuitâ terræ victor egreditur. Infelix navis, si quam à latere attigerit: nautæ gnari cùm vident illam higram — venire, navem obvertunt & per medium secantes violentiam ejus eludunt*, apud du Fresne *Glossar.*

Hikenild, nomen unius ex 4. Angliæ viis celebrioribus, V. supra *Ermingstraet.*

Hilaria, adde: Græci, à quibus Romani accepere, hunc diem vocabant ΑΝΑΒΑΣΙΝ (sicut præcedentem, planctu & lamentatione personantem, ΚΑΤΑΒΑΣΙΝ) sicque finita catabasi & luctus simulatione peracta hoc die *τῶν ἱλαρίων* & lætitiæ exordium celebrabant. Postea verò & ipsi *Τὰ Ἱλαρία* assumpsere nomen, ut Photius docet *in Excerp. is ex Isidori vita*, Dionysius *Epist. ad Demophilum* & Maximus Scholiastes. V. Casaubonum *ad Lampridium in Alex. Severo* & Salmasium *ad Flav. Vopiscum in Aureliano.* Cæterum *Hilaritatis* sedes frons est Plinio *lib.* 11 *c.* 37. *Frons & aliis, sed homini tantùm tristitiæ, hilaritatis, clementiæ, severitatis index.* Oculi Plauto, *Rudente*,

Proh Dii immortales, Veneris hæc quidem effigia est,
Ut in ocellis hilaritudo est.

Et nescio cui in nudo corpore prædicata *hilaritas membrorum*? Barthius *Animadversion. ad Papinium Statium Achilleidos l.* 1. *v.* 167. In coloribus *Hilare* idem, quod *vegetum, floridum, acutum, clarum, excitatum*, Græcis ἀνθηρόν, *ἰταμός*, ..., quum scilicet color lumine intentiore & clariore excitatur. Et *tenuem, fuscum, pressum*, Græcè ..., cum viz. plus coloris, quàm luminis adest, opponitur, ut hic passim videre est, ubi de his vocibus. V. quoque Salmasium *ad Solinum p.* 345.

Hilarodi, Græcè Ἱλαρῳδοί, Poetarum genus, Ionicis minùs fœdi. Inter quos Simus cum fuisset præstantissimus, *Simodi* sunt postea cognominati. Prodibant in veste candida, virili, auro coronati, calceisque primum, dein crepidis usi sunt. Similes his Aulodi, Magodi, Lysiodi. Eratque Aulodus *Hilarodo* per omnia similis & par. Sed *Hilarodus* puero puellave psallente canebat, Aulodus tibicine modos faciente. Aulodo & Hilarodo præmium corona, tibicini & psaltæ nulla &c. Postea, ubi Mimi & Satyri, ita & hæc introducta quoque inter fabulas, & *Hilarodus* quidem à Tragœdo, Magodus à Comico. Jul. Cæs. Scaliger *Poet. lib.* 1. *c.* 52. V. quoque Salmasium *ad Solinum*, ubi de variis Mimilogiæ speciebus agens Ἱλαρῳδίαν, cum Ἱλαροτραγῳδία, quæ & Φλυακογραφία, & Rhintonica fabula, eandem facit, *pag.* 109.

Hilda Abbatissa, *post multa, quæ fecit in terris, opera cælestia, ad percipienda præmia vitæ cælestis, de terris ablata transivit, A.C.* 680. Beda *Hist. Eccl. gentis Anglor. lib.* 4. *cap.* 23. Monasterium, cui præfuit, *Streaneshalh* dictum est, Joh. Forbesius *Instructionum Historico-Theolog. lib* XIII. *cap.* 9. §. *ult.*

Hildemundus, Dux barbarorum, apud Vopiscum *in Aurel.*

Hindeni Homines, in *LL.* Adelstani Regis *cap.* 3 & 7 ex Saxon. *hyndene*. h. e. *societas*, sunt homines ejusdem societatis ac contubernii, contubernales. Saxonibus enim in more erat, ut omnem hominem olim æstimarent ac pro natalis sui ratione capite censerent, præterea secundùm cujusque valorem in classem (vel collegium) parium suorum, quam *hyndene* nuncuparunt, referrent: trium sc. harum unam, *infimam, mediam, summam.* Infimæ classis erant, qui valerent 200. sol. dicti *Twyhindeman*: Mediæ, qui 600. sol. *Syxhindam*; Summæ, quorum singuli valerent 1200. sol. *Twelfhindi*. Pariterque uxores eorum *Cyrlisam* i. *Twyhyndam, Syxhyndam* & *Twelfhyndam* nominarunt, Somnerus apud C. du Fresne *in Glossar.* V. eandem hominum partitionem, è quibus *Twelfhindi*, aliter *Thani*, perfectè nobiles habebantur, præsertim in *LL.* Alvredi Regis *capp.* 12. 30. 31. 32. &c. apud Bromptonum & Henricum I. *cap.* 76. & 87.

Hinderling, in *LL.* Edvvardi Confess. *c.* 35. vocabulum contumeliæ est, Occidentalibus olim Saxonibus familiare: quasi *posthabitus & remotus*, ex voce *hinder*, remotus, & *ling*, imago Sicut contrà *Adeling*, iisdem erat *nobilis imago*. V. C du Fresne *Glossar.*

Hinnuleus, Græcè νεβρός, cervus anniculus est, qui nihil adhuc cornuum habet, nisi ... *velut inanis ergò, initium quoddam*, ut habet Philosophus: *tuber* vocant Venatores, Salmasius *ad Solinum pag.* 221. Ebr. quoque Græcis cervi *hinnulus* est, tanquam ... *in pascuis locis degens.* Bochartus *Hierozoici Pars. prior. lib* III. *c.* 17. Namque & ad caprearum, damarum, leporum, similiumque *hinnuli* vox quoque extenditur, ab *hinni* similitudine ducta. Et quidem hinnuli cervorum nihil pernicius, teste Xenoph. *Cynegetic.* unde Sponsi celeritas, in suppetiis Sponsæ ferendis, *hinnulorum celeritati* confertur, Cant. *c.* 2 *v.* 9. *Similis est dilectus meus capreæ, aut hinnulo cervorum*, V. quoque *v.* 17. & Cantic. *c.* 8. *v.* 14 Nempe ut venatorum adventu, tanquam re insuetà, magis percelluntur, quam cervi jam adulti, ita majore nisu fugiunt & alas pedibus addit timor Sed ille impetus non diu durat: quo enim acriori fugâ auferuntur, eò faciliùs fatiscunt, uti ex eodem Xenophonte Pollux habet *l.* 5. *c.* 12. Pellis illorum νεβρίς, ab Histrionibus, qui Satyros simulabant, adhibita; inprimis in Bacchicis olim Sacris magni fuit usus, uti dicemus infrà, in voce *Nebris.* Plura vero hanc in rem vide apud Bochartum ubi suprà, *cap.* 24.

Hinnus, dicitur ex equo & asina genitus, Varroni *lib.* 2. *cap.* 8. sicut *mulus*, qui procreatur ex asino & equa. Græcis ἴννος, ... & γίννος, V. suprà, *Ginnus.*

Hippace, Plinio *lib.* 25. *cap.* 8. ubi de Scythica herba, seu glycyrrhiza, herbæ genus est. Ita enim is, *In ore eam habentes, famem, sitimque non sentiunt, idem præstat apud eos Hippace dicta, quod in equis quoq; eundem effectum habeat. Traduntq; his duabus herbis Scythas in duodecim dies durare in fame sitiq;* Salmasius vero lac equinum concretum hac voce denotari, docet ex Theopompo, quem Hesychius laudat in Ἱππάκη. Quò alludatur versu illo,

Et lac concretum cum sanguine potat equino.

Nempe duabus his rebus, radice Scythicâ seu glycyrrhizâ, & *Hippace* seu lacte equino concreto sitim tolerabant, vel in duodecimum usque diem Scythæ vett. quod & hodierni faciunt, uti vidimus de *Tartaris.* V. eum *Exercit. Plin. ad Solinum pag.* 1 5.

Hippalus, Gubernator primus navigationem ex Arabia in Indiam alto mari plenisque velis ingressus est, quum antea parvis navigiis sinus circumveherentur, Auctor *Peripli.* In cujus proin honorem Indi Favonio vento, cujus beneficio navigatio illa feliciter succedit, *Hippali* indidere nomen, uti docet Plinius *lib* 6. *cap.* 23. *Indos autem petentibus utilissimum est ab Oceli egredi. Inde vento Hippalo navigant diebus quadraginta, ad primum emporium Indiæ Muzirim.* Ἀνέμῳ verò sic Indis vocitatum, scribit *Peripli* Auctor prætatus. V. Salmasium ubi suprà *pag.* 1185 ut & hic ubi de *Libanoto.*

Hippeum, in *L.* Solonis, apud Plut. Ὅπου μὲν ἐν φρέαρ ἐντὸς ἱππικοῦ, χρῆσθαι, ὅπου δὲ πλέον ἀπέχει, ζητεῖν ὕδωρ ἴδιον. *Publico puteo, qui intra Hippicum sit, utuntor: si majus sit intervallum, privatum sibi quisq; effodiunto*: eidem Auctori stadiorum quatuor intervallum est. Hesychius verò unius tantum stadii facit, Ἱππικόν, τὸ στάδιον: quod Petitus præfert notatione nominis, nam videtur esse illud intervallum, quod sine ulla intermissione equus conficit & decurrit. V. eum *Commentar. in LL. Atticas lib.* 5. *tit.* 1. nec non infra in voce *Puteus.*

Hippius, cognom. Neptuni, Lat. *Equester*, qui primus equos domuisse, artemque equitandi tradidisse fertur, Diodorus *lib.* 6. *cap.* 15. V. quoque Joh. Rosinum *Antiqq. Rom. lib* 2. *cap.* 13.

Hippo Regius, adde: Ad hujus discrimen *Hipponem* alterum Græci *διάῤῥυτον* dixere, *propter aquarum signa*, ut ait Plinius *d. l.* ubi Græcâ voce retentâ *Diarrutum* vocat, uti pro *Dirutum* legi vult Salmasius. Certè & Solinus *Diarrhyton* habet, *cap.* 27. ubi tamen in eo recedit à Plinio, quòd à freto interfluente sic dictum vult. Sed nullum ibi fretum, & uterque Hippo mari adpositus, quorum hic *διάῤῥυτος* dictus est, non ob aliam causam, quam quòd aquarum riguis abundaret. V. Salmasium *ad Solin. p.* 328.

Hippobotus, adde: Seu *Hippobotum*, V. infrà, ubi *de Nisæis Equis.*

Hippocentauri, adde: Bocharto Centaurus vel Hippocentaurus idem est, qui κέντωρ vel ἱππόκεντωρ, i. qui pungit equum. Unde apud Poëtam *Il.* δ.

—— —— *Καδμείοις κέντορες ἵππων.*

Ex κέντωρ dein factum Κένταυρος, ut λάβυρος ex Phœnicio תור *tor* &c. Idem conjectat Ælianus de Italico illo Mare, quem biformem fuisse volunt: *Hippocentaurum* verò, quem Antonio apparuisse dicit Hieronymus, spectrum fuisse diabolicum, facilè ex verbis ejus colligas, qui monstro huic sermonem & humani sermonis intellectum tribuit, quæ in brutum animal neutiquam quadrant. V. Samuel. Bochartum *Hierozoici Part. poster. lib. V. cap.* 10.

Hippodromus & Peristylum, loca erant Alexandriæ, quorum hoc ingens intercolumnium, è quo Hermon elephantos, ad tempus agitatos, in *Hippodromum* suburbanum, ubi Judæi horam morti suæ destinatam expectabant, deduxisse, Maccabeor. *lib.* 3. legitur. Ille, conditus est a Lagi fil. Ptolomæo, qui primus in Ægypto regnavit & de patris nomine locum nunc *Lagium* quoque nominavit, V. Strabonem *lib.* 17. Plutarchum *in Antonio* & Epiphanium *lib. de Ponder. & Mensur.* laudatos Bocharto *Hierozoici Part. prior. lib. II. cap.* 26. Apud Latinos pro Circo vox accepta, Martialis *lib.* 12. *Epigramm.* 5.

Pulverenmq; fugax Hippodromon *ungula plaudit:*

quòd ibi equi de pernicitate certabant. Nempe ἐν τῷ δρόμῳ, item ἀγὼν ἱπποδρομίας, Græcis dictum est equestre cursus certamen, cujus coronam primus Iolaus, equos ab Hercule mutuatus, accepit. Ejus spatium Ἱππικὸς διάστημα, appellatum est, item Ἱππόδρομος, à voce ἵππος, *equus*, & δρόμος, *cursus*. V. Car. Paschalium *Coronarum lib. 6. cap.* 15. & suprà ubi de *Circo*, *Cursu*, *Equis* &c. Addo saltem, *Hippodromum* CPolitanum, qui 550. passus longus, 120 latus est, hodieque *Atmeydan* Turcis appellatum, accuratè describi à Jac Sponio *Itinerar. Part. I. pag.* 231. & *seqq.* ubi, inter alia, typum ejus ex ære exhibet, cum hac *Insc.* Græca, in basi obelisci, à Theodosio, postquam collapsus esset, denuo erecti:

ΚΙΟΝΑ ΤΕΤΡΑΠΛΕΥΡΟΝ ΑΕΙ ΧΘΟΝΙ ΚΕΙΜΕΝΟΝ ΑΧΘΟΣ
ΜΟΥΝΟΣ ΑΝΑΣΤΗΣΑΙ ΘΕΥΔΟΣΙΟΣ ΒΑΣΙΛΕΥΣ
ΤΟΛΜΗΣΑΣ ΠΡΟΚΛΟΣ ΕΠΕΚΕΚΛΕΤΟ ΚΑΙ ΤΟΣΟΣ ΕΣΤΗ
ΚΙΩΝ ΗΕΛΙΟΙΣ ΕΝ ΤΡΙΑΚΟΝΤΑ ΔΥΩ.

Est autem hic obeliscus, ex quinque columnis una, quibus *Hippodromus* iste insignis erat, cùm olim in Stadio non nisi tres columnæ extarent, uti infrà dicemus.

Hippomanes, herba Theocrito in Arcadia nascens,

Ἱππομανὲς φυτόν ἐστι παρ' Ἀρκάσι, τῷ δ' ἐπὶ πᾶσαι
Καὶ πῶλοι μαίνονται ἀν' ὤρεα καὶ θοαὶ ἵπποι;

sic ei dicta, quòd ejus insano desiderio equi teneantur: sed aliis omnibus Auctoribus indicta inauditaque. Ἱππομανὲς nempe virus est, quod effluit ab inguine equarum, quando in Venerem incitantur. Inde tuberculum, quod caricæ magnitudine innatum fronti pulli equini de ventre afferunt & à matribus statim prærodi ait. Quod utrumque ad veneficia & amatoria facere creditum esse olim, ex Aristotele *Hist. Anim. lib. 8. cap.* 24 notum est. Sed præcipuè ad philtra quærebatur caruncula ista in fronte pullorum nascentium reperta. Satyricus,

Et totum tremuli frontem Cæsonia pulli
Infudit ——

Dulcedinem hinnientium vocat Lælius *in Apologia* Appuleji, ubi pleraque philtra describit; *Matri prærep tum amorem* Virgilius,

Quæritur & nascentis equi de fronte revulsus,
Et matri præreptus amor ——

Namque *id statim edito partu devorat feta, aut partum ad ubera non admittit. Si quis præreptum habeat, olfactu in rabiem id genus agitur*, Plin. *lib* 8. *cap.* 42. Sed & prius *Hippomanes tantas in veneficio vires habet, ut, affusum æris mistura in effigiem equæ Olympiæ, admotos mares equos ad rabiem coitus egerit*, Idem *lib. 28. cap.* 11. Ubi indigitat equam ære fusam Olympi e dedicatam à Phormide Arcade, cui magicâ arte, in effigie ejus fundenda, æris mixturæ virus illud affusum erat, V. infrà in voce *Phormis*. Et hujus meminisse videtur Theocritus, illudque non Ἱππομανὲς φυτὸν, *Hippomanem herbam*, sed Ἱππομανὲς χυλὸν, *Hippomanes fusile*, aptè vocasse. Quo pacto & ille liberatur à culpa, & sensus prodit facilis: *Quemadmodum equi furore perciti per montes decurrunt ad* Hippomanes χυλὸν, *quod est apud Arcades: ita Delphis amore præditus relictâ palæstrâ huc statim accurrat.* Præter hæc verò, tertium quoque *Hippomanes* occurrit apud Aristotelem, quod equæ tum ejiciant, ubi semel salitæ, sed non ad satietatem, fuerint; quodq; præcipuè veneuariis & Φαρμακεῦσι expertum tradit, *Hist. Animal. lib. 6 cap* 18. de quo, ut & plura hanc in rem, V. apud Salmasium *ad Solinum pag.* 939. & *seqq.*

Hipponium, adde: Græcè Ἱππώνιον, urbs Bruttiorum, Latinis *Vibo Valentia*, colonia deducta, memoratur Solino *cap. 2. A Zanclensibus Metaurum locatum, à Locrensibus* Hipponium, *quod nunc Vibo dicitur*: Ubi veram lectionem reponit Salmasius. Marcianus,

Ἱππώνιον καὶ Μέδμη ᾤκισαν Λοκροί.

Græcis Ἵππων quoque, unde Latinum *Vibo*. Eò Proserpinam ad legendos flores profectam esse, Strabo ait, διὰ τὸ εὐανθεῖς εἶναι τὰ ἐχόμενα χωρία, *quòd pulchris pratis abundarent circumjecta loca, lib.* 6. Unde apud matronas usus obtinuit, ut sibi quælibet coronas necteret, quas ipsa sibi legisset, vitioque duceretur, si quæ diebus festis emptitias gestaret. C. Paschalius *Coronar. lib. 3. cap.* 18. Inde *Vibonensis Sinus*, quem Ἱππωνιάτην Græci Scriptores vocant. V. Salmasium *ad Solinum pag.* 67.

Hippophaes & *Hippophaos*, phei vel stœbes genus, à magnitudine sic dictum, spinisque ingeniculatum, ante Plinii ætatem, fullonibus in usu fuit ad vestes poliendas, hinc & γναφεῖον appellatum. Nempe Fullones antiquitus acervo spinarum accumulato & contorto vestes pumicabant vellicabantque, eum σαρὸν vocantes & κνάφον: quem ex ipsa hac planta contorta, ut in unum spinæ contraherentur, facere solebant, unde & ipsam φεῶν insuper & σαρὸν nuncupabant. Eundem usum & *Hippophaeston* præbuit, de quo utroque V. Salmasium ubi suprà *pag.* 295. & *seqq.* Postmodum aliæ res ad eundem finem à Fullonibus adhiberi cœperunt, erinaceorum cutis, spinæ aliæ, aliterque dispositæ, ut quas *Irias* vocat idem Plinius, quod instrumentum erat spinis refertum ex hippophæsto &c. V. suprà, ubi de hac Arte.

Hippopotami, cum tigribus, exhibiti occurrunt, apud Capitolinum *in Antonino Pio. Edita munera, in quibus elephantos & crocutas, & strepsicerotas & crocodilos etiam atq;* hippopotamos — *cum tigridibus exhibuit.* Etiam *Hippopotamo sedisse*, legitur Firmius apud Vopiscum. Est autem *Hippopotamus* bellua aquatica, Nili incola, uti crocodilus; magnitudine & corporis mole paucis animalium suppar: hinc θηρίον Græcis, Latinis *Bellua* κατ' ἐξοχὴν, Hebræis *Behemoth*; Quam vocem, apud Hiobum *cap. 40. vers.* 20. de *Hippopotamo*, exponit Sam. Bochartus *Hierozoici Part. poster. lib. V. c* 15. idque eo fidentiùs, quòd *Hippopotamus* animal est amphibium, tam terrestre, quàm fluviatile; neque ullum aquatilium ad terrestrium formam tam propè accedit. Licèt enim in fundo plerunque Nili degat, bovis tamen instar (quem etiam mole corporis & formâ capitis pedumque refert, Italis hinc *bomarin*, h. e. *bos marinus* dictus) ad pabulum prodit, è fluvio,

Χλόης ὅτε χλοάουσα νέον δ' ἀνετέλλεται ποίη.
Pabula cùm incipiunt herbâ florere recenti:

ut Nicander ait *Theriac. vers.* 569. In eo, præter vastam corporis molem, admirationem excitant, robur immane, tergus impenetrabile, stupendus oris hiatus, & portentosa voracitas, can loc dentium & firmitas; mari, terræ & amni vita communis & in tanta corii duritie, inter omnia animalia, bruta ingenium sagacissimum, ut est in Ammiano *lib.* 22. Ob quæ, apud Papremitanos, sacrum fuisse animal. scribunt Herodotus & Plutarchus, quamvis in reliqua Ægypto, tanquam Typhonis symbolum, execrationi fuerit. Ossium inprimis firmitatem quod attinet, major ea in hippopotamo, quàm in elephante est; qui cùm nihil habeat dente firmius, tamen hippopotami dens, non candore solùm, sed & duritie antecedit, Odoard. Barbosa *in Cephala descrip.* quod & confirmant Dieppenses, artifices in ea arte peritissimi, qui belluæ hujus dentem ebore difficiliùs scalpi asserunt. Nec ignotus dentium ejus apud Vett. usus, è quibus Pausanias, in matris magnæ statua Proconnesi, cætera scribit ex auro constitisse, sed faciem ex hoc dente, quo pro ebore usi sint, Καὶ αὐτῷ τὸ πρόσωπον ἀντὶ ἐλέφαντος ἵππων τῶν ποταμίων ὀδόντες εἰσὶν εἰργασμένοι, *in Arcad.* Sed & tantæ soliditatis ac spissitudinis corium ejus est, ut tornetur in hastas & missilia. Δόρατα vocat Philos. *Histor. lib. 2. cap. 7.* Ξυστὰ ἀκόντια, *rasilia tela*, h. e. torno, aut radulâ seu dolabra expolita, Herodotus *in Euterpe.* Poëta,

—— —— *rasa hastilia virga.*

Captura ejus operosa admodum & difficilis est, nec aliter quàm dolo capitur. Nempe circa cubile illius fossa excavata cannis obtegitur & arenâ aggestâ, in qua latet arca, in quam ex improviso bellua decidens includitur, Achilles Statius *lib.* 4. quod non aliter fieri, quàm πολυχειρίᾳ τῶν τοξοτῶν ἔτι σιδηροῖς ἐμβαλλόντων, *multâ manu & molimine cædentium retibus ferreis*, congregatis in eam rem undiquaq; navigiis, ubicunq; apparuerit, refert Diodorus &c. Primus a. *Hippopotamum* Romæ ostendit, in temporario Euripo, Scaurus Ædilis, pater illius quem defendit Tullius: à quo tempore in amphitheatris sæpe visi sunt, ut dictum. Unde apud Calpurnium *Ecl.* 7. Corydon Romæ in Spectaculis, inter cætera, se vidisse narrat,

—— —— *Equorum nomine dignum.*
Sed deforme pecus, quod in illo nascitur amne,
Qui sata riparum venientibus irrigat undis.

Sed ætate Juliani Apostatæ in Ægypto jam defecerant, Themistius *Orat.* 10. *insectantis multitudinis tædio ad Blemmyas migrare compulsi*, ut ait Marcellinus *lib. cit.* ubi hodieque *Hippopotamus* reperitur & *Bichub* vocatur & *Gomar*, quòd in *profundis demersum* hoc animal ea veluti *scrutetur*. V. omnino Bochartum ubi *suprà*, cui adde Salmasium *ad Solinum pag.* 442. & *seqq.* nec non Vossium *de orig & progr. Idolol. lib* 3. *cap.* 56. ubi *de tergoris ejus duritie*; *cap.* 62. ubi *de ejus libidine & impietate in patrem*, *cap.* 85. ubi *de hieroglyphico vett. Ægyptiorum, quo imis Regum sceptrum hippopotamum subjiciebant*, alibique passim.

Hippos, opp. Siciliæ, Steph. de quo, ut & oppido Palæstinæ cognomine, in Reg. Decapolitana. V. Salmasium ubi suprà *pag.* 617.

Hipposelinum, Nemeonicis olim, cum prælatione virtutum, præmii loco datum est. V. Alex. ab Alexandro *Genial. Dier. lib.* 5. *cap.* 8.

Hippo-

Hippothoontis, una ex duodecim Tribubus Atheniensium, ab Hippothoonte Heroë indigena nomen accepit. V. Pausaniam *in Atticis*, p. 4. & 5. Franc. Roisseum *Archaeol. Attica lib.* 1. *cap.* 5. ut & suprà, voce *Demarchi*.

Δῆμοι seu Populi Tribus Hippothoontidis.

Achardus.	Corydallus.
Amaxantea.	Decelia.
Anazaea.	Eleaeus.
Araedae.	Eleusis.
Azania.	Oeum Decelicum.
Caeriada.	Oeum ad Eleutheras.

Sphendale, &c.

Hippuros, portus Taprobanes, apud Solinum *cap.* 53. quem *Hippurus* vocat Plinius *lib.* 6. *cap.* 22. unde Ἵππουρος nomen ejus fuisse, colligit Salmas. *ad Solin. p.* 1117. Aliàs *Hippurus*, Gr. ἵππουρος, inter pelagicos pisces refertur Ovidio & Oppiano, sic dictus: quia pinnarum longitudine *caudam* referat *equinam*, vel potiùs quia instar *equi* ἵππου, i. *equi*, sive concito fertur gradu. Quem Carystium inprimis laudabat Archestratus, apud Athenaeum *lib.* 7. ut suavem, commendabat Epicharmus *in Hebes nuptiis* & Matron parodus, *ibid.* Rondeletio hodie *lampuga* est Hispanorum, qui carne est pingui ac suavi, sed duriori, ut glauci thunnique. V. eum de *Pisc. mar. lib.* 8. *cap.* 19. & Vossium *de Idolol. lib.* 4. *c.* 27. At ἵππουρις, apud Homerum, galea est, ex cauda equina seu setis conum habens, V. suprà.

Hirtia Lex, ab A. Hirtio, qui postea in pugna ad Mutinam cecidit, lata est: *Ut Pompejani ad dignitates non admitterentur*, Cic. *Philipp.* 13. *in Anton. Epist.* Etiam *Hirtia* nonnulli scribunt. V. in voce *Hirtius*. Aliàs *Hircia*, genus farcim inis hircino sanguine inculcatum, quo in sacrificiis olim utebantur. Arnobius *lib.* 7. *Sed si magnificum videtur atq; amplum, jugulare Diis tauros, si illibata, si solida concremari animantium viscera, quid sibi reliqua hæc volunt — apexaones, hirciae, filicerma, longavi?* Festo *ircum* dicitur &c. Salmasius ubi suprà *pag.* 128.

Hircipili, apud Festum sunt *densorum pilorum homines, ab hirco*, animali maximè hirsuto, dicti. Hinc שעירים *Hirci*, idola vel daemones dicti sunt, Levitici *cap.* 17. *vers.* 7. & 2. Chronic. *cap.* 11. *vers.* 5. fortè propter Aegyptios, qui non modò *Hircum* in Deos retulerunt, sed & in ejus cultum tanto furore ferebantur, ut oporteret Sacerdotes, paterna Sacerdotia per Aegyptum suscepturos, huic Deo primùm initiari. Diodor. *Bibl. lib.* 1. Accedit, quòd complures Dii gentium, ut Pan Mendesius, Faunorumque & Satyrorum omne genus, aut hircina specie aut hirco proximâ culti sunt. Et in Majemonide *Mor. Nev. lib.* 3. *c.* 46. Ethnici, apud Arabes & Chaldaeos, Daemones existimabant *Hircipilos* esse. Nempe Diabolus *hirci* specie potissimùm se conspiciendum praebet, uti legimus in Jamblichi *Babylonicis*, & apud Philostratum *Vit. Apollon. lib.* 6. *cap.* 13. Idem judicium de Silvanis & Faunis & Gallorum Dusiis, de quibus Augustinus *de Civ. Dei lib* 15. *c.* 23. Neq; id Hebraeos latuit, qui proin Esaiae *c.* 13. *vers.* 21. & *c.* 34. *vers.* 14. pro voce *hirci*, quae in textu est, ponunt daemonia vel *pilosos*, Graecis reddentibus δαιμόνια & ὀνοκενταύρους &c. V. Bochartum *Hierozoici Parte posterior. lib. VI. c.* 7.

Hircus, inter animalia, quae magnificè incedunt, memoratur Proverb. *c.* 30. *vers.* 31. quod prisci Interpretes intelligunt de hirco, qui praecedit gregem. Hic enim tum non minus, barbae & sexus fiduciâ, quam leo & equus, de quibus *ibid.* cum quadam pompa ac fastu fertur, tanquam capris suis se venditans, quod Aelianum non latuit *lib.* 7. *c.* 26. nec Pollucem *lib.* 1. *c.* 12. *sect.* 19. *Hircos* autem singulos ad denas capras parat Varro *de R. R. lib.* 2. *c.* 3. quâ proportione servatâ etiam inter oves & arietes, Jacob Esavo fratri obtulit cum ducentis capris viginti hircos, & cum ovibus ducentis arietes viginti. Genes. *c.* 32. *versu* 14. Deducit autem capras *Hircus* ad pascua summo manè, unde inter alia nomina, quae Hebraei illi tribuunt, צפיר *tsaphir* quoque, i. *matutinus*, dicitur Dan. *c.* 8. *vers.* 5. & 21. Quod cùm & aliis pecoribus commune sit, id tamen peculiare huic generi, quòd certo anni tempore (nempe tum cùm Canicula ortur cum Sole) eò conversi Ortum respiciunt, Plut. *utra Animal.* &c. Porro *Hirci* ad sacrificia, ad lanienam, ad commercia, ad Venerem, aliaque, non minùs ac ad praecedendem gregem, parati sunt & idonei, ut videre est Psalm. 66. *c.* 15. Ezech. *c.* 27. *versu* 21. Prov. *c.* 27. *vers.* 26. Genes. *c.* 31. *vers.* 10. & Jer. *c.* 50. *vers.* 8. In quibus proin locis omnibus עתודים *i. parati*, dicuntur, unde Phrygium *Attidis* vel *Athydis*, qui Cybeli in deliciis fuit, nomen deducit Cl. Bochartus. Certè hircinum esse nomen Atydis & ab hirco sumptum, apertè docet Arnobius *lib.* 5. De usu eorum in V. T. Sacris, V. inprimis suprà in voce *Azazel*. Quem cacozeliâ suâ imitati Gentiles, eandem victimam Baccho immolarunt, quòd vites rodat. Martialis *lib.* 3. *Epigr.* 24.

Vite nocens rosâ stabat moriturus ad aras
Hircus, Bacche, tuis victima grata sacris.

Sed & Athenienses, ingruente bello, in campis Marathoniis, vovisse totidem Dianae *hircos*, quot peremissent hostes, notat Cael. Rhodiginus *Antiqq. Lection. lib.* 23 *cap.* 26. Contrà *Hirci* à Mendesiis culti, apud quos foeminae quaedam, quod relatu horrendum eaeque non de plebe, se iis foedè submittebant, tanquam religione addictae, idq; ἀναφανδὸν aliquando, ut ait Herodotus, propalàm:

Tantum religio potuit suadere malorum:

V. Aelianum *Histor. lib.* 7. *c.* 19. ut & in voce *Mendes*. Ἀ' qua tamen foeditate abominanda animal aliàs salacissimum & à mulieribus formosissimis provocatum nonnunquam abhorruisse, testatur Plutarchus *lib. quòd bruta ratione utantur.* Nempe sola in brutis natura saepe plus potest, quàm in homine ratio sibi relicta. Atque hinc Moses, Levit. *c.* 17. *vers.* 7. ubi Israëlitas ex Aegyptiaca servitute liberatos offerre vetat ampliùs sacrificia sua *pilosis, cum quibus fornicati erant*; sic illos à cultu hircorum dehortatur, ut videatur simul alludere ad impurissimas has Aegyptiorum libidines, eidem Bocharto: ut taceam templa ab iisdem animali huic erecta, festosque dies consecratos, de quibus V. Eliam Cretensem *in Naz. Orat.* 4. Nisi malis Panem in hirci forma in cultum, hincque id animalis pro sacro habitum, qua de re V. quae suprà diximus. Alia quaedam ut adjiciam, *Hircum* Tragicis Poëtis praemium fuisse, docet Scaliger *Poëtices lib.* 1. *c.* 44. & innuit id ipsum *Tragœdia* nomen. Sed & *Hircos*, in Circensibus, pueri olim equitabant phaleratos atque capistratos. Anyte *Antholog. lib.* 1. *c.* 33. *Epigr.* 28.

Ἡνία δή [illegible] παῖδες ἔοι, τράγε, φοινικόεσσα
Θέντες, καὶ λασίῳ φιμὰ περὶ στόματι,
Ἵππια παιδεύουσι θεοῦ περὶ ναὸν ἄεθλα,
Ὄφρ' αὐτοὺς φορέῃς ἦκα γεγηθότας.

Purpureas tibi pueri, ô hirce, habenas
Imponentes & capistrum circa hirsutum os:
Equestria ludunt Dei circa templum certamina,
Ut ipsos portes blandè exhilaratos.

V. suprà quoque in voce *Capella*. Insuper *hircinae barbae* suffitu Arabes morbis suis occurrisse; eosdem in *hircinis pellibus* styracem urere consuevisse, ad sanandum odorum suorum fastidium, tradit Plinius, ubi de *Styrace*, qua de re V. Salmasium *ad Solinum pag.* 541. Sed & *hircorum*, aut hinnulorum pellibus, qui Satyrorum in Theatris personam sustinebant, indui solitos, Pollux habet. Pyrrhi galeam *cornibus hircini*, fuisse insignem, refert Plutarchus in *Vita* ejus: & cui ignota *cilicia*, à *Ciliciis hircis*, quorum setae productae & hirsutae illis texendis erant optimae, ut & Cinyphiorum, nomen nactae? V. suprà in ea voce &c. Caeterùm in Arabia inprimis ingens hujus pecoris proventus est. Unde *Arabes* Josaphato Regi pro tributo solvisse leguntur arietum septingentos ultra septem millia totidemque hircorum, 2. Paralipom. *c.* 17. *versu* 11. notaque, quae de Arabum Nabathaeorumque hircis, in historia ladani, habent Herodotus *lib.* 3. *c.* 112. & Plin *lib.* 12. *c.* 17. Translata vox ad Principes, qui, uti *Arietes*, sic & *Hirci*, quandoque appellantur, occurrit Esai. *c.* 14. *vers.* 9. & Dan. *c.* 8. *versu* 5. in quo posteriori loco Alexander *Hircus caprarum* vocatur, V. Commentatores *ad eum*, & plura hanc in rem, apud Sam. Bochartum *Hierozoici Part. prior. lib. II. c.* 53. & 54. Vossium *de orig. & progr. Idolol. lib.* 3. *capp.* 62. 69. & 71. alios.

Hirdstraa, appellatum est *vetus Jus Aulicum Norvegicum*, cum Jani Dolmeri Dani *Lat. versione & Notis* editum; à voce Saxon. *Hired.* i. conventus, familia, seu Dan. *Hird*, Aula, domus, & *straa*, Leges scripto comprehensae. C. du Fresne *Glossar.*

Hirmanni, apud Anglo-Saxones, videntur iidem Spelmanno fuisse, qui *Arimanni* apud Longobardos: Somnero vero iidem fuere cum *Hirdemannis*, h. e. *Aulici*, in *Jure Aulico Norveg.* sic saepiùs appellatis, V. hic suprà.

Hirmologium, liber Eccles. apud Graecos, Εἱρμολόγιον dictus, quòd εἱρμοὺς contineat omnes *Officii lucidium* & *Deiparae solemnitatum ac totius anni*. Est autem iis *Hirmus* seu Εἱρμὸς hymnus seu troparium, à quo reliquorum tropariorum, quae in ea ode canerentur, consequentia & species ducebatur, uti docet Allatius *Dissertat.* 1. *de libris Eccl. Graecor.* ex Simeone Thessalon. Archiep. *lib. de Templo, Sacerdote & Mystagogia*, & Zonara *Commentar. in Can. Anastasimos Damasceni in Proœm.* In Ecclesia Latina *Tractum* appellari vult Meursius, sed *tractum* à trahendo dictum, eò quòd *tractim* cantetur, nec, quae subsequuntur, ad illius Musices normam concinantur: *Hirmum* verò esse canonem & regulam modulationis subsequentium tropariorum, ait idem; qui & *Hirmos* Musicalibus notis à Joseph. Cucuzele digestos asservari in Bibliotheca Barberina, adnotat. Caeterùm Εἱρμῶν frequentissimam mentionem fieri in *Euchologio*, *Menologio*, *Paracletice* & reliquis Graecorum *Ritualibus*, docet Cl. Suicerus *Thesauro Eccles.* voce Εἱρμός.

Hirpex, à Graeco ἅρπαξ, Ἁρπάγη Euripidi,

Σιδηρᾶ σκάπτων ἅρπαγι τὰ μὲ πέδον.

Ἑρπὴς Hesychio: Festo *genus est rastrorum ferreorum, quod plures habet dentes ad extirpandas herbas in agris*: hincque quòd *rapiat* & verrat quae in terra serpant inutilia, & sic agrum purget ac mundet, nomen accepit. Ἀ' cujus instrumenti similitudine occatorias quoque crates seu rastra dentata, quibus occabatur ager ad glebas comminuendas, & exaequandas, Rusticos *irpices* vocasse, docet Servius *ad illud Poëtae*,

Viminibusq; trahit crates ——

Quam

Quam vocem hodieque retinentes Galli crates hujusmodi dentatas, quibus semina, postquam jacta sint, operiunt. *Herses* vocant. Utuntur autem ut plurimum hujusmodi *hirpicibus* in iis agris, qui nec depressos habent sulcos, nec porcas extantes. Quales agri non solent inarari jactis seminibus, sed arantur, priusquam serantur, dein tractis illis cratibus dentatis operiuntur terrâ semina: quem serendi modum Gallis vindicat Plinius *lib.* 18. *cap.* 24. V. Salmasium *ad Solinum pag.* 729.

Hirsfeldia, Abbatia Germaniæ, cum tit. Principatus: cujus Præsules cùm ab aliquot jam seculis, ad depellendas vicinorum Nobilium injurias, quas à Buchenaviis, Goerziis, aliisque varias pertulere, aliena ope indigerent; Friderico Misniæ Marchioni à Ludovico V. Imp. A.C. 1317. postea Gunthero Trevirorum Archiep. atque Falckenstensis Comitibus A.C. 1398. tuendi traditi sunt. Tandem Albertus Abbas, perpetuo patrocinio Ecclesiæ suæ consulturus, à Ludovico Hassiæ Landgravio illis legibus illud obtinuit A. C. 1432. *Ne unquam à Landgraviis Abbatia avelleretur, quorum fidei spontaneâ clientelâ se submiserit; ut arcibus atq; urbibus, præsidiis Hassicis, quamvis Landgraviis lubeat, firmandis viribúsq; contra quoscunq; hos juvare obstricta esset*: translata in eosdem facultate redimendi bona, aliis ab Abbatibus obligata &c. In quam formulam utrinq; repetitis pactionibus consentium est A. C. 1458. & 1490. Postea Philippus, metu amittendorum jurium ex Abbatia ista à Majoribus paratorum, quem Volperti Antistitis tentata in Abbatiam Fuldensem *incorporatio* intenderat, ad novas conditiones Cratonem Abbatem adegit A. C. 1517. *Ne viz. unquam* Hirsfeldia *alienæ Ecclesiæ accessio fieret, neve ad Præsulatum ejus alia quàm Electionis aut Postulationis via, neq; iis pateret, qui sacri Principatus dignitate jam ornati aut Hassiæ Landgraviis exosi essent.* Bello dein Rustico, quo subditi quoque Abbatis correpti, *Hirsfeldiam* velut belli jure ingressus, Urbem immunitatibus, Abbates atque Capitulares libertate exuit, atque per totam illam ditionem publicæ Religionis cultum mutavit. A' quo tempore cum subditis suis in ordinem redacti *Hirsfeldiæ* Principes propiùs servitio, quàm imperio, abfuere, donec Hassi melius rati, si Abbatum jure nomineque ipsi regnarent, non multo labore, quod voluere, indepti sunt; Ottone Mauritii filio primùm Joachimo Abbati & isti fratre Guilielmo, qui morituris succederent, subrogato. Quod cùm Rudolfus II. & Matthias Impp. proposito edicto, nemine tamen nominato, improbarent A. C. 1617. non tamen cessere Catti; quin potiùs Pace Westphalicâ id tandem impetrarunt, ut satisfactionis loco, ob accepta a Pontificio milite damna, flagitatæ, terram istam *secularis Principatus* nomine sibi retinerent. Tob. Pfannerus *de præc. Germ. Principp. Gentib.* c. 8.

Hirudo, apud vetustiores Latinos, quasi *hiludo*, ex Græco ἴλυς, *palus*, quòd in paludosis locis degat; Græcis βδέλλα, à verbo βδάλλειν, quod *exsugere* notat. Hebr. עלוקה *alaka*, dicitur, à *pendendo* & adhærendo. Non enim est

—— missura cutem, nisi plena cruoris ——

Quò respiciens Plautus *Epidico Actu* 2.

—— jam ego me vertam in hirudinem,
Atque eorum exsugebo sanguinem.

Atque hinc in Medicina ad eliciendum sanguinem *hirudines* adhibentur; sed si aliquando affixæ capita relinquant, insanabile inde vulnus, & certa pernicies. Uti de Messalino è Consularibus patriciis, cùm ad genua admisisset, apud Plinium legimus *lib.* 32. c. 10. Sed & aliquando corpus subingrediuntur. Et tum, *si in ventriculo aut intestinis hæreant, per secessum, muriæ exhibitione, pelluntur: Si in faucibus; æger in solio calido ad mentum usque demersus, frigidam ore copiosam continet, cujus illecebrâ* hirudo *allecta, calorem fugiens, egreditur*, Æginetа *lib.* 5. *c.* 36. & Aetius *Tetrab. lib.* 4. *Serm.* 1. c. 56. Plinii ævo *Sanguisuga* vox in usum venit, in qua infrà plura.

Hirundo, avis migratoria est. Anacreon *Ode* 33.

Σὺ μὲν φίλη χελιδὼν
Ἐτησίη μολοῦσα,
Θέρει πλέκεις καλιήν,
Χειμῶνι δ' εἰς ἄφαντος &c.

Abit autem hibernis mensibus, & sub veris initium redit. Unde apud Theognim *lib.* 3. de Rhodiorum sacrificiis, ita incipit cantilena, quam ostiatim canebant οἱ χελιδονίζοντες, i. *Agyrtæ, qui* hirundinem *venisse nuntiabant*. Ἦλθ' ἦλθε χελιδὼν καλὰς ὥρας ἄγουσα, καὶ καλοὺς ἐνιαυτοὺς, ἐπὶ γαστέρα λευκὰ, κἠπὶ νῶτα μέλαινα, *Venit, venit* hirundo, *pulchra tempora adducens & pulchros annos, albo ventre & nigro dorso.* Et, uti Theon ad Aratum scribit, piscem Borealem Vett. cum *hirundinis* capite pingebant, & ἰχθὺν χελιδόνιον vocabant, quæ veris præludium ortu suo significabat. Mora earum 6. mensium; uti enim initio veris veniunt, sic recedunt in fine æstatis. At quò migrent, non compertum est. Isidorus in genere. *Maria*, inquit, *transvolat ibiq; hieme commoratur* hirundo. Herodotus, de Æthiopia sub Ægypto *lib.* 2. *cap.* 22. milvos & *hirundines* toto anni tempore ibi esse, nec per hyemem discedere, ait. Anacreon *ubi suprà*.

Χειμῶνι δ' εἰς ἄφαντος,
Ἢ Νεῖλον, ἢ 'πὶ Μέμφιν.

Hyeme autem non conspiceris,
Sive Nilum, sive Memphim petat &c.

Utut sit, discedens agmen deserere apud eas grave crimen, si fides Martiali *lib.* 5. *Epigr.* 68.

Hibernas peteret solito cùm more recessus,
Atthides in nidis una remansit avis.
Deprendêre nefas ad tempora verna reversæ,
Et profugam volucres diripuere suæ.

Sed & à frigore manentibus non leve periculum. Plinius *lib.* 2. *cap.* 37. *Signum orientis sideris* (Arcturi) *servetur hirundinum abitu, namq; deprehensæ intereunt.* Tamen in apricis locis quasdam manere certum est, quæ non moriuntur omnes, sed mutantur & deplumantur, Aristot. *Hist. Animal. lib.* 8. c. 16. & Plin. *lib.* 10. c. 24. Cujusmodi *hirundini* Eutropii Eunuchi jam effœti depile caput & tineâ exesum confert Claudianus *in Eutropium lib.* 1. &c. Cæterùm, *Hirundines Thebarum tecta subire negantur, quoniam urbs illa sæpe capta sit: nec Bizia in Thracia, propter scelera Terei*, Plin. *lib.* 10. *cap.* 24. Qua de re V. ubi de *Philomela, Progne, Tereo.* Cujus tamen facinus in Daulide Phocidis ponit Pausanias, & inde esse ait, quòd in illa regione *hirundines* non nidulentur, neq; ova excludant. Eidem volucrum *soli flexuosi volatus, velox celeritas: quibus ex causis neque rapinæ cæterarum avium obnoxia est. Eadem demum sola avium non nisi in volatu pascitur*, Plin. ubi modò. Nempe, cùm multæ aliæ sint aves, quæ & flexuosè volent & celeritate præstent, nullæ tamen sunt, quæ volatum flexuosum tanta velocitate expediant. Hinc ab hominibus aliquando ad varia celeriter annuntianda adhibitæ. Plinius *ibid. Cecina Volaterranus equestris ordinis quadrigarum dominus, comprehensas in urbem secum auferens, victoriæ nuntias amicis mittebat, in eundem nidum remeantes illito victoriæ colore. Tradit & Fabius Pictor — cùm obsideretur præsidium Romanum à Ligustinis*, hirundinem *à pullis ad se allatam: ut lino ad pedem ejus alligato nodis significaret, quoto die adveniente auxilio eruptio fieri deberet* &c. A' fusco earum colore *Chelidonia aspides*, & *Chelidoniæ gemmæ*, nomen accepere, de quibus V. aliquid suprà. Sed & in *Hirundinis* nido lapis *Icterias*, h. e. quo sanantur Icterici, reperiri dicitur, docetque Bochartus, eius pullos croco tingi ab Arabibus, quo viso pater, eos ictero laborare suspicatus, lapidem illum ex India in nidum afferat & pullis supponat, *Hierozoici Part. poster. lib.* 1. *c.* 10. ubi plura alia de hac ave. Adde Gerh. Jo. Vossium *de Idolol. lib.* 3. *capp.* 15. 73. 78. 82. 84. 85. 97 ubi de eadem: & *lib.* 4. c. 19. ubi de *Hirundine*, pisce volucri &c.

Hirundo, machinæ bellicæ species. Henricus Rosla *in Herlingsberga*, apud du Fresne *Glossar.*

Non hic unigena fabricatur machina: nempe
Hæc Librilla, quasi saxea pondera librans:
Obtinet illa Suis, sed Hirundinis *hæc: sua Aselli*
Illa vocata notâ &c.

Hirundo Marina, piscis est volans, Hisp. *Volador*, cujus ala plusquam palmaris, asservatur in *Musæo* Kircheriano Romæ. Ibidem *Hirundo Marina* pendula, ventos spirantes extra Musæum monstrat. Pisciculus nempe in Musæi laqueari intra nauticæ pyxidis ventorum schemata & differentias ad mundi plagas collocata referentia, pendulus est; qui se continuo motu agitando nunquam quiescit, nisi supra venti ejus rhombo, qui extra Musæum spirat. Itaque ad stantium ventorum varietatem, in loco ventis impervio, rostro suo ad rhombum spirantis venti se perpetuò convertit. Georg. de Sepibus *in Collegii Rom. S. J. Musæo pag.* 23.

Hispania, adde: De ea sic M. Cato apud A. Gellium *lib.* 2. c. 22. *Sunt in his regionibus*, inquit, *ferrariæ, argenti fodinæ pulcherrimæ, mons ex sale mero magnus: quantum demas, tantum accrescit.* Hinc maximam argenti fodinam ad novam Carthaginem fuisse, quæ continuo labore 40000 hominum singulis diebus 20000. drachmarum Populo Rom. tribuerit, testatur Strabo *lib.* 3. & vicena millia pondo argenti annis singulis Asturiam, Galliciam ac Lusitaniam exhibuisse, aliorum fide commemorat Plinius. Erat & χρυσῖτις ἄμμος, *aureum sabulum*, quod *baluca* vel *balluca* incolis dicebatur, teste Plinio modò laudato *lib.* 33. c. 4. Ejus mentio in Jure quoque Civili *l.* 1. *Cod. de Metall.* & *l.* 3. & *seqq. Cod. Theodos. eod. tit.* De arena illa autem seu sabulo ita Plinius: *Apud nos tribus modis* (aurum invenitur) *fluminum ramentis, ut in Tago Hispaniæ, Pado Italiæ, Hebro Thraciæ, Pactolo Asiæ, Gange Indiæ: nec ullum absolutius aurum est, cursu ipso tritúq; perpolitum. Alio modo puteorum scrobibus effoditur.* De puteis quoque Strabo: & inter hæc ramenta nonnunquam grandiores deprehendi massas, annotant Scriptores neoterici, Petrus Martyr inprimis &c. Nec præclaros solùm viros dedit hæc regio variis temporibus, verùm etiam Arabicæ Philosophiæ satis diu sedes fuit, à quo tempore Mauri in *Hispaniam* fuere post Rodericum transgressi. Cordubæ inprimis, qua de re V. Georg. Hornium *Histor. Philos. lib.* 5. c. 10. Victi à Romanis Hispani, in eorum habitum transierunt & togati incedere cœperunt: calceos verò antiquitus è sparto, (quod *Hispanica herba* & *Hispanicus juncus* Vett. dictum, V. Salmasium *ad Solinum pag.* 264 & infrà ubi de *Sparto*) sicut è papyro Ægyptii habuere. Quare Plinius de sparto, quod in Hispania frequens,

frequens, cùm loquitur, ait: *Hinc strata rusticis, hinc calceamina, & pastorum vestis*: Quod hodieq; obtinere, docet B. Balduinus, qui se eos in Gallia sæpe in sparteis ejusmodi calceis incedere vidisse, testatur Istiusmodi calcei iconem habes, in Auctoris hujus *edit. ult. Amstelodami A.C.*1667. *p.*23. In bello, lanceæ illis & clypei seu scuti, quâ *Cetram* vocavere, olim usus. Liv. *Dec.*4. *lib.*1. *Hispani sine ulla mole in utres vestimentis conjectis ipsi cetris suppositis incumbentes, flumen tranavere.* Jul. Cæsar *de bello Civ. lib.* 1. *Erant legiones Afranii tres, Petreji duæ, præterea scutatæ citerioris Hispaniæ, & cetratæ ulterioris Hispaniæ cohortes circiter octoginta* &c. Hinc *Hispan*⁹ & *Hispaniensis*, quæ Veteres sic distinxere, ut *Hispanus* diceretur, qui origine & patria talis esset; *Hispaniensis*, qui alibi ortus ibi moraretur. Ut *Hispaniensem exercitum* vocat Suetonius *Vespasiano c.* 6. qui in illa provincia erat collocatus, nec tamẽ ex illa provincia esset. Omnes enim legionarii cives Romani erant. At illud discrimen posterioribus neglectum. Unde apud Vopiscum Bonosus *domo Hispaniensis* dicitur, qui origine Hispanus erat &c. Solinus *res Hispanienses*, de rebus Hispanicis dixit, & Hispaniæ quidem nativus. Salmasius *ad eum p.* 840. V. quoq; eum *p* 260. ubi de *Hispaniæ, post Constantinum M. in VI. provincias facta divisione.* At *Hispanus*, apud Thvvroczium *in Chron. Hungar. I. part. c.*15. ubi de Attila & prælio Catalaunico, nomen dignitatis militaris est. A' cujusmodi *Hispanis* Capitaneis ortum nomen apud Hungaros *Ispan* quidam censent, quibus idem est ac *Comitatus*, Judicium provinciale, cui sc. *Hispanus* Capitaneus præerat. C. du Fresne *Glossar.*

Hispanus Petrus, V. infrà *Petrus Hispanus.*

Hister, Tuscis ludio vocabatur, hoc est saltator: unde Romani rem pariter cum nomine accepere. Salmasius *Not. ad Flavium Vopiscum Carino Imp.* V. quoq; in voce *Histrio*.

Historia, quæ ad memoriam refertur, sicut Poësis ad phantasiam & Philosophia ad rationem, Cadmi inventum perhibetur Plinio *lib.*5. *c.*56. estq; vel *Naturalis*, vel *Civilis*. Illa naturæ res gestas & facinora commemorans, pro triplici ejus statu, prout nempe illa vel libera est & cursu consueto se explicans; vel a pravitatibus & insolentiis materiæ contumacis, & ab impedimentorũ violentia, de statu suo detruditur; vel deniq; ab arte & operâ humanâ constringitur fingiturque: subdividitur, *in Historiam Generationum, Prætergenerationum & Artium* seu Mechanicam & Experimentalem; quarum prima libertatem Naturæ, altera errores, tertia vincula pertractat. Ista, nempe *Civilis*, in tres quoq; species dispescitur, *Sacram* sive *Ecclesiasticam*, *Civilem* in specie dictam, & *Literarum ac Artium*. Quarum hæc ultima ex omni memoria repetit, quæ Doctrinæ & Artes, quibus mundi ætatibus & regionibus floruerint; Ista exempla Majorum, vicissitudines rerum, fundamenta prudentiæ civilis, hominumq; nomen & famam, suæ curæ commissa habet, & in *Memorias*, *Antiquitates* ac *Historiam justam* (hæcq; iterum in *Chronica*, *Vitas* & *Relationes*, & Chronica in *Historiam Universalem* ac *Particularẽ*, item in *Annales* & *Acta Diurna*) subdistinguitur: Illa, sc. Sacra seu Ecclesiastica, res ad Ecclesiam spectantes persequitur, & tres iterum partes habet. *Historiam Eccl.* in specie sic appellatã, *Historiam ad Prophetiam* & *Historiam Nemeseos* seu *Providentiæ*. Quarum illa Ecclesiæ militantis tempora & statum diversum memorat, sive illa fluctuet, ut Arca in diluvio, sive itineretur, ut Arca in eremo, sive consistat, ut Arca in templo. Secunda singulis è Scriptura prophetiis eventuum veritatem jungit. Tertia, vindictas Dei feras & inopinas, salutes subitò affulgentes & insperatas, consilia divina per ambages rerum tortuosas & stupendas spiras, tandem se manifestò expedientia & similia, pertractat. Appendices *Historiæ*, quæ circa *verba* hominum (quemadmodum Historia ipsa circa *facta*) versantur tres constitui possunt, *Orationes*, *Epistolæ* & *Apophthegmata*. De quibus omnibus V. accuratissimè disserentem, Franc. Bac. de Verulamio de *Augmmt. Scientiar. lib.* 2. *capp.* 12. *prior.* Methodum verò *Historiam*, Civilem inprimis, legendi, egregiam, præscribit Just. Lipsius *Chil. Epist. p.* 463. ipsos autem *Historicos* omnis ævi, paucis enarrat & de quovis eorum judicium fert, Gerh. Jo. Vossius *de Historicis Gr. & Lat.* Ut de *Historico tempore* aliquid adjiciam, Varro Mythicum tempus usque ad primam Olympiadem deducit, & inde Historicum tempus facit incipere. Alii ab Heraclidarum Reditu illud ordiuntur. Et quidem Scaliger *in Eusebianis*, quatuor nobilia intervalla, inter cladem Ilii & primam Olympiadem notat, quibus tanquam metis designaverint tempus illud vett. Chronologi, Herodotus, aliique Primum est, Ἡρακλειδῶν κάθοδος, *Heraclidarum Reditus*, à Troja capta, LXXX. an. Secundum, Οἰκισμὸς Λέσβου κατὰ πόλεις, *Habitatio Lesbi per urbes singulas*, post cladem Ilii CXX. Tertium, Ἰωνικὴ ἀποικία, καὶ κτίσις Κύμης Φρικωνίδος, *Jonica transmigratio & Cumæ Phriconidis extructio*, post Trojam CXL. Ultimum. Κύμης ὑπὸ Σμυρναίων, *Cumæ à Smyrnæis condita initia*, CLVIII. post Trojam. De quorum primo V. suprà, *Heraclidarum Defensus.*

Historiæ, dicuntur Ecclesiæ Rom. Scriptoribus, Lectiones, desumtæ ex libris Historicis Vet. Testam. & aliis, quæ in Ecclesia statis diebus recitantur, V. C. du Fresne *Glossar.* ubi versus, *Historias* per circulum anni continentes.

Historiographus, Pictor historiarum, apud Ugutionem. Ἱστοριογράφος Μανάσσης, in *Inscr.* quæ visitur in æde Deiparæ Betleemitana, legiturq; apud du Fresne *ad Joinvilliam Dissertat.* 27. Ἱστορεῖν

h. & ἀνιστορεῖν Græcis recentioribus pingere est, Joann. Damascen. *in Synodica ad Theophilum Imp.* Unde Italorum *historiare* &c. Car. du Fresne *Glossar.*

Histria, adde: de *Histria* vel *Histricæ civ. excidio* V. Capitolinum *in Maximino & Balbino.*

Histriones, adde: De his lex Solonis, Μὴ ὑποκρινέσθω ἐλάττω ἐτῶν, καὶ τριάκοντα γεγονώς, *Histrio fabulam ne agito annorum triginta minor.* Athenis enim *Histriones* omni notâ vacui erant & Poetæ ipsi cives Attici in scenam prodibant, quod de Sophocle, Aristophane, aliis, observatum est veteribus. Romæ verò notabantur infamiâ. Unde Laberii querela, quem asperæ libertatis Equitem Romanum Cæsar invitavit quingentis millibus, ut prodiret in scenam & ipse Mimos ageret, quos scriptitabat:

Ergo bis tricenis annis actis sine nota
Eques Romanus, Lare egressus meo,
Domum revertor Mimus. Nimirum hoc die
Uno plus vixi, mihi quàm vivendum fuit.

Scilicet: *Ait Prætor: qui in Scenam prodierit, infamis est.* Unde factum, ut Scenici spectaculorum deberentur obsequiis eaq; Scenicis nati non possent detrectare, sed vel inviti ad ea præstanda adigerentur. Nec nisi dubiis in rebus Reip. ad arma vocabantur: & primus Valentinianus Imp. A. C. Dionysiano 371. constituit, licere Scenicos, in extremo vitæ periculo constitutos, baptizare, &, si fortè evasissent, noluit ad scenam revocari. Mulieres verò Scenicis prognatas, antequam possent scenica præstare officia, sacro tingere lavacro licebat *l.* 1. *Cod. Theod. de Scenicis.* Imò & mulier Scenica, quæ, in Ecclesiam Christi admitti & baptismate tingi desiderans, postulabat eo nomine vacationem officiorum scenicorum, impetrabat eam *l.* 8. *Cod. Theod.* Si verò, postquam religionis obtentu hanc veniam nacta erat, quæstum corpore fecisset, in Scenam revocabatur, & *ministeriis ludicris* pœnæ ergò deputabatur, id est, repræsentabant tales non nisi [illegible] seu ridiculas anus, donec ipsæ revera senectute fierent deformes: Sed nec tunc quoq; absolvebantur, quanquam non possent non pudicè, quod ævi reliquum supererat, agere propter servitutem ac deformitatem. Inter *Histriones* tamen infames non censebantur, qui agebant Atellanas. Has enim & iis sparsim conserta Exodia tenuit olim Romana juventus nec *ab Histrionibus pollui passa est*, Liv. *lib.* 7. Postea tamen fabulas illas cùm *Histriones* quoq; agere cœpissent, illi inter cæteros ludiones honestissimi, & cum cæteri infamia notarentur, neq; pro civibus haberentur, Attellanarum actores neq; tribubus movebantur, neq; à militaribus stipendiis repellebantur. Val. Maxim. *lib.*2. *c.*1. Dicti autem hi sunt *Juvenes*, quorum ludos meminerunt veteres Inscript. & Callistratus *lib.* 6. *de Cognitionibus*, apud Jurecoss. *l.* 28. *§.* 3. *D. de Pœnis.* V. Sam. Petitum *Comm. in Leges Atticas lib.*1. *tit.*1. *p.*75. & *seqq.* E' scena in convivium Comœdos, & *Histriones* & Archimimos & Pantomimos familiares frequenter, jam indè à devicta Asia, inductos, conqueritur Livius *lib.* 39. *Luxuriæ enim peregrinæ origo est ab exercitu Asiatico invecta in urbem. Ii primùm lectos æratos, vestem stragulam pretiosam, plagulas & alia textilia, & quæ tũ magnificæ supellectilis habebantur, monopodia & abacos Romam advexerunt. Tum Psaltriæ Sambucistriæq;, & convivalia ludionum oblectamenta addita epulis.* Et notat de luxu Metelli Sallustius *Histor. lib.*2. *Ad cœnam invitato exornatas fuisse ædes per aulæa & signa, scenasq;, ad ostentationem* Histrionum *fabricatas.* Hinc apud eundem *in Jugurtha* Marius, *Sordidum me*, inquit, *& incultis moribus ajunt, quia parum scitè convivium exorno, neq;* Histrionem *ullum, neq; pluris pretii coquum, quàm villicum, habeo.* V. Pignorium *lib. de Serv.* & Tit. Popmam *de Operis Servor.* Addam paucis, *Histriones* scenam ingressos, populum salutasse. In vet. *Epigr.* de Pantomimo,

Ingressus scenam populum saltator adorat:

Unde Neronis in scenam prodeuntis vox, Κύριοί μου εὐμενῶς μου ἀκούσατε, Dioni notata. Baculum autem in manu habebant, eumque pro argumento fabulæ, formâ ac materiâ varium, (cujus loco sceptrum erat, cùm Regem saltarent) uti de eodem Nerone docet Philostratus, *lib.* 5. Dein, prooemium recitabant, quo spectatorum suo gregi benevolentiam conciliarent, idque coronati, more Oratorum, fausti ominis ergò, Dionys. Halicarnass. *Antiqq. lib.* 3. V. suprà ubi de *Coronario ære.* Iidem è Scena discedentes plausum petebant, eaque erat extrema fabulæ clausula. Erat illa,

Δότε κρότον, καὶ πάντες ὑμεῖς μετὰ χαρᾶς κτυπήσατε.

Quibus verbis vitæ suæ mimum quoque Augustum clausisse legitur, apud Suetonium *cap.* 99. Quod si quid commisissent, *virgis* in eos animadvertebatur, hisque per trina Theatra cæsi traducebantur; quod jus, Magistratibus ademptum, Augustus ipse severissimè exercuit, ut de Stephanione docet Suetonius. *cap.* 45. Nec omittendum, *Histrionibus* in Scena, velut in Templo, neque exscreare, neque mungere licuisse, uti ad eundem Auctorem notat Casaubonus *Nerone cap.* 24. &c.

Histrix, adde: Idem Ordo *Camalli* dictus est, juxta Carol. du Fresne, institutus à Carolo Aureliani & Vadensi Duce; à *camallo*, quod conspicitur in torque, in cujus ima parte pendet *histrix*, surrectis echinis horrida, virenti humo insistens & collum camallo tecta: *histrici* verò impendet corona Ducalis, ut in Casulis & Dalmaticis, olim ab eodem Duce Cælestinis Parisiensibus

donatis. Meminere præterea hujus Ordinis Monstrelletus Volum. 1. & 2. Joannes à S. Gelasio in *Vita* Ludovici XII. Petrus Sanjulianus *in Miscellan. Histor pag.* 734. &c. Porro *Histrix*, in Gallicis quibusdam monetis visitur. Et quidem sub Ludovico XII. prodierunt *Scuta cum Histrice*, Gall. *Escus au Porc espic*, in quibus binæ histrices scuti latera ambiunt: in aversa parte crux conspicitur in muris Pontici vellus desinens, inter binas histrices & bina *L.* pond. 2. den. 17. gran. pretii 36. sol. 3. d. Turon. Similia Franciscus I. successor ejus cudi curavit. Idem Ludovicus *Magnos Albos cum Histrice*, Gall. *Grans Blans au Porc-Espic*, dictos *Ludovicos*, signavit, pond. 2. den. l. 4. den. 12. gr. cum cruce inter 4. lilia & Inscr. SIT NOMEN DOMINI BENEDICTUM: in aversa parte, cum scuto & 3. liliis coronato & ab histrice sustentato, ac Inscr. LUDOVICUS FRANCOR. REX. C. du Fresne in voce *Moneta*. De ipso verò animali V. infrà in voce *Hystrix*.

H O.

HO. in Notis antiquorum, *Homo* vel *honestus*. HO. Nº. *Homo honestus*. HOM. itidem *Homo*. H. HON. *Homo honestus*. HOR. *hora*. H. P. *honesta persona*. H. R. I. P. *hic requiescit in pace*, denotat, Fr. Gouldmannus.

Hoang, fluvius Sinici Imperii celeberrimus, Latinè *Croceus*, seu luteus, à colore, quo imbutus. Ortus è montibus *Quenlun* (quos Amasæos omnino esse existimat Preyelius) è quibus & Ganges, & Meson, & Histor, aliique, primitùs videri posset palus, nisi incredibilis illi esset velocitas, quâ naves adversas subire non patitur, nisi in duplum, quàm alibi soleat, major remulco trahentium numerus, pertinaciam ejus evincat. Dimidii miliaris latitudinem modò æquat, modò exuperat: longitudo tanta, ut ad 800. & ampliùs milliaria pertingat. Fluit autem primùm Boream versùs, nonnihil in O tum deflectens: mox Xensiam prov. prætertlabitur, rectâq; ad Ortum pergit, Murum illum magnum alludens radensque. Dein desertam solitudinem seu campos arenosos, quà in Ortum, quà in Boream, celerrimo cursu prætervectus, ad bis mille plus minus stadiorum longitudinem, ad Austrum vertit iter, & per *Se*, Muri magni portam, illapsus, limites statuit inter Xensiam & Xansiam provincias. Inde Honaniam adit, tum Xantoniam, perque *Kiagnan* prov. magnam itineris partem conficit, donec ad *Hoaigan* urbem in mare, turbidus adhuc & violentus, sese immergat. Olim *Peking* quoque & *Xantung* provv. percurrere solebat; sed Sinarum industria alveum illius procul avertit: rivo saltem relicto, qui antiquam fluvii semitam hodieque commonstrat. Cæterùm aqua limo obsita luteum habet colorem, quam ne mille quidem annorum spatio limpidam evadere posse, ajunt Sinæ, unde apud eos diverbio locus, *Quando Croceus clarescet*, de re admodum difficili aut prorsus impossibili. Auctor *Sinæ & Eur. cap.* 27. V. & suprà *Croceus*.

Hoaster, seu *Hoaser*, arbor Indica, unde saccharum *Hoaster* sive *Haser*, apud Avicennam; eadem est cum planta *Albusar* seu *Albasar*, de qua dictum. V. Salmasium *ad Solinum p.* 1312.

Hobellarii & *Hoberarii*, Anglis dicti sunt milites levis armaturæ & mediocri equo ac *cursorio* incedentes, quem Angli *an hoby* vocant, *Hobin* Phil. Cominæus *lib. 6. cap.* 7. quos Jac. Waræus in *Antiquitatibus Hibern. cap.* 7. ait esse ex Hibernia equos, sic appellatos ob mollem incessum & magno in pretio habitos: unde & *Hobiners* Gallis interdum *Hobellarii* isti appellati sunt; quam quidem vocem *Hobin* ab Hebr. *habras* arcessit Steph. Guichartus. Meminit *Hobellariorum* hujusmodi Wilhelmus Thorn *A. C.* 1364. ubi *sagittarios* eosdem fuisse, indigitat. Idem confirmat *Charta* Henrici V. in *Monastico* Anglic. *Tom. I. pag.* 976. Duravitque id vocabuli, usque ad ætatem Henrici VIII ut ait Spelmannus. V. quoque Dugdalum *in Antiqq. Warwic.* & Isaac. Casaubonum *de Lingua Angl. vet. pag.* 191. *col.* 1. laudatos Carolo du Fresne *in Glossario*.

Hoc age, apud Romanos, cùm Consul auspicaretur, ac immolaret, clara voce à Præcone acclamabatur, ut adstantes officii admonerentur, teste Plut. *in Numa*. Quam proin Cassius Chærea, conjuratorum in Cajum Cæs. princeps, suis tesseram dedit, quasi victimam Diis gratam immolaturis, uti discimus ex Suetonio. Josephus tamen *de bello Jud. lib.* 19. *cap.* 1. tesseram fuisse, *Repete*, memoriæ prodidit.

Hocday, adde: Perpetrata cædes illa ab Æthelredo A. C. 1002. in festo S. Bricii, in diem Veneris incidente: cujus memoriam celebrari hoc die, qui Quindenam Paschæ expletam proximè excipit, docet Matth. Paris *A. C.* 1255. *Circa idem tempus, sc. in Quindena Paschæ, quæ vulgariter* Hokeday *appellatur, convenerunt Londini omnes nobiles Angliæ*. Addunt Spelmannus & Wattius, adhuc in eo die mulieres solere jocosè vias oppidorum funibus impedire, & transeuntes ad se attrahere, ut ab eis munusculum aliquod extorqueant, in pios usus erogandum, sed & domi easdem magisterium obtinere, quòd hæc Danorum cædes ab ipsis etiam mulieribus sit patrata: quod tamen non habent vett. Historici, Car. du Fresne *Glossar*.

Hodegitria, Græca vox, h. e. *viæ dux*, appellata est imago B. Mariæ Virg. quam D. Lucam depinxisse dicunt, eo quòd, cùm expulsis Latinis Michaël Palæologus Urbem triumphans ingrederetur, imaginem hanc sibi prælatam pedes sequutus fuerit. Gregoras *lib.* 4. *Post dies complures Imperator Constantinopolim intravit non priùs tamen, quàm sacrosanctæ Deiparæ, quam quasi viæ monstratricem* Hodegitriam *nuncupant, imago per portam, quæ Aurea dicitur, ingressa est* &c. Hodie in Sicilia, & Messanæ præcipuè, sub eodem nomine Deipara colitur, quam corruptè *Itria* vocant, Romæq; hæc gens ædem habet cognominem, quam vulgò *C Politanam* appellant. Solet autem depingi supra arcam, à duobus Caloeris super humeros delata, eodem modo quo qualibet feriâ tertiâ per urbem CP. deferebatur, Nicephorus *lib.* 15. apud Car. Macrum *in Hierolexico*; ubi in ejus honorem, magnificum templum Pulcheriam extruxisse; eandem imaginem in triumpho C Polim delatam, Joanne Comneno Imp. pedibus præcedente, hodieque à Dominicanis in Conventu suo, quem Peræ habeant, sub titulo S. Petri, asservari: Siculos etiam qualibet feriâ tertiâ, ob devotionem ejus, jejunare, addit. Scripsit peculiarem de imagine hac tractatum Michaël Justinianus, impressum Romæ A. C. 1656.

Hodie nate salve, formula gratulandi in Puerperio, Vett. usitata. Meliorum enim gentium mos erat, de feliciter transacto hoc discrimine lætari, gaudiumque & salutatio inter amicos & clientes, verbis præfatis, ab Oriente ad Romanos consuetudine delatâ, fieri solebat. Unde A. Gellius *Noct. Attic. lib.* 12. *c.* 1. *Eamus & puerperium visum & Patri gratulatum*. V. Thom. Bartholin. *de Puerp.* ubi Plauti locum adfert.

Hœdi, apud Hebræos olim maximè in deliciis, ut apparet ex historia Isaaci, Gen. c. 27. v. 9, 14, 17. Gedeonis, Judic. c. 6. v. 10. Manoæ, Judic. c. 13. v. 15. Isai, 1. Sam. c. 16. v. 20. ut de Juda taceam, qui pro concubitus mercede *hœdum* Thamari obtulit, Genes. c. 38. v. 17. & de Samsone, qui Dalilæ idem munus destinavit, Judic. c. 15. v. 1. Ut, qui dicit apud Poetam,

Præterea duo nec tutâ mihi valle reperti
Capreoli, sparsis etiam nunc pellibus albo,
Bina die siccant ovis ubera, quos tibi servo &c.

Eo verò, antequam tot gulæ mangonia reperta essent, quibus harum artium Magistri id tandem obtinuere, ut ad communes dapes palatum obbrutesceret, magni fiebat *hœdina* caro, & in conviviis apud Vett. sæpe laudatur, inter præcipuos cibos, V. Athenæum *lib.* 9. *c.* 14. Aristophanem *in Ciconiis*, Xenophanem Colophonium *in Elegis*, Alios. Juvenalis quoq; Persico, ad cœnam invitato, *hœdum* pollicetur, *Sat.* 11.

De Tiburtino veniet pinguissimus agro
Hœdulus *& toto grege mollior, inscius herbæ,*
Nec dum ausus virgas humilis mordere salicti,
Qui plus lactis habet, quàm sanguinis ——

Nec minoris à Medicis hæc caro fit, ut quæ illis saluberrima habetur, V. Galenum περὶ Εὐχυμ. c. 4. Sim. Sethi *cap. de cibarior. facult.* Platinam *de Hon. volupt. & valet.* &c. Et hactenus permissa voluptas; sed quis crudelem eorum gulam probet, qui gravidæ matris uterum & mammas calcibus ideo impetebant, ut fœtus per abortum ex utero excidens esset palato gratior, quod Plutarchus alicubi tradit, apud Sam. Bochart. *Hierozoici Part. prior. lib. II. c.* 52. ubi plura hanc in rem, è quibus unicum illud addam, quod Abarbanel de hoc animali refert, consuevisse Idololatras, hœdos in lacte coquere, quo tempore legebant fruges, ut sic magis propitios haberent Deos suos, *ad Exod. c.* 23 *v.* 19. ubi de Lege, *Hœdum non coques in lacte matris suæ*, quæ repetitur *cap.* 34. *v.* 26. & Deuter. c. 14. v. 21. Adjicit Karaita Scriptor anonymus, factum id fuisse magica ratione, vetere sq; Idololatras, post collectionem frugum, hoc lacte arbores, agros, hortos & paradisos ideò aspersisse, ut in sequentem annum essent feraciores &c.

Hohengeroldseccia, Familia Germaniæ illustris. V. suprà *Geroldseccia*.

Hohenloe, Familia ejusdem regionis, in Franconia provincia, inter illustriores: in qua gente Cratonem, Germ. *Crafft*, quod dein familiare admodum posteris fuit, primum nominant & Luitgardis Helfenstenæ A. C. 897 maritum constituunt. Ejus posteritatem ferunt, Sigfrido cum Henrico IV. in Italiam profecto, hic aliquandiu substitisse, & Comites *de Alta Flamma* (quod Germanis *Hohen Lohe* est) & Romandiolæ atque Marchiones Italiæ dictos esse, donec rediret sub Friderico I. Gothofredus, Pontificum odio pulsus. Gothofredi filius, patri cognominis, inter alios, genuit Gothofredum & Conradum; à quorum isto peculiaris linea in *Brauneck* sata, sub finem seculi XIV. defecit. Istius verò pronepos Crato, Ludovici Imper. Marescallus, denuo ex filiis Cratone, *Uffenhemiam & Speckfeldiam*, terminatam A. C. 1412. ex Ulrico hodie adhuc superstitem lineam dedit. Ut alias partitiones prætercam: Præcipua hodie divisio est in *Langenburgicum* & *Waldenburgicum* ramum; quorum ille à Ludovico Casimiro, iste ab Eberhardo, utroque Georgii extincti A. C. 1551. filiis, orti sunt. Et quidem in illo Wolffgangus tres filios habuit successores; Georgium Fridericum in *Weickersheim*, cujus (ex Maria Magdalena Oetingensi, extinctâ A. C. 1636) filia Eleonora Magdalena (defuncta A. C. 1657.) nupta agnato Henrico Friderico Com. Philippo Ernesto, Georgii Friderici fratre genito; peperit Sophiam Magdalenam (n. & den. 1653.) Philippum Albertum, Fridericum (n. & den. 1654.) Mariam Magdalenam (n. & den. 1655) & Ernestum Eberhardum Fridericum A. C. 1656. omnes Comites *de Hoheniohe*

Honiobe

henlohe &c. lineæ Langenburgicæ. Cratonem porro in *Neuenstein* & Phil. Ernestum modò memoratum. E' quibus Georgius Fridericus, quot filios habuit, totidem novos familia palmites emisit. *Pfadelbachium*, per filium, ex Dorothea Ruthena (quæ obiit A.C. 16 5.) Ludovicum Eberhardum, extinctum A.C. 1650. *Waldenburgicum*, per filium ex eadem uxore susceptum Philippum Henricum, qui obiit A.C. 1644. & *Schillingsfurstium*, per filium ex eadem Georgium Fridericum, defunctum, A. C. 1635. E' quibus, Ludovicus Eberhardus præfatus, ex Dorothea Erpachia (quæ obiit 1643.) pater fuit Dorotheæ Mariæ (quæ n. A. C. 1618. nupsit Ludovico Casimiro Dn. *de Limpurg*) Georgii Ernesti (n. 1619. d. 1620.) Sophiæ Julianæ (ux. Wolfgangi Georgii Com. *à Castell*) Friderici Cratonis (n 1623 cui uxor obtigit Floriana Ernesta Wirtenbergica) Agathæ Ernestæ (n. 1625. den 1647.) Praxedis (n. 1627 nuptæ Georgio Friderico Com. Solmensi) Elisabethæ (n. 1629. den. 1655.) & Hiskiæ (qui n. 1631. uxorem habet Dorotheam Elisabetham agnatam) omnium *Comit. de Hohenlohe* &c. *in Pfadelbach*. Philippus verò Henricus ex Dorothea Walpurgi agnata, genuit Wolfgangum Fridericum (1617. den. . . maritum Evæ Christinæ agnatæ) Philippum Godofredum (qui n. 1618. uxorem habet Annam Christinam Limpurgiam) Magdalenam Julianam (n. 1619. den. . . . uxorem Maxim. Wilibaldi Truchsessii Com. Wolfecci) Sophiam Elisabetham (n.1620 den. . . .) Evam Dorotheam (n. 1624. Joh. Ludovico Com. Sylvarum & Rheni nuptam) Johannem Christianum (n. 1625. den. . . .) Walpurgim Dorotheam (A C. 1626. den. . . .) Maximil. Henricum (n. 1627. den. . . .) Praxedin Martham (n. 1630. den. . . .) & Eleonoram Annam Eusebiam (n. 1633. den. . . .) omnes *Com. de Hohenlohe &c. in Waldenburg*. A' Georgio tandem Friderico, Dorotheæ Sophiæ Solmensis (quæ obiit A. C. 1660.) marito, prognati sunt, Elisabetha Dorothea (A. C. 1617 uxor Georgii Alberti Com. Erpachi def. . . .) Ernestina Sophia (1618. uxor Wilhelmi Com. Solmensis) Philippa Sabina (n. 1620. ux. Friderici Com. Wiedæ) Mauritius Fridericus (n. 1621. den. 1646.) Maria Juliana (n. 1622. ux. Caroli M. March. Badensis Durlacensis, defuncta 1676.) Gustavus Adolfus (n. 1623. den. 1656.) Wilhelmus Henricus (n 1624. den. 1656.) Carola Christina (n. 1625. nupta Georgio Ernesto Com. Erpachio) Crato (n. 1626. den. 1644.) Christianus (n. 1627. maritus Luciæ Hazfeldiæ, fil. Hermanni Com. *Hazfeld & Gleichen*) Joachimus Albertus (n.1628. den. . . .) Ludovica (n. 1629.) Ernestus Otto (n. 1631. d. 1664.) Ludovicus Axelius (n. & den. 1633.) Lud. Gustavus (n. 1634. maritus Mariæ filiæ alterius Hermanni Com. præfati) & Georgius Fridericus (n. & den. 1636) omnes *Com. de Hohenlohe &c. in Schillingsfurst*. V. Phil. Jac. Spenerum *Theatr. Nobilis. Europ. Part. I. pag.* 53. 136. 160. & 164. Medius verò filius Wolfgangi Crato, defunctus 1641. ex Sophia Palatina (fil. Caroli Com. Palatini *in Birckenfeld*, mortui A. C 1600.) sobolem itidem numerosam habuit: et enim nati Sophia Magdalena (n. 1616. den. 1627.) Johann. Fridericus (n. 1617.) Crato M. (1618.) Sigfridus (1619.) Anna Dorothea (n. 1621. uxor Joachimi Ernesti Com. Oetingensis, def. 1646.) Wolfgangus Julius (1622.) Clara Diana (1623. den. 1632.) Johannes Ludovicus (1626.) Margaretha Hedvigis (1625. uxor Caroli Ottonis Com. Palatini Rheni, ducta A.C. 1658.) Carola Susanna Maria (n. 1626. ux. Ludovici Com. Lœvenhauptii) Sophia Magdalena (1628.) Eva Cratolina (1629. den. . . .) Philippus Maximilianus Johannes (1630. *t*. 1658.) & Eleonora Clara (quæ n. 1632. nupsit Gustavo Adolfo Com. Nassovio, A. C. 1662.) omnes *Comites de Hohenlohe in Langenburg &c. linea Neuensteniæ*. Ultimus è Wolffgangi filiis Philippus Ernestus, extinctus est A. C. 1628. de cujus liberis infrà, voce *Langenburgum*. V. Phil. Jac. Spenerum *Theatro Nobil. Europ. Part. citat.* passim ut & *Arte Herald. Tom. II.*

Hohensolmius Ramus, illustris Comitum Solmensium in Germania familiæ. Cùm enim omnes, qui nunc in illa supersunt, communem Patrem agnoscant, Ottonem, qui decessit A.C. 1409. à majori ejus filio Bernardo *Braunfelsina* linea orta est: quæ iterum in tres ramos, *Braunfelsinum, Hungensem & Greiffenstenium*, subdivisa. Alter Othonis filius *Lichensem & Laubachiam* lineam ex se dedit: quarum illa denuo in *Lichensem & Hohensolmiam* diversa abiit, in abnepotibus Johannis Com. qui extinctus est A. C. 1457. Hic enim, præfato Othone genitus, ex Elisabetha Catharina Cronbergia, Cunonem genuit, denatum A. C. 1477. Cujus ex Walpurgi Rhingravia filius Philippus (qui obiit A. C. 1514.) Adrianæ Hanoviciæ maritus & Reinhardi pater fuit: quo (decessit is A. C. 1562.) & Mariâ Seynensi geniti Ernestus & Hermannus Adolfus, ille Lichensem lineam continuavit, iste *Hohensolmensem* exorsus est & suscepto Philippo Reinhardo ex Annâ Sophiâ Mansfeldia (fil. Johannis Com.) obiit A. C. 1601 Philippus is Reinhardus, fato functus A. C. 1635. reliquit ex Elisabetha Wiedensi (fil. Johannis Comitis) Phipum Reinhardum (qui natus 1625. Annam Amaliam agnatam sibi junxit) Eleonoram Mariam (ux. Ernesti Landgr. Hassiæ) & Johannam Sibyllam (nuptam Wilhelmo Com. Solmensi) è quibus Philippus Reinhardus filios suscepit, Johannem Henr. Christianum (qui obiit A. C. 1668.) Ludovicum &c. *Comites Solmenses &c. linea in Hohensolms*. V. Spenerum *Part. II. pag.* 46. & *Part. III. p.* 86.

Hohenzolleria Familia, V. infrà in *Zolleria*.

Hokeday, V. suprà *Hocday*, & apud Steph. Skinnerum *Etymologic. Anglic.* in *Hok tide*.

Holdes, in *LL.* Æthelstani *de Weregildis*, Spelmanno sunt militiæ Præfecti; Carolo du Fresne civitatum & provinciarum custodes, quales apud Francos, *in Glossario*.

Holmus, vulgò *Oumoy*, vicus Galliæ, aliquot passuum millibus ab Olina fluvio distans, unde *Holmetia* regio, vel potiùs *Ulmetia Olmetiaque* nomen accepit, nisi fortè ab Olina vel Olna fluv. circa cujus ripas jacet, dictam velis: Aliàs quoque *Ulmetum* vel *Olmetum*. V. Hadr. Valesium in voce *Guntheri Castellum*, Item in *Holmetia*. Aliàs *Holmus* seu *Hulmus*, Anglis & Danis, *Holm* vel *Holme*, Germanis, clivus, monticulus, collis est. Lelandus *Commentar. in Cygn. Cantion. Holm eminentis loci, interdum & fluviis & aquis circumseptus, verticem aut eminentiam exprimit*. Addunt Camdenus in *Insulis Britann.* & Spelmannus, sic interdum dici depressiores & herbidas planities, plurimis rivulis & aquarum divortiis circumfusas. Adjungitur vox nominibus Urbium Insularumque non paucis, *Bornholm, Stockholm &c.*

Holocaustum, Græcè ὁλόκαυστον, dicebatur sacrificium, quod totum igne consumebatur; quale fuit Sacrificium juge, Hebr. תמיד. Græcis ἐνδελεχισμός, de quo infrà: ut & alia nonnulla, de quibus postea. Ejus duo nomina, apud Hebræos, כליל & עולה, quæ juncta significant, *id totum in fumum sursum ascendere*. Unum enim ab *integritate*, alterum ab *ascensione*, sumtum. Factum autem id, ut offerens hoc pacto se suaque omnia Deo debere profiteretur. Et quidem, ut de victimarum præcipua dicam, sicut *Holocaustum* sacrificiorum præcipuum erat ad *Holocaustum* bos mas & integer selectus ad ostium Tabernaculi conventus adducebatur & ab offerente manus capiti ejus imponebantur. Tum Levita illum jugulabat. Et, postquam alius sanguinem vase exceptum altari inspersérat, hostiam excoriatam idem Levita in frusta concidebat, quæ igni imposita Sacerdos adolebat, in holocaustum grati odoris Domino. Levit. *cap.* 1. *versu* 1. & *seqq.* Nempe sine pelle, hæc enim Sacerdoti cedebat, *Ibid.* Cùm in Sacrificiis pro peccato juvenci pellis cremaretur unà cum carne, sed extra castra, solus adeps, renes & lobus jecoris in Altari adolerentur, Exodi *cap.* 29 *versu* 14. V. ubi de ritu *Excoriandi victimas*. Affundebatur porro libamen *Holocaustis* ex vino, uti & sacrificio votivo, & spontaneæ oblationis, & infestis, quibus & munus dapale adjungebatur, Exodi *cap.* 29. *versu* 40. Altare iis destinatum æneum fuit, *Altare Holocaustorum* inde dictum, in quo dum victima ardebat, Levitæ Musico concentu Deum celebrabant, utque propitius sacrificium acciperet, precabantur: consumtæ tandem cineres ærata medio Altaris spatio laminâ, foraminibus plenâ, egerebantur: Uti pluribus videre est Levit. *cap. cit.* ubi de triplici *Holocaustorum* genere, *bove, ove* aut *capra*, & *volucri*, Legislator voluntatem suam populo aperuit. Offerebantur verò in *Holocaustum* singulis diebus agni duo, ut dictum, qui numerus die Sabbathi duplicabatur. Neomeniis dein juvenci duo, aries unus & agni septem, Numer. *cap.* 28. *versu* 11. Quod itidem factum festo Paschatis per singulos dies, *versu* 19. & die Pentecostes, *versu* 27 Die tubarum juvencus unus, aries unus, septem agni & hircus unus, Numer. *cap.* 29. *versu* 25. quod idem præstitum die propitiationum, *vers.* 8, 11. Eodem die Sacerdos in Sacrarium ingressurus, uti juvencum pro peccato, sic arietem in *Holocaustum* offerebat, & hircum unum, Levit. *cap.* 16 Diebus tandem septem Tabernaculorum septuaginta boves offerebantur &c. ut videre est Numer *cap* 29. *versu* 13. Sed & Levitæ, antequam ad munus sacrum admitterentur, juvencum unum pro peccato, alterum *in Holocaustum* offerebant, Numer. *cap.* 8. *vers.* 8, 12. ut de Principibus XII. tribuum Israelis, post actum censum, Deo sacrificantibus, Numer. *cap.* 7. nil addam: nil quoque de votivis & extraordinariis sacrificiis, in consecratione Altaris, dedicatione Templi, aliisque occasionibus, oblatis, de quibus omnibus V Sam Bochartum *Hierozoici Parte prior. Lib. II. cap.* 33. Æmulati Israelitas & hîc pro cacozelia sua Gentiles, *Holocausta* Diis suis passim etiam obtulisse leguntur. V. de Cyro & Persis Xenophontem *Cyrop. lib* 8. de Euclide Phliasio vate *lib. prac.* de Gallis Strabonem *lib.* 4. de Smyrnæis, Plutarchum *Sympos. lib.* 2. *Problem.* 8 de aliis alios. Imò primitus omnium hostiarum tota & illibata viscera igne consumebant, donec Prometheus partem hostiæ in ignem conjicere, partem ad suum victum abuti, sui ævi homines docuit, uti videbimus infrà, in voce *Proficiæ*. Magi verò, qui Numen immolatæ hostiæ animâ contentum esse credebant, nihil omnino prosecabant, multo minus holocaustum faciebant unquam &c. V. Salmasium *ad Solinum pag* 128. & 129.

Holochrysus, V. suprà *Elichrysus*.

Holoserica Vestis, primo Romanorum Heliogabalo in usu fuit. Unde Spartianus de illo ait, *Primum Rom sericam vestem*, id est holosericam, *cùm antea subserica in usu esset*, in qua stamen ex lino, subtemen sericum erat, *induisse*. De eadem Vopiscus *in Aureliano*: *Vestem holosericam neq; ipse in vestiario habuit neq; alteri utendam dedit. Et cùm ab eo uxor sua peteret, ut unico pallio blatteo serico*

uteretur, ille respondit: Absit ut auro fila pensentur. Libra enim auri tunc libra serici fuit. Jam Cæsarem tamen Dio *lib.* 43. ludis theatrum velis sericis texisse sive *Holosericis* scribit, cùm ait: Τὸ δὲ ὕφασμα χλιδῆς βαρβάρου ἔργον, καὶ παρ' ἐκείνων καὶ δεῦρο εἰς τρυφὴν τῶν γυναικῶν ἀφικνεῖται, Sericum quo Theatrum Cæsar velavit, fuit *textura barbaricæ luxuriæ, ad supervacuum luxum Romanarum mulierum advecta.* Idem postea *lib.* 59. de Caligula, καὶ ἐπ' αὐτοῖς, inquit, χλαμύδα σηρικὴν ἁλουργῆ ἐνεδύω, *Et super ipsam, Chlamydem sericam purpurei coloris induit.* Et paulo *infrà*, Ἀλλως δὲ ... *Ut plurimum in serico vestitu, aut triumphali ornatu, in publico versabatur* &c. V. Octav. Ferrarium *de Re Vestiaria lib.* 1. *cap.* 20. Apud Græcos ratus serici usus, Id. *Part II. lib.* 4. *cap.* 11. V. quoque *infrà.*

Holosphyraton, statuæ genus, apud Plinium *lib.* 33. *cap.* 4. *Aurea statua prima omnium nulla inanitate & antequam ex ære aliqua illo modo fieret, quam vocant* holosphyraton, *in templo Anaitidis posita dicitur.* Ex Græco ὅλος, *solidus*, & σφῦρα, *malleus*, fabrile instrumentum quasi ὁλοσφύρητον, *solidum, non conflatum, sed malleo ductum.* Sic in Templo Hierosolym. δοκὸν ὁλοσφύρητον χρυσῆν, trabem solidam ex auro, Crassum dedicasse, ait Josephus in *Antiq.* 14. *Jud.* &c.

Holovera Vestis, Hadr. Turnebo *Adversarior. lib.* 1. *cap.* 13. bis est tota sericus & totus conchyliatus. Nec dissentiunt Jurisconsulti *ad Tit.* 8. *lib.* 11. *Cod. de vestibus Holoveris*, qui nil eas aliud esse contendunt, quàm togas sericas, Zonaræ & Balsamonis interpretatione inducti. Et in eo quidem, quòd hæ vestes totæ purpureæ essent, rectè censuit Turnebus: quod verò totæ sericæ, seu holosericæ, falsam notationem ostendit Salmasius *ad Trebellium Pollionem*, idque valido argumento: Nam si *Holovera* tota ex serico texta vestimenta fuissent, nullum inter ea ac holoserica discrimen fuisset: Cùm tamen promiscuus eo tempore usus esset holosericæ vestis, solis *Holoveris* privatis interdictum, quæ Principi ejusque domui dedicabantur. Origo vocis Græca est; contracta enim, mox & corrupta videtur ex Ὁλοπόρφυρα, id est, tota purpurea. Quia verè talia erant, quorum utraque pars texturæ, stamen scilicet & trama, purpurâ tincta esset. Ut minùs placeat, Viri magni modò laudati notatio, qui hæc vestimenta sic dicta contendit, voce hybridâ, sive Græco-Latinâ, quasi *Tota vera*, id est, ex *vero* colore, quòd nempe purpureum colorem, per quandam excellentiam, *verum* appellabant: Unde *Chlamydes veri luminis* Trebellio, & Græci ἀληθινὴν χροιὰν de purpura dixere. Octav. Ferrarius *de Re Vestiar. lib.* 2. *cap.* 10. V. quoque Salmasium *ad Solinum pag.* 899. ubi *Holoveri* libram quadruplo auro repensam esse notat.

Holsatia, adde: Johannes verò, Friderici II. pater, qui Sondersburgici rami auctor est, è duabus conjugibus Elisabetha Brunsvico-Grubenhagia & Agnete Hedvige Anhaltina, numerosam suscepit prolem, filios inprimis complures; è quibus Christianus (n. 1570.) Arram insulam habitavit improlis: Ernestus (n. 1572) & Augustus (n. 1574) prœlio contra Turcas, ad Agriam, cecidere A. C. 1596. Johannes Adolphus (n. 1576.) ante fratrem Fridericum, Nordburgum inhabitavit, defunctus 1624. alii etiam vitam clausere cœlibes: quatuor exceptis, à quibus totidem lineæ, *Sonderburgica*, quam continuavit Alexander. n. 1573. *Nordburgia*, quam Fridericus (n. 1581.) inchoavit: *Gluckburgia* seu *Lucksburgia*, quæ Philippum (n. 1584.) auctorem habet, & *Arnsbekia* seu *Plonensis*, cui originem dedit Joachimus Ernestus (n. 1595.) quas omnes V. *suis locis.* Quod verò *Schawenburgo-Holsaticam* Familiam attinet, descendit illa ab Adolfo Brunonis Episcopi Mindensis fratre, qui *Schawenburgicum* Comitatum à Conrado II. Imper. obtinuit, A. C. 1030. Ejus nepos à Lothario I. *Holsatiam* adeptus est. Postea seculo decimo tertio in duos ramos filios abiit, *Kielensem* seu *Chilonienſem*, vel *Wagriam*, qui defecit in Adolfo, A. C. 1390. atque *Rensburgensem*: qui iterum in *Rensburgensem* & *Pinnebergensem* seu *Schawenburgicum* subdivisus est. Priori dignitas accessit Ducalis, cùm Gerhardo Slesvicum concederetur, sed in ejusdem filio linea defecit. Posterior rursus in duas lineas abiit, quarum una in Ernesto, Principali axiomate insignito, defecit, A. C. 1622. altera, & sic tota familia, in Ottone terminata est, A. C. 1640. V. infrà ubi de Fam. *Schawenburgica.* Phil. Jac. Spenerus *Theatr. Part I. in Indic.* & *Parte II. pag.* 16. Antiquiora ejus tempora quod attinet, Carolo M. Cæsare, *Holsatis*, Stormaris atq; Ditmarsis Albion præfuit. Post hunc à Carolo Otto seu Udo rector impositus: Inde Saxonum Witikindeæ & postea per annos 120. Billingianæ familiæ Principes habuere; quorum auspiciis Comites plerunque ejusdem sæpe cum istis prosapiæ, regioni moderati sunt. Ex his Godefredus, à Magno, Billingianorum postremo, Holsatis Comes datus, Vandalorum, dum prædas in Stormaria agitantes incautiùs persequitur, insidiis circumventus, Adolfum, Adolfi I. Schauenburgii Com. nepotem pronepotemve, incertum, successorem habuit, Lotharii sponte præfectum, qui tum, post Billingianorum stirpem extinctam, Saxonum Ducem agebat. Cujus familiæ Principes variâ sorte egere, donec multis casibus jactati, Oldenburgiis, Daniæ regni opibus suffultis, tandem concederent. Ex iis enim Adolfus III. ab Alberto Ascanio exturbatus, jussu Conradi III. Cæs. amissa recepit, ope Lotharii Imp. viduæ & generi ejus Henrici Catuli, D. Saxon. ob quos pulsus fuerat. Eadem Adolfo IV. rerum vicissitudo, cui bis ereptam ab Henrico Leone terram, primùm Fridericus Imp. iterum Bernardus Saxo, & Otto Brandeburgicus, fratres Ascanii, restituerunt. Atrociùs adversùs Canutum Daniæ R. hujusq; postea successorem Woldemarum certamen fuit, multis Adolfi in illos injuriis contractum: quas hic primò certâ pecuniæ summa, dein cùm offensas iteraret, ditione mulctatus, eâ à victore recipiendæ libertatis lege impositâ captivo, ut simul cum possessione etiam repetendi animum solenni sacramento datisque obsidibus abdicaret. Sic provinciæ impositus est Albertus Orlamundanus Comes, eadem quâ Adolphus matre genitus, Regis nomine præfectus jussus. Sed Præfectorum austeritate & Danorum superbiâ irritati Holsati, ad domestica imperia respicere cœperunt. Quorum in Danos odio animadverso, nobilis quædam matrona (*von Dod*) Adolfum Schawenburgi tum agentem adiit expositoque rerum statu perpulit, ut filium natu minimum Adolfum in Holsatiam ducendum permitteret, popularibus ostentandum, quando provisis, quæ tempus moneret, certior prosperi exitus fiducia foret. Qui dum Kellingdorfii apud feminâ aliquandiu latet. Nobilium promtissimi Segebergæ Præfectum adorti eum obtruncant, auctique popularium affluxu, Patris præterea, atque Gerhardi Pontificis Brem. & Henricorum Suerini ac Werlæ Comitum, opibus, jugum excutiunt; quo pacto Adolfus non multo labore provinciam recuperavit: adeo mutatâ in contrarium fortunâ, ut Woldemarus, quem Henricus Suerini Com. egregio facinore jam duobus abhinc annis regia domo abreptum captivum abstraxerat, supra 45000. marc. arg. etiam ejuratâ Holsatiâ libertatem redimere cogeretur. Qui cum fidei immemor, totâ mole Regni, vim ultum iret, insigni ad Bornhovvedam strage perjurium luit. Tantis verò casibus superstitem Schauenburgicam gentem Oldenburgii Comites pervertére. V. omnino Tobiam Pfannerum *de præcipuis Germaniæ Principum gentibus cap.* 11. Duces præter *Holsatiam*, in titulis suis, *Heredes Norvegiæ, Duces Slesvici, Stormariæ, Ditmarsiæ, Comites Oldenburgi & Delmenhorsti*, cluent, de quibus omnibus V. *suis locis.*

Homajon, filius Baburi, qui Regno Mavvaranalhariæ pulsus Imperium Magni Mogolis condidit A. C. 1526. successit patri 1530. Sed totâ Indiâ pulsus à *Tzeer Khan*, ex India ultra Gangem, quæ hodie *Bengala* & *Potane*, adveniente, in Persiam fugit & Regis Scha-Thamasi armis primò in Regum Candahariæ & *Kabul* A. C. 1550. ac quinquennio pòst in ipsum Indostanum, pulsis Potanensibus, restitutus est. At sexto regni mense, cùm fractis cervicibus repentè expirasset, successorem habuit Acbarem filium, qui Regum Indiæ potentissimus evasit. Hornius *Orb. Imp.*

Homar, affinis Mahumetis, pro legis ab hoc propositæ integritate ac recepta interpretatione, contra Alim, fratrem Mahometis patruelem & generum, qui illam suis interpretationibus adeò interpolaverat, ut planè alia videretur, acriter contendit. Unde superstitio in duas sectas divisa, quod hodieque obtinet: Arabibus *Homaris* sectatoribus, Persas Ali addictos, non secus ac exleges & desertores legisque patriæ corruptores, aversantibus; nec Persis mitiùs agentibus in Arabes *Homaro* addictos. Cùm autem non exiguo tempore pars *Homaris* prævaluisset, exortus est circa A. C. 1370. qui se ex Ali prognatum diceret, *Sofi* & acerrimus vindex sectæ illius haberi vellet. Is, ut suos ab *Homariis* distingueret, pro lineo albo turbante, quo *Homaritæ* utebantur, in memoriam 12. filiorum Hocemi Alis filii, turbantem instituit, è cujus medio pileolus acuminatus, è lana constipata colore rubro confectus & senis utrinque gradibus distinctus, accommodatè ad contractionem vel diffusionem, emicaret. Quam ob causam etiamnum Persæ à Turcis, quasi defectionem a Muhamede exprobrantibus, per ignominiam appellantur *Kisilbaschi*, id est, *Capita rubra.* Anselm. Solerius *de Pileo sect.* 8.

Homburgum, Hassiæ oppidum, adde: Fuit nempe Fridericus, lineæ auctor, filius Georgii Landgravii Hassiæ *in Darmstat* (extincti A. C. 1596.) ex Magdalena Lippiensi, & decessit A. C. 1638. Pater ex Margaretha Elisabetha (fil. Christophori Com. Leiningensis-Westerburgii) Ludovici Philippi, qui n. 1623 obiit 1643. Georgii (n. 1624. den. 1625.) Wilhelmi Christophori, qui n. 1625. Bingenhemium inhabitat, & ex Sophia Eleonora agnata Christianam Wilhelminam, Friderici Duc. Megapolitani conjugem A. C. 1653. & Leopoldum Georgium, A. C. 1654. genuit, quorum hic sponsus filiæ Friderici Com. Ahlefeldiæ, morte oppressus Patris spem destituit. Idem uxore defunctâ, aliam sibi junxit A. C. 1665. Annam Elisabetham, Augusti Duc. Saxoniæ infer. filiam, quæ nunc Philippiecciam habitandam accepit. Porro Friderici filius tertius Georgius Christianus fuit, qui genitus A. C. 1626. Hispanicis, dein Gallicis auspiciis militavit, & ad Pontificiam religionem transiit; maritus - - - Comitis Ranzoviæ, qui tamen unà non vivunt. Post hunc nata est Friderico Anna Margaretha, A. C. 1629. nupta Philippo Ludovico Holsatiæ Duci A. C. 1650. & Fridericus A. C. 1633. qui Suecis serviens, in Hafniensi obsidione, globi tormentarii ictu pedem amisit, exin Brandeburgico Electori operam addixit, in occupanda Pomerania, anno 1671.

strenuè

strenuâ opera navatâ. Emit is bona quædam in Marchia Brandeburgica & Wevelingæ habitat; cæterùm Reformatæ religioni se applicuit. Uxorem habuit primò Margaretham Braheam (fil. Abrahami Brahei Com. Wisingburgii, Benedicti Oxenstiernæ viduam) qua defunctâ A. C. 1669. inde Ludovicam Elisabetham (fil. Jacobi Duc. Curlandiæ) in thorum ascivit, aliquot ex ea filiorum pater, quorum prior . . . A. C. 1673. alter Carolus Christianus 1674. lucem aspexere. V. Phil. Jac. Spenerum *Theatr. Nobilit. Europ. Part. III. pag 25. ubi de Landgraviis Hassiæ in Homburg & Bingenheim ei sermo est.* Sed &, in illustri Saynensium & Witgensteinensium Comitum familia, *Homburgicus* ramus viget. Ludovico enim cognom. *Seniore*, qui obiit ineunte hoc seculo & omnium, quotquot in hac stirpe hodie vivunt, communis pater est, natus Georgius è primo ejus matrimonio *Berlenbergiam* lineam ortus est; Wilhelmus & Ludovicus, è secundo conjugio orti, ille filium Ernestum genuit, duarum filiarum Patrem: iste tertiæ lineæ caput, qui Johannes fuit ..., locum tenens Electoris Brandeburgici. E quibus Georgius ex Elisabetha Nassovica (defuncta A.C. 1606.) pater fuit Ernesti Com. Saynæ & Witgenst. qui defunctus A. C. 1649 ex Elisabetha agnata, filia Ludovici patrui, reliquit, præter Georgium Ludovicum, qui natus A. . 1637. decessit A.C. 1661. complures utriusque sexus liberos, Catharinam inprimis Elisabetham (ux. Ludovici Ernesti Com. Lævvenstenii & Verthemii) omnes *Comites Sayna & Witgensteina &c. Lineæ Bernleburgiæ, al. in Homburg.* Eodem porrò Ernesto, ex Christiana Valdeccia, altera conjuge, nati sunt, Christiana Elisabetha (ux. Friderici Com. Nassoviæ) Philippus Ernestus, Christianus, Josias (den. 1647.) & Carolus Otto. V. Spenerum *Theatro sæpius laudato Part. I pag. 72. & Part. III. p 85.*

Homeridæ, Gr. Ὁμηρίδαι, memorantur Pindaro, & ex eo Straboni *lib. 13.* Ἀμφισβητοῦσι δὲ καὶ Ὁμήρου Χῖοι μαρτύριον ... τοὺς Ὁμηρίδας καλουμένους, ἀπὸ δὲ τοῦ ἐκείνου γένους ... Ubi inter alia testimonia & argumenta, quibus Homerum Chii vindicabant, id non minimum fuisse, tradit, quòd *Homeridas* haberent, familiam sc. hoc nomine veluti ab *Homero* descendentium. Quamvis enim duplices *Homeridas* faciant vett. Grammatici, atque inter eos Pindari Scholiastes, primò nempe eos, qui ab Homero genus arcesserent, deinde *Rhapsodos*, qui carmina ejus publicè recitabant, quamvis ad Homeri genus nihil attinerent: hos tamen potiùs Ὁμηρίδας vocari consuevisse, Aristocles apud Athenæum docet. *Homeridæ* itaque propriè Homeri *ἐκγονοι*, seu *posteri*, quos & ipsos Homeri carmina per successionem tradita, ἐκ διαδοχῆς, notum. Sanè Cynæthus ille Chius, qui primus ea publicis conventibus recitasse fertur, Ὁμηρίδης etiam fuit, vel saltem ab Homero genus suum jactavit &c. Salmasius *ad Solin. p. 864. & 865* V. quoque Jul. Cæs. Scaligerum *Poetices l. 1. c. 41.* & infra, ubi de *Rhapsodis.*

Homeritæ, adde: Circumcisos eos, tradit Epiphanius *Hær. 30. prop. fin.* Cum *Homeritis* Æthiopibus, qui Christianis erant ὁμόδοξοι, voluisse Justinianum Imp. pactum inire, ut ab Indis ipsi metaxam mercarentur Romanisque venderent, ne tam caram speciem & luxui adeo necessariam ab hostibus emere Romani sui cogerentur, narrat Procopius *Persicorum lib. 1.* Quod consilium maxime agitanti commodè sese obtulerunt duo Monachi ex India revertentes, omnemque serici faciendi rationem Imperatorem docuere. V. Salmasium Not. *ad Tertullianum de Pallio c. 3.* Charibaelis, Regis illorum, simul & Sabæorum, meminit contemporaneus Scriptor Arrianus, ubi de *Dioscoridis Insula* agens, *Azaniam* vocat mare, juxta quod hi Populi degebant, quod alii *Erythræum* propriè dixerunt, inter Arabicum Sinum & Indicum mare V. Salmas. *ad Solin. p. 449.*

Homerus, adde: Huic Smyrna, quæ præ cæteris ejus natales sibi deposcebat, templum extruxit, inque eo simulachrum illius collocavit, teste Strabone *l. 14.* Jete quoque seu Jus insula quæ Cycladum una est, propè Theram, incolæ divinis eum honoribus excoluere, ut Varroni relatum *de Imagin. l. 1.* ubi Aul. Gellio teste *lib. 3. cap. 11. Homeri* imagini hoc Epigramma apposuit:

Capella Homeri candida hoc tumulum indicat,
Quod ara Jetæ mortuo faciunt sacra.

Ἰήτης enim gentile ab Ἴος, ut Stephanus indicat in hac voce: ubi & matrem Homeri ex hac insula fuisse, suggerit. Unde videmus sententiam Varronis esse, non aliunde meliùs intelligi, quæ patria sit *Homeri*, quàm quòd Jetæ sive Jenses sacra ei faciunt. Atque addit, id candida eos fecisse capella, nempe ut Apollinari viro. Nam Apollini solere capros albos sacrificari, etiam Livius indicat l. 25. Ion autem patriam esse Homeri, etiam Aristoteli proditum, ibique sepulcrum fuisse, traditum Dionysio Halicarnassensi, Straboni, Plutarcho, Suidæ. V. Hieron. Magium *Miscellan. l. 1.* ... Gerh. Joh. Vossium *de orig. & progr. Idolol. Gentil. l. ... sub finem,* Salmasium *Exerc. Plin. ad Solinum passim,* alios. Addam saltem, nummi antiqui, ex genere eorum, quos *Contorniatos* vocant, Smyrnæ reperti, in cujus una parte *Homeri* effigies, cum *inscr.* ΟΜΗΡΟΣ & palma ad latus; in altera aliquis equum manu tenens, qui fortè in publicis Ludis ejus Ur-

bis victoriam consecutus erat, hocque rei monumentum extare voluit, meminisse, ejusque typum exhibere Jac. Sponium *Itiner. Part. III p. 193.*

Homicidii Causa, Athenis in Areopago disceptari olim solita est, ex lege, Δικάζειν δὲ τὴν βουλὴν τὴν ἐν Ἀρείῳ πάγῳ φόνου καὶ τραύματος ἐκ προνοίας καὶ πυρκαϊᾶς καὶ φαρμάκων ἐάν τις ἀποκτείνῃ δούς, *Senatus Areopagiticus jus dicito de cæde, aut vulnere, non casu, sed voluntate, inflicto. De incendio item & malo veneno hominis necandi causa dato.* Sedebant autem hi Judices ternis diebus in menses singulos, nempe quinto, quarto & tertio Kal. cujusque mensis, idque subdiali in loco, & quidem noctu ac in tenebris, ne vultus ad dicentes respicere possent, sed ad ea quæ dicebantur, Lucian. *Hermotimo.* Coram hoc judicio, ad cæsa porrecta suovetaurilia, jurabat Actor, si sciens falleret, sibi suisque & toti genti mala omnia imprecatus. Hoc præterea juramento affirmabat, se esse è cognatis occisi, quibus solis ad sobrinos usque jus erat cædis aliquem accusare, Pollux *l. 8. c. 10.* Quòd si pejerasset, pœna non infligebatur, sed divino judicio relinquebatur plectendus, *Deorum enim injuriæ Diis curæ sunt*, Tiberius apud Tacitum. At si suffragiorum quintam non tulisset partem, mille multabatur drachmis, Pollux iterum *l. 8. c. 6.* Contrà Reus jurabat, ὁ μὴν μὴ ἀδικεῖν: quorum prior actus προωμοσία, alter ἀνθωμοσία, uterque διωμοσία dictus est. Sequebatur ita secunda pars Judicii, Λόγος dicta, & duobus argenteis scabellis, ad dexteram quidem *scabello innocentiæ* Reus, ad sinistram *scabello contumeliæ* Actor, insidentes, dicebant, sed ἄνευ προοιμίων καὶ παθῶν, in quam legem qui peccassent, silere jussi. Orabant autem alternis ac respondebant, Lucian *in Anacharside.* Sed Reus, postquam primas dicendi partes executus esset, poterat illinc rectà in exilium ire, neque Accusatoris, neque Areopagitarum, neque ullius cujusquam erat revocare abeuntem vel impedire: etiamsi consulto & prudens necasset. Suprema pars ... appellata est. Judicabant itaque tacentes Areopagitæ, teste Macrobio *Saturn. l. 7.* peractis sacris & demtis ab ipsa ara, quibus sententiam ferrent, calculis, Demosth. ...: neque poterant mulctam ullam irrogare, quæ legibus non esset definita. Secundùm Leges itaq; Reum multabant, neq; poterat Actori Reus addici, ut ejus arbitrio plecteretur: videbat ille tantùm, cùm pœnas dabat. Quòd si capitis periculo Reus liberatus erat, Plutoni, Mercurio ac Telluri, quorum statuæ ibi erant consecratæ, sacra faciebant. Dica autem cædis apud Regem scribebatur, qui post delatum *Homicidæ* nomen, per tres menses apud se disceptandi ... dabat potestatem, antequam ad Judices de cædis controversia referret; quarta demum à scripta dica mense ad Judices referebat, ac simul cum illis judicium reddebat: quod omnibus fieri poterat mensibus, Thargelione & Scirrophorione exceptis. Pœna mors erat, ex Lege: Τὸν ἐκ προνοίας ἀποκτείναντα, θανάτῳ ζημιοῦσθαι, *Si quis hominem sciens morti dedit, capital esto.* Hæc ut Reo infligeretur, Thesmothetarum erat curare, ex lege: Τοὺς θεσμοθέτας τοὺς ἐπὶ φόνῳ φεύγοντας θανάτῳ ζημιοῦν, *Thesmothetæ in homicidas animadvertunto.* Plectebatur autem *Homicida* in patria occisi terra: Reliquos autem, qui ... cum primam apud Areopagitas Judices habuerant orationem, sive etiam sponte confessi sibi cædis humanæ, ultroneum amplectebantur exilium, occidere non licebat, dummodo Foro, & urbis territorio, sacris certaminibusque publicis abstinerent. Excidebant enim *Homicidæ* omnibus civitatis juribus, sacris pariter ac politicis, ab eo ipso die, quo apud Regem deferebantur, at quæ invidia aliena consistere terra? Qui proin talem occidissent, rei cædis erant, perinde ac si civem Atheniensem scientes morti dedissent: atque hujus rei cognitio Ephetis committebatur. Eorum verò, qui casu occiderant, pœna erat ἀπενιαυτισμός, oportebat enim illos excedere annum integrum Patriæ finibus, juxta legem: Τὸν ἀκουσίως φόνον δράσαντα ἐν ὡρισμένοις ... τῆς πατρίδος, *Qui alium casu fortuito necassit, annum extra Patriæ fines exulato*: intra quod tempus oportebat *Homicidam* placasse eos, quorum jus erat illum cædis postulare, deinde redibat peractis sacris, quibus à cæde lustrabatur. Quòd si ante judicium adversarios placasset, aut eum ipsum, quem morti dabat, annuo hoc exilio non multabatur. V. supra in voce *Abannatio.* Quin etiam Dominus, si quem servum suum occidisset, quamvis nemo pœnas ab illo repeteret, tenebatur volens ἀπέχεσθαι ἱερῶν καὶ ἀγορᾶς καὶ καθαίρεσθαι, *abstinere à sacris & lustrari.* V. *ibid.* Judicabantque de hisce cædibus Ephetæ in illo foro, cui à Pallade erat nomen, eodem prorsus ordine, quo Areopagitæ; ab iis tamen ad Regem dabatur appellatio. Nolebant autem Athenienses ullas dare pœnas eum, qui imprudens in certaminibus alterum necasset, aut insidiantem aut ignotum in prælio, aut in uxore, vel matre, vel sorore, vel filia vel concubina, vel ea quam in suis liberis habebat, deprehensum: etiam si quis aliùm injustè vim inferentem in continenti occidisset, jure cæsum esse pronuntiavere. Cujus legis primus auctor Rhadamanthus fuisse dicitur Apollodoro *Biblioth. l. 2.* cautiones deinde addidit Draco: & tales, qui jure occidisse fatebantur, causam in Foro τῷ ἐπὶ Δελφινίῳ dicebant, utq; significarent jure se id fecisse, Soli gladium ostendebant. Erat quoque Tribunal

φονικόν, quod ἐν Φρεατοῖ dicebatur, in quo illi qui tempore *ἀναιτίως* alium scientes occidisse accusabantur, de navi causam dicebant, Judicibus in terra sedentibus: qui iterum Ephetæ erant. Quod si is, qui cædem fecerat, sive sciens, sive imprudens, protenus se fugæ daret, pedemque strueret, aut omnino ignotus esset, judicabatur in tribunali, quod *ἐπὶ Πρυτανείῳ* dicebatur. Qui sibi ipsi manus intulisset, manus ei præcidebatur, eodem tumulo non condenda, ex Lege: *Ἐάν τις αὑτὸν διαχειρίσηται, τὴν χεῖρα τὴν τοῦτο πράξασαν ἀποκόπτειν, καὶ χωρὶς τὸ σῶμα θάπτειν*, *Qui sibi manus intulerit, ei manus præciditor, nec eodem tumulo conditor*, Æschines *c. Ctesiph.* Tandem inanimata quoqve, quorum casu cædes erat perpetrata, finibus ejici jussit Draco, hac lege: *Τὰ ἄψυχα, ἐάν τινα ἀποκτείνῃ, ἀποκλείειν ὑπερορίζειν, Inanimata, quorum casu cædes aliqua sit facta, finibus eji iunto*: Præerat verò huic judicio Rex, cui οἱ φυλοβασιλεῖς assidebant. V. Sam. Petitum *Comm. in LL. Atticas lib. 7 tit. 1. de Sicar.* Apud Israelitas, quorum Politiam ipse Deus sanctissimis legibus instruxit, *Homicidium* voluntarium morte luebatur, ex lege: *Qui sanguinem hominis fuderit, ejus sanguis vicissim per homines funditor*. Genes. *cap. 9. v. 6.* Fortuitum verò qui commisisset, in aliqua Civitatum refugii à vindice sanguinis tutus mansit, donec Sacerdote summo, qui tunc vivebat, è vivis excedente, tali jus domum redeundi fieret, de quo V. suprà in voce *Asylum*. In vet. Eccl. Christiana, ὁ ἀκουσίως φονεύσας, *qui invitus homicidium commisisset*, decem annis à Sacramentorum communione excludebatur: quorum duo primi *προσκλαίων*, tres sequentes *ἀκροώμενος*, quatuor succedentes *ὑποπίπτων*, annus ultimus *συνεστώς*, insumebatur, *canon. 57. Epistol. Canonicar.* Basilii Magni ad Amphilochium. At qui *ἑκουσίως*, *sponte*, interfecisset, & postea pœnitentia ductus esset, altero tanto mulctabatur, *can. præc.* V. Jo. Forbesium *Instructionum Historico Theolog. lib. XII. cap. 6. §. 4. & 6.* & plura hanc in rem hic passim.

Homiliæ, dictæ sunt familiares collationes, quæ à Præsulibus habebantur in ædibus sacris, in quibus & interrogabant populum & interrogabantur à populo: ita enim *Ὁμιλίαν ἀπὸ λόγου* seu *oratione* distinguit Photius *in Biblioth. Cod.* 172. unde *Tractatus populares* dicuntur Augustino *Epist. 2. ad Quod vult Deum libro de Hæres. præfixa*, & Victori Vitensi *de Persecut. Vandalor. lib. 1.* ubi de eodem Augustino sermo est. A qua voce *Tractatores* quoque appellati, qui *populos dulcissimo sermone* hujusmodi deliniebant, uti loquitur Senator *de Divin. Lect. cap. 17.* &c. Hinc *Homiliare* S. Augustini, continens Sermones 147. in *Chron.* Fontanell. *cap. 16.* & *Homiliarius*, quo nomine in Ecclesia Rom. appellatur liber, continens Sanctorum homilias, quæ legi solent in Dominicis, in Natali, & in Festis Sanctorum propria Evangelia habentium, ut & in Paschate ac Pentecoste, cum ferialibus eorum. V. Auctores hanc in rem laudatos Car. du Fresne *in Glossar.* adde Suicerum *Thes. Eccl.*

Hominicolæ, Græcè *Ἀνθρωπολάτραι*, dicti ab Apollinaristis Fideles sunt, quòd Deum Hominem se adorare dicerent. V. Facundum Hermian. *lib. 19. cap. 3.* & Athanasium *de Incarn.*

Hominium, V. in voce *Homagium*, & plura in eam rem, apud du Fresne *Gloss.*

Homo, adde: Apud Gentiles *Homines* olim à morte culti, memoriæ & solatii causâ: unde Deorum illa caterva. Namque sacra eorum non naturæ solùm mysteriis, sed & historiæ veteri innixa fuisse, docet Arnobius *lib. 5.* & Origenes *lib. 8.* Liber certe Sapientiæ, Salomoni à multis etiam Vett. attributus, cum sine dubio alterius sit, &, ut credibile, Philonis, non illius, qui Claudii vixit ætate, & *Moses Atticissans* dictus est, sed longè vetustioris, qui, sub Onia Sacerdote, annis ante C. N. 160. tot pulchras sententias vel scripserit vel congesserit, originem hujus Idololatriæ clarissimè ostendit, cultumque hunc, *solatii & memoriæ causâ*, primitùs *introductum* fuisse, docet c. 14. Idem confirmat Min. Felix *in Octavio*: *Dum Reges suos colunt religiosè, dum gestiunt eorum memorias in statuis detinere, sacra facta sunt, quæ fuerant ad umta solatia.* Sed & judicatum, facere ad virtutem in viventibus magis excitandam, quam rationem affert Tullius *de Nat. Deor. lib. 3.* Ex solatiis vero & memoriis tum facta sunt sacra, quando additus est dies festus, populoque persuasum, animam defuncti sacris interesse: sed hoc arcanum erat Sacerdotum & Sapientum, quod detegere vulgò nefarium fuisset. Unde Cyprian. *tr. quòd Idola Dii non sunt*, scribit: *Hoc ita esse Alexander M. insigni volumine ad matrem suam scribit, metu suæ potestatis proditum sibi de iis hominibus à Sacerdote secretum, quòd Majorum & Regum memoria servata sit, inde colendi & sacrificandi ritus inoleverit.* Nempe hujusmodi Sacrorum originem dissimulabant Sacerdotes callidè apud vulgus. Hinc Varro *Rer. Rom. libris*, apud Augustinum *de Civ. Dei lib. 18. cap. 5.* *Quoniam verò*, ait, *in omnibus templis*, ubi colebatur Isis & Serapis, erat etiam simulachrum, quod digito labiis impresso admonere videbatur, ut silentia fierent, *hoc significare*, *ut homines eos fuisse taceretur*. Et profectò prius *Homines* fuisse clare *in Comment. suo de Diis*, evicit Euhemerus Messenius, quem quidem, ut impostorem sugillat Plutarchus *de Is. & Osir.* sed longè benigniùs hac parte de eo sensit B. Augustinus *de Civ. Dei lib. 6. cap. 7.* cum ait: *Omnes Deos non fabulosâ garrulitate, sed historicâ diligentia, homines fuisse mortalesque descripsit.* Ac prorsus subscribit in hoc Varro: ut docent ista ejusdem B. Augustini *Ejusd. operis lib. 8. cap. 26.* *Non attendunt, in omnibus literis paganorum, aut non inveniri, aut vix inveniri Deos, qui non* Homines *fuerint: omnibus tamen honores studens exhibere divinos, quasi nihil unquam humanitatis habuerint. Omitto, quod Varro dicit, omnes ab his mortuos existimari Manes Deos: & probat per ea sacra, quæ omnibus fere exhibentur mortuis, ubi & ludos commemorat funebres, tanquam hoc sit maximum divinitatis indicium, quòd non soleant Ludi, nisi Numinibus, celebrari.* Quibus dein similia subjungit, ex Hermete Trismegisto. Et quidem, duum generum hic defunctorum cultus fuit: namque animarum aliæ privatâ colebantur auctoritate, ut Lares; alias princeps potestas cœlo locavit, sive, quia nobili reperto profuissent generi humano; sive, quoniam gentis vel urbis forent conditores, sive quia bello rem præclare gessissent, uti docent Lactantius *de Fals. Relig. lib. 1. c. 5.* & Augustinus *de Civ. Dei l. 8. c. 5.* Imò nec Gentiles diffitentur. Cicero *de Nat. Deor. lib. 1.* Quid, qui aut fortes, aut claros *aut potentes viros, tradunt post mortem ad Deos pervenisse, eosque ipsos, quos nos colere, precari venerarique soleamus.* Subjungit deinde de Euhemero antea memorato: Quæ ratio maxime tractata ab Euhemero est, quem noster & interpretatus, & secutus est, præter cæteros, Ennius. Ab Euhemero autem & mortes & sepulturæ demonstrantur *Deorum*. Cujusmodi *ἀφηρωϊσθέντες* Latinis dicebantur *Dii Indigetes*, ab honore eo, quod publicè invocarentur, unde & Festus sive Paulus, *in digitanto* exponit *imprecanto*. V. infra in voce *Indigetes*, & de cultu hoc *Hominum* defunctorum quoque supra in voce *Anima*. Locum saltem addam Ciceronis, apprimè huc facientem; *Ita enim is Tuscul. Quæst. 1. Cælo*, inquit, *nostrorum opinione* receptus Romulus, cum Diis agit ævum; *ut Famæ assentiens dixit Ennius, & apud Græcos, indeque perlapsus ad nos & usque ad Oceanum Hercules, tantus & tam præsens habetur Deus. Hinc Liber Semele natus* —— *Quid? Totum prope Cælum, ne plures persequar, nonne humano genere completum est? Si verò scrutari vetera, & ex his ea, quæ Scriptores Græciæ prodiderunt, eruere coner? Ipsi illi Majorum Gentium Dii qui habentur, hinc a nobis in cælum profecti reperientur* &c. Nec hic superstitio substitit, sed, procedente tempore, *Homines* quoque vivi, Reges Principesque, Diis inferri voluerunt, vel à subditis illati sunt; reliquiis moris hodieque, in Oriente inprimis, superstitibus, ubi major humano cultus Regibus exhiberi pluribus in locis solet, ut alibi latiùs videmus. Neque verò ob prædicta solùm, sed & ob ipsam *Hominis* dignitatem, eò superstitio delapsa est: Tanta enim illa, ut velut *visibilem in Terris Deum*, veri Numinis ignari, facilè habuerint. Quam cùm varii variis expresserint, nulli tamen magnificentiùs de *Homine* sensisse videntur, quam qui *parvum* eum dixere *Mundum*. Unde Manilius *lib. 4.*

> -- *Quid mirum, noscere Mundum*
> *Si possunt homines, quibus est & Mundus in ipsis,*
> *Exemplumque Dei quisque est in imagine parva.*

Ubi per *Deum* capiendus est *Mundus*, qui Gentilibus censebatur Deus: quam mentem Manilii esse, indicat Julius Firmicus *Mathes. l. 3.* V. quoque Chalcidium *in Timæum Plat.* ubi utriusque Mundi similitudinem in eo constituit; quòd, seu corpus seu animam attendas, & corpus utriusque quatuor constet elementis, & Anima utrique ejusdem sit naturæ; sicut & Platonicorum illi censent, quibus Anima nostra est particula Animæ mundanæ, eoque divinæ. Accuratiùs similitudinem exequitur Andr. Laurentius *Anatom. lib. 1. cap. 2.* hoc loco saltem considerabimus, quatenus meteoris similis est. Quomodo fulgura referunt excandescentium oculi coruscantes; tonitru, ructus & intestinorum murmura, quæ Græci *βορβορυγμοὺς* & *βορβορυσμοὺς* appellant; pluviam, humores è cerebro in nares, laryngem, pulmonem, destillantes; rorem, lachrymæ; ventos, cruditatum exhalationes auriumque sibili ac tinnitus; terræ motum palpitatio cordis, membrorumque convulsio &c. Gerhard. Joh. Vossius *de Idolol. l. 3. c. 5.* De *Hominis* statura, & pondere usitato, ut aliquid addam: Statura, pedum fere sex est, unde *septipedes Burgundiones*, apud Sidonium, pro procerissimis, quam Herculis fuisse staturam Vett. tradunt. V. infrà in voce *Septipedes*. Pondus librarum Romanarum centum plus minus. Plautus *Asinar. Nudus vinctus centum pondo est.* Qua proportione homo bipedalis alterum fere tantum pendere debuit. At in Trojæ ludo exhibuit Augustus adolescentulum Lucium, *qui bipedali minor librarum septemdecim, ac vocis immensæ erat*, apud Suetonium *in eo cap. 43. ad quem l. V. Animadv.* Casauboni.

Homœoptota, homœoteleuta, isocola, parisa, & id genus alia Gorgiæ Leontini inventum cui propterea apud Delphos aurea dicata statua est. Sed, quod hisce præter modum uteretur, discipulus ejus Polus, Agrigentinus sophista, seque jactaret insolentiùs, Plato hominis arrogantiam tùm nominis ambiguitate, tum *ὁμοιοτελεύτῳ* simili, egregiè retudit, Ὦ πῶλε, dicens, *ἵνα προσείπω σε κατὰ σέ*, O Pole, (seu ò pulle equine) ut te tuo alloquar more, apud Laërtium *lib. 3* V. Cælium Rhodiginum *Antiqq. Lect. lib. 11. cap. 25.*

Hom.

Homogrammi, in publicis olim Ludis secum invicem committebantur. Sic enim Lucianus, Athletarum & Pancratiastarum sortitionem describens: *In argenteam*, inquit, *calpin*, i. urnam, *conjiciebantur minutulæ sortes, fabâ non ampliores: eo semper ordine servato, ut binis eadem inscriberetur elementi nota, pro athletarum numero, sortibus item auctoribus. Quum itaq; impenderet certandi tempus, prodibant ex Athletis singuli sortem educturi: nec inspectandi productam jus erat, quando id prohiberet assistens Mastigophorus. Peracto autem orbe, circumiens Alytarches inspectabat sortes, atq; ita dispensabat, ut qui alpha esset sortitus, cum eo componeretur, qui eandem eduxisset literam, atque ita deinceps* Homogrammi *certaturi prodibant.* Fieri verò sic moris erat, si certaturi pares fuissent: quòd si impar esset eorum numerus, conjiciebatur in urnam solitaria litera, quæ antigramma non haberet. Quam qui eduxisset, residebat exspectans, quamdiu certarent alii, congressurus postmodum cum fatigatis, vigens ipse atque viribus integer: quod sane felicissimum censebatur. Vocabatur autem hic Ἔφεδρος. quæ proin vox apud Sophoclem *Mastigophoro* designat *novissimum*. Cœl. Rhodiginus *Antiquarum Lect. lib.* 22. *cap.* 18.

Homologare, Gallis est, Regia Edicta aut Statuta in Acta Parlamenti referre: quod quidem tunc primum cœpit, cùm Johanne R. capto & in Angliam abducto, Carolus fil. Regni Vicarius & *Regens* dictus est. Literis enim regiis, quibus ea dignitas Carolo attributa, adscripta hæc verba memorat du Fresne in *Regesto* Parlam. signato *C. & D. Lecta & præsentata in Camera Parlamenti* 3. *Maji A.* 1356. cùm ante hæc tempora vix Regis literas inter Acta Parlamentaria videre sit. Certe olim Principum edicta, à Senatu confirmari consuevisse, docet Julianus *Apolog.* 2. ubi de Edicto Imperatoris pro Christianis: Ταῦτα δὲ καὶ τὸ συγκλήτου δόγματι κυρωθῆναι βούλομαι, *Hæc autem & Senatus sententia confirmari volo.* Quam in rem Marcianus Capella *lib.* 1. *Augustinus fieri Joviale decretum, cùm cætu Deorum attestante depromitur*, dixit, V. Cujacium *Observat. lib.* 1. *c.* 19. laudatum Carolo du Fresne *in Gloss.* At *Homologi* Coloni, in *l.* 6. *Cod. Theodos. de patrocin. vicor.* Græcè ὁμόλογοι, sunt glebæ adscripti, dedititii, conditionales; more gentium ejusmodi servituti, ex pacto & conditione, obnoxii. Nam ὁμολογία, *confessio, professio* est. Id.

Homoloides, apud Papinium *Thebaid. lib* 7. *vers.* 252.

— *quàm celsus ætnâ*
Sphinga per ingentes Homoloidas *exeat Hæmon*:

una est ex septem Thebarum portis, quam ob sonum hic præ reliquis nominasse Poeta videtur. Meminit earundem Euripides *Phœniss.*

Ὁμωλωΐσι δ' ἄγχι τάξιν εἶχε πρὸς πύλαις
Τυδεὺς, λέοντος δέρμ' ἔχων ἐπ' ἀσπίδος.

Nomen an ab *Homole* monte, urbi vicino; an ab heroe cognomine, Amphionis filio; an ab *Homoloide*, Niobes filiarum una: quorum illud Pausanias, illud Euripidis, hoc Æschyli Scholiastæ censent. V. Casp. Barthium *Animadversion. ad Statium d. l.* nec non *l.* 8. *v.* 356.

Homousiani, apud Victorem Vit. *de Persecut. Vandalic. lib.* 4. *Rex Hunericus Vandalorum & Alanorum, universis Episcopis homousianis*; Aliis *Homousiones* & *Homousionista*, apud Augustinum *Epist.* 177. ab Arrianis Orthodoxi appellati sunt: quod SS. Triadis Personas ὁμοουσίους seu *consubstantiales* assererent; id quod in Filio Arrius, in Spiritu S. Macedonius, negabant: non saniora docentibus Nestorio & Eutyche. Quorum proin ille Nicenâ, iste CPolitanâ, hi Ephesinâ & Chalcedonicâ Synodo, condemnati sunt. A' quo tempore vox *Homousios* inter Sanctissimæ Trinitatis epitheta frequenter à Fidelibus adhiberi cœpit. *Ego Berengarius* — *jurans per Sanctam &* Homousion *Trinitatem & per hæc Sacrosancta Christi Evangelia, de Consecr. dist.* 1. *Can. Ego Berengarius* &c Hinc Anastasius de Pseudosynodis loquens, *Quæ contra* Homousion *facta sunt, jussiones Imperatorum firmant & non pia fides, in Disput. Maximi Martyris, in ejus Collectan. à Jac. Sirmondo in* 8. *edit. pag.* 161. &c. apud ...aeros fratres *in Hierolexico*, V. quoque ubi *de Arrianis & Semiarrianis, alibiq; passim.* Vocis autem ὁμοούσιος incunabula sunt qui Nicenæ Synodo adscribant, sed jam antè in usu fuisse, liquet ex Origene, Dionysio Episc. Alex. Athanasio, Aliis. Interim minùs tum is frequens, at post Synodum hancce adeò increbuit, ut non tantùm *Homousianorum* seu *Homousiastarum* nomen Catholicis probrosè objectarent Ariani, sed & ipsi Catholici, post Constantini M. tempora, ex hoc vocabulo potissimùm ab Hæreticis distinguerentur: οἱ τοῦ ὁμοουσίου πίστιν inde appellari soliti, item οἱ τῷ ὁμοουσίῳ προσθέμενοι. Cùm Hæretici modo ἑτεροούσιον, modò ἀνόμοιον, modò ὁμοιούσιον, modò ἀπαράλλακτον, modò κατ' οὐσίαν ὅμοιον, modò tandem simpliciter, ὅμοιον, Patri filium dicerent, uti pluribus ostendit Cl. Suicerus *Thes. Eccl.* voce Ὁμοούσιος: de Spiritu S. similiter delirantes. V. quoque hic aliquid, ubi de *Antitrinitariis, Christomachis* & *Pneumatomachis.*

Homullus, apud Ælium Lampridium *in Alexandro Severo*: *Et id quidem ab Homullo ipsi Trajano dictum est, quum illi diceret, Domitianum pessimum fuisse, amicos autem bonos habuisse, atque ideo Claudium magis odio fuisse in Republica temporis sui, quàm illum, quia melius est unum malum pati, quàm multos*, ad quem locum vide Salmasium.

Homuncionates, dicuntur ab Arianis Orthodoxi, *qui dicunt duas naturas esse in Christo duasq; substantias*, apud Arnobium Jun. *in Conflictu cum Serap. initio l.* 1. quos alii *Homousianos* vocant, ut Victor Vitensis.

Honor, apud Eccl. Rom. Scriptores, potissimùm notat majores & excellentiores in Ecclesia dignitates, ut sunt Episcopatus, Presbyteratus, Diaconatus: unde *Honorabiles* dicti, hisce functionibus eminentes, in *Capitular.* Caroli M. *lib.* 5. *cap.* 8. & *Honorati, in Charta Divis. Imp.* Franc. Caroli ejusdem *cap.* 2. Postmodum in eadem Commun. generatim sic dicta sunt majora in Ecclesiis Cathedralibus beneficia, seu, uti vocantur, *Dignitates*, atque adeò *Canoniæ* ipsæ. Præterea id nominis accepere Beneficia seu prædia, quæ ad vitam variis Nobilibus assignabantur, ad militare servitium, à quibus dein Feuda profluxere, nomine *Honoris* sæpissime obvia. Abbo Mon. *lib.* 2.

Perdidit ergo suos illic VVilhelmus honores,
Hugoni regnante datos, qui Bituricensis
Extiterat Consul &c.

Sic apud Anglos *Honor*, Feudum quoque significat vel manerium, sed nobilius, quod Regalibus exornatur & multa inferiora sibi servitutem debentia habet. Covvellus *Institut. lib* 2 *tit.* 2. *§.* 7. Apud Hispanos verò, sic differt à Feudo & Terra, ut *terra* dicatur, quam Dominus annuatim dat in pecunia vassallo; *Feudum*, quod alicui datur, ut certum servitium faciat; *Honor* à quem Dominus sibi dat sine conditione, ut reditus alicujus villæ; qui honor non aufertur ei in vita sine causa. Interdum tamen *Honores* laxius dicuntur, quævis possessiones, in *Capit. Car. M. lib.* 5. *cap.* 5. &c. V. hanc in rem pluribus differentem Car. du Fresne *in Gloss.* Ad priscum vocis significatum ut redeam, verbo moneo, ἀτίμους εἶναι ἐψηφίσθαι, *honoribus prohibitos esse*, Antiphanis, ut proditoris, posteros, apud Plut. quemadmodum Romæ liberos à Sulla proscriptorum. Sic in Arcadii Lege, *Ad nullos honores, ad nulla sacramenta perveniant*, in perduellium liberos edicitur: qua de re V. Hug. Grotium *de Jur. Belli & Pacis l.* 6. 2. *cap.* 21 *§.* 16. Cur autem voce hac tantopere delectatus Virgilius sit, rationem Scaliger reddit *Poetices lib.* 4. *cap.* 16. *Illud animadvertentes voce hac*, honorem, *frequenter usum esse, ad augendam dictionis majestatem. Sic, aut* simplex aris imponat honorem. *Et*, Divum templis inducit honorem. *Et in mensa*, laticum libavit honorem, *est enim* εὐκτόν, *quod proprium in sacrificiis, in quibus bene ominatis verbis utebantur, ἱερόν* &c. De *Honoribus Heroicis*, à Senatu bene meritis de Rep. decretis, apud Romanos olim, V. Casaubonum ad *Suetonium Julio c.* 88. uti de *Honorum* apud Romanos distinctis gradibus, Livium *lib.* 1. *c.* 31 *l.* 10 *c* 6. & *l.* 22. *c.* 26. de eosdem auspicandi more, eundem Casaub. *ibid. Nerone cap.* 7. de eorundem *nundinatione*, apud eosdem, quæ eo usque processit, ut Candidati palàm in Comitiis nummarias mensas ponerent, & Populi suffragia redimerent, Plut. in *Cæsare*, & Lucan. *l.* 1. ubi hic inter alia,

Hinc rapti fasces pretio, sectorque favoris
Ipse sui populus, letalisq; ambitus Urbi,
Annua venali referens certamina campo &c.

Honorabiles, in *l. un. Cod. Theod de Comit. vacantib.* sunt *Honoribus perfuncti*, qui proin titulus vulgò in Galliæ Civitatibus iis concessus est, qui civilia munera obierant, dicti *Honorables personnes*: tametsi hodie ejusmodi appellatio in gente hac viluit, quòd nobilitati, quam omnes ambiunt, quodammodo opponatur. Interdum verò etiam sic dicti occurrunt, qui in dignitate constituti sunt, ut in *Capitul.* Caroli M. *l.* 5. *§* 8. V. quoque suprà in voce *Honor*. Hinc *Honorabilitas*, titulus Episcoporum, apud Facundum Hermian. *l.* 4. *c.* 2. V. du Fresne *Glossar.*

Honorarii, in *Novell.* Valentiniani *de Honor.* ubi quinque enumerantur Illustrium dignitatum gradus, quorum primus est eorum, qui verè illustrem dignitatem gesserunt; Secundus vacantium præsentium; Tertius vacantium absentium; Quartus *Honorariorum præsentium*; Quintus *Honorariorum absentium*: à vacantibus in eo digressi sunt, quòd *Illustratus* sub cingulo vacantibus, sine cingulo verò *Honorariis* delatus, hincque illi ζωστοί, hi ἄζωστοι, dicti sunt; ut qui nullo merito antegestæ administrationis, sed solo codicillorum principalium beneficio, hunc honorem consequi solebant. Cujus generis Pontifices etiam & Augures & XVViros sacris faciundis Severum fecisse, memoriæ proditum est. Præterea vacantibus datas annonas esse, Lampridius scribit, quas *Honorarium* nullum constat habuisse: unde colligitur Vacantes *Honorariis* optimo jure præferri. Non tamen omnibus: His namque, qui simili dignitate ornati sunt, procul dubio præferuntur, veluti Præfectorius vacans Præfectorio honorario, Quæstorius vacans Quæstorio honorario; His verò, qui ampliori dignitate prædìti, non præferuntur, veluti Quæstorius vacans non præfertur Prætorio honorario, Comes vacans non præfertur Quæstorio vel Exmagistro honorario: adeoque Vacantes omnibus Honorariis non præferuntur; At Administratores omnibus Vacantibus & Honorariis

&c. V. Jac. Cujacium *l. 1 de Primicerio & Secundicerio & Notar. C. lib.* 10. laudatum Jo. Calvino *Lex. Jur.*

Honorarii Ludi, apud Suetonium *Augusto* c. 32. *Ne quod autem maleficium negotiumve impunitate vel mora elaberetur, XXX. amplius dies, qui* Honorariis Ludis *occupabantur, actui rerum accommodavit*: Festo *Liberalia* sunt, Casaubono Ludi, qui *ad honorem* edentium pertinerent. Cùm enim triplex olim Ludorum & Agonum exhibendorum causa esset, Deorum religio, mortuorum *ὁσία* & edentium honos: ultimi hi sequiori ævo tam frequentes facti sunt, ut temporibus Augusti nemo aliquem honestiorem in Rep. locum sortiretur, quin magnam patrimonii partem, in editione Spectaculorum, impenderet aut impendisset, sicque ab honoribus Deorum & mortuorum ad honores viventium, Quæsturas sc. Magistratus, & Flaminia ac Sacerdotia, Ludi ii transierunt, Tertull. *de Spect.* Sed &, quia Augusti principatu plurimi Magistratus Prætores erant, à majori parte *Honorarii Ludi*, quasi Prætorii, ita potuerunt dici, ut *Jus honorarium, κατ' ἐξοχὴν* appellatum est jus Prætorium, & ipsi Prætores *honoratus Magistratus*, Ovidio *Fastorum lib.* 1.

Verbaq; honoratus *libera Prætor habet.*

Etsi, ut dictum, non de solis Prætorum ludis Suetonius accipiendus sit. Eodem referas *Ludos privatos*, eidem in *Nerone* dictos, qui à Magistratibus aut Sacerdotibus propriâ pecuniâ honoris sui gratiâ edi solebant. Item, quos extra ordinem, in honorem Principis, ex ambitioso aliquo decreto Senatus edi consuevisse, legimus passim V. Casaubonum *ad l.*

Honorarium, est, quod Magistratibus aut eorum Ministris solvitur, honoris potiùs, quàm necessitatis causâ, unde etiam nomen habet, nec exigi debet aut peti, sed accipi, si offeratur, Connanus *l.* 14. *c.* 15. *num.* 7. Etiam sic dicebatur, quod olim Consulibus, In provincias advenientibus, honoris loco dabatur, non tanquam debitum. Cic. *in Pisonem, Qui modus tibi fuit frumenti æstimandi? qui Honorarii? siquidem potest vi & metu extortum* Honorarium *nominari.* Porro, quod à Decurionibus pro Curiæ introitu dari solebat. Plin. *l.* 10. *Epist.* 16. *Superest ergo ut ipse dispicias, an in omnibus Civitatibus certum aliquid omnes, qui deinde Bulentæ leguntur, debeant pro introitu dare.* Ad quam Epistolam rescribens Trajanus: *Honorarium*, inquit, *Decurionatus omnes, qui in quaque Civitate fiunt, inferre debeant nec ne, in universum à me non potest statui.* Tandem merces ita vocata est, quæ Advocatis, Jurecons. Liberalium Artium Professoribus, Mensoribus & cœteris, qui operam beneficii loco præstabant, dabatur: *l.* 1. *ff. si mens. fals. mod. l.* 1. *de extraord. cog. l.* 38. *ff. loc. l.* 3. *C. de post. l.* 2. *de leg.* 13. *Cod. de Jud.* &c. Brissonius apud Calvinum *in Lex. Jur.* V. quoque infrà, in voce *Professores.*

Honorati. In *Gloss. Lat. MS. Satrapæ, Judices, Honorati vel Principes*; dicti sunt, qui in honoribus aut dignitatibus constituti; vel qui dignitates gessere, seu in urbe, seu in provinciis. Ἀξιωματικοὶ in vet *Gloss.* οἱ ἐν ἀρχαῖς γεγενημένοι, Libanio: οἱ ἐπ' ἀξίας, Gregor. Nazianz. *Stiliteut.* 1. *Honoribus usi*, in aliquot *Insc.* maxime enim *Honorati* dicebantur, post gestos honores. V. suprà in voce *Honorarii*, & quæ congessit Jac. Gothofredus *ad L.* 1. *Cod. Theodos. de Offic. Jud. Civ.*

Honorificentia, titulus honorarius Pontificum, in *Epist.* Isidori Episc. Hispal. ad Masonam Emerit. Episc. de cujus fide viri docti dubitant. V. quoque Joannem VIII. Pont. *Epist.* 169. laudatum Car. du Fresne.

Honstenia, vulgò *Honstein*, Familia Germaniæ illustris, ab arce nomen adepta; quam Conradus Ludovici Barbati Thuringi, ex filio Berengario, nepos, condidisse dicitur A. C. 1061. Idem dein, cùm prole careret, hæreditatem transcripsisse amitino Berengario Ludovici Com. Linderbecani filio, à quo propagata familia est. In Theodorici IV. liberis duæ lineæ, *Virndiensis & Clettenbergia*, cœpere. quarum tamen utraque superiori seculo exituro, masculorum defectu, terminata est; ditionibus eorum à Saxonibus, Brunsuicensibus & Halberstadiensibus, non tamen citra aliorum contradictionem occupatis. Ultimus totius familiæ fuit Ernestus VII. Com. Honstenius, cujus progenitores sic habent. Ernestus IV. Com. *Honstenii*, ex Anna (fil. Botonis Com. Stolbergæ, defuncta An. C. 1430.) genuit Henricum, Margaretæ VValdecciæ (fil. Henrici Com.) maritum & ex ea patrem Ernesti V. quo & Felicitate Beichlingensi (fil. Johannis Comitis) natus Ernestus VI. obiit A. C. 1552. ex Anna Benthemia (fil. Eberwini Comitis) genitor VVolmari VVolfgangi, defuncti A. C. 1580. Huic Margareta *de Barby* (fil. VVolfgangi Comitis) genuit Ernestum VII. præfatum ultimum masculum rami Clettenbergii totiusque adeò familiæ *Honsteniæ*. Ejus enim filius, ex Juliana Barbiensi, (fil. Alberti Comitis) natus A. C. 1583. Vollmarus VVolfgangus, obiit A. C. 1586. ex filiabus Maria Magdalena (n. 1584. decessit A. C. 1590.) Erdmutha Juliana (n. 1587. uxor fuit Johannis Ludovici Com. Gleichensis. defuncta 1606.) Elisabetha (n. & den. 1588.) & Dorothea Elisabetha n. 1589. obiit . . . ipse verò Pater fato suo defunctus est, A. C. 1593. Phil. Jac. Spenerus *Theatr. Part. II. pag.* 31.

Hoplitæ, inter opera Parasii, apud Plin. *l.* 35. *cap.* 10. *Sunt & duæ picturæ ejus nobilissimæ, Hoplitæ* (alii habent *Hoplitides*) *alter in certamine ita decurrens, ut sudare videatur; alter arma deponens, ut anhelare sentiatur.* Sic dicti sunt, qui armati currebant in Olympicis, aliisque sacris certaminibus, de quo peditum gravioris armaturæ cursu, bellicisque excursionibus simillima exercitatione. V. Car. Paschalium *Coron. l.* 6. *c.* 14. Ὁπλίτην δρόμον vocat Scaliger *Poet. l.* 1. *cap.* 22. unde compositâ voce Ὁπλιτοδρόμοι iidem &c. At *Hoplomachus* apud Martialem *l.* 8. *Epigr.* 74. gladiator armatus est, V. Lipsium *Saturnal.* & hic passim.

Hora, duodecima pars diei, Romæ trecentis annis ignorata fuit, teste Plinio *l.* 7. *c.* 60. ut & Censorino *l. de Die natali* c. 19. unde in Legibus XII. *Tabb.* Ortus tantùm & Occasus nominantur, Joh. Rosinus *Antiqq. Rom. l.* 8. Sic autem sonant verba Censorini; *Horarum nomen non minùs annos CCC. Romæ ignoratum esse credibile est. Nam duodecim tabulis nusquam nominatas Horas invenias, ut in aliis postea Legg. sed* ANTE MERIDIEM. Plinii verò *l.* 7. *Duodecim Tabb. Ortus tantum & Occasus nominantur, post aliquot annos adjectus & Meridies, accenso Coss. id pronunciante.* Imò annis plusquam 450. cùm eo demum tempore *Horologium* primum visum Romæ, ut infrà dicemus, neque prius *Horæ* à Romanis observatæ & appellatæ sint. Unde apud Censorinum legendum Salmasius judicat, *non minus annos CCCCL. Romæ ignoratum esse* &c. Post reperta dein Solaria, de quibus V. paulo infrà in voce *Horologium*, & *Horæ*, more reliquarum gentium, à Romanis observari cœperunt: in cujus rei auctorem ita facunde invehitur Parasitus Plautinus apud Aulum Gellium *lib.* 3. *cap.* 4.

Ut illum Dî perdant, primus qui Horas *repperit,*
Quiq; adeo primus statuit hic Solarium.
Qui mihi comminuit misero articulatim diem,
Nam me puero uterus erat Solarium, &c.

Quomodo verò illi *Horas* suas diviserint, hoc *Epigr.* Martialis explicat, quod octavum est *lib.* 4.

Prima *salutantes, atq;* altera *continet hora.*
Exercet raucos tertia *Causidicos.*
In quintam *varios extendit Roma labores,*
Sexta *quies lassis*, septima *finis erit.*
Sufficit in nonam *nitidis* octava *palæstris;*
Imperat extructos frangere nona *thoros.*
Hora libellorum decima *est* &c.

Saturis nempe & mero incalescentibus, post cœnam nonâ sumtam, lectitare carmina jocosa mos erat. V. Ramiresium *ad l.* Ad Græciam quod attinet, certum est, *Horarum* apud illos usum non multo antecessisse Alexandri M. ætatem, adeoque plusquam 200. annis ab Anaximandri morte, nec vulgò tamen ab omnibus Græciæ populis nisi serò receptam fuisse, Salmasius *ad Solin. p.* 651. Utrisque *Horas* priùs non nisi ex umbra corporis humani pedibus dimensa colligentibus, ut videbimus infrà ubi de *Umbra*. Munivisse autem viam rei reperiundæ videtur antiqua diei æquinoctialis partitio, in XII. *μέρη*, quam Babylonii primi vel Ægyptii Astrologi instituerunt, occasione indigitatâ, in voce *Cynocephalus*; quaque adeò Græci vett. usi sunt in explorandis multis Astricæ scientiæ arcanis, quæ ex gnomonica ratione & umbris deprehendi datur: in dierum augmentis & detrimentis per menses judicandis, Horoscopo inveniendo &c. Qua ratione & apud Herodotum, jam in XII. partes diem divisum legas. At posterius hoc horarum inventum diem omnem in XII. horas divisit, æquinoctialem, brumalem, solstitialem & Horologia fecit Gnomonica, horis illis XII. in dies notandis, per omnia anni tempora. Quæ ratio instituta est, non ut Mathematicis usibus ac demonstrationibus serviret, sed ut civilem & negotiosam vitam, quam *πολιτικὴν* vocabant, his intervallis distingueret. Quod quando primùm cœperit, ex *Horologiorum* historia petendum est. Ad *Horas* autem, postquam illæ inventæ, nuntiandas, pueros habebant Romani proceres. Poeta,

—— *Puer qui nunciat horas.*

Et alibi,

Nunciat octavam Pharia sua turba juvenca.

Quod & in Græcia obtinuit, ubi dominæ ancillas, quæ hoc munus sibi fungerentur, habebant, *ὡροσκόπους* dictas Hesychio. Longius enim invisere Horologium in publico loco positum: nondum frequentato illorum multiplicatoque usu. Quam ob causam, in veteri more, umbris dimetiendi tempus, diu perstitere de plebe homines, & *ποδιζόμενοι*, etiam post ea excogitata, uti pluribus docet Salmasius *ad Solin. d. l.* Apud Hebræos duplicis generis erant *Horæ*, viz. *minores*, quarum 12. diem, totidemque noctem constituebant, & *majores*, quarum quatuor utrobique erant, quaque tres minores complectente. Noctis *Horæ* majores *vigiliæ* appellabantur, quarum prima *Caput Vigiliarum* dicta, Lament. c. 2. v. 19. à 6. vespertina incipiebat. Secunda *Media*, Judic. c. 7. v. 29. ad mediam noctem pertingebat. Tertia horâ 3. Quarta, sextâ nocturnâ, seu matutinâ potiùs finiebatur. Nominantur Marci c. 13. v. 35. Ὀψὲ, Μεσονύκτιον, Ἀλεκτοροφωνία, Πρωΐ. Similiter in quatuor partes diem apud ipsos divisum fuisse, ex Matth. c. 20. colligitur. Quarum prima à 6. matutina incepit & duravit, usque ad nonam, vocaturque

vers. 3.

versu 3. *Tertia hora*: Secunda duodecimâ finiebatur, quam versu 5. *Sextam* vocat: Tertia usque ad tertiam pomeridianam pertingens *Nona* appellatur, *eodem versu*. Ultima tandem, quam sexta vespertina finiebat. *Undecima* dicitur *versu* 6. quæ quidem *Duodecima* fuisset appellanda, cùm semper à finiente hora minore major diceretur, sed maluit Christus eam undecimam appellare, ut ostenderet, licèt aliquando usque ad undecimam diei *Horam* Dominus vineæ expectet, operarios conducendo, tamen rarò duodecimâ ad hoc ipsum venire, cùm hæc hora potiùs dimissioni & quieti, quàm conductioni & labori, destinata sit. Hac distinctione *Horarum* præsuppositâ, facilis est conciliatio, inter Marcum Evangel. qui *cap.* 15. *versu* 25. ait, *Erat autem hora tertia, quando crucifixerunt eum*: & Johannem, qui *cap.* 19. *versu* 14. ubi de examine SERVATORIS coram Pilat loquitur, *Erat autem Parasceve*, inquit. *hora verò quasi sexta*. Non enim Marcus de crucifixione seu suspensione aut affixione ipsa od crucem loquitur, quæ demum facta est horâ sextâ, Lucæ *cap.* 23. *versu* 44. neque de expiratione ejus, quæ contigit circa horam nonam, Marci *cap.* 15. *versu* 34. sed de tempore eo, quo Christus coram Pilato examini subjectus est & populus *Crucifige, Crucifige*, inclamavit: Cumque hora tertia, & sexta, seu secunda & tertia major, immediatè se sequerentur, facilè pro se mutuò sumi poterant. Porro minores illæ horæ, *Horæ diei* dici solitæ sunt, Joh. *cap.* 11. *versu* 9. majores verò *Horæ templi* vel *precationis* sunt appellatæ: unde Petrus & Johannes in templum ascendisse dicuntur *sub horam precationis*, nempe *nonam*, Actor. *cap.* 3. *versu* 1. in quem tamen locum notat Drusius, *Non fuisse ultra tres horas precationis in die, apud Judæos, clarè testatur David Kimchi*: Nimirum tertiam, institutam ab Abrahamo, quà etiam Spiritus S. in Apostolos effusus est, Actor. *cap.* 2. *versu* 15. Sextam, ab Isaco, quà Petrus *ascendit in solarium, ut oraret*, Actor. *cap.* 10. *versu* 9. & Nonam, ab Jacobo institutam, quâ Petrum & Johannem in templum ascendisse, paulò antè dictū. Ab istiusmodi majoribus Hebræorum *Horis* accepere originem *Horæ Canonicæ* in Ecclesia Latina, quarum octo dies civilis continet, noct quaternas totidemque dies. Harum prima, incipiens horâ 6. vespertinâ, *Hora vespertina*, vel *Vespertinum* subint. Officium vocatur. Secunda, quam nona inchoat, *Completorium* dicitur. Tertia, cui à media nocte initium, *Nocturnum*, & quarta, quam sexta finit, *Matutinum* appellatur, Germ. *die Mette*, Diei verò *Horæ, prima, tertia, sexta, nona* nuncupantur. Quem *Horarum* usum (*Cursum* Galli vocant) Eleutherium Papam instituisse, Polydorus Virgilius ait. V. Macros Fratres in *Hierol.* & Car. du Fresne *in Gloss.* quorum hic in quibusdam Monasteriis, *Horas de Sancta Maria*, unà cum *Horis Regularibus* seu *Canonicis*, simul cantari, addit, ex libro *Ordinis* S. Victoris Parisiensis *MS. cap.* 50. Inde *Horarium*, liber *Horas* continens apud Gillebertum Lunic. Episc. *de usu Eccl.* Qui verò illas persolvendas curat, & stipendia Canonicis, qui iis intersunt, persolvit, *Horoscopus* in *vet. Charta* & *Horarum Receptor* in *Necrologio* Ecclesiæ Parisiensis dicitur, apud eundem du Fresne. Plura hanc in rem, *de Horis Hebræorum* inprimis, apud Thomam Godvvynum *de Ritibus Hebræorum lib.* 3. *cap.* 1. & hic passim.

Horarius Cupido, in *Musæo* Kircher. theatrum est Catoptricum parvum, tribus planis speculis instructum, quæ ad angulos rectos sibi invicem connexa sunt: cujus medio *Cupido* pendulo suprà stantis horologii alligatus continuò volitat; speciebus ejus, quæ à speculis reflectuntur, jucundum ludentium puerulorum agmen ostentantibus. G. de Sepibus *Coll. R. S. J. Musæ. p.* 37.

Horatia lex, quam tulit M. Horatius, fuit: *Ut Caja Tarratia virgini Vestali certi honores tribuerentur, in his ut testabilis esset; Ut si* 40. *annos nata Sacerdotio abire ac nubere voluisset, jus ei potestasq; exaugurandi atq; nubendi esset: munificentiæ & beneficii gratia, quod campum Tiberinum sive Martium Populo Rom. condonasset*, A. Gellius *l.* 6. *c.* 7. Plut. *in Publicola* eam vocat *Tarquiniam*. Alia lata a M. Horatio Barbato Cos. cum Valerio Poplicola, *Ut qui Tribunus Pl. Ædilibus, Judicibus nocuisset, ejus caput Jovi sacrum esset, familia ad ædem Cereris, Liberi Liberaq; venum iret*, Livius *l.* 3 Dionys. *l.* 11. &c. Fuit & *Horatia Valeria* lex, ab iisdem rogata, anno U.C. 304. *Ut quod tributim plebs jussisset, populus teneret*, Liv. *lib.* 1. 2. Dionys. *l.* 2. &c.

Horatia Tribus, quo nomine antiquitus dicta fuerit, ignoratur: Postea appellata fuit *Horatia*, à gente cognomine, nobili admodum ac clarâ Mentio ejus fit in antiquis inscriptionibus novies, ut Paulus Manutius annotavit; Inter primas illas à Servio institutas, refertur à Sigon. & Onuphrio. V. Rosin *Ant. R. l.* 6. *c.* 15.

Horcus, apud Lampridium *in Heliogabalo*, *Cui* (Deo Heliogabalo) *templum Romæ in eo loco constituit, in quo priùs ædes Horci fuit*: idem cum *Orco* est seu *Plutone*. V. *ibi*.

Hordeum. inter Isidis inventa, priscis mortalibus cibi loco. Plin. *lib.* 18. *cap.* 7. *Antiquissimum in cibis hordeum, sicut Atheniensium ritu Menandro auctore apparet, & gladiatorum cognomine, qui Hordearii vocabantur.* Nempe postquam frugibus victitari cœptum est. Hinc in proventu ejus opulentia Vett. ipsumque κρῖθος sacrâ voce dictum, ἐν τοῖς Ἀττικοῖς, ubi Daduchus gestans facem, clamabat ΚΑΛΕΙΤΕ ΘΕΟΝ, respondentibus reliquis ΣΕΜΕΛΗΙ' ΙΑΚΧΕ ΠΛΟΥΤΟΔΟΤΑ. Qui κλῆτος id dicebant, quod in cornucopiæ continebatur, & τὸ κανοῦν, i. canistrum, in quo *sacra hordea* erant, *συνκητος* vocabant. Et quidem *Hordeum* torrebant priùs Vett. deinde molebant, unde *tosta polenta*, V. infrà in hac voce. Cùm dein triticum inventum esset, *Panem ex hordeo antiquis usitatum vita damnavit, quadrupedumque tradidit refectibus*, Plinius ubi suprà. Et proin Romani, qui avenam non serebant, *hordeum* equis dabant. Unde apud Comicum, *demam tibi de hordeo, si tolutim badissas*: & *hordearius missus*, quòd quadrigis pro præmio hordeum dabatur. Idem & Græci faciebant, qui κριθίνου κῶλον inde vocitarunt. Mansere tamen *hordeacei panes*, in usu pauperum & frugaliorum, Seneca *Epist.* 18. Ascetarum item, uti de Monachis quibusdam Orientalibus scribit Sulpitius Severus *Dial.* 1. & videre est suprà in voce *Crithophagus*. Cætera sordidus habitus Romæ is panis, & quibusdam in pœnam ad edendum datus. Suetonius *Augusto cap.* 24. *Cohortes, si quæ cessissent loco, decimatas hordeo pavit.* Certè triticeo minùs laudabilis, & parata ex hordeo alimenta φυσώδη dicta Dioscoridi. Unde *Ordearium Rhetorem*, ut inflatum ac levem & sordidum, Lucium Plotium Gallum vocat M. Cœlius, apud Suetonium *de claris Rhetor. num.* 2. quem M. Tullius *Oratorem gracilem & strigosum* appellat ad M. Titinnium. Vide Casaubonum *ad l.* De *Hordeacei panis*, in purgatione Veterum vulgari usu, uti & de *grani hordeacei*, in ponderibus, loco, alibi. Ad Veterum κριθοφαγίαν respicit Lucanus *Panegyr. ad Pison.*

> — *nam quid memorare necesse est*
> *Ut domus à Calpo nomen Calpurnia ducat,*
> *Claraq; Pisonis tulerit cognomina prima,*
> *Humida ca[llos]a cùm pinseret hordea dextrâ* &c.

Neque verò panis solùm, sed & potus ex *hordeo* fieri consuevit, auctore Osiride, vino non multò minoris efficaciæ, uti docet Diodor. Siculus *lib.* 1. *cap.* 2. &c. Citiùs autem, quàm aliæ fruges. provenit *Hordeum*. Unde inter alios ritus nuptiales, *ponebant terram in vasis faligneis* Hebræi, *ibiq; serebant hordeum ante dies Deductionis in thalamum; Afferebant autem, cùm germinabat, coram Sponso & Sponsa, dicentes illis, Crescite & multiplicamini, ut hordeum hoc*, quemadmodum in *Talmud* legitur apud Johann. Seldenum *Uxor. Ebraic. lib.* 2. *cap.* 15. Plura de *Hordeo*, V. apud Plinium *lib* 18. *cap.* 7. & *seqq* Salmasium *ad Solinum passim*, Alios.

Hormesta Mundi, vel *Ormesta*, in *MSS. Codd.* inscribitur Pauli Orosii Historia: quam de *Miseria hominum*, in quodam antiquo Codice, inscribi monet Josias Arndius in *Lexico Antiqq. Eccl.* In *Codice* verò alio apud C. du Fresne titulus ita concipitur, *Pauli Orosii Presbyteri Liber de Ormesta seu Miseria Mundi*: ex quo ille titulus, *Hormesta Mundi*, irrepsit, &c. V. Bongarsium *Præfatione ad Gesta Dei per Francos sub finem*, laudatum Carolo du Fresne *Glossar.* & infrà in voce *Ormesta*.

Hormium, sicut *Orthium*, carminis apud Vett genus, quo militum animi ad pugnam inflammabantur, à Gr. ὁρμῆ, de quo V. Alex. ab Alexandro *Genial. dier. lib.* 4. *c.* 2.

Horna, oppidum Gelriæ, adde: Comitum horum stirps in duos ramos capitales divisa est, cùm Guilielmus V. Dn. *de Horn* & *Per vveis*, præter Arnoldum Episcopum Ultraiectinum, genuisset Guilielmum & Theodoricum; à quorum illo reliqui Domini & Comites *de Horn*, atque Domini *de Montigny* descenderunt, sed tandem defecere, hæredibus Montmorenciis. Ab hoc Domini *de Baussignies, de Montcornet, de Heeze* derivantur: ita tamen, ut in Theodorici abnepotibus. Philippi *de Hautekerke* filiis, Arnoldo atque Johanne, denuo novæ in diversum ierint lineæ. Cùm enim huic Domini & dein Comites *de Baussignies*, Domini *de Loquern, de Kessel*, illi ortum debent Comites *de Hauquerque*, Vicecomites *de Furnes*, quorum postremorum progenitores sic habent. Arnoldus *de Horn*, Com. *de Hautekerke*, ex Margaretha Montmorencia (fil. Johannis *de Montmorency* Dn. *de Nivelle*) pater fuit Maximiliani: cui Barbara *de Monfort* (fil. Johannis Comitis) genuit Martinum, maritum Annæ Croviacæ Vicecom. *de Furnes* (fil. Antonii *de Crouy* Dn. *de S. Piat* & Asiæ *von der Gaet*) & ex eâ patrem Georgii: quo ex Eleonorâ Egmondanâ (fil. Lamoralli Com. Egmondani Princ Gaveræ, decollati A. C. 1568.) genitus Lamorallus Julianam Merodiam (fil. Johannis *de Merode* Bar. *de Petersem*) sibi iunxit, atque ex ea genuit Philippum, cui Dorothea Arenbergia (fil Caroli Principis Arenbergæ, qui obiit A. C. 1616.) genuit utriusque sexus liberos, *Comites de Hautekerke Fam. de Horn* è quibus Anna Francisca Eugenia *Hornana* uxor est Lamoralli Claudii Francisci Comit. Turriani *de Taxis*. V Spenerum ubi supra *pag.* 9. & *in Indic.*

Horologium, antiquitus venter fuit, ut Parasitus ille Plautinus apud A. Gellium *lib.* 3. *cap.* 4. ait:

> *Nam me puero uterus erat solarium*
> *Multò omnium istorum optimum & verissimum,*
> *Ubi ubi iste monebat esse, nisi cùm nihil erat.*
> *Nunc etiam quod est, non est, nisi Soli lubet.*
> *Itaque adeò jam oppletum est oppidum solariis,*
> *Major pars populi aridi reptant fame.*

Adeoque tum nec *horarum* usus erat, sed Accensi, quodnam diei tempus esset, clamabant. Varro *de L. L. lib.* 5. *Hoc idem Cosconius in Actionibus scribit, Prætorem accensum solitum tum esse jubere, ubi ei*

bi ei videbatur esse horam tertiam (id est, tempus illud, quod postmodum horâ tertiâ metiebantur) *inclamare, horam esse tertiam, item meridiem & horam nonam.* Duo autem diei tempora primitus, nempe Ortum & Occasum: quibus post annos aliquot tertium, nempe Meridies, adjectum, habuere Romani, teste Plin. *l.*7. Apud Græcos in 12. partes jam Herodoti ætate dies dividebatur, verùm Æquinoctialis, horæque pro dierum ratione crescebant ac decrescebant. Ad partes has diei duodenario numero æqualiter dividendas, Babylonii Græcique omnes Astrologi veteres ac Gnomonici rationes suas accommodarunt: quod factum, nondum publicato horarum nomine ac usu. Post quas repertas & *Horologia* inventa, cùm horæ ipsæ, ut dictum, variarent. Astronomi tamen Astrologique omnes & Gnomonici, insuper habita Horarum civili observatione, Æquinoctiales solas ad usum ac rationes suas observabant. Etenim cum horologia omnia tum ad cursum Solis facta, horas exhiberent omnium anni mensium, ex umbrarum momentis crescentes ac decrescentes, solius gnomonis Æquinoctialis umbras respiciebant Gnomonici, & rationes omnes Mathematicas, ad eum dirigebant. Etiam diversi regionum situs, quos varia facit inclinatio cæli, quique ex umbrarum incrementis ac mutationibus deprehenduntur, non aliter colligi solebant, nisi per umbræ Æquinoctialis gnomonem, ut Vitruvius ostendit *l.*9.*c.*8. Quibuscunque igitur in locis *Horologia* describerentur, eò loci sumebant Æquinoctialem umbram, Salmas. *ad Solin.p.*641. Quando *Horologia* Romæ primum cœperint, non ita proclive dictu, verùm 477. annos elapsos fuisse, cum à M. Valerio *Horologium* in Foro positum, commemorat Plinius. De primo Solario Romæ ita Censorinus: *Quorum antiquissimum quod fuerit, inventu difficile est. Alii enim apud ædem Quirini primùm statutum dicunt* (nimirum à L. Papyrio Cursore, Plin. *l.*7. *c.*60.) *alii in Capitolio, nonnulli ad ædem Dianæ in Aventino. Illud satis constat, nullum in Foro prius fuisse, quàm id quod M. Valerius Messala Catanâ captâ, ex Sicilia advectum, ad Rostra in columna posuit. Quod quum ad clima Siciliæ descriptum ad horas Romæ non conveniret, Philippus Censor juxtà constituit.* Qua de re V. eundem Salmasium *ibid. p.*650. & *seqq.* Atque hæc (namque horologium aliud à Siculo & diligentius ornatum à M. Philippo hoc positum, idem docet) & quæ deinceps ibi usurpata sunt, non brumalia tantùm, aut æstiva, vel æquinoctialia fuere, sed etiam menstrua planè ac diurna. Unde vetus Distichon,

> Ὀργανον ὦ χαρίεσσα σοφὰ λίθ☉, ὦ διὰ τυτθὸ
> Γνώμον☉ αἰθέρ πάντας μεγανοδρόμον.
> *Quàm parvus cælum capis hic lapis, atque pusillo*
> *Gnomone, fit Solis versit ad omnis iter.*

Quia verò diebus tantùm, non noctibus, usui fuere horologia ista Solaria, ideo *aquaria* etiam *Horologia* habuere, quæ horas noctium æquè ac dierum dividerent, cum ejusmodi horarum incrementi ac decrementi notis & indiciis, ut in Solaribus: idque beneficio Scipionis Nasicæ Censoris, *qui primus aqua divisit horas æquè noctium ac dierum*, teste Plinio ubi suprà. Cujusmodi horologia, quia & nubilo & sereno æquè utilia, nec diei tantùm, sed etiam noctis horas notabant, passim postea usurpata sunt. Ab his paulo diversum fuit horologium Athenæi Mechanici hydraulicis rationibus compositum, in vet. Antiphili Epigrammate memoratum, ut quod diurnum tantùm, sole nubibus condito, adhibebatur, aere, qui aquæ violentiâ stricto canali exprimebatur, sonitum ter edente, quo horæ indicabantur. At ex aqua Horologia, quæ æquè noctium ac dierum horas dividerent, primus apud Græcos Ctesibius reperit, Plinius *lib.*7.*c.*37. & Vitruvius *lib* 9.*cap.* 9. vixit autem Ptolomæorum temporibus, jam repertis Solariis horologiis, & diei in horas XII. divisione ac observatione: Atque ex ejus inventis fluxit illud, quo primùm usos Romanos diximus. Solaria verò in eadem gente non longo tempore præcessere ætatem Alexandri M. primusque eorum meminit Baton unus ex Novæ Comœdiæ Auctoribus,

> —— *ἐπὶ σφαῖραν*
> Περιλάγων δ' ἔξω τις, ὡς λύχνον.

E' quibus tamen verbis frustra Vir doctus conjicit, jam tum vulgata fuisse *Horologia viatoria* & *pensilia*, quorum meminit Vitruvius, quæque recentioris esse inventi, constat. Inventorem autem Solarium idem nominat, primum velut antiquissimum, Berosum Chaldæum, postea Aristarchi Samii meminit, qui scaphen sive hæmisphærium reperit; sequuntur alii, ut Eudoxius, Apollonius & Scopas Syracusius: qua de re V. Salmasium *d. l. pag.* 647. Ad Anaximandrum, vel Anaximenem ejus discipulum non assurgit, cùm ab hoc in Græcia primò horarum observationem proditam tradiderit Plinius *lib.* 7.*cap.* 60. Nempe τὸ γνώμονα ἐπὶ σκιοθήρων, *organum gnomonicum & sciothericum*, quod primus Anaximander, vel juxta alios Anaximenes, Lacedæmone constituit, ad Solstitia & Æquinoctia deprehendēda. pro *Horologio* hic perperam accepit; quod & alii non pauci fecerunt. Quemadmodum & Andronici octogonum, quæ machina erat explorandis noscendisque solùm ventis facta Athenis, *Horologium* abusivè dictum est Varroni, tùm *anemologium* potiùs dicendum esset, ut scripsit idem *p.* 1247. apud quem V. plura hanc in rem, nec non de *Vasis Horologiorum horumq; ab Analemmatis discrimine*, ut & hic passim, in vocibus *Analemma, Hora, Scaphe* &c. Apud Hebræos, diei partes non horis, sed gradibus distinguebantur scalæque speciem Solarium habebat: qualibet semihorâ ad novum gradum se promovente umbrâ. Unde, *in gradibus Solaribus Achazi, reversus* dicitur *sol decem gradibus, iisdem gradibus, quibus descenderat*, Esaiæ c. 38. v. 8. V. suprà. Cœterùm *Horologii*, per aquam & sonitum horas distinguentis, cujusmodi Lucianus meminit, descriptionem & iconem exhibet Hieron. Magius *de Tintinnabulis c.* 6. Medio ævo, *Horologium nocturnum*, ut ex Panvinio refert Ughellus in *Ital. sacr. Tom. V.* Pacifici Archidiaconi Veronensis, qui vixit sub Lothario Ludovici Pii fil. inventum est: quod fortè idem fuit cum eo, cujus hodie frequens usus est; æreum sc. aut ferreum, quod rotis, ponderibus, libraminibus ac campanulis constat. Tradunt tamen *Annales* Francorum A.C. 807. Aaronis, Persarum Regis, Legatos, inter cœtera munera Carolo M. attulisse *horologium ex auricalco arte mechanica confectum, in quo* 12. *horarum cursus ad clepsidram vertebatur, cum totidem æreis pilulis, quæ ad completionem horarum decidebant, & casu suo subjectum sibi cymbalum tinnire faciebant, additis in eodem ejusdem numeri equitibus, qui per* 12. *fenestras completis horis exibant & impulsu egressionis suæ, totidem fenestras, quæ priùs erant apertæ, claudebant*, apud du Fresne. Ex hodiernis *Horologiis* eminet Argentoratense, quod in locum veteris, singulari arte ac industriâ, à Conrado Dasypodio, Academiæ Prof. Mathem. Ann. C. 1571. mense Junio, cœptum, triennio pòst, anno C. 1574. eodem mense ad Festum Johannis Baptistæ, absolutum fuit. Ejus descriptionem exhibet Adam Prevelius *Sina & Europâ cap.* 43. *pag.* 1286. & *seqq.* In *Musæo* Kircheriano *Horologium mirificum* asservatur. Compingitur ibi mons aquis incubans, qui 24. horarum spatia exacte describit, hoc modo. Mediis in undis, multis anfractibus, abscessibus & cavernis horrens mons, & instar montis ex Oceano surgentis insula innatat, ita ut verticalis linea, quæ à montis apice in centrum basis, seu vasis umbilicum, quod aquam continet, obtineat. In circuli limbo hominum imagines sceptris instructæ visuntur, juxta 24. horarum spatia ita dispositæ, ut unaquæque habitum referat provinciæ & nationis, cujus horam indicat. In limbo verò vasis sphærico, totidemque intervallis diviso & horarum numeris distincto, magneticus circulus per sceptra imaginum, clandestino motu, omnium regionum per totum Mundum currentem horam, quamque suæ nationi propriam, incredibili artificio, demonstrat. Georg. de Sepibus *in Collegii Rom. S. J. Musæo pag.* 19. Ibidem & alia quodam visuntur, quorum indiculum subjungemus. Vide quoque suprà, voce *Gnomonica*, item ubi de *Chrystallinis sphæris.*

Horologia in Musæo Kircheriano.

Anacamptica.	Mirifica.
Aquatica.	Pendulo horas indicantia.
Astronomica.	Rotalia, Musicam sonantia.
Hydraulica.	Sciatherica seu Solaria.
Mechanica.	Sympathetica.

V. eundem de Sepibus *in Collegii Rom. Soc. J. Musæo*, ubi hæc omnia accuratè describuntur.

Horologium, liber Ecclesiasticus apud Græcos, ita vocatus, quòd *Horas* diurnas & Officia contineat. Præter Horas & Melodia, & alia, quæ singulis Officiis necessariò dicuntur, ut Troparia, Psalmos, preces varias, habetur *Canon compunctivus, Canones Paracletici in B. Virginem, & Angelum custodem, & deprecatorius in omnes Angelos & Sanctos, officium satis amplum sanctissimæ Communionis & alia minutiora.* Demum annectuntur Cyrilli Alex. *Oratio de exitu animæ, & de secundo adventu*, Christophori Patricii Mitylenæi Troparia *Prosomia* dicta, totum Menologium complectentia, Paschalium annorum 54. Jonæ Giakeni *Sciosdromium perpetuum*, Niceph. Pachalei *de Jejun. Græc. tract.* linguâ vulgari. Cl. Suicerus *Thes. Eccl.* voce Ὡρολόγιον.

Horomasdes, à vett. Ægyptiis, h. e. Jupiter, Nilus inundatione suâ fertilem Ægyptum reddens, dictus est, si Laertio fides: sed Persicum id esse nomen, quo Kalendæ designentur, ait Jo. Meursius *ad Lycophronem, pag.*130. Principium verò boni Zoroastri habitum, sicut Arimanium mali, refert Gerhard. Jo. Vossius *de Idololatr. lib. I. cap.* 5. Vide quoque *Oromasdes.*

Horoscopa Vasa, apud Plinium *lib.* 2. *cap.* 76. *Quæ de causa ad Oceanum navigantes, quamvis brevissimo die vincunt spatia nocturnæ navigationis, ut Solem ipsum comitantes, vasaque Horoscopa non ubique eadem sunt usui in trecentis stadiis, aut ut longissimè, in quingentis, mutantibus semet Solis umbris*: sunt τὰ ὡροσκοπεῖα, horologia viz. gnomonica, in quibus *inscribuntur horæ*, quæ vocat, quia erant ad instar vasis concava, utpote σκάφαις (*Scaphis*) similia. Unde Tertullianus, qui Plinium diligenter lectitavit, *araneorum Horoscopa* eleganter vocat telas araneorum, mutis lineis ac filis à centro ductis ad circumferentiam distinctas, quòd ad hanc formam lineis plurifariam ductis, a medio ubi est gnomon, *Horoscopa vasa* solerent describi. At propriè ὡροσκοπεῖα sic appellarunt ea instrumenta, quibus *horoscopos* deprehendebant qualiacunq; illa tus cujuscunq; generis sint. Sextus Empir. *adv. Astrol.*

ing. l. 5. Λαβόντες δὲ τὸ ἀστρολάβιον ταύτην ὡροσκόπιον ἐκάλουν ὅπως ... Sic Hephæstion *l. 2. c.* περὶ μοίρας ὡροσκοπούσης, astrolabium vocat ὡροσκόπιον, quo horoscopum speculabantur, præter quod reliqua omnia, γνώμονα, ὡρολόγια &c. rejicit. Quo sensu vox ὥρα, non *horam* significat, sed τὸν χρόνον τῆς ἀποτέξεως, *nativitatis tempus*, & quidem τὸ λεπτὸν τῆς ὥρας *momentum ipsum*, ac ὡς τι χρόνου στιγμὴν, *temporis punctum*, quo quis in lucem exit. Atque hujusmodi *Horoscopiorum* inventorem Anaximandrum Laertius facit. Cùm autem τὸν Ὡροσκόπον genere masculino semper enuntient, non tam ἀστὴρ, *astrum*, nec τόπος, *locus*, primus sc. è XII. quorum potestates describunt Mathematici; quàm Θεὸς, aut Δαίμων, subintelligendus videtur Salmasio, qui multa hanc in rem congessit, *Exercit. Plin. ad Solinum pag.* 651. *& seqq.* V. quoque supra, in voce *Decanus*. In Ecclesia verò Romana *Horoscopus*, officii Eccl. genus est, de quo diximus aliquid, in *Hora*.

Horrea, quorum in *Pandectis*, ut & *Horreariorum*, creberrima mentio, erant jam olim in urbe, ut *Sulpicia*, &c, quas vocat Dio in *Commodo*, ἀποθήκας τῶν τε Ἀιγυπτίων καὶ τῶν Ἀφρικῶν φορτίων: sed in singulis urbis regionibus certa *Horrea publica* primus instituit Alexander Sev. ad quæ bona conferrent, qui privatas custodias non habebant, siquidem Lampridio fides. Constat tamen, sub Antonino jam ejusmodi loca publica in Urbe fuisse, in quibus homines pretiosissima quæque sua reconderent, Paulus *de Offic. præf. Vigil.* Argentarios inprimis instrumenta ibi sua habuisse reposita, discimus ex *l. 6 D. de ed.* &c. Salmasius *ad Lampridium in Alex. Severo.* Habuere v. & Principes sua *Horrea* & conditoria; in quibus res raræ & inusitatæ reponebantur. Solinus *cap. 1. Deprehensum tamen est Romanis temporibus, sub D. Augusto, Pusionem & Secundillam denos pedes & amplius habuisse proceritatis, quorum reliquiæ adhuc in conditorio Sallustianorum videntur.* Sic ἐν τοῖς ὡρείοις τοῦ αὐτοκράτορος, *in horreis Imperatoris*, conditum aromatibus hippocentaurum asservari, scribit Phlegon Trallianus *de Mirabil.* Vox Græca omnino. Οὖρος enim & ὥρος Græcis φύλακα, i. *custodem*, designat, unde ὡρεῖον & ὥρειον τὸ φυλακτήριον & φυλακτήριον, idem Salmasius *ad Spartianum in Hadriano*; ubi complura de *Horreis Castrensibus* seu *Fiscalibus*, de quibus etiam habes supra quædam in voce *Condita*. Apud Eusebium in *Epitome Temp.* duo *Horrea* in honorem filiarum Anastasiæ & Carosæ, Ἀναστασιανὸν & Καρωσιανὸν vocata, erexisse Valens Imperator legitur, CPoli, ubi Δημόσια appellat Auctor, de qua voce vide Suicerum *Thesauro Ecclesiastico*. De *Horreis* autem vulgaribus seu Granariis, in quibus frumenta conduntur, multa Plinius *lib.* 18. *cap.* 30. Addam saltem, de Theodorici Ostrogothorum Regis, in Italia, *Horreis*, fuisse trium milliarium Italicorum in longitudine & amplitudine unius milliaris continuatâ mensurâ, adnotare Procopium. apud Theod. Zvvingerum *Theat. Vit. Hum. pag.* 1411. qui etiam in *Horreis* igni consumtorum exempla uggerit *p.* 478. Uti verò fœnilia & palearia, sic apothecas & horrea, extra villam Vitruvius rejicit, ut ab ignis periculo tuta essent, quod & legibus locationum exprimi aliquando consuevisse, discimus ex *L. 11. in fine ff. Locati & Cond.* qua de re V. Pignorium *Comm. de Servis.*

Hortator, Græcè Κελευστής, officium nauticum dicebatur, qui perticâ signum dabat remigandi. Salmasius *ad Solinum pag.* 734. V. hic ubi de *Celeusmate*, item in voce *Portisculus*: de *Hortationibus* verò eorum, qui in Ludis Sacris decertabant, suo loco.

Hortospanum, V. *Ortospanum.*

Hortulanus, Officium Monasticum, cui horti incumbit cura: apud Udalricum *in Consuetud. Cluniac. lib. 3. cap. 20.* Eum Cellerario subjectum esse, ex *lib. Ordinis S. Victoris MS.* docet C. du Fresne. Apud Romanos *Olitor* dictus est &c. V. infrà.

Hortus, ex Græco χόρτος, villa Veteribus dicebatur. Plin. *lib. 19. cap. 4. In XII. tabulis nusquam nominatur villa, semper in significatione ea* hortus, *in* horti *verò hæredium: quam rem comitata est & religio quædam, hortoq; & foro tantùm contra invidentium effascinationes dicari videmus in remedio Satyrica signa, quanquam hortos tutelæ Veneris assignante Plauto.* Nempe cùm Veteres tam in Urbe, quàm ruri, munire se vellent aliquo remedio adversus invidiæ fascinum, in *foro tantùm*, hoc est, in urbe, publicè ea signa consecrabant, & privatim ruri quisque apud se *in horto*, i. in villa. Qui mos postea, cùm notio vocis mutata esset, retentus tamen, & in *Horto* Satyrica illa signa dicari perrexerunt, quę qualia fuerint, infrà dicemus. Eorum apud Romanos cura admodum vetus fuit, cùm & Regibus illa cordi, Plinius: iique ut plurimum in suburbiis erant, quod præcipit Varro *de R. R. lib. 1. cap. 16.* & Cato, *in Villa*, inquiens, *vinea primum locum*, Hortus *secundum obtinet, de R. R. cap. 1.* Hinc Martialis *lib. 7. Epigr. 48.*

— Suburbani munuscula mittimus horti.

Aut prope Tiberim, ut de hortis Cæsaris & Antonii, in rebus Octaviani, testis est Dio *lib.* 47. Postea in Urbem transiere. Idem Plinius *ibid. Jam quidem Hortorum nomine, in ipsa urbe, delitias, agros, villasq; possident. Primus hoc instituit Athenis Epicurus, otii Magister. Usque ad eum moris non fuerat in oppidis habitari rura.* E solo ascendere in fenestras. *Ibidem, Jam in fenestris suis plebs urbana in imagine hortorum quotidiana oculis rura præbebant, antequam præfigi prospectus omnis coegit multitudinis innumeræ sæva latrocinatio.* Directarii enim malis artibus in aliena cœnacula se dirigentes, fenestras uncinis & hamis aperiebant, ut Dalechampius *ad l.* notat. Imò supra tecta tandem se extulerunt. Adeò enim hortis nemoribusque capiebantur elegantiores, ut etiam in urbanis ædibus, si alio loco nequirent, in tectis saltem haberent, Casaubonus *ad Suetonium Augusto cap. 72.* Cœterùm palatiis Principum vicinos esse debere, in sacris docetur Estheræ *cap. 7.* aut domibus privatorum, apud Palladium *lib. 1. cap. 34.* Legari *Hortos* suetum fuisse, ex *Instr.* vetusta Julii Carnici extante, cujus Lazius meminit *lib. 12. cap. 1.* patet. Inter commoda familiaria ponit Phædrus *Fab. 63.* Maximâ autem curâ providebatur, ne siccitate laborarent, ideoque aqua canalibus inducebatur, vel fistulis aquariis, ut vocat Jul. Capitolinus *in Maximo & Balbino Augg.* quibus materia plumbum, ubi ditiorum horti erant, vel lignum, ubi tenuiorum. His qui Romæ præpositus erat, *ab Hortis cultura* dictus est: Qualis genero Vandalorum Regis in Africa fuisse legitur Paulinus Episcopus, vir sanctissimus, qui seipsum pro redimendo viduæ filio in servitutem dedit. At in familia Cæsarum Villici seu *Procuratores Hortorum* fuerunt tam urbanorum, quàm suburbanorum, pro dignitate, ne dicam superbia, divinæ domus: ad quod hortense Cæsarum patrimonium respexit Plinius jun. *Panegyr. Circumfertur sub nomine Cæsaris tabula ingens rerum venalium, quòd fit detestanda avaritia illius, qui tam multa concupiscebat, cùm haberet supervacua tam multa. Tunc exitialis erat apud Principem huic laxior domus, illi amœnior villa. Nunc Princeps in hæc eadem dominos quærit, ipse inducit ipsos. Illos magni aliquando Imperatoris hortos, illud nunquam nisi Cæsaris suburbanum licemur, emimus, implemus.* V. Pignorium *de Servis.* Olim verò, matrum familiâs hæc cura erat. Inde *primum agricolæ æstimabantur prisci & sic statim faciebant judicium, nequam esse in domo matremfamiliâs (etenim hæc cura fœminæ dicabatur) ubi indiligens esset hortus*, iterum Plinius. Sed nec usui, aut delitiis solùm, verùm & habitationi, inservivere *Horti*. Sic Thraseam in hortis egisse, cùm advesperascente jam die Consulis Quæstor ad eum missus esset, notat Tacitus *lib. 16.* & Claudius, abjectâ spe dignitatis, ad otium concessit in Hortis & suburbano, in Campaniæ secessu delitescens, apud Suetonium. Quo fine ædificia in iis extruebant, quæ *diætas* Romani, ζετας Græci vocavere, uti ex Lampridii *Heliogabalo* constat. V. B. Brissonium *lib. 13. cap. 3.* ut & hic in vocibus hisce. In iisdem Philosophantibus locus fuit. Sic Epicurus non minùs in *Horto*, ac in Academia Plato, in Lyceo Aristoteles, in porticu Zeno, docuit: unde Papinius,

— Cultoque senex Gargettius horto:

quem 80. minis ab eo emtum, tradit Apollodorus apud Laërtium. Hunc dein testamento Epicurus huic rei legavit, cujus proin sectatores ibidem disputare consueverunt. Unde sæpe *Hortus* pro *Schola Epicuri*: Cicero, *Sed tamen tantam Epicuri hortus habuit licentiam.* Virgilius in *Ciri*,

Et si me vario jactatum laudis amore,
Irritaq; expertum fallacis præmia vulgi,
Cecropius suaves exspirans Hortulus *auras,*
Florentis Sophiæ viridi complectitur umbra &c.

Nec sine ratione *Hortus* Academicis hisce meletemasi selectus, cùm multum ad ingenii acumen salubritatem loci conferre tradant Medicorum filii. Georg. Hornius *Hist. Philos. l. 7. c. 3.* Tandem & funeribus in *Hortis* locus fuit, apud Judæos inprimis, unde & SERVATOR noster in tali sepultus est, Johannis *cap.* 19. *versu* 41. *In eo autem loco, ubi fuerat crucifixus, erat hortus, & in horto monumentum novum, in quo nondum quisquam positus fuerat.* Etiam Zungchinius Imperator Sinarum ultimus, postquam ab hostibus regiam urbem occupatam audivisset, in pomarium digressus, ex vitta laqueum fecisse & semet ex pruno suspendisse legitur; neque alium finem sibi Regina, & fidissimi Eunuchorum elegere. Sic loca delitiarum funestata sunt, & fructus tulerunt arbores nefandos, Adamus Prevelius *Sina & Europa cap* 50. V. quoque suprà in voce *Cepotaphium.* Fuere autem inter nobiliores Veterum hortos, *Horti pensiles* Semiramidis apud Strabonem *lib. 16.* & Plinium *lib. 19. cap. 4.* qui ait, *Antiquitas nihil prius* (Hortorum causâ) *mirata est, unde Hesperidum horti, ac Regum Adonis & Alcinoi, itemq; pensiles, sive illos Semiramis sive Assyriæ Rex Cyrus fecit.* Lysander apud Xenoph. *lib. 5. Memor.* narrat, Hortum Sardibus visum, quem Cyrus Rex sua manu confecisset: & domibus Regum Persarum juncti semper erant *Horti*, Plut. in *Artaxerxe*, quos *Paradisos* vocabant, Jul. Pollux *lib. 9. cap. 2.* At verò de Alcinoi & Hesperidum hortis, quis post Homerum, Alios, præfatum inprimis Plinium, plura dicat? V. Thom. Dempsterum *Paralipomenis in Joh. Rosini Antiqq. Rom. lib. 1. cap.* 11. Alios, olim hodieque celebres sic persequitur, Auctor *Sina & Eur. cap.* 23. *Hortos memorat Antiquitas illos balsami, juxta urbem Engaddi in Palæstina, à Cleopatra in Ægyptum translatos, inter Heliopolim & Babylonem. Alii in monte Thabor, tum in monte Oliveti, Regii, Herodis, Memphitici, & juxta Cairum Matarei — In Colchorum regione, intra Pontum, horti ostendebantur Jasonis: in Creta Labyrinthus Dædali. In Italia superbiunt Venetiæ hortis Muranis & Patavinis. Ferraria ostentat*

fimum Belvedere, *Bononiæ Poetarum hortum & Cœnobium S. Michaelis in sylva: Mantuæ pensiles Palatinos & villam Marmiolanam: Parmæ Nymphæum, Florentiæ Pratolinum & Castellum novum; & intra pomœria Pittorum ac Alexandri Medicæi Cardinalis hortos: Farnesianus Caprarolæ, Romæ Vaticani, Matthæorum, Bellæi, Cardin. Carpensis, Sallustianos, Estrusços, Farnesianos, Pontificios in monte Cavallo, S. Mariæ novæ, Suffalorum, Julii II. Neapolis sese offert horto Palatino, Toletano, suburbano, Pogio regali. Tiburtinus, Pisanus, Genuensis & Salernitanus non immeritò his subjunguntur. Neque Germania hac parte gloriæ frustranda: Sunt horti Monacenses, Salisburgenses, Eystettenses, Oenipontani, Landishutani, Augustani, Dresdenses, Vinarienses, Chonhoviani, Bardani, Egrani, Pragenses, Basilienses, Heidelbergenses. Sunt Ingelheimenses, Neostadenses, Francofurtenses, ubi in uno ramulo novem mala auraica glycypicra vidimus heri mensæ illata. De Gallia & Hispan. supersedemus quidquam dicere, propter ubertatem materiæ. Repetimus verò ex Faventino horto hanc Inscriptionem: Satis dives, qui non indiget pane; Satis potens, qui non cogitur servire. Civiles curæ procul hinc abite. Sabbas Cast. Solitarius se ipso contentus, hos securus incolit hortulos; pauper, an dives, si cordatus es, cogita.* Hactenus ille.

Horus, adde: Ab Ægyptiis Apollinem sive Solem sic dictum esse, testatur Macrobius *l.1 Saturn.c.21.* Unde composita vox *Horapollo.* Origo autem nomini ex Hebræo חרס, quod Judic. c.8. LXX. Interpretes Ἆρες vertunt: ἀπὸ ἀναβάσεως Ἄρεος. Inde pro Sole & Marte sumitur. Georg. Hornius *Hist. Phil. l.1.c.6.* V. infrà *Orus.* Cœterùm Græcam vocem Ὅρος quod attinet, apud Scriptores Eccl. ea decreta Conciliorum περὶ τῆς πίστεως, sicut voce Ὑποτύπωσις, decreta περὶ τῆς πίστεως, indigitari, & *Nómos* quoque nonnunquam appellari, quamvis discrimen hoc non perpetuò observetur, docet pluribus Cl. Suicerus *Thes. Eccl.* in Ὅρος.

Hosæ, dictæ olim braccæ, crurum tegumenta vel pedum, super quæ tubrucos accipiebant, qui nobis *ocreæ*, Gall. *bottes*. Paulus *de gestis Langobard. Calcei verò eis erant usque ad summum pollicem pene aperti, & alternatim laqueis corrigiarum retenti. Postea verò cœperunt hosis uti, super quas equitantes tubrucos birreos mittebant. Sed hoc de Romanorum consuetudine traxerunt.* V. Salmasium *ad Lampridium in Alex. Sev.* & infrà in voce *Osa.*

Hosanna, quid Hebræis notaverit, dicemus infrà in *Osanna.* Remansit acclamatio in Ecclesia tam Græca, quàm Latina, ubi bis in Missa dicitur, semel nempe Angelorum vice, atque iterum hominum nomine, Dominic. Macer *in Hierolex.*

Hospes, nomen venerandum olim ac Majestate plenum. Statius *Achilleid. lib.2. v.148.*

Nec minùs egressæ thalamis Scyrcides ibant
Ostentare choros, promissaque sacra verendis
Hospitibus ——

Et *Hospitii* necessitudo magna: Unde A. Gellius *l.4.c.13. Conveniebat autem facilè, ex moribus Populi Rom. primum juxta parentes locum pupillos tenere debere, fidei tutelæque nostræ creditos; secundùm eos proximum locum clientes habere, qui sese itidem in fidem & patrocinium nostrum dediderunt: tum in tertio loco esse* Hospites: *postea esse cognatos affinesque.* Apud eundem paulò infrà, etiam clienti anteponit *Hospitem* Massurius Sabinus, cujus rei firmum ac clarum testimoniũ perhibet auctoritas C. Cæsaris qui Orat. pro Bithynis, hoc principio usus est: *Vel pro hospitio Regis Nicomedis, vel pro horum necessitate, quorum res agitur, defugere hoc munus M. V. non potui. Namque neque hominum memoria deleri morte debet, quin à proximis retineatur: neque clientes sine summa infamia deseri possunt.* Erat a. hæc necessitas non modò inter privatos, sed etiam inter populos, vel singulos & civitates: Ita inter Eumenem Regem & Populum Romanum publicum *Hospitium* fuisse, scribit Livius *l. 7.* cujus nota erat tessera hospitalis, & Jupiter hospitalis, Græcè Ξένιος, vindex illius necessitatis violatæ. Ovidius *Metam.*

—— *Ante ædes stabat Jovis Hospitis ara.*

Græci inprimis circa *Hospitii* jus admodum religiosi fuere, neque *Hospitem* ullum, sine ceremoniarum plurimarum pompa, excepere. Dexteram illi porrigebant, πιστεως ἐνδεικτικὸν, Eustathius in *Iliad.* 9. juxta illud Virgilii:

—— —— *En dextra fidesque.*

Sale aspergebant lustrabantque, quod etiam primo loco in conviviis proponebant, unde hoc inviolabilis amicitiæ signum: ποῦ ἅλες; *ubi sal*, h. e. ubi amicitiæ fides? Præservandi n. vim sal habet, & ex variis granis constat. Ita etiam ex variis gentibus hospites coalescunt & mutuam fovent memoriam nunquam intermorituram. Insuper Jovi Xenio sacrificabant, inter sacrificandum hac verborum formulâ usi: Εἰς Δία Ξένιον ἁμαρτῶ, εἰ παρεξῶ ξένον, *in Jovem Xenium peccavero, si neglexero hospites.* Tandem astragalo in duo frusta diffracto, alterum *Hospiti* dabant in patriam redituro, alterum sibi servabant: postea, cùm iterum convenire occasio vel necessitas cogeret, ἐπαγόμενοι δ' ἥμισυ ἀστραγάλου ἀνενεοῦντο τὴν ξενίαν, *Referentes dimidium frustum, renovabant amicitiam.* Vocabatur id *Symbolum*, Gr. Σύμβολον: quæ aliquando familiaribus mittere sunt soliti, in aliorum gratiam, quemadmodum Jaso apud Euripidem Medeæ promittit, ξένοις τε πέμπειν σύμβολ' οἳ δράσουσί σ' εὖ, *mittere hospitibus symbola, ut illi benefacerent.* Similiter Germanorum veterum in *Hospites* fidem, præter Tacitum *de moribus Germ.* commendat Cæsar *de bello Gall. lib.9. cap.23. Hospites violare nefas putant; qui quaque de causa ad eos venerunt, ab injuria prohibent, sanctosque habent: iis omnibus domus patent, victusque communicatur.* Epulum inprimis olim hodieque in hac re frequens. Ovidius *Metamorph. lib.11.*

Hospitis adventu festum genialiter egit
Per bis quinque dies.

V. quoque Homerum passim, Statiũ *Achill. l. 2. v. 100.* Priscum Rhetorem, Attilæ illius Magni Regium epulum describentem, Alios. Unde coronæ, inter *Hospitalia dona*; his enim cinctis convivia olim agitata, suprà diximus. Sic Apollonius ab Rege Indorum ἐς τὸ συσσίτιον, *ad locum convivii*, coronatus deductus est, apud Philostratum, in *Vita ejus.* Nec tantùm præsentibus dabantur; sed, si quando *hospes* magnus tecto excipi non poterat, ei mittebantur. Tacitus *Annal. lib 14. Nec multò post legati à Tigranocerta missi, patere mœnia afferunt, intentos populares ad jussa. Simul hospitale donum coronam auream tradebant.* V. Car. Paschalium *Coronar. lib.2. cap.3.* De Suecis V. *suo loco.* Quantò verò humanius hi, quàm vel Spartani, qui teste Alex. ab Alexandro *l.4.c.10. ξενηλάται* inde dicti sunt, quòd hospites ab urbe repellerent: vel Moschi, qui neminem facilè peregrinum admittunt, ut scribit Sigism. Baro Herberstenius *in Hist. Mosc.* vel Chinenses, quos idem factitare docet Maffejus *Hist. Ind. l.6.* Sed nec Tartarorum *Hospitalitas* probanda, in quorum provincia *Camul*, incolæ peregrinos quoscunque vel invitos suscipiunt: domo cedit hospiti paterfamilias, uxorem commendans, nec ante discessum hospitis redit. Idem de Lapponibus, Russiæ gente, Alex. Guagninus, de Lydis Strabo refert *l.11. in fine*, de aliis alii. Nec omittendum, non rarò, sub sacra *Hospitum* persona, proditores occultatos gravissimè nocuisse. Nota exempla Zopyri, Sinonis, Demarati Spartiatæ, Amilcaris Carthaginensis, aliorum. Imò Aristoteles *Polit. l.5.c.3.* novem civitatum adducit exempla, ubi peregrini in civium perniciem conjurarunt. Denique *Hospitii* jus tamdiu servandum, quamdiu *hospes* non in *hostem* mutatur. Qua de causâ duobus ab hinc seculis passim in Germania graviter in Judæos animadversum est, quòd veneficiis & usuris jus hospitii violassent. Matth. Berneggerus *in Taciti Germaniam Quæst.125.* V. quoque in voce *Xenia*, item ubi de *Peregrinis.*

Hospes, in *LL.* Burgundionum passim, potissimùm verò *tit.* 54. §.1. & *tit. seq.* §. 1. id est, Romanus. Burgundi enim, pervasis Galliarum finibus, cum veteribus incolis, quos *Romanos* vocabant, agros, terras ac prædia & mancipia ita partiti sunt, ut Burgundis duæ terrarum partes, mancipiorum tertia, reliquæ cederent Romanis; quos ex eo *Hospites* appellabant, quòd ab iis Burgundi, atque adeò Barbari, veluti advenæ hospitio excepti & in rerum possessionis partem asciti, rebus iisdem *Hospitalitatis jure* gaudere ac frui dicerentur. Unde fortè *Hostes* Gallis dici cœpere, villarum seu vicorum incolæ, quos alii *Mansionarios* vocant, qui sc. domos incolunt sub censu annuo, qui *Hostisia* nuncupatur, &, à servis seu adscriptitiis distincti, colonis accensentur, in *Charta* Ludovici VII. A.C. 1179. apud C. du Fresne *Glossar.*

Hospitalarius, seu *Hospitalis*, Græcis Ἡγούμενος ξενῶνος, dictus est, ὁ τὴν ὑποδοχὴν τῶν ξένων ... cui cura Monachici hospitii commissa. Aimoinus *de Miracul. S. Benedicti c.3. Leutherius —— Monachus habitu, suscipiendorum hospitum tunc delegatus ministerio*; de cujusmodi *Hospitalariis* Monasteriorum agit *Regula* S. Pachomii *c. 51.* aliique Auctores, laudati Carolo du Fresne *in Glossar.* Ab *Hospitali*, h. e. loco seu æde in Monasteriis, ubi hospites & advenæ excipiebantur, quæ *Cenaculum Hospitum* dicitur Hugoni de S. Victore *l. 3. de Claustro animæ*: cujusmodi loca in Monasteriis varia fuisse, *Nobilium* nempe & *Peregrinorum* quorumvis, dicimus ex *Charta* Anni 871. pro Monasterio S. Medardi Suess. *in Hist. S. Mariæ Suess.* apud eund. Sed & *Hospitalarii*, appellati sunt Milites Ordinis S. Ioannis Hierosolym. quòd primitus Hierosolymis in Hospitali S. Joannis Eleemonis sedes suas fixissent, peregrinorum obsequiis addicti: Σπιταλιῶται Cantacuzeno *l.2. c.12.29.* Præter quos occurrunt *Hospitalarii Teutonici* seu *sanctæ Mariæ Teutonicorum in Hierusalem*: Ordo institutus sub Regula S. Augustini, de quo pluribus diximus alibi. Iis alborum palliorum, quæ Militum Templariorum erant, usu interdixit Innocentius III. *lib 13. Ep.* 125. 126. Etiam *Hospitalariorum S. Spiritus* Ordinem in Gallia instituisse ajunt Guidonem quendam Comitem, apud Montempessulanum, quem postea confirmaverit Innocentius modò laudatus. Tandem *Hospitalarii* utriusque sexus, qui in Hospitalibus, ægrorum ac pauperum obsequiis addicti, Regulam eandem Augustini profitentur, occurrunt apud Jac. de Vitriaco *in Hist. Occid. c.29* V. Car. du Fresne *in Gloss.* & qui de *Ordin. Equest.* scripserunt, Franc. Mennenium, Belloium, Favynum, alios. De *Hospitalibus* verò Theatri, Scaligerum *Poetic. lib. 1 cap. 21.*

Hospitia Studiorum, in Anglia, vocantur Juris Collegia in Universitatibus seu Academiis, in quibus, qui Juri addiscendo operam

operam collocant, morantur. Joannes Fortescutus *de Laudibus LL. Angliæ cap.* 49. ait in quolibet *Studio esse decem hospitia minora, quandoq; verò plura, quæ nominantur* Hospitia Cancellariæ, *ad quorum quodlibet pertinent centum Studentes ad minus, & ad aliqua eorum major in multo numerus, licèt non omnes semper in iis conveniant: Studentes etenim isti, pro eorum parte majori, juvenes sunt, originalia & quasi legis elementa addiscentes, qui in illis proficientes, ut ipsi maturescunt, ad majora Hospitia Studii illius, quæ* Hospitia Curiæ *appellantur, assumuntur. Quorum majorum quatuor sunt* — in quibus *nequaquam posset studens aliquis sustentari minoribus expensis in anno, quàm* 80. *scutorum — Hinc Nobilium filii tantùm in Hospitiis illis leges addiscunt — In his* verò *Hospitiis majoribus & minoribus, ultra studia Legum, est quasi gymnasium omnium morum, qui Nobiles decent. Ibi cantare ipsi addiscunt — Ibi tripudiare ac jocos singulos Nobilibus convenientes, qualiter in domo Regia exercere solent enutriti: in ferialibus diebus eorum pars major legalis disciplinæ studio, & in festivalibus sacræ Scripturæ & Chronicorum lectioni, post divina obsequia, se confert* &c.

Hossai, qui & *Hessai* pars Essenorum, seu Hessenorum, in Moabitide & Ituræa, trans Mare Mortuum, locantur Epiphanio *Hær.* 19. de quibus V. Salmasium *ad Solinum pag.* 613.

Hostia, ab *Hostibus*. Ovidius,

Hostibus à domitis Hostia *nomen habet.*

Immolabatur enim animal aut pro victoria impetrata, aut impetranda contra hostes; Festo ab *hostire*, id est, ferire: Aliis à Gr. voce *θυσία*, literis transpositis, & θ. in T. verso. Aliquando cum victima confunditur, propriè tamen sacrificium, quod Laribus immolabant, sic dictum volunt, quòd ab illis hostes arceri putabant. Fronto & Isidorus victimas majora esse sacrificia, quàm *Hostias*, dixere. Ita maxima victima, taurus: maxima *Hostia* ovis. *Hostiæ* autem mactatio hoc modo apud Rom. peragebatur. Cùm Sacerdos eam ad aram adduxisset, stans manum prehendebat, & preces fundebat: initio à Jano & Vesta facto, ac Jove: patre O. M. omnibusq; Diis cæteris patribus advocatis. Ne quid verò verborum præteriretur aut præposterè recitaretur, de scripto præire aliquem rursusque custodem dari, qui attenderet sedulò: alium qui favere linguis juberet & tibicinem canere, ne quid infaustum exaudiretur, oportebat. Quibus peractis sacrum ab immolatione Sacerdos inchoabat, fruges aut molam salsam in caput victimæ deponendo, addito thure masculo, qui ritus *Immolatio* dictus est. Deinde vinum aspergebat, postquam id simpuvio ligneo vel fictili admodum parvo & ipse leviter libasset, & astantibus pariter gustandum detulisset; quod *Libatio* erat. Porro setas inter cornua victimæ manu evulsas, tanquam prima libamina, projiciebat in ignem, conversusque ad Ortum, obliquum cultrum à fronte victimæ ad caudam ducebat, tandemque eam Diis exhibitam & dedicatam jubebat jugulare ministros: quæ postquam perpurgata esset, mox Aruspex, Flamen aut Sacerdos cultro ferreo viscera rimabatur, attenteq; explorabat, an perlitatum foret: Non autem manu ea contrectare licebat, ne quà offensâ pollutis sacris intercideret. Inspectis tandem & exquisitis singulis, ex omni viscere & membro Ministri partes decisas certas, farinâ farris involvebant & in calathis sacrificanti offerebant, quas Sacerdos aris impositas foculo incenso comburebat, quod *reddere* vocabatur ac *litare*. Eum ignem ex olea, lauro aut quercu corticis crassioris, aut cujus caudex cavus fungosusque esset, accendere, vel Numinibus adolere nefas erat: ubi verò, quod Diis tributum erat, conflagrasset, ad epulas ipsi & convivia vertebantur. Inter vescendum Diis laudes canebant, pedibusque circum aras complodentes ad numeros psallebant & pulsatis cymbalis agebant choreas, cujus rei causam vide apud Servium *in Virgilii Eclogam* 5. Eundem ritum imitantes olim Israëlitas idololatras, reprehendit Apostolus 1. *Cor. cap.* 10. *versu* 7. *Sedit populus ad edendum ac bibendum & surrexerunt ad ludendum.* V. Jo. Rosinum *Antiqq. Rom. lib.* 3. *cap.* 33. *cum Paralipom. Thomæ Dempsteri.* Quando autem *hostiarum* partes desectæ Diis cœperint offerri & adoleri, parte ad vescendum servatâ, diximus suprà ubi de *Holocausto*. V. plura hanc in rem, apud Casp. Barthium *Animadvers. ad Statium passim*, ubi is, inter alia, *de more nigras hostias Diis inferis, & quidem fœminas Proserpinæ, mares Diti: hostias solùm virgines Minervæ, offerendi; deq; hostiæ non placidè stantis malo omine*: Car. Paschalium *Coronar. lib.* 4. *cap.* 17. *ubi de ritu hostias coronandi*, ut & hic non uno loco, inprimis in vocibus *Sacrificium*, & *Victima*, ubi de ritibus, circa *Hostias* divinitus in V. T. injunctis, succincte agemus. Mansit vox apud Scriptores Eccl. N. T. sed alia notione. Qui enim in Scripturis *panis Domini* dicitur, is Scriptoribus hisce *hostia* etiam, & *oblata*. Ac illud quidem inde, quòd panis benedictus sit Dominici corporis figura, quod Servator noster, pro peccatis nostris, *hostiam* obtulit in ara crucis. Istud verò, quòd populus olim farinam vel panem offerret, in S. Eucharistiæ usum, uti infra dicemus. Atque hinc tenuissimæ illæ & levissimæ formulæ, quibus Ecclesia Rom. loco Dominici panis utitur, *hostiæ* etiamnum appellantur, de quarum usu V. Cl. Suicerum *Thesauro Eccl.* voce Σύναξις.

Hostiarum variæ species ac appellationes.

Ambarvalis dicta est, quæ pro arvis à 12. Fratribus sacrificabatur: ducebatur rei divinæ causâ, circum arva, ab iis qui pro frugibus faciebant.

Ambegni bos aut vervex appellabantur, cùm ad eorum utraque latera agni in sacrificium ducebantur, Fest.

Ambignæ vel Ambegnæ vel Ambiguæ oves in sacris dicebantur, quas circum aliæ hostiæ constituebantur.

Amburbales, circùm terminos Urbis Romæ ducebantur.

Animalis vocata est, cùm sola anima Deo sacrabatur. Talis inter alia Bonæ Deæ oblata legitur. Unde Trebatius apud Macrobium *Saturn. lib.* 3. *c.* 5. duo inprimis *Hostiarum* genera facit: Alterum, in quo voluntas Dei per exta disquirebatur; alterum, quo sola anima Deo sacrabatur.

Bidentes dicebantur, quæ cornigeræ essent & duos dentes eminulos haberent.

Caviares, cùm Caviæ, i. pars *Hostiæ*, caudâ tenus duceretur & poneretur in sacrificio pro Collegio Pontificum, quinto quoque anno.

Eximiæ, quæ ad sacrificium destinatæ eximebantur è grege: vel quòd eximiâ specie offerendæ Diis eligerentur.

Furvæ, Diis Inferis oblatæ, Meursius *ad Lycophr.*

Harviga, vel, ut Jos. Scaliger legit, *Aringa* dicebatur, cujus adhærentia inspiciebantur exta.

Humana, V. Infrà.

Injuges, quæ nunquam domitæ, ac jugo nulli subditæ fuerunt.

Majores, eædem cum eximiis.

Præcidaneæ dicebantur, quæ ante solenne sacrificium pridie mactabantur, ad imitationem προτελείων Græcorum: *Præcidariam* vocat Marius Victorinus.

Prodigiæ vocatæ sunt, quæ consumebantur.

Succidaneæ, quasi *succedaneæ*, appellatæ sunt, quæ, si primis hostiis litatum non erat, post eandem ductæ cædebantur. Alii tamen potiùs à *succedendo* dictas volunt. Succidanea autem dabatur fœmina, si per marem litari non posset: quòd si per fœminam non litassent, succidanea adhiberi non poterat, teste Servio *ad Æn. lib.* 8. V. præter Rosinum præfatum, A. Gellium *lib.* 4. *cap.* 6. *cum notis Jac. Oiselii JC.*

Hostia Humana, ex lege perpetua & expressâ, minimè permissa: ex præcepto verò Numinis singulari atq; extraordinario, sive quale de immolando filio accepit Abraham, sive ejusmodi alio, cædem humanam licitam fuisse, utpote ab eo, cui tota rerum Natura simpliciter ac omni modo subest, imperatam, neutiquam dubitandum. At quis probet Afrorum olim, maximè Carthaginiensium, etiam variis in locis Europæorum, barbarum morem, qui non vero Deo, neque ex illius jussu, sed Idolis suis, cæde humanâ voluerunt litatum? qua de re V. ubi *de Diana Taurica alibiq;*. Addam hic saltem, non quosvis tamen illos immolare consuevisse, sed filios solùm, servos, aliosque qui in potestate eorum erant. Nisi quòd apud Triballos etiam Patrem immolare honestum erat, teste Aristotele *in Topicis lib.* 2. *cap. ult.* V. Joann. Seldenum *de Jure Nat. ac Gent. juxta Disciplin. vett. Hebræorum lib.* 4. *cap.* 6.

Hostilia Curia, nomen habuit ab Hostilio R. conditore, in qua Senatus plerunque congregabatur. Fuit autem primitus Tulli hujus Hostilii regia, eratque in monte Cœlio: postmodum, cùm Senatum nisi in loco per Augures constituto, quod templum dicebatur, haberi non licuisset, *Hostilia* hæc Curia, ut & seqq. temporibus Pompeja & Julia, quia profana priùs loca erant, templa fuere per Augures constituta, ut in iis Senatusconsulta, more Majorum, justa fieri possent. Jo. Rosinus *Antiquitatum Rom. lib.* 7. *c.* 6. Sæpe vox hæc solius *Curiæ* nomine apud Scriptores effertur, quoniam *Hostilia Curia* reliquas longo intervallo anteiret: Hic enim nemini, nisi qui Senator esset, sedendi jus fuit, cùm in Pompeja Curia alii quoque Magistratus civici Senatoribus miscerentur, in Julia verò de negotiis tantùm exoticis ageretur. Idem *eod. lib. cap.* 5.

Hostilia Lex, cujus auctor Aulus Hostilius Mancinus Cons. cum Aulo Attilio Serrano, anno U. C. 583. fuit: *Ut furti agere liceret eorum nomine, qui apud hostes essent, aut Reipublicæ causâ abessent, quive in eorum cujus tutela essent.* Hinc illæ *Hostilianæ* actiones, id est, formulæ apud Ciceronem *libro de Orat.* 1. ubi de militis Testamento agitur. V. Joh. Rosinum *Antiqq. Rom. lib.* 8. *cap.* 19.

Hostilianus Perpenna Aug. post Vibium Volusianum, delatum à Senatu Imperium accepit, uti docet Victor uterque, non multò post pestilentiâ consumptus. V. Auctorem *Historiæ Misc.* Eum excepit C. Julius Æmilianus Aug. à Mœsiacis legionibus creatus. V. Casaubonum *ad Historiam Aug.*

Hostilii Lares, memorantur Festo sive Paulo, cùm ait: *Hostilius Laribus immolatum, quòd ab his hostes arceri putarent.* Unde colligimus, præter cultum Larium domesticum in foro, & compitalitium in compitis, unde *Viales* quoque & *Compitales* dicti, etiam hunc viguisse, nisi eosdem *Hostilios* cum Vialibus facias, qui, cùm singulis suis familiis custodes essent, jure existimatum, junctim urbi præsidere, atque adeò & hostes à mœnibus depellere. Quod clarè illis tribuit Ovidius *Fast.* 5. & Propertius *lib.* 3. *Eleg.* 3. ubi eos Hannibalem ab urbe fugasse ait. V. Vossium *de Idolol. lib.* 1. *cap.* 11. *sub fin.*

Hostis, vett. Latinis peregrinus & hospes est. D. Ambrosius *Offic. lib.* 1. *cap.* 29. *Deniq; etiam adversarios molli Veteres appellatione nominabant, ut peregrinos vocarent. Hostes enim antiquo ritu pere-*

gri ni dicebantur. Quemadmodum *Βάρβαρος* Spartianis *ξένος*, Herodot. *Uran.* V. hac de re Hug. Grotium *de Jure Belli & Pac lib.* 2. *cap.* 15 §. 5. Postea mutata vocis notio, & apud Romanos Jurecoss. *Hostes* dicti sunt, *qui nobis aut quibus nos publicè bellum decernimus, l. Hostes de verb. sign.* Ciceroni signantius, *ille* Hostis *est, qui habet Rempublicam, Curiam, Ærarium, consensum & concordiam civilem, & rationem aliquam, si res ita tulerit, pacis & fœderis, Philipp.* 4. cæteris omnibus in latrunculorum prædonumque numero deputatis. V. eundem Grotium ibid. *lib.* 3 *cap.* 2. §. 1. Qua ratione huc pertinet, quæ de *Bello Clarigatione, Fecialibus, Induciis, Pace, Præda* &c. hic passim occurrunt. Monebo hic saltem, etiam *Hostibus publicis* sepulturam deberi, omnium consensu: Quod belli jus *κοινὰ ἐν τοῖς πολέμοις* vocat Appianus, *belli commercia* Philo. Unde Hercules suos hostes, Alexander ad Issum victos, Hannibal C. Flaminium, P. Æmilium, Tib. Gracchum, Marcellum Romanos, quæsivisse ad sepulturam, leguntur. Idem Hannoni à Romanis præstitum, Mithridati à Pompejo, à Demetrio multis, Archelao Regi ab Antonio. Imò in Græcorum adversùs Persas militantium juramento erat: *Socios omnes sepeliam; bello victor etiam barbaros.* Et passim in Historiis legas impetratam *νεκρῶν ἀναίρεσιν, facultatem tollendi mortuos.* V. Dionem Chrysostomum *Orat. de Lege.* Ælianum *Var. lib.* 12. Diodorum *lib.* 17. Pausaniam *in Atticis,* Philonem *in Flaccum,* Plutarchum *Theseo & Marcello,* Alios. Apud Recentiores vox, pro *exercitu* passim. Gall *Host* & *Ost,* Hisp. *Hueste.* Inde postmodum propriè sic dictum est Francis servitium militare, quod dominis suis feudalibus debebant vassalli ac tenentes: ita ut ad bellicam *submonitionem* seu citationem, militaribus armis instructi, cum iis in exercitum pergere tenerentur. Id nempe vocabant *Hostem* vel *Exercitum*, quibus vocabulis adjungitur fere semper, *Cavalcata, Equitatus* seu *Expeditio*; ita ut una eademque videatur fuisse obligatio, cui vassalli essent obnoxii; nisi quod per *Hostem* intellexisse videntur eam expeditionem, quæ pro patria tuenda intra domini fines peragitur: per *Cavalcatam* verò, quæ pro bellis domini, etiam extra dominii ejus limites, suscipitur. Spectabat verò hæc obligatio, non *tenentes* modò & *mansionarios*, sed & viros *nobiles* seu *vassallos*, cùm nemini eorum immunitas concederetur, ac ne ipsis quidem *Episcopis, Abbatibus* aut *Sacerdotibus*, quos passim legere est, obnoxios fuisse *Hosti* & *Cavalcata*, ratione Regalium aut possessionum Ecclesiasticarum. Non omnes tamen *hostes* vel *hostem facere* tenebantur, ut loquuntur *LL.* Longobard. Immunes enim erant *Mulieres, Viri qui annum* 60. *attigerant, pueri infra* 16. *æt. annum. Urbium Jurati vel Ædiles, Gubernatores, Notarii, Physici, Jurisperiti, Furnarii ac Molitores, Ægri & Pauperes.* Præterea, *qui uxorem acceperat*, primo anno ab *hoste* omnibusque necessitatibus publicis immunis erat: ii tandem, qui *speciali privilegio* à Principibus *exempti* fuere. Ita tamen, ut interdum expensarum partem alii, qui in hostem non pergebant, iis exsolverent, qui expeditionem suscipiebant. Sed & nec illi immunes omnes à bellicis oneribus erant: nam, ut est *in Capitulis* Caroli Calvi *tit.* 31. *cap.* 27. *illi, qui in hostem pergere non poterant, juxta antiquam & aliarum gentium consuetudinem, ad civitates novas & pontes ac transitus paludium operabantur & in civitate atq; marchis wactas faciebant*, ita ut *ad defensionem patriæ omnes sine ulla excusatione venire* tenerentur. Verum *in Hostem* eundi oneris non una eademque ratio fuit; sed secundùm locorum libertates ac immunitates prorsus extitit diversa. Siquidem quorundam locorum incolæ non tenebantur ire extra territorii sui fines: alii *in hostem* ita pergebant, ut domum redire eadem die possent: quidam duos, nonnulli tres dies *hostem* debebant: ultra quos si à domino detinerentur in exercitu vassalli, ac tenentes, dominus eis *vadia* dare tenebatur. In Francia tamen, regia expeditio 60. dierum fuit, nisi infeudationum tabulis numerus restrictus esset. Sed & fuere, qui *Hosti* non obnoxii erant, nisi pro defendenda patria & si domini castra aut dominia ab inimicis impeterentur; non verò pro fœderatis ferendo auxilio. Denique erant, qui ad quasvis dominorum expeditiones, etiam extra dominii fines, ire tenebantur: De quibus omnibus V. eruditè disserentem Car. du Fresne *in Glossar.* ubi ultimum hoc bellum *indictum & nominatum* fuisse appellatum, ait, addítque, de jure communi vassallos *hostem* debuisse & *equitationem* propriis impensis, interdum tamen *vadia* illis data eorumque damna, in expeditione perpessa, à dominis resarcita fuisse. *Ibidem* habes elegantem Dissertationem *de Hoste & exercitu Episcoporum.* Hinc *Hostenditium* seu *Hostenducia*, Germ. *Hostendienst* servitium bellicum, quod vassallus domino præstare tenetur: vel potiùs ea præstatio, quæ à vassallis domino fit pro *Hoste* &c.

Hovetmanni, Judices Groningani dicebantur, quos circa A. C. 1400. colligendo tributo per agros præfuisse, quemadmodum per Urbem Consules, docet Ubbo Emius *in Groninga*, ubi & *Cameræ Hovetmannorum* meminit, *pag.* 78. 82. 173.

H R.

Hringus, seu *Ringus*, in *Annalibus* Francorum A. C. 796. alibique passim. Avarum seu Hungarorum castra dicuntur, quòd in circuli modum circummuniata essent, à voce Saxon. *Hring* & Germ. *ringh*, h. e. *circulus*, orbis, annulus: seu quòd revera *hringus* fuerit is circulus, quem & *Hagin* vocabant, ut dictum supra &c. à qua voce deductam investiturarum formulam Gall. *Par rain & baston*, censet Cujacius *ad Feud. lib.* 2. *tit.* 2. h. e. *per annulum & virgam.* Meminit quoque *Ringi*, Eginhardus *in Annal.* Spolium Hunorum regia, quæ *Ringus* vocabatur: & Poëta Saxonicus *lib.* 3.

Nam spoliata fuit Hunorum regia, Hringum
Quam vocitant &c.

V. C. du Fresne *Glossar.*

H U.

HU. in notis antiquis, *Hujus.* H. V. *honesta vita.* H. V. B. P. *Herus verus bonorum possessor*, denotat, Fr. Gouldmannus.

Hucsium seu *Hutesium*, in Vita Ludovici Pii, *Quibus id agentibus — conversâ acie in sinistram partem — dixit bis*, Hutz, Hutz, *quod significat Foràs, Foràs. Unde patet, quia malignum spiritum vidit* &c. clamor est militaris inconditus & confusus. Item clamor multitudinis, quo utplurimum quempiam, latronem inprimis aut capitalis criminis reum, seu in ipso crimine deprehensum, seu fugientem ac latitantem, pagani insectantur aut prosequuntur: ex Gallico *Hus*, formato ex ipso sibilo, quo quis aliquem explodit; *Huer* unde hodie ac *Huée.* Obtinuit autem apud Francos à primæva Regni origine, ut istiusmodi clamore reum insequerentur omnes, donec comprehenderetur & in Judicis manus traderetur; quod qui omisisset, mulctæ subjaceret, ut videre est in *LL. Canuti Regis Saxonicis* §. 26. Idem mos in Anglia & Scotia; Hispaniâ quoque, in Navarra maximè, apud quos ineuntur societates, quas *Hermandadas*, quasi *Fraternitates*, Navarri *Junctas*, q. *Uniones*, Aragonii vocant, quibus qui adscripti sunt, quoties gravius quoddam delictum committitur, facto ad sonitum campanæ concursu, de compacto in reos impetum facere & eos Judicibus sistere tenentur, V. suprà, & plura hanc in rem apud Car. du Fresne *Glossar.*

Hugo, Comes, nepos ex Eberhardo Ethici seu Athici cognom. *Adelrici* Alsatiæ Ducis, communis trium Familiarum ex Alsatica hac procedentium. Lotharingicæ, Dagsburgicæ & Habspurgicæ auctor fuit. Ejus enim filius natu maximus Gerhardus Metensium Comes, Lothringiæ Duces fevit: Alter *Hugo* Comes Dagsburgicus illorum Comitum, è quibus Leo IX. Pontifex, auctor fuit: Minimus natu Guntramus cognom. *Dives*, Landaloi Archiepiscopi & Vindonissæ Comitis sorore sibi junctâ, Habspurgiorum fuit progenitor. V. Phil. Jac. Spenerum *Sylloge Genea. Histor. in Fam. Austriaca.*

Hugo Catalaunus, auctor *Pannomiæ.* V. infrà *Ivo Carnot.* & *Pannomia*

Hugotio, vel, ut alii, *Hugo* Vercellis, quæ ejus Patria fuit, postea Ferrariæ Episc. inter primos Decreti Glossatores. V. Gerh. von Mastricht *Hist. Jur. Eccl. num.* 334.

Humana Caro comesta, V. supra *Caro humana*: Addo hic saltem, quòd humanis corporibus milites vesci Hannibalem docuisse, legimus apud Liv. *lib.* 23. *cap.* 4. Apud Vett. qui *Humanarum Virtutum* modum videbantur supergressi, horum nomina, post ipsorum obitum, in Rituales libros referebantur, & anno vertente memoria illorum celebrabatur; animas eorum in Beatorum insulas receptas esse, omni pòst futuro judicio liberas, sibi persuadentibus: quem ritum V. pluribus descriptum Cedreno, ubi de antiquis Assyriis: adde Casaubonum *ad Athenæum lib.* 6. *cap* 14. & quæ supra diximus de more *in Deorum numerum referendi*; ab illis enim principiis huc tandem deventum est &c

Humatus, à sepulto qui differat, Plinius exponit *lib.* 7. *cap* 54. *Sepultus intelligitur quoquo modo conditus*: humatus *verò humo contectus.* Ad quem I. Dalechampius, *In ustrina*, inquit, *mortui comburebantur*: humabantur, *cùm justa persoluta fuissent, post Ustricale factum, sepulchro invecti: Siti vocabantur, imo situ sepulchri tanti.* Idem non *sepeliri* eum, qui urebatur, sed *humari*, dictum esse, docet ex lege XII. Tabb. *In urbe ne sepelito, ne urito.* Meursius verò, hominem mortuum ante glebæ in os injectionem, *humilem*, post illam verò, *humatum* vocari consuevisse, docet ex Varrone *de Vita Populi Rom. lib.* 3. *Quid* humatus *non sit hæredi porca præcidanea succidenda Telluri & Cereri, aliter familia pura non est.* V. eum Commentar. *ad Lycophronem pag.* 187. & suprà ubi *de Gleba sepulchrali.* Plura verò de iis, quæ ad funerandi sepeliendique cætera leges pertinent, inprimis de antiquissimo cremandi ritu, sub Antoninorum tandem imperio, antiquato, apud Alexandrum ab Alex *lib.* 3. *cap.* 2. cui adde Vertranium *in Varron. de LL. lib.* 4. Jo. Kirchmannum *de Funeribus*, & quæ hic passim congesta.

Humerale, pars vestis Pontificalis in V. T. Exodi *cap.* 27. ubi de Amiculo seu Ephod, *Primùm facturi sunt amiculum — Duo humeralia conjungentia sunto illi in duabus extremitatibus, quibus conjungatur*, *vers.* 6. & 7. *Scapulare* aliis: sunt autem scapulæ propriè humeri summitas & junctura. Vult nempe Legislator, jungendas esse duas partes Ephod seu Superhumeralis, anteriorem & posteriorem, scapularis sibi mutuò respondentibus, super utramque humeri partem. His verò *Humeralibus* imponi voluit duos lapides sardonychos, quibus nomina filiorum Israëlis inscripta,

ut portaret Aharon nomina eorum coram Jehova super duas humeros suos in monimentum, verf. 12. atque his gemis fibularum vice epomidem connexam fuisse, ait Josephus. Quibus quid fuerit significatum, V. apud A. Rivetum, Burmannum, Alios, *Commentar. in l.* Nempe typus fuit Pontifex ejus, *cujus humero adest Principatus ipse*, Esai. *cap.* 9. *verf.* 6. ad cujus promissionem τὸ Δωδεκάφυλον, *duodecim tribus, nocte & die assiduè* (Deum) *colentes, sperans se venturas*, Actor. *cap.* 26. *v.* 7. Porro *Humeralibus* Amiculi, versùs anteriorem partem ejus, Pectorale sacrum duobus annulis aureis connectebatur; qua de re V. infrà, ubi de *Pectorali*. Sed & inter Ecclesiæ Romanæ vestes sacras occurrit *Humerale*, apud Alcuinum *de div. Offic. ex lino purissimo*: idemq; quod *Amictus* vel *Superhumerale*, vestis Clericalis est, Gall. *Espauliere* &c. Hildebertus Cenoman. *de Officio Missæ*,

—— Scapulas humerale *tegebat*
Præsulis intrantis interiora sacri.

apud C. du Fresne *Glossar.* Idem in Græca Ὠμοφόριον, de quo sic Cl. Suicerus, Ὠμοφόριον, *Humerale. Vestis Patriarcharum & Episcoporum — referebat figuram agni — aliud q; erat Patriarchale, aliud Episcopale. Priori designabatur stola Aaronis, posteriori ovis perdita; habebatq; etiam cruces intertextas, quæ ita imitandum esse Christum innuerent — Latini etiam Pallium vocant.* V. & infrà *Omophorium*.

Humeri, an ἀπὸ τῶν ὤμων, quæ vox Græcis idem notat; an ab *armus*, qui idem in quadrupedibus, quod *Humeri* in homine; an ab *humo*, quòd sicut *humus*, ita & *Humeri*, oneri ferendo facti sint? Certè hac inprimis parte onera optimè sedent. Unde *Humero Messiæ principatus* adesse dicitur, Esajæ *d. l.* & perditam ovem repertam *humeris* ad gregem reportat in Evangelio Pastor fidus; & ex incendio Trojæ patrem in *humeros* sublatum eripuit Æneas; & sequiori ævo *humeris* militum impositi novi Principes; & *humeris* proximorum defunctos efferri, mos priscus &c. *Lati* proin Heroibus tributi, apud Poetas passim. Homerus *Il.* ψ.

Πνοιῇ τ' Εὐμήλοιο μετάφρενον, εὐρέε τ' ὤμω
Θέρμετ'

Virgilius *Æn. lib.* 2.

—— latos humeros *subjectaq; colla*
Veste super fulvique insternor pelle leonis.

Et *lib.* 11.

Cui pellis latos humeros *erepta juvenco*
Pugnatori operit.

Eosdem *ingentes* in Amyco fingit Val. Flaccus *lib.* 6. *ferreos* commendat Antipater *Epigr. εἰς ἀγῶνας*: in his enim præcipuum hominis robur. Unde *Humeri* pro extremo conatu & contentione summa. Virgilius *lib.* 9. *de Pandaro*,

Portam vi multa converso cardine torquet
Obnixus latis humeris ——

Claudianus *Bello Gildon.*

Ast ego, quæ terras humeris pontumq; subegi &c.

Exerebant dextrum veteres Romani, unà cùm brachio, ut ex statuis numinisque liquet, iis præcipuè in quibus Adlocutiones, Congiaria, Restitutiones provinciarum, quæ plurimæ in Hadriani numismatis, repræsentantur. Et quidem, in quibusdam iisque paucioribus superior tantùm humeri pars intecta visitur, reliqui omnes totum cum brachio humerum & bonam scapularum partem exertam ostendunt. Quo modo pars Togæ delapsa, & brachio subjecta, cadensque in pectus *sinum* efficiebat. V. Octav. Ferrarium *de Re Vestiaria lib. I. cap.* 19. ut & in voce *Toga*. Similiter Græci Philosophi, Cynici inprimis, pallium sic gestabant, ut dextro brachio subjectum in lævum humerum rejiceretur, exerto humero dextro & plerunque nudo, utpote tunicæ damnato usu. Quare S. Cyprianus Cynicorum notat *exerti ac seminudi pectoris inverecundam jactantiam*. Sed & servi, quò dextra liberior atque expeditior esset, exomidem gestarunt ἑτερομάσχαλον, h. e. vestem strictam & angustam, ex qua *humeri* exererentur & nudi conspicerentur, ut vidimus suprà, in voce *Exomis*. Porro apud Juvenalem *Sat.* 6. *verf.* 488. dominæ

Disponit crinem laceratis ipsa capillis
Nuda humero *Psecas infelix ——*

Nempe ut ad pœnam parata esset, si qua in parte peccasset ista capillorum ornatrix, qua de re hic passim, ubi de *Capillis*, *Coma*, ut & in voce *Ornatrix*. Nec enim ulla olim, hodieq; pars humani corporis frequentiùs subjecta plagis suppliciisque, ut inter alia videre est in verbo *Catomidiari*, item ubi de *Scapulis*, *Tergo* &c. Eodem habitu, ad amaræ aquæ haustum condemnatam mulierem adulterii suspectam, coram Judicibus comparere solitam, infrà dicemus. Ut alia quædam addam, ad splendoris & dignitatis ostentationem faciebat, famulantium *humeris* inniti. De Nerone Suetonius *cap.* 44. *Cùm post epulas triclinio egrederetur, nixus* humeris *famulantium*. De fœmina illustri *Hieronymus Epist.* 22. *Vocem ex industria, quasi confectam jejuniis ne tenues, & deficientis imitata gressum* humeris *ne innitaris alterius*. Eosdem, velut in quibus non minima pars pulchritudinis ac majestatis humanæ, juxta illud Poetæ,

Os humerosque *Deo similis ——*

osculo quoque dignos habitos legimus. Sic enim Gemes Othomannus ad Alexandrum VI. Pontif. Rom. missus à Rhodiensium militum Magistro, non pedes istius pro more, sed *humerum* osculatus est, apud Zuingerum *Theatro Vitæ Hum. p.* 252. De ritu comam in *humeros* spargendi, V. suprà in voce *Apochyma*; de more ex illis enses suspendendi, in illis fibulâ vestes apertas nectendi, aliisque huc pertinentibus, suo loco.

Humi cubare, apud Suetonium *Julio cap.* 72. *Amicos tantâ —— indulgentiâ tractavit, ut C. Oppio — in diversorio loco, quod unum erat, cesserit: ac ipse* humi *ac sub divo cubuerit*: erat ἐπὶ σκίμποδος, vel culcitra viatoria humi stratâ, cubare. Sic Græcis χαμεῦναι, qui in stramentis vel culcitis super humo constratis somnum capiunt; quod in Thesmophoriis olim matronis usitatum, Asceris item Græcis Christianisque in frequenti usu fuit, de quibus V. aliquid suprà in voce *Camæ*. At in pœnam sternebantur *humi*, qui vel securi percutiendi vel fuste puniendi ac verberibus multandi erant. Suetonius *Tiberio c.* 60. *exploratorem viæ primarum cohortium Centurionem prostratum* humi *pæne ad necem verberavit*. Tacitus *Annal. lib.* 1. *prostratos verberibus mulcant* &c. Sed & aliàs lugentium, reorum, pœnitentium hic situs, de quibus V. hic passim. In pancratio verò, αἱ χαμαὶ πτώσεις, seu συμπλοκαί, *nexus* humi *explicandi & implicandi*, etiam artis erant. Uti enim in Lucta, quæ à stantibus & erectis peragebatur, vicisse erat adversarium solo dejecisse & contrà victi ignominia, cecidisse: Sic in pancratio, succubuisse erat artis, & dejectus ac humi prostratus pancratiastes pugnabat tamen, ac quà mordendo, quà depilando, quà fauces stringendo, pedis digitos defringendo, sæpe antagonistam jam victorem adigebat, victum se confiteri. Quo in certamine ὀκλασμοὶ quoque & ἀνακλινοπάλη, apud Græcos, item ἅμματα; apud Latinos *nexus* & *nodi* appellati. V. infrà, ubi de *Pancratio* & *Volutatoria Lucta*. Porro *humi* defixis oculis Cupidinem pingi consuevisse, diximus suprà.

Humiliati, adde: In eorum, ut & Pauperum de Lugduno, quorum Ordo pariter damnatus est, surrogati postmodum locum sunt Ordines Fratrum Minor. & Prædicatorum. V. quoque Jac. à Vitriaco *in Histor. Occid. cap.* 28 & Hier. *dalla Corte*, Histor. *Veron. lib.* 10. At *Humilitatis sarcina*, dicitur in Communione Rom. Velum Monialis, Macer *in Hierolexico*. Qui verò *Humiles* olim Romanis dicti, V. suprà. In Ecclesia Græca, Patriarchas & Episcopos, in subscriptionibus seipsos vocare Ταπεινοὺς, *Humiles*, & frequentiùs Ἐλαχίστους, *Minimos*, docet Cl. Suicerus *Thes. Eccl.* voce Ταπεινὸς, ad imitationem sc. Pauli Apost. qui ἐλαχιστότερον se, extremæ *humilitatis* testificandæ ergò, vocat alicubi in Epistolis, ut notum.

Humor, in Ignispicio Veterum, flammæ contrarius, observatur Euripidi *Phœnissis*, *verf.* 1262.

Μάντεις δὲ μῆλ' ἔσφαζον, ἐμπύρων τ' ἀκμὰς
Ῥήξεις τ' ἐνώμων, ὑγρότητ' ἐναντίαν,
Ἄκραν τε λαμπάδ', ἣ δυοῖν ὅρους ἔχει.

Inde enim fumus oritur, qui ignem observantibus adversus erat. Qua de re V. Casp. Barthium *Animadversion. ad Statium Thebaid. lib.* 4. *versu* 412. de *Humore* verò inter Numina olim relato, hic passim, inprimis ubi de *Amphitrite*, *Aqua*, *Diis*, *Neptuno*, *Nereidibus*, *Thetide* &c.

Hungenius, Ramus illustris Comitum Solmensium, in Germania, Familiæ, ab arce cognomine dictus est. Cùm enim Otto, communis omnium, qui hodie supersunt, Comitum Solmensium, pater decessisset, A. C. 1409. major ejus filius Bernardus *Braunfelsinam* lineam orsus est, fratre Johanne *Lichensis & Laubachiæ* lineæ auctore. Prior, *Braunfelsina* nempe, iterum in tres ramos divisa est, *Braunfelsinum*, *Hungensem* & *Greiffensteinium*, è quibus medius sic habet. Bernardus Com. *de Solms in Braunfels*, qui obiit A. C. 1459. ex Elisabetha Isenburgica, (fil. Johannis Comitis) Ottonem genuit, defunctum A. C. 1504. cui ex Anna Nassovia (fil. Johannis Com. Nassoviæ *in Wisbad.*) genitus Bernardus decessit A. C. 1547. suscepto ex Margareta Hennebergica (fil. Wilhelmi Principis, extinctâ A. C. 1510.) fil. Philippo, defuncto A. C. 1544. quo & Annâ Falckenburgiâ (fil. Ottonis Comitis) natus Conradus, decessit A. C. 1592. pater ex Elisabetha Nassovia Reinhardi, qui defunctus A. C. 1630. ex Elisabetha Rhingravia (fil. Adolfi Henrici Com. Sylv. & Rheni *in Daun*) reliquit filium Mauritium *Com. Solmensem* &c. *Lineæ Braunfelsinæ in Hungen*, cui uxor obtigit Florentina fil. Johannis Wolfardi *Dn. de Brederode*. V. Phil. Jac. Spenerum *Theatro Nobilit. Europ. Parte I. pag* 151. ut & in *Ind.*

Hunila, Gotha, nuptum Bonoso data est ab Aureliano Imp. de quibus nuptiis, ut & donis, quæ Sponso Imperator dari nuptiarum causa jussit. V. *Epistolam* hujus ad Legatum Thraciarum, apud Vopiscum *in Bonoso*.

Hunniscum, in *Epist.* Caroli M. ad Offam Merciorum R. apud Auctorem *Vitarum* Abbatum S. Albani: *Vestræ quoq; dilectioni unum baltheum & unum gladium*, hunniscum, *& duo pallia serica duximus destinanda*; Wattio est adjectivum gladii: Carolo verò du Fresne aulæum sic dictum, quòd apud *Hunnos* texeretur, idemque cum eo, quod ἀμφίθυρον Οὐννικὸν dicitur, in *Epist. ad Cosdroen*, apud Theophylactum Simocattam *lib.* 5. *cap.* 14. Evagrium *lib.* 6. *cap.* 20. & Nicephorum Callisti. Sunt autem ἀμφίθυρα vela, quibus januæ cancellatæ obducebantur, quasi ἀμφὶ θύρας, uti statuit

Idem

idem du Fresne *Descript. Ædis Sophianæ num.* 72. Neq; aliud est *Coopertorium Sarmaticum quo altare Dominicum cum oblationibus tegebatur*, apud Gregorium Turon. *de Vita Patrum c.* 8. Id. *in Glossario.* Neque verò id solùm *Huniscum*, quod ab *Hunnis*, sed & ipsi Hunni *Hunnisci* dicti sunt, uti Daci *Dacisci*. Falesii *Falesisci* & contractè *Falisci* &c. ὑπερϐιϐασμῷ, uti nomina gentium apud Vett. plerunque concipi solebant. Salmasius *ad Solinum pag.* 60.

Huno, cognom. *Gloriosus*, fil. Joannis Com. Oldenburgensis, cùm Frisios, qui ab ipso ad Albertum Archiep. Bremensem defecerant, summis viribus in ordinem redigere tentaret, apud Henricum IV. Imp. accusatus, cumq; se non sisteret, Majestatis reus declaratus & demum, ubi accesserat, ut cum Leone pugnaret, Goslariæ, damnatus est: quod certamen pro Patre sene filius Fridericus subiit & leonem astu devicit. Postea cùm filius hic ejus Cœnobium Rastedense cœlebs ingressus esset, Elimarus I. Rixæ *Hunonis* sororis, ex Hajone Dynasta, Frisio, filius, ditione potitus est; à quo continua serie reliqui Comites Oldenburgici descendere, V. Jac. Spenerum *Sylloge Geneal. Histor. in Familia Oldenburgo Danica.*

Hurdicum seu *Hurdicia*, apud Guilielmum Britonem *Philippidos lib.* 1.

Ictibus assiduis Hurdicia *fracta recedunt* &c.

cratis est lignea, quâ mœnia obducebantur, ne ab arietibus vel missilibus lapidibus læderentur: vel pali in fossatorum marginibus infixi, ne statim ad ipsa mœnia accessus pateret, C. du Fresne *Glossar.*

Hursta, vox Saxon. *sylvam* denotans, nomen fuit castelli, quod in tutelam portus Avoniensis extructum est, à sylvestri situ sic dicti. De eo sic Lelandus, apud Eund.

Non tulit hanc labem magni mens Principis alta,
Qui Hurstam *statuit vindicis illa loco.*

Huscarle, vox Saxon. quasi *Domestici famuli*, aulici dicuntur & Regum domestici, apud Hovedenum, Sim. Dunelmensem, Florentium Wigorn Alios. *De Huscarlorum Danicorum* dignitate sic *Jus Aul. Norvvegicum vetus cap.* 26. ex versione Joann. Pelineri: *Omnes viri, qui fidem servitii, ex veteri consuetudine, Regi adjuraverant, sive manus datæ, sive apprehensi gladii confirmatione, vocabulo* Huskarla *appellabantur, quamvis illi postmodum multo excellentiore & eminentiore titulo, pro sua quisq; conditione, sint honorati. Omnes verò in Regia aula servientes Hirdmen vernaculè nominantur, Regem observaturi ac imitari* &c. Idem tradit *alibi*, Præfectis provinciarum concessum à Rege, ut 40. non verò plures, servos domesticos nomine *Huscarlarum* in servitio suo haberent: Scribitq; Sueno *in LL. Castrens. cap.* 8. *Colloquium*, seu Curiam Aulicam, in qua de rebus ad *Huscarlas* pertinentibus judicia fiebant, *Huskarlesteffne* appellatam. Addit Steph. Stephanius, *Huscarle* dictos esse Officiales aulicos sive officia Palatina, milites prætorianos & quotcunque in aula Regis ac Principis alicujus versantes. Sed & etiamnum *Huscarl* Danicè domesticos, operarios & vernas appellari: antiquiores item Danos aulam Regiam linguâ suâ *Huus* appellasse, tradit Resenius apud Car. du Fresne *Glossar.* Significat autem hodieque *Haus* Germanicis domum, sicut *carl*, masculum &c.

Hussitæ, adde: Post mortem Ziscæ, in duas illis factiones divisis, quarum una ducem sibi creavit Procopium Magnum; cæteri, nullum inveniri posse dictitantes, qui jure Ziscæ succederet, se *Orphanos* appellavere: multum ex his dissidiis detrimenti causa ipsorum cepit. Georg. Hornius *Orb. Imper.* Penitùs tamen extingui non potuere, usque ad A. C. 1630. quo toto Regno pulsi *Hussitæ* in vicinis regionibus latebras petiere. V. quoque in vocibus *Calixtini*, *Fratres* &c.

Hutinus, cognom. Ludovici X. Franc. R. quòd, ut quidam ajunt, dum adhuc puer esset, rixas & contentiones cum coætaneis crebras excitaret: Nam hodieque de pueris Galli dicunt, *Il aime le hutin*, h. e. *le tintamarre, les querelles*, strepitum rixasque amat. Vox, ut videtur, ejusdem originis, cujus *Huesium* est: quòd, qui *huz* clamare solent, id potissimum seditionis ac contentionis excitandæ causæ faciant. V. Car. du Fresne *Glossar.* & suprà, in voce *Huesium* seu *Hutesium*.

HY.

Hy, Ins. Scotiæ, monasterio S. Columbani olim celeberrima, memoratur Bedæ *Histor. Eccl. gentis Anglor. lib.* 3. *cap.* 3. &c. inde hodieque *Ycolmkill*, q. *Columbani cella*, V. infrà.

Hyacinthia, Festum Apollinis sive Bacchi: Liberum enim eundem cum Sole esse, Aristoteles scripsit, in deperditis Theologumenis, Macrobio teste *Saturnal. lib.* 1. *cap.* 18. & Ulpianus Rhetor *ad Orat. Demosth. c. Midiam* ait, Εἰωθε τὸν Διόνυσον καὶ Ἀπόλλωνα καὶ Ἥλιον καλεῖν, *Quia Bacchum & Apollinem & Solem vocant.* Maronem quoque idem sensisse, ostendit illud, in aurei operis *libro decimo*,

Inde Lycam ferit exemptum jam matre peremtâ,
Et tibi, Phœbe, sacrum.

Ubi *Phœbum* pro *Libero* dixit: huic enim sacrabantur è matre exsecti, idque quia similis horum origo sit ortui Διονύσου seu Liberi, ut qui secto patris femore prodierit in lucem, V. plura hanc in rem apud Macrobium *l. c.* Sic itaque Lacones, in festo illo Apollinari, quod in *Hyacinthi* memoriam triduo celebrare solebant, hederâ, Bacchico ritu, coronabantur, V. Gerh. Joh. Vossium *de Idolol. lib.* 2. *cap.* 14. & infrà in *Hyacinthus*.

Hyacinthides, adde: Erechthei fuere filiæ, qui Pandionem, in Atheniensium regno, excepit, sic dictæ Demostheni *Or. Fun.* quia in *Hyacintho* pago immolatæ, ut ait Suidas. Eædem per excellentiam Παρθένοι, *Virgines*, vocitatæ sunt, eodem auctore. Unde Græcorum exemplo Tullius *pro S. Roscio*, *Mortes etiam Virgines Athenis, Regis, opinor, Erechthei filiæ, pro Patria contendisse dicuntur.* Hæ unà cum Parente in Deorum propterea numerum relatæ sunt; Et pater quidem, quia paruisset Oraculo, dicenti, superiorem fore bello contra Eumolpum, Thracum Regem, si filiarum unam immolaret: filiæ autem, quia & illa, quam Parens sacrificio destinarat, lubenti animo sese ad hoc obtulit; & soror, imò universæ, ut alii ajunt, sorores, sese pro salute Patriæ, interemissent. V. Gerh. Joh. Vossium *Op. cit. lib.* 1. *cap* 13.

Hyacinthina, in Amyclæo celebrari solita, ludi sacri, memorantur Straboni, in conspiratione Eilotarum *lib.* 6. Vocata sunt & *Hyacinthia*, quæ auctoribus Xenophonte *Hellenic. lib.* 4. & Plutarcho *in Agesilao*, Lacedæmone agebantur. Ibi canebatur Pæan, ad quem Amyclæi conveniebant. Car. Paschalius *Coronar. lib.* 6. *cap.* 30. V. quoque suprà *Hyacinthia*.

Hyacinthinus Color, eximius olim habitus. Hinc Panthea marito offert, cum aurea casside & armillis, Χιτῶνα πορφυροῦν ποδήρη — καὶ λόφον ὑακινθινοβαφῆ, *tunicam purpuream talarem — & conum* hyacinthini *coloris*, apud Xenoph. *Cyrop. lib.* 6. Circa Cyri ejusdem sepulchrum, apud Pasargades, ἀναξυρίδες Μηδικαὶ καὶ στολαὶ ὑακινθινοβαφεῖς ἔκειντο κτλ. *bracca Medica & stola* hyacinthinæ *jacebant* &c. Apud Persium *Sat.* 1.

Hic aliquis, cui circum humeros hyacinthina *læna est*,

i. tricliniaris vestis mollior & coloris exquisitissimi. Quod ad ætatis suæ mulieres solito comtiores referens Hieronymus *Epist.* 10. *ad Fur. Hic aliqua*, inquit, *cui circum humeros* hyacinthina *læna est* &c. Sed qualis propriè fuerit, ambigunt eruditi. Cum *rubro purpureo* plerique eundem faciunt, aut illi simillimum, sive ab *hyacintho* flore aut ab *hyacintho* lapide nomen habeat. Certè Virgilius de flore *Ecl.* 3. ait,

Munera sunt lauri & suave rubens hyacinthus.

Et *Georg.* 4.

Et pinguem tiliam & ferrugineos hyacinthos.

h. e. purpureos aut subpurpureos; Nam *ferrugo, color est vicinus purpuræ subnigræ*, Serv. Lapis quoque *hyacinthus*, vel violaceus describitur, vel purpureus, sed dilutior, Plin. *lib.* 37. *cap.* 9 Quin rubinus noster ab Arabibus & Persis hodieque *hyacinthus* nominatur, quasi *hyacinthini* sit coloris: ut alia omittam. Tamen *cæruleum* potiùs hoc nomine colorem indigitari, contendit Cl. Bochartus. Namque & flori hujus nominis cœruleum colorem tribuunt idonei Scriptores: Columella in Horto,

Nec non & niveos & cæruleos hyacinthos.

Quomodo Græci quoque Poëtæ κυανέους ὑακίνθους, ut observatum Salmasio *in Solinum pag.* 997. Et lapis cognominis cœruleus ac cœlo congener à multis describitur, Solino, Martiano Capellæ *lib.* 1. Ambrosio *in Apocalypsin cap.* 21. *vers.* 20. Andr. Cæsariensi, Hieronymo *ad Demetriad. Epist.* 7. Isidoro *Origin. lib.* 16. *cap* 9. Epiphanio *de XII. gemmis*, Aliis, apud quos *hyacinthum* & *hyacinthinum* colorem cum cœlo & aëre sexcentis locis videas conferri. Sic quia tabernaculi velum ex bysso, purpura, hyacintho & cocco fuit, Exodi *cap.* 26. *vers.* 31. in iis quatuor quærunt Veteres imaginem quatuor elementorum, terræ in bysso, quæ ex terra; aquæ in purpura, quæ ex mari; aëris in *hyacintho* & ignis in cocco, propter coloris similitudinem, V. Josephum *Antiqq. lib.* 3. *cap.* 8. Origenem *in Exodum Homil.* 13. Theodoretum *in Exodum Quæst.* 6. Gregorium Nyss. *lib. de V. Mosis*, Hieronymum *in Jerem. cap.* 18. *versu* 9. & *in Ezech cap.* 16. *versu* 10. ut & *cap.* 27. *versu* 24. &c. Diversus igitur à purpureo colore *hyacinthinus* fuit, non verò ab omni: Purpuræ enim marinæ duo sunt genera, quorum illud cœruleum, ex conchylii; hoc propriè purpureum fuit, ex purpuræ propriè dictæ sanie factum: qua de re V. pluribus agentem Bochartum præfatum *Hierozoici Part. poster. Lib. V. capp.* 11. & 12.

Hyacinthus, adde: Inter Laconum Heroas, cujus sacra in Apollinari festo celebrabantur. Unde illud Apollini & *Hyacintho* peragi ait Pausanias *in Laconicis.* At solum Apollinem (quippe Deum, non Heroëm) nominat Macrobius, ubi suprà: fortasse enim Spartani ejus quidem memoriam festo Apollinari colebant, soli interim Apollini sacrificabant. Quod si est, non ad Heroicos hoc, sed divinos pertineat honores. Quomodo & iis, in honorem Timomachi (quo Duce Ægidæ Lacedæmoniis opem tulerant, adversùs Amyclæos) eodem in festo solebat χάλκεος θώραξ προτίθεσθαι, *ærea proponi lorica*, ut est apud Scholiastem Pindari *Isthm. Od.* 7. V. suprà, in voce *Hyacinthia.* Inter opera Niciæ Atheniensis, celebris *Hyacinthi* hujus tabula, *quam Cæsar Augustus delectatus eâ secum deportavit Alexandriâ captâ: & ob id Tiberius Cæsar in templo ejus dicavit*, memoratur Plinio *lib.* 35. *cap.* 11.

Hyacin-

Hyacinthus Flos, lugubres notas foliis præfert, & ex duplici fabula funus ostentat: alterâ, quæ sanguine Ajacis florem asserit editum, cujus & nomen foliis inscriptum præfert, venis, quæ per illum discurrunt, linearum ductu literas illas *αἰ αἰ* efficientibus; alterâ, quæ notas esse luctus narrat, ob *Hyacinthi*, dilecti Apollini pueri, de quo supra, interitum. Unde inter *inscriptos flores* recensetur, de quibus V. Car. Paschalium *Coron. l. 3. cap.* 10. Sed quis ille flos, plerique ignorant: nec mirum, apud Maronem à pastore pastori hanc quæstionem pro inexplicabili propositam, notis illis versibus,

Dic quibus in terris, & eris mihi magnus Apollo,
Nascantur flores inscripti nomina Regum.

Ubi Poeta ad florem hunc & Ajacem alludit, de industria mentem, dicendo *Reges* & *quibus in terris*, obscurans. Si quis enim putat, eum esse *Hyacinthum*, qui vulgò sic vocatur, quique sub hoc nomine à Dioscoride describitur, tota via errat. Nec enim in illo discurrentes illæ venæ, nec lilii instar, nec ruber seu niger color, qui atræ saturatæque purpuræ est, quæ omnia Poetæ suo *Hyacintho* tribuunt, reperiuntur: sed ut plurimum coloris ex cœruleo pallidi, vel ex cineraceo purpurascentis est, ad lilii formam neutiquam accedens. Potiùs itaque aliis cosmosandalum, *Hyacinthus* ille fabularis vetustissimorum Græcorum; Salmasio Romanorum gladiolus est, seu vaccinium, *ξυφίον* nomine Dioscoridi descriptum, quo Chymici ad tingendas vitreas gemmas, Galli ad hysginum inficiendum, Romani mangones ad tardandam ac coercendam venalium pubertatem, utebantur, uti pluribus rem hanc persequitur *ad Solinum p.* 1222. & *seqq.* Certe & ex *ὑακίνθιον*, *vacindium* primò, inde *vacinium* esse factum videtur, Idem *p.* 292. Fuit autem flos hic præcipuæ inter coronarios olim nobilitatis, cujus laudes Bion carmine & Nicander integro libro, sed qui periere ambo, descripsisse leguntur. Et licèt in luctu natus, ob hilarem tamen speciem, quâ provenit (*suave rubens* hinc proprio epitheto Poetis cognominatus) hilaritatis est & animi soluti index in corollam plexus, apud Anacreontem. Sic hyacintho florente redimitæ virgines choreas instituunt, apud Theocritum *Idyll.* III. Eodem Musas veneratur Virgilius *Cir.* & præsidem earum Apollinem *Ecl.* 3. Homerus, inter lectissimos & odoratissimos flores, quos Jovi & Junoni tellus substravit *Iliad. ξ.* etiam huncce recenset: In Cereris quoque Sacris, coronas hujusmodi, Chthoniis diebus Festis adhibitas, docet Pausan. ut alia omittam. Vicissim verò, quia luctus indices notas præfert, hinc fortasse mos manavit *hyacinthis* sepulchra spargendi, indigitatus Propertio *l.* 4.

Hoc etiam grave erat, nulla mercede hyacinthos
Injicere & fracto busta piare cado &c.

Miscebatur omnibus floribus vernis: violæ, serpyllo, croco, rosæ, apud Theocritum *Idyll.* 18 loto & croco, apud Homerum, *d. l.* amarantho, apud Ovidium *Fast. l.* 4 narcisso, croco, aci, myrrhæ, *l.* 5. &c. V. Car. Paschalium *Coronar. lib.* 3. *cap.* 10. & suprà passim. Alius est *Hyacinthus* flos, quem sic describit Franc. Pomey, *Hyacinthus, Tuberosæ persimilis, flores effert è tubulatis angustiis, in calathi formam repandos, lilii divisura per oram reflexos, à medio plerunque, nonnunquam etiam ab imo caule, ad summum, nunc per ambitum, modò densa, modò rara serie, digestos omnium ferè colorum, Descript. divers.* Hinc *Hyacinthinus*, primò quod ex *Hyacintho* flore, inde quidquid speciosum ac pulchrum est. Sic capillitium formosum, *ὑακινθίνας κόμας*, *hyacinthinos capillos*, vocat Lucianus *de Imag.* aliique passim, ut videre est supra, ubi *de Coma Hyacinthina.* Et Catullus formam Juliæ hyacinthinæ pulchritudini assimilat, *Epithal. Jul. & Mant.* Quo factum, ut originem vocis nonnulli ex *ἴος*, *solus*, & Attico *ἄνθος*, *flos*, quasi *solus flos*, vel ex *ἴον* & *Κύνθιος*, quasi *viola Apollinis*, arcessant &c. De colore suprà dictum.

Hyacinthus Gemma, inter ardentes, quas India mittit, Straboni memoratur, *λυχνίτας λίθους* nomine illas comprehendenti, de quibus diximus aliquid suprà in voce *Anthrax.* Ejus genera Epiphanius quinque facit, quorum primum *θαλασσίζοντα* vocat, proximum *ῥόδινον*, unde *rubinum* fecisse infimam Latinitatem, ait Salmasius, cui rubinus noster Veterum hyacinthus est, Persis Arabibusque etiamnum *iacut*, inde detortâ voce: quartum *ὑδαρίζοντα* & *χαροπόν*, quintum *λευκίζοντα*, quòd circumferentiam habeat albicantem. Idem *νῆστον*, i. *nativum* hyacinthi tertium genus vocat, manu & arte non elaboratum, vel à *nativo* colore, utpote qui inter roseum & dilutiorem, qualis propriè est pallelli rubri seu *φοινικοτάτου*, quod *natif* inde Arabibus dicitur. V. Salmasium *ad Solinum pag.* 1332. Plin. *l.* 37. *c.* 9. ubi de Jaspidum generibus, ita de hac gemma, *Multum ab ea* (amethysto) *distat hyacinthos, tamen è vicino descendens. Differentia hæc, quod ille emicans in amethysto fulgor violaceus, dilutus est* in hyacintho. *Primo quoque aspectu gratus evanescit, antequam satiet, adeoque non implet oculos, ut penè non attingat, marcescens celeriùs nominis sui flore. Hyacinthos Æthiopia mittit, —— præferuntur Indicæ —— Optimæ sunt, quæ in collatione aurum albicare quadam argenti facie cogunt. Funda includuntur perspicuæ.* Hinc *hyacinthizontes gemmæ*, quæ ad *hyacinthum* propiùs accedunt, ut *beryllii hyacinthizontes*, de quibus Salmasius ubi supra, *p.* 1107. &c.

Hyæna, Græcè *ὕαινα*, ex *ὗς*, *porcus*, quòd dorsum ejus setis quasi *suillis* rigeat: aliter *γάνος*, apud Aristot. *Zeef* Turcis & Afris, *Dabuh* Arabibus, hisce describitur Plinio *lib.* 8. *cap.* 30. *Collum & juba continuitate spinæ porrigitur, flectique, nisi circumactu totius corporis, nequit. Multa præterea mira traduntur. Sed maximè sermonem humanum, inter pastorum stabula, assimulare, nomenque alicujus addiscere, quem evocatum forìs laceret. Item vomitionem hominis imitari, ad sollicitandos canes, quos invadat. Ab uno animali sepulchra erui, inquisitione corporum. Fœminam rarò capi. Oculis mille esse varietates, colorumque mutationes. Et quibusdam magicis artibus omne animal, quod ter lustraverit, in vestigiis hærere — plurimæ gignuntur in Africa* &c. Ubi quod de magica potestate huic animali à Vett. tributa habet, exequitur pluribus Salmasius *ad Solinum pag.* 1087. & *seqq.* V. quoque infrà in voce *Nodus hyænæ.* Cæterùm *Hyæna*, in *Glossis* vett. *ζῶον*, *bellua*, & apud Arnobium *lib.* 7. *Cur non & canes & ursos & vulpes & camelos & beluas & leones:* unde apud Jul. Capitolinum *in Gordiano* III. pro *Belbi, item Hyænæ X.* reponit, *Belbi*, id est, *hyænæ X.* & *Bellus*, pro *belluus*, hocque pro *bellua*, h. e. *hyæna*, positum esse, docet, describens hoc animal pluribus Sam. Bochartus *Hierozoici Parte prior lib. III. cap.* 11 è quo unum hoc de modo capiendi illud adspergo. Busbequius *Epist.* I *de Leg. Turc. Ajunt*, inquit, *hyænam, quam ipsi Zirtlan vocant, sermonem intelligere humanum, proptereaque à venatoribus hunc in modum capi. Accedunt ad ejus cavernam, quam ex ossium cumulo deprehendi facile est. Subit unus cum fune, cujus partem extremam foris sociis tenendam relinquit: ipse identidem pronuntians,* Joctur, Joctur, icela, *illam se non reperire, illam non adesse, introrepit* Quod paulo aliter narrans Abrah. Ecchelensis Maronita *Not. ad Abdarachmanum De propriet. Animal. cap.* 24. *Hujus*, ait, *animalis venatio omnium lepidissima & singularis est. Nam musico concentu adeò mulcetur & mansuescit, ut frequenter hoc venationis genere capiatur, quod ita fit. Ubi de antro seu latibulo constiterit, ad ejus ostium sua pulsant venatores instrumenta & cantiones quasdam occinunt. Unusque eorum semper dicit, Dabaha est hic, alter verò respondet negando, Dabaha non est hic. His per aliquod temporis spatium cantatis, egreditur animal illud cicuratum ac totum mansuetum, omni feritate depositâ, & hospitibus blanditur, & ipsi hospites, sed adblandiendo camum imponunt ori & fune collum adstringunt & ducunt captivum* &c. Porro coitu *Hyæna* leænam Æthiopicam crocottam parere, Plinius docet ubi suprà; nec obstat, quod idem alibi id animalis ex cane & lupo conceptum facit; *hyæna* enim lupo, leo cani similis. V. suprà in voce *Crocotta.* Hinc *Hyænetta*, diminut. unde factum *ginetta* vel *genetta*, animal in Hispania frequens, & nomine ac maculis aliisque nonnullis Vett. *hyænam* referens. Indidem Sacra quædam *Hyænica*, quòd in iis mulieres *hyænæ*, sicut viri *leones*, vocarentur, olim dicta fuisse, monet Salmasius *Not. ad Commodum Lampridii.* V. præter Auctores laudatos, eundem Salmasium *ad Solinum*, ubi multa quoque hanc in rem, insuper de *hyænia gemma* in oculis hyænæ inventa, & de pisce *ὕαινα*, varia habet, *pag.* 135. & *seqq.* Gerh. Jo. Vossium *de orig. & progr. Idolol. lib* 3 *cap.* 7. ubi de sententia Palladii & Plutarchi, *Hyænam non tangi fulmine*; *cap* 54. ubi, *an quotannis sexum immutet*, disquirit; *cap.* 59. ubi *de ejus solertia*; & *imitatione humani sermonis fabulosè ei tributâ*; *cap.* 60. ubi *de inimicitia illius cum pardali & canibus*, & *cap.* 70. ubi de Ægyptiorum commento, *Hyænæ pelle indutum vulnerari non posse*: Alios.

Hyagnis, Phryx, Marsyæ pater, an filius, variant enim Auctores, primus duas tibias uno spiritu animavit, *lævaque & dextra concentum, gravi bombo concentum Musicam miscuit*, Appulejus *in Floridis.* Quod tamen alii Marsyæ tribuunt. Poëta Græcus hinc *in Epigramm.* *Αὐλοὶ δὲ Φρυγὸς ἔργον Ὑάγνιδος*, sub finem addit de Marsya.

Ἦδη Κελαινοῖσι ...
Ἐγνώσθη, Φοίβου ...

Sed nomi ejus Phrygii, & Lydii tantùm, reliquis postea demum accedentibus. Eundem obliquæ seu curvæ tibiæ inventorem fuisse, & in sacris Deûm matris primum tibiâ cecinisse, Dioscorides *in Epigramm. Græc* tradit, quod Siritæ Libyco alii ascribunt: quâ de re V. Salmasium ubi suprà *pag.* 120. & *seqq.*

Hybrida, apud Martialem *lib.* 6 *Epigramm.* 39.

Jamque hybridarum *grex tibi foret plenus,*
Si spado Coresus, Dindymusque non esset:

Ingenuâ matre & servo patre natus est; quales idem Poëta *equitis vernas* appellat, *lib.* 1. *Epigramm.* 85. Propriè enim *hybrida* fœtus ex imparibus parentibus; uti porcus ex fero & mansueta natus: qualem à Gallico sibi appositum idem habet *lib.* 8. *Epigr.* 23.

Invitas ad aprum; ponis mihi, Gallice, porcum,
Hybrida *sum: si das, Gallice, verba mihi* &c.

Sic apud Suetonium *Claudio cap.* 20. *Conjurationes — Asinii Epicadi ex gente Parthyna hybrida*: Et Hirtium *de bello Afric. Præterea ex fuga prælioque Pompejano, quos secum à Brundusio transportaverat, equites Germanos Gallosque, ibique postea ex* hybridis *libertinis servisque conscripserat*; vox notat Numidarum abjectissimum quemque, è libertinis servisque prognatum. V. Casaubonum *ad Suetonium.* E Græco *ὕβρις*, *probrum, contumelia.*

Hyctanis, Carmaniæ flumen, apud Solinum c. 54. *Ex Indis revertentes ab* Hyctani *Carmaniæ flumine septentriones primùm vident.* Ἄναμις dicitur Arriano *in Indicis*, Ἄδδανις Marciano, Ἄνδανις, Ptolomæo, *Azenius* vett. Codicibus, quam proin vocem reponit Salmasius *d. l.*

Hydrargyro-staticum Experimentum, quo plures Philosophi in Physicis, vacuum admitti posse, contendunt, sic habet: Esto vas vitreum seu tubus oblongus, qui in supremitate globum habeat, ex quo foramen canalis paulatim & sensim diminuendo excurrat. Repleto Mercurio globulo, alteri vasi inverso ore indatur, in quo etiam argentum vivum insit sensimque amoto digito orificium tubi in inversione claudendo, videbis ergastuli vitrei impatientem Mercurium tumultuari, subsidere, rursum attolli, donec vibrationibus continuatis lassus ad quietem se componat, ita tamen, ut magnam tubi partem inanem relinquat, quod *vacuum* esse dicunt. Verùm naturâ accuratiùs consideratâ, licèt peregrinus aër succedere non possit, tamen cùm tenuissima quædam corpuscula aërea omni mixto insint, Mercurius tamdiu continuatâ vibratione agitatur, donec ei insita corpuscula separata, metuentis vacui naturæ vi, in superiorem partem tubi se recipiant sicque in aëre suspensum teneant Mercurium. Georg. de Sepibus *in Musæo Kircheriano pag.* 47. ubi tubi hujus iconem exhibet. Quid autem *Hydrargyrum* propriè sit, V. apud Plinium *lib.* 33. *cap.* 8. pigmenti viz. genus, *quod vita invenit, in vicem argenti vivi, paulo antè dilutum.* Quod quo modo fiat, ibi pluribus exponit; *eo argentum inaurari* addens. Nomen ex ὕδωρ, *aqua*, & ἄργυρος, *argentum*, quasi dicas *argentum aqueum.* Fit enim *argenti colore & aquæ liquore.* Unde nota ex Matthiolo historia ej⁹, qui, delirio oberrans, cum in pharmacopolio *hydrargyrum* aquæ vice bibisset, paucis pòst horis congelatus interiit, *in Dioscor. lib.* 6.

Hydraula, in *l. Hydraulæ, de excusat. muner. lib.* 10. C. Accursio est, qui aquam deferebat in Palatium Principis, vel qui custodiebat aquæductum aulæ Imperialis: Meliùs aliis, Præfectus machinæ hydraulicæ, nobilissimi instrumenti Musici, cujus Ctesibius Alexandrinus repertor fuisse traditur: quodque accuratissimè describit Vitruvius, item Porphyrius *in Panegyr.* & Guil. Malmesburiensis *in Rebus Angl.* V. Salmasium *ad Lampridium in Heliogab.* & infrà. Sed & *Hydraulæ* & Organarii dicebantur olim, qui organa aquâ animata pulsare docti erant: imò & follibus quoque *Hydraulica* ipsa non caruerunt. De iis ita Porphyrius *in Panegyr. dicto Constantino Aug.*

Hæc erit in varios species aptissima cantus,
Perq; modos gradibus surget fœcunda sonoris,
Ære cavo & tereti, calamis crescentibus aucta.
Quis bene suppositis quadratis ordine plectris,
Artificis manus in numeros clauditq; aperitq;,
Spiramenta probans placidis bene consona rhythmis,
Sub quibus unda latens properantibus incita ventis,
Quos vicibus crebris juvenum labor haud sibi dissors,
Hinc atq; hinc animatq; agitant.

Aquâ ergo impellente edi hunc concentum patet, quod & ipsa nominis ratio indigitat. Hinc iterum Aur. Cassiodor. *lib* 1. *Epist.* 45. *Facit aquas ex imo surgentes præcipites cadere, ignem ponderibus currere, organa extraneis vocibus insonare, & peregrinis flatibus calamos complet, ut Musicâ possint arte cantare.* Idem *lib.* 3. *Epist.* 53. Huic *tamen mechanicus omnino adjungendus est, ut undas, quas iste reperit, ille levet, & arte subire facias, quod ascendere non prævales per naturam.* Unde & Servius *ad lib. Æn.* 7. *in limine, eo versu,*

Neptunus ventis implevit vela secundis.

Physicè, inquit, *locutus est: motu enim aquæ ventus creatur, ut videmus in bombis Organorum.* Rationem ea pulsandi indigitat Claudianus *in Cons. Manlii Theodori ad finem*:

Et qui magna levi detrudens murmura tactu,
Innumeras voces segetis moderator ahenæ
Intonat erranti digito, pedibusq; trabali
Vecte, laborantes in carmina concitat undas.

Pulsabantur namque pedum manuumque agili ministerio; quod artificium abunde persequutus est M. Vitruvius *lib.* 10. Invenisse hanc Musices partem, ut reliquas, Euterpem, contendit Martianus Capella *lib.* 9. sed magis ad historicam veritatem Tertullianus *lib. de Anima*, *portentosissimum Archimedis* eam *inventum* vocat. Secundùm Vitruvium verò *Architectur. lib.* 9. *cap. ult.* Ctesibius, *cùm animadvertisset ex cœli tactu & expressionibus spiritus vocesq; nasci, his principiis usus* Hydraulicas *machinas primus instituit.* Quod ipsum docuit Alcides apud Athenæum *lib.* 4. *cap.* 24. addens Ctesibium hunc & Alexandrinum & Tonsorem fuisse. V. quoque Plinium *Natur. Histor. lib.* 7. *cap.* 37. Erat horum organorum frequentissimus olim in conviviis usus: Quamvis enim dum structores suis fungebantur muneribus, organa, tibiæ, citharæ, variaque alia insonarent instrumenta, præcipua tamen *Hydraulica* fuere. Petron. Sat. *cantante* Hydraule *Darium pugnare.* Sueton. in *Nerone cap.* 41. *At ne tunc quidem aut Senatu aut populo coram appellato, quosdam è primoribus Urbis domum evocavit, transactaq; raptim consultatione, reliquam diei partem, per organa* Hydraulica *novi & ignoti generis circumduxit* &c. Quare laus illa non vulgaris Theodorici Gothorum Regis, quòd, dum epularetur, *Organa Hydraulica non sonarent*, ut loquitur Sidonius Apoll. *lib.* 1. *Epist.* Ipse Ammianus Marcellinus in hunc luxum acriter invectus est *lib.* 14. *Pro Philosopho cantor, & in locum Oratoris, artifex Doctor ludicrarum accitur, & Bibliothecis sepulchrorum ritu clausis in perpetuum, organa fabricantur* Hydraulica, *& lyræ ad speciem carpentorum ingentes, tibiæque & histrionici gestus instrumenta non levia* &c. V. Thom. Dempsterum *Paralipomenis in Joh. Rosini Antiqq. lib.* 5. *cap.* 29. Sed quia aquaticorum horum organorum non esset facilis ratio, spiritalia dein nostra & pneumatica prævaluere. Hinc incertus quidam Auctor in Annales Gallicos retulit, a. 826. Georgium quendam Presbyterum de Venetia organum *Hydraulicum* Aquisgrani fecisse: quod argumento sit, aut desiisse prorsus jam tum, aut minùs fuisse in usu, Pignorius *de Servis*: ubi Romæ in Quirinali, in hortis Pontificiis, hujus generis organum se vidisse, audivisseque non sine comitum admiratione, cum Musicos modos variaret, nemine plectra manu tangente, refert *pag.* 177. De *Hydraule* Ctesibii, V. plura apud Salmasium *ad Solinum pag.* 637. ubi & de *Hydraulicis Veterum Horologiis.* Ut & recentiora quædam addam: *Hydraulica Machina*, perpetui motus simia, recenter ab Auctore inventa, clepsydra est, quæ, ubi effluxit, inversa, iterum fluit obversa, cœlum aquarum aspergine irrorans, *in Musæo* Kircheriano, memoraturq; Georgio de Sepibus *pag.* 3. *Ibidem* machina visitur *Hydraulica*, primum Mobile scitissimè exprimens, & æreum colubrum desuper aquæ incumbentem violento rore in spiras & volumina impellens. Porro aquivoma machina *Hydraulica*, in cujus coronide stat figura varios liquores hospitibus propinando eructans. Horologium quinetiam *Hydraulicum*, intra crystallinos tubos, quinque palmorum altitudinis globos aut genios susque deque urgendo aut deferendo, horas interdistinctas indicans. Item machina *Hydraulica*, cui innititur scyphus crystallinus, cui ab uno latere sitibunda innititur volucris aquam ebibens, quam ex altero latere incumbens hiante ore coluber revomit. Machina quoque *Hydrotechnica*, perennibus guttis hinc armatos equites, inde remeantium turbam versans &c. De quibus omnibus V. Georg. de Sepibus *in Musæo Kircheriano pag.* 2. & 3. V. & suprà ubi de *Magnete.*

Hydreum, Græcè Ὑδρεῖον, loci nomen apud Solinum *cap.* 54. *Dicendum hoc loco, quatenus ab Alexandria Ægypti pergatur in usq; Indiam. Nilo vehente Copton usq; etesiis flatibus cursus est, deinde terrestre iter* Hydreum *tenus* &c. Propriè locus aquationis est. Ita enim Plinius, *à Copto camelis itur, aquationum ratione mansionibus dispositis, prima appellatur* Hydreum. Agatharchides ὑδρεύματα vocat. At ὑδρεία, ipsa *aquatio.* Sic memorat Cicero *Aquationes*, *Offic. lib.* 3. *Hoc loco est Syracusis, quidquid est piscium. Hic aquatio. Hac villa isti carere non possunt.* Ὑδρευμα verò ipse *aquandi actus*: quam tamen vocem Græci posteriores etiam pro aquationis loco acceperunt, ut videre est apud Auctorem *Periopli maris Erythr.* Unde & mansio prope Berenicem, ubi aquabantur, quam Plinius *novum Hydreum* appellat, alii καινὸν ὕδρευμα vocitarunt: Mox *ad novum Hydreum à Copto* CCXXXV. Ad differentiam sc. *veteris Hydrei*, quod in diverticulo erat duûm millium & *Troglodyticum* dicebatur, ubi & præsidium excubabat, *lib.* 6. *cap.* 23. In *Itinerario* Antonini *Cænon Hydreuma* vocatur &c. qua de re V. Salmasium *ad Solinum pag.* 1184. & infrà in voce *Mansio.*

Hydria, vas aquarium, ut ipsa vox innuit, idem cum *situla* Plauto, cum *modiolo* Vitruvio, culeum plus minus cepit, Piscat. Multi usus, etiam in conviviis Vett. ut ex Historia Evangel. patet, ubi *lapideas hydrias sex positas secundùm purificationem Judæorum, capientes singulas amphoras binas aut ternas*, miraculosè vino replevisse Dominus noster legitur Joh. *cap.* 2. *vers.* 6. & *seqq.* Sed & cùm peplus Panathenæis maxima pompa inferretur Athenis, Inquilini in ea ligones, eorumque filiæ ὑδρίας & σκιάδια, *hydrias & umbellas*, ferre tenebantur, ex lege memorata Harpocrationi, de qua V. Petitum *Comm. ad LL. Attic. lib.* 1. *tit.* 1. In eadem gente, in cœlibum monumentis, imponi Λουτροφόρον, *pueri hydriam habentis effigiem*, consuevisse, discimus ex Demosthene *in Leochar.* de quo more V. eundem *ibid. lib.* 6. *cap.* 8. De *hydriis*, quibus faces impositæ à Gideone Duce Israëlitarum, in bello contra Midianitas, adhibitis, V. Judic. *cap.* 7. *vers.* 16. & *seqq.* ut & alia quædam hanc in rem suprà, voce *Aqua*, item *Canopus.*

Hydrogarum, Romanorum Ducum primus exhibuit, publicè Heliogabalus, *cùm antea militaris* (parca & castrensibus tantùm cibis instructa) *mensa esset, quam postea statim Alexander reddidit*, Lampridius in *Vita* ejus. V. Casaubonum *ad l.*

Hydrographia, seu *Descriptio Aquæ*, altera pars Geographiæ Mare, freta, flumina, insulas, sinus, littora, portus, fontes &c. considerat. Et quidem, qui digni quidpiam hic præstitere, sunt in *Hydrographia veteri*, Claud. Barthol. Morisotus *in Gener. Histor. Orbis Maritimi, seu rerum in Mari & Littoribus gestarum*, ed. Divione *in fol. A. C.* 1643. Thomas Rivius *Historia Navalis Antiqua libb.* 4. Londini 1633. *in* 8. Jo. Schefferus *Tract. de varietate Navium.* Item *de Militia Navali Vett.* edit. Upsaliæ *A. C.* 1654. *in* 4. Etiam extat Lilii Gregorii Giraldi *de Re Nautica libellus* &c. In *nova* ac *hodierna* habentur: Georg. Furnerii *Hydrographia. Arcano del Mare* Roberti Dudlei Ducis Northumbriæ: con-

itur libris 6. tom. 2. edit. Florentiæ A. C. 1661. *fol. maj.* quorum sexto libro continentur *Tabulæ Hydrographicæ*. Porro *Zee-Atlas* Arnoldi Colomii Amstelodami *fol. maj.* Henrici Donckeri *Zee-Atlas*, ibidem A. C. 1660. *fol.* Tomus V. *Atlantis* Jansonii edit. 1650. titulo *Hydrographiæ*, German. *die Wasser-welt*. Riccioli *Geographiæ Gener. lib. X.* quem *Hydrographicum* vocat. Athanasii Kircheri *Mundi Subterr. Partis primæ liber tertius*. Marini Mersenni *Hydrodromia*: ut & Petri Herigonii, in tomo quarto *Opp. Mathem.* Willibrodi Snellii *Tiphys Batavus*, Barthol. Crescentii *Nautica Mediterr. Edit.* 1602. Indici Maris *Nauticam* exhibet *Historia Navigat. Indic. Tom. II. in Append.* Jo. Tvvisstii *Descriptio Regni Dorum p.* 84. & *seqq.* &c. V. Auctorem Anonym. *Historiæ Orbis Terr. Geogr. ac Civ. Part. I. cap.* 3. *sect.* quod *Hydrographiam* exhibet.

Hydromantia, Græcè ὑδρομαντεία, ars divinandi ex *aqua*, Veteribus, hujusmodi superstitionibus addictis, multo in usu fuit. Et quidem aquâ implebatur cyathus, annulusque filo suspensus ex digito librabatur in aquam, atq; sic conceptis verbis postulabatur rei quæsitæ declaratio, vel confirmatio. Tunc si, quod proponebatur, verum erat, annulus suo nutu cyathum feriebat constitutis ictibus, Vierus *lib.* 2. *cap.* 12. Aliud *Hydromantiæ* genus memoratur Isidoro, cùm aquis inspectis φαντασμάτα seu imagines Dæmonum apparebant: a quibus Numa sciscitatus legitur, quid in Sacris constituere deberet. Quod genus à Persis allatum, etiam Pythagoræ postmodum placuisse, Varro tradit, V. Augustinum *de Civitate Dei lib.* 7. *cap.* 35. Sic puerum, in aqua simulachrum Mercurii contemplantem, Trallibus de eventu Mithridatici belli sollicitis, 160. versibus futura cecinisse, L. Vives memorat, *ad h. l.* V. quoque quæ de Setho Mago, de successore interrogato, ab Andronico Comneno Imper. scribit Nicetas *lib.* 2. Aliud iterum, uti de Aqua Inus, (paludis id nomen) in Laconia legimus, cùm panificia festo Inus die solenni in eam porricientes, si demergerentur, secunda ei qui porriciebat, promitti autumabant: contrà adversa, quoties illa aqua rejecisset &c. Quia verò *Hydromantiæ* nulla species frequentior usitatior, Πηγομαντεία, V. quæ diximus suprà, ubi de *Fontibus*: & adde, quæ infrà dicemus, ubi de divinatione per *Specula*.

Hydromeli, Græcè Ὑδρόμελι, aqua mulsa, cùm vetus aqua miscetur melli, sicut μελίκρατον, cùm recens, Dioscor. *lib.* 5. *cap.* 15. V. quoque *Geoponica* Constantino dicata *lib.* 8. *cap.* 24. Celeberrorum olim, Taulantiorumque, imo & Græcorum potus, antequam vinum nossent. *Mellinam* dixit Plautus *Pseudolo actu* 2. *sc.* ubi jungit

Murrhinam, passum, defrutum, mellinam ——

Damnavit Themison, apud Plinium *lib.* 25. *cap.* 8. &c. V. quoq; infrà, voce *Mulsum*.

Hydromylæ, Vitruvio memoratæ, circa Ciceronis ævum receptæ fuere, uti docet elegantissimo *Epigrammate* Antipater, apud Salmasium *Not. ad Lamprid. in Heliogabalo*. V. infra ubi *de Rotis Aquariis*, sed & in voce *Mola*.

Hydromysta, Gr. Ὑδρομύστης, apud Synesium *Epist.* 121. dictus est Macro, qui curam in Ecclesia conficiendi aquam benedictam habebat, *in Hierolexico*.

Hydroparastæ, adde: corr. pro *Hydroparastatæ*; Tatianum Hæreticum secutati sunt, qui inter alia a vini usu abhorrere à Saturnino & Marcione est eductus. Contra eos scripsit Clemens Alexandrinus *Pædagogi lib.* 2. *c.* 2. Augustinus, qui *Aquarios* vocat, *Hær.* 64. Cyprianus *lib.* 2. *Epist.* 3. Theodoretus, Alii. V. Jo. Forbesium *Instructionum Historico-Theologic. lib. XI. c.* 10. §. 13. & 17. & Cl. Suicerum *Thesauro Eccl.* voce Ἐγκρατῖται, item Ὑδροπαραστάται.

Hydrostatica Magnetica Machina, horas, Zodiacum, planetas & totam cœli fabricam repræsentans, simplicissimoq; motu horas verticaliter, sub ascendentis & descendentis alternatim Solis & Lunæ simulachris, perq; aerem vero volitantis aviculæ motu divisa horarum spatia sympathetico motu describens, in Musæo Kircheriano memoratur Georgio de Sepibus *pag.* 2. Apud quem *Hydrotechnia p.* 5

Hydrus, Hebr. שרף *saraph*, serpentis genus consideratione dignissimum, cùm & Christi typus fuerit, Num. c. 21. v. 9. & Joh. c. 3. v. 14. Angelorumq; nobilissimos habeat cognomines, Esai. c. 6. *vers.* 2. Accedit, quòd serpentum solus volare legitur, Esaiæ c. 14. *vers.* 29. Alitur potissimùm in Arabia deserta & Ægypto, nomenque ab *ustione* habet: seu propter colorem igneum, quem expresserit æneus serpens, secundùm Vatablum: vel, quia flatu & morsu adurit. Aliter *Chersydrus* dicitur: Qui enim *hydrus* hyeme fuerat, dum aqua erat in lacunis, postquàm ea defecit æstu, in sicco degere cogitur, atque ita fit *Chersydrus*, h. e. *hydrus* ἐν χέρσῳ, *in sicco degens*: quo tempore, infestante siti, in calidis regionibus virus multò nocentius habet & acrius. Virgilius *Georgic. lib.* 3.

Postquam exhausta palus, terræq; ardore dehiscunt,
Exilit in siccum & flammantia lumina torquens,
Sævit agris, asperq; siti, atq; exterritus æstu.

Itaque tum morsu suo adurit, quidquid attingit: unde hoc igne consumtum fuisse Herculem Poetæ fingunt, cum vestem induisset Hydræ Lernææ veneno tinctam, Ovidius *Metamorph. lib.* 9. *Fab.* 3. Seneca *in Hercule Oetæo*, *vers.* 1216. Sophocles *in Trachiniis*, Alii. Verùm ab hoc serpentum genere Israelitas in deserto morsos fuisse, Numer. *cap.* 21. *vers.* 6. *Misit Dominus in populum serpentes* SERAPHIM: qua de plaga, aliaque huc pertinentia, V. apud Sam. Bochartum *Hierozoici Parte poster. Lib. III c.* 13.

Hydrusa, Ins. adde: Hodie *Tini*, ultima est earum, quas in Oriente Veneti adhuc possident. Frumenti, ficuum, vitium ferax est, unde uvam in numismate antiquo hujus insulæ expressam videas: sicut in alio Neptunus conspicitur tridentifer, qui celebre olim hic templum habebat. Marmoris ibi multum, vici circiter 24. quorum incolæ, serico nendo intenti, licèt Græcè loquantur, Latinos tamen plerunq; sequuntur ritus. Oppidum insulæ, plagæ S. Nicolai (non enim portus ibi ullus) proximum, in ruinis jacet, vix tribus quatuorq; casis superstitibus, *Polis* nihilominus etiamnum dicitur. Jac. Sponius *Itiner. Part. I. pag.* 168.

Hyemantes, in Ecclesia veteri Christiana dicti sunt, qui propter enormia delicta, non in Ædis sacræ porticum admittebantur cum aliis pœnitentib⁹, sed foris, sub dio, omnibus aëris injuriis expositi, stare cogebantur, cilicio induti & veniam ab intrantibus in Ecclesiam rogantes. Concil. Ancyr. *can.* 17. apud Balsamonem, *Eos, qui rationis expertia animantia inierunt, & qui leprosi sunt, vel fuerunt, jussit sancta Synodus inter* Hyemantes *orare*: & Tertullianus *de Ludis*: *Reliquas autem libidinum furias — non solùm liminibus, verum omni Ecclesiæ tecto submovemus, quia non sunt delicta, sed monstra*. Fuisse autem quinq; tum pœnitentium gradus in Ecclesia, notum, de quibus sic Gregorius Thaumaturgus succinctè: *Fletus seu Luctus* (Hyemantes enim *Flentes* aliter, ac *Lugentes* dicti sunt) *est extra portam Oratorii, ubi peccatorem stantem oportet fideles ingredientes orare, ut pro se precentur. Auditio est juxta portam in porticu, ubi oportet eum, qui peccavit stare, usq; ad Catechumenos, & illinc egredi — Subjectio autem seu Substratio est, ut intra Templi portam, stans cum Catechumenis egrediatur. Congregatio seu consistentia est, ut cum fidelibus consistat & cum Catechumenis non egrediatur. Postremò est participatio Sacramentorum.* E quibus ultimi, peractâ jam pœnitentiâ, Eucharistiæ quidem fiebant participes, sed, nondum inter reliquos Fideles recepti, adhuc sedebant in humiliore loco, & quibusdam Christianorum cæterorum privilegiis carebant. V. Macros Fratres *in Hierolex.* inprimis verò Clar. Suicerum *Thes. Eccles.* voce Χειμάζομαι, ubi circa τοὺς χειμαζομένους, in Concil. Ancyrano memoratos, h. e. *Hyemantes*, varia eruditè congessit.

Hyems, inter Numina Gentilium, cui nigram pecudem immolatam discimus ex Virgilio *Æn. lib.* 3.

Nigram Hyemi *pecudem*.

Nigricat enim cœlum hybernum, ob nubes, imbres & ventos: ac, ut à pluvia Latinis dicitur *Hyems*, nempe ab ὕω, *pluo*; sic Germanis & Belgis *Winter* à *Wint*, h. e. ventus, Vossius *de orig. & progr. Idolol. lib.* 3. *cap.* 99. V. quoque suprà, *Hiems*.

Hygeia, adde: Simulachrum ejus ex ære, Miceriati opus, unà cum Æsculapii, in Concordiæ templo, Romæ, asservatum, memoratur Plinio *lib.* 34 *c.* 8. Idem, inter Socratis pictoris visenda, Æsculapii, & filiarum ejus *Hygiæ*, Ægles & Panaceæ, meminit *lib.* 35. *c.* 11.

Hylas, Pyladis Pantomimi illius celebris, qui juxta Bathyllum sub Augusto floruit, discipulus, cùm canticum quoddam saltaret, cujus clausula erat, τὸν μέγαν Ἀγαμέμνονα, *sublimem ingentemq;*, & faciebat, ut verba illa exprimeret. Non tulit hoc Pylades, atq; ut errorem ejus castigaret, exclamavit è cavea, Σὺ μακρὸν, οὐ μέγαν ποιεῖς, *Tu longum, non magnum, facis*. Quare à populo coactus idem canticum saltare, cùm ad eum locum, quem reprehenderat, pervenisset, expressit Agamemnonem *cogitantem*, nihil enim magis convenit magno Duci, quàm *pro omnibus cogitare*. Quæ Ducis cogitantis imitatio multum *risus*, sed & multum moræ, habuit. Salmasius *ad Vopiscum in Carino*.

Hymenæus, adde: Canebatur ante domum nuptialem. Statius *lib.* 2. *Sylv.* 7. *vers.* 87. *cit.*

Et vestros Hymenæon *ante postes*
Festis cantibus ipsa personabo.

Quam pompam dicit Claudianus *in Nuptiis Honorii*,

Ante fores jam pompa sonat, pilentaq; sacrata
Prævadiant ductura nurum

Eundem ritum tangens Plautus *Casinâ*, ait,

Age, tibicen, dum illam educunt huc novam nuptam foràs,
Suavi cantu concelebra omnem hanc plateam hymenæio.

Ordiebatur autem pronuba, vocem postea eniq; pro arbitrio addente. Et opus omnino hoc sono ad nuptias esse credebant, uti observat *ad eundem Statium* Barthius *lib.* 3. *Sylv.* 1. *v.* 75. qui plura de hac persuasione Vett. alibi ex Nonno, aliisque. Fiebat verò hæc acclamatio carmine intercalari, & sæpenumero eo solo constabat nomine: tametsi alia quoque interponebantur, cujusmodi illæ: *Concubinæ nuces da.* Et, *Currite ducentes subtemina, currite fusi.* Et quidem duo illius genera, alterum purius, alterum cum Fescennina licentia. Duos habes apud Catullum: alterum senariis dactylicis statariis; alterum pentastrophis choriambicis: tanta suavitate & puritate, ut quantum allicit ad legendum, tantum deterreat ab imitando. Totidem apud Claudianum, æquè diverso genere carminum. Ausonius pulcherrimum atq; operosissimum exhibet, ex portiunculis Virgilianis &c. Jul. Cæs. Scaliger *Poetic. lib.* 1. *cap.* 50.

Hymettus, adde: Duplicem fuisse in Attica hujus nominis montem, unum μέγαν, alterum ἄνυδρον, dictum, docet ex Theophrasto *lib. de Signis pluviar. ac tempest.* Salmasius *ad Solinum pag.* 862. Sponius apiaria hujus montis, inprimis quod est in Monasterio Cyriani, in parte ejus Boreali sito, (Turcis *Cosbachi*, à capite arietino, quod ibi fontem fundit, unde montis hujus mel optimum *Cosbachi* iisdem) accuratè describit, & mel illud ἀκάπνιστον, q. *sine fumo factum*, Græcis appellari ait. In eodem monte, præter monasterium hoc, recensentur eidem, *Agios Joannis o Carios*, *Agios Georgios o Coutelas*, *Asteri*, *Agios Joannis o Kynegos* & *Agios Joannis o Theologos*. In latere Occiduo, vix leucâ Athenis, Albanensis est vicus *Caramames*; in Austrino alius nomine *Lambrica*, priùs *Lampra*, à quo huic montis lateri nomen *Lamprovouni* vulgò datum, uti aliquum *Telovouni* appellant. Franci verò *Monte-matto*, corr. ex voce *Hymettus*, montem vocitant. Ex plantis porro, mandragoram copiosè fert, tithymalum spinosum, scorzoneræ speciem nostris oris incognitam, quam *galochorton* accolæ vocant, utpote lacte turgentem & lactis mulieribus causam &c. V. præfatum Sponium *Itin. Pars.* 2. *pag.* 222. & *seqq.* de *Hymettio* verò marmore, è quo 4. columnas, in atrio suæ domus, primus statuit Crassus, Plin. *lib.* 17. *c.* 1. &c.

Hymnus, Græcè ὕμνος, Latinis quoque *celebratio*, carmen propriè in Numinis laudes compositum est. Cujus majestatem cùm in plures spargerent Gentilium Theologi, Orpheus, Linus, Musæus, pro iis officiis, quæ unum in uno sunt à nobis cognita; mirum nemini esse debet, si *Hymnorum* naturam varia in genera sunt partiti, in κλητικὸς, ἀποπεμπτικὸς, φυσικὸς, μυθικὸς, γενεαλογικὸς, πεπλασμένους, εὐκτικὸς, ἀπευκτικὸς, μικτὸς. *Ad quæ genera si παιᾶνες & προσόδια reducuntur, diversarum rationum species cum illis connumerabuntur. Didymus enim auctor est, hymnos cum cithara, προσόδια cum tibia, ad aras, ab Atheniensibus cani solitos*, Jul. Cæs. Scaliger *Poetices lib.* 3. *cap.* 12. Idem de pæanum & hymnorum discrimine *lib.* 1. *cap.* 44. *Paanes, quibus gratulabantur Diis — pro victoria in præliis —* Hymni, *qui ad aras Diis dicebantur.* Interim illis hos simillimos esse agnoscit, quamvis & alio carminis genere (solis Jambis exceptis) confici consueverint, primumque *Hymnorum* conditorem Anthêm Anthedonium creditum, addit *cap. seq.* Sed & inter epulas *Hymnos* antiquitus cantatos esse, docet Caspar. Barthius *Animadversion. ad Statium Theb lib.* 1. *v.* 709. & diximus de ea re aliquid suprà, ubi de Vett. *Cibicapiendi ratione.* Ad viros fortes postea, utpote divinitatis æmulos, vox translata. Unde Pindarus ὕμνον, ἀωτον ἀρετᾶς βασιλέων, *præmia virtutis Regibus*, eleganter vocat *Pythicor. Ode* 2. V. Car. Paschalium *Coronarum lib.* 5. *cap.* 8. Quanto potiori jure Deo nostro *Hymnos* canimus quotidie, qui unus est in omnibus omnia! Unde, ad veterem vocis notionem respicienti Ruffino *in tit. Psalmi* 72. *Hymni sunt Cantus continentes laudem Dei:* Cujusmodi *Hymnos* in Ecclesia Græca dicitur primus composuisse Hierotheus, apud Eusebium *Histor. Eccl. lib.* 7. *cap.* 19. in Latina, Hilarius Episc. Pictav. quem sequutus Ambrosius est Mediolan. Episc. cujus Hymnos ab Ecclesia receptos esse, legitur in Concil. Turon. II. *can.* 23 & Toletano IV. *can.* 13. *Ambrosianumq́*, nudè, pro *Ambrosiano Hymno* nonnunquam occurrere, ait Car. du Fresne *Glossar.* V. suprà, voce *Doxologia*, & plura hanc in rem, apud Cl. Suicerum *Thes. Eccl.* passim in vocibus Ἀγγελικὸς, Ἀπόστιχον, Τρισάγιον, inprimis voce Ὕμνος ᾠδὴ, & Ὕμνος χερουβικὸς, qui iidem cum modò dictis; insuper Ὕμνος ἑωθινὸς, *Hymni matutini*, ac χαριστήρια, *gratiarum actionis* meminit. In Ecclesia Rom. quinam hodie adhibeantur, mox dicemus: qui quando & quibus ceremoniis decantentur, explicant Macri Fratres *Hierolexico*. Hinc *Hymnarium* vel *Hymnarius*, liber iis dicitur, Hymnos continens, apud Leon. Ostiensem *lib.* 2. *cap.* 52. *Duo etiam Hymnaria in Choro habenda.* Pro quo corruptè *Immarium* legitur, in lapide Rom. in S. Maria ad Scholam Græc. &c. V. quoque infrà *Musica*.

Hymni, in Ecclesia Rom. cantari soliti.

Hymni Ambrosiani, V. hic *suprà*.

Hymnus Angelicus dicitur, qui in Missa, ante sacrificium, ut vocant, canitur, *Gloria in Excelsis Deo*; quòd initium ejus ex hymno, in Domini Natalitio ab Angelis decantato, desumptum sit. Ejus Auctor Telesphorus Episc. Rom. dicitur fuisse. Addidit dein Symmachus Pontif. ut omni quoq; die Dominico vel Natalitiis Martyrum diceretur, Anastas. in *Vit.* Ad Matutinas decantatum fuisse, conjiciunt quidā inde, quòd in *MSS.* antiquis *Hymnus in Diē Dominico ad Matutinas* inscribatur. Sed & *Angelici* *Hymni* appellatione interdum *Trisagium* donatum esse, auctor est Micrologus, apud C. du Fresne *in Glossar.*

Hymnus Evangelicus, seu *de Evangelio*, apud Beletum c. 36. idem cum *Angelico*.

Hymni Feriales, apud Joannem Episc. Abrinc. *de Officiis Eccl.* qui in feriis canuntur.

Hymnus S. Mariæ, *Magnificat*, apud Eund.

Hymnus S. Trinitatis; Græcis Τρισάγιον, in utraque Ecclesia canitur in die Parasceves Græcè & Lat. *Sanctus Deus, sanctus fortis, sanctus immortalis, miserere nobis*, Ἅγιος ὁ θεὸς, ἅγιος ἰσχυρὸς, ἅγιος ἀθάνατος, ἐλέησον ἡμᾶς. Cui cùm addidisset Petrus Gnaphæus, σταυρωθεὶς δι' ἡμᾶς, additio hæc velut hæretica damnata est, Concil. Rom. I. A. C. 483. V. Meursium in *Glossar.* Sirmondum *Not. ad Avitum Vienn. Epist.* 3. Alios.

Hymnus Te Deum laudamus, vulgò tribuitur Ambrosio & Augustino: *in Breviario* verò Casinensi, *Hymnus Sisebuti Monachi*, & in *Psalterio* Gallico. Lat. veteri, *Hymnus S. Niceti* dicitur, V. Usserium Archiepisc. Armachanum *de Symbolo*, aliosque laudatos Carolo du Fresne ubi suprà.

Hypæthra, Græcè Ὕπαιθρα, loca sunt aperta, quasi *sub æthere* constituta, in quibus Numina olim colebantur. Primitus enim Gentiles templa nulla habuerunt, divinâ Majestate indignum rati loco aliquo circumcludi. Unde de Sole, quem præcipuo honore coluere, dicere soliti sunt: *Mundus universus est templum Solis*, apud Alexandrum ab Alexandro *lib* 2. *cap.* 22. Prom etiam tum, cùm templorum usus invaluit, Deus Terminus tamen, ut & alii quidam, in templis tecto carentibus, quæ propterea *Hypæthra* seu *Subdialia* appellata sunt, coli sunt soliti. Quæ causa fortè, quòd non alia sacro cultui loca convenientiora esse crederent, quàm colles montesque, uno nomine in Scriptura *Excelsa* dictos. V. Thom. Godvvynum *de ritibus Hebræorum lib.* 2. *cap.* 4.

Hypanagnosta, Græcè Ὑπαναγνώστης, apud Gregorium Nazianzen. ubi Julianum in Ecclesia Ὑπαναγνώστην fuisse, ait *Orat.* 3. idem cum Anagnosta est Cl. Suicero. Dicebantur autem sic in Ecclesia Græca *Lectores, qui lectiones pronuntiabant, & ea, quæ Prophetæ annuntiaverunt, populis prædicabant*, Isidor. Hispal. *de Eccl. Offic. lib.* 2. *c.* 12. V. suprà voce *Anagnostes*, & infrà, *Lector*.

Hypanis, Indiæ fluvius nobilissimus, ultra quem in Indiam non progressus est Alexander M. Strabo *lib* 15. ὕστατος Ὕπανις, προελθεῖν γὰρ κωλυθῆναι (Ἀλέξανδρος) ἱστορεῖται. Plinius *Hypasin* vocat, Arrianus & Ὕφασιν. Ad eum, Gandaridas pop. metantur omnes ii, qui hunc fluvium Alexandri itinerum terminum faciunt; aliis, qui ad Gangem usque illum penetrasse volunt, eos ulteriùs rejicientibus. Qua de re V. Salmasium *ad Solinum pag.* 992. & *seqq.* infrà, in voce *Hyphasis*, ut & in *Hypasis*.

Hypante, corruptè pro *Hypapante*, Gr. Ὑπαπάντη, i. *humilis occursus*, dicitur Græcis festum Purificationis B. Mariæ Virg. ab *occursu* tunc facto, à Simeone sene & Anna vidua; unde & *Festum S. Simeonis* aliquando appellari, monet Menardus. *Præsentatio Domini* dicitur, apud Joann. Episcopum Abrinc. ubi *suprà*. Institutum hoc festum apud Latinos, ab Innocentio III. in locum antiquorum *Amburbialium* seu *Ambarvalium*, adeoque incidere in mensem Februarium & cum cereis accensis celebrari; apud Græcos verò, Justiniani principatu primùm peragi cœpisse, legas apud Macros *in Hierolexico*. Apud Græcos institutum id Festi sub Justiniano Pelagio Pontifice, circa A. C. 542. secundùm nonnullos, secundùm alios, anno 9. Justini, quem Justinianus excepit, & celebrari consuevisse postr. Kal. Febr. docet Cl. Suicerus *Thes. Ecc.* voce Ὑπαπαντή. V. quoq; Jo. Meursium *Glossar.* & Hospinianum *de Festis Christianor.*

Hypate, Græcè Ὑπάτη, locus τῆς Αἰνιανικῆς χώρας, apud Aristotelem *in Admirandis cap.* 130. de quo V. Salmas. *ad Solin. p.* 286. ubi Camertem, ex *Hypate* Ins. Herculem Geryonis boves abduxisse contendentem, paucis refellit. *Hypæa* verò, una Stœchadum est, de quibus V. suo loco.

Hypatus, apud Anastasium *in Agathone, Post hac Patricii, Ypati, omnesq; Inclyti, introierunt*, & apud Leonem Ostiens. *lib.* 2. *c.* 37. *Joannes Imperialis Patricius Cajetanus filius Docibilis Hypati*: dignitas fuit in Aula CPoli. Sed & *Hypati Civitatum*, apud eundem Leonem. Unde *Hypatissa*, uxor Hypati, in Bulla plumbea, quæ asservatur in Gazophylacio Canonicorum Regul. S. Genovefæ Paris. ΕΥΦΥΜΙΑC ΥΠΑΤΙCCΗC. V. Canisium *Tomo* I. *Antiqq. Lection. p.* 120. & quæ de *Hypato Philosophorum* observavit C. du Fresne *ad Alexiad. p.* 304. quibus adde Lambecium *de Biblioth. Cæs. p.* 148. & *lib.* 7. *p.* 232. Ὕπατος Græcis anterioribus *Consul* fuit, ut notum.

Hyperis, adde: *lib.* 5. *c.* 23. *Flumen* Hyperis, *in medio sinu Persico, onerariarum navium capax.* Ubi *Superis* alios habere, monet Salmasius *ad Solin. p.* 1181.

Hyperius Andreas Gerhardus, natione Flander, oppido *Hypri* natus, Theologus insignis, imò *inter Belgas clarissimus*, Verheiden. Scripsit plurima, in maximam S. Scripturæ partem, quæ omnia 3. *Vol. fol.* prodierunt Tiguri A. C. 1584. obiit Marpurgi, ubi & sepultus est, A. C. 1564. æt. 53. De illo Calvinus *Epist. Chr. Threio. Præter veram pietatem, quæ in ejus scriptis relucet, ajunt hominem esse mansueto judicio, magnâ sinceritate*, scribit.

Hypermnestra, adde: Inde pro Numine, unà cum Lynceo, culta. Higin. c. 148. *Sola* Hypermnestra *Lynceum servavit. Ob id cæteræ dicuntur apud Inferos in dolium pertusum aquam ingerere.* Hypermnestræ *& Lynceo fanum factum est.* Plura de ejus rebus Pausanias.

Hyperpyrum, corruptè *Perperum, Perperi* &c. moneta fuit Impp. Byzant. aurea, quòd ex auro eximiè rutilo & recocto confecta esset, sic dicta, quasi *supra modū igni excalefacta*. Valuit 20. solidis denariorū, & notā ii. designatur, apud Harmenopuli Scholiasten, ut notavit Scaliger *de Re num. p.* 63. A' Francis, ad Sacrum bellū pro-

ſtituris, cùm CPolin adirent, vel in Syria cumGræcis agerent, primùm nomen auditum &c. Hinc *Perpyrarii* dicti quidam liberæ conditionis homines in Regno Cypri Lutinianorum, quòd Regi *Hyperpyra* 15. quotannis penderent, apud Loredanum *Hiſt. Cypr. l.* 1. & 7. Verùm addit Porcacchius *de Inſ.* ejusmodi *Hyperpyra* valoris fuiſſe Marcelli argentei Veneti: quod ſi eſt, non aurea, ſed argentea Cypria illa *hyperpyra* fuiſſe oportet. V. du Freſne *Diſſertat. de Infer. ævi Numiſm. num.*80. Meurſium *in Gloſſar.* Reineſium *Var.* 50. *lib.* 3. *c.* 1. & Gronovium *Obſerv. in Eccl. Script. cap.*25.

Hyphaſis ſeu *Hypaſis*, fluv. Indiæ, ad quem, utpote itinerum ſuorum terminum, aræ conſtitutæ ab Alexandro. V. Salmaſium de illo *ad Solinum pag.* 790. & 791. nec non ſuprà in voce *Hy-panis.*

Hypicli & *Hypſibimata*, calcei fuere viriles, hi quidem vulgares, illi verò pretioſi, apud Græcos. Balduinus *de Calceo*, ex Polluce.

Hypnale, Græcè ὑπνάλη, epitheton aſpidis, cujus rationem habes apud *Solinum cap.* 27. *Hypnale, quod ſomno necat, teſte Cleopatrâ, emitur ad mortem.* Quòd viz. nullo ſenſu doloris, quaſi *ſomno* ſolutos extinguat, quos pupugit. Unde Cinna,

Somnificam ut Pœnus aſpiacem Pyllus.

Hæc in ſacris Iſidis, cum tumido collo, caput arduum attollens, circumferebatur: Ovidius *Metamorph. lib.* 9. ubi de Iſidis myſteriis,

Siſtraq; erant, nunquamq; ſatis quæſitus Oſiris,
Plenaq; ſomniferis ſerpens peregrina venenis &c.

V. ſuprà ubi de *Aſpide*, item in voce *Chelidonia.*

Hypnos, pueri nomen, apud Martialem *l.* 11. *cap.*36.

Hypne, *quid exſpectas piger?*

Hypocamiſium, apud Anaſtaſium in *Vita* S. Joannis Eleemoſ. *num.*35. Græcè ὑποκάμισον, Codino *in Orig.* CP. veſtimentum eſt, quod ſubtus *camiſiam* induitur, V. Macrum in *Hierolexico* & C. du Freſne *Gloſſar.*

Hypocauſtum, inter loca, quæ non eſſent intra balneas, ſed iis tantum inſerviebant, Vitruvio infrà laudando fuit fornax ſeu caminata ſtructura ſubterranea, Calidario, Calidæ lavationi, atque Vaſariis Balnearum partibus ſuppoſita, in qua ad calefaciendum tum aquam, tum prædicta loca, ignis ſuccendebatur, & ne extingueretur, a ſervis, *Fornacatoribus* ob id in Pandectis à Papiniano vocatis, frequenter injectis pilis & glomis pice illitis excitabatur. De lignis eundem in uſum adhibitis, narrat Plutarchus *Sympoſ. lib.* 3. *Proble.* 10. Ædiles caviſſe, *Ne ignis balnearum ex olea ſuccenderetur, neque in eum conjiceretur lolium*, quòd horum nidores gravedinem capitis & vertiginem lavantibus invehant. Prædictarum pilarum Vitruvius meminit, *lib.* 5. *c.*10. ubi docet, ſolum Caldariorum ita eſſe ſternendum, *inclinatum ad hypocauſtum, uti pila cùm mittatur non poſſit intro reſiſtere, ſed rurſus redire ad præfurnium, atque ſic faciliùs flamma pervagari, ſub ſuſpenſione.* De iiſdem habemus loquentem Statium *in deſcript. Baln. Etruſci lib.*1. *Sylvarum*,

—— —— Crepantes
Auditura pilas, ubi languidus ignis inerrat
Ædibus, & tenuem volvunt Hypocauſta *vaporem.*

E quibus facile eſt colligere, errare illos, qui *Hypocauſtum* & Laconicum idem eſſe crediderunt. Auctor Seneca eſt *Natur. Quæſtion. l.* 3. *cap.* 24. nec non *Epiſt.* 90. tempeſtate ſuâ inventos eſſe parietibus impreſſos tubos, per quos circumfunderetur calor, qui ima ſimul & ſumma foveret æqualiter; illum verò calorem immitti conſueviſſe ex *Hypocauſto.* A Juriſconſultis quoque memoriæ mandatum, & ab Auſonio *Moſell.* ſic expreſſum eſt,

Quid quæ ſulphureâ ſubſtructa crepidine fumant
Balnea, ferventi cùm Mulciber hauſtus operto
Volvit anhelatas tectoria per cava flammas,
Incluſum glomerans æſtu expirante vaporem?

Quorum tuborum veſtigia hodieque quampluriima Romæ conſpiciuntur, in Diocletiani atque Caracallæ Gymnaſiis. Ante *Hypocauſtum* autem via quædam erat *Propnigeum*, quaſi dixeris *Præfurnium*, à Vitruvio vocata, &c. ut de Aquario & Vaſario nil addam, de quo Auctor præfatus ita *l.c. Ahenea vaſa ſupra* Hypocauſtum *tria compoſita fuere, unum Caldarium, alterum Tepidarium, tertium Frigidarium, & ita collocata, ut ex Tepidario in Caldarium, quantum aquæ calidæ exiſſet, influeret; de Frigidario in Tepidarium ad eundem modum.* V. Hieronymum Mercurialem *de Arte Gymnaſt. l.*1. *c.*10. Lycophron πυριατήριον ſimile ſeu ὑπόκαυστον, *in Caſſandra*, indigitat his verbis, ubi de Agamemnone in balneo interemto,

Θερμῶν δ' ὑπαὶ λοετρῶν ἀρτίως εἰργμένον:

ad quæ verba notat Meurſius, intraſſe illuc à laboribus vacantes & otioſos, qualis erat Agamemnon à bello Trojano reverſus, aut à morbo ſe recolligentes, ex Artemidoro, ubi ἢ γὰρ, inquit, ἀναλαμβάνοντες ἢ ἀργοῦντες εἰς θερμὰ πορεύονται. Aliud quid ſonat *Hypocauſti* vox, apud Germanos, quibus *Stuben* vocatur, Sed nec eadem huic quoque vocabulo ubique ſignificatio eſt. V. de Anglorum *Stubis*, in hac voce.

Hypochartoſis, in Gloſſ. *tectorium*, cujusmodi opere cameræ olim inducebantur. & picturis tectorio ſuperinductis decorabantur. In *Epiſtolis* Pontif. *Camaratum* dicitur, V. ibi, & *Epiſt.* inprimis 61. ubi ὑποχάρτωσις videtur dici *coronarium opus, quod cameris ſubjiciebatur*, à chartæ tenuitate & ſubtilitate, idemque eſſe, quod [illegible] niſi quis ὑποχάρτωσιν dictam malit quòd uſus *chartarum* fuerit in cameris intexendis & diſponendis vel etiam decorandis. Sed prius mavult Salmaſius *Not. ad Vopiſcum in Aureliano.*

Hypocrita, Gr. Ὑποκριτὴς, antiquis Poeta dictus eſt. Ulpianus JC. *in Demoſth. pag.* 40. *Veteres*, inquit, *Poetas vocaverunt* Hypocritas, *Actores, quos novâ voce nunc appellamus Tragœdos, ut ſunt Euripides, Ariſtophanes* &c. E quibus verbis colligit Franc. Roſſæus, primos & antiquiſſimos Poetarum non alienas, ſed ſuas actitaſſe fabulas. Sequentibus demum temporibus, alienas in uſum veniſſe, *Archæol. Att. lib.* 2. *cap.* 11. Idque inprimis teſtis diebus, ſiquidem inter præcipua eorum oblectamenta, numerandæ veniunt commiſſiones Tragœdiarum, quibus tum delectare, tum prodeſſe volebant, δι' ἐλέου καὶ φόβου περαίνουσαι τὴν τῶν τοιούτων παθημάτων κάθαρσιν, ut loquitur Ariſtoteles *de Poetic.* Sed honorem haberi voluit Lycurgus Rhetor Poetis Tragicis, Æſchylo, Sophocli & Euripidi, Lege latâ: Τὰς τραγῳδίας τῶν ποιητῶν Αἰσχύλου, Σοφοκλέους, Εὐριπίδου, τὸν γραμματέα τῆς πόλεως παραναγινώσκειν, τοῖς ὑποκρινομένοις οὐκ ἐξεῖναι αὐτὰς ὑποκρίνεσθαι. *Æſchyli, Sophoclis & Euripidis tragœdias Urbis Scriba publicè prælegito: Hiſtriones eas ne agunto.* V. Sam. Petitum *Comm. in LL. Attic. lib.* 1. *tit.* 1. Apud Suetonium *Nerone c.* 24. *Atque in quodam Tragico actu —— non aliter confirmatus eſt, quàm adjurante* Hypocrita *non animadverſum id* &c. idem quod *Hiſtrio* ſeu *Pantomimus* eſt, cui ſaltanti *ad manum canebat* Nero, Tragœdi vicem agens, h. e. geſticulationi ejus, quæ ſaltando fiebat & loquaci manu, cantando reſpondebat, & pronuntiabat modulatè, quæ is agebat, uti phraſin Livianam exponit Joh. Frider. Gronovius *ad Liv. l.* 7. *c.*2. ubi inter alia, *Tragœdus*, inquit, *canebat*, Hypocrita *ſaltabat & geſticulabatur: & præter hos aderat tibicen.* V. quoque infrà ubi de *Pantomimis*, nec non ubi de *Rhapſodis.*

Hypodiaconiſſa, quæ vox præponitur Hymno, in Eccleſia Romana in Natali S. Stephani cantari ſolito, videtur fuiſſe certus Muſicus tonus ac modus, quo hic Hymnus decantandus. C. du Freſne in *Frigdora.*

Hypodiaconus, apud Cyprianum in *Epiſtolis*, Subdiaconus eſt, qui aliàs Ὑπηρέτης: cujusmodi Miniſtrorum LXX. in Eccleſia fuiſſe CPolitana, diſcimus ex *Nov.* Heraclii. Conjugio illis interdictum eſt *Decreto* 34. Leonis Pontificis. Officium fuit, portis Eccleſiæ adſidere, & introeuntibus ac exeuntibus, nec non in Narthece ſtantibus, modum imponere, diſſidia ſedare, voces comprimere, &, ne quid tum temporis tumultûs oriretur, ſedulò curare: quo fine, a portis abſcedere, niſi Sacris peractis illis non licebat, Syn. Laodicenæ *can* 22. & 43 V. Cl. Suicerum *Theſ. Eccl.* vocibus Ὑπηρέτης, & Ὑποδιάκονος, nec non infrà, ubi de *Kalendis* & *Subdiaconis.*

Hypodromus, apud Ordericum Vitalem *lib.* 2. Hypodromum *& per gyrum arcus deambulatorius* longior porticus eſt, Gall. *Galerie.* V. Sirmondum *ad Sidonium l.* 2 *epiſt.*2.

Hypogææ Deambulationes, V. ſuprà *Crypta*, & plura apud Salmaſium *ad Spartian. in Hadriano.*

Hypoglottis, Græcè ὑπογλωττὶς, nomen coronæ, ſic dictæ, quòd ea ſit frænum quaſi loquacitati, inter pocula plerunque oriri ſolitæ: de qua V. Athenæum *lib.*15. Pollucem *lib.*4. *c.* 25. Caſaubonum *ad Athenæum*, & Car. Paſchalium *Coronarum lib.*2. *cap.* 4. de *Hypogloſſo* herba verò, Salmaſium *ad Solinum pag* 407.

Hypogonation, idem cum *Epigonatio*, pulvinar Græcis dictum eſt, quod genibus ſubſternebant, preces facturi. Græcè Ἐπιγονάτιον, & Ὑπογονάτιον, item Γονυκλιτὸς quas voces vide apud Suicerum *Theſ. Eccl.*

Hypogypones, Græcè Ὑπογύπωνες, dicti ſunt ſaltatores cum ſcipionibus; de quibus ſic Scaliger *Poetic. lib.* 1. *cap* 18. ubi de Morphaſmi ſpeciebus: *Species alia* γὺψ *—— Avis hæc eſt, quem aſinum Latini: ridicula & mirabunda circumactu capitis & colli flexu. Imitabantur autem in hac etiam ætates. itaque ſenes exprimebant cum ſcipionibus, ii tum ſaltatores* ὑπογύπωνες *dicebantur. Siquidem* γύπωνες *ſignificarunt ligna teretia. quo nomine dicebantur ii, qui in grallatoriis phallis ſaltabant amicti pellucidâ Tarentinâ veſte.* V. quoque ſuprà ubi de *Grallatoribus.*

Hypomimniſcon, Græcè Ὑπομιμνήσκων, in *Epiſt.* Concilii Lugdun. ad Gregorium X. dictus eſt, cui incumbebat *ſuggerere & rememorare.* Lat. à *Memoria*; Hodie *Ceremoniarum Magiſter.* Car. Macer *Hierolex.*

Hypomnemata, Græcè Ὑπομνήματα, item Ὑπομνηματισμοὶ, Latinis *Regeſta.* V. *ibi*, & plura de hac voce apud Budæum *Poſterior. Comment. ad ff.* Hinc *Hypomnematographus*, Ὑπομνηματογράφος, Miniſter erat in Eccleſia CPolitana, qui *Epiſcoporum conſecrationes regiſtrabat*, Macer *ib.* Suicero ſuffragia Epiſcoporum notabat, ſcribebatq; quicquid illi præcepiſſet Antiſtes, vel, ut Meurſius, perſcribendis Comentariis vacabat. Erat autem duplex, *Palatinus* unus, alter *Eccleſiaſticus*: quorum hic ſecundum poſt

Exocatacœlos locum primitus tenebat, postea in quintum rejectus &c. Vide Meursium in *Glossar.* & Suicerum *Thes. Eccl.* voce hac.

Hypomnesticum, h. e. *folium*, compendium; titulus quo Compendium suum insignivit Anastasius *in Collectaneis*, per Sirmondum edit. in 8. ab eadem origine, cum præcedente.

Hypopsalma, apud Augustinum *Retractat. lib.* I. *c.* 20. est, *quod ad singulas Psalmi partes succinitur & respondetur.* Gallis *Refrains*, C. du Fresne *Glossar.*

Hyporchema, Græcè Ὑπόρχημα, poëmatis genus laxum ac remissum, gestuosum tamen & affectuum plenum: quale Pratinæ Poetæ Phliasii, pyrrhichiis refertum, ob celeritatem, exhibet Scaliger *Poetices lib.* I. *c.* 47. cujus initium:

Τίς ὁ θόρυβος ὅδε;
τίνα τάδε τὰ χορεύ-
ματα; τίς ὕβρις ἔμολεν
ἐπὶ Διονυσιάδα
πολυπάταγα θυμέλαν;
ἐμὸς ἐμὸς ὁ Βρόμιος, ἐμὲ δεῖ
κελαδεῖν,
ἐμὲ δεῖ
παταγεῖν κτλ.

Cujusmodi cantiones non sine thyrso ac face saltatæ videntur. Harmonia inde *Hyporchematica* appellata, ex Pyrrhichica & Gymnopædica mista: quam Cretensium propriam, plenam lusus, idem facit, ubi de Cordacis speciebus *lib. eod. cap.* 18. Imò canticum omne, quod cum saltatione peragebatur, ὑπόρχημα. Sic cantica, quæ in comœdiis Latinis ad manum ab histrionibus saltabantur, vera ὑπορχήματα fuere, uti & Eunapius *in Ædesio* testatur, ubi Aristophani id primùm in scena factum ait. Satyrica item: quæ utraque ad tibiam cantabantur ac saltabantur; sicut ad lyram ea, quæ Pindarus scripsit. Atque is, qui sub cantu tibiæ aut lyræ aut alterius cujuslibet organi saltabat, propriè dicebatur ὑπορχεῖσθαι. Sic accipiendum apud Plut. *Sympos. lib.* 7. *cap.* 11. ὑπόρχημα Πανὸς & Σατύρου, de Panis & Satyri saltatione sub tibicine. Cujusmodi ὑπορχήματα, Bathyllus, Pantomimus ille celebris sub Augusto, in sua saltatione exhibebat, quæ revera fuit ὑπορχητική. Uniformis enim ac simplex erat & nihil aliud ferme quàm saltabat: nullam quippe moram, nullum πάθος admittebat, sed concitatissimo ferebatur motu; cujusmodi φορτικὰ χύματα Baccho & Veneri adsignat Lucianus περὶ ὀρχήσ. Cùm contrà Pyladæa saltatio ὀγκώδης, tragica & cothurnata esset. V. de utraque Salmasium *ad Vopiscum Carino*, & hic ubi de *Bathyllo* ac *Pylade*. Primum autem Thaletem in Creta composuisse τὰ ὑπορχήματα in Pyrrhichen, quæ saltatio Κρητικὴ dicebatur, hincque omne genus Ὑπορχημάτων, Κρητικὰ, *Cretica* dicenda, tradit Sosibius apud Pindari Scholiasten, V. Salmasium eundem *ad Solinum pag.* 171.

Hyposcenium, Græcè ὑποσκήνιον, in magnificis olim Theatris, sub proscenio erat, eo aliquanto depressius, in quod per gradus descendebatur. *Sic Græci*, verba sunt Scaligeri, *nostri verò podium inter pulpitum & proscenium, depressius proscenio, altius pulpito, Poetic. l.* I. *cap.* 21.

Hyposophronista, Græcè Ὑποσωφρονιστὴς, dicebatur Athenis olim, qui τὸν Σωφρονιστὴν, h. e. *Censorem* vel *Correctorem Juventutis Gymnasticæ*, in munere suo sublevabat, eique suberat: memoratur in vet. *Inscrip.* apud Cl. Sponium *Itinerar. Græc. Part.* 3. ubi de 174. ex *Attica*, voce Μαγνῆ, in qua & Ἡγουμενῶν aliorumque officiorum ad Gymnasium Athenense pertinentium mentio fit.

Hypostasis, Græcè Ὑπόστασις, vox in Ecclesia Dei frequens: In Symbolo Athanasii occurrit, de *Persona*, præeunte Scripturâ, Hebræor. *cap.* I. *vers.* 3. Ubi Christus dicitur χαρακτὴρ τῆς ὑποστάσεως τοῦ πατρὸς, *Character subsistentiæ* (i. personæ) *Patris*, q. d. imago sic Patrem exprimens quemadmodum id, quod in cera est, exprimit formam, quæ est in sigillo. Ut morosè nimis diu olim Latini Patres vocem refugerint, tres *Hypostases* in divinis admittere renuentes; eo quòd existimarent, ut Augustinus ait *de Trinit. lib.* 7. *cap* 8. & 9. quòd hoc *substantiam* significaret vocabulum, fides autem unam tantùm in Deo substantiam esse doceret. De qua Latinorum hæsitatione *ad Euseb. Epist.* 10. sic Basilius: *Quale nobis auxilium ab Occidentalium supercilio & fastu aderit, qui veritatem neque norunt, neque discere sustinent.* Donec tractu temporis meliùs edocti vocem admiserunt, V. Dominicum Macrum *in Hierolexico.* Sed & hodie Mennonitæ aliique illam aversantur; verùm longè deteriori consilio: cùm ipsam SS. Trinitatem hoc prætextu lacessere non vereantur &c. Franc. Burmannus *Synops. Theol. Christ. Part. I. Lib.* I. *Loc.* 3. *cap.* 30. Vide quoque Cl. Suicerum, in voce Ὑπόστασις.

Hypothymis, seu *Hypothymias*, corona dicta est, quæ collo appensa descendebat ad pectus, pulchritudine florum & odorum suavitate, unde nomen (ἀπὸ τῆς ἀναθυμιάσεως scil. ἀναθυμίασις, ut ait Plut. *Sympos.* 3.) commendabilis: εὐώδεις στεφάνους, *Coronam subcollarem*, vocat Hesychius. Meminit earum etiam Alcæus apud Athenæum *lib.* 15.

Ἀλλ' ἀνήτω μὲν περὶ ταῖς δέραισι περθέτω
πλεκτὰς ὑποθυμίδας τις.
At Anethi quidem cervici ap—
ponat plicatiles hypothymiadas *aliquis.*

Et Anacreon,

Πλεκτὰς δ' ὑποθυμίδας περὶ στήθεσι λωτίνας ἔθεντο,
Plicatiles hypothymiadas *è loto circa pectus statuerunt.*

Easdem indigitat Ovidius *Fastor. lib.* 2. his verbis,

Ecce merum Regis fusis per colla coronis,
Inveniunt posito pervigilare mero.

V. plura de illis, apud Paschalium *Coronar. lib.* 2. *cap.* 5. & supra in voce *Collum.*

Hypsistarii, adde: Græcè Ὑψιστάριοι, quòd Ὕψιστον, i. *Supremum*, adorarent, patrem tamen eum esse inficiati. Iis non multum dissimiles Euphemitæ seu Massaliani, apud Epiphanium *Hær.* 80. Vide Cl. Suicerum *Thesauro Ecclesiastico*, in voce Ὕψιστος.

Hyrcane, Græcè Ὑρκάνη, urbs Lydiæ, ab *Hyrcanis*, quos ibi collocaverant Persæ, nomen nacta, cujus memoriam servat vetus numisma, in cujus antica parte caput turrigerum, cum *Inscr.* ΥΡΚΑΝΗ in posticâ, Fortuna, dextrâ manu clavum, alterâ cornu copiæ tenens, cum voce ΥΡΚΑΝΩΝ, apud Jacobum Sponium *Itinerar. Part.* 3. *pag.* 188. Stephanus & Strabo *πεδίον* solùm, *planitiem, agrum*, vocant: sed urbem fuisse, hinc clarum est. &c.

Hyria, Græcè Ὑρία, Seleucia Trachea in Cilicia dicta est, apud Steph. Ὑρία, ἡ νῦν Σελεύκεια Τραχεῖα: uti legi vult Salmasius *ad Solinum pag.* 620. V. ubi de *Seleucia Trachea.*

Hyruli, in *Chorographia MS.* corr. pro *Eruli*, apud eundem Salmasium *Not. ad Claudium Pollionis.*

Hysginus, Græcè ὑσγινὸς, Hebr. תחש *thachas*, Chald *Sargona*, coloris genus, quo pelles, quibus Tabernaculum operiebatur, Exodi *cap.* 25. *v.* 5. & *c.* 35. *vers.* 23. erant spectabiles. Sic Numerorum *cap.* 4. *vers.* 8, 10, 11, 13, 14. super arcam & mensam & candelabrum, & altare aureum & omnia vasa ejus expandi jubetur operimentum è pelle *thachas.* Et *versu* 25. Gersonitæ jubentur ferre aulæa tabernaculi & tentorium conventus ejus, & operimentum *thachas, quod est super illud.* Denique Ezech. *cap.* 16. *versu* 10. Deus varia dona in Israelitas à se collata proponens, sub figura Sponsæ, quæ ad nuptias ornatur, inter cætera hæc habet, *Vestivi te versicoloribus, & calceavi te thachas.* Ubi *thachas*, quod pro animali alii sumunt, coloris genus esse, eruditè probat Bochartus. Græci Interpretes certè ὑακίνθινον aut ἰάνθινον, & Hieronymus *janthinum*, reddunt: quibus proximus est *hysginus* color. Unde Plinius *lib.* 20. *cap.* 26. *Hyacinthus in Gallia optimè provenit: hoc ibi pro cocco hysginum tingitur.* Ad quem locum Turnebus *in Advers. lib.* 19. *cap.* 25. *Hæc Plinii*, inquit, *verba indicant, hysgen hyacinthinum esse, unde fallitur, color vocabatur, quem hysginum vocabant.* In Hesychio, *hysgos* est color ἀπὸ τῆς ὕσγου, *qui hysges loco assumitur.* Eidem porro *hysginum* est πορφυροῦν, purpureum. In Dioscoride *lib.* 3. aristolochia florem habet purpureum. At in Nicandri *Theriac. versu* 511. ejusdem flores *hysgino* rubescunt,

ἄνθεα δ' ὑσγίνῳ ἐναλίγκια.

Cujus Scholiastes, Τὸ δὲ ὕσγινον φυτὸν ἐστὶν ἐοικὸς τῷ χρώματι, ᾧ μᾶλλον ἰοβαφῆ ἐντιθέασιν. ὑσγινοβαφῆ δὲ λέγεται τὰ ὑσγίνῳ βαπτόμενα, *Hysginum planta est lutei coloris, aut potius ad* *violaceo colore idonea, quâ quæ tinguntur* Hysginobapha *appellantur.* Dicitque Pausanias, Galatas coccum voce vernacula *hysgen vocare in Phocicis.* Tamen alii distinguunt: Hinc Plinius *lib.* 9. *cap.* 41. *Coccoque tinctum Tyrio tingere, ut fieret hysginum.* Vitruvius verò *lib.* 7. *cap.* 14. *purpureos colores* fieri tradit, *infusâ cretâ rubiæ radice & hysgino.* De quo argumento vide plura, apud Salmasium *in Solinum pag.* 272. & 273. ubi *hyacinthinum* & *hysginum* (quem *Zinzolin* vulgò dici, & inter coccum & purpuram medium ait esse, sic tamen, ut ad purpuram Tyriam magis accedat,) ita differre multis probat, ut tamen sint affines tincturæ & utrumque pro purpureo usurpetur: Adde Samuel. Bochartum *Hierozoici Parte prior. lib. III. cap.* 15.

Hyspiratis, Armeniæ reg. apud Strabonem, in qua sandyx metallica. V. Salmasium *ad Solinum pag.* 1152.

Hyssopi fasciculus, quâ aspergantur ædium postes & superliminaria, in agni sanguine tingi jubentur Exodi *cap.* 12. Ita Levit. *cap.* 14. *versu* 6, 7. ex cedro, coccino & *hyssopo* fit aspergillum, quo in aquam, & immolati passeris sanguinem immerso, leprosus aspergitur septies, ut à lepra sua mundetur: quâ eadem ratione purgabatur domus leprâ infecta, *v.* 49.—52. Neque aliter aspergebantur aquis נדה *separationis*, homines, tentoria, vasa & quidquid aliud cadaveris contactu erat pollutum, Numeror. *cap.* 19. *versu* 6, 18. Quò alludens David, à peccatis suis purgari petit *hyssopo*, ut sit mundus, Psalm. 51. *vers.* 9. Et ob id ipsum ὕσσωπος Hesychio est βοτάνη ῥυπτική, *herba abstergens seu purgans*, nempe in Lege Mosis. Quomodo autem hujusmodi aspergillum fieret, sic docet Maimonides *de vacca rufa, cap.* 11. *sect.* 1. *Sumit vir mundus tres hyssopi caules, quorum in fasciculum unum compingi & singuli unam spicas habent, quarum a-* pices

ulter immergit, in aquam separationis, quæ est in vase &c. V. Sam. Bochartum *Hierozoici Part. prior. lib. II. cap.* 50. Atque hinc est, quòd *Hyssopus* inter vasa sacra numeretur, in *Historia* Abbatiæ Condom. apud Car. du Fresne, *Duas canetas & unum urceum, pro aqua benedicta portanda, cum* hyssopo *de argento.* Plura de *Hyssopo* V. apud Theophrastum, Dioscoridem, Plinium *lib.* 20. *c.* 6. & *l.* 14. *c.* 6. ubi de *Hyssopite vino*, aliosque Herbariæ Rei Scriptores; Cl. insuper Suicerum *Thes. Eccl.* voce Ὕσσωπος; ubi de ejus præsertim in Sacris usu, nec non infrà in voce *Marum*. Addo saltem, pauca de *Hyssopo* in crucifixione Christi adhibito. Sic enim Johannes *cap.* 19. *v.* 29. *Illi autem, cùm spongiam aceto implevissent,* ὑσσώπῳ περιθέντες, *& hyssopo circumdedissent, ori ejus admoverunt.* At Matthæus *cap.* 27. *vers.* 48. & Marcus *cap.* 15. *v.* 36. habent, καλάμῳ, *calamo.* Quæ cùm videantur secum consistere non posse, cùm hyssopi rami non solùm exiles sint, sed & humi jaceant, adeoque calamorum vicem, qui firmi ac rigidi, præstare non possint: existimat Bochartus casu mutato, pro ὑσσώπῳ, ὕσσωπον scribendum, ut non spongia hyssopum, sed hyssopus spongiam circumdederit, quò aceti acore cum hyssopi amaritudine mixto fieret sitienti Christo potus ingratior. Amaram enim in Judæa esse hyssopum, ex Isaaco Ben-Omran idem probat. Et sic perfectè adimpletum est Davidis vaticinium, quo sub persona Christi loquens, Psalmo 69. *v.* 22. *Fel*, inquit, *in cibum mihi dederunt, & aceto me potaverunt in siti mea.* Ubi *fel* redditur, quod in Hebræo ראש, propriè herbæ amaræ genus in segetibus nascens, Hos. *c.* 10. *v.* 4. quæ cum absinthio sæpè jungitur, ut æquè amara, Deuteron. *cap.* 29. *v.* 18. Jerem. *c.* 9. *v.* 15. Thren. *c.* 3. *v.* 19. & Amos *c.* 6. *v.* 12. Atque hoc pacto reliqui duo Evangelistæ de aceti spongia agunt, & quomodo calamo alligata Christi ori fuerit admota: Joannes, quod ab ipsis præteritum est, supplens, spongiam illam fuisse *hyssopo* circumdatam addit, ut non solùm acerbus, sed & amarus Christi potus esset, juxta vaticinium præfatum &c. V. Bochartum, ut & Suicerum, ubi suprà.

Hystrix, in cibis, apud Damirem *cap. de Reptil.* laudatum Bocharto ubi suprà, *lib. I. cap* 4. De quo animali sic Plin. *lib.* 8. *cap.* 35. Hystrices *generat India & Africa spina contectas, ac herinaceorum genere: sed hystrici longiores aculei, &, cùm intendit cutem, missiles. Ora urgentium figit canum & paulò longius jaculatur. hybernis autem se mensibus condit* &c. ad quæ verba V. *Exercitationes* Salmasii *ad Solin. pag.* 390. ubi, inter alia, Hesychium cum echino marino *hystricem* confundere, notat. *Mures Africanos* Plauto hystrices dici in *Pænulo*, verbis,

Non audis? mures Africanos prædicat
In pompam ludis dare se velle ædilibus.

habet Dalechampius *ad Plin. loc. eund.* In Quansia prov. Regni Sinensis dari, quarum spinæ ad cubiti sæpe erigantur altitudinem, in obvios corpore concusso evibrandæ, non sine noxa, tradit Auctor Anonymus *Sina & Europa c.* 40. Unde jaculandi artem excogitandi hominibus occasio &c. V. quoque Vossium de *Idolol. lib.* 3. *c.* 56. nec non suprà in voce *Histrix.* Inde *Hystriculus*, apud Tertullianum *de Pallio cap.* 4. *Feras si in puero matris solicitudinem patiens, certè jam* hystriculus, *jam virum alicujus clanculo functus, sustinet stolam fundere, comam struere* &c. Ubi de Achille loquitur: est, quem Græci ἀκανθόχοιρον vocarunt: nota enim *hystricis* pilorum densitas & asperitas. Sic & *ericium*, pro hispido & hirsuto Varro dixit apud Nonium. V. Salmasium *ad l. d.*



I. Adde

I.

I. Adde: In notis antiqq. *in*, *inter*. Interdum *intra*, *unum*, *junius*, *Julius*: I. AGL. *in angulo*. I. D. T. S. P. *in diem tertium sive perendinum*. JA. D. *jam diu dum*. JA. RI. *jam respondi*. J. U. *Juris utriusq;* &c. designat; Franc. Gouldmannus. Cùm Imperativus est verbi *Eo*, impetum & indignationem jubentis præfert. Apud Statium *Thebaid. lib. 8. vers. 65.*

Sed quid egebat! I, Tartareas ulcifcere sedes.

Virgilium *Æn. lib. 4.*

I, sequere Italiam ventis &c.

V. Guil. Canterum *Novar. Lect. lib. 2. cap. 8.* & Barthium *ad Statium d. l.*

JA.

Jabal, frater Jubalis, apud Mosen Genes. *cap. 4. vers. 20. Pater fuit habitantis in tabernaculo & pecoris*: id est, *primus auctor habitantium in tabernaculis cum pecore*; non enim *pater fuit pecoris*, i. *auctor cogendi pecoris*, quod jam Abel occupaverat, idem instituum haud dubiè Patrum plurimis sequentibus. Sed arti, jam antè inventæ, *Jabal* aliquid insigne addidit: nempe, ut ne cogerentur greges semper iisdem hærere pascuis, tanquam uni glebæ addicti, sed è loco in locum migrarent, pro ratione pascuorum & ubicunque nox aut frigus illis esset molesta, sub tentoriis secederent, tanquam in caulis αὐτοσχεδίοις ac tumultuariâ operâ factis fabricatisque: Quam vivendi rationem sequuti in Arabia Scenitæ; in Africa, Nomades. Ex eo Gentiles postea *Palem*, pastorum Deum, ut Varro habet, apud Servium *Georgic. lib. 3.* (Deam aliis plerisque facientibus) fecisse videntur Bocharto, quem vide *Hierozoici Part. prior. Lib. 1. c. 45.*

Jabé, in Dei nominibus, Epiphanio *Hær. 40.* ubi Ἰάω, summum Deum & Ἰαβὲ vocari ait. Nempe, ut Theodoretus refert *in Exod. Quæst. 15.* Καλοῦσι δὲ αὐτὸ Σαμαρεῖται μὲν Ἰαβὲ, Ἰουδαῖοι δὲ Ἰάω, *Vocant autem illum Samaritæ quidem* Jabé; *Judæi verò Jao.* Ubi tamen vulgò Ἰα editur; sed hoc non fuerit tetragrammaton, quale esse id nomen ibidem addit Theodoretus. Verùm cogitandum, Jones non habuisse *vau* literam; sed solos è Græcis Æoles, qui dixissent Ἰάϝε, ut Latini *Jave*. Solent verò Græci pro litera *vau*, sive *V.* consonâ, ponere *B.* vel diphthongum *OY.* uti pro *Virgilius* scripsere Βιργίλιος & Οὐεργίλιος; eò quòd *vau* inter β & υ haberet medium quendam sonum, qua de re V. Vossium *de Arte Gramm. lib. 1.* In *B.* itaque convertitur, cùm effertur Ἰαβὲ, de quo hic; in OY. verò ab iis, qui scripsere Ἰαοὺ, de quo sic Clemens Alex. in fragmentis nondum editis; unde hæc adducuntur à Joh. Croio *Sacr. & Histor. Observat. Part. 1. cap. 12.* Καὶ τὸ τετραγράμματον ὄνομα τὸ μυστικὸν, ὃ περιέκειτο, οἷς μόνοις τὸ ἄδυτον βάσιμον ἦν, λέγεται δὲ Ἰαοὺ, ὃ ἑρμηνεύεται ὁ ὢν καὶ ὁ ἐσόμενος. *Et quatuor literarum sacrum ac occultum nomen, quo redimiti erant ii, quibus solis adytum intrare licebat, effertur* JAVE: *quod exponitur*, QUI EST, ET ERIT. Cum hoc nomine, quod alii quoque *Juabo* & *Jabo* extulerunt, magnam convenientiam habet nomen *Juba*, quorundam Mauritaniæ Regum; unde suspicatur Vossius, ejus qui primus sic vocatus est, id non proprium nomen, sed cognomen fuisse: ut Nimrodi *Bel*, h. e. *Dominus*. Certè Mauris non solùm pro Numine suos Reges, ut Tertullianus *Apolog. cap. 24.* Cyprianus *de Vanit. Gent.* & Lactantius *lib. 1. c. 15.* docent: sed præcipuè Regem *Jubam* cultum fuisse, testatur Min. Felix *in Octav. Nisi fortè post mortem Deos fingitis, & pejerante Proculo Deus Romulus & Juba Mauris volentibus Deus est*: cui assentientem V. Isidorum *Origin. lib. 8. cap. 11.* & plura in hanc rem, apud Vossium *de Idolol. lib. 1. cap. 32.*

Jabne, Hebr. יבנה urbs olim Palæstinæ celebris, memoratur Paralip. *lib. 2. cap. 26. vers. 6.* ubi Græci codices nunc habent Ἰαβνὴρ, nunc Ἰαβνὴ, nunc Ἰαβνὴ, & Vulgata *Jabnia*. In Maccabaicis passim, ut & Straboni *lib. 16.* Josepho *Halos. lib. 2. cap. 9.* Stephano *de Urbibus*, Aliis, nuncupatur Ἰαμνία & Ἰαμνεία, unde incolæ Ἰαμνῖται: celebris, ut dictum, Urbs, in maritimis Daniticis, quam, ut Joppæ vicinam, finitimis præfuisse, scripsit Josephus *Halos. lib. 3. c. 4.* ab Hierosolymis, stadiis 240. dissita, si nempe portus Jamnitarum, à Juda Maccabæo succensus, pro urbis illius portu, ut nonnulli faciunt, sumendus sit, 2. Maccab. 12. 9. Cæterùm Ptolomæo Ἰαμνιτῶν λιμὴν, *Jamnitarum portus*, (in MS. Ἰαμνητῶν dictus) collocatur in long. gr. 65. lat. 32. ipsa autem *Jamnia* long. 65. 40. lat. 32. adeò ut portus hic ab urbe haud parùm dista et. Κώμην, *vicum*, vocat Strabo; πολίχνην, *urbeculam* Palæstinæ, Stephanus. Sed *Jamnes* duas memorat Plinius *Hist. Nat. lib. 5. cap. 13.* quarum *alteram vicum* appellat, in editionibus vetustioribus, pro quo in nuperis substituitur, *altera intus*. Et de יבנאל *Jabneel*, in Josua, Andreas Masius *cap. 15. vers. 11. quin sit duarum Jamniarum altera, nihil dubito. Nam solent Græci literam Beth in suum Mi sæpius convertere. Sitæ enim erant ambæ Jamnes sive Jamniæ, inter Diospolim & Azotum* &c. *Sed nostram Jabneel eam fuisse Jamniam appare, quæ maritima erat, non autem, quæ intus, ut Plinius loquitur, exstabat.* Alibi autem Jamniam memorat idem, *ad Jos. cap. 11. quam Veneti hodie Zaniam vocant & Castrum Bernaldi.* Est etiam Jamnia, inter superioris Galilææ vicos, à Josepho, dum illic præfectus erat, munitos; de qua expressè is *in vita sua*. In utram harum migraverit Synedrium magnum, postquam Tabernas reliquit, non adeò certum est. Postquam enim è *Liskath hagazith* (qui locus consiliis ac antiquitus constitutus erat) i. *conclavi saxeo*, Synedrium hoc migrasset, in *Hanuth* seu *Chanuth* (id est, *Tabernas* in monte Templi positas) se contulit: inde in Hierosolymæ alia quædam loca, ab Hierosolymis in *Jabnem*, à *Jabne* in Usham, ab Usha in Sepharajim, à Sepharajim in Bethshairim, inde in Zeppori, atque demum Tiberiadem, V. *Sepher Juchasin fol. 21. 1* & *2.* & *23. 1.* Joh. Cochium *ad Gemar. Sanhedr. pag. 160.* Joh Buxtorfium *Comm. Masor. cap. 5.* &c. Et quidem migrationis è conclavi præfato in Tabernas, seu primæ, tempus collocant sub annum ante excidium Templi secundi quadragesimum; à Christo nato 30. In Tabernis autem aliisque Hierosolymæ sedes habuit usq; ad Templi excidium, cùm in *Jabniam* Urbem, Principe Jochanan Ben Zacai, migravit. Postmodum verò in Usham, Principe Rabban Gamaliele I. & demum in urbes cæteras, temporibus Principum, qui usque ad eiusdem finem sequuti sunt. *Jabnem* hanc fuisse verisimile judicat Seldenus illam Galilææ superioris, utpote à reliquis migrationis urbibus haud ita dissitam, adeoque interiorem, quem hac de re pluribus agentem V. *Tr. de Synedriis Veterum Ebr. lib. 2. cap. 15. §. 9.* V. quoque in voce *Jamnia*.

Jabolenus JC. apud Capitolinum *in Antonino Pio, Multa de jure sanxit, ususq; est Juris peritis, Vindio Vero, Salvio Valente, Volusio Meciano, Ulpio Marcello &* Jaboleno: Salmasio est pro *Zaboleno*, ut *jugum*, ζυγὸν & *Janarius* pro *Zmario*, apud Nonium. Utrumque autem pro *Diaboleno*, quomodo se scriptum hoc loco reperisse ait, in optimo Cod. Palatino, V. eum *Not. ad d. l.*

Jaca, nomen fructus, totius Orbis maximi vulgò habiti, in Imperio Sinensi, de quo sic Auctor Anonymus *Sinæ & Eur. cap. 36. In Quangtung crescunt ubiq; nuces Indicæ majores & minores: fructusq; ille, vulgò habitus totius Orbis maximus, Indis* Jaca *dictus, qui ob eximiam magnitudinem non in arborum ramis, quamvis illi quoq; ingentes sint, sed ipsi trunco adnascitur, quasi ex metu, ne tantum onus rami ferre detrectent, quantumvis firmi aut robusti fuerint. Fructus cortex adeò durus est crassusq;, ut securi aperiendus sit: Innumera intus domuncula seu folliculi, in quibus pulpa est flavi coloris, quæ nucem veluti castaneam ambit. Illa, ubi maturuit, suavissima est, & castaneas Europæ igne tostas refert.*

Jaccha, pop. Africæ ferocissimus, vicini Congensibus, sub Alvaro I. Congi R. Regnum hoc aggressi, A. C. 1560. illud ingenti cæde exhaustum occuparunt, pulso Alvaro, in exiguam insulam fluminis *Zaire*; ubi is tamdiu delituit, donec Sebastianus Portugalliæ R. cujus imploraverat auxilium, misso cum copiis Franc. de Govia, *Jacchas* iterum exturbavit, Alvaro restituto. V. suprà *Agages*.

Jacchus, adde: Sunt qui Cereris eum filium faciunt, qui à matre ductus ad filiam investigandam, in ædibus anus Eleusiniæ Baubûs, quæ Cererem hospitio excepit, matrem ad risum compulit, fecitque, ut cyceonem mœrore paululum remisso ebiberet; hinc in Eleusiniis sacris unà cum Cerere ac Proserpina cultus. Certè in Sacris illis semper juncti leguntur, Δημήτηρ καὶ Κόρη καὶ Ἴακχος. Alii tamen, non ipsius Cereris puerum, licèt ejus lacte nutritum, unde *mammosa Ceres ab Jaccho* Lucretio dicitur; sed indigenam Attici soli heroëm, & Baubûs modò dictæ filium fuisse, ajunt, eundemque cum Cyamite Heroë, de quo suprà. Alii aliter, ut videre est apud Salmasium *ad Solinum pag. 750.*

Jacere osculum & *Jactare basia*, inter ritus adorantium. Adorantes enim non manû porrigebant eam postea ad os referentes, quod voluit Lipsius *in Electis*: sed manum osculabantur, deinde eam versùs illum quem adorabant, solebant protendere, quod *jacere osculum* dicebatur. Tacitus *Histor. lib. 1. Nec deerat Otho, protendens manus, adorare vulgum, jacere oscula & omnia serviliter pro dominatione.* Sic apud Phædrum.

—— *Jactat basia tibicen*,

& populum adorat. Manum nempe tales osculabantur, dein eam ad eos porrigebant, quorum honori ac venerationi dabant illud osculum: sicque protensione manus, quam prius erant osculati, quodammodo osculum ipsum porrigere & *jactare* ad eos videbantur, quibus honorem illum deferebant. Hinc Juvenalis,

A facie jactare manus, laudare paratus
Si bene ructavit.

Quod qui facit, is utiq; manu priùs faciem tangit, quàm eam ja ctet. *Manu venerari* & *manu salutare* idem dicebant. Tacitus de Nerone cantante. *Postremò genu flexo & cœtum illum manu veneratus est.* Histrionem ille verum agebat: at histrionum, pantomimorum & cantorum hic mos erat, ut populum scenam ingressi adorarent. Vetus *Epigr.*

Ingressus scenam populum saltator adorat.

Sic Aurigæ *flagello* populum venerabantur, uti diximus suprà. Plura hanc in rem vide, apud Salmasium *ad Vopiscum in Probo*, & infrà in voce *Labratum*. Sed & *bellaria* ac *lemnisfos jaciendi* mos, indigitatur Suetonio *in Nerone cap. 25. Incedenti passim victimæ cæsæ, sparso per vias identidem croco ingesti sq; aves ac lemnisci & bellaria.* Flores, alibi passim: quarum similiumq; rerum injectione Hieronicæ, item Numinum statuæ, honorari solebant, ut pluribus docet Casaubonus *ad l.* & nos hic aliquid, ubi de *Conjectu florum*. Porrò *missilia jaciebantur* in populum Spectaculis intentum, idq; è Basilica sive Regia, quæ Foro imminebat: quod κῃ̃ κορυφὴν ... *de superiori loco in capus inferiorum jacere*, vocat Dio *lib. 49.* V. eundem Casaubonum *ad Claudium cap. 21.* Contumeliæ verò causâ in Imperatores exosos, fragmina panis, lapides lutum, pulverem, rapa, alia *jaci* consuevisse, dicimus hic passim. V. quoque Theod. Marcilium *ad eundem Auctorem Vespasiano cap. 4.* ut & infrà verbo *Spargere*.

Jacke, seu *Jaque*, sagum militare, quod loricæ superinduebatur, apud Thomam Walsingh. *ann. 1379.* Froissardum *Vol. 4. c. 114. sub ann. 1199.* & *in Chron. MS.* Bertrandi Guesclini apud du Fresne *in Glossar.* An a *Jacobis* factiosis quibusdam in agro Galliæ Belovacensi, quibus dux eorum, quem *Jaque Bonhomme* vocabant, nomen dedit, sub annum 1358. de quibus copiosè idem Froissardus *Volum. 1. capp. 187 188 & 189.* Matth. Villaneus *lib. 8 c. 67.* Continuator Nangii Gall. MS. Alii, qui factionem ipsam *Jaqueriam* nuncupant. De iisdem *Regestum* 3. Memorialium Cameræ Computor. Paris. *Sigillum Capitanei Rusticorum vocatorum Jacoborum decapitati, apud Claromontem in Belvacino, fuit traditum Cameræ per Thomam Erechardi — 1358.* apud Car. du Fresne *Glossar. præf.* Hodieq; Occitani *Jaquetos* vocant, quod cæteri Galli *Pourpoinct*.

Jacobini, nomen religiosorum in Communione Rom. quorum institutum Dominicum, a Gregorio IX. inter Sanctos relatum, auctorem habet; unde & *Dominicani* appellantur, aliter *Fratres Prædicatores*. Vestis eorum ex panno raso densèque texto albi coloris, cui simile scapulare gerunt, cum capucio nigro. Etiam *Jacobinæ*, ab eodem instituta religiosa fœmina, quæ *filiæ S. Dominici* quoque nonnullis appellantur. Michel. V. ubi de *Dominico* Gusmanno. At *Jacobitæ*, in eadem Eccl. Rom. qui peregrinationem religionis ergò instituit, ad S. *Jacobum* Compostellanum, Gall. *Pelerin de S. Jaques.* Iidem sic vocantur Dominicani iidem, quòd eis *Hospitale Peregrinorum S. Jacobi* Parisiis, ad mansionem assignatum primitus fuerit, à celebri quodam Anglo, Magistro Joanne, *Physico præcipuo & Regis curam agente*, uti refert Matth Paris *ad A. C. 1198.* quam donationem anno 1218 à Magistro Johanne De cano S. Quintini, factam ait Brolius *Antiqq. Paris. lib. 2.* Et quidem hoc *Jacobitarum* vocabulo nuncupantur, apud Thierricū Vallisco lor. *in Urbano IV.* & Joannem Hocsemium *cap. 32. Prædicatores S. Jacobi* vocantur, in *Chronico* Andrensi *A. C. 1222.* V. Car. du Fresne *in Glossar.* In Ægypto verò ac in Judæa, *Jacobitæ* vel *Jacobini* dicuntur, Christiani quidam, ob varios errores olim à Patriarcha CP. excommunicati: quibus nomen dedit *Jacobus* quidam, Severi Patr. Antiocheni discipulus, qui annuente & præcipiente Timotheo Patr. Alexandr. Christianos ad sectam Dioscori Alexandrini ibidem Patr. revocabat: cujus hæresin amplexus Anastasius Imp. non semel *Jacobita* dicitur, in *Chronico Orient.* ab Abrahamo Echellensi edito. *pag. 59. 60.* &c. V. de eorum hæresibus, Jacobum de Vitriaco *Hist Hierosolym. c 75.* Aithonum *capp. 13. & 14.* Willebrandum ab Oldenborg *Itiner T. S.* &c. de eorum Patriarcha Godefridum Mon. S. Pantal. *A. C. 1237.* de eorum auctore, in vocibus *Jacobitæ* & *Monophysitæ*. Consule insuper Vossium *de Idolol. lib 3. cap. 40.* Addam saltem, de Jejuniis seu Quadragesimis illorum verbum, ex eodem Car du Fresne voce *Quadragesima: Quatuor Græcorum Quadragesimis quintam addiderunt Jacobitæ seu Suriani, Quadragesimam s. Ninives. Primam observant ante Pascha, ut Græci: secundam Apostolorum à 1. die post festum Pentecostes auspicantur: Tertiam à 14. die ante Assumtionem: Quartam à 25. die ante Nativitatem Christi: Quinta Ninives vel Jonæ est trium dierum, quam celebrant in hebdomade ante Septuagesimam, feria 2. 3. & quarta, in memoriam pœnitentiæ Ninivitarum. In Majori Quadragesima jejunant, ut Græci: in secunda, bis in die & pisces comedunt. Ita in tertia & quarta. Quintam Ninives observant, ut Majorem.* Sic nempe, ut à carne abstineant, lacticiniis & ovis vescantur, bibantque vinum. V. quoque Filesacum *de Quadragesima* &c. ut & ubi de *Armenis*.

Jacobus, Gall. *Jaques*, minutior moneta, cujus mentio in *Foris* Bencharn. *Rubr. de Peages art. 12.* & in *Consuet.* Solenti *tit. 7. art. 4.* *Jakes* moneta, incertum an Anglica: occurrit etiam sub Henrico IV. apud Wilhelmum Stanford. *de Placitis Coronæ lib 2 cap. 30.* C. du Fresne *Glossar.* Richelieto nomen quoque monetæ est aureæ Anglicæ 14. libris Gall. 10. sol æstimatæ &c.

Jactantes, in Cloacinæ sacro quærendi, apud Plautum *in Curculione*,

Qui perjurum convenire vult hominem, mitto in Comitium,
Qui mendacem gloriosum, apud Cloacinæ sacrum.

Nempe cùm nihil odiosius aut putidius sit hominis gloriosi ac semetipsum *jactantis* oratione, neq; ullum ἄκουσμα auribus æquè accidat ingratum, meritò *putidi* ac *stercorei* ejusmodi homines vocati sunt. Idem *in Milite Glorioso*,

Qui hinc ad Forum abit, gloriosus, impudens,
Stercoreus, plenus perjurii &c.

Hinc Græcis κομπεία, ψόφος, βλῆμα, κόμπος, pro *jactantia*: Κομπολάκυθος, Κόμπασμα, κομπάζειν μεγάλα, κομπῶδες & ἀλαζόνες, pro *jactantibus*; & proin Empedoclis, Philosophi supra modum jactabundi, sorores *Cloacinas* non illepidè vocat Tertullianus *de Pallio cap. 4.* ubi vide Salmasium, hanc in rem plura afferentem, ut & hic passim. Certe *jactantiam* tantopere Diis displicere, crediderc Gentiles, ut non alio vitio acrius imminere Nemesin fuerint persuasi. Unde, quoties aliquid excidisset jactabundi, Numen hoc deprecari soliti sunt. Ausonius *Idyll. 4.*

Absistat Nemesis, ferat & Fortuna jocantem.

Idyll. 9. —— *mitibus audi*
Auribus hoc Nemesis &c.

V. aliquid hac de re suprà, ubi de *Fortuna*, item in voce *Nemesis*.

Jactare Basia, V. suprà *Jacere osculum*.

Jactare Manus ad cava buxa, apud Propertium, ubi de Nano choraule,

Nanus & ipse suos breviter contractus in artus
Jactabat truncas ad cava buxa manus.

idem est ac *saltare* s; χειρονομεῖν ad tibiam, V. suprà in voce *Choraules*.

Jactatio Pensilis, V. infrà in *Oscillum*.

Jactatorium, apud Galbertum in *Vita* Caroli Com. Flandr. *num. 96. Arietes, sues* jactatoria, *scalæ & consimilia, quibus muros & lapideas compositiones destruere solent*: machina bellica est, quæ tela complura simul, vel certe lapides, emittebat, *Petraria*, Gr. Λιθοβόλον, du Fresne.

Jacti vel *Jactones*, Gallis sunt calculi, quibus in putandis rationibus utuntur, *jettons*, voce è Tabulæ ludo mutuatâ. Nempe cum *jactus* propriè vocari debuisset tessera, quòd *jacerentur*. Ovidius,

Tu male jactato, tu male jacta dato.

Uti enim calculi *dari*, sic tesseræ *jaci* dicebantur, hincq; Græci βόλος, non tantùm tesserarum jactus sed etiam tesseras ipsas nuncuparunt: vice versâ *datos* vel *dedes* vocant Galli tesseras, *jactus* v. calculos. V. Salmasium *ad Vopiscum in Proculo*, ubi de jactu tesserarum complura. Apud Suetonium *de Claris Rhetor* bolus Græcâ voce retentâ *jactus* dicitur, de piscium captura, uno retis *jactu* factâ, ex βάλλω, *jacio*: *Æstivo tempore adolescentes urbani cùm Ostiam venissent, littus ingressi piscatores trahentes rete adierunt: & pepigerunt, bolum quanti emerent.* Ubi *bolum emere*, est Græcè βόλον ὠνεῖσθαι, Lat. *jactum emere*. V. Casaubonum *Animadversad l.* &c. Apud Cencium Camerarium *in Ceremon. Rom. Jactus*, non semel ὅπλισμα dicitur seu *missile*, ut annotat Baronius A. C. 1191. Falconariæ Artis Magistris *jacti*, laquei sunt de corio facti, qui pedibus falconum imponi solent, *ut cum eis retineantur, & jactentur ad prædandum*, uti habet Fridericus II. Imper. *de Arte Venandi lib. 2. cap. 38.* apud Car. du Fresne *in Glossario*. Nec verò *jacti* solùm, sed & *Jacula*, vet. Latinis tesseræ appellabantur, à *jaciendo*, Isidor. sicut Græcis βόλοι & βόλια, unde παίζειν εἰς τὰ βόλια, in vet. *Inscr.* Tabulæ lusoriæ: Item βολίδες. *Epigr.* Gr. εἰς κύβολον.

Μὴ δὲ νικήσας μεγαλίζεο, μηδ' ἀπολειφθεὶς
Ἄχθεο, τὶς ὀλίγου μειζότερον βολίδος.
Neq; autem si viceris, gloriare, neq; si frustratus fueris,
Contristare, exilem incusans tesseram:

apud Salmasium, ubi *suprà*.

Jaculum, Græcè ἀκόντιον, inter 5. certaminum genera, in Ludis olim Gymnicis obtia, quæ hoc μονόστιχον complectitur,

Ἅλμα, ποδωκείην, δίσκον, ἄκοντα, πάλην.

Ubi discum mox sequitur, cujus exercitationi *jaculum* adnexum videtur. Certè Horatius de his ita junctim loquitur, *Carm. lib. 3, Od. 8.*

—— *sæpe disco,*
Sæpe trans finem jaculo nobilis expedito.

Fueruntque ambo rudimenta & exercitamenta duritiæ & laborum militarium; quibus non tam coronæ propositæ fuerunt, quàm alia quædam præmia, στεφανῖται, ἀγωνιστικὰ, χρηματῖται, ἆθλα, δῶρα & ἔπαθλα, dicta, de quibus V. C. Paschalium *Coronar. lib. 6. cap. 24.* Scaliger ubi de ordine certaminum, sic de *Jaculo*,

Podum

Pedum, inquit, *initio jactum arbitror, mox lapidem crassum & gravem. Qui modus fit quasi introrsum. Contrarius autem huic jactus extrorsum, quem in disco jaciendo exercebant. Nam ad jaculi aut pili missionem brachium pandimus, mox prorsum impellimus. Contra fit in disco, manu ad pectus adducta, atq; extrorsum disclusa*, Poetic. lib. 1. cap. 22. Laboris militaris exercitamentum id fuisse, dixi: nempe *Jaculum* propriè armorum genus, quod, unà cum amento, Ætoli Marte geniti inventum Plinius facit *lib. 7. cap. 56.* Ejus jaciendi usum veterem indigitat Papin. Statius *Theb. lib. 6. v. 354.*

Quale quater jaculo *spatium, ter arundine vincas.*

Ubi cùm trium sagittarum spatium quatuor jaculorum longitudinem habuisse innuit, h. e. quatuor jaculorum ictus æquasse trium sagittarum spatium, discimus hinc longè aliam rationem *sagittandi* & *jaculis jaciendi* priscis fuisse. Hodie enim res secus habet, uniusq; sagittæ expulsio decem ampliùs *jaculorum* spatium conficit, coque amplius. *Sed verum est, sagittarum nos tenere veterem usum, etsi habiliorem longè redditum, jaculorum fere omnem amisisse*, verba sunt Casp. Barthii *ad h. l.* V. quoque Servium *ad Æn.* 1. *versum illum*,

Jamq; intra jactum *teli progressus uterq;*
Constiterat —

Just. Lipsium *de Militia Rom. lib. 5. c. 20.* & hic passim in vocibus *Hasta, Pilum, Sibyna* &c. Novum *Jaculi* genus excogitavit C. Marius, qui primus bello, an contra Cimbros, an adversus Santones, telis usus est seu *Jaculis pilatis*, quæ in hostem intorta frangebantur, ita ut vel in scuto, vel in corpore pars altera figeretur, altera remaneret pendula, maximo impedimento repugnaturis, vel exitio, vel certè, ut nulli essent postea hosti usui, V. Plut. *in Mario.* Ad ea respicit Horatius *lib. 2. Sat. 1.*

— *neq; enim quivis horrentia pilis*
Agmina, nec fracta pereuntes cuspide Gallos,
Aut labentis equo describat vulnera Parthi &c.

Jaculandi verò artem ab hystrice nos accepisse, conjectat Claudianus, qui *de Hystrice* poëmation sic claudit:

Quod si omnis nostræ paulatim industria vitæ
Fluxit ab exemplis: quidquid movent appetis hostem,
Hinc reor inventum, morem hinc traxisse Cydonas
Bellandi, Parthosq; retro didicisse ferire
Prima sagittiferæ pecudis documenta secutos.

Jaculus, Hebr. *Kippoz*, Esa. c. 34. v. 15. aliter *acontias*, serpentis genus est, cujus morsum *ἀνίατον* vel *ἀνίκητον*, h. e. *insanabilem esse*, scribunt Agatharchides, Diodorus & Strabo: inter omnes Africæ pestes deterrima. Neq; vitabile est hoc telum, cùm ex insidiis erumpat tanto impetu, ut omnem prævertat fugam. *Missili volare tormento*, dicit Plinius. Et Ælianus, *Ἀλλόμενον δὲ περιχεῖται αὐτῷ*, *Insiliens statim adhæret.* Quæ tam præceps rapiditas sic describitur Lucano *lib. 9. vers. 822.*

Ecce! procul sævus sterilis se robore trunci
Torsit & immisit (jaculum *vocat Africa*) *serpens,*
Perq; caput Pauli transactaq; tempora fugit.
Nil ibi virus agit, rapuit cum vulnere Fatum:
Deprensum est, quæ funda rotat, quam lenta volarent,
Quàm segnis Scythicæ strideret arundinis aër.

Etiam viginti cubitos transilire, in Æliano legimus: unde patet, vasta omnia & inculta oportere esse loca, quæ tali peste fœcunda sunt. Reperitur autem, extra Africam, etiam in Idumæa, ex *loco cit.* Ægypto, Marcellin. *lib. 22.* in Sabæis, Strab. & Arabiâ, Lucanus idê *lib. 6. v. 677.* *Non Arabum volucer serpens.*

Et *lib. 9. v. 720.* *Et natrix violator aquæ, jaculiq; volucres* &c.

V. Sam. Bochartum *Hierozoici Part. poster. Lib. III. cap. 11.*

Jadera, adde: Colonia fuit Romana, ut ex *Inscr.* hac patet:

IMP. CÆSAR. DIVI. F. AUG.
PARENS COLONIÆ MVRVM
ET TVRRIS DEDIT
TI. IVLIVS OPTATVS TVRRES
VETVSTATE CONSVMPTAS
IMPENSA SVA RESTITVIT.

Longè amplior olim, ut ex reliquiis Arcus antiqui, quibus porta S. Chrysogoni hodie ornata est, illuc è loco quadrantis horæ spatio distante delatis, patet, quibus hæc inscripta:

MELIA ANNIANA IN MEMORIAM Q. LÆPICI Q. F.
SERG. BASSI MARITI SVI
EMPORIVM STERNI ET ARCVM FIERI ET STATVAS
SVPERPONI TEST. IVSSIT EX HS. DC DXX. P. R.

cùm hodie murorum ambitus duo milliaria Italica ægrè impleat, nec incolarum numerus ultra 5. aut sex hominum millia assurgat. Prope Templum Græcorum, quod S. Eliæ vocant, rudera visuntur Templi Junonis cognom. *Augustæ*, uti *Inscr.* in vicinia docet. Ibidem Amphitheatrum fuerat, cujus hodie nihil superest: Aquæductus vero a Traiano Imp. constructi, cujus ope aqua à decem milliaribus urbi illata, vestigia nonnulla conspiciuntur etiamnum. Cæterum urbem, qualis hodie est, Marinus Sanutus Venetus refecisse legitur, ante aliquot secula, in seq. distiCho, quod *Inscriptioni* supra dictæ subjectum ita sonat:

Urbe hac præfectus Sanuta ex prole Marinus,
Me struxit tandem Veneto dominante Senatu.

V. Jac. Sponium *Itiner. Part. I. pag. 86. & seqq.* ubi inter alia, iconismum reliquiarum Arcus præfati. & indiculum operum excellentissimorum Pictorum, qui in Ædibus sacris ibi visuntur; & *Part. 3. p. 73. & seqq.* ubi præter Inscriptiones jam indigitatas, reliquas quoque, quæ Jaderæ supersunt, inter quas una *Isidi Serapidi Libero Liberæ* sacra, exhibet. Idem cives *Jadestinos*, non *Jadertinos*, in antiquis monumentis frequenter appellari observat *ibid.*

Jagara, aut *Jagra*, Indis saccharum dicitur, uti quidem visum Scaligero *Exercit. 164.* Sed saccharum in genere illos *sacar*, solùm verò speciem sacchari ejus, quod ex liquore Tengæ conficitur, *Jagara* vel *Jagra* appellare, docet Salmasius *ad Solinum pag. 1313.* V. infrà, ubi de *Sacchara.*

Jamaica, adde: Hinc nomen familiæ in Hispania illustri, Marchionum *de Jamaica*, quæ ramus est stirpis Portugallensis. Inter Familiæ enim, quæ ex naturalibus Lusitaniæ Regum filiis ortæ, cùm tres præcipuæ sint, harum secunda, *Braganina*, ab Alfonso D. Bragantiæ ac Com. *de Barcellos*, Johannis I. Regis notho descendit: Ex cujus liberis Ferdinandus I. post Patrem Dux, ex tribus filiis totidem linearum fuit sator. Et maximus quidem natu Ferdinandus II. Ducalem domum continuavit, ex qua nunc Reges, nec non Marchiones *de Flechilla & Xarandilla* atq; Comites *de Oropesa* oriundi sunt Ejusdem rami palmites sunt Comites *de Lemos* Duces Taurisani cogn. *de Castro*, atq; ex hisce iterum Comites *de Gelves* Duces *de Veragua*, in quorum domum successio familiæ Columbiæ, cum dignitate March. *de Jamaica*, delapsa est. Georgius enim *de Portugal* Com. *de Gelves*, fil. Alvari & Philippæ (fil. Roderici *de Melo* Com. *de Olivenza*) junxerat sibi Isabellam *Colombo* (quæ ex Didaco Columbo Duc. *de Veragua* neptis fuit Christophori, famosi illius Argonautæ & Americæ repertoris) è quo matrimonio natus Alvarus I. *de Portugal* Com. *de Gelves*, ex Leonora *de Corduba*, genuit Nunium *de Portugal* Columbum Duc. *de Veragua*: quo, & Aldoncia Portocarrerá, natus Alvarus II. maritus fuit Catharinæ *de Portugal* Com. *de Gelves* (fil. Ferdinandi de Castro Com. *de Gelves*) & ex ea suscepit Petrum Nunium I. Columbum *de Portugal* Duc. *de Veragua & de la Vega*; cui Isabella Ferdinandina *de la Cueva* (fil. Ferdinandi Francisci Duc. Albuquerquii) genuit Petrum Nunium II. Columbum *de Portugal* March. *de Jamaica*. V. Phil. Jac. Spenerum *Theatr. Nobil. Part. III. Europ. pag. 72.*

Jamnea, Græcè Ἰάμνεια, opp. Phœnices, ab Joppe 12. m. p. distans, in *Tab.* Peutingeriana, *Ascalone XII. Azoto X. Jamnia XII. Joppe.* Ubi *Jamniam* vocat, namq; & Ἰαμνία dicebatur. Portum habuit ad mare, cumq; paulo longiùs remotum, quæ causa, quod duas *Jamnias* ponit Plinius, *alteram intus. lib. 5. c. 13.* Constat id ex Ptolomæo, cui in ora recensentur, Ἰαμνειτῶν λιμὴν, Ἄζωτος, deinde in mediterraneis urbibus τὴν Ἰάμνειαν numerat. In divisione Regni Herodis Magni testamento factâ, quâ Archelao dignitas Regia cum Judæa, Samaria & Idumæa obtigit, fratribus ejus Tetrarchis constitutis, tres urbes Salomæ sorori assignatæ sunt, inter quas *Jamnea* quoque, ut apud Josephum videre est. V. Salmasium *ad Solinum pag. 569. 576.* ut & in voce *Jabne*, *Jamna*, item *Jamnia.*

Jana, adde: Sanè Lunam dictam esse *Janam*, indicat Varro *de R. R. lib. 1. c. 37.* *Jana crescens & senescens.* Et hinc *Diva Jana*, per syncopen, *Diana*: Ut in carmine Saliari, apud eundem *de L. L. lib. 6.* *Divos Janus*, i. Sol. Sed & *Jana novella*, *ibid. lib. 5.* quod idem ac *Neomenia*, *Novilunium* &c. Vossius *de Idolol. lib. 2. cap. 16. & 25.*

Janitores, moribus Romanis catenis vincti aditus domorum servabant: vilissimaq; mancipia fuere habiti. Jul. Firmicus *libro 6.* *Egestatem & onus miseræ paupertatis indicunt & hos eosdem* Janitores *faciunt, ad hoc obsequium mendicitatis necessitate compulsos.* Unde & in personis Ecclesiæ servientibus *Janitores* olim ultimi, ut nunc etiam, qui *Custodes* vulgò perhibentur. Eginhartus *in Carolo M.* *Vestimentorum Sacerdotalium tantam copiam procuravit, ut in sacrificiis celebrandis ne* Janitoribus *quidem, qui ultimi Ecclesiastici Ordinis sunt, privato habitu ministrare necesse fuerit.* Interim adeo necessaria hæc servitia habebantur, adeoq; recepta, ut pro valde re mira fuerit, Ciceronis domicilium aliquando sine Janitore fuisse: id quod notat Plut. *in eo, Ipse*, inquiens, *probos & doctos viros quotidie convivas habuit, non sumptuosè, sed liberaliter, habitos. Domus ejus carebat* Janitore. *Decumbentem conspexit nemo* &c. V. de iis notata Jo. Brodæo *Miscellan. lib. 4. c. 3.* Parrhasio *ad Claudian. de Raptu lib. 3.* J. Ravardo *Variar. lib. 5. c. 20.* Casp. Barthio *Animadvers. ad Statium lib. 1. Sylv. 2. v. 35.* & quæ infrà dicemus, in voce *Janua*, item *Ostiarii.*

Janizzeri, solicitatores expeditionum, in Curia Rom. Carolo du Fresne *Glossar.* seu Officiales Cancellariæ Rom. qui supplicationes beneficiorum subscriptione suâ firmant, Car. Macro *in Hierolexico.* V. Octav. Vestrium *de Judic. Aulæ Rom. lib. 1. & 2.*

Jannes, adde: De illo, & socio ejus, locum insignem Numenii apud Eusebium *Præparat. Evangel. lib. 9. pag. 241.* eruditè illustrat Sam. Bochartus *Hierozoici Parte Prior. lib. II. cap. 53.* V. quoque suprà in voce *Cepotaphium*, & plura apud Cl. Suicerum *Thes. Eccl.* vocibus Ἰαννῆς & Ἰαμβρῆς.

Jannini, in *Statutis* Ordinis S. Joannis Hierosolym. tit. 19. § 8. nummi argentei sunt, à *Jano* Cypri R. cusi, C. du Fresne *Glossar.*

Janthina, apud Martialem *lib. 2. Epigr. 39.*

Coccina famosa donas, & janthina mœchæ &c.

Vestes dicuntur violacei coloris. *Plin. lib. 21. cap. 6. Violis honos prim...*

[illegible]. *Earum plura genera — Ex iis verò, quæ sponte apricis & macris locis proveniunt, purpureæ latiore folio statim ab radice carnosæ exeunt, solaque Græco nomine Ja, ut ab his Janthina vestis.* Nempe vestibus quoque eos flores, qui colore commendantur, *Vetuerunt provocavit luxuria*, Idem *ibid. cap.* 8. Dictum igitur ἴανθος, pro ἰόανθος, quòd colorem violæ præferret: sicut χαλκανθον, pro χαλκάνθινον, quòd colorem haberet κύανον, id est, cœruleæ purpuræ. Salmasius *ad Solinum pag.* 1159. ex hisce Hesychii, ἴανθος, εἶδος [illegible] ὁ [illegible] ἢ [illegible].

Janua, à Jano nomen habet, qui foribus præesse olim creditus est. Tullius *de N. D. lib.* 1. *Principem in sacrificando Janum esse voluerunt, quod ab eundo nomen est ductum, ex quo transitiones perviæ Jani, foresque in liminibus profanarum ædium januæ nominantur*: quæ quales olim fuerint V. suprà in voce *Fores*. His custodiam apposuit non tam securitas, quàm conscientia. Unde *Pueri ab Janua* meminit Corn. Nepos *Hannibale*, qui aditum obsidebat, ut admitteret nimirum vel dimitteret, qui dominum conveniebant: *Janitoris* Cicero *pro Plancio*, cùm ait: *Neminem à congressu meo neque Janitor meus, neque somnus absterruit*; & Martialis *lib.* 5. *Epigr.* 22.

Illud adhuc gravius, quòd te post mille labores,
Paule, negat lasso Janitor *esse domi*.

Ostiarii alii: nam hæ voces synonymæ sunt. Fuit hic catenatus. Columella *in præf. lib.* 1. *An putem fortunatius à catenato repulsum Janitore sæpe nocte serâ foribus ingratis adjacere?* Et hæc sunt Ostiarii impedimenta apud Afranium. Suetonius *de claris Rhetor. L. Voltacilius Pilitus servisse dicitur, atque etiam Ostiarius veteri more in catena fuisse.* Unde colligitur, non ita amplius Suetonii ætate factum esse. Et sanè longo post ipsum intervallo legimus, apud Corippum *lib.* 1. catenas à *Janitore* in *Januam* translatas esse:

Et jam crebra manus veloci concita pulsu,
Limina quassabat, ductis munita catenis
Ad strepitum custos, cura est cui claustra tueri,
Sic ait indignans

Janitoris comes plerumque fuit canis. Plautus *Mostellariâ*,

——— *Tranio, age canem*
Istam à foribus face abducas.

Suetonius de Vitellio Imp. latebras quærente, *cap.* 16. *Confugitque in cellulam* Janitoris, *religato pro foribus cane.* Et hic erat mutus, vel potiùs vocalis custos, qui Excubitore dormiente vigilaret: Erant autem & qui ponè *Januam* canem pictum haberent, ut apud Petronium Trimalcio. Porrò *Janitorum* erat ignem servare, Larium nempe familiarium, qui in Atrio fuit non procul à janua. Ovidius *Fastorum lib.* 1.

Omnis habet geminas hinc atque hinc Janua frontes,
E quibus hæc populum spectat, at illa Larem.

Confirmat Petronius, qui Lares argenteos apud Trimalcionem, in ædicula, inter *Januam* & Atrium videtur locare, in armario, ut Plinius explicat. Aliud *Janitoris* officium idem Petronius tangit: *In aditu ipso stabat Ostiarius prasinatus, cerasino succinctus cingulo, atque in lance argentea pisum purgabat*: vile nimirum & sordidum opus, quo & Venus Psychen exercuit. Ideo autem *Janitores* fores observabant, quia sordidum videbatur appensu ut olim marculo eas pulsare. Sed & *Janitrices* invenimus apud Plautum in *Curculione*,

Anus hic recubare solet custos Janitrix.

Apud Petronium, *Anus præcipuè lippa, sordidissimo præcincta linteo, soleis ligneis imparibus imposita, canem ingentis magnitudinis catena trahit, instigatque in Eumolpum.* Apud ipsum Homerum *Janitrices* esse Horas Pausanias notat *lib.* 5. A quo more sunt ancillæ ostiariæ in Evangelio, & Rhode puella in Actis Apostolorum, quæ pulsante ostium Petro processit ad audiendum. Hæc in privatorum ædibus. Excubiæ, quas tangit D. Bernardus *Meditat. cap.* 5. Cæsarum & Regum fuere. Statius *Thebaid. lib.* 1.

Non impacatis Regum advigilantia somnis
Pila, nec alternâ ferri statione gementes
Excubiæ.

Idque in vestibulis. Unde Virgilius Buten *fidum ad limina custodem* appellat: & *Æn.* 6. *versu* 575. ait,

——— ——— *Cernis, Custodia qualis*
Vestibulo sedeat?

Sed harum Excubiarum Palatinarum imaginem nemo meliùs Corippo *lib.* 3. expressit. Neque verò privati non habuerunt & ipsi suas excubias, ut ad Tacitum adnotavit Lipsius *in Lib.* 14. *Annal.* Alius à *Janitore* fuit minister, qui à *Jano* dictus est: Jano enim, à quo *Janua*, ut dictum, aras Græci ante fores statuebant, Macrobio Auctore *Saturnal. lib.* 1. *cap.* 9. Latinique videntur intus, & non uno in loco domus coluisse, ut qui apud ipsos omnibus *Januis* præesset. Ideoque homines recensentur in antiquis monumentis, *à Jano primo Palatino, à Jano medio, à Jano ab Atrio.* V. Laurentium Pignorium *Tr. de Servis.* Addam saltem *Janitores* villarum, qui *januas* ad transmittendum populum per villas observabant, ut notat Siculus Flaccus: non enim unus tantùm in tota villa fuit. Item *Janitores* sepulchrorum, qui, ad familiam Libitinariorum pertinentes, claudendis & aperiendis sepulchris erant destinati. De his Jul. Firmicus *lib.* 3. *cap.* 2. *In sexto loco Mercurius cum Saturno* [illegible] *constitutus*, [illegible] *cit, ut funerariis mortuorum* [illegible] *custodes aut Sepulchrorum* Janitores. Tit. Popma *de operis Servorum.* Nec omittendum, Romæ in viarum capitibus, portas ingentes extrui olim suisse solitas, trajectâ tantùm *januâ* aditum præbentes easque *Janos* quasi *Januas*, dictas. V. *infrà* & Jac. Oiselium *Notis in A. Gellium lib.* 1. *cap.* 16. In quibusdam sepulchris exsculpta esse ædificia, partim *januis* apertis, quibus animæ immortalitas significetur, cujusmodi sit in palatio Capitolino Triumvirûm: partim clausis, quibus interitus ejus unà cum corpore denotetur: quale in domo civis cujusdam Transtiberinæ regionis, è regione pontis Fabricii, refert Joh. Rosinus *Antiqq. Rom. lib.* 5. *cap.* 39. Plura hanc in rem, inprimis *de Januas aperiendi & claudendi*, easdem *coronis floribusque exornandi ratione*, porro de *Janitorum cellulis*, quarum apud vett. Scriptores, Vitruvium, Petronium, Suetonium *in Vitellio*, frequens mentio, aliisque, V. apud Casaubonum *ad Sueton. in Calig. c.* 55. & *Vitellio c.* 17. ubi in *cellulam Janitoris confugisse* hic dicitur, inde ad necem extractus, C. Paschalium *Coron. lib.* 2. *c.* 5. & hic passim, ubi de *Aperiendi ratione*, item in vocibus *Balanagra, Clavis, Cliens, Fores, Ostium, Pessulus, Postis, Sera, Valvæ* &c. de *Janua* vero *Consulum*, seu ostio medio Circi, senos carceres fornicatos utrinque habente, ubi Consules olim ludos spectabant, in vocibus *Circus*, item *Ostia*. At Æthiopes, inque his Macrobii præcipuè, *januas* in ædibus nullas habebant, apud Herodotum *lib.* 2. quemadmodum & Romani, inter alias ceremonias, quibus pestilentiæ tempore Deos suos ibant propitiatum, januas ædium omnium quibuslibet adire volentibus patefecerunt. *promiscuo usu rerum omnium in propatulo posito*, apud Livium *lib.* 5. *cap.* 13. Sic apud antiquissimos mortalium, utpote innocentiâ suâ tutos,

——— ——— *per viam cunctis iter*
Communis usus omnium rerum fuit,

teste Senecâ *in Octav.* &c.

Janual, genus libi, *Jano* olim offerri solitum, Fest.

Januarius, adde: Mensis hic, unà cum Februario, reliquis mensibus, quorum Romulus fuit auctor, à Numa Pompilio adjectus est, nomenque à *Jano* accepit, quòd is hujus instar, respiciat & finem transacti anni & principium futuri, V. Vossium *de or. & progr. Idolol. lib.* 2. *c.* 17. Ei primas assignavit Numa, vel quia pacis studiosus *Jano*, utpote civilis vitæ & terræ colendæ auctori, plus quam Marti detulit: vel quòd, cùm post brumam Sol ad nos cursum reflectens quasi de novo cursum suum incipiat, optimum judicaverit, idem anni, quod Solis, esse principium: Juxta Ovidium,

Bruma novi prima est, veterisque novissima Solis,
Principium capiunt Phœbus & annus idem.

In tutela Junonis erat, habuitque ex constitutione Numæ dies 29. ex ordinatione autem C. Julii Cæsaris 31. quorum qui festi fuerint, V. *infrà*. Apud Athenienses mensis hic Γαμηλιών dictus itidemque Junoni Pronubæ seu Conjugali sacer fuit: à voce γάμος, *nuptiæ*, quæ eo mense celebrari solebant. Apud Hebræos ei mensis Tebeth respondit. V. Jo. Rosin. *Antiqq. Rom. lib.* 4. *c.* 5. Fr. Rossæum *Archæol. Att. lib.* 2. *c.* 10. Godvvynum *de Rit. Hebr. lib.* 3. *cap.* 1. &c.

Festa mense Januario apud Romanos olim celebrari solita.

Kalendæ omnes in Junonis tutela erant, sed Januarii præter cæteras fuere celebres: Namque iis omne genus operis in sua quisque arte inchoabant: designati Consules Consulatum inibant, ab anno U.C. 601 Amici porrò lætis precationibus faustum sibi invicem ominabantur, muneraque mittebant. Eodem die festum erat Jani: item festum dedicationis templorum Æsculapii & Jovis, in ins. Tiberina.

IX. die, qui erat V. Iduum, celebrabantur Agonia seu Agonalia: quibus Rex sacrorum arietem immolabat.

XI. dies. Carmentalibus erat sacer. Eodem die Juturnæ ædes dicata est, in campo Martio.

XIII. seu Idus Jovi sacra fuit, ut Idus omnes, ideoque ovis mactabatur *Idulis* dicta. Eadem Octavius Imp. *Augustus* dictus, & provinciæ in formam redactæ sunt, Ovid. Tibicines item habitu muliebri urbem lustrarunt, quod alii ad Idus Junii referunt.

XV. die seu XVIII. Kal. Febr. Carmentalia iterabantur. Post quæ nullæ ampliùs mensis hujus feriæ in Kalendario annotatæ sunt, sed dies omnes, usque ad IV. Kal. Februarii Comitiales fuisse dicuntur. Ovidius tamē adhuc aliquot celebratum meminit, quas hic subjungere visum est,

XVI. die seu XVII. Kalend. Februar. festum erat dedicationis templi Concordiæ, quod à Camillo positum fuisse, Plutarchus docet: A Livius, Ovidius.

XXIV. die, qui est IX. Kal. Februar. Sementinæ feriæ celebrabantur, quæ tamen non statæ, verùm conceptivæ, erant. His durantibus sacra in æde Telluris Cereri & Tellori fiebant.

XXVII. die seu IV. Kal. Feb. festum fuit dedicationis templi Castoris & Pollucis.

XXX die, qui est III Kalend. Febr. festum Pacis erat. Lilius Gregorius Giraldus *in suo Kalendario Rom.* XXIX diem hujus mensis Equiriis assignat, quæ ad prid. Idus Martii Rosinus refert. Diis Penatibus quoque mense hoc sacrum fuisse factum, clarum est ex Kalend. veteri rustico, quod Hub. Goltzius edidit.

Januarum Potestates, apud Tertullianum *Janitores* sunt, quibus *Cancellorum Potestates*, h. e. *Cancellarios* jungit, quorum illi οἱ ἐπὶ θυρῶν, isti οἱ ἐπὶ κιγκλίδων, Græcis dicti sunt. Apud Vett. enim solidis foribus, præcipuè in prima janua, præponebantur cancellatæ ac reticulatæ, uti docet Scholiastes Aristophanis *ad illud*, Κλεῖε πυκνὰ θύρετρα. [illegible] κιγκλίδας, [illegible] οἱ ἔξω. Hinc diversa illa ministeria &c. V. Salmasium *ad Solinum pag.* 927. & hic passim, ubi de *Cancellis*, *Janua*, *Thyrsione* &c.

Janus, Italiæ Rex, adde: Fuit primus ex Selectis Diis, quorum octo duodecim Diis Consentibus seu præcipuis addidere Romani, primo etiam loco in omnibus sacrificiis nominatus est. Idem primus docuit Italos vinum & far ad sacrificia & religionem magis: quàm ad potum & esum, producta esse: Primus aras & pomœria & sacra docuit: ad pudorem & sanctimoniam domorum primus valvas, seras & claves excogitavit, unde ab eo *Januæ* dictæ, quibus etiam præesse credebatur. Olympo Regi Hetruriæ Fano sacrato, duodenis coloniis totidem pomœria arasq; sacravit & ad continendum recentes tum colonias in officio, virgas fascesque singulis singulos dedit: unde ipse in manu virgam & clavem, sub pedibus verò bis senas aras habebat, Q. Fab. Pictor, Macrob. *Saturn. lib* 1. *cap.* 9. &c. Simulacrum ejus, quod in Capitolio fuit, ita fuisse formatum, ut in manu dextra trecentorum, in sinistra sexaginta quinque numerum teneret, ad demonstrandam anni dimensionem, idem Macrobius, cum Plinio, memoriæ prodidit, V. quoq; Lil. Giraldum *Syntagm. Deorum.* Addi possunt retro memoratis ejus inventis coronæ, navigia, tumultuarii pontes &c. Joh. Rosinus *Antiqq. Rom. lib.* 2. *cap.* 3. ubi triplicis templi, primi à Romulo conditi, quod tempore pacis claudi solebat: alterius, Jani Quadrifrontis, amplissimi quatuor portarum in foro Rom. ab Augusto dedicati: tertii ad Forum Olitorium à Duillio conditi: item ædis Jani Curiatii, meminit. In Foro habitasse *Janus* Senecæ dictus est, quod ad statuas ei in Foro Rom. erectas, refert P. Victor *in octava Urbis Regione.* V. quoque Thom. Dempsterum *Paralipom. in locum Rosini suprà laudatum.* De more claudendi aperiendiq; *Jani Quirini* Fanum, ut aliquid addam, non ter solùm, sed pluries illud factum esse, adnotavit Casaubonus. Primò quidem sub Numa, instituti auctore, cujus temporibus per annos quadraginta tres Jani portæ clausæ fuerunt. Anno dein ab U. C. 519. Coss. T. Manlio Torquato, C. Attilio Balbo II. iterum Janum clausum, eodemq; anno rursum apertum esse, referunt multi. Tertiùm clausit Augustus an. U. C. 725. Coss. se V. & Sexto Apulejo, post victum Antonium. Quartùm idem Princeps, Coss. ipso IX. & M. Junio Silano, quum ex bello Cantabrico Romam rediisset, ann. U. C. 729. Quintùm rursus clausit idem Imperator, circa tempora nati Regis & Pontificis Summi SERVATORIS nostri: mansitque sic obseratus fere per duodecim annos, ad Varianam usque cladem. Tum apertæ ejus fores ad Neronis usque tempora patuerunt. Sextùm clusit Nero, se III. & Valerio Messala Coss. ann. U. C. 811. Septimum (Tacitus & Orosius dicunt *sextùm*, quia Nero sine causa clauserat) Vespasianus ann. U.C. 824. se III. & Nervâ Coss. à quo tempore super *Jani portis* altum silentium est, usque ad Gordianum Jun. quem, *Jano aperto*, contra Persas esse profectum, anno U. C. 995. Prætextato & Attico Coss. testatur *in eo* Capitolinus. Sed & Christianis Impp. servatum aliquandiu vetus hoc institutum, discimus ex Ammiano *lib.* 16. ubi, post victam Magnentium, Constantium, sublatis omnibus Tyrannis jam unum Orbis Dominum, *Janum clausisse*, memorat, anno U. C. 1105. V. Casaubonum *ad Augustum Suetonii cap.* 22. ubi *Inscriptionis*, quæ Emeritæ in Hispania extat, initium hanc in rem istud quoque exhibet: IMP. CÆS. DIVI. F. AUGUSTUS. PONT. MAX. COS. XI. TRIBUNIC. POT. X. IMP. VIIII. ORBE. MARI. ET. TERRA. PACATO. TEMPLO. JANO. CLAUSO. &c. Plura de *Jano*, præter Auctores præfatos, V. apud Casp. Barthium *Commentar. Superstitionum*, & Gerh. Jo. Vossium *de orig. & progr. Idolol. lib.* 1. *cap.* 12. ubi *inter Reges Aborigines, eos, Deos Indigetes olim falsò referri: cap.* 18. *ubi Noe*, vel *potiùs Javan illum*, patrem Jonum: *lib.* 2. *capp.* 15. & 16. ubi *Solem* per eum cultum fuisse, docet, & de variis epithetis ejus, *Sceptro* insuper & *clave*, cum quibus pingebatur, aliisque huc pertinentibus, accuratè agit.

Varia Jani cognomina.

Bifrons dictus est, vel quòd genere Græcus, sede Italus fuerit: vel quòd Italos à fero vitæ genere ad civiliorem vitam traduxerit: vel quòd vir prudentissimus fuerit: vel quòd Janus sit mundus geminâ facie, hac Ortum spectante, illa Occasum.

Clusius appellatus est, quia valvæ ejus pace claudebantur.

Consivus, à conserendo nomen habuit, id est, à propagatione generis humani.

Curiatius, ædem habuit ab Horatio extructam, in memoriam Curiatii à se interfecti, in nobili illa Tergeminorum pugna.

Deus Deorum, in Saliorum carmine appellatus est.

Geminus sive Quadrifrons fictus & vocatus fuit, quòd universa climata Majestate suâ complecteretur.

Junonius, nomen habuit ex eo, quòd non solum mensis Januarii, sed omnium mensium, ingressus teneat. Unde 12. ei aras pro totidem mensib' dedicatas scribit Varro, *libro* 5. *Rerum Rom.*

Pater dictus est, quia omnium Deorum primus fuit. V. infrà *Pater.*

Patulcius, quia belli tempore valvæ ejus patebant. Ovid. *Festorum lib.* 1. *Nomina ridebis, modò namq; Patulcius idē Et modò sacrifico Clusius ore vocor.*

Quadrifrons, V. suprà *Geminus.* Habebat templum amplissimum 4. portarum in Foro Rom. quod ei Augustus dedicavit. Janus ipse, qui in eo colebatur, Faliscis Thusciæ civitate captis, in Forum transitoriū Romam translatus erat. Templi iconem è veteri lapide exhibet Joh. Rosinus *loco præfato.*

Quirinus appellatus est, quasi bellorum potens; ab hasta, quam Sabini Curim vocabant.

Septimianus, non Dei, sed ædificii pervii, à Septimio Severo fortasse extructi, nomen fuisse videtur. *Janos* enim talia ædificia quadriformia ac pervia appellata fuisse, infrà videbimus.

Janus, locus Romæ, adde: *Jani medii* meminit inter alios A. Gellius, qui cum *in clientela L. Annaii* fuisse ait. Hic cur id nomen tulerit, quærunt Erudici. In Regione Fori Romani duo *Jani* erant, ad aream Fabianam, ut ait Victor, incrustati & adornati signis, *superior* & *inferior*, celebris mercatorum locus & fœneratorum, apparetque, spatium inter utrumque *Janum medium* fuisse dictum, Hadr. Turnebus *Adversar. lib.* 26. *cap.* 26. Ita Cornutus ad Palæmonem, *Jani templum biforis*, inquit, *in clivo Capitolino vetustissimum, crustatis marmoreis vel è Pariis columnis vidimus; quod in medio ejus clivi summitate*, *Janus summus*: *& imus, in extremo clivo appellatur. Locus sub templo, medius etiam Janus dicitur, ubi puteal & fœneratores incolerent.* Hier. Magius *Miscell. lib.* 2. *cap.* 12. ideo *Janum medium* dici existimat, quòd inter duo fora sacratus staret, ad quem tanquam celebriorem ac ratione loci commodiorem & fœneratores & mercatores convenire solerent. Marcell. Donatus *ad illud Suetonii in Domitiano, cap.* 13. *Janos arcusque cum quadrijugis extruxit*, annotat: Nos arbitramur, per *Janos* intelligendas esse portas illas magnas, quæ in viarum capitibus extrui solebant ab antiquis Romanis, unicâ tantùm januâ aditum præbentes, vulgò *Portoni.* Oiselius *in A. Gellium lib.* I. *c.* 16. suspicatur quoque, *Janum medium* dictum esse spatium, quod erat inter *Janum summum* & *imum*: De quo Horatius *lib.* 1. *Epist.* 1.

——— ——— *Hæc Janus summus ad imum* [illegible]

& Cic. *lib.* 2. *Offic.* *à quibusdam viris optimis ad medium Janum sedentibus.* Non desunt, qui tres *Janos* fuisse scribant: inter quos Livius *lib.* 41. de Fulvio Flacco Censore, *In his & cloacam circumducendam & forum porticibus tabernisq; claudendum, & Janos tres faciendos.* Verùm & plures in Urbe *Janos* esse, dixit Ovidius, per quos intelligendæ transitiones vel fornicata opera, & arcus marmorei, ut ex Suetonio patet. Sic Jo. Rosino *Antiqq. Rom. lib.* 2. *cap.* 3. in plurali numero *Jani*, dicta sunt ædificia quadriformia & pervia, sive stata illa & lapidea, sive ex materia pro tempore excitata, cujusmodi multi in Urbe fuerunt, teste P. Victore, cùm ait: *Jani Quadrifrontes per omnes regiones marmoribus incrustati & adornati insignibus militaribus & signis, duo præcipuè ad aream Fabianam* (in aliquibus est, *ad aream Fabianam*) *superior inferiorq; ubi Argentarii & Nummularii artem suam exercebant.* V. quoque Acronem & Porphyrionem in *Horatium*, nec non Johannem Brodæum *Miscellaneorum lib.* 2. *cap.* 19. Fuisse autem *Janos* hujusmodi, seu *transitiones pervias*, ut Tullius interpretatur, non minùs ac Fora, magnâ hominum frequentiâ celebrari solitos, Amm. Marcellinus docet *lib.* 38. *potiores auctoritate longævi, per janos & fora clamitant sæpe, Remp. stare non posse.* Sed & ex urbe in colonias transiisse, testis est Livius *lib. cit.* *Fulvius Flaccus* [illegible] *rum porticibus tabernisq; claudendum & Janos tres faciendos.* V. Casaubonum *ad Suetonii Augustum cap.* 31. ubi hic, *Pompeii statuam marmoreo* Jano *supposuit* &c. V. quoque Salmasium *ad Spartianum in Severo*, ubi de *Jano Septimiano.*

Jao, V. suprà *Jabè.*

Japan, Solino *cap.* 27. qui [illegible]

Japonia, adde: Incolæ ante 8. circiter secula à Sinensibus originem traxisse dicuntur, subfueruntque uni Monarchæ, quem *Dairum* appellabant, & velut Numen quoddam venerabantur, donec, decrescente indies ob intestina dissidia *Dairorum* potentiâ ab A. C. 1500. Reges provinciarum passim rebellare ac suo arbitrio vivere cœperunt, circa A. C. 1600. E quibus præcipuè Nubananga R. Voaris, urbe Meaco captâ, totius *Japoniæ* Rex potentissimus evasit, A. C. 1570. ita tamen, ut auctoritatem Dairi adhuc agnosceret. Ei successit Taxiba Quaba Gondonus, A. C. [illegible] quem excepit Taikosamma, *Imperator Japoniæ*, ab ipso Dairo sponte se abdicante, declaratus, novæque sic Monarchiæ conditor, de cujus factis, potentia ac magnificentia, stupenda referuntur. Illi successit filius Fidery-Samma A. C. 1607. sub tutela Ogoschionis; qui, pupillo nefariè obtruncato, ipse imperium arripuit, A. C. 1616. intra vertentem annum extinctus. Post hunc Kombosamma præfuit, cui Chiongon successit A. C. 1630. [illegible] *Orb. Imper. p.* 457. Cæterùm de *Dairorum* [illegible], qui in [illegible]

Se suo hospitem Bonzio Combadaro, quem anniversaria die colunt ac invocant, Vossium *de orig. & progr. Idolol. lib.* 1. *capp.* 1. & 25.

Japyx, , ventus, adde: non peculiaris hic illi regioni ventus est, sed qui generali nomine Græcis Ἀργέστης, Romanis *Caurus* dictus est, apud Calabros, qui ex *Japygia* flatum ejus accipiebant, peculiari & locali appellatione, *Japyx* est nominatus. Quemadmodum eundem ventum Athenienses, quòd ex Scironiis saxis eum sentirent, nomine *Scironis*, Atticæ regioni peculiari, neque alibi noto, insignierunt. Transiit dein peculiaris hæc appellatio in nomen generale; unde *Japyga*, pro Argeste, dixit Virgil.

Ferret ignipotens flammis & Japyge *ferri* &c.

V. Salmasium *ad Solinum p.* 1257.

Jaqueria, factio *Jacoborum*, in Gallia olim, V. suprà *Jacke*.

Jarbas, adde: *Japon* Solino dictus, ut vidimus, Maurusiorum Rex Virgilio, Maxitanorum Justino fuit. Sunt autem hi, qui Græcis Μάξυες, seu Μάζυες, Latinis quoque *Maxuesi & Maziæ*, appellantur, de quibus dicemus infrà suo loco.

Jarchas, adde: Ejus septem annuli, quos Apollonio Thyanæo dono dedit, celebres sunt; quorum beneficio illum juventæ nitorem prætulisse, quamvis jam centesimum annum excessisset, auctor est Philostratus *l.* 3. Cujusmodi annulus Magicus Gygi fuit, quo circumacto habentem nemo cernebat, si vera sunt, quæ de illo scribit Plato *de Republica l.* 2. & eum sequutus Cicero *Officior. lib.* 3. sicque eandem habuit potestatem, cum Orci galea, Ἄϊδος κυνῆ, quâ qui indutus erat, omnes quidem videbat, Ipse verò à nemine conspiciebatur, ut habet Zenobius *Proverb.* Quam ob causam & duo hæc conjunguntur à Platone *de Republ. lib.* 10. & post eum à Gregor. Naz. 1. *in Jul.* De annulis Excesti, Phocensium Tyranni, suprà vidimus, ut & de eo, quem Eleazarus habuit Judæus, qui ejus ope, coram Vespasiano Imper. multos à malo genio obsessos liberasse traditur Josepho *Antiqq. Judaic. lib.* 8. *cap.* 2. ut de illiusmodi annulis, qui malis geniis pellendis efficaces creduntur fuisse, ex Luciano *in Philopseude*; deque iis, quos apud eundem *in Navig* vel *Votis*, Timolaus sibi optavit, nil addam. Pertinet in eundem censum annulus ille fatidicus, quo de successore Valentis Imp. quæsitum, apud *Amm.* Marcellinum *libro* 29. ubi totus ordo infandæ illius decantationis prolixè descriptus extat. De annulis, in morbos valentibus, multa disserit Marcellus Empiricus *c.* 29. Alex. item Trallianus *l.* 10. *de Colico aff.* cujus generis fuisse videtur is, quo S. Eduardus Angliæ Rex Comitiali morbo laborantibus auxiliatus est, apud Carionem *Chronic. lib.* 3. Atque hunc in usum apprimè facere inter gemmas dicuntur Achates & Jaspis viridis, ut de illo videre est apud Servium P. Danielis *in Paralipom. ad Virgil. lib.* 1. de isto, apud Paulum Æginetam, *de Re Medica l.* 7. *sub lit.* A. & Aetium *Tetrabibli* 1. *Serm.* 2. *c.* 36. In recentiori historia, memorabilis est annulus, in ore cujusdam mulierculæ mortuæ inventus, cujus insano amore Carolum Magnum Imper. olim captum fuisse memorant: cujus historiæ, quæ à fabula non multùm abludit, meminit Stephan. Paschasius *des Recherches de la France lib.* 5. *c.* 31. testem laudans Franc. Petrarcham, cujus verba *l.* 1. *Epist.* 3. hæc sunt: *Vidi Aquensem Caroli sedem & in templo marmoreo verendum barbaris gentibus illius Principis sepulchrum: ubi fabellam audivi non inamœnam cognitu, à quibusdam Templi sacerdotibus, quam scriptam mihi ostenderunt, & postea apud modernos scriptores accuratiùs etiam tractatam legi* &c. Et paulò post: *Carolum Regem, quem Magni cognomine æquare Pompejo & Alexandro audent, mulierculam quandam perditè ac efflictim amasse, memorant. Ejus blanditiis enervatum, neglectâ famâ, cui plurimùm inservire consueverat, & posthabitis regni curis aliarum rerum omnium & postremò sui ipsius oblitum: diu nullo prorsus in re, nisi in illius amplexibus acquievisse, summa cum indignatione suorum ac dolore. Tandem, cùm jam spei nihil superesset, fœminam ipsam malorum causam insperata mors abstulit: cujus rei ingens primùm in regia, sed latens gaudium fuit. Deinde dolor tantum priore gravior, quantum fœdiore morbo correptum Regis animum videbant: cujus nec morte lenitus furor, sed in ipsum obscœnum cadaver & exangue translatus est; quod balsamo & odoribus conditum, onustum gemmis & velatum purpurâ, diebus ac noctibus, tam miserabili, quàm cupido fovebat amplexu — Itaque cùm certatim ad eum, pro summis Regni negotiis, Legationes gentium, Præfectique & Provinciarum Præsides convenirent, is in lectulo suo miser, omnibus exclusis, ac obseratis foribus, amato corpusculo cohærebat; amicam suam crebrò velut spirantem responsuramque compellans — Erat ea tempestate in aula Coloniensis Antistes, vir (ut memorant) sanctitate & scientia clarus, nec non comitatus & consilii Regii prima vox, qui Domini sui statum miserabatur, ubi animadvertit humanis remediis nihil agi, ad Deum conversus illum assiduè precari, in illo spem reponere, ab eo finem mali poscere, multo cum gemitu. Quod cùm diu fecisset, nec defuturus videretur, die quodam illustri miraculo recreatus est. Siquidem ex more sacrificanti & post devotissimas preces, pectus & aram lacrymis implenti, de cœlo vox insonuit, sub extinctæ mulieris lingua furoris regii causam latere. Quo lætior, mox ad locum, ubi corpus erat, se proripuit, & jure nobilissimæ familiaritatis regiæ introgressus, os digito [illegible] gemmam [illegible]* [illegible]

repertam festinabundus avellit. Nec multò post rediens Carolus, & ex consuetudine, ad mortuam properans, repentè aridi cadaveris spectaculo percussus, obriguit exhorruitque contactum: auferri eam quantocyus ac sepeliri jubens. Inde totus in Antistitem conversus, illum amare, illum indies arctiùs amplecti: denique nihil nisi ex sententia illius agere, ab illo nec diebus nec noctibus avelli. Quod ubi sensit vir justus ac prudens, optabilem fortè multis, sed onerosam sibi sarcinam abjicere statuit: veritusque, ne si vel ad alterius manus perveniret, vel flammis consumeretur, domino suo aliquid periculi afferret, annulum in vicinæ paludis præaltam voraginem demersit. Aquis fortè tum Rex cum Proceribus habitabat: ex eoque tempore cunctis civitatibus sedes illa prælata est &c. V. Joh. Kirchmannum *de Annulis c.* 21.

Jareb, apud Oseam *c.* 5. *v.* 13. & *c.* 10. *v.* 6. vocatur Assyriæ Rex, מלך ירב *Rex Jareb*, quæ vox *vindicem* denotat; eo quòd Assyriæ Rex, cum universa gente, Israelitarum quoque Deos in captivitatem abduxit. Si enim Judæis credimus in *Seder Olam maj.* anno 20. Phace R. Israel, Teglath Phalassar Rex Assur, abstulit è Dane vitulum aureum; & 12. Regis Achazi, i. octavo pòst anno, etiam alterum è Bethele Salmanasser abduxit. In quo morem agnoscere est vett. Ducum, qui non solùm de victis gentibus, sed & de Diis, triumphabant. V. Sam. Bochartum *Hierozoici Part. posterior. lib. II. c.* 34.

Jarnacum, adde: Idem nomen illustris est in Gallia Familiæ, quæ Cabotiæ seu Chabotiæ stirpis est ramus. In Theobaldi namque filiis, sub principium seculi XIII. cùm tres lineæ cepissent, nempe in Theobaldo IV. Gerhardo, & Sebrano: ab illo Domini *de Rochecervière*, sed non nisi ad duos gradus: ab isto Domini *de la Motte Achard & de Raiz*, exeunte seculo XIV. extincti; ab hoc, præter Dominos *de Chantemerle*, linea Dominorum *de la Greve* orta est. Ex quibus directa primogenitorum successio defecit, in Ludovico mortuo A. C. 1472. successione, per sorores ejus, ad Castillonios & Comincum devoluta. Ludovici patruus fuit Renaldus de *Jarnac*, cujus filius Jacobus duarum linearum extitit auctor. Nam ex minore ejus filio Philippo Dn. *de Brion*, & Com. *de Buzançois*, ac deinde *de Charny*, Admiralli Franciæ, proveniunt reliqui illustres Comites de *Buzançois* &c. Ex majori autem Carolo, reliqui Barones & Comites *de Jarnac* descendunt, inter quos Henricus inprimis celebris est, qui hærede Ducali Rohaneâ ductâ, illam successionem domui suæ intulit. Ejus progenitores hi: Jacobus Chabotius Dn. *de Jarnac & Brion*, ex Magdalenâ (fil. Theobaldi *de Luxembourg*. Dn. *de Fiennes*) genuit Carolum Bar. *de Jarnac*, maritum Johannæ de S. Gelasio (fil. Johannis de S. Gelasio, Bar. *de Montlieu en Bordalois*) & ex ea patrem Guidonis Baronis *de Jarnac*: quo & Luisa *de Pisseleu* (fil Guilielmi *de Pisseleu* Dn. *de Heilly*) genitus Leonorus Baro *de Jarnac*, obiit A. C. 1605. Huic Margareta *de Durfort* (fil. Symphoriani *de Durfort*, Bar. *de Duras*) peperit Carolum Chabotium de S. Gelasio, Dn. *de Mucidan & S. Aulaye*; cujus ex Henrica *de Lur* (fil. Michaelis *de Lur* Dn. *de Longa, Barriere & Mucidan*) filius Henricus præfatus, Margaretham (fil. Henrici Ducis *de Rohan*, Princ. *de Leon*) sibi junxit; uti superiùs vidimus, ubi de Familia *Chabotia* V. Phil. Jac. Spenerum *Theatr. Nob. Eur. Part. I. p.* 97.

Jaspis, gemma, *viret & sæpe translucet. etiamsi victa à multis, antiquitatis tamen gloriam retinens — Optima, quæ purpuræ quicquam habet: secunda quæ rosæ: tertia, quæ smaragdi. Singulis autem Græci nomina ex argumento dedere. Quarta apud eos vocatur Borea, cœlo autumnali matutino similis: & hæc erit illa, quæ vocatur aerizusa. Similis est & sarda, imitata & violas. Non minùs multæ species reliquæ, sed omnes in vitio cæruleæ aut crystallo similes — Quamobrem præstantiores fundâ clauduntur, sed patentes, nec præterquam margines auro amplectente*, &c. Ubi quam *aerizusan* ex Græco vocat, *άερίζουσα* appellatur Dionysio, hoc est, cœlini coloris, quem & *aerinum* dicebant, ut suprà vidimus; Hodie Persis *Firusa* vel *Feruse*, quod corruptum ex contracto ἀερίζουσα; eadem cum nostra Turchesia, seu Turcica gemma, Gall. *Turquoise*. Hanc ad custodiam & tutelam proficere olim creditum, unde pro amuleto gestatam, præcipue adversus phasmata, testis est modò laudatus Auctor, verbis hisce,

[illegible]

Ἔχθρον ἐπαοιδοῖς [illegible]

Epiphanius item, cui illa ἄκος φυλακτήριον propterea appellatur. Concionantibus etiam utilem esse, Magi affirmabant & ad gratiam valere. Sed omnem *Jaspidem* amuletum fuisse, tradit Dioscorides, [illegible]. Et Plinius *cap. seq. Totus verò Oriens pro amuleto eam traditur gestare*: quâ de re V. Salmasium *ad Solinum pag.* 131. & 1130. Porro usus *Jaspidum*, ad signandum. Plinius ubi suprà, *Nec diversæ, quas sphragidas vocant, publico gemmarum domino iis tantùm dato, quoniam optimè signent, cap.* 8. Ad enses stellandos. Virgilius *Æneid. lib.* 4.

— *atque illi stellatus* jaspide *fulva*

Ensis erat —

Ubi gemmatum jaspidibus ensis capulum, in quo jaspides positæ, velut stellæ, fulgebant, exponit Salmasius. Ad pectus puellarum coronandum constandumque, Claudian. *Epigr.* [illegible]

— *viridisque angustat iaspide pectus* &c.
Imò & digna gemma hæc visa, quæ sacro Pectorali Pontificis Hebræorum Summi infereretur. *In secundo enim ordine carbunculus, sapphirus & jaspis*, ut vulgò redditur, recensentur Exodi c.28.v.18. ubi in Hebr. est vox, יהלם. Sed cùm in quarto ordine ultimo loco v. 20. occurrat vox ישפה, *jaschpeh*, quæ *jaspidem* referre videtur, malunt alii hoc potiùs loco jaspidem intelligi, quibus suffragatur Rabbi David, lapidem, qui Arabicè *Elias* vocatur, hic indigitari docens. V. Andr. Rivetum *Commentar. in h. l.* In Novo Test. disertè gemma hæc binis locis memoratur, in Apocalypsi, *cap.* viz. 4. v.3. ubi is, qui insidebat throno, aspectu similis dicitur *lapidi jaspidi & sardio*; quorum illo gratiam, isto justitiam Dei, denotari volunt. Item *cap.* 21. v. 19. ubi inter XII. fundamenta novæ Hierosolymæ, *Iaspis*, principe loco ponitur &c. Ut de magnitudine aliquid addam, *Magnitudinem Iaspidis*, inquit Plinius *cap. 9. cit. undecim unciarum* (ubi XV. habet codex MS.) *vidimus, formatamque inde effigiem Neronis thoracatam*. Plura de *Iaspide*, eiusque variis generibus, V. apud eundem *capp.* 8. & 9. cit. Auctoresque, qui ex professo *de Gemmis* scripserunt, laudatos supra in voce *Gemma*. *Iaspidem Petri Ratschofii*, Bacchum racemis uviferis coronatum referentem, edidit Casaubonus in libellis *de Satyra*: de *Iaspide* inprimis ..., *chalcedonia*, ..., *à fumido colore* sic dictâ, V. Salmasium 102. 346. & 561. Voces compositæ ex hac: *Iaspachates*, apud Orpheum de achate jaspidi simili; *Jaspouyx*, iaspis onychem referens, apud Plin. Et *Iaspopallius*, apud Epiphanium *de XII. gemmis*. iaspis opallio, vel contrà, similis. Salmasius ubi supra, p. 130.

Iasus, urbs. adde: Rudera eius hodie Turcis appellari *Askem-Kalesi*, seu *Castrum de Askem*, docet Jac. Sponius, ex vet. marmore ibi reperto, in quo Lysimachus quidam monumentum id sibi, filio suo filiæque, & liberis ex illis vel jam natis, vel demum nascituris, socero item suo, generoque Leoni, filio Artemisii, qui civis Milesius, sed ΦΥΣΕΙ ΙΑΣΕΥΣ, *oriundo Iassius* esset, erigi curasse, significat: partem Inscriptionis exhibet idem *Itiner. Part. 3. p.* 161. In Insula fuisse hanc urbem, Continenti proximam, ibidem reliquias mœnium & theatri è marmore constructi, ubi vetus *Inscr.* Græca, quæ Zopatrum quendam, Epicrate genitum, Baccho illud dedicasse, testetur, etiamnum conspici, aliaque huc pertinentia, legas apud eundem *Itinerar. Part. I. p.* 360. Addo saltem, apud urbem hanc, Babylonem puerum a delphino olim adamatum, & ob id ab Alexandro M. qui ibi tum fortè agebat, Neptuni sacerdotio ibidem præfectum fuisse, tradere Solinum *cap.* 12. ad quem l. V. egregiam *Exercitationem* Salmasii *p.* 185.

Iasus, Argi filius, qui Phoroneo, in Regno Argivorum, successit, de quo V. Apollodorum *l.* 2. Hinc *Iasides*, epitheton Adrasti, apud Papinium Statium *Thebaid. lib. 6. vers.* 911. Sed & *Iason* Lycius, cuius interfecti canem inedia obiisse, refert Solinus *cap.* 15. *Jasus*, in *MSS.* dicitur teste Salmasio *ad l.*

Jatraleptice, Græcè Ἰατραλειπτική, pars Medicinæ memoratur Plinio *l.* 29. *c.* 1 ubi postquam Clinicen ab Hippocrate institutam divisisset, pergit: *Nec fuit postea quæstus modus, quoniam Prodicus — discipulus eius, instituens, quam vocant iatralepticen, ... quoque Medicorum atque mediastinis vectigal invenit. Horum placita ... ingenti garrulitate mutavit* &c. Unguentariam dicas, quæ frictionibus, ac oleorum illitu, morbos curat & sanitatem tuetur. Athletis eam cum Medicina addidisse, ait Plutarchus. V. supra in voce *Aliptice*.

Javan, adde: De illo Josephus *Antiqq.* l. 1. c. 7. ... Ἰαυάνου Ἰωνία ... Ἕλληνες γεγόνασι, *à Javane Ionia & omnes Græci orti sunt.* Proin in S. Scriptura, non uno in loco, *Javan* pro Græcis ponitur, inter alia Dan. c. 10. v. 20. & c. 11. v. 2. Etiam Strabo Iones Ἰάονας vocat, extrusâ vocali *v*, quod non rarò contingit: & Æschylus *in Persis*,

Ἰαόνων γῆν οἴχεται πέρσας θέλων,
Ionum terram vadit vasi auctus.

In quæ verba Schol. Ἰάονας δὲ, inquit, ... Ἀθηναίους λέγουσιν ... Namque & Attica priùs *Ias* & *Ionia* dicta est. V. Rossæum *Archæol. Attic. l.* 1. *c.* 1. & Vossium *Idolol. l.* 1. *c.* 36.

Jaxartes, fluv. adde: Et Tanais, qui in Mæotidem paludem influit, à Macedonibus nomen impositum, & prope illum fuisse Alexandri aram, ut & Herculis Liberi patris, Semiramidis & Cyri, Græcè ... docet Salmas. *ad Solin. p.* 790.

le Jay, nomen illustris in Gallia Familiæ, è qua memoratur Stephanus Eques circa A. C. 1300. In eius descendentibus servatus fere est titulus Domin. *de Floigny*. Accessit dein, cùm Oudardo *le Jay*, Dn. *de Boutebac*, nupsisset Nicolaa *Musnier* (dicta alias Avia paterna *du Pré*) novum hoc nomen, quod nunc quoque cum priori servatur. Probatio modernorum hæc est: Bernardus *le Jay*, Dn. *de Boutebac*, ex Genoveta (fil. Petri Dn. *de Quignon*) pater fuit Petri *le Jay*, Dn. *de Boutebac*, Equitis; cui Francisca *de Fcangeon*, genuit Oudardum, de quo ante: Huic Nicolaa, quam diximus, peperit, genuit Claudium *du Pré* (ex conditione maternæ conjugii) ... *D. de maison pré Kaerdaniel*; quo & Susanna *Lairnė* Dn. *de Kaerrodierne*, Dn. *de Kaerr* (fil. Petri *Lairné* Dn. *de Kaerrodierne, Kaerdaniel* &c.) genitus Johannes *du Pré*, Dn. *de Kaereal, Kaerdaniel, Kaermerien*, junctâ sibi Elisabethâ Ferræâ *de la Garraye* (fil. Caroli *Ferré de la Garraye* Equ. Dn. *de la Villes-blanes la Verrie*) suscepit Gedeonem *du Pré le Jay*, Dn. *de Kaerdaniel* Vicecom. *de la Belliere en Loudeac*, cui ex Sara Barbier (fil. Petri *Barbier* Dn. *de Vautelles & de Pillant*) nati sunt Petrus Gedeon Dom. *de Floigny*, Johannes Philippus Dn. *de Brimoutiez*, Gedeon Dn. *de Bosplerre*, Esthera Olympia *Mademoiselle de Kaerdaniel*, Carola *Mademoiselle de la Belliere*, & Juditha Elisabetha *Mademoiselle du Pré*, omnes nominis *du Pré le Jay*. Spenerus *Theatro Nob. Pars III. p.* 66. & *Indic.*

Jazeran, in *Chron.* Bertrandi Gueselini *MS.* vestis militaris species, *Glazerino* apud Jo. Villaneum *l.* 8. *c.* 78. laudatum Car. du Fresne *Glossar.*

IB.

Iberia, adde: *Iberos* purpureis vestibus in pugna amictos, patrio more, fuisse hostibus terribiles, prodit Polybius *lib.* 3. Cæterùm de *Iberis Asiæ* monet Salmasius, eos, cum Colchis & Albanis, *Scythiæ* nomine à Poetis comprehendi, *ad Solinum pag.* 890.

Iberus, nobilis agitator apud Silium Ital. *l.* 16. ubi de Ludis à Scipione in Africa celebratis,

Cinyphio rector cocco radiabat Iberus.

Quadriga eius *Panchatis* equi nomine insignis fuit, de quo infrà.

Ibices CC. inter alia animalia herbatica, quæ die muneris rapienda populo concessit Gordianus, apud Jul. Capitolinum in *Vita* c. 3. Est autem *Ibex*, Hebr. יעל *jaal*, quod nomen ab *ascensu* accepit, eo quòd in summis montibus degit, Psalm 104. v. 18. Cornua habet vastissima, quæ à capite usque ad clunes protenduntur; memoratque Scaliger vetulorum cornu pependisse pondo duodeviginti, & in quibusdam nodos 24. numerari totidem annorum conjecturam. Ea inter pretiosas merces recensentur Ezech. c. 27. v. 15. idque propter multiplicem eorum usum. In Libya enim ingentium poculorum vicem præstare, & si peritè excaventur, tricongiorum, refert Ælianus *l.* 14. *c.* 16. Ex iisdem arcus in Creta fieri, apud Bellonium extat. Unde non dubitat Bochartus, quin Homeri ἰξάλος, *Il.* δ. *v.* 105. sit *Ibex*, cùm & agrestis capra & in rupibus deprehensa dicatur & habuisse *κέρατα ἑκκαιδεκάδωρα, cornua palmarum sedecim*, ex quibus Pandaro arcus fabricatus, V. *infrà*. In hæc *cornua*, ait Plinius, *se librant Ibices, ut tormento aliquo rotati in petras, potissimùm è monte aliquo in alium transilire quærentes, atque recussu pernicius, quò libuerit, exultant.* Quò pertinent illa Virgilii,

Ecce feræ saxi dejectæ vertice capræ
Decurrere jugis.

Quòd si earum aliqua in præceps cadat, tali membrorum sunt robore, ut maneant illæsæ, cùm similem habeant petris duritiem, in cornibus maximè; quæ à capite usque ad nates pertingentia ita eas tutantur, ut ne à petris quidquam timeant, Ælianus, Isidorus, Alii. Porrò in cornibus duo esse foramina, per quæ respirent, quibusque obturatis pereant ilico, scribit Damir; idemque refert de ægagro, qui cum *Ibice* idem, Oppianus *lib.* 2.

Εἰ δέ τις αἰγάγρου κεραῶν κηρὸν περιχεύοι,
Ζωῆς ἐξελάσειε ὁδοὺς, πνοιῆς τε διαύλους.
Quòd si quis ægagri cornibus ceram circumfuderit,
Vitæ is intercluserit vias, respirationisque meatus &c.

Plura de hoc Animali, ... inprimis earum tum in catulos, cum capti abducuntur, tum in parentes senio confectos: de fabella item Judæorum, Jonam ab *Ibice* lactatum, dicentium, V. apud Sam. Bochartum *Hierozoïc.* Part. *prior. Lib. III. cap.* 23. de partu illarum difficili, apud Vossium de *Idolol. l.* 3. *c.* 49.

Ibis, quod serpentes, Nilo exundante, devoraret, pro Numine Ægyptiis fuit. V. Ciceronem *de Nat. Deor. lib.* 1. *c.* 36. & *Consol. sub fin.* Lucianum *Iov. Trag. Tom.* 3. *pag.* 469. Unde iis ante exercitum positis, cùm parcerent Ægyptii, Pelusium expugnavit, sicque in Ægyptum pervenit Cambyses, apud Polyænum *l.* 7. &c. De ea sic Solinus c. 32. *Circum easdem ripas* (Nili viz.) *ales est* ibis. *Ea serpentium populatur ova, gratissimamque ex his escam nidis suis defert* — *Nec tamen aves istæ tantùm intra fines Ægyptios prosunt; nam quatenus Arabicæ paludes pennatorum anguium mittunt examina — in procinctum eunt universæ, & priusquam terminos proprios externum malum vastet, in aere occursant catervis pestilentibus, ibi agmen devorant universum: quo merito sacratæ sunt & illæsæ. Ore pariunt. Nigras solum Pelusium mittit, reliqua pars candidas.* Ubi quòd ore hanc Ægypto peculiarem avem parere tradit, refellitur a Salmasio, ore tantum coire eas, uti corvos, vulgò creditum docente pluribus *ad eum p.* 418. Porrò clysterem inventum earum Plinius facit *l.* 8. *c.* 27. & in Alexandria plateas omnes iis de curibus ac domesticis refertas esse, apud Strabonem legas &c. Quòd vero avis hæc cùm collum & caput sub plumis abdiderit, cordis figuram exprimit, teste Æliano *de Animal. l.* 10. *c.* 29. quodque, ad evitandas feles, in palmis nidificat, ut idem alibi

refert, inter Hieroglyphica cordis Deo grati, & mentis generosæ ac in celsa virtute quiescentis, recensetur: V. Nic. Causinum *Hieroglyph.* In eam Idmonem Poetam conversum, apud Ovidium habes: ut plura hanc in rem, apud G. Jo. Vossium *de orig. & progr. Idolol. l.*1.*capp.*74. 78. 82. & 96.

Ibycus, Lyr. Poeta, adde: primus variantia quinque Planetarum nomina digessit, & instrumentum Musicum, jambis canendis idoneum, excogitavit, quo Romanos Gallosque olim in bello usos, legimus. *Sambycam* seu *Jambycam*, vocavere &c. V. Vossium *de Idolol. l.*2.*c.*33.

I C.

JC. in notis antiqq. *Jurisconsultus, Julius Cæsar.* IC. E. V. *justa causa esse videtur*, significat, Fr. Gouldmannus. IC XP NI KA. *Inscriptio* in interioris ævi numismatibus Impp. Græcorum frequens, V. supra in *Christi Monogramma*, & hanc in rem plura, apud Car. du Fresne *Dissertat. de Numismat. infer. ævi*, *num.* 25.

Icades, Græcè Ἐικάδες, feriæ in honorem Epicuri institutæ. Plin. *lib.* 35. *c.*2. *Iidem palæstras athletarum imaginibus & ceromata sua exornant, & vultus Epicuri per cubicula gestant ac circumferunt secum. Natali ejus vicesima Luna sacrificant, feriasq́; omni mense custodiunt, quas* Icadas *vocant.* V. in voce *Icadistæ*.

Ichneumon, Heracleopolitis olim cultus, Clem. Alexandr. *Protrept. pag.*19. Græcè ἰχνεύμων, item ἰχνευτὴς: quòd rostro suo prælongo quærat & *investiget*; recentioribus ὕδρος, & Latinè *Sullus*, ut in versu Dracontii,

Præcidit sullus vim cujuscunque veneni,

quòd more *suis* rostrum semper in terra habeat: animal fluviale, vel potiùs ἀμφίβιον Straboni & Vitruvio, Salmasio terrestre solùm, *notum hac gloria maximè* (internecini cum aspide belli) *in eadem natum Ægypto. Mergit se limo sæpius, siccatque Sole. Mox ubi pluribus eodem modo se loricavit coriis, in dimicationem pergit. In ea caudam attollens ictus irritos aversus excipit, donec obliquo capite speculatus invadat in fauces. Nec hoc contentus, aliud haud mitius debellat animal.* Crocodilum sc. cujus dentes primò, mox intus fauces, dum trochilus avis repurgat, *in hac voluptate somno pressum conspicatus* ichneumon, *per easdem fauces, ut telum aliquod, immissus, erodit alvum. Similis crocodilo, sed minor ichneumone, in eodem Nilo scincos est* &c. Plin. *lib.*8. *capp.*24 & 25. Ubi quod de ejus cum aspide bello habet, illustratur hisce Nicandri in *Theriacis*,

—— ἢ δ' ὁπότε

Ἄσπιδ᾽ ... ἰχνεύμων ... πολεμοῖο κέλευθα.

Nempe cùm parvum os habeat *ichneumon*, & minimè ad morsus dehiscens, adeò ut manum hominis, cùm clausum est in pugnum, morsu appetere nequeat, ubi videt, se non posse aliter conficere hostem suum, luto Sole siccato loricatus ad flumen eum trahit & submergit: merè terrestrem enim serpentem esse aspidem notum. Neque hoc solùm in utrumque hostem modo pugnat, sed & ova eorum diligenter investigat, illaque, cùm reperit, dissipat & frangit. Atque hinc *perniciosus* vocatur Martiali *l.*7. *Epigramm.* 87.

Delectat Marium si perniciosus ichneumon,
Pica salutatrix si tibi, Lause, placet.

Cæterùm similiter parit, & iisdem vescitur, quibus canes & feles, teste Philosopho, canique parvo similis Diodoro, inter feles (quas & caudâ refert, & murium capturâ, quo fine catulos ejus Alexandriæ divendunt rustici) recensetur Plinio *lib.*10. *cap. de generatione terrestrium. Murem Pharaonis* hodie appellari ferunt: nonnulli & *murem Indicum*, apud Oppianum, sed perperam. V. de illo plura, apud Ælianum *lib.*8. *cap.* 25. Athenæum *lib.* 9. *cap.* 10. Salmasium *ad Solinum pag.* 446. & *seqq.* Vossium *de orig. & progr. Idolol. l.*3. *capp.* 73. & 74. Alios.

Ichnographia, Græcè Ἰχνογραφία, modulus dispositionis est futuræ structuræ, quæ in plano priùs deformabatur in charta aliqua aut membrana; unde postmodum formarum in solo areæ descriptio capta, quam ὑπογραφὴν τοῦ κτίσματος vocabant. Succedebat Ὀρθογραφία, quæ operis futuri rectam faciem modicè depictam ostendebat: & Σκηνογραφία, quæ non frontis solùm, sed & totius corporis ædificii imaginem, cum laterum abscedentium adumbratione formatam, præferebat. Salmasius *ad Solinum p.*821. Galli *plannum* vocant. In linea tela id plerunque factitatum esse, innuit Papin. Statius *l* 3. *Sylv.*1. *v.*117.

Nec mora, conscripta formatur imagine tela:
Innumeræ coiere manus, his cædere sylvas,
Et lævare trabes: illis immergere curæ
Fundamenta solo

Ad quem l. V. Barthium, & plura de Vett. *Ichnographia*, apud Vitruvium *l.*1. *c.*2.

Ichthyocolla, inter tentipellia Vett. faciei cutem erugantia ac extendentia. Plinius *l.* 32. *cap.*7 *Ichthyocolla appellatur piscis, cui glutinosum est corium: idemque nomen glutino ejus —— quod quidam ex ventre, non è corio fieri dicunt, ut glutinum taurinum. Laudatur Pontica, candicans & carens venis squamisque, & quæ celerrimè liquescit —— Utilem eam in capitis doloribus affirmant, & tenanthris.* Inventum, inter alia, Dædali, apud eundem *l.*7. *c.*56. ubi tamen *lithocollam* sunt qui legant. *Exos* Rondeletio hic piscis est, *de Pisc. fluviatil. c.*8. Germani, ad quos è Danubio etiam 600. advehitur librarum, dixere *haussen*: quia magnitudine domum exiguam refert: indeque glutinum ejus (quod non minùs è corio, quàm ventre, paratur) vocatur *hausleim*, i. husonis glutinum; ac generali vocabulo *fischleim*, h. e. piscium glutinum; item *mundleim*, i. orale glutinum: quia *ore* madefit, ut faciliùs conglutinet. Sic fabris lignariis, aliisque Artificum, in emplastris, instrumentis Musicis, chartis, insuper eximiè hic piscis servit. Vossius *de Idolol. l.*4. *c.* 48.

Ichthyophagi, adde: non unos eos fuisse, sed quosdam Arabici sinus oram, in parte Troglodytarum, habuisse, Agatharchides testis est. Quin etiam Diodorus Siculus *Ichthyophagos* ab ora Carmaniæ ac Gedrosiæ, usque ad intima sinus Arabici tenuisse prodit, qui sinus ab uno latere Troglodytas prætentos habet, ab altero, Felicis Arabiæ populos. Quod si verum est, quosdam eorum etiam in illa parte fuisse censendum est, quà Indus fl. in Mare evolvitur. Unde erroris ansa Melæ, qui Insulam Solis, quæ in Ichthyophagorum Carmaniæ vicinorum sinu jacet, contra Indi ostia metatur. Plinio item, qui Pomponii verbis deceptus, illam in eo trajectu ponit, qui Taprobanem & latus Indiæ Meridionale interfluit &c. qua de re V. pluribus differentem Salmasium *ad Solinum p.* 1178. & *seqq.* ubi verba hæc explicat: *Post Indos —— regiones* Ichthyophagi *tenent, quos subactos Alexander Magnus in reliquum jussit abstinere à piscibus: nam antea sic alebantur*: Plinius verò de iis agit, *l.*6. *capp.*23. & 29.

Ichthys, Græcè Ἰχθὺς, acrostichis est, quam ex carminibus Sibyllæ Erythrææ, de Iudicio extremo, Eusebius *de V. Const. lib.* 5. sive *Orat. ad Cæt. Sanct. cap.* 18. & Augustinus *de C. D. lib.* 18. *cap.* 23. afferunt: ubi ex primis versus cujusque vocabulis hæc verba componuntur, Ἰησοῦς Χριστὸς Θεοῦ υἱὸς, Σωτὴρ, ut Christophorsonus, Eusebii Interpres, felicior isto, cujus interpretatione Augustinus usus est, congruarum literarum vocibus versum quemque inchoans, reddidit, *Iesus Christus, Dei Filius, Servator*; Ex quorum verborum initialibus literis vox Ἰχθὺς, i. *Piscis*, colligitur: quo nomine mysticè Christum intelligi, Augustinus *d. l.* monet, eò quòd in hujus mortalitatis abysso, velut in aquarum profunditate, sine peccato esse potuerit. V. Tobiam Pfannerum *Theol. Gentil. pur. l.* 1. *c.* 4.

Icidii Dii, apud Solinum *c.*2. *Præneste —— à Cæculo* (conditum) *quem juxta ignes fortuitos invenerunt, ut fama est*, Igidiorum *sorores.* Ubi *Igidii*, pro *Icidii*, ex Gr. Οἰκίδιοι; Lares familiares sunt, qui in Glossis Θεοὶ κατοικίδιοι, alibi οἰκίδιοι, appellantur. *Divos Fratres* vocat Servius, ubi de Cæculo eodem & Prænestina urbe: Arnobius, agens de Laribus, qui Ocrisiam in foco gravidam fecerunt, unde natus Rex Servius, simili fabulâ, *Conserentes Deos*, V. suprà in voce *Conserentes*, & plura hanc in rem, apud Salmasium *ad Solin. p.* 64.

Icilia Lex, V. *Icilius.*

Iconicum Simulachrum, apud Suetonium *Caligulâ c.* 22. *Templum etiam Numini suo proprium —— instituit. In Templo simulacrum stabat aureum iconicum*: ex Græco εἰκονικὸν, quid propriè sit, ex Plinio discimus *l.*34. *c.*4. *Effigies hominum non solebant exprimi, nisi aliqua illustri causâ perpetuitatem merentium, primò sacrorum certaminum victoriâ, maximeque Olympiæ: ubi omnium, qui vicissent, statuas dicari mos erat. Eorum verò, qui ter ibi superavissent, ex membris ipsorum similitudine expressâ, quas* Iconicas *vocant.* Statua viz. ex membris alicujus similitudine expressa. Cujusmodi proin statuæ ut exactissimè fierent, ad magnitudinem corporis τοῦ τετελευτηκότος, Hellanodicæ curabant. Plerunque verò æneæ erant, ut palàm est ex hisce Aristidis ... οἷον τὸν Διαγόραν τὸν Ῥόδιον, καὶ Γλαῦκον τὸν Καρύστιον, καὶ Μίλωνα δὴ καὶ Πολυδάμαντα, καὶ πάντας ἐν εἰκόσι χαλκαῖς, ubi per illos omnes, *quorum icones æneæ*, intelligit, quotquot inter athletas fuere celeberrimi &c. V. in hanc rem plura, apud Car. Paschalium *Coronarum l.* 6. *c.*8. ubi *de Hieronicis Olympiis, & statuis illorum.*

Iconium, adde: de Regno verò *Sultanorum Iconiensium*, quod à conditore Sultano Aladine, ex Tangrolipicis familia oriundo, *Aladinium* quoque dictum, ipsorumque successione, ac rebus, contra Constantinopolitanos inprimis Cæsares, admirando successu gestis, V. Jo. Forbesium *Instructionum Historico-Theologicarum lib. IV. cap.* 22. *num.* 2. & *seqq.*

Icosaproti, Viginti-primi, & *Icosaprotia*, Viginti-primatus noc. *l. fin. v. mist. ff. de muner. & honor.* apud Jo. Calvinum *Lexic. Iur.* Ex Græco Εἰκοσάπρωτοι, de qua dignitate V. Budæum *in Adnotas.*

Icrium, cenotaphii gnorisma, apud Athenienses olim, signumque fuit patrium ac legitimum, ubi quis patriâ excidens inibi haud foret sepultus. *Icrium* verò, ex Græco ἴκριον, surrectum est lignum, V. Cœl. Rhodiginum *Antiqq. Lection. l.*10. *cap.* 5. & *lib.* 17. *c.*19.

Icterus, Græcè ἴκτερος, avicula flavi coloris, *quæ si spectetur, sanari id malum* (icterum, seu morbum regium) *tradunt & avem mori. Hanc puto Latinè vocari galgulum*, Plin. *l.*30. *c.*11. Hinc ei nomen à morbo, cui medetur; morbo autem ab oculis mu-

stelæ,

stelæ, seu viverræ auricoloribus, quam *ἰκτίδα* vocant Græci. Idem verò *regius*, quoniam mulso rebusque pretiosis & exhilarantibus curatur: Celso *arquatus* etiam, seu *arcuatus*, à colore arcus cœlestis, Scribonio *aurigo* dicitur. Indidem *Icterias* gemma, *aliti lurido similis, ideoque existimata salubris contra regios morbos*, idem Plin. *lib.* 37. *cap.* 10. ubi quatuor ejus genera recenset.

Icuncula Puellaris, in Magico Veterum instrumento, occurrit apud Suetonium *Nerone* c. 56. *Icunculam puellarem, cùm quasi remedium insidiarum à plebejo quodam & ignoto muneri accepisset, detectâ confestim conjuratione, pro summo Numine trinisque in die sacrificiis colere perseveravit: volebatque credi monitione ejus futura cognoscere.* Moris nempe fuit hominibus præstigiatoribus & planis remedia adversus omnes morbos casusque vendere, quæ semper circumferri facilia essent. Cujusmodi quoque annuli illi erant *Φαρμακῖται* seu *Φυσικοί*, quorum mentio apud Aristophanem aliosque, ut & suprà, in voce *Eucrasarus*. Item laminæ, Arnobio memoratæ *l.* 1. &c. V. infrà ubi de *Periaptis*, & plura hanc in rem apud Casaubonum *ad l. c.*

ID.

ID. in notis Antiqq. *Judex*, interdum *Idus*, item *judicatum*. J.D. *inferis Diis*, vel *in dimidio*. J.D.C. *juris dicendi causa*. ID. E. *idem est*. IDQ. *Idemque* &c. significat, Fr. Gouldmannus ubi suprà.

Ida, mons Cretæ: Hinc inter *Albos montes* hujus Insulæ, quos Græci quoque *λευκὰ ὄρη* propterea, quòd juga eorum nunquam nix deserat, appellant, recensetur Plinio *l.* 16. c. 33. ex Theophrasto *Hist. Plantar. l.* 4 c. 1. V. suprà in voce *Albi Montes*, item *Dicte*.

Idæi Dactyli, adde: *Lapis quoque* Idæus Dactylus *dicitur, Insulæ isti familiaris, coloris ferrei, humano pollici similis*, Solin. c. 11. V. etiam suprà in voce *Digiti*, item ubi de *Samothracibus Diis*.

Idas, è principibus Minyarum, inter Argonautarum præcipuos, memoratur Papinio Statio *Thebaid. lib.* 5. *versu* 405.

Nunc magnum Oeniden, nunc ille hortatibus Idam,
Et Talaum & ——
Tyndariden iterat ——

Val. item Flacco *lib.* 1.

—— *neque enim Telamon, aut Canthus &* Idas,
Tyndareusve puer mihi vellere dignior Helles.

Deorum interim contemtor & ore procax. Higinius *cap.* 14. *Idem Idas, acer & ferox.* V. eum, velut alterum Mezentium, objurgantem Jasonem, apud Apollonium *l.* 1. *v.* 464. & *seqq.*

Idiota, Jurisconsultis Anglis, dicitur a naturâ stultus, qui numerare non potest 20. denarios, & patris matrisque nomina ignorat, vel quam ætatem habeat, & similia: ejusmodi enim homines rebus suis superesse non possunt. Verùm si non adeò ingenio privatus sit, ut Magistro adjuvante literas addiscere possit, vel ulnam panni mensurare, vel aliud quid agere, è quo erui possit, ingenio non omninò destitutum esse, pro *Idiota* non habetur, Rastall. Aliàs in genere illiteratus & imperitus quivis, *Idiota* dicitur, recentioris ævi Scriptoribus, *Glossæ* Gr. Lat. *Ἰδιώτης ὁ μὴ νοῶν.* In Ecclesia Rom. *Idiotæ* appellantur Monachi, qui vulgò *Conversi* dicuntur, & nullo Ordine Ecclesiastico sunt donati, Allatius *de Narthece vet. Eccl. p.* 15. Sed & *Idiota*, humilitatis agnomen est, ab Auctore usurpatum libelli illius, quem ex Lugdunensi Cod. MS. restituit Theophilus Raynaldus, ac Lugduni edidit A. C. 1632. sub tit. *Idiota Sapiens*: ubi in calce libri Raymundum Jordanum Auctorem dictum fuisse, variis conjecturis probat. V. Car. du Fresne *Gloss.* & Dominicum Macrum *Hierol.* ubi de *Idiotis*, qui apud Pontificios aliàs dicantur *Coadjutores*. Bonaventuram quoque in *Vita* Francisci c. 3. & Lud. de la Cerda *cap.* 67 *num.* 4. Antiquioribus temporibus in Ecclesia *Ἰδιῶται* dicti, quibus *οἱ μεμυημένοι*, *mysteriis initiati* seu Ecclesiastici oppositi; *Laicos* postmodum vocavere. Propriè verò *Ἰδιώτης*, est *homo privatus*, qui non negotia publica, sed tantùm res suas, tractat, atque adeò homo plebejus est & è medio vulgo &c. Cl. Snicerus *Thes. Eccl.* in hac voce.

Idololatriæ incunabula: quæ cùm duplex, nam vel verus Deus in imagine qualicunque, vel vagus Deus, colitur: de utraque, hac præsertim, paucis. Infinita Dei Majestas licèt omnium creaturarum captum longè transcendat, tamen homines, vel ex ipso Naturæ libro ejus vestigia odorantur, ita quidem ut nec Athei ipsi illius notitiam, quantumcunque velint, penitùs queant excutere. At tantùm corrupta abest natura, ut norit quis sit verus ille Deus, ut potiùs creaturam pro Creatore adoret, & licèt Numen multiplicet ad modum stellarum cœli & reptilium terræ, adhuc tamen in ambiguo hæreat, an in verum inciderit, an id adhuc sibi maneat incognitum. Quæ causa est, quòd nautæ in navi, quâ Jonas vehebatur, postquam inclamassent quisque Deum suum, tandem etiam Jonam, *ut inclamaret Deum suum*, hortati sunt Jonæ *cap.* 1. *v.* 5. & 6. velut dubitantes, an à se verus Deus invocatus fuerit. Ex eodem fonte formula, precibus singulis Gentilium adjici solita, *Dii Deæque omnes*, apud Servium *in Georg. lib.* 1. orta est. Arabes quoque suæ Πολυθεΐα minimè fisi, *Ignoto Deo*, aras suas inscripserunt, teste Lilio Gyraldo *Syntagm.* 17. cui similem titulum in ara quadam Athenis reperit Paulus, Actor. c. 17. *v.* 23. Unde in vicinis huic urbi regionibus, solemnem jurandi formulam fuisse, *Νὴ τὸν Ἄγνωστον ἐν Ἀθήναις, Per Ignotum Atheniensium*, refert Lucianus in *Philopatride*. Imò, quia incertum iis erat, quis Deus ille esset, id quod summè unum est, in plurima discerpentes, in plurali vo quoque numero leguntur Altaria habuisse inscripta: *Θεῶν Ἀγνώστων, Deorum ignotorum*, teste Pausaniâ in *Atticis*. Nec desunt qui dicant, Altaris, quod Apostolus vidit Athenis, plenam inscriptionem fuisse, *Θεοῖς Ἀσίας καὶ Εὐρώπης καὶ Λιβύης Θεῷ ἀγνώστῳ καὶ ξένῳ, Diis Asiæ & Europæ, & Libyæ, Deo ignoto & peregrino.* Theophyl. *in Acta Ap.* c. 17. *v.* 22 Hieronymus *in Tit.* c. 1. *v.* 12. *&c.* ut ita epigraphe hæc cum formula memorata *Dii Deæque omnes*, coincidat. Et hæc incertitudo præcipua videtur fuisse inscriptionis Atticæ causa: accedere potuit alia, quod Numen hoc, cui ara illa posita erat, fortè fuerit Urbi Tutelare. Notum autem omni ope Gentiles Tutelaris sui Divi nomen in abdito tenuisse, ne, si id evulgaretur publiceque innotesceret, Numen ab hostibus magico carmine evocatum pristinum locum relinqueret suosque desereret cultores. Qua in re cautiores cœteris videri voluere Tyrii, Lacedæmonii, alii, qui Idolis suis compedes injecerunt, ne eos unquam loci sui deserendi vel libido subiret, vel facultas esset, Macrob. *Saturn. l.* 3. c. 9. Sed & fieri id potuit, ad imitationem Judæorum, qui circa SERVATORIS nostri tempora nomen Dei essentiale *Jehovah*, pronuntiari illicitum rati ejus loco *Adonai* dici legique voluere. Cujus rei prima origo hæc fuisse videtur, ne sanctissimum hoc nomen indignè usurparetur ab Ethnicis, qui inde jam aliquot *Idolis* suis nomina, *Jovis*, *Ἰαώ*, *Jaoh*, *Ἰαουα* &c. mutuati sunt, V. Macrobium *Saturnal. l.* 1. c. 18. Irenæum *l.* 2. *c. ult.* Origenem *contra Celsum lib.* 6. &c. Quemadmodum itaque modò memorata nomina Idololatrica nihil aliud fuerunt, quàm depravationes nominis Dei proprii *Jehovah*, ita origo tot *Idololatriæ* speciebus sese mutuò sequutis, ex depravato & detorto S. Scripturæ sensu, maximam partem arcessenda videtur. Quia enim Sidera, Solem & Lunam inprimis, *ad præfecturam diei & noctis*, collocata esse, per traditionem homines, veri jam Numinis obliti, acceperunt, admirati primùm illa, plus quàm decebat, deinde divinis etiam honoribus prosequi cœpere. Ingravescente postmodum torrente superstitionis, Apotheosis seu Deificandi ritus ad ea quoque extentus est, quæ sub Luna sunt: quæ partim ut symbola cœlestium luminum, partim ut ipsimet Dii, cultum humano majorem meruisse visa sunt. Prioris generis erat, divinus cultus Igni à Chaldæis exhibitus, quem illi אור Ur appellarunt, à quo civitati nomen, Genes. c. 11. *v.* 28. Nec alius videtur fuisse *Deus Nachoris*, de quo, V. Genes. c. 31. *v.* 53. Posterioris generis fuit, quo res has inferiores, ob beneficia ab illis accepta, sunt prosequuti. Hinc *Mare*, *Venti*, Aer, Tellus, Fruges; Viri porrò bene meriti; etiam Crocodili, Angues, Sorices, Cati, Canes. Allium & Cepæ inter Deos relati. Imò tandem & Virtutes & Vitia, hominumque Affectus, & Morbos ac Pestes in genera descripserunt, templisque ac aris cœci mortales coluerunt: ita ut universa Natura deificata fuerit, nec vero Deo in isto regno suo quicquam relictum. Ac primò quidem iste cultus citra *Idola* seu imagines peragebatur; mox, ut Numen quisque suum sibi haberet præsentius, Idolaeorum effingi ac publice privatimque erigi cœperunt, turpissima halucinatione. Cùm non alia ratione à Deo longiùs recedatur, quàm hac ipsa, qui illud sibi propiùs admoveri, *ψυχικῶς φρονοῦντες*: Idololatræ entur V. Esai. *cap.* 40. *v.* 18. & *seqq.* Primam autem *Idololatriæ* mentionem invenimus in cognatione Abrahami. Genes. c. 31. *v.* 19 *Furata est Rahel imagines, quas habebat Pater ejus.* Et Josuæ c. 24 *v.* 2 *Ultra flumen habitabant majores vestri olim, Therah pater Abrahami & pater Nahoris: coluerantque Deos alienos.* Quanquam ea jam ante illius tempora invaluisse videatur, Franc. Burmannus *Synops. Theol. Christ. Part. prior. lib. III.* c. 8. §. 24. & *seqq.* ubi *Idololatriæ historiam* succinctè exhibet. Sic primi *idolorum* effigiatores fuerunt Chaldæi, præeunte Nilo Beli filio, qui, contemporaneus Tharæ, fieri curasse imaginem Patri suo eamque subditis adorandam proposuisse fertur. Proximi Ægyptii, ut quorum terra jam plena Idolis erat, Mosis tempore, Exodi c. 12. *v.* 12. Hos Græci sequuti aliæque gentes; porrò Romani, postquam ultra annos 170. sine simulachro Deos coluissent, uti Varro docet, apud Augustinum *de Civ. Dei l.* 4. c. 31. &c. In populo Dei prima *Idololatriæ* vestigia comparent, in Exodo, ubi de *Μοσχοποιΐα*: dein in Judicum libris, ubi de Michæ amiculo c. 17. accesserunt sequenti tempore sub Regibus Vituli Hieroboami: quibus omnibus verus Deus ab Idololatris colebatur. At posterioris generis *Idololatria* demum postmodum occurrit, in Ecclesia veteri, ut ex Historia Regum posteriorum liquet. Quæ utraque in Eccl. N. Test. iterum lacertos movere cœpit, circa tempora Constantini M. uti pluribus docet Jo. Forbesius *Instructionum Historico-Theol. lib VII* c. 6 & *seqq.* Et quidem primitus insignia erigebantur ligna & columnæ ex lapidibus ponebantur. Sic in Icaro imago Dianæ lignum erat non elaboratum, & Cithæroniæ Junonis, apud Thespios, truncus excisus. Mox radi expolirique ista hinc *ξόανα* dicta: uti Samiæ Junonis *idolum*, cum priùs rudis asser esset, Archonte Procle, ... *ἀνδριαντοειδὲς ἐγένετο*,

effigiem

effigiata imago facta est. Tandem in hominis effigiem formari cœperunt, atque tunc βροτῶν ἀπὸ τῶν βροτῶν, ab hominibus, dicta sunt: hæcque iterum vel *Iconica*, vel *Colossea* facta: *postquam ars floruit, aucto errore*, ut ait Clemens Alex. *Protreptico*, &c. V. Thom. Goodwynum *de Ritibus Hebr. lib. 4. cap. 1.* Casp. Barthium *Commentar. Superstitionum*, Gerh. Jo. Vossium inprimis *de orig. & progr. Idolol. lib. 1. cap. 3.* ubi de *Idololatria propriè accepta* duplici, *plena*, quâ pro Deo falsum Numen colitur; & *ex parte*, cùm adversùs Dei mandatum in simulachro colitur verus Deus: *cap. 4.* ubi *de Idololatria*, quâ cultus à Deo ad opificium transfertur, causâ & origine: *cap. 5.* ubi de *Idololatrici cultus*, in *proprium & symbolicum*, divisione, horumque variis subdivisionibus: *cap. 11.* ubi de duplici fundamento *Idololatrici cultus*, *veteri gestorum historia*, & *historia naturæ*: *cap. 22.* ubi de *Idololatria* à Phœnicibus & Ægyptiis migratione, accuratè agit: nec non *lib. 2. cap. 1.* & hic passim, ubi de *Diis*; *Hellenismo* & *Sabaismo*, *Idololatria* speciebus &c.

Idolothyta, Græcè εἰδωλόθυτα, sunt quæ *Idolis immolantur*; circa quorum esum vel abstinentiam quid observandum sit, extat constitutio Apostolica 1. Corinth. *cap.* 8. Quid autem de victimarum carne in esum utriusque sacrificantium, apud Gentiles, censerit, videre hic passim est, ubi de *Carne Victimarum*, & *Holocausto*, item in voce *Proficia*. Quia verò Sacerdotes & sacrificantes, ut & quicunque aliis Diis quicquam consecrantes ac dedicantes, gestabant coronas Numinibus suis convenientes; hederaceam, qui Bacchos, lauream, qui Apollini; querceam vel oleaginam, qui Jovi &c. immolarent: uti de Hercule, cùm Olympicos Ludos Jovi dedicaret, legimus apud Statium *Thebaid. lib. 6.*

—— Primus Pisæa per arva
Hunc pius Alcides Pelopi certavit honorem,
Pulvereumq; ferâ crinem detersit olivâ.

Hinc *corona Idolothytorum* meminit Tertullianus *de Cor. Mil. Ita*, inquiens, *& corona idolothytorum efficitur. Hoc enim ritu & habitu & apparatu idolis immolatur.* Quam & in conviviis sacris à convivarum quolibet similiter gestari consuevisse, docet Car. Paschalius *Coronarum lib. 4. cap. 15.* Præter esum autem religiosum *Idolothytorum*, qui fiebat ex religione falsa in sacrificiis idolorum & sacrisatque eucharisticis epulis, de quibus 1. Cor. *cap.* 10. *vers.* 20, 21. alius erat communis, in conviviis communibus, cùm, quæ idolis erant immolata, in macello venderentur, communis usûs gratiâ, aut, quæ idolis essent immolata, in usum privatum ac communem à Gentilibus converterentur: Quorum ille per se illicitus, reiicitur Actor. *cap.* 15. & in Nicolaitis damnatur, Apocal. *cap.* 2. *vers.* 15. & 16. Iste per se licitus, per accidens tamen, conscientiæ imbecillis fratris præsentis ac monentis, illicitus fiebat, atque proprie is erat, de quo 1. Cor. *cap.* 8. *cit.* agitur. Gomarus *Explicat. in Apocal. cap.* 2.

Idolum, Græcè εἴδωλον, ἀπὸ τοῦ εἴδους, quòd Numinis forma illo oculis *visenda* repræsentetur, cui qui exhibetur cultus *Idololatria* dicitur. Atque hac ratione vox Latinis Patribus satis trita est, V. inprimis Tertullianum *de Idolol. libro cap.* 3. & 4. Appellatur autem *Idolum* in Sacris, non solum imago fictitio alicui Numini dicata, sed etiam vero Israëlis Deo fabricata, ut erat vitulus in eremo, qui εἴδωλον vocatur Actor. *cap.* 7. *vers.* 41. & sculptilia *Prac.* 2. prohibita, quæ εἴδωλα similiter appellantur LXX. Interpretibus. Unde Tertullianus iterum, *omnes Idolorum artifices corpora Dæmonibus conficere*, ait *cap.* 7. & Deus in suo cultu πᾶσαν εἰκόνα, *omnem imaginem*, fieri prohibet, Deuteron. *cap.* 4. *vers.* 16. & abominatur omnes τύπους, οὓς ἐποιήσατε προσκυνεῖν αὐτοῖς. *figuras, quas fecistis, ut adoraretis eas*, Amos *cap.* 5. *vers.* 26. coll. cum Actor. *cap.* 7. *versu* 43. Quam in rem V. plura, apud Jo. Forbesium ubi supra *cap. VI toto.* Ita Græcis hoc vocabulum idem est, quod Latinis *simulachrum*, *effigies* viz. qua nobis repræsentetur forma alicujus rei fictæ vel veræ. Translatitiè postea accommodari cœpit ad formas & species rerum in animo conceptas: quo sensu ab εἴδωλον *speciei*, origo ejus arcessi posset, sicque sumitur apud Dionysium, ubi jaspidem ingentem ait esse,

Ἐχθρὸν ἰμπέκνοι καὶ ἄλλοις εἰδώλοις,

per εἴδωλα hic intelligens, quæ φαντάσματα Æschylus *Pers. conspicuas imagines* Plinius vocat, species viz. vanas, quæ Corybantiasmo laborantibus observari consuevere, de quibus V. Salmasium *ad Solinum pag.* 1086. & hic, ubi de *Corybantiasmo & Strychno*, nec non in voce *Phantasia*. Tandem ad mortuorum spectra, quæ Latini *Umbras* & *Manes*, Virgilius quoque *Simulachra* nuncupat, vox extenta. Unde toties εἴδωλα καμόντων, apud Poëtas. Sic in scena, *Idola situ forma defunctorum pro ipsis corporibus introducta sunt, ab Euripide Polydori, ab Æschylo Darei*, inquit Scaliger *Poëtices lib. 1. c.* 13. cujusmodi Idola an alia sint ab animabus, videre in Græcis nugis & apud Luciani *Diogenem & in Platonis Phædone*, jubet *ibid.*

Idomeneus, Rex Cretensium, adde: Immortalibus honoribus à Cretensibus cultum esse, Diodorus narrat *lib.* 5. ubi & sacrificatum illi, & opem ejus in bellis imploratam, ait.

Idonei Auctores, dicuntur ii, quibus vetustas hoc meritum arrogavit, *Neotericis* oppositi, de quibus utrisque V. Salmasium *Prolegom. in Solinum.*

Idsteinium, vulgò *Itzstein*, locus Germaniæ sup. in Comitatu Sarapontano, sub proprio Comite, ex Familia Nassovia: unde *Isstenia*, aliàs *Wisbadensis* familia, cujus primus conditor fuit Walravius, filius secundo-genitus Henrici cognom. *Divitis*, frater Othonis majoris, qui Dillenburgensem lineam orsus est: & prioris quidem, nempe Walravii, linea defecit in Johanne Ludovico, cui Johannis Com. Dillenburgici filia nupserat, hujus verò adhuc durat. Cœpit autem Comitatus hic *Wisbadensis* seu *Idsteinius*, unà cum Dillenburgico, circa A. C. 1292. Johannis postea Com. Weilburgi & *Idsteinii*, Adolfi Imper. nepos, filia unica, Comit. Sarapontanum, cujus lineæ parens auctor extiterat, nacta est: in Philippo Joh. Ludovici filio stirpe extinctâ, successore Alberto Com. Weilburgi, A. C. 1559. Hodie totus hic Nassoviæ arboris truncus, *Sarapontanus* nempe, cùm in tribus ramis subsistat, qui in communi Patre Ludovico, extincto A. C. 1627. coierunt: ex hujus filiis Wilhelmus Ludovicus *Sarapontanum* seu *Sarbrücken* continuavit; Johanni *Wisbada*, cum *Idstenio*, obtigit, Ernestus verò Casimirus *Weilburgum* nactus est. Ex quibus Johannes, Com. Nassoviæ, *in Wisbaden* seu *Isstein*, ex Sibylla Magdalena Badensi (fil. Georgii Friderici March. Durlacensis, extinctâ An. Ch. 1644.) suscepit liberos complures, inter quos Anna Ottilia (n. An. Ch. 1630. obiit An. Ch. 1642.) Gustavus Adolfus (n. 1632. defunctus est 1664.) Ludovicus Fridericus (n. 1633. decessit 1656.) Bernardina Sophia (n. 1634. den. 1642.) Joannes (n. 1638. d. 1658.) & Sabina Juliana (n. ac den. 1639.) Eidem ex secundo conjugio Annæ Com. Leiningensis itidem numerosa fuit proles: Carolus (n. 1649. den. 1651.) Christina Elisabetha (n. 1651.) Eleonora Luisa (n. 1653.) Ernesta (n. 1654. obiit 1655.) Georgius Wilhelmus (n. 1656 den. 1657.) Johanna (n. 1657.) Sibylla Carola (n. 1658. den. 1660.) Dorothea Amalia (n. 1661.) Philippus Ludovicus (n. 1662. den. 1664.) & Georgius Augustus Samuel (n. 1665.) omnes Comites Nassoviæ &c. in Wisbadensis seu *Idstenia*. V. Phil. Jac. Spenerum *Theatr. Part. I. Ind. & Part. III pag.* 28 & 85.

Idus, nomen 8. dierum in quolibet mense: decimi quinti inprimis in Martio, Majo, Junio & Octobri: vel decimi tertii in reliquis mensibus. Dictæ vocabulo Thusco, apud quos idem dies *Itus* vocabatur, quod significat *Jovis fiduciam*. Cùm enim Jupiter sit auctor lucis, unde etiam *Lucetius* & *Diespiter* dicitur: hujus autem diei lux, non cum Solis occasu finiatur, sed splendorem diei ac noctis continuet Luna collustrante, quod semper in plenilunio, id est, medio mense fieri soleat, meritò jure *Jovis fiduciam* eum vocari putaverunt. Alii malunt sic vocatas, quasi *Vidus*, à videndo, vel ἀπὸ τοῦ εἴδειν, quòd eo die plenam speciem Luna demonstret. Alii ab ove idulis, quæ *Idibus* omnibus immolabatur Jovi, cui *Idus* sacræ erant. Alii iterum credunt, Hetruscam fuisse vocem, apud quos *iduare* dividere significabat: ideoque hanc diem *Idus* nominatam, propterea quòd mensem iduet, id est, dividat, cùm plerumque in medium mensem incidant. Ab illis dies reliqui omnes referuntur ad Kalendas sequentis mensis: ipsæ Nonas sequuntur. Dies postridie *Iduum*, quemadmodum & Kalendarum ac Nonarum, atri vel infausti habiti sunt, in quibus nec rem divinam facere, nec rem quampiam novam exordiri licebat, Joh. Rossinus *Antiqq. Rom. lib. 4. cap. 4.* Majæ *Idus* Mercurio sacræ fuere, quod illi natus haberetur: vel quod tunc ædes ei vota. Iisdem Mercatorum dies festus erat, & fœneratorum. Unde Poëta, colligere hos *Idibus* pecuniam, quam Calendis ponere satagant, ait. Martiæ, quod Julii Cæsaris cæde essent funestatæ, *Parricidii* nomine insignitæ sunt. Suetonius *in Julio cap.* 88. *Curiam, in qua occisus est, obstrui placuit: Idusq; Martias parricidium nominari, ac ne unquam eo die Senatus ageretur.* Quare Augustus, nomis famtheque harum, captivos bello Perusino eodem die trucidari voluit, apud eundem *in Aug. cap.* 15. *hostiarum more, ad aram Divo Julio extructam.* &c. Ad nuptias auspicatum habebatur tempus, quod *Idus* Junias sequitur. Ovidius *Fastorum lib.* 6.

Hanc ego cùm vellem genero dare, tempora tædis
Apta requirebam, quæq; cavenda forent.
Tunc mihi post sacras monstratur Junius Idus,
Utilis & nuptis, utilis esse viris.

Augusti *Idus* Dianæ erant sacræ: Unde Martialis *Epigr.* 68. *libri* 12.

Maja Mercurium creastis Idus
Augustis redit Idibus Diana, &c.

Eædem à servis celebrabantur, qua de re Vid. Alex. ab Alexandro *Genial. Dier. lib. 3. cap.* 18. Septembres solennes erant auspicio Magistratus, Liv. *lib. 4. cap.* 37. sicut Majæ olim Magistratibus ineundis, Idem *lib. 3. cap.* 36. postmodum Martiæ, *lib. 23. cap.* 30. & Quintiles, transvectionibus Equitum, *lib. 9. cap.* 46. &c. V. Joh. Rosinum *Antiqq. Rom. passim.*

Idyllium, Græcè Εἰδύλλιον seu Εἰδύλλιον, carmen pastorale, voce diminut. ex εἶδος seu ἰδέα, *species* sive *imago*, quòd poëmata rerum essent species quædam, & in hoc genere novum semper argumentum tractaretur. Jul. Cæs. Scaliger *Poëtic. lib.* 1. *cap.* 4. *Propterea verò quòd imitatione aliquid repræsentabant* (Bucolici Poëtæ) *à specie, id est, imagine,* εἴδυλλια, *ἀπὸ τοῦ εἴδους καὶ τῆς ἰδέας, dixere diminutivo flexu, vel propter brevitatem, vel modestiam, ac rei humilitatem. Postea cum quadam etiam fuit auctoribus displicuissent, ex incondita turba — selecta quadam — ἐκλογὰς appellare placuit.* V. Scholiastem Theocriti in hoc genere Poëtæ eximii &c.

J E.

J E. in notis antiqq. *interest, in eum*; vel *Judex esto*, vel *in aere* &c. designat. Apud Græcos ἰὲ, seu ἰὴ παιὰν, acclamatio erat Pæanibus peculiaris, ἐπίφθεγμα & ἐπίῤῥημα vulgò dicta, quâ solâ pæanes à scoliis differebant: quamvis & hoc quoque postea desitum, uti ex pæane Ariphronis Sicyonii, quem fecit in honorem bonæ valetudinis, & altero Aristotelis, in Hermiam Atarneensem, docet Scaliger *Poët. l.1.c.44.* Origo acclamationis inde; quòd Latona, cum ex Eubœæ Chalcide Apollinem Dianamque reportans Delphos, à Pythone ex improviso penè oppressa esset, puello animos addiderit, ut sagittis, quas habebat, pestem illam occuparet, acclamando ἰὲ παῖ, ἰὲ παῖ, unde nomen et postea factum certis syllabis additis, παιὰν, παιών, παιήων. Idem *lib. eod. c.13.*

Jecur, extorum nomine olim intellectum, quòd in Extispicina potissimum ratio haberetur. Plin. *lib.11.cap.37. Jecur in dextra parte est. In eo, quod caput extorum vocant, magna varietas. M. Marcello, circa mortem — defuit in extis. Sequenti deinde die geminum repertum est. Defuit & C. Mario, cùm immolaret Uticæ — Divo Augusto Spoleti sacrificanti primo potestatis suæ die sex victimarum jecinora replicata intrinsecus ab ima fibra reperta sunt, responsumque, duplicaturum intra annum Imperium. Caput extorum tristis ostenti casum* (victimarii cultro tactum aut vulneratum) *quoque est, præterquam in sollicitudine ac metu, tum enim peremit curas* &c. ad quem locum V. *Notas* Dalechampii, ut & quæ suprà diximus, in voce *Hepar*, item ubi de *Extispicina* & *Fissiculatione*. Plura verò de *Jecoris peculiaribus*, maximo imprimis eorum, Arabibus *Zeada*, i. περὶ ἐξοχῇ, *augmentum* seu *exuberantia*, Hebr. eodem sensu יותרת Græcis τράπεζα, i. *mensa*, quod instar mensæ latus sit, dicto, quam partem *jecoris* Deus olim in Altare suum adoleri jussit, Exod. *cap. 29. vers. 13.22.* & passim in Levitico, apud Sam. Bochartum *Hierozoici Parte prior. lib. II. cap. 45.* &c. Hinc *Inspector jecinoris*, Hebr. ראה בכבר *Roe bacabed*, Ezech. *cap 21. vers. 21.* pro Haruspice, V. suprà, ubi de IX. Divinationis generibus, quorum in Sacris mentio, in voce *Divinatio*. Sed & in mensariis Veterum deliciis anseris aut porculi *jecur* fuit, mulso, lacte, ficu & caricâ fartum. Athenæus *lib. 9 cap. 8.* Χηνὸς ἥπατα περισπούδαστα ἐν τῇ Ῥώμῃ. Juvenalis *Sat. 5. versu 113.*

Anseris ante ipsum magni jecur —

Unde jocus Martialis *lib.13. Epigramm.58.*

Aspice quàm tumeat magno jecur ansere majus!

Miratus dices; hoc, rogo, crevit ubi?

Et à ficis infartis ἥπατα συκωτὰ, apud Pollucem, aliis συκωτὰ, jecinora talia. Quâ voce recentiores Græci quodlibet *jecur* appellarunt, ut et Latini Latinum *ficatum*: quod hodieque Galli in lingua sua retinent. Salmasius *ad Solinum pag. 1055.* V. quoque Vossium *de Idolol orig. & progr. lib 3. cap. 93.* ubi & in suibus vivis hepar præparari ficorum pastu, ex Galeno, addit, ut & suprà voce *Anser*. Aliter vox sumitur, in Eupolidis illo, apud Athenæum *lib. 9.*

Εἰ μὴ σὺ χηνὸς ἧπαρ, ἢ ψυχὴν ἔχεις.

Ni vel jecur, vel animus est tibi anseris.

Hic enim *Sapientiam* notat: ut in isto *vet. Epigramm. in Catonem Gramm.* apud Suetonium,

En cor Zenodoti, en jecur Cratetis. Idem *ibid.*

Jehova, adde: Ut autem sanctissimum hoc & incommunicabile Dei nomen ad Idola sua nefarie traduxerunt Gentiles, ut ex nominibus eorum *Jao, Jave, Jovis*, (qui antiquis nominativus fuit) Ἴακχος & Ἰάβακχος, quæ Bacchi nomina, *Jani* item & *Diana*, perspicuum est: sic Hæreticorum pessimi Basilidiani Gnosticique, nominis hujus tetragrammati literis variè immutatis, nefando ausu ad turpissima sua mysteria involvenda abscondendaque, abusi sunt, uti inter alia videre est, apud Jac. Sponium *Itin part.3 p.152 & seqq.* ubi *Inscr.* Græcam Mileti repertam & *Talismanis* speciem referentem exhibet, & amethystum insignem Thuanæam, in qua Michael Archangelus sculptus, ab Hæreticis hisce, singula membra characteribus variis inscripta, in altera verò parte septem vocales Græcas ΑΕΗΙΟΥΩ, quibus illi nomen *Jehova* exprimebant, septies variatas, habet, eruditè exponit.

Jehoud, vel *Jeoud*, à Saturno immolatus dicitur Porphyrio, ab Eusebio adducto *Præpar Evang. lib. 1.* Κρόνος τοίνυν, ὃν οἱ Φοίνικες Ἰσραὴλ προσαγορεύουσι, βασιλεύων τῆς χώρας (Φοινίκων) καὶ ὕστερον μετὰ τὴν τοῦ βίου τελευτὴν εἰς τὸν τοῦ Κρόνου ἀστέρα καθιερωθεὶς, ἐξ ἐπιχωρίας Νύμφης Ἀνωβρὲθ λεγομένης υἱὸν ἔχων μονογενῆ, ὃν διὰ τοῦτο Ἰεοὺδ ἐκάλουν, τοῦ μονογενοῦς οὕτως ἔτι καὶ νῦν καλουμένου παρὰ τοῖς Φοίνιξι, κινδύνων ἐκ πολέμου μεγίστων κατειληφότων τὴν χώραν βασιλικῷ κοσμήσας σχήματι τὸν υἱὸν, βωμόν τε κατασκευασάμενος κ.λ. *Saturnus igitur, quem Phœnices Israëlem nominant, quemque post obitum in astrum ejusdem nominis consecrarunt; cùm iis in locis regnaret, ac filium unigenitum ex Nympha quadam indigena nomine Anobret haberet, quem propterea Jeud dixere, vocabulo hodieque unigenitum notante linguâ Phœniciâ, cumque in gravissimum belli periculum Regio incidisset, illum ipsum regio ornatum habitu, in ara ad hoc extructa, immolavit.* Ubi tria hæc dici videmus. *Israël* esse Phœniciæ Regem vetustissimum, eundem ac Saturnum: fuisse ei filium unigenitum, unde *Jeoud* dictus sit Phœnicibus: illumque esse à Patre immolatum. Quæ inde originem duxere, quòd Abrahamum avum (quem etiam in Saturno Gentilibus cultum esse, hinc videmus) cum Israele nepote confuderint: huic enim mandatum, ut sacrificaret Deo filium μονογενῆ Genes. *cap. 22. versu 1. Accipe filium tuum, unicum tuum.* Ubi *unicum* Hebr. dicit יחיד *Jehid*, quod valdè convenit cum Phœnicio *Jehoud*: nempe hæ linguæ solâ differebant dialecto. Et sane in *Orphaicis* etiam seu *Onomacriticis*, Abrahamus vocatur μονογενὴς, ubi confunduntur Abrahamus & Isaacus quod in aliis quoque frequentissime factum, &c. V. Gerh. Johannem Vossium *de orig. & progr. Idololatriæ lib. 1. cap. 18.*

Jejunium adde: Apud Israëlitas, dies expiationis Magnæ, *Kippurim* dictus, qui inter Judæos longe sacratissimus erat, non sacro clangore solum, peculiari item sacrificio & quiete, sed & *Jejunio*, celebrabatur, Levitici *cap. 23. vers. 27. & 28.* Atque hoc *Jejunium* indigitari Actorum *cap. 27. v. 9.* ubi τῆς νηστείας nomine tempus sacer Scriptor, ex Judaici Populi more, designat, monent eruditi. Alii fuerunt *Jejuniorum dies*, in memoriam exilii Babylonici, humano instituto, apud eosdem celebrati, quorum fit mentio Zachar. *cap. 7. vers. 3. 5. & cap. 8. vers. 19.* V. Franc. Burmannum *Synopsi Theol. Christ. Part. prior. lib. IV. capp. 18. & 19.* ubi de *Festis Judæorum*. Transiit *jejunandi* ritus à populo Dei, ad Gentiles, quibus in sacris suis crebrò jejunatum. Unde inter Eleusiniorum symbola Arnobio etiam illud recensetur, *jejunavi atque ebibi cyceonem*: ex Clemente, τὸ σύνθημα Ἐλευσινίων μυστηρίων, ἐνήστευσα, ἔπιον τὸν κυκεῶνα κλ. qua de re V. Salmasium *ad Solinum pag. 150.* & Jul. Cæs. Scaligerum *Poëtic. lib. 1. c. 32. ubi de Cerealibus Ludis*: De *Jejuniis* verò vett. Christianorum, Cl. *Suicerum Thes. Eccl.* voce Νηστεία: uti de variis in Ecclesia Romana *Jejuniis*, C. du Fresne in *Glossar.* & Macros fratres in *Hierolexico*. Græcorum hodiernorum *Jejunia* accuratè persequitur Jac. Sponius *Itiner. Part. 2. pag. 351. & seqq.* De *Jejunio* Armeniorum *Arziburi* dicto; *Jejuniis* item *Muhammedanis*, agit Joh. Forbesius *Instructionum Historico Theologic. Lib. III. cap. 17. §. 7. & Lib. IV. cap. 9. §. 2.* ac *cap. 11. §. 8.* de iisdem aliisque hic passim, V. quoque in voce *Quadragesima*.

Per *Jejunium* purgatio, occurrit in LL. Kanuti R. c 7. apud Bromptonum, *Cum socius se purget, vel jejunium ineat, si opus est, & applicetur ad Corsned, & fiat voluntas Dei.* Sic Gregorius VII. *Jejunium* Cardinalibus indixisse, ut Deus ostenderet, quis rectius sentiret de Corpore Domini, Romana Ecclesia, an Berengarius, legitur apud Bennonem Card. *de vita Hildebrandi*, &c.

Jemima, Hebr. ימימה maxima natu filiarum Hiobi, quæ ipsi post afflictionem in pristinum statum restituto natæ sunt, Jobi *cap. 42. vers 14.* sic dicta quasi *diurna*, vel *diei* instar, eò quod formosa erat instar diei: vel quod nata *diurno tempore*, patre emerso velut ex profunda miseriarum nocte & tenebris calamitatis, Jobi *cap. 29. v. 8.* cuique jam *dies* gratior illuxisset, H. Grotius *Annotat. ad h. l.* Ab ea nomen videtur accepisse terra *Jemama*, vel *Jamama*, sita in Arabiæ Felicis parte Septentrionali, quà Desertam spectat, hinc Arabum excursionibus maximè exposita, ut observat Geographus Arabs: qui addit, patere viam per deserta à Jamama ad Bostram in extrema Idumæa. Nisi malis, aliam hoc nomine deinceps inter Arabes inclyto, quo ad istius exemplum illustres fœminæ appellari sunt solitæ, nomen regioni imposuisse. Certe Idem Auctor Geographiæ Nubiensis *Clim. 2. Part. 6.* dictam omninò vult terram *Jemama*, ab antiquissima Regina, cui nomen *Jemama* fuerit solemne illis temporibus, illisque in locis imperasse fœminas, ut de Æthiopibus, Sabæis, Saracenis observant eruditi, refert. Etiam multum affinitatis cum quadam ex Gentilium Diis habuit hæc *Jemima*, fœmina & paternâ virtute & formæ venustate & amplissimâ hæreditate, in Oriente, haud dubiè percelebris. Namque & nomen utrobique idem, cùm & Diana Græcis Ἡμέρα dicta sit: nec sedes aliena, cùm & Dianam Persicam finxerint, & quæ vagaretur circum Euphratem, id est, verius Arabica, quàm Persica. Agrestem quoque fecerunt, montium, & nemorum custodem, id est, quæ in Arabia Deserta, quam incultam crediderunt, sedem habuerit suam. Formæ etiam idem utrique decus, &c. V. Frider. Spanhemium *Historiâ Jobi cap. 12.*

Jena, adde: Hodie sedem ibi habet Bernhardus Dux Saxoniæ lineæ Vinariensis, natus A. C. 1638. Duxit Mariam Tremolliam Principem, Henrici Ducis Thoarsii filiam, quæ præter præmortuos filios duos *Wilhelmus* (n. 1664. den. 1665) & Bernardum (n. 1667. den. 1668.) ac filiam Carolam Mariam (n. 1669.) recentiùs filiolo maritum beavit, omnes *Duces Saxoniæ lineæ Vinar. in Jena.* V. Phil. Jac. Spenerum, *Sylloge Geneal. Hist. in Fam. Saxonica & Theatro, Nobil. Parte III. pag. 85.*

Jentaculum, à *jejunio*, quòd jejuni eo uterentur, dictum, cibus erat matutinus, qui sumi solebat, antequam homines opus aggrederentur. Antiqui *Silatum* vocabant, auctore Festo, quia jejuni vinum sili conditum ante Meridiem absorbebant. Plutarchus *in Symposiacis lib 8. quæst. 6.* priscos, cùm & laboribus deditis & temperantes essent, manè panem edisse, mero intinctum, aliud nihil, refert: unde etiam *Jentaculum* vel prandium (hæc enim

enim antiquitus pro iisdem accipiebant) *ἀκρατίζεσθαι* dixerint, quod *ἄκρατον* sit merum. Postea verò distingui *Jentaculum* & aliquanto ante prandium sumi cœpit. V. Joh. Rosinum *Antiqq. Rom. lib.* 5. *cap.* 27. Sed primitus non nisi à pueris, ægris aut luxuriosis, uti Raderus notat, *ad illud Martialis lib.* 1. *Epigramm.* 88.

Ista linunt dentes, Jentacula ——

De pastillis seu trochiscis ex aromatibus & pulvisculis odoratis confectis loquens, quos Cosmus, ne gravis pridiano mero fragraret, in jentaculo devorabat. Postmodum & alii usurparunt. Unde *manè singulos* (milites) *jamne jentassent sciscitatum, seq; fecisse ructu quoque ostendere solitum* Vitellium, refert in eo Suetonius c. 7. Tempus Martialis quoque indigitat *lib.* 14. *Epigramm. ult.*

Surgite, jam vendit pueris Jentacula *pistor,*
Cristataq; sonant undique lucis aves.

Et speciatim horam, *lib.* 8. *Epigramm.* 67.

Manè veni potius. Nam cur te quinta moretur,
Ut jentes, serò, Cæciliane, venis:

tertiam vel quartam indigitans, nisi cum voce hac prandium intelligente dicas, Vett. more. Nunquam verò *Jentaculum* sine pane, imo panis caput ejus erat, aliquando siccus & solus, uti de Antonino Pio Spartianus, *Senex etiam*, ait, *antequam salutatores venirent, panem siccum comedit, ad sustentandas vires.* Interdum cum aliis rebus, palmulis, uvis passis, nucleis, melle Attico, crudo aut cocto, aut aliquo melliti operisve dulciarii. Hinc *panem comedere* & *panem gustare*, Latini pro *jentare*, & *βουκκάτον*, *jentaculum*, Græci appellavere, à voce Latina *bucca* seu *buccea*, quæ frustum panis vel panem denotat &c. V. Salmasium *ad Vopiscum in Tacito*, & Casaubonum *ad Suetonium Augusto cap.* 76. quibus adde Jul. Cæs. Scaligerum *Poetices lib.* 1. *cap.* 5.

Jephthe, adde: Filiam ejus verè immolatam, docet inter alios Fr. Burmannus *Medit. ad Judicum capp. citata*; indeque occasionem fabellæ, de mactata ab Agamemnone filia Iphigenia, seu Iphianassa, præbitam, Vossius *de orig. & progr. Idolol. lib.* 1. *cap.* 23. V. & infrà, *Syria*.

Jesse, nomen candelabri, apud Wilb. Thorn *A.C.* 1097. *Candelabrum etiam magnum in Choro, æreum, quod* Jesse *vocatur, in partibus emit transmarinis.* Cujusmodi sunt candelabra & polycandela etiamnum, in aliquot Ecclesiæ Rom. ædibus sacris, ab humo altius erecta & in latum expansa, *Arboris Jesse* (unde nomen) speciem referentia. *Stirpem Jesse* illorum unum vocat Sugerius *de Administratione sua pag.* 348. apud Car. du Fresne *Gloss.*

Jesto, urbs Scythica, apud Scylacem Caryandenum, *Κατὰ δὲ ταύτας*, *Σκῦρος*, *καὶ πόλις Ἴστο*. *αὕτη Δίπολις*. Cujus cùm mentio alibi non occurrat, mendosa esse hæc verba censet Barthius sicque scribendum, *Σκῦρος καὶ πόλις*, *αὕτη δίπολις*. *Ἴκος*. Nam Insulam hoc nomine Scyro vicinam memorat Strabo *lib.* 9. in Scyro duas urbes fuisse addens, quarum alteram nomen insulæ habuerit. V. Casp. Barthium *Animadversion. ad Papin. Statium Achilleid. lib.* 1. *vers.* 18.

Jethro, adde: Hic, cùm apud Hebræos Moses, post migrationem ex Ægypto, aliquandiu judiciis præfuisset unicus, adeoque jurisdictionem, tam circa sacra, quàm profana exercuisset solus, consilium genero suggessit, de minoribus præfecturis instituendis, ut legimus Exodi *cap* 18. *Factumq; est in crastino, ut sederet Moses ad judicandum populum, stabatq; populus juxta Mosen à manè usq; ad vesperam. Et videns socer Mosis, omnia quæ ille faciebat populo, ait, quænam hæc res, quam tu facis populo? Et respondit Moses socero suo, quoniam venit populus, populus ad me, ad quærendum Deum* (Græc. *ἐκζητῆσαι κρίσιν παρὰ τοῦ Θεοῦ*) *Cùm fuerit illis causa aliqua, venit ad me & ego judico inter virum & proximum suum, atq; ostendo statuta Dei & Leges ejus. Et ait socer Mosis ad illum. Non est bona res, quam tu facis — ego consilium tibi dabo & Deus erit tecum. Adesto tu populo in his, quæ ad Deum pertinent: docebisq; eos statuta & leges & ostendes illis viam, in qua ambulent, atq; opus quod faciant. Provideto igitur ex omni populo potentes, & timentes Deum, viros veraces, odio habentes avaritiam ponesq; super illos Principes mille, Principes centum, Principes quinquaginta & Principes decem* (Græc. versio habet, *Chiliarchos*, *Hecatontarchos*, *Pentecontarchos & Decarchos*) *Et judicent illi populum omni tempore & omnem rem magnam ad te referent. Ipsi verò judicabunt rem quamlibet leviorum momenti* (Gr. *τὰ δὲ βραχέα τῶν κριμάτων*) *& sic levius erit tibi portabuntq; illi tecum — Obedivit itaq; Moses — & elegit viros potentes ex omni Israël & posuit eos capita seu Principes super populum* &c. Et quidem vestigia minorum harum seu *Jethronearum* præfecturarum obscura non sunt, in crebra *Seniorum* ac *Judicum* mentione, post Legem datam, quò expressius spectant ea de Judicibus, quibus Moses præcepit, ut morte punirent initiatos Beelphegori. Quin & in illo Josuæ *cap.* 8. *versu* 33. *Et omnis Israël & Presbyteri seu Seniores ejus, & Præfecti seu Ministri publici & Judices stabant hinc & hinc circa arcam*, in historia sc. sacra de publicis illis Benedictionibus & Maledictionibus, sub Josua, nomine Judicum, Præfecturas illas etiam tunc denotari volunt Viri docti. Quod verò ad institutionis tempus attinet, res non adeò in liquido est. Videtur tamen historiola hæc tota de *Jethrone*, per anticipationem in cap. hoc collocata, reverà ad tempora Legis in Sinai dationem insequentia spectare; adeoque non ad stationem ab exitu undecimam, quæ in *Raphidim* erat seu proximam ante eam, quæ in Sinai; sed ad tempus, quo statio in hoc monte erat, adeoque post Legis illic divinitus acceptionem. Et certè ipse Moses, verba faciens de *Horeb* monte, Deuter. *cap.* 1. *vers.* 6, 9 &c (qui pro jugo montis Sinai accipitur) & de Israëlitarum inde transitu, *& dixi*, inquit, *vobis in tempore illo, non possum solus ferre vos &c. date ex vobis viros sapientes & prudentes* &c. reliqua dein narrans, quæ ad institutionem Præfecturarum *Jethronearum* spectant. Alia itidem in Numeris *cap.* 10. *versu* 29. idem probant: Scilicet, post stationem, in *Raphidim* Exod. *cap.* 19. *versu* 2. adeoque in Sinai transitum, ubi Lex data, rem fuisse factam. Quid quod etiam in ipsa narratione libri Exodi, *cap.* 18. *versu* 5. disertè dicitur, *Jethronem* venisse ad Mosem, ubi castrametatus est, *in Monte Domini*, quo nomine *Horeb* & *Sinai* denominari solit, Exodi *cap.* 3 *versu* 1. & *cap.* 4. *versu* 27. Sic ex loco tempus edisscitur, quod Legis dationem ita sequitur manifestè. Et quidem, cùm ex Lege data, tam multiplicibus capitibus constante, quæstiones, quæ in Foro ante pauciores multo erant, numerosissimæ ut orirentur, necesse esset, tempestivum erat atque è re nata Soceri ejus, hanc circa rem, consilium, quod sic loquutus est. Quo verò mense, quove mensis die id contigerit, similiter controversiâ non caret. Maximè inter Hebræos ea obtinuit sententia, quæ generatim Præfecturarum institutionem adeoque *Jethronis* adventum illum Legis in Sinai dationem insecutum esse asserit, nec locum in Exodo, ante mensem ab exitu tertium, in quo Lex data, aliter atque per prolepsin habuisse. Alii etiam dein in annum exitus primum, alii in secundum rejiciunt. Atque inolevit quidem antiquitus inter eos opinio, ipsum diem, quo consilium *Jethroneum* datum est, fuisse undecimum mensis *Tisri* seu septimi, i. à datione Legis prima mensibus amplius tribus seu simulac Moses secundas tabulas acceperat. Quod etiam legitur in sacra historia, Exod. *cap* 18. *vers.* 14. post Mosis, Aaronis, Seniorum simul & *Jethronis* sacra epulasque, *Et evenit, ut die crastino sederet Moses ad judicandum* (unde consilii occasio) acceptum est, quasi dies ille fuisset crastinus Festo Expiationum, quod ad decimum mensis *Tisri* attinet. Sic *Sepher Mecholta*, sic paraphrasis Jonathani tributa, sic Alii. Ita planè, juxta receptiorem, rationique magis consonam Hebræorum sententiam, admittitur ab Eruditis, post Legem datam Mosen & *Jethronem* convenisse adeoque Juridicas illas Præfecturas institui cœpisse. Data enim Lex est sub mensis *Sivan* seu tertii, initia, Exodi *cap.* 19. *versu* 1. anno nempe ab exitu primo, id est, sub initia æstatis; tempus autem hic assignatum ad Autumnum insequentem pertinet, &c. Plura hanc in rem V. apud Joh. Seldenum *de Synedriis Vett. Hebræorum Lib. II cap* 2.

Jevera, adde: Dynastiam hanc Maria Edonis VVimmekenii *Jeveræ* Domini filia, Gerardi Com. Oldenburgici ex filia neptis, postquam ultra 40. annos ipsa gubernasset, duobus, antequam mortem obiret, annis, Joanni Gerardi pronepoti obtulit. Ita fœminæ beneficio ad Oldenburgios delatam, Joannes Servestanæ Fam. Princeps, matris Magdalenæ jure, ex avunculi hæreditate sortitus est. Tob. Pfannerus *de præc. Germaniæ Principum gentibus cap.* 10.

Jexæus, & Elxaï, fratres, Trajano imperante, adjunxisse se Osseniis, & non pauca in ea secta innovasse, ac ab instituto deflexisse, leguntur apud Epiphanium, ubi de *Ossenis*. Salmasium *ad Solinum pag* 610. & suprà, ubi de *Elxai* ac *Elcesaitis*.

Jezdegirdes, Rex Persarum, ab Othman filio Ophan Scenitarum Arabum Amirano victus ac interfectus est. Græcis Scriptoribus nonnullis vocatur *Ἰσδιγέρδης Σαχρὶς Μαρὲ βασιλεὺς Περσῶν*: Georg. Chrysococcæ Medico *Comm. de anno Pers. Ἰσδιγέρδης Σαχρὶς*, i. *Strou filius*: Georgio Mon. *Ἀδιγὲς*, voce mirum quantum corrupta. Obiit A. C. 632. Hunc quidam faciunt ultimum ex Artaxerxis, qui Regnum hoc instituit A. C. 226. successoribus: idem verò modò dictus Georgius Hormisdam ultimum fuisse scribit &c. V. Casaubonum *ad Lampridium in Alex. Sev.* & suprà in voce *Hebdomas*.

Jezidæi, h. e. Hæretici, dicuntur Muhammedanis, qui inter illos pro heterodoxis habentur. Cùm nempe omnes Muhammedicæ superstitioni addicti, cujuscunque nationis ac sectæ sint, *Musulmanni* dici ament, uti omnes Christiani *Catholici* ac *Orthodoxi*: illi inter se variè dissidentes, *Jezidæorum* nomine ac nota eos inurunt, qui eadem secum non sentiunt. Appellationis originem Leunclavius hanc tradit, fuisse sc. quendam nomine *Jezidem*, qui Agarenicus Emir sive Princeps fuerit; cumque hic Ali Hasanem & Huseinem, Muhammedis ex filia nepotes interfecisset, ac multas contumelias Pseudoprophetæ posteris intulisset, ab Agarenis propterea, pro latrone, parricida ac hæretico habitum, indeque hæreticos quoscunque *Jezidæos* fuisse appellatos, V. eum *Historiæ Musulman. lib.* 1.

I G.

Ignavi, vestibus nudati ab Agesilao, & sic per castra ignominiosè traducti, bello Peloponnesiaco, qua de re V. Alex. ab Alexandro *Genialium Dier. lib.* 2. *cap.* 13.

Igniarium, minus vulgo nota vox, exposita occurrit in Ono-

rustico probissimæ notæ, quod *Glossarum Servii* nomine à doctissimis viris citatur, aliter *Ignitabulum*, Græcis *πυρεῖον* dicitur: proprieque notat lignum, quod altero ligno tam diu terebrabatur, donec ignem conciperet. V. Scholiasten Apollonii *ad illud*,

—καὶ δ' ἀμφὶ πυρεῖα ...

Et quidem lignum, quod substernebatur, quodque levius & rarius, *ἐσχάρα*: alterum, quo perforaculi vice utebantur, quodque durius ac fortius, *τρύπανον* dictum: Sed & *ἰγχάρα* Theophrastus vocat, quod alii *στορεὺς* appellabant. *Histor. lib. 5. cap. 10.* Sic nempe ignem Veteres eliciebant, ut lignum ligno tererent & inter se verterent: unde *πυρεκβάλοι* quoque *ignitabulum* est vet. Glossarum Auctori; *ἀχίλυος ... τρύπανα* hujusmodi ligna Sophocles dixit. Quo fine quænam ligna adhibita, cujusque id inventum, Plinius docet *lib. 16. cap. 40. Calida & morus, laurus, edera, & omnes, è quibus igniaria fiunt. Exploratorum hoc usus in castris, pastorumque reperit, quoniam ad excudendum ignem non semper lapidis occasio est. Teritur ergo lignum ligno, ignemque concipit attritu, excipiente materia aridi fomitis, fungi vel foliorum, facillimè concipiens. & nihil ederâ præstantius quæ teratur, lauro quæ terat* &c. Ubi ignem hoc modo eliciendi inventionem pastoribus ac exploratoribus castrorum asserit. At ferreâ terebrâ uti, Mercurius docuit primus, apud Homerum in *Hymnoe ejus*,

... ἄγλαον ὄζον ... ἐλὼν ...

... σιδήρῳ ... ἀμπνυτο θερμὸς ἀϋτμή.

Quam rationem Vestales servarunt, ignem æternum, si quâ defecerat, reparantes materiâ ligni felicis, seu tabulâ quadratâ, quam ferro terebrabant, Festo teste, V. ubi *de Vestalibus*. Postmodum *ignem è silice Pyrodes Cilix excogitavit, eundem asservare in ferulis Prometheus*, Plin. *lib. 7. cap. 56.* quod tamen Phoroneo alcribit Pausanias. Locum, ubi id factum, idem Plinius *Pyrpolen* vocat, *lib. 4. cap. 12.* & Solinus *cap. 11.* quorum hic, *Delon — eadem est Ortygia — Pyrpole etiam, quoniam & ignitabula ibi & ignis inventa sunt: nomine inde imposito. πυρπολεῖν enim igens à succendere* est &c. Apud Macrobium vero *lib. 5. cap. 8. existimavit fomitem esse quendam & ignitabulum ingenii virtutisque, si mens & corpus nomen... : ignitabulum est ... fumes* materia viz. levis & arida, qua ignis ab ignitabulo excussus excipitur, V. supra in voce *Fomes*, & plura hanc in rem apud Cœl. Rhodiginum *Antiqq. Lection. lib. 15. capp. 14. 15.* & Salmasium *ad Solinum pag. 179. & 180.* nec non infrà, ubi de *Pyrite*.

Igniculandi Pocula artificum, V. infrà, ubi de *Poculis Gemmatis*.

Ignis, adde: Imò jam antiquissimis temporibus à Chaldæis cultus est, qui eum אור *Ur* vocavere: unde etiam metropoli suæ hoc nomen indiderunt, Genes. *cap. 11.* Nec alius videtur fuisse *Deus Nahoris*, Genes. *cap. 31. vers. 53.* Proin ex Oriente, ut alia, etiam hæc Idololatriæ species ad Persas, Græcos, Romanos, aliasque gentes dimanavit, qui eum partim nomine suo, partim sub Vestæ Vulcanique nominibus venerati sunt. Apud Romanos imprimis in pretio fuit, qui perpetuum æternumque *ignem* in templo Vestæ, tanquam Imperii certissimum pignus, ... asservabant. Valerius Max. *lib. 5. cap. 4. tit. 6. Ignoscite vetustissimi foci, veniamque æterni date ignes, si à vestro sacratissimo templo, ad necessarium magisque speciosum urbis locum contextus operis nostri progressus fuerit.* Virg. *Æn. 2.*

—— Manibus vittas, Vestamque potentem

Æternumque adytis effert penetralibus ignem.

Asservabatur autem *Ignis* non in focis aut altaribus, sed suspensus in vasculis quibusdam fictilibus, ut innuit Val. Maximus supra laudatus *lib. 4. cap. 4. sub fin. Namque per Romani casam perque veteris Capitolii humilia tecta, & æternos Vestæ focos, fictilibus etiamnum vasis contentos, juro.* Nec tunc potcente extinguebatur extinguere, quod si forte contigisset, anxiâ solicitudine expiabatur. Ita factum ante initia bellorum civilium, motaque inter Cæsarem & Pompeium arma. Lucanus ab eodem certissimum futurorum argumentum desumtum esse, indigitat *lib. 1. vers. 549.*

—— Vestali raptus ab arâ

Ignis & ostensam confectas flamma Latinas,

Scinditur in partes, geminoque cacumine surgit,

Thebanos imitata rogos.

Tum itaque omnia publica privataque intermittebantur negotia, eratque justitium indictum, donec procuratio solemnis initi fuerit: Virgo quoque, cujus incuriâ id evenisset, à Pontifice severè plectebatur, &c. Sed & licet extinctus non esset, renovabatur tamen, quem in operto asservabant, *Ignis*, & accendebatur quotannis Kalendis Martiis. Ovidius *Faster. lib. 3.*

Adde quod arcanâ fieri novus ignis in æde

Dicitur, & vires flamma refecta capit.

V. Thom. Dempsterum *Paralipomenis in Joh. Rosini Antiqq. Rom. lib. 2. cap. 12.* Nec publicè solum, sed & privatim *Ignis* cultus est: quem servare inter Junctorum officia erat: *Ignem* videlicet Larum familiarium, qui in atrio foveri solebat, non procul à januâ. Non enim solum venerationis gratiâ hic *Ignis* colebatur ... accendi, ... ad illud Capitolini in *Pertinace: & cùm apud Lares sacrificaret, carbones vivacissimi extincti sunt, cum inflammari solerent.* Sed & ipse *Ignis* Lar dictus est. Sedulius *Carm. lib. 1.*

Hic Lucem dixit, ille Larem: sed jungere facta

Non audent ... sui, ne lite propinquâ,

Aut rogus exiguas dejiceret fervior undas,

Aut validis tenues morerentur fluctibus ignes.

Ut alias gentes, quibus idem Elementum in Deorum numero fuit, omittam. Addam ex J. Seldeno *præfat. in Synt. de Diis Syris*, à Sole & Igne plerosque Gentilium Deos denominatos esse, & Europæorum maxime Deos à Syris pendere, ut propagines ab origine. Sed de eo jam aliquid supra. Præterea ejus in sacrificiis imprimis, ac Nuptiis usus fuit: quorum illum ex olea, lauro aut quercu corticis crassioris, aut cujus caudex cavus fungosusque esset, accendere vel Numinibus adolere nefas erat, quod ea ligna, tanquam diri & mali ominis suspecta essent. Hic unà cum aqua inter nuptiarum solemnia fuit, Plut. *Rom. Probl. cap. 1.* Hinc Festus *lib. 6. Facem*, inquit, *in nuptiis in honorem Cereris præferebant, aquâque aspergebatur nova nupta, sive ut casta, puraque ad virum veniret, sive ut Ignem & aquam cum viro communicaret.* Et Scævola JC. *l. 66. ff. de donat. inter vir. & uxor. uxorem conjungere aquâ & igni* dixit, h. e. domum suam sponsam ducere. *Æneid. lib. 4.* Virgilius, de nuptiarum præsagio inter Æneam & Didonem

—— Fulsere Ignes, *& conscius æther.*

Imò tam necessariæ hæ faces habebantur ex his *Ignem & undam* legitimos viros facere, dicat Ovidius *Artis lib. 2.* tabellâ dependente Veneris: V. Casp. Barthium *Animadvers. ad Statium Thebaid. lib. 2. vers. 259.* Recentiori ævo Imperatoribus quoque præferri cœpit, à quo & Fortunam auream in cubiculo iidem habuere, sub obitum successori transmittendam, de quo utroque V. Casaubonum *ad Suetonium Augusto cap. 7.* Imitati ne vix vett. Persiæ Regum, quibus in publicum prodeuntibus sacrum Ignem præferri, defunctis vero extingui consuevisse, legimus, &c. Quibus ritibus occasionem præbuit elementi hujus præstantia, ut quod majorem reliquis vim habet agendi, cœloque calore, splendore, & puritate similius est. Addit Tullius *de Nat. Deor. l. 2.* vim purgandi. Unde & apud Inferos, *Æn. lib. 6.*

—— Aliis sub gurgite vasto

Infectum eluitur scelus, aut exuritur igni.

Et ad expiandas cædes arma olim cremabant tum Marti & Vulcano, tum Minervæ & Luæ. Quid quod etiam verum Numen, quod colimus, cùm festo Pentecostes mitteret Apostolis Spiritum S. symbolum *igneorum* elegit linguarum, ut legimus Actorum *cap. 2.* Quam in rem, ut & plura de *Ignis cultu, apud Chaldæos, Persas*, vett. ac hodiernorum quosdam, *Medos, Cappadoces, Partos, aliasque Asiæ gentes, Macedones, Philosophos Græcos ac Sacerdotes Græcos & Romanos, Ægyptios, Lithuanos, ... Chemarim,* &c. V. apud Gerh. Jo. Vossium *de Idolol. Part. II. cap. 64.—65.* ut & hic, alibi in vocibus, *Dii, Pyratheia, Vesta, Vulcanus*, alibique. Et quidem apud Persas, postquam Magi in specu, ubi *Ignem* colebant, hominem occuluissent, ad decipiendum Regem Isdigerden, atque ut dolum hunc detexerit Maruthas Mesopotamiæ Episcopus, ut pulchrè enarrat Socrates *Hist. Eccl. lib. 7. cap. 8.* Facit ad hunc Ignis cultum, quod de igni in ludis olim Scaliger notat *Poëtices lib. 1. c. 34. Nocturni ignes ... excitabant. quippe in Vulcanalibus, ob ignis numen. In Prometheum ob ereptum ignem — ... vigilias ... Cereris ludi) expressa Cereris peregrinatione. ... quæritantis.* Sed &, quod hoc in loco notat Olaus *lib. 17. c. 6. Apud Suecos Septentrionalium Principum hieme ignem ... fixos. Quorum fragore cum tympanis excitati satellites & ... circum ignem choreas tanto impetu in gyrum ..., ut ... postremum quemque in ignem ... . Inde extractus in ... throno positus, ob ignis regii ... , &c.* Facis ut petitæ magna aliquando ... illustris *Ignis* olim in bello usus fuit, ut supra vidimus, ubi de *Bello*, item in voce *Fax*. Apud Livium *Ignibus armati* ... terruerunt Rom. exercitum *lib. 4. cap. 33.* apud quem etiam ... nocturnorum in castris aliam habes, *lib. 22. cap. 41.* & *lib. 31. cap. 10.* Hodieque Turcæ *Ignes* plurimos parant ... ejus diei, in quem pugna collata est, hymnoque decantato in honorem Dei & Mahometis; hoc pacto significant, tertio ab ... die prælium se commissuros, teste Chalcocondyla *lib. 8.* Sed & *Ignis* supplicius destinatus, qua de re V. hic passim, ubi de *Pœnis* maximis. Adde quæ retro dicta, voce *Nedfri*.

Nomina, quibus Ignis olim cultus, aliaque huc pertinentia.

Camarim, Sacerdotes *Ignis*, apud Chaldæos.

Dughrim, vocati cultores *Ignis*, in Ins. *Chenerag*, tradit Benjaminus Tudel. *pag.* 108

Jupiter, Græcè Ζεὺς, ἀπὸ τοῦ ζέειν, quod est *fervere*, ex Phurnuti sententia, cœlestis & purior ignis dictus est, hocque nomine apud Græcos cultus.

Πρυτανεῖα, fuere apud Athenienses loca Vestæ sacrata, quasi *πυρὸς ταμιεῖα*. Hinc *πρυτανίτιδες* viduæ, quæ illum ignem inextinctum servabant.

Pyrathea, apud Cappadoces, septa fuere ingentia, in quorum medio ara perennis ignis fulgebat. Dicta à *Pyrathis*, Magorum in ea gente genere.

Vesta Junior, soror Cereris & Junonis, filia senioris Vestæ, quæ & *Rhea* & *Ops* dicebatur, apud Græcos, Albanos, Romanos, Ignem elementarem, aquis, aëri & imprimis terræ permixtum repræsentans, hoc nomine venerationem invenit.

Ur, Chaldæorum idolum fuit, unde civ. *Urii* & *Camarina*, à *Camarim* præfatis.

Vulcanus, seu Ἥφαιστος, notans partim in nubibus exardescentem, partim e terris erumpentem, partim in sacrificiis Deorum conspicuum, partim privatis usibus illucentem, partim denique & quidem potissimum in fabrorum fornacibus, armis cudendis, aliisque ex metallo apparandis, inservientem, apud Ægyptios, Græcos, Romanos, cultus est. Unde Χάλκεια, festum ejus, apud Athenienses. At Vulcanus Germanorum, Jupiter potius fuit, tonitrua ac fulgura ciens.

Zuicz, nomen ignis, apud Lithuanos, cultu fuit &c.

Ignis Brigidæ, quem instar Vestalium inextinguibilem dicunt, memoratur Sylvestro Giraldo *Topogr. Hibern. lib. 2. capp.* 34. 35. 36. 48. De cujusmodi *Ignibus* apud Vett. V. Bochartum *Hierozoici Parte prior. lib. II. cap.* 3. ut & infra ubi de Vett. *Lucernis*.

Ignis Græcus, adde: πῦρ Ῥωμαϊκὸν, Theophani, *Ignis Romanus* Paulo Diacono dicitur *Hist. Miscell. lib.* 21. Quo quidem *Igne* soli diu leguntur usi Græci Orientales, adeò ut illius conficiendi rationem & modum cum exteris non modò non communicarent, sed illud rogati respondèrent, interdictum hoc sibi à Constantino M. à quo inventum primò esse fingebant. Licèt verò conficiendi ejus modum exteros docere renuerent, confectum tamen sæpè cum Principibus fœderatis communicabant, navesque eo repletas locabant, quibus hostium iis classem comburerent, uti patet ex Luithprando *lib.* 5. *cap.* 4. & Ditmaro *lib.* 3. *p.* 33. In mari enim potissimum usus hujus *Ignis* fuit, unde πῦρ θαλάσσιον Theophani dicitur, *Ignis marinus*: quo ad quem modum naves instruxerint Græci & quo pacto in navalibus partim, partim in terrestribus prœliis fuerint usi, pluribus exponit Car. du Fresne *ad Joinvillam pag.* 71. & Cinnamum *pag.* 480. V. quoque Thwroczium *in Salomon. Hungar. R. pag.* 50. Postquam autem diu inextincta sævit hæc pestis, tandem tamen exstinguendæ ejus rationes repertæ sunt variæ. *Aceto* enim extingui, annotant Luithprandus *lib.* 3. *cap.* 6. Ditmarus *d. l.* Matth. Paris. *A. C.* 1210. Alii: *arenâ* & *sabulo*, idem Matthæus: *vino*, Poëta Gallus, apud du Fresne: *urinâ*, Jac. de Vitriaco *lib.* 3. *c.* 84. & Gobelinus Persona *æt.* 6. *cap.* 49. *oleo* tandem, Baldricus Dolensis *Histor. Hierosolym. lib.* 3. *pag.* 125. idemque Jac. Vitriac. *ubi suprà*. In phialis porrò & ollis *Ignem* hunc in hostes projectum, habent Albertus Aqu. *lib.* 7. *cap.* 49. & Nic. Trivettus *Chron. A. C.* 1191. Interdum tormentis & machinis bellicis in hostem immissum esse, auctor est Joinvilla *pag.* 38. At ex quibus soleret confici, exponunt Anna Comnena & Scaliger *Exerc. de Cardan.* 13. &c. V. Car. du Fresne *Glossar.* è quo illud quoque addam de *Igne Græco*, Monachi Florent. *Expugnat. Accon.*

Pereat ô utinam Ignis hujus vena,
Non enim extinguitur aquâ sed arenâ,
Vixq; vinum acidum artiat ejus frena,
Et urinâ stringitur ejus vix habena.
Ignis hic conficitur tantùm per paganos,
Ignis hic exterminat tantùm Christianos:
Incantatus namq; est per illos profanos,
Ab hoc perpetuò Christe libera nos.

Ignis Judicium, inter purgationes olim vulgares; quo sc. manu in *Ignem* immissâ, innocentiam quis suam tueri tenebatur: occurrit in L. Ripuar. *tit.* 30. §. 1. & 31. §. 5. quemadmodum & *Judicium Ignis & aqua*, in *Diplom.* Henrici III. Angl. R. nisi hoc ad purgationem, per *Ferrum candens*, pertineat, de qua *suo loco*. Interdum etiam, quamvis rariùs, per rogum accensum transeuntes illæsos, innocentiam suam, aut rei, quam asserebant, veritatem, probâsse legimus, apud Cedrenum an. 16. Zenonis Victorem III. Pontif. *Dialog. lib.* 3. *pag.* 98. de B. Petro, inde *Igneo* cognominato, postea Cardin. Albanensi, Alios. Quemadmodum examinis reliquiarum per *Ignem* exempla suggerunt varii Auctores, quorum meminit Ferrandus *in Disquisit. Reliquiar.* laudatus Carolo du Fresne *Glossar.* ubi etiam *de Igne Hierosolym. Sacro*, quo olim quotannis Sabbato Sancto lampades, supra Dominicum sepulchrum appensæ, sub horam vespertinam, accendebantur; de *Igne Novo*, qui in Eccl. Rom. Sabbato Sancto Paschæ veteri extincto benedici ac accendi solet; de *Igne Paschali*, cujus Zacharias Pontif. Rom. meminit, *Epist.* 12. *ad Bonifac. Archiep. Mogunt.* varia habes.

Ignispicium, genus divinationis apud Vett. in usu, excogitatum ab Amphiarao, si Plinio fides, id firmanti *l.* 7. *c.* 56. V. suprà, voce *Flamma*.

Ignitabulum. V. suprà ubi de re *Igniaria* Vett.

Ignitegium, in LL. Burgorum Scotic. *cap.* 86. *Quando pulsatur Ignitegium*: hora est, quâ oppidorum incolæ intra ædes suas se recipere, nocte adveniente & *ignem* suum *tegere* coguntur, campana, quæ inde *Curfu-bell* appellata est, signo indicata, ut furtis nocturnis caveretur (Gallis *Couvre feu*. Quod à Guilielmo Notho Rege Anglorum primò institutum ajunt. Pulsari autem *Ignitegium* consuevisse qualibet nocte per annum horâ 7. exceptis Festis, quibus Matutinæ dicantur post Completorium, habent *Statuta* Leichfeldensis Eccl. in Anglia. Addidit postmodum Joannes XXII. ut ad pulsationem *Ignitegii* ter *Ave Maria* diceretur, quod etiamnum in Ecclesia Rom. obtinere, docet Car. du Fresne *Gloss.*

Ignosce, apud Pelagium, *libello* 15. *n.* 20. συγχώρησον, apud Sozomenum *lib.* 8. *c.* 17. formula est loquendi Monachis olim familiaris, quemadmodum Gallis etiamnum, *Pardonnez moy*. Idem.

Ignotus Deus, nomen erat Dei, cui Arabes, Diis suis quos notos habebant diffisi, aras suas dedicaverunt, teste Giraldo *Syntagm.* 17. Idem Athenienses fecisse, non Pausanias solum *in Atticis*, sed & Lucas in Actis Apost. *cap.* 17. *versu* 23. docet. Cujus rei occasio secundum quosdam hæc fuit. Philippidi Atheniensium ad Lacedæmonios auxiliorum causâ contra Persas legato horribile spectrum se obtulit, quod cùm se ab Atheniensibus neglectum, aliosque Deos ab iis cultos, graviter conquestum esset, opem promptam pollicitum est, si & sibi sacra fecissent. Quare victoriâ obtentâ Athenienses, ne in posterum Numen hoc iratum sibi haberent, templum aramque erexere, cum epigraphe: Ἀγνώστῳ Θεῷ, *Ignoto Deo*. Alii dicunt, cum gravissimâ peste grassante Athenienses frustra Deorum sibi cognitorum opem precibus sollicitassent, ratus malum sibi ab aliquo sibi ignoto fuisse immissum, erexisse aram eique inscripsisse: Θεοῖς Ἀσίας καὶ Εὐρώπης καὶ Λιβύης, Θεῷ ἀγνώστῳ καὶ ξένῳ, *Diis Asia, Europa & Libya, Deo Ignoto & peregrino*, Justinus Martyr, Oecumenius, &c. V. Fr. Rosinum *Archæologia Attica lib.* 2. *cap.* 1. Nec Athenis se Numinis hujus cultus continuit, sed in viciniam longe lateque se diffudit: Unde vicinas gentes Νὴ τὸν ἐν Ἀθήναις ἄγνωστον, *Per Ignotum Atheniensium Deum*, jurare solitos fuisse, docet Lucianus *in Philopatride*, &c. Plura hanc in rem V. suprà, ubi de *Idololatria* incunabulis. Quomodo autem occasione hujus inscriptionis, quam Athenis in ara quadam Ap. Paulus deprehendit, hic incolas ad veri Dei notitiam pertraxerit, V. Actorum *cap.* 17.

Iguana Mexicana, animal est, quod more piscium natat ac sub aquis degit, & more quadrupedum, veprium herbarumque inter arboreta luxuriatur, arboresque scandit. Forma crocodilo simillimum, solo cutis colore differt, qui in atrum inclinat & ducit, utpote, quod sine squamis tectum, ac de more serpentum maculosum est. Per dorsi longitudinē spinas habet pectinatim ad caudam usque descendentes, in modum serræ dentatas aculeatasque. Oris rictus magnus est, dentes modici & minuti; ungues avium unguibus similes, sed debiles & innoxii. Oviparum est, & magnum ovorum numerum parit, quæ gustu gratissima; decem, imo viginti dierum spatium sine cibo ac potu vivit. Caro dulcissima ac maximarum in America deliciarum ac illecebrarum mensalium complementum est; quod ab indigenis demum Hispani didicerunt. Primi enim horum, cùm in illas plagas penetrassent, *Iguanam*, utpote visu horridam, diu neglexerunt; donec à Barbaris edocti, non nisi Magnatum illam servari epulis, demum gustus sui eam sertamentum fecerunt. Georg de Sepibus *in Collegii Rom. S. J. Musæo p.* 28. Vid. quoque Vossium *de Idolol. lib.* 4. *cap.* 62.

I K.

Ikenild-streat, una ex IV. publicis Angliæ viis, Vid. suprà *Ermingstreat*.

I L.

Ilex, civicis apud Romanos coronis primùm adhibita. Plin. *lib.* 16. *cap.* 4. *Samnitium bello civica ilignea primò fuit, postea magis placuit ex esculo, Jovi sacra. Variatumq; & cum quercu est, ac data ubiq; qua fuerat, custodito tantùm honore glandis.* Id est, prisci in danda corona civica *ilicem* ab esculo, esculum à quercu propriè dicta, distinxerunt: quanquam omnes hæ glandiferæ sint. Id. *ibid. cap.* 13. *Glandem quæ propriè intelligitur, ferunt robur, quercus, esculus, cerrus, ilex, suber.* Mansitque quercui honos, in qua *glans optima atque grandissima. Nam præter glandem ilicis, quam Homerus acylon vocat, qua appellatione à communi glande distinguitur, quæ & ipsa est brevior & gracilior, robori est parva, cerro tristis.* Proximum genus *ilex, sicut scriptum est in quadam Comœdia Cæcilii. Advehuntur inquit, cum iliginea corona, & chlamyde.* A. Gellius *l.* 3. *cap.* 6. Symbolum eadem fertilitatis habita, quotiesque ipsa ferax est, insequentem annum fertilem fore creditum, Constantinus Cæs. *lib.* 11. *cap.* 15. Fuit autem religiosè habita, antiquissimis jam temporibus. Plinius iterum *lib.* 16. *cap.* 44. *Vetustior urbe in Vaticano ilex, in qua titulus æreis literis Hetruscis, religione arborem jam tunc dignam fuisse, significat.* De cujus usibus aliis, V. eundem *lib. cit. cap.* 8. Cæterùm *Ilicis* genera duo, unum foliis minùs aculeato & oleis simili; alterum aculeatis foliis, unde *aquifolia* hæc ilex dicta: quæ præter glandem producit *granum Coccineum*, coccum *seu* granum nigricantem; sed quem cum

cocco βαφικῷ seu tinctorio, qui & absolutè κόκκος, malè confundit Auctor sæpius dictus loco modò cit. qua de re V. Salmasium ad Solinum pag. 268. & seqq. V. quoque suprà, ubi de Cocco, item in voce Cusculia. Addam hîc saltem, ilicem cocciferam, quæ de genere est ilicum aquifoliarum, fruticem esse parvum, qui nunquam instar arboris surgendo assumat. Ejusdem granum cineræi coloris est, nec nascitur nisi in calidioribus locis. Præterea eadem arbor, quæ coccum novella tulit, ubi in tantum adolevit, ut glandem generare possit, non ampliùs coccum tingendo generare: majusculusque frutex qui glandem fert, ab Hispanis carrasca, minor, qui cocco fœcundus est, coscoja, ex antiqua voce cusculium, appellari hodieque, dicitur. Salmasius p. 962.

Ilia implicare, veræ luctæ schema. Statius lib. 7.

—— tergo nec opimus inhæret,
Mox latus & firmo celer implicat ilia nexu.

Quod vitalia contorquere, dicit Trebellius Pollio in Claudio, Græci ἴγνυαν ἐλκύσαι: μεσολαβεῖν quoque seu potiùs μεσοπεδεῖν, Pollux: qua voce schema hoc palæstricum insignitum est, quod, quibus vehementius ita ilia stringerentur, plerunque ventris crepitum emitterent. Inde itaque elogium veteris Athletæ, ὃ μέσον οὐδεὶς εἷλκυσε, cujus vitalia nemo contorsit &c. At non licebat, in militari illa luctandi ratione, quæ, lusûs tantum & exercitationis gratiâ instituta, non tam severis legibus peragebatur: Tum enim nec nudi luctabantur, ut mos erat in Græcia luctantium; nec vitalia & τὰ μέσα, sed eorum loco baltheum, sibi invicem contorquere solebant. Unde Claudius II. Imp. cùm adolescens in judicio Martiali illiusmodi certamen obiret, iratus ei, qui non baltheum, sed vitalia sibi contorserat, omnes dentes uno pugno excussisse, apud Capitolinum proditum. ad quem vide Salmasii Notas. Cœterùm de Ilibus V. Plinium lib. 11. cap. 37. Riolanum, Bartholinum, alios Rei Anatomicæ Scriptores. Ilia apri, in deliciis Vett. recenset Martialis lib. 10. Epigramm. 45. ubi ad delicatum lectorem, carmen suum nauseantem,

Hoc, ait, tu pingue putas, & costam rodere mavis,
Ilia Laurentis cum tibi demus apri.

Apud Plinium verò, ubi de navibus Taprobanitarum, Magnitudo, inquit, æterna ilium ad forum, lib. 6. cap. 22. Ilia sunt, τὰ ἐγκοίλια, costa, latera, metaphorâ ab animantibus desumptâ; forus, τὸ προσκάφιον. Dicit is autem, illum magnitudinem alternam fuisse in navibus Taprobaniticis, quia plana erant illorum latera, sicut forus ejus idemque cum illo magnitudinis: alternum enim παράλληλον, ὁμοῖον, ἴσον. Atque hoc est, quod de iisdem Strabo scribit, ἐγκοίλια eas non habere, quia sc. plana illis latera, non carinata, nec panda essent. V. Salmasium ad Solinum p. 1116.

Ilias Parva, Græce Ἰλιὰς μικρά, Græcum est poema, (pars Cycli Epici, de quo suprà) cujus Lesches auctor, Poeta Lesbius, Ilii excidium eo decantabat. Hieronymus ad Olymp. 30. Alcman clarus habetur & Lesches Lesbius, qui parvam fecit Iliada. Ex ea versum hunc,

Καί κε γυνὴ φέροι ἄχθος, ἐπεί κεν ἀνὴρ ἀναθείη,

qui in Equitibus Aristophanis legitur, desumtum esse, adnotat Scholiastes. Ἰλιάδα μικρὰν vocat Pausanias, & quidem uno loco, eo Ἰλιάδα μικρὰν laudans Leschem, cùm Ἰλιάδα μικρὰν reliqui constanter vocent. Et sanè Ilias hæc, cùm decantaverit Ilii vastationem, revera potuit etiam hoc titulo inscribi. Sed proprius hic titulus tragœdiæ fuit, ex parva Iliade desumtæ, uti Aristoteles docet, ubi tragœdiarum argumenta ut plurimum ex opere & carmine Epico depromi consuevisse ostendit, de Poetic. cap. 23. Alia itidem fuit Ἰλιὰς ἰσάριθμος, Ilias minuscula, quam apud Thestoridem Homerus composuisse, sicque ad discrimen majoris Iliadis appellasse dicitur Herodoto, qui ejus initium hoc fuisse ait,

Ἴλιον ἀείδω καὶ Δαρδανίην εὔπωλον,
Ἧς πέρι πολλὰ πάθον Δαναοὶ θεράποντες Ἄρηος.

Ea enim eadem cum τῇ Κυπρίᾳ, seu Κυπρίᾳ Ἰλιάδι, quam nonnulli Stasino ascribunt, Læviusque vetustissimus Poeta, Charisio Sosipatro laudatus, Latine vertit, Cypria Iliados non item. V. suprà in voce Cypria; & plura hanc in rem, apud Salmasium ad Solinum pag. 852. & seqq.

Ilicet, q. ire licet, in funeribus olim Romanorum, consumto cadavere, & collectis cineribus, dici solebat. Quod Virgilius respiciens Æn. lib. 9.

—— Dixitque novissima verba,

inquit. Et sic, qui funus prosequutus erat populus, ad Lares suos remittebatur: quo de ritu V. suprà, ubi de Cadaverum Cura, & plura hanc in rem, apud Alex. ab Alexandro Genialium Dier. lib. 3. cap. 7. Sed & re divina & ceremoniis concelebratis eadem vox à Sacerdote succlamabatur, sicque, qui sacris interfuerant, missos is faciebat, in eadem gente: quemadmodum apud Græcos functus mysterio Sacerdos λαοῖς ἄφεσιν renuntiabat, qua de re V. eundem lib. 4. cap. 17. Simile quid in Ecclesia Latina & Græca factum olim, ut videre est infrà, voce Missa: & plenius apud Cl. Suicerum vocibus, Ἀπόλυσις & Ἀπολυτίκιον, quorum hoc erat troparium ultimo loco, ante dimissionem populi recitari solitum, illud ipsa dimissionis apud Græcos formula &c.

Iliensis Minerva, in Fragm. Ulpiani, ab Ilio Phrygiæ minoris Civ. dicta est: cujus Civitatis meminit Plinius lib. 5. cap. 30. ubi immunem eam fuisse dicit & ab ea omnium rerum attulisse claritatem, V. l. non solum ff. de excus. Hinc itaque & Iliensi Minervæ id jus tributum est à Romanis, ut ei legari posset. V. omnino de Iliensium privilegiis, Cujacium Observ. lib. 10. cap. 5. laudatum Joanni Calvino Lexic. Jurid.

Ilissus, adde: Græco Ἰλισσός, quasi Εἰλισσός, à recurvo & flexuoso cursu. Seneca in Hippolyto,

Ubi per glacie lenis Ilissus,
Ut Mæander, per inæquales
Labitur agros, piger ac steriles
Amne maligno radit arenas.

Sed Statio non Atticæ hunc fluvium, verùm alium haud longe Sicyone, qui Ἐλισσὼν Pausaniæ in Corinthiacis, indigitari locatum, docet Salmasius ad Solinum pag. 836. ubi alium cognominem in Arcadia quoque occurrere, addit. V. in voce Elissus. Servare hodieque vetus nomen et tenore, sed aliquando planè exsiccari, atque in ejus alveo Callirhoën fontem scaturire, refert Itiner. part. 2. pag. 109.

Ilithyia, adde: Eadem Græcis Ζυγία quoque dicitur. Eam parturientes advocare solebant, teste Euripide in Jone:

Σὲ τὰν ὠδίνων λοχίαν
Εἰλείθυιαν τε ἐμὰν
Ἀθάναν ἱκετεύω,
Te partuum obstetricem
Ilithyiam, meamque
Minervam obsecro.

Sic Nonnus Dionysiacôn lib. 1.

Ἑπτάκις Εἰλείθυιαν ἑῷ ἐπὶ τόκῳ λοχείης.
Septies Ilithyiam suo vocans partui.

Puerperæ eidem vota nuncupabant, hastas consecrabant, publicè vaccas nomine immolabant, & ne quid deesset, nummis cusis monumenta erexere. Vota eleganter expressit Propertius lib. 4.

Idem ego cùm Cinara traheret Lucina dolores,
Et facerent uteri pondera lenta moram,
Junonis votum facite impetrabile, dixi:
Illa parit.

Cujus rei etiam memoria in Inscriptionibus, ut in illa Gruteri pag. 41. Dianæ. Lucinæ. Invictæ. Cn. Pompejus. Cn. Lib. Barbus. Procurat. tibicen. Rom. voto. suscepto. L. M. Suidas non unam tantum, sed plurimas Ilithyias prodidit, Deas parturientibus assistentes. V. Thom. Bartholinum de Puerperio Vett.

Illatio, in Missa Mozarabica, est id quod in Missis Rom. Præfatio dicitur, quæ in singulis Missis propria est, Car. du Fresne Glossar. & Dominico Macro Hierolex.

Ille, insignis aliquis præ cœteris. Papinius Statius Achilleidos lib. 2. versu 72.

—— velut ille cubilia præda
Indubitata tenens multo legit arva Molosso
Venator ——

V. Scholiastem vet. ad l. Sic apud eundem Thebaid. lib. 2. vers. 469. de apro, Dianæ immisso,

—— Vindex sic ille Dianæ,

insignis bellua voce notatur. Eadem velut præsentem aliquem talem exhibet & ob oculos positum, ipso prope digito demonstrat. Val. Flaccus lib. 2.

—— Ille procul truncâ fugit anxius alno.

Cum pronom. ego conjuncta, gloriantis est:

Ille ego, qui quondam &c.

De quo usu Poetarum V. Guil. Canterum Novar. Lection. lib. 3. cap. 26.

Illex Columba, V. suprà Columba Allectatrix.

Illuminati, apud Scriptores Eccles. pro Baptizatis, eo quòd iis Baptismi ritibus etiam is esset, ut, post indutam vestem candidam, sanctitatis ac innocentiæ testem, cereus accenderetur, in signum fidei gratiæque acceptæ. V. Gregorium Turon. Histor. lib. 5. cap. 11. aliosque laudatos Carolo du Fresne in Glossario. Unde Illuminatorium, in Vita S. Marci Presbyteri, pro Baptisterio, apud Dominic. Macrum Hierolex.

Illustres, dicti sunt apud Romanos olim Equites insigniores, quos jus laticlavi non secus, ac Senatores habuisse, ex Dione notavit Lipsius ad Tacitum. Ita autem Dio lib. 59. Cajus, cùm ordo Equestris ad paucos redigeretur, primores ex omni Imperio, etiam extra Italiam, qui genere & opibus excellerent, in eum allegit, & quibusdam eorum etiam ἐσθῆτι τῇ βουλευτικῇ, Senatoriâ veste, priusquam Magistratum ullum cepissent, uti concessit in spem dignitatis. Quod tamen non diu obtinuisse illud declarat, quòd Præfecti Prætorio, qui ferme ex Equitibus legebantur, laticlavi jus non habuere. Non solùm autem Equites ipsi Illustres, sed & filii eorum idem jus habuere: quod Ovidii testimonio confirmant Eruditi,

Interea tacito passu labentibus annis,
Liberior fratri sumta mihique toga est:
Induiturque humeris cum lato purpura clavo.

Qui ubi ad ætatem Senatoriam pervenere, si nolebant, aut non poterant in amplissimum ordinem adscribi, angustum clavum resumebant: Idem Poeta,

Curia restabat, clavi mensura coacta est,
Majus erat nostris viribus illud onus.

V. Ovid.

V. Octav. Ferrarium *de Re Vestiaria lib.* 3 *cap.* 14. Postmodum sic dicebantur, qui inter Honoratos principem tenebant locum, *Clarissimis & Spectabilibus* digniores, ut apparet ex *Nov. de appellat. & intra quæ temp. ad fin.* & ex *l. un. C. de ratiocin. oper. publ.* ut & ex *ult. Cod. de Sportis* &c. Unde non tributus hic dignitatis gradus, nisi *Præfectis Prætorio*, *Præfectis Urbis*, *Quæstoribus*, *Magistris militum*, *Magistris officiorum*, *Comitibus rerum privatarum*, *Comitibus domesticorum*, *Principibus agentium in rebus* &c. quod pluribus docent Brissonius, Pancirolus, Sirmondus, & Joannes Seldenus *de tit. Honor.* Atque de his interpretantur eruditi *Illustrem dignitatem* & *Illustrem administrationem*, in *Constitutionibus, leg.* 32. & *leg* 36. *C. de appellat. l.* 63. & 65. *de Decur. lib.* 10. *C.* nec non *Illustratus* dignitatem, apud Cassiodorum *Epist.* 11. *lib* 6. & *Illustratus gradum*, in *l.* 11. *§. sin autem utraq. C. de Jud.* Fuere autem *Illustrium* virorum gradus, alii majores, alii minores: Namque Præfectus Prætorio major erat Magistro officiorum, licèt uterque *Illustris* esset, Cujacius *l. ult. de dignitat. C. lib.* 12. Præterea 5. gradus *Illustrium Virorum* habet *Novella* Valentiniani *tit. de Honoratis*, è quibus *Illustres administratores* præcipui, quippe qui omnibus *Illustribus vacantibus & Illustribus honorariis* præferuntur: Illustribus autem administratoribus adnumerantur Vacantes, qui non sunt otiosi, sed dignitatem aliquam ordinariam gerunt: Veluti Germanus, Magister militum vacans contra VVandalos Dux magnâ cum classe missus à Theodosio, jam non pro vacante Illustri, sed pro administratore, habetur. Ducatus ipse ordinarius est, h. e. clarissimus vel perfectissimus. V. Cujacium *lib.* 1. *de primicerio & secundicerio & Notariis C. lib.* 10. apud Joann. Calvinum *Lexic. Jurid.* ut & supra, in voce *Honorati.* Apud Francos quoque, stirpe primâ & secundâ Regum stante, diu hæc dignitas viguit, cùm Reges ipsi, & post eos Majores domus *Viros Illustres* semet indigitarent, ut ex *Diplomatibus* eorum colligere est, apud Doubletum *in Histor. Sandionys. passim.* Ad quos verò hic titulus spectaverit, inclinato jam Imperio, discimus ex *Speculo* Saxon. *l.* 3. *art.* 58. *Nullum est feudum vexilli, de quo possit* Illustris *vel Princeps fieri, nisi illud sibi à Rege conferatur. Feudum alii prius collatum, sequenti illustriam non tribuit dignitatem*, apud Car. du Fresne *Glossar.* V. quoque Cl. Suicerum *Thesauro Eccl.* voce Ἰλλούστριος.

I M.

IM. in notis antiqq. Hymnus. IM, *jam.* IMP. *Imperator* &c. de bgrar, Fr. Gouldin.

Ima, vel *Imma*, apud Sext. Rufum, ubi de prælio inter Aurelianum Imp. & Zenobiam commisso, *apud* Imas, *non procul ab Antiochia*, & Eusebium, *apud* Imas *vincitur*: oppidum fuit, quod in vet. *Itiner.* Tab. ubi *Emma* extat, triginta tribus m. p. Antiochiâ distare dicitur, V. Salmasium *Not. ad Vopiscum Aureliano*: ubi docet, levi hîc conflictu habito, Aurelianum exiguam aliquam Palmyrenorum partem profligasse; apud Emessam verò postea de summa rerum utrinque fuisse dimicatum.

Imagines, in Gentilium religione multi usus, qui tamen non apud omnes eorum semper viguit. Nam fuere, qui utcunque Numina colentes varia, aut Solem saltem sub variis nominibus, neque aras, neque statuas *Imaginesq;* ullas eorum habuere, nec Templis eos circumscribebant, hostias interim pro placito, loco in quocunque, immolantes atque Orbem terrarum Cœlo tectum Mundumque ipsum tantùm esse Deorum suorum Templum, existimantes. Sic ex Magorum disciplina, Persæ, Scythæ, Afrorum Nomades seu Numidæ, aliique, V. Herodotum *lib.* 1. Strabonem *lib.* 15. Ciceronem *in Verrem Orat.* 2. Alios. Celsus apud Origenem, *Non ferunt* (gentes aliquæ) *Templa, Aras, Statuas*, (Deorum) *aspicere. Ita enim nec Scythæ, nec in Afris Nomades, nec Seres illi athei, uti & aliæ gentes maximè profanæ & legibus destitutæ. Etiam & Persæ idem sibi statuêre, ut narrat in his Herodotus: Persarum ritus hosce novi; Statuas, Aras, Templa nec ipsi dedicant & alios pro stultis habent, qui hoc faciunt.* Sed verò etiam nec Romanos ipsos statuis seu simulachris Deorum plusquam annos centum & septuaginta in cultu usos esse, test sest Varro, apud Augustinum *de Civ. Dei lib.* 4. *cap.* 31. id est, ab Romuli initiis, usque ad Tarquinii Prisci ferme exitum, qui Hierosolymorum excidio primo coævus erat. Nec quidem dissimile est veri, ex fama, quæ procul dubio tam per Occidentem, quàm Orientem, passim increbuerat, de clade illa Hierosolymorum Templique adeò insignis, deque templo illo ac institutis gentis, Numinis *imagines* non admittentibus, Romanos, Ebræorum ea in re hactenus imitatores, velut in tutiorem sibi partem, ut cladis exemplo monitos, transeuntes (quâ Numina, quâ Homines etiam ob religionem ejusque prætextu, invicem acriùs dimicare solitos spectarent) *Imaginum* quoque cultum usumque in templa, sibi posterisque suis cautiùs consulturos, adscivisse. Imò Tertullianus *Apologet. cap.* 25. diu sine Templis etiam, cultum apud eos fuisse omnimodum, docet. Et quidem de simulachris totque annorum spatio consentiunt alii, ut Clearchus apud Clem. 5. *Strom.* ac Eusebium *Præpar. Evang. lib.* 8. *c.* 6. Plutarchus *in Numa*, Dionys. Halicarnassensis *lib.* 2. &c. Sed Templa interim (ναοὺς καὶ ἱερὰ) tunc à Romanis, sine illis extructa, adjiciunt. V. Joh. Seldenum *de Synedriis Vett. Hebræorum Lib. III. cap.* 13. Et nihil magis sub Regum temporâ obvium, quàm ab ipsis Templa dedicata, sed sine simulachris, quæ postea demum inolevere. Unde facile intelligitur, cur Numæ Pompilii libros, circa annum ab U. C. 570. sub Janiculo effossos, comburendos decerneret Senatus, apud Livium *Dec.* 4. *lib.* 10. *cap.* 19. utpote Pythagoricos & qui pleraque haberent dissolvendarum religionum, sub Numa scilicet scripti, cùm simulachra & pulvinaria Numinum non solùm in usu non essent, sed neque ex religione ac doctrina Pythagorica permissa. Ita enim Plut. *l. c.* Ἦν δὲ καὶ τὰ περὶ τῶν ἀφιδρυμάτων νομοθετήματα παντάπασιν ἀδελφὰ τῶν Πυθαγόρου δογμάτων. Οὔτε γὰρ ἐκεῖνος αἰσθητὸν ἢ παθητὸν, ἀόρατον δὲ καὶ ἀκήρατον καὶ νοητὸν ὑπελάμβανεν εἶναι τὸ Πρῶτον. Οὗτός τε διεκώλυσεν ἀνθρωποειδῆ καὶ ζωόμορφον εἰκόνα Θεοῦ Ῥωμαίους νομίζειν, *Jam hujus de statuis scita undequaque Pythagoræ placitorum sunt germana. Neque enim ille sensui, aut ulli dolori expositum rerum principium esse, sed invisibile, incorruptum, solâ mente existimavit apprehensibile, hic vetuit Romanis, hominis vel bestiæ formam tribuere Deo.* Ex Mose verò id instituti Numam hausisse, existimat Clem. Alexandrinus 1. *Strom.* Νουμᾶς δὲ ὁ Ῥωμαίων βασιλεὺς, Πυθαγόρειος μὲν ἦν, ἐκ δὲ τῶν Μωϋσέως ὠφεληθεὶς, διεκώλυσεν ἀνθρωποειδῆ καὶ ζωόμορφον εἰκόνα Θεοῦ Ῥωμαίους κτίζειν κτλ. *Numa autem Rex Romanorum erat quidem Pythagoræus* (quanquam multis ante Pythagoram annis eum fuisse, Catulus apud Ciceronem *de Orat. lib.* 2. affirmet) *ex iis autem, quæ à Mose tradita sunt, adjutus prohibuit Romanis, ne homini aut animali similem facerent Dei imaginem &c.* Imò & insequentibus temporibus non defuisse apud Romanos, qui hunc *Imaginum* in sacris usum improbarent, discimus ex Augustino *de Civ. Dei lib.* 4. *cap.* 31. & *lib.* 18. *cap.* 24. ubi de Varrone, *Quod si adhuc*, inquit, *mansisset, castiùs Dii observarentur: cujus sententiæ suæ testem adhibet inter cætera gentem Judæam: nec dubitat eum locum ita concludere, ut dicat, qui primi simulachra Deorum populis posuerunt, eos civitatibus suis & metum dempsisse & errorem addidisse.* Quam ad formam Zeno Clemente eodem 5. *Strom* referente, Μήτε ναοὺς, dixit, μήτε ἀγάλματα, *Nec oportere templa facere, nec imagines.* Quem plurimi inter Græcos Sapientes secuti sunt. Certè apud eundem Autorem *Protrept. ad Gent.* in *Imaginum* vanitatem acriter invehitur Heraclitus Ephesius, hancque suis stultitiam acerbè exprobrat. Sic de Stilpone, recenset Diog. Laërtius, eum à Judicibus, quòd *Minervam Phidiæ, non Jovis filiam, sed Phidiæ; adeoq; non Deum*, dixisset, exilio fuisse mulctatum. Quamvis enim is se hoc modo defenderet, ut *Deum* Minervam appellari non posse diceret, quòd videlicet *Dea* esset, Diis quippe etiam in sexum distinctis; Judices tamen, quo Stilpo tenderet, facilè videntes, fuere soliciti, ne quid is in Religione occulte innovaret. V. quæ de Xenophonte Colophonio, apud sæpius memoratum Auctorem 5. *Strom.* de Cotta, apud Ciceronem *de Nat. Deor. lib.* 1. de Seneca, apud Augustinum *de Civ. Dei lib.* 6. *cap.* 10. de Diagora, apud Clem. iterum *Protrept.* de Luciano, *Dial. de Imaginibus*: de Clodio, apud Ciceron. *pro Domo sua*, hanc in rem leguntur. Quam proin vanitatem, ab ipsis Gentilibus agnitam, observans Ambrosius, ubi Symmachum refellit, pro veteri Deorum cultu pugnantem, *Non vult se*, inquit, *in lapidibus coli: etiam ipsi Philosophi vestri ista riserunt.* Cæterùm, præter gentes memoratas, (in quibus Persæ à veteri instituto recesserunt, Artaxerxe auctore, qui primus Veneris Tanaidis *imaginem* Babylone, Susis, Ecbatanis, Perside, Bactris, Damasci & Sardibus à se positam coli jussit, teste Beroso, apud Clementem) Syri quoque, saltem illi, qui circùm Carmelum degebant, caruere *Imaginibus*, ut videre est apud Tacitum *Histor. lib.* 2. *cap.* 89. Imò & *antiquitus apud Ægyptios* (gentem alioquin in superstitionem effusissimam) *absque simulachris & statuis templa fuisse*, refert Lucianus *de Dea Syr. Tom II. pag.* 749. Et de Germanis Tacitus *de Mor. Germ. cap.* 9. *Cæterùm nec cohibere parietibus Deos, neq; in ullam humani oris speciem assimilare, ex magnitudine cœlestium arbitrantur.* Atque idem de aliis Hospinianus tradit, *de Orig. Templor. lib.* 2. *cap.* 8. V. Tob. Pfannerum *Theol. Gentilis purior. cap. XI. §.* 7. Apud quos verò receptæ *Imagines*, illi primùm eas rudes habuere, dein politas exasciatasque, tandem in hominis formam effigiatas: uti vidimus suprà, ubi de *Idololatriæ incunabulis.* Hasque iterum primò nudas, inde minio illitas, tandem vestitas, coronatas armatasque: quâ de re aliisque huc pertinentibus, V. Casp. Barthium *Commentar. Superstitionum*, & hîc passim, inprimis ubi de *Simulachris* ac *Statuis*: In specie verò de *Imaginibus* illis, quas Gentiles Διοπετεῖς, q. *cœlitus delapsas*, & Christiani vett. Iconolatræ Ἀχειροποιήτους, dixere, quasi *nullius hominis manu fabricatas*, Salmasium *ad Solinum p.* 816. Adde Cl. Suicerum, qui hanc in rem varia congessit *in Thesaur. Eccl* passim, inprimis voce Εἰκὼν, ubi, de *Imaginibus Christianorum* agens, sub finem IV. seculi demum à quibusdam Imagines in Ecclesiam ornatus causâ introductas, quinto postmodum & sexto coli eousque, ut in præliis quoque ad fugandos hostes adhiberentur, cœpisse, pluribus docet: in Græca Ecclesia, non nisi pictas, admitti subjungens &c.

Imagines, in communi vita non minùs frequentes. Et quidem illas

illas dedicatas in variis ædium partibus Vett. habebant: suorum quidem Majorum, in Atrio, celeberrimo & maxime conspicuo ædium loco, ut Polybius vocat *lib. 6.* Eorum verò, quos amarent, in cubiculo. Plinius *lib. 35. cap. 2.* *Iidem & vultus Epicuri, per cubicula gestant ac circumferunt.* Sic infantis *jam pueri, centies effigiem Augustus in cubiculo suo positam, quotiescunq; introiret, exosculatus* legitur, apud Suetonium *Caligulâ* & *Cubicularium* hinc *imaginum* mentio apud eundem, *Augusto cap. 7* Colebantur hæ una cum Laribus, puerique custodiæ apponebantur, cujus ministerii Macrobius meminit *Saturnal. lib. 1. sub fin.* Ibidem erant & eorum Numinum simulachra, quæ thori genialis curam habere credebantur, Augustin. *de C. D lib. 6. cap. 9.* Posterioribus Imperatoribus peculiaris moris fuit, ut in cubiculo ipsorum Fortuna esset aurea, quam morituri ad eum transmitterent, qui sibi esset successurus, Capitolino teste in *Pio & Marco.* At viri docti in Bibliothecis. Asinii Pollionis Romæ invento, habebant vett. Auctorum imagines, ut ex Cicerone, Plinio, Juvenale, Aliis, constat. Quo insignis inprimis locus facit Suetonii *Tiberio cap. 71.* ad quem, moris fuisse magnorum Virorum imagines per genera distinctas habere, docet pluribus Casaubonus &c. Usus imaginum, quibus Majorum expressi vultus, vetustissimus, Plinio notatur *d. l.* *Aliter apud Majores in Atriis — expressi cerâ vultus singulis disponebantur armariis, ut essent imagines, quæ comitarentur gentilitia funera, semperq; defuncto aliquo totus aderat familiæ ejus, qui unquam fuerat, populus.* Quo de ritu V. Casp. Barthium *ad Statium Part. I. pag 267. & III. pag. 415.* Habebant autem imagines hæ affixa hostium spolia, quæ nec emptori refigere licebat, *triumphabantq; etiam dominis mutatis ipsæ domus,* Plin. ubi suprà. Iisdem res præclare gestas inscribere, mos fuit, Heraldus *ad Martialem lib. 5. Epigr. 20.* &c. Qui amoris ergò *imagines* faciebant, servabantque, erant vel Parentes, qui liberorum defunctorum memoriam hoc pacto sibi resiccabant, uti de effigie adolescentis Camonii habet Martialis idem *l. 9. Epigr. 75.* vel Amici, qui discedentium amicorum sibi effingi simulachra mutuò curabant, uti de Cæcilio Secundo legas, apud eundem *lib 7. Epigr. 84.* vel Amantes, unde Plutarchus inter res amatorias, *[illegible], redimere iconculas*, dominæ sc. reponit Ἐρωτικ. Ut de cereis imaginibus, etiam sagis nostris non incognitis, quibus Veneficæ olim etiam ab invitis amorem extortum ibant, jam nil dicam: nil etiam de ornatu imaginum memoratarum, cùm festiva aliqua lætitia imminebat. Hoc saltem addo, uti quos honore auctos volebant prisci, sive Deos, sive homines, *[illegible]*, sic contrà per contumeliam utrorumque *imagines*, cœno lapidibusque conspurcare impetereque consuevisse. Tacitus *Histor. lib. 1.* *Prima ni Quintaniq; turbidi, adeò ut quidam saxa in Galbæ imagines jecerint.* Unde illa Theatralis lapidatio, de qua multa Casaubono dicta, *Animadvers. in Athenæum lib. 6. cap. 11.* Plura verò hanc in rem vide apud Plinium *loco cit.* ut & hic passim. Transeo ad usum *Imaginum* in Annulis Veterum, in quibus illæ erant vel *cava*, quæ scalpro fiebant; vel *extuberantes* prominentesque, quæ cælo: unde & gemmæ, quæ ejusmodi imaginem exhibebant, *Ectypa* dictæ sunt. Seneca *de Benefic. lib. 4. cap. 26.* *Paulus Prætorius in convivio quodam Tiberii Cæsaris habens imaginem ectypâ & prominente gemmâ.* Insculpebantur verò istiusmodi anularibus gemmis, *imagines* amicorum. Ovidius *Tristium lib. 1 Eleg. 6.*

Hæc tibi dissimulo, sentis tamen omnia dici,
In digito qui me fersq; refersq; tuo.
Effigiemq; meam fulvo complexus in auro,
Chara relegati, quà potes, ora vides.

Sic Epicuri *imaginem* in annulis habebant, familiares ejus, apud Ciceronem *de Finibus lib. 5.* Et Commodum Imper. signo Amazoniæ, ea erat concubina Martia, quam pictam in Amazone diligebat, literas signare solitum, videre est ex ipsius Epistola, ad Clodium Albinum, quam in *hujus vita* Jul. Capitolinus recitat. Etiam Majorum *imagines* in annulis fuisse, quæ tamen illis, si a Majorum virtute degenerassent, demebantur. Val. Max. *l. 3. c. 5.* de Africani filio loquens, C. *Scipio superioris Africani filius, Præturæ pariter candidam togam adeò turpitudinis maculis obsolefactam in Campum detulit, ut nisi gratiâ Cicereii, qui Patris ejus Scriba fuerat, adjutus esset, honorem à Populo impetraturus non videretur. Quanquam quid interfuit, utrum repulsam, an sic adeptam Præturam domum referret? Insuperq; è manu ejus annulum, in quo caput Africani sculptum erat, detraxerunt.* Ita Publ. Lentulus Sura Avi sui *imagine* in signando usus est, apud Ciceronem 3. *Catilinar.* Porrò & Regum Principumque gestabantur *Imagines.* Aristomenem certe Agathoclis imaginem in annulo gestasse tradit Polybius *lib. 15.* Callicratem, Ptolemæi parasitum, Ulyssis iconem in annulo circumtulisse, auctor est Athenæus *in Dipnosophist. lib. 6.* Alexandri M. effigie Augustum, ipsius verò Augusti Principes insecutos signasse, narrat Suetonius *cap. 50.* & Dion. *lib. 51.* De Constantino M. refert Constantinus Porphyrogenitus *de administr. Imper. cap. 53.* illum Chersonitis, inter alia laborum pro Imperio Rom. exantlatorum præmia, etiam annulos aureos, in quibus *Imago* ejus erat expressa, donasse. Similiter Meletii Episc. imaginem in annuli pala expressam, gestasse Antiochenses, tradit Chrysostomus *Orat. de ejus laudib.* Nec in auro solùm, sed & ferro Imperatorum *imagines* sculpi consuevisse, discimus ex Greg. Nazianzeno *Oratione in S. Baptism.* Interim de Cæsarum *Imaginibus* notant Eruditi, Claudii Principatu fas non fuisse, imaginem Principis in annulo aureo gestare, nisi quibus admissionum Liberti jus id dedissent; ex Plinio *l. 33. c. 3.* magnamq; cautionem fuisse adhibendam, ne qui istiusmodi quid gestarent delatoribus calumniandi præberent occasionem. Sub Tiberio certè capitale fuisse, discimus ex Suetonio, qui *c. 58.* *circa Augusti simulachrum servum cecidisse, vestem mutasse, nummo vel annulo effigiem impressam, latrinæ aut lupanari intulisse*, gravissimi criminis loco fuisse habitum refert. Imò & maculam tumere eâ manu, quæ annulum Principis imagine signatum habebat, crimini datum fuisse, legimus apud Senecam *de Benefic. lib. 3. cap. 26.* Quid quòd etiam suâ ipsorum *Imagine* nonnulli signabant. Fecit id Augustus; qui licèt initio in diplomatibus libellisque & epistolis signandis Sphinge, mox imagine Alexandri M. novissimè verò suâ ipsius, Dioscoridis manu sculptâ, utebatur, teste Suetonio suprà laudato. Unde & in *Pseudolo* Plautino *sc. 1.*

Eâ causâ miles hic reliquit symbolum,
Expressam in cera ex annulo suam imaginem.

At Deorum formas annulis insculpi, apud Romanos, saltem antiquitus fas non fuit. Migravit tamen & hic mos postea, itque cum aliorum, tum Ægyptiorum Numinum imagines, gestare cœpere. Plinius *l. 2. c 7.* *digitis Deos gestant:* & *lib. 33. c 3.* *Harpocratem etiamq; Ægyptiorum Numinum in digitis Viri quoq; portare incipiunt.* Quæ loca licet de annulis Magicâ arte formatis exponantur; nihil tamen impedit, quò minus etiam intelligamus de superstitione illorum, qui simulachrum alicujus Numinis, à quo se juvari putarent, quotidie circumferebant. Sic Veneris Armatæ effigiem gestabat Cæsar, apud Dionem *lib. 43.* Deæ Cœlestis Asclepiades Philosophus, apud Amm. Marcellinum, qui illis temporibus vivebat, *lib. 22.* &c. Plura hanc in rem V. apud Joh. Kirchmannum Lubecensem *Tract. de Annulis*: adde Jo. Seldenum de *Jure N. & Gent. lib. 2. cap. 7. & 8.*

Imaginiferi, apud Gruterum 562. 1. & 1007. 3. sunt, qui vexilla, in quibus Imperatorum imagines pictæ, in acie deferebant. V. Stevvechium *ad Vegetium l. 2. c. 6.* & Pancirolum *in Not. Imp. c. 24.* laudatos Carolo du Fresne *Glossar.* Sic vexillum, Sanctorum imaginibus insignitum, qui mos sequiori ævo inolevit, *Imaginem* vocat Hadrianus Pontifex Rom. *in Epist.* quæ habetur in Codice Carolino 92. quâ notione *icona* sumitur, ab Honorio III. in *Compilatione V. Decret. tit. 6. cap. 1.* &c.

Imaginum Morbus indigitatur Catullo hisce,

—— nec rogate,
Qualis sit, dolet hæc imaginosum:

Estque mania, phrenetis, Corybantiasmus, quo laborantibus phantasmata & *imagines* obversantur sonoreque semper in auribus tinniunt. V. suprà in voce *Corybantiasmus*, item, *Idolum.*

Imago Apollinis, *ex summo fastigio in lectulo posita*, inter omina Imperii, quæ Tacito fuerant, recensetur Flav. Vopisco in *Floriano Imp.* ubi hanc imaginem cubicularem vult esse Casaubonus, de cujusmodi imaginibus varia idem adnotavit, *ad Sueton. lib. 2. cap. 7.* Salmasius verò verba hæc de fastigio domus intelligit, in quo Deorum imagines & statuas collocari moris fuisse, quemadmodum & in fastigiis templorum, docet Spartianus *in Pescennio. Domus ejus hodie Romana visitur, in qua simulachrum ejus in trichoro constituit.* Sic in fastigio domus cujusdam Gaii quatuor Victoriæ privatæ & quasi in cœlum ascensuræ, quarum quælibet Deum aliquem vel Deam tergo ferebat, *Minervam* sc. *Venerem, Herculem & Martem*, collocatæ figuntur in *Epigrammate* Antipatri, apud eundem Salmasium *Ibid.* V. infrà, ubi de *Iesu.*

Imago Celsi, unius è XXX. Romanorum Tyrannis, pro ipso Celso, patibulo affixa, occurrit, apud Treb. Pollionem *in vita* ejus, ubi *novum injuriæ genus* vocat. Nempe in imagines & statuas sævire, easdem dejicere, confringere, conflare, luto etiam conspergere, scalis Gemoniis inferre, omni denique contumeliæ genere eas afficere, novum non erat; Namque & in *Philopœmene* Plutarchi exemplum est judicii habiti de *Imaginibus* & statuis defuncti, ceu de vivo ipso & sunt aliæ apud eundem similes historiæ: Sed *imaginem* Celsi ad vivum expressam & de industria sic effictam, in crucem tollere, insultante vulgo, quasi ipse Celsus in cruce illa penderet, is verò novus plane mos & *novum injuriæ genus* fuit, cui simile in tota historia Græca Romanaque, non reperias. Idem mos hodieque servatur in reis absentibus judicatis, & capitis damnatis, quorum imago eadem planè forma eodemque genere à carnifice in patibulum defertur & suspenditur, quâ ipsi rei si adessent, idem supplicium ex sententia reapse subituri. Casaubonus & Salmasius.

Imamia Secta, inter Muhammedanos illa vocatur, cui Persæ adhærent. Leunclavius *Hist. Musulmann. lib. 1.* *Muhammetani plerumque hunc Ali Imamem solent appellare, vocabulo Præceptorem significante, cui debetur obedientia: videturq; nomen* Imamiæ *secta, quam Ali huic addictissimi Persæ ac Sophiani hodieq; profitentur, hinc originem suam habere: licèt in genere putem hac voce doctrinam significari*, &c.

Imber, signum serendi, apud Plin. *lib. 18. cap. 26.* *Sementis tempora plerique præsumunt, & ab undecimo die autumnalis æquinoctii*

fruges

fruges ferunt, — continuis diebus certo prope imbrium promisso; Xenophon, *antequam Deus signum dederit.* *Hoc Cicero noster imbre fieri interpretatus est.* Ubi verba Xenophontis, πρὶν κελευσθῆναι ὑπὸ τοῦ Θεοῦ, eleganter reddit, *antequam Deus signum dederit*, metaphorâ, è re nauticâ desumtâ: κελευστὴς enim dicebatur, qui signum remigibus dabat, quo remigare inciperent desinerentque. Sed &, dum misso *imbre* Deum ἀφιέναι ἐπὶ ἔργον, *dimittere ad seminandum* agricolas, idem Xenophon ait, à quadrigis Olympicis loquendi rationem mutuatur, quæ signo dato emittebantur ad cursum: quemadmodum in Circensibus Romanis Prætor mappa signum currendi dabat, hinc ἀφέτης vocatus &c. Qua de re V. Salmasium *ad Solinum pag.* 734. infrà de *Satione*, & plura de *Imbrium* natura ac effectis, apud Plinium *lib.* 17. *cap.* 2. 18. 24. *lib.* 18. *cap.* 22. *lib.* 19. *cap.* 11. *&c.*

Imblocandi excommunicatos ritus, memoratur Lamberto Ardensi *p.* 173. de Arnoldo Ardeæ Domino, in excommunicatione defuncto: *Dominum Arnoldum juvenem extra atrium ad cellam quam apud Ipramas adduxerunt & cum ita* imblocatum *extra parietes capellæ suæ — collocaverunt.* V. eundem *pag.* 177. & Rudolfum Mon. *Vita S. Lioba Abbatissa, capp.* 3. & 4. *ex edit. Mabillonii.* Cum enim *LL.* Ecclesiasticis vetaretur, ex communicatorum corpora sepelire, ac proinde necesse esset in plateis, aut agris inhumata relinquere, ne tamen fœtor nares, aut spectaculi horror mentes fœdaret, illa ut plurimum humo injectâ aut tumultuariâ lapidum congerie operire solebant: id quod *Imblocare* dicebant Gallo Belgæ, quibus *bloc* est altior tumulus. V. Car. du Fresne *Gloss.* ubi etiam de more apud Latinos, Græcos imprimis, opinione, quòd cadavera Excommunicatorum, nisi mortui absolverentur, in cineres non abeant, sed, in horrendum posteris exemplum, indissolubili membrorum compage integra permaneant, varia addit. Cum verò Gallis *bloc*, truncum significet, uti hodieque Picardi hac voce utuntur, alium quoque ritum nobis vox suggerit: quo viz. qui excommunicati moriebantur, cùm humo vetarentur mandari, in truncum arboris cavum immittebantur: cujus moris exemplum profert *Charta* Imberti Paris. Episc. apud Jac. Petitum, post *Pœnitentiale* Theodori *pag.* 557. de quodam Milite, uti notavit idem du Fresne *in Additionibus.* V. quoque suprà, ubi *de Excommunicandi ritu.*

Imbrex, tegula est σωληνοειδὴς *canaliculata*, & tubulata, quòd *imbrem* derivet in tectis unde Gr. ὄμβρος *imber*, & βρέχω, *rigo*, quòd *imbribus rigetur*, nomen nacta: Glossæ, *Imbricus*, σωληνοειδής, item στεγαστής. Florum vicem olim conyzæ masculæ folia præbuere, uti docet Hesychius, qui & stramenta ex illa, & scopas fieri consuevisse, & tegulas ait, quod esset φυτὸν ἱκανῶς εὔφυλλον, *planta amplis foliis luxurians.* Sed & ulvâ palustri, frondibus, harundine, stramentis olim tuguria tegi solita, uti pluribus docemus infra in voce *Tegula.* Item plausus genus. Suetonius *Nerone cap.* 20. *Neque eo segniùs adolescentulos — elegit, qui divisi in factiones plausuum genera condiscerent (bombos & imbrices & testas vocabant) operamq; navarent cantanti sibi.* Sic appellatum à similitudine crepitantis super tegulas pluviæ, quem sonitum voce κοχλάζειν eleganter exprimit Lycophron, in diluvii descriptione,

> Ὅτ' ἠμάθυνε πᾶσαν ἀρδεύων χθόνα
> Ζηνὸς κοχλάζων ὑετός.
> *Cum corruebat omnem humum Diespitris*
> *Rapax aqualis nimbus.*

De eodem Sophocles, καὶ ὑπὸ στέγῃ πυκνῆς ἀκούειν ψεκάδος εὐδούσῃ φρενί. V. Casaubonum *ad* *l. Imbricem porci*, inter delicias epulonum habes apud Martialem *lib.* 2. *Epigramm.* 37.

> *Quidquid ponitur hinc & inde verris:*
> *Mammas sumina imbricemq; porci &c.*

Hinc *imbricatus*, ut *imbricati unguis* simiarum, & *imbricata* per ambitum *folia* Cypriæ laurus, apud Plinium.

Imilce, Heroina Punica, apud Silium *lib.* 3. ut *Imilco*, Dux Punicus apud Orosium *lib.* 4. *cap.* 6. Vide de utroque Vossium *de Idolol. lib* 2. *cap* 11.

Ima vel *Imma*, opp. Seleucidis Syriæ, Plin. Ptolomæo Ἴμμα dicitur. *Imas* vocat Sextus Rufus in *Breviar.* & non longe ab Antiochia dissitas tradit. In Tab. Peutingeriana *Emma* appellatur. V. Salmasium *ad Solinum pag.* 631

Imisilum seu *Imizilum*, apud Anastasium *in Sergio II. Obtulit vestes quatuor:* & in *Leone III. Fecit vestem albam holosericam, ornatam in circuitu de myzilo*; pro quo *myzinum* habet, in *Nicolao I.* Balingero, sericum est tenuis, quod Italice dicitur *Ermesino*, vel *Byssinum.* Carolo du Fresne videtur idem quod Camisile. V. eum in *Gloss.* & Dominic. Macrum in *Hierolexico.*

Immatura Mors, V. *Aheri.*

Immersor, Græcè Βαπτιστής, dicitur, à quem in Baptismo infantem spectanat apud Græcos in aquam *immergere.* Solent enim ad administrationẽ hujus Sacramenti tres Ministros adhibere; E quibus dignissimus aquæ benedicit, alter exorcismum adhibet; tertius immergit, hinc Βαπτιστής, *Immersor*, dictus, qui Sacerdos est. Quemadmodum Romæ quoque in Baptismo Catechumenorum, eorum Rector exorcismum aliisque ceremoniis defungitur, postea Episcopus solenniter baptizat. V. eundem Macrum, ut suprà.

Immobilia, dicta Gallis Insubribus signa quædam aurea, quæ habebant in templo Minervæ, unde non nisi ad gravissima bella promebantur, apud Polybium *lib.* 2.

Immolata Dæmonibus, in Concil. Aurelianens. IV. *can.* 15. εἰδωλόθυτα dicuntur Apostolo 1. Cor. 8. ubi toto hoc capite novitios in Gentibus Christianos instruit, quomodo circa ea gerere se debeant, si fortè ad convivia à Gen[illegible]nvitarentur. Solebant enim Gentiles, qui è sacrificio domum redibant, victimæ consecratæ portiunculam aliquam domesticis suis afferre, quod Aristophanis Scholiastes in *Pluto* docet. Sed & interdum in macellis venum exponebant, ubi conflata ex illis pecunia Sacerdotum erat, ut est apud Augustinum *lib. Exposit. quar. Proposit. ex Epist. ad Rom. cap.* 78. Unde escas hujusmodi sæpe legimus à Paganis ad manducandum Christianis Martyribus porrectas, in *Actis* Martyrii SS. Tarasii & Socior. apud Baronium *A. C.* 290. *num.* 40. & apud Gregorium M. *Dial. lib.* 3 *cap.* 27. V. Car. du Fresne *Gloss.* & suprà in voce *Idolothyta.* Ratio autem immolandi hæc erat: in Sacris Sacerdotes primùm precabantur: mox hostiam *molâ* (unde toti actioni nomen) vino, costo, thure mactabant, dein libabant, è sympulo fictili vel ligneo vinum gustantes & adstantibus propinantes. Tum victimariis seu cultrariis, popis, agonibus, *immolare* & excoriare victimas mandabant, ac excepto pateris sanguine, mortuam proscindere. Hinc exta inspiciebant, &, si litatum fuisset, postea reddebant, i. Diis, quod deberetur, Ministris adstantibus, partiebantur, ac postremò epulabantur, carne perpetuo tostâ vel assâ, nisi ex ariete quæ elixabatur: quibus peractis Græci λαοῖς ἄφεσιν denuntiabant, Romani verò *Ilicet* proclamabant, eos, qui adstiterant, dimittentes. Vid. Alex. ab Alexandro *Genialium Dier. lib.* 4. *cap.* 17. & infrà, ubi de *Sacrificiis.*

Immortales, nomen agminis militaris apud Persas. Curtius *lib.* 3. *cap* 5. ubi de exercitu Darii, *Proximi ibant, quos Persæ* Immortales *vocant, ad decem millia -- illis aureos torques, illis vestem auro distinctam habebant, manicatasq; tunicas gemmis etiam adornatas. Exiguo intervallo, quos cognatos Regis appellant, &c.* Sic dicti, *quòd, si quis eorum numerum imminueret, alius sufficiebatur: nec unquam plures pauciores q; essent decem millibus*, Herodot. Robur in exercitus Persici, ex nobilissimis & fortissimis Persarum selecti, Cyrum Auctorem habuere. Sed tandem per Duces suos *mori* potuisse, docuit Theodosius, Theodosii M. nepos, uti notat Raderus *ad Curtium a. l.* Alii sunt apud eundem Herodotum *lib.* 4. *cap* 93. *Immortales*, Getæ viz. οἱ ἀθανατίζοντες, quòd mori se non putarent, sed meare ad Zamolxin, sic appellati, Freinshemius *ad Curtium ibid.*

Immundi, è Castris emissi, Num. *cap.* 5. §. 3. qua de re V. Jo. Seldenum *de Synedriis lib.* 2. §. 5. (qui & de *Immundorum Paschate, ibid.* §. 3. 6 7.) ut & infrà, ubi de *Munditie Ceremoniali*, & *Paschate Secundario.*

Impar Numerus, apud Gentiles olim, in Magicis inprimis eorum sacris, magni habitus. Plin. *lib.* 28. *cap.* 2. *Cur impares numeros ad omnia vehementiores credimus? idq; in febribus dierum observatione intelligitur.* Unde Virgiliana *Pharmaceutria Ecl.* 8.

> *Terna tibi hæc primùm triplici diversa colore*
> *Licia circundo, terq; hæc altaria circum*
> *Effigiem duco ——*

Et paulò post,

> *Necte tribus nodis ternos Amarylli colores.*

Rationem addit,

> ———— *Numero Deus impare gaudet.*

Quò facit illud Lutatii, *ad Papinium Thebaid. lib* 5. *vers.* 87. *Omnis impar numerus prospera significat & viris adscribitur. Id verò, quod par, exit infectum, atque perit in ordine suo: quod ergo nihil agit, ut maneat, inferorum est. Ut Virgilius, numero Deus impare gaudet. Et ubiq; mortuis geminanto, hoc est, parem adscribit numerum, &c.* Hinc Romanos parem numerum in anni sui computatione semper vitasse, & statim à Numa, qui annum Romuli correxit, unum diem abundasse, quòd *impar numerus plenior & faustior* haberetur, ait Censorinus. V. Salmasium *ad Solinum pag.* 19. At Pythagoræi parem *impari* præferebant, teste Plut. *de anim. Veter.* V. infrà ubi de *Numero, Quaternario, Pari &c.* uti de *Imparibus* Vett. *tibiis*, ubi de *Tibia.*

Impeccabiles, dicuntur Forbesio Hæretici, qui tales se falsò jactantes, *spiritualium ac perfectorum* elogium sibi arrogabant, atque hoc prætextu omnem pœnitentiam è medio tollebant. Quales fuere veteri ævo Gnostici, inter quorum commenta furoris plena, hoc etiam Irenæus commemorat, *quòd intemeratè omnia quæ in Sacris Literis vetantur, ii, qui erant eorum perfecti, operarentur: dicentes, impossibile esse, eos inde corruptelam suscipere, lib.* 1. *cap.* 1. ubi de Valentini discipulis. Post eos Priscillianistæ, Messaliani, alii, de quibus suo loco. Hodie Anabaptistarum illi, qui *Libertini* dicuntur, aliique: Qui omnes è Simonis Magi Schola, licet variè à diversis errorum Magistris denominati, exorti sunt. V. de illis J. Forbesium præfatum *Instructionum Historico-Theologic. lib. XII. cap.* 9. Eis opponit *Implacabiles*, de quibus V. infrà.

Imperator, adde: Eundem titulum sequiori ævo præter Imperatores Byzantinos & qui Occidentis Imperium tenebant, etiam sibi sumsere Bulgariæ Principes, ut quos Βασιλεῖς sese inscripsisse, & iisdem quibus Impp. CP. insignibus usos esse, docent, Luithprandus *in Leg.* & Scylitzes *p.* 623 V. supra in *Basileus*. Hinc in *Actis* Innocentii III. Joannicius Bulgariæ R. Epistolam suam sic orditur: *Ego C[illegible]es Imperator Bulgarorum seu Blancorum.* A Latinis tamen non *Imperatores*, sed *Reges*, compellabantur, ut videre est, apud eundem Innocentium *ibid.* Idem fecisse Reges Anglo-Saxones ex hoc patet, quod *Basileus* sese itidem passim indigitarent. *Ego Edgarus Anglorum Basileus, omniumq; Regum Insularum Oceani — Imperator & Dominus*, in *Rescripto*, quod habetur in *Epistolis Hibern.* Jac. Usserii Archiep. Armach. Idem in alia *Charta*, de Clericis uxor. subscribit, *Ego Eadgar Basileus Anglorum & Imperator Regum Gentium* &c. Sic in alia, *Ego Imperator Knuto* &c. Regibus porrò Franciæ idem axioma à Scriptoribus non semel tribuitur, ut Chlodovæo, apud Baltherum, in *Vita S. Fridolini Abb. num.* 30. Pipino, apud Sugerium *de administr. sua*. aliis. Sed & de Castellæ tandem Regibus idem legitur, qui *Imperatores Hispaniæ*, vel *Hispaniarum*, appellari amaverunt, quod, ut ait Matth. Paris. A. C. 1155. *Principarentur Regulis Aragonum & Galiciæ.* Unde narrat Mariana *Hist. Hisp. lib.* 9 *cap.* 5. ad Concilium Turonense, missos esse ab Henrico II. Imp. Legatos, A. C. 1055. ejus nomine questos, adversus Ferdinandum M. Castellæ ac Legionis R. quod, contra morem Majorum & legum præscripta, se Imperii Romani jure exemtum ferret & in ipsum *Imperii* invaderet nomen. Sic in vet. *Scheda*, apud Martinezium *in Histor. Pinnat. lib.* 5. *cap.* 8. ubi de pacto inter Alfonsum Aragoniæ & Alfonsum fil. Castellæ RR. *Alfonsus de Aragonia tradidit absolutè totam illam terram Castella, qua pro ipso tenebatur, Alphonso de Castella, & deinde noluit, quod vocaretur* Imperator: *nisi Rex Aragonum Pampilona & Navarra.* Vide plura apud Car. du Fresne *in Glossario*, ubi Reges etiam Wisigothorum *Imperatoris* affectasse titulum, colligit ex *LL. Wisigothor. lib.* 12. *tit.* 2. §. 13. Adde Georgium Hornium *in Orbe Imper.* In nummis tamen Impp. CPolitanorum crebrò *Imperatoris* titulum omissum esse, observatum est Ez. Spanhemio, exceptis forte Juliani æreis, in quibus solitum illud IMP. legitur. Sed & constat *Imperatorium* hunc titulum à Julio Cæsare in nummis haud receptum, nec ab Augusti Successoribus Tiberio, Cajo, Claudio etiam, nisi rarius, in iis admissum. Unde etiam eorum exemplo neglectus est à Severo, Caracalla, Gallieno, quorum nummi hoc prænomine frequentiùs carent, &c. Vide eundem du Fresne *Dissertatione de posterioris ævi Numismatibus numer.* 33. *& seqq.* Ut de ornatu habituque *Imperatorio*, quem *speciem Principatus* vocat Suetonius *Caligulâ cap.* 22 (eo quod Imperator Rom. propriè *Princeps*, & Imperium *Principatus* appellaretur, ex instituto Augusti, ut ex Tacito docent Eruditi) quædam addam: Eorum corona supernè operta, & ut Anastasius Bibliothecarius *in Leone III.* appellat, *cpanoclista* fuit, cum cæterorum Regum Principumque coronæ radiatæ supernè paterent, vel potiùs non ita pridem supernè pateant. In bello, & ubi aperiri capita mos erat, pileis Laconicis contecti capita, describuntur Synesio *in Orat. de regno*. Carini pileum ex lana fuisse idem indigitat, cùm Parthorum Regem, qui tiarâ & candye ornabatur, dicit cessisse ei, cui ex vilissimis lanis amictus pileusque essent. *Imperatores* Constantinopolitani communiter usi leguntur pileo, ut videre est apud Codinum *de Offic. Constantinop. cap* 6. *num* 18. quem in solennitatibus alio tegmine, putà Crin nià, cui à lilii specie nomen: vel Tetraphyllo, cui à quatuor foliis, mutabant. Idem Codinus *cap.* 6. *num.* 36. meminit variorum *Imperatorii* capitis tegminum, Tropæuchiæ inprimis & Justinianæ, quorum illud a tropæo, hoc à Justiniano Imp. accepit nomen. Diadematis porrò usum primis *Imperatoribus* exosum, posterioribus familiarem fuisse constat: & Jornandes quidem Diocletiano, Cedrenus verò & Fasti Siculi Constantino illud attribuunt. Neronem, noctu lupanaria pervagatum, cucullione tectum, non moramur. Calceamenta quod attinet, priscis illa Imperatoribus serica fuerunt, neque enim φοινικίχροα illa πέδιλα, quæ propria erant Imperii insignia, è vili materia fuisse credibile est: cùm ea etiam auro gemmisque insigniter essent ornata. Julium Cæsarem *calceamentis altioribus & coloris rubri, more Regum Albanorum, usum fuisse*, docet Dio. Spartianus *in Alexandro* proin ipsum notat præter morem fecisse, quod *baxeis albis uteretur, non coccineis, ut prius alii solebant Imperatores.* Sed id singulare fuisse Constantinopolitanis, videtur innuere Paulus Diaconus *lib.* 16. his verbis. *Ut agnosceretur Imperator ex rubris calceis.* Hinc Manuel, *concesso usu cocco tinctorum calceamentorum*, Successor ab omnibus agnitus est, apud Georg. Phranzem Protovestiarium *in Chron.* Itaque aliorum iis item uti non licebat, cùm in illis, sicuti in chlamyde purpurea, elucerent expressa Imperii insignia. Unde Corippus *de Justino Jun. lib.* 2.

Purpureo sura rutilant fulgente cothurno,
Cruraq; puniceis induxit Regia vinclis,
Parthica Campano dederant quæ tergora fuco:
Augustis solis hoc cultu competit uti.

Et hi *Mullei* dicuntur Latinis *calcei*, quos passim Græci Auctores τζανδικὰ seu πέδιλα ἐρυθρὰ & ἐρυθρόχροα seu φοινικόχροα appellant: quorum usus ab *Imperatoribus* tandem ad Pontifices Rom. transiit. In specie memorantur Campagi & Tzangæ: Fuit autem Campagus, formâ reticulatâ prorsus & frequentibus incisuris conspicuâ. Tzangæ in summitate pedis quandam quasi lamellam, quæ Aquilæ effigiem repræsentabat, &, præter internum hoc vel adsutum decus, purpureo colore insignes erant. Addebatur aurum, gemmæ, aliaque splendoris insignia. Sed de his plura vide apud Anselmum Solerium *lib. de Calceo antiquo*, ut & in voce *Tzanca*. Reliquus *Imperatorum* habitus, etiam sublatâ libertate, toga fuit. Nam & Cæsar in toga confossus est, & Caligula *calcatâ laciniâ togæ praeceps per gradus iit*, Sueton. & Domitianus *Mars togatus* dictus est Martiali, & apud Spartianum Hadrianus, *cùm in Italia esset, semper togatus incessit*. Idem de Antonino Philosopho & Pertinace, apud Capitolinum: de Alexandro apud Lampridium legimus. Sed quandoque illa toga purpurea ac triumphalis fuit, cujus usus perpetuus primùm Cæsari datus est, apud Dionem *lib.* 44. Lampridius tamen de Alexandro, tradit, adeò civili ingenio fuisse, ut, licèt *Imperator*, prætextam & togam pictam nunquam sumeret: Et proin non nisi mali superbique Principes invidiosum eum habitum usurparunt, ut Nero, in adventu Tiridatis, apud Dionem *lib.* 63. Domitianus, quoties in Senatum veniret, apud eund. *lib.* 67. Heliogabalus, apud Herodianum: Gallienus, apud Trebellium. Inferiori ergo ævo vestis purpurea, id est, toga & paludamentum, *Imperatorum* esse cœpit: unde *sumere purpuram*, pro, *sumere Imperium* dictum, & in tumultuariis creationibus direpta de vexillis, aut de simulacris Deorum, cùm aliunde non suppeteret, à militibus purpura est, quâ *Imperatorem* induerent, ut Historiæ Augustæ interpretes adnotarunt. At in pænulis hic rerum apex nunquam fuit, nisi forte in itinere pluviæ causa illas adhibitas credimus. V. Octav. Ferrarium *de Re Vestiaria, passim*: plura verò hanc in rem, inprimis *de rito novos Impp. supra scutum in inauguratione efferendi*, quod Græci ὑπαίρειν dixere, Suicerum *Thes. Eccles.* voce hac, item voce Βασιλεὺς *de more Impp. populum alloquendi*, *Natalem suum aliquo donativo prosequendi*, *damna fortuitis casibus accepta largitione aliqua compensandi*, *illustrium virorum funera prosequendi*: vicinum, de populi more, *illos, post insignem à primis hostibus cladem illatam, salutandi*; *urbem aliquam ingredientes excipiendi*; imo *& adorandi* &c. V. Casaubonum *Animadv. ad Suetonium*, ut & hic passim.

Imperatoria, radicis nomen, Germanis à magisterio dictæ, quod emineat maximè & coronam ferat, cujus descriptionem elegantem habes apud Auctorem Anonymum *Stua & Ent. cap.* 31. Vide quoque suprà in voce *Astrantia*. De *Imperiali* verò *flore* sic Franc. Pomey, per prosopopœjam illum loquentem introducens: *Quid meo vestitu cautius? quid politius? quid ornatius? Hoc factum est meum. Quid, conferto illo ad pedes meos praeacutorum globo foliorum ordinatius? Mei hi sunt hastati milites & praetoriani custodes. Quid porrò circo illo item foliorum viridantium, in diadema rotundato, praeclarius, quem nostro vides tam eleganter impositum vertici? Corona hæc mea est & umbella soli mei. Sed enim quis unquam florem vidit nequam similem mei? Unus sum ac plures, simplex simul ac multiplex; Et verò, plurium unus ego decora colligo & dotes. Denique in me oculos, qui voles — adjiciat; spectet — quaternas, quinas senasve campanulas, alligatas aptissimè, jussimeque pendulas, & coronæ subtectas, quam mihi texuit natura virentem è smaragdo. —— At insuavis odore sum. Inopiam agnosco [illegible], haud nihilo tamen minùs dignum me agnosco, qui imperem. Quid enim in terris tam usquequaq; suis absolutum numeris est — in quo nihil desideres* &c. in *libro*, cui tit. *Divers. Descript.*

Imperia, vox memorata, in Pandectis, *lib.* 3. *tit. de supell. leg.* ubi enumerantur quæ continentur supellectile legatâ; scilicet *Mensa*, *Trapezophora*, *Delfica*, *Subsellia*, *Scamna*, *Lecti etiam inargentati*, *Culcita*, *Toralia*, *Imperia* (sic Florentinæ) *Vasa aquaria* &c. In quibus *Imperia* ait Cujacius heic verti in Basilicis προσκεφάλαια sed *Pulvinos*, quod & *Impilia* inde significare vult. Quin is disertè, *Imperia sunt Impilia*, de qua voce paulo infrà. Pancirollo hoc displicet *Thes. Var. Lect. lib.* 1. *cap.* 92. qui *Impiliorum* nomine aliud præter vestem venire non admittit: adeoque *Imperia* ibi denotare vult genus accubitalis. Pandectæ minùs correctæ, saltem non ex Florentinis, habent ibi *Mappæ villosa*; etiam aliquæ *Impanaliosa*, Vide Alciatum *Prætermiss.* 1. *in Bancalium*. Nec deest, qui *Impilia* ait esse mappas sine villis, & Toralia cum villis, ipsi Paulo. *Imperia* autem veram lectionem esse, non dubitat Josephus Scaliger *Conjectan. ad Varronem de R. R. L.* 1. nec aliud ibi esse, quàm *Imparia*. Ejusmodi nempe Veteribus admissâ scribendi variatione, ut *e.* loco *a.* non rarò poneretur: veluti, *in praeperata*, *opiperata*, *opipera*, &c. Et *Imperia* sic seu *Imparia* significare vult, sive toralia, sive

vala

vasa aliave in supellectile, quæ Paterfamilias sibi servat præter ea, quæ sunt usus quotidiani. Etiam ex Catone de R. R. c. 3. locum adfert, ubi *Imparia* sic sumi vult, seu pro *Supervacaneis*. Qua in re non immeritò dissentiunt, qui pridem Catonem accuratiùs edidere. Neque enim τῷ *Impar* ejusmodi notio hactenus comperta, ne quidem apud Catonem alibive. Quin expressè Alfenus & Tubero *l. 6. & 7. D. de Supell. leg.* supellectilis etiam definitione venire volunt, *res ad usum communem paratas & ad usum quotidianum*, quæ non satis quadrant cum illo Scaligeri sensu. Quod verò ait Cujacius, in Basilicis substitui προσκεφάλαια seu *pulvinos*, pro eo, quod est *Imperia* (seu, ut vult ille, *Impilia*) apud Paulum, non ita facile admitti potest. Græca sunt in Synopsi *Basilic. lib. 44. tit. 13.* Latinorum nempe paulo ante citatorum, post vocem, *Subsellia*, quæ in Græcis Σκάμνα est, uti item in optimo Synopsis codice MS. Bibliothecæ Arundelianæ) Σκάμνα, Κλίναι, κἂν ὦσιν ἠργυρωμέναι, Στρώματα, Προσκεφάλαια, Σκεύη ὑδρεῖα &c. *Scamna, Lecti, etiamsi fuerint margentati, Stromata, Pulvini, Vasa aquaria* &c. Nec satis liquet, utrum pro eo, quod est in Florentinis *Imperia* hîc, an pro *Toralia* substituendum sit, προσκεφάλαια. Certè videtur pro *Toralia*, prætermisso omnino, aut non lecto vocabulo illo altero, quod à nemine ibi satis intellectum comperitur. Joh. Seldenus *Uxor. Hebraic. lib. 1. cap. 14. sub fin.*

Imperialis, in *Bulla* Urbani III. pro Fratribus Cruciferis Hospitalis Bonon. *Ad indicium autem, quòd domus vestra specialiter B. Petri existat*, 12. Imperiales *nobis nostrisq́ Successoribus annis singulis persolvatis*; in *Chron.* S. Ricardi de S. Germano *A. C.* 1236. alibique *passim*, moneta est Imperatorum, quæ in Italia currebat; jam inde ab A. C. 1187. in *Gloss.* Græco-Lat. Αὐτοκρατορικὸς V. suprà, ubi de *Augustarius*, & in voce *Talerus*.

Imperium, titulus Honorarius Imperatoris: In *Epist.* Theodeberti R. ad Justinianum Imp. *Amorem nostrum erga Imperium vestrum.* Sic Nicolaus I. Pontif. Rom. *Epist.* 8. ad Michaelem Imp. *Pars scripsit nobis Imperium vestrum* &c. ἡ βασιλεία μου, Impp. CPolitani, cum de se loquuntur, passim, Car. du Fresne *Glossar.*

Impetritum, apud Plin. *lib. 18. cap. 2.* *Victimas cædi sine precatione non videtur, referri ad Deos, ritè consuli. Præterea alia sunt verba* impetriti, *alia depulsoris, alia commendationis:* sacrificium est, cùm victimas cædebant, ut extis loquerentur; Salmasius *ad Solinum pag.* 585. Alii addunt & sortibus, vel auspicio. Quasi *in petra* fixum, ratum, stabile, augurio, extis, sortibus *impetratum.* Plaut. *in Asinar.* *Impetritum, inauguratum est, quod vis admittunt aves.* Vide Hadr. Turnebum *Adversar. lib. 5. cap. 18. lib. 23. cap. 10.* & Dalechampium *Not. ad Plinii locum.* Certè & *Impetrio* augurale verbum est, idemque in auspiciis, quod *litare* in sacrificiis, notat, Scaligero idem cum *impetro*, Vide eum *ad Festum*. Alio sensu *Impetrita* vocat Georg. de Sepibus *in Descr. Collegii S. J. Romani Musæo*, in lapidem viz. conversa, seu petrificata, *fungos, ligna* &c. de quibus V. suo loco.

Impietas, jure Gentium punibilis. Ut enim utcunque excusabiles sunt, & ab hominibus certè puniri non possunt, qui, ab infantia sic instituti, aut astrorum, aut aliarum rerum naturalium virtutes, aut spiritus, sive in imaginibus, sive in animantibus, sive in rebus aliis colunt, aut etiam animas eorum, qui virtute & beneficiis in humanum genus excelluerunt, aut mentes quasdam incorporeas, præsertim si non ipsi tales cultus commenti fuerint; ita *Impiis* magis, quàm errantibus annumerandi sunt, qui aut cacodæmones, quos tales esse norunt, aut vitiorum nomina, aut homines, quorum vita fuit flagitiis plena, divinis honoribus colere instituunt. Nec minùs illi, qui Deos colunt hominum innocentium sanguine, à quo more quòd Carthaginenses abstinere coegerit, laudatur Darius Persarum Rex, & Gelo Syracusarum Tyrannus, apud Justinum *lib.* 19. Narrat & Plutarchus, barbaros quosdam, qui humanis victimis Deos colebant, pœnas daturos Romanis fuisse, sed cùm antiquitate moris se excusarent, nihil mali passos, vetitos tantùm, ne quid in posterum tale facerent, *Apophth.* & *de sera Num. vind.* V. quoque eum *Quæst. Rom.* 12. H. Grotius *de Jure Belli & Pacis lib. 2. cap. 20. §. 47.* De *Impietatis* v. generibus IV. Vide Vossium *de Idolol. lib. 1. cap. 3.* Apud Romanos, cùm Numinum instar coli cœpissent Principes, maledicere Principi *impietatis* crimen habitum esse, docet Casaubonus *ad Augustum Suetonii capit.* 66. *&c.*

Impilia, Hebr. אנפיליא *Impilia* (velut nomen singulare) in Misna *tit. Jabmoth cap.* 12. Maimonid. *hal. Jebom vechaliza cap. 4. &c.* ubi de ritu Calcei exuendi apud Hebræos usitato, cùm Levir Fratriam ducere nollet: *Res ritè peragebatur Calceamento, non* Impilio. *Ritè etiam sandalio, cui solea esset. Neutiquam, si deesset solea, etiamsi partes genu inferiores tegeret* (ut ocreæ seu cothurni) *ritè peragebatur res*, &c. Ita *Impilia*, etiam plurale τῷ *Impilium*, seu, ut alii malunt, *Impile*, legitur in Pandectis Florentinis, pro eo quod est in libris editis, nec inde satis correctis nunc *& pilea*; nunc *item pilea*, & in correctioribus aliquot, *Impilia*: in loco sc. illo Ulpiani *l. 25. D. Auro, Arg. &c. leg. §. 4.* non solùm à Grammaticis, sed etiam Jureconsultis politioribus aliquot haud parùm vexato, *Fasciæ crurales pedulesq́ &* Impilia *vestimenta sunt, quia partem corporis vestiunt.* Codex autem Hierosolymitanus tam in Misna heic sua, quàm Gemara, idque sæpius, habet אנפיליא *Impilia*, uti item à R. Nathan in *Aruch* & Phil. Aquinate exaratur. Etiam plurale habetur in Gemara Babylonia אנפיליות *Impilioth*; adeò ut ex Latinorum *Impilia* voce plurali neutra (quemadmodum item Græcis τὰ Ἰμπίλια) fecerint Talmudici fœmineam singularem, in linguam suam vocabulum hoc, uti & hîc *Sandalium*, alibique complura alia, recipientes. Sumitur autem illis pro calceolo seu socco sive laneo, sive lineo, sive cilicino, sed plerunque pro laneo aut lineo, qualis sc. tametsi pedem seu partem ejus majorem obtegeret, careret nihilominus soleâ materiæ robustioris firmiorisve, veluti suberis, ligni seu corii crassioris atque ita compacti, ut plantæ pedis aut saltem calcaneo sustentaculum præstaret, cui ut crepidæ inniteretur. Nimirum ritè peragebatur renuntiatio hæc caligâ, qualis à Jul. Nigronio doctissime asseritur, perone, cothurno, ultra genu non ascendente, crepidâ, non socco qualicunque. Salmasio Lutis *in Crit.* de Talmude opere *Sapientia Salomonis* dicto, Misnam sic interpretatur: *Verbum illud* Impilia *denotat laneum vel lineum seu pannosum calceolum.* Alii autem Magistrorum de eo illo pariter loquuntur, aliis idem ipsum cum Salomone illo docentibus, ac plerunque קרצובש *Chausson*s Gallicè per *Impilia*, intelligentibus. Certè calceamenta linea singulari in usu fuisse sacris Antistitibus, in Phœnicia, adeoque in regionibus vicinis atque ut inde fieri amat ipsis, quarum res hîc agitur, satis scimus ex Herodiani Heliogabalo. Vox autem *Impilia*, tum apud Græcos, tum Latinos, unde à Talmudicis, qui eâ sæpius utuntur, desumta est, perraro occurrit. Sed ex Hesychio, Philoxeni Lexico, Plinii MS. atque allato suprà Ulpiani in Florentinis loco, ejusmodi quid & Græcis & Latinis significare palàm est, tametsi à Viris doctis sec. præt. perquam diversimode acciperetur: Neque enim inter Accursios, Bartolos, Alexandros, Imolas horumque similes ullibi audita est. Alii fasciolas fuisse mulierum quasdam crinales credidere (ut Franciscus Hottomannus) προσκεφάλαια seu pulvinos alii, capitis integumenta alii, alii aliter. Sed optime ii, qui pro pedum tegumentis sumunt, ex lana, aliave materia simili coacta, id est, soccis ejusmodi sive circumvolutis, sive plantis solum suppositis. Eadem ipsa Theophrasto vocantur Πιλία, ubi de herba lanigera loquens, Ὑφαίνεται δὲ, inquit, ἐξ αὐτῆς καὶ πιλία καὶ ἄλλα ἱμάτια, *Texuntur ex ea, Impilia vestesq́ alia*; unde illud suum habuit Plinius *lib. 19. cap. 2.* ubi male legitur in impressis, *Mapalia*. Sed verò nec melior est Latina Theophrasti versio: *Texuntur ex ea & toga & alia vestimenta.* Quasi πιλία ibi *Toga* fuissent, quæ soccos seu calceolos laneos denotent, quemadmodum & *Impilia*. Quod sanè ex jam ostenso Talmudicorum usu non parùm confirmatur. Græci etiam (quibus ἐμπιλῶ est *condensare* seu *coactilia facere*, uti & πιλῶ) eosdem ipsos πίλους vocitabant, qua voce, eodem sensu, usus est Hesiodus in Ἔργ. καὶ ἡμέρ. *lib.* 2. ἀμφὶ δὲ ποσσὶ &c. Hesychius Cratinus apud Jul. Pollucem *Onomast. 7. cap.* περὶ πιλοποιῶν & *lib. 10. cap.* 1. Et Vir summus, Isaacus Casaubonus *in Collectan. de Re Vestiar. MSS* πίλοι, inquit *Escarpins, Impilia. Differunt materiâ nostri Escarpins à veterum Impilibus. Usu non differunt ullo modo.* Dein locum adfert illum ex Luciano *in Rhetor. Didasc.* Ἡ βλαύτης ἔστω Σικυωνία πίλοις τοῖς λευκοῖς ἐπιπρέπουσα, ubi de crepida Attica simul cum hisce muliebribus & amatoriis pedum tegumentis, quibus ludendo ornari vult Rhetorem suum, loquitur. At verò proximè post superius citata ex Ulpiano sequitur, *Alia causa est Odonum, quia usum calceamentorum præstant.* Ubi *Odones* pro *Udonibus*, quales in Martialis *Apophoretis lib. 14. Epigramm.* 140. plerunque sumuntur; licet non defuerint, in Jurisconsultis, qui *Undonum* ibi legerint & pro vestibus undulatis satis insitè acceperint. Sed verò vestis nomine continentur fasciæ crurales, fasciæ pedules ac *Impilia*, quia partem corporis vestiunt. *Alia autem*, adjicitur, *causa est Odonum*, quia usum calceamentorum præstant. Cæterùm cùm & *Impilia* ipsa calceolos ac pedum integumenta qualiacunque esse ex dictis sit in confesso, adeoque vestes esse, cur alia sit Odonum causa? Etiam quidquid ex lana, lino, serico, corio induitur, vestis est, *D. D. ad L. 127. D. tit. de verb. signif.* Quin & expressè in Lexico Philoxeni Ἐμπίλιον redditur *Udo*. Nec fere inter se omnino differre volunt viri doctissimi Udones, *Impilia* & fascias pedules &c. V. Jac. Cujacium *Observat. l. 10. c. 17.* Guidon. Pancirollum *Thes. Var. Lect. lib. 2. cap. 99.* & Claud. Salmasium *in Lamprid. pag.* 221. Inprimis verò, qui hac de re prolixè agit, Joh. Seldenum *Uxor. Hebraic. l. 1. c. 14.*

Implacabiles, dicuntur Forbesio Hæretici, qui, peccatum agnoscentes, ejus irremissibilitatem atrociter exaggerabant, hocque prætextu pacem Ecclesiasticam pœnitentibus negabant. In qua classe primi fuerunt, qui *Montanistæ*, ob

Janitorum Potestates, apud Tertullianum *Janitores* sunt, quibus *Cancellorum Potestates*, h. e. *Cancellarios* jungit, quorum illi οἱ ἐπὶ θυρῶν, isti οἱ ἐπὶ κιγκλίδων, Græcis dicti sunt. Apud Vett. enim solidis foribus, præcipuè in prima janua, præponebantur cancellatæ ac reticulatæ, uti docet Scholiastes Aristophanis *ad illud*, [illegible] Hinc diversa illa ministeria &c. V. Salmasium *ad Solinum pag.* 927. & hic passim, ubi de *Cancellis*, *Janitor*, *Thyrsus* &c.

Janus, Italiæ Rex, adde: Fuit primus ex Selectis Diis, quorum octo duodecim Diis Consentibus seu præcipuis addidere Romani, primo etiam loco in omnibus sacrificiis nominatus est. Idem primus docuit Italos vinum & far ad sacrificia & religionem magis: quàm ad potum & esum, producta esse: Primus aras & pomœria & sacra docuit: ad pudorem & sanctimoniam domorum primus valvas, seras & claves excogitavit, unde ab eo *Januæ* dictæ, quibus etiam præesse credebatur. Olympo Regi Hetruriæ fano sacrato, duodenis colonis totidem pomœria arasq; sacravit & ad continendum recentes tum colonias in officio, virgas fascesque singulis singulos dedit: unde ipse in manu virgam & clavem, sub pedibus verò bis senas aras habebat, Q. Fab. Pictor, Macrob. *Saturn. lib* 1. *cap.* 9. &c. Simulacrum ejus, quod in Capitolio fuit, ita fuisse formatum, ut in manu dextra trecentorum, in sinistra sexaginta quinque numerum teneret, ad demonstrandam anni dimensionem, idem Macrobius, cum Plinio, memoriæ prodidit, V. quoq; Lil. Giraldum *Syntagm. Deorum*. Addi possunt retro memoratis ejus inventis coronæ, navigia, tumultuarii pontes &c. Joh. Rosinus *Antiqq. Rom. lib.* 2. *cap.* 3. ubi triplicis templi, primi à Romulo conditi, quod tempore pacis claudi solebat: alterius, Jani Quadrifrontis, amplissimi quatuor portarum in foro Rom. ab Augusto dedicati: tertii ad Forum Olitorium à Duillio conditi: item ædis Jani Curiatii, meminit. In Foro habitasse *Janus* Senecæ dictus est, quod ad statuas ei in Foro Rom. erectas, refert P. Victor *in octava Urbis Regione*. V. quoque Thom. Dempsterum *Paralipom. in locum Rosini suprà laudatum*. De more claudendi aperiendiq; *Jani Quirini* Fanum, ut aliquid addam, non ter solùm, sed pluries illud factum esse, adnotavit Casaubonus. Primò quidem sub Numa, instituti auctore, cujus temporibus per annos quadraginta tres Jani portæ clausæ fuerunt. Anno dein ab U. C. 519. Coss. T. Manlio Torquato, C. Attilio Balbo II. iterum Janum clausum, eodemq; anno rursum apertum esse, referunt multi. Tertiùm clausit Augustus an. U. C. 725. Coss. se V. & Sexto Apulejo, post victum Antonium. Quartùm idem Princeps, Coss. ipso IX. & M. Junio Silano, quum ex bello Cantabrico Romam rediisset, ann. U. C. 729. Quintùm rursus clausit idem Imperator, circa tempora nati Regis & Pontificis Summi SERVATORIS nostri: mansitque sic obseratus fere per duodecim annos, ad Varianam usque cladem. Tum apertæ ejus fores ad Neronis usque tempora patuerunt. Sextùm clusit Nero, se III. & Valerio Messala Coss. ann. U. C. 811. Septimùm (Tacitus & Orosius dicunt *sextùm*, quia Nero sine causa clauserat) Vespasianus ann. U.C. 824. se III. & Nervâ Coss. à quo tempore super *Jani portis* altum silentium est, usque ad Gordianum Jun. quem, *Jano aperto*, contra Persas esse profectum, anno U. C. 995. Prætextato & Attico Coss. testatur *in eo* Capitolinus. Sed & Christianis Impp. servatum aliquandiu vetus hoc institutum, discimus ex Ammiano *lib.* 16. ubi, post victum Magnentium, Constantium, sublatis omnibus Tyrannis jam unum Orbis Dominum, *Janum clausisse*, memorat, anno U. C. 1105. V. Casaubonum *ad Augustum Suetonii cap.* 22. ubi *Inscriptionis*, quæ Emeritæ in Hispania extat, initium hanc in rem istud quoque exhibet: IMP. CÆS. DIVI. F. AUGUSTUS. PONT. MAX. COS. XI. TRIBUNIC. POT. X. IMP. VIIII. ORBE. MARI. ET. TERRA. PACATO. TEMPLO. JANO. CLAUSO. &c. Plura de *Jano*, præter Auctores præfatos, V. apud Casp. Barthium *Commentar. Superstitionum*, & Gerh. Jo. Vossium *de orig. & progr. Idolol. lib.* 1. *cap.* 12. ubi *inter Reges Aborig nes, eos*, *Deos Indigetes eum falsò referri*: *cap.* 18. *ubi Noe*, *vel potiùs Javan illum*, patrem Jonum: *lib.* 2. *capp.* 15. & 16. ubi *Solem* per eum cultum fuisse, docet, & de variis epithetis ejus, *Sceptro* insuper & *clave*, cum quibus pingebatur, aliisque huc pertinentibus, accuratè agit.

Varia Jani cognomina.

Bifrons dictus est, vel quòd genere Græcus, sede Italus fuerit: vel quòd Italos à fero vitæ genere ad civiliorem vitam traduxerit: vel quòd vir prudentissimus fuerit: vel quòd Janus sic mundus geminâ facie, hac Ortum spectante, illâ Occasum.

Clusius appellatus est, quia valvæ ejus pace claudebantur.

Consivius, à conserendo nomen habuit, id est, à propagatione generis humani.

Curiatius, ædem habuit ab Horatio extructam, in memoriam Curiatii à se interfecti, in nobili illa Tergeminorum pugna.

Deus Deorum, in Saliorum carmine appellatus est.

Geminus sive Quadrifrons fictus & vocatus fuit, quòd universa climata Majestate suâ complecteretur.

Junonius, nomen habuit ex eo, quòd non solùm mensis Januarii, sed omnium mensium ingressus teneat. Unde 12. ei aras pro totidem mensib. dedicatas scribit Varro, *libro* 5. *Rerum Rom.*

Pater dictus est, quia omnium Deorum primus fuit. V. infrà *Patulcius*.

Patulcius, quia belli tempore valvæ ejus patebant. Ovid. *Fastorum lib.* 1. *Nomina ridebis, modò namq; Patulcius idē Et modò sacrifico Clusius ore vocor.*

Quadrifrons, V. suprà *Geminus*. Habebat templum amplissimum 4. portarum in Foro Rom. quod ei Augustus dedicavit: Janus ipse, qui in eo colebatur, Faliscis Thusciæ civitate captis, in Forum transitorium Romam translatus erat. Templi iconem è veteri lapide exhibet Joh. Rosinus *loco præfato*.

Quirinus appellatus est, quasi bellorum potens; ab hasta, quam Sabini Curim vocabant.

Septimianus, non Dei, sed ædificii pervii, à Septimio Severo fortasse extructi, nomen fuisse videtur. *Janos* enim talia ædificia quadriformia ac pervia appellata fuisse, infrà videbimus.

Janus, locus Romæ, adde: *Jani medii* meminit inter alios A. Gellius, qui cum *in clientela L. Annæi* fuisse ait. Hic cur id nomen tulerit, quærunt Eruditi. In Regione Fori Romani duo *Jani* erant, ad aream Fabianam, ut ait Victor, incrustati & adornati signis, *superior* & *inferior*, celebris mercatorum locus & fœneratorum, apparetque, spatium inter utrumque *Janum medium* fuisse dictum, Hadr. Turnebus *Adversar. lib.* 26. *cap.* 26. Ita Cornutus ad Palæmonem, *Jani templum biforis*, inquit, *in clivo Capitolino vetustissimum, crustatis marmoreis, vel è Pariis columnis vidimus: quæ in medio ejus clivi summitate, Janus summus: & imus, in extremo clivo appellatur. Locus sub templo, medius etiam Janus dicitur, ubi pateal & feneratores incolerent.* Hier. Magius *Miscell. lib.* 2. *cap.* 12. ideo *Janum medium* dici existimat, quòd inter duo fora sacratus staret, ad quem tanquam celebriorem ac ratione loci commodiorem & fœneratores & mercatores convenire solerent. Marcell. Donatus *ad illud Suetonii in Domitiano, cap.* 13. *Janos arcusq; cum quadrijugis extruxit*, annotat: Nos arbitramur, per *Janos* intelligendas esse portas illas magnas, quæ in viarum capitibus extrui solebant ab antiquis Romanis, unicâ tantùm januâ, aditum præbentes, vulgò *Portoni*. Oiselius *in A. Gellium lib.* 1. *c.* 16. suspicatur quoque, *Janum medium* dictum esse spatium, quod erat inter *Janum summum* & *imum*: De quo Horatius *lib.* 1. *Epist.* 1.

—— —— *Hæc Janus summus ad imum Perdocet*:

& Cic. *lib.* 2. *Offic. à quibusdam viris optimis ad medium Janum sedentibus.* Non desunt, qui tres *Janos* fuisse scribant: inter quos Livius *lib.* 41. de Fulvio Flacco Censore, *In his & clausum circumducendum & forum porticibus tabernisq; claudendum, & Janos tres faciendos.* Verùm & plures in Urbe *Janos* esse, dixit Ovidius, per quos intelligendæ transitiones vel fornicata opera, & arcus marmorei, ut ex Suetonio patet. Sic Jo. Rosino *Antiqq. Rom. lib.* 2. *cap.* 3. in plurali numero *Jani*, dicta sunt ædificia quadriformia & pervia, sive stata illa & lapidea, sive ex materia pro tempore excitata, cujusmodi multi in Urbe fuerunt, teste P. Victore, cum ait: *Jani Quadrifrontes per omnes regiones marmoribus incrustati & adornati insignibus militaribus & signis, duo præcipuè ad aream Fabianum* (in aliquibus est, *ad aream Fabianam*) *superior inferiorque, ubi Argentarii & Numularii artem suam exercebant.* V. quoque Acronem & Porphyrionem in *Horatium*, nec non Johannem Brodæum *Miscellaneorum lib.* 2. *cap.* 19. Fuisse autem *Janos* hujusmodi, seu *transitiones pervias*, ut Tullius interpretatur, non minùs ac Fora, magnâ hominum frequentiâ celebrari solitos, Amm. Marcellinus docet *lib.* 38. *potiores auctoritate longævi, per Janos & fora clamitant sæpe, Rempub. stare non posse.* Sed & ex urbe in colonias transiisse, testis est Livius *lib. cit. Fulvius Flaccus* [illegible] *rum porticibus tabernisq; claudendum & Janos tres faciendos.* V. Casaubonum *ad Suetonii Augustum cap.* 31. ubi hic, *Pompeji statuam marmoreo* Jano *supposuit* &c. V. quoque Salmasium *ad Spartianum in Severo*, ubi de *Jano Septimiano*.

Jao, V. suprà *Jabè*. [illegible]

Japon, Solino *cap.* 27. qui aliis *Hiarbas*, seu *Jarbas*, V. [illegible]

Japonia, adde: Incolæ ante 8. circiter secula à Sinensibus originem traxisse dicuntur, subfueruntque uni *Monarchæ*, quem *Dairum* appellabant, & velut Numen quoddam venerabantur, donec, decrescente indies ob intestina dissidia *Dairorum* potentiâ ab A. C. 1500. Reges provinciarum passim rebellare ac suo arbitrio vivere cœperunt, circa A. C. 1600. E quibus præcipuus Nubananga R. Voaris, urbe Meaco captâ, totius *Japoniæ* Rex potentissimus evasit, A. C. 1570. ita tamen, ut auctoritatem *Dairi* adhuc agnosceret. Ei successit Taxiba Quaba Condonus, A. C. 15[illegible] quem excepit Taikosamma, *Imperator Japoniæ*, ab ipso Dairo, sponte se abdicante, declaratus, novæque sic Monarchiæ conditor, de cujus factis, potentia ac magnificentia, stupenda referuntur. Illi successit filius Fidery-Samma A. C. 1607. sub tutela Ogoschionis; qui, pupillo nefariè obtruncato, ipse Imperium arripuit, A. C. 1616. intra vertentem annum extinctus. Post hunc Kombosamma præfuit, cui Chiongon successit A. C. 1630. Hornius *Orb. Imper. p.* 457. [illegible] de *Dæmonum cultu*, qui in his [illegible]

de sui imprimis Bonzio Combadaxo, quem anniversariâ die colunt ac invocant, Vossium *de orig. & progr. Idolol. lib.* 1. *capp.* 8. & 25.

Japyx, , ventus, adde: non peculiaris hic illi regioni ventus est, sed qui generali nomine Græcis Ἀργέστης, Romanis *Caurus* dictus est, apud Calabros, qui ex *Japygia* flatum ejus accipiebant, peculiari & locali appellatione, *Japyx* est nominatus. Quemadmodum eundem ventum Athenienses, quòd ex Scironiis saxis eum sentirent, nomine *Scironis*, Atticæ regioni peculiari, neque alibi noto, insignierunt. Transiit dein peculiaris hæc appellatio in nomen generale; unde *Japyga*, pro Argeste, dixit Virgil.

Fecerat ignipotens flammis & Japyge ferri &c.

V. Salmasium *ad Solinum p.* 1257.

Jaqueria, factio *Jacoborum*, in Gallia olim, V. suprà *Jacke*.

Jarbas, adde: *Japon* Solino dictus, ut vidimus, Maurusiorum Rex Virgilio, Maxitanorum Justino fuit. Sunt autem hi, qui Græcis Μάξυες, seu Μάζυες, Latinis quoque *Mazuces* & *Mazices*, appellantur, de quibus dicemus infrà suo loco.

Jarchas, adde: Ejus septem annuli, quos Apollonio Thyanæo dono dedit, celebres sunt; quorum beneficio illum juventæ nitorem prætulisse, quamvis jam centesimum annum excessisset, auctor est Philostratus *l.* 3. Cujusmodi annulus Magicus Gygi fuit, quo circumacto habentem nemo cernebat, si vera sunt, quæ de illo scribit Plato *de Republica l.* 2. & eum sequutus Cicero *Officior. lib.* 3. sicque eandem habuit potestatem, cum Orci galea, Ἄϊδος κυνῆ, quâ qui indutus erat, omnes quidem videbat, ipse verò à nemine conspiciebatur, ut habet Zenobius *Proverb.* Quam ob causam & duo hæc conjunguntur à Platone *de Republ. lib.* 10. & post eum à Gregor. Naz. *l. in Jul.* De annulis Exesti, Phocensium Tyranni, suprà vidimus, ut & de eo, quem Eleazarus habuit Judæus, qui ejus ope, coram Vespasiano Imper. multos a malo genio obsessos liberasse traditur Josepho *Antiqq. Judaic. lib.* 8. *cap.* 2. ut de illiusmodi annulis, qui malis geniis pellendis efficaces creduntur fuisse, ex Luciano *in Philopseude*, deque iis, quos apud eundem *in Navig* vel *Votis*, Timolaus sibi optavit, nil addam. Pertinet in eundem censum annulus ille fatidicus, quo de successore Valentis Imp. quæsitum, apud *Amm.* Marcellinum *libro* 29. ubi totus ordo infandæ illius decantationis prolixè descriptus extat. De annulis, in morbos valentibus, multa disserit Marcellus Empiricus c. 29. Alex. item Trallianus *l.* 1c. *de Colico aff.* cujus generis fuisse videtur is, quo S. Eduardus Angliæ Rex Comitiali morbo laborantibus auxiliatus est, apud Carionem *Chronic. lib.* 3. Atque hunc in usum apprimè facere inter gemmas dicuntur Achates & Jaspis viridis, ut de illo videre est apud Servium P. Danielis *in Paralipom. ad Virgil. lib. 1.* de isto, apud Paulum Æginetam, *de Re Medica l.* 7. *sub lit.* A. & Aetium *Tetrabibli I. Serm.* 2. *c.* 36. In recentiori historia, memorabilis est annulus, in ore cujusdam mulierculæ mortuæ inventus, cujus insano amore Carolum Magnum Imper. olim captum fuisse memorant: cujus historiæ, quæ à fabula non multùm abludit, meminit Stephan. Paschasius *des Recherches de la France lib.* 5. *c.* 31. testem laudans Franc. Petrarcham, cujus verba *l.* 1. *Epist.* 3. hæc sunt: *Vidi Aquensem Caroli sedem & in templo marmoreo verendum barbaris gentibus illius Principis sepulchrum: ubi fabellam audivi non inamœnam cognitu, à quibusdam Templi sacerdotibus, quam scriptam mihi ostenderunt, & postea apud modernos scriptores accuratiùs etiam tractatam legi* &c. Et paulò post: *Carolum Regem, quem Magni cognomine æquare Pompejo & Alexandro audent, mulierculam quandam perditè ac efflictim amasse, memorant. Ejus blanditiis enervatum, neglectâ famâ, cui plurimùm inservire consueverat, & posthabitis regni curis aliarum rerum omnium & postremò sui ipsius oblitum: diu nulla prorsus in re, nisi in illius amplexibus acquievisse, summa cum indignatione suorum ac dolore. Tandem, cùm jam spei nihil superesset, fœminam ipsam malorum causam insperata mors abstulit: cujus rei ingens primùm in regia, sed latens gaudium fuit. Deinde dolor tantum priore gravior, quantum fœdiore morbo correptum Regis animum videbant: cujus nec morte lenitus furor, sed in ipsum obscœnum cadaver & exangue translatus est; quod balsamo & odoribus conditum, onustum gemmis & velatum purpurâ, diebus ac noctibus, tam miserabili, quàm cupido fovebat amplexu* — *Itaque cùm certatim ad eum, pro summis Regni negotiis, Legationes gentium, Præfectique & Provinciarum Præsides convenirent, is in lectulo suo miser, omnibus exclusis, ac obseratis foribus, amato corpusculo cohærebat, amicam suam crebrò velut spirantem responsuramque compellans* — *Erat ea tempestate in aula Coloniensis Antistes, vir (ut memorant) sanctitate & scientiâ clarus, nec non comitatus & consilii Regii prima vox, qui Domini sui statum miseratus, ubi animadvertit humanis remediis nihil agi, ad Deum conversus illum assiduè precari, in illo spem reponere, ab eo finem mali poscere, multo cum gemitu. Quod cùm diu fecisset, nec desiturus videretur, die quadam illustri miraculo recreatus est. Siquidem ex more sacrificanti & post devotissimas preces, pectus & aram lacrymis implenti, de cœlo vox insonuit, sub extinctæ mulieris linguâ furoris regii causam latere. Quo lætior, mox ad locum, ubi corpus erat, se proripuit, & jure notissimæ familiaritatis regiæ introgressus, os digito clam scrutatus gemmam perexiguo annulo inclusam, sub gelida rigentiq; linguâ, repertam festinabundus avexit. Nec multò pòst rediens Carolus, & ex consuetudine, ad mortuam properans, repentè aridi cadaveris spectaculo percussus, obriguit exhorruitq; contactum: auferri tam quanto ocyus ac sepeliri jubens. Inde totus in Antistitem conversus, illum amare, illum indies arctiùs amplecti: denique nihil nisi ex sententia illius agere, ab illo nec diebus nec noctibus avelli. Quod ubi sensit vir justus ac prudens, optabilem fortè multis, sed onerosam sibi sarcinam abjicere statuit: veritusq; ne si vel ad alterius manus perveniret, vel flammis consumeretur, domino suo aliquid periculi adferret, annulum in vicinæ paludis præaltam voraginem demersit. Aquis fortè tum Rex cum Proceribus habitabat: ex eoque tempore cunctis civitatibus sedes illa prælata est* &c. V. Joh. Kirchmannum *de Annulis c.* 21.

Jareb, apud Oseam *c.* 5. *v.* 13. & *c.* 10. *v.* 6. vocatur Assyriæ Rex, מלך ירב *Rex Jareb*, quæ vox *vindicem* denotat; eo quòd Assyriæ Rex, cum universa gente, Israelitarum quoque Deos in captivitatem abduxit. Si enim Judæis credimus in *Seder Olam maj.* anno 20. Phace R. Israel, Teg ath Phalassar Rex Assur, abstulit è Dane vitulum aureum; & 12. Regis Achazi, i. octavo pòst anno, etiam alterum è Bethele Salmanasser abduxit. In quo morem agnoscere est vett. Ducum, qui non solùm de victis gentibus, sed & de Diis, triumphabant. V. Sam. Bochartum *Hierozoici Part. posterior. lib. II. c.* 34.

Jarnacum, adde: Idem nomen illustris est in Gallia Familiæ, quæ Caboriæ seu Chaboriæ stirpis est ramus. In Theobaldi namque filiis, sub principium seculi XIII. cùm tres lineæ cepissent, nempe in Theobaldo IV. Gerhardo, & Sebrano; ab illo Domini *de Rochecervière*, sed non nisi ad duos gradus: ab isto Domini *de la Motte Achard & de Raiz*, exeunte seculo XIV. extincti; ab hoc, præter Dominos *de Chantemerle*, linea Dominorum *de la Greve* orta est. Ex quibus directa primogenitorum successio defecit, in Ludovico mortuo A. C. 1472. successione, per sorores ejus, ad Castillonios & Comineum devoluta. Ludovici patruus fuit Renaldus de *Jarnac*, cujus filius Jacobus duarum linearum extitit auctor. Nam ex minore ejus filio Philippo Dn. *de Brion*, & Com. *de Buzançois*, ac deinde *de Charny*, Admiralli Franciæ, proveniunt reliqui illustres Comites de *Buzançois* &c. Ex majori autem Carolo, reliqui Barones & Comites *de Jarnac* descendunt, inter quos Henricus inprimis celebris est, qui hærede Ducali Rohaneâ ductâ, illam successionem domui suæ intulit. Ejus progenitores hi: Jacobus Chabotius Dn. *de Jarnac & Brion*, ex Magdalenâ (fil. Theobaldi *de Luxembourg*, Dn. *de Fiennes*) genuit Carolum Bar. *de Jarnac*, maritum Johannæ de S. Gelasio (fil. Johannis de S. Gelasio, Bar. *de Monlieu en Bordelois*) & ex ea patrem Guidonis Baronis *de Jarnac*: quo & Luisa *de Pisseleu* (fil. Guilielmi *de Pisseleu* Dn. *de Heilly*) genitus Leonorus Baro *de Jarnac*, obiit A.C. 1605. Huic Margareta *de Durfort* (fil. Symphoriani *de Durfort*, Bar. *de Duras*) peperit Carolum Chabotium de S. Gelasio, Dn. *de Mucidan & S. Aulaye*; cujus ex Henrica *de Lur* (fil. Michaelis *de Lur* Dn. *de Longa, Barriere & Mucidan*) filius Henricus præfatus, Margaretham (fil. Henrici Ducis *de Rohan*, Princ. *de Leon*) sibi junxit; uti superiùs vidimus, ubi de Familia *Chabotia* V. Phil. Jac. Spenerum *Theatr. Nob. Eur. Part. I. p* 97.

Jaspis, gemma, *viret & sæpe translucet. etiamsi victa à multis, antiquitatis tamen gloriam retinens* —— *Optima, quæ purpuræ quicquam habet: secunda quæ rosæ: tertia, quæ smaragdi. Singulis autem Græci nomina ex argumento dedere. Quarta apud eos vocatur Borea, cœlo autumnali matutino similis: & hæc erit illa, quæ vocatur aerizusa. Similis est & sardæ, imitata & violas. Non minùs multæ species reliquæ, sed omnes in vitio cæruleæ aut crystallo similes* —— *Quamobrem præstantiores fundâ clauduntur, sed patentes, nec præterquam margines auro amplectente.* &c. Ubi quam *aerizusan* ex Græco vocat, ἀερίζουσα appellatur Dionysio, hoc est, cœlini coloris, quem & *aerinum* dicebant, ut suprà vidimus; Hodie Persis *Firusa* vel *Ferusa*, quod corruptum ex contracto ἀερίζουσα; eadem cum nostra Turchesia, seu Turcica gemma, Gall. *Turquoise*. Hanc ad custodiam & tutelam proficere olim creditum, unde pro amuleto gestatam, præcipue adversus phasmata, testis est modò laudatus Auctor, verbis hisce,

—— ἰδ' ἀερίζουσαν ἴασπιν
Ἔχθρε ἀλεξίκακον ἐν ἄλλαις ἰνδάλμασι.

Epiphanius item, cui illa λίθος φυλακτική propterea appellatur. Concionantibus etiam utilem esse, Magi affirmabant & ad gratiam valere. Sed omnem *Jaspidem* amuletum fuisse, tradit Dioscorides, λέγονται δὲ πάντες εἶναι φυλακτήρια περίαπτα. Et Plinius *cap. seq. Totus verò Oriens pro amuleto eam traditur gestare*: quâ de re V. Salmasium *ad Solinum pag.* 131. & 1130. Porro usus *Jaspidum*, ad signandum. Plinius ubi suprà, *Nec diversæ, quas sphragidas vocant, publico gemmarum dominio iis tantùm dato, quoniam optimè signent, cap.* 8. Ad enses stellandos. Virgilius *Æneid. lib.* 4.

—— *atque illi stellatus* jaspide *fulvâ*
Ensis erat ——

Ubi gemmatum jaspidibus ensis capulum, in quo jaspides pictæ, velut stellæ, fulgebant, exponit Salmasius. Ad pectus puellarum coronandum coarctandumq; Claudian. *Cons. VI. Hon.*

—— *viridique angustat* jaspide *pellus* &c.

imò & digna gemma hæc visa, quæ sacro Pectorali Pontificis Hebræorum Summi insereretur. *In secundo enim ordine carbunculus, sapphirus & jaspis*, ut vulgò redditur, recensentur Exodi *c.*28. *v.*18. ubi in Hebr. est vox, יהלם. Sed cùm in quarto ordine ultimo loco *v.* 20. occurrat vox ישפה, *jaschpeh*, quæ *jaspidem* referre videtur, malunt alii hoc potiùs loco jaspidem intelligi, quibus suffragatur Rabbi David, lapidem, qui Arabicè *Elisjph* vocatur, hic indigitari docens. V. Andr. Rivetum *Commentar. in h. l.* In Novo Test. disertè gemma hæc binis locis memoratur, in Apocalypsi, *cap.* viz. 4. *v.*3. ubi is, qui insidebat throno, aspectu similis dicitur *lapidi jaspidi & sardio*; quorum illo gratiam, isto justitiam Dei, denotari volunt. Item *cap.* 21. *v.* 19. ubi inter XII. fundamenta novæ Hierosolymæ, *Jaspis*, principe loco ponitur &c. Ut de magnitudine aliquid addam, *Magnitudinem Iaspidis*, inquit Plinius *cap.* 9. *cit. undecim unciarum* (ubi XV. habet codex MS.) *vidimus, formatamque inde effigiem Neronis thoracatam*. Plura de Jaspide, ejusque variis generibus, V. apud eundem *capp.* 8. & 9. *cit.* Auctoresque, qui ex professo *de Gemmis* scripserunt, laudatos supra in voce *Gemma*. *Jaspidem Petri Rubhosii*, Bacchum racemis uvæferis coronatum referentem, edidit Casaubonus in libellis *de Satyra*: de *Iaspide* inprimis *ἀερίζουσα*, *chalcedonia*, *ναιxον*, *à fumi…* sic dicta, V. Salmasium *pag.* 346. & 561. Voces compositæ ex hac: *Iaspachates*, apud Orpheum de achate, Jaspidi simili; *Jasponyx*, iaspis onychem referens, apud Plin. Et *Iaspopallius*, apud Epiphanium *de XII. gemmis*. aspis opallio, vel contrà, similis. Salmasius ubi supra, *p.* 150.

Iassus, urbs. adde: Rudera ejus hodie Turcis appellari *Askemkalesi*, seu *Castrum de Askem*, docet Iac. Sponius, ex vet. marmore ibi reperto, in quo Lysimachus quidam monumentum id sibi, filio suo, filiæque, & liberis ex illis vel jam natis, vel demum nasciturís, socero item suo, generoque Leoni, filio Artemisii, qui civis Milesius, sed ΦΥΣΕΙ ΙΑΣΕΥΣ, *oriundo Iassius* esset, erigi curasse, significat: partem Inscriptionis exhibet idem *Itiner. Part.* 3. *p.* 161. In Insula fuisse hanc urbem, Continenti proxima, ibidem reliquias mœnium & theatri è marmore constructi, ubi vetus *Inscr.* Græca, quæ Zopatrum quendam, Epicrate genitum, Baccho illud dedicasse, testetur, etiamnum conspici, aliaque huc pertinentia, legas apud eundem *Itinerar. Part. I. p.* 360. Addo saltem, apud urbem hanc, Babylonem puerum à delphino olim adamatum, & ob id ab Alexandro M. qui ibi tum fortè agebat, Neptuni sacerdotio ibidem præfectum fuisse, tradere Solinum *cap.* 12. ad quem l. V. egregiam *Exercitationem* Salmasii *p.* 185.

Iasus, Argi filius, qui Phoroneo, in Regno Argivorum, successit, de quo V. Apollodorum *l.* 2. Hinc *Iasides*, epitheton Adrasti, apud Papinium Statium *Thebaid. lib.* 6. *vers.* 911. Sed & *Jason* Lycius, cujus interfecti canem inedia obiisse, refert Solinus *cap.* 15. *Jasus*, in *MSS.* dicitur teste Salmasio *ad l.*

Jatraleptice, Græcè Ἰατραλειπτική, pars Medicinæ memoratur Plinio *l.*29. *c.*1 ubi postquam Clinicen ab Hippocrate institutam dixisset, pergit: *Nec fuit postea quæstus modus, quoniam Prodicus … discipulus ejus, instituens, quam vocant* iatralepticen, *reunctoribus quoque Medicorum atque mediastinis vectigal invenit. Horum … Erysip… ingenti garrulitate mutavit* &c. Unguentariam dicas, quæ frictionibus, ac oleorum illitu, morbos curat & sanitatem tuetur. … cum Medicinæ addidisse, ait Plutarchus. V. supra in voce *Aliptice*.

Javan, adde: De illo Josephus *Antiqq. l.* 1. *c.* 7. … *Ex hoc … à Javane Ionia & omnes Græci orti sunt.* Proin in S. Scriptura, non uno in loco, *Javan* pro Græcis ponitur; inter alia Dan. 10. *v.*20. & *c.* 11. *v.* 2. Etiam Strabo Iones Ἰάονας vocat, extrusa vocali *v.* quod non rarò contingit: & Æschylus *in Persis*,

Ἰαόνων γῆν οἴχεται πέρσας θέλων,

Jaonum terram vadis vastaturus.

In quæ verba Schol. Ἰάονας δὲ, inquit, … Namque & Attica priùs *Jas* & *Jonia* dicta est. V. Rossium *Archæol. Attic. l.*1. *c.*1. & Vossium *Idolol. l.*1. *c.*36.

Jaxartes, fluv. adde: Ei Tanais, qui in Mæotidem paludem influit, à Macedonibus nomen impositum, & prope illum fuisse Alexandri aram, ut & Herculis Liberi patris, Semiramidis & Cyri, Græcè *τὰ Κύρου*, docet Salmas. *ad Solin. p.* 790.

Le Jay, nomen illustris in Gallia Familiæ, è qua memoratur Stephanus Eques circa A. C. 1300. In ejus descendentibus servatus ære est titulus Domin. *de Floigny*. Accessit dein, cum Oudardo *le Jay*, Dn. *de Boutehac*, nupsisset Nicolaa *Meusnier* (dicta ab Avia paterna *du Pré*) novum hoc nomen, quod nunc quoque cum priori servatur. Probatio mediorum hæc est: Bernard *le Jay*, Dn. *de Boutehac*, ex Genovefa (fil. Petri Dn. *de Quignon*) pater fuit Petri *le Jay*, Dn. *de Boutehac*, Equitis; cui Francisca *de Frangeon*, genuit Oudardum, de quo antè: Huic Nicolaa, modo prædicta, genuit Claudium *du Pré* (ex conditione materna conjugii) … *D. de … pré Kaerdaniel*, qui & Susanna *Lairel* Dn. *de Kaerrodiennes*, Dn. *de Kaerr* (fil. Petri *Lairel* Dn. *de Kaerrodiennes*, *Kaerdaniel* &c.) genitus Johannes *du Pré*, Dn. *de Kaerraol*, *Kaerdaniel*, *Kaermerien*, juncta sibi Elisabetha Ferræa (fil. Caroli *Ferré de la Garraye* Equ. Dn. *de la Villes-blancs la Verrie*) suscepit Gedeonem *du Pré le Jay*, Dn. *de Kaerdaniel* Vicecom. *de la Belliere en Loudeac*; cui ex Sara Barbier (fil. Petri *Barbier* Dn. *de Vautelles & de Pillant*) nati sunt Petrus Gedeon Dom. *de Floigny*, Johannes Philippus Dn. *de Brimmeterz*, Gedeon Dn. *de Bospierre*, Esthera Olympia *Mademoiselle de Kaerdaniel*, Carola *Mademoiselle de la Belliere*, & Juditha Elisabetha *Mademoiselle du Pré*, omnes nominis *du Pré le Jay*. Spenerus *Theatr. Nob. Part. III. p.* 66. & *Indic.*

Jazeran, in *Chron.* Bertrandi Guesclini *MS.* vestis militaris species, *Ghiazerino* apud Jo. Villaneum *l.* 8. *c.* 78. laudatum Car. du Fresne *Glossar.*

IB.

Iberia, adde: *Iberos* purpureis vestibus in pugna amictos, patrio more, fuisse hostibus terribiles, prodit Polybius *lib.* 3. Ceterùm de *Iberis* ista monet Salmasius, eos, cum Colchis & Albanis, *Scythiæ* nomine à Poetis comprehendi, *ad Solinum pag.* 190.

Iberus, nobilis agitator apud Silium Ital. *l.* 16. ubi de Ludis à Scipione in Africa celebratis,

Cinyphio rector … Iberus.

Quadriga ejus *Panchatis* equi nomine insignis fuit, de quo infra.

Ibices CC. inter alia animalia herbatica, quæ die muneris rapienda populo concessit Gordianus, apud Jul. Capitolinum in *Vita* ejus. Est autem *Ibex*, Hebr. יעל *jaal*, quod nomen ab *ascensu* accepit, eo quòd in summis montibus degit, Psalm. 104. *v.*18. Cornua habet vastissima, quæ à capite usque ad clunes protenduntur; memoratque Scaliger vetulorum cornu pependisse pondo duodeviginti, & in quibusdam nodos 24. numerari totidem annorum conjecturam. Ea inter pretiosas merces recensentur Ezech. *c.*27. *v.* 15. idque propter multiplicem eorum usum. In Libya enim ingentium poculorum vicem præstare, & si peritè excaventur, tricongiorum, refert Ælianus *l.*14. *c.*16. Ex iisdem arcus in Creta seri, apud Bellonium extat. Unde non dubitat Bochartus, quin Homeri ἴξαλος, *Il. δ. v.* 105. sit *Ibex*, cùm & agrestis capra & in rupibus deprehensa dicatur & habuisse *κέρα ἑκκαιδεκάδωρα*, *cornua palmarum sedecim*, ex quibus Pandaro arcus fabricatus, V. *infra*. In hæc *cornua*, ait Plinius, *se librant ibices, ut tormento aliquo rotati in petras, potissimum è monte aliquo in alium transilire quærentes, atque recussu pernicius, quò libuerit, exultant.* Quò pertinent illa Virgilii,

Ecce feræ saxi dejectæ vertice capræ

Decurrere jugis.

Quòd si earum aliqua in præceps cadat, tali membrorum sunt robore, ut maneant illæsæ, cùm similem habeant petris duritiem, in cornibus maximè; quæ à capite usque ad nates pertingentia ita eas tutantur, ut ne apertis quidquam timeant, Ælianus, Isidorus, Alii. Porrò in cornibus duo esse foramina, per quæ respirent, quibusque obturatis pereant ilico, scribit Damir; idemque refert de ægagro, qui cum *Ibice* idem, Oppianus *lib.* 2.

Εἰ δέ τις αἰγάγρου …

Ζωὴ …

Quòd si quis ægagri cornibus ceram circumfusurus,

Vitæ is inter-luseris vias, respirationisque meatus &c.

Plura de hoc Animali, *capræ* inprimis earum tum in catalogo, cùm capti abducuntur, tum in palentes senio confectos de sibella item judæorum, Jonam ab *ibis* lactatum, dicentium, V. apud Sam. Bochartum *Hierozoic. Part. prior. Lib. III. cap.* 17. de partu illarum difficili, apud Vossium *de Idolol. l.* 3. *c.* 49.

Ibis, quod serpentes, Nilo exundante, devoraret, pro numine Ægyptiis fuit. V. Ciceronem *de Nat. Deor. lib.* 1. *c.* 36. & *Consol. sub fin.* Lucianum *Iov. Trag. Tom.* 3. *pag.* 469. Unde ibis ante exercitum positis, cùm parcerent Ægyptii, Pelusium expugnavit, sicque in Ægyptum pervenit Cambyses, apud Polyænum *l.* 7. &c. De ea sic Solinus *c.* 32. *Circumeasdem ripas* (Nili viz.) *aves sunt ibis. Ea serpentium populatur ova, gratissimamque ex his escam nidis suis defert* —— *Nec tamen aves istæ tantùm intra fines Ægyptios prosunt; nam quotannis Arabicæ paludes pennatorum anguium … examina —— in procinctum eunt universa, & priusquam terminos proprios externum malis invadant, in aere occursant caterva pestilentia, ibi agmen devorant universum; quo merito sacræ sunt & illæsæ.* ——

pastinur. Nigras solum Pelusium … pars candidas. Ubi quòd *ore* hanc Ægypto peculiarem avem *parere* tradit, refellitur a Salmasio, *ore* tantùm *coire* eas, uti corvos, vulgò creditum, docente pluribus *ad eum p.* 438. Porrò clysterem inventorum Plinius facit *l.* 8. *c.* 27. & in Alexandria plateas omnes iis circuibus ac domesticis refertas esse, apud Strabonem legas &c. Quod verò avis hæc cum collum & caput sub plumis abdit, cordis figuram exprimit, teste Æliano *de Animal. l.* 10. *c.* 29. … ædificent, ut Ideria alibi meminit.

refert, inter Hieroglyphica cordis Deo grati, & mentis generosæ ac in celsa virtute quiescentis, recensetur: V. Nic. Caussinum *Hierogl̄yph.* In eam Idmonem Poetam conversum, apud Ovidium habes: ut plura hanc in rem, apud G. Jo. Vossium *de orig. & progr. Idolol. l.3. capp.* 74. 78. 82. & 96.

Ibycus, Lyr. Poeta, adde: primus variantia quinque Planetarum nomina digessit, & instrumentum Musicum, jambis canendis idoneum, excogitavit, quo Romanos Gallosque olim in bello usos, legimus. *Sambycam* seu *Jambycam*, vocavere &c. V. Vossium *de Idolol. l.4. c.33.*

I C.

JC. in notis antiqq. *Jurisconsultus, Julius Cæsar*. IC. E. V. *justa causa esse videtur*, significat, Fr. Gouldmannus. IC XP NI KA. *Inscriptio* in inferioris ævi numismatibus Impp. Græcorum frequens, V. suprà in *Christi Monogramma*, & hanc in rem plura, apud Car. du Fresne *Dissertat. de Numismat. infer. ævi*, *num.* 25.

Icades, Græcè Εἰκάδες, feriæ in honorem Epicuri institutæ. Plin. *lib.* 35. *c.*2. *Iidem palæstras athletarum imaginibus & ceromata sua exornant, & vultus Epicuri per cubicula gestant ac circumferunt secum. Natali ejus vicesima Lunâ sacrificant, ferias*q; *omni mense custodiunt, quas* Icadas *vocant.* V. in voce *Icadistæ*.

Ichneumon, Heracleopolitis olim cultus, Clem. Alexandr. *Protrept. pag.*19. Græcè ἰχνεύμων, item ἰχνεύτης: quòd rostro suo prælongo quærat & *investiget*; recentioribus ὕδρος, & Latinè *Sullus*, ut in versu Dracontii,

Præcidit sullus vim cujuscunque veneni,

quòd more *suis* rostrum semper in terra habeat: animal fluviale, vel potiùs ἀμφίβιον Straboni & Vitruvio, Salmasio terrestre solùm. *notum hac gloria maximè* (internecini cum aspide belli) *in eadem natum Ægypto. Mergit se limo sæpius, siccatque Sole. Mox ubi pluribus eodem modo se loricavit coriis, in dimicationem pergit. In ea caudam attollens ictus irritos aversus excipit, donec obliquo capite speculatus invadat in fauces. Nec hoc contentus, aliud haud mitius debellat animal.* Crocodilum sc. cujus dentes primò, mox intus fauces, dum trochilus avis repurgat, *in hac voluptate somno pressum conspicatus* ichneumon, *per easdem fauces, ut telum aliquod, immissus, erodit alvum. Similis crocodilo, sed minor ichneumone, in eodem Nilo scincus est* &c. Plin. *lib.*8. *capp.*24 & 25. Ubi quod de ejus cum aspide bello habet, illustratur hisce Nicandri in *Theriacis*,

— ἢ ὁ ὁμῆς

Ἄγραυλ' ... πολυμοιο κόλοισι.

Nempe cùm parvum os habeat *ichneumon*, & minimè ad morsus dehiscens, adeò ut manum hominis, cùm clausum est in pugnum, morsu appetere nequeat, ubi videt, se non posse aliter conficere hostem suum, luto Sole siccato loricatus ad flumen eum trahit & submergit: merè terrestrem enim serpentem esse aspidem notum. Neque hoc solùm in utrumque hostem modo pugnat, sed & ova eorum diligenter investigat, illaque, cùm reperit, dissipat & frangit. Atque hinc *perniciosus* vocatur Martiali *l.*7. *Epigramm.* 87.

Delectat Marium, si perniciosus ichneumon,
Pica salutatrix si tibi, Lause, placet.

Cœterùm similiter parit, & iisdem vescitur, quibus canes & feles, teste Philosopho, canique parvo similis Diodoro, inter feles (quas & caudâ refert, & murium capturâ, quo fine catulos ejus Alexandriæ divendunt rustici) recensetur Plinio *lib.*10. *cap. de generatione terrestrium. Murem Pharaonis* hodie appellari ferunt: nonnulli & *murem Indicum*, apud Oppianum, sed perperam. V. de illo plura, apud Ælianum *lib.*8. *cap.* 25. Athenæum *lib.* 9. *cap.* 10. Salmasium *ad Solinum pag.* 446. & *seqq.* Vossium *de orig. & progr. Idolol. l.*3. *capp.* 73. & 74. Alios.

Ichnographia, Græcè Ἰχνογραφία, modulus dispositionis est futuræ structuræ, quæ in plano priùs deformabatur in charta aliqua aut membrana; unde postmodum formarum in solo areæ descriptio capta, quam ὑπογραφὴν τοῦ ἐπιπέδου vocabant. Succedebat Ὀρθογραφία, quæ operis futuri rectam faciem modicè depictam ostendebat: & Σκηνογραφία, quæ non frontis solùm, sed & totius corporis ædificii imaginem, cum laterum abscedentium adumbratione formatam, præferebat. Salmasius *ad Solinum p.*821. Galli *planum* vocant. In linea tela id plerumque factitatum esse, innuit Papin. Statius *l.*3. *Sylv.*1. *v.*117.

Nec mora, conscripta formatur imagine tela:
Innumeræ coiere manus, his cædere sylvas,
Et lævare trabes: illis immergere curæ
Fundamenta solo

Ad quem l. V. Barthium, & plura de Vett. *Ichnographia*, apud Vitruvium *l.*1. *c.*2.

Ichthyocolla, inter tentipellia Vett. faciei cutem erugantia ac extendentia. Plinius *l.* 32. *cap.*7 *Ichthyocolla appellatur piscis, cui glutinosum est corium: idemque nomen glutino ejus — quod quidam ex ventre, non è corio fieri dicunt, ut glutinum taurinum. Laudatur Pontica, candicans & carens venis squamisque, & quæ celerrimè liquescit — Utilem eam in capitis doloribus affirmant, & tetanothris.* Inventum, inter alia, Dædali, apud eundem *l.*7. *c.*56. ubi tamen *lithocollam* sunt qui legant. *Exos* Rondeletio hic piscis est, *de Pisc. fluviatil. c.*8. Germani, ad quos è Danubio etiam 600. advehitur librarum, dixere *hausen*: quia magnitudine domum exiguam refert: indeque glutinum ejus (quod non minùs è corio, quàm ventre, paratur) vocatur *hausleim*, i. bufonis glutinum; ac generali vocabulo *fischleim*, h. e. piscium glutinum; item *mundleim*, i. orale glutinum: quia *ore* madefit, ut faciliùs conglutinet. Sic fabris lignariis, aliisque Artificum, in emplastris, instrumentis Musicis, chartis, insuper eximiè hic piscis servit. Vossius *de Idolol. l.*4. *c.* 48.

Ichthyophagi, adde: non unos eos fuisse, sed quosdam Arabici sinus oram, in parte Troglodytarum, habuisse, Agatharchides testis est. Quin etiam Diodorus Siculus *Ichthyophagos* ab ora Carmaniæ ac Gedrosiæ, usque ad intima sinus Arabici tenuisse prodit, qui sinus ab uno latere Troglodytas prætentos habet, ab altero, Felicis Arabiæ populos. Quod si verum est, quosdam eorum etiam in illa parte fuisse censendum est, quà Indus fl. in Mare evolvitur. Unde erroris ansa Melæ, qui Insulam Solis, quæ in Ichthyophagorum Carmaniæ vicinorum sinu jacet, contra Indi ostia metatur. Plinio item, qui Pomponii verbis deceptus, illam in eo trajectu ponit, qui Taprobanem & latus Indiæ Meridionale interfluit &c. qua de re V. pluribus disserentem Salmasium *ad Solinum p.* 1178. & *seqq.* ubi verba hæc explicat: *Post Indos — regiones* Ichthyophagi *tenent, quos subactos Alexander Magnus in reliquum jussit abstinere à piscibus: nam antea sic alebantur*: Plinius verò de iis agit, *l.*6. *capp.*23. & 29.

Ichthys, Græcè Ἰχθὺς, acrostichis est, quam ex carminibus Sibyllæ Erythrææ, de Iudicio extremo, Eusebius *de V. Const. lib.* 5. sive *Orat. ad Cœt. Sanct. cap.* 18. & Augustinus *de C. D. lib.* 18. *cap.* 23. afferunt: ubi ex primis versus cujusque vocabulis hæc verba componuntur, Ἰησοῦς Χριστὸς Θεοῦ υἱὸς, Σωτήρ, ut Christophorsonus, Eusebii Interpres, felicior isto, cujus interpretatione Augustinus usus est, congruarum literarum vocibus versum quemque inchoans, reddidit, *Iesus Christus, Dei Filius, Servator*; Ex quorum verborum initialibus literis vox Ἰχθὺς, i. *Piscis*, colligitur: quo nomine mysticè Christum intelligi, Augustinus *d. l.* monet, eò quòd in hujus mortalitatis abysso, velut in aquarum profunditate, sine peccato esse potuerit. V. Tobiam Pfannerum *Theol. Gentil. pur. l.* 1. *c.*4.

Icidii Dii, apud Solinum *c.*2. *Præneste — à Cæculo* (conditum) *quem juxta ignes fortuitos invenerunt, ut fama est*, Igidiorum *sorores*. Ubi *Igidii*, pro *Icidii*, ex Gr. Οἰκίδιοι; Lares familiares sunt, qui in Glossis θεοὶ κατοικίδιοι, alibi οἰκίδιοι, appellantur. *Divos Fratres* vocat Servius, ubi de Cæculo eodem & Prænestina urbe: Arnobius, agens de Laribus, qui Ocrisiam in foco gravidam fecerunt, unde natus Rex Servius, simili fabulâ, *Conserentes Deos*, V. suprà in voce *Conserentes*, & plura hanc in rem, apud Salmasium *ad Solin. p.* 64.

Icilia Lex, V. *Icilius*.

Iconicum Simulachrum, apud Suetonium *Caligulâ c.* 22. *Templum etiam Numini suo proprium — instituit. In Templo simulacrum stabat aureum iconicum*: ex Græco εἰκονικὸν, quid propriè sit, ex Plinio discimus *l.*34. *c.*4. *Effigies hominum non solebant exprimi, nisi aliqua illustri causâ perpetuitatem merentium, primò sacrorum certaminum victoriâ, maximeque Olympiæ: ubi omnium, qui vicissent, statuas dicari mos erat. Eorum verò, qui ter ibi superavissent, ex membris ipsorum similitudine expressâ, quas* Iconicas *vocant.* Statua viz. ex membris alicujus similitudine expressa. Cujusmodi proin statuæ ut exactissimè fierent, ad magnitudinem corporis τῶν τελειολυμπιονικῶν, Hellanodicæ curabant. Plerunque verò æneæ erant, ut palàm est ex hisce Aristidis κατὰ τῶν ἐξορχ. ... τὸν Διαγόραν τὸν Ῥόδιον, καὶ Γλαῦκον τὸν Καρύστιον, καὶ Μίλωνα δὴ καὶ Πολυδάμαντα, καὶ πάντας ὧν εἰκόνες χαλκαῖ, ubi per illos omnes, *quorum icones æneæ*, intelligit, quotquot inter athletas fuere celeberrimi &c. V. in hanc rem plura, apud Car. Paschalium *Coronarum l.* 6. *c.*8. ubi *de Hieronicis Olympiis, & statuis illorum.*

Iconium, adde: de Regno verò *Sultanorum Iconiensium*, quod à conditore Sultano Aladine, ex Tangrolipicis familia oriundo, *Aladinium* quoque dictum, ipsorumque successione, ac rebus, contra Constantinopolitanos inprimis Cæsares admirando successu gestis, V. Jo. Forbesium *Instructionum Historico-Theologicarum lib. IV. cap.* 22. *num.* 2. & *seqq.*

Icosaproti, Viginti-primi, & *Icosaprotia*, Viginti-primatus noc. *l. fin. v. mist. ff. de muner. & honor.* apud Jo. Calvinum *Lexic. Jur.* Ex Græco Εἰκοσάπρωτοι, de qua dignitate V. Budæum *in Adnotat.*

Icrium, cenotaphii gnorisma, apud Athenienses olim, signumque fuit patrium ac legitimum, ubi quis patriâ excidens inibi haud foret sepultus. *Icrium* verò, ex Græco ἴκριον, surrectum est lignum, V. Cœl. Rhodiginum *Antiqq. Lection. l.* 10. *cap.* 5. & *lib.* 17. *c.*19.

Icterus, Græcè ἴκτερος, avicula flavi coloris, *quæ si spectetur, sanari id malum* (icterum, seu morbum regium) *tradunt & avem mori. Hanc puto Latinè vocari galgulum*, Plin. *l.*30. *c.*11. Hinc ei nomen à morbo, cui medetur; morbo autem ab oculis mustelæ;

stelæ, seu viverræ auricoloribus, quam ἰκτίδα vocant Græci. Idem vero *regius*, quoniam mulso rebusque pretiosis & exhilarantibus curatur: Celso *arquatus* etiam, seu *arcuatus*, à colore arcus cœlestis, Scribonio *aurigo* dicitur. Indidem *Icterias* gemma, *alvi luridosimilis, ideóq; existimata salubris contra regius morbos*, idem Plin. *lib.* 37. *cap.* 10. ubi quatuor ejus genera recenset.

Juncula Puellaris, in Magico Veterum instrumento, occurrit apud Suetonium *Nerone* c. 56. *Icunculam puellarem, cùm quasi remedium insidiarum à plebejo quodam & ignoto muneri accepisset, detecta confestim conjuratione, pro summo Numine trinisq; in die sacrificiis colere perseveravit: volebatque credi monitione ejus futura prænoscere.* Moris nempe fuit hominibus præstigiatoribus & planis remedia adversus omnes morbos casusque vendere, quæ semper circumferri facilia essent. Cujusmodi quoque annuli illi erant Φαρμακῖται seu Φυσικοὶ, quorum mentio apud Aristophanem aliosque, ut & supra, in voce *Eucastarus*. Item laminæ, Arnobio memoratæ *l.* 1. &c. V. infrà ubi de *Periaptis*, & plura hanc in rem apud Casaubonum *ad l. c.*

ID.

ID. in notis antiqq. *Judex*: interdum *Idus*, item *indicatum*. J.D. *Inferis Diis*, vel *in dimidio*. J.D.C. *juris dicendi causa*. ID. E. *idem est*. IDQ. *Idemque* &c. significat, Fr. Gouldmannus ubi suprà.

Ida, mons Cretæ: Hinc inter *Albos montes* hujus Insulæ, quos Græci quoque λευκὰ ὄρη propterea, quòd juga eorum nunquam nix deserat, appellant, recensetur Plinio *l.* 16. *c.* 33. ex Theophrasto *Hist. Plantar. l.* 4. *c.* 1. V. supra in voce *Albi Montes*, item *Dicte*.

Idæi Dactyli, adde: *Lapis quoque* Idæus Dactylus *dicitur*, *Insulæ isti familiaris, coloris ferrei, humano pollici similis*, Solin. c. 11. V. etiam supra in voce *Digiti*, item ubi de *Samothracibus Diis*.

Idas, è principibus Minyarum, inter Argonautarum præcipuos, memoratur Papinio Statio *Thebaid. lib.* 5. *versu* 405.

Nunc magnum Oeniden, nunc illa hortatibus Idam,
Et Talaum & ——
Tyndariden iterans ——

Val. item Flacco *lib.* 1.

—— *neque enim Telamon, aut Canthus &* Idas,
Tyndareusve puer mihi vellere dignior Helles.

Deorum interim contemptor & ore procax. Higinius *cap.* 14. *Idem Idas, acer & ferox.* V. eum, velut alterum Mezentium, objurgantem Jasonem, apud Apollonium *l.* 1. *v.* 464. & *seqq.*

Idiota, Jurisconsultis Anglis, dicitur a naturâ stultus, qui numerare non potest 20. denarios, & patris matrisque nomina ignorat, vel quam ætatem habeat, & similia: ejusmodi enim homines rebus suis superesse non possunt. Verùm si non adeò ingenio privatus sit, ut Magistro adjuvante literas addiscere possit, vel ulnam panni mensurare, vel aliud quid agere, è quo erui possit, ingenio non omninò destitutum esse, pro *Idiota* non habetur, Rastall. Aliàs in genere illiteratus & imperitus quivis, *Idiota* dicitur, recentioris ævi Scriptoribus, *Glossæ* Gr. Lat. Ἰδιώτης ὁ μὴ νοῶν. In Ecclesia Rom. *Idiotæ* appellantur Monachi, qui vulgò *Conversi* dicuntur, & nullo Ordine Ecclesiastico sunt donati, Allatius *de Narthece vet. Eccl.* p. 15. Sed & *Idiota*, humilitatis agnomen est, ab Auctore usurpatum libelli illius, quem ex Lugdunensi Cod. MS. restituit Theophilus Raynaldus, ac Lugduni edidit A. C. 1632. sub tit. *Idiota Sapiens*: ubi in calce libri Raymundum Jordanum Auctorem dictum fuisse, variis conjecturis probat. V. Car. du Fresne *Gloss.* & Dominicum Macrum *Hierol.* uti de *Idiotis*, qui apud Pontificios alias dicantur *Coadjutores*. Bonaventuram quoque in *Vita* Francisci c. 3. & Lud. de la Cerda *cap.* 17 *num.* 4. Antiquioribus temporibus in Ecclesia Ἰδιῶται dicti, quibus *oi μεμυημένοι mysteriis initiati* seu Ecclesiastici oppositi; *Laicos* postmodum vocavere. Propriè vero Ἰδιώτης, est *homo privatus*, qui non negotia publica, sed tantùm res suas, tractat, atque adeò homo plebejus est & è medio vulgo &c. Cl. Snicerus *Thes. Eccl.* in hac voce.

Idololatriæ incunabula: quæ cùm duplex, nam vel verus Deus in imagine qualicunque, vel vagus Deus, colitur, de utraque, hac præsertim, paucis. Infinita Dei Majestas licèt omnium creaturarum captum longè transcendat, tamen homines, vel ex ipso Naturæ libro ejus vestigia odorantur, ita quidem ut nec Athei ipsi illius notitiam, quantumcunque velint, penitùs queant excutere. At tantùm corrupta abest natura, ut norit quis sit verus ille Deus, ut potiùs creaturam pro Creatore adoret, & licet Numen multiplicet ad modum stellarum cœli & reptilium terræ, adhuc tamen in ambiguo hæreat, an in verum inciderit, an id adhuc sibi maneat incognitum. Quæ causa est, quòd nautæ in navi, quâ Jonas vehebatur, postquam inclamassent quisque Deum suum, tandem etiam Jonam, *ut inclamaret Deum suum*, hortati sunt Jonæ *cap.* 1. *v.* 5. & 6. velut dubitantes, an à se verus Deus invocatus fuerit. Ex eodem fonte formula, precibus singulis Gentilium adjici solita, *Dii Deæque omnes*, apud Servium *in Georg. lib.* 1. orta est. Arabes quoque suæ θεῷ ἀγνώστῳ minimè fili, *Ignoto Deo*, aras suas inscripserunt, teste Lilio Gyraldo *Syntagm.* 17. cui similem titulum in ara quadam Athenis reperit Paulus, Actor. c. 17. v. 23. Unde in vicinis huic urbi regionibus, solemnem jurandi formulam fuisse, Νὴ τὸν Ἄγνωστον ἐν Ἀθήναις, *Per Ignotum Atheniensium*, refert Lucianus in *Philopatride*. Imò, quia incertum iis erat, quis Deus ille esset, id quod summè unum est, in plurima discerpentes, in plurativo quoque numero leguntur Altaria habuisse inscripta: Θεῶν Ἀγνώστων, *Deorum ignotorum*, teste Pausaniâ in *Atticis*. Nec desunt qui dicant, Altaris, quod Apostolus vidit Athenis, plenam inscriptionem fuisse, Θεοῖς Ἀσίας καὶ Εὐρώπης καὶ Λιβύης Θεῷ ἀγνώστῳ καὶ ξένῳ, *Diis Asiæ & Europæ, & Libyæ, Deo ignoto & peregrino*. Theophyl. *in Acta Ap.* c. 17. v. 23 Hieronymus *in Tit.* c. 1. v. 12. &c ut ita epigraphe hæc cum formula memorata *Dii Deæque omnes*, coincidat. Et hæc incertitudo præcipua videtur fuisse inscriptionis Atticæ causa: accedere potuit alia, quod Numen hoc, cui ara illa posita erat, fortè fuerit Urbi Tutelare. Notum autem omni ope Gentiles Tutelaris sui Divi nomen in abdito tenuisse, ne, si id evulgaretur publiceq; innotesceret, Numen ab hostibus magico carmine evocatum pristinum locum relinqueret suosque desereret cultores. Qua in re cautiores cæteris videri voluere Tyrii, Lacedæmonii, alii, qui Idolis suis compedes injecerunt, ne eos unquam loci sui deserendi vel libido subiret, vel facultas esset, Macrob. *Saturn.* l. 3. c. 9. Sed & fieri id potuit, ad imitationem Judæorum, qui circa SERVATORIS nostri tempora nomen Dei essentiale *Jehovah*, pronuntiari illicitum rati ejus loco *Adonai* dici legique voluere. Cujus rei prima origo hæc fuisse videtur, ne sanctissimum hoc nomen indignè usurparetur ab Ethnicis. qui inde jam aliquot *Idolis* suis nomina, *Jovis*, *Jao*, *Jaoth*, *Javo* &c. mutuati sunt, V. Macrobium *Saturnal. l.* 1. c. 18. Irenæum *l.* 2. *c. ult.* Origenem *contra Celsum lib.* 6. &c Quemadmodum itaque modò memorata nomina Idololatrica nihil aliud fuerunt, quàm depravationes nominis Dei proprii *Jehovah*, ita origo tot *Idololatriæ* speciebus sese mutuò sequutis, ex depravato & detorto S. Scripturæ sensu, maximam partem arcessenda videtur. Quia enim Sidera, Solem & Lunam inprimis, *ad præfecturam diei & noctis*, collocata esse, per traditionem homines, veri jam Numinis obliti, acceperunt, admirari primùm illa, plus quam decebat, deinde divinis etiam honoribus prosequi cœpere. Ingravescente postmodum torrente superstitionis, Apotheosis seu Deificandi ritus ad ea quoque extensus est, quæ sub Luna sunt: quæ partim ut symbola cœlestium luminum, partim ut ipsimet Dii, cultum humano majorem meruisse visa sunt. Prioris generis erat, divinus cultus Igni à Chaldæis exhibitus, quem illi אור *Ur* appellarunt, à quo civitati nomen, Genes. c. 11. v. 28. Nec alius videtur fuisse *Deus Nachoris*, de quo V. Genes. c. 31. v. 53. Posterioris generis fuit, quo res has inferiores, ob beneficia ab illis accepta, sunt prosequuti. Hinc Mare, Venti, Aer, Tellus, Fruges; Viri porrò bene meriti; etiam Crocodili, Angues, Sorices, Cati, Canes. Allium & Cepæ inter Deos relati. Imò tandem & Virtutes & Vitia, hominumque Affectus, & Morbos ac Pestes in genera descripserunt, templisque ac aris cœci mortales coluerunt: ita ut universa Natura deificata fuerit, nec vero Deo in isto regno suo quicquam relictum. Ac primò quidem iste cultus citra *Idola* seu imagines peragebatur; mox, ut Numen quisque suum sibi haberet præsentius, Idolorum effingi ac publice privatimque erigi cœperunt, turpissima halucinatione. Cùm non alia ratione a Deo longiùs recedatur, quàm hac ipsa, qui illud sibi propiùs admoveri, ψυχικοὶ φρονοῦντες: Idololatræ fiunt. V. Esai *cap.* 40. *v.* 18. & *seqq.* Primam autem *Idololatriæ* mentionem invenimus in cognatione Abrahami. Genes. c. 31. v. 19 *Furata est Rahel imagines, quas habebat Pater ejus.* Et Josuæ c. 24 v. 2 *Ultra flumen habitabant majores vestri olim, Therah pater Abrahami & pater Nachoris: coluerúntque Deos alienos* Quanquam ea jam ante illius tempora invaluisse videatur, Franc. Burmannus *Synops. Theol. Christ. Part. prior. lib. III.* c. 8. §. 24. & *seqq.* ubi *Idololatriæ historiam* succinctè exhibet. Sic primi *idolorum* effigiatores fuerunt Chaldæi, præeunte Nilo Beli filio, qui, contemporaneus Tharæ, fieri curasse imaginem Patri suo eamque subditis adorandam proposuisse fertur. Proximi Ægyptii, ut quorum terra jam plena idolis erat, Mosis tempore, Exodi c. 12. v. 12. Hos Græci sequuti aliæq; gentes; porrò Romani, postquam ultra annos 170. sine simulachro Deos coluissent, uti Varro docet, apud Augustinum de *Civ. Dei l.* 4. c. 31. &c. In populo Dei prima *Idololatriæ* vestigia comparent, in Exodo, ubi de Μοσχολατρείᾳ dein in Judicum libris, ubi de Michæ amiculo c. 17. accesserunt sequenti tempore sub Regibus Vituli Hieroboami: quibus omnibus verus Deus ab Idololatris colebatur. At posterioris generis *Idololatria* demum postmodum occurrit, in Ecclesia veteri, ut ex Historia Regum posteriorum liquet. Quæ utraque in Eccl. N. Test. iterum lacertos movere cœpit, circa tempora Constantini M. uti pluribus docet Jo. Forbesius *Instructionum Historico-Theol. lib VII* c. 6 & *seqq.* Et quidem primitus insignia erigebantur ligna & columnæ ex lapidibus ponebantur. Sic in Icaro imago Dianæ lignum erat non elaboratum, & Cithæroniæ Junonis, apud Thespios, truncus excisus. Mox radi expolitique ista hinc ξόανα dicta: uti Samiæ Junonis *idolum*, cum priùs rudis asser esset, Archonte Procle [illegible] *effigiem*

effigiata imago facta est. Tandem in hominis effigiem formari cœperunt, atque tunc βροτοὶ ἀπὸ τῶν βροτῶν, *ab hominibus*, dicta sunt: hæcque iterum vel *Iconica*, vel *Colossea* facta: *postquam ars floruit, aucto errore,* ut ait Clemens Alex. *Protreptico*, &c. V. Thom. Godwynum *de Ritibus Hebr. lib.* 4. *cap.* 1. Casp. Barthium *Commentar. Superstitionum*, Gerh. Jo. Vossium inprimis *de orig. & progr. Idolol. lib.* 1. *cap.* 3. ubi *de Idololatria propriè accepta* duplici, *plenâ*, quâ pro Deo falsum Numen colitur; & *ex parte*, cùm adversùs Dei mandatum in simulachro colitur verus Deus: *cap.* 4. ubi *de Idololatria*, quâ cultus à Deo ad opificium transfertur, causâ & origine: *cap.* 5. ubi de *Idololatrici cultus*, in *proprium & symbolicum*, divisione, horumque variis subdivisionibus: *cap.* 11. ubi de duplici fundamento *Idololatrici* cultus, *veteri gestorum historia, & historia naturæ*: *cap.* 22. ubi *de Idololatria* à Phœnicibus & Ægyptiis migratione, accuratè agit: nec non *lib.* 2. *cap.* 1. & hic passim, ubi de *Diis*; *Hellenismo & Sabaismo*, *Idololatriæ* speciebus &c.

Idolothyta, Græcè εἰδωλόθυτα, sunt quæ *Idolis immolantur*; circa quorum esum vel abstinentiam quid observandum sit, extat constitutio Apostolica 1. Corinth. *cap* 8. Quid autem de victimarum carne in esum usumque sacrificantium, apud Gentiles, cesserit, videre hic passim est, ubi de *Carne Victimarum*, & *Holocausto*, item in voce *Prosicia*. Quia verò Sacerdotes & sacrificantes, ut & quicunque alii Diis quicquam consecrantes ac dedicantes, gestabant coronas Numinibus suis convenientes; hederaceam, qui Baccho; lauream, qui Apollini; querceam vel oleaginam, qui Jovi &c. immolarent: uti de Hercule, cùm Olympicos Ludos Jovi dedicaret, legimus apud Statium *Thebaid. lib.* 6.

—— Primus Pisæa per arva
Hunc pius Alcides Pelopi certavit honorem,
Pulvereumq; ferâ crinem detersit olivâ.

Hinc *corona Idolothytorum* meminit Tertullianus *de Cor. Mil. Ita*, inquiens, *& corona idolothytorum efficitur. Hoc enim ritu & habitu & apparatu idolis immolatur.* Quam & in convivus sacris à convivarum quolibet similiter gestari consuevisse, docet Car. Paschalius *Coronarum lib.* 4. *cap.* 15. Præter esum autem religiosum *Idolothytorum*, qui fiebat ex religione falsa in sacrificiis idolorum & sacris atque eucharisticis epulis, de quibus 1. Cor. *cap.* 10. *vers.* 20, 21. alius erat communis, in conviviis communibus; cùm, quæ idolis erant immolata, in macello venderentur, communis usûs gratiâ, aut, quæ idolis essent immolata, in usum privatum ac communem à Gentilibus converterentur: Quorum ille per se illicitus, rejicitur Actor. *cap.* 15. & in Nicolaitis damnatur, Apocal. *cap.* 2. *vers.* 15. & 16. Iste per se licitus, per accidens tamen, conscientiæ imbecillis fratris præsentis ac monentis, illicitus fiebat, atque propriè is erat, de quo 1. Cor. *cap.* 8. *cit.* agitur. Gomarus *Explicat. in Apocal. cap.* 2.

Idolum, Græcè εἴδωλον, ἀπὸ τοῦ εἴδους, quòd Numinis forma illo oculis *visenda* repræsentetur, cui qui exhibetur cultus *Idololatria* dicitur. Atque hac ratione vox Latinis Patribus satis trita est, V. inprimis Tertullianum *de Idolol. libro cap.* 3. & 4. Appellatur autem *Idolum* in Sacris, non solùm imago fictitio alicui Numini dicata, sed etiam vero Israëlis Deo fabricata, ut erat vitulus in eremo, qui εἴδωλον vocatur Actor. *cap.* 7. *vers.* 41. & sculptilia *Prac.* 2. Teraphim, quæ εἴδωλα similiter appellantur LXX. Interpretibus. Unde Tertullianus iterum, *omnes Idolorum artifices corpora Dæmonibus conficere*, ait *cap.* 7. & Deus in suo cultu πᾶσαν εἰκόνα, *omnem imaginem*, fieri prohibet, Deuteron. *cap.* 4. *vers.* 16. & abominatur omnes τύπους, οὓς ἐποιήσατε προσκυνεῖν αὐτοῖς, *figuras, quas fecistis, ut adoraretis eas*, Amos *cap.* 5. *vers* 26. coll. cum Actor. *cap.* 7. *versu* 43. Quam in rem V. plura, apud Jo. Forbesium ubi supra *cap. VI. toto.* Ita Græcis hoc vocabulum idem est, quod Latinis *simulachrum*, *effigies* viz. qua nobis repræsentetur forma alicujus rei fictæ vel veræ. Translatitiè postea accommodari cœpit ad formas ac species rerum in animo conceptas: quo sensu ab εἶδος, *species*, origo ejus arcessi posset, sicque sumitur apud Dionysium, ubi jaspidem ἀγέραστον ait esse,

Ἔχθρῃ ἰησπίνεμεν καὶ ἄλλοις εἰδώλοισι,

per εἴδωλα l. intelligens, quæ φαντάσματα Æschylus *Pers. conspicuas imagines* Plinius vocat, species viz. vanas, quæ Corybantiasmo laborantibus obversari consuevere, de quibus V. Salmasium *ad Solinum pag.* 1086. & hic, ubi de *Corybantiasmo & Strychno*, nec non in voce *Phantasia.* Tandem ad mortuorum spectra, quæ Latini *Umbras & Manes*, Virgilius quoque *Simulachra* nuncupat, vox extensa. Unde toties εἴδωλα καμόντων, apud Poëtas. Sic in scena, *Idola seu forma defunctorum pro ipsis corporibus introducta sunt, ab Euripide Polydori, ab Æschylo Darei*, inquit Scaliger *Poëtices lib.* 1. *c.* 13. cujusmodi Idola an alia sint ab animabus, videre in Græcis nugis & apud Luciani *Diogenem & in Platonis Phædone*, jubet *ibid.*

Idomeneus, Rex Cretensium, adde: Immortalibus honoribus à Cretensibus cultum esse, Diodorus narrat *lib.* 5. ubi & sacrificatum illi, & opem ejus in bellis imploratam, ait.

Idonei Auctores, dicuntur ii, quibus vetustas hoc meritum arrogavit, *Neotericis* oppositi, de quibus utrisque V. Salmasium *Prolegom. in Solinum.*

Idstenium, vulgò *Itzstein*, locus Germaniæ sup. in Comitatu Saræpontano, sub proprio Comite, ex Familia Nassovia: unde *Idstenia*, aliàs *Wisbadensis* familia, cujus primus conditor fuit Walravius, filius secundo-genitus Henrici cognom. *Divitis*, frater Othonis majoris, qui Dillenburgensem lineam orsus est: & prioris quidem, nempe Walravii, linea defecit in Johanne Ludovico, cui Johannis Com. Dillenburgici filia nupserat, hujus verò adhuc durat. Cœpit autem Comitatus hic *Wisbadensis* seu *Idstenius*, unà cum Dillenburgico, circa A. C. 1291. Johannis postea Com. Weilburgi & *Idstenii*, Adolfi Imper. nepos, filia unica, Comit. Saræpontanum, cujus lineæ parens auctor extiterat, nacta est: in Philippo Joh. Ludovici filio stirpe extinctâ, successore Alberto Com. Weilburgi, A. C. 1559. Hodie totus hic Nassoviæ arboris truncus, *Sarapontanus* nempe, cùm in tribus ramis subsistat, qui in communi Patre Ludovico, extincto A. C. 1627. coierunt: ex hujus filiis Wilhelmus Ludovicus *Sarapontanum* seu *Sarbrucken* continuavit; Johanni *Wisbada*, cum *Idstenio*, obtigit, Ernestus verò Casimirus *Weilburgum* nactus est. Ex quibus Johannes, Com. Nassoviæ, *in Wisbaden* seu *Itzstein*, ex Sibylla Magdalena Badensi (fil. Georgii Friderici March. Durlacensis, extinctâ An. Ch. 1644.) suscepit liberos complures, inter quos Anna Ottilia (n. An. Ch. 1630. obiit An. Ch. 1641.) Gustavus Adolfus (n. 1632. defunctus est 1664.) Ludovicus Fridericus (n. 1633. decessit 1656.) Bernardina Sophia (n. 1634. den. 1642.) Joannes (n. 1638. d. 1658.) & Sabina Juliana (n. ac den. 1639.) Eidem ex secundo conjugio Annæ Com. Leiningensis itidem numerosa fuit proles: Carolus (n. 1649. den. 1651.) Christina Elisabetha (n. 1651.) Eleonora Luisa (n. 1653.) Ernesta (n. 1654. obiit 1655.) Georgius Wilhelmus (n. 1656. den. 1657.) Johanna (n. 1657.) Sibylla Carola (n. 1658. den. 1660.) Dorothea Amalia (n. 1661.) Philippus Ludovicus (n. 1662. den. 1664.) & Georgius Augustus Samuel (n. 1665.) omnes Comites Nassoviæ &c. in Wisbadensis seu *Idstenia.* V. Phil. Jac. Spenerum *Theatr. Part. I. Ind. & Part. III pag.* 18 & 85.

Idus, nomen 8. dierum in quolibet mense: decimi quinti inprimis in Martio, Majo, Junio & Octobri: vel decimi tertii in reliquis mensibus. Dictæ vocabulo Thusco, apud quos idem dies *Itis* vocabatur, quod significat *Jovis fiduciam*. Cùm enim Jupiter sit auctor lucis, unde etiam *Lucetius & Diespiter* dicitur: hujus autem diei lux, non cum Solis occasu finiatur, sed splendorem diei ac noctis continuet Lunâ collustrante, quod semper in plenilunio, id est, medio mense fieri soleat, ideò jure *Jovis fiduciam* eum vocari putaverunt. Alii malunt sic vocatas, quasi *Viduus*, à videndo, vel ἀπὸ τοῦ εἴδειν, quòd eo die plenam speciem Luna demonstret. Alii ab ove idulii, quæ *Idibus* omnibus immolabatur Jovi, cui *Idus* sacræ erant. Alii iterum credunt, Hetruscam fuisse vocem, apud quos *iduare* dividere significabat: ideoque hanc diem *Idus* nominatam, propterea quòd mensem iduet, id est, dividat, cùm plerumque in medium mensem incidant. Ab illis dies reliqui omnes referuntur ad Kalendas sequentis mensis: ipsæ Nonas sequuntur. Dies postridie *Iduum*, quemadmodum & Kalendarum ac Nonarum, atri vel infausti habiti sunt, in quibus nec rem divinam facere, nec rem quampiam novam exordiri licebat, Joh. Rosinus *Antiqq. Rom. lib.* 4. *cap.* 4. Majæ *Idus* Mercurio sacræ fuere, quòd illis natus haberetur: vel quod tunc ædes ei vota. Iisdem Mercatorum dies festus erat, & fœneratorum. Unde Poëta, colligere hos *Idibus* pecuniam, quam Calendis ponere satagant, ait. Martiæ, quòd Julii Cæsaris cæde essent funestatæ, *Parricidii* nomine insignitæ sunt. Suetonius *in Julio cap* 88. *Curiam, in qua occisus est, obstrui placuit: Idusq; Martias parricidium nominari, ac ne unquam eo die Senatus ageretur.* Quare Augustus, nominis familiæque hæres, captivos bello Perusino eodem die trucidari voluit, apud eundem *in Aug. cap.* 15. *hostiarum more, ad aram Divo Julio extructam.* &c. Ad nuptias auspicatum habebatur tempus, quod *Idus* Junias sequitur. Ovidius *Fastorum lib.* 6.

Hanc ego cùm vellem genero dare, tempora tædis
Apta requirebam, quæq; cavenda forent.
Tunc mihi post sacras monstratur Junius Idus,
Utilis & nuptis, utilis esse viris.

Augusti *Idus* Dianæ erant sacræ: Unde Martialis *Epigr.* 68. *libri* 12.

Maja Mercurium creastis Idus
Augustis redit Idibus Diana, &c.

Eædem à servis celebrabantur, qua de re Vid. Alex. ab Alexandro *Genial. Dier. lib.* 3. *cap.* 18. Septembres solennes erant auspicio Magistratus, Liv. *lib.* 4 *cap.* 37. sicut Majæ olim Magistratibus ineundis, Idem *lib.* 3. *cap.* 36. postmodum Martiæ, *lib.* 23. *cap.* 30. & Quintiles, transvectionibus Equitum, *lib.* 9. *cap.* 46. &c. V. Joh. Rosinum *Antiqq. Rom. passim.*

Idyllium, Græcè Εἰδύλλιον seu Ἰδύλλιον, carmen pastorale, voce diminut. ex εἶδος seu ἰδέα, *species* sive *imago*, quòd poëmata rerum essent species quædam, & in hoc genere novum semper argumentum tractaretur. Jul. Cæs. Scaliger *Poëtic. lib.* 1. *cap.* 4. *Propterea verò quòd imitatione aliquid repræsentabant* (Bucolici Poëtæ) *à specie, id est, imagine, Idyllia, ἀπὸ τοῦ εἴδους vel ἀπὸ τῆς ἰδέας, dixere diminutivo flexu, vel propter brevitatem, vel ob modestiam, ac rei humilitatem. Postea cum quædam etiam suis auctoribus displicuissent, ex incondita turba — selecta quædam — ἐκλογὰς appellare placuit.* V. Scholiastem Theocriti in hoc genere Poëtæ eximii &c.

J E.

J E. in notis antiqq. *interest, in eum*, vel *Judex esto*, vel *in are* &c. designat. Apud Græcos ἰὲ, seu ἰὴ παιὰν, acclamatio erat Pæanibus peculiaris, ἐπίφθεγμα & ἐπίῤῥημα vulgò dicta, quâ solâ pæanes à scoliis differebant: quamvis & hoc quoque postea defectum, uti ex pæane Ariphronis Sicyonii, quem fecit in honorem bonæ valetudinis, & altero Aristotelis, in Hermiam Atarnensem, docet Scaliger *Poetic. l.1.c.44.* Origo acclamationis inde; quòd Latona, cum ex Eubœæ Chalcide Apollinem Dianamque reportans Delphos, à Pythone ex improviso penè oppressa esset, puello animos addiderit, ut sagittis, quas habebat, pestem illam occuparet, acclamando ἰὲ παῖ, ἰὲ παῖ, unde nomen ei postea factum certis syllabis additis, παιὰν, παιὼν, παιήων, Idem *lib. eod. c.23.*

Jecur, exterum nomine olim intellectum, quòd in Extispicina illius potissimum ratio haberetur. Plin. *lib.11.cap.37. Jecur in dextra parte est. In eo, quod caput extorum vocant, magna varietas. M. Marcello, circa mortem — defuit in extis. Sequenti deinde duo geminum repertum est. Defuit & C. Mario, cùm immolaret Uticæ — Divo Augusto Spoleti sacrificanti primo potestatis suæ die sex victimarum jecinora replicata intrinsecus ab ima fibra reperta sunt, responsumq;, duplicaturum intra annum Imperium. Caput extorum tristis ostenti casum* (victimarii cultro tactum aut vulneratum) *quoq; est, præterquam in solicitudine ac metu, tum enim perimit curas* &c. ad quem locum V. *Notas* Dalechampii, ut & quæ suprà diximus, in voce *Hepar*, item ubi de *Extispicina* & *Fissiculatione*. Plura verò de *Jecoris* pecuniis libri, maximo inprimis eorum, Arabibus *Ziada*, i. κατ' ἐξοχὴν *augmentum* seu *exuberantia*, Hebr. eodem sensu יותרת Græcis τράπεζα, i. *mensa*, quòd instar mensæ latus sit, dicto, quam partem *jecoris* Deus olim in Altare suum adoleri jussit, Exod. *cap. 29. vers.* 13.22. & passim in Levitico, apud Sam. Bochartum *Hierozoici Parte prior. lib. II. cap.* 45. &c. Hinc *Inspector jecinoris*, Hebr. ראה בכבר *Roë baccabed*, Ezech. *cap* 21. *vers.* 21. pro Haruspice, V. suprà, ubi de IX. Divinationis generibus, quarum in Sacris mentio, in voce *Divinatio*. Sed & in mensariis Veterum deliciis anseris aut porculi *jecur* fuit, mulso, lacte, ficu & caricâ fartum. Athenæus *lib.* 9 *cap.* 8. Χηνὸς ἥπατα περισπούδαστα [illegible] Ῥώμῃ. Juvenalis *Sat.* 5. *versu* 115.

Anseris ante ipsum magni jecur —

Unde jocus Martialis *lib.13. Epigramm.58.*

Aspice quàm tumeat magno jecur ansere majus!
Miratus dices, hoc, rogo, crevit ubi?

Et à ficis infartis ἥπατα συκωτὰ, apud Pollucem, aliis *sycotà*, jecinora talia. Quâ voce recentiores Græci quodlibet *jecur* appellarunt, ut eos imitati Latini *ficatum*: quod hodieque Galli in lingua sua retinent. Salmasius *ad Solinum pag.* 1055. V. quoque Vossium *de Idolol. orig. & progr. lib* 3. *cap.* 93. ubi & in suibus vivis hepar præparari ficorum pastu, ex Galeno, addit, ut & suprà voce *Anser*. Aliter vox sumitur, in Eupolidis illo, apud Athenæum *lib.* 9.

Εἰ μὴ σὺ χηνὸς ἧπαρ, ἢ ψυχὴν ἔχεις.
Ne vel jecur, *vel animus est tibi anseris.*

Hic enim *Sapientiam* notat: ut in isto *vet. Epigramm. in Catonem Gramm.* apud Suetonium,

En cor Zenodoti, en jecur *Cratetis.* Idem *ibid.*

Jehova, adde: Ut autem sanctissimum hoc & incommunicabile Dei nomen ad Idola sua nefariè traduxerunt Gentiles, ut ex nominibus eorum *Jao, Javo, Jovis*, (qui antiquis nominativus fuit) Ἴακχος & Ἰόβακχος, quæ Bacchi nomina, *Jani* item & *Dianæ*, perspicuum est: sic Hæreticorum pessimi Basilidiani Gnosticique, nominis hujus tetragrammati literis variè immutatis, nefando ausu ad turpissima sua mysteria involvenda abscondendaque, abusi sunt, uti inter alia videre est, apud Jac. Sponium *Itin part.*3 *p.*152 & *seqq.* ubi *Inscr.* Græcam Mileti repertam & *Talismanis* speciem referente exhibet, & amethystum insignem Thuanæam, in qua Michael Archangelus sculptus, ab Hæreticis hisce, singula membra characteribus variis inscripta, in altera verò parte septem vocales Græcas ΑΕΗΙΟΥΩ, quibus illi nomen *Jehova* exprimebant, septies variatas, habet, eruditè exponit.

Jehoud, vel *Jeoud*, à Saturno immolatus dicitur Porphyrio, ab Eusebio adducto *Præpar. Evang. lib.* 1. Κρόνος τοίνυν, ὃν οἱ Φοίνικες Ἰσραὴλ προσαγορεύουσι, βασιλεύων τῆς χώρας (Φοινίκης) καὶ ὕστερον [illegible] Κρόνου ἀστέρα καθιερωθεὶς, ἐξ ἐπιχωρίας Νύμφης Ἀνωβρὲτ λεγομένης υἱὸν ἔχων μονογενῆ, ὃν διὰ τοῦτο Ἰεοὺδ ἐκάλουν, τοῦ μονογενοῦς οὕτως ἔτι καὶ νῦν καλουμένου παρὰ τοῖς Φοίνιξι, [illegible] *Saturnum igitur, quem Phœnices Israelem nominant, quemq; post obitum in astrum ejusdem nominis consecrarunt; cùm ibi in locis regnaret, ac filium unigenitum ex Nympha quadam indigena nomine Anobret haberet, quem propterea Jeud dixere, vocabulo hodieq; unigenitum notante linguâ Phœniciâ, cumq; in gravissimum belli periculum Regio incidisset, illum ipsum regio ornatum habitu, in ara ad hoc extructa, immolavit.* Ubi tria hæc dici videmus, *Israël* esse Phœniciæ Regem vetustissimum, eundem ac Saturnum: fuisse ei filium unigenitum, unde *Jeoud* dictus sit Phœnicibus: illumq; esse à Patre immolatum.

Quæ inde originem duxere, quòd Abrahamum avum (quem etiam in Saturno Gentilibus cultum esse, hinc videmus) cum Israële nepote confuderint; huic enim mandatum, ut sacrificaret Deo filium μονογενῆ Genes. *cap.* 22. *versu* 2. *Accipe filium tuum, unicum tuum.* Ubi *unicum* Hebr. dicit יחיד *Jehid*, quod valdè convenit cum Phœnicio *Jehoud*: nempe hæ linguæ solâ differebant dialecto. Et sane in *Orphaicis* etiam seu *Onomacriticis*, Abrahamus vocatur μονογενὴς; ubi confunduntur Abrahamus & Isaacus quod in aliis quoque frequentissime factum, &c. V. Gerh. Johannem Vossium *de orig. & progr. Idololatriæ lib.* 1. *cap.* 18.

Jejunium adde: Apud Israëlitas, dies expiationis Magnæ, *Kippurim* dictus, qui inter Judæos longe sacratissimus erat, non sacro clangore solùm, peculiari item sacrificio & quiete, sed & *Jejunio*, celebrabatur, Levitici *cap.* 23. *vers.* 27. & 28. Atque hoc *Jejunium* innuigitari Actorum *cap.* 27. *v.* 9. ubi τῆς νηστείας nomine tempus illud Scriptor, ex Judaici Populi more, designat, monent eruditi. Alii fuerunt *Jejuniorum dies*, in memoriam exilii Babylonici, humano instituto, apud eosdem celebrati, quorum fit mentio Zachar. *cap.* 7. *vers.* 3, 5. & *cap.* 8. *vers.* 19. V. Franc. Burmannum *Synopsi Theol. Christ. Part. prior. lib. IV. capp.* 18. & 19. ubi de *Festis Judæorum*. Transiit *jejunandi* ritus à populo Dei, ad Gentiles, quibus in sacris suis crebrò jejunatum. Unde inter Eleusiniorum symbola Arnobio etiam illud recensetur, *jejunavi atq; ebibi cyceonem*: ex Clemente, τὸ σύνθημα Ἐλευσινίων μυστηρίων, *ἐνήστευσα, ἔπιον τὸν κυκεῶνα* &c. qua de re V. Salmasium *ad Solinum pag.* 150. & Jul. Cæs. Scaligerum *Poetic. lib.* 1. *c.* 32. *ubi de Cerealibus Ludis*: De *Jejuniis* verò vett. Christianorum, Cl. *Suicerum Thes. Eccl.* voce Νηστεία, uti de variis in Ecclesia Romana *Jejuniis*, C. du Fresne in *Glossar.* & Macros fratres in *Hierolexico*. Græcorum hodiernorum *Jejunia* accuratè persequitur Jac. Sponius *Itiner. Part.* 2. *pag.* 351. & *seqq.* De *Jejunio* Armeniorum *Arzibur* dicto; *Jejuniis* item *Muhammedanis*, agit Joh. Forbesius *Instructionum Historico Theologic. Lib. III. cap.* 17. §. 7. & *Lib. IV. cap.* 9. §. 2. ac *cap.* 11. §. 8. de iisdem aliisque hic passim, V. quoque in voce *Quadragesima*.

Per *Jejunium* purgatio, occurrit in *LL.* Kanuti R. *c* 7. apud Bromptonum. *Cum socius se purget, vel jejunium ineat, si opus est, & applicetur ad Corsned, & fiat voluntas Dei.* Sic Gregorius VII. *Jejunium* Cardinalibus indixisse, ut Deus ostenderet, quis rectius sentiret de Corpore Domini, Romana Ecclesia, an Berengarius, legitur apud Bennonem Card. *de vita Hildebrandi*, &c.

Jemima, Hebr. ימימה maxima natu filiarum Hiobi, quæ ipsi post afflictionem in pristinum statum restituto natæ sunt, Jobi *cap.* 42. *vers.* 14. sic dicta quasi *diurna*, vel *dies* instar, eo quod formosa erat instar diei: vel quod nata *diurno* tempore, patre emerso velut ex profunda miseriarum nocte & tenebris calamitatis, Jobi *cap.* 19. *v.* 8. cuique jam *dies* gratior illuxisset, H. Grotius *Annotat. ad h. l.* An ex nomen videtur accepisse terra *Jemama*, vel *Jamama*, sita in Arabiæ Felicis parte Septentrionali, quà Desertam spectat, hinc Arabum excursionibus maximè exposita, ut observat Geographus Arabs: qui addit, patere viam per deserta à Jamama ad Bostram in extrema Idumæa. Nisi malis, aliam hoc nomine deinceps inter Arabes inclyto, quo ad istius exemplum illustres fœminæ appellari sint solitæ, nomen regioni imposuisse. Certè idem Auctor Geographiæ Nubiensis *Clim.* 2. *Part.* 6. dictam omninò vult terram *Jemama*, ab antiquissima Regina, cui nomen *Jemama* fuerit solemne illis temporibus, illisque in locis imperasse fœminas, ut de Æthiopibus, Sabæis, Saracenis observant eruditi, refert. Etiam multum affinitatis cum quadam ex Gentilium Dianis habuit hæc *Jemima*, fœmina & paternâ virtute & formæ venustate & amplissimâ hæreditate, in Oriente, haud dubiè percelebris. Namque & nomen utrobique idem, cùm & Diana Græcis Ἡμέρα dicta sit: nec sedes aliena, cùm & Dianam Persicam finxerint, & quæ vagaretur circùm Euphratem, id est, verius Arabica, quàm Persica. Agrestem quoque fecerunt, montium, & nemorum custodem, id est, quæ in Arabia Deserta, quam incultam crediderunt, sedem habuerit suam. Formæ etiam idem utrique decus, &c. V. Frider. Spanhemium *Historiâ Jobi cap.* 12.

Jena, adde: Hodie sedem ibi habet Bernhardus Dux Saxoniæ lineæ Vinariensis, natus A. C. 1638. Duxit Mariam Tremolliam Principem, Henrici Ducis Thoarsii filiam, quæ præter præmortuos filios duos Wilhelmum (n. 1664. den. 1666) & Bernardum (n. 1667. den. 1668.) ac filiam Carolam Mariam (n. 1669.) recentiùs filiolo maritum beavit, omnes *Duces Saxoniæ lineæ Vinar. in Jena.* V. Phil. Jac. Spenerum, *Sylloge Geneal. Hist. in Fam. Saxonica & Theatro, Nobil. Parte III pag.* 83.

Jentaculum, à *jejunio*, quod jejuni eo uterentur, dictum, cibus erat matutinus, qui sumi solebat, antequam homines opus aggrederentur. Antiqui *Silatum* vocabant, auctore Festo, quia jejuni vinum sili conditum ante Meridiem absorbebant. Plutarchus *in Symposiacis lib* 8 *quæst.* 6. priscos, cùm & laboribus dediti & temperantes essent, manè panem edisse, mero intinctum, aliud nihil, refert: unde etiam *Jentaculum* vel *prandium* (hæc enim

enim antiquitus pro iisdem accipiebant) ἀκρατισμὸς dixerint, quod ἄκρατον sit merum. Postea verò distingui Jentaculum & aliquanto ante prandium sumi cœpit. V. Joh. Rosinum Antiqq. Rom. lib. 5. cap. 27. Sed primitus non nisi à pueris, ægris aut luxuriosis, uti Raderus notat, ad illud Martialis lib. 1. Epigramm. 88.

Ista linunt dentes, Jentacula ——

De pastillis seu trochiscis ex aromatibus & pulvisculis odoratis confectis loquens, quos Cosmus, ne gravis pridiano mero fragraret, in jentaculo devorabat. Postmodum & alii usurparunt. Unde manè singulos (milites) jamne jentassent sciscitatum, seq; fecisse ructu quoque ostendere solitum Vitellium, refert in eo Suetonius c. 7. Tempus Martialis quoque indigitat lib. 14. Epigramm. 223.

Surgite, jam vendit pueris Jentacula pistor,
Cristataq; sonant undique lucis aves.

Et speciatim horam, lib. 8. Epigramm. 67.

Manè veni potius Nam cur te quinta moretur,
Ut jentes, serò, Caeciliane, venis:

tertiam vel quartam indigitans, nisi cum voce hac prandium intelligi te dicas, Vett. more. Nunquam verò Jentaculum sine pane, imo panis caput ejus erat, aliquando siccus & solus, uti de Antonino Pio Spartianus, Senex etiam, ait, antequam salutatores venirent, panem siccum comedit, ad sustentandas vires. Interdum cum aliis rebus, palmulis, uvis passis, nucleis, melle Attico, crudo aut cocto, aut aliquo melliti operisve dulciarii. Hinc panem comedere & panem gustare, Latini pro jentare, & βουκκισμὸν, jentaculum, Græci appellavere, à voce Latina bucca seu buccea, quæ frustum panis vel panem denotat &c. V. Salmasium ad Vopiscum in Tacito. & Casaubonum ad Suetonium Augusto cap. 76. quibus adde Jul. Cæs. Scaligerum Poëtices lib. 1. cap. 5.

Jephthe, adde: Filiam ejus verè immolatam, docet inter alios Fr. Burmannus Medit. ad Judicum capp. citata; indeque occasionem fabellæ de mactata ab Agamemnone filia Iphigenia, seu Iphianassa, præbitam, Vossius de orig. & progr. Idolol. lib. 1. cap. 23. V. & infrà, Syria.

Jesse, nomen candelabri, apud Wilh. Thorn A.C. 1097. Candelabrum etiam magnum in Choro, aereum, quod Jesse vocatur, in partibus emit transmarinis. Cujusmodi sunt candelabra & polycandela etiamnum, in aliquot Ecclesiæ Rom. ædibus sacris, ab humo altius erecta & in latum expansa, Arboris Jesse (unde nomen) speciem referentia. Stirpem Jesse illustrem unum vocat Sugerius de Administratione sua pag. 348. apud Car. du Fresne Gloss.

Jesso, urbs Scythica, apud Scylacem Caryandenum. Κατὰ δ' ἐς τρίτον, Σκῦθος, καὶ πόλις Ἴησο, αὕτη Δίκαιος. Cujus cùm mentio alibi non occurrat, mendosa esse hæc verba censet Barthius, sicque scribendum, Σκῦρος καὶ πόλις, αὕτη ἀλιπαδής. Ἴησος. Nam Insulam hoc nomine Scyro vicinam memorat Strabo lib. 9. in Scyro duas urbes fuisse addens, quarum altera nomen insulæ habuerit. V. Casp. Barthium Animadversion. ad Papin. Statium Achilleid. lib. 1. vers. 18.

Jethro, adde: Hic, cùm apud Hebræos Moses, post migrationem ex Ægypto, aliquandiu judiciis præfuisset unicus, adeoque jurisdictionem, tam circa sacra, quàm profana exercuisset solus, consilium genero suggessit, de minoribus præfecturis instituendis, uti legimus Exodi cap. 18. Factumq; est in crastino, ut sederet Moses ad judicandum populum, stabatq; populus juxta Mosen à manè usq; ad vesperam. Et videns socer Mosis, omnia quæ ille faciebat populo, ait, quænam hæc res, quam tu facis populo. Et respondit Moses socero suo, quoniam venit populus, populus ad me, ad quærendum Deum (Græc. ἐκζητῆσαι κρίσιν παρὰ τοῦ Θεοῦ.) Cùm fuerit illis causa aliqua, venit ad me & ego judico inter virum & proximum suum: atq; ostendo statuta Dei & Leges ejus. Et ait socer Mosis ad illum. Non est bona res, quam tu facis — ego consilium tibi dabo & Deus erit tecum. Adesto tu populo in his, quæ ad Deum pertinent: docebisq; eos statuta & leges & ostendes illis viam, in qua ambulent, atq; opus quod faciant. Provide bis igitur ex omni populo potentes, & timentes Deum, viros veraces, odio habentes avaritiam ponesq; super illos Principes mille, Principes centum, Principes quinquaginta & Principes decem (Græ. a versio habet, Chiliarchos, Hecatontarchos, Pentecontarchos & Decarchos) Et judicent illi populum omni tempore & omnem rem magnam ad te referent. Ipsi verò judicabunt rem omnimodam levioris momenti (Gr. τὰ βραχέα τῶν κριμάτων) & sic levius erit tibi portabuntq; illi tecum. — Obedivit itaq; Moses — & elegit viros potentes ex omni Israël & posuit eos capita seu Principes super populum &c. Et quidem vestigia minorum harum seu Jethronearum præfecturarum obscura non sunt, in crebra Seniorum ac Judicum mentione, post Legem datam, quò expressius spectant ea de Judicibus, quibus Moses præcepit, ut morte punirent initiatos Beelphegori. Quin & in illo Josuæ cap. 8. versu 33. Et omnis Israël & Presbyteri seu Seniores ejus, & Præfecti seu Ministri publici & Judices stabant hinc & hinc circa arcam, in historia sc. sacra de publicis illis Benedictionibus & Maledictionibus, sub Josua, nomine Judicum, Præfecturas illas etiam tunc denotari volunt Viri docti. Quod verò ad institutionis tempus attinet, res non adeò in liquido est. Videtur tamen historiola hæc tota de Jethrone, per anticipationem in cap. hoc collocata, reverà ad tempora Legis in Sinai dationem insequentia spectare, adeoque non ad stationem ab exitu undecimam, quæ in Raphidim erat seu proximam ante eam, quæ in Sinai; sed ad tempus, quo statio in hoc monte erat, adeoque post Legis illic divinitùs acceptionem. Et certè ipse Moses, verba faciens de Horeb monte, Deuter. cap. 1. vers. 6, 9. &c (qui pro jugo montis Sinai accipitur) & de Israëlitarum inde transitu, & dixi, inquit, vobis in tempore illo, non possum solus ferre vos &c. date ex vobis viros sapientes & prudentes &c reliqua dein narrans, quæ ad institutionem Præfecturarum Jethronearum spectant. Alia itidem in Numeris cap. 10. versu 29. idem probant: Scilicet, post stationem, in Raphidim Exod. cap. 19. versu 2. adeoque in Sinai transitum, ubi Lex data, rem fuisse factam. Quia quòd etiam in ipsa narratione libri Exodi, cap. 18. versu 5. disertè dicitur, Jethronem venisse ad Mosem, ubi castrametatus est, in Monte Domini, quo nomine Horeb & Sinai denominari solitis, Exodi cap. 3. versu 1. & cap. 4. versu 27. Sic ex loco tempus edisscitur, quod Legis dationem ita sequitur manifestè. Et quidem, cùm ex Lege data, tam multiplicibus capitibus constante, quæstiones, quæ in Foro ante pauciores multò erant, numerosissimæ ut orirentur, necesse esset, tempestivum erat atque e re nata Soceri ejus, hanc circa rem, consilium, quod sic secutus est. Quo verò mense, quove mensis die id contigerit, similiter controversiâ non caret. Maximè inter Hebræos ea obtinuit sententia, quæ generatim Præfecturarum institutionem adeoque Jethronis adventum illum Legis in Sinai dationem insecutum esse asserit, nec locum in Exodo, ante mensem ab exitu tertium, in quo Lex data, aliter atque per prolepsin habuisse. Alii etiam dein in annum exitus primum, alii in secundum rejiciunt. Atque inolevit quidem antiquitus inter eos opinio, ipsum diem, quo consilium Jethroneum datum est, fuisse undecimum mensis Tisri seu septimi, à datione Legis prima mensibus amplius tribus seu simulac Moses secundas tabulas acceperat. Quod etiam legitur in sacra historia, Exod. cap. 18. vers. 14. post Mosis, Aaronis, Seniorum simul & Jethronis sacra epulasque, Et evenit, ut die crastino sederet Moses ad judicandum (unde consilii occasio) acceptum est, quasi dies ille fuisset crastinus Festo Expiationum, quod ad decimum mensis Tisri attinet. Sic Sepher Mechilta, sic paraphrasis Jonathani tributa, sic Alii. Ita planè juxta receptiorem, rationique magis consonam Hebræorum sententiam, admittitur ab Eruditis, post Legem datam Mosen & Jethronem convenisse adeoque Juridicas illas Præfecturas tot inde cœpisse. Data enim Lex est sub mensis Sivan seu tertii initia, Exodi cap. 19. versu 1. anno nempe ab exitu primo, id est, sub initia æstatis; tempus autem hic assignatum ad Autumnum insequentem pertinet, &c. Plura hanc in rem V. apud Joh. Seldenum de Synedriis Vett. Hebræorum Lib. II cap. 2.

Jevera, adde: Dynastiam hanc Maria Edonis VVimmekenii Jevera Domini filia, Gerardi Com. Oldenburgici ex filia neptis, postquam ultra 40. annos ipsa gubernasset, duobus, antequam mortem obiret, annis, Joanni Gerardi pronepoti obtulit. Ita fœminæ beneficio ad Oldenburgicos delatam, Joannes Servestanæ Fam. Princeps, matris Magdalenæ jure, ex avunculi hæreditate sortitus est. Tob. Pfannerus de præs. Germaniæ Principum gentibus cap. 10.

Jexæus, & Elxaï, fratres, Trajano imperante, adjunxisse se Osseenis, & non pauca in ea secta innovasse, ac ab instituto deflexisse, leguntur apud Epiphanium, ubi de Ossenis, Salmasium ad Solinum pag. 610. & suprà, ubi de Elxais ac Elcesaitis.

Jezdegirdes, Rex Persarum, ab Othman filio Ophan Scenitarum Arabum Amirano victus ac interfectus est. Græcis Scriptoribus nonnullis vocatur Ἰσδιγέρδης Σαρίου Μαρὰ βασιλεὺς Περσῶν: Georg. Chrysococc. Medico Comm. de Anno Pers. Ἰσδιγέρδης Σαρίου, i. Siroïs filium: Georgio Mon. Ἀδέρις, voce mirum quantum corrupta. Obiit A. C. 632. Hunc quidam faciunt ultimum ex Artaxerxis, qui Regnum hoc instituit A. C. 226. successoribus: idem verò modò dictus Georgius Hormisdam ultimum fuisse scribit &c. V. Casaubonum ad Lampridium in Alex. Sev. & suprà in voce Hebdomas.

Jezidæi, h. e. Hæretici, dicuntur Muhammedanis, qui inter illos pro heterodoxis habentur. Cùm nempe omnes Muhammedicæ superstitioni addicti, cujuscunque nationis ac sectæ sint, Musulmanni dicantur, uti omnes Christiani Catholici ac Orthodoxi: illi inter se variè dissidentes, Jezidæorum nomine ac notâ eos inurunt, qui eadem secum non sentiunt. Appellationis originem Leunclavius hanc tradit, fuisse sc. quendam nomine Jezidem, qui Agarenicus Emir sive Princeps fuerit; cumque hic Ali Hasanem & Huseinem, Muhammedis ex filia nepotes interfecisset, ac multas contumelias Pseudoprophetæ posteris intulisset, ab Agarenis propterea, pro latrone, parricida ac hæretico habitum, indeque hæreticos quoscunque Jezidæos fuisse appellatos, V. eum Historiæ Musulman. lib. 1.

I G.

Ignavi, vestibus nudati ab Agesilao, & sic per castra ignominiose traducti, bello Peloponnesiaco, qua de re V. Alex. ab Alexandro Genialium Dier. lib. 2. cap. 13.

Igniarium, minus vulgo nota vox, exposita [illegible] in Ono-

[illegible] probissimæ notæ, quod *Glossarum Servii* nomine à doctissimis viris citatur, aliter *Ignitabulum*, Græcis πυρεῖον dicitur: proprieque notat lignum, quod alteri ligno tam diu terebrabatur, donec ignem conciperet. V. Scholiasten Apollonii *ad illud*,

—— [illegible] ἀμφὶ πυρεῖα [illegible]

Et quidem lignum, quod substernebatur, quodque levius & rarius, [illegible]; alterum, quo perforaculi vice utebantur, quodque durius ac fortius, τρύπανον dictum: Sed & ἐσχάρα Theophrastus vocat, quod alii [illegible] appellabant, *Histor. lib.* 5. *cap.* 10. Sic nempe *ignem* Veteres eliciebant, ut lignum ligno tererent & inter se versarent: unde πυρεῖα quoque *ignitabulum* est vet. Glossarum Auctori; [illegible] τρύπανα hujusmodi ligna Sophocles dixit. Quæ sint quænam ligna adhibita, cujusque id inventum, Plinius docet *lib.* 16. *cap.* 40. *Calida & morus, laurus, edera, & omnes, è quibus igniaria fiunt. Explor atorum hoc usus in castris, pastorumque, reperit, quoniam ad excudendum ignem non semper lapidis occasio est. Teritur ergo lignum ligno, ignemque concipit attritu, excipiente materiâ aridi fomitis, fungi vel foliorum, facillimè concepit.* [illegible] *præstantius quæ teratur, lauroque terat* &c. Ubi ignem hoc modo eliciendi inventionem pastoribus ac exploratoribus castrorum asserit. At ferreâ terebrâ uti, Mercurius docuit primus, apud Homerum in Hymno ejus,

Δάφνης ἀγλαὸν ὄζον [illegible]

[illegible] ἐν παλάμῃ, ἄμπνυτο [illegible] ἀυτμήν.

Quam rationem Vestales servarunt, ignem æternum, si quâ defecerat, reparantes materiâ ligni felicis seu tabulâ quadratâ, quam ferro terebrabant, Festo teste, V. ubi *de Vestalibus*. Postmodum *ignem è silice Pyrodes Cilix* excogitavit, *eundem asservare in ferula, Prometheus*, Plin. *lib.* 11. *cap.* 56. quod tamen Phoroneo ascribit Pausanias. Locum, ubi id factum, idem Plinius *Pyrpolen* vocat, *lib.* 4. *cap.* 12. & Solinus *cap.* 11. quorum hic, *Delon* — *eadem est Ortygia* — *Pyrpole etiam, quoniam & ignitabula ibi & ignis inventus, junxit* nomine inde imposito. πυρπολεῖν enim *ignem* [illegible] est &c. Apud Macrobium vero *lib.* [illegible] *cap.* 3 [illegible] *quendam & ignitabulum ingenii virtutisque, si mens & corpus* [illegible]: *ignitabulum* est [illegible] *fomes*, materia viz. levis & arida, quæ ignis ab ignitabulo excussus excipitur, V. supra in voce *Fomes*, & plura hanc in rem apud Cœl. Rhodiginum *Antiqq. Lection. lib.* 15. *capp.* 14. 15. & Salmasium *ad Solinum pag.* 179. & 180. nec non infrà, ubi de *Pyrite*.

Ignis lambendi Pocula [illegible]. V. infrà, ubi de *Poculis Gemmatis*.

Ignis, adde: Imò jam antiquissimis temporibus à Chaldæis cultus est, qui eum אור *Ur* vocavere: unde etiam metropoli suæ hoc nomen indiderunt, Genes. *cap.* 11. Nec alius videtur fuisse *Deus Nahoris*, Genes. *cap.* 31. *vers.* 53. Proin ex Oriente, ut alia, etiam hæc Idololatriæ species ad Persas, Græcos, Romanos, aliasque gentes dimanavit, qui eum partim nomine suo, partim sub Vestæ Vulcanique nominibus venerati sunt. Apud Romanos imprimis in pretio fuit, qui perpetuum æternumque *ignem* in templo Vestæ, tanquam Imperii certissimum pignus, [illegible] asservabant. Valerius Max. *lib.* 5. *cap.* 4. *tit.* 6. *Ignoscite vetustissimi foci, veniamque æterni date Ignes, si a vestro sacratissimo templo, ad necessarium magisque speciosum urbis locum contextus operis nostri progressus fuerit.* Virg. *Æn.* 2. [illegible]

—— —— *Manibus vittas, Vestamque potentem*

Æternumque adytis effert penetralibus ignem.

Asservabatur autem *Ignis* non in focis aut altaribus, sed suspensus in vasculis quibusdam fictilibus, ut innuit Val. Maximus supra laudatus *lib.* 4. *cap.* 4. *sub fin. Namque per Romulus casam pareque veteris Capitolii humilia tecta, & æternos Vestæ focos, fictilibus* [illegible] *vasis contentos, juro.* Nec tuo portento credebatur [illegible], quod si forte contigisset, anxiâ sollicitudine expiabatur. Ita factum ante initia bellorum civilium, motaque inter Cæsarem & Pompeium arma. Lucanus ab eodem certissimum futurorum argumentum desumtum esse, indigitat *lib.* 1. *versu* 549.

—— —— *Vestali raptus ab arâ*

Ignis & ostendens confectas flamma Latinas,

Scinditur in partes, geminoque cacumine surgit,

Thebanos imitata rogos.

Tum itaque omnia publicè privatimque intermittebantur negotia, eratque justitium indictum [illegible] procuratio solemnis initiaretur: Virgo quoque, cujus incuriâ id evenisset, à Pontifice severè plectebatur, &c. Sed & licet ex[s]tinctus non esset, renovabatur tamen, quem in operto asservabant, *Ignis*, & accendebatur quotannis Kalendis Martiis. Ovidius *Fastor. lib.* 3.

Adde quòd arcanâ fieri novus ignis in æde

[illegible], *& vires flamma refecta capit.*

V. Thom. Dempsterum *Paralipomena in Joh. Rosini Antiqq. Roman. lib.* 2. *cap.* 12. Nec publicè solum, sed & privatim *Ignis* cultus est: quem servare inter Janitorum officia erat: *Ignem* videlicet Larum familiarium, qui in atrio foveri solebat, non procul à janua. Non enim solum venerationis gratiâ hic *Ignis* continuè [illegible], juxta illud Capitolini *in Pert[inace]*: *& cùm apud Lares sacrificaret, carbones vivacissimi extincti sunt, cum inflammari soleant.* Sed & ipse *Ignis* Lar dictus est. Sedulius *Carm. lib.* 1.

Hic Lunam colit, ille Larem: sed jungere sacra

Non audent [illegible] *ne [s]it proprinquâ,*

Aut regis exiguas desiccet fortior undas,

Aut validis tenues moriantur fontibus ignes.

Ut alias gentes, quibus idem Elementum in Deorum numero fuit, omittam. Addam ex J. Seldeno *præfat. in Synt. de Diis Syris*, à Sole & Igne plerosque Gentilium Deos denominatos esse, & Europæorum maximè Deos à Syris pendere, ut propagines ab origine. Sed de eo jam aliquid supra. Præterea ejus in sacrificiis imprimis, ac Nuptiis usus fuit: quorum illum ex olea, lauro aut quercu corticis crassioris, aut cujus caudex cavus fungosusque esset, accendere vel Numinibus adolere nefas erat, quod ea ligna, tanquam diri & mali ominis suspecta essent. Hic unà cum aqua inter nuptiarum solemnia fuit, Plut. *Rom. Probl. cap.* 1. Hinc Festus *lib.* 6. *Facem*, inquit, *in nuptiis in honorem Cereris præferebant, aquaque aspergebatur nova nupta, sive ut casta puraque ad virum veniret, sive ut* Ignem *& aquam cum viro communicaret.* Et Scævola JC. *l.* 66 *ff. de donat. inter vir. & uxor.* [illegible] [illegible] *aquâ & igni*, dixit, h. e. domum suam sponsam duceret. *Æneid. lib.* 4. Virgilius, de nuptiarum præstigio inter Æneam & Didonem, [illegible]

—— *Fulsere* Ignes, *& conscius æther.*

Imò tam necessariæ hæ faces [illegible] *Ignem & undam* legitimos viros facere, dicat Ovidius *Artis lib.* 2. [illegible] Veneris: V. Casp. Barthium *Animadvers. ad Statium Thebaid. lib.* 2. *vers.* 259. Recentiori ævo Imperatoribus quoque præferri cœpit, à quo & Fortunam auream in cubiculo idem habuisse, sub obitum successori transmittendam; de quo utroque V. Casaubonum *ad Suetonium Augusto cap.* 7[illegible] Imitati ne viz. veteres Persiæ Regum, quibus in publicum prodeuntibus sacrum Ignem præferri, defuncti vero extingui consuevisse, legimus, &c. Quibus ritibus occasionem præbuit elementi hujus præstantia, ut quod majorem reliquis vim habet agendi, eoque calore, splendore, & puritate similius est. Addit Tullius *de Nat. Deor. l.* 2. vim purgandi. Unde & apud Inferos, *Æn. lib.* 6.

—— *Aliis sub gurgite vasto*

Infectum eluitur scelus, aut exuritur igni.

Et ad expiandas cædes arma [illegible] cremabant tum Marti & Vulcano, tum Minervæ & Luæ. Quid quod etiam verum Numen, quod colimus, cùm festo Pentecostes mitteret Apostolis Spiritum S. symbolum *ignearum* elegit linguarum, ut legimus Actorum *cap.* 2. Quam in rem, ut & plura de *igni cultu*, apud Chaldæos, Persas, vett. ac hodiernorum quosdam, *Medos, Cappadoces, Parthos*, [illegible] *aliasque Asiæ gentes, Macedones, Philosophos Græcos* [illegible] *tos Græcos & Romanos, Ægyptios, Lithuanos*, [illegible] *Cheuerag. &c.* V. apud Gerh. Jo. Vossium *de Idol. Part.* [illegible] *cap.* 64.—66. et & hic passim, in vocibus, *Dii, Pyrathea, Vesta, Vulcanus*, alibique. Et quidem apud Persas [illegible] Magi [illegible] ubi *Ignem* colebant, [illegible] Regem Isdigerdem, atque ut eorum hunc detexerit Maruthas Mesopotamiæ Episcopus, pulchrè narrat Socrates *Hist. Eccl. lib.* 7. *cap.* 8. Facit ad hunc Ignis cultum, quod de Igni [illegible] notat Poëtica *lib.* 1. *c.* 11 [illegible] *quippe in Vulcanalibus, cùm ignis numen. In Proverbium* [illegible] *Cereris ludi*) *expressa Cereris* [illegible] *Sed &*, quod hoc [illegible] narrat Olaus *lib.* 17. *c.* 6. *Apud Suecos Septentrionalium Principum hieme ignis maximè* [illegible] *fiunt. Quorum fragore cum tympanis excitati juvenes & adultæ circum ignem choreas tanto impetu in gyrum* [illegible], *ut* [illegible] *postremum quemque in ignem præcipitari. Inde extractus in* [illegible] *throno positus, ob ignis regni* [illegible], [illegible] *sioris cibis*, &c. Paucis ut perstringam alia quædam huc [illegible] illustris *Ignis* olim in bello usus fuit, ut [illegible] *Bello*, item in voce *Fax*. Apud Livium *Ignibus* armati [illegible] terruerunt Rom. exercitum *lib.* 2. *cap.* 33. apud quem etiam [illegible] Samnitum in castris astum [illegible] *lib.* 22. *cap.* 41. & *lib.* [illegible] *cap.* 10. Hodieque Turcæ *Ignes* plurimos parant [illegible] diei, in quem pugna collata est, hymnoque decanto [illegible] Dei & Mahometis; hoc pacto significant, certò [illegible] prælium se commissuros, teste Chalcocondyla *lib.* 2. Sed & *Ignis* [illegible] destinatus, qua de re V. hic passim, ubi de *Pæan* [illegible] primis. Addo quæ retro dicta, voce *Nedfri*.

Nomina, quibus Ignis olim cultus, aliaque huc pertinentia.

Camarim, Sacerdotes *Ignis*, apud Chaldæos.

Dughim, vocati cultores *Ignis*, in Ins. *Cheuerag*, tradit Benjaminus Tudel. *pag.* 108

Jupiter, Græcè Ζεύς, ἀπὸ τοῦ ζέειν, quod est *fervere*, ex Phutonis sententia, cœlestis & purior ignis dictus est, hocque nomine apud Græcos cultus.

Prytanea, fuere apud Athenienses loca Vestæ sacrata, quasi πυρὸς ταμιεῖα. H[illegible] [illegible] ignem inextinctum servabant.

Pyrathea, apud Cappadoces septa fuere ingentia, in quorum medio ara perennis ignis fulgebat. Dicta à Pyrathis, Magorum in ea gente genere.

Vesta Junior, soror Cereris & Junonis, filia senioris Vestæ, quæ & *Rhea* & *Ops* dicebatur, apud Græcos, Albanos, Romanos, Ignem elementarem, aquis, aëri & imprimis terræ permistum repræsentans, hoc nomine venerationem invenit.

Ur, Chaldæorum idolum fuit, unde civ. *Urso* & *Camarina*, à *Camarum* præfatus.

Vulcanus seu Ἥφαιστος, notans partim in nubibus exardescentem, partim e terris erumpentem, partim in sacrificiis Deorum conspicuum, partim privatis usibus illucentem, partim denique & quidem potissimum in fabrorum fornacibus, armis cudendis, aliisque e metallo apparandis, inservientem, apud Ægyptios, Græcos, Romanos, cultus est. Unde Χαλκεῖα, festum ejus, apud Athenienses. At Vulcanus Germanorum, Jupiter potius fuit, tonitrua ac fulgura ciens.

Znicz, nomen ignis, apud Lithuanos, culti fuit &c.

Ignis Brigidæ, quem instar Vestalium inextinguibilem dictum, memoratur Sylvestro Giraldo *Topogr. Hibern. lib. 2. capp.* 34. 35. 36. 48. De cujusmodi *Ignibus* apud Vett. V. Bochartum *Hierozoici Parte prior. lib. II. cap.* 3. ut & infrà ubi de Vett. *Lucernis*.

Ignis Græcus, adde: πῦρ Ῥωμαϊκὸν, Theophani, *Ignis Romanus* Paulo Diacono dicitur *Hist. Miscell. lib.* 21. Quo quidem *Igne* soli diu leguntur usi Græci Orientales, adeò ut illius conficiendi rationem & modum cum exteris non modò non communicarent, sed istud rogati responderent, interdictum hoc sibi à Constantino M. à quo inventum prius esse fingebant. Licèt verò conficiendi ejus modum exteros docere renuerent, confectum tamen sæpe cum Principibus fœderatis communicabant, navesque eo repletas locabant, quibus hostium ii classem comburerent, uti patet ex Luithprando *lib.* 5. *cap.* 4. & Ditmaro *lib.* 3. *p.* 31. In mari enim potissimùm usus hujus *Ignis* fuit, unde πῦρ θαλάσσιον Theophani dicitur, *Ignis marinus*: quo ad quem modum naves instruxerint Græci & quo pacto in navalibus partim, partim in terrestribus prœliis fuerint usi, pluribus exponit Car. du Fresne *ad Joinvillam pag* 71. & Cinnamum *pag.* 485. V. quoque Thwroczium *in Salomon. Hungar. R. pag.* 50. Postquam autem diu inextincta sævit hæc pestis, tandem tamen extinguendæ ejus rationes repertæ sunt variæ. *Aceto* enim extingui, annotant Luithprandus *lib.* 3. *cap.* 6. Ditmarus *d. l.* Matth. Paris. *A. C.* 1219. Alii: *arenâ* & *sabulo*, idem Matthæus: *vino*, Poëta Gallus, apud du Fresne: *urinâ*, Jac. de Vitriaco *lib.* 3. *c.* 84. & Gobelinus Persona *at.* 6. *cap.* 49. *oleo* tandem, Baldricus Dolensis *Histor. Hierosolym. lib.* 3. *pag.* 125. idemque Jac. Vitriac. *ubi suprà*. In phialis porrò & ollis *Ignem* hunc in hostes projectum, habent Albertus Aqu. *lib.* 9. *cap.* 49. & Nic. Trivettus *Chron. A. C* 1191. Interdum tormentis & machinis bellicis in hostem immissum esse, auctor est Joinvilla *pag.* 38. At ex quibus soleret confici, exponunt Anna Comnena & Scaliger *Exerc. in Cardan.* 13. &c. V. Car. du Fresne *Glossar*, e quo illud quoque addam de *Igne Græco*, Monachi Florent. *Expugnat. Accon.*

> *Pereat ò utinam* Ignis *hujus vena,*
> *Non enim extinguitur aquâ sed arenâ,*
> *Vixq; vincitur acidum arctat ejus frena,*
> *Et urinâ stringitur ejus vix habena.*
> *Ignis hic conficitur tantùm per paganos,*
> *Ignis hic exterminat tantùm Christianos:*
> *Incantatus namq; est per illos profanos,*
> *Ab hoc perpetuò Christe libera nos.*

Ignis Judicium, inter purgationes olim vulgares, quo sc. manu in *Ignem* immissâ, innocentiam quis suam tueri tenebatur: occurrit in *L.* Ripuar. *tit.* 30. §. 1. & 31. §. 5. quemadmodum & *Judicium Ignis & aqua*, in *Diplom.* Henrici III. Angl. R. nisi hoc ad purgationem, per *Ferrum candens*, pertineat, de qua *suo loco*. Interdum etiam, quamvis rariùs, per rogum accensum transeuntes illæsos, innocentiam suam, aut rei, quam asserebant, veritatem, probâsse legimus, apud Cedrenum an. 16. Zenonis Victorem III. Pontif. *Dialog. lib.* 3. *pag.* 98. de B. Petro, inde *Igneo* cognominato, postea Cardin. Albanensi, Alios. Quemadmodum examinis reliquiarum per *Ignem* exempla suggerunt varii Auctores, quorum meminit Ferrandus *in Disquisit. Reliquiar.* laudatus Carolo du Fresne *Glossar.* ubi etiam *de Igne Hierosolymit. Sacro*, quo olim quotannis Sabbato Sancto lampades, supra Dominicum sepulchrum appensæ, sub horam vespertinam, accendebantur; de *Igne Novo*, qui in Eccl. Rom. Sabbato Sancto Paschæ veteri extincto benedici ac accendi solet; de *Igne Paschali*, cujus Zacharias Pontif. Rom. meminit, *Epist.* 12. *ad Bonifac. Archiep. Mogunt.* varia habes.

Ignispicium, genus divinationis apud Vett. in usu, excogitatum ab Amphiarao, si Plinio fides, id firmanti *l.* 7. *c.* 56. V. suprà, voce *Flamma*.

Ignitabulum. V. suprà ubi de re *Igniaria* Vett.

Ignitegium, in LL. Burgorum Scotic. *cap.* 86. *Quando pulsatur Ignitegium*: hora est, quâ oppidorum incolæ intra ædes suas se recipere, nocte adveniente & *ignem* suum *tegere* coguntur, campana, quæ inde *Curfu-bell* appellata est, signo indicata, ut furtis nocturnis caveretur: Gallis *Couvre feu*. Quod à Guillelmo Notho Rege Anglorum primò institutum ajunt. Pulsari autem *Ignitegium* consuevisse qualibet nocte per annum horâ 7. exceptis Festis, quibus Matutinæ dicantur post Completorium, habent *Statuta* Leichfeldensis Eccl. in Anglia. Addidit postmodum Joannes XXII. ut ad pulsationem *Ignitegii* ter *Ave Maria* diceretur, quod etiamnum in Ecclesia Rom. obtinere, docet Car. du Fresne *Gloss.*

Ignosce, apud Pelagium, *libello* 15. *n.* 20. συγχώρησον, apud Sozomenum *lib.* 8. *c.* 17. formula est loquendi Monachis olim familiaris, quemadmodum Gallis etiamnum, *Pardonnez moy*. Idem.

Ignotus Deus, nomen erat Dei, cui Arabes, Diis suis quos notos habebant dictis, aras suas dedicaverunt, teste Giraldo *Syntagm.* 17. Idem Athenienses fecisse, non Pausanias solum *in Atticis*, sed & Lucas in Actis Apost. *cap.* 17. *versu* 23. docet. Cujus rei occasio secundum quosdam hæc fuit. Philippidi Atheniensium ad Lacedæmonios auxiliorum causâ contra Persas legato horribile spectrum se obtulit, quod cùm se ab Atheniensibus neglectum, aliosque Deos ab iis cultos, graviter conquestum esset; opem promtam pollicitum est, si & sibi sacra fecissent. Quare victoriâ obtentâ Athenienses, ne in posterum Numen hoc iratum sibi haberent, templum aramque erexere, cum epigraphe: Ἀγνώστῳ Θεῷ. *Ignoto Deo*. Alii dicunt, cum gravissima peste grassante Athenienses frustra Deorum sibi cognitorum opem precibus sollicitassent, ratos malum sibi ab aliquo sibi ignoto fuisse immissum, erexisse altare eique inscripsisse: Θεοῖς Ἀσίας καὶ Εὐρώπης καὶ Λιβύης, Θεῷ Ἀγνώστῳ καὶ ξένῳ. *Diis Asiæ, Europæ & Libyæ, Deo Ignoto & peregrino*, Julianus Martyr, Oecumenius, &c. V. Fr. Roisæum *Archæologiæ Atticæ lib.* 2. *cap.* 1. Nec Athenis se Numinis hujus cultus continuit, sed in viciniam longè lateque se diffudit: Unde vicinas gentes Νὴ τὸν Ἀθήνῃσιν ἄγνωστον, *Per Ignotum Atheniensium Deum*, jurare solitos fuisse, docet Lucianus *in Philopatride*, &c. Plura hanc in rem V. suprà, ubi de *Idololatria* incunabulis. Quomodo autem occasione hujus inscriptionis, quam Athenis in ara quadam Ap. Paulus deprehendit, hic incolas ad veri Dei notitiam pertraxerit, V. Actorum *cap.* 17.

Iguana Mexicana, animal est, quod more piscium natat ac sub aquis degit, & more quadrupedum, veprium herbarumque inter arboreta luxuriatur, arboresque scandit. Forma crocodilo simillimum, solo cutis colore differt, qui in atrum inclinat & durities, utpote, quod sine squamis tersum, ac de more serpentum maculatum est. Per dorsi longitudinē spinas habet pectinatim ad caudam usque descendentes, in modum serræ dentatas aculeatasque. Oris rictus magnus est, dentes modici & minuti; ungues avium unguibus similes, sed debiles & innoxii. Oviparum est, & magnum ovorum numerum parit, quæ gustui gratissima; decem uno viginti dierum spatium sine cibo ac potu vivit. Caro dulcissima ac maximarum in America deliciarum ac illecebrarum mensalium complementum est; quod ab indigenis demum Hispani didicerunt. Primi enim horum, cùm in illas plagas penetrassent, *Iguanam*, utpote visu horridam, diu neglexerunt; donec à Barbaris edocti, non nisi Magnatum illam servari epulis, demum gustus sui eam irritamentum fecerunt. Georg. de Sepibus *in Collegii Rom. S. J. Musæo p.* 28. Vid. quoque Vossium *de Idolol. lib.* 4. *cap.* 62.

I K.

Ikenild-streat, una ex IV. publicis Angliæ viis, Vid. suprà *Erminstreat*.

I L.

Ilex, civicis apud Romanos coronis primùm adhibita. Plin. *lib.* 16. *cap.* 4. *Samnitium bello civica iligna primò fuit, postea magis placuit ex esculo, Jovi sacra. Variatumq; & cum quercu est, ac data ubiq; quæ fuerat, custodito tantùm honore glandis.* Id est, prisci in danda corona civica *ilicem* ab esculo, esculum à quercu propriè dicta, distinxerunt: quanquam omnes hæ glandiferæ sint. Id. *ibid. cap.* 13. *Glandem quæ propriè intelligitur, ferunt robur, quercus, esculus, cerrus, ilex, suber.* Manitque quercui honos, in qua *glans optima atque grandissima. Nam præter glandem ilicis, quam Homerus acylon vocat, qua appellatione à communi glande distinguitur, quæ & ipsa est brevior & gracilior, robori est parva, cerro tristis.* Proximum genus *ilex*, *sicut scriptum est in quadam Comœdia Cæcilii. Advehuntur inquit, cum iligneа corona, & chlamyde.* A. Gellius *l.* 5. *cap.* 6. Symbolum eadem fertilitatis habita, quotiesque ipsa ferax est, insequentem annum fertilem fore creditum, Constantinus Cæs. *lib.* 11. *cap.* 15. Fuit autem religiosè habita, antiquissimis jam temporibus. Plinius iterum *lib.* 16. *cap.* 44. *Vetustior urbe in Vaticano ilex, in qua titulus æreis literis Hetruscis religione arborem jam tum dignam fuisse, significat.* De cujus usibus aliis, V. eundem *lib. cit. cap.* 8. Cæterùm *Ilicis* genera duo, unum folio minimis aculeato & oleis simile; alterum aculeatis foliis, unde *aquifolia* hæc ilex dicta: quæ præter glandem producit [illegible] coccum [illegible] nigricantem; sub quem cum

cocco βαφικῷ seu *tinctorio*, qui & absolutè κόκκος, malè confundit Auctor sæpius dictus *loco modò cit.* qua de re V. Salmasium *ad Solinum pag. 268. & seqq.* V. quoque suprà, ubi de *Cocco*, item in voce *Cusculia*. Addam hic saltem, *ilicem cocciferam*, quæ de genere est ilicum aquifoliarum, fruticem esse parvum, qui nunquam instar arboris surgendo assumat. Ejusdem granum cinerei coloris est, nec nascitur nisi in calidioribus locis. Præterea eadem arbor, quæ coccum novella tulit, ubi in tantum adolevit, ut glandem generare possit, non amplius coccum tingendo generare: majusculusque frutex qui glandem fert, ab Hispanis *carrasca*; minor, qui cocco fœcundus est, *coscoia*, ex antiqua voce *cusculium*, appellari hodieque, dicitur. Salmasius *p. 962*.

Ilia implicare, veræ luctæ schema, Statius *lib. 7.*

—— tergo nec operosus inhæret,

Mox latus & firmo celer implicat ilia nexu.

Quod *vitalia contorquere*, dicit Trebellius Pollio *in Claudio*, Græci ἴγγυα ἐλίσσειν; μεσολαβεῖν quoque seu potiùs μεσοπιέζειν, Pollux: qua voce schema hoc palæstricum intelligitum est, quod, quibus vehementi nexu *ilia* stringerentur, plerunque ventris crepitum emitterent. Inde itaque elogium veteris Athletæ, ὃ μέσον οὐδεὶς ἔλαβε, *cujus vitalia nemo contorsit* &c. At non licebat, in militari illa luctandi ratione, quæ, lusûs tantum & exercitationis gratiâ instituta, non tam severis legibus peragebatur: Tum enim nec nudi luctabantur, ut moserat in Græcia luctantium; nec vitalia & τὰ μέσα, sed eorum loco baltheum, sibi invicem contorquere solebant. Unde Claudius II. Imp. cùm adolescens in ludicro Martiali istiusmodi certamen obiret, *iratus ei, qui non baltheum, sed vitalia sibi contorserat, omnes dentes uno pugno excussit*, apud Capitolinum prælatum, ad quem vide Salmasii *Notas*. Cæterùm de *Ilibus* V. Plinium *lib. 11 cap. 37.* Riolanum, Bartholinum, alios *Rei Anatomicæ* Scriptores. *Ilia apri*, in deliciis Vett. recenset Martialis *lib. 10. Epigramm. 45.* ubi ad *delicatum lectorem*, carmen suum nauseantem,

Hoc, ait, tu pingue putas, & costam rodere mavis,

Ilia Laurentis cum tibi demus apri.

Apud Plinium verò, ubi de navibus Taprobanitarum, *Magnitudo*, inquit, *alterna ilium ad forum*, *lib. 6 cap. 22.* *Ilia* sunt, τὰ ἐγχοίλια, *costa, latera*, metaphorâ ab animantibus desumptâ; *forus*, τὸ ἐγκοίλιον. Dicit is autem, ilium magnitudinem alternam fuisse in navibus Taprobaniticis, quia plana erant illorum latera, sicut forus ejus lemque cum illo magnitudinis: *alternum* enim παράλληλον, ὅμοιον, ἴσον. Atque hoc est, quod de iisdem Strabo scribit, ἐγκοίλια eos non habere, quia sc. plana illis latera, non carinata, nec panda essent. V. Salmasium *ad Solinum p. 1116.*

Ilias Parva, Græce Ἰλιὰς μικρά, Græcum est poema, (pars Cycli Epici, de quo suprà) cujus Lesches auctor, Poeta Lesbius, Ilii excidium eo decantabat. Hieronymus *ad Olymp. 30.* *Alcman clarus habetur & Lesches Lesbius, qui parvam fecit Iliada.* Ex ea versum hunc,

Καί κε γυνὴ φέροι ἄχθος ἐπεί κεν ἀνὴρ ἀναθείη,

qui in *Equitibus* Aristophanis legitur, desumtum esse, adnotat Scholiastes. Ἴλιν μικρὰν vocat Pausanias, & quidem uni eis, cò Ἴλιν μικρὰν auctorem Leschem, cùm Ἰλιάδα μικρὰν reliqui constanter vocent. Et sanè *Ilias* hæc, cùm decantaverit Ilii vastationem, revera potuit etiam hoc titulo inscribi. Sed proprius hic titulus tragœdiæ fuit, ex *parva Iliade* desumtæ, uti Aristoteles docet, ubi tragœdiarum argumenta ut plurimum ex opere & carmine Epico depromi consuevisse ostendit, *de Poetic. cap. 23.* Alia itidem fuit Ἰλιὰς ἑτέρα, *Ilias minuscula*, quam apud Thestoridem Homerus composuisse, atque ad discrimen majoris Iliadis appellasse dicitur Herodoto, qui ejus initium hoc fuisse ait,

Ἴλιον ἀείδω καὶ Δαρδανίην εὔπωλον,

Ἧς πέρι πολλὰ πάθον Δαναοὶ θεράποντες Ἄρηος.

Ea enim eadem cum τοῖς Κυπρίοις, seu Κυπρίᾳ Ἰλιάδι, quam nonnulli Stasimo adscribunt, Lævius que vetustissimus Poeta, Charisio Sosipatro laudatus, Latine vertit, *Cypria Iliados* non ita, V. suprà in voce *Cypria*; & plura hanc in rem, apud Salmasium *ad Solinum pag. 852. & seqq.*

Ilicet, q. *ire licet*, in funeribus olim Romanorum, consumto cadavere, & collectis cineribus, dici solebat. Quò Virgilius respiciens *Æn. lib. 9.*

—— Dixitq; novissima verba,

ingeminat. Et sic, qui funus prosequutus erat populus, ad Lares suos remittebatur: quo de ritu V. suprà, ubi de *Cadaverum Cura*, & plura hanc in rem, apud Alex. ab Alexandro *Genialium Dier. lib. 3. cap. 7.* Sed & re divina & ceremoniis concelebratis eadem vox à Sacerdote succlamabatur, sicque, qui sacris interfuerant, missos is faciebat, in eadem gente: quemadmodum apud Græcos functus mysterio Sacerdos λαοῖς ἄφεσις renuntiabat, qua de re V. eundem *lib. 4. cap. 17.* Simile quid in Ecclesia Latina & Græca factum olim, ut videre est infrà, voce *Missa*: & plenius apud Cl. Suicerum vocibus, Ἀπόλυσις & Ἀπολυτίκιον, quorum hoc erat troparium ultimo loco, ante dimissionem populi recitari solitum, illud ipsa dimissionis apud Græcos formula &c.

Iliensis Minerva, in *Fragm.* Ulpiani, ab *Ilio* Phrygiæ minoris Civ. dicta est: cujus Civitatis meminit Plinius *lib. 5. cap. 30.* ubi immunem eam fuisse dicit & ab ea omnium rerum attulisse claritatem, V. *l. non solum ff. de excus.* Hinc itaque & *Iliensi Minervæ* id jus tributum est à Romanis, ut ei legari posset. V. omnino de *Iliensium* privilegiis, Cujacium *Observ. lib. 10. cap. 5.* laudatum Joanni Calvino *Lexic. Jurid.*

Ilissus, adde: Græce Ἰλισσός, quasi Ἑλισσός, à *recurvo & flexuoso cursu*. Seneca *in Hippolyto*,

Ubi per glaciæ lenis Ilissus,

Ut Mæander, per inæquales

Labitur agros, piger ac steriles

Amne maligno radit arenas.

Sed Statio non Atticæ hunc fluvium, verùm alium haud longe Sicyone, qui Ἑλισσών Pausaniæ *in Corinthiacis*, indigitari *locata*, docet Salmasius *ad Solinum pag. 836.* ubi alium cognominem in Arcadia quoque occurrere, addit. V. in voce *Elissus*. Spoonius hodieque vetus nomen retinere, sed aliquando planè exsiccari, atque in ejus alveo *Callirhoen* fontem scaturire, refert *Itiner. part. 2. pag. 109.*

Ilithyia, adde: Eadem Græcis Ζυγία quoque dicitur. Eam parturientes advocare solebant, teste Euripide *in Jone*:

Σὲ τὰν ὠδίνων λοχίαν

Εἰλείθυιαν τε ἐμὰν

Ἀθάναν ἱκετεύω,

Te partuum obstetricem

Et ilithyiam, meamq;

Minervam obsecro.

Sic Nonnus *Dionysiacôn lib. 1.*

Ἑπτάκις Εἰλείθυιαν ἑῷ ἐπὶ τόκον λοχείης.

Septies Ilithyiam suo vocans partui

Puerperæ eidem vota nuncuparunt, baltas consecrarunt publice, vaccas nomine immolaturæ, & ne quid deesset, nummos cudi, monumenta erexere. Vota eleganter expressit Propertius *lib. 4.*

Idem ego cùm Cinara traheret Lucina dolores,

Et facerent uteri pondera lenta moram,

Junoni votum facito impetrabile, dixi:

Illa parit.

Cujus rei etiam memoria in Inscriptionibus, ut in illa Gruteri *pag. 41.* *Dianæ. Lucinæ. Invictæ. Cn. Pompejus. Cn. Lib. Barbus. Procurat. tibicen. Rom. voto. suscepto. L. M.* Suidas non unam tantùm, sed plurimas *Ilithyias* prodidit, Deas parturientibus assistentes. V. Thom. Bartholinum *de Puerperio Vett.*

Illatio, in Missa Mozarabica, est id quod in Missa Rom. *Præfatio* dicitur, quæ in singulis Missis propria est, Car. du Fresne *Glossar.* & Dominico Macro *Hierolex.*

Ille, insignis aliquis præ cæteris. Papinius Statius *Achilleidos lib. 2. versu 72.*

—— velut ille cubilia prædæ

Indubitata tenens multo legit arva Molosso

Venator ——

V. Scholiastem vet. *ad l.* Sic apud eundem *Thebaid. lib. 2. vers. 68. 69.* de apro, Dianæ immisso,

—— Vindex sic ille Dianæ,

insignis bellua voce notatur. Eadem velut præsentem aliquem talem exhibet & ob oculos positum, ipso prope digito demonstrat. Val. Flaccus *lib. 2.*

—— Ille procul truncâ fugit anxius alno.

Cum pronom. *ego* conjuncto, gloriantis est:

Ille ego, qui quondam &c.

De quo usu Poetarum V. Guil. Canterum *Novar. Lection. lib. 3. cap. 26.*

Illex Columba, V. suprà *Columba Allectatrix.*

Illuminati, apud Scriptores Eccles. pro *Baptizatis*, eo quòd in Baptismi ritibus etiam is esset, ut, post indutam vestem candidam, sanctitatis ac innocentiæ testem, cereus accenderetur, in signum fidei gratiæque acceptæ. V. Gregorium Turon. *Histor. lib. 5. cap. 11.* aliosque laudatos Carolo du Fresne *in Glossario.* Unde *Illuminatorium*, in *Vita* S. Marci Presbyteri, pro *Baptisterio*, apud Dominic. Macrum *Hierolex.*

Illustres, dicti sunt apud Romanos olim Equites insigniores, quos jus laticlavi non secus, ac Senatores habuisse, ex Dione notavit Lipsius *ad Tacitum.* Ita autem Dio *lib. 59.* *Caius, cùm ordo Equestris ad paucos redigeretur, primores ex omni Imperio, etiam extra Italiam, qui genere & opibus excellerent, in eum allegit, & quibusdam eorum etiam ἐσθῆτι τῇ βουλευτικῇ. Senatoriâ veste, priusquam Magistratum ullum cepissent, uti concessit in spem dignitatis.* Quod tamen non diu obtinuisse illud declarat, quòd Præfecti Prætorio, qui ferme ex Equitibus legebantur, laticlavi jus non habuere. Non solùm autem Equites ipsi *Illustres*, sed & filii eorum idem jus habuere: quod Ovidii testimonio confirmant Eruditi,

Interea tacito passu labentibus annis,

Liberior fratri sumta mihiq; toga est:

Induiturq; humeris cum lato purpura clavo.

Qui ubi ad ætatem Senatoriam pervenere, si nolebant, aut non poterant in amplissimum ordinem adscribi, angustum clavum resumebant: Idem Poeta,

Curia restabat, clavi mensura coacta est,

Majus erat nostris viribus illud onus.

V. Ovid.

V. Octav. Ferrarium *de Re Vestiaria lib.3 cap.14.* Postmodum sic dicebantur, qui inter Honoratos principem tenebant locum, *Clarissimis & Spectabilibus* digniores: ut apparet ex *Nov. de appellat. & intra qua temp. ad fin.* & ex *l. un. C. de ratiocin. oper. publ.* ut & ex *ult. Cod. de Sportis* &c. Unde non tributus hic dignitatis gradus, nisi *Præfectis Prætorio, Præfectis Urbis, Quæstoribus, Magistris militum, Magistris officiorum, Comitibus rerum privatarum, Comitibus domesticorum, Principibus agentium in rebus* &c. quod pluribus docent Brissonius, Pancirolus, Sirmondus, & Joannes Seldenus *de tit. Honor.* Atque de his interpretantur eruditi *Illustrem dignitatem & Illustrem administrationem*, in *Constitutionibus, leg. 32. & leg 36. C. de appellat. l. 63. & 65. de Decur. lib. 10. C.* nec non *Illustratus* dignitatem, apud Cassiodorum *Epist. 11. lib 6.* & *Illustratus gradum*, in *l. 11. §. fin autem utraq. C. de Jud.* Fuere autem *Illustrium* virorum gradus, alii majores, alii minores: Namque Præfectus Prætorio major erat Magistro officiorum, licet uterque *Illustris* esset, Cujacius *l. ult. de dignitat. C. lib. 12.* Præterea 5. gradus *Illustrium Virorum* habet *Novella* Valentiniani *tit. de Honoratis*, è quibus *Illustres administratores* præcipui, quippe qui omnibus *Illustribus vacantibus & Illustribus honorariis* præferuntur: Illustribus autem administratoribus adnumerantur Vacantes, qui non sunt otiosi, sed dignitatem aliquam ordinariam gerunt: Veluti Germanus, Magister militum vacans contra VVandalos Dux magnâ cum classe missus à Theodosio, jam non pro vacante Illustri, sed pro administratore, habetur. Ducatus ipse ordinarius est, h. e. clarissimus vel perfectissimus. V. Cujacium *lib. 1. de primicerio & secundicerio & Notariis C. lib. 10.* apud Joann. Calvinum *Lexic. Jurid.* ut & supra, in voce *Honoratis.* Apud Francos quoque, stirpe primâ & secundâ Regum stante, diu hæc dignitas viguit, cum Reges ipsi, & post eos Majores-domus *Viros Illustres* semet indigitarent, ut ex *Diplomatibus* eorum colligere est, apud Doubletum *in Histor. Sandionys. passim.* Ad quos verò hic titulus spectaverit, inclinato jam Imperio, discimus ex *Speculo* Saxon. *l. 3. art. 58.* *Nullum est feudum vexilli, de quo possit* Illustris *vel Princeps fieri, nisi illud sibi à Rege conferatur. Feudum alii primo collatum, sequenti illustriam non tribuit dignitatem*, apud Car. du Fresne *Glossar.* V. quoque Cl. Suicerum *Thesauro Eccl.* voce Ἰλλούστριος.

I M.

IM. in notis antiqq. Hymnus. IM. *jam.* IMP. *Imperator* &c. designat, Fr. Goudin.

Ima, vel *Imma*, apud Sext. Rufum, ubi de prælio inter Aurelianum Imp. & Zenobiam commisso, *apud* Imas, *non procul ab Antiochia*; & Eusebium, *apud* Imas *vincitur*: oppidum fuit, quod in vet. *Itiner.* Tab. ubi *Emma* extat, triginta tribus m. p. Antiochiâ distare dicitur, V. Salmasium *Not. ad Vopiscum Aureliano*: ubi docet, levi hic conflictu habito, Aurelianum exiguam aliquam Palmyrenorum partem profligasse; apud Emessam verò postea de summa rerum utrinque fuisse dimicatum.

Imagines, in Gentilium religione multi usus, qui tamen non apud omnes eorum semper viguit. Nam fuere, qui utcunque Numina colentes varia, aut Solem saltem sub variis nominibus, neque aras, neque statuas *Imaginesq;* ullas eorum habuere, nec Templis eos circumscribebant, hostias interim pro placito, loco in quocunque, immolantes atque Orbem terrarum Cœlo tectum Mundumque ipsum tantum esse Deorum suorum Templum, existimantes. Sic ex Magorum disciplina, Persæ, Scythæ, Afrorum Nomades seu Numidæ, aliique, V. Herodotum *lib. 1.* Strabonem *lib. 15.* Ciceronem *in Verrem Orat. 2.* Alios. Celsus apud Origenem, *Non ferunt* (gentes aliquæ) *Templa, Aras, Statuas,* (Deorum) *aspicere. Ita enim nec Scythæ, nec in Africa Nomades, nec Seres illi athei, uti & alia gentes maximè profana & legibus destituta. Etiam & Persa idem sibi statuere, ut narrat in his Herodotus: Persarum ritus hosce novi; Statuas, Aras, Templa nec ipsi dedicant & alios pro stultis habent, qui hoc faciunt.* Sed verò etiam nec Romanos ipsos statuis seu simulachris Deorum plusquam annos centum & septuaginta in cultu usos esse, testis est Varro, apud Augustinum *de Civ. Dei lib. 4. cap. 31.* id est, ab Romuli initiis, usque ad Tarquinii Prisci ferme exitum, qui Hierosolymorum excidio primo coævus erat. Nec quidem dissimile est veri, ex fama, quæ procul dubio tam per Occidentem, quàm Orientem, passim increbuerat, de clade illa Hierosolymorum Templique adeò insignis, deque templo illo ac institutis gentis, Numinis *imagines* non admittentibus, Romanos, Ebræorum ea in re hactenus imitatores, velut in tutiorem sibi partem, ut cladis exemplo monitos, transeuntes (quà Numina, quà Homines etiam ob religionem ejusque prætextu, invicem acriùs dimicare solitos spectarent) *Imaginum* quoque cultum usumque in templa, sibi posterisque suis cautiùs consulturos, adscivisse. Imò Tertullianus *Apologet. cap. 25.* diu sine Templis etiam, cultum apud eos fuisse omnimodum, docet. Et quidem de simulachris totque annorum spatio consentiunt alii; ut Clearchus apud Clem. 5. *Strom.* ac Eusebium *Præpar. Evang. lib. 8. c. 6.* Plutarchus *in Numa*, Dionys. Halicarnassensis *lib. 2.* &c. Sed Templa interim (ναοὺς καὶ τρόπους) tunc à Romanis, sine illis extructa, adjiciunt. V. Joh. Seldenum *de Synedriis Vett. Hebræorum Lib. III. cap. 13.* Et nihil magis sub Regum tempora obvium, quàm ab ipsis Templa dedicata, sed sine simulachris, quæ postea demum inolevere. Unde facile intelligitur, cur Numæ Pompilii libros, circa annum ab U. C. 570. sub Janiculo effossos, comburendos decerneret Senatus, apud Livium *Dec. 4. lib. 10. cap. 29.* utpote Pythagoricos & qui pleraque haberent dissolvendarum religionum, sub Numa scilicet scripti, cùm simulachra & pulvinaria Numinum non solùm in usu non essent, sed neque ex religione ac doctrina Pythagorica permissa. Ita enim Plut. *l. c.* Ἔτι δὲ καὶ τὰ περὶ τῶν ἀφιδρυμάτων νομοθετήματα παντάπασιν ἀδελφὰ τῶν Πυθαγόρου δογμάτων. Οὔτε γὰρ ἐκεῖνος αἰσθητὸν ἢ παθητόν, ἀόρατον δὲ καὶ ἄκτιστον καὶ νοητὸν ὑπελάμβανεν εἶναι τὸ Πρῶτον. Οὗτός τε διεκώλυσεν ἀνθρωποειδῆ καὶ ζωόμορφον εἰκόνα Θεοῦ Ῥωμαίους νομίζειν, *Jam hujus de statuis scita undequaque Pythagoræ placitorum sunt germana. Neque enim ille sensui, aut ulli dolori expositum rerum principium esse; sed invisibile, incorruptum, solâ mente existimavit apprehensibile; hic vetuit Romanis, hominis vel bestiæ formam tribuere Deo.* Ex Mose verò id instituti Numam hausisse, existimat Clem. Alexandrinus 1. *Strom.* Νουμᾶς δὲ ὁ Ῥωμαίων βασιλεύς, Πυθαγόρειος μὲν ἦν, ἐκ δὲ τῶν Μωϋσέως ὠφεληθείς, διεκώλυσεν ἀνθρωποειδῆ καὶ ζωόμορφον εἰκόνα Θεοῦ Ῥωμαίους κτίζειν κτλ. *Numa autem Rex Romanorum erat quidem Pythagoræus* (quanquam multis ante Pythagoram annis eum fuisse, Catulus apud Ciceronem *de Orat. lib. 2.* affirmet) *ex iis autem, quæ à Mose tradita sunt, adjutus prohibuit Romanis, ne homini aut animali similem facerent Dei imaginem* &c. Imò & insequentibus temporibus non defuisse apud Romanos, qui hunc *Imaginum* in sacris usum improbarent, discimus ex Augustino *de Civ. Dei lib. 4. cap. 31. & lib. 18. cap. 24.* ubi de Varrone, *Quod si adhuc*, inquit, *mansisset, castiùs Dii observarentur: cujus sententiæ suæ testem adhibet inter cætera gentem Judæam: nec dubitat eum locum ita concludere, ut dicat, qui primi simulachra Deorum populis posuerunt, eos civitatibus suis & metum dempsisse & errorem addidisse.* Quam ad formam Zeno Clemente eodem 5. *Strom.* referente, Μήτε ναούς, dixit, μήτε ἀγάλματα, *Nec oportere templa facere, nec imagines.* Quem plurimi inter Græcos Sapientes secuti sunt. Certè apud eundem Autorem *Protrept. ad Gent.* in *Imaginum* vanitatem acriter invehitur Heraclitus Ephesius, hancque suis stultitiam acerbè exprobrat. Sic de Stilpone, recenset Diog. Laertius, eum à Judicibus, quòd *Minervam Phidiæ, non Jovis filiam, sed Phidiæ; adeoq; non Deum*, dixisset, exilio fuisse multatum. Quamvis enim is se hoc modo defenderet, ut *Deum* Minervam appellari non posse diceret, quòd videlicet *Dea* esset, Diis quippe etiam in sexum distinctis; Judices tamen, quò Stilpo tenderet, facilè videntes, fuere soliciti, ne quid is in Religione occultè innovaret. V. quæ de Xenophonte Colophonio, apud sæpius memoratum Auctorem 5. *Strom.* de Cotta, apud Ciceronem *de Nat. Deor. lib. 1.* de Seneca, apud Augustinum *de Civ. Dei lib 6. cap. 10.* de Diagora, apud Clem. iterum *Protrept.* de Luciano, *Dial. de Imaginibus*: de Clodio, apud Ciceron. *pro Domo sua*, hanc in rem leguntur. Quam proin vanitatem, ab ipsis Gentilibus agnitam, observans Ambrosius, ubi Symmachum refellit, pro veteri Deorum cultu pugnantem, *Non vult se*, inquit, *in lapidibus coli: etiam ipsi Philosophi vestri ista riserunt.* Cæterùm, præter gentes memoratas, (in quibus Persæ à veteri instituto recesserunt, Artaxerxe auctore, qui primus Veneris Tanaidis *imaginem* Babylone, Susis, Ecbatanis, Perside, Bactris, Damasci & Sardibus à se positam coli jussit, teste Beroso, apud Clementem) Syri quoque, saltem illi, qui circum Carmelum degebant, caruere *Imaginibus*, ut videre est apud Tacitum *Histor. lib. 2. cap. 89.* Imò & *antiquitus apud Ægyptios* (gentem alioquin in superstitionem effusissimam) *absque simulachris & statuis templa fuisse*, refert Lucianus *de Dea Syr. Tom II. pag. 749.* Et de Germanis Tacitus *de Mor. Germ. cap. 9.* *Cæterùm nec cohibere parietibus Deos, neq; in ullam humani oris speciem assimilare, ex magnitudine cœlestium arbitrantur.* Atque idem de aliis Hospinianus tradit, *de Orig. Templor. lib. 2. cap. 8.* V. Tob. Pfannerum *Theol. Gentilis purior. cap. XI. §. 7.* Apud quos verò receptæ *Imagines*, illi primum eas rudes habuere, dein politas exasciatasque, tandem in hominis formam effigiatas: uti vidimus suprà, ubi de *Idololatriæ incunabulis.* Hasque iterum primò nudas, inde minio illitas, tandem vestitas, coronatas armatasque: quâ de re aliisque huc pertinentibus, V. Casp. Barthium *Commentar. Superstitionum*, & hic passim, inprimis ubi de *Simulachris ac Statuis*: In specie verò de *Imaginibus* illis, quas Gentiles Διοπετεῖς, q. *cœlitus delapsas*, & Christiani vett. Iconolatræ Ἀχειροποιήτους, dixere, quasi *nullius hominis manu fabricatas*, Salmasium *ad Solinum p. 816.* Adde Cl. Suicerum, qui hanc in rem varia congessit *in Thesaur. Eccl.* passim, inprimis voce Εἰκών, ubi, de *Imaginibus Christianorum* agens, sub finem IV. seculi demum à quibusdam Imagines in Ecclesiam ornatus causâ introductas, quinto postmodum & sexto coli coepisse, ut in præliis quoque ad fugandos hostes adhiberentur, cœpisse, pluribus docet: in Græca Ecclesia, non nisi pictas, admitti subjungens &c.

Imagines, in communi vita non minus frequentes. Et quidem illas

illas dedicatas in variis ædium partibus Vett. habebant: suorum quidem Majorum, in Atrio, celeberrimo & maxime conspicuo ædium loco, ut Polybius vocat *lib. 6.* Eorum verò, quos amarent, in cubiculo. Plinius *lib. 35. cap. 2.* *Iidem & vultus Epicuri, per cubicula gestant ac circumferunt.* Sic infantis jam pueri ajcentis *effigiem Augustus in cubiculo suo positam, quotiescunq; introiret, exosculatus* legitur, apud Suetonium *Caligulâ* & *Cubicularium* hinc *imaginum* mentio apud eundem, *Augusto cap. 7.* Colebantur hæ una cum Laribus, puerque custodiæ apponebatur, cujus ministerii Macrobius meminit *Saturnal. lib. 1. sub fin.* Ibidem erant & eorum Numinum simulachra, quæ thori genialis curam habere credebantur, Augustin. *de C.* ■ *lib. 6. cap. 9.* Posterioribus Imperatoribus peculiaris moris fuit, ut in cubiculo ipsorum Fortuna esset aurea, quam morituri ad eum transmitterent, qui sibi esset successurus, Capitolino teste in *Pio & Marco.* At viri docti in Bibliothecis, Asinii Pollionis Romæ invento, habebant vett. Auctorum imagines, ut ex Cicerone, Plinio, Juvenale, Aliis, constat. Quo insignis inprimis locus facit Suetonii *Tiberio cap. 71.* ad quem, moris fuisse magnorum Virorum imagines per genera distinctas habere, docet pluribus Casaubonus &c. Usus imaginum, quibus Majorum expressi vultus, vetustissimus, Plinio notatur *d. l.* *Aliter apud Majores in Atriis — expressi cerâ vultus singulis disponebantur armariis, ut essent imagines, quæ comitarentur gentilitia funera, semperq; defuncto aliquo totus aderat familia ejus, qui unquam fuerat, populus.* Quo de ritu V. Casp. Barthium *ad Statium Part. I. pag. 267. & III. pag. 445.* Habebant autem imagines hæ affixa hostium spolia, quæ nec emptori refigere licebat, *triumphabantq; etiam dominis mutatis ipsæ domus,* Plin. ubi suprà. Iisdem res præclare gestas inscribere, mos fuit, Heraldus *ad Martialem lib. 5. Epigr. 20.* &c. Qui amoris ergò *imagines* faciebant, servabantque, erant vel Parentes, qui liberorum defunctorum memoriam hoc pacto sibi refricabant, uti de effigie adolescentis Camonii habet Martialis idem *l. 9. Epigr. 75.* vel Amici, qui discedentium amicorum sibi effingi simulachra mutuò curabant, uti de Cæcilio Secundo legas, apud eundem *lib. 7. Epigr. 84.* vel Amantes, unde Plutarchus inter res amatorias, *αὐλεῖν ἐπὶ θύραις, redimire stemmata*, dominæ sc. reponit Εἰκόνα. Ut de cereis imaginibus, etiam sagis nostris non incognitis, quibus Veneficæ olim etiam ab invitis amorem extortum ibant, jam nil dicam: nil etiam de ornatu imaginum memoratarum, cùm festiva aliqua lætitia imminebat. Hoc saltem addo, uti quos honore auctos volebant prisci, sive Deos, sive homines, *ἐστεφάνουν*, sic contrà per contumeliam utrorumque *imagines*, cœno lapidibusque conspurcare impetereque consuevisse. Tacitus *Histor. lib. 1.* *Primani Quintaniq; turbidi, adeò ut quidam saxa in Galbæ imagines jecerint.* Unde illa Theatralis lapidatio, de qua multa Casaubono dicta, *Animadvers. in Athenæum lib. 6. cap. 11.* Plura verò hanc in rem vide apud Plinium *loco cit.* ut & hic passim. Transeo ad usum *Imaginum* in Annulis Veterum, in quibus illæ erant vel *cava*, quæ scalpro fiebant; vel *exuberantes* prominentesque, quæ cælo: unde & gemmæ, quæ ejusmodi imaginem exhibebant, *Ectypa* dictæ sunt. Seneca *de Benefic. lib. 4. cap. 26.* *Paulus Prætorius in convivio quodam Tiberii Cæsaris habens imaginem ectypâ & prominente gemmâ.* Insculpebantur verò istiusmodi annularibus gemmis, *imagines* amicorum. Ovidius *Tristium lib. 1. Eleg. 6.*

Hæc tibi dissimulo, sentio tamen omnia dici,
In digito qui me fersq; refersq; tuo.
Effigiemq; meam fulvo complexus in auro,
Chara relegati, quà potes, ora vides.

Sic Epicuri *imaginem* in annulis habebant, familiares ejus, apud Ciceronem *de Finibus lib. 5.* Et Commodum Imper. signo Amazoniæ, ea erat concubina Martia, quam pictam in Amazone diligebat, literas signare solitum, videre est ex ipsius Epistola, ad Clodium Albinum, quam in *hujus vita* Jul. Capitolinus recitat. Etiam Majorum *imagines* in annulis fuisse, qui tamen illis, si a Majorum virtute degenerassent, demebantur. Val. Max. *l. 3. c. 5.* de Africani filio loquens, *C. Scipio superioris Africani filius, Præturam petiturus candidam togam adeò turpitudinis maculis obsolefactam in Campum detulit, ut nisi gratiâ Cicereii, qui Patris ejus Scriba fuerat, adjutus esset, honorem à Populo impetraturus non videretur. Quanquam quid interfuit, utrum repulsam, an sic adeptam Præturam domum referret? Insuperq; è manu ejus annulum, in quo caput Africani sculptum erat, detraxerunt.* Ita Publ. Lentulus Sura Avi sui *imagine* in signando usus est, apud Ciceronem *3. Catilinar.* Porrò & Regum Principumque gestabantur *Imagines.* Aristomenem certe Agathoclis imaginem in annulo gestasse tradit Polybius *lib. 15.* Callicratem, Ptolemæi paratorum, Ulyssis iconem in annulo circumtulisse, auctor est Athenæus *in Deipnosoph. lib. 6.* Alexandri M. effigie Augustum, ipsius verò Augusti Principes insecutos signasse, narrat Suetonius *cap. 50.* & Dion. *lib. 51.* De Constantino M. refert Constantinus Porphyrogenitus *de administr. Imper. cap. 53.* illum Chersonitis, inter alia laborum pro Imperio Rom. exantlatorum præmia, etiam annulos aureos, in quibus *Imago* ejus erat expressa, donasse. Similiter Meletii Episc. imaginem in annuli pala expressam, gestasse Antiochenses, tradit Chrysostomus *Orat. de ejus laudib.* Nec in auro solum, sed & ferro Imperatorum *imagines* sculpi consuevisse, discimus ex Greg. Nazianzeno *Oratione in S. Baptism.* Interim de Cæsarum *Imaginibus* notant Eruditi, Claudii Principatu fas non fuisse, imaginem Principis in annulo aureo gestare, nisi quibus admissionum Liberti jus illud dedissent, ex Plinio *l. 33. c. 3.* magnamq; cautionem fuisse adhibendam, ne qui istiusmodi quid gestarent delatoribus calumniandi præberent occasionem. Sub Tiberio certè capitale fuisse, discimus ex Suetonio, qui *c. 58.* *circa Augusti simulachrum servum cecidisse, vestem mutasse, nummo vel annulo effigiem impressam, latrina aut lupanari intulisse,* gravissimi criminis loco fuisse habitum refert. Imò & matulam sumere eâ manu, quæ annulum Principis imagine signatum habebat, crimini datum fuisse, legimus apud Senecam *de Benefic. lib. 3. cap. 26.* Quid quòd etiam suâ ipsorum *Imagine* nonnulli signabant. Fecit id Augustus; qui licet initio in diplomatibus libellisque & epistolis signandis Sphinge, mox imagine Alexandri M. novissimè verò suâ ipsius, Dioscoridis manu sculptâ, utebatur, teste Suetonio suprà laudato. Unde & in *Pseudolo* Plautino *sc. 1.*

Eâ causâ miles hic reliquit symbolum,
Expressam in cera ex annulo suam imaginem.

At Deorum formas annulis insculpi, apud Romanos, saltem antiquitus fas non fuit. Migravit tamen & hic mos postea, ùtque cùm aliorum, tum Ægyptiorum Numinum imagines, gestare cœpere. Plinius *l. 2. c. 7.* *digitis Deos gestant:* & *lib. 33. c. 3.* *Harpocratem etiam Ægyptiorum Numinum in digitis Viri quoq; portare incipiunt.* Quæ loca licet de annulis Magicà arte formatis exponantur, nihil tamen impedit, quò minus etiam intelligamus de superstitione illorum, qui simulachrum alicujus Numinis, à quo se juvari putarent, quotidie circumferebant. Sic Veneris Armatæ effigiem gestabat Cæsar, apud Dionem *lib. 43.* Deæ Cœlestis Asclepiades Philosophus, apud Amm. Marcellinum, qui illis temporibus vivebat, *lib. 22.* &c. Plura hanc in rem V. apud Joh. Kirchmannum Lubecensem *Tract. de Annulis:* adde *Jo.* Seldenum de *Jure N. & Gent. lib. 2. cap. 7. & 8.*

Imaginiferi, apud Gruterum 562. 1. & 1007. 1. sunt, qui vexilla, in quibus Imperatorum imagines pictæ, in acie deferebant. V. Stevvechium *ad Vegetium l. 2. c. 6.* & Pancirolum *in Not. Imp. c. 24.* laudatos Carolo du Fresne *Glossar.* Sic vexillum, Sanctorum imaginibus insignitum, qui mos sequiori ævo inolevit, *Imaginem* vocat Hadrianus Pontifex Rom. *in Epist.* quæ habetur in Codice Carolino 92. quâ notione *icona* tuetur, ab Honorio III. in *Compilatione* V. *Decret. tit. 6. cap. 1.* &c.

Imaginum Morbus indigitatur Catullo hisce,

——nec rogate,
Qualis sit, solet hæc imaginosum:

Estque mania, phrenetis, Corybantiasmus, quo laborantibus phantasmata & *imagines* obversantur sonorésque semper in auribus tinniunt. V. suprà in voce *Corybantiasmus*, item, *In[illegible]*

Imago Apollinis, *ex summo fastigio in lectulo posita,* inter omina Imperii, quæ Tacito fuerant, recensetur Flav. Vopisco in *Floriano Imp.* ubi hanc imaginem cubicularem vult esse Casaubonus, de cujusmodi imaginibus varia idem adnotavit, *ad Sueton. lib. 2. cap. 7.* Salmasius verò verba hæc de fastigio domus intelligit, in quo Deorum imagines & statuas collocari moris fuisse, quemadmodum & in fastigiis templorum, docet Spartianus in *Pescennio.* *Domus ejus hodie Romana visitur, in qua simulachrum ejus in triclinio consistit.* Sic in fastigio domus cujusdam Gaji quatuor Victoriæ privatæ & quasi in cœlum ascendentes, quarum quælibet Deum aliquem vel Deam tergo ferebat, *Minervam sc. Venerem, Herculem & Martem*, collocatæ finguntur in *Epigrammate* Antipatri, apud eundem Salmasium *Ibid.* V. infrà, ubi de *Idolis.*

Imago Celsi, unius è XXX. Romanorum Tyrannis, pro ipso Celso, patibulo affixa, occurrit, apud Treb. Pollionem *in vita* ejus, ubi *novum injuriæ genus* vocat. Nempe in imagines & statuas sævire, easdem dejicere, confringere, conflare, luto etiam conspergere, scalis Gemoniis inferre, omni denique contumeliæ genere eas afficere, novum non erat; Namque & *in Philopœmene* Plutarchi exemplum est judicii habiti de *Imaginibus* & statuis defuncti, ceu de vivo ipso & sunt aliæ apud eundem similes historiæ: Sed *imaginem* Celsi ad vivum expressam & de industria sic effictam, in crucem tollere, insultante vulgo, quasi ipse Celsus in cruce illa penderet, is verò novus plane mos & *novum injuriæ genus* fuit, cui simile in tota historia Græca Romanaque, non reperias. Idem mos hodieque servatur in reis absentibus judicatis, & capitis damnatis, quorum imago eadem planè forma eodemque genere à carnifice in patibulum defertur & suspenditur, quâ ipsi rei si adessent, idem supplicium ex sententia reapse subituri. Casaubonus & Salmasius.

Imamia Secta, inter Muhammedanos illa vocatur, cui Persæ adhærent. Leunclavius *Hist. Musulmann. lib. 1.* *Muhammetani plerumque hunc Ali Imamem solent appellare, vocabulo Præceptorem significante, cui debetur obedientia: videturq; nomen* Imamiæ *secta, quam Ali huic addictissimi Persæ ac Sepiani hodieq; profitentur, hinc originem suam habere: licèt in genere putem hac voce doctrinam significari,* &c.

Imber, signum serendi, apud Plin. *lib. 18. cap. 26.* *Sementis tempora plerique præsumunt, & ab undecimo die autumnalis æquinoctii*

fruges

fruges ferunt, — continuis diebus certo prope imbrium promisso; Xenophon, antequam Deus signum dederit. Hoc Cicero noster imbre *fieri interpretatus est.* Ubi verba Xenophontis, πρὶν κελεύσῃ ὁ Θεός, eleganter reddit, *antequam Deus signum dederit*, metaphorâ, ô re nauticâ desumtâ: κελευστὴς enim dicebatur, qui signum remigibus dabat, quo remigare inciperent desinerentque. Sed &, dum misso *imbre* Deum ἀφιέναι *exigens, dimittere ad seminandum* agricolas, idem Xenophon ait, a quadrigis Olympicis loquendi rationem mutuatur, quæ signo dato emittebantur ad cursum: quemadmodum in Circensibus Romanis Prætor mappa signum currentibus dabat, hinc ἀφέτης vocatus &c. Qua de re V. Salmasium *ad Solinum pag.* 734. infrà de *Satione*, & plura de *Imbrium* natura ac effectis, apud Plinium *lib.* 17. *cap.* 2. 18. 24. *lib.* 18. *cap.* 22. *lib.* 19. *cap.* 11. *&c.*

Imblocandi excommunicatos ritus, memoratur Lamberto Ardensi *p.* 175. de Arnoldo Ardeæ Domino, in excommunicatione defuncto: *Dominum Arnoldum juvenem extra atrium ad cellam suam apud Bramas adduxerunt & eum ita* imblocatum *extra parietes capellæ suæ — collocaverunt.* V. eundem *pag.* 177. & Rudolfum Mon. *Vita S. Liobæ Abbatissæ, capp.* 3. & 4. *ex edit. Mabillonii.* Cum enim *LL.* Ecclesiasticis vetaretur, excommunicatorum corpora sepelire, ac proinde necesse esset insepultos, aut agris inhumata relinquere, ne tamen fœtor nares, aut spectaculi horror mentes fœdaret, illa ut plurimum humo injectâ aut tumultuariâ lapidum congerie operire solebant: id quod *Imblocare* dicebant Galli Belgæ, quibus *bloc* est altior tumulus. V. Car. du Fresne *Gloss.* ubi etiam de notâ apud Latinos, Græcos imprimis, opinione, quòd cadavera Excommunicatorum, nisi mortui absolverentur, in cineres non abeant, sed, in horrendum posteris exemplum, indissolubili membrorum compage integra permaneant, varia addit. Cùm vero Gallis *bloc*, truncum significet, uti hodieque Picardi hac voce utuntur, alium quoque ritum nobis vox suggerit: quo viz. qui excommunicati moriebantur, cùm humo vetarentur mandari, in truncum arboris cavum immittebantur: cujus moris exemplum profert *Charta* Imberti Paris. Episc. apud Jac. Petitum, post *Pœnitentiale* Theodori *pag.* 557. de quodam Milite, uti notavit idem du Fresne *in Additionibus.* V. quoque suprà, ubi *de Excommunicandi ritu.*

Imbrex, tegula est σωληνοειδὴς *canaliculata*, & tubulata, quod *imbrem* derivet in tectis ancea Gr. ὄμβρος *imber*, & βρέχω, *rigo*, quod *imbribus rigetur*, nomen nacta: Glossæ, *Imbrices*, σωληνωτῆρες, item στεγαστῆρες. Horum vicem olim conyzæ masculæ folia præbuere, uti docet Hesychius, qui & stramenta ex illa, & scopas fieri consuevisse, & tegulas ait, quod esset φυτὸν πλατύφυλλον, *planta amplis foliis* luxurians. Sed & ulvâ palustri, frondibus, harundine, stramentis olim tuguria tegi solita, uti pluribus docemus infrà in voce *Tegula.* Item plausus genus. Suetonius *Nerone cap.* 20. *Neque eo segniùs adolescentulos — elegit, qui divisi in factiones plausuum genera condiscerent (bombos & imbrices & testas vocabant) operamq; navarent cantanti sibi.* Sic appellatum à similitudine crepitantis super tegulas pluviæ, quem sonitum voce ψυχάζειν eleganter exprimit Lycophron, in diluvii descriptione,

> Ὅτ' ἠμάθυνε πᾶσαν ὀμβρήσας χθόνα
> Ζηνὸς ψυχάζων καταιβάτης.
> Cùm corruebat omnem humum Diespiter
> Rapax aqualis nimbus.

De eodem Sophocles, κἂν ὑπὸ στέγῃ πυκνῆς ἀκούων ψεκάδος εὕδοντι φρενί. V. Casaubonum *ad l. Imbricem porci*, inter delicias epulonum habes apud Martialem *lib.* 2. *Epigramm.* 37.

> *Quidquid ponitur hinc & inde verris:*
> *Mammas suminis imbricemq; porci &c.*

Hinc *imbricatus*, ut *imbricati ungues* simiarum, & *imbricata* per ambitum *folia* Cypriæ laurus, apud Plinium.

Imilce, Heroina Punica, apud Silium *lib.* 3. ut *Imilco*, Dux Punicus apud Orosium *lib.* 4. *cap.* 6. Vide de utroque Vossium *de Idolol. lib.* 2. *cap* 11.

Ima vel *Imma*, opp. Seleucidis Syriæ, Plin. Ptolomæo Ἴμμα dicitur. *Imas* vocat Sextus Rufus in *Breviar.* & non longe ab Antiochia dissitas tradit. In Tab. Peutingeriana *Emma* appellatur. V. Salmasium *ad Solinum pag.* 631

Imisilum seu *Imizilum*, apud Anastasium *in Sergio II. Obvolis vestes quatuor:* & in *Leone III. Fecit vestem albam holosericam, ornatam in circuitu de myzilo*; pro quo *myzinum* habet, in *Nicolao I.* Bulingero, sericum est sentus, quod Italice dicitur *Ermesino*, vel *Byssinum.* Carolo du Fresne videtur idem quod Camisile. V. eum in *Gloss.* & Dominic. Macrum in *Hierolexico.*

Immatura Mors, V. *Aheri.*

Immersor, Græce Βαπτιστὴς, dicitur, ad quem in Baptismo infantem spectabat apud Græcos in aquam *immergere.* Solent enim ad administrationē hujus Sacramenti tres Ministros adhibere; E quibus dignissimus aquæ benedicit, alter exorcismum adhibet; tertius immergit, hinc Βαπτιστὴς. *Immersor*, dictus, qui Sacerdos est. Quemadmodum item æ quoque in Baptismo Catechumenorum, eorum Rector exorcismo aliisque ceremoniis defungitur, postea Episcopus solenniter baptizat. V. eundem Macrum, ut suprà.

Immobilia, dicta Gallis Insubribus signa quædam aurea, quæ habebant in templo Minervæ, unde non nisi ad gravissima bella promebantur, apud Polybium *lib.* 2.

Immolata Dæmonibus, in Concil. Aurelianensi IV. *can.* 15. εἰδωλόθυτα dicuntur Apostolo 1. Cor. 8. ubi toto hoc capite novitios in Gentibus Christianos instruit, quomodo circa ea gerere se debeant, si fortè ad convivia à Gen[illegible]vitarentur. Solebant enim Gentiles, qui è sacrificio domum redibant, victimæ consecratæ portiunculam aliquam domesticis suis afferre, quod Aristophanis Scholiastes in *Pluto* docet. Sed & interdum in macellis venum exponebant, ubi conflata ex illis pecunia Sacerdotum erat, ut est apud Augustinum *lib. Exposit. quor. Proposit. ex Epist. ad Rom. cap.* 78. Unde escas istiusmodi sæpe legimus à Paganis ad manducandum Christianis Martyribus porrectas, in *Actis* Martyrii SS. Tarasii & Socior. apud Baronium *A. C.* 290. *num.* 40. & apud Gregorium M. *Dial. lib.* 3 *cap.* 27. V. Car. du Fresne *Gloss.* & suprà in voce *Idolothyta.* Ratio autem immolandi hæc erat: in Sacris Sacerdotes primum precabantur: mox hostiam *molâ* (unde toti actioni nomen) vino, costo, thure mactabant, dein libabant, è sympulo fictili vel ligneo vinum gustantes & adstantibus propinantes. Tum victimariis seu cultrariis, popis, agonibus, *immolare* & excoriare victimas mandabant, ac excepto pateris sanguine, mortuam proscindere. Hinc exta inspiciebant, &, si litatum fuisset, postea reddebant, i. Diis, quod deberetur, Ministris adstantibus, partiebantur, ac postremò epulabantur, carne perpetuo tostâ vel assâ, nisi ex ariete quæ elixabatur: quibus peractis Græci λαοῖς ἄφεσις denuntiabant, Romani verò *Ilicet*, proclamabant, eos, qui adstiterant, dimittentes. Vid. Alex. ab Alexandro *Genialium Dier. lib.* 4. *cap.* 17. & infrà, ubi de *Sacrificiis.*

Immortales, nomen agminis militaris apud Persas. Curtius *lib.* 3. *cap* 3. ubi de exercitu Darii, *Proximi ibant, quos Persæ* Immortales *vocant, ad decem millia -- illis aureos torques, illis vestem auro distinctam habebant, manicatasq; tunicas gemmis etiam adornatas. Exiguo intervallo, quos cognatos Regis appellant, &c.* Sic dicti, *quòd, si quis eorum numerum imminueret, alius sufficiebatur: nec unquam plures paucioresq; essent decem millibus*, Herodot. Robur hi exercitus Persici, ex nobilissimis & fortissimis Persarum selecti, Cyrum Auctorem habuere. Sed tandem per Duces suos *mori* potuisse, docuit Theodosius, Theodosii M. nepos, uti notat Raderus *ad Curtium d. l.* Alii sunt apud eundem Herodotum *lib.* 4. *cap* 93. *Immortales*, Getæ viz. οἱ ἀθανατίζοντες, quòd mori se non putarent, sed ineare ad Zamolxin, sic appellati, Freinshemius *ad Curtium ibid.*

Immundi, è Castris emissi, Num. *cap.* 5. §. 3. qua de re V. Jo. Seldenum *de Synedriis lib.* 2. §. 5. (qui & de *Immundorum Paschate, ibid* §. 3. 6. 7.) ut & infrà, ubi de *Munditie Ceremoniali*, & *Paschate Secundario.*

Impar Numerus, apud Gentiles olim, in Magicis inprimis eorum sacris, magni habitus. Plin *lib.* 28. *cap.* 2. *Cur impares numeros ad omnia vehementiores credimus? idq; in febribus dierum observatione intelligitur.* Unde Virgiliana *Pharmaceutria Ecl.* 8.

> *Terna tibi hæc primùm triplici diversa colore*
> *Licia circundo, terq; hæc altaria circùm*
> *Effigiem duco ——*

Et paulò post,

> *Necte tribus nodis ternos Amarylli colores.*

Rationem addit,

> *——— Numero Deus impare gaudet.*

Quò facit illud Lutatii, *ad Papinium Thebaid. lib* 5. *vers.* 87. *Omnis impar numerus prospera significat & viris adscribitur. Id verò, quod par, esse infectum, atque perit in ordine suo: quod ergo nihil agit, ut maneat, inferorum est. Ut Virgilius, numero Deus impare gaudet. Et ubiq; mortuis geminum, hoc est, parem adscribit numerum, &c.* Hinc Romanos parilem numerum in anni sui computatione semper vitasse, & statim à Numa, qui annum Romuli correxit, unum diem abundasse, quòd *impar numerus plenus & faustior* haberetur, ait Censorinus. V. Salmasium *ad Solinum pag.* 19. At Pythagoræi parem *impari* præferebant, teste Plut. *de anim. Veret.* V. infrà ubi de *Numero, Quaternario, Pari &c.* uti de *Imparibus* Vett. *tibiis*, ubi de *Tibia.*

Impeccabiles, dicuntur Forbesio Hæretici, qui tales se falsò jactantes, *spiritualium ac perfectorum* elogium sibi arrogabant, atque hoc prætextu omnem pœnitentiam è medio tollebant. Quales fuere veteri ævo Gnostici, inter quorum commenta furoris plena, hoc etiam Irenæus commemorat, *quòd intemeratè omnia, quæ in Sacris Literis vetantur, ii, qui erant eorum perfecti, operarentur: dicentes, impossibile esse, eos inde corruptelam suscipere, lib.* 1. *cap.* 1. ubi de Valentini discipulis. Post eos Priscillianistæ, Messaliani, alii, de quibus suo loco. Hodie Anabaptistarum illi, qui *Libertini* dicuntur, aliique: Qui omnes è Simonis Magi Schola, licet variè à diversis errorum Magistris denominati, exorti sunt. V. de iis J. Forbesium præfatum *Instructionum Historico-Theologic. lib. XII. cap.* 9. Eis opponunt *Implacabiles*, de quibus V. infrà.

vasa aliave in supellectile, quæ Paterfamilias sibi servat præter ea, quæ sunt usus quotidiani. Etiam ex Catone *de R. R. c.3.* locum adfert, ubi *Imperia* sic sumi vult, seu pro *Supervacaneis*. Qua in re non immeritò dissentiant, qui pridem Catonem accuratius edidere. Neque enim τῷ *Impar* ejusmodi notio hactenus comperta, ne quidem apud Catonem alibive. Quin expresse Alfenus & Tubero *l. 6. & 7. D. de Supell. leg.* supellectilis etiam definitione venire volunt, *res ad usum communem paratas & ad usum quotidianum*, quæ non satis quadrant cum isto Scaligeri sensu. Quod verò ait Cujacius, in Basilicis substitui προσκεφάλαια seu *pulvinos*, pro eo, quod est *Imperia* (seu, ut vult ille, *Impilia*) apud Paulum, non ita facile admitti potest. Græca sunt in Synopsi *Basilic. lib. 44. tit. 13.* Latinorum nempe paulo ante citatorum, post vocem, *Subjellia*, quæ in Græcis Σκαμνία est, ut item in optimo Synopsis codice MS. Bibliothecæ Arundelianæ) Σκάμνα, Κλῖναι, κἂν ὦσιν ἠργυρωμέναι, Στρώματα, Προσκεφάλαια, Σκεύη ὑδρεῖα &c. *Scamna, Lecti, etiamsi fuerint inargentati, Stromata, Pulvini, Vasa aquaria* &c. Nec satis liquet, utrum pro eo, quod est in Florentinis *Imperia* hic, an pro *Toralia* substituendum sit, προσκεφάλαια. Certe videtur pro *Toralia*, prætermisso omnino, aut non lecto vocabulo illo altero, quod à nemine ibi satis intellectum comperitur. Joh. Seldenus *Uxor. Hebraic. lib. 1. cap. 14. sub fin.*

Imperiales, in *Bulla* Urbani III pro Fratribus Cruciferis Hospitalis Bonon. *Ad indicium autem, quòd domus vestra specialiter B. Petri existat*, 12. Imperiales *nobis nostrisq; Successoribus annis singulis persolvatis*; in *Chron.* S. Ricardi de S. Germano *A. C. 1236.* alibique *passim*, moneta est Imperatorum, quæ in Italia currebat; jam inde ab A. C. 1187. in *Gloss.* Græco-Lat. Αὐγουστιάτον. V. supra, ubi de *Augustarius*, & in voce *Talerus*.

Imperium, titulus Honorarius Imperatoris: In *Epist.* Theodeberti R. ad Justinianum Imp. *Amorem nostrum erga Imperium vestrum.* Sic Nicolaus I. Pontif. Rom. *Epist.* 8. ad Michaelem Imp. *Porro scripsit nobis Imperium vestrum* &c. ἡ βασιλεία μου, Impp. CPolitani, cum de se loquuntur, passim, *Car. du Fresne Glossar.*

Impetritum, apud Plin. *lib. 28. cap. 2. Victimas cædi sine precatione non videtur, referri ad Deos, ritè consuli. Præterea alia sunt verba impetriti, alia depulsoria, alia commendationis*: sacrificium est, cùm victimis cæderant, ut extis inquirerent; Salmasius *ad Solinum pag. 585.* Alii addunt & sortibus, vel auspicio. Quasi *in petra* fixum, ratum, stabile, augurio, extis, sortibus *impetratum*. Plaut. *in Asinar. Impetritum, inauguratum est, quod vis admittunt aves.* Vide Hadr. Turnebum *Adversar. lib. 5. cap. 18. lib. 23. cap. 10.* & Dalechampium *Not. ad Plinii locum.* Certe & *Impetrio* augurale verbum est, idemque in auspiciis, quod *litare* in sacrificiis, notat, Scaligero idem cum *impetro*, Vide eum *ad Festum*. Alio sensu *Impetrita* vocat Georg. de Sepibus *in Descr. Collegii S. J. Romani Musæo*, in lapidem viz. conversa, seu petrificata, *fungos, ligna* &c. de quibus V. suo loco.

Impietas, jure Gentium punibilis. Ut enim utcunque excusabiles sunt, & ab hominibus certe puniri non possunt, qui, ab infantia sic instituti, aut astrorum, aut aliarum rerum naturalium virtutes, aut spiritus, sive in imaginibus, sive in animantibus, sive in rebus aliis colunt, aut etiam animas eorum, qui virtute & beneficiis in humanum genus excelluerunt, aut mentes quasdam incorporeas, præsertim si non ipsi tales cultus commenti fuerint; ita *Impii* magis, quàm errantibus annumerandi sunt, qui aut cacodæmones, quos tales esse norunt, aut vitiorum nomina, aut homines, quorum vita fuit flagitiis plena, divinis honoribus colere instituunt. Nec minùs illi, qui Deos colunt hominum innocentum sanguine, à quo more quòd Carthaginenses abstinere coegerit, laudatur Darius Persarum Rex, & Gelo Syracusarum Tyrannus, apud Justinum *lib. 19.* Narrat & Plutarchus, barbaros quosdam, qui humanis victimis Deos colebant, pœnas daturos Romanis fuisse, sed cùm antiquitate moris se excusarent, nihil mali passos, vetitos tantùm, ne quid in posterum tale facerent, *Apophth. & de sera Num. vind.* V. quoque eum *Quæst. Rom.* 12. H. Grotius *de Jure Belli & Pacis lib. 2. cap. 20. §. 47.* De *Impietatis* v. generibus IV. Vide Vossium *de Idolol. lib. 1. cap. 3.* Apud Romanos, cùm Numinum instar coli cœpissent Principes, maledicere Principi *impietatis* crimen habitum esse, docet Casaubonus *ad Augustum Suetonii capit. 66. &c.*

Impilia, Hebr. אנפיליא *Impilia* (velut nomen singulare) in Misna *tit. Jabimoth cap. 12.* Maimonid. *hal. Iobum vechaliza cap. 4. &c.* ubi de ritu Calcei exuendi apud Hebræos usitato, cum Levir Fratriam ducere nollet: *Res ritè peragebatur Calceamento, non Impilio. Ritè etiam sandalio, cui solea esset. Nequaquam, si deesset solea, etiamsi partes genu inferiores tegeret* (ut ocreæ seu cothurni) *ritè peragebatur res*, &c. Ita *Impilia*, etiam plurale τῶ *Impilium*, seu, ut alii malunt, *Impile*, legitur in Pandectis Florentinis, pro eo quod est in libris editis, nec inde satis correctis nunc *& pilea*; nunc *item pilea*, & in correctioribus aliquot, *Impilia*: in loco sc. illo Ulpiani *l. 25. D. Auro, Arg. &c. leg. §. 4.* non solùm à Grammaticis, sed etiam Jureconsultis politioribus aliquot haud parùm vexato, *Fasciæ crurales pedulesq; & Impilia vestimenta sunt, quia partem corporis vestiunt.* Codex autem Hierosolymitanus tam in Misna heic sua, quàm Gemara, idque sæpius, habet אמפיליא *Impilia*, uti item à R. Nathan in *Aruch* & Phil. Aquinate exaratur. Etiam plurale habetur in Gemara Babylonia אנפיליות *Impilioth*, adeò ut ex Latinorum *Impilia* voce plurali neutra (quemadmodum item Græcis τὰ Ἰμπίλια) fecerint Talmudici fœmineam singularem, in linguam suam vocabulum hoc, uti & hic *Sandalium*, aliaque complura alia, recipientes. Sumitur autem illis pro calceolo seu socco sive laneo, sive lineo, sive cilicino, sed plerunque pro laneo aut lineo, qualis sc. tametsi pedem seu partem ejus majorem obtegeret, careret nihilominus solea materiæ robustioris firmiorisve, veluti suberis, ligni seu corii crassioris atque ita compacti, ut plantæ pedis aut saltem calcaneo sustentaculum præstaret, cui ut crepidæ inniteretur. Nimirum rite peragebatur renunciatio hæc caligâ, qualis à Jul. Nigronio doctissime asseritur, perone, cothurno, ultra genu non ascendente, crepidâ, non socco qualicunque. Salmasio Luria *in Crit.* de Talmude opere *Sapientia Salomonis* dicto, Misnam sic interpretatur: *Verbum illud* Inpilia *denotat laneum vel lineum seu pannosum calceolum.* Alii autem Magistrorum de eo illo pariter loquuntur, alius idem ipsum cum Salomone illo docentibus, ac plerunque קלצונש *Chaussons* Gallicè per *Impilia*, intelligentibus. Certè calceamenta linea singulari in usu fuisse sacris Antistitibus, in Phœnicia, adeoque in regionibus vicinis atque ut inde fieri amat ipsis, quarum res hic agitur, satis scimus ex Herodiani Heliogabalo. Vox autem *Impilia*, tum apud Græcos, tum Latinos, unde à Talmudicis, qui eâ sæpius utuntur, desumta est, perrarò occurrit. Sed ex Hesychio, Philoxeni Lexico, Plinii MS. atque allato suprà Ulpiani in Florentinis loco, ejusmodi quid & Græcis & Latinis significare palàm est, tametsi à Viris doctis sec. præt. perquam diversimodè acciperetur: Neque enim inter Accursios, Bartolos, Alexandros, Imolas horumque similes ullibi audita est. Alii fasciolas fuisse mulierum quasdam crinales credidere (ut Franciscus Hottomannus) προσκεφάλαια seu pulvinos alii, capitis integumenta alii, alii aliter. Sed optime ii, qui pro pedum tegumentis sumunt, ex lana, aliave materia simili coacta, id est, soccis ejusmodi sive circumvolutis, sive plantis solum suppositis. Eadem ipsa Theophrasto vocantur Πῖλοι, ubi de herba lanigera loquens. Ὑφαίνεται δὲ, inquit, ἐξ αὐτοῦ καὶ πιλία καὶ ἄλλα ἱμάτια. *Texuntur ex ea, Impilia vestesq; aliæ*, unde illud suum habuit Plinius *lib. 19. cap. 2.* ubi male legitur in impressis, *Mapalia*. Sed verò nec melior est Latina Theophrasti versio: *Texuntur ex ea & toga & alia vestimenta.* Quasi πιλία ibi *Toga* fuissent, quæ soccos seu calceolos laneos denotent, quemadmodum & *Impilia*. Quod sanè ex jam ostenso Talmudicorum usu non parum confirmatur. Græci etiam (quibus ἐμπιλεῖν est *condensare* seu *coactilia facere*, uti & πιλεῖν) eosdem ipsos πίλους vocitabant, qua voce, eodem sensu, usus est Hesiodus in Ἔργ. καὶ ἡμέρ. *lib. 2.* ἀμφὶ δὲ ποσσὶ &c. Hesychius Cratinus apud Jul. Pollucem *Onomast. 7. cap.* πιλωτικά & *lib. 10. cap. 1.* Et Vir summus, Isaacus Casaubonus *in Collectan. de Re Vestiar. MSS.* πῖλοι, inquit *Escarpins, Impilia. Differunt materiâ nostri Escarpins à veterum Impilibus. Usu non differunt ullo modo.* Dein locum adfert illum ex Luciano *in Præcept. Rhetor.* Ἡ ἐμβὰς ἔστω Σικυωνία πίλοις τοῖς λευκοῖς ἐπιπρέπουσα, ubi de crepida Attica simul cum hisce muliebribus & amatoriis pedum tegumentis, quibus ludendo ornari vult Rhetorem suum, loquitur. At verò proximè post superius citata ex Ulpiano sequitur, *Alia causa est Udonum, quia usum calceamentorum præstant.* Ubi *Odones* pro *Udonibus*, quales in Martialis *Apophoretis lib. 14. Epigramm.* 140. plerunque sumuntur; licèt nec defuerint, in Jurisconsultis, qui *Undosum* ibi legerint & pro vestibus undulatis satis inscitè acceperint. Sed verò vestis nomine continentur fasciæ crurales, fasciæ pedules ac *Impilia*, quia partem corporis vestiunt. *Alia autem*, adjicitur, *causa est Odonum*, quia usum calceamentorum præstant. Cæterùm cùm & *Impilia* ipsa calceolos ac pedum integumenta qualiacunque esse ex dictis sit in confesso, adeoque vestes esse, cur alia sit Odonum causa? Etiam quidquid ex lana, lino, serico, corio induitur, vestis est, *D. D. ad L. 127. D. tit. de verb. signif.* Quin & expressè in Lexico Philoxeni Ἐμπίλιον redditur *Udo*. Nec fere inter se omnino differre volunt viri doctissimi Udones, *Impilia* & fascias pedules &c. V. Jac. Cujacium *Observat. l. 10. c. 17.* Guidon. Pancirollum *Thes. Var. Lect. lib. 2. cap. 99.* & Claud. Salmasium *in Lamprid. pag. 221.* Inprimis verò, qui hac de re prolixè agit, Joh. Seldenum *Uxor. Hebraic. l. 1. c. 14.*

Implacabiles, dicuntur Forbesio Hæretici, qui, peccatum agnoscentes, ejus irremissibilitatem atrociter exaggerabant, hocque prætextu pacem Ecclesiasticam pœnitentibus negabant. In qua classe primi fuerunt, qui *Montanistæ*, ab

hæreſeos auctore Montano, *Cataphryges*, à prov. Phrygia, unde is prodiit, & à Pepuza, civ. Phrygiæ, *Pepuziani*, dicti ſunt; de quibus Hieronymus Epiſt. ad Marcellam, *Illi*, ait, *ad omne pene delictum Eccleſia obſerant fores, nos quotidie legimus, Malo pœnitentiam peccatoris, quàm mortem.* Eorum errorem arripuere poſtea Novatiani, qui lapſos in perſequutione Deciana non admittebant ad pœnitentiam, nec pœnitentes ad pacem & communionem, uti legimus apud Cyprianum *Epiſtol.* 49. 52. *alibi.* Meletiani item, *quos noluiſſe orare cum converſis*, Auguſtinus refert *Hær.* 48. Porrò Apotactici, ſeu Apoſtolici, ut ſe ipſos arroganter vocabant, apud quos nullam lapſorum ſuſceptionem fuiſſe, ſcribit Epiphanius *Hær.* 61. Luciferiani quoque, quoad Epiſcopos ſaltem & Clericos lapſos, quos in ſuis gradibus non eſſe recipiendos, ſed ad Laicalem tantùm, uti vocabant, communionem, admittendos, ſentientes; abſtinebant à communione eorum, qui illos poſt pœnitentiam ſic recipiebant, ut eos ſinerent permanere Epiſcopos & retinere priſtinum gradum in Clero, V. Auguſtinum *Hær.* 81. &c. plura verò hanc in rem, apud Joann. Forbeſium *Inſtruction. Hiſtorico-Theologic. l. XII. cap.* 10.

Impluviata Veſtis, memorata Plauto *Epidic. Act.* 2. *ſc.* 2.

Quid erat induta? an regillam induculam, an mendiculam?
An impluviatam, ut iſta faciunt veſtimentis nomina &c.

Agit enim ibi muliebris luxus cenſuram ſenex. A' colore ſic dictam vult Nonius, cùm ait: *Impluviatus color, quaſi fumato ſtillicidio implutus, qui eſt Mutinenſis, quem nunc dicimus.* Sed quid ſit *ſtillicidium fumatum*, & qui *Mutinenſis color*, fruſtra quærimus. Turnebus *Adverſar. lib.* 14. *cap.* 19. à forma ita dictam contendit, ſcilicet à ſimilitudine impluvii. Ut enim *impluvia*, ſic & veſtem à forma *impluviorum* dictam, quæ eſſet quaternata, id eſt, quatuor quadrata lateribus undique corpus ambiret, quæ eſt figura impluviorum in cavædiis. Sed num tunicam, aut pallium hac formâ compactum uſui eſſe poſſet, videant Docti. Octav. Ferrarius *de Re Veſtiaria lib.* 3. *cap.* 20.

Impluvium, Caſaubono idem cum atrio. Nempe Atria ædium tablina & pinacothecas habebant ad latera, in medio erat area ſub dio, columnis cincta, hincque *periſtylium*; uti, quòd pluviis expoſita eſſet, *Impluvium* dicta, & propriè *atrium*. Græcis non ὕπαιθρον ſolum, ſed & αἴθριον propterea appellatum. *Subdival* exponit Tertullianus *ad Exech. cap.* 9. *Compluvium* idem Caſaubonus quoque dici putat, apud Suetonium *Auguſto cap.* 92. ubi, *enatam inter juncturas lapidum ante domum ſuam palmam, in compluvium Deorum Penatium tranſtuliſſe* eum refert. Quamvis enim maximè in Foro, item in cubiculo, ſæpe tamen & in Atrio, Penates colebantur. V. eum ad eundem *ibid. cap.* 29. & plura de *Impluvio*, apud Vitruvium *lib.* 6. *cap.* 4. ut & infrà in voce *Subdival*.

Imporcitor, inter Divos Romanorum agricolas, quos hoc ordine invocabat Flamen Cerealis, quum ſacrum Cereri & Telluri faciebat, *Vervactor*, *Redarator*, Imporcitor, *Inſitor* &c. dicebatur, qui tertiæ arationi præerat, poſt quam ſemina jaciebant. A' *porca*, i. terrâ elatâ inter duos ſulcos, quæ aliàs *lira* quoq; ſedem ſiccam ſeminibus præbebat, aquâ per ſulcos delabente. Unde *imporcare ſemen* Columellæ, idem quod *ſatum in liras redigere. lib.* 1. *cap.* 4. Nempe nonnulli cùm tertiò arabant, poſt jactum ſemen, illud ſimul in liras ſive porcas redigebant, cratem vel tabulam ad vomerem adjungendo; Alii ſeorſim tertiatione factâ, cratem illam per ſatum ducebant, ut apud eundem legere eſt. Sed & lirationem ſeu imporcationem à nonnullis priùs fieri ſolitam, quàm tertiationem, ex ordine Deorum præfato conjicere licet. Qua de re V. Salmaſium *ad Solinum p.* 724. & *ſeqq.* ut & infrà in voce *Porca*.

Imprecationes, privatim publiceque hoſtibus fieri ſolitæ, Vide ſuprà *Dira*.

Improbi, & obſcœni, deridebantur apud Romanos medio digito, aut manibus in obſcœnum modum formatis. Salmaſius *ad Tertullianum de Pallio cap.* 4.

Improbus Color, pro purpureo, non ſemel Latinis. Hinc *improba Tyros* Martiali, *& nomen improbum*, de tyriamethyſtino, apud Plinium. Seneca, *qui lacernas coloris improbi jumunt*, i. purpureas. Sic *improba tegmina pedum*, Valerio Flacco, de calceis purpureis,

Improba barbarica procurrunt tegmina planta.

Nempe quidquid ſupra modum extollitur atque eminet, quidquid nimium eſt & modum normamque excedit, *improbum* Latinis dictum eſt: ut *improbiora labra*, apud Velium Gramm. *improbiles nates*, apud Suetonium &c. Hinc itaque excellentem illum & eminentem & ſuper cæteros colores vividum fulgentemque, *improbum* appellarunt, quaſi ſuperbum, & cæteros colores infra ſe poſitos prægravantem: cui opponitur *malus* color ac *nequam*, hoc eſt, pallidus luteusque. Vide Salmaſium *ad Tertullianum de Pallio, cap.* 3. & *ad Spartianum in Peſcennio Nigro.*

Impudens, in Jure Hebræo, ad teſtimonium in Foro dicendum non admittebatur olim. Arcebantur enim decem hominum genera, ut habet Maimonides *Tract. Aldoth. cap.* 9. 10. 11. &c. *Fœmine, Servi, Minores, Fatui, Surdi, quibuscum copulant Muti, Cæci, Impii*, חצפין *Impudentiores, Propinqui, falſi aut convicti.* Et quidem *Impudentioris* exemplum afferunt Magiſtri, comedentis in plateis coram populo, nudi ambulantis in plateis aliorumque ſimilium, שכל הא לו חשובין ככלב ואין מקפידין על עדות שקר. *Quoniam ejuſmodi univerſi reputantur, ut canes, Neque teſtimonium falſum metuebant.* V. Joh. Seldenum *de Synedr. lib.* 2. *cap.* 13. 9. 11. Apud Athenienſes *Impudentiæ* aram dicatam, prodidit Theophraſtus *de L. L.*

Impudici, infames habiti; hincque ut tales vetiti poſtulare, Domit. Ulpian. *l.* 1. §. 6. *de poſtul.* Eoſdem Attica lex vetabat ἀγορεύειν, ſive *concionari*, uti auctor eſt Demoſthenes *c. Androtionem*, & ibi Ulpianus, Suidas in Ἑταιρήσεως & in Δοκιμασία & in ἐπαγγελία. Vetiti etiam, iure Attico, ſacra limina intrare, Demoſth. *Orat. adv. Timocratem.* Jure itaque notat in Veſpaſiano Suetonius, quòd is *Licinium Mucianum nota impudicitiæ, ſed meritorum fiduciâ minùs ſui reverentem, nunquam niſi clam — retaxare ſuſtinuerit, cap.* 13.

I N.

IN. in notis antiqq. *intercifum diem.* IN.B.M. *in bona memoria.* I.N. E E. *injuſtum non eſſe.* IN. FR. P. VI. LAT. VII. *in fronte pedes ſex, Latum ſeptem*; uti IN. AGR. P. XX. *in agro pedes viginti*: cujuſmodi inſcriptione ſepulchri Veteres de modo agri, qui ad monumentum pertinebat, cavere ſoliti ſunt. INC. vel INT. *intus*, &c. ſignificat. Porrò *In*, præpoſitio Germanis, Polonis & Bohemis in uſu, cùm de Dominis locorum ſermo eſt: iis verò, qui inde duntaxat orti vel oriundi ſunt, etiamſi ibi non habeant, ubi pedem figant, *de*, *à*, vel *ab*, tribuunt, uti docet Martin. Cromerus *Polon lib.* 1. *pag.* 105. Addit Ægidius Boilæus, locorum vel dignitatum ejuſmodi primogenitos *dominos* nudè, ſecundogenitos verò *in* iiſdem perinde ſeſe indigitare, cùm in Germania Feuda majora diviſionem admittant, *Notis ad Lud. Davilam de Bello Germanico pag.* 37. apud Car. du Freſne *in Gloſſar.*

Ina, tenuiſſima chartæ pars Feſto; Plinio verò, ubi de chartæ vitiis, *ina è junco papyri bibulo*, filamentum eſt ſeu fibra junci papyri, quæ τῶν χαρτοποιῶν incuriâ, aut etiam fraude, mediis chartæ glutinamentis inſerta deprehendebatur, ad ſarciendam, ſi fortè, philurarum rimam aliquam aut rupturam. Dicit enim, *Deprehenditur & lentigo oculis: ſed inſerta mediis glutinamentis ina è junco papyri bibulo vix niſi literâ fundente ſe: tantum eſt fraudis.* Nempe lentiginoſæ maculæ oculis deprehendebantur; non verò *ina*, niſi cùm ad illam pervenerat calamus: tunc enim ſolidè atideque non formabatur litera, ſed propter junci bibulum, ſpargebatur eo loci & fundebatur atramentum, ex quo intelligebatur *ina* aliqua ſubeſſe e papyri junco, h. e. ἀνδὴξ τι ὢν τῆς παπύρου. Atque ſic plus inerat fraudis in ejuſmodi ina, quàm in lentigine, V. Salmaſium *ad Vopiſcum in Firmo.* Sed & excitabantur *inarum* filamenta ac fibræ, cùm charta manibus ac mento ſæpe tereba- tur. Charta enim dum legebatur & evolvebatur, mento ſubjiciebatur, quo modo multo uſu detrita illa *inæ* ſurgebant eamque faciebant horridam. Martialis,

— charta,
qua trita duro non inhorruit mento.

V. infrà in voce *Mentum.* Pari ratione flocci molles & tenues veſtium, quos pecten fullonum ſpineus excitabat & polibat, *inæ* dictæ. Unde *inea*, inſtrumentum illud ſpinis horridum, quo *inæ* in veſtibus erigebantur ac tenuabantur, ut pexa mollities in iis ſurgeret. *Inea* quoque ferreæ, quibus linum pectebatur atque in multas veluti tenues inas diſcriminabatur; *aneas* vocat Plin. *lib.* 19. *cap.* 1. Unde ἰνίζειν, *tenuare*, Græcis, quod & ἰνοῦν & ἰνᾶν dixere; ὑπέρινος, *ſupra modum attenuatus*, &c. Nempe Latini appellavere *inas*, quos Græci ἶνας, ab ἲς, ἰνὸς, *nervus, fibra*; unde *vitales inæ*, apud Varronem *de R. R.* Idem Salmaſius *ad Solinum pag.* 391. V. quoque ſuprà in voce *Ænea.*

Inalphabeti, ex Græco Ἀναλφάβητοι dicti ſunt olim in Eccleſia Rom. duo Fratres Ciſtercienſes Converſi, qui ad cudendas bullas applicabantur, & vocabantur quoque *Fratres plumbi*, ſeu *de Plumbo*: à quibus ad Seculares poſtea cùm id muneris eſſet delatum, hi in proceſſione cum aliis Cancellariæ Pontificiæ Officialibus incedentes, ſimiliter laicalem Ciſtercienſium habitum ferre conſueverunt, Macri Fratres *in Hierolexico*, voce *Bulla.*

Inambulandi varii apud Vett. modi: quorum unus indigitatur Suetonio *in Auguſto cap.* 83. *Deambulabat, ita ut in extremis ſpatiis ſubſultim decurreret, ſegeſtri vel lodicula involutus*; idque ex præſcripto Medicorum. Vett. namque Aſclepiadarum divina ſolertia, quæ *ambulatio* cuique morbo conveniret, ſubtiliſſimè veſtigaverat. Itaque alium jubebant per plana, alium per clivoſa, alium brevioribus ſpatiis, alium longioribus ambulare: quoſdam contento curſu, quoſdam leni, nonnullos ſubſiliendo &c. ut videre eſt apud Hippocratem *de Diæta lib.* 2. & 3. Oribaſium *lib.* 6. Caſaubonum *ad l.* Alios, & hic paſſim. Et quidem, qui in campo ſe vel gymnaſio exercebant, cætera nudi, τὸ αἰδοῖον campeſtri tegebant: aut ſi corpore infirmiore erant, gauſapam vel pallam, vel lodiculam (ut hic Auguſtus) vel ſabana ſumebant &c. V. & ſuprà, ubi de *Gymnaſiis.*

Inanima,

Inanima, etiam Gentilibus adorata. Papinius Statius *Theb. lib. 6. vers. 464.*

—— Concessit cætera pubes
Sponte & adorato redit ingloria disco:

Ut re sacrâ viz. cui ori manu admotâ cultum exhibuere. V. Jan. Gruterum *ad Panegyricum Quartum cap. 11. pag. 587.* Caspar. Barthium *ad Arnobium & Appuleium*, nec non *Animadversion. ad Statium d. l.* At, si noxam dedissent, & in illa animadversum est. Draco certè legem Atheniensibus scripsit, quâ sanxit τὰ ἄψυχα, *inanimata*, quorum casu cædes perpetrata esset, finibus ejici: τὰ ἄψυχα ἐκ τῆς χώρας ἐξορίζειν, ὑπερορίζειν, apud Æschinem *in Ctesiph.* sive lapis, sive lignum, sive ferrum fuerit, quo id factum. Memoratque de Thasiis Pausanias, καταποντῶσαι τὴν εἰκόνα, *in mare submersisse statuam*, cujus ruinâ Theagenes oppressus erat: quod etiam apud Suidam legas, mutato tantum nomine *Theagenis* in Niconem. Atque hæ cædes Athenis judicabantur in Foro τῷ ἐπὶ Πρυτανείῳ, præeratque judicio Rex, assidentibus τοῖς φυλοβασιλεῦσι, *tribuum Regibus*, uti discimus ex Pausania *Atticis*, Demosthene *in Aristocr.* Polluce *lib. 8. cap. 10.* &c. Plura hanc in rem V. apud Sam. Petitum *Commentar. in LL. Atticas, lib. 7. tit. 1. de Sicariis*, ut & suprà, ubi de Atheniensium *Dicasteriis*.

Inarculum seu *Arculum*, virga fuit ex malo Punico incurvata, quæ facta est, velut corona, & ima summaque inter se alligari solita est vinculo laneo, albo, quam in sacrificiis certis Regina (verba sunt Servii de Didone) in capite habebat; Flaminica autem Dialis in omni sacrificatione uti debebat, V. eum *in Æn. lib. 4.* Quod hic Servius dicit, *virgam* fuisse *ex malo Punico incurvatam:* Gellius *lib. 10. cap 16.* ex quacunque *arbore felici* affirmat, cùm ait: *Et quòd in rica surculum de arbore felici habet*, quod verosimilius. Pro *felici* tamen Scaliger legit *Siliqua*. V. Anton. Thysium & Jac. Oiselium *in locum Gellii laudatum.* Similes fuisse hujusmodi corollas iis, quibus statuæ Dianæ Ephesiæ in Græcia fuerint conspicuæ, censet C. Paschalius *Coronarum lib. 4. cap. 15.*

Inarus, Græce Ἴναρος, urbs Ægypti, quâ expugnatâ Milesii, qui in Ægyptum pervenerant, 30. navibus, ad ostium Bolbitinum ascensione factâ, Naucratim condiderunt, in Saitico Nomo, apud Strab. V. Salmasium *ad Solinum pag. 476.*

Inaurandi, non una apud Vett. ratio. Flav. Vopiscus *in Aureliano, Habuit in animo, ut aurum neque in cameras, neque in tunicas, neque in pelles, neque in argentum mitteretur, dicens— aurum per varios bractearum, filorum & liquationum usus perire:* ubi singula singulis ordine suo reddit, *fila vestibus, liquationes pellibus & argento, bracteas cameris.* Cameræ enim *inaurabantur* per bracteas, vestes auro intexebantur per fila; pelles & argentea vasa deaurabantur per liquationes: quo modo etiam in membranas aurum mittebatur, quum aureis literis perscribebantur, uti legimus apud Hieronymum *ad Eustoch. de Custod. Virgin.* Omisit hic Aurelianus aliud genus *inaurandi* pocula argentea, quod non fiebat auro liquato, seu aureis clavis immissis in argentum & insertis; quo genere deaurata *auro clusa* & *auro vincta* dicebantur, ut suprà vidimus: Non quòd principatu ejus jam exoleverat hæc *inaurandi* ratio, sed quia sic in argentea pocula immissum aurum non peribat, sed integrum & in sua natura manebat. Peribat autem, nec in suo usu manebat, quod in bracteas extendebatur, aut in fila deducebatur, aut liquabatur, &c. V. Salmasium ad *Flav. Vopiscum l. cit.* & suprà passim.

Inauris, ornamentum aureum, cujus apud Vett. usus, qui tamen hodieque apud alios non planè obsolevit. De eo sic Isidorus *Origin. lib. 19. cap. 31.* Inaures *ab aurium foraminibus nuncupata, quibus pretiosa genera lapidum dependuntur. Harum usus in Græcia: puellæ utrâque aure, pueri tantùm dextrâ gerebant.* Unde Juven. *Sat. 1.*

—— Molles quod in aure fenestra.

Dicitur aliàs *Callaica*, *Stalagmion*, *Elenchus*, *Tibulus* &c. quæ tamen quomodo inter se differant, si particulatius considerentur, *infrà* adnotabimus. Hebr. לְחָשִׁים à לחש, quod significat *mussitationem*, quòd ornamentum sit auris, cujus est audire mussitationem & incantationem, qua de re V. Mercerum *in Esai cap. 3. vers. 19.* Item עָגִיל, à rotunditate, veluti teres quoddam ornamentum, Num. *cap. 30. vers. 50.* Sic & apud Pollucem *Βοτρύδια* pro *Inaure*, V. Ezech. *cap. 16. versu 12.* Græcis Ἐνώτια vel Ἐνώτιον, Ἀμφωτίς, Ἐλλόβιον &c. Multæ enim sive à Gentibus sive à forma *Inaurium* ortæ apud Græcos nominis differentiæ, de quibus aliquid *infrà*. Cæterùm ut forma earum varia, ita nec pondus nec pretium omnibus idem fuit. Integra aliquando patrimonia ex auribus pependisse, docet Hieronymus ad Demetriadem: *Ut taceam*, inquiens, *de* Inaurium *preciis, candore margaritarum rubri maris profunda testantium, smaragdorum virore, ceraunniorum flammis, hyacinthorum pelago, ad quæ ardent & insaniunt studia matronarum. Hæc est illis per singulos dies cura præcipua, suspendere ex auribus patrimonia.* Pondus indicatur apud Plautum *Menæchm. Actu 3. sc. 3.*

—— Inaureis *da mihi*
Faciundas pondo duûm nummûm stalagmia.

Apud Lampridium *in Severo*, cujus uxori cùm quidam Legatus obtulisset *magni ponderis & inusitatæ mensuræ* uniones duos, vendi eos jussit, atque, cùm pretium non invenirent, ne exemplum malum à Regina nasceretur, si eo uteretur, quod emi non posset, *Inauribus* Veneris eos dicavit. Pondus *Nezem auri* Rebeccæ à [illegible] Abrahæ oblati Genes. *cap. 24. vers. 22.* dicitur fuisse dimidiati sicli. Persarum R. Perosa in expeditione adversùs albos Hunnos, à dextra aure detractum unionem abjecit, quem postea repertum Justinianus 100. auri libris à Barbaris voluit redimere, Zonar. Serviliæ Catonis Uticensis sorori, Jul. Cæsar margaritam emit sexagies sestertio, apud Suetonium *cap. 50.* id est, ex calculo Budæi, 150000. coronatis. Similis unio Cleopatræ, quæ maximè singulare illud & verè unicum naturæ opus auribus gestasse cumque sponsionibus cum Antonio factis ex aure detractum ac liquefactum absorbuisset, unâ cœnâ dicitur centies sestertium consumpsisse, apud Plinium *Nat. Hist. lib. 9. cap. 35.* Pari ingluvie filium Æsopi, in unica ex aure Metellæ detractâ baccâ, decies centum millia sestertium nummûm devorasse, dicit Horatius *lib. 2. Sat. 3.* Ut de Lollia Paulina Caji Principis matrona, cujus meminit Plinius *lib. 9. cap. 35.* & Vitellii unione, quem, cùm exituro viaticum defuisset, detractum ex aure matris solum pignoraverat ad itineris impensas omnes, apud Suetonium *cap. 7.* nil dicam. Non contenti enim materiâ facile parabili, margaritas & spolia Orientis pro ornamentis aurium hi luxûs pancratiastæ habuerunt: Et quidem receptissima hæc *Inaurium* fuit materia. Seneca *Hippolyto Actu 2. sc. 1.*

——— Nec vivens lapis
Diducat aures, Indus donum maris.

Horatius *Epodon 8.*

Nec sit marita, quæ rotundioribus
Onusta baccis ambulet:

Id est, margaritis, quas ad similitudinem baccarum lauri, oleæ, myrti & hujusmodi arborum, sic Autores non rarò vocant. Margaritarum autem dos omnis in candore, magnitudine, orbe, lævore, pondere consistit, Plinius *lib. 9. cap. 35.* Nec unum solùm unionem in auribus gestabant, sed quodam quasi luxus certamine binos, ternos, quaternosve jungebant aliquando, ut idem docet *ibid.* & Seneca *de Beneficiis lib. 12. cap. 9.* Sed & ex auro fuere, Proverbior. *cap. 25. versu 12.* & quidem nobilium puerorum *Inaures*, quas in signum generis ferebant, non ex alio fuere metallo. Apuleius *de Dogm. Plat. Auri tantum*, inquit, *quantum puer nobilitatis insigne in auricula gestavit.* Argenteas *Inaures* suggerit Athenæus *Deipnos. lib. 8.* imo & ex ære exhibet Laur. Pignorius *Comm. de Servis*, gemmis tribus vitreis oblongis dependentibus ornatam, forsan ex mundo tenuioris alicujus & pauperculæ fœminæ. Quales exactè describit Ovidius *Metamorphoseôn lib. 10. versu 115.*

—— —— Pariliq; ex ære nitebant
Auribus in geminis, circum cava tempora, baccæ.

Osseas porrò atque ligneas *Inaures* vel pauperioribus quibusvis vel tantùm Orientalibus gentibus usitatas fuisse, illud argumento est, quòd eas Brasiliæ incolis etiam in labro inferiori ab adolescentia perforato usitatas refert Joh. Laetius *Nov. Orb. descr. lib. 11. cap. 16. & 20.* Vocant autem hæc ossea vel lignea (mulieribus enim globuli lignei magis in usu) aurium ornamenta *Nambipaya*, de quibus ita Georg. Marcgravius *lib 8. cap. 6. de vestitu & ornatu Brasiliensium: Auriculas*, inquit, *perforant, in tantum, ut digitum immittere possint foramini. Huic injerunt vel os aliquod cercopithecorum & vocant* Nambipaya: *vel lignum aliquod digiti humani magnitudine filo gossypino circumvolutum.* Denique flores in auribus gestari solitos, monet Jul. Laurentius *Polymath. lib. 2. Dissertat. 36.* & confirmat ex Athenæo *lib. 12. Molle Sysimbrium, aut rosa, aut lilium auri insidebat.* Quò forsan respiciens Calphurnius inquit *Eclogâ 6.*

—— —— Ramosq; tempora molles
Implicuere rosa.

Artem *Inaures* fabricandi jure quodam sibi vindicat Vulcanus apud Hom. *Il. σ.* ubi ἕλικας, quam vocem Camerarius reddit *torques*, Hesychius interpretatur ἐνώτια: & certè monilia, quæ *Inauribus* affinia sunt, eum fabricasse auctor est Nonnus *Dionysiacôn lib. 2.* Cur autem aures hoc ornamenti genere honestari soleant, varii varias afferunt rationes. In auribus *gentium virtutem positam*, ait Cic. *Epist. ad Q. fratrem.* Plinius *in ima aure memoriam* locat, *lib. 10. cap. 45.* Post aurem dextram Nemesis habitare credita: Benevolentiæ eadem pars signum est, unde olim pueri Patres osculabantur arreptis utrinque auribus: imò pro Deabus aures à Paganis fuisse cultas, docet Gruterus *Inscript. Antiq. pag. 89. num. 6.* Harum summa pars, πτερύγιον dicta, in flagitio deprehensis, ignominiæ causâ à Veteribus præcisa est: Imam verò partem, *lobum* dictam, pro appendendis *Inauribus* perforarunt. Et huic ministerium peculiare dicatum est: unde *Auricla Ornatrix* apud Gruterum legitur. Fuit *Inaurium* usus omni genti, sexui, ætati, conditioni promiscuus; imò ne prodiga illa luxuriosorum turba hæc superbiæ instrumenta sibi soli retineret, brutis etiam, quæ sua erant, communicabat. De elephanto Alexandri Soli dicato, cui *Ajacis* nomen erat, memorat

morat Philostratus, *de vita Apollon. lib.* 2 in *Inauribus* ejus literis Græcis insculpta fuisse hæc verba: *Alexander Jovis filius Ajacem Soli.* De cervo Nymphis sacro Ovidius, *Metam. lib.* 10. *fab.* 3.

—— —— Paribusq; ex ære nitebant
Auribus è geminis circùm cava tempora baccæ.

Idem de cervo Dianæ consecrato refert Autor *Mirabil. Auscultat.* cujus *Inauribus* inscriptum erat: *Diomedes Dianæ.* Fuere autem hæ Diis sacratæ & in eorundem templis suspensæ. Boum auriculas fibulâ vel circulo signatas, tradit Columella *lib.* 6. *cap.* 1. Idem de piscibus, qui in deliciis erant, observatum. Unde Antoniam Drusi murænæ, quam diligebat, *Inaures* addidisse, ex Plinio discimus *lib.* 9. *cap.* 55. De Crassi muræna, quam mortuam flevit ac sepelivit, idem Dalechampius notat, *ad Plin. lib.* 32. *cap.* 2. In Labrondæi Jovis fonte pisces *Inauribus* ornatos fuisse, testis est Ælianus *lib.* 12. *cap.* 30. quod genus piscium anguillas fuisse, docet Plinius *lib.* 32. *cap.* 2. & Athenæus auctor est aureis argenteisque *Inauribus* anguillas ornari fuisse solitas, *lib.* 8. Transeo ad statuas Deorum, quibus nec hic ornatus defuit. Apud Sigæum Achillis statuam imâ auris parte elenchum more fœmineo habuisse, narrat Servius *ad Æneid. lib.* 1. Inter Deas, Veneris imprimis statua, hoc luxus genere superbiit, Plin. *lib.* 9. *cap.* 35. Minervæ apud Gruterum attributæ *aures argenteæ*, non nisi *Inaures* quoque fuisse videntur &c. Tandem nec hoc omittam, *Inaures* etiam sepulchris fuisse illatas: Quare Cyri sepulchro apud Arrianum *lib* 6. condita feruntur, καὶ στρεπτοὶ καὶ ἀκινάκαι καὶ ἐνώτια χρυσοῦ τε καὶ λιθοκόλλητα, *torques, acinaces*, Inaures *ex auro & gemmis* &c. V. Caspar. Bartholinum *lib. de Inauribus Veterum.*

Inaurium variæ appellationes & species.

Α'μφωτὶς, in vulgatis Lexicis exponitur etiam *Inauris*: Pausaniæ tamen significat tegmen auris vel munimentum, quod Athletæ habebant circa aures.

Βοτρύδιον, *Inauris* genus erat, τοῖς ἑτ[illegible] in usu, Hesych. a rotunditate.

Callaica, fuit *Inauris* colore viridi, sed patens & nimis crassa; à decore nomen adepta. Isidor. *Orig. lib.* 16. *cap.* 7.

Circuli in auribus memorantur Ezech. *cap.* 16. *versu* 12. e quibus margaritæ dependebant.

Cylindri, erant margaritæ in auribus proceritatis æqualiter orbiculatæ. Baysius *lib. de Vasculis.*

Elenchi vero fuerunt, fastigiatâ longitudine, alabastrorum figurâ in pleniorem orbem desinentes, Plin. *lib.* 9. *cap* 35. Iconem eorum exhibet Bartholinus *loco suprà laudato.*

Ε'λικτὴρ, pro *Inaure* & armilla legitur apud Pollucem.

Ε'λιξ, ab eodem, inter plurimas *Inaurium* apud Græcos appellationum varietates, ponitur.

Ε'λλόβιον, dicta *Inauris* illa, vel ornamentum, quod inserebatur τοῖς λοβοῖς τῶν ὤτων. Aliàs tamen cum voce ἐνώτιον confunditur.

Ε'νώτιον vel Ε'νώτιον, in genere denotat *Inaurem*, quam vocem etiam præcisè exprimit.

Ε'ρμα, quoque pro aurium ornamento apud Græcos usitatum reperitur. V. Homerum *Iliad* ξ ubi ejus, in ornatu Junonis, mentio. Eustathius exponit τὰ τοῖς ὠσὶν ἐναιωρούμενα κόσμια.

Nambipaya, Brasilianis vocatur os aliquod cercopithecorum, quod auriculis perforatis *Inaurium* loco immittere solent. V. *suprà.*

Stalagmium, etiam pro *Inauribus* sumtum, cum σταλαγμοῦ sive guttæ figuram haberet baca, quæ in genere hoc *Inaurium* pendula erat. Tale e rudi amethysto Romæ olim extabat apud Lælium Paschalinum, Laur. Pignorius *de Servis.*

Στροβίλιον, pineæ nucis, quam Græci *strobulum* vocant, habuit figuram: gestamen ex auro Barbarorum quorundam fuit.

Σχελαγίνιον, pro *Inaure*, apud Suidam in *Etymol.* reperitur: ut & in *Lex.* Cyrilli. V. inprimis Meursium *in Gloss.*

Titulus, idem cum Elencho, Genus *Inaurium* apud mulieres fuit oblongum acrotundum, uti sunt tituli sive columellæ, quas Græci στήλας appellant. Salmasius *de Usur. pag.* 670.

Tribaca, apud Petronium Arbitrum, margaritam significat, quæ tribus bacis unionibusque *Inauri* insertis constabat: quippe binos ternosque elenchos aureâ bracteâ conjunctos auribus aliquando suspenderunt.

Τρίγληνα, erant *Inaures* trium pupillarum formas habentes, sub. ἕρματα Ita enim apud Dioscoridem *lib.* 1. *cap.* 176. genus mespili quoddam τρίκοκκον vocatur, quod tria intus habeat ossicula, veluti grana. Ε'ρματα ergo τρίγληνα idem Græcis fuere, quod *Tribaca* Latinis.

Τρίλινος, similiter *Inaurium* species fuit, à figura nomen adepta, &c.

Incantatores, Legg. XII. *Tabb.* puniti, indigitantur Plinio *lib.* 28. *cap.* 2. *Quid? non & legum ipsarum in Duodecim tabulis verba sunt. Qui fruges excantasset. Et alibi, Qui malum carmen incantasset.* Versus hi sunt, *Ne pellicimdo alienas segetes excantassito: Ne incantanto, ne agrû defraudanto. Ne frugem aratro quæsitam noctu furtim depascunto. Puberes si secanto, Cereres suspendunto: Impuberes arbitratu Prætoris verberanto. Ac noxam duplionem ascernunto.* Ad quæ verba V. Jac. Rævardum *in LL.* 12. *Tabb.* Gaudentium Merulam *l.* 1. *c.* 4. Alios: adde Senecam *Nat. Quæst. l.* 4 *c* 7. & Apuleium *Apolog.* Licuisse maleficos hos indemnatos unicuique occidere, Scaliger *in Festum* tradit. Hinc arcanè ita fieri solita, metu gravissimæ pœnæ, si res propalata esset, uti inter alia, de pessima anu, cadaver filii violenter loqui compellente, præsente Chariclea & Calasiride, discimus ex Heliodoro *fine lib.* 6. apud quem, post Homerum, aliosque Poëtas, habes talium evocationum ceremonias. Alii verò aliter: ut qui, scriptis carminibus & gallis mactatis, animas Poëtarum aut Regum evocabant, ut videre est apud Æn. Gazæum *Theophrasto.* Sed nemo eas melius ab oculos posuit Luciano, ex cujus dissertationibus magnam partem *Superstitionum Commentarios* suos deduxit Casp. Barthius. V. quoque Cl. Suicerum *Thes. Eccl.* voce Γόης, & ubi præstigias hujusmodi *can.* 65. Basilii severissimè prohibitas docet, nec non hic passim, inprimis ubi de *Carminibus* & *Magicis Sacris.* Alii sunt, *Incantatores*, in *Charta* A. C. 1309. Philippi Pulchri Regis Franciæ, *Bajuli, Notarii, Servientes*, Incantatores, *Præcones & alii Curiales dictarum villarum* &c. Sic dicti ab *incantare*, quod apud recentioris ævi Scriptores idem est ac *sub hasta vendere*, Gall. *Mettre à l'encant.* Hinc *Incantator Gabellæ salis*, in *Ch. A. C.* 1372. apud Car. du Fresne *in Glossario.*

ab *Incarnatione* Christi, annos numerandi rationem, primus invenit Dionysius Exiguus, qui Justiniano imperante & cum Cassiodoro familiarissime seculo VI. vixit. Cùm enim annorum series, in Canone B. Cyrilli ab anno Diocletiani 153. incepta nihil aliud foret, quàm eorundem annorum Diocletianorum consecutio, indignum existimavit circulis sacris innectere impii Tyranni memoriam, satiusque duxit seriem annorum, ab ipsa *Incarnatione Christi* adhibere. Sed, cum is Cyclum suum ad Christi incarnationem accommodasset, & primum ejus annum nominasset eum, in quo Christus conceptus in utero erat, qui Dionysium secuti sunt, videntes hominum vitam non à conceptione, sed ab ortu, vulgò putari, prætereaque animadvertentes, Nativitatem Christi non longe abesse à fine Anni Juliani, & Circumcisionem ipsis Kl. Januarii celebrari, communi fere consensu constituerunt, ut primus Christi annus ab ejus Nativitate duceret exordium. Unde factum postea, ut æra communis invaluerit uno anno inferior ærâ Dionysii, servato tamen toto Cyclo Dionysiano in cæteris i. Lunâ Sole, Literâ Dominicali & Indictione, solo excepto capite, quod observatum jam pridem Petavio *de Doctr Tempor lib.* 12. *capp.* 2 & 3. *alibiq;* & Jacobo Grandamico *de Die Natali Christi pag* 84. V. quoque P. Gassendum *in Kal. Rom. cap.* 5. Factum id autem à Dionysio fuisse A. C. 527. cùm post Justinianum Fasti Consulares defecissent, notat ad hunc annum Baronius: Sed jam ante Paulum Diaconum, hoc est, ab anno jam 492. ab anno Dominicæ *Incarnationis*, annos numerare cœpisse, ipse ait *lib.* 17. *Cessante jam Romana Urbis Imperio, utilius aptiusq; nobis videtur, ab annis Dominicæ Incarnationis supputationis lineam deducere: ad eund. ann* 492. Verùm tum nondum publicè hæc ratio recepta, V. hanc in rem plura apud Car. Macrum *in Hierolexico* & Car. du Fresne *in Glossario*, in voce *Annus.*

Incastellare Ecclesias, h. e. Ædes sacras vallo munire, & ad modum usumque castrorum aut castellorum redigere, non semel vetitum in Conciliis, Lateranensi A. C. 1122. *can.* 11. Avenionensi ann. 1209 *can* 9. Budensi an. 1279. *can.* 53 Palentino an. 1322. *can.* 17. in Synodo Coloniensi ann. 1280. *can.* 11. Herbipolensi ann. 1287. *can.* 18. &c. Quintilianus *Declam.* 369. *Tecta in subeuntes & sacra quinetiam Templorum fastigia desperantium tela sunt Certum est omnia licere pro patria*, apud Car. du Fresne *Glossar.* V. quæ de Templo Hierosolymitano diximus suo loco.

Incendiariæ Aves, ante lucem, inter prodigia, quæ Commodi Imperium præcesserunt, recensentur Æl. Lampridio in *Vita* Commodi: Earundem inter prodigia, in Historia Rom. crebra mentio, V. de iis Plinium *l.* 10 *c* 13.

Incendium, vel nomini asse inter epulas, infaustum apud Romanos. Plin. *lib* 28. *cap.* 2. *Incendia inter epulas nominata, aquis sub mensis profusis abominamur.* Adversùs quæ primò excubias nocturnas vigilesq; commentus est Augustus, teste Suetonio *in ej cap* 30. Strabone *lib.* 5. Dione *lib.* 55. in ann. 759. & JC. *ff de offic præf. Vigil* cùm antea Ædiles eorum curam habuissent, ut ex eodem Dione ac Appiano constat. Erant autem cohortes Præfecti vigilum è libertinis conscriptæ: quos propterea alii milites vocabant per contemtum *sparteolos*, an à funibus, quorum multus olim in restinguendis incendiis usus; an à sparteis, quibus amicti, tunicis; an à certo calceamentorum genere, è sparteis funibus contexto. Consuevisse illos *cum hamis & cum aqua vigilias curare*, docet vetus Scholiastes Juvenalis *ad illud*,

Dispositis prædives hamis ——

V. Casaubonum *ad Suetonium d. l.* Interim & *Incendia* suum usum

usum habent, indigitatum Plinio eidem *lib. 36. cap. 15.* ubi *luxum punire ea*, graviter dicit: *Computet in hac æstimatione, qui volet, marmorum molem, opera pictorum, impendia regalia & cum pulcherrima laudatissimaq; certantes centum domos, postea; eas ab innumerabilibus aliis in hunc diem victas. Profectò incendia puniunt luxum, nec tamen effici potest, ut mores aliquid ipso homine mortalius intelligant*, &c.

Incensio Lunæ, in Kal. S. Victoris Paris. & in alio Bibl. Reg. *6. Id. Januar. Incensio Lunæ Septuagesimalis. 8 Id. April. prima Incensio Lunæ Rogationum.* Sic Luna dicitur *reaccendi à Sole*, apud Honorium *in Imag. Mundi lib. 2. capp. 61. & 85.* Car. du Fresne *Glossar.*

Incensum, recentioris Latinitatis auctoribus, idem quod *λιβανωτὸς* Uranio *in Arabicis*, apud Steph. ubi thus hoc nomine per excellentiam denotatur, quod hodieque *Encens* Galli vocant: aliàs in genere pro suffimento. Cujusmodi suffimentorum seu thymiamatum usus in Veteris Testamenti Ecclesia insignis fuit, peculiari Altari (quod *Altare thymiamatum* dicebatur & quadratum duosque cubitos altum superiùs craticulam habebat, quâ cineres decciderent) huic rei destinato. Quem ritum, pro cacozelia sua, imitatos Gentiles, discimus ex Ovidio, ubi Sibylla Æneæ *Metam. lib. 14.* dicenti

Templa tibi statuam, tribuam tibi thuris honores:

reponit,

Nec Dea sum, dixit, nec sacri thuris honore
Humanum dignare caput ——

Sed & Harpocrates, *imagines Jesu, Pauli, Homeri atq; Pythagoræ, occultè effingens, in suffitum incendebat, easq; adorabat*, apud Epiphanium *Hær. 80. anacephal.* De Christianis verò, Augustinus *in Psalm. 49. Securi, inquit, sumus, non imus in Arabiam thus quærere, non sarcinas avari negotiatoris excutimus: sacrificium laudis quærit à nobis Deus.* Item *in Ps. 150. Noli extrinsecus thura comparare, sed dic, in me sunt Deus vota tua, quæ reddam laudes tibi.* Et ante eum Tertullianus se offerre Deo dicit *orationem de carne pudica, de anima innocenti, de Spiritu S. profectam. Non grana thuris unius assis, non Arabicæ arboris lachrymas, nec duas meri guttas* &c. *Apolog. cap. 30.* Unde Constantinus Imp. *Tale Eucharistiæ sacrificium, ait, ab hominibus peragitur, ubi μὴ ὀσμὴ λιβάνου ἐπιποθεῖ) ubi πυρσός*, id est, *neque thuris odor desideratur, nec ignis incensus*, apud Euseb. *Orat. ad Sanctum cœtum cap. 12.* Nempe suffimentorum is priscus usus in Sacris umbra & figura fuit, sub legis pædagogia, uti docet Paulus *Hebræor. cap. 9. versu 8.* ubi cum de Tabernaculi instrumentis, speciatim verò de thuribulo aureo, egisset, addit: *Hoc declarante Spiritu Sancto, nondum factam fuisse manifestam ad Sacrarium viam, primo Tabernaculo adhuc consistente: quod erat exemplar pro tempore præsenti* &c. V. plura infrà ubi de *Suffimentis*, item in voce *Thymiama*. Tango hîc saltem, à Diis ad Principum, inde ad Episcoporum quoque in vet. Ecclesia, honorem, *incensi* usum translatum, uti hic passim videre est. In Ecclesia CP. diebus Catecheseon, post Dominicam τῦ Τελώνυ *incensa*, ἀντὶ φορῶν ἢ βαΐων, in festo Palmarum seu τῆ Βαΐων, cereos & cruces; rursus in magnâ feriâ IV. cereos & *incensa* dari consuevisse, docet Balsamon *de Incens. Patriarch. die Catechef.* &c.

*Incerament*a Navium, memorantur Livio *lib. 28 cap. 45. Etruriæ primum populi pro sua quisq; facultatibus Consulem adjuturos polliciti — Volaterrani* inceramenta *navium & frumentum* &c. Nempe *cerâ* piceque oblini naves olim solitæ. Unde Jul. Pollux, inter τὰ τῆ Ναυπηγῶν ponit κηρὸν ἢ κηρὸν. Et Plinius *lib. 16. cap. 11. Zopissam* ait vocari deralam navibus maritimis *picem cum cera*; quam mixturam unâ voce κηρὸν dixere Græci, uti videre est apud Arrianum *Periplo Ponti Eux.* & *ceram* Latini, ut apud Vegetium *lib. 5. cap. 7. Colore Veneto* cera *etiam, quâ ungere solent naves, inficitur.* Sic Val. Flaccus *Argonaut. L. 1.*

—— *tenues subiere latentia cera*
Lumina ——

Et,

——— *Fissaq; fluctu*
Vel pice, vel molli conducere vulnera cerâ.

Adhibita autem, ad rimas obturandas. Ovidius *Metam. lib. 11.*

——— *spoliataq; tegmine ceræ*
Rima patet ——

V. quoque Lucianum *Dialogo Charontis & Mercurii.* Cujusmodi proin naves *ceratæ* eidem Ovidio *Epist. Oenones*, &c. Sed & nonnunquam iis exitialis. Vegetius ubi suprà *cap. 14. Ardentes sagittæ per balistas in hosticarum navium alveos infiguntur, inunctasq; cerâ & pice & resinâ tabulas tot fomentis ignium repentè succendunt* &c. V. Jo. Frid. Gronovium *Not. ad Livium d. l.* ut & hîc ubi de *Cera, Pice*, item in voce *Zacynthus*. Italos hodieque verbum utrumque, *Incerare* & *Inceramento*, in vernacula sua retinere constat.

Incestus, flagitium est cum ea commissum, cum qua Religio aut sanguinis ratio conjugium prohibet. Quænam autem conjugia vetita sint, apud Hebræos, aliter Talmudici, Karræi aliter pronuntiant. Et quidem Talmudicis, ex disertis Legis Mosaicæ verbis atque eo quod ex ipsis ita necessariò consequitur, ut non admitti nulla cum ratione queat, pro vetitis, partim sanguinis, partim affinitatis seu propinquitatis nomine, fœminæ habentur octodecim (in quibus etiam Mater, Noverca & Soror, ex jure ipsis naturali seu Noachidarum antea pariter vetitæ) ut in Schemate sequenti.

Avus Paternus. *Avus Maternus.*

Patruus. UXOR PATRUI | AMITA
NOVERCA *Pater*

MATER. MATERTERA.
Prosocrus. Prosocrus.

Socer SOCRUS.

Frat. FRATRIA. SOROR. *Ruben.* *Maria.* SOROR UXORIS.

Filius. NURUS. *Filia.* *Privignus.* PRIVIGNA.

NEPTIS. NEPTIS. FILIA PRIVIGNI. FILIA PRIVIGNÆ.

Scilicet turpitudinum harum revelatio, in Lege sacra, adeoque Concubitus & Matrimonium heic Mariæ conjugi (quem. ut contingunt sive sanguine sive affinitate, sic nominantur hic fœminæ cunctæ) ut tot *Incestus* genera interdicuntur. Ita tamen, ut quindecim tantum disertis Legis sacræ verbis, tres reliquæ ex necessariò consequenti, ajant vetitas: è quibus quindecim illæ majusculis in Schemate exhibentur literis; reliquæ tres, nimirum Prosocrus utraque ac filia minoribus; ideo tantum adjectis interea charactere diverso, Avorum Patrui, Patris, Soceri, Fratris, Filii ac Privigni nominibus, ut relationum connexio faciliùs intuenti appareat. Occurrunt autem *Incestûs* hæc interdicta, Levitici *cap. 18. à versu 6. ad 18.* & *cap. 20. vers. 14. 17. 19, 20, 21.* Deuteronomii item *cap. 22. vers. 30*, alibique. Quali verò ratione utantur Talmudici, dum reliquas tres illas, seu Prosocrum utramque ac filiam, ex Lege sacra satis vetitas asserunt; quidnam item ex avita disciplina sentiant de eo, quod est, utrum interdicta illa *Incestus* sacra, quatenus in Pentateucho habentur, ad genus indiscriminatim humanum universum, an tantùm ad Hebræos, id est, an ad Jus Gentium heic imperativum, an ad Hebræorum Civile, spectent, ut & alia non pauca imprimis huc attinentia, fuse explicat Joh. Seldenus *de Jure Natur. & Gent.* V. quoque eum *de Uxor. Hebr. lib. 1. cap. 1. & 2. ubi de Fœminis secundariis, quarum conjugia ex Majorum instituto, extra Legis sacræ verba ac vim, juxta Talmudicos, vetita sunt, sive sanguinis sive affinitatis nomine.* Aliter longe secta altera Judæorum seu Karæi, qui præcisè Legis literæ inhærentes, in diversa tamen ipsimet inter se abeunt, ut videre est *Lev. capp. 3. 4. 5. & 6.* Addo saltem, interdictorum *de Incestu* violationem, pœnâ Excisionis cœlitus exspectandâ, plecti consuevisse, & prolem ex tali congressu susceptā pro Mamzere seu spurio, cui ingrediendi in Ecclesiam Domini (i. e. Israelitidē puri sanguinis ducendi) jus non esset, habitam fuisse, unde & Parentes impietatis gravissimæ, & liberi maximæ natalium impuritatis nomine, fuere invisi: in quo Karæis cum Talmudicis conveniebat, quamvis illi ipsi inter se sententiis discreparent quam maximè. V. iterum Seldenum *modò laudato cap. 6 sub fin. & de Jure N. & G. juxta Discipl. Hebr. lib. 5. cap. 11.* Sed & apud alias gentes, ἀδιαφθόρως se. & κτ̀ φύσιν ἔχέσας, *non corruptas, & natura convenienter se habentes*, uti loquitur Michael Ephesius *ad Nicomach.* hujusmodi conjugia impermissa: & *incestum* jure gentium committi, inter gradus ascendentium & descendentium, ait Paulus JC. *de ritu Nupt.* Imò

Feræ quoque ipsæ Veneris evitant nefas,
Generisq; Leges inscius servat pudor,

Sen. *Hippolyto.* Et proin non eo minùs jus hoc est, quòd à Persis contemnebatur: cui speciatim mori causam pravam educationem prudenter assignat Dion Prusæensis *orat. 20.* nec quòd conjugium cum fratris filia vetitum antè apud Romanos permisit Claudius, vetuit Nerva, permisit Heraclius. Meritoque *in Epist. Can.* Basilii M. ad *Amfiloch. can. 75.* qui cum propria sorore pollutus est, postquam serò flagitium agnovit, triennio stans deflere prope fores τῆ Εὐκτηρίυ, *domus oratoriæ*; dein alio triennio ad ἀκρόασιν solùm recipi; porrò itidem triennio se prosternere; decimo anno in fidelium orationes suscipi, sed sine oblatione, demumque biennio post, ad communionem admitti, jubetur. At Canonibus, qui dicuntur *Apostolici*, qui duas sorores, alteram post alteram duxisset, aut ἀδελφιδῆν, i. *fratris aut sororis filiam*, tantùm à Clero arcetur &c. Quam in rem V. plura

plura apud Hug. Grotium *de Jure Belli & Pacis lib. 2. cap. 5. §. 12 & seqq.* adde Casp. Barthium *Animadvers. Papin. ad Theb. lib. 2. vers. 68.*

Incile, ab *incidendo*, fossa est in viis ducta, ad deducendam aquam, Fest. Cujusmodi *incilibus* lacunosis voraginosa Ægyptus inprimis olim facta est, tum ne aqua deesset iis, qui à Nilo erant remotiores, tum ut merces terræque proventus hinc inde deportarentur, tum in viatorum usum, tum denique ut regio invia fieret atque inaccessa. Quod opus Sesostris inchoavit, Nilus postea, & Sabacon Æthiops (cujus successor Sethon Sennacheribo fuit æqualis) perfecere. Quo pacto cùm magna Ægypti pars equitatui inaccessa fieret, ἱπποτροφία Ægyptia, illa adeò in Sacris celebris, paulatim in desuetudinem abiit, ita ut non solùm Oppianus, Nemesianus, Vegetius, Absyrtus, Alii, de Ægyptiis equis altum sileant, sed & e Græcia venales equos Alexandriam Nicagoras Messenius deduxisse legatur, apud Plut. *in Cleomene.* V. Sam. Bochartum *Hierozoici Parte prior. lib. II. cap. 9.*

Incisi, quinam Veteribus dicti, V. infrà, in *Matricula*: uti de profanis *incisionibus* Gentilium, in luctu, Levit. *cap. 19. vers. 28. & cap. 21. vers. 5.* V. quoque 1. Reg. *cap. 18. vers. 28.* Apud Walafr. Strabonem *Præf. ad Theganum* κόμμα seu *lectio* dicitur *incisio*, alibi *pausatio*. Alia notio vocis in illo, *Signum secunda incisione pulsare*, apud Carol. du Fresne *Glossar.* Sed & vox Architectorum est, de qua V. Jac. Gotofredum *ad l. 3. Cod. de Excus. artif.* &c. V. & infrà *Incomma.*

Incitatus, nomen equi insano Caii Caligulæ affectu nobilis. Ita enim de eo Suetonius *in Caligula cap. 55.* Incitato *equo, cujus causâ pridie Circenses, ne inquietaretur, viciniæ silentium per milites indicere solebat, præter equile marmoreum, & præsepe eburneum, præterq; purpurea tegumenta, ac monilia è gemmis, domum etiam & familiam & supellectilem dedit, quò lautius nomine ejus invitati acciperentur.* Dio quoque, *Unum verò ex equis suis, quem* Incitatum *nominabat, invitabat ad cœnam, ita ut ei hordeum ex auro apponeret funderetq; vinum &c. ac per salutem ejus & fortunam juraret; seq; eum Consulem facturum pollicaretur &c.* Ejusdem meminit Martialis *lib. 10. Epigr. 76.*

Pullo Mævius alget in cucullo:
Cocco mulio fulget Incitati.

Quasi diceret, Mævius, vir bonus licèt ac Poëta, & utraque disertus linguâ, cucullo nihilominus mulionico præ egestate utitur; cùm è contrario mulio, id est, curator equi, cui nomen erat *Incitato*, splendidissimè fuerit vestitus. Alii legunt *Incitatus*, in verbis Martialis, ut auriga hoc nomine sub Domitiano Imp. intelligitur. V. Anselm. Solerium *de Pileo S. 6. 15.* Screvelium *Notis in Martialem* &c.

Inciti, dicuntur in Latrunculorum ludo calculi, qui eò sunt redacti, ut cieri moverique amplius nequeant. Unde Prov. *ad incitas*, vel *ad incita* redigere, pro ad extremas metas compellere, & in summam desperationem aliquem adducere. Galli hujusmodi calculum vocant *scaccum mattum* i. *contritum* & subactum. *Mattus* enim antiqua vox & Latina, emollitum, *subactum* & maceratum significat: à Græco verbo μάττω, *pinso, subigo.* V. Salmasium *ad Vopiscum in Proculo.*

Inclinatio, salutationis species apud Monachos, quæ soli Abbati debetur. Inguiphus *p. 886. de Priore, Et quia in medio Fratrum rector est eorum, in honore, præter inclinationes, omnis honor ei & reverentia exhibeatur.* Quomodo autem illa fieri debeat, exponit Udalricus *Consuetud. Cluniac. l. 3. c. 2. Quilibet Novitius est instruendus, ut regulariter sciat caput* inclinare, *scilicet non dorso arcuato, ut quibusdam negligentibus est familiare; Sed ita, ut dorsum sit summissius quàm lumbi & caput summissius quàm dorsum: quam* inclinationem *nos per usum ante & retro appellamus, quia incipit contra Orientem & finit contra Occidentem*, apud Car. du Fresne *Glossar.* In eadem Communione, cùm profertur *Gloria Patri*, caput detegere illudque inclinare, qui in Choro sunt, non verò erigere se, jubentur in Episcop. *Ceremoniali l. 2. c. 1.* Idem observant, ad verba inter psallendum occurrentia, *Sit nomen Domini benedictum — sanctum & terribile — Benedictum nomen Majestatis — Benedictus Dominus quotidie — Benedicamus Patrem & Filium, cum Sancto Spiritu* &c. Macri Fratres *in Hierolexico*, in voce *Gloria.* Sed & cùm fulgura conspicerent, vett. Christianos ad terram se *inclinasse*, docet Cl. Suicerus *Thes. Eccl.* voce Ἀστραπή.

Inclusi, seu *Reclusi*, Græcè ἔγκλειστοι, dicuntur Theophani *ann. 17. 25.* Constantini Copron. Monachi, qui aut prope vicos vel Cœnobia, vel etiam in ipsis Monasteriis, in singulares cellas, ex iis non ampliùs exituri, vitæ solitariæ intuitu sese concludunt, ut liberiùs Deo sibique vacent: quod Monachorum genus Cassiano *Collat. 18. cap. 8.* & Isidoro *in Regula cap. 5.* minùs probatur. Ad hanc autem strictiorem vivendi rationem nemo admittebatur, nisi qui post emeritos labores & data virtutum Monasticarum argumenta, probè essent explorati, & quidem impetratâ Episcopi vel Abbatis veniâ, à cujus potestate neque sic eximebantur. Imò decretum in Synodo Trullana *c. 41.* ut, qui *clausuram* hanc amplecti volunt, Monachi, ab Abbate primùm, dein ab Episcopo, strictiùs examinentur, nec tamen statim, sed elapso pòst anno includantur, hac adhibitâ lege, ut eis in posterum omnis probibeatur regressus, nisi id evincat utilitas communis vel alia quævis necessitas: cujusmodi *Inclusorum* egressus, præeunte Episcopi benedictione, ob communem utilitatem factus, legitur apud Audoënum *de Vita S. Eligii lib. 2. cap. 29.* & in *Chronico* Fontanell. *cap. 11.* Sed & interdum Abbates ipsos strictius hoc vitæ institutum amplexos esse, sic tamen ut Monasterii interim regimen non deponerent, docet vetus *Epitaphium* Leoniani Abbatis, in suburbana æde S. Petri Viennæ, quod descripsit Car. du Fresne *Glossar.* Etiam *Inclusa* passim Moniales, apud Scriptores occurrunt, Gregorium Turon. *l. 6. c. 29.* W. Malmesbur. *Histor. l. 3. p. 111.* Alios: Ædes, ubi hujusmodi *Inclusi* degunt, ἐγκλειστήρια in Syn. Trull. *c. d.* Latinis *Inclusa, Inclusoria, Inclusoria, Reclusorium, Clusa, Clusorium*, dicitur. Unde Menardus *Observat. lib. 2.* id olim moris fuisse docet, ut virorum Ordinis Benedicti monasteriis adjunctæ essent quædam cellulæ, quas *Clusas* seu *Inclusoria* vocarent, arctiori studio virtutem exercitaturis. Cella v. istiusmodi, in *Ordine Inclusorum*, apud Raderum *in Bavaria sancta*, sic describitur. *Inclusa, i. e. domus Inclusi, debet esse lapidea, longitudo & latitudo in 12. pedes abeat, 3. fenestras, unam contra chorum, per quam corpus Christi accipiat, alteram in opposito, per quam victum recipiat, tertiam unde lucem habeat, quæ semper debet esse clausa vitro vel cornu* &c. Describit *Inclusorum* Regulam peculiarem idem Raderus, & ex eo Haeftenus *Disquisit. Monastic. l. 1. tract. 8. disquis. 2.* aliam habet *Codex Regularum Monastic.* Holstenii *Tom. II. pag. 281.* V. omnino laudatum *Glossarii* Auctorem, Jc. Casp. Suicerum voce Ἐγκλειστή, qua dies sepulti Servatoris Græcis dictus est, ut & infra quædam, ubi de *Reclusis.*

Inclusor, apud Hieronymum *in Jerem. c. 24. Fabros &* Inclusores, *vel Legis interpretes, atque doctores debemus accipere vel artifices inclusoresq; auri & gemmarum quarum apud Barbaras nationes pretiosissima est:* Alias *Clusor*, in *Glossis* Latino-Arab. Scaligeri & Raphelengii, *Clusor, qui gemmas auro concludit.* Sunt nempe *Clusores* vel *Inclusores*, qui aurum argento *includebant* & gemmas auro, διὰ τῆς ἐμπαιστικῆς τέχνης: quorum opera λιθοκόλλητα Græcis, item χρυσοκόλλητα; *auro clusa* Latinis dicta sunt: de qua arte accipienda illa Lucretii *l. 4.*

Scilicet & grandes viridi cum luce smaragdi
Auro includuntur.

V. Salmasium *ad Spartianum in Hadriano*, & suprà passim, inprimis ubi *de auro Clusis.*

Incognitus, nomen Auctoris, qui *in Psalmos* commentatus, humilitatis ergò, proprium celavit. *Michaelem Aygunum* fuisse appellatum, docet ex *MSS.* Benedicti XII. quæ extant in Bibliotheca Vaticanâ *num. 4006.* Car. Macer *in Hierolexico.*

Incomma, apud Vegetium *lib. 1. c. 5.* *Proceritatem tyronum ad* incommam *scio semper exactam*: fuit palus quidam mensuralis in castris hac lini positus, ut ad eum admotis, qui ad militiam deligebantur, tyronibus, vel qui sponte ad militiam accedebant, an justâ ac legitimâ essent staturâ, examinabantur. Est enim ἔγκομμα, palus in terram defixus, Salmasius *ad Lamprid.* Fuisse verò eam mensuram 5. pedum & semis, colligit du Fresne ex Dositheo *l. 3.* ubi quendam in militiam adscribi postulantem Adrianus Imp. interrogat, πόσων ποδῶν, *quantum longitudinis haberet;* cui ille respondit, πέντε ποδῶν καὶ ἡμίσυ, *quinque pedum cum dimidio.* Milites certe, non ætate tantum, ac fortitudine, sed & staturâ æstimatos esse, palàm est. Hinc apud Frontinum *l. 4. c. 1. num. 3.* Pyrrho delectori suo dixisse legitur, *Tu grandes elige, ego eos fortes reddam.* V. Jac. Cujacium *Observ. l. 21. c. 5.* laudatum Car. du Fresne *in Glossario*, & infra, in voce *Spatha.*

Incrementum liberalitatis, apud Spartianum *in Hadriano*, *Pueris ac puellis, quibus etiam Trajanus alimenta detulerat,* incrementum *liberalitatis adjecit*, signate additum ab Auctore est. Hujusmodi enim largitiones *Incrementa* vocabant. Flav. Vopiscus *in Probo, Ut ejus dignitas* incrementis *adjuvetur*, i. *liberalitate.* Sic in vet. Inscr. INCREMENTA. PUERIS. CURIÆ. ET. SPARSIONEM. NUCUM. DENT. Contrà *Augmentum*, proprium tributi nomen est, apud Cassiodorum *l. 9.* &c. V. Casaubonum *ad Spartianum.*

Incrustationes, tectoria sunt parietum, ex crustis marmoreis ita factæ, ut solido de marmore subductis detractisque crustis parietes operirentur: Cùm *tectoria* propriè dicta essent, quibus è marmore contuso crebriusq; excreto & hareonato cum calce mixto, illi inducebantur diligentique fricatione levigabantur. B. Brissonius apud Joann. Calvinum *Lexic. Jurid.* Sed & *incrustabantur* parietes aliaque etiam calce, argillâ, gypso, lapide aliaque materiâ. Corrasius *Miscellan lib. 4. cap. 16.*

Incubare, vox in Sacris Gentilium usitata, de iis, qui in Fanis Deorum somnia captabant, occurrit passim apud Poëtas: de quo *incubandi*, & castus sive jejunii prævii, atque id genus aliis ritibus, V. Ciceronem *de Divinat. lib. 1.* Strabonem *l. 16.* Pausaniam *Laconicis*, Tertullianum *de Anima cap. 27.* Arnobium *l. 1.* Suetonium *Claudio c. 25.* & hic non uno loco, inprimis in voce *Dormire*, item *Melota.*

Incunabula, quibus infans cunis alligatur, memorantur Plauto *in Amphitr.*

Nemo eum colligare quivit Incunabulis.

Discernendæ utique à fasciis seu pannis toti corpori circumdari solitis,

pollicis, quæ ideo adhibebantur, ut per aliquod tempus membra stringerent, & salem, quo tenella corpora conspergebantur, continerent. Hæc verò, nempe *Incunabula*, usurpata, ne infans motu exturbaretur: & quidem illustriorum ex purpura erant. Transierunt subinde ad mortuos, sicuti *κοῖται* mortuorum ad *cunas*. Unde apud Georg. Palamum *Orat.* 1. elegantissime accusat Annum corpus, & se eo contineri ac stringi in ipso matris utero queritur, nec liberari dum in lucem prodit, sed oriri hinc ejulatus natalitiis cantibus ex adverso respondentes & undique devincientes fascias & cunabulorum vincula, sepulchralibus ligamentis cognata: Ἐ-[illegible], inquit, [illegible]. Quem locum Gibertus Cuperus *Observat. lib.* 2. *cap.* 9. optime explicat, ex nummo Antonini Pii, cujus aversa in parte Faustinæ partus videtur, sub specie matris Idææ, cum tympanistis & tibicinibus Annum in iis infantes nunquam superarant, quibus tripudia quoque inter ornamenta. Ipsas verò cunas quod attinet, movebant eas vel servi Cunarii, qui postea forsan eorundem puerorum pædagogi, vel ancillæ Cunariæ. Formæ variæ, ut & usus. Et quidem puerorum Cunæ à latere, Medicorum (namque & hi cunis usi) etiam sursum deorsumque duci potuerant; ad quarum priores referri potest elegantissima tabula, antiquissimi codicis manuscripti Geneseos, apud Lambecium *Comm. Biblioth. Cæs* l. 3. V. quoque Arnobium *L.* 4. *adv. Gentes.* Præerat his cunis & pueris ipsis intra cunas Cunina Dea. Juxta eas verò congestæ aviculæ, quibuscum luderent, item speculis adjunctique catelli & dracunculi, nec non cymbala; cultelli quoque apud populos Septentrionales. Alius nummi à Nutrice accepti, à quibus etiam mobilibus curribus circumacti ferebantur. Circa Nilum Ægyptiaci in cymbis ludebant, cymbalis & tibiis adhibitis, quem lusum insigniter illustrat sepulchrale marmor, apud Petrum la Sena *in Cleombroto c.* 6. &c. V. Thom. Bartholinum *de Puerperio Vet.* ut & suprà voce *Cunabula.*

Incus, Cinyræ inventum. Plin. *l.* 7. *c.* 56. *Invenit Cinyra — & metalla æris — in insula Cypro. Item forcipem, marculum, vectem, incudem.* Quæ, cum cudendo proprie ferro destinata sit, alia nantibus etiam deprehendendis inservire, tradit *l.* 37. *c.* 4. *Incudibus hi* (adamantes) *deprehenduntur, ita respuentes ictum ut ferrum utrinque dissultet, incudesque etiam ipsæ dissiliant. Quippe duritia inenarrabilis est* &c. Sed fabulosum hoc esse, & in scobem malleolo redigi facillimeque confringi hanc gemmam, idem alibi docet, V. Dalechampium *ad l.* At robori ostentando, *Incudem*, pectori superpositam, aliis tundentibus, constanter fert Firmus apud Vopiscum: *quum ipse reclinus ac resupinus & curvatus in manus penderet potius, quàm jaceret.* Quod genus *θαυματοποιίας* hodiernis hominibus non est ignotum. Fuisse n. suo tempore Parisiis hominem, qui non *incudem*, sed saxum septingentorum pondo, & eo gravius, pectori superpositum, aliis tundentibus similiter, in manus pendens, perferret, notat Casaubonus *ad l.* V. Thuanum *Histor.* ubi de ceremoniis, quibus Imperatoris Turcici filii octennis Circumcisio celebrata &c.

Incusandi Deos consuetudo apud Gentiles V. infrà de *Statuis.*

Indathyrsus, Rex Scytharum, adversus quem bellum Darius movit, non satis prospero exitu, memoratur Pherecydi Historico, quem ad Olymp. 81. Eusebius reponit. Græce Ἰνδάθυρσος: Clementi Ἰδάνθυρσος, Herodoto Ἰδάνθυρσος, forte pro Ἰδάθυρσος, Trogi Abbreviatori *Jancyrus* corrupte. Salmasius *ad Solinum pag* 846. V. & in voce *Idanthyrsus.*

Indentata Chartæ, in Fleta *lib.* 1. *cap.* 18. §. 4. seu *Indentura*, apud alios, Gall. *Endenteure*, Jurec. nsultis Anglis, idem est cum *Chirographo*; nempe syngrapha vel scriptura conventionalis, aut idem continenti quasi parallela, & ab ea decisa in modum *dentium*, ut pares esse & unà confectæ videantur, si forte controversia aliquà inde emergente simul aptentur invicemque conferantur. Cujusmodi *Indenturarum* usum apud Anglos ejusdem esse ævi, quo Chirographa, docet Ingulfus A. C. 875. Ut igitur in Chirographis, sic in *Indenturis* observabatur, ut contrahentium alter sigillum suum apponeret *Indenturæ*, quæ penes alterum remanebat. In *Monastico* Anglic. *Tom.* II. *pag.* 259. *In cujus rei testimonium huic indenturæ tam dicta Elisabetha, quàm prædicti Prior & Conventus — alternatim sigilla sua apposuerunt.* V. quoque Littletonem *sect.* 371. 372. Thom. Walsinghamum *A. C.* 1354. Alios. Pro contrahentium verò numero, non bipartitæ modo, sed & tripartitæ, quadripartitæ &c. interdum ejusmodi Chartæ erant, uti idem Littleton docet *sect.* 370. V. iterum *Monasticon* Anglic. *Tom.* I. *p.* 180. ubi *Tripartitæ Indenturæ* exemplum habes, du Fresne *Gloss.*

Independentes, V. suprà *Anicetum.*

Index, seu digitorum secundus, annulo quoque olim erat insignis. Plinius, ubi de digitis, quibus annuli inferebantur *l.* 33. *c.* 1. *Singulis*, inquit, *primò digitis geri mos fuerat, qui sunt minimis proximi. Sic in Numæ & Servii Tullii statuis videmus. Postea pollici proximo induere, etiam Deorum simulacris. Dein juvit & minimo dare. Galliæ Britanniæque in medio dicuntur usi. Hic nunc solus excipitur, cæteri omnes onerantur.* Ubi videmus, inter digitos, qui annulo insigniebantur, primum fuisse eum, qui minimo proximus est, dictus ob id Δακτυλιώτης vel *Annularis.* Rationem reddit Macrobius: *Quia is aptior cæteris. Nam pollex nec in sinistra cessat, nec minùs quam tota manus semper in officio est — Pollici verò vicinus nudus & sine custodia alterius appositi videbatur: Nam pollex ita inferior est, ut vix radicem ejus accedat. Medium & minimum vitaverunt, ut ineptos, alterum magnitudine, brevitate alterum*, &c. At idem honoris *Indici* postea tributum testatur præfatus Plinius; annulum autem, quo is ornabatur, Græcis *Κοριανὸν* dictum esse peculiari nomine, Jul. Pollux testatur *L.* 5. *c.* 16. *Κοριανὸς* [illegible]. Sed de hoc digito pauciora extant apud Autores probatos vestigia. V. Joh. Kirchmannum Lubecensem *Tract. de Annulis*, *cap.* 4. Ab *indicando* nomen habet, unde & *Indices* dicti, qui ad Principes Magistratusque clam patrata deferrent. V. aliquid de *indice Bacchanalium* suprà in voce *Custodia* & de præmiis hujusmodi *Indicum*, Liv. *L.* 2. *c.* 5. *L.* 4. *c.* 45. *L.* 22. *c.* 32 &c. Adhibebant autem *indicem* digitum Veti quoties manu aliquid affirmare volebant; & quidem totum eum inclinabant, allevatâ ac spectante humerum manu, ut ait eleganter Quintilianus: in exprimendo numero CCCC. cum eodem pollicem erigebant, sic aptatos invicem, ut indicis lateri superinducerentur interiora pollicis, quod ex Beda novimus Js. Casaubonus *ad Cæsarem Suetonii c.* 34. Apud Smaragdum *Regulæ Benedict. Comment. in c.* 4. *Cùm index in Oratorio percussus fuerit, mox omnes audientes, antequam currant, faciant sibi crucem in fronte, respondentes Deo gratias & tunc laborantes opus projiciant, artifices ferramenta dimittant, scriptores literam non integrent, omnis fratrum manus dejerat, quod agebat*: vox tabellam notat, quâ, loco campanulæ, ad cæ... exercitiorum signa utebantur, uti habet Dominic. Macer in *Hierolexico* De *Indicibus librorum*, apud Veteres, V. præclara apud Salmasium *Proleg. ad Solin.* & Cl. Suicerum *Thes. Eccl.* voce Πινακ.

India, adde sub finem, ubi de pop. *Indis*: Præterea robusti sunt, & egregià corporis specie, sed ignaviæ ac in luxum effusi. Sacrificant in sublimibus editisve locis: humi, tapetibus stratis, cibum capiunt: bovinis cornibus in pocula usi: herbam *Betel* perpetuò masticant. Vini loco succum, quem Palma arbor, vel Oryza expressa præbet, hauriunt: Ligneos olim habuere calceos, unde Philostratus vitam Apollonii describens *l.* 2. *c.* 9. inter cætera, quæ de moribus Indorum disserit, eos *ex arborum corticibus sibi calceos conficere solitos esse*, testatur: à quibus postea, ut credere par est, horum usus ad alias gentes manavit: Apud eosdem fuisse Æditæs, qui fructus maturos signo dato vendi curarent, auctor est Strabo *L.* 15 quemadmodum hodieque Antverpiæ moris est, ut venditiones tintinnabuli signo plateatim indicentur. Annis porrò utuntur Lunaribus, & aliquam Medicinæ, Astrologiæ ac Mathematicæ habent peritiam, cætera plane rudes. Qui inter illos Ethnici sunt, defunctorum cadavera comburunt, gloriaque ducit uxorum fidissima, mariti rogum viva subire: quam superstitionem plenissimè exposuit P. de Valle *Itin. tom.* 4. Reliqui Mahometani sunt: Sunt tamen ibi & Christiani quidam, à Lusitanis, Anglis, Belgis luce huc illatâ: Imò & Judæi nonnulli ibidem degunt. Sed & jam olim in regnis Narsinga, Cranganora & vicinis provinciis Evangelium à S. Thoma Apostolo annuntiatum esse, constans est traditio: Unde *Christiani Divi Thomæ.* Proin ejus res gestas, apud Malabares, vernaculis cantionibus institutis infantibus legimus. Corpus etiam ejus, in veteris Templi ruderibus, in urbe Maliapura, repertum, indeque Goam translatum esse, credi vult Maffæus. Certè magnifica ædes, à Vice-Rege jussu Emanuelis R. ejus honori erecta ibi cernitur. Ab hoc ergo qui iis in locis nomen habent Christiani, à Patriarcha Orientis Nestoriano Episcopi obtingere, antequam Europæi illuc penetrarent, unde auro illorum multum scoriæ immixtum. Etiam sub finem seculi 2. Pantænum à Demetrio Episc. Alexandriæ, ad prædicandum Indis Evangelium, missum esse legimus: quem Evangelium S. Matthæi illuc à S. Bartholomæo olim illatum ibi reperisse dicunt. Sub Constantino M. quoque Ædesius & Frumentius religionem Christianam ibidem propagarunt, &c. V. Auctores laudatos, quibus adde Salmasium *ad Solinum passim*, inprimis, *p.* 189. ubi *de duplici ratione cæsariem, quæ naturà nigra, inficiendi.* & *p.* 1092. ubi *de invento illorum, gemmas crystallo seu vitro tingendo adulterandi.* At *India*, in Judaicis velis picta, apud Claudianum *in Eutropium L.* 1. ubi invectus in eum, Consulem in Oriente factum, ideo maximè, quòd abjectissimus fuisset servorum & castratus, Rem incredibilem & tvilam,

Atque aliquis gravior merum, si talibus inquit,
Creditur, & nimiis turgent mendacia monstris:
Jam testudo volat, profert jam cornua vultur,
Prona petunt retro fluvii vada: Gadibus ortum
Armenii texere diem: jam frugibus aptum
Æquor, & assuetum sylvis delphina videbo.
Jam cochleis homines junctos, & quidquid inane
Nutrit Judaicis quæ pinguntur India *velis:*

Congeries est qualiscunque sive textoris sive pictoris artificiosa, animalium figuris perquàm stupendis nec omnino creditis, eisque tum ex *India* petitis ac receptis, tum famam inde ea de re portentosam, pro vario Artificum arbitrio, interdum superantibus, constans. Veluti Monoscelorum seu hominum qui nascuntur singulis cruribus & Sciapodum, seu qui plantarum suarum magnitudine inumbrantur, qui item cervicibus carentes in humeris habent oculos, Sylvestrium & Hirtorum, Serpentium cervos & amnantia ad parem molem, alia item tota haurientium, Leucrocotarum, Ealarum, Manticherarum, aliorum id genus, quæ Plinius, Solinus, alii, sive Indiæ tribuebant, sive somniabant in accessionem. Adeò ut mirantis apud Claudianum sensus sit, si mon-

monstrum hoc credendum, ne quidem dubitabo, quin hisce oculis posthac revera videro etiam, quidquid falsum atque, ut somnium inane, hactenus creditum, nutrire solet seu exhibere India illa, seu portentosum illud animalium Indicorum vivarium, grex, armentum, in velis illis seu tapetibus belluatis pingi solitum. *Judaica* autem hæc vela Claudianus vocat, quia Judæi tum in Oriente, utcunque dispersi, Urbeque Majorum & Templo carentes, vitæ tamen splendore, ædiumque ac supellectilis, veluti aulæorum, velorum, id genus aliorum copiâ, ac luxu etiam, multùm adhuc florebant: & licet sua etiam Christianis, sua Paganis, vela picta essent, Judæorum tamen belluata potissimum erant &c. V. quæ hanc in rem plura congessit eruditus Seldenus *de Jure Naturæ & Gentium, juxta Disciplinam Ebræorum. lib. 2. cap. 9.*

Indica Gallina, hodie dicitur, non quòd ex *India* primùm id genus invectum, sed quia, quidquid ad nos transmarinum adfertur, *Indicum* vulgus appellare solet. In Bœotia enim & Græcia passim nascuntur, eædem cum iis, quæ *Meleagrides* Veteribus appellatæ sunt. Namque & illis insigne corporeum, veluti clavus rotundus è capite exit, quod maribus ultra rostrum propendet, cùm in Venerem incitantur & fœminas ambiunt. Et similiter ova pariunt rubris punctis notata: ipsæque ut plurimum habent plumas nigro alboque variatas, sic ut rotundis maculis albis rhombi nigri distincti sint. Adde quòd, uti illæ, nec virosum illum saporem habent, quem in Africanis seu Numidicis prisci notarunt, nec paludicolæ sunt. Salmasius *ad Solinum pag. 871. & 872.* Bochartus tamen adhuc in ambiguo ponit, an longâ illâ Meleagridum descriptione, quam ex Clyto Athenæus exhibet *l. 14.* gallina Africana (hodie *Gallina Barbaria*) aut gallo pavo (nostratibus *Gallus Indicus*) aut avis tertium genus ab utroque dissimile intelligatur. Quippe cùm præter id, quòd alendæ meleagridi destinet τόπον ἑλώδη, *locum palustrem* (quæ verba, quomodo Salmasius expliccet, V. d. l.) eam dicat esse ἀστοργον πρὸς τὰ ἔκγονα ὄρνιθα καὶ ὀλιγωροῦν τῶν νεοττῶν, ὥστε ἀνάγκη τοῖς ἱερεῦσιν ἐπιμελεῖσθαι αὐτῶν, *avem sine ullo in prolem affectu, quæq; pullos suos ita negligat, ut Sacerdotes necesse sit illorum curam gerere*: quod nec Numidicis, nec *Indicis* nostris gallinis, convenit. V. eum *Hierozoici Parte poster. lib. I. cap. 19.* ut & infrà in voce *Meleagrides*. De *Indicis* verò *arboribus laniferis* seu *lanigeris*; *harundinibus* item, *mercibusq;* ab Ἰνδοπλεύσταις olim Mercatoribus Romano orbi illatis, aliisque, V. Salmasium ubi suprà *pag.* 216. 296. 1115. 1300. &c. nec non hîc passim.

Indica Romanorum navigatio, indigitatur Vopisco *in Firmo*, *Idem & cum Blemyis societatem maximam tenuit & cum Saracenis: naves quoque ad Indos negotiatorias sæpe misit.* Sic libro superiore in *Vita Probi* inter præcipua Pacis bona numerat idem Auctor, quòd multi navigarent: *Indicam* hanc navigationem sine dubio intelligens, cujus eâ ætate videntur Romani fuisse studiosiores. Fiebat autem omnis illa in Oceano Meridionali, quam *Atlantici partem* Vett. & *Indicum* & *Erythræum* sive *Rubrum Mare*, appellarunt. *Indorum* enim nomen ita hîc accipitur, ut cùm scribunt Historici, Trajanum in Sinu Rubro classem instituisse, ut per eam Indiæ fines vastaret. i. oras regionum, infra & supra Arabicum Sinum sitarum; quam Indiam ait ab Ægypto contingi, Josephus *de B. lib. 2.* Atque ita sæpe apud Geographos Græcos, Latinos, Arabes. Negotiatoriæ itaque naves istæ Firmi & aliorum Ægyptiorum, e Myoshormo, Ægypti vetustissimo emporio, solventes, per Arabicum Sinum, pars Orientem, pars Occidentem versus, tendebant. Et quidem Orientalis navigationis terminum statuit Arrianus eundem, quem & oræ universæ Meridionalis, quam totam Romani notam habuerunt jam inde ab illius & Ptolemæi temporibus: neque illam solùm oram, verùm etiam continuam plagam, quæ Orienti obversa, ita jam tum Romani notum, ut ad cognitionem illius non magna videatur facta accessio, per nostrorum hominum navigationes; quæ ab altera parte tantùm terras Vett. ignotas nobis aperuerunt. Nam Græcorum Romanorumque navigationes Occidentem versùs, cùm Arabicum & Avalitem sinum superaverunt, ultra Prassum non progrediebantur: quod promontorium est Æthiopiæ infer. in ea, ut videtur, regione, quæ hodie *Monambico* dicitur. Ut meritò reprehendantur, qui existimant cognitam jam illis temporibus fuisse navigationem in eam *Indiam*, quam *Occidentalem* vulgò vocant. Mercatores autem, qui ad *Indos* currebant, Ἰνδοπλεῦσται dicebantur: à quibus diversi omnino erant Ἰνδικοπλάσται (pro qua voce alii Ἰνδικοπλάσται legunt, in vet. *Glossariis*,) Sic enim dicebantur Coloratores, coloribus parietes pingentes & colores tectoriis inducentes: in quibus præcipuum aut unum de præcipuis locum obtinebat *Indicum*, quod ex India veniebat, harundinum spumæ adhærescente limo: Aliter iidem Σπλαστικοί dicti &c. V. Casaubonum & Salmasium *ad Vopiscum & Solinum l. c.* De Belgarum verò hodiernorum in *Indiam* navigationibus Georg. Hornium *Orb. Polit.* ut & in voce *Molucca*, item infrà, *Societas*.

Indictio, adde: *Indictionem*, quæ ab 8. Kal. Octobr. proficiscitur, à Constantino M. institutam docent passim Chronologi, unde & *Constantinianam* vocant, quam ab hac die ideò cœptam volunt, quòd tum imperare cœperit A. C. 307. Atque hujus quidem usum Gallis & Britannis familiarem fuisse constat, etiam ad extrema usque secula. Profert enim du Fresne ex 4. *Regesto Memorialium* Cameræ Paris. Acta hominii à Duce Britanniæ Regi Franciæ præstiti, quæ confecta dicuntur anno Domini 1366. *Indictione quintâ secundum morem Franciæ, mensis Decembris die 13.* cùm Indictio Romana quarta tum curreret. Eadem in Germania perinde semper obtinuit obtinetque etiamnum: unde & *Cæsaream* vocant: in Italia quoque observatam, patet ex *Charta* Mathildis Comit. apud Franciscum Mariam *lib. 3. pag. 108.* Præter hanc verò fuit *Indictio CPolitana*, quâ Impp. CP. utebantur, quaque semper utuntur Historiæ Byzantinæ Scriptores, Justiniano Imp. coæva, sub quo constat numeratam *Indictionem* à Kalendis Septembr. ex Cedreno & Paulo Warnefrido, *lib. 2. cap. 25.* In Italia obtinuisse, docet ex *Chartis* vett. idem du Fresne, qui ejusdem inveniendæ rationem ex recentiori Scriptore MS. Bibliothecæ Regiæ, qui inscribitur περὶ τῆς ψήφου τοῦ παγχαλίνου, καὶ περὶ τοῦ ἰνδικτου, subjungit, *in Glossar.* Quod autem *Indictionem Romanam* seu *Pontificiam* concernit, quando illa cœperit, non omnino constat. Ex *Epistolis* enim Gregorii M. aliorumque Pontificum, Pontificia Diplomata ac Epistolas indictionibus, more Græcorum à prima ipsa Sept. die inchoatis, subnotari, observare est: quod & adstruunt Acta vetera Vaticana, apud Baronium A. C. 1154. At Acta Alexandri III. apud eundem A. C. 1158. videntur *Indictionem* à K. Januarii exordiri. E quibus colligit Chifletius *in Trenorchio, pag. 253.* Indictionum initia variè, pro Scriptorum aut Notariorum arbitrio, ea tempestate tabulis adscribi consuevisse. Præter hanc triplicem *Indictionem*, quartam addit *Antiochenam*, à neomenia *Iiar*, i. Maji mensis, incipientem, Scaliger; qui Græcis Ἐπινέμησιν, *Indictionem* dictam esse, quod Eruditi quidam negant, observat *de Emendat. Temp. lib. 5. pag. 501.* Plura hanc in rem vide; apud Jac. Gothofredum *Prolegom. ad Cod. Theodos.* (ubi inter alia quadruplicem *Indictionem* facit, *Italicam* ab A. C. 312. *Orientalem* ab A. C. 313. *Carthaginensem* seu *Proconsularem Africæ*, ab A. C. 314. & *Africanæ Diœceseos*, ab A. C. 315. auspicantes) aliosque Auctores, laudatos Carolo du Fresne *in Glossar. cit.* adde Joann. Forbesium *Instructionum Historico-Theologic. lib. V. cap. 20. §. 5.*

Indictio belli, necessariò præmittenda, cùm pro re una res alia, aut pro debito res debitoris invaditur, multoque magis, si res eorum, qui debitori sunt, occupare quis velit; tunc enim interpellatio requiritur, quâ constet, alio modo fieri nequire, ut nostrum aut nobis debitum consequamur. Sic etiam, antequam summam potestatem habens impetatur ex debito aut delicto subditi, interpellatio intercedat oportet, quæ illum in culpa constituat, ex qua aut damnum dare censeatur, aut & ipse delinquere. Imò & ubi jus naturæ non præcipit tale quid fieri, ut cùm vis illata arcetur, aut ab eo ipso, qui deliquit, pœna deposcitur, aut cùm dominus rei suæ manum vult injicere, honestè tamen & laudabiliter interpellatio hujusmodi interponitur, putà ut ab offendendo abstineatur, aut delictum pœnitentiâ & satisfactione expietur, secundum illud,

Extrema primo nemo tentavit loco.

H. Grotius *de Jure Belli & Pacis lib. 3. cap. 3.* Quibus verò ritibus id fieri solitum, V. suprà, ubi de *Bello*, *Clarigatione*, *Denuntiatione belli*, *Fecialibus* &c.

Indictum, apud Recentiores, in genere, Nundinæ & Feriæ indictæ seu publicatæ; in specie nundinæ Sandionysienses in Gesta dicuntur, quas à Dagoberto Rege Doubletus *pag. 234.* aliià Carolo Calvo, institutas volunt, in platea, quæ *Indictum* similiter appellata, celebrari consuevisse, habet Nangius *in Chron.* vulgò *la Foire du Lendit*. V. Car. du Fresne *d. l. & suprà*.

Indiculus Dagoberti R. ad Sulpitium Arch. Bituric. in *Vita S.* Desiderii Episc. Cadurc. *cap. 8.* Epistola est, quâ præcipit ei seu *indicit*, ut eum ad Cadurcensem Ecclesiam ordinet ac consecret; cujus clausula, *Quod verò indicimus, manus nostræ subscriptione, ut mos est, decrevimus roborare: Dagobertus Rex subscripsi.* Sic habetur *Indiculus Regis ad Episcopum, ut alium benedicat*, apud Marculfum *l. 1. form. 6.* &c. Secundùm Bignonium ita differt *Indiculus* à *Præcepto*, ut *Præceptum* majoris auctoritatis fuerit diploma, non modò manu propriâ subscriptum, sed etiam sigillo roboratum, quo caruerit *Indiculus*. V. de istiusmodi *Indiculis* Regum, Auctores varios laudatos Carolo du Fresne in *Glossario*: qui interdum pro quavis Epistola vocem occurrere, addit.

Indicum, apud Plinium *l. 35. c. 6. E liquidis coloribus, quos à dominis dari diximus* (pingenti) *propter magnitudinem pretii, ante omnes est purpurissum, è creta argentaria — Ab hoc maxima auctoritas Indico. Ex India venit, harundinum spumæ adhærescente limo. cum cernitur, nigrum: at in diluendo mixturam purpuræ cæruleiq; mirabilem reddit. Alterum genus ejus est in purpurariis officinis innatans cortinis: & est purpuræ spuma. Qui adulterant, vero Indico tingunt stercora columbina, aut cretam Selinusiam vel annulariam vitro inficiunt*, & Vitruvium, *Item, qui propter inopiam coloris Indici cretam Selinusiam vitro, quod Græci hyalon appellant, inficientes, imitationem faciunt Indici coloris*: coloris genus est, vulgò *Indigo* dictum, quod vel factitium, vel nativum. Illud coloris purpurei & obscuri, fiebat apud infectores ex flore nigro, vel spuma purpuræ, supernatante cortinis tinctoriis, Græcisque recentioribus λαζοὺ & λάζιον dicebatur: Istud ex India apportabatur, Ἰνδικὸν μέλαν, *Indicum nigrum*, & Ἰνδικὸν, *Indicum* absolutè, appellatum. Priusquam enim dilueretur, torrebatur & terebatur, seu succernebatur

nebatur cribro, tumque nigrum apparebat & atramento fere simile, unde erroris occasio Plinio *Indicum atramentum sed. cap.* confingendi: at dilutum mirabilem mixturam præferebat cœruli & purpuræ. Quam autem illud originem haberet, incertum olim, atque *inexploratæ inventionis*, ut ibidem legas. Sponte hoc pigmentum nasci in arundinibus Indicis, *olim inhærens*, *velut ebullitionem*, seu ebulliens quoddam ejectamentum, tradidit Dioscorides aliique Vett. Plin us *spumam* vertit *adhærescente limo*, minus fortasse recte Nihil v. aliud esse, quàm pigmentum confectum in *Guzarate* ex Indico glasto, & *Anil* Turcis, Indis *Gali*, plerisque *Nil* vocari, Garcias ab Horto *lib. 1. cap. 26.* refert. aliique. Salmasius sic de eo: ...... apud Græcos Veterinarios *cap. 523. est Isatis, quam vulgo Europæi fere omnes pastellum vocant. Arabes vocant Nil, quo nomine & cæruleum colorem nuncupant. Inde & aliam herbam, quæ simili modo præparata similem colorem efficit, ea tum appellatione impertiunt. In Gujaratte, ubi plurimum celebratur hujus herba ad tincturam cruvania, vocari ferunt Gali. eam rori marino similem de facie faciunt Linschotius & Paludanus. Ocimo Garcias — Isatis nostra plantagini similia habet folia. Nec dubium porrò, quin Veterum Indicum, quod hodie ajunt inexploratæ inventionis esse, ex illa herba Indica parari solitum sit. Harundinum limum esse prisci crediderè. Nempe nesciebant, quomodo fieret & unde sumeretur. Ex India allatum & limo indurato simile quum viderent, putarunt spumam esse harundinum limo adhærescente. Et infrà, Isatidem & Indicum eodem colore inficere, ostendit Zosimus: ...... Illud μέλαν Indicum est Nil Indicum. Isatis, nostras Nil. Hoc pastellum cœruleum Narbonensium &c. ad Solinum pag. 1332.* Herba certè est, quæ seri quotannis solet, postquam pluviæ cessarunt, cannabisque speciem, cùm excrevit, præfert. Secatur trinis per annum vicibus, & primò quidem, cùm ad duos vel 3. pedes assurrexit, usque ad semipedem demetitur, quæ optimæ notæ est, & *Indicum* præfert cyanei seu cœrulei coloris longè floridioris & vegetioris, quàm quæ secunda, ac tertiâ vice secatur. Desectam sic conjiciunt Indi in stagna huic rei ex calce facta, quæ adeò dura evadit, ut unum continuum marmor videatur. Ambitus stagnorum communiter 80. aut 100. pedum est, quæ plerunque dimidiâ parte aqua repleta, tectâ postmodum hâc herbâ penitus complentur. Tum quotidie herba subigitur & cum aqua confunditur, donec folium (scapus enim seu caulis inutilis) limosum fiat ac incrassescat. Quo facto, post aliquot dierum quietem, cùm massa hæc in fundo sedit, aquâ desuper limpidâ existente, per foramina quædam in stagni ambitu facta, aqua omnis emittitur, ac calathis limus colligitur. Tunc videas unumquemque, circa cophinum suum occupatum, digitis oleo lubricatis prehensam massam diducere ac in pastillos formare, dimidii ovi instar habentes, inferiori sc. parte planos, superiore convexos: nisi quòd *Indicum Amadabathense* utraque parte planum, placenta velut, & id, quod in vicinia Agræ colligitur, quodque omnium præstantissimum est in globos formatur. Sic soli exponunt siccandum. Quia verò sabuli non parum sic formatis offis adhæret, solent eas incolæ, antequam in Europam transferuntur, cribro diligenter succernere, ut purum *Indicum* & integrum impensis dignum eò perveniat, pulverem verò domi tinctoribus vendunt. Ubi memorabile, illos qui huic operæ vacant, quantumcunque faciem tegant, tamen impedire non posse, quò minus intra octiduum ita imbuantur hoc colore, ut salivam non nisi cœruleam excernant. Sed & ovum juxta hos homines mane repositum, si ub vesperam frangatur, totus penitus colorem bibisse apparet: adeò acer ac penetrans pigmento huic vis est &c. Tingit autem *Indicum* & cœruleo & nigro colore telas, cujus rei causam suprà videre est; & in Imperio Mogolis M. magnâ copiâ colligitur, in regione Biana, *Indova* & *Corja*, quæ bidui circiter itinere, aut propius à Regni Metropoli Agra absunt, hocque omnium optimum est. Sed & provenit in loco, qui octidui itinere Suratâ, & in pago *Sarquesse*, qui 2. leuc. Amadabatho distat; quod planum est, ut diximus, quale etiam in Regno *Golconda* reperitur. Reperitur item in vico magno *Raout* aliisque minoribus vicinis, 36. leuc. dissitis à civ. *Brampour*; etiam Bengalense habetur, & aliud, quod Mexicanum Americæ Regnum mittit &c. Quam in rem V. plura apud Joh. Bapt. Tavernier *Observat. sur les Commerces des Indes Orient.* ut & suprà ubi de *Indica Navig.*

Indigetes, adde: Salmasio Deus *Indiges* propriè est, quem Græci ἐγχώριον θεὸν vocant. Poëta,

Dii patrii, Indigetes &c.

Item, χθόνιοι, non enim solùm τὸ ἐγχώριον, sed etiam τὸ ἐπίγειον vox notat; Δαίμονα quoque ...... quod verbum *Indigetem* exprimit, ex *indu* & *ago*, qui ibi agit & incolit. Iidem porrò *Semidei* & *Locales*, dicti. Glossæ, *Indigetes*, ... *iidem & ......*. Servius. *Dii topici, id est, locales, ad alias regiones nunquam transeunt.* Sed & *Indigetes*, quasi *Indicetes* dici possint, hoc est, homines *indicati*, quasi consecrati & dedicati, ἀφωσιωμένοι V. eum *ad Solinum pag. 71.* Servius *in Æneid. lib. 5.* illos *Divos*, non *Deos*, appellari vult, ut distinguantur à Diis majorum gentium seu Consentibus, de quibus V. suo loco. Quæ causa est, quòd Imperatores olim, post mortem Deorum numero illati, *Divi* dicerentur: quod quâ pompa fieri consueverit, V. suprà, voce *Apotheosis*, item *Consecratio*. Iidem Græcè Ἀ'ρχηγέται δαίμονες, animæ sc. erant demortuorum, quos princeps potestas cœlo locavit, sive, quia nobili reperto profuissent generi humano, sive quoniam gentis vel urbis erant conditores, sive quia bello rem præclare gessissent, V. Lactantium *de Fals. Relig. lib. 1. cap. 5.* Augustinum *de Civ. Dei l. 8. c. 5.* præter Ciceronem *de Nat. Deor. l. 1.* &c. Unde & dicti videntur ab honore eo, quod publice vocarentur. Certè & Festus sive Paulus *indigitanto*, exponit *imprecanto*. & apud Macrobium *Saturnal. lib. 1. cap. 17.* legimus: *Namq. Virgines Vestales, ita indigitant, Apollo Medice, Apollo Pæan.* Atque hinc *Indigitamenta*, ... βιβλία, libri vocabantur, quibus continerentur Deorum nomina & preces ritusque, quibus invocarentur. Fortasse iidem sunt, quos *Genitales* vocat Ennius *Annalium l. 1.* videtur tamen Ausonius aliter accepisse, *periocb. 4. Æn.* ubi *Deos Genitales* à Jove in concilium vocatos refert, ubi Consentes & Selecti sine dubio intelligendi. Primus v. quem *Indigetem* numen sortitum invenimus, Æneas est; cui sacellum extructum cum hujusmodi Inscr. PATRI DEO INDIGETI QUI NUMICI AMNIS UNDAS TEMPERAT, auctore Dionysio *l. 1.* Livius *Jovem Indigetem* vocat, *lib. 1.* Tempus & auctorem suggerit Festus: *Indigetis nomine Æneam ab Ascanio appellatum, cùm pugnans cum Mezentio nusquam apparuisset, in cujus nomine etiam templum construxit.* Fuere tamen Latinis & alii *Indigetes*, iique Æneâ antiquiores: quales, si unum exceperis Quirinum, omnes illi à Tullio memorati *de LL. lib 2.* *Colunto & illos, quos in cælum merita vocarint, Herculem, Liberum, Æsculapium, Castorem, Pollucem, Quirinum.* E quibus sex antiquissimus est Liber, cujus sacrum Liberalia 16. Cal. Aprilis, dies primâ sui parte nefastus, ut constat ex Kal. Rom. Quo per totum oppidum sedebant, i. e. feriabantur, Liberi Sacerdotes, ut ait Varro *de L. L. lib. 5.* Pueritiam item egressi virilem togam induebant, cujus causam exponit Ovid. *Fast.* Etiam inter *Indigetes* Deos Romanis fuit Semo Sanctus, qui & *Fidius*: Faunus item, quem *Indigetem* Silius vocat *lib. 9.*

Indigetesq. Dii Faunusq. satorq. Quirinus,
Alternumq. animâ mutato Castore Pollux.

Ubi ex sex istis Tullio relatis tres referuntur, & præterea intactus illi Faunus. Nec negari potest ei inter *Indigetes* locus, si Aboriginum Reges hoc ordine successerunt, quo memorat Eusebius: Janus, Saturnus, Picus, Faunus, Latinus. Sed in eo multa requirit Vossius: Nam Janus & Saturnus non fuere Aboriginum Reges, verùm ad Deos Selectos pertinuere, adeoque non animales, sed naturales, erant Dii. Præterea, commentum de Pico R. & augure unde promanaverit, Dionysius docet. Nec ullus inter Aboriginum Reges fuisse Faunus videtur; sed is iterum non animalis, verùm naturalis, Deus fuit; cum Silvano idem ac Pane, cujus cultum ex Arcadia Evander Italiæ intulit. Justius inter *Indigetes* Evander refertur, qui Italos literas docuit & agriculturam; quæ postea Saturno attributa, quia Evandrum in Saturno honorari placuit. Evandrum vero in Deos esse relatum, argumento est, quòd ei quotannis sacrificarint Romani, apud montem Aventinum, juxta portam Tergeminam. Porrò & Deas *Indigetes* Romani habuere: quales Carmenta & Acca Larentia; quarum illa à Majoribus accepta, ista Diis Majorum superaddita. Lactantius *l. 1. c. 20.* alterum etiam scortum (præter Larentiam) in Deas relatum ait, cui *Faula* fuerit nomen: Prout vocatur editione Aldi, Betuleji, Thomasii. Ubi Vossius suspicatur, prisco more *Flauram* scripsisse, id est, *Floram*, quod ex altero factum. Jam autem à Sabinis Flora culta fuit, cui proin voto se obstrinxit Tatius Rex, cum Romulo pugnaturus & hinc Romuli jam Numæque temporibus Floræ sacra ac Flamines legimus fuisse. Sed & Anna Perenna inter *Indigetes* sibi locum poscit, si ea fuerit Didonis soror: quam apud Æneam exulasse ajunt, sed, insidias struente Laviniâ, in Numico submersam, hinc pro Nympha Numici habitam cultamque & quia amne perenni lateret, vocatam Annam Perennam. Sed si jam *Anna* prius dicebatur, non fuerit id nomen ab amne. Nec Anna magis, quàm Dido, videre potuit Æneam, utpote inter quos trecentorum circiter annorum intervallum est, ut Vossius ostendit *Orator. Institut. l. 1. c. 6. §. 8.* Quare potiùs fuerit Anna Bovillana, vetula quæ plebem pavit, cùm in Aventinum secessisset, uti legimus apud Ovidium *Fastorum l. 3.* Quæ tamen secessio cùm Senatui vel Sacerdotibus Romanis non ita placeret, ut divinos huic vetulæ honores habitum ire vellent: nec negare interim quicquam tempora sinerent; os plebi sublitum decretumque, quasi in Annæ honorem, ut Martio mense, qui veteris anni erat primus, sacra cœlesti fierent Numini, quibus rogaretur, ut *annare & perannare*, hoc est, annum illum exigere & alios illi superaddere daretur. Bona insuper Dea, ἡ Γυναικεία θεά, ut vocant Græci culta à Romanis Kalendis Maji: quæ & ipsa inter Deas *Indigetes* sit, si vel mater fuerit Midæ Regis, ut Phryges volunt: vel Nympha Dryas, Fauni Regis Aboriginum conjux; quorum utrumque apud Plutar. *in Cæsare* legimus, vel, quod ex Varrone à Macrobio refertur, Fauni Regis filia. Sed quid de ea sentiendum, patet ex iis quæ de Fauno suprà. Atque hæc de temporibus, quæ Cæsares

præcessere: è quibus colligitur, sub Regibus hominem neminem cœlesti donatum honore *Indigetemq;* factum, præter unum Imperii conditorem Romulum, atque, ut videtur, longè tamen inferiore gradu, nutricem ejus Accam Larentiam. Postea verò, si quis hoc honoris adeptus sit, unicam esse Annam Bovillanam; nec tamen è sententia Senatus. Quamvis interea Heroës suos magnis dignati fuere honoribus, at non divinis: quæ distinxere etiam Græci, quibus aliud ἐναγίζειν, aliud θύειν. Prius conveniebat Heroibus: alterum notat in Deos referre. Sed apud hos fere usu veniebat, ut, qui prius essent heroicis affecti honoribus, iisdem postea præstarentur divini, quod Lampsacæ, inter alia, contigisse, Plutarchus habet *in præcl. Mul. factis*, ubi sacrificium in honoribus divinis fuisse, docet. Lapsâ sequentibus temporibus Rep. & statu rerum mutato, primus Cæsarum inter *Indigetes* relatus consecratusque Julius est, idque ab Augusto, de quo Suetonius *Julio cap.* 88. Unde in Juliani Cæsaribus, Augustum Silenus Κοροπλάθον vocat, id est, *puparum effectorem*; rationem ridiculi hujus nominis reddens, quòd, uti nonnulli faciunt pupas, sic ipse fecerit Deos, quorum unus primusque esset Julius Cæsar. Post eum consecrati alii: de quibus, & pariter Augusto V. Plinium *Panegyr.* Imò & Augustæ, aliique è domo Augusta, mares fœminæque. Nam Cajus Caligula sororem suam Drusillam, *Veneris Pantheæ* nomine consecravit: & Getam fratrem Bassianus Caracalla maluit esse *Divum*, quàm *vivum*; & Hadrianus Imp. sordidis & insipidis delitiis suis Antinoo Bithyno, submerso in Nilo, non dubitavit, velut certissimo Numini, cœlestes tribuere honores, oraculo etiam constituto &c. Sed de his V. suprà *passim*, inprimis in voce *Anima*, *Consecrandi ritus* &c.

Indignatio, V. infrà *Ira*.

Indoles, titulus Principum, adolescentium maximè, honorarius. Monachus Sangall. *de Rebus Caroli M. lib.* 2. *cap.* 15. *Quo etiam tempore epistolam ad vestram* Indolem *direxit* &c. V. hanc in rem plurima, apud C. du Fresne *Glossar.*

Indorsata Literæ, dicebantur olim *Brevia citationum* seu *submonitionum*, quòd in ejusmodi brevium, per quæ à Rege actori reum in judicium adducendi facultas dabatur, *dorso* seu tergo citatio & submonitio, ab Appatitore vel *Serviente* reo facta, ut in judicio compareret, adscriberetur: unde *Indorsatio*, executio citationis vulgò in Foro Anglicano: Gall. *Endossement*. V. *Statuta* Davidis II. R. Scot. *capp.* 18. & 41. apud Guil. Thorn. *A.C.* 1289. du Fresne.

Indoscythia, adde: Salmasio cis Indum & trans Indum simul posita, & intra ipsius Indi ostia, ad mare Indicum, multas Indiæ regiones complectebatur, emporiumque habebat nominatissimum, dictum *Barbaricum*. V. eum *ad Solinum pag.* 1150. & suprà, in voce *Barbaricum*.

Induci, propriè calcei dicuntur. Tertullianus *de Pallio*, *Impuro cruri purum aut mulleolum inducit calceum.* Infrà, *Si quid calceatui induitur.* Cornificius *de Rhetor. ad Herenn. lib.* 1. *Soleas ligneas in pedibus inductas.* Unde corrigendus Plinius *lib.* 33. *cap.* 11. *Nostraq; ætate Poppæa, conjux Neronis Principis, delicatioribus jumentis suis soleas & auro quoq;* inducere *solebat.* Lege, *inducere*: & Apulejus *lib.* 2. *Et cum dicto juvenem quempiam linteis amiculis intectum, pedesq; palmeis baxeis* indutum, *& adusq; deraso capite producit in medium.* L. *inductum*. Salmasius *ad Tertullianum de Pallio cap.* 5.

Inducia, Lycaonis inventum, juxta Plinium *lib.* 7. *cap.* 56. sunt conventio, per quam bello manente ad tempus bellicis actibus abstinendum est. Virgilius *pacem sequestram* dixit, Servius ad eum, *pacem temporalem*, ut & Thucydidis Scholiastes εἰρήνην πρόσκαιρον πόλεμον ἀνέχουσαν, Varro *pacem castrorum paucorum dierum* &c. Nomen non tam, ab eo, quod Gellius vult *lib.* 19. *cap.* 8. *inde uti jam*; nec ab *endoitu*, i. introgressu, ut Opilius voluit; Sed quòd *inde*, i. à certo tempore *otium* sit, quomodo ἐκεχειρίαν Græci vocant. Sunt enim *Induciæ*, in bello otium, non pax; ideoque accuratè loquuntur Historici, qui narrant sæpe, *pacem negatam*, *inducias datas*, Livius, Plutarchus, Justinus. Quare nec novâ in dictione opus est: nam, sublato impedimento temporali, ipso jure se exserit status belli, non mortuus, sed sopitus, ut dominium & patria potestas in eo, qui à furore convaluit. Apud Livium tamen, ex Fecialium sententia, finitis *induciis*, bellum indictum legimus: sed nim. istis non necessariis cautionibus ostendere vett. illi Romani voluere, quantopere pacem amarent, & quàm justis de causis in arma retraherentur, ut ipse Livius innuit *lib.* 4. *Cum Vejentibus nuper acie dimicatum ad Nomentum & Fidenas fuerat, induciæq; inde, non pax facta, quarum & dies exierat & ante diem rebellaverant: missi tamen feciales, nec eorum, cùm more patrum jurati repeterent res, verba sunt audita.* Quantum autem per *Inducias* utrinque liceat, vel non liceat, quæque alia huc pertineant, persequitur accuratè H. Grotius *de Jure Belli & Pacis lib.* 3. *cap.* 21.

Indus, dicitur ἐλεφαντάγωγος, h. e. *rector Elephantis*, undecunque sit ortus; quia hac arte maximè præstant, qui in *India* nati sunt & alios edocuerunt. Polybius *lib.* 1. de Cæcilio, qui Asdrubalem vi te fugavitque. θηρία σὺν αὐτοῖς μὲν Ἰνδοῖς ἔλαβε δέκα, *bellua cum ipsis* Indis *decem cepit.* Et *lib.* 3. cùm Annibalis elephanti Rhodanum trajecerunt, τοὺς μὲν Ἰνδοὺς ἀπολέσθαι συνέβη πάντας, τοὺς δ' ἐλέφαντας διασωθῆναι, *Cùm* Indi *omnes periissent, elephantos servari contigit.* In quibus verbis *Indi* vocantur, qui in India nati non erant, sed in Africa. Aliter se res habuit de Eupatoris elephantis, quorum rectores cum ipsis belluis ex India venisse vero consentaneum est, 1. Maccab. *cap.* 6. *versu* 37. *super unamquamq; milites erant triginta duo pugnantes in eis, &* Indus *ejus.* Ubi Vulgatus habet, *Indus Magister bestiæ*, &c. Istiusmodi *Indo* harpen tribuit Ælianus *Histor. lib.* 13. *cap.* 1. Πολεμιστὰς μὲν τρεῖς (φέρει) τοὺς ἑκατέρωθεν βάλλοντας καὶ τὸν τρίτον κατόπιν, τέταρτον δὲ τὸν τὴν ἅρπην κατέχοντα διὰ χειρῶν, καὶ ἐκείνῃ τὸν θῆρα εὐθύνοντα. *Bellatores quidem tres gerit, duos ab utraq; parte & tertium retro pugnantem, quartum autem harpen manu tenentem, quâ belluam dirigat.* Sic apud eundem *lib.* 13. *cap.* 22. elephas officii sui monetur τῇ ἐκ τῆς ἅρπης κρούσει· nisi quis malit ἄρπην ex Hesychio legere, cui ἄρπη est σίδηρος, ᾧ τὸν ἐλέφαντα τύπτουσι, *ferrum, quo elephantem verberant*: ut in Philostrato, καλαῦροψ est incurvus baculus, quo puer elephantem regit. V. Sam. Bochartum *Hierozoïci Part. prior. lib.* II. *cap.* 27. *pag.* 268. & 269.

Indusium, adde: Promiscuè verò hodie vox usurpatur. Ornatum eorum quod attinet, uti hodie extremæ illorum manicæ accessionem habent limbi è subtiliore tela vel simplicis atque expansi vel in densas plicas corrugati; sic tunicas ad manus fimbriatas Veteres gestasse legimus, apud Suetonium *Julio cap.* 46. Sed & circa collum fimbriata *Indusia* quoque Veteribus fuisse, discimus ex Lycophrone, ubi is in indumento exitum à superiori parte non habente, quo Clytemnestra in Agamemnone tollendo usa est, κρατοῦντας ἐμφὺς cæcis manibus cùm quæsisse, quà sc. caput exereret, canit. Vide Casaubonum *ad l.* & suprà, in voce *Focale*.

Inca, fullonis instrumentum, V. suprà *Inc*.

Inermes, in bello veniam merentur. Et quidem, ut de pueris fœminisque nil dicam, de quibus valet illud Senecæ *de Ira*, *Puerum ætas excuset, fœminam sexus*: universaliter de maribus, quorum vitæ genus ab armis abhorret, idem statuendum. *Jure belli in armatos repugnantesq; cædes*, Liv. & alibi, *arma habemus* (ait Camillus) *sed adversùs armatos*: qui proin Vejis expugnatis edixit, *ut ab inermi abstineretur*, apud eund. Et quidem in hac classe primùm ponuntur hi, *qui Sacra curant*. Nam ut hi ab armis abstinerent, mos ab antiquo omnium fuit gentium, atque ideo vicissim vi in illos temperabatur. Sic Philisthæi, hostes Judæorum, non nocebant Collegio Prophetarum, quod erat Gabæ, ut videre est 1. Sam. *cap.* 10. *vers.* 5. & 10. Cretenses, cùm intestinis bellis colliderentur, omnem noxam abstinuere à Sacerdotibus, & iis, quos humandis mortuis præpositos Καλακοῖδας dixere, teste Plut. *Quæst. Græc.* Gotthi Sacerdotibus Petri & Pauli extra Romam pepercerunt, apud Procopium *Gotthic. libro* 2. Quò prov. Græcorum pertinet, οὐδὲ πυρφόρος ὑπελείφθη. Certe & cùm tota Græcia olim bello ferveret, Eleos, utpote Jovi sacros, & eorum hospites in alta pace vixisse, auctor est Strabo *lib.* 8. Pari modo, qui ad Olympia, Pythia, Nemea & Isthmia certatum ibant, habuisse belli tempore ἀσφάλειαν καὶ ἀσυλίαν, *tutelam ac securitatem*, legimus apud Thucyd. *l.* 5. 8. & Plut. *Arato*. Adde his, qui studiis literarum honestis & humano generi utilibus operam navant &c. Dein *Agricolæ*, quos, tanquam in commune utiles, intactos in præliis relinqui, de Indis cum laude refert Diodorus Sic. *Bibl. lib.* 11. de antiquis Corinthiis & Megarensibus, Plut. de Cyro, Xenophon *Institut. lib.* 5. de Belisario, Suidas. Eosdem & Canones ascribunt: quibus *Mercatores* addunt, quo nomine continentur simul alii Opifices & Artifices, quorum quæstus pacem amat, non bellum &c. V. Hug. Grotium *de Jure Belli & Pacis lib.* 3. *cap.* 11. §. 10. & *seqq.* ubi & de iis, qui, postquam arma gesserunt, *inermes* se hosti exhibent, deditios sc. captivosque, accuratè disserit.

Infamia Corona, è lana olim, de qua V. C. Paschalium *Coronar. lib.* 5. *cap. ult.*

Infanciones, Hispanis dicti sunt Nobiles inferioris ordinis, quos ii hodie *Hidalgos*, Galli *Escuiers* vocant. Sic vero primitus Nobilium & Militum filii appellati sunt, qui nondum per ætatem Militari cingulo, nec proinde militari appellatione, erant donati; quod etiam apud Gallos obtinuit. De eorum multiplici ordine, ita Vitalis Episc. Oscens. *Sunt quidam* Infanciones, *quidam homines servitii sive signi. Infancionum autem alii Hermunii, alii Franchi de Charta vulgariter appellantur. Ermuniorum autem Infancionum alii Barones vel Ricchomines: alii Mesnadarii: alii simplices Milites: alii* Infanciones *simpliciter nominantur — Infanciones Ermunii, h. e. immunes ab omni munere seu onere — sunt tali nomine redimiti, quibus sunt libertas & conditionis decor, à tempore, quo non extat memoria, acquisita, imò innata — Infancio autem de Carta, est is cui immunitatem, quam genus vel natura negavit, liberalitas ejus, cujus erat adstrictus servitio, concessit cum authentico instrumento.* Idem alibi. *In Aragonia omnis homo descendens de genere Militari* (h. e. Militum seu Equestris Ordinis Virorum, qui non nascebantur, sed eligebantur, vulgò *Cavalleros*) *per lineam planam, est* Infancio, *sive sit legitimus, sive illegitimus, sive masculus sive fœmina. Tamen, quamvis veniat ex parte Matris ex lineâ militari,*

litari, non est Infancio, nisi habeat patrem Infancionem — Et per Foros habetur, quòd quilibet Infancio potest esse Miles in Aragonia &c. apud Car. du Fresne *Glossar.*

Infans, à non fando dictus est, teste Nonio: sicut Græc. νήπιος, à νὴ & ἔπω. Hic sive die sive noctu in lucem prodit, natalis dicitur dies, ut ex Varrone fusè explicat A. Gellius *Noct. Attic. lib.* 3. *cap.* 2. & quidem veræ nativitatis terminus, nonus est mensis, ex sententia Medicorum: Ovid. *Metam. lib.* 10.

—— —— —— —— *Jamq; coactis*
Cornibus in plenum novies lunaribus orbem,
Illa Paphon genuit.

Decimus ab illis laudatur, qui initium sumunt decimi: post quem *Semimasi* vocantur. Nec septimus infrequentior, de quo V. *Tristium lib.* 4. *Eleg.* 10. Quocunque tandem mense, primogenituræ magna semper veneratio, à qua Fortuna Natalis Primigenia eque solis fœmellis nunquam exponuntur primitivæ. Unde de gemellorum primogenitura litigarunt Jurecons. masculis fere favences, ut fortioribus, quod in Hispaniam veteres Gothi invexere primi. Omni autem nato apud Paganos Genius sociabatur statim, qui & vitæ auctor esset & gignendi: quem proin coluere votis, nummis, statuis & inscriptionibus. Fortuita puerorum Fortuna Genitalis regebat, sicut necessaria Fatum. Lares quoque inter Natales Deos habiti: Fuere & Dii Genitales alii majorum gentium ad Nativitatis providentiam electi, diversi à Genialibus. Γενέθλιοι Græcis, quibus placidis vel iratis, prout quisque natus, ita felix censebatur: Accessit quoque Neptunus Genethlius Deus, humore suo nativitatem promovens; ut Puerperarum hic proprios Deos omittam, de quibus *suo loco.* Nato *Infante*, nunc ploratus, nunc lætitia apud diversos: ipse plorat, antequam rideat, variam ob caussam. Utero egressum statim lavabant, tanquam à matre rubentem: solus enim Clodius Albinus, teste Capitolino, candidissimus natus legitur. Lavabantur vero partim sale, partim aquâ, eaque vel tepidâ, ut in funeribus: vel fervente, vel frigidâ, quâ Germani etiam legitimum fœtum explorarunt. Unde de iis Claudianus,

—— —— *Nascentes explorat gurgite Rhenus.*

Psylli partus serpentibus offerebant dijudicandos. Æthiopes avibus, ut legitimos discernerent, imposuerunt. Græci aquâ pariter ad sordes *Infantium* abluendas usi; additum subinde oleum in χύτλῳ vel toti corpori, vel oculis naribusve, ad infantis robur & calorem non satis firmum augendum, & conservandum. Lacedæmonii vino laverunt, alii Græcorum rore, Cimbri nive. Lavandi vel in clypeo collocabantur, antiquo cum funeribus ritu, ut patet ex Euripide *in Troadibus*: vel in mnauterna, vel labello, vel alio vase. Alvei quoque fit mentio, quod *Scaphisterium* appellatur: *Crates* Trismegisto: Christianis *Baptisterium*, qui id Romanis debuerunt. Alvei in familiis Cæsaris testudinei erant in usu, docente Capitolino *in Clodio Albino*: quo modo & lavabantur grandiores, quibus impositis hastam addebant, cum hac acclamatione, ἢ τὰν ἢ ἐπὶ τᾶς, ut de fœminis Laconicis scribit Thucydides *lib.* 2. Lavabant autem suis interdum manibus puerperæ ipsæ robustiores, ut plurimum obstetrices vel ancillæ, quin servi & Eunuchi, qui idcirco muneribus donabantur. Aliquando ipsi Patres id muneris obiere. Lotus *Infans* in terram statutus fuit antiquis temporibus, non sine pompa: mos e sacris Hebræorum, qui tamen ante Justinianum desiit. Religiose consecrata terra, quamprimum attigissent Augusti: factumque id, sive ut vocem terræ contactu acciperet, sive ut auspicaretur rectus esse Diis Conjugalibus, unde ab Obstetrice erectus in terram erigebatur, sive ut Opem seu Matrem communem salutaret, cujus posthac indigebat ope. Ita in terra constitutis Statina Dea, cujus meminit Tertullianus *de Anima*, præfuit, vel, ut aliis visum, Statanus. Nihil autem horum factum, si ante depositionem inter vivos esse desiisset. Hinc quorum vitalia indicta, tellure suscipiebantur a Parente, vel Procuratore ejus, quò inter legitimos numerarentur hæredes: Ubi differre constat, *nasci* & *suscipi*: *educare* & *tollere.* Fiebat ea sublatio ope Levanæ Deæ, de qua August. *de C. D. lib.* 4. *cap.* 2. sed à Patris dependebat voluntate, cujus vitæ & mortis potestas in eos, quos pro suis agnoverat. Cuncta ritu hoc celebrata, ut ex terra sublatum infantem susciperet per servum Parens, vel ejus vice Puerpera, vel soror illius, vel familiaris aliqua: Obstetrices quoque, unde *Terra matres* dictæ. Partum autem tollere nolebant Patres, si sexus esset sequioris, quippe masculus boni fuit ominis. Contraria Indis apud Curtium *lib.* 9. Lacedæmoniisque lex, quæ, Patribus arbitrio tollendi detracto, iis reliquit voluntatem suscipiendi, quibus spectandi infantes curam demandavit. Omnes Judæi, Crotonenses nullos tollebant: contra quam libertatem natæ LL. Papiæ & jus tot liberorum, apud varias gentes. Quos suscipere nollet Pater omnibus ergo & metus, more à Diis derivato, expositi fuerunt, de quo V. suprà, ubi de *Expositione*: Quem antiquorum barbarum morem non statim sustulerunt Christiani Imp. sed progressu temporis demum, ut videre est in *Cod. Theodos. tit. de expositis.* Quandoque enecati, cui contrariam legem Romulus opposuit, apud Dionys. Halicarnassæum *lib.* 2. Involucra porrò *Infantibus* duplicia erant, alia quæ rubenti substernebantur, quale linteamen album, quo, donec ablutus esset, involvebatur puer: hoc sacrum infantibus signum, quia ad Deos sacerdotesque linum pertinet. Alia jam lotus & in cunis reponendus habuit: quæ vel fasciæ seu panni, modò albi, modò purpurei, pro varia puerorum fortunâ, sæpius lanei, toti corpori circumducti, ut laxem continerent, & membra in rectum extura per aliquot annos stringerent: vel incunabula erant, de quibus *suprà.* Cunis impositi, ab Obstetricum cura ad Nutrices transierunt: quarum erat, à quinto nativitatis die, eorum cum Rumina curam gerere, fascus involvere, cunas movere, nænias lallosque cantare, cui cantilenæ Lallus Deus præerat, &c. V. infrà in voce *Nutrix.* Pappabant *Infantes* in ammam amplexuri, vel Patrem vocaturi, unde *Papa* pro Patre, apud Græcos Romanosque, pro *Avo* apud Arabes: *Mamma* pro matre seu nutrice, ortum. Lallabant eodem modo, unde *Lalli* & ἄλαλοι nondum loquentes, qui acceptâ voce Deo Fabulino sacrificabant. Qua de re sic pulchrè Valerianus Episc. Cemeliensis *Homil.* 10. *Ecce infantibus quàm sunt verborum admiranda principia, ubi primùm infirmis litera vocabulum Matris operatur, & distantis syllaba geminus Patris nomen orantur. Quis autem sibi tastus non sit, cum inter illa sermonum dura rudimenta luctantes labiorum sonos rudis lingua decipit, & os trepidum stitantia verba destituit* &c. V. Casp. Barthium *Animadvers. ad Statium Sylv. alis*, ubi & de *reptationis* exercitio infantium egregia quædam. *Papa* vero cibus eorum quoque, sicut *Bua* potus dictus est, docente Nonio *cap.* 2. Recens baptizatis Christianorum & *Infantibus* Paganis mel datum, cum lacte, ex vasculo χειλάδιῳ per spongiam: quarto enim die Nutricis lac successit. Masticæ & ... elixiola, puls & libum delicatiorum, sesama plebejorum seu cepæ alliique vilissimum genus, quibus pro potu acetum. Lacedæmonii citra lautitatem, ut fami assuescerent: Christianis veteribus reliquiæ Eucharistiæ præbebantur, Cypriani & Caroli M. temporibus. Sed antè, finitâ nempe ablactatione, epulæ instructæ, & pro ciborum auspicio Edusæ, potionis Potinæ sacra fiebant, porcellis lactentibus & pane furfuraceo, ubi simul Cubæ initiabantur, sicut apud Christianos fatre. Exportati denique in agros ad Dianam, tumque nutriri cœperunt, quod aliud erat, quàm ali. Inter hæc sacra tertius affulsit dies Romanis, Græcis quintus, quo coronæ natalitiæ foribus suspensæ. Juvenalis *Sat.* 9.

—— —— —— *Foribus suspende coronam,*
Jam Pater es.

Oleagina quidem Athenis, masculis: lanea fœmellis. Romanis laurus, & hedera apiumque, ut & aliæ herbæ fragrantes, in hos usus placuere. Quinto die emergente instituta λοιπὴ λεχώνα, sequebantur munera natalitia puero oblata, polypi, sepiæ, coronæ, gemmæ: Ἀνάθημα donarium vocabatur S. Baptismatis: Ὀπτήρια, quæ primò *Infante* viso exhibebantur. Alii insuper puerperæ & puerperii ministri eadem luce donabantur. Tota reliquâ hebdomade primâ, Junoni proposita mensa, seu ara, super quam votivus infans Diis oblatus est & commendatus votis: additus Junoni lectus & in ejusdem ærarium conjecti nummi. Sequutæ pro natis supplicationes, per omnia templa circumductis: Templa erecta & aræ positæ, cusique nummi Fœcunditati, pro singulorum conditione, spectacula varia, Circense, Atticum, statuæ cum Inscriptionibus, soluto voto, extructæ. Ultimo hebdomadis primæ die, natis Infantibus tabellæ Fata inscripta, vel virgæ natalitiæ compactæ sunt, quæ cum nato adolescerent: aliis querncinæ, aliis populeæ, à quarum felicitate fata puerorum metiebantur, veteres & annolas restituere satagentes. Seritorum non nomina arboribus, sed ipsos nuper natos appenderunt: Alii Veterum luminibus accensis in puerperio, fortunam natorum futuram explorarunt. Huic successit lustricus dies, quo nomen adepturi, quemadmodum mortui, lustrabantur; maribus nonus, femellis octavus, ultima hebdomadis aliis, qui etiam intra quintum diem substiterunt. Præerat Nundina Dea festo, quod Suovetauribus peractum & circuitione: circumferebantur enim pueri per Obstetrices vel ministros circa focum, unde Ἀμφιδρόμια, nec focus is quidquam erat, quàm ara Deorum hostiis calentes. Expiabantur dein aquæ aspersione per aniculas lustrali ex sputo & pulvere, è balneis plerunque sumto, V. Persium *Sat.* 2. *versu* 31. Hinc eodem die vario ferculorum luxu convivium agitatum. Pro lustratione circumcisio erat apud Hebræos, ex divino olim instituto: quam postea sibi quoque sumsere Samaritani, Æthiopes, Ægyptii, Colchi, Phœnices, Troglodytæ, Macrones, Edomitæ, Ammonitæ, Arabes &c. Nec apud Græcos Romanosque incognita fuit: Mahometani octavo demum anno, Syri decimo tertio, alii aliis administrarunt. Sic itaque nomen *Infanti* impositum apud omnes gentes, præter Atlantes, apud Ebræos octavo masculis, fœminis initio mensis. Nominalia Romanis masculis octavo, ut dictum: fœmellis nono. Græci variabant, ut in lustratione, aliàs quidem quinto, aliàs verò decimo: sunt qui & septimi meminerunt. Christianis nulla nec olim, nec nunc certa nominis dies. Ritus hi fuere: Convocatis amicis, eligebant qui præesset nominis impositioni, nomen dabant infanti, crines tondebant, Diis sacrificabant & agitabant convivium, V. infrà in voce *Nomen.* Profitebantur deinde Patres puerorum nomina publicâ contestatione, quam παιδογραφίαν vocat Modestinus, simulque in ærarium Ilithyiæ nummum inferebant. Mox intra tertium diem, in Actis publicis, relati à Præfecto ærarii, non no-

mina tantum, sed etiam cognomina, nec non dies nativitatis & Consul: quod & Indis olim & Europæis hodie haud infrequens: Vocabantur illa Acta *Fasti, Tabularia, Charta*, & in Saturni templo adservabantur. Porrò pueris sive ante lustrationem sive post dormientibus, quia Caprimulgum & Lilith, item Sagas seu Stryges, insidiari creditum, fascina eorum vel allio vel alysso vel Priapi iconculâ appensâ, abigere conabantur. Cui fascino *infantili* successere grandioribus bullæ ad invidiam, ditioribus aureæ, aliis coriaceæ, figurâ cordis vel lunæ pectori affixæ. Cùm morbis tentabantur, *Infantum* curam tractavere Matres præsertim, & Obstetrices. Æthiopes eorum frontem ipso natali die, Etrusci occiput & venas verticis temporumque Libyæ populi urebant: Potiones per clysteria ori infusæ. Ad sanitatem conservandam exercitia cunis conferebant, adultioribus vehicula & navigia: Nec deerant vota pro ægrotantium salute, quæ Junoni Lucinæ, Castori & Polluci solvebant, sanitate redditâ. Indignabantur enim animæ tenellæ hinc emigrare: sed mortuis inferias non libarunt, nec eos ante dentes natos ussere: quorum ideò nulla busta, sed suggrundiaria, corporibus eorum in urnulis impositis. Chalcidenses extra urbem in via ad Euripum humabantur. Grandiores natu sarcophago integris corporibus conditi in loco communi vel ante aras. Lugebantur vestibus cyaneis, mollitiei signo & fuscis, à tota familia præsertim matribus a. sororibus: ante Auroram, quasi à die rapti, facibus funeralibus & ad tibias clari; quia nec lug re trimo minores licuit. Monumenta tamen iis erecta, memoriaque Natalis diei quotannis celebrata festo Genethliaco solenni, quod cum in vivis solùm primitus obtineret; postea quoque ad fato functos translatum, constitutæque hac fini usuræ ad solvenda convivia sunt: unde Natales Sanctorum & SERVATORIS nostri Christiani mutuati sunt, qua de re Vid. infrà in voce *Natalis dies*, & plura in hanc materiam, apud Thom. Bartholinum *lib. de Puerperio veterum*. Atque hæc quidem de *Infantibus*, quorum noti Parentes: de quibus hoc unum addo, apud vett. Christianos Orientis, solitas fuisse fœminas, quadragesimo à partu die, *infantem* in templum deferre, ut velut Ecclesiæ eum initiantes, id quod ἐκκλησιάζειν dixere, uti docet Meursius *Glossar.* &c. At inventitii *infantes*, incertis nempe Parentibus nati, in antra Nympharum deponi solebant. Quod eò forte factum, quia puellæ, quæ parere gestiebant, à Nymphis prolem votis poscere, sc. ei rei consensu superstitiosorum præpositis, solitæ sunt. Euripides *Electrâ vers.* 627.

> A. Νύμφαις ἐπόρσυν᾽ ἑορτὴν, ὡς ἔδοξέ μοι.
> B. Τροφεῖα παίδων, ἢ πρὸ μέλλοντος τόκου;
> A. Οὐκ οἶδα, πλὴν ἓν βουφορεῖν ὡπλίζετο.

V. Barthium ubi suprà, *Theb. lib. 5. vers.* 519. ut & hic ubi de *Nothis*, ac *Spuriis*.

Dii, qui nascentibus infantibus praerant, ex Rosino.

Anculi & Anculæ. Dii Deæque erant ancillarum, Fest.

Carnea, vel potius *Carna*, vitalibus humanis præesse credebatur, ab eaque petebatur, ut jecinora & corda, reliquaque viscera salva conservaret.

Cunina, cunis præfecta est, quas tuebatur & fascinum submovebat.

Diva Educa, seu *Edusa*, escam infantibus præbere credita est: sicut Diva Potina potionem ministrabat. Utrique sacrificabant Nutrices, cùm primore cibo ac potione *Infantes* initiabant.

Fabulinus Deus dicebatur, quem fari incipientibus pueris invocabant, eique sacra faciebant.

Janus, primus commemoratus est Varroni, enumeranti Deos ab ipsa conceptione hominis & seriem eam perducenti, usque ad decrepiti senis mortem.

Juventus seu Juventas Dea fuit, quæ post prætextam excepit Juvenilis ætatis primordia, Augustinus *de Civ. Dei lib. 4. cap* 11.

Levana, de terra levabat *Infantes*

Lubentia, seu *Lubentina*, eadem cum Venere Genitali Dea.

Nascio, sive *Natio* Dea, nascentium fuit Præses, teste Cicerone *de N. D. lib.* 3.

Nundina Dea, à nono nascentium die dicta est, quo infantes lustrabantur, & nomina accipiebant. Is enim maribus erat nonus.

Opis invocabatur, ut opem ferret nascentibus & eos sinu terræ exciperet.

Orbona colebatur, ne orbi fierent *Infantes*. Arnobius *lib.* 4. ait, in ejus tutela fuisse orbatos liberis parentes.

Ossilago, Dea solidatrix ossium fuit.

Paventiam Deam constituerunt antiqui, ut ab *Infantibus* pavorem averteret. Augustinus *de Civ. Dei lib. 4. c.* 11.

Rumina, mammam parvulo credebatur immulgere. Idem *lib. 4. cap.* 8.

Statilinus & Statana Dea, educationi ab antiquis ascripti sunt, eo viz. tempore, cum standi ac consistendi potestatem habere incipiebant.

Vaticanus, in vagitu os aperire dictus est, vel vagitibus præsidere. V. A. Gellium *lib. 6. cap.* 17. Unde quidam *Vagitanum* legunt, apud August. *de C. D. lib. 4. cap.* 8.

Volupia, à voluptate dicta, similiter inter *Infantium* Præsides censita est &c. V. *suprà*.

Infans, nomen quod Regum filiis in Hispania tribuitur, utì legimus apud Vitalem Episc. Osc. quod nomen primitus ajunt sibi suo primogenito Sancio indidisse Ferdinandum II. Castellæ Legionis R. illudque ab Anglia hausisse ductâ in uxorem Leonorâ filiâ Regis Angliæ. Sed longè ante illud tempus *Infantium* *Infantissarum* obtinuisse nomenclationem, docemur ex *Epist.* Pelagii Episc. Ovetensis, qui vixit A. C. 1100. Is enim in *Veremundo II. R. Habuit*, inquit, *duas nobiles Uxores: ex una genuit Infantissam dominam Geloiram. Ipse Infans Ordonius Fronslei [illegible] lagis genuit plures filios* &c. Sic in *Charta* Alfonsi VI. Reg. Castellæ æræ 1118. *subscribit Ramirus* Infans *Garsia Regis filius*, apud Anton. Yepezium in *Chron. Ord. S. Bened. Tom III.* V. Suritz *Indicem lib. 1. ærâ* 1063. 1064. Mich. *del Molino in Repertor. Fetor. Aragon.* voce *Primogenitus* & Sebast. Cobarruviam in *Thesauro Linguæ Castell.* A' voce Cantabrica, *proximum Successorem Regni* significante, nomenclaturæ hujus originem arcessit Georg. Hornius *Orb. Imp. cum Not. Felleri pag.* 278. Sed & alibi *Infantes* & *Pueri* promiscue, dicti occurrunt etiam Magnatum filii, quinondum ex ætatis defectu feudorum paternorum possessionem adierant, quæ à *Custodibus* & *Tutoribus* interea administrabantur, donec ad legitimam ii ætatem pervenissent, qua de re dictum suprà in voce *Hæres*. Ita Fridericus Henrici II. Imp. fil. quem spectabat Apuliæ seu Siciliæ Regnum ex parte Matris. *Infans Apuliæ* appellatus est, uti testatur Auctor *Chronici* Senon. *cap* 19. *Puer Apuliæ*, in *Chron.* Andrensi *pag.* 634. *l'Enfant de Pouille*, in *Chron. Flandr. cap.* 21. Primogenitus Angliæ Regis, *Puer Anglicus* dicitur, Guillelmo Britoni *Philipp. lib.* 12. Filius Comitis Campaniæ, *L'Enfant de Champagne*, apud Mokium: Filius Regis Bohemiæ, *Adolescens Bohemicus*, apud Monachum Pegav. *p.* 6. Filius Ducis Clivensis, *L'Enfant de Cleves*. Monstrelleto, &c. Imo quoque *Infantes* & *Pueros* interdum deprehendimus indigitatos, eos forsan, feudorum paternorum jam adeuntes possessionem vel certe eorum possessores audirent. *Charta* A. C. 1088. apud Besliium in *Episcopis Pictav. Sub regimine Regis Francorum, Aquitaniæ Ducatum tenente Guillelmo infante Pictavorum Comite* &c. V. infrà in voce *Puer*, & plura hanc in rem, apud Car. du Fresne *Glossar.*

Infantadgo, nomen illustris in Hispania Familiæ, Mendozæ stirpis. Didacus enim Hurtadus de Mendoza, Admiralis Castillæ (filius natu major N. N. *de Hita & Butrago*, frater Inici Lopezii Dom. *de Castel nova*) pater fuit Inici Lopezii, qui primus Comes *del Real de Manzannares* & *March. de Santillana*, creatus est, A. C. 1445 & septem mares genuit, è quibus primus Didacus Hurtadus de Mendoza, novum decus genti intulit, *Ducis del Infantadgo* dignitatem adeptus. Huic, præter maximum natu, lineæ Ducalis continuatorem, de quo mox; filii fuere Johannes Hurtados Dominorum *de Beianna & Valhermoso* & Garsias Laso de Mendoza Dominorum *de Junquera in Guadalaxara*, cum cognom. *de Laso*, conditores. In stipite verò Ducum directo, Didacus Lopezius I. ex Brianda de Luna agnata (fil. Johannis Hurtadi de Mendoza) Inicum Lopezium I. genuit, Mariæ de Luna (fil. Alvari de Luna Duc. de Truxillo) maritum & ex ea patrem Didaci Lopezii II. quo & Mariâ Pimentelliâ, natus Inicus Lopezius II. Isabellam Aragoniam sibi junxit (fil. Henrici Aragoniæ inf. Fortunæ, D. Segorbiæ, Ferdinandi Aragoniæ R. qui obiit A. C. 1416. ex Henrico filio, nepotis) atque ex ea suscepit Didacum Hurtadum II. Com. *de Saldanna*, cui Maria agnata March. *del Cenete* (fil. Roderici de Mendoza March. *del Cenete*.) genuit Rodericum Duc. *del Infantadgo*, ex Anna agnata (fil. Inici Lopezii de Mendoza D. *del Infantadgo*, Didaco Hurtado II. geniti) Luisæ, Inici Lopezii (den. ...) Magdalenæ (den ...) & Mariæ patr. e quibus hæc ultima Garsiæ de Toledo Osorio Duci de Fernandina nupsit; primogenita verò Luisa, hæres, Ducatus titulum marito Didaco Gomezio *de Sandoval*, Comiti *de Saldanna* (filio Francisci *de Sandoval & Roxas* Duc. *de Lerma*) attulit; mater ex eo Annæ, Roderici & Catharinæ *de Mendoza Sandoval Roxas Duc. de Infantadgo March. de Santillana, Arguesso & Campo*, March. *del Cenete*; quæ nupsit Roderico de Silva Mendoza *Duci de Pastrana & Estremera*, Principi de Melito, & Duci de Villafranca in Regno Neapolitano: ex eo mater Roderici de Silva Hurtado de Mendoza Gozman Com. de Saldanna, qui uxorem sibi junxit N. *de Haro*, filiam Ludovici *de Haro* A. C. 1666.) Phil. Jacob. Spenerus *Theatro Nobilit. Eur. Part. II. p.* 106. & *Part. III. pag.* 80. & 87. ut & utrobique in *Indice*, ubi *Familiæ dispositionem exhibet*.

Infantes Monasterii, iidem qui vulgò *Oblati*: in *Capitulis* Theodori Cantuar. *cap.* 34. *Infantes Monasterii* 14 *annis carnem manducant*. Apud Eund. *cap.* 115. *Pueri Monasterii* dicuntur, ubi etiam vetantur *ante* 25. *annos ordinari*. Eorum modestiam in Ecclesia sic describit Domnizo de *Vita* Mathildis *lib.* 1. *cap.* 15. de Bonifacio Duce,

> *Scilicet assistens ad opus divinum bonus ipse*
> *Stabat in excelso solio, non corde superbo:*
> *Aspiciensq; chorum, facies vidit puerorum*
> *In terram pronas, psallentes dulciter horas,*
> *De quibus admirans, ita cur stant, neq; vagarent,*
> *A' Monachis didicit, semper quòd stant ita fixe.*
> *Hos non oblitus secundus Dux & opimus,*

Ita

Ire sub tectum clam Templi cœpit honestum
Quendam quippe virum cum nummis, vult quia mirum
Ipse videre, decem libras vir jactat ab ade,
In medioq; Choro strepitus sonat, & puerorum,
Quorum palpebra penitus nec sic patuere,
Aspexit nummum tetigit non ullus & unum:
Inde magis gaudens praclarus Dux ait autem:
In modicis annis sunt hi pueri velut albi,

apud C. du Fresne *in Glossario*: ubi etiam quædam de *Infantibus* seu pueris symphoniacis, quorum mentio in *Ordine* Rom. vulgò Gallis, *Enfans de Chœur*.

Infanticidium, ejusque degustatio, inter alia scelera, quorum infamiâ Christiani aspergebantur, sub Impp. Ethnicis, præcipuè iis exprobrata; quo nomine ad bestias damnabantur, ex *l.* Cornelia *de Sicar.* ut *humiliores solerent vel bestiis subjici*, *l.* 3. §. 5. *ff. ad leg. Corn. de Sicar.* Censebantur autem inter *humiliores* Christiani, adde etiam, *famosos*: quos leverius, *quàm integra fama homines*, *puniverunt*, *leg.* 28. §. 16 *ff. de Pœnis*, qua de re V. Sam. Petitum *Commentar. in LL. Attic. lib.* 2. *tit.* 3. plura verò de atroci hac Paganorum calumnia, apud Minucium Felicem *Octavio* & Athenagoram *Legat pro Christianis*.

Infelix Arbor, Catoni quæ nullum, Tarquitio apud Macrobium, quæ nigrum fert fructum. Ita enim hic in *Ostentario arborario*, apud Macrobium *Saturnal. lib.* 3. *cap.* 20. *Arbores, quæ Inferûm Deorum avertentiumq; in tutela sunt, eas infelices nominant. Alternum sanguinem, filicem, ficum atram, quaq; baccam nigram nigrosq; fructus ferunt, itemq; acrifolium, pyrum sylvaticum, ruscum, rubum sentesq; quibus portenta prodigiaq; mala comburi jubere oportet.* Nempe ligna hæc ad portentorum expiationem adhiberi solebant. Lycophron *Cassandrâ*, ubi de Locrensium Virginum calamitate.

Ὧν καὶ ἀκάρποις γυῖα συμφλέξας φυτοῖς
Ἥφαιστος εἰς θάλασσαν ἐκβράσσει σποδὸν κτλ.
Cum membra cremitis ustulans infamibus,
Cinerem procellis ventilabit Mulciber &c.

Et Catullus,

Vovit, si tibi restitutus essem,
Desissemq; truces vibrare iambos,
Electissima pessimi Poeta
Scripta tardipedi Deo daturam
Infelicibus *ustulanda* lignis.

Sed & perduelliones *ad arborem infelicem* suspendi consuevisse, docet Romuli lex, *Duumviri perduellionem judicent. Si à duumviris provocarit, provocatione certato. Si vincet, caput obnubito, infelici arbori suspendito.* V. Jo. Meursium *Commentar. ad Lycophronem*, Cœl. Rhodiginum *l.* 10. *c.* 7. Alios: De hominum v. *Infelicium* coronis præmiisque C. Paschalium *Coronar. lib.* 5. *c.* 6.

Inferi, fabula Plinio, *lib.* 2. *cap.* 63. ubi de avaritia hominum, in ipsa terræ viscera penetrantium, *Si ulli*, inquit, *essent Inferi, jam profectò illos avaritia atq; luxuria cuniculi refodissent.* Imò & Juvenali *Sat.* 2.

Esse aliquos manes & subterranea regna,
Et Pontum & Stygio ranas in gurgite nigras,
Atq; unâ transire vadum tot millia cymba,
Nec pueri credunt, nisi qui nondum are lavantur:

Et Lucretio, & omni Epicuræorum Scholæ, Luciano inprimis. Quibus celeberrimos Philosophos junge, Senecam earundem partium vel principem, *Consol. ad Martiam cap.* 19. Ciceronem *de N. D. lib.* 1. longe fusius *Tuscul. Quæstion. lib.* 1. Alios, qui figmentum utile Reipublicæ, ad coercendos impios, hanc *de Inferis* doctrinam vocavere. At Sapientiores Gentilium hac de re meliùs, inter quos & Protagoram librum περὶ τῶν ἐν Ἅιδου, *De iis, quæ sunt apud Inferos*, conscripsisse memorat Laertius *in Eo.* Certè non supplicia minus, ac præmia, post impletam mortalitatem superesse homini, præter Pindarum *Olymp. Ode* 2. *Epod.* 3. aliosque Poëtas, Philosophi sensere, Plato *de Rep. lib.* 3. *princ. de LL. lib.* 9. *sub. fin. lib.* 10. *alibiq; passim*, Plotinus Ennead. 3. Cato, apud Sallustium *in Catil.* Plutarchus *de aud. Poët.* Stoici, apud Lactantium *lib* 7. *cap.* 11. &c. Et quidem *Ignem infernalem* agnovisse, inde patet, quòd ποταμῶν φλεγεθόντων, *fluminum flagrantium igne*, ποταμῶν πυρὸς *fluviorum ignis*, Pyriphlegetontis inprimis, crebra apud illos mentio. Igne tamen ardentibus, ne lucis quidem solatium futurum, densissimis *Tenebris* obruendis, & ipsis non ignotum. Hinc apud Virgil. *Æneid. lib.* 6. *vers.* 265.

—— *loca nocte silentia latè*,

& *silens nocte perpetuâ domus*, apud Senecam *Hippol. Act.* 1. *Sc.* 2. V. quoque Plut. *d. l.* Porrò, *Abyssi profunditatem*, ingerit Plato *de LL. lib.* 10. & Trismegistus apud Appulejum *in eo. Carceris squalorem*, Socrates apud Platonem *in Gorgia*: *Catenas*, Virgilius *d. l. vers.* 549. & *seqq.* & Eris Armenius, apud Platonem *de Rep. lib.* 10. *Stridorem dentium ac fletum*, Virgil. *ibid.* Plato similiter & Trismegistus: *Extremitatem pœnarum*, Plato iterum *in Gorgia*: *Æ*[illegible]*nitatem*, Ovidius *in Ibin.* &c. Quæ omnia, fabulis quidem v[illegible] involuta, veri tamen non parùm continentia, unde illi hau[illegible] aperit Justinus Martyr, *Moses*, dicens, *antiquior est omnib*[illegible] *rum Scriptoribus, & quidquid — de pœnis Inferorum &* [illegible] *stibus, aut id genus alii Philosophi vel Poëta prodiderunt, à Prophetis occasionem ceperunt, tam sentiendi, quàm eloquendi talia. Sic fit, ut his omnibus inesse videantur aliqua veritatis semina.* Quam in rem V. præclarè differentem Tob. Pfannerum. *Theolog. Gentilis pur. Cap.* I. §. 5. & *Cap.* XXI. §. 5. & *seqq.* De loco vero *Inferorum* apud Vett. æque ac Recentiores incerta omnia. Spiracula Ditis & aditum eorum in monte Hirpinorum Apuliæ collocabant Romani, ubi proin Amsancti sacrum Diti persolvebatur quotannis. Hic enim specus ille pestifer, adeò apud Vett. celebris, cujus spiritus juxtà stantes necabat. Plin. *lib.* 2. *cap.* 93. *Item in Hirpinis Amsancti, ad Mephitis ædem, locum, quem qui intravere moriuntur.* Ad Septentrionis loca ponit Statius *Thebaid. lib.* 2. *vers.* 53. ubi & nunc plurimis persuasum Ostia Inferorum esse, Vid. Olai M. scripta edita Romæ A. C. 1555. Certe non aliam magis ob causam gentibus his olim prælata nox diei & tenebrarum regina Luna lucis principi Soli, Infernales Æthereis sanctiùs culti, ut alibi diximus. Alii in aere caliginoso, in centro terræ, alibi *Infernum* extruunt. Sobriè magis ea de re Theod. Beza *c. Brentium*, *Sicut cœlum, cujus majestas nobis nunc est incomprehensibilis — certum ac definitum locum esse, mundo ipso superiorem, ex Scripturis credimus: ita & Inferos ex iisdem Scripturis credimus certum ac definitum locum esse, quem non frustra scriptura Abyssum & Tartarum, Infernum deniq; vocarit Ecclesia, horrendis & æternis Satana & impiorum suppliciis destinatum. Quæ porrò de ejus situ & camera ridiculi nonnulli somniatores partim excogitarunt, partim ex profanis Scriptoribus repetiverunt, ut vanas & aniles nugas, relinquimus.* Cæterùm *de Diis Inferorum*, quos iis assignavit Gentilitas, V. ubi de *Dite*, *Furiis*, *Plutone*, *Proserpina* &c. de Sacris iis fieri solitis, Casp. Barthium *Animadversion. ad Statium passim*, inprimis *Theb. lib.* 4. de iisdem, ut & aliis huc pertinentibus, eundem *Commentario Superstitionum*, & hic non uno loco &c. Addam saltem, non creditum Vett. multis, *Inferis* recipi animas insepultorum, aut eorum qui immature vel violentâ morte extincti essent. Unde non animas ad Inferorum sedes jam adactas, sed solas ἀώρων & βιαιοθανάτων, in Necyomantia, evocari, utpote in propinquo degentes, neque ex intimis Orci sedibus avellendas, unde nullus reditus, erant persuasi, qua de re diximus aliquid suprà, ubi de *Aboris*. Nec hoc omittendum, Veteres *ad Inferos descendisse* tralatitiè dictitasse eos, qui diutiùs peregrinabantur, uti discimus ex Artemidoro *lib.* 2. *cap.* 60. Atque sic omnino intelligendum esse Ulyssis descensum, apud Homerum, & Æneæ apud Maronem, docet Jo. Meursius *Comm. ad Lycophronem p.* 244.

Inferia, adde: Hinc *spirantes Inferias* dixit Statius *Thebaid. lib.* 12. *vers.* 18. *Sed quòd sumtuosum erat & crudele homines vel victimas interficere, sanguinei coloris cœpta est mortuis vestis injici*, Servius in *Æneid.* 3. *vers.* 65. ubi pulchre de antiquissimo hoc ritu. Dicit autem *vel victimas*. Namque & *equi* Inferiis Ducum mactati, uti de Achille apud Homerum Patroclo, & Creonte apud Statium Menœceo parentante legimus. V. Barthium *Adversar. lib.* 14. *cap.* 19. Idem de Lusitanis scribit Strabo, hisque *capros* & *captivos* homines junctos memorat, *lib.* 3. *asinos* & *canes* Arnobius *lib.* 3. uti *canes* itidem *mensarios*, in duas partes dissectos, cum equis, rogo Patrocli Achilles modo dictus injicit &c. Erant autem *Inferia* hujusmodi vel recentes, vel anniversariæ: addebaturque non rarò funebris laudatio seu carmen, quod *Parentalia* dicebant Latini, Ἐπιτάφιοι λόγοι Græci, qua de re V. Scaligerum *Poëtices lib.* 3. *cap.* 122. & plura hic passim.

Infertores, vocabantur apud Romanos, qui fercula convivis inferebant: appellati ab opera, quam præstabant. Juvenalis *Sat.* 5. *versu* 80.

Aspice quàm longo distinguat pectore lancem,
Quæ fertur domino squilla & quibus undiq; septa
Asparagis, quâ despiciat convivia caudâ,
Cum venit excelsi manibus sublata ministri.

Ubi habent vett. glossæ, *ministri, infertoris.* Eædem ad illa ejusdem Poëtæ *Sat.* 11. *versu* 142.

Nec frustum capreæ subducere, nec latus Afræ
Novit avis noster tirunculus:

ita explicant, *hoc est quod vult dicere*, Infertor *noster furtum facere ignorat.* Et hæc quidem vox in Lege Salica extat. Ministerium tetigit Juvenalis, de quo suprà, & ante hunc Horatius *lib.* 2. *Sat. ult.*

—— —— —— [illegible] *Deinde sequuti*
Mazonomo [illegible] *erpta ferentes*
Membra gr[illegible] *multo*, [illegible]
Pinguibus [illegible]
Et lepo[illegible]
[illegible]

——— ——— ——— *Ut Attica virgo*
Cum sacris Cereris: procedit fuscus Hydaspes,
Caecuba vina ferens: Alcon, Chium; maris expers.

Ex nigra enim Maurorum gente *Infertorem* vini Nasidienus, hoc loco: sicut panis, Trimalcio habuit, apud Petron. V. Laur. Pignorium *Comment. de Servis.*

Infibulatio, olim in Citharoedis usitata, tum quaestûs, tum vocis gratiâ: Juvenalis *Sat. 6. versu 73.*

Solvitur his magno Comoedi fibula, sunt qui
Chrysogonum cantare vetent.

Rationem *infibulandi* monstravit Corn. Celsus *lib. 7. cap. 25.* qui *hoc quidem saepius inter supervacua, quàm inter necessaria esse*, testatus est: cujusmodi erat, quod insectatur Plinius *lib. 33. cap. 12. exhibitas argenteas fibulas mancipiis ad transitum virilitatis.* Pignorius tamen non nisi aereas se vidisse ait, quarum etiam speciem exhibet. Vetus Glossator ad illa Juvenalis *Sat. 6. v. 377.*

——— ——— ——— *Nullius fibula durat*
Vocem vendentis Praetoribus;

scriptum reliquit: *Fibulam dici circellos, quos Tragoedi in pene habent ut coitum non faciant, ne vocem perdant.* Et certe circelli, quos recenset, aptiores fuerunt, & quia leves erant, minimeque onerosi, & quia legimus religiosos nescio quos Turcarum, quos illi *Calender* vocant, hujusmodi annulis ferreis seu cuprinis, addo etiam argenteis, *infibulare* sese ad aucupandam apud populares suos opinionem sanctitatis. Unde & fibulas, quae apud Vegetium leguntur, *in Veterinaria lib. 2. cap. 15. & 31.* circellorum speciem prae se tulisse multa faciunt, ut credamus. Illae sanè, quas Musicorum vocat praefatus Auctor, thecam adnexam quandoque habuerunt, quae nudorum virilia includeret. Martialis *lib. 11. Epigr. 76.* cujus vicem supplevit aliquando aluta, teste eodem *lib. 7. Epigr. 34.* Hactenus Pignorius *Comment. de Servis*, V. quoque suprà in voce *Fibula.*

Infirmarius, Officium Monasticum, *Frater cui cura infirmorum commissa est*, ut habet Lanfrancus in *Statutis* Ordinis S. Benedicti *cap. 9.* de quo V. Haefrenum *Disquisition. Monastic. lib. 11. tr. 5.* Inde *Infirmaria*, nosocomium, conclave infirmorum, in Monasteriis praesertim, apud Matth. Paris. *A. C. 1252.* & ibique passim. Gall. *Infirmerie*, Car. du Fresne *Glossar.* Vide infrà *Nosocomium.*

Infleti, post mortem, infelices habiti. Virgilius *Æn. lib. 11.*

Nos animae viles inhumata, infletaq; turba.

V. quae suprà diximus, de Vett. mortuos *Defiendi* religione.

Infortiatum, pars una Digestorum Juris, quod barbari Jurecons. in tres partes diviserunt, *Digestum novum*, Infortiatum & *Vetus*: quae nomina Bulgari & Azonis aevo tum primùm nata, nomenclationis etymo adhuc incerto, C. du Fresne, ex Seldeni *Praefatione ad Angliae Historicos editos A. C. 1652. n. 8.*

per *Infortunium* suum, jurandi Veterum mos solennis, indigitatur Papinio Statio *Thebaid. l. 6. versu 171.* ubi Ino Palaemonis defuncti genitrix,

——— *per ego hac (inquit) primordia belli*
Cui peperi: sic aequa gemant mihi funera matres
Ogygiae ———

Ovidio item, *Metamorph. lib. 7. ubi de Jasone*

——— *per sacra triformis*
Ille Deae, lucoq; foret quod Numen in illo,
Perq; patrem soceri, cernentem cuncta, futuri
Eventusq; suos, & tanta pericula jurat

Sic jurat apud Eustathium Ismenius, κὴ τὰ φραικτὸν κλυδώνιον ἢ τὸν πικρὸν δουλείαν, *per tempestatem & mala, ob quae praecipitata fuerat Sponsa in mare, perq; amaram servitutem, lib. 11.* Imò κὴ τὸν τῶν ἐμῶν δυσυχημάτων θάλασσαν, *per meorum infortuniorum mare, lib. 8. &c.* V. Casp. Barthium *ad Papinianum illud Thebaid. lib. 6. vers. cit.*

——— *per ego hac primordia belli.*

Apud Astrologos *Infortunia* dici duo sidera, adnotat J. C. Scaliger *Poetic. lib. 1. cap. 26.* ubi ex Vett. sententia, *Ab se ipso*, ait, *nequit discedere Jupiter — sed rerum eventa nequaquam ab illo solo dependent, sunt enim sidera duo, quae* Infortunia *dicuntur ab Astrologis. Horum asperitate corroboratur Fati vis ad impedimenta virtutum, hujus Fati administra est, quam sub Junonis nomine Fortunam nuncupamus: Astrologi verò partem Fortunae vocant &c.*

Infula, sacrum capitis tegimen. Festo, *Infulae* fuere filamenta lanea, quibus Sacerdotes & hostiae & templa velabantur. Unde Scaliger, *Infilare*, inquit, *Veteres dicebant, pro amicire vel velare*; ut contrà *exfilare*, i. *exuere filum.* טהל *Infula, velamentum capitum Sacerdotum*, Sip. Sunt tamen, qui ab *infra* vocem dictam putent, propter vittas, quae ex illa infernis longâ appendice dependebant. Quidam cum Mitra confundunt, imò Hugo Victorinus *de Sacram. lib. 1. cap. 55.* Mitram, Tiaram, *Infulam*, Pileum pro eodem accipit. In rigore tamen aliud Mitra. *Infula* enim erat fascia lanea alba partem capitis capillo tectam ad bina tempora operiens, utrinque a districtâ ac dependente vittâ; ut propterea vittae & *Infula* saepe confundantur; in quam rem disserit copiosè ac eruditè Bernartius *ad lib. 5. Thebaidos Statii vers. 678.*

Proin idipsum erat *Infula* in Pontifice, quod Diadema in Rege, nisi quòd Regales fasciae latae, Sacerdotales verò tortiles erant, hinc στέφος Graecis propriè dicta, Latinis vett. *struppi.* Prudentius *in Symmachum lib. 2. de Vestalibus,*

Interea dum torta vagos ligat infula crines,
Fertur per medias, ut publica pompa, plateas.

De albo & cocco plerunque tortiles fuisse, discas ex Servio & Isidoro *lib. 19. cap. 30.* Sed & frondem oleae aut lauri iis circumvolutam, docet Statius *Thebaid. lib. 2. versu 99.*

——— *glaucaq; innexus olivae*
Vittarum provenit honos ———

Et Maro *Æn. lib. 3.*

Rex Anius, Rex idem hominum Phoebiq; sacerdos,
Vittis & sacra redimitus tempora lauro.

Imò *ramus infulis* ferè semper jungitur. Unde Varro *lib. 6. Etiam hostiarum infulis frondes & ramos additos*, ait. Namque & *Infulatas appares, quod velamenta è lana, quae adduntur infulis, item hostiarum cornua velamento erant.* Ne viz. hostia visis necis instrumentis percelleretur & turbas daret. Uti verò Reges vix unquam diademata ponebant, ita vix unquam Sacerdotes suas *infulas*, ut quibus nihil habebant sanctius. Sen. *Epist. 15. Habitura infularum loco sunt.* Hinc & armati sub casside eas gerebant. Idem Statius *lib. 7.*

——— *sacrumq; Lycorea Phoebo,*
Invitus jam fraxineum demiserat hasta
Robur, & excussis apparuit infula cristis:

Virgilius, *Æn. lib. 2.*

——— *nec te tua plurima Panthu*
Labentem Pietas, nec Apollinis infula texit &c.

Alii. Iisque praetentibus ipsum Numen adesse credebatur, Barthius *ad Statium Thebaid. lib. 2. vers. 96. &c.* Transiit postmodum earum usus ad Summos Magistratus, unde *Consulum Infulae* memorantur Jornandi *in lib. Success.* Praefectos item provinciarum, Spartianus *Hadriano, Martium Turbonem, post Mauritaniae praefecturam, infulis ornatum, Pannonia Daciaq; praefecit*, hocque modo sanctiorem & pleniorem illi potestatem assignavit. Sed de hoc loco infrà. Imò *infulae ornamenta honorum & communium munerum* dici coepere, in *MS. Glossario* Fausti Rom. Postremo quoque aevo, ubi omnem cultuum ornatum designabant, etiam vestimentorum, uti discimus ex Auctore *Vitae* Ludovici Pii, ubi *Infularum Imperialium & Sacerdotalium* nomine utriusque dignitatis ornatum vestitumque designat. Unde Casaubono datâ occasione duplicis generis *Infulas, Sacras*, quae Στέμματα Homero, & *Magistrales*, seu Ἀρχικάς statuendi. V. infrà. Quin imo Pontificum, triplicem, coronam supra simplicem Episcoporum mitram continentem, *Infulam* sunt qui appellant: inventum, ut plerisque visum Bonifacii VIII. V. Anton. Massonium *lib. de 3. Pontificiis coronis* & Car. Paschalium *lib. 9. de Coronis cap. 14.* ac *lib. 4. cap. 21.* Fuisse tamen hoc gestamen antiquius, nec à Bonifacio adinventum, vel, quod alii sunt arbitrati, à Paulo II. primùm introductum, sed ab hoc, cùm exolevisset, renovatum, contendit Jacobus Cardinalis Papiensis *lib. 2. Comment. de rebus Pauli II.* Alii Anastasii I. Imp. eam donum faciunt, missam Chlodovaeo I. Francorum Regi, Alarici & Alemannorum victori, quam hic postea Symmacho Papae transmiserit, in Basilica Petri reponendam. V. *Anastasius I* & plura hanc in rem, apud Ankelm. Solerium *lib. de Pileo sect. 13.* Atque hactenus de *Infulis* capite gestatis. Porrò manibus quoque gestabantur, ostendebantur, proferebantur Infulae: à supplicibus praesertim, tutelae, miserationis & venerationis causa, idque ab antiquissimis temporibus, sic enim Chryses Sacerdos supplicatum veniebat.

Στέμματ᾽ ἔχων ἐν χερσὶν ἑκηβόλου Ἀπόλλωνος,

apud Hom. *Il. α.* Et apud Spartianum. *Julianus Senatum rogavit, ut Virgines Vestales & caeteri Sacerdotes obviàm Severo prodirent, & praetentis Infulis rogarent.* Eodem modo pacem expostebant obsessi, *velamenta nempe & infulas pro muris ostentantes*, apud Tacitum *Annalium lib. 9.* Sic navem velatam infulis ramisque oleae Scipioni occurrisse, habet Livius. Quâ enim religione tuti erant illi, qui vel *ipsis* hostibus protendebant *ἱκετηρίας*, eadem protegebat illos, eaque loca, quae hisce velamentis erant insignita &c. V. plura hanc in rem, apud Car. Paschalium *Coronar. l. 4. cap. ult.* Casp. Barthium *Animadversion. ad Statium non uno loco*, praecipue verò *ad Thebaid. lib. 2. pag. 319. & seqq.* Salmasium *ad Solinum pag. 370.* Alios, quibus adde Caes. Bulengerum *de Imperatore lib. 3. p. 297.* & Car. du Fresne *Glossar.* ubi in Ecclesia Rom. casulam seu planetam *Infulae* nomine venire, inter alia, tradit, nec non quae dicemus infrà, voce *Strophium*, item *Struppus.*

Infula Pannoniae, apud Spartianum *in Hadriano*, ubi M. Turbonem, post Mauritaniae praefecturam, *Infulis ornatum Pannoniae* ac Daciae quoque praefectum ab Imperatore, scribit: Casaubono sunt insignia Praesidatus, ut qui *infulas* hic interpretatur lorum ac diadema, quasi caustas fasas sive pileos prisci Reges cingere consuevêre, duoque proin *Infularum* genera statuit, ut vidimus. At Salmasius à *fasciis* hujusmodi dignitatum *infulas* distinguens, στέφος vocari docet, ex Artemidoro *lib. 1.* In loco vero cit. verbis his, *Infulis ornatum Pannoniae*, non Pannoniae Praefectum

fectum intelligendum esse ait, sed *titulo duntaxat Præfecturæ profectura ornatum*, tantumque interesse inter *Præfectum & Præfectura insulis ornatum*, quantum inter *Consulem*, & *Consularibus insignibus ornatum*. V. eum omnino *Notis ad l. & de Insignis Majestatis, Not. ad Treb. Pollionem in Gallienis*.

Inga, conditores Peruviæ regni, in America Meridion. quæ familia, Duce Mangocastâ, urbem Regiam Cuscum construxit, circa A.C. 1100. Hujus successores longe lateque rerum potiti vastissimum Imperium constituerunt, ab Hispanis tandem everti. G. Hornius *Orb. Imper. cum Not. Felleri pag.* 486. *&* 487. V. quoque infrà, in *Peruvia*.

Ingelramnus, Episc. Metensis, in cujus gratiam Hadrianus I. Pontif. Rom. edidit *Collectionem Canonum* aliquot, ex Græcis & Latinis Canonibus & Synodis Romanis atque Decretis Præsulum & Principum Romanorum, A.C. 785. Indict. 9. 13. Cal. Octobr. Completitur ista Canones LXXII. ab Isidoro Mercatore *Collectioni suæ* insertos. V. Gerh. von Mastricht *Histor. Juris Eccles. num.* 191. & suprà in *Hadrianus I.*

Ingena, opp. Abrincatuorū olim in Gallia Lugd. memoratur Ptolomæo, cum ait: Μιχες τ̄ Σηκωάνα ποταμοῦ Ἀβρικάτουοι, ὧν πόλις Ἴγγηνα, ubi Valesius egit Σηνουνα vel Σηούα, non enim ad Sequanam, sed ad Senunam & Sevam flumi. a Abrincatuorum sedes. In Not. Imp. *Abrincata* nomine gentis appellatur, *Præfectus militum Dalmatarum Abrincatis*, in tractu Armoricano: In Notitiis plerisque Provinciarum & civitatum Galliæ, in prov. Lugdunens. II. tertio loco posita: *Abrinca* Orderico *lib.* 5. vulgo *Aurenches*, Urbis situm describit Brito *lib.* 8. *Philippidos*,

> —— —— —— —— *Obsedit Abrincas,*
> *Colle sitas inter Sevam Senunamq; supina,*
> *Pisciferos amnes, multo salmone feraces.*

V. suprà in voce *Abrincatui*, item in voce *Abrinca*.

Ingeniculatio, ritus in precibus frequens; cujus vestigia extant 1. Reg. *c.* 8. *v.* 54. Dan. *c.* 6. *v.* 10, 11. Lucæ *c.* 22. *v.* 41. Act. *c.* 7. *v.* 60. & *c.* 20. *v.* 36. & 21. 5. Sic veteres Christianos *de geniculis adorasse*, scribit Tertullianus. V. quoque de militibus Christianis, sub Marco Imp. pluviam rogantibus, Eusebium *Histor. Eccles. l.* 5. *c.* 5. Diebus tamen Dominicis, & à tempore inter Pascha & Pentecosten interjecto, post tempora Apostolorum omitti cœpit hæc ceremonia: quod hodieque Græci stricte observant, qui hisce diebus erecti precantur: Quia *Dominica dies sit dies resurrectionis, & tempus quinquagesimæ à Paschate ad Pentecosten Dominica dies sit aquale*, ut habet Germanus CPolit. *in Theoria Eccl. p.* 149. V. Cl. Suicerum *Thesauro Eccl.* voce Γόνυ, ut & plura suprà in *Genu*.

Ingenitus, cognom. Burchardi cujusdam, quod ex utero matris excisus, & arvinæ porci, ubi incutesceret, inclusus esset, ut habet Canisius *Antiqq. Lection. Tom.* V. apud du Fresne in *Glossario*.

Ingenium, machina bellica, *ingenio* & arte ad inventa, apud Tertullianum *de Pallio c.* 1. ubi de ariete. Hinc *Ingeniosi*, istiusmodi machinarum architecti, vel qui ipsis præsunt in bellis, apud Plinium *l.* 10. *Epist.* 40. & Albertinum Mussatum *l.* 4. *p.* 41. Gallis *Ingenieurs*. Cæterum de *Ingeniis*, seu laudibus quorundam, ab *ingeniis*, V. Plinium *l.* 7. *c.* 29. ubi Homerum, Pindarum, Aristotelem, Archilochū, & Sophoclem, ab omni ævo, hac parte felicissimos deprædicat.

Ingenuitatis Jura, assertis in libertatem ac manumissis olim non statim conferebantur, sed alio actu legitimo opus erat, quo jura hæc manumissi consequerentur & natalibus restituerentur, *l. tit. Cod. de jure aur. annul. & de natal. restit.* V. infrà ubi de *Manumissione*. Postmodum *Nov.* Justin. n. 68. omnibus libertinis *ingenuitas* concessa, & jus annulorum aureorum & restitutio natalium, Casaubonus *ad Suetonii Augustum cap.* 74. Hinc medio ævo, *Ingenuitatis Charta*, quâ servus in libertatem asseritur; *Chartula Libertatis* dicitur, apud Paulum Diaconum Emerit. *in Vita S. Malonæ Episc. Emerit. cap* 17. Qui enim servo libertatem conferebat, conficiebat chartam, qua *ingenuum* illum fore in posterum pronunciabat, ita ut deinceps, tanquam si ex ingenuis parentibus fuisset procreatus, vitam duceret ingenuam, nullius servitio obnoxius: datâ præterea, si ita luberet, ad ingenuitatem suam tuendam, defensionem Ecclesiæ vel cujuscunque alterius personæ eligendi facultate, absque ullo libertatis præjudicio. *Capitularia* Caroli M. *l.* 3. *c.* 28. *Si quis, per Chartam Ingenuitatis, à domino suo legitimo libertatem est consecutus, liber permaneat*: quæ eadem verba habentur in *LL.* Henrici I. R. Angl. *c.* 89. Formulas istiusmodi Chartarum habes, apud Marculfum *l.* 2. *Form.* 32. 33. 34. apud Bignonium *in Formulis vett. c.* 8. aliosque, laudatos Cl. du Fresne *in Glossario*, ubi ex Tabulario S. Vitoni Virdunensis hanc subjungit: *Qui famulum vel famulam suam à jugo servitutis absolvit, procul dubio mercedem recipiet ab eo, qui dixit, Dimittite & dimittetur, date & dabitur vobis. Quapropter ego Hermanteus, pro remedio animæ meæ, in Dei nomine dimisto ingenuam famulam meam, nomine Hildeburgem, ut hinc deinceps ingenua sit ingenuaq; permaneat, tuitionemq; sancti Dei Confessoris Vitoni Virdunensis Ecclesia habeat: & annis singulis in festivitate ejusdem ad altare ipsius unum denariatum de cera exolvat, atque mundiburdio defensata firmissimam in omnibus ac securam obtineat libertatem & ingenuitatem per hanc ingenuitatis chartulam. Si quis verò, quod futurum esse non credo, si ipse ego aut unus de hæredibus — contra hanc ingenuitatis chartulam adire, aut eam infringere vel immutare voluerit, cui litem intulerit, cogatur exsolvere auri libram unam, argenti pondera V. multam sustineat, & insuper, quod repetit, evendicare non valeat. Et ut hæc chartula ingenuitatis firmiorem in omnibus obtineat vigorem, manu propriâ eam signavi, & quos subscriberent vel signarent, in præsenti rogavi, stipulatione subnixa. Actum sub die Kal. Maii anno VI. regnante Othone Rege filio Henrici Regis. Sa Hermant. &c. Sarovardus indignus Cancell. scripsi & subscripsi.*

Ingenuus, adde: In nummis INGENUS dicitur, Casaubonus *ad Pollionem*.

Ingrati non puniuntur. Puniendi enim non sunt actus oppositi iis virtutibus, quarum natura coactionem omnem repudiat, in quo genere sunt misericordia, liberalitas, gratiæ relatio. Unde Seneca tractans quæstionem, *an ingrati vitium impunitum esse debeat*, & cur non debeat, afferens multa, hoc præcipuum addit: *Cum res honestissima sit referre gratiam, desinit honesta esse, si necessaria est*, i. hoc est, statis gradum excellentem amittit, quod sequitur ibidem: *Non enim magis laudabit quisquam gratum hominem, quàm eum, qui depositum reddidit, aut quod debebat, extra judicium solvit*. Mox, *Non est gloriosa res gratum esse, nisi tutum est, ingratum fuisse, de Benefic. l.* 3. *c.* 6. & 7. Etsi et Seneca pater de *Controv.* V. 34. *Dicis mihi: Hoc facere non oportet, hujus rei æstimatio immensa est. itaq; nulla vindicta est*. V. Hug. Grotium *de Jure belli & pacis l.* 2. *c.* 20. §. 19. Constantinus tamen Libertos dominis ingratos redigere in servitutem, quam evasissent, sancivit, Claudium imitatus, quod & Nerone imperante agitatum est. V. *l.* 2. *Cod. de libert. & eor. lib.* Suetonium *in Claudio cap.* 25. & Tacitum *Annal. l.* 13. Idem apud Athenienses receptum, Val. Maximus docet, & dicemus suo loco. Imò & in patriam *ingrati*, qui olim militiam detrectabant, ad dilectum non respondentes, ut proditores libertatis, in servitutem redigebantur, *l.* 4. *de re mil.* Et cui ignota *Hospitis ingrati* nota Philippi Macedoniæ injusta jussu &c. V. l. Pignorium *de Servis*.

Ingredi Regnum, pro capessere, apud Virgilium *lib.* 8. ubi Evander Imperium in res Etruscas ibi delatum Æneæ largitur,

> —— —— *Tu, cujus & annis*
> *Et generi fatum indulget, quem Numina poscunt,*
> Ingredere, *ô Teucrûm atq; Italûm fortissime ductor.*

An ab *ingressu* in Regni sedem multis ceremoniis olim hodieque peragi solito? Certe Caligula, *quamvis lugentis habitu & funus Tiberii prosequens: tamen inter altaria & victimas ardentesq; tædas, densissimo & lætissimo obviorum agmine incessit, super fausta nomina, sidus & pullum & puppum & alumnum appellantium*. Ingressoque *urbem statim — jus arbitriumq; omnium rerum illi permissum est*, apud Sueton. *in eo cap.* 13. & 14. Qui Sacrorum honos cùm primitus Diis exhiberetur, quoties transferrentur imagines, ut Cicero docet *in Verrem lib.* 4. inde ad Principes translatus est, jam ab antiquo, uti de Alexandri M. in Babylonem ingressu legimus apud Curtium *lib.* 5. V. quoque Plut. *in Dione* & Justinum *lib.* 24. ubi *Arsinoë progressa virum, diem festum urbi in adventum ejus indicit, domos, templa, cæteraq; omnia exornari jubet, aras ubiq; hostiasq; disponi*. Religiosius multo Athenienses, qui excepturi Attalum, Sacerdotes & victimas præpararunt, Templaque omnia aperuerunt, ut ipse Diis, non Athenienses ipsi ut Deo sacrificarent, apud Polybium. Idem postea Principibus factum, quoties Imperii provincias peragrarent. Sic Vespasiano Imp. Ægyptiacos Nomos invisenti, non solum produisse obviàm omnes cujuscunq; ætatis aut conditionis homines, sed sacra et amuletulisse tædasq; prætulisse ardêtes, quod civilius & ... Philostratus auctor est *l.* 5. & Suet. *in eo*. Sacra, tædas, coronasq; jungit Plutarchus *in Pompejo*: addit θυμιαμάτων ἀτμίδας καὶ ἀνθῶν βολὰς, *suffimentorū vapores & conjectus florum*, Herodianus *l.* 4. ubi de Caracalla Alexandriam ingressos *vota fausta*, de eodem loquens Ammianus *lib.* 21. &c. De Impp. Christianis quoque, sive vivis, sive eorum lauratâ, sive cadavera defunctorum, suffitibus excepta, Corippus habet *lib.* 2. Porrò procedebant in istiusmodi ἀπαντήσει Imperatorum Ordines obviàm, per campos & ex arboribus spectabat populus fœminæ ex ædibus & fenestris prospiciebant: tabernæ, fenestræ, fores ornabantur lauro, fronde, floribus, lucernis; ipse verò Imperatoris *ingredientis* incessus lentus erat & cum pompa &c. Vid. Martialem de adventu *Trajani lib.* 10. *Epigr.* 6. plura v. apud Casaubonum *ad Suetonium Caligulâ d. l.* ubi inter alia de Episcoporum quoque exceptione, cum thuribulis & cereis, quædam addit, ex veteri more mutuata &c.

Ingrossator, Jurisconsultis Anglis monopola est, qui annonam undique coëmit, ut cariùs vendat, Gall. qui *achepte en gros*. Etiam, qui Instrumenta forensia & contractus in membranis majori charactere exarat, Gall. *Grossoyeur*. Unde ævo Henrici VI. *Ingrossator magni rotuli* appellatus est, qui hodie *Clericus Pipæ*: & *duplex Ingrossator*, qui nunc *Pipæ Contrarotulator* dicitur. Covvellus *lib.* 4. *tit.* 28. *§. ult.* & Spelmannus, apud du Fresne *Glossar.*

Inhibere & *Inhibitio*, verba nautica sunt. Cicero *ad Atticum l.* 13. *Epist.* 21. *Inhibere illud tuum, quod valde mihi arriserat, vehementer displicet. Est enim verbum totum nauticum. quanquam id quidem sciebam: sed arbitrabar sustineri remos, cùm inhibere essent remiges jussi. Id non esse ejus modi didici heri, cùm ad villam nostram navis appelleretur: non enim sustinent, sed alio modo remigant. id ab* ἐποχῇ *remotissimum est*. Et mox, *Inhibitio autem remigum motum habet, & vehementiorem quidem, remigationis navem convertentis ad puppim*. Integrum est, *Inhibere remis*, Græcè ἀνακρούειν πρύμναν, ἀνα-

ἀγε-

fiuntur, qui, à Franciæ Regibus in provincias delegati, idem offi- cium obibant, quod olim *Missi Dominici*, sub prima & secunda Regum stirpe, & *Justitiarii itinerantes* in Anglia. Ii è *Magistris Parlamenti* delecti, mittebantur in Diœceses, ut de Ballivorum, Judicum aliorumque Ministrorum Regiorum excessibus inquirerent, & de iis ad Parlamentum referrent, Nangius in *Gestis S. Ludovici p.* 356. Qui quo pacto inquisitiones suas contra Officiales Regios peragerent, ex hac *Charta*, e Camera Computorum Paris. Cat. du Fresne descriptâ, videre est: *Petrus Dei gratiâ Sylvanectensis Electus & Thomas de Marfontaines, Miles Domini nostri Regis, Inquisitores unà cum aliis, ac super reformatione patriæ Senescall. Lugdun. & in Ballivia Matisconensi, ab eodem Domino Rege deputati, Castellano Karibec, nec non Castellano Sancti Symphoriani seu eorum loca tenentibus, Salutem. Ad instantiam Procuratorum Ecclesiasticarum personarum nobilium & innobilium Comitatus Forensis & terræ Bellijoci, auctoritate Regiâ, quâ fungimur in hac parte, vobis & vestrûm cuilibet committimus — sub pœna gravissima — mandamus, quatenus per Castra, Villas aliaq; loca ad hec idonea seu consueta vestrarum Castellaniarum eorumq; ressortus, nec non in Ecclesiis Parochialibus locorum prædictorum, palàm & publicè ex parte Dom. nostri Regis & nostra intimetis seu intimari faciatis ac publicè proclamari, ut omnes & singuli Senescalli, Ballivi, Præpositi, Judices, Tabelliones, Decimarum ac Subventionum Regiarum Levatores, Servientes aliiq; Officiales Regis, cujuscunq; status aut conditionis existant — coram nobis apud Montem — Brisonem personaliter compareant, coram nobis die Veneris post quindenam festi Pentecostes & die Sabbati immediatè sequenti, nec non & diebus sequentibus & continuis ad hoc necessariis, querelis, petitionibus & gravaminibus dictarum personarum — nobisq; ex officio sufficienter responsuri & à nobis justitiam accepturi, processurique & nos visuri procedere super præmissis & aliis commissis nobis negotiis juxta à dicto Domino nostro Rege traditam nobis formam, vosq; ad dictos dies — comparentes peremtoriè coram nobis querelantibus de vobis ad justitiam responsuri: cum intimatione, quòd nisi vos — comparueritis, nos nihilominus contra vos — procedemus ratione prævia, vestra & eorum absentia seu contumaciâ non obstante. Significantes etiam ac publicantes — ut omnes & singuli, qui de prædictis Officialibus Regiis — conqueri voluerint — compareant coram nobis, qui parati sumus & erimus eos audire benigniter & eis facere celeris justitiæ complementum — Et licet aliàs sub dictis & gravibus pœnis scribere fecerimus, ne quis cum dictis Officialibus Regiis, nec ipsi Officiales cum aliis componere audeant, eidem per vos in locis prædictis palàm & publicè præcipimus inhiberi, & si quis contrarium fecerit, nobis eos quantocyus sub omni pœna & amissione bonorum revelare procurent — Datum Lugduni, sub sigillis nostris, primâ die mensis Junii. anno Domini millesimo trecentesimo sextodecimo.* Aliam *Chartam*, de missis à Philippo R. in Arvernos *Inquisitoribus*, vernaculo sermone conscriptam, V. apud Eund. in *Glossar.* Ut autem facilius de Ballivorum & Officialium Regiorum excessibus edocerentur *Inquisitores*, tenebantur hi exacto officio, quod ut plurimum annuum erat, iisdem in locis, ubi illud obierant, per 40. dies morari, ut si quis in eos expostularet, aut crimen intenderet, coram Inquisitoribus juri starent. Statuit porrò Philippus IV. A.C. 1302. ut *Inquisitores*, Officialium delicta examinaturi, Inquisitiones secretas agant, priusquàm publicas: quibus etiam ut ab officiis abstineant, imperandi facultatem concedit: neq; enim supremo, si quos reos reperissent, damnare judicio illis fas erat, sed de iis referebant ad supremum Senatum, ex *Statuto* Philippi III. A.C. 1281. Minoris tamen momenti lites dirimere poterant, uti patet ex *Statuto* Ludovici IX. A.C. 1256. quæ viz. à Ballivis peragi non poterant, aut ipsosmet Ballivos spectabant. Inquisitiones enim pro more ad Ballivos à Senatu delegabantur, quæ ad Senatû relatæ disquirebantur in Camera, quam inde *Inquestarum* etiamnum vocant, ut videre est apud du Fresne *Dissert.* 1. *ad Joinvillam.* Sed & *Inquisitorum* munus erat, *de commodo & incommodo* inquirere, in rebus quæ Regem spectarent: Functiones etiam publicas ac præstationes in Rei publicæ usus necessarios judicabant ac recipiebant &c. Uti autem deligebantur à Rege, ex *Magistris Parlamenti*, uti dictum (quos hodie *Consiliarios* dicunt) & fere semper ex Ecclesiastico ordine ac Laico, ita iisdem sumtus ex Fisco subministrabantur, ut idem du Fresne docet, apud quem plura hanc in rem eruditè congesta. Præter hos, erant etiam *Inquisitores forefactorum in Balliviis à D. Rege dati*, quibus incumbebat mulctas a damnatis judicio Ballivorum exigere, & ex iis debita Regum persolvere, malè verò & injustè exactas restituere. Item *Inquisitores Forestarum*, qui extra ordinem mittebantur in provincias, ad examinanda Forestariorû aliorumq; in forestis publicis delicta, apud Eund. De *Inquisitoribus Officii Justitiæ Aragonum*, qui à Rege delecti in summum Justitiæ Magistratum, quem *Justitiam* vocant, inque illius facta, consilia & delicta inquirunt. V. Blancam *Commentar. Rerum Aragonic p.* 771. De *Inquisitoribus Senensium*, qui Galliæ Inquisitoribus, de quibus suprà, plane suppares, V. Auctores qui de Senensium Imperio scripserunt: de *Inquisitoribus Tabulæ*, infrà in phrasi, *Tabulam tenere.*

Inquisitores Fidei, in Ecclesia Rom. quod munus obeant, diximus ubi de *Inquisitionis origine ac progressu.* Addam hic pauca. In Gallia *Inquisitorum* hujusmodi primùm auditum nomen tum, cùm Waldenses, uti vocantur, magno successu varia Ecclesiæ Rom. dogmata impugnare regnumque Pontificium ibi magnopere labefactare inciperent. Tunc enim in Concilio Tolosano, contra eos coacto A.C. 1229. Legatus Apostolicæ sedis, uti vocant, qui illi præerat, *mandavit Inquisitionem fieri contra Hæreticos suspectos de hæretica pravitate*, ut ait Guil. de Podiolaurentii *cap.* 49. Delecti verò Inquisitores primùm ex Fratribus Ordinis Prædicatorum, e quibus Petri Cellani & Guil. Arnaldi idem auctor meminit *cap.* 43. ubi postmodum illis ex ordine Fratrum Minorum, qui Prædicatorum *rigorem mansuetudine suâ temperarent*, adjunctos Collegas esse, addit. Namque Robertus, cognom. *Bulgarus*, ob sævitiam, notus; Fulco quoque *Fidei Inquisitor* in Occitania, ob cujus nimium rigorem Rex Philippus misit A.C. 1301. qui de ejus excessibus inquirerent, statuitque, ut in posterum de hæresi suspecti aut accusati Regiis carceribus recluderentur Tolosæ, neque Regii subditi *Inquisitoris* decreto possent detineri, nisi sumpto priùs Episcopi consilio & Senescalli Regii auxilio implorato. Præter hos famosus fuit Guillelmus *de Morreriis* A.C. 1302. & Joannes *Parlier*, A.C. 1413. Cùm dein post initium seculi XVI. Romanæ Ecclesiæ contradiceretur passim iterumque in Gallia ingens hominum turba surgenti Evangelio nomen daret, Matthæum Orry Doct. Theologum ex eodem Prædicatorum ordine *Fidei Inquisitorem* instituit Franciscus Leirca A.C. 1536. idemque Rex Josepho *Corregié*, itidem Dominicano, perinde *Inquisitoris* in toto Regno munus obeundi facultatem concessit, A.C. 1540. Post quem Henricus II. eundem Orrium ampliori potestate instruxit, A.C. 1550. &c. Hujusmodi verò Ministrorum expensæ & ad victum necessaria, ex Regio Fisco subministrabantur, à Ballivis, qui eo ævo Balliviarum suarum percipiebant reditus & de iis in Camera computorum rationes reddebant. In quam rem prostat *Diploma* Philippi Pulchri hocce: *Senesc. Tolosæ & Carcass. Sal. Cùm Frater Guilielmus de Morreriis — sit de novo Inquisitor Tolosæ auctoritate Apostolica deputatus: mandamus vobis, quatenus carceres nostros, Muros ad custodiam detentorum — aliaq; — necessaria nec non pecuniam ad ipsius victum & officium exercendum liberari & ministrari faciatis, eidem in sui executione officii auxilium, favorem & consilium impendentes, prout aliis Inquisitoribus hactenus fieri consuevit, & quamdiu nostra placuerit voluntati. Actum apud Vicenn.* 1302. apud du Fresne *Gloss.* Similes iis *Inquisitores* occurrunt apud Suetonium *Tito cap.* 1. ubi de Cætate, *Multatus, diversarum partium habebatur, ut etiam — propè per singulas noctes commutare latebras cogeretur seq; ab inquisitoribus pecunia redimere*: Græci eleganter φωραδοθήρας vocant, recentior Hellenismus etiam ἀνιχνευτὰς, ut videre est apud Metaphrastem in *Vita S.* Athanasii. Justinianus Quæstores à se institutos ἐρευνητὰς appellat, de quorum officio V. *Nov.* 80. & plura hanc in rem, apud Casaubonum *ad Suetonium d. l.*

Insania, à Fatidicina Vett. res minimè remota, ut de Sibylla notum ex Virgilio *Æn.* 6. cui

— non vultus, non color unus,
Non comtæ mansere comæ, sed pectus anhelum
Et rabie fera corda tument: majorq; videri,
Nec mortale sonans, afflata est Numine quando
Jam propiore Dei —

Unde *sacram insaniam*, afflatum Numinis sui, Tiresias, apud Papinium *Thebaid. l.* 10. *v.* 798. & *insanire Apollinem* ipsum, dicit Capaneus, apud eundem. Hincque multos, qui volebant aspici furere gallantes & vaticinari, quasi ab alicujus Numinis inspiratione immisso furore (quia id pertinebat ad confirmandas religiones) radicem halicaccabi solitos bibere, ut *furorem* inde conciperent, & Numine repleti viderentur, discimus ex Plinio *l.* 21. *c.* 31. Quâ ratione in vatibus suis utcunque imitari conatus est Satanas verorum Prophetarum raptus, mirasque & insolitas corporis agitationes & membrorum motus; languores insuper corporisque fessi, nec Deum amplius pati valentis, ægritudines, quas iis nonnunquam accidisse, discimus ex Numer. *c.* 24. *v.* 4. 1. Sam. *c.* 9. *v.* 20. 24. Dan. *c.* 7. *v.* 28. *c.* 8. *v.* 27. &c. Sed longe quietius, alioque ac sanctiore longe modo Deus Prophetas suos afflavit, quorum ecstases, in isto mentis recessu, sanctoque cum Deo commercio, non autem furores, osve rabidum & inconditos, nec ipsis, qui eos edebant, intellectos sonos, legimus, utpote mente interim semper sui compote, nec isto, quo perculsa erat, lumine magnopere alienatâ. V. Franc. Burmannum *Synopsi Relig. Christ. Part. prior. l.* 3. *c.* 5. *§.* 14. & *seqq.* Sed & *insaniam jocularem* servis Veteres conciliabant, strychni ope, qua de re dicemus aliquid infrà, in voce *Strychnum*, V. quoque ubi de *Corybantiasmo*, & *Imaginum morbo.*

Inscripti, in illo Poetæ Martialis *l.* 8. *Epigr.* 75.

Quatuor inscripti *portabant vile cadaver:*

Servi sunt στιγματίαι, *notis* seu *literis inusti*, quod e fuga retractis fieri solebat, more antiquissimo, cujus jam Phocylides meminit,

Στίγματα μὴ γράψῃς, ἐπονειδίζων θεράποντα.

Cujusmodi notis insignes videntur fuisse servi Pagasæi, quos Hermippus apud Athenæum recensuit *Dipnosoph. l.* 1. Fiebat id autem parte aliqua corporis conspicuâ: dextrâ, apud Ausonium *Epigramm.* 15.

Aut inscribe *istam, quæ non vult scribere, dextram.*

Seu facie, apud Claudianum *in Eutrop. l.* 2.

Jura regunt, facies quamvis inscripta repugnet.

Fronte potissimum, ut monstrat Lucianus *Revivisc.* ubi fugitivos nescio quos Philosophos, typo vulpis aut simiæ, censet in ea faciei parte inuri debere. Et Diphilus, qui quendam comam se alere Deo dicentem, ut capillis promissis obvelaret frontem inustam, insectatur apud Athenæum *Dipnosoph. l.6. Inscribebantur* verò vel variarum rerum typi, ut ex Luciano modo vidimus, vel literæ, quod frequentius, unde *frons* talis *literata*, ipsique sic inscripti *literati* passim dicuntur. Literæ porrò vel simplices erant, Græcorum Φ. Latinorum F. φυγῆς seu *fugæ* indices, vel in voces compositæ. Narrat enim Petronius, Eumolpum *epigrammate* integro implevisse frontes Encolpii & Gytonis: Et Val. Maximus, servum Reitionis inexpiabili literarum notâ, per summam oris contumeliam, inustum memoriæ prodidit *l.6 c.8.* Imò Theophilum Imp. XI. versus Theophanis & Theodori fratrum frontibus *inscripsisse*, refert Baronius *Not. ad Martyrolog. 22. Dec.* Quo more jam prius Constantini Imp. humanitate abolito, in collaria & æreas lamellas, clavis capitatis ad collaria affixas, hujusmodi notas ac epigraphes translatas, diximus suprà, ubi de *Fugitivis*, V. quoque infrà, in voce *Stigmatia*. Alia ratio fuit tabellarii ab Histiæo ad Aristagoram missi, quem in occipitio *inscripsisse* herus legitur, apud Herodotum *lib.5.* Militum item apud Romanos, quos, priusquam matriculis eorum nomina infer-rentur, stigmata in brachio vel manu accepisse, discimus ex *l.* Arcadii & Honorii, Aetio item & Vegetio passim. Sed quis Xerxis vesaniam ferat, qui & mare *stigmate dignum* credidit, eodem teste *lib 7.* contrà quàm Juvenalis de illo canit *Sat.10.* Atque hi ignominiæ causâ *inscripti* sunt. Dacorum verò uxores etiam in ornatus loco habuerunt notis compunctum corpus, ut ex Val. Flacco constat: quod quidem in Orphei discerpti pœnam illis impositum, Phanocles contendit, de Thracibus sic loquens,

Ποινὰς δ' Ὀρφῆι κλαῦσαν ἑὸν πόσιν γυναῖκες
Ἐστιξαν ἑὰς ἀλόχους [illegible]

Imò *& mares etiam apud Dacos & Sarmatas corpora sua inscribunt*, apud Plin. *lib. 22. cap. 1.* Ex quo genere notarum quum à quis compunctum haberet brachium, eandem notam reddidit ejus nepos, apud eund. ubi de Dacis, *quarto partu Dacorum originis nota in brachio redditur*, ex atramento scil. expressa, συγκεχυμένη, ut habet Aristoteles, qui factum hoc tertio gradu memorat. Sed & Britannis, quos Cæsar & Mela guasto seu vitro corpora sua inficere solùm tradunt, per artifices plagarum figuras varias animalium formas incorporari à pueris, scribit Solinus, *inscriptisq; visceribus hominis incremento pigmenti notas crescere*, addit *cap.25.* V. quæ de *Agathyrsis, Gelonis, Pictis*, alibi dicta, & plura hanc in rem apud Salmasium *ad Solinum pag. 839. & 218.* ubi de *Equis inscriptis*, in vocibus *Copparim & Samphoras*, de *Floribus* apud C. Paschalium *Coronar. l.3.c.12* &c.

Inscriptio, monumentum est breve ac ingeniosum rei alicujus memorabilis, in lapide inprimis vel metallo, posteritati de rebus prioris ævi instruendæ, publicâ auctoritate, ut plurimum exaratum. Et quidem jam antiquissimis temporibus, Semiramis columnæ gesta sua inscripsit, quam *Inscriptionem* memorabilem Polyænus exhibet *lib.8.* Eam imitatus Darius Rex, ad Tearum amnem Thraciæ, cippum erexisse cum inscriptione gestorum suorum, legitur, apud Herodotum. Postea pilis, in Fano Dianæ Orientalis, quod Artemisii erat, Græci *inscripsere* victoriæ navalis de Xerxe, primâ velitatione, reportatæ, monumentum, uti videre est apud Plut. *Themistocle.* Sic ab Assyriis, Persis, Græcis, ortus mos ad Judæos citerioris ævi transiit, apud quos Simon Dux & Pontifex plebiscito, de rebus suis gestis & honoribus in tabulæ æneis inciso, & in celeberrimo Templi loco constituto, honoratus est, 1. Maccab. *cap.14.* &c. Sic res gestæ Principum Ducumque *Inscriptionibus* annotatæ. Inde traditus posteris mos est, ut Victorum nomina, qui Olympicis Ludis palmam tulissent, in Olympico Gymnasio conscriberentur, teste Pausania *lib. 2.* Sed & Leges suas Nomothetæ, & Anathemata Numinum cultores, & Vota Supplices, & Fœdera Gentes, & jus suum in domos prædiaque Possessores, alia alii publicis *Inscriptionibus* testati sunt. Etiam Arboribus, Foliis, Parietibus, Ostiis, *Inscriptione* factâ, ὁ δεῖνα καλὸς, amorem suum, qui talis sectabantur, solebant indigitare. Nullæ verò frequentiores, quàm *Inscriptiones Monumentariæ* seu *Sepulchrales*, de quibus hic passim, inprimis in vocibus *Elogium, Monumentum, Stela* &c. Neque verò honoris ergò solùm, sed & in pœnam ac ignominiam factæ *Inscriptiones*. Sic, cùm Alcibiades absens capitis damnatus ab Atheniensibus, & diris devotus à Sacerdotibus esset, *quò testatior esset ejus rei memoria, exemplum in pila lapidea incisum, positum in publico est*, teste Corn. Nepote in *Vita* ejus. Epaminondas quoque, leges pœnam subiturus Thebis, unum à Judicibus petiisse dicitur, ut in periculo suo conscriberent: *Epaminondas à Thebanis morte multatus est, quòd eos coegit apud Leuctra superare Lacedæmonios*, & quæ sequuntur, apud eund. in *Vita* ejus, ut alia omittam. Itaque fuere ab omni ævo, qui Epigraphes hujusmodi, historiæ multum lucis allaturas, undiquaque colligerent: qualis Philochorus quidam Atheniensis, qui *Inscriptiones Atticas* in unum volumen compegit, Suidæ; Polemo, cognom. Στηλοκόπας, qui, principatu Ptolemæi Epiphanis, *Inscriptiones Sepulchrales cujusq; Civitatis* item *Inscriptiones Anathematum in Acropoli Athenarum dedicatorum*, edidit, Athenæo: Aristodemus, qui idem Thebis præstitit, Scholiastæ Apollonii *Argonautic.* alii aliis memorati. Vide quoque in voce *Euhemerus*, item suprà ubi *de Ephesiæ Dianæ Templo*: & inter recentiores, illustris Jani Gruteri, Jac. Sponii, aliorumque, *Inscriptionum* opera. De *Inscriptionibus* verò Poëmatum, adi Scaligerum *Poëtic. lib. 2. capp. 126. & 127.* Addo hoc unum, de more *inscribendi* ingenii monumenta aliis, quorum vel æstimatio, vel amor apud nos eximius, magnæ similiter vetustatis esse, cùm Platonem fratribus suis præclarissimos commentarios suos *inscribendo*, Glauconi quidem & Adimanto librum de Rep. Antiphonti verò Parmenidem, eos nobiles reddidisse, legamus apud Plut. *de frat. erga Fratres* &c. Nec omittendæ penitus *Inscriptiones falsæ, phylacteria aut ligatura*, quæ imprudentes pro febribus aut aliis pestibus adjuvare putantur & vetantur *in Capitul. Caroli M. lib. 6. cap. 72.* de quibus vide Gruterum 1047.5 & hic passim, inprimis ubi de *Characteribus, Magia* &c.

Insecta, non in cibis solùm apud varias gentes, ut *fuci, formicæ, pediculi, vermes, limaces* &c. quæ omnia Lex Judæis, ut immunda, prohibuit, nisi quòd mellis & certæ locustarum speciei usum iis concessit: Sed & in Deorum numero fuere, ut de Ægyptiis aliisque visum, atque ex iis varia superstitionis occasio præbita. Ut enim ab occisis *muribus* colebatur Apollo Σμινθεὺς & Μυοκτόνος, ita Hercules Ἰποκτόνος, dictus ab occisis *vermibus*, qui vites infestabant; & Κορνόπιος à *locustis* fugatis, & Ἀπόμυιος, quia *muscas* arcere credebatur &c. Sam. Bochartus *Hierozoici Parte prior. Lib. I. cap 6.* Eadem omnia ad Adamum primitus creatum, ut ab eo certo signarentur nomine, adducta fuisse, certum est. Quidni enim, utut in illis pleraque visa admodum, hominis consideratione digna sint, quæcunque Deus creare & conservare non dedignatur? Nec minus est, quod in ape aut formica miremur, quàm in ceto aut in elephante; cùm hoc ipsum sit inprimis mirabile, quòd in tantillo corpore tot animi emineant dotes &c. Idem *cap.9. Ibid.* Nominis originem pandit Plinius *lib. 11.* qui totus *de Insectis* agit, *cap 1. Multa hæc & multigena terrestrium volucriumq; vita. Alia pennata, ut apes: alia utroq; modo, ut formicæ: alia & pennis & pedibus carentia: jure omnia Insecta appellata ab incisuris, quæ nunc cervicium loco, nunc pectorum atq; alvi præcincta separant membra, tenui modò fistula cohærentia. Aliquibus verò non tota incisura eas ambiente rugas, sed in alvo, aut supernè tantùm imbricatis flexilibus vertebris, nusquam alibi spectatiore naturæ rerum artificio.* Laudes illorum idem magnificè deprædicat *cap. seq.* quod legisse operæ pretium erit. Idem scripturus à I. remediis, quæ à diversis animalibus feruntur, *Neq; enim dubitaverim*, inquit, *aliquibus fastidio futura, quæ dicentur animalia*: etiam hinc medicinam nomini consuam spondens. At non Virgilio fuit nominare formicas nulla necessitate, ac curculiones, &

—— *lucifugis congesta cubilia blattis.*

Non Homero, interpreta D. orum, improbitatem muscæ describere; non Naturæ gignere ista, cùm gignat hominem. Proin causas & effectus, non res æstimemus. Homerus autem, mirum est, quot inde similitudines hauriat, & quàm elegantes, ab audacia muscarum, animositate ac fortitudine vesparum, prudentia apum, Heroas suos exornet. Ut verò in his tam parvis atque tam nullis Conditoris sapientiam eò exactè ut contemplemur, *sunt inventi haud pridem non tantùm crystallini vitreiq; orbes, vario artificio & ad marginem & circa centrum extenuati, pro oculorum ætate ac vigore, qui vel longinqua propiùs admoveant, vel propinqua immanè quantùm removeant: sed & tubi longi ac breves, adeoq; ad pollicem transversum usq;, in quibus inclusi pediculi, pulices, muscæ membra distinctissimè vises & cum stupore miraris: illic licebit contemplari teredinum caudam, caudam vel vulpinam, vel vervecinam, eamq; villosam explicatissimè considerare, cum eadem proportione* &c. Auctor Anonymus *Sina & Eur. cap.38. de Insectis.* Plura apud magni nominis Aldrovandum, Gesnerum, Vossium *de Idolol. lib. 4. cap.64.* & *seqq* Alios.

Insepulto hominis cadaveri terram injicere, apud Athenienses, Lex jussit, memorata Æliano *Var. lib.5. cap. 14.* Ὃς ἂν ἀτάφῳ περιτύχῃ σώματι ἀνθρώπου, πάντως ἐπιβάλλειν αὐτῷ γῆν, θάπτειν δὲ πρὸς δυσμὰς βλέποντα, *Insepulto hominis cadaveri terram injicito, & in sepulchro Occasum versùs condito.* Ubi additur, tanquam receptæ sepeliendi consuetudini contrarium, ut ad Solem occasum spectet, quo à prætereuntibus possit cognosci. Nam verè adnotat Scholiastes Thucydidis, morem fuisse omnibus Græcis, ἐπ' ἀνατολὰς νεκρὸν θάπτειν ... , *ut versùs Ortum mortuos conderent*, quâ de re aliquid infrà dicemus. Plura verò de *Insepultis* habes hic passim, inprimis in voce *Cadaver*, & *Gleba Sepulchralis.*

Inserta, apud Publium *Syrum*,

Frugalitas inserta est rumoris boni

Josepho Scaligero *emblema*, Salmasio ἐπίθλημα, [illegible] verbi, in quib

quit, *significat insertam purpuram in fine vestis.* Hesych. ἐπίσημα, ἄσημα, ἰάκ@-. *παννι* autem ut notum, Græcis vocati sunt panni, qui vestibus assuebantur ex purpura. Nec enim, pergit, verisimile est, si illo versu Publii *inserta* significasset emblema, 60. pòst annis, cùm in Senatu quæreretur sub Tiberio, quomodo Latinâ voce dicendum esset *emblema*, nemini venisse in mentem notissimam illam & omnibus decantatissimam ex Mimo sententiam. V. eum *ad Vopiscum in Aureliano*, ubi voce *Inserta*, sicut *Prætexta* vult subintelligi *purpuram*, & utrumq; pro ornamento seu insigni accipit. Idem tamen *ad eund. in Firmo*, tam de vestis, quàm de vasis, *inserta*, Publium intelligi posse, & scyphis emblemata, parietibus specula *inseri* consuevisse, Græcè ἐμβάλλεσθαι, hincque *hæc inserta*, ἐμβλήματα, Græcis esse ait.

Insignare, quod Galli *Enseigner* dicunt, h. e. *docere seu* σημαίνειν, Monachi propriè dicebantur, quòd *signis* omnia significare ac indicare solerent. C. du Fresne *Glossar.* Salmasius verò, ex Latino *Insinuare*, Gallicum *enseigner* deducit, *ad Histor. Aug.*

Insignia, adde: Eorum originem egregiè indigitat, Scholiastes priscus Statii *ad versum hosce, Thebaid. lib.* 1.

Hic primùm lustrare oculis, cultusq; virorum
Telaq; magna vacat, tergo videt hujus inanem
Impexu utrinq; jubis horrere leonem &c.

Ubi, *Tum primùm*, ait, *licet Adrasto securè intueri Heroum arma & corpora. Omnia autem majora communibus & pro viribus eorum qui gestant. Sic neminem fere non peculiares clypeos, galeas, ensis, habuisse legimus, quibus pares non poterant gestare, qui minores virtute erant.* Porrò capulis avita insignia insculpta gestandi morem, occurrit apud Claudianum *Laud. Stilic. lib.* 2. ubi de *Insignibus stirpis Theodosianæ*: Ovidium *Metamorph. lib.* 7. ubi de Theseo: Statium *Theb. lib.* 5. ubi de Jasonis *insignibus*. Alios, V. & suprà in voce *Capulus*. Crateribus quoque, apud eundem Statium *Thebaid. lib.* 1. *versu* 543.

Jasides pateram famulos ex more poposcit;
Quâ Danaus libare Diis, seniorq; Phoroneus
Assueti: tenet hæc operum cælata figuras &c.

Postibus etiam *insignia* illustriorum hospitum præfigendi veterem ritum, multis docet tum alibi, tum *ad eund. Theb. lib.* 4. *vers.* 161. Casp. Barthius. De *Coronarum* verò *Insignibus*, adi Car. Paschalium *Coronarum l.* 9. *c.* 10.

Insignis Corona, apud Liv. *l.* 7. ubi Sext. Tullius, nomine exercitus, C. Sulpitium Dictatorem alloquitur. *Te, Imperator, milites tui oramus ut nobis pugnandi copiam facias: tum Duce te vincere, tibi* Lauream insignem *deferre, totum triumphantes urbem inire &c.* & *l.* 28. ubi Manlius agens de suo triumpho, *L. Furius*, ait, *& L. Æmilius currum triumphalem me conscendere prohibent*; coronam insignem *capitis detrahunt*: fuit corona aurea triumphalis, in speciem lauri effigiata, quam votam ab Imperatore, dein decreto Senatus & publicè sumtu Duci donatam; servus publicus eodem, quo Triumphator, curru vectus, super caput ejus gestabat, nonnunquam & *insignis Corona triumphalis* dicta. Nomen ei ab amplitudine, & materia. Namque & auro gemmisque fulgebat, & ambitu ac latitudine tanta fuit, ut satis appareret, non ulli condecorando mortali capiti inventam, sed illi uni, qui caput esset rerum, sepositam. Hinc non deferebat eam domum suam Dux, sed, peracto propè triumpho, triumphali curru vectus, deferebat ad Capitolinum Jovem, eamque in gremio ipsius deponebat, ibi cum cæteris donis religiosè asservandam. Sic apud Sil. Italicum *l.* 5. Virtus ad Scipionem,

Sed dabo, qui vestrum sævo nunc Marte fatigat
Imperium, superare manu laurumq; superbam,
In gremio Jovis, excisis deponere Pœnis.

Quemadmodum altera corona vere laurea, quam triumphans capite gestabat, velut splendidissimum domesticę Virtutis insigne, domi cum cura asservabatur, unde sæpe, ut in spectaculis aliisque festivitatibus gestaretur, depromenda &c. V. Car. Paschalium ubi suprà, *lib.* 8. *cap.* 1. & 2. ut & infrà, ubi de *Triumphali Corona.*

Insinuativum, dicitur in Eccl. R. donum à Clericis præstitum Episcopo, in principio sui ingressus, ut in ejus gratiam se hoc pacto *insinuarent*, apud Dominic. Macrum *Hierolexico.* Simile quid erat τὸ Ἐμφανιστικόν, quod Clerici solvebant, cum in clerum allegerentur, ut docet Suicerus *Thesauro Eccl.* voce Ἐμφανιστικόν, namque & sic dicebantur hæ præstationes.

Insitor, unus ex Rusticis Romanorum Diis, aliter *Sator*, memoratur in carmine Flaminis Dialis, qui, Cereri & Telluri sacrum faciens, Divos agricolas hoc ordine invocabat: *Vervactor, Redarator, Imporcitor,* Insitor, *Obarator, Occator* &c. eratque, qui sationi præsidebat, à *serendo* vel *inserendo* nomen nactus: de cujus officio, & Romanorum Græcorumque satione, V. multa apud Salmasium *ad Solinum pag.* 724. nec non infrà aliquid, ubi de *Satione.*

Insomnia, pro Deorum nuntiis Gentilibus habita, magni olim in æstimatione fuere. Hinc scribit Plutarchus Sullam, cùm Commentarios suarum rerum gestarum libros L. Lucullo inscriberet, monuisse amicissimum hominem, observaret prædictiones nocturnas Deorum, quibus ipsi egregia multa rerum instantium momenta indicata fuerint, *in Sulla.* Et Marcus Antoninus Imp. *l.* 1. duobus locis. Cajetæ atque Chrysæ sibi per insomnium remedia morborum oblata divinitus, memorat. Cui simile, quod de Ptolemæo Curtius *l.* 9. de Alexandro Cic. *de Divin. l.* 3. de Pericle, Plut. de aliis alii scribunt. Quare sollicitè *insomnia* captata, in Templis Deorum, qua de re diximus suprà in voce *Dormio*, V. etiam in voce *Melota*, & plura hanc in rem, infrà in voce *Somnia.*

Inspectores, in *tit. Cod. Justin. lib.* 11. *tit.* 58. *de Censibus & Censitoribus & Peræquatoribus & Inspectoribus*: iidem cum *Peræquatoribus* Carolo du Fresne *in Glossar.* Ἐπόπται, in *Gloss.* Lat. Gr. &c.

Inspiratio, una est ex tribus electionum formis, quarum mentio in *Decretalibus* Gregorii IX. *lib.* 1. *tit.* 6. *cap.* 42. quæ *per Inspirationem* sive *viam Spiritus S.* dicitur fieri: cùm viz. omnium vota nemine dissentiente, in unum aliquem conspirat. Id.

Instita, matronarum ornamentum. Stolam enim ad talos, ut loquitur Flaccus, demissam, *Instita* ad oram ornabat, docente Turnebo *lib.* 29. ubi duo insignia in cultu Matronarum notat, vittas, queis crines ligabantur, & talarem tunicam adsutâ *Instita* cultam. Horatius,

Quarum subsutâ talos tegat Instita *veste.*

Hinc pro veste Matronali simpliciter *Institam* ponit Ovidius *de Arte Am. l.* 3.

Luditur in nostris Instita *nulla jocis.*

Dicta ab *in* & *sto*, quia ei vestis quasi insistit, dum gestatur. Gr. ἡ ὤα τῆς ... περιφέρεια ... Angl. *A purle, a border gard. Welt or lace about a Womans gown*, V. Octav. Ferrarium *de Re vestiar. Part.* 1. *lib.* 3. *cap.* 17. Scholiastes Papinii Statii *lib.* 7. *Thebaidos*, *versu* 157. *Instita fasciola est, quæ imam vestem suo pingit ornatu.* Ipse Poeta,

Candida pampineo subnectitur Instita *pilo.*

Dicuntur etiam *Instita*, fasciæ quibus lectus tenditur, Petron. &c. Plura V. apud Scholiastem Horatii *l.* 1. *Sat.* 2. Jo. Jac. Chiffletium *de Linteis Sepulchr. cap.* 18. & hic passim, in vocibus *Orna*, *Pannus* &c.

Institor, Paulo & Ulpiano *l.* 18. & 3. *ff. de Institor. act.* is est, *qui tabernæ, locove ad emendum vendendumve præponitur.* Meminerunt a. Vett. tabernarum, *casiariæ, cauponariæ, cretariæ, diversoriæ, fullonicæ, lanionicæ, pellesuinæ, pistoriæ, purpurariæ, sutrinæ, unguentariæ* &c. uti infra videbimus, in voce *Taberna.* Atque in his omnibus custodiæ causa canis videtur fuisse. Paulus *l.* 2. § 1. *ff. si quadr. Si quis aliquem evitans — in tabernam proximam se immisisset, ibiq; à cane feroce esset læsus, non posse agi canis nomine quidam putant, at si solutus fuisset, contrà.* Cæterùm *Institorum* opera stataria ac sedentaria fuit, unde vestes non succingebant, sed demissas gerebant. Vertumnus apud Propertium *de seipso, libro* 4. *eleg.* 2.

——— ——— *& ibo*
Mundus, demissis Institor *in tunicis.*

Iis Ulpianus jungit *Insularium*, de quo mox; *Ædificio vel frumento emendo* præpositum; *Pecuniæ fænerandæ*; *Agris colendis*; *Mercaturis Redempturisq; faciendis*, alios, de quibus omnibus, V. Laur. Pignorium *Comm. de Servis*, ut & infrà in voce *Servus.*

Institutiones Imperiales, sunt diversæ sanctiones, decreta, præceptiones, disciplinæ, traditiones & axiomata, publicis inserta monumentis; Græcis ἰνστιτοῦτα, προστάγματα, εἰσαγωγαί: quas ad cupidam LL. juventutem, velut quoddam *Enchiridion Legale* & *Epitomen* Justinianus misit, & xeniorum vice & amplissimi loco muneris. Joann. Calvinus *Lexic. Jurid.* Ad harum imitationem, ut omni ex parte Juri Cæsareo Pontificium responderet, Paullus Lancelotus, Triboniani alicujus instar, Pauli IV. jussu, ut ipse in *Præfat.* ait, *Institutiones Juris Canonici* scripsit, editque circa A.C. 1563. quæ Corpori Juris Canonici additæ sunt, sine ulla tamen Pontificum confirmatione. V. de hisce ipsius Lancelotti *Dedicationem* ad Pium IV. Pontif. & *Prooemium* ad Juris Pontificii Candid. cum doctis Jac. Ziegleri *Commentariis.* Idem institutum, circa idem fere tempus Marco Antonio Cuccho fuit, qui similiter *Institutiones Jur. Can.* evulgavit A.C. 1564. Qui ambo, ad eandem laudem anhelantes, sibi invicem obstitisse videntur, quo minùs alterutrius labor publicam auctoritatem impetraret. G. von Mastricht JC. *Histor. Jur. Eccles. num.* 388. & 389.

Instruere, propriè ἐποικοδομεῖν est; unde *instructa* apud vett. *Rei Agrimensor.* Auctores, ἡ ἐποίκησις, lapidum nempe structura, ad muri vicem, pro termino; quod genus terminus *Epictiticus* & *Epictiticalis*, in illorum scriptis, passim appellatur: Sic apud Hyginum, in figura picta *Epictiticalis* termini murum videre est ex lapidibus constructum triangularem, in trifinio ponendum: ut aliæ erant quadratæ structuræ lapideæ, in quadrifinio, pro terminis collocandæ, quas *instructas arcas* vocavit Frontinus, in voce *Carsiolis.* Hinc *instruices cæmentitia*, apud Solinum *cap.* 8. *Salibus domos extruunt* (Amantes) *quos in modum cautium è montibus excitatos, ad usum ædium, cæmentitiis nectunt instruicibus*: cæmenta sunt, quibus *instruuntur* & nectuntur inter se lapides, quod verbo hoc propriè indigitatur. Isidorus, *Instructio vocata eo, quòd instringat & cohærere faciat, ut lapides luto & ligna & lapides invicem sibi. nam & instructio ferri in aqua instructura est* &c.

morat Philostratus, *de vita Apollon. lib.* 2. in *Inauribus* ejus literis Græcis inscu'pta fuisse hæc verba: *Alexander Jovis filius Ajacem Soli.* De cervo Nymphis sacro Ovidius, *Metam. lib.* 10. *fab.* 3.

—— —— Paribusq; ex ære nitebant
Auribus è geminis circum cava tempora baccæ.

Idem de cervo Dianæ consecrato refert Autor *Mirabil. Auscultat.* cujus *Inauribus* inscriptum erat: *Diomedes Dianæ.* Fuere autem hæ Diis sacratæ & in eorundem templis suspensæ. Boum auriculas fibulâ vel circulo signatas, tradit Columella *lib.* 6. *cap.* 1. Idem de piscibus, qui in deliciis erant, observatum. Unde Antoniam Drusi murænæ, quam diligebat, *Inaures* addidisse, ex Plinio discimus *lib.* 9. *cap.* 55. De Crassi muræna, quam mortuam flevit ac sepelivit, idem Dalechampius notat, *ad Plin. lib.* 31. *cap.* 2. In Labrandæi Jovis fonte pisces *Inauribus* ornatos fuisse, testis est Ælianus *lib.* 12. *cap.* 30. quod genus piscium anguillas fuisse, docet Plinius *lib.* 32. *cap.* 2. & Athenæus auctor est aureis argenteisque *Inauribus* anguillas ornari fuisse solitas, *lib.* 8. Transeo ad statuas Deorum, quibus nec hic ornatus defuit. Apud Sigæum Achillis statuam imâ auris parte elenchum more fœmineo habuisse, narrat Servius *ad Æneid. lib.* 1. Inter Deas, Veneris inprimis statua, hoc luxus genere superbiit, Plin. *lib.* 9. *cap.* 35. Minervæ apud Gruterum attributæ *aures argenteæ,* non nisi *Inaures* quoque fuisse videntur &c. Tandem nec hoc omittam, *Inaures* etiam in sepulchris fuisse illatas: Quare Cyri sepulchro apud Arrianum *lib.* 6. condita feruntur, *καὶ στρεπτοὶ καὶ ἀκινάκαι καὶ ἐνώτια χρυσοῦ τε καὶ λίθων κολλητὰ, torques, acinaces, Inaures ex auro & gemmis* &c. V. Caspar. Bartholinum *lib. de Inauribus Veterum.*

Inaurium variæ appellationes & species.

Ἀμφωτὶς, in vulgatis Lexicis exponitur etiam *Inauris*: Pausaniæ tamen significat tegmen auris vel munimentum, quod Athletæ habebant circa aures.

Βοτρύδιον, *Inauris* genus erat, τοῖς ἑρμαφροδίταις in usu, Hesycho. a rotunditate.

Callaica, fuit *Inauris* colore viridi, sed pallens & nimis crassa; à decore nomen adepta. Isidor. *Orig. lib.* 16. *cap.* 7.

Circuli in auribus memorantur Ezech. *cap.* 16. *versu* 12. e quibus margaritæ dependebant.

Cylindri, erant margaritæ in auribus proceritatis æqualiter orbiculatæ. Baysius *lib. de Vasculis.*

Elenchi vero fuerunt, fastigiatâ longitudine, alabastrorum figurâ in pleniorem orbem desinentes, Plin. *lib.* 9. *cap.* 35. Iconem eorum exhibet Bartholinus *loco suprà laudato.*

Ἑλικτὴρ, pro *Inaure* & armilla legitur apud Pollucem.

Ἕλιξ, ab eodem, inter plurimas *Inaurium* apud Græcos appellationum varietates, ponitur.

Ἐλλόβιον, dicta *Inauris* illa, vel ornamentum, quod inserebatur τοῖς λοβοῖς τῶν ὤτων. Aliàs tamen cum voce ἐνώτιον confunditur.

Ἐνώτιον vel **Ἐνώτιον**, in genere denotat *Inaurem*, quam vocem etiam precise exprimit.

Ἕρμα, quoque pro aurium ornamento apud Græcos usitatum reperitur. V. Homerum *Iliad.* ξ. ubi ejus, in ornatu Junonis, mentio. Eustathius exponit τὰ τοῖς ὠσὶν ἐνηρτημένα κόσμια.

Nambipaya, Brasilianis vocatur os aliquod cercopithecorum, quod auriculis perforatis *Inaurium* loco immittere solent, V. *suprà.*

Stalagmium, etiam pro *Inauribus* sumtum, cum σταλαγμοῦ sive guttæ figuram haberet baca, quæ in genere hoc *Inaurium* pendula erat. Tale è rudi amethysto Romæ olim extabat apud Lælium Paschalinum, Laur. Pignorius *de Servis.*

Στροβύλιον, pineæ nucis, quam Græci *strobulum* vocant, habuit figuram: gestamen ex auro Barbarorum quorundam fuit.

Σχελλάριον, pro *Inaure*, apud Suidam *in Etymol.* reperitur; ut & *in Lex.* Cyrilli. V. inprimis Meursium *in Glossis.*

Titulus, idem cum Elencho, Genus *Inaurium* apud mulieres fuit oblongum acrotundum, uti sunt tituli sive columellæ, quas Græci στήλας appellant. Salmasius *de Usur. pag.* 670.

Tribaca, apud Petronium Arbitrum, margaritam significat, quæ tribus bacis unionibusque *Inauri* insertis constabat: quippe binos ternosque elenchos aureâ bracteâ conjunctos auribus aliquando suspenderunt.

Τρίγληνα, erant *Inaures* trium pupillarum formas habentes, sub. ἕρματα Ita enim apud Dioscoridem *lib.* 1. *cap.* 176 genus mespili quoddam τρίκοκκον vocatur, quod tria intus habeat ossicula, velut grana. Ἕρματα ergo τρίγληνα idem Græcis fuere, quod *Tribaca* Latinis.

Τρίκωμος, similiter *Inaurium* species fuit, à figura nomen adepta, &c.

Incantatores, Legg. XII. *Tabb.* puniti, indigitantur Plinio *lib.* 28. *cap.* 2. *Quid? non & legum ipsarum in Duodecim tabulis verba sunt. Qui fruges excantasset. Et alibi, Qui malum carmen incantasset.* Verba hi sunt, *Ne pellicianto alienas segetes excantanto: Ne incantanto, ne agrû defraudanto. Ne frugem aratro quæsitam noctu furtim depascunto. Puberes si secanto, Cereri eos suspenduunto: Impuberes arbitratu Prætoris verberanto. Ac noxam duplionem decernunto.* Ad quæ verba V. Jac. Rævardum *in LL.* 12. *Tabb.* Gaudentium Merulam *l.* 1. *c.* 4. Alios; adde Senecam *Nat. Quæst. l.* 4. *c.* 7. & Apuleium *Apolog.* Licuisse maleficos hos indemnatos unicuique occidere, Scaliger *in Festum* tradit. Hinc arcane tanta fieri solita, metu gravissimæ pœnæ, si res propalata esset, uti inter alia, de pessima anu, cadaver filii violenter loqui compellente, præsente Chariclea & Calasiride, discimus ex Heliodoro *fine lib.* 6. apud quem, post Homerum, aliosque Poëtas, habes talium evocationum ceremonias. Alii verò aliter: ut qui, scriptis carminibus & gallis mactatis, animas Poëtarum aut Regum evocabant, ut videre est apud Æn. Gazæum *Theophrasto.* Sed nemo eas melius ab oculos posuit Luciano, ex cujus dissertationibus magnam partem *Superstitionum Commentarios* suos deduxit Casp. Barthius. V. quoque Cl. Suicerum *Thes. Eccl.* voce Γόης, & ubi præstigias hujusmodi *can.* 65. Basilii severissimè prohibitas docet, nec non hîc passim, inprimis ubi de *Carminibus* & *Magicis Sacris.* Alii sunt, *Incantatores,* in *Charta* A. C. 1309. Philippi Pulchri Regis Franciæ, *Bajuli, Notarii, Servientes*, Incantatores, *Præcones & alii Curiales dictarum villarum* &c. Sic dicti ab *incantare*, quod apud recentioris ævi Scriptores idem est ac *sub hasta vendere*, Gall. *Mettre à l'encant.* Hinc *Incantator Gabellæ salis*, in *Ch. A. C.* 1372. apud Car. du Fresne *in Glossario.*

ab *Incarnatione* Christi, annos numerandi rationem, primus invenit Dionysius Exiguus, qui Justiniano imperante & cum Cassiodoro familiarissime seculo VI. vixit. Cùm enim annorum series, in Canone B. Cyrilli ab anno Diocletiani 153. incepta nihil aliud foret, quàm eorundem annorum Diocletianorum consecutio, indignum existimavit circulis sacris innectere impii Tyranni memoriam, satiusque duxit seriem annorum, ab ipsa *Incarnatione Christi* adhibere. Sed, cùm is Cyclum suum ad Christi incarnationem accommodasset, & primum ejus annum nominasset eum, in quo Christus conceptus in utero erat; qui Dionysium sequuti sunt, videntes hominum vitam non à conceptione, sed ab ortu, vulgò putari, prætereaque animadvertentes, Nativitatem Christi non longe abesse à fine Anni Juliani, & Circumcisionem ipsis Kl. Januarii celebrari, communi fere consensu constituerunt, ut primus Christi annus ab ejus Nativitate duceret exordium. Unde factum postea, ut æra communis invaluerit uno anno inferior ærâ Dionysii, servato tamen toto Cyclo Dionysiano in cœteris f. Lunâ, Sole, Literâ Dominicali & Indictione, solo excepto capite, quod observatum jam pridem Petavio *de Doctr. Tempor. lib.* 12. *capp.* 2. & 3. *alibiq;* & Jacobo Grantamico *de Die Natalis Christi pag.* 84. V. quoque P. Gassendum *in Kal. Rom. cap.* 5. Factum id autem à Dionysio fuisse A. C. 527. cùm post Justinianum Fasti Consulares defecissent, notat ad hunc annum Baronius: Sed jam ante Paulum Diaconum, hoc est, ab anno jam 492. ab anno Dominicæ *Incarnationis*, annos numerare cœpisse, ipse ait *lib.* 17. *Cessante jam Romanæ Urbis Imperio, utilius aptiusq; nobis videtur, ab annis Dominicæ Incarnationis supputationis lineam deducere: ad eund. ann.* 492. Verùm tum nondum publicè hæc ratio recepta. V. hanc in rem plura apud Car. Macrum *in Hierolexico* & Car. du Fresne *in Glossario*, in voce *Annus.*

Incastellare Ecclesias, h. e. Ædes sacras vallo munire, & ad modum usumque castrorum aut castellorum redigere, non semel vetitum in Conciliis, Lateranensi A. C. 1122. *can.* 11. Avenionensi ann. 1209 *can* 9. Budensi an. 1279. *can.* 53 Palentino an. 1322. *can.* 17. in Synodo Coloniensi ann. 1280. *can.* 11. Herbipolensi ann 1287. *can.* 18. &c. Quintilianus *Declam.* 369. *Tecta in subeuntes & sacra quinetiam Templorum fastigia desperantium tela sunt Certum est omnia licere pro patria*, apud Car. du Fresne *Glossar.* V. quæ de Templo Hierosolymitano diximus suo loco.

Incendiariæ Aves, ante lucem, inter prodigia, quæ Commodi Imperium præcesserunt, recensentur Æl. Lampridio in *Vita* Commodi: Earundem inter prodigia, in Historia Rom. crebra mentio, V. de iis Plinium *l.* 10. *c.* 13.

Incendium, vel nominasse inter epulas, infaustum apud Romanos. Plin. *lib.* 28. *cap.* 2. *Incendia inter epulas nominata, aquis sub mensis profusis abominamur.* Adversùs quæ primo excubias nocturnas *vigilesq; commentus est* Augustus, teste Suetonio in *Aug.* *cap.* 30. Strabone *lib.* 5. Dione *lib.* 55. in ann. 759. & JC. *ff. de offic. præf. Vigil.* cùm antea Ædiles eorum curam habuissent, uti ex eodem Dione ac Appiano constat. Erant autem cohortes Præfecti vigilum è libertinis conscriptæ: quos propterea alii milites vocabant per contemtum *sparteolos*, an à funibus, quorum multus olim in restinguendis incendiis usus; an à sparteis, quibus amicti, tunicis; an à certo calceamentorum genere, è sparteis funibus contexto. Consuevisse illos *cum hamis & cum aqua vigilias curare*, docet vetus Scholiastes Juvenalis *ad illud,*

Dispositis prædives hamis ——

V. Casaubonum *ad Suetonium d. l.* Interim & *Incendia* suum usum

usum habent, indigitatum Plinio eidem *lib. 36. cap. 15.* ubi *luxum punire ea*, graviter dicit: *Computet in hac æstimatione, quis volet, marmorum molem, opera pictorum, impendia regalia & cum pulcherrima laudatissimaq; certantes centum domos, posteaq; eas ab innumerabilibus aliis in hunc diem victas.* *Profecto* incendia *puniunt luxum, nec tamen effici potest, ut mores aliquid ipse homine mortalius intelligant*, &c.

Incensio Lunæ, in Kal. S. Victoris Paris. & in alio Bibl. Reg. 6. *Id. Januar. Incensio Lunæ Septuagesimalis. 8 Id. April. prima Incensio Lunæ Rogationum.* Sic Luna dicitur *reaccendi à Sole*, apud Honorium *in Imag. Mundi lib. 2. capp. 61. & 85.* Car. du Fresne *Glossar.*

Incensum, recentioris Latinitatis auctoribus, idem quod *θυμίαμα* Uranio *in Arabicis*, apud Steph. ubi thus hoc nomine per excellentiam denotatur, quod hodieque *Encens* Galli vocant: aliàs in genere pro suffimento. Cujusmodi suffimentorum seu thymiamatum usus in Veteris Testamenti Ecclesia insignis fuit, peculiari Altari (quod *Altare thymiamatum* dicebatur & quadratum duosque cubitos altum superius craticulam habebat, quà cineres deciderent) huic rei destinato. Quem ritum, pro cacozelia sua, imitatos Gentiles, discimus ex Ovidio, ubi Sibylla Æneæ *Metam. lib. 14.* dicenti

Templa tibi statuam, tribuam tibi thuris honores:

reponit,

Nec Dea sum, dixit, nec sacri thuris honore
Humanum dignare caput ——

Sed & Harpocrates, *imagines Jesu, Pauli, Homeri atq; Pythagoræ, occultè effingens, in suffitum faciebat, easq; adorabat*, apud Epiphanium *hær. 80. anacephal.* De Christianis verò, Augustinus *in Psalm. 49.* *Securi*, inquit, *sumus, non imus in Arabiam thus quærere, non sarcinas avari negotiatoris excutimus: sacrificium laudis quærit à nobis Deus.* Item *in Ps. 150.* *Noli extrinsecus thura comparare, sed dic, in me sunt Deus vota tua, quæ reddam laudes tibi.* Et ante eum Tertullianus se offerre Deo dicit *orationem de carne pudica, de anima innocenti, de Spiritu S. profectam. Non grana thuris unius assis, non Arabiæ arboris lachrymas, nec duas meri guttas* &c. *Apolog. cap. 30.* Unde Constantinus Imp. *Tale Eucharistiæ sacrificium*, ait, *ab hominibus peragitur*, οὐδὲ μὴν ὀσμὰ λιβάνου ἐμποιεῖ) οὐδὲ πυρκαιὰ, id est, *neque thuris odor desideratur, nec ignis incensus*, apud Euseb. *Orat. ad Sanctum cœtum cap. 11.* Nempe suffimentorum is priscus usus in Sacris umbra & figura fuit, sub legis pædagogia, uti docet Paulus Hebræor. *cap. 9. versu 8.* ubi cùm de Tabernaculi instrumentis, speciatim verò de thuribulo aureo, egisset, addit: *Hoc declarante Spiritu Sancto, nondum factam fuisse manifestam ad Sacrarium viam, priore Tabernaculo adhuc consistente: quod erat exemplar pro tempore præsenti* &c. V. plura infrà ubi de *Suffimentis*, item in voce *Thymiama*. Tango hic saltem, à Diis ad Principum, inde ad Episcoporum quoque in vet. Ecclesia, honorem, *incensi* usum translatum, uti hic passim videre est. In Ecclesia CP. diebus Catecheseon, post Dominicam τοῦ Τελώνου *incensa*, ἀντὶ ῥοῶν καὶ βαΐων, in festo Palmarum seu τῶν Βαΐων, cereos & cruces; rursum magnâ feriâ IV. cereos & *incensa* dari consuevisse, docet Balsamon *de Incens. Patriarch. die Catechesis* &c.

Inceramenta Navium, memorantur Livio *lib. 28 cap. 45.* *Etruriæ primùm populi pro sua quisq; facultatibus Consulem adjuturos polliciti — Volaterrani* inceramenta *navium & frumentum* &c. Nempe *cerâ* piceque oblini naves olim solitæ. Unde Jul. Pollux, inter τὰ τῶν Ναυπηγῶν ponit κήρωσιν καὶ πίσσαν. Et Plinius *lib. 16. cap. 11.* *Zopissam* ait vocari derasam navibus maritimis *picem cum cera*; quam mixturam unâ voce *κηρὸν* dixere Græci, uti videre est apud Arrianum *Periplo Ponti Eux.* & *ceram* Latini, ut apud Vegetium *lib. 5. cap. 7.* *Colore Veneto cera etiam, quâ ungere solent naves, inficitur.* Sic Val. Flaccus *Argonaut. l. 1.*

—— *tenues subiere latentia cera*
Lumina ——

Et,

———— *Fissaq; fluctu*
Vel pice, vel molli conducere vulnera cerâ.

Adhibita autem, ad rimas obturandas. Ovidius *Metam. lib. 11.*

———— *spoliataq; tegmine ceræ*
Rima patet ——

V. quoque Lucianum *Dialogo Charontis & Mercurii.* Cujusmodi proin naves *ceratæ* eidem Ovidio *Epist. Oenones*, &c. Sed & nonnunquam iis exitialis. Vegetius ubi suprà *cap. 14.* *Ardentes sagittæ per balistas in hosticarum navium alveos infiguntur, inunctasq; cera & pice & resinâ tabulas tot fomentis ignium repentè succendunt* &c. V. Jo. Frid. Gronovium *Not. ad Livium d. l.* ut & hic ubi de *Cera, Pice*, item in voce *Zacynthus*. Italos hodieque verbum utrumque, *Incerare* & *Inceramento*, in vernacula sua retinere constat.

Incestus, flagitium est cum ea commissum, cum qua Religio aut sanguinis ratio conjugium prohibet. Quænam autem conjugia vetita sint, apud Hebræos, aliter Talmudici, Karræi aliter pronuntiant. Et quidem Talmudicis, ex disertis Legis Mosaicæ verbis atque eo quod ex ipsis ita necessariò consequitur, ut non admitti nulla cum ratione queat, pro vetitis, partim sanguinis, partim affinitatis seu propinquitatis nomine, fœminæ habentur octodecim (in quibus etiam Mater, Noverca & Soror, ex jure ipsis naturali seu Noachidarum antea pariter vetitæ) ut in Schemate sequenti.



Scilicet turpitudinum harum revelatio, in Lege sacra, adeoque Concubitus & Matrimonium heic Mariæ conjugi (quem ut contingunt sive sanguine sive affinitate, sic nominantur hic fœminæ cunctæ) ut tot *Incestûs* genera interdicuntur. Ita tamen, ut quindecim tantùm disertis Legis sacræ verbis, tres reliquas ex necessariò consequenti, ajant vetitas: è quibus quindecim illæ majusculis in Schemate exhibentur literis; reliquæ tres, nimirum Prosocrus utraque ac filia minoribus; ideo tantùm adjectis interea charactere diverso, Avorum, Patrui, Patris, Soceri, Fratris, Filii ac Privigni nominibus, ut relationum connexio faciliùs intuenti appareat. Occurrunt autem *Incestûs* hæc interdicta, Levitici *cap. 18. à versu 6. ad 18.* & *cap. 20. vers. 14, 17, 19, 20, 21.* Deuteronomii item *cap. 22. vers. 30*, alibique. Quali verò ratione utantur Talmudici, dum reliquas tres illas, seu Prosocrum utramque ac filiam, ex Lege sacra satis vetitas asserunt; quidnam item ex avita disciplina sentiant de eo, quod est, utrum interdicta illa *Incestûs* sacra, quatenus in Pentateucho habentur, ad genus indiscriminatim humanum universum, an tantùm ad Hebræos, id est, an ad Jus Gentium heic imperativum, an ad Hebræorum Civile, spectent, ut & alia non pauca imprimis huc attinentia, fuse explicat Joh. Seldenus *de Jure Natur. & Gent.* V. quoque eum *de Uxor. Hebr. lib. 1. cap. 1. & 2. ubi de Fœminis secundariis, quarum conjugia ex Majorum instituto, extra Legis sacræ verba ac vim, juxta Talmudicos, vetita sunt, sive sanguinis sive affinitatis nomine.* Aliter longe secta altera Judæorum seu Karæi, qui præcisè Legis literæ inhærentes, in diversa tamen ipsimet inter se abeunt, ut videre est *Lev. capp. 3. 4. 5. & 6.* Addo saltem, interdictorum *de Incestu* violationem, pœnâ Excisionis cœlitus exspectandâ, plecti consuevisse, & prolem ex tali congressu susceptam pro Mamzere seu spurio, cui ingrediendi in Ecclesiam Domini (i. e. Israeliticè puri sanguinis ducendi) jus non esset, habitam fuisse, unde & Parentes impietatis gravissimæ, & liberi maximæ natalium impuritatis nomine, fuere invisi: in quo Karæis cum Talmudicis conveniebat, quamvis illi ipsi inter se sententiis discreparent quam maximè. V. iterum Seldenum *modò laudato cap. 6. sub fin. & de Jure N. & G. juxta Discipl. Hebr. lib. 5. cap. 11.* Sed & apud alias gentes, ἀδιαφθόρως sc. & κατὰ φύσιν ἐχόντας, *non corruptas, & natura convenienter se habentes*, uti loquitur Michael Ephesius *ad Nicomach.* ejusmodi conjugia impermissa: *& incestum* jure gentium committi, inter gradus ascendentium & descendentium, ait Paulus JC. *de ritu Nupt.* Imò

Fera quoque ipsa Veneris evitant nefas,
Generisq; Leges inscius servat pudor,

Sen. *Hippolyto.* Et proin non eo minùs jus hoc est, quòd à Persis contemnebatur: cui speciatim mori causam pravam educationem prudenter assignat Dion Prusæensis *orat. 20.* nec quòd conjugium cum fratris filia vetitum antè apud Romanos permisit Claudius, vetuit Nerva, permisit Heraclius. Meritoque *in Epist. Can.* Basilii M. ad *Amphiloch. can. 75.* qui cum propria sorore pollutus est, postquam seriò flagitium agnovit, triennio stans deflere prope fores τῶν Εὐκτηρίων, *domus oratoriæ*; dein alio triennio ad ἀκρόασιν solùm recipi; porrò itidem triennio se prosternere; decimo anno in fidelium orationes suscipi, sed sine oblatione, demumque biennio post, ad communionem admitti, jubetur. At Canonibus, qui dicuntur *Apostolici*, qui duas sorores, alteram post alteram duxisset, aut ἀδελφιδῆν, i. *fratris aut sororis filiam*, tantùm à Clero arcetur &c. Quam in rem V. plur

plura apud Hug. Grotium *de Jure Belli & Pacis lib. 2. cap. 5. §. 15. & seqq.* adde Casp. Barthium *Animadvers. Papin. ad Theb. lib. 4. vers. 68.*

Incile, ab *incidendo*, fossa est in viis ducta, ad deducendam aquam, Fest. Cujusmodi *incilibus* lacunosis voraginosa Ægyptus inprimis olim facta est, tum ne aqua deesset iis, qui à Nilo erant remotiores, tum ut merces terræque proventus hinc inde deportarentur, tum in viatorum usum, tum denique ut regio invia fieret atque inaccessa. Quod opus Sesostris inchoavit, Nilus postea, & Sabacon Æthiops (cujus successor Sethon Sennacheribo fuit æqualis) perfecere. Quo pacto cùm magna Ægypti pars equitatui inaccessa fieret, ἱπποτροφία Ægyptia, illa adeò in Sacris celebris, paulatim in desuetudinem abiit, ita ut non solùm Oppianus, Nemesianus, Vegetius, Absyrtus, Alii, de Ægyptiis equis altum sileant, sed & e Græcia venales equos Alexandriam Nicagoras Messenius deduxisse legatur, apud Plut. *in Cleomene.* V. Sam. Bochartum *Hierozoici Parte prior. lib. II. cap. 9.*

Incisi, quidam Veteribus dicti, V. infrà, in *Matricula*: uti de profanis *incisionibus* Gentilium, in luctu, Levit. *cap. 19. vers. 28. & cap. 21. vers. 5.* V. quoque 1. Reg. *cap. 18. vers. 28.* Apud Walafr. Strabonem *Praef. ad Theganum* κόμμα seu *lectio* dicitur *incisio*, alibi *pausatio*. Alia notio vocis in illo, *Signum secunda incisione pulsare*, apud Carol. du Fresne *Glossar.* Sed & vox Architectorum est, de qua V. Jac. Gothofredum *ad l. 3. Cod. de Excus. artif.* &c. V. & infrà *Incomma*.

Incitatus, nomen equi insano Caii Caligulæ affectu nobilis. Ita enim de eo Suetonius *in Caligula cap. 55.* In citato *equo, cujus causâ pridie Circenses, ne inquietaretur, vicinia silentium per milites indicere solebat, præter equile marmoreum, & præsepe eburneum, præterq; purpurea tegumenta, ac monilia è gemmis, domum etiam & familiam & supellectilem dedit, quò lautius nomine ejus invitati acciperentur.* Dio quoque, *Unum vero ex equis suis, quem* Incitatum *nominabat, invitabat ad cœnam, ita ut ei hordeum ex auro apponeret funderetq; vinum &c. ac per salutem ejus & fortunam juraret; seq; eum Consulem facturum pollicebatur* &c. Ejusdem meminit Martialis lib. 10. *Epigr. 76.*

Pullo Mævius alget in cucullo:
Cocco mulio fulget Incitati.

Quasi diceret, Mævius, vir bonus licèt ac Poëta, & utraque disertus linguâ, cucullo nihilominus mulionico præ egestate utitur; cùm è contrario mulio, id est, curator equi, cui nomen erat *Incitato*, splendidissimè fuerit vestitus. Alii legunt *Incitatus*, in verbis Martialis, ut auriga hoc nomine sub Domitiano Imp. intelligatur. V. Anselm. Solerium *de Pileo S. 8. 15.* Screvelium *Notis in Martialem* &c.

Inciti, dicuntur in Latrunculorum ludo calculi, qui eò sunt redacti, ut *cieri* moverique ampliùs nequeant. Unde Prov. *ad incitas*, vel *ad incita* redigere, pro ad extremas metas compellere, & in summam desperationem aliquem adducere. Galli istiusmodi calculum vocant *seaccum mattum* i. *contritum* & subactum. *Mattus* enim antiqua vox & Latina, emollitum, *subactum* & maceratum significat: à Græco verbo μάττω, *pinso, subigo*. V. Salmasium *ad Vopiscum in Proculo*.

Inclinatio, salutationis species apud Monachos, quæ soli Abbati debetur. Ingulphus *p. 880. de Priore, Et quia in medio Fratrum rector est eorum, in honore, præter inclinationes, omnis honor ei & reverentia exhibeatur* Quomodo autem illa fieri debeat, exponit Udalricus *Consuetud. Cluniac. l. 3. c. 2. Quilibet Novitius est instruendus, ut regulariter sciat caput inclinare, scilicet non dorso arcuato, ut quibusdam negligentibus est familiare; Sed ita, ut dorsum sit summissius quàm lumbi & caput summissius quàm dorsum: quam* inclinationem *nos per usum ante Nocturn appellamus, quia incipit contra Orientem & finit contra Occidentem*, apud Car. du Fresne *Glossar.* In eadem Communione, cùm profertur *Gloria Patri*, caput detegere illudque inclinare, qui in Choro sunt, non verò erigere se, jubentur in Episcop. *Ceremoniali l. 2. c. 1.* Idem observant, ad verba inter psallendum occurrentia, *Sit nomen Domini benedictum — sanctum & terribile — Benedictum nomen Majestatis — Benedictus Dominus quotidie — Benedicamus Patrem & Filium, cum Sancto Spiritu* &c Macri Fratres *in Hierolexico*, in voce *Gloria.* Sed &, cùm fulgura conspicerent, vett. Christianos ad terram se *inclinasse*, docet Cl. Suicerus *Thes. Eccl.* voce Ἀστραπή.

Inclusi, seu *Reclusi*, Græce ἔγκλειστοι, dicuntur Theophani *ann. 17. 25.* Constantini Copron. Monachi, qui aut prope vicos vel Cœnobia, vel etiam in ipsis Monasteriis, in singulares cellas, ex iis non ampliùs exituri, vitæ solitariæ intuitu sese concludunt, ut liberiùs Deo sibique vacent: quod Monachorum genus Cassiano *Collat. 18. cap. 8.* & Isidoro *in Regula cap. 5.* minus probatur. Ad hanc autem strictiorem vivendi rationem nemo admittebatur, nisi qui post emeritos labores & data virtutum Monasticarum argumenta, probè essent explorati, & quidem impetratâ Episcopi vel Abbatis veniâ, à cujus potestate neque sic eximebantur. Ideò decretum in Synodo Trullana *c. 41.* ut, qui *clausuram* hanc amplecti volunt, Monachi, ab Abbate primùm, dein ab Episcopo, strictiùs examinentur, nec tamen statim, sed elapso pòst anno includantur, hac adhibitâ lege, ut eis in posterum omnis probibeatur regressus, nisi id evincat utilitas communis vel alia quævis necessitas: cujusmodi *Inclusorum* egressus, præeunte Episcopi benedictione, ob communem utilitatem factus, legitur apud Audoënum *de Vita S. Eligii lib. 2. cap. 29.* & in *Chronico* Fontanell. *cap. 11.* Sed & interdum Abbates ipsos strictius hoc vitæ institutum amplexos esse, sic tamen ut Monasterii interim regimen non deponerent, docet vetus *Epitaphium* Leoniani Abbatis, in suburbana æde S. Petri Viennæ, quod descripsit Car. du Fresne *Glossar.* Etiam *Inclusa* passim Moniales, apud Scriptores occurrunt, Gregorium Turon. *l. 6. c. 29.* W. Malmesbur. *Histor. l. 3. p. 111.* Alios. Ædes, ubi hujusmodi *Inclusi* degunt, ἐγκλείστρα in Syn. Trull. *c. d.* Latinis *Inclusa, Inclusoria, Inclusoria, Reclusorium, Clusa, Clusorium*, dicitur. Unde Menardus *Observat. lib. 2.* id olim in more fuisse docet, ut virorum Ordinis Benedicti Monasteriis adjunctæ essent quædam cellulæ, quas *Clusas* seu *Inclusoria* vocaverint, arctiori studio virtutem exercitaturis. Cella v. istiusmodi, in *Ordine Inclusorum*, apud Raderum *in Bavaria sancta*, sic describitur, *Inclusa, i. e. domus Inclusi, debet esse lapidea, longitudo & latitudo in 12. pedes abeat, 3. fenestras, unam contra chorum, per quam corpus Christi accipiat, alteram in opposito, per quam victum recipiat, tertiam unde lucem habeat, quæ semper debet esse clausa vitro vel cornu* &c. Descripsit *Inclusorum* Regulam peculiarem idem Raderus, & ex eo Hæftenus *Disquisit. Monastic. l. 1. tract. 8. disquis. 2.* aliam habet *Codex Regularum Monastic.* Holstenii *Tom. II. pag. 281.* V. omnino laudatum *Glossarii* Auctorem, Jo. Casp. Suicerum voce Ἐγκλειστός, qua dies sepulti Servatoris Græcis dictus est, ut & infra quædam, ubi de *Reclusis*.

Inclusor, apud Hieronymum *in Jerem. c. 24. Fabros & Inclusores, vel Legis interpretes, atque doctores debemus accipere vel artifices inclusoresq; auri & gemmarum quod aurum apud Barbaras nationes pretiosissimum est*: Alias *Clusor*, in *Glossis* Latino-Arab. Scaligeri & Raphelengii, *Clusor, qui gemmas auro concludit* Sunt utique *Clusores* vel *Inclusores*, qui aurum argento *includebant*, & gemmas auro, διὰ τῆς ἐμπαιστικῆς τέχνης: quorum opera λιθοκόλλητα Græcis, item χρυσοκόλλητα; *auro clusa* Latinis dicta sunt: de qua arte accipienda illa Lucretii *l. 4.*

Scilicet & grandes viridi cum luce smaragdi
Auro includuntur.

V. Salmasium *ad Spartianum in Hadriano*, & suprà passim, inprimis ubi *de auro Clusis*.

Incognitus, nomen Auctoris, qui *in Psalmos* commentatus, humilitatis ergò, proprium celavit. *Michaelem Ayguanum* fuisse appellatum, docet ex *MSS.* Benedicti XII. quæ extant in Bibliotheca Vaticanâ *num. 4006.* Car. Macer *in Hierolexico*.

Incomma, apud Vegetium *lib. 1. c. 5. Procerit atem tyronum ad incommam scio semper exactam*: fuit palus quidam mensuralis in castris hac fini positus, ut ad eum admotis, qui ad militiam deligebantur, tyronibus, vel qui sponte ad militiam accedebant, an justâ ac legitimâ essent staturâ, examinabantur. Est enim ἔγκομμα, palus in terram defixus, Salmasius *ad Lamprid.* Fuisse verò eam mensuram 5. pedum & semis, colligit du Fresne ex Dositheo *l. 3.* ubi quendam in militiam adscribi postulantem Adrianus Imp. interrogat, πόσου μήκους, *quantum longitudinis* haberet; cui ille respondit, πέντε πόδας καὶ ἥμισυ, *quinque pedes cum dimidio*. Milites certè, non ætate tantum, ac fortitudine, sed & *staturâ* æstimatos esse, palàm est. Hinc apud Frontinum *l. 4. c. 1. num. 3.* Pyrrho delectori suo dixisse legitur, *Tu grandes elige, ego eos fortes reddam* V. Jac. Cujacium *Observ. l. 21. c. 5.* laudatum Car. du Fresne *in Glossario*, & infra, in voce *Spatha*.

Incrementum liberalitatis, apud Spartianum *in Hadriano, Pueris ac puellis, quibus etiam Trajanus alimenta detulerat, incrementum liberalitatis adjecit*, signate additum ab Auctore est. Hujusmodi enim largitiones *Incrementa* vocabant. Flav. Vopiscus *in Probo, Ut ejus dignitas incrementis adjuvetur*, i. *liberalitate*. Sic in vet. Inscr. INCREMENTA. PUERIS. CURIÆ. ET. SPARSIONEM. NUCUM. DENT. Contrà *Augmentum*, proprium tributi nomen est, apud Cassiodorum *l. 9.* &c. V. Casaubonum *ad Spartianum*.

Incrustationes, tectoria sunt parietum, ex crustis marmoreis ita factæ, ut solido de marmore subductis detractisque crustis parietes operirentur: Cùm *tectoria* propriè dicta essent, quibus è marmore contuso crebriusq; excreto & harenato cum calce mixto, illi inducebantur diligentique fricatione levigabantur. B. Brissonius apud Joann. Calvinum *Lexic. Jurid.* Sed & *incrustabantur* parietes aliaque etiam calce, argillâ, gypso, lapide aliaque materiâ, Corrasius *Miscellan lib. 4. cap. 16.*

Incubare, vox in Sacris Gentilium usitata, de iis, qui in Fanis Deorum somnia captabant, occurrit passim apud Poëtas: de quo *incubandi*, & castus sive jejunii prævii, atque id genus aliis ritibus, V. Ciceronem *de Divinat. lib. 1.* Strabonem *l. 16.* Pausaniam *Laconicis*, Tertullianum *de Anima cap. 27.* Arnobium *l. 1.* Suetonium *Claudio c. 25.* & hic non uno loco, inprimis in voce *Dormio*, item *Melota*.

Incunabula, quibus infans cunis alligatur, memorantur Plauto *in Amphitr.*

Nemo eum colligare quivit Incunabulis.

Discernendæ utique à fasciis seu pannis toti corpori circumduci solitis,

folliis, quæ ideo adhibebantur, ut per aliquod tempus membra stringerent, & salem, quo tenella corpora conspergebantur, continerent. Hæc verò, nempe *Incunabula*, usurpata, ne infans motu exturbaretur: & quidem illustriorum ex purpura erant. Transferunt subinde ad mortuos, sicuti *σορὸν* mortuorum ad *cunas*. Unde apud Georg. Palamum *Orat.* 1. elegantissime accusat Anima corpus, & se eo contineri ac stringi in ipso matris utero queritur, nec liberari dum in lucem prodit, sed oriri hinc ejulatus natalitiis cantibus ex adverso respondentes & undique devincientes fascias & cunabulorum vincula, sepulchralibus ligamentis cognata: [illegible], inquit, [illegible]. Quem locum Gisbertus Cuperus Observat. lib. 2. cap. 9. optime explicat, ex nummo Antonini Pii, cujus aversa in parte Faustinæ partus videtur, sub specie matris Ideæ, cum tympanistis & tibicinibus Annum in iis infantes nunquam superarunt, quibus tripudia quoque inter ornamenta. Ipsas verò cunas quod attinet, movebant eas vel servi Cunarii, qui postea forsan eorundem puerorum pædagogi, vel ancillæ Cunariæ. Formæ variæ, ut & usus. Et quidem puerorum Cunæ a latera, Medicorum (namque & hi cunis usi) etiam sursum deorsumque duci potuerunt; ad quarum priores referri potest elegantissima tabula, antiquissimi codicis manuscripti Geneseos, apud Lambecium *Comm. Biblioth. Cæs.* l. 3. V. quoque Arnobium *l. 4. adv. Gentes.* Præerat his cunis & pueris ipsis intra cunas Cunina Dea. Juxta eas verò congestæ aviculæ, quibuscum luderent, item specula: adjunctique catelli & dracunculi, nec non cymbala; cultelli quoque apud populos Septentrionales. Alius nummi à Nutrice accepti, à quibus etiam mobilibus curribus circumacti ferebantur. Circa Nilum Ægyptiaci in cymbis ludebant, cymbalis & tibiis adhibitis, quem lusum insigniter illustrat sepulchrale marmor, apud Petrum à Sena *in Cleombroto c. 6.* &c. V. Thom. Bartholinum *de Puerperio Vet.* ut & suprà voce *Cunabula.*

Incus, Cinyræ inventum. Plin. *l. 7. c. 56. Invenit Cinyra — & metalla aris — in insula Cypro Item forcipem, marculum, vectem, incudem.* Quæ, cum cudendo propriè ferro destinata sit, adamantibus etiam deprehendendis inservire, tradit *l. 37. c. 4. Incudibus hi (adamantes) deprehenduntur, ita respuentes ictum ut ferrum utrumque dissultet, incudesque etiam ipsæ dissiliant. Quippe duritia inenarrabilis est* &c. Sed fabulosum hoc esse, & in scobem malleolo redigi facillimeque confringi hanc gemmam, idem alibi docet, V. Dalechampium *ad l.* At robori ostentando, *Incudem*, pectori superpositam, aliis tundentibus, constanter fert Firmus apud Vopiscum: *cum ipse reclinus ac resupinus & curvatus in manus penderet potius, quàm jaceret.* Quod genus *[illegible]* hodiernis hominibus non est ignotum, Fuisse n. suo tempore Parisiis hominem, qui non *incudem*, sed saxum septingentorum pondo, & eo gravius, pectori superpositum, aliis tundentibus similiter, in manus pendens, perferret, notat Casaubonus *ad l.* V. Thuanum *Histor.* ubi de ceremoniis, quibus Imperatoris Turcici filii octennis Circumcisio celebrata &c.

Incurvandi Deos consuetudo apud Gentiles V. infrà de *Statuis.*

Indathyrsus, Rex Scytharum, adversùs quem bellum Darius movit, non satis prospero exitu, memoratur Pherecydi Historico, quem ad Olymp. 81. Eusebius reponit. Græcè *Ἰδάνθυρσος*: Clementi *Ἰδάνθουρος*, Herodoto *Ἰδάνθυρσος*, forte pro *Ἰδάνθυρσος*. Trogi Abbreviatori *Jancyrus* corrupte. Salmasius *ad Solinum pag. 846.* V. & in voce *Idanthyrsus.*

Indentata Charta, in Fleta *lib. 1 cap. 18 § 4.* seu *Indentura*, apud alios, Gall. *Endenteure*, Jurec. ntulis Anglis, idem est cum *Chirographo*, nempe syngrapha vel scriptura conventionalis, alii idem continenti quasi parallela & ab ea decisa in modum *dentium*, ut pares esse & unà confectæ videantur, si forte controversia aliquà inde emergente simul aptentur invicemque conferantur. Cujusmodi *Indenturarum* usum apud Anglos ejusdem esse ævi, quo Chirographa, docet Ingulfus A.C. 875. Ut igitur in Chirographis, sic in *Indenturis* observabatur, ut contrahentium alter sigillum suum apponeret *Indenturæ*, quæ penes alterum remanebat. In *Monastico* Anglic. *Tom. II. pag. 259. In cujus rei testimonium huic indenturæ tam dicta Elisabetha, quàm prædicti Prior & Conventus — alternatim sigilla sua apposuerunt.* V. quoque Littletonem *sect. 371. 372.* Thom. Walsinghamum *A.C. 1354.* Alias. Pro contrahentium verò numero, non bipartitæ modo, sed & tripartitæ, quadripartitæ &c. interdum ejusmodi Chartæ erant, uti idem Littleton docet *sect. 370.* V. iterum *Monasticum* Anglic. *Tom. I. p. 280.* ubi *Tripartita Indentura* exemplum habes, du Fresne *Gloss.*

Independentes, V. suprà *Antitum*,

Index, seu digitorum secundus, annulo quoque olim erat insignis. Plinius, ubi de digitis, quibus annuli inserebantur *l. 38. c. 1. Singulis*, inquit, *primò digitis geri mos fuerat, qui sunt minimis proximi. Sic in Numa & Servii Tullii statuis videmus. Postea pollici proximo induere, etiam Deorum simulachris. Dein juvit & minimo dare. Galliæ Britanniæq; in medio dicuntur usi. Hic nunc solus excipitur, cæteri omnes onerantur.* Ubi videmus, inter digitos, qui annulo insigniebantur, primum fuisse eum, qui minimo proximus est, dictus ob id *Δακτυλιώτης* vel *Annularis.* Rationem reddit Macrobius: *Quia is aptior cæteris. Nam pollex qui in sinistra cessat, nec manus quam tota manus semper in officio est — Pollici verò vicinus nudus & sine tutione alterius appositi videbatur: Nam pollex ita inferior est, ut vix radicem ejus excedat. Medium & minimum vitaverunt, ut ineptos, alterum magnitudine, brevitate alterum,* &c. At idem honoris *Indici* postea tributum testatur præfatus Plinius; annulum autem, quo is ornabatur, Græcis *Κοράνιον* dictum esse peculiari nomine, Jul. Pollux testatur *l. 5. c. 16.* [illegible]. Sed de hoc digito pauciora extant apud Autores probatos vestigia. V. Joh. Kirchmannum Lubecensem *Tract. de Annulis, cap. 4.* Ab *indicando* nomen habet, unde & *Indices* dicti, qui ad Principes Magistratusque clam patrata deferrent, V. aliquid de *indice Bacchanalium* suprà in voce *Custodia* & de præmiis hujusmodi *Indicum*, Liv. *l. 2. c. 5. l. 4. c. 45. l. 22. c. 32* &c. Adhibebant autem *indicem* digitum Vett. quoties manu aliquid affirmare volebant; & quidem solum eum inclinabant, al. evatà ac spectante humerum manu, ut ait eleganter Quintilianus: in exprimendo numero CCCC, cum eodem pollicem erigebant, sic aptatos invicem, ut indicis lateri superinducerentur inferiora pollicis, quod ex Beda novimus. Js. Casaubonus *ad Cæsarem Suetonii c. 34.* Apud Smaragdum *Regula Benedict. Comment. in c. 4. Cum index in Oratorio percussus fuerit, mox omnes audientes, antequam currant faciant sibi crucem in fronte, respondentes Deo gratias & tunc laborantes opus projiciant, artifices ferramenta dimittant, scriptores literam non integrent omnis fratrum manus dejerat, quod agebat* vox tabellam notat, quà, loco campanulæ, ad ea de exercitiorum signa utebantur, uti habet Dominic. Macer in *Hierolexico* De *Indicibus librorum*, apud Veteres. V. præclara apud Salmasium *Proleg. ad Solin.* & Cl. Suicerum *Thes. Eccl.* voce [illegible].

India, adde sub finem, ubi de pop. *Iman*: Præterea robusti sunt, & egregià corporis specie, sed ignavi ac in luxum effusi. Sacrificant in sublimibus editisve locis: humi, tapetibus stratis, cibum capiunt: bovinis cornibus in pocula usi: herbam *Betel* perpetuò masticant. Vini loco succum, quem Palma arbor, vel Oriza expressa præbet, hauriunt: Ligneos olim habuere calceos, unde Philostratus vitam Apollonii describens *l. 2. c. 9.* inter cætera, quæ de moribus Indorum disserit, eos *ex arborum corticibus sibi calceos conficere solitos esse*, testatur: à quibus postea, ut credere par est, horum usus ad alias gentes manavit: Apud eosdem fuisse Ædiles, qui fructus maturos signo dato vendi curarent, auctor est Strabo *l. 15* quemadmodum hodieque Antverpiæ moris est, ut venditiones tintinnabuli signo plateatim indicentur. Annis porrò utuntur Lunaribus, & aliquam Medicinæ, Astrologiæ ac Mathematicæ habent peritiam, cætera plane rudes. Qui inter illos Ethnici sunt, defunctorum cadavera comburunt, gloriæque ducit uxorum fidissima, mariti rogum viva subire: quam superstitionem plenissimè exposuit P. de Valle *Itin. tom. 4.* Reliqui Mahometani sunt: Sunt tamen ibi & Christiani quidam, à Lusitanis, Anglis, Belgis luce huc illatà: Imò & Judæi nonnulli ibidem degunt. Sed & jam olim in regnis Narsinga, Cranganora & vicinis provinciis Evangelium à S. Thoma Apostolo annuntiatum esse, constans est traditio: Unde *Christiani Divi Thomæ*. Proin ejus res gestas, apud Malabares, vernaculis cantionibus instillari infantibus legimus. Corpus etiam ejus, in veteris Templi ruderibus, in urbe Maliapura, repertum, indeque Goam translatum esse, credi vult Maffæus. Certè magnifica ædes, à Vice-Rege jussu Emanuelis R. ejus honori erecta ibi cernitur. Ab hoc ergo qui iis in locis nomen habent Christianis, à Patriarcha Orientis Nestoriano Episcopi obtigere, antequam Europæi illuc penetrarent, unde auro illorum multum scoriæ immixtum. Etiam sub finem seculi 2. Pantænum à Demetrio Episc. Alexandriæ, ad prædicandum Indis Evangelium, missum esse legimus: quem Evangelium S. Matthæi illuc à S. Bartholomæo olim illatum ibi reperisse dicunt. Sub Constantino M. quoque Ædesius & Frumentius religionem Christianam ibidem propagarunt, &c. V. Auctores laudatos, quibus adde Salmasium *ad Solinum passim*, inprimis, *p. 189.* ubi *de duplici ratione casarum, quæ naturâ nigra, inficiendi.* & *p. 1092.* ubi *de invento illorum, gemmas crystallo seu vitro tingendi adulterandi.* At *India*, in Judaicis velis picta, apud Claudianum *in Eutropium l. 1.* ubi invectus in eum, Consulem in Oriente factum, ideo maximè, quod abjectissimus fuisset servorum & castratus, Rem incredibilem & tam visam,

Atq; aliquid gravius morum, si talibus inquit,
Creditur, & nimia surgunt mendacia monstra:
Jam testudo volat, profert jam cornua vultur,
Prona petunt retro fluvii vada: Gadibus ortum
Armenii texere diem: jam frugibus aptum
Æquor, & assuetum sylvis delphina videbo.
Jam cochleas homines junctos, & quidquid inanis
Nutrit Judaicis quæ pingitur India *velis:*

Congeries est qualiscunque sive textoris sive pictoris artificiosa, animalium figuris perquàm stupendis nec omnino credibilis, eisque tum ex *India* petitis ac receptis, tum famam inde eâ de re portentosam, pro vario Artificum arbitrio, interdum superantibus, constans. Veluti Monoscelorum seu hominum qui nascuntur singulis cruribus & Sciapodum, seu qui plantarum suarum magnitudine inumbrantur, qui item cervicibus carentes in humeris habent oculos, Sylvestrium & Hirtorum, Serpentium cervos & animantia ad parem molem, alia item tota haurientium, Leucrocotarum, Ealarum, Mantichorarum, aliorum id genus, quæ Plinius, Solinus, alii, sive Indiæ tribuebant, sive somniabant in accessionem. Adeò ut mirantis apud Claudianum sensus sit, si mon-

monstrum hoc credendum, ne quidem dubitabo, quin hisce oculis posthac revera videro etiam, quidquid falsum atque, ut somnium inane, hactenus creditum, nutrire solet seu exhibere India illa, seu portentosum illud animalium Indicorum vivarium, grex, armentum, in velis illis seu tapetibus belluatis pingi solitum. *Judaica* autem hæc vela Claudianus vocat, quia Judæi tum in Oriente, utcunque dispersi, Urbeque Majorum & Templo carentes, vitæ tamen splendore, ædiumque ac supellectilis, veluti aulæorum, velorum, id genus aliorum copiâ, ac luxu etiam, multùm adhuc florebant: & licet sua etiam Christianis, sua Paganis, vela picta essent, Judæorum tamen belluata potissimùm erant &c. V. quæ hanc in rem plura congessit eruditus Seldenus *de Jure Naturæ & Gentium, juxta Disciplinam Ebræorum. lib. 2. cap. 9.*

Indica Gallina, hodie dicitur, non quòd ex *India* primùm id genus invectum, sed quia, quidquid ad nos transmarinum adfertur, *Indicum* vulgus appellare solet. In Bœotia enim & Græcia passim nascuntur, eædem cum iis, quæ *Meleagrides* Veteribus appellatæ sunt. Namque & illis insigne corporeum, veluti clavus rotundus e capite exit, quod maribus ultra rostrum propendet, cùm in Venerem incitantur & fœminas ambiunt. Et similiter ova pariunt rubris punctis notata: ipsæque ut plurimum habent plumas nigro alboque variatas, sic ut rotundis maculis albis rhombi nigri distincti sint. Adde quòd, uti illæ, nec virosum illum saporem habent, quem in Africanis seu Numidicis prisci notarunt, nec paludicolæ sunt. Salmasius *ad Solinum pag. 871. & 872.* Bochartus tamen adhuc in ambiguo ponit, an longâ illâ Meleagridum descriptione, quam ex Clyto Athenæus exhibet *l. 14.* gallina Africana (hodie *Gallina Barbaria*) aut gallo pavo (nostratibus *Gallus Indicus*) aut avis tertium genus ab utroque dissimile intelligatur, Quippe cùm præter id, quòd alendæ meleagridi destinet τόπον ἑλώδη, *locum palustrem* (quæ verba, quomodo Salmasius explicet, V. *d. loc.*) eam dicat esse ἄστοργον περὶ τὰ ἔκγονα ὄρνεον καὶ ὀλιγωρεῖν τῶν νεοττῶν, ὥστε ἀνάγκη τοῖς ἱερεῦσιν ἐπιμελεῖσθαι αὐτῶν. *avem sine ullo in prolem affectu, quæq; pullos suos ita negligat, ut Sacerdotes necesse sit illorum curam gerere*: quod nec Numidicis, nec *Indicis* nostris *gallinis* convenit. V. eum *Hierozoici Parte poster. lib. I. cap. 19.* ut & infrà in voce *Meleagrides.* De *Indicis* verò *arboribus laniferis* seu *lanigeris: harundinibus* item, *mercibusq;* ab Ἰνδοδρόμοις olim Mercatoribus Romano orbi illatis, aliisque, V. Salmasium ubi suprà *pag. 216. 296. 1115. 1300.* &c. nec non hic passim.

Indica Romanorum navigatio, indigitatur Vopisco *in Firmo*, *Idem & cum Blemyis societatem maximam tenuit & cum Saracenis: naves quoque ad* Indos *negotiatorias sæpe misit.* Sic libro superiore in *Vita Probi* inter præcipua Pacis bona numerat idem Auctor, quòd multi navigarent: *Indicam* hanc navigationem sine dubio intelligens, cujus eâ ætate videntur Romani fuisse studiosiores. Fiebat autem omnis illa in Oceano Meridionali, quam *Atlantici partem* Vett. & *Indicum* & *Erythræum* sive *Rubrum Mare*, appellarunt. *Indorum* enim nomen ita hic accipitur, ut cùm scribunt Historici, Trajanum in Sinu Rubro classem instituisse, ut per eam Indiæ fines vastaret. i. oras regionum, infra & supra Arabicum Sinum sitarum; quam Indiam ait ab Ægypto contingi, Josephus *de B. lib. 2.* Atque ita sæpe apud Gegoraphos Græcos, Latinos, Arabes. Negotiatoriæ itaque naves illæ Firmi & aliorum Ægyptiorum, e Myoshormo, Ægypti vetustissimo emporio, solventes, per Arabicum Sinum, pars Orientem, pars Occidentem versus, tendebant. Et quidem Orientalis navigationis terminum statuit Arrianus eundem, quem & oræ universæ Meridionalis, quam totam Romani notam habuerunt jam inde ab illius & Ptolemæi temporibus: neque illam solùm oram, verùm etiam continuam plagam, quæ Orienti obversa, ita jam tum Romani notam, ut ad cognitionem illius non magna videatur facta accessio, per nostrorum hominum navigationes: quæ ab altera parte tantùm terras Vett. ignotas nobis aperuerunt. Nam Græcorum Romanorumque navigationes Occidentem versùs, cùm Arabicum & Avalitem sinum superaverunt, ultra Prassum non progrediebantur: quod promontorium est Æthiopiæ infer. in ea, ut videtur, regione, quæ hodie *Monambico* dicitur. Ut meritò reprehendantur, qui existimant cognitam jam illis temporibus fuisse navigationem in eam *Indiam*, quam *Occidentalem* vulgò vocant. Mercatores autem, qui ad *Indos* currebant, Ἰνδοδρόμοι dicebantur: à quibus diversi omnino erant Ἰνδικοπλάσται (pro qua voce alii Ἰνδικοπλάσται legunt, in vet. *Glossario.*) Sic enim dicebantur Coloratores, coloribus parietes pingentes & colores tectoriis inducentes: in quibus præcipuum aut unum de præcipuis locum obtinebat *Indicum*, quod ex India veniebat, harundinum spumæ adhærescente limo: Aliter iidem Σινδοπλάσται dicti &c. V. Casaubonum & Salmasium *ad Vopiscum & Solinum l. c.* De Belgarum verò hodiernorum in *Indiam* navigationibus Georg. Hornium *Orb. Polit.* ut & in voce *Moluccæ*, item infrà, *Societas.*

Indictio, adde: *Indictionem*, quæ ab 8. Kal. Octobr. proficiscitur, à Constantino M. institutam docent passim Chronologi, unde & *Constantinianam* vocant, quam ab hac die ideò cœptam volunt, quòd tum imperare cœperit A. C. 307. Atque hujus quidem usum Gallis & Britannis familiarem fuisse constat, etiam ad extrema usque secula. Profert enim du Fresne ex 4. *Regesto Memorialium* Cameræ Paris. Acta hominii à Duce Britanniæ Regi Franciæ præstiti, quæ confecta dicuntur anno Domini 1366. *Indictione quintâ secundùm morem Franciæ, mensis Decembris die 13.* cùm Indictio Romana quarta tum curreret. Eadem in Germania perinde semper obtinuit obtinetque etiamnum: unde & *Cæsaream* vocant: in Italia quoque observatam, patet ex *Charta* Mathildis Comit. apud Franciscum Mariam *lib. 3. pag. 108.* Præter hanc verò fuit *Indictio CPolitana*, quâ Impp. CP. utebantur, quaque semper utuntur Historiæ Byzantinæ Scriptores, Justiniano Imp. coæva, sub quo constat numeratam *Indictionem* à Kalendis Septembr. ex Cedreno & Paulo Warnefrido, *lib. 2. cap. 25.* In Italia obtinuisse, docet ex *Chartis* vett. idem du Fresne, qui ejusdem inveniendæ rationem ex recentiori Scriptore MS. Bibliothecæ Regiæ, qui inscribitur περὶ τῆς ψήφου τῆς παγχαλίας, cap. περὶ τῆς Ἰνδίκτου, subjungit, *in Glossar.* Quod autem *Indictionem Romanam* seu *Pontificiam* concernit, quando illa cœperit, non omnino constat. Ex *Epistolis* enim Gregorii M. aliorumque Pontificum, Pontificia Diplomata ac Epistolas Indictionibus, more Græcorum à prima ipsa Sept. die inchoatis, subnotari, observare est: quod & adstruunt Acta vetera Vaticana, apud Baronium A. C. 1154. At Acta Alexandri III. apud eundem A. C. 1158. videntur *Indictionem* à Kl. Januarii exordiri. E quibus colligit Chifletius in *Trenorchio, pag. 253.* Indictionum initia variè, pro Scriptorum aut Notariorum arbitrio, ea tempestate tabulis adscribi consuevisse. Præter hanc triplicem *Indictionem*, quartam addit *Antiochenam*, à neomenia *Iiar*, i. Maji mensis, incipientem, Scaliger; qui Græcis Ἐπινέμησιν, *Indictionem* dictam esse, quod Eruditi quidam negant, observat *de Emendat. Temp. lib. 5. pag. 501.* Plura hanc in rem vide, apud Jac. Gothofredum *Prolegom. ad Cod. Theodos.* (ubi inter alia quadruplicem *Indictionem* facit, *Italicam* ab A. C. 312. *Orientalem* ab A. C. 313. *Carthaginensem* seu *Proconsularem Africæ*, ab A. C. 314. & *Africanæ Diœceseos*, ab A. C. 315. auspicantes) aliosque Auctores, laudatos Carolo du Fresne in *Glossar. cit.* adde Joann. Forbesium *Instructionum Historico-Theologic. lib. V. cap. 20. §. 5.*

Indictio belli, necessariò præmittenda, cùm pro re una res alia, aut pro debito res debitoris invaditur, multoque magis, si res eorum, qui debitori sunt, occupare quis velit; tunc enim interpellatio requiritur, quâ constet, alio modo fieri nequire, ut nostrum aut nobis debitum consequamur. Sic etiam, antequam summam potestatem habens impetatur ex debito aut delicto subditi, interpellatio intercedat oportet, quæ illum in culpa constituat, ex qua aut damnum dare censeatur, aut & ipse delinquere. Imò & ubi jus naturæ non præcipit tale quid fieri, ut cùm vis illata arcetur, aut ab eo ipso, qui deliquit, pœna deposcitur, aut cum dominus rei suæ manum vult injicere, honestè tamen & laudabiliter interpellatio hujusmodi interponitur, putà ut ab offendendo abstineatur, aut delictum pœnitentiâ & satisfactione expietur, secundum illud,

Extrema primo nemo tentavit loco.

H. Grotius *de Jure Belli & Pacis lib. 3. cap. 3.* Quibus verò ritibus id fieri solitum, V. suprà, ubi de *Bello*, *Clarigatione*, *Denuntiatione belli*, *Facialibus* &c.

Indictum, apud Recentiores, in genere, Nundinæ & Feriæ indictæ seu publicatæ; in specie nundinæ Sandionysienses in Gallia dicuntur, quas à Dagoberto Rege Doubletus *pag. 434.* alii à Carolo Calvo, institutas volunt: in platea, quæ *Indictum* similiter appellata, celebrari consuevisse, habet Nangius *in Chron.* vulgò *la Foire du Lendit.* V. Car. du Fresne *d. l.* & *suprà.*

Indiculus Dagoberti R. ad Sulpitium Arch. Bituric. in *Vita S.* Desiderii Episc. Cadurc. *cap. 8.* Epistola est, quâ præcipit ei seu *indicit*, ut eum ad Cadurcensem Ecclesiam ordinet ac consecret, cujus clausula, *Quod verò indicimus, manus nostra subscriptione, ut mos est, decrevimus roborare: Dagobertus Rex subscripsit.* Sic habetur *Indiculus Regis ad Episcopum, ut alium benedicat*, apud Marculfum *l. 1. form. 6.* &c. Secundùm Bignonium ita differt *Indiculus* à *Præcepto*, ut *Præceptum* majoris auctoritatis fuerit diploma, non modò manu propriâ subscriptum, sed etiam sigillo roboratum, quo caruerit *Indiculus*. V. de istiusmodi *Indiculis* Regum, Auctores varios laudatos Carolo du Fresne in *Glossario*: qui interdum pro quavis Epistola vocem occurrere, addit.

Indicum, apud Plinium *l. 35. c. 6.* E *liquidis coloribus, quos à domino dari diximus* (pingenti) *propter magnitudinem pretii, ante omnes est purpurissum, è creta argentaria — Ab hoc maxima auctoritas Indico. Ex India venit, harundinum spumæ adhærescente limo, cùm cernitur, nigrum: at in diluendo mixturam purpuræ cæruleiq; mirabilem reddit. Alterum genus ejus est in purpurariis officinis innatans cortinis: & est purpuræ spuma. Qui adulterant, vero Indico tingunt stercora columbina, aut cretam Selinusiam vel annulariam vitro inficiunt*, & Vitruvium, *Item, qui propter inopiam coloris* Indici *cretam Selinusiam vitro, quod Græci* ὕαλον *appellant, inficientes, imitationem faciunt* Indici *coloris*: coloris genus est, vulgò *Indigo* dictum, quod vel factitium, vel nativum. Illud coloris purpurei & obscuri, fiebat apud infectores ex flore nigro, vel spuma purpuræ, supernatante cortinis tinctoriis, Græcisque recentioribus λουλάκι & λάζουρ dicebatur: Istud ex India apportabatur. Ἰνδικὸν μέλαν, *Indicum nigrum*, & Ἰνδικόν, *Indicum* absolutè appellatum: Utrumque enim diluebatur, terebatur & cernebatur, seu succernebatur

nebatur cribro, tumque nigrum apparebat & atramento fere simile, unde erroris occasio Plinio *Indicum atramentum sed. cap.* confingendi: at dilutum mirabilem mixturam præferebat cœruli & purpuræ. Quam autem illud originem haberet, incertum olim, atque *inexplorata inventionis*, ut ibidem legas. Sponte hoc pigmentum nasci in arundinibus Indicis, *οἷον ἐκβράσμα*, *velut ebullitionem*, seu ebullientem quoddam ejectamentum, tradidit Dioscorides aliique Vett. Plinius *spumam* vertit *adhærescente limo*, minus fortasse recte. Nihil v. aliud esse, quàm pigmentum confectum in *Guzarate* ex Indico glasto, & *Anil* Turcis, Indis *Gali*, plerisque *Nil* vocari, Garcias ab Horto *lib.* 1. *cap.* 26. refert, aliique. Salmasius sic de eo: *ἰνδικὸν* apud Græcos Veterinarios *cap.* 123. *est Isatis, quam vulgo Europæi fere omnes pastellum vocant. Arabes vocant Nil, quo nomine & cœruleum colorem nuncupant. Inde & aliam herbam, quæ simili modo præparata similem colorem efficit, eadem appellatione impertiunt. In Gusaratte, ubi plurimùm celebratur hujus herbæ ad tincturam cultura, vocari ferunt Gali, eam rori marino similem de facie faciunt Linschotus & Paludanus. Contra Garcias — Isatis nostra plantagini similia habet folia. Nec dubium porrò, quin Veterum Ἰνδικὸν, quod hodie ajunt inexploratæ inventionis esse, ex illa herba Indica parari solitum sit. Harum limum limum esse, rustici credidere. Nempe nesciebant, quomodo fieret & unde sumeretur. Ex India allatum & limo indurato simile quum viderent, putarunt spumam esse harundinum limo adhærescente.* Et infrà. *Isatidem & Indicum eodem colore inficere, ostendit Zosimus: ἐπὶ ὑακίνθου ... ὑακινθίνῳ καὶ μέλαν Ἰνδικὸν ... Illud μέλαν Ἰνδικὸν est Nil Indicum. Isatis, nostras Nil. Hoc pastellum cœruleum Narbonensium* &c. *ad Solinum pag.* 1332. Herba certè est, quæ seri quotannis solet, postquam pluviæ cessarunt, cannabisque speciem, cum excrevit, præfert. Secatur trinis per annum vicibus, & primò quidem, cum ad duos vel 3. pedes assurrexit, usque ad semipedem demetitur, quæ optimæ notæ est, & *Indicum* profert cyanei seu cœrulei coloris longe floridioris & vegetioris, quàm quæ secunda, ac tertia vice secatur. Desectam sic conjiciunt Indi in stagna huic rei ex calce facta, quæ adeò dura evadit, ut unum continuum marmor videatur. Ambitus stagnorum communiter 80. aut 100. pedum est, quæ plerunque dimidiâ parte aqua repleta, sectâ postmodum hâc herbâ penitùs complentur. Tum quotidie herba subigitur & cum aqua confunditur, donec folium (scapus enim seu caulis inutilis) limosum fiat ac incrassescat. Quo facto, post aliquot dierum quietem, cùm massa hæc in fundo sedit, aquâ desuper limpidâ existente, per foramina quædam in stagni ambitu facta, aqua omnis emittitur, ac calathis limus colligitur. Tunc videas unumquemque, circa cophinum suum occupatum, digitis oleo lubricatis prehensam massam diducere ac in pastillos formare, dimidii ovi instar habentes, inferiori sc. parte planos, superiore convexos: nisi quòd *Indicum Amadabathense* utraque parte planum, placentæ velut, & id, quod in vicinia Agræ colligitur, quodque omnium præstantissimum est in globos formatur. Sic soli exponunt siccandum. Quia verò sabuli non parum sic formatis offis adhæret, solent eas incolæ, antequam in Europam transferuntur, cribro diligenter succernere, ut purum *Indicum* & sincerum impensis dignum eò perveniat, pulverem vero domi tinctoribus vendunt. Ubi memorabile, illos qui huic operæ vacant, quantumcunque faciem tegant, tamen impedire non posse, quò minus intra octiduum ita imbuantur hoc colore, ut salivam non nisi cœruleam excernant. Sed & ovum juxta hos homines mane repositum, si sub vesperam frangatur, totus penitus colorem bibisse apparet: adeò acer ac penetrans pigmento huic vis est &c. Tingit autem *Indicum* & cœruleo & nigro colore telas, cujus rei caussam suprà videre est; & in Imperio Mogolis M. magnâ copiâ colligitur, in regione Biana, *Indova* & *Corsa*, quæ bidui circiter itinere, aut propiùs à Regni Metropoli Agra absunt, hocque omnium optimum est. Sed & provenit in loco, qui octiduo itinere Suratâ, & in pago *Sarquesse*, qui 2. leuc. Amadabatho distat; quod planum est, ut diximus, quale etiam in Regno *Golconda* reperitur. Reperitur item in vico magno *Raout* aliisque minoribus vicinis, 36. leuc. dissitis à civ. *Brampour*; etiam Bengalense habetur, & aliud, quod Mexicanum Americæ Regnum mittit &c. Quam in rem V. plura apud Joh. Bapt. Tavernier *Observat. sur les Commerces des Indes Orient.* ut & suprà ubi de *Indica Navig.*

Indigetes, adde: Salmasio Deus *Indiges* propriè est, quem Græci *ἐγχώριον θεὸν* vocant. Poëta,

Dii patrii, Indigetes &c.

Item, *χθόνιος*, non enim solum *τὸν ἐγγενῆ*, sed etiam *τὸν ἐπίγειον* vox notat; *Δαίμονα* quoque *ἐνοικον*, quod verbum *Indigetem* exprimit, ex *indu* & *ago*, qui ibi agit & incolit. Iidem porrò *Semidei* & *Locales*, dicti. Glossæ, *Indigetes*, *ἥρωες ἐγχώριοι*. *tidem* & *τοπικοί*. Servius. *Dii topici, id est, locales, qui alias regiones nunquam transeunt.* Sed & *Indigetes*, quasi *Indicetes* dici possunt, hoc est, homines *indicati*, quasi consecrati & dedicati, *ἀφιερωθέντες* V. eum *ad Solinum pag.* 71. Servius *in Æneid lib.* 5. illos *Divos*, non *Deos*, appellari vult, ut distinguantur à Diis majorum gentium seu Consentibus, de quibus V. suo loco. Quæ causa est, quòd Imperatores olim, post mortem Deorum numero illati, *Divi* dicerentur: quod qua pompa fieri consueverit, V. suprà, voce *Apotheosis*, item *Consecratio*. Iidem Græcè *Ἀνθρωποδαίμονες*, animæ sc. erant demortuorum, quos princeps potestas cœlo locavit, sive, quia nobili reperto profuissent generi humano, sive quoniam gentis vel urbis erant conditores, sive quia bello rem præclarè gessissent, V. Lactantium *de Fals. Relig. lib.* 1. *cap* 5. Augustinum *de Civ. Dei l.* 8. *c.* 5. præter Ciceronem *de Nat. Deor. l.* 3. &c. Unde & dicti videntur ab honore eo, quod publice vocarentur. Certe & Festus sive Paulus *indigitanto*, expon. *imprecanto*. & apud Macrobium *Saturnal. lib.* 1. *cap.* 17. legimus: *Namq; Virgines Vestales, ita indigitant, Apollo Medice, Apollo Pæan.* Atque hinc *Indigitamenta*, *ἱερατικὰ βιβλία*, libri vocabantur, quibus continerentur Deorum nomina & preces ritusque, quibus invocarentur. Fortasse iidem sunt, quos *Genitales* vocat Ennius *Annalium l.* 1. videtur tamen Ausonius aliter accepisse, *perioch.* 4. *Æn.* ubi *Deos Genitales* à Jove in concilium vocatos refert, ubi Consentes & Selecti sine dubio intelligendi. Primus v. quem *Indigetis* nomen sortitum invenimus, Æneas est; cui sacellum extructum cum hujusmodi Inscr. PATRI DEO INDIGETI QUI NUMICI AMNIS UNDAS TEMPERAT, auctore Dionysio *l.* 1. Livius *Jovem Indigetem* vocat, *lib.* 1. Tempus & autorem suggerit Festus: *Indigetis nomine Æneas ab Ascanio appellatus, cùm pugnans cum Mezentio nusquam apparuisset, in cujus nomine etiam templum construxit.* Fuere tamen Latinis & alii *Indigetes*, iique Æneâ antiquiores: quales; si unum exceperis Quirinum, omnes illi à Tullio memorati *de LL lib* 2. *Colunto & illos, quos in cælum merita vocarint, Herculem, Liberum, Æsculapium, Castorem, Pollucem, Quirinum.* E quibus sex antiquissimus est Liber, cujus sacrum Liberalia 16. Cal. Aprilis, dies primâ sui parte nefastus, ut constat ex Kal. Rom. Quo per totum oppidum sedebant, i. e. feriabantur, Liberi Sacerdotes, ut ait Varro *de L. L. lib.* 5. Pueritiam item egressi virilem togam induebant, cujus caussam exponit Ovid. *Fast.* Etiam inter *Indigetes* Deos Romanis fuit Semo Sanctus, qui & *Fidius*: Faunus item, quem *Indigetem* Silius vocat *lib.* 9.

Indigetesq; Dii Faunusq; satorq; Quirinus,
Alternusq; anima mutato Castore Pollux.

Ubi ex sex istis Tullio relatis tres referuntur, & præterea intactus illi Faunus. Nec negari potest ei inter *Indigetes* locus, si Aboriginum Reges hoc ordine successerunt, quo memorat Eusebius: Janus, Saturnus, Picus, Faunus, Latinus. Sed in eo multa requirit Vossius: Nam Janus & Saturnus non fuere Aboriginum Reges, verùm ad Deos Selectos pertinuere, adeoque non animales, sed naturales, erant Dii. Præterea, commentum de Pico R. & augure unde promanaverit, Dionysius docet. Nec ullus inter Aboriginum Reges fuisse Faunus videtur; sed multorum non animalis, verum naturalis, Deus fuit; cum Silvano idem ac Pane, cujus cultum ex Arcadia Evander Italiæ intulit. Justius inter *Indigetes* Evander refertur, qui Italos literas docuit & agriculturam; quæ postea Saturno attributa, quia Evandrum in Saturno honorari placuit. Evandrum vero in Deos esse relatum, argumento est, quòd ei quotannis sacrificarint Romani, apud montem Aventinum, juxta portam Tergeminam. Porrò & Deas *Indigetes* Romani habuere: quales Carmenta & Acca Larentia; quarum illa à Majoribus accepta, ista Diis Majorum superaddita. Lactantius *l.* 1. *c.* 20. alterum etiam scortum (præter Larentiam) in Deas relatum ait, cui *Faula* fuerit nomen: Prout vocatur editione Aldi, Betulej, Thomasii. Ubi Vossius suspicatur, prisco more *Flaviam* scripsisse, id est, *Floram*, quod ex altero factum. Jam autem à Sabinis Flora culta fuit, cui proin voto se obstrinxit Tatius Rex, cum Romulo pugnaturus & hinc Romuli jam Numæque temporibus Floræ sacra ac Flamines legimus fuisse. Sed & Anna Perenna inter *Indigetes* sibi locum poscit, si ea fuerit Didonis soror: quam apud Æneam exulasse ajunt, sed, insidias struente Laviniâ, in Numico submersam, hinc pro Nympha Numici habitam cultamque & quia amne perennè lateret, vocatam Annam Perennam. Sed si jam *Anna* prius dicebatur, non fuerit id nomen ab amne. Nec Anna magis, quàm Dido, videre potuit Æneam, utpote inter quos trecentorum circiter annorum intervallum est, ut Vossius ostendit *Orator. Institut. l* 1. *c.* 6. §. 8. Quare potiùs fuerit Anna Bovillana, vetula quæ plebem pavit, cum in Aventinum secessisset, uti legimus apud Ovidium *Fastorum l.* 3. Quæ tamen secessio cùm Senatui vel Sacerdotibus Romanis non ita placeret, ut divinos huic vetulæ honores habitum ire vellent: nec negare interim quiequam tempora sinerent, jos plebi sublatum decretumque, quasi in Annæ honorem, ut Martio mense, qui veteris anni erat primus, sacra cœlesti fierent Numini, quibus rogaretur, ut *annare & perannare*, hoc est, annum illum exigere & alios illi superaddere daretur. Bona insuper Dea, *ἡ Γυναικεία θεά*, ut vocant Græci culta à Romanis Kalendis Majis quæ & ipsa inter Deas *Indigetes* sit, si vel mater fuerit Midæ Regis, ut Phryges volunt: vel Nympha Dryas, Fauni Regis Aboriginum conjux; quorum utrumque apud Plutar. *in Cæsare* legimus, vel, quod ex Varrone à Macrobio refertur, Fauni Regis filia. Sed quid de ea sentiendum, patet ex iis quæ de Fauno suprà. Atque hæc de temporibus, quæ Cæsares

præceſſere: è quibus colligitur, ſub Regibus hominem neminem cœleſti donatum honore *Indigetemq;* factum, præter unum Imperii conditorem Romulum, atque, ut videtur, longè tamen inferiore gradu, nutricem ejus Accam Larentiam. Poſtea verò, ſi quis hoc honoris adeptus ſit, unicam eſſe Annam Bovillanam; nec tamen è ſententia Senatus. Quamvis interea Heroes ſuos magnis dignati fuere honoribus, at non divinis: quæ diſtinxêre etiam Græci, quibus aliud ἐναγίζειν, aliud θύειν. Prius conveniebat Heroibus: alterum notat in Deos referre. Sed apud hos ſere uſu veniebat, ut, qui priùs eſſent heroicis affecti honoribus, iisdem poſtea præſtarentur divini, quod Lampſacæ, inter alia, contigiſſe, Plutarchus habet *in præcl. Mul. factis*, ubi ſacrificium in honoribus divinis fuiſſe, docet. Lapsâ ſequentibus temporibus Rep. & ſtatu rerum mutato, primus Cæſarum inter *Indigetes* relatus conſecratusque Julius eſt, idque ab Auguſto, de quo Suetonius *Julio cap.* 88. Unde in Juliani Cæſaribus, Auguſtum Silenus Κοροπλάθον vocat, id eſt, *puparum effectorem*; rationem ridiculi hujus nominis reddens, quòd, uti nonnulli faciunt pupas, ſic ipſe fecerit Deos, quorum unus primusque eſſet Julius Cæſar. Poſt eum conſecrati alii: de quibus, & pariter Auguſto V. Plinium *Panegyr.* Imò & Auguſtæ, aliique è domo Auguſta, mares fœminæque. Nam Cajus Caligula ſororem ſuam Druſillam, *Veneris Pantheæ* nomine conſecravit: & Getam fratrem Baſſianus Caracalla maluit eſſe *Divum*, quàm *vivum*; & Hadrianus Imp. ſordidiſ & inſipidis delitiis ſuis Antinoo Bithyno, ſubmerſo in Nilo, non dubitavit, velut certiſſimo Numini, cœleſtes tribuere honores, oraculo etiam conſtituto &c. Sed de his V. ſuprà *paſſim*, inprimis in voce *Anima, Conſecrandi ritus* &c.

Indignatio, V. infrà *Ira*.

Indoles, titulus Principum, adoleſcentium maximè, honorarius. Monachus Sangall. *de Rebus Caroli M. lib.* 2. *cap.* 15. *Quo etiam tempore epiſtolam ad veſtram* Indolem *direxit* &c. V. hanc in rem plurima, apud C. du Freſne *Gloſſar.*

Indorſata Literæ, dicebantur olim *Brevia citationum* ſeu *ſubmonitionum*, quòd in ejusmodi brevium, per quæ à Rege actori reum in judicium adducendi facultas dabatur, *dorſo* ſeu tergo citatio & ſubmonitio, ab Appatitore vel *Serviente* reo facta, ut in judicio compareret, adſcriberetur: unde *Indorſatio*, executio citationis vulgò in Foro Anglicano: Gall. *Endoſſement*. V. *Statuta* Davidis II. R. Scot. *capp.* 18. & 41. apud Guil. Thorn. *A.C.* 1289. du Freſne.

Indoſcythia, adde: Salmaſio cis Indum & trans Indum ſimul poſita, & intra ipſius Indi oſtia, ad mare Indicum, multas Indiæ regiones complectebatur, emporiumque habebat nominatiſſimum, dictum *Barbaricum*. V. eum *ad Solinum pag.* 1150. & ſuprà, in voce *Barbaricum*.

Induci, propriè calcei dicuntur. Tertullianus *de Pallio, Impuro cruri purum aut mulleolum inducit calceum.* Infrà, *Si quid calceatus induitur.* Cornificius *de Rhetor. ad Herenn. lib.* 1. *Solea lignea in pedibus inducta.* Unde corrigendus Plinius *lib.* 33. *cap.* 11. *Noſtraq; ætate Poppæa, conjux Neronis Principis, delicatioribus jumentis ſuis ſoleas & auro quoq;* induere *ſolebat.* Lege, *inducere*: & Apulejus *lib.* 2. *Et cum dicto juvenem quempiam linteis amiculis intectum, pedesq; palmeis baxeis* indutum, *& adusq; deraſo capite producit in medium.* L. *inductum*. Salmaſius *ad Tertullianum de Pallio cap.* 5.

Inducia, Lycaonis inventum, juxta Plinium *lib.* 7. *cap.* 56. ſunt conventio, per quam bello manente ad tempus bellicis actibus abſtinendum eſt. Virgilius *pacem ſequeſtram* dixit, Servius ad eum, *pacem temporalem*, ut & Thucydidis Scholiaſtes εἰρήνην πρόσκαιρον πολέμου ὄντος, Varro *pacem caſtrenſem paucorum dierum* &c. Nomen non tam, ab eo, quod Gellius vult *lib.* 19. *cap.* 8. *inde uti jam*; nec ab *endoitu*, i. introgreſſu, ut Opilius voluit; Sed quòd *inde*, i. à certo tempore *otium* ſit, quomodo ἐκεχειρίαν Græci vocant. Sunt enim *Induciæ*, in bello otium, non pax; ideoque accurate loquuntur Hiſtorici, qui narrant ſæpe, *pacem negatam*, *inducias datas*, Livius, Plutarchus, Juſtinus. Quare nec novâ in dictione opus eſt: nam, ſublato impedimento temporali, ipſo jure ſe exſerit ſtatus belli, non mortuus, ſed ſopitus, ut dominium & patria poteſtas in eo, qui à furore convaluit. Apud Livium tamen, ex Fecialium ſententia, finitis *induciis*, bellum indictum legimus: ſed nim. iſtis non neceſſariis cautionibus oſtendere vett. illi Romani voluere, quantopere pacem amarent, & quàm juſtis de cauſis in arma retraherentur, ut ipſe Livius innuit *lib* 4. *Cum Vejentibus nuper acie dimicatum ad Nomentum & Fidenas fuerat, induciæq; inde, non pax facta, quarum & dies exierat & ante diem rebellaverant: miſſi tamen feciales, nec eorum, cùm more patrum jurati repeterent res, verba ſunt audita.* Quantum autem per *Inducias* utrinque liceat, vel non liceat, quæque alia huc pertinent, perſequitur accurate H. Grotius *de Jure Belli & Pacis lib* 3. *cap.* 21.

Indus, dicitur ἐλεφαντάγωγος, h. e. *rector Elephanti*, undecunque ſit ortus; quia hac arte maximè præſtant, qui in *India* nati ſunt & alios edocuerunt. Polybius *lib.* 1. de Cæcilio, qui Asdrubalem vicit fugavitque. ἐκράτησε σὺν τοῖς Ἰνδοῖς ἐλεφάντων δέκα, *belluas cum ipſis Indis decem cepit.* Et *lib.* 3. cùm Annibalis elephanti Rhodanum trajecerent, τοὺς μὲν Ἰνδοὺς ἀπολέσθαι συνέβη πάντας, τοὺς δ' ἐλέφαντας διασωθῆναι, *Cùm Indi omnes periiſſent, elephantos ſervari contigit.* In quibus verbis *Indi* vocantur, qui in India nati non erant, ſed in Africa. Aliter ſe res habuit de Eupatoris elephantis, quorum rectores cum ipſis belluis ex India veniſſe vero conſentaneum eſt, 1. Maccab. *cap.* 6. *verſu* 37. *ſuper unamquamq; milites erant triginta duo pugnantes in eis, &* Indus *ejus*. Ubi Vulgatus habet, *Indus Magiſter beſtiæ*, &c. Iſtiusmodi *Indo* harpen tribuit Ælianus *Hiſtor. lib.* 13. *cap.* 1. Πολεμιστὰς μὲν τρεῖς (φέρει) τοὺς ἑκατέρωθεν βάλλοντας καὶ τὸν κατόπιν μαχόμενον, τέταρτον δὲ τὸν τὴν ἅρπην κατέχοντα διὰ χειρῶν, καὶ ἐκείνῃ τὸν θῆρα εὐθύνοντα. *Bellatores quidem tres gerit, duos ab utraq; parte & tertium retro pugnantem, quartum autem harpen manu tenentem, quâ belluam dirigat.* Sic apud eundem *lib.* 13. *cap.* 22. elephas officii ſui monetur τῇ ἐκ τοῦ ἅρπης κρούσει· niſi quis malit ἄρπης ex Heſychio legere, cui ἅρπη eſt σίδηρος, ᾧ τὸν ἐλέφαντα τύπτουσι, *ferrum, quo elephantem verberant*: ut in Philoſtrato, καλαῦροψ eſt incurvus baculus, quo puer elephantem regit. V. Sam. Bochartum *Hierozoici Part. prim. lib. II. cap.* 27. *pag.* 268. & 269.

Induſium, adde: Promiſcuè verò hodie vox uſurpatur. Ornatum eorum quod attinet, uti hodie extremæ illorum manicæ accesſionem habent limbi è ſubtiliore tela vel ſimplicis atque expanſi vel in denſas plicas corrugati; ſic tunicas ad manus fimbriatas Veteres geſtaſſe legimus, apud Suetonium *Julio cap.* 45. Sed & circa collum fimbriata *Induſia* quoque Veteribus fuiſſe, diſcimus ex Lycophrone, ubi is indumento exitum à ſuperiori parte non habente, quo Clytemneſtra in Agamemnone tollendo uſa eſt, κροσσωτοῖς ῥαφαῖς cæcis manibus eum quæſiiſſe, quà ſe caput exereret, canit. Vide Caſaubonum *ad L.* & ſuprà, in voce *Focale*.

Inea, fullonis inſtrumentum, V. ſuprà *Ina*.

Inermes, in bello veniam merentur. Et quidem, ut de pueris fœminisque nil dicam, de quibus valet illud Senecæ *de Ira*, *Puerum ætas excuſet, fœminam ſexus*: univerſaliter de maribus, quorum vitæ genus ab armis abhorret, idem ſtatuendum; *Jure belli in armatos repugnantesq; cædes*, Liv. & alibi, *arma habentium* (ait Camillus) *ſed adverſùs armatos*: qui proin Vejis expugnatis edixit, *ut ab inermi abſtineretur*, apud eund. Et quidem in hac claſſe primùm ponuntur hi, *qui Sacra curant*. Nam ut hi ab armis abſtinerent, mos ab antiquo omnium fuit gentium, atque ideo viciſſim vi in illos temperabatur. Sic Philiſthæi, hoſtes Judæorum, non nocebant Collegio Prophetarum, quod erat Gabæ, ut videre eſt 1. Sam. *cap.* 10. *verſ.* 5. & 10. Cretenſes, cùm inteſtinis bellis colliderentur, omnem noxam abſtinuere à Sacerdotibus, & iis, quos humandis mortuis præpoſitos Καλαμιστὰς dixere, teſte Plut. *Quæſt. Græc.* Gotthi Sacerdotibus Petri & Pauli extra Romam pepercerunt, apud Procopium *Gotthic. libros*. Quò prov. Græcorum pertinet, οὐδὲ πυρφόρος ὑπελείφθη. Certe & cùm tota Græcia olim bello ferveret, Eleos, utpote Jovi ſacros, & eorum hoſpites in alta pace vixiſſe, auctor eſt Strabo *lib.* 8. Pari modo, qui ad Olympia, Pythia, Nemea & Iſthmia certatum ibant, habuiſſe belli tempore ἀσφάλειαν καὶ ἄδειαν, *tutelam ac ſecuritatem*, legimus apud Thucyd. *l.* 5. 8. & Plut. *Arato*. Adde his, qui ſtudiis literarum honeſtis & humano generi utilibus operam navant &c. Dein *Agricolæ*, quos, tanquam in commune utiles, intactos in prœliis relinqui, de Indis cum laude refert Diodorus Sic. *Bibl. lib.* 11. de antiquis Corinthiis & Megarenſibus, Plut. de Cyro, Xenophon *Inſtitut. lib.* 5. de Beliſario, Suidas. Eosdem & Canones aſcribunt: quibus *Mercatores* addunt, quo nomine continentur ſimul alii Opifices & Artifices, quorum quæſtus pacem amat, non bellum &c. V. Hug. Grotium *de Jure Belli & Pacis lib.* 3. *cap.* 11. §. 10. & *ſeqq.* ubi & de iis, qui, poſtquam arma geſſerunt, *inermes* ſe hoſti exhibent, deditities ſc. captivique, accuratè diſſerit.

Infamis Corona, è lana olim, de qua V. C. Paſchalium *Coronar. lib.* 5. *cap. ult.*

Infanciones, Hiſpanis dicti ſunt Nobiles inferioris ordinis, quos ii hodie *Hidalgos*, Galli *Eſcuiers* vocant. Sic verò primitus Nobilium & Militum filii appellati ſunt, qui nondum per ætatem Militari cingulo, nec proinde militari appellatione, erant donati; quod etiam apud Gallos obtinuit. De eorum multiplici ordine, ita Vitalis Epiſc. Oſcenſ. *Sunt quidam* Infanciones, *quidam homines ſervitii ſive ſigni. Infancionum autem alii Hermunii, alii Franchi de Charta vulgariter appellantur. Ermuniorum autem Infancionum alii Barones vel Rici homines: alii Meſnadarii: alii ſimplices Milites: alii* Infanciones *ſimpliciter nominantur* — *Infanciones Ermunii, h. e. immunes ab omni munere ſeu onere — ſunt tali nomine redimiti, quibus ſunt libertas & conditionis decor, à tempore, quo non extat memoria, acquiſita, imò innata — Infancio autem de Carta, eſt is cui immunitatem, quam genus vel natura negavit, liberalitas ejus, cujus erat adſtrictus ſervitio, conceſſit cum authentico inſtrumento.* Idem alibi. *In Aragonia omnis homo deſcendens de genere Militari* (h. e. Militum ſeu Equeſtris Ordinis Virorum, qui non naſcebantur, ſed eligebantur, vulgò *Cavalleros*) *per lineam planam, eſt* Infancio, *ſive ſit legitimus, ſive illegitimus, ſive maſculus ſive fœmina. Tamen, quamvis veniat ex parte Matris ex lineâ militari,*

licari, non est Infancio, nisi habeat patrem Infancionem — *Et per Foros habetur, quòd quilibet Infancio potest esse Miles in Aragonia* &c. apud Car. du Fresne *Glossar.*

Infans, à non fando dictus est, teste Nonio: sicut Græc. νήπιος, à νὴ & ἔπω. Hic sive die sive noctu in lucem prodit, natalis dicitur dies, ut ex Varrone fusè explicat A. Gellius *Noct. Attic. lib.* 3. *cap.* 2. & quidem veræ nativitatis terminus, nonus est mensis, ex sententia Medicorum: Ovid. *Metam. lib.* 10.

— — — — *Jamq; coactis*
Cornibus in plenum novies lunaribus orbem,
Illa Paphon genuit.

Decimus ab illis laudatur, qui initium sumunt decimi: post quem *Semmati* vocantur. Nec septimus infrequentior, de quo V. *Tristium lib.* 4. *Eleg.* 10. Quocunque tandem mense, primogenituræ magna semper veneratio, à qua Fortuna Natalis Primigenia eque solis fœmellis nunquam exponuntur primitivæ. Unde de gemellorum primogenitura litigarunt Jurecoss. masculis fere ... ventes, ut fortioribus, quod in Hispaniam veteres Gothi invexere primi. Omni autem nato apud Paganos Genius sociabatur statim, qui & vitæ auctor esset & gignendi: quem proin coluere votis, nummis, statuis & inscriptionibus, Fortuna puerorum Fortuna Genitalis regebat, sicut necessaria Fatum. Lares quoque inter Natales Deos habiti: Fuere & Dii Genitales alii majorum gentium ad Nativitatis provident am electi, diversi à Genialibus, Γενέθλιοι Græcis, quibus placidis vel iratis, prout quisque natus, ita felix censebatur: Accessit quoque Neptunus Genethlius Deus, humore suo nativitatem promovens; ut Puerperarum hic proprios Deos omittam, de quibus *suo loco.* Nato *Infante*, nunc ploratus, nunc lætitia apud diversos: ipse plorat, antequam rideat, variam ob causam. Utero egressum statim lavabant, tanquam à matre rubentem: solus enim Clodius Albinus, teste Capitolino, candidissimus natus legitur. Lavabantur verò partim sale, partim aquâ, eaque vel tepidâ, ut in funeribus: vel fervente, vel frigidâ, quâ Germani etiam legitimum fœtum explorarunt. Unde de iis Claudianus,

— — *Nascentes explorat gurgite Rhenus.*

Psylli partus serpentibus offerebant dijudicandos. Æthiopes avibus, ut legitimos discernerent, imposuerunt. Græci aquâ pariter ad sordes *Infantium* abluendas usi; additum subinde oleum in χύτλῳ vel toti corpori, vel oculis naribusve, ad infantis robur & calorem non satis firmum augendum, & conservandum. Lacedæmonii vino laverunt, alii Græcorum rore, Cimbri nive. Lavandi vel in clypeo collocabantur, antiquo cum funeribus ritu, ut patet ex Euripide *in Troadibus*: vel in mnaſterna, vel labello, vel alio vase Alvei quoque fit mentio, quod *Scaphisterium* appellatur: *Crates* Trismegisto: Christianis *Baptisterium*, quod id Romanis debuerunt. Alvei in familia Cæsaris testudinei erant in usu, docente Capitolino *in Clodio Albino*: quo modo & lavabantur grandiores, quibus impositis hastam addebant, cum hac acclamatione, ἢ τὰν ἢ ἐπὶ τᾶς, ut de fœminis Laconicis scribit Thucydides *lib.* 2. Lavabant autem suis interdum manibus puerperæ ipsæ robustiores, ut plurimum obstetrices vel ancillæ, quin servi & Eunuchi, qui idcirco muneribus donabantur. Aliquando ipsi Patres id muneris obiere. Lotus *Infans* in terram statutus fuit antiquis temporibus, non sine pompa: mos e sacris Hebræorum, qui tamen ante Justinianum desiit. Religiose consecrata terra, quamprimum attigissent Augusti: factumque id, sive ut vocem terræ contactu acciperet, sive ut auspicaretur rectus esse Diis Conjugalibus, unde ab Obstetrice erectus in terram erigebatur, sive ut Opem seu Matrem communem salutaret, cujus posthac indigebat ope. Ita in terra constitutis Statina Dea, cujus meminit Tertullianus *de Anima*, præfuit, vel, ut aliis visum, Statanus. Nihil autem horum factum, si ante depositionem inter vivos esse desiisset. Hinc quorum vitalia indicia, tellure suscipiebantur à Parente, vel Procuratore ejus, quò inter legitimos numerarentur hæredes: Ubi differre constat, *nasci & suscipi: educare & tollere,* Fiebat ea sublatio ope Levanæ Deæ, de qua August. *de C. D. lib.* 4. *cap.* 2. sed à Patris dependebat voluntate, cujus vitæ & mortis potestas in eos, quos pro suis agnoverat. Cuncta ritu hoc celebrata, ut ex terra sublatum infantem susciperet per servum Parens, vel ejus vice Puerpera, vel soror illius, vel familiaris aliqua: Obstetrices quoque, unde *Terræ matres* dictæ. Partum autem tollere nolebant Patres, si sexus esset sequioris, quippe masculus boni fuit ominis. Contraria Indis apud Curtium *lib.* 9. Lacedæmoniisque lex, quæ, Patribus arbitrio tollendi detracto, iis reliquit voluntatem suscipiendi, quibus spectandi infantes curam demandavit. Omnes Judæi, Crotonenses nullos tollebant: contra quam libertatem natæ LL. Papiæ & jus tot liberorum, apud varias gentes. Quos suscipere nollet Pater ominis ergo & metus, more à Diis derivato, expositi fuerant, de quo V. suprà, ubi de *Expositione*: Quem antiquorum barbarum morem non statim sustulerunt Christiani Imp. sed progressu temporis demum, ut videre est in *Cod. Theodos. tit. de expositis.* Quandoque enecati, cui contrariam legem Romulus opposuit, apud Dionys. Halicarnasseum *lib.* 2. Involucra porrò *Infantibus* duplicia erant, alia quæ rubenti substernebantur, quale linteamen album, quo, donec ablutus esset, involvebatur puer: hoc sacrum infantibus signum, quia ad Deos sacerdotesque linum pertinet. Alia jam lotus & in cunis reponendus habuit: quæ vel fasciæ seu panni, modò albi, modò purpurei, pro varia puerorum fortunâ, sæpius lanei, toti corpori circumducti, ut latera continerent, & membra in rectum exitura per aliquot annos stringerent: vel Incunabula erant, de quibus *suprà.* Cunis impositi, ab Obstetricum cura ad Nutrices transierunt: quarum erat, à quinto nativitatis die, eorum cum Rumina curam gerere, fasciis involvere, cunas movere, nænias lallosque cantare, cui cantilenæ Lallus Deus præerat, &c. V. infrà in voce *Nutrix.* Pappabant *Infantes* mammam amplexuri, vel Patrem vocaturi, unde *Papa* pro Patre, apud Græcos Romanosque, pro *Avo* apud Arabes: *Mamma* pro matre seu nutrice, ortum. Lallabant eodem modo, unde *Lalli* & λάλαι nondum loquentes, qui acceptâ voce Deo Fabulino sacrificabant. Qua de re sic pulchrè Valerianus Episc. Cemeliensis *Homil.* 10. *Ecce infantibus quàm sunt verborum admiranda principia, ubi primùm informis littera vocabulum Matris operatur, & distantis syllaba geminum Patris nomen oratur. Quis autem sibi tacitus non sit, cùm inter illa sermonum dura rudimenta luctantes labiorum sonos rudis lingua decipit, & os trepidum fluitantia verba dejectat* &c. V. Casp. Barthium *Animadvers. ad Statium Sylv. ult.* ubi & de *reptationis* exercitio infantium egregia quædam. *Papa* verò cibus eorum quoque, sicut *Bua* potus dictus est, docente Nonio *cap.* 2. Recèns baptizatis Christianorum & *Infantibus* Paganis mel datum, cum lacte, ex vasculo χοτυλίῳ per spongiam: quarto enim die Nutricis lac successit. Mastichæ & ... elinicla, puls & libum delicatiorum, setania plebejorum seu cepæ alliique vilissimum genus, quibus pro potu acetum. Lacedæmonii citra lactentatem, ut fami assuescerent: Christianis veteribus reliquiæ Eucharistiæ præbebantur, Cypriani & Caroli M. temporibus. Sed antè, finitâ nempe ablactatione, epulæ instructæ, & pro ciborum auspicio Edusæ, potionis Potinnæ sacra fiebant, porcellis lactentibus & pane furfuraceo, ubi simul Cubæ initiabantur, sicut apud Christianos sacre. Exportati denique in agros ad Dianam, tumque nutriri cœperunt, quod aliud erat, quàm ali. Inter hæc sacra tertius affulsit dies Romanis, Græcis quintus, quo coronæ natalitiæ foribus suspensæ. Juvenalis *Sat.* 9.

— — — *Foribus suspende coronam,*
Jam Pater es.

Oleagina quidem Athenis, masculis: lanea fœmellis. Romanis laurus, & hedera apiumque, ut & aliæ herbæ fragrantes, in hos usus placuere Quinto die emergente instituta λουτρὰ λεχοῦς, sequebantur munera natalitia puero oblata, polypi, sepiæ, coronæ, gemmæ: Ἀνάδοσις donarium vocabatur S. Baptismatis: Ὀπτήρια, quæ primò *Infante* viso exhibebantur. Aliis insuper puerperæ & puerperii ministri eadem luce donabantur. Tota reliquâ hebdomade primâ, Junoni proposita mensa, seu ara, super quam votivus infans Diis oblatus est & commendatus votis: additus Junoni lectus & in ejusdem ærarium conjecti nummi. Sequutæ pro natis supplicationes, per omnia templa circumductis: Templa erecta & aræ positæ, cuique nummi Fœcunditati, pro singulorum conditione, spectacula varia, Circense, Atticum, statuæ cum Inscriptionibus, soluto voto, extructæ, Ultimo hebdomadis primæ die, natis Infantibus tabellæ Fata inscripta, vel virgæ natalitiæ compactæ sunt, quæ cum nato adolescerent: aliis quercinæ, aliis populeæ, à quarum felicitate fata puerorum metiebantur, veteres & annosas restituere satagentes. Scritofinni non nomina arboribus, sed ipsos nuper natos appenderunt: Alii Veterum luminibus accensis in puerperio, fortunam natorum futuram explorarunt. Huic successit lustricus dies, quo nomen adepturi, quemadmodum mortui, lustrabantur; maribus nonus, femellis octavus, ultima hebdomadis aliis, qui etiam intra quintum diem substiterunt. Præerat Nundina Dea festo, quod Suovetaurilibus peractum & circuitione: circumferebantur enim pueri per Obstetrices vel ministros circa focum, unde Ἀμφιδρόμια, nec focus is quidquam erat, quàm aræ Deorum hostiis calentes. Expiabantur dein aquæ aspersione per aniculas lustrali ex sputo & pulvere, è balneis plerunque sumto, V. Persium *Sat.* 2. *versu* 31. Hinc eodem die vario ferculorum luxu convivium agitatum. Pro lustratione circumcisio erat apud Hebræos, ex divino olim instituto: quam postea sibi quoque sumsere Samaritani, Æthiopes, Ægyptii, Colchi, Phœnices, Troglodytæ, Macrones, Edomitæ, Ammonitæ, Arabes &c. Nec apud Græcos Romanosque incognita fuit: Mahometani octavo demum anno, Syri decimo tertio, alii aliis administrarunt. Sic itaque nomen *Infanti* impositum apud omnes gentes, præter Atlantes, apud Ebræos octavo masculis, fœminis initio mensis. Nominalia Romanis masculis octavo, ut dictum: fœmellis nono. Græci variabant, ut in lustratione, aliàs quidem quinto, aliàs verò decimo: sunt qui & septimi meminerunt. Christianis nulla nec olim, nec nunc certa nominis dies. Ritus hi fuere: Convocatis amicis, eligebant qui præesset nominis impositioni, nomen dabant infanti, crines tondebant, Diis sacrificabant & agitabant convivium, V. infrà in voce *Nomen.* Profitebantur deinde Patres puerorum nomina publicâ contestatione, quam παιδογραφίαν vocat Modestinus, simulque in ærarium Ilithyiæ nummum inferebant. Mox intra tertium diem, in Actis publicis, referri à Præfecto ærarii, non no-

mios tantùm, sed etiam cognomina, nec non dies nativitatis & Consul: quod & Indis olim & Europæis hodie haud infrequens: Vocabantur illa Acta *Fasti, Tabularia, Charta*, & in Saturni templo adservabantur. Porrò pueris sive ante lustrationem sive post dormientibus, quia Caprimulgum & Lilith, item Sagas seu Stryges, insidiari creditum, fascina eorum vel allio vel alysso vel Priapisconculâ appensâ, abigere conabantur. Cui fascino *infantili* successere grandioribus bullæ ad invidiam, ditioribus aureæ, aliis coriaceæ, figurâ cordis vel lunæ pectori affixæ. Cum morbis tentabantur, *Infantum* curam tractavere Matres præsertim, & Obstetrices. Æthiopes eorum frontem ipso natali die, Etrusci occiput & venas verticis temporumque Libyæ populi urebant: Potiones per clysteria ori infusæ. Ad sanitatem conservandam exercitia cunis conferebant, adultioribus vehicula & navigia: Nec deerant vota pro ægrotantium salute, quæ Junoni Lucinæ, Castori & Polluci solvebant, sanitate redditâ. Indignabantur enim animæ tenellæ hinc emigrare: sed mortuis inferias non libarunt, nec eos ante dentes natos urere: quorum ideò nulla busta, sed suggrundiaria, corporibus eorum in urnulis impositis. Chalcidenses extra urbem in via ad Euripum humabantur. Grandiores natu sarcophago integris corporibus conditi in loco communi vel ante aras. Lugebantur vestibus cyaneis, mollitiei signo & fuscis, à tota familia præsertim matribus ac sororibus: ante Auroram, quasi à die rapti, facibus funeralibus & ad tibias elati; quia nec lugere trimo minores licuit. Monumenta tamen iis erecta, memoriaque Natalis diei quotannis celebrata festo Genethliaco solenni, quod cùm in vivis solùm primitus obtineret; postea quoque ad fato functos translatum, constitutæque hac fini usuræ ad solvenda convivia sunt: unde Natales Sanctorum & SERVATORIS nostri Christiani mutuati sunt, qua de re Vid. infrà in voce *Natalis dies*, & plura in hanc materiam, apud Thom. Bartholinum *lib. de Puerperio veterum*. Atque hæc quidem de *Infantibus*, quorum noti Parentes: de quibus hoc unum addo, apud vett. Christianos Orientis, solitas fuisse fœminas, quadragesimo à partu die, *infantem* in templum deferre, ac velut Ecclesiæ eum initiantes, id quod ἐκκλησιάζειν dixere, uti docet Meursius *Glossar.* &c. At inventitii *infantes*, incertis nempe Parentibus nati, in antra Nympharum deponi solebant. Quod eò fortè factum, quia puellæ, quæ parere gestiebant, à Nymphis prolem votis poscere, sc. ei rei consensu superstitiosorum præpositis, solitæ sunt. Euripides *Electrâ vers.* 627.

> A. Νύμφαις ἐπόρσυν᾽ ἔροτιν, ὡς ἔδοξέ μοι.
> B. Τροφεῖα παιδὸς, ἢ πρὸ μέλλοντος τόκου;
> A. Οὐκ οἶδα, πλὴν ἕν· βουφορβεῖν ὡπλίζετο.

V. Barthium ubi suprà, *Theb. lib.* 5. *vers.* 519. ut & hic ubi de *Nothis*, ac *Spuriis*.

Dii, qui nascentibus infantibus præerant, ex Rosino.

Anculi & Anculæ, Dii Deæque erant ancillarum, Fest.

Carnea, vel potius *Carna* vitalibus humanis præesse credebatur, ab eaque petebatur, ut jecinora & corda, reliquaque viscera salva conservaret.

Cunina, cunis præfecta est, quas tuebatur & fascinum submovebat.

Diva Educa, seu *Edusa*, escam infantibus præbere credita est: sicut Diva Potina potionem ministrabat. Utrique sacrificabant Nutrices, cùm primore cibo ac potione *Infantes* initiabant.

Fabulinus Deus dicebatur, quem fari incipientibus pueris invocabant, eique sacra faciebant.

Janus, primus commemoratus est Varroni, enumeranti Deos ab ipsa conceptione hominis & seriem eam perducenti, usque ad decrepiti senis mortem.

Juventus seu Juventas Dea fuit, quæ post prætextam excepit Juvenilis ætatis primordia, Augustinus *de Civ. Dei lib.* 4. *cap* 11.

Levana, de terra levabat *Infantes*

Lubentia, seu *Lubentina*, eadem cum Venere Genitali Dea.

Nascio, sive *Natio* Dea, nascentium fuit Præses, teste Cicerone *de N. D. lib.* 3.

Nundina Dea, à nono nascentium die dicta est, quo infantes lustrabantur, & nomina accipiebant. Is enim maribus erat nonus.

Opis invocabatur, ut opem ferret nascentibus & eos sinu terræ exciperet.

Orbona colebatur, ne orbi fierent *Infantes*. Arnobius *lib.* 4. ait, in ejus tutela fuisse orbatos liberis parentes.

Ossilago, Dea solidatrix ossium fuit.

Paventiam Deam constituerunt antiqui, ut ab *Infantibus* pavorem averteret. Augustinus *de Civ. Dei lib.* 4. *c.* 11.

Rumina, mammam parvulo credebatur immulgere. Idem *lib.* 4. *cap.* 8.

Statilinus & Statana Dea, educationi ab antiquis ascripti sunt, eo viz. tempore, cum standi ac consistendi potestatem habere incipiebant.

Vaticanus, in vagitu os aperire dictus est, vel vagitibus præsidere. V. A. Gellium *lib.* 6. *cap.* 17. Unde quidam *Vagitanum* legunt, apud August. *de C. D. lib.* 4. *cap.* 8.

Volupia, à voluptate dicta, similiter inter *Infantium* Præsides censita est &c. V. *suprà*.

Infans, nomen quod Regum filiis in Hispania tribuitur, ut legimus apud Vitalem Episc. Osc. quod nomen primitus ajunt filio suo primogenito Sancio indidisse Ferdinandum II. Castellæ & Legionis R. illudque ab Anglia hausisse ductâ in uxorem Leonorâ filiâ Regis Angliæ. Sed longè ante illud tempus *Infantium* & *Infantissarum* obtinuisse nomenclationem, docemur ex *Epistola* Pelagii Episc. Ovetensis, qui vixit A. C. 1100. Is enim *in Veremundo II.* R. *Habuit*, inquit, *duas nobiles Uxores: ex una genuit Infantissam dominam Geloiram. Ipse Infans Ordonius Froilas Pelagii genuit plures filios* &c. Sic in *Charta* Alfonsi VI. Reg. Castellæ æræ 1118. *subscribit Ramirus* Infans *Garsiæ Regis filius*, apud Anton. Yepezium *in Chron. Ord. S. Bened. Tom III.* V. Suritæ *Indicem lib.* 1. *arâ* 1063. 1064. Mich. *del Molino in Repertor. Fororum Aragon.* voce *Primogenitus* & Sebast. Cobarruviam *in Thesauro Linguæ Castell.* A' voce Cantabrica, *proximum Successorem Regni* significante, nomenclaturæ hujus originem arcessit Georg. Hornius *Orb. Imp. cum Not. Felleri pag.* 278. Sed & alibi *Infantes* & *Pueri* promiscue, dicti occurrunt etiam Magnatum filii, qui nondum ex ætatis defectu feudorum paternorum possessionem adierant, quæ à *Custodibus* & *Tutoribus* interea administrabantur, donec ad legitimam ii ætatem pervenissent, qua de re dictum suprà in voce *Hæres*. Ita Fridericus Henrici II. Imp. fil. quem spectabat Apuliæ seu Siciliæ Regnum ex parte Matris. *Infans Apuliæ* appellatus est, uti testatur Auctor *Chronici* Senon. *cap* 19. *Puer Apuliæ*, in *Chron.* Andrensi *pag.* 634. *l'Enfant de Pouille*, in *Chron. Flandr. cap.* 21. Primogenitus Angliæ Regis, *Puer Anglicus* dicitur, Guilielmo Britoni *Philipp. lib.* 12. Filius Comitis Campaniæ, *L'Enfant de Champagne*, apud Mouskium: Filius Regis Bohemiæ, *Adolescens Bohemicus*, apud Monachum Pegav. p. 6. Filius Ducis Cliviaci, *L'Enfant de Cleves*, Monstrelleto, &c. Imo quoque *Infantes* & *Pueros* interdum deprehendimus insignitos, etsi forte jam feudorum paternorum jam adiissent possessionem vel certe eorum possessores audirent. *Charta* A. C. 1088. apud Beslium in *Episcopis Pictav. Sub regimine Regis Francorum, Aquitaniæ Ducatum tenente Guillelmo* infante *Pictavorum Comite* &c. V. infrà in voce *Puer*, & plura hanc in rem, apud Car. du Fresne *Glossar.*

Infantadgo, nomen illustris in Hispania Familiæ, Mendozæ stirpis. Didacus enim Hurtadus de Mendoza, Admiralis Castiliæ (filius natu major N. N. *de Hita & Butrago*, frater Inici Lopezii Dom. *de Castel-novo*) pater fuit Inici Lopezii, qui primus Comes *del Real de Manzanares* & *March. de Santillana*, creatus est, A.C. 1445 & septem mares genuit, è quibus primus Didacus Hurtadus de Mendoza, novum decus genti intulit, *Ducis del Infantadgo* dignitatem adeptus. Huic, præter maximum natu, lineæ Ducalis continuatorem, de quo mox; filii fuere Johannes Hurtadus Dominorum *de Beianna & Valhermoso* & Garsias Laso de Mendoza Dominorum *de Junquera in Guadalaxara*, cum cognomine *de Laso*, conditores. In stipite verò Ducum directo, Didacus Lopezius I. ex Brianda de Luna agnatâ (fil. Johannis Hurtadi de Mendoza) Inicum Lopezium I. genuit, Mariæ de Luna (fil. Alvari de Luna Duc. de Truxillo) maritum & ex ea patrem Didaci Lopezii II. quo & Mariâ Pimentelliâ, natus Inicus Lopezius II. Isabellam Aragoniam sibi junxit (fil. Henrici Aragoniæ Inf. Fortunæ, D. Segorbiæ, Ferdinandi Aragoniæ R. qui obiit A. C. 1416. ex Henrico filio, nepotis) atque ex ea suscepit Didacum Hurtadum II. Com. *de Saldanna*, cui Maria agnata March. *del Cenete* (fil. Roderici de Mendoza March. *del Cenete*.) genuit Rodericum Duc. *del Infantadgo*, ex Anna agnata (fil. Inici Lopezii de Mendoza D. *del Infantadgo*, Didaco Hurtado II. geniti) Luisæ, Inici Lopezii (deo...) Magdalenæ (deo...) & Mariæ patr. e quibus hæc ultima Garsiæ de Toledo Osorio Duci de Fernandina nupsit; primogenita verò Luisa, hæres, Ducatus titulum marito Didaco Gomezio *de Sandoval*, Comiti *de Saldanna* (filio Francisci *de Sandoval & Roxas* Duc. *de Lerma*) attulit; mater ex eo Annæ, Roderici & Catharinæ *de Mendoza Sandoval Roxas Duc. de Infantadgo* March. *de Santillana*, *Argueso & Campo*, March. *del Cenete*, quæ nupsit Roderico de Silva Mendoza *Duci de Pastrana & Estremera*, Principi de Melito, & Duci de Villafranca in Regno Neapolitano: ex eo mater Roderici de Silva Hurtado de Mendoza Gorman Com. de Saldanna, qui uxorem sibi junxit N. *de Haro*, filiam Ludovici *de Haro* A. C. 1666.) Phil. Jacob. Spenerus *Theatro Nobilit. Eur. Part. II. p.* 106. & *Part. III. pag.* 80, & 87. ut & utrobique *in Indice*, ubi *Familiæ dispositionem exhibet*.

Infantes Monasterii, iidem qui vulgò *Oblati*: in *Capitulis* Theodori Cantuar. *cap.* 34. *Infantes Monasterii* 14. *annis carnem manducant.* Apud Eund. *cap.* 115. *Pueri Monasterii* dicuntur, ubi etiam vetantur *ante* 25. *annos ordinari.* Eorum modestiam in Ecclesia sic describit Donnizo de *Vita* Mathildis *lib.* 1. *cap.* 15. de Bonifacio Duce,

> *Scilicet assistens ad opus divinum bonus ipse*
> *Stabat in excelso solio, non corde superbo:*
> *Aspiciensque chorum, facies vidit puerorum*
> *Intentas pronas, psallentes dulciter horas,*
> *De quibus admirans, ita cur stant, seque regirans,*
> *A' Monachis didicit, semper quòd stant, ubi fiunt.*
> *Hoc non oblitus jocundus Dux & opimus,*

Int

Ire sub tectum clam Templi cœpit honestum
Quendam quippe virum cum nummis, vult quia mirum
Ipse videre, decem libras vir jactat ab æde,
In medioq; Choro strepitus sonat, & puerorum,
Quorum palpebræ penitus nec sic patuere,
Aspexit nummum tetigit nonullus & unum:
Inde magis gaudens præclarus Dux ait aptem:
In modicis annis sunt hi pueri velut alni,

apud C. du Fresne *in Glossario*: ubi etiam quædam de *Infantibus* seu pueris symphoniacis, quorum mentio in *Ordine* Rom. vulgò Gallis, *Enfans de Chœur*.

Infanticidium, ejusque degustatio, inter alia scelera, quorum infamiâ Christiani aspergebantur, sub Impp. Ethnicis, præcipuè iis exprobrata; quo nomine ad bestias damnabantur, ex *l.* Cornelia *de Sicar.* ut *umiliores solerent vel bestiis subjici*, *l.* 3. §. 5. *ff. ad leg. Corn. de Sicar.* Censebantur autem inter *humiliores* Christiani, adde etiam, *famosos*. quos severius, *quàm integræ famæ homines, puniverunt*, *leg.* 28. §. 16 *ff. de Pœnis.* qua de re V. Sam. Petitum *Commentar. in LL. Attic. lib.* 2. *tit.* 3. plura verò de atroci hac Paganorum calumnia, apud Minucium Felicem *Octavio* & Athenagoram *Legat. pro Christianis.*

Infelix Arbor, Catoni quæ nullum, Tarquitio apud Macrobium, quæ nigrum fert fructum. Ita enim hic in *Ostentario arborario*, apud Macrobium *Saturnal. lib.* 3. *cap.* 20. *Arbores, quæ Inferûm Deorum avertentiumq; in tutela sunt, eas infelices nominant. Alternum sanguineum, filicem, ficum atram, quæq; baccam nigram nigrosq; fructus ferunt, itemq; acrifolium, pyrum sylvaticum, ruscum, rubum sentesq; quibus portenta prodigiaq; mala comburi jubere oportet.* Nempe ligna hæc ad portentorum expiationem adhiberi solebant. Lycophron *Cassandrâ*, ubi de Locrensium Virginum calamitate,

Ὅτου ἀνάγνοις γυῖα συμφλέξας φυτοῖς
Ἥφαιστος εἰς θάλασσαν ἐκβράσῃ σποδὸν κτλ.
Cum membra cremitis ustulans infamibus,
Cinerem procellis ventilabit Mulciber &c.

Et Catullus,

Vovit, si sibi restitutus essem,
Desissemq; truces vibrare jambos,
Electissima pessimi Poetæ
Scripta tardipedi Deo daturam
Infelicibus ustulanda lignis.

Sed & perduelliones *ad arborem infelicem* suspendi consuevisse, docet Romuli lex, *Duumviri perduellionem judicent. Si à duumviris provocaris, provocatione certato. Si vincet, caput obnubito, infelici arbori suspendito.* V. Jo. Meursium *Commentar. ad Lycophronem*, Cœl. Rhodiginum *l.* 10. *c.* 7. Alios. De hominum v. *Infelicium* coronis præmiisque C. Paschalium *Coronar. lib.* 5. *c.* 6.

Inferi, fabula Plinio, *lib.* 2. *cap.* 63. ubi de avaritia hominum, in ipsa terræ viscera penetrantium, *Si ulli*, inquit, *essent Inferi, jam profectò illos avaritiæ atq; luxuriæ cuniculi refodissent.* Imò & Juvenali *Sat.* 2.

Esse aliquos manes & subterranea regna,
Et Pontum & Stygio ranas in gurgite nigras,
Atq; unâ transire vadum tot millia cymbâ,
Nec pueri credunt, nisi qui nondum ære lavantur:

Et Lucretio, & omni Epicuræorum Scholæ, Luciano inprimis. Quibus celeberrimos Philosophos junge, Senecam earundem partium vel principem, *Consol. ad Marciam cap.* 19. Ciceronem *de N. D. lib.* 2. longe fusius *Tuscul. Quæstion. lib.* 1. Alios, qui figmentum utile Reipublicæ, ad coercendos impios, hanc *de Inferis* doctrinam vocavere. At Sapientiores Gentilium hac de re meliùs, inter quos & Protagoram librum περὶ τῶν ἐν Ἅδου, *De iis quæ sunt apud Inferos*, conscripsisse memorat Laertius *in Eo.* Certè non supplicia minùs, ac præmia, post impletam mortalitatem superesse homini, præter Pindarum *Olymp. Ode* 2. *Epod.* 3. aliosque Poëtas, Philosophi sensere, Plato *de Rep. lib.* 3. *princ. de LL. lib.* 9. *sub. fin. lib.* 10. *alibiq; passim*, Plotinus *Ennead.* 3. Cato, apud Sallustium *in Catil.* Plutarchus *de aud. Poët.* Stoici, apud Lactantium *lib.* 7. *cap.* 21. &c. Et quidem *Ignem infernalem* agnovisse, inde patet, quòd ποταμῶν φλεγεθόντων, *fluminum flagrantium igne*, ποταμῶν πυρὸς *fluviorum ignis*, Pyriphlegetontis inprimis, crebra apud illos mentio. Igne tamen ardentibus, ne lucis quidem solatium futurum, densissimis *Tenebris* obruendis, & ipsis non ignotum. Hinc apud Virgil. *Æneid. lib.* 6. *vers.* 265.

—— loca nocte silentia latè,

& *silens nocte perpetuâ domus*, apud Senecam *Hippol. Act.* 1. *Sc.* 2. V. quoque Plut. *d. l.* Porrò, *Abyssi profunditatem*, ingerit Plato *de LL. lib.* 10. & Trismegistus apud Appulejum *in eo. Carceris squalorem*, Socrates apud Platonem *in Gorgia*: *Catenas*, Virgilius *d. l. vers.* 549. & *seqq.* & Eris Armenius, apud Platonem *de Rep. lib.* 10. *Stridorem dentium ac fletum*, Virgil. *ibid.* Plato similiter & Trismegistus, *Extremitatem pœnarum*, Plato iterum *in Gorgia*: *Æternitatem*, Ovidius *in Ibin.* &c. Quæ omnia, fabulis quidem variis involuta, veri tamen non parùm continentia, unde illi hauserint, aperit Justinus Martyr, *Moses*, dicens, *antiquior est omnibus Græcorum Scriptoribus. & quidquid — de pœnis Inferorum & rebus cœlestibus, aut id genus alii Philosophi vel Poëtæ prodiderunt, à Prophetis occasionem ceperunt, tam sentiendi, quàm eloquendi talia. Sic fit, ut his omnibus inesse videantur aliqua veritatis semina.* Quam in rem V. præclarè disserentem Tob. Pfannerum, *Theolog. Gentilis pur. Cap.* I. §. 5. & *Cap.* XXI. §. 5. & *seqq.* De loco verò *Inferorum* apud Vett. æque ac Recentiores incerta omnia. Spiracula Ditis & aditum eorum in monte Hirpinorum Apuliæ collocabant Romani, ubi proin Amsancti sacrum Diti persolvebatur quotannis. Hic enim specus ille pestifer, adeò apud Vett. celebris, cujus spiritus juxtà stantes necabat. Plin. *lib.* 2. *cap.* 93. *Item in Hirpinis Amsancti, ad Mephitis ædem, locum, quem qui intravere moriuntur.* Ad Septentrionis loca ponit Statius *Thebaid. lib.* 2. *vers.* 53. ubi & nunc plurimis persuasum Ostia Inferorum esse, Vid. Olai M. scripta edita Romæ A. C. 1555. Certe non aliam magis ob causam gentibus his olim prælata nox diei & tenebrarum regina Luna lucis principi Soli, Infernales Æthereis sanctiùs culti, ut alibi diximus. Alii in aëre caliginoso, in centro terræ, alibi, *Infernum* extruunt. Sobriè magis ea de re Theod. Beza *c. Brentium*, *Sicut cœlum, cujus majestas nobis nunc est incomprehensibilis — certum ac definitum locum esse, mundo ipso superiorem, ex Scripturis credimus: ita & Inferos ex iisdem Scripturis credimus certum ac definitum locum esse, quem non frustra scriptura Abyssum & Tartarum, Infernum deniq; vocavit Ecclesia, horrendis & æternis Satanæ & impiorum suppliciis destinatum. Quæ porrò de ejus situ & cameris ridiculè nonnulli somniatores partim excogitarunt, partim ex profanis Scriptoribus repetiverunt, ut vanas & aniles nugas, relinquimus.* Cæterum *de Diis Inferorum*, quos iis assignavit Gentilitas, V. ubi de *Dite*, *Furiis*, *Plutone*, *Proserpina* &c. de Sacris iis fieri solitis, Casp. Barthium *Animadversion. ad Statium passim*, inprimis *Theb. lib.* 4. de iisdem, ut & aliis huc pertinentibus, eundem *Commentario Superstitionum*, & hic non uno loco &c. Addam saltem, non creditum Vett. multis, *Inferis* recipi animas insepultorum, aut eorum qui immature vel violentâ morte extincti essent. Unde non animas ad Inferorum sedes jam adactas, sed solas ἀώρων & βιαιοθανάτων, in Necyomantia, evocari, utpote in propinquo degentes, neque ex intimis Orci sedibus avellendas, unde nullus reditus, erant persuasi, qua de re diximus aliquid suprà, ubi de *Aboris*. Nec hoc omittendum, Veteres *ad Inferos descendisse* tralatitiè dictitasse eos, qui diutiùs peregrinabantur, uti discimus ex Artemidoro *lib.* 2. *cap.* 60. Atque sic omnino intelligendum esse Ulyssis descensum, apud Homerum, & Æneæ apud Maronem, docet Jo. Meursius *Comm. ad Lycophronem p.* 244.

Inferiæ, adde: Hinc *spirantes Inferias* dixit Statius *Thebaid. lib.* 12. *vers.* 18. *Sed quòd sumtuosum erat & crudele homines vel victimas interficere, sanguinei coloris cœpta est mortuis vestis injici*, Servius *in Æneid.* 3. *vers.* 65. ubi pulchre de antiquissimo hoc ritu. Dicit autem *vel victimas*. Namque & *equi* Inferiis Ducum mactati, uti de Achille apud Homerum Patroclo, & Creonte apud Statium Menœceo parentante legimus. V. Barthium *Adversar. lib.* 14. *cap.* 19. Idem de Lusitanis scribit Strabo, hisque *capros* & *captivos* homines junctos memorat, *lib.* 3. *asinos* & *canes* Arnobius *lib.* 3. uti *canes* itidem *mensarios*, in duas partes dissectos, cum equis, rogo Patrocli Achilles modo dictus injicit &c. Erant autem *Inferiæ* hujusmodi vel recentes, vel anniversariæ: addebaturque non rarò funebris laudatio seu carmen, quod *Parentalia* dicebant Latini, Ἐπιτάφιος λόγος Græci, qua de re V. Scaligerum *Poëtices lib.* 3. *cap.* 122. & plura hîc passim.

Infertores, vocabantur apud Romanos, qui fercula conviviis inferebant: appellati ab opera, quam præstabant. Juvenalis *Sat.* 5. *versu* 80.

Aspice quàm longo distinguat pectore lancem,
Quæ fertur domino squilla & quibus undiq; septa
Asparagis, quâ despiciat convivia caudâ,
Cum venit excelsi manibus sublata ministri.

Ubi habent vett. glossæ, *ministri, infertoris.* Eædem ad illa ejusdem Poëtæ *Sat.* 11. *versu* 142.

Nec frustum capreæ subducere, nec latus Afræ
Novit avis noster tirunculus:

ita explicant, *hoc est quod vult dicere, Infertor noster furtum facere ignorat.* Et hæc quidem vox in Lege Salica extat. Ministerium tetigit Juvenalis, de quo suprà, & ante hunc Horatius *lib.* 2. *Sat. ult.*

—— —— —— —— Deinde sequuti
Mazonomo pueri magno discerpta ferentes
Membra gruis, sparsi sale multo, non sine farre,
Pinguibus & ficis pastum jecur anseris albi,
Et leporum avulsos, ut multo suaviùs, armos,
Quàm si cum lumbis quis edit.

Tangit & Zeno Veronensis, *Serm. ad Neophytos post Bapt. Tres pueri unanimes legumina inferunt primi, quibus, ut scitus sit sapor, salem sapientiæ aspergunt, oleum Christus infundit.* Halotus autem ille, qui boleto Claudianam apotheosin procuravit, Prægustator itidem & *Infertor* fuit: quæ ministerii conjunctio non videtur perpetua fuisse. Vini *Infertorem* lepidè expressit Horatius *lib.* 2. *Sat. ult.*

— *ut*

—— —— —— *Ut Attica virgo*
Cum sacris Cereris: procedit fuscus Hydaspes,
Cacuba vina ferens: Alcon, Chium; maris expers.

Ex nigra enim Maurorum gente *Infertorem* vini Nasidienus, hoc loco: sicut panis, Trimalcio habuit, apud Petron. V. Laur. Pignorium *Comment. de Servis.*

Infibulatio, olim in Citharœdis usitata, tum quæstûs, tum vocis gratiâ: Juvenalis *Sat. 6. versu 73.*

Solvitur his magno Comœdi fibula, sunt qua
Chrysogonum cantare vetent.

Rationem *infibulandi* monstravit Corn. Celsus *lib. 7. cap. 25.* qui *hoc quidem sæpius inter supervacua, quàm inter necessaria esse*, testatus est: cujusmodi erat, quod insectatur Plinius *lib. 33. cap. 12. adhibitas argenteas fibulas mancipiis ad transitum virilitatis.* Pignorius tamen non nisi æreas se vidisse ait, quarum etiam speciem exhibet. Vetus Glossator ad illa Juvenalis *Sat. 6. v. 377.*

—— —— —— *Nullius fibula durat*
Vocem vendentis Prætoribus;

scriptum reliquit: *Fibulam dici circellos, quos Tragœdi in pene habent ut coitum non faciant, ne vocem perdant.* Et certe circelli, quos recenset, aptiores fuerunt, & quia leves erant, minimeque onerosi, & quia legimus religiosos nescio quos Turcarum, quos illi *Calender* vocant, hujusmodi annulis ferreis seu cuprinis, addo etiam argenteis, *infibulare* sese ad aucupandam apud populares suos opinionem sanctitatis. Unde & fibulas, quæ apud Vegetium leguntur, in *Veterinaria lib. 2. cap. 15. & 31.* circellorum speciem præ se tulisse multa faciunt, ut credamus. Illæ sanè, quas Musicorum vocat præfatus Auctor, thecam adnexam quandoque habuerunt, quæ nudorum virilia includeret. Martialis *lib. 11. Epigr. 76.* cujus vicem supplevit aliquando aluta, teste eodem *lib. 7 Epigr. 34.* Hactenus Pignorius *Comment. de Servis*, V. quoque supra in voce *Fibula*.

Infirmarius, Officium Monasticum, *Frater cui cura infirmorum commissa est*, ut habet Lanfrancus in *Statutis* Ordinis S. Benedicti *cap. 9.* de quo V. Haefrenum *Disquisition. Monastic. lib. 11. tr. 5.* Inde *Infirmaria*, nosocomium, conclave infirmorum, in Monasteriis præsertim, apud Matth. Paris. *A. C. 1252.* alibique passim. Gall. *Infirmerie*, Car. du Fresne *Glossar.* Vide infrà *Nosocomium*.

Infleti, post mortem, infelices habiti. Virgilius *Æn. lib. 11.*

Nos animas viles inhumata, infletaq; turba.

V. quæ suprà diximus, de Vett. mortuos *Deflendi* religione.

Infortiatum, pars una Digestorum Juris, quod barbari Jurecoss. in tres partes diviserunt, *Digestum novum*, Infortiatum & *Vetus*: quæ nomina Bulgari & Azonis ævo tum primùm nata, nomenclationis etymo adhuc incerto, C. du Fresne, ex Seldeni *Præfatione, ad Angliæ Historicos editos A. C. 1652. n. 8.*

per *Infortunium* suum, jurandi Veterum mos solennis, indigitatur Papinio Statio *Thebaid. l. 6. versu 171.* ubi Ino Palæmonis defuncti genitrix,

—— *per ego hæc* (inquit) *primordia belli*
Cui pepers: sic æqua gemant mihi funera matres
Ogygia ——

Ovidio item, *Metamorph. lib. 7. ubi de Jasone*

—— *per sacra triformis*
Ille Deæ, lucoq; foret quod Numen in illo,
Perq; patrem soceri, cernentem cuncta, futuri
Eventusq; suos, & tanta pericula jurat

Sic jurat apud Eustathium Ismenius, κὶ τὸ θαλαττὸς κλυδώνιον κὶ τὴν πικρὰν δουλείαν, per tempestatem & mala, ob quæ præcipitata fuerat Sponsa in mare, *perq; amaram servitutem*, *lib. 11.* Imò ὦ τὴν τ' ἡμῶν δυσυχημάτων θάλασσαν, *per meorum infortuniorum mare*, *lib. 8.* &c. V. Casp. Barthium *ad Papinianum illud Thebaid. lib. 6. vers. cit.*

—— *per ego hæc primordia belli.*

Apud Astrologos *Infortunia* dici duo sidera, adnotat J. C. Scaliger *Poëtic. lib. 3. cap. 26.* ubi ex Vett sententia, *Ab se ipso*, ait, *nequit discedere Jupiter — sed rerum eventa nequaquam ab illo solo dependent, sunt enim sidera duo, quæ Infortunia dicuntur ab Astrologis. Horum asperitate corroboratur Fati vis ad impedimenta virtutum. hujus Fati administra est, quam sub Junonis nomine Fortunam nuncupamus: Astrologi verò partem Fortunæ vocant &c.*

Infula, sacrum capitis tegmen. Festo, *Infulæ* fuere filamenta lanea, quibus Sacerdotes & hostiæ & templa velabantur. Unde Scaliger, *Infulare*, inquit, *Veteres dicebant, pro amicire* vel *velare*; ut contrà *exfilare*, i. *exuere filum*. פהל *Infula*, *velamentum capitum Sacerdotum*, Sip. Sunt tamen, qui ab *infra* vocem dictam putent, propter vittas, quæ ex illa inferiùs longâ appendice dependebant. Quidam cum Mitra confundunt, imò Hugo Victorinus *de Sacram. lib. 1. cap. 55.* Mitram, Tiaram, *Infulam*, Pileum pro eodem accipit. In rigore tamen aliud Mitra. *Infula* enim erat fascia lanea alba partem capitis capillo tectam ad bina tempora operiens, utrinque adstrictâ ac dependente vittâ; ut propterea vittæ & *Infulæ* sæpe confundantur, in quam rem disserit copiosè ac eruditè Bernartius *ad lib. 5. Thebaidos Statii vers. 678.*

Proin idipsum erat *Infula* in Pontifice, quod Diadema in Rege nisi quòd Regales fasciæ latæ, Sacerdotales verò tortiles erant hinc στρόφια Græcis propriè dicta, Latinis vett. *struppi*. Prudentius *in Symmachum lib. 2. de Vestalibus,*

Interea dum torta vagos ligat infula crines,
Fertur per medias, ut publica pompa, plateas.

De albo & cocco plerunque tortiles fuisse, discas ex Servio & Isidoro *lib. 19. cap. 30.* Sed & frondem oleæ aut lauri iis circumvolutam, docet Statius *Thebaid. lib. 2. versu 99.*

—— *glaucaq; innexus oliva*
Vittarum provenit honos ——

Et Maro *Æn. lib. 3.*

Rex Anius, Rex idem hominum Phœbiq; sacerdos,
Vittis & sacra redimitus tempora lauro.

Imò *ramus infulis* fere semper jungitur. Unde Varro *lib. 6. Etiam hostiarum infulis frondes & ramos additos*, ait. Namque & *Infulas* *allatas* apparet, quod velamenta è Lana, quæ adduntur *infulis*, *etiam hostiarum cornua velamento erant.* Ne viz. hostia visis uctu instrumentis percelleretur & turbas daret. Uti verò Reges vix unquam diademata ponebant, ita vix unquam Sacerdotes suas *infulas*, ut quibus nihil habebant sanctius. Sen. *Epist. 15. Halitera infularum loco sume.* Hinc & armati sub casside eas gerebant, Idem Statius *lib. 7.*

—— *sacrumq; Lycæa Phœbo,*
Invitus jam fraxineum demiserat hasta
Robur, & excussis apparuit infula cristis:

Virgilius, *Æn. lib. 2.*

—— *nec te tua plurima Panthu*
Labentem Pietas, nec Apollinis infula texit &c.

Alii, iisque prætentibus ipsum Numen adesse credebatur, Barthius *ad Statium Thebaid. lib. 2. vers. 96.* &c. Transiit postmodum earum usus ad Summos Magistratus, unde *Consulum Infulæ*, memorantur Jornandi *in lib. Success.* Præfectos item provinciarum. Spartianus *Hadriano*, *Martium Turbonem, post Mauritaniæ præfecturam, infulis ornatum, Pannonia Daciaq; præfecit*, horque modo sanctiorem & pleniorem illi potestatem assignavit. Sed de hoc loco infrà. Imò *infula ornamenta honorum & omnium munerum* dici cœpere, in *MS. Glossario* Fausti Rom. Postremo quoque ævo, ubi omnem cultum ornatum designabant, etiam vestimentorum, uti discimus ex Auctore *Vita Ludovici Pii*, ubi *Infularum Imperialium & Sacerdotalium* nomine utriusque dignitatis ornatum cultumque designat. Unde Casaubono data occasio duplicis generis *Infulas*, *Sacras*, quæ Στέμματα Homero, & *Magistrales*, seu Α'ρχικὰς statuendi. V. infrà. Creatum inprimis Pontificium, triplicem coronam supra simplicem Episcoporum mitram continentem, *Infulam* sunt qui appellant: Inventum, ut plerisque visum Bonifacii VIII. V. Anton. Mazzonium *lib. de 3 Pontificiis coronis* & Car. Paschalium *lib. 2 de Coronis cap. 14.* ac *lib. 4. cap. 21.* Fuisse tamen hoc gestamen antiquius, nec à Bonifacio adinventum, vel, quod alii sunt arbitrati, à Paulo II. primùm introductum, sed ab hoc, cùm exolevisset, renovatum, contendit Jacobus Cardinalis Papiensis *lib. 2. Comment. de rebus Pauli II.* Alii Anastasii I. Imp. eam donum faciunt, missam Chlodovæo I. Francorum Regi, Alarici & Alemannorum victori, quam hic postea Symmacho Papæ transmiserit, in Basilica Petri reponendam. V. *Anastasius I* & plura hanc in rem. apud Anselm. Solerium *lib. de Pileo sect. 13.* Atque hactenus de *Infulis* capite gestatis. Porrò manibus quoque gestabantur, ostendebantur, proferebantur Infulæ: à supplicibus præsertim, tutelæ, miserationis & venerationis causâ, idque ab antiquissimis temporibus. Ita enim Chryses Sacerdos supplicatum veniebat.

Στέμματ' ἔχων ἐν χερσὶν ἑκηβόλου Ἀπόλλωνος,

apud Hom. *Il. α.* Et apud Spartianum. *Julianus Senatum rogavit, ut Virgines Vestales & cæteri Sacerdotes obviàm Severo prodirent, & prætentis Infulis rogarent.* Eodem modo pacem expostebant obsessi, *velamenta* nempe *& infulas pro muris ostentantes*, apud Tacitum *Annalium lib. 9.* Sic navem velatam infulis ramisque oleæ Scipioni occurrisse, habet Livius. Quâ enim religione tuti erant illi, qui vel ipsis hostibus protendebant insignia, eadem protegebat illos, eaque loca, quæ hisce velamentis erant insignita &c. V. plura hanc in rem, apud Car. Paschalium *Coronar. l. 4 cap. ult.* Casp. Barthium *Animadversion. ad Statium non uno loco*, præcipuè verò *ad Thebaid. lib. 2 pag. 319. & seqq.* Salmasium *ad Solinum pag. 370.* Alios, quibus adde Cæs. Bulengerum *de Imperatore lib. 3. p. 297.* & Car. du Fresne *Glossar.* ubi in Ecclesia Rom. casulam seu planetam *Infulæ* nomine venire, inter alia, tradit; nec non quæ dicemus infrà, voce *Strophium*, item *Struppus*.

Infula Pannoniæ, apud Spartianum *in Hadriano*, ubi M. Turbonem, post Mauritaniæ præfecturam, *Infulis ornatum Pannonia*, ac Daciæ quoque præfectum ab Imperatore, scribit: Casaubono sunt insignia Præsidatus, ut qui *infulas* hic interpretatur lorum ac diadema, quasi caussias suas sive pileos prisci Reges cingere consueverint, duoque proin *Infularum* genera statuit, ut vidimus. At Salmasius à *fasciis* hujusmodi dignitatum *infulas* distinguens, σφαῖρα vocari docet, ex Artemidoro *lib. 1.* In *loco* verò *cit.* verbis his, *Infulis ornatum Pannonia*, non Pannoniæ Præfe-

fectum intelligendum esse ait, sed *titulo duntaxat Pannoniacæ præfecturæ ornatum*, tantumque interesse inter *Præfectum & Præfectura infulis ornatum*, quantum inter *Consulem*, & *Consularibus insignibus ornatum*. V. cum omnino *Notas ad l. & de Insulis Majestatis, Not. ad Treb. Pollionem in Gallienis.*

Inga, conditores Peruviæ regni, in America Meridion. quæ familia, Duce Mangocasta, urbem Regiam Cuscum construxit, circa A.C. 1200. Hujus successores longe lateque rerum potiti vastissimum Imperium constituerunt, ab Hispanis tandem eversi. G. Hornius *Orb. Imper. cum Not. Felleri pag. 486. & 487.* V. quoque infra, in *Peruvia.*

Ingelramus, Episc. Metensis, in cujus gratiam Hadrianus I. Pontif. Rom. edidit *Collectionem Canonum* aliquot, ex Græcis & Latinis Canonibus & Synodis Roman. atque Decretis Præsulum & Principum Romanorum, A.C. 785. Indict. 9. 13. Cal. Octobr. Complectitur ista Canones LXXII. ab Isidoro Mercatore *Collectioni suæ* insertus. V. Gerh. von Mastricht *Histor. Juris Eccles. num. 191.* & suprà in *Hadrianus I.*

Ingena, opp. Abrincatuorū olim in Gallia Lugd. memoratur Ptolomæo, cui in ait: Μετὰ δὲ Σηκοάναν ποταμὸν Ἀβριγκάτουοι, ὧν πόλις Ἴγγηνα, ubi Valesius egit Σηνονα vel Σηουα, non enim ad Sequanam sed ad Senunam & Sevam flumi. a Abrincatuorum sedes. In Not. Imp. *Abrincata* nomine gentis appellatur, *Præfectus militum Dalmatarum Abrincatis*, in tractu Armoricano: In Notitiis plerisque Provinciarum & civitatum Galliæ, in prov. Lugdunensi II. tertio loco posita: *Abrinca* Orderico *lib. 5.* vulgò *Auranches*. Urbis situm describit Britto *lib. 8. Philippidos*,

> ——— ——— ——— ——— *Objedit Abrincas*,
> *Colle sitas inter Sevam Senunamq; supino,*
> *Pisciferos amnes multo salmone feraces*

V. suprà in voce *Abrincatui*, item in voce *Abrinca*.

Ingeniculatio, ritus in precibus frequens; cujus vestigia extant 1. *Reg c. 8. v. 54. Dan. c. 6. v. 10, 11. Lucæ c. 22. v. 41. Act. c. 7. v. 60.* & *c. 20. v. 36.* & *21. 5.* Sic vett. Christianos *de geniculis adorasse*, scribit Tertullianus. V. quoque de militibus Christianis, sub Marco Imp. pluviam rogantibus, Eusebium *Histor. Eccles. l. 5. c. 5.* Diebus tamen Dominicis, & à tempore inter Pascha & Pentecosten interjecto, post tempora Apostolorum omitti cœpit hæc ceremonia: quod hodieque Græci strictè observant, qui hisce diebus erecti precantur: Quia *Dominica dies sit dies resurrectionis, & tempus quinquagesimæ à Paschate ad Pentecosten Dominicæ diei sit æquale*, ut habet Germanus CPolit. *in Theoria Eccl. p. 149.* V. Co. Suicerum *Thesauro Eccl.* voce Γόνυ, ut & plura suprà in *Genu*.

Ingenitus, cognom. Burchardi cujusdam, quod ex utero matris excisus, & arvinæ porci, ubi incalesceret, inclusus esset, ut habet Canisius *Antiqq. Lection. Tom. V.* apud du Fresne in *Glossario*.

Ingenium, machina bellica, *ingenio* & arte ad inventa, apud Tertullianum *de Pallio c. 1.* ubi de ariete. Hinc *Ingeniosi*, istiusmodi machinarum architecti, vel qui ipsis præsunt in bello, apud Plinium *l. 10. Epist. 40.* & Albertinum Mussatum *l. 4. p. 41.* Gallis *Ingenieurs*. Cæterum de *Ingeniis*, seu laudibus quorundam, ab *ingenius*, V. Plinium *l. 7. c. 29.* ubi Homerum, Pindarum, Aristotelem, Archilochū, & Sophoclem, ab omni ævo, hac parte felicissimos deprædicat.

Ingenuitatis Jura, assertis in libertatem ac manumissis olim non statim conferebantur, sed alio actu legis opus erat, quo jura hæc manumissi consequerentur & natalibus restituerentur, *L. tit. Cod. de jure aur. annul. & de natal. restit.* V. infrà ubi de *Manumissione*. Postmodum *Nov.* Justin. 78. omnibus libertinis *ingenuitas* concessa, & jus annulorum aureorum & restitutio natalium, Casaubonus *ad Suetonii Augustum cap. 74.* Hinc medio ævo, *Ingenuitatis Charta*, quâ servus in libertatem asseritur; *Chartula Libertatis* dicitur, apud Paulum Diaconum Emeritan. *Vita S. Masonæ* Episc. Emerit. *cap 17.* Qui enim servo libertatem conferebat, conficiebat chartam, qua *ingenuum* illum fore in posterum pronuntiabat, ita ut deinceps, tanquam si ex ingenuis parentibus fuisset procreatus, vitam duceret ingenuam, nullius servitio obnoxius: datâ præterea, si ita luberet, ad ingenuitatem suam tuendam, defensionem Ecclesiæ vel cujuscunque alterius personæ, eligendi facultate, absque ullo libertatis præjudicio. *Capitularia* Caroli M. *l. 3. c. 28. Si quis, per Chartam Ingenuitatis, à domino suo legitimo libertatem est consecutus, liber permaneat*: quæ eadem verba habentur in *LL.* Henrici I. R. Angl. *c. 89.* Formulas istiusmodi Chartarum habes, apud Marculfum *l. 2. Form. 32. 33. 34.* apud Bignonium *in Formulis vett. c. 8.* aliosque, laudatos C. du Fresne *in Glossario*, ubi ex Tabulario S. Vitoni Virdunensis hanc subjungit: *Qui famulum vel famulam suam à jugo servitutis absolvit, procul dubio mercedem recipiet ab eo, qui dixit, Dimittite & dimittetur, date & dabitur vobis. Quapropter ego Hermanteus, pro remedio animæ meæ, in Dei nomine dimitto ingenuam famulam meam, nomine Hildeburgem, ut hinc deinceps ingenua sit ingenuaq; permaneat, tuitionemq; sancti Dei Confessoris Vitoni Virdunensis Ecclesiæ habeat: & annis singulis in festivitate ejusdem ad altare ipsius unum denarium de cera exolvat, ejusq; mundiburdio defensata firmissimam in omnibus ac securam obtineat libertatem & ingenuitatem, per hanc ingenuitatis chartulam. Si quis verò, quod futurum esse non credo, si ipse ego aut unus de hæredibus contra hanc ingenuitatis chartulam adire, aut eam infringere vel immutare voluerit, cui litem intulerit, cogatur exsolvere auri libram unam, argenti pondera V. multam sustineat; & insuper, quod repetit, evendicare non valeat. Et ut hæc chartula ingenuitatis firmiorem in omnibus obtineat vigorem, manu propria eam signavi, & qui subscriberent vel signarent, in præsenti rogavi, stipulatione subnixa. Actum sub die Kal. Maji anno VI. regnante Othone Rege filio Henrici Regis. S. Hermant. &c. Sarovardus indignus Cancell. scripsit & subscripsit.*

Ingenuus, adde: in nummis INGENUS dicitur, Casaubonus *ad Pollionem*.

Ingrati non puniuntur. Puniendi enim non sunt actus oppositi iis virtutibus, quarum natura coactionem omnem repudiat, in quo genere sunt misericordia, liberalitas, gratiæ relatio. Unde Seneca tractans quæstionem, *an ingrati vitium impunitum esse debeat*, & cur non debeat, afferens multa, hoc præcipuum addit: *Cum res honestissima sit referre gratiam, desinit honesta esse, si necessaria est*, i. honestatis gradum excellentem amittit, quod ... inde ait: *Non enim magis laudabit quisquam gratum hominem, quàm eum, qui depositum reddidit, aut quod debebat, citra judicium solvit.* Mox, *Non est gloriosa res gratum esse, nisi tutum est, ingratum fuisse*, de Benefic. *l. 3. c. 6. & 7.* Ita pater Seneca ... *Controv.* V. 34. *Dicis mihi: Hoc facere non oportet, huic rei æstimatio immensa est: itaq; nulla vindicta est.* V. Hug. Grotium de *Jure belli & pacis l. 2. c. 20. §. 19.* Constantinus tamen Libertos homines *ingratos* retrahere in servitutem, quam evasissent, sancivit, Claudium imitatus, quod & Nerone imperante agitatum est. V. *l. 2. Cod. de libert. & eor. lib.* Suetonium *in Claudio cap. 25.* & Tacitum *Annal. l. 13.* Idem apud Athenienses receptum, Val. Maximus docet, & ... suo loco. Imò & in patriam *ingrati*, qui olim militiam detrectabant, ad delectum non respondentes, ut proditores libertatis, in servitutem redigebantur. *L. 4. de re mil.* Et cui ignota *Hospitis ingrati* nota Philippi Macedoniæ inusta jussu &c. V. L. Pignorium *de Servis*.

Ingredi Regnum, pro capessere, apud Virgilium *lib. 8.* ubi Evander Imperium in res Etruscas ibi delatum Æneæ largitur,

> ——— ——— *Tu, cujus & annis*
> *Et generi fatum indulget, quem Numina poscunt,*
> Ingredere, *ô Teucrûm atq; Italûm fortissime ductor.*

An ab *ingressu* in Regni sedem multis ceremoniis olim hodieque peragi solito? Certe Caligula, *quamvis lugentis habitu & funus Tiberii prosequens: tamen inter altaria & victimas ardentesq; tædas, densissimo & lætissimo obviorum agmine incessit, super fausta nomina, sidus & pullum & puppum & alumnum appellantium.* Ingressoque *urbem statim — jus arbitriumq; omnium rerum illi permissum est*, apud Sueton. *in eo cap. 13 & 14.* Qui Sacrorum honos cùm primitus Diis exhiberetur, quoties transferrentur imagines, ut Cicero docet *in Verrem lib. 4.* inde ad Principes translatus est, jam ab antiquo, uti de Alexandri M. in Babylonem ingressu legimus apud Curtium *lib. 5.* V. quoque Plut. *in Dione* & Justinum *lib. 24.* ubi *Arsinoë pragressa virum, diem festum urbi in adventum ejus indicit, domos, templa, cæteraq; omnia exornari jubet, aras ubiq; hostiasq; disponi.* Religiosius multo Athenienses, qui excepturi Attalum, Sacerdotes & victimas præpararunt, Templaque omnia aperuerunt, ut ipse Diis, non Athenienses ipsi ut Deo sacrificarent, apud Polybium. Idem postea Principibus factum, quoties Imperii provincias peragrarent. Sic Vespasiano Imp. Ægyptiacos Nomos invisenti, non solum produsse obviàm omnes cujuscunq; ætatis aut conditionis homines, sed sacra etiam retulisse tædasq; prætulisse ardētes, quod civilius Suidas ... Philostratus auctor est *l. 5.* & Suet. *in eo.* Sacra, tædas, coronasq; jungit Plutarchus *in Pompejo*: addit θυμιαμάτων ἀτμίδας καὶ ἀνθῶν βολάς, *suffimentorū vapores & conjectus florum*, Herodianus *l. 4.* in de Caracalla Alexandriam ingressoz *vota fausta*, de eodem loquens Ammianus *lib. 21.* &c. De Impp. Christianis quoque, sive vivis, sive eorum statuis, sive cadavera defunctorum, institibus excepta, Corippus habet *lib. 2.* Porrò procedebant in istiusmodi ὑπαντήσεσι, Imperatorum Ordines obviàm, per campos & ex arboribus spectabat populus, fœminæ ex ædibus & fenestris prospiciebant: tabernæ, fenestræ, fores ornabantur lauro, frondibus, ... lucernis; ipse verò Imperatoris *ingredientis* incessus lentus erat & cum pompa &c. Vid. Martialem de adventu *Trajani lib. 10. Epigr. 6.* plura v. apud Casaubonum *ad Suetonium Caligulâ d. l.* ubi inter alia de Episcoporum quoque exceptione, cum thuribulis & cereis, quædam addit, ex veteri more mutuata &c.

Ingrossator, Jurisconsultis Anglis monopola est, qui annonam undique coemit, ut carius vendat. Gall. qui *achepte en gros*. Etiam, qui Instrumenta forensia & contractus in membranis majori charactere exarat, Gall. *Grossoyeur*. Unde ævo Henrici VI. *Ingrossator magnæ rotulæ* appellatus est, qui hodie *Clericus Pipæ*: & duplex *Ingrossator*, qui nunc *Pipæ Contrarotulator* dicitur. Covvellus *lib. 4. tit. 24. §. ult.* & Spelmannus, apud du Fresne *Glossar.*

Inhibere & *Inhibitio* verba nautica sunt. Cicero *ad Atticum L. 13. Epist. 21. Inhibere illud tuum, quod valde mihi arriserat, vehementer displicet. Est enim verbum totum nauticum: quanquam id quidem sciebam: sed arbitrabar sustineri remos, cùm inhibere essent remiges jussi. Id non esse ejusmodi didici heri, cùm ad villam nostram navis appelleretur: non enim sustinent, sed alio modo remigant. id ab ἐποχῇ remotissimum est.* Et mox, *Inhibitio autem remigum motum habet, & vehementiorem quidem, remigationis navem convertentis ad puppim.* Integrum est, *Inhibere remis*, Græcè ἀνάκρουσιν ποιεῖσθαι, ...

nientur, qui, à Franciæ Regibus in provincias delegati, idem munus obibant, quod olim *Missi Dominici*, sub prima & secunda Regum stirpe, & *Justitiarii itinerantes* in Anglia. Hi è *Magistris Parlamenti* delecti, mittebantur in Diœceses, ut de Balivorum, Judicum aliorumque Ministrorum Regiorum excessibus inquirerent, & de iis ad Parlamentum referrent, Nangius in *Gestis S. Ludovici* p 356. Qui quo pacto inquisitiones suas contra Officiales Regios peragerent, ex hac *Charta*, e Camera Computorum Paris. Cat. du Fresne descriptâ, videre est: *Petrus Dei gratiâ Sylvanectensis Electus & Thomas de Marfontaines, Miles Domini nostri Regis, Inquisitores unà cum aliis, ac super reformatione patriæ, in Senescall. Lugdun & in Ballivia Matisconensi, ab eodem Domino Rege deputati, Castellano Karlibet, nec non Castellano sancti Symphoriani seu eorum loca tenentibus, Salutem. Ad instantiam Procuratorum Ecclesiasticarum personarum nobilium & innobilium Comitatus Forensis & terræ Bellijoci, auctoritate Regiâ, quâ fungimur in hac parte, vobis & vestrûm cuilibet committimus — sub pœna gravissima — mandamus, quatenus per Castra, Villas aliaque loca ad hæc idonea seu consueta vestrarum Castellaniarum eorumque ressortus, nec non in Ecclesiis Parochialibus locorum prædictorum, palàm & publicè ex parte Domini nostri Regis & nostra intimetis seu intimari faciatis ac publicè proclamari, ut omnes & singuli Senescalli, Ballivi, Præpositi, Judices, Tabelliones, Decimarum ac Subventionum Regiarum Levatores, Servientes aliique Officiales Regis, cujuscunque status aut conditionis existant — coram nobis apud Montem — Brisonem personaliter compareant, videlicet nobis die Veneris post quindenam festi Pentecostes & die Sabbato immediatè sequenti, nec non & diebus sequentibus & continuis ad hoc necessariis, querelis, petitionibus & gravaminibus dictarum personarum — nobisque ex officio sufficienter responsuri & à nobis justitiam accepturi, processurique & nos visuri procedere super præmissis & aliis commissis nobis negotiis juxta à dicto Domino nostro Rege traditam nobis formam, vosque ad dictas dies — comparentes peremptoriè coram nobis querelantibus de vobis ad justitiam responsuri: cum intimatione, quòd nisi vos — comparueritis, nos nihilominus contra vos — procedemus ratione pravia, vestra & cujuslibet absentia seu contumaciâ non obstante. Significantes etiam ac publicantes — ut omnes & singuli, qui de prædictis Officialibus Regiis — conqueri voluerint — compareant coram nobis, qui parati fuimus & erimus eos audire benigniter & eis facere celeris justitiæ complementum — Et licèt aliàs sub dictis & gravibus pœnis inhiberi fecerimus, ne quis cum dictis Officialibus Regiis, nec ipsi Officiales cum aliis componere audeant, iidem per vos in locis prædictis palàm & publicè præcipimus inhiberi, & si quis contrarium fecerit, nobis hoc quantocyus sub omni pœna & amissione bonorum revelare procurent — Datum Lugduni, sub sigillis nostris, primâ die mensis Junii, anno Domini millesimo trecentesimo sextodecimo.* Aliam *Chartam*, de missis a Philippo R. in Arvernos *Inquisitoribus*, vernaculo sermone conscriptam, V. apud Eund. in *Glossar.* Ut autem faciliùs de Ballivorum & Officialium Regiorum excessibus edocerentur *Inquisitores*, tenebantur ii exacto officio, quod utplurimum annuum erat, iisdem in locis, ubi illud obierant, per 40. dies morari, ut si quis in eos expostularet, aut crimen intenderet, coram Inquisitoribus juri starent. Statuit porrò Philippus IV. A. C. 1302. ut *Inquisitores*, Officialium delicta examinaturi, Inquisitiones secretas eant, priusquàm publicas: quibus etiam ut ab officiis abstineant, imperandi facultatem concedit: neque enim supremo, si quos reos reperissent, damnare judicio illis fas erat, sed de iis referebant ad supremum Senatum, ex *Statuto* Philippi III. A.C. 1281. Minoris tamen momenti lites dirimere poterant, uti patet ex *Statuto* Ludovici IX. A. C. 1258. quæ viz. à Ballivis peragi non poterant, aut ipsosmet Ballivos spectabant. Inquisitiones enim pro more ad Ballivos à Senatu delegabantur, quæ ad Senatû relatæ dijudicabantur in Camera, quam inde *Inquestarum* etiamnum vocant, ut videre est apud du Fresne *Dissert.* 1. *ad Joinvillam*. Sed & *Inquisitorum* munus erat, *de commodo & incommodo* inquirere, in rebus quæ Regem spectarent: Functiones etiam publicas ac præstationes in Rei publicæ usus necessarios judicabant ac recipiebant &c. Uti autem deligebantur à Rege, ex *Magistris Parlamenti*, uti dictum (quos hodie *Consiliarios* dicunt) & ferè semper ex Ecclesiastico ordine ac Laico, ita iisdem sumtus ex Fisco subministrabantur, ut idem du Fresne docet, apud quem plura hanc in rem eruditè congesta. Præter hos, erant etiam *Inquisitores forefactorum in Balliviis à D. Rege dati*, quibus incumbebat mulctas a damnatis judicio Ballivorum exigere, & ex iis debita Regum persolvere; malè verò & injustè exactas restituere. Item *Inquisitores Forestarum*, qui extra ordinem mittebantur in provincias, ad examinanda Forestariorû aliorumque in forestis publicis delicta, apud Eund. De *Inquisitoribus Officii Justitiæ Aragonum*, qui à Rege delecti in summum Justitiæ Magistratum, quem *Justitiam* vocant, inque illius facta, consilia & delicta inquirunt. V. Blancam *Commentar. Rerum Aragonic* p. 771. De *Inquisitoribus Sinensium*, qui Gallicæ Inquisitoribus, de quibus suprà, planè suppares, V. Auctores qui de Sinensium Imperio scripserunt: de *Inquisitoribus Tabulæ*, infrà in phrasi, *Tabulam tenere*.

Inquisitores Fidei, in Ecclesia Rom. quod munus obeant, diximus ubi *de Inquisitionis origine ac progressu*. Addam hîc pauca. In Gallia *Inquisitorum* hujusmodi prius inauditum nomen tum, cùm Waldenses, uti vocantur, magno successu varia Ecclesiæ Rom. dogmata impugnare regnumque Pontificium ibi magnopere labefactare inciperent. Tunc enim in Concilio Tolosano, contra eos coacto A. C. 1229. Legatus Apostolicæ sedis, uti vocant, qui illi præerat, *mandavit Inquisitionem fieri contra Hæreticos suspectos de hæretica pravitate*, ut ait Guil. de Podiolaurentii *cap.* 49. Delecti verò ii potissimum ex Fratribus Ordinis Prædicatorum, e quibus Petri Cellani & Guil. Arnaldi idem auctor meminit *cap.* 43. ubi postmodum illis ex ordine Fratrum Minorum, qui Prædicatorum *rigorem mansuetudine suâ temperarent*, adjunctos Collegas esse, addit. Namque Robertus, cognom. *Bulgarus*, ob sævitiam, notus; Fulco quoque *Fidei Inquisitor* in Occitania, ob cujus nimium rigorem Rex Philippus misit A. C. 1301. qui de ejus excessibus inquirerent, statuitque, ut in posterum de hæresi suspecti aut accusati Regiis carceribus recluderentur Tolosæ, neque Regii subditi *Inquisitoris* decreto possent detineri, nisi sumpto prius Episcopi consilio & Senescalli Regii auxilio implorato. Præter hos famosus fuit Guilielmus *de Morreriis* A. C. 1302. & Joannes *Parlier*, A. C. 1413. Cùm dein post initium seculi XVI. Romanæ Ecclesiæ contradiceretur passim iterumque in Gallia ingens hominum turba surgenti Evangelio nomen daret, Matthæum Orry Doct. Theologum ex eodem Prædicatorum ordine *Fidei Inquisitorem* instituit Franciscus I. circa A. C. 1536. idemque Rex Josepho *Corrogié*, itidem Dominicano, perinde *Inquisitoris* in toto Regno muneris obeundi facultatem concessit, A. C. 1540. Post quem Henricus II. eundem Orrium ampliori potestate instruxit, A. C. 1550. &c. Hujusmodi verò Ministrorum expensæ & ad victum necessaria, ex Regio Fisco subministrabantur, à Ballivis, qui eo ævo Balliviarum suarum percipiebant reditus & de iis in Camera computorum rationes reddebant, in quam rem prostat *Diploma* Philippi Pulcri hocce: *Senesc. Tolosæ & Carcass. Sal. Cùm Frater Guilielmus de Morreriis — sit de novo Inquisitor Tolosæ auctoritate Apostolica deputatus: mandamus vobis, quatenus carceres nostros, Muros ad custodiam detentorum — aliaque — necessaria nec non pecuniam ad ipsius victum & officium exercendum liberari & ministrari faciatis, eidem in sui executione officii auxilium, favorem & consilium impendentes, prout aliis Inquisitoribus hactenus fieri consuevit, & quandiu nostræ placuerit voluntati. Actum apud Vicenn.* 1302. apud du Fresne *Gloss.* Similes his *Inquisitores* occurrunt apud Suetonium *Julio cap.* 1. ubi de Cæsare, *Mulctatus, diversarum partium habebatur, ut etiam — propè per singulas noctes commutare latebras cogeretur seque ab Inquisitoribus pecunia redimere*: Græci eleganter φυγαδοθήρας vocant, recentior Hellenismus etiam διωγμίτας, ut videre est apud Metaphrastem in *Vita S. Athanasii*. Justinianus Quæstores à se institutos ἐρευνητὰς appellat, de quorum officio V. *Nov.* 80. & plura hanc in rem, apud Casaubonum *ad Suetonium d. l.*

Insania, à Fatidicinâ Vett. res minimè remota, ut de Sibylla notum ex Virgilio *Æn.* 6. cui

> *— non vultus, non color unus,*
> *Non comtæ mansere comæ, sed pectus anhelum*
> *Et rabie fera corda tument: majorque videri,*
> *Nec mortale sonans, afflata est Numine quando*
> *Jam propiore Dei —*

Unde *sacram insaniam*, afflatum Numinis sui, Tiresias, apud Papinium *Thebaid.* l. 10. v. 798. & *insanire Apollinem* ipsum, dicit Capaneus, apud eundem. Hincque multos, qui volebant aspici furere gallantes & vaticinari, quasi ab alicujus Numinis inspiratione immisso furore (quia id pertinebat ad confirmandas religiones) radicem halicaccabi solitos bibere, ut *insaniam* inde conciperent, & Numine repleti viderentur, discimus ex Plinio *l.* 21. *c.* 31. Quâ ratione in vatibus suis utcunque imitari conatus est Satanas verorum Prophetarum raptus, mirasque & insolitas corporis agitationes & membrorum motus; languores insuper corporisque fessi, nec Deum amplius pati valentis, ægritudines, quas iis nonnunquam accidisse, discimus ex Numer. *c.* 24. *v.* 4. 1. Sam. *c.* 9. *v.* 20, 24. Dan. *c.* 7. *v.* 18. *c.* 8. *v.* 27. &c. Sed longe quietius, alioque ac sanctiore longe modo Deus Prophetas suos afflavit, quorum ecstases, in isto mentis recessu, sanctoque cum Deo commercio, non autem furores, os ve rabidum & inconditos, nec ipsis, qui eos edebant, intellectos sonos, legimus, utpote mente interim semper sui compote, nec isto, quo percussa erat, lumine magnopere alienatâ. V. Franc Burmannum *Synopsi Relig. Christ. Part. prior. l.* 3. *c.* 5. *§.* 14. & *seqq.* Sed & *insaniam jocularem* servis Veteres conciliabant, strychni ope, quâ de re dicemus aliquid infrà, in voce *Strychnum*, V. quoque ubi de *Corybantiasmo*, & *Imaginum morbo*.

Inscripti, in illo Poetæ Martialis *l.* 8. *Epigr.* 75.

> *Quattuor* inscripti *portabant vile cadaver:*

Servi sunt στιγματίαι, *notis* seu *literis inusti*, quod e fuga retractis fieri solebat, more antiquissimo, cujus jam Phocylides meminit,

> Στίγματα μὴ γράψῃς, ἐπονείδιζων θεράποντα.

Cujusmodi notis insignes videntur fuisse servi Pagasæi, quos Hermippus apud Athenæum recensuit *Dipnosoph. l.* 1. Fiebat autem parte aliqua corporis conspicuâ: dextrâ, apud Ausonium *Epigramm.* 15.

> *Aut inscribe istam, quæ non vult scribere, dextram.*

Seu facie, apud Claudianum *in Eutrop. l.* 2.

Jura regunt, facies quamvis inscripta repugnet.

Fronte potissimum, ut monstrat Lucianus *Reviviſc.* ubi fugitivos nescio quos Philosophos, typo vulpis aut simiæ, censet in ea faciei parte inuri debere. Et Diphilus, qui quendam comam se alere Deo dicentem, ut capillis promissis obvelaret frontem inustam, insectatur apud Athenæum *Dipnosoph. l.6. Inscribebantur* verò vel variarum rerum typi, ut ex Luciano modo vidum, vel literæ, quod frequentius, unde *frons* talis *literata*, ipsique sic inscripti *literati* passim dicuntur. Literæ porrò vel simplices erant, Græcorum Φ Latinorum F. φυγῆς seu *fugæ* indices, vel in voces compositæ. Narrat enim Petronius. Eumolpum *epigrammate* integro implevisse frontes Encolpii & Gytonis: Et Val. Maximus, servum Reitionis inexpiabili literarum notâ, per summam oris contumeliam, inustam memoriæ prodidit *l.6 c.8.* Imò Theophilum Imp. XI. versus Theophanis & Theodori fratrum frontibus *inscripsisse*, refert Baronius *Not. ad Martyrolog. 22. Dec.* Quo more jam priùs Constantini Imp. humanitate abolito, in collaria & æreas lamellas, clavis capitatis ad collaria affixas, hujusmodi notas ac epigraphes translatas, diximus suprà, ubi de *Fugitivis*, V. quoque notâ, in voce *Stigmatia*. Alia ratio fuit tabellarii ab Histiæo ad Aristagoram missi, quem in occipitio *inscripsisse* herus legitur, apud Herodotum *lib.5.* Militum item apud Romanos, quos, priusquam matriculis eorum nomina inferrentur, stigmata in brachio vel manu accepisse, didicimus ex *l.* Arcadii & Honorii, Aetio item & Vegetio passim. Sed quis Xerxis vesaniam ferat, qui & mare *stigmate dignum* credidit, eodem teste *lib 7.* contrà quàm Juvenalis de illo canit *Sat.10.* Atque hi ignominiæ causâ *inscripti* sunt. Dacorum verò uxores etiam in ornatus loco habuerunt notis compunctum corpus, ut ex Val. Flacco constat: quod quidem in Orphei discerpti pœnam illis impositum, Phanocles contendit, de Thracibus sic loquens,

> Ποινὰς δ' Ὀρφῆι κλαμένῳ αἱ νῦν τι γυναῖκας
> Ἐστίζο ν νεως [illegible]

Imò *& mares etiam apud Dacos & Sarmatas corpora sua inscribunt*, apud Plin. *lib. 22. cap. 1.* Ex quo genere notarum cùm aliquis compunctum haberet brachium, eandem notam reddidit ejus nepos, apud eund. ubi de Dacis. *quarto partu Dacorum originis nota in brachio redditur*, ex atramento sc. confusa, *συγκεχυμένο* [illegible], ut habet Aristoteles, qui factum hoc tertio gradu memorat. Sed & Britannis, quos Cæsar & Mela glasto seu vitro corpora sua inficere solùm tradunt, per artifices plagarum figuras varias animalium formas incorporari à pueris, scribit Solinus, *inscriptiq; visceribus hominis incremento pigmenti notas crescere*, addit *cap.25.* V. quæ de *Agathyrsis, Gelonis, Pictis*, alibi dicta, & plura hanc in rem apud Salmasium *ad Solinum pag. 8.39. & 2,8* uti de *Equis inscriptis*, in vocibus *Coppatias* & *Samphoras*, de *Floribus* apud C. Paschalium *Coronar. l 3.c.12* &c.

Inscriptio, monumentum est breve ac ingeniosum rei alicujus memorabilis, in lapide inprimis vel metallo, posteritati de rebus prioris ævi instruendæ, publicâ auctoritate, ut plurimum exaratum. Et quidem jam antiquissimis temporibus, Semiramis columnæ gesta sua inscripsit, quam *Inscriptionem* memorabilem Polyænus exhibet *lib.8.* Eam imitatus Darius Rex, ad Tearum amnem Thraciæ, cippum erexisse cum inscriptione gestorum suorum, legitur, apud Herodotum. Postea pilis, in Fano Dianæ Orientalis, quod Artemisii erat, Græci *inscripsere* victoriæ navalis de Xerxe, primâ velitatione, reportatæ, monumentum, uti videre est apud Plut. *Themistocle.* Sic ab Assyriis, Persis, Græcis, ortus mos ad Judæos citerioris ævi transiit, apud quos Simon Dux & Pontifex plebiscito, de rebus suis gestis & honoribus in tabulæ æneis inciso, & in celeberrimo Templi loco constituto, honoratus est, 1. Maccab. *cap.14.* &c. Sic res gestæ Principum Ducumque *Inscriptionibus* adnotatæ. Inde traditus posteris mos est, ut Victorum nomina, qui Olympicis Ludis palmam tulissent, in Olympico Gymnasio conscriberentur, teste Pausania *lib. 2.* Sed & Leges suas Nomothetæ, & Anathemata Numinum cultores, & Vota Supplices, & Fœdera Gentes, & jus suum in domos prædiaque Possessores, alia alii publicis *Inscriptionibus* testati sunt. Etiam Arboribus, Foliis, Parietibus, Ollis, *Inscriptione* factâ, ὁ δεῖνα καλὸς, amorem suum, qui talia sectabantur, solebant indigitare. Nullæ verò frequentiores, quàm *Inscriptiones Monumentaria* seu *Sepulchrales*, de quibus hic passim, inprimis in vocibus *Elogium*, *Monumentum*, *Stela* &c. Neque verò honoris ergò solùm, sed & in pœnam ac ignominiam factæ *Inscriptiones*. Sic, cùm Alcibiades absens capitis damnatus ab Atheniensibus, & diris devotus à Sacerdotibus esset, *quò testatior esset ejus rei memoria, exemplum in pila lapidea incisum, positum in publico est*, teste Corn. Nepote in *Vita* ejus. Epaminondas quoque, legis pœnam subiturus Thebis, unum à Judicibus petiisse dicitur, ut in periculo suo conscriberent: *Epaminondas à Thebanis morte mulctatus est, quòd eos coegit apud Leuctra superare Lacedæmonios*, & quæ sequuntur, apud eund. in *Vita* ejus, ut alia omittam. Itaque fuere ab omni ævo, qui Epigraphes hujusmodi, historiæ multum lucis allaturas, undiquaque colligerent; qualis Philochorus quidam Atheniensis, qui *Inscriptiones Atticas* in unum volumen compegit, Suidæ; Polemo, cognom. Στηλοκόπας, qui, principatu Ptolemæi Epiphanis, *Inscriptiones Sepulchrales cujusque Civitatis* item *Inscriptiones Anathematum in Acropoli Athenarum dedicatarum*, edidit, Athenæo: Aristodemus, qui item Thebis præstitit, Scholiastæ Apollonii *Argonautic.* alii alius memorati. Vide quoque in voce *Euhemerus*, item suprà ubi *de Ephesiæ Dianæ Templo*: & inter recentiores, illustria Jani Gruter, Jac. Sponii, aliorumque, *Inscriptionum* opera. De *Inscriptionibus* verò Poematum, adi Scaligerum *Poëtic. lib. 2. capp. 126. & 127.* Addo hoc unum, de more *inscribendi* ingenii monumenta aliis, quorum vel æstimatio, vel amor apud nos eximius, magnæ similiter vetustatis esse, cùm Platonem fratribus suis præclarissimos commentarios suos *inscribendo*, Glauconi quidem & Adimanto libros de Rep. Antiphonti verò Parmenidem, eos nobiles reddidisse, legamus apud Plut. *de pio erga Fratres* &c. Nec omittendæ penitus *Inscriptiones falsa, phylacteria aut ligatura*, quæ imprudentes pro febribus aut aliis pestibus adjuvare putantur & vetantur *in Capitul. Caroli M. lib. 6. cap. 72.* de quibus vide Gruterum 1047. 5 & hic passim, inprimis ubi de *Characteribus, Magia* &c.

Insecta, non in cibis solùm apud varias gentes, ut *fuci, formica, pediculi, vermes, limaces* &c. quæ omnia Lex Judæis, ut immunda, prohibuit, nisi quòd mellis & certæ locustarum speciei usum iis concessit: Sed & in Deorum numero fuere, ut de Ægyptiis aliisque visum, atque ex iis varia superstitionis occasio præbita. Ut enim ab occisis *muribus* colebatur Apollo Σμινθεὺς & Μυοκτόνος, ita Hercules Ἰποκτόνος, dictus ab occisis *vermibus*, qui vites infestabant; & Κορνόπιον à *locustis* fugatis, & Ἀπόμυιος, quia *muscas* arcere credebatur &c. Vide Bochartus *Hierozoici Parte prior. Lib. I. cap 6.* Eadem omnia ad Adamum primitus creatum, ut ab eo certo signarentur nomine, adducta fuisse, certum est. Quidni enim, utut in illis pleraque vilia admodum, hominis consideratione digna sint, quæcunque Deus creare & conservare non dedignatus? Nec minus est, quod in ape aut formica miremur, quàm in ceto aut in elephante; cum hoc ipsum sit inprimis mirabile, quòd in tantillo corpore tot animi emineant dotes &c. Idem *cap.9. Ibid.* Nominis originem pandit Plinius *lib.* 11. qui totus *de Insectis* agit, *cap 1. Multa hæc & multigena terrestrium volucriumq; vita. Alia pennata, ut apes: alia utroq; modo, ut formica: alia & pennis & pedibus carentia: jure omnia* Insecta *appellata ab incisuris, quæ nunc cervicium loco, nunc pectorum atq; alvi præcincta separant membra, tenui modò fistula cohærentia. Aliquibus verò non tota incisura eas ambiente rugas, sed in alvo, aut supernè tantùm imbricatis flexilibus vertebris, nusquam alibi spectatiore naturæ rerum artificio.* Laudes illorum inde magnificè deprædicat *cap. seq.* quod legisse operæ pretium erit. Idem scripturus à hinc remediis, quæ à diversis animalibus feruntur, *Neq; enim dubitaverim*, inquit, *aliquibus fastidio futura, quæ dicentur animalia*: Etiam hinc medicinam nomini non unam spondens. At non Virgilio fuit nominare formicas nulla necessitate, ac curculiones, &

—— lucifugis congesta cubilia blattis.

Non Homero, inter prælia Deorum, importunitatem muscæ describere; non Naturæ gignere ista, cùm gignat hominem. Proin causas & effectus, non res æstimemus. Homerus autem, mirum est, quot inde similitudines hauriat, & quàm elegantes, ab audacia muscarum, animositate ac fortitudine vesparum, prudentia apium, Heroas suos exornet. Ut verò in iis tam parvis atque tam nullis Conditoris sapientiam eò exactius contemplemur, *sunt inventi haud pridem non tantùm crystallini vitreiq; orbes, vario artificio & ad marginem & circa centrum extenuati, pro oculorum ætate ac vigore, qui vel longinqua propiùs admoveant, vel propinqua immanè quantùm removeant: sed & tubi longi ac breves, adeoq; ad posticam transversim secti, in quibus inclusi pediculi, pulices, musca membra distinctissimè videas & cum stupore mireris: illic licebit contemplari teredinum caninam caudam vel vulpinam, vel vervecinam, eamq; velle, maxplacitissimè considerare, cum eadem proportione* &c. Auctor Anonymus *Sina & Eur. cap.38. de Insectis.* Plura apud magni nominis Aldrovandum, Gesnerum, Vossium *de Idolol. lib. 4. cap. 64. & seqq.* Alios.

Insepulto hominis cadaveri terram injicere, apud Athenienses, Lex jussit, memorata Æliano *Var. lib. 5 cap. 14.* Ὅς ἂν ἀτάφῳ περιτύχῃ σώματι ἀνθρώπου, πάντως ἐπιβάλλειν αὐτῷ γῆν, θάπτειν δὲ πρὸς δυσμὰς βλέποντας. *Insepulto hominis cadaveri terram injicito, & in sepulchro Occasum versùs condito.* Ubi additur, tanquam receptæ sepeliendi consuetudini contrarium, ut ad Solem occasum spectet, quo à prætereuntibus possit cognosci. Nam verè adnotat Scholiastes Thucydidis, morem fuisse omnibus Græcis, ἐπ' ἀνατολὰς πρὸς [illegible], *ut versùs Orientem mortuos conderent*, qua de re aliquid infrà dicemus. Plura verò de *Insepultis* habes hic passim, inprimis in voce *Cadaver*, & *Gleba Sepulchralis.*

Inserta, apud Publium Syrum:

Frugalitas inserta est rumoris boni.

Josepho Scaligero *emblema*, Salmasio ἐπίδοσις est, quod verbo [illegible]

vult, *significat insertam, purpuram in fine vestis.* Hesych. ἐμβλημα, ἄμμα, ῥάκ☉· ῥάκη autem ut notum, Græcis vocati sunt panni, qui vestibus assuebantur ex purpura. Nec enim, pergit, verisimile est, si illo versu Publii *inserta* significasset emblema, 60. post annis, cùm in Senatu quæreretur sub Tiberio, quomodo Latinâ voce dicendum esset *emblema*, nemini venisse in mentem notissimam illam & omnibus decantatissimam ex Mimo sententiam, V. eum *ad Vopiscum in Aureliano*, ubi voce *Inserta*, sicut *Prætexta* vult subintelligi *purpuram*. & utrumq; pro ornamento seu insigni accipit. Idem tamen *ad eund. in Firmo*, tam de vestis, quàm de vasis, *inserta*, Publium intelligi posse, & scyphis emblemata, parietibus specula *inseri* consuevisse, Græce ἐμβάλλεσθαι, hincque *hæc inserta*, ἐμβλημα, Græcis esse ait.

Insignare, quod Galli *Enseigner* dicunt, h. e. *docere* seu ἐμφανίζειν, Monachi propriè dicebantur, quod *signis* omnia significare ac indicare solerent. C. du Fresne *Glossar.* Salmasius verò, ex Latino *Insinuare*, Gallicum *enseigner* deducit, *ad Histor. Aug.*

Insignia, adde: Eorum originem egregiè indigitat, Scholiastes priscus Statii *ad versus hosce, Thebaid. lib. 1.*

Hic primùm lustrare oculis, cultusq; virorum
Telaq; magna vacat, tergo videt hujus inanem
Impexu utrinq; jubis horrere leonem &c.

Ubi, *Tum primùm, ait, licet Adrasto securè intueri Heroum arma & corpora. Omnia autem majora communibus & pro viribus eorum qui gestant. Sic nonnullos fere non peculiares clypeos, galeas, enses, habuisse legimus, quibus pares non poterant gestare, qui minores virtute erant.* Porrò capulis avita insignia insculpta gestandi mos, occurrit apud Claudianum *Laud. Stilic. lib. 2.* ubi de *Insignibus stirpis Theodosianæ*: Ovidium *Metamorph. lib. 7.* ubi de Theseo: Statium *Theb. lib. 5.* ubi de Jasonis *insignibus*, Alios, V. & suprà in voce *Capulus*. Crateribus quoque, apud eundem Statium *Thebaid. lib. 1. versu 543.*

Jasides pateram famulos ex more poposcit;
Quâ Danaus libare Diis, seniorq; Phoroneus
Assueti: tenet hæc operum cælata figuras &c.

Postibus etiam *insignia* illustriorum hospitum præfigendi veterem ritum, multis docet tum alibi, tum *ad eund. Theb. lib. 4. vers. 161.* Casp. Barthius. De *Coronarum* verò *Insignibus*, adi Car. Paschalium *Coronarum l. 9. c. 10.*

Insignis Corona, apud Liv. *l. 7.* ubi Sext. Tullius, nomine exercitus, C. Sulpitium Dictatorem alloquitur: *Te, Imperator, milites tui oramus ut nobis pugnandi copiam facias — tum Duce te vincere; tibi* Lauream insignem *deferre, tecum triumphantes urbem inire &c.* & *l. 8.* ubi Manlius agens de suo triumpho, *L. Furius*, ait, *& L. Æmilius currum triumphalem me conscendere prohibent; coronam insignem capiti detrahunt:* fuit corona aurea triumphalis, in speciem lauri effigiata, quam votam ab Imperatore, dein decreto Senatus & publico sumtu Duci donatam; servus publicus eodem, quo Triumphator, curru vectus, super caput ejus gestabat, nonnunquam & *insignis Corona triumphalis* dicta. Nomen ei ab amplitudine, & materia. Namque & auro gemmisque fulgebat, & ambitu ac latitudine tanta fuit, ut satis appareret, non ulli condecorando mortali capiti inventam, sed illi uni, qui caput esset rerum, sepositam. Hinc non deferebat eam domum suam Dux, sed, peracto prope triumpho, triumphali curru vectus, deferebat ad Capitolinum Jovem, eamque in gremio ipsius deponebat, ibi cum cæteris donis religiosè asservandam. Sic apud Sil. Italicum *l. 5.* Virtus ad Scipionem,

Sed dabo, qui vestrum sævis nunc Marte fatigat
Imperium, superare manu laurumq; superbam,
In gremio Jovis, excisis deponere Pœnis.

Quemadmodum altera corona vere laurea, quam triumphans capite gestabat, velut splendidissimum domesticæ Virtutis insigne, domi cum cura asservabatur, inde sæpe, ut in spectaculis aliisque festivitatibus gestaretur, depromenda &c. V. Car. Paschalium ubi suprà, *lib. 8. cap. 1. & 2.* ut & infrà, ubi de *Triumphali Corona.*

Insinuativum, dicitur in Eccl. R. donum à Clericis præstitum Episcopis, in principio sui ingressus, ut in ejus gratiam se hoc pacto *insinuarent*, apud Dominic. Macrum *Hierolexico.* Simile quid erat τὸ Ε'μφανιστικὸν, quod Clerici solvebant, cum in clerum allegerentur, ut docet J. Suicerus *Thesauro Eccl.* voce Ε'μφανιστικόν, namque & sic dicebantur hæ præstationes.

Insitor, unus ex Rusticis Romanorum Diis, aliter *Sator*, memoratur in carmine Flaminis Dialis, qui, Cereri & Telluri sacrum faciens, Dives agricolas hoc ordine invocabat: *Vervactor, Redarator, Imporcitor*, Insitor, *Obarator, Occator &c.* eratque, qui sationi præsidebat, à *serendo* vel *inserendo* nomen nactus: de cujus officio, & Romanorum Græcorumque satione, V. multa apud Salmasium *ad Solinum pag. 724.* nec non infrà aliquid, ubi de *Satione.*

Insomnia, pro Deorum nuntiis Gentilibus habita, magna olim in æstimatione fuere. Hinc scribit Plutarchus Sullam, cùm Commentarios suarum rerum gestarum libros L. Lucullo inscriberet, monuisse amicissimum hominem, observaret prædictiones nocturnas Deorum, quibus ipsi egregia multa rerum instantium momenta indicata fuerint, *in Sulla.* Et Marcus Antoninus Imp. *l. 1.* duobus locis. Cajetæ atque Chresæ sibi per insomnium remedia morborum oblata divinitus, me notat. Cui simile, quod de Ptolemæo Curtius *l. 9.* de Alexandro Cic. *de Divin. l. 3.* de Pericle, Plut. de aliis alii scribunt. Quare solicitè *insomnia* captata, in Templis Deorum, qua de re diximus suprà in voce *Dormio*, V. etiam in voce *Melota*, & plura hanc in rem, infrà in voce *Somnia.*

Inspectores, in *tit. Cod. Justin. lib. 11. tit. 58. de Censibus & Censitoribus & Peræquatoribus & Inspectoribus*: iidem cum *Peræquatoribus* Carolo du Fresne *in Glossar.* Ε'πόπτης, in *Gloss.* Lat. Gr. &c.

Inspiratio, una est ex tribus electionum formis, quarum mentio in *Decretalibus* Gregorii IX. *lib. 1. tit. 6. cap. 42.* quæ *per Inspirationem* sive *viam Spiritus S.* dicitur fieri: cùm viz. omnium vota nemine dissentiente, in unum aliquem conspirat. Id.

Instita, matronarum ornamentum. Stolam enim ad talos, ut loquitur Flaccus, demissam, *Instita* ad oram ornabat, docente Turnebo *lib. 29.* ubi duo insignia in cultu Matronarum notat, vittas, queis crines ligabantur, & talarem tunicam adsutâ *Instita* cultam. Horatius,

Quarum subsutâ talos tegat Instita *veste.*

Hinc pro veste Matronali simpliciter *Institam* ponit Ovidius *de Arte Am. l. 3.*

Luditur in nostris Instita *nulla jocis.*

Dicta ab *in* & *sto*, quia ei vestis quasi insistit, dum gestatur. Gr. ἡ ὤα τῆς ἐσθῆτος ... Angl. *A purle, a border gard. Welt or lace about a womans gown.* V. Octav. Ferrarium *de Re vestiar. Part. 1. lib. 3. cap. 17.* Scholiastæ Papinii Statii *lib. 7. Thebaidos, versu 157. Instita fasciola est, qua omnem vestem suo pingit ornatu.* Ipse Poëta,

Candida pampineo subnectitur Instita *filo.*

Dicuntur etiam *Instita*, fasciæ quibus lectus tenditur, Petron. &c. Plura V. apud Scholiastem Horatii *l. 1. Sat. 2.* Jo. Jac. Chiffletium *de Linteis Sepulchr. cap. 28.* & hic passim, in vocibus *Orna*, *Pannus* &c.

Institor, Paulo & Ulpiano *l. 18. & 3. ff de Institor. act.* is est, *qui tabernæ, locove ad emendum vendendumve præponitur.* Meminerunt a. Vett. tabernarum, *casiaria, cauponaria, cretaria, diversoria, fullonia, lanionia, pellesuina, pistoria, purpuraria, sutrina, unguentaria* &c. uti infrà videbimus, in voce *Taberna.* Atque in his omnibus custodiæ causa canis videtur fuisse. Paulus *l. 2. § 1. ff. si quadr. Si quis aliquem evitans — in tabernam proximam se immisisset, ibiq; à cane feroce esset læsus, non posse agi canis nomine quidam putant, at si solutus fuisset, contrà.* Cæterùm *Institorum* opera stataria ac sedentaria fuit, unde vestes non succingebant, sed demissas gerebant. Vertumnus apud Propertium *de seipso, libro 4. eleg. 2.*

——— ——— *& ibo*

Mundus, demissis Institor *in tunicis.*

His Ulpianus jungit *Insularium*, de quo mox; *Ædificio vel frumento emendo* præpositum; *Pecuniis fœnerandis; Agro colendo; Mercaturis Redempturisq; faciendis*, alios, de quibus omnibus, V. Laur. Pignorium *Comm. de Servis*, ut & infrà in voce *Servus.*

Institutiones Imperiales, sunt diversæ sanctiones, decreta, præceptiones, disciplinæ, traditiones & axiomata, publicis inserta monumentis; Græcis ... : quas ad cupidam *LL.* juventutem, velut quoddam *Enchiridion Legale & Epitomen* Justinianus misit, & xeniorum vice & amplissimi loco muneris, Joann. Calvinus *Lexic. Juris.* Ad harum imitationem, ut omni ex parte Juri Cæsareo Pontificium responderet, Paulus Lancelotus, Triboniani alicujus instar, Pauli IV. jussu, ut ipse in *Præfat.* ait, *Institutiones Juris Canonici* scripsit, edititque circa A.C. 1563. quæ Corpori Juris Canonici additæ sunt, sine ulla tamen Pontificum confirmatione. V. de hisce ipsius Lancelotti *Dedicationem* ad Pium IV. Pontif. & *Proœmium*, ad Juris Pontificii Candd. cum doctis Jac. Ziegleri *Commentariis.* Idem institutum, circa idem fere tempus Marco. Antonio Cuccho fuit, qui similiter *Institutiones Jur. Can.* evulgavit A.C. 1564. Qui ambo, ad eandem laudem anhelantes, sibi invicem obstitisse videntur, quo minùs alterutrius labor publicam auctoritatem impetraret. G. von Mastricht JC. *Histor. Jur. Eccles. num. 388. & 389.*

Instruere, propriè ... est; unde *instructa* apud vett. *Rei Agrimensor.* Auctores, ..., lapidum nempe structura, ad muri vicem, pro termino: quod genus terminos *Epictiticus & Epictiticalis*, in illorum scriptis, passim appellatur: Sic apud Hyginum, in figura picta *Epictiticalis* termini murum videre est ex lapidibus constructum triangularem, in trifinio ponendum: ut aræ erant quadratæ structuræ lapideæ, in quadrifinio, pro terminis collocandæ, quas *instructas arcas* vocavit Frontinus, in voce *Carsiolis.* Hinc *instruices cæmentitia*, apud Solinum *cap. 8. Sabibus domos extruunt (Amantes) quos in modum cautium è montibus excitatas, ad usum ædium, cæmentitiis nectunt instruicibus*: cæmenta sunt, quibus *instruuntur* & nectuntur inter se lapides, quod verbo hoc propriè indigitatur. Isidorus, *Instructio vocata eo, quòd instringat & cohærere faciat, ut lapides luto & ligna & lapides invicem sibi. nam & instructio fieri in aqua instructura est* &c.

&c. *Ferruminare* id vocat Plinius *l.31.c.7.* E' cujusmodi structo lapide quoque cryptas fuisse Judæorum, diximus suprà, V. plura hanc in rem, apud Salmasium *ad Solinum pag.* 7. & 378. qui & de more *Instrumenta* Artificum sepulcris insculpendi, *p.*1221.

Insula, in Podiensi Galliæ urbe, dicuntur ejus regiones vel partes quædam, vulgò *les Isles*: in quas, numero 22. inferiorem Urbis partem divisam esse, tradit Odo Gisseus *Hist. Anic. l.*1.*c.*24. apud Car. du Fresne *Glossar.*

In *Insulam* deportatio, moribus Romanis, frequens: qua fini *asperrimæ Insularum*, ut Gyarus, aliæque, electæ, uti discimus ex Suetonio in *Tito cap.*8. ubi vide Marcilium, ut & *Not. ad Spectacula Martialis.* Non autem statim post damnationem fiebat illa, sed mora intercedebat aliqua, dum locarentur exportandi, teste eodem Suetonio *in Vespasiano cap.* 13. Locatos verò esse, docet M. Seneca *Controv.*6.*lib.*9. *Cùm sciret in exilium deportandos locari solere.* Sic locati, quemadmodum sub voce Præconis ad navim perducerentur, observare licet in vet. Scriptore *Vita* D. Apollinaris: quomodo porrò avehererentur, patet narratione Philonis Hebræi de Flacco exsule avecto in Andrum Ins. Marcilius ubi suprà.

Insularii, dicebantur apud Romanos servi, *Insularum* custodes. Vocabant autem *Insulas* ædes grandiores, quæ non jungebantur communibus parietibus cum domibus vicinis, quales Sext. Rufus & P. Victor olim Romæ non paucas recensuerunt. De Germanis quoque Tacitus *in Germania*, inquit, *suam quisq; domum spatio circumdat, nullis cohærentibus ædificiis, more Insularum.* Etiam Veteres, domos vel portus, vel *Insulas* dixisse, annotarunt Donatus ac Festus. His videtur præfuisse nonnunquam Procurator. Petronius, *cùm Procurator insulæ Bargates, à cœna excitatus, à duobus Lecticariis in mediam rixam perfertur.* V. quoque Plinium *Panegyr. Trajani.* Et quia in Horreis ac *Insulis* pretiosissimam plerumque partem Fortunarum suarum homines opulenti reponebant, ideò servi custodes appositi sunt, ut præter Paulum JC. *leg.* 3. *ff. de Off. Præf. Vigil.* indicavit Juvenalis *Sat.* 14.

> —— *Misera est magni custodia census.*
> *Dispositis prædives amis vigilare cohortem*
> *Servorum noctu Licinus jubet, attonitus pro*
> *Electro, signisq; suis, Phrygiaq; columna,*
> *Atq; ebore & lata testudine.*

Ubi antiquus Interpres, *Per translationem*, inquit, *disciplinæ militaris Sparteolorum Romæ, quorum cohortes in tutelam Urbis cum amis & cum aqua vigilias curare consueverunt vicinis.* Dabatur autem in vastis his ædibus signum familiæ ad evigilandum, tintinnabuli sono, quod fere à janua dependebat. Erantque ante Neronem plures in urbe domus, quàm *Insulæ*, post Neronem verò contrarium obtinere cœpit, ut ex Tacito notum. Atque inde cœperunt, appellatione *Insulæ*, quævis ædes locatitiæ intelligi, uti per *dominos Insularum*, quivis locatores, & per *Insularios* pensionum exactores, Casaubonus *ad Julium Suetonii cap.* 41. Cæterùm *Insularios*, urbanorum numero fuisse, tradit Pomponius *l. Urbana fam. de verb. signif.* Sed & *Insularii* dicti sunt viles servi ac pessimi, *qui sine civitate sunt in opus publicum perpetuò dati, & in Insulam deportati, l.*17. *ff. de pœnis.* Deportationem istiusmodi significat Seneca, *Magis ignosco ei*, inquit, *qui vallum inimici, quam qui Insulam concupiscit*, &c. V. Laur. Pignorium *Comm. de Servis* & Titum Popmam *lib. de operis servorum.*

Intakers, Angl. *Intakers*, prædonum genus, Ridesdaliam seu extremam Angliæ plagam Borealem habitantes; sic dicti, quòd à sociis suis, quos *Outparters* vocant, prædam, è finitimis Scotiæ deportatam, recipiebant. Illi, quasi *intra recipientes*; isti velut *foris partes* seu *rem agentes*, recentiùs *Out-putters*, nuncupati: Utrorumque fit mentio in *Statuto ann.* 9. Henrici V. *c.*9. apud Spelmannum *in Glossario.*

Integer Bos, in holocaustum offerri jubetur, Levit. *cap.*1. *vers.*3. *Si oblatio ejus fit holocaustum è bove, marem perfectum offerat eum, ad ostium Tabernaculi conventus* &c. V. quoque Levitici *cap.* 22. *vers.* 22. & Numer. *cap.* 29. *versu* 8. ubi de sacrificiorum *integritate* & perfectione accuratè agitur. Cujusmodi victimas *integras*, puras omnique labe carentes requirebat Deus, tum ad religionis honorem ac decus; tum ad Christi perfectionem, innocentiam ac sanctitatem testandam; tum denique, ut nos moneret, pretiosissima quæque, quodque in nobis optimum est, Deo offerendum, consecrandumque. Unde queritur Deus *panem pollutum, & cæcum ad immolandum offerri sibi*, apud Malach. *cap.* 1. *v.* 7. 8. Certè & Ægyptios [illegible], *boves mundos eosq; mares ac vitulos* immolare, & Sacerdotem ad pilos ad id constitutum scrutari consuevisse, [illegible], *pecude tam erectâ & stante, quàm resupinatâ*, legimus apud Herodotum *lib.*2.*cap.*41. Quo facto, si perfectam & ab omni vitio immunem repererat, eam notabat byblo cornibus alligato & applicitâ terrâ sigillari cum annulo suo impresso. Alioquin enim pecudem ἀσφράγιστον immolare grande nefas credebant, *Ibid.* Sed & Gentilium alii, priusquam victimam coronarent, explorabant, [illegible], *an legitima & perfecta esset*, ne quid forte mactarent, quod Numine indignum esset, teste Luciano *de Sacrif.* Imò, Indos hac fini non jugulare, sed præcluso spiritu necare solitos, [illegible], *ne quid mancum, sed integrum, offerretur Deo*, tradit Strabo *l.*15. & Philo [illegible]. *Integrum* autem exponit Pollux [illegible], *lib.*1.*c.*1. in cujus rei signum & coronabantur victimæ; *integritatis* enim & perfectionis symbolum corona, ut notum &c. V. Sam. Bochartum *Hierozoici Parte prior. lib.* II. *cap* 33.

Inter Canem & Lupum, apud Marculfum, *infra horam vespertinarum, inter canem & lupum venerunt, & interfecerunt dictum Johannem*: modus loquendi, quo crepusculum indigitatur, ubi luminis defectu *lupum à cane* ægre discernas; etiam Gallis in usu, *entre chien & loup*. V. Dominic. Macrum *Hierolexico*. Simile quid ἀμφιλύκη νὺξ apud Homerum, ad quem Eustathium vide [illegible].

Interamna Urbes ac Regiones, Latinis dictæ sunt, quæ inter duos amnes sitæ, Græcis [illegible], & [illegible], item [illegible]. Hinc *Mesopotamia* nomen, quòd inter Euphratem & Tigrim sita, & in ipsa illa alia [illegible], quam divisus alveo Tibris amplectitur, memorata Plinio & Stephano, in qua Apamea urbs. Sed & ipsa Apamea hæc, omnesque aliæ hoc nomine *interamnæ* fuerunt, à voce Hebr. quæ *circumcingere* denotat, nomen nactæ. Alia porrò Mesopotamiæ pars, Adiabene viz. itidem [illegible] seu *Interamnas*, utpote inter duos amnes Diabam & Adiabam intercepta &c. Vide Salmasium *ad Solinum pag.* 698. & 699.

Intercessores, dicti olim Episcopi, qui sede vacante Episcopatum administrabant, donec proprius eligeretur; hodie *Administratores*: fortè, quòd vacantem cathedram illiusque possessionem adirent. *Intercessores* enim Latini [illegible] vocabant, ut est in vett. *Glossis*, in quibus etiam *Intercessio* redditur [illegible], *aditio hæreditatis*. Eosdem *Interventores* appellat Concilium Carthagin. V. *can.*8. *Nulli Intercessori licitum sit cathedram, cui Intercessor datus est — retinere, sed dare operam, ut intra annum eisdem (populis) Episcopum provideant. Quod si neglexerit, anno exempto Interventor alius tribuatur.* [illegible] in Canon Eccles. African. *can.* 74. in Epigraphe verò [illegible] &c. Aliter vox sumitur *l.* 1. *Cod. Theodosiani de Pignor.* ubi Executores, qui à Rectoribus provinciarum dabantur, præsertim ad exigenda debita fiscalia & publicas functiones, notat, de quibus V. Jac. Gothofredum *ad l. cit.* Sed & *Intercedere* dicebantur Episcopi, cùm pro reis, causâ cognitâ, veniam à Judicibus postularent: qua de re sonat *Constitutio* Honorii & Theodosii, *in Append. Cod. Theodos. Eam quoq; Sacerdoti concedimus facultatem, ut carceris ope misera[illegible] aulas introeat, medicetur ægros, alat pauperes, consoletur insontes: & cùm singulorum causas cognoverit, intervenientes suos apud Judicem competentem jure suo moderetur.* Maximè autem *intercedebant* pro iis, qui ad Ædes sacras confugiebant; quos *tradi non oportere*, decretum est Concilio Arausic. I. *can.* 5. Interim, quibus Episcoporum vel Ecclesiæ intercessione culpæ venia à Judicibus, aut si servi essent, à dominis concedebatur, iis Canonica ab Ecclesia imponebatur pœnitentia, quam illi obituros sese ultro spondebant, veniam aliàs neutiquam consecuturi, ut ex Concilio Remensi *can.*7. colligit Carolus du Fresne, apud quem plura in hanc rem, in *Glossar.* V. quoque Cl. Suicerum *Thes. Ecclesi.* voce [illegible].

Intercisa Dies, apud Claudianum *Panegyr. Olybrii & Probini*,

> *Antè Thyestææ [illegible]*
> *Intercisa dies refugos vertetur in ortus;*

Et Statium *Thebaid. l.*2.

> *Non fugeret diras lux intercisa Mycenas:*

interrupta est tenebris, & *abrupto Sole*, ut idem ait *lib.*1. *versu* 325. caligans. Metaphorâ ab Romanorum more, apud quos *Intercisi Dies* in vet. Jure Pontificio Pompiliano, tam hominibus, quàm Diis dati, uti in quibus & humana negotia & religiosa tractare fas esset, veluti non integros perhibeas, nec huic, nec illi parti addictos: de quibus, post Varronem, Macrobius *Saturn. l.* 1. *c.*16. Item *Intercisivi limites*, qui agros integros esse non sinerent, sed velut intersecarent, apud Frontinum Agrimensorem, de quibus V. Salmas. *ad Solin p.*678. alibique. Sic opus suum *intercidendum*, ne in perennem exiret prolixitatem, ait Guil. Brito Armoricus, imitatione Vett. & suo ingenio, pro tempore quo vixit, admirabilis Scriptor, *l.*8.

> *Sed ne continui nos frangat cura laboris,*
> Intercidat *opus brevis hæc pausatio nostrum &c.*

V. C. Barthium *ad Statium d. l.*

Interdictum, dicitur in Ecclesia Rom. generalis excommunicatio, quæ in provinciam, vel villam aut castrum; imò in integrum aliquod Regnum, fertur: quo durante denudantur altaria, cruces humi prosternuntur, reliquiæ Sanctorum ingloriæ jacent, invertuntur cymbala, neque quicquam fit, *in sancta Matre Ecclesia, nisi parvulorum baptisma & confessiones morientium*, uti habet Knyghton *A. C.* 1208. ubi de toto Angliæ Regno, unà cum Joanne R. *Interdicto sexennali*, à Pontifice subjecto. Instituit tamen Bonifacius VIII. ut, non obstante *Interdicto Ecclesiastico*, in qua-

tuor Festivitatibus, divina celebrari possent; quibus Festum Corporis Christi adjecit Urbanus VI. Formulam *Interdicti* hujusmodi illam suppeditat du Fresne ex Concilio Lemovicensi A. C. 1031. *Sess.* 2. *Nisi de pace acquieverint, ligate omnem terram Lemovicensem publica excommunicatione; eo videlicet modo ut nemo, nisi Clericus, aut pauper mendicans, aut peregrinus adveniens, aut infans à bimatu & infra, in toto Lemovicino sepeliatur, nec in alium Episcopatum ad sepeliendum portetur. Divinum officium per omnes Ecclesias latenter agatur, & Baptismus petentibus tribuatur. Circa horam tertiam signa sonent in Ecclesiis omnibus & omnes proni in faciem preces pro tribulatione & pace fundant. Pœnitentia & Viaticum in exitu mortis tribuatur. Altaria per omnes Ecclesias, sicut in Parasceve, nudentur: & cruces & ornamenta abscondantur, quia signum luctus & tristitiæ omnibus est. Ad Missas tantùm, quas unusquisque Sacerdotum januis Ecclesiarum obseratis fecerit, altaria induantur & iterum post Missas nudentur. Nemo in ipsa Excommunicatione uxorem ducat. Nemo alteri osculum det, nemo Clericorum aut Laicorum vel habitantium vel transeuntium, in toto Lemovicino, carnem comedat, neque alios cibos, quàm illos quibus in Quadragesima vesci licitum est. Nemo Laicorum aut Clericorum tondeatur, neque radatur, quousque districti Principes, capita populorum, per omnia sancto obediant Concilio.* Aliam V. apud Eund. & plura hanc in rem, apud Episcopum Monspel. *ad Epist.* 72. *Innocentii III. lib.* 14.

Interim, adde: Fœtum illum, obstetricante Granvellano, edidere Julius Pflugius Episc. Naumburg. Michael Sidonius Episc. Marisburg. & Joannes Islebius Agricola Antinomus, vocaturque Hispanico termino *Interim*, à Sleidano *Decretum*, in Constitutionibus Imperialibus *Declaratio Religionis*, à Dresser o, appositissimo nomine *Sphinx Augustea*. Quem librum multis probantibus, probare tamen nunquam voluit Joannes Fridericus Saxoniæ Elector, quamvis captivus: cùm contrà seu ejus obscuritate, seu periculorum impendentium metu fracti Theologorum nonnulli, haud parum ab Orthodoxia, in articulo cumprimis *de Justificatione*, deflexerint, quos inter Pfeffingerus Superintendens Lipsiensis, cui & *Interim Lipsiense*, quod *novum* quoque vocatur, adscribi solet. V. Hac iom *Præfat. Lipsico Interim præmissâ*, & ejusdem *Scriptum contra Reformationem Pfeffingeri*. Carpzovium *ad Form. Concordiæ pag.* 186. Burgoldensem *Part. I pag.* 27. Rittershusium *in Exegesi Geneal. fol.* 9, alios, laudatos L. Joachimo Fellero, *Not. ad Hornium Orb. Imper. pag.* 56.

Interlucare idem cum *collucare*, quod vide.

Intermetium, in Circo, spatium *inter duas metas*, Græce *κεραμίς*, Latinis *Euripus* quoque ac *Spina Circi*, V. ibi

Internuncia, portio comitatus fœminei, apud Romanos olim, iidem cum *Salutigerulis*, quos vide. Hodie inter Pontificis Ministros, qui ad exteros Principes mittuntur, *Internuncii*, Mihi dicuntur Extraordinarii, à *Legatis*, qui Ambasciatores sunt ejus Extraordinarii, & *Nuntiis*, qui Ordinarii, distincti. Vicquefort *Memoires touchant les Ambassadeurs Part.* 1. *p.* 353.

Interpendium, seu *Compendium*, dicitur, cum pondera pariant in libra & invicem sibi opposita æquantur, velut in parallelo situ. Græcè *σήκωμα*, Latinè interpretium quoque. Eâ voce usus est Ammianus *lib.* 18. ubi Hymettius Africam pro Consule regens, in magna annonæ caritate, publica horrea aperuit, & frumentum populo Romano destinatum Carthaginensibus indigentibus divendidit: ex quo certam summam confecit. Postea viliore annonâ, quum eundem frumenti modum horreis Populi Rom. restituere vellet, denorum modiorum, quos venum dederat, pretio, tricenos ipse modios emit. Sic pretii, quod ex venditione publici frumenti collegerat, duo trientes apud eum remanserunt, post restitutum omne frumentum horreis Pop. Rom. Quod superfuit ex ea summa, ad totum transmisit ad ærarium Principis. Atque hoc *Interpretium* vocat Ammianus. Ei opponitur *Intertrimentum*, id nempe, quod de pondere detrahitur, unde minus fiat, Græce *ἀπουσία*: *Interpendium* enim vel *Compendium* contrà, quod additur ad pondus & suppletur, unde fiat *compensatio* seu *συνάλλαγμα*. Indeque utraque vox pro lucro quoque accipitur. Venit autem *Interpretium*, ab *Interpres*, qui primigenia significatione propriè dictus est, qui inter venditorem & emptorem sequester ac proxeneta, difficultates inter utrumque ob pretium oriri solitas, explicabat; efficiebatque, ut res, quam deferebat venditor, exæquaretur pretium, quod offerebat emptor, & sic justa permutatio procederet, Græcis *προξενητής* & *προπώλης*: hic quod eo nomine accipiebat ab utroque, *Interpretium* propriè dicebatur. Sed & *propensum* eidem oppositum; hoc enim est, quod, utpote gravius, in lance præponderat, & que *propendet* &c. Salmasius *ad Solinum pag.* 1006, & 1007.

Interpungendi mos antiquis non fuit: Non enim adhibebant Veteres *Interpunctionum* notas sive signa, ad partes sententiæ distinguendas, atque inde difficilis oriebatur lectio, cùm nisi exercitatis vix liqueret, ubi aut vox sustineri, aut suspendi, aut deponi deberet, quod ex A. Gellii *libro* 13. *capite* 30. luculenter patet. Hinc etiam lectionem primæ eruditionis partem facit Quintilianus *lib.* 1. *cap.* 8. Solebant enim quidem Romani verba singula interposito puncto à se invicem disparare, partim ad ornatum, partim ne coalescerent. De quibus intelligendus Cic. *pro Murana*, ubi Jurisperitos vellicat: *Dignitas in tam tenui scientia quæ potest esse? Res enim sunt parvæ, prope in singulis literis atque* Interpunctionibus *verborum occupatæ.* Sed in imprimis in veteribus Inscriptionibus, quæ hodie adhuc superstites, apparet, cum Græci contrà continuo nexu absque ulla separationis nota voces scripserint. Unde Sen. *Epist.* 40. ubi de celeritate orationis, *in Græcis*, inquit, *hanc licentiam tuleris: nos etiam cùm scribimus, interpungere consuevimus*, singula sc. verba à se invicem determinando, ut verborum ille fluxus aliquo modo sistatur. Et has *Librariorum notas* Cicero appellat *de Orat. lib.* 3. Postea tamen, sed quo tempore, incertum, etiam notæ inventæ ac appositæ sunt, quibus verborum & sententiarum partitionem seu divisionem in commata, cola ac periodos notarent, ac balce partes inter se distinguerent: quæ *Positura*, atque etiam peculiariter *Distinctiones* Latine. Θέσεις sive Στιγμαὶ Græce appellatæ sunt Diomedes *de Pronunciat. lib.* 2. *Lectioni Posituras accedere, vel Distinctiones oportet, quas Græci θέσεις sive & Στιγμὰς vocant.* Isidorus *lib.* 1. *Orig. cap.* 19. *Positura est figura ad distinguendos sensus per cola, commata & periodos, quæ dum ordine suo apponitur sensum nobis lectionis ostendit.* Postquam autem viri docti distinguere cœperunt, solis & singulis punctis diverso situ locatis, singulas partes notabant; Comma videlicet puncto, ad medium literæ, ubi sermo sustinetur; & hæc *media distinctio*: Colon puncto ad imum literæ ubi sermo suspenditur, & hæc *Subdistinctio*. Periodum, puncto ad caput literæ sive supra literam, ubi sermo deponitur; & hæc *plena distinctio* vocitata est, ut apparet ex Donato clarissime. Et hic quidem distinguendi modus olim obtinuit: hodie, variâ puncti locatione missâ, aliis signis, figurâ, non positione, discretis, quæque neminem fugiunt, in *Interpunctionibus* nostris utimur. Jac. Oiselius J. C. *Notis in A. Gellii cæsum retro citatum.* Calcei quoque olim *interpungi* soliti, hoc artificio, auratis ac purpureis præponebantur. Epictetus in *Encheiridio*. Ἐπὶ τοῦ ὑποδήματος, ἐὰν ὑπὲρ τὸ πόδα ὑπερβῇς, χρυσοῦν ὑπόδημα, εἶτα πορφυροῦν, εἶτα κεντητόν; *In calceo, si ultra pedem fueris progressus, fit auratus calceus, dein purpureus, tandem interpunctus.* Et hujusmodi quid in distinctionibus ac picturis variis à artificibus olim Sicyoniis inprimis distinguebantur: ob quam figurarum varietatem, *multiformem* appellavit *calceum* Tertullianus *lib. de vel. Virg. cap.* 12. eum qui *interpunctus* erat, sicque ab uniformi ac plano, quo modestiores fœminæ utebantur, distinxit. V. B. Balduinum *de Calceo antiquo cap.* 19.

Interrasile Opus, apud Wilhelm. Brittonem *dicitur interpolatum cælaturâ & planâ: Planum enim inter cælaturas quasi rasum videtur*, adeoque *rasili* opponitur, ut quod subinde *cælatura & plano variatur* ac distinguitur. Alex. Necc.

Quod nunc sculpturis, quod nunc planitie variatur,
Hoc & non aliud opus Interrasile *dicas.*

Sic *lamina aurea interrasilis*, apud Anonymum *de Gestis Constantini M. Crux anaglypha interrasilis ex argento purissimo*, apud Anastasium Bibl. *in Leone III. Crater argenteus cum imaginibus interrasilis*, in *Epist.* Patriarchæ Hierosolym. ad Ignatium Patr. CP. & apud Fortunatum *lib* 1. *Poem.* 13.

—— *Sculpta camera decus interrasile*, &c.

V. Car. du Fresne *Glossar.* Lat. autem radunt tam tornatores, quàm cælatores: Poeta.

& torno rasile buxum:

Græci γλύφειν, ξύειν. Aliud tamen propriè ξύειν vel ξέειν, *radere*, aliud γλύφειν, *calare*, aliud τορνεύειν, *tornare*, & *Rasores* vel *Interrasores* diversi à Cælatoribus, & Tornatoribus. Theophrastus ita hæc distinguit. Εὐπλαστότερον δὲ καὶ εὐτορνότερον καὶ εὐγλυφώτερον τὸ χλωρόν, προσκαθιζάνει γὰρ τὸ τρυπάνον μᾶλλον καὶ οὐκ ἀποπηδᾷ. Ubi τορνευτικὸν instrumentum est teretum, quo ligna in orbem teruntur, &c. V. Salmasium *Exercitation. Plinian. ad Solinum pag.* 1045. ubi *Rasorum* proprie *terere* esse pluribus docet.

Interrex, qui Regis demortui loco tantisper summæ rerum præest, dum alius creetur: quod spatium temporis *Interregnum* dictum. Origo ejus antiquissima, Nam Romulo defuncto, ut tradit Dionysius l. 2. antequam novus crearetur Rex, integrum annum *Interregnum* fuit. Ita enim ille: *Sequenti anno nemo Romæ regnavit, ad novum Interregnum Magistratum delatâ administratione Reip. in hunc modum: Ducenti Patres conscripti, ex quibus Senatus Rege Romulo constitutus erat, distributi in Decurias, Decemviris sorte committebant Urbis imperium. Hi non simul, sed unus post alium quinis diebus lictores habebant cæteraque insignia regia, quæ sic per manus tradebantur, à primo deinceps usque ad ultimum; tum quinque dierum ille Magistratus migrabat ad sequentem Decuriam, & inde rursum ad aliam* &c. Et hoc sub Regum imperio observatum fuit. Postea appellatio etiam sub Consulibus mansit: cum enim ordinarii Magistratus abessent, & Comitiis interesse non possent, sive vitio creati abdicassent neque placeret Dictatorem dici, tum res ad *Interregnum* veniebat. Atque etiam hi *Interreges* eodem modo quinqueduano fungebantur Magistratu, ut ex Cicer. *lib.* 7. *ad famil. Epist. ad Trebatium* apparet; quo durante omnia obibant ea, quæ vel Regum vel Consulum fuissent, itaque & Senatum convocandi jus habebant & populum ad Comitia Curiata &c. vocandi. Non autem moris erat, ut ab eo, qui primus *Interrex* proditus erat, Comitia haberentur, hunc tale

quid

quid ousquam apud Livium invenitur: Sed interdum à secundo, ut *lib.*9. item *decimo.* *Interreges fuere App. Claudius, dein P. Sulpicius, is Comitia Consularia habuit.* Interdum à tertio, ut *lib.*3. Interdum à pluribus, ut ad undecimum etiam *Interregem* aliquando perventum sit, apud eundem *lib.* 7. Eligebantur non nisi e Patriciis, vel potiùs *prodebantur* (hoc enim verbum de iis solenne) ut ex plurimis Livii, Ciceronis aliorumque locis cognoscitur. Sed mutatâ veteri Reip. formâ & summâ rerum ad unum delatâ, *Interregum* & functio & nomen abolitum est: V. Joh. Rosinum *Antiqq. Rom. lib.* 7. *cap.* 16. & Jac. Oiselium *Notis in A. Gellium lib.* 14. *cap.* 7.

Interrogatio, apud Romanos dicta est accusatio tota, cùm Judiciorum criminalium pars non minima rei *interrogatio* esset. Multum autem intererat in peragendis interrogationibus, quo animo esset is, qui interrogabat. Exemplum illustre in Augusto, qui *manifesti parricidii reum, ne culeo insueretur, quòd non nisi confessi afficerentur hac pœnâ, ita fertur interrogasse: Certè patrem tuum non occidisti?* apud Suetonium *Augusto cap.* 33. Hac enim suâ interrogatione salutis viam reo aperuit, ut quæ eandem vim habet, ac si ita esset concepta: *Nonne verum est, te patrem tuum non occidisse?* At legitima formula hæc fuisset, *Parricidium, quod objicitur tibi, fecisti?* Sic apud Livium *lib.* 8. cùm de Privernatibus tristes sententiæ a Senatoribus plerisque dicerentur & Legatus eorum ferociter responderet, Consul *benignâ interrogatione mitius responsum elicere conatus est.* Et apud Tertullianum *ad Scapulam* Cincius Severus *Thysdri ipsi dedit remedium, quomodo responderent Christiani, ut dimitti possent.* Contra, qui per situm volebant reum, omnibus eum modis in fraudem inducere suis *interrogationibus* conabantur. Casaubonus *ad Suetonium d. l.*

Interscapulum & *Interscaplium* & *Conscaplium*, pars illa Latinis dicitur, quæ sub collo *inter scapulas* est, Græcis τὸ μετάφρενον vel τὸ νῶτον: unde μεταφρενοδοῦναι, Spartiano *cat mulsari*, pœnæ genus, quod *scapulas verberare* Seneca & Apulejus dixerunt: *catomis cadere*, vetus Scholiastes Ovidii *Fastorum* 2. ubi de mulieribus, quæ Lupercis per urbem discurrentibus, fœcunditatis ergò, sponte terga sua cædenda præbebant:

Ille caprum mactat, jussæ sua terga puellæ
Pellibus exsectis percutienda dabant &c.

V. suprà in voce *Catomidiare.*

Intersignum, in *Gestis* Consulum Andegav. *cap.* 13 *num.* 5. *Exclamavit unusquisque* Intersignum *suum*, clamor est militaris, Gall. *Cry d'armes*: etiam *Enseigne* Scriptoribus Gallicis, quòd, qui vexilla deferebant in prælus, primi bellicum clamorem ederent, ut pluribus docet Car. du Fresne *Dissert.* 11. *ad Joinvillam.* At *Intersignia*, apud Guil. de Podio Laurentii *cap.* 1. arma sunt, Gall. *Armoiries.* In re verò Veterum Astrologicâ sic dicebantur, quæ Μεσεμβολήματα Græcis, interstitia viz. *signorum*, in quibus qui horoscopum haberent, undequaque infortunati, tum corporis, tum animi, bonis credebantur. V. suprà in voce *Decanus.*

Interventores, qui sede vacante Episcopatum administrabant, V. suprà *Intercessores.*

Intestatus, qui decesserat, habebatur olim pro damnato ac infami. Cùm enim Conciliorum *Canonibus* certam bonorum suorum atque adeò *decimam* partem, ut est apud Matth. Parif. *pag.* 113. distribuere in pios usus quisque teneretur: qui id non egisset, salutis suæ curam quodammodo videbatur abjecisse. Quamobrem non unâ Synodo jubentur sacrorum Ministri moribundos hortari, ut & peccata sua confiteantur & de rebus suis in Ecclesiam vel pauperum favorem, aut in alios pios usus, ad animæ salutem disponant. Quod quidem ita invaluit, ut delictorum absolutio & Viaticum denegaretur iis, qui monita hæc neglexerant, talesque salutis suæ curam omnem abjecisse crederentur: sic ut nullum inter ejusmodi *Intestatos* & illos, qui sibi ipsis intulissent mortem, discrimen haberetur. Uti proin istiusmodi αὐτοχείρων bona mobilia in Fiscum redigebantur, ita & *Intestatorum* dominis addici debere existimaverunt, maximè si per eos licuerat haud *intestatos* decedere, V. Car. du Fresne *Not. ad Stabilimenta S. Ludovici.* Cujus quidem consuetudinis ea videtur fuisse origo, quod, cùm absque eleemosynarum distributione prævia decedere probrosum quodammodo Vett. judicarent, sæpeque accideret, ut morte imprævisâ, nullâ factâ bonorum in eleemosynas ordinatione ac dispositione, quis decederet, sanxerunt, ut animæ illius consulturi Episcopi ac Sacerdotes ex defuncti bonis eleemosynas distribuerent, eoque nomine, bona illius mobilia sequestrarent, debita creditoribus persolverent omniaque exequerentur, *eodem modo, quo tenerentur, si Testamentum fecisset, executores*, ut habetur in *Statuto* Willhelmi Regis Scotiæ *cap.* 12. § 3. Cujusmodi bona hoc modo in eleemosynam sequestrata, *Eleemosynam Rationabilem* appellatam esse, docet du Fresne in hac voce. Neque fortè alio jure cognitio de Testamentis *ad Curiam Christianitatis*, uti vocant, pertinuit: cùm, ut est apud Matth. Paris *A.C.* 1190. *rerum, quæ in Testamento relinquebantur, distributio auctoritate Ecclesiæ fieret.* V. quæ de Photio Patr. CP. Occidentis Episcoporum hunc morem in Orientem invehere quoque conato, refert Anastasius Bibl. *Præf. ad VIII. Syn.* Cùm verò Episcopos ac Sacerdotes in vassallorum suorum bona manus injicere ægrè ferrent seculares domini, Ecclesiasticorum suppressimis avaritiâ ac iniquitate irritati: id etiam juris sibi arrogavere, vario prætextu; Ac primo quidem id ipsum exequendi, quod Episcopi ac Sacerdotes, h. e. eleemosynas faciendi & debita defuncti persolvendi: tum etiam eadem bona mobilia sibi adscribendi, quòd *intestati* haberentur pro *βιοθανάτοις*, quorum ex usu & receptâ consuetudine bona mobilia ad domines pertinebant. Verum postmodum eò processit dominorum rapacitas, ut vassallorum suorum, qui sic decesserant, non modò nullam partem bonorum in pios usus distribuerent, sed ea promiscue invaderent, ipsa quoque eorum debita exsolvere renuentes: unde querela Episcoporum Angliæ, in *Provinciali Ecclesiæ* Cantuar. *lib.* 3. *tit.* 28. in Concilio Lambethensi A.C. 1261. & Londinensi A.C. 1342. Medietatem autem aut tertiam bonorum *Intestati* mobilium partem uxoribus interdum domini arrogavere, uti ex *Usaticis* Barcinonensibus *MSS.* ostendit laudatus du Fresne. Imo, quasi intestatorum bona primi occupantis essent, in eadem atque manum injiciebant hospites, si in eorum decessissent hospitiis, quod vetitum legimus in *Statutis cit.* Wilhelmi Scot. R. *c.* 30. § 3, 4, 5, 6. V. quoque Ughellum *Italia sacr. Tom.* 1 *p.* 137. 144. Quod porrò seculares domini in vassallos suos intestatos, idem sibi dein adscripsere Episcopi in Clericos suæ dioecesis, atque adeò ipsi summi Pontifices in Episcopos. Unde de Joanne Archiep. Bremensi, qui Avenione intestatus decesserat, sic *Historia Episc. Bremens.*

Pontifex hic moritur in Avinione,
Et thesaurus rapitur sub hac ratione,
Quòd sublatus dicitur in intestatione, &c.

Plura in hanc rem V. apud sæpius laudatum Car. du Fresne in *Glossar.* & *Notis ad Stabilimenta S. Ludovici.*

Intestinarii Artifices, memorati in *l.* 2. *Cod Theodos. de Excus. Artif.* qui *intestinum opus*, quod sc. introrsus & in ipsa domo sit, nempe sub tecto (V. Vitruvium *lib.* 4. *cap.* 4. *lib* 5. *cap* 2. & *lib.* 6. *cap.* 8.) faciebant. Pro *ligneo* usurpatum Budæus putat, esseque, quod *minutariam* seu *menuiserie* Galli vocant; cui consentiunt Barbarus & Philander, qui ad ligneas fenestras referunt. Bernard. verò Baldus ad lignea laquearia, quibus suggrundia ornatûs gratiâ suffigunt. r. apud C. du Fresne *Glossar.* Salmasio *Intestinum opus* propterea dicitur, quod e ligno quidem fit, sed elegantiore fabricâ, & ea arte, quam λεπτουργίαν Veteres dixere, hodie *minutariam* Galli appellant, in hoc Budæo assentiens. Fuere autem nobilissimi artifices hujus operis, Græci, Campani, Siculi. Plin. *lib.* 16 *cap.* 42. *Firmissima in rectum abies, eadem valvarum paginis, & ad quæcunque libeat intestina opera aptissima, sive Græco, sive Campano, sive Siculo, fabricæ artis genere spectabilis, ramentorum crinibus pampinato semper orbe se volvens, ad incitatas runcinarum raptus &c.* Nec aliud, quam mediale ligni, ad ea facienda sumebatur. In iisdem asciæ solùm, runcinæ & planæ locum habebant, non dolabræ, & in ædium tantum interiore parte sita erant, hincque, ad differentiam τῆς ἔξω ἀκαλεγίας, nomen sunt nacta. V. Salmasium *ad Solinum p.* 1034. ubi de abiete, & *pag.* 1040. ubi de nuce: de *Intestinis* verò animalium, eorumque multiplici functione ac usu, Vossium *de orig. & progr. Idolol. lib.* 3. *cap.* 21. & *lib.* 4 *cap.* 41.

Intexere, proprium Babyloniorum sicut *insuere* Phrygionum. Tertullianus *de Hab Mul. Age nunc, si ab initio rerum & Milesii oves tonderent & Seres arbores nerent, & Tyrii tingerent & Phryges insuerent & Babylonii intexerent.* Ubi Phrygum in pingendis vestibus artificium, & Babyloniorum in pingendis peristromatis, ita separat, ut Phrygibus *insuendi* artem, Babyloniis *intexendi*, tribuat. Et sane Babylonii stragulis vestibus, quas pingebant, diversos *intexebant* colores: sed ars tamen hæc eorum pingendi tota acu peragebatur; quam ob causam non minus *insuere* dici possent: quemadmodum e contrario *intexere* non minus de Phrygibus seu Phrygionibus dici queat. Nam & hi vestibus, quas acu pingebant ac variabant, aurum insuendo, & diversicolora fila intexendo, *Plumariorum* sibi *textorum* nomen vindicarunt. Sed etsi utrique acu uterentur, diversum tamen Phrygionum & eorum, qui Babylonica variabant, Plumariorum, fuit artificium, quæ causa, quòd Tertullianus *intexendi* Artem Babyloniis, tanquam propriam, tribuit, V. infrà, ubi *de Plumariorum Arte ac generibus.* Noto hic saltem, imaginum apud Christianos invalescente usu, non paucos eorum Christum, Apostolos, & illorum miracula vestibus *intexta* hac arte gessisse; contra quos V. Asterium Amaseæ Episc. *Homil. de Divite & Lazaro pag.* 565. & Chrysostomum *in Matth. Homil.* 49. ubi ne nominandam quidem propterea Plumariam artem sancit.

Inthronisticum, dicebatur olim, quod pro consecratione Episcopi solvebatur, quodque postea tanquam simoniacum vetitum est: ab *inthronizo*, quâ voce utitur Petr. Damianus *Epist.* 9. *Beatus Valerius Episcopus, dum sibi providet successorem, magnum Augustinum Ecclesiæ Hipponensi inthronizat*, apud Dominicum Macrum *in Hieralexico.* V. quoque ubi de *Literis Inthronisticis.*

Intiaquacqui, h. e. *Sol frater*, nomen unius è tribus Solis statuis, quibus sacra olim fecere Peruani festo die, quo annum ordiri solebant. Juli. Hugo Linschottanus *Histor. Ind. Occid.* suprà in *Apointi* & *Churiunti.*

Intincta, est panis *tinctus* in vino, quem utriusque symboli loco

cum

tum in S. Cœna obtinere posse, aliquibus persuasum. Et quidem ab ægris primùm hæc consuetudo orta videtur, qui panem siccum deglutire non possunt, uti de Serapione sene legimus, apud Eusebium *Histor. Eccl. l. 6. c. 44.* Circa A. C. 900. dein etiam sanis *Intincta* dari cœpit: ac primùm in Monasteriis, uti docent *Instituta* Cluniac. *l. 2. c. 35.* postmodum etiam in parœcias mos receptus, teste Ivone Carnot. *de Div. Offic.* quo factum, ut Calix tandem populo planè adimeretur, in Concil. Constantiensi &c. Sed *Intinctarum* usum meritò improbavit Joann. Micrologus *cap. 19.* & ante eum Julius Papa, cujus ad Ægypti Episcopos verba hanc in rem egregia, V. apud Gratianum *Decr. part. 3. de Consecr. Dist. 2. can. Cùm omne:* plura verò apud Vossium *Disput. 23. Thesi 7.* Aliosque.

Intritum, in *Glossis* ἐμβρεχὴ, item ἔμβρεχον, etiam ἡ θρυπτὸς Græcis: *Intrita* Celso, pro *Intritione*, ut *remissa* pro *remissione*; *Intritus cibus* Phædro dicitur,

—— intrito cibo
Plenam lagenam posuit:

& malè moretum vel alliatum in Lexicis exponitur, propriè enim ἐμβρεχὴ est, ut vitum. *Intrita* ex vino, ex posca, ex aqua, apud Celsum, panis est intritus & friatus in aquam aut poscam aut vinum. [illegible] etiam Græcis. Ad quam *intriti* significationem quoque, non autem ad moretum aut alliatum moretarium, proverbium illud Comici, *Tute intrivisti* &c. trahit Salmasius *ad Vopiscum in Aureliano*. Galli *farciam* vocant istud cibi genus. Inde *Intrita* mortarium è calce & arena, quo parietes farciuntur, in quod addebantur & fragmina cæmentorum, ut ex Vitruvio & Plinio idem Salmasius docet, *ad Solinum pag. 379.* Vid. quoque suprà ubi de *Arenato*.

Introductores, Græcè Εἰσαγωγεῖς, dicebantur olim in Sacris Agonibus, per quos in Stadium Athletæ *introducebantur*: memorati Platoni *de LL. lib. 6* [illegible] *Unus autem ille princeps factus est, qui non minùs quàm quadraginta annos sit natus. Unum quoque in Monodia (de qua ibi sermo) sufficere arbitramur, qui non minùs triginta; qui & personas in theatrum opportunè introducat, & de certantium virtute certâ sententiâ constituat.* Introducebant nempe hi eos, quorum jam inter Athletas recepta nomina quorumque super meritis multa jam cognitio fuerat: Qui cùm postmodum victores à Præconibus renunciati essent, eodem modo è certamine educebantur ab illo, qui Ἐξαγωγεὺς vocabatur &c. Quam in rem V. plura apud C. Paschalium *Coronar. l. 6. c. 11. & 12.*

Introitus, in urbes insigniores, virorum Principum illustriumque solennis olim, nec sine coronis, peragebatur. Et quidem coronis illis tum insigniebantur, quas in certaminibus publicis emeruissent, uti de Calippo legimus apud Plutarchum *Dione*, quem unà cum hoc Syracusas ingressum ait ἐστεφανωμένον. Hujus loco Demaratum Lacedæmonium à Persarum Rege, ut Sardeis regiam urbem, tiara rectâ, i. regiâ insignis ingredi posset, petiisse ac obtinuisse, narrat Suidas in *Τιάρα*. Porrò Olympionicæ, in patriam invecti, unde Εἰσελαστικοί, non per portam, sed per murorum partem disjectam *intraibant*, uti videbimus infrà, ubi de Agonibus *Iselasticis*. De Imperatorum verò solenni in Urbes suas principes introitu, diximus suprà, ubi de *Ingrediendi Regnum* more. At *Introitus*, in Ecclesia Rom. Antiphona dicitur, quæ à Choro in cornu Altaris sinistro canitur, dum Pontifex procedit ad Altare; cujus instituti auctorem Cælestinum I. Pontif. facit Walafridus Strabo *cap. 22.* In ritu Ambrosiano *Ingressa* vocatur. Et quidem antiquitus in *Introitu* psalmus integer cantabatur; Sed postea, propter populi tædium, detruncatus est, ita ut unius Psalmi versiculus cum replicatione antiphonæ cani cœperit. Sunt autem *Introitus* Missarum alii regulares, qui quotidie ex more cantantur; alii irregulares, qui secundùm varietates solennitatum instituti sunt, ut *Puer natus est nobis* &c. V. Honorium Augustod. *in Gemma Animæ lib. 1. c. 87.* & Durandum *lib. 4. cap. 5.* laudatos Car. du Fresne in *Glossario* quibus adde Macros Fratres *in Hierolexico*. Sed & sic dicitur, quod à Clericis dignitates vel functiones Ecclesiasticas adeuntibus, Patronis Ecclesiarum præstabatur, quodque prohibitum est Concilio Vienn A. C. 892. *can. 4.* & Rothomagensi A. C. 1074 *can. 1.* V. eundem du Fresne *ibid.* ubi etiam de Mercatorum *introitu* in nundinis &c. Apud Græcos, bis, inter Missarum solennia, per portam mediam & maximam in Sanctuarium, quibus id fas est, ingrediuntur; è quibus alia dicitur μικρὰ, alia μεγάλη εἴσοδος, *parvus & magnus Introitus*, uti pluribus videre est apud Allatium *de Missa præsanctif. n. 7.* de la Cerda *Adversar. sacr. cap. 97. n. 7.* Jo. Meursium *Glossario*, Alios, nec non suprà voce *Deputati*. Sed & incarnatione n Christi, ac adventum B. Virginis in diebus purgationis suæ, Εἴσοδον, *Introitum*, Græcis appellari, discas ex Cl. Suicero, in hac voce. *De Introitu Sacerdotis Summi Vet. Test.* In *Sanctum Sanctorum*, V. infrà.

Intus, apud Patres, h. e. post Baptisma. Gregorius Naz. *Orat. 40. in S. Bapt. sub finem*; ubi Catechumenum instituit, *Habes*, inquit *quæ de mysteriis* (Fidei nostræ) *foràs exportare, atque ad vulgi aures efferre liceat, Cætera intus Trinitate adjuvante* (sc. post Baptisma) *addisces, quæ etiam ipsa apud teipsum occulta clausaq; habebis*, Baptismo obsignata atq; retenta. V. Tob. Pfanneram *System. Theol. Gentil. pur. cap. 1. §. 9.* & *hic passim.*

Intubum, V. suprà, *Ambula*.

Inventio S. Crucis, Festum Ecclesiæ Rom. quod ad Nonas Maji celebrari jussit Fabianus Papa, *Can. Crucis Dom. de consecr. dist. 3.* apud Car. Macrum *in Hierolexico*.

Invalidi, Gall. *Invalides*, nomen Nosocomii Regii, Parisiis in Suburbio S. Germani, fundati A. C. 1669. & extrui cœpti A. C. 1671. magnificentiâ Ludovici XIV. hodie feliciter regnantis, in quo Duces militesque, vulneribus debilitati, truncatique, magnâ curâ impensisque foventur ac curantur: uti pluribus habes apud Richeletum *Dictionar. Gall. haud pridem edito*.

Inversa Corona, non minùs quàm rupta aut lapsa, inter sacrificandum, infaustum olim omen, uti de Cassio refert Plut. in *Bruto*. In funeribus verò etiam insignia & arma *inverterunt* Veteres. Statius *Thebaid. lib. 6. vers. 214.* ubi de funebribus Ludis Archemoro celebratis,

Tunc septem numero turmas (centenus ubiq;
Urget eques) versis ducunt insignibus ipsi
Graiugenæ Reges ——

De quo more, hodieq; ne usitato, V. Iust. Lipsium *ad Tacitum Annal. lib. 2. & 3.* Joh. Meursium *Comm. ad Lycophronem*, Phil. Jac. Maussacum *ad Lexicon Harpocrationis*, Jo. Kirchmannum *de Funeribus lib. 2. cap. 7.* Frid. Lindenbrogium *ad Appendicem Virgilii*, Dion. Gothofredum *Nomenclatore Senecano*, Alios, nec non in voce *Insignia*.

Investitura, adde: Symbola illa, per quæ traditiones ac *Investituræ* fiebant, primò erant stata & fixa, id est, legibus vel consuetudine apud omnes recepta ac usu definita: ita ut uno eodemq; fere modo possessionis translationem factam advertere sit, vel certè res easdem in ea adhibitas, quæ possessionem in alium transductam omnino significarent; adeò ut pene eadem apud omnes gentes forma ac formula fuerit. Ea autem potissimùm adhibuere Vett. in hujusmodi traditionum symbolis, quæ affinitatem aliquam haberent cum re de nata cessave, vel saltem, quibus dominium in alium translatum significaretur. Sic agri vel prædii *investituram* factam denotaturi, *cespitem*, *glebam* aut *Wasonem*, uti loquebantur Saxones, ex ipso agro desumtum, in manus illius, cui donabatur, tradebant: quo symbolo fundi proprietas prorsùs in ipsum translata innuebatur. Ne verò solum tantùm concessum videretur, addebatur & *ramus*, quo comprehenderetur soli superficies: (id est, si quid satum & ædificatum esset, ut sunt vites, arbores, plantæ, segetes) Accedebat *festuca*, seu *baculus*, *fustis*, *virga* &c. cujus traditione, dominium rei pariter translatum crederetur. Postremò etiam quandoque superaddebatur *cultelli* seu *gladii* traditio, qui potestatis signum est: vel ut indicaretur, eum, qui rei dominium subibat, jus habere evertendi, disjiciendi, succidendi, metendi &c. in eo prædio, quod possessum veniebat. Atque hæc *Investituræ* symbola apud omnes fere recepta fuere. Sed & aliæ erant præterea Investiturarum formæ usu ac moribus definitæ ac receptæ. V. g. per *annulum*, *per gladium*, *per vexillum*, *per cambutam*, *per campanæ funem & ejusmodi*, quæ certum rerum vel dignitatum genus spectabant: Denique, quidquid ad manum fuit, nonnunquam adhibitum est. Ingulfus *pag. 901.* *Conferebantur etiam primò multa prædia nudo verbo, absq; scripto vel charta, tantùm cum domini gladio, vel galea, vel cornu, vel cratera, & plurima tenementa cum calcari, cum strigili, cum arcu & nonnulla cum sagittis.* Quæ ne perirent, asservabantur apud Donatarios, in rei memoriam: interdum donationis, cessionis vel venditionis instrumento intexebantur, assuebantur vel alligabantur; Aliquando etiam, ne furto surriperentur vel perirent, reddebantur inutilia ac frangebantur &c. uti pluribus docet Car. du Fresne *Glossar.* è quo etiam ista subnectere visum est.

Varii Investituræ modi ac Symbola, apud Scriptores occurrentia.

per *Amphoram* plenam aquæ maris, in *Charta* Ottonis III. *Investitura* facta occurrit, apud Ughellum *Ital. sacra Tom. IV. pag. 1160.*
per *Andelaginem*, V. suprà *Andelangus.*
per *Annulum*, majorum præsertim prædiorum ac dignitatum investituræ passim factæ.
per *Baculum*, itidem, in *Annalibus* Francorum S. Naxarii A. C. 787. ubi de Dethilone D. Bavar.
per *Baculum & Annulum*, Ecclesiarum Investitura facta, V. Juretum *Not. ad Ivonis Carnotens. Epist. 236.*
per *Berillum* V. suprà.
per *Bibliothecam* seu *Biblia*, in *Charta* ann. 843. in Tabular. S. Mauri ad Ligerim.
per *Cambutam* Episcopi, investitur Abbas, apud Ordericum Vitalem *lib. 3.*
per *Candelabrum*, in Tabular. S. Nicasii.
Canum venaticorum apprehẽsione in Tab. Casaur. 1140.
per *Capellum* Prioris, in Tabular. Monasterii Longipontis, diœces. Paris.
per *Capillos*. V. suprà.
per *Cespitem*, nudè. In *Charta* A. C. 1108. apud Hemereum *in Aug. Viromand.*
per *Chirothecam*, V. suprà.

per *Claves Ecclesiæ*, in *Charta* Adæ Abbatis S. Dionysii A. C. 1114.
per *Colonnam*, in Tabulario Casaur. anno 24 Ludov. II. Imp.
per *Communionem*, in *Libro Ord.* S. Victoris Paris. *MS. cap.* 22.
per *Cornu*, V. *suprà*.
per *Coronam*, in Chron. Moissiacensi A. C. 813.
per *Corrigiam*, in Tabulario Deiparæ Santon.
cum *Grocia* Abbatis, in *Charta* Fulconis Comit. Andegavensis A. C. 1092.
per *Cultrum* vel *Cultellum*, in *Chron.* S. Sophiæ Ben. p. 718.
per *Cultellum* plicatum, in Tabulario Vindoc. ann. 1079.
per *Cupam* auream, apud Bodinum *de R. pub.* l. 1. c. 9. p. 150.
per *Denarios*, in Tabular. Majoris Monast.
per *Dextrum pollicem*, in Tabulario Ecclesiæ Gratianopolit. sub Hugone Episc.
per *Eleemosynariam* h. e. marsupium, in *Charta* Simonis de Balgentiaco A. C. 1149.
per *Ferulam pastoralem*, apud Ughellum *Tom.* V. p. 403.
per *Festucam* nodatam &c. apud Eund.
per *Folium* nucis, in Tabular. S. Hilarii Pictav.
per *Fosilem*, chartæ inhærentem, apud Beslium.
per *Funes* seu *Chordas* campanarum, Episcopi & Abbates dignitatibus suis investiti leguntur, apud Hariulfum l. 4. c. 2. Baldericum l. 1. alios.
per *Fustem* in vet. *Placito*, sub Ludovico Imp. apud Viennam A. C. 912. &c. loco Festucæ.
per *Gladium*, Regna collata leguntur, apud Ottonem Fris. *de Gestis Friderici* l. 2. c. 3. Sic per traditionem *Ensis* evaginati, Comitatûs erectio & investitura facta legitur in *Ch.* anni 1161. apud Guichenonum in *Prob. Hist. Bressensis*.
per *Guazonem*, *andelaginem* & *ramos*, de arboribus in Tabulario Casaur. ann. 24 Ludovici II. Imp. Item, per *Wasonem* terræ, & per *Festucam* nodatum seu *ramo* arborum atque per *cultellum* & *guantone*, simulque *andelagine*, in *Chartis* variis, apud Franc. Mariam in *Mathilde* &c.
per *Haspam*, seu *Ostium*, in *Formulis* Anonymi.
per *Hastam*, apud Ditmarum l. 6.
per *Herbam* & *Terram*, i. per cespitem, qui constat *terrâ* & *herbâ*, in *Formulis* incerti Auctoris c. 20.
per *Juncum*, in Tabulario Vindoc. *Ch.* 268.
per *Lapidem*, in Tabulario Brivat. A. C. 1262.
per *Lapillum*, in Tabulario S. Flori in Arvernis A. C. 1276.
cum *Libro Regula* & cum Regula, in *Chronico* Besuensi p. 631.
per *Librum*, apud Ordericum Vitalem l. 5. &c.
per *Librum* Collectarium, apud Perardum p. 139.
per *Librum* Missalem, in *Charta* Amedei Episcopi Lausanensis A. C. 1150.
cum *Ligno*, in *Charta* Girardi Episc. Pergamensis, in *Historia Pergam.* *Tom.* 3. p. 318.
per *Lignum*, in Tabulario Vindocin. A. C. 1077. cujusmodi concessiones proin, per obvium quodcunq; frustulum ligni factæ, *lignea dona* dicuntur, in vett. *Chartis*.
per *Lini* portiunculam, in *Hist. Durdanensi* p. 38.
per *Linteum*, in Tabulario S. Maxentii in Picton.
per *Mappulam*, in *Chron.* Farfensis Mon. p. 661. Gall. *Mouchoir*.
per *Martyrologium*, in *Historia* Monasterii S. Nicolai Andegav. *pag.* 87.
per *Nodum*, in Tabulario S. Severini Burdigal.
per *Notulas*, in *Charta* Philippi R. Franc. A. C. 1317. apud Argentræum *Histor. Armoric.* l. 5. c. 34.
per *Ostium* domus & per *haspam* (Angl. *haspe*) vel *annulum*, apud Bractonum l. 2. c. 18 §. 2. Sic per *Festucam* & *Guazonem* & *Andelaginem* & per *Ramos* de arboribus & per *Ostium* domorum, in Tabulario Casaur. A. C. 951.
per *Palam* seu *Pallam* è serico, apud Ordericum Vitalem l. 5.
per *Pallium* seu *Pallam*, in *Vita* S. Virgilii Ep. Salzburg. c. 16.
per *Panem* & Librum, in *Charta* Henrici Abb. S. Mariæ Stampensis, ex Tabulario Prioratus S. Martini de Campis.
per *Pannum* Sericum, unde facta est casula, in *Monastico* Anglic. *Tom.* I *pag.* 527.
cum *Penna* & *Calamario*, investitur Tabelliones, in *Constit.* Ruperti Imp. A. C. 1401. apud Goldastum *Tom.* I. p. 381. V. quoq; Rollandinum *in Summa Notariæ* c. 5. *sub fin.*
per *Pergamenum*, in *Charta* Willhelmi Ducis Aquitaniæ, ex Tabular. Angeriacensi: & in Charta Aimerici de Ranconia, apud Beslium, p. 492.
cum duobus *Phylacteriis*, in Tabulario Monasterii Longipontis, in Diœc. Paris.
per *Pileum* investivit Henricum Imp. de Regno Angliæ Richardus R. captivus, quod statim reddidit ei Imp. & investivit eum *per duplicem crucem de auro*, apud Rogerum Hovedenum p. 724. Per *Virgam* & *Pileum* Johannes Lancastr. factus est Dux Aquitaniæ, apud Th. Walsinghamum p. 343.
per *Pisces*, in Tabular. Majoris Mon.
per *Pollicem*, in *Charta* an. 1097. in *Hist. Sabaud.* V. suprà *per Dextrum pollicem*.
cum *Ramo* & *gudsone* vel *wasone*, i. cespite, apud Malbrancum *de Morin.* l. 10. c. 12.
per *Ramum* & *Cespitem*, passim: infigebantur autem rami cespiti ipsi, itaque hoc modo: Apud Flandros, cùm fundus donatur vel venditur, prior dominus cespitem ex illo fundo fodicat cultro, non quadratum sed orbiculatum, latum undique digitos summum 4. cui, si pratum est, infigit herbam: si ager, ramusculum 4. circiter digitos altum, eumq; tradit in manus domini seu Majoris, qui acceptum cespitem cum sua festuca tradit emptori vel donatario, non sine certa verborum utrinq; formula. Atq; hoc est quod Galli vocant, *par Rain & Baston*.
cum *Regula*, in Tabulario Vindocin. &c. V. quoque suprà *cum Libro Regula*.
per *Sceptrum*, apud Faustum in *V. S.* Mauri Abbatis, ubi de Theodeberto I. V. quoq; Ottonem Frisingensem l. 7. c. 16.
per *Scyphum*, apud Simonem Dunelm. *de Eccl. Dun.* l. 3. c. 14.
per *Spathæ* capulum, in Tabulario Vindocin. *fol.* 277 Sic *per Spatham Regno revestire*, occurrit in *Annalibus* Bertinianis *A. C.* 877. V. suprà *per Gladium*.
per herbam & *Terram*. V. suprà per *Herbam*.
per *Textum Evangelii*, in vet. Codice, apud Seldenum *ad Eadmerum* p. 144. V. quoque Ordericum Vitalem l. 5. *Chronicon* Besuense p. 610. 616. &c.
cum *Veru*, h. e. sude lignea, ut exponit du Fresne, in *Charta* Garneri de Triangulo, in Tabular. Abbatiæ de Longoponte & Majoris Monasterii.
per *Vexillum*, provinciæ à Principe tradi vel recipi, sicut Regna per *Gladium*, refert Otto Frisingensis *de Gestis Frideric.* l. 2. c. 5. V. quoque Falconem Benev. p. 238. ubi de Rogerio Siculo, Vignerium *in Histor. Alsatensi* p. 143. *Chartam* Philippi II. Reg. Rom. *A. C.* 1207. Dithmarum *lib.* 6. Guil. Tyrium *lib.* 12. c. 4. Guntherum Ligurin. l. 1. & l. 5. Aliosque, ut & Car. du Fresne *Dissertatione* 9. *ad Joinvillam*.
per *Virgam* vel *Virgulam*, in *Charta* A. C. 1120. in Tabulario Monasterii Fontis-Ebraldi, apud Achesium *in Not. ad Guibertum* &c. V. quoq. suprà, ubi de Investitura *per Baculum*.
per *Virgam* & *Pileum*, de Ducatu Aquitaniæ investitus legitur Joannes Lancastriæ Dux, apud Thomam Walsinghamum, p. 343. V. quoque suprà, *per Ferulam*, *per Festucam* &c.
per *Zonam*, in *Charta* Fundationis S. Petri Generensis: de quibus omnibus plura apud du Fresne laudatum.

Invictus, Græce Ἀνίκητος, à Commodo Imp. nominatus est mensis October, ut Lampridius scribit; Februarius, uti Dio refert, V. Salmasium *ad Lampridium*: Idem solenne esse Imperatorum elogium, docet ad *Epigr.* 6. l. 7. Martialis, cujus lemma est, de fama reditus *Domitiani*, versus hos,

Rursus, iô, magnos clamat tibi Roma triumphos,
Invictusque tua, Cæsar, in urbe sonas:

Clar. Raderus.

Invidia, adde: Ejus, ut & Rhamnusiæ, aspectus noxius esse rebus, ultra modum prosperitatis evectis, credebatur. Quare aversabantur eam & amandabant, uti apud Aristænetum legimus, ἀπὸ φθόνου κτλ. Imò & auditum ejus lenibus verbis placabant, ne noceret suam fortunam celebrantibus. Ausonius *Idyll.*

Ecce ubi se cumulat mea purpura, mitibus audi
Auribus hoc Nemesis, post me dignatus erit
Augustus Consul —

Optabantq; proin, ne quid nimis placeret, Martialis l. 6. *Epigr.* 29.

Immodicis brevis est ætas, & rara senectus,
Quidquid amas, cupias non placuisse nimis.

Insuper præfatione hac excipiebant *Invidiam*. *Fas mihi sit* &c. qua de re V. Casp. Barthium *Animadv. ad Statium passim*, & hic in vocibus. *Fortuna*, *Nemesis*, *Rhamnusia*.

Invisere & *Visere mysteria*, bonis Scriptoribus passim est simpliciter μυεῖσθαι, h. e. *initiari* Sacris Eleusiniis. Non satò enim *invisum* cum *visere* confundunt Auctores: inter quos Tertullianus *adv. Valentin. Epoptas* vocat, qui *Mystæ* tandiu erant; & Seneca, cùm ait, *Eleusina servat, quod ostendat revisentibus*; *revisentes* vocatur δεύτερον ἐποπτεύοντες, quasi prima & secunda *invisione* diceretur. Aliàs ἐποπτεία propriè secunda initiatio fuit, quæ τῶν μυστηρίων post quinquennium communiter secuta est. Sicut autem vocabula hæc, ita & utriusque initiationis tempora, in unum nonnunquam confusa sunt. Sic enim Hadrianus Imp. semel sacris illis initiatus, quidquid habuerunt illa secreti arcanique, simul percepit, ut & Marcus Antoninus, aliique Principes, qui sibi hunc honorem deferri voluere, ut non diversis vicibus initia susciperent & in sacrarium intimum admitterentur, sed uno eodemque tempore utriusque participarent, τοῖς μυστικοῖς καὶ τοῖς ἐποπτικοῖς. Id quod jam olim Demetrio ab Atheniensibus erat indultum. V. Salmas. *ad Spartian. in Vita Hadriani*, & ubi *de Eleusiniis Sacris*.

Invitator, & Vocator, apud Romanos, servi erant Triclinarii, appellationem ex munere sortiti: quorum meminit Athenæus l. 2. illius Martialis l. 7. Ep. 86. & antiqua Romana Inscr. *Agathopus Augg. Lib. Invitator.* Plin. l. 35. c. 10. *Indignantiq; Ptolemæo & Vocatores suos ostendanti, ut diceret, à quo eorum invitatus esset.* Ammianus l. 14. *Et Nomenclatores assueti hæc & talia venditare mercede acceptâ, cœnis quosdam & prandiis inserunt subditicios, ignobiles & obscuros.* Ubi notandi nomenclatores è campo in triclinium evocati, quos Athenæus *lib.* 2. Ὀνομακλήτορας & Δείπνων παρά... appellat: ac videntur esse Δειπνοκλήτορες Artemidoro. *Invitatores* expressit Christus Dominus apud Matthæum *cap.* 22. & Lucam *cap.* 14. Descripsit autem Seneca *Epist.* 47. *Alius, cui conviviarum censura permissa est, perstat infelix & exspectat, quos adulatio & intemperantia aut gulæ aut linguæ revocet in crastinum*. Et ab hac fortè opera servum *Calatorem* appellat Plautus *in Rudente*, ubi tamen Lambinus à Festo non discedit. V. Laurent. Pignorium *Comment. de Servis*, &c. A.

Invit-

Invitatorianus, apud Cistercienses Monachos in Ecclesia Rom. dicitur, cui intonandi in Choro officium commissum est: qui si forte abiit, ejus vices *Subinvitatorianus* supplet, Dominic. Macer in *Hierolexico*. Et *Invitatorium*, dicitur ibid. Antiphona, quæ replicatur ad Psalmum, *Venite exultemus*, quâ invitatur populus ad Deum adorandum. In Officio Mozarabico, vocatur *Sonus*, in *Regulis* Monast. *Versus aperitionis* sive *Responsorium hortationis*, in nonnullis *Ceremonialibus* pervetustis *Antiphona Invitatoria*. Omittitur autem in triduo Hebdomadis majoris, inq; Festo Epiphaniæ, ne simul cum Judæis, qui in passione illudentes Dominum venerabantur, Christus cum adoretur. *Invitatorium* in Conversione Pauli quod incipit, *Laudemus Deum nostrum in conversione* &c. ab Hermanno Contracto compositum est. Idem *ibid.*

Inunctio infirmorum memorata Jacobo *c.* 5. *versu* 14. Ἀσθενεῖ τις ἐν ὑμῖν, προσκαλεσάσθω τοὺς πρεσβυτέρους τῆς Ἐκκλησίας, καὶ προσευξάσθωσαν ἐπ' αὐτὸν, ἀλείψαντες αὐτὸν ἐλαίῳ ἐν τῷ ὀνόματι τοῦ Κυρίου &c. *Si quis in vobis æger viribus deficit, accersat Presbyteros Ecclesiæ & orent super eum, ungentes eum, oleo in nomine Domini* &c. ritus fuit in Veteri Ecclesia usitatus, adhibitusque ægrotis morti proximis, de quo V. aliquid infrà, ubi de *Oleo*.

Inundatio, Solino *eliquium irrumpentis Oceani*, *cap.* 18. Græcè ἀναλυσμὸς, quòd maria ex Oceano arctis faucibus terras intrantia quasi eliquentur & colentur, aliàs ἀνάχυσις τῆς θαλάττης; propriè enim de mari, inde de grandioribus fluviis: agrorum terminos non raro confundit. Unde apud Strabonem legimus, *Ægyptiis opus fuisse exactâ & subtili divisione agrorum, eo quòd Nilus per incrementa sua addens, minuens, faciensq; ac signa immutans, confundat terminos, quibus suum atque alienum alibi internoscitur, ideoq; & repetitâ sæpe dimensionem consuevisse*: qua de re, V. Hug. Grotium *de Jure Belli & Pacis lib.* 2. *cap.* 8 § 8 & *seqq.* Ac proin, uti adversus incendia excubias nocturnas vigilesque commentus est Augustus, sic *ad coërcendas inundationes, alveum Tiberis laxavisse ac repurgavisse completum olim ruderibus & ædificiorum prolapsionibus*, egitur apud Suetonium *in Oct.* 30. In Hollandia & vicinis regionibus ubi solum depressum, amnes magni, mare vicinum, ab aggeribus immensi operis *inundationibus* aliquod remedium est. Unde, inter Amstelodami visenda, *cataractas maris fluminumq; repagula & cùm res exigit, emissaria, quibus Oceano catenas injiciat & obices ponat vis solertiaq; mortalium*, memorat C. Barlæus in *Medicea &c.*

Invocatio Numinis, V. infrà ubi de *Precibus*.

Involucris, cognomen Victoriæ, apud Pausaniam *in Atticis*, ex versione Amasæi, qui Græcam vocem ἄπτερος sic reddidit, culta est Athenis habuitque fanum in Acropoli, prope murum, è quo Ægeus, filium Theseum mortuum arbitratus, in expeditione contra Minotaurum, in præcepsse dedit, ut diximus in eo. Visitur id hodieque, & Turcis pro receptaculo pyrii pulveris inservit. Exactam ejus descriptionem habes, apud Jac. Sponium *Itinerar. Part* 2. *pag.* 137.

Inuus, apud Auctorem vet. *de orig. Urbis Romæ*, in vetustissimis libris Livii *Inuus* ἀρχαϊκῶς, Græcis Ἐφιάλτης, idem cum Pane. Artemidorus, Ἐφιάλτης ὁ τῷ Πανὶ αὐτὸς εἶναι εἴρηται, *Ephialtes, qui cum Pane idem videtur esse.* Ab *ineundo* passim cum omnibus animalibus, Gouldmannus *in Lex.* V. Salmasium *ad Solinum pag* 415. Auctor præfatus cum Fauno quoque & Sylvano eundem facit, & notus puerperarum ab his metus, de quo infrà. Sed alii hosce distinguunt, ut videbimus suo loco.

Inzapati, à calcea mentis apertis, quæ Hispanis *Sapados* appellantur, dicti sunt, qui aliàs *Arnaldistæ*, *Passageri*, *Patarini*, *Pançeres de Lugduno* &c. Car. du Fresne *Glossar.*

J O.

Jo, adde: Inachi filiam fuisse, tradit Castor, Deiotari Regis nepos, opere illo, quod χρονικὰ ἀγνοήματα, *Errores ex inscitia temporum ortos*, inscripsit apud Apollodorum. Primus autem hic Inachus quædam futuri Argivorum Regni fundamenta jecit, mox pleniùs potestatem habuit ejus ex Melissa filius Phoroneus: unde *primus mortalium regnasse* dictus Hygino, *fab.* 143. ubi etiam primum omnium Sacra Junoni fecisse, tradit. Ei successit filius Apis, (non Ægyptius ille, sed Argivus, qui ambo malè à plurimis confunduntur) atque hunc Jovem Argivum fuisse putat Vossius, qui cum Niobe, Phoronei filia, rem habuisse dicitur, quippe non alienum à moribus Apis fuerit, violare sororem. Nioben autem istam Apis hujus Sicyonii seu Argivi fuisse, satis convenit; non quidem Phrygiam illam, Tantali filiam & Amphionis uxorem, sed Argivam, Phoroneo ut ex Hygino discimus prognatam. Ex hoc concubitu natus Argus I. unde Peloponnesi *Argos*, Apim excepit in regno; maritus Evadnes, & ex eo pater Jasi, Piranthi, Epidauri & Criasi: E quibus Jasus Agenorem genuit, cujus filius Argus II. Jasum suscepit, quo *Jo* quibusdam nata est, contrà quam sensisse Castorem vidimus: cujus sententia si obtinet, verum non esset, quod Apollodorus dixit, primam mortalium quam Jupiter attigerat fuisse Nioben; quippe hæc Phoronei filia Inachi neptis fuit: at si *Jo* fuerit Inachi filia, dicendum sit Phoronei sororem, Niobes fuisse amitam. Quam difficultatem Vossius, invitus recedens à Castore, quo nemo videtur exactiùs tempora distinxisse, sic explicat, ut dicat geminam fuisse *Jo*, priorem Inachi, alteram Jasi filiam. Prior illa aliter *Callithoe* vocata prima Junonis Argivæ sacerdos fuit, ut Theo *in Aratum* scribit, item Hesychius: apud quem Scaliger pro Καλλιθύεσσα legit Καλλιθόην, uti & apud Eusebium pro *Calirrhoe*. Quod si itaque *Jo* non Jasi sed Inachi intelligenda, idem credit Vossius, Jovem qui Nioben, etiam *Jo*, violasse, ut qui sorori primò, dein amitæ, pudicitiæ illuserit. Eo autem minus filia Inachi cum filia Jasi confundenda est, quia inter eas ducentorum circiter annorum est intervallum: quippe Niobe fuerit tritavia *Jûs*, Jaso genitæ. Cæterùm *Jo* hæc primùm postulato Junonis, h.e. Reginæ (ut Inachi ista filia Apidis uxor fuit) tradita est Argo, vigilantissimo homini, custodienda: quo interemto à Mercurio h.e. oratore, aut nuntio, aut satellite regio, in varias illa terras mari profugit; Navis παράσημον erat bos, unde ejus in bovem versæ commentum, quemadmodum commodè exposuit Lutatius, Statii Interpres. Tandem in Ægyptum appulsa, Epaphum ibi peperit; qui cum Memphim duxisset, Ægyptii Regis filiam, urbem condidit eamque uxoris nomine insignivit. Ex Epapho Libya nata est, è qua & Neptuno h.e. Principe sive Regulo Insulari, cujus verum nomen vetustas delevit, nati sunt Agenor & Belus: quorum ille profectus in terram Canaan, sedes bi fixit & successorem habuit filium Phœnicem, unde Phœnicia; alterum Cadmum in Bœotiam misit, ubi Thebas condidit: Iste verò, in Ægypto remansit, pater Ægei & Danai, quorum hic quinquaginta filiabus, ille totidem filiis fuit nobilis, &c. Plura de *Jûs* posteritate, aliisque huc pertinentibus, V. apud Vossium *de Idolol. l.* 1. *c.* 14.

Jô Pæan, vetus exclamatio, prosperitatis vel victoriæ indicium, propriè auxilium petentis, urgentisque: quæ postea mutata dicetur, ἰὴ Παιάν. Ita enim Macrobius *Saturnal. l.* 1. *c.* 17. *Hanc vocem, id est*, ἰὴ Παιάν, *confirmasse fertur Oraculum Delphicum Atheniensibus petentibus opem Dei adversus Amazonas*, *Theseo regnante. Namq; inituros bellum jussit his ipsis verbis semetipsum auxiliatorem invocari hortariq;*. Factum autem est *Jô*, contractè ex *Jah* quod, ut & *Jô*, Græci mutuarunt ex Hebræo *Jehova*, quemadmodum & *Paan*, ex Hebr. פנה *respexit*, ortum. unde idem valet Græcis *Jô Paan*, quod Hebræis *Jehova Peneh*, i. *Dominus respiciat in nos.* Miro Satanæ astu, qui ea Deo honorem raptum sibi vindicare omni ope est annisus. Reliquiæ hujus exclamationis hodieque supersunt, apud Symerones, Occidentalis Indiæ populos, qui in choreis aliisque lætitiæ exercitamentis, *Yô Peho* subinde exclamant. V. Franc. Drake, & Franc. Rossaum *Archæol. Attica lib.* 2. *cap.* 2. Repetebatur autem illud *Jô Paan militari more prisco*, ut ait Glossographus antiquus. In multitudine etiam nominum Deorum veneratio & æstimatio vertebatur: unde πολλοῦ ὕμνου, *multum nomen*, in Apolline suo, inter cætera laudat Callimachus. Et apud eundem πολυωνυμίην, quod idem, Diana à Jove petit: Videtur id hodieque in hymnis superstitibus, præcipuè *Indigitamentis Orphei*, quæ Scaliger Latio dedit. At βαττολογίαν Dominus noster vocat, V. infra in voce *Litaniæ*. Cæterum utitur in lætitiæ triumphalis sensu voce Martialis *lib.* 7. *Epigramm.* 6. ad Domitianum,

Rursus, *Jô*, *magnos clamat tibi Roma triumphos.*

Et Tibullus *l.* 2. *Epigr* 6.

Ipse gerens laurus, lauro devinctus agresti,
Miles Jô magnâ voce triumphe canet.

Ad alios inde translata fuit. Namque & irridentis nonnunquam, & dolentis est: Etiam vocantis, & plausum captantis. Idem Martialis *l.* 5. *Epigr.* 25.

Ecquis, *Jô*, *revocat, discedentemq; reducit?*
Ecquis, *Jô*, *largas pandit amicus opes?*

V. quoque suprà IE.

Jeannina, Cujacio *in c. ad audiend.* 4. *de Sponf. & Matr.* dictæ sunt Extravagantes, quæ sub nomine *Johannis* XXII. vulgatæ extant in Corpore Canonico. V. suprà *Extravagantes*.

Job, adde: *Jobi* librum non parabolam, sed historiam continere, contrà quàm sentit Maimonides *More Nevochim Part.* 3. *sect.* 22. probatur non solùm ex allato Ezechielis loco, ubi conjungitur cum Noë & Daniele, sed & inde, quòd & nomen ejus & patria refertur: ac Jacobi *c.* 5. *versu* 7. is commendatur, ut patientiæ exemplum; cujus vis infringitur, si fictitium sit. Quo verò tempore *Job* vixerit, num tempore Patriarcharum, an Mosis, an Davidis, an captivitatis Babylonicæ: quas opiniones quatuor commemorat Maimonides *l. c.* non usque adeò compertum est. Et hæc opinionum diversitas Maimonidē impulit, ut putaret eum non fuisse. Ac forrasse etiam hæc in causa sunt, cur non meminerit ejus Flav. Josephus in *Antiqq.* libris: sive crediderit non fuisse, sive nescierit, ad quæ tempora oporteret referri. Sed & præter hæc, alia est nata controversia, de Libri auctore: dum alii exaratum censent à Jobo, ut Gregorius M. *Præfat in eum*: & Suidas in Ἰώβ: alii verò *Jobi* amicos, aliqui Mosen, nonnulli Salomonem vel Prophetarum quempiam, alii aliquem ex Sapientibus Babylonis scripsisse arbitrantur. Ut eos prætercam, qui librum θεόπνευστον *i. divinitus inspiratum*, non censent: ut est apud Olympiodorum *Praf. Cat aur. in Job ex XXIV. Patribus concinnata & Latinè reddita à Paulo Comitolo.* Ubi & videas, quod de *Jobi* amicis, Mose item & Salomone, diximus. Sanè Salomoni etiam tribuit Nazianzenus *Orat ad Julian. tributorum Exæquatorem*; ut censet ejus Interpres Nicetas ac Olympiodorus *l. c.*

Pro qua sententia quoque facere videtur, quòd ab Hebræis *in Bava bathra Perek primo*, ubi Hagiographa recensentur, primus quidem locus detur, libro *Ruth*, quia sub Judicibus vixerit; alter Psalmis Davidis, qui ex Ruth natus; tertius *Jobo*, tanquam æquali Reginæ Sabæ: quartus Salomonis Proverbiis, Ecclesiastæ, Cantico Canticorum atque ita porrò. Eodemque redit, quòd, ab Athanasio *in Synopsi*, Cantico Canticorum *Job* subjungitur; imò & in Concilio Laodiceno *cap. ult.* ac quibusdam Græcis Bibliis vetustâ manu exaratis, quæ in Vaticana Romæ asservantur. In hoc dissensu lubentiùs iis accedit Vossius, qui vel à Mose scriptum censeant, vel antea etiam à *Jobo* ipso. De Mose placuit etiam R. David Kimchi, ac ex nostris multo antè Origeni, ut nempe eum scripserit, quò Populus Israëliticus longam illam peregrinationem in deserto faciliùs ferret. Similiter Isidorus *Offic. lib.* 1. Tostatus *in Hieronymi Prolog. Gal.* Alii. Et sane *Job* vel æqualis Mosi, vel eo antiquior fuit, unus è Nachoris vel Esavi posteris. Prior sententia placuit Hieronymo *Tradition. Hebr. in Genesin.* Nempe ut Nachor, Tharæ filius, Abrahami frater, genuerit Hus; Hus autem *Jobum*. Quæ sententia nititur partim eo, quòd Genes. *cap. 22. vers.* 21. dicatur Melcha peperisse Nachori Hus primogenitum & Buz, fratrem ejus: partim, quòd *Job* initio libri habitasse traditur, in terra *Hus* sive *Huz*, ἐν γῇ Ὑς, ut est, apud LXX. quæ *Ausitis* Græcis dicitur, quasi *Usitis*. Quare colligunt, *Jobum* fuisse filium *Us*, nepotem Nachoris, Tharæ pronepotem. Venerabilis verò Beda *Comm. in Jobum*, Hieronymo perperam tributis, *Jobum* pronepotem Esavi esse censet. Quæ opinio suffulta est eo, quòd Esau genuerit Revel seu Rahuel ex Basemath, Ismaelis filiâ, ut est Genes. *cap. 36. vers. 4. & 10.* Rahuelis autem filius fuit Zara, ut est ibid. *versu* 13. Hoc verò genitus *Jobab, v. 33.* qui *Jobab* idem cum *Jobo* creditur. Nec obstat, quòd habitarit *Job* in terra Hus: quia in ea Idumæi sedes habuere: ut constat ex illo Threnorum *in fin. Exulta filia Edom, quæ habitas in terra Hus.* Et sanè *Jobum*, non à Nachore per Hus; sed ab Abrahamo & Isaaco, per Esavum, descendere, etiam Athanasii sententia est vel asterius *in Synopsi*, item Epiphanii penè *initio Op. adversus Hær.* Chrysostomi *Homil. 2. de Jobi patientia*, Augustini *de Civ. Dei l. 18 c. 47* aliorumque magno numero. Etiam multum eam confirmant LXX. *appendice Jobi*; quæ etsi in Hebræo non est, uti nec fuit in tralatione Aquilæ vel Symmachi: à Theodotione tamen est retenta, uti & legitur *Catenâ aur. in Jobum* &c. V. Gerh. Job. Vossium *de Idolol. l. 2. c. 3.* adde Suicerum *Thes. Eccles.* in hac voce.

Jobagines seu *Jobagiones*, in *Decretis* Ludovici R. Hungar. A. C. 1351. c. 5. & 14. Sigismundi R. A. C. 1435. Alberti R. &c. Sambuco, Lydio & Alberto Molnario testibus, dicuntur coloni, ruricolæ atque adeò ipsa mancipia. V. Joann. Lucium *de Regno Dalmat. pag.* 204. *b.* 1. At in *Decreto* Andreæ Regis Hungar. A. C. 1222. *capp.* 5. & 26. *Barones & Nobiles* dici videntur. *Ibidem cap.* 16 *Jobagiones Castrorum* memorantur & c. 25. præcipui Hungariæ Magistratus, Palatinus nempe, Banus & Comes, nec non Curialis Regis, eadem dignitate ac nomine donantur. V. Car. du Fresne *Glossar.* & quem is laudat, Thwroczium *in Colomanno c.* 61.

Joblias, Græcè Ἰωβλίας, apud Pachymerem in *Dionys. Areop. de Hier. Eccles. c. 7.* aliter Ὠβλίας, apud Eusebium *Hist. Eccl. l. 2. cap* 23. cognomen Jacobi Apost. *Minoris* dicti, & primi Hierosolymis Episc. ex Hebr. עפל & עם i. *arx populi*, vel ex עפליה i. *munitio Dei*, seu *præsidium a Deo*: de quo V. Reinesium *Var. Lection. l. 3. c. 2.* Fullerum *Miscell. Sacr. libro 3. capite 1.* & Suicerum *Thes. Eccl.* voce Ὠβλίας.

Jocalia, apud Ingulfum *pag.* 852. *Reges Merciorum jocalia plurima in sancta Ecclesia ornamentum — contulerant*, aliosque medii & recentioris ævi; monilia sunt, gemmæ, annuli aliaque id genus pretiola, Anglis *Jewels*, Gallis *Joyaux*. Propriè autem hisce sic dicuntur, quæcunque ad mundum muliebrem spectant & ejus quodammodo propria sunt, ut annuli, inaures, armillæ, viriolæ &c. a *jugulo*, de quo pendent, Carolo Macro *in Hierolexico*: Aliis simpliciùs à *joco*, & *joculo*, quæ id omne, ex quo aliquis voluptatem capit, sonant Græcis παίγνια: apud Plautum *Aulul. Nugæ muliebres*, Gall. *Jouëts*; his enim pueri & sequior sexus maximopere delectatur. Capitolinus *in Albino, cùm ei nomina fierent, septem aquilæ parvulæ de nido allatæ sunt, & quasi ad jocum circa pueri cunas constitutæ.* Atque hinc Gallorum *Joye*, i. *gaudium*, omnino ortum videtur. De istiusmodi *Jocalibus*, motâ quondam in Curia Aragon. quæstione, *An eorum legato intelligerentur etiam ecstatrices vestes?* Locumtenentem Justitiæ, priusquam sententiam ferret, Matronas quasdam nobiles consuluisse, & juxtà earum responsum judicasse, vestes non contineri, refert Michaël *del Molino in Repertor. Foror. Aragon. ad A. C.* 1438. apud C. du Fresne *Glossar.* V. quoque hic infrà, nec non ubi de *Mundo* plura verò hanc in rem, apud præfatum Salmasium *ad Solin. p.* 1123. & 1124. ubi inter alia, voce *Johar* omnes gemmas Arabibus indigitari, occasione Latinæ hujus vocis, observat.

Jocus, inter Gentilium Numina, occurrit apud Statium *lib. 1. Sylv. 6. versu* 6.

Et multo gravidus mero December
Et ridens Jocus, *& Sales protervi*
Adsint ——

Formam ejus repræsentant Laur. Rimkesii *Notæ ad Martialem*, ut ea ante 200. circiter annos à Conr. Celte in Germaniæ prov. Moravia reperta est. C. Barthius *ad Statii locum*. Cæterùm *Jocum* Latini vett. non in verbis ac dictis facetis tantùm posuere, sed etiam omnem ludum sic vocarunt. Ovidius,

—— *Species sunt mille Jocorum.*

Hinc *Jocula*, τὰ παίγνια, οἷς παίζουσι νήπιοι ὄντες, *quibus pueruli jocantur.* Et, quibus maximè delectantur mulieres, hæc eorum sunt *Jocula* & *Jocalia*, gemmæ nim. ac margaritæ, ut diximus. Vitruvius *libro 4. capite* 1. *Virgo civis Corinthia, jam matura nuptiis, implicita morbo decessit. post sepulturam ejus, quibus ea viva* Joculis *delectabatur, nutrix collecta & composita in calathopantulis ad monumentum, & in summo collocavit.* Eandem prorsus vocem apud Ciceronem *in Paradoxo* 5. restituit Salmasius, *Sed obsecro te. ita venusta habeantur ista, non ut* Jocula *virorum sint, sed ut oblectamenta puerorum.* Hodieque Galli inde *Jongler*. dicunt. V. eum *ad Solinum p.* 1123. & 1124. ut & suprà.

Johannes Evang. adde: De secunda & tertia ejus Epistola dubitatum fuisse olim, habes apud Eusebium *Histor. Eccles. libro 3. capite* 24. & Amphilochium *Epistol. de institut. recte studio ad Seleuc.* Encratitæ verò etiam περιόδους, *Acta*, ejus jactarunt, teste Epiphanio *Hær.* 47. &c. Plura de eo, ut & *Johanne Bapt.* V. apud Cl. Suicerum *Thes.*

Comites Principesq; ex Familia Nassovia.

Johannes, filius Othonis, Hallæ Præfecti & Nassoviæ Comitis, ex Irmentruda, filiâ Gozelini Arduennæ Ducis, præmaturè majoribus natu fratribus Henrico & Gozelino extinctis, Patri successit, circa A. C. 735. Pater, ex Oda Comitis Hannoniæ filiâ Georgii, Gertrudis & Agnetis; quorum ille sine hærede defunctus, Walravium Lauribergii Toparcham habuit successorem: hæ Moniales fuere.

Johannes, filius Henrici (Diederico Walravii modò dicti filio geniti) ex Irmingarda Com. Sponhemii filia, uxorem habuit Sibyllam Com. Lucemburgensis filiam. E qua ei geniti sunt, Diedericus, ante virilem Togam sumtam defunctus; Waremundus, morte in Gallia cruentâ abreptus; Henricus, equi lapsu mortuus & Walravius, Patris successor: inter cujus filios quoque *Johannes* fuit, Religionis voto obstrictus; alter filius patri cognominis ejusq; successor, unicum filium similiter *Johannem* genuit, de quo mox.

Johannes, Walravii præfati, ex Agnete Tecklenburgica, filius unicus, Comitatui post Patrem 19. annis præfuit: *Pater*, ex Magdalena Schwartzenburgica, Henrici, Eberhardi, Walravii, qui maturè seculo renuntiarunt; Waremundi, Diederici, cui Ditburga, Com. Saynii filia, nupta; Walravii, qui fratrem Waremundum, in provincia regenda, excepit: & quinque filiarum. E quibus Walravius, e Friderico filio, *Johannem* nepotem habuit, ministeriis aulicis & campestribus Ludovici Imp. immortuum.

Johannes, Waremundi (Arnoldo Com. geniti) e Sidonia filiâ Com. Schwartzenburgici, filius, ductâ uxore Mechtilde, Werneri Castiæ Com. filiâ, liberos suscepit, Wernerum Philippum & Leutburgam, Wolmero, Com. Stolbergensi nuptam. Item filius Diederici, Everardo fratri successit. Pater, ex Sibylla Ludovici Saxoniæ Palatini filiâ, uxore tertiâ, Adolfi, Sigismundi, Philippi, Ulrici, *Johannis*, quorum nullus annorum maturitatem adeptus est; Rudolfi, Friderici, qui Monasticum vitæ genus amplexi; Georgii, Othonis, qui ambo Comitatui præfuerunt, & octo filiarum, è quibus Veronica Cunoni Sarwerdensi, Agnes Philippo Com. Saræ-pontano, & Metta Wolfgango Com. Zollerensi ac Sueviæ Præfecto, Marchionum Brandeburgicorum & Comitum Hohen-Zollerensium atavo, nupsere. Otho verò vulgatæ hodiernorum Nassoviæ Principum Genealogicæ seriei initium dedit, cognom. *Magni* insignis.

Johannes, Comes Weilburgi & Isstenii, Adolphi Imp. ex eadem familia Nassovia, rami Weisbadensis (cui Walravius, Henrici cognom. *Divitis*, filius secundò-genitus originem dedit) nepos, ductâ filiâ unicâ Comitis Saræpontani, hæreditatem illam crevit: cujus posteritate extinctâ in Philippo Joh. Ludovici filio, A. C. 1559. successit Albertus Weilburgi Comes. V. infrà, ubi de Comitatu Weilburgensi.

Johannes I. filius Henrici III. (cujus avus Henricus I. Henrico Nassovio, & Adelheidâ Arembergensi genitus, novæ Beilsteniæ stirpi nomen & originem dedit) ex Maria Rauderodia: uxorem primò habuit Agnetem Gemensem, sed sterilem; pater dein ex altera, Comite Isenburgicâ, factus Henrici IV. quo & Eva Com. Senæ filiâ, natus

Johannes II. uxorem duxit, Mariam Solmensem: è quâ ei, præter Henricum Equitem Hierosolymitani Ordinis, prælio ad Papiam interemptum, genitus est

Johannes III. Comitis Nassoviæ Weilburgii filiæ maritus. Sed cùm sine prole decessisset, Dillenburgenses Comites agnatos successores habuit. Atque ita surculus Beilsteniensis exaruisse visus translatione novo succo recreatus est, & Georgii Com. hæreditati insitus, eique iterum exemptus, fratribus ejus natu minoribus cessit; quorum illud anno hujus seculi 7. sited at. f. sum. Cessit autem Gull. Ludovico Frisiæ Præfecto, Wilhelmi I. Principis Auriaci, ex Johanne Seniore fratre, nepoti.

Johan-

Johannes, filius secundò-genitus Othonis (qui paternam ditionem auxit, Comitatu Viandensi, Baronatu S. Viti & parte Dominii Grimbergensis, extinctus A. C. 1369. cum quo Henricus frater ita hæreditatem partitus est, ut hic Beylstenii dominatum sortiretur, ipse, ut major, Dillenburgum teneret) ex Domina à *Leyden*, de Viana, Henrico fratre natu majore in adolescentia defuncto, Patri successit: Pater ex Margaretha, filiâ Engelberti Com. Marcarum & Cliviæ, Adolfi, *Johannis*, Engelberti, & Margarethæ; è quibus hæc Henrico VValdecciæ Com. nupsit: *Johannes* improlis obiit: Adolfus paternæ & avitæ ditioni Dietzam adjecit; Engelbertus, Baronatum Bredæ, unà cum Polane ac Lecca, ductâ Johannâ, *Johannis* Leccæ & Bredæ Toparchæ filiâ, accepit. Horum filius major natu

Johannes, Comes Nassoviæ, Viandæ, Baro Bredæ, Toparcha Leccæ, Præfectus Brabantiæ; Uxorem sibi junxit Mariam, Johannis Com. Lonæ & Heinsbergæ filiam, sicque matrimonii jure varias ditiones paternæ regioni addidit, atque inter eas tertiam Juliaci agri, sed non sine controversia, partem. De eo in aulæo hæc liter. intexta legitur Dillenburgi: *Johannes Comes de Nassau, ex Maria uxore Comitis de Loën filia, inter cæteros genitos liberos, Engelbertum hominem animosum & virtute præditum habuit, cui postea uxor Marchionissa quædam de Baden. Fuit homo benignus multumq; egregius in factis suis, sepultus in Bredam, apud Majores.* Habuit enim ex præfata uxore, præter Annam, Philippo Com. Cattimelibocensi primùm, dein Othoni Brunsuico Luneburgensi Duc. nuptam; & Adrianam, Philippi Hanoviæ Com. uxorem & Ottiliam, primam Monasterii, à Marre, in agro Bredano exstructi, Antistitem: filios duos, Engelbertum & *Johannem*, qui paternam hæreditatem ita inter se diviserunt, ut, cùm dominia patria Rheno dirimerentur, recentiora & in veteri Gallia posita Engelberti, vetera & in Germania sita *Johannis* essent. Sed Engelberto sine prole defuncto A. C. 1504. frater superstes ditiones denuo univit: de quo V. mox & infrà.

Johannes, modò memoratus, Cattimelibocensi Comitatu & reducto Dietzensi, Nassoviæ fines auxit: illo hæreditate matrimoniali, hoc dote nuptiali reddito; ductâ uxore Elisabetha, Henrici Landgravii Hassiæ & Annæ Comit. Cattimelibocensis hæredis, filiâ. Mortuo fratre, ditiones trans-Rhenanas suis denuo junxit: Obiit A. C. 1516. Pater Henrici, qui post obitum Patris in bona ab Engelberto suprà dicto possessa successit: Guilielmi, qui Dilleburgum & cætera in Germania loca paterna nactus est; Elisabethæ, Comiti VVieдano & Runckelano Johanni Friderico nuptæ, & Mariæ, quæ Othonis III. Comitis Holsatiæ filio elocata est. E quibus Henricus, ex Claudia Auriaca, *Johannis* Cabillonensis filiâ, Renatum peperit; qui defunctus A. C. 1544. Guilielmum patruelem hæredem scripsit, à quo Principes Arausionenses hodierni.

Johannes, cognom. *Senior*, filius Guilielmi, præfato *Johanne* geniti ex Juliana, Bothonis Com. Stolbergii filia, Hannoviæ Comitis viduâ, fratre natu majore Guilelmo, hodiernorum Principum Arausionensium, ut dictum, satore, Belgicas ditiones nacto, Patri in Germania successit. Fratri plus vice simplici copias & commeatum suppeditavit, ut Albano etiam rei militaris peritissimo Duci formidolosus esset: Consilio Belgarum res juvit: Geldriæ præfectus Trajecti cæteris provinciis jungendi præcipuus auctor fuit; Herbornæ Scholam Illustrem fundavit, Bibliothecam collegit, Communitatem, ubi Studiosi pauperes alerentur, instituit; Religionem nuper repurgatam ad exteros quoque promovit, virorum eo nomine exulantium & pietate ac doctrinâ excellentium, fautor & Evergetes. Idem publicæ tranquillitati, VVetteraviam vicinosque fœdere jungendo Comites, non parum firmamenti attulit: Germaniam à militari præsidio liberavit, pacis bellique artibus inclytus. Obiit Dillebergi A. C. 1606. ætatis 71. imperii 47. ex triplici matrimonio numerosæ prolis parens. Elisabetha enim Landgravii Leuchtenbergii filia, genuit ei VVilhelmum Ludovicum, Frisiæ, Groningæ, Tencterorum & Tubantum Præfectum; *Johannem*, Georgium; Elisabetham, Philippo Com. Saræ-pontano primum, dein VVolffgango Ernesto, Isenburgo Budingensi, nuptam; Philippum; Mariam, Johanni Ludovico VVisbadii & Idsteinii Comiti elocatam; Annam Sibyllam; Mechtildam, Comitis Mansfeldii uxorem, Ernestum Casimirum & Ludovicum Guntherum. Altera ejus conjux, Cunegunda Jacoba Friderici III. Elect. Palatini filia, ex eo mater fuit Amaliæ, Guilielmo Com. Solmensi nuptæ & Cunegundæ, quæ in cunis extincta est. Ex tertia, Johanna, Ludovici Sayno-VVitgensteinii Com. filiâ, suscepit Georgium Ludovicum, intra quatriduum à nativitate mortuum; Johannem Ludovicum, Johannam Elisabetham, Conradi Gumberti Com. Benthemii uxorem; Annam, quam Philippus Ernestus Com. Isenburgo-Budingensis sibi junxit, Magdalenam, Georgio Alberto Com. Erpachio elocatam & Julianam, in infantia defunctam. Præter quos viginti liberos, filioli quatuor exanimes geniti & Dillenburgensi in æde tumulati sunt. Mortuo eo hæreditas inter filios sic divisa est, ut Guilielmo Ludovico Dilleburgum, Herborna, Dringenstenio, Ebersbachio & Hegerâ adjectis: *Johanni* Sigena; Georgio VVesterwaldia; Ernesto Casimiro Dietza & Nassovia; ac Johanni Ludovico Hadamaria, obvenirent: quo pacto Dilleburgensis Comitum Nassoviæ linea in quinque Comitatuum flexus secta, quinque diversas imperantium sedes, *Principatus* titulo futuras nobiles, extruxit. V. earum quamvis in hoc Op. *suo loco*.

Johannes, præfati Johannis Senioris ex Elisabetha Leuchtenb. prima ejus uxore, filius, rerum gestarum famâ inclytus. Singularis exercitum ducendi & arma militibus aptandi Artis, à Mauritio Principe Arausionensi in Belgio introductæ, præcipuus fuator; peculiare missilium globorum genus adinvenit, quorum operâ Grolla, Breforda, cum aliis oppidis celerrimè rapta sunt. Bello inter Sigismundum Poloniæ Regem & Carolum Sudermanniæ Ducem, à Suecis contra illum, Regem electum; huic suppetias profectus, imperium in universum exercitum accepit. Quo tempore, primus omnium disciplinam militarem, aciei concinnum ordinem & exercitia acie præludentia, in Sueciam intulit: Polonos Ronneburgum, quod acri obsidio presserant, relinquere coëgit; castra eorum cepit ac diripuit, VVenuam expugnavit, hostilem exercitum Rigam usque fugavit. Postea cum frigore, fame aliisque incommodis conflictatus, Exercitum e Livonia reduxisset, Electoris Palatini mandato avocatus in Germaniam rediit. Parenti hinc A. Ch. 1606. defuncto succedens, bellicas agitationes ad pacis ornamenta convertit: arcem Sigenensem, vetustate collapsam, restituit; Pædagogeum, Herbornensis Gymnasii æmulum, erexit; unà cum Mauritio Hassiæ Langr. & Ernesto March. Brandeburgico, litem inter Electorem Brandeburgicum & Principem Palatino-Neoburgicum obortam, Dortmundæ sustulit, A. C. 1609. Eodem muniendo Rheno, Amisiæ, Lippæ & à fluvio reductis Urbibus, auctor fuit. Porrò, cum de ineunda arctiore unione inter Reformatæ Religionis Status conventus haberetur Hallæ Suevorum A. C. 1610. ipse, omnium Nassoviæ Comitum nomine, eò missus, occasione hac, in belli tempestatem denuo abreptus, Imperatorque copiarum Unionis omnium consensu factus, Palatinatum à Leopoldi copiis defendendum suscepit: Pacis inde inter diversæ Religionis Principes sanciendæ instituto conventui, Monachii interfuit. Post quæ cum ad summi Ducis munus iterum vocaretur, à Christiano IV. Daniæ Rege, honorem modestè recusavit; ad defensionem verò dirigendam, nomine VVetteraviæ Comitum, Dux electus, munus suscepit, ditione Sigenensi ductis fossis, aliisque propulsandi hostis operibus, præmunitâ. Controversiæ, quæ Brunsuico Urbi cum Duce intercesserat, tollendæ auctor non postremus; armorum & corporis exercendi Ludum, additis linguæ Gallicæ & Architectonicæ Magistris Sigenæ aperuit. Suscepto inde ad Belgas itinere, pacis, & futuri, si ingrueret, belli consilia, cum Mauritio Belgiisque Proceribus, communicavit. In patriam redux obiit A. C. 1623. æt. 62. Ei ex priore uxore Magdalena Com. VValdecciâ, viduâ Philippi Hannoviæ Com. nati sunt Johannes Ernestus, qui belli ductu apud Provincias Fœderatas inclaruit; *Johannes*, Eques Ord. Annuntiationis; Elisabetha, Christiano Com. VValdeccio nupta; Adolfus, militiâ itidem Batavorum clarus; Juliana, Latinæ aliarumque linguarum sciens, Mauritio Hassiæ Landgravio nupta; Anna Maria, Joh. Adolfo Danniæ Com. elocata; Johannes Albertus, qui brevi obiit; Guilielmus pacis & belli artibus inclytus; Anna, Brederodio in Batavis nupta; Fridericus Ludovicus, in infantia extinctus, Magdalena & Joh. Fridericus, intra pubertatem defunctus. Ex altera v. uxore Margaretha, *Johannis* Holsatiæ D. filiâ, suscepit Johannem Mauritium, qui natus A. C. 1604. Americanâ expeditione, & Marchiæ, sub moderno Electore Brandeburgico, præfecturâ inclytus fuit: Georgium Fridericum (n. A. C. 1606.) Guilielmum Othonem (n. 1607.) Luisam Christianam (n. 1608.) Sophiam Margaretham (n. 1610) Henricum (n. 1611.) Mariam Julianam (n. 1612.) Amaliam (n. 1613.) Bernardum (n. 1614. den. 1617.) Christianum (n. 1611.) Catharinam, Elisabetham, & *Johannem* Ernestum.

Johannes, fil. prioris, bellicâ laude clarus, partes à cognatis diversas defendendas elegit: sive quòd longo Italorum usu consuetudinem prioris vitæ mutasset; sive, quòd honores, quos altum & erectum ingenium merebatur, in Batavorum angustiis & tempore induciarum quiescentium, consequi desperaverat, sive quòd diversâ pietatis professio animo allubuerat. Itaque pro Austriaco, Belgis, Allobrogibus, Galliæ Rege, expeditionibus variis arma gerens, Equestrem Annuntiationis Ordinem & *Marquisatum* (ita vocant) *de monte Cabal*, meritus est, in Aurei insuper Velleris Ordinem adscitus. Ex uxore Ernestina Lini Principe, suscepit Mariam (quæ A. C. 1619. n. est & den.) Claram Mariam (n. 1621. Bruxellis) Ernestinam (n. 1623.) Lambertam Albertam (n. 1625.) & Johannem Franciscum (n. 1627. in Sequanis.) Reliquos ex hac Familia, *Johannem* Georgium, *Johannem* Ludovicum, *Johannem* Mauritium &c. Vide in *Georgius, Ludovicus, Mauritius*.

Johannes XXIII adde: *Clementinas*, ab Antecessore suo Clemente V. compositas, vulgavit & misit ad Universitatem Bononiensem, cum *Præfatione sua*, anno Pontificatûs sui secundo, Christi 1317. Eidem *Regulas Cancellariæ* adscribit, qui illas Commentariis suis illustravit, Ludovicus Comes, item *Reservationes ac Taxas beneficiorum* &c. V. Gerh. von Mastricht *Histor. Juris Eccles. num. 371. 373. 374.* ut & suprà, ubi diximus aliquid de *Clementinis*.

Viri Clari.

Johannes Andreæ Schmidlinus, Theologus Wittenbergensis, libri Concordiæ auctor. Georg. Hornius *Orb. Imp. cum Not. Felleri pag.* 102. V, bujus, *Notas*, ubi *Jacobum* vocat.

Joannes Antiochenus Scholasticus, Presbyter primò & Apocrisiarius, dein Patr. CPolit. post Eutychium in exilium pulsum, A.C. 564. præfuit usque ad A. C. 578. quo post mortem Justiniani Eutychius revocatus est. Ejus inter alia extant, Συναγωγὴ Κανόνων, *Collectio Canonum*, quam Theodoreto Cyri Episc. male nonnulli attribuunt; *Concordiam Canonum* vocat Nicolaus I. Papa *Epist.* ad Photium Patr. & Νομοκάνων, quæ Epitome est Collectionis. Primus is Collectioni suæ inseruit inter Græcos, Canones Apostolicos 85. semiseculo circiter ante eum confictos &c. V. Gerhardum von Mastricht JC. *Histor. Juris Eccles. num.* 161. *& seqq.* & infrà, in *Scholasticus*.

Joannes Basilides I. & II. V. in voce *Basilides*.

Joannes Blenascus JC. Burgundus Bononiæ circa A. Ch. 1250. Jus civile professus est, scripsitque *de Actionibus* & alia nonnulla. Brissonius apud Joh. Calvinum *Lexic. Jurid.*

Johannes Bocoldus, Leidensis Sartor, Monasterii in VVestphalia Anabaptistarum Rex creatus, paulo pòst expugnatâ ab Episcopo Urbe pœnas dedit, A. C. 1534. Georgius Hornius *Orb. Imper. p.* 95. & *Orb. Politic. pag.* 181.

Johannes Doviatius, Vir eruditissimus, Canonum Interpres Regius, *Collectionem Martini Bracharensis*, magnâ curâ cum libris MSS. collatam, de novo edidit. Gerh. von Mastricht *Hist. Jur. Eccl. num.* 178.

Johannes Gallensis, seu Vallensis, V. suprà *Gallensis*.

Johannes Leunclavius, V. infrà.

Johannes Magnus, cognom. *Cicero Germanicus*, Vide inter Principes.

Johannes Marbachius, Theologus Argentinensis, à Zanchio collega suo cùm in quibusdam Religionis articulis dissentire cœpisset, dissidio hodieque duranti occasionem præbuit, A. C. 1560. Tum enim primùm *Calvinianorum* & *Lutheranorum* audita nomina, ac de duobus his præcipuè articulis, *Prædestinatione divina* & *Ubiquitate Corporis Christi*, inter Evangelicos, disputatum. G. Hornius *Orb. Imper. cum Notis Felleri p.* 105.

Johannes Nuca, ultimus *Justitia* Aragonum, Cæsaraugustâ expugnatâ & Aragonensis in servitutem redactis, à Philippo II. Hispan. R. securi percussus est, sub fin. seculi præt. V. *Justitia*.

Johannes Odofredus JC. Azonis & Accursii præceptor An. Ch. 1109. in Italia docuit, *Summamq; Pandectarum* scripsit: memoratus sæpe Accursio in *Gloss.*

Johannes Reebock, molitor, Pseudovvoldemarus factus est. Cum enim VVoldemarus II. ultimus Elector Brandeburgicus, è familia Ascania, diem obiisset A. C. 1322. vacuamque sic possessore Marchiam Ludovicus Bavarus Imp. Ludovico Seniori, filio suo, in feudum concessisset, vicini Principes, maximè qui ex Ascania stirpe supererant Saxoniæ Duces ac Principes Anhaltini, subornarunt molitorem præfatum, ut VVoldemarum, cui habitu corporis simillimus erat, sefingeos, Ludovico se opponeret: qui quantum negotii Ludovico primò, dein Ludovico Romano, facessiverit, V. apud Hornium *Orb. Imper. cum Notis Fellers p.* 118.

Johannes Scotus, adde: Dictus est *Scotus*, item *Erigenus*, quòd Hibernus esset. *Scotorum* enim nomine Hibernos non Hieronymus solùm, sed & alii Auctores designant. *Erigena* verò idem est, ac genitus in *Eria* sive *Eirin*, sive *Hibernia*: quo modo hodieque *Eir-land* Belgis dicitur sive *Ire-land*; voce *Eir*, vel *Ier*, ex *Iber* per syncopen contractâ. V. Gerh. Joh. Vossium *de Idolol. l.* 3. *c.* 73.

Johannes Semeca, Teutonicus *Decreti* glossator, Vide infrà *Semeca*.

Johannes Tilius, V. infrà *Tilius*.

Johannes VVendelsteinius, editor *Codicis Canonum* Romani, V. infrà *VVendelsteinius*.

Johannes Zonaras, V. itidem *Zonaras*.

Johannina, dictæ Cujacio *Extravagantes*, à Johanne XXII. concinnatæ. V. retro *Joannina*.

Joigny, nomen Familiæ in Gallia, Comitivæ dignitate illustris, quæ ramus est Lavalleæ stirpis. In hac enim, præter ramum principalem, alii surculi juxtà enati sunt, inter quos Dominorum *Pacy sur Marne* atque *Loue*: Qui ultimus denuo plures palmites dedit Dominorum *de S. Aubin*, *Boudaulphin* (quibus nunc Marchionum dignitas & titulus *de Sablé* accessit) *la Faigne*, *Tartigny*, *Brée*. Sed hos omnes primogeniti Do. *de Loue*, qui etiam *Vicecomites de Broce*, Comites *de Joigny* ac *Maillé* & Marchiones *de Neelle* facti sunt, dum superfuere, antecedebant. Extinctâ namque linea est A.C. 1590. in Guidone *de Laval*, cujus progenitores ita habent. Guido *de Laval* Dn. *de Loue*, qui obiit A. C. 1484. ex Carola *de S. Maure* (fil. Johannis Com. *de Benon* Dn. *de Neelle*) pater fuit Petri, defuncti A. C. 1528. quo & Philippâ Bellimontiâ (*de Baumont*) natus Ægidius (*Gilles*) Franciscam *de Maillé* heredem Francisci Bar. *de Maillé* & *Rochecort*, uxorem habuit; ex ea pater Ægidii Dn. *de Loue* & *Benays*, qui decessit A. C. 1559. relicto ex Luisa *de S. Maure*, filio Johanne March. *de Neelle* Com. *de Joigny*, extincto An. Ch. 1578. Hoc & Renatâ Rohaneâ (fil. Ludovici *de Rohan* Dn. *de Guimené*) geniti sunt Guido *de Laval*, Com. *de Joigny* & *Maillé*, qui ductâ uxore Anna *de Hurault de Chiverny*, improlis obiit A. C. 1590. Ludovicus & Carolus, intra annos pubertatis defuncti, *de Laval*, lineæ extremi. Phil. Jac. Spenerus *Theatro Nobilit. Europ. Part. II. pag.* 55. V. quoque *Indic. ubi Familiæ dispositæ*.

Jol, adde: Ignobilis fuit, antequam à Juba conderetur, qui eam postmodum pro regia habuit & *Cæsaream* vocavit, teste Mela & Plinio, quorum hic, *oppidum Jol Jubæ regia*, habet *lib.* 5. *cap.* 2. Coloniæ postea jure donata est à Claudio Cæsare, deductis in eam veteranis. Salmasius *ad Solinum pag.* 309. ubi Auctorem suum Bocchi prius Regiam hanc urbem fuisse scribentem, refellit.

Jolaus, adde: Aliter *Jolus*, ex Græco, Ἰόλας, Att. Ἰόλεως, unde *Violens* Terentiano Mauro,

Et Jolaus Violens fit, crede Marco Tullio:

addito digamma. Aliàs enim *Jolai* nomen nihil cum viola commune habet, nisi quòd compositum est ex ἴον, quæ vox *violam* notat, & λαὸς *populus*. Cæterùm is, *Sardiniam ingressus, palantes incolarum animos ad concordiam eblanditus, Olbiam, atq; alia Græca oppida exstruxit. Jolenses ab eo dicti, sepulchro ejus Templum addiderunt*, Solinus *cap.* 2. Ubi *Iluenses* malè irrepsit. Sed & eundem Thebanos veneratos esse, Anton. Liberalis *cap.* 19. auctor est: Festo illius certamen Ἰολάεια initum, Pindari Scholiastes *Isthmior. od.* 4. Eidem Athenis ara fuit, ut Herculis laborum socio, Pausaniâ teste *in Attic.* Vide Gerh. Joh. Vossium *de Idolol. lib.* 1. *cap.* 13.

Jona seu *Jonas*, Propheta, adde: Ejus in ventre balænæ detentio, ad Herculem à Græcis translata videtur, ut multa alia è sacris suffurati sunt Gentilium Vates. Namque, ut in uno Hercule hic sistam, Josuæ gesta Herculi Ægyptio-Canæo fuisse attributa, infrà videbimus: Nec dubium, quin ex Samsone nostro, qui Thebano illi Herculi par vel superior fuit, occasionem quoque rapuerint Phœnices, Ægyptii ac Græci, tam multa de suo Hercule comminiscendi, ne heros suus ulla parte illo populi Dei inferior videretur. Ita ergo fabulam de eo, in ceti ventre commorante, fuisse confictam ex Prophetica *Jonæ* historia, fere extra controversiam est. Antiquissimus, qui hanc fabulam tangit, Lycophron est, qui sic penè initio *Cassandræ*,

> Τριέσπερον λέοντος, ὅν ποτε γνάθοις
> Τρίτωνος ἠμάλαψε κάρχαρος κύων·
> Ἔμπνους δ' ἐδαιτρὸς ἡπάτων, φλογούμενος
> Τινθῷ λέβητος ἀφλόγοις ἐπ' ἐσχάραις,
> Σμήριγγας ἱστάλαξε κωδείας πέδῳ.
> *Trivesperi Leonis, quem aliquando maxillis*
> *Tritonis deglutivit asperè dentatus canis:*
> *Vivus autem dissector intestinorum ambustus,*
> *Cavo lebetis in focis ignis expertibus*
> *Capillos destillavit capitis solo.*

Quem in locum ec Isaacius Tzetzes: Τριέσπερον τὸν Ἡρακλέα λέγει καλεῖν ὁ Λυκόφρων, διὰ τὸ ἐν τῷ κήτει τρεῖς ἡμέρας μεῖναι. ἑσπέρας καλεῖ διὰ τὸ ἀφώτιστον καὶ σκοτεινὸν εἶναι τὴν γαστέρα τοῦ κήτους. *Trinoctium ajo Herculem vocari à Lycophrone quia in ceto tres transegerit dies: quas vesperas sive noctes appellat, quia lucis expers & tenebricosus foret ceti venter.* Primus B. Cyrillus in *Jonam cap.* 2. Ἡρακλέα φασὶ τὸν Ἀλκμήνης καὶ Διὸς, καταποθῆναι ὑπὸ κήτους, ἀνασῶσαι δ' ἐκ πάλιν ἐκ τοῦ ἐμφύτου θερμότητος, ἐψιλωμένος αὐτὸ τῆς κεφαλῆς κατὰ μόνας τὰς τρίχας ἀποδέδειχε τὴν λόφωσιν' μέμνηται δὲ τῆς ἱστορίας Λυκόφρων. *Herculem ajunt Alcmena & Jove filium deglutitum quidem à ceto, redditum tamen, ab insito ceti calore, capite solùm depilato Meminit verò historia Lycophron.* Theophylactus quoque in eundem *Jonæ* locum: *Devoratur ergo à ceto Jonas, tresq; dies ac totidem noctes in eo permanet vates: quæ res omnem excedere fidem audientibus videtur; maximè iis, qui ex Græcorum Scholis sapientiæq; doctrina, ad hanc historiam, accedunt. Quos equidem non satis demirari possum, quòd hæc non intelligant, cùm suis ipsorum aliis capiantur. Apud ipsos enim nonnihil tale de Hercule narratur: nempe quòd & ipse, à balæna devoratus incolumis remanserit: nisi quòd tantummodo depilatus redierit; idq; ob ingenitum & internum belluæ calorem. Aut igitur nostra suscipiant, aut sua rejiciant* V. Gerh. Joh. Vossium *de Idolol. lib.* 2. *cap.* 15. Aliter Flaccus *Argonaut. lib.* 2.

Jone, Autolyci filia, una ex Nereidibus, apud Apollodorum.

Jonia, adde: Una fuit ex regionibus, quæ Asiam Proconsularem sub Romanis, & Thracensium provinciam, sub Impp. posterioris ævi constituebant, Salmasius *ad Solinum pag.* 805. habuitque XII. urbes, quæ, de rebus gravioris momenti deliberaturæ, in loco *Panionium* inde dicto, prope Miletum, convenire solebant, quibus addita Smyrna. Jac. Sponius *Itinerar. Part.* I. *pag.* 373.

Urbes Joniæ XII.

Ephesus, nunc *Ajasaluck*.	Priene, itidem eversa.
Miletus, jam *Palatscha*.	Phocæa, jam *Palaja Foia*.
Myuns, eversa.	Erythræ, nunc vicus *Gesmé*.
Lebedos, itidem destructa.	Clazomene, jam vicus *Vourla* seu *Kelisman*.
Teos, hodie *Segess*.	Chios, Samos & Smyrna, hodieque nomina sua retinentes.
Colophon, destructa.	

Hinc

Hinc *Jonica* secta, prima ex tribus antiquissimis Philosophorum sectis, quarum reliquæ erant Italica & Eleatica. Cœpit autem à Thalete Milesio, cujus patria præcipua *Joniæ* fuit civitas. Voluit autem Thales, originem rerum esse aquam, fortasse ab Ægyptiis, quàm Judæis, edoctus: ex Mosis verbis, *Spiritus ferebatur super aquas.* Item, *producant aquæ reptile.* Successit Thaleti Anaximander Milesius, qui non unum, sed infinita asserens principia, mundos statuit infinitos: Deos nativos, longoque intervallo orientes ac occidentes. Hunc excepit Anaximenes itidem Milesius, qui, teste Augustino, *omnes rerum causas infinito aëri dedit, nec Deos negavit aut tacuit; non tamen ab ipsis aërem factum, sed ipsos ex aëre ortos, credidit.* Ei surrogatus Anaxagoras Clazomenius, primus ex Asia scholam transtulit Athenas, ubi Socratem & Euripidem docuit, uti & Periclem. Illi successit Archelaus Atheniensis, qui *etiam ipse de particulis inter se dissimilibus,* (nam hæc à Præceptore hauserat) *quibus singula quæque fierent, ita omnia constare putavit, ut inesse etiam mentem diceret, quæ corpora dissimilia, id est, illas particulas, conjungendo & dissipando ageret omnia.* August. *de C. D. lib.* 8. *cap.* 2. Hunc Socrates audivit, qui Morali Philosophiâ introductâ, de cœlo ad terram Philosophiam devocasse dicitur. V. Gerh. Joh. Vossium *de Philos. Sectis c.* 5.

Philosophi Sectæ Jonicæ.

Thales Milesius.	riundus.
Anaximander Milesius.	Anaxagoras Clazomenius.
Anaximenes, eâdem urbe o-	Archelaus Atheniensis.

V. quoque Georg. Hornium *Histor. Philos. lib.* 3. *cap.* 11. uti de alphabeto *Jonum*, Salmasium ubi suprà *pag.* 636.

Jonquilla, floris species, *demisso capitulo, colore est luteo, tenuis ut viola, in stellulam radiata uti narcissus, celsitate tulipam adæquans, odore ut ocellus. Ocellum dico? imò ne ipsa rosa, nec flos alius quivis, odore audeat cum hoc certare flosculo — quem puellæ Principes in deliciis habent, & ipsa Regina in sinu fert* &c. uti de illa, Franc. Pomey *Descript. div.*

Jope, adde: Cephei, patris Andromedæ; regnique Phœniciæ sedem olim fuisse, volunt nonnulli. Ibidem Derceto culta. Quam in rem V. Salmasium *ad Solinum pag.* 569. 574. 1127. & suprà, voce *Derceto.*

Joppa, caligæ species, Hungaris olim in usu, Clericis interdicta, in *Decreto* Colomanni Regis *lib.* 1.

Jordanes, apud Constantinum *de Thematibus lib.* 1 ubi *Inscriptionem* hanc, ex clupeis anaglyphis, quæ in vestiario Principis servabantur, exhibet, [illegible] Magister Militum per Orientem fuit, tempore Arcadii, de quo V. Salmasium *d. l. p.* 804.

Jornarium, in Ecclesia Rom. liber Ecclesiasticus, *Diurnalis*: idem cum *Graduali.* Gall. *Journal.* Cui in Ecclesia Gr. respondet liber, quem Ὡρολόγιον vocant, V. suprà.

Josephus Patriarcha, adde: Ejus symbolum Apim fuisse, adeoque subsequutis temporibus hoc nomine ab Ægyptiis cultum, Vossius pluribus docet. Et facit huc, quod Deuteronomii *cap. penult. vers.* 17. *Bos* vocetur, secundum codices Hebræos: Vel saltem, juxta vulgarem Interpretem, bovi comparetur. Item, quod neque è Rabbinis desint, qui vitulos in Dan & Bethel signa fuisse Josephi credant. Et favet, quod Jeroboamus, qui eos collocaverat, fuerit è tribu Ephraim, filii *Joseph.* Cujus conjecturam rei Veteres ex tribus potissimum capere potuere: ex beneficio nempe *Josephi* & symbolo bovis, ad illud significandum, aptissimo; ex promtissima Regis & Ægyptiorum voluntate ad *Josephum* remunerandum; & tandem ex ipsis Apidis Serapidisque vocabulis. Beneficium ejus fuit tripartitum; partim enim enarravit somnium Regium; partim consilium Regi dedit; partim denique prudenti ac fideli procuratione, ex Regis auctoritate, populum juvit. Ad quod triplex beneficium exprimendum non fuit convenientius symbolum, quàm bovis, præcipuè apud Ægyptios. Aliter si fuisset, non Deus ipse in somnio, hoc Regi symbolum prætulisset, ad fertilitatem & sterilitatem designandam. Hinc & apud Romanos videmus propterea anno U. C. 314. Lucium Minucium, annonæ Præfectum, bove donatum aurato; apud Livium *lib.* 4. Nempe variat annonæ ratio, pro anni fertilitate ac sterilitate: hæc verò magnam partem ab agricultura dependet; at certum est boves (verba sunt Diodori *lib.* 1.) [illegible], *Inventioni frumenti maximè omnium commodasse ad sementem faciendam & utilitates agriculturæ omnibus communes.* Unde *Bos socius hominum in rustico opere & Cereris minister,* Varroni *de Re R. lib.* 2. *cap.* 5. &c. Sed nec Regi Ægyptiisque voluntas defuit, & hoc & alio quovis genere honoris *Josephum* prosequendi. De præfectura annonæ ut nil dicam, Rex toti eum præfecit Ægypto, sicut solo solio esset superior: totaque eum osculatetur Ægyptus (non benevolentiæ solum, sed & subjectionis osculo) annulum etiam dedit, vesteque è bysso induit, collo injecit torquem aureum & statuit, ut currus ejus esset à regio secundus: nomine item mutato vocari jussit *Saphenath Paneah*; ad hæc acclamari per præconem voluit, *Abrech.* Denique & uxorem ei dedit Asnethen, filiam Principis Viri seu Præfecti in On, i. e. Heliopoli. E quibus apertum, nullum fuisse honorum genus, quo non Rex *Josephum* vellet ornatum. At Ægyptiis moris erat, ut bene meritorum memoriam sacris ad posteros symbolis propagarent. Jam verò, ut dictum, nullum beneficiis *Josephi* exprimendis signum magis idoneum bove erat: unde facile patet, hunc quoque ei honorem fuisse præstitutum. Et quidem hic honos initio tantum civilis fuit, ac bos, in memoriam Josephi, qui famis tempore Ægyptum conservaverat, à Sacerdotibus ali ac Populo etiam, cum grata ejus beneficii commemoratione, monstrari consuevit. Nempe ad modum, quo Græcorum multi primò duntaxat honore affecti sunt heroico: ut statuâ & cippis: qui sicuti postmodum commutatus est in divinum, ut adorationem & sacrificia, ita conservatori Ægypti, post obitum ejus, idem contigisse, hominum superstitione, tradunt Rufinus & Suidas. Namque & Rex sine dubio, eo defuncto, modum in honoribus accumulandis illi, cui Ægyptus, ob merita & divinas dotes, nihil habuisset par aut secundum, excessit: Sacerdotesque ac Populum quod attinet, tam lene atque amabile *Josephi* fuit imperium, ut eo extincto luctus fuerit maximus totâ Ægypto, eoque cuncti certatim in eum quosvis honores congesserint. Juverit etiam, quod uxor illius filia erat Sacerdotis Heliopolitani, cui maxima erat per Ægyptum auctoritas. Ut socer fuerit defunctus, vixerint liberi, qui uxorem Josephi amitam agnoscerent: amitini Manassis & Ephraimi. Atque eadem locum habent, si Asnethe non Sacerdotis, sed Principis Heliopolitani filia erat. Potuit Heliopolitanus quoque filiarum unam dedisse Memphitico alicui: & fortasse familia, cui *Josephus* insertus, ampla admodum fuit, ut magna ejus variis in locis fuerit auctoritas: ut alia, quæ addi possent, transiliam. Sed ut nihil horum foret, vel solâ æmulatione Memphitæ adduci potuerunt, ad honorem hunc in *Josephi* memoriam instituendum, ne qua ex parte Heliopolitanis inferiores viderentur. Duo igitur exinde boves sacri, quorum Heliopolitanus dicebatur *Mnevis*, Memphiticus autem *Apis*, uti nominibus eos quoque distinguit Strabo *lib.* 17. cumque Heliopolitani suum dicassent Soli; Memphitæ suum sacrarunt Lunæ, quod traditum Æliano *Histor. an. lib.* 11. *cap.* 11. Utrumque tamen Osiridi dicatum, ait Diodorus *lib.* 1. Et favet de Apide etiam Plutarchus *de Is. & Osir.* ubi ex Ægyptiis se Sacerdotibus ait accepisse, Apim eundem esse ac Osirim; ipseque Apim esse Osiridis animam arbitratur. Quæ facile sic conciliés: ut Mnevin dicas fuisse Osirim antiquiorem, qui cum Iside Ægyptios agriculturam docuit; sive is *Misraim* sive Menis fuerit: Apim verò Osirim juniorem, qui proprio nomine *Josephus.* E quibus honoratior Apis, eo quod *Josephi* beneficium recentius & excellentius. Interim vetustate priores ferebat Mnevis; unde Heliopolitani, cum viderent, majorem esse gloriam bovis Memphitici, oggerebant Mnevin suum Apidis patrem esse: putà, quod ad illius exemplum hic esset introductus, V. modò laudatum Auctorem. Nec abludunt Apidis & Serapidis nomina. Cum enim Ægyptiacam linguam & Hebræam discrepasse quidem in non paucis; attamen in plurimis etiam convenisse, constet: verisimile est, *Apis* nomen fuisse illud, quo *Josephus* in sacris nuncupatur. Nempe ut exprimat Hebræum אב, *Ab*, i. *Pater*: unde Syriacum *Abba*, atque ab hujus posteriore syllabâ Hebræ. Jam verò, quæ Josepho convenientior appellatio, quàm *Abbæ* seu *Patris*: Quippe qui nutricius totius Ægypti fuerit, quales tralatitiè *Patres* dicti. Ipse etiam *Josephus* Genes. *cap.* 45. *v.* 8. ait fratribus suis, se constitutum esse לְאָב לְפַרְעֹה *in patrem Pharaonis*: imò fortasse eodem pertinet, quod Pharaonis jussu ante eum acclamatum אברך *Abrech*, de qua voce in præcedentibus quædam. Quod ad *Sarapin*, ut Græci; seu *Serapin*, ut Latini sæpius dicunt, [illegible], *Deum cum nomine septem literarum*, uti eum nuncupatum ex vet. constat Epigrammate; eum fuisse itidem *Josephum*, colligere etiam ex eo est, quod modius capiti superimponeretur, teste Rufino *Hist. Eccl. lib.* 2. *cap.* 23. cujus rei cum variæ afferantur causæ, maximè placet, quod subjungit frugum largitatem eo indicari. Suidas similiter, in Σάραπις, μόδιον, ait, ἔχειν ἐν τῇ κεφαλῇ καὶ τὸν πῆχυν, *modium habere in capite & cubitum*: ubi & hoc adjicit, à quibusdam *Josephum* putari. Eamque sententiam confirmat, quod idem sit Serapis ac Apis, quemadmodum ex Aristea Argivo, tradit Clemens Alex. 1. *Strom.* ex Terentio item Varrone B. Augustinus *de Civ. Dei l.* 18. *c.* 5. De etymologia verò *Serapidis* cum varia afferantur, non displicet ea, cum esse dicitur ex שור, *sor*, quod *bovem* notat, & *Apis*; ut significet *bovem Patrem*, h. e. patrem Regni Ægyptiaci Josephum, symbolo bovis signatum. Vel cum deducitur ex *Apis* & שר *sar*, h. e. *Princeps*: quasi dicas *Princeps Apis.* Nam שרר *sur*, Hebræis notat *dominari*: unde שר *Sar.* h. e. *Princeps.* Ut *Sar*, sive Princeps pincernarum, Genes. *cap.* 42. *vers.* 2. & Hoseæ c. 7. *vers.* 4. &c. V. Gerh. Joh. Vossium de his probè disserentem, *l.* 1. *de Idolol. c.* 29. & infrà *Serapis.*

Viri illustres.

Josephus Iscanus, Poeta Britannus: claruit sub Johanne Anglorum Rege, circa annum Christi 1210. Archiepiscopus Burdigalensis dicitur Johanni Pitseo *in Illustr. Angliæ Scriptoribus, Ætat.* 13. Sed nihil tale ex Lelando & Gulielmo Fastregied, Balæus, Cantus

Centur. III. Script. Britanniberum. Etiam in Burdigalensibus Arenis, itcopis de hoc, apud Johannem Chenu Chronologic. Episcop. Galliæ histor. silentium est; uti & in Chronico Burdigal. Gabrielis Lurbæi. Patria fuit, ut Ang. i consentiunt, Devoniensis, educatus apud Iscanos sive Exonienses: unde ipse de se,

—— —— Sine remigis usu
Non nosset Memphis Romam, non Indus Iberum,
Non Scythia Cecropidem, non nostra Britannia Gallum.

Scripsit enim de bello Trojano Poema, (quod vulgò inscribitur Cornelio Nepoti) in cujus secundo, Britannos, quos reduces & Britannia Herculis comites putant, interfuisse ait nuptiis Telamonis ac Hesiones. Quod commentum Vossius refellit de Idolol. lib. cit. cap. 36.

Josephus Salahadinus, natione Turca, à Mahumede Nuredino R. Syriæ in Ægyptum, auxilio Caliphæ ejus gentis, contra Almericum Hierosolymorum R. missus, occasione captata, obtruncavit Elpha zum, ultimum Ægypti Caliphum sicque totius Ægypti Imperio potitus; paulo post Nuredino mortuo, ipsam quoque Syriam nactus, Regnum Hierosolymitanum funditus evertit, A. C. 1185. neque Christianis, præter Tripolim, Tyrum ac Antiochiam, quidquam reliqui fecit. V. in voce Saladinus.

Josua, filius Nun, adde: Hujusres gestas à Phœnicibus Herculi tributas, uti Chamus in Jove Hammone, Moses in Libero, Josephus in Apide &c. culti sunt, suse ostendit Vossius. Cum enim tam stupenda de hoc Israelitarum Duce variè deferrentur ad Phœnices Ægyptiosque vicinos, hi autem Herculeâ vi nihil tanius nossent, etiam *Josuam* Herculem quendam esse, ipsis creditum. Paulatim etiam Hercules Phœnicius & Israeliticus (ut vicinæ erant gentes) confundi cœperunt: quod eò proclivius fuit, quia Israelitæ toties sub Judicibus deficerent à Deo, connubiis etiam multi cum vicinis jungerentur; quos omnes redusse ad Deum, parum verisimile est. Hinc miscellæ in Religione opiniones liberorum, quæ & aliis affricabantur inter Phœnices & alios, ipsis etiam Sacerdotibus gentium hoc agentibus, ut *Josua* gesta longè adeò lateque didita, quia animis hominum prorsus eximi non possent, saltem suo Numini transcriberentur. Quæ omnia manifestiora fient, si paucis conferamus sigillatim, quæ Gentiles de pugna Deorum cum gigantibus, & Scripturæ, de pugna Israelitarum cum Cananæis, prodiderunt. Et quidem de iis, qui pugnarunt, differens Apollodorus Biblioth. lib. 1. ex parte una fuisse Typhœum & gigantum alios refert, ex parte altera, Jovem cum Diis cæteris, pariterque Herculem: quem Jupiter συμμαχον δι' Αθηνας επεκαλεσατο, Socium ad se consilio Palladis advocaverat. Ubi intelligendus Hercules ille Orientis, aliquot seculis vetustior Thebano: qui, ob eximiam virtutem *Herculis* dictus, vero nomine *Josua* vocabatur. Huic bellum cum gigantibus fuit; quales omnino Cananæi. Nec aliud æque, ac vasta illa statura, primò perculit Israelitas. Inprimis certa Basan *Gigantum terra* dicebatur, Deuteron. cap. 3. vers. 13. cui Rex Og præerat, quem Græci *Typhonem* & *Typhœum* appellarunt. V. de ejus mole & lecto ferreo Deuteron. cap. cit. vers. 11. Quomodo autem à Diis pugnatum sit, narrantes Poetæ, multum itidem ex sacra Historia hauserunt. *Josua* enim strenuè agente, Deus lapidibus pluit, quibus magnam gigantum partem obtrivit, Jos. cap. 11. vers. 11. cujus rei historia apud Gentiles quoque duravit. Sed cùm de loco fluctuarent incerti, conjectabant, isthic hoc contigisse, ubi conspiceretur magna vis lapidum, quam humana non videretur industria eò deportasse: ut in Gallia Narbonensi, inter Rhodanum & Massiliam. Unde Pomp. Mela lib. 2. cap. 5. de hoc campo loquens, *Lapideum*, inquit, *vocant, in quo Herculem contra Albionem & Bergiona, Neptuni liberos, dimicantem, cùm tela defecissent, ab invocato Jove adjutum imbre lapidum ferunt: creaas pluisse, adeò multi passim & latè jacent.* Sed & bellè locus convenit, quo *Josua* Cananæis, Hercules gigantibus, bellum intulit. Ut enim varias Gentilium sententias sicco pede prætercam, quorum quidam in Campis lapideis, ut dictum; alii in Italia, prope Vesevum montem; non nulli in Phlegræis campis peninsulæ Pallenes; Pausanias, juxta Olympiadem, Arcadiæ fontem, unde alternis temporibus, nunc aquæ, nunc ignes, erumpant, &c. pugnatum tradunt: Apollonius *Argonaut. lib. 2. vers. 1217. & seqq.* inclytum gigantem Typhonem periisse refert, ad Nyssam Arabiæ, uti fatetur Scholiastes mersumque ait sub Serbonidis paludis aquis. Quam paludem prope Pelusium Ægypti statuit; quemadmodum & Plutarchus *in vita M. Antonii*, *Serbonidis*, inquit, *paludes Typhonis exspirationes vocant Ægyptii.* Ibi ergo statuunt Typhonis exitium, ubi egere Israelitæ Ægypto egressi, qui eum perdiderunt. Et quis potius audiendus Homero, qui Iliad. β vers. 781. & seqq.

Γαῖα δ' ὑπεστενάχιζε, Διὶ ὡς τερπικεραύνῳ
Χωομένῳ, ὅτε τ' ἀμφὶ Τυφωέϊ γαῖαν ἱμάσσῃ,
Εἰν Ἀρίμοις, ὅθι φασὶ Τυφωέος ἔμμεναι εὐνάς.
Terra autem re onabat, Iove velut fit fulmine gaudenti
Irato, quando circa Typhœum terram verberat
In Arimis, ubi dicunt Typhœi esse cubilia.

E quibus colligitur, conflixisse in Syria, quæ & *Aramæa*, uti Syri, *Terra Aram*, unde Syri Ἀρίμοι καὶ Ἀραμαῖοι. Ita enim & Posidonius, eumque secutus Strabo lib. 16. sub fin. τοὺς Ἀρίμους Homeri interpretantur. Sic proin ab Hercule contra gigantes & Typhœa commissum esse prælium volunt in Arabia ac Syria; quibus locis contra Cananæos ac Ogum Basanis R. arma esse suscepta, etiam Moses docet. Nec ætas Herculis ac *Josua* discrepat, modò ne intelligatur Thebanus ille, sed alter Orientis; quem tum Ægyptium vocare possumus, tum Indicum, h. e. Arabicum, tum Tyrium sive Phœnicium: Namque *Josua* in Ægypto natus, tantas res in Arabia gessit, quas suo postmodum Herculi Phœnices adscripsere. Eum Thebano esse vetustiorem, clarè tradit Lucianus *de Dea Syr.* Τὸ γὰρ (ἱερὸν) τὸ Ἡρακλέος τὸ ἐν Τύρῳ, οὐ τοῦτο τοῦ Ἡρακλέος, τὸν Ἕλληνες ἀείδουσι, ἀλλὰ τὸν ἐγὼ λέγω, πολλὸν ἀρχαιότερος καὶ Τύριος ἥρως ἐστί. *Herculis quidem (templum) illud, quod est Tyri, non hujus Herculis, quem Græci decantant: sed quem ego dico, multo vetustior est & Tyrius heros.* Imò eodem hunc, quo *Josua*, tempore vixisse, Veterum opinio erat, ut ostendit Eusebius *in Chronicis*. Nam *num.* 142. legas, *Moses in Sina monte divino fruitur aspectu.* At quinquennio ante, nempe *num.* 137. reperias, *Hercules, cognomento Desanaus in Phœnice clarus habetur, Unde & ad nostram usq; memoriam à Cappadocibus & Elisiensibus, Desanaus adhuc dicitur*, &c. V. Gerh. J. Vossium prætato de Idolol. lib. 1. cap. 26.

Iovianus, adde: JOBIANOC dicitur, in Inscr. Græca, quæ in introitu Ædis sacræ, quæ Palæopoli est, in Ins. Corcyra, hodieque visitur. Memorat ibi, post fana arasque Gentilium, per Græciam destructas, hanc ædem DEO O. M. se consecrasse. Verba hæc:

ΠΙCΤΙΝ ΕΧΩΝ ΒΑCΙΛΙΑΝ ΕΜΩΝ ΜΕΝΕΩΝ CΥΝΕΡΙΘΟΝ
COI ΜΑΚΑΡ ΥΨΙΜΕΔΟΝ ΤΟΝ Δ ΙΕΡΟΝ ΕΚΤΙCΑ ΔΟΜΟΝ
ΕΛΛΗΝΩΝ ΤΕΜΕΝΗ ΚΑΙ ΒΩΜΟΥC ΕΞΑΛΑΠΑΞΑC
ΧΕΙΡΟC ΑΠΟ ΥΨΙΜΕΔΟΝ ΤΟΝ ΙΟΒΙΑΝΟC ΕΔΝΟΝ ΑΝΑΚΤΙ.

apud Jac. Sponium *Itinerar. Græcia Parte* 3. p. 81.

Iovis Cœnatio, nomen loci, apud Capitolinum in *Pertinace*, *Supervenerunt autem Pertinaci, quum ille aulicum famulitium ordinaret, ingressi, per tectum Palatii, usq; ad locum, qui appellatur Sicilia & Iovis cœnatio.* V. Casaubonum *ibi*.

Iovis Dies, seu Feria 5. septimanæ, inter Christianos olim celebris. V. Macros Fratres in voce *Iejunium*, ut & suprà, voce *Hebdomas*.

Iovis Nicephori Fanum, V. infrà *Nicephorii Iovis Fanum*. Cæterùm *Ioupater* primò, dein *Iovis Pater*, tandem *Iupiter*, dictum esse, habes apud Salmasium ubi suprà *pag.* 600. Nempe ex Græco Ζεὺς, Æolicè Ζεῦς, ac inserto digammo Ζϝεῦς, factum esse Latinum *Iovis*, atque hinc *Ioupater*, pro *Iovis pater*, uti *Iouglans*, pro *Iovis glans*, dictum, ait.

Ioyosia Familia, inter Galliæ illustres, Gall. *Ioyeuse*. Lotharingicæ ramus est, sicut fam. Movia (*de Mercy*) Guisia (*de Guise*) Ellebovia (*d'Elbeuf*) Harcurtia (*de Harcourt*) & Caprusia (*de Chevreuse*) quæ omnes in Gallia sedem fixerunt. Et quidem *Ioyosia* seu *Iousance* quod attinet, Johannes *de Ioyeuse*, Dn. *de S. Sauveur*, ex Francisca fil. Joh. *de Veisse* Baron. *d'Arques*, pater fuit Guilielmi Vicecom. *de Ioyeuse* seu Gaudiosæ, qui obiit A. C. 1592. Eo & Mariâ de *Bastarnay* (fil. Francisci Com. *de Bouchage*) natus Henricus Dux *de Ioyeuse*, extinctus est A. C. 1608. Pater ex Catharina Nogareta *de la Valette*, Henricæ Catharinæ *Ioujana*, quæ nupta Carolo de Lotharingia Duci Guisæ (filio Henrici, nepoti Francisci, pronepoti Claudii, extincto A. C. 1640.) decessit A. C. 1656. suscepto filio Ludovico de Lotharingia Princ. de Joinvilla, qui fato functus est A. C. 1654. Pater, ex Francisca Maria Valesia Duc. Engolismensi, Josephi Ludovici Duc. Guisæ, Gaudiosæ (seu *de Ioyeuse*) d'*Angoulesme*, Princ. Joinvillæ &c. qui natus A. C. 1650. obiit A. C. 1670. relicto, ex Isabella Aurelianensi, ducta A. C. 1667. N. N. de Lotharingia, Duce Guisiæ. Phil. Jac. Spenerus *Theatro Nobilit. Europ. Part. III. pag.* 78. & 88.

I P.

Iphicrates, Sculptor, adde: *Ejus Leæna laudatur. Scortum hæc lyra cantu familiare Harmodio & Aristogitoni, consilia eorum, usq; ad mortem excruciata tyrannis non prodidit. Quamobrem Athenienses & honorem habere ei volentes, nec tamen scortum celebrasse, animal nominis ejus fecere: atq; ut intelligeretur causa honoris, in opere linguam addi ab Artifice vetuerunt*, Plin. lib. 34. cap. 8. De *Iphicrate*, Atheniensium nobilissimo Duce, jam diximus. Hinc *Iphicratides*, calceamenti genus: quemadmodum & *Alcibiada*, quod illi istiusmodi calceamentis uterentur, dictæ, B. Balduinus *de Calceo*. Et *Iphicratenses*, milites à Duce ita appellati; qui non minùs apud Græcos, ac Fabiani apud Romanos, summa in laude fuerunt, Corn. Nepos *d. l.* V. quoque Berthium *ad Statium*, ubi de peltarum usu ab eodem in Græciam invecto *Part. III.*

Iphigenia, adde: Inter Timanthi pictoris opera celebris olim fuit *Iphigenia oratorum laudibus celebrata, quã stante ad aras peritura, cùm mœstos pinxisset omnes, præcipuè patruum, cùm tristitiæ omnem imaginem consumpsisset, patris ipsius vultum velavit, quem dignè non poterat ostendere*, Plin. lib. 34. cap. 8. Sed & à Timomacho cum laude pictam, idem habet *cap. seq.*

Iphithea, mater Orphes, Lycus, & Caryæ, ex Dione, Lycaoniæ Rege, Serv. *ad Ecl* 8.

Ipse, Gr. Αὐτὸς, honorifica olim appellatio fuit, non profanis tantum Scriptoribus in usu, unde notum illud de Pythagora, Αὐτὸς ἔφα, *Ipse dixit*: verum etiam sacris; ut adeò non nisi præstantissimis Sapientiæ Præstitibus tribueretur: ita enim facilius doctrinæ suæ fidem, sibi auctoritatem comparabant. V. Ciceronem *de Nat. Deorum lib.* 1. Quintilianum *lib.* 11. *cap.* 1. Clem. Alexandrinum *lib.* 1. *strom.* Georg. Hornium *Histor. Philos. l.* 7. *c.* 11. &c. Imò ipsius Dei hoc nomen esse, colligitur ex Hebræor. *cap.* 1. *v.* 12. Καὶ ὡσεὶ περιβόλαιον ἑλίξεις αὐτοὺς καὶ ἀλλαγήσονται, σὺ δὲ Ο ΑΥΤΟΣ εἶ, καὶ τὰ ἔτη σου οὐκ ἐκλείψουσι, *Ipsi* (nempe Cœli) *peribunt*, &c. & paulo post: *Ac velut amictum circumvolves eos & mutabuntur, tu autem Ipse es, & anni tui non deficient.* V. plura de vi singulari hujus vocis apud Joannem Gebhardum *Curarum Juvenilium lib.* 1. *cap.* 9.

I R.

Ira, inter Gentilium Numina. Statius *Thebaid. l.* 2. *v.* 287.

> *Non hoc Pa[...]ea, blandarum prima sororum,*
> *Non Decor, Idaliusq; puer; sed Luctus & Iræ,*
> *Et Dolor, & tota pressit Discordia dextrâ.*

Ejus barbarus gestus, indigitatur eidem *l.* 6. *v.* 787.

> *Dentibus horrendum stridens* —

de quo V. Casp. Barthium *ad Manlium Claudiani.* Qualem reddat cultorem sui, idem exponit *lib.* 11. *vers* 497.

> *Tunc verò accensa stimulis majoribus ira:*
> *Arma placent* ——

Ubi stimulos ipsi affingit, ut & Virgilius *Æn. lib.* 11.

> —— *arrecta stimulis haud mollibus ira.*

Et *lib.* 12.

> —— *stimulis haud mollibus incitat iras.*

Et certè, *vetus est apud nos pictura*, ait Barthius *ad. h. l. Statii, ubi, repræsentatis Inferis, iracundum hominem quatuor dæmones in pœnam faciliè mota apud Superos ira distimulant*, V. cum *ad eundem Poetam passim*, inter alia *ad lib.* 4. *Sylv.* 9. *vers.* 53. ubi, *Irascor tibi*, summæ familiaritatis esse allocutionem, namque & Plinium sic ordiri *Epistolam* 2. *l.* 2. & Catullum eodem modo alloqui Cornificium, *carm.* 39. notat. Quòd vero androdamante lapide *Iracundiam* domari, Plinius habet *l.* 37. *c.* 10. Magicum est. De more Vett. coronas in *Ira* cum cæteris ornamentis abjiciendi, V. C. Paschalium *Coronar. l.* 2. *c.* 9. adde quæ de *Ira* Vossius suggerit *de or. & progr. Idol. l.* 3. *cap.* 36. & 62.

Iratus & Pacatus, in tabb. Feudorum, quæ *Jurabilia* seu *Reddibilia* vocant, denotant vassallum teneri domino suo reddere castrum, sive invicem dissentiant ac litigent, sive non. V. Car. du Fresne *Dissertat.* 30. *ad Joinvillam.*

Irenarcha, Græcè Εἰρηνάρχης, h. e. *Princeps Pacis*, cognomen Domini nostri convenientissimum, apud Mich. Syncellum. Idem nomen fuit Magistratui militari; qui ad id constituti erant, ut, *provincialium tutelâ susceptâ, quietis & pacis per singula territoria concordiam stare facerent*, ut est in *l.* 7. *Cod. Theodos. de Irenarch.* ad quam V. Jac. Gothofredum: abrogati postmodum à Theodosio & Honorio Impp. quòd auctoritate suâ robusti publicam quietem turbarent potiùs, quàm procurarent: sed restituti à Justiniano. Vid. Macros Fratres *in Hierolexico* & Joh. Calvinum *Lexic. Jurid.* adde Brissonium *de verb. signif. lib.* 9. & Meursium *Glossario.*

Irene, Cratini pictoris filia, & ipsa in hac arte celebris evasit: inter cujus opera *puellam, quæ est Eleusine*, memorat Plin. *lib.* 35. *c.* 11. Item virgo captiva, quam cum Muhamedes II. CPoli expugnatâ, deperiret, atque inde malè apud suos audire inciperet, à Mustapha quoque liberius increpitus, cultu superbissimo adornatam, in concionem produxit, ibique, expositâ omnium oculis ejus formâ, ac verbis etiam dilaudatâ, ut se virum probaret adversus omnes affectus fortem, prehensâ miseliæ comâ, mox caput illi acinace desecuit. V. Casaubonum *ad Caligulam Suetonii cap.* 34. De voce v. Græca Εἰρήνη *Pax*, & hinc ortis, Cl. Suicerum *Thes. Eccl.* ut & infrà suo loco.

Iresione, Græcè Εἰρεσιώνη, quid sit, exponit Scholiastes *ad illud Statii Theb. lib.* 12. *vers.* 491.

> —— *Supplicis arbor olivæ.*

Cùm ait, *per quam pax petitur supplicando. Et in secundo diximus hanc ab Atheniensibus εἰρεσιώνην dici, à Græcis autem reliquis ἱκετηρίαν. Supplex autem oliva, non quòd ipsa sit supplex, sed quòd omnes qui rogant, hac suppliciter utantur.* Ubi verba ejus emendavit L. Cœlius *Antiqq. Lection. l.* 12. *c.* 19. sequutus Jo. Bapt. Pium *Annotat. Poster. cap.* 75. V. quoque Jac. Nicol. Loensem *Miscellan. l.* 4. *c.* 10. & suprà, in voce *Eiresione*, item infrà voce *Osanna*, ut & *Pantarum.*

Iru, equa jugalis, in Admeti curru, apud Statium *Theb. lib.* 6.

> *Nominibusq; ciet Pholoen Admetus & Irim*
> *Funalemq; Thoen* ——

Ubi unus modò funalis duobus jugalibus sociatur, qui est σειραφόρος ἵππος in triga, apud Dionysium, & Veteribus παρήορος. Certè trigarum in curuli certamine mentionem quoque habet vetus *Inscr.* qua Diaclis palmæ enumerantur. V. infrà in voce *Triga.*

Iris, herba odoratissima. Plin. *lib.* 21. *cap.* 7. ubi de illa pluribus. *Colore janthino & fusco, adeò nitens, politus ac fulgens, ut nihil magis. Sena ejus folia, longitudine haud absimilia liliaceis, in oblongum rotundantur, versus apicem, figuramq; exhibent planè singularem, & ad adspectum multò præclarissimam, dum ex iis terna argento illusa, quà inhærent caliculo, in medium erecta eminent, junguntq; latera, invicem connixa, mutuò ut fulciant; terna alia, ternis illis extantibus interjecta recurvaq; deorsum, in hemicyclum inflectuntur; cauli, quem extremis adlambunt labris, quasi datura osculum, aut purpuram ostentatura, aureum pictam villis & cincinnis crispam, argenteaq; vermiculatam, ab usq; medio ad ungues singulorum. Deniq; senis illis terna breviora alia, at spissiora, in lingulam explicantur & candicant; surgentibus è meditullio totidem malleolis albentibus, in lanceæ desinentibus cuspidem. Est & Iris altera, in flammam rutilans, in calathum diffusa, rubris subnigris notis interpuncta. Est & alterius figura, ab priore non multum abludens; at foliis angustioribus & exquisitius sinuosis & implicatis, mistura colorum perelegantis, dilutioris cærulei candidiq;*, Franc. Pomey *Divers. Descript.* De nomine sic Auctor Anon. *Sina & Eur. cap.* 33. quod est *de Floribus*, *Iris hortensis tam varia & versicolor, ut, cœlestem* Iridem *æmulata, colorum verâ specie, coloratum cœli mendacium superet, idemq; sibi decorum jure nomen adsciscat.* V. ibidem plura elegantissima hanc in rem, adde Salmasium *ad Solinum pag.* 468. 1223. ubi de variis *Iridis* speciebus, *Irino* item *unguento*, quod εὔοσμον nonnullis, varia: de superstitione Vett. verò, In effodienda *Iride*, V. Plinium ubi suprà; ut & hic ubi de *Gladiolo.*

Iris, gemmæ nomen; apud Plin. *lib.* 37. *cap.* 9.

Irisceptum, apud eundem *lib.* 24. *cap.* 13. ubi de aspalathi cognominibus, *quem alii Irisceptron, alii diathoon, Syri diaxyron vocant*: est ex Græco Ἰρίσκηπτρον. Sic autem dicebantur loca & frutices, quibus *Iris* innitebatur atque incumbebat, unde odoratiora illa fieri credebantur. Idem *lib.* 12. *cap.* 24. *Tradunt, in quocunq; frutice curvetur arcus cœlestis, eandem quaqua sit, aspalathi suavitatem odoris existere, sed si in aspalatho, inenarrabilem quandam*: Ex Theophrasto, ubi, Καὶ γὰρ, inquit, τοῦτο ἴδιον τῶν ἰρίδων λεγόμενον ὡς ὅταν ἐπικύψῃ ... εὐωδίαν ποιεῖν. Sed & de rore, e quo mella stipant apes, idem Plinius *lib.* 11. *cap.* 12. *At mella uno alterove die cellas replent. Venit hoc aëre & maximè siderum exortu, præcipueq; ipsa Iri impendente. Nec fit omnino prius Vergiliarum exortu. Sublucanis temporibus itaq;, cùm primà aurorâ folia arborum melle roscida inveniuntur.* Ubi *Iri impendente* est, ὅταν ἐπικύψῃ ἡ Ἶρις. Salmasius *ad Solinum pag.* 397. & 1010. De admirabili v. hocce meteoro, plura Vossius *de Idolol. lib.* 3. *capp.* 13. & 14.

Irlandus Bonaventura, Gallus, in Pictonico Præsidatu Senator JC. celebris: Scripsit *de Emphasi & Hypostasi* insignem tractatum, in quo vitium humanæ mentis pro vera scientia mendacis opinionis speciosam occasionem sæpe arripientis, quæ judicium deinde perturbat, detegit. Rigaltius *notis in Phædri l.* 4. *fab.* 1. *versus hos:*

> *Non semper ea sunt, quæ videntur; decipit*
> *Frons prima multos: rara mens intelligit,*
> *Quod interiore condidit cura angulo!*

Irmin, adde: Crantzius *Saxoniæ lib.* 2. *cap.* 9. *Irmensul*, interpretatur *statuam publicam*, & putat dictam, quasi *Idermansul*, i. commune perfugium & asylum omnium ac Martem communem, qui in prælio diu incertus hæret, utri addicere velit victoriam. *Erat* autem, idem subdit, *armata toto corpore effigies, cujus in dextra signum militare (nostri vexillum vocant) præferens rosam, cujus breve momentum & facilis ortus & interitus, ita eventus præliorum. In sinistra libram expendit, dubiam pugnantium sortem facilè huc aut illuc inclinantem. Pectus inerme ursum præferebat, interritum bellatorum animum repræsentans. In clypeo leo, qui bestiis imperitat, invictum ad fortia facta impetum monstrat, floribus consito campo, quòd nihil jucundius videri solet fortibus, quàm in acie virtutem ostendere.* Hactenus Crantzius, sed Auctorem non laudat. Aventinus verò de eodem idolo ita commentatur, *Annal. Bojor. lib.* 4. ubi de Carolo M. *Heresburgium, ait, primo impetu cepit. Erat templum Hermionis Saxonibus vetustâ religione augustissimum, quod frequens populus colebat & vota reddebat. Multa ibi opulenta Regum populorumq; visebantur munera, ingens auri argentiq; ibi copia ostendebatur — Saxones Hermanni salam vocabant, id est, aulam sive basilicam Hermanni Hermionisve. Is fuit quintus Germaniæ magnæ Imperator, pronepos Regis Manni, filii Tuisconis, parentis, & auctoris nostri* &c. Ad quem *Hermionem* videntur spectasse *Glossæ* Spelmanno laudatæ, *Hirmensul, colossus, altissima Herminis columna.* Ubi tamen ab Aventino discrepant & hanc vocem *sul* de *columnâ* interpretantur: quam etiam sententiam firmat Poëta Saxo *in Carolo M. A. C.* 772.

> *Gens eadem coluit simulachrum, quod vocitabant*
> *Irminsul, cujus factura simulq; columna*
> *Non operis parvi fuerat, pariterq; decoris* &c.

apud Car. du Fresne *Glossar.* V. quoque H. Meibomium *lib de Irminsula Saxonica.* Vossio *Irminsul* Saxonum idolum: dubium, utrum Numinis animalis an naturalis. Quorum *si prius, ait, placeat, fuerit Arminii statua — Sin posterius; sit Mercurii vel Martis, non prout stella sunt erratica: sed quatenus Martis vel Mercurii vocibus ab Oriente & barbaris signari Sol solet*, V. eum *de or. & progr. Idol. lib.* 2. *cap.* 32.

Irpex, rastri genus, quo stirpes herbarum serpentium eruebantur, hinc q. *sirpex*, Varroni, quòd, quæ in terra *serpunt* inutilia, rapiunt

pit & verrat, sicque agrum purget ac mundet. Cui instrumento cum simile esset, rastrum illud seu crates dentata, quâ occabatur ager ad glebas comminuendas & confringendas, *Hirpex* quoque Rusticis Romanis dictus est; sed hujus vocis origo propriè ex Græco ἅρπαξ. Salmasius *ad Solinum p.729.* V. quoque suprà.

I S.

IS, sestertii sæpe in vett. libris nota est. Ita enim, cùm in vulgatis Plinii editionibus, ubi de citrea mensa Ciceronis Asinique, hactenus legeretur: *Extat hodie M. Ciceronis, in illa paupertate, & quod magis mirum est, illo ævo, empta HS.X. memoratur & Galli Asinii, HS. XI.* Ex antiquis ejus codicibus, quorum unus optimæ notæ apud Rigaltium, restituit Salmasius: *Extat hodie M. Ciceronis in illa paupertate, & quod magis mirum est, illo ævo, empta IↃ. IS. memoratur & Galli Asinii IXI.* h.e. empta quingentis sestertiis, & Galli Asinii mille. Sic & apud Tertullianum *de Pallio*, antiqua exemplaria habent. *Asinius Celer mulli unius obsonium sex IS emit.* Pro quo, in manu exaratis Plinii libris, *bis* aut *bus* fere semper, velut sestertiorum nota, occurrit. Unde apud eundem, ubi de Æsopi patina, legit ex præfato Rigaltii codice idem Salmasius: *Clodii Æsopi patina C. sestertiis taxata, in qua posuit aves cantu aliquo aut humano sermone vocales, HS. VI. singulas coëmptas.* V. Claud. Salmasium *ad Tertullian. de Pallio.* Flavius Sosipater *lib.1.* Sestertii notam HS. facit: *Sestertius*, dicens, *unde appelletur, solet quæri. Quod manifestum erit, si sciamus, apud Antiquos Denarium decem asses habuisse. Ideoq; in rationibus faciendis denarium decussis inductio notabat, ✳: cujus quarta pars dupondius semis, Sestertius dicitur, quòd duobus assibus semis deficeret. Deniq; & nota ejus, HS. nihil aliud quàm dupondium & semis ostendit.* Qua de re V. Joh. Frid. Gronovium *de Pecun. Vet. lib. 1 cap.3.*

Isatis, Græca vox, Latinè *Vitrum*, Gallis *guastum* olim, nunc *guesdum*, Græcis recentioribus πάστελλον, unde vulgò *pastel*, quòd contrita in *pastillos* digeratur, herba est tinctoria, quæ cœruleo colore inficit, sicut Indicum, de qua ita Salmasius inter alia, *ad Solinum p.258. Vitreum propriè viride est, non cœruleum, tam ab herba vitro, quàm ab illa specie, unde constant vasa. Sed succus ipse herbæ vitri vel isatidis, quâ vestes tinguntur, cœruleum efficit colorem — Apud Capitolinum, ubi mentio prasini, vitrei & veneti coloris, quasi diversorum, vitreus pro viridi debet accipi remissiore & clariore, τὸ ἰσατῶδες at vitro tinctas vestes vel infecta corpora, de cœruleo obscuriore par est interpretari* &c. V. hic passim, ubi *de Guado, Indico, Vitro.*

Isauria, adde: Sub Pamphylia comprehensa olim, recentiori ævo ex quinque gentibus fuit una, quæ componebant Ἀνατολικὴν Θέμα, Salmasius ubi suprà *pag. 805 & seqq.*

Iselastici Ludi, apud Romanos, seu *Iselastica certamina*, memorantur in amœbeis Epistolis Plinii & Trajani, in hæc verba:

C. PLINIUS TRAIANO IMP. S.

Athletæ, Domine, ea quæ pro Iselasticis *certaminibus constituisti, deberi sibi putant statim ex eo die quo sunt coronati. Nihil enim referre, quando sint Patriam invecti, sed quando certamine vicerint, ex quo invehi possint. Ego contrà scribo* Iselasticorum *nomine. Itaq; eorum vehementer addubitem, an sit potius id tempus, quo εἰσήλασαν, intuendum.* Et quæ sequuntur.

TRAIANUS PLINIO S.

Iselasticum *tunc primùm mihi videtur incipere debere, quum quis in civitatem suam ipse εἰσήλασε* &c. Nempe uti apud Athenienses Hieronicis plurimi honores habebantur præmiaque dabantur, ita iisdem quoque honorem habuerunt Imperatores Romani, Augusti vestigia legentes, præmiaque sive opsonia, pro *Iselasticis* certaminibus constituerunt, ut ex Epistolis citatis patet. Ubi Petitus rescribit: *Ego cùm transcribo,* Iselasticorum, *nomine itaq; eorum vehementer addubitem an sit potius id tempus, quo εἰσήλασαν, intuendum?* Cùm n. libellum ab *Iselasticis* sibi oblatum, Imperatori mittendum, transcriberet Plinius, ipso eorum nomine monitus, facilè vidit *Iselasticos* dictos fuisse, non ex eo tempore, quo sunt coronati, sed ex quo *εἰσήλασαν, patriam invecti sunt.* Atque hæc præmia Hieronicarum ab iis capi poterant, qui pecuniam crediderant Hieronicis, auctore Papiniano *Libro X. Respons. Commoda præmiorum, quæ propter coronas sacras præstantur,* condemnato placuit interdici & eam pecuniam jure pignoris in causam judicati capi. *L. 40. de re Judic.* Quanquam non poterat, qui nondum e sacro certamine coronam reportaverat, pignori obligare præmia, quæ sibi pensitanda sperabat. Pro coronis: *Imp. Alexander A. Septimio. Spem torum præmiorum, quæ pro coronis Athletis pensitanda sunt, privatâ pactione pignorari minimè admittendum est: & ideo nec si generale pactum de omnibus bonis pignori obligandis intervenerit, tenet. PP. Kal. Maji, Maximo II. & Paterno Coss. Lege V. Quares pignori obligari possint?* &c. V. Sam. Petitum *Comm. in LL. Attic. lib.1. tit.1.* & hic passim.

Isembrunus, panni species, cujus usu interdictum in *libr. Ordinis S. Victoris Par. cap.18.* Cappæ verò de *Isembruno* conceduntur Sacerdotibus Clericis, in vett. *Statutis* Domus Dei Paris. *MSS.* apud C. du Fresne *Glossar.* Subtiliorem fuisse pannum, sicut & galabrunum, docet Rainardus Abbas Cisterciensis in *Institut. Capit. Gener. Cister. cap. 83.* apud Eund.

Isenacum, adde: Fuisse autem Germanis vett. præter Tuistonem & Mannum, indigetes Deos, etiam *Isidem* cultam, Tacitus testatur *in Germ. Pars Suevorum & Isidi sacrificat.* Cultus peregrini hujus Numinis forte à Græcis Istri accolis accepto, ad quos ab Ægyptiis pervenit: qui Isidem inter Deas retulere, quia cum triticum & hordeum sponte antea crescerent inter herbas, nec usus eorum esset cognitus; prima Isis eum monstrarit Ægyptiis, ut ex Diodoro Siculo accepimus. Unde ipsa, apud Appuleium *Metam. l.11.* Eleusiniam Cererem & Ægyptiam Isidem; prædicat eandem. *Isenacum* autem ab hac Dea nomen nactum esse, eo verisimilius id putant nonnulli, quia Isis fuerit Osiridis uxor; Osiris fuerit Mitsraim; is filius *Cham* sive *Ham*, unde itidem vocari autumant Hamburgum sive Hammeburgum potiùs. Ita enim vocatur Ludovico I. Imp. literis Aquisgrani datis. Vossius tamen alteram urbis hujus etymologiam, quâ à Germ. voce *Iser* vel *Isen*, h. e. *ferrum*, deducitur, verisimiliorem censet, *de Orig. & progr. Idolol. lib.1. cap.38.* Est sub proprio Principe ex stirpe Saxonicæ Familiæ Vinariensis. Is quidem, cùm Wilhelmus defunctus esset A.C. 1662. ex filiis ejus, maximus natu Joh. Ernestus Vinariam obtinuit; alter Adolfus VVilhelmus, Succorum in Dania miles, *Isenacum* habitandum accepit: sed hoc sine liberis (omnes enim præmortui, & posthumus VVilhelmus Augustus, mox Patris fata secutus est) extincto, tertio genitus Joh. Georgius, *Isenacensem* successionem sortitus est. Militavit is Electoris Brandeburgici auspiciis in Borussia, multâ fortitudinis laude, sagittâ etiam venenatâ à Tartaris periculose vulneratus. Postea, in Imperii exercitu destinatus militari imperio, illud quidem suscepere, renuit, in Cæsaris verò exercitu Locum-Tenentis Campi Marescalli dignitate functus est. Uxorem duxit A.Ch. 1661. Joannam, Ernesti Com. Saynii & VVitgensteinii filiam, Johannis Landgravii Hassiæ viduam, Comitatus Saynii, cum sorore Manderschidia, hæredem: quæ adversùs Patruos Comitatum obtinuere. Hoc matrimonio geniti sunt, Eleonora Erdmuthis Luisa A.C. 1662. Fridericus Augustus 1663. Johannes Georgius 1665. (cum Maximiliano Henrico, qui biennis decessit, gemellus) Johannes VVilhelmus 1666. Luisa (quæ annicula obiit) 1667. Friderica Elisabetha 1669. & Ernestus Gustavus A.C. 1672. qui tamen ultimus, brevis fuit ævi. V. Spenerum *Syllog. Geneal.*

Isenburgum, opp. & Comitatus Germaniæ super. sub proprio Comite, ex stirpe illustri & perantiqua: cujus originem vulgo arcessunt, à quodam Hessone Com. & Dn. *de Isenburg*, qui Ludovici Com. Arnsteinii & Dn. Velaliæ, Bopardiæ, Goarisani ac Lansteinii gener, floruerit A. C. 1140. & pater Arnoldi Ultrajectensis, avus Engelberti ac Brunonis Osnabrugensium, atque Dietheri, Monasteriensis Episcoporum, fuerit. Præcipua gentis divisio cœpit, cùm Henricus, Arnoldi Electoris Trevirici frater, Gerlacum & Ludovicum filios relinqueret. Illi enim *Isenburgum* inferius obtigit; huic ab Heilvige coniuge *Budingense* dominium. Gerlaci nepos Salentinus, *Grensaviam* a conjuge Adelheide agnata, ex Budingensibus, accepit; unde lineæ novum nomen inditum: quæ demum in Ernesto Com. *de Isenburg & Grensaw* (filio Salentini Archiep. & Electoris Coloniensis, ex Anna VVilhelma Arenbergica, nato A.C. 1584. & marito Carolinæ, fil. Caroli Principis Arenbergiæ) defecit A. C. 1664. In Budingensibus, præter tamen *Grensaviam*, cujus bona ad alterum dein transiere (successione Ernesti ultimi, inter varios prætendentes, nec dum satis ad liquidum perductâ) duos ramos ex se emisit Ludovicus, Dietheri Electoris Moguntini frater. Nam ex ejus liberis Philippus, *Kelsterbacenses* dedit, qui nunc esse desiere: Johannes *in Birstein* reliquos. Et quidem hujus nepos VVolfgangus Ernestus, pater communis est omnium, in illustri hac Familia, nunc superstitum: qui sunt ex tertio matrimonio, filius Johannes Ernestus *in Budingen* & ex primo nepotes in *Offenbach*, de quib. posterioribus infrà suo loco. Budingensium progenitores ita habent. Johannes Com. *de Isenburg & Budingen*, (defunctus 1408.) ex Margaretha fil. Theodorici Com. Catzenelebogæ, filium habuit Dietherum, maritum Elisabethæ Solmensis (Ottone Com. genitæ) & ex ea patrem Ludovici, qui obiit A.C. 1511. Hoc & Maria Nassovia (fil. Johannis Com.) nater Johannes, decessit A. C. 1533. Pater ex Anna Schwartzenburgica (fil. Guntheri Com.) Philippi, extincti A. C. 1596. Huic, ex Ehrengardi seu Irmgardi Solmensi (fil. Philippi Com. Solmensis, lineæ Braunfelsiæ) genitus VVolfgangus Ernestus, fato functus est A.C. 1633. relictis, ex Juliana VVitgensteinia (fil. Ludovici Com. Sayn. & VVitgensteinii) Ludovico Arnoldo (qui n. A. C. 1619. decessit A. C. 1662.) & Johanne Ernesto, qui genitus A. C. 1625. Mariam Carolam Erpachiam sibi junxit, sororem germanam Georgii Ernesti Com. ex ea numerosæ prolis parens. Georgius enim Ernestus (n. 1651. den. 1652.) Johannes Ludovicus (n. 1652. den. 1654.) Anna Amalia (n. 1653.) Philippus Ernestus (n. 1655. den. 1673.) Elisabetha Juliana (n. & den. 1656.) Fridericus VVilhelmus (n. 1657.) VVolfgangus Ernestus (n. 1659.) Joh. Casimirus (n. 1660.) Ferdinandus Maximilianus (n. 1661.) Georgius Albertus (n. A. C. 1664.) Luisa Albertina (n. 1665.) & Carolus Augustus (n. 1667.) omnes Comites *Isenburgi in Budingen*, his parentibus ortum debent. V. Phil. Jac. Spenerum *Theatro Nobilit. Europ. Part. II. pag. 12. & Part. III. pag. 84.* Primus autem *Isenburgi* Comes perhibetur Henricus A. C 1230. Budingensis verò Dynastiæ Dietherus, qui *Comitis* titulo auctus est. Utraque hoc seculo Wolfgango Henrico Isenburgi & Budingæ Com. tanquam læsæ Majestatis reo, adempta, Georgio Hassiæ Landgravio (qui constanti in Cæ-

sare

ftrem Domumque Austriacam obsequio affectuque FIDELIS dici meruit) Ferdinandus II. largitus est, A. C. 1636. Secuta A. C. 1642. transactio inter Hassos & *Isenburgios*, quâ, inter alia, certa Comitatuum illorum portio, 20000. florenos annuos ferens, septem Feuda, ut appellantur, nobilia & cum titulo, (quo Hassi etiam superstitibus Isenburgiis potirentur) successionis jura, si quando illorum progenies deficeret, Cattis mansere, reliqua Comitibus restitui debebant: Etiam cautum, ne generalis, quæ tum sperabatur, amnestiæ beneficio se tuerentur Comites; qui tamen aliquot post annis, cùm de Pace Osnabrugæ ageretur, pacta illa, omnio Domûs suæ damno, vi metuque & quidem ab aliis inita, causantes, ætatis quoque miserationem meritæ jura invocando, restitui in integrum petivere. Et indulta illis dicta pactione generalis Amnestiæ gratia, salvis tamen juribus, quæ Hassi sibi competere obtenderent. At præter hos, etiam Saxones, Cattis refragabantur, datam sibi à Rodolfo II. A. Ch. 1596. succedendi Comitibus, quocunque modo terræ ipsorum ad Cæsares reverterentur, spem, à Matthia, Ferdinando II. atque Leopoldo I. Impp. confirmatam, memorantes. Unde est, quòd, manente etiamnum hac lite, Saxones Hassiæ Landgravios, *Isenburgi atq; Budinga Comitum nomine*, neutiquam salutent, Tob. Pfannerus *de præcipuis Germaniæ Principum gentibus, cap.*8.

Isengrini, factiosi quidam Furnensis tractus in Flandria incolæ, qui militari virtute, Philippo Aug. Franciæ Regi, inclaruerunt; quòd luporum instar (qui *Isengrini*, apud nonnullos recentioris ævi, dicti reperiuntur) caulas ovium devastarent, hoc nomine insigniti. V. de iis Rigordum, Guil. Britonem *libb.* 2. 9. & 10. *Philippidos*, Mejerum *Annalium lib* 8. & Buzelinum *Gallo-Fl. lib.* 1. *c.*18. laudatos Carolo du Fresne *in Glossario*.

Iseum adde: Græcè Ἰσεῖον *simulachrum Isidis*, sicut Ἴσιον, *Isidis templum*, notat. *Isium* vocat Lampridius *in Alexandro* *Isium & Serapium decenter ornavit, additis signis & delaciis & omnibus mysticis.* Unde *Isium Metellinum* apud Treb. Pollionem, ubi *de Tetrico Jun. Tetricorum domus hodieq; extat, in monte Cælio, inter duos lucos, contra Isium Metellinum.* Quo cognomine hæc ædes distinguebatur ab aliis eidem Idolo in Principe urbe sacratis. V. Casaubonum *ad. l.* & Salmasium *ad Solinum pag* 67. & 576.

Isicium. V. infrà *Isitia*.

Isidorus Mercator, seu, ut in quibusdam libris legitur, *Peccator*, ementito hoc nomine, in lucem edidit seculo X. *Collectionem Decretalium*, totam suppositiam & meris imposturis constantem: de quo sic Blondellus *in Pseudoisidoro vapul. Erepsit ante annos* 800. *è solo Iberico, lumbricus nescio quis Isidori Hispalensis larvâ tectus, qui faces vilissimas, pretiosissimis antiquorum Urbis Episcoporum titulis appositis sempiternæ gloriæ commendaret: octo propemodum seculorum decurrit ordo, tantisper dum Latinorum omnium patientiâ abuteretur excæcatiq; Orbis oculum suis sublinerat offuciis, ingenio hebes, vitâ turpis, existimatione damnatus, impudentiâ atq; audaciâ, super quàm dici potest, fretus, proiecta nequitia fabula &c.* qui idem Opus ejus *Mercem mendaciorum* paulo post vocat. Supposuit enim Pontificibus Romanis primis, Clementi, Aniceto, Evaristo &c. usque ad Siricium, Epistolas Decretales; cùm vel unica compilatio Dionysii Exigui primi Decretalium ac seduli conquisitoris, ultra Siricii tempora nullas extitisse à Romanis Episcopis scriptas Epistolas hujusmodi, evincat. V. Gerh. von Mastricht JC. *Histor. Juris Eccl, num.* 220. & *seqq.* ac infrà in voce *Mercator*, item *Pseudoisidorus*. Addam saltem, primum Ricolphum, Episcopum Moguntinum, ejus Collectionem in Germaniam pertulisse, cùm prius Hadriani I. Collectione uteretur, ex eodem, *num.*19.

Isis, adde: Eam à Mercurio (qui primus neri posse lanas & in modum restis tiliacei, quales prius fiebant, torqueri ostendit) edoctam, laneæ vestis texturam primam apud Ægyptios prodidisse, docet Salmasius *ad Tertullianum de Pallio*. Ex eo tempore, materia texendis vestibus prodita, nec lanea tantùm & de ovibus: sed mox etiam de aliis rebus, quæ postea exemplo lanæ repertæ sunt quæq; idoneam vestificinæ materiam, haud secus ac lana, præbuerunt, ut linum, sericum, bombycinum & alia hujusmodi generis. Et certè Plinius *l.* 7. *c.* 56. textilia Ægyptios invenisse scribit; textilia de lana intelligens: nam lini inventionem Arachnæ tribuit. Antea verò non textiles, sed plexiles vestes fiebant, ex restibus, aut vinculis tiliaceis inter se nexis & plexis in retis modum. Ex papyro etiam tales & junco, & ex materia fluminea, quam Græci φλοῦν vocant, plecti moris erat, teste Meletio *de Nat. Hominis* & Herodoto *lib.* 3. ubi de Indis. Porrò *Isidis* nomine Lunam & Tellurem, imò universam Naturam ab Ægyptiis cultam; eandemque cum Cerere, Cybele, Venere ac Matre Deum; Bubasti inprimis ac Copti in veneratione fuisse, dictum alibi. Addam saltem, non improbabilem eorum sententiam esse, qui eâ Evam, primam nostrûm omnium matrem, fuisse adumbratam contendunt. Nam ut de Germanica *Iside* prius dicam, fieri potest, ut apud gentem hanc primæva de Adamo & Eva, quorum ille Mannus sit, hæc *Isis*, remanserint λείψανα quædam. Quomodo enim *Adam*, quod hominem notat, ac per excellentiam marem, commodius reddidissent suâ linguâ, quàm *Mannum*. A *Man* autem mulier dici potuit *Manna*: sed non fuit hoc in usu Germanis. Ac fortassè ex longa traditione retinuerunt Hebræum *Ischa*; quod apud Mosen & veteri Latinorum linguâ *Virgo* sonat: unde apud Festum, *Vira Querquetulana*. Romani autem, cùm audirent, Germanicæ genti cultos *Man & Ischa*; ut ex illo *Mannum*, ita ex hac *Isidem* fecerunt: quia non viderent, quod Numen *Ischa*, quàm *Isis* esse posset. In quo quantopere falsi sint, ex dictis videre est. Nisi & Ægyptius, ut Osiris Adamus, sic Eva *Isis*. Nec enim putandum, primorum Parentum memoriam in Asia penitus apud Gentiles intercidisse. Namque, ut alia præteream, Adana, antiqua Ciliciæ urbs, à Syris condita, haud dubiè in memoriam primi hominis appellata est. Sed constat, Græcos non habere voces in *m.* exeuntes, eoque pro Ἀδάμ dixere Ἀδάν, & terminatione additâ, Ἀδανος: unde urbs Ἄδανα; qui Ἄδανος, ut ait Stephanus, Cœli Terræque filius erat. Quod nulli melius convenit, quàm Adamo nostro. Idem Stephanus ait, aliter dictum Saturnum & Rheam: purà quia Saturnus est primus homo & Rhea, omnium mater Eva. Imò, nonne Εὐάν in orgiis Bacchi ululatum ipsum Evæ nomen ingerit? Hi proin, quia una erant caro, ut etiam loquitur Scriptura, ideo uno numine Numineque comprehendebantur à Cilicibus & rectè eorum mentem idem Stephanus nobis exposuit. Quo teste, item quoque Ἄδης, qui fortasse Σάνδης, h. e. *Hercules*. Nam hunc Indis *Sanden* vocatum Eruditi docent. Idemque Ἄδης sive Dis: nempe Adam à terra & in terram redit. unde ei nomen: uti & Ἄδην quoque dixere Græci & Hebr. אדמה *Adama*, id est, *Terra*; *m.* itidem in *n.* abeunte. Parque ratio in aliquos alios Gentium Diis, à Stephano memoratis: cujus causa est, quòd, ut in naturali Theologia præcipui Deorum ad Solem & Lunam referuntur: ita Dii animales potissimi pertineant ad primos nostros Parentes, vel saltem Noahum & conjugem, vel tandem liberos horum, qui Orbem partiti sunt, &c. V. Vossium *de Idol. l.* 1. *c.* 38. Seldenum *de Diis Syris*, Pignorium. *ad Tabulam Isiac.* Alios, & supra aliquid, in voce *Isenacum*. Sed nec omittenda illorum sententia, qui *Isidem* voluerunt esse Virginem, quæ inter astra. Namque & *Isidi* spicæ datæ in simulachro. Apulejus *lib.* 1. *dextrâ lævaq; sulcis insurgentium viperarum cohibita, spicis etiam desuper cerealibus porrectis.* Et gubernaculum nonnunquam adpingitur, quo modo & Fortunam, quam pro Virgine quoque sideribus intulere nonnulli, pingi notum. Sed de hac re plura infra, ubi de *Virgine*. *Isidem Multimammiam*, simulachrum hieroglyphicis notis refertum, asservari in Museo Kircheriano, Georg. refert de Sepibus *in Descr. eius p.*8. cum hac *Inscr.* ex Diodoro desumtâ: *Ego sum Isis Ægypti Regina, à Mercurio erudita, quæ sum uxor Osiridis. Ego sum mater Hori Regis: quæ ego legibus statui, nullus solvere poterit. Ego sum prima frugum inventrix. Ego sum in astro Canis refulgens: Mihi Bubastis urbs condita est, gaude, gaude Ægypte, quæ me nutrivisti.* Ut & de Sacerdotibus ejus quædam addam: Eos abstinuisse marinis tamum in sacris prætulisse, habet Plin. *l.*27. *c.*7. ab iisdem aspidem, cum tumido collo, caput arduum attollentem circumferri consuevisse, diximus suprà, in voce *Chelidonia*. Canebant autem bis in die Isidi suæ laudes, primâ sc. horâ, quâ Templum aperiebant (unde ritus *Apertio dictus*) & Deam salutabant (quod *Salutationem* & *Excitationem* vocavere.) Post totum diem stipem emendicabant; inde ad octavam redibant, idoloque, postquam id stantes adorassent, composito templum claudebant. Martialis hinc *lib.*10. *Epigramm.*48.

Nunciat octavam Pharia sua turba juvenca,
Et pilata redit jamq; subitq; cohors.

Et Tibullus *lib* 1.

Bisq; die resoluta comas tibi dicere laudes
Insignis turba debeat in Pharia.

Qua circumcursatione indagationem filii amissi ab *Iside* factam quotidie repræsentabant. V. Raderum *ad Martialem d. l.* Quia vero tenuioribus papyri membranulis pedes indutos hi electi Sacerdotes haberent, ἀνυπόδητοι sive discalceati nudisque pedibus non malè incedere quibusdam dicti sunt, cùm propriè nec calceorum, nec solearum usum membranulæ illæ præberent. Sic intelligi facilè Prudentius potest, qui de sacris *Isidis*, quæ alius *Cybele*, magna Deorum Mater, dicitur, loquens, nudis plantis remotisque calceis Gallos illius sacerdotes incessisse testatur his versibus:

Nudare plantas ante carpentum scio
Proceres togatos, Matris Idææ sacris,
Lapis nigellus evehendus essedo,
Muliebris oris clausus argento sedet;
Quem dum ad lavacrum præeundo ducitis,
Pedes remotis atterentes calceis,
Almonis usq; pervenitis rivulum.

De iisdem memorat Lucianus, tintinnabulo in sacris uti consuevisse: Ait enim, *Ante Syriæ Deæ templum phallos duos miræ altitudinis fuisse statutos: in hos Sacerdotem eò solitum arte conscendere, quâ Syri palmas altiores, nimirum fune caudici advoluto, ac paulatim ad superiores partes pertracto. Cùm verò ad summas phalli partes pervenisset, orare, sacra facere ac inclamare consuevisse, atq; interim tintinnabulo sonum edere, ut verbis tinnitus jungeretur.* Æs namque in sacris non modicam vim habere, credidit antiquitas. Sunt etiam qui putent, eosdem qui stipem non modicam corradentes colligebant (quos proin Cicero *de LL.* *domos exhaurire & urbem superstitione implere* dicit) tintinnabula usurpasse, visiturque inter antiquorum statuas Romæ Sacerdos *Isiacus* cum pera & tintinnabulo. Quo modo apud Italos *Divi Antonii fratres*, & apud Turcas Religiosi quidam, ursum vel cervum, e quorum collo nola sonat, manu

Aliquot autem annis Jonicâ, de qua V. *suo loco*, junior fuit. Prodiere ex hac Pythagoræ schola plurimi in Italia Rerumpublicarum Rectores præstantissimi, in quibus Zaleuco inprimis & Charondæ celebre nomen: tantusque ei a veteribus Romanis honos habitus est, ut ei & Alcibiadæ in Urbe statuam posuerint, teste Plinio *lib.34.cap.6.* V. Gerh. Johannem Vossium *de Philosophorum sectis c.6.* & Georg. Hornium *Hist. Philosophica l.3.c.11. & alibi passim.*

Italica Secta Philosophi ex Vossio.

Pythagoras Samius, Sectæ conditor.	Metopus.
Hippodamus Thurius.	Clinias.
Euryphamus.	Crito.
Hipparchus.	Polus.
Archytas.	Lysides.
Theagis.	Theano uxor Pythagoræ.

De *Italica fabula*, V. Scaligerum *Poetic. l.1.c.7.*

Italici, apud Spartianum *in Hadriano*, *Post hæc Hispanias petit — delectum, joculariter, ut verba ipsa ponit Marius Maximus, detrectantibus Italicis, cæteris vehementissimè, prudenter & cautè consuluit*: Itali sunt aut Italis orti, qui Hispanica oppida inhabitabant. Nam etsi solum mutarant, tamen & primi, qui eò venerant & nati natorum, de vetere patria *Italici* nominabantur. Ab his diversi *Italicenses*, oppidi Hispaniæ, *Italica* dicti, cives, Casaubonus *ad Spartianum*. At *Italici Populi*, unum erat ex triplici hominum genere, quibus Imperium Romanum olim constabat; erant illi, *Cives*, *Italici populi* & *Provinciales*, qui alio atque alio jure utebantur. Unde Suetonius, postquam docuisset, quæ circa jura Civitatis nova instituerat Imperator Augustus, subjicit de iis, quæ circa Jura Italorum populorum sanxit idem, *cap. 46. Ad hunc modum urbe urbanisq; rebus administratis, Italiam duodetriginta coloniarum numero deductarum ab se frequentavit: operibusq; ac vectigalibus publicis plurifariam instruxit* &c. qua de re V. plura apud Casaubonum *ad h.l.* *Italiota* verò apud Hesychium, *βατά, ἐπιδίημος, Γαλάται*; non sunt Latini vel Romani, ut voluere Eruditi nonnulli; sed propriè dicti Græci, qui eam partem Italiæ, quæ major Græcia nuncupata est, incolebant: multùm enim distat inter *Italum* Ἰταλὸν & *Italiotam* Ἰταλιώτην. Horum calceamenta *βατά* vocat Hesychius, quæ vox non Græcobarbara, sed pura est, a *βάω*, *βάζω*, *βαίνω*; pro *βαδιστικὸν*: unde Latini quoque *bastum* suum mutuarunt, sed aliâ notione. Salmasius *ad Lamprid. in Heliogabalo.*

Ite Energumeni, formula in Ecclesia olim usitata; quâ ante consecrationem Energumeni, quibus *pavimenta domorum Dei* ingredi licebat, *can. omni die de consecrat. dist.5.* à Diacono dimittebantur. V. Dominic. Macrum *in Hierolexico.*

Ite, Missa est, formula itidem in Ecclesia olim adhibita, quâ *dimittebatur* populus; *missa* enim (quæ vox circa finem tertii seculi primùm audita est) quasi *missio* uti *remissa*, pro *remissio*, sequiori ævo dici cœpit. Erat autem dimissio hæc duplex, tum *Catechumenorum*, qui circa septum Templi, quo Fideles sedes suas capiebant, consistere solebant, ante Sacramenti communionem: tum *Fidelium* (ita enim eos vocare mos erat, qui recepto Baptismo jam Ecclesiæ cives censebantur) post illam peractam. Alcuinus *de div. Offic. Finitis omnibus adstanti & observanti populo absolutio datur, inclamante Diacono, Ite, missa est.* A qua soleuni voce, tum cultus universus, tum præcipue S. Eucharistia, & preces, ac liturgia ejus, *Missæ* nomen acceperunt, quo quid hodie intelligatur, in Ecclesia Romana, notum est; ubi quando formula ista pronuntietur, quando omittatur, Vide Macrum suprà laudatum in *Hierolex.* Apud eundem *Ite in Pace*, προέλθετε ἐν εἰρήνῃ, similis formula, in antiquis *Liturgiis* Græcis occurrens.

Item, caput, Latinis *ita*, ut observatum Casaubono *ad Theophrasti Characteres pag.312.* Gallis vulgò *articulus*. Id namque vocabulum datum articulis, quòd revera ab hac voce, *item*, initium iis esset, quasi rursum; denuo. *Gloss.* vett. *Item*, ὁμοίως, πάλιν. V. Juretum *ad Symmachum lib.1. Epist.11.* laudatum Carolo du Fresne *in Glossar.*

Iter facientes olim noctu, facibus ardentibus comitati erant. Ovidius *Metamorphos. lib.1.*

Ut facibus sepes ardent, quas fortè viator
Vel nimis admovit, vel jam sub luce reliquit.

Ubi quod casui vel imprudentiæ viatorum tribuit, Varro lasciviæ adscribit *de Re Rust. lib.1.* Nonnumquam enim Veteres ut plurimum utebantur. Quem in usum occubares incidebantur faces è ligno querno, vel iligno, quæ *χαῖρα* vocabant: præcipuaque fuit cura, ne facilè vento cederent. Quod cùm sæpe nihilominus fieret, namque & Cæsar, quum *occultissimum iter modico comitatu ingressus esset, luminibus extinctis decessit viâ, diu errabundus*, apud Suetonium *in Eo cap. 31.* adhibere cœperunt lychnuchos è pelle, in eum usum comparatos, ut vim ventorum ferre possent & defendere. Postmodum, quia fallendi fere hostis causâ iter nocturnum ab Exercituum ducibus instituebatur, quò tutius id fieret, excogitarunt laternas, sic compositas, ut iis lumen abunde facerent, quibus præferebantur, aliis negarent, cujusmodi laternas *surdas* hodie Galli vocant, ut infrà videbimus, ubi de *Laternis*. V. plura hanc in rem apud Casaubonum *ad d.l. Suetonii* & Barthium *ad Statium Thebaid. lib. 12. vers. 241.* *Iter* autem ingressuri vota faciebant, & Numini litabant, cujus illustre exemplum in Jacobo Patriarcha habemus, V. quoque suprà ubi de *Capillo*. In reditu bono vovendo, dicebant *bonum iter convertere*. Papinius *Thebaid.l.4.v.761.*

—— tandem reduces det flectere gressus
Jupiter!

ubi *dextros* subintelligendum; Scholiastes monet Guilielmus Pictavensis *de Guilielmi R. & D. Gestis*; *Places ergo fortunatum iter convertere* &c. Reduces, etiam apud vett. Christianos adorabantur, quo de more V. Palladium *in Histor. Lausiaca cap. 51.* & Barthium *ubi suprà, lib.10.vers.664.* Quòd si in *Itinere* mortuus quis esset, cadaver aromatibus vel cerâ, ut de Agesilao legimus, apud Nepotem, conditum domum referebatur; vel, si haberi id non posset, cenotaphium domi erigebatur, quam vocem vide suprà. Itinerum porrò mensuram per passus colligebant Veteres, unde *milliapassuum*, & *milliarii lapides*, qui ponebantur in singula millia; quod apud Græcos Romanosque in usu fuit: cùm in Oriente *σχοῖνοι*, *funiculi* & *parasanga* adhiberentur metiendæ distantiæ. Apud utrosque autem *diurnum iter* 20. m.p. definiebatur, quibus peractis, in loco huic rei destinato, per noctem quiescebant, quem *σταθμὸν* Græci, *mansionem* Latini, dixere; uti pluribus videre est, apud Salmasium *ad Solinum pag.495.* &c. V. quoque hic passim, ubi de *Avibus*, item in vocibus *Baculus*, *Hydreum*, *Lacerna*, *Mansio*, *Pera*, *Peregrini*, *Pervius*, *alibi*. Sed & *Iter*, libri nomen fuit, à Jul. Cæsare compositi, qui & duos Anticatones in *Itineribus* suis scripsit: Nec enim vel in *Itinere* cessabant à studiis Vett. uti exemplo Plinii Sec. quoque patet, quem V. *in Epistolis*.

Iter Extaticum Cœleste, sive Mundi opificium, quo cœli siderumque tam errantium quàm fixorum natura, vires, proprietates, compositio & structura, sub ficti raptus integumento, ad veritatem exponitur: nomen Libri, Auctore Athan. Kirchero editi A.C.1656. in *quarto*. Qui postea à Caspare Schotto variis Commentationibus illustratus, prostat Norimbergæ. Eodem Auctore prodiit Romæ in 4.1654. *Iter Extaticum Terrestre*, sive Geocosmi Opificium, quo Terrestris Globi structura, arcanarumque in ea partium constitutio, figmento ad veritatem composito, exponitur. *Iter* quoque *Hetruscum*, quo Hetruriæ tum priscæ, tum tempore Reipubl. Roman. tum posteræ, origo, situs, natura, politica, catastrophæ, monumenta sacra, profana, nec non Naturæ admiranda, triplici ratiocinio, politico, physico, geographico, describuntur & explanantur: eodem Auctore prælum expectat.

Iteratio, apud Columellam *de R.R. l. 2. cap. 11.* *Idprimâ sarculatione fecisse proderit, secundâ oberit, quia, cùm pullulare desiit frumentum, putrescit si adobrutum est. Nihil itaq; amplius in Iteratione, quàm remoliri terra debet æqualiter*: Secunda sartitio est. In *Glossis* secunda fossio: *Iteratum*, παλινσκαφία. Alias *Iteratio*, secunda aratio, & *iterare*, in cultura agrorum, idem quod *redarare*, est, Græcè δυπολεῖν, unde δίπολος γῆ; *terra bis arata*. Cui muneri præerat Reparator Deus, apud Romanos, de quo V. infrà; plura verò hanc in rem apud Salmasium *ad Solinum p.424. & seqq.*

Ithyphalli, mimorum genus, stantes pronuntiabant, ebriorum personâ & coronati; nec enim ebriorum fuisse, est in *Menechmis* & *Symposio* Platonis; & in *Vita* Xenocratis, de Polemone. Manuum insuper tegumenta gerebant ex floribus confecta, & tunicas albo ad medium distinctas à cinctura, quam cogebat velum Tarentinum, ad talos demissas. Hi silentio per ostium ingressi, ubi ad Orchestræ medium evaserant, convertebant sese, ad Theatrum & dicebant;

Ἀνάγετ' εὐρυχωρίαν ποιεῖτε τῷ Θεῷ, θέλει
Γὰρ ὁ Θεὸς ὀρθὸς ἐσφυρωμένος διὰ μέσου
Βαδίζειν ——

Baccho nempe dicatum Poëma simul & celebritas: propterea quod ex oppido Baccæ, cui nomen erat Ἐλευθεραί, Pegasus quidam mysteria detulit Athenas, unà cum Liberi patris signo; quod populus cùm segnius accepisset, ejus contemtionis mox pœnas dedit, pudoris partibus morbo correptis. Cui multis remediis frustra adhibitis, ex oraculo *φαλλοὺς*; *i. perticas*, atque in earum fastigio coriaceum genitale tum publicè, tum privatis in ædibus erexerunt. Cui simile quid in Palæstinorum historiâ legimus, unde forte turpitudini huicce Græcorum occasio fuit. Habes cantionem apud Aristophanem *Acharnens.* Pauló diversi ab *Ithyphallis*, *φαλλοφόροι* fuere, de quibus alibi. V. Scaligerum *Poetic. lib.1. cap.10.*

Itineraria Tabula, iis Ord. Romano, dicitur altariolum seu lapis sacratus, quo in Ecclesia Rom. ubi Altare lapideum deest, utuntur: *Viaticum* Bonifacio VIII. *cap. ult. de privil.* *Antimensium* Balsamoni *ad Concil. VI. can. 1. seu 31.* ex Græco ἀντιμήνσιον, V. Macros Fratres in voce *Altare*.

Itinerarium, mappa Geographica dicitur, in quâ describuntur ac depinguntur metationes militares, loca & oppida provinciarum præcipua, cum intervallis ac distantiis, quam Duci necessariam esse, ait Vegetius *lib 3. cap.6.* *Primùm Itineraria omnium regionum, in quibus bellum geritur, plenissimè debet habere perscripta*

scripta, ita ut locorum intervalla, non solum passuum numero, sed etiam viarum qualitates perdiscat, compendia, diverticula, montes, flumina ad fidem descripta consideret: usq; eò ut solertiores Duces itineraria provinciarum, in quibus necessitas geritur, non tantùm annotata, sed etiam picta habuisse firmentur, &c. Cujusmodi fuit *Mappa orbis terrarum* ab Agrippa confecta, de qua Plinius *lib.* 3. *capp.* 2. 3. 4. &c. Item *Tabula Itineraria*, quam ex Bibliotheca Peutingeriana edidit Marcus Vellerus. *Itinerarium* item, quod falsò *Antonini* nomen præfert, & in mappam relatum ac anno demum Theodosii decimo quinto exaratum est, uti docet du Fresne *in Descr. urbis CP.* Primum verò istiusmodi Mapparum auctorem fuisse Anaximandrum, quem subsecuti Hecatæus, Democritus, Eudoxus, alii, tradit Eustathius *Epist. præfixâ notis ad Dionysium Periegetem.* Neque verò Ducibus solum sua erant *Itineraria*, sed & *Miles, qui ingreditur iter, viandi ordinem non ipse disponit sibi — sed* Itinerarium *ab Imperatore accipit & custodit illud, præscripto incedit ordine rectâq; viâ conficit iter, ut inveniat commeatuum sibi parata subsidia. Si alio ambulaverit itinere, annonam non accipit, mansionem paratam non invenit*, uti habet Ambrosius *Serm. in Psalmum* 118. de cujusmodi itinerum & metationum militarium designatione, quam *Route* vocant Galli V. Lampridium *in Alexandro Severo.* In *Ceremoniali* Episcoporum *lib.* 1. *cap.* 2. *In discessu recitabit — cum Clericis & familiaribus Itinerarium*: vox notat orationes vel preces, quæ ab iis, qui se itineri committunt, recitari solent & à cantico Zachariæ vulgò incipiunt. V. Haeftenum *Disquisitionum Monasticar. Lib. XI. part.* 4. *disq.* 4. laudatum Car. du Fresne in *Glossario*, suprà quoque, ubi de *Geographia.*

Itonia, cognom. Minervæ, à loco *Bœotiæ* celebri ejus cultu, quem inter Pheras & Larissam locat Pausanias, *Aoniam urbem* à vicinitate appellat Papinius *Thebaid. lib.* 2. *vers.* 721. Scholiastes Callimachi *Hymno in Cerer.* Thessaliæ adscribit. Nisi malis alias urbem in Bœotia, aliam in Thessalia, utramque ejusdem nominis eidemque Numini sacram statuere, quò Strabo nos ducit *l.* 9. Fanum autem id fuit clarissimum, in quod proin prælii malis Bœotii confugerunt, velut ab adversa cum Agesilao pugna. Pausanias *l.* 3. *Agesilaus, Thebanis & eorum auxiliis superatis, per Bœotios sibi viam fecit. Ipsi quidem Bœotii è prælio in* Minervæ Itoniæ *confugerunt.* Etiam dedicatis spoliis, ut à Pyrrho factum memorat idem *lib.* 1. *Pyrrhi victoriam declarant Gallorum scuta in* Itoniæ *Palladis fano, cum Epigrammate*,

Hos tibi Gallorum clypeos Rex donat, Itoni,
Pyrrhus ab audaci rapta tropæa manu.

Ubi *Itonis* Minerva appellatur, imitatione Bacchylidis, Lutatio notati, *ad Statium l. cit.* Sed & Ludi seu Certamina ibidem Deæ celebrabantur. Callimachus ubi suprà,

Ἠ᾽ δὲ ποτ᾽ Ἰτωνιάδ᾽ ... ἄεθλα
Ὀ᾽ ... &c.

V. Jan. Parrhasium *Epist.* 55. Casp. Barthium *Animadversion. ad Statium l. cit.* & ante utrumque Achillem Statium *Commentar. in Catulli Epithalamium Pelei.*

J U.

IV. vel IIII. *quatuor.* I. V. *instus vir.* JUC. *judicium.* JURD. *jurisdictio* &c. in notis Antiquorum designat, Franc. Gonidin.

Juba, adde: Mauritanis pro Numine fuit. *Ut enim unicuique provinciæ ac civitati suus Deus fuit, ut Syria Astarte, ut Arabiæ Dusares, ut Noricis Belenus, ut Africa Cœlestis, sic Mauritaniæ Reguli sui*, Tertullianus *Apologet. cap.* 24. Præcipuè autem iis *Juba* cultus, Minuc. Felix *in Octavio*, *Nisi fortè post mortem Deos fingitis, & pejerante Proculo Deus Romulus & Juba Mauris volentibus Deus est.* Quem locum sub Arnobii nomine Lilius Giraldus adducit: quia Octavius Minucii inscribi solet *Arnobii Octavus Liber.* Minucio assentit & Isidorus *Origin. lib.* 8. *cap.* 11. Fortasse autem ejus, qui primus *Juba* vocatus est, id non proprium nomen, sed cognomen fuit, ut Nimrodi *Bal*, h. e. *Dominus.* Quam suspicionem injicit summa cum nomine Dei tetragrammato convenientia. Siquidem aliqui id *Juabe*, *Jabe* vel etiam *Jabe* extulerunt. Ἰαὼ summum Deum vocari, apud Macrobium legimus, *Saturnal lib.* 1. *cap.* 18. Ac agnoscit id in Dei nominibus Epiphanius *Hær.* 40. ubi & Ἰαὼ dictum ait. Nempe, ut Theodoretus refert, *in Exod. Quæst.* 15. Καλοῦσι δὲ αὐτὸ Σαμαρεῖται μὲν Ἰαβέ, Ἰουδαῖοι δὲ Ἰαώ, *Vocant autem illud Samaritani quidem Jabé, Judæi verò Jao.* Ubi tamen vulgò *Ja* legitur: sed sic non fuerit tetragrammaton: quale esse id nomen, ibidem ait Theodoretus, &c. Plura in hanc rem V. suprà in voce *Jabé*, & apud Gerh. Joh. Vossium *de Idolol. lib.* 1. *cap.* 32. De *Juba* R. bonis Romæ sub hasta venditis, habes apud Plinium, Tertulliano *de Pall.* citatum: ubi *Venundatæ*, inquit, *duæ* (mensæ) *à Juba Rege vendentes, quarum alteri pretium fuit HS. XV. alteri paulo minus.* Scribitur in omnibus libris: *venundatæ sunt & duæ à Juba Rege pendentes.* Et sane non ipse Rex *Juba* mensas eas venum dedit, sed cum, post mortem Regis, ejus bona sub hasta venderentur, duæ illæ mensæ, cum reliquis bonis, sub titulo pependerunt, ut mos erat in auctionibus. Tibullus,

Ite sub imperium sub titulumq; Lares.

Inde duas illas mensas à Juba R. pendentes dixit. Licebat etiam legere, *à Juba Rege pendente*, ut ipse sub titulum pependerit. Claud. Salmasius *ad Tertullianum de Pallio.*

Juba, Hebr. רעמה *raama*, Jobi *cap.* 39. *versu* 22. ejusque densitas inter equi generosi notas, vel, ut Varro habet *de Re R. lib.* 2. *cap.* 7. *non angusta, crebra, fusca, subcrispa, subtenuibus setis implicata in dexteriorem partem.* Et ex illo Poeta *Georgic. libro* 3.

Densa juba & dextro jactata recumbit in armo.

Quibus, in equi vitiis, opponit Julius Pollux χαίτην ψιλὴν, *jubam tenuem & depilem*, *l.* 1. *c.* 11. *sect.* 5. & 6. Itaque ipsos equos ajunt, *juba* densitate gloriari, Idem *ubi suprà sect.* 16. Quin si Æliano credimus, *Histor. l.* 2. *c.* 10. Μάλιστα κομῶσα ἵππος ... *Equa imprimis jubâ insignis maximè mollis est & fracta deliciis.* Atque id unum esse ex amoris incentivis, docet Anatolius *Hippiatricorum lib.* 1. *cap.* 14. ubi quosdam ut equorum libidinem erga fœminas accenderent, eas propriis crinibus atque aliis ornamentis, exornare consuevisse, refert. Quocirca nobiles equas ornatu isto spoliatas, mœrore confici, scribit Sophocles *in Tyro*; indeque libidinem earum sedari ac extingui, Plinius *l.* 8. *c.* 42. Aristoteles *Histor. lib.* 6. *cap.* 18 Ælianus *Histor. lib.* 11. *cap.* 18. etiam hoc pacto assuefieri, ut asinis se submittant. Quandoquidem enim comantes gloriâ superbiunt, tam humiles maritos dedignatæ: tondentur, atque detonsæ deducuntur ad fontes, ut, ibi tanquam in speculo corporis sui deformitatem intuitæ, fiant tractabiliores, & ignobilis mariti congressum patiantur, Xenophon *in Hippico*, Plutarchus *in Erotico*, Ælianus *Histor. l.* 2. *c.* 10. &c. Quam in rem V. plura apud Bochartum *Hierozoici Part prior. l. II. c.* 8. Ab equis in Heroum galeas translatæ sunt. Unde apud Ovidium *Metamorph. lib.* 12.

Fulva jubis *cassis* ——

Quem morem antiquissimum fuisse ex eo datur intelligi, quòd Homerus galeam Paridis equinis setis exornat, *Il.* γ. Ἱππουρίας easdem vocat Sophocles *Antig.* V. Car. Paschalium *Coronar. lib.* 10. *cap.* 19. ut & suprà ubi de Numidis *Cæsariatis*, apud Tertullianum *de Pallio.* Inde *Juba*, pro *galea*, apud Statium *Thebaid. lib.* 4. *vers.* 18.

—— *Rorant clypeiq; jubæq;.*

Sed & leonibus *Juba* est, & serpentibus, & Sirio astro, in vet. pictura apud Cæsarem Germanicum. Dracones infra & supra os jubas habere, auctor est Ælianus *lib.* 10. *cap.* 25. quo ornamento fœminas carere, idem ait, *lib.* 11. *cap.* 26. Certè *anguis jubati* meminit Livius *lib.* 41. citante Prisciano *lib.* 4. Et Ovidius *Metamorph. lib.* 15.

Vix bene desierant, cùm cristis aureus altis
In serpente Deus prænuntia sibila misit

Unde Cornificius nescio quem ardelionem, forum Romanum circumvolitantem, *jubatum Draconem* appellat, *ad Herennium lib.* 4. Stare autem his *jubas*, dum meliore ætate sunt, ingravescente hac flecti pondere, dicunt harum rerum indagatores &c. V. Caspar. Barthium *Animadversion. ad Statium passim*, inprimis *ad Theb lib.* 2. & *lib.* 5. *versu* 280. & 572.

Jubilæus, adde: Fuit hoc ultimum olim Israelitarum festum divinitus institutum, hac lege ut quinquagesimo quovis anno celebraretur. Institutio ejus habetur Levit *cap.* 8. *versu* 8. *Præterea numerabis tibi septem septimanas annorum, septem annos septem vicibus, ita ut tempus septem septimanarum annorum sint tibi quadraginta novem anni. Vers.* 9. *Tunc facies ut ubiq; personet clangor tubæ*, &c. & *versu* 10. *Ut sanctificetis annum quinquagesimum & proclametis libertatem in ipsa terra omnibus habitatoribus ejus: Jubilæus (annus) ille esto vobis.* Usus ejus erat quintuplex. 1. Proclamata erat libertas omnibus habitatoribus terræ. 2. Quisque redit in possessionem suam. 3. Sicque factum est, ut exactum servaretur Tribuum discrimen. 4. Quemadmodum Græci per Olympiadas, Romani per Lustra, Christiani per Indictiones, ita Hebræi per *Jubilæos* computandi ratione usi fuisse creduntur. 5. Typus erat SERVATORIS nostri, cujus sanguine jus redeundi in regnum cœlorum, quod per peccatum amiseramus, nobis restitutum est & sonus Verbi divini se diffudit per universam terram: id quod per clangorem tubarum olim erat significatum. Unde *Dominus Jehova buccinâ clanget*, ait Zacharias *cap.* 9. *versu* 14. ubi de Evangelii annuntiatione sub Novo Test. vaticinatur. Notandum autem, decimo demum die primi mensis, tubarum clangore *Jubilæum* inchoatum, & terræ quietem servorumque libertatem proclamatam esse, postquam 9. prioribus diebus hi, læti agentes & sertis coronati, appropinquanti libertati prælusissent, ex Mose Ægyptio *in halacha Schemita-Vejobel cap.* 10. Origo nominis, secundùm Marbachium *in Lev. cap.* 25. à *Jubale*, primo Musicorum instrumentorum auctore, cujus mentio Genes. *cap.* 4. *versu* 21. Secundùm alios potiùs à voce Hebr. יובל *Jobel*, quæ *arietem*, item *cornu arietinum* denotat seu *buccinam arietinam*, cujus clangor in *Jubilæi* auspiciis personuit. Meminit istiusmodi buccinarum Josua *cap.* 6. *versu* 7. *Et septem Sacerdotes portanto septem buccinas arietinas ante arcam.* Ubi vox illa *Jobelim* extat. V. Thom. Godwynum *de Ritibus Hebr. lib.* 4. *cap.* 10. Cæterùm, in secl. Rom. post Clementem

mentem VI. qui de centesimo anno ad quinquagesimum deduxit *Jubilaeum*. Urbanus VI. Pontificatûs sui anno 11. Christi 1389. 3. Idus April. instituit, ut in posterum *de tricesimo tertio anno in tricesimum tertium* celebraretur (uti legitur in M. *Chronico* Belg.) *annusq; Nativitatis Domini* 1390. *esset Jubilans: quò enim commovit tempus vitae Domini nostri Jesu Christi in humanitate* peractum, *Ibid.* Cujus Successor Bonifacius IX *Jubilae* gratiam latius diffundens: *Regibus & aliis eminentioribus — etiam Conventibus per diversa loca concessit, ut in partibus hujusmodi gratiae largitatem possent consequi, ita tamen, ut Confessor, quem aliquis eorum eligeret, nomine Basilicarum & Ecclesiarum, videlicet Petri & Pauli Joannis Lateranensis. & sanctae Mariae Majoris, aliquas Ecclesias in partibus per Confessorem electum deputandas certis vicibus tenerentur visitare*, W. Thorn A.C.1390. Unde fluxit, qui hodie obtinet, mos *Jubilaei* indulgentias in Regnis & provinciis indicendi. Denique Sixtus IV. &c. Sed & *Jubilaeum annum S. Thomae Cantuar. Archiep. & Martyr*, Monachos S. Trinitatis solenni ritu, anno quoque 50. celebrasse, idem Thorn auctor est *ad A. C.*1320. cui festivitati indulgentias quoque concessere Pontifices. Obiit autem iste A.C. 1170. V. Car. du Fresne *in Gloss.* Apud Flodoardum, *Jubilaeus* est cognomen S. Remigii Rem. Archiep. quòd tot annis vixisset, & ad seculi prope aetatem pervenisset, *Histor. Rem. lib* 1. *cap.*17. apud Dominic. Macrum *in Hierolexico*, V. & hic infra.

Jubilate, V. infrà in voce *Matutinum*.

Jubilum, & *Jubilare* Latinorum, ut & *Jobel* Hebraeorum, voces sunt, ut Matius asserit, à *Jubal* deductae, primo Musices inventore, Genes. *cap.*4. *vers.*21. ac voces quasque *canoras* illas quidem, *sed rusticas, duras, agrestes; & quasi ululantes*, significant: quales inchoata illa, & nondum perfecta, primi illius Artificis instrumenta edebant. Eo certè sensu occurrunt משך היובל Exod. *cap.*19 *v.*13. & קרן היובל & שופרות היובלים Jos. *cap.*6. *vers.*5.6. *tuba* vel *cornua soni grandis & protracti rustico more*. Et annus *Jobel* est annus, cujus promulgatio fiebat tali cornu vel tubâ. Quò faciunt haec Varronis *de L.L.lib.*5. *Ut quiritare urbanorum, sic jubilare rusticorum. Itaq; hos imitatus Aprissius ait in Bacche* (vel, ut emendat Scaliger, *aptè Attius ait in Bacchis*) *Quis me jubilat?* Et haec Festi, *Jubilare est rusticâ voce inclamare*. Sic Silius *lib.*14.

Et laetus scopulis audivit jubila *Cyclops*;

id est, cantus pastoris Daphnidis. Calphurnius *Ecl* 1.

Nec montana sacros distinguunt jubila versus.

& *Ecl.*7.

Et tua maerentes expectant jubila *tauri*.

Apud Ammianum quinetiam *lib.*22. *Cum miles cantilenas meditaretur pro jubilo molliores: jubilum* est militaris vox vel cantus, qui rusticus est & incenditus. Sam. Bochartus *Hierozoici Part. prior. Lib. II. cap.* 43. *ubi de Ovium nominibus*. Sequioris postea aetatis Latini Scriptores appellarunt *Jubilum*, quod *Neumam* alii: productionem viz. cantus in fine antiphonae seu cujusvis cantus Ecclesiastici. Honorius Augustodun. *lib.*1. *cap.* 14. *Unde quidam longam neumam cum organis jubilant, quae Jubilum vocatur:* quam neumam, in festivis diebus, jubilari statuisse Gregorium Pont. idem ait *cap.*88. V. infrà, in voce *Neuma*. & Car. du Fresne *in Glossario*. Dominico Macro, *Jubilatio* seu *Jubilus*, in Ecclesia Rom. adpellatur sequentia, quae post Epistolam in aliquibus festivitatibus canitur, *in Hierolexico*.

Jucatania, adde: Ejus incolas circumcisione uti consuevisse, docet T. Pfannerus *System. Theol. Gentilis pur. cap.*14. *§.*1.

Judaea, adde: Imo adeò gentem, non modò rebellem, sed & pristinum, quasi, cùm sui juris essent, sive ipsi sive Majores sui gavisi fuissent, statum animosiùs vindicantem, in ordinem redigere lategit Adrianus, ut nullam, quà fieri posset, omnino rebellionis futurae suique demum juris illic aviti instaurandi ansam aut obtentum relinqueret. Unde, ut *genitalia mutilare* seu circumcidere eis interdixit, teste Spartiano: ita etiam Ordinationem illam, intra Terram, judiciariam, è qua potestas judicandi illic, id est, legitima Terrae Regiminis & Imperii ratio ordinaria pependit, sub poenis gravissimis inhiberi voluit, etiam ipsos, qui ordinarent, cum reliquis inde arcendo. Quam in rem Ariston is illud facit, quo interdictum fuisse ab Adriano Judaeis universis scribit, ἐξ ἀπόπτου θεωρεῖν τὸ πατρῷον ἔδαφος, *è specula paternum solum intueri*, καταφρονεῖν; Sicut non modò Terra ipsa sancta integra eis, sed & ultimae quaecunque, unde suam intueri quoquo modo possent, interdictae videantur, adeoque ipsi longius etiam summoti: ne videlicet, si in agro proximo, aut vicino mansissent, inde gressu celere clam testonoque, pro libitu, in Terram insilientes, ritum illum sic necessario illic, nec alibi omnino, te facultate Judiciaria, legitimum praestarent illi, quibus inter eos ordinandi facultas. Longiùs enim remotis, id fieri haud facile: cùm longiora itinera illuc ducentia testibus ac delatoribus vix aut ne vix quidem caruissent, unde res palàm fieret. Postmodum autem esse porrò desiit edictum illud Adriani, *Judaeis* Palaestinâ utraque ac Terrâ sanctâ ita permissâ, ut intra eam Synedria sua qualiacunque, pro arbitrio Caesarum, haberent, &c. V. plura hanc in rem, apud Joh. Seldenum *de Synedriis L. II. c.*7.

Judaei, quae gens, dictum in voce *Judaea*: sed & Christiani hoc nomine primis annis veniebant. Neque enim eorum quisquam erat per tempus aliquod, à Domini ascensu, qui non aut origine atque undiquaque *Judaeus*, seu Hebraeus ex Hebraeis; aut è Gentibus, ut Proselytus Justitiae, ita adscitus, ut inde pro Judaeo etiam omnino censeretur. Neque ob Christi disciplinam acceptam exuebant eorum quiquam Judaeorum sive nomen sive jus, quod antea possidebant. Nec disciplina illa apud eos alia, quàm *Judaismus reformatus*, seu cum fide in Messiam seu Christum ritè conjunctus. Unde *Judaei* in πιστεύοντας seu τῇ πίστει ὑπακούοντας, *Credentes* & μὴ πιστεύοντας, *non Credentes*, tribui solebant: E quibus tam credentes, quam non credentes, *Judaei* tunc sic meritò dicti. Actor. *capp.*15. *versu*5. 16. *vers.*1 19. *vers.*33. 21. *vers.*20. utpote originem, statum ac jus Judaicum, ut antè, retinentes. Hinc Myriades complures Ἰουδαίων τῶν πεπιστευκότων, *Judaeorum credentium*, memorantur, Actor. *cap.*16. *vers.*20. & 21. *vers.*20. Galat. *cap.*2. *v.*15. &c. de quibus item adjicitur, quòd πάντες ζηλωταὶ τοῦ νόμου, *omnes legi addictissimi* essent, tametsi crederent. Et tantè addictos adeò Legi, etiam placitis moribusque avitis לסיג התורה *in Legis sepem*, ut dicere ipsi solebant, introductis, acriter fuisse addictos verisimile est. Quoniam autem primum tempore Evangelium seu Credentium disciplina Gentilium alicui necdum in Judaismum antè recepto, communicata fuerit (quod nec fieri debuisse aliquot per annos à Judaeis vulgò existimatum est, V. Actor. *cap.*11. *vers.*1.) non unanimes statuunt Scriptores: Alii in Candaces, Aethiopum Reginae Eunucho, à Philippo baptizato, Actor. *cap.*8 *vers.*38. id haberi volunt; alii Eunuchum illum pro Proselyto Justitiae adeoque *Judaeo* circumciso, nimentibus. Lyran. *in l.* V. quoque Hug. Grotium *ad Act. cap.* 8. *versu* 27. ac Origenem *c. Celsum lib.*2. qui proin Centurionem Cornelium cum suis à Petro baptizatum, primitias Gentilium citra circumcisionem, in Christi disciplinam receptorum, faciunt. Quorum illius, nempe Eunuchi, baptismus, ad biennium aut circiter ab Ascensu seu Christi an. 35. spectat: hujus ad septennium inde aut circiter, seu Christi 41. juxta Baronii Chronologiam, qui biennio pòst aut circiter, seu sub initia Claudii Aug. collocat *Christiani* nominis, inter Discipulos, Antiochiae ortum, in Actis memoratum *c.*11. *v.*26. Suidâ eum tribuente illi tempori, quo Evodius Antiochiae creatus est à Petro Episcopus, id est, juxta Hieronymum, anno tertio Claudii Aug. & aerae Christi vulgari 44. aliis aliter de tempore isto sentientibus. Certè ut Suidas, ita Johannes Antiochenus *in Chronol. suis nondum editis*, cum Evodii illic Episcopatu *Christiani* nominis Antiochiae ortum conjungit, quem post decennium ab ascensu Domini evenisse scribit seu sub Claudii initia; ipsumque Evodium nomen hoc Discipulis primum imposuisse, ait. Sic, qui antea *Galilaei* & *Nazaraei*, ut & πιστεύοντες εἰς τὸν Χριστὸν, *Credentes in Christum*, sive ex Judaeis ac Circumcisione essent, sive Incircumcisis, *Christiani* jam nuncupari coepere: quod quidem nomen sic inditum à nonnullis tam Vett. quàm Recentiorum, sumitur pro eo, quod est *Nomen Novum*, Esai. *cap.*62.2. & 65. *vers.*15. ubi consule Ignatium *ad Magnesios* ex Leon. Castri *Comment.* Sed verò, tametsi ita ibi coeptum hoc nomen, usus nihilominus ejusdem non ita frequens videtur inter Apostolos ipsos aut in eorum lingua per annos aliquot sequentes. Nam, praeter locum illum, quo memoratur in Actis, *primum tunc vocatos Antiochiae Discipulos Christianos*, bis tantum in N.T. occurrit, nempe Actor. *cap.*26. *vers* 28. & 1. Pet. *cap.*4. *v.* 16. Sed nec ulla Epistola Apostolica aliàs *Christiani* expressè nominis memor est, nedum eos, ad quos dirigitur, *Christianos* disertè universos nuncupat: Verùm aut *Sanctos*, aut *Fideles*, aut *Ecclesias*, adjectis sive loci sive Jesu Christi sive Dei nomine, aut ejusmodi quid, aut planè *Judaeos*, ut Jacobi & Petri, quaelibet alloquitur. Per septennium igitur ab ascensu Christi aut circiter, ut antè, nemo in Credentibus, qui postea *Christiani* dicti; praeter *Judaeos* sive originarios, sive proselytismi jure integro adscitos. Neque etiam post haec tempora defuere quàm plurimi, qui ex Gentilibus Christo nomina dantes simul Proselyti esse Justitiae voluerint: nondum enim id tum prohibitum, sed tantùm non habitum necessarium Christianis. Etiam *Christianismum* ac *Judaismum*; velut corporis unius bina membra conjuncta videmus in haeresibus Cerinthianorum, Nazaraeorum & Ebionaeorum, apud Epiphanium *Haer.* 28, 29, 30. atque, ut in Judaicam disciplinam veterem, per Baptismum, Circumcisionem & oblationem cooptabantur Proselyti Justitiae, ita in Christianismum, per Baptismum & Eucharistiam. Ex qua mixtura Judaismi ac Christianismi tunc non solùm in Judaeis originariis, sed etiam iis, qui è Gentibus Ecclesiis Christianis accederent, atque ex eo quòd ipse Christianismus ex Judaica disciplina ortus erat, eaque omnino fundatus & revera Judaismus erat reformatus, in quem per Baptismum, qui etiam ante erat ritus Judaicus, reciperentur credentes qualescunque, ut Proselyti; evenit, ut Christiani universi tunc temporis etiam nomine *Judaeorum* venirent, atque ut Judaeorum secta, non minus, quàm Pharisaei, Sadducaei, Esseni, & si qui fuerint ejusmodi alii, haberentur: tametsi annis proximè insecutis seu post graviores, ex tumultibus ac factionibus Judaeorum non credentium impellentibus, Christianorum persequutiones obortas, velut invicem opposita apud Scriptores adhiberentur nomine

mine

mina sæpius *Judaismi* (ut veterem sc. solùm significantis) & *Christianismi*, in quo ita Judaismus novus seu reformatus, V. Ignatium *Epist. ad Magnesios* &c. Templum item Hierosolymitanum, tam credentibus, quàm non credentibus, commune tunc erat, uti & cultus jurisque Judaici reliqua non pauca, etiam & Synagogæ, Actor. *cap.9, vers.20* &c. & Proseuchæ. Judæis quoque non credentibus aliisque tum seculorum Veterum, V. Actor. *cap.24. vers.5.* tum recentiorum, Christianus quilibet sive ex Judæis originariis sive Gentibus adscitus נוצרי id est, *Nazaræus* aut *Nazarenus* vocitatus, quemadmodum & Christus ipse in Evangeliis & Actis sæpius; ac Christiani primi, quo plane non Judaica solum origo, sed ipsum Judæi nomen diffusius in denominationem à *Nazareth* urbe Galilææ, in tribu Zabulon, contractum Christianis, ex more illo vetusto, tribuitur, V. Hieronymum *in Esaj. cap.5. comm.18.* Sed & apud Suetonium, *Judæorum* nomine ita Christianos qualiscunque generis esse comprehensos, ut non minùs hi, quàm illi, eo nomine tunc innuerentur, hinc patet; quòd, cùm in Actis legatur *cap.18. vers.2.* Paulum Corinthi invenisse Judæum, nomine Aquilam, qui nuper venerat ab Italia & Priscillam uxorem ejus, *eo quòd præcepisset Claudius discedere omnes Judæos à Roma*: idem edictum is *in Claudio cap. 25.* memoret his verbis, *Judæos impulsore Chresto* (pro *Christo*) *assiduè tumultuantes Româ expulit.* Ideo ergo Aquila & Priscilla Romam reliquere, quia *Judæos* universos Claudius discedere jusserat: pro Christianis autem illi accipiuntur, & inter alios tum credentes, à Paulo, hoc nomine salutantur, Roman. *cap.16. vers.3.* Nec edictum eos attigerat, nisi etiam *Judæorum* nomine generali, ad seculi morem, contenti fuissent tunc Christiani, V. quoque Hieronymum *Histor. Eccl. lib.2. cap.17.* Unde rectè Mariana *ad illud Suetonii. Quòd tumultus concitarent* (Judæi) *nempe de Christo cum Christianis disputantes, quos Judæorum nomine comprehensos, unà cum illis pulsos, Aquila & Priscilla monstrant.* Imò & postea aliquandiu Christianas Ecclesias, ob cognatam Judæorum vett. religionem, unde natæ sunt primo universæ, *Judaizasse*, id est, Judaicos ritus ac jura retinuisse, eliciendum est, tum ex iis, quæ de Paschatis observatione Christiana obvia sunt; tum ex illo apud Hieronymum *de Script. in Marco*, de Philone Judæo, qui *videns Alexandriæ primam Ecclesiam adhuc Judaizantem, quasi in laudem gentis suæ, librum super eorum conservatione scripsit.* Unde & Celsus Epicureus, in *Judæos* simul atque Christianos invectivam suam etiam sub Hadriano componens, utrosque ut congeneres conjungit & Christianismi βάξεαρον ajebat (ἄνωθεν εἶναι τὸ δόγμα βάρβαρον τὸν Ἰουδαϊσμόν, ᾧ Χριστιανισμὸς ἤρτηται). *Sectam seu opinionem barbaram ex origine esse. id est, Judaismum quocum Christianismus conjunctus est.* Eosdem idem Celsus, seu ex eodem Judaismo utrosque, quasi de umbra Asini (sic ineptimis ille apud Orig. *c. Celsum lib. 3.*) circa Messiæ sui adventum tantum discrepantes facit: Accedat etiam hinc usque in Origenis tempora seu A.C. 200. aut circiter, creditum esse, Judæos originarios, qui Christo nomina dederant, non omnino descivisse à patriis legibus moribusve, sed eis, ut in Judaismo simplici adhiberi solebant, esse simul usos, V. Origenem *c. Celsum lib.2. & 3.* Hinc & rationi consonum, Legem illam Antonini Pii, quâ Judæis permissum filios suos tantùm circumcidere, tam Christianos (quorum non pauci & tum adhuc circumcisi) quàm Judæos non credentes amplecti, V. Modestinum *l.11. circumc. D. tit. ad Leg. Corn. de Sicar.* Paulum JC. *Sent. lib.5. tit.3.* & Origenem *in Celsum lib.2.* Imò docent Viri doctissimi, non solùm per Christiani nominis hæc initia, sed & insequentibus temporibus diu, simplex *Judæorum* nomen pro eo, quod tam Christianos seu credentes omnimodos, quàm Judæos non credentes, ut genus species suas continet, sumi consuevisse. Quare nec defuere Jurisconsulti quidam celebres, qui *Judaicam* apud Ulpianum *l.3. §.3. D. tit. de Decurion. superstitionem*, pro Religione Christiana, ut à Judaismo tunc distincta, sumerent, V. Alciatum *Dispunct. lib.3. cap.8. & ad l. quidam ignav. C. tit. de Decurion.* Anton. Augustinum *ad Modestin. pag. 336.* & Sam. Petitum *Diatr. de Jure Principum edictu, Ecclesiæ quæsito cap.6.* Certè etiamnum *Mahumedanorum* nomine & *Christianorum* generali venire complures, qui in persuasionum inter sibi cognomines diversissimarum multiplices sectas distrahuntur, nemo non videt. &c. V. Joh. Seldenum *de Synedriis Vett. Hebræorum lib. 1. cap. 9. pluribus de his disserentem.* Cœterùm *Judæorum*, inter Christianos, recentiori ævo, statum quod attinet, tum ipsi, tum eorum bona olim Baronum fuere, in quorum dominiis habitabant, uti patet ex *Statutis* Ludovici IX. *lib.1. cap.127.* Bractono *l.5. tract.4. cap.6. §.6.* *Curiâ* Barcinon. *A.C.* 1283. sub Petro II. Aragon. R. &c. Et quidem sic, ut his inconsultis aliorsum se recipere illis neutiquam liceret; quippe in servorum numero habitis. Quo proin nomine ab iis graves præstationes interdum à dominis, imò vario prætextu immensæ nonnunquam exigebantur pecuniæ summæ, ut apud Matth. Parisium passim videre est, ad A.C. inprimis 1244. 1250. & *seqq.* Sic cùm obnoxiæ conditionis essent, in commercio erant, adeò ut transferri ac concedi possent. Interim & Regii quodammodo juris erant, *& sub eorum tutela & defensione, ita ut quilibet eorum alicui diviti se non posset subdere, sine Regis licentia*, ut est in *LL.* Edwardi Confess. *cap.29.* V. & Petrum de Vineis *cap.12.* plura verò de *Judæorum* obnoxia hac conditione apud Car. du Fresne *Not. ad Statuta S. Ludovici p.184. & 185.* Gravius id, quòd olim *Judæi* Christianam Fidem amplectentis bona Fisco adjudicabantur, quod in Francia abolitum *Statuto* Caroli VI. & alibi jam ante Concilio Lateran. sub Innocentio III. Porrò erant *Judæis* Judices peculiares & Curiæ, in quibus eorum lites dirimebantur: & quidem CPoli Στρατηγὸς τῆς αὐτῶν illorum Judex erat, donec Manuel Comnenus eos ordinariis subjecit. Eorum cœmeteria extra muros civitatum esse jussit Henricus II. Angl. R. quemadmodum & CPoli sepulturas suas ἐκ τῶν περάσαν habuisse, refert Nicetas *Andronico lib. 1. num. 6.* Ut verò aliquo signo à Christianis dignoscerentur, sancitum Conc. Later. ano. 1215. *can.68.* Hinc in Gallia *notam* in vestibus seu circulum deferre jussi, eumque crocei coloris, *Edicto* Philippi III. Gall. R. In Anglia, pannum tabulæ instar gestavere, *ad palmi unam longitudinem*, ut ait Matthæus Westm. A.C. 1275. In *Decretis* Venetis *p. 68. signum telæ Zallæ, in medio pectoris*: In Syn. Exon. ann. 1287. *can.49. duas tabulas alterius coloris ad pectus consutas, quarum latitudo digitorum 2. longitudo 4.* In Concilio Viennensi Austriæ anno 1267. *can. 15. Pileum cornutum* &c. ut ferant, injungitur. Quam in rem, V. plura apud præfatum Carol. du Fresne *Glossar.* uti de commercio cum iis Christianis prohibito *can.11.* Conc. Trull. conversione item illorum ante consummationem seculi solenni, J. Casp. Suicerum *Thes. Eccl.* in hac voce: ubi & Paulianos, quòd in nomine Trinitatis non baptizarent, Ἰουδαίους δευτέρους, *Judæos secundos*, appellatos esse olim, ex Augustino *Hær. 44.* Vossio *Disput. 20. de Bapt.* & Justello *ad can. 19.* Concilii Niceni, inter alia complura huc facientia, addit.

Judaicus, cognomen Vespasiano, Judaicæ genus triumphatori (quem triumphum narrat Josephus *Excidii cap.16.*) ab exercitu oblatum, sed, ut ignobile & infame, repudiatum ab eo rejectumque, Dio *in Eo.* Odiosissimi enim & contemptissimi Romanis Judæi fuere, Theod. Marcilius *in Suetonii Vespasianum cap 8. & Titum cap.7.* Idem Aurelianum fecisse, cùm Carpos devicisset, diximus suprà, in voce *Carpicus.*

Judaicus Fiscus, apud Suetonium *Domitiano*, *Præter cæteros Judaicus fiscus acerbissimè actus est*: nomen tributi à Judæis pendi soliti. Quod enim in artibus sordidis & vetitis factitatum est, ut pretio repenso permitteretur illarum professio: id in religione Judaica quoque jam tum Romæ obtinuit, cujus professionem liberam in urbe redimere tenebantur Judæi. Unde Tertullianus *Apologet. Sacras literas Judæi palàm lectitant, vectigalis libertas vulgò aditur Sabbathis omnibus.* Didrachmum annuum fuisse, docet *in Vespasiano* Xiphilinus, ἀφ' οὗ δὲ δίδραχμον ἐτάχθη τοὺς τὰ πάτρια αὐτῶν ἔθη περιστέλλοντας τῷ Καπιτωλίῳ Διὶ κατ' ἔτος ἀποφέρειν. Neque verò ii solùm, qui liberè suam sectam profitebantur, huic pensitationi fuere obnoxii, sed & in illos severè inquisitum, qui, gentis cum essent, eam dissimulaverant. Ita enim Suetonius porrò, *Ad quem* (fiscum) *deferebantur, qui velut professi Judaicam intra urbem viverent vitam, vel dissimulata origine imposita genti tributa non pependissent. Interfuisse me adolescentulum memini, cùm à Procuratore frequentissimoque consilio inspiceretur nonagenarius senex, an circumsectus esset* &c. Idem postea in Christianos statutum & protectionem apud Beneficiarios fieri solitam, à Tabernariis, Aleonibus & Christianis, docet Tertullianus *d. l.* V. Casaubonum *ad Suetonii locum cit.* ut & suprà.

Judaicus Lapis, V. infrà *Tecolithus.*

Judas Iscariothes, adde: De ejus morte cùm variæ ferantur Eruditorum sententiæ, præcipitio illum e vivis abiisse, docet ex Cl. Priceo Suicerus *Thes. Eccl.* verbo Ἀπάγχω.

Judex, ex moribus apud Noachidas receptis, fœmina esse non poterat, juxta Hebræorum Magistros: quibus Juris Cæsarei conditores suffragantur, quo & Mulieres & Servi impediuntur, ne Judices fiant, *l.12. cum Præt. §.2. D. tit. de Judiciis.* Quod tam in Orientis quàm Occidentis jure Cæsareo; imò & Canonico seu Pontificio obtinuisse, videmus. Quò faciunt, quæ hac de re occurrunt, tum apud Juris Canonici in Oriente auctores, tum in legibus Hispanicis, aliisque e Cæsareis desumtis. Imò, ubi leges adeò disertè ea de re non habentur, mores plerunque, velut ex intervallo hoc vetustissimo derivati, inolevere: ut judiciis non præficiantur fœminæ. Non tamen eo quòd jus sive divinum sive naturale hujusmodi quid præcipiat, seu ob intellectûs defectum, sed ob earum *honestatis privilegium*, cùm indecorum nimis foret eas litibus forensibus inter viros commisceri. Sed verò mos hic perquàm variè temperatus est, per omnia secula, gentes omnes. Etiam Cæsareis Rescriptis pro re nata aliter atque aliter se res habuit: Et *Patrimonii munera* (qualiscunque, inter quæ etiam *Judicandi* haud rarò reperitur) *necesse est fœminas in locis quibus possident sustinere*, verba sunt Philippi Imp. At de more adverso, sc. de fœminis & consultationibus & *Judiciis* publicis, pariter atque maribus, admissis, tam apud vett. Gallos, Græcos, Germanos, Britannos, alios; quàm recentiores, apud quos dignitatibus etiam Regiis aliisque inde effluere solitis exornari eas frequentissimum est, consule Andr. Tiraquellum *ad LL. Connub.* Alfonsum de Azevedo *ad Recopilat. 3. tit. 9. §.20.* Bened. Ægidium *de Jure & Privil. Honestatis Artic.1.* alios. Quod verò ad viros, apud Noachidas, adeoque per intervallum illud temporis, quod à Noaho ad Mosem defluxit, *Judiciis* præficiendos

hos spectat, præter insignes dotes, ad quas Jethro alludit Exodi c.18.v.21. & ordinarium officii titulum דיינים ac שופטים Dinim & Shophtim, i. est, *Judices*; singulari dignitatis titulo fruebantur, qui erat זקן Zaken, id est, *Presbyter* seu *Senior*; non quòd ii solùm sic nominati, sed quòd eorum nullus esset, qui aut antè utpote è Presbyterorum cœtu, aut ex ipsa cooptatione seu constitutione in præfecturam Juridicam, titulo eodem non frueretur. Sic enim & apud exteras gentes, in Præfecturis aliquot, ii qui *Judiciis* præficiuntur, *Doctoris* plerunque *Juris* nomine fruuntur ac gradu, & qui tribunalium superiorum trium apud Anglos Judices sunt, *Servientis ad Legem* gradu, tum ut prævio, tum ut qui etiam semper retinetur gaudent. Unde *Presbyteri Israël*, ad præstantiores & eminentiores innuendos, in Sacris passim, usurpatur. Exodi 3. 16. & 18. *Vade & congrega* את זקני *Presbyteros Israël & dic ad eos.* Et paulò pòst, *Moses & Aaron venerunt simul & congregarunt* את כל זקני *cunctos Presbyteros filiorum Israël, &c.* Philo *de Vita Mos. libro* 1. vocat Δημογέροντας τοῦ ἔθνους, *Presbyteros* seu *Seniores gentis*: qui etiam *lib. περὶ τῶν ἐκ ὕβρε Νῶε*, primum Abrahamum hac notione *Presbyterum* fuisse appellatum, docet. Cùm enim Abrahamus dicitur Πρεσβύτερος, προβεβηκὼς ἡμερῶν, *Presbyter ætatis provectæ*, Genes. *cap.* 24. v. 1. & statim subjungitur, *& Dominus benedixit Abrahamo* κατὰ πάντα, *in omnibus*: Is subjunctum hoc de benedictione, pro ratione capit, cur Abraham Presbyter sit ibi dictus: Ἐπιφερόμενος, inquiens, διὰ τὸ λογικὸν τῆς ψυχῆς μέρος ὅταν ὁ Ἀβραὰμ καὶ μὴ καθ' ἓν εἶδος, ἀλλὰ κατὰ πάσας τὰς ἰδέας εὐλογηθῇ, πρεσβυτέροις γνώμαις χρῆται καὶ αὐτὸς ὄντως πρεσβύτερός ἐστι. *Cùm ex benignitate ac prudentia Divina rectè dispertitur pars animæ rationalis, nec unam modò, sed omnes benedictionis species accipit, Seniorum moribus & disciplinâ utitur, atq; ita ipsa fit senior.* Et demum, cùm complures ante Abrahamum diutiùs multo vixisse ex Scriptura sit manifestum, neminem eorum advertit Idem dictum fuisse זקן seu *Presbyterum*, adeoque hunc eo nomine signanter vocitatum esse contendit, ob causam jam dictam. Unde & apud Isidorum Hispalensem *de Offic. Eccles. l. 2. c. 7.* legitur, Presbyteros *merito & sapientiâ dici, non ætate.* Græci corpora illa Presbyterorum seu Seniorum, quater ante, & multoties post legem, Γερουσίαν seu *Senatum* reddunt; adeoque tam Presbyterium quàm Gerusia, ut prorsus Synonyma, Hellenistis in usu; licèt nullibi habeatur illud apud LXX. nedum in Paganismi sermone ullibi sive Græco sive Latino. Presbyterium item non rarò *Senatus* vertitur, cui tamen, si strictiùs loquendum, potiùs *Senioratus* responderet. Consessus quoque Presbyterorum שיבת & Συνέδριον dictus est; unde in Fœdere utroque *Synedrii* vocabulum obvium, juxta illud Salomonis, de Muliere forti, Proverb. *cap. 31. vers. 23. Nobilis in portis est vir ejus, quando sederit in Synedrio cum Presbyteris &c.* Quæ verò non sic capienda, quasi nunquam aliqui alii Presbyteri etiam civili hac notione ac ipsius Γερουσίας nomine venirent. Fuere enim interdum, qui sic dicti etiam ex eo tantùm, quòd negotiis aliquot forensibus aut quasi lege sacrâ præstitutis, haud impares reperirentur. Sed ut plurimum ita se res habuit, ut *Presbyterorum* nomine solenniter creati ac juxta morem constituti, sive in Synedria cooptarentur & *Judices* fierent, sive *Judiciariæ potestatis* capaces tantùm redderentur, sive Theologiæ aut partis ejusdem alicuius singularis Doctores (hujusmodi enim discrimen erat) ordinarentur, soli censeri solerent. Hinc duravit per Judaismum *Seniorum Judæorum, Cod. tit. de Jud. l. 15.* mentio; uti & *Synedriorum utriusq; Palæstinæ & Presbyterorum, Cod. Theodos. lib. 16. tit. 8. leg. 2. 13. 14. 29.* pro Primatibus aliisque Præfectis, qui ibidem que in Codice occurrunt &c. V. de *Judicibus Hebræorum* plura hic passim, inprimis in voce *Judicia, Presbyter*, item *Synedrium*. De *Judiciis Atheniensium*, diximus suprà, in voce *Dicasterium*: addam hic saltem, coronatos eos fuisse, ex Æschine *in Tim.* ubi *Judicibus* coronas fuisse ademptas, propter impunitatem Timarcho datam, narrat; & στέφανος hinc pro δικάζειν usurpat. Nisi cùm de capite cognoscebant, tum enim Rex cum Areopagitis, de istiusmodi caussis judicaturus, capiti coronam detrahebat, Poll. *l. 8.* De *Judicibus Ludorum* seu *Certaminum sacrorum*, V. suprà in voce *Brabeuta*. Apud Romanos *Judices* à Magistratu, h. e. primum à Regibus, inde à Consulibus, postmodum à Prætoribus, ad quos Jurisdictio erat translata, dabantur, è Senatorum ordine. Erant autem *Judicia* alia privata, quæ injuriam privato civi illatam; alia publica, quæ Reipublicæ, vindicabant. In illis si de jure actio esset, dabantur vel *Arbitri*, vel Decemviri vel Centumviri: si de facto, Recuperatores, qui de rebus reddendis vel recipiendis cognoscebant. Si de neutro quæstio erat, Prætoris Edictum interponebatur. Horum, se publicorum, dominus, post exactos Reges, Populus Rom. fuit, usque ad ann. U. C. 604. erantque quæstiones, quibus ad Populum accusabat reum Magistratus, *de Majestate, parricidio, peculatu*: de quibus judicio Populi condemnati puniebantur morte, exilio, mulctâ. Et quidem perduellionis crimen, utpote maximum, Centuriatis Comitiis à Populo judicabatur: cætera Comitiis Tributis peragebantur. Aut cùm res ita postularet, Quæstores ex SC. creabantur, qui de crimine publico quærerent, vel Dictator vel Consules ambo, vel alter, vel Prætor, qui extra ordinem jussus est quærere: usque ad ann. U. C. prædictum, quo pro Quæstoribus extraordinariis Prætores ordinarii creari cœpti sunt, qui suas quisque quæstiones quotannis sortirentur, *Majestatis, peculatus, ambitus, repetundarum*; quibus quæstiones *de falso, parricidiis, sicariis, injuriis*, Sulla adjecit. Tum Prætor, quæstionem sortitus, exercebat eam cum *Judicibus* selectis; Quæsitor editicius, cum editiciis Judicibus. Sortiebatur verò Prætor Judices ex decuriis, quas Prætores Urbani quotannis jurati conscribebant; & quia decuriæ ex ordinibus iis, apud quos Judicia essent, deligebantur, *delecti Judices* appellati sunt, & ipsorum cœtus *Concilium*: at qui primus ex ipsis sententiam ferebat, is *Judex quæstionis* aut *Princeps Judicum* vocabatur. Consistebat illud Concilium ex solis Senatoribus, usque ad Caii Gracchi Legem, qui Judicia ad Equites transtulit; quo pacto & Decuriæ & Concilium ex Equitum ordine desumptum, sicque universâ Reip. ratione perversâ factum est, ut Senatus dignitate solâ præstaret, Equester ordo potentiâ, opibus, dominatione turpissimâ & superbissimâ regnaret. Florus *lib. 3. c. 13. Quid ad jus libertatis æquandæ magis efficax, quàm ut Senatu regente provincias ordinis Equestris auctoritas saltem Judiciorum regno niteretur. Sed hæc ipsa in perniciem redibant — Nam & à Senatu in Equitem translata Judiciorum potestas, vectigalia, h. e. Imperii patrimonium supprimebat* (quum enim publicani fere Equites essent & ad ipsos Judicia translata, facile erat suæ societati favendo, vel ludificare locationem, vel remittere, vel redemtionis parte relevare: atque tali coitione pecuniam publicam depeculari) *& emptio frumenti ipsos Reip. nervos exhauriebat ærarium.* V. Stadium *ad l.* & de *Judiciariis Legibus*, *quibus* idem *divulsum à Senatu Equitem regnasse*, ait. *c. præc.*, plura, apud Livium passim, Appianum *Bell. Civ. l. 1.* Plut. *Gracchis*, Asconium in *Divinat. Ciceronis*. Suetonium *Cæsare c. 41.* Alios, è quibus latiùs apparet, quantum è Rep. petitum sit istis legibus, quantumque turbarum sæpius in Urbe concitaverint. Adde Sigonium *de antiquo Jure Italiæ &c.* Porrò Judicum Decuriæ cùm tres essent, quartam Augustus addidit, ex inferiore censu, quæ *Ducenariorum* vocaretur, judicaretque de levioribus summis, Sueton. *in eo c. 32.* postmodum plures accessere. Plin. *l. 33. c. 2. Divo Augusto decurias ordinante, major pars Judicum in ferreo annulo fuit: iiq; non Equites, sed Judices vocabantur — Eorum non nisi quatuor decuriæ fuere primò: vixq; singula millia in decuriis inventa sunt, nondum provinciis ad hoc munus admissis: servatum q; in hodiernum est ne quis è novis civibus in iis judicaret.* Ad quem l. V. Dalechampium, sicut de ætate *Judicum*, Casaubonum *ad Suetonii Augustum c. 32.* de loco & subselliis, infrà in voce *Subsellium*, de vestitu C. Paschalium *Chron. lib. 9. c. 25.* ubi explicat illud Claudiani,

Mœrent captivæ pellito judice *Leges &c.*

Addam saltem *Editicios Judices*, quos non Quæsitor sortitus esset, sicut *Delectos*, sed accusator edidisset, hinc iis à Cicerone oppositos, non ex certis decuriis, sed ex omni populo sumi consuevisse. V. Stadium ubi suprà, & alia hanc in rem infrà, ubi de *Judiciis*.

Judex, cognom. Vettii, apud Suetonium *Cæsare c. 21.*

Judex, apud mediæ ætatis Scriptores, variè sumitur. Sic enim vocantur Consules, apud Hieronymum *in Chron.* Magnates, Comites, Proceres, vel Senatores, apud Jornandem *de Regnor. success.* Isidorum Pacensem *in Chron. ærâ 754.* Anastasium *passim*, Alios. Legis Doctores, qui Comitibus suberant, & assidebant in judiciis, in *l. Baiwar. t. 2. c. 15. §. 2.* Porrò Romæ sic dicebantur, qui de controversiis & litibus Populi Rom. cognoscebant, quorum primus *Primicerius Judicum* appellatus est, teste Panvinio, & Bennone *Hist. Gregorii VII.* In Comitatu Provinciæ *Judices majores* nominati Judices Supremi, antequam erectum esset Aquense Parlamentum, quorum seriem ex Schedis Peirescianis, exhibet in *Glossario* suo Car. du Fresne. Apud Aragonenses *Judex medius* dictus est *in quo Regia potestatis temperatio inerat*, ut ait Hier. Blanca. Ab illo Magistratus *Justitiæ Aragonum* dimanavit, adeò ut idem ipse sit *intermedius Judex* à Suprarbiensibus olim constitutus, qui postea *Justitia major* quandoque etiam, quòd ab ipso Rege crearetur. *Justitia Domini Regis*, etiam *Justitia in Cæsaraugusta* nonnunquam, quòd in ea urbe judicium exerceret; ac *Justitia Aragonum* tandem, ipsius Regni nomen assumens, appellatus est. V. infrà voce *Justitia*. Hispani, *Judices* nuncuparunt supremos suos Gubernatores ac Principes, teste Lucâ Tudensi ærâ 961. Præsertim verò sic dicti leguntur Reguli Sardiniæ, Calaritani sc. & Arboreenses Toparchæ, eorumque dominia *Judicatus*, uti præfatus Auctor docet, ex *Chronicis* Pisanis A. C. 1165. & *Epistola* B. Marchionissæ Massæ & *Judicatissæ* Calaritanæ & Arboreensis, in *Regesto* Honorii III. *libro* 1. etiam Israëlis & Castellæ Regna, à *Judicibus* cœpisse, ut de prioribus mox videbimus; & Athanaricum, qui Gothis imperavit sub Valente Imp. *Regis* nomine repudiato, *Judicis* usurpasse, ex Themistio addens. Imò *nomine hoc appellatos fuisse invenio omnes, qui à fabrilibus vilioris exercitii opificiis temperantes, sive Magistratibus administrandis, sive contrahentium adstipulandis conventionibus, sive ipsi dicendo interpretandove juri erant dediti*, verba sunt Fl. Blondi *Dec. 2. libro* 1. ubi referentem Bibliothecarium Carolo, Romam venienti, à Pontifice, inter alios, obviàm missa esse *Judicum triginta millia*, miratur, apud Macros Fratres *in Hierolexico*, ubi etiam aliquid de *Judicibus S. Palatii*, sicut de variis aliis *Judicum generibus* videndus Car. du Fresne *ubi suprà*.

Judices, adde: Non erant hi *Judices* ordinarii, de quibus suprà; sed viri Heroicis instructi virtutibus, qui extra ordinem, cùm necessitas urgeret, divinitus mox ex hac, mox ex illa tribu, excitabantur, ut Populo Dei sapientiâ suâ & fortitudine prælucerent, illi præessent, inprimis verò è manibus hostium eum liberarent. Unde Judicum *c.2. v.16.* legimus: *Postea excitabat quidem Jehova vindices, qui servabant eos è manu diripientium eos*: & Ehud *c.3. v.15. Servatoris* nomine insignitus legitur. Josepho iidem modò *Judices*, modò Monarchæ dicuntur; quod nomen etiam Sullæ, Cinnæ, Mario aliisque Romanorum Dictatoribus, in Scriptoribus Græcis tribui videmus. In eo enim à Suffetibus Carthaginensium, & Consulibus Romanorum erant diversi, quòd cùm horum munus ambulatorium esset & inter pluresdivisum; Hebræorum *Judices* perpetuo fruerentur imperio, & collegam non haberent, imò aliquando ad filios dignitatem transmitterent, ut de Samuele legimus. Neq; verò belli solùm tempore, sed & rebus pacatis, aliquando excitabantur à Deo, ut res gravissimas prudentiâ suâ deciderent, & politiam collapsam restaurarent. Sic Debora *sub palma judicabat Israëlem, c.4. v.5.* talesque erant, qui Gideonem & Jephtham erant sequuti, Thola, Ebsan, Elon & Abdon: Eli item, ac Samuel, qui, etiam postquam Saul in Regem unctus esset, *judicavit Israëlem omnibus diebus vitæ suæ*, 1.Sam. *c.7. v.15.* Quo sensu idem filios suos *Judices* constituisse dicitur, 1.Sam. *c.8. v.11.* Sed neque toti Israeli semper præerant, verùm communiter uni solùm alterive Tribui, quam dein sponte aliæ sequebantur, prout res postulabat. Sic Baracus Zebulonitas & Naphthalitas judicabat, *cap.4. vers.10.* Gideon tribubus Manasse & Aser præfectus erat, *cap 6. vers.35.* Jephtham Gileaditæ & Manassitæ sequebantur, *c.11. v.29.* coll. cum *c.12. v.1,2.* Imò nonnunquam duo simul diversis in locis præerant, ut ex sacra Historia colligere est. Auctoritas eorum erat summa, & nulli judicio humano obnoxia, unde, licet à Senioribus ordinariò regeretur Populus, illi tamen Dictaturam exercebant perpetuam neque proin ullibi cum Synedrio aut alio Populi Concilio inivisse consilia leguntur: ut qui immediatè à Deo vocari solebant, eo tempore inprimis, quo, publicæ disciplinæ vinculo laxato, Tribus non in commune consulerent, sed rerum suarum quæque unicè satageret. Sic Regiam potestatem reipsâ exercebant, Deo soli, qui caput tum Populi sui peculiari ratione erat, cujusque ipsi vices gerebant, obnoxii: unde & *Reges* dicti videntur. Huc enim referunt quidam illud *Judicum c.17. v.6. 18. Temporibus illis non erat Rex* (id est, Judex) *Israëlis: quisq; quod rectum videbatur in oculis suis, faciebant.* Interim à Regibus, quales eorum tempora sequuti sunt, in eo erant diversi, quòd absque ullo apparatu pompaque regia, civili magis & ad reliquorum vivendi rationem proximè accedente statu victuque uterentur, Leges non conderent, neque tributis populum onerarent: porrò dignitatem non obtinerent hæreditariam, & quidam eorum, ut nonnulli de Gideone ac Jephtah sentiunt, post liberatum præsenti calamitate fortique manu assertum Populum, ad vitam privatam redirent. Floruerunt illi per annos admodum trecentos: Anni enim 450. quorum mentio fit Actorum *c.13. v.20.* non de *Judicum* annis intelligendi sunt, verùm videntur à nativitate Isaaci inchoandi (in quo, ut in semine Abrahami, *elegerat Deus Patres*) & terminandi in κληρουχίᾳ seu sortitione terræ, V. *v.17,18,19.* quo temporis intervallo lapsi sunt anni 447. id est, *quasi* 450. ut etiam textus sonat, ὡς ἔτεσι τετρακοσίοις καὶ πεντήκοντα. Tredecim, aliis 15. numero fuere hi *Judices*, quorum nomina, patriam & Præturæ annos, habebis infrà. In eorum gestis observare licet 1. Res maximas, levibus plerunque minimisque instrumentis esse patratas. Ita Ehud scævus perculsit Eglonem, Moabitarum Regem: Samgar stimulo bovis, pulsavit sexcentos Philisthæos. Debora & Jael deleverunt Siseram, & hæc quidem clavo per tempora adacto. Gideon confractis urnis prostravit exercitum 135000. hominum. Simson asini maxillâ neci dedit mille Philistæos. 2. Nævos & defectus eorum, & quomodo Deus nihilominus, per sinistrum Ehudem, pusillanimum Baracum, Gideonem ὀλιγόπιστον & in fide infirmum, spurium Jephthām, uxorium & scortatorem Simsonem, Abimelechum Tyrannum, quæ voluit, dederit effecta & ad optatum finem perduxerit. Nec observatione indigna est eorum successio; quando strenuum Ehudem decessorem excepit Debora mulier: Gideon largum & munificum, crudelis Abimelech: nobilem Jairum, spurius Jephtha; grandævum Heli, adolescens Samuel. Quibus omnibus, mirâ dexteritate, Populum suum, nullâ hominum ratione habita, sibi omnia debere & in suam voluntatem refundi, docere voluit Deus. Quæ causa, quòd Status Reipublicæ, sub Mose, Josua, & *Judicibus*, eruditis *Theocratia* dicatur, donec illa in *Monarchiam* mundanam versa est, sub Regibus; quorum paucissimi Deo placebant: cùm contra *Judicum* plerique ei ob fidem suam, quæ Hebræorum *c.11.* ubi duo tantùm eorum paria, per compendium, recensentur, tantopere prædicatur. Nec omittendum, nobilitata fuisse hæc tempora, horribilibus Populi peccatis, subitis hostium invasionibus & fortissimis *Judicum* liberationibus. Et quidem Populi scelera, agmine quasi facto, latè exundabant, statim à morte Josuæ & Seniorum, Judic. *c. 2. v.7.* consistebant autem illa maximè in Idololatria, quam exercebant cum Baal & Astaroth, *vers.12, 13.* & in quam prima delapsa narratur tribus Dan, Judic. *c.18. v.30,31.* eamque ob causam non absurdè videtur quibusdam ethig asse Antichristum ejusque apostasiam in Ecclesia: & certè mysticum est, quòd sola, inter omnes tribus Israelis, hæc non compareat in Apoc. Unde jam Vett. ex ea oriturum Antichristum rebantur. Fidei hanc apostasiam in Populo Dei consecuti sunt, ut fieri amat, mores perditissimi & flagitiosissima vita, Judic. *c.19.* Oppressiones hinc securę sextuplices, à Syris, Moabitis, Cananitis, Midianitis, Ammonitis & Philistæis: quas omnes totidem liberationibus & vindictis rependit Deus, ut resipisceret Populus, & ad meliorem rediret mentem. Sed & singulariter observavit in his *Judicibus* Augustinus, ut & in subsequentibus Regibus, variis modis repræsentatum fuisse Christi statum & Ecclesiæ: sicut, verbi gratiâ, priores fuere *Judices*, quos dein Reges exceperunt; ita primò judicium exequitur Christus, denuo regnum suum plantaturus & consummaturus &c. V. Franc. Burmannum *Synopsi Theologiæ Part. I. lib. 4. cap.34. § .5. & seqq.* Cœterùm Auctorem hujus libri quod attinet, in incerto is est: verisimile tamen videtur, librum hunc unà cum libris Josuæ & Ruth; à Samuele Propheta exaratum, & Canoni additum fuisse: ut qui post Mosen primus Propheta & Scriptor memoratur Actor. *c.3. v.24.* quique ex publicis privatisque monumentis, ac ipsorum *Judicum* commentariis, divino instinctu, hunc librum Ecclesiæ tradidisse creditur. Alii tamen Esræ Sacerdoti id tribuunt: hoc certum est, ab ipsismet *Judicibus* concinnatum non fuisse, ex *cap.2. vers.19.* Continet res gestas 376. annorum, secundum illos, qui Josuæ Helique regimen unà comprehensum volunt: Alii 480. annos libro tribuunt: Nonnulli, ab Othniele exorsi, & in Simsone finientes, historiam annorum circiter 300. hoc libro contineri volunt, quod pluribus probat præfatus Burmannus *Comment. in Judices*, quem si placet vide.

Nomina, Patria, Res gestæ Judicum, & anni Regiminis.

Othniel, e Juda, liberavit Populum è manu Cuschanis Rischatajimorum Regis Syriæ, à quo per 8. annos oppressi erant, quibus connumeratis Præturam Populi exercuit, ann. 40. Judic. *c.3. v.8,11.*

Ehud, è Benjamine, è Moabitarum servitute Israëlitas octodecennali asseruit, Eglone Rege eorum interfecto, sicque quievit terra ad annum usque 80. *c.3. v.14,15,30.*

Samgar, filius Anathi, Philistæos perculsit stimulo bovis sexcentos, & Israëlem servavit: cujus regiminis tempus ad præfatos años 80. pertinet, *c.3. v.31.*

Debora, Ephraimitis & Baracus Naphthalites, Populum à Cananitis, quibus 20. annos servierat, sub Rege Jabine, liberarunt; Sisserâ exercitus Duce Jaëlis manu interempto, & præfuerunt ann. 40. *cap. 4. v. 3. & 5. vers. 31.*

Gideon, e tribu Manasse, sub Midianitarum jugo, integro septennio, gementem Populum vindicavit in libertatem: ejus regimini itidem attribuuntur anni 40. *cap.6. vers.1. & cap. 8. vers. 28.*

Abimelechus, hujus filius nothus, Tyrannus potiùs quàm Judex, in pace & bello præfuit annos 3. *c.9. v.22.*

Thola ex Isaschare, post Abimelechum, conservavit Israëlē, præfuitque annos 23. *c.10. v.1,2.*

Jair e Manasse, ann. 22. *c.10. vers.3.*

Jephthah Gileadites, ab Ammonitis Israëlem liberavit; cujus Præturæ assignantur anni 18. *c.10. v. 8.* Qui anni omnes in summam collecti, auctiq; annis 30. Josuæ & ultimo anno Mosis, efficiunt 297. seu 298. in quibus Hesbon, seu Terra Moab possessa est ab Israële, usque ad Jephthæ judicaturam, pro quo numero habes numerum rotundum 300. *cap.11. vers.26.* Cum oppressione verò hac Ammonitarum videtur incepisse oppressio Philistæorum, in alio Terræ S. tractu. V. *c.10. v.7,8.* Sic ut ab una parte servitus sub Ammonitis videatur durasse annos 18. Jephtah præfuisse annos 6. *cap.12. vers.7.*

Ebzan, è tribu Juda, ann. 7. *c. 12. vers.9.*

Elon Zebulonites, ann. 10. *cap.12. vers.11.*

Abdon Ephraimita, ann. 8. *cap.12. vers.14.* qui anni simul efficiunt ann. 49. Ab altera parte oppressio Philistæorum concurrisse, *cap.13. vers.1.* ita ut in Orientali terræ tractu, post victos Ammonitas, pacato, in Occiduo adhuc Philistæorum tyrannis duraret: Residui autem novem anni, qui tempus Præturæ quatuor præfatorum Judicum excedunt, partim in Simsonis, partim in Eli Regimen incurrunt, cum quibus illi simul, sed diversis in locis, ut præmonitum, Populum judicasse videntur. Cùm itaque 18. anni detrahuntur de servitute sub Philistæis quadragenaria, qui viz. cum oppressione Ammonitica coinciderunt, remanent anni 22. qui, unà cum servitute, desinunt in morte Simsonis.

Simson itaq; Danites, Israeli præfuit, ann. 22. *cap.13. v.1. cap. 15. vers. 20. & 16. vers.31.* Accessere, Heli Levita, qui unà cum Simsone aliquandiu præfuisse videtur Israeli, & illo foris rem strenuè gerente, domi politiam ordinasse: unde de 40. annis, qui ei tribuuntur, 1.Sam. *cap. 4. vers. 18.* biennio circiter deciso, remanebunt ei soli anni 38. In quorum fine, Philistæi armis resumptis magna clade affecerunt Israelem & Arcam ipsam Fœderis ceperunt, quæ in hac captivitate mansit menses 7. 1.Sam. *c.6. v.1.* Sed illâ in terram Israelis reversâ, postquam 20. annos in urbe Jeharimorum resedisset,

Samuel itidem Levita, Propheta post Mosem celeberrimus, ad Eben-Hezerum profligavit Philistæos, atque post Heli Pontificis obitum solus præfuit annos 20. cum dim. seu potius connumeratis 7. mensibus præfatis (quibus Arca inter hostes degebat, sub

mag

magis illis gravissimè afflictis, triumphabat, ann. 21. Qui cùm Regiminis onus ex parte in filios devolvisset, vitiis suis hi effecerunt, ut Israëlitæ Theocratici Regiminis pertæsi, Regem peterent, qui ipsis datus est, Saul Benjaminita, cujus regno tribuendi anni 19. qui juncti annis, 21. Samuelis efficiunt 40. illos, quibus præfuisse Saul dicitur Actor. *cap.* 13. *vers.* 21. V. Franc. Burmannum suprà laudatum *Explicat. & Meditat. ad cap. Judic.* 21.

Judicia, in Rep. Romana, primùm penès Senatum fuerunt, ex lege Romuli, cujus meminit Dion. Halicarnassæus: quod etiam longo tempore sub Consulibus observatum. Donec C. Sempronius Gracchus Tr. Pl. lege latâ, ea ad solos Equites transtulit, postquam paucis ante annis frater ejus Tiberius idem conatus fuerat. Q. dein Servilius Cæpio anno 647. *Judicia* ordini Senatorio communicari voluit, quæ tamen lex non multo pòst abrogata est: fuit autem hac lege impar & minor Senatorum numerus, quàm Equitum. Paucis proin pòst annis M. Livius Drusus Trib. Pl. A. 662. tulit, ut æquâ ex parte judicia penes Senatum & Equestrem ordinem essent, id est, trecenti Equites & trecenti Senatores. Verùm nec hæc lex longæva fuit. Nam L. Martius Philippus Consul, Drusi inimicus, eodem anno obtinuit, ut hujus leges tanquam contra auspicia latæ uno Senatusconsulto tollerentur. Anno exin elapso, qui fuit secundus belli Italici, cùm Equester ordo in *Judiciis* dominaretur, legem tulit M. Plautius Silvanus Tr. Pl. ut Tribus singulæ ex eo numero quinos denos suffragio crearent, qui eo anno judicarent: quo factum, ut Senatores quoque in eo numero essent, & quidem etiam ex ipsa plebe. Unde colligitur, cùm antea Equites soli judicarent trecenti. Tribus dedisse *Judices* singulas 15. itaque 450. fuisse, & *Judicia* inter tres ordines, Senatorium, Equestrem & Plebeium communicata esse. L. Corn. Sulla Dictator postea, *Judicia* Equestri ordini ademta iterum in solum ordinem Senatorium transtulit, anno U. C. 673. Post quem undecim annis L. Aur. Cotta Prætor illa Equestri iterum ordini & Tribunis Ærarii communicavit. C. verò Julius Cæsar. *Judicia* ad duo genera Judicum redegit, Equestris viz. & Senatorii ordinis, Tribunis Ærarii omissis: Pompejus an. 698. amplissimo ex censu, ex centuriis, aliter quàm antea lectos Judices, ex tribus tamen ordinibus, quibus Aureliâ lege communicata erant, res judicare: item ut 75. Judices causas cognoscerent, statuit. Ultimus M. Antonius Cons. cum C. Julio Cæsare A. 809. voluit, ut tertia Judicum decuria è Centurionibus, Antesignanis, Alaudis, Manipularibus fieret. V. Paulum Manutium *lib. de LL.* Franc. Poletum *lib.* 3 *Histor. Fori Rom.* Joh. Rosinum *Antiqq. Rom. lib.* 8. *cap.* 21. *& seqq.* &c. ut & suprà in voce *Judex*. Apud Athenienses Solon, cum æquam omnibus suis civibus libertatem constituere in animo haberet, suo maximè instituto facere observavit, si à Populo *Judicia* redderentur, quo pacto planè in Democratiam recidit. Dedit enim Lege provocationem à Magistratibus ad *Judices*, *Διὸ ἐκεῖνον, ὅσαι αἱ Ἀρχαὶ κύριαι, εἰς τὸ Δικαστήριον ἐφέσεις εἶναι τοῖς βουλομένοις*. Inter *Judices* autem allegebantur omnes ex æquo cives Athenienses, sine ullo census discrimine, ne proletariis quidem, qui Θῆτες illis dicebantur, exclusis: Conditiones tamen hæ exigebantur, ut essent Famæ integræ, annos 30. nati, neque inter ærarios relati; nec excludebantur, qui Senatu moti erant: quibus tamen apud Romanos judicare non erat permissum, teste Marcello *lib.* 3. *ff.* Porrò sorte capiebantur ibi Judices è lege Solonis, qui fecit *τὰ Δικαστήρια κληρωτά*, & Athenienses in sua quemque Fora distribuit: de quibus V. suprà ibid. item in vocibus *Dicasterium* & *Forum*, inprimis autem apud Sam. Petitum *Comm. in LL. Atticas lib.* 4. *tit.* 1. Apud Hebræos duo legimus fuisse *Dicasteria*, סנהדרים גדולה *Sanhedrim gedola*, id est, *Synedrium* vel *Senatum magnum*, & סנהדרים קטנה *Sanhedrim Ketanna* h. e. *Synedrium* vel *Senatum parvum*: quorum hoc CHRISTUS *Κρίσιν*, illud *Συνέδριον* appellare videtur, seu *Concilium*, vel *Consessum*, Matth. *cap.* 5. *vers.* 22. In priori itaque, quod *Sanhedrim* per excellentiam, aliter בית דין *Beth din*, i. *domus Judicii*, dictum fuit, Judices erant septuaginta unus, juxta institutionem divinam, Numer. *cap.* 11. *versu* 16. sic ut supernumerarius esset *Nasi*. *Princeps* concilii. Horum senos è qualibet tribu, excepta tribu Levi, quæ quaternos tantum dederit, selectos Eruditi volunt, idque hoc modo, ut scribit Salomon Jarchi: Seni ex qualibet Tribu, postquam nomen suum schedulæ peculiari inscripserunt, septuaginta harum insignitæ erant voce, זקן *Zaken*, id est, *Senex vel Senior*: duæ reliquæ habebant inscriptum חלק *Chelek*, i. *pars*. Quibus in urnam conjectis, illi qui schedam cum nota *Zaken* extrahebant, allegebantur in Judices, reliquis cum his rejectis. V. Num. 11. 26. Maximus natu horum LXX. אב בית דין *Abbeth din* vocitatus est, i. e. *Pater Consessus*, sedemq; habuit juxta *Nasi*, ad dextrum ejus latus, qui, in medio sedens, reliquos circum se in semicirculum dispositos habuit. Minus autem *Judicium*, iterum in duo alia subdividebatur, quorum *alterum* è 23. Senioribus constabat: Erantque talia Consistoria duo in Urbe

Hierosolymis, unum ad portam Curiæ Templi, alterum ad portam Montis, in quo Templum. Imò nulla erat civitas, modò haberet sexaginta familias, in qua non esset erectum istiusmodi Tribunal. *Alterum*, Triumviris solùm constans, in locis ignobilioribus, causas disceptabat. Præterea, Synedrium magnum solùm Hierosolymis conveniebat, extra Atrium Templi, in domo Hebr. *Lischath hogazith*, Gr. *λιθόστρωτον*, dictâ, V. Joh. *c.* 19. *v.* 13. cum alterum in omnibus Civitatum portis haberetur: quæ causa, quòd cùm portæ & robur sint civitatis & sedes fuerint *Judicii*, promittat CHRISTUS, *ne portas quidem Inferni, contra Ecclesiam suam prævalituras esse*, Matth. *c.* 16. *v.* 18. Tandem ab Inferioribus *Judiciis* licebat provocare ad Synedrium magnum, ab hoc verò ulteriùs non licebat. Et quidem Consessus Triumviralis civiles tantum causas dijudicabat: Viginti-Triumviralis capitales quidem, sed ita limitate, ut nec in integram aliquam Tribum, nec in Sacerdotem summum, nec in falsos Prophetas ullum ipsi jus esset, quæ omnia unice ad Synedrium LXX. Vir. spectabant. Unde querela Christi Lucæ *c.* 13. *v.* 34. *Hierusalem, Hierusalem, trucidatrix Prophetarum* &c. Obtinuitque auctoritatem suam majus illud *Judicium* omni tempore, non solùm sub Judicibus & Regibus, sed & tempore Interregni, usque ad tempora Herodis, qui tyrannidi suæ consulturus, illud penitus sustulit. Græci fortè aliter vocaverint *Βουλὴν κυρίαν*, seu *Σύγκλητον*. Consideranda verò in quolibet Hebræorum *Judicio* veniunt, quinque hominum genera, *Judices*, *Partes litigantes* seu *Advocati*, *Notarii*, *Testes* & *Apparitores*. In suprema Curia seu Synedrio magno, *Judices*, ut dictum, caput habebant Hebr. *Nasi*, Græc. *Ἄρχοντα* s. *Principem judicii* dictum. Advocatus dicebatur בעל ריב *Baal rib*: Hic stabat ad dextram ejus, qui ad causam dicendam vocatus erat, ut pro vel contra eum peroraret. Quò alluditur Psalm. 109. *v.* 31. *Deus assistet ad dextram egentis*: & Zachariæ *c.* 3. *v.* 1. ubi Propheta dicit, se vidisse *Satanam stantem ad dextram* (Josuæ Sacerdotis:) in quorum priori loco phrasis hæc defensionem, in posteriore accusationem denotat. Eòdem respicere videtur Johannes *c.* 2. *v.* 1. *Epist.* 1. *Si quis peccarit, Advocatum apud Patrem habemus*. Notarii duo aderant, quorum unus ad dextram consistens, solicitè adnotabat, quæ defensionis loco allata erant, ut scriberet sententiam absolutoriam: alter ad lævam collocatus, condemnatoriam sententiam literis consignaturus, quidquid contra reum afferebatur, notabat. Ad quem ritum Drusio CHRISTUS respicere videtur, cùm Matthæi *c.* 25. *v.* 33. ait: *Et statuet oves quidem ad dextram suam, hœdos autem ad sinistram*. Testes ad minimum requirebantur duo, Deuter. *c.* 19. *v.* 15. qui si falsum dixisse testimonium deprehensi essent, Talionis pœnam luebant, *v.* 19. Ministri tandem sive Apparitores præstò erant, cum suis virgis ac flagellis, ut sententiam à Judicibus latam promtè exequerentur. Hebr. dicti שטרים *Schoterim*. LXX. Interpretibus nonnunquam *Γραμματεῖς*, Lucæ *c.* 12. *v.* 58. *Πράκτορες* i. *Exactores*. Ut ad *Judices* redeam, quibus illos requisitis instructos esse deceret, patefecit Deus Exodi *c.* 18. *v.* 21. & Deut. *c.* 1. *v.* 13. *ac* 17. quibus Judæi varia superaddiderunt, ut videre est apud Mosen Kotsensem *in Sanhedrim*. Ne autem unquam virorum istiusmodi insignium copia deesset, eodem Auctore teste tria in loco judicii scamna disposita erant, in quibus sedebant *Talmidi Chacamim*, i. e. *Discipuli Sapientum*, qui quasi Judicum seminarium erant, & ex quorum numero semper ad supplicii locum duo reum deducebant. Nec nisi solenni ritu inaugurati *Judices* ad munus admittebantur, quod fiebat vel impositione manuum antiquitus, præsentibus quinque aut ad minimum tribus Judicibus: vel pronuntiatione verborum horum: *Esto associatus, & habeas potestatem judicandi*, Maimon *in Sanhedrim*. Re ultro citroque maturè deliberatâ, quisque *Judicum* vivâ voce quid sentiret dicebat: cùm Græci Romaniq; calculis in urnam conjectis hac fini uterentur, ut annotavit Ovidius *Metamorphoseôn lib.* 15.

Mos erat antiquis, niveis atrisq; lapillis,
His damnare reos, illos absolvere culpâ.

Quò allusum videtur Apocalypseos *c.* 2. *v.* 17. Sententia tandem hisce circiter verbis prolata: *Tu N. justus, Tu N. reus*: & hic ad locum supplicii pertractus est; quò respexisse videtur David Psalmo 109. *v.* 7. *Quum in jus venerit, abeat damnatus*. Cùm de capite agebatur, hæc præmitti communiter ac observari solebant: 1. Ut, in aliis, sic in istiusmodi inprimis causâ, magnâ animi contentione, à *Judicibus* deliberatum est. 2. Reus collocabatur in loco edito, Hebr. *Set Naboth*, i. e. *in capite populi*, 1. Reg. *c.* 21. *v.* 9. ut ab universo populo conspici ac audiri posset. 3. Utrique tum Judices, tum Testes, capiti condemnati manus imponentes, dicere solebant, *Sanguis tuus super caput tuum*. Quò alludens populus, Matth. *c.* 27. *v.* 25. *Sanguis ejus super nos & filios nostros*, clamavit. 4. Locus supplicii erat extra urbem, quò ad mortem damnatus à duobus Justitiæ ministris, qui Rabbinis חזני הכנסת *Chazani haccenseth* i. e. *Spectatores congregationis*, Mar. c. 6. *v.* 27. *Σπεκουλάτορες* appellati leguntur, duci solebat. 5. Quod dum fiebat, publicâ voce clamabat Præco: *Ad mortem ducitur N. eò quòd commisit hoc vel illud crimen, hoc vel illo loco, hoc vel illo tempore, cujus rei testes sunt N. N. Quòd si quis aliquid noverit, misero profuturum, prodeat & proferat*. Quem in finem, in

porta

porta Curiæ stabat aliquis cum strophiolo in manu, qui si fortè adveniret quidam ad defensionem ejus, qui damnatus abducebatur, aliquid allaturus, signo dato moneret alium in equo procul ad id ipsum constitutum, ut reum reduci juberet, &c. 6. Quòd si nihil supererat, quod supplicium moraretur, admonitus reus est, ut fateretur delictum, quò partem habere posset in seculo futuro, V. Josuæ *cap.7.versu* 19. & 20. 7. Tempore supplicii dabant maleficio *Granum thuris in calice vini*, ut mortis acerbitatem minùs sentiret: Vocat id Marcus *ἐσμυρνισμένον οἶνον*, *vinum myrrhatum*, *cap.*15. *versu* 23. tale enim ex more erat: sed scelerati milites, ejus loco, propinarunt patienti DOMINO *acetum cum felle mistum*, Matth. *cap.*27. *versu* 34. ut dolores ejus augerent. Nisi dicas duplicem calicem Christo oblatum fuisse, quorum prioris Marcus, posterioris Matthæus meminerint. Tandem, postquam morti datus esset reus, instrumenta mortis, sive lapis, sive gladius, sive laqueus, cum arbore, de qua fortè suspensus erat, igni comburebantur, ne ulla hujus rei memoria extaret. V. Thom. Godwynum *de Ritibus Hebr. lib.*5. *cap.*3. *& seqq.* E quo adjicere piget discrimen phrasium harum: *Ἀναστῆναι εἰς κρίσιν*, *Surgere ad judicium*, & *ἀναστῆναι ἐν κρίσει*, *Surgere in judicio*. Quarum prior Judici applicatur, Psalmo 76. *versu*. 10. *Surgit ad judicium Deus*, id est, executioni illud mandat. Posterior parti à Judice absolutæ, Matth. *cap.* 12. *versu* 41. *Ninevitæ resurgent in judicio cum gente ista*, i. absolventur, justi pronuntiabuntur, præ generatione ista. Fuit & tertia phrasis in usu, *ἐξελθεῖν καταδεδικασμένον*, *abire damnatum*, quæ ei qui in Judicio causâ suâ cadit quadrabat, Vid. Psalm. 109. *vers.*7. Similes apud Romanos loquendi modi erant, *Stare in Senatu*, *Causâ cadere* &c.

Judicium, vox Monachorum, de multa, quæ Capituli *judicio* Monacho delinquenti infligitur, in *Decretis* Lanfranci, pro Ordine Benedict. *cap* 10. Alias *Disciplina*. Item de purgatione vulgari, crebrò apud medii ævi Scriptores, seu per duellum, seu per ferrum candens, aliquando tamen in specie de posteriori, ńeque duello opponitur, uti ex *Chartâ* Hugonis D. Burg. pro Belnensi Communia A. C. 1203. apud Perardum in *Tabb. Burgund.* videre est. Eadem purgatio unà cum canonica, quæ per Juramentum fiebat, & *Canonibus* Conciliorum admittebatur *Judicium Dei* appellatur passim, quòd existimarent hocce examine rei, de qua quæstio erat, Deum veritatem probaturum, etiam cum miraculo. V. Agobardum *de Div. Judicio cap.* 1. Gregorium Tur. *de Mirac. lib.*1. *cap.*19. Matth. Paris A. C. 1239. Alios. Verum rarius sacramentum *Judicium Dei* dictum reperies, frequentiùs purgationem vulgarem: unde *Judicium Dei* à Sacramento distinguitur, in Concilio Mogunt. A. C. 888. *can.* 13. Et quidem *Duellum* hoc nomine fere semper indigitatur, ut inter alios apud eundem Agobardum: quemadmodum Purgatio per ferrum ignitum, & aquam seu ferventem seu frigidam &c. apud alios. Cujusmodi purgationibus quòd Spiritum S. præesse crederent, *Judicium S. Spiritus* non semel istiusmodi purgatio dicta. *Quasi putarent*, verba Agobardi, *rerum latentium dubia & occulta posse patefieri & per res contrarias veritati veritatem latentem demonstrari.* In obeundis v. talibus judiciis, certi ritus observati. Ac primò quidem festis illa & jejuniorum diebus neutiquam suscepta sunt. Dein, qui ad *judicia* exiturus erat, triduo ante peccatorum confessione, strictiori jejunio ac S. Eucharistiæ perceptione sese parabat. Ante communionem autem interrogabatur, à Sacerdote, cum adjuratione, an innocentem se nosset: quod si asseverasset, Sacerdos porrigens ipsi sacra symbola, dicebat: *Corpus hoc & sanguis Domini nostri Jesu Christi, sit tibi ad probationem hodie.* Peragebatur dein purgatio coram Episcopis vel Sacerdotibus ab iis delegatis, & coram Judice Seculari, uti discimus ex *LL.* Edwardi Confessoris *cap.* 9. Quam in rem V. plura apud Car. du Fresne *Glossar.* ubi & de *Judicio Regali* apud Hungaros, *brevi & formidoloso*, Zagrabiæ olim habito, in quo hastam subire cogebantur litigantes, *& peroratâ utrinq; causâ, in cujus caput hasta demittebatur, is capitis reus habebatur præsentaneoq; supplicio mulctabatur*, ex Bonfinio: nec non hîc passim, ut & voce *Purgatio*.

Judith, adde: Ob victoriam *Juditha* contra Holophernem & Assyrios obtentam, festum illud celebre Hebræorum, *Encænia* dictum, celebrari, vel saltem victoriæ ejusdem commemorationem in eo contineri, consuevisse, obtinuit apud aliquos opinio. Et in calce quidem Historiæ *Juditha*, à Græcis Latinisque receptæ, Latinus codex, versionis Hieronymianæ ex Chaldæo, aliquid hujusmodi habet, *cap.*16. *vers.*31. Sed in Codd. Græcis illud minimè comparet: unde & in versionibus recentioribus è Græco factis, planè deest. In Computo quoque Æthiopico apud Jos. Scaligerum *de Emend. Temp l.*7. festi *Jodid* seu *Judid* mentio fit, quæ pro *Judith* hac sumitur, seu pro lectione libri Judith, *eâ die*, ut notat Scaliger, *quæ est quarta Elul. Niceni sive Dionysiaci*: Sed ita celebratur sub æstatis exitum, non tempore hyemali, ut Encænia solebant. Et dein quæ illa *Jodid*, controversum est. Alii proin, ut *Juditha* heic qualiscunque victoriam Festo Encæniorum, sive ut partem, sive ut cognatam, adeoque commodiùs aptandam esse, satis asserere videantur, *Juditham* finxêrunt aliam à Bethuliensi, quæ Olophernem decollasse & filia Merari fuisse dicitur; filiam Mattathiæ, adeoque Judæ Maccabæi sororem, seu, ut alii, Johannis Hasmonæi filiam, Judæ sororem, quam Nicanori, sub Demetrio Rege imperatori, adamatam caput ei, ajunt, sub triennium post victoriam illam celebrem Maccabaicam, ab ipsa trucidato, amputasse, idque dum Judas Maccabæus illum acriter impugnarit. Unde R. Gedaliah Ben Jechai, de Maccabaicis gestis verba faciens *Sepher Shalsheleth hacabala fol.*15. 1. *Etiam salus tunc parta*, inquit, *hac habetur in Cabala orali nostra; occisum scilicet esse Nicanorem, interventu Juditha filia Mattathia, cùm Nicanor eam deperiret, eaq; ad eum accederet, eiq; daret dapes ex caseo sitim contrahentes adeoq; inebriaret eum & occideret eum, atq; caput ejus abscissum afferret ad fratrem suum* (Judam Maccabæum) *Et tunc Judas aggressi Græcos, eos interfecerunt, ut superiùs memoratur, atq; è Terra Israëlis sancta populerunt: Sed scire oportet hoc de fœmina illa non memorari alibi atq; in Midrasis, prout ab R. Nissim in capite tituli Sabbato secundum affertur.* At Rabbi hic ibi prætermisso nomine *Juditha*, de filia, non Mattathiæ, verùm Johannis Hasmonæi filii ejus, pro ipsa Juditha fortè sumta, loquens, ad Alphesium *Part. I. tit. de Sabbato cap.* 2. *fol.*106. 1. decrevisse ait Græcos, *in omnes Virgines, quæ nuptui collocarentur, ut illa primò à præfecto aliquo* (Castrensi) *vitiarentur: unde per fœminam miraculum factum esse dicitur in Midrash, filiam nempe Johannis, quæ in cibum præbuit bestiam Imperatori caseum, ut inebriaretur, caputq; ejus* (quod de Nicanore intelligendum) *amputavit, unde fugêre universi. Atq; hanc ob causam solenniter est casei comestio in Encæniis.* Hinc R. Gedaliah, *Ut probabile est dicendum, postquam in desuetudinem abierat Megillath Thaanith, consenserunt Sapientes seculi illius, ut conjungerentur lætitia Encæniorum res à Juditha gesta; cùm nimirum esset Juditha altera* (ab Holofernis decollatrice) *filia Hasmonæa.* Tantundem R. Azarias in *Meor Enaim part.*3. *cap.*51. *fol.*162. 4. Atqui commentum perquam videtur interea mirum, Nicanoris cædis ac decollationis festum Encæniis Maccabaicis sic omnino conjungi, eamque in rem *Juditham*, nescio quam, *Maccabaicam* fingi; cùm certissimus sit festus dies alius & in Calendariis Hebræorum obvius a nomine יום נקנור *Dies Nicanoris*, suorumque tunc cæsorum notissimus, qui ex decreto expresso, tempore Judæ Maccabæi lato, 1. Maccab. *c.*7. *v.*43. & 49. quotannis observatus est, die 13. mensis Adar, qui tantùm non vernus est, nec in hyeme, ut Encænia: neque à *Juditha* aliqua, sed à Juda ipso copiisque ejus cæsum decollatumq; Nicanorem esse, Historia Maccabæorum planissime docet, *l.* 1. *c.*7. *v.* 47. & *l.* 2. *c.*15. *v.*30. V. Joh. Seldenum *de Synedriis Vett. Hebræorum l.* III. *c.*13 §. 10. & 11.

Jugales Equi, in quadrigis, dicuntur qui intra *jugum* juncti, Græcis *Ζύγιοι*; *ὁ μέσος δεξιὸς καὶ ὁ μέσος ἀριστερός*, *medius dexter & medius sinister*, Schol. Aristophanis ad Nub. ... Nempe sic olim equi jungebantur, ut duo *jugales* essent inter utrumque funalem, sic ut omnes quatuor equi æquatâ fronte procederent: cùm hodie in quadriga bini funales conjuncti præcedant, subsequentibus binis jugalibus. V. supra ubi de ratione Vett. equos *ad Currum* jungendi. Erant autem minoris dignationis funalibus, unde in curru Solis mares funarii, fœminæ jugaria sunt, apud Hyginum, cui *Eos* & *Æthops* illi, *Bronte* & *Sterope* istæ dicuntur &c. V. Salmasium *ad Senecam pag.*897. ut & infrà ubi de veterum Heroum *Trigis*. Qui v. equos sic jungebant, *Junctores* dicti, de quibus V. Laur. Pignorium *Comm. de Servis*: uti *de ratione boves aratro jungendi*, quod inventum alii Cereris, alii Buzygis, alii aliorum faciunt; *deq; modo vitulos ad jugum ferendum instituendi*, aliisque huc facientibus hîc passim, inprimis ubi de *Aratro*, nec non in voce *Vitula*.

Jugarius Vicus Romæ, sub Capitolio, Liv. *l.* 35. *c.* 21. de quo multa Jac. Gronovius *Epist. ad Adolfum Overkamium*.

Jugere, milvorum proprium, Glossæ, *jugit*. ἰκτῖνος βοᾷ. Inde ad tibias translatum. Apulejus *lib.* 5. *Jubet citharam loqui, psallitur: tibias* jugere, *sonatur: choros canere, cantatur.* Non tamen omnes, sed eas tantùm, quæ in accentus exeunt acutissimos, ut acutissimus est milvi clamor. Et tales *milvinæ* hinc dictæ sunt, uti ex Solino discimus *c.*5. ad quem V. Salmasium *pag.* 124.

Jugerum, dicebatur apud Romanos, *quod uno jugo boum in die exarari posset. Actus, in quo boves agerentur, cùm aratur, uno impetu justo. Hic erat CXX. pedum: duplicatusq; in longitudinem jugerum faciebat*, Plin. *l* 18 *c.*3. Ubi *actus* idem, quod Græcis πλέθρον est. Hero, τὸ δ' ἄκρον ἔχει πλέθρα δύο. Pedes autem intelligit Italicos, quorum 120. faciunt pedes Philetærios centum. Auctor Incertus *de Limit. Primum agri modulum fecerunt quatuor limitibus clausum figura quadrata, similem plerumq; centum pedum in utraq; parte, quod Græci plethron appellant.* Sic *Jugerum* ducentos pedes Philetærios in longum habebat, centum in latum. Unde facilè intelligitur, quod de bonaco habet Plin. *reddere fimum interdum trium jugerum longitudine*; & de Indici maris balænis Solinus, habere illarum quasdam *ultra spatia quatuor jugerum*. Indidem Plinium, balsami hortum majorem in Judæa *viginti jugerum* longitudine fuisse statuentem, ex Theophrasto ἄκρον πλέθρα illi solùm tribuente, quæ non nisi *decem* efficiunt *jugera*, refellit Salmasius. Discriminabant autem agrum per *Jugera* limites, *actuarii* dicti, qui aliàs *intercisivi* quoque & *lineares*: erantque illorum bina primis temporibus *Populo Romano satis, nullique majorem modum attribuis: quo servos paulo antè Neronis, contemptis* hoc

hujus spatii viridaria, piscinas juvat habere majores: gratumq; si non aliquem & culinae, Plin. ubi suprà *cap.* 2. Hinc eodem prisco ævo, *dona amplissima Imperatorum & fortium civium, quantum quis uno die plurimum circumaravisset,* Idem *cap. seq.* &c. V. Salmasium *ad Solinum pag.* 581. 678. 839. & 1012.

Juglans, quasi *Diuglans*, Cloatio apud Macrobium; seu q. *Jouglans*, i. *Jovis glans* Salmasio, Græcis Διὸς βάλανος, Theophrasto castanea est, aliis Græcis nux Pontica seu avellana; Latinis verò hoc nomine appellatur id, quod Græci κάρυον absolutè & μέγα κάρυον nonnunquam, vocant. Philippus Comicus,

Ὁ Περσικὸς κάρυον μέγ' ἐστὶ καὶ καλόν.

Sic *majores nuces* eas vocat Apicius, & *nuces* sine adjectione Latinorum alii. *Juglandis* quippe nucis atque olivæ rotundæ majusculæ eadem forma, Salmasius *ad Solinum pag.* 1037. Earum in nuptiis olim apud Romanos celebris usus. Plin. *lib.* 15. *cap.* 22. *Ipsa nuptialium Fescenninorum comites — Nec non & honor his naturæ peculiaris, gemino protectis operimento, pulvinati primum calicis, mox lignei putaminis. Quæ causa eas nuptiis fecit religiosas, tot modis fœtu munito: quod est verisimilius, quàm quia cadendo tripudium sonumve faciant.* Sed & cortice earum lanæ tingebantur, & capillus rufabatur primum prodeuntibus nuculis, *Ibid.* V. plura infrà in voce Nux.

Juglatorum Rex, in *Regesto* Magnorum Dierum Trecensium A. C. 1296. apud Car. du Fresne *Glossar.* factus dicitur à Rege, in civ. Trecensi, Joannes quidam dictus *Charmillons*. Fuere autem appellati *Juglatores*, Gall. *Jongleurs*, qui aliàs *Joculatores*, Vett. *Histriones*, de quibus suprà.

Jugulare, vox in sacris usitata, Levit. *cap.* 1. *versu* 5. ubi de bove in holocaustum oblato, *Et jugulabit juventum coram Domino, & Sacerdotes filii Aaron sanguinem offerent, & spargent circumquaq; supra altare* &c. Nempe, postquam bos ad ostium Tabernaculi adductus est, ab offerente manus capiti illius imponebantur. Dein *jugulabas* illum *jugulans*, quod in loco hoc suppleri vult Bochartus, id est, vel is ipse, qui victimam de suo offerebat, vel, ut volunt, Levita aliquis: quod colligi posse videtur, ex Paralipom. *cap.* 30. *versu* 17. & *cap.* 35. *versu* 10, 11. ubi Levitæ Paschales agnos *jugulant*, cum sanguinem spargunt Sacerdotes. Sic apud Romanos Sacerdos victimam non jugulabat, sed popa, aut victimarius, ad Sacerdotis nutum; alius verò sanguinem excipiebat vase, quod σφάγιον Attici, ἀμνίον Homerus vocat, Latini *pateram* dixere. Sic apud Homerum Thrasymedes securim in manu habens, bovem cæsurus: Perseus verò vas, eo sanguinem excepturus, introducitur *Odyss.* γ. Cultris ad id usi Romani. Virgilius *Æn. lib.* 3.

Supponunt alii cultros, tepidumq; cruorem
Suscipiunt pateris &c.

V. infrà in voce *Popa*, item *Victimarius*. Sed & *jugulare*, munera edere est, apud Martialem *lib.* 5. *Epigramm.* 99.

——— *cur ludere nobis*
Non licuit, licuit si jugulare tibi?

V. ibi ubi de *Gladiatoribus & Munerariis*. A *jugulo*, quod Græcis λαιμὸς, de quo id solum addo, *de eo cultro incidendo*, pacta olim vitæ suæ prodigos homines iniisse non rarò. Certe non defuisse apud Celtas, qui auro argentoque vel vini aliquot cadis conducti, postquam ista inter familiares ac necessarios distribuerant, supino super scutis corpore jacerent, ἐκτείναντας ἐπὶ τῶν θυρεῶν λαιμὸν ἐκλείναντες, *donec accedens quispiam gladio jugulum eis dissecaret*, Posidonius habet *Hist. lib.* 23. apud Athenæum *lib.* 4. ubi apud Romanos idem factitatum hic pluribus docet. Quò facit illud Senecæ *ep.* 87. de homine incerto, *utrum se ad gladium locet, an ad cultrum*. V. Cl. Gatakerum *Adversar. cap.* 46. ubi de verbo Τυμπανίζω, quod occurrit Hebr. *cap.* 11. *versu* 35. A carnifice verò *cultro jugulum* incidi, reis Iæsæ Majestatis, apud Lusitanos, ex nupera Historia notum &c.

Sub Jugum mittendi ritus, in victos olim usurpatus, memoratur Livio passim, inprimis *lib.* 9. *cap.* 5. ubi de exercitu Rom. *sub jugum missa* Samnitibus, & *cap.* 15. ubi de eadem ignominia his victis vicissim à Romano victore irrogatâ. *Fiebat autem tribus hastis jugum, humi fixis duabus, superq; eas transversâ unâ deligatâ*, Idem *lib.* 3. *cap.* 19. ubi de Volscis sub jugum missis. Simile quid in Horatium, qui sororem occiderat, à patre statutum, ut videbimus infrà, ubi de *Tigillo Sororio*.

Jugurtha, adde: Uti varia fuerunt, quibus Veteres olim signabant, sic inter alia historia quoque ac fabula nonnunquam annulis insculpebatur. Sic Darius Persarum R. in sigillo suo sculptum habuit *equum hinnientem*, apud Thucydidem: Annulus, quem auspicanti Neroni obtulit Sporus, sculpturam habebat, *Proserpinæ raptum*: Amphitruonis sphragisma, *Sol fuit exoriens quadrigis vehens*: Locrorum *Hesperus*: Persarum illius Regis, imago *Rhodogynes disjectis capillis horrida*: Clearchi, *Caryatides saltantes*, apud Suetonium *Neron. cap.* 46. Plautum *Amphitr.* Strabonem *lib.* 9. Polyænum *lib.* 7. Plut. *in Artax.* Sic itaque Sulla Dictator *traditione Jugurthæ* signavit, ut præter Plinium *lib.* 37. *cap.* 1. memoriæ prodidit Plutarchus *in Mario pag.* 411. Αὐτὸς τε Σύλλας ἐφόρει γλυπτὴν ἔχων σφραγῖδα ἐγκεχαραγμένην ὑπὸ τοῦ Βόκχου τὸν Ἰουγούρθαν αὐτῷ: *Atq; ipse Sylla sigillum habuit, in quo Bocchus erat Jugurtham ei tradens insculptus, quo sigillo usus est perpetuò.* Idem tradit Valerius Max. *lib.* 8. *cap.* 14. *L. Sulla Jugurtham à Boccho Rege ad Marium perductam totam sibi laudem tam cupidè asseruit, ut annulo, quo signatorio utebatur, insculptam traditionem haberet*, &c. V. Job. Kirchmanum *de Annul. cap.* 13.

Juhra, s. *Juharia*, item *Jugra*, vulgò *Juhorski*, prov. Moscoviæ, ad Oceanum Sept. è qua egressos ad Danubii ripas commigrasse, occupataque Pannoniâ, eam suo nomine *Juhariam* primùm s. *Jugram*, postea literis paulum immutatis *Hungariam* appellasse, recepta apud Russos opinio est: qui addunt, *Juharos* in hunc usque diem eadem cum Hungaris uti linguâ, uti adnotat ex Bar. Herberstenio, G. Hornius. V. eum *Orb. Imper. cum Animadvers.* Joach. Fellert *p.* 131.

Juliacum, adde: Familiæ hujus illustrissimæ, quæ potiori jure *Clivia* nuncupanda foret, originem referunt Antiquitatis scrutatores, ad fabulosum quendam Eliam Gralium; qui Gliviam hæredem duxerit. An autem, qui post ipsum recensentur gradus omnes, idoneis argumentis probari possint, Auctores prospiciant. Tempore Caroli M. ex posteris vixisse dicitur Balduinus Comes *Cliviæ & Teisterbantii*, pater Eberhardi Com. Cliviæ, cujus posteri *Comites Cliviæ*, demum A. C. 1368. defecere & Roberti. Hic Ludovicum, *Teisterbantensium* reliquorum satorem, Robertum *Heusdanorum* Dynastarum, qui per plura secula superfuere, auctorem atque Theodoricum genuit. Quorum hic Com. *ab Altena* dictus est, sed ejus nepos Adolfus *Marcæ* titulum assumsit: in cujus descendentibus divisio facta est, cum fratres Engelbertus *Bergensem* vel *Montanum* Comitatum, Eberhardusque *Marcanum* in divisione A. C. 1147 nanciscerentur. Prioris posteritas autem extincta, & hæreditas ad *Juliacenses* non multo pòst delata est: At Eberhardi trinepotes Adolfus ac Eberhardus, iterum novos ramos cepere. Et quidem prior, à conjuge Margaretha sive Maria Clivia jus successionis Cliviæ Domui intulit: unde & filius Comitatum Cliviæ ab Imp. nepos Ducatem titulum, pro eo adsecutus est. Accessit deinceps alio matrimonio *Juliacensis & Montanus* Principatus. Sed ramus præcipuus & directus defecit, in Johanne VVilhelmo mortuo A. C. 1609. cujus Progenitores sic habent: Adolfus Dux Cliviæ, qui obiit A. C. 1443. ex Maria fil. Johannis Burgundiæ Ducis, genuit Johannem I. Ducem Cliviæ; qui defunctus A. Ch. 1481. ex Elisabetha Com. Nivernensi, filium reliquit Johannem II. Duc. Cliviæ; extinctum An. Ch. 1521. Hoc & Mechthilde Hassiacâ (filiâ Henrici Landgr. Hassiæ) genitus Johannes III. Dux Cliviæ, decessit A. C. 1539. Pater, ex Maria Juliacensi (fil. Guilielmi Duc. Juliaci & Montium seu Bergensis, defuncti A. C. 1511.) VVilhelmi Duc. Juliaci, Cliviæ & Montium, mortuus A. C. 1592. Huic ex Maria Austriaca (fil. Ferdinandi I. Imp.) geniti sunt Maria Eleonora (quæ n. A. Ch. 1550. uxor fuit Alberti Friderici M. Brandeburgici, Ducis Prussiæ, den. 1608.) Anna (n. 1552. ux. Philippi Ludovici Com. Palatini Rheni, den. 1632.) Magdalena (n. 1553. uxor Johannis Com. Palatini Rheni den. 1635.) Carolus Fridericus (n. 1555. den. 1575.) Sibylla (n. 1557. Carolo Austriaco March. Burgoviæ nupta) Elisabetha (n. 1556. den. 1561.) & Johannes VVilhelmus, ultimus suæ familiæ masculus, qui natus A. C. 1562. è duplici matrimonio, Mariæ Salomes fil. Philiberti March. Badensis & Antoniæ fil. Caroli Duc. Lotharingiæ, nullam reliquit prolem, extinctus A. C. 1609. Vid. Phil. Jac. Spenerum *Theatr. Nobilit. Europ. Part. II. pag.* 82. Ex minoribus a. filiis Adolfi præfati, Eberhardi trinepotis, ortæ sunt lineæ *Ravensteinia & Nivernensis*, sed utraque jam quoque extincta. Quæ autem ab Engelberto Marcano, Adolfi fratre, derivatæ sunt lineæ, infrà leges, ubi de *Marcanis*. Quia verò *Juliacenses* ac Bergenses (quæ ditio ex Marcanæ alicujus lineæ hæreditate illis obtigerat) Comites communem habuere patrem Gerhardum II. qui decessit A. C. 1247. Gerardi hujus major natu filius VVilhelmus I. *Juliacum* retinuerat, frater Adolfus Montanum seu Bergensem Comit. Quorum illius pronepos VVilhelmus IV. Marchionis initiò à Ludovico Bavaro, dein Ducis à Carolo IV. Imp. axiomà nactus est. Ejus filii, VVilhelmus V. & Reinoldus, præter patrium Ducatum, etiam Gelricum obtinuere, successione avunculi; sed cùm prole carerent, hic deinceps delapsus est ad Egmondanos, qui non æquè *Juliacensi* potuerunt potiri, utpote ad agnatos translato. Nam Adolfus Bergensis Com. pariter gentem propagaverat: in cujus posteris VVilhelmus, Ruperti Imp. affinis, Bergensis Dux creari meruit. Filiorum alter Adolfus Ducatum *Juliacensem*, post Reinoldum Agnatum, nactus est & filium Rupertum habuit, cui ob Geldriam cum Egmondanis contentio: alter VVilhelmus; prius Episcopus Paderbornensis, stemma produxit: ejus neptis Maria fuit, hæres utriusque Ducatus, quos marito Johanni Clivio attulit. Ejus progenitores isti fuere: Gerhardus (al. VVilhelmus) Com. Bergensis, defunctus A. C. 1361. ex N. N. filiâ Gerhardi Com. *Juliacensis*, reliquit VVilhelmum IV. Ducem Bergensem primum, uti diximus: quo & Annâ Palatinâ (fil. Ruperti Electoris Palat.) genitus VVilhelmus V. D. Juliac. & Bergensis primus, Episcopus Paderbornensis, ex Anna Tecklenburgica (fil. Nicolai Com.) pater fuit Gerhardi D. Jul. & Berg. qui ex Sophia Saxonicâ (Bernardo Duce Saxoniâ-Lavvenburgico genitâ) suscepit Wilhelmum VI. qui, extinctus 1511. ex Sibylla Brandeburgica (Alberti Electoris) genuit Mariam præfatam, quæ nata A. C. 1491. Johanni prædicto attulit Ducatus patrios, obiitque .... ultima

 ideò

sex gentis. V. eundem Spenerum *Part. III. pag. 41. & utrobiq; in Ind.* nec non Tob. Pfannerum *de præcipuis Germ. Principum Gentibus cap. 2. p. 72. & cap. 4. p. 156.*

Viri illustres.

Julianus, post Pertinacem Imperium adeptus, successorem habuit Severum, V. *Didius Julianus.*

Julianus, sub Commodo Imp. in locum Cleandri, cum Regillo, surrogatus, postmodum pœnis cum eodem affectus est, Lampridius in *Commodo*. Sed Dio *Juliani* [illegible] quidem post cædem Cleandri meminit; Regilli nemo. Casaubonus *ad l.*

Julianus, Prætorio Præfectus, sub Commodo Imp. hujus jussu *togatus, præsente officio suo, in piscinam detrusus est*, apud Eund.

Julianus Cerellius & *Julianus* Pescennius, inter Nobiles Romanos, sine causæ dictione, à Severo Imp. occisos, memorantur Æl. Spartiano *in Severo.*

Juliomagus, adde: Dicta, quasi *Julii urbs*, nomine Latinogallico, sive à C. Julio Cæsare, sive ab Augusto, qui & ipse Patris sui adoptivi Julii nomen tulit. Caput Andicavorum, quo nomine in vett. Notitiis non tardò venit: in antiquis etiam Franciæ Regum nummis, monetam sæpe legimus percussam *Andecavis*, i. Juliomagi, gentis capite. Recentiores *Andegavum* urbem appellant. Hanc cum Regino *à Meduana ex parte Britanniæ* allui & Carolo Rege Francorum urbem à Normannis occupatam obsidente ac sæpe validâ circundante, Salomonem Ducem Britonum ab eo arcessitum, ultra Meduanam fluvium cum copiis consedisse, refert: satis indicat, urbem *Andecavos* tum citra Meduanam vel ad sinistram Meduanæ ripam totam positam fuisse, quæ postea à Comitibus Consilibusve suis, &, uti ajunt, à Johanne Rege Anglorum, circa A. C. 1213. insigniter aucta est, pomœrio trans fluvium præfatum prolato, ita ut, qui olim alluebat amnis, pridem fere medium ac geminatam interfluat: qualis à Wilhelmo Brittone Armorico describitur *in Philippidos lib.* 10. abhinc annis 450.

Protinus Andegavum nullo munimine cinctam,
Ingressus, lapide incepit murare quadrato.
Quam Liger argento perlucens ambit ab Austro;
A Borea rabens mediam Meduana pererrat:
Qui suus inde fluens quasi per duo millia, lapsus
In Ligerem, nomen perdit, mutatq; colorem.

Eandem Theodulfus Aurelianensis Episcopus, cum Basilicis suis, ante VVilhelmum modò laudatum annis quadringentis, sic descripsit:

Quam Meduana morans fovet & Liger aureus ornat,
Quam rate cum levi Sarta decora juvat,
Fruge, ope, mundicia, pulchris & rebus abundans,
Objeta seu sanctis est bene tota locis.

Loca autem sancta sic enumerat, Basilicam S. Albini, Basilicam Johannis Baptistæ, Basilicam B. Martini, Basilicam S. Saturnini, Cellam S. Petri, Basilicam Sergii Mart. Basilicam S. Maurilii vel Maurilionis, Basilicam B. Anniani, Basilicam S. Mariæ transmeduanensem vel transpontinam. Basilicam S. Germani Episcopi Audicavensis, Basilicam S. Michaelis, & *atria S. Mauricii* Mart. ubi *Pontifici sua plebs* cum clero *jungitur*, id est, majorem Urbis Ecclesiam, V. Hadr. Valesium *Not. Galliæ*, in voce *Andes*, ut & *suprà in eadem.*

Viri clari.

Julius Capitolinus, Fl. Vopisco *in Probo* memoratur inter eos Scriptores, qui verius, quàm elegantius, scripserunt: Ælio Spartiano & Æl. Lampridio [illegible], Diocletiano Imp. inscripsit *Antoninum Pium & Verum Impp.* Constantino Aug. *Clodium Albinum*: in *Opilio Macrino*, redit ad Diocletianum: deinde iterum ad Constantinum, cui inscribuntur *Maximi duo & Gordiani tres. Marcus Antoninus & Pertinax*, itemque *Maximus & Balbinus*, cui ab eo nuncupati fuerint, non constat; Casaubonus *ad Spartianum in Hadriano.* V. in voce *Capitolinus.*

Julius Celsus, inter Jurisconsultos, qui in Consilio fuere Hadriani Imp. apud Spartianum: repone, *Juventius Celsus*, Gruterus & Casaubonus *ad Spartianum.*

Julius Frontinus, Rhetor, inter præceptores Alexandri Severi, apud Lampridium.

Julius Granianus, Rhetor itidem & inter Alexandri Imp. præceptores, apud Lampridium, *cujus orationes declamata*, h. e. declamationes, *ferebantur* adhuc ævo Scriptoris hujus.

Julius Lupus Consularis, vitricus Antonini Pii Imp. cujus meminit Jul. Capitolinus in *Pio.*

Julius Proculus, inter eos, qui Commodi jussu interemti, memoratur Lampridio.

Julius Rufus, inter Nobiles Romanos, sine causæ dictione, jussu Severi, interfectos, apud Spartianum: Pater videtur fuisse Rufi, in Pandectarum libris non semel nominati, ad quem etiam rescripsisse dicitur Severi filius Antoninus. Casaubonus *Not. ad Spartianum.*

Julius Severus, Britanniæ Præses primus fuit ex Ducibus, quos Hadrianus misit, ad debellandos Judæos. Xiphilinus, Καὶ [illegible] *Et ex universo, ut sic dicam, orbe, ubi optimos quosq; duces Adrianus contra illos misit, quorum primus* Julius Severus, *è Britannia, cui præerat, contra Judæos missus est.* Ultimam verò bello illi manum Martius Turbo imposuit, Spartianus *in Hadriano.*

Julius Servianus, tertium Consul, quo collegam habuit Vibium Verum, anno Hadriani decimo septimo; hujus sororem Paulinam conjugem habuit, nonaginta annos natus, sub ipso mortis Hadriani tempore, *ne ipsi superviveret, mori coactus est*, Spartianus *in Hadriano.*

Julius Silvanus, Gallo Cæsare à Constantio occiso, Imperator in Gallia dictus, 28. Imperii die, à Legionibus, à quibus præsidium speraverat, peremptus est. Cujus nomine insignita numismata aliquot Burdigalæ effossa, Ferronus memorat in *Consuetud. Burdigal. lib. 2. pag.* 248. *Nuper apud nos eruenda numismata Silvani cum Constantii Cæsaris majori imagine: Nam & hunc verisimile est Aquitaniæ præfuisse.* Quibus innuere videtur Ferronus, hujusmodi nummos fuisse cusos, Constante ipso superstite, in honorem forte Silvani, qui in Galliis exercitibus præerat, cum & ipse Gallus esset, quippe Boniti Ducis filius, uti non semel ab Impp. [illegible] constat. Quem verò Goltzius nummum profert, cum hac Inscript. DN. FL. SILVANUS. P. F. AUG. suspectum habet Tristanus, ob *Flavii* prænomen, quod, utpote Constantinæ familiæ proprium, ipsâ adhuc superstite, *Julianus* hunc sibi arrogasse, vero simile non censet. V. Car. du Fresne *Dissertat. de infer. ævi Numism. num.* 59.

Julius Trypho, Orientalis limitis dux, sub Aureliano Imp. apud Vopiscum.

Julius Valens Licinianus Aug. post Lucium Priscum Augustum, cupientissimo vulgo Imperium cepit, memoratus inter XXX. Tyrannos decimus nonus Pollioni. Casaubonus *Not. ad illum.*

C. *Julius* Æmilianus Aug. à Mœsiacis Legionibus creatus post Hostilianum Perpennam: occisis per suos Gallo & Volusiano tres menses Imperio modestè usus est, vacuum mox Valeriano locum relinquens, *Id.*

M. *Julius* Philippus Aug. post Severum Hostilianum, filium suum cognominem in consortium assumsit, ut ait Aurelius Victor; & Zonaras, [illegible]. Zosimus tamen *Cæsarem* solum factum scribit. Egerunt autem annos potentiæ quinque, ut habet idem Victor. V. *Philippus.*

M. *Julius* Philippus, filius prioris, iisdem cum patre nominibus, postquam illum pater potentiæ sociavit, dictus est; cum antea vocaretur CAJUS JULIUS SATURNINUS PHILIPPUS, ut docet Victor alter *in Histor. Misc.* In nummo, apud Occonem, nominatur M. JULIUS. PHILIPPUS. CÆSAR. AUG. [illegible] PRINC. JUVENTUT. Vide Casaubonum *Not. ad Treb. Pollionem.*

Julus, Græcè Ἴουλος, carminis genus, quo in messibus olim Cererem & Liberam Græci, illosque imitati Latini, propitiabant; exemplum habes apud Tibullum. De quo [illegible] verba concepta quædam, [illegible]. Spicam etiam sic vocabant, ab aceris tenuitate atque aristularum; unde & lanam, ob frequentiam filorum: Quam ob rem lanificarum [illegible] nautium cantiones eodem vocabulo insignitæ sunt. [illegible] tur, hordeaceos manipulos divulsos, collectos autem [illegible] nabant. Unde Cereris quoque cognomentum fuit, in segete viridi Χλοὴ, in matura Ἰουλώ. V. Jos. Scaligerum *Poetic. lib.* [illegible] & 55. At *Julis*, piscis saxatilis, teneræ carnis, facilis coctionis & planè salubris, apud Galenum de *Alim. fac. lib.* 3. *cap.* [illegible] V. Vossium *de Idolol. lib. IV. cap.* 24.

Jumala, & Torus, nomina summi Dei, apud Biarmos & Lappones, V. Joannem Schefferum *in Lapponia cap.* 7.

Jumentum, à *juvando*, ob societatem rustici operis, quæ nulla minori pecore, vel à *jugando* aut *jungendo* dictum, hordeo apud Græcos olim Romanosq; pascebatur, ut avenam hodie pro pabulo habet. Unde Comicus, *Demam tibi de hordeo, si tolutim* [illegible] & Græci [illegible] vocant. V. Salmasium *ad Solinum pag.* 387. Apud Hebræos, ubicunque בהמה *behema*, & [illegible] *chaja* opponuntur, ut Genes. *cap.* 1. *vers.* 25. tum prior vox jumenta & greges & omne domesticum pecus, posterior agrestes feras significat: quibus aliud nomen זיז Zin Psalmo [illegible] à *motu* factum, ut videtur. Nempe cùm cicuribus & mansuetis animalibus fixæ sint apud dominos suos sedes, & pastus domi paratus; feræ contrà quoquo versum prædabundæ discurrunt, eisque earum ὁ βίος νομαδικός, Fullerus ex Philosopho. Unde Goliathum, cùm minatur, se carnem Davidis daturum in cibum avibus cœli & ולבהמת השדה *& jumentis agri*, 1. Sam. *cap.* 17. *vers.* 44. impropriè loqui observavit R. Salomo; quoniam *jumenta* non sunt carnivora. At feras quoque sub eo nomine non rarò contineri, probat Kimchius, apud Sam. Bochartum *Hierozoici Parte prior. lib. I. cap.* 2. Cæterùm quantopere *Jumenta* Deo curæ sint, docet præceptum Decalogi quartum, quo de quiete Sabbathina illis cautum. Item Lege de *Jumento* in cisternam aut foveam apertam prolapso, Exod. *cap.* 21. *vers.* 33. & 34. Cujus benignitatem imitati Romani etiam feriarum tempore aliquem in puteum delapsum extrahere permiserunt. Sed &, ob multiplicem usum, quem humano generi [illegible], digna habita sunt, in quo[illegible]

rum gratiam peculiaris excoleretur Ars, *Veterinaria* dicta, quâ nævis illorum occurritur, ut infrà dicemus. At non defuere, qui iis ad nefanda abuterentur, olim hodieque. Ac Chananæas inprimis gentes his sceleribus pollutas fuisse, adeoque terram ipsam his abominationibus polluisse, ut ea, his non ferendo existens, habitatores suos quasi evomuerit, scribitur in Levitico. Quare legis fulmine opus fuit. *Qui cubuerit cum jumento, morte moriatur*, Exodi *cap.* 22. *versu* 19. Quam inter legem de Maleficiis, & alteram de Idololatris, insertam esse non fine ratione, observat Rivetus: Plerunque enim conjuncta hæc crimina, ex Paulo Romanor. *cap.* 1. patet, ubi hanc Idololatriæ fuisse pœnam, ut corpora sua Idololatræ horrendis libidinibus defœdarent, pluribus docet; & notum Diaboli cum præstigiatricibus suis strigibusque commercium &c. Præerat apud Romanos jumentis peculiaris servus, *Superjumentarius* nomine, cujus mentionem apud Suetonium Claudius Cæsar facit, hujusmodi sibi pædagogum obtigisse, conquestus, *cap.* 2. Habebatque is sub se alios viliotis operæ, *Jumentarios* appellatos, quos cum Superjumentariis malè confundere nonnullos, notat Casaubonus *ad l.* V. quoque Pignorium *de Servis*.

Juncarium, locus Italiæ, prope Montem Cassinum, *Bullar*. Casin. *Tom II. const.* 181. *num*. 2.

Juncta, apud Aragonios, idem quod *Hermandadum*, apud Hispanos, Navarrenos maxime & *Hussium*, apud vett. Francos, V. *suprà*: cujusmodi Junctæ in Aragonia quinque sunt, sc. *Cæsaraugustæ, Osca, Suprarbii, Exea* & *Tirasona*. His præsunt totidem *Suprajunctarii*, de quibus sic Vitalis Episc. Oscensis, *de Magistratibus sua ætate in Aragon. Sunt etiam Suprajunctarii super Junctas, id est, populorum turmas, à domino Rege Paciarii constituti: quorum est ipsas junctas, cum necesse fuerit, evocare, & si eas exercitum facere contigerit vel repentinum concursum. Apellitum vulgariter nuncupatum, ipsas Junctas, sive populum, gubernare. Qui debent fidejussores dandos junctæ & cautiones recipere pro eisdem & pignorare eos, qui ad exercitum non vadunt, vel concursum non exierint sua juncta.* Caveant tamen *Junctarius atq; Juncta: quia si quis damnum in suis possessionibus vel rebus pecuniarum duxerit infligendum, nisi prius per justitiam alicujus villæ domini Regis, quàm id faciant, sententialiter fuerit judicatum, totum damnum, quod fecerint, dupli restituere compellentur.* Michael *del Molino* Magistratum hunc, in Ripagurcia & Suprarbio primitus dictum fuisse *Paciarium Catalaniæ* refert, *in Repertorio* in voce *Suprajunctarii*. Sunt autem hi meri executores, neque ullam habent causarum cognitionem. V. Car. du Fresne *in Glossar.* & Auctores ei laudatos, Blancam *in Commentar. Rerum Aragonic. pag.* 784. & Oyhenartum *Not. Vascon. lib.* 1. *cap.* 6. ubi, vocis originem à Latino verbo *jungere* derivans, *Junctas*, quasi *Uniones*, dictas vult.

Junctæ manibus precandi ritus, indigitatur apud Virgilium *Æneid. lib.* 1.

Ingemit & duplices tendens ad sidera palmas
Talia voce refert ——

Et Homerum ante ipsum, *Iliad.* γ.

Λαοὶ δ' ἠρήσαντο, θεοῖσι δὲ χεῖρας ἀνέσχον.
Tendebant populi geminas ad Numina palmas.

Hodieque ut plurimum usitatus est. Est autem ritus eorum qui sese humiliant ac demittunt, & quasi ligatis manibus se captivos coram divina Majestate sistunt; A. Rivetus *Exercitat. in Exod. cap.* 9. *v.* 29. V. plura infrà, ubi de ritu *Levatis in coelum manibus precandi*.

Junctura, apud Jul. Capitolinum *in Vero*, ubi de donis, quæ inter convivas Imperator distribuit, *Data & vehicula cum mulabus ac mulionibus cum juncturis argenteis, ut ita de convivio redirent*: est, quâ *junguntur* mulæ carrucariæ, ut jumenta & boves ad aratrum jugo. Julius Paulus *Sententiar. lib.* 3. *Carrucâ cum juncturâ legatâ, mulæ quoq; legatæ, non muliones videntur, propter quotidianam loquendi consuetudinem.* Fiebant eas solitas ex argento & Ulpianus docet, qui *Juncturæ argenteæ* facit mentionem *l.* 19. *ff. de auro, argento, mundo &c.* Casaubonus.

Juncus, à *jungendo* dictus, quoniam ejus usus ad juncturas utilis, vel quòd junctis radicibus hæreat, Isidor. Ægyptiis olim, non minus quàm papyrus, & Hispanis spartum, ad calceamenta in usu fuit: cùm junci, quorum feracissima est Ægyptus, teste Plinio *lib.* 21. *cap.* 18. in funes, strata, corbes atque adeò calceos, æque commode, ac spartum Hispanicum, compingi contexique valeant. Unde Mosis ad rubum ardentem accedere prohibiti calceamenta ex junco marino contexta, sunt qui dicant: voluntque ideò jussum esse divinitus calceos exuere, quòd Deus prævidens, Filium suum aliquando hominem factum, inter cæteras suppliciorum acerbitates coronâ ex ejusmodi junco marino compactâ coronandum, indignum judicaverit, servum id pedibus calcare, quod ipsius Dominus in capite aliquando gesturus esset. Cùm obiicitur, tam acutis spinis *Juncum* illum, qui Græcis ὀξύσχοινος, aliis *rhamnus*, nonnullis *carrectum* appellatur, asperari, ut vix manibus tractari queat: Respondent, potuisse juncum illum, compingendis calceis aliisque id genus destinatum, tenerum evelli, priusquam in rhamnum excresceret, spinisque asperaretur. Vel etiam, si qui forte aculei in ipso eminerent, facilè potuisse aut manu avelli, aut ferro abradi, aut quovis alio modo atteri, atque contundi. Quemadmodum apud Gallos straminei calcei, (quorum usus domorum septis non egreditur) è contusis contextisque segetum culmis fiunt, olimque Hispani spartum suum malleis contudisse videntur, quò faciliùs in funes contorqueri, aut in strata contexi, aut in calceos compingi posset, V. B. Balduinum *de Calceo Antiquo cap.* 3. & plura si voles, de *juncea* CHRISTI *corona*, apud Salmeronem *Tom.* 10. *tract.* 30. Riberam *Comm. in Jonam*, & Olorium *Conc. de cor. Christi*. Ad tegetes porrò texendas, adhibitum *juncum*, habes apud Plinium *lib.* 20. *cap.* 18. Ibidem de holoschœno, junci specie, (σχοῖνος enim Græcis hic dicitur) *Utilissimus*, ait, *ad vitilia, ad nassas marinas, vitilium elegantium nexus, lucernarum lumina.* Sed & in coronis usitatum olim juncum, docet Strabo, quosdam Hispanos capite gestare *fundas junceas tres*, memorans *lib.* 3. quas Philetas vocat κόσμημα μελάγχλωνον, *junceum ornamentum*, apud Car. Paschalium *Coronarum lib.* 4. *cap.* 1. Medio ævo alius usus accessit: Per *Juncum* enim investitura, occurrit in *Tabulario* Vindocin. apud Car. du Fresne, ubi vetus *Charta* sic habet: *Tunc inclinavit se Comes & accepit viridem scirpum: nam domus recenter erat juncata, sicut solemus facere, quando aliquem personæ potentis vel dominum suscipimus vel amicum. Tunc junco ipso non tam donum faciens, quàm restaurationem, dedit, &c.* Plura hanc in rem V. apud Plinium ubi supra, & Salmasium *ad Solinum pag.* 262. & *seqq.* ubi quid inter *juncum* & *spartum* intersit, inter alia accurate docet: *pag.* item 1049. ubi de *Junco odorato*, quem laudatissimum Nabathæam mittere Plinius *d. l.* ait. A' *junco*, Ἰουγκάριον πεδίον, *Juncarium campum* dictum, in Hispania citeriore, uti à sparto Σπαρτάριον πεδίον, *Spartarium campum*, memorat Strabo *Geogr. lib.* 3. ubi de Emporitanis. V. quoque in voce *Juncaria*. A' *junco* verò *odorato*, *Juncinum oleum*, de quo Plin. *d. l.*

Junia Fadilla, Maximino Juniori desponsata, postea Toxotio nupsit, ejusdem familiæ Senatori, qui periit post præturam. Fuit autem e familia Antoninorum, quod nomen indicat; in stemmate enim Principum horum, Fadillæ sunt plures, ut videre est initio *Vitæ Pii*. Casaubonus *ad Capitolinum*.

Junioratus, apud Scriptores Ecclesiæ Rom. Souchero Ecclesia est, seu Beneficium Ecclesiasticum, quod *Junioribus* Clericis (quo nomine videntur appellati quivis Clerici, post Subdiaconos, ut sunt *Lectores, Exorcistæ, Ostiarii, Fossarii &c.*) dabatur, vel reditus, qui, in Ecclesiis, *Junioribus* Clericis & in minoribus constitutis ordinibus, assignabatur: Vassorio verò, qualibet Ecclesia, seu potius, Ecclesiæ cura, quæ à personatu dependet & *Vicarium* vulgò dicitur. Ita enim *Charta* Baldrici Episc. Noviom. A. C. 1103. ab eo allata *pag.* 797. *Hæc altaria à personatu libera concessimus —salo cum tenore, ut Synodalia jura, sicut antea, Episcopo, vel ejus Ministris solvant, & Presbyteri, qui* Junioratum *ab Ecclesia Abbatissa susceperint, quotiens alter alteri successerit, vel aliquo casu illos mutare oportuerit, ab Episcopo sive Archidiacono curam suscipiant* &c. In *Charta* Richerii Archiep. Senon. in Tabular. S. Martini de Campis *Presbyteratus* vocatur, apud C. du Fresne. In *Consuetudine* Britanniæ, passim quoque *Juniorum* mentio est, qui *Juveigneurs* dicuntur & feodorum, quæ ab illis possessa *Juveigneries* vel *Juveigneurses*, h. e. *Junioratus* itidem appellantur: quo nomine verò ibi feuda intelliguntur, quæ à *junioribus* fratribus, qui eorum nomine homagium primogenito tenentur præstare, possidentur: de quibus, ut & plura de voce *Juniores*, V. apud modò laudatum Auctorem *in Glossario*.

è *Junipero* ligno, Dianæ Templum, in Hispania, extructum olim, teste Plinio. V. Macros Fratres *in Hierolexico*, in voce *Arceuthinus*, ἄρκευθον n. juniperum Græci vocant. Nec enim cariem, nec vetustatem, sentit hæc arbor, ut cedrus, cui etiam adeò similis facie est, ut pene internosci non queant, nisi fructus differentiâ. Plin. *lib.* 16. *cap.* 35. *Cedri oleo peruncta materies nec tineam nec cariem sentit. Junipero eadem virtus, qua cedro. Vasta hæc in Hispania, maximeq; bacca ejus, medulla ejus ubicunq; etiam solidior, quàm cedrus.* Eadem proin & subdialibus aptissima. Idem *cap. seq.* ubi trabes templi illius, quod Sagunti erat cuique pepercit religione inductus Annibal, etiam suâ ætate durasse adnotat, addens; *In plenum dici potest, utiq; quæ odore præcellant, ea æternitate præstare.* Nota autem tum ligni, tum baccarum hujus arboris fragrantia est. De *gummi Juniperi*, quem vernicem hodie appellamus, V. Salmasium *ad Solinum pag.* 1151.

Junius Mensis, adde: Sunt etiam, qui dictum *Junium* velint, quasi *Unium* sive *Jungium*, à junctis fœdere Romulo & Tatio, illo Romanorum, hoc Sabinorum Regibus. Unde Ovidius, dum alias rationes notationis memorat, etiam hujus non obliviscitur:

Hæc ubi narravit, Tatium fortemq; Quirinum,
Binaq; cum populis regna coisse suis.
Et Lare communi soceros generosq; receptos,
His nomen junctis Junius, *inquit, habet.*

Joh. Goropius Becanus hunc Mensem à favore nominatum vult quòd in eo favorem terræ sentire incipiamus, fructibus jam sese ad esum offerentibus: dici autem *Junium*, quasi *Gunium*, à Germ. voce *Gunnen*, quod Latinis *favere* significat. Sed nemo est, qui Viro aliàs erudito hic suffragetur. Fuit olim hic mensis in Mercurii tutela, & ex Romuli ac Julii Cæsaris 30. ex Numæ autem Pompilii constitutione 29. dies nactus est, Thom. Dempsterus seu potiùs Joh. Rosinus *Antiqq. Rom.* Ei apud Græcos respondit

respondit Σκιῤῥοφοριών: apud Hebræos, ex parte mensis Sivan & Thamuz. V. Franc. Rossæum *Archaeol. Att.lib.2.cap.*10.& Thom. Godwynum *de Rit. Hebraeorum lib.3.cap.*1.

Dies hoc Mense apud Romanos olim festi.

2.die, seu 6. Nonas, feriæ erant Martis, Carnæ & Monetæ Junonis, cui templum hoc die dedicatum. Eodem Tempestatis quoque delubrum dedicatum est.

Prid. Nonas sacrum fiebat Bellonæ, cui eo die templum consecratum erat: Eodem Herculi ædes in Circo posita est.

Nonis *Junii* sacrum fiebat Deo Fidio.

7. Idus Piscatorii ludi peragebantur.

6. Idus, sacrum fiebat Menti, in Capitolio.

5. Idus Vestæ feriæ erant. Eodem Jovi Pistori ara in Capitolio posita est: Junius quoque Brutus ulteriorem Hispaniam & M. Crassum Parthi devicerunt.

3. Idus Matralia erant; Item festum Fortunæ Sejæ. Eodem Concordiæ ædes à Livia constructa ac dedicata est, ac P. Rutilius Consul cum L. Jul. Cæsare, an. U.C. 664. bello Marsico seu Sociali periit.

Idibus ædes Jovi Invicto consecrata ac dedicata est. Iisdem erant Minusculæ Quinquatrus.

17. Kal. Julias, seu 15. d. *Juni* ædes Vestæ purgari solebat.

16. Kal. Julias, in Aventino, Palladi sacrum fiebat, V. Ovid. *Fast.*

13. Kal. Summano templum fuit positum.

9. Kal. dies ater erat, ob Romanos ad lacum Thrasymenum ab Hannibale victos.

8. Kal. Syphax à Masinissa superatus, item Hasdrubal ductu M. Livii Consulis & operâ Cl. Neronis Coll. cæsus est. Eodem die festum erat Fortis Fortunæ: Naves item coronatæ per Tiberim convivia agitabant.

5. Kal. templum Laribus dedicatum, Jovi item Statori templum conditum est.

4. Kal. templum in colle Quirinali dedicatum est.

Prid. Kal. templum Herculi & Musis est consecratum.

Viri illustres.

Junius Balbus, Vir Consularis Metiam Faustinam fil. Gordiani Imp. uxorem habuit. Capitolin. *in Gordianis.*

Junius Brocchus, Illyricum tuitus est, sub Claudio II. cujus ad illum Epistolas habes, apud Trebellium Pollionem *in Claudio.* V. quoque suprà in voce *Brocchus.*

Junius Calphurnius, memoriæ dictator Caro Imp. memoratur Fl. Vopisco in hujus *Vita.*

Junius Cordus, cujus mentio apud Jul. Capitolinum, *in Gordianis*, & suprà *Cordus.*

Junius Messala, *patrimonium suum scenicis dedit, hæredibus abnegavit: matris tunicam dedit mimæ tacernam patris mimo — inscriptum est adhuc in Chiraula pallio Tyrianthino, quo ille, velut spolio nobilitatus exultat Messala, nomen uxoris &c.* Sc. pallium illud Tyrianthinum, quod *Junius* hic choraulæ donavit, uxoris erat & in eo nomen uxoris ejus inscriptum extabat, Fl. Vopiscum *in Carino*, insaniam ejus pluribus carpentem.

Junius Rusticus, Philosophus Stoicus, inter præceptores Pii. Capitolin.

Junius Syllanus Cons. suffectus ex Kal. Maji, cum Messio Gallicano, principatu Gordiani, Vide Jul. Capitolinum *in Maximinis.*

Junix, V. infrà *Juvenca.*

Juno, adde: Cæterum fallax, aspera & iracunda, quam ob rem malis eam dæmoniis adnumeravit Porphyrius *de Abstinentia lib.* 2. ubi horum ingenium adeò scite repræsentat, ut nec à Clemente aut Arnobio meliora, contra Gentilium Deos, quàm ab hoc Christiani nominis acerrimo hoste, proferri potuerint. Eandem Papinius iis Numinibus, quæ fulminis usum haberent, accenset *Thebaid. lib.*10, *versu* 69. *Dujice & in Thebas aliud (potes) excute fulmen* Quod tamen contra cæteros est, non nisi Jovi, Vulcano & Minervæ id adscribendum esse censentes, ex libris Hetruscorum, laudatis Servio *ad Æneid. lib.*1. Agit autem ibi de *Junone Argolica*, quâ non alia majori in veneratione fuit. Certè Argis non aliter quàm *Matronam Tonantis*, ut Ovidio memoratur, & *Reginam Dearum*, cultam docet Appulejus *Miles.*6. ideoque *Argivam* cùm Maro vocat *lib.* 3. *magnam* interpretatur Servius. Nec desunt Scriptores, qui Numen hoc omnibus aliorum Deorum sanctius habitum cultumque, cujus adeò fuerint prodigia certissima, certissimæ etiam ultiones, scriptum reliquerint. Unde & alibi hoc nomine dedicata, uti de Jasone, qui in agro Picentino Oscorum Templum *Junonis Argivæ* condidit, legimus, apud Solinum *cap.*2. Cumque Templa Cæsari Romæque passim consecrarentur, uti Cæsaris simulachrum ad Jovis Olympici instar, sic Romæ, ad Junonis Argivæ similitudinem, formari solebat. Moris enim fuisse, ut qui simulachrum Imperatori consecrare vellet, in exemplum sumeret nobile aliquod Dei alicujus signum, ex Josepho discimus, Ἀλών. *cap.*16. De ornatu ejus sic Tertullianus *de Corona Mil. Junoni vitem Callimachus indixit. Ita & Argis signum palmite redimitum, subjecto pedibus ejus corio leonino, insultantem ostentat novercam de exuviis utriusq; privigni:* Bacchi vit. Herculisque: unde & sacrificantes ipsi vite, palmite & corymbis cingi sunt soliti. Aliàs *Junoni*, non minùs ac Jovi, coronam radiatam tribuit Antiquitas. Lucianus *de Dea Syr.* Ἐπὶ τῇ κεφαλῇ ἀκτῖνάς τε φορέει καὶ πύργον καὶ κεστόν. Etiam lunatam quidam, h.e. lunam in diademate gerentem, coluere, Albericus *de Deorum Imagin. in Junon.* quod ornamentum ad falsas quoque Junones transtulit Jupiter, Alcumenam, e cujus coronæ lamina sexies emergebat effigies Lunæ, apud Statium *Thebaid. lib.* 6. & Inachim, apud Ovidium *Metamorph. lib.*9. Nempe sub *Junonis* nomine Lunam adoratam fuisse, Eruditi multis docent. Utraque enim *Urania* dicitur, & Juno velut inter ignes Luna minores ἀστροάρχη appellatur, V. Herodianum *lib.*5. id est, *Planetarum Regina*, vel ut Horatius interpretatur, *Siderum Regina.* Ita apud Virgilium *Juno* inquit: *Divûm incedo Regina*, quam proin sub nomine *Reginæ cælorum* ab Idololatris Judæis cultam fuisse, Jerem. *cap.* 7. *versu* 18. & *cap.* 44. *vers.* 17. innui videtur. Et cui potiùs Gentiles Kalendas seu primitias omnium mensium consecraverint, quàm Lunæ, at Junoni consecrarunt, quæ proin *Kalendaris* dicta est. Porrò quemadmodum Jupiter Ammon nil aliud quàm Sol erat, sub arietis formâ coli solitus, ita non malè Lunam *Junonem Ammoniam* dixeris, quam sub ovis schemate coluere. Unde idolum Astaroth, quod præcipuo honore venerati sunt Sidonii 1. Reg. *cap.* 11. *versu* 5. & 2. Reg. *cap.* 23. *versu* 13. quoque nomine vel Luna vel Juno culta est, seu potiùs utraque, ovis imaginem habuisse legitur, V. Cœl. Rhodiginum *lib.* 18. *cap.* 38. Dav. Kimchi *in* 1. *Sam. cap.*31. *vers.*10. Thom. Godwynum *de Ritib. Hebr. l.*4. *c.*6.&c. De *Junone Samia*, in cujus templo pavones alebantur, V. infrà, voce *Pavo:* uti de simulachro ejus ex ære, Romæ, in Concordiæ templo, Bedæ opere, Plinium *lib.*34. *cap.*8. de aliis huc pertinentibus, Casp. Barthium *Animadversionibus Papinianis* passim, inprimis verò *Commentar. Superstitionum.*

Ivo Carnutensis, adde: præsertim autem Gerh. von Mastricht JC. *Histor. Juris Eccl. num.* 263. & seqq.

Jupa, in *Regula* Ordinis Canonicorum S. Marci de Mantua, in *Regesto* Alexandri IV. Pontif. Rom. anni 7. *Epist.* 24. ex Bibl. Reg. apud Car. du Fresne, vestis talaris species est, Gallis *Jupe.* Hinc *Jupellum*, Picardis *Jupel*, aliis *Jupon*, sagum militare, apud Eund. *Epist.*172. *lib.*5. ubi præfatus Pontifex decernit, ut Fratres Milites Ord. Hospital. chlamydes nigras deferant, quo ab aliis Fratribus ejusdem Ordinis dignoscantur: *In bellis autem — utantur jupellis & aliis superinsigniis militaribus — coloris rubei, in quibus etiam crux albi coloris sit in eorundem vexilli modum assuta &c.*

Jupanus, titulus honorarius, in Serviæ Regno, secundo-genito Regis olim tribui solitus. Auctor *Vita* Sabæ Epist. *Ut videre est ex titulo Stephani ejus filii, Magni* Jupani *Serviæ.* Sic inter Innocentii III. *Epistolas*, una est *Magno Jupano Serviæ inscripta*, quæ 167. est *libri* 2. V. infrà in *Zupa*, & *Zupanus.*

Jupiter, adde: Hunc Deorum præcipuum habere Oraculo moniti sunt Athenienses. Cùm enim de Monarchico regimine tollendo consilia agitarent, responsum illis divinitus est, προστῆσαι Δία βασιλέα, *Præficerent sibi Jovem Regem*, Schol. *Aristophanis pag.* 121. unde Poetæ huic in *Nubibus* Ζεὺς Βασιλεύς, i. *Jupiter Rex*, disertè appellatur. Iidem eum, velut Præsidem Justitiæ, Supplicum, Consilii, Societatis civilis, Hospitum &c. venerati sunt, ut ex epithetis ejus infrà apparet. V. Fr. Rossæum *Archael. Attic. lib.* 2. *cap.*2. Coronamentum *Jovis* quod attinet, *postea vitilis Tutum hoc munere à cæteris honoratum*, ait Tertullianus *de Cor. mil.* Et quidem nexâ è vernis floribus coronâ simulachrum ejus redimitum, Pausanias habet *lib.*5. Oleaginam ei tribuit Phornutus *in Jove.* Querceam, alii &c. V. Car. Paschalium *Coronarum lib.* 4. *cap.* 2. & suprà ubi de *Junone.* De simulachris ejus variis, fictili, virgineo, eburneo, aliisque, magna olim veneratione cultis: de statuis ejus ex ære, alioque metallo; pictis item effigiebus optimorum artificum: porrò de more prisco, minio simulachrum ejus pingendi, mensam verbenaca verrendi, aliisque, V. Plinium passim. Sed & de sepulchro illius ut aliquid addam, montem Idam in Creta primò, mox totam Insulam eo gloriatam, innuit Papinius *Thebaidos lib.*1. *vers.*278.

— placet Ida nocens, mentitaq; manes
Creta tuos —

Et certè res multis Scriptoribus tradita est, quos magno numero laudat Barthius *ad l.* Varro se vidisse scripsit, vel ævo suo sinè sepulchrum id fuisse conspicuum. Solinus *cap.*17. Varro *in libris, quem de Litteralibus fecit, etiam suis temporibus affirmat, sepulchrum Jovis ibi visitatum.* Hodieque superesse, refert J. Villamontius *Itiner. lib.*1. *cap.*5. *La grotte de Minos est encor en son entier, que les Venitiens & Candiots appellent aujourdhuy le sepulchre de Jupiter.* Titulum habuisse hunc.

Ἐνθάδε μέγας κεῖται Ζὰν, ὃν Δία κικλήσκουσι·

addit Salmasius *ad Solinum d.l.* Sic Bacchi sepulchrum Delphis ostensum, & templa pleraque sepulchra fuisse, docet Eusebius *Chronic. lib.*2. & Clemens *Protreptico.* Plura de principe hoc Gentilium Idolo, V. præter Auctores jam dictos, apud Casp. Barthium *Animadversion. ad Statium passim, & Commentariis Superstitionum*, Gerhard. Joannem Vossium *de Origine & Progr. Idolol.* Salmasium item *ad Solinum*, Alios.

Jovis apud Athenienses epitheta varia.

Ἀγοραῖος, quasi *Forensis*, dictus est, quod Fori, rerumq; vendendarum ac emendarum crederetur Præses.

Βουλαῖος, *Consiliarius*, quod is consiliorum esset auctor ac moderator.

Ἐλευθέριος seu *Liberator*, appellari cœpit, cum Themistoclis ductu Græcos à Persis liberavit, V. Plut. *in Them.* & Pausaniam.

Ἕρκειος, etiam Latine *Jupiter Herceus* vel *Herceius*, à voce ἕρκος, i. *vallum*, *septum*, eo quod domorum septa custodiret; Habuit hic in atrio domus cujusque suo [illegible] aram, ἐν ᾗ ἔθυον Διὶ ἑρκείῳ τῷ ἕρκους, *in qua sacrificabant Jovi ædium custodi.*

Ἱκέσιος, vocatus est, tanquam præses τῶν ἱκετευόντων seu supplicum. Vide Ulpian. *in Demosth. p.* 274.

Καταιβάτης, quasi *Descensor* quod in contrario, cujus illum facie bant Moderatorem, in hæc inferiora descenderet.

Νέμειος, Lat. quoque *Nemius* dictus est, Præses Legum ac Justitiæ, Demosthenes *in Midian p.* 251. Diversum ab hoc Νέμειον coluere Corinthii.

Ξένιος, i. *Hospitalis*, seu *Hospes* Ovid. *ante ædes stabat Jovis Hospitis ara*, in præcipuo honore erat, tanquam peregrinorum ac hospitum, quos Athenienses inprimis honorifice ac religiose habuerunt, tutelare Numen. Huic sacra facient his verbis uti solebat: Εἰς Δία Ξένιον ἀμαρτῶ, ἢ παρέλθω ξένους, *Si hospites offendero vel neglexero, sim reus ipsi Jovis Hospitalis*, Eust. *in Iliad.* λ.

Ὀμάγυριος appellatus est, tanquam [illegible] agnationum præses.

Πολιεύς, i. est, *Urbium Protector*, dictus est, quod in ejus tutela urbes ac Respublicæ essent.

Ὕπατος, quod supremus esset omnium Deorum, *Pater hominumq; Deûmq;*

Φίλιος, quod τῆς φιλίας, i. *amicitiæ* esset auctor ac stator.

Φράτριος, ab iis cognominatus est, quod idem Tribubus ac Societatibus civilibus præesse crederetur &c.

Apud alias quasdam gentes.

α. Ammon, apud Ægyptios in veneratione fuit: cum barba pingi solitus, πολιὸς θρὶξ & κερασφόρος. Cujus simulacrum in Musæo Kircheriano [illegible] Georgius Sepibus tradit, *in Descript. ejus p.* 8. β. Ἀπόμυιος, apud Eleos, V. *Muscarius*. γ. Baal, Belus, Phœnicibus & Chaldæis dictus est. Item *Baal samen*, i. e. *Dominus, Princeps, Rex cœli*, quibus nominib. Solem indigitatum, docent eruditi. δ Casius, cultus est in monte cognomine, de quo V. suprà. ε. Crescens, in nummo Valentiniani, de quo V. Jac. Gronovium *Epist. ad Ant. Maglinbequium.* ζ Dodonæus, in Epiro. V. voce *Dodona*. η. Feretrius, adde: ornatus indui solebat. Jul. Firmicus *Quid ipse Jupiter velit? modò imberbis statuitur, modò barbatus locatur: & cùm Hammon dicitur habet cornua: & cùm Capitolinus, tunc gerit Fulmina: & cùm Feretrius est spoliis induitur.* Nempe alio atque alio habitu Hammon, Capitolinus, Latiaris, Feretrius, erat insignis. V. Jo. Frid. Gronovium *Observat. in Eccl. Script. c.* 5 *p.* 80. & 81. θ. Jomæus, in Arcadia, cui templum ab Aristæo statutum. ι *Moloch*, i. Rex. V. ibi. κ. Nicephorus, λ. Nicephorus, V. infrà, item *Victor*. μ *Olympius*, Græcis cultus est. [illegible] quo multa Barthius *ad Statium Theb. l.* 2. *v.* 35. & *l.* 4 *v.* 758. ubi *Pluvium* Jovem hoc nomine adoratum fuisse docet. V. quoque suprà, ubi de *Junone*. ν. Παμάριος, Trapezunte. ξ. Pisæus, Pisis. cujus simulacrum ex ebore fecit Phidias. ο. Triphylius, in Panchaja π Urius, apud Bosphori accolas &c. de quibus omnibus V. Salmasium *ad Solinum*, Barthium *ad Statium* nec non *magno Comment. Superstitionum*, & hîc passim

Juramentum, in judiciis & actionibus, [illegible] omnes semper gentes, tum circa litigantes, tum circa testes, non exigui usus fuit: Unde Aristotel. [Greek illegible] φάσις ἀναπόδεικτος, *cum divina sibi assumtione Dictio non demonstrabilis*, *Rhetoric. ad Alex. c.* 18. Alii, veteri proverbio Μαρτυρία [illegible] ἀμφισβητουμένων, *Testimonium Dei, de re controversa*; &, Τὸ πίστεως βεβαιότατον σύμβολον, *Fidei firmissimum sigillum*, apud Philonem Jud. *de Allegoria l.* 2. &c. Quemadmodum Auctori Epistolæ ad Hebræos *c.* 6. *v.* 16. Πάσης αὐτοῖς ἀντιλογίας πέρας εἰς βεβαίωσιν, *Omnis controversia finis, in confirmationem* Sed ritus *Jurandi* apud varias Gentes varius fuit. Apud Romanos, solemne jusjurandum in Capitolio concipiebatur, Plin. *l.* 2. *c.* 7. idque præsertim, cum adigendi in acta Principum cives erant Kalendis Januariis, Tacit. *l.* 16. *Annal. fine.* Jurabant autem ibi per Jovem Capitolinum, quem Plinius *fulminantem* vocat, quod in perjuros telo trisulco erat armatus. Cum fœdera sancirent, tenebant iidem lapidem silicem in manu, sicque per Jovem lapidem in hæc verba jurabant: *Si sciens fallo, tum me Diespiter salvâ urbe arceq; bonis ejiciat, uti ego hunc lapidem.* Ubi quidam per lapideum Jovis simulachrum, alii per vivum lapidem, id est, qui se dæmonis instinctu movebat, juratum fuisse volunt. Eodem modo Judex, in Comitio, ad aram, quæ *Puteal Libonis* dicebatur, jurare solebat, se ex lege judicaturum: Litigator dein uterque jurare jussus est, quod *Calumniæ juramentum* vocabatur. Nam Actor quidem juravit, se litem ex æquo & bono æstimaturum: Reus verò, se injuriam non fecisse; quorum illud Athenis προωμοσία, hoc ἀντωμοσία, utrumque διωμοσία dictum est, annotante Sam. Petito *Comm. in LL. Atticas lib.* 7. *tit.* 1. Quo ordine quove ritu à militibus juratum fuerit, docet Cæsar *bell. Civil. lib.* 3. *Princeps Labienus procedit, juratq; eum se non deserturum, eundemq; casum subiturum, quemcunq; ei Fortuna tribuisset: hoc idem reliqui jurant Legati, hoc Tribuni militum Centurionesq; sequuntur, atq; idem omnis exercitus jurat.* Enses autem jurati vibrabant, quò significarent, districtis gladiis ulciscendam sacramenti violati fidem. Unde Marcellinus *lib.* 21. *Jussiq; universi in ejus nomen jurare solenniter, gladiis cervicibus suis admotis, sub exsecrationibus diris, verbis juravere conceptis* &c. V. Joh. Rosinum *Antiqq. Rom. cum Paralip.* Thomæ Dempsteri passim. Addo tamen, *jurasse*, apud Romanos, Consules ineuntes, in Leges; decedentes *ejurasse*. Unde de Trajano Plinius *in Panegyr. Imperator ergo & Cæsar & Augustus & Pontifex Maximus stetit ante gremium Consulis* (accedentis) *seditq; Consul Principe ante se stante: & sedit imperturbatus, interritus, & tanquam ita fieri soleret. Quinetiam sedens stanti* (Principi) *præivit juramentum: & ille juravit, expressit explanavitq; verba, quibus caput suum, domum suam si sciens fefellisset, Deorum iræ consecraret*, uti locum restituit Jo. Frid. Gronovius *Observationum l.* 4 *c.* 16. Nempe *juravit* Trajanus, ut Consul: alias neque Romanos, neque CPolitanos Imperatores Senatui jurasse aut Populo, quod quidem Livineius, Meursius, Alii, voluere, ostendit Idem *ibid.* &c. Apud Athenienses Ὅρκος, (quem Eridis filium finxit Hesiodus, cùm sit omnis contentionis terminus, Heb. *c.* 6. *v.* 16.) seu *Jusjurandum* duplex erat, *magnum* & *parvum*. *Magnum*, cùm vel homines per Deos, vel Dii per Stygem jurabant: Hesiodus *in Theog.*

Αὐτὴ μὲν γὰρ ἔθηκε θεῶν μέγαν ἔμμεναι ὅρκον.

Hujus auctorem Jovem ferunt, qui vel à Styge ejusque filiis contra Titanas adjutus, vel ejus haustu, in pugnæ calore, levatus, hanc jurandi formulam Deorum turbæ præscripserit: per quam si quis pejerasset, 9000. annorum in Inferis pœnas dedisse, refert Servius. Imò ipse Jupiter, eidem se cum reliquis legi subjiciens, *destinatam sibi cum suis cultoribus pœnam præscius perhorruit*, ut loquitur Minutius Felix. Et talis propterea dicebatur ὀμόσαι, estesque invocabat Deos & vindices, addita aliquando imprecationis formulâ, si sciens fefellisset. Telemachus apud Hom.

Οὐ μὰ Ζῆν' Ἀγέλαε, καὶ ἄλγεα πατρὸς ἐμοῖο

ubi *per Jovem, & patris sui calamitates* jurabat Mulieres *per Junonem*, vel *Dominam Dianam* jurare solitæ erant exemplo Clytemnestræ apud Eurip. *in Electra*, μὰ τὴν Δέσποιναν Ἄρτεμιν. Viris, veteri Solonis lege, per quos jurare [illegible] anciti sunt Dii: Τρεῖς θεοὺς ὀμνύναι, Ἱκέσιον. Καθάρσιον. Ἐξακεστῆρα, *per tres Deos jurando, per Supplicem, per Procuratorem, per Averruncum*: Seu potius unus Deos Jupiter Ὅρκιος, qui tribus his nominibus erat insignitus, Custos enim Juramentorum princeps hic Deorum habitus est, quod non solum ex voce ipsa, quæ quasi *Jovis jurandum* dicitur, sed & ex Euripide *in Medea* patet, *versu* 170.

—— —— Ζηνά θ', ὃς ὅρκων

Θνητοῖς ταμίας νενόμισται.

—— —— *Jovemq; qui juramentorum*

Mortalibus custos creatus.

Interim adeò non contenti uno Jove manserunt, ut non solùm per reliquos quoque Deos jurarent: Ephebi quidem *per Agraulos, Enyalium, Martem, Jovem, Nutritiam terram, Dianam*; Heliastæ *per Jovem, Neptunum, Cererem*, reliqui Judices *per Apollinem Patrium, Cererem, & Jovem Regem* &c. sed & animas eorum, qui in hostico essent mortui, testes invocarent: ut Demosthenem μὰ τοὺς ἐν Μαραθῶνι, *per eos, qui in Marathonia obiere pugna*, jurasse legimus. Quemadmodum & apud Romanos, non tantùm *per Deum*, sed etiam *per salutem suam*, item *per caput suorum*, aut *filiorum suorum*: inprimis *per salutem* aut *genium Principis* juratum est. Quod postremum etiam in Christianis factitatum esse, docet Tertullianus *Apologet. c.* 32. sed hoc discrimine, ut per salutem Cæsaris Deum, qui Cæsaris datus est & per quem valet, intelligerent. Aliquando Athenienses, fiduciam causæ suæ ostentantes, parti adversæ optionem dabant nominandi sibi Deum, per quem jurari vellet, hoc modo: Ὄμνυμι μὲν ποῖ τῷ θεῷ, ut videre est apud Platonem *in Phædro* & Aristænetum *lib.* 2. *Epist.* 2. *Euxitheus ad Pythiam.* Nonnunquam per plures simul, ut visum suprà: quandoq; per omnes suos XII. Deos, μὰ τοὺς Δώδεκα, quod in vulgari usitatum erat colloquio, jurabant, Aristoph. *Equit.* quemadmodum Lacones per τὼ Σιὼ binos suos Deos, Castorem ac Pollucem. Cum expediendarum litium causâ publicè jurandum esset, Dii quidem manus in altum tollebant, unde Apollo apud Poetam Lachesin rogat χεῖρας ἀνατεῖναι, imò ipse DEUS in Scripturis istiusmodi verbis uti solet. Homines verò, manu altari impositâ, si publicum esset jusjurandum, jurabant: sin privatum, manum ejus, cui jurabant, tangere erant soliti, more quoque Romanis usitato. Sic Menelaus apud Euripidem, juramentum ab Helena exposcens, ait *versu* 834.

Ἐπὶ τοῖς δὲ πιστὸν δεξιᾶς ἐμῆς θίγε.

Dein *Juramento solenni* defungentes, caprum Diis, per quos jurabatur, vel arietem vel capram sacrificabant, vel etiam ex triplici hoc animalium genere simul victimas offerebant, seu singulas seu ternas: Quemadmodum Romanis porca inprimis in hunc usum placuit, &c. *Parvum*, Gr. Μικρὸς ὅρκος vocabatur, cùm per creaturas jurabant: Viz. *per Cramben*, *per Anserem* vel *Canem*, quod Socrati usitatum: *per solum*, cui insistebant: unde Hippolytus apud Eurip. καὶ πέδον χθονὸς ὄμνυμι *per terra, aliaq; instrumenta*: inprimis *per Caput*: ut apud Virgilium legimus,

Per caput hoc juro, per quod Pater antè solebat.

Utrobique solebant jurantes, vel per ignem manum traducere, vel ferrum candens Gr. μύδρον manu tenere, periculi bona fide jurandi

rantibus neutrum nociturum, seu, ut Schol. Euripidis *in Hel.* ait, τὰς μὴ ἰσχύειν τῷ [illegible] ἐν τέλει μὴ ἀλγεῖν: quem ritum etiam veteres Saxones laudasse notum. Aliquando ferrum in mare projiciebant, significantes tam diu se juramenti fidem servaturos, quamdiu ferrum esset in mari mansurum. Callimachus,

— — μέχρις τὸν μύδρον μέγαν εἰν ἁλὶ μυδῆν.

Nonnunquam etiam juramento chartæ inscripto, hacque in aquam projectâ, de jurantis sinceritate edoceri volebant: si enim scheda supernataret, credebant sancte juratum: perjurii verò signum habebant, si illa mergeretur. Quò facit, quod Poeta de Atheniensibus memorat, illos tripodi juramento inscripto, illum Delphos misisse,

Μνημεῖα δ' ὅρκων, μαρτύριά θ' Ἑλλάδι,

Monumenta jurisjurandi, & testimonia Græcis, &c.

V. Franc. Rossæum *Archæol. Attica lib.* 6. *cap.* 4. *& seqq.* Apud Hebræos, aliquando elatâ manu *jurabant*, ut de Abrahamo legimus Genes. *c.* 14. *v.* 22. & Deo ipso, Psalmo 106. *versu* 26. Nonnunquam, qui alteri jurabat, manum sub femore illius posuit, uti Eliezerus servus Abrahami, Genes. *c.* 24. *v.* 2. & Josephus Jacobo patri juraturus, Genes. *c.* 47. *v.* 29. Aliquando ante altare stantes juramento defungebantur, 1. Reg. *c.* 8. *v.* 31. ut de Atheniensibus supra, & alibi de Pœnis Romanisque ab Eruditis annotatum est. Jurabant autem per solum Deum, ut apparet ex Esajæ *cap.* 45. *v.* 23. & Rom. *c.* 14. *v.* 11. unde prisca formula: *tribue gloriam Jehovæ*, Josuæ *c.* 7. *v.* 19. & Johannis *c.* 9. *v.* 24. gloriam nempe omnipræsentiæ, veracitatis, justitiæ ac omnipotentiæ ejus: Quæ causa, quòd nemini temere juramentum deferebatur, neque nisi extrema necessitate urgente. Sequioribus postea temporibus, cum mores populi in pejus irent, gloria hæc soli DEO debita ad alia quoque transferri cœpit. Unde *per creaturas varias*, *Hierosolymam* inprimis, *Templum, aurum Templi, Altare,* & *donum in Altari*, quod *Corban* dictum, circa tempora SERVATORIS nostri, Judæi jurare soliti sunt. E quibus ultimum inprimis jurandi genus à Scribis & Pharisæis magni est habitum, ut apparet ex Matthæi *c.* 23. *v.* 18. & Josepho *c. Appionem l.* 2. Imò quamvis honor Parentum divinâ Lege injunctus liberis esset, tamen si quis horum ad contrarium se obstrinxisset jurejurando *Corban*, à lege immunis habebatur. Hinc Jurejurando hoc se non rarò obstrinxisse, huic vel illi homini nihil commodi se præstituros, legimus apud Philonem Judæum *de specialibus LL. p.* 595. Porrò usitatum fuit diras aliquas vel execrationem conditionatam juramento annectere, ut Saul fecit 1. Sam. *c.* 14. *v.* 44. *Ita faciat* mihi *Deus & ita pergat.* Aliquando tamen subintelligenda relinquebatur, ut Genes. *c.* 14. *v.* 22. & 23. *Juravi*, dira mihi imprecans, *si vel filum vel corrigiam calceamenti* accepero: quo pacto prior Juramenti pars negativa redditur, *Non recipiam filum vel corrigiam.* Sic Psalmo 95. *versu ult. Juravi in ira mea, si intraverint* in requiem meam, id est, *non intrabunt in requiem meam*, Vid. Hebr. *c.* 3. *v.* 18. Ita explicari commode potest difficilis ille locus Matth. *c.* 15. *v.* 5. Δῶρον ὃ ἐὰν ἐξ ἐμοῦ ὠφεληθῇς. *Per Corban, si quidquam tibi prodero.* Ubi Eruditi interpretantur ὃ ἐὰν, *Si quicquam*: quemadmodum ὃς ἐὰν, *Si quisquam*, Matthæi *cap.* 10. *versu* 14. & *cap.* 23. *versu* 18. Ut execratione subauditâ sensus emergat, *Per Corban nihil tibi prodero.* Nec obstat, quòd in textu Originali, sit Κορβᾶν, non ἐν Κορβᾶν vel *per Corban*: ejusmodi enim ellipses in jurandi formulis non esse inusitatas, notum est, V. Drusium *de tribus Sectis lib.* 2. *cap* 17. Thom. Godwynum *de Ritibus Hebr. lib.* 6. *cap.* 6. &c. In Christianismo veteri, disciplina Juramentorum maxime fundata erat verbis Christi, quibus Legem Judæorum vett. de perjurio, commentis non paucis à Magistris inquinatam, ex Judaismo genuino ac vero explicuit, Matth. *c.* 5. *v.* 33. quod totidem fere verbis repetit Jacobus *cap.* 5. *v.* 12. ubi monet, πρὸ πάντων, *ante omnia*, juramentis abstinere; prohibetq; per Cœlum ac Terram jurari, *aliudq; omnino juramentum* vetat. Unde, ut & ex verbis Christi, Judæos *per cœlum, terram, caput*, in more habuisse jurare colligimus. Sed quisnam eorum integer sensus, controversum. Si enim, de non omnino jurando, simpliciter capiatur, undenam aliquoties testem Deum ejusque præsentiam invocat Paulus, Rom. *c.* 1. *v.* 9. 2. Cor. *c.* 11. *v.* 30. Gal. *c.* 1. *v.* 20. Atque auctor ad Hebræos *l. cit.* de *Juramento* diserte loquitur, ut cujus in controversiis omnibus decidendis usus sit maximus atque omnino legitimus. Ita etiam Christiani primitivi, qui *per Genium* aut *Fortunam* Cæsaris, quoniam pro Dæmonibus sumebantur voces illæ, jurare renuerent, *per Salutem* ejus libenter jurabant: & perinsigne est exemplum postea Athanasii, de Deo palàm ab eo jurato, ubi ad Constantium Cæsarem, Μάρτυρα τὸν θεὸν ἐπικαλοῦμαι ἐπὶ τὴν ἐμαυτοῦ ψυχὴν &c. *Deum testem invoco in animam meam* &c. *nunquam in te me malum fecisse, apud Constantem, fratrem tuum* &c. Addens aliquoties, Μάρτυς ὁ Κύριος, καὶ μάρτυς ὁ Χριστὸς αὐτοῦ, *Testis est Dominus, & testis Christus ejus*, ad formulam illam Samuelis, 1. Sam. *c.* 12. *v.* 3. Etiam Christianum morem receptum indicans, Ἀλλ' ὡς ἐπὶ παρόντος λαλοῦμεν, τούτῳ ὅρκῳ ἔχομεν ἡμεῖς Χριστιανοί, *In eaque, ut Deo præsente, loquimur, eodem juramento utimur nos Christiani.* Et Synesius Ptolemaidis circa A. C. 400. Episcopus, sæpius νὴ τὴν ἱερὰν σου κεφαλὴν, *per Sacrum tuum caput* aliterque in *Epist.* 49. 95. 105. &c. jurat. Occurrunt quamplurima, tam apud Patres Orientis, Occidentisque, atque in Conciliis integris, quàm in Christianorum Principum Constitutionibus, ac adhibito passim tum in Foro, tum in Fœderibus, usu, apertissimè ostendunt, illud *ne Jurate omnino*, non aliter acceptum esse, quàm ut id, quo Jurationis genera omnimoda neutiquam interdicerentur. In Oriente quoque Veterum Canones ὅρκους quidem Ἑλληνικοὺς, *per Gentilium Numina juramenta*, vetabant, alia interim ultro admittentes, tam per res alias (modò non per Dæmonas aut res pro Dæmonibus habitas) quàm per Deum O. M. ut, *per caput, per vitam*. Sed in Occidente, circa annos abhinc 850. non semel vetitum est, *per vitam Regis & filiorum ejus*, jurare, &c. Consule in verba Christi allata, præ aliis, Hugonem Grotium. Postquam autem Christo nomen dederant Cæsares, *Juramentum* instituerunt militare *per Deum & Christum & Spiritum Sanctum, & per Majestatem Imperatoriam* (loco antiqq. formularum, *per Genium, per Fortunam, per salutem* &c.) ita apud Vegetium *de R. M. lib.* 2. *cap.* 5. Mittimus hîc, Principibus Christianis usitata, solemnia ac peculiaria juramenta, ut *per vultum S. Lucæ, per pedem Christi, per Sanctum* hunc vel illum aliaque nimis crebra. Inolevit verò tandem, ut, quemadmodum Pagani sacris ac mysteriis aliquot suis aut tactis aut præsentibus jurare solebant, ita solemniora Christianorum juramenta fierent, aut tactis sacrosanctis Evangeliis, aut inspectis, aut in eorum præsentia, manu ad pectus admotâ, sublatâ vel protensâ. Atque id *corporaliter* seu *personaliter juramentum præstare* dictum est, ut à juramentis, per epistolam, aut in scriptis solummodò, præstitis distingueretur. Jurisconsulti Græci dixere, σωματικῶς, καὶ τῇ [illegible] ὀμόσαι, *l.* 10. *tit. Basil.* 25. §. 3. ita discriminantes ab eo, quod erat, ubi ἐγγράφως τῷ συμβολαίῳ [illegible] ὁ ὅρκος. Ex Jure Cæsareo vetere, ut hodieque frequentius, jurabant in Foro alibique, ubi solennior juramenti usus, ἁπτόμενοι τῶν ἁγίων Εὐαγγελίων, *tangentes sacra Evangelia*, Justin. *Novell.* 124. *c.* 1. &c. Accessit deinde clausula illa, *Ita me Deus adjuvet & hæc sancta Evangelia*, aut, *& ea quæ codice in hoc continentur*, &, pro persuasionis discrimine, *& omnes Sancti*. Inprimis observandum solenne illud Procerum in Hispaniis, de societate ac συμμαχίᾳ ineunda juramentum, in quo præibat Pater patratus, & demum — *Si prior defecero, certo consilio, illo die vos Super corpus in hoc seculo, in futuro animam diris cruciatibus mactato, vires verbaq; deficiant, facite; in pugna equum, arma, calcaria, subtrahite, cum opus esset maximè*; apud Jon. Marianam *de Reb. Hispan. lib.* 15. *c.* 18. Quo dicto, societatem sic ineuntes, dicebant *Amen*. *Nonnunquam etiam divinam hostiam in duas partes divisam, uterq; per partem sumebat.* Alii item per res sanctas, ut *Sanctum aliquem, Reliquias, Crucem, Altare, Hostiam*, jurandum solum volunt; alii etiam per res creatas alias, nec juramentum sic conceptum non obligare. alii nec per creaturas jurandum, *Caus.* 22. *q.* 1. *c.* 9. *&* 10. In jurando verò, manus extensionis, quæ sæpius tum pectori adhiberi, tum in aere libero fieri solet, exemplum videtur vetustum in Apologia Athanasii, *Tom. I. p.* 674. Καὶ τὴν χεῖρα ἐκτείνας, [illegible] *Et manum extendens, quod didici ab Apostolo, Deum testem invoco* &c. quamvis Apostolicum illud non tam ad Juramentum, quàm ad apologiam ipsam spectat. Neque verò solum per seipsos, sed etiam per alios, homines nonnunquam jurant. Interdum enim id per Procuratores fieri solet, *in aut per animam Domini*, Speculat. *L.* 2. *Partic.* 2. *tit. de Juram.* [illegible] §. 4. Ita, cùm Isabella Henrici III. Angl. R. soror Friderico II. Cæs. desponsanda erat, Legati, eam hoc ritu rem, Cæsaris Westmonasterii *confirmarunt matrimonium, in Animam Imperatoris, interposito Juramento, afferentes ei ex parte ipsius Imperatoris annulum sponsalem. Quem cum in ejus digito posuissent, pronuntiaverunt eam Imperatricem* &c. apud Matth. Paris. *A. C.* 1235. Cujusmodi & alia occurrunt exempla. Æquiparari etiam solet, interpositio fidei, *per honorem, fidem*, Juramento solenniori &c. Alienæ autem persuasionis homines per id, quod venerantur illi, adjurari consuevere: cujus rei prodigiosum est exemplum in Jure Græco-Romano *Tom. I. p.* 119. ubi Judæorum quilibet, in Forensi negotio adjurandus, rubo cingendus fuit & [illegible] *Culeo seu utre*, [illegible] *re & mare ingredi debuit, ac Circumcisionem suam ter conspuere, &* jurare, *per Barase, Baraa, Adonai, Eloi, qui traduxit siccis pedibus Israëlem per Mare rubrum* &c. *Per eam Legem, quam Adonai dedit: & actum conspuendi circumcisionem corporis mei, & rubum, qui cinguntur lumbi mei: Non falsò aut mentiendo juro Nomen Domini Sabaoth. Sed si falsò juro, execrandi sint posteri mei ventris; mare* [illegible] *parietem palpando quæram & instar ejus, qui oculos non habet.* [illegible] *Cum hisce omnibus tellus aperiat os suum, meq; absorbeat ut Dathan & Abiron.* Aliudque ibidem sequitur, ex libro Eparchico seu Præfectorio consimile, sed brevius. Rubo autem ibi etiam Judæus jurans cingitur, & jurat κρατῶν ἐν ταῖς χερσὶν αὐτοῦ τὸ μεγαλεῖον, *tenens in manibus suis Rem Magnam*, augustam, id est, Legis Codicem. Et hæc quidem ad tempora pertinent Basilii Junioris & Constantini Porphyrogennetæ Impp. seu A. C. 980. Apud Christianos verò posteros obtinuit, ut absque ritibus illis rubi, culei, maris, adjurarentur Judæi, in Foro Christiano, *Secundum Legem suam*, *per decem præcepta Mosis*, vel sic, *Juras tu per Deum Patrem omnipotentem Sabaoth?* vel, *per Deum, qui apparuit Mosi in rubo?* vel *per verum Adonai patrem?* vel, *per Deum Elohim* &c. quibus respondendum à Judæo, *Juro*, vel sic, *Si culpabilis sit & perjurus, fiat dispersus inter Gentes, & moriatur in terra inimicorum suorum & terra absorbeat, sicut Dathan & Abiron.* Cui respondendum, *Amen*. Vel sic,

&c. *Te lepra apprehendat*, sicut Naaman *Syrum*; vel *Habitatio tua fiat deserta*; vel, *Veniant super caput tuum omnia peccata tua & parentum tuorum, & omnes maledictiones, quæ in Lege Mosis & Prophetarum scriptæ sunt, & semper tecum maneant*: respondente Judæo, *Amen*. V. Durantum *Specul. l. 2. tit. de Jur. Cal. §. 3. n. 17.* Bartolum ad *L. jurare D. tit. de Jurej.* & Marquardum de Susanes *de Judæis Part. 2. cap. 5. §. 10.* Mauris verò seu Mahumedanis deferri olim solebat in Hispania, à Christianis, juramentum in hunc ferè modum, ut in Alphonsinis legitur *Partit. 3. tit. 11. l. 21.* Tam is, qui deferret, quàm Maurus adjurandus sistebant se coram Mesquita Mahumedana, si loci opportunitas ferret, aliove in loco à Judice præstituto, ubi Maurus, in Meridiem versus, manu sublatâ, ac etiam per Deum suum & facta, adjurabatur, *Juras me tu Fulan Mero, por aquel Dios* &c. quibus is respondebat, *Assi lo juro*, ipsique juramento primâ personâ à se repetito, subjiciebat, *Amen*. At non omni tempore jurabatur olim: inoleverat enim apud Christianos mira disciplina, de temporibus amplioribus, quibus in litibus jurare non erat permissum. Unde legitur in Concilio apud S. Medardum habito, de quo V. Burcardum *Decret. lib. 12. c. 20.* *Decrevit S. Synodus, ut à Septuagesima usq; in octavam Pascha, & ab Adventu Domini usq; post consecratos dies; nec non & in Jejuniis Quatuor temporum & in Letania majore & in diebus Rogationum, & in diebus Dominicis, in fide, concordia & pacificatione, nullus super sacra jurare præsumat.* Quod item transcripsit Gratianus, *Caus. 22. Quæst. 5. cap. 17.* nisi quod habet, *ab Adventu Domini, usq; in Octavam Epiphaniæ & nullus super sacra Evangelia juret*, &c. Scilicet *Placita secularia & potestas Judiciaria*, per tempora illa, quiescebant. Erat que non dissimilis apud veteres Romanos, de Feriis solemnibus, disciplina, ut videre est, apud Macrobium *Saturnal. lib. 1. c. 16.* At de Sabbatis diebusque prodianis atque aliis festis hanc circa rem apud priscos Judæos, similiter res certa est. Unde in Christianismo olim obtinuit Honorii & Theodosii Min. A. A. sanctum An. Chr. 409. quo, *die Sabbathi ac reliquis suo tempore, quo Judæi cultus sui reverentiam servant, neminem aut facere aliquid aut ulla ex parte conveniri debere præcipitur*, *L. 3. C. Theodos. lib. 2. tit. 8. & Lib. 8. tit. 8.* Sub vicennium quoque ante, seu 389. *Rescripto* Valentiniani, Theodosii & Arcadii AAA. vacationis intervalla aliquot eis, quæ in Canonibus jam memoratis occurrunt, satis similia, præter *dies Dominicos* (quibus item lites prohibentur à Constantino) *& Principum natales ac Imperii ortus*, habentur, *l. 7. C. Justin. tit. de Feriis*, *l. 2. C. Theodos. lib. 2. tit. 8.* &c. Quod ad Mahumedanos, juxta disciplinam illorum ipsiusq; Mahumedis exemplum, tum per Deum, tum per creaturas, variè juratur. Lex habetur in Alcorano, *Azoar. 34. Lat. 24. Arab.* de Juramento Fornicationis causa adulterii: Viri accusantis, qui testibus careret, testimonio, quater invocando ac jurando, *per Deum se verum dicere*; quinquies adjectâ imprecatione, *ut maledicat ei Deus, si mentiretur*. Uxoris accusatæ; quater similiter Deum testando, virum suum falsò jurasse, quinquies itidem imprecando, *ut irascatur ei Deus, si is fuerit veridicus*, quo præstito illa absolvenda. Jurat autem Mahumedes ipse, *per Angelorum ordines, per Alcoranum, per ventos, per nubes, per aquoris naves, per cœlum, per stellas*, passim *l. c.* item *per montem* (Sinai, ut Interpretes volunt) *librum q; lineariter in chartis subtilissimis scriptum* (Paraphrastes exponit, per Legem & Alcoranum) *per domum supernè ædificatam* (quam Paraphrastes collocatam esse ait in cœlo sive tertio sive sexto sive septimo, locumque esse, ubi Angeli septuagies mille, per vices, Mecæ felicitatem quotidie procurant) *& tectum excelsum* (Cœlum ipsum) *& Mare repletum.* Porrò, *per stellam Vespertinam, per occasum stellarum* (ubi adjicitur, magnum hoc esse sacramentum) *per calamum, per diem Resurrectionis & per animam Ream: per Auroram, per noctem decimam*, forte decimam decem dierum peregrinationis solennis ad Mecam) *per par & impar & noctu transitum* &c. per quæ & quasi nunc se, nunc Deum O. M. impie inducit quasi jurantem, sic item & *per Mecham, per Solem, Lunam, Ignem, Cœlum, Terram, Noctem, Animæ creationem, per Persica poma & olivas*. Sed de juramentis his Alcoranicis, plura apud Guadagnolum. Adeò ut *per Deum*, ita per res alias, ex disciplina hac semper licuerit jurare. Inde ad Jacobum Consiliarium, cùm se occidisse Ulemum affirmaret, Mahumed, Almahadi Chalifa, qui id jusserat, *Jura*, inquit, *per caput meum*. Elmac. *in Saracen. Histor. lib. 2. cap. 4.* Sic Abugiafar Harem Rashid Giafarem de statu Jabiæ custodiæ traditi respondentem, adjurat, *an per Vitam meam? Ibid. cap. 6.* Et Avicenna, *Juro per vitam meam, quòd si Deus mitteret Prophetam* &c. Sic Achmetes Turc. Imp. fœdus, inter se & Henricum IV. Gall. R. initum, firmat juramento, *per Deum omnipotentem, creatorem cœli & terræ, & per animas Avorum nostrorum Proavorumq;*, &c. De aliis gentibus, quædam dicemus infrà. Adjicio hic saltem, miseros Gentiles Deorum suorum mysteriis sub *Juramento* olim se addicere consuevisse. Sic enim *juratum* esse in fœdis illis Bacchanalibus Romæ, à Consule Posthumio interfectis, legitur apud Livium *lib. 39.* ubi inter alia sacramentum solenne dictum, & à Principibus Sacerdotum prælectum fuisse, *Carminis sacri* nomine, innuitur: *Qui tantum initiati erant, & ex carmine sacro, præeunte verba Sacerdote, precationes fecerant* (h. e. mysteriis se & sceleribus addixerant) *in quibus conjuratio nefanda in omne facinus — continebatur, nec earum rerum ullam rem in quas jurejurando obligati erant, in se aut alios admiserant, eos in vinculis relinquebant.* Qua de re V. plura apud C. Barthium *ad Papinium Thebaid. lib. 4. versu 397.* Et ut de *Perjurio* hic nil dicam, ut de quo suo loco: verbo saltem moneo, cùm *temerè blasphemeq; jurandi* licentia sequiori ævo inter Christianos ipsos increbuisset, capitis supplicio eam fuisse coercitam *Novellis* Justiniani, uti docet ex iis Julianus Patricius *Constitut. 71.* Sic Philippum Augustum Gall. R. profanas aleatorum & Curialium blasphemias sic abhorruisse, ut etiam *Milites*, i. Equites, se præsente tale quid committere ausos, continuò in profluentem projici jusserit, scribit Rigordus. Jamque ante ipsum, in eadem Gallia, blasphemos homines pro infamibus habitos, discimus ex *Capitulis* Caroli Calvi. De iisdem VVisigothorum *LL.* sic sonant *lib. 12. tit. 3. cap. 2.* *Quicunq; quocunq; modo blasphemiam dixerit, eum centenis decalvatum flagellis subjiciant, & ardua in vinculis constitutum perpetuis exsilii conterant* (Judices) *ærumnâ, rebus & possessionibus Regio fisco mancipatis.* V. eundem Barthium *ad Statium Thebaid. lib. 5. vers. 329.* Medio ævo *Juramentum* non raro, venit nomine *Purgationis Canonicæ*, sicque *Purgationi Vulgari*, cujusmodi sunt, *Duellum, ferrum candens* aliaq; id genus, opponitur, *Sacramentum* item sæpe & *Sacramentum purgationis* appellatur, apud recentioris ævi Scriptores. Et quidem, si majoris momenti res esset, non solus, seu, ut vulgò dicitur, *solâ manu suâ* jurabat reus: sed alii quoque deligebantur, qui idipsum, quod ille, perinde jurarent; vel saltem sacramento affirmarent, quæ ille juraverat, vera esse se credere, *Sacramentales, Sacramentarii, Juratores* &c. dicti. Cujusmodi testes, priusquam ad Sacramentum admitterentur, examinari consuevisse à Judicibus, discimus ex *Notitia An. Chr.* 818. apud Perardum *pag. 36.* Dicebantur autem hi porrò, si à reis eligerentur, *Advocati*; si ab accusatore, *Nominati* vel *Denominati*: augebaturque numerus eorum, pro rei, vel causæ, de qua agebatur, momento, unde *suâ manu, unicâ manu, tertiâ manu*, usq; *ad trecentesimam*, jurasse reperiuntur, apud C. du Fresne laudatum, varii, pro causæ ratione. Quo verò pacto rituve id factum, docet *L.* Alemannica *tit. 6. §. 7.* *Illi Conjuratores manus suas super capsam ponant & ille solus, cujus causa requiritur, verba tantum dicat, & super omnium manus suam manum ponat, ut sic illi Deus adjuvet vel illa reliquia, ad illas manus, quas comprehensas habet, ut de illa causa quâ interpellatus est, culpabilis non sit.* Jurabant autem jejuni, & discutiebantur à Judice, ut est in *Capitular.* Aquisgran. *A. C. 787. cap. 26.* &c. idque in Ædibus sacris, variis ceremoniis adhibitis, ut videbimus. Horumque quædam dicebantur *Juramenta corporalia*, σωματικοὶ ὅρκοι Balsamoni, quòd tactis, seu inspectis SS. Evangeliis, Cruce vel SS. reliquiis admotis, sublatâ aut protensâ manu, præstarentur; atque ita distinguebantur à *Juramentis, quæ instrumento* fiebant: item à *Juramentis Sacerdotum*, qui in Concilio Meldensi, *super Sacra* seu *corporaliter* jurare vetantur; quemadmodum apud Romanos olim Flamines Diales jurare non cogebantur, sed eorum verbis non stare religio erat, A. Gellius *lib. 10. cap. 15.* Quamvis jurasse interdum Episcopos ad S. Evangelia, constet ex *Actis*, Alexandri III. apud Baronium A. C. 1177. &c. V. quoque suprà *Judicium Dei*: Plura verò hanc in rem infrà, voce *Sacramentum*, uti *de Juramento Fidelitatis*, voce *Homagium*.

Varii jurandi modi ritusq; variarum Gentium, veteres omnes, paucissimis exceptis, apud Auctores passim obvii.

A. Per *Aglauron*, juravere Attici, Helych. V. suprà. Per *Album* Ægyptii. Ad *Altare* & super *Altare*, juratum paganis Christianisque; de paganis V. infrà, voce *Ara*. Christianorum ritus hic non unus semper idemque. Namque, ad *Altare* capite suo inclinato jurandi modus, occurrit in *Judiciis* VVithredi R. Cantuar. c. 21. ad *Altare* unâ manu, alterâ ad jurandum paratâ, *Ibid. cap. 19. & 20.* Super *Altare* consecratum, in *Usaticis* Barcinonensibus *MSS. cap. 43.* Super *Altare* manibus positis, apud Bignonium *Form ul. 3. 33. 41.* Sic Vett. cùm jurabant, tetigisse aras, docet Virgilius *lib. 12.* Alii. Coram *Altari*, apud VVilh. Malmesb. *l. 2. c. 6.* In *Altari*, in *L.* Alemann. *tit. 7. §. 2.* Super plura *Altaria*, apud Gregorium Turon. *l. 5. c. 49.* ubi in tribus altaribus: in *LL.* Hoëli Boni R. VValliæ *c. 26.* ubi in septem: in Fleta *l. 2. 63.* ubi super novem: apud Radulfum de Diceto *A. C. 1040.* ubi in quindecim *altaribus*, juratum legimus. Pluries v. jurare compellebantur, qui Sacramentales habere non poterant, qui pro eis jurarent. Ita porrò jurabant super *Altaria*, ut iis superposita essent sancta Evangelia, quæ manu contingebantur: quod omnino improbat Chrysostomus *Homil. de Juram.* Interim apud recentioris ævi Christianos maxima hujus juramenti religio erat. Formulam *Epistola* Arsenii Episc. Hortensis, de Ingeltrude Bosonis uxore, hanc exhibet: *Juro ego Engeltruda — D. meo Nicolao summo Pontifici & Universali Papæ, per Patrem, & Filium & Spiritum S. & hæc sancta quatuor Christi Dei Evangelia, quæ ore osculor & manibus propriis tango, quia amodo* &c. Aliam Sexta Syn. *Act. 13.* de Georgio Diac. & Chartophylace, qui his verbis usi. Μὰ τὰς ἁγίας γραφὰς ταύτας καὶ τὸν θεὸν τὸν λαλήσαντα δι' αὐτῶν. At *Act. 14.* pro Μὰ τὰς ἁγίας γραφὰς jurat Georgius Μὰ τὰς ἁγίας δυνάμεις ταύτας &c. Per *Amici* caput, V. infrà. Per *Amorem* Dei, in *Visionibus* Flotildis. Per *Angelos* Dei, Robertus D. Normanniæ jurasse legitur, apud Guil. Gemeticensem *Histor. Normann. l. 8. c. 2.* & in *Histor. Aulæ ejus Regni* (in quo

ſcripto non pauca ſunt exempla, Politicis notanda, *juramentis* aut extortis, aut perſuaſis ingentia partibus damna data) In *Animam* alterius, juratum ſæpius. Et quidem de Regibus Francorum obſervat Tillius, ſemel per ſeipſos jurare, quando ſc. inaugurantur & coronantur: in cœteris verò occaſionibus, in quibus ſolenniter quidpiam ſubditis pollicentur, id *verbo regio* firmare. Sed & fœdera olim ipſa, quo cum Regibus aliis ſanciebant, non ab ipſiſmet, ſed iis præſentibus, à quopiam ex aulæ Proceribus ad id delecto, *in eorum animam* jurata, addit, V. eum *lib.*1. Quod apud alios quoque Principes invaluiſſe, patet ex *Actis* Alexandri III. apud Baronium *A. C.* 1177. ubi de Imperatore: ex Falcando, *de Sicil. calamit.* ubi de Siciliæ Rege: ex *Charta* vet. ubi de Jacobo R. Majoric. A. C. 1284. &c. Imò nec Regum duntaxat propria hæc forma fuit, ſed & aliorum: In *Actis* enim Innocentii III. nobilis quidam *in animam* Marcualdi Seneſcalli Imperii jurat *p.*3. Jurabatur quinetiam *in Animam Univerſitatis*, apud Guil. de Podio Laur. *cap* 40. &c. Per *Animam* Patris ſui, jurant Hugo M. apud Witikindum *lib.* 3. Otho Imp. apud Alb. Stadenſem *ann.* 944. & Conſtantia Reg Roberti R. Franc. uxor, apud Helgaldum Flor. de juramento Pauli Apoſtoli, *ſuper animam ſuam*, V. B. Auguſtinum *Serm.* 28. *cap.*5. Per *Aquam* Stygis, juravere Arcades: nec aliud Gentilium Diis ſanctius juramentum. Per *Aras* juratum Gentilibus, Horat. Super *Arma* jurandi ritus, omnibus ferme (præſertim Septentrionalibus) populis receptus legitur: quamvis pro ratione eorum varians ſubinde. Vid. de Alamannis, *LL.* Alaman. *tit.* 89. de Baivvariis, *LL.* eorum *tit.* 16. §. 6. de Benebarnenſibus, Marcam *Hiſtor. Benebarn.* *lib.*6. *cap.*26. *num.* 6. de Bulgaris, Nicolaum I. *Reſp. ad conſulta illor. cap.* 67. de Danis, Eginhardum *A. C.* 811. & Adamum Brem. *cap.* 30. *de Danor. Regib.* de Francis, Fortunatum *lib.*6. *Poëm.*7. de Longobardis, *Edictum* Rotharis R. *tit.* 109. §. 2. de Saxonibus, Fredegarium *cap.*74. Aimoinum *lib.*4. *cap.*26. Alios: de Scotis, *LL. Foreſtarum* Scotic. *cap.*10. §.1. de Suecis, Loccenium *in Hiſtor. Suec. p.* 363. &c. Super *Armilla*, apud Ethelvverdum *libr.* 4. *cap.* 3. de Danorum Reg. ubi *Armilla* du Freſne idem vult eſſe, quod *arma*: Sed nil impedire, quò minus in proprio ſenſu vox ſumatur, diſcimus ex Bartholino *de Vett. Armillis*. V. quoque *ſuprà*. B. Super *Baculos* Epiſcoporum, Hibernis & Scotis familiare fuiſſe jurare, docet Silv. Giraldus *Topograph. Hiberniæ lib.* 3. *cap.* 33. Per *Barbam* Othonis, ſeu *Barbam ſuam*, jurare ſolitus eſt Otho I. Imp. Vid. Gobelinum Perſonam *Coſmodrom. pag.* 202. Sed & Romanis *Barbam juratam*, docet nos Papinius *Epicedio Glauciæ*. C. Per *Capillum* Dei, in *Nov.* Juſtiniani. Ad *Caput* pecudis, in *Concil.* Aurelian. 4. *Can.* 16. Per *Caput* alterius, Byzantinos Græcos jurare ſemper paratos fuiſſe, refert Luitprandus in *Legat.* Idem in uſu habuere etiam Græci vetuſtiores, à quo dominari ceperunt. Non verò Heroes antiquiſſimi. Unde Juvenalis de felici ætate loquens, ait: *Nondum Græcis jurare paratis Per caput alterius.* Sed & *per caput Aſcanii* jurat Æneas, *Æn. lib.*9. Idem Hebræis in uſu fuiſſe, diſcimus ex Matth. *cap.*5. nec Chriſtianos vett. *per Amici caput* jurare recuſaſſe legimus, apud Syneſium *Epiſt.*79. *Per liberorum & proprium*, juramentum, habes apud Balſamonem *Comm. in Can.* 95. *Syn. VI. Trull.* &c. Per *caput Imperatoris*, occurrit apud Luithprandum *Legat.* Apud Ægyptios verò *per Caput Regis* jurare, fuiſſe capitale, Abenezra tradit, V. & Georg. Elmacinum *Hiſtor. Saracen.* Imò, quod horrendum, *per Caput Dei*, juraſſe legitur Henricus III. Angl. R. apud Matth. Paris. Vid. quoque *Nov.* Juſtiniani *cit.* Poſitâ manu ſuper *Caput* ejus, cum quo lis eſt, in *LL.* Hoëli Boni R. Walliæ *cap.*25. Poſitâ manu ſuper *Caput* Imperatoris, apud Theophanem. *in Nicephoro Gener. ann.* 8. Per *Cepe* juratum Ægyptiis, V. ſuprà, in ea voce. Per *Chriſti* ſepulchrum, jurat Amalricus R. Hieroſolymorum, apud Nicetam *Emanuele lib.*5. *n* 5. Per *Cibos fœtidos*, quaſdam gentes jurare non puduiſſe, notat Plin. *lib.*2. *cap.*7. Per *Cineres* parentum aliorumque ſibi charorum, jurandi modus indigitatur Statio *Theb. lib.*5. *verſ.*329. Per *Coronam* ſuam, jurat Adalbero Arch. Trevir. apud Balduinum in *Geſtis* ejus. Per *Coronam*, impoſitâ manu capiti, Fridericus II. Imp. apud Sanutum *lib.*3. *part.*11. *cap.*11. Per *Creaturas*, in Egberti *Pœnitent. cap.*12. Poſitâ ſuper caput *Cruce* Presbyteri, Diaconi, Monachi. Super *Crucem*, apud Domnizonem de *Vita* Mathildis *lib.*2. *cap.*2. Super librum Miſſalem & *Crucem*, in *Conſuetud.* Solenſi *tit.* 4. *artic.*1. Super Te igitur & S. *Crucem*, i. ſuper Canonem Eccleſiæ, in *Foris* Benebarn. Rubr. *de Notar.* D. Per *Dentem* Dei, Rex Angl. in *Monaſtico* Anglic. Per *Dentes* Dei, Joannes R. Angl. in *Chron.* Flandr. Per *Deos*, V. Macrum in *Hierolexico*. Cum *Dextra* armata, in *L.* Ripuar. *tit.*33. §. 1. in manu Comitis *Dextrâ* datâ, in *L.* Longobard. *lib.*2. *tit.*52. §.15. Super *Diſceſſorem* Eccleſiæ, in *Canonibus* Hibernicis *libr.* 41. *cap.*30. Per *Diſcipulorum* ſuorum *gloriam*, juravit Paulus Apoſt. de quo V. Auguſtinum *Serm.* 28. *cap* 5. Per *Domini* fidem, Robertus Franciæ R. apud Helgaldum *pag.* 64. 65. & 66. E. Super textum *Evangelii*, in vet. *Charta* Goffridi Com. Andegav. apud C. du Freſne *Gloſſar.* De quo more, etiam Græcis frequentato, qui manus abluebant juraturi, Vid. & Cl. Suicerum *Theſ. Eccl.* voce Εὐαγγέλιον. Sub ſtola tactis ſanctis *Evangeliis*, Sacerdotum fuit, in *Charta* Friderici II. Imp. apud Baronium A.C. 1166. *Evangelio* ſuper caput poſito, apud Marcellinum Com. *in Chron.* de Pelagio Pontif. Sic *per Evangelia juramenti*, & quidem

fallacis, late deſcriptum exemplum eſt, in *Legationibus* Menan
F. Super *Forte* juramentum, extat in *Charta* Eduardi Angl. R. ap
C. du Freſne *Gloſſar.* Per *Fortunam* ſuam & gloriam, jurare ſo
tos Parthorum Reges, habes apud Joſephum Ἀρχαιολ. *lib.*20. c
3. More *Friſionum*, in *Jure Friſico art.*31. tollebant autem ſini
manu ſiniſtros capitis capillos & imponentes eis dexteræ ma
digitos duos, jurabant, Vid. Sibrandum à Sicama *ad LL. Fri*
tit. 12. G. Per *Guttur* Dei, jurat Henricus III. Angl. R. apud M
thæum Paris *pag.* 662. H. Pro ratione *Hidarum*, vel per cert
numerum Hidarum, apud Lambardum *ad LL. Angl.* Per *Hoc*
per Hoc, jurabat Guilielmus Rufus R. Angl. V. Eadmerum *Hiſ*
Nov. lib. 2. I. Per *Infortunium* ſuum, V. ſuprà, in hac voce.
Jovem & Jo jurari, primum finxiſſe Heſiodum, tradit Heſych
in Ἀφροδίσιος ὅρκος. L. Per *Lanceam* S. Jacobi, jurare ſoli
eſt Philippus I. R. Franc. in *Chron.* Flandrenſi *capp.*8. & 16. Su
Lapidem falſum, V. Car. Macrum in *Hierolexico*. Per *Librum*
Stolam, in verbo Domini, jurare Canonicis Senenſibus præce
Octavianus Cardin. in *Charta* exarata ann. 3. Alexandri III. S
per *Librum* Miſſalem & Crucem, V. ſuprà. Per *Linguam* D
Monaſtic. Anglic. *Tom. III.* Per *Lumina* ſua jurandi formul
ſuo ævo uſitatam, tradit B. Auguſtinus *Exeg. in Joan.* M. *Ma*
poſitâ ſuper caput &c. V. ſuprà. *Manu* poſitâ ſuper pectus, ini
Manuum contactu, apud Andr. Suenonis Archiepiſc. Lundenſ
*lib.*7. *cap.*7. Per *Membra* charorum, frequens jurandi mos Ve
rum, V. C. Barthium *ad Statium Theb. lib.*12. *verſ.* 103. More M
norum, apud Rollandinum *in Summa Notar. cap.* 7 *rubr.* 3. J
rabant autem illi, qui minores erant ann. 25. ſed majores an.
corporaliter ad ſancta Dei Evangelia, ut idem habet *cap* 1. *Rubr*
venditione à minori factâ. Super *Mortuorum* tumulos jurare, in j
diciis publicis, ſolenne fuit apud Londonienſes: cùm nempe a
quis è teſtibus nominatis deceſſerat, antequam teſtimoniu
ſuum juraſſet; tum enim jurabatur à reo, ipſum, ſi in vivis ſupe
eſſet, fuiſſe id ipſum teſtaturum, Seldenus *ad Marmor. Arund*
Per *Myſteria*, ſeu Sacramenta, Chriſtianis olim jurare, inuſi
tum non fuiſſe, præter alia, docet Baptiſmatis atteſtatio, cu
exempla ſunt tum alibi, tum in *Chron.* Alexandrino *p.*711. N.
Nomen Imperatoris, ab Auguſti temporibus, jurare cœpiſſe, no
Caſaubonus *ad Claudium Suetonii cap.* 12. Per *Nomen* ſuum, jur
Coſmas Patr. CPolitanus, apud Annam Comnenam *Alexiad. l.*
Per *Oceanum*, velut patrem Deorum hominumque, juran
mos, Homero memoratur, aliisque. Per *Oculos* charorum, paſſim
Per *Omnes* gentes Amalricus Com. Montisfortis, apud Order
cum Vitalem *lib.* 12. *pag.*880. Per *Oſſa* ſuorum, V. ſuprà, per *Cin*
res. Per *Ottonis* barbam, V. ſuprà. P. Ad *Pectus* ſuum manu ap
poſitâ jurare, Sacerdotum eſt, Gall. *la main miſe ſur le pis*, ut e
in veteri Formula. V. *Bullam* Aur. Caroli IV. *cap.* 2. Per *Pectu*
ſuum, jurabant mulieres apud Alamannos, in *LL.* Alaman. *tit.*
56. §. 2. an manu pectori appoſitâ? quemadmodum modò de Sa
cerdotibus dictum. Sic *tunſo digitis Pectore*, juraſſe dicitur Nice
phorus Imp. apud Luithprandum *in Legat.* In *Pecunia* vel Veſt
mento, jurare Friſones ſolebant, in re levioris momenti, in
Friſonum *tit.* 3. §. 4. Per *Pedes* Abbatis, Monachi jurare jube
tur, in *Ch.* S. Ranimiri, Aragoniæ R. apud Martinezium *Hiſto*
*Pinnat. lib.*3. *cap.*17. Per *Pedes* Dei, frequenter dejeraſſe olim J
hannes cognom. *Sine Terra* Angl. R. legitur, apud Matth. We
monaſterienſem. Super *Plagis*, Judæi jurarunt, in *Libertatibus* co
ceſſis urbi Barcinon. à Petro R. A. C. 1283. *Per Porrum* jurave
olim Ægyptii. V. ſuprà *Cepe*. In *Poſſe* Regis, in *LL.* Aragon. ap
Blancam *pag.* 771. Per ſalutem *Principum*, apud Eadmerum
Vita S. Wilfridi *capp.* 41. & 19. Per *Priſcillianum*, auctorem del
ſui, juravere ſectatores ejus, teſte Sulpitio Sev. *l.*3. R. Per *Reg*
cœlorum, Carolus M. apud Monach. Sang. *l.*1. *c.*3. Per *Reges* &
lios eorum, juramenta olim frequentia ſuſtulit idem Imp. in
Longobard. *l.*3. *tit.*24. Ad *Reliquias* & tumulos Sanctorum, V
infrà. Per *Reſurrectionem Dei & Splendorem ejus*, juravit ap
Continuatorem vet. Bedæ *lib.*3. *cap.*26. Angliæ quidam Rex,
infrà, per *Splendorem*. S. Per *Sacerdotium* ſuum Epiſcopi &c.
rant, in *Charta* anni 865. apud Ughellum *in Epiſcopis Veron.* idq
manu ad pectus appoſitâ. Unde Matthæus Paris *A. C.* 1252. He
ricum III. Angl. R. peregrinationem Hieroſolymit. inituru
pollicitum, cum Sacramento *more Sacerdotum* exhibito, ſcribe
Et jurans, ait. hoc, appoſuit manum ſuam dexteram ad pectus ſu
more Sacerdotis & poſtea, ſuper Evangelia appoſita & oſculatu
ea more Laici. Cùm enim corporaliter *Sacerdotes* jurare veten
in *Concilio Meldenſi*, jurare ſaltem conſueverunt, *per Sacerdoti*
vel *in ore Sacerdotis*, vel *in verbo veritatis* ſeu *Sacerdotii* &c.
verò Sacra ſeu Evangelia non tangunt. V. ſuprà. Ad *Sacra* n
re, item ſuper *Sacra*, & ſuper *Sacroſancta*, idem quod jurar
Sanctis, V. hic *infrà*: quomodo jurare prohiberi Epiſcopos, m
dictum. Per *Sacramenta* V. ſuprà *Myſteria*. Super *Sacrament*
apud Suenonem *de LL. Caſtrenſibus c.*8. *Sacramento* Catholicæ
jurare, h.e. quomodo Catholici ſolent, apud Dudonem *de Mor.*
Normannorum lib. 2. idem eſt, quod *Corporaliter jurare*. In *Sa*
mento Corporis Chriſti, Carmelita quidam jurat, apud Th
Walſinghamum *p.* 309. Super *Sacroſancta* jurare, in *Charta*
1223. in *Hiſtor. Vergiacenſi & Betunen.* Inſpectis *Sacroſanctis*,
non tactis, ſed coram ipſis, jurare ſolebant Epiſcopi & Sacerdo

condimentum, ut ait Plin. *l.31. c.9.* V. Carlsium & Libanium. Per *Salutem* conjugis, jurare Christianis in usu fuisse, agnoscit Hieronymus *c. Jovin. l.1. c.18.* Per *Salutem* Principum, in *Gestis Regis* τα πρωτεια Ευαγγελια, apud Annam Comnenam *Alexiad. l. 13.* Per *Sacrum* incelebratum, in *LL.* Hoeli *c.7.* Per *Salem*, sive *Sales*, non raro juravere prisci, utpote *unicum ac necessarium vitæ* gum Francorum, *c.13.* Per *Salutem* suam, apud Gregorium Turon. *l.3. c.15.* Ad *Sanctorum* reliquias, V. suo loco. Per *Sanctos* Franciæ, juramentum proprium Philippi Aug. memoratur Matthæo Paris. Super *Sanctos*, ἐν τοῖς ἁγίοις, apud Cantacuzenum *l.1. c.2. Jurer sur Saincts*, Gallis: item *super Sancto* in *Annalibus* Francor. Bert. *A.C.854 in Sancta* quoque, idem est quod *super Sacrosancta*, nempe tactis Sanctis Evangeliis, vel reliquiis, jurare, in *Capitulari* Caroli M. *l.1 c.63.* in *Capitulari A.C.813. c.9.* in *LL.* Ethelredi R. ad Venetingum editis *A.C.854.* &c. In loco, qui dicitur *Sanctum*, in *Capitulari* 3. anni 813. *c.10.* Per *Sanctum* de Bethleem, Ludovicus VII. R. Franc. Per *Sanctum* Stephanum, in *Capitular.* eod. *A.C. 789. c.10.* V. quoque *infrà*. Super *Sepulchrum* debitoris, in *LL.* Hoeli Boni R. Walliæ *capite 27.* Supra corpus S. *Severini*, juratum olim in partibus Vasconiæ, *in murtris & maleficiis*: quam consuetudinem abrogatam esse, à Philippo Francorum R. *suprà* diximus. Per *Sion* & *Sinai* montem, in *Formula* 14. ex Baluzianis. *Spatâ* tractâ jurare, in *Capitulis* ad L. Alamann. *c.22. edit. Baluziana.* V. *suprà*. Per *Spatam* suam jurat & Capitulum firmat Carolus Calvus, apud Hincmarum Rem. in *extemporali Admonit.* apud Cellotium *pag. 439.* Per *Splendorem* Dei, jurat Guilielmus Nothus, apud Ordericum Vitalem *p.536.* Per *S. Stephanum* & per Reges vel eorum filios, conjurationes vetantur, in *Capitul.* Caroli M. *de diversis rebus A.C. 789. c.10.* Per *sanctum Stephanum*, V. suprà *Sanctum*. Sub *Stola* tactis sanctis Evangeliis, jurant Archiepiscopi atque Electi, in *Charta* Friderici II. Imp. apud Baronium *A.C. 1166.* Per librum & *Stolam* in verbo Domini, jurant Canonici Senenses, apud Ughellum *Italia Sacr. Tom. III. p. 563.* T. Super *Testibus* aprinis Herculi juratum & fœdus factum fuisse cum Nelei liberis, legimus apud Pausaniam *l.4.* Cujus juramenti solennis postmodum omnibus Athletis, eorum parentibus, fratribus, Gymnasiarchis, ad Olympiacos ludos rite faciendos, meminit idem *l.5.* Super *Textum* Evangelii, in *Charta* Gosfridi Com. Andegav. pro Abbatia Vindocin. in *Regesto* Philippi Aug. Herouvalliano, apud du Fresne. Super *Triginta* denariis, in *LL.* Henrici I. *c.65.* *Trinicum* Juramentum, occurrit apud Guesnajum *in Annalibus Massil. p.356.* V. In *Verbo* Domini, V. suprà *per librum & Stolam* In *Verbo* Sacerdotis seu *Veritatis*, V. *suprà* ubi de *Sacerdotum juramento*. In *Vestimento*, jurabant Frisiones, si res esset parvi momenti, in *L.* Frision. *tit.3. §.4.* Ubi Sibrandus à Sicama existimat, jurantem oram vestis ejus, cui se purgabat, vel alterius vestis vel sui ipsius apprehendentem, solenni juramento se vel servum suum purgasse. Quemadmodum, cùm iidem *in Pecuniam*, similibus in casibus, jurarent, putat, talem prolato nummo, solido vel denario, in quo vultus Regis vel crux effigiata, ei manum imposuisse, atque ita, quasi teste Rege vel cruce, jurasse. Eodem videtur spectare, quod eadem lex habet, *c. 14. §. 4. Et juret. Ille homo homicidii, de quo interpellatus sum, reus est, tenens eum per oram sagi sui.* Galli dicerent, *le tenant par le pan de sa robe.* Per *Viros* optimos, Nasamones olim juravere. Per *Vitam* Regis & Filiorum, jurare vetant *Lex* Longobard. *l.3. tit 24.* & *Capitul.* Caroli M. *l.5. §43.* Per *Vitam* suam, Arabum juravere Reges, teste Georgio Elmacino *Histor. Saracen.* Per *Vultum* de Luca, picturam nim. B. Evangelistæ afflictam, jurare consuevit, apud Guil. Malmesbur. *l.4. c.1.* Guilielmus II. Angl. R. &c. Plura V. apud Filesacum, Thom. Dempsterum *Paralipomenis ad Antiqq. Rosin.* C. Barthium *Animadversionibus Papin.* & *Commentariis Superstitionum*, Alios: nec non hic passim.

Jurata, apud Anglos, est numerus XII. Legalium hominum juratorum, per quos omnis fere facti probatio fit, & ex quorum *veredicto* Judex sententiam suam conficit & profert. Et quidem, sicut per *Assisam* lites dirimuntur, quæ instrumentis aut chartarum probationibus innituntur, vel cùm partes de facto consentiunt, aut de assisa: ita per *juratam*, quæ incertæ sunt, & de quibus non constat, deciduntur; ita ut vel *per inquisitionem* vel per *Juratorum* ac *Sacramentalium* depositiones, quas *veredicta* vocant, rerum veritas a Judicibus veniat indaganda. Quæ posterior Judiciorum forma, ab Henrico II. Angl. R. manasse dicitur, quò Duellum ab ordinariis judiciis amoveret. V. pluribus de ea disserentem Car. du Fresne *in Glossar.* In Campania Galliæ, *Jurata*, Gall. *Jurée*, tributum est, quod *Juratu* burgensibus imponitur & Domino Feudali præstatur quotannis, viz. sex denarii de *librata* bonorum mobilium & 2. den. de *librata* immobilium: ut est in *Charta* Libertatum Trecensium Theobaldi Campaniæ Com. quam refert Pithœus *ad Consuetud. Campan art.2.* apud Eundem.

Jurati, h.e. Sacramento adstricti alicui domino: quales Soldurii apud vett. Gallos. *Charta de Chablejis* in Tabulario Campaniæ *Thuani fol.189. Omnes homines, quotquot sunt apud Chablejas, sive Milites, sive filii Militum, qui habent ætatem, cujuscunq; conditionis, debent esse jurati Comiti sui sub hac forma: Ego juro, quod ego ero fidelis Comiti ducatûs, & quòd ego servabo membra ejus & honorem ejus pro posse meo, sic me Deus adjuvet & hæc sancta.* Sic apud Statium *Thebaid. l.2.*

> —— —— *Exit in unum*
> *Plebs ferro jurata caput.*

Apud Guil. Britonem *Philipp. l.2.*

> *In Comitis partes juratus, millia multa*
> *Mittit ei juvenes clarâ virtute coruscos* &c.

In *Addit.* ad Matth. Paris. *pag. 109. Jurati ad arma* occurrunt, quorum erat, quoties contigerit *hutesium levari* super perturbatores pacis vel malefactores, aut latrones, eos insequi de villa in villam, donec capiantur. V. suprà in *Huesium, Juncta* &c. Sic Claudianus *de bello Gildon.*

> —— *Iterum post me conjurat in arma*
> *Progenies vesana Julii, bellumq; resumit.*

Idem Guil. Brito *l.4.*

> *Cujus ego miles, cui sum* juratus *ad arma* &c.

apud Car. du Fresne *Glossar.*

Jurator, apud Plautum *Pœnuli prologo*,

> ——— *argumentum hoc hic censebitur*
> *Vos* juratores *estis, quæso operam date:*

Nomen eorum, qui Censori censum agenti aderant, aliàs *Adjuratores* appellati. Suetonius *Augusto cap.39. Impetratoq; à Senatu decem adjuratoribus, unumquemq; equitum rationem vitæ reddere coëgit.* Uti legit Vir summus. At omnes veteres ibi *Adjutores* habere, monet Casaubonus *ad l.* Meminit eorum idem Comicus *Trinummo.*

> *Census Juratori si rectè rationem dedi.*

Ad quos prorsus alludit *loco cit.* Medio ævo sic appellari cœperunt, qui in re majoris momenti, reo juranti aderant, simulque cum eo jurabant, vel saltem sacramento affirmabant, quæ ille juraverat, vera esse se credere, more hodieque in Polonia usitato. V. de illis suprà, ubi de *Jurandi Ritibus*.

Juratus Senatus, occurrit apud Livium *l.26. c.34. Plebes sic jussit, Quod senatus juratus maxima pars censeat, qui assidetis, id volumus jubemusque. Ex hoc Plebiscito* &c. Nempe gravioribus in rebus Senatus *juratus* decernebat; quo nomine non intelligendos esse omnes & singulos sed majorem Senatorum partem, patet ex addito, *maxima pars*. Quia verò fieri poterat, ut in longum res per infrequentiam produceretur, neque per incidentia alia publicæ consultationis negotia, huic rei Senatus pars maxima vacare posset, hinc certi nec nimis magno numero hanc procurationem subituri ex amplissimo ordine deligebantur, à quibus quod constitutum esset, habituram se pro eo, quod à Senatu, i. maxima parte Senatorum esset decretum, plebs adjungit verbis, *qui assidetis*. V. de *Senatu jurato*, eundem *l.30.* & *42.* de maxima Senatorum parte, *lib.9.* & *40.* de certo numero *lib.38.* & *eod.42.* plura verò hanc in rem, apud Jo. Frid. Gronovium *Notis ad Liv. loco cit.*

Jure vocatæ, dicebantur Romæ, in Comitiis Centuriatis, illæ Centuriæ, quæ rogabantur post *prærogativas* (quo nomine veniebant, quæ primæ citabantur & suffragium rogabantur) quòd in his sequente populo prærogativarum voluntatem *jure* omnia complerentur, ut vult Asconius Pedianus *in Divinat.* vel quòd illæ jam *jure*, h.e. legitimo ordine, non classium modò, sed ipsarum etiam centuriarum, quo in censorum quive censum egerant tabulis descriptæ essent, non sorte prælatæ postpositæve, ad suffragium ferendum citarentur. Sic Comitiis Curiatis Curiæ, Tributis Tribus, aliæ *prærogativæ*, aliæ *Jure vocatæ*, ex instituto fiebant, &c. V. Joann. Frider. Gronovium *Observat. libro 4. capite 1.*

Juridici, à dicendo Jure, Præfecti Italiæ, à Marco Antonino Philos. instituti, in locum Consularium, memorantur Jul. Capitolino *in Marco. Datis* Juridicis *Italiæ consuluit, ad id exemplum, quo Hadrianus Consulares viros reddere jura præceperat.* Nempe, cùm administrationem Italiæ & provinciarum mutasset Hadrianus, *Quatuor Consulares per omnem Italiam Judices constituit*, apud Æl. Spartianum. In horum pòst locum, *Juridicos* surrogavit Marcus, fuitque Italia ab illis administrata, usque ad Macrini imperium: sub quo eos desiisse è Dionis *Fragmentis* cognoscimus. In antiqq. Inscr. *Consularium Campaniæ* &c. Item *Juridicorum per Picenum & Apuliam*, mentio est. Casaubonus *ad Spartianum l.c.* De *Juridico Alexandriæ*, V. Tacitum *Annal. l.12.* &c.

Jurisconsulti, in numero Principis Amicorum & Comitum, quos adhibebat, cùm de negotiis ac jure tractaret, vel Romæ & in provinciis causas audiret. Lampridius *in Alexandro, Negotia & causas prius à scriniorum Principibus & doctissimis Jurisconsultis & sibi fidelibus, quorum primus tum Ulpianus erat, tractari ordinarioq; atq; ita referre ad se præcepit.* Jamque de Hadriano Spartianus, eum cùm judicaret, præter amicos & comites, *Jurisconsultos* etiam in consilio habuisse, memorat. Hinc in *Rescriptis* Divorum Fratrum *de jure Patron. Volusianus Mæcianus amicus noster* &c. V. Salmasium *ad Spartianum & Treb. Pollion.* Posteriori quoque ævo, qui olim *Doctores Legis*, item *Jurisconsulti*, in Judiciis, *Judicum* nomine Comitibus assidebant. Burchardus Notar. *de Excidio Mediolan.* & ex eo Godefridus Monachus S. Pantaleonis *ann. 1237. Jussit igitur Imperator omnes Consules & Exconsulares, Majores & Minores, Legistas & Judices in obsidatus teneri.* Petr. de

Vineis *lib.3.Epist 11. Mittimus Magistrum R. de Varano Judicem & Magistrum B. de Hibernia, Fideles nostros, civilis scientiæ Professores* &c. V. du Fresne in voce *Judex*.

Jus Canonicum, V. suprà.

Jus Caroli, seu *Lex Caroli*, in *Weichbild* Magdeburg. *art.1.* §.3. memoratur. *Ibidem artic.43. Postquam Magdeburgensis civitas jure municipali fundata fuit de voluntateq; Uttonis Ruffi, cum consensu etiam & consilio Seniorum provinciæ illius, secundum jus Caroli Imperatoris & juxta eorum arbitrium ac voluntatem locata, consiliati exinde sunt, quomodo Scabinos & Consules eligere debeant, pro civitatis commodo*, apud C. du Fresne *Glossar.*

Jus Civile, dividitur in IV. Libros principales, sc. *Digestum, Codicem, Institutiones* & *Authenticas*: quibus additur *Collatio decima* seu *Liber Feudorum*. Ex his *Digestum*, continet *LL.* & *Statuta* Romanorum, & dispescitur in *Digestum vetus*, quod habet libros 24. *Infortiatum*, quod 14. & *Novum*, quod 12. Ita ut in universum Digestorum seu Pandectarum sint libri 50. *Codex*, continet *Statuta, Sanctiones & Præcepta* Imperatoris. Fuerunt autem tempore Justiniani tres Codices, *Gregorianus*, *Hermogenianus* & *Theodosianus*, ex quibus unum is fecit: qui in 12. libros dividitur. *Authenticorum* liber dividitur in 9. Collationes quarum quælibet in titulos subdividitur, tituli in paragraphos: differtque *Authenticum* ab *Authentica*, quòd illud volumen est per se; hæc lex una vel paragraphus, libro Codicis incorporatus & antiquo Juri superadditus, sicque citatur, *C. de Episcop. & Cler. Authent. generaliter. C. de sacros. Eccl. Authentic. multo magis* &c. Sed in *Authentico* singulariter laudatur titulus & §. ut *in Auth. Ut jud. sine quoq; suff. §. tali vel tali & sufficit.* Decima item Collatio inscribitur *Liber Feudorum*, & habet duos libros partiales, quorum uterque in titulos & isti in capitula ac paragraphos subdividuntur. *Institutiones* tandem, quatuor libris absolvuntur: quod Opus introductorium est ad *Jus Civile*, maxime quoad declarationem terminorum, in utroque Jure usitatorum. Idem Calvinus *ubi suprà*. Et hoc propriè est *Jus Civile*, quod *Justinianæum* vocant: de *Jure Civili Flaviano*, item *Papyriano*, V. eundem *ibid.*

Jus Scriptum, in Gallia, vocatur *Jus*, de quo modò, *Civile*, quo provinciæ aliquot in Gallia reguntur; cui opponitur *Jus Commune* seu *Consuetudinarium & Municipale*, quo quæque fere civitas vel regio gaudet: vetanturque Advocati, *Jus Scriptum* allegare, ubi Consuetudines municipales locum habent, in vet. *Regesto* Parlam. sub A.C. 1277. V. præclarum hanc in rem *Diploma* Philippi Pulchr. R. Francor. A. C. 1312. pro Studio Aurelian. allatum Carolo du Fresne *in Glossar.* & suprà ubi de *Codice Ludovici*. Quis usus *Juris Scripti* seu *Civilis* in Angliâ sit, pluribus exponit eruditus Seldenus *Dissertat. ad Fletam.*

Justa, apud Guil. Malmesburiensem *Histor. Novell. lib. 2. pag. 187. Tentavere primò Regii proludium pugnæ facere, quod* Justam *vocant, quia tali arte erant periti*: monomachia ludicra est, Gall. *Joust*. Ab *eo* Lat. *juxta*, i. prope; quòd cominus lanceis aut ensibus res gereretur. Differebat à Torneamento, quòd non omnis universim ludicra decursio, sed pugna solùm, in Torneamento fieri solita, sic diceretur. Adde, quòd Torneamentum plurimum & turmatim congredientium, *Justa* singulare esset certamen. Unde Nicephorus Greg. bene *l.10.* τζύσραν, quâ voce Græcobarbarâ *Justam* appellat, μονομαχίας ἰσότητα ἔχειν. Confectâ namque primâ decursione militari & finito omnium, qui aderant, ex utraque parte, prælio, ad singulare certamen, seu ad *Justam*, tandem progrediebantur. Sic tradit Johannes Monachus Majoris Monast. *Histor. Ganfridi D lib.1.* Normannos, cùm à Britonibus quodam in torneamento victi essent, *confusione ineptiatâ dejectos, singulare certamen Britonibus proposuisse.* Non semper tamen in solis torneamentis Justæ fiebant, quandoque etiam absque iis indicebantur, vocabanturque tum *Justa universales, magna & plenaria*, Gall. *Joustes à tous venans, grandes & plenieres*, ut eas appellat Auctor *Histor. Bertrandi.* At qui in iis primâ vice decertabant, Fæcialibus vel Heraldis, aliisque armorum, ut vocant *Officiariis*, suum *lemum* seu cassidem, donativi loco, offerre tenebantur, nisi priùs in torneamentis id ipsum fecissent. Inde natum illud solenne, *Ensem lanceam, non verò Lanceam ensem, immunem reddere.* Miles enim, si in *Justa* cassidem Fæciali contulerat, non propterea ab eadem in Torneamento denuo exhibenda erat immunis, uti docet ex *Tractatu MS. de Torneam.* Carolus du Fresne *in Glossar.* ubi in Torneamentis dimicare, longè fuisse honorabilius, quàm in *Justis*; præterea lanceam eorum propriè fuisse, qui in singularibus certaminibus dimicabant, gladium verò eorum, qui in Torneamentis, addit. At *Justa*, apud Lanfrancum in *Decretis pro Ord. S. Benedicti cap.8. Ad Cellarii ministerium pertinent omnia vasa cellarii & coquinæ & scyphi & Justæ & cætera vasa refectorii*: mensuræ liquidorum species est, quasi *justa mensura*, quantum cuique sufficit potus, subministrans, Car. du Fresne *Glossar.* V. quoque infrà *Justitia*.

Justa Funerea, apud Plin. *lib. 10. cap. 2.* ubi de phœnice ave. *Primus — de eo prodidit Manilius — sacrum in Arabia Soli esse, vivere annis DCLX. senescentem casiæ turisq; surculis construere nidum, replere odoribus, & superemori. ex ossibus deinde & medullis ejus nasci primò ceu vermiculum: inde fieri pullum: principioq;* justa *Funerea priori reddere & totum deferre nidum prope Panchajam, in Solis urbem & in ara ibi deponere*: sunt parentalia seu exsequiæ, quibus id nomen à Latinis datum, quia sint officia sancta jureq; debita. Quemadmodum Græci similiter κτέρεα, i. *funeratiunem* seu *parentationem*, vocant ὅσια, quâ *justum sanctumq; officium*: & parentare dicunt, τὰ νομιζόμενα, vel τὰ ὅσια ποιεῖν, item κτερεΐζειν, Voss. Barthius tamen *Justa* ab *Exequiis* distinguit, *ad Statium Theb. l.9. v.903.*

Huic dabis exequias: atq; inter justa memento.
Ne quis inexpertus &c.

Ubi ait, *Exequias bono ordine sequuntur Justa.* Vocat a. ibidem vetus Scholiastes *Justa, omnem pompam, qua manes decorantur, & eorum memoria satis fit.* Uti ad *lib 9. vers. 397. Solennia funerum.* Et ad *l.6. v.169. Omnia, quæ ad ritus corporis pertinent defuncti.* Ibidem Barthius, *quidquid ordinario modo sepulturæ impenditur.* V. hic passim ubi *de Cadaverum Cura, Exequiis, Funere, Parentalibus* &c.

Justa Vestis, Gr. Δικαία ἐσθὴς, dicta est, quæ sic ad corpus est apta, ut nec fluat, nec strangulet. Unde eleganter *justa tunicæ* mensuram, quæ nec longior æquo, nec justo brevior esset, *Justitiam quadratam* dixit Tertullianus *de Pallio.* Ubi *Justitiam* vocat τὴν συμμετρίαν vestis, *mensuræ temperamentum*, seu *moderationem*, ut idem *alibi*. Sic *Justa toga*, apud veterem Persii Scholiasten, *Justa Toga mensura, sex ulnæ.* Apud Suetonium, *Justa statura*: apud Lampridium, *Justa forma*: apud Ovidium, *justus orbis* annuli:

Tam bene conveniat, quàm meum convenit illi,
Et digitum justo commodus orbe terat.

In quibus omnibus, quod Latini *justum*, Græci σύμμετρον vocant: imò & δίκαιον, ut vidimus. Item cùm δικαίαν ῥῖνα, *nasum justum* dicunt, qui tam æquali temperamento faciem dividit, ut nec suspensus sit, nec propensus, Pollux *l.4.* [illegible] Plutarchus *de Is. & Osir. justam* Nili ascensionem vocat, quæ media est inter maximam & minimam, &c. V. Claud Salmasium *ad Tertullianum l.c.*

Viri Celebres.

Justellus Christophorus, Gallus, in Scriptoribus Juris Canon. veteris colligendis tantâ industriâ & successu usus est, ut quasi Stator ac Restaurator antiqui & purioris Juris Canonici meritò haberi possit. Quod ostendunt allatum editi ab eo *Codices Eccles. Universæ & Ecclesiæ Africanæ, cum Notis doctissimis.* Item *Juris Canonici Vet. Collectores Græci*, & *Photii Nomocanon. cum Scholiis Balsamonis*, ab A.C. 1610. usque ad A. C. 1615. aliaque multa, quæ ille morte præventus cum edere non potuisset, perfecit tandem Filius.

Justellus Henricus, qui cum Guil. Voello Theologo & Socio Sorbonico, à Patre magnam partem collectam *Juris Canonici Vet. Bibliothecam*, Græcorum Latinorumque digestiones continentem, multorum expetitam votis, duobus voluminibus Lutetiæ edidit, A.C. 1661. Cujus Operis lectionem, summi atque, cùm omnium manibus non versetur, qui nosse cupit, adeat Gerh. von Mastricht JC. *in Hist. Juris Eccles. n.416.*

Justi, item *Fideles*, dicti olim in Ecclesia, qui, fidem professi, integrum Baptismum acceperunt, h. e. manuum impositione ultimâ sunt perfecti; sicut, qui ad Fidem accedentes, manuum impositione primâ, in Catechumenorum numerum recepti sunt, *Christianorum* nomenclationem acceperunt: V. Cl. Suicerum *Thes. Eccl.* voce Χριστιανός.

Justi Dies, in re militari, erant dies non *præliares*, continui nempe triginta, quibus, exercitu imperato, vexillum russi coloris in arce poni solebat. His res repetere hostemque lacessere fas non erat. Festus, *Præliares dies appellantur, quibus fas est bello hostem lacessere; erant enim quædam feriæ publicæ, quibus nefas fuit id facere.* Ubi per *ferias publicas* intelligit *Justos dies*. Sed & præliares dies, quibus in arce vexillum proponebatur, ad imperandum exercitum, *Justos* appellatos scribit Macrobius *Saturnal. l.1. c.16. Præliares deos ab* Justis *non segregaverim. Siquidem* Justi *sunt continui triginta dies, quibus exercitu imperato vexillum russi coloris in arce positum est.* Ubi rectè ex sententia Salmasii *in de M. U.* Macrobius dies præliares ab *Justis* non segregandos putat, quia quacunque de causa jura Romæ cessarent, illi dies *Justi* appellati, quòd in illis jus staret, cessaretque. Unde in LL. XII. Tabb. illis, qui debitum vel confessi erant, vel etiam jure condemnati, triginta dies *Justi* ad conficiendam pecuniam dati leguntur, ante quos effluxos in jus vocari non poterant, sed jura pro illis stabant ac silebant, apud A. Gellium *l.15. c.13.* Quod factum videtur ad exemplum eorum, qui publicè *Justi* dicebantur, quando scilicet in tota urbe juris erant feriæ. Hinc *Justitium*, sic enim vetustissimus liber apud A. Gellium scribit, quod vulgo *Justitium*, tempus vel spatium *Justorum* dierum, vel unus etiam *Justus* dies, quo jure agi non licebat. Jac. Odelius JC. *notis in A. Gellium loco præfato.*

Justificator, in *Charta* Rogerii Siciliæ R. A.C. 1144. ubi subscripsit *Rogerius filius Boni, Justificator Curialis*, apud Ughellum *Tom. VI. p.143.* idem quod *Judex* est, de qua voce V. *suprà*.

Justinus I. & II. adde: de Nummis utriusque, V. Car. du Fresne *Dissertat. de Infer. ævi Numismat. num.71.*

Justitia,

Justitia, idem cum Æquitate Numen, apud Gentiles. Statius *Thebaid.l.2.v.412.*

—— medii reverentior aequi.

Ubi Schol. *In neutram partem declinantis, neutri parti plus aequo faventis justitiæ.* Quemadmodum & Hebraismus *Justitias & Æquitates* jungit, Esaiæ *cap.33. vers.15.* Perpetuò Jovi assidet, ex nobili figmento Orphei, quod tradit Demosthenes *c. Aristogit.* imò ejus *sceptrum* Poetis dicitur, V. Barthium, *ad Theb.lib 3. vers. 234.* Quemadmodum Psalmographus Ps.48.*vers.7. Solium tuum, ô Deus, in seculum & sempiternum, sceptrum rectum sceptrum Regni tui.* Repræsentarunt eam cum libra & cornucopiæ, uti in annulo apud Gorlæum a ibique passim videre est: & sic plerique pro Virgine astræa habuerunt, uti docet Salmasius *ad Solinum p.1236.* Aliam ejus picturam, Chrysippi suisque verbis, proponit spectabilem Gellius *l.14 c 4.* V. & iconem ejus à Polynice, in clypeo, circumlatam, apud Æschylum *in Septem Theb.* ubi Scholiastes varia lectu non injucunda &c.

Justitia Aragonum, nomen summi in illo Regno Magistratus, idem cum illo, quem Suprarbienses *Judicem medium* seu *intermedium* vocitarunt. aliter *Justitia major*, conduc quam, quòd à Rege crearetur, *Justitia Domini Regis*, aliquando *Justitia in Caesaraugusta* dictus est; donec tandem, ipsius Regni nomen assumens, *Justitia Aragonum* est appellatus. Hic Judex *erat inter Regem & subditos, super omnibus iis, quæ Rex faceret vel peteret contra eos vel è contra* &c. Molinus *in Repertor.* Quamvis enim Petrus impetrato ab Ordinibus, ut Regnum, quod priùs electivum erat, hæreditarium fieret, caput, quod inter Leges Aragonum agebat de electione Regis, stricto acinace discidit, inde cognom. *ab Acinace* nactus: nihilominus libertati suæ varie caverunt Aragonii. Præter legem sc. titulo *Unionis* conditam, de quâ infra, Magistratum habuere, cujus judicio ipse Rex subjaceret, *Justitia Aragonum* dictum: coram quo Reges in genua procumbere & nudo capite jurare tenebantur, se omnia privilegia & leges Aragonum sancte observaturos, à quolibet item subditorum accusari poterat; ut penes quem solum absoluta erat potestas explicandi Leges, cui explicationi, sine ulteriore provocatione, erat standum. Idem solus judicabat, an parendum esset Regiis mandatis, nec ne; Rexque ipse, quoties dubitabat, justumne esset aliquid ac legitimum an secus, cogebatur sententiam *Justitia* exquirere &c. Quæ ejus auctoritas quo pacto debilitata primum, tandem sublata sit, discemus infrà, voce *Nuca.* Plura verò de hocce Magistratu ejusque auctoritate ac jurisdictione congessit, Michael Molinus præfatus *in Repertorio* & Hieron. Blanca *in Commentario Rerum Aragonic. p.716. 747. & 787.* ubi seriem quoque eorum, qui ad suam usque ætatem dignitate hac insignes fuere, exhibet, V. etiam in voce *Aragonia*

Justitiarii, Fortunio dicuntur Hæretici, quorum error est *arrogans pro fastu perfectæ justitia, cum superbo aliorum fastidio.* Quales fuerunt, Pharisæos anteambulones (de quibus in Evangelica Historia) sequuti Novatiani, & Donatistæ, omnesque illi qui *Perfectos* sese dixere: de quibus V. suis locis, & plura hanc in rem apud Jo. Forbesium *Instructionum Historico-Theologic. lib.I. cap.37. lib. XII. cap.9. & lib. XIV. cap 5.*

Justitiarius Capitalis Angliæ, Magistratus olim amplissimus fuit, qui, in Regis palatio semper fere versatus, id officii in eo, quod olim Comites Palatii in Francia, obivit, ac proin majoris momenti negotia, &, quæ inter Barones Regni controversæ erant, lites, supremo diremit Judicio. Placita quin etiam Civilia, quæ *communia* vocant, sub iis seculis unà agebantur in Palatio, coram ipso Rege, seu *Capitali ejus Justitiario*, cum Placitis Coronæ: nec diversos habuerunt Judices, ante annum 9. Henrici III. vel potius 17. Joannis R. quo utroque anno concessit Rex, ad instantiam Procerum, *ut communia Placita non sequerentur Curiam* (Regis) *sed in loco certo tenerentur.* Sic fixo Judiciorum loco & *Banco Communi* exorto, Fiscalium tamen & Criminalium Judex *Justitiarius Capitalis* perstitit, eoque nomine *Scaccario* præsedit & Regio thesauro, de quo, uti libitum erat, ad Regis Regnique negotia statuebat: cumque universis Regni Judicibus præesset, curaretque ex munere sibi injuncto, ut Regis subditis ubique justitia administraretur, non modò *Justitiarios itinerantes* in Comitatus delegabat, sed ipse interdum id officii obibat, ut coràm inspiceret popularium querelas & in Judicium animadverteret delicta. Sed nimiam hanc & Regibus ipsis gravem potestatem, primus imminuit Ricardus I. qui illius munus in duos Magistratus, jurisdictionibus suis distinctos, *Borealem* viz. & *Australem*, divisit: qui mox iterum cùm coaluissent, fluctuante inter varias vices, usque ad Henrici III. excessum, eorum potestate, ab Eduardo I. in classem inferiorem sunt redacti. Namque hic &, prætermissis Regni Proceribus, *Justitiarios* hujusmodi e minori Nobilitate, lege, morum probitate conspicuos, Legumque notitiâ instructos (unde hodieque fervens in Anglia Legum Jurisque inter Nobiles studium) & remotos jam à rerum fastigio & priscæ amplitudinis functionibus forensi solummodo negotio, & Judiciis exercendis addixit. Quo modo, abrogatâ omni fere, quâ præcinctus erat, auctoritate ac dignitate, desiit Magistratus iste, etiam olim supremus, *Capitalis Angliæ* Justiciarius appellari. Unde, Jacobo regnante, ægrè latum est, quòd Edwardus Cokus, in Relationum suarum frontispicio, hoc se titulo insigniret, etsi vulgarem sequeretur morem & rationis quidem haud expertem. Angliam enim totam, quoad pacem regiam & Coronæ dignitatem, nonnullaque alia promovenda, adhuc in jurisdictione retinet *Capitalis* ille *Justitiarius*, emittens etiam usque ad Regni terminos mandata sua, titulumque ANGLIA in margine præfigens, jurisdictionis indicium &c. V. Car. du Fresne in *Glossar.* & plura hanc in rem, in voce *Justitia.*

Justitiarius Itineris de Corona, in *Chronico* Nic. Trivetti *A. C. 1271.* in eodem Regno, nomen est Magistratus inferioris, instituti ab Henrico II. R. Scribit enim Rogerus Hovedenus A. C. 1176. Regem hunc divisisse Regnum suum in VI. partes & per earum singulas *tres Justitiarios itinerantes* constituisse, qui *Barones errantes*, item *inquisitores*, vocantur Gervasio Dorobern. *A. C. 1170.* Quorum officium quodnam fuerit, indigitat Matth. Westmonasteriensis *A.C.1249. Rex partes adiit W... latronum — repletione non mediocriter infames, ubi paulo antè Justitiarii exierant itinerantes, qui mutasse debuerant illas partes à peste prænotata.* V. Bractonum *de Actionibus lib.3. cap.1. §. 2. 3. & seqq.* ubi de eorum Juramentis & Officio, & *de Corona lib 3. cap.1.* ubi agit, qualiter procedere debeant in itinere, quove ordine. Bis in anno itinera sua peragere & in quolibet Vicecomitatu suæ jurisdictionis Curias tenere jubentur, in *Statutis* Roberti R. Scot. *capp. 30. & 33.* Sed postmodum exolevit ea appellatio, & *Justitiarii Assisarum* dici cœperunt. Hodie v. Magnates aut Comites primarii, qui Forestarum Regiarum habent curam præfecturamque, *Justitiarii Itinerantes* nuncupantur, Angl. *Justices in Eyre*, Car. du Fresne *Glossar.* ubi ad hujus Magistratus Officium illustrandum & *Legem* hanc laudat, *Cod. Theod. de Officio Rectoris Prov. Provinciæ præsidentes per omnium villas sensim atq; usitatim, vicosq; cunctos discurrant & ultro rimentur a singulis, quid unusquisq; Compulsor violenter egisset aut cupide* &c.

Justitiarius Magister, quandoque *Magister Justitiarius*, item *Magister Magnæ Curiæ Justitiarius*, nomen Magistratus in Regno Neapolitano, de cujus officio ac jurisdictione, sic Fridericus II. Imp. *Constitut. Sicul. l.1. tit 37. Saturnimus, ut magnæ Curiæ noster Magister Justitiarius, nobiscum in Curia commoretur, cui 4. Judices volumus assidere, & ut Magister Justitiarius Curiæ nostræ supradictus, de crimine læsæ Majestatis nostræ & de feudis quaternis & de quarta parte ipsorum feudorum & de appellationibus ordinariorum seu delegatorum nostrorum ad Curiam nostram interjectis & de quæstionibus nostrorum Curialium, qui immediatè nobis assistunt, de specialis in Curia nostra commorantium, qui de Curia nostra, sine speciali mandato nostro, non possunt recedere: nec non & miserabilium personarum, quarum est privilegium. F... causas audias* &c. V. Scipionem Ammiratum *de Familiis Neapolitanis Tom.I.p.41.* laudatum Carolo du Fresne *in Glossar.*

Juthungi, apud Ammianum Marcellinum *l.17.* in vet. *tab Itiner. Jutugi*, Sidonio Apollinari *Vithungi*, Treb. Pollioni *in D. Claudio, Virtingui*, pars Germanorum fuit Ammiano: Dexippus Ἰουθούγγους Σκύθας appellat, Pollio inter Scytharum itidem populos, qui in Romanum solum irruptionem fecere, principatu Claudii II. memorat, V. Salmasium *ad Trebellium Pollionem & Vopiscum in Probo Imp.* ubi populum hunc à nonnullis malè cum *Gruthungis* confundi, ostendit. V. *suprà.*

Juvenca, nitore placet & pinguedine. Virgilius,

Pascitur in magnis sylvis formosa juvenca.

Ideo de juvenca dictum, quacum confertur Ephraim, Hos. *c. 10. versu 11. Transivi super pulchritudinem colli ejus.* Cujus modi *Juvenca* rufa, immaculata, injugis, in Vet. Test. extra castra immolabatur, ibique tota cum ligno cedrino, hyssopo & cocco bis tincto comburebatur à Sacerdote, ut ejus cineribus aquæ separationis immistis aspersi mundarentur, qui propter cadaveris contactum, aut alia de causa polluti erant, Numer. *c.19. v.2.* Sed & *Juvencâ* pariter à jugo immuni, in vallem asperam deductâ & decollatâ, cædem, cujus auctor esset ignotus, Deus expiari voluit, Deuter. *c.21. v.1.* V. quoque Numer. *c.19. v.2.* & Deuter. *c 21. v.3.* Sic Homerus βοῦν ἤνιν ἀδμήτην, *vaccam anniculam indomitam, Il. κ.* & Odyss. *γ.* Virgilius ubi de Aristæi sacrificio, *intactâ cervice juvencas, Georg. lib.4.* Ovidius *Juvencam operum rudem, Fastor. l.4.* Horatius, ubi de sacrificio, ab Augusto, post Actiacam victoriam, offerendo, *intactas boves, Epod. 9.* &c. oblatas memorant. Uti verò *Juvenca*, sic & *Juvenci*, in sacris placuere. Hinc Psalmo 69 *versu 39.* sperat Propheta, laudem, quâ Dei nomen celebraturus est, illi placituram *præ bove juvenco, cornibus atque ungulis jam insigni.* Qualem etiam Ascanius Jovi promittit *Æn. libro 9.*

—— *auratâ fronte* juvencum
Candentem, pariterq; caput cum matre ferentem,
Jam cornu petat & pedibus qui spargat arenam.

Seu,

—— quem jam pudet ubera matris
Ducere, qui vexat nascentis robora cornu,

ut ait Juvenalis *Sat.12.* De *Juvenco*, in Festo *Propitiationis*, olim pro se ac domo suâ, à Pontifice oblato, V. Lev. *c.16. v.3.* De 7. item *Juvencis*, post cultum divinum restitutum, ab Ezechia R. sacrificatis, aliisque hanc in rem, V. Sam. Bochartum, *Hierozoici Part. prior.*

prior.lib.II.c.33. ubi *de Boum in Sacris usu.* Nomen quod attinet, *Juvencum* dictum autumat Varro, quod jam agriculturæ *juvanda* ut. *de L.L.l.4.* Isidorus, *quia apud Gentiles semper ubiq; Jovi juvencus immolabatur, nunquam taurus. Origin.l.12.c.1.* V. Casp. Barthium *Animadversion ad Statium Thebaid. lib.6. vers.186.* De Hebræis vero Græcisque ejus nominibus, eundem Bochartum ubi suprà *cap 27.*

Juvenes, quorum mentio in vett. Inscriptionibus & apud Callistratum *lib.6. de Cognitionibus*, apud Jurecoss. *l.28. §.3. ff. de Pœnis. Solent quidam, qui vulgò se* Juvenes *appellant, in quibusdam civitatibus turbulentissimis se acclamationibus popularium accommodare:* Ad ludos & histrioniam pertinere, evincunt sequentia paulo post verba: Nam *spectaculis eis interdicitur*, si turbas in theatro fecerint. Ita ergo dicti creduntur Atellanarum actores, cùm inter liberos homines & famæ integros sed tenuiores censiti fuerint: (quod liquet ex eo, quod si quid peccati fecissent, *fustibus casi dimittebantur.*) Ideo autem appellati sic videntur, ut vetustatem nomine referrent eos, qui primi Attellanarum, quibus conserta erant Exodia, ludos tenuerant, *Juventutem* nempe Romanam. Ita enim de his ludis Livius *l.7.* *Postquam lege hac fabularum ab risu & soluto joco res avocabatur, & paulatim ludus in artem verterat,* Juventus *histrionibus fabellarum actu relicto, ipsa inter se more antiquo ridicula intexta versibus jactitare cœpit, quæ inde Exodia postea appellata, consertaq; fabellis potissimum Atellanis sunt.* Callistrati autem verba de *Juvenibus* ad Scenicos tantum ludos refert Petitus. Cùm enim Histriones invicem certantes victoriam non virtute semper, sed etiam favore pararent, itaque favitores delegabant, qui in subsellius & cuneis Theatri sedentes applaudebant & extorquebant plausum spectatorum, quos *Popularium* nomine indigitat. Plautus autem iste comites sæpe habebat rixas atque verbera: Quare providendum erat, ne quis histrioni in scena agenti operam suam navaret, in edendo plausu, eliciendoque illo Popularium clamore. At, ut liquet e Callistrato, *Juvenes* id præstabant histrionibus, & Theatrum suo plausu commovebant, ut spectatores suum darent ei histrioni, cui *Juvenes* applaudebant & factum vellent. Quia autem hi non agebant Atellanas, nisi in fine ludorum, poterant illi inter spectatores sedere, ut essent signiferi motuum & clamorum Theatralium, in gratiam illius histrionis, aut Poëtæ, cui studebant, & post cuius commissam fabulam illi Atellanam edebant, V. Sam. Petitum *Comm. in LL. Atticas lib.1.tit.1.pag.77.78.* Apud Juvencum *lib. 4.* cùm ait:

> *Talia dum loquitur, scissos lacerata capillos,*
> *Pro fratris morbo justis soror anxia curis,*
> *Hortatur* Juvenem *rapido percurrere gressu,*
> *Casibus ut tantis Christus servaret amicum.*

Juvenis famulus est. Quemadmodum & apud Ovidium *de Arte Am.lib.3.*

> *Pignora nec* Juveni *credite vestra novo.*

V. Laurentium Pignorium *Comment. de Servis.*

Juventius, inter veteres olim Comicos clarus, memoratur A. Gellio *l.18.c.12.* cùm ait: *Juventius in Comœdia,*

> *Pallium*, inquit, *face ut splendeat.*

Ita enim optimè Comici hujus nomen reposuit J. Rutgersius *Var. Lect.l.4.c.19.* & post eum C. Barthius *Advers.l.21.c.5.* cum vulgò legeretur, *Terentius in Comœdia.* Meminit ejusdem Varro *de L.L. l.5. ubi hosce ejus versus citat,*

> — — — — — *Gaudia*
> *Sua si omnes homines conferant unum in locum,*
> *Tamen mea exsuperet lætitia.*

Uti & *l.6. Scrupedam Aurelius scribit, quasi Scauripedam. Juventius Comicus dicebat, à vermiculo piloso, qui solet esse in fronde cum multis pedibus.* Ex eodem Charisius *l. 2.* hæc verba adfert:

> — — — *Caput ei testatim defregero.*

V. Jac. Oiselium JC. *Notis in A. Gellium l.c.*

I W.

Iuuan seu *Iuuanus*, non semel apud Galbertum in *Vita* Caroli Com. Flandriæ, pro *Joannes*: quâ notione etiam vocem hanc usurpant passim Dalmatæ, Hungari & Mosci. Sic Ἰβάνες, apud Cantacuzenum *l.1.c.36.57.* Ἰβάγκος, apud Nicetam Choniatem. V. *Historiam* Australem A.C.1289. & 1296. laudatam C. du Fresne *in Glossario.*

I X.

Ixalus, Græca vox, Lat. *Ibex.* V. *suprà.*

Ixionii Amici, nomen quo Parasitos suos insignire solebat Heliogabalus, de quo sic Æl. Lampridius, *Parasitos*, inquit, *ad rotam aquariam ligabat & cum vertigine sub aquas mittebat, rursusq; in summum revolvebat, eosq;* Ixionios amicos *vocavit:* alludens ad Ixionis, apud Poetas, supplicium, de quo dictum est suo loco. Cæterùm de *Ixione* Larissæ in Thessalia R. Ægæi Athen. συγχρίνω, qui ex equis pugnare gentem docuerit suam, V. Vossium *de orig. & progr. Idol.l.1.c.14.*

I Y.


Jynx, in Vett. philtris magni usus. Theocritus *in Pharmaceutria*,

> Ἴυγξ ἕλκε τὺ τῆνον ἐμὸν ποτὶ δῶμα τὸν ἄνδρα.
> O jynx, *tu nunc virum in ædes attrahe nostras.*

Idcirco Veneri sacra avis: quia collum torqueat, *torquilla* novè Th. Gazæ dicta. Modum, quo eâ amoribus conciliandis utebantur, Suidas attingit, in hac voce, ac pluribus exponit Scholiastes Pindari *in Pyth.od.4.* V. & Vossium *de Idolol.l.3. c.96.*

I Z.

Izane, apud Interpretem Pollucis *l.4. c.18.* ubi *de Histrionum apparatu.* Ἡ δὲ Σατυρικὴ ἐσθὴς, νεβρὶς, αἰγῆ, ἣν καὶ ἰζάνην ἐκάλουν, καὶ τραγῆν: *Satyrica autem vestis, hinnulea aut caprina pellis, quam etiam izanem & hircinam vocabant*:, proptie caprina pellis est, ex Syr. ez, vel Chald. *izza*, quod capram notat, uti docet Sam. Bochartus *Hierozoici Parte prior. l.II.c.51.* Unde patet, nec aspirandam vocem, nec originem ejus e Græco arcessendam, quod Scaliger facit *Poëtic.l.1.c.17.* ubi sic dictam contendit, *quòd sine rugis tota adsidebat corpori, atq; adhærescebat*, q. ab ἰζάνω. Cæterùm amictus hic vetustissimus, & primis mortalibus in multo usu fuit: ut viz. caprinas pelles seu *Izanas* ad lumbos utrinque cingerent, ab humeris corio crurum anteriorum nodatas: unde Φαινομηρίδες dictæ. Quales etiamnum spectamus in picturis Nympharum, quibus brachia detecta, femora quoque apparent, Idem ubi *de Bucolico Carmine.*



K.



alde: Præterea in notis antiquis, *cardo*, vel *castra*, vel *charissimus*, vel *Cælius*: KAR. *Carthago*: K. AUG. *Calendas Augusti*: K. DD. *castra dedicavit*, vel *dedicamus*, vel *dedicaverunt*: K. FEB. *Calendis Februarii*: KL. *Kalenda* vel *Calendis*: KAL. SEP. *Calendis Septembribus*: KM. *charissimus*: K. MR. *chara memoria*: KO. *Carolo* K.P. *Carcloposituus*: K.Q *Calenda Quintiles*: KRM. *Carmen*: KR.AM.N. *charus amicus noster*: K.S. *Calenda Sextiles*. K.R.N. *charus Rex noster* &c. denotat. Fr. Gouldman. Inter Galliæ Regum nummos, occurrunt sub Carolo VIII. *Albicum K. coronato*, Gall. *Blans au K. couronné*, qui & postea *Karolus* dicti sunt, pretii 10. den. Turon. In eorum una facie crux visitur, in 4. coronulas desinens, & *Inscr.* SIT NOMEN DOMINI BENEDICTVM; in altera *K coronatum*, inter bina lilia & *Inscr.* KAROLVS FRANCOR. REX, uti videre est apud Car. du Fresne ubi *de Moneta argentea Franciæ Regum*.

K A.

Kabbala. Hebræis dicta est lex non scripta, sed per traditionem [illegible] ad posteros propagata; à voce קבל *Kibbel*, id est, accipere. Sentiunt enim, Verbum Dei seu Legem, jam ab ipsis Mosis temporibus [illegible] esse, unam scripto traditam, quam vocant תורה שבכתב *Thora Schebiktab*, i. *Legem scriptam*: alteram per traditionem propagatam, תורה בעלפה *Thora Begnalpe*, quam *Kabbalam* quoque appellarunt. Utramque dicunt Mosi datam à Deo esse, in monte Sinai; Sed posteriorem à Mose commissam esse Josuæ, à Josua senioribus, à Senioribus Prophetis, à Prophetis Synedrio magno, & sic successive ad posteriora secula pervenisse, donec in unum digesta fuerit volumen, continens præcipua præcepta & regulas, in usum Israelitarum, qui terram sanctam inhabitarent. Compositum id autem A.C. 230. & appellatum est *Talmud Hierosolymitanum*: sed cum paucas admodum constitutiones contineat, exigui usus est. Circa ann. dein Christi 500. plenius exactiusque Volumen consarcinatum in usum Judæorum Babylone aliisque in locis peregrinis degentium, *Talmud Babylonicum* dictum est, quod quia totum Judaici Juris, qua civilis, qua canonici, corpus complectitur, priori longe celebrius evasit. Utrumque Verbo Dei scripto æquiparare sua auctoritatem ei divinam attribuunt Hebræi. Cùm autem *Kabbalistæ* Talmudistis contradistinguuntur, sumitur vocabulum *Kabbala* in strictiore sensu, & significat occultissimam scientiam, consistentem in variis subtilitatibus ac mysteriis, quæ ex diversimoda literarum in Scripturis orthographia, earundem varia transpositione & mystica quadam Arithmeticæ specie, magna animi contentione elicere solent. Sic Gen. *cap.* 23. *versu* 2. *Abraham ingressus* dicitur לבכתה *ad lugendum, propter Saram*, quod illi, cum litera *Caph* minor [illegible] ut reliquis, reddunt: *Abraham parumper lugebat propter Saram*, ob ætatem ejus jam decrepitam. Iterum quia primo versu Geneseos litera *Aleph* sexies extat, hinc conjecit R. Elias, Mundum duraturum esse sex mille annos: eo quod in ratione numerandi Hebræis usitata *Aleph*, nota sit millenarii. Quoad transpositionem literarum, sic e. g. procedebant: חרם *Cherem*, inquiebant, significat *anathema* seu *excommunicationem*; ex quo per *permixtionem* רחם *Rachem*, id est, *misericordia*: item רמח *Ramach*, secundum Hebræorum computationem facit 248. qui numerus secundum illos exactè refert membra humani corporis. Unde collegere, hominem excommunicatum serâ pœnitentiâ id efficere, ut *Cherem* in *Rachem*, & maledictio in benedictionem vertatur: quod si pertinaciter impœnitens maneat, *Cherem* redire in *Ramech*, & maledictionem se insinuare in omnia hominis illius membra sicque illum funditus perire ac destrui. Rursus cùm איש *Isch* significet virum, אשה *Escha* vero fœminam: notant in voce virum denotante reperiri literam *Jod*, quam non habet fœminæ nomen; contrà in vocabulo fœminam significante deprehendi literam *He*, quâ viri caret nomen, quæ duæ literæ junctæ efficiunt unum ex Dei nominibus *Jah*. יה, quibus demtis אש *Esch* residuum *ignem* notat: Hinc ajunt, quamdiu viro cum uxore bene convenit, *Jah* i. Deum esse cum ipsis: cùm verò animorum dissidiis colliduntur, *ignem* inter eos flagrare &c. Ut plura de illorum deliriis non adjiciam, V. Thom. Godwynum *de Ritibus Hebr. lib.* 4. *cap.* 8. De *Kabbala*, ex Pico Mirandulano, prædictis consona scribit Fungerus: A' Chaldaica enim voce קבל, quæ *accepit*, vel *suscepit* significat, ut sit *receptio*, deducit; docetque eam doctrinam esse, quæ solo auditu perciperetur; qualia & Aristotelis erant [illegible]; idque ab iis solùm, qui annum ætatis 40. excessissent, V. Esdr. 4. 15. Idem addit, nemini licuisse de *Kabbala* quidquam mandare literis &c. V. eandem vocem suprà in litera C.

Kabil, vel *Kebulj*, apud Avicennam ubi de cassia fistula, quam *Kebuliam* inde vocat, urbs Indiæ est: memorata Geographo Arabi *Climatis secundi Parte* 8. ubi & *Albrengi Kebuli*, quod seminis Indici genus est, & *myrobalanorum Kebulensium*, qui in montibus huic urbi vicinis plurimi nascuntur, meminit. V. Salmasium *ad Solinum pag.* 1309. & 1324. nec non in voce *Cabulum*.

Kadileri, Judices Turcarum, Hornius *Orbe Polit.*

Kairdaniel, vel *Kaerdaniel*, nomen Familiæ in Gallia illustris, quæ ramus est stirpis *le Jay*. Josephus enim Mœam Dn. *du Perenon*, ex Hamona, filiâ Hamonis *de Kaerras*, Dn. *de Kaerreal*, genuit Johannem Mœam Dn. *du Perenon de Kaerreal* cui ex Johanna *le Baud* genita Maria Mœam Dn. *de Kaerreal*, nupsit Petro *Lasjné* Dn. *de Kaerrodu*, *Kaerdaniel* &c. quo matrimonio nata, Susanna *Lasjné de Kaerroduerne* D. *de Kaërreal*, marito Claudio *du Pré* (fil. Oudarti *le Jay* Do. *de Bout-hac*) peperit Johannem *du Pré* Dn. *de Kaerreal*, *Kaerdaniel*, *Kaermerien*: qui ex Elisabetha Ferræa *de la Garraye*, pater fuit Gedeoni *du Pré le Jay* Dn. *de Kaerdaniel* Vicecom. *de la Belliere en Loudane*: cui ex Sara *Barbier* geniti sunt, Petrus Gedeon. Dn. *de Fiogny*. Joh. Philippus Dn. *de Brinmonets*, Gedeon Dn. *de Boispierre*, Esther Olympia (*Mademoiselle de Kaerdaniel*) Carola (*Madem. de la Belliere*) & Juditha Elisabetha (*Mad. du Pré.*) Phil. Jac. Spenerus *Theatr. Nobil. Europ. Part. III. pag.* 66.

Kalecutum, inter Malabariæ Regna præcipuum. Postquam enim ultimus Malabariæ Regum Sarama Perymal, à Mahumedanis seductus, abdicato Regno, Meccam peregrinatum concessit, Regnum suum fidissimis Ministrorum, cùm ipse liberis careret, distribuit & quidem uni ex intimis eorum titulum *Zamorë* seu *Imperatoris* dedit, constituitque ut reliqui ei, tanquam supremo Domino, subjacerent. Is extruxit urbem *Kalecutum* A.C. 907. atque Imperii ibi sedem fixit, quam hodieque posteri illius, quanquam autoritate multùm imminutâ, retinent. Nomina Imperatorum propria ignorantur, nec nisi *Zamorinorum* communi nomine memoria eorum extat. Unus tamen, *Ganfer* nomine, memoratur Aloisio Cadamusto, qui eum regnasse tradit A. C. 1498. Decrevit eorum potentia, circa A.C. 1500. à Lusitanis potissimùm infracta, qui sedem mercaturæ Kalecuto Cochinum, urbem vicinam, transtulerunt: quo pacto Regnum hoc è maximo minimum factum est; retinent nihilominus pristinum titulum Reges & Imperatorii nominis spario infirmitatem suam involvunt. Georg. Hornius *Orb. Imper. pag.* 436. 473. V. quoque in voce *Calecut*.

Kalenda, primus cujusque mensis dies; Singulos enim menses Romani ex Romuli instituto distribuerunt in partes tres, *Kalendas*, Nonas & Idus: è quibus *Kalendæ* à Gr. verbo καλῶ, id est, *voco*, dictæ sunt, hanc ob causam. Priscis temporibus, antequam Fasti à Cn. Flavio Scriba invitis Patribus in omnium notitiam proderentur, Pontifici minori hæc provincia delegabatur, ut novæ Lunæ primum observaret aspectum, visamque Regi sacrificulo nuntiaret, sicque tum sacrificio à Rege & minore Pontifice celebrato, idem Pontifex *Kalatâ*, id est, vocatâ in Capitolium plebe, juxta Curiam Calabram, quæ casæ Romuli proxima erat, quot numero dies à Kalendis ad Nonas superessent, pronuntiabat: & quintanas quidem, quinquies dicto verbo καλῶ, septimanas repetito septies prædicebat. Hunc autem diem, qui ex his diebus Kalatis primus esset, placuit *Kalendas* vocari. Ideo autem minor Pontifex numerum dierum, qui ad Nonas superesset, Kalando prodebat, quòd post novam Lunam oportebat Nonarum die populares, qui in agris essent, confluere in urbem, accepturos causas feriarum à Rege sacrorum, sciturosque quid esset eo mense faciendum, Macrob. Ter. Varro *de L.L. lib.* 5. his diebus Nonas hoc modo à Pontificibus Kalatas esse memorat: *Dies te quinq. Kalo Juno Novella, Septem dies te Kalo Juno Novella*, vel ut Jos. Scaliger legit, *Jana Covella*, i. *Luna cælestis*. Quamvis Juno non raro Lunam denotet, quod vel ex hoc ipso patet, quòd Junoni omnes *Kalendæ*, veluti mensis primitiæ, sacræ erant: Sicut enim annum Jovis, ita Menses Junonis esse existimarunt Veteres. Unde Ovidius,

Vindicat Ausonias Junonis cura Kalendas.

Unde & ipsa *Kalendaris* appellata est. V. Joh. Rosinum *Antiqq. Rom. libro* 4. *capite* 4. & 5. ut & infrà: de singulorum Mensium apud Rom. *Kalendis*. Apud Athenienses quoque *Kalendæ* sacratissimæ erant, teste Plut. *lib. de vitando ære alieno*. Neque tamen inter festa celebrabantur; quanquam non tam Apollini sacræ erant, quàm omnibus Diis, ut docet Schol. Homeri *ad Od.* υ. & Plut. *in Quæst. R.* quorum hic ait: [illegible] Græci

Kalendis Deos venerati, sequentem diem Heroibus, ac Dæmonibus consecrarunt. Itaque Kalendis sacra Diis faciebant, ex Lege: Ταῖς Νεμηνίαις θύειν. *Mensium Kalendis sacra facito*, cujus meminit Libanius *Declam.* 8. In arcem tunc ascendebant, & vota faciebant, ut Urbi publice & sibi privatim fausta omnia evenirent: quæ sacra Ἐμμήνια dicta sunt, eratque tunc Agon, præbebaturque Pavonum spectaculum, quod circa Antiphontis ætatem institutum est, V. Sam. Petitum *Comm. in LL. Atticas L. 1. tit. p. 85.* Imitatione Gentilium festum, quod *Kalendarum Festum*, ut & *Kalendæ*, apud Scriptores passim dicitur, Christiani quoque olim celebravere *Kalendis Januarii*, quibus annus aperitur. Qui eas, Ethnicorum more, choreis indecoris & mulierum ferarumque assumtis vestibus formisque mire fœdabant, tanta pertinacia, ut, licet in has *Kalendarum* spurcitias graviter ingentique cum zelo sancti Patres passim inveherentur, neque semel Conciliorum auctoritas in iis eradicandis omnes vires adhibuerint, indictis ad hanc diem jejuniis ac litaniis, quo, ludicræ & impiæ festivitatis loco, vera ac solida exercitatio, succederet: nihilominus ita evelli non potuerint, quin extremis etiam temporibus plus solito acceperint vires, & non à secularibus duntaxat, sed & ab ipsis Episcopis ac Sacerdotibus, legantur usurpatæ. Unde ejusmodi festivitati *Festi Hypodiaconorum* nomen datum, non quod Subdiaconi solum choreas has scelestas ducerent, sed quod hac joculari appellatione indicare voluerint Galli, festivitatem hanc fuisse ebriorum Clericorum, seu Diaconorum: id enim evincit vox *Soudiacres*, i.e. *Saturi Diaconi*, quasi *Diacres saouls*. De ea autem sic Beletus *Divin. Offic. c. 72.* *Festum Hypodiaconorum, quod vocamus Stultorum, à quibusdam perficitur in circumcisione, à quibusdam v. in Epiphania, vel in ejus octavis. Fiunt autem quatuor tripudia post Nativitatem Domini in Ecclesia, Levitarum sc. Sacerdotum, Puerorum, id est, minorum ætate & ordine, & Hypodiaconorum, qui ordo incertus est. Unde fit, ut ille quandoq; annumeretur inter sacros Ordines quandoq; non &c.* Quæ Episcoporum Clericorumque lascivia à Græcis originem traxisse videtur: cum in octava Synodo *can.* 16. ex versione Anastasii, legamus *fuisse tum quosdam Laicos, qui secundum diversam Imperatoriam dignitatem videbantur capillorum comam circumplexam involvere atq; reponere* (ita namque à cervice usque ad capita contorquebant ut clericali more in orbem tonsi viderentur) *& gradum quasi Sacerdotalem, per quædam indusia & vestimenta sacerdotalia, sumere, & ut putabatur, Episcopos constituere, superhumeralibus, id est, palliis circumamictos & omnem aliam Pontificalem indutos stolam, qui etiam proprium Patriarcham adscribentes, eum, qui in adinventionibus risum moventibus Prælatus & Princeps erat, & insultabant & illudebant, quibusq; divinis, modo quidem electiones promotiones & consecrationes, modo autem acutè calumnias & depositiones Episcoporum quasi ab invicem & per invicem miserabiliter & prævaricatorie agentes & patientes, &c.* Quod igitur sub exitum mensis Decembris initium id ludi sumeret, *Libertas Decembrica* appellata est, teste eodem Beleto, *cap.* 120. ubi in nonnullis Ecclesiis, Remensi inprimis, Episcopos & Archiepiscopos cum subditis suis ludere & ad lusum usque pilæ sese demittere consuevisse, atque hoc pacto Saturnalia Romanorum, quibus servi cum heris æquali conditione agebant, imitatos fuisse, addit. Vivebat autem is circa A.C. 1182. Desiisse videtur in Gallia fœda hæc Gentilium cacozelia, ex quo serio manum admovit Facultas Theologiæ Parisiensis. A.C. 1444. missa ad id Epistola Encyclica ad Galliæ Præsules, damnatoque pleno Theologorum consessu, hocce Festo, in quo Sacerdotes ipsi ac Clerici Archiepiscopum aut Episcopum aut *Papam* creabant, *Fatuorum* eum appellantes: *Divini ipsius Officii tempore larvati, monstruosi vultibus aut in vestibus mulierum aut lenonum vel histrionum, choreas ducebant, in Choro cantilenas inhonestas cantabant, offas pingues supra cornu Altaris juxta celebrantem Missam comedebant, ludum taxillorum ibidem exercebant, thurificabant de fumo fœtido ex corio veterum sotularium & per totam Ecclesiam currebant, saltabant* &c. quæ verba sunt citatæ Epistolæ, quam Savaro in lucem edidit. In Anglia verò luculenta ejus vestigia adhuc XVI. seculo superfuisse, colligitur ex *Inventario* Ornamentorum Ecclesiæ Eboracensis A.C. 1530. in *Monastico* Anglic. *Tom. III pag.* 169. ubi ista leguntur, *Item una mitra parva cum petris, pro Episcopo puerorum.* Infrà, *Item unus annulus pro Episcopo puerorum & duo archys, unus in medio ad modum Crucis cum lapidibus in circumferentiis* &c. Car. du Fresne *in Glossario*: ubi etiam de Clericorum conventibus ac collationibus, singulis *Kalendis* fieri solitis, *ut de suo ministerio & religiosa conversatione atq; de his, quæ in eorum parochiis accidunt, sermonem haberent* &c. ut ait Riculfus, varia congessit. De *Kalendis* Martiis, anni apud vett. Francos principibus V. suprà, in voce *Annus*, ut & in *Calendæ*.

Kalendæ totius anni apud Romanos sacris aliisq; rebus insignes.

Kalendæ Januarii, propter anni initium reliquis omnibus celebriores erant. His enim omne genus operis in sua quisq; arte inchoabant instaurabantque: Designati Consules Consulatum inibant, ab anno U.C. 601. Amici lætis precationibus faustum sibi invicem ominabantur, muneraque mittebant. Eodem die festum erat Jani, & festum dedicationis duorum templorum Æsculapii & Jovis in Ins. Tiberina.

Kalendis Februarii, quæ *Intercalares* quoq; dictæ, Festum erat dedicationis templi Junonis Sospitæ, item festum luci Asyli: Eodem die rem divinam faciebant in æde Vestæ, & æde Jovis Tonantis, atq; in Capitolio Jovi mactabant bidentem.

Kalendæ Martiæ, alias *Fœmineæ* quoq;, quod is mensis olim anni primus esset, celebres admodum fuere. His ignem novum Vestæ aris accendebant; in regia curiisque atque in Flaminum domibus, laureas veteres novis mutabant: Iisdem Matronalia erant, Saliorumque festum incipiebat, & ancilia circumferebantur ac Mamurius canebatur.

Kalendis Aprilis, Veneri sacrum fiebat, & mulieres myrto coronatæ lavabant. Sacrificium item thure fiebat Fortunæ virili à Virginibus, & Venus Verticordia placabatur.

Kalendis Maji, Laribus Præstitibus ara à Curibus Sabinis consecrata, & Bonæ Deæ sacra facta sunt.

Kalendæ Junii, dies erant nefastus: hic enim nullius diei festi aut sacri peracti meminerunt Auctores.

Kalendis Julii, similiter nullum festum in Kalendario notatum est: Celebres tamen erant, quod hoc die migrationes ex ædibus apud Vett. fieri consueverint.

Kalendis Augusti, equestria certamina fuere exhibita, quod eo die Martis ædes consecrata esset: teste Dione L. 60.

Kalendæ Septembris, Octobris & Novembris nulla peculiari nota insignes erant: commune id habebant cum reliquis quod in Junonis essent tutela.

Kalendis Decembris, peractum fuit primum sacrum Fortunæ muliebris, quod tamen inde translatum est in a. Nonas Quintiles. Unde Dionysius Halicarn. *L. 8. Valeria*, inquit, *quæ prima Sacerdos ejus Deæ, ex Senatusconsulto creata fuerat, quod mulieribus legationis ad Marcium Coriolanum auctor fuisset, & matri ejus persuasisset, ut profectioni interesse vellet, ea præeunte primum sacrificium mulieres peregerunt pro populo in ara recens in fano facta, priusquam absolveretur templum aut Deæ simulachrum, Kalendis Decembribus anni sequentis proximè: nam eo die bellum finitum fuit. Anno deinde post primum sacrificium altero, ædes, quæ publicè locata fuerat, dedicata est pridie Nonas Quintiles à Consule Proculo Virginio.* Hactenus ille. Hæc de *Kalendis*: dies autem quæ *Kalendas* proxime sequebantur, ut & qui erant postridie Nonas & Idus, atri habebantur, quod observatum esset, nunquam iis diebus à Pop. Rom. rem bello feliciter esse gestam.

Kalendarium, quod vulgò *Almanacum*, Gr. Μηνολόγιον, singulos menses eorumque dies annotatos habet. Apud JC. accipitur etiam pro negotiatione nominum fœneratorum: *Kalendis* enim pecunias fœnori collocabant, & usuras exigebant, quæ *tristes* proin & *celeres* appellatæ Martiali. Unde peculiariter *Kalendarium* librum fœneratoris, codicem occupatarum, h. e. fœnori collocatarum pecuniarum denotat, Angl. *A debt book*. Quo sensu usurpatur vox in illo vulgari, *Nemo beneficium in Kalendario scribit.* Apud Tertullianum *de Habitu mul.* cum ait, *Graciles auricula eutis Kalendarium expendunt*: Kalendarium exponit Franc. Junius per domus universæ censum, qui per feriolos in eo solebat describi; eo enim matronæ universæ domus censum auribus gestare, cum nimia luxuria modum excederent. Unde apud Sen. *de Benef. lib. 7. cap. integra patrimonia auribus propensa* dicuntur. V. Casp. Bartholinum *de Inauribus veterum.* Cæterum de *Kalendario* Romano, consule Joh. Rosinum *Antiqq. Rom. lib. 4. cap. 4. & seqq.* de Attico, Sam. Petitum *Comm. in LL. Atticas libro 3. tit. 1. pag. 197. & seqq.* At *Kalendarium*, in *Epist.* Paconii ad Cornel. Arcomandritam, apud Gennadium, *Ne obliviscaris Kalendarium*, cujuslibet mensis Sanctorum nota est, inquit Dominic. Macer, qui aliter *Catalogum Sacrum* & *Martyrologium*, in Ecclesia Rom. dici addit, *Hierolexico.* V. infrà in *Martyrologium.*

Kalendarum Fratres, dicuntur in eadem, qui aliàs *Confratres*, forte quod singulorum mensium *Kalendis* convenirent. Mentio eorum fit in *lib. 1. Decret. S. Ladislai Regis Hungar. cap. 14.* & in *Capitulis* Laurentii Archiep. Strigoniensis c. 46. ubi *Kalendæ*, sunt sodalitates ad pias causas, Car. du Fresne *in Glossario.*

Kali, herba Arabibus dicitur, quæ ad vitra conflanda exuri consuevit, in Ægypto & Syria frequens. Ex ejus certe cineribus cum quodam silicum genere mixtis pretiosissima ac nitidissima crystallina Veneti conficiunt. Provenit etiam in prov. Narbonensi, ubi *Vitraria* dicitur, uti cineres ejus in lapidem ferruminati *Solda*, quasi *Solida*, à solidando. Latinis *Salsola*, Græcis ἅλιμον est, unde & *Chali* seu *Kali* ortum, quod salso sapore hic frutex est, quem, siccis & arenosis locis gaudentem, in justam arborem apud Armenios, assurgere ajunt. Salmasius *ad Solinum pag.* 1096. & *seqq.* V. quoque hic passim. Bochartus hoc, de una aliqua specie hujus herbæ concedens, in genere *Kali* ciceris speciem Arabibus, Hebræis propriè *tostum* aut *frictum* denotare, adeoque 2. Regum *cap. 6. vers.* 25. ubi in fame Samarica *columbini stercoris cabi quartam partem venisse quinq; argenteis* dicitur, frictum cicer, quod bis *Kali*, 2. Sam. *capite 17. versu* 18. aliàs *stercus passerum* seu *columbarum* dicitur, intelligi posse docet, *Hierozoici Parte poster. lib. 1. c. 9.* V. quoque infrà passim.

Kana, nomen torrentis, *Jos.c.16. v.8. & cap.17. v.9.* prope Jordanem, ad ortum Samariæ, in cujus *arundinibus* (id enim vox notat) latens Elias a corvis, per miraculum, pastus est; inde *Cerith*, a verbo כרה i. *pascerat* aut *vescei*, postea appellati. Sam. Bochartus *Hierozoici Parte poster. lib.II. c.13.*

Karakoinlis, factio Turcarum, seu potius Turcomannorum. Cùm enim obiisset Tamerlanes & filii ejus discordiâ ac segnitie defecissent, circa A.C. 1406. Turcomanni, pastoritius Armeniæ populus, caput extollere summamque rerum in Persia ad se transferre cœperunt. Erant autem eorum factiones duæ, *Karakoinlis*, i.e. Nigrorum Arietum, & *Akoinlis*, i. Arietum alborum. Ex illis primus Rex Persiæ fuit *Kara-Jusuph* seu *Niger Josephus*, qui Tamerlanis Succ. essorem evertit. Sed post 50. circiter annos, familiâ eorum throno deturbatâ, illi Persiâ sunt potiti, primusque ex Akoinlis, circa A.C. 1468. regnare cœpit *Ozun-Azanbec*, Europæis *Usum Cassanus*, Græcis *Cazanes longus*, cum quo Respublica Veneta solenne contra Turcas fœdus pepigit. Ejus posteri circa A.C. 1500. vicissim ejecti sunt, à Sophianis, quæ familia hodieque Persiæ clavum tenet. V. Georg. Hornium *Orb. Imp. cum Notis Joachimi Federi, pag. 421.* ut & infrà, ubi de *Sophianis*.

Karavanna, V. supra *Caravanna*.

Karolingi, V. supra *carolingi*.

Karraita, Hebr. קראים *Karaim*, quasi *Textuales* seu *Scripturarii*, dicti sunt apud Judæos, qui prius *Tsadikim* appellabantur. Hi ante captivitatem Babylonicam iidem erant cum Asidæis, Hebr. חסידים *Chasidim*, postmodum, cùm priores unicè Scripturæ lectioni vacarent, posteriores verò traditiones sectarentur, distingui cœpere. Inprimis cùm opera supererogatoria, tanquam necessaria, Asidæi urgentes, Pharisæorum atque Essenorum sectas protrusissent: Tum enim, quoniam utrique Traditiones Verbo Dei scripto anteponebant, *Tsadikim* æstu disputationis provecti, non Traditiones solùm omnes, sed & reliquos Scripturæ libros, Pentateucho excepto, rejecerunt, proin *Karaim* appellati. Alii tamen, totam V.T. scripturam illos amplexos, solas traditiones repudiasse volunt: quæ si sententia obtinet, hactenus innoxii fuere. Verùm processu temporis, cum à Sadoco ac Baitho seducti, virtutum præmia, scelerumque pœnas in futuro seculo nullas expectandas esse assererent, resurrectionem etiam inficiarentur, in Sadducæismum ii prolapsi sunt, hæresin exitiatem, de qua *suo loco*. Thom. Godwynus *de Ritibus Hebr. l.1. c.9.* &c.

Karapapa, in *Chron* Cassinensi *libro 3 capite 70.* cognominatus est Guilbertus Antipapa, qui *Clementis* nomen assumsit; quasi *contra* seu *adversus Papam*. V. Macros Fratres *in Hierolexico*.

Katherans, in *Statutis* Roberti II. R. Scotiæ *cap.12.* *Qui transierint ut* Katherani, *comedendo patriam & consumendo bona Comitatuum & capiendo per vim & violentiam bona & victualia* &c. Skenæo sunt Hiberni montani, qui, in inferiores partes Regni Scotiæ descendere soliti, prædas agebant, & incolis, eorumque bonis, vim inferebant. Hodie *Sorners*, & *Sojorners* vulgò, Car. du Fresne *Glossar.*

Kaspanus, V. suprà *Caspanus*.

K E.

Kelchyn, nomen unius è triplici mulcta, quæ apud Scotos homicidæ imponi solet, reliquæ duæ sunt *le Cro* & *le Galnes*, de quibus du Fresne *in Glossar.* Est autem *Kelchyn unius Comitis, sexaginta sex & duæ partes unius vaccæ — Filii Comitis aut Thani. 44. vaccæ & 21 denarii, & 2. partes unius oboli — filii Thani — 30. vaccæ & 11. denarii & tertia pars oboli. Rusticus nihil habet de Kelchyn. Item si uxor liberi hominis sit occisa, vir suus habebit le* Kelchyn *& parentes ejus habeant le Cro & le Galnes. Item si uxor rustici sit occisa, dominus ipsius terræ, in qua manet, habebit le* Kelchyn *& parentes ejus le Cro & le Galnes*, V. Regiam Maj. *lib.4. cap.38.* Vocis etymon quod attinet, tacet ipse Skenæus, qui etiam, quid fuerit *le Galnes*, ignorare se fatetur. Id constat saltem, *Kelchyn* longe minorem esse mulctam, quàm *le Cro*, ex *cap.36.* nam *le Cro Comitis est 140. vaccæ, tres ora pro vacca.* Item *le Cro filii unius Comitis vel Thani, est centum vaccæ*; & sic de cæteris. *Kelchyn* v. hic minor est multa, domino interdum, interdum parentibus, pendi solita. Car. du Fresne *in Glossario*.

Keras, rupis nomen præcelsæ, Salamine non procul, in qua considens Xerxes I. Persarum R. exercitum suum contemplatus est, &, secum perpenso, ex tanta multitudine post seculum superfuturum neminem, flevit tenerrime. Hodie *Kera*, & quoniam velut in geminum verticem assurgit, *megalo-Kera* & *micro-Kira*: uti docet Jac. Sponius *Itinerar. part. 2. pag. 261.* qui & turris destructæ, Græcis hodiernis itidem *Keratopyrgo* dictæ, à monte *Kerata*, in itinere, quod Eleusine Megaram ducit, facit mentionem, *ibid. p.285.* Est a. Κέρας Græcis *cornu*, ut notum, V. ibi.

Keren-happuch, Hebr. קרן הפוך, Lat. *Cornu stibii*, Chaldæo *similis splendori instar smaragdi* Rabbi Abraham *cornu conversionis*, τοῖς LXX. κέρας Ἀμαλθείας, qui, ad recentiorem Græcorum de cornu Amaltheæ fabulam respicientes, non præcisè utramque vocem, sed sensum attenderunt τοῦ *Keren-happuch*, inde forsan natam hanc Græcis fabulam (ut pleræque ex Sacris Historiis antiquioribus originem duxere) ratiocinantes. Natu minima filia fuit Hiobi quam in felicem pristinum statum suscepit, Hiobi 42. 14.

Hæc tum ob eximiam formã, tum ob parentis felicitatem ac opulentiam, tum ob diffusam ad vicinas gentes famam, tum ob nomen quo insignita, facilè istiusmodi fabulæ occasionem præbuerit. Namque & Bacchus bicornis ex Mosis radiis: & Legislatores cornuti, ut Charondas aliique in nummis antiquis, ad istiusmodi imitationem effícti sunt. Sic quia Deo & Messiæ passim in Scriptura Cornu adscriptum, hinc Gentilium quoque Diis Jovi Hammoni, Pani, Junoni &c. Item Heroibus, Herculi, Alexandro M. &c. cornua attributa sunt. Imo ut hæc de cornu virginis fabula implicita est cum fabulis de Hercule, ita certum, esse singularia quædam in Hiobi historia, quæ Mythologi fabuloso Herculi adscripsere. Ut enim taceam labores exantlatos Jobo, quid convenientius, quàm quod Scriptura de Hiobo, & fabula de Herculana scabie, cui nullâ hominum ope succurri poterat, narrat? Plura V. apud Frid. Spanhemium Jun. *in Historia Hiobi cap.12. pag.202. & seqq.*

Kesita, Hebr. קשיטה, Genes. *cap.33. vers.19.* ubi Jacob emisse dicitur à filiis Hemor portionem agri *centum Kesitis*, item Job *cap.42. versu 11.* ubi ab amicorum singulis Job accepit *Kesitam unam*, non est agnus seu ovis, uti Græci, Onkelos, Syrus, Arabs, Vulgatus, reddunt, sed nummi genus, seu *moneta proba ac* ἀκίβδηλος, quod propriè vox notat. Sic ut generale probæ monetæ attributum ad certam speciem hic videatur translatum, dictam sic, quod maxime esset sincera & ex auro vel argento purissimo conflata, vel quod in ea pondus rigide & exactè observaretur. Itaque centum illæ *Kesita*, quibus τὸ χωρίον præfatum, uti Stephanus vocat in Act. emptum fuit à Jacobo, non fuere centum agnæ, nisi aureas & argenteas Mandrabuli agnas intelligas, aut oves, *quas in crumena se condidisse*, dicit Strabax in Plauti *Truculento*, id est, ovium, à patre venditarum, pretium 20. minas. Nisi *agnorum* nomine ceperint forte Interpp. nummos, agnorum imagine signatos: quomodo apud Plinium *lib.18. cap.3.* Servius Rom. R. boum oviumque imaginibus primus æs signasse legitur. Quodnam autem propriè nummi genus sit, definiri non potest; nam quòd Hebræi summo consensu vocem hanc מעה i. *obolum*, explicant, ridiculum omnino videtur. Ex hac enim sententia Jacobus agrum suum centusse circiter emerit: & amici Jobi minutam illam stipem contulerint, singuli nempe unum assem, quod fuerit contumeliæ genus. An, cùm קשוט *Kissut*, quandoque in Paraphrastis pro *ornatu* sumatur, sensus verborum esse possit, à Jacobo emti agri pretium fuisse *centum margaritas*, aut verò *centum gemmas*, ut quæ inter ornamenta primas tenent, quod Jonathani placuit & Hierosolymitano Interpreti. V. Sam. Bochartum *Hierozoici Part. prior. lib.II. cap.43. ubi de Ovium nominibus.*

Kettlerus Gottardus, ex generosa inter Westphaliæ Equites Familia oriundus, Magister Ordinis Livonici ultimus, Evangelii doctrinam amplexus, & à Sigismundo Augusto Poloniæ R. Dux Curlandiæ ac Semigalliæ creatus, novæ stirpis auctor fuit, præt. sec. V. suprà, in voce *Curlandia*, item ubi de *Livonia* &c.

Kevenhullerus Carolus Comes, ex illustri Germaniæ Familia, in qua legitur Sigismundus *Kevenhuller ab Aichelberg*, qui seculi decimi quarti principio floruit. Inprimis vero eam virtus Augustini, qui Maximiliani I. Imp. Consiliarius, novis luminibus illustravit. Is communis pater duarum inprimis linearum factus est ex filiis Christophoro atque Sigismundo: quæ ambæ aliquoties iterum in diversum abierunt. Caroli præfati progenitores sic habent: Johannes *Kevenhuller ab Aichelberg*, qui obiit A.C. 1416. ex Christina fil. Wilhelmi *de Zillenhart* genuit Augustinum memoratum, qui extinctus A.C. 1519. ex Siguna *de Weispriach* filium reliquit Christophorum Capitaneum Carinthiæ, defunctum A.C. 1557. Cui Elisabetha *de Mansdorff* genuit Bartholomæum *Kevenhuller* Com. *de Franckenberg*, qui decessit A.C. 1612. pater ex Blanca Ludimilla Turriana (fil. Francisci Com. de Turre & Valsasina) Francisci Christophori Com. *Kevenhuller*: cujus filius ex Barbara *Teufflin* (fil. Caroli *Teuffel* Baronis) bis jam dictus Carolus uxorem sibi junxit — — — sororem habet Mariam Barbaram, Alberto Du. *de Zinzendorf*, nuptam, Phil. Jac. Spenerus *Theatr. Part. II. pag.6.*

Kezias, Hebr. קציעה, indubie ab aromate ejus nominis, quod Arabibus similiter est קציעה, hinc Græcis κασία vel κασσία, Latinis *Casia* vel *Cassia* aromatica, vocata est secundogenita filia Hiobi, de qua Hiobi *cap 42. versu 14.* tanquam pretiosa & fragrans instar cassiæ, tum ratione formæ, tum ratione paterni amoris ac desiderii. Jam enim olim familiare Arabibus fuit, à floribus, aromatis, plantisque odoratis, servis, clientibus, liberis, & quotquot apud eos in gratia ac favore, nomina indere. Ab hac nomen videtur impositum monti Casio vel Cassio, in Orientali Geographia celeberrimo, quemadmodum major natu soror ejus Jemima regionem Arabiæ *Jemamam* denominavit: cùm ut regionibus urbibusque, sic quoque montibus, à viris fœminisque inclytis nomina sæpius hæsisse notissimum sit. Et *Casiam* hanc fuisse in fœminis illustrem, ejus natales, nomen, forma, hæreditas loquuntur. Ex eadem forte natam dicemus *Kassiopen* vel *Kassiepeiam* *Cassiopen* in fabulis Græcorum, remoti scilicet in Æthiopia (quidni Arabiâ) Regis filiam, supra mulieres omnes ætatis suæ

formæ gloriâ superbientem, de forma cum Nereidibus certantem, & quæ alia non aliena sunt ab hac *Cassia*, à forma imprimis cum sororibus suis commendatissimâ. V. Spanhemium, ubi supra *p.* 201. & 202.

K I.

Kiburgium, seu *Kyburgium*, adde: Horum Comitum, ut & Thurgoviensium, Winterthuriorum & Wendelburgiorum conditorem quidam faciunt Ruthardum, filium Eberhardi Alsatiæ Ducis, fundatoris Murbacensis Monasterii A.C. 724. cujus Pater Adelbertus similiter Alsatiæ Dux fratrem habuit Ethonem seu Hettonem Austriacæ gentis auctorem, V. Phil. Jac. Spenerum *Sylloge Gen. Histor. in Fam. Austr.* Primus ex hac gente, cujus aliqua memoria extat, Adelbertus est cognom. *Senior*, qui Arnulphi Principatu circa A.C. 888. Comes *Kyburgius* & Landgravius Turgeæ fuit. Hupaldo I. (dein Comiti *Kyburgio*, Dillingensi ac Witislingensi, quæ ditiones in Suevia, prope Augustam Vindelicorum sitæ, filiam suam nuptum dedisse legitur, circa A.C. 890. Burcardus Sueviæ ac Alemanniæ Dux: e quo matrimonio, præter S. Ulricum Episc. Augustanum factum A.C. 925. natus est Diepoldus Comes, qui circa A. C. 942. præfuit, & Mangoldus, cujus ramus in filio Hupaldo II. extinctus est. Ex prioris successoribus, cum Wernerus Comes circa A. C. 1028. Conrado Imp. acriter obniteretur, arx ab hoc obsessa & expugnata, ipse autem paulo post ab Imperatoris militibus occisus est. Sub Hartmanno postea Comite ditissimo, circa A.C. 1079. ab Imp. Henrico IV. arx iterum obsessa, expugnata ac funditus deleta est: quam tamen è cineribus rursus idem Comes paulo post excitavit. Sequentibus temporibus, imperante Friderico II. cum Wernerus Comes Annam duxisset, Berchtoldi V. ultimi Zeringiæ Ducis sororem, mortuo sine filiis socero, Wernero Friburgum in Uchtlandia, Burgdorfium, Thuna aliaque obtigere; à quo tempore, præter pristinum Comitis titulum, Landgravii *in Burgenden* nomen assumsit, & ad posteros propagavit: quorum ultimi fuere Hartmannus cognomento *Senior*, & hujus ex fratre nepos, Hartmannus *Junior* dictus. E quibus ille, cum masculâ prole se destitutum videret, consicio nepote, ditiones suas A.C. 1244. Episcopatui Argentinensi donavit, rursusque feudi nomine ab Episc. Berchtoldo accepit, & postquam nepote absque hæredibus præmortuo A. C. 1263. ejus quoque bona adiisset, ipsemet fato functus est, anno sequenti. Cujus uxor, ex Sabaudiæ Comitum familia, cum, ex testamento mariti, Comitatum Badensem aliaque, dum viveret, possidenda accepisset, Rudolphus Com. Habspurgius cognom. *Taciturnus*, fil. minor Rudolphi, Hartmanni ex sorore nepos, pulsâ viduâ, avunculi ditiones occupavit, & frustra satagente Sabaudo obtinuit: ultimorum Comitum Habspurgiorum, Laufsenburgiorum & *Kyburgiorum* conditor; quorum duæ lineæ, postquam ipsi pleraque vendidissent, aut aliis amisissent modis, seculo decimo quinto defecere. Ita ergo ad Habspurgios, inde ad Austriacos, Comitatus hic pervenit, qui eum tenuerunt usque ad A.C. 1384. quo Leopoldus Archidux Donato & Diethelmo Comitibus Toggiis eum oppignoravit: à quibus eodem titulo ad Comites Brigantinos delatus est, quibus dum subesset, oppidum à Suitensibus, in gratiam Abbatiscellanorum, captum, moxque iterum desertum est, A.C. 1408. Post quæ Wilhelmus Comes Brigantinus *Kyburgii* habitans, captis aliquot Tigurinæ urbis civibus, vicissim à Tigurinis captus, ut libertatem recuperaret, captivos dimittere coactus est, circa A.C. 1412. Tandem, proscripto Archid. Friderico, tempore Concilii Constantiensis, cum ditiones ejus cuique occupanti cederent, Sigismundus Imp. *Kyburgium* Comit. Imperio vindicatum, Tigurinis pignori opposuit: circa A. C. 1424. quibus simul Cunigundis Montfortia, e Toggiis Comitibus oriunda, quidquid in eundem juris habebat, vendidit. Oppido exin A. C. 1440. ab Helvetiis occupato, arx tamen expugnari non potuit; quam Tigurini unà cum oppido ac tota ditione A.C. 1442. Friderico III. Imp. restituerunt; donec illa iisdem denuo oppignoraretur à Sigismundo Archiduce, circa A.C. 1452. à quo tempore illis possessio inviolata mansit: Administrant autem Com. *Kyburgium*, qui amplissimus est, & Præfecturarum majorum Reip. Tigurinæ princeps, per Præfectum e civium flore. V. Stumphium *Helvet. l.* 5. *c.* 30. Joh. Henricum Hottingerum *Speculo Reip. Tigurinæ* &c.

Kichtan seu *Kincutanes*, supremum Novæ Angliæ incolarum Numen, à quo totum Orbem, & quæ eo continentur, condita esse, credere incolas, refert Richardus Waitbornius *Descript. Nov. Angl. Part.* 1 *cap.* 4. Idem *ibid.* addit, eos persuasum sibi habere, post obitam mortem, ut pios à *Kinchtane* cœlesti regno receptum iri; ita improbos, fores istius palatii pulsantes, hac increpatione à Deo isto laturos repulsam, *Ruechet*, h. e. *Abscedite hinc, nec enim vobis similibusque hic locus datur*: atque inde miseros hos perpetuo exilio mulctatos, æternis cum miseris conflictaturos esse &c. V. Tob. Pfannerum *System. Theol. Gentil. pur. Cap.* 7. § .1. & *Cap.* 21. § .2.

Kiki, sive Ricinus, officinis *Palma Christi*, frutex est æstivus, frigoris impatiens, succrescit quotannis ex grano cinereo rufescente, quod caninum insectum rotunditate & crassitie refert, etiam colore, mense Aprili. Hinc germinant bina rotundæ formæ coloris rufi foliola; in medio consurgit caulis albus & fragilis, cujus folia superius, ad verso reliquorum fruticum usu, maxima sunt & latissima, instar pedis anserini, septenis plerunque, etiam novenis partibus, quas folia diceres, nisi cohærerent, ex uno pediculo propendentibus, adeò ut exterior una sit maxima, proximiores verò minores, &, quæ caulem spectant, minimæ. Eriguntur ea sponte ad excipiendam pluviam, vel solem imitantia, omnia serrata dentibus. Caulis albicat & fuscatur, non rarò duodenûm & quindenûm pedum: emittit alios caules, qui in cacumen sterile desinunt, dum flos & luteus & ruber ex gemma prodit, cauli affixa; quorum ille decidit, iste generat grana aculeata triangularia, quæ ubi maturuere, dissilit folliculus & illa decidunt; caulis vero quantuscunque dispérit cum universâ substantiâ. Ex hisce granis Sacerdotes Ægyptii oleum quondam exprimebant, cum alio uti ipsis nefas esset: inde nostris hortis frutex illatus est. Auctor Anonymus *Sina & Europa c.* 32. An idem cum *Kikajon* Jonæ? Ita certe Eruditis videtur, & apprimè quadrat fruticis descriptio. V. Sam. Bochartum *Hieroz. Parte poster. l. IV. c.* 27. ut & infrà in voce *Ricinus*.

Kinju, nomen herbæ in Sinis, ad urbem *Kingyang*, nascentis, in prov. Xensia, quæ flavi capillitii instar habet, unde & *aurea byssus*, seu *bombycum aurea fila*, dicta. Cæterum amara gustu, quamvis frigidâ potiùs, quam calidâ, qualitate ac vi pollens, omnem à corpore longè pellit scabiem. Idem *ibid.*

Kirburgum, locus Germaniæ, sub proprio Comite, ex familia Rhingravii. Cum enim florentissimam hanc in tractu Rhenano stirpem Adelhelmus circa A.C. 670. ex se dedisset, accessit deinceps Comitum Sylvestrium, *Wildgraven*, successio ac titulus, ramique in filiis Johannis, Johannæ Sarwerdensis mariti, qui exeunte seculo XV. vivis excessit, diversi cœpere. Et quidem Johannes Merchingensem seu *Kirburgum* procreavit, qui nunc in Johanne (ad quem Merchinga spectat) atque Georgio Friderico, qui *Kirnæ* seu *Kirburgi* habitat (n. 1613. maritus Annæ Elis. Com. Stolbergiæ) superest. Utriusq; Progenitores apud Phil. Jac. Spenerum *Theatr. Nobil. Part. I. p.* 86. Ex hoc a. Georgio Friderico, natæ sunt, Anna Dorothea (n. & den. 1638.) Maria Agatha (n. 1641) Anna Elisabetha (n. 1642. uxor Ernesti Ludovici Com. Greebingensis) & Friderica Juliana (n. 1650.) sorores germanæ, *Com. Sylvarum & Rheni seu Wild- & Rhingravæ &c. in Kirburg.* V. eundem *Part. eadem pag.* 145. & *in Ind.* ubi de *Rhingraviis*. *Kirchberga*, castrum Germaniæ superioris, unde illustri Familiæ id nomen impositum, quam nonnemo ex Nassoviis derivat, Burggraviorum *Kirchberga*, Dominorum *in Farnroda*. Hæc satis antiqua, & jam seculo XII. memoria illius inter affinitates Honsteinias reperitur. Albertus, qui vixit A.C. 1423. duos per filios, Theodoricum & Hermannum, duos sevit ramos; ab illo enim *Kranichfeldii*, qui in Hartmanno Abbate Fuldensi extincti sunt, A.C. 1558. descenderunt: ab isto, *Farnrodenses* propagati sunt, inter quos Georgius (qui obiit A. C. 1641.) ex Dorothea Magdalena Ruthena (fil. Henrici Jun. Ruthenii Do. *de Plauen*) Georgium Ludovicum genuit, maritum Annæ Magdalenæ Hohenloicæ (fil. Philippi Ernesti Com. *de Hohenloe in Langenburg*) & patrem ex ea, Annæ Dorotheæ (n. ac den. 1650.) Sibyllæ Magdalenæ (n. ac den. 1651.) Georgii Philippi (n. 1652. den. 1653.) Elisabethæ Magdalenæ (n. 1654.) Dorotheæ Ludovicæ (n. 1655.) Ludovici Cratonis (n. 1656.) & Georgii Wolffgangi (n. 1660.) *Burggraviorum de Kirchberg &c.* Idem *Part. II. pag.* 1. Sed & Foggeriæ familiæ ramus quidam, hoc nomine insignis est. Johannis enim Jacobi, qui ex mercatore factus Consiliarius Maximiliani I. Imp. illustris hujus familiæ fundamenta jecit, filii Ulricus atque Georgius, ab Imperatore Barones & Domini *in Kirchberg & Weissenhorn* dicti sunt: qua de re V. *supra*.

Kirai, nomen familiæ inter Tartaros celebris, quæ Crimeuse seu Precopense hujus gentis Imperium condidit. Ex illa enim oriundus Azi-Kirai, filium Tick. Familei Sebicachmech-Zarem Tauricâ seu Crimeâ expulit, seque contra eum Regem Tartarorum appellavit: à quo tempore Crimenses excursionibus Lithuaniam, Poloniam, Russiamque infestarunt. V. Georg. Hornium *Orb. Imp. cum Not. Felleri pag.* 435.

Kirtellum, vestimenti species adhibita in inauguratione Equitum Balnei, Car. du Fresne *Glossar.*

Kisulbassa, quasi *Rubricipes*, Persæ dicuntur, ab Ismaele Sophi, sectæ Sophinæ an auctore, an amplificatore, qui A.C. 1507. Regno potitus est. Hic enim velut tesserâ quadam suos à Turcis Osmanicis discreturus, per universum Regnum subditis suis edixit, ut omnes in posterum tegmina capitum rubro tincta colore gestarent, inde hoc nomine illis indito. Præterea in precibus, jejuniis & catalogo successorum Mahummedis, varia immutavit &c. Vid. Johan. Leunclavium *Histor. Musulmann. libro* 16. & infrà, ubi de *Sophiana Secta*, nec non ubi de *Persis*.

K L.

Klem, vox Germanica, *rigidum parcumque* denotans, cogn. fuit Ruperti ex Fam. Palatina Imperatoris, cui vulgò per errorem cognomen *Parvi* tribuunt, quasi *Klein* fuisset vocatus. Hornius *Orb. Imp. pag.* 28.

K M.

Kmethones, servilis conditionis homines, apud Polonos, in *LL. Polon.* Chopini *de Domanio libb.* subnexis.

K N.

Knave, in Charta anni 22. Henrici VIII. R. Angl. apud Spelmannum, *Joannes filius Willelmi Cowper de Denby* Knave, *ad satisfaciendum Regi* &c. forte Armiger est, h. e. scuti famulus; *famulum* enim vox Saxonibus sonat. V. Janum Dolmerum *ad Jus Aul. antiquum Norvagic.*

Knez vel *Kniez*, V. suprà in voce *Caganus*, item *Canis*.

Kniphusia, nomen Dominii, olim sub Comitibus Oldenburgicis, hodie suo Antonio, ab ultimo stirpis ejusdem nominis, ex Ungaria suscepto, Comiti Altenburgio; cujus familiam si deficere contingat, hæres Dynastiæ hujus Joannes erit Servestanæ familiæ Princeps, qui severam etiam, matris Magdalenæ Oldenburgicæ jure, nactus est. V. Phil. Jac. Spenerum *Sylloge Geneal. Historicâ*, *in Fam. Oldenburgo-Danicâ sub fin.* & Tob. Pfannerum *de præcipuis Germaniæ Principum gentibus cap.* 10.

Knuzenius Matthias Holsatus, moribus inquies, ingenio turbidus, cùm Regiomonte in Borussia aliisque pravitatis suæ indicia jam satis dedisset, levibus de causis in pejora provolutus, eò tandem insaniæ pervenit, ut *Deum esse* apertis verbis negaret & publicis scriptis, susceptisque itineribus prolatandæ impietati improbum laborem impenderet, in clarissimis universæ Europæ Urbibus jam asseclas se habere gloriatus; quibus tamen meliora omnes sperant. Scripsit contra hoc hominis monstrum Joh. Musæus libellum peculiarem vernaculo sermone, cui tit. *Ableinung und Berichs von der vermeinter Gewissener sect.* Tob. Pfannerus *Theolog. Gentil. pur. cap.* 2. §. 1. *de DEO.*

K O.

Konigseccium, Germ. *Königseck*, castrum Germaniæ sup. sub proprio Dynasta, in cujus Familiæ enumeratione variant Progonologi, ubi de Majoribus Marquardo B. r. à *Konigseck* alligoandis agitur, cùm quidem in Johanne ac Ulrico patre & avo conveniant, sed matrem & avias aliis alias adducant. Præcipua autem divisio est, quod in duobus fratribus, Hugone *in Immenstatt* & Johanne Georgio Præfecto Provinciali *in Weingarten*, novæ lineæ incipiunt. E quibus ille, ex Maria Renata Zimmerana, Leopoldum Wilhelmum genuit (Mariæ Polyxenæ *de Scherfenberg* maritum) ex secundis tertiisque nuptiis Carolam Luisam Sultzensem & Annam Amaliam Com. Sylvar. ac Rheni duxit: ipse natus A.C. 1595. Iste, ex uxore Leonora *de Hohenemps* seu Altempsia, Familiam quoque propagare cœpit. Utriusque progenitores habes, apud Phil. Jac. Spenerum *Theatr. Par. II. p.* 42. Liberi Johannis Georgii præfati, sunt Maria Elisabetha (uxor Johannis Ludovici Com. Sultzensis) Franciscus Eusebius, Antonius Eusebius, Monica (uxor Johannis Ernesti Truchsessii Com. *de Trauchburg*) & Johanna Claudia (uxor Johannis Francisci Desiderati Princ. Nassovii) V. Eundem *Part. III. pag.* 35.

Königsteinium, Germ. *Königstein*, castrum itidem Germaniæ, sub proprio Domino olim, donec Lucardim, filiam Philippi Junioris Dn. *de Falckenstein & Muntzenberg*, hæredem *Königsteinæ*, Gothofredus duxit Com. Eppstenius, qui decessit A. C. 1412. filios que ex ea reliquit Godofredum atque Eberhardum, quorum is, ab uxore Juta Nassovia titulum Comit. Diezii familiæ intulit: hic *Königsteinam* tenuit ac consensu fratris, A. C. 1420. feudum Imperii fecit primusque Comitis titulum obtinuit, proavus Eberhardi, Georgii, Philippi Can. Moguntini, qui lineam clausere, extincti A. C. 1535. 1527. 1509. & Annæ hæredis, quæ nupta Botoni Com. Stolbergico, decessit A.C. 1538. marito A.C. 1537. præmortuo. Idem *Part. III. p.* 13.

K R.

Krodo, Idolum olim Saxonum, quod Saturnum illos arbitratos fuisse, ait Crantzius *in Metropol. lib.* 1. *cap.* 3. apud C. du Fresne *in Glossario*.

K U.

Kunkan, totus ille tractus, qui inter Imperium Magni Mogolis & Regna Malabarum situs est, uno nomine dicitur, in VI. Regna hodie divisus: Viz. *Regnum Decan, Amdenager, Bragenader, quartum* (sine nomine, cujus primus Rex, nomine *Verido*, natione Hungarus, obiit A.C. 1510) *Regnum* porrò *Vizapor* & *Goa*, inter quæ præcipuum hodie est *Dokan*. Hornius *Orb. Imp. p.* 445.


K Y.

Kyburgium, V. *Kiburgium*.

Kyrgessi, Tartariæ gens, quibus Tellus pro numine erat; cujus venerationis symbolum fuit terræ cultus, cum lacte, sanguine & fimo, admixtis. Qua de re sic Alexander Gaguinus *in Sarm. Europ.* eâ parte, ubi Tartariam describit: *Kyrgessi Tartari castrorum in campis degunt, habentq; ritum gentilem hujusmodi. Sacrificium ipsorum, quo tempore rem divinam peragit, tunc sanguinem, lac & fimum jumentorum, terramq; sumit, commixtisque; insimul facta in vas quodammodo infundit & unâ cum hoc arborem ascendit, ad populumq; circumstantem concionatur: Concioneq; peractâ, insultam plebeculam, prædictam commixtionem spargit; populus verò in terram pronus provolvitur, adspersiunculamq; hanc pro DEO colit, firmaq; credit, nihil esse potius salutare humano generi ac terram pecus armentaq;.* E quibus postremis verbis liquet, hoc, quod hic venerabatur, partem magnam symbolicam fuisse. Videlicet, quod terræ erat admixtum, id fuit signum totius Elementi: at lac, sanguis, fimus, pecoris & armentorum erant figura. Vid. Gerh. Joh. Vossium *de Idolol. lib.* 2. *cap.* 62.

Kyrieles, apud Auctorem *Miraculorum* S. Berlendis Virg *cap.* 2. *num.* 11. *Omnibus Clericis Hymnum concinentibus—Laicis verò* Kyrieles *celebrantibus*: nomen est in Ecclesia Rom. litaniarum publicarum, in quibus Κύριε ἐλέησον decantatur; quod cum per Orientem atque Italiam frequenter in Ecclesia caneretur, placuit Concilio Vasatensi A C. 529. *can* 3. statuere, ut in Gallicanis quoque Ecclesiis *ad Matutinum, ad Missas & ad Vesperam*, similiter id heret, Car. du Fresne *Gloss.* In Ecclesiam Latinam introductum esse hunc ritum, à S. Silvestro; renovatum postea à Gregorio M. ait Dominic. Macer *in Hierolexico*, qui in Anglicana Eccl. circa A.C. 1000. eundem incepisse, Dunstano Episc. Doroberneniensi seu Cantuar. addit *Ibid.* Et quidem Romæ in processionibus, centies *Kyrie eleison*, centies *Christe eleison* & iterum centies *Kyrie eleison*, cani consuevisse, docent Auctores laudati Floravant. Martinello *in Roma Sacr. pag.* 157. In eadem Ecclesia, in Sabbatho Sancto & Sabbatho Pentecostes, ab his verbis Missam incipere, temporeque Paschali, loco verborum, *Deus in adjutorium*, dici *Kyrieleison*; porrò ad *Kyrieleison* neuma cani. aliaque huc pertinentia, legas apud eosdem Macros. Sed & Melitenses, à Saracenorum jugo, per Rogerium Normannum liberatos, cum Sorori suo obviam procederent, gratulabundos *Kyrie eleison* inclamasse, tradit Goffredus Malaterra *lib.* 4. *cap.* 7. Imo, uti Gentiles olim, cùm infundendo in dolia vinum numerarent mensuras, in principio numeri non dicebant *unum*, sed *multa*, ominis causâ, V. Varronem *de Lingua Lat. lib.* 4. forsan multa Fortunæ bona implorantes; usque hodie Christianorum multi, numerando ad tricesimum numerum pervenientes, solent pronuntiare verba hæc, *In nomine Domini*, seu *in Bonum*, idque in detestationem 30. denariorum Judæ proditoris, ut refert Menodicus: Sic olim Christiani, ut Gentilium ritibus contrà irent, in principio numerandi, *Kyrie eleison* adhibuisse leguntur, apud Balsamonem *can* 62. *Synod. VI. Trull.* ubi inter alia ait: *Et quòd Agrestes frequentibus dicant in unaquaq; fere mensura Kyrieeleison* &c. Ritus vero gia apud Gentiles quoque reperias. Si enim non antè, saltem Juliani Cæsaris temporibus, qui à N. C. 120. annis claruit, similiter Deo supplicabant Gentilium sapientiores: quem ritum tangit nobilis ejus temporis Scriptor Arrianus *Dissertat. Epictet. lib.* 2. *cap.* 7. Τὸν θεὸν ἐπικαλούμενοι δεόμεθα αὐτοῦ, Κύριε ἐλέησον, *Deum invocantes, precamur eum, Domine miserere nostri.* Nempe, quemadmodum non veretur Apostolus Paulus dicere, Athenienses, licèt ignorantes, coluisse illud Numen, quod ipse annuntiaret: sic verisimile est, postquam Christiana doctrina Gentilibus innotuit, etiam qui needum reciperent Christum, majori tamen curâ aciem animi in naturam Dei intendisse, ac quadam confusâ notitiâ invocasse, tam rerum Naturam, quàm Naturæ Opificem ac Rectorem Deum, non Geth. J. Vossius *de Idolol. lib.* 1 *cap.* 2.

Kyrion-Megan, Bœotiæ & Thebarum Principem, qui olim in Palatio Imperatoris CPolitani *Magni Primicerii* nomen ac dignitatem obtinebat, appellatum postea esse, docet Nicephorus Gregoras *Histor. lib.* 7. apud Macrum in voce *Dapifer*. V. eundem in voce *Domnus*, ubi apud Græcos similiter Κύρις, Κυρὰ vel Κυρὴ, dempto *i.* de utriusque sexûs Magnatibus, prout *Domnus* vel *Domna* dicebant Latini, vocem integram *Dominus* Soli CHRISTO attribuentes, dici consuevisse, observat.



L A.

L.



adde: In notis antiqq. significat, *Lucius*, *Lalius*, *libertus*, *locus*, *lex*, *lector*, *quinquaginta* &c. L. A. *lex alia*: L. AN. *quinquaginta annis*. L.D. *laudandum*. L.DD. D. *locum Diis dicavit*. L. DIV. *locus divinus*. L. M. D. C. Q. *libens meritò dicat consecratq;* &c. Fr. Gouldmannus. In monetis Gallicis *L. Coronatum* conspicitur, sub Ludovico XII. Cudit n. is *Denarios cum L. coronato*, Gall. *Deniers à l'L. couronné* dictos, pretii 10. den. Turon. cum cruce anchorata, & *Inscr.* in aversa parte, quorum typum habes apud Car. du Fresne ubi *de Monetis Gallia Regum*. Idem *Grossos denarios* fieri curavit, Gall. *gros Deniers*, pretii 2. sol. 6. den. cum cruce liliata, binis coronulis & binis *L.* inter crucis brachia, additâ *Inscr.* SIT NOMEN DOMINI BENE DICTUM. In aversa parte, cum scuto 3. liliorum coronato, & binis *L.* ad latera, ac *Inscr.* LUDOVICUS FRANCORUM REX, apud eundem *Ibid.* De litera *L.* quæ in nummis antiquis nonnunquam conspicitur, quamque pro Græco Λ positam, & *Λυκάβαντα* i. *annum*, denotare, nonnulli volunt, V. Casaubonum *ad Suetonium in Augusto cap.* 87. Nec omittendum, quòd in clypeis Laconum eandem literam insculptam, apud Vett. legimus.

L A.

Labandago, apud Luciferum Caralitanum, *Lib. moriendum esse pro Filio Dei*, p. 337. *Nihil refert,—an securi caput auferas, an ad palum me, an ad crucem alliges, igne torreas an vivum humo condas, saxo præcipites, an in maria mergas*, labandagine *magnis viribus conatus uno vastissimo ictu longè à me meum caput excutias* &c. Dominico Macro videtur fuisse genus balistæ, quam adhuc Hispani *Bandoge* seu *Bandoque* appellant: Tilio Meld. Episcopo, *ad loc. cit.* forma instrumenti, quod vi ducebatur &c. At C. du Fresne existimat, legendum forte, *an à pendigine*, id est, à reliquo corpore; *pendigo* enim, idem quod *πῆγμα*, *compago* est: quod vocabulum bifariam hic sumi posset, vel pro machina lignea seu tabulato, *πῆγμα* etiam Græcis dicto, à quo caput longiùs excutiatur; vel pro ipsa reliqui corporis compactione, trunco viz. à quo caput avellatur. Quâ postremâ notione *pendiginem* interpretatur Salmasius apud Arnobium *lib.* 6. *ô utinam liceret in simulachri alicujus medias penetrare pendigines* &c. sed alia notione vocem usurpasse videtur Vegetius *Artis Veterin. lib.* 2. *cap.* 44. *Quòd si jumento scapula fuerint dissoluta, diligenter inspicias, ne quam inter nervos & commissuras pendiginem faciat.* V. omnino præfatum Car. du Fresne *in Glossario*, ut & Macros Fratres *in Hierolexico*.

Labarum, adde: Et hoc quidem vexillum, in quo Constantinus Christianus factus, Christi monogramma describi curavit, de quo V. infrà; *τῶν ἄλλων τιμιώτερον, cæteris pretiosius & sanctius* haberi, Imperatorem semper præcedere, à militibus adorari & in prælus à fortissimis militibus ambiri & stipari præcepit, ut habent Auctor *Vita Constantini lib.* 2. *cap.* 8. & Sozomenus *lib.* 1. *cap.* 4. quos quidem, Milites eos esse plerique autumant, quos *Præpositos Laborum* vocat *Codex* Theodosianus. Interim, nuperum id & Constantini duntaxat ævo cognitum, sed jam olim signum militare fuit Romanorum pensile, ex panno aut serico confectum, fimbriis ac aliis ornamentis instructum & transversario antennæ specie ligno affixum, à suprema conti parte pendens funiculis: quamvis nomenclatura non nisi apud Scriptores, qui aut Constantini ætate, aut postea floruerunt, occurrat; unde in dubio est, an Romanorum id vexillum proprium fuerit, an verò illud ii à nationibus barbaris acceperint, quod postremum existimare prorsus licet. Nam quòd aliquando in priorum Impp. nummis effictum occurrat, non propterea Romanorum illud necessariò fuit: sed ita in iis exhibetur, ut, quibus id vexilli proprium fuit, gentes domitas fere semper denotet. Prostant divi Augusti numismata, in quibus figura nuda galeata dextrâ *Labarum* seu contum, cum quadrato siparo fimbriato, tenet, cum hocce lemmate, VOT SUSC PRO SAL ET RED IOM SACR. i. *Vota suscepta pro salute & reditu Jovi optimo maximo sacrum.* Cusi nempe ii, dum Augustus bella cum Germanis gereret, de quibus actum ab eo triumphum vel certè partam victoriam, indicat tertius ejusdem nummus, in quo scuta Germanica bina decussatim cum spiculis posita, medio inter utrumque stante *Labaro*. Cui similis penè prostat alter Domitiani, cum *Inscr.* DE GER. Neque aliâ exprimitur figurâ in arcu triumphali Marii Arausionensi, in quo spolia de Cimbris effinguntur, cum eorundem vexillis scutisque. Sed & Pannonibus, in Hadriani nummo, & Armenis, ejusmodi vexillum in binis aliis Antonini nummis, tribuitur: Sarmatis præterea, in nummo ejusdem Antonini, cui subjecta Inscr. DE SARMATIS. Denique in nummo altero Vitellii, Gradivus exprimitur, dextrâ hastam, sinistrâ *Labarum*, tenens, cum verbis, CONSENSUS EXERCITUUM; qui cusus videtur, propter partas de Germanis victorias, de quibus etiam erecta, in alio ejusdem Imperatoris tropæa cernuntur, cum lemmate, GERM. CAPT. E quibus conficit du Fresne, *Labarum* non Romanorum proprium fuisse ab initio vexillum; sed à gentibus domitis, Germanis, Dacis, Sarmatis, Pannonibus, Armenis, acceptum, in victoriarum de iis obtentarum memoriam, eos vexillis suis illud antetulisse; cum ex nummorum inspectione, devictas provincias, armis maxime, quorum apud illas usus erat, denotari palàm sit. Adeoque, cum barbaricum hoc vexillum fuerit, frustra de nomenclatura ejus Viri eruditi hariolari videntur, ut videre est passim. Postquam autem id, uti dictum, à Constantino cæteris signis prælatum est, in sequioris ætatis Impp. nummis cum Christi monogrammate, frequentissime conspicitur: sed & in ipsius Constantini numismate, in cujus aversa parte effingitur, cum literis initialibus nominis ΧΡΙΣΤΟΥ, supra siparum, in quo quidem tres globuli describuntur: *Labari* verò hastile draconem premit, cum Inscr. SPES PUBLICA; infra, CONS. At, quod Vett. è Latinis perinde, ac Byzantinis Scriptoribus *Labarum* vocabant, posteriores *Νάρθηκα* seu *Ferulam* dixere: quamvis postmodum non eadem omnino utrique fuit forma. *Labarum* quippe quadratum erat, ex panno aut serico confectum, monogrammate Christi insigne: Narthex verò ferulæ solidæ speciem prætulit, quæ à lo longior, quàm latior, fuit: uti apparet ex Bulla plumbea Balduini II. Imp. CP. V. infrà in voce *Narthex* & plura hanc in rem apud Car. du Fresne *Dissertat. de Numismatibus infer. ævi num.* 20. Sed & *Labarum* pro balla usurpavit Anselmus *in Actis S. Gengulfi* & *Sec. n.* 4. & vexillis Romanæ Eccl. quorum in processionibus usus est, *Labari* nomen, quòd forte Labari Romani figuram repræsentarent, tribuit Ekkehardus Jun. *de Casibus Galli cap.* 3. Meminit quoque *Labari* veteris Althelmus *de laude Virgin cap.* 4. ubi ab hostibus devictis ea accepta innuit, apud eundem C. du Fresne *in Glossar.*

Deniq; cùm voti compos remeasset ad Urbem,
Compta triumphorum portans labbara Princeps,
Inclita Romanis revehens ex hoste tropæa.

Idem, quomodo gestari consueverit hoc vexillum, indigitat *cap.* 10.

Cuspide vexilli scrobem fulcare memento,
Labbara sic equitans per terram tendito dextrâ &c.

Plura V. apud Cl. Suicerum *Thes. Eccl.* in hac voce, ubi ejus originem ex Græco *λάφυρον*, inter alia, deducit, variosque Auctores citat de *Labaro* pluribus agentes.

Labellus, apud Helgaldum *in Roberto R. Quisnon ebbi visus fallus, ornamentum, quod erat in sex unciis auri, dependens à genibus, & quod nos linguâ rusticâ Lablillis* (mel. *Labellos*) *vocamus, ipso conspiciente, cultello arripuit, quantocius abscessurus*: vox est, quâ lacinias Galli, à sago militari pendentes, vulgò *lambeaux*, & *labeaux*, Monacho Sangall. *de Carolo M. c.* 36. *Pittaciola*, quod *pittaciorum* formam referrent, dictas, denotabant. An à *limbis*, quos sagis militaribus adscribit Sidonius *lib.* 4. *Epist.* 20. *Virid antis saga limbis marginata puniceis.* V. Fortescutum *de Laudibus LL. Angliæ*, ubi de habitu *Servientium ad Legem* & *Doctorum LL. in quibusdam Universitatibus*, nec non Carolum du Fresne *in Glossario* & *Dissertatione* 1. *ad Joinvillam pag.* 139.

Labeo Antistius, adde: Scripsit quoque *Commentaria Juris Pontificii*, quæ Festus quoque Pomp. citat, fuitque veterum Jureconsultorum facile Princeps, ut apparet ex Pomponio *in l.* 2. *ff. de orig. Juris.* Petronius,

Atq; esto quidquid Servius & Labeo.

Sicut autem pater ejus bello Philippensi pro libertate fortiter occubuit, ita ipse nimiâ libertate invisus Augusto fuit, ut testantur Suetonius *in Augusto cap.* 54. & Tacitus *Annal. lib.* 2. Prætoriâ ideo quidem dignitate, nunquam verò Consulari functus. Suffectum Consulatum, ab Augusto oblatum, repudiasse Pomponius testatur, quod apud alios Auctores non invenias. Proconsulem fuisse Narbonensis provinciæ, Plinius docet *Hist. Nat. l.* 11. *cap.* 4. & nuper extinctum in longa senectute suo tempore affirmat. Complures ejus in Jure Civ. libri citantur, libri nimirum *Πιθανῶν*, *Posteriorum*, qui post mortem *Labeonis* editi, teste A. Gellio *lib.* 13. *cap.* 10. *Ad Edictum*, *libri Epistolarum*, ac *Responsorum*. Proculus quoque & Aristo notas ad Labeonem ediderunt. Edidit quoque

librum

librum Juris Pontif. & Augurii, Augustin. *de C. D. lib.* 4. & 8. *lib. de Diis animalibus*, Serv. *in Æneid. lib.* 15. *de disciplinis Etruscis*, laudat Fulgentius. Librum *de Diis Penatibus*, *de Oraculo Apollinis Clarii*, *Fastorum* lib. Macrobius *Saturnalium lib.* 1. V. Labitti *Judicem antiquorum in Jure interpp.* uti etiam Antonii Augustini. De eo sic A. Gellius *lib.* 13. *cap.* 10. *Labeo Antistius juris quidem civilis disciplinam principali studio exercuit, & consulentibus de jure publico responsitavit; cæterarum quoq; bonarum artium non expers fuit: & in Grammaticam sese atq; Dialecticam literasq; antiquiores altioresq; penetraverat; Latinarumq; vocum origines rationesq; percalluerat: eaq; præcipuè scientiâ ad enodandos plerosq; juris laqueos utebatur.* Dicti autem sunt, *Labeones* & *Labieni* apud Romanos, à *labris* & *labiis*, quemadmodum Chilones, apud Græcos nomen acceperunt ἀπὸ τῶν χειλέων, ut Festus, Charisius & Velius Longus docent. Lucretius *Labeones* nominat *labiosos*, Jac. Oiselius JC. *Notis in A. Gellium lib.* 1. *cap.* 3.

Labertius Jul. Decimus, adde; Potius *Decius*. Admodum fuit dicax, ita ut nemini, ne quidem ipsi Cæsari in Mimis suis pepercerit; in quem ut & in Ciceronem scommata, extant apud Macrobium. Hinc est, quòd Cicero *in Epist. ad Trebatium*, quæ habetur *lib.* 7. *Epistol. Fam.* ait, Si non augeat rem suam apud Cæsarem, satius esse, ut Romam revertatur, ne vacuus rediens rideatur à *Laberio* ac Valerio. Nihilominus illum tantopere amavit Cæsar, ut eum in suorum ludorum fine annulo aureo & quingentis sestertiis donaverit, atque è vestigio è scena per orchestram in quartumdecimum ordinem ad spectandum transmiserit, ut referunt Suetonius & Macrobius *in Saturnalibus*. Ipse, ut erat asperæ libertatis Eques, se in scenam à Cæsare, ut ipse Mimos ageret, quos scriptitabat, produci his verbis questus est:

Ergo bis tricenis annis actis sine nota,
Eques Romanus Lare egressus meo,
Domum revertar Mimus. Nimirum hoc die
Uno plus vixi, mihi quàm vivendum fuit.

Scilicet, ait Prætor, *qui in scenam prodierit, infamis est.* In Mimis tandem victus est à P. Syro omnes provocante ac superante: Utriusque versus hac de re habentur apud Macrobium præfatum *Sat. lib.* 2. *cap* 6. & quidem *Laberii* ita sonant:

Non possunt primi esse omnes in tempore,
Summum ad gradum cum claritatis veneris;
Consistes ægrè & quàm descendas, decides.
Cecidi ego, cadet qui sequitur. Laus est publica.

Obiit decimo mense post C. Julii Cæsaris interitum, anno 2. Olymp. 184. Hieron. *in Chron.*

Laberius Maximus, notus sub Hadriano Imp. inter Romanos Proceres *suspectus Imperio, in insula exulabat*, Spartianus, *in Hadriano*. V. quoque Plinium *Epist.* 16. *lib.* 10.

Labor, & exercitium, torpentem in nobis excitat calorem, eoque & spiritus reddit vegetos & alacres: atque, ut ventilatio paleas è tritico & spicas inanes flatu dispellit; ita exercitatio quoque fugat noxios è corpore humores. Quâ similitudine hoc ipsum illustrat Lucianus *de Gymnastica*. Atque idem Galenus indicat *lib.* 1. Περὶ ὑγιεινῶν. Γυμνάσια δύναται τὰ περιττώματα λύειν καὶ διὰ τῶν πόρων ἐκκενοῦν, *Exercitationes possunt superflua discutere & per meatus evacuare.* Imò, Vegetio auctore *lib.* 2. *cap.* 3. *Rei militaris periti plus quotidiana armorum exercitia ad sanitatem militum putarunt prodesse, quàm Medicos.* Propterea & Socrates sæpius, apud Laertium, saltitabat; gnarus, uti aquæ desides putrescunt, ita & corpora nostra corrumpi otio atque ignavia. Quod egregie Ovidius expressit, *de Ponto Eleg.* 6.

Cernis ut ignavum corrumpant otia corpus;
Ut capiant vitium, ni moveantur, aquæ?

Imò de Ingenio sic idem, *Tristium lib.* 5. *eleg.* 12.

Adde quòd ingenium longâ rubigine læsum
Torpet, & est multo, quàm fuit antè, minus.

Tantùm attendatur, quando quis exerceat, & quantopere, & ut pòst se componere debeat. Quorum primum ab Hippocrate discimus *Epidem. lib.* 6. *sect.* 4. *aphor. ult.* Πόνοι σιτίων ἡγείσθωσαν, *Labores antecedant cibos.* De altero cavendum illud, ne immoderata sint exercitia, quæ humidum radicale exsiccant, & ut Seneca scribit *de Ira lib.* 3. *cap.* 9. *consumunt, quidquid in nobis mite placidumq; est ac acria concitant.* Tertium quod spectat, exercitio lassis videndum, ne aquis natent gelidis, uti Alexander M. apud Curtium *lib.* 3. vel frigidam avidius hauriant, ut Pompeji exercitus, ad Cambysem amnem, apud Dionem *lib.* 37. Cum autem plurima sint bona moderati *Laboris*, nullum tamen in Diis apud Gentiles meruit locum, ne ille quidem palæstricus. Sed palæstritæ coluere Mercurium, Herculem & Castorem, teste Tertulliano *de Spectac. cap.* 9. Hinc Ἐναγώνιος Ἑρμῆς Pindaro, *Pyth. od.* 2. & Ἀγώνιος: *Isthm. Od.* 1. *antistr.* 4. Imò Mercurio & Herculi, commune in stadio templum posuere Arcades, teste Pausaniâ *Arcad.* &c. Sed ut *Labor* ille non esset in Diis, quo fit, ut morbum effugiamus aut robusti simus, atque agiles; quos Gymnasticæ fines facit Aristoteles *Politic. lib.* 8. & Galenus *Hygiein. l.* 3. is tamen *Labor*, qui suscipitur ad fugiendam famem egestatemque, relatus in Deos fuit; sedâ Poëtis, nec nisi inter Numina infera: unde Maro collocat, ante Orci vestibulum; ubi & Famem & Egestatem, & ferreos Eumenidum sive Furiarum thalamos constituit. Contentionis filius, Noctis nepos dicitur Hesiodo, *Theogon. vers.* 226.

Αὐτὰρ Ἔρις στυγερὴ τέκε μὲν Πόνον ἀλγινόεντα,
Sed peperit durum Contentio dira Laborem.

Ubi, cujusmodi *Labor* intelligatur, indicat; quòd ei fratres tribuat Prælia, Cædes, Mendacium, Legum contemtum, Perjurium: ad cujusmodi sæpe adigi homines videas egestate & ærumnabilis laboris fugâ. At, quod meritò mireris, cùm, ut dictum, *Laboris* tam exigua haberetur cura, Quies pro Dea habita est, ab ipsis Romanis: cujus Fanum fuisse, in via Labicana, teste Livio *lib.* 4. discimus: *Cùm hæc agerentur, jam Consul Labicanâ ad Fanum Quietis erat.* Quæ via à porta Esquilina stadiis 120. hoc est, 15. milliaribus ducebat Labicum, vetus oppidum, sed jam Strabonis ætate dirutum: ut legere est apud eum *lib.* 5. Sanctus tamen Augustinus *de Civ. Dei lib.* 4. *cap.* 16. ait, Quietem Fanum habuisse, extra portam Collinam. Atqui inter portam Exquilinam, quæ nunc vocatur *Divi Laurentii*, & Collinam, quæ dicitur *Salaria*, interjecta erat porta Viminalis, quæ nunc B. Agnetæ. Sed de his V. *suo loco* & plura hanc in rem, apud Gerh. Joh. Vossium, *de Orig. & progr. Idolol. lib.* 1. *cap.* 19. Sed & *Labor*, vexillum Eruditis quibusdam est, memoratum Gregorio Naz. *Orat. in Julian.* quod vim haberet solvendorum *laborum*, sic appellatum. Et extat in *Codice* Theodos. *tit. de Præpositis laborum*, uti in omnibus *Codd. MSS.* legi, Viri docti observant, cum alii reponant *Labarorum*, eoque versus hos Tertulliani *Carm. de Jona* referant,

Palpitat antenna stridens, Labor horret ab alto
Ipsa etiam infringi dubitans inflectitur arbor.

Certè, quod *Labarum* Ambrosius *lib.* 6. *Epist.* 29. Prudentius *c. Symm. libro* 1. Alii, id *Laborum* vocant, Sozomenus *lib.* 1. *cap.* 4. Vett. *Glossæ*, apud Turnebum *Adversar. lib.* 15. *cap.* 16. *Acta II.* Synodi Nicenæ, Aldhelmus *de Virginitate*, Alii. Vid. C. du Fresne *in Glossar.* in vocibus *Labarum* & *Labor*. Speciatim *Labor*, cælatura Artificum in argento. Juvenalis,

——— ——— ——— *Et Polycleti*
Multus ubiq; labor, *rara sine Mentore mensa.*

Martialis,

Quis labor *in phiala? docti Myos, anne Myronis.*

Idem,

Solus Phidiaci toreuma cæli,
Solus Mentoreos habes labores.

Et in *Apophor.*

Quamvis Callaico rubeam generosa metallo,
Glorior arte magis, nam Myos iste labor.

Ubi *Labor* & manus & opus idem. Hinc *argentum in opere*, apud Trebellium, de argento facto: & *Argentarii*, qui argenti vasa cælabant vel alio opere fabricabant, propriè *Laboriosi* vocati. Vetus Interpres Juvenalis *ad illud*,

Sit mihi præterea curvus cælator & alter,
Qui multas facies pingit citò —

id est, opifices, inquit, *servi argentarii, laboriosi, anaglyfarii* &c. Salmasius *ad Lampridium in Alexandro Severo*.

Laborantes, apud Ignatium *Epist.* 112. *ad Antioch. Saluto hypodiaconos, lectores, janitores,* laborantes, *exorcistas*: iidem sunt cum *Copiatis* & *Fossariis*, de quibus dictum retro.

Laboremus, signum militare, quod Tribuno jussit dari Severus Imp. morti proximus, utpote vir vehemens, rebus agendis intentus & semper serius: cùm Pertinax, in Imperium adscitus, dederit, *Militemus*, V. Spartianum. Paulo aliter Dio, Τὸ σύνθημα ἔτι ἐπὶ ἐσχάτης ἔδωκε . . . ἀεὶ καὶ ἀποψύχων ἀπεφθέγξατο, ΑΓΕΤΕ, ΔΟΤΕ ΕΙ ΤΙ ΠΡΗΞΑΙ ΕΧΟΜΕΝ, *Cæterùm tam laboriosus erat, ut & animam jamjam exhalaturus dixerit,* AGITE DATE ALIQUID AGENDUM, Casaub. *ad l.*

Laboris Terra, in Italia, dicta est Campania Felix, quòd agriculturæ seu *labori* peridonea sit: quam appellationem haud adeò recentem arguit S. Martinus Pontif. Rom. *Epist. de exilio suo: Et pervenimus Kl. Junii Messanam, in qua erat navis, id est, carcer; non autem Messanæ tantùm, sed in* Terra Laboris: *& non tantùm in Terra Laboris, quæ subdita est magnæ Urbi Romanorum, sed & in plurimis Insularum, in quibus me nos transissemus, peccata impedierunt, nullam compassionem adeptus sum*, apud C. du Fresne in voce *Labor*. V. quoque *Terra Laboris*.

Laborum, V. suprà *Labarum*, item *Labor*.

Labra, à quibus *Brocci*, *Labeones dicti, & os probum duriusve, animal generantibus: pro iis cornea & acuta volucribus rostra*, Plin. *lib.* 11. *c.* 37. Horum exporrectio cogitabundis vel admirabundis gestus peculiaris est. Unde Satyricus de Mathematicis,

Atq; exporrecto trutinantur fata *labello.*

Iisdem digito impresso simulachrum erat ferme in omnibus Ægyptiorum templis, ubi colebantur Isis & Serapis, quod Varro *Harpocratem* vocat *de Lingua Lat. lib.* 3. ut hoc hieroglyphico homines moniti silentium tenerent, neque Isidem Serapidemque homines fuisse, voce proderent, ut eidem visum: hoc enim sub capitis pœna vetitum erat. At *labia sua aperiri*, Deum suum laudaturus, passim in Psalmis suis, petit Regius Propheta. Inter instrumenta enim sermonis *Labia* quoque, ut quæ vocem ultimò formant. Quòd enim de Petro quodam Brabanto narrat Turnebus, eum, quoties volebat, toties ex ima corporis parte, *labiis immotis*,

mmotis, loquutum esse, seu arti exercitationique, seu Dæmonis impostutæ, meritò tribuit Vierus *de Præstigiis Dæmonum lib.* 2. *cap.* 12. Imò facundiæ hæc sedes. Unde de Sponso legimus Psalmo 45. *versu* 2. *gratiam in labiis ejus diffusam.* Et de Sponsa Cantic. *cap.* 4. *versu* 11. *Favus distillans labia tua sponsa, & lac sub lingua tua.* Esajas vero & *Labia* sua attingi petit prunâ ab Altari sumtâ, ab uno ex Seraphim, ut mandata Dei ad populum digne eloqui posset, *cap.* 6. *versu* 5 & *seqq.* Nec gratior Deo victima *juvencis labiorum.* Hoseæ *cap.* 14. *versu* 2. &c. Quare & hæc tam nobilis oris pars, pro genio nationum, ornatu suo non caruit. Et quidem in *labro* inferiori, ab adolescentia perforato, grandes annulos gemmis fulgentes, viros Brasilienses appendere, discimus ex Jo. Laet. *Nov. Orb. Descript. lib.* 12. *cap.* 16. Viditque Petrus Martyr Regi Nagoaræ, aliisque Principibus suspensam naso lamellam auream, quæ ad ornatum *labia* tegebat. Etiam Aloys. Cadamustus *Tom. I.* in Prom. Zagro narium interfinium utrique sexui annulo aureo trajectum, qui cibum sumturis demebatur. Cui affinis est circulus æneus, quem in *labio* habuisse Æthiopum quorundam mulieres, refert Strabo *lib.* 17. &c. Sed & in pœnam ignominiamque haud vulgarem præcisa non rarò, uti hic passim videre est. In luctu vero & confusione ea obvelarunt olim Hebræi Micæ *cap.* 3. *versu* 7. *Ita erubescent isti videntes & pudore suffundentur isti divinatores, obvelabuntque labia sua, quotquot erunt: quia nulla exauditio Dei.* Quod extremitatem vestis in caput attrahendo, facere illos consuevisse, docent D. Kimchi & Aben-esra. V. quoque Fragium *ad Levit. cap.* 14. *versu* 45. & Sam. Bochartum *Hierozoici Parte prior.* ubi de *labro superiore* idem notat, ex Ezech. *cap.* 24. *vers.* 7. uti de *labiis ducendis*, h. e. irridendi, Vett. more, quod ἐπὶ τῷ μὴ χείλη διασμίφειν Græcis, A. Gellium *lib.* 8. *cap.* 4. ibique Oiselium *Not.* & Salmasium *ad Trebell.* in *Gallienu*; de *labiorum motu* servis prohibito; de consuetudine vett. Ægyptiorum & hodiernorum Turcarum *digitis labia compescendi*; Anglorum, *primoribus labris* osculandi &c. alibi.

Labra, apud Epiphanium *c. Arriomanitas*, laudatum Dominico Macro, *Quæcunque Ecclesiæ Alexandrinæ ad Ecclesiam Catholicam pertinent, uni subjunt Archiepiscopo; speciatim verò Presbyteri, sive Seniores illis præfecti sunt, propter necessitates Ecclesiasticas habitantium suam Ecclesiam ac colentium regionumque circumstantium vel paræciarum, quæ voce patriâ dicuntur* Labræ *ab iis, qui Alexandriam colunt*, idem cum *Laura* est, de qua voce V. *infrà.*

Labratum, V. infrà *Lauratum.*

Labratum Osculum, dicebatur propriè, quo Imperatores salutabantur, i. adorabantur, in *Gloss.* φίλημα βασιλικόν, καταφίλημα βασιλέως: à *labris*, quibus imprimebantur, ut loquitur Minutius Felix *in Octavio, Cæcilius simulachro Serapidis denotato, ut vulgus superstitiosus solet, manum ori admovens, osculum labris impressit.* Nam is apud Vett. adorationis ritus erat. Plinius, *in adorando dextram ad osculum referimus.* Appulejus *in Apolog. Nulli Deo ad hoc ævi supplicavit: nullum templum frequentavit: si fanum aliquod prætereat, nefas habet adorandi gratia manum labris admovere* &c. Hinc itaque *Labratum osculum* ejus, qui in adorando manum labris admovebat & osculabatur. Sic Numina sua olim, sic Imperatores suos, adorabant & Impp. imagines, haud minus quàm Deorum simulachra. Sic, quibus sacræ purpuræ adorandæ copia dabatur, manu ad os relatâ, solebant sacram Principis purpuram contingere, capite demisso, quod moris erat in adorationibus. Hieronymus ad Ruffinum, *Qui adorant, solent deosculari manum, & capita summittere:* qua de re plura Lipsius *in Electis*; ubi tamen in eo hallucinatur, quòd adorantes manum prius porrigere, deinde statim ad os referre solitos, scribit. Contrà enim illi faciebant: Manum enim osculati, deinde eam versùs illum, quem adorabant, protendere consueverunt, & hoc erat, quod dicebant, *Jacere Oscula & basia jactare*, V. *suprà.* Quia igitur Imperatorum quoque imagines & sacri vultus, qui populis inhiantibus inferebantur, ut Lex mox adducenda loquitur, ab omnibus adorabantur & hujuscemodi *labratis osculis* excipiebantur, *labrata* ipsamet ut dicerentur, invaluit. Hinc passim Græci Λαύρατα vocarunt Imagines Regias: uti *Cod. de publ. læt. nunt. l. un. Quid nostrorum nuntiari cœperit prosperorum, ut bella si desinunt, si oriuntur victoriæ, fastis si honor datus fuerit regalium trabearum, compositave paci erit offerenda tranquillitas, si sacros vultus inhiantibus fortè populis inferimus, hæc sine immodico pretio nuntiari excipique sancimus.* ubi *sacros vultus*, i. sacras imagines Impp. Græci Λαύρατα verterunt, V. *Synopsin. Basil. lib.* 56. *sub fin.* Ita Gregorius Dial. *Epist.* 1. ad Leonem Isaur. Διὰ τοῦτο καὶ τὰ λαύρατά σου καταδέχονται ... βασιλέων βασιλείας ... Et paulo pôst, Τότε ... τὰ λαύρατά σου ... Chronicon Alexandr. Τούτῳ τῷ ἔτει ἐβασίλευσεν Ἀνθέμιος καὶ ἀπῆλθεν εἰς Ῥώμην, καὶ εἰσῆλθεν τὰ λαύρατα αὐτοῦ ἐν Κωνσταντινουπόλει ... πόλεως &c. Unde postea factum, ut iidem Græci ad alia quoque simulachra & effigies vocem extenderent: Hermulasque etiam, qui pro terminis erant, finiendis agris, Λαύρατα vocarent &c. V. Salmasium *ad Vopiscum in Probo.*

Labrum Æneum, pone Altare æneum, in Atrio, Tabernaculum versus, divino jussu, exstructum, occurrit Exodi *cap.* 30. *v.* 18. & *seqq.* ex quo aqua è duodecim siphonibus seu mammis promanabat, ut totidem Sacerdotes, ad ingressum Tabernaculi, unâ vice ex eo lavare possent. Quo exprimebatur animarum nostrarum ablutio per Christum, cujus sanguis *nos ab omni peccato purificat*, 1. Joh. *cap.* 1. *vers.* 17. coll. cum Ephes. *cap.* 5. *vers.* 26. Sed & Sacerdotibus sacra non esse illotis manibus tractanda innuebat. V. Andr. Rivetum *Exercitat. in Exodum l. cit.* Ejus loco postmodum Mare æneum, quod duodecim boves ex ære sustinebant, in Templo, Salomon struxit, cui & alia minora lavacra, victimarum abluendis carnibus, apposita erant, 1. Regum *cap.* 7. *vers.* 23. V. infrà ubi de *Mari Æneo.*

Labrum Titi, superiori seculo in Thermis ejus refossum, V. infrà in voce *Mischinum.*

Labyrinthus, adde: Ad ejus imitationem, Theseum, devicto Minotauro, saltationem instituisse, legimus, de qua sic Scaliger *Poëtic. lib.* 1. *cap.* 19. *Eam Theseus, cum sociis redux, in patria lusit, circùm aram Deliam. Plures erant simul, verùm certis ordinibus: utrinque à capitibus lecti duces versus certos inter se saltantes implicabant. Qualem ludum Trojam divinus descripsit Poëta: non sine summa eruditione appositâ Labyrinthi comparatione. Allusit enim ad hanc Thesei saltationem, fatali illo pudore, sine fuco atque ostentatione— Eam Theseus γέρανον vocavit, tum ob aciem, tum propter commutationem, certis legibus servatam* &c.

Labyzos, gummi est & aroma, ipsa myrrha odoratius, & pretiosius, e quo, ut & e myrrha, confectum unguentum fasciæ suæ regali seu diademati addidisse Persarum olim Reges, discimus ex Athenæo *l.* 12. V. Cœl. Rhodiginum *Antiqq. Lect. lib.* 18. Car. Paschalium *Coronar. lib.* 9. *cap.* 4. & suprà ubi de *Diademate.*

Lac Caprinum, non magni solum in Medicina usûs, sed & apud quosdam populos in quotidianis cibis est. Hinc Salomon Proverbior. *cap.* 27. *versu* 27. *Et sufficiet lac caprarum in cibum tuum & in cibos domus tuæ & in victum ancillarum tuarum.* Et Hieronymus *in Jovinianum lib.* 2. *cap.* 4. *Esto bos ad arandum, ad sedendum equus, canis ad servandum; capra ad lac, ovis ad lanam condita sint.* Sic Galenus περὶ Εὐχυμ. Αἰγείῳ μὲν ἐν γάλακτι πλεῖστοι χρῶνται παρ' ἡμῖν, ὥσπερ ἐν ἄλλοις ἔθνεσι βοείῳ. *Caprino lacte apud nos (in victu quotidiano) multùm utuntur, ut bubulo apud alios populos.* Et Varro *de R.R. lib.* 2. *c.* 11. *Est omnium rerum, quas cibi causâ capimus, liquentium (lac) maximè alibile & id ovillum, inde caprinum.* Ubi in alimentis, quæ ex rebus liquidis constant, primas ovillo dat lacti, caprino solum secundas: sed præter Medicorum mentem, V. Dioscoridem *lib.* 2. Galenum *l. c.* Paulum Æginetam, qui muliebri lacti primas, caprino secundas, asinino ovilloque tertias, ultimas tandem vaccino, tribuit; Ætium *in Tetrabiblo* 1. *Serm.* 2. *cap.* 87. Alios. Quam ob causam summus Deorum, Jupiter, aut Cretæ Regulus verius, circa Abrahami tempora, *capræ lacte* nutritus fertur; quam capram in cœlum Astronomi transtulerunt, *Amaltheam* vocitantes, quod ex Phœnicio *amantha*, & Hebræo אמנת, i. *nutrix*, Ruth *cap.* 4. *vers.* 16. deflexum. Sed addit Galenus, ubi supra, *non tutò lac caprarum absque melle offerri*; quod nec vetustissimos illos mortalium latuit, qui Jovi proin duas nutrices, & præter Amaltheam, quæ lac caprinum; Melissam quoque, quæ mel illi subministraret, assignarunt, Lactantius *de Falsa Relig. lib.* 1. *cap.* 22. Unde Callimachus Hymno *in Jovem*,

—— σὺ δ' ἐθήσαο πίονα μαζὸν
Αἰγὸς Ἀμαλθείης, ἐπὶ δὲ γλυκὺ κηρίον ἔβρως.
—— *Tu autem suxisti pingue uber*
Capræ Amaltheæ, & insuper dulcem favum comedisti.

Nec desunt e Vett. qui quoslibet infantes primò melle, dein lacte, nutritos fuisse, testentur, Vide *Epistolam* Barnabæ *cum Notis* Vossii, Paulum ... Alios. Itaque in χυτρίδιον seu ollulâ, spongia melle plena infanti sugenda offerebatur. Quò pertinent hæc Aristophanis *in Acharn.*

Δός μοι χυτρίδιον σφογγιὰ βεβυσμένον.
Da mihi ollulam spongia stipatam.

Ad quæ verba Scholiastes, Ὅτι χυτρίδιον φέρουσι, ἐν ᾧ σπόγγος πεπληρωμένος μέλιτος καὶ τιθέασιν ἐπὶ τὸ στόμα τοῦ παιδίου. *Ollulam ferunt, in qua spongia mellis plena, quam infantium osculo admovent.* Itaque etiam Esajæ *cap.* 7. *vers.* 15. *mel* infanti præscribitur *cum lacte.* Et in Baptismo Veterum, scribit Hieronymus *adv. Luciferianos cap.* 4. è Lavacro egressos, *lactis & mellis prægustare concordiam, ad infantiæ significationem*: Quomodo Tertullianus *de Cor. Mil. cap.* 3. *Dehinc ter mergitamur—Inde suscepti lactis & mellis concordiam prægustamus*, V. Bochartum *Hierozoici Parte prior. Lib.* II. *cap.* 51. &, si placet, *cap.* 45. ubi, butyrum etiam exprimi ex ovillo & caprino lacte, ignorasse Galenum ostendit. Ut & alia quædam addam, Inferiis additum olim *Lac* & vinum, seu πηγὰς γάλακτος, ut ait Sophocles, legimus apud Silium Ital. *L.* 16.

Ipse tenens nunc lacte sacro, nunc plena Lyæo
Pocula, odoriferis aspergit floribus aras.

Unde & in eliciendis Manibus eodem, inter alia, utebantur. Servius *ad Æneid.* 3. illud,

Inferimus tepido spumantia cymbia lacte,
Sanguinis & sacri pateras, animamque sepulchro
Condimus ——

Ideo, inquit, *lactis & sanguinis mentio facta est, quia affirmantur animæ sanguine & lacte delectari— Bene animam Lacte & Sanguine ad tumulum dicit elicitam. Lacte namque corpus nutritur post animæ*

conjunctionem. Et anima sine sanguine nunquam est. Et quidem *Lac novum.* Virgilius iterum *lib. 5.*

Hic duo ritè mero libans carchesia Baccho
Fundit humi, duo lacte novo, duo sanguine sacro.

Aliàs in communi usu, siti levandæ, *lacte novo domuisse cruorem*, uti loquitur Papinius *Thebaid. lib. 2. vers. 84.* memorantur Scythæ, Massagetæ, Sarmatæ, Concani, alii immanes populi. V. Barthium *ad locum cit.* De *Lactu Asinini*, ad luxuriam, usu, sic Plinius *lib. 11. cap. 41. Conferre aliquid & candori in mulierum cute existimatur. Poppæa certe Domitii Neronis conjux, quingentas secum per omnia trahens fœtas, balnearum etiam solio totum corpus illo lacte macerabat, extendi quoq; cutem credens &c.* Apud eundem habes plura eodem, ut & *capp.* 39. & 40. ubi *de animalium mammis* variis. Vide quoque ubi *de Galactophagis*, & infra in voce *Lactarii*. Addam saltem, *lac auferendi animantibus lactifera* nequitiam, inter veneficii species, occurrere, cujus mentio inter alia fit *in Admitam.* 1. *Ludovici Imp. cap. 28.*

Lacca, Rabbi Jonæ exponitur vox Hebr. ארגמן *argaman*, *color est*, inquit, *qui lacca dicitur.* Ubi *laccam Arabum* intelligi verisimile est, de qua Serapion, *Lacca est gummi arboris, quæ nascitur in Arabia, similis myrrhæ, habens odorem bonum, & administratur in suffumigiis. & tinguntur ex ea panni rubei coloris* &c. Nam aliud est *Lacca Talmudicorum*, in *Chelim. fol. 28. a.* res facticia ex sanguine, furfure &c. quâ coria rubefaciunt aluttarii. Aliud item recentis Græciæ λάκκα, quæ vett. fuit *anchusa*, cujusque radicem adhibebant mulieres, ad genas purpurissandas, seplasarii ad unguenta coloranda, infectores ad lanam præparandam, ut purpuram facilius admitteret & servaret tenacius: a rebula n. purpuræ concolor est, hinc πορφυρὶς dicta, item Ἀλκιβιάδειον, in *Auctario* Dioscoridis; e quod in Alcibiade accusabant ἐκλύτως ἰσθῆτα πορφυρᾶν, *muliebrem purpurearum vestium mollitiem*, ut in Plutarcho habetur. Sed & in Dioscoride, nonnulli ἀγχουσα vocant, quam vocem inter cætera τὴν θαλασσίαν πορφύραν, *marinam purpuram*, significare, Helychius auctor est. Quod ipsum sonat *anchusæ* nomen: quæ ἄγχουσα, q. ἄνθουσα (sicut ἔγχελυς pro ἔνθελυς) dicta est, à purpuræ lumine & *flore*, qui Græce ἄνθος vocatur. Aliud denique est *Lacca* Lusitanorum rubra transluscida, ad lanarum infectuтas potissimum exposita, quam alatæ formicæ in India, in vastæ arboris ramis, eo fere modo conficiunt, quo apes ceram & mel. Quibus tamen omnibus *laccæ* speciebus id commune est, quòd rubræ sunt vel purpureæ & vel in fucis, vel in corii vel in vestium tincturis, adhibitæ. Sam. Bochartus *Hierozoici Parte poster. lib. V. cap. 14. ubi de marina purpura duobus generibus.* Vide quoque Salmasium *Exercitat. Plinian. ad Solinum, fusè de Lacca agentem, pag. 1149. & seqq.* qui idem ex λάκκα vel λάκκη, vocem Lat. *Lacernam* ortam esse, docet *ad Lampridium in Antonino Heliogabalo*; quo de vestis genere pluribus agit passim *Not. ad Historiæ Augustæ illos Scriptores.* V. & hic infrà. De *Lacca* verò ultimò memorato genere, quam *gomme Laque* Galli vocant, ut aliquid adjiciam, maxima ejus copia e Peruvia venit, & Masulipatani distrahitur. Venit illius aliquid è Bengalæ quoque ultra Gangem Regno, sed hæc domi carior est, utpote quam incolæ, ad pingendas tingendasque telas suas omnes pretiosâ illâ purpura, adhibent. Hollandi nihilominus inde in Persiam afferunt, eundem in usum. Quod illius, post colorem ex illa expressum, restat, exornandis toreumatis eorum, quibus maximopere delectantur, & ceræ signatoriæ faciendæ inservit, admixto alio, quem libuerit, colore. Vilioris pretii est, quæ e Peguano Regno advehitur, eò quòd formicis, gummi hoc in terra acervatim ibi congerentibus, ad doli nonnunquam magnitudinem, non parum arenæ sordiumque illi adhærescat: cùm contrà in Bengala myricarum ramos eo circumdent, unde purius illud longe limpidiusque est. Quam in rem V. plura apud Jo. Bapt. Tavernier *tract. Gall. cui tit. Observations sur le Commerce des Indes Orientales.* In epulo magnifico, quo Mariam Mediceam Galliæ Reginam hoc seculo Amstelodami excepit Societas Indiæ Orient. inter alia visus oblectamenta, etiam *gummi-laccam & apum laborem ceram*, memorat Casp. Barlæus *in sua Medicea.*

Lacer, dicitur Asconio *Verr. 2. amputatis à corpore sensuum membris, hoc est, auribus oculisve.* Et quidem quos e medio sustulissent olim, eos hoc modo *lacerare*, Græcè ἀκρωτηριάζειν, ne à manibus illorum infestarentur, solebant. Harpocration, Οἱ ἀνελόντες ἐξ ἐπιβουλῆς τινας ἀκρωτηρίαζον αὐτῶν τὰ ἄκρα. Quem truncandi morem plenissime exponit Virgilius *Æn. lib. 6.*

Atq; hic Priamidem laceram crudeliter ora,
Ora, manusq; ambas, populataq; tempora raptis
Auribus & truncas inhonesto vulnere nares.

Nec Romanis insitatum, docet Quintilianus *Declam. 12. Laceros video manes & truncas partibus suis umbras.* V. Jo. Meursium *Commentar. in illud Lycophronis.*

Ἀκρωτηριασθεὶς ——

& suprà, ubi de *Cadem lustrandi ritu.* Sed nec occisis solùm id faciebant, verùm &, quod atrox omnino, vivos nonnunquam, quos insitato supplicii genere volebant affectos, *lacerare* solebant. Justinus *lib. 11. Inter hæc DCCC. admodum Græci occurrunt Alexandro, qui pœnam captivitatis truncata corporum parte tulerant.* Crudelius illud, quod Bessum, reclinatis duabus arboribus Alexandri jussu alligatum, ut ad naturalem statum valido cum impetu redeunte utraque, ille in diversa discerperetur, tradit Plut. *in Alexandro cap. 48.* Quo mortis genere noxios afficiebant Derbices, Metium Suffetium Tullus Romanorum R. militem adulterum Aurelianus Imp. nisi quòd Suffetius non *arboribus*, sed *quadrigis* illigatus est; quemadmodum *equis* apud Gallos hodie solent *læsæ* Majestatis rei, & *triremibus*, qui simile quid commiserunt, apud Tupuinenses, aliosque Orientis populos. Idem porrò supplicii genus in sanctos Christi martyres, in Thebaide Ægypti reg. exerci um, habes apud Euseb. um *Histor Eccles. lib. 7. cap. 8.* Græcis id *Duphendonem* (melius *Diasphendonem*, unde διασφενδονᾶσθαι apud Plut. *in Alex.*) vocari, *à duplici funda excussione*, notat Sanctius *Exempl. 8. 4.* Plura hanc in rem V. apud P. pinam, Raderum & Freinshemium *Not. ad Curtium lib. 7. cap 5. num. 40.* C. Barthium *ad Statium Tom. III pag. 277:* nec non hic ubi de *Dissipandi, Mutilandi, Truncandiq; reis ratione*, item voce *Sectio.*

Lacerandi Vestes, in luctu, ritus, apud omnes fere gentes, Hebræos imprimis, in usu fuit: unde Sacerdos Maximus cui ne mini quem lugere permissum erat, prohibetur *caput suum retegere, & vestimenta sua discindere*, Levit. *cap. 21. vers. 10.* quasi duobus his ritibus tota lugendi ceremonia absolveretur. Cui Legi Caiaphas non paruit, qui, innocentissimi Agni confessione auditâ, διέῤῥηξε τὰ ἱμάτια, *vestes discidit* Matth. *cap. 26. vers. 65.* Tamen dici tamen Doctores non omni *laceratione vestium* Pontificibus V. Test. interdictum contendunt, sed eâ tantum, quæ populo in usu erat: quem à superiori parte deorsum illas scindere solitum ajunt; cùm Pontificibus inferiorem saltem illorum partem, fimbriam viz. penicillamentaque adiuta, lacerare licitum fuisse velint, uti annotat Cunæus *de Rep. Hebræorum lib 2. cap. 3.* Hebræos sequutæ aliæ gentes in omni graviore incommodo, idem faciebant, ut passim legimus. At Augustus Dictaturam sibi à populo oblatam, non *laceratâ* quidem; sed plane *dejectâ ab humeris toga, nudo pectore deprecatus est*, apud Suetonium *cap. 52.* &c. Vide quoque infrà, ubi de *Lugendi Ritibus*, nec non voce *Luctus.*

Lacerna, adde: Etymon vocis, ex Salmasio vidimus suprà in voce *Lacca.* Ex frustis melioribus malarum *lacernarum* vilissima pilea Romanos confecisse, docet Papinius Statius *lib. 4. Sylv. 9. vers. 24.*

—— *Usq; adeò ne defuerunt*
Cassis pilea juta de lacernis?
Vel mantilia &c.

Et Martialis *lib. 14. Epigramm. 132.*

Si possem, totas cuperem misisse lacernas:
Nunc tantùm capitis munera mitto tuo.

Quorum uterque de muneribus agit, quæ Saturnalium tempore amicis solebant mitti. Vide Joann. Brodæum *Miscellan. lib. 10. cap. 36.* Hinc *Lacernati*, qui hoc vestis genere usi: quales recentiori ævo non militantes solùm, sed Senatores quoque & Equites passim fuere, quorum omnium commune tum vestimentum *lacerna* vel *chlamys.* Gratianus, Valentinianus & Theodosius AAA. primi Senatores intra urbem chlamyde uti vetuerunt, *l. 1. Codicis* Theodosiani, de habitu, quo uti oportet intra urbem &c. V. iterum Salmasium *Not. ad Alex. Lampridii.*

Lacerta, an à *lacerando* an quòd pedes habet *lacertis* humani brachii similes, Græcè σαῦρος, notum reptile est, hominis amicitiâ, & antipathiâ serpentis, unde & ὀφιομάχου accepit nomen. Sed & *lacerta inimicissimum genus cochleis*, ut ait Plinius *lib 8 cap. 39.* ubi eas *semestrem vitam negat excedere. & in Arabia cubitales, in India verò Nysa monte* XXIV. *in longitudine pedum, colore fulvas, aut puniceas, aut cœruleas*, reperiri addit. Lingua illis bifida & pilosa, apud eund. *lib. 11. cap. 37.* memoria nulla, ut idem alibi refert. qui & de usu earum Medico, Magicove varia. *Saura* certè in *Erotopægnio* Lælii apud Apulejum *Apolog.* inter alia philtra memorantur, & multum eorum in hisce veneficiis fuisse olim usum, ostendit Φαρμακεύτρια Theocriti, unde tritas in potu dari solitas patet.

Σαύραν τοι τρίψασα κακὸν ποτὸν αὔριον οἰσῶ.

Vide infrà, ubi de *Saurite* gemma, *quam in ventre viridis lacertæ harundine dissectis tradunt inveniri*, Plinium *lib 37 cap 10.* Sed & piscis vilissimi genus hoc nomine occurrit apud Martialem *lib. 7. cap. 78.*

Cùm Saxetani ponatur cauda lacerti;
Et bene si cœnas, conchis inuncta tibi est.

Et *lib. 10. Epigr 48.* ubi ipse Poeta convivium parat,

Secta coronabunt rutatos ova lacertos &c.

ad quæ loca V. Screvelium, qui Belg. *een Hagedisse* hunc piscem appellari addit.

Lacertus, inferior brachii pars nervosa, & musculosa ἀγκὼν propriè, ut os inter humerum & lacertum, *brachium*, à *lacero* dictus, quòd ad lacerandum habilis sit & idoneus. Unde hos vel pra-

præcipuè, in luctu, palmis pugnisque verberavere olim Veteres, uti observat Casp. Barthius *ad Claudianum de Raptu lib.* 2. *versu* 248. Imò & *laceravere.* Papin. Statius *lib.* 2. *Sylv.*6. *versu* 83.

— *Non sæpius atros*
Nigrasset planctu genitrix tibi sæva lacertos

Quem morem in Judaicis quoque mulieribus notat B. Hieronymus in Jeremiam *lib.*3. *cap.*16. *Mos hic fuit apud Vett. & usq; hodie in quibusdam permanet Judæorum, ut in luctibus incidant lacertos & calvitium faciant, quod etiam Job fecisse legimus.* Alia fuit ratio eos cruentandi in sacris Baaliticis, quorum in Historia Regum mentio; item in Phrygiis sacris, quæ in honorem Cybeles fiebant, de qua V. hic passim, ubi de *Cybele, Gallis Sacerdotibus, Sanguinis die* &c. Quia verò *Lacerti* nodosi robustique ad virile robur adeò necessarii, V. Franc. Junium *Commentar. de Pictura Vett. lib.*3. ut solo hoc nomine vires non rarò intelligantur, nervis omnibus contentis, validæ; quemadmodum *Hercules* hinc *lacertosus*, in *Priapeis carm.* 36. & de Æschine Quintilianus *lib.*10. *cap.*1. *Carnis plus habet* (Demosthenes) *lacertorum minus:* Eam ob causam gemmas margaritasque in *lacertis* Indorum Reges olim habuisse, legimus apud Curtium *lib.*9. sicut alii in eadem gente nobiliores opulentioresque aurum, *lib.*8. Apud Horatium verò *lib.* 1 *Ode* 9. *pignus direptum lacertis*, Bartholino est armilla sponsalitia pignoris loco a proco circumdata, quali Juniam Fadillam sibi desponsavit Maximinus junior, apud Jul. Capitolinum. V. eum *libr. de Vett. Armillis.* & suprà in voce *Brachium.*

Lachryma, quantopere morientibus olim exoptatæ fuerint, diximus suprà, ubi de mortuis. *Desiendi ritu*, item in voce *Inferi.* Testatur idem Martialis, sub persona Urbici pueri, *lib.*7. *Epigramm.*96.

Quid species, quid lingua mihi, quid profuit ætas?
Da lachrymas tumulo, qui legis ista, meo

Hinc illæ tam ubertim fusæ, ut *fontem* vocet seu πίδακα Poeta Calaber,

— τῆς δ' ἄσχετα δάκρυ' ἀπ' ὄσσων
Πίδακος ὥς ἐχέοντο.

Et Corippus *lib.*3.

Funduntur lachrymæ *ritu ni vis, imbre madebant*
Cunctorum vestes, propriog; in fonte natabant
Manantes oculi, vestesq; sinusq; rigabant.

Nec propinquorum sufficiebant, sed Præficæ conducebantur, quæ subsidiariam præstarent operam, ut infrà dicemus in hac voce. Imò nec fundi in præsens satis erat, sed excipiebantur vasis huic rei destinatis, quæ unà cum defuncto in tumulo condebantur, *Lachrymatoria* inde dicta. Cujusmodi e sepulchris eruta conspiciuntur passim, & haud pridem Romà variis eorum allatis celebre suum Musæum locupletavit Jurisconsultus & Antiquarius insignis nostras Seb. Feschius. Repetiuntur autem in eodem tumulo *lachrymatoria* varia, nec capacitatis unius, unde quod magnitudine cætera præstat, principis Præficæ, quàm ἐξάρχουσαν Poeta vocat, fuisse verisimile est, V. Heraldum *Adversar. lib.*1. *cap.* 9. &c. Simile quid de se Regius Propheta, sed aliorsum plane spectans, Psalm.56. *vers.*9. *Tu* (Deus) *vagationes meas in numerato habes: pone quamq;* lachrymam *meam in utre tuo; an non in numerato tibi?* Ubi de lachrymis loquitur, *quas præcursores emendatioris vitæ & præteritorum malorum dolorem*, Christiano sanè Scholio vocat vetus Interpres Papinii *ad versum* 108. *Thebaid. libr.* 11. ubi vide quoque *Animadversiones* Casp. Barthii. Porrò *lachrymas* aris invergere, quoties in calamitatibus versarentur, consuevere Gentiles. Hinc Papinius modò laudatus *lib.*5. *Sylv.*1.

— *nunc anxius omnibus aris*
Illachrymat —

Propertius *lib.* 1. *Eleg.*14.

Nullas illa suis contemnet fletibus aras.

Et *lib.*4. *Eleg.*4.

— *Lachrymis spargitur ara meis* &c.

Nempe nil Numini gratius *spiritu fracto, animo fracto & contrito*, quæ verba sunt Psalmi 51. auditione aliqua etiam Gentiles accepisse alicunde videntur &c. Cœterùm *de Lachrymis* sic Plinius *lib.*11. *cap* 37. *Profectò in oculis animus inhabitat — Hinc illa misericordia lachryma — Hinc fletus & rigantes ora rivi. Quis ille humor est, in dolore tam fœcundus & paratus*, & quæ seq.

Lacina, Suevorum aut Sueonum Rex, in *Histor.* Francorum *Tom.* 3. *pag.* 345.

Lacina Via, qui titulus est 34. *Pacti L. Salicæ*, obstaculum est viæ seu itineris; unde *lacinam viam facere*, in antiqq. *LL.* Longobard. i. impedire viam & eunti moram facere, Græcè ἀδιεξόδευτον. Est autem *lacina*, idem quod *lacinia*, Gr. κρασπεδον, ex Græco prototypo λακῶ, quod est *in pannulos & frusta discindo.* Cujusmodi *laciniam* vestis leniter tangebant olim, qui aliquem honoratum compellare volebant, respectum ejus hoc modo sollicitantes. *Summos amictus lacessere* vocat Statius *lib.* 2. *Sylv.*1. *vers.* 197.

— *timide primum vestigia jungis*
Accessu tacito, summosq; lacessit amictus.

Ἕλκεν χιτῶνα, Musæus ubi de Leandro. Vide Casp. Barthium *ad Claudianum in Rufinum lib.* 2. *versu* 382. & *Adversar. lib.* 36. *cap.*9. At Hebræi in luctu lacerabant, ut suprà vidimus. Hinc *Laciniosa vestis*, ἀδιεξόδευτον & *laciniosa sarcina* Valerio, non expeditæ, non succinctæ. Et quia Peloponnesus *laciniatim* sinibus abluitur quamplurimis, qui multis eam locis incurrunt & lacinias scinduntque: hæc ratio fecit, ut *Sinus Craspedites* vocaretur, de quo Plinius & Græci. Sic *in lacinias assignari*, dicuntur agri apud Auctorem *de Coloniis*, qui non per universitatem, sed vicinium per portiunculas, assignantur, &c. Salmasius *Exercit. Plin. ad Solin. pag.*141.

Laconicæ Claves, cum tribus erant dentibus, cùm communes, i. βαλανάγραι, unico tantùm præditæ essent, qui in βάλανον infigebatur, ad eam extrahendam; adeoque fraudibus minus erant obnoxiæ: unde quiritantur mulieres apud Aristophanem θεσμοφοριαζ. usum *Laconicarum* clavium, quas viri tum gestarent, multum sibi & furtis suis incommodare,

— οἱ γὰρ ἄνδρες ἤδη κλειδία
Φοροῦσι κρυπτὰ καὶ κακοηθέστατα
Λακωνίκ' ἄττα τρεῖς ἔχοντα γομφίους.

Dentibus his similem esse stellarum dispositionem, in Asterismo Cassiopeæ, Aratus habet, quem sic vertit Germanicus;

Qualis serratos obicit clavicula dentes,
Succutit & foribus producti vincula claustri,
Talis disposita est stellis, ipsa horrida vultu.

Avienus vero,

Lux hebes est matri; Sic qualem Caria quondam
Noverat intrantem per claustra tenacia clavem,
Formatur stellis distantibus.

Ubi eandem clavem *Caricam* vocat, quòd Laconicis clavibus etiam Cares uterentur. Uti autem communis clavis unâ tantum virgâ ferreâ constabat, quæ in balanum injecta eam e claustro sursum trahebat; ita in *Laconica* quibusdam velut duæ claves erant sese invicem decussantes, in formam crucis, unde & ἀντιλὰς hæc clavis dicta &c. Porrò antiquæ claves brevissimæ erant, nihilque præter annulum, quo tenebantur, habebant & dentes, qui inibant claustrum; *Laconicæ* inprimis, quæ, quòd totæ intra claustrum immersæ laterent, κρυπταὶ propterea, i. *occultæ*, quoque dictæ sunt: similes quodammodo illis, quibus hodie Carthusianorum familiæ, in suis Monasterii conclavibus, utuntur, quas & *Carthusianas* proin quidam appellant. Nempe scapum Salmasio videntur habuisse rectum & supernè transversariam virgulam, in tres dentes divisam, cujusmodi claves, insertæ claustro & sursum cum impetu levatæ, succutiebant repagula ac dejiciebant, quod ἀνακρούειν & ἀνασπᾶν Græci dicunt; non vero circumagebantur intra repagula. Cùm vero claves communes, quibus portæ urbium claudebantur, ut ex Æneæ *Tactico* constat, & *Janua*, h. e. primores & in publicum exeuntes ædium fores, βάλανον e sera lignea trahebant: *Laconicæ* artificii solertioris, quibus conclavia & thalami œcique ac cætera interiorum ædium membra occludebantur, repagula ferrea ac brevia, μοχλὸν σιδηροῦν Græcis & ὀχεὰς, removebant; à quibus postmodum reliqua omnia clavium genera & artes formæque diversæ sunt productæ &c. V. Salmasium *Exercit. Plinian. ad Solinum pag.* 928. & *seqq.* At cùm multum difficile non esset, etiam simplici clavi reserare eas fores, quæ clavibus talibus ἀνακρουσταῖς aperiebantur; facto enim digitulo ferreo triobolari poterant subaperiri fores, ut apud eundem Comicum mulieres addunt, longè subtilioris ac magis artificis solertiæ claves postmodum videntur Lacones invenere, Euripide auctore, qui σφραγῖδα θριπήδεστα, *signacula ligni corrosi figurâ impressa*, foribus docuit appendere, uti in *versibus seqq.* apud eundem Poetam habes &c. *Ibid.*

Laconicum, vestimenti genus, memoratum Plauto *Epidico Act.* 2. *Sc.*2. ubi muliebris luxûs censuram senex agit.

Cani quoq; etiam adeptum est nomen. EP. Qui? P. vocant Laconicum.

Nam cùm aliqui canes *Lacones* & *Laconici* dicerentur, ea vox ad vestes transiit, quæ *Laconicæ* dictæ, Octav. Ferrarius *de Re Vestiar. Part.* 1. *lib.*3. *cap.*10. Item sub. hypocaustum, Gr. Λακωνικὸν, Columellæ dictum, quòd eo Lacones præcipuè uterentur. Prima balneatorum cella, in qua sicco calore sudorem provocabant, quam *sudationem assam* vocat Celsus. Anglice *A stew, hot-house or dry-bath.* Ex orbiculari fenestra istiusmodi fornicis *Laconici*, catenæ appensus erat clypeus æreus, per cujus deductionem ac reductionem, nunc augebatur, nunc minuebatur calor, uti docet Vitruvius. In *Laconico* tamen Pisano, quod integrum adhuc e maximis thermis ad portam, quâ Lucam itur, spectatur & de quo Robortellus libellum edidit, non, ut in cœteris, orbicularis fenestra, in fornicis medio spectatur, sed multilatera & aliæ multæ circum quadrilateræ alterâ parte longiores, quas pendente e media clypeo, speculari lapide aut velo, aliave materiâ, quæ lucem transmittit, claudi consuevisse, ne vapor statim effluerent, credit Magius *libro de Tintinnabulis*, *cap.* 3. ubi refutat eos, qui illud Martialis,

Redd

Redde pilam, sonat æs thermarum, ludere pergis?
Virgine vis solâ lotus abire domum?

de hoc clypeo explicant: contenditque intelligi hic tintinnabulum thermarum, quod procul etiam audiri & percipi poterat, ut non solum, qui pilâ exercerentur & in thermas convenissent, sed & qui à thermis longè abessent, convocarentur lavatum: Ex Ciceronis testimonio, qui in *Tuscul. simulatq; increpuisset*, inquit, *Romanis relicta Philosophis & Praeceptoribus unctum* (nam qui lavissent, ungebantur) *ire solitos*. De *Laconico Poëmate*, quale illud circumfertur,

Ἄγετ' ὦ Σπάρτας ἔνοπλοι κοῦροι

V. Scaligerum *Poëtic. lib* 2. *cap*.36. *De Laconica purpura nobilissimâ Europa*. Plinium *l* 9. *c*.36. & Casp. Barthium *Animadvers. ad Papinium Statium Thebaid. l*.9. *v*.690. &c.

Lacringes, pop. memorati Jul. Capitolino *in Marco Antonino Philos. Gentes omnes ab Illyrici limite usq; Galliam conspiraverunt, ut Marcomanni, Narisci, Hermunduri & Quadi, Suevi, Sarmatæ, Lacringes & Buri*. Dioni sunt Λάκριγγοι. V. Casaubonum, Gruterum & Salmasium *Not. ad Capitolinum*.

Lactarii, apud Æl. Lampridium *in Heliogabalo, Dulciarios & Lactarios tales habuit, ut quacunq; coqui de diversis edulibus exhibuissent, vel structores vel pomarii, illi modò de dulciis, modò de lactariis exhiberent*: Sunt qui *Lactaria* faciunt, unde & *lactarium opus*. Apud eund. infrà, *alia de pomis, alia de dulciis, alia de opere lactario*. Corn. Celsus, *lac, mel, ideoq; lactaria, atq; omne pistorium opus*. Idem, *vel crudum, lac, lactaria omnia* &c. Infimæ ætatis Scriptores *Lacticinia* dixerunt. Salmasius *Not. ad Lampridium*.

Lactisma, Græce Λακτισμὸς, species saltationis Gaditanæ, cui à *calcitratione* nomen id datum. Quemadmodum & Ἐκλάκτισμα, in qua oportebat calce humeros superare, muliebris olim saltandi modus; & Βίβασις apud Lacones dicta, in quâ præmio pueris virginibusque proposito, saltu opus erat, sed eo ut attingerent calce nates, saltuumque numerus recensebatur. Quare inscriptum in quadam saltatione legitur: Χίλια ποκα βίβαντι. Imitantur eos hodie Hispani, qui calce quoque occiput aliasque in saltando partes contingunt, vestigio terram feriunt, manus complodunt, earumque alterutra vel utraque in soni numerum pectus, femora, frontem, calcem, os, terram pulsant &c. uti habet Jul. Cæs. Scaliger. *Poëtic l*.1. *c*.19. V. quoque suprà in voce *Calx*.

Lactuca, olim in maximo contemtu erat propter frigidam facultatem, quâ viros evirare credebatur: unde νεκύων βρῶμα. *mortuorum cibus*, Eubulo in Ἀστύτοις. Nec alia causa est, cur Adonidem, in *lactuca* latentem aut etiam ibi mortuum, finxerint Poëtæ, V. Athenæum *lib*.2. Interim jam ante Augustum quoque, in cibis fuit Romanis. Martialis *lib*.13. *Epigr*.14

Claudere quæ cœnas lactuca solebat avorum,
Dic mihi cur nostras inchoat illa dapes?

E quo constat, *lactucas* in Romanis mensis situm mutasse, & à fine convivii in principium fuisse traductas, ut ostrea, echinos, & cruda omnia olera, de quibus V. Plutarchum *Sympos. lib*.8. *Quæst*. 9. & suprà, ubi *de Frigidis*. Videtur autem facta hæc mutatio Augusti ævo, qui *lactucæ* ope ex ancipiti morbo convaluit, teste Plinio. A quo tempore tanta earum commendatio esse cœpit, ut repertum tum sit, eas oxymeli condire ac recondere in alienos menses, Salmasius *ad Solinum pag*. 1272. V. quoque Bochartum *Hierozoici Parte prior lib* II. *cap*.50. A *lactucis* porrò, non *Lactucini* solum, in Valeria familia, appellati sunt, ut à cæpis *Capiones*; à fabis, pisis, lentibus, ciceribus, *Fabios*, *Pisones*, *Lentulos*, *Cicerones*, nomen accepisse legimus: sed & *Cæciliana* lactucarum species, à Cæcilio Metello dicta est; quod docent hæc Columellæ *in Horto*, ubi varia describit lactucarum genera.

Altera crebra viret, fusco nitet altera crine,
Utraq; Cæcilii de nomine dicta Metelli:

qui primo bello Punico Romæ Consul creatus anno U. C. 503. annis circiter 220. antequam imperaret Augustus. Imò quadringentis fere ante eundem Imperatorem annis, anno viz. Urbis C. 298. Romanis Consul fuit cum Sp. Virginio Tricosto Μάρκος Οὐαλέριος Λακτουκῖνος, *Marcus Valerius Lactuca* &c. V. eundem Bochartum *ubi suprà* & plura hanc in rem apud Plin. *l*.19. *c*.8.

Lacunata Vestis, uti Salmasius legit apud Isidorum, pro *Lacullata*, est quæ *lacus quadratos quosdam cum pictura habet intextos, aut additos acu*, Græce τοὺς πλινθίους ἐμπεπλεγμένους. Sic *Lacunata tecta* Ciceroni *in Tusculan*. uti legit Servius, pro *laqueata*, à genere cælaturæ dicta, quòd *lacus* quadratos haberent: inde *lacunar* & *laquear*. *Lacus* autem in veste figura etiam quadrata, & idem quod πλινθίον; quâ voce πλινθωτὰς figuras in vestibus Gallorum Diodorus Siculus indigitavit, uti Scaligero *ad Varron*. animadversum, qui scribit Gallos gestare χιτῶνας πλινθωτοὺς, πλινθίοις πυκνοῖς καὶ ποικίλοις διειλημμένους. Sic *virgata vestes* & *rhombis distincta*, & *laterculis divisa* & scutulatæ, & *lacunata*, eædem omnino, Salmasius *ad Vopiscum in Carino*, V. etiam hic passim, inprimis infrà in voce *Quadra*

Lacunar, V infrà *Laquear*.

Lacus, apud Columellam *l*.1. *c*.6. spatia sunt quædam quadrata, quibus distinguuntur granaria, ubi separatum quæque legumina reponuntur: hinc ad vestes translata vox, V. *suprà*. Apud Martialem *lib*. 14. *Epigramm*. 1.

Nec timet ædilem moto spectare fritillo,
Cùm videat gelidos tam prope verna lacus:

per *gelidos lacus* intelligit cloacas Gronovius, in quas servi deprehensi ab Ædile aliàs demergi solebant, à quo metu Saturnalibus erant liberi. Eodem alludi vult *lib*.5. *Epigr*.85.

Arcana modò raptus è popina
Ædilem rogat udus aleator.

Ubi *udum* exponit non vino madentem, sed aquâ, in qua pœnæ causâ tenebatur, & rogabat, ut celerius inde mitteretur, unâ mersione defunctus. V. eum *Not. ad Martialem*: qui etiam *Lacuum*, quibus vina prelo expressa excipiuntur, meminit *l*.4. *Epigr*.43.

Presserat hic madidos nobilis uva lacus.

A quibus *torcularia*, quibus uvæ pressæ nectar fundunt, distinguit Scholiastes. V. infrà, in voce *Prelum*, item *Torcular*.

Lada, in *LL*. Ethelredi, apud Venetyngum editis §. 17. ut & in *Capitulis* ejusdem §.1. purgatio est, quâ quis per Legem (quæ vox pro ipsa purgatione canonica & vulgari crebrò usurpatur) se purgat à crimine impacto; eaque vel *simplex* vel *triplex*. *Simplex* adhibebatur in levioribus criminibus vel exigebatur à viris, nullo prius crimine infamatis; ita ut, qui Sacramenti seu Juramenti Judicium subibat, in tribus hundredis sive locis juridicis, solus juraret, uti habetur in *LL*. Henrici I. *cap*.64. *Triplex* verò *Lada*, quæ etiam *Accusatio triplex* dicta, seu *triplex Ordalium*; si reus antea jam de aliquo crimine fuisset incusatus, aut si gravioris delicti insimularetur; cum enim talis, cum certo Consacramentalium numero jurare tenebatur, *Ibid*. si purgatio fieret per juramentum; sin per ferrum ignitum, ferri augebatur pondus, in *LL*. *iisdem c*.67. si deniq; per aquam fervidam, lapis fune suspensus in cacabum & aquam ferventem altius immittebatur, inde à reo extrahendus. V. Lindenbrogium hac de materia, ubi *formulam* istiusmodi ferri aut aquæ in utraque *Lada* adjurationis exhibet. Crimina autem leviora dicta esse, quæ compositione simplici 20. viz. solid. eluerentur, graviora, pro quibus mulcta triplex, 60, sc. solidorum, irrogaretur à Judice, dictum ex *eod. cap*.67. *l L*. Henrici præfati. Vid. omnino Car. du Fresne *in Glossario* & *hic passim*.

Ladi, pop. pro *Lazi*, Græcè Λαζοὶ, ζ. mutato in δ. V. Salmasium *ad Solinum pag*. 1185.

Lætus Archelaus, inter Grammaticos illustres, memoratur Suetonio *lib. de Illustr. Grammat*.

Læta, rerum tristissimarum mentione, sibi temperandi, mos Veterum occurrit passim. Hoc enim pacto, ut Nemesis (quam Deam velut perpetuam rerum lætarum καὶ ὑπερόγκων comitem formidabant) tela effugerent, ipsi sibi propriæ felicitatis cumulum diruebant, qua de re multis philosophatur Plutarchus, *in Camillo, Æmilio Paulo, Apophthegm. alibi*. De Polycrate res notissima. Apud Romanos eo fine triumphantibus à tergo adstabat servus publicus, qui, coronam triumphalem sustinens, simul attendere triumphantem, ad tintinnabulum & flagellum, ultimi supplicii instrumenta, currui appensa, jubebat: occasione moris ab Horatio, Curiatiorum victore, ut videtur, desumptâ. Apud eosdem Augustus somnio monitus, *stipem quotannis die certo emendicabat à populo cavam manum assem porrigentibus præbens*, apud Suetonium *in eo cap*.91. Ut viz. hoc modo Θεῶν νέμεσιν, &, ut loquuntur Veteres, Deorum invidiam, evitaret exoraretque. Quam in rem V. plura, apud Casaubonum *ad loc*. ut & hic passim, ubi de *Fortuna*, *Invidia*, *Nemesi* &c. De more verò eorum, in *Lætitia publica*, capita coronis cingendi, apud Car. Paschalium *Coronarum l*.2.*c*.11. ut & suprà, ubi de *Conjectu florum Coronarumq;*.

Lætitia Nuptialis, Hebr. שמחה הבטואין, epulum erat apud Hebræos, à Sponso sive cœlibe antè, sive viduo, sive uxori etiamnum superstiti conjuncto, læte lauteque celebrandum, per dies à deductione minimum septem, ubi virgo erat Sponsa (exemplo vetustissimo sumto, tum ex Jacobi & Rahelis nuptiis, tum ex Samsonis, ut videre est apud Joh. Seldenum *de Jure Natur. & Gent. lib*.5. *cap*.5.) per triduum minimum, ubi vidua seu vitiata ducebatur. Qui mos adeò severè exigebatur, ut, cui plures Sponsæ essent simul deducendæ, is singulis uxoribus singulas epulas per totidem dies celebraret, idque *lætissimè*, perquam pollucibiliter, & cum ab omni labore vacans, tum ab omnimodo solemnis lætitiæ genere alio, quod fortè genio tunc placere posset, Rationem adjiciunt, *Quoniam non commiscenda est lætitia* (ejusmodi solemnis & epularis) *cum lætitia*; alia sc. cum alia non commiscenda, nec binæ confundendæ. Et quidem epularis hujus *lætitiæ* manifesta sunt in Evangelio vestigia, ubi & Architriclini, qui epulis præerat, mentio, Johannis *c*.2. *v*.9. Etiam Gaudentius Episc. Brixianus, *Tract*.9. *Nuptiæ*, inquit, *apud Judæos cùm fierent, unus* (*quantum ex traditione comperimus*) *dabatur de Sacerdotali ordine, qui morem disciplinæ legitimæ gubernaret, curamq; pudoris ageret conjugalis, simul & conviviorum apparatum, ministros atq; ordinem, dispensaret*; *& hoc pro officio Architriclinus, h. e. triclinii Præpositus diceretur*. Unde verò is didicerit, Architriclinum necessariò fuisse ex ordine Sacerdotali, compertum non est. Floruit autem Gaudentius is, sub annum Christi 400. Cùm itaque *Lætitia* hæc inter ritus adeò necessarios esset,

esset, hinc neq; Virgo neq; Vidua, neq; Vitiata ritè deduci poterat pridie Sabbati, aut postridie, nedum ipso Sabbato aut die alio festo: quin nec intermediis sive Paschatis sive Scenopegiæ diebus, quos *profanam partem Festi* nuncupant. Et quidem illud de Sabbato, monuere Majores, ob reverentiam ejus, ne ex apparatu epulari, qui deductionem ex more præcederet, sive initio Sabbati, sive hoc proximante, forte violaretur festum. Intermediis verò quinque Paschatis, & sex Scenopegiæ diebus, tametsi velut profesti haberentur, nihilominus deductio eandem ob causam ritè non fiebat, quam de alia cum alia *Lætitia* solemni non commiscenda alteri monuimus. Misna *tit. Moed Katon cap.* 1. *Deducendæ non sunt uxores in diebus illis intermediis, nec Virgines, nec Viduæ, nec Fratriæ, eo quòd lætitia solennis etiam ab initio illius festi usq; ad finem celebratur.* Atque de hac solenni *Lætitia*, quâ per regulam jam dictam excludi volunt aliam lætitiam solemnem, intelligunt Magistri verba Legis, Deuteron. *cap.* 16. *vers.* 13, 14, 15. V. Seldenum *Uxor. Ebr. lib.* 2. *cap.* 11.

Lætus, Præfectus Prætorio sub Commodo, prænom. *Ælius* vel potius *Æmilius*, conjurationem contra Commodum iniit, cum Martia hujus concubina, eumque veneno frustra tentatum, per athletam, cum quo exerceri solebat, strangulari curavit, apud Æl. Lampridium *in Commodo*, ubi *Quintus Ælius Lætus* dicitur. Idem qui erga Pertinacem se gesserit, V. in voce *Lætus*. Tandem, postquam inter suasores Getæ mortis primus fuisset, ab hujus fratre Antonino Caracallo primus quoq; interemtus, missoque veneno ad mortem adactus est. Æl. Spartianus *in Caracallo*.

Lætus Color, Gallis *gay*, idem cum *hilari*, *vegeto*, *florido*, *acuto*, *claro*, *excitato*, Græc. ὀξὺ, εὐανθής, λαμπρὸν: cum sc. color lumine intensiore & clariore excitatur. Sic *segetes latè virentes*, Plinio, quæ multo lumine radiantes oculos exhilarant & tamen simul pungunt ac extimulant. Huic opponitur *austerus*, tristior & obtusior, colore magis, quàm lumine, satiatus ac pressus. Uti enim excitatur in coloribus & acuitur, quod lumine intensiore ac vegetiore accenditur: ita contra adstringitur & premitur color, qui nimis onerat ac saturatur. Quamvis interdum, quia pleniori ac saturatiori colori etiam accedit tamen intensius ac vegetius, ista discrimina confundantur. V. Salmasium *Exercit. Plin. ad Solinum pag.* 200. & 343.

Læva, apud Vett. plerunque infausta habita. Unde *læva manu* Inferis litatum. Statius *Thebaid. lib.* 4. *vers.* 502.

> *Testor, ait, Divas quibus hunc saturavimus ignem,*
> *Lævaq; convulsa dedimus carchesia terra.*

Ad quæ verba pulchre Scholiastes, *Quæ sinistra manu*, inquit, *funduntur. Læva manu infuderat. Inferis sinistrâ manu immolamus pocula.* Et Serenus,

> *Inferis manu sinistrâ immolamus pocula,*
> Læva, *quæ vides Laverna, Palladi sunt dextera.*

Et *lævus pes*, si mane præ dextero indueretur, dirum omen visum, ut de Augusto habes, apud Suetonium *in eo cap.* 92. Quo considerato ad rem pertinere, ait Seneca *de Benefic. lib.* 2. *cap.* 12. quòd sinistrum præ dextero pedem osculandum dedit Caligula. Imò hinc milites dexterum pedem *lævo* semper, post stationem quidem aliquam, præponere consuevisse, colligimus ex hisce Juvenalis *Sat.* 10.

> —— *quod tam dextro pede concipis, ut te*
> *Conatus non pœniteat, votiq; peracti?*

V. Barthium *ad Petronium*. At *lævum latus*, in auspiciis felicitatem portendebat. Virgilius *Æneid. lib.* 2.

> *Vix ea fatus erat senior, subitoq; fragore*
> *Intonuit lævum* ——

Quâ de re alibi. Idem apud Persas olim, hodieque Turcas, honoratius est, an ob cordis vitaliumque ibi sedem? Quam ob causam & in duellis hoc præcipue latus peti solitum, adnotat Scholiastes Æschyli *ad Septem — Theb.* Unde *pes lævus* seu poples in monomachiis perpetuò protensus. Virgilius *lib.* 10.

> —— *projecto dum pede lævo*
> *Aptat se pugnæ, subit oras hasta per imas* &c.

V. plura hic, in vocibus *Dexter*, *Sinister*, alibique passim.

Laga, vox Saxon, in *LL*. Henrici I. *cap.* 2. & 54. *alibiq;* idem cum *Lada*, V. *suprà*.

Laganum, seu *Lagan*, vox barbara, nec nisi posterioribus seculis cognita, jus illud denotat, quod Dominis Feudalibus competebat in rebus, maris æstu in littus ejectis: ratione cujus, quicquid naufraga navis contineret, eorum erat: Fortè à *Laga*, i. *Lex*; quæ quidem vox etiam cum *maris* adjuncto interdum ponitur, adeò ut, quæ *Laga maris* primitus, postmodum nude *Laga* dicta videatur. Sic in *Charta* Philippi Augusti Regis Francor. *Quitamus & remittimus in perpetuum le Lagan maris.* Quamvis communis iste, non res duntaxat naufragio deperditas, sed & quæ naves naufragium passæ continerent, vindicandi, omni humanitati repugnaret; eousque tamen jam veteri ævo, apud omnes fere nationes, invaluit, ut pro *Lege in mari recepta* haberetur. Quo modo intelligendam quidam putant celeberrimam Legem 9. *D. ad Leg. Rhod.* ex Volusio Mæciano, ubi porrectis Antonino Aug. libellis supplicibus à quibusdam, qui in Ægeo mari naufragium erant passi, & à Cycladum Publicanis expilati, Imperator hæc verba subinnuit; *Ego quidem Dominus, Lex autem maris*, subdens, velle se, ut controversia Lege Rhodiâ dirimeretur, ubi Imperii Legibus contraria non esset. In quo quidem Antonini responso per se obscuro celeberrimi Jurisconsulti Scriptoresque alii insudarunt, è quibus C. du Fresne potiorem eorum sententiam esse ait, qui volunt Imperatorem dixisse, *Licèt Mundi Dominus sit, hanc tamen eligere Legem maris*: quâ litem hanc diremtam velit &c. Spelmannus verò vocis etymon arcessit, à Saxonico *lagan*, i. *jacere*; cui proin *Lagan* idem valet, quod *ejectus*. V. Car. du Fresne *in Glossar.* & de hac consuetudine infrà plura, in voce *Navis*, item in *Wreccum*. Addam saltem, morem hunc diu licet insititum, quo & homines naufragi & res naufragio ad littus ejectæ, repertæ licet, eorum erant, qui littorum domini essent, à Principibus Christianis procedente tempore in terris suis passim abrogatum: tamen & postea *Lagani* adhuc vocem occurrere, in Computis domaniorum Comitatuum Pontivi & Bononiæ A. 1369. 1405. 1465. & 1474. ubi fit recepta *des lagans*; quâ tamen voce nihil aliud indigitari ibi, quàm *ejectus maris*, easque res ad litus à mari remissas, quæ nullius domini sunt & à nemine repetuntur, ex ipso contextu patet: At posterioribus seculis id nominis tributum potissimum rebus in mari deperditis, vel ejectis, adhuc fluctuantibus, necdum ad littus appulsis, quæ inventoris sunt, docet Brattonus *tract. de Corona lib.* 3. *cap.* 2. §. 5. apud eundem C. du Fresne. Apud Vett. vero *Laganum*, genus placentæ ex simila & oleo, Græcè λάγανον, occurrit apud Hesychium.

Lagena, ex Græco ἡ λάγυνος vel λάγηνος, vasis vinarii genus est, κατάγγειον βακχείας κύλικος, *fotor bacchici calicis* hinc dicta, *in Epigr.* apud Hesychium. Colli angusti, unde, quia non liberè liquor effluit, solet edi sonitus, à quo Franc. Rablesius occasionem arripuit τῷ ὀνοματοποιεῖσθαι lagenam, Gall. *bacbuch*, alludens simul ad Dionysii cognomen Βακχέβακχος, in sacrificiis usurpari solitum; vel potiùs ad Hebr. *bacbuc*, i. *vas angusti oris*, *à concavitate* nomen nactum. Sed & Græca βῖκος, βικίδιον & βικίον Hieronymus *lagenam* & *laguncula*m vertit, Italique etiamnum *Becal* appellant. Conficitur autem e varia materia & à viatoribus fere circumgestatur. Apud Romanos olim sigillo annuli quoque, ut & reliqua, quæ bene clausa volebant, obsignatas discimus ex Cicerone *lib.* 16. *ad Tiron. Epist.* 26. ubi matrem suam *lagenas etiam inanes obsignasse*, scribit. Et Martiale,

> *Nunc signat meus annulus lagenam.*

Id quod fiebat duabus de causis, ne aut vinum ebiberetur, aut veneno inficeretur à servis: a qua sollicitudine liberum se esse ait Persius *Sat* 6.

> —— *usq; recusem*
> *Et signum in vapida naso tetigisse lagena.*

Porrò e cupa vinum in *lagenas* defundi, sicque in mensam apportari solitum, colligere est ex iis, quæ supra diximus in voce *Defundere*: uti ex Martiali eodem, ubi *lagenas vino refertas pilis in tabernis affixas catenis* memorat, *lib.* 7. *Epigrammate* 61.

> *Nulla catenatis pila est præcincta catenis.*

Ubi dicere vult, nullum cauponem vendere vinum ad pilas tabernarias, lagenis hoc modo affixis refertas. V. quoque Juvenalem *Sat.* 3. *vers.* 304. & plura hanc in rem apud Chabotium *ad illud Horatii Epist. lib.* 2.

> —— *posset qui ignoscere servis*
> *Et signo læso non insanire lagena.*

Addam saltem, & mensuram, 4. sextarios continentem, voce hac nonnunquam denotari. Hinc *laguncula*, apud Plin. *Epist.* 6. *Quum venabere, licebit auctore me, ut panarium & lagunculam, sic etiam pugillares feras* &c.

Lago, puer subdolæ & fucatæ vernilitatis, Lycisci ex ære opus, memoratur Plinio *lib.* 34. *cap.* 8.

Lahra, oppidum Germaniæ, cum tractu adjacente, sub Baronibus olim Geroldecciis fuit: Quorum prosapiâ in Jacobo non ita dudum extinctâ, Fridericus March. Badâ-Durlacensis, nomine conjugis Annæ Mariæ, Baronis ultimi filiæ, sibi vindicavit; postea quoque ex Geroldeccia hæreditate, cum Cronbergiis Comitibus adhuc controversâ, Cæsaris sententiâ adjudicatâ. Quanquam jam, superiori seculo, in Badensium patrimonio eam fuisse, observare liceat: V. Munsterum *cap.* 274. *sub fin.* laudatum Tob. Pfannero *de præcipuis Germaniæ Princip. gentibus, cap.* 9. Haud pridem, irruptione Gallorum, gravia damna sensit.

Laici, V. suprà, in voce *Clerici*. Sed & *Laici*, in Monasteriis dicuntur, qui vulgò *Conversi, Oblati, Donati*: de quibus V. Haeftenum *Disquisitionum Monasticar. lib.* 3. *tract.* 1. *disquis.* 8. & Menardum *ad Concordiam Regular pag.* 1028. laudatos Carolo du Fresne *in Gloss.* Cæterùm *Laicis*, de Fide Catholica verba facere privatim vel publice, interdixisse Alexandrum IV. Pontif. *c.* 2. *de Hær. in* 6. Spiegelius refert, apud Joannem Calvinum *Lexic. Jurid.* plura V. apud Cl. Suicerum, voce Λαϊκός.

Laius, Philosophus & πολίτης, Antiochenses à peste liberavit, erectâ Charontis statuâ [illegible]. Tzetzes,

> Λοιμοῦ τὴν Ἀντιόχειαν μεγάλως [illegible]
> [illegible] Χάρωνος [illegible] πόλει,
> [illegible] Ἀντιοχέων.
> *Peste Antiochiam immani vastante,*
> *Sculpsit in petra faciem Charontis, & erexit in Urbe,*
> *Sicq; morbum in exilium pepulit longè ab Antiochenis;*

apud

apud Salmasium *ad Vopiscum in Aureliano*: de cujusmodi statuis consecratis diximus *suprà*.

Laja, apud Cæsarium in *Regula ad Monachos cap.* 26. *Vestimenta alio colore non inducatis, nisi laja, lactina & nigra natura*. in Regula S. Cæsariæ Virg. alibique, Dominico Macro, est color naturalis pili caprini, ex Græco λαὶς, i. *caper*, *è cujus*, inquit, *candido pilo Monialium vestes texebantur*, in *Hierolexico*.

Lala, Pictrix nobilis, de qua sic Plin. *lib.* 35. *cap.* 11. *Lala Cyzicena, perpetua virgo, Marci Varronis juventâ Romæ & penicillo pinxit & cestro in ebore, imagines mulierum maximè, & Neapoli anum in grandi tabula: suam quoq; imaginem ad speculum. Nec ullius velocior in picturâ manus fuit: artis verò tantum, ut multum manipretio antecederet celeberrimos — pictores Sopylon & Dionysium, quorum tabulæ pinacothecas implent.*

Lama, apud Gervasium Tilleber. *MS. de Otiis Imper. libro* 3. *capite* 87. *mulieres sunt* (h. e. Dæmones muliebri specie) *quæ noctu domos momentaneo discursu penetrant, dolia velant* (forte *volvunt*) *cofinos, catinos & ollas perscrutantur, & infantes à cunis extrahunt, luminaria accendunt, & nonnunquam dormientes affligunt*: à quibus *Lamias* distinguit, *cap. seq* V. Car. du Fresne *Glossar.*

Lambrani, adde: Locus est, *in Julio cap.* 9. ubi citerioris Hispaniæ barbarum aliquem populum intelligi, cujus opibus abuteretur Piso, cui provincia illa obtigerat, suspicatur Casaubonus, qui in Viterbiensi, *Ambianes*, in aliis quibusdam Codd. *Lubranes*. scriptum adeoque locum corruptum esse, observat *ad l.*

Lamentationis Dies, dicitur in Ecclesia Rom. triduum majoris Hebdomadis, quo Judæis in publicum prodire interdictum, *cap.* 15. *lib.* 5. *Decretal tit.* 6. apud Macrum *in Hierolex.* In *Historia* Offæ I. Regis Merciorum *MS.* mentio fit *Lamentationis mensurna*, his verbis: *Offanus autem* (seu Offa II. prioris filius) *oculos patris sui piè claudens, lamentationes mensurnas cum magnis ejulatibus, lachrymis & specialibus planctibus, prout moris tunc erat Principibus magnificis, lugubriter — continuavit* &c. apud Spelmannum *in Glossar.* voce *Month day*.

Lamentatrices, V. supra *Cantatrices*, item in vocibus *Nænia* & *Præfica*.

Lamia Syllanus, gener per majorem filiam Antonini Pii Imp. apud Jul. Capitolinum.

Lamina, frustum metalli cujusque, in longitudinem magis, quàm latitudinem, ductum, bracteâ crassius; ex Græco ἐλάμινα, verbi ἐλαύνω, nomen accepit. Cujusmodi *lamellam* auream, naso suspensam, quæ ad ornatum labia tegebat, in Rege Nagoaræ aliisque Principibus, observavit Petr. Martyr, apud Rhodium *Dissertat. de Acia*. De *lamina* in fronte Pontificis summi Hebræorum, ex auro puro, verba hæc SANCTITAS JEHOVÆ inscripta habente; ut & *de lamina*, quam hodieque Judæi gestant, dictis aliquot S. Scripturæ refertam, V. suprà, in voce *Frontale*. Ut *de pretiosa lamna* Horatii, quo nomine pecuniam is designat, nihil dicam. Alium *laminarum* usum Arnobius indigitat *lib.* 2. *Adversùs ictus noxios & venenatos colubrorum morsus — protegimus nos laminis, Psyllis Marsisq; vendentibus.* Ubi inter periapta illas recenset, quemadmodum & Alexander Trallianus inter magica, vel, ut ipse vocat, φυσικὰ remedia, πέταλον sive *laminarum* istiusmodi sæpe meminit. Eodem fini acus, annuli, icunculæ, adhibebantur aliaque circumferri facilia: quæ omnia præstigiatores & plani hominibus vendere, aliquando & donare, solebant, ut videre est *in Nerone* Suetonii *cap.* 56. Solitos a. fascinatores attendere, ut metallo cuique (juxta opinionem Vett. de septuplicis metalli præfectura VII. planetis attributâ) proprium inscriberent characterem: uti &, cui corporis parti applicarent *laminam* sic scriptam, docet Vossius *de Idol. lib.* 2. *c.* 34. Sed & *Lamina* ardens inter acerbioris supplicii genera, recensetur A. Gellio *libro* 10. *capite* 3. *Quid quum ignes, ardentesque laminæ cæteriq; cruciatus admovebantur?* Imò jam Plauto memoratur *Asinariâ*,

Stimulos, Laminas, *crucesq;*

& Horatio *Epistol. libro* 1. *Ep. ad C. Numonium Vallam*,

Scilicet ut ventres lamnâ candente nepotum
Diceret urendos correctus.

Frequens fuit in Martyrum suppliciis, meminitque ejus sæpissimè Eusebius inprimis *Hist. l.* 5. *cap.* 1. & 3. & *l.* 8. *c.* 3. Porrò adustiones laterum, inter publicas pœnas numerantur *lib.* 1. *C. de emend. servi.* Nempe igne candefactum istiusmodi metalli frustum nudis sanctorum Martyrum vel noxiorum hominum carnibus admovebatur, ibique defigebatur tamdiu, donec eos immisericorditer combussisset. Icona earum exhibet, ex Gallonio *de Mart. Cruc.* Gothofredus Jungermannus *Notis in Hist. Magii lib. de Equuleo.* Malè à nonnullis cum Equuleo confunditur, non enim semper in Equuleo miseri *laminis* istiusmodi torquebantur, sed tum demum, cùm rei constantia Judicis spem fefellisset; tum enim igneas *laminas*, lampades aut tædas ardentes, vel etiam ungulas, uncos & consimilia afferri jubebat, ut his vel horum saltem altero, ejus latera cæteræque corporis partes urerentur atque excruciarentur, quò è novi doloris acerbitas veritatem extorqueret. Iconem Martyris ab Equuleo pendentis, & funalium flammâ laminisque [illegible] ustulati, idem exhibet p. 136. Aliquando palo alligatis *Lamina* ardens picem in membra stillavit, V. Juvenalem *Sat.* 1. apud Jacobum Oiselium JC. *Notis in A. Gellii locum suprà laudatum.* Mitiorem usum habuere æreæ olim *lamellæ* seu collaria, apud Rom. quibus inscriptio fugitivorum incisa est. Cùm enim Constantinus Aug. vetuisset in facie noxiorum scribi, non defuerunt lenes domini, qui obsequerentur & frontis contumeliam in ea, quæ diximus, transferrent. Collaria enim fuisse apta fugitivis, testatur & Lucilius,

Cum Manicis, Catulo, Collariq; ut fugitivum
Deportem.

Quale Romæ Lælius Paschalinus servavit, cum hac inscriptione: *Tene me, quia fugi, & revoca me domino meo Bonifatio Linario A.* ☧ Ω. X. Extat apud eundem ærea *lamella* utrinque inscripta, quam exhibet Laur. Pignorius *Comm. de Servis pag.* 31. Et ex hoc demum capite famosa erat olim collaris ferrei gestatio, ut notat Metaphrastes *in actis SS. Mart. Carpi, Papyli, Agathodori & Agathonicæ*, ut quæ liberos homines dedeceret. Vidit & Benedictus Ægius Romæ olim apud Massæos *laminam* æneam, in qua legebatur: *Tene me quia fugi & revoca me in Basilica Pauli ad Leonem.* Et hæ *lamellæ* clavis capitatis ad collaria affigebantur, ut indicio suo proderent fugitivos, quemadmodum conjicit præfatus Pignorius. V. quoque infrà in voce, *Stigmata*. Nec omittendæ *Lamina*, vel *Lamna*, quæ viliori ligno è pretiosiore superinducebantur. Plinius *l.* 16. *c.* 43. *Hæc prima origo luxuriæ, arborem aliâ integi & viliores ligno, pretiosiores cortice fieri, ut una arbor sæpius veniret. Excogitata sunt & ligni bracteæ: nec satis cœpere integi animalium cornua, dentes secari, lignumq; ebore distingui, mox operiri. Placuit deinde materiam & in mari quæri. Testudo in hoc secta — Sic lectis pretia quæruntur, sic terebinthum vinci juvat, sic citrum pretiosius fieri, sic acer decipi.* Nempe hæc tria lignorum genera, *terebinthus*, *citrum* & *acer*, in lamnas præcipue secabantur, ut essent operimenta lectorum; hæc enim maximè in pretio: unde & testudinem sectam ad eosdem usus, horum trium lignorum coloribus potissimum pingere consuevere, &c. V. Claud. Salmasium *Exercitat. Plin. ad Solinum p.* 416. & 417. qui etiam de *Laminis vitreis*, gypso olim, hodie plumbo, committi solitis *p.* 1093. De *Lamina aurea margaritis gemmisq; exornata*, seu Diademate Impp. Constantinopolitanorum, quod στέμμα, i. βλαττίον μετὰ λίθων καὶ μαργάρων, vocat Curopalates *de Offic.* quodque post frontem colligari solebat, hoc uno è veteri vocis notione retento: de *Lamina* item in aliorum Impp. quam Græci πέταλον quoque vocant, ut è Philone & Clemente Alex. patet, prolixè agit Car. Paschalius *Coronarum l.* 9. *c.* 7. & *seqq.* V. quoque aliquid suprà, ubi *de Diademate*.

Lampaca, Ins. Chinensibus habitata, de quibus memoratu hoc dignum refert Ferdin. Pinto *Reißbeschr. pag.* 283. Compererant ii, vicinas regiones *Cuy* & *Sansy*, terræ motibus & prorumpentibus inde undis prolapsas absorptasque periisse. Hinc paria se meruisse conscii, similis calamitatis timore & coacta ad id concione moniti, *Audirent ipsi, homines miserrimi, supremum rerum Arbitrum continuis injuriis lacessentes, quantis in calamitatum fluctibus indignationem, diuturnis ipsorum flagitiis cumulatam, effuderit*: vera sibi exprobrari fatentes & in terram prostrati, *Deum in cunctis operibus suis undequaque justum deprehendi*, humillimâ confessione exclamavere. Inde post primos dies, quibus domibus clausi publico abstinuere, coacto rursum cœtu, per vicos urbis incedentes, primò Sacerdotibus, *O mirande & misericors Deus*, precatis, *ne peccata nostra respicias; hæc enim si animum adverteris, obmutescere nos coram Te necessum erit*: Populus hisce acclamavit, *Domine confitemur coram te crimina nostra.* Quibus supplicationibus decem & quatuor dies impendentes, nequaquam tamen id sufficere rati, plurimis in egenos, captivos aliosque beneficiis, suam pietatem, animumque præteritorum pœnitentem testatum fecere, apud Tob. Pfannerum *System. Theol. Gentil. pur. cap.* 13. *§. ult.*

Lampadarii, officiis ac ministris illustrium dignitatem vulgò accensentur, maximè verò Præfectis Prætorio & Magistris Officiorum adscribuntur, apud Julianum Antecessorem *Constitut.* 37. & *in Notit. Imp.* ac deinde inferioribus etiam Magistratibus ex Impp. indultu, ut Quæstoribus & Præfectis Insularum, apud eundem Julianum *l. c.* aliisque, *in Constitut.* Leonis M. & Zenonis *Cod. de div. Offic.* Etiam Pontici tractûs Vicario, *ut & Præsidis & Lampadibus quatuor uti posset*, concessum Justiniani *Edicto* 8. 5. 4. Unde patet, plures fuisse *Lampadarios* majoribus Magistratibus, quorum princeps *Primicerius Lampadariorum* dicitur, in *Nov.* Valentiniani 34. ex Theodosianis, quas edidit Pithœus Opilioni Magistro Officiorum inscriptâ. Cùm igitur Lampades 4. concedantur Pontici tractûs Vicario, satis apparet, *Lampadarios* non fuisse, qui lampadum Palatii curam haberent, ut quidam voluere. Sed nec plures quatuor lampades habuisse Magistratus, inde colligitur, quòd inter insignia Præfectorum Prætorio *in Not. Imp.* non plures depingantur: Sunt autem lampades [illegible] non Lucernæ oleariæ, sed candelabra cereis suis instructa. Adest præterea inter ea insignia Imperatoris imago, quæ Magistratui præferebatur, ut observare est ex Senatore *lib.* 6. *in Formul. Consular.* 20. adeò ut lampadas iis concessas par sit credere, ob [illegible]

ejusmodi imagines, cùm deferri μετὰ κηρῶν καὶ μετὰ εὐλογίας, *cum cereis*, solerent, ut docent *Acta* Synodi VII. *act.* 1. & Auctor *Chronici* Alexandr. *in Phoca*. Neque id summis Magistratibus proprium fuit, cum & Imperatoribus præferrentur, uti docent Herodianus *in Commodo & in Antonino*, Tertullianus *in Apologetico cap.* 34. Alii. Inde verò fluxisse, ut *cum faculis & acclamationibus*, in urbium ingressu, Impp. Occidentis exciperentur, quod tradit Lambertus Schafnaburgensis A.C. 1077. non liquet. Verùm utut se res habeat, hinc ritus videtur apud Orientales Augustos ortus, ut *Lampadarii* in sacris liturgiis eos præcederent, μετὰ δικηρωτίων καὶ τοῦ λαμπαδίου, ut auctor est Codinus *de Offic. cap.* 6. *num.* 40. 41. *cap.* 7. *num.* 24. Quòd autem *Mensoribus* adjungantur *Lampadarii*, in *Not. Imp.* & *in d. l. ult. Cod. de Div. off.* ideò fortè factum, quia ex Mensorum ordine erant, vel quia, uti illi, Imperatorem & Magistratus anteirent. Ab Impp. transiit mos ad Patriarchas Ecclesiæ Græcanicæ, quibus itidem in Liturgiis lampades ac faces præferri consuevisse, legitur apud eundem Codinum *de Offic.* Quo etiam jure Metropolitani gaudebant αὐτοκέφαλοι, uti discimus ex Balsamone *de Privilegiis Patriarch.* quales Archiepiscopi Cypri, Bulgariæ &c. Hinc meminit λαμπαδαρίου τοῦ Βασιλικοῦ Κλήρου, *Lampadarii Imperatoris Cleri* Pachymeres *l.* 4. *c.* 16. qui sc. in Palatinis Ecclesiis lampadem Imperatori fortè, aut ipsi Patriarchæ, vel alii Metropolitæ, in iis sacra facienti, præferebat: docetque idem *lib.* 2. *cap.* 15. βακτηρίαν καὶ τὸ λαμπαδοῦχον, symbola fuisse dignitatis Patriarchalis, quæ ab Arsenio Patr. repetiit Mich. Palæologus, cùm eum abdicasset. Διλάμπαδον dicitur eidem Auctori *lib.* 7. *cap.* 28. quòd *duplici lampade* constaret, uti docet Car. du Fresne, e quo hæc deprompta, ex Meursio & Gretzero *ad Codinum*. Macri Fratres unam lampadem Patriarchæ, duas verò Imperatori, in sacris, præferri consuevisse; præterea hodie quosvis Græciæ Episcopos idem sibi, quod olim solis Patriarchis aut Metropolitis concessum diximus, vindicare, adnotant *in Hierolexico*, voce *Candela*. De *Lampadophoris* verò Veterum, qui, Græcè Πυρφόροι dicti, sublatâ in altum face prælii signum dabant, sicut Tubicines postea ad id muneris adhibiti fecerunt hodieque facere solent, suprà ubi de Vett. *Belli indicendi ratione*, de aliis V. hic infrà.

Lampadion Græcè Λαμπάδιον, genus capillamenti, apud Dicæarchum in *Vita* Græc. Τὸ δὲ τρίχωμα ξανθὸν ἀναδεδεμένον μέχρι τῆς κορυφῆς, ὃ δὴ καλεῖται ὑπὸ τῶν ἐγχωρίων λαμπάδιον, *Capillamentum flavum implexum usq; ad verticem, quod ab incolis dicitur lampadion*. A' flammæ, ut videtur, similitudine, quæ uti sensim acuminatur, ita istiusmodi capillorum structura in verticem πυργηδὸν, *turris* instar, concumulabatur: cujus nodi turritum galeatumque verticem sic Prudentius describit *Psychom.* ubi de Superbia loquitur,

Turritum tortis caput accumularat in altum
Crinibus, extructos augeret ut addita cirros
Congeries, celsumq; apicem frons ardua ferret.

In eundem graviter invehitur Tertullianus *de Vel. Virg.* & Hieronymus *libro* 2. *Epist.* 18. V. plura apud Car. Paschalium *Coronarum libro* 1. *capite* 5. & hic passim, ubi de *Capillatura*, *Capillis*, *Corona* &c.

Lampas, à Gr. λάμπω, *luceo*, cum face, funali, lucerna, tæda, de quibus V. *suo loco*, nonnunquam confunditur, aliquando pro certa facis specie accipitur. Sic *lampades* ardentes, quibus in Equuleo Martyres cruciatos legimus, fiebant hoc modo: Desumebantur primum vasa quædam lata unius palmi longitudinis, vel aliquanto majoris, quæ deinde à summo ad arctiorem formam paululum, præposteræ perversæque pyramidis instar, contrahebantur, atque adstringebantur. Erant autem vasa vel terrea, vel ferrea, sicut indicant ea, quæ ex ruderibus urbis Romæ subinde eruuntur, & Columella innuit *l.* 12. *c.* 18. Postea verò vasa hæc hastulis quibusdam quadratis & simul colligatis septa, quæ ad valorum similitudinem & ipsæ à summo paulatim astringebantur, igne flammam emittente repleri solebant. Porrò istiusmodi hastulas, si ad ea, ad quæ *Lampades* usui erant, animum referamus, intelligemus quinque aut sex palmis plus minusve fuisse oblongas. His itaque, quemadmodum de laminis ardentibus suprà dictum, patientium constantiam expugnare & latera cæterasque miserorum partes adurendo, vel veritatem extorquere, si revera rei essent: vel ad idololatriam pertrahere Martyres conabantur, Gallonius *de Mart. Cruc.* Figuram istiusmodi *Lampadum* ardentium, exhibet Gothofr. Jungermannus *Notis ad libellum Hier. Magii de Equuleo*: Martyris ab Equuleo pendentis, & laminis lampadibusque ustulati, Idem *ibid.* Gratiores erant, quæ nubentibus præferebantur olim: ut Ovidius docet *Epist.* 14. *Hypermnestra ad Lynceum*,

Ducimur Inachides sub magni tecta Pelasgi,
Et socer armatas accipit ipse nurus.
Undiq; collucent præcinctæ Lampades *auro*,
Dantur in invitos impia thura focos.

Quæ item Imperatoribus, aut in nocturnis lucebant conviviis: Quæque in sacris Cereris aliisque festivo certamine deferebantur. Nec funera suis *Lampadibus* caruere, de quibus omnibus V. Thom. Dempsterum in *Joh. Rosini Antiq. Rom. passim*. Appendebantur autem non rarò, festivitate ac pompâ sic poscente, funibus, ordine rato. Claudianus *Nupt. Honorii*,

——— *aliis funalibus ordine ductu*
Plurima venturæ suspendite lumina Nocti.

Virgilius *Æn. l.* 1.

—— *dependent lychni laquearibus aureis*
Incensi —

Quem morem pulchrè describit Prudentius *Cathemerin.* 5. V. quoque Paulinum *Natali Felicis*. Sed & nocturnum iter obeuntibus, quod frequens priscis, usum præbuere, uti vidimus suprà. Iidem *lampadibus accensis* res gestas nuntiabant, mirabili plane industriâ, quod artificium cum cura nobis Polybius aperuit. Horis quoque indicandis adhibitas, docet *Lampas Horodictica* seu *Horometra*, in Musæo Kircheriano; de qua V. Georg. de Sepibus *Descriptione Collegii Rom. Soc. J. Musæi p.* 55. &c. V. quoque suprà, ubi de *Facibus* & *Funalibus*, & plura hanc in rem, apud Dan. Heinsium *ad Silium Italic.* & Casp. Barthium *ad Claudianum de Raptu l.* 1. sicut de *Lampadibus Furiis attribui solitis*, apud eundem *ibid.* ut & *ad Statium l.* 11. *v.* 142. Hinc *Lampadophori*, qui præcincti lumbos & lychnos ferentes, dominum olim præstolabantur, à cœna revertentem, vel etiam comitabantur. Unde *ordo comitum longissimus*, *multum item flammarum & ahenea lampas*, memorantur hoc in negotio Juvenali *Sat.* 3. *v.* 284. Eodem nomine veniebant, qui in sacris Cereris *Lampada*, ab ara accensam, manu comprehendentes, ad certum in templo locum currebant, alterique successuro cursuræque inextinctam tradebant, cum verbis, *Tibi trado*. Quod idem Athenis in aliis tribus festis, Panathenæis nempe, Vulcanalibus & Prometheis factum esse, alibi diximus. Græcis Λαμπάς, quam vocem vide. Meminit Statius *libro* 4. *Sylv.* 8.

Tuq; Actæa Ceres, cursu cui semper anhelo
Votivam taciti quassamus lampada *mystæ*.

V. quoque Pollucem, ubi de Agonibus τοῖς ἐπὶ λαμπάδι *l.* 3. *c.* 30. & suprà in voce *Lampadarii*.

Lampra, adde: Hodieque vicus, vix leuca Athenis distans, versus Merid. montis Hymetti conspicitur, *Lambrica* nomine, unde montis illud latus *Lamprovouni*, sicut ejus reliquum *Telovouni*, incolæ appellant. Habitatur autem ab Albanensibus Christianis. V. Jac. Sponium *Itiner. Part.* 2. *p.* 227.

Lampridia, mater ex Annio Fulco Pescennii Nigri Imp. apud Spartianum in *Vita* hujus.

Lamprophori, Græcè Λαμπροφόροι, dicti olim in Ecclesia, qui, Baptismo initiati, per integrum septiduum *candidati* incedebant, quo de ritu hic non uno loco. Sed & Græcis Λαμπροφόρος ἡμέρα dies Resurrectionis Christi, quæ & nonnunquam Λαμπρὰ simpliciter, non solùm, quod mentes hominum illustraret, & de *splendida* vitæ æternitate commonefaceret, sed etiam, quòd luminibus omnia cereisque accensis tum *illuminarentur*, uti discimus ex Gregorio Naz. *Orat. in Pascha*, qui alibi morem hunc, tanquam à Gentilibus mutuatum, reprehendit, *Orat. in Julianum* 2. V. Cl. Suicerum *Thes. Eccl.* vocibus, Λαμπρὰ, Λαμπροφορεῖν, Λαμπροφόρος, Λυχναψία &c.

Lana, ex Gr. λῆνος post pelles, in vestium usum cessit: Hinc togæ, tunicæ, lacernæ, & reliqua Quiritium vestimenta non nisi à pretio *lanæ* aut à colore Scriptoribus commendata legimus. Plinius *lib.* 8. *c.* 47. *Magna*, inquit, *& pecori gratia vel in placamentis Deûm, vel in usu velleruum. Ut boves victum hominibus excolunt, corporum tutela pecori debetur*: Deinde *lanarum* genera exequitur, omnemque Romanorum cultum inde confectum ostendit. Addit ex Varrone, *lanam* cum colo & fuso Tanaquilis in templo Sangi durasse, factamque ab ea togam Regiam undulatam, quâ Tullius Rex usus fuerit. Atque inde factum, ut nubentes Virgines comitaretur colus compta & fusus cum stamine & Sponsa mariti fores lanâ coronaret: cum prius nova Nupta in pelle *lanata* consideret, quem Romanorum morem ex Festo observat Jo. Meursius *Commentar. ad Lycophronem*. Nempe hanc vivæ pecudes homini vestiendo commodant. Unde Ovidius *Metamorph. l.* 15. sic de pecore:

——— ———— *Inq; tuendos*
Natum homines, pleno quæ fertis in ubere nectar,
Mollia quæ nobis vestras velamina lanas
Præbetis, vitaq; magis, quàm morte juvatis.

Et quidem hæ *Lanæ*, antequam tonderentur, velli solebant, Romæ sc. & vicinis in locis (in Græcia enim & Judæa etiam antiquitus tondebantur) unde *velleri* nomen, ut est apud Varronem *de L. L. l.* 4. & *de R. R. l.* 2. Plinii quoque est *l.* 8. *c.* 48. *Oves non ubiq; tondentur, durat quibusdam in locis vellendi mos*. Sed tondendi consuetudo Hebræis inprimis vetus fuit: qui & ob fructus *lanæ* usus, tonsuræ tempore, convivium celebrabant, ut Absolomum 2. Sam. *c.* 13. *v.* 23. & Nabalem, 1. Sam. *c.* 25. *v.* 7. fecisse legimus. Hodie præcipua bonitas est *Lanæ Anglicanæ*; cujus qui rationem arcessunt à pabulis minùs lætis, tueri se possunt Marone, qui læta Opiliones pabula fugere jubet *Georgic.* 3. *v.* 385. Sane à solo partim fertili lanam reddi subtiliorem, Cardani etiam judicium est *Subtilit. l.* 10. Addunt de Anglicana alteram item rationem, quòd eâ regione oves vix bibant; sed, ad sitim extinguendam, cœlesti fere

rore

rore sint contentæ. Verùm lanæ hujus bonitas ignota vett. Romanis fuit, à quibus prædicari quidem in Asia videas vellera Milesia, Laodicena, & quædam alia: de quibus Plinius *l. & c. cit.* In Græcia autem extolla. Vett. Attica lanæ unde apud Athenæum *l.* 5. quæstio illa, Εἰ τ' Ἀττικὰ ἔρια τῶν μαλακωτέρα, *Suntne lanæ aliquæ Atticâ molliores?* Laudat & Plutarchus *l. περὶ τοῦ ἀκούειν*, & Laberius *Paupertate*, apud Nonium *in Lanitia.* Commendabatur itidem vicina Megarensis. In Italia autem, præcipue in pretio erat illa è Magna Græcia, uti Apula, maximeque Tarentina: proxima tùm Parmensis, tum Altinas; illa ex Galliæ Cispadanæ coloniis, hæc ex Altino, Venetæ regionis municipio. Jungit eas Mart. *l.* 14. *Ep.* 155.

Velleribus primis Apulia, Parma secundis
Nobilis: Altinum tertia laudat ovis.

Columella *l.* 7. *c.* 2. *Generis eximii Calabras, Apulasq́; nostri existimabant, earumq́; optimas Tarentinas. Nunc Gallicæ pretiosiores habentur, earumq́; præcipuè Altinates. Item quæ circa Parmam & Mutinam, macris stabulantur campis.* E quibus locis lucem capit Varro *de R. R. l.* 2. *c.* 2. *Pleraq́; similiter faciendum in ovibus pellitis; quæ propter lanæ bonitatem (ut sunt Tarentinæ & Atticæ) pellibus integuntur, ne lana inquinetur, quò minus vel infici rectè possit, vel lavari ac parari.* Ubi pro *Atticæ* (ut P. Victorius legit) in plerisque editionibus cunctis erat *Altinates.* Quamvis verisimile sit, non Tarentinas modò oves, sed Atticas item velleribus integi consuevisse. Nam de Megarensibus Atticæ tam vicinis disertè id nos docet Laertius in *Diogene*, qui ἐν Μεγαρεῦσι προβάτων τοῖς διφθέραις ἐσκεπασμένων, meminit. Horatius *libro* 2. *Od.* 6. eas *pellitas* dicit:

Dulce pellitis ovibus Galesi
Flumen

Galesus autem, ut cum ad locum annotat vetus Interpres, *flumen est juxta Tarentum; ubi, præ pastura copia, vel dulcedine, molliores ovibus lanæ sunt.* De tectis igitur Tarentinorum ovibus sermo est, quod non animadvertit Vir eruditus; qui miratur, *pellitarum* epitheton, quia oves omnes, imò & animantium aliæ, sint pellitæ. Hujusmodi verò pecori opponitur *colonicum*; proximæ tamen post tectum dignitatis; quia non gramine, sed rubis, pascitur, Plin. *l.* 8. *c.* 47. Vilius montanum pecus: de quo sic Lucilius, apud Festum *in Solox*;

Pascali pecore ac montano, hirto atq́; soloce.

Ubi *solox* pecus vocatur, quomodo & *lanam solocem* pro hirta duraque Titinius in *Barathro*, apud eundem, dixit. Gerh. Joh. Vossius *de Idolol. l.* 3. *c.* 70. Præter enumerata *Lanarum* genera, Selgicarum quoque meminit Tertullianus *de Pall.* quas quia nusquam alibi, nisi heic, memoratas repererunt nonnulli, ideo amoverunt & *Gallicas* reposuerunt. Sed ex Strabone non difficulter colligitur, nomen aliquod pretiumque tunc Selgicarum fuisse lanarum, quarum magnus proventus ex Selgico territorio erat, V. eum *libro* 12. & infrà in voce *Selge*, &c. Transeo ad colores. Et quidem *nativa* vocabant vellera, quæ naturâ colorante tincta essent. Martialis,

Nativa semper habeat, & licèt laudet
Fuscos colores, galbinos habet mores.

Hinc *nativus color*, pro fusco vel nigro. Nonius, *Pullus color est, quem nunc Spanum vel nativum dicimus.* Spanus, à lanis Hispanis, quæ nigræ erant; præter nigrum tamen, multi alii colores nativi. Nam & leucophæus & fulvus & rutilus, inter nativos colores numerantur, & horum omnium colorum lanæ sunt, non ab arte sed à natura sic coloratæ. Inter hyacinthorum species, unus quoque, qui *nativus* dicebatur, erat: hic dilutior & minùs roseus, quam rhodinus, quem vulgò *rubinum* vocant Galli. V. Epiphan. de variis hyacinthorum coloribus. Bæticæ autem rutili coloris erant lanæ. Tarentinæ *pulliginis suæ*, ut loquitur Plinius. Sic *coloris sui* dictæ, quæ suum & naturalem colorem retinebant, nec alienum imbiberant: Nam lanarum nigræ sui coloris retinentissimæ sunt, nec ullum alium bibunt, ἰδιόχρωμα Græcis. Tales Hispanæ lanæ: unde *Spanum* colorem & *nativum* de nigro dixere. Κοράξοι Straboni hæc vellera, quæ Romam ex Hispania afferebantur, *l.* 3. quod perperam de Coraxis Scythiæ populis accipiunt. Unde enim in media Hispania Coraxi? Potiùs itaque de lanis loquitur coloris coracici sive corvini, quæ inde in Italiam importarentur, cùm prius vestes importari solitæ essent. Ἔρια τ Κοράξων, sunt lanæ coracinæ: tales enim Hispanæ. Plinius *l.* 8. *c.* 48. *Hispania nigri velleris præcipuas habet.* Κοραξὸς autem Græcis *niger* est, à corvi colore, V. eundem Strabonem *lib.* 12. ubi pro κοραξοῖ χροιά, lege κοραξὸν χρῶμα: Plut. *de Flum. ubi de Inacho & Strymone:* Hesych. in voce κοράττειν, & plura hanc in rem apud Salmasium *ad Pall. Tertull.* Totus Plinii locus sic sonat: *Hispania nigri velleris præcipuas habet: Pollentia juxta Alpes cani: Asia rutili, quas Erythræas vocant: Canusinum fulvi & Tarentum suæ pulliginis.* Notat præterea, *Istriæ ac Liburniæ lanam pilo propiorem, quàm lanæ, & ideo pexis vestibus alienam, & quam sola ars scutulato textu commendat in Lusitania.* Erant autem pexæ vestes, in quibus, ob villorum densitatem, nec stamen nec trama appareret: ut infrà videbimus. Fiebant verò ex *lana* tum textilia, tum coactilia, quæ & Cæsari *subcoacta* vocata. Belgæ *vilten* vulgo dicunt: imò & jam à compluribus seculis appellata *feltra* vel *filtra*: quo modo nominant Helmoldus Presbyter, Henningus Lector, Herthonus Armenius, pluresque alii, ut cum Meursio ostendum, *Glossar. Græcobarb.* tum Henr. Spelmanno *Archæol.* in voce *Feltrum.* Est verò satis verisimile, *vilten* & *filtra*, esse ex Græco πῖλος vel πιλωτά: quo modo dicuntur τὰ ἐκ τριχῶν συνθέματα, *è pilis composita.* Itaque quod Græcis συμπιλοῦν, id Latinis *conciliare*, à *cilium*, i. e. pilo, Varro *de L. L. l.* 5. Magnus verò coactilium usus: nam & pilei inde, & vestimenta alia, pluviæ arcendæ, conficiunt. In bello etiam juvare, indicat illud Cæsaris *Bell. Gall. l.* 3. *Omnes ferè milites aut ex subcoactis, aut ex centonibus, aut ex coriis tunicas, aut tegmenta fecerant, quibus tela vitarent.* Quod plenius explicat Plinius *l. c. Lanæ & per se coactæ vestem faciunt, & si addatur acetum, etiam ferro resistunt; imò verò etiam ignibus.* Ac subdit inde, ut inserviant quoque tomentis, Gallicano, ut videtur, invento, Vossius ubi *suprà.* Unde autem *Lana* vestibus texendis materia primùm esse cœperit, quo modo & à quo inventa sit? non adeò liquidum est. Tertullianus *de Pallio*, *Cedo*, inquit, *jam de vestro, quod Ægyptii narrant & Alexander digerit, & Afer legit, eâ tempestate Osiridis, quâ ad illum ex Libya Ammon vasit ovium dives: denìq́; cum ipsi Mercurium autumant fortè palpati mutu mollitie delectatum, deglubasse oviculam: dumq́; pertentat, quod facilitas materiæ suadebat, tractu prosequente filum eliquasse, & in vestis pristinæ modum, quam philyra tenus vinxerat, texuisse. Sed vos omnem lanitii dispensationem structuramq́; telarum Minervæ maluistis, cum penes Arachnen diligentior officina.* Secundum illum ergo ex facto Mercurii, dum vellus arietis pertentat, mollitie ejus delectatus, & dum floccum lanæ forte avulsum longius trahit, & filatim ducit, neri posse lanas & in modum restis tiliacei, quales priùs fiebant, posse torqueri, ostensum est: atque ex eo Isis docta *lanæ vestis* texturam prima apud Ægyptios prodidit. *Exinde materia*, pergit Tertullianus, id est, ex eo tempore, materia texendis vestibus prodita, nec lanea tantùm & de ovibus: sed mox etiam de aliis rebus, quæ postmodum ad exemplum lanæ repertæ sunt, quæque idoneam vestificinæ materiam, haud secus ac lana, præbuerunt; ut linum, sericum, bombycinum & alia ejus genus. Plinius quoque *lib.* 7. *c.* 16 textilia Ægyptios invenisse scribens, textilia de lana intelligit: nam lini inventionem tribuit Arachnæ. Antea non textiles, sed plexiles vestes habebant, ex restibus aut vinculis tiliaceis inter se nexis & plexis, in retis modum: ex papyro etiam tales & junco, & ex materia fluminea, quam Græci φλοῦν vocant, plecti moris erat, V. Meletium *de Nat. Hom.* cujusmodi fuit Indorum vestis, apud Herodotum, quam φλοΐνην vocat, *l.* 3. V. iterum Salmasium *l. c.* Porrò in usum tomenti *lana* venit, cum antea torus stramentitius, qualis adhuc in castris ætate Plinii retinebatur, adhiberetur. Id idem inventum Gallicum existimat, ut dictū. Ex eadem pilei confecti, jam veteribus Ægypti Regibus, quorum judicio *lanea* vestes profanæ, linteæ sacræ erant: hodieque inprimis Persarum Reges, ut ab Homaritis seu Turcis distinguantur, lineo albo turbante illis relicto, alio utuntur, e cujus medio pileolus acuminatus e *lana* constipata coloris rubri confectus, senis utrinque gradibus assurgit. Quare à *lana* sunt qui velint illos Reges per excellentiam dictos *Sofi*, quod nomen Arabicè *lanam* sonat. Imò & udones, soccorum genus, non solùm ex lino, pilisque hircinis caprinisque sed etiam ex *lana* confectos, indigitat Martialis *l.* 14. *Epigr.* 138.

Non hos lana dedit, sed olentis barba mariti,
Cinyphio poterit planta latere sinu &c.

Nec à sacris *lana* exulavit; Quamvis enim Ægyptii inprimis, non nisi lineis vestibus in Deorum cultu uterentur, unde *linigeri* Isidis Sacerdotes Scriptoribus appellati: *lanea* tamen vitta & *laneus* orbis indumentum familiare Diis Laribus erant, eò quòd *lana* notissimum & familiare maximè vestimentum subministraret, docente Plinio *lib.* 21. *cap.* 3. Meminit ejus Propertius *lib.* 4. *El.* 6.

Costum molle date, & blandi mihi thuris honores,
Terq́; focum circa laneus orbis eat:

e cujus *l.* 3. *Eleg.* 5. coronam hanc in expiatoriis & Magicis sacris receptissimam fuisse colligitur. Unde & apud Virgilium *in Pharmaceutria*,

Affer aquam & molli cinge hæc altaria vittâ.

Filum *lanæ* etiam Flaminum velamen erat, quo in apice semper tectos esse oportebat. Livius *lib.* 1. *Legatus, ubi ad fines eorum venit, unde res repetuntur, capite velato (filum lanæ velamen erat) Audite Jupiter, inquit,* &c. & Servius *in Æn.* 8. *Flamines in capite pileum habebant, in quo erat brevis virga desuper habens lanæ aliquid.* Unde sunt qui ab hoc filo, illos quasi *Filamines* appellatos velint &c. Sed de Coronis e *lana* plura infrà, ubi & de *Lana*, in puerperiis, supplicationibus, funeribus usu. Etiam verò *lanis* involvebant Veteres affectam partem. Suetonius *Domitiano c.* 17. *Sinistriore brachio, velut ægro, lanis fasciisq́; obvoluto.* Atque hæ sunt *lanæ*, quarum meminit Ulpianus *§. ea quidem, l. si cui lana, D. de leg.* 3. & Martialis,

Quòd lanâ caput alligas Charine.

Unde sæpius apud Hippocratem, aliosque Medicos legas, ἐρίοισι ἐπιδεῖν aut προσδεῖν ἐρίοισι, *i. ut pars affecta commodius sese habeat.* V. quoque Aristidem, Leontium Epist. ad Lamiam,

miam, Artemidorum *l.* 1. & suprà in voce *Fecale* &c. Ut de usu *Lanæ* sacro aliquid addam, ejus primitias solvi Deo solitas, discimus ex Deuteron. *c.* 15. *v.* 19. *Ne tondete primogenitum ovium tuarum.* Et Deuteron. *c.* 18. *v.* 4. *Primitias velleris ovium tuarum ei* (*Sacerdoti*) *dato.* quam legem multis explicat Majemonides *in Biccurim cap.* 10. Eodem referri potest, quod propter Deum pauperi dabant. Jobi *c.* 31. *v.* 19. 20 *Si quem perire vidi vestis inopiâ, & pauperem absq; operimento, si non mihi benedixerunt lumbi ejus, ac non incaluit agnorum meorum vellere.* Sed & ad sacra pertinet aspergillum ex hyssopo & *lana coccinea*, de quo Levit. *c.* 14. *v.* 49. & Hebr. *c.* 9. *v.* 19. Imò præter aurum argentum, æs, serici ac *lanarum* fila, hyacinthina & purpurâ ac cocco tincta, linum xylinum, caprarumque pilos, arietum quoque ac melium vellera, ad Tabernaculi constructionem, adhibita legas Exodi *c.* 35. *v.* 5-9. De aliis gentibus aliquid infrà dicemus, ubi de *Laneis Coronis*. At Ægyptii omnem in sacris lanæ usum damnarunt, qua de re Plutarchus multa philosophatur *l. de Iside*: cui adde Apulejum *Apolog.* ubi inter alia, *Quippe lana, a t. segnissimi corporis excrementum, pecori detracta, jam inde Orphei & Pythagoræ seculo, profanus vestitus est* &c. Cæterùm *lanæ* cum lino mixtionem prohibuit Israelitis Deus Levit. *c.* 19. *v.* 19. *Non indueris lanam & linum simul.* Quod Josephus ad solum populum restringit, Sacerdotibus id permissum esse, asserens. At non solùm nulla pars vestitus Sacerdotalis ex tali mistura constitit, sed & certi ministerii tempore *lanearum vestium* usus ipsis prorsus fuit interdictum Ezech. *c.* 44. *v.* 17. *Cum ingredientur portas interiores, vestes lineas induent, nec ascendat super eos lana.* Potiùs igitur plebi hic nihil peculiare mandare, sed omnes Israelitas hoc ritu ad morum simplicitatem revocare voluisse Deum, dicemus cum Theodoreto *in Levitic. Quæst.* 27. & Cyrillo *de adorat lib.* 7. Plura de *Lana*, V. apud Sam. Bochartum *Hierozoici Parte prior. lib. II. cap.* 45. ubi, inter alia, *de Lanæ tributo*, à Regibus Moab Israelis Regibus pendi olim solito; *de Lana Damascena*, in S. Scriptura, celebri, cujus famam sericum & gossypium, quorum hodie Damasci maximus proventus est, obscuraverunt; *de plaga item lepræ, in veste lanea, aut linea*, Levit. *c.* 13 cujus autem exoticos Scriptores nulla mentio: nec non hic infrà. De *Lana* verò *arborum*, V. infrà, voce *Lanugo*, uti de *Lana conchæ margaritiferæ*, voce *Pinnicum*.

Lanarius, generali voce quemcunque *lanarum* Artificem aut negotiatorem significat. Speciatim *Lanarius pectinarius* dicitur, qui lanas pectit. Vetus *Inscr.* LANARII. PECTINARII. SODALES. Græci Κναφεῖς simpliciter eos vocant Galli *Cardatores*, à *carduo pectinali*, seu *fullonio*, ut iidem vocant, cujus capitula echinata carminandis lanis & rudibus pannis lævigandis eundem usum præstant jam, quem hippophæsti olim capitula, V. Salmasium *ad Solinum pag.* 396. Dicitur et *Lanarius Coactiliarius*, qui coactilia operatur, aut vendit & *Coactiliarius* etiam per se vocatur, V. *suprà*. Cæterum *Lanificii*, cujus primum usum Minervam monstrasse, telamque ordiri esse & *lanam* colorasse, scribit Isidorus; opus olim in matronis laudatissimum, quod vel ex eo patet, quod de *lana* fuso ac colo Tanaquilis suprà dictum. Sed & Virgines in Sacerdotii munera castitate mirâ educatæ *lanificio* erudiebantur, Festus *l.* 16. Nec Augustus *temerè alià quàm domesticâ veste usus est, ab uxore, & sorore & filia neptibusq; confectâ* apud Sueton. *in Aug cap.* 73. cui simile quid de Alexandro M. apud Curtium legimus. Inde gloria nobilibus matronis olim, vestes filiis, maritis amicisque discedentibus manibus propriis elaboratas dedisse. Silius Italic. *l.* 7.

Quod nostræ nevere manus, venerabile donum.

Et extat veteris marmoris fragmentum tale:

Hospes quod deico, paulum est, asta ac pellege,
Hic est sepulcrum haud pulcrum pulchrai feminæ;
Nomen, Parentes nominarunt Claudiam,
Suom maritum corde dilexit souo,
Gnatos duos creavit, horum alterum
In terra liquit alium sub terra locat.
Sermone lepido, tum autem incessu commodo:
Domum servavit, lanam fecit, *dixit, abei.*

Apud Barbaros verò, Persas, aliosque ignominiæ loco id habebatur. Sed & apud Romanos, quando ea munera sordere dominabus visa sunt, pensa partiebantur inter ancillas *Lanificas*, aliæ *Lanipendia* dictæ. Priùs enim diurna pensa matronæ ipsæ servabus præscripserunt, ut legere est apud Xen. *l.* 3 *Memorabil.* Posteà verò vel Eunuchi, vel ancillæ modò memoratæ id fecerunt. Habebant autem ancillæ lanificæ aliquam sibi præpositam, ut ex Claudiano discimus *in Eutrop. l.* 1.

Tu potes alterius studiis haerere Minervæ,
Tu telas, non tela, pati, tu stamina nosse,
Tu segnes operum solers urgere puellas.

His victum diurnum pro operis ratione distributum fuisse, docet Claudianus *de bello Gildon*

——— ——— ——— *—Gaudetq; diurnos*
Ut famula præbere cibos.

Locus Gynæceum erat, conclave viz. in penitiori ædium parte: θάλαμος ἱστῶν, ταλασιουργικὸς οἶκος, *Thalamus telarum domus operosi lanificii*, Julio Polluci *l.* 1. *cap.* 8. Proin de Lucretia Ovidius *lib.* 2. *Fastor.*

Inde cito passu petitur Lucretia, cujus
Ante torum calathi lanaq; mollis erat.

Et de eadem Servius *ad versum* 646. *l.* 8. *Æneid. invenerunt eam lanificio operam dantem*, &c. V. plura apud Pignorium *de Servis* & Thom. Dempsterum *in Joh. Rosini Antiqq. Paralipom.* *libro* 1. *capite* 13.

Lancea, an quòd æquâ *lance*, i. æquali amento, ponderata vibretur, an ex Græco λόγχη? Ætoli, Martis genti, inventum dicitur Plinio *lib.* 7. *cap.* 56. *Sagittas Persen Persei filium invenisse dicunt: lanceas Ætolos; jaculum cum amento, Ætolum, Martis filium; hastas velitares Tyrrhenum pilumq;*, ad quem locum V. Dalechampii *Notas*. Varro verò Hispanicam vocem esse tradit, apud A. Gellium *lib.* 15. *cap.* 30. Sed & ipsum teli genus Hispanicum fuisse, & ex Hispania in Italiam cum nomine delatum, extra dubium ponit Orselius *ad l.* Imò non Hispanis solùm, sed omnibus pariter Celtis & rem & nomen quondam fuisse communia, exinde deducit, quòd Sisenna apud Nonium, id teli genus Suevis, Germanicæ genti, tribuit: *Galli materibus, Suevi lanceis confligunt*. Et Diodorus Sic. *l.* 5. Germanis simul ac Gallis, προβάλλονται δὲ λόγχας ἃς ἐκεῖνοι λαγκίας καλοῦσι. *Hastas jaciunt, quas ipsi lanceas appellant.* Hodieque adhuc *lance* id teli genus, unde *Landsknechte*, quasi *lancearii milites*, dici addens. Fuit autem *Lancea* Caroli M. inprimis magni apud Francos olim habita, de qua sic, ex Ingulfo, Wilhelmus Malmesburiensis *de Gestis Angl. lib.* 2. *cap* 6. ubi de Cimeliis, quæ ab Hugone R. Franc. ad Adelstanum Regem Anglorum missa sunt, inter quæ pars dominicæ crucis, enlis Constantini M. vexillum S. Mauritii & *lancea Caroli M.* non exigui apud Francos pretii, *quam Imperator invictissimus, contra Saracenos exercitum ducens, siquando in hostem vibrabat, nunquam nisi victor abibat: ferebaturq; eadem esse, quæ, Dominico lateri Centurionis manu impacta, pretiosi vulneris hiatu paradisum miseris mortalibus aperuit.* Sic inter Cimelia & symbola Imperatoria vulgò recensetur, *Lancea Constantini M.* quam nactus à Santone quodam Com. Rudolphus Burgundionum R. dicitur misisse ad Henricum I. Imp. postea Otho I. in prælio contra Lotharingos & Hungaros, Henricus IV. an. 1089. Epis. Lausanne eam deferente, extulisse, apud Conr. Urspery. & Albertum Stadensem *A.C.* 922. à quo tempore inter Imperii cimelia præcipua est habita. Constantinum certe M. μετὰ λόγχης, *cum lancea*, quam alii σκῆπτρον vocant, stetisse super columnam porphyreticam CPoli, docet Car. du Fresne *ad Alexiadem pag.* 81. Aoemarus verò Cabanensis, non *Constantini*, sed *S. Mauritii lanceam* hanc vocat, ubi de electione Conradi Imp. quamà Rudolfo, unà cum Burgundiæ Regno, cujus fuerit insigne, Conrado præfato traditam fuisse, scribit Hugo Flaviniac. *in Chron.* Apud Danos non minùs celebris fuit *Lancea S. Olai*, quam in præliis contra Ethnicos deferri solitam, refert Janus Dolmerus *ad Jus aulic. vetus Norvagicum p.* 413. Nec defuit Bohemis sua *Lancea Regalis*, de qua sic Albertus Stadensis, ex Monacho Peg. A.C. 1079. *Bellum fuit inter Henricum VI. & Rudolfum, in loco, qui dicitur Fladechheim ubi in primo congressu Saxones terga verterunt. Ibi Vratislaus Dux & Rex Bohemiæ, regalem lanceam adeptus est qua extunc, permissione Imperatoris, semper quemvis illius gentis ducatu insignem in omni festiva Processione præcedit.* V. Car. du Fresne *Glossar.* ubi *lancearum* usum servis prohibitum, ex *l.* 6. *Capitular. c.* 271. solumque eorum olim fuisse, qui *Militum* dignitate ac nomine gaudebant, ex Gobelino Persona, in *Cosmodromio at* 6 *c.* 77. addit. Idem *lanceis* olim prævaluisse Francos, docet *Not. ad Alexiadem*. V. quoque suprà, in voce *Justa*. Addo ... cultrum, quo in Ecclesia Græci uti, quoque Diaconus σταυροειδῶς, *in crucis formam*, dissecare solitus sacra dona, λόγχη quoque i. *lanceam* dictam, in memoriam *lanceæ*, quæ Christi pupugit latus, uti docet Cl. Suicerus *Thes. Eccl.* voce λόγχη ...

Lances, apud Propertium, *l.* 2. *Eleg.* 13.

Desit odoriferis ordo mihi lancibus, adsint
Plebeja exsequia ——

Fercula sunt funerum, de quibus suprà diximus, & quæ memorantur Papinio Statio *Thebaid. l.* 6. *v.* 126.

Portant inferias, arsuraq; fercula primi
Grajorum, titulisq; pios testantur honores
Gentis quisq; sua ——

Aliàs *Lances*, disci latiores seu vasa escaria. Tertullianus *de Pallio, cap.* 5. *Adigo cauterem ambitioni. — quâ lances centenarii ponderis Sylla molitur.* Cujusmodi lances in promulsidario solebant reponi, habebantque inscripta dominorum nomina & metalli pondus. Petronius Arbiter, *Cæterùm in promulsidari asellus erat Corinthius cum bisaccio positus, qui habebat olivas — tegebant asellum duæ lances, in quarum marginibus nomen Trimalcionis inscriptum erat & argenti pondus.* V. Salmasium *ad locum Tertullianicum*. Propriè verò *lances* scutellæ sunt duæ, de libra pendentes, unde & pro libra nonnunquam vox occurrit. V. quoque infrà in voce *Lanx*.

Lanceti seu *a*, quorum mentio in Monastico Anglic. colonorum species est apud Anglos; de quorum præstationibus & operis ita *Custumarium* Prioris Lewensis in Anglia, apud Spelmannum, *In Sochâ de Hechâm sunt* 24. *Lanceta. Consuetudo eorum est, ut unusquisq; eorum debet operari à S. Michaele usq; ad Autum-*

num

unâ quaque hebdomada per unam diem, sive cum furca, sive cum besca, vel flagello ad libitum domini cum corredio ad Nonam & uno pane ad Vesperam &c. A Germanico *Land-leet*, i. indigena, inquilinus, *in terra residens*. V. omnino Spelmannum *Glossar.* His oppositi videntur *Landigandmanni*, itidem genus Custumariorum seu inferiorum Tenentium maneriis, qui in eodem *Custumario* occurrunt. Significat enim *Gaend-mann*, teste Kiliano, *viatorem* seu *transeuntem*, & *Lancato*, hoc est, *permanenti* contradistinguitur. Car. du Fresne in voce *Landegandman.*

Landia, Aben-esræ *in Exodum* regio est, *cujus viri habitati Orbis occupant plus quàm dimidiam partem, omnes è Chami filiis, & hodieq; non solùm à carne sed & à sanguine & lacte & piscibus & ovis, denique ab iis omnibus abstinent, quæ ab animalibus prodeunt, & in vescentes abominantur, & nefas esse putant gregibus pascendis incumbere.* Forte *Indiam* intelligit, cujus incolæ, si Ctesiæ credimus, πλείους χιλίων ... ἀνθρώπων, *plures fuerunt reliquis hominibus fere quotquot sunt*: in quibus Gymnosophistę miram abstinentiam profitebantur. V. Sam. Bochartum *Hierozoici Part. poster. libro* IV. *capite* 17. & de hodiernorum Indorum, quotquot inter eos Ethnicismo hodieq; adhærent, statu, P. de Valle *Itinerarii Part. IV.*

Landsperga, Germ. *Landsberg*, castrum nobile Germaniæ sup. in Palat. natu, sub proprio olim Principe, ex Familia Palatina, qui postmodum Duci Bipontino agnato successit. Auctor lineæ *Landspergensis* Fridericus Casimirus fuit secundus filius Johannis I. Duc. Bipontini, natus A.C.1585. ex Magdalena Juliacensi (fil. Wilhelmi D. Juliac. Cliv. & Mont.) qui aliquamdiu in Burgundia habitavit; ab uxore Amalia Nassovia Arausionensi, ductâ A.C.1616. in ea Montfortiam ditionem assecutus, Decessit autem A.C. 1645. Pater Friderici (n. & den. 1617.) Friderici Ludovici (n. A.C.1619.) & Caroli Henrici (n. 1622. den. 1623.) *Comitum Palatin. Rheni &c. in Landsperg.* E quibus medius, Electore ad Comitia electiva profecto, A. C. 1658. Heidelbergæ vicariatum gessit. Bipontino dein patrueli Friderico successit, A.C.1661. ubi circa debita difficultas orta, cum a Johanne II. patruo contracta suscipere nollet. Cœterum vendidit Neoburgico agnato prætensionem suam Juliacensem, atque conjugem duxit Julianam Magdalenam patruelem, A.C. 1645. è qua præter Carolam Amaliam 1653. Ludovicam Magdalenam 1654. Mariam Sophiam 1655. natas, filiosque aliquos immaturâ ætate extinctos; inprimis suscepit Carolum, natum 1659 mortuum 1673. & Wilhelmum Ludovicum, natum 1648. & successioni paternæ destinatum. Sed turbato mortalitatis ordine, & hunc filium, A. C. 1675. & ex eo & Carola Friderica agnata nepotem Carolum Ludovicum, atque ita totam spem successionis extingui vidit & luxit: ipse post conjugis mortem, aliâ ignobili ductâ, aliquot quidem filiorum pater, sed quibus successio negata. Sed & Bipontum à Gallis occupari, aliaque belli mala in ditione expertus est. Progenitores ejus quod attinet, hi fuere: Ludovicus Com. Palatinus Rheni in *Zweibrucken*, defunctus A.C. 1489. ex Johanna (fil. Antonii Croji Com. Porceani) reliquit filium Alexandrum *C. Pal. Rh. in Zweibr.* qui obiit A. C. 1514. Pater ex Margaretha Hohenloica (fil. Cratonis) Ludovici *C. Pal. Rh. in Zweibruck* extincti A.C. 1532. Huic ex Elisabetha Hassiaca (fil. Wilhelmi Landgr. Hassiæ) genitus Wolphgangus *C. Pal. Rh.* decessit A.C.1569. inter alios, ex Anna Hassiaca (fil. Philippi Landgravii) relicto Johanne I. *C. Pal. Rh. in Bipont.* cui defuncto A.C. 1604. ex Magdalena Juliac. ut dictum, fil. fuit Frid. Casimirus, pater Frid. Lud. lineæ suæ extremi. V. Phil. Jac. Spenerum *Syllog. Geneal. Histor. in Fam. Palatina*, & *Theatr. Part. I. p.*124.

Lanea Corona antiquissima. Isidorus *L.*19. *c.*30 *Hujus* (coronæ) *principium à Libero quo jam Gentiles existimant, quòd is in potando merum vino capita vincire fasciolis instituerit. Idcirco olim laneis ac laneis generis coronas fuisse. Sic enumerat in Sacerdotibus Gentilium.* Ubi quod de *Sacerdotibus* ait, illustravit hunc eorum ornatum *Commentario ad Claudianum de Raptu l.* 2. Janus Parrhasius non inscitè, ex Verrio Flacco, V. quoque Casp. Barthium *Animadv. ad Statium Theb. l.* 4. *v.* 491. Nempe, ut olea, sic & *lana*, argumentum pacis habita, ac utraque, velut gemellæ, unà emerserunt. Justinus *l.* 2. *Primi Atheniensis Lanificii & olei & vini usum docuere, quibus scilicet omnibus homines fruuntur in pace.* Quam ob causam Virgilius oleæ ramo, quem Pallanti prætendit Æneas, addit vittas i. *lanam*, apud Virgil. *l.* 8.

Et vittâ comptos voluit prætendere ramos.

ubi Servius: *Vittas autem habet ramus olivæ ideò, ut imbellem & imbecillitatem offerentis ostendat. Scimus enim oves, unde lana — egere alieno semper auxilio.* Huc accedit, quod *lanâ* nihil tenerius mollius. quæ Ideo *cingulo nova nupta præcingebatur*, inquit Festus, *quod vir in lecto solvebat factum ex lana ovis; ut sicut illa in glomos sublata conjuncta inter se sit, sic vir suus secum cinctus, vinctusq; esset.* Qua ipsa de causa forsan nova Nupta viri januam lanâ coronabat. Quem ritum tangit Plin. *l.*29. *c.* 2. *Lanis auctoritatem veteres Romani etiam religiosam habuere, postes à nubentibus attingi jubentes.* Ubi quod de religione Romanorum habet, confirmatur ex Pausania, qui ab Antiocho R. in Olympii Jovis Templo *laneum velum*, cum textili Assyriorum opere, tum Phœnicum purpurâ luculentum, dedicatum, fuisse *l.* 5. & Polluce, qui pileo laneo purpureo Deorum sedes illustrari, memorat *l.* 7. *c.* 13. Sed & Deos precantes *baculum & lanam* tenere consuevisse, Plut. docet *de Fortun.* & Jovis Ctesii aures albâ lanâ coronatæ: & crateres ovis juvenculæ novâ lanâ cincti, occurrunt apud Athenæum *l.* 15. & Sophoclem *Oedipo.* Inprimis verò celebris fuit, à *lana*, quâ coronabatur, nomen adepta εἰρεσιώνη, de qua V. suprà in voce *Eiresione*: quo ramo Apollini Athenienses eo die, quo Theseus unà cum sociis periculo exemptus credebatur, supplicare quotannis solebant &c. Postquam dein alia coronamenta successere, in mediocribus *lana* haberi cœperunt. Unde cùm mas natus esset, ante fores oleæ ramum; si fœmina, *coronam laneam.* Διὰ τὴν ταλασίαν, Athenis poni in more fuisse, legitur apud Hesych. στέφος ἐκφέρειν. Imò & adulterum deprehensum Gortynæ, quæ urbs Cretæ est, *lanâ* coronari consuevisse, velut mollis & effœminati animi signo, tradit Ælianus *Var. Hist. l.* 12. *c.* 12. Sed & Homerum, e Rep. sua eliminandum eadem coronâ insignit Plato *de Rep. l.* 3. Qua de re V. plura apud Car. Paschasium *Coronar. l.* 5. *c.* 15. Non omittendum tamen, *cùm ad sepulchrum ferrent postea frondes* (prisci) postmodum *lanam quoq; addidisse*, uti Varro ait *de L. L. l.* 6. quo de more V. Jo. Meursium *comment. in Lycophronem.*

Lanei Pentadactyli, apud Lutatium, chirothecæ sunt quinque digitos integros tegentes & partem brachii. Ita autem is *ad Papinianum hocce Thebaid. l.* 6 *v.* 785.

——— *verùm ut fissam super ora reduxit*
Fortè manum, & summo maculas in vellere vidit:

Quia laneos, inquit, *habebant pentadactyles sub cæstibus, quos eminebant supra brachia.* V. quoque Casp. Barthium *ad l.*

Langenburgum, Germ. *Langenburg*, castrum Germaniæ, in Franconia, sub proprio Comite, ex Familia Hohenloica. Cum enim illustris hæc familia varias subiisset divisiones, uti suprà visum, præcipua hodie est, in *Langenburgicum* & Waldenburgicum ramum; quorum illius Ludovicus Casimirus, hujus Eberhardus, uterque Georgii extincti A.C.1551. filii, caput constituunt. Et quidem in illo, Wolfgangus Ludovici Casimiri filius, tres filios successores habuit; Georgium Fridericum in *Weickersheim*, Cratonem in *Neuenstein* & Philippum Ernestum in *Langenburg*, qui extinctus A.C.1628. ex Anna Maria Solmensi (fil. Ottonis Com. Solmensis in *Sonnenwald*) genuit Wolfgangum Ottonem (n. 1611. den. 1632.) Philippum Ernestum (n.1612. den. ..) Ludovicum Cratonem (n.1613. den. 1632.) Philippum Mauritium (n. 1614. den. 1632.) Georgium Fridericum (n. 1615. den. ...) Annam Magdalenam (n.1617. nuptam Georgio Ludovico Burggravio Kirchbergæ) Dorotheam Sophiam (n.1618. den. ...) Jo. Albertum (n.1619.) Evam Christinam (n.1621. uxorem Wolphgangi Friderici agnati) Mariam Julianam (n. 1623. uxorem primò Johannis Wilhelmi, secundò Francisci Dn. & Pinc. *de Limpurg.*) & Henricum Fridericum (n.1625.) qui ductâ agnatâ Eleonorâ Magdalenâ (fil. Georgii Friderici præfati Com. de *Hohenloë*, in *Weickersheim*) ex ea suscepit Sophiam Mariam (n.1653. den. *eod.*) Philippum Albertum Fridericum (n. & den. 1654.) Mariam Magdalenam (n. & den. 1655.) ac Ernestum Eberhardum Fridericum (n. 1656.) omnes *Com. de Hohenloë &c. lineæ Langenburgicæ.* Defunctâ verò A. C. 1657. uxore, Julianam Dorotheam Castellanam secundis nuptiis sibi junxit, Spenerus *Theatr. Part. I pag.* 34. & 136. E quo matrimonio ei nati sunt Albertus Wolfgangus, & fratres, Idem *Part. III. pag.* 89. Plura suprà, voce *Hohenlohe.*

Langeolum, in *Monastico* Anglic. *Tom. I. pag.* 419. vestis est interior lanea Monachorum, ad genua usque pertingens, sic dicta quòd *lanea* sit; unde laneos panniculos, quibus infantes circumvolvuntur, Galli etiamnum *Langes* appellant, Car. du Fresne *Glossar.*

Langi, apud Aldhelmum,

Loth quoq;, qui langos sceleratos vixerat inter,
Hospes hospitibus præbens umbracula tecti:

homines sunt *malæ vitæ* & profusæ libidinis; quos paulo post eadem de re agens, *scortatores* nominat & *cinædos*:

Cùm scortatores & molles fortè cinædos,
Qui Sodoma facinus patrabant more nefando,
Cærula fulminea torrerent fulmina flammis.

Iidem nempe cum iis, quos *tricones* vocat Jul. Capitolinus *in Vero Imp.* Græci ἀχρεῖους, *nulli rei bonæ homines.* Glossæ, *trico*, ἀχρεῖος, ἰκλυτος, λαγγών. Eædem *Cessator*, λαγγών. Itaque, qui nihil habent quod agant, homines desides & male feriati, isthoc nomine nuncupabantur & *Langones* ac *Langi* dicebantur. Salmasius *Not. ad Capitolinum.*

Lanipendium, in *Regula* Cæsarii *ad Virgines capite* 28. *Ad cellarium & ad posticium vel* lanipendium, *tales à Seniore eligantur* &c. locus est in Monasteriis fœminarum, ubi reponuntur *lanæ*, ad earum lanificia vel etiam ad vestes laneas. Hujus quæ curam gerit, *Lanipendia* dicitur *ibid. cap.* 25. *Omnis lanificii cura, unde vestimenta sanctis sororibus ministrentur, ad solicitudinem Præposita vel* Lanipendiæ *pertinebit.* Ad cujus officium illustrandum faciunt illa Juvenalis *Sat.* 6.

Est in consilio materna, admotaq; lanis
Emeritâ quæ cessat acu, &c.

V. Car. du Fresne *Glossar.* & Dominic. Macrum *in Hierolexico*, de *Lanificio* verò Vett. suprà.

Lanista, Isidoro est præfectus Gladiatorum, qui eos ad mutua in lanienam instituebat. Vox Thusca, ab hisce enim Gladiatores, Nic. Damasc. Conducebantur *Lanistæ* ingenti pretio qui, cùm opus esset, proposita pacta indicabant, quanti? ut gladiatorum pretia non acciperent: Fessis atque victis alia substituebant, Jo. Rosinus *Antiqq. Rom. libro 5. capite 24.* Dicti iisdem sunt *Patresfamiliâs*, namque & grex tyronum, quibus præerant, *familia* dicebatur. Suetonius *Caligulâ cap 26. Vilissimos senio confectos, gladiatores quoq; pegmates, Patresfamiliarum notos, sed insignes aliquâ debilitate corporis, rabidis feris subjiciebat.* Idem *Domitiano cap. 10.* pro *Lanista*, usurpavit *Patremfamiliâs.* Vetus Glossarium Philoxeni Græcolat. Ἐπιστάται μονομάχων, id est, *Doctores pugnantium*: Idem Αὐλοτρόφους & Μονομαχοτρόφους, *qui alerent Gladiatores, qui ludo arenaq; illos pararent*, vocat. Meminit eorum Martialis *l. 11. Epigr. 67.*

> *Et fraudator es & Lanista, miror*
> *Quare non habeas Vacerra nummos?*

Et veteris marmoris fragmentum: P. Pœtelius. *P. L. Syrus. Lanista. ad ar Porin. ar. Rom. dd vixit. ann 48. H. S. F.* Hi servos emebant è catasta, eosque omni crudelitatis genere exercebant instituebantque domi, ut iis, qui munera Gladiatoria edituri essent, artem edoctos elocarent. In qua licitatione summam curam adhibuere, ne manca aut mutila corpora haberent adolescentes, quos in ludo suo edocturi erant, ideoque & Medicum in emptione consuluere, qui vitium, si quod lateret, detegeret, quod in omnibus mancipiis etiam observatum, discimus ex Seneca *Epist 80. in fine.* Tangit ritum Pseudocornutus *in Sat. 6. Persii versu 77. Apud antiquos venales gladiatores in catasta ponebantur, ut in eu possint omnia membra conspici.* Si emtus Tyronum ille grex à *Lanistis*, in scenicas voluptates, *familia* ut dictum vocatus est: e qua quoties aliqui in arenam producebantur, insigni aliqua notâ quisque conspicuus erat. Unde Scholiastes Juvenalis *ad Sat. 3. vers. 158. Pinnis pavonum ornari solent gladiatores, si quando in arenam descendunt. Pinnirapos autem dicit Lanistas, ex habitu Gladiatorum, quia post mortem Retiarii Marmillo pinnam, i. e. maniceam rapit, ut ostendat populo se vicisse. aut ideo, quia pinnas in galeis habebant.* Ita autem habent verba Poetæ:

> *Hic plaudit nitidi præconis filius, inter*
> Pinnirapi *cultos juvenes juvenesq;* Lanistæ:

De pinnis vero hic Lucilius *l. 3.*

> *Cum septem incolumis pinnis redit, ac recipit se*, &c.

V. Thom. Dempsterum *Paralipomenis in locum Rosini præfatum*, & plura de Gladiatoribus *suprà.* Fuere & *Lanistæ avium* Athenis, sic Columellæ vocati, qui gallos gallinaceos, qui uno quotannis die publice in Theatro committi solebant, condocefaciebant ad pugnam. Habebant hi *Lanistæ* ludos suos in Sciro, nam fuisse ἐν τῷ κυβείῳ testis est Æschines ἐν τῷ κατὰ Τιμάρχου at vero κυβεῖον erat in Sciro. Unde ἐν τῷ Σκίρῳ Διατρίβειν [illegible] οἱ κυβεύοντες. V. Sam. Petitum *Comm in LL. Atticas l. 1. tit. [illegible] p. 48.* & infrà in voce *Gallus.*

Lanius, V. suprà *Carnifex.* Addo saltem hic *Lanii* filium ad Consulatum evectum Romæ, apud Liv. *l. 22. c. 26.* ubi de C. Ter. Varrone.

Lanugo, per blanditias, à grandibus natu tractata. Suetonius *Nerone cap 34. Quum* (matris suæ amitam) *eum — visitaret & illa tractans lanuginem ejus, ut assolet jam grandis natu*: ubi etiam legi potest, *jam gradibus natu, per blanditias fortè dixisset, Simul hanc excepero, mori volo* &c. Namque, velut sacrum aliquid *Lanugo*, seu primitiæ barbæ olim Apollini sacrabantur. Fingebatur enim Apollo formâ juvenili, quippe ἀεὶ καλὸς καὶ ἀεὶ νέος, *semper pulcher, semper juvenis*, ut de eo canit Callimachus *Hymn. in Apoll.* quæ fabula ex eo, quia Sol nullo vel tempore vel labore senescit. Idem χρυσοκόμης *auricomus* vocatus est ob radios aureos, quemadmodum & ob aureum Solis colorem, arcus, pharetra, cæteraque ei aurea tribuuntur. Ἀκερσεκόμης quoque Homero, sicut *Intonsus* Horatio *l. 1. Od. 21.* & *Comatus*, Scriptori Ithyphallico. Qui omnes eò spectarunt, quòd Solis radii sint pro comis, semperque iis cingatur, haud aliter, ac capillis ephebi, qui cirrati & intonsi. His itaque, simulac genas ac mentum *lanugo* vestire cœpisset, moris erat *resecare capillos, Phœboque eos offerre.* Quod Athenis observatum, ut constat ex *Plutarchi Theseo.* Idemque Romæ ac in Italia obtinuit: Unde Varro *Cat.* sive *de liberis educ. Itaq; Ambraciæ primum capillum puerilem demtum, item cirros, ad Apollinem ponere solent*, apud Nonium in *Cirri.* Meminereque ejus ritus etiam Statius *Sylv. 3.* Martialis *lib. 1. Epigrammm. 32.* Alii. Eò verò resectus Apollini κουροτρόφῳ dicabant, quòd similes huic Numini esse desiissent: uti nubentes zonam sacrabant Dianæ, quia desinerent esse similes Dianæ semper virginis V. Gerh. Joh. Vossium *de Idolol. libro 2. capite 12.* & in vocibus *Capillus*, *Coma* &c. Ad arborum *lanuginem* transeo, de qua Tertullianus *de Pall.* cùm ait, *Sed quoniam & arbusta vestiunt*, &c. Hæc enim verba de arboribus accipiunt hi aditu, quæ *lanam* ferunt, nec Salmasio displicet, de his accipi: interim etiam *arbusta* hîc intelligit, arbores illas, ex quibus sericum Seres colligunt, materiam vestium longè omnium nobilissimam. Sic idem *de Hab. Mul. arbores à Seribus neri dicit: Age nunc si ab initio rerum & Milesii oves tonderent, & Seres arbores nerent, & Tyrii tingerent, & Phryges insuerent, & Babylonii intexerent.* Hinc Ammianus sericum vocat *arborum fœtum, libro 23.* ubi *lanuginem* illam, quæ apud Seras ex arboribus depectitur non tantùm in arbore, sed etiam ex ipsa arbore naturâ ac sponte provenire, nullis vermibus eam texentibus, videtur existimasse; qua in sententia fuere Vett. quam plurimi. Plinius *libro 12. capite 10.* de arboribus laniferis Persicæ Insulæ: *Ejusdem Insulæ excelsiore suggestu lanigeræ arbores, alio modo, quàm Serum.* Arbores nempe, è quibus gossypium nascitur, in cucurbitis mali cotonei amplitudine, quæ *maturitate rupta*, verba sunt Plinii, *ostendunt lanuginis pilas*: at lanigeræ Serum arbores, è quibus sericum vellus depectebatur, folia *lanugine* operta habebant; quam lanuginem sive lanam, ex propria vi ac natura arboris nasci in foliis, omnino credidit Plinius, cùm multi tradant, vermium bombycibus similium opus illud esse. Plin. *libro 16. capite 24.* de foliis arborum: *Superior pars omnium lanuginem quantulamcunq; habet, quæ in aliis gentium lana est.* Quod sane verum, omnium foliorum superiorem partem *lanuginosam* aliquatenus existere: apud Seres *lanugo* illa, lana est, quæ depectitur & netur, ex qua sericum; Hæc Plinii mens est. Utrumque genus lanigerarum arborum, quæ in foliis lanam habent, & quæ in pomo, junctim etiam Virgilius recensuit, *Georgic. l. 2.*

> *Quid nemora Æthiopum molli canentia lana*
> *Velleraq; ut foliis depectant tenuia Seres?*

Et de utrisque haud dubiè intelligendus Tertullianus, quum *arbusta vestire*, dixit: quod habuit è Plinio, *Arabiæ autem arbores, ex quibus vestes fiunt, cynas vocant, folio palmæ simili. Sic Indos suæ arbores vestiunt.* Idem cum pergit, *Nec fuit satis tunicam pangere & serere, ni etiam vestitum piscari contigisset: nam & de mari vellera, quà muscosa lanositatis lautiores conchæ comant*: aliud *lanuginis* genus suggerit; nam & *marinum vellus* dicebatur hujus modi lanugo, quâ pinnæ comant. Græci πίννης ἔριον & πιννικόν. Glossæ, πίννινον, *marinum*: ut in Græco subaudiendum, ἔριον, sic in Lat. *vellus.* Unde πιννικόχροα [illegible] apud Constantinum *de Themat.* oves, quæ marino velleri similem lanam habent: ubi χρυσόχροα vocat. Nam hujus pinnici velleris color aureus; unde & puellæ crinibus suis illud immiscebant, ut magis flavi parerent. Nebatur autem ut lana, & ex ea vestes conficiebantur. Arrianus, *in Periplo maris Erythr.* ubi πινικοῦ κολύμβου [illegible] memorat, Ἐν ᾧ inquit, [illegible] τῆς Ἠπειρώτιδος [illegible] qui locus corruptissimus legitur apud Arrianum. Salmasius aliquando [illegible] emendabat, ut de margaritis perforandis acciperetur, nam pinna etiam margaritifera est. Postmodum verò de pinnico vellere accepit, quod ille semper πινικὸν vocat. Ἐριουργεῖν autem sic dicitur, ut [illegible], unde [illegible]: & [illegible], unde [illegible]. Quare [illegible] hîc est, *in lanæ modum nere*, ut [illegible] *subtemen nere*, [illegible] *stamen nere.* Etiam Procopius vestes ex pinnæ pilis confici solitas, testatur *de ædif. Justin.* ubi Interpres: *Chlamys ex lanis confecta, non quales ab ovibus proveniunt, sed quæ ex mari colliguntur. Pinnas animalia vocant, in quibus hæc lana*, &c. Ubi ἐρέα ἐν θαλάσσῃ [illegible], ut Arriano τὸ [illegible] πινικόν. Hoc ergo floccosum lanosumque pinnæ capillitium quod Græci ἔριον, Latini *vellus* & *lanam* appellant, doctissimis hominibus *byssum* placuit appellari, atque *byssum marinum* vocare non desiuunt. Sed rationem quis videt? Nam verba Aristotelis de pinna eò non ducunt: Αἱ δὲ πίνναι ὀρθαὶ ἐκ τῶν βυσσῶν ἐν τοῖς ἀμμώδεσι καὶ βορβορώδεσι; Nam βυσσὸς hîc est βυθός, atque ita posuit Athenæus ἐκ τοῦ βυθοῦ, ut jam docti animadverterunt. Non solùm igitur improprie, sed ineptè etiam *byssus* vocatur, quod lana est, atqui byssus linum, imò ne linum quidem, sed certa lini solùm species hoc nomine censebatur. Exponitur etiam à quibusdam byssus de colore purpureo. Hesychius, βύσσινον, πορφυροῦν, à flore byssi vel lini, qui purpurei coloris est: sed lanam nemo unquam byssum appellavit. Magister, qui ad locum cit. scripsit, ait communiter byssi nomine venire etiam bombycinum & sericum, Polluceмque nominat auctorem: verùm hujus ipsius testimonio refellitur ac revincitur. Uno eodemque capite tractat Pollux de bysso, de erioxylo & de bombyce, cui capiti inscriptus titulus est factus ab imperitis, περὶ βυσσίνων, quasi scilicet & bombycina byssinorum nomine censeantur, aut gossypina, quod absurdissimum est. Pollucis hæc verba sunt: Καὶ [illegible] τὰ βύσσινα. ἡ δὲ βύσσος λίνον τι [illegible] παρ' Ἰνδοῖς: nusquam verò apud eum reperies, byssum *laneam* appellari, aut *lana* nomine byssum dici. Sequitur statim apud eundem: Ἤδη δὲ καὶ παρ' Αἰγυπτίοις ἀπὸ ξύλου τι ἔριον γίγνεσθαι. ἐξ οὗ τὴν ἐσθῆτα λίνῳ ἂν τις μᾶλλον φαίη προσεοικέναι πλὴν τῷ πάχει, ubi aperte lanam à bysso distinguit. Capillitium igitur sive *lanugo* pinnæ lana est, non linum, &c. V. Claud. Salmasium *Notis in Tertulliani librum de Pallio.* ut & infrà, ubi de *Pinnico.*

Lanuvium Villa, apud Julium Capitolinum *in Antonino Pio*: *Ipse — natus est — in villa Lanuvina, educatus Lauri in Aurelia, ubi postea Palatium extruxit*: sic dicta videtur Salmasio quod *Lanuvio* municipio vicina esset; è quo municipio originem duxisse Antoninum Pium, scribit Aurelius Victor. Marcus quinetiam Antoninus Pium valde in vestitu civilem & [illegible]

co-

communem fuisse, ut ostendat, scribit eum sæpius *Lanuvii* visum fuisse tunicatum: Οὐ φιλοκαλῶν, ὁ περὶ τὰς ἐσθῆτας ἱματισμὸς ὁ περὶ ἐσθῆτα ὕφος καὶ χρόας ὁ τοῦ ... κατὰ τὸ ... ἐν λινοῖς ... τοῦ φιλικοῦ ... καὶ πᾶς ὁ τοιοῦτος τρόπος. Tunicatos n. in municipiis fere omnes, non togatos, fuisse, ex Juvenali didicimus,

—— tunica summis ædilibus alta
Nemo togam sumit, nisi mortuus —

V. Casaubonum & Salmasium *Not. ad Capitolin.*

Lanx, an à λαγχάνω, *sortior, partem capio*, κληρῶ, varia significat, uti vidimus supra, in voce *Lances*. Sed & vas sacrificale denotare, habes apud Martinium *Lexic. Philol.* quem vide. Addam hic saltem aliquid, *de Furto per lancem & licium concepto*, apud vett. Romanos, de quo sic A. Gellius *libro* 11. *capite* 18. *Ea quoque furta, quæ per lancem liciumque concepta essent, perinde ac si manifesta forent, vindicaverunt.* Quæ verba quid sibi velint, habes apud Festum: *Lance & licio dicebatur apud antiquos, quia qui furtum ibat quærere in domo aliena, licio cinctus intrabat, lancemque ante oculos tenebat, propter matrumfamilias aut virginum præsentiam.* Hunc autem morem Romani ab Atheniensibus acceperere: apud quos, qui res quærebant furtivas, nudi cinctiuculo amicti ædes suspectas intrabant, cùm prius Deos essent contestati, se inveniendi spe quærere, uti pluribus exponit Scholiastes Aristophanis *in Nub.* & Plato *de LL. lib.* 12 ubi ἀζώους ἢ χιτωνίσκον ἔχοντας alterius ædes debuisse intrare tales, ait. χιτωνίσκον à. veteres Romani *licium* vocarunt. Nempe nudi cætera esse debebant, ne quid forte vestibus conditum inferrent, dominoque falsum crimen objectare possent. *Lance* v. ante oculos utebantur, quia non licebat viro externo intrare γυναικωνῖτιν. *Concepti* autem, ut Paulus testatur 2. *Sent.* 31. *is tenetur, apud quem furtum quæsitum & inventum est* &c. V. Thysium & Oiselium, *Not. ad A. Gellium l. cit.* ut & suprà, ubi de *Furto*.

Laocoon, adde: *Eum ex uno lapide, & liberos draconumque mirabiles nexus, de consilii sententia fecere summi artifices Agesander & Polydorus & Athenodorus Rhodii*; quod *opus omnibus & picturæ & statuariæ artis præferendum, in Titi Imperatoris domo* fuisse, memorat Plinius *libro* 36. *capite* 5. Prope Thermas verò Titi, quas hodie in Hortis D. Petri in Vinculis Romæ locant, repertum A. C. 1506. adnotat Car. Patinus *Notis ad Suetonii Titum c.* 8.

Laodamia, adde: Ejus picturâ Ctesidemum inclaruisse, idem tradit Plinius *l.* 35. *c.* 11.

Laodicea, urbs Phrygiæ, adde: Hodie *Eskihissar* Turcis, hoc est, *vetus castrum*, planè in ruinis jacet, nec præter molendinum, & quatuor ex marmore theatra, in quorum uno *Inscr.* Græca honori Vespasiani facta, residuum quidquam est, uti refert Jac. Sponius *Itiner. Part. I. pag.* 346. qui etiam duorum nummorum Marci Aurelii in cujus altera parte, ΛΑΟΔΙΚΕΩΝ ΠΕΡΓΑΜΗΝΩΝ ΟΜΟΝΙΟΑ: Alterius Otaciliæ Severæ, in cujus postico latere ΛΑΟΔΙΚΕΩΝ ΕΦΕΣΙΩΝ ΟΜΟΝΟΙΑ, scriptum, meminit, *Part.* 3 *pag.* 179. & 180. Cæterum numerus Canonum est LIX. qui etiam leguntur in *Codice Canonum Eccl. univ.* Habitum verò hoc Concilium fuisse A. C. 364. contendit Jo. Dallæus *in Pseudep. Apostol. p.* 517. & 673. V. quoque Gerh. von Mastricht *Hist. Juris Eccl. n.* 24.

Laosynactes, Græce Λαοσυνάκτης, inter officia & dignitates fuit magnæ Ecclesiæ CPolitanæ. Solebant illi Diaconos congregare & intonare, ne quis ex ipsis abesset: Principes item & populum Ecclesiam convocare. Aliter Πρωτοψάλτης, V. infrà, in voce *Psaltes*.

Lapidatio, pœnæ genus, tum statuis Numinum ab iratis Gentilibus; tum hominibus scelere devinctis, à Judice justo, irrogari solitum: de quorum illo V. infrà, ubi de *Statuis*; de isto, in voce *Lapis*.

à *Lapide* Cornelius, Eburo, patriâ Bucoldianus, instituto Jesuita: Scripsit *Commentaria in S. Scripturam*, quæ variis locis & vicibus sunt impressa. Opera ejus 11. Volumina in fol. implent. Obiit A. C. 1637. *Pusillus quidem corpore, at ingenio magnus fuit*, Valer. *in Bibliotheca Belgica*.

Lapides Vivi, apud Æl. Lampridium *in Antonino Heliogabalo*, *Lapides, qui Divi dicuntur, ex proprio templo Dianæ Laodiceæ, ex adyto suo, in quo id Orestes posuerat, auferre voluit*; ubi *divi* alii legunt, intelligentes hoc nomine famosissimum illud simulachrum, ab Oreste & Iphigenia è Taurica ablatum, quod apud se conditum esse, tot civitates Asiæ Europæque olim contendebant. Salmasio sunt, quos ἐμψύχους λίθους vett. Scriptores Græci, item Βαιτύλους, vocabant; de quibus multa mira fabulosaque Græci narrant, ut vidimus suprà in hac voce, & mox, *Lapis Jupiter*.

Lapidicina, V. infrà *Latomia*.

Lapilli Candefacti, multiplici apud Arabas in usu. Jis enim lac coquere, carnes ad elixum assare, stigmata etiam & cauteria vivæ carni imprimere ac inurere consuevere; cujusmodi lapidem illi *ridpha* dicunt, voce parùm abludente ab Hebr. רצפת *rispha* seu *ritspha*, quod occurrit 1. Regum *cap.* 19. *vers.* 6. ubi de subcinericio pane, Eliæ in deserto oblato, & Esajæ *capite* 6. *versu* 6. ubi de Seraphinorum uno, in manu רצפת habente, quo forcipe ex Altari sumto & ad labia Prophetæ applicito, ea purificavit. In quo utroque loco cum vocem Hebræam Seniores ἄνθρακας, Latini *carbones* seu *prunas* magno consensu interpretentur; Bochartus *calculum* seu *lapillum ignitum*, vel *candefactum* exponit, existimans in Altari hujusmodi fuisse lapides, quorum contactu caro victimarum, quæ Deo offerebantur, vel coqueretur, vel absumeretur citius; adeoque horum uno per visionem ablato Seraphinum Prophetæ labia tetigisse ac mundavisse. V. eum *Hierozoici Parte prior. l. II. cap.* 34. ut & Herpenium *in Adagiis, post Locmanni Fabulas, editis*, nec non suprà in voce *Calculi*. Addam saltem, tacere hic apprimè, quod de calculis ex ara sumi solitis, ab Areopagitis Atheniensibus, in *Homicidii causa*, diximus suprà. At *Lapilli*, apud Statium *lib.* 4. *Sylv.* 6. *versu* 18.

Nox & Erythrææ Thetidis signanda lapillis
Et memoranda diu ——

sunt omne gemmarum genus, & margaritæ, C. Barthio. V. quoque *Commentaria* Theodori Marcilii *ad Persium pag.* 45. Et de gemmis quidem, res dubio caret, quamvis Jurecoll. *lapilles* à *gemmis* distinguant, posteriori hoc vocabulo indigitantes solum *lapilles* διαφανεῖς seu *pellucides*, qua de re V. Salmasium *ad Solinum passim*, inprimis *pag.* 91. Margaritas, quamvis ab iisdem lapidum censu eximantur, Hebræi, Arabes & Græci pro *lapillis* habent. Nec dissentiunt Romani Poetæ, Historici, Philosophi. Græci quoque recentiores margaritam compositâ hinc voce λιθομάργαρον vocant. Quam in rem V. Auctores citatos Sam. Bocharto *Hierozoici Parte poster. libro V. capite* 8. Sufficiat in præsens, quod Statius *niveos viridesque lapillos* appellat uniones & smaragdos, *libro* 1. *Sat.* 2. & elenchum *lapidem* Martialis, *lib.* 12. *Epigr.* 50.

Nunc plorat speculo fallax ancilla relicto:
Gemma vel à digito, vel cadit aure lapis.

Lapis, Jupiter, adde: Putat nonnemo, Veteres Jovem *Lapidem* appellasse, quod olim fuerit ejus lapideum simulachrum, atque ita Jovem, veluti testem juramenti sui, manu sua veneratos esse. Lampridius certe *in Heliogabalo*, *lapides* quoque *divos* dixit: ubi tamen Salmasius *vivos lapides*, scribi posse contendit, quos Græci ἐμψύχους λίθους appellarunt. Βαιτύλια λίθοι ἔμψυχοι Græcis, qui se movebant Dæmonis instinctu, ut vidimus. Istiusmodi *lapides* Saturno, Jovi, Soli, aliis Diis, sacros fuisse, refert Photius *in Bibliotheca*: & Rheam Saturno lapidem, pro Jove devorandum, objecisse, quem Βαιτύλον appellabant, fingunt Mythologi. Peregrino vocabulo Latini *Abadir* dixere, quo & Deum, & nominatum jam *lapidem* indigitarunt. Fuere & Athenienses soliti ad *lapidem* vel saxum jurare, unde Λιθομόται Hesychio, ἐπὶ τῷ λίθῳ ὀμνύντες, dicti: Hodieque apud Indos plurima Numina sub *lapidis* formâ adorari, annotavit diligenter Petrus de Valle *Itinerarii tomo* 4. Neque tantùm *lapidem*, sed etiam *lapidum congeriem*, divino cultu prosequutos esse Veteres, docet Theophrastus περὶ δεισιδαιμονίας, cum ait: Καὶ τῶν λιπαρῶν λίθων τῶν ἐν ταῖς τριόδοις, παριὼν ἐκ τῆς ληκύθου ἔλαιον καταχεῖν, καὶ ἐπὶ γόνατα πεσὼν καὶ προσκυνήσας ἀπαλλάττεσθαι: Unde & apparet, oleo illos delibutos fuisse. Vocabantur illi Græcis Ἑρμαῖοι λίθοι, quod statuas Mercurii, quæ in biviis triviisque colebantur, jactu lapidum prætereuntes augerent. Orientalibus quoque populis familiaris hæc superstitio: Arabes certè λίθον τετράγωνον, *Lapidem quadrangularem* coluisse, memoriæ reliquit Maximus Tyrius *Serm.* 38. de quo & Clemens *in Protreptico*. Cui Veneris caput fuisse insculptum, affirmat Euthymius Zygabenus *in Panoplia* & Catechesis Saracenorum. Hodie quoque saxum adhuc nigrum in templo Meccano venerantur Mahummedani. V. Proverbiorum *capite* 20. Item Seldenum *de Diis Syris*, & suprà in voce *Baetylus*. Porrò *Lapidum* usus fuit, in agrorum distinctionibus, qui proin *Terminales* dicti & corollis ornari, ungi ac coli soliti sunt, in honorem Dei Termini, docente Turnebo; In milliaribus signandis, quod nunc quoque quibusdam in locis, quemadmodum & prius communiter, obtinet. Hinc *Lapis* pro milliari: Martialis *lib.* 1. *Epigr.* 13.

Itur ad Herculei gelidas quà Tiburis arces,
Canaque sulphureis Albula fumat aquis.
Rura nemusque sacrum, dilectaque jugera Musis,
Signat vicina quartus ab urbe Lapis &c.

Gr. Σημεῖον. *Lapis* item Romæ locus erat, ubi res venales promulgabantur. Athenis duo *Lapides* erant argentei in Areopago, quibus Rei atque Accusatores insistebant: horum unum *Contumeliæ*, alterum *Impudentiæ* appellabant, Fr. Gouldmannus *Dict. Lat. Angl.* Petitus posteriorem, cui nempe Reus insidebat, *Innocentiæ* vocat. Sed & auribus *lapis* crebrò gestatus. Martialis *l.* 12. *Epigr.* 50.

Gemma vel à digitis, vel cadit aure lapis.

Nec aliter Manilius l.5. de Cassiope,

Perq; caput ducti lapides, per colla, manusq;, &c.

Sed hoc nomine bacas Margaritarum, quæ aures occupabant, intelligi quis est qui nesciat? Primus autem *lapides* perforasse dicitur Callimachus, sculptor prisci seculi eximius, teste Pausaniâ *in Atticis*. Quando pingi cœperint, exponit Plinius *libro* 35. *capite* 1. *Non placent jam abaci, nec spes montium in cubiculo delitescentes: cœpimus & lapidem pingere. Hoc Claudii principatu inventum: Neronis verò, maculas, quæ non essent, in crustis inserendo unitatem variare, ut ovatus esset.* Sed & herbis tingebantur. Idem *lib.* 22. *cap.* 2. *Nec committemus, ut, subjiciendo subtiliora, luxuriam utilitate circumscribamus, dicturi & aliàs herbis tingi lapides, parietesq; pingi.* Quin & coronatum lapidem, in quo Demonax sedere esset solitus, accepimus &c. Sed & in pœnam adhibiti lapides. Namque Gentiles, si quos ex charis amiserant, aut si quid secus contigerat, non onerare solùm querelis & maledictis incessere Deos suos ausi sunt, sed & eorum aras ac templa nonnunquam *lapidabant*, statuas dejiciebant & quid non? At gravium scelerum reos homines ipse Deus *lapidari* præcepit. Et quidem, quatuor cùm essent apud Hebræos suppliciorum genera, primum eorum *Lapidatio* fuit, alterum Combustio, reliqua Decollatio ac Suffocatio. Cùm *lapidandus* erat reus, deducebatur manibus vinctis in locum duos cubitos altum, e quo ab uno testium ictu in lumbos directo præceps dabatur. Qui si adhuc viveret, in altum levabant testes lapidem, duorum virorum onus, quem in miserum magnâ vi impellebant: quòd si ne sic quidem plane necatus esset, totus Israel saxeum in eum imbrem jaculari solitus est. V. Deuteron. *cap.* 17. *versu* 7. Quæ causa, quòd R. Akiba apud P. Fagium *in hunc locum*, putat, Idololatras inprimis, huic supplicio destinatos, reservatos fuisse, in aliquod ex tribus solennibus Israelitarum festis, quibus totus populus Hierosolymam convenire in more habebat. Nec hic finis, sed post mortem *lapidatus* majoris ignominiæ ergo, de infelici arbore suspendebatur, ad vesperam usque, quâ refixus, unà cum arbore, flammis datus est. Moses Kotsensis *fol.* 188 *col.* 4 & ex eo Thom. Goduvynus *de Ritibus Hebr.* l.5.c 7. Etiam apud Gentiles, jam ab antiquo, supplicii genus ultra ultimum, lapidibus sontes obruere, cujus vestigium apud Parthenium Erotic. 21. de Pisidice. Hinc apud Sophoclem *Antigone*, Creon minatur,

Φόνον προκεῖσθαι δημόλευστον ἐν πόλει,

si quis Polynicis cadaver sepelivisset. Apud Pausaniam in *Arcadicis*, pueri aliquot, qui Dianæ signum contumeliose habuerant, *lapidibus* obruti sunt. Et cui ignotus λαϊνος χιτὼν Homeri? Sic Simonem Magum populus lapidare voluit, apud Abdiam Babylon. *Histor. Apost. lib.* 1. Pescennius Niger, referente Æl. Spartiano, *Tribunos quos constitit stellaturas accepisse, lapidibus obrui ab auxiliaribus jussit.* Et jam diu ante de Antonio Appianus *Bell. Civ. lib.* 5. *Cum nihil moveretur, tum eum saxis appetebant.* Apulejus quoque *Miles.* 1. de Meroe, *Publicitus indignatio percrebuit, statutumq; est, ut in eam die alterâ severissime saxorum jaculatione vindicaretur.* Apud Vinc. item Bellovacensem *in Speculo Histor. Romæ, gladiatorio ludo celebrato, Telemachus Monachus increpitans populum ab eo lapidatur.* Adulterorum præcipue, ad imitationem Israelitarum, pœna, ut patet ex Jure Canon. *C. hinc apparet* 23 *q.* 5. *c. hæc imago* 33 *q.* 5. &c. V. Thom. Dempsterum *Paralipom. ad Rosini Antiqq. Rom. l.*8.*c.*24. & plura apud Jo. Meursium *Comm. ad illud Lycophronis*,

—— Δολόγχαις δημιλεύστοις ἄλγη.

Imò nihil hoc armorum genere in populari seditione frequentius. Notum illud Poetæ,

Ac veluti magno in populo cùm sæpe coorta est
Seditio, sævitq; animis ignobile vulgus,
Jamq; faces & saxa volant, furor arma ministrat.

Itaque in pugna inter Ombitas & Tentyritas, Poetæ Satyrico descripta, cùm initio teli vice sævissent nudæ manus, mox

——— *acrior impetus, & jam*
Saxa inclinatis per humum quæsita lacertis
Incipiunt torquere, domestica seditione
Tela ——

Quo meru petit Moses à Pharaone, ut Israelitis Deo sacra facturis ex Ægypto longius recedere liceat, *Sacrificia*, dicens, *nostra Ægyptiis essent abominanda, quæ proinde nos lapidarent*, Exodi. 8. *capite* 26. Hodieque in populosioribus quibusdam civitatibus, Ministros Justitiæ, si forte minus dextre officio suo fungantur, *lapidum* cumulo à furente plebe obrui sepelirique non raro, constat &c. Nec ad mortem solùm inferendam, adhibiti lapides: sed & *Lapides catenatos* ferre, pœnæ recentiori ævo species, fœminis potissimum inflicta. In *Charta MS.* Henrici Ducis Brabantiæ & Henrici primo-geniti Anno Christi 1229. pro Communia Bruxell. *Si mulier virum percusserit*, solvet 10. sol. si convicta fuerit, vel *portabit lapides catenatos*, à sua parochia ad aliam &c. apud Car. du Fresne *Glossar.* *Plura de Lapidibus*, apud Plinium passim, inprimis *libro* 36. *capite* 1. ut & infra, voce *Saxa*: de *Lapidibus* v. *aera*, in Auctoris, inter Liturgicos & Meursium, Lect. l.26, c.17.

Crimina, quæ lapidis pœnam merebantur apud Hebræos.

Incestus comissus cum propria Matre,	Si quis Spiritum, ut loquuntur, familiarem haberet.
cum Noverca,	Hariolandi scientia.
cum Nuru,	Instigatio ad Idololatriam privata.
cum Virgine desponsata,	Seductio ad eam publica.
Concubitus cum Masculo, cum bruto.	Veneficium: Profanatio Sabbathi: Diræ Parentibus dictæ, & inobedientia erga Parentes.
Blasphemia.	
Idololatria.	
Oblatio filiorum Molocho facta	

Lapis, piscis nomen, in Imperio Sinensi, ad civ. *Pingyang* prov. Xensiæ, qui exsiccatus ac in pulverem redactus sericisque pannis aspersus, eos à tineis omnino intactos incolumesque servat. Auctor Anonymus *Sina & Europa cap.* 42.

Lapis Bezoar, ut Officinæ vocant, Arabibus *hager bezahar*, m. l. *belzoar*, aut potius *belpazar*, ex *bel*, quod dominum notat, & *pazar*, ut Arabes, ac Persæ vocant hirci genus, unde is educitur: Veteribus Græcis Latinisque ignotus, Serapioni, Razi, Avenzoari & Arabum aliis tantâ vi adversus venena præditus dicitur, ut radicem ipsam veneni, & omnem ejus quantitatem exsuperare, ac extinguere prorsus potis sit; in febres pestilentes porro, syncopen, epilepsiam, vertiginem, lumbricos, calculum & affectus melancholicos, efficax. Quâ in parte corporis crescat, parum convenit: cum quidam e ventriculo peti, nonnulli e renibus, alii è fellis vesica, alii item ex intestinis, vel alia etiam corporis parte, contendant. V. Nic. Manardum Hispal. *libello de Lapide Bezoar, & herba Scorzonera*, sed optimus Casp. Bauhinum Bas. quem *accurate admodum scripsisse de lapidis hujus origine, natura atq; usu*, ait Vossius *de Orig. & progr. Idolol. lib* 3. *cap.* 58. Jo. Bapt. Tavernier, itinere in Orientem sexies suscepto cel. scriptor Gall. cui tit. *Observations sur le Commerce des Indes Orientales*, sic de illo: *Lapidem*, inquit, *nunc in faecibus intestinorum generis capræ hujusmodi, quæ depascuntur certum quoddam arbusculæ genus, folia & grana emittens circa quæ Bezoar in ventre earum formatur, ac eam sumit figuram, quam grana frondesq; depastæ permittunt. Numerum lapidum norunt exactè incolæ, animalis ventre ab utroq; latere fortiter concusso; ac pro eâ ratione pretium capræ statuunt. Cæterùm quo major lapis, eò pretiosior, quamvis exilioribus non minor sit virtus. Augent itaq; impostores magnitudinem ejus gummi quodam & materia colore Bezoar referente, ei tam tot involucris eum circumdant, quot habere solet lapis nativus. Sed fraus duobus modis deprehenditur: in aquam enim tepidam mersus, si nec de pondere quidquam amittat, nec colorem mutet, genuinus est, secus, si alterutrum fiat. Dein, si ferrea cuspis candefacta lapidem penetret, illumq; ad ruborem usq; torreat, certa adulterii ea nota est* &c.

Lapis Pacis, in *Statutis* Ordinis de Sempringham: *Ipsa quoque Sacrista vel alia matura recipiat ad fenestram aquam benedictam & Lapidem pacis, quem circumferat Monialibus sororibus, incipiens semper pacem dare, in dextro choro* &c. lapis est, qui in Ecclesia Rom. inter Missæ solennia, post consecrationem, ut vocant, osculandus fidelibus defertur; quo tum tempore olim mutuis sese osculis, quæ *Pacis* appellabant, prosequebantur, Car. du Fresne.

Lapsa Corona, infaustum olim omen habitum. Uti enim corona, præcipue in sacrificantibus, fuit omnis faustitatis index, ita quoque, si cui sacrificanti ea decideret, mali ominis certum existimabatur argumentum. Id quod in Galba observatum, Suetonius tradit; & in Sulpitio Val. Maximus *lib.* 1. *cap.* 1. quorum huic apex in sacrificando prolapsus Sacerdotium abstulit. Neque vero in sacrificando solùm, sed & in quavis publica & solenni administratione, *lapsa corona* infelix credebatur. Sil. Italicus *l.*16.

Tum verò infelix, veluti delapsa corona
Victoris capiti, fors; in se versus ob ira
Auratam medio ascendit pectore vestem.

V. Car. Pascalium *Coronar. libro* 4. *capite* 14. & de vario verbi *labi* significatu, apud Poetas inprimis, Caspar. Barthium *Animadversionibus Papinianis* passim; nec non suprà in voce *Cadere*.

Lapsana, Plinio *libro* 20. *capite* 9. olus sylvestre; unde forte *Lapsanium*, herba sale condita, quâ Ægyptii Monachi vescebantur, uti Cassianus auctor est *de Monachis libro* 4. *capite* 11. & 21.

Lapsi, item *Negatores*, dicebantur olim, ii maxime, qui tormentorum metu aut dolore adacti aut quocunque modo seducti, fidem Christo datam exuerunt, postea pœnitentia subeunte ad Ecclesiam reversi, V. Conc. Agathense *can.* 62. Aurelianense IV. c 8. Epaonense *can.* 29. Toletanum XVII. *can.* 13. Jac. Gothofredum *ad l.*5. *Cod. Theodos. de Apostat.* &c. Adde Pacianum Barcinonensem *Epist.* 3. Quos quòd nonnulli unâ severitatis regulâ metirentur, Cyprianus horum rigorem perstringens, *Alia est*, inquit, *Philosophorum & Stoicorum ratio, qui dicunt omnia peccata paria esse. inter Christianos autem & Philosophos plurimum distat*, *Epist.* 9. *ad Antonian.*

nian. apud Tob. Pfannerum *System. Theolog. Gentilis pur. c. 9. §. 13.* V. eundem *Lib. de Ritibus vet. Eccl.* Jo. Forbesium *Instructionum Historico-Theologic. lib. XII. cap. 3.* J. Casp. Suicerum *Thes. Eccl.* voce *Μετάνοια*, ubi multa in hanc rem, inter alia, de *Montanistis, Melitianis, Novatianis* & *Apostolicis*, pacem *Lapsis* omnibus; Luciferianis item, eam saltem Episcopis & Clericis negantibus, & hic, ubi *de Censura Eccl. Pœnitentia* &c.

Laquear seu *Lacunar*, propriè tectum, *lacubus* quadratis distinctum. Plana enim tecta *laqueabantur* tabulis in varias figuras cælatis, ut in mæandros & lacus & πλινθία & orbes vel triangulos, & alia: eùm, quæ cælata non erant, φατνώματα Græcis dicerentur. Adeoque *Laquear* à camera diversum: nam cameræ, curva tecta sunt, trullissari & tectorio inducì solitæ, de quarum dispositionibus videndus Vitruvius *lib. 7. cap. 3.* *laquearia* autem vel *laqueata tecta* erant, quæ nunc *lambrissata* Gallis; fiebantque ex tabulis ligneis variè, ut dictum, cælatis, quæ ut plurimum versatiles erant, ita ut flores & unguenta desuper spargerent. Suetonius *in Nerone*, *Cœnationes laqueatæ tabulis eburneis versatilibus, ut flores: fistulatis, ut unguenta desuper spargerentur.* Et quidem camerarum usum Vett. ignorantes, uti testatur alicubi Servius, *Laquearium* tantùm norant; eaque ratione vela subtendebant iis, ad excipiendum pulverem, qui per rimas tabularum multus consueverat manare: quibus non opus erat in cameris, ut quæ pulverem nec admittebant, nec transmittebant, tectorio quippe opere inductæ. At posterius ævum cameras etiam novit *laqueatas* & tabulis subtectas: cameras enim ex contignationibus quidem fecerunt, uti Vett. sed pro ligneo opere & albario tabulis eas subtexerunt. Isidorus, *Laquearia sunt, quæ cameram subtegunt & ornant, quæ & lacunaria dicuntur, quòd lacus quosdam quadratos vel rotundos ex ligno vel gypso vel coloribus habeant pictos.* Ubi planè confundit cameras Veterum cum cameris Recentiorū & *laquearia* à cameris non discernit. Nam in veris *Laquearibus*, nullum gypsum: in cameris verò Vett. quæ albario opere poliebantur, coronæ ex gypso fiebant ad ornamentum, quas hic Isidorus temerè confundit cum lacubus ligneis laqueatorum. At in cameris, quæ tabulis erant *laqueata*, *Lacunar* & *Camera* pro eodem usurpantur. Paulinus *Natali IX. de Basilica*,

—— *Insculptum cameræ crispante lacunar*
In ligno mentitur ebur.

Atque sic fiebant Basilicarum & templorum tecta: quemadmodum ex Paulo quoque Silentiario discimus, qui descriptâ conchâ (qua voce indigitatur camera sphæræ quadrifariam divisæ quartam partem assimilans) reliquum ejus tectum, quâ formâ fuerit, ita narrat inquiens;

Τὴν δὲ μετ' ... [illegible]
Ἐς βάσιν ... [illegible]
... [illegible]
... [illegible] &c.

V. Salmasium *Not. ad Vopiscum in Aureliano*, & in *Exercitat. ad Solinum pag. 1215.* Primus verò *Lacunaria* pinxit Pausias Sicyonius. Plin. *lib. 35 cap. 11.* *Pinxit penicillo parietes Thespiis — Idem & lacunaria primus pingere instituit. nec cameras ante eum taliter adornari mos erat.* At *Laquearia*, *quæ nunc & in privatis domibus auro teguntur, post Carthaginem eversam primò inaurata sunt in Capitolio, censurâ L. Mummii. Inde transiere in cameras: in parietes quoq;* &c. Idem *lib. 33. cap. 3.*

Laquearii, Gladiatorum species. Vide suprà in voce *Gladiatorii Ludi.*

Laqueata Vestes, apud Bromptonum A. C. 1188. *Ibi statutum fuit in Anglorum gente, nequis escarleto, sabelino, vario vel griseo aut vestimentis* laqueatis—*utatur*; & in Regula Fratrum Hospitalis S. Juliani in Anglia, *Habeant tunicam — de russeto, cum capucio de eadem secta, ita quòd manubria tunicæ sint clausa usq; ad manum, non nodulis vel filo ad modum secularium laqueata*: laqueis sunt seu loratis exornatæ vel adstrictæ, de cujusmodi *laqueis*, sic *Regula* Templariorum *cap. 29.* *De rostris & laqueis manifestum est esse gentile: & cùm abominabile hoc agnoscatur, prohibemus — ut aliquis ea non habeat*: Galli *Las* & *Lassets* vocant, C. du Fresne in *Glossario.*

Laqueus, ex Gr. λύγος, *vitex, salix*, quòd ista primitus laquei fuerint vice. In Græcorum aucupio notissimus fuit, e quibus Archia Poeta ... [illegible] *collo onerosum multis laqueis avium rete*, ... & Antipater Sidonius ... [illegible] *infractum volucrium colli laqueum*; item κλαγγεῦν ... [illegible] *clangentium gruum gula laqueum.* Proin Homerus *Il. χ.* procorum pellices, quorum

... [illegible]
Colla laquei erant, ut miserrimè morerentur;

cum turdis & palumbis confert, qui laqueo implicati sunt, collo nim. adstricti. Nempe etiam ad homines furto aliisque criminibus infames, id genus supplicii transiit, ut alibi dicemus. Sed venatio ista minus probata viris fortibus, V. infrà: quibus tamen etiam *laqueos* inservisse, discimus è Livio, ubi in oppugnationibus urbium *laqueis arietum ictus excipi* solitos, docet *lib. 42. cap. 15.* &c.

Lardarium, apud Gaufredum Vosiensem *part. 2. c. 12.* dies est Martis Carnisprivii, quem hoc nomine olim appellabant, Gall. *Mardy gras.* V. C. du Fresne *Glossar.* A' voce *lardum* seu *laridum*, quasi *largè aridum*; unde *ficci terga suis* interpretatur Juvenalis. Hujus usu, Judæis olim interdictum, lege de immundis animalibus; quæ cùm ceremonialis esset, in Novo Testam. sublata est, Judæis tamen hodieque superstitiosè & *lardo* & suillâ carne abstinentibus. At apud Gentiles *lardo* etiam Diis litatum. Hinc Bartholinus, ubi de Puerperarum Diis: *Nox genitalis Dea*, inquit, *juvat liberorum studium. Formula invocationis ter magna voce fuit repetita, & extensis brachiis. Huic aliàs in ara sacrificatum pulte fabacia & lardo, nec non gemellis agnis altrinsecus religatis* &c. V. eum *de Puerperio Vett. pag. 30.* & infrà, in voce *Laridum.*

Larentinalia, V. infrà *Laurentalia.*

Lares, eodem cum Genio inter Natales quoque Deos habiti olim sunt numero, ut docet Ovidius Fastorum *lib. 2.* & iis commendatam prolem pueritiam esse, innuit Claudianus *de Raptu Proserpinæ lib. 3.*

Infidis natam Laribus commisit alendam.

Idem Tibullus clarissimè innuit, *lib. 1. Eleg. 2.*

Sed patrii servate Lares, aluistis & iidem,
Cursarem vestros cùm tener ante pedes.

Quocirca tot reperiuntur Inscriptiones passim *Laribus*, pro domus salute & incolumitate dicatæ, Vide Thom. Bartholinum *de Puerperio Vett pag. 47.* Arnobio *Lares* Genii focorum fuere, unde Prudentio *nigri* dicti, & in veteri denario gentis Cassiæ, iis Vulcanus superpositus cernitur. Servius autem Tullius, *Laris* familiaris filius creditus est, quod ejus mater conceperit in foco: in cujus rei memoriam Compitalia *Laribus* & ludos instituit. His venerationis gratiâ consueverat ignis accendi, qui in atrio, non procul ab janua lucere solitus, à Janitore servabatur catenato: Unde Horatius *Sat. 5. versu 3.*

Multa Cicerrus ad hæc: donasset jamne catenam
Ex voto Laribus, quærebat. Scriba quòd esset,
Deterius nihilo dominæ jus esse

Confirmat Petronius, qui *Lares* argenteos apud Trimalcionem, in ædicula inter januam & atrium videtur locare, in armario viz. ut Plinius explicat. Habebat porrò & cubiculum suos *Lares*. Suetonius *Domitiano cap. 17.* *Puer, qui curæ Larium cubiculi ex consuetudine assistens, interfuit cædi* &c. Nec enim hæc de *Laribus* communibus accipi vult Pignorius, sed *Larario*, ut voca. Lampridius *in Alexandro Severo.* Proin idem, quod apud Suetonium de Augusto *cap. 7.* legimus: *Thurinum cognominatum, satis certa probatione tradiderim, nactus puerilem ejus imagunculam æream veterem, ferreis ac penè jam exolescentibus literis, hoc nomine inscriptam; quæ dono à me Principi data inter cubiculares colitur*: ad cubiculares illos Lares refert. Nec alibi, quàm in hoc secreto Lararìo L. Vitellius Auli Imp. pater, imagines videtur coluisse aureas Narcissi & Pallantis libertorum, apud Suetonium *cap. 2.* Vide in voce *Lararium*, & plura hanc in rem apud Casaubonum *ad Suetonium Augusto cap. 92.* ubi Penatum *Lariumq;* (qui Græcis ... [illegible] item Θεοὶ ἐφέστιοι) sedem in privatis ædibus non unam, & cultos maximè in foco; item in cubiculo; sæpe in aliqua parte atrii, putà in compluvio, vel in porticu ei adnexa, docet. Coronamenta eorum quod attinet, colebantur plerumque oblatione τῶν ἀπαρχῶν, *primitiarum*, uti docet Horatius *Serm. l. 2.*

—— —— *dulcia poma*
Et quoscunq; feret cultus tibi fundus honores
Ante Larem gustet venerabilior Lare dives.

Atque hinc Tibullus illos coronat spicis & uvâ, *lib. 1. Eleg. 10.* Sed & floribus cingebantur, quod propriè *Lares ornare* dicebatur. Unde de Augusto legimus *Compitales Lares ornare bis anno instituit, vernis floribus & æstivis*, apud Suetonium *cap. 31.* Violis præsertim, *Juv. Sat. 10.* nuper redimiebantur myrto & rore marino, apud Horatium *Carm. lib. 3. Ode ad Phidilen.* Postremò farre, ac tenui serto, sive corolla, Juven. *Sat. 9.* nempe à pauperibus: Aliòqui enim amplitudine coronarum colebantur, ut ex Festo discimus. Quæ coronæ Laribus impositæ dicebantur imponi focis, quòd sedes Larium ibi. Tibullus *lib. 1. Eleg. 2.*

Num ferar incestus sedes adiisse Deorum,
Sertaq; de sanctis deripuisse focis?

V. suprà in voce *Focus.* Præter coronas, (quas Kalendis, Idibus & Nonis, si festus dies fuerit, renovari jubet Cato *de R. R.* perque eosdem dies ari familiam supplicari) unguento quoque honorabantur. Prudentius *c. Symm. lib. 1.*

—— *saxa illita ceris*
Videras, unguentoq́; Lares humescere nigros.

Nigros, an quia fumosi, an quia atroces & vindices. Certè ... [illegible] illos facit Plut. ... [illegible] *furialia & pœnalia Numina*, ... [illegible] rigidos *vitarum & domorum inspectores* &c. Sed & Lucernas *Laribus* multas olim sacras fuisse, docent Gruterianæ *Inscriptiones pag.* ... mis 77. & exhibet earum unam Fortunius Licetus, cum *Inscr Laribus sacrum P. F. Roman.* quam explicat, *Laribus sacrum posuit Fulvius Romanus*, vultque additam vocem *Romanus*, quia illam sacraverit procul à patria, V. eum *de recond. Antiqq Lucernis lib. 6.* & plura de *Laribus*, in vocibus *Lar*, & *Lara*, item ubi de *Jezidis Diis*: de *Laribus v. Permarinis*, & eorum æde, Liv. *lib. 40. cap. 52.* Addam saltem, cùm Compitalium facta fuerit suprà mentio, in quovis

quovis compito vel *Larario*, fuisse duo semper Deorum signa, ex Ovidio *Fastorum lib.* 5. *versu* 34. &c.

Largitio, plus quam *donatio*; vel enim sic dicitur intempestiva donatio, aut flagitiosa, apud Tacitum, *Annal. lib.* 1. vel profusio: Apud Claudianum.

—— Largitor opum, largitor honorum
Pronus & in melius gaudens convertere fata.

Cujusmodi *Largitio*, Romæ publice quando facta primùm fuerit, docet Plinius *lib.* 33. *cap.* 11. *Populus Romanus stipem spargere cœpit, Sp. Posthumio. Q. Marcio Coss. tanta abundantia pecuniæ erat, ut eam conferret L. Scipioni ex qua is ludos fecit. Nam quòd Agrippæ Menenio sextantes asses in funus contulit, honoris id necessitatisq; propter paupertatem Agrippæ, non largitionis esse dixerim.* Postmodum illæ multum crevere. Et quidem *Donativum* Militi, *Congiarium* Populo, *Frumentum Panemq;* omnibus, sæpe erogata in Historiis legimus, de quibus omnibus, V. suo loco. Inprimis verò *Largitiones* Consulum Prætorumque, cùm Ludos ederent, ingentes olim, sub Valeriano præsertim & sequentibus Impp. quibus longè magis insaniebant sumtibus & profusionibus utrique, cùm Magistratum inibant. Hinc illæ Auctorum *Historiæ Aug.* de suis temporibus querelæ, *Consulatum jam non esse hominum, sed divitiarum.* Tota enim patrimonia in Ludos exhauriebantur, immanissimis *largitionibus* & insanissimis voluptatibus, ut videre est apud Vopiscum *in Aureliano & in Carino sub fin.* Sic Symmachum quis non miretur, cùm de mediocribus esset, in Prætura filii 20. auri centenaria prodegisse, h. e. centum sexaginta quatuor millia aureorum, qui tunc Romanis erant in usu. Imò fuerunt, qui illâ ætate alterum tantum impenderent, ut de Maximo narrat Olympiodorus, apud Photium. Unde moris tum fuit, ut tenuioris census hominibus, vel quibus alias cuperent Impp. simul cum honoribus sumtus quoque decernerent, cujus rei exempla passim obvia. *Largitionum* postea hujusmodi & erogationum itaque modum legi definiit Constantinus Imp. ut videre est *leg.* 5. & 25. *Cod. Theod. De Prætorib. & Quæstor.* easque ad magnam parcitatem redegit. Nam primæ Præturæ Flaviali viginti quinque millia follium & quinquaginta librarum argenti erogationem & sumptum præscripserat, h. e. centum argenti libras: 25000. enim follium non plus 50. libras argenti reddebant; sicque tantum in ære, quantum in argento, erogari voluit. Atque ita semper observatum, ut in auro & argento & ære largitiones illæ celebrarentur. At Constantinus *h. l.* argenti & æris meminit tantum, non etiam auri; quod forte ideo factum, ut, cum admodum arcte hanc licentiam circumscripsisset, in plures largitio spargi posset, si in æreis tantum & argenteis nummis ea perageretur: quum tantula summa, per paucos aureos nummos eroganda, non nisi ad paucos posset pervenire. Eodem pertinet *lex prima Cod. Theodos. de Ludor. expensis*, quâ constituerunt Impp. ibi nominati, *ut nulli prorsus alteri, exceptis Consulibus ordinariis, auri sportulam aut dyptica ex ebore dandi facultas esset*, ac ne argenteum quidem nummum fas esset expendere majorē, quàm qui formari solebat, cum argenti libra una in argenteos 60. divideretur. Justinianus etiam *Nov.* 105 ne Consules aurum spargerent, prohibuit &c. V. Salmasium *ad Spartianum in Hadriano, & Lampridium in Heliogabalo*; necnon hic passim, inprimis ubi de *Augusteone*, in phrasi *Consulatum edere*, de *Gradibus*, *Herbaticis animalibus* &c.

Largitiones, posteriorum Impp. ævo dictum Ærarium; nam pro Ærario sacro *Largitiones sacras* dixerunt, & Præfectum Ærarii sacri, *Comitem sacrarum Largitionum*: magnifico plane vocabulo, quasi ad nullam aliam rem ærarium Princeps haberet, quàm ad *largiendum*. Sic res etiam privatæ Principis, *Largitiones* dicebantur: quæ non tantùm in auro argentoque, gemmis & vestibus ac reliquis mobilibus consistebant, sed etiam in domibus palatiisque, prædiis ac possessionibus rebusque soli, erant positæ. Utrarumque *Largitionum, sacrarum & privatarum*, mentio est *leg.* 48. *Cod. Theod.* de *cursu publ.* & *l.* 1. *de Quæstor. Magistr. Offic.* Sic *l.* 2. *eod. tit.* Comitiva utriusque ærarii appellatur sacri & privati ærarii Præfectura. Claudianus *de Comite Sacr. Largit.*

Huic sacræ mandantur opes, orbisq; tributa,
Possessi quidquid fluviis evolvitur auri &c.

Hinc *sacris Largitionibus inferre*, pro ærario inferre; & *Largitionales tituli*, in *Cod. Theodos.* species omnes publicæ, quæ ærario, i. ut tunc vocabant, *Largitionibus* inferebantur. Sub ejus dispositione itaque vestium omne genus Textores, Murileguli, Tinctores, Præfecti baphiorum, Magistri lineæ vestis, Magistri privatæ, Gynæciarii, Alii. Sic *leg* 14. *Cod. de Murileg. & Gynæciariis*, baphiorum & textrinorum Procuratores, rem sacri ærarii procurare dicuntur; ubi sacrum ærarium *sacras Largitiones* vocat, quæ *Erogationes* quoque dictæ, *Cod. Theod. tit. eod. lib.* 6. &c. Vide Salmasium *ad Flav. Vopiscum in Aureliano* & *suprà* in voce *Comes*.

Largius Euripianus, Vir Consularis, jussu Commodi occisus, apud Æl. Lampridium *in Commodo*: ubi alii *Lartius*, nonnulli *Larcius*, leguñt. Fuit, an nepos illius, de quo Scævola *in L.* 21. *ff. De annuis Legatis* &c. Casaubonus *ad Lampridium*.

Largus, cognomẽ Othonis D. Brunsuic. qui maximus filiorum Alberti *Pinguis* seu *Magni*, Brunsuicensis lineæ conditoris, ab uxore priore Agnete, fil. Conradi I. Hermanni Elect. Brandeb. veterem Marchiam obtinuit, sed vi ereptam iterum amisit, mortuus A. C. 1374. relictâ filiâ Agnete, quæ Barnimo III. Pomer. D. nupsit. Phil. Jac. Spenerus *Sylloge Geneal. Histor.* in *Fam. Guelfica.*

Laridum, inter annonarias species militibus erogandas. Capitolinus *in Gordiano Jun. Cujus viri tanta in Rep. dispositio fuit, ut nulla esset unquam civitas limitanea potior, quæ non posset exercitum Romanum ac Principem ferre, quæ totius anni in aceto, frumento, &* larido *atq; hordeo & paleis conditta non haberet.* Vid. in, ta in voce *Condita*, item in *Horreum*. Intelligit autem *Laridi* nomine Salmasius carnem porcinam, & quidem salitam, recenti & nondum salitæ oppositam, ex *l.* 2. *tit. de erogat. mil. in Cod. Theod.* V. eum *Not. ad Vopiscum in Probo*, & suprà, ubi de *Conditis Militaribus*, nec non in voce *Lardum*.

Larix, arbor est, *cujus folium, cortex, resina, spongia, oleum & aqua, Medicis feliciter famulantur, inprimis pilulæ ex agarico & agaricus trochiscatus (spongia est ipsa) in dissolvendo & evacuando. Formicæ congerunt lachrymulas & radicum & arboris in suas cavas, unde suffumigia fiunt laudatissima, vel ipso thure gratiora. Sed & in his Libanus fuerit thurifera & cedrus*, Auctor Anonymus Sina & Eur. cap. 35. Cœterùm *nec ardet, nec carbonem facit, nec alio modo ignis vi consumitur—picea magis alta, crassiore laviorq; cortice, folio villosior, pinguior & densior, mollior q; flexu*, Plin. *lib.* 16. *vers.* 10. cui inter arbores quoque, quæ cariem vetustatemque non sentiunt, recensetur, *cap.* 40. ut & inter eas, quæ pondus validè sustinent, *cap.* 42. Altitudinem ejus quod attinet, idem alibi, *ubi Tiberii principatu visam Romæ laricis trabem, longam pedes viginti supra centum, bipedali crassitie æquali*, refert. V. plura de hac arbore, apud eundem *l.* 14. *c.* 16. *l.* 16. *c.* 42. &c.

Lartius, V. suprà, *Largius*.

Larvati, & *Cerriti*, junguntur apud Aldhelmum *de Laud. Virg. cap. ult. ubi de Anatolia. Exoratæ enim filiam Consulis energumenam, rigidis catenarum nexibus adstrictam, expulso habitatore, dicto citiùs curavit, quæ rumore claresceute & larvatos & comitiales & cerritos valetudini pristinæ sanitati restituit.* Sic in *Menachmis* Plautus, *Quid esse illi morbi dixeras? narra senex, num larvatus aut cerritus?* V. Joan. Fridericum Gronovium *Observat. in Eccles. Script. cap.* 8.

Larus, an ex λαρὸς, ob suavitatem gustus, quasi λίαν ἀρεστὸς τῇ ψυχῇ: an a λάλος, ob garrulitatem, *famosus* enim est, an quasi λαβρὸς, a vorandi impetu? Hebr. שחף *schachaph* dicitur, à tabe. *Nulla enim est avis molis ratione tam levis. Cùm enim sit gallina crassior, non habet tantum carnis, quantum coturnix*, Belon *in lib.* 3. *cap.* 13. Quod in cepho maximè deprehenditur, *lari* specie levissimâ, quæ plumæ plurimum, sed carnis minimum habet. Aristoph. Schol. *in Pace*, Εὐηθὲς ζῶον ὁ κέπφος — ἐκ τῆς θαλάττης ζῆν αὐτὸν λέγουσι. ἐσθίοντα τὸν ἀφρὸν· εἶναι δὲ αὐτὸν πολὺν μὲν ἐν τοῖς πτεροῖς, ὀλίγον δὲ ἐν τοῖς κρέασι, *Cepphus est animal stolidum — Eum autem aiunt ex mari vivere, spumam edentem, & plumarum quidem multum habere, sed parùm carnium.* Hinc incautus juvenis, adulteram dicitur sequi κεπφωθεὶς, *cepphi instar*, qui non tantùm ad omnem ventum leviter circumagitur, sed & facilè decipitur ac inescatur. Eum enim fluctibus supernatantem, spumâ oblatâ, nullo negotio ad se allicere atque injectâ manu capere, piscatorum filios, tradit Scholiastes præfatus *in Pluto*. Vide quoque Philosophum *Historia Animal. lib.* 9. *cap.* 35. Nicandrum *Alexipharm. versu* 165. Hesychium, Suidam, Etymologum, alios. Unde κέπφος adjective, apud Aristophanem priori loco,

Καὶ κέπφοι τρήρωνες ——
Et cepphi turtures ——

i. stulti ac simplices. Et postea, Ὦ κέπφε, *ò fatue!* Cœterùm inter immundas aves, etiam hæc recensetur, *Levit. cap.* 11. *vers.* 16. ubi *alcionem* habet Junius, sed *larum*, vel saltem lari speciem *cepphum*, ibi intelligendam, docet Sam. Bochartus *Hierozoici Parte poster. lib. II. cap.* 18.

Lascivia, ludentium est. Philoxenus *Glossario. Lascivi*, σκιρτηταί. *Lascivia, ludentium.* Sic *lascivitèr ludunt*, dixit Lævius *Erotopægnion* VI. citante Carisio *lib.* 2. Et *lascivum voluptuosum & desidiosum*, interpretatur Servius, *ad Eclogam* 2. Proprie puerorum. Scholiastes Papinii Statii *Theb. lib.* 5. *versu* 612. ad illud,

—— modò quem digressa reliqui
L*ascivum, & prono vexantem gramina cursu.*

Lascivientem, inquit, *& ludentem puerili more*: Originem simul vocis aperiens; quemadmodum & in optimo libro hoc loco *Lascivum* scriptum esse, Barthius notat. Horatius *lib.* 1. *Sat.* 3. *vellunt tibi barbam lascivi pueri.* Ubi Epicureos intelligi, per contemptum extremum sic à Stoicis vocatos, observat vetus Commentator &c. Inde vox latiùs extensa, ad amores inprimis, & mele seu odas, quibus amatorias curas cantare Veteres consuevere. Cujusmodi μέτρον ἐρωτικὸν, *metrum lascivum*, primum ajunt excogitasse Alcmana; alii Ametorem Eleuthernæum, cujus propterea posteri *Ametores* itidem dicti. Certè in hoc genere plurima fuit Sappho, Anacreon, alii. Jul. Cæs. Scaliger *Poetices lib.* 1. *cap.* 44. &c.

Laser, in condimentis Vett. multi usus. Apicii *Excerpta. In brevi pigmentorum, quæ in domo esse debent, ut condimentis nihil desit,*

[illegible] recenseantur crocum, piper, zingiber, laser, folium, bacca myrtea, costum, caryophyllum. Et paulo infrà, *de siccis hoc, laseris radices, mentha, nepeta, satvia.* Et apud Eundem, *porcellus laseratus*, h. e. lasere conditus & *hœdus laseratus*. Græci σιλφωῦν dicunt. Diog. Laertius *in Vita Polemonis*, ἦν δὲ ἀκριβὴς τε καὶ γενναῖος, ἀπεγνωσμένος, ἃ φησιν Α᾽ριστοφάνης περὶ Ε᾽υριπίδου, ὀξωτὰ καὶ σιλφιωτά, h. e. *orationem fucatam & jucundo sapore conditam*, metaph. à ciborum condimentis desumtâ &c. Inter varia autem *Laseris*, vel *Laserpicii* genera, Cyrenaicum, quod suavissimi odoris erat, præstantissimum fuit: unde est, quòd *Laserpicii* caulem in nummis suis incudendum ab antiquo curaverint Cyrenenses. Namque &, quamdiu nomen Battiadarum Cyrenis regnavit, nummos eâ formâ percussos habuisse videntur, qui ab uno latere Batti imaginem, ab altero Cyrenas regnum & *Silphium* (cujus lac ac succus laserpicium est) Batto offerentes præferebant; unde Prov. τὸ Βάττου σίλφιον: & post extinctam Battiadarum familiam, in suis nummis caulem silphii deinceps & Hammonis effigiem insculpserunt; cujusmodi nummum argenteum exhibet Salmasius infrà laudandus. Et quia impenso pretio apud illos venire solebat, ut in alias regiones inde efferretur, memorat Arrianus, Cyrenenses quàm longissimè à laserpicifera regione, quæ 30. m. p. lata & 250. longa erat, pecus abigere consuevisse, quosdam etiam circumsepisse locum, ne pecus (hujus plantæ valde appetens) intrare posset. At jam tempore Plinii nullum amplius Cyrenaicum *laser* inveniebatur, qui unum solum memoriâ suâ caulem repertum, Neroni Principi missum esse, addit. Nempe Publicani, qui pascua conducebant, pecus inigebant in σιλφιοφόρον totamque eam vastabant pabulo pecorum, quoniam majus lucrum percipiebant ex pecoribus *laserpicio* saginatis, quam si id colligendum ad usum mensarum ac medelarum conduxissent. Aliam causam hujus rei Strabo adducit, qui à Nomadibus vastitatem his agris, ab Hesperidibus oppido, quod in extimo cornu Syrtis situm erat, circa Syrtim omnem sese extendentibus, illatam refert *lib.* 17. Ο῾μορεῖ δὲ τῇ Κυρηναίᾳ ἥ τε σιλφιοφόρος, καὶ ὁ ὀπὸς ὁ Κυρηναϊκός, ὃν ἐκφέρει τὸ σίλφιον ὀπισθὲν ἐγγὺς δὲ ἦλθε ἐκλιπεῖν ἐπελθόντων τῶν βαρβάρων κατ᾽ ἔχθραν τινὰ καὶ φθειράντων τὰς ῥίζας τοῦ φυτοῦ. εἰσὶ δὲ Νομάδες. A᾽ quo tempore, extincto Cyrenaico, ex Perside, Media & Armenia, *Laser* advehi cœpit &c. Quam in rem plura, si placet, V. apud Salmasium *ad Solinum passim, inprimis p.* 551. & *seqq.*

Lassi, apud Saxones olim servi dicti: horum enim gentem in tres ordines, *Edelingos*, i. Nobiles; Frilingos i. Ingenuos & *Lassos* i. Servos, divisam fuisse, Nitnardus refert *lib.* 4. At apud Papinium *Thebaid. lib.* 1. *vers.* 331.

—— quà molle sedens in plana Cithæron
Porrigitur lassumque *inclinat ad æthera montem:*

mons eleganter *lassus* dicitur, *qui in aliquam partem devexus amiserit in excelsa vires crescendi*, ut habet Lutatius *ad l.* Quo pacto verò itinerantium *lassitudinem* sublevare soliti sint Vett. dicemus alibi, V. aliqua in vocibus *Hydreuma, Mansio, Rasta.*

Lastum, vox Saxonica itidem, Angl. *à Lathe*, portionem Comitatus majorem, tres vel plures hundredes continentem, denotans. Auctor Elfredus Rex, quem *Hundred & Lestes* constituisse, refert Wilh. Thorn apud C. du Fresne *in Glossario.*

Lateranensis Obeliscus, a proxima *Lateranensi* Basilica Romæ, nomen accepit. Auctor ejus fuit Ramesses, Sothis filius, Rex Ægypti, qui, postquam complures magnificentiâ summâ extrui curasset, neque tamen ullus genio ejus respondisset; hunc demum & mole & mysteriis reliquis omnibus augustiorem erigi fecit, in cujus fabrica 20. hominum millia desudasse, Plinius scribit. Quoniam verò periculum plena res erat, eum in sublime erigere, summo in apice proprium filium alligari jussit, ut vel sic conservandi pueri Regii causâ attentiores redderet Architectos. Erectus autem fuit Thebis, in Templo Solis, cui consecratus perstitit, usque ad annum a C. N. 334. quo Constantius Imp. filius Constantini M. ne quid Constantinopoli seu Novæ Romæ majestatis deesset, in tota Ægypto obeliscos diligenter conquiri jussit. Tum enim repertus Thebis Obeliscus hic, quem solum Cambysis ira, cum impune cæteros per urbem absumerent incendia, quasi molis hujus reverentiâ attonita, indemnem voluit. Hunc itaque loco suo motum devehi Alexandriam jussit Imperator; ubi cùm aliquandiu inglorius jacuisset, defuncto interea Constantio: postea hujus filius cognominis inde Romam deferri & in Circo Maximo statui curavit. In quo loco mansit inconcussus, donec, grassante Romæ maxime furore Gothico, collapsus est: ubi jacuit usque ad Sixti V. Pontif. tempora, qui acceptis indiciis funditus subrutum reperit, repertumque extrahi & in campo Lateranensi, ubi hodie visitur, erigi jussit. V. Georg. de Sepibus *in Collegii Rom. S. J. Musæo pag.* 11. & 12.

Laterculum, codex est in quo civilium & militarium dignitatum administrationumque ratio; Item mandatorum Principalium & promotionum & consuetudinum notitia perscripta est: sic dictum, quòd in eo *laterent* arcana, ut volunt quidam. Unde etiam Græci *ad l.* 5. *C. qui mil. poss. l. ult. Cod. de off. Mag. off.* [illegible] videntur interpretari. Alii tamen dictum volunt, quasi πλινθίον, i. *quadrum*, quòd facti *Laterculi* fuerint scrinia quatuor, ut constat ex *Nov.* 8. Duplex autem memoratur *Laterculum*: *Majus*, quod penès Principem erat, sub cura Primicerii Notariorum, *l.* 1. *Cod. de Offic. Præf. Præt. Afr.* & *Minus*, quod sub cura & sollicitudine Quæstoris erat, *leg.* 1. & 2. *Cod. de Offic. Quæstor.* Memoratur *Laterculi scrinium sacrum*, in *l. ult. Cod. de Offic. Magistr. Off.* Et hoc sensu Tertullianus *adv. Valent. Ex eorum laterculo*, inquit, *id est, ex eorum albo, & in Reges & in Sacerdotes allegare consueverunt.* Testatur etiam Cujacius, habere se librum Victoris de ratione Paschali, in cujus extremo per Indicem Consulum dies Paschalis subnotetur, isque Index *Laterculus Paschalis* inscribatur, quem Sigebertus Theophilo Alexandrino tribuit. V. Joann. Calvinum *Lexic. Jurid.* ubi quoque *Laterculi* nomine, cameram venire destinatam thesauro Principis accipiendo, annotat, ex *gl. in l.* 1. *C. de Off. Quæst.* In Ecclesia Rom. *Laterculus* vocatur tabella, in qua festa mobilia adnotantur, ut illa sunt in *Breviario* apposita, Concilium Aurel. IV. *can.* 1. *Ut sanctum Pascha, secundum* laterculum *Victoris ab omnibus Sacerdotibus uno tempore celebretur*, apud Dominic. Macrum *in Hierolexico.*

à Latere Legati, seu *Apostolici*, dicuntur in Communione Romana, delegati a Pontifice in provincias cum amplissima auctoritate, quæ tanta est, ut toto legationis tempore si non secus, ac ipse Pontifex, honorentur & supremâ in rebus Ecclesiasticis potestate gaudeant, atque ad Pontificis sedem factas appellationes ipsi judicent, ut est in *cap.* 1. *extr. de offic. Legati.* V. Petrum Morinum *Exercitat. lib.* 1. *cap* 20. Sic dicti, quòd *lateri* Pontificis hæreant, & ex ejus sint familia. Quo sensu Monachus Sangall. *lib.* 2. *cap.* 9. *Tunc*, inquit, *ex latere Cæsaris directi sunt, qui eos honorificè introducerent.* Vide Juretum *add. Epist. Ivonis* 36. Idem verò *Legati Apostolici à latere* munus, Regibus etiam indultum esse à Pontificibus Rom. Rogerus Hovedenus docet An. Ch. 1164. ubi Henrico II R. Pontificem concessisse, *ut Legatus esset totius Angliæ*, hunc verò id renuisse, narrat. V. Car. du Fresne in voce *Legatus* & infrà in voce *Missus.*

Lateres Crudi, quibus ædificia vulgò struebantur tam apud Græcos, quàm Romanos: at ex cocto *latere* structi Babylonis muri. Quod *laterum* discrimen etiam Græci norunt, inter ὀπτὰς πλίνθους & ὠμὰς distinguentes; sed & absolute πλίνθους quum nominant, de *latere crudo* intelligunt. Coquebantur nempe igne, qui hinc *cocti*; reliqui vero siccabantur solum ad Solem, unde *siccati*, apud Plinium *lib.* 35. *cap.* 14. communiter *crudi*, appellati. Ut minimùm autem toto biennio expositos Soli eos habere solebant, ut siccescerent, nec recentius ductos probabant. Uticenses verò eo tantùm *latere*, qui ante quinquennium ductus esset, in structuris utebantur. Porrò tria erant apud Græcos vulgatissima structurarum genera, *Latericia* ἡ διὰ πλινθίων; *Ordinaria*, similis latericiæ, sed ex lapide duro vel silice, quam ἐγχώριον vocat Constantinus, quòd in ordinem composita esset structura, ἐν χώρᾳ sc. stris omnibus lateribus seu lapidibus; & *Tertia*, ex saxo quadrato, quam τετραγωνίδων λίθων idem appellat. V. Salmasium *Exercitat. ad Solinum p.* 1230. & *seqq.* ut & suprà in *Bessale.*

Laterna, jam Veteribus multo in usu fuit. Cum enim *nocturna castra* plurimum illi uterentur, uti de Alexandro M. Julio Cæsare, Augusto, aliis, legimus, ad iter nocturnum faces primùm adhibuerunt; sed cùm hæ ventis facilè cederent, excogitarunt lychnuchos e pelle, quæ vim ventorum facilè ferre possent ac deferre. Quoniam autem fallendi fere hostis causâ iter nocturnum à ducibus exercituum instituebatur, quò id fieret tutius, componere sic cœperunt laternas, ut iis lumen abunde facerent, quibus præferebantur; aliis negarent, qui vel adversi incederent vel ad latera ipsis starent sive ambularent, cujusmodi *Laternarum* (Galli *furdas* hodiè vocant) fabricam ex Julii Africani *libro de Bellico appar.* MS. hanc exhibet Casaubonus: *Esto Laterna quadrilatera, pellibus ab omni parte oppansis munita. Laterum trium pelles sunto nigræ; unica alba, per quam ponè sequentibus lucerna lucebit.* Apud Plutarchum, formam aliam *laternarum*, quas λαμπτῆρας Græce vocat, invenias, quæ, si esset à ventis quies, aperto gestabantur ore; si flarent ventis imposito operculo claudebantur: quo modo confectam laternam Auguri auspicatum eunti præferre nefas erat. κεφαλ. Ρ᾽ωμ. *quæst.* 72. E᾽ cornu *laternæ* meminit Olympiodorus *in* 4. *Meteorol.* κεφάλ. 49. Sic *Laterna* Cornea, apud Martialem *Epigramm.* 69. *Lib.* 4.

Dux laterna viæ clausis feror aurea flammis,
Et tuta est gremio parva lucerna meo:

qui etiam *Laternæ ex vesica* meminit *Epigr. seq.* Et quidem prior jam apud Plautum occurrit, ut mirum videatur, cur ab Ælfredo Anglo-Saxonum R. inventam dicat Asserus *de Reb. illius gestis.* At *militarium Laternarum*, quarum in conducendis per noctem exercitibus medio ævo usus fuit, inventionem Manueli Comneno Imp. CPolit. tribuit Cinnamus, qui eas describit *l.* 5. *n.* 2. Græciensium verò vett. laternarum formam ex illis Hippocratis discet Lector, cùm ait, ἡ γαστὴρ ὀλιγόδεος, καὶ μέζονα, ὥσπερ λαμπτὴρ, ubi *ventricosas* illas fuisse innuit &c. V. Jul. Africanum *de Apparatu bell. cap.* 70. apud Casaubonum *ad Suetonium in Julio cap.* 31. & Car. du Fresne *in Glossario*: apud quem *Laternam Vitream* his versibus describit Aldhelmus *de Laude Virginum num.* 1.

Nec Laterna tibi vilescat vitrea Virgo,
Tergore vel rasso, & lignis compacta faligni.

Seu membranarum tenui velamine facta;
Quamlibet arata praecellat fortè lucerna.

Nec omittendum *Laternam pragrandem ferendi morem*, inter pœnas Monachicas, occurrere, in *Vitis Abbatum S. Albani.* De *Laterna Demosthenis* diximus supra, in hac voce.

Latialiter, apud Martianum Capellam *initio lib. 5. Subarmalis autem illi vestis peplo quodam circa humeros involuto* Latialiter *tegebatur*: est sacinis sub armo seu brachio circa humerum convoluta & subductâ veste, *antiquo Latino ritu*, qualem & Gabinum, vel certè non dissimilem, suprà descripsimus. Vide Casp. Barthium *Animadversion. ad Papinium Thebaid. lib. 4. versu 19.* & in voce *Toga.*

Latiar Confectum, apud Ciceronem *l. 2. ad Q. fratrem Epist. 4. De Tullia nostra, tui me hercule amantissima, spero cum Crassipede nos confecisse. Dies erant duo, qui post Latinas habentur religiosi: cæterùm qui confectum erat Latiar, erat exiturus*: est *Latinarum* solenne vel sacrificium in Albano monte Jovi Latiari fieri solitum; quib. feriis cùm unum diem dicavisset Tarquinius, exactis Regibus addiderunt alterum primi Coss. inde fœdere cum Latinis populis icto, post secessionem in montem Sacrum, accessit tertius: denique post atrox de Consulatu cum Plebe communicando certamen reductâ concordiâ quartus adjectus, testibus Dionysio Halicarn. *lib. 6.* Plutarcho *in Camillo* & Livio *lib. 6. cap. 42.* Significat itaque Cicero, scripsisse hanc epistolam sese prope occasum Solem illo die, vel exeunte & decedente illo die, quo Latinæ feriæ erant confectæ. V. Joh. Frid. Gronovium *Observat. lib. 4. cap. 25.* Uti autem *Latiar confectum* Ciceroni, verbo proprio & signato, sic *confecta Latina*, Lucano *lib. 1.* qui etiam *lib. 5.* ita de iis,

Nec non Iliacæ numen quod prasidet Albæ,
Haud meritum Latio solennia sacra subacto,
Vidit flammifera confectas *nocte* Latinas, &c.

V. infrà in *Latina.*

Latiaris Collis, unus fuit ex tribus collibus seu partibus collis Quirinalis, unius ex septem urbis Romæ montibus, teste Varrone: cùm iis temporibus vocarentur Salutaris ac Mutialis. V. Joh. Rosinum *Antiqq. Rom. lib. 1. cap. 6.*

Laticensis Pagus, vulgo *Lacois* vel *Lecou*, regio est Galliæ, in Lingonibus, unde Archidiaconus *Laticensis*, unus ex E... hæ Lingonicæ Archidiaconis, nomen habet: Sunt autem in hoc Archidiaconatu Castello ad Sequanam & Demnopatra *Dampierre.* Erat hic pagus urbi Lingonum Andomatuno prop... ac ve... lebutroanus, unde B. Valentinus *in Laticensi, suburbio Lingonensium oriundus* fuisse dicitur. Hodie ab urbe Lingonis iter unius diei abest & vicum Pultarias *Poutieres*, ac quidquid inter Castellionem & Barrum Sequanum uls & cis flumen jacet, continere dicitur. Certe Gerardus Comes, qui Monasterium Pultariense & Viceliacense construxit, in literis suis ea de re, *villam Pultarias super Sequanam, in pago* Laticensi *in Regno Burgundia* nuncupat. V. Hadr. Valesium *Not. Gall.* in voce *Lingones.*

Latina Lingua, quadruplex Eruditis, *Prisca*, qua vetustissimi Italiæ populi, sub Jano & Saturno, sunt usi, incondita, ut se habent carmina Saliorum; *Latina*, quam sub Latino & Regibus Tusciæ cæteri in Latio locuti sunt, ex qua XII. Tabb. *Romana*, quæ post Reges exactos in Orbe Rom. viguit, quam Nævius, Plautus, Ennius, Virgilius Poetæ; ex Oratoribus Gracchus, Cicero cæterique effuderunt, & *Mixta*, quæ post Imperium latius promotum simul cum moribus & hominibus in Romanam civitatem irrepsit, integritate styli per solœcismos & barbarismos varie corrupta; cui quarto & jam senescentis Linguæ tempori adscribi solent, Gellius, Macrobius, Lampridius, Spartianus, Trebellius Pollio, uterque Victor, Jurisconsulti centones in *Pandectis* in unum quasi corpus conflati, Tacitus, alii, qui ad ætatem Gordiani Imp. pervenere. Ab eo quippe tempore penitus extinctæ sunt Latinæ puritatis reliquiæ & barbaries undequaque, non modò Italiam, sed & Romam ipsam, invasit, atque cæteras exinde Imperii provincias, in quibus utcunque Linguæ puritas hactenus fuerat servata, florente adhuc Rep. Imperioque. Maxime autem *Latinis* barbaræ voces permisceri cœperunt, cùm ab aliis, quàm ipsis Romanis, conscripti libri in provinciis, ubi sermo Latinus utcunque obtinebat, in lucem prodiere; qui ab eo scriptionis genere & charactere longe distarent, quem castior puriorque Latinitas agnoscit, receptamque apud suos loquendi rationem redderent, inspersis ubique fere indigenis vel proprio arbitratu confictis vocabulis, adeò ut ex iis si non à Latino sermone alius, diversus certè omnino scribendi stylus deprendatur: cujusmodi fortè Gallicus fuit, quem *squamam Latini sermonis* appellabat Sidonius, & is, quo Scriptores Afros usos palàm est: Sed id potissimùm accidit, cum victores populi arma in provincias exteras intulerunt, iisque debellatis non linguam modò suam ipsi servarent, verum etiam, ut ab iis, quos subegerant, usurparetur, summam curam adhibuerunt. Ita o. Gallos vete. expugnatis Græciæ Urbibus, provinciisque, nomen suum indidisse, ac propriam retinuisse linguam, eandemque pene, quâ utebantur suâ ætate Treviri, scribit Hieronymus *Proœm. ad lib. 2. in ad Galat.* Ita & Romanos constat omnem dedisse operam, ut victæ gentes eodem secum sermone uterentur, eousque ut translatâ quoque ab urbe Roma Byzantium, ab Italia in Thraciam, & e Latio in Græciam Imperii sede, *Latinam* tamen in ea linguam servari voluerit Constantinus M. Interim non adeò stabilita unquam in subjugatis provinciis Latina lingua fuit, ut non indigenæ locutionis aliquot ei adspergerentur μιάσματα formulæque illi immiscerentur provinciis nativæ: quod in plebe maxime obtinuit, quæ literarum expers nitidæ elocutionis disciplinam non tam facile amplectitur. Unde sensim invaluit vulgaris illa *Romana* lingua, quæ etsi aliquantisper Latinum redoleret, barbara tamen vocabula quamplurima adhibere aliisque Grammaticæ legibus regi assuevit: atque hinc non *Latina* amplius, sed *Romana* dicta est, quòd Romani, qui in Galliis & Hispaniis, post Septentrionalium nationum irruptiones, remanserant, ea uterentur. Quo modo *Romanam linguam* vocant Nithardus *lib. 3. Capitularia* Caroli C. *tit. 26.* Alii: quam *rusticam Romanam* vocat Concilium Turon. III. A. C. 813. *can. 17.* *Rusticam* nude, Anonymus in *Historia Translat. S. Germani Parisiensis cap. 12.* Sic itaque, cum Francicæ aliæque gentes Imperium Romanum inundantes, plerasque ejus provincias occupassent, nativo suo idiomate superatis gentibus inducto, longe magis adhuc Latinitatem, si quæ aliqua supererat, depravarunt, ut processu temporis aliâ rerum facie illatâ ex ipso Latio exulare Latium cogeretur. Usus nihilominus Linguæ penitus ita deleri non potuit, ut non à vulgo adhuc utcunque intelligeretur: quod arguunt tot Latino idiomate conscriptæ & ad populum habitæ in ædibus sacris Homiliæ, à Præsulibus Africanis, Gallis, Hispanis, aliis, quas quidem sine dubio non recitassent publicè, nisi intelligentibus se loqui fuissent persuasi. Quanquam fatendum, ante Carolum M. ita evanuisse studia ac linguæ præsertim Latinæ, ut stante Regum Francorum primo stemmate, vix sese tantillum extulerit, ut de Chilperici R. scriptis agens, testatur Gregorius Turon. Idem de Hispania, post Gothorum irruptionem, refert Alvarus *in Indiculo lumin.* ubi neglectis, & posthabitis Scripturis sanctis, earumque Interpretibus, quotquot supererant Christiani, Arabum Chaldæorumque libris evolvendis incumbebant. Neque ea in re felicior Britannia fuit, post Saxonum maxime & Danorum irruptiones, ut ex Ælfrico docemur *Præf. ad Gramm. Sax.* donec Alfredus R. literas in Anglia, Scholis publicis Oxonii institutis, primus iterum excitavit: quod idem in Francia Carolum M. fecisse, prædicat Alcuinus *Epist. ad eum 10.* & ad ejus imitationem Carolum Calvum, Henricus Mon. *Epistolâ illi inscriptâ ad Vitam S. Germani Autissiod.* Quibus Principibus sua debent initia Scholæ publicæ & Monasticæ, omniumque ad... disciplinarum in Francia instauratio; dum interim duplex apud Vulgus idioma vigeret, *Franciscum* sc. & *Romanum.* Et quidem Francici usus erat, in Regum Merovingorum Palatiis, etiam sub Carolo M. adhuc & Ludovico Pio, cum ii linguâ suâ Sicambricâ loquerentur; reliquo vulgo, & quod à Romanis ortum trahebat, linguam Romanam seu Rusticam ac semibarbaram retinente: quæ *Limosina* appellationem obtinuit, apud Itales & Hispanos, cum *Romana* Gallis diceretur. At qui in literis utcunque versati vel sacris initiati, ut rerum Ecclesiasticarum studio necessariam, puriorem linguam excoluere. Quin etiam servata ab ipsis (quod mirari licet) barbaris Romanorum provincias possidentibus: cum hac tum in *LL.* suis publicisque *Decretis*, tum in *Actis* quoque quà publicis, quà privatis, tanquam quæ ab omnibus intelligeretur, usos passim legamus; quia forte linguam suam nativam, ut barbaram insulsamque pronuntiatu, aures mollioribus assueta, naturaliter refugere persuasum haberent; vel quia Romanis subjugatis scribebantur, qui longe potiori majorique numero erant, quàm Barbari ipsi, quibus parebant. Neque id parùm *Latinam* linguam commendabat, quòd inter tot vices sese utcunque incolumem servarit, ita ut illam Romana Eccl. propriam sibi efficeret, & cæteræ nationes longinquæ maxime ac Romanis prorsus infectæ, non in *Scholis* modò publicis, verum etiam in *Actis* omnibus, illâ uterentur. Quo factum deìn, ut Ecclesia Rom. *Latina Lingua* nomenclaturâ intelligatur, in quodam Stephani IX. Pontif. Diplomate, in *Bullario Cluniac. p. 15.* atque id quidem in Gallia sic obtinuit, ut & Acta publica & privata pleraque, ac supremis Curiarum judicia, Latino fere idiomate semper describerentur, quod serò desiitum, Francisco I. regnante. Accidit postea, ut gnavi homines & industrii, tanquam frugi Patres-familiâs, *quæ in sua cujusq. ætate fuerant vocabula, tanquam variorum cujusdam longi anni temporum baccas & fruges ... vindemiam, in Libros, quasi in quasdam cellas & horrea & specus condiderint*, uti loquitur Thom. Smithus *de pronunt. L. G. lib. 1. pag. 9.* Unde *Glossaria* prodiere aliaque Eruditorum quovis seculo monumenta, quibus pura à sordibus secreta, idque tandem effectum, ut Linguæ pristinus splendor, si non in vernaculo ullius gentis sermone, saltem in Scriptis & ore Literatorum, redderetur: Horum Catalogum texit, qui in hanc rem plurima insigni labore congessit, *Præfat. ad Glossarium suum*, Car. du Fresne, quem videre operæ erit pretium.

Latinæ Fabulæ, à veste *Togata* dictæ sunt, sicut Græcæ, *Palliatæ.* Sunt autem *Latinarum* species hæ: *Nobiliores, quæ à personis primariis Prætextatæ appellabantur; erat enim prætexta Magistratuum toga, cui purpura prætexebatur—C. Melissus—edidit novum genus Togatarum, quas Trabeatas appellavit— ... nobilis, in quibus Senatores privati cum toga introducebantur.* U... genus

capiebat

capiebat humilem fortunam popularium negotiorum, cum tunicis tantùm: quæ tamen haud quaquam Tunicatæ eadem ratione, seu ab habitaculis nomen adeptæ sunt. Igitur Tabernaria, quòd cum Tabernis scena disponebantur. Fuit autem ab his aversum genus Atellana &c. Jul. Cæs. Scaliger *Poëtices lib.* 1. *cap.* 7. De quibus omnibus V. quoque hic passim.

Latinæ Feriæ, auctore Varrone *de L. L. lib.* 5. erant dies conceptivus, à *Latinis* pop. dictus, quibus ex Albano monte ex sacris carnem petere fuit jus cum Romanis. Earum origo hæc: Cum, devictis Hetruscis, fœdus inter Latinos populos auctore Tarquinio Superbo R. ictum esset, ut sempiternum illud maneret, Tarquinius proposuit designare commune Fanum Romanorum, Latinorum, Hernicorum, Volscorum, duntaxat in societatem receptorum, quod ad mercatum convenientes quotannis unà epularentur fruerenturque sacris communibus. Quod cùm gratum esset omnibus, mons altus Albanis imminens, velut in meditullio harum Gentium, constitutus est, ubi singulis annis feriæ celebrarentur, & eo temporis spatio, propter loci religionem, ab omni vi temperarent omnes, sacraque communiter Jovi Latiali facerent, & vacarent epulis, constituto prius, quantum quisque Populus in ea sacra præbere, quantamve portionem recipere deberet. Sic in participium Feriarum harum atque sacrificii venere tribus minùs 50. populi, quorum quidam agnos, nonnulli caseos, alii lactis certum modum, item liba lactaria conferebant. Victima taurus erat unus communis omnium, de cujus visceribus cuique populo certa portio tribuebatur: Sacrificabatur enim pro omnibus, Romani verò sacrificio præfuerunt, V. Dionys. Halicarnassæum *lib.* 4. Has antequam indixissent, atque iis in monte Albano, cum Latinarum civitatum Magistratibus, operam dedissent Consules, non poterant paludati in Provincias exire, ut Livius & Dio *lib.* 46. testantur. Quòd si in eo sacro non omnes Latini carnem cepissent, sed aliquid dilatum prætermissumque fuisset, aut neglectæ ceremoniæ, intermissumve solenne esset, denuo instaurari *Latinas* oportebat. Porrò indicto *Latiari*, seu solenni *Latinarum* die, nefas erat prælium sumere, Macrobius *Saturn. cap.* 16. *lib.* 1. Cùm autem Consules Rom. huic sacro vacarent, moris erat, ut interim alius aliquis ex Patriciorum numero urbi præficeretur, qui *Præfectus Urbis Latinarum causâ* dicebatur, de quo A. Gellius *lib.* 15. *cap.* 8. Et quidem hisce feriis unum diem dicavit Tarquinius: exactis autem Regibus alter additus est; post fœdus cum Latinis à SP. Cassio Consule ictum, tertius: anno demum U. C. 396. compositâ de plebejo Consulatu seditione, quartus: ut discimus ex Dionysio supra laudato *lib.* 6. *extremo*. Alexander ab Alex. *Genial. dierum lib.* 4. *cap.* 7. addit, Feriis hisce solemne ludicrum in Capitolio celebratum fuisse, quadrigasque concito cursu decertasse, & victorem certaminis in palmam victoriæ absynthium bibere fuisse solitum. Quorum certaminum curam à Senatu commissam fuisse Ædilibus, ornatis priùs prætextâ & sellâ eburneâ, regiis insignibus, docet Plutarchus *in Camillo*. Vide Joh. Rosinum *Antiqq. Rom. lib.* 4. *cap.* 17. *de diebus Festis, non stato tempore celebratis*. Verum, quod olim amicitiæ confirmandæ inserviebat sacrum, tandem in contrarium versum est: Primum enim belli, quo totum *Latium atq; Picenum, Etruria omnis, atq; Campania, postremò Italia contra matrem ac parentem suam urbem conjuravit, in Albano monte consilium captum est, ut festo die Latinarum Julius Cæsar & Martius Philippus Coss. inter sacra & aras immolarentur: quod nefas cùm proditione discussum esset*, scelus in nervum erupit, & atrocissimo bello Romani petiti, donec post varias clades *Strabo Pompejus, Asculo, unde furor eruperat, in ipsa ludorum frequentiâ trucidatis Legatis, eversione, Manibus tot exercituum Consularium direptarumq; Urbium Diis litavit*, Florus *lib.* 3. *cap.* 18. V. quoque infra, in voce *Latium* & suprà in *Latiar*.

Latinator, cognom. Petri Monachi, apud Guil. Tyrium *lib.* 13. *cap.* 27. an, quia *Latinam* probe linguam callebat, an quia interpretis munere fungebatur? C. du Fresne ubi suprà.

Latini alapis dignus, apud Martialem *lib* 5. *Epigr.* 61.

O quàm dignus eras alapis, Mariane, Latini:
Te successurum credo ego Panniculo:

convitium est in eum, qui, de uxore parum sollicitus, ad mœchorum injurias connivet. Tales enim in spectaculis Theatralibus Mimisque alapis ac salapittis objurgari excipique solebant, qua de re V. Heraldum *ad Arnobium lib.* 7. Fuit autem *Latinus* ille mimus Martiani ævo celebris, quem *derisorem* vocat *lib.* 1. *Epigr.* 5. cuique Panniculus minister erat, qui ab hero alapis percuti, risui consectando, solebat, Idem *lib.* 2. *Epigramm.* 72. Epitaphium ejus habe *lib.* 9. *Epigr.* 29. V. quoque supra in voce *Curruca*, & ubi de *Ancillariolis*.

Latini, in *Speculo* Saxon. *lib* 1. *artic* 6 § 3. pro veteribus incolis regionum, à barbaris gentibus devictarum; qui aliàs *Romani*. V. in voce *Vallenses*, ut & infrà *Romani*.

Latium, adde: Pop. *Latini* qui fœdere Romanis juncti, de quo V. suprà in voce *Latinæ feriæ*, postquam diu amicitiam coluissent, à L. Druso Trib. Pl. cupidine dominationis ad spem civitatis erecti cujus imperium armis tuebantur, per omnes annos atque omnia bella duplici numero se militum equitumque fungi querentes bellū excitarunt, Floro *Sociale*, Vellejo Pat. *Italicum* appellatum L. Cæsare P. Rutilio Coss. anno U. C. 663. quod amplius 300. m. juventutis Italicæ abstulit. Ejus tam varia atque atrox Fortuna fuit, ut per biennium continuum duo Romani Consules, Rutilius atque deinde Cato Porcius ab hostibus occiderentur, exercitus R. P. multis in locis funderentur, utque ad saga iretur diuque in eo habitu maneretur. Caput Imperii sui Corfinium legerant, quod appellarent *Italicum*: Donec paulatim recipiendo in civitatem, qui arma aut non ceperant, aut deposuerant maturiùs, vires refectæ sunt: Pompejo Sullaque & Mario fluentem procumbentemque Remp. restituentibus, Vellejus Paterc. *lib.* 2. *Histor. Rom. cap.* 17. Reliquias belli posteà resurgentis duce Telesino, qui dictitans *adesse Romanis ultimum diem, vociferabatur eruendam delendamq; urbem; nunquam defuturos raptores Italicæ libertatis lupos, nisi sylva, in quam refugere solerent, esset excisa*, ægrè abolevit Sulla, Carbone ac Mario Coss. anno U. C. 671. *diemq; felicitatem perpetuâ ludorum Circensium honoravit memoriâ*, Idem *lib. eod cap.* 27. Eorum lingua *Latina* appellata, hodieque celebris est: Ut enim usum ejus, in Valachiæ Transsylvaniæque, adeo etiam Poloniç aliquot locis etiamnum vernaculum, prætereani, tres propagines seu Dialectos habet, Italicam, Gallicam & Hispanicam, à Francis, Longobardis, Gothis aliisque populis in eam varietatem diffusas, atque iterum Sub-dialectis suis variantes: Sic puriores Itali dicunt *Padre nostro*. Foro-Julienses *Pari nostri*, Rhæti *Bab nos*. Gallica habet Walonismum, Pictonismum, &c. In Hispanica differunt Castellana, Andalusica, Portugallica & Granatensis: è quibus omnium purissimam, atque matrici suæ maximè vicinam Castellanam esse dicunt; producitque Merula literas Castellanâ linguâ scriptas, e quibus idem clarissime patet. Earum pars hæc est: *Scribo & supplico rogando te Francia, des & respondeas tales probationes tractando de tua eloquentia, loquela & excellentia, quales scribo de Hispania, comparando gentes, nationes & provincias, quales manifestò dictando Epistolas puras Latinas & Hispanicas. Hispania, antiquissima corona perseverò (cessante memoria de contrario, duro & regno provincia Christiana: Tu Francia principias à Meroveo & regnas continuando, quasi mille annos Christiana, prædicante Sancto Remigio & regnante Clodoveo. Responde Francia & da & propone contra nos tam grandes nationes, tam fertiles, tam fructuosas provincias; Tales gentes, tam ingeniosas, tam scientificas, tam virtuosas, prudentes, justas, modestas, liberales, gratiosas: Non monstras tu Francia tam grandes resistencias & tantas victorias contra Romanos &c. Præsenta te Francia & da tales campos, montes, valles: tales bestias feras & domesticas: tantos & tam excellentes cavallos, tales vaccas aves, carnes suavissimas, lanas preciosas &c. Non cognosces tu Francia plantas, arbores, bestias & perfectiones, quales de Hispania majores Nos demonstramus. Et cognosco de Hispania infinitas, quales tu Francia non cognosces. Si extas & celebras Principes & Imperatores Romanos, demanda & inquire de Bruto, de Fabio, de Hadriano, de Honorio, de Theodosio, de Trajano inclito & glorioso Hispano.* V. Merulam *Cosmogr. Part.* 2. *lib.* 2. *cap.* 8. ut & Auctorem anonymum *Historia Orbis Terr. Geogr. & Civilis c.* 9. *sect.* 3. *de Linguis*, plura verò hanc in rem suprà, ubi de *Latinâ Lingua* ex professo egimus. Est & *Latium Priscum*, quo ejus origo, situs, natura, urbes, montes, lacus, monumenta Veterum curiosè describuntur, editum ab Athan. Kirchero, Amstelodami Fol. An. Ch. 1671.

Latius, cognom. Jovis apud Romanos celebre. Papinius *lib.* 5. *Sylv.* 3. *vers.* 292.

Scipio sic plenos Latio Jove *ducere somnos*
Creditur Ausonius ——

de quo V. Jo. Passeratium *ad Propertium lib.* 3. *Eleg.* 4. ut & in voce *Jupiter*.

Latomia, ex Græco Λατομία, i. *Lapicidina, Cadmi inventum*. Plin. *lib.* 7 *c.* 56. *Lapicidinas Cadmus Thebis (aut, ut Theophrastus, in Phœnice) invenit.* Eò sontes sæpe detrusi, ubi vincti perpetuò opus facerent, V. suprà in voce *Fossor*. An potiùs *Lautumia*? Certe Clodius Victor, cùm rogaretur, ut in *Latomias* transferretur: *Non*, inquit, *quenquam nomen* Lautumiæ *decipiat: illa enim animo meò lauta est, vocabulo carceris ad genus pulzamenti translato. Jocabatur in miseriis: in quibus jocari debuisse, quis nescit: potuisse quis credit.* Seneca *Declam.* V. quoque Livium *l.* 37. *c.* 3. & Gronovium *ad eum*. Atque hi *Lautumarii* seu *Lautumiarii* dicti sunt Ciceroni *in Pisonem*. Idem vero & proprium nomen fuit carcerum aliquot, ut suo loco vidimus. Plura V. suprà in voce *Lapis*.

Latona Dea, adde: Ejus simulachrum ex marmore, inter Cephissodori opera, memoratur Plinio *lib.* 36. *cap.* 5. ubi in Palatii delubro Romæ asservatum, addit: Aliud in Octaviæ porticu, inter Pollionis Asinii monumenta eidem recensetur, *ibid. cap.* Sed & *Latona puerpera* statuam ex ære, in æde Concordiæ ejusdem urbis, ab Euphranore sic factam, ut Apollinem & Dianam infantes sustineret, habes apud eundem *lib.* 34. *cap* 8.

Latous, cognomen Apollinis, à matre, de qua modò; fanum habuit octogonum, 4. aut 5. m. p. ab Isthmo Corinthiaco, memoratum Pausaniæ *in Achaicis*. Ejus rudera hodieque visuntur. Jac. Sponius *Itinerar. Part.* 2. *paginâ* 293.

Latratus, canum vox, unde *latrator Anubis*, de quo suo loco. Eam in Polonia imitari coguntur delatores, calumniæ convicti. Hinc in Gnevoslium, Subcamerarium Cracoviensem, quòd inter Vladislaum Jagellonem R. & Hedvigem uxorem ejus litem & æmulatates calumniis variis excitasset, judicium de infamia, Villiciæ in Conventu Procerum, hoc modo institutum legitur: *Ibi accusatus damnatusq́, cùm non probasset, quæ dixerat, nec dixisse se negare posset: ex decreto judicii mentitum se esse clarâ voce & latratu subter scamnum edito professus est. Est autem ea gravissima apud Polonos & infamia plena mendacii retractatio, quæ fit publicè latratu canino adjuncto*, apud Cromerum *lib.* 15. A canibus vox aliorum translata, ad varia, etiam curas humani pectoris exprimendas. Claudianus *in Eutropium*,

—— latrantibus undiq́ bellis.

Martialis *lib.* 4. *Epigr.* 53. de Senica Cynico,

Cui dat latratos *obvia turba cibos.*

Ennius apud Varronem,

—— animus cum pectore latrat &c.

Quam in rem V. plura apud Casp. Barthium *ad Papinium Theb. lib.* 1. *versu* 551. *lib.* 2. *v.* 338. & *Achilleid. l.* 1. *v* 451.

Latrinarum Antistes, memoratur Tertulliano *de Pall. Aspice lupas, popularium libidinum nundinas: ipsas quoq́ frictrices (& si præstat oculos abducere ab ejusmodi propudiis occisæ in publico castitatis) aspice tamen vel sublimis, jam matronas videbis, & cùm latrinarum Antistes sericum ventilat & immundiorem loco cervicem monilibus consolatur & armillis. quas ex virorum fortium donis, ipsa quoq́ matrona temerè usurpassent, omnium pudendorum conscias manus infert, impuro crure purum aut mulleolum induit calceum.* Ubi Lenonem nonnulli intelligi volunt; quibus ideo *Leno latrinarum Antistes*, quòd in domo lenonia multis lavationibus opus esset, ad tergendas, lavandas & poliendas meretriculas: unde & quæ sequuntur, de lenone etiam capiunt, suas puellas vestiente, ornante & calceante. Sic Leno Antistes, ornator, fictor, & omnia fuerit: sed hæc ejus officia fuisse olim, alibi non legitur. Meretrices sanè illæ Plautinæ in *Pœnulo*, non Lenonis officium, in semetipsis ornandis, fingendis pingendisque desiderant; sed per se hoc faciunt: etsi verum sit, in domibus lenoniis aquariolos etiam præstò impuro huic mulierum generi fuisse, aquæ gerundæ destinatos, non tamen, ut etiam eas vestirent, ornarent & componerent; quod munus potiùs fuit Κ'μμωτριῶν & Κομμωτριῶν. *Latrinas* autem pro lavatrinis aut lavationibus hic poni, vix quisquam persuaserit; quamvis certum sit hanc hujus vocis antiquitus fuisse & originem & significationem. De Muliere potius hæc accipi debere videntur: Nimium enim multa sunt, quæ id suadeant, atque etiam evincant: sericum, monilia in collo, armillæ in manibus, purus aut mulleolus calceus & multa alia. Hæc igitur *Latrinarum antistes* mulier erit, non vir; & omnino Cloacinæ Veneris Antistitem mulierem intellexit Auctor, quam contemtim *Latrinarum* appellavit *sacerdotem*. Nam Latrinarum etiam præses Cloacina & in ejus festo *Latrina* coronabantur, ut ex eodem Tertulliano constat *lib. de Coron. Mil.* Antistitem autem in sexu sequiori usurpavit, ut & in libro *de Pudicit. Ejus templi aditua & Antistes est pudicitia, quæ nihil immundum & profanum inferri sinat.* Non nimium castas & bonæ Famæ fuisse Venerias illas Antistitas plusquam verisimile est: castiores quippe non oportebat eas esse, quàm Deam ipsam, cui ministrabant. De illiusmodi itaque fœmina ait Afer, *Sericum ventilat*: id est, laxâ fluxaque sericâ veste ventum concipit atque undante serico incedit. Sed &, qui motu sericæ vestis ventulum sibi faciunt, *ventilare sericum* etiam dici queant. Idem Tertullian. *Ibid.* de Alexandro: *Serico ventilante pectus anhelum extinxit*: qui sericum utique ventilabat. Juvenalis *de annulis*:

Ventilat æstivum digitis sudantibus aurum,

Ovidius:

—— —— Tunicisq́ fluentibus auras

Excipit.

Pergit: *Immundiorem loco cervicem monilibus consolatur*, h.e. immundiorem latrinis; *locum* pro *latrinis* absolute sumens, quo etiam modo non pauci hodie loquuntur: Græci quoque τόπον dicunt, quod ex Athenæo notavit Salmasius. *Consolari* autem *cervicem monilibus* ideo dixit, quòd in ejusmodi ornamentis ac nugis maximum solatium sibi constituant φιλόκοσμοι mulieres: *collum demulcere*, eodem sensu apud Eundem legas. V. quoque eum *lib. de cultu Fœmin.* & Salmasium *Notis in lib. de Pallio.*

Latringes, memorati Capitolino, inter gentes, quæ ab Illyrici limite Galliam usque conspiraverant, in *Vita* Marci Imp. Casaubono videntur, qui Tacito dicuntur *Marsigni*, sermone cultuque Suevos referentes. Salmasio mel. *Lacringes* dicuntur, *Not. ad l.* Vide *ibi.*

Latrones, apud Jul. Capitolinum *in Marco*, *Latrones etiam Dalmatiæ atq́ Dardaniæ, milites fecit*: in universum dicuntur omnes Dalmatæ Dardanique, quòd gentes essent *latrocinio* deditæ & ut plurimùm rapto viventes. Casaubonus *ad l.* Quod olim apud varias gentes etiam in laude fuisse positum, dicemus infrà, ubi *de Rapina*. Apud veteres ævi Scriptores nomen maximè malefici latronis *Sinis* fuit, de quo V. Ovidium passim, Auctorem *Ceiris*, Propertium, Plutarchum *Theseo*, Hyginum *cap.* 38. Apollodorum *fine lib.* 3. Strabonem *initio lib.* 9. Pausaniam *Corinthiac.* Suidam, qui λῃστὴν βλαπτικὸν appellat, Diodorum Siculum *lib.* 4. ubi totam ejus historiam persequitur, Alios. Adde Andr. Schottum *Observat. lib.* 2. *cap.* 29. & Casp. Barthium *Animadvers. ad Statium Thebaid. lib.* 12. *vers.* 576. Eleganti tralatione lupos *latrones* vocat vetus Scholiastes ejusdem Poëtæ ad *Thebaid. lib.* 5. *vers.* 167. utpote rapto viventes & prædæ assuetos. Hinc de lupo Phædrus *in Fabulis*,

Rapere, atq́ abire semper adsuevit lupus.

Qui proin disertè eum *latronem* vocat *lib.* 1. *fab.* 1. sicut *prædonem* Martialis *lib.* 2. *Epigr.* 75. *raptorem* Virgilius *Æn. lib.* 2. *vers.* 355. &c. At in primævo significatu *latro*, miles vel satelles conductus est, q. *latero*, Varr. Græcè σωματοφύλαξ, cujusmodi ministros recentius ævum *Scurras* dixit, ut infrà videbimus. Hi, quod circùm *latera* essent Regibus, atque ad *latera* haberent ferrum, hinc nomen acceperunt: quod tamen nonnulli ἀπὸ τῆς λάτρης, i. stipe, unde & *Stipatores* Latinis, vel ἀπὸ τοῦ λατρεύειν, à *ministerio*, malunt deductum. Inde *latrocinari*, pro militare. Plaut. *Cornicularia*, *Latrocinatus annos decem.* Suetonius *in Tiberio*, *Qui apud Regem in latrocinio fuisti, stipendium accepisti* &c. Postea voces hæ ad truculenta & scelerata homicidia sunt translata, Nonius *cap.* 2. V. hic passim, ubi de *Piratis*, *Prædonibus*, alibi. Addam saltem, *de fide etiam latroni servanda*, illustrem locum Hug. Grotii *de Jure Belli ac Pacis lib.* 3. *§.* 2. *Belli piratici magnam partem Cn. Pompeius pactionibus confecit, vitam illis pollicitus & sedes, in quibus sine rapto viverent—Cæsar Belli civ. tertio à Romanis ducibus, cum prædonibus & fugitivis, qui in Pyrenæis erant montibus, actum de compositione scribit. quis dixerit, si quid convenisset, nullam inde exstituram fuisse obligationem? Non habent quidem isti specialem istam communionem, quam inter hostes in bello solenni & plene introduxit jus gentium: at, quia homines sunt, communionem habent juris naturalis—ex quo nascitur, ut pacta servanda sint. Sic Diodorus fugitivorum duci Apollonio à Lucullo fidem servatam memorat. Et Dio scribit, ab Augusto Crocotæ* latroni *persolutum pretium, capiti ejus impositum, cùm se ipse sisteret, ne fides violaretur.*

Latronum Ludus, idem cum *Ludo Latrunculorum* i. *Calculorum*, quem Græci recentiores Ζατρίκιον, indeque Mauritani *Alcatrec* & Hispani *Axedrez* vocant. Ovidius,

Sæpe latrocinii *sub imagine calculus ibit* &c.

Scachos hodie appellant Itali & Galli, voce à *calculis* detortâ. Inventus à Græcis, ab iis ad Persas transiit, Salmasius *ad Solinum pag.* 1130. magnæ & vetustatis & nobilitatis, exerceturque in tabula lusoria sexaginta quatuor areolis distincta, novem lineis ex unaquaque parte se mutuò intersecantibus, in quibus duo scrupi nomen *Regum* præferunt, duo alii *Reginarum*, quatuor *Equitum*, totidem *Satellitum*, quatuor itidem *Centurionum* seu *Elephantorum Turrigerorum*, sexdecim denique minores *Peditum*, ut ex elegantissimo carmine Hier. Vidæ *de Scacchia Ludo* liquet. Et quidem Rex ex hisce non nisi maximâ urgente necessitate movetur, uti pluribus videre est, apud Achmetem *de Zatricio*. Fl. Vopiscus *Imperatoris* in hoc ludi genere appellationem usurpat, *in Proculo*. *Nam cùm in quodam convivio ad latrunculos luderetur, atq́ ipse decies Imperator exisset, quidam non ignobilis scurra, ave, inquit, Auguste, allataq́ lana purpureâ humeros ejus vinxit.* Inter alia enim Principatus ornamenta & inaugurationis symbola, purpureâ quoque chlamyde Imperatorum olim humeros vestiebant. Reliqui calculi *latrones* modò, ut dictum, modò *milites*, appellitantur. Martialis *Epigr. de calculis*,

Insidiosorum si ludis bella latronum,

Gemmeus iste tibi miles *& hostis erit.*

Unde Seneca *Epist.* 117. *in fin. tabulæ latrunculariæ* meminit, & Plinius *lib.* 9. *cap* 54. *à Muciano, etiam latrunculis lusisse cerâ fictis simios, proditum esse* scribit. At Auctor *Panegyrici ad Pisonem*,

Interea sectis quamvis acerrima surgant

Prælia militibus, plenâ tamen ipse phalange,

Aut etiam pauco spoliatus milite vincis.

Omnia namque in hoc ludo ad bellum composita, unde *militum, acies, phalangis, prælii, hostium, captivorum, tropæorum*, passim mentio apud Vett. dum illum describunt. Hi itaq; turmis utrinq; instructi, hostili quadam imagine procedunt, simulataque acie congrediuntur, &, statione unicuiq; calculo præscriptâ, hostem Reges impetunt, sibi, quantum licet, caventes. Tunc verò victi censentur, cùm omnes ex adverso ludentes milites capiuntur Regiq; nullus patet effugii locus: unde & nonnullis ludo *Scacchia* nomen, ab Hebr. *Schach*, id est, vallavit, & vox *mat*, vel *met*, quæ, usurpari solita de Rege ad incitas redacto, in eadem lingua, *mortuus est* denotat. Regem enim ipsum, i. principem calculum, capere licet nunquam. Neque verò *capi* solùm, sed & *ligari* calculos, mos. Auctor Panegyrici *ibid.*

Ut niveos nigros, nunc & niger alliget albos.

Et paulo pòst,

Ancipites subit ille moras, similisq́ ligato

Obligat ille duos ——

Sed aliter ligantur, aliter capiuntur &c. Porrò tabula in qua *latronibus* luditur, tota lineis ut dictam distincta est & unicuiq; calculo suus locus ac sua sedes attributa; quas sedes Græci olim πόλεις postea

postea χῶραι. item γραμμαὶ, & γραμμικὴ χώρα, quòd lineis invicem discretæ essent & interseptæ, vocarunt, unde & πόλις quoque Vett. hoc ludi dictum. Latini *mandras, septa, valles, capsos & carceres*, appellant. Martialis,

Mandris & vitreo latrone clausos &c.

Græci recentiores ζατρίκιον & ζάτριον vel ζατρῖον, quo nomine indigitabatur propriè *pistrinum* vel *carcer*, in quem servi nequam conjiciebantur, unde postea toti ludo nomen, ut vidimus. Qui victor erat in ludo hoc, *Imperatorem* fuisse appellatum, ex *Proculo* Vopisci vidimus, *ad quem* de hoc Ludo plura congerit Salmasius. Cæterùm Ludi inventorem in specie Donatus in *Ter. Eunuch. Act. 4. sc. 7.* ad illud,

Idem hoc jam Pyrrhus factitavit.

Pyrrhum Epirotam facit. quem *strategematum peritissimum primum, quo pacto ea disciplina traderetur per calculos, in tabula ostendisse*, scribit. Belli namque simulachrum, ut diximus, ac imago ludus hic est. Vidas *in Scacchia ludo, ab initio:*

Ludimus effigiem belli, simulataq; veris
Prælia, buxo acies victas & ludicra regna:
Ut gemini inter se Reges albusq; nigerq;
Pro laude oppositi certent bicoloribus armis.

Claudianus *in Honorii 6. Consul.*

Hic & belligeros exercuit area lusus,
Armatos hic sæpe choros &c.

Unde ludi hujus beneficio in arte militari nobiles suos exercuisse Mauritius Nassavius, Dux belli celebratissimus, legitur apud Dan. Heinsium *Orat. Funebri Principis hujus*: aliosque scientiam hanc militarem apprimè didicisse novimus. Seneca *lib. 2. de Ira cap. 14.* inventi hujus gloriam Chiloni sapienti: Joh. Saresberiensis *Policratici lib. 1. cap. 5.* Attalo Asiatico tribuit. Communior consensus exercitationis tam ingeniosæ auctorem Palamedem facit, Nauphi filium, qui in obsidione Trojana, ut milites in officio contineret, illud ludicræ dimicationis genus excogitasse scribitur. V. Pausaniam *in Corinthiacis & Phocic.* Philostratum Lemnium *in Heroic.* Greg. Nazianzenum *Invectivâ 1.* Suidam in voce Τάβλα &c. Quare Aur. Cassiodorus *Palamediacos calculos* jure indigitat, *lib. 8. Epist. 31.* atque hanc quidem Palamedis tabulam, donarii loco, Deorum fanis dedicatam, summâ apud posteros dignatione fuisse, tradit Servius *lib. 2. Æneid. ad illud,*

Belide nomen Palamedis.

Sic Sidonius Apollinaris de eo disertè. *Carm. 23.*

Tanquam Naupliades repertor artis,
Gaudebas hilarem cure rixam, &c.

Sed de *Palamedis* lusu infrà videbimus. Calculi, ut & hoc addam, nonnunquam è cera, ut ex Plinio suprà vidimus: aliquando è vitro fuere. Ovidius *lib. 2. de Arte,*

Sive latrocinii sub imagine calculus ibit,
Fac pereat vitreo miles ab hoste tuus.

E' gemmis suggerit Martialis *lib. 14. Epigr. 10.*

Insidiosorum si ludis bella latronum,
Gemmeus iste tibi miles & hostis erit.

Ex ebore, Juvenalis *Sat. 11. versu 132.* Plerunque è buxo, unde *buxo acies victas* canentem Vidam retro audivimus. Fuit hic ludus frequentissimus apud priscos. Seneca sæpe meminit, *Epist. superiùs laudatâ, Nemo qui ad incendium domus suæ currit, tabulam latrunculariam perspicit, ut sciat quomodo alligatus exeat calculus.* Ubi egregie, *alligatus*: Erat enim quiddam instar dimicationis & alterius coloris calculi alteros ad ultimam seu extimam tabulæ lineam agebant; deinde victoriæ in eo erat summa posita, si implexum obsessumque calculum lusor eduxisset. Idem *de Brevitate vitæ cap. 13.* *Persequi singulos longum est, quorum aut latrunculi, aut pila, aut excoquendi in Sole corporis cura consumsere vitam:* Ubi pro otioso exercitamento lusum hunc posuit. Nihilominus gloriosum Viris etiam in Rep. eminentibus fuit, superiores in eo extitisse: probrosum & ignominiæ proximum, superari ac ad incitas redigi. Proin pergit Seneca *de Tranq. animi c. 14.* *Verisimile non est*, inquiens, *quæ vir ille dixerit, quæ fecerit, quàm in tranquillo fuerit. ludebat* latrunculis, *cùm Centurio agmen periturorum trahens. & illum citari jubet; vocatus numeravit calculos. & sodali suo, vide, inquit, ne post mortem meam mentiaris te vicisse. Tum annuens Centurioni, testis, inquit, eris, uno me antecedere.* Cui plane simile quid narratur de Joh. Friderico Saxoniæ El. in castris Caroli V. Imp. ante Wittebergam captivo. At non eadem mens Jacobo Magnæ Britanniæ Regi, qui in *Regio munere*, libro ad Filium, hujus generis ludum Principibus, utpote qui non animum seriis fatigatum curis levaret, sed potiùs operosiùs intentum occuparet, fugiendum suadet, quem si placet, vide: & plura hac de re apud Thom. Dempsterum *Paralipomenis in Joh. Rosini Antiqq. Rom. lib. 5. cap. 1.* aliosque, Sereniss. inprimis Gustavum Selenum *lib. peculiari.* De eo incertus Auctor, *poëmatio ad Pisonem*, jam suprà cit.

Te si fortè juvat studiorum pondere fessum
Non languere tamen, lusuq; movere per artem,
Callidiore modo tabulâ variatur apertâ
Calculus, & vitreo peraguntur milite bella,
Ut niveus nigros, sic & niger alliget albos.
Sed tibi quis non terga dedit? Quis te duce cessit
Calculus, aut quis non periturus perdidit hostem?
Mille modis acies tua dimicat. ille petentem
Dum fugit, ipse rapit, longo venit ille recessu,
Qui stetit in speculis, hic se committere rixæ
Audet, & in prædam venientem decipit hostem.
Ancipites subit ille moras, similiq; ligato
Obligat ipse duos, hic ad majora movetur,
Ut citus, & fractâ prorumpat in agmina mandrâ,
Clausaq; dejecto populetur mœnia vallo.
Interea sectis quamvis acerrima surgant
Prælia militibus, plenâ tamen ipse phalange,
Aut etiam pauco spoliatâ milite vincis,
Et tibi captivâ resonat manus undiq; turmâ.

Aliud à *latrunculis* ludi genus indigitat Petronius Arbiter, quum ait: *Sequebatur puer cum tabula terebinthina & crystallinis tesseris: notaviq; rem omnium delicatissimam. Pro calculis enim albis aut nigris aureos argenteosq; habebat denarios. Interim dum ille omnium textorum iter lusu consumit, gustantibus adhuc nobis &c.* Quòd enim hic Gonsalius *latrunculorum* intelligit lusum, insigniter peccat, duodecim ludum scriptorum cum *latrunculis* confundendo: ut *ad Augustam historiam* Salmasius, verba hæc Petronii adhibens, præclarè ostendit. Ludus significatur, in quo & tesseris & calculis pugna fit, qui *latrunculorum* esse non potest, ubi

Unus cùm gemino calculus hoste perit.

Nam in hoc nihil fortunæ committitur. Intelligit ergo ludum duodecim scriptorum (non *scruporum*, ut ex Opicis libris retinet Gonsalius) admodum similem illis, qui hodie *Trictrac*, aut *Verkeeren*, aut *Lurtschen*, aut simplicius genus *aus und ein*, Gallis & Germanis utrisque appellantur: verba sunt Joh. Friderici Gronovii *de Pecunia Vet. lib. 3. cap. 15. pag. 514. & 115.* V. quoque hic passim.

Latus tegere, apud Horatium *lib. 2. Sat. 5.*

Ut ne tegam spurco Damæ latus? —

Aliàs *latus claudere*, est inferiorem incedere, ut ex præcedd. liquet:

Qui quamvis perjurus erit, sine gente, cruentus
Sanguine fraterno, fugitivus: ne tamen illi
Tu comes exterior, si postulet ire, recuses.

Ubi Ulysses jubetur hominem impuræ & servilis conditionis, sed divitem, honorificè domum vel deducere, vel quocunque ire velit, diligenter sequi. *Tegere* simpliciter vocat Statius *Theb. lib. 2. vers. 219.*

Hunc tegit Jasius —

id est, *à latere sequitur*, ut scriptus Explanator interpretatur. V. Casp. Barthium *ad l.* ubi Scaligerum, *latus tegere*, δορυφορεῖν exponentem, *Commentariis ad Catalecta Virgilii*, refellit, ut & hic in voce *Dexter, Lævus, Sinister.*

Latus-clavus, apud Horatium *lib. 1. Sat. 6.*

— latum demisit pectore clavum:

laticlavia tunica est, Senatorium apud Romanos insigne. Isidorus *lib. 9.* *Quamvis Senatoria quis origine esset, usq; ad legitimos annos eques Romanus erat: deinde accipiebat honorem Senatoriæ dignitatis.* Nempe Senatorum filii veteri jure Equites tantùm erant, usque ad annum æt. 25. (quam Senatoriam ætatem fuisse, ex Dione discimus) tum *lati-clavii* demum jus habebant. Primus Cæsar, cùm de Octavio nepote suo maximam spem concepisset, brevique eum ad rerum administrationem admoveri cuperet, tempus anticipavit eique jus tunicæ Senatoriæ concessit, ante tempus legibus hactenus definitum. Ipse postea Octavius Augustus, *Liberis Senatorum, quò celeriùs Reip. assuescerent, protinus virilem togam*, latum clavum *induere & Curiæ interesse permisit*: circa tertium vel quartum annum, post reditum suum à victo Antonio. Non vero ita fuit hoc jus promiscuum, ut sine cognitione Principis usurpari posset: quin patres id ab eo liberis suis, quos Reipubl. destinabant, petere tenebantur: unde *munus* id vocat Statius, qui jus hoc præclare expressit *Sylv. lib. 4. Carm. ad Jul. Menecratem.* Quin sæpe evenit, ut fratrum alter beneficio Principis uteretur, abstineret alter, pro patris voluntate, vel ingenii diversitate, uti discimus ex *Vespasiano* Suetonii. Imò, quos vota parentum Curiæ destinassent, eos non raro vel fortuna adversa cogebat, vel propria voluntas impellebat, retrocedere & inferiore gradu subsidere: atque his ponendus *latus clavus* erat, elapsâ Senatoriâ ætate. Unde Ovidius de se ipso,

Curia restabat: clavi mensura coacta est.

Tandem eò ventum, ut etiam eorum, qui Equites tantùm erant, quidam hunc Clavum retinerent & veste Senatoriâ decorarentur. A' quo more manavit illa Senatorum distinctio, in *Juvenes* & *Honoribus defunctos*, indigitata Tacito *Annalium libr. 6. & libr. 13.* dictique sunt illi *Juvenes secundi ordinis*, primo grado iis concesso, qui domum Augustam, necessitudine aliqua vel affinitate contingerent. Vide

Statium *præf. lib.* 4. *Sylv.* & plura hanc in rem, apud Casaubonum *ad Suetonii Augustum l. cit.* nec non in vocibus, *La[illegible]clavus* &c. Adclam latiem, *lato clavo ad manus fimbriato* usum legi Cæsarem, apud eundem Suetonium in *Vita ejus cap.* 46. quid verò fimbriæ sint, retro diximus.

Lavabo, in Eccl. Rom. charta, ad dextrum Altaris latus poni solita, cui inscriptum *Lavabo manus.* Richelietus *in Diction. Gallico.*

Lavallea, Gall. *Laval*, illustris in Gallia Familia, cujus hæreditas per Emmam Guidonis VI. vel VIII. filiam, & Matthæo II. Domino Montmorencio nuptam, huic familiæ illata est. Filius Matthæi Guido nomen *de Laval* assumpsit, unde ab eo descenderunt Domini, qui deinceps Comites *de Laval* & omnibus commune Guidonis nomen fuit. Verùm illa linea terminata est in Anna Guidonis XII. filia, quæ Johanni Montfortio nupsit: hic verò nomen Guidonis XIII. assumsit, ac ad posteros hæreditatem uxoris transmisit, qui sic habent. Rudolfus VI. Dn. *de Montfort* & *Caël*, ex Altenora *d'Ancenis*, genuit Rodolfum VII. Dn. *de Montfort*: cui Isabella Dn. *de Loheac & Rochebern.* genuit Rudolfum VIII. Dom. *de Montfort, Loheac & Rochebernard*: quo & Johanna *de Kergolay* (fil. Johannis, extincti A. C. 1364.) natus Johannes *de Montfort*, inde Guido XIII. Bar. *de Laval* (ut diximus) ductâ Annâ Dn. *de Laval & Vitré* (fi. Guidonis XII. Dn. *de Laval & Vitré*, Vicecom. *de Rennes*, defuncti An. C. 1412. & Johannæ *de Laval*) obiit A. C. 1415. relicto filio Guidone XIV. Com. *de Laval* & *Montfort*, Vicecom. *de Rennes*, qui defunctus A. C. 1486. successorem habuit, filium ex Isabella Britannica (fil. Johannis VI. Duc. Britanniæ) Guidonem XV. Com. *Laval. & Montfort*, qui obiit improlis A. C. 1500. Reliqui Guidonis XIV. liberi erant, Johannes Dom. de Rupe Bernhardi seu *Rochebernard* (qui defunctus A. C. 1476. pater fuit Guidonis XVI. Com. *Lavall.* avus ultimorum hujus familiæ) Petrus Archiep. Rhemensis (den. 1493.) Jolanda (uxor Alani *de Rohan* Vicecom. *de Leon*. & postea Guilielmi *de Harcourt*. Com. *de Tancarville*) Francisca, Johanna (ux. Renati Regis Hierosolymæ & Siciliæ Duc. Andegavensis, den. 1498.) Anna, Artula, Helena (ux. Johannis de Malo Stricto) *Malestroit* (Dn. *de Derval*) & Luisa, uxor Johannis de Britannia Com. *de Penthieure.* V. Phil. Jac. Spenerum *Theatr. Nobil. Europ. Part. II. pag.* 66. Sed & præter hunc ramum principalem, alii surculi juxta enati sunt Dominorum de *Atticby. Chalouyau, Raiz, la Suse, Pacy sur Marne* atque *Loue*: qui ultimus denuo plurimos palmites dedit, Dominorum *de S. Aubin. Boudaulphin*, quibus nunc Marchionum dignitas & titulus *de Sablé* accessit: *la Faigne, Tartigny. Brée.* At hos omnes primogeniti Dn. *de Loue* qui etiam Vicecomites *de Broce*, Comites *de Joigny* ac *Meslle* & March. *de Neella* facti sunt, dum superfuere, antecedebant: Diximus de iis suprà voce *Joigny.*

Lavandi Ritus, Gentibus frequens, in utroque sexu & ætate quacunque. Frigida Heroes delectati, unde *Herculea lavatio* in Prov. abiit, & in thermas graviter invehitur Athenæus, V. Eust. *in Il.* χ. *& Od.* δ. Placuere tamen & hæ fortibus Romanis, de quibus hic paulo fusiùs. Habuere illi balneas tum publicas, easque vel æstivales vel hyemales, tum etiam privatas. Quasdam enim publicis impensis populo universo extructas, discimus ex Theod. & Valent. Augg. *leg.* 5. *C. de Aquaductu*: idque pro ratione caloris frigorisque, uti innuit Sidonius Apollinaris *Carm.* 22. *versu* 179.

Porticus ad gelidos patet hinc æstiva Triones,
Hinc calor innocuus thermis hyemalibus exit,
Atq; locum tempus mollit.

De privatis V. Schollastem Juvenalis *Sat.* 7. *versu* 3. & Plinium *lib.* 2. *Epist.* 17. qui illas *meritorias* vocat. Sed de voce *Balnea*, Vide suprà: ut & infrà in voce *Therma.* Principium ritus ab exercitiis ortus, quòd sudorem aquâ abluere salubre judicaretur, ideo milites, qui in campo decurrebant exercebanturque, in Tiberi vicinè natabant, cives verò delicatiores calidâ aquâ in balneis se abluebant. Sed priusquam abluerentur, quod communiter fiebat ante cœnam, sudorem pilâ ludendo excitabant: unde in confinio balnei sphæristerium fuisse, docet Plinius præfatus *l.* 5. *Epist.* 6. Post cœnam autem non nisi nepotes lavabant. Plautus *Rudente Act.* 1. *Sc.* 2.

Propter viam illi sunt vocati ad prandium,
DA. qui? SC. quia post cœnam credo laverunt heri.

Similiter antequam ad Toniorem irent, in Thermas prius se conferebant. Idem *Asinariâ*, ubi Servus in tonstrina residens,

Ille in balnea iturus est, inde huc veniet postea.

Lavandi tempus à *meridiano ad vesperum* constituit Vitruvius *Architect. lib.* 5. *cap.* 10. Tertullianus *lib. adv. Psychicos* horam nonam definit: quod præter leges censorias, quibus octava thermis dedicata est. Hinc Martialis *lib.* 10 *Epigr.* 48.

Nuntiat octavam Phariæ sua turba juvencæ,
Et pilata redit jamq; subitq; cohors.
Temperat hæc thermas, nimios prior hora vapores
Halat, & immodico sexta Nerone calet.

Plinius *lib.* 3. *Epist.* 1. hyeme nonam, æstate octavam *lavandi* horam fuisse indicat: quo sensu capi potest illud Martialis *lib.* 4. *Epigr.* 8.

Sufficit in nonam nitidis octava palæstris:

ut ab hora octava hyeme pilâ luserint, deinde balnea accesserint ungendi fricandique. Cum itaque tempus adesset, tinnitu æris Thermarum vel tintinnabuli majoris, cujus sonus longe lateque exaudiebatur, non solùm qui pilâ exercebantur prope Thermas, sed & longius dissiti, convocabantur lavatum. Martialis,

Redde pilam, sonat æs thermarum, ludere pergis?

Hinc & Cicero *in Tuscul. Simulatq; increpuisset*, (i. e. Thermarum tintinnabulum auditum esset) *Romanos, relictis Philosophis & Præceptoribus unctum* (nam, qui lavissent, ungebantur, V. *infrà*) *ire solitos* ait. *Lavabantur* autem viri omnes quadrante, quam ob causam *rem quadrantariam* Seneca balneum appellat, fœminas autem gratis *lavisse*, Juvenalis docet: quod & impuberibus præstabatur, unde idem:

Nec pueri credunt nisi qui nondum ære lavantur.

Ungebantur deinde vestibus depositis loti. Petronius *Satyr. Jam Trimalcio unguento perfusus tergebatur, non linteis, sed palliis ex mollissima lana factis.* Plautus in *Pseudolo*,

Uncti hi sunt senes, fricari sese ex antiquo volunt:

in loco, qui proin *unctuarium* vocabatur, Plinio *lib.* 2. *Epist.* 17. & *unguentaria cella* Sidonio Apollinari *lib.* 2. *Epist.* 2. inde ad cœnam ibatur: quæ omnia conjungens jam sæpius laudatus Plinius Jun. *lib.* 3. *Epist.* 1. *Ubi hora balnei nuntiata est*, inquit, *in Sole, si caret vento, ambulat nudus; deinde movetur pila vehementer & diu, nam hoc quoq; exercitationis genere pugnat cum senectute, lotus accubat & paulisper cibum differt.* Mulieres seorsim *lavabantur*, quamvis displicuerit D. Hieronymo *adultas Virgines lavacra adire*, *lib.* 2. *Epist.* 15. *ad Lætam*: auctore Hadriano, apud Spartianum. Sed & invalescente luxuriâ promiscuum *lavandi* morem sustulit Antoninus Philosophus, docente Julio Capitolino; quod & Græcis consuetum. Utrique in balneis carmina recitabant, & ea quæ inaudierant referebant, quare garrulitatis nomine notati balneatores. Qui dominum *lavantem* ungebant, *Aliptæ*, *Unctores* dicebantur, quorum instrumenta erant strigilis, lintea, guttus; Hos egregie ridentem vide sis Epictetum apud Arrianum *lib.* 3. *cap.* 26. In ô qui unguenta promeret & asservaret, peculiaris minister fuit, *Unguentarius* dictus: quod docet Servius *ad Æneid.* illud *lib.* 1.

—— —— *Ubi mollis Amaracus illum*
Floribus & dulci aspirans complectitur umbrâ.

Docet enim, Amaracum puerum regium Unguentarium fuisse, qui casu lapsus, cum ferret unguenta, majorem ex confusione odorem creaverit. Horatius hujusmodi puerum alloquitur *lib.* 3. *Ode* 14. cum ait:

I pete unguentum puer, & coronas,
Et cadum Marsi memorem duelli.

Quòd autem axillas olim vellerent, & lævigarent cum toto corpore, id verò mollitiei adscribendum est. Imò post pumices, resinam & volsellas eò ventum est, ut psilothro & dropace adhibitis, pilos arcerent, Vide Plinium Valerianum *lib.* 3. *cap.* 54. Martialis *lib.* 3. *Epigr.* 74.

Psilothro faciemq; lavas, & dropace calvam:
Nunquid Tonsorem Gargiliane times?

Vestimenta *lavantium* servabant Capsarii, & pecuniatæ aliquando e sa uma homines. Matronas, quod attinet, ancillarum opera olim uti consuevere: non enim universæ cum tunica pudorem poluerant, ut illa Juvenali *Sat.* 6. decantata. Postea *lavanti* dominæ Eunuchi adfuere. Claudianus *in Eutrop. lib* 1.

—— —— *Eous Rector Consulq; futurus*
Pectebat Dominæ crines, & sæpe lavanti
Nudus in argento lympham gestabat alumnæ:
Et cum se rapido fessam projecerat æstu,
Patricium roseis pavonum ventilat alis.

Hinc magno in pretio, non tantum apud Barbaros, sed & apud Romanos: in hujus interioris cutem gratiam *Custodes* dicti. Afferebant hi aquam in conchis, quibus etiam unguentum asservari solebat. At in balneis ea subministrabatur vasis argenteis, quæ *lavationem* JC. appellant: quo nomine aliquando labrum ipsum seu lebetes quidam intelligi volunt, quos constat argenteos fuisse, ex Statio *lib.* 1. *Sylv.* 5. *versu* 147. Laurentius tamen JC. *Notis in Phædrum fab* 5. *lib.* 4. minus contendit omnem supellectilem balneatem, quam *Argentum balneare* vocat *l.* 32. §. 7 *ff. de aur. & arg. leg.* cujus generis: Strigiles, gutti, urceoli, speculum, matula, ampulla olearia &c. Eadem in Basilicis, ὁ τῶν λουτρῶν ἄργυρος, alias uno nomine *Balnearia* appellabantur, quæ peregrinaturi secum, velut viaticum necessarium, convehebant: ut ex Plauto apertum *in Mercatore*,

Tollam pullam atq; hinc eo.

Lavantibus qui aliquid surripiebat, Tertulliano *Apologet. cap.* 44. *Lavantium prædo*: Jurecconsultis *Fur Balnearius* dicitur. His duplex pœna Romæ statuta fuit, Athenis mors, ex Solonis lege, cujus rationes: Quia primò facillimum est in balneis, aliisque locis publicis furari, & à furibus ne tum quidem rectè caveri poterat, cum maximè cavebatur, tam multi erant, tam improbi. Præterea, non licebat quenquam à balineis, gymnasiis & locis publicis arcere. Denique non tam in privatos, quàm in ipsam Remp. fures hi committunt, V. Sam. Petitum *Comm. in LL. Atticas lib.* 7. *tit.* 5. *pag.* 530. & *seqq.* & plura de *Lavandi ritu* apud

Laur.

Laur. Pignorium *Comm. de Servis* & Thomam Dempsterum *Paralipomenis in Joh. Rosini Antiqq. Rom. lib. 1. cap. 14.* Addit Bartholinus de Puerperis, quinto die emergente institui solita fuisse olim λουτρὰ λεχώϊα. *lavacra puerperalia*, ad manus earum abluendas, quæ obstetricatæ fuerant, aut aliquid attigissent ex puerperio, ipsiusque puerperæ, ob curarum solutionem & lassitudinem. Unde Parrhasius *Quæsit. per Epist.* prolixè disputat, *An solita sint puerpera à partu statim lavare?* Locum enim Terentii *Andriâ Actu 3. Sc. 2.*

Nunc primùm fac ista ut lavet,

de ipsa explicat Puerpera. Quemadmodum Apollonius Rhodius *Argon. lib 2.*

— — Ἡ δὲ λοετρὰ λεχώϊα τεῦχε νέοντο.

Atq; balnea puerperio condecentes illi parant.

Quo more postea solemnibus Natalitiis servato, *lavabant* manus, quum epulas instruerent, idque in pollubro & gutto. Ipsi infantes, quamprimum utero egressi, statim *lavabantur*, teste Hieronymo *lib. 4. ad Ezechielem*: unde Bromia ancilla apud Plautum,

Postquam peperit pueros, lavare jussit nos.

Idque partim lacte, molesto satis, partim aquâ, eaque vel tepidâ, ut in funeribus, vel fervente, vel frigidâ, quâ Germani etiam legitimum fœtum exploravere olim, docente Hadriano Turnebo *Adversar. lib. 21. cap. 15.* Quò Claudianus alludit:

—— —— *Nascentes explorat gurgite Rhenus.*

Idem Græcis in usu fuit, qui addiderunt lavandis oleum, in χύτλῳ seu vase oleario, vel toti corpori vel oculis naribusve, ad infantis robur & calorem augendum conservandumque. Lacedæmonii vino laverunt, ut morbosum corpus explorarent: Alii Græcorum rore, Cimbri nive. Collocabantur autem *lavandi*, antiquo cum funeribus ritu, plerumque in Clypeo: Unde apud Nonium *in Andromeda* citatur hic versus:

Nam ubi introducta est, puerumq; ut lavarent, collocant in clypeo.

Fuisse verò hunc antiquum cum funeribus ritum, patet ex Euripide in *Troadibus*, ubi cadaver Astyanactis pueri lotum defertur in clypeo. V. Thom. Bartholinum *de Puerperio Veterum.* De ritu *lavandi* cadaveris, apud varias Gentes usitato, Romanos inprimis, V. Joh. Rosinum *Antiqq. Rom. lib. 5. cap. 39.* Græcos, Vide Franc. Rossæum *Archaeologia Att. l. 5. cap. 21.* Hebræos, V. Thom. Godwynum *de Ritibus Hebræorum lib. 6. cap. 5.* qui de superstitiosis Pharisæorum lotionibus aliisque huc pertinentibus accuratè quoque agit, *ejusdem Operis libro 1. cap. 10. &c.* V. quoque suprà in voce *Cadaver*, & alibi passim, inprimis infrà, voce *Lotio.*

Lavatorium, in Monasteriis, locus est, ubi manus *lavant* Monachi, priusquam in Refectorium se conferant. Liber *Ordinis S. Victoris Paris. cap 35. de Refectorio*, *Quando percutitur cymbalum, si Fratres in Ecclesia fuerint, exeant cum Processione ad Lavatorium.* apud C. du Fresne *Gloss.*

Laubacum, Germ. *Laubach*, castrum Germaniæ, sub proprio Comite, ex familia Comitum Solmensium. Cùm enim qui nunc supersunt, omnes communem patrem habeant Ottonem, qui decessit A. C. 1409. à majori hujus filio Bernardo Braunfelsinea linea descendit: quæ iterum in tres ramos divisa est, *Braunfelsinum, Hungensem & Greiffenstenium.* Alter ejus filius Johannes *Lichensis & Laubachiæ* lineæ sator fuit: quarum illa denuo in *Lichensem & Hohensolmensem* distinguitur; hæc in *Laubacensem, Sonnewaldiam & Rœdelheimensem.* E quibus *Laubacenses* quod attinet, Philippus Com. Solmensis *in Licha & Laubach*, qui obiit A.C. 1544. ex Adriana (fil. Philippi Com. Hanoviæ *in Muntzenberg*) filium reliquit Ottonem Com. Solmensem, defunctum A. C. 1522. Huic Anna Meklenburgica (fil. Magni II. Ducis Megapolitani) genuit Fridericum Magnum Com. Solmensem, qui decessit A.C. 1561. Pater ex Agnete Wiedensi (fil. Johannis Com. *Wieda*) Joh. Georgii Com. Solmensis, cui annus secularis emortualis fuit. Hoc & Margarethâ Schonburgicâ (fil. Georgii Do. *de Schonburg*) natus Albertus Otho, Com. Solmensis in *Laubach*, fato functus est A. C. 1610. successore, ex Anna Hassiaca (fil. Georgii Landgr. Hassiæ *in Darmstatt*) filio, Alberto Othone II. Com. Solmensi *in Laubach*: cujus denati A. C. 1656. ex Catharina Juliana Hanovica (fil. Philippi Ludovici Com. Hanoviæ *in Muntzenberg*) filius superstes est Carolus Otto, frater Elisabethæ, Albertinæ, & pater ex Amœna Elisabetha Com. Benthemia (sorore Philippi Conradi Com. Benthemii & Steinfordii) ... *Com. Solmensis in Laubach.* V. Phil. Jac. Spenerum *Theatr. Nobil. Europ. Part. I. pag. 62. & Part. III pag. 88.*

Laudabilitas, titulus honoris, Præsidibus, Consularibus, aliis, tribui olim solitus: de quo V. Brissonium *in Formulis pag. 355.*

Laudana. V. infrà *Laudana.*

Laudes, in Ecclesia Rom. ultima pars Officii nocturnalis, seu Psalmi tres ultimi, qui post Matutinos & Benedictiones cantantur, ut habet *Regula* S. Benedicti *cap. 12.* & quos olim etiam cantatos fuisse, ab Ægyptiis Monachis, tradit Cassianus *de Noct. orat. lib. 3 cap 10.* Sic autem dicuntur, quia unicè Dei laudes sonant hi Psalmi: quam partem Officii cùm quidam à Matutino distinguant, alii cum eo conjungunt, V. hac de re Dominicum Macrum *in Hierolexico*, & *suprà Alleluja.* Sed & sic dictæ sunt acclamationes publicæ, quæ fiebant olim Principibus, cùm inaugurabantur, vel in Theatris aut in Ecclesia, atque adeò in celebrioribus ceremoniis: Græcis Byzantinis, Εὐφημίαι, Ἔπαινοι, Eunapio *in Ædesio.* Continebantur iis, victoriæ vel vitæ diuturnæ adprecationes, quas πολυχρόνια voce indigitant Scriptores Græci, & sequiore inprimis ævo, in ipsis Ecclesiis inter sacra liturgiæ solennia, acclamabantur, Psaltis seu Cantoribus plerumque, interdum Canonarchâ, incipientibus, uti Codinus habet *de Officiis cap. 6.* alibique non semel. A Græcis transiit mos ad Latinos, ut in ipsis litaniis, ut vocant, Principibus *Laudes* dicerentur iisque acclamaretur, quod etiamnum in Dalmaticis Ecclesiis obtinere, observat Joann. Lucius *de Regno Dalmat. lib. 2 cap 6.* Cujusmodi litaniarum cum acclamationibus formulæ, exstant apud Canisium *Antiqq Lectionum Tom. V. pag. 735. 736.* & Goldastum *Rerum Alemannic. Tom. II. pag. 175.* ex quo concini solitas, ad Missæ Liturgiam, post Hymnum Angelicum, qui finito ter dixerit Minister *Christus vincit*, ut & Clerus; Tum *pro Pontif. Nicolao, Ludovico Rege, Hemma Regina, prole Regia, Judicibus* seu Comitibus, *& exercitu Francorum & Alamannorum* &c. Sancti & Sanctæ invocatæ sint, colligit Car. du Fresne, qui antiquissimam aliam, ex Codice MS. Ecclesiæ Arelatensis, argenteis & eburneis laminis tecto, exhibet in *Glossario*, quod vide: Plura verò hanc in rem, retro diximus, in *Acclamandi Ritu*. Corippus *lib. 6.* ubi de Justini Jun. inauguratione,

Laudibus *innumeris Regnantum nomina tollunt,*
Justino vitam tercentum vocibus optans,
Augustæ totidem Sophiæ plebs tota reclamat,
Mille canunt laudes, vocum discrimina mille.

Et *lib. 4.*

Tunc oratorum gemina facundia linguæ
Egregias cecinit solemni munere laudes &c.

V. quoque infra, in voce *Polychronium.* De *laudationibus* verò *modulatis* vectorum nautarumque Classis Alexandrinæ, quibus Augustum excepere, dicentes, *Per illum se vivere, per illum navigare, libertate atq; fortunis per illum frui*, apud Suetonium *in Eo, cap. 99.* item, quibus Neronem, apud eundem, aliisque huc pertinentibus, V. Casaubonum *ad Suetonium*; ut & infrà ubi de *Plausuum Arte.*

Laudicia ad Lycum, omnium Cibyratici Conventûs urbium celeberrima. Plinius de Laodicea urbe ad Lycum, *Abea Doris incipit. Sed priùs terga & mediterraneas jurisdictiones indicasse conveniat. Una appellatur Cibyratica, ipsum oppidum Phrygiæ est, conveniunt eò 25. civitates, celeberrimâ urbe* Laudicia. *Imposita est Lyco flumini, latera alluentibus Asopo & Capro.* V. *Laodicea ad Lycum* & de hac Urbe plura, apud Salmasium *ad Solinum pag. 818.*

Laudum, apud recentioris ævi Scriptores, sententia arbitri est, ex communi partium consensu electi. Aliter *Homologium*, voce Græcâ, V. Dominic. Macrum *Hierolexic.*

Laudana, Bulengero & Dominico Macro, fuere ornamenta aurea vel argentea, quasi virgæ, suspendi ante altaria aut rugis imponi solitæ; à *laudando*, quòd *ad laudem* & honorem Martyrum ponerentur: V. Macrum *in Hierolexico*; Papiæ, *vasa Ecclesiastica*, apud C. du Fresne, ex Anastasio *in Hadriano p. 110 Fecit in Basilica B. Hadriani cereostata argentea pens. lib. 12. simulq; &* laudanas *duas, ex argento pens. lib. 8, quas posuit super rugas de Presbyterio, ubi arcus de argento existit.*

Lauenburgum, V. *Lawenburgum.*

Laverna, adde: De sacro ejus, ita Serenus,

Inferis manu sinistra immolamus pocula,
Læva quæ vides, Lavernæ; *Palladi sunt dextera*;

apud Statii interpretem Lutatium *Theb. lib. 4. vers. 502.* Ubi is *Lavernam* pro Proserpina posuit, à ratione silentii. Sacra enim & preces Lavernæ confieri silentio consuevisse, adnotat Scholiastes Horatii *lib. 1. Epist. 16.* Silentes autem Inferos perhiberi, notum. Nomen quod attinet, à *lavando* quidam id deducunt: *Lavatores* enim fures quoque dicti, quòd *lavent*, i. purgent ea loca, quæ non debent. A *levando* alii; namque *levatores* eosdem Petronius vocat. Quidam à Gr. λαβεῖν, vel λάφυρον. V. Vossium *Gloss.* & Martinium *Lexico Philolog.*

Laviniansene, præfectura Armeniæ min. ad Euphratem, Salmasius *ad Solinum pag. 619.*

Laura, apud Anastasium *in Histor. Eccles.* aliosque medii ævi Scriptores, λαύρα Græcis, apud Syncellum *pag. 107.* Photium, Joann. Moschum &c. Conventus seu Monasterium est, in quo Monachorum numerus millenarium excedit, uti vult Franc. Quaresimus *Tom. II. lib. 6. Peregrin. 3. cap. 9.* Sed Lauram S. Euthymii, non nisi quinquaginta; Lauram S. Gervasii, quæ juxta Jordanis flumen erat, non nisi 70. nec plures initio Lauram Sabæ, licet postea ad mille excreverint, Monachos continuisse, docent Surius 20. *Januar.* Sophronius *Prat. Spir.* & Cyrillus in *Vita S. Sabæ.* E quo postremo Scriptore discimus, in eo potiùs *Lauram* à Monasterio differre, quòd in Cœnobiis illi viverent, qui vitam communem agebant; in Lauris verò, qui segregem & quietam. In *Laura* nempe vivebant Anachoretæ, suis quique distincti cellis, sub uno Abbate; adeoque è Cœnobiis in Lauras promovebantur, qui ad majorem perfectionis modum pervenerant, Monachi nempe provectioris ætatis, uti hodie *Inclusi* solent.

Ea autem illorum fuit vivendi ratio: totâ hebdomade manebant in suis cellis separati, neque aliud quam panem, aquam & dactylos gustabant: exceptis Sabbato & Dominicâ, quibus conveniebant in Choro & Refectorio, ut habet Macer; percipientes Eucharistiam, & cocto paucoque cibo in Cœnobio utentes. Cyrillus *in Vita S. Euthymii num. 42. 45. 48. 89. 90.* Evagrius tamen, Eudociam Imperatr. *Lauras* in Palæstina erexisse, in quibus degentes omnia communia habuerint, exceptis aliquibus voluntariam pœnitentiam facientibus, de qua infrà in voce *Ypertheses*, scribit *lib. 1. cap. 21.* Vocis etymon quod attinet, λαύρα Græcis ῥύμη est propriè, h. e. *via publica* seu *angiportus* in urbibus, ad quorum similitudinem hæ Monachorum cellæ exstructæ & ab invicem seiunctæ nomen id suum fecisse videntur, Fullero *Miscellan. sacr. lib. 2. cap. 5.* apud C. du Fresne *in Glossario*, V. Macros Fratres *in Hierolexico*.

Lauratum, apud Optatum Milevit. *Lauratis & iconibus, quæ mittuntur ad civitates, vel regiones, obvii adeunt populi cum cereis & incenso, non cerâ perfusam tabulam, sed Imperatorem venerantes:* imago est Principis, quod caput laureâ cingeretur, nonnullis sic dicta, Dominic. Macer *in Hierolexico.* Sed in ipso Optato locus non occurrit, verum in Notis Balduini, ex versione Græci auctoris, quam *in Annalibus suis* produxit Baronius. Is *lauratis* posuit, quod in Græco esset λαυράτοις: sed λαυράτον cùm scribitur apud Græcos, pro λαβράτον est, uti λαῦρος, pro λάβρος, interdum scriptum reperitur apud Græcos. Vera itaque hujus vocabuli scriptura λαβράτον est, Latine *Labratum*, Salmasius *ad Vopiscum in Probo.* V. suprà in voce *Labratum.* Fuit istiusmodi statuarum multiplex olim usus, in Impp. inaugurationibus præsertim; qui quamprimum huic rerum apici essent admoti, mittebantur in provincias eorum *Labrata* seu *Sacri vultus*, uti appellantur *l. un. Cod. de publ. læt. nunt.* in impetratæ dignitatis signum, & magnâ submissione à populis ubique excipiebantur: cum cereis & incenso iis obviam venientibus, ut diximus ex Optato. Chrysostomus addit, præcessisse tubicines cum militum globo, gerulosque imaginum istiusmodi mundè vestitos auroque ornatos fuisse, *in Paulum Apost. Serm. 60.* Idem imagines ita fuisse effictas, ut in summitate hastæ efferrentur & infrà victoriæ, triumphi, resque bello præclare gestæ, describerentur, *alibi* tradit. Gregorius M. *lib. 10. Epistolarum, Venit autem icona suprascriptorum Phocæ & Leontiæ Augustorum Romam VII. Kal. Maji, & acclamatum est ei in Laterano, in Basilica Julii, ab omni Clero vel Senatu: Exaudi Christe: Phocæ Augusto & Leontiæ Augustæ vita. Tunc jussit ipsam — Papa reponi in Oratorio S. Cæsarii Martyris, intra palatium.* &c. Alius earum usus fuit, in Amphitheatris, dum Circenses peragerentur: inferebantur autem in Circum, cum cereis & funalibus, à Viris candidâ veste indutis, ut de eodem Phoca memorat Auctor *Chronici Alex.* Sic celebratis Domentiæ Augusti filiæ, cum Prisco Patricio, nuptiis actisque Equestribus Ludis, à principibus factionum in Circo locatas Crispi & Domentiæ εἰκόνας, una cum Imperatoriis imaginibus, refert Nicephorus CPolit. λαυράτα habet Theophanes, *anno 5. Phocæ.* Sed & iconum harum usus fuit, inter præcipua illustrium dignitatum insignia, seu Magistratuum, quibus præferebantur, in auctoritatis & potestatis à Principe collatæ symbolum. V. Senatorem *de Formula Consularitatis lib. 6. Var. 20.* Atque eæ sunt Imperatorum imagines, quæ inter insignia Præfecti Prætorio, cum binis cereis, describuntur, ac effinguntur, in *Notitia Imp.* V. *suprà*, ubi de *Lampadariis*, & plura hanc in rem, apud Cujacium *Observat. lib. 11. cap. 27.* aliosque, præter eos qui suprà memorati, laudatos Car. du Fresne *in Glossario.*

Laurea, V. infrà *Laurus*.

Laureatæ Tabellæ, apud Lampridium *in Alexandro Sev. Acta sunt res feliciter & in Mauritania — & in Illyrico — & in Armenia — atq; ex omnibus locis tabellæ laureatæ delatæ sunt; quibus in Senatu & apud Populum, lectis, omnibus nominibus est adornatus:* sunt literæ victoriæ ac rerum lætarum nuntiæ. *Laurum* vocat Statius *Sylv. 1. lib. 5.* ubi de istiusmodi tabellis Domitiano undique allatis,

> — *quæ laurus ab Arcto,*
> *Quid vagus Euphrates, quæ ripa binominis Istri,*
> *Quid Rheni vexilla ferant, quantum ultimus orbis*
> *Cesserit & refluo circumsona gurgite Thule* &c.

Has qui ferebant, summa itidem pila *laureis* ornata habuere: Cum e contrario, qui res turbidas & improsperas, aut novos motus in provinciis excitatos, aut bellum nuntiabant, rei tristis indicium pinnis in summo hastarum lancearumque fixis præferebant, πτεροφόροι hinc dicti. V. infrà, ubi de *Pinnis & Pinnatis literis.*

Laurentalia, ita enim Plutarchus scribit, & Ovidius *Fastorum lib. 3.*

> *Vester honos veniet, cùm Laurentalia dicam,*
> *Acceptus Geniis illa December habet.*

Festo *Larentalia* dicuntur, *conjugis Faustuli nutricis Romuli & Remi Larentiæ, festa.* Aliis *Larentinalia*: item *Laurentiæ feriæ*, incidebant in 10. Kal. Januarii & celebrabantur in honorem Accæ Laurentiæ, quam *Larentiam* Macrobius vocavit, ut & Festus modò laudatus, nutricis Romuli, cui Sacerdotes publicè illo die parentabant. Fiebat autem id sacrificium in Velabro, quà in no-

vam viam exibatur ad sepulchrum Accæ &c. Hanc cum altera Acca sive Caja Taratia vel Tarrutia, quam sub nomine *Flora*, mense Aprili, colere Romani solebant, multi perperam confundunt, Joh. Rosinus *Antiqq. Rom. lib. 4. cap. 16.* Jacobus contra Oiselius JC. *Notis in A. Gellii lib. 6. cap. 7.* similiter duplicem faciens Laurentiam, et quæ Romuli fuit nutrix, sacra fieri per Flaminem Martialem mense Aprili fuisse solita, atque hinc festum *Laurentalia* dici contendit: Alteram fuisse ait Tarrutio nuptam, quæ plerisque Populo Rom. bonis legatis, denique ex hominum conspectu ablata fuerit, eo ipso in loco, ubi prior fuerit humata: huicque vult mense Decembri sacra fuisse facta. V. quoque *Laurentiæ Feriæ.* Casaubonus Compitalia *Larentinalia* quoque dicta, cumque olim non nisi una essent, ab Augusto postmodum duplicata esse, notat, ad illud Suetonii *in Augusto cap. 31. Compitales Lares ornare bis anno instituit.* Vide ubi de *Compitalibus.*

Laurentes Agri, memorati Tibullo, *lib. 2. Eleg. 5.*

> *Impiger Ænea, volitantis frater amoris,*
> *Troïca qui profugis sacra vehis ratibus,*
> *Jam tibi* Laurentes *assignat Jupiter agros,*
> *Jam vocat errantes hospita terra Deos:*

à *Laurento* oppido nomen habuere. Aurelius Victor *de Orig. gentis Rom. Inde ad Italiæ oram, quæ ab arbusto ejusdem generis* Laurens *appellata est, Latino regnante pervectus Æneas.* Vide Cluverium *Italia antiqua lib. 3. pag. 883. & seqq.* ut & in voce *Laurentes pop.*

Laurentius Bochellus, V. suprà *Bochellus.*

Laurentius Cremensis, inter primos *Decreti* Glossatores, Gerh. von Mastricht *Histor. Eccl. jur. num. 334.*

Lauretum, adde: Blondum & Baptistam Mantuanum primos cubiculi B. Virginis, in quo Christus conceptus, Nazaretho in Dalmatiam primum, inde in agrum Lauretanum Picenæ prov. per Angelos translati, meminisse, ait Casaubonus c. *Baronium Exerc. 7. num. 1.* ubi plura in rem.

Laurium & Lorium, villa Antonini Pii, ubi & educatus & mortuus est, ab urbe ad 12. lap. V. infra *Lorium.*

Laurolavinium, & *Laurum Lavinium*, idem cum *Lauro* seu *Laurio*, de quo modo, apud Servium. V. Casaubonum *ad Capitolinum in Antonino Pio.*

Laurus, scientiæ symbolum, ob non unam rationem; Unde quibusdam arbor ea credita, in qua primi nostri Progenitores peccarunt, V. Fortun. Licetum *lib. de Gemmis Annularibus cap. 25. pag. 62.* Proin & vaticinii typus habita, quam ob causam vaticinantes *Lauro* coronari solitos, ait Interpres Aristophanis: & qui bella sequebantur vates, in summa galea *lauri* coronam gestabant, Pierius *Hieroglyph. l. 50.* Etiam fortè propterea in summitate Delphici templi, unde vaticinia exibant, arbor hæc in latus propendebat. Eidem Valeriano, vim Poeticam indicat, propterea que Oraculo Delphico congruit, tum quòd Apollo Poetarum atque Musarum Pater atque Deus colebatur antiquitus: tum quod Oraculorum responsa versibus dabantur ferè omnia. Unde & antiquissimum illud templum ex *lauro* fuisse conditum, tradit Pausanias *in Phocaicis.* Et ipse Apollo *lauri ramum* manu tulit, ex lauro Tempica decerptum, sicque Delphos, postquam à cæde Pythonis serpentis purgatus esset, venit, & Oraculum occupavit. A quo tempore Pythionicis ex eadem lauro serta fuisse imposita, cum antea ex esculo darentur, tradit Ælianus *Var. Hist. lib. 3.* Sed & eidem Apollini Delphos propterea lauri dona missa, jam à Regibus Rom. Plin. *lib. 15. cap. 30.* scribit. Ipsi etiam tripodes ex *lauro* erant, insuperque δάφνη ἐστεμμένοι, *lauro coronati*, quas coronas Pythia, quoties vaticinatura erat, super tripode diductis cruribus sedens, capiti imponebat &c. Porrò fulmen non expavescere credita, quapropter ex ea sertum Tiberio casum metuenti: custodiæque ac incolumitatis inde symbolum, auctore Proclo, habita est, qui scribit, antiquos *laurum* Tutelæ consecrasse, eamque & in sacrificiis, & in foris, ubicunque vel sata, vel affixa fuerit, incolumitatem afferre. Ovidius *Metamorphos. lib. 1.*

> *Postibus Augustis eadem fidissima custos*
> *Ante fores stabis, mediamq; tuebere quercum.*

Insuper castitatis index: unde *frondem pudicam* agnoscit Claudianus *de Raptu lib. 3.*

> — *luco dilectior omni*
> Laurus, *virgineos olim quæ fronde pudicâ*
> *Umbrabat thalamos* —

ubi de Cerere, cui laurum quoque sacram hinc discimus. Porro purgationibus apta, utpote ipsamet pura & purissimo ideo Numini (Apollini) consecrata, ut Phornutus *in Apoll. & Diana* ait. Diuturnitatis quoque credita est significatrix, quòd semper viret: unde *frondem perennem* illam Lucretius *lib. 1.* & *frondem æternam* Calius Parm. *in Orpheo suo*, vocant, ut alios mittam. Faustitatis item & felicitatis: unde non Principum tantùm, sed & privatorum januas *lauream* coronatî, more prisco, consuevisse, legimus apud Tertullianum *Apolog.* Eandem ob causam familiares primorum, ineunte anno, laureati in publicum prodibant: quod etiam in matronis notat Tertullianus *ad uxor. lib. 2.* Ut omittam ramos lauri, qui cuique pro foribus ponebantur, quosque ἀρτίνους Græci dixere, teste *Etymologici* Auctore. Ipsa merces

bono

bono lauri omine non carrere, utque emptori novum mercimonium, sicut novo domino, feliciter eveniret, udâ lauro aspergebatur, quem morem Ovidius describit *lib.5.* In lætitia verò Nuptiali tota quoque domus plerunque laureis coroliis ornabatur. Appulejus *Metam. lib.4.* *Domus tota lauru obsita, tadis lucida constrepebat hymenaeum* &c. Inprimis Victoriæ ac Triumphi insigne ac ornamentum fuit. Unde literæ victoriam nuntiantes, ab Imperatoribus ad Senatum missæ, *lauru* obvolvebantur. Plin. *lib.15. cap.ult.* *Laurus præcipua victoria lætitiaq, nuntia additur literis:* Quæ proin *Laureata* dictæ, Jul. Capitolino *in Maximino* & Plinio *lib.35. cap.18.* Etiam lictores *laureati* & Imperatorii fasces *lauri* insignia prætulere: statuæ quoque victoribus decretæ eâdem cingi consuevere. Adde & *navis laureata* mentionem fieri à Plutarcho *in Lucullo:* & militum lanceis pilisque additam *laurum* fuisse, ex sæpe memorato Plinio. Martialis hinc *lib.7. Epigr.5.*

Sed jam lætitia quò sit fiducia major,
Sarmatica lauris nuntius ipse veni.

Statius *lib.5. Sylv.1.*

Omnia jam lætis pila attollentia frondes, &c.

Quemadmodum contrà pennis Epistolæ lanceisque additis adversa significabantur. Postquam Imperatori triumphus decretus erat, is *lauream* triumphalem ad Jovem Capitolinum delatam, in ejus gremio relinquebat: Hinc *laureata* Imperatorum *capita* in nummis passim conspiciuntur, & nota de *Laureto*, unde triumphaturi hæc honoris insignia decerpere sueti erant, historia. Liviæ quippe olim, post Augusti statim nuptias Vejentanum suum cum reviseret, tum gallinam albam, quæ ramulum *lauri* rostro tenebat, à prætervolante aquila in gremium demissam: cumque nutriri altem, pangique ramulum placuisset, tantam pullorum sobolem provenisse aiunt, ut Tranquillus ad sua usque tempora villam eam *ad Gallinas* vocitatam testetur; & ex hoc *Laureto*, triumphaturi postea Cæsares boni ominis gratiâ laureas decerpsisse dicuntur. *Adeò verò laurus,* verba sunt Valeriani *in Hieroglyph. lib 50.* *triumphantium propria fuisse videtur, ut observatum sit, in hujusmodi laureto sub cujusq, obitum, arborem ab ipso sasti tutam elanguisse. Ex quo etiam prodigii causam intelligas, quod Juliis Cæsaris cadem præmonstravit, quum pridie Idus Martias avis Regaliolus cum laureâ ramulo Pompejanæ Curiæ sese inferens, à varii generis volucribus è proximo nemore persequentibus ibidem discerpta est. Novissimo verò Neronis anno, in quo Cæsarum progenies defecit, sylva illa Vejentana radicitus exaruit, & quidquid ibi gallinarum erat, interiit. Tali portento fuit Alexandro Severo laurus alia ingens ac antiqua, quæ in palatio cujusdam civitatis, à qua proficiscebatur ad bellum, quod contra Germanos paraverat, subitò collapsa, mortis iisdem ejus index tum habita. Contrà non temerè boni ominis Lauri folia, quæ circa Pompeii fasces illigata fuerant, quum longo itinere per arida & multa loca jam exaruissent, eo tempore, quo in vico quodam Galatiæ cum Lucullo in colloquium descendit, detracta & à Lucullianis lictoribus recentia & viridia, quæ penès eos plurima fuerant, liberaliter suffecta: quod jumenum gloria rerum à Lucullo gestarum ad Pompejum transituram interpretatum est,* &c. Erat autem *Laurea Triumphalis*, ut paulo distinctius de illa agam, duûm generum, una vere *laurea*, h. e. contexta seu plexa ex duobus ramulis lauri, quæ caput triumphantis evinciebat; altera ex auro, sed in speciem lauri effigiata, quam servus publicus eodem, quo triumphator, curru vectus, super caput ejus gestabat, in gremio Jovis Capitolini postea deponendam, uti suprà diximus, ubi de *Insigni Corona*. Cùm quæ vere laurea erat, veluti splendidissimum domesticæ virtutis insigne, summa cura domi asservaretur, inde non depromenda, nisi insignis alicujus diei statis temporibus, cùm vel spectacula, vel res alia magna publice peragerentur. Tunc enim vir triumphalis in publicum egrediebatur, laurea sua non tantùm conspicuus, sed & venerabilis. Hoc itaque fine lauræ triumphales domi tam sanctè custoditæ, utque non evanescerent, renovatæ atque viribus permutatæ sunt, ne unquam deesset insigne hoc in publicum prodeuntibus. Sub Principibus verò etiam peculiaribus quibusdam epithetis donatæ sunt, a victoriis sc. gentibusque victis ac triumphatis. Hinc *Lybica laurus* memoratur Silio Ital. *Rhætica, Sarmatica, Syriaca* Mamertino *in Panegyr.* Neque vivi solùm, sed & mortui victores hac fronde ornati sunt. Unde de Menœceo Papinius *Thebaid. l.12. v.64.*

—— nec robora vilem
Struxerunt de more rogum: sed bellicus agger
Curribus & clypeis, Grajorumq, omnibus armis
Sternitur, hostiles super ipse ut victor acervos
Pacifera lauro crinem, vittiq, decorus
Accubat ——

Ad quem locum vetus Schol. *Lauro*, inquit, *coronatur etiam mortuus, & jam concremandus, quia pro victore Argivorum ab omnibus habebatur.* Quo exemplo Annibalem Marcelli corpus *laureâ* coronatum cremavisse, notavit Car. Paschalius &c. Quia autem laurus victoriam atque triumphum signavit, hinc & qui Herculi monstrorum domitori, sacrificabant, eadem coronâ redimitebant. Seneca *Hercule Fur.*

—— densa quid lato venit
Clamore turba frontibus laurum gerens
Magnisq, meritis Herculis laudes canit.

Libero quoque, *nepote Deo triumphorum*, laurea tributa. Tertullianus *de Cor. milit.* Ut & Latonæ, tanquam Apollinis, quem idem *Deum celorum* vocat, genitrici. Sed & Junonis, veluti Reginæ Dearum, ministris laureæ coronæ concessæ sunt, apud Athenæum *lib.15.* Quanto magis Jovis Flamines insignibus: Unde Kalendis Martiis, non tantum in Regia Curiisque, & fascibus Consularibus, sed & in Flaminum domibus, *laureas* vett. novis mutatas esse, docet Ovidius *Fastorum lib.3.*

Laurea Flaminibus, quæ toto perstitit anno,
Tollitur, & frondes sunt in honore novæ &c.

Quod postea in Januarias Kal. translatum: quibus ipsius quoque Jani statuæ nova laurea quotannis est imposita. Unde *in Cæsaribus* Ausonius,

Ter dominante Tito cingit nova laurea *Janum.*

Et quia plurimorum remediorum hæc arbor promacunda est habita, hinc *laureâ* Æsculapium legimus insignitum. Imo & ad alia Numina, pro superstitione hominum, e *lauru* corona delata, ab iis, qui è negotio feliciter gesto in Urbem coronati rediissent, vel ab aliis, in horum gratiam: uti discimus ex Ovidio *de Ponto lib.2. ad Germanicum,*

Quòd si me salvo dabitur tua laurea *templis,*
Omnia bis dices vera fuisse mea.

H. e. si populus coronatus lauro, laureâ que manu ferens gratias Diis aget, apud omnia pulvinaria, ob res a te gestas. Solis, Veneri Bacchoque, inimica, unde apud Lucianum laurus Veneris transfuga est, *Amor.* neque conviviis, ullisque compotationibus in coronas adhibita: hinc *bona valetudinis comes*, & φυτὸν ἀγαθοῦ δαίμονος, *planta boni spiritus*, dicta. Quâ ut r. Kal. Januarii populum eam Romæ, ut etiam ficus aridas, obtulisse, tradit Constantinus Cæsar *lib.11. cap.4.* &c. Ob quas *Lauri* dotes & prærogativas, *in profanis usibus pollui laurum — fas non erat, ut ne propitiandis quidem Numinibus accendi ex hac aitaria aravé deberent,* Plin. *loco cit.* ubi plura *de Lauro*; cui adde ex rec. auctoribus, Car. inprimis Paschalium, *Coronarum lib.8. cap.7. & seqq. usq, ad finem libri*: necnon Vossium *de Idolol. cap.12.* ubi fulmini obnoxiam hanc arborem, contra Vett. probat, & de eorundem opinione, quòd comesta vel capiti supposita vera producat insomnia, pluribus disserit. A' *Lauro* vel *Laurea*, dicuntur *Laureati* Poetæ, qui ab Imperatore, ob eruditionem, *laureâ* ornabantur: more à Romanis orto. In Capitolinis enim agonibus, quos Domitianus Imp. instituit & ad tempora sua obtinuisse, scribit Censorinus, Poetas, Rhetores aliarumque Professionum viros egregios, coronari ab ipso Imperatore fuisse solitos, notum est. Et quidem, qui primas obtinuerant, coronâ & ramo lemniscatis, aut torque involutis donabantur: Qui verò secundi erant, palmas quidem sed sine lemniscis accipiebant. Unde antiquitus ipsi Cæsares Germani Poetis eximiis ex *Lauro* sertum imposuisse leguntur, ad Romanorum imitationem, quorum etiam in Imperium successere. Postea per aliorum manus collatus honor, quem, quòd in indignos subinde spargeretur, sensim evilvisse, discimus ex illis Lipsii verbis: *Multi laurisferi, pauci Phœbi.* V. præter Auctores præfatos Thom. Dempsterum *Antiqq. Rom. lib 5 cap.18.* Fortun. Licetum *in Opere suprà laudato* &c.

Laus, an à Græco λαὸς, *populus*, quod *Laus* sit vox populi *laudantis*; an à vet. voce Æolica λαῦω, *fruor*, quod nullus major fructus ex virtute, aut actione ulla, quam *laus*, percipiatur? Græce ἔπαινος, item ἐγκώμιον dicitur: quæ tamen duo sic distinguit Scaliger, *Cùm*, inquiens, *de re quapiam alicujus esset propositus* (i. sermo) *auditorum consensus expressus oratione, ἔπαινος appellabatur, quasi primæ narrationis additamentum. Nullum enim pulchrius auctarium orationis, quam comprobatio dictorum. Inde tractum est, ut hoc testimonium, vel bene rei, vel bene cuiusdam facti dictive ἔπαινον vocarint. Satis itaq, erat & brevitas orationis & paucitas comprobantium — Hoc à Latinis* Laus *dicta — At ἐγκώμιον, pusilla quasi panegyris est. Quippe eo τοῖς κώμοις, ambulibus audientibus, cùm laudes alicujus ita recensebantur, ut longiuscule procederet oratio, ἐγκώμιον appellarunt, quæ neq, brevis, neq, simplex esset: sed figuris ac numeris ornata, certis divisa partibus, locis digesta suis — Latinè* Laudatio *dicitur*. V. eum *Poetic. lib.3. cap.120.* Panegyricus verò, eidem est oratio *laudatoria*, quæ dici consuevit, apud multitudinem congregatam. Veteres enim Græcos consuetudo tenuit, certis ut celebritatibus unum in locum universi coirent, ut eorum animi vel præceptionibus Sapientum, vel Fortium æmulatione, componerentur atque colerentur: vel ludorum festivitatibus laxarentur. Namque tum Poetæ, tum Oratores, tùm Aretalogi, tum Historici suas recitabant lucubrationes, inter quas præcipuæ erant, quæ *Laudes* fortiter pro Patria defunctorum prædicabant, aliosque exemplis eorum ad paria præstanda succendebant &c. V. illum *cap. prec.* Quod παιᾶνα τῶν τελευτησάντων, *paanem defuncti*, appellat Æ. hylus Χοηφ. Vide quoque hic passim, inprimis ubi de *Parentandi ritu*. Aristoteles paulo aliter, ut qui ἔπαινον virtutum esse dicat, ἐγκώμιον factorum, μακαρισμὸν hominum beatorum, i. divitum, εὐδαιμονισμὸν Deorum: Quam in rem plura V. apud Scaligerum ubi suprà, cui adde Car. Paschalium *Coronarum lib.3. cap.7.*

Laus tibi Christe, verba sunt, quibus in fine Evangelii, In Communione

munione Romana, respondetur, auctore, ut videtur, Burchardo: cùm priùs variè responderetur, sc. *Amen, Deo gratias, Benedictus, qui venis in nomine Domini* &c. Durandus *lib. 4. cap. 24.* In feria 6. Parasceves autem non dicitur, ob memoriam improperiorum Domini. At *Laus Tibi Domine*, in eadem Ecclesia, in principio horarum dicitur, loco *Alleluja*, à Dominica Septuagesimæ, usque ad Pascha, ex decreto Alexandri II. Pontificis Rom. V. Dominic. Macrum *in Hierolexico*.

Lausiaca, Græcè Λαυσιακὴ, nomen operis, à Palladio conscripti, quod Patrum gesta continet, à *Lauso* Præposito literis prius consignata, quodque statis temporibus legi consuevisse Idem, ex *Triodio* docet.

Laura Cariosæ, pars urbis Romæ, in qua natus Augustus, apud Servium *ad Æn. lib. 8.* At Suetonius eum natum ait, *regione Palatii, ad Capita bubula*, ubi sacrarium postea constitutum, *in Augusto cap. 7.*

Lautia, præbebantur olim Legatis, quasi *Dautia*, Fest. ex Græco Λαυτα; sic autem dicebatur, quidquid ad epulas pertinebat, V. Salmasium *ad Solinum p. 873.* & infrà, ubi de *Legatis*.

Lautrecum, Germ. *Lauterek*, corrige: A' Principatu Veldentiæ dependet; unde *Veldentia* potiùs, quàm *Lautereccana* hæc Principum Palatinæ stirpis linea, dicenda. V. infra in voce *Leopoldus Ludovicus*, item *Veldentia*. Spenerus tamen modò *Lautereccanam*, modò *Lucelsteniam*, modò *Veldentiam* appellat, eamque deducit hoc modo. Ludovicus Com. Palatinus Rheni Bipont. qui obiit A. C. 1489. ex Johanna (fil. Antonii Croji Com. Porceani) Alexandrum suscepit Com. Pal. Rh. Bipont. qui defunctus A. C. 1514. ex Margaretha Hoheniloica (fil. Cratonis Com.) filium reliquit Rupertum Com. Palatinum Rheni *in Lauterek*, denatum A. C. 1544. Hoc & Ursulâ Rhingravia (fil. Johannis Com. Sylvarum & Rheni) natus Georgius Johannes Com. Pal. Rheni decessit A. C. 1592. Pater ex Anna Maria Suecica (fil. Gustavi R. demortui A. C. 1560.) Georgii Gustavi Com. Pal. Rheni *in Lauterek*, qui obiit 1634. Huic Maria Elisabetha Palatina (fil. Johannis Com. Pal. Rh. in Bipont.) Leopoldum Ludovicum genuit Com. Pal. Rheni, patrem numerosæ prolis, ex Agatha Christina Hanovica (fil. Philippi Wolffgangi Com. Hanoviæ *in Liechtenberg.*) V. ut dictum, *infrà*, & plura, apud Phil. Jac. Spenerum *Theatr. Nob. Part. II. pag. 1.*

Lautunii, Africæ populus, ad montem Atlantem, creato Rege, circa A. C. 1052. Zenetorum Imperio finem imposuerunt, ac in Africa & Hispania, successu temporis, omnium latissime imperare cœperunt. Primus Regum fuit Abul-Texifus, qui sedem Regni posuit in urbe *Achmed*. Ejus successor Josephus, universæ Africæ, usque ad Ægyptum & Nigritarum regionem, dominus, trajecto in Hispaniam exercitu, pene universam occupavit, de quo V. Rodericum Toletanum *in Hist. Hispan. & Saracen.* Idem urbem Maroccum condidit, quæ Regni sedes, deletâ Fezzâ, in posterum esse cœpit. Sed Abdalla Elmohadi Ludimagister, cùm, specie Religionis reformandæ, ingentes copias comparavisset, ultimum *Lautuniorum* horum Almoravidarum Regem Abrahamum prælio victum fugatumque in præcipitium egit, sicque Africâ potitus, ab Almoravidis ad Almohadas Imperium transtulit. Georg. Hornius *Orb. Imper. p. 470.*

Lavvenburgum, opp. Pomeran. adde: inter titulos est Seren. Elect. Brandeb. ut & Butovia; quas dynastias, ad Cassubiam alioquin spectantes, contra Equites Cruciferos, Wartislaus X. & Ericus II. seculo XV. Pomeraniæ Duces, armis asseruere: possessionem postea Georgius Dux, Luthero coævus, icto cum Polonis fœdere & favore præsertim Soceri Sigismundi Poloniæ Regis, stabilem reddidit; quæ fortè causa, quâ nominatim ex titulo adnectuntur, cæteroqui jam Cassubiæ appellatione comprehensæ, V. Cluverum *Geograph.* Spenerum *Sylloge Geneal. Histor.* Chytræum *lib. 11. sub. fin.* & qui hos laudat, Tob. Pfannerum *de præcipuis Germaniæ Principum Gentibus cap. 4.*

Lazari, in *Statutis* Hosp. S. Jul. in Anglia, *Lazaros congregavit ad eorumq; sustentationê, alibiq; passim*, apud recentioris ævi Scriptores, dicti sunt Leprosi, Gall. *Ladres*, quòd eorum domus seu ædes sacra, extra muros Hierosolymitanæ urbis, *sancto Lazaro* dicata esset. Horum olim solicitam gessisse curam Episcopos, arguunt Concilia varia, Aurelianense V. *can. 21.* & Lugdunense III. *can. 6.* inprimis. Extatque Ildefonsi Toletani, quem sui pro Sancto habent Carmen, in Xenodochium, à parentibus ejus conditum, ita sonans:

> *Livua cum Stephano genitrix: sed avunculus illum*
> *Compulit Eugenius Præsul ad hospitium.*
> Lazarus *hoc mendicus habet, sub mœnibus Urbis,*
> *Quà via Complutum civibus apta patet.*

apud C. du Fresne. V. infrà, ubi de *Leprosis*.

Lazius, cognom. Justiniani Imp. in *Novel. Constit. 43.*

L E.

LEG. E. D. *lege ejus damnatus*. LEG. *legio*: L. G. F. S. *legem fecit suam* &c. in notis antiqq. denotat. Franc. Gouldmannus.

Leæna, Ambraciotis olim pro Numine fuit: quos eam velut libertatis suæ vindicem honorasse, testatur Ælianus, idque hac occasione, quòd, qui tyrannidem apud illos invaserat, *leænâ catulis suis cinctæ* obviam factus, ab ea esset discerptus. Quò respexit Ovidius *in Ibin*:

> *Facta tibi occurrat patrio popularis in arvo,*
> *Sitq; Paphages causa leæna necis.*

Ubi Tyranno nomen facit *Paphages*: nisi is Phacyllus; eoque *Phacyllus* rescribendum: quod Janus Parrhasius censet *Epist. 8.* Et Ælianus quidem, de Ambraciotis dicere contentus est, τιμῶσι, *honorant*: Gillius verò reddidit, *summâ religione colunt*. Coltavet Clemens Alexandrinus, qui *in Protrept.* tradit, oves pro Numine habitas à Samiis, item mustelas à Thebanis. Ubi de Ambraciotis quidem nihil: sed cùm Ælianus *l. c.* Ambraciotas jungat & Samios; idem honoris utrobique intelligendum videtur. Ac fortè Sapientes ovem, lupum, *Leænam*, ut anathema, honorarunt: vulgus insipiens coluit, ut Numina. Vide Gerh. Joh. Vossium *de orig. & progr. Idolol. lib. 3. cap. 75.* Plura verò de hoc animalium, post marem suum, quem tamen robore ac feritate æquare, imò & superare, dicitur, nobilissimo, invenies apud Sam. Bochartum *Hierozoici Part. prior. Lib. III. cap. 1. & seqq.* E' quo unum hoc adjicio: Naturam providisse, ne in generis humani perniciem hæc fera nimium sobolesceret, atque inde esse, quòd *leæna* in tota vita semel pariat, nec nisi unicum catulum, tradunt Herodotus *lib. 3. cap. 108.* Antigonus *Histor. 25.* Horus *Hieroglyph. lib. 2. cap. 78.* qui *leænâ* hieroglyphico mulierem uniparam ab Ægyptiis denotari, addit; e Patribus, Basilius *in Hexaëm.* & Epiphanius, qui S. Virginem θεοτόκον Mariam hac in parte cum *leæna* confert. Etiam causa adjicitur, nempe quòd hæc fera pariens uterum, catuli unguibus laceratum, unà cum fœtu emittat. Ælian. *Variar. lib. 10. cap. 3.* Sed hoc ut fabulosum rejiciunt magni Auctores, Aristoteles *Histor. lib. 6. cap. 31.* Plinius *lib. 8. cap. 16.* Philostratus *in Apollonio lib. 1. cap. 16.* Alii: multique plures uno illam parere docent. Oppianus *Cyneget. lib. 3.*

> *Βάξις ἄρ' ἀτρεκέως ἀνεμώλιος, ὡς ἕνα τίκτει,*
> *Fama est omnino inanis quòd unum pariat.*

Quod ipsum commentum Gellius *lib. 13. cap. 7.* ex Homero refellit, qui *Iliad. ρ. & σ.* leones ait plures gignere atque educare catulos. Vide his longè potiores testes Ezechielem *cap. 19. versu 2.* & Nahum *cap. 2. versu 12.* Interim non constat satis, quoties *leæna* parere aut quot catulos edere soleat in uno partu. Plurimi tradunt, eam quinquies ferre uterum, & quinque vel sex catulis primo partu editis, ad unius partum per gradus venire, Aristot. *de generat. animal. lib. 3. cap. 1. & 10.* Solinus, Ælianus *Histor. lib. 4. cap. 34.* Oppianus *Venat. l. 3.* Alii. Hinc Phile *cap. 32.*

> *Λέαινα δ' ἐξ, κομῶσα, πεντάκις τίκτει,*
> *Καὶ πέντε μὲν τὸ πρῶτον, εἶτα δὶς δύο,*
> *Καὶ τρεῖς ἐφεξῆς, τῷ τετάρτῳ αὖ δύο.*
> *Καὶ σκύμνον αὐτὴν εἰς τὸ πέμπτον ἐξάγει,*
> *Εἶτα πέπαυται κλεῖς τῶν γονῶν ταῖς ἐξόδοις.*
> *Leæna autem, ò optime, quinquies parit,*
> *Et quinos quidem primùm, deinde bis binos,*
> *Postea ternos, quarto autem partu binos,*
> *At catulum simplicem quinto producit.*
> *Sic ponitur clavis generationum egressibus &c.*

Quam tamen rem tanto consensu a Vett. traditam, recentiorum nemo confirmat: &, cum sciret Philosophus, in patriæ suæ leonibus nihil tale observari, id Syris solùm tribuit, *Histor. lib. 6. cap. 31.* Potius fortè id, quod idem Bochartus ex vet. Auctore laudat. Τίκτει ὡς ἐπὶ τὸ πολὺ δύο, τὸ μέγιστον πλεῖστα ἕξ, τίκτει ἐνίοτε καὶ ἕν. *Geminos parit ut plurimum & ad summum sex, nonnunquam et tantum unum.* Apud Posidonium tamen ingens *leæna*, circa Ctesiphontem, σκύμνους ἑπτὰ ἐν τῇ γαστρὶ ἔχειν, *Cujus ventre octo catulos habere reperta est* &c. Hoc certum, summum ejus erga scymnos suos amorem esse. Statius *Theb. lib. 10. v. 408.*

> *Ut lea, quam sævo fœtam pressere cubili*
> *Venantes Numidæ, natos erecta superstat*
> *Mente sub incerta, torvum ac miserabile frendens:*
> *Illa quidem turbare globos & frangere morsu*
> *Tela queat, sed prolis amor crudelia vincit*
> *Pectora, & à media catulos circumspicit ira.*

Ad quem *l.* V. *Animadversiones* Gasp. Barthii, ubi plura hanc in rem.

Lebadea, adde: Græcè Λεβάδεια, ubi Jovis Trophonii Oraculum fuisse, notat Strabo *lib. 9.* cujus res, ut ipsemet vidisse & coràm audisse se testatur, eleganter ac copiose describit Pausanias *lib. 9.* Hodie *Livadia* dicitur, & Turcas partim, partim Græcos, incolas habet, lanæ, frumenti & oryzæ, quam toti Græciæ largè suppeditat, commercio celebris. Inde haud procul Copaidis lacus, qui λίμνη τῆς Λιβαδίας hodiernis Græcis dicitur. V. descriptionem Urbis, qualis nunc est, apud Jac. Sponium *Itinerar. Part. 2. pag. 82. & seqq.* ubi inter alia variarum vett. *Inscriptionum* meminit, quarum una in atrio Mesquitæ Omeri (quæ ædes olim erat S. Georgio sacra) bonori Junonis & Urbis hujus consecrata; aliæ tres infer ore Urbis loco, cum nomine ΠΟΛΙΣ ΛΕΒΑΔΕΩΝ & ΛΕΒΑΔΕΙΕΩΝ: una Megaræ extat, facta in memoriam Trophoniorum Ludorum *Lebadiæ* celebratorum, quorum inter Vett. unus mentionem facit Jul. Pollux, loco tamen, ubi agerentur, non expresso &c.

Lebadus,

Lebedus, adde: Memoriam ejus servat nummus Caracallæ [illegible] p. in cujus altera parte Pallas armata, cum lemmate, ΛΕΒΕ-ΔΙΩΝ, [illegible] Spanhemium vorso [illegible] *Part. 3. p.* [illegible] 95.

Lebes, & *Lebeta*, ex Græco λέβης [illegible] ὕδωρ [illegible], quòd aqua ei infundatur, nomen accepit. Virgilius *Æn. l. 3.*

—— *Dodonæosq; lebetas.*

Ubi *ollas æreas* interpretatur Servius. Propriè vas quodcunque, in quod aqua defunditur. Glossæ: λέβης, *cacabus, pelluvium*. *Curvos* vocat Ovidius *Metamorph. lib.* 12. cavos Mantuanas. Cujusmodi lebetes tres [illegible] Dionysio in [illegible] in ædificio 8. stadiis ab urbe distante, collocatos, eo obsignato, post moram vero aliquam, signo iterum [illegible] ab ingressis vino plenos repertos, refert Aristoteles *de Mirabil. Auditis.* Sed & cineres ex ipis [illegible] bant, in Tabernaculo M[illegible] tanto, & [illegible] lebetes, forcipes, fuscinulas, palas, [illegible] Altari æneo [illegible] hebant. Exod. *cap.* 27. *vers.* 3. *Facies etiam lebetes ejus, ad excipiendos cineres ejus*: ad quem vide *Commentarium* A. Rivet. Anum [illegible] Scytharum, [illegible] usum commemorat Herodotus, quos carnes victimarum in *lebetes*, vel [illegible], in ipsorum alvos, conjectas cumque aqua commixtas, ossibus earundem (ob ligni defectum) suppositis succensisque, coquere solitos prodit *Musa* 4. Vid quoque 1. Sam. *cap.* 2. *vers.* 14. Sed & in ludis quibusdam [illegible] illustribus Græciæ (qui à *donis* quæ dabantur victoribus, Δωρῖται dicti sunt) *lebetes* [illegible] fuisse, docet Jul. Cæs. Scaliger *Poetices lib. 1. cap.* 27. Non [illegible], [illegible] quales Homerus memorat, ab Græcis ἀργυρέους, in *Odyss. lebetes argenteos*, & quibus Romanorum luxuria [illegible] abusa est, V. Plin. *lib.* 33. *cap.* 11. Inde [illegible], quod *lebetis* [illegible] referret, *Lebeta*, aliter *lebeton*, *Lebitonarium*, & *Leviton*, *Levitonarium*, Græc. λεβητών & λεβητωνάριον [illegible] Origen. *lib.* [illegible] *cap.* [illegible] & Sur[illegible] colobium est, [illegible] tunica sine manicis villosa, qua Monachi Ægyptii uti soliti. Hieronymus de Tabennesiotibus Monachis, *Præfat. ad Regulam Pachomii*: *Nihil habent in cella, præter psiathium, atque, & duo lebitonaria, quod Ægyptii Monachi genus vestimenti est, sine manicis.* Et [illegible] Dionysius Exiguus ait, *in Vitis Patrum*, *Induuntur autem nocte lebitonariis lineis præcincti lumbos* &c. V. Macros Fratres *in Hierolexico* & C[illegible] du Fresne *in Glossario*, in voce *Levitonarium*, ubi *Lebetas* & *Lebetes* occurrere apud Ruffinum observat *de Vitis Patrum*, *lib.* 2. *cap.* 7. & 9. Sed à *Levita* potius vocem deducendam [illegible] Chr. Becmanus *Orig. L. L.*

Lechæum, ad[illegible] *Lechæa* Papinio *l.* 4. *Sylv.* 3. *v.* 59.

Hic parvus, nisi [illegible] vetarent,
Inous freta miscuisset Isthmos.

Nempe saxolam eam partem nemo eorum, qui Isthmum perfodere tentabant, aggredi ausus est; ab altera tantum parte opus moliti sunt, sed morte omnes præventi, divino id nutu vetante, ut auctor est Herodotus. Unde Poetis occasio præbita dicendi, *Deos & Lechæum* prohibuisse, quo minus id negotii succederet. Vocat autem Isthmum *Inoum* Statius, sicut idem alibi Lechæum *Palæmonium*, quia ex hoc promontorio Ino cum filio Melicerta seu Palæmone in mare se præcipitavit. Nomen à *Leche*, uti habet Pausanias *in Corinthiacis*. V. quoque supra, in voce *Isthmus*.

Lectica, ex *lectus*, quod in eo pulvinar & lectulus stratus erat: Gr. φορεῖον, κλίνη, in vario antiquis usu fuit: Bithynorum inventum, ut ex Cicerone *lib.* 5. *in Verrem* colligitur, *Nam, ut mos fuit Bithyniæ Regibus, lectica octophoro ferebatur.* Ad[illegible] voluptatis ca[illegible]sâ, Seneca *Epist.* 8. *Idem de istis licet omnibus dicas, quos supra capita hominum, supraq; turbam delicatos* Lectica *suspendit*. Etiam morbi levandi, quem in usum parabantur loca peculiaria, quæ *Gestationes* appellabant, de quibus *suprà*. Hinc de prægnantibus: *Lectica subinde vehuntur & equabus gravibus inequitant*, inquit Thom. Bartholinus *de Puerperio veterum*. Imo & mortui illâ elati, Corn. Nepos *in vita Attici*, *Atticus elatus est in lecticula*. Ser. Sulpitius *lib.* 4. *Familiar.* 12. *Coactus sum in eadem illa lectica, quâ ipse delatus eram, meisq; Lecticariis, in urbem eum* (Marcellum a Magio occisum) *referre*. Scil. ex iis mentionibus fuissent civibus, populus enim in sandapila, quam quatuor portabant servi, efferebatur: Unde Suetonius *Domitiani cadaver populari sandapilâ per vespillones exportatum*, refert. Ferebantur autem Lecticâ Viri, Fœminæ, [illegible] Julius Cæsar, anno proximo post devictam Ægyptum, lecticis margaritisque uti prohibuit, quæ nec viros, nec liberos haberent, & minores essent annis quinquaginta quinque, uti refert Eusebius *in Chron.* V. quoque Suetonium *in eo cap.* 43. At sub Tiberio sic vehi vulgata res fuit, & usurpata promiscuè: sic tamen, ut in [illegible] Cottæ id non liceret, nisi causa urgeret sontica, quemadmodum de Libone Druso *Annal. lib.* 2. legimus apud Tacitum. Postmodum, *& probrosis fœminis* usu earum interdixit Domitianus, teste Suetonio *in eo cap* 8. Porrò vehebantur *Lecticâ*, Servi, Liberi: Et quidem servi à duobus ferebantur; Hinc Petronius, Bargaten *à duobus Lecticariis in mediam rixam perlatum fuisse*, scribit, servo nonnullam dignitatem hac e[illegible] in re dominicam adimens & secernens à liberis. Modesti & frugi homines quatuor adhibebant, & Martianus Capella *l.* 1. Philologiæ in cœlum eunti non plures ascripsit, *Laborem*, *Amorem*, *Epimeliam* & *Agrypniam*: nec aliter Virginem decebat, studiolam videlicet minimeque delicatam. Hexaphoros delicatioribus in usu fuit, cui nomen à numero, à sex enim servis ferebatur. Martialis *lib.* 6. *Epigr.* 77.

Invalido, a tibi quàm sit Lectica, *requiris?*
Non debes ferri mortuus hexaphoro.

Et Juvenalis,

——— *Cùm jam sextâ cervice feratur.*

Atque hoc *Lecticæ* genus viris fœminisque commune erat: Beatiores octo sibi parabant homines rectos, ut inquit Catullus *Epigrammat.* 10. At fœminis octophoros, ita enim vocabatur, magis atque ægrotis in usu fuit. Suetonius *Caligulâ*, *Iter confecit modò festinanter & rapidè: interdum nacè segniter & delicatè, ut octophoro veheretur.* [illegible] *lib.* 6.

Octophoro sanus portatur, Avite, Philippus:
Hunc tu si sanum credis, Avite, furis.

Idem *Epigr.* 11.

Octo Syris suffulta datur lectica puellæ.

Laxa à. *Lecticæ* potentiorum [illegible], minutæ à [illegible] ipsorum &c. habebantque illæ fenestras [illegible] munimento instructas, nempe tum velis seu plagulis, ad radii Solaris exclusionem: tum specularibus, quæ ventis opponebantur, quæque tam pelluci[illegible] pe[illegible]ne [illegible], quàm [illegible], [illegible] loquitur Basilius, [illegible] *in Hexaëm. Homil.* 3. Meminit plagularum *in Tito Vespasiano* Suetonius *cap.* 8. *Dimotis plagulis* &c. Specularium Juvenalis *Sat.* 4.

Quæ vehitur clauso latis specularibus antro.

Quæ itaque [illegible], dimotis plagulis per specularia [illegible] : [illegible], ad lucem excludendam, specularibus [illegible] vela seu plagulas obducebant, sicque lecticæ fenestras [illegible]. Juvenalis *Sat.* 3.

Namq; facit clausa fenestrâ lectica fenestrâ.

At erat vehentibus omnium turba, τῷ φορείῳ παραπομπὸς, ut loquitur Lucianus, neque Principibus [illegible], sed [illegible] quoque &c. Apud Fortunatum *in Vita* S. Me[illegible] *cap.* 17. Hariulfum *lib.* 4. *cap.* 31. Alios, feretrum est, quo defuncti cadaver efferri consuevit, uti dicemus infrà. Inprimis verò illa sic dicebantur, quibus Sanctorum reconditæ, quæque in ædibus sacris colenda exponebantur, C. du Fresne *Glossar.* Inde *Lecticarius*, iisdem Scriptoribus idem cum Fossario, de quo V. supra, & Macros fratres *in Hierolexico*. Quemadmodum Romanis *Lecticarii* appellati, qui *Lecticam* illius [illegible] ferebant, quod nomen etiam iis, qui *Lectos* faciebant, impositum legimus: *Ad Lecticam homines* vocat Catullus *Epigramm.* 10. Hi ut splendide essent amicti & formosi, delicatioribus curæ erat. Unde *Lectica formosis imposita calonibus*, apud Senecam *Epist.* 110. quia vel[illegible] plerumque ut calones, & similiter pænulati erant. Fuit autem pænula pallium cum simbriis longis, densissum & adstrictum admodum. Unde Cicero *pænula irretitum Milonem*: Quintilianus *adstrictos & inclusos pænula causarum Patronos*, [illegible]. Canusinatos *Lecticarios* incessisse, innuit Martialis *lib* 9. *Epigr.* 22.

Ut canusinatus nostro Syrus assere sudet, &c.

Cœterùm C[illegible] *Lecticariorum* [illegible] grande agmen fuit, ut dominibus & præpositis [illegible] g[illegible]erentur: Indicat in vet. Epigrammate: *Ti. Claudius.* [illegible] *Aug. L. Quadratus. Dec. Lecticariorum Britannici.* Eorum verò, qui mercede conducti operas locabant, non minor numerus fuit: Siquidem apud Victorem Romæ, regione XIV. trans Tiberim legimus fuisse castra *Lecticariorum*. V. Laur. Pignorium *Comm. de Servis*, Titum Popmam *de Operis servorum*, &c.

Lecticula Lucubratoria, apud Suetonium Augusto *cap.* 78. *A cœna lucubratoriam se in Lecticulam recipiebat. Ibi, donec residua diurni actus—conficeret, ad multam noctem permanebat. In lectum inde transgressus* &c. κλινίδιον Themistio *Orat.* 1. eadem est cum *lectulo*, cujus meminit Cicero *de Orat. lib.* 3. Ovidius *Tristium l.* 1. Aut: seu *lecto*, de quo Persius,

—— *non quid quid denique lectis*
Scribitur in citreis.

Nempe Antiqui, meditationi aut scriptioni operam daturi, in *lectulis* suis se componebant, cui erat parata erat *lecticula* hæc *lucubratoria*. Plinius *Epistol. lib* 5. *Epist* 5. *Fannius—visus est sibi—jacere in lectulo suo, compositus in habitum studentis, habere ante se scrinium.* Seneca *Epist.* 72. *Quædam sunt, quæ possis & in cisio scribere, quædam lectum & otium & secretum desiderant* &c. Neque id Romanis solum, sed & Græcis in more fuit. Unde Aristophanes *Vespis*, de Formulariis & Causidicis ait,

Κατακλινομένους τ' ἐπὶ ταῖς κλίναις, ἐπὶ τοῖσιν ἀναγκαγμένοις
Αἴσχροις καὶ περικλινεῖς καὶ [illegible].

Et paulo pòst, Socratem [illegible] Magistrum fingens, jubet [illegible] eos nem κατακλινῆναι [illegible], *in lectulis recumbentem discere*: alludens ad morem servari solitum in Scholis quorundam Philosophorum, qui discipulos suos audientes continebant in hujusmodi lectulis, qui ipsis instar scamnorum erant. Id quod etiam apud Judæos legimus factitatum, apud quos cùm duo genera Discipulorum essent, qui adhuc minores erant, humi se tenant ad pedes Magistrorum: provectiores jacebant reclinati in lectulis, unde vox Hebr. מושב illis tributa: Rabbini verò seu Do-

ctores sedebant, *Pirke Aboth cap. 4.* Causam, cur Veteres scriptioni operam daturi in hujusmodi lecticulas se reciperent, aperit Galenus *de usu Partium l.3.* non uno loco, significans scriptitasse illos non super mensas vel pulpitis, ut nos hodie: sed super femore collocatâ chartâ atque, ut ille ait, καταπαύοντες κατὰ τῶν μηρῶν τὸ βιβλίον. Neque vero solum scripturi ad lecticulas sese recipiebant, sed etiam audituri docentem Magistrum. Itaque in *Protagora* Platonis pars illius consessus ἀνακλιθέντες τοῦ βάθρου, pars τῆς κλίνης &c. V. Casaubonum *ad Athenaeum d. l.* ubi de lucubrationibus Vett. Christianorum aliquid infra, voce *Lectus.* At *Lecticula*, in Ecclesia Rom. a quibusdam dictae sunt certae *lectiones*, in Officiis Eccles. quod breves sint: aliis *Capitula*, quod ut plurimum de capitibus Epistolarum muarum dierum, quibus dicuntur, sumi soleant. Durandus *Ration. lib. 5. cap. 2. num. 50.* Dicuntur nempe post Psalmos & Antiphonas, in singulis Horis, prout statutum est Synodo Agathensi, C. du Fresne *Glossar.* V. & hic infra.

Lectio, in Poesi, diversa olim, ab solutae orationis numeris. Plinius Caecilius *lib. 5. Epist. 19.* de Zosimo liberto suo, *Idem tam commode Orationes, & Historias, & Carmina legit, ut hoc solum didicisse videatur.* Ubi videmus, & Historias & Orationes itidem a so tono, alioque ingenio lectas. Et videtur *lectio* haec praecepta sua peculiaria habuisse, cujus totius rei una nobis superest ignorantia. Ita peritiam ejus talem in Proculo laudat idem: totus, ut per eam suspicetur, Operi ipsi pretium additum, velut fucatum. *lib. 3. Epist. 15.* *si modo mihi non imposuit recitatio sua. Legit enim suavissime & gravissime.* Distincte *de Poematum lectione* idem *lib. 9. Epist. 34.* ubi & *Lectorem novum* velut tentaret, ut exercitio fuerit etiam opus, ad aliquid recti praestandum. Et habebant et rei propr os *Lectores*, in quo officio delectus & tertia sua Encolpium sanebat idem Auctor, *lib. 8. Epist. 1.* ubi & *maximam suorum studiorum partem*, in eo homine stetisse, memorat. Inducebantur hi Magnatum doctorum conviviis, non aliter ac Lyristae & Comoedi, qui pronuntiatione Operum delectarent discumbentes, uti apud eundem legas *lib. 9. Epist. 17.* Jungebanturque Notariis, ut, quod illi, conceptidicent, hi legerent, & pronuntiarent ad aures Auctoris. *Ibid. Epist. 20.* &c. V. Casp. Barthium *Animadvers. ad Statium lib. 2. Sylv. 1.* De *Lectione sacra*, in Ecclesia V. Testam. usitata, dicemus infra, in voce *Praelectio.* Praelibabo hic saltem, post festum Tabernaculorum, quod octiduum integrum celebrari apud Judaeos solebat, additisse illos festivitati huic nonum diem, quo festum *Laetitia Legis* agebant, quod eo die *Lectionem Legis* absolverent, rursusque inchoarent. Dicuntur autem, qui publicis lectionibus in Synagogis eorum hodie praesunt, *Nov. 146.* Justiniani, voce semi-Hebraea, Ἀρχιφερεκῖται, quia in *perakim*, i. capitula distinguunt, quae legenda sunt, uti monet Bochartus *Hierozoic. Parte poster. lib. VI. cap. ult.* Apud vett. Christianos, singulis olim hebdomadis bis vetter populum convenisse, *ad audiendam Scripturae lectionem*, docet Chrysostomus *Homil.* ... *in Epist. ad Hebraeos.* Quo fine in singulis Ecclesiis Scripturarum volumen asservabatur, teste Eusebio *de Vita Constantini lib. 4. cap 36.* Nihil autem, praeter libros Canonicos publice legendum esse, sancitum *can. 24. Cod. Can. Eccl. Africanae.* Quis vero *legerit*, quove situ *Lectio* excepta, paulo post dicemus: quo ordine Graec per annum usus ut, V. in *Typico* Sabae *cap. 2.* &c. Sed & *privata* olim Codicis sacri *lectio* frequens, in qua certos gradus fuisse observatos, tum apud Israelitas, tum apud Christianos, discimus ex Gregorio Naz. *Or. 26.* & Philostorgio *Histor. Eccl. lib. III. tom. XV. pag. 50.* ubi ille, A communi primo Evangelistas legisse, a, ud Athanasium, Anazarbi Episc. deinde ab Antonio Tarsensi Presbyt. Apostolicas doctum esse Epistolas, tandem Leontium Presbyt. Antioch. Prophetas, ac potissimum Ezechielem, sibi exposuisse refert. Sic a lectione Cantici juniores fuisse abstinendum, legimus apud Theodoretum *Praefat. in illud.* & apud Cl. Suicerum *Thes. Eccles.* vocibus Γραφή, item Εὐαγγέλιον. In Eccl. Rom. *Lectionis* nomine denotantur excerpta e Patribus, quae tam in Missa, quam in officio divino, tam nocturnis, quam diurnis horis dicuntur; a *legendo*, quia non cantantur, ut Psalmus vel Hymnus, sed leguntur tantum, Durandus *Ration. lib. 5. cap. 2. num. 43.* De earum auctore Sigebertus A. C. 807. *Carolus Imperator*, ait, *per manum Pauli Diaconi sui decerpens, optima quaeq; de scriptis Catholicorum Patrum, lectiones unicuiq; festivitati convenientes, per circulum anni in Eccl sia legendas compilari fecit*, apud C. du Fresne *Glossar.* Domini us Macer, *Lectionum* Breviarii collectas contendit a D. Hieronymo, cui *Lectionarium*, inquit, *sive Comes S. Hieronymi dictus, tribuitur*, V. supra in voce *Comes. Legendas* vero seu Vitas Sanctorum, quae recitantur in secundo Nocturno, cum Sigeberto, Caroli M. jussu compositas, ait; sed quae hodie habentur, jussu Clementis VIII. a Baronio & Bellarmino, esse correctas, &c. Ut a. omnia, ne quis, cum legeretur, obstreperet, Diaconus silentium imperabat: *Facto silentio, Scripturarum sunt lecta divina solennia*, Augustin. *de Civ. Dei lib. 22. cap 8.* ubi simul, quid in Ecclesiis olim legi consueverit, pulchre docet; idemque in Graeca Ecclesia hodieque obtinet, in qua Diaconus, ante Lectionem, clara voce exclamat, πρόσχωμεν, *attendamus*: Sic in ritu Ambrosiano praemittitur, *Silentium jubere, habete silentium.* Porro Lectio sedendo audiebatur, in Ecclesia Latina. Amalar. *de Eccl. Offic. lib. 3. cap. 10.* Graeci tamen stant, dum lectiones N. T. recitantur, at sedent in V. T. lectionibus. In Capella Papali, XII. lectiones Sabbathi Sancti in Missa Papali leguntur Graece & Latine; sicut in eadem semper Epistola & Evangelium in utraque lingua recitantur: quod ipsum Patriarcham CPolitanum fecisse, ex *Epistola* patet Nicolai Papae, ad Michaelem Imp. &c. Plura hanc in rem, inprimis de ritu benedicendi gladio pileoque, in Matutino Nativitatis Domini, quo Pontifex defungi solet, qui magni muneris loco postea hujusmodi ensem & pileum Principibus mittit, de que modo, quo tum Princeps vel Imperator, si forte adsit, *Lectionem* quintam, ipse canere soleat, &c. hic que huc spectantia, V. apud Macros Fratres in *Hierolexico* : et *Lectione* v. in vett. Christianorum Ecclesia, apud Cl. Suicerum etiam vocibus Ἀνάγνωσις & Ἀναγνώσμα, ubi, inter alia, *Eccentricitatem* denotari, qui in Ecclesia ex S. Scriptura legebatur, &c. ... utrat sisme Graecis. Latinis quoque *Lectionum* dici, atque ... mocl ἀναγνωστικόν, jam ante Hieronymi tempora in usu ... contra Pamelium: Graecis porro iisdem vocibus indigitari librum Ecclesiasticum, de quo videndus Leo A. atius *de libris Eccl. Graec. Dissert. 1.* docet. V. dictam quoq; cum voce Οἶκος, atque & *Lectionem in Ecclesia usitatam*, ex Gennadio ostendit. Nec omittendum, quod *Lectiones* medio aevo, hodieque recepta notione, dici coeperint, quas Vett. Latini *acroases*, e Graecia mutuata voce; item *auditiones*, verbum e verbo exprimentes, dixere, ut videre est apud Vitruvium *lib. 10. cap. 22.* & A. Gellium *lib. 17. c.* ... Professorum viz. in Academiis alloquia & sermones, quibus Auditores suos publice erudiunt. Sic B. Augustinus, *lectionem exponere*, de se Rhetore docente, ait in *Confessionibus* &c.

In *Lectis* ... lectores olim Romae efferebantur. Propertius,

> *Adfuisses lectum tentus ite tuum.*

Torum vocat Martia is, qui farciebatur pa; yro, scirpo & alia omni materia combustibili, undiqueque etiam odoribus differtus, pyrae inferebatur, ibique simul cum corpore cremabatur. At tenuiores & plebeii, ad rogum ferebantur, in arca lignea vel ligneo sarcophago, ex paucis tabulis compacto, unaque cum cadavere cadem ultrina comburendo. De cujusmodi arca lignea accipiendus Horatius, cum ait,

> *Huc prius angustis ejecta cadavera cellis,*
> *Conservus vili portanda locabat in arca.*

Et Lucanus, ubi,

> *Da vilem*, inquit, *Magno plebeji funeris arcam:*

qui *plebejas* & *viles* vocant, quia cadavera plebeja in his efferebantur. *Sandapilas* Latini proprie vocarunt, ex Graeco σανδάπιλον; item *capulos*, ex Gr. κάπυλον, *praesepe*, &c. Sic itaque postquam ad rogum in *lectis* *arcisq;* utriusque generis homines fuere delati combustique, reliquiae ac cineres collecti in urnam aut ollam mittebantur, & terra obruebantur atque humabantur, aut intra arcam vel monumentum reponebantur, si qui gentilia haberent monumenta: quo sensu *arca* monumentum esse exstiptice, in modum arcae structum. Cum vero desitum esset, corpora comburi in orbe Romano, condendis cadaveribus ubique parabantur hujusmodi lapideae vel marmoreae arcae sive sarcophagi, ex uno lapide exsculptae: quae ad mensuram ac modulum unius corporis facti, plura corpora non recipiebant, eratque *Sepulchrum* suum seu *Monumentum*, plurium arcarum capax. In eis sepulcris seu hypogaeis omnes mortui unius familiae, in suis quique *Lectulis*, jacebant: ita n, tales arcae vocatae, quod in iis cubarent mortui, & pro lectulis eas haberent. Philodemus μονοκλινον vocat, in *Epigrammate*, Ms. apud Salmasium,

> Οὐκ αἰεὶ ...
> Δεῖ σ' ...
> *Nonne an ... o Tocullis, in lectulo ...*
> *Oportet te jacere cubare aeternum.*

Lucillius,

> ——— *in capulo hunc non esse, aliquid rubare.*

Hinc λεχέων χηρῶσιν, sepulchrum Dominii noctis appellat Nonnus, dum ad has arcas, vel lapideos lectulos respicit,

> Καὶ ...

&c.

V. hanc in rem plura, apud Salmasium laudatum, *Exercitat. ad Solinum p. 1205. & seqq.* Ante illam, hujusmodi *Lectos* suos gradus habuisse, uti observat Barthius, ex Statio *Theb. lib. 6. vers. 56.* ubi de Palaemone elato loquens Poeta, imo loco stratis ... rogrado contexta gramina & flores in aggerem aggestos; tertium ordinem constructum pretiosis odoribus aliisque rebus majoris sumtus fuisse, ait:

> ——— *ima virent agresti stramina cultu,*
> *Proxima gramineis operosior area sertis,*
> *Et picturatus morituris floribus agger.*
> *Tertius assurgens Arabum strue tollitur ordo,*
> *Eoas com, lexus opes* ———

Et summo rogo imponi consuevisse; uti de Patroclo Homerus ait Il. Ψ.

> Ἐν δὲ πυρῇ ὑπάτῃ νεκρὸν θέσαν ἀχνύμενοι κῆρ.

Quam rem eleganti picturâ spectandam dedit Just. Lipsius libris *de Gladiatoribus* adjectâ &c. V. quoque hic passim.

Lectisternium, vocabatur a Romanis epulum sacrum ac publicum, quod Jovi aut aliis Diis apparabatur: Moris enim apud illos erat, ut nonnunquam placandae alicujus Dei irae causâ, convivium in templo illius exhiberetur, Diisque, tanquam epulaturis

aut cubituris *lecti sternerentur.* Meminit Epuli Jovis Valerius Max. *lib. 2. cap. 1. Jovis epulo ipse in lectulum, Juno & Minerva in sellas ad cœnam invitantur.* Huic verò Epulo indicendo Triumviri vel Septemviri Epulonum præerant, quod Sext. Pompejus testatur, cùm ait: *Epulones dicebant a triumviris, quos nunc Epulones dicimus. Datum est his nomen, quòd Epuli indicendi Jovi cæterisq; Diis potestatem haberent.* V. quoque Cic. *in Orat. de Haruspic. responsis.* Epuli Jovis mentionem faciunt plurimis in locis Livius, Æl. Lampridius Alii. Originem inprimis *Lectisterniorum* suggerit Livius *lib. 5. cap. 13.* Iis durantibus idem, quod festorum tempore, fieri solebat, ut viz. abstineretur à suppliciis, & vincti quoque solverentur. Hinc in descriptione *Lectisternii*, quod primum factum est in Urbe, ann. 355. idem Auctor, *Et cum inimicis quoq;*, inquit, *benignè ac comiter sermones habiti, jurgiis ac litibus temperatum, vinctis quoq; dempta in eos dies vincula* &c. Nec apud Romanos solùm *Lectisternia* viguere, sed & Græcos idem factitasse, observavit prius Casaubonus, ex Scholiaste Pindari *Olymp. Od. 1.* ubi Ajaci κλίνη, i. *pulvinar.* Corn. Nepote, *in Timotheo*, ubi Paci Deæ, Pausanias *Arcadicis*, ubi Minervæ; & *Phocicis*, ubi Æsculapio; Val. Maxim. *lib. 2.* ubi Harmodii & Aristogitonis imaginibus, itidem pulvinaria seu κλίνας, institutas scribunt. Hinc *pulvinar* quoque inter divinitatis notas Suetonius in C. *Cæsare cap. 76. Ampliora humano fastigio decerni sibi passus est — templa, aras, simulachra juxta Deos, pulvinar, flaminem, Lupercos* &c. Ad quem locum V. Casaubonum; ac Jac. Sponium *Itinerar. Parte 2. pag. 218.* ubi *de Lectisternio Isidis & Serapidis* agens, noviéque Athenis lectum è marmore, 2. pedes longum, unum altum, in quo Serapis modium capite sustinens, cum cornu copiæ, & fructibus ante se, infra Isis assidens, circum verò adstantes 4. aut 5. homines sculpti, conspicit, simileque quid in eadem urbe passim, Salamine inprimis, videri, refert. V. & aliquid in hanc rem infra, in voce *Pulvinar.*

Lector, adde: Ejus munus erat, *Lectiones pronuntiare, & ea quæ Prophetæ vaticinarunt, populis prædicare*, Isidorus Jun. *Epist. ad Luitfredum*; præterea, *Lectiones* desumptas ex Evangeliis & Epistolis S. Pauli, ut ex Gregorio Turon. *de Mirac. lib. 2. cap. 16* aliisque Scriptoribus colligit Car. du Fresne. Et cum incubuit servandorum sacrorum Codicum cura, Augustin Balsamoni dicitur λιτὸς παπᾶς, simplex Presbyter; & in Africana Ecclesia ex ambone Evangelium legebat, Cyprian, *Epist. 33.* ubi de Aurelio Lectore, & 34. ubi de Celerino. Ordinabantur autem *Lectores* ab Episcopo, per S. Codicis traditionem, adhibitis precibus, quas habet Clemens *Constitut. lib. 8. cap. 28.* Neque aliis olim & Cypriani ævo, quàm provectæ ætatis hominibus, meritisque & doctrinâ insignibus, id muneris demandabatur: at postmodum, omnibus in pejus sensim labentibus, ad illud impuberes quoq; admissi, & infantuli, ut discimus ex Sidonio *lib. 4. Epist. 25.* Ennodio in *Vita* Epiphanii Episc. Ticin. aliis &c. Hinc *Schola Lectorum*, apud Ledradum Arch. Lugdun. *Epist. ad Carolum M.* cui qui præerat, *Primicerius Scholæ clarissimæ militiaq; Lectorum*, dicitur in *Epist. S.* Remigii Episc. Rem. *ad Falcon.* V. Cointium *de Officiis cap. 1.* Item *Lectoratus*, Lectoris dignitas seu officium, apud Martinum Braccar. *cap. 43.* & *Lectorinum* seu *Lectricium*, analogium, pulpitum, ambo, V. suprà in voce *Analogium*: & plura hac de materia apud C. du Fresne *Glossar.* & Macros Fratres *in Hierolexico.* Aliud est, *Lector ad Mensam*, in Monasteriis; quo nomine dictum esse, ait Vadianus *de Collegiis German. lib. 1. qui fratribus vel discumbentibus quiddam ex sacris prælegebat*: etiam *Ecclesiasticos Lectores, qui officio suo non nisi in sacris peragendis veteri more fungebantur, extitisse* addens. De quibus *legendis* ad mensam religioso more, V. Nicol. Serrarium *ad Vitam S. Romarici cap. 4.* eidem Car. du Fresne laudatum, qui etiam meminit *Lectoris*, in Ecclesiis Cathedralibus, ex *Historia Episcoporum Autissiodor. cap. 59.* ubi munus ejus *Lectoria* dicitur. Apud Capucinos, aliosque nonnullos Ecclesiæ Rom. Ordines, *Lectores* dicti, qui Philosophiam, vel Theologiam doceant, Gall. *Lecteurs*, refert Richeletus *Dictionar. Gall.* V. quoque suprà, voce *Lectio*: de *Lectoribus* verò seu Anagnostis Veterum, *ibid.* nec non, voce *Anagnostes.* Addam saltem de *Lectoribus* Ecclesiæ Græcæ, numerum illorum olim magnum fuisse, sed restrinxisse Justinianum, & vetuisse, ne in magna Ecclesia essent supra CX. ex *Nov.* III. Sub Heraclio tamen numerum ascendisse ad CLX. ex *Nov.* ejus, cum in Blachernis tantùm XX fuerint, ex eadem, apud Cl. Suicerum voce Ἀναγνώστης, ubi plura egregia hanc in rem ac inter alia Orarii usum iis vetitum, nuptias verò permissas fuisse, & successu temporis raro *legisse*, ut plurimum verò *cecinisse*; hodie tamen officium suum observare, *ex confessione* Critopuli, addit.

Lectoria Lex, apud Capitolinum *in Pio*, *De Curatoribus verò quum antè non nisi ex lege* Lectoria *vel propter lasciviam, vel propter dementiam, darentur, ita statuit* &c. lege *Lætoria.* Vide Salmasium ad l.

Lectualis Morbus, apud Spartianum *in Hadriano*, *Peragratis sanè omnibus partibus capite nudo & in summis plerumq; imbribus atq; frigoribus, in morbum incidit lectualem*: longus est, diuturnus & diuturnus, quod diu in *lecto* detineret ægrotantem, dictus. Hinc & ipsi, qui longis lentisque languoribus laborabant, *Lectuales* appellati, Græcis Κλινικοὶ, Lat. quoq; *Clinici.* In specie apud Script. Eccl. sic vocati occurrunt, qui in *lecto*, ob morbum, ne sine Baptismo morerentur, aquâ affundebantur vel aspergebantur, ut videre est apud Cyprianum *lib. 4. Epist. 7.* ubi de eorum Baptismo multa. Erant eorum duo genera; Unum tum Catechumenorum, tum Gentilium sese convertentium, qui in extremis constituti καὶ ἐν τῇ κλίνῃ, *in lecto decumbentes*, baptizabantur. Alterum illorum, qui Christiani quidem erant professione, sed studio Baptismum differebant, simul & baptizari & mori volentes, ne post acceptum Baptismum rursus peccarent, decepti malè intellecto loco Hebræor. *cap. 6. versu 4.* Prioris generis, inter alios, Arintæus Prætor fuit, qui uxoris ope conversus, in fine vitæ baptizatus est, Basil. *Epist. 186.* Posterioris, Constantinus M. filius ejus Constantius & Theodosius M. qui in extremum usque vitæ Baptismum distulisse leguntur apud Eusebium, Athanasium, Socratem, alios. Quem Clinicorum morem acriter reprehenderunt Orthodoxi Patres, Gregorius Naz. *Orat. 40.* Chrysostomus in *Acta Homil. 1.* Gregorius Nyssenus *Orat. pecul.* &c. Quam in rem V. Justellum, apud Justellum *Notis ad can. 12. Conc. Neo-Cæsar.* Vossium *Disputat. de Baptismo 12. thes. 5.* Suicerum *Observation. cap. 3.* & *Thesauro Eccl.* voce Κλινικὸς ut & suprà, voce *Clinicus.*

Lectulus, apud Ovidium *Tristium lib. 1.*

Non hæc in nostris, ut quondam, scribimus hortis,
Nec consuete meum, lectule corpus habes.

Et Cic. *de Oratore lib. 3. Cum subitâ operâ quiescentibus aliis in eam exhedram venisset, in qua Crassus* lectulo *posito recubuisset: cumq; eum in cogitatione defixum esse sensisset, statim recessisse.* Idem cum *Lecticula lucubratoria* Suetonius sit, *in Augusto c. 78.* de qua V. supra.

Lectus, in quod *legebant*, unde eum facerent, stramenta & herbas, Veteres; aut quod fatigatos *alliciat* ad se; an à Gr. λέκτρον, quod ipsum ex verbo λέγω? vox pastorum non contemnenda Latinis usurpatione, qui eorum *lectum* dicebant, cum tamen herbarum propriè sit, voce pastorum latiùs extensa. V. Scaligerum *in Theophr.* Fuit autem Lectus, alius *Discubitorius* seu *Triclinaris*, alius *Cubicularis*, alius *Lucubratorius*, alius denique *Emortualis* seu *Funebris.* Veteres enim, qui jacendo cœnabant, tres mensas convivio adhibebant totidemque *lectos*, quos inter se contiguos solebant sternere, Jon. Coras. *Miscell. lib. 6. cap. 10. num. 4. & 5.* *Discubitorios* viz. qui à numero in iis accubantium etiam *Tricliniares*, Κλίνη enim *lectum* Græcis denotat, appellati sunt. Præter hos aliis *lectis* utebantur, quos *Cubicularios* vocabant, in quibus dormiebant ac cubabant. De utroque genere ita Lampridius: *Hic solido argento habuit lectos & Tricliniares & Cubicularios.* In singulis porrò *lectis discubitoriis* ternos videntur accubuisse, quod planum facit Sallustius, cum ait: *Igitur discubuere Sertorius inferius, in medio super eum L. Fabius Hispaniensis Senator, ex proscriptis, in summo Antonius. & infra scriba Sertorii Versius, & alter scriba Mæcenas in imo, medius inter Tarquinium & Dentium.* Ubi tres voces *Summus* vel *super* & *infrà*, includunt medium: ut & in Nasidieni cœna, quam Horatius describit *L. 2. Sat. 8.*

Summus ego, & prope me Viscus Turinus, & infrà,
Si memini, Varius, cum Servilio Balatrone
Vibidius: quos Mæcenas adduxerat umbras.
Nomentanus erat super ipsum, Porcius infrà.

Ubi itidem novem convivæ memorantur. Hinc M. Varro in *Sat. Menippæa*, de apto convivarum numero disserens, dicit convivarum numerum incipere oportere à Gratiarum numero & progredi ad Musarum, i. proficisci à tribus & consistere in novem. Hos qui sternebant *lectos*, dicti sunt *Lectisterniatores*, quos pr. in de Triclinio Ministris accenset Laur. Pignorius *Comm. de Servis.* Meminit eorum Plautus, *Pseudolo*, *Tibi hoc præcipio, ut niteant ædes. Habes quod facias: propera, intrò abi: Tu esto Lectisterniator.* Fuere autem hi *lecti* ut & triclinia ac mensæ, ex ulvis palustribus. Plin. *lib. 18. cap. 3. Quies somnusq; in stramentis erat.* Postea ex ære conficiebantur, idem *lib. 23. cap. 11.* lapsis deinde moribus & invalescente luxuriâ primùm æratis, dein argenteis, mox aureis laminis obduci cœperunt, postquam nempe victa à Cn. Manlio Asia in urbem commigravit. Plinius *lib. 33. cap. 11.* *Lectos verò mulierum*, inquit, *jam pridem totos operiri argento & triclinia quædam, quibus argentum addidisse primus traditur Carvilius Pollio Eques Rom. non ut operiret, aut Deliaca specie faceret, sed Punicana. Idem & laureos fecit.* De Julio Cæsare narrat Suetonius, cum *in aureo lecto veste purpureâ decubuisse.* E solido etiam argento tandem Factos, constat ex Lampridio *in Heliogabalo*: *Solido argento factos habuit lectos & tricliniares & cubicularios.* Porrò idem 100. ò memoratus Carvilius *testudinum quoq; putamina secare in laminas, lectosq; & repositoria his vestire instituit.* Unde Phil. Judæus eleganter libro, Τρίκλινα, inquit, καὶ ἀμφικλινα χελώνης ἢ ἐλέφαντος κατεσκευασμένα καὶ πολυτελεστέρας ὕλης, ὧν τὰ πλεῖστα λιθοκόλλητα. *Tricliniares lecti & stratoria testudine aut ebore adornata & meliori etiam materiâ, atq; ea pleraq; gemmata.* Puto autem ligno sic sternebantur testudine, ut ea unus quasi unum corpus exhibere fieret. Meminit etiam tali lecti quoque Apuleius *lib. 10. Lectus Indicâ testudine pellucidus, plumâ congerie tumidus; veste sericâ floridus* &c. Eburneos fuisse lectorum antiquitus fuisse, notavit Eustathius in *Od. δ.* &c. Sed de *Tricliniaribus lectis*

plura hic passim, ubi de *Accumbendi ritu*, item in vocibus, *Sigma*, *Stibadium*, *Triclinium*. Ut de *Cubicularibus* quædam addam: Non claudebantur illi olim oppansis pannis, ut hodie solent; ideò moris fuit ditioribus, ut, quando meridianum maxime somnum captarent, astans aliquis ventulum faceret, simul refrigerandi causâ, & muscarum ac culicum abigendorum: id quod flabello fiebat, quam vocem suprà vide. Insternebantur autem primò pellibus, Cic. *Orat. pro L. Murena.* Juvenalis *Sat.* 6.

Sylvestrem montana torum cùm sterneret uxor
Frondibus & culmis, vicinarumq; ferarum
Pellibus.

Apud Romanos *in lecto olim togas quoq; habebant*; antè enim commune *fuit vestimentum, & diurnum & nocturnum & muliebre & virile*, Varro apud Nonium *de vita Pop. Rom.* qui in nuptiis eum morem inde perseverasse addit, ut lectus togâ sterneretur. Quod indicat Arnobius *lib.* 2. *Cùm in matrimonia convenitis, toga sternitis lectulos, & maritorum Genios advocatis.* Sed de *Lecto Nuptiali*, mox plura. Apud Græcos antiquos, chlænas non modo induendi atque amiciendi, sed & insternendi atque incubandi causâ, sumptas fuisse, apparet ex Hom. *Il. ult.* ubi Achilles jubet Priamo lectum sterni, straguláque purpurea inponi:

Χλαίνας τ' ἐνθέμεναι οὔλας καθύπερθεν ἕσασθαι.

Theocritus etiam Chlænæ, quæ lecto insternebatur, meminit *Idyllio* 18.

Ζάνος τοι θυγάτηρ ὑπὸ τὰν μίαν ἵξετο χλαῖναν,
Nam filia Jovis tecum unum subiit stragulum.

Intelliguntur autem hisce locis chlænæ duplices, i. e. est, villosæ, & ad arcendum frigus anasque aeris injurias aptæ. Quemadmodum Romæ recentioribus temporibus cubicularia gausapina in eundem usum fuere. Martialis,

Stragula purpureis lucent villosa tapetis
Quid prodest &c.

Postmodum usu crescente, in lectis tori (quâ voce propriè ... indigitatur) struebantur alte sublati ac sublimes, uti etiamnum in quibusdam locis fieri videmus, ubi lucitæ plumeæ tantum paleæ supponitur, ut in satis magnam altitudinem assurgat thorus. Hinc Vett. lecti alii occurrunt *non alti*, in quos scamnone simplici & scamno ascendebant: alii *altiores*, in quos subsellius conscendere oportebat; imò nonnulli tales erant, ut non nisi duplicatâ scansione gradibusque in eos veniretur. Cujusmodi lectos Augustus improbavit, humilibus delectatus, apud Suetonium *cap.* 37. Indigitat vero Martialis *l.* 2. *Epigr.* 16.

Quid torus à Nilo? quid Sidone tinctus olenti?

Ubi Scholiastes, *Torus*, inquit, *è lino Ægyptiaco & Alexandrina pluma factus —— circumdatus erat toralis ex sindone Tyria. Id verò summorum deliciarum, ut Lampridius Gabalum primum omnium privatorum toros aureis toralibus texisse &c. At vulgò instrata toralia ad custodiam vestis stragula purpurea, quâ torus instratus. Ægyptii autem seu Niliaci tori tunc in pretio, uti Elias Minesius & Siculis.* Aliàs in genere *Lectos Cubatorios Tricliniaribus* tollit auctores, liquet ex Varrone *de L. L. lib.* 7. Ut de ornatu hoc unum addam, *Sacras coronas in cubili circum lectos posuisse* Nero Imp. legitur, apud Suetonium *in Eo cap.* 25. At in itinere faciendo, cum *lecti* essent circumferendi, beatioribus gestabantur culcitæ, vel pro culcitis tapetes. Synesius *Epist.* 61. pauperioribus tegestia horum loco erant, quæ propterea Lucilius inter viæ instrumenta refert. Quomodo porrò in iis sese composuerint, quoque ordine Veteres, ut & alia huc pertinentia, V. hic passim, inprimis in vocibus *Anaclinterium*, *Cubiculum*, *Pulvilli*, *Somnus*, *Sponda* &c. Addam verbum, *de lecti ignominia*, Dacis circa Istrum ad Sept. Pontum incolentibus, irrogata, quos, quum adversus Basternas semel male dimicassent, Orodis R. jussu coactos esse, tamdiu uxoribus ministrare & somnum capturos obversis in imas *lecti* partes capitibus cubare, quoad bellica virtute eam ignominiam deleviissent, refert ex Justini *lib.* 32. Sabellicus *lib.* 8. *Enn.* 5. Alius *Lectorum* usus, indigitatur Suetonio *Caligulâ cap.* 51. *Ad majora (tonitrua) prorumpere se è strato, sub lectumq; condere solebat.* Dignus sane locus, qui hominem adeò furiosè insolentem reciperet: nam, quod hodie fieri videmus, ut sub lectis vetera calciamenta condantur, idem quoque olim factitatum esse, Lucianus docet *De mercede conduct.* Ideo avaros Euclionas suas auro refertas ollas in eum locum abdidisse, discimus ex Basilii *Homiliâ* Laicis habitâ. Sed & alios, quum latere vellent, eò confugisse, habes apud Plautum in *Casina*, & vett. Historicos passim. Sic & Zacharias Protospatharius à Justiniano Rhinotmeto, missus, ut Sergium coerceret, resistente Clero & Populo Rom. *sub lectum Pontificis se abscondit*, ut ait Anastasius. Nec omittendum, quòd vett. Christianos, Evangelium *de lecto* suspensum, & prope ... *arculam*, pro pauperibus habuisse legimus, apud Chrysostomum *in* 1. *ad Corinthios Homil.* 43. &c. De *Lecto Nuptiali* in specie, dicemus aliquid infrà: de *Lectis pensilibus* Americanorum, res nota &c. Superest tertia species *Lectorum*, qui lucubrationibus Vett. inserviebant, sed de his jam retro diximus, in voce *Lecticula Lucubratoria*: Quarta item, eorum in quibus cadavera lautiorum, postquam abluta & coronis ornata essent, reponebantur ad rogum efferenda, cujusmodi *lectorum* sex millia in funere suo habuisse L. Corn. Sulla traditur, de quibus itidem suprà, ubi de ritu *in Lectis* efferendi mortuos. Hinc verò *Clinici*, quos non malè *Lecticarios* interpretabimur, vespillones sunt dicti, ut qui elatorum lectos tractarent. Martialis *lib.* 1. *Epigr.* 30.

Chirurgus fueras, nunc es vespillo Diaulus,
Cœpit quo poteras Clinicus esse modo.

V. suprà, in vocibus *Cadaver*, *Funus* &c. item ubi de *Lectuali morbo*, namque & alia vocis Græcæ notio est: plura verò *de Vett. Lectis*, apud Thom. Dempsterum *Paralipomenis ad Rosinum lib.* 5. *cap.* 37. Laur. Pignorium *de Servis*, Alios.

Lectus Nuptialis, alias et *Genialis*, à generandis liberis appellatus est, annotante Servio *ad Æneid. lib.* 6. quem togâ sterni suisse solitum, jam diximus. In hunc novam nuptam pronubæ collocabant, quæ erant spectatæ pudicitiæ mulieres & quæ uni tantùm viro nupsissent, boni ominis ergó. Eundem pro puerperis postea quoque stratum, suadet Prudentius *lib.* 1. *contra Symmachum*,

Nondum maternum partu vacuaverat alvum,
Conceptamq; utero sobolem paritura gerebat,
Pronuba; jam gravida fulcrum geniale paratur.

Sternebatur autem vel palàm in hortis, ut hic apud Juvenalem *Sat.* 10. in hortis Lucullianis:

Tyriumq; palàm genialis in hortis
Sternitur ——

Vel etiam in atrio domus, ante ipsam januam, unde *adversus* quoque dictus est. Catullus,

Si tamen adversum mutavit janua lectum,
Sederit aut nostro cauta noverca toro.

De quo Jos. Scaliger *ad Festum* docet, Matronas Romanas, simul ac in mariti manum convenerant, lectum ante januam sibi in atrio stravisse. E Thom. Bartholinus *de Puerperio Vett.* *Hic lectus*, inquit, *idem qui Nuptialis, fœminis familiaris, in Atrio, seu Aula, seu Horto, dum in terram natus deponitur, sternitur exemplo (nonnullis Pilumno & Picumno, infantium Diis, ut Varro apud Servium habet, clausis januis, obductoq; thalamo. Staturam Herculis expressit, in certum futuræ magnitudinis omen, vel ut facilius puerperam cum infante caperet. Ditioribus auratus & argenteus simplici pauperioribus ornatu, vel ex ebore vel testudine compactus. Accedunt lecto flores vestesq; seu purpureæ seu auratæ, cui, loco puerperæ, insident Tibareni & Cantabri, ut uxorum vice ægrotent &c.* Nec omittendum, quod *Lectum genialem* rosis quà solutis, quà consertis, conspersum legimus, apud Fulgentium *Mytholog. lib.* 2. *in Venere*, Croco item, apud Martianum Capellam *lib.* 9.

Conjecta jam Veneris nova serta parate Napeæ,
Crocumq; lecto spargite &c.

V. hic passim, ubi *Nuptialia* tractamus.

Ledgravius, vel *Lesdgravius*, seu *Lesdgrevius*, in LL. Henrici I. Angl. R. *cap.* 8. dictus est Comes, *Leda*, h. e. tertiæ parti Comitatus, aliter *Trithinga* dictæ, præpositus. Continebat autem hujusmodi *Leda*, Angl. *Leth*, tres vel quatuor hundredos seu centurias. V. C. du Fresne *Glossar.*

Legati à Latere, quinam dicantur, V. suprà in *à Latere* & infra, in voce *Legatus Apostolicus*: addam saltem, Dominico Macro, istiusmodi Legatum, qui semper Prælatus, & ut plurimum Cardinalis esse solet, sic dici, quod *à latere* Pontificis, sub ejus baldachino, standi potestatem habeat. Idem, hos Græcis *Legatos à facie* dici, & solemnibus ceremoniis creari, non nisi publici alicujus totius Christianitatis negotio, ad exteros Principes, mittendos, addit, in *Hierolexico*. Alii sunt *Legati nati*, Metropolitæ viz. qui jure Legatorum Apostolicæ, ut vocant, Sedis, in suis diœcesibus ac provinciis gaudent, quales in Anglia olim Eboracensis seu Cantuariensis, in Gallia, Remensis, in Italia Ravennensis & Pisanus, &c. Archiepiscopi: quorum tamen *privilegia non nisi ad facultatem ordinariam Archiepiscopi seu Primatis extenduntur, nam nequeunt ferre crucem extra provinciæ limites. can. antiq. de privil. & excess. lib.* 5. *Decretal.* *Nec possunt percussores Clericorum absolvere, c.* 9. *de Offic. Legati, lib.* 1. *Decretal. tit.* 30. Idem *in Hierolexico*. Ob hoc vero *Legati* privilegium, à potestate & ditione *Legatorum à Latere*, in civitatibus, diœcesibus ac provinciis immunes sunt, quod apud C. du Fresne docet Gervasius Dorobern, *in Actis* Pontificum Cantuar. *in Willhelmo p.* 1663. V. quoque infra, in voce *Nuntius*.

Legatio, apud Jul. Capitolinum *in Pertinace*, *Præfectus cohortis in Syria—pedibus ab Antiochia, ad* legationem *suam, iter facere coactus est*; Casaubono, pro *legione* est. Salmasio cohortium & legionum præfecturæ hoc nomine indigitantur, qui *Legatos* etiam eos dictos observat, qui cohortibus aut legionibus præerant. Hinc *Legationes militares* infrà, *Vacationes & legationes militares dicitur vendidisse.* Et certe, *Legatus legionis*, frequenter in Vett. Inscr. & Auctoribus occurrit: *Legatus Vexillariorum*, apud Hyginum *in Gromatico*, & *Legati exercitus Britannici*, in *Commodo*. V. eum *ad l.*

Legatoria Provincia, apud Spartianum *in Alexandro*, à Proconsulari distinguitur. Cum n. provincias Augustus partitus esset, ex iis, quæ populo assignatæ sunt, duæ *Proconsulares*, Africa nempe & Asia; decem *Prætoriæ* dicebantur, enumerante Strabone *lib.* 17. reliquas omnes sibi Cæsar retinuit ac regendas suscepit, & in eas quidem modò *Consulares* viros mittebat, qui *Legati Consulares*

lares & interdum *Consulares* nudè; modò Prætorios, qui *Legati pro Prætore*, vocati sunt: modò Equites, qui *Præsidum* atque *Procuratorum* nomine, minutis provinciis præerant: cùm Consulares, qui populi provincias regebant, *Proconsules* dicerentur. Sed pro arbitrio suo Impp. provinciarum jura & administrationes sæpe mutabant, & quæ Populi erant, suas esse volebant, suas autem Populo transcribebant; sicque de Consularibus Proconsulares & contrà: de Præsidalibus Prætorias & de Prætoriis Præsidales faciebant. Quod & in Italiæ administratione Hadrianum Imp. fecisse, qui, novâ administrationis formâ institutâ, *Consulares* (sub. *Legatos*) *quatuor per omnem Italiam Judices constituit*, docet Spartianus. Hi *Legati*, ad arbitrium Cæsaris in Cæsarianas provincias ibant & ad ejusdem arbitrium revocabantur: at Impp. ævo, qui Proconsules erant, sortiebantur provincias more modoque antiquitus Romanis cognito & post peractum tempus Magistratus Provinciâ decedebant. Sed & Cæsar in provinciis suis Prætorios plerunque jure Consulari esse jubebat; quo pacto *Consulares* dicebantur, qui Consules nunquam fuissent: uti Plinius Cæcilius, *Legatus Augusti pro Prætore in provincia Ponti Consulari potestate*, dicitur in vet. *Inscr.* Atque id iis posterioribus Impp. passim obtinuit. Idem & in Populi provinciis fiebat, nam Prætorii plerunque jure Consulari in Prætorias provincias mittebantur à Senatu, qui & *Proconsules* dicebantur. Unde Suetonius *in Augusto*, cum inter Populi provincias etiam Prætoriæ essent, *Proconsulares* tamen omnes vocat: & apud *Histor. Aug* Scriptores aliquot locis, *Proconsulares*, *Legatoria* & *Præsidales* tantum memorantur; Proconsularium nomine, quæ Populi essent, intelligentes; *Legatoriarum* verò, quæ Cæsaris, tam sc. Consulares, quàm Prætorias, &c. V. Salmasium *ad Spartianum*. Idem *ad Trebellium Pollionem in Censorino*, Prætoriæ ita cujus provinciæ Cæsarianæ tempor. *Legatum Prætorium*, aut *Legatum pro Prætore*, aut etiam *Proprætorem*; Legatum vero Consularem, *Consularem* simpliciter illius provinciæ appellari consuevisse: post Constantium autem nullos ampliùs *Prætorios Legatos Augusti*, sed omnes *Consulares*, dictos esse addit. V. quoque infrà.

Legatus, apud priscos Romanos is fuit, qui Ammiani Marcellini temporibus *Comes* dicebatur, & nostra ætate *Locum tenens*, Gall. *Lieutenant*, penes quem absente Imperatore, vel Duce, summa potestas erat. Hi inter Comites Proconsulum & Proprætorum primum obtinuere locum, dati ipsis vel à Senatu, vel hujus permissu ab ipsis Præsidibus adscripti, vel lege aliquâ extra ordinem allecti. Numerus ad minimum trium fuit, observatumque est, ut *Legatos* libenter sibi quisque legaret, qui rei militaris periti essent, quique ipsi provinciis aliàs cum imperio præfuissent. Itaq; Consulares Consulibus, Prætorii Prætoribus *Legatos* se potentibus adjunxerunt, & fratrem frater, filius patrem sibi legavit. Munus quod attinet, erant Vicarii Proconsulum, ad molem rerum provincialium sustinendam, unde & ipsi lictoribus ac fascibus uti: Interim privatarum tantùm causarum cognitionem habebant, si verò quid occurrisset majoris momenti, ad Proconsulem id remittebant. Publicarum autem quæstionum cognitio iis ne mandari quidem à Procoss. poterat, nisi in lege istius quæstionis nominatim scriptum esset. Jus nullum habebant animadvertendi, in caput cujusquam, nec atrociter verberandi: Si tamen contigisset Proconsulem abesse ab provincia, tum iis committebantur, quæ animadversionem postulabant. Etiam cùm Proconsules aut Proprætores ante successoris adventum de provincia decederent, *Legatos* vel Quæstores interim provinciis præficere, qui & ipsi tum Proconsules aut Proprætores appellabantur, Joh. Rosinus *Antiqq. Rom. lib. 7. cap. 44*. De *Legatis* decem, quorum consilio & ope Duces Exercituum utebantur, in provinciis constituendis, Idem *alibi*. Dicti etiam *Legati* sunt, Varr. *lib. 4. de L. L. lecti publicè, quorum operâ consiliisq; uteretur peregrè Magistratus, quive nuntii senatus aut populi essent*. Hos sanctos atque inviolabiles apud omnes Gentes esse, notum: unde, ob violatos illos ab Illyriis, regnante Teutanâ, *stricta in Principum colla secures*, Florus *lib. 2. cap. 5*. ob contumeliosè habitos à Tarentinis, *uno bello intra quadriennium, maxima pars Italiæ, fortissimæ gentes, opulentissimæ urbes, uberrimaq; regiones in ditionem redacta sunt*, Id. *lib. 1. cap. 18*. Exterarum nationum *Legatis*, quas in urbem admittere nolebant, Senatum dedere Romani, in uno ex tribus Senaculis, intra ædem Bellonæ, Rosinus *Antiqq. Rom. lib. 1. cap. 14*. idque mense Februario, quem totum exterarum Gentium *Legatis* attributum fuisse, ex Ciceronis *Epist. ad Lentulum*, *ad Q. Fratrem*, *aliisq; locis multis* constat. Apud eosdem *Legatis sociarum gentium*, locus in Theatro inter Senatores datus est, lege Othonis Trib. Pl. quo more Germanorum Legati cùm accelliti non essent, ultro sese ad Senatorias sedes contulere atque recepti consedere. Nempe, *Barbari fuit, non accessere: Germanum, ut etiam inferiorum gentium prærogativâ; Romanum, agnoscere, quod suum esset, & alienum quoq; esse vellent*, Jul. Cæs. Scaliger *Poetices lib. 1 cap. 21*. Nec minus honorificè *Legatos* Athenienses excepere, quos non nisi in loco sacro, Templo viz. aliquo, itidem audiebant, è publico victum iis, dum in Urbe agerent, in Prytaneo, suppeditantes Demosth. π. παραπρεσβείας. Cùm ipsi *Legatos* aliò mitterent, κηρύκειον seu *caduceus* illorum insigne, & quæ drachmæ in quemvis diem eorum μισθὸν erat, Etymol. De Legatis autem, sive aliò mittendis, sive aliunde Athenas advenientibus, referebatur ad populum, tertiâ cujusque πρυτανείας concione: Proin Demosthenem Æschines reprehendit, quòd is quartâ, in qua περὶ ἱερῶν καὶ ὁσίων agi solebat, de *Legatis* ad Philippum mittendis referri voluerit. V. Sam. Petitum *Comm. in Leges Atticas lib. 3. tit. 1. pag 205*. & Fr. Rossæum *Archæologia Attica lib. 6. cap. 4*. Apud Romanos verò, *sagmina in remedia publica fuere & in sacris Legationibus verbenæ*, Plin. *lib. 22. cap. 2*. nempe cum ad hostes ibant. Aliàs, ramus olivæ, apud utrosque, cùm pacis ergò mitterentur. Virgilius de *Legatis Latinis*, occisos ad sepulturam petentibus. *Æneid. l. 11*.

Jamq; oratores aderant ex urbe Latina
Velati ramis oleæ ——

V. quæ de corona Legatorum, ex verbenâ & olea, habet Car. Paschalius *in Legato suo*. Præmia *Legatis* dari solita, *Lautia* olim dicta esse, vidimus suprà: Hodieque is mos viget, ut Legatis domum redeuntibus à Principibus, ad quos missi fuerant, propemptica dentur, quod tamen ob graves causas Fœderati Belgii Proceres suis prohibuere. Numerus olim hodieque varius: in Romanam vero aulam tanta *provincialium & municipalium Legatorum* copia veniebat, ut Vespasianus edicto *præceperit omnibus civitatibus, ne plures quàm ternos legatos mitterent*, Marcian. *L. 4. §. ult. Eodem &c. Proca de Legatis*, V. apud C. Paschalium ubi supra, Hug. Grotium *de Jure Belli & Pacis* passim, inprimis *lib. 2. cap. 18*. ubi *de Legationum Jure*, Alios, nec non supra aliquid, in voce *Ambasciator*.

Legatus Sedis Apostolicæ, nomen dignitatis in Communione Rom. olim de aliis quoque Sedibus dicebatur. Unde initio Actorum Concilii Nicæni II. celebrati aliquot post Ephesinum seculis, recensentur *Legati Sedium Patriarchalium* & primo loco nominantur, Ὀτιλίχοντες τόπον τῆς Ἀποστολικῆς καθέδρας, *Tenentes locum Apostolicæ sedis Adriani Archiep. Romæ*. Deinde sequuntur Johannes & Thomas, Presbyteri & Monachi, Τοποτηρηταὶ τῶν ἀποστολικῶν θρόνων τῆς Ἀνατολικῆς Διοικήσεως, *Locum tenentes* (Legati) *Apostolicarum sedium ejus, quæ est in Oriente, diœceseos* atque ita sæpe in *Actis* illis. V. Casaubonum *Exercit. 5. ad Annales eccl. Bar. Num. 21*. & suprà à *Latere*.

Legenda, adde: Græcis συναξάρια, quòd hæc acta Sanctorum, per anni totius circulum digesta, certis diebus legenda in Ecclesia & in sacris *synaxibus*, designabantur à moderatore Chori. V. Car. du Fresne *in Gloss* & suprà in voce *Lectio*.

Leges, a Capitulis, diversæ. Theganus de Conventu Aquisgran. *A. C. 819. Interea Capitula quædam* Legibus *superaddidit*: Nempe *Leges* solius Populi consensu olim edebantur; *Capitula* verò & *Capitularia*, à Regibus & Principibus, sed Populi item consensu. Postmodum v. Capitula ipsa in Legem abiere. *Capitul.* Ludovici Pii, *omnes admonemus, ut Capitula, quæ præterito anno Legi Salicæ cum omni consensu addenda esse censuimus, jam non ulterius Capitula, sed tantùm* Leges, *dicantur, imò pro Legibus Salicis teneantur*. Post Burgundionum enim, Francorum & Gothorum in Galliam, atque adeò in Italiam & Hispaniam, irruptionem, excusso Romanorum jugo, cœpere hæ provinciæ à diversarum nationum populis incoli, quibus, *Legibus* suis antiquis regi & vivere, concessum est à victoribus Principibus. *Capitulare* Pipini Ital. R. *cap. 37. Quia omnino voluntas domini Regis est, ut unusquisq; homo suam legem pleniter habeat conservatam*. Ita autem *sua quisq; Lege vivebat*, ut secundum eam avitas & paternas successiones adiret, conficeret chartas, sacramenta ederet & se statu ingenuitatis sic defenderet, juxta Legem tamen illius, cui injuria facta erat, componeret: *de cætero verò causis communi lege viveret, quam Princeps per Capitula sua ediderat*, L. Longobard. *lib. 2. tit. 56*. Hinc formula, *In sua Lege conscriptum*; sc. qui *legem quâ vivere statuit*, professus est, in *Charta* vet. Hugonis Episc. Tholosani, apud Sammarthanos. Liberum autem erat cuique, quâ Lege vivere vellet, sive avitâ, unde ei prima natalium origo, seu illâ, quæ in ea, in qua degebat provincia obtinebat: quod quidem coram testibus & publicè & in ipsis tabulis, cogebatur profiteri. Utplurimum tamen liberi patrum Legem sequebantur, ex *L.* Longobard. *lib. 2. tit. 5*. & 17. At fœminæ Lege conjugum vivebant, ex eadem *L. lib. 2. tit. 7*. quibus defunctis, ab illa absolvebantur; sic tamen, ut liberum iis esset lege viri extincti vivere, quod eo casu cogebantur profiteri, &c. Cùm igitur variæ sic essent *Leges*, quibus populi passim regebantur; (Namque & posterioribus seculis mos iste obtinuit; etiam expugnatâ à Christianis urbe Hierosolyma atque Syriâ, cùm à variis illa habitaretur nationibus, suas quisque Leges servavere: Franci quoque, in Siculo Regno; sub Andegavensibus Regibus, *Legem Francorum* observabant, & apud Byzantinos ipsos Veneti, Pisani & Genuenses, qui hac in urbe commercii sui sedem fixerant, suas quique habebant Leges) unusquisque originis suæ appellationem servabat, ita ut, si lege Romanorum, *Romanus*; si Salicâ, *Salicus*; si Gundobadâ, *Burgundus*; si Wisigothorum, *Gothus* &c. vocaretur: quæ ratio, quòd Conrado Imp. *Salici* cognomen datum, V. Sammarthanos *Gall. Chron. Tom. III. p 649*. aliaque, quæ hanc in rem eruditè congessit Car. du Fresne, in voce *Lex*.

Legifera, epitheton Isidis, Gr. Θεσμοφόρος, quòd prima fuerit legum inventrix. Ita enim de illa Diod. Siculus *lib.* 1. ubi eam filiam Saturni ex Rhea, Osiridis sororem atque uxorem, & eandem cum Cerere esse scribit: *Prima invenit triticum & hordeum, hominibus prius incognita. Leges quoq; statuit, quibus justitia aq; omnibus servaretur, vi atq; injuria timore pœnæ sublatis: qua de causa à Priscis* Legifera *dicta est.* Idem paulo post scribit, *Eam à nonnullis Isidem, ab aliis Cererem, Thesmophoram, Junonem, ab aliis alio nomine appellari.* Subjicit etiam inscriptionem columnæ ejus, quæ talis est: *Ego Isis sum Ægypti Regina, à Mercurio erudita. Quæ ego legibus statui, nullus solvet* &c. Et quia Isis cum Cerere idem Numen, hinc Plut. *lib. adversus Colotem*, Δήμητρα θεσμοφόρον, *Cererem legiferam appellat.* Virgilius *Æn. lib.* 4.

Legiferæ Cereri.

Callimachus *in Hymno ejus*,

— Ὡς πολίεσσιν ἑαδότα θέσμια δῶκε.

— *Ut urbibus placitas leges daret.*

Hinc *Thesmophoria* festum ejus. Servius *ad Æn. lib.* 4. *vers.* 57. *Leges Ceres dicitur adinvenisse: Nam & sacra ipsius Thesmophoria, id est, Legum latio, vocantur. Sed hoc ideo fingitur, quia ante inventum frumentum à Cerere homines passim sine lege vagabantur: jam verò feritas interrupta est, postquam ex agrorum discretione nata sunt jura. Thesmophoria autem vocantur legum latio, an quia in æde Cereris incisæ fuerint leges* &c. V. Joh. Rosinum *Antiqq. Rom. l.* 2. *c.* 22. *cum Paralipomenis* Dempsteri *ad lib.* 2. *cap.* 11. &c.

Legiferi provinciarum, non semel occurrunt, apud Ericum Upsal. *in Historia Suecor. l.* 3. Ubi districtum eorum *Legiferatum* vocat, & patriæ consuetudine privilegiisque regionis, *ne Rex sine comitiva antiquitus designata, Legiferatum aliquem Regni intrare præsumeret—sed unusquisq; districtus Regem per suos limites propriis viris & armis salvum perducat & juxtà posse deducendum assignet*, cautum esse, addit, apud C. du Fresne ubi supra.

Legio, à *deligendo* dicta, vox apud Romanos militaris usitatissima. Universus enim Exercitus Romanus cum esset divisus in duas partes, altera & major *Legionum*: altera *Auxiliorum* nomine venit. *Auxilia* dicebantur illi milites, qui à sociis vel fœderatis gentibus mittebantur, de quibus V. Polybium *lib.* 6. In *Legionibus* vero nemo militabat, nisi civis Romanus ingenuus & qui in quinque classibus census atque ludicræ artis expers esset. His solis patebat aditus ad munera militaria, eis patebat cohors Prætoria, dabatur stipendium, concedebatur præda & addebantur dona Imperatoria. Numerus autem militum in *Legionibus* non idem semper fuit. Prima *Legio* sub Romulo 3000. peditum & 300. equitum fuit, singulis tribubus mille pedites, & centum equites subministrantibus. Idem postea, Sabinis victis ac in urbem receptis *Legionem* ad 4000. auxit, unde & *Quadrata* dicta est. Sex millium & ducentorum hominum primus C. Marius conscripsit *Legionem*, quod tamen *non Senatus decreto, sed Imperatoris consilio* factum fuisse, ostendit Sallustius. Quemadmodum & id extraordinarium fuit, quod scribit Livius in historia belli Persici, legionem in Macedoniam scribi a Senatu jussam 6000. peditum & 300. equitum. Hinc autem *Legio* 6000. fuisse a multis traditur, quòd hic maximus ejus numerus stante Rep. esset. Vegetius v. auctor est, suo tempore *Legionem* habuisse peditum 6000. equites 731. & addit, majorem etiam interdum esse consuevisse. Nec idem quoque semper *Legionum* fuit numerus. Primum quidem, quotannis quatuor scribebantur, quæ Consulibus ad bella prope quotidiana proficiscentibus traderentur, singulis binæ. Urgente dein necessitate numerus crevit ita, ut apud Livium legamus, nonnunquam 10. 16. 18. & plures etiam *Legiones* Romanos habuisse. Postea vero quam Augustus, bellis civilibus confectis, rerum potitus est, militum *Legiones* multas legit, easque certis auctoramentis habuit mercenarias, quæ Romanum à Barbaris tuerentur Imperium: harum 25. numerat Dio *lib.* 55. e quibus solas 19. suo tempore superfuisse ait. Post Augustum Nero *Legionem* primam Italicamque nuncupavit, in inferiori Mysia hyemantem: Galba primam Auxiliariam, in inferiori Pannonia: quartam in Syria Flaviam Domitianus, primam Minerviam in Germania inferiori: Trajanus secundam Ægyptiam, trigesimam Germanicam Marcus Antoninus: item secundam in Norico: tertiam in Rhætia, quæ etiam *Italica* vocantur. Severus Parthicas primam & tertiam in Mesopotamia, secundamque mediam in Italia. Idem *ibid.* Porrò *Legioni* sua cuique erat aquila, & quidem in prima cohorte, cujus custodia erat penès Primipilum, sive primum Triariorum Centurionem: quem ad honorem fere è primo Principe, uti ad primum principum centurionem, à primo Hastato, pertingebant. Aquilæ hujus sese expandentis effigies, hastæ præpilatæ suffixa, gestabatur in acie, cujus rei Marius auctor, qui septies Consul, rejectis signorum aliis, in quibus & lupus & equus & aper, & sus, & Minotaurus, aquilam *Legionibus* dicavit, Plinio teste *lib.* 10. *cap.* 4. Quot igitur aquilæ, tot *Legiones.* Unde in cauté Lucanus *lib.* 1.

Ut notæ fulsere aquilæ Romanaq; signa.

Cùm enim Cæsar Ariminum caperet, una solum ei Legio aderat. Nisi Poëtam per translationem numeri malis excusare. In nummo vet. videas aquilam bicipitem, argumentum Legionum duarum, in unam coalitarum &c. V. Gerh. Joh. Vossium *de Idolol. lib.* 3. *c.* 76. Earum v. non nomina solùm, ab Augusto ad Severum Imp. per annorum spatium ampliùs ducentorum, durasse: sed etiam easdem *Legiones* in iisdem semper præsidiis hæsisse, opinatur Baronius; hincque quia Dio *lib.* 55. commemorans, quot olim ætate Augusti, quot jam suâ, *Legiones* à Romanis Impp. alerentur, & ubi tum castra haberent singulæ, cum ipse illa scriberet: *Legionem* Σιδηρᾶν, *à ferro* cognominatam, suâ ætate (vixit is Severi principatu) in Judæa collocat; eandem, id est, ejusdem nominis temporibus Domini nostri ibidem, atque Centurionem illum, cujus fides a Domino prædicatur, Matthæi *cap* 8. *vers.* 10. legionis Ferratæ seu Ferreæ Centurionem fuisse, contendit. Sed neque hoc dicitur à Dione: neque stabilitas ista *Legionum* earundem in iisdem præsidiis, firmo argumento nititur. Namque legionem Quintam, suâ ætate stativa habuisse in Dacia: Decimam quintam in Cappadocia, auctor est præfatus Dio. At Neronis & Vespasiani temporibus, Quintam in Mysia, Decimam quintam in Pannonia fuisse collocatas, extra omnem dubitationis aleam est. Scribit enim Josephus, ad bellum Judaicum ex illis locis eas fuisse accitas & bello confecto eodem remissos, Ἁλώσ. *lib.* 7. *cap.* 15. *de Tito. Venit Alexandriam, & navigaturus in Italiam, cum duæ ipsum Legiones sequerentur, utramq; eò, unde venerat, remisit. In Mysiam quidem Quintam, Decimamquintam verò in Pannoniam.* Ex quibus patet, Legionum stationes, pro temporibus mutari solitas, ex arbitrio Imperatorum & Ducum summorum. Hinc quoque narrat Josephus *lib. eod. cap.* 4. Decimam legionem, quum ante bellum Judaicum in Euphratis ripa tenderet, postea custodiæ Hierosolymorum à Tito fuisse destinatam: Duodecimam vero, quæ prius in oppido Syriæ Raphanæis castrametabatur; postea ignominiæ causâ, quòd hosti aliquando cessisset, procul inde submotam, & in Melitinen, ad fines Armeniæ, fuisse amandatam. At Dionis seculo, Decimæ quidem in Pannonia superiore, Duodecimæ veró in Cappadocia statio fuit. Isaac. Casaubonus *Exercitat. ad Annal. Ecclesiast. Baronii Exerc.* 15. *Numer.* 16.

Nomina Legionum in fragmento vet. columnæ Romæ.

II. AUGUSTA.	XI. CLAUDIA.
VIII. AUGUSTA:	XV. APOLLINEA.
XXX. ULPIA.	IIII. SCYTHICA.
XIIII. GEMINA.	X. FRETENSIS.
IIII. FLAVIA.	II. TRAIANA.
V. MACEDONICA.	III. PARTHICA.
XII. FULMINATRIX.	XX. VICTRIX.
II. PARTHICA.	I. MINERVIA.
XI. FERRATENSIS.	X. GEMINA.
XII. GEMINA.	II. ADJUTRIX.
II. ITALICA.	I. ITALICA.
VI. VICTRIX.	XIII. GEMINA.
XXII. PRIMIGENIA.	VII. GALLICANA.
I. ADIUTRIX.	XVI. FLAVIA.
I. PARTHICA.	III. CYRENENSIS.
VII. CLAUDIA.	III. AUGUSTA.

Plures recenset Hub. Goltzius *in Thes. Antiquit. cap.* 7. Sumebant autem nomina *Legiones*, ab ordine, quo unaquæque earum in aliquo loco primùm fuerat constituta, ut prima, secunda, tertia, decima & vicesima appellaretur. Et quoniam usu veniebat, ut duæ vel tres in variis locis collocatæ, omnes primæ vel secundæ vel tertiæ vocarentur: hinc cognominibus inter se distingui cœperunt, ut una quidem esset *prima Adjutrix*, altera *prima Minervia*, alia veró *prima Parthica* &c. quæ cognomina ab Imperatorum arbitrio ipsis dabantur: vel ab eorundem, qui instituere, nominibus, ut *Augusta, Claudiana, Flavia, Ulpia*, &c. vel à provinciis devictis, ut *Parthica, Scythica, Gallica* &c. vel à locis, in quibus primò collocatæ, ut *Italica, Fretensis, Cyrenaica*: aut à nominibus Deorum, ut *Minervia, Apollinaris*: aut postremò ab aliis eventibus, ut *Gemina, Adjutrix, Martia, Victrix, Ferrata, Fulminatrix, Alauda, Rapax Primigenia* &c. Partes *Legionis*, V. *infrà.* Milites hinc *Legionarii* dicti, ab initio stipendium non merebant, sed de suo quisque eo munere functus est. Anno demum U. C. 347. Anxure Volscorum oppido capto ac direpto, pedites primum stipendium accepere, & triennio pòst bello Vejenti etiam equites, teste Livio: illi quidem in diem obolos duos, hi veró drachmam, quæ eadem fere sit apud Græcos, ac denarius apud Romanos. Donec Cajus Sempronius Gracchus Tr. Pl. lege cavit, ut vestis è publico militi daretur: frumentum quoque postea ipsis datum esse existimat Just. Lipsius. Julius Cæsar *Legionibus* stipendium perpetuum duplicavit: Cujus successor Augustus in diem denos asses, in mensem aureum unum constituit: Cæsar Caligula vel Claudius, secundùm Lipsium, alterum addidit: tertium forte per bella civilia Vitellius an Otho: quartum Domitianus: Sed de his V. infrà, in voce *Stipendium.* Ut veró veteris recentiorisque militiæ Rom. discrimen unum quasi sub aspectum detur, tabulam sequentem, e Salmasii *lib. de re Militar. Rom.* excerptam subjungere placuit.

Veteris recentiorisq; militiæ Romanæ discrimen

Legio Romanorum antiqua, tempore Polybii, erat peditum 4200. &

4200. utplurimum. Dividebatur, α. ab armis, in *Hastatos* & *Pilanos*. β. ab ætate, in *Hastatos juniores*, *Principes robustiores*, *Triarios veteranos*. Tota porro *Legio* in 10. manipulos: quorum singuli habebant, Hastatos 120. Principes 120. Triarios 60. Quibus addebantur, 1200. Velites, æquali portione per manipulos dispersi: unde numerus 4200. militum. Disponebatur v. per manipulos ex 120. peditibus per intervalla dispositis, nempe Hastatorum, Principum & Triariorum.

Legio Recentior, sub Cæsaribus, erat peditum 5000. vel etiam 6000. Dividebatur in 10. cohortes: Cohortes autem singulæ in ternos manipulos: Manipuli in binas centurias. Ita hæc *Legio* senum millium fuit, habuitque Cohortes denas; Manipulos tricenos; Centurias sexagenas; Disponebatur autem per cohortes, ex 600. peditibus invicem junctas sive confertas. Quorum omnium explicationem atque diductionem latiùs videre poteris apud ipsum Salmasium *lib. præfato capp.* 2. & 3. Addam ex A. Gellio *lib.* 16. *cap.* 4. circum *Legiones*, dextra sinistráque, tanquam alas in avium corporibus locatas, equitum ordines fuisse, qui proin *Alæ exercitus* olim, hodieque *der rechte und lincke flügel*, quamvis jam mutatâ non parum exercitus acie, dicti.

Legislatores primitus ipsi Reges erant: qui si mali, libidinem suam pro lege hominibus obtrudebant. Justinus, *Nullæ civitatis leges tunc erant, quia libido, Regum pro legibus habebatur.* Sin boni, leges ferebant, iis semetipsos obstringentes: quo autem iis majorem conciliarent auctoritatem, divinitus se leges, quas populo tradituri erant, edoctos esse fingebant, tum quo suam fidem liberarent, tum quo majus pondus præscripta sua haberent altiusque in animos hominum illaberentur. Quo factum, ut non solùm Numa Pompilius cum Egeria Nympha, Minos cum Jove congressus familiares jactaret, Sertorius a cerva Dianæ, Lycurgus a Pythia, Scipio Africanus à nescio quo Numine in somnis, se moneri fingerent: sed etiam ipsos Deos Legum suarum facerent auctores. Hinc Ceres Thesmophoros legifera dicta, Saturnus Italos legibus formasse, Bacchus Indorum *Legislator* fuisse creditus est: Adeò omnes intellexerant, Religionis magnum esse in hominum animos imperium. Quod & impostor ille famosus Muhammedes in magnæ generis humani partis exitium non nisi omnis noverat, dum Alcoranum suum ex ore Angeli Gabrielis se recepisse, ejusque monitu omnia se gerere mentitus est. Alia longe ratio Prophetæ Mosis fuit; is enim ab ipsomet Deo Leges tabulis inscriptas, populoq; Judaico tradendas in monte Sinai accepit: ad cujus forte imitationem *Legislatores* Gentilium, divinam similiter originem legibus suis astruere voluere. Itaque non nisi primariæ auctoritate viri, aut Principes ipsi leges præscribebant, Symmachus *l.* 10. *Epist.* 13. *Imperator parens est legum.* Receptumque omnium pene gentium temporumque memoriâ est, ut ad Legum latorum observantiam invitarentur inferioris sortis homines, exemplo potentum, qui primi eas custodire tenebantur, aut ipsi tulerant. V. Livium *Dec.* 3. *lib.* 8. Valerium Max. *lib.* 8. *cap.* 6. *tit.* 3. Edictum inprimis Theodosii & Valentis Impp. *l.* 1. *Cod. de legibus constitutionibus Princ.* &c. Hinc in Rep. Romana Reges primum, mox Consules, deinde Tribuni, post hos Decemviri, eosque alii Magistratus insequuti, pro temporum ratione, negotiorumque mole, varias tulere *Leges*: Aliæ Resp. Philosophos *Legislatores* habuerunt, ut infrà videbitur. Plura hanc in rem V. apud Jon. Rosinum *Antiqq. Rom. lib.* 8. *cum Paralipomenis ad illum* Thomæ Dempsteri.

Nomina præcipuorum aliquot Legislatorum.

Ægyptii *Legislatorem* habuere Mercurium Trismegistum, Cic. *de N. D. lib.* 3. Lactantius *lib.* 1. *cap.* 6. &c. vel Boccorum, sive Bocorum aut Bocchoridem, Eusebius Cæsar. *in Chr.* & Aristot. *Polit l.* 7. *c.* 10.

Ænotrii Italum, Idem *ibid.*

Athenienses primò Theseum, Plut. *in Theseo*: dein Draconem, cujus leges *θεσμοὶ* vocatæ sunt: postea Solonem, cujus leges *Axones* dictas, notat Suidas. Etiam Cecropem, vel ut alii, Cranaum iis jura constituisse, docet Pausanias *in Atticis*.

Bactriani Zoroastrem, Plinius *lib.* 7. *cap.* 16.

Cappadoces Charondam, cujus institutis illos usos fuisse, docet Fr. Patricius *præf. ad librum primum de Republica*.

Carthaginienses eundem, secundùm Alex. ab Al. *Genialium dier. lib.* 6. *c.* 10. vel Phaleam, juxta Patricium *loco prædicto*.

Chalcidenses Androdamantem, Aristotel. *lib.* 2. *Polit. c.* 10.

Cnidii Eudoxum:

Corinthii Phidonem, Aristot. *Polit. l.* 2. *c.* 4.

Cretenses Ephorum, Patricius *loco præfato*: item Minoem, Diod. Siculus *l.* 6. *c.* 15.

Crotoniatæ Pythagoram, ut & omnes fere Italiæ populi:

Elea, Lucaniæ urbs, Parmenidem ac Zenonem, Patric.

Epirotæ Arymbam, Justin. *l.* 17. vel Tharytam, Plut. *in vita Pyrrhi*.

Getæ Zamolxim Thracem, quem ob tam insigne beneficium in Deorum numerum retulere, Volaterr. *Comm. l.* 8.

Græci Phoroneum.

Indi Bacchum, à quo subacti & mansuetiori legum cultu imbuti sunt, Arrianus *de gestis Alex. lib.* 8. Diod. Sic. *lib.* 3. *cap.* 10. &c.

Itali Saturnum, Virgilius *Æn. lib.* 8. Item Pythagoram, Patricius *loco suprà cit.*

Lesbii Macarium, Diod. Siculus *lib.* 6. *cap.* 16.

Locri, Zaleucum; Patricius, Strabo *lib.* 6. Cicero *de LL. lib.* 2. &c.

Mantinenses Nicodorum pugilem, ut narrat Ælianus *Hist. Var lib.* 2. *cap.* 23.

Milesii Hippodamum, qui de optimo quoque Reipublicæ statu scripsit. Quemadmodum & Æschines Milesius, V. Patricium *loco jam sæpius adducto*.

Rhegini Charondam, Heraclides *lib. de Politiis*.

Romani, ex legibus Solonis multa hauserunt. V. suprà in voce *Decemviri*.

Spartani Lycurgo *Legislatore* in claruerunt, cujus leges *Rhetra* fuisse vocitatas, innuit Amm. Marcellinus *lib.* 16.

Tarentini Archytam habuere: Iidem Pythagoræ quoque præcepta, tenuerunt. Patricius *ubi suprà*.

Thebani Philolaum, Aristot. *Polit. lib.* 2. *cap.* 10.

Thurii, aut, ut nonnulli legunt, Tyrii, etiam Charondam, Val. Maximus *lib.* 6. *cap.* 5 *tit. ult.* Diod. Siculus *lib.* 12. &c. Certè cum eum Zaleuco conjunxit Cicero *de LL. lib.* 2. & Diog. Laertius *l.* 8. *in Pythagora* &c. Quo modo autem quave ratione Leges olim latæ, ac promulgatæ fuerint in Rom. inprimis ac Atheniensi Rebuspublicis, de Hebræa enim satis superque ex Sacris constat, V. infrà voce *Lex*.

Legitimatio per subsequens matrimonium, introducta primum ex L. Constantini M. à Zenone postea restituta est, *l. Divi Cod. de Nat. lib.* ac Justiniano *Nov.* 12. receptaq; in Jure Pontificio, ex rescripto Alexandri III. *in Append. ad Conc. Lateran. A. C.* 1180. *part.* 33. *cap.* 1. & *cap.* 6. *extr. Qui filii sint legit.* At in Anglia tamen non admissa, nisi quantum ad gradus Ecclesiasticos: quoad successionem verò in bona paterna, prorsus repudiata, *Statuto* præsertim Mertonensi A. C. 1235. *cap.* 9. & 20. V. Joann. Seldenum *Dissertat. ad Fletam cap.* 9. aliosque laudatos Carolo du Fresne *in Glossario* Eccl. Rom. *Legitimum*, optato idem est, qui *Canon Missæ* communiter. V. suprà.

Legumen, *à legendo*, quòd non secantur, sed vellendo leguntur, nomen habet. *Rapienda autem, cum maturescere cœperint, quoniam citò exiliunt, latentq; cum decidere*, Plin. *lib.* 18. *cap.* 12. Tenuiorum cibus. Unde *χύτρας* olim seu *ollas* Veteres, more solenni à mulieribus circumferendas, in quibus *πανσπερμία*, seu *Leguminum omnigenorum mixtio*, offerebant in libationem eucharisticam & propitiatoriam *ἀφιδρύσεως*, *dedicatis Diis*, quibus victimæ sumtuosiores non erant: nempe *χαριστήρια* sic *ἀπαρχὴν* τῆς πρώτης δίαιτης, *Eucharistica dantes primi victûs nomine*, qui simplicissimus tenuissimusque erat, ut ait Scholiastes Aristophanis *Plut.* Quod idem in festo Chytrorum, die 13. Anthesterionis mensis quotannis celebrari Athenis solito, docet Philochorus *in Festis*, Harpocrationi laudatus, in *Χύτροι*. Vide infrà in voce *Olla*. Sed & *Legumina*, plurimùm olim adhibebantur, *πρὸς τὰ περίδειπνα*, *καὶ τὰς προκλήσεις τῶν νεκρῶν*, in feralibus cœnis & ad mortuorum evocationes, Plut. *in Romanis Quæstion. cap.* 95. quod tamen ad fabam maximè aut lentem pertinet. De faba enim Festus, *Fabam nec tangere, nec nominare, Diali Flamini licet, quòd ea putatur ad mortuos pertinere. Nam & Lemuralibus jacitur larvis & parentalibus adhibetur sacrificiis & in flore ejus luctûs literæ apparere videntur.* De lente, Plut. *in Crasso* & Appianus *in Parthicis*, eam inter *τὰ πένθιμα*, *lugubria & mortuis apponi solitam*, referunt. A qua superstitione non fuisse prorsus immunes Judæos, testantur hæc Hieronymi *ad Paulam*, de Blæsillæ obitu, *Flentesq; hodie Judæi & nudatis pedibus in pulvere volutati, sacco incubant: ac — ex ritu vanissimo Pharisæorum, primum cibum lentis accipiunt, videlicet ostendentes, quali edulio primogenita perdiderint.* Potest addi cicer, de quo suo loco. Quæ omnia, ut ad ferales adhiberentur epulas, hinc factum, quia lugubre tempus decere videbantur tenues ac frugales cibi, ut sunt *Legumina*, quæ corpus quidem implent, sed parùm alunt. Quam ob caussam, princeps Eunuchorum Nabuchonodozoris timuit, ne, si Daniel & socii leguminibus vescerentur, vultus eorum tristiores viderentur & macilentiores, quàm reliquorum adolescentum, quos habebat Rex in comitatu suo, Dan. *cap.* 1. *versu* 8. &c. V. Sam. Bochartum *Hierozoici Parte poster. Lib.* 1. *cap.* 9. & de *Leguminibus* plura apud Plinium passim, inprimis *lib.* 18. *cap.* 12. ubi *fabæ* principatum in iis tribuit, nec non hîc, ubi de unoquoque eorum in specie.

Leiningensis Comit. Germ. *Leiningen*, Gall. *de Linage*, regio est Germaniæ super. in Palatinatu, sub propriis Comitibus. Duæ autem familiæ distinctæ hoc titulo gaudent. Originariæ nomen *Dagsburgica* superadditur: quæ antiquissima, &, si tamen Torneamentorum Scriptoris aliqua auctoritas est, Wipertus A. C. 938. Magdeburgi ludis Equestribus interfuit. Plures ex illa Episcopi prodiere. Porrò, si tabulis fides est, in Friderici, circa principium seculi XIV. filiis, Friderico & Josfrido, lineæ Leiningensis & Dagsburgica, in diversum ire cœpere. In quarum priore, ultimi ma[illegible] runt Hesso Landgravius *Leiningensis*, & frater Fridericus, [illegible] etior, agnatorum jus sibi vendicans, adhuc durat: & quidem, qui nunc vivunt, communem omnes agnoscunt patrem, Emiconem, Catharinæ Nassoviæ (à qua Sarwerdensis præten-

prætensio illis obtigit) maritum, mortuum A. C. 1541. Ab ejus enim majori filio Johanne Philippo, *Hartenburgica* lineæ oritur: à minori Emicone, *Dagsburgio-Falckenburgius* ramus ortus est: cujus surculi sunt *Heidesheimius* & *Falckenburgius* seu *Dagsburgius*. Altera verò familia, quæ *Leiningensi* nomine utitur, *Westerburgica* est, propriis etiam meritis, antiquitate & affinitatum splendore inclyta. Ei *Leiningensem* titulum attulit Margaretha, Landgravii Leiningensis filia, Reinhardo Westerburgico nupta. Horum enim filii Reinhardus & Cuno, à Palatino Comite, ob matrem investiti dicuntur, nec dum lite inter utramque domum terminatâ. Hæc in duos ramos nunc dispescitur, *Westerburgium* & *Leiningensem*; quorum hic cùm iterum divisus esset, in *Oberbrunnensem*, & *Grunstadensem*, illo extincto hic manet superstes. Vide Phil. Jac. Speneruṁ *Theatr. Nobil. Europ. Part. I. in Ind.* & quæ de horum linearum, ramorum, surculorum utrumque *suo loco*.

Leiostrea apud Lampridium *in Heliogabalo*. *Primus fecit de piscibus isitia, primus de ostreis & leiostreis & aliis hujusmodi marinis conchis* &c. pro *Lithostreis*, quæ vera lectio est Salmasio. Sic autem propriè appellantur, quæ apud Græcos ἑτερανδέρμων nomine veniunt; quæ si quis λιθόδερμα diceret, haud inelegantem eorum appellationem induceret: nam & λιθόῤῥινα eadem vocabat Empedocles, item λιθορίνους κόγχους, apud Plutarchum. Ausonius,

Quæ testis concreta suis ceu saxa cohærent.

Item,

Aspera quæ testis & dulcia farris opimi.

V. Salmasium *ad Lampridium*.

Lembarii Milites, apud Vopiscum *in Aureliano*. *Hi compressi sunt, septem millibus* Lembariorum, *Riparensium & Castrianorum* &c. Classiarii milites sunt Salmasio. Classium enim duo erant genera, unum maris, alterum fluminum, in mari liburnis, in fluminibus *lembis* vel lusoriis utebantur. Nam in fluminibus limitaneis habebant Romani lusorias vel *lembos*, & in his milites classicos ad tuendum limitem, quos Vopiscus *Lembarios* vocat. Hi justorum militum operam munusque præbuerunt & in castris & in campo, apud Vett. auctore Nerone, qui primus classiarios ex remigibus justos milites fecit. Salmasius *Not. ad Vopiscum*. Cyrenensium v. inventum id navigii genus Plinius facit *lib. 7. cap. 56.* V. quoque infrà in voce *Naves*; & de classibus Romanis maritimis præsertim IV. duabus majoribus seu prætoriis, Misenensi & Ravennate, duabus item minoribus, unâ Galliæ, in Foro Julio, alterâ Ponti, Theodorum Marcilium *ad Suetonii Vespasianum*, ut & aliquid suprà, ubi de *Classicis Militibus*.

Lemma, apud Martialem, titulus seu inscriptio est, *lib. 14. Epigr. 2.* cui tit. *Apophoreta*.

Lemmata si quæris cur sint adscripta, docebo:

Ut, si malueris, lemmata *sola legas.*

Ex Græco λῆμμα, quòd sit argumentum seu titulus rei, quæ *sumitur* tractanda. Idem cum κεφάλαιον, aliter *lines* & *linea*, uti pluribus docet Salmasius *Prolegomenis in Solinum*, ubi inter alia, ne ipsis quidem Epigrammatis perpetuo à Martiali solita lemmata, ex loco citato, observat.

Lemnia Terra, *lutum divinum* dicitur Cremonensi *Canon. lib. 2. cap. 411.* eo quòd à *divina muliere primùm esset accepta*, triplici in differentia est, teste Galeno, qui, postquam de Dianæ sigillo sacro ei imprimendo (in cujus vicem postmodum aliud sigillum successere) locutus est, μία μὲν, ait, ἡ προειρημένη ἣν ἱερὰν γῆν ... ἄλλο ἄπτεται, τὴν δ' ἱερείας. *Una ante dicta illa Terra sacra, quam nemo alius præter Sacerdotem fœminam tangebat*, i. Dianæ sacerdotem. *Sacram* autem Galeno dictam volunt aliqui, quoniam etiam εἰς τελετὰς, in *sacrorum initiamentis*, adhiberetur. Dioscorid. *lib. 5. cap. 287.* Certè ob Divæ sigillum (quod captam fuisse idem ait) Sacerdotisque ejus tam singularem prærogativam, *Sacra* nomen sortita esse videtur, quam acceptam ab illa alteri consuevisse in urbium tunc Lemni binarum nobiliorem, Herbestida, Avicenna refert. Seculis verò Galeno vetustioribus τὰς αἶγας ἀνθρώπους ἀναπλάσσοντας, *viros illic illud formantes*, sigillum impressisse, iterum Dioscorides præfatus ait, *l. cit.* V. Salmasium *Exercitat. Plinian. ad Solinum pag.* 1156. & Joann. Seldenum *de Synedriis Vett. Hebr. lib. 3. cap. 11.*

Lemnisci, fasciolæ erant colorisæ (Scaliger legit, *Coloria*) dependentes ex coronis, quod antiquissimum fuit genus coronarum lanearum, Festus: Turnebus ait, *Lemniscum*, Syracusarum verbum esse, & significare, *taeniam angustam*: an à *lamna*, quòd inde coronæ efficiantur, an à λῆνος *lana*? Hinc palma *lemniscata*, id est, tæniis laneis obvincta, quâ Gladiatores, hoste strato, donatos olim refert Franc. Sylvius *Orat. pro Sexto Roscio*: quâque Domitianus Poëtas, Rhetores, aliarumque Professionum viros insignes, qui in agonibus Capitolinis ab ipso institutis victoriam reportassent, ornari voluit. Qui enim hic vicerant, coronâ & ramo *lemniscatis*, aut torque involutis donabantur; Qui autem secundi erant, coronas quidem ac palmas impetrabant, sed sine *lemniscis*. Ausonius,

Et quæ jamdudum tibi palma Poëtica pollet,

Lemnisco ornata est, quo mea palma caret.

Melius Sidonius, quanquam non de Capitolino agone loquitur:

Hic mox præcipit æquus Imperator

Palmis serica, torquibus coronas

Conjungi, & meritum remunerari.

Nam coronis torques & palmis serica, hoc est, sericatos *lemniscos* conjungi vides: unde præmia pro ratione meritorum aucta fuisse patet. V. Scaligerum *Ausonian. Lect. lib. 1. cap. 10.* Postea nempe & ex serico, aliâque pretiosiore materia *lemnisci*; imò & aurei statim unà cum coronis facti sunt. Plin. *lib. 21. cap. 3.* *Accessere & lemnisci, quos adjici, ipsarum coronarum honos erat, propter Hetruscas, quibus jungi nisi aurei non debebant.* Hinc Jul. Capitolinus *in Vero Imp.* *Coronas quinetiam datas lemniscis aureis interpositis, & alieni temporis floribus.* Fiebant nempe coronæ ex foliis, quibus interponebantur aurei lemnisci: quo modo lauream triumphi concinnari solitam, auctor est Tertullianus *de Coron. milit.* *Triumphi laurea foliis struitur, hinc aureis lemniscis innectitur, at mustis unguentis delibuitur, an lacrymis conjugum & matrum? fortasse quorundam & Christianorum?* V. Salmasium *ad Capitolinum*. Nec aureos tantùm, sed & cælatos fuisse, tradit Plinius ubi suprà, *Puri diu fuere hi. Cælare eos primus instituit P. Claudius Pulcher.* Usus eorum hic. Ut philyrâ omnis coronaria materia nectebatur, ita sæpe *lemniscis* involvebatur, quò sc. & corona firmior ac tota res aspectu gratior esset. Solidabantur autem sic flores, non abscondebantur: cui decori augendo reliquæ partes fasciolæ utrinque relinquebantur pendulæ usque ad humeros, & hi propriè *lemnisci* dicti sunt. Vid. Car. Paschalium *Coronarum lib. 2. cap. 13.* Apud Suetonium Neroni, cùm è Græcia in Urbem rediisset, habitu Olympionicæ, *incedenti passim victimæ cæsæ, sparso per vias identidem croco, ingestæ aves ac lemnisci & bellaria. cap. 25.* memorantur, more vetustissimo victores in Ludis harum similiumque rerum injectione honorandi. Sic apud Pausaniam *in Messenicis* Aristomenem è prælio reduci mulieres ταινίας ἐπιβάλλουσι ... & apud Livium *lib. 33.* *coronas lemniscatas* in Flamininum, Græciam liberantem, tanta copiâ congestas legimus, ut haud procul periculo fuerit. V. infrà, ubi de *Victoribus Ludorum Sacrorum*, atque hîc passim alibi. At Vegetius *Lemniscos* & *pannos* indifferenter usurpat *lib. 3. cap. 18.* & *lemniscatam coronam regiam* vocat ipsum diadema Regum, quod *pannum* dicit Val. Maximus *lib. 7.* Idem *ad Vopiscum in Aureliano*.

Lemnos, adde. Sacra eorum quod attinet, *avem* divino honore ab Lemniis cultam, quæ noxia frugibus animalia in nidis ipsorum infestaret & ova eorum extingueret, tradit Plut. *de Is. & Osir.* Idem *Commentar. de Virtutibus factis à Mulier.* Lemni vett. incolas simulachrum Dianæ maximo cultu veneratos fuisse, & in conflictus hosticos secum tulisse, scribit. Sed & *Venerem Lemniam*, inter pulcherrima simulachra, cultam, discimus ex Luciani *Imaginibus*, & *Lemniam Minervam*, omnium Phidiæ operum elaboratissimum, memorat Pausanias *Atticis*. V. hanc in rem plura apud C. Barthium *Animadversion. ad Statium Thebaid. lib. 9. v. 328.*

Lemonia, Tribus Romæ, à vico *Lemonio* appellata, qui fuit à porta Capena, via Latina, Festus. Cicero ejus meminit *Philipp. 9.* V. Jo. Rosinum *Antiqq. Rom. l. 6. c. 15.*

Lemos, nomen illustris in Hispania Familiæ, quæ Portugallicæ stirpis ramus est. Cum enim Regnum hoc fundasset ex Burgundiæ Ducum, atque ita etiam Regum Galliæ Capetinorum familia, Alfonsus 1139. in ejus mascula progenie idem duravit, usque ad Ferdinandum, qui obiit A. C. 1383. Hujus gener Johannes Rex Castellæ cum coronam, post Socerum, sibi vendicaret, A. C. 1385. electus est adversus ipsum ab indigenis Johannes, Ferdinandi nothus frater, in cujus posteris sceptrum continuatum est, usque ad Sebastianum, defunctum A. C. 1578. Post cujus obitum, cum masculus legitimus nullus superesset, inter plures diadematis procos prævaluit Rex Hispaniæ, Philippus II. sed sub nepote ejus Philippo IV. Lusitani Castellanorum imperium pertæsi, ex Bragantinis (è Johannis Regis filio notho oriundis) Johannem Regem esse jusserunt. Cæterùm hujus patruus Eduardus, ex Beatrice *de Toledo-Oropesa* hærede, filium suscepit Ferdinandum, hoc titulo insignem. Sed & aliæ è Bragantinis lineæ ortæ, inter quas domus de Castro Com. *de Lemos*, à Dionysio Jacobi Ducis Bragantini fratre originem habet. Ferdinando nempe II. Duce Bragantiæ, defuncto A. C. 1483. cum ambo geniti essent, minor natu Dionysius *de Portugal* Com. *de Castro* titulum nactus est; cui ex Beatrice de Castro (filia Roderici de Castro Osorio Com. *de Lemos*) genitus Ferdinandus *Ruiz* de Castro Com. *de Lemos*, ex Teresia *de Andrada* Com. de Villalva, suscepit Petrum Fernandinum *de Castro Andrada* Com. *de Lemos*: cui juncta Leonora *de Cueva* (fil. Beltrami seu Bertrami *de la Cueva* Duc. *de Albuquerque*) peperit Fernandum Rodericum seu *Ruiz de Castro* C. *de Lemos*, qui obiit sub initium hujus seculi, A. C. 1601. Pater ex Catharina *de Sandoval* (fil. Francisci *de Sandoval* & *Roxas* March. Denir) Petri Fernandi C. *de Lemos* & *de Sarria* (ux. Catharina *de Sandoval & Roxas*) Francisc. D. *de Taurisano* (qui ductâ Lucretia Gattinarâ Legnaquâ, decessit A. C. 1637.) & Ferdinandi Com. *de Gelves*, cui nupsit Leonora de Portugallia *de Gelves*. V. Phil. Jac. Spenerum *Theatr. Part. I. pag. 6. & in Ind. sub Familia historia*.

Lena. Tertulliano *de Pallio* dictæ *Fessitrices*: ... *Aspice lupas, popularium libidinum nundinas* &c. Ubi quidam *Fessitrices* ... sed *Fictrices* habet planè vetus liber & editiones antiquæ. *Fictrices*

quoque

Quoque alibi nominavit Auctor idem, quas etiam ibidem *Frictrices* rescinserunt Critici: *De Resurr. Carn. Et tamen calicem non di- ... venenarium, in quem mors atque ... , sed Frictricis vel Archigalli vel Gladiatoris aut Carnificis spiritu infectum, quare an minus damnes, quàm oscula ipsorum.* Ita eo loci omnes libri scriptum exhibent, non *Frictrices*. Sunt autem *Frictrices* sagæ, à simulacris cereis, quæ fingebant & a is Magicæ ... artium figmentis sic nuncupatæ. Ovidius de Saga:

—— —— *Simulacraq; cerea fingit.*

Eadem *Simulatrices* dicebantur, ab eadem ratione. Festus, *Piatrix dicebatur Sacerdos, quæ expiare erat solita, quam quidam Simulatricem, alii Sagam, alii Expiatricem vocant.* Valerius,

—— *Et Ææa simulatrix littore Circe.*

Per *Frictrices* itaque *Lenas* intelligit Tertullianus, unde cum Meretricibus illas hic conjungit. Nam apud Vet. omnes *Lenæ*, Sagæ etiam censebantur & vocabantur. Apud Propertium & Tibullum & Ovidium *Lenæ* Sagæ sunt & φαρμακίδες. *Saga* prom pro *Lena* apud Antiquos. Lucilius apud Nonium,

Et utem & facem, ut Saga & bona conciliatrix.

Nonius ipse: *Sagæ mulieres dicuntur fœminæ ad libidinem virorum indagatrices; unde & sagaces dicuntur ferarum vel animalium quæsitores.* Glossæ: *Saga*, φαῦλος, φαρμακίς. *Saga* igitur & *Lena* & *Frictrix* sive *Simulatrix* eadem. Unde non mirum, si eatenem Lenæ & Sagæ spiritu infectum vitabant. Gallorum verò, & Archigallorum tam calices, quam oscula, damnabantur, propter oris impuritatem, cujus rei infamiâ flagrabant, non propter oris execrationem, ut perperam docti quidam volunt. V. Claud. Salmasium *ad Tertullian. de Pallio*, & infrà, voce *Leno*.

Lenæus, adde: Fanum Bacchi, in Attica, in loco, ubi certamina ante Theatrum exstructum celebrabantur, *Λήναιον* dicto, cujus meminit Hesychius. Idem est *Λήναιον* ἀγὼν, seu *τὰ Λήναια*, quo nomine venieb. D ... *τῶν χυτρῶν ἀγὼν*, mense Posideone, agebantur, qui inde etiam *Ληναιὼν* dictus. Celebrabantur illa, uti & Dionysia *κατ' ἀγρούς*, commissione Comœdiarum, ac utrisque Rex præerat. Neque importabant tunc temporis tributa Athenas Socii, & soli fere festum agitabant Athenienses. Aristophanes *Acharnens.*

Αὐτοὶ γὰρ ἐσμὲν οὑπὶ Ληναίῳ τ' ἀγών.
Κοὔπω ξένοι πάρεισιν οὔτε γὰρ φόροι
Ἥκουσιν, οὔτ' ἐκ τῶν πόλεων οἱ ξύμμαχοι.

Quam in rem V. plura, apud Sam. Petitum *Commentar. in LL. Atticas lib.1. tit.1.* ubi & *Lenæorum*, Eleusis populi, Atheniensium tribu ... e Phlegonte, Stephano laudato, meminit. Adde, quæ diximus suprà, ubi de *Bacchi Theatro*.

Leno, ludoro, con ... est, eo quòd mentes miserorum *delinendo* ledeat; Festo, quod *adolescentulas alliciat*, dicitur. Græce Μαστροπὸς, Προαγωγὸς, Προαγωγός. De quo hominum genere, Sc. Scaliger *Poetices lib.1. cap.13.* ... *de Comicis Personis: Differentiam faciunt inter μαστροποὺς, & προαγωγοὺς, illo nomine designari scortorum matres: προαγωγοὺς esse conciliatores. Ego Lenonis ac posteriore voce dictos scio: quid enim aliud est scortum alere? Fœminas ornant vitta purpureâ circum caput: Lenonibus ... tunica & amiculum ... non sine baculo. quem ... vocarunt* &c. Sed & alios *Lenones*, *Προαγωγοὺς*, seu *Productores* esse, docet Pedianus, cum ait, *Lenones scortorum dici: Productores verò etiam invitarum personarum, & in quibus flagitia exercita legibus vindicantur.* In *Verrinis* certe ab Cicerone disparantur verba hæc, uti docet Cœl. Rhodiginus *Antiqq. Lect. lib.14. cap.8.* Cæterum sordidissimi hi aliem pudoris institores, usque adeò radices egere olim, ut non solum Cinnarus quidam, hac arte infamis, summas ad opes pervenerit, quas, Veneri promissas, moriens populo diripiendas exposuit, ut in prov. *rapina rerum Cinnari* abierit: Sed & apud varias gentes, Cyprios, Armenios, Lydos, Augilas, Sacas, Locrenses, inter liberales, imo & sacras, ea habita, ipsique Imperatores Tiberius, Caligula, Nero, eam exercere, lupanari in Palatio constituto, non dubitaverint, testibus Suetonio, Zonarâ, Xiphilino. At sanctior his Q. Metellus Prætor, Vectibium lenonem, in causa Testamenti à subsellio prohibuit, ut qui pro libero haberi nequiret, apud Val. Maximum *lib.7. cap.7.* Sed & *lenas* submersit Cleomenes Methymnæorum tyrannus, in saccis ligatas, apud Athenæum *lib.10.* Joannes quoque Arragonum Rex omnes *lenocinium facientes*, amissis bonis, infames esse jussit, & tanquam latrones & nefarios homicidas, exterminavit, uti docet Marinæus *Rerum Hispanic. lib. 12.* Plura hanc in rem, apud Zuingerum *Theatro Hum. Vitæ pag.2285. & seqq.* Aliquando tamen honesta vocis notio est; pro Legato enim eam occurrere apud Justinum *lib.1.* notat Salmasius *ad Vopiscum, in Carino.* Vide quoque suprà in voce *Conciliator*.

Lens, Græce φακῆ, tenuiorum & Philosophorum cibus, Cynicorum præsertim, olim fuit, cujus encomium Vid. apud Athenæum *lib.4. cap.18.* Sed & edulio ejus tantopere in sacris Esavus legitur gavisus, ut jure primogenituræ illud redimere profanus Homo non dubitaverit. Ita enim Genes. *cap.25. vers.30. fac me comedere de rufo rufo illo:* lenticulam indigitans, quæ naturâ rufa præterea condimentis rufis, ut croco, similibusque misceri solebat. Et quare factum, ut cùm Esau naturâ esset rufus, & jam tantopere cibum rufum appeteret, vocatus propterea fuerit *Edom*, & *rufi* nomine inter domesticos primò, postmodum & inter alios, insignitus. Reliquam historiam vide *in seqq.* quam *Exercitatione 116. in Genesin* illustrat egregiè Andr. Rivetus. Sed apud Romanos quoque ab hoc leguminis genere appellati occurrunt, *Lentuli*, de quibus suo loco. Circa Pelusium opp. Ægypti, quæ vulgò *Damiata* aliis *Rosetto*, optimam *lentem* nasci, indigitat Poeta *Georgic. lib.1.*

Nec Pelusiacæ curam aspernabere lentis.

Et Martialis,

Accipe Niliacam, Pelusia munera, lentem:
Vilior est alicâ, carior illa faba,

lib.13. Epigramm. 9. Vid. plura de hoc leguminis genere, apud Plinium *lib 18. cap.10.* ubi *de ejus pinsenda ratione*; *cap.12.* ubi *de pluribus ejus generibus*; *lib. 22. cap 25.* ubi *de natura illius & usu Medico* &c. Nonnihil quod attinet, quibusdam quod humida & *lenta* sit, vel quod *lentos faciat* homines; aliis quod *lenis*, ita dicta est. Certè *eâ vescentes æquanimes fieri*, habet idem Auctor *lib. 18. cap.12.*

Lentare, apud Statium *Thebaid lib.3.* de arcubus,

—— *alii G ... lentant*
Cornua ——

vet. Scholiastes est, *paulatim & sine vi flectere.* Hinc *lentandus*, vox nautica apud Maronem,

—— *Trinacria lentandus remus in unda.*

Id est, *lentè* hinc inde flectendus, quod ex vetustissimis *Annalibus* sumtum docet Servius *ad h. l. Aut lentè, i. ... tibi navigandum, nam totam Siciliam circumiit, aut extendus tibi remus est, hoc est, pectendus; unde lentum vimen— Et quidem lentandus novè verbum, dictum putat, sed in Annalibus legitur, confricant, oleo lentant, parant q; ad arma, à verbo lenter.* Apud *Lentescere*, i. lentescere, apud Di ... *lib.1.* Unde *Lentiones* in *Glossis*, οἱ ἐν τοῖς ... *in funeribus saltantes*; quos Σικιννιστὰς vocat Dionysius. Quod saltatores *lentis* lateribus essent, & totum corpus nimium quantum ad omnes motus haberent flexile. Vetus Epigramma de Pantomimo, apud Salmasium *ad Vopiscum in Carino*,

Masculia fœmineo derivans corpora flexu,
Atq; aptans lentum sexum ad utrumq; latus:
Ingressus scenam populum saltator adorat,
Solerti spondens prodere verba manu.

V. quoque suprà, ubi de *Bathyllo* & infra ubi de *Ludionibus, Pantomimis, Saltatoribus.*

Lentiscus, arboris nomen, cujus resina mastiche, Plin. *lib. 14. cap. 20.* ad quem locum V. *Notas* Dalechampii; à *lentore* nomen habet, quòd cuspis ejus *lenta* sit ac mollis: hinc denticalpiis aptissima. Martialis *lib.3 Epigr. 83.*

Stat exoletus, suggeritq; ructanti
Pinnas rubentes cuspidesq; lentisci.

Et *lib.14. Epigr. 22.* cui tit. *Dentiscalpium*,

Lentiscum melius: sed si tibi frondea cuspis
Defuerit &c.

Quo fine *tonsum* vocat idem *lib. 6. Epigr.74.*

Fodiq; tonsis ora laxa lentiscis.

Inde est, quod Carolus IX. Gallorum R. unius Francisci Castilionei Admiralli Franciæ *lentiscum* (solebat enim post cibum cogitabundus dentes bacillo purgare) præ mill. Hugonottarum equitum lanceis se pertimescere, fassus legitur apud Theod. Zuingerum *Theatr. Hum. Vit. pag. 990.b.* Sed & in virginum coronamentis *lentisci* usus. Callimachus, ubi de sacro Dictynnæ, *Hymno in Dian. 21.*

—— Τῇ δ' ἤματι κεῖνῳ ...
Ἢ πίτυς, ἢ σχῖνος ——
Sertum vero festis diis illum,
Pinus aut lentiscus ——

Circa ipsam arborem domicilia suspensa, occurrunt apud Herodotum *Musâ 4.* ubi Afrorum pastoralium domicilia virgultis compacta, in pedia circa lentiscos & quoquoversus versatilia, describit &c.

Leo, λέων Βασιλεὺς, *Rex ferarum*, uti ob insignes eum dotes vocat Phile *cap.31.* & Phædrus *Fab. 7.* *fera κατ' ἐξοχὴν* hinc Arabibus, uti *θὴρ* Græcis, & *Africana*, aut *Libyca*, sub. *fera*, Latinis. Hebr. motu ארי *Ari*, dictus, à *videndo*, uti Græcis λέων, à λεύσσω vel λάω; est enim λέων ὀξυδερκέστατον, *animal visus acerrimi* oculosque habet tam lucidos, ut aliorum animalium visum fulgore suo perstringat. Oppianus de eo *Venat. lib.3.*

Καὶ πυρὸς ἀστράπτουσιν ἀπ' ὀφθαλμῶν ἀμαρυγαί.
Et scintillæ ignis ab oculis fulgurant.

Unde Plinius leonem capi scribit, sago contra ingruentis impetum objecto, quod ejus vis omnis in oculis, *lib.8. cap.16.* V. quoque suprà in voce *Ariel*. Modò שחל, *Sachal*, i. niger. Leonum enim color plerunque fulvus est, unde *fulvus* Poetæ Galli, Græci αἴθωνας, ξανθούς, πυῤῥούς, & ... passim vocant; Philosophusq; id perpetuum esse credidit, *de Gener. Animal. lib.5 c.6.* Tamen quosdam nigros esse, ex Oppiano constat, ubi de Libyco, & Æthiopico leone, *Cyneget. lib.3.* unde idem, de leonum in

Æthiopia venatore, *lib.* 4. Ὀρίνει, inquit, θῆρα κελαινόν, *Excitat feram nigram.* In *Epist.* quoque Hebr. Regis Abyssinorum, quam Muslerus edidit, quatuor Leonum in Abyssinis colores memorantur, aureus, fulvus, albus & niger. Sed & Indiam nigros habere, Ælianus auctor est *lib.* 17. *cap.* 26. & Syriam, Plin. *lib.* 8. *cap.* 17. Modò לביא, *Labi*, quo nomine leæna propriè, quæ leonem æquat, aut etiam superat, robore & feritate, intelligitur. Modò ליש *Laiis*, i. robore maximè valens, ut archoleon vel acroleon, quam vocem V. suprà: in quo genere juba maximè notabilis, quia promissior longoque & simplici villo; unde & *jubati* nonnullis per excellentiam, cùm aliàs omnes leones mares jubam habeant &c. Animal in Judæa, Syria, & Arabia valde frequens. Unde toties per *Leones* judicia Dei exercita in Sacris occurrunt: Etiam in Phœnice, proximâ inter Berytum & Sidonem, Λεόντων πόλις, *Leonum urbs*, ad fluv. cognominem, memorata Straboni & Plinio. Insuper Ægypto, ejusque regione Thebaide inprimis, Æthiopiâ sub Ægypto, Cyrenaicâ, Marmaricâ & Libyæ parte Alexandriæ vicina. In qua ultima, leonem, immanem belluam, quæ diu Libyam universam ita vastaverat, ut ejus magna pars esset deserta, inter venandum prostravit Hadrianus Imper. teste Athenæo *lib.* 15. Diximus, *Regem ferarum* Leonem dici passim, quod elogium fortitudine suâ optimis meruit. *Quid enim leone fortius?* Judic. *cap.* 14. *vers.* 18. Quare beneficio Junonis inter Astra eum collocatum esse, quod virtute cæteras feras præcelleret, ait Germanicus *ad Aratum*. Indicium fortitudinis, quòd nihil timet, nec suspicax est, aut limis intuetur: quòd ad dormiendum non secedit in loca remota & abdita, sed somnos capit ubivis; quòd nullius metu retrogreditur, & cùm venatorum cujuscumque numero tandem cedere cogitur, non fugit tamen, sed subinde restitat & convertitur: qua de re passim multa apud Scriptores. Scriptura sacra quinque hæc potissimum in leone notat terribilia, *faciem*, *incessum*, *rugitum*, *os* seu *dentes* & *manum* vel ungues aduncos. Et quidem I. *Faciem* quod attinet, terribilem eam Esdras aperte insinuat, cum fortissimos illos Gaditarum duces undecim, qui stabant à Davidis partibus, refert habuisse *leonum facies*, 1. Paralip. *c.* 12. *v.* 8. Sic Ovidius de Hippomene & Atalanta jam leonibus,

Iram vultus habet ——

Et Oppianus *de Venat.* *lib.* 3. *versu* 8.

Σμερδαλέον δ' ἄρα πρόσωπον καὶ ἀοζέα —

Apud Statium proin leonem præ senio jam viribus effœtum, commendat tamen faciei majestas, *Thebaid.* *lib.* 11.

—— *qualis leo rupe sub alta,*
Quem virides quondam sylvæ montesq; tremebant,
Jam piger & longo jacet exarmatus ab ævo:
Magna tamen facies & non adeunda senectus.

Quam magnam satis item graphicè describit Philosophus *in Physiognom.* *cap.* 5. V. quoque suprà aliquid, in voce *Episcynion*; cùm nihil in irritati leonis facie terribilius sit episcynii demissione, quod dum facit, fere est *abbus* vel *abus*, i. tetricus & austerus, uti cum in hoc statu Arabes vocant. II. *Incessus* illius prædicatur Prov. *cap.* 30. *vers.* 30. ubi *inter tria*, *imo quatuor*, *quæ magnificè incedunt*, *Leo* primo statim loco recensetur. Sic eum tanquam animal Βαδίζον βραδέως καὶ μεγάλα διαβαῖνον, καὶ διασαλεῦον τοὺς ὤμους ὅταν πορεύηται, *tardè incedens & magnis passibus & humeros quatiens*, *cùm ambulat*, describit Philosophus ubi supra, quod magnanimitatis esse signum notat. Idem κατ' ἐπακολούθησιν βαδίζειν *pedatim eum incedere* ait, sic nempe ut pes dexter sinistrum non transgrediatur, sed subsequatur, *Histor.* *lib.* 2. *cap.* 1. Quare, licèt Græcis & Romanis propriæ voces nullæ sint, quæ leonis incessum peculiariter designent, multas tamen Arabes (quibus tanto in honore fera hæc, ut ultra quingenta nomina distincta ei tribuere non dubitarint) etiam hîc habent, quas Bochartus exhibet suo loco laudandus. III. *Rugitus*, terribilis & sonorus est. Amos *cap.* 3. *vers.* 8. *Leo rugit, quis non timebit?* Et Esaj. *cap.* 21. *vers.* 8. de eo, qui in excubiis est, *Clamavit ut leo*. Insuper dirum aliquid habet & ominosum, quodque ad terrorem incutiendum omnino comparatum videtur. Unde apud Plut. *in Crasso*, Parthi, ad prælium se accingentes, ut hostes metu percellerent, partim æreis quibusdam crepitaculis, partim militari ululatu, ἤχησιν τινα φθογγὴν βαρεῖαν καὶ τραχεῖαν βρυχῆς μεμιγμένην, *profundum quiddam & dirum rugitu ferino* (i. leonino) *& tonitrus asperitate mistum*, exprimebant; non sine successu, ut sequentia docent. Id verò in rugitu leonis maximè terribile, quòd hac q. clangatione, aut, si mavis, classico, bellum indicit; & post rugitum statim sequitur strages, & dilaceratio. Neque enim acri illo & contento fragore intonat, nisi cùm videt prædam, in quam protinus irruat, Amos. *cap.* 3. *vers.* 4. Esaj. *cap.* 5. *vers.* 29. alibique passim. Unde Veterum nonnulli leonis rugitui vim tribuunt, prope dixerim magicam, quâ animalia sic detineat, ut eo semel audito obtorpescant, & fugere haudquaquam possint. V. *Glossam vet. in Amosum d. l.* Basilium *in Hexaëmeron Homil.* 9. Ambrosium *Hexaëm.* *lib.* 6. *cap.* 3. Alios. IV. *Os* non minus terribile, Psalm. 22. *vers.* 22. *Libera me ex ore leonis.* Utpote vastum & immane, quo facile totum absorbeat hinnulum, ut ait Phile *cap.* 31.

Ῥοφεῖ δὲ νεβρὸν ἐντελῶς βρύχων,

dentibusque καρχαρόδουσι, ut eadem loquitur, qui, medullam nullam aut fere nullam habentes, tam duri firmique sunt, ut ex iis collisis ignis non minus, quam ex silice, eliciatur, Philosopho iterum *de Partibus* *lib.* 2. *cap.* 6. & 9. V. suprà, ubi de *Dentibus*. V. *Manus* tandem, inter ejus terribilia, recensetur, in Edicto Darii Dan. *cap.* 6. *vers.* 27. *Liberavit* (Danielem) *à manu leonum*: quo nomine intelliguntur pedes leonis anteriores, quibus; utpote ... discerpit, cùm posterioribus nititur, Græcis similiter Χεῖρες dictæ. In illa digiti inprimis, i. ungues, formidabiles sunt, quos quinos habet in prioribus pedibus, in posterioribus saltem quaternos. Et quidem inter leonum imperii notas, quas in *Jambis* Phile colligit, est quoque ποδῶν μέγας ὄνυξ, *pedum magnus unguis*. Maximi sc. sunt illi inter omnes feras, ut & acutissimi, Herodotus *lib.* 3. *cap.* 108. quos proin, quasi scirent, quantum unguibus valerent, summâ curâ custodiunt, & *gradientes mucrones unguium vaginis corporum claudunt, ne acumina attritu retundantur*, ut ex Plinio refert Solinus. V. de leonum dente & ungue multa, apud Oppianum *Cyneget.* *lib.* 4. ubi propterea, in leonum venatione, Æthiopes habere dicit clypeos e bubulis pellibus, hisque fretos eos impunè lacessere, addit. In iisdem *examare leonem*, illi dentes est ac ungues evellere, apud Lampridium *Heliogabalo* &c. Neque verò robore solum & terrore pollet *Leo*, sed & ex insidiis erumpens in prædam oblatam plerumque insilit. Unde Deuter. *cap.* 33. *vers.* 22. *Dan est catulus leonis, insiliet ex Basan* Et quidem a ... saltum seu insultum primò membra contrahit, Theocritus *in Herculis* ... ,

— ἐπ' ἐμοὶ λὶς αὐτὸς ἀλείσατο ἀθρόος ... ,
— *sic in me leo, jam in se collectus seu contractus prosilit.*

Deinde eadem extendit: unde Arabibus *assibatro*, leo est, qui ad insiliendum sese extendit. Porrò in prædam cùm insilit, statim fit horrenda strages; cum immanis monstri dentes, & ungues, quotquot habet, in unius homunculi aut pecudis necem conspirent. Dentibus *frangit* ossa, quòd singulari ratione leoni tribuitur. Unde *confractor* iterum Arabibus dicitur, & notum illud ἔαξε, *confregit*, Homeri *Il.* λ. Carnem verò & membra unguibus discerpit ac dilacerat, ubi itidem peculiare id habet, quòd cor potissimum impetit, qua de re V. Scaligerum *c. Cardan.* ex Historia Navigationis cujusdam Troglodyticæ, & Franc. Alvarum *Navigat. Æthiop.* *cap.* 23. E quibus facilè patet, nil mirum esse, si integras regiones ab hoc animali, Deo ita permittente, vastatas & desolatas esse legamus: quod de quadam Africæ regione inprimis scribunt Agatharchides, *lib.* 5. *cap.* 28. Diodorus *lib.* 4. Ælianus *lib.* 17. *cap.* 41. Alii. At Leo, etiam tantus, qualem hactenus descripsimus, ab hominibus Marte seu aperta vi & Arte, i. venatorum technis & dolis, uti reliqua animalia, subjicitur non rarò. Prioris exemplo sint, quòd in S. Scriptura memorantur viri tres, Samson, David & Benaja, qui congressi cum leonibus, illustres de iis victorias reportarunt. In profanis historiis habemus, Herculem, Alexandrum, Lysimachum, Hadrianum Imperatorem, Pipinum Gall. R. Alios. Etiam a fœmina in Amphitheatro leonem confectum Roma vidit, sub Domitiano, quam proin Martialis laudat, Herculique ipsi anteponit, *de Spectaculis Epigr.* 8. Ad venatorum artes pertinet insignis locus Ezech. *cap.* 19. ubi Josiæ filios Propheta eleganti allegoriâ confert cum leunculis, qui, cùm prædari & rapto vivere jam inciperent, in Venatorum foveas & casses inciderunt. Foveis itaque seu fossis illos capi mos erat, qua de re V. suprà in hac voce. Sed & retibus, ad id expansis, id fieri, in quæ clypeorum collisione & accensis facibus territi se conjiciant, idque potissimum, περὶ ῥοὰς Εὐφρήταο, *ad ripas Euphratis*, docet pluribus Oppianus *Cynegetic.* *lib.* 4. cujus venationis solus Prophetarum idem Ezechiel, qui ad Euphratem scripsit, meminit *cap.* 32. *vers.* 3. ἀρκυωρεῖν hæc dici, vult Suidas. Sic verò captus uncis in caveam attrahi, & ostentui circumferri, non rarò solet leo, cujus moris vestigia apud eundem Prophetam extant *cap.* 19. *vers.* 4. etiam pugnæ in Spectaculis, depugnandæ. Sic *Leonum simul plurium pugnam, Romæ princeps dedit Q. Scævola P. filius in curuli Ædilitate. Centum autem jubatorum primus omnium L. Sulla — in Prætura. Post eum Pompejus Magnus in Circo DC. ac in iis jubatorum CCCXV. Cæsar Dictator CCCC.* Plin. *lib.* 8. *cap.* 16. Imò & cicurari potest, quod ab Hannone primùm factum legas ibid. *Primus hominum manu tractare leonem ausus & ostendere mansuefactum Hanno è clarissimis Pœnorum traditur, damnatusq; illo argumento, quoniam nihil non persuasurus vir tam artificis ingenii videbatur, & male credi libertas ei, cui in tantum cessisset feritas.* Quod plus est, *jugo subdidit eos, primusq; Romæ ad currum junxit Marcus Antonius, & quidem civili bello, cùm dimicatum esset in Pharsalicis campis, non sine quodam ostento temporum, generosos spiritus jugum subire illo prodigio significante: nam quod ita vectus est cum mima Cytheride, supra monstra etiam illarum calamitatum fuit.* Unde *frænatos leones* memorat Manilius *lib.* 5.

Ille

Ille manu vastos poterit frænare leonis.

Sed & ad alias feras, capreas, cervos, apros, tauros & onagros venandos assuefieri, Indicos inprimis leones, auctor est Ælianus *lib. 17 cap. 26.* Quid quòd de leone Berenices Reginæ, *nihil ab Ornatricibus ejus ancillis* habuisse diversi, refert prædictus Plinius &c. V. infrà ubi de *Mansuetarius*. Ut & hæc addam, exuvias ejus vett. Heroum gestamen fuisse, & in hac pelle nobiliores hospites excipi consuevisse, diximus alibi. Eundem galeæ superaddidit Antiquitas, *προτομὴν* sc. τ̃ λέων, i. *anteriorem partem ferini capitis*, uti de Tydæo, in *Paramsis*, & de Ægyptiis Regibus, apud Diodorum Sic. *lib.* 2. legimus. Etiam *Leonem μαχαιροφόρον* in gemma habebat Pompejus M. eoque literas signabat, Plut. *in eo*: hodieque Familiarum illustrium in insignibus visitur, qua de re V Phil. Jac. Spenerum *Arte Herald.* nummisque Principum: ut infrà obiter videbimus. Nec omittendum, quod figuram leonis Templum Salomonicum habuisse, anteriore parte latius, posteriore angustius, adeoque *Ariela* nomine no... illud in Sacris venire, observant Eruditi &c. Plura de principe hac fera, Vide apud Plinium ubi suprà, aliosque qui *de Animalibus* scripserunt, inprimis apud Salmasium *ad Solinum* & Bochartum *Hierozoici Parte prior. lib. III. capp.* 6. *prioribus*, ut & suprà in voce *Leæna*.

Leo, inter XII. signa Zodiaci, Junonis commendatione, collocatus dicitur Germanico *ad Aratum*, quem Nemeæum, ab Hercule superatum, Poetæ ajunt, atque e Luna prius, quòd vulgarem modum excederet, decidisse fabulantur. Nota ejus, cauda leonis est, ἀλλαία Græcis dicta, quæ sic vulgò pingitur Ω at in vett. Græcorum libris aliter paulò, & modo erecta, modò inflexa repræsentatur. Illâ enim animum suum ostendit, & quidem prorsus immotâ placidum leniter & blandè motâ blandientem, at vehementiùs agitatâ iratum, Plin. *l.* 8 *c.* 16. *Leonum animi index cauda—immota ergo placido clemens blandienti, quod rarum est: crebrior enim iracundia ejus. In principio terra verberatur: incremento terga, ceu quodam incitamento, flagellantur.* Apud Ægyptios anni hic initium, qua de re V. Salmasium *ad Solinum pag.* 435. ubi & hieroglyphicis inferis magno... celebratum hoc animal docet: V. quæ de fontibus λεοντομόρφοις apud eosdem & Græcos suprà diximus: ut & infrà ubi de *Leone picto*. Ut aliquid de sacro usu ejusdem adjiciam, Cybeles currui jungebantur leones. Lucretius *lib.* 2.

Hanc veteres Grajûm docti cecinere Poëtæ
Sublimem in curru bijuges agitare leones.

Rationem Macrobius reddit, *Hæc Dea leonibus vehitur, validis impetu ac fervore animalibus: quæ natura cœli est, cujus ambitu aër continetur, qui vehit terram.* In ejusdem Deæ sacris leonis simulacrum spectabatur, quod Galli tympanis aliquando feram hanc adeò reddidissent mansuetam, ut manibus etiam tractari se pateretur, quemadmodum habet Varro. Porro Vulcano Sacer fuit, apud Ægyptios, ob igneam naturam & acutam oculorum aciem, uti ait Alex. Aphrodisæus *Problem. lib.* . *sect* 68. Item Leontopolitanis pro Numine cultus est, quòd inter ... sex pertia maximè excellat. Unde & Persæ Deum suum Mithram sive Solem, leoninâ effinxisse facie leguntur. Quò facit, quod apud Plut *Sympos. quæst. lib* 4. *Quæst.* 5. reperias, leonem Soli sacratum, quòd leæna sola ex quadrupedibus ... fœtum pariat videntem: ad hæc, quòd leo brevissimo contentus sit somno, & dormientis oculi præfulgeant; quòd item Leontini, Sole Leonem permeante, reperiant fontes & lacunas suas novâ repletas aquâ. V. Gerh. Joh. Vossium *de orig. & progr. Idolol. lib.* 3. *cap.* 52. & *seqq.* ubi plurima egregia de hoc animali affert, Auctoribus suprà laudatis magno suo merito jungendus. In Sacra Scriptura *Leoni* conferuntur I. In bonam partem, α. Deus O.M. cùm vel severiùs castigat suos, vel in impios atrociùs animadvertit, Jobi *cap.* 10. *v.* 6. ubi Olympiodorum vide *in Catena* & Polychronium; Thren. *cap.* 3. *v.* 10. Jer. *cap.* 23. *vers* 37., 38. Hos. *cap* 5. *v.* 14. ubi Theodoretum & Greg. Nazianzenum *Jambico carm.* 21. β. Christus, Apocal. *cap.* 5. *v.* 5. ad quem l. Chrysostomum consule *Tom. V. Hom.* 97. Cyrillum item Hierol. *Catechef. illum X.* & Isidorum Pelusiotam *lib.* 2. *Epist.* 175. γ. Angeli, Ezech. *capp.* I. & 10. necnon Apoc. *cap.* 4. ubi Bochartus, per IV. Animalia, Angelos denotari ait, *Hieroz. Part. prior. lib.* III. *cap.* 6. δ. Fideles tandem in genere, Prov. *c.* 28. *v.* I. ubi iterum Isidorum vide præfatum *d. l.* II. In malam partem, α. Diabolus, 1. Petri *cap.* 5 *v.* 8. ad quem l. V. Chrysostomum ubi suprà. β. Et Homines impii, Dei ac fidelium hostes, Es. *cap.* 35. ubi Theodoretum vide, & plura hanc in rem apud Cl. Suicerum *Thes. Eccl.* voce *Λέων*. Adde, quæ infrà dicemus, in voce *Leones*. De *Leone*, saltationis, apud priscos, genere, *aspectu & impetu fero* id nomen merito. V. Scaligerum *Poëtices lib.* 1. *cap* 18. de *Leonibus marinis*, astacorum genere, eundem Vossium *ibid. lib.* 4 *cap* 33.

Leo, vel *oppidum S. Pauli*, vel *Leonnum*, vulgò *Leon*, vel *S. Paul de Leon*, oppidum est Galliæ, Episcopali sede insigne, in Britannia min. Ejus meminit Aimoinus *Miracul. S. Benedicti lib.* 2. *cap.* 11. *Ista Oceani maris est insula, quæ à continenti Armoricana regionis terra, quam terna Gallia vocant, pelago* 16. *passuum in transversum porrecto sejungitur.* In ea B. Paulum cognom. *Aurelianum, eremiticam duxisse vitam, ex libro Vitæ ejus didicimus. Hic denique S. Paulus in loco Britanniæ, qui Oppidum dicitur* (nam que & sic simpliciter *Leo* vocatur) *Episcopus factus, ibidem meruit sepulturam.* Est in Lemovicibus Armoricis, Osismiorum parte, qui ab hoc oppido *Leonenses* nunc vocantur: quemadmodum ager pagusque circumjacens *Leonensis*, Gall. *le Leonnois* nunc patet. Olim sub Comitibus fuit, unde Herveum, *Comitem Leoniæ* i. Leonnensem, anno C. 1163. dolo captum conjectumque in carcerem apud castellum Nim, & ab Harmone Episcopo *Leonnensi* ac Conano cognom. *Parvo*, Britanniæ Duce, castro per vim expugnato, liberatum fuisse, scribit Guil. Armoricus, *in Gestis Philippi Augusti*. Gervasius Tisleberiensis & dux Not. Episcopatuum Galliæ, inter Episcopatus Turonensi Metropoli subjectos, post Redonensem, Nannetensem, Corisopitensem, Venetensem, Maclovienſem, Briocensem & Treguerensem, numerant *Leonensem*, Dolensique provinciæ ultimo præponunt. V. Hadr. Valesium in voce *Lemovices Armorici*, item in voce *Osismii*.

Leocrocotta, pernicissima fera, *reliquas omnes velocitate præcedens*, Solino qui eam *Leucocrotam* vocat, Plinium imitatus: ex *Lea* & *Crocotta*, unde etiam nomen, ortum habet, & in Æthiopia reperitur. Vide Salmasium *Exercitation. ad Solinum paginâ* 1008. ubi cum *Crocotta*, de qua dictum, eandem facit.

Leon, nomen Familiæ Principalis, in Gallia, sex stirpe Rohanæa. Alano enim VII. genitus Johannes II. gener Philippi Eburovicensis, Regis Navarren., extinctus Ann. Chr. 1395. duarum linearum Pater fuit. Nam ex Alano VIII. primogenito, reliqui Vicecomites *de Rohan* Com. *de Porhoet* & Principes *de Leon* descenderunt: qui ... seculo præterito defecerunt. Ex Carolo verò minori, omnes reliqui descendunt, ita quidem, ut observetur, Ludovicum Caroli filium genuisse Ludovicum cognom. *Magnum* (à quo Domini, vel, uti nunc vocant, Principes *de Gumené*, Duces *de Monbazon* & Comites Rupif... (*de Rochefort*) qui nunc quoque florent, derivantur) & Petrum Dn. *de Gié*, Marescallum Franciæ, Patrem Caroli Dn. *de Gié & du Verger*, cujus posteritas in neptibus defecit, ac Petri Domini *de Frontenay*, mariti Annæ, quæ hæres primarii rami Rohanæi fuerat: Unde in hujus posteris iterum Vicecomitum *de Rohan*, Princ. *de Leon* & Dn. *de Soubize*, titulus continuatus est, ac demum Ducalis corona accessit. Ultimus masculus ex ea vitam clausit Henricus Dux An. Ch. 1638. successione, filiæ ejus Margaritæ nuptiis, in familiam Chabotiam translatâ. Vide *suprà*. Progenitores vero Henrici Duc. *de Rohan* Principis *de Leon* præfati, sic habent. Carolus *de Rohan* Dn. *de Gumené*, extinctus Ann. Chr. 1435. Pater fuit, ex Catharina (fil. Bertrandi *du Guesclin* Dn. *de Touff.*) Ludovici I. *de Rohan* Dn. *de Gumené & Gié*, qui obiit Ann. Chr. 1462. Hoc & Mariâ Montalbanensi (fil. Johannis Dn. *de Montaulban* Maresc. Britanniæ Duc.) genitus Petrus *de Rohan*, Dux *de Nem.* Dn. *de Gié* Maresc. Franciæ, Franciscam ubi junxit *de Penhovet*, (fil. Guilielmi Dn. *de Penhovet*, Vicecom. *de Fronsac*) atque ex ea genuit Petrum *de Rohan* Dn. *de Frontenay*; cui Anna hæres Vicecom. *de Rohan*, (filia Johannis III. ex Maria Britannica, neptis Alani X. ex Maria Lotharingica, proneptis Alani IX. ex Margaretha, an Maria Joh. Ducis Britanniæ filiâ) genuit Renatum I. Vicecom. *de Rohan*; qui, defunctus An. Ch. 1552. ex Isabella Albretana, (fil. Johannis Albretani R. Navarræ & Catharinæ Foxiæ Reg. Navarræ) reliquit Henricum Vicecom. *de Rohan* (cui Francisca *de Tournemine* nupta) Renatum II. Vicecom. *de Rohan* (maritum Catharinæ fil. Johannis *de Parthenay* Dn. *de Soubize* patrem Henrici prædicti, mortuum An. Ch. 1586.) Johannem Dn. *de Frontenay*, (cui uxor obtigit Diana *de Barbanson*) & Franciscam (desponsatam Jacobo de Sabaudia D. Nemorosio.) Phil. Jac. Spenerus *Theatr. Part. I. pag.* 82. Vide quoque infrà, ubi de Familia *Rohanæa*.

Leone picto, Nili ἀνάβασιν repræsentabant Ægyptii, ut scribit Orus. [illegible] *Quoniam Sol in leone existens altius ascendere Nilum facit, ita ut, in hoc signo Sole morante, nonnunquam alterum tantum aqua increscat.* Hinc Astrologi augurabantur, quanta esset futura ἀνάβασις, ex ortu caniculæ, quæ in principio leonis exoritur. Indidem & canales salientesque sacrorum fontium λεοντομόρφας, *Leonis formam habentes*, iidem fabricabant. Idem Orus, [illegible] &c. V. Salmasium *ad Solinum p.* 451.

Leones, mystæ dicti Mithriacorum sacrorum. Tertullianus. *Sicut aridæ & ardentis naturæ sacramenta Leones Mithræ philosophantur.* Porphyrius. [illegible] *Sic ut participes eorundem sacrorum mystas Leones vocent, fœminas hyænas.* Hinc *Leontica sacra*, quæ eadem cum Mithriacis. Nempe Sol, quem *Mithra* nomine Persæ celebrant, quemque Statius describit.

 — *Persæi*

—— Persei sub rupibus antri
Indignata sequi torquentem cornua —

vultu *leonino* cum tiara fingebatur pingebaturque, utraque manu reluctantis tauri cornua comprimens, uti auctor est Luctatius *ad Statium*. V. Salmasium *ad Vopiscum in Aureliano*.

Leones, nummi aurei Francici, Gall. *Deniers d'or fin au Lion*, in quibus Rex sedet in cathedra, cum *leone* prostrato sub pedibus, po. 1. 3. den. 20. gr. pretii 25. Turon. circa A. C. 1338. Idem nomen fuit nummis aureis Comitum Flandriæ ac Ducum Burgundiæ quòd in iis esset *Leo* effictus, quorumtypum exhibet Hautinus *de Monetis Franc. lib pag* 95. apud Car. du Fresne *in Glossario*, quem vide, in vocibus *Leones*, & *Moneta*.

Leonidas, Lacedæmoniorum Dux, adde: Ei Templum dicasse Spartanos, tradit Strabo *lib* 8. quemadmodum iidem coluere Hyacinthum, teste Macrobio *Saturn. lib.* 1. *cap.* 18. Agamemnonem, apud Clem. *Admonit. ad Gent.* Menelaum, apud Pausaniam *Lacon* Paridem ac Deiphobum, apud Æn. Gazæum: Helenam, apud Isocr. *Helen. Encom.* Lycurgum, apud Plut. *in eo*: & Brasidam, apud Thucyd. *lib.* 5. V. Gerh. Joh. Vossium *de Orig. & progr. Idolol. lib* 1. *cap.* 13.

Leonides, inter Duces, qui à disciplina Probi prodierunt, memoratus Vopisco *in Probo*.

Leonifori, inter cxillarios Ecclesiæ Rom. apud Petrum Diaconum *lib.* 4. *cap* 37.

Leonini Versus, qui aliàs *Rythmici* & ὁμοιοτέλευτοι, à *Leone* quodam Poeta dicti videntur, qui floruisse legitur, circa tempora Ludovici VII. vel Philippi Aug. Franciæ Regum; memoratus Ægidio Parisiensi in *Karolino lib.* 5.

Nec minùs in sacra melico sermone Leonem
Lucentem historia, & quem interiisse dolemus.

V. Stephanum Paschasium *Disquisitionum Francicar lib.* 7. *cap.* 2. *Chronicon* Aug. & Fauchetum *de Poetis Francicis lib.* 1. *cap* 6. laudatos Car. du Fresne *in Glossario*: quibus adde Dom. Macrium *in Hierolexico*, in voce *Versus*, & *Præfat. ad Scholam Salernit. edit ult.* De illis ita Scaliger *Poetic. lib.* 2. *cap.* 29. *Similis his aquè vitiosus* Leoninus. *Nominis causam ignoro, nam tametsi leonis cauda est, tamen ea ventri non est vel par, vel similis. id quod talibus evenit versibus. nam quemadmodum in Echicis cauda caudæ respondet, ita in* Leoninis *cauda ventri. Quamobrem aequivocos quidam appellavere—Semiprisem adeo probatis, ut sine illis, quidquid scriberent, ineptum putaretur* &c.

Leonistæ, in *Constitut.* Friderici c. *Hæretic.* nomen, quo in Germania potissimum aspergebantur, à Civ. Galliæ Lugdunensi, *Lyon* Gallis dicta, qui alias *Valdenses* cluent, V. *Lugdunenses*.

Leonstenius seu *Lœvvenstenius* Comit. adde: Prior, quæ titulum hunc gessit familia, cum Wirtenbergica gente eadem fuisse creditur; quæ vero nunc eo fruitur, ex filio Friderici cognom. *Victoriosi* Elect. Com. Palatini Rheni & Claræ *de Tettingen*, ut dictum, descendit, Ludovico: in cujus nepotibus Wolfgango & Ludovico diversæ lineæ cœperunt, *Lœvvensteinia*, in Georgio Ludovico terminata A. C. 1633. & a novo Comitatu acquisito dict. *Wertheimia*. Ludovici filius maximus natu Christophorus Ludovicus, Fridericum Ludovicum procreavit, cujus progenitores & progenies sic habet. Fridericus Victoriosus, qui obiit A. C. 1470. ex Clara *à Tettingen* genuit Ludovicum Com. *de Lœvvenstein* extinctum A. C. 1524. cui Elisabetha Monsfortia (fil. Hugonis Comitis) Fridericum peperit, qui decessit A. C. 1541. Pater ex Helena Baron. *de Königseck*, Ludovici Com. *de Lœvvenstein & Wertheim*, defuncti A. C. 1611. Hoc & Anna Stolbergia (fil. Ludovici Com.) genitus Christophorus Ludovicus obiit A. C. 1618. relicto, ex Elisabetha Manderscheidia (fil. Joachimi Comitis) Friderico Ludovico; cui juncta Anna Hedvigis Stolbergia (fil. Ludovici Georgii Com.) patrem eum fecit Ludovici Ernesti (qui n. 1627 Catharinam Elisabetham Saynensem sibi sociavit) Friderici Eberhardi (n. Ann. Chr. 1629.) & Gustavi Axelii (n. 1632. mariti Agathæ fil. Ludovici Eberhardi Com. Oetingensis, quam duxit 165?.) qui omnes, *Comites de Lœvvenstein & Wertheim &c. lineæ Virnenburgicæ*: ita enim distinctionis causâ hæc linea nonnullis appellatur. Ex quibus Ludovico Ernesto ex uxore præfata geniti sunt, Christiana Elisabetha Agatha (An. Ch. 1662. den. 1665) Sophia Ernestina (1663.) Catharina Carola (1664.) Maria Dorothea (1665.) Joachimus Fridericus (1667.) Eucharius Casimirus (1668.) Henricus Mauritius (n. & den. 1669.) Amalia (1670.) & Eberhardus Ludovicus (1671. den. 1672.) Minimus verò Ludovici præfati filius Joh. Theodoricus Ferdinandum Carolum genuit, alterius familiæ Principem, quam *Rupifortiam* (Gall. *Rochefort*) quibusdam appellare placet: in qua Ferdinandi Caroli (n. 1616) ex Anna Maria Furstenberg, liberi sunt, Maria Anna (n. 1652. uxor Wilhelmi Landgr. Hassiæ) Eleonora (n. 1653. uxor Erici Adolfi Com. Salm. Reifferscheidii) Ernestina Barbara Dorothea (n. 1654.) Maximilianus Carolus (n. 1656.) Philippus Eberhardus Josephus (n. 1657. Canon. Argentinensis) Amalia (n. 1659.) & Franciscus Leopoldus (n. 1661.) V. Phil. Jac. Speneruum *Theatr. Nobil. Europ. Part I pag* 35 *Part. II pag.* 59. & *Part. III pag.* 84. & 85. Sed & ipse *Lœvvenstenius* ramus, prout ille Werthemiis contradistinctus erat, probationem habet istam. Ludovicus Com. *de Lœvvenstein*, ex Elisabetha Monfortia, Fridericum genuit, Helenæ Kœnigseccæ maritum & patrem Wolfgangi I. defuncti A. C. 1571. Hoc & Rosina *de Hohenkoven* (fil. Georgii Arbog Baronis) genitus Wolfgangus II. decessit A. C. 1596, Pater, ex Anastasia Catharina Waldeccia (fil. Volrathi Comitis) Georgii Ludovici Com. *de Lœvvenstein*; cujus ex Elisabetha Juliana Erpachia (fil. Georgii Comitis) filia unica Maria Christina, uxor fuit Gabrielis Ozenstiernæ R. Suec. Marelc. ipse autem Pater obiit 1663. Idem *Part. II. pag.* 113. V. quoque eum *Arte Herald. Tom. II.*

Leontica Sacra, quæ alias *Mithriaca*, V. suprà *Leones*.

Leontis, nomen Tribus Atticæ, a Leonte Heroe indigena sic dictæ: Gr. Λεοντὶς. De qua V. Franc. Rossæum *Archaeol. Att. l.* 1. *cap.* 5. & suprà, ubi de Athen. *Demis*.

Δῆμοι seu Populi Tribus Leontidos.

Æthalia.	Hyba Hybadæ.
Æthalidæ.	Leuconium.
Aumus.	Marathon.
Aphidna.	Oecum.
Ceramicum.	Pæonidæ.
Cetti.	Pelaces.
Cropia.	Phreatti.
Dirades.	Potamus.
Eupyridæ.	Scambonidæ.
Hecale.	Sunium.

Leopardi vox, Constantini demum ævo usurpari cœpit. Quum n. totis tribus seculis post Christum natum, in Scriptoribus Romanis, nuspiam reperiatur, quarto & exinde passim occurrit, apud Spartianum *in Anton. Geta*, Lampridium *in Heliogabalo*, Capitolinum *in Gordiano* III. Fl. Vopiscum *in Probo*, Symmachum *lib.* 4. *Epist.* 12. & *lib.* 7. *Epist.* 59. Ambrosium *in Hexaem. lib.* 6. *c.* 4. Paulinum *in Vita Ambrosii*, Alios. Unde obiter notat Bochartus, Ignatii ad Romanos Epistolam, quam circumferunt, in qua λεοπάρδων mentio, eo demum seculo scriptam esse. Neque forte apud Græcum Scriptorem usquam alibi vocabulum id extat: vox namque est mere Latina, pro qua Græcè dicatur λεοντοπάρδαλις vel λεοντοπαρδάλεος, h. e. animal ex *leæna* & *pardo* natum. Pro *pardo* tamen jam olim nomen hoc sumtum per catachresin, ut in his Fl. Vopisci, *Edidit deinde centum* Leopardi *Libyci, centum deinde Syriaci*. Nam in Syria Leopardi ex mixto semine nulli sunt, sed in Africa solum; imò nec in hac tam numerosi, ut Romæ edi per centurias potuerint, &c. Vide Sam. Bochartum *Hierozoici Parte prior. Lib. III. cap.* 9.

Leopoldus Ludovicus, Com. Pal. Rheni, filius minimus natu Georgii Gustavi, Veldentiæ Principis, ex Maria Elisabetha Bipontina, natus A. C. 1625. literis à juventute egregiam navavit operam. Nunc Pater, ex Agatha Christina Hanovica (fil. Philippi Wolfgangi Com. *in Lichtenberg*, extincti A. C. 1641.) Annæ Sophiæ (n. 1650.) Gustavi Philippi (n. 1651. qui post peragratas Galliam, Daniam, Sueciam, Germaniam, militarem operam Lotharingiæ Duci addixit, & nibi atque in Sinsheimio prælio adversus Gallos fortiter pugnavit) Christiani Ludovici (qui natus A. C. 1650. obiit biennio pòst) Elisabethæ Johannæ (n. 1653. Johanni Rheingravio nuptæ, 1669.) Christinæ (n. 1654. den. 1655.) Christinæ Luisæ (n. 1655. den. 1656.) Dorotheæ (n. 1658.) Leop. Lud. (n. 1659. d. 1660.) Caroli Georgii (n. 1660.) Agathæ Leonoræ (n. 1662.) & Aug. Leopoldi (n. 1663.) Pace Monasteriensi, in Comitatum *Veldentz.* cujus castrum prius An. C. 16?6. ab Hispanis; reditus verò jam antea redditi erant, restitutus, proximis annis certa de quibusdam juribus in illo pacta cum Electore Trevirensi iniviit. Idem Patruo Georgio Johanni cognom. *Juniori* (qui, post fratrem Johannem Augustum, Lutzelsteinium obtinuerat, extinctus, filio præmortuo, A. C. 1654.) in Lutzelsteinensi appennagio successit. V. Phil. Jac. Speneruum *Syll. Geneal. Histor. & Theatr. Nobil. Part. II. pag.* 1. nec non *Arte Heraldica Tom. II.*

Leostratides, vel *Leocratides*, an *Callicratides*, vel *Callicrates*, inter nobiles Τραχηλίτις apud Athenæum Plinium que, de quo Vide Salmasium *ad Solinum pag.* 1047.

Lepidotus, piscis, *ab Ægyptiis* cultus. Strabo *lib.* 17. idem cum *carpa* Cassiodori, *cyprino* aliorum. *Squamatum*, etiam apud Herodotum Valla; parum commode, quando illic non generaris est appellatio, sed nomen particulariter impositum, Vossio *de Idolol. lib* 4. *cap.* 10. V. & *cap* 51.

Lepra, ex Græco λεπὶς, *squama*, morbi genus notum; imò præcipua morborum impuritas in ea, quasi in summam, subducitur: Illa namque scabiei omne genus, aliasque lues comprehendit, Levit. *cap.* 13. atque ea vel *homines*, vel *vestes*, vel *domus* denique inficiebat; de quibus duobus postremis generibus altum est apud Scriptores profanos silentium, quæ proin propter peccatum specialius Hebræis divinitus immissa videntur Eruditis. Judicium *lepræ* a soli Sacerdotes percipiebat Sacerdos, ita ut ne peritissimo quidem Medico id esset concessum, Levit. *cap. cit. vers.* 2. coll. Matth. *cap.* 8. *vers.* 4. Atque ita *leprosus* à Sacerdote in publicum prodibat, certis notis distinctus & insignis, 1. *laceratis vestibus*, 2. *capite retecto*. 3. *ore obvoluto*, Lev. *eod. cap. vers.* 45. clamabat insuper, *immundus, immundus*. Quæ tamen signa non ponebantur, nisi in leproso per judicium illud Sacerdotis jam

concl-

conclamato & insanabili; gravi argumento, ubi tales Christo occurrebant, eos ab ipso solâ vi divina sanatos esse. Atque hac leprâ, imago naturalis nostræ corruptionis; figura Servatoris in similitudine istiusmodi status comparituri, Esaj. c. 53. v. 3. effigies peccati, quod, ubi intus latet, & externâ specie sanitatem mentitur, periculosius multo est, magisque formidabile quam ubi prorumpit, & foris conspicitur &c. præsentabatur. Purificatio v. *Leprosi*, fiebat adhibitis duabus *avibus mundis*, *cedro*, *hyssopo*, *lanâ coccinea, aliisq; in Lege expressis ceremoniis*, Levit. *cap.* 14. *vers.* 2. & *seqq.* Quibus peractis, leproso die is radendus & corpus ejus lavandum erat. Lev. *cap.* 14. *vers.* 8, 9. inde septimo die iterum radi & lavari, octavo denique die sacrificia offerre, sanguine aspergi & oleo inungi debebat, *vers.* 10. &c. Simili fere modo domus etiam expurgabantur, *vers.* 49. &c. In quibus *aspersio Sanguinis* denotabat imputationem meriti Christi; *hyssopus* designabat Christum, ut fructum terræ; *cedrus*, Spiritum in ipso habitantem; *filum coccinum*, imputationem peccati, quæ instar coccini rubere dicuntur Esai. *cap.* 1. *vers.* 18. & sanguinolentam passionem ejus Esaj. *cap.* 63. *vers.* 2. *avicula mactanda*, Christi mortem, conjunctam cum obedientia terrestri, instar aquæ vivæ illi affusæ; altera *avicula viva dimittenda*, ipsum ex mortuis vivum, quærentemque domicilium hic Ecclesiam in qua per totum mundum habitet: *Lotio purificandi & detonsio crinium*, renovationem & sanctificationem perpetuam: *oleum* Spiritum S. &c. V. Franc. Burman. in *Synops. Theol. Christ. Part. prior. lib. IV. cap.* 22. §. 6. 7. 15. & *Commentar. ad Leviticum* d. l. nec non infrà, ubi de *Vitiligine*. Apud Christianos *leprosi* μεθ' ἡμῶν ἐκκλησιάζουσι καὶ συνδιάγουσι, *nobiscum* (in Oriente) *& Ecclesiam adeunt, & precantur*, ait Balsamon *in Epist. Athanas. ad Ammunpag.* 9.0. At Ancyrani ad hyemantes, i. extra ostium Ecclesiæ stantes, εἰς ὑποπτώσεως καὶ τῶν ... προσευχῆς, illos submovent, *can* 17. Ancyr. ut ibi poenitentiam *can. præc.* injunctam peragerent, neque alios interea inficerent corporis sui contagio. Qui mos, non religionis, sed sanitatis causâ, hodieque in Europa viget &c. Vid. Cl. Suicerum *Thes. Eccl.* voce Λεπρός.

Lepton, Græce λεπτὸν, minutioris monetæ genus. Ita enim Hesychius in λεπτά. ἑπτὰ λεπτά κοδράντης ... διαιρεῖ τὸν φόλλιν, i. *solidum*. Et quidem λεπτὸν, apud Lucam, ἀσσάριον interpretatur Chrysostomus *cap.* 12. Hesychius idem esse quod κοδράντης, ἢ τὸ τέταρτον τοῦ φόλλεως, *quadrans seu quarta pars follis*, ait: alibi tamen κοδράντην esse scribit λεπτὰ δύο· τὰ δὲ δύο λεπτὰ κοδράντης εἰς, ἔχει νουμμία τρία. Unde constituit Scaliger, solidum divisum in quadrantes 6000 *lepta* 12000 nummos 18000. Et sanè τὰ λεπτὰ per νουμμία numerari consuevisse, docet *Rationale* Petæquatorum, in quo χαλκῶν νουμμίων crebra mentio; ita utique Alexius Imp. per æreos nummulos exigi τὰ λεπτὰ ψηφία, *minutos calculos*, qui in tributis penduntur, *ibid.* Ita νουμμίον minutissima fuit moneta ærea &c. Ab hoc minutæ monetæ genere, Zonaras Nummularios seu Collybistas vocat τοὺς τὰ λεπτὰ νομίσματα πωλοῦντας, qui sc. solidos aureos minutulis monetis permutabant, de quibus agit Codex Theodos. *l. un. si quis circul. l.* 1. & 2. *Si quis pecun. conflav.* & *l.* 1. *de Ponderat.* V. Car. du Fresne *Dissert. de Infer. ævi numism. num* 92. & infrà, in voce *Minuti*.

Lepturgia, Græcè λεπτουργία, ars, quam *Minutiariam* nunc Galli appellant, cujus opus *intestinum* Latinis. Dicta autem sunt *Intestina opera*, quòd intra domum tantum locum habeant & in ædium interiore parte fiant sita, ad differentiam τῶν ὑπαιθρίων. Sumebatur ad ista mediale tantùm ligni, circuloque corticeo vel ligni alburno, quod ambit medullam, ejecto, ex sola medulla abietis fabricabantur: instrumenta erant asciæ, runcinæ & planæ, Salmasius *ad Solinum* p. 1034. V. quoque infrà, in voce *Minutiaria*, & suprà in voce *Intestinis operibus*.

Lepus, q. *levipes*, à celeritate pedum, Varroni *de R. R. lib.* 3. *c.* 4. Caninio ex Græco Λαγὼς, aliis ex Æol. λέπορις, nonnullis ἀπὸ τοῦ λάειν, i. *aspicere*: animal n. est vigilantissimum, quod clausis palpebris vigilare, adopertis dormire, scribit Xenophon: inter animalia immunda recensetur Levit. *cap.* 11. *vers.* 16. ubi voce Hebr. ארנבת *arnebeth*, hoc animal intelligi, multis docet Bochartus: quamvis enim ruminet, divisam tamen ungulam non habet, h. e. bifidam aut bisulcam, πολυσχιδὲς namque est. Insuper carne ejus crassum sanguinem & melancholicum gigni, tradunt Medicorum Principes. Unde Zacharias Papa *ad Bonifacium Epist.* 12. Christianos admonet, ut ab ejus esu sibi caveant. Sed & in libidinem valde proclivis, sexusque adeò ambigui est, ut non pauci crediderint, vel nullum in hoc genere marem reperiri, quod perabsurdum; vel marem in fœminam & vicissim transmutari, quod inde ortum, quia sexus differentias in lepore secernere difficillimum est. Unde, cùm genericum aliàs animalium nomen apud Hebræos masculinè soleat efferri, ut mas fœminam includat; hic contrà vox *Arnebeth* fœmininam terminationem habet, ut fœmina includat marem. Est autem *arnebeth*, compositum ex ארה & ניב *carpere terræ proventum*, cui quantum hæc animalia noceant, docet *ab iis vastata*, insula Leros, apud Hyginum *Astronomic. lib.* 2. *cap. lepus*: Astypalæa, apud Athenæum *lib.* 9. *cap.* 14. Carpathus, apud Pollucem *lib.* 5. *cap.* 12. *sect.* 1. &c. Sunt & qui timiditatis nomine *leporem* tecum peragentes, propterea prohibitum in sacris volunt. Et certè si à velocitate cursus ea accellenda, Οὐδὲν τῶν ὄντων ἰσομεγέθης τούτῳ θηρίον ἐστὶ πρὸς δρόμον, ut ait Xen. *Cyneget.* *Nullum est animal par magnitudine lepori, quod eum æquet cursu.* Ad quem proin universa ejus membra, caput, collum, scapulas, crura, pectus, latera, ilia, coxas, femora, pedes, affabrè conformavit Natura: Et quamvis caudam habeat ad cursum minus idoneam, quippe quæ ad corpus dirigendum propter brevitatem apta non est, auribus se ad cursum incitat eumque moderatur, quo sine longæ illi obtigere divinitus, quam in rem V. Vossium *de Idolol. lib.* 3. *cap.* 63. Inter etiam Romanis in epularum deliciis *lepores* fuere. Et quidem, ut in avibus turdo, in quadrupedibus majoribus apro, sic in minoribus *lepori* primas tribuit Martialis *l.* 13. *Epigr.* 92.

Inter aves turdus, si quis me judice certet,

Inter quadrupedes mattea prima lepus.

Est autem mattea seu mattya, Gr. ματτύα, Aristophani, Athenæo, Aliis, *epularum lautitiæ*. Et Juvenalis *Sat.* 1.

Summi cum magno lepus, *atq; aper, atq; pygargus.*

Neque verò ubique talis, sed in leporibus maximè sapere existimabantur, tum anteriori parte armi, tum posteriori coxæ. Martialis iterum *lib.* 7. *Epigr.* 19.

Ter posuit apri glandulas, quater lumbum

Et utramq; coxam leporis, *& duos armos.*

Nec semper; sed sapientiores ac delicatiores multo, carnes habitæ leporum, qui bimestres solùm forent aut trimestres vel summum sex mestres; præcipue in montanis editis locis serpyllo ac pulegio pasti. Quo fine & saginabantur in caveis seorsque clausis, quod Varronis ætate primùm apud Romanos cœpisse, docet ex eo Macrobius *Saturnal. lib.* 3. *cap.* 13. Quod verò pulchritudinem quoque homini conciliare leporinam carnem creditum olim, ut est apud Plin. *lib.* 28. *cap.* 19. Martialem *lib.* 5. *Epigr.* 5. & Lampridium *in Alexandro Sev.* qui leporinâ quotidie vescebatur, non aliunde ortum judicat Bochartus, quàm quia in *leporis* nomen alludit *lepos, lepòris*, à quorum isto aliquem *lepidum* vocamus. Quasi, uti lepidus est, cui multus inest lepos: ita & cui lepus comestus, eo amoribus suis lepidior formosiorque videretur. *Nec enim dictorum omnium causæ à virorum gravium judiciis peti debent: sed subinde eas ab amantium amentiumq; nugis accessere, ratio jubet*, Vossius *Lect. c.* 66. At, quibus *leporinâ* vesci nefas erat, ad voluptatem saltem *lepores* alebant Britanni, uti discimus ex Sabellico *lib.* 6. *Ennead.* 6. Alterutri ut inservirent fini, capiendi erant; cui capturæ, uti & aucupio, Pana præfecerunt seu Faunum Veteres, uti videre est apud Propertium *l.* 3. *Eleg.* 11.

Et leporem, *quicunq; venis, venaberis hospes,*

Et si fortè meo tramite quæris avem.

Et me Pana tibi comitem de rupe vocato,

Sive petas calamo præmia sive cane.

Ut de pelle pilisque aliquid addam: *Vestes leporino pilo facere, tentatum est*, inquit Plin. *lib.* 8. *cap.* 55. *tactu non perinde molli, ut in cute.* Boleslaus verò III. Polon. R. Palatino cuidam, quòd bello contra Russos fugisset, *leporis pelle*, unà cum colo & fuso transmisso, impatientiâ ignominiæ eum ad suspendium adegit, apud Cromerum *lib.* 6. &c. Hinc *Leporaria*, i. vivaria ferarum muris undique septa, à Fulvio Hirpino primùm condita, teste Plinio: ita enim vocata olim, ex Varrone videmus *de R. R. lib.* 3. *Villatica pastionis tria sunt genera, Ornithones*, Leporaria, *Piscinæ*. Indidem uni ex Ptolemæis *Lagi*, seu *Leporis* nomen, ad posteros quoque transmissum, qui hinc *Lagidæ* appellati &c. V. plura de hoc animali, apud Plinium ubi suprà, Salmasium *ad Solinum*, Gerh. Jo. Vossium *de orig. & progr. Idolol. lib.* 3. *cap.* 54. & *seqq.* Alios.

Lepus, inter sidera relatus, Græcis Astronomis Λαγωὸς dicitur, de quo Germanicus in *Aratea*, ad tit. *Dasypus*,

Tu parvum leporem *perpende sub Orione.*

Item, *Lepus, sub pedibus Anti-canis & Orionis constitutus est. Hinc dicitur Orionis canem fugere venantis. Nam, ut venatorem eum finxerunt, ita leporem et ad pedes fugientem finxerunt.* Et paulo pòst, *Nonnulli à Mercurio inter astra collocatum dicunt, propter nimiam velocitatem: sive quòd inter quadrupedes plus pariat, & quosdam fœtus pariat, quosdam verò in ventre habeat, sicut Aristoteles Philosophus ait, qui de animalium ratione disseruit.* Vide Bochartum *d. l.* ubi interalia Plinium, *leporem à dasypode*, distinguentem, pluribus refellit: de *Lepore v. marino*, cujus esu Titus Imp. periit, Vossium *de Idolol. lib.* 4. *cap.* 50.

Lerma, adde: Sunt autem Duces hi ex Familia *de Sandoval*; quæ cùm duas præcipuas stirpes complectatur, à duobus fratribus, Gutierio Diazio *de Sandoval*, & Alphonso Roderico (seu *Ruiz*) *de la Vega*, prior *Lermensem* ramum propagavit. In eo verò inprimis inclaruit Didacus Gomezius *de Sandoval*, Fernandi Gutieresii & Agnetis *de Roxas* (unde nomen adsumtum) filius, A. C. 1426. primus Com. *de Castrogeriz* titulo à Rege Johanne II. mactatus, ob varia munia gesta & egregia obsequia præstita. Ex filiis ejus, minore Petro Domini *de Bahabon* descendunt; major Fernandus in Comitatu Patri successit: Pater Didaci Gomesii, qui *Marchio de Denia* creatus est, An. Ch. 1484. uti hujus filius Bernardus Com. *de Lerma*. Isto genitus est Ludovicus, hoc Franciscus, quo genitus Franciscus Gomesius *Ducis Lermæ* axioma domui intulit;

A. C. 1599. Sed neque hîc stetit regia clementia; nam pro filiorum altero etiam *Ducis Uzeda*; altero *March. de Belmonte*; pro nepote autem *Ducis de Cea* tituli accessere. Fuit is Franciscus *de Sandoval & Roxas* Dux *de Cea*, qui uxorem habuit Feliciam Henriciam (genitam Ludovico *Henriquez de Cabrera*, Admirallo Castellæ, Duc. *de Medina de Rio secco*) atque ex ea suscepit, Christophorum *de Sandoval & Roxas* (n. 1615.) ac Marianam *de Sandoval & Roxas*, *Duces de Lerma*, *Uzeda & Cea*. V. Phil. Jac. Spenerum *Theatr. Part II. pag.* 8. Historia Francisci Gomezii, Lermæ Ducis, sub Philippo III Hisp. Rege summum in Aula dignitatis culmen adepti, sed tandem, cùm Roderici Calderonis supplicio, quid capiti suo impenderet, edoctus, Romam secessisset, in Cardinalium numerum allecti, nota est; attigit illam quoque Barclajus *Argen.* sub nomine *Procerum in aula Hippophili primi.* Addam saltem pauca hæc, ex auctore Anonymo *Histor. Orbis Terr. Part.* 2. *cap.* 1. *Sub Philippo III. summam rerum tenuit Don Franciscus Sandoval March. de Denia ac pòst Dux & Cardinalis de Lerma; sed à Philippo IV. A. C. 1621. loco motus, unà cum filio, Duce Ussedano, qui Secretarius Regius fuerat & Com. de Saldanna, officio supremi in Regia Hipparchi functo: Quam fortunam etiam unà cum supplicio capitis antè A. C. 1619 expertus fuerat, proximus à Lermis Comes de Olinda & septem Ecclesiarum Marchio Rodericus Calderon, qui ex humillima conditione ad summos honores Lermæ auspiciis emerserat: quo de videnda Histoire des Favoris pag.* 261. *& Brachel Lib. I. pag.* 14. Lermæo in Regis gratia successit Gasparus Guzmannus Comes *de Olivarez*, cujus fortunam utramque enarrat Ferr. Pallavicinus *Opp. sel.*

Lertius, adde: Eum Areja vel Areg à amne in Garumnam deferri, scribit Valesius *Not. Galliæ*, in voce *Apamia*.

Lescha, Gr. λέσχαι, dicebantur Athenis conventicula & collocutiones frivolæ, ad quas antiquitus Græci otiosi convenire solebant, ut & ipsa loca, in quibus conveniebant. Erant autem ea plerunque Tonstrinæ, unde Κουρικὰ λαλιὰ Prov. & inprimis Fabrorum ferrariorum officinæ. Ut innuit Hesiodus *in Erg.*

Πὰρ δ' ἴθι χάλκειον θῶκον καὶ ἐπ' ἀλέα λέσχην.

Prætereas æneam sedem, & calidam tabernam.

Ubi *per* χάλκειον θῶκον *intelligit*, verba sunt Lamb. Barlæi, *officinas ferrarias, in quas antiquitus in Græcia pauperiores ac otiosi solebant convenire, ad collocutiones frivolas, sicut apud Rom. in tonstrinis.* Nec obstat Eustathius, *Od.* σ. cum λέσχην reddit δημόσιον ἀθύρωτον οἴκημα, *publicam januis carentem domum*: Τὸ παλαιὸν γὰρ τὰ χαλκεῖα καὶ ἄλλα τὰ ἐργαστήρια τὰ πῦρ ἔχοντα ἄθυρα ἦν, ἃ καὶ λέσχας ἐκάλουν, *Olim enim officinæ fabrorum cæteraq; circa ignem occupata foribus carebant, quas etiam Leschas vocavere*, Schol. Hesiodi. Canterus *lib* 5. *cap* 23 apud prælaudatum Barlæum, dicit *Leschas* primitus fuisse conventicula Philosophorum: dein quia inter ipsos plerunque de rebus levissimis agitabatur, factum esse, ut mendicorum conventus etiam hoc nomine vocarentur: atque inde etiam ipsæ nugæ λέσχαι dictæ sint. Quorum id, quod de mendicis ait, confirmatur Proverbio Gr. ἐν τῷ χαλκείῳ καὶ τῇ λέσχῃ. Erant hæc loca consecrata Apollini, qui pro πλεσχηνόριος Suidæ, vel potius λεσχηνόριος Meursio, appellatus est: forte ideo, quia confabulationes hæ de die, & aliquando in Sole fiebant. Earum meminit quoque Homerus *Odyss. l.* σ.

Οὐδ' ἐθέλεις εὕδειν χαλκήϊον ἐς δόμον ἐλθὼν,

Ἠέ που ἐς λέσχην.

Franc. Rossæus *Archæologia Att. lib.* 6. *c.* 1. V. quoque Bon. Vulcanium *ad Callimachum*, Jo. Meursium *Commentar. ad Lycophronem*, ubi λέσχας duplices, pauperum, in fabrorum officinis, & divitum, in partibus ædium secretioribus; propriè verò sic dicta, loca aprica, in quæ commentandi causâ convenerint Philosophi, eaque Apollini consecrata fuisse, docet &c. adde quæ infrà *de Tabernis*.

Leschasserius Jacobus, Auctor *consultationis, de controversia inter Paulum V. & Remp. Venetam*, modum restituendi Canonum Codicem antiquum, Chalcedonensis Concilii beneficio, explicatus est, Gerh. von Mastricht *Hist. Juris Eccl. n.* 42.

Leschenorius, cognom. Apollinis. Hic n. uti *Pythius*, respectu eorum, qui discere incipiebant; *Delius & Phanæus*, respectu eorum, quibus allucescebat veritatis aliquid; *Ismenius*, porrò scientium jam respectu: sic *Leschenorius* dictus est, eorum ratione, qui jam utebantur scientiâ ac inter se disputabant & philosophabantur, Plut *lib. de Ei.* V. suprà ubi de Vett. *Leschis*.

Duces ac Reges Poloniæ.

Lescus I. post Vendæ mortem, ac constitutum duodecim Palatinorum regimen, quartæ Poloniæ Ducum, quæ *Lescidarum* dicta est, Dynastiæ auctor: Etiam *Primislaus* dictus est, & ob insigne, quo Hungaros ac Moravos in insidias præcipitavit, stratagema inclaruit. V. Reusnerum *Genealogic.* Alex. Gaguinum, Helvicum *in Chronol.* Cromerum *Histor. Polon. lib.* 2. &c. Floruit A. C. 760. Ei successit

Lescus II. qui fraudem Lesci, *stratis in sabulo ferreis stylis*, Principatum in certamine iniquè ad se pertrahere conati, deprehendit. Hunc excepit

Lescus III. qui variis in locis rem egregiè gessit. Pater, præter Popielum successorem legitimè natum, 20. filiorum ex concubinis, inter quos provincias intra Poloniam, Bohemiam, Albim, Balthicum mare ac Vistulam sitas distribuit. Floruit sub finem seculi 8. Post obitum filii ejus Popieli II. à muribus corrosi, quinta Dynastia Poloniæ Ducum, *Piastea* incepit, auctore Piasto, qui rerum potitus est An. C. 842. Vid. Cromerum *lib. præfato*, Lætum *Comp. Hist. Univ.* &c.

Lescus IV. filius Ziemoviti, quietis & otii, quàm belli, amantior, Patri successit An. Ch. 892. Bellum Heneticum, Pomeranicum, Cassubium aliaque a Patre inchoata deseruit. Alii puerum à Patre relictum memorant, unde paterna cœpta prosequendi occasio perierit. Nonnulli ab Henrico Aucupe victum, & adversus ipsum Marchias Misnensem ac Brandeburgensem constitutas, memorant. Obiit A. C. 913. Successit Ziemomislus filius. V. præter Cromerum suprà laudatum, Phil. Jac. Spenerum *Sylloge Geneal. Histor. in Fam. Piastea.*

Lescus V. cognom. *Albus*, filius Casimiri, ex Helena Belzensi, post Patrem A. C. 1194. extinctum, Principatum gessit sub tutela matris, & Fulconis Episcopi Cracoviensis cura: quos Micislaus patruus sæpe promissis decepit, ut aliquoties summam rerum ad se pertraheret, sed victus ad Mozgaviam, filio amisso, saucius ægre fugâ sibi consuluit, A. C. 1199. Inde Vladislaus cognom. *Lasconogus*, alter Micislai filius, post Patris fata, aliquandiu regimen invasit: Henricus quoque cognom. *Barbatus*, vel *Sapiens*, adversus Lescum A. C. 1225. vocatus, ab eo patris loco cultus est. Tandem *Lescus* in balneo, à Suantopulco [illegible] Pomeraniæ oppressus, A. C. 1227. cumque fugeret, capite ab eo truncatus, filium reliquit Boleslaum, cogn. *Pudicum*. V. Helvicum *Chronol.* Cromerum *lib.* 7. &c. Insignis ejus de Russis & Romano Vlodomiriensi Duce victoria fuit, A. C. 1205.

Lescus VI. cognom. *Niger*, priùs Dux Siradiensis, filius Casimiri Lenciciæ & Cujaviæ Ducis, ex *Boleslai cognom. Pudici*, de quo suprà, adoptione Poloniæ Princeps; Leonem Ducem Russorum, qui Leopolim condidit, ob incursiones in Poloniam factas, duplici clade affecit, A. C. 1280. Lithuanos prædâ onustos confirmatus, ut ajunt, visione Michaëlis Archangeli vicit, spolia ademit, & Lublini ex iis templum S. Michaëli erexit, An. C. 1282. Jazyges cecidit, in Polonia Henricum Vratislaviensem, & Conradum Mazovium patruelem, à rebellibus subditis Ducem electum, adjutus a Ludovico Hungariæ R. ad Rabam fl. superavit, A. C. 1281. Cracoviæ regimen Teutonibus ob fidem servatam contulit: À Tartaris vehementer infestatus, ut qui inter alia A C. 1288. unum & 20. m. innuptarum puellarum abduxere, & alio contra æmulos prælio inferior, mœrore animi extinctus est A. C 1289. Post cujus obitum Gryphina Russica, vidua ejus, Wenceslao Bohemo Cracoviam tradidit. Sequutum est interregnum 6. annorum, donec Primislaus Posnaniensis eligeretur, An. Ch. 1295. qui nomen regium a Majoribus per 215. annos intermissum, resumsit. V. Matt. Cromerum *Histor. Polon. lib.* 10. & 11. Phil. Jac. Spenerum *Sylloge Geneal. Histor. in Fam. Piastea* &c.

Leta, Juris consultis Anglis jurisdictio est, quam Vicecomes Regius de certis minoribus criminibus & aliis causis intra Comitatum, ut Regius Officialis, exercet, vulgò *à leete* vel *à court-leete*. Tenebatur in singulis villis semel quotannis sub festum S. Michaëlis, solebantque hîc conscribi liberiores vitæ seu designatæ stationis homines, pacis Regiæ fidejussores, unde *Visum franci plegii* Anglo-Normannis dictum esse, scribit Spelmannus. Quando autem & quo auctore facta sit hæc *Letarum* attributio, incertum; nisi referatur ad Alvredum, qui *Friborgos*, i. *francos plegios*, de quibus hæc Curia cognoscit, instituisse legitur, &c. C. du Fresne.

Lethe, nomen in Persia carceris, memorati Joanni Eleemosynario *cap.* 25. *Et descendens retrusus est in carcerem, qui appellatur* Lethe, *id est oblivio*, apud Marcum *Hieroles.*

Lethernachum, vulgò *Litemy*, locus Belgii, in Tungris, memoratur in *Literis* Sigeberti Jun. Austrasiorum [illegible] *Versùs curtes nostras, id est, Amblavam*, Lethernacho, *Alsena, Glana*, *Albafontana*, *Amblava*. Vide Hadr. Valesium *Not. Galliæ*, voce *Amblava*.

Leti, adde: aliter *Læti*, undè *Lætica terra in l.* 9. *Cod. Theodos. de Censitor.* quarum ratione *Læti* erant obnoxii servitio militari, unde Feudorum apud Francos originem fluxisse, opinantur quidam: Fuere autem *Leti*, populi Septentrionales, qui cum Francis aliisque nationibus barbaris, in Gallias & Germaniam irrumpentes, ibi tandem Impp. concessu sedes fixere, acceptis ad excolendum agris, ita ut desertis bus & servitio militari obnoxii essent. Ex Eumenio quippe & *Panegyrico*, dicto Constantio Cæsari, constat, *arva jacentia* &, tradita in Gallia. *Francis*. *Letis* populisque aliis barbaris, excolenda data, unde eruebantur postmodum militum cohortes, quæ ab locorum, in quibus domicilia fixerant, denominatione appellationem sortiebantur, adjecto *Letorum* velut prænomine. Sic in *Not. Imp.* passim occurrunt, *Leti Batavi*, *Nemetacenses*, *Teutoniciani* &c. Quòd v. maximè in Galliis habitarent, ἔθνος Γαλατικὸν, *Gens Gallica* dicuntur Zosimo. Sed & inde Armoricam prov. *Letaviam* dictam esse, auctor est Camdenus, quòd in ea potissimùm consederint. Vide plura de iis apud C. du Fresne *in Glossario*, & quos ille laudat, Henr. Valesium *ad Ammianum libb.* 16. & 20. ac Jacobum Gothofredum *ad l.* 12. *Cod. Theodos. de Veteranis*, ut & in voce *Lati*.

Leva seu *Leiva*, nomen Familiæ in Hispania illustris: in qua Joh. Martinus *de Leiva*, muneribus sub Alfonso ultimo Rege gestis inclytus, floruit circa A. C. 1330. pater Sancii Martini Dn. *de Leiva*, & *Valdescar*, cognom. *Brachii Ferrei*, celebris belli Ducis & officiis bellicis Eduardi III. Angliæ R. hujus uxorem promeriti. Isto genitus est Joh. Martinus I. *Martinez*, pater Latronis, avus Johannis, in cujus filiis arbor in ramos abiit, Primogenitus enim Sancius *Martinez* caput domus remansit, pater alterius Sancii Protegis Navarræ, qui tres supremis filios genuit, Alfonsum, Petrum & Sancium, quorum nequis liberos sustulit; in prioris vero liberis continuato Familiæ principatu. Alter Johannis filius Antonius, celeberrimus belli Dux & Hispaniæ Fabius Maximus, ab Imp. Carolo V. de quo optimè meritus erat, Principatum *de Asculo* & March. *de Atela* A. C. 1530. obtinuit: cui successit filius Ludovicus, Pater Antonii, Francisci & Johannis; à quorum illo Principes propagati sunt: ab his alii, gentile fere nomine contenti. Priori verò in linea, cujus caput Sancius fuit *Martinez* præfatus, Sancius Martinus III. uxorem sibi junxit Leonoram *de Mendoza* (fil. Garsiæ Hurtad. *de Mendoza* Dn. *de la Corzana*) atque ex ea suscepit Alfonsum *de Leiva*, Dn. *de Leiva*; patrem ex Mariana *de la Cerda* (fil. Laurentii Suarezii *de Mendoza*, Com. *de Corunna*, defuncti A. C. 1583. ac Catharinæ *de la Cerda*, Sancii *de Leiva* Com. *de Bannos* (qui nupsit Mariæ *de Mendoza*, fil. Moteen. Rubini *de Bracamonte*) Domini domus *de Leyva* s. *Leva*. Spenerus *Theatr. Part. II. pag.* 58.

Levantes & *Cubantes*, in *Statuto de Decimis Saladin.* apud Rigordum A. Ch. 1188. Gallis *Levans & couchans*; dicuntur, qui aliàs *Mansionarii* seu *Manentes*, in dominorum prædiis sedem fixere, iis obnoxii: oppositi *Albani*, de quibus *suprà*. At *Levare supra Chorum*, dicitur in Ecclesia Rom. Canonicus, qui ad altiora Chori subsellia, quæ *formas* vocant, admittitur. V. Car. du Fresne in *Glossar*. Ecclesiæ Lugd. *Statuta cap.* 6. laudantem. De ritu v. *Levandi in altum manus*, ut quædam addam, fuit is habitus seu gestus orantium & supplicantium, ut docet Pollux *lib.* 1. jam antiquissimis temporibus, unde Moses, *Extendam palmas meas ad Jehovam*, i. precabor, Ex. *cap.* 9. *v.* 29. idemque, *cùm elevaret manum, vincebat Israël*, *cap.* 17. *v.* 11. Similiter Camillus, *dicitur manus ad cœlum tollens ita precatus esse*, Liv. *lib.* 5. Et pater Anchises, apud Virgilium *Æn. lib.* 2.

—— *passis de litore palmis*
Numina magna vocat ——

Græci quoque apud Homerum *Il.* α.

—— ἠρᾶτο, χεῖρας ἀνασχών.

A' quo ritu non abhorruit alius, nunc ut plurimum usitatus, cùm precamur junctis manibus. Ut enim in priore, auxilium cœlitus expectandum esse innuimus, sic in posteriore nos demittimus ac humiliamus, quasi ligatis manibus sistimusque nos captivos, coram Majestate divina. Utrique manus prius abluebant, velut illas puras extensuri, juxta præceptum Apostoli 1. Tim. *c.* 2. *vers.* 8. &c, quam in rem V. plura apud Rittershusium *Not. ad Salvianum lib.* 8. & *Lectiones sacr. lib.* 5. *cap.* 10. Jo. Priceum *in* 1 *Tim. l. cit.* A. Rivetum *Exercit. ad Exodum cap.* 9. *vers.* 29. Alius. At singulariter *manum levare ad Deum*, jurantis est gestus, Gen. *cap.* 14. *vers.* 22. & Apocal. *cap.* 10. *vers.* 6. V. Rivetum *ibid.*

Leucas, adde: Salmasio *Leucas* fuit oppidum, *Leucadia* Ins. *Leucates* mons seu prom. ad quod oppidum positum. Fuit autem *Leucas* prius *Neriton* dicta, quæ cum à mari longius esset remota, postea translata est, à siluo fretum manufactum & *Leucas* appellata, ut habet Strabo. Scylax verò Ἐπιλευκάδιος prius appellatam, & mare ad eam, perfosso Isthmo, in quo erat sita, unde & portus Urbs ipsa facta, ductum, refert. Sic, quæ prius peninsula erat, Insula evasit, usque ad utriusque hujus ætatem. Postea, congeriem harenarum ventis accumulantibus, reddita est continenti, cui abscissa fuerat & iterum peninsula facta &c. Salmasius *ad Solinum pag.* 715. Hodieque *Leucada* Græcis, arcem vero, *S. Maura* dici, ubi Monasterium cognomine olim, cùm sub Venetis Insula adhuc esset, adnotat Jac. Sponius *Itinerar. Part.* 1. *p.* 134.

Leuchtenberga, Germ. *Leuchtenberg*, castrum est Germaniæ, cum territorio satis amplo, in aditu Sylvæ Bohemicæ, haud procul Naburgo, sub proprio olim Principe, qui unus ex quatuor præcipuis Imperii Landgraviis seu Comitibus limitaneis, arcem quoque & oppidum *Pfreimbt* tenebat, feudi jure; à Bavariæ Duce; Wernbergum item castrum ac regiunculam Franconiæ, ab Episcopo Herbipolitano. Iidem diu Comites *in Hals* dicebantur, qui Comitatus Bavariæ ad illos delatus est, An. Ch. 1375. extincto Comite ultimo, sed eum Aichbergentibus vendiderunt, An. Chr. 1485. Cur verò *Comitum de Rus* titulum iisdem sibi vindicarint, in incerto est. Gentem autem *Leuchtenbergicam*, ab Ulrico, qui obiit A. C. 1314. justâ serie deducunt; sed antiquior hinc inde ejus reperitur memoria. In præfati Ulrici liberis duo rami orti: quorum alter *Comitum in Hals* in tertia generatione defecit. Primaria stirps ad nostram usque memoriam viruit, quâ Maximilianus Adamus ultimus è vivis discessit, A. C. 1646. successione ad Bavariæ Duces devolutâ. Albertus enim, filius minor natu Wilhelmi, à quo linea *Wilhelmina* nomen, frater Maximiliani Electoris, per uxorem Mechtildem, filiam Georgii Ludovici Landgravii *Leuchtenbergici* ductam 1612. eam postea successionem maturerit, sed cum fratre Electore, acceptâ compensatione, permutavit. Nunc Landgraviatum hunc possidet Maximilianus Phil. Hieronymus, frater Ferdinandi Mariæ Electoris, qui natus A. C. 1638. Ludovicam Turriam Friderici Mauritii Ducis Bullionæi filiam, in Castello Theodorici sibi junxit A. C. 1658. Seriem Landgraviorum exhibet Phil. Jac. Spenerus *Theatr. Nobil. Europ. Part. I. pag.* 122. Extrema gentis spes, Christophorus fuit Franciscus, præfati Maximiliani Adami filius, (in acie natus A. C. 1617.) Idem *Part. II. pag.* 121. Vid. quoque Limnæum Enucl. *lib.* 3. *cap.* 16. & Tob. Flaccerum, *de præcipuis Germ. Principum gentibus c.* 3.

Leuco, Piacentinus cuinus Vossius *Hist. lib.* 1. *c.* 13.

Leuconicum, apud Martialem *lib.* 11. *Epigr.* 21.

Culcita Leuconico *quæ* ... *fuit*:

lanæ genus est, quo culcitæ farciebantur. Idem eod. *lib. Epigramm.* 56.

Leuconicis *agedum tumeat tibi culcita lanis*:

Unde *tomentum Leuconicum*, lemma *Epigrammatis* 159. *lib.* 14. quod sic habet,

Oppressæ nimium vicina est fascia plumæ?
Vellera Leuconicis *accipe rasa sagis.*

A' candoris præstantia, ex Græco λευκός. Alii legunt *Lingonicum* & *Lingonicis*, Lingones enim Romanis mittebant cucullos, bardocucullos & saga crassæ & pinguis lanæ, ex eodem *lib.* 1 *Epigr.* 54. discimus. Sed libri Martialis omnibus locis *Leuconicum* habent: an *Leucones* pro *Lingonibus* dixit? Salmasius *ad l.*

Leudes, apud Fredegarium Nibelung. *A. C.* 768. *Rex Pepinus Comites suos scaritos & leudos suos ad perquirendum Waifarium transmisit*, iisque in ... Sc. ipsorei, *Leudes*, in *L. Wisigoth. lib.* 4. *tit.* 5. § 5. & *alibi passim*, vassalli sunt seu subditi: maxime nobiliores, ... Barones. L. Longobard. *De omnibus debitis solvendis* ... *per* 12. *denarios solidi solvantur, per totam Legem Salicam: excepto, si Leudes, ... si Saxo aut Friso Salicum occiderit, per* 60. *denarios solidus solvetur.* Aliter *Leodis* &c. V. Car. du Fresne *Glossar.*

Leuvenhaupt, seu *Lœvvenhaupt*, seu *Leyonhoffvvud*, Familia Suecica illustris, quæ deduci solet a quodam Brunero *de Kerr*, qui inter Hallandiæ Proceres seculo XIV. eminuit. Ejus posteri non uno titulo usi sunt, *de Lokolm* seu *Ellsholm*, *de Brumsberg* & *Ekeberg*. Splendorem auxit Margareta *Levvenhauptia*, a Gustavo Rege in thorum adscita, cujus frater Steno post mortem, quam Ericus Rex jam solio deturbandus ei procuraverat, in liberorum solatium, a Johanne Rege Comes *de Rasberg* & *Graffsnaess*, creatus est. Filius dein Falckenstteniam conjugem nactus, novis titulis & bonis gentem auxit, prole ex ea susceptâ, cujus genesis ista: Christernus Gregorius *de Loholm* Fam. *Leuenhaupt*, ex Marta (fil. Petri Erici *de Grafsta*, Castell. Warob. genuit Abrahamum *ab Eckeberg*, Senatorem Regni, cui juncta Brigitta Stura (fil. Magni Ben. dicti *Sture de Gocksholm* Eq. Aur.) peperit Ericum *Levvenhaupt de Loholm*, Senatorem Regni Sueciæ, defunctum A. C. 1520. Hujus ex Ebba *de Wasa* (fil. Erici *de Wasa* Dn. *de Norby* Sen. Regni Suec.) filius Steno *Levvenhaupt* Com. *de Rasberg*, ex Ebba Lœvenœckia (fil. Magni *de Oplo Lilienbæck* Sen. Regni) genuit Axelium *Levvenhaupt* Com. *de Rasburg*, maritum Sidoniæ Fauckenstteniæ (Johannis Com. ex Ursula Rhingravia, quæ obiit A. C. 1601. filiæ) & Patrem ex ea Johannis Casimiri ac Stenonis *de Lœvvenhaupt*, Com. *de Rasberg*. Spenerus *Theatr. Part. III pag.* 37.

Levefanum, adde: Melius *Levifanum*, memoratum in *Tab.* Theodosiana, vel magis *Levefanum* tanquam a *Leva* Dea, quæcunque tandem ea fuerit, dictum. Hadr. Valesius *Notit. Gall. voce Lauri.*

Levi, adde: V. quoque infrà, voce *Levita*.

Levir, quasi *lævus Vir*, vel *lævir*, ex Gr. Δαήρ, mariti frater. Huic apud Hebræos, imperatum conjugium, ob prolem pristino marito suscitandam, vimur in Lege lacta, Deuteron. *cap.* 25. *v.* 5. quâ temperatur interdictum, de Fratria ducenda, quod habetur inter Leges de Incestu, Levit. *cap.* 18. *versu* 16. *Si habitaverint fratres simul & mortuus fuerit unus eorum, absque prole, non nubet uxor defuncti foràs viro extraneo. Sed levir ejus ingrediatur ad eam & capiat eam in uxorem & præstet officium leviri. Et erit primogenitus quem peperit, surget nomine fratris ejus defuncti, ut non deleatur nomen ejus de Israël.* Id de ligitur autem hoc de fratre, qui superstitum est primogenitus, Magistri; idque de germano, non uterino: quam Talmudicorum sententiam receptissimam planissime adversari iis, qui, in D. N. Jesu Christi genealogia, Jacob & Heli uterinos fuisse fratres asserentes, alterum alterius sine liberis demortui uxorem ex hac lege sumsisse, contendunt, clarum est. Id quod etiam Jul. Africanus, apud Eusebium *Hist. Eccl. lib.* 1. *cap.* 7. affirmat, se à Despolynis seu ipsis, qui juxta carnem Christo cognati fuerunt, didicisse. Neque verò ex Lege ipsa iidem ajunt fuisse, ut *Levir* cum Fratria more aliquo solemni iniret matrimonium, quoniam, nisi renuntiatio interveniret, pro Leviri uxore habebatur, velut ex ipsius Numinis auctoritate & præscripto, itaque tam ubi Sponsa esset demortui, quàm justa Uxor. At tamen ex receptis moribus matrimonium cum Fratria *Levir* re-

gulariter contrahebat, coram duobus minimùm testibus, idque dato nummulo: quem contractum vocabulo solenni מאמר seu *Collocutionem* vocabant. Quin & accessit sacra Nuptiarum benedictio & instrumentum dotale, ut infrà videbimus. Quod si verò his solemnibus prætermissis, *Levir* cum ea rem habuisset, non exigebatur quidem, ut contractûs tunc adhiberetur aliqua formula; at ob contumaciam in instituta Majorum, verberibus plexus cogebatur ei dotem constituere. Integrum autem erat *Leviro* sive Fratriam ducere, sive ei renuntiare, ex verbis sacris seqq. *Et si vir ille noluerit capere uxorem Fratris sui, ascendat affinis ejus* (Fratria) *ad portam, dicatq; Senioribus, recusat Levir meus suscitare Fratri suo nomen in Israël, nec vult me habere. Et advocantes eum Seniores civitatis suæ loquentur cum eo & si perseveraverit dixeritq; Non placet mihi, ut capiam &c. Accedet illa ad eum in conspectu Seniorum & extrahet calceamentum ejus de pede ejus, spuetq; coram eo, respondeat dicens, Sic fiet viro, qui non ædificat domum fratris sui, vocabiturq; nomen ejus discalceati.* Atque ita regulariter se res habuit, exceptiones verò erant non paucæ. Si enim, ut quasdam earum tangam, prior maritus prolem reliquerat, tametsi manzerem aut apostatam, lege non tenebatur vidua fraterve; at tenebantur, si filius ei fuisset ex ancilla aut Ethnica susceptus. Si Fratria gravida relicta abortum fecerat, tenebatur; sed partus in hac specie vivus liberabat matrem, ita tamen, ut certò constaret, tempus eum novimestre in utero perfecisse. Quæ de re si non constaret, à spatio vitæ res dijudicabatur: Superstes partus ejusmodi triginta diebus liberabat matrem; at mortuus sive in utero sive intra illud tempus, pro abortu dubio proque dubia habebatur: quo casu proin renuntiandum voluere à *Leviro* neq; eam in uxorem capiendam. Stante partum gravidæ fuisset renuntiatum, iteranda erat renuntiatio post partum; quare ut satis constaret, utrum gravida relicta esset, ex more usque ad dies 90 seu tempus trimestre completum, expectandum erat. Interea prioris Mariti bonis, sed ita ut accederet etiam opificii sui, et quod ea..., pretium, alenda fuit, neque renuntiatio, neque nuptiæ ex hac lege interim admittebantur. Proselytorum fratres fuisse ita hac Lege tenebantur si *in sanctitate* parentum, ... conceptio quam nati essent: aliter enim fratres invicem in jure Hebraico non habebantur. Viduarum porro ejusdem mariti plurium, si una à superstite fratre sive caperetur in uxorem, sive renuntiaretur, cæteræ liberæ erant. Quin in specie tamen obtinuit, ut, ubi inter casaliæ essent Sacerdotalibus nuptiis idoneæ, aliæ minimè, veluti proselytæ, profanæ, libertinæ; his tantum renuntiare liceret (si nollet cunctis renuntiare) atque illas sibi capere: ne sc. illarum, ex renuntiatione, dum alias sibi accipiebat, conditionem sic vitiaret, ut Sacerdotali generositate conjugi nequirent. Pluribus verò fratribus demortuis, sine prole, relictis uxoribus singulis, Frater superstes arbitrio suo aut omnes sibi capiebat, aut renuntiabat omnibus, aut unâ alterave pro lubitu sibi captis, reliquis renuntiabat. Defuncti Fratris bona alienare Leviro vetitum: quòd si ante renuntiationem in alius quis Fratriam duxisset, verberibus uterque plectebatur. Si ducere Fratriam *Levir* primogenitus nollet, antequam fiebat solennis renuntiatio, cæteri fratres ordine suo cuncti rogabantur, qui si iti idem tenuerint, ad primogenitum revertebatur quæstio, cui dictum: *Ad te attinet præceptum; Aut igitur renuntia more solemni, aut ut Affinis veic cape eam tibi in Uxorem.* Sic quamvis non cogebatur Fratriam ducere, cogebatur saltem renuntiare. Si vero primogenitus se Fratriæ professus esset, nec ducturum se eam, nec renuntiaturum, & ad fratrem secundum eam relegasset, integrum erat ei sive tertium sive quartum, sive secundum, pro arbitrio, eligere: neque, nisi omnes respueret, pristinarum nuptiarum dote mulctabatur; quæ sc. pœna Fratriæ erat, contra Legem hanc respuentis. Quod si primogenitus, qui eam duxerat, prole ex ea non susceptà moreretur; superstitum primogenitus atque ita cæteri ex hac Lege ei aut mariti fiebant aut renuntiabant, Marci *cap.* 12. *versu* 19. Cæterùm frater alius ad has nuptias admittendus non erat, præter eum, qui tempore saltem fratris demortui obitus jam natus esset: *Si habitaverint fratres simul* &c. atque adeò post Fratris demum fata natus, sub pœna excitionis & nomine incestus arcebatur à Fratriæ nuptiis, non aliter ac si liberos reliquisset demortuus. &c. Hac Lege autem, ob dignitatem Regiam, sive Reges eorum sive Viduæ Regum; uti & Pontifices, erant soluti; ut alia omittam. Pergo ad Renuntiationis solemnia: Peragenda illa erat, coram Triumviris minimùm ut Judicibus, iisque optimo jure Israelitis, seu natalibus purissimis, id est, ex Israelitico genere tam paterno quàm materno natis. Aderant item necessariò bini minimùm alii, ut testes; tumque comparebant tum *Levir*, tum Fratria, sed jejuna, illa rem integram aperiebat: Tum quæstione factâ, an trimestre effluxisset tempus à morte mariti prioris, atque an *Levir* germanus esset, monebant Judices de Lege ipsa aliisque aliquot superius dictis; item, ut serio utrinque de ætate, si ita se res haberet, dispari reliquisque, si quæ intervenirent manifesta, incommodis considerationem inirent. Et demum expressè rogabatur *Levir*, utrum Fratriam vellet ducere & semen defuncto Fratri excitare. Eo renuente, Fratria sacra in Deuteronomio verba, *Recusat Levir meus &c.* legebat; dein calceum pedis ejus dextri solvens exuebat, atque ita in terram, adversâ in eum facie, expuebat, ut sputum a Triumviris faciliùs posset conspici. Legens etiam deinde statim subjiciebat, *Sic fiat Viro* &c. Eam voce excipiebat & Triumvirorum & coronæ circumstantis acclamatio trina, *Calceus exutus est, Calceus exutus est, Calceus exutus est.* Unde & domus ejus nuncupabatur בית חלוץ הנעל *Domus ejus, cui calceus exutus est.* Ea de re libellus forensis; quem שטר חליצה seu גט id est, *Instrumentum* seu *Libellum calcei exuendi*, appellitabant, à Triumviris Fratriæ conscribi solebat, ut inde constaret, eam cuivis alteri idoneam jam uxorem esse posse. Habuit autem is ad hunc modum: *Die N mensis N. anno N à creatione Mundi, juxta consuetum nobis calculum in loco N. Nos Judices ex hac parte, ut consessus fieret Triumviralis, ... in forma Judicii consedimus. Venit coram nobis N. filia N vidua N. & coram nobis adduxit quendam Virum, dictum N. filium N & ad hunc modum nobis effata est illa, filia N. Ille N. filius N frater germanus N. mariti mei, dum ego ejus uxor fui. Maritus autem meus domui & vitam reliquit Rabbinis nostris & toti Israël. At filium filiamve sibi heredem, aut qui nomen ejus propagaret suscitaretve, in Israële, non reliquit. Ex Lege verò attinet ad N. fratrem ejus jure Leviratus me ducere in uxorem. Dicant igitur ei Rabbini nostri si me velit ducere, ducat; sin verò, ut discalceetur mihi pes ejus dexter, solvam calceamentum ejus & exspuam in conspectu ejus. Et manifestum satis est N. hunc fratrem esse germanum N. qui demortuus est. Et diximus ei, si vis jure affinitatis ducere eam, ducas; sin verò, discalceet illa pedem tuum dextrum coram nobis, & solvat calceum à pede tuo & in conspectu tuo exspuat. Ille verò respondens dixit, Nolo ego jure Leviratus eam ducere. Et statim legit nobis illa N. renuit Levir meus suscitare fratri suo nomen in Israël, nec vult me ut Levir habere. Ille etiam nobis legit, non placet mihi eam accipere. Et discalceavit illa pedem ejus dextrum, soluto ejusdem calceo & exspuit versùs faciem ejus sputum quod à nobis cernebatur) ex ore suo in terram. Et rursus legebat nobis illa N sic fiat Viro, qui non ædificet domum fratris sui & vocabitur nomen ejus in Israël, domus discalceati. Et nos Judices, & cæteri universi, qui coram nobis jam constituti responderunt post eam Exutus est calceus, exutus est calceus, exutus est calceus: tribus scilicet vicibus. Atq; hoc ad hunc modum peracto, integra datur ei potestas nubendi, ubicunq; voluerit, nec quicquam ei vir interdictum est (hoc nomine) ab hoc tempore in perpetuum. Rogavit autem illa N. à nobis libellum hunc Renuntiationis seu Calcei exuti, quem scripsimus, obsignavimus atq; dedimus, ut eo fruatur juxta institutum Mosis & Israël.* Nomina dein sua testes subscribebant, qui hic etiam fœminæ, servi, minores (modò per ætatem sciens testaretur) esse poterant, quod raro aliis in rebus permissum. Titulus formulæ hujus, apud Maimonidem est, uti diximus. Moses autem Cotzensis, hanc fuisse formulam expresse ait, quâ usi sint veteres. Vocatur verò & שטר חליצה *Shetar Chalitza*, id est, *Contractus scriptus de Calceo exuto*: e qua voce *Shetar* Judæi Anglienses *starrum* fecere, unde sexcenties in tabulis Henrici III. ac Eduardi I. publicis, N. *Judæus per Starrum suum recognovit* &c. Interim vetustior & brevior formula, in Gemara Hierosolymitana *ad tit. Sanhedrin cap.* 1 *fol.* 19. *col.* 1. habetur, hæc: *In Consessu N. & N. &c. exuit calceum illa N. illi N. filio N. coram nobis, solvit coram nobis adduxit illa illum & solvit calceum pedis ejus dextri & exspuit coram nobis sputum, quod à nobis cernebatur, in terram & dixit, sic fiat Viro, qui non ædificet domum fratris sui.* De Calceo vero ipso hoc in ritu adhibito, distinctiones habent Magistri subtiles, ut vidimus supra in voce *Impilia*. At cùm *Levir* Fratriam ducebat, formulâ hujusmodi eam dotabat; sed regulariter ex fratribus demortui bonis seu dote ipsa, quâ Maritus pristinus eam dotarat, adjecto etiam pro *Leviri* lubitu incremento: *Die N. mensis N. &c N Filius N venit coram nobis, & ad hunc modum locutus est nobis. Frater meus germanus dormivit & vitam Rabbinis nostris & toti Israëli reliquit, at filium aut filiam, qui ei hæres esset & suscitaret nomen in Israël, minimè reliquit. Sed reliquit uxorem hanc, cui nomen est N. filia N. Et autem ex Lege attinet, ut ad Leviratum, eam ducere, secundum illud quod scriptum est in libro legis Mosis. Levir ejus ingrediatur ad eam & assensum præbuit illa, ut jure Leviratus jungeretur N filio N. Leviro suo, ad suscitandum nomen in Israël, juxta id, quod scriptum est,* Et erit primogenitus, quem pepererit, surget nomine fratris sui defuncti &c. *Et adscribit dictus N. Levir dictæ N Fratriæ suæ, argentum Zuzorum ducenariorum, quæ competunt ei, utpote qui adscripti sunt ei in dotis instrumento à marito suo priori, & adjecit insuper ex suo, usq; ad valorem N. Et bona, quæ secum attulit ipsa Sponsa. &c.* Quæ verò sequuntur, in formula Virginali, de qua nos alibi, etiam heic adhibebantur. Singulare autem jus Fratriæ hujusmodi fuisse necesse erat. Nam secum dos pristina ei, ut jam viduæ, denuo à *Leviro* esset constituenda, fieri nequibat, quin, si priori marito virgo jungeretur, adeoque dotem acciperet virginalem, eam itidem ibi instauratam à Leviro, tametsi vidua, haberet. Quod si ita evenerit, ut dotem haberet à marito pristino constitutam nullam, tunc à Leviro eâdem ipsa summâ erat, quâ alia quæcunque vidua, dotanda. &c. Hæc ex Hebræorum scriptis, ut & plura alia Joh. Seldenus *Uxor. Ebraic. lib.* 1. *cap.* 12. 13. 14. 15. & *lib.* 2. *cap.* 10. V. quoque infrà in voce *Vidua*.

Levir,

Levis, nomen illustris in Gallia Familiæ, plures lineas complexæ: è quibus duæ præcipuæ. Prior Ducum *de Ventadour*, qui prius Domini & Comites *de la Voute* dicti erant, atque Villarium Comitatum prætendebant, quem Philippus II. Vicecomes *de Lautrec*, ob matrem Eleonoram *de Villar*, à Duce Sabaudiæ, obtinuerat, sed ejus nepos Johannes vendidit. Altera linea est Dominorum *de Mirepoix*, qui ab expeditionibus in Albigenses titulum *Mareschallorum Fidei* assumserunt; ut juxta coæt. ramos prætermitteam. Priorum series hæc est: Ludovicus *de Levis*, Com. *de Villars*, ex Blanca (fil. Ludovici Com. *de Ventadour*,) genuit Gilbertum I. *de Levis* Com. *de Ventadour*: quo, & Jacobe *du Mas* (fil. Jacobi *du Mas* Dn. *de l'Isle*) genitus Gilbertus II. uxorem habuit Susannam *de Leyre* (fil. Jacobi *de Leyre* Dn. *de Cormillon*) ex ea pater Gilberti III. *de Levis* & primi Duc. *de Ventadour*. Huic Catharina Montmorencia, (fil. Annæ Ducis Montmorencii Connestabilis Galliæ, defuncti A. C. 1567.) Annam *de Levis* filium peperit, Duc. *de Ventadour*: qui, junctâ sibi Margarethâ Montmorenciâ, (fil. Henrici I. Ducis Montmorencii, Connestabilis itidem) cognatâ, genuit Henricum Ducem *de Ventadour* (cui uxor obtigit Laur. *de Lucenburg de Piney*) Carolum M. *de Annonay*, Franciscum Com. *de Vauvert* (n. x. den. A. C. 1622.) Franciscum Christophorum Com. *de Brion*, Annam Abbatem, Ludovicum Herculem, Catharinam (uxorem Just. Henrici Dn. *de Tournon*, Com. *de Roussilon*) & Mariam Abbatissam, Phil. Jac. Spenerus *Theatr. Nobil. Europ. Part II. p.* 102.

Levitæ, sic generaliter vocabantur posteri Patriarchæ Levi, in specie Ministri sacrorum, Sacerdotibus ex eadem familia, sed per Aaronem, oriundis, succenturiati, quorum officium, Mosis tempore, cùm in Deserto Israëlitæ errarent, erat Tabernaculo inservire, hoc modo. Cùm tres fuissent filii Levi, Gerson, Kehath & Merari: Gerschonitarum erat, *portare aulæa tabernaculi & tentorium conventus, tegumentum ejus, & tegumentum melinum superne ei impositum: & tegmen portæ tentorii conventus, Et tapetes vestibulos atrii & tegumentum in janua portæ atrii* &c. Numer. *cap.* 3. *versu* 25. 26. Kehathitarum erat cura & portare *res sanctas sanctorum, arcam testimonii, mensam panum, lychnuchum luminaris, altare aureum, omniaq; instrumenta ministerii, quibus ministrare solebat in Sanctuario.* Ibidem *versu* 4. & *seqq.* Meraritæ autem destinati erant, ad portandos *asseres Tabernaculi & transtilla ejus, eo lumnasq; & stylobatas ejus: Columnas item atrii* &c. Ibidem *versu* 31. 32. Postquam verò tempore Davidis Israëlitæ promissam terram quietè possiderent, & Tabernaculum fixam haberet sedem, Rex *Levitas* in quibusdam *thesauris domus Dei* custodiendos dedit, 1. Chron. *cap.* 26. *versu* 20. Alios, *moderatores ac Judices*, nonnullos *Janitores*, quosdam *laudantes Jehovam instrumentis*, constituit, 1. Chron. *cap.* 23. *vers.* 3. 4. E quibus postremi, *Musici* alibi dicti, *bysso induti* egerunt, 2. Chronic. *cap* 5. *versu* 12. divisi in 24. ordines, ut videre est, ex 1. Chron. *cap.* 25. quemadmodum & Janitores sacri, 1. Chron. *cap.* 26. qui omnes sorte lecti munus obibant. Iidem Davidis tempore ab anno vigesimo ætatis, sacris initiabantur, 1. Chron. *cap.* 23. *vers.* 26. cum Mosis ævo annus vigesimus quintus expectandus esset. Quæ ut exactiùs noscantur, varii circa illos gradus accuratè observandæ veniunt. Omnes *Levitæ, à nato uno mense*, offerebantur Domino, Numer. *cap.* 3. *versu* 15. Postea *à nato viginti quinq; annos*, per impositionem manuum, consecrabantur & admittebantur *ad militandum militiam in ministerio tentorii conventus*, Numer. *cap.* 8. *versu* 24. Imponebant autem iis manus *filii Israëlis*, *versu* 10. id est, ut Gbrzku interpretatur, *Primogeniti Israëlis*, qui erant q. Ecclesiæ repræsentativa, quò alludens Apostolus Ecclesiam Christi vocat *Ecclesiam Primogenitorum*; Hebr. *cap.* 12. *versu* 23. Et eodem tempore, *separabantur è medio filiorum Israëlis, ut essent Dei Levitæ*, Numer. *cap.* 8. *versu* 14. quâ voce usus est Spiritus S. Actor. *cap.* 13. *vers.* 2. de Barnaba & Paulo. Ita ergo consecrati & ad ministerium sacrum admissi, quinque annos, usque ad annum æt. 30. in rebus ad Ministerium pertinentibus exactè erudiebantur: à trigesimo dein usque ad quinquagesimum, functionem suam obeuntes, *opus faciebant in tentorio conventus*, Numer. *cap.* 4. *vers.* 3. Postea laborioso quidem Tabernaculum portandi officio soluti, nihilominus otiosi non agebant: Circa Tabernaculum enim castra metabantur, Cantorum officio defungebantur, & juniores Levitas, velut Episcopi ac Inspectores eorum, in sacris instruebant. Ad quos gradus respicere videtur Apostolus, cùm ait 1. Tim. *cap.* 3. *vers.* 13. *Nam qui bene ministraverint, gradum sibi bonum acquirunt, & multam loquendi libertatem* &c. Simile quid in Vestalibus Romanis observavit Dionys. Halicarnass. *lib* 2. quæ in officio suo 30. annos perdurantes, 10. primis annis discebant, 10. sequentibus ministrabant, & decem postremis juniores erudiebant: ita nihil tam fieri, quod simia DEI non imitari conaretur. Vid. Thom. Goodwynum *de Ritibus Hebræorum lib.* 1. *cap.* 5. Apud Anastasium Biblioth. *Levita Sedis Apostolicæ*, consecratus Valentinianus II. Pontif. Rom. antequam Papa factus esset; memoratur in *Vita* ejus. V. Cl. Suicerum *Thes. Eccl.* in hac voce, ubi Diaconis in Eccl. Christ. id nominis datum passim notat. Hinc *Levitandrium*; V. suprà *Lebiton*.

Leunclavius Joannes; Amelburnio Westphalus; Legatione Turcicâ, & *Pandectis Turc.* ac *Juris Græco-Romani*, editis celebris: de quo Vide Gerhard. von Mastricht *Hist. Juris Eccl. num.* 408.

Lex, adde: *Leges* ferendi mos hic erat. Apud Romanos, Magistratus *Legem* laturus, scribebat eam domi & cum peritis consultabat, ne quid contra populi rem aut voluntatem sanciret: ne forté pugnantia capita simul ferret, neve quid, quod vetus aliqua *Lex*, si ferretur, inane infirmumque juberet esse (etsi, quæ postea ferretur, superiores omnes, præter Sacratas, abrogabat) ne curationem, potestatem, commodumve aliquod ipse sibi suâ *Lege*, aut collegis, cognatis, affinibus mandaret: etiam illud cavebat, ne pluribus de rebus, quæ non ejusdem generis viderentur, unâ rogatione ferretur: addebatur & illa exceptio, ut si quid jus non esset rogari, ne esset rogatum: Item, si quid contra alias *Leges* ejus *Legis* ergò latum esset, ut ei, qui eam *Legem* rogasset, impune esset. Scriptâ sic *Lege*, Legislator bene de Rep. sentiens, antequam eam promulgaret, referebat ad Senatum, ut hic de ea sententiam ferret: popularis vero ac seditiosus Magistratus sæpe, prætermissâ aut spretâ ejus auctoritate, *Legem* rogabat. Promulgabatur dein *Lex*, id est, in publico proponebatur, ut, inspicere qui vellet, inspectam consideraret; non solùm, ut intercedi posset, ante quàm ferretur, verum etiam, ut aliquanto ante statuere cuivis liceret, utrum, cùm ferretur, antiquanda, an accipienda esset. Spatium promulgationis trinundinum erat, id est, per tres nundinas, ut etiam à rustica plebe ferri legi cognosceretque *Leges* possent. Post tertias itaque nundinas Magistratus in eum locum, ubi *Legem* laturus erat, sive in Forum, sive in Campum Martium, populum convocabat; ubi cum *Legem* Præco, subjiciente Scribâ, recitasset, tum primum quidem is, qui *Legem* promulgarat, populo suadebat, ut rogationem acciperet, sed post eum alii, non privati modò, quibus ab aliquo Magistratu concio daretur, verum etiam quandoque Magistratus ipsi. pro suo quisque sensu, vel suadebant, vel dissuadebant: tum præsentibus Sacerdotibus & divina sponentibus, sitella deferebatur, in quam sive Tribuum, si Tributis Comitiis *Lex* ferretur; sive Centuriarum, si Centuriatis, nomina conjiciebantur: deinde sortibus æquatis, sortitio fiebat; quæque prima vel Tribus vel Centuria, quæ secunda, quæ tertia, de sitella exisset, eundem, quem sors dederat, in ferendo suffragio locum tenebat: hæc dum agerentur, si quis Tribunus Pl. *Legi* vellet intercedere, locus erat. Postea si nihil superesset, quam ut populus sententiam ferret, dicebat is, qui *Legem* ferebat: *Si vobis videtur, discedite Quirites*, nempe in suam quisque Tribum, in qua erat suffragium laturus. Cum suffragia lata essent, etiam privati homines, qui de *Lege* laborabant, ne quid fallaciæ committeretur, ipsi aut tabellas dinumerabant, aut dinumerantibus aliis præerant, quod *diribere* vocabatur: Cistis autem suffragiorum custodiendis *Nongenti* præerant. Sic suffragiis in utramque sententiam dinumeratis & diribitis, numeroque eorum punctis notato, ubi Tribus aut Centuriæ voluntas cognoscebatur eaque à Præcone renunciabatur, & eâdem in reliquis ratione servatâ ex majore earum numero velant quærebatur: si sciscebatur *Lex*: scita & accepta, omnium civium jurejurando confirmabatur ac tandem in æs incidebatur. Hactenus stante Rep. quæ postquam unius imperio parere cœpit, *Quod Principi placuit, Legis habuit vigorem*, *l.* 1. *D. de Constitut. Principum.* In promulganda tamen *Lege* antiquissimi Principes Theodosius & Valentinianus, certam voluerunt observari formam, quam vide *l.* 8. *Cod. de Legibus & Constitut. Principum.* Apud Athenienses, quotannis primo primæ Prytaneias conventu, die 11. Hecatombæonis, ferebantur *Leges*: Primum περὶ τῆς βουλῆς, de Senatu Quingentorum. Deinde, de ipsa Republica: Postremò de Magistratibus. Idque hoc ordine: Primum rogabatur populus, an satis esset *Legum* de Senatu, atque an ex placerent: postea περὶ κοινῶν seu *de Rep.* demum περὶ τῶν πολιτευομένων, i. *de Magistratibus.* Quod si *Legum* satis non esset, novæ ferebantur, si quæ jam antè latæ erant, non placerent, improbarenturque; has antiquabant veteres & abrogabant, novasque in veterum locum sufficiebant. Eligebantur autem decem numero, è singulis Tribubus unus, qui *Leges* scriberent, & Scriba, qui in Senatu proque concione recitaret. Hi Nomothetæ, in Senatu causam dicebant, seque eas primùm acceptabant, apud *Quingentos*, ut illam iis approbarent, neque enim sine hoc Senatus probamate rogari potuit, licet, è Solonis lege, populus. Approbatis Senatui *Legibus*; Prytanes primam concionem habebant 11. die Hecatomb. ut populus secundùm probuleuma Senatus sciscerent, utrum novas ferri leges vellent, necne. Si decrevisset, novas esse ferendas, illæ pro concione legebantur à Scriba: proponebantur dein publicè, ad Archontum Eponymorum statuas, quæ in urbano erant Ceramico, prope Quingentorum Curiam, idque quotidie, usque ad tertiam primæ Prytaneiæ concionem. Si quæ abroganda erat *Lex*, et quinque ex universis Atheniensibus eligebantur Patroni jam tum ab ipsa prima concione. Demum Prytanes tertiam indicebant concionem & Proëdri ad populum referebant ea de re, atque à Scribâ pro concione legebantur *Leges*, ut cuique liberum esset contradicere. Tum igitur, quisquis volebat, *Leges* suadebat & dissuadebat, & si quâ vetus abroganda erat, nominatim quinque illi, de quibus modò, pro lege antiquanda decertabant: Tandem expensis utrinque rationibus, Populus, quas *Leges*

vel antiquari, vel ferri è re sua fore credebat, tradendas sciscebat Nomothetis, ut Nomothetæ *ὀνήσωσι*, si quidem illis placerent, vel contrà antiquarent, si non probarentur. Quare tertiâ primæ Prytaneiæ concione, oportebat Proëdros referre de sortitò deligendis Nomothetis, qui jurati leges à prioribus 10. Nomothetis vel potius *Thesmothetis*, ut illos Græcus Interpres Aristophanis vocat, scriptas & publicè propositas, suo calculo vel probarent, vel antiquarent: Eligebantur autem mille & unus, ac de publico pecuniam accipiebant, qui uti *Leges* probassent improbassentve: ita illæ ratæ erant vel antiquabantur. Quæ dein placuissent, in Porticu Regia scriptę publicè extabant, ut cuilibet eas inspiciendi copia esset. Prius autem, quàm mortales nescirent literas, *Leges* cantasse, ne oblivisceretur, constat, quod etiam suâ ætate apud Agathyrsos moribus observatum fuisse, testis est Aristoteles *Probl. tmem.* 19. *Probl.* 28. Solonis *Leges* quod attinet, autographa earum in Acropoli asservabantur, antigrapha verò & exemplaria earum in Curia ac in Foro erant reposita. Scribebantur autem illæ *Βουστροφηδὸν*, sic ut primus versus scriberetur à sinistra ad dextram, secundus à dextra ad sinistram Hebræorum more, & ita deinceps alternis, quomodo boves actus suos in arando peragunt: unde facilè intelligitur, quinam *οἱ κύρβεις* sive *κύρβεις ἱεροί* fuerint dicti, V. suprà in voce *Axones*. Nec omittendum, periculosæ plenum opus aleæ fuisse, Athenis *Legem* rogare; si enim ea damnosa judicaretur, qui rogabat multabatur, si ante exactum à *Lege* lata annum fuisset accusatus: eo autem elapso accusari quidem poterat, sed manebat indemnis. Accusator verò, qui *Lege* intercedens causâ cadebat, mille drachmas solvere tenebatur &c. V. Sam. Petitum *Comment. in LL. Atticas lib.* 2. *tit.* 1. Franc. Rossæum *Archæolog. Att. l.* 3. *c.* 1. Joh. Rosinum *Antiqq. Rom. passim* &c.

Lex Caroli, cujus meminit Joann. Hocsemius *in Adolpho à Marca Episc. Leod. cap.* 5. V. suprà *Jus Caroli*.

Lex Castrensis sive *Militaris*, vel *Curia*, dicta est Lex, quam Daniæ Reges, præter *Legem Danicam* dictam, in Dania, propriam habuere, pro Aulæ suæ Ministris, acceptam à Kanuto Magno Rege, Suenonis filio Dan. Norveg. & Angliæ R. quam ille peculiari libello descripsit, editam à Stephano Stephanio; quamque, sub nomine *Juris aulici Norvvagici*, vernaculè & Latinè edidit Petrus Delmerus. *Witherlogh* eam appellant Dani, quasi *Witarum* seu *Jutharum Legem*. V. C. du Fresne in voce *Biterlogh*, item *Lex Danica*.

Lex Martiana, cujus mentio apud Galfridum Monumeth. *de Orig. Britannorum l.* 1. *c.* 20. à Guintelini R. uxore *Martia* condita, ab Alvredo inter cæteras Merciorum Leges relata est. In *LL.* vernaculis Gulielmi Nothi *cap.* 1. *alibiq;* *Lex Mercia* dicitur: à *Martia* enim præfata, provinciam *Merciorum* hincque *Legem Merciam*, dictam esse, docet Joa. Bromptonus, apud Eund. V. ubi de *Merciis*.

Lex Molmutina, V. infrà in voce, *Molmutius*.

Lex Oleronensis, seu *Lex maris*. Seldeno Richardum I. Angl. R. auctorem habuit, quem eas *Leges Oleronianas* condi jussisse, asserit *Dissertatione ad Fletam deq; Maris dominio lib.* 2. *cap.* 24. Secundùm alios, Eleonora Aquitaniæ D. post reditum è Syria, illas instituit iisque *Rotuli Oleronis* appellationem indidit; sed genitus eâ Richardus modò dictus, accessione aliquâ locupletavit. Edidit eas Rothomagi primum, dein Burdigalæ. A. C. 1647. Cleyracus: in Anglicum sermonem jam pridem versæ sunt; Gallicas MSS. se habere, testatur Car. du Fresne *in Glossario*. V. in voce *Olero*.

Lex Romana, V. *infrà*: ut & de Lege *Salica* & *Visigothorum*.

Lexiarchi, Græce *Ληξίαρχοι*, dicti Athenis, qui tum alios, tum eos qui jam suæ tutelæ facti erant & jam poterant *ἄρχειν τῆς λήξεως*, i. *hæreditatis paternæ*, sicque *αὐτεξούσιοι* ac sui juris erant & de facultatibus suis ipsi statuere poterant, in album civitatis, *ληξιαρχικὸν* hinc dictum, inscribebant. Postellus *de Magistr. Atheniens. capp.* 11. & 18. Nempe *Lexiarchicum*, subint. *album*, Gr. *ληξιαρχικὸν λεύκωμα*, dicebatur Athenis album civitatis, cui, post tertiam professionem anno ætat. 20. factam, Juvenes inscribi solebant, & ab hinc sui erant juris, mittique ad negotia poterant. Prima autem professio liberorum seu relatio *εἰς τοὺς φράτορας*, fiebat intra septimum annum: Secunda, cùm scribebantur in Epheborum album, anno 18. Qui *Lexiarchico* inscribebantur, dicebantur Græcis *ἐγγράφεσθαι εἰς ἄνδρας*, i. *transcribi in viros*. Iidem vocabantur *δοκιμασθέντες*, quia prius nullius nomen huic albo inserebatur, quàm illum constaret natum esse parentibus civibus Atticis, aut secundùm leges adoptatus: itaque populares jurati inscribendum judicabant. Fiebat inscriptio à Demarcho, apud quem liber hic asservabatur: idque ante Panathenæa, primis ineuntis anni diebus. Accipiebant verò, qui inscribebantur, tabellam buxeam, in qua nomen uniuscujusque & paterni quoque populi, ad quem ille pertineret, erat inscriptum. Sequebatur jusjurandum Epheborum, in æde Agrauli, de quo V. suprà in voce *Ephebi*, & plura hanc in rem, apud Sam. Petitum *Comm. in LL. Atticas, lib.* 2. *tit.* 4. Origo nominis *ἀπὸ τοῦ ἄρχειν τῆς λήξεως*, qui enim sui juris facti erant, poterant hæreditatis paternæ seu *τῆς λήξεως*, ita enim *facultates* vocatæ, ut apud Suidam videre est, *ἄρχειν*, V. Franc. Rossæum *Archæol. Attic. l.* 5. *c.* 13. & Fr. Gouldmannum *Dict. Lat. Angl.* ubi quoque *Ληξιάρχων* meminit, quos dicit fuisse Magistratum Athenis. qui tum illos, qui ætatem ad Magistratus gerendos aptam habebant; tum eos qui jam suæ tutelæ facti, in album civitatis inscripserint. Habebat autem quisque Demus suum *Lexiarchicum* &c.

L I.

LIB. in notis antiquis, *libertas*, *libertus* vel *liberti*, &c. L. I. D. A. C. *lex Julia de adulteriis coërcendis*. LITR. *Litera*. L. M. D. *Locus mortuis dedicatus*, vel *locus manibus dicatus*. L. M. E. *lex monumenti est*, &c. Fr. Gouldmannus.

Liaculum, apud Vitruvium *lib.* 7. *cap.* 3. *Sed & baculorum subactionibus fundata soliditate, marmorisq; candore firmo levigata, coloribus cum politionibus inductis nitidos exprimunt splendores*: politio est, seu tectorium, cui inducebantur colores. In *Glossis* verò, instrumentum est, quo Vett. subigebant & fricabant tectorum opus, inductum calci & arenæ, quibus parietes linebant: Græcè *λιαστής*, à verbo *λιῶ*, unde *liare* fecerunt Latini, quod est tectoria inducere & polire. Tertullianus, *liare cisternas*, &c. Nempe linebant primò calce & arenâ parietes, deinde inductum tectorium fricabant ac subigebant *liaculis*, seu instrumentis levigando tectorio excogitatis. V. Salmasium *ad Solinum passim*, imprimis *pag.* 1229.

Liardus, apud Nicol. Uptonum *de Militari Offic. l.* 5 *p.* 131.

En Saffadinus vidit quando Saladinus,
Ictu Ricardi petiit postrema liardi:

equum notat, coloris grisei, Gall. *gris pommelé*. Ital. *leardo*. Jul. Scaliger *Exercit.* 325. *num.* 15. de colore cinericio: *Grisum vulgus vocat, Itali bretinum voce Gothicâ, nostri Germani Gran, Columella in asino murinum, in equis glaucum Virgilius, leardum vulgus Italiæ*. V. Car. du Fresne *Glossar.* ubi eundem colorem in sex alios dividi addit, ex Claudio *Corte* Italo *del Cavallerizzo l.* 1. *c.* 13. Idem monetæ Gallicæ minutioris nomen. Et quidem *Parvi Liardi Delphinatus*, Gall. *Petits Liards du Dauphiné*, Denarii albi dicti *Liards*, pretii 3. den. Turon. cum cruce inter bina lilia & binas coronulas, ac *Inscr.* SIT NOMEN DOMINI BENEDICTUM; *in aversa parte*, cum Delphino, & *Inscr.* LUDOVICUS FRANCOR. REX: cusi sunt sub Ludovico XI. ut & *Parvi Liardi Franciæ*, Gall. *Petits Liards de France*, in quibus loco Delphini parvulus Rex pallio involutus enſemq; manu tenens, cum eadem *Inscr.* conspicitur. Origo nominis quibusdam arcessitur à Miliaresiis Græcanicis, aliis à Richardo I. Angl. R. quem ob animi generositatem *Audacem* cognominabant, seu Gallicè, ut tum efferebant, *li hardy*. V. eundem in voce *Miliarensis*, item *Moneta*, ut & Hautenum *de Monetis Francicis passim*.

Libamen, inter tria Sacrificiorum genera memoratur Exodi *cap.* 29. *v.* 40. & Num. *c.* 15. *v.* 3, 4, 5. Nempe vel pecudes, vel fruges, vel olei ac vini liquores Deo offerebantur: quorum illæ ad aram mactabantur, istæ sacro ritu templo inferebantur, parsq; earum adolebatur, hi autem sacrificiis affundebantur, ac in altari Deo libabantur. Et sacrificia quidem ex frugibus constabant ex simila, cui affundebatur oleum, thurisque odores addebantur. At *libamen* ex vino affundebatur holocaustis & sacrificio votivo & spōtaneę oblationis & in festis; quibus etiam munus dapale adjungebatur. In sacrificio autem pauperum pro reatu, decima similæ, sine olei ac thuris libamine, offerebatur, Levit. *c.* 5. *v.* 11. & 12. Quibus omnibus quid significatum fuerit, V. apud Commentatores sacros. Apud Gentiles, *Libatio*, dicebatur olim in sacrificiis, cùm post immolationem, id est, molæ in caput victimæ collocationem, Sacerdos vinum aspersurus, priusquam id affunderet, simpulo vel simpuvio ligneo aut fictili admodum parvo & ipse leviter *delibabat*, & adstantibus gustandum deferebat, ut pariter libarent. Quo facto reliquum vini thure permixti, in caput victimæ, inter cornua, effundebatur: Unde Virgilius,

— — — *Media inter cornua fudit;*

exclamante aliquo voce clarâ: *Macta est hostia*, i. *magis aucta* magis accepta Diis; à qua voce *mactatio* forte nomen accepit. Statim enim post audita hæc verba, mactabatur hostia, hoc modo: Setas inter cornua victimæ manu evulsas, tanquam *prima libamina* projiciebat in ignem Sacerdos, conversusque ad Ortum, obliquum cultrum à fronte victimæ ad caudam ducebat, tandem eam Diis exhibitam ac dedicatam jubebat jugulare ministros, &c. V. J. Lipsium *Poliorc. lib.* 5. *cap.* 10. Joh. Rosinum *Antiqq. Rom. l.* 3. *cap.* 39. Thom. Godwynum *Anthologiâ Rom. lib.* 2. *sect.* 2. *cap.* 19. &c. Propriè autem *libare*, significat *fundere in sacrificiis*; inde pro *sacrificare* per Synecd. sumitur. Isidoro à *Libero* patre, cui vinum libabant, quia vitem reperisset: Aliis quasi *labiare*, id est, primis labris gustare, dictum videtur. Franc. Gouldmannus *Diction. Lat. Anglico*.

Libanius, apud Olympiodorum *ἀνὴρ τελεστικός*, ut eum hic auctor vocat, cùm, pollicitus absque armis aut militibus *κατὰ βαρβάρων ἐνεργεῖν*, *contra Barbaros agere*, artis specimen ex voto edidisset & promissa implevisset, facti hujus famâ longe diditâ, Placidiæ jussu est occisus. Salmasius *ad Vopiscum in Aureliano*. V. suprà ubi *de Consecratione*.

Libare Oscula, apud Virgilium *Æn. lib.* 1.

Olli subridens hominum sator atq; Deorum
Oscula libavit natæ:

quid sit, pulchrè Servius exponit, *ad h. l. Sanè multi nolunt ita intelligi, ut summum osculum filia dederit, id est, non pressum, sed summa labella contingens: sed ita aiunt, tum hilaris Jupiter vultum natæ libavit, id est, contigit, scilicet ut nos solemus cum blandimentis quibusdam sinistram maxillam contingere liberorum ac deinde ad os nostrum*

nistram dextrâm referre. Ergo libavit meritò, quia partem vultus, non totos contigerat: ut oscula dixerit, quasi minora ex tenerioris filiæ ora, ut ora diminutivè oscula. Nempe non est, *oscula summatim & leviter dare*, sed *ora leviter & summatim tangere.* Quo sensu, *osculum pueri à Jove delibatum*, Suetonius dixit, *in Aug.* Idem in *Galba*, hoc blandimenti genus attingens, *Constat*, inquit, *Augustum puero adhuc salutanti se inter æquales apprehensâ bucculâ dixisse. καὶ σὺ τέκνον τῆς ἀρχῆς ἡμῶν παρατρώξῃ.* Hic enim, *bucculam apprehendere*, idem cum, *osculum libare*, vel *delibare*. Aliud verò erat, *Jacere* seu *Jactare oscula*, ut vidimus. V. Salmasium *ad Vopiscum in Probo*; ubi *osculum*, pro *parvo ore*, nonnunquam occurrere, docet, ex Martiali,

Ipsaq; crudeles ederunt oscula morbi.

Et Ovid.

—— —— vides oscula, quæ non
Est vidisse satis.

Libella, in re nummaria, olim decima fuit pars denarii: Ita enim Varro *lib. 4. de L. L. Nummi denarii decuma Libella, quòd libram pondo as valeat, & erat ex argento parva. Sembella, quòd sit Libellæ dimidium, quòd semis assis. Teruncius à tribus unciis, sembella quod valet dimidium, & est quarta pars, sicut quadrans, assis.* Itaque videntur fuisse primo nummuli argentei: postea cum frangi argentum in exiguitatem tantam displicuisset, vocabula sunt retenta in rationibus argenteæ pecuniæ, ne quid ibi scilicet nominaretur, præter argentum, etsi res esset ex ære; ut hodieque passim nummos imaginarios in ore habemus, quos fuisse olim credibile est, nunc cum formentur nusquam, ad summulas, quas valent, in ea, qua utimur, pecunia compendio velut enuntiandas, revocantur & retinentur. Ita ergo summarum auctoribus Romæ æs excurrens ultra denarium, victoriatum, sestertium, *Libella, sembella* vel *singula teruncius* dicebatur, pro asse *Libellam*, pro semisse sembellam, pro quadrante teruncium ponendo, quamdiu denarius decem, victoriatus quinque, sestertius duobus & dimidio assibus æstimatus est. Postquam verò denarius sedecim, victoriatus octo, sestertius quatuor assium facti & ad æs excurrens denarii denotandum transtulerunt vocabula & notas ærariæ rationis, hæserunt in rationibus ad sestertium *Libella*, sembellæ, teruncii. Quæ enim pro decima, vicesima, quadragesima denarii parte in æreis nummis fuerant, easdem partes sestertii in ære sustinere jam jubentur. Volusius, *Libella dicta creditur, quasi pusilla libra. Nam quum olim asses librales essent, & denarius decem asses valeret, & decima pars denarii libram, singula selibram, teruncius quadrantem haberet: sive denariaria sive sestertiaria ratio conficeretur, iisdem notis, id est, libellarum & singularum & terunciorum, propositâ notâ denarii vel sestertii, ut erat ratio æra exprimebantur. Postea quam in sedecim asses denarius distributus est, denariaria ratio expeditius confici cœpit, ut suprà dictum est: sestertiaria mansit sub iisdem notis, auctâ tamen computatione. Hac quoque Libella in duos velut semisses, quæ singula vocantur & quatuor velut quadrantes, qui teruncii, dividitur.* V. Joh. Fridericum Gronovium *de Pecunia vet. lib. 2. cap. 3. lib. 3. cap. 11.* &c. De *libella* verò fabrorum, à Theodoro Samio inventa, Plinium *lib. 7. cap. 6.*

Libellatici, à Latinis Hispanis *Sacrificati*, qui iisdem thus adolebant, ut & *Mittentes*, qui incensum in ignem mittebant. Vide Aeruminc. Martinum *in Hierolexico.* Nihilominus te eos graviter Cyprianus invehitur, ut qui, *etsi nefandis sacrificiis manus non contaminaverant, libellis tamen conscientiam polluerent* &c. Duo eorum genera distincta facit Suicerus. I. eorum, qui Christum negarent, ac *libello* dato, se non esse Christianos affirmarent, ut hac ratione supplicia effugerent, atque horum meminit Cyprianus *de Lapsis pag. 244.* & *Epist. 31. pag. 57.* II. eorum, qui Christum fatentes, pecuniâ vero redimerent, ne cogerentur Diis sacrificare; quales, *libello* à Præsidibus accepto, periculum effugiebant. Et de iisdem agit *Epist. 52.* V. quoque Albaspinæum *lib. 1. Observat. 21.* & De la Cerda *Adverf. sacr. c. 39. n. 2.*

Libelli, apud Suetonium *Nerone cap. 52. Venere in manus meas pugillares libellique cum quibusdam notissimis versibus ipsius chirographo scriptis*: chartæ sunt viliores, quibus olim eruditi utebantur, quando primum aliquid componebant, ut opus emendatum in chartam mundiorem referrent. Epiphanius σχέδια vocat, at quæ opus correctum excipiebant, τεύχη, *in fine Operis.* Apud Statium vero *Epist. Sylvarum lib. 1.* præmissâ, *libellus* vocatur opusculum unius paginæ, non aliunde, ut ait Barthius, *quàm quòd Romanâ scribendi ratione pauci versus magnam membranam implerent.* Sic Ausonius quartum hodie suum Eidyllion, aliter vocat &c. Apud Jurecons. vox è vox sumitur, inprimis de iis, quibus Principi aut Magistratui supplicatur. Hinc *Libellenses*, qui libellis aut suscipiendis aut recitandis præerant, *leg. 32. C. de appel. Nostri verò Libellenses, quæ apud arbitros gesta sunt, suscipiant, cognitiones inducant & ea quæ geruntur, excipiant, scribant scriptaq; litigatoribus edant: quæ etiam apud arbitros (licet illustres sint) ex delegatione nostra cognoscentes excipiant (in sacratissimo nostri Numinis comitatu causa dicantur.* Iidem *Libellenses sacri scrinii* appellantur, *l. fin. Cod. ubi Senat.* apud Joann. Calvinum *Lexic. Jurid.* Apud Siculos nomen hoc Magistratûs est, qui, aliis *Magister libellorum*, supplices *libellos* subditorum excipiebat, examinabat & ea inde ad Principem referebat, Car. du Fresne *ex Constitut. Siculis lib. 1.*

Apud Augustinum *de Civ. Dei lib. 22. cap. 8.* & Evodium *de Mirac. S. Stephani lib. 2. cap. 1. libellos dandi Episcopis*, quibus continerentur miracula, quæ Deus in uno alterove patraverit, *eosq; publicè prælegendi*, ritus memoratur: cujusmodi *libellorum* exempla idem Augustinus profert *Serm. 31. & 39. de Diversis.* V. Car. du Fresne *Glossar.*

Liber, propriè interior tunica corticis, quæ ligno arboris cohæret, in qua Veteres, postquam foliis uti desiere, scriptitarunt. Plin. *lib. 13. cap. 11. In palmarum foliis primùm scriptitatum, deinde in quarundam arborum libris*: Arbores istæ inprimis tilia, seu philyra, & papyrus. Suidas, *Tilia est arboris genus, quod librum habet similem papyro*: & certè hujus tunica interior, βίβλος Græcis dicta, eidem fini olim inserviebat. Papyrus enim, frutex in palustribus Nili ripis proveniens, scapus sive caulis erat, e cujus βίβλῳ seu *libro* charta fiebat, cui demum id nominis datum est, postquam ad Epistolas salutatrices adhiberi cœpit: à Gr. χαίρειν, quod primus in Epistolis Cleon usurpasse dicitur. *Libris* arborum successere tabellæ ligneæ, quæ schedæ erant i. tabellæ nudæ vel tabellæ ceratæ. Priores, si simplices, crassiores erant, ut è quibus pueri discerent. Plautus *Bacch. Sc. Nunc experiar,*

Extemplo puer pædagogo tabulâ dirumpit caput.

Sin plures jungi opus foret, secabantur in tenues laminas. Martialis *lib. 14. lemmate, Citrei pugillares.*

Secta nisi in tenues essemus ligna tabellas.

Præterea dolabantur, ut eo commodius scribi posset, Isidor. *l. 6. cap. 8.* dicebanturque *codices*, & diminuendi formâ *codicilli*, quia ex arborum caudicibus conficiebantur. Sic Danes, quòd res gestas in fagis consignarent, *libros* appellare *boger*, notat Olaus Wormius *in Fastis Danicis.* Ceratæ tabellæ vocabantur, quia essent crustâ ceræ illitæ, in quibus stylo scribebant: unde notæ loquendi formæ, *in summa*, vel *ima cera.* Postea ad membranaceos *libros* ventum est: membranæ autem ex animantium membris detractæ. Sane Pergamenæ erant ovillæ pelles: Unde Mart. Capella *lib. 2.* cum dixisset, *librorum* alios esse ex papyro, alios ex carbaso, addit, *ex ovillis multi quoq; tergoribus.* Quia autem pelles illæ pilos priùs habuere, eo Persius ait:

Jam liber & positis bicolor membrana capillis.

Nec tamen solùm usi pellibus, quas membris detraxissent, verùm & intestinis; ut omentis elephantorum, de quibus Isidorus *lib. 6. cap. 11.* Item intestino draconis, quale illud, cui Zonaras *Annal. lib. 3.* inscriptam fuisse ait universam Iliadem ac Odysseam. Antiquissimum autem membranarum usum, indicat Prov. ἀρχαιότερος διφθέρας. Dein lintei *libri* in usu esse cœpere, docet id Plinius *lib. 13. cap. 11. Privata monumenta linteis confici.* Hinc Mart. Capella *lib. 2. Alii*, inquit, *carbasinis voluminibus complicati libri.* Sic scripta fuere oracula Sibyllina, Symmachus *lib. 4. Epist. 34.* Unde Claudianus *de bello Get.*

— — — Quid carmine possint
Fatidico custos Romani carbasus ævi.

Sic fœdera publica, ut leges, imò & privatæ Principum Epistolæ exaratæ leguntur. Etiam in ebore scriptum. Martialis *l. 14. Epigr. cui titulus, Cerei pugillares:*

Secta nisi in tenues essemus ligna tabellas,
Essemus Libyci nobile dentis opus.

Quod fieri posse negat quidem Scaliger *diatribâ adversùs Guilandinum*; sed refellit eum Poeta modò laudatus, *eod. libro Epigramm. 5.*

Languida ne tristes obscurent lumina ceræ,
Nigra tibi niveum litera pingat ebur.

Nimirum ex atramento vulgari Scaliger judicium de illo fecit; quo in ebore Veteres usi sunt. Hodie *Libri*, nam in volumina antiquitus ex *libro*, postea ex alia materia, concinnata, transiit appellatio, ex charta fiunt, quæ est ex linteis concerptis ac contusis, qui mos jam ab aliquot sæculis viguit. Sane ille, ex papyro chartam faciendi, jam Eustathii desierat ætate, ut ipse scribit *Odyss. φ.* ubi ξυλοχαρτίου appellat chartas Veterum, nempe ad earum, quibus vulgò utimur, discrimen, uti monitum Cl. Salmasio *Notis ad Vopiscum*, ubi post Guilandinum & Dalechampium *in Plinium*, pulcrè indictaque aliis, de hoc disserit argumento: cui adde Gerh. Joh. Vossium *de Arte Gramm. lib. 1. capp. 36. 37. 38.* Symmachum *loco præfato*, &c. Cæterum dividebantur *Libri* jam antiquitus vel ab ipsis Auctoribus, vel ab aliis, in Κεφάλαια seu Τμήματα, item Λόγους sive partes majores & Παραγράφους, *Sectiones*, seu *Titulos*, partes sc. minores: quæ iterum in partes, κεφάλαια quoque nonnunquam seu sententias, subdividebantur. Sic Aristotelis liber *de Interpretatione* divisus est in quinque Τμήματα seu Λόγους, quæ Κεφάλαια Ammonius semper in *Commentar.* vocat. Et apud Suidam, Matthæus habet τίτλους ξη΄, *Titulos LXVIII*, κεφάλαια τνε΄, *Capita verò CCCLV.* &c. Ipsæ tandem sententiæ in versus, quam vocem vide, iterum distinguebantur. Porrò describebant *Sectiones, Quæstiones* & *Capitula* librorum, in tabella, quam modò πίνακα, modò ἔλεγχον, modo ἀναγραφὴν, modo σύνοψιν, modò ἐπιτομὴν, Græci dixere, *Indicem* Latini, ut sic uno quasi obtutu, quidquid in toto opere contineretur, conspici posset. Ita ἀναγραφὰς τῶν ἀρχαιοτάτων, *Indices Commentariorum*, Cr. Gtobolus; Πίνακας τῶν ἐν πάσῃ παιδείᾳ διαλαμψάντων, καὶ ὧν συνέγραψαν, *Indices eorum, qui in omni disciplinarum genere clari fuere & librorum, quos ediderunt;*

runt, Callimachus; *πίνακας* librorum Origenis, Eusebius &c. scripsere. Quam in rem V. plura apud Cl. Grotium *Annot. in N. Test.* & hic passim. Ornamenta *librorum* quod attinet, recenset ea Papinius, ubi de suo libro, ad Plotium *lib.4. Sylv.9.*

Noster purpureus novusque chartâ,
Et binis decoratus umbilicis:

sc. purpuram, in indumento, splendidam *chartam* & *umbilicos*. Cujusmodi libros supra 360. Amicum quendam suum possedisse, scribit Franc. Marius Grapaldus *de Partibus Ædium libr. 2. cap.8.* quod *Bibliotheca* inscribitur. Sed & pumice poliebantur. Martialis *lib.1. Epigr 67.*

Sed pumicatâ fronte si quis est nondum,
Nec umbilicis cultus atque membranâ.

Tituliqne minio scribebantur. Ovidius *Tristium lib.1. El.1.*

Nec titulus minio, nec cedro charta notetur &c.

Quam in rem V. plura, apud Casp. Barthium *ad Optatiani Porphyrii Dadalum Panegyr* & *Adversar. lib. 22. cap. 18.* adde Cœl. Rhodiginum *Antiqq. Lect.* Thom. Dempsterum *Antiqq pag 34.* Theod. Marcilium *ad Persium pag. 68. 69.* Alios. De *inscriptionibus* verò *librorum*, apud Græcos Romanosque, V. Salmasium *Prolegom. in Solinum.* Apud Romanos inprimis celebres erant *Libri Sibyllini*, quos consulendi mos erat, quoties publica aliqua immineret calamitas, nec aliter frequentius prodigia quàm inspectis his Oraculis expiabantur Liv. *Dec.4. lib.6. Eorum prodigiorum causâ libros Sibyllinos ex SC. cùm Decemviri* (bis enim id muneris commissum erat) *adiissent, renuntiarunt, jejunium instituendum Cereri esse*: & *lib.10. Decreverunt Patres ut Consules, quibus vellent Diis, hostiis majoribus sacrificarent. & Decemviri* libros *adirent: Eorum decreto supplicatio circa omnia pulvinaria Romæ in unum diem indicta.* Erant autem isti lintei: Symmach. 3 *loco suprà memorato Itane de me ludos facis, ut quæ apud te incuriosius loquor, in styli candicem, aut tuas pugillares cereas transferenda, ne facilius senectus papyri scripta corrumpat. Et Marciorum quidem Vatum divinatio caducis corticibus inculcata est, monitus Cumanos lintea texta sumpserunt, ut etiam sericis voluminibus, Achæmenio more, infundi literam ait præcipu.* Habebanturque summa in auctoritate, tanquam fatalia Imperii pignora, donec annis 400. plus minus post Augustum, à quo nova illis dignatio accessit, Sueton. *cap.30.* imperante Theodosio Sen. conversus maxima ex parte ad fidem Senatus, istos contemnere cœpit, quos demum sub Honorio Principe Stilico combussit, Thom. Dempsterus *Paralipomenis in Joh. Rosini Antiqq. Rom. lib 3 cap 24.* In Bibliotheca Trajani, quæ a gentili Principis nomine *Ulpia* dicta est, *Elephantinorum librorum* meminit Vopiscus, ubi Taciti Imp. describit vitam; quos ex ebore sectili fuisse quidam volunt, & Turnebus *eburneos* interpretatur: Scaliger tamen & Gerh. Joh. Vossius ex omentis Elephantorum compositos fuisse contendunt, Jac. Oiselius JC. *Notis in A. Gellium lib. 11. cap. 17.* &c. Vid. quoque infrà *Librarii, Libri, Scriptio* &c.

Liber in *LL.* Kanuti R. *cap. 32.* apud Bromptonum, Saxonicè *Land-boc*, vel *Boc-land*, quasi *terra ex scripto*, seu *terra libraria* aut *testamentalis*, dicta est. Fundum enim, inquit Lambardus, Vett. aut ex scripto, qui *Boc land*, aut sine scripto, qui *Focland* dicebatur, possidebant. Quæ fuit ex scripto possessio, commodiori erat conditione, hæreditaria, libera atque immunis: fundus sine scripto, censum pensitabat annuum atque officiorum servitute erat obstrictus: unde priorem Viri plerunque nobiles atque ingenui, posteriorem rustici fere & pagani possidebant, V. Car. du Fresne *Glossar.*

Liber Beneficiorum, pars fuit Rationarii Imperii, ab Augusto sapientissimo & maximo Principum instituti: in quo descriptum erat accuratissimè, qui agri quibus colonis essent divisi & quæ subseciva agrorum superessent, quæ dividi aliis possent. Hyginus *de limitibus constituendis*, *Libros æris & typum totius perticæ linteis descriptum, secundùm suas terminationes adscriptis affinibus, tabulario Cæsaris inferemus: & si qua beneficio concessa aut assignata coloniæ fuerint, sive in proximo, sive inter alias civitates, in* LIBRO BENEFICIORUM *adscribemus.* Ubi de agris solùm Hyginus loquitur. Alexander postea Imp. non hos tantùm, verum & alia, quæ largiri Principes solent, habuit descripta, apud Æl. Lampridium in *Vita* ejus. Antiquis fuit Reip. temporibus, *Liber beneficiorum*, in quem Rectores provinciarum, simul ac Romam redierant, Tribunos militum, Centuriones Contubernalesque suos, &c. quoscunque in provinciis promovissent, deferebant; quod dici solitum, *ad Ærarium in beneficiis deferre*, ut videre est apud Tullium *passim.* Casaubonus *ad Lampridium.*

Liber Canonum, *Decretorum* &c. V. *suprà.*

Liber Pacis, qui & *Pax* nonnunquam, in Communione Rom. dicitur, qui osculandus Sacerdoti à Diacono vel Subdiacono offertur. In *Charta* An. Chr. 1247. in *Historia* Monasterii S. Mariæ Suession. apud C. du Fresne. *Relictoque thuribulo in Choro. Diaconus offeret Librum pacis & horâ conjunctâ Subdiaconus portabit librum pacis ad Abbatissam & Priorissam & ad tenentes Chorum & ad alias Dominas & exibit cum thuribulo & libro pacis, alia quæ ad celebrationem Missæ pertinent officiabitur faciendo &c.*

Liberalia, adde: Rituum, qui *Liberalibus* observabantur, causas diligenter explicat Ovidius plurimis versibus, è quibus istos subjungo; ex *Fastorum lib. 3.*

Carminis hujus opus causas exponere, quare
Vilis anus populos ad sua liba vocet.
Ante tuos ortus aræ sine honore fuerunt,
Liber, & in gelidis herba reperta focis.
Te memorant Gange, totoque Oriente subacto,
Primitias magno seposuisse Jovi.
Cinnama tu primus, captivaque thura dedisti,
Deque triumphato viscera tosta bovis.
Nomina ab auctoris ducunt libamina nomen,
Libaque, quòd sanctis pars datur inde focis.
Liba Deo fiunt, succis quia dulcibus idem
Gaudet, & à Baccho mella reperta ferunt.

Et paulo pòst:

Melle Pater fruitur, liboque infusa calenti
Jure repertori splendida mella damus.
Fœmina cur præsit, non est rationis operta,
Fœmineos thyrso concitat ille choros.
Cur anus hoc faciat, quæris? Vinosior ætas
Hæc erit & gravidæ munera vitis amat.
Cur hederâ cincta est? Hedera est gratissima Baccho,
Hoc quoque cur ita sit, dicere nulla mora est.
Nysiades Nymphas puerum quærente novercâ.
Hanc frondem cunis apposuisse ferunt &c.

Hoc etiam die, ut & præcedenti, ibatur ad Argeos, qui loca erant in urbe, ubi sacra fiebant, à Numa instituta, de quibus Liv. *lib.1.* Illorum fuisse 27. per partes urbis dispersa, nomenque nacta ab illustribus quibusdam Argivis ibi sepultis, discimus ex Varrone *lib.4. de L. L.* V. Joh. Rosinum *Antiqq. Rom.* Apud Athenienses trina fuere *Liberalia*, seu Dionysia, nempe τὰ κατ' ἀγρὸς, aliter *Lenæa* dicta, quæ in Lenæo mense Posideone: τὰ Ἀνθεστήρια, quæ antiquissima, in Limnis, Anthesterione, & τὰ ἐν ἄστει ἢ κατ' ἄστυ, quæ Elaphebolione mense celebrabantur. Quòd enim Hesychius tantum *Liberalium* Lenæorum sive κατ' ἀγρὸς, & τῶν κατ' ἄστυ meminit, factum ideo, quia eâ tempestate, qua fabulam *Acharnenses* Aristophanes, in cujus verba ibi commentatur, docebat, nondum Dionysiis Anthesteriis sive Chytris committebatur & producebantur in scenam Comicorum dramata, quod primum institutū est, Calliâ post Antigenem Prætore, anno 3. Olymp. 93. quo anno commisit Comicus drama, cui titulum fecit *Ranæ.* Ut autem hæc sacra ritè fierent, & celebrantibus bene esset, quâ potuerunt ratione, caverunt suis legibus. Meminit Demosthenes *in Midiana* unius, quæ Lat. sic sonat: *Cùm pompa Libero ducitur in Piræo, agunt Comœdi & Tragœdi, item Lenæa pompa & agentibus Comœdis atque Tragœdis: Astycorum quoque* Liberalium *pompâ, saltante puerorum choro, dum fit Comus agunique Comœdi & Tragœdi: Thargeliorum item pompâ & certamine: neque pignus, neque quidquam alterius capito, neve pœnam pro mictâ exigito ab eo, qui judicatum non solverit: Qui secus faxit, accusator à lajo, & probola adversùs eum dantor apud populum pro concione in Baccho, sive ipse Lege, qua adversùs alios, qui festi religionem temerarunt.* Peractis *Liberalium* ludis, concio cogebatur ad Bacchi ædem, referebaturque de Prætoris circa hoc festum cura, injuriisque festi tempore factis, de quibus inter partes non erat transactum. Fiebat id postridie Pandiorum, quæ erant Jovis, sive potiùs Lunæ festum, post *Liberalia* agitatum: tum enim conveniebat populus in Theatro ad Bacchi Fanum. Ulpianus, ἐν Διονύσου μὲν ἐν τῷ θεάτρῳ· συνῆγε γὰρ ἐν τῷ θεάτρῳ ὁ πρύτανις. Lex est eidem Demostheni *loco citato* laudata: *Prytanes concionem in Bacchi coguunto, Pandiis, postridie Dionysiorum & de sacris premium referunto, probola deinde dantor de injuriis illatis pompâ vel Ludorum Dionysiacorum causâ, de quibus transactum non fuerit.* Non licebat quoque festis *Liberalium* diebus cuiquam manum injicere, ex hac lege: Μηδενὶ τοῖς Διονυσίοις ἐπιλαμβάνεσθαι &c. *Nemini diebus Liberalium festis manum injicito, in eadem Orat.* Demosthenis, &c. Utrisque tum Lenæis, tum Anthesteriis, Rex præerat &c. V. Sam. Petitum *Comm. in LL. Atticas lib. 1. tit. 1.* & in voce *Dionysia* nec non infrà, ubi *de Trietericis Sacris.*

Liberati, è magnis calamitatibus, coronabantur antiquitus. Pindarus *Isthm. Ode* 8

ἐκ μεγάλων
δὲ πενθέων λυθέντες
μήτ' ἐν ὀρφανίᾳ πεσώμεν
στεφάνων ——
è magnis
autem luctibus liberati
neque in orbitatem cadamus
coronarum ——

Hinc qui è navigatione domum redituri erant, post depositas coronas canebant ἀποστεφανοῦμεν τοῖς πολλοῖς, & coronas resumebant, ut videre est apud *Etymologici* Auctorem, voce Ἀποστεφανοῦν. Atque hæc propterea *coronæ salutis* dicebantur, Car. Paschalius *Coronar. lib. 2. cap.9* V. etiam aliquid infrà, ubi de *Naufragis.*

Liberatio, apud recentioris ævi Scriptores, dicitur, quidquid in pecunia vel cibo & potu vel vestimentis à Domino suis domesticis aut Officialibus quotannis, vel certis ac definitis anni tempe-

statibus

statibus *liberatur*, i. præbetur. Maximè verò sic appellabant Galli vestes, quæ certis anni tempestatibus a. festis, tum à Regibus, tum à Proceribus, *libera*, domesticis ac officialibus quotannis præbebatur, id quod *livrée* vocabant. Quo nomine hodie veniunt taeniolæ ac lemnisci, quos pileis addunt adolescentes, aut quibus se mulierculæ adornant. Eodem referunt Rigaltius & Meursius, quod *in Tacticis* Constantinus Porphyrogenitus habet, ubi præcipit, ut milites cassides habeant pulchrè famiatas, in earumque cono *τεφία μικρά, ἤγουν λιβερία*, *fascias exiles seu liberatas*. Præbebantur verò hæ *liberata* seu *roba*, in Festo Christi Natalitio & in Assumtione Deiparæ, quas *Livrées du Nöel & de la Myaoust*, iidem vocitabant V. hac de voce plura apud C. du Fresne *in Glossario*, & Auctores ei laudatos: item infrà passim, in vocibus *Pallium*, *Pannus*, *Roba*, ut & *in Livrea*.

Liberi, apud Græcos 4. erant generum, teste Eust. *in Hom.* Γνήσιοι, Νόθοι, Σκότιοι & Παρθένιοι. Γνήσιος, aliter Ἰθαγενὴς dicebatur, qui è matre cive natus esset, Lat. *Legitimus*. Non enim omnes sine ullo discrimine *Liberi*, quos Patres tollebant, in civibus sunt censiti, sed ii tantùm, qui utroque parente cive nati erant: ex Lege, Μόνους Ἀθηναίους εἶναι τοὺς ἐκ δυοῖν Ἀθηναίων γεγονότας, *Illos utroque parente cive Atheniensi natos soli cives sunto*. Quam Pericli adscribit Plutarchus: sed jam ante eum idem cautum esse, demonstrat Solonis lex de Nothis: verùm tacito illiteratoque consensu antiquata lex fuerat, ante Periclis tempora, quemadmodum & insequutis temporibus obsolevit, pessimo Periclis ipsius exemplo, eratque satis alterutrum parentem civem esse. Itaque ut jus istud antiquum instauraretur, cavit lege suâ Aristophon Rhetor, quam exactis urbe 30 Tyrannis, Euclide Archonte, tulit: Νόθον εἶναι τὸν μὴ ἐξ ἀστῆς γεγονότα, *Qui matre cive natus non erit, nothus esto*. itaque Νόθος, quem Latinè reddi posse negat Quintilianus *l.3.c.6.* filius erat, ex alia quàm cive, item ex concubina genitus. Cum talibus ne ipsa quidem cognationis sive agnationis jura intercedebant, ne in iis quidem ipsis, quæ sive sacra, sive publica spectabant, ex Lege memoratâ Isæo ἐν τῷ περὶ τοῦ Φιλοκτήμονος κλήρου & Demostheni ἐν τῷ πρὸς Μακάρτατον. Unde Aristophanes *Avibus*,

> Ἐρῶ δὲ δὴ καὶ τὸν Σόλωνος νόμον.
> Νόθῳ δὲ μὴ εἶναι ἀγχι-
> στείαν
> *Dicam autem & Solonis legem,*
> *Notho non esse jus cognationis.*

Habebant interim sua sacra, & faciebant Cynosargis: at adoptione illis subveniente, pro legitimis censebantur, si nempe prius civitate donati fuissent. Quo beneficio si carerent, ex hæreditate paterna nihil auferebant, præter τὰ νοθεῖα, mille viz. drachmas, quas Scholiastes *in locum Aristophanis modò laudatum*, quinque minas fuisse ait: quemadmodum & ab Abrahamo legimus, Geneseos *cap. 25. versu 6. illum dedisse dona* [illegible] *filiis concubinarum uxorum quas habuit, ac dimisisse eos ab Isaaco filio suo.* At eorum, qui Parentibus geniti, alia erat conditio: *Consuetudinis enim regia fuit, ut legitimam uxorem non habentes aliquam licèt captivam pro legitima haberent, ut liberi ex ipsa nati succederent*, Servius Σκότιος appellabatur, vulgo quæsitus, Lat. *Spurius* seu *Favonius*; an quòd terrâ ortus instar venti, an quod, ex vento, absque patris ope, conceptus videretur; quemadmodum ova quædam ὑπηνέμια q. *Subventanea* nuncupamus? Quò alludens Lucianus Vulcanum, utpote ex Junone, sine mariti congressu, ut finxere, natum, ὑπηνέμιον παιδίον vocat. Ὁ παρθένιος tandem dictus est, quem uxor, pro virgine à marito ducta, ex alio jam gravida peperit. Quibus adde si placet, τὸν Ἐπακτὸν seu Ἐπίκτητον, i. *adoptivum*: τὸν Ἐλεύθερον, seu *filium liberti* & Ἐλευθέριον i. *Ingenuum*, filium liberi hominis V. Franc. Rossæum *Archæol. Attic lib. 5. cap. 9.* Redeo ad τοὺς Γνησίους. Quemadmodum *liberos* tollere, in Patris erat positum potestate, ita etiam necare & exponere, idque non tam moribus, quàm Lege erat receptum Athenis: de quo V. suprà, in voce *Exponendi ritus*. Idem *liberis* suis nomen, quod vellet, imponere, aut etiam alio mutare poterat: quanquam solemne illud erat, majori è *Liberis* avi paterni nomen imponere, de quo ritu V. infrà in voce *Nominalia*. Porrò *Liberos*, sive legitimis è nuptiis susceptos, sive secundùm Leges adoptatos, Patres lege jubebantur referre in Φράτορας, jurati profitentesque apud Φρατόρων acta, eos esse à se legitimis è nuptiis susceptos, aut secundum Atheniensium jura adoptatos: sic τῶν φρατόρων ab eo, quod Isæus vocat κοινὸν γραμματεῖον, inscribebantur paterno nomine, hoc modo, ὁ δεῖνα &c. Fiebat id statis anni diebus, & quidem adoptivi Thargeliorum festo, legitimi verò tertio festi Apaturiorum die, qui Κουρεῶτις dicebatur, inscribi solebant: victimis, quatum pondus lege erat definitum, oblatis: quas οἱ Φράτορες per lusum jocumque, cùm exhiberentur, infra justum pondus esse dicebant, acclamantes, μεῖον, μεῖον, Pollux *l.3.* Quo ætatis anno autem id factum, non consentiunt Auctores: nam anniculos relatos in Φρατρίας scribit Auctor Etymologici in Ἀπατούρια. Tertium autquartum annum definit Proclus *in Timæum Platonis*: ut plurimum tamen intra annum septimum id factum esse certum est. Quod enim de Virginibus inquit Vir magnus,

fieri solitum, cùm eas elocaturi patres essent, videtur confundere relationem *Liberorum* εἰς τοὺς Φράτορας, cum inscriptione eorundem in Epheborum album, de quo suprà in voce *Ephebi*. Educatio *Liberorum*, cùm inter præcipuas Solonis curas esset, legem tulit: Τοὺς παῖδας διδάσκεσθαι πρῶτον νεῖν τε καὶ γράμματα· [illegible], *Pueri natare & literas primùm docentor. Tenuiores deinde rure operam facere, aut peregre ad mercatum ire, aut artem exercere: Honestiores verò in Musica, in re equestri, in Gymnicis, ad venandum, in Philosophia, instituuntor.* De quibus honestiorum juvenum studiis Terentianus Simo *in Andria*,

> *Quod plerique omnes faciunt adolescentuli,*
> *Ut animum ad aliquod studium adjungant, aut equos*
> *Alere, aut canes ad venandum, aut ad Philosophos:*
> *Horum ille nihil egregiè præter cætera*
> *Studebat: & tamen omnia hæc mediocriter.*

Rursum idem Eunucho:

> — — — *Fac periculum in literis,*
> *Fac in palæstra, in Musicis: quæ liberum*
> *Scire æquum est adolescentem, solertem dabo:*

Idque tanta cum cura observatum est, ut, licet magnâ pietate *liberi* Parentes colere, honorare, & alere, si indigerent, legibus Solonis tenerentur, filius tamen, quem Pater artem non docuisset, ad eum exhibendum non cogeretur, Τοῦ τρέφειν τὸν πατέρα μὴ διδαξάμενον τέχνην ἐπάναγκες μὴ εἶναι, cujus legis meminit Plut. *in Solone* V. Sam. Petitum *Comm. in LL. Atticas lib. 2. tit. 4.* Cæterùm, ubi Lex civilis non impedit, potest pater filium oppignorare, &, si necesse sit, etiam vendere, ubi alia ratio eum alendi non suppetit: quod ex vet. Thebanorum lege (quam *libro 2.* recitat Ælianus) in populos alios videtur fluxisse; ipsa autem lex Thebana à Phœnicibus, ac porrò ab Hebræis venisse: quam ipsam obtinuisse & apud Phrygas, docet Apollonius *Epist. ad Domitianum*. Censetur quippe ipsa Natura jus dare, ad id omne, unde quo obtineri non potest, quod ipsa imperat, H. Grotius *de Jure Belli ac Pacis lib. 2. cap. 5. §. 5.* Quod verò & vitæ necisque jus Parentibus in *liberos* concessit olim Romanus rigor, plane abnorme est, & ipsorummet successu temporis in melius mutatorum sententiâ sublatum. At crudelitas summa, ex quo prodierunt, in quem sublati sunt, in quo educati sunt, eo in gremio, materno nim. *liberos* occisi. Id quod ab Aristotimo tyranno, apud Justinum *lib. 26.* à Ptolomæo Ceranno, *lib. 24.* ab Olympiade, *lib. 9.* à Bassiano, apud Spartianum *in Severo*; à Cassandro, apud Plut. *fine Demosthenis & in Phocione*; à Munatio Flacco, apud Val. Maximum *l. 9. cap. 2.* legimus factum. Eadem detestatio in conspectu patrum cæsis liberis, Virgilius *Æn. l. 2.* Priamo mox interimendo loquente,

> —— *qui nati coràm me cernere lethum*
> *Fecisti & patrios maculasti sanguine vultus.*

V. quoque Herodotum *Musâ 2.* ubi de Phanis prole hoc modò ab Ægyptiis interemtâ, Plut. *fine Agidis & Cleomenis*, de uxore Panteï, Claudianum *in Ruffinum lib. 2.* &c. Non enim tantùm hoc infortunii genus cætera omnia superare meritò ajunt, quam in rem V. locum insignem Q. Smyrnæi *lib. 2.* de Nestore lugente cædem Antilochi: Sed & mortem ac mortualia *liberorum*, turbato nim. ordine mortalitatis, nefas habitum à Parentibus videri, uti pluribus docet C. Barthius *Animadversion. ad Papin. Statium Thebaid. lib. 5. versu 126. & lib. 6. versu 205.* V. quoque hîc passim, in vocibus *Ephebi*, *Filia*, *Filius*, *Infans*, *Mater*, *Parentes*, *Puerpera* &c.

Libertas, adde: alter quippe ortus. Statius *Sylv. lib. 5. Epicedio Filii*,

> *Hinc alios ortus* libertatemque *sub ipsis*
> *Uberibus tibi, parve, dedi* ——

tum in uno homine, tum in tota gente. Unde Aristophanes oleagineâ coronâ, quæ auream dignitate æquabat olim, quòd ausus esset firmare, *Remp. Atheniensem nullius esse in dominio, sed per omnia sui juris*, coronatus est, uti discimus ex *Vita* ejus. Eodem fine & myrtus adhibita, velut index pulcherrimæ omnium victoriæ, per quam itur ad libertatem. Hinc, propter Hipparchum tyrannum e medio sublatum, Harmodius & Aristogiton gladios ἐν μύρτου κλαδὶ, *myrto redimitos*, gestasse, & memoria eorum per universam Græciam in conviviis carmine, ac publicè statuis celebrata legitur. V. infrà ubi de *Scoliis*, & plura hanc in rem apud Car. Paschalium *Coronarum lib. 7. cap. 10.* nec non *lib. 5. cap. 10.* ubi de simili corona Adimanto donatâ. Difficilis igitur consultatio inter Galliæ civitates olim agitata, *Libertas, an pax placeret*, apud Tacitum. Qua de re Grotius, præsupponens de pace agi, quâ redimatur bellum internecinum, i. ut Cicero alibi Græcis verbis explicat, ἐκ μέσου [illegible], *lib. 9. Epist. ad Attic. Epist. 112.* ubi viz. recta æstimatio futuri nihil fermè aliud, quam totius populi exitium videtur portendere: *Hic Cato*, inquit, *quid dicturus sit, qui mori, quàm uni parere maluit, nemo nescit — At aliud dictat recta ratio: Vitam sc. quæ fundamentum est omnium bonorum temporalium, & æternorum occasio*

 casio

casio, pluris esse quàm libertatem; sive utrumq; sumas in uno homine, sive in universo populo. Itaq; Deus ipse (2. Paral. *cap.* 12. *vers.* 78.) *pro beneficio imputat, quòd non perdat homines, sed in servitutem tradat. Et alibi* Jerem. *cap.* 27. *vers.* 13. *suadet per Prophetam Hebræis, ut sese Babyloniis in servitutem dedant, ne fame ac peste moriantur. Quare illud, quanquam laudatum antiquis,*

Obsessum Pœno gessit quod Marte Saguntum:

laudandum non est, nec qua eò ducunt. Internecio enim populi in hoc rerum genere pro maximo malo haberi debet &c. *de Jure Belli & Pacis lib* 2, c. 24. § 6. Quod v. *Libertatis Atrium* spectat, Suetonio memoratum in *Augusto cap.* 30. eò docti, tanquam ad λέσχην, conveniebant. Ovidius,

Nec me quæ doctis patuerunt prima libellis
Atria, Libertas *tangere passa sua est*.

Ibidem fuit Tabularium, in quo servata Acta publica, uti docet Casaubonus ex Livio *l.* 43. V. apud eum plura hanc in rem *ad Leit.* De *Libertate* vero *singulorum*, ejusque gradibus, medio præsertim ævo, accuratè & prolixè agit C. du Fresne *Glossar.* uti de *Libertate universi populi*, H. Grotius ubi suprà. Addo hic saltem, uti in Feroniæ templo servos olim manumissos, sic postea ex *Constitut.* Constantini, in Ecclesia, cum *libertate* civitatem Rom. consecutos esse, de cujusmodi manumissionibus V. Justellum *ad Can.* 64. *Cod Eccl. Afric.*

Liberti, quasi *liberati*, dicti sunt, qui ex justa servitute sunt manumissi. Hi apud Romanos primis temporibus ita distincti sunt ab Ingenuis & *Libertinis*, ut Ingenuus diceretur is, qui ex duobus Ingenuis vel *Libertinis* natus esset: *Libertinus*, qui ex duobus *Libertis*: *Libertus*, qui aliquando servitutem servisset & ex illa esset manumissus. Aliquantò autem, post Appii Cæci Censuram, *Liberti* & *Libertini* pro iisdem accepti fuerunt: & tum Ingenui appellati, qui ex *Libertis* vel *Libertinis*, id est, iis, qui cum aliquando servissent, postmodum manumissi erant, fuere nati: ubi tamen hoc discrimen observatum, ut *Liberti* dicerentur, respectu Patronorum, *Libertini* verò respectu Ingenuorum, sicque ille respectus privatus, hic publicus esset, V. Laur. Vallam *Eleg. lib.* 4. *cap.* 1. In triplici eos fuisse ordine, *Cives Romanos Junianos* & *Dedititios*, notat Ulpianus JC. *in fragm. tit.* 1. ubi singulorum definitiones exequitur. Plen locorum fuit *in vers.* 106 *Sat.* 3. *Persii*, *à defuncto pridem manumissi, id est*, Liberti, *& cives Romani facti*. Atque hos ipsa [illegible] fuisse dignitate [illegible] ex Hadr. Turnebo *lib.* 11. *cap.* 9. ut *quidam primi Liberti, quidam secundi, quidam denique tertii forent*. Quod vel de tempore, quo quisque manumissus, vel de officio, quo quilibet functus erat, nam & inter Servos gradus fuere, intelligendum. Quamvis autem *Liberti* cives essent, publico tamen nullo, nisi Apparitoris aut Coactoris munere defungi poterant. Erant verò Apparitores Scribæ, Præcones, Interpretes, Accensi, Lictores, Viatores, Stratores. *Hæc enim Vett. munera*, ut Cic. *Epist. ad Q. Fratrem* declarat, *Libertis deferebant, excepto tamen scriptu*. Postea verò Scribæ quoque facti sunt, tuleruntque hi suffragium in quatuor urbanis Tribubus, quas rusticis ignobiliores fuisse notum est. Eodem jure *Libertini*, seu *Libertorum* filii erant. Neutros autem jus Tribuum fuisse, ostendit Læl. Taurellus JC. nec Ingenui *Libertinis* pupillis tutores dari poterant, ut ex Marci oratione apud Modestinum *lib. de Excusat.* par. 1. Nec in Senatum admittebantur: quo postquam irrepsissent aliquandiu, *Pisonis Consulatu, sub progressum bellorum civilium, omnes ejecti sunt*, teste Dione *lib.* 40. Militiæ quoque non admittebantur, nisi ingens urgeret necessitas, *Unde Augustus Princeps* Libertino *milite præterquam Romæ, incendiorum causâ, etsi tumultum in graviore annona metueretur, bis solùm usus est, semel ad præsidium coloniarum Illyricum contingentium, iterum ad tutelam Rheni fluminis*: Sic tamen, ut *eos servos adhuc viris fœminisq; pecuniosioribus indictos ac sine mora manumissos sub proprio vexillo habuerit, neq; aut commistos cum ingenuis, aut eodem modo armatos*, apud Suetonium *cap* 25. Quare tanquam novum insolensque notat Appianus Alex. *de bellis Civil. lib.* 1. quòd *tum primùm* Liberti, *ob virorum inopiam, manumissi sint*: Et Hirtius *de bello Afr. cap.* 1. *postea*, inquit *ex Hybridis Libertinis servisq; conscripserat, armaverat, equisq; frænatos uti condocuerat*. Vestitu porro à Patriciis ac Ingenuis distinguebantur: Cum enim pueri Patricii, quorum Patres curulem gesserant Magistratum, bullâ aureâ cum toga, cui purpurâ prætexebatur, cæteri prætextis tantum uterentur: *concessum*, inquit Macrobius *Saturn. lib.* 1. *cap.* 6. ut Libertinorum *quoq; filii, qui ex justa matrefamilias nati fuissent, togam prætextam & lorum in collo, pro decore bullæ gestarent*. Nec id sine nota corpori impressa, *pertusas* enim seu *perfossas Libertinis aures* fuisse, docet vetus Scholiastes Juvenalis, *ad Sat.* 1. *vers.* 104. Interim eorum arbitrio, sub malis Principibus, omnia permissa legimus: de quo non sine indignatione conqueritur Tacitus *Hist. lib.* 1. Nota sub Claudio Licinii & Pallantis: sub Nerone Cari & Massæ: sub Vitellio Asiatici: sub Domitiano Parthenii &c. potentia ac opes, ad quas libidini dominorum obsequendo & flagitiosa quælibet perpetrando pervenere. Quemadmodum *Libertinæ* vulgato corpore malè sæpe audiebant, quam ob causam in *Libertina* peccati impunitatem videtur promittere Horatius *lib.* 1. *Sat.* 2. Hactenus de *Libertis* & *Libertinis*. Ingenuus autem, *Libertini* filius, *Liberti* nepos, jam jure meliore fuit. Ferebat namque suffragium in Tribu rustica, Magistratus tamen non capiebat, neque Senatorii vel Equestris, sed tertii erat ordinis, id est, de plebe. Ingenui verò filius, Eques Rom. esse poterat, sed aditum ad Curiam non habebat, qui demum concessus est *Libertorum* abnepotibus &c. De Manumissionis ritu, V. infrà *suo loco*. Addam hoc unum prædictis, non habuisse olim *Libertinum* veniam Ingenuam ducendi uxorem, donec id Lex Papia Poppæa concessit, quam luculentissimè explicat Barn. Brissonius *lib. de Jure Connub.* Nec scribendi testamenta ipsos jus habuisse, hæreditates tamen potuisse adire, ut ex Symmacho docemur *lib.* 10. *Epist.* 54. *Capiunt legata Liberti* &c. V. Joh. Rosinum *Antiqq. Rom. lib.* 1. *cap* 20. *cum Paralipomenis* Thomæ Dempsteri. Apud Cæsares *Libertos*, dictos *à Studiis* in pretio fuisse, Suetonius *in Claudio cap.* 28. testis est: *Ac super hos Polybium à studiis, qui sæpe inter duos Consules ambulabat*. Quo munere apud eundem Imp. Lemnius quoque functus est, de quo vetus Inscr. *Ti. Claudius. Lemnius. Divi. Claudii. Aug. Lib. à Studiis*, apud Laur. Pignorium *Comm. de Servis*. In Rep. Atheniensi, manumissi servile suum nomen aliquando mutabant, aliquando syllabis augebant, ut Stephanus ille, qui *Philostephanus* postea appellari voluit. *Anthologia lib.* 2. Alio quoque tributi genere utebantur: & quia cum *Metœcis* eodem jure *Liberti* censebantur, quotannis τὸ μετοίκιον id est, duodecim drachmas ærario pendebant, & præterea triobolum sive Scribæ sive Publicano, Harpocrat. Pollux *lib.* 3. *cap.* 4. Hesych. cætera omnia, publica, privata, administrabant per Patronum, non quem elegissent ipsi, quemadmodum οἱ Μέτοικοι seu Inquilini, sed qui libertate donasset dominus, quem colere tenebantur hâc lege: Τοὺς ἀπελευθερωθέντας μὴ ἀφίστασθαι [illegible] τῶν ἀπελευθερωσάντων, [illegible], *Liberti eos, à quibus manumissi sunt, colunto: eaq; quæ Legibus imperantur, iis præstanto*. Publicè tamen, voce Præconis, adoptabant Ἐπιτρόπους, inter quem & Patronum seu Ἐπίσημον id discriminis erat, ut hic *Libertum* tutaretur suâ autoritate & omnia ejus administraret: ille verò adversùs Patronum ipsum, si opus foret, *Libertum* tueretur. Quemadmodum & apud Romanos *Liberti*, quanquam in Patroni, qui manumiserat, essent clientela, habebant tamen & alium, ex amicis forte Patroni, cujus se esse clientes dicerent, qui apud Patronum irascentem, & in jus rapientem, si res ita ferret, deprecaretur & tueretur clientem suum. Ita Tullius *Epist.* 12. *lib.* 1. *ad Atticum*, *Libertum ego habeo, sanè nequam hominem, Hilarum dico, ratiocinatorem & clientem tuum*. Proin in hanc Legem si commisissent *Liberti*, iis Ἀποστασίου dica scribebatur, quod habat apud Polemarchum, & à contribulibus Patroni sive domini judicabatur: quâ actione si vincerentur *Liberti*, in servitutem retrahebantur, aut vendebantur, si vicissent, perfectâ libertate ac perpetuâ fruebantur. Ubi tamen et tandem, servos ab Atheniensibus non civitate simul cum *libertate* donatos fuisse, sicut apud Rom. justa illa libertas vindictâ data sele habebat. Romani cum ingratis *Libertis*, paulo aliter agebant. Primo enim Patronis concessum fuit, *Libertum* ultra vicesimum lapidem relegare, quod ab Augusto institutum suspicatur Lipsius, ex Dione *lib.* 55. Postea Claudius, *Ingratos & de quibus Patroni quererentur, revocavit in servitutem*, teste Suetonio *cap.* 25. si nempe Patronis delatores summisserant, qui ei de statu controversiam facerent. *l.* 5. *D. de Jure Patronatus*. Commodus dein Imp. constituit, ut *Liberti*, qui Patronos violaverant contumeliis, aut illatâ manu pulsaverant, aut non exhibuerant ad paupertatem redactos, cogerentur ad obsequia, *ministerium* appellat Imperator, Patronis præstanda: Quod nisi, fecissent, in servitutem alteri à Præside vendebantur, pretio Patronis addito. Exin jus iterum mutavit, & *Liberti* ingrati *castigati*, id est, *fustibus cæsi* sunt, ut patet ex Ulpian. *lib.* 9. *de off. procons.* si fuissent insolentiores. *Si verò contumeliam fecissent, aut convicium dominis dixissent, etiam in exilium temporale dabantur: Quòd si manus intulissent, in metallum dandi erant*, &c. *ib.* Subsequentis temporibus, ex Constitut. Diocletiani & Maximiani A. A. ad Veneriam, Liberti, qui ingrati probabantur, ad serviendi necessitatem redigi poterant, *l.* 2. *Cod. de operis Libertorum*: quod et aut observari voluit Constantinus, *l.* 2. *C. de Libertis & eorum Liberis* &c. V. Sam. Petitum *Comm. in LL. Attica lib.* 2 *tit. ult.*

Libertini, adde: *Libertinorum Synagogæ*, quæ Hierosolymis erat, una ex peregrinorum synagogis, mentio cùm fit Actorum *cap.* 6. *versu* 9. intelligunt quidam *Libertinos* Romanos, ex Libertis genitos, vel etiam manumissos, de quibus suprà actum: Horum enim plurimos Proselytos factos esse, & Synagogas suas habuisse, docet Philo *Legat. ad Caium*: Alii eos sic dictos volunt, ab Hebr. voce *Lubar*, locum excelsum designante: Namque, sicut Templum, ita etiam Synagogæ ac Scholæ Hebræorum in locis editis erant exstructæ, ex occasione loci Proverb. *cap* 1. *versu* 21. *Sapientia in summo turbarum proclamat*. V. Thom. Godwynum *in tract Angl. de Ritibus Hebræorum Civilibus & Ecclesiasticis lib.* 2. *cap* 2. Tremellium *Notis in locum Actorum præfatum* &c. plura verò de *Libertinis*, apud J. Forbesium *Instructionum Historico-Theologic. lib.* 1. *cap.* 34 §. 16. *cap.* 37. §. 11. *Lib. XII. cap.* 9 § 6. ut & bis passim, ubi de *Florinianis* aliisque Hæreticis hujus farinæ.

Libici, Lebecii vel *Libui*, pop. Galliæ in Italiam transgressi, memorantur Livio *lib.* 5. *cap* 35. *Alia subinde manus Cenomanorum, Elitovio Duce, vestigia priorum sequuta, eodem saltu, favente Bel-*

lovejo,

Oveso, quum transscendisset Alpes, ubi nunc Verona ac Brixia urbes sunt, locos tenuere. Libui *continuè, & post hos Salassi, prater antiquam gentem Lavos Ligures incolentes circa Ticinum amnem, Pennino; Deinde Boji Lingonesq; transgressi* &c. Nempe, Lævi Ligures, antiqua in illo tractu gens, tenuerunt locum suum pristinum, & ad horum latus, versùs Ticinum amnem, demiserunt se ab Alpibus *Libici*, pertinentes usque ad Ticinum, quum alteram ejus ripam possiderent Insubres, ut sic citra id flumen manserint. Super utrosque Salassi consederunt, versùs montana Alpium, ut idem docet *l.21.c.38.* V. de his Liguribus *Lebuis*, aliquam multa, apud Jacobum Gronovium *Dissert. Epist. ad Laur. Gronovium patruum.*

Libido, plerarumque hæresium esca, ut videre est hic passim, inprimis ubi *de Fæm. Comm.* Idem apud Idololatras omnis ævi obtinuit, quorum nonnullis etiam inter sacros suç impietatis ritus meretricatus & scortatio fuit, uti passim itidem diximus. Et quid fuit sacrum illud Opertum in Eleusiniorum Festo, ad cujus ἀναβίωσιν per tot προσκυνήσεις & suspiria egregii illi mystæ anhelabant? Quid alias? Nempe à Deo, cujus oculi tam puri sunt, ut ne videre quidem malum queat, non aliâ ratione facilius miserorum mortalium animos avertere se posse novit Spiritus impuritatis, quàm occultando sub religionis velo escam hanc, ad quam suâ sponte nimiùm propensa carnis infirmitas est, facilè manum datura talibus sacris, per quæ sibi, velut & Numine jubente, licet agere, quod libitum est quàm maximè &c.

Libitina, adde: Similiter Delphis Epitymbiæ Veneris exigua statua posita erat, ad quam Manes, in parentationibus & libationibus, elicere atque evocare consueverant, ut annotavit Cœl Rhodiginus *l.29.c.18.* Hinc eleganter apud Horatium *Libitinam* vitare dicuntur, qui se immortalitati vindicant. Imaginem *Libitinensis* sacerdotis, pro defuncto sacrificantis, ad idolum Herculis, pateram lactis, illudque supra caput idoli effundentis, exhibe. Fortunius Licetus *lib.5. c.4. de Lucernis antiq. ubi Lucernam Galvianam, mortuales ritus antiquorum mirificè repræsentantem, explicat.* Inde *Libitinæ ratio*, apud Suetonium *Nerone cap.39.* liber acceptarum pecuniarum, quem conficiebant, qui Veneris Libitinæ thesauro præficiebantur. Nempe mos vetustissimus fuit apud Romanos, à Servio Tullo R. jam institutus, ut certum quid penderetur εἰς τὸν θησαυρὸν τῆς Ἀφροδίτης ἐν ἄλσει καθιδρυμένης, ἣν προσαγορεύουσι Λιβιτίνην, ὑπὲρ τῶν ἀποθανόντων, ut inquit Dionysius Halicarn. i *thesauro Veneris in luco dedicata, quam Libitinam cognominant pro mortuis.* Mortui igitur uniuscujusque nomen deferebatur ad eos, qui hoc nomine pecuniam exigebant, & ab illis *Libitina rationi* inscribebatur: quâ ratione exactè sciri poterat, quot hominum stragem quolibet anno mors fecisset. Sic *pestilentiâ unius autumni triginta funerum millia in Libitinæ rationem venisse*, est in Suetonii *d. l.* ad quem V. Casauboni *Animadversiones.*

Libo, legatus Marci Imp. in Syriam, de quo sic Capitolinus *in Vero Hac vita diversitas, atq; alia multa, inter Marcum & Verum simultates fuisse—indicabat—Verùm illud præcipuum, quod cùm* Libonem *quendam patruelem suum Marcus legatum in Syriam misisset, atq; ille se insolentiùs, quàm verecundus Senator, efferret dicens ad fratrem se scripturum esse, si quid fortè dubitaret, nec Verus præsens pati posset, subitoq; morbo interisset—visum est nonnullis, non tamen Marco, quòd ejus fraude putaretur occisus.* V. Casaubonum & Salmasium *Not. ad loc.*

Libophœnices, qui Byzacium incolunt, Plin. *l.5. c.4.* Infra Carthaginem illos locat Ptolom. Strabo *lib. 17. Imminet autem ora à Carthagine usq; Cephalas & Massæsylas* Libophœnicum *terra, usq; ad Getulia montana, qua jam est Libya.* Scylax Σαιδίας Αἰθίοπας vocat *in Periplo* &c. Jac. Gronovius *Epist.* ad With. Goetium.

Libra, signum Zodiaci: Eam Græci pariter & Latini sic imaginantur ♎ quod librile esse cum trutina, placet Scaligero. Sed ab antiquo deflexit hæc figura, quæ, in vetustis libris integrior apparens, duas lances inversas, librili jacente, exprimit. Nec enim recta fingitur in astris, qualis est, quum à libripende tenetur, sed considens & abjecta. Manilius *Astronomic. lib.2.*

> *Taurus depositis collo sopitus aratris,*
> Libra *sub emerito considens orbe laborum.*

V. Salmasium *ad Solinum pag.1236.*

Libra, adde: Λίτρα, Siculis pondus & nummus, genuit *Libram*, quæ pro pondere placuit Romanis; pro pecunia, eodemque quod *As* est, non ultra quàm As libram pondo fuit; inde pro tantundem in commercio valente ære assem retinuere, qui tandem quarta & vicesima, imò & quadragesima octava, pars *Libræ* factus est. Duodecima τῆς λίτρας οὐγκία, i. *uncia*, ex qua multiplicata constantes τῆς λίτρας i. *Libræ* partes, πεντώγκιον, ἑξᾶντα, ἡμίλιτρον, apud Epicharmum & Pollucem reperiuntur. Hinc *uncia* Romanis. Medias quoque inter summam *Libram* assemve & imam, ejus duodecimam, unciam, partes ad similitudinem quidem Siculorum fabricaverunt Romani, sed in officina sua &c. Joh. Frid. Gronovius *de Pecunia vet. lib.4. c.17.* De *Libra* verò *Panis & Vini*, in *Regula* Benedictinorum, præscriptâ in refectionibus, ut & in *Regul. Canonicorum in Syn. Aquisgran. cap. 112.* & in *Regula* Sanctimonialium *ibid. c.13.* V. C. du Fresne *in Gloss.* Sed & *Libra* certus agri modus. Hyginus, *In Narbonensi quoq; provincia, varia sunt vocabula: alii appellant* Libram, *alii parallelon, in Hispania centurias. ita sicut in consuetudine regionis alicujus invenimus, ita renuntiandum: jugera tot, versus tot sive* libræ *tot, sive quodcunq; aliud vocabulum.* Pro eodem, *Librata terra*, in vett. *Chartis*: quâ utraque voce quid propriè indigitetur, non usque adeò liquet. Spelmannus ait, vetus quoddam computationis genus, memoriæ ergò, ab Agrimensoribus excogitatum esse, adeoque illos, acram terræ marcæ argenti assimilantes, totidem in hac denarios numerare, quot in illa perticas, in utraque sc. 160. dividentesque perticas, in dimidia & quarterios; his obolos & quadrantes argenteos opponere consuevisse, sic ut acra contineret 160. denarios, 320. obolos, & 640. quadrantes. Cui assentitur Sirmondus, qui *Libratam terræ jugerum terræ integrum aut arapennum* esse contendit, *Not. ad Gaufridum Vindoc.* Alii modum agri aut prædii esse volunt, ad valorem annuum pecuniarii reditus & ad certum librarum monetæ currentis exactum & æstimatum: sic ut, qui certum numerum *librarum terræ* alteri daret, ad hoc teneretur arbitrio & judicio boni viri, certam dare agrorum mensuram, quæ in reditu tot nummorum libras valeret; cùm, ut est *in Consuetud.* Turonensi *art.353.* apud C. du Fresne *in Glossar.* in dominiis & prædiis nulla fixa sit æstimatio, quia pluris aut minoris æstimantur, pro varietate ipsorum prædiorum. Unde est quòd voci *librata terra* sæpe adjungitur vox *reditus*, ut appareat, non certum ac definitum agri modum hac voce denotari. V. eum *in Glossario*, ubi *Libra terræ* olim æstimatam sortem principalem vicesimo denario, addit ex *Charta* Roberti Archiep. Lugdun. ann. 1233. ut & Salmasium *ad Solinum pag. 292. & 683.* Uti autem *librata*, sic & *denariata terra*, & *obolata*, &c. passim occurrit.

Variæ Libræ species, ex eodem Auctore.

Æris, olim decima pars denarii, nempe assis, fuit. Hinc denarius nummus, dum librales fuerunt asses, decem valuit asses, quemadmodum dena pondo æris, *l.2.c.1.*

Anglica, sive Sterlingica, triens est *libra* Rom. atque 133. sestertiis respondet, *lib.3. c.8.*

Argenti, apud Romanos centum denariorum sive drachmarum fuit, adeoq; 400. sestertiis æstimata est. Unde duæ *Libræ* & selibra mille nummum sestertium valuerunt, *l.1.c.4.* & *l.2.c.7.* Earum sexaginta constituebant talentum Atticum, *lib.3. cap.3.* Apud Francos quantum valuerit, V. *infrà.*

Attica, pars fuit Romanæ, unde talentum Atticū, quod 6000. drachmarum vel 60. minis constabat, Prisciano interprete, valuit libras sexaginta, *lib.3. cap.3.*

Auri, valebat decem pondo argenti: Eamque Romani æstimabant, 4000. sestertium, seu mille denariis, *Ibid.* Sed sub Imperio Constantinopolitano quatuordecim amplius libris argenti æstimata est, *lib 2. cap.8.*

Denariorum, eadem est cum *Libra* Sterlingorum, ut patet, ex Not. Angliæ, apud Seldenum *Mari clauso.* Idem Gronovius *in Addendis.*

Flandrica, 93. sestertiis trienti respondet, *l.3.c.8.*

Francica, fuit viginti solidorum. Ad similitudinem enim solidi aurei, qui sub Constantini M. successoribus fuit & 12. milliarensibus vertebatur, percusserunt Franci argenteum, quem duodecim æstimabant denariis Francicis seu Sterlingis, faciebantque 20. solidi *Libram* argenti, ut Romani 60. milliarensi s, *lib. 3. cap 6.* Hinc origo Gallicæ & Anglicæ pecuniæ hodiernæ: Proin hodieque Galli *Libram* vocant 20. solidos, licèt tanto minores & solidum in 12. denariolos dividunt: Sicut Britanni 20. solidos sive schellingos, tertiâ parte, quàm fuerant recitiores, *Libram Esterlingorum vel Sterlingorum* appellant, & schellingum pariter in 12. penningos pro denariolis partiuntur, Idem *ib.*

Hollandica, sestertii tredecim & triens: sicut Gallica paulo plus 11. Idem *lib.3.c.8.*

Medica 96. denarios continebat, tum Græca, tum Romana: Ejus enim unciæ drachma vel denarius erat octava pars, *lib. 2. cap.6.*

Nummaria, constabat apud Romanos 100. denariis sive drachmis, *Ibid.*

Occidua, *in actis* Marcellini Papæ, videtur dici simpliciter Romana sive Italica auri, ex ordinatione Constantini in 72. solidos divisa; Cùm occiduarum partium prima semper Italia fuerit, *l.4.c.13.*

Ponderalis communis, 84. denarios capiebat seu drachmas: quippe cujus unciç pars septima esset drachma vel denarius, testibus Celso & Scribonio, quibus Plinius ac. edit *lib. 12. cap. 14.*

Romana Atticæ par fuit, 100. nempe denariorū sive drachmarum. V. suprà in voce *Argenti* libra, item in *Nummaria.*

Septiciana, memorata Martiali *lib.8. Epigr. 71.* à loco & agro Septiciano, in Hispania, Concordiæ Augusta Coloniç, unde eruebatur, nomen videtur accepisse. Proin *Septicianum argentum*, illud ipsum argentum esse videtur, quod Hispanum idem Poëta *l.8. Epigr.86.* vocat, Idem *l.4.c.13*

Sterlingorum vel Esterlingorum, triens est *Libra* Romanæ, Marcæ semis, 4. argenti uncias complexa, sestertiis respondet 333. assi trienti, Idem *l.3.c.6.* &c. V. quoque C. du Fresno *Glossario* &c.

Libra, inter decora Fori Amstelodamensis, in quo inprimis se spectanda offerunt Curia, seu Domus Senatoria & *Libra*. Est hoc ædificium opere elaboratum, formâ quadratâ, peristyliis lotidisq; ad ambulacri usum altiùs circumductis. Fores habet quadri-

fariam

farùm patentes, quæ quatuor Mundi plagis respondent. In singulis, magnis minisque lancibus ponderantur merces, quibus circumfusa quotidie vix officio suo par est: unde maxima ex ea vectigalia ærario Urbis provinciæque accedunt, *ut vix illâ quæstu annuo locupletiorem domum totâ Europa conspici se credere*, scribit C. Bariæus *in Medicea*. Cæterùm de *Libra*, quâ pondera expenduntur, V. hic aliquid, ubi de *Lancibus*, & *Ponderibus*: de *Libra* v. *nummaria* hoc unum addo, in Francia, rationibus *ad Libram* subductis, introductam esse rationem numerandi *ad Scuta*, sub Carolo IX. ann. C. 1577. uti adnotat C. du Fresne in voce *Moneta*.

Librarius, apud Martialem *lib. 4. Epigr. 90.*

> *Jam* Librarius *hoc & ipse dicit!*
> *Ohe jam satis est, ohe libelle:*

est qui libros transcribit, quod ministerium, ante Typographiam repertam, frequens ac nobile fuit. Nominis etymon habes apud Hieronymum *lib. 1. Epist. 1.* quæ est ad Nitiam: *Ante chartæ aut membranarum usum, aut in dedolatis è ligno codicillis, aut in corticibus arborum mutuò epistolarum alloquia missitabant, unde & portitores earum tabellarios, & scriptores à libris arborum* Librarios *vocavere.* Mentionem eorum servat antiquus titulus, in Musæo Carpensi Romæ,

JUCUNDUS
DOMITIÆ
BIBULI LIBRAR.
AD. MANUM.

Munus aliquod Cicero indicat *ad Attic. lib. 12. Et erit gratius, si non modò libris tuis, sed etiam in aliorum per* Librarios *tuos Aristophanem reposueris pro Eupoli.* Et Cicero filius *ad Tiron. Peto à te, ut quàm celerrimè mihi* Librarius *mittatur, maximè quidem Græcus. multum enim eripitur mihi operæ in exscribendis hypomnematis.* Antiquarios hinc alii, Sidonius Apollinaris *Scribas* & *Bibliopolas* vocat. Sed & *Librarias* in ministerio fuisse, dicimus ex antiquo Lapide:

SEXTIA. XANTA.
SCR. LIBRARIA.
EM. OL. II.

Juvenalis *Sat. 6. versu 475.*

> *— — perit* Libraria, *ponunt*
> *Cosmetæ tunicas —*

Scribit quoque Eusebius, Origeni ad manum fuisse *Librarios*, unà cum puellis, quæ scite & concinne scriberent, *Histor. Eccl. l. 6. c. 17.* &c. Quam in rem plura apud Salm. *Prolegom. ad Sol.* & Popmam *de Op. Serv.* ut & infrà, ubi de *Librariorum Notis*. Apud Vegetium *lib. 2. cap 7.* occurrunt *Librarii*, inter castrensia officia, quo nomine ii veniunt, qui *rationes ad milites pertinentes in libros referebant*. Vide quoque Paternum *l. ult. ff. de jure immun.* Etiam sic nominatos legas, qui cujusque possessionem in tabulas publicas regerebant, apud Ciceronem 2. *in Rullum*, ubi de XV. Viris, quos ille agris dividendis instituere conabatur, sermonem habet. In *Charta* Henrici III. Imp. A. C. 1056. *Videlicet ut electionem Primicerii faciant, sive Decani, Cantoris, Librarii atq; Custodis Ecclesiæ S. Stephani: Librarius*, dignitas Ecclesiastica est, in Ecclesiis Cathedralibus Communionis Rom. eadem forte Carolo du Fresne, quæ *Cantoris*, qui & *Armarius* dicitur. V. eum *in Glossario*. In *Codice* Theodos. *Librarii* dicuntur, qui describendis actis judicialibus dabant operam, *l. 1. de lucr. offic. leg. 1. de Decur. Urb. Romæ*, apud JC. Symmachum &c. *Librarius Cos. Librarius Quæstorius trium decuriar. Librarius Tribunicius*, in vett. *Inscr.* passim.

Libri Chartacei, non minùs ac chartæ, in scapum convolvi atque complicari apud Vett. consuevere: Unde & *tomus* & *volumen*, de *Libro*, h. e. de charta scripta, non minùs dicebatur, quam de charta nondum scripta; sed *scapus* propriè magis de charta, *tomus* verò & *volumen* de libro. Si qua verò fuit inter *chartæ scapum* & *Libri volumen* differentia, hæc fortè fuit, quòd scapus chartas inter se junctas & compactas certo numero haberet, vicenas putà vel denas: Libri verò, prout breviores aut majores erant, ita pauciores aut plures schedas continebant. Dicebantur autem propriè *Schedæ*, singulares plagulæ; ex scapo chartarum revulsæ, quibus committebant, quidquid subitâ & tumultuariâ scriptione essent commentati, quod emendatum postea in mundiorem chartam regerebatur; atque hæ in aversa quoque parte, h. e. in tergo scribi & exarari solebant, unde *Opistographorum* nomen. At *Libri* emendati & mundè scripti in tergo scribi non consuevere, nisi qui nimiùm longi essent & extra modum traherentur ac mensuram justam. Arator,

> *Si tibi, Magne, velim fasces numerare Parentum,*
> *Vix daret in tergo pagina lecta locum.*

Martialis, in Picentem quendam,

> *Scribit in aversa Picens epigrammata charta,*
> *Et dolet, averso quòd facit illa Deo,* &c.

Nempe *Libri chartacei*, de quibus hactenus, qui in volumina contotulabantur & paginis ad paginas adglutinatis in longam sæpe paginarum seriem extendebantur. Aliter in *Libris ex membranis*: Hi enim ex multiplicibus tabellis & foliis construebantur & compingebantur, haud secus ac nostri libri solent; qui ex multis constant foliis aliis super alia structis & inter se compactis. Martialis, *Homerus in membranis*,

> *Ilias & Priami regnis inimicus Ulysses*
> *Multiplici pariter condita pelle latent.*

Apud eundem, *Virgilius in membranis*,

> *Quàm brevis immensum cepit membrana Maronem,*
> *Ipsius vultus prima tabella gerit.*

Ubi *prima tabella*, est τὸ πρῶτον πτυχίον, *primum folium*. Quomodo & pugillares componi solebant, ex pluribus tabellis, quæ πτυχία Græcis: unde δίπτυχα, Latinis *Duplices* &c. Integrum verò corpus membranaceum, multiplici sic tabellâ structum, *massam* vocat idem Poëta, ubi de Ovidii Metamorphosi, σωμάτιον Græci. Atque libri hi, omnia folia sive tabellas membranaceas, ex utraque parte scriptas habebant, & probè succinctique compacti in non adeo magnam molem assurgebant. Compingebantur autem per quaterniones, quos τετράδας Græci & τετράδια vocabant, h. e. *per quaterna folia simul juncta*. Epiphanius, [illegible], apud Salmasium *Not. ad Vopiscum in Firmo*, ubi plura hanc in rem. Vid. quoque hic passim.

Liburia, apud Erempertum *Epitom. Guido—in Gariliano castrametatur—Is autem appropians ad pontem, qui Theudemundi vocatur, castrametatus resedit aliquandiu, & ablato ex Liburia frumento aliisq; victualibus delatis ad Capuanos* &c. prov. est Regni Neapolitani. quæ aliàs *Terra Laboris*. V. ibi, & suprà in voce *Labor*.

Liburnæ Naves, unde dictæ sint. V. in voce *Liburnia*. Hæ *Liburnis*, qui nauticâ & piraticâ inclaruerunt, loris suebant, Salmasius *ad Solinum pag. 264*. Illis Romani in mari utebantur, sicut *lusoriis* in fluminibus: duo enim apud eos fuisse genera classium, retro diximus. In antiquis saxis, quæ *Liburnas* sculptas exhibent, rostra tridentia visuntur, quæ fluctus scindunt in infima proræ parte. Virgilius,

> *Convulsum remis, rostrisq; tridentibus æquor.*

Supra illa caput tauri aut porcis aut arietis, aut alius cujuslibet animalis prominens habetur. Pollux, [illegible]: ubi δελφινοφόρον vocat navem, quæ effigiem *delphini*, in ea parte stantem, pro insigni habebat; quemadmodum ταυροφόροι & κριοφόροι dicebantur, quæ effigiem *tauri* aut *arietis* habebant. Sic *Pegasus*, parasemon Liburnæ fuit, cujus meminit Scholiastes Juvenalis, ubi de Trierarcho. V. iterum Salmasium *Exercitat. Plin. ad Solinum pag. 570.* ut & infrà, in vocibus *Parasemon* & *Tutela*.

Libycæ Feræ, apud Flav. Vopiscum *in Aureliano*, *Præcesserunt elephanti viginti, feræ mansuetæ Libycæ, Palæstinæ diversæ ducentæ* &c. leones sunt mansueti & leopardi; hi enim *Libycarum ferarum* nomine fere apud Vett. censebantur. Imò soli leopardi interdum illo nomine veniebant; quos *Africanas* simpliciter vocat Plinius *cap. de Pantheris*. Sic apud Virgilium,

> *— — — impellit* Libystidos *ursæ*:

Ubi Servius, *aut revera ursæ*, inquit, *aut feræ Africanæ*; pardum aut pantheram intelligens, non *leonem*, ut putabat Lipsius. Inde *Libycæ pelles* pretiosæ, pantherarum nempe aut pardorum, quas sola macularum varietas commendabat. Hesychius, Λιβυκὴ δορὰ, ὡς καλλίστη, *Libyca pellis, ut pulcherrima*. Idem Λιβυκὴν [illegible] exponit ποικιλόχροον, h. e. *maculis varium*, quod solis pardis pantherisque competit &c. Salmasius *ad locum cit.* At *Libycum Lignum* seu Θύον, idem cum citro, V. Salmasium *ad Solinum p. 953.* & suprà, ubi de *Citro*. Apud Plinium *Libys puer tenens tabellam, & mala ferens nudus*, ex ære, inter Leontii opera, quæ Olympiæ olim visa, memoratur *lib. 34. cap. 8*. *Libyssa* verò *Sibylla*, an Debora fuerit? V. Tob. Pfannerum *Systim. Theologiæ Gentilis c. 1. §. 4.*

Licentia, terminus Academicus, à quo *Licentiati* dicuntur vulgo, qui, annis 4. in LL. studio consumtis, ab illa præscripta & definita Studiorum Lege, quam Justinianus statuit, absolvuntur: quasi qui *licentiam* ac missionem à Magistrorum castris impetrarunt. V. infrà, in voce *Prolyta*, & plura hanc in rem apud Hottomannum JC. clarissimum. Eodem modo vocatur facultas data Doctoribus seu Professoribus profitendi publicè, apud Marsilium Patavinum *in Defensore Pacis Part. 2. cap. 11.* Sed & in Sorbonâ Parisiensi sic appellatur biennium illud, quo Theologiæ Baccalaurei, post rigidum examen, admissi, specimina eruditionis suæ edunt, antequam Doctoratûs axioma consequantur, P. Richeletus *Diction. Gall.* At apud Longobardos, *Mala licentia* olim dicta est, facultas peccandi uxoria marito indulta. *LL.* Luithprandi R. *tit. 103. De mala licentia mulieri data.* Mox, *Si quis conjugi suæ malam licentiam dando dicat, Quia vade & concumbe cum tali homine* &c. Adde L. Longobardorum *lib. 1. tit. 26. § 6.* Nam cum adulterio uxoris matrimonium solveretur, interdum qui uxores dimittendi quærebant occasionem, eas ad adulterium perpetrandum impellebant: quo statim probato, ab iis divellebantur. Sed prohibitum id *Capitular.* ann. 757. *cap. 1.* & *lib. 5. Capitular. cap. 21.* ubi illi, cujus uxor adulterio se polluit, aliam uxorem ducendi facultas conceditur, hac conditione in *Cod.* Thuano additâ, apud C. du Fresne *in Glossar.* *Si absq; ejus consensu factum fuerit illud adulterium. & si ab ea abstinuit, postquam rescivit. nam cum illa reconciliari (non) potest.* De duplici modo faciendi aliquid *licentiam* in Monasteriis, ab Abbate, petendi, *verbo* vel *signo*. V. eundem *ibid.*

Licha, locus Germaniæ sup. in Comit. Solmensi, sub proprio

Comite

Comite ex hac Familia. Cùm enim Otto, communis Pater omnium hodiernorum Comitum, in illustri hac familia, decessisset, A. Ch. 1409. major ejus filius Bernardus, Braunfelsinam lineam ex se dedit, quæ iterum in tres ramos subdivisa: ab altero Johanne, *Lichensis* & Laubachensis linea, descendunt; quarum illa iterum in *Lichensem & Hohensolmensem* subdistincta. V. Spenerum ubi suprà *Part. II. pag.* 18. & *Part. III. pag.* 34.

Lichi, nomen suavissimi apud Sinenses fructus, qui, in variis ejus Imperii provinciis, magnâ copiâ crescens, circa *Hinghoa* censetur optimus, & per dispositos hoc fine cursores in Regiam mittitur adhuc recens. Nascitur in magnis procerisq; arboribus, quarum folia lauri imitantur, e ramorum summitatib. racemi prodeunt, in quibus, ut in uvis, fructus est, sed rarior, ac longioribus pedunculis dependet: fructus figurâ omnino corculum refert, magnitudine nucem æquat juglandem, parvum strobulum seu nucem pineam repræsentans, squamoso, sed non adeò crasso cortice; quippe qui, ad membranæ tantùm crassitiem accedens, vel solâ manu faciIè detrahitur. Intus succulentus est nucleus, albi coloris, saporis ac odoris rosacei suavissimi. Cum maturuit fructus, purpurei est coloris, videnturque istæ arbores, purpureis cir cumquaq. quasi cordibus ornatæ, amœnissimo aspectu astantium oculis arridere. Os seu calculum caro intus ambit ac circundat, qui, quò minor est, eò censetur fructus melior ac præstantior. *Regem fructuum* meritò dixeris, qui, quasi esui & spectantium voluptati natus tantum esset, ita delectat, ut nunquam satiet: Nucleo, ad instar tragematis cujusdam rosacei congelati, ut vulgò vocant, liquescente in ore. Auctor Anon. *Sina & Eur. cap.* 36.

Licia, apud Godefridum Mon. S. Pantaleonis an. 1219. Jac. de Vitriaco *in Hist. Orient. ann. eod.* Vincentium Bellovac. *l.* 32. *c.* 99. Matth. Parisium p. 211, 213 Aliosq; recentioris ævi Scriptores; *Alarq*, apud Scylitzam p. 38. *Lices*, Gallis: castrorum sunt urbiumq; repagula; à *liciis* seu staminibus vel funiculis dicta, quòd ea ex funibus primùm conficerentur, vel quòd, staminum instar, junctim erigantur. Car. du Fresne.

Licinius Imbrex, vetus Comœdiarum scriptor, citatur A. Gellio *l.* 13. *c.* 22. ubi ex fabula ejus *Neæra* hic versus adducitur:

Nolo ego Neæram te vocent, sed Nerienem,
Quum quidem Marti es in connubium data.

Et Festus quidem, *Imbrex*, inquit, *nomen est cujusdam Comici*; atq; in voce *Obstitum*, hujus versus ex illo meminit,

Resupina obstito capitulo sibi ventum facere tuniculâ.

Vossius *in de Poëtis Lat.* dubitat, num hic idem sit cum *Licinio* Tegula, qui floruit ann. U. C. 554. quo carmen scripsit à ter novenis Virginibus decantandum, ut testatur Livius *lib.* 31. cùm Imbrex sit incurvum genus tegulæ. Unde Plautus *Mostellariâ Actu* 2. *Sc.* 4.

Quòd meas confregisti imbrices & tegulas.

V. Cic. *de Fin. l.* 1. & *libb. de Divin.* ut & in voce *Licinius Tegula.*

Licitatione factâ exhilarandi convivas mos, occurrit apud Suetonium *Augusto c.* 75. *Solebat & inæqualissimarum rerum sortes & adversas tabularum picturas in convivio venditare: incertoq; casu spem mercantium vel frustrari vel explere: ita ut per singulos lectos licitatio fieret & seu jactura seu lucrum communicaretur.* Ubi *sortes* nonnulli male confundunt cum apophoretis, quæ gratis dabantur, non venditabantur, uti hæ ab Augusto. Magis affines sunt illæ sortes convivales, de quibus scribit Lampridius *Heliogabalo.* Rei obscurum vestigium in Commentariis Græcorum. Athenæus *lib.* 13. [illegible] V. Casaub. *ad Suetonium d. l.*

Licium, civ. & prov. Italiæ in Regno Neapolit. quæ vulgò *Lecce* dicitur. Anonymus Mon. Cassin. *in Chron. an* 1190. *Tancredus Comes* Licii, *qui apud Trojam cum quibusdam aliis juraverat fidelitatem Constantiæ uxori Henrici, Regis Teutonicorum*, apud Car. Macrum *in Hierolexico.* V. in voce *Aletium.*

Licium, subtemen, tela, stamen quomodo distinguantur, docet locus Hieronymi *l.* 1. *Epist.* 15. *Itaq; subtemen & stamina, liciaque & telas, quæ mihi ad vestram tunicam paraverâ, vobis inconsulta transmisi; ut, quidquid mihi deest, vestro texatur eloquio.* Nempe *Licia* propriè sunt *ligamenta stamini connectendo* ut inquit Isidorus *Origin. l.* 19. *c.* 29. seu quibus stamina ligantur. Hinc apud Petronium Arb. *in Satyrico*, *Illa de sinu licium protulit variis coloris filis intertum, cervicemq; vinxit meam.* Patchalius *licium* interpretatur, non quidem filum laneum, sed stamen filis intertextum obligando aptum. Namq; sic alibi idem: *Simulq; pannum de carnario detulit furca, in quo faba erat ad usum reposita—ut solvit ergo licio pannum, partem leguminis super mensam effudit.* Ubi *licio* est, quâ parte erat licium seu funiculus, quo pannus vinciebatur. Non tamen à *ligando* dicitur, cùm primam habeat productam. Virgilius *Pharmaceutr.*

Terna tibi hæc primùm triplici diversa colore
Licia *circundo* ——

Et *Æn. l.* 11. —— *rumpitq; infixa bibitum*
Loricam, & summum degustat vulnere corpus.

A *lino* mavult Martinius deducere, ut *licium* sit q. *linicum.* Inde latiùs extensa vox ad filum quodcunque denotandum: ut ex priore Virgilii loco liquet. Sic Statius *Thebaid. l.* 8. *v.* 382.

—— *Fracta rumpuntque* licia *Parcæ.*

Græcè μίτος, unde opus πολύμιτον, de quo V. infrà, ubi de opere *Plumario*, ut & in voce *Polymitum.*

Licormus, mons Arcadiæ, apud Lutatium *ad Stat. Theb. l.* 1. *v.* 356. quem etiam agnoscit *Licorum* nomine Boccatius: *Lyceum* verò appellat Plin. *l.* 4. *c.* 6. de quo V. C. Barth. *Animadv. ad Statii locum.*

Lictor, dictus à *ligando*, juxta illud, *Lictor colligat manus*: vel à *ligandis fascibus*, ut vult Festus: vel à *limo* seu *licio*; licio enim transverso, quod *limum* appellabatur, qui Magistratib. præministrabant, cincti erant. Sed primum placet A. Gellio *lib.* 12. *c.* 3. quem Nonius sequitur, ostendit morem antiquum ligandorum, qui castigandi essent, ex Marco Tullio, cum ait: *Lictoris proprietatem à ligando dictam vetustas putat. Isti enim antiquitus carnificis officio jungebantur:* nempe antequam carnifices Romæ essent. Valgius apud Gellium: *Quum Magistratus P. R. virgis quempiam verberari jussissent, crura ejus & manus ligari vinciriq; à viatore solita sunt; is q., qui ex collegio officium ligandi haberet, Lictor est appellatus.* Gr. ῥαβδοῦχος, à virgis, quas gerebant. Hi præter Celeres, de quibus suprà, succinctis vestibus & expediti ad plectendos facinorosos, Regibus primum inserviebant, ipsisque curuli sella vectis præferebant fasciculos virgarum, intra quas obligata securis erat, sic ut ferrum in summo falce extaret. Duodecim erant numero, quem Romulus sumsit vel e numero avium, quæ augurio ipsi regnum portenderant, vel ex Hetruscis finitimis, quòd iis ex 12. populis communiter creato Regi, singuli *Lictores* dederint, Job. Rosinus *Antiqq. Rom. l.* 7. *c.* 3. Postea iisdem usi sunt Consules, Prætores, Interreges, Dictatores, & si qui alii Magistratus non potestatem solùm habuerunt, sed etiam imperium: quemadmodum viatoribus leguntur usi, quorum potestas potiùs, quàm imperium extitit. Eorum munus erat, populum summovere, fores percutere, quà intraturus erat Consul, sontes virgis cædere & securibus ferire, ut ex Livio patet, qui eos etiam alicubì *aditus summotores* vocat. Hos in plebe Rom. fuisse idem ostendit, apud quem aliquis ex plebe queritur, 24. *Lictores* apparere Consulibus & eos ipsos plebis homines. Punico autem bello confecto, qui Magistratibus in provincia apparerent, eos fere Bruttios fuisse, unde *Bruttianos* dictos, tradit A. Gellius, V. Rosinum *l.* 7. *c. ult.* Porrò *Lictores* singulos Curiatis Comitiis, singulis Curiis officii causâ, non autem ut suffragia ferrent, adfuisse idem docet *l.* 6. *c.* 4. Iidem laureati triumphantem currum antecedebant, teste Plinio *l.* 35. *c.* 18. & Cic. *Philipp.* 1. *Vehebatur in essedo Tribunus Pl.* Lictores *laureati antecedebant.* Nec omittendum, Sacerdotibus quoq; *Lictorem* & Apparitorem ex Lege antiquitus datum fuisse: Unde Seneca Pater, *Non sine causa*, inquit, *Sacerdoti Lictor apparet.* His tamen publicè tantum Sacerdotes utebantur, cum Vestalibus, ut Pontifices, Augures, Quindecimviri, Flamines. Quare Liviæ, quum Augusti sacerdos Senatusconsulto constituta est, decretum, ut *Lictore* in sacrificio uti posset, nihil ad veterum sacrorum rationem facit, quæ ut cœtera adulatione depravata fuit. *Lictor* Pontificum in antiquis Inscr. est apparitor. Fragmentum marmoris in via Appia: *Apparitori. Pontificum Parmularia.* Iidem Pontificum *Calatores* dicti, Gloss. vett. [illegible], & Comitia calabant, & à Pontificibus sacra facturis præmittebantur, ut sicubi viderent artifices adsidentes, opus eorum prohiberent, ne Deorum attaminarent ceremonias, Gutberius *de vet. Jure Pontif. urbis Romæ l.* 20. *c.* 15 Lucernam sepulchralem, continentem in area sua Aram, inter duos erectos fasces *Lictorios*, exhibet Fortunius Licetus *de reconditis Antiq. Lucernis l.* 6. *c.* 103. De discrimine *Lictorum* & servorum publicorum, V. Tit. Popmam *lib. de Operis Servorum*, & plura hanc in rem apud Laur. Pignorium *de Servis* & Salmasium *ad Lampridium in Alexandro Sev.* ubi *de Lictorum Proximo*, h. e. primo & principe lictorum, quem Græci Ἀρχιραβδοῦχον vocant. Apud Papiam, *Lictores* sunt *Ecclesiæ assertores: qui Laici sunt, & in choro inter Clericos in Missa Apostolum legunt; vel quod Subdiacones faciunt, & hi faciunt.* Hos Africam vel reliquas regiones habere, *addit.* V. C. du Fresne *in Glossar.* ubi *de Lectoribus* cum omnino agere ait: De *Lictoria* verò, Decuriâ Consulari, in *l.* 1. *Cod. Theod. de Luer. off.* J. Gothofredi.

Liechtenberga, Germ. *Liechtenberg*, castrum Germaniæ sup. munitum, cum regione adjacente, sub proprio Comite, ex Familia Hanoviæ Comitum illustri, A. C. 1678. à Gallis captum. Accepit autem *Liechtenbergium* Dominium Joh. Ernestus, seu potius Philippus, Hanoviæ Comes, filius minor natu Reinhardi, qui obiit A. C. 1451. frater Reinhardi, qui Hanovicum ramum propagavit, donec extremos ejus palmites, *Hanovicum* Philippus Ludovicus 1641. & *Schvvartzenfelsium* Joh. Ernestus A. C. 1642. terminarent. Philippus hic itaque novæ lineæ sic auctor extitit: cui ex Biponcina familia Bitschensis & Ochsenstenia (non sine controversia tamen cum Leiningensibus Westerburgiis) hæreditas accessit, atq; demum ipsa agnatorum successio. Series eorum ita habet: Philippus Com. Hanoviæ *in Liechtenberg*, mortuus An. C. 1538. ex Sibylla Badensi (fil. Christophori Marchionis) pater fuit Philippi cognom. *Senioris*, qui obiit 1590. relicto ex Eleonora Furstenbergia (fil. Friderici Comitis) filio Philippo cogn. *Juniore*, extincto A. C. 1599. Hoc & Margarethâ Bipontinâ (fil. Jacobi ultimi Com. *in Zvveibrucken & Bitsch*) genitus Johannes Reinhardus I. qui decessit A. 1627. Pater fuit ex Maria Elisabetha Hohenloica (fil. Wolfgangi Com. *de Hohenloë in Langenburg*) Philippi Wolfgangi, defuncti A. C. 1641. Hic, ex Maria Oetingensi, (fil. Lodovici Eberhardi Comitis) suscepit Johannem Reinhardum, fratresque ejus,

Nassau Frid.

Fridericum Casimirum & Johannem Philippum, cum Agatha Christina Com. Palatina Rheni: è quibus Johannes Reinhardus solus liberos suscepit, Johannam Magdalenam (n. 1660.) Franciscam Albertinam (n. 1663.) Philippum Reinhardum (n. 1664.) & Johannem Reinhardum (1665.) *Comites Hanoviæ &c.* lineæ *Liechtenbergicæ, in Bischofsheim*, gentis totius unicam spem. V. sæpius laudatum Spenerum *Theatr. Nobil. Europ. Part. I. p.* 156. *& in Indice.*

Liechteneccia, Germ. *Liechteneck*, castrum Germaniæ, in agro Wirtenbergensi, sub proprio olim Comite, ex Familia veterum Tubingæ Comitum, in qua circa A. C. 1000. memoria Adelberti Com. Palatini Tubingæ celebris fuit. Lineæ fuere plures, sed non diuturnæ. Postquam verò Gothfridus & Wilhelmus fratres Tubingam vendidere Wirtenbergicis Comitibus A. C. 1342. rebus accisis splendori familiæ non parum decessit, quem in dynastia *Liechteneck* utcunque turbantur, donec ultimus marium Conradus Wilhelmus lineam clausit, A.C. 1630. unicâ filiâ relictâ, Elisabethâ Bernhardinâ, quæ nata A.C. 1614. nupsit Carolo Com. Solmensi & Neoburg. ad Æunum. V. iterum Spenerum *Part. I. p.* 88.

Liechtensteinium, nomen Principatus in Germania, sub proprio Principe: quam Familiam, ab Azone, Actiorum gente edito, derivare amant. In Annalibus non infrequens ejus occurrit memoria, inprimis affinitates, ex nobilioribus Austriæ Domibus quæsitas, observare licet. Progenitores hodierni Principis hi sunt: Georgius Dn. *de Liechtenstein*, ex Hedvige fil. Hartneidi Dn. *de Pottendorf*, Georgium genuit, maritum Agnetis *de Eckards-Auv* & patrem Hartmanni: quo & Johannâ *de Mayenburg* genitus Georgius Hartmannus, suscepit ex Susanna agnata (fil. Georgii Liechtensteinii & Magdalenæ Polhemiæ) Hartmannum, defunctum A.C. 1585. Hujus, ex Anna Maria Ortenburgica (fil. Caroli Comitis) fil. Gundaccarus I. Principale axioma primus familiæ intulit, & ex Agnète Frisia (fil. Ennonis Com. Frisiæ Orientalis) defunctâ A.C. 1616. genuit Hartmannum Principem *de Liechtenstein*, patrem Gundaccari II. qui ex Elisabetha Lucretia Duce Teschinensi, genuit Ferdinandum Johannem & Mariam *Principes Liechtensteinii & Duces Troppavienses.* Idem *Parte I. p.* 51. & *Part. III. p.* 86.

Lien, an a *ligando*? Plautus *Curcul. Nam quasi liene zonâ cinctus ambulo.* An à λύω, *solvo*, quod curis nos liberet, ob rationem mox dicendam; an à λεῖος, *lævis*, *mollis*? *Adnectitur* (ventriculo) *in sinistra parte adversum jecori, cum quo locum aliquando mutat, sed prodigiosè—Peculiare cursus impedimentum aliquando—quamobrem inuritur cursorum laborantibus. Et per vulnus etiam excepto vivere animalia tradunt. Sunt qui putent adimi simul risum homini: intemperantiamque ejus constare lienis magnitudine &c.* Pl. *l.* 10. *c.* 37. Ubi quod *de impedimento Cursorum* habet, confirmatur ex Plauto, qui præter dicta, *in Mercatore* introducit Acanthium cursorem sic loquentem,

Perii, seditionem facit lien: *occupat præcordia.*
Perii: animam nequeo vertere &c.

Quod de risu, pluribus explanat Cœl. Rhodiginus *Antiqq. Lection. lib.* 4. *cap.* 18. Græce σπλήν. V. infrà *Splen.*

Lien, flos Sinicus, crocei coloris, in Hoquaniæ, ad *Tan* civitatem, lacu; alibi aliis coloribus fulgens. Et quidem in prov. Kiangsia maxime abundat, per aquas stagnantes, quarum sedimentum limum efficit; crescit ad duos tresve cubitos, aquæ superficiem eminens, duris fortioribusq; stolonibus adnexus: pluresq; flores sæpe una radix fert, qui varii coloris, purpurei, albi, mixti, rubri & ejusmodi inveniuntur. Lilia nostra magnitudine superant, ac longè magis pulchritudine, cedunt tamen illis odoris, quo carent, fragrantiâ: tulipam maximam diceres, figurâ non admodum discrepante. Folia stirpis maxima sunt & plerumq; figuræ rotundioris, aquæ superficiei incubantia ac supernatantia, quæ ubi exsiccata fuerint, olitoribus, scrutariis, aliisq; minutiorū mercium propolis, loco papyracei involucri aut cuculli sunt, quibus merces divenditas infarciunt. Cujusmodi integros sæpe videre lacus floridos, res amœnissima est, V. suprà in voce *Floridi Lacus.* Radix floris ipsa quoque præclara est suumq; habet usum; quippe ad brachii humani crassitiem sæpe excrescit, duosq; aut tres cubitos intra limum subtilissimum delitescit, tota geniculis atq; internodiis distincta. Cùm autem exterior ejus cortex plane integer sit, medulla ipsa seu caro, magnis quasi canalibus intus perforata est, colore maximè albo, carduumq; nostratem, licèt paulo insipidior sit, refert, atq; æstivo tempore, quód frigidiuscula sit, in deliciis ac pretio est. Fructus tandem, qui figurâ planè conicâ est, & magnitudine palmam manus excedit, crassitie pugnum, armatur cortice viridi, molliori tamen, habetque intus nucleum album, optimi saporis, quem utpote magnarum ad alimentum virium, debilioribus, post ægritudinem convalescentibus, Sinici Medici maximopere commendant. Auctor Anonymus *Sina & Eur. cap.* 31. & 32.

Liga, apud Alb. Argentinensem *in Chr. A.C.* 1337. *Marchio cum Mastino Veronensi* ligam *contraxit &c.* confœderatio, fœdus est, quo quis cum alio *ligatur*, vinciturque: *Ligue* Gallis; apud quos *Liga Sacra* famosum, præt. seculo exeunte, nomen fuit. Cùm enim lanienâ Parisiensi ad desperationem adacti Hugonotæ, ut vocant, ab eo tempore ferro & flammâ ita devastarent Galliam, ut plures arcium, templorum, monasteriorumq; ruinæ extiterint, quàm in immani illa laniena homines interfecti ac planè ultio tanto scelere digna sumpta esset; Omnes iterum contrà insurrexerunt Hispani Guisianique, ac icto inter se fœdere novo, quod *Ligam Sacram* dixerunt, instaurare antiqua bella ac pertinacibus armis excindere Hugonotas, quorum Dux Henricus erat R. Navarræ, secum constituerunt. Imò ulteriùs progressi, quoniam Valesia Familia, in Henrico III. ad ultimam orbitatem redacta erat, Guisiani, velut ex Carolingis oriundi, nihil dissimulato ambitu, Regnum ipsum affectarunt: ipso Henrico socordiâ aliisque vitiis in tantum delapso vilipendium, ut merum esset Guisianorum ludibrium. Cujus opprobrio ut animum explerent, in omnibus ad Ligerim oppidis spargi curarunt, leprosum esse Regem, ac, ut illâ peste liberaretur, conquisitis undiq; formosis pueris, in eorum sanguine abluendum, jamq; missos undique conquisitores, qui per universum illum tractum pueros raperent. Sed hic tum demum, velut ex alto sopore excitatus, statuit dignas de sceleratissimis hisce pœnas sumere. Convocata itaq; Blesis Comitia A.C. 1588. in quibus, cùm Ducem Guisium ipsiusque fratrem Ludovicum Cardin. vultu alacri ac superbo comparentes vidit; ingredientem conclave suum priorem per satellites pugionibus confodi, postridieque fratrem ejus strangulari, jussit: Utriusq; cadaver igne crematum cineresq; in Ligerim dispersi sunt. Hinc acriter detonare Pontifex, excommunicare Regem, pleraque Gallia ad *Ligistas* deficere: Quare Henricus salutem suam totiusq; Regni, in Hugonotarum fide ac virtute, unicè sitam esse, cernens, cum Henrico Navarræ R. pace factâ, eum utpote agnatione proximum ac indubium Successorem, licet à Pontifice excommunicatum, *Hæredem* declaravit, ipsiusque exercitu auctus, Ligistarum metropolim Lutetiam obsidere cœpit; jamque obsessi laborare fame, cùm Jacobus Clemens Monachus è Prædicatorum ordine, in Regium cubiculum, prætextu literarum arcanarum, admissus eum confodit cultro, d. 1. Aug. A.C. 1589. quo ipso translatum à Valesiis ad Borbonios Regnum est, *quorum caput* Henricus Navarrenus, postquam aliquandiu cum *Liga* reliquiis colluctatus esset, illâ tandem confectâ penitus, Regnum pacavit, & ad posteros transmisit. Georg. Hornius *Orb. Imp. cum Notis L. Joachimi Felleri, pag.* 258. *& seqq.* V. eundem *in Orb. Polit. cum Animadv. Ottonis Menckenii p.* 71. ubi fœdus hoc inter Papam Rom. Regem Hispaniæ ac Ducem Guisiæ initum, sub prætextu hæreseos extirpandæ: occultam verò veramq; causam, translationem Regni Galliæ à familia Valesia & Borbonia ad Regem Hispaniæ vel familiam Lotharingicam, fuisse, addit. Sed & in Germania idem nomen inditum est fœderi, à Principibus Romanæ comunionis inito A.C. 1609. duce *Ligæ* constituto Maximiliano Bavariæ D. postmodum Electore: cui *Unionis* nomine fœdus aliud opposuere Principes Protestantes, auspiciis Friderici IV. Electoris Palat. quo pacto semina & fundamenta turbarum jacta sunt, quæ tandem, in atrox bellum erumpentes, triccennio integro Germaniam gravissimè afflixerunt, Phil. Jac. Spenerus *in Familia Palatino-Bavar.* Simile omnino fœdus illud, quod *Sanctum* appellatum, Heldi Cæsarei Legati ministerio, Norimbergæ percussum fuerat A.C. 1538. cujus primarii Duces, ex eadem Bavariæ Ducum familia, Vilhelmus Alberti V. Pater, & Ludovicus frater illius, fuere, tuendæ Religioni Pontificiæ, contra Protestantes, Smalcaldico mox bello involutos &c. apud Eund.

Ligandi & *Solvendi* arcanum seu mysterium fundamentale Theologiæ & Jurisprudentiæ, apud Hebræos, velut Encyclopædia fuit. Cùm enim varii essent inter illos Presbyteri, quidam Judiciariæ facultatis omnimodæ, quæ *jurisdictionis* contentiosæ esset, sive criminalis, sive civilis, capaces erant, dicebanturq; *Presbyteri universales*, & munere tam docendi in Jure Ebraico ac publicè respondendi, quàm judicandi universim, quoties scilicet sufficiendi essent Judices ejusmodi, donabantur. Præter hos, qui creati & ordinati erant ordinatione summâ, fuere alii etiam cum creati tum non creati, qui Presbyterorum nomine quoque ac dignitate vulgari qualicunque fruebantur; interim & dignitate & nomine, ut & facultate, & Universalibus illis & inter se, valdè impares. Et creatorum hujusmodi, quos *Particulares* vocare liceat, quidam judiciariâ quidem facultate, sed quæ tantùm circa causas civiles seu pecuniarias versaretur, in ipsa creationis formulâ, donabantur, adeoq; Synedriis fuere Triumviralibus solummodo inde idonei. Alii nullâ omnino facultate judiciaria seu id genus Magisterio donabantur, sed illo tantùm, quod in docendi & explicandi Juris Hebraici nodos ac dubia, per Responsa, quoties consulerentur, seu Casus conscientiæ extricandi munere publico consistebat; quod itidem interdum erat generale, ad casus ejusmodi omnigenos attinens, interdum etiam adeò particulare, ut ad hæc vel illa ejusmodi Casuum singularia genera, pro Ordinantium arbitrio, restringeretur. Atque hoc idem erat, quod *Potestas* seu *facultas decernendi circa Ligatum & Solutum*, ut vocant, seu Vetitum & Licitum, id est, *facultas Ligandi & Solvendi.* Quæ tamen potestas interdum negata, in ipsa Ordinatione, ei etiam qui aliàs in plenariam facultatem Judiciariam, quæ Forensis erat, ordinaretur; quinetiam tempore subinde ordinario circumscribebatur. Sed nemo hujusmodi ordinationis particularis capax erat, qui non etiam generali satis videretur idoneus, uti quidem Maimonides contendit, ex Gemara utraq; *Ad Misn. c.* 1. *tit. San.* cùm ait: *In more positum erat, ordinare quemcunq; vellent, ad res particulares, modò interim ipse rebus omnimodis esset idoneus. Sapientem præcellentem, qui idoneus ad decernendum circa Legem universam, fas erat Synedrio ordinare, & dare ei facultatem Judiciariam (forensem omnigenam) ita tamen ut* [illegible]

nunquam Ligandi & Solvendi *seu publicè in Casibus conscientiæ respondendi, facultati sese immisceret; aut dare ei facultatem ejusmodi* Ligandi & Solvendi, *sed minimè judicandi nequidem judicia civilia seu pecuniaria; aut dare ei facultatem illam utramq., minimè tamen Judicia criminalia judicandi; aut criminalia judicandi, neq. tamen solvendi* seu *responsa publicè dandi, de Primogenitorum maculis* seu *vitiis; aut dare ei facultatem solvendi vota tantummodo, aut intuendi, & sic* solvendo aut ligando *decernendi, de maculis aliisq. quibuscunq. similibus. Atq. ita facerent Ordinantibus, dare facultatem tempore præfinitam & dicere Ordinato, sit tibi facultas Judiciaria seu accretoria illa* (circa solvenda & ligenda) *usq. dum huc venerit Princeps* &c. Atque illud de אוסור והתר *Ligato & Soluto* hoc in sensu, millies apud Talmudicos occurrit. Magister autem aut Schola altera אוסר *Ligat*, id est, illicitum pronuntiat; altera סותר *Solvit*, seu pronuntiat licitum hoc vel illud, circa sanguinem, adipem, Fructus, alia esculenta, corporis vitia, id genus innumera, in sacra Lege, occurrentia. Unde etiam libri quam plurimi eodem titulo fruuntur, qui plane Casuum conscientiæ volumina Judæis sunt. Inde habentur אוסור והתל *Solutum & Ligatum* Rabbi Jonæ, Rabbi Nathan, R. Isaac Duranus & perplures ejusmodi alii. Titulus quoque integer in Talmude utroque seu Misna habetur הוריות *Horajoth* seu *Decreta* aut *Canones* dictus, qui susceptam disciplinam, circa illustriora Synedriorum maximè decreta, de Casibus conscientiæ, adeoque de peccati ex errore & scientia discrimine inde pendente, continet. Dicitur verò scientia illa seu facultas *Ligandi & Solvendi* à Magistris aliquot, *Mysterium fundamentale Ligati & Soluti.* Unde R. Joseph Hyssopæus. *in Paropside argent.* ad Filium: *Versare*, inquit, *interdum in Grammatica aut in contextu Biblico. Sed magnam partem occupationis tuæ pone in Gemara, ut scias Arcanum Fundamenti, Vetitum ac Licitum, & distinctionem inter vitiatum & rectum.* Ita vertit Johannes Mercerus, quod plane innuit, ac verti potest, *Arcanum*, seu *Mysterium fundamentale Ligandi & Solvendi* &c. Job. Seldenus *de Synedr. Part. 2. cap. 7. §. 2.* V. quoque infrà, in voce *Lyra*; & *de ligandi solvendiq., in Ecclesia potestate* Apostolis concessâ, à Servatore nostro, Matth. *cap. 16. versu 19. & cap. 18. versu* 18. Commentatores sacros. Addam hoc saltem, latere in verbis hisce elegantem metaphoram, ab antiquissimo ritu *nodo* (clavium adhuc usu ignorato) claudendi, quæ clausa vellent, eorundemque solutione aperiendi rursus: *ligare* enim hic idem, quod *claudere* & *solvere*, quod *aperire*, uti ex locis hisce liquet. V. infrà in voce *Nodus*. Alia notio vocis est, cùm oves apud Hebræos *ligatæ*, & agni *ligati* dicuntur: intelliguntur enim obesissimi & pinguissimi, quòd animalia saginanda *ligari* solerent, uti pluribus docet Sam. Bochartus *ad locum* Genes. *cap. 31. vers. 41. & 42. Hierozoici Parte prior. lib. II. cap. 46.* At *Ligaturæ*, apud citerioris ævi Scriptores, dicuntur amuleta quædam ad arcendos & depellendos morbos, aut de collo suspendi, aut circa alias corporis partes *alligari* solita; qualium magna mole scripta sua refersisse Xenocratem Aphrodisiensem & Pamphilum quendam refert Galenus *Simplic. pharmac. l. 6.* V. hic passim, inprimis ubi de *Magica Medicina*. De *Lingula ligatura*, dicemus *infrà*.

Ligea, adde: una ex tribus Sirenibus, quæ postquam in mare se præcipitavere, earum defunctarum corpora variis litoribus ac locis illata sunt; & Parthenopes quidem corpus in ea loca ejectum est, ubi postea Neapolis condita: Leucosiæ, ad eam Ins. quæ inde nomen accepit; *Ligea* ad Terinam urbem, ubi & sepulta est. Lycophr.

> *Λιγεια δ' εἰς Τέρειναν ἐκναυσθλώσεται*
> *Κλύδωνα χελλύσσουσα, τὴν δ' ἐν αἰγιαλοῖς*
> *Κρύψουσι ναυβάται ἐν σπιλαδώδεσι*
> *Ὠκινάρου δίναισιν ἀγχιτέρμονα.*

Quam Italiæ urbem, insulam esse scribit Stephanus, non minori errore, quàm Solinus *Ligeam* Ins. appellatam, abjecto ibi corpore Sirenis, refert. Non enim hoc Insulæ illius, sed Sirenis nomen fuit. Salmasius *ad eum pag. 62.*

Ligius, adde: Vocis originem Car. du Fresne arcessit, à *Litis*, de quibus *infrà*. A' *ligare*, efflictam volunt alii, quòd *hominio* ac *professione fidei* strictius domini servitio *alligatur* vassallus. Quò videtur respicere Guil. Apulus *de Gestis Normannorum lib. 3.*

> *Solus noluerat vires promittere Regi,*
> *Nec secum reliquos jurando jure ligare:*
> *Quippe juratus erat per ligamenta Joanni* &c.

Aliter ab eadem origine vocem deducit Jovianus Pontanus *de Gestis Ferdinandi lib. 2.* ubi, *Dicti*, inquit, *ligii, quòd ligatis Reges pollicitibus, illos fides imperiisq. suis sic vinciant atq. obnoxios statuant.* Unde vox *colligare*, hac in materia, apud Dudonem *de Moribus & Act. Normann.* & in *Synodo* Tull. apud Saponarias *can. 5.* Nec omittenda sententia Jac. Cujacii *ad Feudor. l. 1.* & Bignonii *ad Formulas Marculfi, lib. 1. cap. ult.* qui vocem *Lige* ejusdem esse originis volunt, cum voce *Leudis* & *Leodis* i. *Fidelis*: quemadmodum *Leodium*, celebrem Eburonum urbem, Galli *Liege* vocant. Vide suprà in voce *Leudes*, & plura hanc in rem, apud præfatum *Glossarii Auctorem*.

Lignaria Negotiatio, cujus meminit Capitolinus *in Pertinace Imp. Ei pater Helvius Successus fuit, qui filio nomen ex continuatione* Lignariæ negotiationis, *quòd pertinaciter eam rem gereret, imposuisse fertur*; infrà Coctilicia dicitur, *Pater ejus tabernam coctiliciam in Liguria exercuerat*: quæ viz. non circa quævis ligna, sed circa coctilia, quæ Græcis *ἄκαπνα*, versabatur. V. Casaubonum & Salmasium *ad l.* nec non suprà, ubi de Lignis *Acapnis*, & *Coctilibus*.

Lignesia, Familia in Belgio jam olim illustris, inprimis crevit Johannis Dn. *de Barbanson* meritis ac matrimonio, cum Margareta Marcana; ita enim Comitatus Arembergius, familiæ illatus est. Ex ejus filiis Carolus Princeps, Comes Arembergæ, ab uxore Anna Croviaca, Ducatum Arschotanum, Principatum Cimacensem ac Porceanum nactus est; denuò duorum, Philippi Ducis Arschotani & Alexandri Principis Cimacensis Pater: alter Robertus Barbansonios propagavit: universis verò Ducatus Arembergici axioma ab Imperatore collatum est. Et quidem Principum Cimacensium, ab aliquot seculis, hæc series est. Wilhelmus *de Lignes* Dn. *de Barbanson*, ex Hadriana (fil. Jodoci *de Halvyn*, Dn. *de Piennes*) genuit Ludovicum, maritum Mariæ *de Bergen* (fil. Cornelii *de Bergen* Dn. *de Grevenbroeck*) & ex illa patrem Johannis, qui extinctus A. C. 1568. ex Margareta Mariana Arembergica (fil. Roberti Marcani Dn. Arembergæ & Franciscæ seu VValpurgis Egmondanæ) superstitem reliquit filium Carolum, qui Principale axioma familiæ primus intulit, defunctus A. C. 1616. Huic ex Anna *de Crouy* (quæ marito supervixit, usque ad annum 1635. fil. Philippi Croviaci Ducis Arschotani) genitus Alexander Princeps Arembergæ & Cimaci seu *de Chimay*, obiit A. C. 1629. Pater, ex Magdalena Egmondana (filia Caroli Principis Gaveræ) Alberti Ducis Arembergæ, Principis Cimaci, extincti A. C. 1648. Quo & Clara Eugenia Arembergica (fil. Philippi Principis Arembergæ Duc. *de Arschott & Crouy*) patruele genitus est Ernestus Dux Arembergæ, Princ. Cimaci, A. C. 1643. nomine *de Lignes*. Phil. Jac. Spenerus *Theatr. Part. II. p. 78.* Eodem Philippo modò dicto, & conjuge tertiâ Mariâ Cleophe Hohenzolleranâ (fil. Caroli Comitis) nati sunt, Carolus Eugenius Dux Arembergæ (A. C. 1633. cui uxor obtigit Maria *de Cusance-Vergy* Com. *de Champlite*) & Maria Theresa (A. C. 1639. nupta postea Francisco Christophoro Com. Helffenstenio) *Ducas Arembergæ*. V. eundem Spenerum *Part. III. part. 39.*

Lignicia, adde: Nomine, Georgius Wilhelmus, V. in vocibus, *Piastus* & *Wilhelmus*. Eodem tamen Patre Joh. Christiano & alterâ conjuge, Hedvige Sitschiâ, nati post alios sunt Augustus & Sigismundus; quorum hic Baronis *Lignicii* titulum gerens, A. C. 1663 fatis concessit: ille dignitatem Comitis *Lignicii* nactus, & sub fratre Christiano Briegensis Ducatus Capitaneus, cum liberis superest, dignus Piasteâ origine, interim Principatuum successione, post defunctum Georgium Wilhelmum, exclusus, non aliam ob rationem, quàm quod Pater, tum numerosâ prole è priore conjuge Dorothea Sibylla Brandeburgicâ subnixus, filiorum ex posteriori conjugio susceptorum, in Feudorum petitione, rationem haberi non curasset. Enixè tamen à nepote morituro Imperatori per literas commendatus dicitur, V. Phil. Jac. Spenerum *Sylloge Geneal. Historicâ auctiore ac emendatiore*, A. C. 1677.

Lignum, pro Numine: in Caryatidis Dianæ, in Laconia, templo. Arnobius *lib. 6. Ridetis temporibus priscis Persas fluvium coluisse, Memoralia ut indicant scripta: Informem Arabas lapidem: Acinacem Scythicas nationes: Ramum pro Cinxia Thespios*, Lignum *Caryes pro Diana indolatum; Pessinuntios silicem pro Deûm matre.* Cœterum ejus multiplex in vita humana usus. Ut alia omittam, *ligna*, à vermibus exesa, Lacones olim signabant. Namque Trojanis temporibus, annuli usus apud Græcos ignoratus adhuc: proin non annuli notâ, sed nodo, conditæ arcis vestes ac vasa aurea argenteaque obsignata sunt, apud Hom. *Odyss. θ.* Lacones verò lignis quoque istiusmodi res quasvis signasse leguntur. Hesychius, *Οἱ Λάκωνες σφραγῖσιν ἐχρῶντο ξύλοις ὑπὸ θριπῶν βεβρωμένοις κατασημαινόμενοι* [illegible], *Lacones sigillorum loco, lignis usi sunt à tineis corrosis, sicq. quæ voluerant, signabant.* Ubi ex Philostephano addit, Herculis id fuisse inventum. Hinc signacula illa *θριπήδεστα* & *θριπόβρωτα* nuncupata. Etymologici auctor, *Θριπήδεστα τὰ ὑπὸ τῶν θριπῶν διαβεβρωμένα ξύλα οἷς ἀντὶ σφραγίδων ἐχρῶντο*, *Vox θριπήδεστα designat ligna à vermibus exesa, quibus signaculorum loco utebantur.* Eustathius *Odyss. α.* *Θριπήδεστα, ξυλάφια τὰ ὑπὸ θριπῶν βεβρωμένα, οἷς ἐχρῶντο οἱ σφόδρα οἰκονομικοὶ ἀντὶ γλυπτῶν σφραγίδων*, *Sunt autem θριπήδεστα parva quædam ligna, à vermibus erosa, quibus diligentiores Patresfamiliâs utebantur loco sculptorum signaculorum.* Atque hujus consuetudinis mentio fit, apud Lycophronem *Cassandrâ* & Aristophanem *Θεσμοφοριαζούσαις*, ut præter Casaubonum notavit Joh. Meursius *ad Lycophr.* V. quoque suprà, in voce *Clavis*. Sed & in calceatum Indis placuit; quos Philostratus *ex arborum corticibus* sibi calceos conficere solitos fuisse, docet *lib. 2. cap. 9.* A' quibus istiusmodi calceorum usus ad alios transiit: ita ut alii rudioribus & omnino *ligneis* usi sint, quemadmodum Germani veteres, referente Cluverio *Germ. Ant. l. 1.* & agrestes Poloni etiamnum, quorum soleas ex arboris *ligno* fabrefactas, funiculus in planta pedis adstringit; Alii paulo eruditioribus, quorum nempe soleæ tantùm ex ligno, cœtera è corio vel è quavis alia molliore erant materia. Qualia erant Tibicinum crupezia, apud Jul. Pollucem, *πεποιημένα εἰς ἐνδόσιμον χορῷ*, *facta ad auspicationem chori*: unde Bœotes *Crupezophoros* dictos esse, refert Tiraquellus *lib. 5. cap. 18.* Meminit quoque *solearum lignearum* Auctor ad Herennium, cùm ait: *Si quis parentes occiderit, vel verberaverit, ei damnato obvolvuntur os folliculo lupino, soleæ ligneæ pedibus induuntur*.

cantur. E quibus verbis patet, antiquitus damnatorum pedibus è *ligno* soleas fuisse inductas. In Gallia hodieque rustici ac tenuioris fortunæ homines, calceamentis ejusmodi, vernaculo sermone *Sabots* appellatis, passim utuntur, B. Balduinus *de Calceo Antiquo, cap.* 5. Græci hodierni etiam tintinnabula ex *ligno* habere leguntur: Quia enim campanarum illis usu interdictum, duo genera tintinnabulorum adhibent, Symandrum & Hagiosiderum. Quorum illud, è *ligno* præduro, & quantum hujus natura patitur, longo, tabula est lata digitos plus minus quinque, sesquidigitum crassa, longa fere pedes quatuordecim, cujus capita foramina habent nonnulla, pennæ anserinæ calamove scriptorio pervia: in medio autem tenuem funiculum continet, quo mordicus ab eo, qui instrumenti hujus sonitu populum ad templum convocaturus est, apprehenso, malleis duobus ligneis pulsatur. V. infrà in voce *Symandrum* &c. Porro *Ligno*, sontes verberati olim. Interpres antiquus Aristophanis in *Plutum*, explicat *Tympanum*, quod cùm idem esse supplicii genus cum Equuleo existimet, refutat Interpretem Hieron. Magius *lib. de Equuleo cap.* 8. *Quid enim*, inquit, *ligno aut fusti cum equo parvo & versatili tympano?* Verùm quia Tympanum aliud quid ab Equuleo esse certum est, frustra hic est Magius. Tympanum enim, ἀπὸ τοῦ τύπτειν, *à feriendo*, quasi τύπανον dictum, rotundus fuit fustis, vel bacillus, quo nocentes feriebantur ac necabantur: unde ἀποτυμπανίζειν, quæ vox Hebræorum *cap.* 11. *vers.* 35. reperitur, propriè videtur esse, *fustibus necare.* Helychius certè, τυμπανίζεται, ἀποτέμνεται, ἐκδέρεται, ἰσχυρῶς τύπτεται, i. τυμπανίζεται significat idem quod *feritur, excoriatur, fortiter verberatur.* Et alibi, τύμπανον, inquit, ξύλον ἐν ᾧ ἐτυμπάνιζον, id est, *tympanum est lignum, quo verberant.* V. Gothofredum Jungermannum *Notis ad Magii locum præfatum* & infrà, in voce *Tympanum.* Etiam v. *lignum*, cippus dictus, quo reorum colla & pedes constringebantur. Paulus de *Vita S. Martini lib.* 5.

Ast alii sursum porrecti robora ligni
Triste ministerium furioso corde parabant,
Ut caro distentu propere malè, pendula membris
Tortore laceros crucianda exponeret artus.

Hinc *in ligno suspendi, in ligno extendi, in ligno detineri ac constringi*, phrases sæpius occurrentes apud Auctores, qui de Martyrum passionibus commentati sunt: ἐν τῷ ξύλῳ δεθεὶς dixit Lysias *Orat.* 1. c. *Theomnest.* & Jo. Diaconus in *Vita S. Josephi Hymnographi num.* 12. V. Hesychium in Ἐγκλοιούμενος, Car. du Fresne *Dissert.* 19. *ad Joinv.* ut & hic passim, imprimis in voce *Cippus*, item *Nervus.* Ulterius *Lignum* cadaveri superponendi ritus, occurrit in *L. Bajuvar. tit.* 18 *cap.* 6 § 2. *Quia aliquoties conspicimus, cum cadaver humo immissum fuerit, & lignum superpositum cunctis adstantibus, ut requiratur dominus cadaveris & primus terram superjiciat.* E quibus verbis eruit Car. du Fresne, non in locellis, sed nuda aut linteis involuta humo condidisse, ac postea *lignum*, i. asseres superposuisse Bajoarios, antequam terra superjiceretur, *in Glossario.* De *ligni* ad luxum usu, sic Plin. *lib.* 16. *cap.* 43. *Quæ in laminas secantur, quorumque operimento vestiatur alia materies, præcipua sunt citrum, terebinthus, aceris genera, buxum, palma, aquifolium, ilex, sambuci radix, populus — Hæc prima origo luxuria, arborem aliâ integi, & viliores ligno pretiosiores cortice fieri, ut una arbor sæpius veniret. Excogitatæ sunt & ligni bracteæ, nec satis: cœpere tingi animalium cornua, dentes secari: lignumque ebore distingui, mox operiri,* & *quæ seqq.* Nec omittendum *Lignum impetritum*, quod 140. perticis, sub montium tegmine, repertum, in Musæo servari Kircheriano Romæ, narrat *in Descript.* ejus Georg. de Sepibus *pag* 42. De more v. Vett in *ligno* scribendi, hic passim &c.

Ligo, Græcè Σμινύη, instrumentum rusticum, quod in pompa Panathenaica, peplum, præter Athenienses omnis ordinis, omnis ætatis, prosequuti inquilini, ferre solebant, sicut filiæ eorum hydrias & umbellas, ex L. Τοὺς μετοίκους ἐν ταῖς πομπαῖς, αὐτοὺς μὲν σκάφας φέρειν κτλ. scriptâ circa belli Peloponnesii tempora, ubi Athenienses successu rerum insolescere cœpere, Ælian. *Var. lib.* 6. *cap.* 1. V. Sam. Petitum Comm. in *LL. Att. lib.* 2. *tit.* 1.

Ligula, vel *Lingula*, an à *ligando*, an à *lingua*? definit Martialis *l.* 14. *Epigr.* 120. cujus lemma, *Lingula argentea*:

Quamvis me ligulam *dicant Equitesque Patresque:*
Dicor ab indoctis lingula *Grammaticis.*

ubi gladiolum in speciem *linguæ*, seu spathulam, vox notat. Mensuræ genus est, apud eundem *lib* 8. *Epigr.* 31.

Quid tibi cùm phiala, ligulam *cùm mittere posses:*
Mittere cùm posses vel cochleare mihi.

Unde & cochlear s loco Vett. nonnunquam fuisse discas, V. quoque *lib* 8. *Epigr.* 19. Quartam partem cyathi continuisse, indigitat idem *lib. eod. Epigramm.* 71. drachmas tres scrupulum unum, habet Georg. de Sepibus *Descript. Musæi Kircher. pag.* 42. In strigili Aliptarum, Appulejus *Floridis*, *ligulam* appellat partem ejus incurvam superiorem, per cujus tubulationem sudor dilabebatur; quod, ligulæ non absimilis, oblonga, fornicata & contracta esset, ut videre est è typo strigilis argenteæ, quem Laur. Pignorius *Commentar. de Servis* exhibet. Alias fibulam, seu vinculum notat, quo vestes connexæ tenentur. De calceis idem Poëta *lib.* 2. *Epigramm* 29.

Non hesterna sedet lunatâ lingula *planta:*

ubi vinculum seu fibula est argentea seu aurea, in calceis à nobilioribus gestari solita, Screvelio *ad l.* De bracteis, nota vulgò *Ligula Ligatura*, Gall. *nouer l'esguillette*, quo modo dicitur Salmasio *Nodus Veneris*, seu *defixio*, & καταδέσμος. Quicunque enim in aliquo actu, quocunque genere Artis Magicæ, prohibetur facere aliquid, aut à naturali functione impeditur, *defixus* & *ligatus* dicebatur, quamvis id fieret simplicium herbarum aut verborum potestate, etiam nullo adhibito nodo aut ligaturâ. Quod proin verbum in hac ipsa re usurpavit Apulejus [illegible] in *Herbario suo*, ubi de herba Leontopodio: *Si quis devotus defixusque fuerit en jam tempore, sic eum resolves.* Tibullus *Nodum Magicum* vocat,

Ipsa Venus magico religatum brachia nodo
Perdocuit multis non sine verberibus.

Tertullianus, *devinctiones Magicas*, in *lib. de Spectac. Vis homicidium ferro, veneno, devinctionibus magicis fieri:* quæ eadem sunt. Sed & *Devotos* dicere, qui in nuptiis suis prohibentur virile officium facere. Tibullus,

Admonuit nostra, deseruitque Venus.
Tum me discedens devotum fœmina dixit.

Et,

Num te carminibus, num te pollentibus herbis
Devovit tacito tempore noctis anus.

Ubi *devovere*, est *defigere ac ligare*; cui contrarium, *solvere.* Idem Poeta,

— *Nempe hæc eadem se dixit amores*
Cantibus aut herbis solvere posse meos.

Cantus enim & herbas, præcipue nominant Poetæ, hac in re &c. V. Salmasium *ad Solinum p.* 1088. & 1089.

Ligustrum, arbor eadem cum cypro in Oriente, Plin. *lib.* 12. *cap.* 24. florem gignit mire candidum, cujus frequens olim in coronis usus. Martialis *lib.* 1.

Toto candidior puella cygno,
Argento, nive, lilio, ligustro.

Virgilius *Ecl.* 2.

Alba ligustra *cadunt* &c.

Baccæ eidem tribuuntur, apud Drepanium,

Laurus Apollinea marcescat denique silva,
Cumque suis baccis alba ligustra *cadant.*

A *ligando* dicta videtur, quòd vimina ejus ligaminibus apta sint: an a *legendo*, quasi *legustrum*? Usus illius medicos Plinius exequitur *lib.* 23. *cap.* 10. plura V. apud Dioscoridem, ejusque Commentatorem Matthiolum. Addam hoc unum, quòd utilissimam tesseris hanc arborem facit idem Plinius *lib.* 16. *cap.* 18. ubi tesseras lusorias intelligit Alex. ab Alexandro *lib.* 3. *cap.* 21. at Dalechampius lignea signa, vinum, frumentum, oleum, aut aliud quidpiam ejusmodi significantia & promittentia, quibus in congiariis & publicis largitionibus Imperatores olim utebantur, Vid. infrà ubi de *Tesseris.*

Lilæus, fluv. Bithyniæ interioris Plin. *Alius* Arriano. V. Salmasium *Exercit. Plin. ad Solinum p.* 880.

Lilith, *Esajæ cap.* 34. *versu* 14. *Ibi resedit* Lilith *& invenit sibi requiem:* Aben-Ezræ, *nocturna avis*; Aquinati *animal est, noctu clamans.* Sed spectri genus esse, Vett. summo consensu docent, cùm de specie non constet: multis de eo mirisque fabulantibus Judæis. E quibus Elias *in Thisbi*, unam esse ait, ex 4. matribus Dæmonum, quam, ut spectrum muliebre noctu apparens, puerisque maximè infestum, describit. Itaque, ne quid attentet in infantes nuper editos, in puerperæ cubiculo, hodieque carmen scribunt ἀποτρόπαιον Judæi, quale habetur in Festo. Apud Romanos album, alyssum & res turpis in collo infantum ex annulo appensa, ad insidias hujusmodi abigendas, Thom. Bartholinus *de Puerperio Vett.* ubi Βρεφοκτόνον, i. *matrem puerorum*, Copticis dici ait, & de infantibus hoc modo vexatis memorabile exemplum refert, *Histor.* 9. *Centur.* 1. Simile quiddam apud Ovidium legimus, de Strigibus, *Fastorum lib* 6.

Ad thalamos venere Procæ, Procanatus in illis
Præda recens avium quinque diebus erat.
Pectoraque exorbent avida infantia linguis,
At puer infelix vagit opemque petit &c.

V. quoque infrà, ubi de *Strige*, ut & in voce *Infans*: namque & Striges Poetis sunt, alatæ mulieres aut nocturnæ aves. Nomen certe à ליל, i. *nocte* deductum, quâ potissimum talibus Spectris locus est; adeoque species omnino muliebris spectri voce hac denotari videtur. Sed & *Lilith* larvis potius Ethnicæ accenseri, impiæ cujus jam *Lilith* odium, Reginæ זמרגד Zmargad, loci in Sabæis ita dicti, ut videtur, à smaragdorum copia, quam cum valido exercitu in Jobi greges & servos irruisse, tradit Chaldæus Interpres, Job. *cap.* 1. *vers.* 15 Quo modo Gorgonas & Proserpinam, de solio deturbatas, ad Inferos detrusere Poetæ Bochartus *Hierozoici Parte post pag.* 831. V. quoque Bellonium *Observat. l.* 1. *cap.* 10. & suprà ubi de *Caprimulgo*

Lilium, rosæ nobilitati proximum, Plinio *libro* 21. *cap.* 15. De quo sic Franc. Pomey. *Effundet primùm ad summam humum bulbosa lilii radix longiorum vim foliorum, refusaque per ambitum, aut super aliis, videntur huic excitare, quasi solium, florum Regi. E medio foliorum globo, sedem erumpit caulis, politus ac levis, & æqualitate, perpetuâ circùm obsitus luxuriosè foliorum, sensim decrescentium,*

accrescit

decrescente & surgente scapo. Is, ubi ad binos, ternosve extulit se ab humo cubitos, apicem coronat viridanti paniculâ oblongorum calycum, viriditate, ut augescunt, in candorem sensim abeunte; donec justam adepti magnitudinem sic albescunt, ut nihil splendidius, speciosius nihil sub aspectum cadere possit. Tum verò singuli dehiscere pedetentim, folia disjungere, evolvere, in latitudinem laxare, resupinare molliter & in orbem diffundere, campanulæ in modum, aut effigie calathi. Denique languidum acclinare collum, quò spectentur ipsa floris intima, quò tota foliorum foris striatorum pateat Majestas, & amœnides rutilent stantes in medio croci; quorum splendore aureo mirè excitatur argenti nitor circùm radiantis, niveusque candor sinus, à quo prodiere & in quo suaviter micant. De staminello viridi seu malleato apice, medio in croco extante, quod dicam, nil habeo: nisi quòd si lilium argentea campanula est—clava campanulæ stamen hoc erit malleatum; & sonum esset, ipse, quem edit, odor suavissimus, si audiri odor, & olfieri sonus posset. Unus est, nemo diffitebitur, nisi malignè invidus & Liliorum inimicus, deberi huic uni flori principatum; dignumque esse, qui in cæteros omnes dominationem exerceat. Hinc Junoni olim in delitiis, è cujus lacte ortum fingitur. Sed & in nummis Vett. conspicitur Dea, dexterâ lilium prætendens, cum *Inscr.* SPES. PUBLICI. SPES. AUGUSTA. SPES. P. R. Imò in pallio quoque aureo Jovis, tum diversa animalia, tum ex omnibus florum generibus, *lilia* inprimis cælata fuisse, apud Pausaniam legas. Hodie Galliæ Regum insignia *tria Lilia* sunt, de quibus aliquid paulo infra: an imitatione priscorum Persiæ Regum, quos eodem flore in Imperii insignibus fuisse usos, nonnulli inde colligunt, quòd regia eorum esset Susa, cui non à fluv. Suso, sed à voce Hebr. sive Chaldæa *susan*, inditum nomen videtur, Auctor Anonymus *Sina & Eur. cap.* 33. Certè *Etymologici* Auctor, Σοῦσα, inquit, ἡ πόλις, ἀπὸ τοῦ περιφύεσθαι κρίνα, καὶ οὕτω τὸ κρίνον ὑπὸ Φρυγῶν λέγεσθαι. Ut & de usu floris aliquid paucis addam, in coronis olim frequens *lilium* fuit, tum album, tum purpureum. Tertull. *de Cor. Mil. Et utrumque lilio & omnibus violis coronetis.* Et quidem purpureum quo pacto fiat, docet Constantinus Cæsar *lib.* 11. *cap.* 21. Jungebatur autem rosis, *quod ebora ostreique commercium* vocat Hieron. *ad Salv. de ser vid.* & in Sapientiæ sceptro Prudentius prædicat *Psychom.* rosis & apio, ut videre est apud Horatium *Carm. lib.* 1. *Od.* 36. rosis & violis, apud Tertullianum ubi supra & Petronium Arbitrum *Satyr.* papaveribus quoque apud Propertium *Carm. lib.* 1. &c. Eodem flore amicas suas donabant amantes, uti de Polyphemo legas, apud Theocritum *Eidyll.* 11. Sed & sepulchra, uti hyacinthis, apud Propertium eundem, *lib.* 4. sic *liliis* consperguntur, apud Virgilium *Æn. lib.* 6. ubi de sepulchro Marcelli &c. Plura hanc in rem, V. apud Plinium *lib.* 21. *cap.* 15. alibique passim, &, præter Herbariæ Rei Scriptores, apud Car. inprimis Paschalium *Coronarum lib.* 3. *cap.* 8. Quod de Galliæ Regibus diximus, *Lilium*, in eorum nummis frequens. Et quidem sub Philippo IV. floreni magni & parvi, *Florins d'or grands & petits*, cusi sunt A. C. 1302. & 1303. in quorum una parte, S. JOANNES B. in altera *Lilium* Florentinum expressum est, cum Inscr. P. DI. GRA. FRA. Biennio pòst, *Regales parvi*, Gall. *Petits Royaux d'or fin*, sub eodem Rege, cusi sunt, ponderis 3. den. & 15. gran. in quorum antica Rex sedet in sella, leoninis capitibus exornatâ, inter bina *Lilia*, cum Inscr. PHILIPPUS D. G. REX FRANCORUM: in postica, crux efficta, inter 4. *Lilia*, cum verbis. XRC. VINCIT. XRC. REGNAT. XRC. IMPERAT. Sub Philippo VI. varii itidem nummi aurei cusi sunt, in quibus Rex modò in cathedrâ sedet, sinistrâ scutum *liliatum*, ensem dextrâ tenens; modò sedet, sub tentorio *liliato*: modò in campo *liliato* corona efficta conspicitur &c. inprimis Denarii auri puri cum Angelo, *Deniers d'or fin à l'Ange*, in quibus effictus Angelus togatus & coronatus, draconem pedibus premens, dextrâ crucem florigeram & lævâ scutum tenens, in quo *tria Lilia* expressa, pond. 5. den. 16. gr. Item alii, in quorum parte altera eques galeatus conspicitur, hastam in serpentem equi pedibus substratum intorquens, in area *liliata*, cum Inscr. PHILIPPUS DEI GRA. FRANCORUM REX; in altera, crux in quadricircino, in cujus angulis exurgunt totidem scutula cum *tribus liliis* & inscr. solitâ, XRC. &c. Sub Joanne R. cujus principatu aurum argento miscebatur, iterum 4. *Lilia* occurrunt, in Denariis auri puri cum Agno, *Deniers à l'Agnel d'or fin*: Sed ternarius numerus repertus, sub Carolo VI. in Denariis auri puri, *Escus à la Couronne* dictis, aliisque; qui, licèt sub eodem Rege, aliisque aliquot insequentibus, subinde variaverit, tandem tamen obtinuit, hodieque constanter servatur. Vid. Car. du Fresne *in Glossar.* voce *Moneta*, *ubi de Galliæ Regum nummis accuratè*; & Phil. Jac. Speneriun *de Arte Heraldica Part. II.* ubi *de Regum horum Insignibus* pluribus agit. Hoc unum addo, quod monet Auctor Anonymus *Sina & Eur.* Matronis Regii sanguinis licere vestem *liliis* spargere, cæteris omnibus id prohibitum, *cap.* 33. quod est, de *Floribus*. At *Lilium*, in Re Architect. Græcè, ut apud Anonymum in *Descr.* S. Sophiæ quoque κρίνον, ornamentum epistyliorum & aliorum operum est, formam *lilii* referens. Unde *opus lilii* 1. Regum *cap.* 7. *v.* 19. *Capitella autem, quæ erant super capita columnarum, quasi opere lilii fabricata erant*, uti Vulgatus habet. V. Leonem Ostiensem *lib.* 3. *cap.* 28. Gregorium M. *lib.* 1. *Epist.* 66. Alios, inprimis C. du Fresne *Descriptione Ædis Sophianæ, num.* 39.

Limaces, sive cochleæ nudæ, Afris hodie in cibo, teste Brasavolo, à Ferrariensibus suis ita edocto, qui cum Imp. Carolo V. Tunetum sunt profecti A. C. 1535. V. Gerh. Jo. Vossium *de Orig. & progr. Idolol. lib.* 4. *cap.* 78. Sed & jam olim palato Romanorum sapuere; apud quos earum vivaria instituit Fulvius Hirpinus, distinctis earum generibus, separatim ut essent Albulæ & Illyricæ & Africanæ & Solitanæ. Quin & saginam *limacum* cochlearumque idem commentus est sapâ & farre, aliisque generibus, ut cochleæ altiles gaveam implerent. V. Sam. Bochartum *Hierozoici Parte prior. Lib. I cap.* 5. Cæterùm *Limacologiam* accuratam brevi expecta à J. J. Hardero Basil. Collegii Leopoldini *Paeone*, de quo suprà.

Limbo circumflua chlamys, apud Papinium Statium, *Theb. l.* 6. *vers.* 540.

> *At tibi Mæonio fertur circumflua* limbo
> *Pro meritis Admete chlamys, repetitaque multo*
> *Murice:*

vestis erat *limbo* insignis, cujus περιφορὰν his verbis eleganter describit; quemadmodum *circùm vestem purpuram currere*, non minus eleganter Virgilius dixit,

> —— —— *quam plurima circùm*
> *Purpura mæandro duplici Melibœa cucurrit.*

Nempe subsuebantur vestibus panni vel institæ ex purpura, quæ extremam earum oram ambiebant & ornabant: Græcis πέζαι dictæ & περιπέζια, Latinè *Limbi, panni, instita*. Sed & *Limbus* Græcis κύκλος, unde κυκλὰς, tunica limbum habens; quæ etiam ἔγκυκλος χιτὼν, item περίκλυστος, insigni metaph. quòd eam, velut *Insulam*, circumfluat *Limbus*, qui περίκλυσις insuper eodem sensu dictus est. Matronæ autem Regiæ cycladas gerebant, non purpurâ sed auro, circumtextas, cujusmodi *limbos* auro intextos *paragaudas* vocarunt, de qua voce dicemus *infrà*. Addam hic saltem, non unum tantùm aut alterum *limbum* de diversis coloribus textum vestibus adsui, sed pluribus etiam interdum institis, ad pedes usque & talos descendentibus, imò per circuitum prætexi consuevisse, unde non *monolores* solùm, & *dilores*, sed & *trilores* & *pentelores* vestes paragaudæ, militibus à D. Aureliano donatæ, leguntur, apud Vopiscum *in Aureliano*. Sed & de baltheo vox, apud eundem Statium, occurrit *lib. cit. vers.* 367. ubi *pictum limbum circa pectora* Apollini tribuit. Etiam de fascia frontem puellarum vinciente, *Achilleid. lib.* 2. *vers.* 176.

> — *gemmatis aut nectunt tempora limbis* &c.

ad quæ loca V. Casp. Barthium, & plura hanc in rem apud A. Tiraquellum *LL. Connubial.* ubi indicem nectit muliebrium ornamentorum, nec non infrà in vocibus *Lorum* & *Pannus*. In Ecclesia Rom. *Limbus* dicitur frustulum serici panni, quod in parte anteriore & posteriore Albæ, ut & in manicis ejus, adsui consuevit, ut videre est apud Domin. Macrum *in Hierolexico*: de *Limbo Patrum* ac *Infantum*, V. Jac. Usserium Archiep. Armach. *Disput. peculiari* &c. Hinc *Limbolarii*, sive, ut Nonius, *Limbolarii*, memorati Plauto, ubi fœminei luxûs insaniam traducit, *Aululariâ Act.* 3. *Sc.* 5. cùm inter alia ait,

> *Textores*, Limbolarii, *Arcularii ducuntur: datur*
> *Æs:*

dicti fuere, qui *limbos* & institas conficerent, sive *limbo* vestes ipsas prætexerent ac pingerent. Octav. Ferrarius *de Re Vestiar. Part.* 1. *lib.* 3. *cap.* 21.

Limen, ab antiqua voce *limo*, quæ transversum significat, transversim enim *limina* ponuntur; aliàs *limes*: hæc enim licet exitu & flexionis modo differant, origine tamen & primitiva notione idem sunt. Isidorus *lib.* 15. *cap.* 14. *Limites appellati antiquo verbo transversi, nam transversa omnia antiqui lima dicebant, à quo & limina ostiorum, per quæ foris & intus itur; & limites, quòd per eos foràs in agros eatur.* Non unum olim erat, uti discimus ex Papinio Statio *Thebaid. lib.* 3. *versu* 179.

> —— *& primo plorantes limine natos.*

Ubi *primum limen* exterius est, ex vett. ædificiorum ratione, quæ vestibulis magnis ædes antecapiebat. Virgilius *Æneid. l.* 2.

> *Vestibulum ante ipsum, primoque in limine Pyrrhus*
> *Exsultat, telis & luce coruscus ahena.*

Cujusmodi domus, ad Romanam consuetudinem exædificatas, in Germania Coloniæ inprimis Agrippinæ frequenter conspici, notat *ad Statii locum cit.* Barthius. Utrique *Limentinus* Deus præerat, apud Romanos, sicut cardinibus Dea Cardea, & foribus Deus Forculus, quos proin falsè ridet Augustinus *de Civ. Dei lib.* 4. *c.* 8. Apud eosdem Sponsa, in mariti ædes intratura, *limen* non tangebat, quemadmodum hodieque in aliquot Italiæ locis fieri solet, ut egrediens paternâ domo nupta pedem tollat, neque limen attingat. Cujus rei cùm alii alias causas assignent, Scaligero illa propior videtur, ne Magicis pharmacis lædi posset, quæ *sub limine*, ad destruendam conjugum vel concordiam vel virginitatem, defodi solent à veneficis. Certè & Juno, in *limine* Alcmenæ sedens, manibus pectinatim junctis genu utrumque amplexa, aliquandiu parturientem Alcumenam morata legitur. Alia ratio fuit Sacerdotum Idoli Asdoditarum Dagonis, quibus limen *calcare* ædis ei sacræ fuit nefas, ob causam memoratam Judic. *cap.* 5 *v.* 1. & *seqq.* Ad quem ritum respici volunt nonnulli Zephaniæ *cap.* 1. *vers* 9 *Et animadvertam in omnem, qui insilit limen*; quasi hac periphrasi

Idololatræ, Sacerdotum illorum imitatores, denotentur &c. Qua occasione, ut *de liminibus Fanorum*, paulo plura dicam, in ipsis illis superstitio nati. num religionem inveniebat, adeò ut exoscu larentur ea. Ovidius *Metamorph. l.1.*

Ut tempsi tetigere gradus, procumbit uterq;
Pronus humi, gelidoq; pavens dedit oscula saxo.

Et Juvenalis *Sat. 6.*

——— *Tarpejum limen adora*
Pronus, & auratam Junoni cade juvencam,
Si tibi contigerit capitis matrona pudici.

Quem morem Christianos quoque imitatos, legimus non paucis apud Chrysostomum *Homil. 30 in 2. ad Cor.* Hinc Prudentius *Peristeph.*

Quondam Luperci & Flamines,
Apostolorum ac Martyrum
Exosculantur limina

V. quoque A. nobium *Lt.* Eadem pectore quoque terserunt. Statius *l.5. Sylv. 1. v. 162.*

——— *nunc anxius omnibus aris*
Illachrymat, signatq; fores, & pectore terget
Limina —

quo de ritu V. Casp. Barthium *ad Claudianum de Laudibus Serena & Adversarior. l.43.* a ide B. Brissonium *de Formulis lib. 1.* Dan. Heinsium *ad Silium Italic. l.8.* Desid. Heraldum *ad Arnobium l.1. pag.69.* J. Lipsium *ad Taciti Annales lib.15* & *Electorum l.1. cap.6.* Th. Dempsterum *ad Corippum pag. 166.* Martinum Roam, *Singularium l.4. cap.2.* &c. Apud medii ævi Scriptores, *Limen*, pro Ecclesia seu Æde sacra, in vet. *Inscr.* allatâ a Catello *in Histor. Occitan. pag. 738.* † Do. ET XPO. MISERANTE. LIM HOC. C. L. K. T. E. (*consecratum est*) ANNO IIII. CS. VALENTINIANO. AUG IIIKL. D XVIIII. ANNO. EPUS. RUSTI ... Unde *Limina Apostolorum*, & *Limina Sanctorum visitare*, dicuntur in Ecclesia Rom. qui ad Sanctorum monumenta peregrinationes instituunt, de qua formula V. quæ dicit Car. du Fresne *Descript. Ædis Sophianæ*, ubi de *Solea*, ut & Savaro *ad Sidonium lib.1. Epist. 5.* atque et in *Glossario* laudati. Sed & *Limina*, pro templis, Paganos jam olim usurpasse, patet ex Statio, Martiali, Aliis. V. quoque in *Porta*.

Limenarchus Cypri, in vet. *Inscr.* 417.9. Gr. λιμενάρχης, i. *portûs Præfectus*. Horum meminit Paulus *in l. Limenarcha, ff. de serv. fugitiv. Limenarchæ & stationarii fugitivos deprehensos recte in custodia retinent.* Aristoteles λιμενοφύλακας eos vocat *Polit. lib.6. circa fin.* V. Macros Fratres *in Hierolexico*, Joann. Calvinum *Lexic. Jurid.* & infra, in voce *Portus*.

Limes omnis publico itineri serviebat, adeoque quot *limites*, per quos iter populo præbebatur, tot publicæ viæ fuere. Sed nec unum genus earum, nec una fuit latitudo: aliæ pedes 60. aliæ 40 aliæ 30. aliæ 20. aliæ 12. aliæ 8. latitudinis habuere; quæ ultima legitima & minima viæ latitudo erat. Distabant autem *limites* à terminis, quippe qui termini s distinguebantur & agrorum sulcis agebantur, *fossæ* hinc & *sulci* sæpe vocati: proptereà *Limes* via cava, hinc inde extantibus marginibus, V. de his agrorum *Limitibus*, Salmasium *ad Solinum pag. 678. & seqq.* In Circo *Limitem* Tertullianus *lib. de Spectac.* proprie vocavit loca illa, qui bus populus sedebat spectabatque, ut *cardines* erant in Theatro: recti viz. ac perpetui sedilium ordines, qui per longitudinem porticus, quàm longa fuit, dispositi fuere, i. viæ inter illos sedilium ordines, instar *limitum*, perpetuo rigore incedentium. Tres enim porticus tristega Circum cingebant in speciem amphitheatri: Solum latus, ubi carceres erant absque ædificiis & porticu fuit, & sub divo expositum; In inferiore porticûs parte sedilia fuere lapidea, in superioribus lignea. Ut minus spatii perderetur, perpetuâ tecturâ videntur dispositâ, nullis intercisa viis transversariis, ut in theatro. Quam ob causam ordines longos illos subselliorum in Circo, *limites* Tertullianus, *lineas* Ovidius vocavit, ubi de Circensibus:

Quid frustra refugis? Cogit nos linea jungi:
Hæc ex lege loci commoda Circus habet.

In Theatro longe secus: ubi *Cardines* & *Cunei* dicebantur, quia per cuneos divisa erant &c. Plura de *limitibus* tum agrorum, tum Circi, V. apud præfatum Salmasium *Exercitat. Plin. ad Solinum passim, p. inprimis 918. & seqq.* Ut de Imperii *limitibus*, aliquid addam, fuere illi duûm generum: Alibi enim, limitibus à naturâ positis claudebatur, *mari* sc. h. e. Oceano (nam Mediterraneum, paucis exceptis, circa Pontum & Mæotin, Orbis Rom. totum capiebat) *fluminibus* magnis, ut Danubio & Euphrate, vel aliquando Rheno & Tigri: Item *montibus*, ut in Asia Tauro quibusdam locis, alibi aliis, quibus Herodianus addit terras *desertas* & solas, quæ licis aliquot Imperium terminarent, *lib. 2.* Alibi terminabatur *Fossis, Castris, Arcibus, Concadibus, Stipitibus, Muris*: quæ ultima specialiter *Limites* appellat Spartianus *in Hadriano Cæs.* Et quidem *Fossarum*, idem Herodianus meminit *l. cit.* ut & *Arcium* ac *Castrorum*, quorum insuper meminere, Tacitus, Aur. Victor de Trajano, Ammianus Marcell. *lib. 28.* Cujusmodi arces & limitaneas urbes, non primus instituit Diocletianus, quod Zosimus vult; sed neglectu priorum Principum collapsas, in integrum saltem restituit. *Concadium* mentio, apud Tacitum *Annal.* I. *Muris* Barbaros submovere, primus instituit Hadrianus, qui murum in Britannia duxit, de quo *suo loco*: de *Stipitibus*, quod munimen non multum ab eo diversum erat, quod concædibus fiebat, Spartianus agit *in eodem Hadriano*, ad quem V. Casaubonum. Hos verò *Limites* qui tuebantur milites, *Limitanei* dicti tunc vel *Ripenses*, quibus *Numeri*, h. e. *Legionarii* milite, opponuntur passim, apud *Historia Aug.* Scriptores; *Comitatenses*, item in *Cod.* Theodos. quo modo tum dicebantur, qui prius *Legionarii*, V. Salmasium *ad Vopiscum in Probo*: ut & supra in voce *Comitatu*, item infra, in *Terminus*.

Limnæota, cognom. Georgii Monachi, qui quod pro Imaginum cultu mortem obierit, apud suos pro Sancto habitus est, in *Martyrolog.* Rom. 24. Aug & *Menolog.* Græc. memoratus: ex Græco λιμναιώτης, i. *stagni habitator*.

Limogia seu *Opus de Limogia*, in *Charta* A. C. 1197. apud Ughellum *Italiæ sacr. Tom. VII. Duas tabulas aneas superauratas de labore Limogia*, & apud alios recentioris ævi Scriptores, quasi *opus Lemovicinum*, dicitur, quod *Encausticen*, Vett. Galli *Email* vocant, ab urbe *Limogia* seu *Lemovicibus*, quæ geos arte hac multis aliis præcellit, V. Car. du Fresne in *Smaltum alibiq;*, & suprà, in voce *Encaustice*.

Limosina, dicta est non modò Italis, sed & Hispanis præsertim, Lingua illa, quam *Romanam* Galli vocarunt, Rustica viz. & Semibarbara, de qua retro vide, in voce *Latina*, & infrà *suo loco* Ex quo enim exacti ab Hispania Mauri, receptum est potissimum vulgare idioma ad tres linguas, *Vasconicam* seu *Biscainam*, quæ in Biscaia, Navarra, Guipuscoa & Alva obtinuit: *Castellanam* alteram (quæ rarioris fuit usus, utpote barbaris aspera vocabulis, à quibus tum demum purgata est, cùm ad unicum Principem tota, Hispanorum potestas rediit) usitatam apud Castellanos, Toletanos, Asturienses, Extremadurenses & Granatenses: Item in Gallæcia, Andalusia, Lusitania ac Aragonia, exteris subinde vocabulis, Arabicis, Francicis aliisque totcum sta. ac tertiam, *Limosinam*, cujus usus fuit in Catalaunia, in Comitatibus Ruscinonensi & Cerrtanensi, in Aquitania, Occitania, atque adeò, ut Scriptores Hispani volunt, in ipsa Galliæ Regum aula; à Catalaunia, in Valentiæ, Majoricæ & Minoricæ postea Regna transiit, quòd ea ad Barcinonenses Principes perinde spectarent. Hanc a Lemovicum Urbe Galliæ notissimâ denominatam, indeque in Catalauniam transiisse, cùm Francorum exercitus Pyrenæos montes transgressi has insidere provincias cœpissent, ex variis tum gentibus conflati, maximè ex ea Occitaniæ parte, in qua Urbs *Caracens* sita, tradunt Calça *in Catalania cap. 16.* Escolanus *Histor. Valentia Tom. 1. cap. 14.* & Andr. Boschus *de titul. Honor. Catalan. lib. 1. cap. 2. §. 4. 5. & lib. 2. c. 17.* Ut ut sit, constat idem esse fere Catalaunorum idioma, quod Galliæ Provincialium, quodque in Catalauniam introductum fuisse a Comitibus Barcinonensibus, vero proximum est, ex quo Provinciæ Comitatum suis adjunxere dominiis. Ea quippe lingua nitida adeò, florida, culta, ac polita est habita, ut nulla fere extiterit regio, in quam non recepta fuerit, cùm maximè in Principum aulis ingenti in pretio haberentur Poetæ Provinciales, eorumque poemata, ut genio quasi dotata singulari, ubique fermè legerentur. Ipsum Petrarcham idiomatis hujus vocabulis carmina sua crebrò aspersisse, iidem Auctores observant. Cœterùm Raimundus Montanerius, qui vixit circa A. C. 1300. *Historiam* suam eadem lingua exaravit, & Carbonellus *in Chronico*, ejusdem idiomatis tabulas variaque acta descripsit &c. V. plura hanc in rem, apud Car. du Fresne *Glossarii Præfat.* ubi *Chartam*, in Rothenensi Comitatu, ubi Lingua Lemovicum perinde usurpata, circa A. C. 1100. exaratam, & veteris Latii non parum retinentem, curioso Lectori exhibet.

Limpidare Lapides, qui poliuntur, sequior Latinitas dixit. Sed & ex libris Dolabellæ, in *Fragmentis* Agrimensorum, ita scribitur: *Omnis terminus ab oriente* ... *latus habet*: *ab occidente rusticum latus habet*; ubi *limpidum* pro polito & lævigato ponitur, Græcum est λαμπρὸς, *lucidus*, unde *limpus* & *limpidus*. Poliebantur autem & in ornatum dabantur gemmæ attritu limæ vel arenæ vel rotæ vel alterius lapidis scobe, quod facientes, *Tersores Lapidum* Latinis, Græcis, σμῆκται λίθων & σμήκτωροι dicti sunt. Epiphanius σμηγματικοὺς vocat, voce ex palæstra desumtâ, qui uti si & poliri σμηκτὸς & σμηγεῖ dicebantur ab oleo, quo perfusi nitelcebant. Unde σμήγματα χαλκοῦ, pro *nitore ac lavore*, per translationem &c. V. Salmasium *ad Solinum p. 1105.*

Limpurgum, vulgò *Limpurg*, castrum Germaniæ, unde illustri Familiæ nomen, cujus Domini pincernæ S. R. Imp. hæreditarii sunt & ab antiquo tempore, inter Comites Franconiæ (à cujus Ducibus vel & Limburgiis derivari amant) floruere. Sunt verò duæ lineæ capitales, *Galdorfia* (quo etiam *Schmidelfeld* refertur) & *Speckfeldia* vel *Sonthemia*: quarum illa à Conrado, hæc à Friderico, utroque Friderici A. C. 1414. mortui filiis, descendit. Vide Spenerum *Theatr. Part. I.* & quamque earum *suo loco*.

Limus, teste Servio, ad illud Poetæ *Æneid. l.12.*

——— ——— *Alii fontemq; ignemq; ferebant,*
Ornati limo:

vestis erat, quâ usq, ad pedes tegebantur Poparum (seu Victimariorum

tiorum in sacrificiis) *pudenda.* Hanc vestem *cinctum* appellatam volunt quidam, unde Hygenus *de limit. agrorum* ait, *Limum cinctum ideo vocatum, quòd purpuram transversam habeat, habebat enim in extremo purpuream limam.* Inde succincti Popæ. Suetonius *Calig. c.32. Succinctus poparum habitu.* Et istiusmodi veste Cethegos, qui proin *Cinctus* dicti, inductos fuisse, sunt qui dicant, V. Octav. Ferrarium *de Re Vestiar. Part. I. l. 1. c. 9.* Eadem lictores quoque usos fuisse, indicat Tiro libertus Ciceronis apud A. Gellium *l.12. c.2.* ubi *Lictorem vel à limo vel à licio dictum: Licio enim transverso, quod limum appellatur, qui Magistratibus præministrabant, cinctos fuisse*, scribit. Cui suffragatur Isidorus *l.15. Orig. cap.14.* dicens, *Hinc & limus vocabulum accepit, cingulum, quo servi publici cingebantur obliquâ purpurâ*: & *l.19. c.33. Limus est cinctus, quem publici habent servi, & dictus* Limus, *quia transversas habet purpuras, id est, limas.* Hinc *Limocincti* voce compositâ tales dicti sunt, ut legitur in antiqua ærea tabula, apud Cæsarem Nichelolam Patricium & Canonicum Veronensem: *Honori. M. Gravi. M. F. Pob. Squillanii. Eq. pub. IIII. vir. I. O. IIII. vir. Ap. ut. Curatori. Vicentinor. Apparitores. & Limocincti tribunalis. ejus.* V. Laur. Pignorium *Comment. de Servis.*

Limyrica, adde: Hanc Mercatores petebant, quos navigationem suam ante exortum Canis, aut protinus ab ortu, circa d. 19. Julii, incepisse; reverti autem consuevisse medio Decembri, tradit Auctor *Peripli.*

Linacer Thomas, Anglus, Medicus celebris, floruit sec. XVI. Is studiis morbisque fractus, & jam morti vicinus, cùm Novum Testamentum tum primum (Sacerdos quamvis) in manus cepisset, & Matthæi, *cap.5.* (ubi inprimis de juramentis) & 6. ac 7. percurrisset, *abjecto iterum* (sic J. annes Chekus *Litt.* ad Stephanum Episc. Vintoniensem) *quantum potuit totis viribus libro, juravit, aut hoc non fuisse Evangelium, aut nos non esse Christianos.* Quod hinc proculdubio factum, quia usus frequentissimus temere adversùm ipsa verba Christi jurandi, apud Christianos jam illius temporis, admodum grassatus est. Joh. Seldenus *de Synedriis vett. Ebræorum lib. II. c. 11. n. 6.*

Lindanus Guilielmus, Damasi filius, Batavus, patriâ Dordracenus, ex illustri *Lindanorum* seu *van der Linden* familia ortus, Episcopus primò Ruræmondensis, dein Gandavensis, floruit seculo præterito. Scripsit in aureum illum *Psalmum* 118. vel sec. alios 119. qui cœlestis omnis Philosophiæ verissimum est Gymnasium, & saluberrimum animarum nostrarum narthecium, ideoque à S. Patribus *Spiritus S. Apotheca* meritò dicitur: Item in Psalmos, *Argumenta & Scholia*: In 50 priores Psalmos, *Paraphrases*: in Psalmos Pœnit. *Fasciculum Pœnit. In Canticum Cant. In Epistolas Domini nostri ad Episcopos in Apocal.* &c. Obiit Gandavi Anno Christi 1588. De eo Swertii distichon hoc est:

Præsulis hujus erat, quod habent hæc tempora rarò,
Mens sincera, manus larga, pudica caro.

Linea, in Circo, apud Ovidium idem, quod apud Tertullianum *Limes* est, V. *suprà.* Nempe olim in Circo spectabant in tabulatis stantes, quæ furcis sustinebantur, Dionysius *l.3.* Primus Tarquinius *καθέδρας ὑπαιθρίους* in circuitu Circi ponendas curavit, è quibus Populus spectaret: quod opus *contectorum subselliorum* cùm imperfectum reliquisset Priscus, Superbus absolvit postea; qui etiam foros in Circo faciendos curavit publicâ impensâ publicos & mansuros, cùm prioris Imperio sibi quisque spectacula per ludos faceret fortuito opere structa, Equites Patresque. Mansere hi Fori spectaculorum, quæ & *Spectacula* dicta, Græcè *θεωρία*, in Circo usque ad extrema Reip. tempora. Cæsar deinde, per ambitum Circi, porticus ædificavit, à quo proin Circum Maximum extructum fuisse testatur Plinius: in his longo ac perpetuo ordine disposita sedilia fuere, quæ *limites Circi* Tertullianus, *lineas* Ovidius, appellarunt &c. V. Claud. Salmasium *Exercitat. Plinian. ad Solinum p. 917. & seqq.* ubi etiam p uscula habet *de alba Linea* Cassiodori. At in Olympiacis Circensibus, *βαλβὶς* seu *ὕσπληγξ linea* erat in longum cavata, cui cursores insistebant, ut ex æquo limite progrederentur: ultra quam si qui vellent evagari & limitem præcipere, voce hac præconis revocari solebant, *Βαλβῖδ᾽ ἀπόδος, θὲς πόδα παρὰ*, *lineam redde, ad lineam pedem pone.* Unde illæ apud Tertullianum loquutiones, *Lineæ insistere, ad lineam dimicare, intra lineas gradum colligere*, & similes. Quò etiam referendum, quod Latini Auctores aliquando dicunt, *propioribus aut longinquis lineis aliquid factum*; ut apud Valerium, *propioribus lineis, ut ita dicam, somnium certo eventu admotum est.* Quæ metaphora non à lineis Circi, sed à stadio, ducta est: in quo *prima & propiores lineæ*, unde initium cursus sumebatur: *longinquæ & ultimæ* dicebantur, quæ cursum finiebant. Sic in *prima linea* est, qui aliquid incipit & longè ab ultima; quia initium cujuslibet rei semper in parato & propinquo est, finis autem sæpe longinquus: *longis* verò & *longinquis lineis fieri* dicebant, quæ trahebantur & moram habebant, &c. V. hanc in rem pluribus præfatum Claud. Salmasium *p. 922. l. cit.* uti de *Lin a divite*, Martiali memoratâ, *ibid. pag. 921.* ut & infrà. In libris *Linea* versus dicitur Senecæ *de Benefic. lib. 6. c. 6. Quemodo si quis scriptis nostris alios supernè imprimat versus, priores literas non tollit, sed abscondit.* V. quoque Quintilianum *l.10. c.2.* ductus verò linearum, qui calamo formantur, *sulcos*, Ausonio *Epist. 7.*

Nec jam fissipedis per calami vias
Grassetur Gnidia sulcus arundinis.

Non tamen idem ubique versus, Gr. *στίχος*, quod *linea*. Unde Auctores, qui de numero *versuum* cujusque libri loquuntur, eumque ad initium vel finem Codicum olim adscripserunt, non de *lineis*, sed de periodis vel earum colis ac commatis, intelligendos esse, docet pluribus Cl. Suicerus *Thes. Eccl.* voce *Στίχος*, ubi inter alia, *Si in στιχομετρίᾳ, inquit, versus lineam significaret, Auctorum & Librariorum requireremus prudentiam ac judicium: cùm n. ad id inventa atq; usurpata fuerit, ut libri puri atq; integri ad hominum manus pervenirent, neve liceret aliquid addere aut demere; cumq; varia fuerint olim, ut & hodie, chartarum genera, variaq; literarum forma, qui fieri potuit, ut στιχομετρία huic usui inserviret. Ad unius tantùm codicis usum una στιχομετρία fuisset adhibenda; ad alterius verò varietatem altera fuisset recensenda, & pro modo chartæ ac characteris mutanda* &c. Plura de *Stichometria* hac *Vett.* V. apud Salmasium *Prolegom. ad Solinum*, nec non infrà voce *Versus*: De *Linea* v. *Venatoria*, in vocibus, *Formido*, item *Versicolor linea.*

Linea, vestis sacra in Ecclesia Rom. de qua V. infrà, in voce *Rochetum.* Aliàs in genere, vestis ex *lino*, in sacris Veterum multum usitata, & post laneas tandem communiter in vulgarem vestiendi usum recepta: id quod serò apud Romanos factum. Unde Plinius, cùm vestium mentionem facit, eas, ubi de lanis agit, exequitur, corporumque tutelam pecori adscribit, & cùm de lino agit, nullum *lineæ vestis* usum agnovisse videtur, præcipuè in viris: Namque ex Varrone scribit, in Serranorum familia gentilitium fuisse fœminas *lineâ veste* non uti. Plautus etiam, licèt non semel istiusmodi vestimenta mulieribus adscribit, viris tamen nunquam tribuit. Martialis quinetiam, qui omne vestimentorum genus tetigit, nihil de *lineis* seu *linteis*. Horatius subuculam tritam tunicæ pexæ opponit, quod in linea veste esse non potest; quare etiam tunicæ interiores ex lino olim non fuere. Ovidius de vestis muliebris coloribus, in *de Arte l. 3.* lanæ solùm meminit:

Quot nova terra parit, flores cùm verè tepenti
Vitis agit gemmas pigraq; fugit hyems,
Lana tot aut plures succos bibit, elige certos;
Nam non conveniens omnibus unus erit.

Non igitur nisi serò lini usus in tunica interiore, quo tempore *lineæ* tunicæ promiscuè usurpatæ, nec minima pars luxûs, additis iis purpurâ atque auro. Lampridius *in Alexandro*, *Boni linteaminis appetitor fuit & quidem puri* (id est, hoc auro & purpura) Loris item. Et quidem *Lineæ loratæ*, sub Aureliano Imp. nondum in usu, sed tunicæ tantùm. Flav. Vopiscus in *Vita* ejus, *Paragaudes vestes ipse primus militibus dedit — & quidem aliis monolores, aliis dilores, trilores aliis, & usq; ad pentaloris, quales hodie lineæ sunt.* Postea verò *lineas* & interulas etiam multis loris variegarunt, & frequentiùs quidem quàm tunicas, ita ut & quinquelores fierent: tales enim suo tempore *lineas* fuisse, scribit hic Vopiscus. Hinc idem in *Bonoso*, in brevi munerum, quæ Hunilæ Bonosi novæ nuptæ dantur, *dilorium interularum* meminit, non item tunicarum &c. Longè autem ante Aureliani tempora auro & purpurâ *lineas* intexi consuevisse, discimus ex Spartiano, apud quem queritur Alexander Severus, quòd aurum & purpura in lineas mitteretur: *Si lineæ idcirco sunt, ut nihil asperum habeant, quid opus est purpurâ. In lineas autem aurum mitti etiam dementiam judicabat: quum ad asperitatem adderetur rigor.* Unde illa distinctio, ut *lineæ puræ* dicerentur, quibus nihil auri vel purpuræ esset intertextum, uti vidimus. Idem Vopiscus *in Aureliano* infrà, *& lineas Afras & Ægyptias puras* &c. V. Salmasium *ad loc.* Ministri autem inprimis conviviorum, in tunica, & fermè *linea*, ministrare soliti sunt. At multum abest, ut cum quibusdam, Cynicis, mollitiem etiam in vestitu omnem aspernantibus, interulam sive subuculam lineam, quæ Græcis *ὀθόνη*, & *sindon* aliter, dicitur, attribuamus. Has enim & vestes tenues, & mulierum proprias, fuisse, non Homerus solùm testatur, sed & vett. docent Grammatici. Hinc & apud Hebræos nullus aut rarus *linearum* usus, præcipuè in Christo Domino & Apostolis fuit, qui nullam hujusmodi in cultu mollitiem agnoverunt: nisi quòd Sacerdotes, in Sacris, lineis vestibus usi sunt, ut infrà dicemus, ubi de *Vestibus Sacris.* Quorum imitatione, earundem usus, in sacris Ægyptiis, frequens fuit: unde *Liniger grex*, & *Linigera turba*, apud Poetas, & *linteis amictus Isiacorum*, apud Suetonium; quia omnem vestitum à mortuis animalibus desumtum pro impuro habuere &c. V. & suprà in voce *Byssus.* Sed & capita *linteolis* posterioribus temporibus texisse Romanos deprehendimus, quod tanquam mollitiem sapiens, sugillatur ab Hieronymo *ad Pammachium*: *Caput opertum linteo galeam recusat.* Idem *ad Marcellam*, comatos linteatosque juvenes improbat, qui viz. ementientes sequiorem sexum istiusmodi tegmina assumebant. Imò & *lineis* calceis ad munditiem iidem aliique usi, quos soccos udonesque dixeris: Unde udones *linteos calceos* Apulejus appellavit. Atheniensium inprimis Sacerdotes & Alexandrinorum eos adhibuerunt, Phœnices quoque, ut Appianus docet *lib. 5 bell. civ. paulò post principium*, & Herodianus, ubi, insanum Antonini luxum describens, interprete Politiano, ait: *Præfecti exercitibus inducti tunicas*

cunicas talares, lineis *calceamentis utebantur, quemadmodum Vates in iis regionibus consueverunt*, V. Balduinum *de Calceo antiq. cap.14.* ut & infrà in voce *Phæcasia.* Addam ex eodem *c.27.* Pontificum quoque Rom. primorum calceamenta ex lino fuisse, *ut scilicet, quod Gentilium Sacerdotes in profanis suis sacris usurpare solebant: quippe apud quos*

Scortea non ulli esset fas inferre sacello,

sic tanquam ab injustis possessoribus vindicarent. Nec defuit ratio: lineus enim ille candor in pedibus maximè decere credebatur sacrorum Antistitem. Quod in *lino* etiam scriptum olim, dicemus infra in voce *Lintei libri*: plura V. infrà, voce *Linum.* At *Linea dives*, apud Martialem *l.8. Epigr.78. de Ludis Stellæ*,

Omnis habet sua dona dies, nec linea dives
Cessat, & in populum multa rapina cadit:

margaritarum linea est, cujus mentio frequens apud Jurisconsultos. *Filum margaritarum* alii dixere, alii *linum*; unde *monolinum, dilinum, trilinum*, i. linea margaritarum simplex, duplex, triplex, i. triplici linea margaritæ infertæ, Salmasius *ad l.*

Linendi faciem mos, V. suprà ubi de *Asinino lacte* & infrà in voce *Oblinere.*

Lingere pulverem, supplicum ritus. Hæc enim summa & extrema abjectio & habitus eorum, qui se victos fatebantur, & à se verbera, plagas, aut gravem aliquam ignominiam supplices deprecabantur, aut humillimum suis & abjectissimum deferebant ac profitebantur obsequium: ut abjicerent se quàm maxime possent, sicque humi strati terram toto corpore contingerent. Sic legimus de Messiæ hostibus, Jesajæ *cap. 49. versu 23. Vultu in terram demisso adorabunt te & pulverem pedum tuorum lingent.* Et aliâ occasione Jerem. *Thren. cap.3. vers.29. Ponent*, ait, *in pulvere os suum, si forte sit spes.* Unde prov. *Lingunt pulverem sicut serpentes*, cujus meminit Micheas *c.7.v.17.* ad hanc enim pœnam serpentem damnatum esse divinitus, scimus ex Lapsûs historia. Sed & apud Nasamones, in amicitiæ & societatis fidem, de manu alterius uterque sumto invicem poculo bibere, quòd si nihil humoris in promtu esset, sumtum è terra cinerem *lingere* consuevisse, refert Herodotus *Musâ 4.* &c.

Lingonicum Tomentum, Galliarum inventum est, teste Plinio, Lana viz. brevis forcipibus desecta aut in poliendo à fullone de pannis rudibus aut interpolatis detracta, quâ infarciebantur culcitræ, seu factum ex lana cæsa, rasa, *tonsa*, unde nomen, factum. Ejus meminit *l. 11. Epigr.22.* Martialis,

Lingonicis agedum tumeat tibi culcitra lanis,
Constringatque tuos purpura pexa toros.

Circense verò tomentum, fuit concisa palus seu arundines &c. V. Joan. Fred. Gronovium *Observat. lib.4.cap.21.* Salmasio, fartum illud purgamento lanarum e *Lingonicis* sagis detalarum pectine fullonis, *Lingonicum* quidem *tomentum* dictum, non propterea tamen Gallicum inventum est, cum Græcis etiam antiquissimis in usu fuisse, ex voce γνάφαλον constet. Idem non *tondere* eminentem lanuginem pannorum, sed pectine tantum *deradi*, hunc in usum, consuevisse, tradit, ex eodem Poëta, ubi *rasa vellera Lingonicis sagis* abbi vocat; *radere* autem Græcis κνάπτειν est. V. eum *Exercitat. Plinian. in Solinum pag. 598.* & infrà, ubi de *Tomento.*

Lingua, à λείχω, seu lingo, non omnibus animalibus uniformis. *Tenuissima serpentibus & trisulca, vibrans —— prælonga: lacertis bifida & pilosa: vitulis quoque marinis duplex: sed supradictis capillamenti tenuitate; cæteris ad circumlambenda ora. Piscibus paulo minùs, quam tota, adhærens, crocodilis tota. Sed in gustatu lingua vice carnosum aquatilibus palatum. Leonibus ac pardis, omnibusque generis ejus, etiam felibus, imbricata asperitatis, ac limæ similis &c.* Plin. *l.11.c.37.* ubi de humana hæc adjicit: *Reliquis in suo genere semper absoluta: hominis tantùm ita sæpe constricta venis, ut intercidi eas necesse sit*: & quæ sequuntur. Et quidem hæc, tanquam facundiæ instrumentum, apud Gentiles, Mercurio sacra fuit, Athenæus *Dipnosophist. l.1.* at sanctiori epitheto *gloriam suam* eam appellat in Psalmis passim Regius Propheta, quod nata hæc *gloriæ* Dei unice deprædicandæ. Hinc pro sermone, per Meton. Efficientis frequentissimè sumitur; qua notione cùm una olim esset, post confusionem Babylonicam, in plurima abiit discrimina. Qui septuagenarium definiunt numerum, qui sagacioribus ingeniis satisfaciant sit, non video. Septuaginta enim illi homines, quorum genealogia circa historiam confusionis memoratæ texitur, capita, non familias, nedum gentes, denotant, potueruntque plures illorum unicâ familiâ comprehendi, qui eâdem *linguâ* sine dubio usi sunt: quod in Cananæis, Canaanis in textu sacro recensitis filiis liquidò claret, Rivetus *in Genesin, Exercit.68.* Nec credibile, homines eo ipso novis linguis imbutos fuisse, quo Hebraicâ exciderunt. Sed in eo potiùs pœna constitit, quòd prioris *Linguæ* generalis oblivione inductâ, novæ sensim, prout necessitas, in dispersis hominibus flagitabat, successerunt. Quæ earum, quæ usitatiores in mundo, infrà habebis: ubi & singularia quarundam *Linguarum* nonnulla: ex acervo enim immenso pauca solùm grana selegimus, cùm adhuc omnia nequidem nota sint. Hinc Verulamius, inter *Desiderata* in Philologicis ponit, ut de variis *Linguarum* proprietatibus tractaretur, ostenderetürque, quibus unaquæque excelleret aut deficeret. *Ita enim*, inquit, *& Linguæ mutuo commercio locupletari possent, & fiet ex illis, quæ in singulis pulcra sunt, tanquam Venus Apellis, orationis ipsius formosissima quædam imago & exemplar quoddam insigne ad sensus animi ritè exprimendos. Atque unà etiam hoc pacto capiuntur signa haud levia, de Ingeniis & moribus populorum & nationum, ex Linguis ipsorum. Equidem libenter audio Ciceronem notantem, quòd apud Græcos desit verbum quod Latinum illud* (Ineptum) *reddat.* Propterea, ait, quòd Græcis hoc vitium tam familiare fuit, ut illud in se ne agnoscerent quidem. *Digna certè gravitate Romana censura. Quid illud, quòd Græci in compositionibus verborum tantâ licentiâ usi sunt, Romani contrà magnam hac in re severitatem adhibuerunt? Planè colligat quis, Græcos fuisse Artibus, Romanos rebus gerendis magis idoneos. Quin Hebræi tantùm compositiones illas refugiunt, ut malint Metaphoris uti, quàm compositionem introducere: Imò verbis tam paucis & minimè commixtis utuntur, ut planè ex Lingua ipsa quis perspiciat, Gentem eam fuisse Nazaræam & à reliquis gentibus separatam. Sic & illud observatione dignum, antiquas Linguas plenas declinationum, casuum, conjugationum, temporum & similium fuisse; Modernas his fere destitutas plurima per præpositiones & verba auxiliaria segniter expedire. Sanè facilè quis conjiciat, utcunque nobis ipsi placeamus, ingenia priorum sæculorum nostris fuisse multò acutiora atque subtiliora.* Hactenus ille *de Augmentis Scientiarum l.6.c.1.* V. Auctorem Anonymum *Historia Orbis Terr. Geogr. ac Civilis c. 6. §.3. de Linguis*, & paulo infrà. Ut aliquid de proprio vocis significatu superaddam, ut Mercurio sacravit hoc nobile organum Gentilitas, ita *linguæ* victimarum eidem oblatæ sunt, teste Callistrato, cùm ait,

——γλώσσας ἐς τὸ πυρὶ βάλλει.
linguas in ignem jacere:

quod fieri solitum, sub finem sacrificiorum, *ritus primis auctoribus* Megarensibus, uti docet Natalis Comes *Mythologia l. 5. c.5.* Porrò eâ sanguine illitâ, fœdus inire sudorum, quædam gentes consuevere. Sic cum Calamaro R. Calemandi Insf. Hispani, cum ductu Ferdin. Magellani per fretum Antarcticum ad Moluccas penetrassent, more gentis, sanguinem de brachio sinistro mittentes eoque os & linguam illinentes, societatem cum eo pacti sunt, Petrus Cieza *Histor. Peruviæ Tom. II. c.94.* At qui in Græcæ Latinæque facundiæ certamine, Lugduni instituto, displicuissent, scripta sua *spongiâ linguave* delere coegit Caligula, apud Suetonium. Artaxerxes verò tribus acubus *linguam* mendaci trajecit, apud Plutarchum. Plane absciderunt secreta revelantibus Ægyptii, uti discimus ex Diodoro *lib.1.cap.6.* Quod hodieque blasphemis contingit non uno in loco &c. quam in rem consule *Theatrum Hum. Vita* Theod. Zuingeri *passim*: uti de *Lingua* in irrisu *exertanda* Vett. more, Livium *lib.7.cap.10.* Ad luxum verò abusus est Heliogabalus, cui *linguæ pavonum & lusciniarum* in deliciis fuere. Æl. Lampridius in *Vita* ejus, *Comedit sæpius, ad imitationem Apicii, calcanea camelorum & cristas vivis gallinaceis demtas*, linguas *pavonum & lusciniarum: quòd, qui ederet ab epilepsia tutus diceretur* &c. Nec omittendum, quòd *Lingua*, apud infimi ævi Scriptores passim, pro natione occurrit. V. ubi de Ordine *Melitensi.* Apud Scriptores Ecclesiæ Latinæ, sic dicitur pars vestis Clericalis, quæ plicis suis tot linguas efficit. Honorius Augustod. *lib.1.cap.231.* de veste Cleric. *Est talaris*, lingua *hujus vestis est lingua Clericalis, qua debet Dominum laudare* &c. V. quoque infrà, ubi de *Lingua Coccinea.*

Linguæ in Mundo extantiores.

In Europa.

Cambrica, seu vetus Britannica, una ex 10. Matricibus minoribus in Europa, sec. Scaligerum, *Linguis*, in Cambria, parte Occ. Angliæ & Britannia Gall. in usu est.

Cantabrica, juxta mōtes Pyrenæos, hodie à Cantabris & Vasconibus, à quibus *Vasquenze* vulgò dicitur, adhibetur.

Chauchica vetus, in Frisia Or. inter incolas, cùm secum invicem agunt, frequens est: Erga peregrinos enim Germanicam adhibent.

Epirotica, in montibus Epiri, viget.

Finnica, in Finia & Lapponia.

Gallica, Latinæ propago est, & Pictonismum, Wallonismum, aliasque subdialectos habet.

Græca, una ex 4. Matricibus majoribus, Australes Europæ partes occupans olim longè lateque patuit. Hodie degeneri propagini, linguæ Græco-Barbaræ, locum cessit; quæ ipsa abiit in varios ramos, nempe: Atheniensium dialectum, quæ hodie omnium maximè est barbara: Peloponnesiorum, quam purissimam judicant & *Tzacolismum*: Vulgarem it. Græcam, τὴν κοινὴν dictam &c. de quibus omnibus V. Crusium *Turcogræc.*

Hibernica, quam in Hibernia & parte Scotiæ loquuntur.

Hispanica, una est ex tribus Latinæ propaginibus, & in subdialectos Castellanam, quæ purissima, Andalusicam, Portugallicam & Granatensem abiit.

Hungarica, ab Hunnis & Avaribus in Europam translata est.

Jazygica, ad Bor. partem Hungariæ, inter Danubium & Tibiscum floret, ab Hungarica prorsus diversa.

Illyrica vetus, in insula Vegia, ad Orientale latus Istriæ, etiamnum in usu est.

Italica, Latinæ propago,

Lat.

Jonica, una ex 4. Matricibus majoribus, Occidentales Europæ partes perlustrans, postquam pura esse desiit, irruptione in Latium & Imperio Rom. subjectas provincias, Francorum, Longobardorum, Gothorum, tres ex se peperit dialectos, Italicam, Gallicam & Hispanicam.

Slavonica, una itidem 4 Matricum majorum in Europa, Orientales ejus partes perambulat.

Tartarica, Cosaccorum & Tartarorum Precopensium est, inter Tanaim ac Borysthenem.

Teutonica, una ex 4. Matricibus majoribus, propagines seu idiomata præcipua habet, Saxonicam linguā, Francicam & Danicam: quæ iterum in varias subdialectos divisæ. Est & linguæ Arabicæ aliquis usus, in alpestris Granatæ montibus, quos *Alpuxarras* dicunt, ac multis insuper Andaluziæ, Valentiæ Aragoniæque locis, *Aravigo* inconis, ab Arabibus dicta. Est præterea *Lingua*, quam Hispani *Jerigonc*, Galli *Jargon*, Germani *Rottvvelsch*, à voce *Rott*, i. *Turma*, & *Weisch*, quomodo vulgus pleraque exoticas linguas vocat, quod Erronum vagabundorum sit: Hujus Dictionarium quoddam exhibent Gesnerus *fin. Mithridatis sui*, & ex eo Alstedius *Encyclop. tom. 1. lib. 10.* nec non Philander *von Sittevvald* Satyrici sui *l. 7.*

In Asia.

Antiochena seu Syriaca in specie sic dicta, quam Christiani per Orientem sibi propriam fecere olim, & in qua V. T. versiones habuerunt, à quibus celebrarunt, Syriacæ veteris linguæ erat subdialectus.

Arabica, una ex amplissimis totius Orbis, in Asia, à Cilicia usq; per totam Syriam, Mesopotamiam, Palæstinam, Arabiam, & in Africa ad litora maris Rubri pariter per Ægyptum totumque litus Maris Mediterranei, usque ad fretum *Gibraltar*, vernacula est, licet Dialectis variata. In Europa quoque vigere alicubi supra visum.

Armenica, regionis suæ finibus comprehensa est.

Babylonica, una ex Syriacæ linguæ subdialectis, omnium purissima fuit: In ea capitula quædam Danielis & Esræ, Thalmud Babylonicum aliaque exarata.

Chaldaica, una ex tribus dialectis *Linguæ* Hebraicæ, à qua Syriaca non multum abludit.

Chinensis, cui addenda Coreensis & Japanica, in amplissimo Sinarum imperio & insula Japaniæ viget.

Hebraica, omnium antiquissima ac prima, Babylonem binâ vice fatalem experta est; posteriore enim Judæi in captivitate Linguam ex Hebraica, Chaldaica & Syriaca mixtam assumserunt. Ejus Dialecti, Samaritana, Chaldaica, Syriaca, unà cum matre vulgo adhiberi desierunt.

Hierosolymitana, scripta Talmud & Targum Hierosolymitanum, aliaque complectitur: Syriacæ vet. subdialectus.

Malaica, purissima omnium in Indiæ Or. regionibus, quamque communiter mercatores illorum loco um callent; exhibetur Dictionario Malaico-Latino Davidis Haex Romæ edito A. C. 1631. &c.

Persica, multa vocabula Germanica continet, qualia *Father*, *Mother*, *Brother* & inter complura alia, ipsum Persæ nomen, à *Pers*, vel *Pest*, quod Germ. *Equum* denotat, sumtum.

Samaritana, Hebraicæ *Linguæ* Dialectus fuit.

Syriaca, à Chaldaica haud multum diversa, SERVATORIS nostri ac Discipulorum ejus vernacula fuit: subdivisa in Babylonicam, Hierosolymitanam, Antiochenam seu Syriacam in specie dictam & Armenicam.

Turcica, Persicæ & Tartaricæ affinis, cum Arabica nihil commune nisi literaturam habet.

In Africa.

Æthiopica, Abyssinis usitata, duplex est, una vulgaris: altera Chaldaicæ affinis, quâ in sacris & historiis utuntur. Cujus varia specimina à Scaligero, Ludolpho, Petræo, Nisselio &c. edita prostant.

Coptica, ex antiqua Ægyptiaca & Græca conflata, à Copto Thebaidos olim Metropoli nomen habet, de qua V. Kircheri *Prodromum Linguæ Copticæ* &c.

Songaicæ mentionem faciunt Itineraria, eàque uti dicunt incolas regionum Sconbayæ, Mulmundæ, Zenetæ, Gumeæ, Guzulæ, Hez & *Sus*. Ad litora maris Rubri & Mediterr. *Linguam* Arabicam hodieque vigere superius jam dictum est.

In America.

Caribanam, peculiari Dictionario illustravit, Auctor Historiæ Antillarum A. C. 1658. Roterodami editæ.

Mexicana, totâ fere impulsu linguæ ad dentes & extremum palatum nititur, unde literæ *T. L.* & seorsim & conjunctim creberrimè in ea occurrunt &c. Reliquarum Americæ *Linguarum* non adeo exactam hactenus rationem habuere Eruditi.

Singularia quædam nonnullarum Linguarum.

Cambrica, aspirationum plenissima est, & sæpe sine ulla vocali vocabula admittit, voce tunc ex imo gutture trahendâ. Sic in Orat. Dominica, pro *Libera nos à malo*, dicunt: *Eithr gvvaret ni rhag drvvg.*

Chinensis, literâ R. caret, nec alias voces, quam monosyllabas, agnoscit, licet diphthongis & triphthongis quàm maxime variatas.

Gallica, insignem habet gratiam, unde *cum mulieribus loquendum esse Gallicè*, in illo tralatitio dicitur.

Germanica, viriliter facunda est: Unde nationis æmuli, *cum hostibus Germanicè* volunt *loquendum esse*, ob terrorem.

A Gothis quæ fluxere linguæ, aspiratis gaudere, annotavit Verulamius *de Augm. Scientiarum libro 6. c. 1.*

Græca, diphthongis & compositionibus scatet.

Hebræa, à simplicitate & perfectione commendatur: composita enim adeo reformidat, ut malit tropis ac periphrasibus uti.

Hispanica, literas tenues odit easque statim convertit in medias: cæterùm ob majestatem suis adeò placens, ut dicant, *cum Deo loquendum esse Hispanicè.*

Japanica, virilis admodum est.

Italica gravis est, adeoque *Principibus*, ut habet Proverb. *digna.*

Mexicana literis T. L. ut dictum, creberrimè utitur, ut *Yecoil*, *Mecaxuchitl*, *Thilxochitl* &c.

Slavonicis linguis maximus dentalium usus, *S. R. Sch. Z.* unde non exigua earum asperitas &c.

Lingua Coccinea, h. e. panni frustum, in *linguæ* formam cocco tinctum, quam ponderis duorum siclorum in capite hirci emissarii ligaverit Sacerdos, & eum direxerit versus locum, in quem dimittendus erat, memoratur Maimonidi, apud Bochartum. Olim verò hanc *linguam* alligabant ad ostium porticûs exterioris aut etiam interioris: quæ cùm exalbescebat, quod passim contigisse referunt, [redacted] habebatur pro fausto omine: inde sc. conjectabant remissa sibi esse peccata, juxta illud Esaiæ *capite 1. versu 18. Si rubra ut coccinum fuerint peccata vestra, tanquam nix exalbescent.* Unde Gemara *in Joma capite 6. Tradunt Magistri, linguam coccineam olim alligatam fuisse, ad ostium porticûs exterioris: tum verò, si exalbescebat, lætabantur, sin minùs, dolebant — Statuerunt etiam, ut ligaretur ad ostium porticûs interioris & tum quoq; introspiciebant & videbant, & ea exalbescente, læti erant; non exalbescente, mœsti.* Sed observari desiisse hoc gratiæ iræque divinæ signum, annis 40. ante Templi Hierosolymitani excidium, ipsi iidem Talmudici scribunt ubi suprà *capite 4. fol. 39. b. Magistri docuerunt, quadraginta annis ante Templi desolationem non ascendisse ampliùs sortem in manum dexteram, neq; linguam coccineam ampliùs exalbuisse, neq; lucernam vespertinam amplius arsisse, & Templi fores per se patuisse.* Nempe annis totidem, ante Templi excidium, Christus passus est: cujus morte Legalibus sacrificiis omnis virtus adempta, lumen cognitionis in ea gente extinctum, nec templum solùm, sed & cœlum hactenus clausum, gentibus tum demum patere cœpit. V. præfatum Virum Clarissimum *Hierozoici Parte prior. Lib. II. cap. 54.* ut & suprà, in voce *Azazel.*

Lingula. V. suprà *Ligula.*

Linho, Lusitanorum linguâ, q. *filum*, ex Lat. *linea*, dicitur licium ex tribus filis consertum, quod velut insigne & nota nobilitatis Brachmanum est, in India. Hoc collo à sinistro humero annexum inde transiens ad dextrum brachium sub eo colligatur, pectusque hoc modo, balthei instar, incingit. Æstimatur illud maximi, nec aliis facilè, quàm qui Brachmanicæ gentis sunt, & quidem non sine ingenti ceremoniarum apparatu, conferri solet. Quod an ab Indis, hoc insigne nobilitatis adeptis, cum ad Christianam fidem convertuntur, ulteriùs gestari possit, acriter disceptatum inter Jesuitas, aliosque Ecclesiæ Rom. ordines, qui ibi locorum sedem fixere, qua de contentione V. pluribus agentem Petr. de Valle *Itinerar. T. IV.*

Linku, fructus Sinici nomen, qui in Pekingia prov. frequens. Tribuli fere habet figuram, ad instar triangularis pyramidis, undiquaque prominens, cortice viridi crassiorique, ad apices rubescente: dum siccatur, nigrescit, interior substantia albissima est, sapore castaneæ nucis, sed magnitudine tres quatuorque earum æquans. Seritur in stagnantibus aquis per totam Sinam: planta foliis est exilibus, longissimo tractu per aquæ summam superficiem proserpentibus, fructus multiplices sub aquis latitant. Auctor *Sina & Eur. cap. 56.*

Linostima Palla, quam Sylvester Episc. Rom. Diaconis concessisse memoratur, Gavanto manipulus est, Dominico Macro stola, quam *Orarium* Græci dixere quamque super sinistrum humerum deferentes, ejus anteriorem partem ad brachium revolvunt, posteriorem pendulam relinquentes: quod idem Carthusiani observant, nisi quòd hi, Latino ritu eam ad dextrum latus ligantes, longiorem partem in brachio ad instar manipuli stringunt. Ex Græco λινόσημον, quòd è *lineo stamine* esset, V. etiam Car. Macrum, *in Hierolexico.* Refert autem de Sylvestro, quod diximus, Anastasius in *Vita* eius: *Constituit, ut Diaconi Dalmaticâ uterentur in Ecclesia & pallio linostimo læva eorum tegeretur.* Quod confirmatum à Zozimo Papa, ex eodem Anastasio Car. Macer observat.

Lintea, quasi *linea*, ex *lino*, Gr. λίνον, in omni vita usui sunt multiplici. Et quidem infanti adhuc à matre rubenti substerni *linteamen* album consuevit, quo, donec abluatus sit, involvatur. Jul. Capitolinus *in Albino*, *Filius mihi natus est — ita candidus, ut linteamen, quo exceptus est, vinceret.* Sacrum id infantibus signum quia ad Deos, Sacerdotesque linum pertinet. Placuit idem commoditatis causâ, ut *linei thoraces* Græcis, vel ut teneriora corpora lini virtute solidentur. Erat candido nonnunquam purpureum

rerum apponebatur, nonnunquam pro dignitate pueritiæ substernebatur: qua de re V. Thom. Bartholinum *de Puerperio Veterum*. In reliqua ætate, vestitui inservit, ut ex parte diximus suprà, ubi de *Lineis vestibus*, & dicemus infrà, ubi de *Linteis libris*. Namque & ad scriptionem *lintea* placuere priscis. In balneis gymnasiisque, ad sudorem tergendum, ea adhibita memorat Martialis *lib. 12. Epigr. 83.*

Lintea *si sumes, nive candidiora loquetur:*

de quibus V. Casaubonum *ad Suetonium Augusto cap. 82.* & Laur. Pignorium de *Servis*. Etiam in bellis eorum usus, Illyricos enim *linteo protento* prælii signum dare solitos olim, docet Alex. ab Alexandro *Genialium Dier. lib. 4. cap. 2.* Porrò in coronis adhibita sunt. Isidorus *lib. 19. cap. 30.* *Hujus* (coronæ convivialis) *principium à Libero quodam Gentiles existimant, quòd is in potando mera vino capita vincire fasciolis instituerit. Idcirco olim lineæ ac laneis generis coronæ fuisse.* Neque antiquitus solum, sed & recentiori ævo. Quid enim diadema priscorum Regum, quam materia erat *linea*, & levis, quæ non solùm plicari & a vento auferri, ut de diademate Alexandri refert Appianus Alex. sed & lacerari facile poterat, quemadmodum Seleucus Callinicus, amisso exercitu, fugæ sese mandavisse τῷ ἐξερρωγότι τῷ διαδήματι, *lacerato diademate*, legitur apud Plut. περὶ ἀοργησίας. Unde diadema Regium deridens Dio Chrys. *Orat. 66. de glor.* *Si quis alius, inquit, caput suum fasciis obligaret, omnibus esset ludibrio. Regibus tamen id honestum putant. Et multa hominum millia pro eo linteolo mortem oppetierunt.* Sed & in funeribus utilia esse *lintea* non cessabant, de illis enim, quorum cadavera humo mandabantur, res notissima, quæ cremabantur, *linteis asbestinis* seu incombustibilibus, solebant involvi, ne cineres eorum cum rogo miscerentur, sed distincti servarentur, uti videre est hic passim, ubi de *Cadaverum Cura*, & rebus Funeralibus De Sacris ut aliquid adjiciam, non lineæ solum vestes Sacerdotum, Ægyptiorum præsertim, coronæque fuere: sed & tecta ipsa non a iis velaminibus operiri consuevere. Sic opertos Deos Penates Trojâ extulit Æneas, apud Lycophronem; sic statuæ Deorum frequenter ornabantur velabanturque: Sen. *in Mor.* Sic aram *lintea* circumdatam jurasse Samnites, qui hinc *linteati* dicti, scimus ex Liv. *lib. 10.* Laneæ namque, utpote impuriora &c. profana, hinc procul habita. Apuleius *Apolog.* *Etiamne cuiquam mirum videri potest — hominem — quædam sacrorum crepundia domi asservare? atque ea lineo texto involvere, quod purissimum est rebus divinis velamentum. Quippe lana — jam inde Orphei & Pythagoræ scitis profanus vestitus est* &c. V. Jo. Meursium *ad Lycophronem*, Cl. Suicerum *Thes. Eccl.* voce Ὀθόνη, ubi inter alia *de Sacro Diaconorum in Eccl. Christ.* & alia huc pertinentia hic infrà.

Lintei Libri, quòd e *lino*, sic dicti, post membranaceos, in usu esse cœpere, teste Plinio *lib. 13. cap. 11.* unde Mart. Capella *lib. 2.* *Alii, inquit, carbasinis voluminibus complicati libri.* Sic scripta fuere oracula Sibyllina, uti docet Symmachus *libro 4. Epistol. 34.* *Monitus Cumanos* Lintea *texta sumpserunt.* Et Claudianus *de bello Get.*

—— —— —— *Quid carmine poscat*
Fatidico custos Romani carbasus ævi.

Fœdera etiam publica inde narrata esse, innuit Livius *libro 4.* *Prætermissa nomina Consulum horum, Licinius Macer auctor est, & in fœdere Ardeatino & in linteis libris ad Monetæ inventa.* Quandoque & Leges sic scriptæ, *leg. 1. de alim. quæ inopes par. e publ. petere debent, in Cod. Theodos.* Imò & privatæ Principum epistolæ simili scriptæ sunt modo. Fl. Vopiscus *in Aureliano*. Sed & Persas in serico scripsisse (qui hodieque Sinensium mos) indicat Symmachus *lib. locoq. præfato.* Indos quoque in sindone scripsisse, docet Philostratus *in vita Apollonii.* Imò & charta, quâ vulgò utimur, ex *linteis* est concerptis atque contusis, qui mos jam ab aliquot viguit seculis. V. Salmasium *Notis ad Vopiscum*, Scaligerum *Diatribâ adversus Guilandinum*, Gerh. Joh. Vossium *de Arte Gramm. libro 1. capite 38.* Thom. Dempsterum *Paralipomenis in Joh. Rosini Antiqq. Rom. libro 3. capite 24.* &c. De *linteis* vestibus, V. suprà aliquid ubi de *Lineis vestibus*, cui addam hic non nihil de Græcis. Apud Græcos non minus, rarus admodum lineæ vestis usus, in sexu inprimis nobiliore, antiquitus fuit. Nam quòd apud Homerum ejus mentio fit, de cubiculari, dormientibus substerni solita, intelligendum. Unde Phæaces Ulyssi dormituro in navi stravisse ait *Odyss. ν.*

— Ῥῆγός τε λῖνόν τε, ἵνα νήγρετον εὕδοι.

Quòd verò Thucydides, *initio operis sui* Athenienses veteres, χιτῶνας λινοῦς, *lineas tunicas*, gestasse narrat, de loricis seu thoracibus lineis intelligendum est, quibus pro armatura in bello utebantur. Athenienses enim, ut cæteri Græci, militari cultu perpetuo incedebant, nec multo ante Thucydidis tempora ad pacis habitum transierunt, cum reliqua armatura lineas quoque tunicas deponentes. Meminit autem jam *thoracum lineorum* Homerus, de Ajace: Cui adde Pausaniam *in Atticis*. Nepotem *in Iphicrate*, Suetonium *in Galba cap. 19.* &c. Constabant hæ ex toralis seu funiculis trilicibus, quadrilicibus aut bilicibus: qui inter se conserti filis firmissimum opus præstabant. Hinc de filio Amasis Ægypti R. legimus, habuisse eum loricam filis contextam, quorum singula 365. filis constarent: & de Friderico III. Dan. R. in Hafniæ obsidione, usum esse loricâ sericâ. V. Scaligerum de loricis lineis prolixè agentem, apud Octav. Ferrarium *de Re Vestiar. Parte 2. libro 4. capite 11.* Tandem, quòd de Apollonio Tyanæo legimus, illum Pythagoræ more *lineâ tunicâ* usum fuisse, et planè peculiare fuit. V. Philostratum *libro 1. c. 9.* qui & *l. 2. c.* narrat, quasdam Indiæ gentes lineis vestibus uti, nobiliores verò bysso, quæ lini species: adjicitque inde in Ægyptum deferri, quod illam in plerisque sacris utantur Ægyptii; ab Ægyptiis deinde Romam *linteas* vestes pervenisse, docet Cicero *pro Rabirio.* Non tota tamen Ægyptiorum vestimenta *lintea* fuerunt, sed tunicæ tantum (nam pallia ex lana:) Interim lanea vestimenta neque in templa inferre, neque una cum mortuis sepelire licebat: qui mos in sacris Orphicis quoque, ac Bacchicis servatus est, teste Herodoto *lib. 2.* V. eundem Ferrarium *c. 12. l. præfati*, & suprà quoque voce *Lintea*. Hinc *Lintearii*, à *Linteonibus*, quorum meminit Lampridius *in Alexandro Sev.* *Bracariorum*, Linteonum, *Vitriariorum* &c. *vectigal pulcherrimum instituit*: sic distincti, ut *Linteones* sint οἱ λινουργοί, *lintea vestis artifices*, Vopisco *Linyphiones*, in *Saturnino*; *Linyphi*, *lege 8. Cod. Theod. de Murilegul. & Gynæciar.* *Linyphiarii*, *lege 16. eod. Cod. & tit.* At *Lintearii*, vel iis lineæ negotiatores, V. *legem 7. Cod. de excus. mun.* & plura hanc in rem, apud Salmasium *ad Vopiscum*, & Tit. Popmam *de Operis Serv.*

Linum, ex Græco λίνον est, Arachnes inventum, Plin. *l. 7. cap. 56.* *Seritur id, ac dicimus inter fruges nec inter hortensia potest. Sed in qua non occurrit vitæ parte. quodve miraculum majus, herbam esse, quæ admoveat Ægyptum Italiæ — quæ Gadeis ad Herculis columnas septimo die Ostiam afferat. & citeriorem Hispaniam quarto, prov. Narbonensem tertio. Africam altero: — audax vita — aliquid seri, ut ventos procellasque recipiat: & parum esse, fluctibus solis vehi — denique tam parvo semine nasci, quod orbem terrarum ultro citroque portet, tam gracili avenâ, tam non altè à terra tolli neque id viribus suis nexi, sed fassum, tusumque & in mollitiem lanæ coactum. injuriâ naturæ — Ecce seritur hominis manu — quod ventos in mari optet. Præterea ut sciamus savisse pœnas, nihil gignitur facilius: ut sentiamus, nolente id fieri natura: urit agrum, deterioremque etiam terram facit*, Idem *Prœmi. lib. 19.* Ubi vela navium indigitat, è lino fieri solita, quem in usum etiam *tentatum esse illud tingi & vestium insaniam accipere, in Alexandri M. primum classibus, Indo amne navigantis*, idem ait. *cap. 1.* Sed de his, ut & velis Theatralibus; aliisque infrà. Ad piscium aliarumque capturam item apprime idoneum, eadem & plagis materia, *Neque enim minores cunctis animalibus insidias, quàm nobismet ipsis, lino tendimus, Ib.* Alios usus suprà vidimus. Porrò obsignationibus literarum tabularumque tria adhibebantur: *Linum*, Cera vel Creta, & Signum, apud Vett. Erat autem *Linum*, vinculum illud, quo constringebatur obligabaturve id, quod erat obsignandum: ei imponebatur cera vel creta, in quam sigillum imprimebant, sed, quod hodieque vulgò fieri solet, prius saliva madefactum, ne cera illi adhæreret. Facit mentionem ceræ ac lini Plaut. *Bacchid.*

Cedò tu ceram ac linum: *age obliga, obsigna citò.*

Et in *Pseudolo sc. 1.*

—— *Phœnicium Calidoro amatori suo*
Per ceram & linum, *literasque interpretes*
Salutem mittit.

Sic *Institut. l. 2. Tit. de pupill. substitut. Separatim in inferioribus partibus scribere, eamque partem proprio lino propriaque cerâ consignare*, &c. In tabulis tamen, quæ publici & privati contractus scripturam continebant, peculiaris modus observabatur, quem Paulus *l. 5. Sent. Tit. 25.* describit his verbis: *Amplissimus Ordo decrevit eas tabulas, quæ publici & privati contractus scripturam continent, adhibitis testibus ita signari, ut in summa marginis ad mediam partem perforatæ triplici lino constringantur, atque impositum supra linum ceræ signa imprimantur, ut exteriores scripturæ fidem interiori servent. Aliter tabulæ prolatæ nihil momenti habent.* Cujus formæ auctor Senatus fuit Neronianis temporibus, ut Suetonius ostendit *Neron. c. 17.* *Adversus falsarios tunc primum repertum, ne tabulæ nisi pertusæ ac ter lino per foramina trajecto obsignarentur.* Non poterant autem epistolæ vel tabulæ aperiri, nisi lino soluto. Lucianus *in Timone*, [illegible] *Postea quam autem signum abstersum fuerit & linum incisum & tabulæ apertæ & declaratus meus novus dominus.* Unde apud Curtium *l. 7.* *Parmenio vinculum epistolæ solvens, quidnam Rex ageret, requirebat.* Et apud Ciceronem *3. Catilin. Incidere linum:* & alibi, *solvere Epistolam.* Sed antequam *linum* solveretur aut incideretur, quia cum signum plerunque cum eo frangebatur, signa jubebant cognosci, fidei causâ. Cic. *l. c.* *Tabellas proferri jussimus, quæ à quoque dicebantur datæ. Primùm ostendimus Cethego: Signum cognovit. Nos linum incidimus, legimus.* Et Quintilianus *lib. 12. cap. 8.* *Denique linum ruptum aut turbata cera aut sine agnitione signa frequenter invenies.* Ideo autem literarum signa recognoscebantur, quia inde, ut e scribentis manu, Auctor literarum potest cognosci: quemadmodum de L. Junio Bruto primo Romanorum Consule legimus, qui filiorum conjuratorum literas, primùm *ex utrimque sigillo*, [illegible] *& post revulsa signacula etiam e manu*, cognovisse legitur, apud Dionysium Halicarnass. *lib. 5.* At literas Principales, eas præsertim, quæ Pragmas-

gmaticas sanctiones ad totum Imperium vel posteritatem pertinentes continerent, quod spectat, non lino & cerâ, uti de privatorû tabulis epistolisq; diximus, obligabantur obsignabanturq; sed erant, ut hodie loqui amamus, *patentes*: in quarum tamen ima parte, fidei causâ, sigillum apponebatur, ut legimus in Pragmatico Childeberti Regis apud Aimoinum *de Gestis Francor. lib. 2. cap. 20.* V. Johan. Kirchmannum *de Annulis c. 8.* De *Lini* usu in lucernis antiquorum, quas *Incombustibiles* vocare solent, ut aliquid addam: Cùm duæ causæ sint, cur ad multas annorum centurias ardere possint, sine novi fomitis adjectione, lucernæ istiusmodi, una petita à natura liquoris, qui talis esse debet, ut non consumatur; altera à qualitate ellychnii, quod pertinaciter flammæ resistat: *lini* quoddam genus huic rei aptissimum inventum est. Hoc quibusdam ... Linum, Pausaniæ *Linum Carystium*, Plinio *Linum vivum*, nonnullis *Linum asbestinum*, Zoroastri *Bostrychites*, aliis *Corsoides*, quibusdam *Polia*, nonnemini *Spartopolia*, Quadrigario *Alumen*, quòd scisso alumini simile sit, aliis aliter appellatur: teste Plinio *lib. 19. cap. 1. ignibus non absumitur, ardentesq; ex eo sunt mappæ, quæ sordibus exustis splendescant igni magis, quàm possent aquis.* Idem addit, *Regum inde funebres tunicas corporis favillam ab reliquo separare cinere: Nasci autem in desertis adustisq; Sole Indiæ locis, rarum inventu, difficile textu propter brevitatem: rufum de cætero colorem splendescere igni, cumq; inventum est, æquare pretia excellentium margaritarum.* Neronem ex eo *lino* mantile habuisse ferunt, hodiè autem non inveniri amplius, docet Guido Pancirolus *Memorabil rerum deperdit. libro.* Pausanias *in Atticis* & P ut. *de def. Orac.* tradunt, in Carysthia rupe, *Linum* ... gni, ... lino & lapideo filo, ex quo mantilia, retia & reticula, capitis tegmina, conficerentur. Solinus *capite 16.* in Creta ... esse asserit, quæ inter ignes valeant. Dionysius Afer *de Situ Orbis, Arcadiam describens*, ait:

Hic nascit Linum, quod tactu accensum ab igne
Extingui nequitur, quem Graji nomine vero
A... memorant, ferro nitet ille colore.

Camillus Leonardus *de Lapid. lib. 2.* Asbestum lapidem lanuginosæ naturæ hoc *linum* præbere asserit, & ex hoc Gentiles in candelabris templorum ellychnia posuisse docet. Et Dalechampius *ad locum Plinii cit.* in aurea lucerna, quam Callimachus Athenis fecit, istiusmodi ellychnium fuisse memorat. Ex Cyprio lapide, quem *Amiantum* alii nominant, telas & vela spectaculi gratiâ Majores texuisse, quæ ignibus injecta arderent quidem, sed sine noxa, auctor est Dioscorides *lib. 5. cap. 113.* Strabo quoque *lib. 10.* Creticum *Linum* tradit petram esse, camq; attritam capillamentis tantum remanentibus, excussâ terreâ materiâ, pectinibus aptari, contextamq; in telam inde optimè confici. Sic Damasus *in Sylvestro Papa*, inquit, *ex amianto linum confectum inconsumtibile, ut perpetuò lampadibus arderet in Baptisterio suo Romæ, Constantinus Imp. statuerat.* Et Lud. Vives *in Augustin. de C. D lib. 21. cap. 6.* permulta ellychnia se vidisse Parisiis, quæ lucernis semper ardentibus nunquam absumerentur; mantile quoque Lovanii medio convivio igni datum, redditumque Domino mundius, splendidiusque, quàm posse: aquis & smegmatis quibuslibet, testatur. Joh. Paulus Pernumia *in Philos. nat.* eius naturam sic describit: *Solet à natura fieri in figura capillari, colore quandoq; albo, quandoq; cinereo, quandoq; rufo, aliàs ferreo: siccum ... esse extrinsecus humiditatem tamen habet intrinsecam, sicut metalla habent, quæ ab igne expugnari non potest: Lavatur lapis iste, necttitur, netur, texitur &c.* ... solum *petra Carystia vena istiusmodi glomos lapideos molles, è quibus fila nebantur, ferre desiit*, jam tempore Plut. *de Orac. Def.* verum etiam, si lapis ad manus sit, ars ejus lanuginem texendi, *linumq;* illud adeò celebre inde conficiendi, ut ex Panciroto suprà diximus, planè periit. Adhuc enim quin variis in locis istiusmodi lapis reperiatur, dubium non est: & testatur Fortun. Licetus, e quo hæc promta, *lib de reconditis Antiqq. lucernis* frustulum se Amianti possidere, magnitudine nucis, extrinsecus ferreo colore, sive cinereo saturo, intrinsecus cinereo dilutiore, bracteolis consitis constans, tantùm non lanuginosis, quæ sevo illita flammam concipiant absque sui detrimento, & beneficio lanuginis pecti texique possint. Simile quiddam in Cypro, apud amicum, se vidisse refert Petrus de Valle *Itinerarii tomo 4.* Plura V. apud modò memoratum Licetum *loco præfato*, item *lib. 1. capp. 4. 14. & 33.* ut & *lib. 2. cap. 14.* nec non plura de *Lino* omnis generis, *Asbesto* modò dicto, *Carpasio*, *Hispanico* tenuissimo & candidissimo, velis carbasisque impenso; *Indico*, e quo texta ignibus item resistebant &c. denique *Lini secandi, macerandi & candidandi modo* Vert. usitato, præter Plinium *l. cit.* apud Salmasium imprimis *Exercitat. Plinianis ad Solinum passim.* At de *lino margaritarum*, quod idem ac filum seu linea, cui intricatæ sunt ac insertæ margaritæ, V. suprà; Sicut de *lana linoq; mixturâ*, vetitâ lege, memoratâ Levitici *cap. 19. versu 19.* & Deuteron. *cap. 22. versu 11.* Sam. Bochartum *Hierozoici Parte priore l. II. c. 45.* nec non suprà aliquid, in voce *Lana*.

Linyphiarii, V. suprà *Lintearii*

Lippia, adde: Floruit *Lippiensium* Comitum, in Westfalia, Familia, pluribus à seculis, idque jam in bello Henrici Aucupis adversus Hungaros, circa A. C. 933. Eberhardum aliquem gentis hujus (quam aliqui Ursinis vindicare malunt) latorem dicunt. Qui nunc supersunt, omnes originem trahunt à Simone, mortuo A. C. 1614. Ab ejus enim filiis, Simone, linea *Detmoldia*, de qua suprà dictum est; Ottone *Brakensis* & Philippo *Buckenburgia*, de quibus hic, descendunt. Et quidem Brakenses quod attinet, isti sic habent. Simon Com. *Lippia*, qui obiit A. C. 1432. ex Eva (fil. Erici Duc. Brunsuicensis *in Grubenhagen*) suscepit Bernardum cognom. *Bellicosum*, defunctum A. C. 1511. Hoc & Annâ Schavvenburgicâ (fil. Ottonis Com. Schavvenburgici, Holsat. & Sternb.) genitus Simon, decessit A. C. 1537. Pater, ex Magdalena Mansfeldica (fil. Gebhardi Comitis *in Seeb.*) Bernardi, qui defunctus A. C. 1563, ex Catharina Waldeccia (fil. Philippi III. Com.) filium reliquit Simonem Com. *Lippia* præfatum, extinctum A. C. 1614. Hujus, ex Elisabetha Schavvenburgica (fil. Ottonis Com. Schavvenburgi) filius medius Otto, Margaretam Nassoviam sibi junxit, atque ex ea suscepit Casimirum, Wilhelmum, Mauritium, Fridericum, Georgium, Augustum, Amaliam, Dorotheam, Sabinam & Ottiliam, omnes *Comites Lippia &c. in Brake*, defunctus A. C... Buckenburgios vero quod concernit, Philippus minimus natu Simonis, sæpius memorati, ex Elisabetha Schavvenburgica, Sophiam Hassiacam (fil. Mauritii Hassiæ Landgr.) uxorem duxit, ex ea Pater Eleonoræ Sophiæ (quæ nata est A. C. 1647) Johannæ Dorotheæ (n. 1648.) Luisæ (n. 1650.) Philippinæ, Carolæ, Beatæ & Friderici Christiani (n. 1655.) qui *Comites Lippici* &c. omnes, *in Buckenburg.* V. Phil. Jac. Spenerum *Theatr. Nobil. Europ Part. I. pag. 25.* & 64. E Brakensibus, Casimirus & Wilhelmus, lineam propagare cœperunt: ille quidem ex Anna Amalia Sayno Witgenstenia, filii: hic verò, ex sorore Johannis Adolfi, ex Benthemiis Com. Tecklenburgici, itidem filii, Pater. Sed & Detmoldii rami surculus est *Bisterfeldius.* Ex Simone enim, Detmoldiæ lineæ auctore, & Maria Magdalena Waldeccia (fil. Christiani Com. defuncti A. C. 1638) geniti Jodocus Hermannus (cui nupsit Elisabetha Juliana Sayno Witgenstenia) & Sophia Eleonora (ux. Georgii Wilhelmi Com. Leiningensis *in Westerburg*) *Comites Lippia &c. lineæ Detmoldiæ in Bisterfeld*, appellantur, Idem *Part. III. pag 35.* & 84. V. quoque cum *Arte Herald Tom. II.*

Lips, Græce Λίψ, in octogona turre Andronici Cyrrhestis, quæ hodieque Athenis visitur, idem cum Africo, ventus est, hodie *Sudouest*, *Garbin* & *Labeche*, Belgis Gallisque dictus, V. suprà ubi de *Africo*, aliisque passim. Mel. *Libs*, à *Libya*, unde flare dicitur &c.

Lipsana, de Sanctorum reliquiis, apud Paulum Diaconum *l. 16.* aliosque, Græcè Λείψανα, V. infrà *Reliquia*.

Liquamen, apud Isidorum *lib. 20. cap 3.* liquor est, quem Græci ζωμὸν vocant, ex porcino adipe, hoc modo fieri solitus: Adeps minutatim conciditur & in vasa ad ignem lentum seu carbones ignitos sine fumo liquescit, adjecto salis modico, seu etiam nullo: deinde liquefactum, antequam refrixit, in ollam liquefactoriam colatur, & ad usum reponitur; usui autem est toto fere anno, Gabr. Humelbergius apud Car. du Fresne *Glossar.* V. quoque Jac. Cujacium *Observationum lib. 9. cap. 9.* & suprà, in *Garum*, item *Elaogarum*.

Lircaus, apud Papinium Statium *Thebaid. lib. 4. pag. 715.*

Aret Lerna nocens, aret Lircæus, *& ingens*
Inachus —

Mel. *Lyrcius*, fons est prope Nemeam: de quo V. in hac voce, & Priscianum *lib. 2.* laudatum Barthio *ad Papinii locum.*

Lista, apud Villaneum & Petrarcham, ora, limbus; in *Glossis* Lat. Gr. ἡ ἐπὶ τῆς ἀρχαίας ... : Unde hodieque Galli sic vocant, non modò laciniam, vel tæniam aut vittam, sed etiam catalogum aut elenchum, quòd ejusmodi indices, in pergameni aut chartæ laciniis longioribus, perscribi soleant. *Limbularios Textores*, hujusmodi *Listarum* confectores Plautus vocat, *in Aulularia*. V. du Fresne *in Glossario.*

Litania, adde: Erant & Gentilibus hæ *Litania* olim ac supplicia, circa statuas & aras Deorum, quibus uti moris erat in Fortuna adversa: Romanis præsertim, ut sæpe narrant Livius & Dionys. Halicarnassæus, qui dicere hoc solet, ... Polybius verò, bonus cum primis auctor, eleganter vocat ... πρὸς τοὺς θεοὺς, *lenocinium & blanditias indecoras adhibere, ut Deum flectas, lib. 15.* Cui non dissimile apud alios Scriptores ... τοὺς θεοὺς: quo elegantissimo verbo id plane significant profani Auctores, quod Dominus noster in Evangelio de Gentibus dicit, ipsas τῇ πολυλογίᾳ ... *credere multiloquio exaudiri*, &, ut loquitur Tertullianus, *se copiâ verborum, quasi agmine facto, quod petunt à Diis, impetraturos* Multiloquium autem Ethnicis in precibus suis placuisse, cuivis obvium est. Hinc preces seu supplicatio Thebanarum mulicrcularum, quas in urbis periculo concipiunt, apud Æschylum in Ἑπτὰ ἐπὶ Θήβαις versibus amplius centum ægre absolvitur: ubi & πολυλογίας Paganorũ hujusmodi causa exprimitur, quam alicubi Augustinus verè notat Nam in summa rerum divinarum ignorantia, quem potissimùm Deorum aut Dearum orarent, quoniam nesciebant; omnes precabantur, vel certe plurimos, quod hoc loco muliercula studiosissime faciunt. Hinc Servius *ad Georgic. l. 1. Post specialem*, inquit, *invocationem, transit ad generalitatem, ne quod Numen prætereat, more Pontificum, per quos ritu veteri in omnibus sacris post speciales*

speciales Deos, quos ad ipsum sacrum, quod fiebat, necesse erat invocari, generaliter omnia Numina invocabantur. Adde, quod Pagani cre liderunt, suos Deos coacervatis elogiis & congestis capi titulis. Quam ob causam, Poeta Callimachus inducit Dianam petentem a Patre Jove, cum dono virginitatis, nominum ac titulorum multitudinem:

> Δός μοι παρθενίην αἰώνιον ἄππα φυλάσσειν,
> Καὶ πολυωνυμίην.
> *Da mihi virginitatem perpetuam Pater ut custodiam,*
> *Et titulorum pompam.*

Refer huc quoque insigne multilogii talis exemplum, quod in Aristophanis *Thesmophoriazusis* exhibetur: ubi mulieres, in ludicro licet argumento, publicos mores sacrorum exprimentes, istiusmodi Battologiâ utuntur. Sed in illis apud Æschylum precibus, adhuc insignior πολυλογία est: ubi sæpissime verbis diversis sententiæ eædem, ab illis muliercuils, de circumstante periculo & magnitudine metus, repetuntur &c. V. Isaac. Casaubonum *Exercit.* 14. *ad Annal. Baronii Num.* 14. *p.* 289. nec non *Animadversion. ad Augustum Suetonii c.* 100. ubi nudipedes hujusmodi supplicationibus defunctos, more à Mose accepto, ex *Apologia* 2. Justini, etiamque vett. Christianos in clamanda *Litania*, idem aliquando factitasse, ex Historia Ecclesiastica, addit.

Litare, est sacrificio facto placasse Numen, ut auctor est ex aliis Macrobius *Saturnal. lib.* 3. *c.* 5. Hinc ad verba illa Poetæ *Æneidos lib.* 4.

> *Tu modò posce Deos veniam, sacrisq; litatis,*
> *Indulge hospitio* ——

Servius, notat, Deos propriè *litari* dici, non hostias, quod abusivè dictum: *Diis litatis debuit dicere. Non enim sacra, sed Deos sacris litamus, i. placamus.* Itaque nove hoc dixit Virgilius, quemadmodum eum sequutus Statius *Thebaid. l.* 10. *v.* 332. *Sacra litavi* &c. Et quidem hoc ordine ista vett. Sacrorum exponit Lutatius *ad eund. Theb. l.* 4. *Primum est sanguinem libare, deinde immolare, tertio reddere, quarto litare.* Idem *ad illud libri* 10.

> *Audite ô fontes extrema litamina divûm*
> *Labdacida* ——

litamina, inquit, *sunt sacrificiorum signa, post quæ sacrificare iterum non licet.* Et, *Sacrificare est hostias immolare. Litare vero per immolationem hostiarum impetrare quod postules.* Signa illa qualia fuerint apud Gentiles, videre est hic passim, ubi de *Aruspicina*, *Extispicinaq;*, & variis *Divinationis* apud illos generibus. Longè certius id, quod in V. Test. de Igne cœlesti sacrificia consumente, legimus Genes. *c.* 4. *v.* 4. ubi de Abele, Genes. *c.* 8. *v.* 21. ubi de Noaho; *cap.* item 15. *v.* 17. ubi de Abrahamo; Judicum *c.* 6. *v.* 20, 21. ubi de Gideone; *c.* 13. *v.* 16, 19, 20. ubi de Manna; 1 Chron. *c.* 21. *v.* 26. ubi de Daniele & 1. Reg. *cap.* 18. *v.* 32. & *seqq.* ubi de Elia: quorum omnium sacrificia, velut accepta Deo, eo modo flammata constat. Unde votum illud Psalmi Ps. 20. *vers.* 4. *Recordetur omnia munera tua; & holocaustum tuum incineret* &c. V. de hac voce plura, apud Caspar. Barthium *Animadversion. ad Statium Thebaid. libro* 1. *vers.* 506.

Litera Gothica, quæ & *Toletana*, Roderico Toletano *Histor. Hispan. lib.* 5. *capp.* 25. & 30. dicitur, quam Gulfilas Gothorum Episcop. adinvenit, teste Jornande *de Rebus Geticis*. Eâ Hispani usi sunt, donec abrogata est, à Bernardo Toletano Primate, in Concilio Toletano æræ 1117. in quo statutum, ut *literis Gallicis* uterentur. Cum Runica eandem esse, pluribus contendit Olaus Wormius *de Literatura Runica l.* 1. V. Car. du Fresne *in Glossario*, ubi quoque *Litera Pisana*, h. e. veteris characteris, quo scripti sunt Pandectarum libri (Amalphiâ Lothario Imp. captâ, inventi & Pisanis dono missi, hodieque in Bibliotheca Magni Hetruriæ Ducis Florentiæ asservati) meminit. V. in voce *Pisa*, ut & hic infrà.

Litera, quem primum habeant Auctorem, inter Gentiles admodum fuit controversum, teste Plinio *lib.* 7. *cap* 56. ubi ait: *Anticlides in Ægypto invenisse quendam, nomine Menona tradit* 15. *annis ante Phoroneum, antiquissimum Græciæ Regem, idq; monumentis approbare conatur. E diverso Epigenes apud Babylonios* 720. *annorum observationes siderum coctilibus laterculis inscriptas docet. Qui minimum, Berosus & Critodemus* 480. *annorum. Ex quo apparet æternus* Literarum *usus.* Ac paulo ante dixerat idem, Literas *semper arbitror Assyrias fuisse: sed alii apud Ægyptios à Mercurio, ut Gellius: alii apud Syros repertas volunt.* Quod de Mercurio ait, assentiuntur Jul. Hyginus *Fab. cap.* 277. Diod. Siculus *Biblioth. lib.* 2. & Plut. *Symposiac. libro* 9. *quæst.* 3. Eum Ægyptium fuisse, ac quintum ejus nominis, Auctores sunt, Cic. *de Nat. Deor. libro* 3. atque ex eo Arnobius *libro* 4. & Lactantius *libro* 1. *capite* 6. Quam rem quoque Plato confirmat, docens in *Phædro*, Deum quendam coli apud Ægyptios, nomine *Theuth*, qui cum alias artes, tum *Literas*, invenerit, Ægyptiosque docuerit, &c. Sed non icirco laus hæc Ægyptiis debetur, quæ omnino Assyriorum est, quandoquidem multo antè hæc regio culta fuit. Ex Assyria autem secum vexere Chananæi, quorum idem ac Assyriorum sermo permansit, usque dum hi, ob crebra variis cum gentibus commercia bellaque cum vicinis ac longinquis gesta, sermonem eum mutarunt, Chananæis interim, quibus nunc iidem nationes aliæ miscebantur, veterem retinentibus. Utrique autem ab Hebræis acceperunt, qui à Patriarchis, quorum omnium primo, totius humani generis Auctori protoplasto, inventi gloria meritò defertur. Ab eo enim Sethum tum *Literarum* usum, tum Astrologiæ, aliarumque artium notitiam hausisse, credibile est. Ac de *Literis* quidem ita Augustinus *Quæst.* 69. *Exodi. Nonnullis*, inquit, *videtur, à primis hominibus literas cœpisse, & perductas esse ad Noe & inde ad populum Israël.* Similiter Suidas, cum alibi Abraham, item Seth, *Literarum* dicat auctorem, idem tamen in Adam inquit, Τούτου τέχναι καὶ γράμματα, *Hujus sunt artes & literæ.* Hinc non adeò mirum est, cum Phœnices sint Chananæi, *literas eorum antiquissimas* esse contendunt, Curtius *lib.* 4. *Si famæ libet credere, hæc* (Tyriorum) *gens* Literas *prima aut docuit aut didicit.* Plinius *lib.* 5. *cap.* 12. *Ipsa gens Phœnicum in gloria magna literarum inventionis & siderum, navaliumq; ac bellicarum artium:* Lucanus item *lib.* 3.

> *Phœnices primi, famæ si creditur, ausi*
> *Mansuram rudibus vocem signare figuris.*

A Cadmo Phœnice Græci suas acceperunt, teste eodem Plinio *lib.* 7. *cap.* 56. *Utiq;* (volunt) *in Græciam intulisse è Phœnice Cadmum* 16. *numero: quibus Trojano bello Palamedem adjecisse quatuor hac figurâ*, Θ, Ξ, Φ, Χ. *Totidem post eum Simonidem Melicum*, Ζ, Η, Ψ, Ω. Hinc Timo apud Sextum Philos. illas vocat,

> —— —— — Φοινικὰ σήματα Κάδμου.
> —— —— — *Cadmi Phœnicia signa.*

Et Herodotus, apud Thebas Bœotias, in Ismenii Apollinis templo, *literas* Cadmeas, in tripodibus quibusdam incisas, magna ex parte similes Jonicis, se vidisse, narrat *in Terpsichore.* Fuere autem illæ inscriptiones, quibus Græcia nihil habuit antiquius: Prima Amphitryonis, circa ætatem Laji, Cadmi pronepotis: Altera Hippocoontis, sub Oedipode, Laji filio: Tertia Laodamantis, Eteoclis filii. Verisimile tamen, non fuisse omnino Cadmeas veteres, sed tempore paulum immutatas, unde ad Jonicas illas accedere auctor ait. Nec dubitandum, quin Cadmeæ vel penè Cadmeæ *Literæ* intelligi debeant, apud Dion. Halicarnassensem *lib.* 1. cum agit de tripode Dodonæo, γράμμασιν ἀρχαίοις ἐπιγεγραμμένῳ, *antiquis literis insculpto*, cujus & inscriptionem ponit. Item cum de columna, cui Servius Tullius leges fœderis inter Romanos Latinosque inscripserat, ait, *permansisse illam usq; ad suam ætatem in Dianæ fano, characteres Græcarum literarum habentem, quarum olim in Græcia usus.* Quod verò Græci aliàs post *literarum* figuras usurparunt, id ab iis non consilio, sed assiduâ tractatione temporisque longinquitate factum: Nec tamen tantopere aut vulgares Græcorum à veteribus Jonicis, aut hæ à Phœnicis, discesserunt, ut origo earum dissimulari possit. V. Scaligerum *Animadvers. Euseb. in digressione de literis Jonicis, ad num. Euseb.* 1617. ipsumque Eusebium *de Præp. Evang. lib.* 10. *cap.* 11. Latinorum *literas* Tacitus *Annal. lib.* 11. ab Arcadibus Regeque eorum Evandro, alii à Pelasgis, qui ante Arcades 60. annis in Italia fuere, arcessunt, utrique in eo consentiunt, quòd à Græcis profectæ & eædem fuerint cum veterum Græcorum literis. Unde Tacitus, *Et forma*, inquit, *literis Latinis, quæ veterrimis Græcorum.* Plinius quoque *lib.* 7. *cap* 58. *Veteres Græcas fuisse easdem pene, quæ nunc sunt Latinæ, indicio erit Delphica, tabula antiqui æris, quæ est hodie in Palatio, dono Principum Minervæ dicata, in Bibliotheca, cum inscriptione tali*, Ναυσικράτης Τισαμενοῦ Ἀθηναῖος. Sic ergo Latini Græcis literas suas debent: Græci vero eas à Phœnicibus accepere, Phœnices autem ab Hebræis. Ad alias gentes serò admodum *Literarum* usus pervenit: Proin Ælianus *Var. Hist. lib.* 8. *cap.* 6. *Neminem antiquorum Thracum*, ait, *literas novisse. Imò, quotquot Barbarorum Europam inhabitant, turpissimum duxisse, literis uti.* Sic Venedi, seu Slavi, demum temporibus Ludovici Imp. qui Lothario successit, literas accepere, à Methodio Philosopho, ut est apud Aventinum *Annal. libro.* 4. Apud Germanos, Taciti ætate, *Literarum secreta viri pariter ac fœminæ ignorarunt*, uti is loquitur *libro de Moribus Germ.* Imò raræ ac vix unquam literæ Germanicæ elegantiores inveniuntur, ante tempora Rodolphi I. Imper. eæque majori parte Latinis literis scriptæ, donec is, querelis Germanorum permotus, Comitiis Norimbergæ habitis A. C. 1272. consensu unanimi omnium Imperii Ordinum, statuit, ut deinceps in Cancellariis & contractibus Germanicum idioma reciperetur. Antiquos Francos, qui sub Marcomiro ac Pharamundo Gallias subegere, literas habuisse Græcis non planè dissimiles (fortè ex Græcis Massiliensium corruptas, quibus etiam Helvetios usos fuisse ex Cæsare patet) atque iis Wastaldum historiam patrio sermone consignasse: Alteras ab illis Wastaldi multum distitisse, repertas à quodam Dorаco: Tertias inventas esse ab Hicho Franco, qui è Scythia veniens cum Marcomiro ad ostia Rheni consederit, refert Corn. Agrippa *de Van. Sc. lib.* 1. *cap.* 2. Quæ apud vetustiores non legas: Meminit saltem Aimoinus *de gestis Franc. lib.* 3. *cap.* 40. Childericum Regem mandasse Gallis, ut quatuor Græcorum literis uterentur: Θ, Φ, Χ, Ω. Gothis, circa A. C. 370. temporibus Valentiniani & Valentis Impp. Episcopus eorum Ulphilas, dedisse literas traditur, teste Socrate *Hist. Eccl. lib.* 4. *cap.* 27. cui assentitur Jorn. in

Getic.

Geticis, Ricobaldus Ferrariensis *in Chron.* &c. Scaliger *in Epist.* quintuplices in Europa hodierna *Literas* seu ductus scriptionis ac characteres agnoscit, *Latinas, Græcas, Hieronymianas, Rutenicas* ac *Gothicas*. Americæ incolæ, per Hispanos subacti, incognito sibi antea *Literarum* usu, divinitatis certissimum argumentum rati sunt, chartæ scriptæ vocem occultam inesse. V. Sam. Petitum *Observationum lib. 2. cap. 1. pag 137. & seqq.* Gerbardum Joh. Vossium *de Arte Gramm. lib. 1. cap. 9. & seqq.* Matth. Berneggerum *in Germaniam Taciti Quæst. 99.* & hic *infrà*.

Literarum apud varias Gentes origo.

Ægyptii, secundùm quosdam *Literarum* inventarum gloriam sibi vindicant, sed ipsi ab Assyriis eas acceperunt, Chananæis ex hac regione illas eò invehentibus.

Americani, ante Hispanorum adventum, *Literarum* penitus ignari, à victoribus eas accepere.

Chaldæi, ab Abrahamo, literas suas habuere, secundùm Isidorum *Origin. lib. 1. cap. 3.* Sed Chaldæos multò ante Abrahamum *literis* usos esse, discimus ex Simplicio *Comm. 46. in Arist. lib. 2. de Cælo*, ubi scribit, Callisthenem, Aristotelis rogatu, misisse in Græciam observationes Chaldæorum, ab annis 1903. ante tempora Alexandri: quod fuerit annis circiter 200. ante natum Abrahamum.

Franci veteres, literas Græcis non dissimiles habuere, ut dictum, quas forte à Massiliensibus accepere, Recentiorum *literas* à Doraco, & Hicho inventas, Agrippa ait. V. suprà.

Germani, Latinis literis usi sunt, ante Rudolfi I. Imp. tempora, ut ex Berneggero suprà dictum. Wolfgangus tamen Lazius *lib. 8. de Suevis*, ait: *Non audiendi sunt, qui ante annos 306. primùm omnium linguam nostram scribi solitam existimant* &c. Et *lib 9. de Marcom. In antiquissimis*, inquit, *Annalibus Francorum, historiam & genealogiam Caroli M. continentibus, membrana longè omnium antiquissima scriptis, hæc nominatim verba excerpsimus: Literas quippe, quibus sunt usi Marcomanni, quotnos Normannos vocamus, infrà scriptas addidi, à quibus originem, qui Theodiscam linguam loquuntur, trahunt, cum quibus carmina sua incantationesq; ac divinationes significare procurant, qui adhuc pagano ritu involvuntur:* (& depingens literas postea subdit) *cætera literæ in eodem antiquo codice desiderantur, & ob nimiam vetustatem legi non possunt.* De quo loco Lazii Olaus Wormius *lib. de literis Runicis cap. 6.* ait, *Literas has maxima ex parte, tum quoad figuras, tum quoad nomina, cum nostratibus convenire* &c.

Gothi, literas ab Ulphilà Episcopo, ut enim P. Diaconus vocat, vel Guilphila, ut Jornandes, communiter creduntur accepisse. Gordanum Episc. earum inventorem vocat Corn. Agrippa: nisi Ulfilas fuerit binominis, aut Agrippa corrupto codice sit usus. Sed Johannes & Olaus Archiepiscopi, Scandinaviæ incolas habuisse suas literas, ante Latinas repertas, h. e. annis ante Christum natum prope 1200. tradunt: & Wormius *lit Runic. cap. 4.* Ulphilam eas non invenisse, sed ad exteros tantum protulisse, fuse demonstrat. Has cum antiquissimis Germanorum Celtarumque literis easdem faciunt Haraldus Huitfeldius *Histor. tom. 1.* Bon. Vulcanius *Comm. de literis & lingua Gethorum*, Petrus Lindenbergius *Comm. rerum memorab.* Arngrimus Jonas Islandus *de primordiis sua gentis c. 3.* Wolph. Lazius *de Marcomannis l. 9.* &c. apud Georg. Schottelium *Elogio 4. Lingua Germ.*

Græci suas à Cadmo accepere: qui, tempore Josuæ, una cum fratre Phœnice, Thebis Ægyptiorum in Syriam profectus est, & tempore Othonielis in Græciam venit, ibique Thebas Bœotias condidit. Alii tamen Cecropi Ægyptio, primo Atheniensium Regi, qui circa Mosis apud Jethronem in terra *Madian* servientis tempora, floruit, eam gloriam ascribunt: intervallo non adeò magno, ut Vossius judicat *de Arte Gramm. lib. 1. cap 10 sub finem.*

Hebræorum literas, quibus hodie vulgò Sacra Biblia Hebraica descripta & impressa videmus, easdem esse, quas Moses in tabulis à Deo accepit, & inde ab eo tempore inter Judæos extitisse; neque figuram earum ab Esra demum, post captivitatem Babylonicam, vel ab Assyriis mutuatam vel de novo confictam atque inventam esse, pluribus docet Joh. Buxtorfius fil. *Dissert. 4. de Lit. Hebraicarum genuina antiquitate.*

Helvetii, Græcis characterib. usi leguntur, apud Cæsarem *l. 1.* ubi in castris illorum tabulas literis Græcis confectas fuisse repertas scribitur. V. Joh. Baptistam Plantinum *Helv. Nov. Antiq. cap. 18.*

Joniæ literæ è Phœniciis ortæ, ut dictum, non tamen easdem plane cum his formas habuere. Jones enim, cùm Phœnicum accepissent literas, *progressu temporis unà cum sono mutavere & literarum veterem formam*, ut ait Herodotus *Musâ 5.* quæ tamen immutatio non admodum magna fuit.

Latini, suas accepere ab Evandro Arcade, ut vult Tacitus *Annal. lib. 11.* & Marius Victorinus *lib. 1.* Isidorus hanc laudem magis Nicostratæ, matri ejus, quæ aliàs *Carmenta*, attribuit. Saturno alii inventum id ascribunt, sed notum, communia multa cùm Saturno Evandrum habuisse. Alii ad Pelasgos id referunt: quorum quidquid sit, manet Latinos *literas* à Græcis accepisse.

Peruviani ac Mexicani, Americæ gentes, ut & Sinenses, loco *Literarum*, notis quibusdam utuntur, quod etiam antiquissimi homines ante *Literarum* usum fecere.

Phœnices, Chananeæ populi, *literas* habuerunt antiquissimas, quas ab Hebræis, quibus ut Artium, ita Linguarum ac *Literarum* inventarum gloria debetur, accepere. Ab illis & Græci & Pœni, aliique suas nacti sunt.

Samaritani, ab Hebræis accepere characterem communem, in vulgaribus libris & communi usu vigentem: V. Buxtorfium *loco præfato, ubi de duplici Hebræorum charactere pluribus disserit.* Vocatur autem illa Scriptura, in Talmud & aliis Judæorum scriptis, modo *Transfluvialis* vel *Transfluvialium*, vel *Hebræa*: modò *Libonæa*, vel *Libanica*.

Septentrionalium populorum *Literæ*, antiquæ Celticæ vel Gothicæ fuere, de quibus V. suprà &c.

Literæ Imperatoriæ, *Inthronistica, Pinnata*, V. ubi de *Diplomatis*, item in voce *Inthronisticon*, & *Pinna*. Addam hic saltem, quod *de Literarum subscriptione* suggerit Casaubonus, *ad illud Suetonii in Tiberio cap. 30. Rhodiorum Magistratus, quòd Literas publicas sine subscriptione ad se dederant—remisit*: Literis ad Principem addi consuevisse clausulam, quâ felicitas ei optaretur, ut ex Dione patet; forte fuit, εὐτύχει διὰ παντὸς, ut in extrema *Relat.* Demetrii Phalerei ad Ptolemæum Philadelphum. Quemadmodum privatarum literarum subscriptio apud Græcos fuit ἔῤῥωσο apud Latinos, *Vale*. V. plura hac de vocis notione, suprà, ubi de Vett. *Epistolographia.* Superaddo, *Literas* secretò mittendi varios modos memorare Scriptores, inter quos Suidas Primi & Cerealis meminit, qui *literas* & nuntios miserunt, epistolas mortuorum, qui efferebantur, arcis inferendo aut cum fi... inis fructuum mittitando, aut inter calamos aucupatorios occultando &c. V. Salmasium *Exercit. Plin. ad Solinum pag. 1305.* ut & infrà, voce *Scytale*: de *literarum v. supponendarum astu*, Vid. Livium *lib. 20. cap. 31.* alibique.

Literarii Philosophi, Senecæ *Epist. 72.* qui in apicibus *literarum* aucupandis operam insumebant, dicti sunt. V. ubi de *Criticis*.

Literarum primus Informator, memoratur Tertulliano *de Pallio*, *Viderit nunc Philosophia quid prosit: nec enim sola mecum est, habeo & alias artes in publico utiles: ae meo vestiuntur & primus literarum Informator & primus Edomator vocis & primus numerorum Harenarius, & Grammaticus* &c. Quibus intelligit eum, qui primis literis pueros imbuebat, Latinis alias *Literator*, Græcis Γραμματιστὴς dictus. Appulejus *in Florid. Verùm enim vero Musarum craterra, quanto crebrior, quantoq; meracior, tanto propior ad animi sanitatem. Prima craterra Literatoris ruditatem eximit: Secunda Grammatici, doctrinâ instruit: Tertia Rhetoris, eloquentiâ armat.* Nempe *Literator* is erat, qui συλλαβίζειν, ut loquitur Lucianus, pueris monstrabat, tantumque est inter Grammaticum & Literatorem discrimen, quantum apud Græcos inter Γραμματικὸν & Γραμματιστὴν: & quem Græci Γραμματιστὴν Latini vett. *Literatum* vocabant. Pueri itaque septennes olim, ad ruditatem deponendam, Grammatistæ dabantur: cum verò duodecimum attigerant, ad Grammaticos mittebantur, ut doctrinâ instruerentur, Paulus Ægineta περὶ διαίτης παιδίων. V. & Quintilianum *l. 1. c. 2.* Aetius *lib. 4.* Ἀπὸ δὲ ϛ´ ἢ ζ´ ἐτῶν ἐπὶ γραμματιστὰς φέρειν, ubi γράμματα vocat *literas* illas primas, quas Literator, h. e. *primus Informator literarum* docet. Unde vox illa Neronis, quum damnationem rei nescio cujus subsignare cogeretur, *Quàm vellem nescire literas!* Tota verò hæc scientia consistebat, in scribendo tantum, h. e. pingendo & legendo. Sequitur apud eundem Ætium: Ἀπὸ δὲ τοῦ ιδ´ μέχρι τοῦ κα´ ἀρχέσθω μαθημάτων ἀσκήσεως ἢ φιλοσόφων λόγων unde videmus, ab duodecimo usque ad quatuordecimum Grammaticis instrui consuevisse; postea usque ad vigesimum primum Rhetoricæ, & Philosophiæ operam dedisse. Ita Galenus *Protrept. ad Artes*, in prima nobiliorum & liberalium artium classe Grammaticam collocat, in secunda verò Grammatisticam; adeoque Grammaticos cum Philosophis, Geometris, Arithmeticis, Medicis & Astronomis deputat: Grammatistas verò in secundo post illos ordine, inter Pictores, Fictores, Sculptores ac Architectos recenset. *Edomatorem* autem *vocis*, apud Tertull. *l. c.* pro Phonasco nonnulli accipiunt. Sed pueros inter prima illa *literarum* rudimenta, Phonasco olim operam dedisse, verisimile non est, nisi si qui Cantores Tragici esse vellent aut Comœdi. Soli enim Cantores, & si fortè etiam Oratores, Phonasco vocem suam & formandam & exercendam dabant. Mavult proin Salmasius legere, *primus Enodator vocis*: eumque intelligit, qui pueris legendi & rectè pronuntiandi artem tradebant. Nam hic, quo modo singula verba, quâ voce, quo motu oris essent pronuntianda, præcipiebat. Et certè, qui articulatè ac expresse singulas voces pronuntiare docet, is nodos vocis solvere rectè dicatur, præsertim in pueris id ætatis, adhuc balbutientibus & infractâ voce dimidiata verba vix exprimentibus. Quintilianus *lib 1. cap. 2. Non alienum fuerit exigere ab iis ætatibus quò sit absolutius os & expressior sermo, ut nomina quædam versusq; affectatæ difficultatis ex pluribus asperrimè coëuntibus inter se syllabis catenatos & veluti confragosos quàm citatissimè volvant.* Martianus Capella *de Grammat. Demonstrabat*, inquit, *etiam quendam gratissimum gustum, vetere mulso olivoq; elaboratum, quo depulsa vocis insuavissima diritate canoros etiam*

fieri

fieri posse memorabat, &c. Tertullianus igitur tres primos Praeceptores & Ludimagistros *l. c.* nominavit, qui rudes pueri annos primis & elementariis literis erudiendos suscipiebant, quosque a Grammatico, solidiore doctrinâ eum imbuente, distinxit: *Primum literarum Informatorem*, qui literarum formas & potestatem cognoscere ac scribendo exprimere: *Primum vocis Enodatorem* qui recte pronuntiare: & *Primum numerorum Arenarium*, qui ea calculo monstrabat. Atque haec tria munera unius ejusdemque Magistri ferme fuerunt, quem Γραμματιστὴν Graecè appellatum diximus: undeidem Graeci etiam *Calculonem* eum vocitavere. Suidas in voce [illegible]: [illegible], *Apud Grammatistas sic docetur, & vocatur* [illegible] *nonaginta*. Ubi Grammatistae sunt Calculones: eo quód unâ eademque operâ & sub eodem Magistro pueri utrumque discebant, literas & calculum: unde & *Calculo* pro Ludimagistro. Jul. Capitolinus *in Pertinace*, *Puer literis elementariis & calculo imbutus*. A diversis tamen Praeceptoribus aliquando haec fuisse tradita, Tertullianus *loco cit.* testari possit: cujus tamen verba etiam ita accipi possunt, ut primus Informator literarum idem sit quoq;, & primus Enodator vocis & primus numerorum Arenarius sicque unius ejusdemque hominis officium in haec tria videatur diduxisse. Addam hoc unum, sicut *Literatorem* seu Grammatistam, a *Literato* seu Grammatico diversum fuisse, videmus: sic primus numerorum Arenarius ab Arithmetico fuit distinctus. Nam Calculo sive primus ille numerorum Arenarius nihil aliud docebat, quàm aera sive calculos in tabula ducere & reducere, ad summam aliquam computandam & rationem purgandam. Digitorum etiam computum idem docebat, qui Veteribus in usu fuit &c. Salmasius *Notis ad Tertullian. de Pallio*. V. & hic *Literati*.

Literati & *Literatores*, dicti sunt Messalae Corvino, apud Sueton. *de Illustr. Gram.* quos *Grammaticos* alias vocavere, servitii honestioris apud vett. Romanos genus. Quó Cornelius Nepus respexisse videtur, cum in *Vita Pomponii Attici* scribit, in ejusdem familia fuisse *pueros literatissimos*. Hujusmodi fuit Maecenati C. Melissus, apud Suetonium *lib. cit.* Daphnis *ibid.* ut & apud Plinium *lib. 7. cap 39.* Postea veró hae voces distingui coeperunt, ac *Grammatistae* seu *Literatores* dicti sunt, qui mediocriter essent eruditi, neque primas solùm literas docerent, sed variarum insuper Artium elementa traderent, atque pueris Auctores in ludis enarrarent: quos *Litteriones* contemtim appellat B. Augustinus *lib c. advers. Legis*. *Grammatici* veró seu *Literati*, qui essent absolute docti, ac inprimis literarum Professores. Gerh. Joh. Vossius *de Arte Gramm. lib. 1. cap. 1. sub fin.* & hic suprà. Aliter vox *Literati* sumitur, apud Plautum *in Casina*,

Si hic literatus *me sinat*,

& in Prov. *Samiis neminem esse literatiorem*. Ibi enim, pro Stigmaticis, accipiuntur, & qui literarum notis inusti, frequenter *Inscripti* appellantur. Veteres enim servorum suorum frontes, si quid gravius deliquissent, poenae loco, aut literis, aut aliis quibusdam notis per ignominiam ardenti ferro inurebant: post inustionem, quo magis eminerent literae & lectui se efferrent, atramento infuse, ut ex Zonara & Petronio constat. Unde apud modó memoratum Plautum *in Rudente Actu 2. sc 5.* Sceparnio ait,

Nempe optimo me jure in vincla conjicet
Magistratus, si quis me hanc habere viderit.
Nam haec Literata *est, ab se cantat, cuja sit.*

Et Val Maximus *lib. 6. cap 8.* *Servus ab eo vinculorum poenâ coërcitus, inexpugnabiliq; literarum notâ per summam oris contumeliam inustus*. Tales *Stigmatias* Lucianus, *notis compunctos* Pollux: *inscriptos vultus* Plinius appellat. Fugitivi autem inprimis sic notati, & *Literae* inveniuntur quibusdam fuisse, Φ. & F. Sed cúm Petronius narret, Eumolpum implevisse frontes Encolpii & Gytonis ingentibus literis, quas appellat *notum fugitivorum Epigramma*: & apud Martialem *lib. 2. Epigr. 29.* Rufus quidam splenus numerosis literas inscriptas contegere solitus legatur, existimat Pignorius, non solam literam F. vel Φ repetitam frontem horum implevisse, sed inscriptionem fugitivorum fuisse conceptam illis verbis, quae in eorundem collaria & aereas lamellas incisa visuntur. V. suprà in voce *Lamina*. Quód enim verba in fronte commodé imprimi potuerint, ostendit Theophili Imp. solertia, qui 12. versus integros Theophanis & Theodori fratrum frontibus inscripsisse legitur, apud Baronium *Notis ad Martyrolog. d 21. Dec.* V. Laur. Pignorium *Comm. de Servis*, & infrà in voce *Stigmatia*, ut & suprà ubi de *Fugitivis*.

Lites minuere, inter Principum partes, quod proin in Vespasiano laudat Suetonius *cap. 10.* *Sorte elegit, per quos rapta bello restituerentur: quiq; judicia Centumviralia, quibus peragendis vix suffectura litigatorum aetas videbatur, extra ordinem dijudicarent, redigerentq; ad brevissimum numerum*. Idem de Theodosio legimus Nov. *Ne Ducians vel limit mil.* Justiniano *l. 13. de Judic.* & *§. 1. Institut. De poena tem litig.* Philippo *l 90. de Transact.* &c. Utpote res Numini gratissima. Unde *lites taceant*, rituale verbum apud Romanos fuit, quo, Rebus divinis, ut faverent linguis, imperabatur, utque *litibus* & jurgiis abstinerent, Cic. *Div. lib 1.* Quó respiciens Martialis *lib. 10. Epig* *m. 87.* de *Natali Restituti*,

Lingulis omnibus & favete votis.
Natalem colimus, tacete lingua.

V. etiam suprà, in voce *Cessatio*. Protrahunt autem lites Causidici, quaestui suo intenti, quos *mercatores*, item *moratores litium* Tullius vocat *Divin. in Verr.* alii *Cocciones* & *Cocionatores*, à *cunctando*; Ulpianus *leg. 9. §. 11. de Offic. Proces.* *Si quos causarum cocionatores vel redemptores deprehendit* &c. quód viz. moras nectant in judicio, ut cocionatores in auctione, quae propria hujus vocis notio est. Fabius *Declam. 12.* *Vendidit, quantum voluit, quanti voluit, & ut hoc ad nostras accederet moras, fortasse diu cocionatus est*. At Commodi libertos etiam vendidisse *litium eventus*, habes apud Lampridium *in eo* &c. V. Theod. Marcilium *ad Vespasianum & Titum Suetonii*. In cujusmodi homines proin animadvertere voluere boni Principes, ut vidimus. De *modo Litem gladio dirimendi*, aliisque medio aevo usitatis, Vid. hic passim, in vocibus *Campio*, *Duellum*, *Judicium*, *Ordalium* &c.

Lithanthrax, carbo fossilis, in Leodiensi territorio frequens, ligni incolis usum praebet, de quo V. Georg. de Sepibus *Descript. Musei Kircher. p. 42.* ut & suprà, in voce *Carbo*.

Lithostrea, V. suprà *Leiostrea*.

Lithostrotum, locus fuit saxis stratus, cujus mentio Johannis 19. *versu 13.* *Pilatus, cùm audisset hos sermones, adduxit foràs Jesum & sedit pro tribunali, in loco qui dicitur Lithostrotos*. Erant autem *Lithostrota* pavimenta saxis discoloribus artificiosé strata, ut hodieque passim, ita apud Veteres, ut legimus apud Plinium *lib. 36. cap 25.* Recte vertitur a Syro *pavimentum saxorum*, quod & *lapidipavium* Castalio vocavit. Quin & ipsum רִצְפָה *pavimentum*, sine saxorum adjectione, Hieronymo in sacris Literis *Lithostroton* denotat, *de Nom. Hebr. ad lib. 2. Reg.* & *in Ezech. cap. 42. vers. 3.* uti & Hellenistis, 2. Paralipom. *cap. 7. ver. 3.* Unde, 10 *Lectuli quoq; aurei & argentei erant*, Esther. *cap. 1. versu 7.* Graeci illi, [illegible] *Super* Lithostrotum, seu *pavimentum saxeum Smaragdino lapide & Pinnis & Pariis lapidis*. Et cralacitum est, conclavia tam publica & forensia, quàm privata, à coloribus, à columnis, a signo aliquo laquearibus affixo, idque genus caeteris, denominari. Fuisse autem *Lithostrotum* hunc locum Johannis, ipsum *Liskath hagazith*, Synedrii Magni locum seu conclave, à pavimento sic nuncupatum, variae rationes suadent. Imó ipsi Hebraei in causa D. N. Jesu Christi, Synedros, quoniam alibi ab ipsis capitalem sententiam rite ferri noluere ipsi, in conclave *Liskath hagazith* redisse, diserte scribunt, *Thosiphta* Gent. Babylon. *Sanhedrin cap. 4 fol 37. 6.* Atque *in Lithostroto* latam esse sententiam, ex Evangelio palàm docemur. Quo referas Graeca illa de Pilato. [illegible], *Sedit super tribunali, in loco Lithostroto dicto*; perinde ac si notissimum fuisset eo in loco tribunal seu sedes forensis, aut in ipso *Liskath hagazith*. Ut itaque haec accuratius sciamus, paulo altius de loco Synedrii rem arcessemus. Locus Synedrii Magni, ab origine ejus ad Resp. Hebraicae exitum, varius fuit. Nam à Mosis temporibus, quo *ante Ostium Tabernaculi* sedes habuit, Numer. *cap. 11. vers. 24.* usque ad Templum extructum, pro ratione migrantis Tabernaculi, variavit. Sub Templo primo, sedes ejus Templo itidem conjunctas fuisse, non dubitant Magistri, qui toties *de loco quem elegerit Dominus*, Deuter. *cap. 17. vers. 10.* ipsum Templum simul & conjunctas Synedrii sedes innuentes, loquuntur. Certè & conclave לִשְׁכַּת חַגָּזִית *Liskath hagazith*, id est, *Conclave caesi lapidis*, sub primo Templo Synedrii hujus locum fuisse, nonnulli contendunt: & forsan sic cognominatus est tam sub primo, quàm secundo Templo, Synedrii locus. Cum autem nemini, praeter Reges familiae Davidicae, in atrio sedere licuisse aiant, conclave hoc sic constructum fuisse scribunt, ut pars tantum altera Atrium, altera veró profanam seu non sacratam aream occuparet, in qua Synedrium, sedibus in hemicyclum dispositis, considebat. Imó & bina ostia conclavi huic fuisse tradunt, quorum per alterum in profanam, per alterum in sacram partem introibatur. Quin vero in Templi secundi aevo, in Talmude, collocatur Synedrii Magni propria sedes, in conclavi illo *saxeo*, eoque ad plagam Templi Australem sito, in ea areae parte, quae, juxta primam territoriorum assignationem, ad tribum Judae attinebat &c. V. inprimis Constantin. l'Empereur, *ad Tit. Talmud. Middoth. cap. 5. sect. 3.* qui *Liskath hagazith*, inter alia interpretatur, *conclave saxis quadrataris opere positis*, seu *dolatis insigne*; unde etiam אַבְנֵי גָזִית *lapides dolati*, 1. Regum *cap 5. versu 17.* & בָּתֵּי גָזִית, *domus quadro lapide constructae*, Amos *cap. 5. vers. 11.* & מִדּוֹת גָּזִית pro *mensuris in dolandis saxis adhibitis*, 1. Regum *cap. 7. v. 11.* Raymundus Raymundi *Pug. Fid. Part 2. cap. 14. § 3.* &c. atque ejusdem compilator Galatinus *de Arcanis lib 4. cap. 6.* vertit *Camera polita* & interdum *Consistorium Gazith*: atque hinc Synedrium ipsum non semel apud Hieronymum *de S. Fide*, nuncupatur *Consistorium Gazit*. Paulo Riccio *in Epist. Doct. Talmud. cap. 10.* vocatur, *Atrium penetrale quadratis structum lapidibus*. Nempe nomen hoc deductum ab apparatus artisque in ejus structura prae caeteris singulari usu, sive tam in pavimento, quàm in eo toto, quod inde exsurgebat supereminebatque, sive in pavimento tantùm. Nam *pavimenta lapidibus strata*, non semel memorantur de Templo, apud Ezechielem *capp. 41. & 42.*

& 42. *in vulg.* & in Templo Herodiano singularis pavimenti, *λίθοις παντοδαποῖς lapidibus omnigenis* strati, mentio apud Josephum est *Halos. lib. 6. cap. 14.* velut rei, cujus splendoris ratio apud Hebræos eximia habita. Quod vero idem locus Ebraice (quod pro more ævi Syriacè notat) *Gabbatha* nominatus, in Evangelio, dicitur, sententiæ prædictæ adeo non contrariatur, ut eam potius non parum firmet. Syriace namque *Gabbatha* est *locus editior, lapidibus stratus*: quo pacto *Lithostrotos* & *Gabbatha* non solum locum eundem, sed eadem nominis etiam ratione rem indicant. Neque obstat, quòd dicitur Pilatus *eduxisse Jesum foràs & sedisse in Lithostroto, pro tribunali*: quod interpretantur aliqui, perinde ac si sub dio necessario fuisset. Eduxit enim eum e Prætorio quidem suo (quod in ædibus ipsius fuisse, extra dubium est) sed in Conclave hoc intromisit ac ibi sedit, ubi simul haberet Seniores & Pontifices Synedros, quibus, ut liquet ex Historia Evang. non semel, rem illam totam permittere volebat. Proin hic sedens Pilatus tradidit *Pontificibus illum, ut crucifigeretur*, qui *susceperunt Jesum & ἀπήγαγον* seu *eduxerunt*, Joh. *cap. 19. vers. 16.* quod locum non habuisset, si sub dio Prætus consedisset, &c. Porro, de Conclave hoc, *ædificium ejusmodi fuisse, ut in terrarum orbe simile non haberetur*, dicitur Salomoni Ben Virga *Shebet Jehuda fol. 43. a.* ubi etiam causam adjicit, cur ibi constructum illud fuerit, quod ad sacra: *Quoniam ibi judicium de Sacerdotibus erat ferendum. Aiunt enim, si quis Sacerdos (i. ex genere Sacerdotali) e idoneus ad Sacra peragenda, ex judicio Synedrii deprehenderetur, nigris vestibus indutum è Sacerdotum sodalitio eum ejiciebant. Atque ad domum suam ibat & lugebat. Ubi vero vitiositas nequaquam reperiretur, festa cœna excipiebat omnes, dicens: Benedictus sit, qui elegerit ex semine Aharon, qui sacra facerent in Sancto Sanctorum.* Quod omnino attinet ad ritus, de Sacerdotum corporum vitiis, juxta Legem sacram discernendis diju dicandisque, quæ de re prolixe Seldenus *de Success. in Pontificat. lib. 2. cap. 10.* Habebatur autem Conclave hoc saxeum adeo, ex ipsa Synedrii origine, ei proprium, ut Judicia capitalia extra sedem exercere seu de re capitali Synedriis sententiam ferre, non licuisse statuant passim Talmudici, imò neque ut solum, verum etiam nec, postquam deserat, a Synedris minoribus potuisse judicia capitalia exerceri. Hinc à quo e *Lishcath hagazith* seu loco constructo ab ipsa antiquitate constituto Synedrium migravit in *Hanoth* seu *Chanoth*, id est, *Tabernas*, in monte Templi positas, multum auctoritas ejus imminuta est. Factum id, secundum Magistros, sub annum ante excidium Templi secundi quadragesimum, qui Christi trigesimus est: idque ob summam temporis, maxime in homicidiis, iniquitatem. Quamvis enim, sub Romanis, permissum esset Judæis Hierosolymis Synedrium Magnum ei que ibi licuerit in loco consueto judicia etiam capitalia exercere, sub annum tamen præfatum, ob sicariorum frequentiam, qui sæpius Præsidis aliove favore tuti, etiam Synedrii judicio sublimiter eripiebantur, adeo ut nec homicidia compescere illud posset, nec reos diutius reos morte plectere, quod quidem ex jure avito atque hactenus sibi relicto (utcunque sic violato) in ejusce munere & officio erat, cum Synedriis cæteris fere communi; visum est, e loco Judicius hujusmodi adeò proprio, ut alibi ritè ab iis exerceri nequirent, migrare in locum alium ibique sedes ponere, ubi ex ipsa sessione manifestum redderetur, tum homicidas se in jus vocare nolle, quia planè frustra fieret, tum pudere se, in loco proprio capitalibus ita proprio sedes habere, cùm tot homines reos capitalis damnandi ultimoque supplicio afficiendi potestatem suam ac sententiam quotidie eluderent. Eò nihilominus, biennio post, se fecerunt, ut Dominum nostrum judicarent, uti visum est: verum hoc ultimo jurisdictionis actu defuncti inde in *Chanoth* reversi, exin in alias urbis ædes, prout Principi Synedrii placuit aut commodius est visum: donec, Templo excisto & Hierosolymis dirutis, in urbes alias, Principem suum secuti, migrarunt, uti diximus solia, ubi de *Synedriis*. Ut verò Synedrio Judæorum Magno, in Templi Hierosolymitani Conclavi illo saxeo seu *Λιθοστρώτῳ*, locus erat maxime proprius, ita Samaritis, Judæorum æmulis, locus aliquis simi is fuisse videtur, ad Templum suum Sicimis seu in monte *Garizim*, à Sanballate & Manasse, genero ejus, Alexandri Magni tempore ac permissu, conditum. Etenim dicitur illud, Josepho *Origin. lib. 11. cap. 8.* Ναὸς ὅμοιος τῷ ἐν τοῖς Ἱεροσολύμοις, *Templum simile illi Hierosolymis*, uti & *lib. 13. cap. 17.* ὁ ἱερὸς τῷ ἐν Ἱεροσολύμοις ἀφωμοιωμένος, *Templum ad similitudinem ejus, quod Hierosolymis erat factum*, quod ab Johanne Hyrcano, postquam per 200. steterat annos, excisum est. Quamvis autem traditiones non scriptas seu Legem oralem respuerent illic incolæ, utpote quasi Sadducæi, à defectione prima, nihilominus, cum Synedrii Magni seu Septuagintaviralis institutio in verbis haberetur expressis in Pentateucho, tantum inter Scripturas sacras ab iis satis admisso; probabile videtur, illud etiam apud se, ritu suo seorsim, ut Templum, habuisse. Accedit, quòd, cum locus Synedrii illius intelligatur per locum, *quem elegerit Dominus Deus tuus*, Deuteronom. *cap. 17. v. 8. & 10.* adeoque Judæis locus ille ad Templum suum Hierosolymitanum, habeaturque mentio sacra, Deuteron. *cap. 11. v. 29. & c. 27. ver. 4.* &c. montium *Garizim*, (in quo benedictiones positæ) & Ebal (in quo maledictiones) & Lapidum, in quibus Lex inscripta, in monte Ebal ponendorum, eorumque etiam & Altaris positurae, Josuæ *c. 8.* Samaritæ, velut præceptum undecimum, sibi inde, ad Templi sui Garizimitani dignitatem evehendam tuendamque ita finxerunt, ut Pentateucho suo, proxime post Decalogi finem, & in Exodo *cap. 20.* post *vers. 17.* nec non in Deuteronomio *cap. 5.* post *versum 21.* inseruerint, velut Sermonis sacri partem (sed e jam memoratis constructam) auctarium hoc: *Cum autem introduxerit te Dominus Deus tuus in terram Cananæorum, ad quam vadis possidendam, eriges tibi Lapides magnos, & oblines eos calce scribesque super lapides istos omnia verba Legis hujus. Postquam etiam transiveris Jordanem, statues lapides istos, quos ego præcipio vobis hodie, in monte Garizim & ædificabis ibi Altare Domino Deo tuo, altare lapideum. Non elevabis super eos ferrum. Ex lapidibus informibus ædificabis altare istud Domino Deo tuo & offeres super illud holocausta Domino Deo tuo & sacrificabis pacifica & comedes ibi & lætaberis coram Domino Deo tuo, in monte isto, ultra Jordanem, post viam occasus Solis in terra Cananæi habitantis, in planitie è regione Gilgal, juxta quercum Mora, versus Sichem.* Ita hæc occupant, ut præceptum adjectitium, Decalogi calcem apud Samaritanos: adeoque si, ut Mosaicorum aliorum, ita Synedrii Magni instituti, ut verisimile est, sequaces fuerint, æquum satis est existimare, etiam ad Templum suum & montem Garizim & Sicimas Synedrium attinere eos voluisse suum, ut voluere Judæi suum ad Templum Hierosolymitanum &c. V. hanc in rem plura, apud memoratum supra Joh. Seldenum *de Synedriis Vett. Hebræorum Lib. II cap. 15. § 4. 5. 6. 7. 8. & 10.* Propriea. Λιθόστρωτον ἔδαφος, *Lithostratum* Plinio, sectis parvulis marmorum crustis stratum erat, ex diversi generis & coloris marmoribus non tinctis, & *sectile* quoque hinc dicebatur. Secabantur autem hæ crustæ lapideum, in varias figuras, scutulas seu rhombos, trigona, quadrata & favos, id est, hexagona. Cujusmodi etiam e ligno hodie sectilia pavimenta fieri notum: nec non ex latere coctili. Unde facile liquet, non eadem pavimenta *lithostrota* cum *tessellatis* fuisse, ut quæ ex parvis tessellis, i. calculis quadratis, in varios colores tinctis, fiebant, exprimentia imaginem aliquam, aut avis, aut piscis, aut hominis, &c. Unde illis in pavimento a solo manentibus, ista postmodum ad camerasa translata, & *musivi operis* nomine appellata sunt. Plinius ubi supra, *Lithostrota cœptavere jam sub Sulla parvulis certè crustis — Pulsa deinde ex humo pavimenta in cameras transiere*: quem locum egregiâ exercitatione illustrat Salmasius *ad Solinum pag. 1214.* V. quoque hic passim, ubi de *Musivo opere*, in voce *Pavimentum*, nec non ubi de Opere *Sectili* & *Tessellato*.

Lithuania, adde: Sigismundi Augusti Regis & sororum, qui ultimi fuerunt ex posteritate Vladislai R. (ante Baptismum dicti *Jagellonis*, & prius *Lithuaniæ* Magni Ducis, sed post mortem Ludovici Hungariæ & Poloniæ R. ad sceptrum Poloniæ & nuptias filiæ ejus Hedvigis acciti, cujus posteri per duo fere secula Poloniam gubernarunt) Progenitores sic habe: Gedimimus M. Dux *Lithuaniæ*, defunctus A. C. 1324. l. 1325. ex . . . Vitenis M. Ducis filia, Olgirdum suscepit, in Magno Ducatu successorem. Qui defunctus A. C. 1381. Pater fuit, ex Maria Duc. Tverensi, Vladislai Regis Poloniæ, antea *Jagellonis*, Magni Ducis *Lithuaniæ*. Hic, junctâ sibi Sonzâ seu Sophiâ Russicâ (fil. Andreæ Ducis Kiovienfis & Mariæ *Lithuanæ*) ex ea genuit Casimirum Poloniæ Regem, extinctus A. C. 1434. Casimirus, qui decessit A. C. 1492. ex Elisabetha Austriaca (filiâ Alberti II. Imp.) filium habuit Sigismundum R. Poloniæ, demortuum A. C. 1548. Huic Bonna Sfortia Mediolanensis (fil. Johannis Galeacii Sfortiæ Ducis Mediolanensis) complures peperit liberos: qui fuere, Sigismundus Augustus Rex Poloniæ (n. A. C. 1520. den. 1572. ux. Elisabetha primo fil. Ferdinandi I. Imper. dein Barbara Radzivilia, tandem Catharina Elisabethæ soror) Isabella seu Elisabetha (uxor Johannis Zapoliensis Regis Hungariæ, Princ. Transylvaniæ, den. 1560.) Sophia (uxor Henrici Ducis Brunsuicensis & Luneburgensis, extincta 1575.) Catharina (Johanni Sueciæ Regi nupta) defuncta An. Ch. 1592. & Anna (quam Stephanus Bathorius Princeps Transylvaniæ, Rex Poloniæ, sibi junxit) Familiæ Regiæ Polonicæ ex *Lithuania* ultimi. Philipp. Jacob. Spenerus *Theatr. Nobilitat. Part. III. pag. 21.*

Lito, in *Charta* Rudesiodi Episc. Dumiensis æræ 930. apud Antonium Yepezium *Chron. Ord. S. Bened. Tom. V. p. 424.* vasis species est, cujus in sacris usus. V. Car. du Fresne *Glossar.*

Litra, Gall. *Listres* vel *Litres*, lituræ sunt nigræ, quæ illinuntur parietibus Ædium sacrarum, in tæniæ, aut limbi (hac enim notione vox usurpatur, apud Monachum Sangall. *lib. 1. cap. 27.* ubi *Litra*, & in *Histor. Episc. Autissiod. cap. 20.* ubi *Listra*, occurrit) speciem intus & extra, cùm domini feudales, qui jure Castellaniæ aut patronatus gaudent, decedunt: tunc enim illinuntur parietes sacri nigro colore & lituris apponuntur depicta per certa intervalla arma eorum ac insignia. V. Altaserram *de Ducibus & Comit. Provinc. lib. 3. cap. 3.* & C. du Fresn. *in Glossar.*

Liti, in *L.* Longobard. *lib. 3. tit. 20.* & *alibi passim*, adscriptitii sunt, seu servi glebæ: *servis* tamen potiores. Unde in *L.* Frisionum *tit. 15. Compositio hominis nobilis libra 11. liberi, libra 5. & dim. liti, libra 2. & uncia 9. ex qua duæ partes ad Dominum pertinent, tertia ad propinquos ejus. Compositio servi lib. 1. & uncia 4. & dimidia.* V. Auctores magno numero laudatos Carolo du Fresne *in Glossar.* Aliter *Ladi*, *Lidi*, *Litones* &c.

Littera

Littera Elementariæ, V. suprà *in Literarum primus Informator*; *Laureata* & *Pennata*, V. *suis locis*.

Littus, seu *Litus*, an quòd *tegit* terram, an ab *allidendo*, an ex Gr. λιτὸς, quod terra sit tenuis & inculta, an à *litando*? quòd nautæ, à marinis periculis liberati, in *litore* soleant Diis Marinis *litare*. Propriè enim de mari *littus*, sicut *ripa* de fluviis. Statius tamen etiam majoribus fluminibus littus attribuit, inter alia *Thebaidis lib.* 4. *v.* 117. & *seqq.* ubi de Lyrcio & Inacho,

> *Qui ripas Lyrcie tuas, tua littora multo*
> *Vomere suspendunt, fluviorum ductor Achivûm*
> *Inache* ——

Neque verò marinis solum Diis litarunt, qui è tanto periculo incolumes evaserunt in littus: sed & *Littorales Deos* venerati sunt aliquo cultu. Certè apud eundem Poetam mentio est *Littoreæ Palladis*, *Achill. lib.* 1. *vers.* 285. cui, quòd in littore Tritonis fluminis primum vita sit, inde utique & tali loco illi sacra sunt facta, teste Festo. Præter eam v. & alii Dii Littorales, ut observavit *ad Herculem Surrentinum Papinii lib.* 3. *Sylv.* 2. Gevartius. Quibus addi posset Venus, adeò litoribus olim culta, ut etiam lupanaria ibidem collocata fuerint: de quibus egregiè *ad librum IX. Sidonii sui* Savaro. V. & Casp. Barthium *ad Statii Achilleida* & Sam. Petitum *Commentar. ad LL. Atticas lib.* 6. *tit.* 5. Quorum verò sit *Littus*, eaque quæ in illud ejecta sunt, accuratè exponit Hugo Grotius *de Jure Belli & Pacis lib.* 2. *cap.* 3. §. 5. & *l.* 2. *c.* 7. V. quoque hic passim, inprimis voce *Laganum*, item ubi de *Naufragis*.

Liturgia, Gr. λειτουργία, vox apud Patres & in Ecclesia frequens, non uno semper eodemque modo accipitur. Λειτουργεῖν primâ notione, est opus facere publicum, vel publicè, quæ significatio postea sese laxius explicuit. Apud Græcos Scriptores, Platonem, Aristotelem, alios, significat λειτουργεῖν, publico præstare vel operam vel pecuniam, in Ægypto inprimis, unde λειτουργία ejusmodi præstatio. Sic περὶ τὰς ἀρχὰς λειτουργεῖν & λειτουργεῖν τὴν περὶ τὰς ἀρχὰς λειτουργίαν, apud Aristot. *Polit. lib.* 4. dicuntur Magistratus, qui Rempublicam curabant. Ibidem divites pecuniosi, qui tenebantur, privato sumtu, functiones publicas obire, dicuntur λειτουργεῖν ταῖς οὐσίαις, *opibus suis Reip. inservire*. Cujusmodi in Rep. Atheniensi complures erant: sed omnium nobilissima & gravissima fuit Τριηραρχία seu *Præfectura triremis*, quam suâ pecuniâ aliquis instruxisset, de quo munere tam multa Demosthenes & alii Oratores. Etiam λειτουργεῖν dicebatur, qui artem aliquam, aut negotium, publico profuturum, exerceret. Sic παιδοποιΐα, liberorum procreatio & educatio, Aristoteli *Polit. lib.* 7. est genus λειτουργίας. Quo sensu Gregorius Nazianzenus *in Epitaph. Gorgoniæ* ait, ipsam aliquandiu operam quærendis liberis dedisse; deinde totam se Deo consecrasse, λειτουργήσασαν κόσμῳ καὶ φύσει ὅσον ὁ τῆς σαρκὸς ἐβούλετο νόμος, *postquam debitam operam præstitisset Mundo & Naturæ ac carnis legi satisfecisset*. V. quoque Clementem Alexandr. 3. *Strom.* Interdum quævis ἐργασία & operæ præstatio, etiam minus honestæ, λειτουργία dicta. Nam *in Novell. Justiniani* 14. Meretrices dicuntur τὴν ἄσεμνον λειτουργίαν πληροῦν. Quinetiam res ipsas λειτουργεῖν nonnunquam dici invenias, quibus est aliqua pensitatio imposita. *Novellâ* 44. συγχωρεῖται τὰ ἐργαστήρια λειτουργεῖν τὰ συνήθη τε καὶ τεταγμένα, ubi loquitur de officinis mille & centum novæ Romæ, quæ tenebantur sumptus ad funera præstare; de quibus & Leo loquens *Nov.* 12. ait, ea esse ἀποτετάχθαι εἰς ταύτην λειτουργίαν. Sic & de rebus divinis cùm vox usurpatur, modò latiorem, modò angustiorem habet significationem. In 7. *Politic.* αἱ πρὸς τοὺς Θεοὺς λειτουργίαι, dicuntur omnia erga Deos officia, ad quæ opus pecuniâ. Atque hinc Justinus *initio libri de Monarch.* originem Idololatriæ arcessit, quòd, primis temporibus, viris potentioribus inferiores instituerint τελετὰς καὶ λειτουργίας τελεῖν, i. *cultus quosdam exhibere, Deo potiùs, quàm hominibus, debitos*. Septuaginta Seniores vocem עבוד, quæ Dei cultum & latriam significat, passim verterunt λειτουργίαν. Ezech. *cap.* 29. *versu* 20. pro פעלתו *operam illius* vel *mercedem*, dixerunt, ἀντὶ τῆς λειτουργίας αὐτοῦ, sensu feliciter expresso. At 1. Paralipom. *cap.* 28. *versu* 9. minùs propriè vox מלאכה, quæ *artificis opus* significat, λειτουργία vertitur. Numerorum *cap.* 8. *v.* 24. λειτουργεῖν λειτουργίαν posuerunt pro eo, quod venustissimâ translatione dicitur in Hebræo, *militiam militare*, i. e. obire ministerium & in eo se exercere. Paulus ad Romanos scribens *cap.* 15. *vers.* 27. λειτουργεῖν ἐν τοῖς σαρκικοῖς, *ministrare alicui in rebus carnalibus*, id ipsum intelligit, quod ex Aristotele afferebamus, λειτουργεῖν ταῖς οὐσίαις, *inservire præbendâ pecuniâ*. Neque multò aliter, in ea ad Philippenses, λειτουργὸς & λειτουργεῖν usurpantur, de officiis privatim Apostolo exhibitis. Alibi & apud Patres λειτουργὸς dicitur, qui operam Deo, aut officium pietatis vel ministerii, qualecunque id sit, præbet. Unde de Angelis usurpatur, Hebr. *cap.* 1. *v.* 14. de ipso CHRISTO, *cap.* 8. *vers.* 2. de Magistratibus, Romanor. *cap.* 13. *versu* 6. de quovis fideli, vitam piè instituente: ut cum B. Chrysostomus *Serm.* 3. *in Annam.* patres monet, dent operam, ut filii sui fiant cives civitatis cœlestis, quò τὴν ἐκεῖ λειτουργίαν ἄξιοι ὦσιν ἐπιτελεῖν *digni reperiantur, qui functiones obeant illius civitatis*. Et postea sæpissimè repetit eos, qui vitam piè agunt, τὴν λειτουργίαν ταύτην τελεῖν, *hoc fungi officio pietatis*. Unde videmus, λειτουργίαν esse quodcunque pietatis officium, etiamsi à privato præstetur. Veruntamen usus Ecclesiæ vocem communem peculiariter aptavit Ministerio & cultui, qui publicè Deo exhibetur & ejus cultus Ministris. Sed & hic non simplex diversitas: Apud Dionysium, quem *Areopagitam* vocant, vetustissimum sanè Scriptorem, in Ecclesiastica Hierarchia, Λειτουργοὶ sunt Diaconi. Ille enim Auctor, suo quodam instituto ac consilio, voces in Ecclesia usitatas perpetuò refugit, & alias earum loco usurpat, sibi proprias. Igitur illi Λειτουργοὶ sunt Diaconi; Ἱερεῖς Sacerdotes; Ἱεράρχαι, *Episcopi*: quos alii Auctores voce originis quidem ejusdem, sed diversæ formæ, Ἀρχιερεῖς solent appellare. Basilio, Gregorio utrique, Chrysostomo, cæterisque Patribus, Ministri Ecclesiæ omnes, præsertim verò Presbyteri & Episcopi, vocantur Λειτουργοὶ τοῦ Θεοῦ, vel τοῦ θυσιαστηρίου vel τῆς καινῆς Διαθήκης & οἱ τὴν λειτουργίαν τοῦ θυσιαστηρίου πεπιστευμένοι. Basilius *lib. de Spiritu S.* meminit cujusdam, πολὺν ἐν τῇ λειτουργίᾳ τοῦ Θεοῦ διαζήσαντος χρόνον, *qui longum tempus vixerit in Dei ministerio*: quam Episcopi περίφρασιν esse, declarant sequentia. Nam ait ab eo se fuisse ad ministerium Ecclesiæ ordinatum. Proin Λειτουργὸς est omnis Minister Ecclesiæ: propriè tamen illi, qui ad sacram Mensam ministrant: & sæpe λειτουργεῖν, non est quodvis circa res sacras Ministerium obire, sed ea, per quæ Christus à suis colitur; putà orare, Scripturas recitare, aut interpretari, concionari, Sacramenta administrare. Balsamon *ad Concilium Sardicense*, exponit ἱερουργεῖν: quomodo dixit Paulus ἱερουργοῦντα τὸ Εὐαγγέλιον, *Rom. cap.* 15. *vers.* 16. pro, *fungi sacro ministerio prædicationis Evangelii* &c. Ab hac itaque ratione dictæ sunt Λειτουργίαι, *Liturgiæ*, descriptiones quædam ordinis servandi, in sacris celebrandis. Cujusmodi sunt, quæ hodie circumferuntur subtitulis partim veris, partim falsis, Petri, Jacobi, Andreæ, Basilii, Chrysostomi & similes. Latini vocant *Ordinem agendi*, vel *Officium*: Græci aliquando Ἀκολουθίαν & Balsamon non semel. In Ritualibus Hebræorum partim ejusdem, partim affinis significationis sunt, תכונה q. dicas, *forma agendi*; סדר *Ordo*, item מחזור, ut si dicas, *Circulum in se redeuntem*. Quemadmodum autem res divina dividitur, vetustissimo Christianorum instituto, in cultum matutinum & vespertinum, ita in Patrum libris utriusque *Liturgiæ* mentio fit. In Actis Concilii Ephesini *pag.* 195. ἐπιτελεῖν μὴ συγχωρήσῃ τὰς ἑσπερινὰς ἢ τὰς ἑωθινὰς λειτουργίας, *perficere seu obire vespertinas & matutinas Liturgias*. Et notat Balsamon, Λειτουργίας aliquando constare solâ oratione, sine ulla Sacramentorum administratione. Obtinuit tamen, ut peculiariter *Liturgia* dicatur, quæ celebrationem Corporis Christi continet. Itaque Justinus *Novell.* 7. περὶ λειτουργίας describens, duas illius partes commemorat, *lectionem S. Scripturæ & administrationem Dominicæ cœnæ*: Ἐν οἷς, inquiens, ἱερὰ γίνεται λειτουργία τῶν τε θείων ἀναγινωσκομένων γραφῶν, τῶν τε ἱερῶν καὶ ἀχράντων μυστηρίων κοινωνίας &c. V. Isaac. Casaubonum *Exercitat.* 16. *ad Annales Eccl. Baronii Num.* 41.

Lituus, incurvus erat baculus, quo Romanorum Augures cœli spatia, quia manu non licebat, designare soliti sunt. Tali usum Romulus, augurii peritus, cùm esset non raro, ut Plut. *in eo* docet, hinc *Quirinalem Lituum* dixit Virgilius *Æn.* 7.

> *Ipse Quirinali lituo, parvaq; sedebat*
> *Succinctus trabeâ: lævaq; ancile gerebat.*

Quamvis & Martis baculum, qui ante Romulum *Quirinus* appellatus est, intelligere hic quis possit vel regium baculum quemcunque seu sceptrum. De *Lituo*, A. Gellius *lib.* 5. *cap.* 8. *Lituus*, inquit, *virga brevis est, in parte, quâ est robustior, incurva: quâ Augures utuntur*. Origo nominis à tubæ genere, cui *Litui* nomen, quod pari formâ pariterque incurvatum est. Cic. *de Divin. lib.* 1. *Romuli Lituus, id est, incurvum & leviter à summo inflexum bacillum, quod ab ejus litui, quo canitur, similitudine nomen invenit*. Huic autem nomen à Gr. voce λιτὸς, quòd tenuis & acuti soni sit. Unde Ennius alicubi,

> *Inde loci lituus sonitus effudit acutos.*

Qui illo usi, *Liticines* dicti sunt: ejus verò à cornu tubaque differentiam, V. apud Just. Lipsium *lib. de Militia Rom.* Addam id saltem, ut *tubas*, ad incitandum milites, sic *lituos* ad revocandum, adhibitos esse, discere nos ex Guil. Brittone *l.* 6. *v.* 446.

> *Omnia perverso contingunt more Joanni,*
> *Non tuba congressum cecinit, lituusque regressum.*

Et Balderico Dolensi *de Bellis Palæstinis lib.* 4. *cap.* 9. *Audito retrahendi lituo Christiani ab illo impetu destiterunt*. Scriptores enim hos duos, non sine allusione veteris lectionis, distinctionem hanc inducere retur Casp. Barthius *Animadvers. ad Papin. Statium Theb. lib.* 8. *vers.* 154.

Livia, Augusti conjux, adde: Obtinuit autem honores hos divinos, quos filius ei Tiberius decernere noluerat, à Claudio Imp. in cujus *vita* sic Tranquillus *cap.* 11. *Aviæ Liviæ divinos honores & Circensi pompâ currum elephantorum Augustino similem decernendum curavit*. Plenius de eo Dio *lib.* 60. qui Claudium ait effigiem ejus intulisse templo D. Augusti ac tum sacra ei fieri jussisse per Vestales, tum ut mulieres per ejus nomen jurarent. Hinc in nummo veteri, uno quidem latere, DIVUS AUGUSTUS PATER, cum capite radiato, & ante pedes arâ: aversâ autem parte,

parte, S. P. Q. R. DIVÆ JULIÆ AUGUSTI FIL. & carpentum cum duobus mulis. Consecrata autem habitu est Junonis, ut in ea Juno coleretur. Unde Prudentius Poeta Christianus, *lib. 1. adversus Symmachum*, ita de ea:

Adjecere sacrum, fieret quo Livia *Juno.*

Sive, aliis libris, *Julia*; quia adoptione mariti in eam transisset familiam. Nam conjux C. Julius Cæsar Octavianus adoptatam filiæ habuit loco: unde in Claudii nummo præfato *Augusti filia* vocatur. Ad exemplum postea consecratæ *Liviæ* Faustinam Antonini Philosophi uxorem; Drusillam, Caji Caligulæ sororem; Mæsam quoque, quæ soror fuit Juliæ II. Severo Cæsari nuptæ, avia autem duorum Impp. Varii Heliogabali & Severi Alexandri, idem honoris obtinuisse, legimus apud Capitolinum, Dionem *lib. 59.* & Herodianum *lib. 6.* V. Gerh. Joh. Vossium *de orig. & progr. Idol. lib. 1. cap. 12.*

Livius, adde: Opus ejus integrum in Bibliotheca Turcarum Imp. asservari creditum est, sed neminem ejus inspiciendi avidum, licet magna argenti vi oblata, voti fuisse mactatum hactenus, refert Jac. Sponius *Itinerar. Part. I. pag. 253.*

Lixa, inter militum olim ministros, exercitum sequebantur quæstûs gratiâ, dicti, quòd extra ordinem sint militiæ, eisque liceat, quod libuerit. Nonius Marcellus: *Lixarum proprietas hæc est, quòd officium sustineant militibus aquæ vehendæ.* Lixam namq; veteres aquam vocaverunt. Quemadmodum *Calones* dicebantur, qui ligna, Græcè Κᾶλα, militibus subministrabant: Sed *hos* male Acron *servos militum* appellat, verba sunt Laur. Pignorii *Comm. de Servis*, cùm certum sit, liberos homines fuisse. Unde Valerius Max. *Protinus namq; Lixas è castris summovit* (Metellus) *cibumq; coctum venalem proponi vetuit. In agmine neminem militum ministerio servorum jumentorumq; ut arma sua & alimenta ipsi ferrent, uti passus est:* & Festus, *Calones liberi homines, Lixæ verò servi,* &c. A *Lixa* verò aquam denotante, venit verbum *elixare*, quod vide.

L O.

LONG. P. VII. L. P. III. in notis antiquorum, *longum pedes septem, latum pedes tres.* LT. PR. *Latini Patres*: L R I. *Lex Regis justa*: L. S. *Laribus sacrum*, vel *locus sacer*: L SC. similiter, *Locus sacer*. L. P. *locus propitius*, vel *proprius*: vel *lege punitus*, vel *Latinæ prisci*, vel *locus publicus* seu *privatus* &c. denotat, Fr. Gouldin.

Lobensteinium, Germ. *Lobenstein*, astrum Germaniæ, sub proprio domino, ex illustri Familia Ruthenorum, quibus à Sigismundo Imp. A. C. 1421. *Burggraviorum Misniæ* titulus, cum Principali axiomate collatus, &, quamvis hodiernæ lineæ usu illius abstinuerint, ex eo ad hunc usque diem singulorum Cæsarum investiturâ confirmatus est. Ex his itaq; qui hodie supersunt, in duas lineas, *Seniorem* & *Juniorem*, dispescuntur, ad quarum istam decem filii Henrici & Magdalenæ Schvvartzenburgi, spectant, quibus *in Gera, Salburg, Schleiz & Lobenstein*, sedes obtigere. Et quidem minimus illorum natu, Henricus X. A. C. 1621. genitus, *Lobensteinii* dominium nactus est. Pater ex Maria Sibylla Ruthena (fil. Henrici IV. Senioris Rutheni Dn. *de Plauen*, extincti. A. C. 1629. & Juliæ Elisabethæ Rhingraviæ, quæ obiit A. C. 1653.) Henrici III. (n. 1648.) Henrici V. (n. 1650.) Henrici VI. (n. & den. 1651.) Henrici VII. (n. 1652.) Magdalenæ Dorotheæ (n. 1653.) Henricæ Julianæ (n. 1654.) Ernestinæ Sophiæ (n. & den. 1656.) Amaliæ (n. 1658. den. 1659.) Henrici VIII. (n. 1659. den. 1660.) Eleonoræ & Fridericæ Sibyllæ (n. 1661.) Henrici IX. (n. 1662.) & Henrici X (n. ..) *Ruthenorum omnium seu Reussen, Dn. de Plauen, Lin. Junioris in Lobenstein.* Ipse autem, lineæ hujus auctor, obiit haud pridem. V. Phil. Jac. Spenerum *Theatr. Nobilit. Europ. Part. I. pag. 15.* & *Part. II. pag. 42.* ut & suprà in voce *Henricus*, ac infrà in *Rutheni*: de castro v. præfato, aliisque huc pertinentibus plura apud eundem Auctorem *Arte Heraldicâ Tom. II.*

Loca, longâ molestiâ demtâ, videre, gratum. Virgilius *Æneid. lib. 2.* solutâ obsidione Trojanâ.

—— juvat ire & Dorica castra
Desertosq; videre locos, *littusq; relictum.*

Quod grandiore gaudio expressit Petronius Arbiter,

Jam turba portu libera ac bello carens
In vota properant: fletibus madent genæ.
Mentisq; pavidæ gaudium lachrymas habet.

Contrà, ubi scelus commissum, velut id muta quamvis exprobrarent, grave, uti de Nerone, post matrem Agrippinam letho datam, legere est apud Tacitum. Porrò, quæ fulmine icta, statim religiosa habebantur Gentilibus, quòd ea Deorum aliquis viz. sibi dedicasset, uti Festus ait: in quibus proin deinceps nemini ampliùs versari licebat, imò nec ea intueri. Ammian. *l. 42. Hoc modo* (fulmine) *contacta loca nec intueri, nec calcari debere Fulgurales denuntiant libri.* Unde *illicitam lampadem* fulmen dixit Papin. *Theb. l. 10. v. 464.*

Qui tremor illicitâ cœli de lampade tactos.

Quòd *illicita loca* faceret. Sed hac de re diximus plura suprà, ubi de locis *Fulguritis*. At in alia *loca sacra* divertere peregrinantibus, & apud Ethnicos, mos fuit: quem indigitat Stat. *l. 3. Sylv. 1.* de Junone,

Da templum, dignasq; tuis conatibus aras,
Quas puppes velo nolint transire secundo.

Plenius exponit in *Floridis* Apulejus, *Religiosis viantium moris est — cùm aliquis lucus aut aliquis locus sanctus in via oblatus est, votum postulare, donum apponere, paulisper assidere.* Imò & *sacrificare*, quo signe & ipsi le, & ipsum locum lauru inumbrabant, uti docet Achilles Tatius *lib. 7.* quemadmodum & aliâs *loca*, ubicunque feliciter quippiam evenisset, coronari fuisse solita, additâ arâ & re divina, floribus etiam & unguentis, ex eodem habemus, ubi de *loco*, in quo thesaurus inventus, & Dione, ubi de loco, in quo Domitianus Paridem histrionem interfecit. Imitatione aliqua Sanctorum V. T. Ita enim de Jacobo legimus Genes. *c. 28. v. 16. & seqq. Quum itaq; evigilaret Jacob à somno suo, dixit, certè Jehova in hoc loco — Postea ductus reverentiâ dixit, quàm reverendus est hic locus! nihil aliud est locus, nisi domus Dei — Et manè surgens — accepit illos lapides, quos disposuerat pro cervicali sibi & disposuit eos in statuam & effudit oleum in summitatem ejus* &c. De *locis* in Theatris Ludisque Vett. diximus alibi, adeam verbum de peculiari vocis notione, apud Suetonium *Augusto c. 54. In Senatu verba facienti dictum est — Contradicerem tibi* si locum *haberem.* Ubi acumen dicti nemini hactenus observatum notans Casaubonus, objici his verbis Augusto ait, occupatam Remp. sive, quod idem est, *omnia in Rep. loca*: sicque *loci* nomen apud Scriptores Rom. passim accipi, ut quoque Gr. Χώρας, ex Livio, Dione, Lampridio, aliis, docet. V. etiam infrà.

Locar, Latinis dictum est, quod Θεωρικὸν Græcis, merces sc. pro *loco* in Spectaculis; corruptè *Lucar*. Unde *Locarii*, qui in Theatris sedes *locabant*, aliter *Designatores* quoque. Martialis *l. 5. Epigr. 24.*

Hermes deliciæ Locariorum.

Varro *Locarium* dici notat, quod datur in stabulo & taberna; *Locar*, quod in Theatro. V. Claud. Salmasium *Exercit. Plin. ad Solinum p. 234.* & infrà, in *Theorica Pecunia*. Neq; verò sedes solum in Theatro, sed & sellæ Judicum & tribunalia, ut quæ firma non erant, verùm ad tempus extruebantur, *locari* solebant, uti pluribus docet Casaubonus *ad Suetonium in Nerone c. 19.* Item in triumpho traducenda, Liv. *l. 45. c. 39.* Porrò in insulas deportandi, ut suo loco diximus, aliæque, de quibus hic passim, infrà inprimis voce *Provincia* &c.

Loci, Aggeno *ad Frontinum*, sunt aut monumenta ipsa, aut spatia monumentis deputata; quo modo accipienda vox *Locus*, in *Edicto* Prætoris & apud JC. Sed & interdum *Locum* pro *Loculo*, i. e. seu sarcophago sumi, in quo effertur cadaver; Latini *feretrum* dicunt, ut Græci σορὸν φορεῖον. Erat autem *Loci* aut sepulchri spatium apud Vett. legitimum, quinque aut 6. pedes, & plerunque muro claudebatur, ut in monumento Regillæ:

Τὸν τόπον περὶ τεῖχος ἐστέφανωται.

Quod vocabatur *munimentum sepulchri*, ut in *l. 36. ff. de Religios. & sumptib. fun.* Nonnunquam tota inscriptione sepulchri, de modo agri, qui ad monumentum pertinebat, cavebatur. *Tot pedes in fronte, tot pedes in agro.* Quò pertinent Notæ illæ, apud Valerium Probum, IN FR. P. VI. LAT. VII. *in fronte pedes sex, Latum septem.* Item IN. FR. P. XX. *in fronte pedes viginti.* IN. AGR. P. XX. *in agro pedes viginti.* Et sæpe numero, qui fundum vendebat, *Locum* excipiebat, quo ipse posterique sui inferri possent: uti fecerat Cæsius quidam Mantuanus, qui consumtis opibus ac prædiis venditis, solum sepulturæ locum excepit, tribus ulnis, h. e. duodecim pedibus latum. In quem proin lusit Virgilius eo ænigmate, quo crucem Grammaticis se fixisse ipse professus est:

Dic quibus in terris & eris mihi magnus Apollo
Tres pateat Cœli spatium non amplius ulnas, &c.

V. Salmasium *ad Solinum pag. 1212.*

Locisservator, in *L. Longobard. l. 1. tit. 25. §. 78. Si quis furem vel latronem ad præsentiam Judicis aut Comitis, qui in loco præest, vel* Locisservatoris, *qui missus est Comitis, adduxerit*: Vicarius est, Græcè Τοποτηρητής. Inprimis verò sic dicebantur Pontificum Rom. in Conciliis Legati. Anastasius *Præfat. ad Concilium VIII. Oecum. Locisservantes Præsules, Locisservatores Apostolicæ Sedis. Locum obtinentes Papæ Leonis*, qui mox *Legati Sedis Apostolicæ*. V. *Glossar.* Fabroti *ad Cedrenum* & C. du Fresne *Not. ad Alexiadem p. 273.* Eadem notio est vocis *Locum tenens*, Gallis *Lieutenant*, apud quos Ballivorum seu Judicum Vicarii sic propriè dicebantur. Apud eosdem *Locumtenentes Generales* appellatur provinciarum Præfecti, non omnium, sed earum præsertim, quæ in *provinciæ* formam à Regibus sunt redactæ, in quarum certum numerum, quibus cæteræ minores subsunt, universum Franciæ Regnum distributum est. Hinc *Edicto* Francisci I. A. C. 1545. Gubernatores omnes vetantur, *Locumtenentium Generalium* titulum sibi usurpare, exceptis *Gubernatoribus Normanniæ, Aquitaniæ Occitaniæ, Provinciæ, Delphinatus, Britanniæ, Sabaudiæ, Pedemontii, Burgundiæ, Campaniæ & Briæ, Burgundiæ, Picardiæ & Insulæ Franciæ*, salvo tamen cæterorum Gubernatorum jure, quibus Magistratibus suis fruendi, secundùm decessorum morem, facultas conceditur. Postmodum Henricus II. Joanni de Albone S. Andreæ domino, Lugdunensis, Belljocensis ac Dombensis provinciarum & tractuum, cum eodem titulo, administrationem indulsit, A. C. 1547. &c. C. du Fresne *Glossar.*

Loculi, arcæ conditione opponuntur, apud Juvenalem *Sat. 1. v. 89.*

— — Neque enim Loculis *comitantibus itur*
Ad casum tabulæ, positâ sed luditur arcâ.

Arca enim stataria fuit, *Loculi* mobiles & gestatorii, quos videtur apud Romanos tractavisse quispiam è grege ministrorum. Paterfamiliâs apud Scævolam *leg. 23. de penul. Leg. testamento codicillisve servos manumisit, & peculia legavit: & de Sticho ita cavit, Stichum servum meum liberum esse volo eiq; volo dari decem aureos, & quidquid ex ratione* Loculorum *meorum habet.*

habet: Ad quem morem collineavit Interpres Johannis Evangelistæ *cap. 12. versu 6. Dixit autem hoc* (Judas) *non quia de egenis pertinebat ad eum, sed quia fur erat, & Loculos habens, ea quæ mittebantur, portabat.* Et apposite ad Juvenalem scribit Asconius *in 2. Verr. Unde quia major summa est pecuniæ publicæ, quàm privatæ, ut pro censu P. R. ærarium dicitur, pro Loculis & Arca thesauri* &c. Par ministerium illius fuit, qui crumenam, & ejus qui marsupium gestabat, ad nutum domini, V. A. Gellium *lib. 10. cap. 1.* & Plautum *Menæchmis Actu 2. Sc. 1.* ubi Sosicles ad Messenionem servum:

Ego istuc cavebo: cedo dum mihi huc marsupium.

Obfirmabantur autem hi *Loculi* clavibus, teste Ulpiano *l. 52. ff. de legat. 3.* quandoque tamen nil nisi claves servabant. Plinius *lib. 14. cap. 13. Fabius Pictor in Annalibus suis scripsit, matronam, quòd Loculos, in quibus erant claves vinariæ cellæ, resignavisset, à suis mediâ mori coactam.* V. Laur. Pignorium *Comm. de Servis.* Materiam quod attinet, eboreorum ligneorumque meminit Martialis *l. 14. Epigr. 12. & 13.* & quidem de illis sic ait,

Hos nisi de flava loculos *implere moneta*
Non decet, argentum vilia ligna ferant.

De istis,

Si quid adhuc superest in nostri fæce locelli,
Munus erit: nihil est, ipse locellus erit.

Cujusmodi scriniola ex ebore, testudine, auro, argento &c. ad pecuniam & κειμήλια custodienda, hodieque fieri consuevere. Sed & frequenter de mortuorum corporibus *Loculi* usurpantur, qui à Sepulchris & Urnis sic distinguuntur, ut sepulchra fuerint olim arcuatæ quædam contamerationes, in quibus plurimi *Loculi*, quorum quilibet aliquot urnas utplurimum continebat. Quam in rem V. Georg. Fabricium *Româ cap. 2.* Ubi inter alia, *Testatur*, ait, *Cyriacus Anconitanus, se Patris in Achaja, in æde S. Andreæ, antrum subterraneum ex integro solidoq; lapide, vidisse, miro artificio fabricatum, in quod per gradus 16. descensus fuerit, quodq; sub una testudine ad tetragonos parietes habuerit* Loculos 14. *in quibus singulis binæ aut ternæ urnæ funerales fuerint locatæ: ex quibus testimoniis non multò diversam Græcorum & Romanorum, ut diximus, urnas componendi rationem fuisse est perspicuum.* Et certe apud Græcos, ossa crematorum, postquam aquâ in χύτραις allatâ, à fœminis, quæ Ἐγχυτρίστριαι dictæ, abluta & inuncta unguentis atque adipe porcæ fuissent, puro involuta linteo, reposita sunt in *Loculis*, quem illi modò θήκην, modò πύελον, modò σορὸν dixere. *Il. ψ.*

Ὡς δὲ καὶ ὀστέα νῶϊν ὁμὴ σορὸς ἀμφικαλύπτοι.

Urna, quæ in *Loculis* condebantur, Lycophroni κρωσσὸς, quasi *crater*, Moscho κρωσσὸς χρύσειος, Plut. λίθινος σορὸς, utpote *ex auro* vel *lapide*, plerunq; tamen ex ligno, & quidem cedro inprimis fuit. Unde *cedrus* pro tumulo, Eurip. *Alcest. versu 365.* Athenienses a. plerunq; in *Loculis* singulis singulas urnas vel potius in singulis urnis singulorum hominum ossa posuerunt, cùm Megarenses plerunq; quaternorum, ut ait Pausanias, reconderent. V. Franc. Rossæum *Archæol. Attica lib. 5. c. 19.* Nec multùm alia *loculorum* apud Hebræos ratio. V. Thom. Godvvynum *de Ritibus Hebr. lib. 6. cap 5.* & hic passim, inprimis ubi de *Sepulchris*, item *Tumulus*. Sed & *Loculus*, pro feretro, seu sarcophago nonnunquam, *V. has voces:* de *Loculis* verò *librorum* in Bibliothecis, infrà in voce *Nidus*.

Locumtenens, V. suprà *Locisservator*.

Locus, unde dictus sit, exponit hisce Jul. Cæs. Scaliger *Poëtic. lib. 3. cap. 90. Locum* παρὰ τὸ λόγος *dicimus: quia proportio est inter locum & locatum.* Λόχος *insidiæ dicuntur, quia veteres Græci locum priscâ & abolitâ voce sic appellabant.* In mensa quis olim honoratior fuerit, non consentiunt Eruditi. Salmasio apud Vett. qui tribus lectis stratis ac distinctis accumbebant ad mensam, imus lectus domini proprius, & in eo primus sive summus locus fuit: ibidem infra dominum plerunque accumbebat uxor & liberi; aut si uxor unà non cœnaret, umbræ & viliores personæ. Juvenalis,

Tertia ne vacuo cessaret culcita lecto,
Unà simus ait,

Et quidem, quem maximè amabant, eum infra se collocabant, i. in sinu ipso: sic ut dominus teneret summum imi lecti locum, medium is, qui ei gratissimus erat, ultimum vilior aliquis. Quem proin locum Dominus noster in Evangelio discipulo dedit, quem maximè diligebat. Græci hinc ἐπιστήθιον pro amico intimo, & qui quasi in sinu recumbit, dixere. Sic, excepto *Consulari* loco, qui infimus ultimusque fuit medii lecti, summus locus in unoquoque lecto similiter semper honoratissimus habitus est Romanis. Cur a. honos & dignitas præcipua data sit Consulari illi loco, qui nec medius erat nec summus, varias rationes affert Plut. *in Quæstion. Conviv.* hæc optima forte, quòd Hospitis loco is proximus esset. Alia ratio accumbendi fuit in Stibadiis, ubi quum unâ serie continenter discumberent, is primum locum tenere censebatur, qui omnium summus erat, & qui supra omnes accumbebat, ut contrà ultimus, qui infra cæteros. Hic in dextro stibadii cornu locum habebat, qui locus respondebat ultimo loco tertii lecti. At convivarum dignissimus in sinistro discumbebat & supra omnes erat. Quem ordinem accumbendi in cœnis adicialibus tenebant Sacerdotes, sive in lectis discumberent divisis, sive in stibadio seu sigmate. Festus, *Itaq; in conviviis solus Rex supra omnes accubat: sed Dialis supra Martialem & Quirinalem: Martialis supra proximum, omnes deinde supra Pontificem.* Quòd verò apud Sidonium *Epist. 11. lib. 1.* Imperator in dextro cornu locatur, facit id tanquam dominus convivii: cùm privatorum morem & in hoc tum Principes servarent, ut unà cum pluribus cœnarent invitatis: Domini autem locum in ultimo seu imo lecto fuisse, vidimus. Quam in rem plura apud Salmasium *ad Solinum p. 1254. & 1255.* In Theatro, Otho Tribunus Pl. pro censu *loca* civibus designavit: certa quoque loca attribuit Tribunitiis Viatoribus; certa iis, qui non suâ culpâ decoxissent: quosdam toto Theatro arcuit. Idque ut servaretur, per cuneos disposuit, quos *Præfectos ordinum* appellabat. *Locus* inter Senatores sociarum gentium legatis datus, &c. In qua lege quid mutaverit Augustus, ut & plura hanc in rem, V. apud Jul. Cæs. Scaligerum *Poëtices lib. 1. cap. 21.* & de aliis vocis *Loci* significationibus, ut & *de Locis & Lautiis* olim Legatis datis, Salmasium *Exerc. Plinianis ad Solinum passim:* nec non paulo suprà.

Locusta, Hebr. חגבים *chagabim* dictæ; quia, cùm turmatim volant, Solis lumini velum videntur obtendere, ab Arab. *chagaba*, quod *velare* est. Imò non Solem tantùm multitudine suâ obumbrant, sed & Lunam, cum noctu volant, mortalium visui subducunt, Joelis *cap. 2. versu 10.* Tam longâ enim quandoque serie feruntur, ut in Europa non rarò tria, in Africa duodecim interdum miliaria pateant, Cadamustus *Navigationum cap. 13.* Quarum proin sonitus, curruum instar, ad sextum milliare auditur, Remigius Altissiodor. *in Joëlem.* Hinc meritò formidabiles, imo penitus inexpugnabiles, quà incubuerint. Theodoretus *ad Joëlis locum*, Οὐκ ἀρκεῖ, inquit, τὸ ὕψος τῶν τειχῶν ἐμποδὼν τῇ τούτων εἰσόδῳ γενέσθαι. Ἀλλὰ ῥᾳδίως μὲν ὑπερβαίνουσι τὰ τείχη, κλεπτῶν δὲ τρόπον διὰ τῶν θυρίδων εἰς τοὺς οἴκους εἰσελεύσονται. Καὶ τοῦτο οὐχ ὑπὸ πολεμίων μόνον, ἀλλὰ καὶ ὑπὸ ἀκρίδων γενόμενον πολλάκις ἐθεασάμεθα· οὐ πετόμεναι γὰρ μόνον, ἀλλὰ καὶ τοῖς τοίχοις ἀνέρπουσαι, διὰ τῶν θυρίδων εἰς τοὺς οἴκους εἰσίασι. *Non sufficit murorum altitudo, ad illarum* (hostium) *ingressum prohibendum. Muros enim facilè transcendent: & furum instar, per fenestras in domos ingredientur. Quod non solùm ab hostibus, sed etiam à locustis sæpe factum vidimus. Non enim solùm volando, sed & ad muros irrependo, per fenestras in domos penetrant.* Unde magna ab illis sæpe agris hominibusque damna, ut quæ non morsu solo nocent, sed & contactu adurunt. Imò mortuæ non rarò vivis nocentiores, cùm tetro & viroso aërem odore inficientes gravissimam multoties excitant luem, adeoque hominum myriades plures paucis diebus, quàm diuturna aliquando bella, interimunt. Quo motus Scriptor Arabs Damir, *Nullum esse animal perniciosius*, pronuntiat &c. Interim & his suus quoque usus est, quem cum alii multis explicent, sufficiat pauca de esu earum adjungere, qui non paucis gentibus olim hodieque familiaris est. De Joanne Baptista res notissima, ex Marci *cap. 1. vers. 6.* quem locum alii frustra aliò detorquent. Certum enim, *Locustarum* esum in iis, quæ vel ad Ortum vel ad Austrum sunt, regionibus fuisse receptissimum, quæ Hieronymi *in Jovin.* verba sunt, *lib. 2. cap. 6.* Sic, ab Alexandri ævo, inter Æthiopum populos, Græcia descripsit *Acridophagos*, à *Locustarum* esu sic dictos, de quibus V. Agatharchidem *lib. 5. cap. 27.* Diodorum *lib. 3.* & Artemidorum apud Strabonem *lib. 17.* De Mauritaniæ accolis, idem habet Solinus: de Parthis, Plinius *lib. 11. cap. 29.* de Nasamonibus, Eustathius *in Dionys.* de Libybus, Dioscorides & Porphyrius, quorum hic *de abstin. à carne lib. 1.* exercitui, in Libya inediâ laboranti, *Locustarum* nubes se ostendisse tradit. Sed & in ipsa Græciâ, eundem cibum in usu fuisse, discimus ex Aristophanis *Acharnensibus Act. 4. Sc. 1.* ubi Bœotius rusticus, inter venales cibos, quos fert Athenas in forum, aliquid habere se dicit,

Τῶν ὀρνίχων, ἢ τῶν τετραπτερυλλίδων,
Gallinarum aut locustarum,

quas τετραπτερυλλίδας, *à quatuor alis*, quibus instructæ sunt, vocat. V. Eundem *ibid. Sc. 7.* Theophylactum *in Epistolis*, ubi de rustico, qui, lautè se exceptum fuisse jactitans, ἰσχάδας καὶ ἀκρίδας, *caricas & locustas*, pro obsonio se habuisse refert, Ancs. Quatuor autem *Locustarum* species edules esse voluit Lex, Levit. *cap. 11. vers. 21. 22. arbe, solam, chargol & chagab*, de quibus aliisq; huc spectantibus V. Bochartum *Hierozoici Parte post. lib. IV. cap. 1. & seqq.* adde Plinium *lib. 11. cap. 29.* Aldrovandum, Gesnerum, Vossium *de Idolol. l. 4. c. 65. & seqq.* uti de *Locusta* pisce *cap. 10. 17. 19. 33. &c.*

Locutorium, Gallicè *Parloir*, dicitur in Monasteriis locus, in quibus Monachis vel Monialibus colloqui licitum, de quo varia adfert, ex *Libro Ordinis* S. Victoris Paris. MS. Car. du Fresne *in Glossar.* ubi etiam *Locutorii forinseci* meminit, in quo Monachis Monialibusque licebat cum secularibus, uti vocant, loqui, ex Thoma Walsinghamo *pag. 257.* & *Locutorio Parisiensi*, vulgò *le Parloir aux Bourgeois*, in quo examinabantur & discutiebantur articuli *rusticorum* & consuetudinis ejus Civitatis, coram Præposito Mercatorum & Scabinis, ex vet. *Charta*.

Lodix, lecti operimentum, Martialis *lib. 14. Epigramm. 148.* cujus lemma, *Lodices*:

Nudo stragula ne toro paterent,
Junctæ nos tibi venimus sorores.

Lodices enim geminæ & coëuntes adhibebantur, ad operiendum lectum cum stragulis. Sed & quæ in campo vel gymnasio sese exercebant

vocabant Veteres, cœtera nudi, pudorem campestri velabant: aut si corpore infirmiori erant, gausapam, vel pallam, vel *lodiculam*, vel lanana sumebant, uti de Augusto legimus apud Suetonium *Augusto cap.83. Nihil aliud quàm vectabatur & deambulabat, ita ut in extremo spatio subsultim decurreret, segestri vel lodiculâ involutus.* Ubi *Loaix* & *segestre* junguntur, quia ambo ad lectorum supellectilem pertinent. Vid. Casaubonum *ad locum.* De *Lodicibus*, loco valli, per ludibrium obtentis, ab Helvetiis, cùm Novariæ in Italia a Gallis obsessi, muros tormentorum vi jam disjectos vidissent, Paulum vide Jovium *Histor.* &c. Nomen an a lavando, quod sæpe *lota*; an à ludis, quasi *ludices* quod qui de ludis, theatri prostibulo egrediebantur juvenes, harum velamento caput & faciem tegerent, ne lupanar ingressos palam fieret? V. Chr. Becmannum *de Orig. L.L.*

Lævvenstenium, V. suprà *Leonstenium.*

Logarista, Græcè Λογαριαστὴς, nomen officii in aula CPolitana, cujus erat numerare mi ites illisque stipendia persolvere, apud Dominic. Macrum *in Hierolexico.* V. infrà *Longaristis.*

Logista, apud Athenienses, Magistratus erant, sorte capti, decem numero, apud quos rationes gestis sui Magistratûs referebant οἱ ἐν ἀρχῇ, intra 30. ab abdicato Magistratu dies. Hos eosdem cum τοῖς Εὐθύνοις fuisse, putat Auctor Etymologici, diversos ab iis statuit Aristoteles *Polit. lib.7. cap. ult.* cui tutius creditur. Non multum tamen diversum utrorumque munus fuisse, videtur. Utrique decem numero erant, sed, ut colligitur ex Polluce l. 8. c. 9. *Logista* sorte, Euthyni judicio, legebantur. Illi, velut novem Archontes erant: isti tanquam Archontum Paredri assidebant *Logistis*, itaque ubi judicatum fuit, Magistratus potestate decedentes aliquid publico debere Euthynis tabitis exigebant: Εἰσπράττουσι καὶ τὰς ἐπιτιμίας, id est, τὰς ὀφειλομένας τῇ πόλει, Poll. Quare mirum non est, si utrisque ἐυθύνας alter bunt. Referebant porro suas ὑπεύθυνοι Magistratus rationes apud *Logistas*, hi cum Euthynis judicabant: aliquando ad populum de iis referebant. Sed ab iis dabatur provocatio ad Judices: Est quoque, cum Judicibus traderent judicandum, si nempe περὶ ἀδικημάτων, id est, de injuriis moveretur controversia: nam si tantum περὶ χρημάτων, hoc est, de pecuniis agebatur, apud *Logistas* disceptatum est. Accusabat autem & nomina apud eos deferebat τῶν ὑπευθύνων, cui lubebat: Unde solennis illa præconii formula, quando Magistratus ὑπεύθυνοι suas referebant rationes: τίς βούλεται κατηγορεῖν, *cui accusare lubet?* apud Æschin. *c. Ctesiph.* Oportebatque per dies 30. Magistratus munere suo decedentes sistere se certis menus diebus in designatis locis, ubi præsto essent ad refutandas controversias, quæ illis ab accusatoribus apud *Logistas* movebantur, Ulpianus *ad Medianam.* Quòd si quis se non stitisset, eum accusatorem haberet, ab Apparitore in jus vocabatur ad Senatum Quingentorum, à quibus, si vadimonium desereret, capite minutus notabatur infamiâ, teste Demosthene *in Mid.* Quomodo verò referendæ essent rationes, præscripsit Lex: Ε'γὼ ἔλαβον οὐδὲν τῶν τῆς πόλεως, τῶν ἀνήλωσα καὶ ἐν ὅλως οὐδὲ τῆς πόλεως, ἀνήλωσα, *Rationes ita referunto: Hoc de publico accepi: hoc expendi: vel, Nihil de publico accepi, nihil expendi.* Si quis autem nollet suas referre rationes, impingebatur illi ἀλογίου δίκη: Quiq; rationes suas nondum retulisset Magistratus, suorum nihil bonorum in sua potestate habebat; hinc nec Diis consecrare quidquam aut appendere, nec testamento dare legare; nec in aliam adoptione familiam transire poterat. Idem nec peregre proficiscendi, nec alium gerendi Magistratum potestatem habebat: Sed nec licebat talem coronâ donare. Unde lex, Α'ρχὴν ὑπεύθυνον μὴ στεφανοῦν, *Magistratus, priusquam rationes retulerit, coronâ ne donator.* V. Sam. Petitum *Comm. in LL. Atticas l.3 tit. de Magistratibus.* In vet. *Inscr. Logista civitatis splendidissima Nicomediens.* Curator est & Pater Reip. de qua dignitate V. Jac. Cujacium *ad tit. de Excusat. lib.* 15. *ad l. 30. de Decur.* & *ad l. 4 C. de Tabular. lib.* 10.

Logium seu *Logeum*, uti Vitruvio dicitur *l.5.c.8.* Græcè Λογεῖον, seu Λογεῖον. pulpitum fuit editius, in quo recitabantur Comœdiæ, non minus pedes 10. nec plus 12. altum. Unde mutuati vocem Galli, *Loges* appellarunt primitus superiorem domûs contignationem; dein toti eam attribuerunt ædificio, aut certe superioribus vel quibusvis partibus sive andronibus; quibus ædificia invicem junguntur ac connectuntur: quemadmodum andronem xystum seu porticum *Loggia* quoque Itali vocant. V. Car. du Fresne *in Glossar.* De *Logio* Theatri sic Scaliger *Poetic. lib.1, cap. 21. Orchestra partes erant tres: planities in qua Chorus caneret & saltaret: pulpitum in quo nihil aliud quàm canebant, aut pronuntiabant — quod appellabant λογεῖον, propterea quòd in eo λόγοις & alia actuum interval- la recitabantur. Eum locum ab Odeo distinguit Vitruvius, ut sit pulpiti pars, in qua canerent ᾠδεῖον: altera autem, in qua aut risum moverent, aut conjuram exercerent, aut vita nostra putarent rationes.* Apud Ecclesiæ Rom. Scriptores, *Logium*, idem quod *Manuale*, ac *Rationale* est, quas voces vide.

Logographi, iidem cum Notariis, Tabulariis, Librariis, ex Græco Λογογράφοι, de quibus V. Jac. Cujacium *ad l.* 1. *Cod. Theodos. Ne conlatio*, ut & hic passim.

Logotheta, Græcè Λογοθέτης, in *Glossis* Gr. Lat. *Ratiocinator, discussor, disputator*, qui rationes accepti & depensi expendit ac discutit; dictus est apud Procopium *de Bello Goth. lib.3. cap.1.* & 21. Magistratus Aulæ CPolitanæ non unius generis. Duplices enim erant *Logotheta*, in Imperio, *Ecclesiastici*, quorum munus describit Codinus *de Officiis*, ὁ Λογοθέτης εἰς τὸ λογογραφεῖν καὶ εἰς τὰς δημοσιακὰς καὶ ἀρχιερατικὰς ὑποθέσεις λογογραφεῖν: & *Politici*, qui expendebant rationes Cursus publici, Ærarii generalis, Ærarii privati, Ærarii militaris, gregum seu armentorum Imperialium, adeoque in multiplici iterum differentia erant, de quibus Vid. sis Meursium in Γενικὸς, Κουράτωρ, Λογοθέτης; item accurate & caute Leonem Allatium *Diatriba de Scriptis Simeonum, pag.28.* & *seqq.* & cujus ille forte scrinia compilavit, Jul. Cæs. Bulengerum *de Imperio Rom.* & quidem *lib.3. cap.22.* de *Logistis & Logothetis in gen. lib.8. cap.11. de Logotheta Magno; lib. 8. cap 91. de Logotheta Genico seu Generali, cap. 29. de Logotheta Cursûs; cap. 30. de Logotheta Secretorum; cap. 39. de Logotheta gregis, cap.51. de Logotheta* τῶν οἰκειακῶν *seu privatorum; cap.57. de Logotheta militaris ærarii.* E' quibus ejus, quem Λογοθέτην τοῦ δρόμου, seu *Cursûs* appellabant, licet primò officium circa *cursum publicum* versatum fuerit, idque muneris gesserit, quod *Præfectum Postarum* hodie vocant; alia tamen, procedente tempore, illius fuit functio: ut qui Edicta & aureas Imperatorum Bullas subscriptione suâ firmaret, idq; munus obiret, quod hodie in Principum Aulis *Cancellarius* obit: hinc inter μεγάλας ἀρχὰς *maxima imperia* Cedreno. A' Græcis, mutuati postea id nomen Latini Principes sunt, uti discimus ex *Chronico Casinensi lib. 4. cap. 68. 117.* & 126. ubi Petrus Diaconus Casinensis, à Lothario Imp. constitutus fuisse dicitur *Logotheta Italicus, Exceptor, Cartularius & Capellanus Imp Rom.* h. e. *Logotheta & Protonotarius*, quomodo appellabantur apud Normannos in Sicilia Reges, ut passim videre est in *Tabb. Siculis*: ubi tamen alia, imò diversa prorsus, a Magni Cancellarii dignitate, ejus dignitas fuit. *Logotheta* enim, *Primi à Secretis* seu *Protosecretarii* ibi munus gerebat, & gradu Magno Cancellario major erat, quamvis alter alteri non subesset, uti docet Ammiratus *Stemm. Neapolit Tom. I. pag.* 48. V. suprà de *à Secretis.* Formulam, quâ *Logotheta* bi Siculi, in subscriptionibus Regiorum diplomatum, utebantur, Car. du Fresne in *Glossar* hanc exhibet, ex Waddingo *A.C.1447. num.8. Data Neapoli per — Logothetam & Protonotarium Regni Siciliæ anno &c.* V. plura hanc in rem, apud Gerh. von Mastricht JC. *Hist. Juris Eccles. num.* 290. & *seqq.* ubi de Simeone Magistro & Logotheta. Gretzerum & Goarum *ad Codinum*, nec non infrà, in voce *Rationale.*

Loligo, piscis genus, à *volando* nomen accepit, quasi *voligo*, ut visum Varroni *de L. L. lib.4.* At non tam volat, quàm exsilire extra aquas est contenta, qui & delphinis mos, Vossius *de Idolol. lib. 4. cap.19.* Quinum nonnunquam cubitorum magnitudine inveniri, ex Trebio Nigro docet Plinius *l.9.c.30.* Natant autem magno numero sese complexæ, ac similiter mutæ necæ extra aquas volitant, unde periculum ab iis, ne mergant navigia, *l.32 c.2.* Cœterum Athenis usque adeò viles erant, ut τευθίδιον ἀλιεῦς, *loliginis parva indigere*, eum diceret, quem pauperrimum significare volebant, ut videre est apud Aristophanem *Acharn.* Nam τευθίδες, *minuta loligines* sunt, τευθοὶ autem majores vocantur, Aristot. *Hist. Animal. l.4.c.1.* Hodie verò divitibus sunt in deliciis, modumque eas cum atramento suo coquendi, Rondeletius docet *de Piscat. Mar. lib. 17. cap.5.* Ita nempe vocatur niger succus, quem in metu de se diffundunt, quique olim atramenti usum præstitit. Unde *nigra succus loliginis*, apud Horatium; hodieque Germanis *d'intenfisch*, h. e. *atramenti piscis*, appellantur. Quod & sepiam facere, idem Plinius testis est *lib. 9. cap.29.* V. Gerh. Jo. Vossium *de Arte Gramm. lib.1. cap. 39.* & plura de pisce hoc, apud eundem *de Idolol. lib. 3. cap.15.* & *lib.4. cap.33. 50.* &c.

Viri illustres.

Lollianus Avitus, Vir Consularis, memoratus Jul. Capitolino *in Pertinace, Sed quum in ea* (Grammaticâ) *minùs quæstum proficeret, per Lollianum Avitum Consularem virum, patris patronum, ducendi ordinis dignitatem petiit.* Idem Consul fuit sub Pio; de quo vide quoque Appulejum *in Apologia*, & Ulpianum *leg.3. ff. de Decurion.*

Lollianus Gentianus, in eadem *Vita*, Vir itidem Consularis, occurrit apud præf. Capitolinum: qui ultimo Severi anno Consul fuit cum Basso; à quo alius est *Lollianus Gentianus*, cujus meminit Victor Junior *in Pertinace.* Sic enim is per errorem nominat, quem Capitolinus Lollianum Avitum, de quo modò dictum. Casaubonus *ad l.*

Lollius Professus, & *Lollius Urbicus*, apud *Historia Augusta.* Scriptores, Vide de hoc eundem Capitolinum *in Clodio Albino.*

Lombardi, V. infrà *Longobardi.*

Lombarium, adde: *Castrum nobilissimum*, vocatur Petro *Histor. Albig. cap. 22.* positumque est ad flumen Savam, quo Garumna augetur, ut & Insula Jordanis seu castellum Ictium, & attribuitur Sammathani Castellaniæ, jampridem Convenico Comitatui adnexæ. Hic vetus Cœnobium Monachorum Augustini regulam sequentium Johannes XXII. Pont. Rom. A.C.1317. in Episcopale fastigium evexit, estque hodie ultima sedium Tolosæ attributarum, Sincerum & incorruptum loci nomen Valesius vult

vult esse, *Lumbarium* vel *Lumberium*, unde Gallicè *Lombers*, non *Lombés* dicendum contendit. Est & in Navarra oppidum ejusdem nominis, *Lumbier* vulgò dictum, Vasconice *Irumberri*, Latine olim *Ilumberi*: cujus incolas *Ilumberitanos* appellat Plinius *lib. 3. cap. 3.* Vid. Hadr. Valesium in voce *Apamia*.

Lomentum, tit. *Epigr. 60. lib. 14.* Martialis,

Gratum munus erit, scissóque inutile ventri,
Si clarâ Stephani balnea luce petes:

κυάμινον ἄλευρον est Græcis, i. *fabacea farina*, uti docet Plinius *lib. 3... cap. 25.* ubi V. *Notas* Dalecampii. Ejus illitu rugas ventris jam provectiores fœminæ abscondere tentabant, balnea petentes, ut idem Poeta quoque docet *lib. 3. Epigr. 42.* illud Pollæ dissuadens, hoc tetrasticho.

Lomento *rugas uteri quòd condere tentas,*
Polla, tibi ventrem, non mihi labra linis.
Simpliciter pateat vitium fortassè pusillum,
Quod tegitur, majus creditur esse malum.

A *lotu*, i. lavando, hinc dictum, εὐάγυιον. Sed & coloris genus, *quod ex cæruleo fit, perspicuoq; lavando terendove, & est cæruleo candidius — Ratio in picturâ ad incisuras, hoc est, umbras dividendas ab lumine*, Plin. *lib. 35. cap. ult.* ubi varias ejus species recenset.

Londinum, adde: Horribilis in hac urbe pestis, sex mensium spatio, ... hominum ... sustulit A. C. 1665. Sequente dein anno, à 2. ad 6. diem Sept. gravissimum incendium grassatum est, quo 13200 domus absumptæ, de cujus auctoribus V. suspiciones quorundam, apud Auctorem Anonymum *Historiæ Orbis Terr. Geogr. & Civ. cap. 4.* ubi de *Regno Angliæ, cap. 13.* Cæterum, in celeberrima hac urbe plures masculos, quam fœminas, contrarium in agro obtinente, nasci: plures autem mori, quam nasci, quod iterum rure non fiat: interim populosam perpetuò manere, eo quòd ... hominum ex agro habitatum veniat: Porro funerum singulis annis 13000 eorum qui Baptismo abluuntur, 12000, incolarum 384000, familiarum 48000 numerari, annotavit Johannes Graunt lib. cui titulus: *Natural and Political observations made upon the bills of Mortality.*

Longa Villa, adde: Lineæ hujus Ducalis auctor Johannes fuit Aurelianensis C. Dunensis, Ludovici Ducis Aurelianensis filius naturalis, sub Carolo VII. Galliæ R. rebus contra Anglos gestis clarissimus. Ex hujus posteris Franciscus Aurelianensis C. *de Dunois & Longueville*, defunctus A. C. 1491. ex Agnete (fil. Ludovici Ducis Sabaudiæ) genuit Ludovicum Aurelianensem Ducem Longæ Villæ, cui nupta Johanna Rœtelana (fil. Philipp. March. Hochbergii. Badensis Com. Rœtelani C. *de Neufchastel*, & Mariæ Sabaudæ), ... Comitatum Novocastrensem seu *de Neufchastel*, in Helvetia, Germ. *Welsch-Neuenburg*, cum dominatu S. Georgii in Burgundia & ... nem in Pictavio. Attu ... Item vero ... pactis dotalibus, A. C. 1490. initis per Rudolfum VIII. ... patrem, & A. C. 1486 à Philippo ... juramento confirmatis Mariæ Sabaudæ ejusq; ... maribus aut fœmin... nationis titulo propter nuptias, ... successionem ... praesertim Rœtelan... dominium, Susenberg... & Badæ villam sibi vindicaret, in Camera Spirensi pure disceptatum ... penes Badenses, qui 250 000. ... auteos Ludovico, ... jure præter ... numerato ... manû possessio: Longavillensibus tamen titulum *Marchionis Rœtelani* ad hunc usque diem servantibus. Obiit autem Ludovicus præfatus, A. C. 1516. Pater ex Johanna (quæ decessit A. C. 1543) Francisci Aurelian. March. Rœtelani: qui defunctus A. C. 1548. ex Jacoba ... (fil. Caroli *de Rohan* Dn. *de Gié*) reliquit fil. Leonorum Aurelianensem Duc. *Longavillanum*: quo (defuncto A. C. 1573.) & Mariâ Borboniâ (fil. Franc. Borbonii Com. *de S. Paul*, Francisco Borbonio Com. Vindocinensi gen...) natus Henricus I. *d'Orleans* Dux *de Longueville* fato functus est A. C. 1595. superstite, ex Catharina Gonzaga (fil. Ludovici D. Niv...) filio Henrico II. *d'Orleans* D. *de Longueville*, qui, Regis ad Pacificationem Monasterio-Osnabrugensem Legatus, obiit A. C. 1663. Pater, ex Maria Anna Genovefa Borbonia (fil. Henrici Principis Condæi) Johannis Ludovici Duc. *de Longueville* (n. 1646) Carolæ Luisæ (n. 1647.) & Carol. Paris Com. *de S. Paul*, qui natus A. C. 1649. in obsidione arcis Schenckianæ periit, 1672. V. Phil. Jac. Spenerum *Theatr. Nobilit. Europ. Part. I p. 155.*

Longa Coronæ, memoratæ Aristidi *Orat. 1. Sacr.* Ἐδόκει εἰδέναι πέμπειν τῷ Θεῷ τ̃ κορωνῶν, οἱ εἰσὶν ἐς ἰδίᾳ τῷ Ἀσκληπιῷ χαρίζονται. *Videbar coronam mittere Deo ex iis, qua sunt aut dicuntur longæ, quas peculiariter Æsculapio offerunt*: sunt ex convivialibus Veterum coronis illæ, quæ à collo, cui appendebantur, ad pectus propendentes, inde ad manus quoque sese extendebant, *Hypothymides* proprio nomine dictæ. Has Diis quoque, Æsculapio potissimum, appendebant, ut eum sc. propitiarent, si quid ex intemperantia convivali morbi accideret. V. supra in voce *Hypothymides*. At de *Longis Navibus*, Jasonis invento, Salmasium *ad Jus Atticum & Rom. pag. 657. & seqq.*

Longaristes ... apud Luithprandum *lib. 6. cap. 5.* ubi leg. *Logariastes ...*, Græce λογαριαστὴς ... officium fuit Aulæ C. Politanæ, qui cladis rationes expendebat, C. du Fresne *Glossar.* V. supra *Logariastes*.

Longi, adde: nomina eorum, Dioscorus, Ammonius, Euthymius & Eusebius, apud Georgium Episc. Alex. in *Vita* Chrysostomi, & Photium *in Biblioth.* V. Dominic. Macrum *in Hierolex.*

Longinus, Centurio, adde: Et Baronius quidem, qui in historia mortis Christi & ejus Centurionis, qui dicitur Christum glorificasse, Lucæ *c. 24. v. 47.* duos *Longinos* commemorat, quorum uterque Centurio ille Romanus fuisse dicitur, cujus in Evangeliis fit mentio: alterum eorum rejicit, tanquam ex Apocryphis productum. Sed nec de altero *Longino* apud tot veteres Evangeliorum Interpretes verbum ullum: uti & apud alios Scriptores, altum de eo silentium. In Tragœdia *Christus Patiens*, conversi Centurionis fit expressa mentio: sed nullus ibi *Longinus* memoratur, ἀπὸ τ̃ λόγχης, i. e. *à lancea*, ita dictus. Extat quidem nomen in *Martyrologiis* Græcis ac Romanis, sed nec hæc testimonia satis congruunt. Nam Græca in die 16. Octobris nomen hoc referunt, Romana 15. Martii, & cui notum, quando primum illo nomine facta sint Martyrologia auctiora? Fieri potest, cum Ecclesiastica Historia non unius faciat *Longini* mentionem, qui martyrium pro Christo subierit, inprimis ejus, qui Diocletiani Principatu, miles fuit & martyr: ut vel hic vel alius quis sacro Catalogo fuerit adscriptus; qui postea in commentitium istum *Longinum* abierit. Nec ignorant Eruditi, in *Manuali*, quod extat inter Augustini opera, *Longinum* illum Centurionem nominari, verum jam olim recte monuit Erasmus, eum librum Augustini non esse. Metaphrastæ, qui vitam & res gestas *Longini* ejus scripsit, idem tantum tribuent, quantum ei debetur, qui diligentiâ quidem summâ sed judicio nullo in ea collectione usus est; neque aliter Baronius variis in locis judicat. Namq; ut alia ... loca non proferantur, in quibus Metaphrasten, ut ... fabularum hamaxarium, severe castigat; hac ipsa in historia scripsit ... et hic & *num 191.* ut auctorem locupletem rerum *Longini* illum laudet, in anno tamen 38. quasi facti pœnitentiâ ... : *Si fidem adhibendam putamus Actis Longini Centurionis à Metaphraste recitatis.* Unde apparet, ipsum, cum illa scribebat, iis Actis parum omnino fidei tribuisse, & merito. Nam unde illa prodierunt, nisi e libris Apocryphis? atque alterum Longinum respuit Baronius, eam ob causam. Et, ut falsitatis apertæ non arguatur Metaphrastes, saltem apud Antiquitatis intelligentes in suspicionem aliquam fidem ejus vocant non pauca, e quibus unum hoc instituto sufficiat, quòd in his Actis legimus, Centurionem hunc, *cum veste & cingulo dignitatis, ipsam quoq; exuisse militiam.* At, ætate Augusti, longe militiæ, aut Centurionatus fuisse aliquam vestem, nullibi legimus: nisi fortasse de ... intelligat. Cingulum quoque notum commune omnium fuisse, qui castra sequebantur: sed cingulum dignitatis, in Scriptoribus seculi Augustæi non invenitur; neq; insigne Centurionatus illorum temporum aliud occurrit, præter vitem &c. Quare commentum id ... Papæ temporibus recentius judicat Casaubonus, utpote in cujus decreto nulla ... Actorum mentio. Haud multo aliter de Metaphraste pronunciat Cardin. Bellarminus *lib. de Script. Eccl.* V. præfatum Casaubonum *Exercit. ad Annales Eccl. Baronii XVI num. 131. & 191.* idemque Card. Baronium *passim.*

Longobardi, seu *Lombardi*, etiam dicti sunt potissimum in Francia mercatores Itali, qui magno numero eò commercii causâ confluebant; quippe quibus subinde privilegia à Regibus usque adeo donati, ut etiam civitatem sibi deligendi, in qua negotia sua exercerent, ac ... merces ..., habebent facultatem. Sic exhibet C. du Fresne *Chartam A. C. 1278* continentem ... cum Rege Franciæ initum *à Fulcone Cacio cive Placentino, Capitaneo universitatis Lombardorum & Tuscanorum habente etiam potestatem & speciale mandatum à Consulibus mercatorum Romanorum, Januæ, Venetiarum, Placentiæ, Lucæ, Bononiæ, Pistorii, Astensium, Albæ, Florentiæ, Senarum, & Mediolanensium, tractandi cum domino Rege Franciæ, super translatione facienda ad civitatem Nemausensem* &c. Cum prius in Monpessulana civ. commercium exercuissent, è qua excessere A. C. 1268. At, quod ii, non limitibus suis contenti, usuras quoque illicitas exercere inciperent, factum est, ut eorum nomen postea in malam partem transiret, universique *Longobardorum*, seu potius *Lombardorum*, appellatione publici Fœneratores ac Usurarii venirent, in quos non semel animadversum à Regibus, ut idem docet C. du Fresne *in Glossario.*

Longus, cognom. Ludovici X. Gall. R. ob staturam ejus procetam; aliquando & *Magnus*, *Id.*

Lopadium, adde: Ad lacum Ascanium, 3. m. inde distans, à monte Olympo diei itinere abest, hodieque vix mille incolas habet, partim Græcos, partim Turcas. Jac. Sponius *Itin. Part. I. p. 284.*

Loqui inter Sacra, vetitum olim: Itaque *ne quid verborum prætereatur, aut præposterum dicatur, de scripto præiται aliquis, rursusq; alius custos dabatur, qui attenderet, alius verò, qui favere linguis juberet: insuper Tibicen cavebat, ne quid audiretur*, Plin. *l. 28. c. 2.* ubi plura de superstitione Veterum circa hæc. Sed nec, dum agerentur solennia Ludorum Sacrorum, temerè quidquam *loqui* licuisse, docet Car. Paschalius *Coronar. lib. 5. cap. 5.* V. hic passim, inprimis ubi de Formula vet. *Favere linguis*, ut & de *Silentio*, *infra*. Cæterùm *Loquela*, rationis flumen Democrito & Epicuro; ut enim à fonte flumen, sic à rationis conceptu oratio, ratione quasi insilante in linguam, ut ea, plectri instar, aera percutiens, vocem efformet conceptuum, qui à ratione loqui, significativam. Unde me-

nu

dio Sexti Empirici, canes, gallinas & similes animantes loqui asserentis, opinio exsibilatur nobili Medico Patav. de Aquapendente. Sed nec ipsis psittacis, picis, corvis, humanum imitantibus sermonem, sermo tribuendus. Nec asina Bileami Num. *cap.* 22. propriè *locuta* est, sed Angelus in ejus ore vocem formavit: quod etiam de serpente, qui Parentes primos decepit, dici potest, per quem Satanas loquebatur; uti & canis bovisque *loquentium* prodigio, apud Plin. *lib.* 8. *capp.* 41. & 45. Quod verò cani Simonis Magi, tauro Rhodio Jovi sacrato, pico Martieno, columbis Dodonæis, equo Xantho, Argo navi, ulmo Gymnosophistarum, Caulo flumini, sermonem humanum itidem tribuere Gentiles, cœteris ipsorum commentis accedit. Fit *a. loquela* hunc in modum: *Aër è pulmonibus sursum expressus, & per λάρυγγα seu asperam arteriam ad palatum delatus, linguâ, dentibus & labiis sic flectitur, & concinnatur, ut moderatione eâ fiat vox articulata, quam loquelam dicimus*, Vossius *de Idolol. lib.* 3. *cap* 44. ubi plura hanc in rem, inprimis de divisione literarum apud Hebræos, ratione quintuplicis hujus instrumenti, in *gutturales, palati, linguæ, dentium & labiorum*. V. quoque Lactantium *de Ira Dei capite* 10. & hic passim.

Lora, V. infrà *Lorea*.

Lorarii, & *Virgatores*, coërcendis servis, apud Comicos: horum enim castigatio flagellis, virgis, & *loris* peragebatur; cùm liberi, sed tenuiores homines, fustibus cæderentur. V. Salmasium *ad Lampridium in Alexandro Severo*. Scaliger *Sparacus* nomen Lorario tribuit, *Poetic. lib.* 1. *cap.* 12. ubi de *Comicis personis*.

Lorata Vestis, Græcis recentioribus λωρωτή, eadem cum veste paragaudia: *Lorum* enim instita vel fascia dicta est, quibus vestes prætexebantur, unde *monolores, dilores*, *usq; ad penteloros tunicæ*, militibus donatæ leguntur, apud Flav. Vopiscum *in Aureliano*. Nempe *lora*, in hoc genere tunicarum, non fila sunt intexta, ut nonnulli interpretantur, sed tegmenta aurea vestibus adtexi solita, ea maximè, quibus summa ora vestis prætexebatur. Et quidem muliebribus prius tunicis tantum adtexebantur, postea luxu crescente virilibus quoque vestimentis adtexi cœpere; cùm antea purpurâ tantùm prætexerentur viriles tunicæ, ut erant prætextæ Magistratuum & nobilium puerorum. Post Gallieni inprimis tempora passim paragaudæ viriles & muliebres in usu fuere, ita ut & milites sub Aureliano paragaudas acciperent: quas tamen utrasque Valentinianus & Valens Impp. Lege prohibuere, & privatis ademptas suis gynæceis tantùm fieri voluere. Justinianus a. earum usum restituit mulieribus, non item viris &c. Græci *lora* hujusmodi ῥάβδους, i. *virgas*, dixere, V. infra in voce *Pannus* & plura hanc in rem, apud Salmasium *ad Vopiscum*. A multitudine igitur pannorum vel fasciarum, h. e. *lororum*, quæ vulgò *bandas* Galli vocant, vestes *dilores, trilores* & *penteloros* dictæ. De *diloribus*, intelligendus Virgilius, apud quem præmium victori chlamys datur,

> —— —— *quam plurima circum*
> *Purpura mæandro duplici Melibœa cucurrit.*

Cujusmodi *loris* cùm primitus tunicæ tantùm ornarentur, postea & *linea lorata* factæ sunt: unde apud eundem Vopiscum, in brevi munerum, quæ Hunilæ Bonosi novæ nuptæ dantur, *dilorium interularum* mentio est, non item tunicarum. Post Aurelianum v. ex cujus præcepto data sunt hæc munera, usque ad *penteloras*, jam Vopisci ævo, processum est. Hodie, mulierum vestes, inquit idem Salmasius, non penteloros tantùm, sed usque ad cingulum *lorata* & zonis sericis, h. e. paragaudis, distinctæ geruntur. λωρωτὰς χιτῶνας hujusmodi vestes vocat Achmes, *in Onirocritico cap.* 120. Idem λωρωτῆ ἀλουργῆ meminit; h. e. *purpureæ vestis loratæ*; sed & τῶν ἀπὸ μεταξὺς λωρωτῶν; nam & subsericæ vestes paragaudiæ erant, ut notum ex *Claudio* Trebellii: & paragaudæ ipsæ vel lora ex serico auro intexto fiebant, V. eum *toto illo capite*. Imò nec muliebres solùm vestes, sed vela quoque *loris* ornabantur ac distinguebantur. Anastasius *in Gregorio IV. Ibi ipse fecit & alia duo modica vela fundata, quæ pendent in circuitu altaris, habentq; lora viginti quinq;: Ibid.*

Lorea, aliis *Laurea*, Varroni *Lora*, muliebris apud Romanos fuit potus. Cùm enim ex Romuli lege mulieres Romæ atque in Latio ætatem abstemiæ agere, hoc est, vino semper, quod *Temetum* prisci dicere, abstinere cogerentur: bibere solitæ fuerunt *Loream, passum, murinam, & quæ id genus sapiunt potu dulcia*, eò quòd hæc non tam facile sorberent, A. Gellius *lib.* 10. *cap.* 23. De *Lorea* autem ita Varro *de R.R. lib.* 1. *cap.* 14. *Quæ calcata uva erant, earum scapi cum folliculis subjiciendi sub prælum, ut, si quid reliqui habeant musti, exprimatur in eundem locum. Cùm desiit sub prelo fluere, quidam circumcidunt extrema, & rursus premunt, & rursus eum expressum, circumpsitium appellant, ac seorsum quod expressum est, servant, quod resipit ferrum. Expressi acinorum folliculi in dolia conjiciuntur, eòq; aqua additur. Ea vocatur* Lora, *quòd lota acina ac pro vino operariis datur hyeme.* V. & Columellam *l.* 12. *c.* 40. & Plinium *l.* 14. *c.* 10.

Lorgeril, nomen illustris in Gallia Familiæ, cujus successio domui Rohanensi, matrimonii jure, illata est. Oliverius enim Do. *de Lorgeril & Bedou*, ex Margaretha Bodina, familiæ *Mottay*, Guilielmum genuit, Annæ Espinæ maritum & patrem Simonis: qui [illegible] Gilletta [illegible] (*de Lorgeril* [illegible] *Laurencay* Do. *de Tressaint*) suscepit Johannem *de Lorgeril* Do. *de Repentigné*; quo & Maria *Madeuc* Do. *de la Tourniole* genitus Johannes Do. *de Lorgeril* obiit A.C. 1485. Pater ex Johanna Pastenæa, (fil. Johannis Dn. *de Pastenay, Partigne* & Petrinæ *Boutellier* Dn. *de la Chesnaye*) Guyonnæ *de Lorgeril*, filiæ unicæ ac hæredis, quæ nupta Johanni *de Rohan* Do. *de Landal & Coetron*, ei successionem avitam attulit, defuncta, A.C. 1502. Spenerus *Theatr. Part. II. p.* 40.

Lorica, inventum Midii Messenii, Plin. *lib.* 7. *cap.* 56. Tib. Donato describitur his verbis, *ad versum* 771. *lib.* 11. *Æn. Virgil. quem pellis ahenis in plumam squamis* &c. *Et tetigit*, inquit, *speciem, & quomodo facta esset lorica, ostendit. Pelle fuerat tectus ornatâ ahenis squamis & auro fulgentibus. Squama est propriè serpentis & piscis — & ordinibus digesta est & variarum plurimarum impressione distincta. Quidquid igitur in hanc similitudinem subtilitatis artificium fingit, squama dicitur. Hæc fit ex minutis laminis invicem se retinentibus, quæ speciem faciant squamæ & sint tali digestione composita, ut est in avibus pluma, ubi cùm una alteram premit, nascitur in aspectu gratia & animum compositio ipsa delectat & pascit.* Ad eundem locum Servius, *loricas* fuisse indicat, *operimenta, quæ linteo ferreis laminis, in modum plumæ, adnexuerant.* Addit que, *plumam est in armatura, ubi lamina in laminam se indit. Nunc autem pro linteo pellem posuit & aneas squamas aneas laminas intelligimus.* V. quoque *ad versum Statii* 543. *Theb. lib.* 1. Hadr. Turnebum *Adversar. lib.* 11. *cap.* 25. Lipsium *de Militia Rom. lib.* 3. *cap* 6. &c. Idem Statius alibi *subtegmen durum*, vocat corium, quod *loricæ* suberat & corpus tegebat infra illam: illud nim. corium crudum, quod *pectorale* Veteribus fuisse, dicit Varro, & nos infrà. Qui verò hoc operimento tectus erat, sive homo, sive equus, *cataphractum* vocat Servius ubi suprà. V. quoque in hac voce, ut & ubi de *Clibanariis*. Atque hactenus *Lorica ferrea*. Sed & *Linteæ* erant. Suetonius de Galba, *cap.* 19. Loricam *tamen induit linteam, quanquam haud dissimulans, parùm adversùm tot mucrones profuturam.* Cujusmodi loricis pro thoracibus Vett. usos esse, jam supra diximus, ubi de *Linteis libris*. Fiebant autem operâ atque artificio Coactiliorum & Πιλοποιῶν, qui linum aceto vel austero vino, cui sal adjectum, probè macerabant; deinde ita cogebant, ut soliditatem ac crassitiem lintei octies decies aut sæpius in se complicati haberet. Sic Conradum Imp. sine scuto dimicantem, pro lorica textum quoddam e lino factum adeò firmum adversus ictus habuisse, ut penetrari à nullo telo posset, refert Nicetas Acominatus *Rerum Isaaci Angeli lib.* 1. &c. V. Casaubonum *ad Suetonium d. l.* & plura de *Loricis ferreis* Vett. apud prætactum Barthium *Animadvers. ad Statium Thebaid. libro* 11. *versus hos*,

> —— *tunc quà subtemine duro*
> *Multiplicem tenues iterant thoraca catenâ,*
> *Incidit* —

Hinc *Loricatus*, cognom. Dominici, inter suos pro Sancto habiti, à *lorica* ferrea, quam per annos 15. ad carnem detulisse dicitur, ut videre est apud Petr. Damianum in *Vita* illius & in *Epistola* non semel. Sed & in genere *Loricati* dicuntur in Communione Romana, Monachi severioris vitæ, qui pro *mortificatione*, ut ajunt, *loricam* ferream, super cute nuda, jugiter induere consuevere, de quibus V. Auctores laudatos Carolo du Fresne in *Glossario*.

Lorium, locus Tusciæ, in quo Antoninus Pius educatus, postea palatium ibi extruxit. *Lorios* vocat Aurelius Victor: *Igitur Aurelius socero apud* Lorios *anno vitæ post quintum & septuagesimum mortuo confestim Lucium Verum in societatem potentiæ accepit.* In Itinerario, *Loria* dicitur: *Via Aurelia à Roma per Tusciam & Alpes maritimas Arelatum usq; sic: Loria M.P. XII. Ad Turres M.P. X.* Sed ibi *Lorio* scribi jubet Salmasius, ex vetusta Peutingerorum tabula. Ab hoc v. *Lorio* longè diversum *Laurentinum* est, quò Commodus pestis tempore secessit; & in via Hostiensi, non longè à Lanuvio. Vetus Tabula, *Hostia XVI. Laurento VI. Lavinio XVII.* Unde nulla ratio est, cur quidam cum *Lorio* illud *Laurentium* confundere cogitent. V. Casaubonum & Salmasium *ad Capitolin in Pio*.

Lorum, Græcè λῶρος, Balsamoni vinculum capitis est vel diadema seu fascia Imperatoria: quod *Phrygium* alii dixere, ut Auctor *Donationis Constantinianæ*. Utrumque nempe sumitur pro vitta capitis vel mitra & tiara Imperiali. Phrygium enim adjectivum est absolutè positum, ut in Re Vestiaria fieri amat; subintelligitur autem Phrygium *pileum*, aut phrygium *lorum*, aut tale aliquid. Similia sunt *vitta* & *fascia*, quæ & de vinculo capitis & de vestium ornatura, de qua retro diximus in *Lorata*, usurpata occurrunt. Quemadmodum & *Lorum* utrumque significat & vestis prætextam & diadema; & ἀσφίδιον, quod propriè oram vestis, vel quod oræ adsutum est, denotat, ad caput translatum est & pro diademate regio usurpatum, Salmasius *ad Vopiscum in Aureliano*. In specie *Lorum* appellavit posterior ætas [illegible] illam Consularem, quam prior *clavum* vel *subarmalem* vocavit, quòd *Lori* seu cinguli formam referret. Leo Gramm. in *Basilio* [illegible]

tur Ecclesia, quam exstruxit Imperator, ornatuq; plurimo decoravit, à Photio Patriarcha Imperatore in ejus dedicatione lorum ferente, & multas pecunias eroganto. Ubi *Lorum* idem, quod postea *Pallium* dictum est, quodque Consulum & Imperatorum gestamen ac habitus primum fuit, Carolo du Fresne: Græci ὠμοφόριον appellavere, Latini quoque *Superhumerale*, quia ad humeros circumvolveretur, collumque ambiret. Ideo autem id nominis Consularibus ac Pontificiis istis ornamentis inditum idem ait, quod ea ætas vestium segmenta *Lora* appellaret, uti diximus, V. omnino eum *Dissertat. de Numism. infer. ævi, num.* 6. & 7. ubi pallium Pontificium, quod Sylvestro inter alia concessum ajunt à Constantino M. simile Consulari loro fuisse, pluribus contendit. Sed nec Consules solum, verum & *Consulares fœminæ*, uti Ulpiano vocantur Consulum uxores, eodem ac simili pene perinde habitu sunt usæ, quo conjuges; uti colligere est ex iconismo qui in vetustissimo Dioscoridis codice scripto habetur, in Bibliotheca Cæsarea: ubi Μεγαλοψυχία, *Magnanimitas* & Φρόνησις, *Prudentia*, habitu muliebri illustrissimæ puellæ assident; ipsa vestita ea istâ ampliore, collum & humeros amplectente & pectus attingente, exornata conspicitur. Eidem muliebri *Loro* propemodum simile illud simile videtur, quo usi sunt Impp. Occidentales. Extat siquidem in Codice Augustano Libri Friderici II. Imp. *de Arte Ven.* icon ejusdem Imperatoris, sedentis cum paludamento togæ superinjecto, dextrâq; sceptrum liliatum tenentis: supra togam v. pendet a collo fascia latior, gemmis & lapillis distincta, ad pedes, quæ baltheo quodam ejusdem ferme latitudinis circa pectus constringitur, quem *Fasciam pectoralem* seu στηθόδεσμον possumus appellare, ut est in vett. *Gloss.* Idem ornamentum, in Petro IV. Aragoniæ R. describit Editor. Uti autem progressu temporis Pontificium pallium, apud Latinos præsertim, non fascia fuit libera ac sponte defluens, collumque circumdans, sed ad majorem commoditatem ita aptata, connexa ac consuta, ut formam suam antiquam servaret, tribus acubus vel aciculis, quas & *spinas* aut *spinulas* vocabant, caluiæ defixa, in anteriori & posteriori parte, ut & ad humerum sinistrum, in dextra n. acus non figitur: ita à Græcis Augustis *Lorum*, quod primitus liberum fuit, simplexque fascia collo & corpori circumfusa, postmodum ad majorem eandem commoditatem, superiori vesti, quam σάκκον seu ... nuncupabant, assutum est, ita tamen, ut lori veteris formam quadantenus servaret. Id quod omnino deprehendere est, in Michaelis & Manuelis Palæolog. Impp. sigillis, apud du Fresne de meatis: in quibus non modo nescio quis ornatus collum ambiens describitur, ex quo stolæ seu largioris fasciæ species ante defluit; umbilicum verò circumagit fascia alia latior, margaritis & lapillis adornata, cum limbo ex opere Phrygio, unionibus perinde ac lapillis pretiosis distincto, ubique fasciam ambiente, cujus pars extrema sinistro Imperatoris brachio sustentatur, ab eo, ut *Consulare Lorum*, pendula. Quod genus ornamenti Imperatorii Διάδημα vocavit posterior ætas, uti tradit Codinus, ut quod vestes cæteras constringat, &c. V. plura hanc in rem apud præfatum du Fresne *d. Dissertat. num.* 8. & 9. adde *num.* 10. ubi Stolas Sacerdotales in Ecclesia Pontificia ex eadem origine arcessit: ut & in *Glossario*, ubi Patriarchas CP. aliosque & Archiepiscopos, maxime Græcos, simile quid, ὠμοφόριον dictum, ab Impp. Græcis, accepisse, docet, ac supra, ubi de *Consulari habitu*, aliique passim. Ut & hoc addam, alicubi Seneca *Lora patritia* vocat Patritiorum corrigias, quibus illi calceos suos adstringebant. Cùm enim calcei plebeii unicam tantum ligulam seu corrigiam haberent, quâ religabantur: Patritii ac Consulares calcei, utpote plebejis altiores, & ad medium usque crus pertingentes, quatuor corrigiarum erant, Isidoro teste, quæ inter se implexæ usque ad suras ascendebant. Ita Zonaras *Annal. lib.* 2. Patritiorum calceos insignes fuisse ait, ... τῷ σχήματι τοῦ γράμματος. Has in calceis Patritiis ac Senatoriis ex nigra fuisse aluta, innuit Horatius:

Nam ut quisq; insanus nigris medium impediit crus
Pellibus.

Et Juvenalis *Satyrâ* 7.

Appositam nigræ lunam subtexit alutæ:

cùm ipsi calcei vel albi essent, vel coccinei, vel aurati, vel etiam ... seu ingeniose interpuncti, donec sub Imperatoribus posterioris ævi eorum loco caligas sumerent Senatores seu campagos &c. V. Alb. Rubenium *de Re Vestiar. lib.* 2. *cap.* 1. *ubi de calceo Senatorio.* A *loris* dicti sunt apud Romanos *Lorarii*, servi qui apud Plautum catenas & vincula injiciebant conservis vinciendis: *Lora* enim interpretatur Scholiastes antiquus, quæ Juvenalis *Baltea* vocat *Sat.* 9. Conservos autem eam operam navasse, ex Appulejo quoque probatur, apud quem *Metam. lib.* 9. conservi Myrmecen vinciunt, & Solicitudo Tristitiesque, Veneris ancillæ, Psychen misellam flagellis affligunt, cæterisque tormentis excruciant, *lib.* 6. V. Laur. Pignorium *Comm. de Servis.* Fuere hæc *Lora* coriacea, unde falluntur illi, qui *lora* virgulta esse putant, & quidem ex lauro, ut Donatus existimat: Veteribus enim *lorum* corium fuit, unde & *lura* utrem denotat coriaceum. Ita ergo *Loris* coriaceis servos domini per conservos, quemadmodum virgis nocentes Magistratus cæcidit. Unde apud A. Gellium *lib.* 1. *cap.* 26. *Plutarchus servo suo, nequam homini & contumaci, sed libris disputationibusq; Philosophiæ aures imbutas habenti, tunicam ob delictum detrahi cædiq; eum loro jussit*, V. Jac. Oiselium JC. *Notis in locum.* uti de *loris*, a Catilinis comestis, Livium *libro* 23. *capite* 19.

Losinga, cognom. Herberti cujusdam, quem *Episcopatum de Tetfordia emisse à Rege*, tradit Jo. Bromptonus *pag.* 991. hoc est, adulator, ex Gall. *Losenge*, i. adulatio seu falsa laus: unde Italorum *Lusinga*, C. du Fresne *Glossar.*

Lotharingia, adde: De Ducalis hujus Familiæ, quæ inter Europæ antiquissimas, origine ab Alsatis ducenda, atque ita cum pluribus Erchinoaldinæ gentis superstitibus stirpibus agnatione, nunc, quàm olim, Genealogorum studio clarius constat. Fuit autem ille Erchenbaldus vel Erchinealdus, filius Gerbertæ, Richomere Patricio & Gertrude Hainatcensi genitæ, ex ligis Majore Domus; ipse Dagoberti R. Franciæ consanguineus, ac genitrice ejus ac Clotharii II. Palatii Magister. Alii patrem ei dant Guntramum Alemanniæ Ducem, matrem Gutham Clodovæi R. sororem: Nonnulli Pipinum de Landis Duc. Brabantiæ & Tungrorum Dominum, ex Itha seu Hitta, Aquitaniæ Com. filiâ: Vitam edidit Hier. Gebwilerus A. C. 1521. sed multis fabulis refertam. Hujus itaque, defuncti A. C. 661. filius fuit Lendisius seu Leudesius, itidem Major Domus, pater Etbiconis seu Athici cognom. *Adelrici*, qui, Alsatiæ Ducatum à Theodorico nactus, Ehenheimi habitavit. Inter hujus filios, maximus natu Adelbertus Dux Alsatiæ fuit, e cujus posteris Kyburgenses, Thurgovienses, Winterthurios, Wendelburgios, Helfenstenios Comites; primos insuper Guelphos; nec non Burgundiæ & Capetinos Galliæ Reges derivant: Secundo-genitus Etho seu Hetto, Albertum genuit, patrem Eberhardi Sen. quo genitus Eberhardus Junior, filium habuit Hugonem Comitem, qui communis trium familiarum ex Alsatica hac prodeuntium, *Lotharingicæ*, Dagsburgicæ & Habspurgicæ. Parens est, ut videre est apud Joh. Jac. Chifletium *Commentar. pecul. hac de re edito.* Quamvis enim priores filios Gerhardum & Hugonem alii sine liberis decessisse, & hæredem Guntramum habuisse asserant: rectius tamen Vignierius, quique hunc sequuntur, illum Metensium Comitem faciunt, cujus posteri alii quidem Metensem Comitatum retinuerunt, Albertus autem & Gerhardus fratres, Duces *Lotharingiæ super.* facti, & ex his Gerhardus, amplissimæ stirpis auctor, Duces *Lotharingiæ*, qui nunc quoque supersunt, & plures ramos in Gallia produxere, tum aliquos Hanatiæ Comites & Egeshemios quoque Comites protexit, Phil. Jac. Spenerus *Sylloge Geneal. Histor. in Fam. Austr.* Cùm vero Familiæ *Lotharingicæ* complures essent rami, omnium, qui nunc supersunt, communis pater est Renatus Dux Lotharingiæ, extinctus A. C. 1508. Ab ejus enim filio minori Claudio, Guisiæ Duce, *Lotharingicæ* lineæ, quæ in Gallia sedem fixere, & à diversis Principatibus Guisiæ (*de Guise*) Gaudiolæ (*de Joyeuse*) Meduanæ (*de Mayenne*) Aumaliæ (*d'Aumale*) Ellebovii (*d'Elbeuf*) Harecurtis (*de Harcourt*) cognominantur, descendunt. A majori vero filio, Antonio, (præter collateralem surculum Mercurii, *de Mercœur*, Ducum) descendunt ipsi Lotharingiæ Duces, quorum Progenitores sic habent: Renatus prædictus, ex Philippa, fil. Adolfi Egmondani Ducis Geldriæ, pater fuit Antonii Ducis Lothar. qui, defunctus A. C. 1544. ex Renata Borbonia (fil. Gilberti Borbonii Com. Montpensierii) reliquit filium ac successorem Franciscum, extinctum A. C. 1545. Hoc & Christinâ Danicâ (fil. Christierni Regis Daniæ & Norvegiæ) genitus Carolus Dux Lothar. decessit A. C. 1608. Pater ex Claudia Francica (fil. Henrici II. Regis Franciæ) Henrici Ducis Lotharingiæ & Francisci D. Lothar. Com. *de Vaudemont*: quorum ille, defunctus A. C. 1624. ex Margaretha Gonzagea (fil. Vincentii Mantuæ Ducis) duas habuit filias, Nicolaam (n. 1608. uxorem Caroli Duc. patruelis, den. 1657.) & Claudiam (itidem Francisci Nicolai Ducis Lothar. patruelis conjugem den. . . .) Iste ex Christina Salmenti (fil. Pauli Comitis) Carolum suscepit Ducem Lothar. Nicolaæ præfatæ maritum, & haud pridem mortuum, ac Nicolaum Franciscum Lotharingum, pridem Cardinalem, sed postea Claudiâ agnatâ ductâ, genitorem Ferdinandi, (qui n. 1639. obiit A. C. 1659.) & Caroli, qui natus A. C. 1643. patruo in Ducatu successit, & Exercitus Imperialis supremus Dux, uxorem sibi junxit Eleonoram Mariam Austriacam (fil. Ferdinandi III. Imper. & Eleonoræ Gonzageæ, ac Michaelis Thomæ Korybuthi Poloniæ R. viduam.) V. Phil. Jac. Spenerum *Theatr. Nobil. Europ. Part.* I. *pag.* 85. & 103. nec non *Arte Heraldicâ Tom.* II.

Lotharius I. adde: Ejus, ut & Ludovici Pii patris, ac Caroli M. avi, Leges Eccles. seu *Capitula* collegit Anlegisus, Abbas Lambiensis vel Lobiensis, postea Archiepiscopus Senonensis, de quo V. suprà. Pithœus verò, nihil inter ea proprium *Lotharii* esse censeus, *ejus nomine tantùm extare quadam ex his ipsis decerpta Capitula ad Italiæ Regnum, quæ jam olim LL. Longobardicarum libris inserta & Caroli cujusdam Cotti Siculi Commentario ante annos* 308. *exposita leguntur*, addit. V. Gerh. von Mastricht JC *Hist. Juris Eccl. num.* 193. & 197.

Lotio, inter sacrorum ritus frequens, apud Gentiles, Judæos, Christianos. Nam & Gentiles *Lotiones* in Sacris olim habuere, tum in peccatorum labe expianda, quæ flumineâ aquâ tolli, stultè, & non sine Poetarum risu, credebant: tum in initiationibus

& cele-

& celebrioribus mysteriis peragendis. In non paucis enim sacris, aquam adhiberi consuevisse, in similitudinem Baptismi, discimus ex Augustino *de Baptismo c. Donat. lib. 6. cap. 25.* *In multis idolorum sacrilegis sacris, baptizati homines perhibentur.* Sic eædemquamprimum corpore abluto expiare quærebant. Maro *Æneid. l. 9. fin.*

Et lætum sociis abluta cæde remisit:

Turnum nem. Tiberis. Ante quam ablutionem sacrum quid attrectare nefas fuit. Idem *l. 2.*

Tu genitor cape sacra manu, patriosq; Penates,
Me, bello è tanto digressum, & cæde recenti
Attrectare nefas —— ——

Sed & ante sacra adeunda lavabantur. Homerus,

—— —— Τηλέμαχος δὲ
Χεῖρας νιψάμενος πολιῆς ἁλὸς, εὔχετ' Ἀθήνῃ.
—— —— *Telemachusq;*
Lotis imponte manibus sic Pallada adorat.

Et Penelope apud eundem ante preces aquâ se abluit. Iidem non nisi *loti* res fructuosas curabant, ut de cura apum loquens firmat Columella *libro 9. capite 14.* etiam ἐπὶ κρίσει ritu isto defungebantur &c. Hodieque apud eosdem, ut & Mahometanos, *lotione* nihil frequentius. Verùm hæ aquæ cùm divina auctoritate ac promissis carerent, atque extra Dei usurparentur fœdus, inutiles ac viduæ erant; ut non ineleganter Tertullianus ait *l. de Bapt.* *Sed & de viduis aquis sibi mentiuntur*: Non enim maritæ, vel ullâ spiritûs potentia fœcundæ erant, nec omnino unda illa fuit genitalis. Judæorum *Lotio* seu Baptismus duplex erat; Alter pollutorum, טבילת נדה, qui, antequam sacrorum participes redderentur, lotionibus quibusdam ac piamentis uti debebant. Et certè communis purificationum ratio & quasi caput consistebat in balneis, Levit. *cap. 15. versu 16.* in quibus aquâ vivâ totum corpus abluebatur: affinisque erat huic Baptismo manuum lotio, quam anxie & superstitiose jam inde ab antiquis temporibus observabant, V. de Pharisæis Marci *cap. 7. versu 2.* Alter Proselytorum, טבילת גורת, per quem alienigenæ in Judæorum Remp. ac Religionem initiabantur: Hi enim, præter Circumcisionem & Sacrificium, *Lotione* præterea seu Baptismo, in Judæorum sacra transibant olim; hodie vero, cessantibus sacrificiis, solâ Circumcisione ac Baptismo, adoptantur. Unde verò ea apud Judæos *Lotio* ortum traxerit, incertum est. Quidam ad Jacobum, familiam suam lustrantem, Geneseos *cap. 35. vers. 2.* alii verosimilius ad Mosem, in deserto, ritum illum referunt, Exodi *cap. 19. vers. 10, 11.* *Et dixit Jehova Moschi, ito ad ipsum Populum, ut sanctifices eos hodie & cras, & laventque vestimenta sua, ut sint parati in diem festum.* Qui fuerit *Baptismus in nube & mari*, Paulo memoratus. 1. Cor. *cap. 10. vers. 2.* Hoc certum est, sive istâ occasione cœperit, sive postquam Samaritæ circumcisionem acceperunt; sive denique post templi excidium, aut serius: Baptismum illum, ad sacrarum lotionum, aut apud Veteres, aut in templo deinceps (ubi Labri ænei, à Moyse extructi, loco, Mare æneum, è quo aqua è duodecim siphonibus seu mammis promanabat, ut inde Sacerdotes, ad ingressum Tabernaculi lavare possent, Salomo struxit) usitatarum, exemplum, primùm fuisse usurpatum. Peragebatur hæc lustratio statim à circumcisione, mox ubi dolores ejus interquieverant. Præmittebatur autem examen solenne; dumque novus Fidei Candidatus abluebatur, Religionis prælegebantur articuli; interimque ipse mergebatur, adstante Sapientum Triumviratu. Eodem ritu & liberi ejus lustrabantur, atque universa familia, etiam qui sequioris sexus erant: quòd si Parentes præmortui forent, locum eorum tresviri è Sapientum Collegio, qui Baptismis præerant, implebant; atque iis quasi testibus illi initiabantur. Hi itaque sic expiati cùm essent, in Judaicæ gentis nomen ac decus veniebant; atque, exutâ peregrinitate & pristinâ consanguinitate obliteratâ, novorum quasi natalium jus accipiebant ac deinceps pro Judæis ac Dei domesticis habebantur. Unde posteros eorum rursum tingi & novo Baptismo inaugurari fas non erat, quippe qui pro veris Israelitis censebantur. Atque hunc Judæorum Baptismum, qui humanus ac Ecclesiasticus duntaxat ritus erat, CHRISTUS, ex eorum sententia, qui jam tum illum obtinuisse censent, consecravit, & rejectâ Circumcisione, novæ Ecclesiæ Sacramentum esse jussit, ita ut, sicut olim per Circumcisionem & Baptismum, ita nunc per hunc solùm Deo liberi nascantur. Primus verò hunc usurpavit Johannes, ab eo ritu *Baptistes* dictus, non sine auctoritate Dei ac jussu, Lucæ *cap. 3 versu 2.* Johannis *cap. 1. vers. 33.* & Matthæi *cap. 21. vers. 25.* Sed de hac Christianorum *Lotione*, Theologos consule; plura hanc in rem vide apud Franc. Burmannum *Synops. Theolog. tom. I. libro 4. capite 22.* & *tom. II. libro 7. cap. 6. § 3. & seqq.*

Lotio Manuum, apud Hebræos, anxiè ac superstitiosè jam inde ab antiquis temporibus, uti diximus, observata est. Hinc Pharisæi & quidam ex Scribis, quum vidissent quosdam ex discipulis Jesu, *pollutis manibus, id est, illotis edere panem, conquesti sunt*, Marci *cap. 7. vers. 2.* Quo pacto autem ab his ritus is peragi consueverit, sequitur *vers. 3.* Οἱ γὰρ Φαρισαῖοι καὶ πάντες οἱ Ἰουδαῖοι, ἐὰν μὴ πυγμῇ νίψωνται τὰς χεῖρας, οὐκ ἐσθίουσι, κρατοῦντες τὴν παράδοσιν τῶν πρεσβυτέρων. *Nam Pharisæi, imò omnes Judæi, nisi pugno laverint manus, non edunt, tenentes traditionem Seniorum.* Ubi πυγμῇ Theophylactus interpretatur, *ad cubitum usq;*: quasi *cubitaliter* dicas. Sed πυγμὴ neque πῆχυν declarat, id est, cubitum (nisi pro cubiti mensura, eaque decurtata, accipias: quamvis aliter scribat Erasmus) neque ἀγκῶνα i. ipsam lacerti juncturam, ubi os exterius eminet, quod nonnulli volunt ab Hippocrate κύβιτον vocari. Neque hujus ritus ac consuetudinis ulla apud alios Scriptores fit mentio. Proin simplicem Græci vocabuli significationem sequutus est Beza, reddens, *pugno*; ex quo intelligamus summo studio affectatas fuisse ablutiones istas à Judæis, ut facere solent, qui manui manum affricant, & pugnum alterius palmæ inferunt. Quod quàm bene conveniat, constat ex iis, quæ Munsterus his de rebus annotavit *in Deuteron. c. 8.* ex Centum Benedict. libro *Tradunt*, inquit, *manus primùm abluendas & tergendas: alioqui panis qui comeditur, immundus judicatur.* Et mox, *Fundenda est aqua tribus vicibus super manus: in prima fusione sunt digiti sursum levandi, in posterioribus lavandi. Manus simul sunt lavandæ, non una post alteram. Deniq; opus est, ut in ablutione manuum sinistra tanquam famula subserviat dextræ &c.* De manuum *Lotione*, à Pilato usurpata, in Historia Evangel. cujus mentio Matthæi *cap. 27. versu 24.* paulò difficilior quæstio est, an ex consuetudine aliqua Gentium, an Judæorum, illa orta sit? Origenes in *locum* præcise negat, tale quid apud Romanos fuisse factitatum. Proferunt tamen Viri doctissimi, è Græcis Latinisque Scriptoribus, *lotiones*, ut ipsi existimant, non dissimiles. Sed aliud est lavare post admissum crimen, ad expiationem peccati: quo fine institutos apud Vett. fuisse καθαρμοὺς & περιρραντηρίους, *purgationes & aquæ lustralis aspersiones*, nemo ignorat. Aliud ante crimen, ad testificationem innocentiæ, quod hîc fecit Pilatus. Itaque Baronius contendit, Pilatum ex ceremoniis Judæorum mutuatum esse exemplum; & affert locum Mosis è Deuteron. *c. 21.* qui tamen à facto Pilati toto genere est diversus. Alia ex historia & scriptis Judæorum proferri possent, quæ magis ad rem facerent. Narrat Aristeas, vetustissimus Scriptor, LXX. Seniores, qui vertendis libris sacris Alexandriæ operam posuerunt, solitos, priusquam ad lectionem sese accingerent, *manus lavare*: cujus rei causam cùm ab iis nonnulli requisivissent, *διεσάφουν*, ait Aristeas, ὅτι μαρτύριόν ἐστι τοῦ μηδὲν εἰργάσθαι κακόν, *declarabant signum esse, nihil à se mali fuisse admissum.* Neque alienum est, quod in libris Magistrorum legimus, solita defunctorum cadavera à pollinctoribus calidâ lavari vel ad acquirendam, vel ad testandam innocentiam, quando actæ vitæ ratio erit reddenda; ut similia omittam. At valde mirum videatur, Pilatum, hominem Romanum, instituto Judaico eo potissimùm tempore esse usum, quo videbat, se à sceleratissimis Pontificibus, Sacerdotibus & furente populo Judaico, ad scelus patrandum adigi, quod ipse horrebat. Vera igitur ratio facti aliunde arcessenda, quam commodè fortè suggerit Nicolaus Cabasilas *in Expos. Liturgiæ*, docens, Veteribus in more fuisse positum, ut sensa animi non verbis solùm, sed etiam factis declararent; qua de re & Plutarchum alicubi disserentem habemus, & Casaubonus *Commentar. Polybian.* multis exemplis hunc morem ex historia Græca & Latina illustravit. Illustre exemplum, Actorum *cap. 21. vers. 11.* in Agabo, pedes ac manus sibi vinciente. Quemadmodum autem communis hic mos fuit olim gentibus; sic facta, quæ adjiciebantur ad verba, erant communia. Quare Pilatus morem *lavandi*, ad declarandam suam innocentiam, non magis sumsit à Judæis, quàm formulam, quâ usus est, cùm protestaretur de innocentia sua, *Innocens ego sum à sanguine justi hujus*: sumsit ex historia Susannæ *versu 46.* ubi non dissimilem usurpat Daniel ille: *Mundus ego sum à sanguine hujus*, &c. Isaac. Casaubonus *Exercitat. XVI. ad Annales Eccles. Baronii, num. 89.* Christiani postmodum, antequam ad preces accederent, *manus* lavare consuevere; quem in usum in Templorum atriis suos Λουτῆρας, *labra*, habuerunt, quos *puteos* alii, alii *cisternas* dixere, V. de hoc ritu Cl. Suicerum *Observat. capite 6. pag. 155.* & *Thes. Eccl.* vocibus Εὐχὴ & Λουτήρ. De *Lotione pedum*, tum uti communis ritus fuit circa peregrè advenientes, tum uti sacer, à Christo peractus. Joh. *c. 14.* V. suprà in voce *Hospites*; item A. Rivetum *Castig. Notar. in Epist. ad Balzac.* ubi & de *Lotione pedum* quotannis feriâ quintâ *majoris*, ut vocant, *Hebdomadæ*, tredecim pauperibus à Pontifice Rom. administrari solitâ aliquid: prolixius v. in *Sacr. Ceremon. lib. 2. sect. 2.* porrò Suicerum iterum voce Νιπτήρ, ubi de Græcorum more, Christum quotannis feriâ V. ante Pascha imitantium: ut & plura hanc in rem hic passim, inprimis ubi de *Balneo, Baptismo, & Lavandi ritu.* Addam saltem, sicut illotos cubitum, ita & *lavantes*, annulos ponere consuevisse: quod non fallaciter in Charino notat Martialis *lib. 11. Epigramm. 60.*

Senos Charinus omnibus digitis gerit,
Nec Nocte ponit annulos.
Nec cùm lavatur: causa quæ sit, quæritis?
Dactyliothecam non habet.

Terentius *Heauton. Actu 4. Scen. 1.* *Ea lavatum dum it, servandum mihi dedit annulum.* Nec omittendum lepidum Alfonsi Siciliæ

cilie R. hac lare factum, de quo Fulgosus ac Egnatius *lib. 4. cap. 8.* ita: *Alfonsus Senior Siciliæ Rex, annulos ingentis pretii in digitis gestare consueverat, & ne lavandis manibus gemmis officeret, laturus annulis digitos exuebat, servandosq; Ministris, qui opportunius se offerrent, solebat dare. Cuidam igitur semel cum annulos tradidisset, qui obitum Regem arbitrabatur & propterea in suum usum verterat, Alfonsus rem dissimulavit atq; pro eis alios annulos induit, conjunctamq; morem servavit. Itaq; post aliquos dies loturo Alfonso cum idem adstaret quos primos habuerat & non restituerat, manum porrexit tanquam à Rege annulos, ut antea egerat, accepturus; Alfonsus autem retracta ad se manu, in aurem submissa voce ei dixit: Hos servandos tibi dabo, si prius, quos jam dedi restitueres.* Quam vocem liberali certè Rege humanoq; & animo ingenti prædito dignam ac æternis literarum celebrandam encomiis, uterque Scriptor prædicat, V. Joh. Kirchmannum *de Annulis c. 22.*

Lotium, tingendis olim conchyliis admisceri solitum, ex Plinio discimus. Est autem conchylium coloris genus multo pallidius dilutiusque purpurá; unde purpuram à conchylio, h. e. purpuream vestem à conchyliata, Plinius idem discernit *l. 9 c. 35. Conchylia & purpuras omnis ora atterit, quibus eadem mater luxuria paria pene & margaritis pretia fecit.* Et *l. 22. c. 2.* Transalpina Gallia herbis *Tyrium atq; conchylium tingit, omnesq; alios colores.* Et *lib. 21. cap. 8.* tria genera præcipua ac principalia statuit purpurei coloris *Tyrium, amethystinum & conchylium*; quorum omnium saturatissimum erat, Tyrium: in secundo gradu ac genere amethystinum, non adeo pleno colore refulgens, ut purpura, nec tantæ nigritiæ, nec æque austerum, sed blandius aspectu & magis vinaceum: tertium genus erat Conchylii, cujus variæ species fuerant, sed omnes diluti ores pallidioresque tum amethystino, tum multo magis Tyrio ac purpureo. Auctor Plinius, nempe *lib. 9. cap. 17* de Conchyliis loquens, colorem illis tribuit, *austerum in glauco & trascenti similem mari*: & postquam de purpura dixit, huic fasces securesque Romanas viam facere, eandem que pro majestate pueritiæ esse, distinguere ab Equite Curiam, Diis advocari placandis, omnemque vestem illuminare & in triumphali misceri auro, addit: *Quapropter & excusata purpura sit insania. Sed unde, quærit, conchyliis pretia, quæ grave virus in fuco &c.* Ubi de conchyliis miratur, quod pretiosa & illa essent, cum tam male olerent, nec gratum haberent colorem, quod unde esset, mox exponit. Postquam enim docuit, conchylia à purpuris solo temperamento differre, purpuramque & amethystinam pelagio & buccino, at conchylium solo pelagio, h. e. solo purpuræ conchylio, sine buccini admixtione, tingi: hanc præterea inter purpuram, & conchylium (i.e. vestem purpuream & conchyliatam) differentiam ponit, quod *lotium* tingendis conchyliis admisceretur, purpuræ non item, hinc grave illud virus & malus odor. Idem de conchylii temperamento *lib. eod. cap. 39. In conchylia*, inquit, *veste, cætera eadem sine buccino præterq;* (i. præterea quod) *jus* (τὸ βάμμα, succus purpuræ, i. e. medicamen quod in aeno coquitur tingendis lanis) *temperatur aquá & pro indiviso humani potus excremento* (h. e. lotio & aquá simul junctis, nec certa mensura divisis) *dimidia & medicamina adduntur. Sic gignitur laudatus ille pallor, saturitate fraudatá, tantoq; dilutior, quanto magis vellera esuriunt.* Prout itaque dilutius aut saturatius conchylium facere vellent, ita plus minusve Lotii aut aquæ addebant. At recentiores, in omni purpura tingenda, lotium adhibuere, lanamque, prius quam in aenum inderetur, non solum aquâ, sed etiam lotio eluebant: Physica Democriti, Βάλε τὴν ἐρέαν εἰς [illegible] [illegible] quæ infimæ sunt Græciæ, sub nomine Democriti vulgata, in libris nondum editis, qui Græcis περὶ Χυμείας scripti sunt. Sed hæc melius discantur, apud tingentium officinas, qui etiam nunc, in cocco tingendo, lotio utuntur: Nam conchylii sane aut purpuræ nulla hodie in usu, præter eam, quæ herbis tingitur, &c. V. Salmasium *Notis ad Tertullianum de Pallio, cap. 3.* ut & infrà in voce *Urina*, ita enim honeste dicitur.

Lotos, apud Martialem *l. 8 Epigr. 51.*

Palladius tenero lotos ab ore sonat:

tibiæ genus est, e *loto* arbore, quæ nascitur in Lybia, juxta Palladis lacum a Tibiarum [illegible] cantus expetita. Cujusmodi *tibias* φώτιγγας appellavere Alexandrini, qui eas invenere. Meminit illarum, tum alibi Euripides, tum *in Bacchis*,

Ἐς Φρυγίας βοᾶς [illegible]
Λωτὸς ὅταν [illegible]
Ἱερὸς ἱερὰ
Παίγματα βρέμῃ.

V. Brodæum *Miscellan. lib. 2. cap. 25.* Ipsa verò *lotus* arbor insignis est *præcipua circa Syrtes atq; Nasamonas — tam dulci cibo ut nomen etiam genti terræq; dederit, nimis hospitali advenarum oblivione patriæ — Quin & exercitus eo pastos accepimus ultro citroq; commeantes per Africam. Ligno color niger. Ad tibiarum cantus expetitur. Ex radice cultellis capulos breveisq; alios usus excogitant*, Plin. *lib. 13. cap. 17.* & 18. Ad quorum illustrationem V. Salmasii *Exercitationes Plinianas ad Solinum passim*, inprimis *pag. 1038. & seqq.* ubi *de Loto Africana communis* seu *Nabeca*, quæ & *Cyrenaica*, cujus materia ad fucum adhibita, fructus verò curatus ac conditus doliis, contusus pedibus & in massas redactus; uti diximus suprà de *Connaro*: de *Loto Italica*, de *Loto Lotophagica* seu *Syrtica*; *de Loto Nigra*, cujus materies ebenum imitatur, loco ejus hinc venum exponi solita: de *Loto* item, seu *Faba Græca*, propter ramorum petulantiam domibus expetitâ, aliisque hoc nomine venientibus (λωτὸς enim ab antiquis multæ arbores, frutices & herbæ dictæ, quæ dulces ad edendum, licèt toto genere, ut solo cœloque, distantes) accurate agit. Addam pauca de *Loto*, flore verno coronario, adeò celebri, ut inter flores, quos Homerus facit subnascentes voluptati Deorum *Il. ξ.* is primus recenseatur, principemque locum obtineat inter eas herbas, quas Apollinis & Musarum prata progignunt, ut ait Constantinus Cæsar *lib. 12. cap. 6.* Emicat is ex colocasiæ seu fabæ Ægyptiæ ciborii & rosei coloris est, hinc λωτὸς ῥοδίζων dictus. Unde τὸν [illegible], *colorem crepusculi*, quo quidem nihil in Orbe pulchrius, repræsentaturi Ægyptii *puerum sedentem super loto* pingere soliti sunt, teste Plut. Πε. τοῦ μὴ χρᾶν ἔμμ. Atque ex hoc flore fiebant coronæ *Antinoïa*, de quibus supra aliquid. Præter hunc *lotos* alius est cœrulei coloris (alii albi dicunt) e quo corona *lotina* proprie dicta fiebat, Osiridi imponi solita, uti legas apud eundem *de Is. & Osiride.* V. de utroque Car. Paschalium *Coronarum lib 3. cap. 13.* ubi inter alia, croco & hyacintho *lotum* sociari consuevisse, addit, & Salmasium iterum *d. l. pag. 775. & seqq.* ubi præter suprà indigitata, de pane pastoribus Ægyptiis ex semine *loti* fieri solito; sicut de vino, e loto expresso, apud Plinium *libro 13. cap. 17. cit.* quædam videre est.

Loue, nomen illustris olim in Gallia *Familiæ*, quæ ex præcipuis Lavalleæ stirpis surculis fuit. Præter enim ramum principalem, de quo diximus suprà, surculi juxtà enati sunt Dominorum *de Attichy*, *Chalouçau*, *Raiz*, *la Suse*, *Pacy sur Marne*, atque *Loue*: qui ultimus denuo plures emisit palmites Dominorum *de S. Aubin*, *Bois dauphin* (quibus nunc Marchionum dignitas ac titulus *de Sablé* accessit) *la Faigne*, *Tartigny*, *Brée*; quos omnes primogeniti Domini *de Loue*, qui etiam Vicecomites *de Brosse*, Comites *de Joigny* ac *Meslé* & March. *de Neelle* facti sunt, dum superfuere, antecesserunt. Illorum seriem exhibuimus jam suprà, in voce *Joigny*.

Loxodromia, scientia investigandi, Geometricis rationibus, in mari, locum appulsus navium; vox Græcæ originis est, ex λοξὸς, *obliquus*, & δρόμος, *cursus*, V. de illa Gullietum, ut & Furnerium *Tabb. Hydrograph.*

L U.

L.V. in notis antiquis, *quinquaginta quinq;* L. V. *lex vetus*: L. VAL. *Lucius Valerius* &c. LUD. AP. *Ludi Apollinares*: LUD. SEC. *ludi seculares*: LX. *sexaginta* &c. denotat. Fr. Gouldmannus *Diction. Lat. Angl.*

Lua, alite: Ejus meminit A. Gellius *libro 13 capite 22.* cùm ait in libris Sacerdotum Pop. Rom. scriptum esse, *Luam Saturni, Salaciam Neptuni &c.* Sic libri vetustissimi; In MS. quodam est *Lucam*, unde vett. Edd. omnes habent, *Luciam*, & sic scribi debere suspicatur Turnebus, à Latio, quod à latebra & fuga Saturni nomen habuerit; ut eo nomine intelligatur Latii Dea, quæ eadem cum Ope; quamvis alii sint, qui velint *Luciam* Saturni uxorem, fuisse ab illiciendo nomen consequutam. Rectiùs tamen idem Vir eruditus *Luam* hic legi vult & Saturni vel uxorem vel filiam intelligi. Sane *Luam matrem*, Deam quæ *luebat*, hoc est, *purgabat*, à Romanis cultam fuisse, ex Veterum monumentis constat: Unde & ei, ad lustrandam expiandamque hominum cædem ac stragem, hostium arma spoliaque incendi solita fuisse, legimus apud Livium *libro 8.* cùm ait: *Armorum magna vis tum inter cæsa corpora hostium, tum in castris inventa est. Ea Luæ matri dare se Consul dixit.* Et *lib. 45.* de Paulo Cos. post Macedoniam subactam: *Edito ludicro omnis generis clypeisq; æreis in naves impositis, cætera omnis generis arma circumdata in ingentem acervum, precatus Martem Minervamq;* Luamque matrem *& cæteros Deos, quibus spolia hostium dicare jus fasq; est, ipse Imperator face subditâ succendit: deinde circumstantes Tribuni militum pro se quisq; ignes conjecerunt.* Forsan *Mater* toties dicta est, quia Saturni uxor, unde & *Deorum mater*, quæ aliàs *Cybele*, & *Magna Deûm mater* appellata. V. *Notas in locum Gellii præfatum.*

Lucanicus, cognom. quod à *Lucanis* victis se non aspernaturum ajebat Antoninus Caracallus, apud Ælian. Spartianum, *Et quum Germanos subegisset, Germanicum se appellavit: vel joco vel serio, ut erat stultus ac demens, asserens, si Lucanos vicisset*, Lucanicum *se appellandum.* Indigitare nempe voluit, nullum adeò ἀλλόκοτον aut ridiculum populi nomen posse inveniri, ut cognomen ab eo ductum velit refugere, si eum populum vicisset. Quid autem insit ridiculi in hoc cognomine, obscurum non est: nam inter edulia genus quoddam fuit intestini farti, quod *lucanicam* vocabant: à qua Romanos, homines ventri ac abdomini

natos *Lucanicas* vocitare consuevisse, auctor est Amm. Marcellinus *libro* 18. quasi Græce dicas Ἀμαντοφάγους, vel Ἀμαντοχύδας: cujus nominis vilitatem & dedecus norunt, qui Attici Comici *Equites* legerunt. Quanto sapientior Aurelianus, qui, victâ Carporum gente, *Carpici* cognomen à Senatu sibi delatum rejecit, ob vicinatum vocabuli *carpisculus*, quo calceorum genus quoddam illa ætas nominabat, Casaubonus *ad l.* Cæterum de farciminis hoc genere, in *Lucania* primum facto, unde nomen, V. Jo. Meursium *ad Arnobium lib.* 3. *cap.* 11. ut & eadem re Phaliscorum, qui *ventres porcinos* dictos paraverunt, Lud. Nonnum *Diætetic. lib.* 2. *c.* 14. Raderum *ad Martiale l.* 4. *Epigramm.* 45. *versum*,

Et Lucanica *ventre cum Falisco:*

C. Barthium *Animadvers. ad Statii l.* 4. *Sylv.* 9. *v.* 35.

Non Lucanica, *non graves Falisci*,

quorum uterque de muneribus ibi Saturnalitiis agit; Alios: nec non hic ubi de *Isicio*, item in voce *Physcon*. Addam saltem, uti hodie ad brassicam apponitur, sic olim ceras patinæ habentis pultem ex tritico circumdedisse hoc fartum; ex eodem Martiali *l.* 13. *Epigr.* 35. cujus lemma, *Lucanica*,

Filia Picena venio Lucanica *porca*,
Pultibus hinc niveis grata corona datur.

Lucanus, prænomine Claudius, vir Consularis, Commodi jussu occisus, apud Lampridium *in Commodo*.

Lucar, æs dictum est, ex locis sive sedibus Theatralibus Romæ olim colligi solitum, prius *Locar*, quod vide.

Luceius Torquatus, Commodi jusso interfectus, apud Lamprid.

Lucelstenium, corrige & adde: Comitatus Austrasiæ est, sub Principe Veldentiæ familiæ Palatinæ, olim sub propriis Comitibus, à quibus plene pervenit ad Palatinos; ad Rupertum verò nunquam pertinuit, qui proin non *Lucelstenia*, sed Veldentiæ lineæ auctor fuit, quo etiam nomine in Actis illa publicis venire solet. Filius ejus, ex Ursula Rhingravii, ductâ A.C. 1537. & mortuâ A.C. 1601. Georgius Johannes, cognom. *Ingeniosus*, natus A.C. 1543. sessionis ac suffragii in Imperio jus acquisivit, &, cum nomine *Principis Palatini Veldentiæ*, in Collegium Principum introduci meruit. Idem Comitatum *Lucelstenium* penè integrum, cum dimidia parte communionis Gurtenbergicæ & aliis quibusdam bonis in *Alsatia*, post excessum Ottonis Henrici cognom. *Magnanimi*, ultimi Electoris ex priore familia, defuncti A.C. 1553. ut portionem quadrantis totius hæreditatis sibi debiti, sine præjudicio juris in reliqua competentis, accepit: *Lucelstenium* auxit, Pfaltzburgum condidit, quod tamen deinde in Lotharingi pervenit manus. Obiit A.C. 1592. Pater ex Anna, Maria Suecica, Gustavo Rege genitâ (ductâ A.C. 1563.) præter filias duas, Ursulam Ludovici D. Wirtenbergici, & Annam Margaretam Richardi Agnati, uxores, Georgii Gustavi, Johannis Augusti, Ludovici Philippi, & Georgii Johannis: è quibus maximus natu, genitus A.C. 1564. in divisione, avitas ditiones & Status Imperii prærogativam adeptus est, ac Veldentiam lineam continuavit, defunctus A.C. 1634. Alter, natus A.C. 1575 Comit. *Lucelstenium* accepit, sed cum ex Anna Elisabetha agnata nullis liberis susceptis obiisset, A.C. 1611. in hoc appanagio, minimum natu fratrem (tertius enim in hastiludio Heidelbergæ perierat jam A.C. 1601.) successorem accepit. Qui natus A.C. 1586. ex Susanna Palatina, filium præter alios genuit Georgium Ottonem, præmortuum Tubingæ A.C. 1635. ipse defunctus A.C. 1654. Post cujus obitum, Comit. *Lucelstenium*, postquam ab A.C. 1592. usque ad an. modò dictum 1654. sub proprio fuisset Principe, ad Leopoldum Ludovicum Principem Palatinum Veldentiæ Georgii Gustavi præfati filium rediit, qui omnes ab Avo relictas ditiones denuo conjunxit. V. Phil. Jac. Spenerum *Sylloge Geneal. Histor. in Fam. Palat.* ed A.C. 1677. & hic, in *Leopoldus Ludovicus*, item in voce *Veldentia*.

Lucemburgum, castrum & oppidum nobile Belgii, Ducatus cognominis caput, qui, una ex XVII. Belgii provinciis, Hispaniarum *Regi* subest, de quo V. *Lucilius burgus* & *Luxemburgum*. Olim sub propriis Ducibus, quorum familiæ communem originem, cum altera Hannoniæ Comitum & Brabantiæ Ducum, atque ex his Landgraviorum Hassiæ stirpe, attribuere solent Genealogi, deducentes eam à Giselberto Comite Masuariæ, Ermengardæ Lothario Imp. genitæ marito. Cùm enim prior ejus filius, Ragnerus, Dux Hasbaniæ, jam enumeratas stirpes proseverit; alter filius Ricuinus Arduennæ Comes Ottonem, Ducem Lotharingiæ superioris, reliquorum Ducum satorem, atque Ricuinum, genuit. Hic nepotem habuit Sigfridum, *Lucenburgi* seu *Lucemburgi*, quod permutatione à S. Maximini Abbate nactus erat, Comitem, cui liberos dant, præter Cunigundam Augustam, & alios plures, præcipue Henricum Ducem Bavariæ & Comitem Palatinum Rheni, quæ utraque dignitas aliquandiu penes posteros fuit atque Fridericum *Lucenburgium*. Inter hujus etiam plures numero filios fuerunt Giselbertus *Lucenburgiorum* (quorum ad Namurcenses devenit hæreditas) ac aliquorum Salmensium auctor & Theodoricus, Limburgi Dominus, à quo deinceps ordine generationis Comites & Duces Limburgenses descenderunt. Demum Valeramus II. Dux Limburgicus, per duos filios, Valeramum quidem III Limburgenses propagavit; sed per Henricum Blondellum *Lucenburgium*, matris Namurcensis jure, Comitem, istam *Lucenburgiam* novam stirpem orsus est. Huic cùm iterum duo essent filii, alter Henricus II. pater Henrici VII. Imp. plures Augustos, Reges Bohemiæ & Hungariæ, Marchiones Moraviæ & Lusatiæ, Duces *Lucenburgenses*, in posteritate sua numerat; alter Valeramus, Dominus *de Liney* fuit, plurium linearum conditor: quarum præcipua divisio tum facta est, cùm Petrus *Lucenburgius* Com. *de Conversan*, *de Brienne*, & *de S. Paul*, tres præcipue filios habuisset, Ludovicum, Theobaldum & Jacobum. Ex his enim ille Comes *de S. Paul* & Connestabilis Franciæ, denuo numerosæ familiæ pater, ex filio Petro avus fuit Mariæ, quæ Comitatus *de Soissons*, *S. Paul*, *Marle* aliaque Borbonio marito attulit; ex alio filio Antonio Com. *de Roucy* & *de Brienne*, posteritas mascula in plures gradus duravit, & demum in Henrico Duce *de Lucenburg*, & *de Piney*, Principe *de Tingry*, hæsit est A.C. 1616. de cujus filiabus V. paulò *infrà*. Iste, Dominus *de Fiennes*, præter reliquos Fiennenses (quorum hæredes fuere Egmondani) Vicecomites *de Martigues* dedit, in quibus ultimus Sebastianus, Dux Pentheuriæ, decessit A.C 1569 relictâ filiâ Anna, quæ in Lotharingicam domum elocata est. Hic (Jacobus) Dominorum *de Richebourg*, Vicecomitum *de Launoy* & Comitum *de Gaverjar* auctor fuit. Ad filias Henrici Ducis *Lucemburgici*, 1616. extincti ut redeam, illarum progenitores sic habent: Antonius *de Lucenburg* Com. *de Roucy*, *Brienne* & *Ligny*, ex Francisca Croi (fil. Caroli Princ. Cimacensis) genuit Carolum *de Lucenb.* Com *de Brienne*, qui extinctus A.C. 1530. ex Carolâ *d'Estouteville*, pater fuit Antoni II. *de Lucenb.* Com. *de Brienne*, defuncti A.C. 1557. Hoc, & Margaritâ de Sabaudia (fil. Renati de Sabaudia Com. *de Villars*) genitus est Franciscus Dux *Lucenburgicus* & Pinæus, qui obiit A.C. 1613. relicto, ex Diana Lotharingica (fil. Claudii Lotharing. Duc. Aumalæ) filio Henrico Duce *de Lucenburg* & *Piney*, ultimo masculorum domus suæ. Ille n. mortuus A.C. 1616. ex Magdalena Montmorencia (fil. Guilielmi *de Montmorency* Com. *de Thoré*) non nisi duas filias reliquit, Carolam Margaretam, uxorem Leonis Albretani primo; exin Henrici *de Clermont* Com. *de Tonnerre*, ac Lætitiam Henrico *de Levis* Dn. *de Ventadour* nuptam, Domus *Lucenburgicæ* hæredes. Martigni rami probatio hæc est: Guido *de Luxembourg* seu *Lucenburg*, Com. *de Ligny* Dn. *Beauv.* defunctus A.C. 1371. ex Mathilde (fil. Johannis Castellionæi Com. *de S. Paul* hæred.) genuit Joannem *de Luxenb.* Com. *de Ligny*, maritum Margaretæ Dn. *d'Enghien* Com. *de Brienne* & *Conversan*, atque ex ea patrem Johannis *de Luxenb.* Com. *de Ligny*, *Conversan*, & *S. Paul*: quo (obiit autem is A.C. 1433.) & Margaretâ *de Baux* seu *de Balzo* (fil. Francisci *de Baux* Duc. Andriæ) natus Theobaldus *de Luxenb.* Dn. *de Fiennes*, & *Armentieres*, ex Philippina *de Melun*, Dn. *de Sotteghem*, (fil. Johannis *de Melun* Vicecom. *de Gand*, Bar. *d'Antoing*) suscepit Franciscum I. *de Luxenb.* Vicecom. *de Martigues*, patrem ex Luisa Sabauda Marchion. *de Baugés* (fil. Jani de Sabaudia Com. Genevæ) extinctâ A.C. 1530. Francisci II. Vicec. Martigii, & Gabrielis Equit. Melitensis, quorum is uxore ductâ Carolâ Britannicâ Com. *de Penthievre*, Carolum genuit & Sebastianum Duc. Pentheuriæ, cujus, lineæ suæ ultimi, filia Maria al. Anna domui Lotharingicæ bona intulit. V. Phil. Jac. Spenerum *Theatr. Nobilit. Europ. Part. II. p.* 92. & *Part. III. p.* 24. Nec omittendum, de præfata Margareta Carola Duc. *de Luxembourg* & *Piney*, secundis nuptiis junctam Carolo Henrico Com. *de Clermont*, & *de Tallard*, atque inde Duci Lucenburg Pineji & Tingrii, matrem fuisse Magdalenæ Bonæ Theresiæ, cujus maritus Franciscus Henricus Montmorantius Com. *de Bouteville*, & ab ipsa Dux *Pineji* & *Lucenburgi*, exercitus Gallici in Belgio multis annis summus Dux fuit, *Marescalli Franciæ* dignitate haud pridem à Rege donatus. Idem *Part. III. pag* 81. V. quoque suprà, ubi de *Claromontanus*.

Lucerna, aliàs *Lychnus*, *Laterna*, *Lampas*, *Candela*, *Stilba* &c. Gr. Φῶς, λύχνος, λαμπτὴρ, λαμπὰς, λυχνοῦχος &c. quæ tamen accuratiùs pensiculata, non leve discrimen admittunt. Et quidem *Laterna* propriè vas est, intra quod lux veluti latet, clausa seu laminâ corneâ, seu tenui pelle, seu telâ lineâ, seu chartâ: *Lucerna* verò vas appellatur, in quo sine tegmine velamentove lux immediatè visitur effulgere, deque se lumen effundere proximus in circumfluum aërem. Utriusque genus λαμπτὴρ est, quam vocem modò de *Laterna*, modò de *Lucerna* usurpatam reperies. *Lampades* porrò & piceæ *Tedæ* Luciferorum sunt, seu Lampadophororum, de quibus suprà. *Obeliscolychnium*, militare instrumentum est, memoratum Theopompo Comico *in Pace*: Quæ ex cera, aut sevo, propriè *Candela* vocantur: *Stilba*, species Lucernæ est, quæ supra candelabrum poni solet, ut ex Phœnissis Aristophanis Jul. Pollux *lib.* 10. declarat: qualibus *ex orichalco Studiosos literarum uti solere*, ait Gyraldus *Syntagm.* 9. Ita Licetus. Casaubonus de ea re sic, *ad Suetonii Cæsarem cap.* 37. *Olim candelis sebaceis soli pauperes utebantur: reliqui facibus vel* lucernis: *has Græci* λύχνους *vocant:* λυχνοῦχος *autem instrumentum est, cui lucerna aptatur—pro quo milites Græci ferebant obeliscolychnium &c.* Et quidem usum *Lucernæ* primi omnium invenisse Ægyptii leguntur, Polyd. Virgilius *lib.* 2. *cap.* 19. *de Invent. rer.* ex Clemente Alexandrino *lib.* 1. *Strom.* & Eusebio Pamphilo *de Præpar. Evang. lib.* 10. *c.* 2. Quod indigitaturus Cæsar Adrianus in nummo suo aspidem (Ægypti symbolum, Pharus enim Alexandriæ earum admodum ferax est) posuit cum *Lucerna* in capite. Hinc apud unos Ægyptios *festum Lucernarum* institutum est, totâ regione celeberrimum, de quo Vid. Herod. *in Euterp. c.* 62. ubi tamen veram festi rationem missat, quæ fuit, quòd nocte illâ, *quâ Deus omne primogenitum in Ægypto percussit, Exod. c.* 12. *v.* 29. & *seqq.* cuncti Ægyptii *Lucernas* accen-

 derunt,

derunt, surgentes ad lugendum mortuos suos primogenitos & ad urgendos Hebræos, ut exirent: in cujus rei gratiam, ne pejorem plagam aliquando paterentur, festum id *Ascensionis Lucernarum* in tota Ægypto celebrandum statuerunt. Et antiquitus quidem, ipsi Principes *Lucernarum* elegantiam non dedignati, & Reges quoque in earum fabrica occupari gavisi sunt. Plutarchi enim relatu *in Demetrio*, Macedonum Rex Æropus, *ubi vacabat, subtiles mensulas &* Lucernulas, *fabricando tempus traducebat.* Sanè hæ, quæ manibus Regum fabricabantur, & artificio pulchræ, & perantiquæ, ut puta sebaceis ac cereis candelis, quarum auctor ignoratur, Polyd. Virgilio *de Inv. rer. lib. 3. cap. ult.* vetustiores, ac oleariæ; post has enim demum ex sevo & cera candelæ, quarum usus tamen etiam perantiquus est, confici cœpere. Materia argilla, vitrum, metalla omnis generis: Figura non minùs varia. Namq; illarum aliquæ visuntur sphæricæ, oblongæ aliquæ, quædam triangulares, nonnullæ quadrangulum referunt, & ad arbitrium Auctoris aliæ alias formas repræsentant. Præterea earum multæ unicum ellychnium habuerunt, aliæ duo, nonnullæ plura. Variæ quoque ab Artifice imagines iis insculptæ deprehenduntur: ut & nomina inscripta tum eorum, in quorum honorem ac usum factæ erant, tum Artificum, qui hoc modo Famæ suæ litare non omiserunt. Perpetuæ inprimis *Lucernæ*, quarum veritatem fuse probat Licetus, & de quibus aliquid infrà, celebres fuerunt. Has fortuito experimento, forte circa Æneæ ævum, inventas credunt Eruditi, an ab iisdem Ægyptiis, apud quos cùm Philosophia & omnis disciplina floruerit olim, probabilitatis est, parandæ illos *Lucernæ* perennis artem habuisse, communicasseque cum Principibus aliarum gentium. Constitit autem illa in cognitione materiæ, inflammabilis ab igne; quæ duplici substantiæ innitebatur, ellychnio sc. ac liquori, quorum alterum absque altero esse poterat, & proin duûm generum *Lucernæ* hæ fuere. Namque caphura, naphtha, olea lateritia & hujusmodi alia pleraque in oleorum ac bituminum censu, sola ignem absque ellychnii ullius ope rapiunt, raptumque pertinaciter retinent: Contra ex amianto, asbesto charystiove lapide, ex villis Salamandræ; ex alumine Scariolæ, ex Magnesia aliisque multis, parari olim potuit ellychnium diutissimè flammæ in *Lucerna* sustinendæ aptum, V. supra in voce *Linum.* Illas verò non uno in loco posuere antiqui: Nam quæ ardebant in Templis, intra muros ante Numinis imaginem occultæ, sub terra & ad aram & intra sepulchrum: Inprimis in his, juxta cinerum ollas ac defunctorum ossa, quod in Animæ immortalitatis signum, quam ignea repræsentari specie notum, factum esse videtur. Unde Foxius, *Ægyptii,* inquit, *vitam* Lucernâ *significantes, occasionem veteribus dedere, ponendi* Lucernas *perpetuas in sepulchris, ibi, cum cadaveribus, Animas immortales morari semper innuentes.* Addi potest, factum id in signum nobilitatis familiæ, in talium enim solùm tumulis *Lucernæ* ardentes vel etiam extinctæ comperiuntur. Sed de his plura V. apud Fortunium Licetum *Opere insigni de reconditis antiquorum Lucernis.* Ut de communium *Lucernarum* usu pauca addam, eæ domi forisque adhibebantur, ut videbimus infrà, ubi de *Lychnuchis* Veterum. Et pernoctes stud[illegible] Eruditorum inserviebant, unde horum Præses Minerva *Lucernarum modulatrix* Arnobio dicta *lib. 4.* *Numquid aliquando à nobis conscriptum est, Minervam luminis Ministram &* Lucernarum *Modulatricem*: alludentis ad Homeri figmentum, qui prælucentem inducit Ulyssi Minervam. Et Petronius, ubi cujusque De[illegible] Gentilibus cultu officium, ut perideat, proponit *in Epigrammate*, cujus fragmenta Gnomologus aliquis conservavit, *lucernas* Palladis proprias facit,

——— Natat obrutus omnis
Neptunus demersus aquâ; Pallasq; lucernas
Vindicat ———

Sed & *Lucerna Conjugalis*, quam pronuba, acceptâ unâ ex facibus illis quinque, Sponsæ præferri solitis, in thalamo accendebat, facibus illico extinctis, totam ardebat noctem, Jul. C. Scaliger *Poetic. l. 3. c. 101.* Imò soliti Veteres communiter pernoctibus lucernis uti, ut discimus ex Martiali *l. 14. Epigr. 39.* cujus lemma, *Lucerna Cubicularia.*

Dulcis conscia lectuli lucerna,
Quidquid vis facias licet, tacebo.

Unde testimonium à *lucerna*, contra Megapenthem, exigi videmus apud Lucianum [illegible]. Nec omittendum, *lucernas* à Græcis accepisse frugales Romanos, longe post candelarum usum, uti indigitat idem *Epigr. 43* cujus lemma, *Candelabrum Corinthium,*

Nomina candela nobis antiqua dederunt:
Non norat parcos uncta Lucerna *patres &c.*

De usu *Lucernarum* in Sacris V. Test. alibi, aliquid infrà in voce *Lychnuchus.* In *Ecclesia Rom.* *Lucernæ*, inter ministeria sacra, occurrunt in variis *Chartis*, apud Car. du Fresne, *in Glossar.* Hinc *Lucernales Psalmi*, in eadem Communione Rom. Vesperæ dicuntur, Macro: item *Hora Lucernaria*, Flodoardo *in Histor. Rem. lib. 4. cap. 43.* & *Lucernaria* simpliciter, in *Regulis* Monasticis; *Lucernarium* quoque, Balsamoni *in can. 91. Synodi VI.* λυχνικὸν Palladio *in Historia Lausiaca cap 38.* λυχναψία, *Lucernarum accensio*, in *Glossis* Gr. Lat. &c. Ita autem Officium hoc vespertinarum precum appellatur, quòd vespere occaso Sole, cùm *Lucernæ* accenduntur, peragi soleat. Hinc & Prudentius, cùm Hymnos pro singulis horis Canonicis composuisset, quintum Vesperarum *ad accensionem Lucernæ* nominavit. In Ritu Ambrosiano non ipsæ Vesperæ, sed Responsorium, quod canitur ad Vesperas, *Lucernarium* appellari, adnotat Dominicus Macer in hac voce, V. quoque illum in voce *Lucernarium.* In Ecclesia Græca septem ponit [illegible] *preces lucernarii*, Euchologium *p. 10. & seqq.* apud Suicerum *Thes. Eccles.* voce Λυχνικὸν qui & duplicis Ε[illegible], *Vespertini hymni, parvi* viz. qui ante occasum Solis, & *magni*, qui paulo post occasum, in eadem Ecclesia, & quidem extra Templum apud Armenos, peragi consueverit, meminit voce Ἑσπερινόν. Apud Geonicos *Lucerna trigona*, Diis Manibus; *tetragona*, 4. Elementorum Generi: *heptamyxa*, 7. Planetis; *duodecim lychnis instructa*, XII. Zodiaci signorum Generi; 365. lychnis ardentes, Soli &c. fuere olim ab horum cultoribus superstitiosis accensæ. Sic de Tarentinis Athenæus refert, eorum Curiam tot lychnis ardentibus, quot in anno dies sunt, instrui fuisse solitam, *lib. 15.* V. Athan Kircherum *in Oedipo.* In ejusdem Musæo asservatur *Lucerna Magica*, instrumentum sc. quo, ope unius aut plurium lentium crystallinarum superficies, quibuscunque tandem, diaphanis tamen coloribus, figuris aut imaginibus imbuuntur; quæ tubo Opticæ lentis prius probe instructo, lumine *Lucernæ* accensæ, intra obscuri cubiculi candidum parietem aut expansum linteum, ita ad vivum una cum coloribus projiciuntur, ut omnes spectatores in admirationem rapiantur. Cujus inventi gloriam Athan. Kirchero deberi, docet Georgius de Sepibus *in Collegii Rom. S. J. Musæo p. 40.* V. quoque Kircheri ipsius *Artem Magnam Lucis & Umbræ, edit. ult. fol. 768.* Item *Lucerna Mirifica*, instrumentum sc. quo lucis radius adeò [illegible], ut non in tenebris solùm, verùm etiam in meridiana luce, eousque lumen evibret, radios suos spargendo, ut præ splendoris exuberantia, vix liceat inoffenso oculo ejus fulgorem intueri. Quod artificium provenit ex segmento crystallini globi, cui retropositum lumen, & lucernarum more ex omni alia parte opacatum, tantum luminis fundit, ut Solem orientem credere possis, atque adeo ad 200. pedes in tenebris minuto quamvis charactere scripta legere. V. Georg. de Sepibus *in Collegii Rom. S. J. Musæo p. cit. &c.* Sed & *Lucerna* piscis nomen, inter volatiles pisces, à Plinio *lib. 9. cap. 29.* relati; Rondeletio eundem cum hirundine & Salviano, cum milvo, facientibus. Nempe oculos habet rubescentes; linguam item, palatum, aliaque interioris oris ita rubra, ut Sandaracham quoque vel cinnabarim vincant: quibus sic partibus lucet, quasi ore teneat prunas. Sed & oculi eo conferunt, quos itidem rubescentes habet. Quosdam sane pisces oculis noctu lucem jaculari, testis idem Plin. *lib. 11. cap. 37.* V. Vossium *de Idolol. lib. 4. cap. 48.* ubi de avibus noctu *lucentibus*, supra, aliquid voce *Behemoth.*

Lucernarum perennium, hactenus notarum series, ex Liceto.

Antiochiæ, quæ postmodum *Edessa* dicta est, imperante Justiniano, *Lucernam* repertam esse, quæ statim à Christo passo supra portam quandam abdita, 500. annorum decursu inextincta arserit, & è qua oleum in ignem proximum injectum Cosrois Persarum R. copias ad unum omnes consumserit, memorat ex Cedreno, Franc. Citesius Pictaviensis *in lib. cui tit. Abstinens Confolentanea*, apud Licetum *lib. 1. cap. 7.*

Atestæ, circa A. C. 1500. [illegible]perta est urna fictilis, & in ea altera urnula, in qua erat *Lucerna* adhuc ardens, inter duas ampullas, quarum una erat aurea, altera argentea, purissimo quodam liquore plenas. V. infrà in *Maximi Olybii Lucerna*, & Licetum *lib. 1. cap. 9.*

Bononiæ, non ita multis abhinc annis *Lucernas*, in antiquissimis sepulchris, ardentes repertas fuisse, idem testatur *ejusdem libri cap. 18.* ubi earum pulcherrimas aliquot imagines ex Musæo Ulyssis Aldrovandi se habere narrat.

Callimachus *Lucernam*, in honorem Minervæ, fabricasse, in quam oleum infusum non consumtum fuerit, nisi exacto demum anno, eo quòd illi funiculus ex lino Carpasii loco ellychnii esset, legitur apud Pausaniam *in Atticis.* V. Licetum *cap. 4.*

Caron [illegible] ætate Romæ, in sepulchro cujusdam hominis [illegible], candela ardens inventa est, quæ nec aqua nec vento potuit extingui: donec lychno perterebrato liquor egressus illam destituit, Alph. Tostatus ex Helinando Chronographo, & Joh. Ægidio Zamarensi, apud Licetum *l. 6. c. 46.*

Cassiodorus, paravisse se nocturnis vigiliis mechanicas *Lucernas*, conservatrices illuminantium flammarum, ipsas sibi nutrientes incendium; quæ humano ministerio cessante, prolixe custodierint uberrimi luminis abundantissimam claritatem; ubi olei pinguedo non defecerit, quamvis flammis ardentibus jugiter torreatur, refert *l. de Institutione divin. Scripturar. cap. 30.* apud Licetum *l. 6. cap. 49.*

Delphica *Lucerna* Plut. *in Numa* memorata, ignem similiter servavit perennem: qui si forte extinctus fuerit, ut templo à Medis incenso belloque Mithridatico atque Romanorum civili factum, non aliunde quàm ex pura Solis flamma de novo elici solitus est. Istiusmodi *Lucerna* & Athenis fuit, Aristonis tyrannide extinctâ: utrobique viduæ extra ætatem nuptiarum positæ ignem custodientes, non novum adjiciebant fomitem, sed ab externis solùm injuriis tuebantur, V. Licetum *l. 1. c. 3.*

De-

Demosthenis quoque fuit, qui *Lucernam* inextinguibilem erat adscriptam, eo quòd *ipse* apud Plut. tam nobilem ejus faciat mentionem. Verùm an illa apud Demosthenem jugi flamma arserit, incertum est. Idem *l.1.c.22.*

Edessæ *Lucerna* celebris, sub Justiniano reperta est, V. suprà in voce *Antiochia.*

Ferenti, (3. m. pass. à Viterbio) ubi Suetonius Othonis Imper. progenitores natos esse refert, repertæ sunt aliquot *Lucernæ* tempore Alexandri VI. Pontif. partim in capsulis sepultæ, partim in parietibus muro inclusæ, quæ in aëre aperto per aliquot horas ardentes perdurarunt, adeoque per multa centena & annorum millia jugiter lumen fundentes latuerunt, Hier. Ruscellius *l. de Illustr. Virorum Insignibus stemmatibusq;*, apud Licetum *l.1.c.8.*

Hectoris umbra, apud Virgilium *Æn.l.2.* in somnis Æneam alloquens, *æternum adytis efferre penetralibus ignem* dicitur; quam flammam laturus Æneas tot annis, per tot maria terrasque, suggerit talem fuisse, quæ nullo extrinsecus fomite affundendo indiguerit, Licetus *lib.1. cap.12.*

Jovis Ammonis 100 aras vigilemq; ignem *Excubias Divûm æternas*, memorat Virgilius: Sed inprimis mirabilis *Lucerna* meminit in ejus Fano, Plutarchus *de Def. Orac.* ex relatione Cleombroti Lacedæm. qui *de Lucerna hac perpetuò ardente*, narrabat, *ex Sacerdotum sermone percepisse: Quovis posteriore anno minus olei absumi, quàm præcedente.* Licetus *l.1. c.5.*

Luciæ Cæsæ *Lucerna* fictilis, in Gazophylacio Ulyssis Aldrovandi asservata, eidem catalogo inferitur, à Liceto *l.1.c.3.*

Merlinus, Magorum sapientissimus, nobile sibi monumentum, & in eo lampadem ad multas annorum centurias absque fomite novo jugiter ardentem condidisse, canitur à Lud. Areosto, de quo V. Licetum *l. præfato c. 27.*

de Minervæ *Lucerna* Athenis annum integrum ardente, V. paulo ante, ubi de *Callimacho*. In Minervæ Britannicæ æde perpetuos viguisse ignes, docet Jul. Solinus *capite 24.* quos *Lucernas* Lampadesve fuisse, ellychniis constantes, quorum materia concreverit in duriorem tophi substantiam, saxeos globulos & duritie & figurâ æmulantem, judicat Licetus *lib. 1. cap.17.*

in Munychia, parte Atheniensium urbis, ad Piræeum sita, in saxo vetusto Minervæ Poliadis templum surgere, in quo lucis inextinctæ lychnus fuerit, & Virginum domum à Justino conditam, ubi Palladium ex ebore, Phidiæ opus, refert Strabo *libro 9.* V. Licetum *libro 1. cap. 31.*

Mycerinum, Ægypti Regem, quem Hieron. Vecchiettus *lib. de Temporum arte*, Salomonis socerum fuisse contendit, filiæ obitum perpetuâ *Lucernâ*, bovi ligneo cadaver in se continenti adstante, illustravisse refert Herodotus *in Euterpe, cap. 129. & seqq.* apud Licetum *lib.1.cap.13.*

In Nesïde insul. in Neapolitano cratere sita, circa A.C. 1550. sepulchro marmoreo civis cujusdam Romani recluso, phialam intus repertam esse, in qua *Lucerna* adhuc ardebat, sed vase vitreo rupto extincta, refert Joh. Baptista Porta *lib. 12. cap. ult.* apud Licetum *lib. 1. cap. 10.*

Olybii seu Maximi Olybii *Lucerna*, juxta Ateste reperta, V. suprà *Ateste*, inprimis fuit celebris; Collocata fuit illa inter duas ampullas, quarum major hos versus inscriptos habebat; *Plutoni sacrum munus ne attingite fures, Ignotum est vobis hoc quod in orbe latet. Namq; elementa gravi clausit digesta labore Vase sub hoc modico Maximus Olybius. Adsit fœcundo custos sibi copia cornu, Ne tanti pretium depereat laticis.* In minori hæc erant: *Abite hinc pessimi fures; Vos quid vultis cum vestris oculis emissitiis? Abite hinc vestro cum Mercurio petasato caduceatoq;. Donum hoc maximum Maximus Olybius Plutoni sacrum fecit.* Licetus *lib.1. cap.12.*

Pallantis, omnium celeberrima, circa A.C. 1401. non longè ab urbe Roma in sepulcro, supra caput defuncti, cujus corpus procerum adeò, ut muros Urbis excederet, reperta nec flatu, nec aquâ extingui potuit: sed in fundo perforata, effluxo liquore admirabili, evanuit. Martinus *Chron. lib 12. cap.67.* Phil. Bergomensis *in Supplem. Chron.lib.33* Volaterranus *lib. 33.cap.de cœl. & terr progen. &c.* apud Licetum *lib.1. cap.12.*

Pioniæ, quæ modica Mysiæ urbs fuit, juxta Caicum fluv. quoties Pioni, uni ex Herculis posteris, qui oppidum condidit, incolæ sacrificarent, è sepulchro illius fumum exhalasse, testatur Pausanias *in Bœoticis.* Quod indicium fuisse *Lucernæ* subterraneæ, judicat Licetus *l. 1. cap.19.*

Pisis, aliquot annis ab incendio Templi, inter majoris aræ ruinas, inventam esse bitumine plenam & calentem adhuc *Lucernam*, refert Jac. Mancinus Politianus apud Licetum *l.1.c.15.*

in Prytaneo, Athenis ignem sempiternum asservatum fuisse, à viduis, docet Plutar. *in Numa*: ubi non obscurè innuit, eum in *Lucerna* exarsisse, quam ab externis injuriis, citra novi fomitis adjectionem, mulieres illæ custodierint. Licetus *lib. 1. cap. 18.*

In Pyrethiorum, quæ septa ingentia erant, meditullio, stetisse aram, ubi inextinctus servaretur ignis, testis est Cœl. Rhodiginus *libro 7. capite 29.* cui assentitur Strabo, ubi de Cappadocia agit, *libro 15.* eum à Magis custodiri docens. Hunc in materia diutissimè ardente conceptum fuisse, conjicit Licetus *lib.1. cap.20.*

Romæ, *Lucernam* è ruderibus quibusdam erutam, quam, qui effoderant, accensam invenerunt, intus habentem nonnihil bituminis cujusdam, se conspexisse, refert Jac. Mancinus Politianus, apud Licetum *lib.1. cap.15.*

Salerni, in æde Episcopali, visæ à Jac. Sirmondo *Lucernæ* ardentis, meminit Janus Gruterus *in Volum. Inscr. antiq. pag. 1148. num.17. lib. sæpius laudato cap. 21.*

in Tulliolæ, Ciceronis filiæ, monumento, Paulo III. Pontif. aperto, *Lucerna* ultra mille quingentos annos ardens, ab ingrediente novo aëre extincta est. Guido Pancirolus *Rer. Mem. Deperdit. libro*, Aliique apud Licetum *lib.1. cap.2.*

in Veneris fano alicubi candelabrum, & in eo *Lucernam* sub dio sic ardentem, ut eam nulla tempestas, nullus imber extingueret, fuisse, memorat Augustinus *de Civ. Dei lib. 21. cap.6.* conjicitque Asbesti lapidis virtute id factum esse, apud Licetum *lib.1. cap.6.*

Vestalium Virginum æternum ignem, non in rogo ligneo, sed in *Lucernis* lampadibusque perennibus exarsisse, contendit Licetus *lib. 1. cap. 30.* ex Plut. *in vita Numæ*, ubi eum cum igne sacro & Delphis & Athenis in *Lucerna* templi ardente confert, & Ovidio, qui ignem Vestalium Virginum *puram* vocat *flammam*.

Vives Joh. Lud. non solùm Parisiis permulta ellychnia ex lino vivo, quod ignibus non absumitur: sed & *Lucernam* vidisse è sepulchro quodam erutam, quæ per 1500. ardens annos, ut contrectari cœpta est, in minutissimam abierit pulverem, testatur *in Comment. ad Augustin. de Civ. Dei lib.21. cap. 6.* de qua V. Licetum *libro 1. cap. 14.*

Vulcano Romanos domum consecrasse, ædem constituisse, dicavisseque, & sub ea in loco subterraneo lampades *Lucernasq;* multas collocasse oleo *vivo* nuncupato repletas: quod alias *asbestinum* & *incombustibile* dictum, perennem flammam, in ejus seu signum seu honorem, accensam custodierit, testatur Plut. *Quæst. Rom.* cujus rei & Statius alicubi meminit, &c. V. Licetum *libro 1. cap. 26.* & plura de his, *toto ejus opere.*

Luci, an per ἀντίφρασιν, quod minimè *luceant*, cædere enim illos nefas: an potius, quia perpetuis sacrificiorum ignibus *collucerent*? dicti, antiquissimis temporibus philosophandi loca erant, unde Abrahamum, juxta Beersabæ fontes *plantasse sibi* Lucos *& amœna vireta*, legimus in Genesi, & magna ingenia ac sublimibus meditationibus intenta nemorum umbris fuisse delectata, testatur Horatius *lib.1. Carm. Od. 1.*

—— —— Me gelidum nemus
Nympharumq; leves cum Satyris chori
Secernunt populo.

Idem *lib.2. Epist.2.*

Scriptorum chorus omnis amat nemus & fugit urbes.

Unde voces *Lyceum* & *Lucum* ejusdem originis esse, statuit Hornius, &c. Postea Idololatriæ sedes esse cœperunt. Ita enim de sylvis istiusmodi incædius Plinius, *Hæc fuere Numinum templa: Lucos, & in iis silentia ipsa adoramus.* Quorum origo hæc fertur: Cùm excelsa inprimis loca, montes ac clivi, Idololatris aptissima viderentur ad sacra sua peragenda, illa arboribus, ornatûs gratiâ, conserere cœperunt, unde *Lucorum* ac Sylvarum consecratio orta, à quibus epitheta Dii traxere. Hinc Dianæ *Albunea*, *Arduenna*, *Nemorensis*, crebra apud Auctores mentio, à *Lucis* diversis, ubi illi sacra sunt facta. Imò *Luci* nomine Idolum ipsum venire, legimus 2. Reg. *cap. 23. versu 6* ubi de Josia Rege: *Exportavit etiam* Lucum *è domo Jehovæ, quem combusserat, comminuit in pulverem.* Quod ideo factum videtur Godwyno *de Ritibus Hebr. libro 2. capite 4.* quòd in Idolo *Luci* figura sculpta fuerat: quemadmodum argentea simulachra templi Dianæ Ephesinæ, *Templa Dianæ* appellantur, Actorum *capite 19. versu 24.* Nec solum extra urbes, sed & in iis *Lucos* extitisse, docet Turnebus *ad librum 2. de Legg.* Primitus autem illi Soli consecrati sunt, qui eo ipso Λύκος dictus est, quod Græci à Λύκη, i. *Lux*, derivant, Georg. Hornius *Histor. Philos. libro 7. capite 3.* Transiit Idololatricus hic mos à Gentilibus ad Israelitas, inter quos Idolorum cultus serpere cœpit, tempore Othonielis ac Ehudis Judicum, Judic. *libro 3. capite 7. Obliti Jehovæ Dei sui coluerunt Bahalimos & (Idola) lucorum*; sequentibusque temporibus tantopere invaluit, ut peculiare ipsis esset Collegium Sacerdotum, qui *Prophetæ luci*, 1. Reg. *capite 18. versu 19*: & peculiaria Idola, quæ *Sculptilia lucorum* dicta sunt 2. Reg. *capite 21. versu 7.* & 2. Chron *capite 15. versu 16.* Quos an non ex Christianis illi imitari videntur, qui Templa locaque sacra Sanctorum Sanctarumque nominibus insignire amant? V. Thom. Godwynum *de Ritibus Hebr. libro capiteq; suprà citatis.* Græcis *Lucus* ἄλσος dictus est: ita enim Anton. Thysius JC. *in A. Gellium libro 1. capite 2.* Lucus, inquit, *propriè sylva erat, quòd luminibus religionis causâ luceret*, Isidor. *libro 14 sicut Græcorum* ἄλσος, *quòd aquis irriguum erat, uti Homeri interpres testatur*, V. quoque infrà in voce *Lucus.*

Lucianea, vocatur S. Scripturæ translatio, à Luciano, quem pro

Martyre Ariani habebant, composita, quâ omnes Orientales usos esse, ita ut Græcis tanquam vulgatior haberetur, præcipuè in regionibus a Byzantio Antiochiam usque, docet Hieronymus *Epist. 107. ad Chromatium.* Ejusdem discipuli se mutuò vocabant Συλλουκιανιστάς, *Collucianistas*, uti de Ario, Eusebium compellante legimus apud Philostorgium *Histor. Eccles. libro* 2. *sm.* 3. & ab eodem auctore *sm.* 16 in tres ordines dividuntur, eorum, qui illibatam servarint pietatem; eorum, qui ad Synodum quidem Nicænam abrepti, reversi verò sint ad frugem; & eorum, qui novarum opinionum fuerint auctores. Et quidem ex iis Marinum & Theognin docuisse, *Deum, antequàm filium generaret, Patrem fuisse*, addit ibid. V. Cl. Suicerum *Thes. Eccles.* voce Ἀριομανῖται, item *Auxentianisti*, & suprà ubi de *Christomachus*, nec non ubi de *Luciano Presb.*

Lucifer, stella, adde: Hinc Dux & Imperator astrorum Poëtis. Unde Ovidius *Metamorph. l.* 2.

> —— *Diffugiunt stellæ, quarum agmina cogit*
> Lucifer. *& cæli statione novissimus exit.*

Quæ notissima. Illud non protritum, huic astro incubuisse ab iisdem, curam Solaris cursus equorumque, Horis ab aliis datam. Nonnus *initio l.* 12. *Dionys.*

> —— πυρσαγγέλλων δ' ἐλατὴρ
> Φωσφόρος αἰγλήεις πτερόεις ἴχνος ἰγγύθι δίφρου
> Θῆκε τὰ ἱερὰ ...
> ...
> ...

Idem autem cum Hespero seu Vespero id astrum esse, primus traditur observasse Pythagoras. De qua re pulchrè Lutatius *ad Statium Theb. lib.* 6. *vers.* 219. *Lucifer & manè oritur & vespere, sed equo mutato: quam rem sciunt sidera, quòd unum astrum sit —— Poetæ autem quadrigas dant Soli, bigas Lunæ, equos singulos sideribus.* Et quidem de equo *Luciferi* V. Hier. Aleandrum *Commentar. ad Tabulam Solis pag.* 82. & 89 nec non Janum Dulam fil. *ad Tibullum cap.* 3. Moneo hic tantem, equum illum *Cyllarum* nominatis, alios *Æthonem* dici. Ita enim vetus Schol. *ad Statium d. l. vers.* 241. *Veneris stella peculiaris est* Lucifer, *qui dum manè oritur, sic appellatur & est Phosphorus & Hesperus, denominatus sic à Rege Hesperia, i. Hispaniæ, qui erat Magus & Astrologus — Idem dicitur Adonis fuisse in cujus memoriam ascribitur Veneri. Eundem & Castorem dicebant, & equum illi ascribebant Cyllarum, quem alii Æthonem appellaverant.* Ubi quod de *Castore* habet, confirmatur ex Fulgentio, quem *Castorum fratres* (hoc est, Castorem & Pollucem, qui fraternæ charitatis hoc munus à fabulatoribus habent, ne ambo simul vel apud Superos, vel apud Inferos sint) pro *Lucifero* & *Noctifero* liceat, docet *ad Claudian. IV. Consul. Honoris* Casp. Barthius. Uti verò Castor hîc contra vulgatas fabulas *Lucifer*, sic Mercurius apud Nonnum *l.* 5 quem hoc nomine incessit Petrus Cunæus, *non satis Poëticè, cur enim tanto fabulatori non & tale quid liceat?* uti ait Barthius idem *Animadversion. ad Papin. Statium l.* 4. *Sylv.* 6 *v.* 15. &c. Plura hanc in rem, imprimis de astri hujus cultu, V. hîc passim, ubi de *Dea*, *Hespero*, alibi.

Lucifugæ Scripturarum, memorati Tertulliano *l. de Resurr. Carnis. Age jam quod ad Thessalonicenses & ipsius Solis radio scriptum ita claret, qualiter accipient* Lucifugæ *isti* Scripturarum: sunt, qui, Scripturam Sacram obscuritatis accusantes, ad Traditiones non scriptas confugiebant, contra quos V. insignem locum Hieronymi *Tom. VIII. in Psalm* 86.

Lucilius, Italus, adde: V. de eo Grammondum *Histor. Gall. lib.* 3. & infra aliquid voce *Palea*.

Lucilla, mater Marci Antonini Imp. cujus meminit Jul. Capitolinus in *Vita* hujus.

Lucina, adde: Hanc familiaris viguit advocandi mos, parturientium Deam, quæ *Ilithya* Græcis & *Zygia*, Latinis quoque *Opigena* dicta est. Huic vota ipsæ nuncupabant puerperæ, quem morem eleganter exprimit Propertius *l.* 2. *Eleg.* 2.

> *Idem ego cùm Cinara traheret* Lucina *dolores,*
> *Et facerent uteri pondera lenta moram.*
> *Junoni votum facile impenetrabile, dixi,*
> *Illa parit.*

& est ejus memoria in Inscriptionibus quoque servata. Sic apud Gruterum *p.* 41. *Dianæ. Lucinæ. invictæ. Cn. Pompejus. Cn. Lib. Barbus Procurat. Tibicin. Rom. voto. suscepto. L. M.* Eidem hastas consecrabant publico vaccas nomine immolaturæ; Unde sæpissimè in nummis statua ejus hastæ subnixa cernitur, ipsaque *Juno Quiris* passim appellatur: & ne quid deesset, nummis cusis monumenta ei erigebant. Cultus ad Romanos transiit à Græcis, quibus Diana *Lucina* & *Lucifera* erat, teste Cic. *de Nat. Deor. l.* 2. ἡ Δίκτυννα & Λοχεία Orpheo *in Hymno*, & in Inscr. Gruteriana *pag.* 1011. *Dianæ. Loch. S P. C D S Gynæcia. P. F. Rufa. Pomponia*, quæ eadem cum Luna Levana לבנה ex Hebræorum origine, cuncta ad partum, tanquam noctis Præses & fœmineum sidus conferens. V. Thom. Bartholinum *lib. de Puerperio Veterum.* Coronamentum hujus Dæmonis quod attinet, dictamno, herbâ odoratâ, πρὸς τὰς τόκους τῶν γυναικῶν *ad partum facilitatem*, prodesse creditâ Antiquitas eam coronavit, uti discimus ex Euphorione, cùm de Lucina canit,

> Στεψαμένη θαλεροῖς ...

V. Car. Paschalium *Coronarum lib.* 4. *cap.* 2. Simulachrum ejus ex marmore, asservari in Musæo Kircheriano, refert in *Descript.* ejus Georg. de Sepibus *pag.* 8.

Lucio, vulgo *Luçon*, vetus Galliæ cœnobium, in Pictavis: ubi & Malliacum Insula. Utriusque meminit Notitia Episcopatuum Galliæ, scripta paulo post annum C. 1321. quæ in provincia Aquitania secunda sive Burdigalensi quarta novos Episcopatus ponit Sarlatensem, Malleacensem, *Lucionensem* & in Vasconia Condomiensem. Hadr. Valesius, in voce *Malliacum*, V. quoque *Luciona*.

Lucius, piscis fluviatilis nomen, de quo Ausonius *in Mosella*:

> *Lucius obscuras ulva cœnoque lacunas*
> *Obsidet. Hic nullos, mensarum lectus in usus*
> *Fervet fumosis olido nidore popinis.*

Hodieque nobilioapud Italos loco, teste Paulo Jovio *de Piscibus Rom. c.* 37. at Belgis Germanisque in pretio, apud quos melioris saporis est, quod & aliis piscibus contingit, ut pro locis varient. Abunde nutrit, & tostus illius concoquitur, ut qui carne non sit tenerâ ac friabili. Cæterùm multi ævi. Narrat enim Conradus Celtes, primus Germaniæ Poëta Laur. Maximiliano Cæsari, in stagno circa *Hailprun*, captum esse *lucium* piscem, cum annulo ex ære Cyprio in branchiis sub cute, parte sub splendente, A. C. 1497. inscriptum a fusile annolo: Εἰμὶ ἐκεῖνος ἰχθὺς πάντων λίμνη ἐπικείμενος ... *Sum piscis ille primus omnium huic stagno impositus manibus Imperatoris Frederici II. die V. Octobris*, CIↃ CC. XXX apud Vossium *de Idol. l.* 4. *c.* 5. V. quoque *c.* 8. ubi *de gulositate, cap.* 16. ubi *de ejus cum tinca amicitia*, alibique.

Viri Principes clariq.

Lucius Aurelius Verus Commodus, Frater Antonini Philosophi, post excessum Pii, ab hoc sic appellatus, & in consortium Imperii receptus est: *tunc primùm Romanum Imperium duos Augustos habere cœpit*, Capitolinus *in Marco.* Primo namque *Lucius Commodus* dictus, dein *Veri* nomen, quum adoptaretur à Marco & particeps Imperii fieret, demum accepit. V. Salmasium *Not. ad Capitolinum in Marco*, ut & *in Vero*, ubi inter alia ista legas: *L. Cejonius Ælius Commodus Verus Antoninus, qui ex Adriani voluntate Ælius appellatus est, ex Antonini conjunctione Verus & Antoninus.*

Lucius Egnatius Victor Lollianus, Orator Atheniensis, cujus memoriam servat hæc *Inscr.* quæ hodieque in porticu Ædis Minervæ (quæ Athenis in Acropoli sita in Mesquitam Turcicam jam versa est) conspicitur, in marmorea columna:

> ΑΓΑΘΗΙ ΤΥΧΗΙ
> Η ΕΞ ΑΡΕΙΟΠΑΓΟΥ ΒΟΥΛΗ
> Λ ΕΓΝΑΤ. ΟΥΙΚΤΟΡΑ ΛΟΛΛΙΑ
> ΝΟΝ ΑΝΤΙ ΤΗΣ ΠΡΟΣ ΕΑΥ
> ΤΟΥΣ ΕΥΝΟΙΑΣ ΤΗΣΔΕ ΚΗ
> ΔΕΜΟΝΙΑΣ ΤΩΝ ΑΘΗΝΩΝ
> ΤΟΝ ῬΗΤΟΡΑ.

apud Jac. Sponium *Itinerar. Part.* 3. *pag* 17.

Lucius Priscus, cùm Macedonas Præsidatu regeret, Imperator appellatus est, sub Decio, Aur. Victor.

Lucretius Carus, adde: Empedoclem autem inprimis sectatus est, qui Græcis versibus de rerum natura scripsit, quem proin hisce versibus laudat,

> *Carmina quinetiam divini pectoris ejus*
> *Vociferantur & exponunt præclara reperta,*
> *Ut vix humanâ videatur stirpe creatus.*

De quo cùm Aristoteles dicat, ὅτι οὐδὲν κοινόν ἐστιν Ὁμήρῳ καὶ Ἐμπεδοκλεῖ πλὴν τὸ μέτρον ... eum item sublimibus & ingeniosis carminibus *Lucretius* expressit, & præter Homerum Græcosque alios, Ennium quoque imitatus est, utrumque a item postea Virgilius. V. Anton. Thylium *Notis in A. Gellium lib.* 1. *cap.* 21.

Lucretius Carus, Poëta, adde: Non fuisse è philtro hunc *Lucretio* furorem, sed eum intelligendum, quem *arduum furorem* vocat Papinius *l.* 2. *Sylv.* 7. *v.* 76.

> *Cedet Musa rudis ferocis Enni,*
> *Et docti furor arduus Lucreti* &c.

quemque indigitat ipse, cùm *thyrso magna spei percussum* res arduas & difficilimas, suavi lepore sermonis conditas, proponere canit *l.* 1. h. e. afflatû divinum, quo Poëtæ agi consuevere, multis docet Casp. Barth. *Animadv. ad Stat. d. l.* ubi multa *de Lucretio* præclara.

Lucretius Pagus, memoratus in marmore vet. in loco *Gargario*, Gall. *Garguiez*, in Provincia, reperto, cujus *Inscr.* sub Antonino Pio Imp. facta, sic incipit:

> PAGANI PAGI LUCRETI QUI SUNT
> FINIBUS ARELATENSIUM LOCO GARGARIO &c.

integram habes suprà, in voce *ad Balnea*: Jac. Sponio, est tota illa planities, quæ ab opp. Aubanea, usque ad pedem montis S. Balmæ (ubi vicus *de Gemenos*, in cujus templum. B. Virgini consecratum, lapis is translatus est) sese extendit, V. eum *Itin. Parte* 3. *p.* 32 & *seqq.* & suprà ubi de *Aubanea*, seu *ad Balnea*, item de *Gargario loco*.

Lucrinus, Mercurii nomine Veteribus in veneratione fuit, quem propterea Κερδῷον θεὸν vocat Lycophron *Cassandra*,

> —— ὃ τὸν ...
> ...
> —— *cui in obscuro cavo*
> *Delphorum operta adantra Lucrius Dei* ...

vertit Jos. Scaliger. Eidem statuæ cum crumena erigebantur. Codinus, τῷ κέρδους αὐτὸν λέγουσι καὶ ἐμπόρων τὸν Ἑρμῆν· ὅθεν τὸ ἄγαλμα αὐτοῦ ἰσὸν βαστάζειν μάρσιππον. Et Suidas, Κερδῷος Θεὸς ὁ Ἑρμῆς ὡς κέρδους ποιητικός—διὸ καὶ μάρσιππον αὐτὸν ποιοῦσι βαστάζειν. *Lucrinus Deus, Mercurius utpote lucri conciliator—Quam ob causam crumenam gestantem illum fingunt.* Convenientique epitheto *Dravitem* [illegible] dixit Ausonius *Epist. ad Paullinum.*

Jam nunc per auras Perseus talaribus,
Petasoq; ditis Arcades vectus, vola &c.

V. Jo. Meursium *Commentar. ad Lycophronem l. cit.* & infrà, ubi de *Mercurio.*

Lucta, an à *luendo*, i. solvendo; quòd uterque luctantium ab altero se solvere niteretur, an à *luxando*, quòd alter alterius membra *luxare* conaretur, dicta est. Hi enim omni modo corpore confertto brachiisque implicitis nitebantur se invicem humi prosternere, ut mox videbimus. Hoc ἀρχαιότατον τῶν ἀθλημάτων, ut ait Aristoteles, *antiquissimum & vaferrimum* ex omnibus certaminibus: utpote in quo luctator sese ad omnes motus, qui in bello necessarii erant, exercebat. Neque enim incautè se præbebat colluctatori suo, sed cautè & scienter declinabat declinanda, donec victoriæ locum reperiret. Itaque in hoc certamine, id præcipuè agebatur, ut, priusquam Athletæ implicarentur, de loco & statione contenderent. Mox ita pugnabant, ut aliquantùm respirarent: quo pacto πάλιν ἐπανῄεσαν τοῖς αὐτοῖς ἀγωνίσμασι, *rursus inibant eadem certamina*. Philo *mg. μιδ*. Luctabantur autem olim nudi, pudendis περιζώμασι aliquo velatis, donec Orsippo quodam, dum inter luctandum velo soluto is impeditus victoriam è manibus amitteret, superato, ut habet Eust. *Commentar. in Hom.* nudi in posterum penitus committi cœperunt. Inungebanturque oleo, seu unguento, quod *ceroma* appellabatur, & ex oleo, pulvere ac cerâ mixtum erat, tum pulverem inspergebant, qui ex variis regionibus afferri solebat, in primis verò Ægypto ac Puteolis. Et quidem de Ægypto Suetonius in *Nerone cap.45. Nam & fortè accidit, ut in publica fame Alexandrina navis nuntiaretur pulverem* Luctatoribus *aulicis attulisse.* V. & Photium *lib.35 cap.13.* Hinc locus *Conisterion* appellatus legitur, apud Vitruvium *lib.5.cap.11.* quòd ibi pulvere & oleo luctatori aspergerentur, ut prehensiones firmiores, neque lubricæ essent. Martialis Græco vocabulo hanc inspersionem *aphe* appellavit, *lib. 7. Epigr. 66.*

Et flavescit haphe, gravesq; draucis
Halteras facili rotat lacerto.

Id est, in palæstra flavescit aspergine arenæ. *Tactum arena* vocavit Ovidius *Metamorph. lib.9.*

Inq; vicem fulva tactu flavescit arena, &c.

Vide Anton. Thysium JC. *Notis in A. Gellii Noctes Att. cap. 15. lib.3.* Inspergebant verò se pulvere mutuò *Luctatores*. Statius,

Tum madidos artus alterno pulvere siccant,
Collaq; demersere humeris, & brachia latè
Vara tenent ——

Thebaid. lib.6. vers.846. & seqq. V. quoque luctam Herculis & Acheloi, apud Ovidium ubi suprà. Porrò in vera Lucta, vitalia contorquere & ilia firmo nexu implicare erat permissum, quod Græcis τὰ μέσα λαβεῖν dictum. Dico, *in vera Lucta*: Namque in *militari* luctandi ratione, quæ ludicri tantùm & exercitationis causa instituebatur, non tam severis legibus agebatur. Nam nec nudi *luctabantur*, ut luctantium in Græcia mos erat; & pro vitalibus baltheum sibi invicem contorquere solebant. Unde Claudius, qui postea Imperator, in istiusmodi exercitationis genere, cùm robur suum experiretur, *iratus militi, qui non baltheum, sed vitalia sibi contorserat, omnes dentes uno pugno excussisse legitur*, apud Treb. Pollionem in *Vita eius*. Omnis a. *Luctæ* ratio in subvertendo adversario consistebat, quod καταβάλλειν Græcis: unde responsum Leonis, de antagonista, à quo Olympiæ victus fuerat, ὑμεῖς κρείττων, ἀλλὰ κατα[illegible]. Inter stantes igitur ac rectos hoc certamen agebatur; nec enim nisi stantem dejicere ac solo illidere licebat, quod ῥῖψαι propriè vocabant. At humi nexus implicabant & explicabant Pancratiastæ. Sed nec semel dejecisse in ὀρθοπάλῃ seu *Lucta* sufficiebat, non nisi enim *ter* dejectus ab adversario, victus habebatur. Seneca *de Beneficiis lib.5. cap.3. Cursor metam prior contingit: velocitate alium, non animo, antecessit. Luctator ter abjectus perdidit palmam, non tradidit.* Hinc in Epigrammate vet. Milo, qui cùm in certamen luctæ descendisset, nec antagonistam reperisset & vocaretur ad palmam, forte lapsus est: multis non coronandum esse clamantibus, quòd cecidisset,

Ἀντὰς δ' ἐν μέσσοισιν ἀνέκραγεν, οὐχὶ τρὶς ἐστίν,
Ἓν κεῖμαι. λοιπὸν τἄλλα μέ τις βαλέτω.
Surgens in medio exclamavit non tres sunt,
Semel jaceo, cæterùm ulterius me aliquis dejiciat.

Quasi diceret, *semel cecidi, non ter*, οὐχὶ τρὶς ἐστίν, subint. πτώματα, lapsus &c. Salmasius *ad Solinum p.289. & seqq.* Donabatur tandem Athleta victor, & quidem, uti in Pugilatu, cui multum cum *Lucta* affinitatis erat, præmiis majoribus, uti docet Hercules apud Euripidem *Alcest. Act.5.* ubi leviorum certaminum præmia equos facit,

—— τοῖσι δ' αὖ τὰ μείζονα
Νικῶσι πυγμὴν καὶ πάλην βουφόρβια·
Γυνὴ δ' ἐπ' αὐτοῖς εἵπετ' ——

—— *At qui graviorum certaminum*
Victores erant, pugilatu nempe & luctâ, boves;
Mulier autem una sequebatur ——

Ipse Hercules, ob victoriam in *Lucta* contra Antæum partam, à Mercurio in hoc misso coronatus est: cùm Disci & Jaculi certaminibus, non tam coronæ propositæ essent, quam alia quædam præmia, ἀκόντια, ἐπίχειρα, χάρμα, ἔπαθλα &c. dicta. Car. Paschalius *Coronarum lib.6. cap.24.* Sed quòd Græci Romanique nudas fœminas nudosque adolescentes, in suis Gymnasiis, *luctatrices* producerent, meritò reprehendit Q. Ennius, ut retulit Cicero *Tuscul. Quæstion. lib. 4. Namq; flagitii principium est, nudare inter cives corpora.* V. Thom. Dempsterum *Paralipomenis in Joh. Rosini Antiqq. Rom. lib. 2. cap. 20.* Ex *Lucta* & *Pugilatu*, Pancratium constabat, de quo suo loco dicemus &c. V. plura hanc in rem, præter Auctores jam citatos, apud Fabrum *Agonistic* Hier. Mercurialem *de Arte Gymnastic.* Alios, nec non hic passim, inprimis ubi de *Gymnasiis Vett.* uti & *Ludis Sacris.*

Luctatii Ludi, quos Salinator Senensi prælio voverat, editos C. Cornelio, Q. Minutio COSS. memorantur Ciceroni in *Bruto*; V. Car. Paschalium ubi suprà *lib. 6. cap.30.*

Luctus, pro Numine. Papinius Statius *Theb. l.2. v.287.*

—— *Sed* Luctus *& Ira,*
Et Dolor & totâ pressit Discordia dextrâ.

Sic autem hoc Idolum, luctui hominum præsidens, fingebant; ut staret, & quidem scisso amictu. Idem *l.3. Epigr.125.*

—— *stat sanguinea discissus amictu*
Luctus ——

Et Claudianus *Ruffin. lib.1.*

—— *Leverq; secundis*
Anxius, & scisso mærens velamine Luctus.

Imò & ipse laceratus, ut ex iisdem Statii verbis discas,

—— *cæsoq; invitat pectore matres.*

De scissis enim vestibus omnium ferè gentium in *luctu* stultò more res notissima, V. *ad h. l. Claudiani Animadversiones* Barthii: sed &, lacerasse se dementissimos homines, velut sanguine suo dolori mederi vellent, non ignotum. Sedes illi tributa in Orci faucibus. Virgilius,

Vestibulum ante ipsum, primisq; in faucibus Orci
Luctus, *& ultrices posuere cubilia Curæ.*

Nempe à cœlo exulare Luctum, etiam Gentiles agnovere, quod longe certius nobis firmat S. Scriptura Apocalyps. *cap. 21. vers. 4. Καὶ ὁ θάνατος οὐκ ἔσται ἔτι, οὔτε πένθος, οὔτε κραυγή. Et mors non amplius* (in Nova Hierosolyma) *nec Luctus, nec clamor* &c. V. plura hanc in rem apud Barthium *ad Statium d. l.* item *Commentar. Superstitionum*, nec non hic infrà, ubi de Vett. *Lugendi ritu.*

Lucubratio, apud Plinium *Prolego Operis*, ubi, postquam Inscriptionum apud Græcos miram felicitatem ostendit, pergit, *Nostri crassiores, Antiquitatum, Exemplorum, Artiumq;. Facetissimi Lucubrationum à lucubro, qui ut facula cerata, & vocatur Fanos vel Phanos. Asserit Varro &c.* Græce παννυχίς & παννυχὶς titulus libri, qualem Atta conscripsit, Nonio in *Lucubrationis* citatus. Dicere nempe vult Plinius, Qui ex nostris crassiore Minervâ egerunt, libros suos inscripsere, *Antiquitatum Exemplorum, Artiumi*: qui tituli alienum aut affectatum nihil præ ferunt, sed simpliciter in quod res est indicant. At facetissimi ex his videri volentes, non lepidiores titulos captarunt, quàm ut *Lucubrationes* nuncupatent scriptiones suas. Et sane Romani, etiam puro seculo, hominum eruditorum vigilias ac labores semper vocarunt isto nomine, & *elucubrata opera* dixerunt Studiosorum, quæ nocturnis meditationibus forent elaborata. Exponit deinde vocem, quia obscurior esset, à *lucubro* illam arcessens. Dictum autem vett. Romanis *lucubrum* vel *lucuber*, quòd φανὸς seu πανὸς Græcis antiquis, lampadem eo nomine, vel facem, vocantibus. Sequuta ætas laternam seu λυχνοῦχον sic appellavit. Isidorus, *Lucubrum vocatum, quòd luceat in umbra. Est enim modicus ignis, qui solet ex tenui stuppa ceraq; formari.* Unde & *ceratam faculam* vocat Plinius, quam Græcum Epigramma κηρόχυτον λύχνον dicit. Ubi tamen sunt qui legant, *qui ut baculus erat*, ut illam faculam instar baculi habuisse dixerit. Certè Cicero alicubi, *Hanc*, inquit, *scripsi ad lychnuchum ligneolum.* Sed illud verius. Quia itaque ad *lucubrum* vigilabant Studiosi, ex eo *lucubrationes* dictæ sunt nocturnæ eorum meditationes, scriptionesque & exercitationes. Glossæ, *lucubro*, νυκτεγερθῶ, ἀγρυπνῶ, παννυχίζω, & proin vox hæc Antiquis, in Inscriptionibus, placuit, Salmasius *Prolegomenis ad Solinum.* Locus verò, ubi *lucubrare* & meditari solebant Veteres, *Lecticula* fuit, *lucubratoria* hinc nominata, de qua diximus suprà.

Luculensis Moneta, apud Albertum Aquensem *lib.3. cap.52.* eadem *Lucensis* dicitur *lib.4. cap.34. & lib.8. cap.21.* à *Luca*, urbe Italiæ notissima. C. du Fresne *Glossar.*

Lucullea, Festum à Græcis institutum, in honorem *Luculli*; quo de festo Plut. *in hujus vita* & Appianus *in bello Mithrid.* Græci enim, Asiam habitantes peninsulam, illis Romanorum festos dedicarunt dies, qui justè sancteque provinciam administrassent. Ut, præter Lucullum, Mutio Scævolæ, festum *Mutiad* dictum, de quo Cicero *in Verrem lib. 2.* Ejusdem *Luculli* suburbanum *Frascati* hodie dicitur, atque in urbeculam excrevit, Hortis Palatiisque exquisitissimi operis celeberrimam, inter quæ Borghesianum

 ambu-

ambulacris lauriferis, bustis statuisque antiquis: Aldobrandinum verò fa ientibus ingeniosissime fabricatis, insignia eminent. Jac. Sponius *Itinerar. Part. 1. pag. 56.* ubi *Tusculi* rudera 2. mill. inde abesse, addit. V. quoque in voce *Frascata.*

Lucumo Samius, apud Ausonium,

Scillite decies non si purgeris aceto,
Anticyrasq; tuo Samiii Lucumonis acumen:

Pythagoras est, quem τὸν Σάμιον absolute vocant Scriptores & Σάμιον σοφὸν, Salmasius *ad Vopiscum in Aurel.*

Lucuns & *Lucunter*, vox vetus pro dulcio vel placenta, ex Græco γλυκούντιξ, ut *lana*, ex χλαῖνα. Festus, *Lucunter, genus operis pistoris:* V. Salmasium *ad Lampridium in Heliogabalo*, & suprà, ubi de *Dulcio.* Hinc *lucunculi*, apud Papinium Statium *lib. 1. Sylv. 6. vers. 17.* ubi de donis Saturnalitiis,

Molles Caseoli, lucunculiq;:

ad quem locum V. Hadr. Turnebum *lib. 18. cap. 20.* Petrum Colvium *ad Appulejum lib. 10.* Casp. Barthium *Animadversion. Papinianis* &c.

Lucus, impropriè de fruticetis & arbustis, ut apud Solinum *cap. 35.* ubi *balsami lucos* memorat, *quod idem est ac si quis vineta lucos appellaret*, Salmas. *ad l.* Propriè nempe Luci ingentium tantum arborum, & fere alicui Numini sacri ac incædui. Hinc notant Grammatici, ubicunque Virgilius lucum ponit, sequi etiam consecrationem. Ut,

—— *Luco tum fortè parentis*,

Alibique. Et *Lucos* hinc dictos quidam teste Servio asserunt, quod ibi lumina accenderentur religionis causâ. Aliàs, utpote incædui, tenebrosi erant, umbrisque suis prorsus Solem excludebant, dignæ proin sedes egregiorum illorum Divorum sc. Spirituum, in horridis locis habitare amantium, ut vel ex Evangelica Historia patet. Fuit autem hæc superstitio antiquissima, quippe ante Templa condita in præcipuo usu. Et quidem, *ritus is erat Idololatrarum. Arbores scilicet juxta altaria sua plantare, ut ibi conveniret populus*, Moses Mikotzi *Præc. Negat. 44.* Unde interdictum divinum Deut. *cap. 16. vers. 21.* *Non plantabis tibi lucum, ex ulla arbore, juxta Altare Domini Dei tui, quod facies tibi*, de quo V. Jo. Seldenum *de Jure Nat. & Gent. juxta Discipl. Ebraor. lib. 2. cap. 6.* Atque ut veneratiores essent, coronabantur arborum ramis & floribus. Ovidius *Metamorph. l. 8.*

—— *Equidem pendentia vidi*
Serta super ramos ——

Iisdem appendebantur donaria, tantâ copiâ, ut vel sola illa Solaribus radiis facile obstarent. Statius *Theb. l. 9. v. 591.*

—— *hic arcus & fessa reponere tela,*
Armaq; curva suum, & vacuorum terga leonum
Figere, & ingentes aquantia cornua sylvas.
Vix radiis locus ——

Sic ibi sacra sua peragebant, eoque commeabant festis diebus & perpotabant, ac choreis defungebantur. Quam rem venustissimè indicat Tibullus, *lib. 1. Eleg. ult.* quæ sic habet,

Rusticus è luco revehit, malè sobrius ipse,
Uxorem plaustro progeniemq; domum &c.

V. in eam plura, apud Casp. Barthium *Animadvers. Statianis passim*, inprimis verò *Commentario magno Superstitionum.* Aliquando tamen has sylvas conlucare, h. e. ramos superfluos recidere, verum non nisi prævio sacro, licebat, quod *coercere* & *conquere* Veteres dicebant, V. suprà in hac voce. Imò & succidebantur penitus arbores in iis fulguritæ, uti retro vidimus. Et hæc quidem de Gentilium circa *Lucos* superstitione. Israelitis verò, eorum usu penitus interdictum, ut in genere vidimus. In specie, ut Magistri habent, tum *lucus*, tum arbor, sive eo nomine, ut coleretur ipsa, sive ut idolum obumbraret, idolumque ornaret, plantata iis illicita erat: ut adeò nec umbræ proceritatis ejus seu trunci juxtà extensæ beneficio uti frui liceret: Nec per lucum transire esset fas, nisi alia non pateret via: Nec volucrum in eo nidificantium, tum ova, tum pulli teneriores, in esum adhiberi possent. Porrò, nec lignari ex ejusmodi sylva, nec panibus in furno inde calefacto coctis, aut cibis sic elixatis assatisque, nec cinere luci combusti uti licuisse, addunt. Solum autem luci ejusque umbræ eatenus interdictum non volunt, quin herbas, legumina, olera, quæcunque in umbra felicius crescerent, ibi serere fas esset, eorumque possessio & usus licitus &c. Qua de re V. Seldenum præfatum *d. l. cap. seq.* Longè simplicior piorum in Sacris Regum, zelus fuit, qui hujusmodi *Lucos* ultore ferro funditus exsciderunt, uti in Libris eorum passim legere est. V. quoque suprà, in voce *Luci.*

Ludere Armis, *Ludere ad Judices, ad Latrunculos* &c. Vide suprà.

Ludi de Rege & Regina, probibiti Synodo Wigorniensi A. C. 1240. *c.* 38. videntur Carolo du Fresne is esse ludus, qui hodie *Chartarum* dicitur, siquidem eâ ætate notus fuerit, *in Glossar.* V. infrà *Ludus.*

Ludicræ Coronæ, dictæ occurrunt passim coronæ, Hieronicarum vett. non vilipendii causâ, quasi inanis solùm gloriolæ illecebræ essent, cùm inter documenta veræ virtutis meritò haberent locum: sed quia *Ludicro*, seu in *Ludis Sacris* quæsitæ. Plin. *lib. 21. cap. 3.* *Semper auctoritas vel ludicro quæsitarum fuit. Namq; ad certamina* (Romani) *in Circum per ludos & ipsi descendebant, & servos suos quiq; mittebant. Inde illa XII. Tabularum lex, Qui coronam paravit, ipse pecuniave ejus virtutis ergò arguitur.* V. Car. Paschalium *Coronar. lib. 6. toto*, inprimis *cap. ult.* ubi *de utilitate, quæ ex his Ludis, & dignitate Coronarum, quæ ibi Victoribus data:* nec non infrà, ubi de Vett. *Ludis.*

Ludii, olim non alii dicebantur, quàm verò saltatores & histriones, qui & *Ludiones*, in *Glossis* Σατυρισταί, Σκηνικοί; non à *ludendo*, ut placet viris doctis, sed à *Lydis*, qui inter nationes saltationi bacchationique deditas: unde *Ludius* & *Ludio*, pro *Lydius* & *Lydus.* Sed & *Lydium* etiam dicebant, unde *Lydis barbaris* & *volsi Lydis*, apud Plautum. Ovidius,

Lydius æquatam ter pede pulsat humum, &c.

At sequentibus temporibus, *Ludii* propriè appellati sunt Gladiatores, à *ludo* gladiatorio, h. e. μονομάχοι & ὁπλομάχοι; qui etiam *Ludi* sunt vocati. Juvenalis,

Nupta Senatori comitata est Hippia ludum
Ad Pharon & Nilum ——

Unde *ludiam* vocat eandem Hippiam; q. *ludi* vel *ludii* uxorem. Apud eundem Poëtam,

—— *veniunt ad miscellanea ludi,*

i. *ad ultimam cœnam, gladiatores.* Optimæ Glossæ, *Lanista*, ἀνδροτρόφος, ἐπιστάτης μονομάχων. Sic Tertullianus *de Spectac.* *Inde Romani*, inquit, *accersitos artifices mutuantur tempus, enunciationem, ut ludi à Lydis vocarentur. Sed etsi Varro ludos à ludo, id est, à lusu interpretatur, sicut & Lupercos ludos appellabant, quòd ludendo discurrant: tamen eum lusum juvenum & diebus festis & templis & religionibus deputat.* Ubi Tertulliano *Ludi* dicuntur, qui *Ludii* potius appellari debent, & *Ludi Luperci*, quòd ludendo discurrant. Nempe *Ludos*, pro *Ludiis* dicebant Vett. ut *regna*, pro *regibus.* Florus; *Prætoram*, pro *Prætore*, Livius &c. Hinc *Ludiaria venatio*, apud Trebellium Pollionem *in Gallienis*; *Ludiaria vestis*, apud Isidorum, *in Gloss.* &c. Salmasius *ad Pollionem alibiq;.* Sed & *Ludios* ac *Ludiones* dictos deprehendimus pueros puberes, elegantibus tunicis indutos, glabros, galeâ insuper, ense & parmâ armatos, qui Circensibus & Theatralibus pompis ordine incedere sunt soliti, veluti pompæ duces. Fr. Gouldmannus *Diction.* &c.

Ludovicus I. Imp. adde: Ejus Librum de Reformatione abusuum Cleri, memorat Justellus *Præf. ad Cod. Canonum Eccl. Univ.* Nescio, an inter collectiones Gallicanas Canon. recensendus sit " liber Ludovici Pii, in Concilio Aquisgranensi anno DCCCXVI. " celebrato, confirmatus, cujus exemplar habemus Coloniæ editū " MDXLIX. cum hac inscriptione: Reformationis abusuum Cleri " formula, per Ludovicum cognom. Pium. Romanorum Imperii imperatorem optimum, Karoli Magni filium. Ipseque Ludovicus Imperator testatur in Epistola ad Arnulphum Salzburgensem Episcopum, quæ etiam inter Constitutiones Imperiales " à V. C. Melchiore Goldasto nuper editas extat: apud Gerh. von Mastricht *Histor. Juris Ecclef. num. 208.* qui etiam de ejusdem Imperatoris *Capitulis* ab Ansegiso Abbate collectis, fusè *n. 193.*

Comites Principesq; ex Familia Nassovia.

Ludovicus, filius ordine quartus Guilielmi Nassoviæ Comitis, defuncti A. C. 1559. ex posteriore ejus uxore, Juliana Bothonis Com. Hanoviæ viduâ, frater Guilelmi Auriaci, à quo hodierni Principes Arausionenses, & Johannis cognom. *Senioris*, à quo reliqui Comites Principesque Nassovii; priori, in asserenda Belgarum libertate, strenuus adjutor fuit. Inter Fœderis, contra Inquisitionem, à præcipuis Belgarum initi, inter quos erant etiam Romanæ Religionis nonnulli, primarios Duces, à Romanis sacris palàm dissentiebat, sociatis sibi præ aliis Herenbergensi & Culenburgico Comitibus, nec non Henrico Brederodio, antiquo Hollandiæ Principum genere edito. Qui, quadringentis fœderatorum comitantibus, die Non. April. A. Ch. 1566. inermes in Curiam Bruxellensem venere, preces has ad Margaritam, quæ tum Philippi II nomine Belgio præsidebat, ferentes: *Ut edicta super Religione à Rege, de Ordinum Belgicorum sententia, mutarentur, interim quiescerent.* Quorum cùm alterum Præfecta se commendaturam Regi promitteret, alterum suæ potestatis negaret, non aliud impetratum, quàm ut Judices & Quæsitores juberentur cognitionem prudentiâ temperare. Postea, Albani crudelitate exasperatis Belgarum animis, & hinc gliscente bello, pars exulum *Ludovici* ductum sequuti, in Frisiam irruerunt: qui, interempto Arembergio, quem prudentiùs cunctantem militum ardor & convitia in prælium impulerant, disjectisque ejus copiis, victores, cùm descituras civitates frustra expectarent & jam deficiens stipendium disciplinam solvisset, Albani superventu concisi, amisso etiam in priore pugna Adolfo, Arausionensis ac Ludovici fratre, alterno hostium & suo sanguine bellum imbuerant, A. C. 1568. Astu dein militari *Ludovicus* Montem, Hannoniæ urbem, cepit, quam Albanus recuperavit A. C. 1572. Post varias tandem res præclarè gestas, cùm copias fratri adduceret, ut hostem detraheret Hollandiâ, prope Noviomagum, immodestiâ militis, qui, cùm strictis pugionibus hostis instaret, æra Ducem flagitabat, cæsus occubuit, A. C. 1574. *Is suis* [illegible] verba sunt Hug. Grotii *Annal. lib. 2.* *Duci ingenio* [illegible] *inter laudatissimos, fratri ipsius Henrico, Christophoro præterea Palatini Principis filio* &c.

Ludovicus, filius Johannis Saræpontani Comitis, rami W[illegible]burgensis, ex Elisabetha Ludovici Pacifici, Hassiæ Landgravii f[illegible]

lia, Patri successit, extinctus A. C. 1523. Eum excepit filius Philippus, ex Margareta, Adolfi Com. Nassoviæ Weisbadensis filia.

Ludovicus, modò memorati Philippi, ex Alberto filio. Annæ Auriacæ marito nepos, paternas ditiones rexit, ad annum usque 1627. Pater ex Anna Maria Hasso-Cassellana, Guilielmi *Ludovici*, cui uxor obtigit Badensis; Annæ Sabinæ, inter incunabula defunctæ; Alberti, qui vix biennium attigit; Sophiæ Amaliæ, itidem vix trimulæ; Georgii Adolfi, intra annum mortui; Philippi; Luisæ Julianæ, Mauritii intra biennium defuncti; Ernesti Caroli, quarto ætatis anno extincti; Mariæ Elisabethæ, Friderico Dagsbergensi nuptæ; Johannis, Dorotheæ, Ernesti Casimiri & Othonis. E quibus maximus natu, ex Anna Amalia Badensi, suscepit Annam Sibyllam A. C. 1617. Mauritium A. C. 1618. quo iterum decessit; Carolam 1620. Crafftium 162.. Amaliam 1623. & Johannem *Ludovicum*, A. C. 1625. Cyr. Lentulus *Geneal. Princ. Nassov. MS.*

Ludovicus Guntherus, filius minimus natu Johannis cognom. *Senioris*, ex priori ejus conjuge Elisabetha, Landgravii Leuchtenbergici filia, natus A. C. 1575. anno ætatis 26. Gadibus expugnandis, non inter postremos, adfuit; Equestrem Britanniæ ordinem, Essexio Comite virtutis ergò conferente, consequutus. Inde multis capiendarum muniendarumque urbium molitionibus, Mauritio & fratribus comes ac adjutor; quasdam etiam suo ductu occupavit. Ad Neoportum Flandriæ, primus hostilem exercitum in fugam convertit, virtutisque tam opportunæ præmium, Admiralem Aragonium captum, atque ab eo, Patrum Belgicorum voluntate, ingentem pecuniæ summam, lytri loco accepit: paulo pòst in ætatis rerumque gestarum flore, dum Slusam obsidebat, extinctus, æt. anno 30. Uxor ejus Anna Margareta Com. Manderscheidia, postquam quadriennio feliciter ejus conjugio, sed sine prole, usa esset, obitum mariti mox sequuta est: an quòd luctum non ferret, an quòd eadem morbi contage esset correpta? Idem Auctor.

Ludovicus Henricus, V. suprà *Henricus*.

Georgius *Ludovicus*, fil. Johannis Senioris, ex tertia ejus conjuge Johanna, Ludovici Sayno-Witgensteinii Com. filia, paulo post partum obiit. Item filius maximus natu Ludovici Henrici (qui Georgii Johanne Sen. præfato geniti filius erat) ex Catharina, Ludovici Com. Sayno-Witgensteinii filia, Gallos comite J.H. Heidfeldio adiit: inde reversus, avertendis à patrio agro hostibus & lenitate obsequii abducendis, non parum emolumenti genitori attulit: conciliandis humanitate animis, quàm severitate asperandis, pronior, salvâ tamen Imperii in vultu & sermone auctoritate. Uxorem duxit Annam Augustam, Augusti Ducis Brunsuico-Lunæburgici filiam, è qua, præter reliquam sobolem, Henricum suscepit (cum anno ætatis 9. Scholæ Herbornensis gubernacula susciperet) à Cyr. Lentulo Panegyrico carmine celebratum. Natus autem is est A. C. 1641. atque Dorotheam Elisabetham Lignicio-Briegensem uxorem habet. Reliqui Georgii Ludovici atque Annæ Augustæ liberi sunt, Elisabetha Catharina (n. 1639. den. 1641.) Sophia Eleonora (n. 1643. & Ludovica (n. 1652.) V. Spenerum *Part. I.*

Guilielmus *Ludovicus*, Frisiæ, Groningæ, Tencterorum & Tubantum præfectus. Filius fuit maximus natu Johannis Senioris sæpius memorati, ex prima ejus conjuge, Elisabetha Liechtenbergica; genitus A. Ch. 1560. ætatis dein 16. commilitone studiorum Mauritio Auriaco & tribus fratribus, Johanne Georgio & Philippo, Heidelbergæ aliquandiu literis operam dedit. Hinc genitorem in Belgium sequutus, Britanniaque per trajectum visâ, Antverpiæ in oculis Guilielmi Auriaci patrui degit. Militiæ rudimenta Brabanticâ expeditione deposuit: Parenti, in obsidione Daventriæ & Camporum, adfuit: 20. æt. anno legioni præfectus Groningam obsidione pressit; anno insequenti, prælio Frisiaco præclare rem gessit &c. Franekeræ postea Lyceum, Frisiæ Præfectus, primus aperuit, A. C. 1584. aliisque factis æternæ memoriæ commendatis, quorum colophon Groninga fuit capta, nomen immortale promeruit. Anno C. 1606. quo hæreditatem cum fratribus crevit, etsi ad res suas administrandas è Belgio evocaretur, curam tamen belli, imò pacis & induciarum, minimè abjecit: quibus durantibus, munitionem Scaldi fluv. adsitam (*Lillo* vocant) ampliori spatio, Mauritio præeunte, comprehendit: exin A. C. 1613. ad paternarum ditionum inspectionem profectione in Germaniam susceptâ, Spinolæ in Cliviâ bellum renovanti, sociorum nomine, se opposuit: duce Mauritio, Emericam & Reesam, nota ad Rhenum oppida, cepit, & contra Hispanorum ingruentem violentiam præsidio munivit. Obiit A. Ch. 1620. ætat. 60. Leovvardiæ Frisiorum: nullâ, ex Anna patrueli, Guilielmi Auriaci filiâ, prole susceptâ.

Guilielmus *Ludovicus*, filius *Ludovici*, Com. Nassovii, lineæ Saræpontanæ, V. *suprà*.

Johannes *Ludovicus*, filius secundo-genitus Johannis Senioris ex tertia ejus conjuge Johanna Wittgensteinia, natus An. C. 1590. Genevæ, Sedani, Lutetiæ, aliisque in locis aliquandiu egit; divisione dein paternæ hæreditatis inter fratres factâ, Hadamariam cum aliis nactus est, V. suprà in voce *Hadamaria*. Post Germaniam dein, Galliam, Angliam, Belgium, Hungariam aliasque regiones perlustratas, Cassellis Hassorum aliquandiu in aula Landgravii Mauritii substitit, A. C. 1609. castra ad Juliacum posita, ut Mauritio ibi Auriaco sese insinuaret, visit, An. Ch. 1610. Romanorum R. electioni Francofurti interfuit A. C. 1612. postea Fridericum V. Palatinum, Elisabetham Jacobi M. Brit. R. usturum, Londinum usque comitatus est. Inde sub Mauritii Principis vexillis, in Clivia & Juliacensi agro, rem gessit: Ursulam, Simonis Lippiæ Com. filiam, uxorem duxit, A. C. 1617. atque ex ea complures liberos sustulit. Secundâ hæreditatis divisione, Hadamariæ & Ellariæ dominio, Megerskirchiæ territorium adjunxit: communi Comitum Nassoviæ nomine legationem liberam Viennam Austriæ suscepit, A. C. 1629. ibi aureæ clavis & Cubicularii Cæsari munus à Ferdinando II. nactus: eodem anno ibidem Latinæ Ecclesiæ accessit, & domum redux etiam suis, ut idem facerent, suasit. Jesuitis & Franciscanis collegium conventumque Hadamariæ struxit, nuper receptæ à se Religionis fervidissimus cultor. Postea, in Conventu Circuli Electorum, Cæsaris negotia obivit, A. C. 1631. quo absoluto, VVormatiam ad Conventum Circuli super. Rheni ablegatus, Suecica arma impedivit. Denuo itinere Viennam suscepto, A. C. 1636. à Cæsare in Consilium Aulicum assumtus, atque inde ad dissidia Leodiensium componenda missus est: quibus expeditis, ab Imperatore, cum pleno agendi jure, ad pacis negotium est ablegatus; quod Coloniæ Agrippinæ cœptum An. Ch. 1638. inde Monasterium & Osnabrugum translatum A. C. 1643. undecimo demum anno, 1649. nempe finem invenit optatum. Interea dum Monasterii ageret, Cæsari à secretis consiliis esse jussus est, & à Philippo III. Hispan. R. aurei velleris insignibus ornatus. Tandem, culmen honorum adeptus, & à Ferdinando III. Imp. in Principum Imperii Collegium ascitus atque biennio pòst, anno viz. 1652. ad Comitia Imperialia Ratisbonæ, vocatus est. Decessit anno seq. Pater, ex uxore præfata, Johannettæ Elisabethæ (n. 1619. Friderico Princ. Anhaltino nuptæ) Luisæ Ursulæ (n. 1620. den. 1635.) Sophiæ Magdalenæ (n. 1622. uxoris *Ludovici* Henrici Princ. Nassoviæ, den. 1658.) Johannis *Ludovici* (n. 1623. den. 1624.) Simonis *Ludovici* (n. 1624. den. 1628.) Mauritii Henrici (n. 1626. cui nupsit Ernestina Nassovia) Hermanni Othonis (n. 1627. Canonici Coloniensis & Argentinensis, den. 1661.) Philippi *Ludovici* (n. 1628. den. 1629.) Annæ Catharinæ (n. & den. 1630.) Johannis Ernesti (n. 1631. Canonici itidem Colon. & Argentinensis, den. 1651.) Anselm Ferdinandi (n. 1637. & paulo pòst mortui) Francisci Bernardi (Canon. Colon. &c. n. 1637.) & Mariæ Elisabethæ (n. ac den. 1638.) q.. om..es, *Principes ac Comites Nassovia &c. linea Dillenburgica, rami Hadamarensis.*

Johannes *Ludovicus*, Com. Nassoviæ, lineæ VVeisbadensis & Idsteniæ, filius Balthasaris, defuncti A. C. 1568. ex Margareta, Reinhardi Com. Isenburgici filia, militari studio valere jussi.., ... & morum elegantiæ in Gallia vacavit. Decessit, postquam 28. annos ditioni paternæ præfuisset, A. C. 1596. Pater, ex Maria Johannis Senioris Com. Nassoviæ Dillenburgici filia, Margaretæ, Adolfo Benthemio Com. nuptæ: Annæ Catharinæ, Simonis Lippiæ Com. uxoris: Mariæ Magdalenæ, VVolfgango Henrico Isenburgo-Budingensi Com. elocatæ: Julianæ, primâ ætate mortuæ: Johannis Philippi & Johannis *Ludovici*, quorum is cùm intra quartum, hic intra pubertatis annos A. C. 1605. decessisset, avitarum ditionum jurisdictio *Ludovico* Com. Nassoviæ VVeilburgensi & Saræ-pontano cessit.

Mauritius *Ludovicus*, filius minimus natu Georgii (Johanne Seniore geniti) ex priore ejus uxore Anna Amalia Saræ-pontana, intra annuum spatium obiit.

Philippus *Ludovicus*, ex filiis Johannis Ludovici præfati, rami Hadamarensis, natus A. C. 1628. obiit anno seq. &c. V. Cyr. Lentulum *Geneal. Princip. ac Comm. Nassov.*

Viri clari & illustres.

Ludovicus Jacob à S. Carolo, Cabilonensis Burgundus, Ordinis Carmelitarum alumnus, scripsit *Bibliothecam Pontificiam*; de qua sic Mastricht JC. suprà laudatus, *Auctor futilis est qui in omnibus suae paginis errores cumulat, maximè ubi de Scriptoribus Protestantibus loquitur, in Histor. Eccl. num. 191.*

Ludovicus Morus, Dux Mediolanensis, à Ludovico XII. Galliæ R. ducatu ejectus, A. C. 1499. pauloque pòst captus vitam in carcere finiit: Mox Mediolanum Maximilianus filius ejus recuperavit, sed & ipse non mitius Fatum habuit, à Gallis itidem victus & in carcere mortuus. Post quem Franciscus Sfortia præfuit, usque ad A. C. 1535. quo is defunctus, Hispanis successionem reliquit, Gallis in perpetuum exclusis. V. Georgium Hornium *cum Notis Felleri ad Orb. Imp. p. 248.*

Ludovicus, nomen monetæ aureæ Francicæ, 11. libr. in cujus antica parte Rex laureatus conspicitur, adscripto nomine LUDOVICUS XIII. vel XIV. (sub his enim cusi sunt) in altera crux, inter quaternа lilia totidemque coronulas, cum lemmate solito, CHRISTUS REGNAT. VINCIT. IMPERAT. Idem nomen argenteæ monetæ 3. libr. eorundem Regum, in cujus una parte Rex, in altera Franciæ & Navarræ insignia visuntur. Vide Richelietum *Diction. Gall.*

Ludus, à *Lydis*, qui ex Asia transvenæ, duce Tyrrheno, cùm fratri suo regni contentione cederet, in Etruria consederint, ibique inter ceteros ritus superstitionum suarum spectacula quoque, religio-

religionis nomine instituerint, quibusdam dictus videtur. Varro *Ludos* à *ludo* vel *lusu* appellatos scribit: quæ tamen sic alii distinguunt, ut *Ludus* dicatur, qui tum periculum, tum spem sibi propositam habet: *Lusus*, qui nil nisi solam voluptatem. Cum Schola *Ludus* vocatur, videtur vox potius a *luendo*, vel *laude*, quæ præcipue in ea quæritur, originem duxisse: Vel sic dicitur, quia in ea per *ludum* ad seria fit præparatio, sicuti *Ludi* olim solebant esse ante solemnia. Propriè animi remissionem, per breve carmen, vox *Ludi* denotabat primitus, quâ qui utebantur, dicebantur *ludere*. Unde Virgilius *Eclogâ* 1.

Ludere quæ vellem, calamo ——

Et Phædrus *lib.* 5. *fab.* 1.

Dum nihil habemus majus, calamo ludimus.

V. Plinium *lib.* 7. *Epist.* 9. Dein factum quodcunque jocosum denotare cœpit, in facto enim propriè *Ludus* est, quemadmodum Jocus in verbo: quamvis *interdum jocus in facto, & ludus in verbo*, Valla. Tandem ad locum ipsum exercitationis designandum vox adhibita est, unde *Ludum gladiatorium*, *Ludum matutinum* &c. apud Vett. legimus. Sed & pœnæ quoque mediocris genus *Ludus* statuitur, à Paulo *l.* 5. *Sent. tit.* 17. Unde *ad Ludum damnati*, vel *in Ludum*, Plin. *lib.* 10. *Epist.* 40. *Quidam vel in opus damnati, vel* in Ludum *& similia his genera pœnarum.* Tertullianus *Lib. de Spectac.* *Etiam qui damnantur in Ludum, quale est, ut leviore delicto in homicidas emendatione proficiant.* Clemens Alex. *de Constitut. Apostol. cap.* 1. Εἴ τις Χριστιανὸς κατακριθῇ ὑπὸ ἀθέων, εἰς λοῦδον, ἢ θηρία, ἢ μέταλλον, *Si quis Christianus damnatus sit ad Ludum, vel bestias, vel in metallum.* Frequenter enim *Ludo* adjudicati Christiani, donec id vetitum Impp. Valentiniano & Valente *leg.* 8. *de pœn. in Cod. Theodos.* Servos *in ludum venatorium* dari fuisse solitos, patet ex *leg.* 8. *§. ult. ff. de pœnis.* In plurativo numero, *Ludi* sunt spectacula publica & celebritates, quæ vel placandæ Deûm iræ, vel pro salute populi, vel gratiæ populi demerendæ causâ, olim edebantur: quales apud Romanos primus instituit Romulus Rex, Consualibus celebratis, quem reliqui Reges, Consules & Prætores, ut & tandem Imperatores, certatim secuti sunt; qui *Ludos facere* vel *edere* dicebantur. Phædrus *lib.* 5. *fab.* 5.

Facturus Ludos *quidam dives nobilis*, &c.

Exhibiti autem primùm *Ludi* sunt, in Insul. Tiberina, nullo ad id certo constituto loco, sed ab altera parte Tiberis pro meta erat, ab altera coles ponebantur, teste Servio Virgilii Interprete. Primus omnium Tarquinius Priscus Circum Maximum extruxit, Liv. *lib.* 1. cumque prius stantes spectare solebant furcis tabulata sustinentibus, circumquaque operta tecto fecit sedilia, loco in 30. Curias distributo, ut Curialium quisque suo loco spectaturus sederet, V. Dionys. *lib.* 3. In Circo itaque *Ludi* Circenses, sed in Theatro, Scenici exhibiti sunt: quemadmodum Gladiatorii in Amphitheatro. In quibus qui certaturi erant, dicebantur *commissi*. Statius *Theb. lib.* 6.

— *Quonam iste duos fidissima Phœbo*
Numina commisit Deus in certamina Reges:

Fiebatque hæc commissio, nominibus certantium in urnam injectis atque inde à Prætore eductis &c. Porro, præsidebat his Ludis, sequiore ævo, vel Princeps ipse, vel aliquis vice ejus. Et quidem, cum in Circo sedes separatas, neque Senatus ante Claudium, neque Equites ante Neronem haberent, propterea ne Principi quidem certa sedes fuisse videtur, utique Augusti tempore, nascente adhuc Imperio. Is igitur, ut Majestatis suæ rationem haberet, *è pulvinari spectavit*. i. ex eo Circi loco, ubi simulachra Deorum magnâ pompâ inferri & circum metas gestari solita, collocabantur: quæ pars Circi videtur ad Euripum fuisse, qui medium stadium cingebat, sicut in Theatro honestissimus locus ad Podium erat. Augustus *in Epist. ad Liviam*, super Claudio *primam frontem spectaculorum* vocat; qui inde spectavit *sedens*, non, ut Nero postea, accubans, ceu Deus aliquis vivus inter simulachra mortua. *Cum uxore & liberis*, non inter imagines ipsas Deorum. Interdum verò, invidiæ declinandæ causâ, *è cœnaculis amicorum liberorumq́;* Ludos eos spectavit, Sueton. *in Augusto, cap.* 45. ad quem l. V. Is. Casauboni *Animadversiones*. Ut autem Ludorum magnificentiam ad posterorum quoque notitiam Principes porrigerent, pingi eos curarunt, in locis illustrioribus Urbis, quo de more V. Casaubonum *ad Pescennium Spartiani*, & Salmasium *ad Carinum Vopisci*. Idem Casaubonus triplicem olim *Ludorum* & Agonum exhibendorum causam asserens, primam *Deorum religionem*, alteram *Mortuorum inferias*, tertiam *Edentium honorem*, facit. Et quidem, qui ex duabus prioribus causis exhibebantur, sacros fere & inviolabiles, eorumque originem longe antiquiorem, serò enim transiisse *Ludos*, ab honoribus Deorum & Mortuorum, ad honores viventium, Quæsturas viz. Magistratus, Flaminia, ac Sacerdotia; postea verò rem ita in frequenti usu fuisse, ut temporibus Augusti nemo aliquem locum honestiorem in Rep. sortiretur, quin magnam patrimonii partem in editione spectaculorum aut impenderet, aut impendisset, docet *ad Sueton. ubi suprà cap.* 35. V. quoque hîc passim, inprimis ubi de formula, *Consulatum edere*, & plura hanc in rem apud Onuphrium Panvinium *de Ludis Romanorum*; item *de Ludis Secularibus*, Jul. Cæs. Scaligerum *Poëtic. lib.* 1. *cap.* 28—40. Hier. Mercurialem *de Arte Gymnast.* Jo. Rosinum *Antiqq. Rom. l.* 5. cum *Paralipomenis* Thomæ Dempsteri, Fabrum *Agonistic.* Alios; nec non hîc infra. Græcorum verò *Ludi*, alii *Sacri* erant, ἱεροὶ ἀγῶνες, qui & στεφανῖται & φυλλίναι & φυλλοφόροι, h. e. *coronarii* & *foliacei* dicebantur, quod in iis non argentum, aut quidpiam tale, sed corona & quidem foliacea solum, victori præmii loco proponeretur, celebres nempe illi IV. *Olympia*, *Pythia*, *Nemea*, *Isthmia*: alii *Non sacri*, ἀργυρῖται, & θεματῖται ἀγῶνες appellati, in quibus mercedis causâ decertabatur. De quo discrimine extat insignis locus apud Plutarchum, quo docemur præmia Sacrorum Certaminum, *præter coronam*, fuisse *inscriptionem*, *tabulam*, *decretum*, *ramum oleæ*, h. e. iis Athletis, qui in hisce certaminibus victores essent, proposita fuisse præmia honoris, gloriæ, laudis & famæ perennis; At aliis certaminibus, quæ tanti non essent, *dona ex argento, ære, ebore, talibusq́;* quæ verius essent compendii, quàm illius celebritatis, quæ generosissimi cujusque pectus acuat, Vide eum Πολιτ. παραγγ. Et quidem horum illi in celebritate cœtus Græciæ peragebantur: istos exercendæ juventuti unaquæque civitas instituit. In illis omnes Athletæ ingenui fuerunt, ad istos etiam servi videntur admissi &c. qua de re V. plura apud Scaligerum ubi suprà *l.* 1. *c.* 23—38. Fabrum it. Car. Paschalium *Coronar.* *tats lib.* 6. ubi totam Sacrorum seu Gymnicorum cæterorumq́; Ludorum historiam accurate exhibet, ut & infrà ubi de *Olympionicis*, V. etiam aliquid suprà ubi *de Certaminibus*, item in voce *Hieronicæ*. Sed & quoties læti adveniebant nuncii, *Ludos* & Convivia publicè Romæ Athenisque habita, legimus: *Luditros* viz. in quibus vi [illegible] prati litabant. V. Casp. Barthium *ad hæc Papinianum Theb. lib.* 1. *vers.* 218. & *seqq.*

At non Sidoniam diversa in parte per urbem
Nox eadem, vario producens sidera Ludo
Ante domos, intraq́; ipsaq́; ad mœnia marcens
Exsultat ——

Ludos Romanorum hîc strictim damus: *Græcorum* plerosque *Inscriptio* exhibet illustri Athletæ Megarensi facta, cujus suprà meminimus, ubi *de Hieronicis*.

Ludorum Sacrorum apud Romanos genera

Apollinares, soli stati fuere ludi, & celebrabantur in honorem Apollinis, victoriæ ergò, his præerat Prætor, populus spectabat coronatus, matronæ supplicabant, vulgò apertis januis epulabantur, eratque dies omni ceremoniarum genere sacer: prid. Nonas Quintiles.

Augustales, in honorem Augusti, Diis annumerati, habebantur. Præerant illis Tribuni Pl. veste triumphali, &c.

Baccho sacra erant Liberalia, & *Ludi* Scenici, V. infrà.

Capitolini, Jovi Capitolino sacri, ob servatum à Gallis Senonibus Capitolium, fiebant à vicanis prætextatis: His Sardos venales proclamari & senem quendam ludibrii gratiâ, cum bulla de collo suspensa, produci fuisse solitum, notat Plut. *Quæst. Rom.* 53.

Cereales, à matronis agebantur, repræsentantibus luctum Cereris, ob raptam Proserpinam, & ejus peregrinationem cum face quæritantis filiam. Pompa producebatur cum Deorum signis & ovo. Utebantur autem matronæ veste albâ, quemadmodum & viri togâ candidâ in lut spectabant: nec fas iis erat epulari, ante noctem.

Circenses, in honorem Neptuni: sicut pompa Circensis, in Solis honorem, instituti sunt. Hi fere per servos tantum agebantur, omnibus exercitationum generibus. Pugnabant enim pugnis, cæstibus, gladiis, fustibus, hastis, pilis &c. Gladiatores dimicabant variis modis: Edebantur cum bestiis certamina: Cursu, saltu, jaculatione, decursione equestri &c. pugnabatur.

Compitalitii, à Servio Tullio, in honorem Deorum Larium instituti, celebrabantur in compitis, ab agrestibus, d. 9. post Kal. Januarias.

Consuales, honori Neptuni destinati, à Romulo: His ferventibus Sabinarum mulieres raptæ sunt. Dicuntur quoque *Magni*, *Romani*, item *Circenses*.

Florales, quatuor ultimis Aprilis diebus, celebrari solebant, in honorem Floræ; postea in Majum translati.

Liberalia, in honorem Liberi Patris, à rusticis, agebantur, ob vini inventionem.

Magni, vel ab impensis, vel à magno Romanorum Deo Conso, appellati, iidem fuere cum Consualibus.

Martiales, sacri erant Marti, & peragebantur 4. Idus Maji, in Circo, cum equorum decursu & venatione.

Megalenses seu Megalesia, V. infrà.

Neptunales, celebrabantur in honorem Dei, à quo iis nomen, mense Julio, 10. Kal. Sextileis.

Palatini, in monte Palatino, an in honorem Julii Cæsaris, an Augusti, à Livia, instituti fiebant.

Piscatorii, 7. Id. Junii fervebant, trans Tiberim, & agebantur à Prætore Urbano, pro piscatoribus Tiberinis, quorum quæstus non in macellum pervenit, sed fere in aream Vulcani.

Plebeji, post exactos Reges, pro libertate plebis, aut post secessionem in montem Aventinum, pro reconciliatione ejus, instituti, edebantur ab Ædilibus plebis, in Circo à die 17. Kal. Nov. per triduum.

Romani ludi, sub Regibus instituti, iidem cum *Magnis*, à Romulo in Consi honorem institutis, primum Circenses

Scenici fuerunt. Edebant eos olim Reges, postea Consules.

Saturnales, Saturno sacri, multis seculis Urbis cunabula præcessere: Celebrabantur die 14. Kal. Januarii, per ludos & jocos, servis quoque pro tempore loquendi faciendiq; licentia datâ.

Scenici, sic dicti quòd in umbra fierent, à Græcis orti, anno U. C. 389. Romanis primùm in usu esse cœperunt, occasione pestilentiæ ingentis. Agebantur per Satyras, Comœdias, Mimos, Tragœdias &c.

Seculares, celeberrimi fuere, singulis centenis annis, an semel hominis ætate, habiti, in honorem Apollinis ac Dianæ, per triduum. Iidem & *Tarentini* dicti sunt: non ab urbe Tarento, sed à loco Tiberi urbique Romæ propinquo, in quo ara cum titulo Ditis & Proserpinæ reperta, terrâ solebat obrui, donec adveniente *Ludorum* tempore illa refoderetur & in ea Diti ac Proserpinæ sacra fierent. Unde Ausonius, *Trina Tarentino celebrata trinoctia ludo.*

Tarpeii dicti sunt, quos Romulus Jovi Feretrio, in monte Tarpejo, instituit.

Taurii, Diis Inferis sacri, regnante Tarquinio Superbo, cùm magna in mulieres gravidas incidisset pestilentia, instituti, fiebant in Circo Flaminio, extra portam Carmentalem. Dicti sunt à *Tauro*, cujus carne plebi divenditâ, pestis originem habuit: Aliter *Boaria* & *Bupetia.*

Votivi, qui à Magistratibus ad bellum ituris vovebantur, & post res feliciter gestas & obtentam victoriam, solebant exhiberi. Tales erant illi, quos *Magnos* cognominarunt, quòd in honorem Jovis, quem principem Deorum putabant, fierent. Votum fiebat hoc modo: *Si duellum, quod cum Antiocho R. sumi populus jussit id ex sententia Senatus Populiq; Rom. confectum erit, tum tibi Jupiter Populus Rom ludos magnos dies decem continuos faciet, donaq; ad omnia pulvinaria dabuntur de pecunia, quantam Senatus decreverit,* &c. Liv. *lib* 39. Pertinent huc *Ludi Decennales* à Cn. Octavio Augusto instituti, prætextu quodam ad Imperatoris titulum Monarchiæque potestatem sine invidia retinendam, Vid. quoque infrà. *Quinquennales*, ab eodem, post victoriam Actiacam, celebrari jussi. *Vicennales*, qui 20. quoque Imperii anno exhibebantur, Eus. *de Vita Const. lib.* 3. *Victoria*, quorum Sulla auctor, bello civili, Octobri per dies 5. celebrari soliti, &c.

Ludi apud Romanos Honorarii.

Castrenses, dicti sunt, quibus in castris milites exercebantur; Horum meminit Suetonius in *Tiberio cap* 72.

Funebres, vetustissimi fuere, quippe Æneas ad Pallantis, Achilles ad Patrocli rogum mactasse inferias, cum *Ludis*, leguntur, unde etiam Gladiatorum mos sine dubio ortus est.

Gladiatorii ludi, aliàs *Munera* dicti, à Græcis ad Romanos, funerum occasione translati, postea ad populi oblectationem aliis quoque temporibus, imò & in conviviis, exhiberi cœperunt.

Juvenales, à Nerone primùm instituti, cum barbam deponeret, privati priùs erant, mox passim in eos data sunt à pluribus nomina. Agebantur autem per domos ac hortos. Fuere & Juventutis *Ludi*, quos Salinator, Senensi prælio, vovit.

Miscelli, videntur fuisse ex variis multiformibusque ludicris commiati.

Natalitii, in natalibus magnorum Virorum edebantur: Jul. Cæsaris 4. Idus Julias: Nervæ 4. Kal. Dec. Titi 9. Kal. Jan. Hadriani 4. Kal. Nov. Antonini Kalendis Aprilibus. &c.

Scenici, Histrionibus ex Hetruria accitis, anno circiter U. C. 400. agi cœperunt, non solùm in Deorum honorem, V. suprà, sed ad popularem insuper auram captandam.

Triumphales, post insignes victorias, celebrari solebant.

Trojani seu Troici, celebrabantur, in Circo, à pueris majoribus minoribusque, turmatim congredientibus &c.

Ludi Romanorum privati ac ludicri.

Alea, pro quolibet ludo, in quo Fortuna & casus dominantur, accipitur, atque etiam pro Talis & Tesseris, à quibusdam sumitur. Romanis legibus interdicta, exceptis Saturnalibus.

Capita vel navim, dicebatur ludus, qui fiebat, nummo in cujus altera parte Janus biceps, in altera navis cusa erat, in sublime jacto, ut attenderetur, utrâ parte in terram relaberetur. Ei apud Anglos respondet *Cross and pile*

Duodecim scriptorum Petronio memoratus, admodum similis est illis, qui hodie *Trictrac*, aut *Verkeeren*, aut *Lurtschen*, aut simplicius genus *aus und vin*, Gallis Germanisque utrumque appellantur. Frid. Gronovius *de Pec. vet. lib.* 3. *c.* 15.

Fritillum, V. paulo infrà in voce *Tali*. Item in *Tessera*.

Halteres, athletarum libramenta fuere, oblongioris circuli figurâ, in quos indignabundus invehitur Martialis *lib.* 14. *Epigr.* 49.

Harpastum, pilæ genus, fortè Angl. *a Foot-ball*, in terram rotabatur incredibili volubilitate: quo ludi genere se exercentes subligaria induebant.

Latrunculi, à Palamede inventi, etiam Viris in Rep. eminentibus, in usu fuere: hodie *Scacchia* vel *Scacchorum ludus*, appellantur.

Nuces, pueris usitatum ludi genus, de quo Ovidius: *Quatuor in nucibus, non amplius, alea tota est, Cùm sibi suppositus additur una tribus.*

Par impar, Angl. *Even or Odd*, ludus erat, cùm unus occum manibus comprehensatum numerum ex altero sciscitaretur. Gr. ζυγὰ ἢ ἄζυγα Horatius, *Ludere par impar.*

Petaurus, circulus erat, quem intactum certantes transvolabant. Satyricus Lucilius, *Sicuti mechanici cùm alto exiluere petauro.*

Pila, exercendo corpori maximè idonea semper visa est. Ea autem duplex, *Paganica* una, de qua Martialis *lib.* 7. *Epigr* 31. Trigonalis altera, cujus idem meminit *Epigramm. seq.* Præter quas, Harpastum, Follis, Pila peculiariter sic dicta, memorantur Thomæ Godwyno *Anthol. Rom. lib.* 2. *sect* 3. *cap.* 13.

Scripta XII. V. infra.

Tabula. *Ibid.*

Tali & Tesseræ, *ludi* erant non minus in conviviis, quàm latrunculi, recepti: inter quos id discriminis est, quod tali sex angulos haberent, tesseræ tantùm quatuor. Græci ob id has κύβους, Latini *quaterniones*, illas *seniones* appellant. Jaciebant autem talos in fritillum, id est, pyrgum, turriculam, orcam vel pyxidem corneam, è cujus angusto collo effusi in tabulam strepitum excitabant. Sidonius *Carm.* 23. *Hic promens teretes pilas trochosq; Hic talos crepitantibus fritillis.*

Trochus, puerile ludicrum & exercitamentum fuit, à Gr. verbo τρέχω id est, *curro*, dictus. Aliter *Turbo*, item *Buxum*. Persius *Sat.* 3. *Buxum torquere flagello.* Et Virgil. *Æn. lib.* 7. *Impubesq; manus mirata volubile buxum.* Sed *Trochum* vocat cum Sidonius ante laudatus, tum Horatius *in Arte*, *Indoctusq; pilæ discive trochive.* Ut de disco, saltu, cursu, jaculo, lucta aliisque in præsens nihil addam. V. præter laudatos Auctores Lazium *Comm. de Rep. Rom. lib.* 10. & quemque horum *Ludorum suo loco.*

Ludi Decennales, seu *Decennalia*, auctorem habuere Cn. Octavium Augustum, prætextu quodam ad Imperatoris titulum Monarchiæque potestatem retinendam sine invidia. Solebat enim decimo anno, constituto hunc in finem ingenti spectaculo, ludorumque apparatu, Imperium populo resignare, quod tamen ilico quasi rogaretur recepit. Quem morem cæteros quoque Imperatores sequutos esse, refert Dio *lib.* 53. Idem de Constantino M. Eusebius *in Hist. Eccl.* & de Gallieno Imp. Trebellius Pollio narrant. De Gallieno verba Pollionis ita habent: *Interfectis sanè militibus apud Byzantium, Gallienus quasi magnum quid gessisset, Romam cursu rapido convolavit: convocatisq; Patribus, Decennia celebravit, novo genere ludorum, novâ specie pomparum, exquisito genere voluptatum. Jam primùm inter togatos Patres & Equestrem ordinem, albatos milites & omni populo præeunte, servis etiam propè omnium & mulieribus cum cereis facibus & lampadibus præcedentibus, Capitolium petiit. Processerunt etiam altrinsecus centeni albi boves, cornibus auro jugatis, & dorsalibus sericis discoloribus præfulgentes. Agnæ candentes ab utraq; parte* 100. *processerunt & decem elephanti, qui tunc erant Romæ, mille ducenti gladiatores pompaliter ornati. Cum auratis vestibus matronarum, mansueta feræ diversi generis ducenta ornatu quàm maximo affecta. Carpenta cum mimis & omni genere histrionum: pugiles sacculis, non veritate pugilantes. Cyclopea etiam luserunt omnes apenarii, ita ut miranda quædam & stupenda monstrarent. Omnes viæ ludis strepituq; & plausibus personabant. Ipse medius cum picta toga & tunica palmata inter Patres, ut diximus, omnibus Sacerdotibus prætextatis, Capitolium petiit. Hastæ auratæ altrinsecus quingenæ, vexilla centena, & præterea, quæ Collegiorum erant, Dracones & signa templorum, omniumq; legionum ibant. Ibant præterea gentes simulatæ, ut Gothi, Sarmatæ, Franci, Persæ: ita ut non minùs quàm Duceni singulis globi ducerentur.* Severum iisdem denos singulis aureos dedisse, habes apud Casaubonum *Not. ad Historiam Aug.* Postea verò obtinuit, ut vota publica prò Decennalibus feliciter auspicandis & ineundis ederentur, cujusq; decennii initio, quod ex nummis potissimùm Antonini Pii colligitur, quorum alii PRIMI DECENNALES, alii SECUNDI DECENNALES, præterunt; alii, VOTA SOL. DECEN. II. vel etiam, VOTA SUSCEP. DECENN. III. &c. Dico, *cujusq; decennii initio.* Nam quoque in nummis Helvii Pertinacis, qui vix 4. menses imperavit, VOT. DECENNAL. & in Pupieni Maximi, cujus Imperium haud biennii fuit, VOTIS DECENNALIBUS, scriptum legitur &c. Ad eundem modum, *Vota Decennaliũ Tricennaliumq;* suscepta, ut infrà videbimus, ubi de *Votis & Votivis Nummis.*

Ludi Megalenses, in honorem Matris Deûm olim instituti, celebrabantur prid. Non Apriles: quo festo Patricii *mutitare*, id est, mutua celebrare convivia, soliti sunt, sicut plebs Cerealibus, teste A. Gellio *lib.* 18. *cap.* 2. Cicero *in Catone maj. Primùm semper habui sodales. Sodalitates autem me Quæstore constitutæ sunt sacris Idæis Magnæ Matris acceptis: Epulabar igitur cum sodalibus omnino modicè.* Ovid. *Fastorum lib.* 4. conviviorum horum causam innuens, ait:

Cur vicibus factis ineant convivia, quæro,
Tum magis indictas concelebrentq; dapes?
Quòd bene mutarit sedem Berecynthia, dixit,
Captant mutatis sedibus omen idem.

Celebrabantur autem septem continuis diebus, quibus præferri

solitum solemni pompâ ante Deam, quidquid erat divitiarum, quidquid artificio admirandum, ludendique licentiam omnibus usque adeò permissam fuisse, ut etiam personas, quascunque vellent, induerent, refert Herodianus *lib.* 1. Etiam Comœdias Auctoribus Ædilibus hoc tempore actas fuisse, ex Terentio patet. Præcipua ceremoniæ imago erat Deæ, ad tibiarum cantum & strepitum tympanorum per Urbem circumlata, quam lapidis figurâ fuisse, asserit Livius. Prudentiusque sic describit,

Lapis nigellus evehendus essedo,
Muliebris oris clausus argento sedet:
Quem dum ad lavacrum præeundo ducitis,
Pedes remotis atterentes calceis,
Almonis usq; pervenitis rivulum.

Arnobius eum non magnum, furvi coloris atque atri, angulisque prominentibus inæqualem, fuisse docet. Ad hos ludos servis accedere nefas, Prætores verò ac Magistratus purpurâti in toga & prætexta, atque ornatu maximo eos celebrarunt, unde *purpura Megalensis* in Prov. venit. Ante Deæ simulachrum ludere matronas spectatæ pudicitiæ psallereq; fuisse solitas, annotavit Alex. ab Alexandro *Gen. dier. l.* 6. c 19. nec diebus illis quisquam stipem cogendi veniam habebat, exceptis Ideæ Matris famulis: Fuere verò hi ludi in Palatio celebrati. Aliter *Megalesia* dicebantur, à templo, quod Pessinunte, ubi illa Dea colebatur, μεγαλήσιον, teste Varrone *de L. L. lib.* 5. item μητρῷον, appellatum est. Cum ludis Diis magnis dedicatis malè quidam confundunt: hi enim, aliàs *Circenses* quoque ac *Romani*, à Tarquinio Prisco instituti, pridie Nonas Sept. habebantur; *Megalenses* verò Jun. Bruto Auctore instituti, teste Livio *lib.* 37. pridie Nonas April. fervebant: hi Circenses primùm, dein Scenici fuere. Alia quoque à *Megalensibus* fuere Hilaria, dies etiam Matri Deûm sacri, qui 8. Kal. Aprilibus, teste Macrobio, celebrabantur: quorum mentio apud posterioris solùm ævi Scriptores, Vopiscum *in Aureliano*, Trebellium *in Claudio*, Maximum Scholiasten Dionysii Areopagitæ, Damascium apud Photium *in vita Isidori*, Alios. Octavo Idûs April. ipsis *Megalensibus* Caracallam interemtum fuisse, refert Spartianus *in ejus vita*. V. Anton. Thysium *Notis in A. Gellium. lib.* 2. *cap.* 24. Joh. Rosinum *Antiqq. Rom lib* 5. *cap.* 13. & Thom. Godwynum *Anthologia Rom. lib.* 2. *Sect.* 3. qui omnes in Livio *lib.* 29. cum ait: *In ædem Victoriæ, quæ est in Palatio, pertulere Deam prid. Idus Aprilis:* legi volunt *pridie Nonas*. V. quoque in voce *Megalesia*.

Lugendi Ritus, apud veteres Romanos, variis Legibus definitus fuit. Et quidem vestitum quod attinet, in luctu atrati fuere, h. e. nigrâ, sive pullâ togâ induti. Togæ hujus meminit Cicero *in Pisoniana*: Juvenalis *pullatos Proceres*: Tacitus in funere Germanici, *atratam plebem* inducit. Propertius *lib* 4. *Eleg* 7.

Denique quis nostro curvum te funere vidit,
Atram quis lachrymis incaluisse togam?

De matronis ambigitur, cùm alii Scriptores eas, depositâ purpurâ & auro, in veste lugubri fuisse dicant: Halicarnassæus, & eum sequutus Suidas, vestem nigram adscribat: Herodianus autem, Statius ac Plutarchus albam vestem ab iis in luctu usurpatam tradant. Quos Lipsius ita conciliat, ut dicat, nigras vestes luctûs proprias fuisse, stante Rep. albas, sub Imperatoribus: quanquam fuscæ vestis in luctu matronali meminerit Apulejus. Sub iisdem, cùm toga in usu esse desiisset, Senatores in funere Cæsarum penulâ usos fuisse, scribit Lampridius *in Commodo*. Iidem quoque latos clavos sive tunicas laticlavias *in luctu* deposuerunt, quemadmodum Equites angusticlavias, ita ut sine clavo Equites, Senatores in clavo equestri apparerent, V. Octav. Ferrarium *de Re Vestiaria passim*. Etiam annulos ponebant, quod inprimis in publico fiebat luctu. Hinc ad nuntium Caudinæ pacis *annulos aureos positos*, narrat Livius *libr.* 9. De funere Augusti, Suetonius *cap.* 100. *Aliis exequiarum die, ponendos aureos, ferreosq; sumendos censuerunt.* Similiterque ad *lugentium* morem reos quoque & supplices annulos deposuisse, legimus apud Livium eundem *lib.* 43. & Val. Maximum *lib.* 8. *cap.* 1. Quum autem magna hominum celebritas funeribus producendis interesset, eam lege minuerunt: *In funeribus celebritas virorum ac mulierum producendis ne interesto:* quam laudat è Demetrio Cicero *lib. de LL.* Cumque Solon noluerit tribus plus vestibus mortuum componi ac condi, ex lege: Μὴ ἐντιθέναι πλεῖον ἱματίων τριῶν, eam Decemviri Romani in suas tabulas retulerunt. Idem, ne funera lamentabilia essent, Lege sustulit lessum, & lacerationem, quam similiter imitatus Legislator sic expressit, in XII. Tabb. *Mulieres genas ne radunto, neve lessum funeris ergo habento.* Unde Cicero *libro laudato, Postea quam*, inquit, *sumtuosa fieri funera & lamentabilia cœpissent, Solonis Lege sublata sunt. quam legem iidem prope verbis nostri Decemviri in undecimam tabulam conjecerunt. Nam de tribus riciniis & pleraq; illa Solonis sunt &c.* Porrò ex Plut. & Ovidio *in Fastis* colligitur, menses 10. tot enim Romuli annus habebat, viros ab uxoribus viduis *lugeri* consuevisse; ita quidem, ut ante legitimum tempus luctus, nubere nemini possent, nisi id peculiariter à Magistratu aut Principe impetrassent: aliàs infames à Prætore pronuntiabantur. Minuebatur tamen nonnunquam luctus vel publicè, ædis dedicatione, lustro à Censoribus condito, seu voto publicè concepto: vel privatim, cùm liberi nascerentur, cùm hospes in familiam veniret, cùm pater & liberi aut vir, aut frater ab hoste captus domum rediret, cum puella desponsaretur, cùm propiore quis cognatione, quàm is qui lugeretur, natus esset, cùm casto Cereris constitissent, Festus. V. Jac. Ræyardum *Variorum lib.* 1. *cap.* 20. Jac. Cujacium *Observat. lib.* 6. *cap.* 32. Joh. Rosinum *Antiqq. Rom. lib.* 5. *cap. ult. cum Paralipom.* Thomæ Dempsteri &c. Apud Græcos, quoties *lugendi* habebant argumentum, 1. Abstinebant à vino, ad ἄλφιτον κυκεῶνα se convertentes seu cerevisiam. 2. Hebræorum in morem vestes crinesque laniabant, aliquando etiam pepla capitisque tegmina in ignem conjiciebant. Ut apud Euripidem *in Rheso*,

Καὶ συμπυρῶσαι μυρίων πέπλων χλιδήν,
Et unà flammis dare innumerorum peplorum luxum.

3. Vultum in pulverem deprimebant, vel pulvere faciem inspergebant: quod Romani ab ipsis hausere. Unde Ovidius *Metam. lib.* 8. *fab.* 9.

Pulvere canitiem genitor, vultusq; seniles
Fœdat humi fusos.

Quem in finem, cinere quandoque utebantur, uti de Achille, Patroclum: & matronis Argivis filios in obsidione Thebana defunctos, *lugentibus*, legimus, Eurip. *Supplic. versu* 826.

— — — ἀμφὶ δὲ σποδῷ
Κάρα κεχύμεθα.
— — — *circumque autem favillâ*
Caput circumfusæ.

4. Insuper pectora femoraque plangentes, Hebræorum more, cutem quandoque incidebant, genas inprimis lacerantes, Eur. *in Helena*: quem ritum iterum Romanos secutos esse, innuit Virgilius *Æneid lib.* 4.

Unguibus ora soror fœdans & pectora pugnis.

5. Suspirabant imo e pectore, & ejulantes sæpius repetebant interjectionem ἒ, ἒ, ἒ, ἒ, unde ἔλεγος originem traxisse videtur, teste Scholiaste Aristoph. *in Avibus*. In funeribus inprimis, tam immoderatus erat illorum luctus, ut Solon, *Mulieres genas ne radunto, neve lessum funeris ergò habento*, lege latâ caverit. V. suprà. Primò enim, quum ad funestam pervenere domum, quisque eorum cincinnum capillorum detondebat, ἐπὶ πρόθυρα, ut Euripides ait in *Alc. versu* 100. ad vestibulum. Dein, cum exequias comitabantur, opertâ incedebant facie. Quare Orestes Electram, ut luctum deponeret, hortatus ita eam alloquitur:

—— ἀνακάλυπτ' ὦ συγγόνου κάρα
Ἐκ δακρύων τ' ἄπελθ' ——
—— *Aperi ô! sororium caput,*
Eq; lachrymis exi.

Porrò neque pedibus, neque linguâ, inter incedendum, ullum faciebant strepitum, profundo silentio mortuum prosequentes. Cujus moris etiam de Achabo mentio fit, 1. Reg. *cap.* 21. *versu* 27. & de Elaja *cap* 38. *versu* 15. Ad tumulum cùm accessere, omnes πλοκάμους vel βοστρύχους, i. *cincinnos* detondentes, in tumulo eos reponebant aut igni dabant: quod πένθιμον κόμην, vel τομαῖον βόστρυχον vel πενθητήριον χλιδὴν vel ἀπαρχὰς τῆς κόμης vocare solebant. Etiam comis suis defunctos obvolvebant. Statius *Theb. lib.* 5. *vers.* 233.

—— *Sic illa jacenti*
Incidit, undantemq; sinu collapsa cruorem
Excipit, & laceros premit in nova vulnera crines.

Et *vers.* 606

Ut laceros artus gremio miseranda recepit
Intexitq; comis ——

Tandem, toto luctus tempore, quod Lycurgus undecim dierum spatio definiit, mulieres virique ornamentis, auro, purpurâ gemmisque, coronis item, abstinebant. Terentius *Heautont. Actu* 2. *Sc.* 3.

Mediocriter vestitam veste lugubri,
Ejus anuis causâ, opinor, quæ erat mortua.
Sine auro tamen ornatam, ita uti quæ ornatur sibi.

Neque ignem excitabant aut candelam accendebant. Vet. Glossa, λύχνος ἅπτειν ἐν πένθει οὐ θέμις, *Lucernam accendere in luctu non licet.* Quo alludere Juvenalis *Satyrâ* 3.

Pullati proceres &c.
— — — *Tunc odimus ignem.*

Si verò publica lugeretur calamitas, non Palæstræ solùm, ac Gymnasia, cum balneis ac officinis Artificum, sed ipsa quoque Templa claudebantur, &c. V. Franc. Rossæum *Archæologiæ Atticæ lib.* 5. *cap.* 26. De Hebræis V. suprà, ubi *de Exequiis*. Addo hic saltem, quòd Sacerdotibus in hac gente *lugere* non permissum, nisi in proximorum obitu; at Pontifici, cùm unicus foret, semperque deberet in atrio versari, omnia luctus signa, quocunque in funere, prohibita, imò ne ad mortui quidem cadaver unquam accedere, concessum est, quòd *corona Dei & sacra unctio* supra ipsum esset, Levit. *cap.* 21. *versu* 1. 2. & *seqq.* Qua de re V. Franc. Burmannum *Commentar. ad l. & Synops. Theol. Christ. Part. prior. lib. IV. cap* 8. § 32. Apud alias quoque Gentes multa lugentium in usu fuere, vestis squalida, barba demissa, crines & capilli seu detonsi vel passi, querelæ insuper & maledicta in Deos audita, lapidatæ eorum statuæ aræque &c. In [illegible]

Gentes, etiam dilectissimas demortuis uxores publicâ lege superaddunt, easque vivas cum defunctis maritis cremant, *luctum* verum non esse ratæ, qui eodem rogo ardere recusaret. Apud veteres Germanos *Lugendi* ritum describit Tacitus *de moribus Germ.* *Corpora*, inquiens, *clarorum virorum certis lignis cremantur, struem rogi nec vestibus nec odoribus cumulant. Sua cuiq; arma, quorundam igni & equus adjicitur. Lamenta ac lachrymas citò, dolorem & tristitiam tardè ponunt. Fœminis lugere funestum est, viris meminisse.* In quæ verba V. Matth. Berneggeri *Quæstiones* 142 143. 144. & 145. Plura v. hanc in rem, apud Kirchmannum *de Funeribus*, Besoldum *Classe* 2. *Disput.* 4. §. 44. Caspar Barthium *Animadversion. ad Statium passim*, inprimis *Theb. lib.* 5. *vers.* 125. & *seqq.* nec non *commentar. Superstitionum*, ut & hic non uno loco: in specie vero, de *capite foribus templorum illidendi*, in luctu, ritu, suprà, in voce *Fores*.

Lugentes, quinam olim dicti fuerint, in Ecclesia Christiana, V. suprà in voce *Hyemantes*.

Lumbricus, an a *lubricitate*, an à *lumbis*, vermis intestinorum: cui origo ab excrementis nondum excretis, Gr. ἕλμινς. Dividit a. ἕλμινθας Aristoteles *Histor. Anim. lib.* 5. *cap.* 19. in πλατείας, *latas*, στρογγύλας, *rotundas* & τρίτον γένος ἀσκαρίδας, *tertium genus ascarides.* Sed omittit quartum genus in stomacho & intestino magno nascentium, ac serpenti similium, observante *ibi* Cæs. Scaligero. Nec modò ex cibi recrementis, sed etiam potus reliquiis, nascuntur: Imò & ex urina, aceto, ac nive, uti docet Vossius *de Idolol. lib.* 4. *cap.* 67. quem V. etiam *ibid.* & *cap.* 71. ubi de cibo & ortu eorum, *capp.* 81. 86. & *seqq.* ubi de remediis inde aurium, dentium, oculorum, membrorumque dolori, vulneribus item varia.

Lumbus, à *lubedine*, Isidoro, virium sedes in animali. Nahum *cap.* 2. *vers.* 1. *Robora lumbos.* Et Psalmo 69. *versu* 24. *Lumbos eorum nutare fac.* Hinc Roboam Judæis, *Minimus*, inquit, *digitus meus crassior est lumbis patris mei*: & *elumbis* vulgo pro debili. Hos succingere ad iter parati solent. Unde inter quatuor animalia, quorum magnificus incessus est, Proverb. *cap.* 30. *versu* 31. זרזיר מתנים i. *succinctus lumbos*, recensetur: quo nomine Bochartus equum intelligit, animal superbi incessus & lumbos succingi solitum. Idem faciebant Pugiles decertaturi, Homerus *Il.* ψ. de Epeo & Euryalo,

—— ζωσαμένω δ' ἄρα τώ γε βάτην ἐς μέσσον ἀγῶνα.

Unde Hebræis verbum חלץ, à nomine חלצים *lumbos* denotante, est *ad militiam se accingere*, quia & milites super lumbos sese accingebant. Iisdem כסלים dicuntur, Levit. *cap.* 3. *vers.* 4. ubi de sacrificio Eucharistico offerre jubetur Sacerdos igne offerendum *adipem* &c. *Præterea renes ambos ejus & adipem, qui est super ipsos, qui est ad* הכסלים. Ubi voce hac *lumbos* denotari, docet Bochartus, quia illis non solùm vicini sunt renes, sed & prorsus incumbunt, iisdem adeps, quo renes ambiuntur, immergitur: videturque ex כסל ἰξὺς factum, quâ voce *lumbum* Græcis significari notum. Etymologus, ἡ ὀσφύς. Et vetus Auctor *Isagoges ad Medicin.* ὀσφὺν καὶ ἰξὺν nominari ait *eam partem, quâ cingimur & quæ spinam excipit*, h. e. lumbos. Quæ ambæ voces postmodum eò extensæ, ut partes quoque vicinas, putà ilia, & ossa ilii, adeoque os femoris huic suppositum, atque inde femur ipsum, denotarent. Qua de re V. Sam. Bochartum *Hierozoici Part. prior. lib. II. cap.* 45. de ritu verò sacro, *succinctis lumbis, calceatis pedibus & cum baculo in manu* (qui viatorum, eorumque qui operosum aliquid moliuntur, habitus est) comedendi Agnum Paschalem *eod. lib cap.* 50. uti de lugentium ritu, *cilicium lumbis imponendi*, in eadem gente, suprà ubi de *Lugentium Ritibus*.

Lumina, publici gaudii indicium. Suetonius de Cæsare *cap.* 37. *Gallici triumphi die —— ascendit Capitolium ad* lumina, *quadraginta elephantis dextra atq; sinistra lychnuchos gestantibus.* Quod triumphantibus saepius concessum, uti de Duillio, Cornificio, aliis, legimus. Sed &, sive privatim, sive publice læti aliquid obtigisset, luminibus accensis appensisque gaudium testari, antiquissimi moris fuit, estque ejus λυχνοκαΐας apud Græcos Latinosque Scriptores creberrima mentio. Unius Æschyli versiculos referemus, *in Agamemnone*, ubi lætitiam publicam ob nuntium Ilii capti describit,

Ἄλλη δ' ἄλλοθεν οὐρανομήκης
Λαμπὰς ἀνίσχει,
Φαρμασσομένη χρίματος ἁγνοῦ
Μαλακαῖς ἀδόλοισι παρηγορίαις
Πελάνῳ μυχόθεν βασιλείῳ.

Porrò in omnibus locis, quibus aliquid religionis tribuebant, *Lumina* constituebant Veteres: unde, ut ait Servius, lucos quidam putarunt dictos, quòd sint ibi *lumina* religionis causâ: quod etymon etsi aliis Criticis non arrideat, morem tamen arguit antiquum. Quin & in tumulis *lumina* accendebantur. Suetonius *Augusto cap.* 99. *Margaba —— tumulum ex triclinio animadvertit, magnâ turbâ multisq; luminibus frequentari.* Quæ consuetudo postea ad honorem Martyrum à Christianis translata est, ut indicat sæpe Hieronymus, V. suprà, in voce *Cereus*. Contrà Tiberius Cæsar *constantibus quod cœperat aggrediebatur si lucubranti —— lumen deciderit & extingueretur: ostentum id sibi suisq; Majoribus in omni ducatu expertissimum asserens* apud eundem Suet. &c. V. plura hanc in rem passim hic ubi de *Facibus*, *Lucernis*, *Luminum Festo*, aliisque.

Luminaris, Gall. *Luminiers*, in *Consuetud. Arvern. cap.* 2. *artic.* 7. & *capp.* 22. *art.* 16. Matricularii dicuntur, Procuratores Fabricæ, in Synodici: quod penes eos *luminarium concinnandorum* cura esset, apud Car. du Fresne *Glossar.*

Luminum Festum, Hebr. הדלקת נרות Gr. Λυχνοκαΐα, *Luminum accensio*, festum erat apud Hebræos, Encæniis Maccabaicis conjunctum. Quasi πυρσῶν, *Facularum* festum, quod erat Argivis anniversarium, teste Pausan. *Corinth.* seu Λαμπάδος, cujus nominis triplex erat Atheniensibus festum seu certamen; in Panathenæis, Hephæstiis & Prometheis, apud Harp. in Λαμπάς. Uti etiam in Christianismo, quum festo, quod Ὑπαντὴ & Ὑπαπαντὴ in Ecclesia utraq; antiquitus, pro Simeonis & D. N. J. C. in Templo occursu postrid. Kal. Febr. ex institutione Pelagii I. ac Justiniani I. celebrato, uti legimus apud Sigebertum A. C. 542. conjunctus tandem fuerit καθαρισμὸς, qui tunc temporis evenit Lucæ *cap.* 2. *vers.* 22. B. Mariæ Virginis seu *Purificatio*, Syris dicta *Introitus Domini N. in Templum*; huic adjecisse dicitur Sergius Papa, circa A. C. 690. seu sub Justiniano II. cereorum quotannis numerosissimorum usum solennem, velut ex ritu *Luminum* in Lupercalibus & Februis, eodem in mense, pro lustrationibus aut purificationibus adhibitorum, paganico, Christianismi festivitati aptatum, unde nomen ei à cereis illis seu candelis, *Chandeleur*, item *la Chandeleuse*, & similia in linguis provincialibus, ut in Germanica & Belgica *Lichtmesse*, in Angl. *Candlemasse*. Quo nomine quòd quidam accipiunt velut jam celebratum tempore Gregorii Naz. ex eo quod ille *in Orat.* 39. & 40. εἰς τὰ ἅγια φῶτα τῶν Ἐπιφανείων, *in Sancta Lumina Epiphaniorum*, habet τὴν ἁγίαν τῶν φώτων ἡμέραν, *Sanctum Luminum diem*, non leviter hallucinantur. Sic enim aliis dictus est Epiphaniorum dies, quâ baptismatis ejus, quo illuminavit homines, festum in illo celebratur. Nihil verò illic quicquam de candelarum aut facum lumine. Maccabaica autem *Luminum* accensio, sive ut pars Encæniorum, seu appendix singularis, sive ut festum per se cum Encæniis, habenda est. Josephus Φῶτα, *Lumina*, vocat, & ubi summam Hebræorum in Encæniis ipsis lætitiam ac felicitatem, anniversariamque, apud posteros, ejusdem observationem enarrat, *lib.* 12. *cap.* 11. Τὴν ἑορτήν, inquit, ἄγομεν καλοῦντες αὐτὴν φῶτα, ἐκ τοῦ παρ' ἐλπίδας οἶμαι ταύτην ἡμῖν φανῆναι τὴν ἐξουσίαν τὴν προσηγορίαν θέμενοι τῇ ἑορτῇ. *Festum celebramus, vocantes illud* Lumina; *opinor ideo, quòd ex insperato nobis illuxerit illa felicitas seu potestas.* Ubi Genebrardus, pro Φῶτα habet *la feste des lumieres*. Christiani subinde Josepho hic suppares, ut idem Genebrardus *in Kal. Hebr. Commentariis suis in Psalmos præfixis*, qui institutum vult, *ob Lumen Religionis à Macedonibus extinctæ recuperatum.* Ad Græca verò illa animadvertens Josephus Scaliger *de Emend. Temp. lib.* 5. *Atqui nos scimus, ait, per illos dies octo, tantum Lucernarum ab illis accendi, ut nusquam aliàs plus. Itaq; inde appellatio, τῶν φώτων καὶ τῆς λυχνοκαΐας.* Equidem verum, in *Luminum* adeò solemni, per Festi illius octiduum, in Synagogis singulisq; domibus, accensione, satis conspici videri nominis illius rationem. Sed origo omnino heic alia, cum accensionis ejusmodi alia causa, quæ, ut miraculum, eveniebat, in ipsa templi sacrorumque instauratione Maccabaica, à Talmudicis expressiùs assignatur. Nimirum scimus, ex Verbo Dei, Exodi *c.* 25. *v.* 31. & Numer. *cap* 8. *v.* 2. in Tabernaculo Testimonii lucernas septem candelabri sacri ramis & hastili impositas, quæ perpetuò ardentes, oleo puro e publico supplendo, alerentur, Levit. *c.* 24. *v.* 1. In Templo autem postmodum primo, decem fuisse, 1. Regum *cap.* 7. *v.* 49. quibus olei puri copia non impar. Similia in Templo secundo; quod cum profanaret Antiochus, adeo etiam ajunt Magistri eum, uti sacram supellectilem reliquam, ita & oleum, quantum nactus est, sacrum aut abstulisse, destruxisse aut polluisse, ut, quum repurgaretur jam Templum supellectilisque illius pars quælibet diligentius excuteretur, unicum tantùm olei sacri vasculum seu lenticula, sigillo munita Pontificis Max. intacta reperta fuerit: illam autem adeò fuisse exiguam, ut nec diei unici lucernis sola sufficeret. Atqui nihilominus, ne oleum deesset purum, adeò per octo illos Encæniorum dies jugiter ita, ex miraculo, oleum illud crevisse atque continenter repletum esse, ut satis inserviret lucernis in Templo dierum illorum cunctis; circa quorum finem (nam ob loci, unde sive olivas sive oleum ejusmodi afferri oportuit, distantiam, itineris sc. eundo & redeundo quatriduani, citiùs oleum sibi comparare nequibant) nec antè, oleum huic rei purum esse ab iis confectum, atq; in miraculi illius memoriam, in festo Encæniorum, tot *Lumina* perpetuò dein fuisse in Templo, dum stabat & postea in Synagogis domibusq; accendi solita. Hinc Gemara Babylonia. *ad tit. Sabbath. c.* 2. *fol.* 21, 2. ubi Festi hujus, ut die 25. *Casleu* celebrati mentio fit: *Cùm intraibant Græci in Templum, polluebant quidquid erat ibi olei* (ipsis repertum) *& invalescens dein Regnum domus Hasmonææ eos devicit, quæ dum scrutabatur, non inveniebat plusquàm lenticulam unicam, quæ maneret sub sigillo Pontificis Maximi intacta. In ea autem cùm nonnisi quantum haberetur plus olei, quàm quod accensioni diei unici sufficeret, miraculum in eo factum est, & inde accendebant per octiduum.* Et juxtà Maimonidis

Halach. Megilla Wechanocha cap. 3 §. 11. *Quando invaluere Israëlitæ adversus hostes suos & disperdidere eos die* 25. *mensis Caslev, introibant in Templum, ubi non reperiebant plus olei, quàm lenticulam unam: nec in ea erat plus quam accensioni tantum unius diei sufficeret. At nihilominus accendebant ex eo per totos octo dies, usq; dum scilicet contusis olivis ex eis oleum fieret purum.* Dein subjungit, *Et jam actam ob causam constituere Sapientes seculi illius, ut dies illi octo* (anniversarii) *quorum initium dies* 25. *Caslev, dies essent lætitiæ & laudationis. Et accendere mos est in eis* Lumina *tempore vespertino, ad ostium domorum, nocte qualibet noctium illarum octo, ut miraculum inde agnoscatur palamq; reddatur. Dies hi nuncupantur Encænia* seu *Dedicatio. Atq; interdicitur in eis luctus & jejunium, sicuti in festo Purim* seu *Sortium. Accensio etiam hujusmodi præceptum, ex Scribarum* (eorum, qui rebus præerant; qualis locutio passim denotat auctoritatem apud eos humanam, nec jus omnino aliquod divinum) *pendet, uti etiam Megillah* (seu libri Hester in festo Purim) *& quamplurima alia.* Benedictionibus, precibus laudationibusque festi dein ostensis, addit *Ibidem cap.* 4. accensionem fieri debere solennem, ut ad ostium domus cujusque, ita, ubi bina fuerint ostia adversas spectantia plagas Mundi, in utrisque accendendum semper fuisse. Etiam, ubi plures in ædibus habitarent, secundum eorum (tam fœminarum, quàm virorum) numerum, *Lumina* accendenda; & incolæ etiam unico, suum. Quinetiam nocte primâ, pro quolibet unicum Lumen; secundâ, pro quolibet duo, adeoque deinceps, ut tandem octo pro unoquoque ex familiis seu domibus singulis, nocte octava seu ultima, lucerent; licet hac de re mos varius subinde esset. Atque Gemaræ laudatæ & Maimonidis sequaces sunt, in disciplina jam de Encæniorum festo ostensa *Megillath Thaanith prac. affirm. ex sanctis Scribarum* 5. *fol.* 250. *col.* 3. R. R. Moses Kotzensis, Jacob ben Ascer, Joseph Karo, R. Alphes, ad eum R. Nissim, David Ganz, præter Ludovicum Mutinensem *degli Riti Hebraici part.* 3. *cap.* 9. Manasseh Ben Israel *Em Thesouro des preceitos cap.* 111. alios Rabbinorum. Scriptores autem aliqui Christiani, de ratione nominis, *Et accenderunt Luminaria multa, & dixerunt Festum Luminum: vel propter multitudinem Luminarium, vel quia tunc illuminaverat eos Deus sedentes in tenebris.* Sic Historia Ecclesiastica, quam & secuti sunt Commentarii Thomæ Aquinatis dicti & Hugo Karrensis, adjicientes etiam illud de igne ad sacrificia cœlitus tunc denuo dato (Vide his Josephum Ben Gorion *lib.* 4. *cap.* 20.) quasi & inde nomen *Festi Luminum* ortum habuerit. Et demum, cum nec apud Josephum, nec in Maccabaicis mentio aliqua deprehendatur lenticulæ istius olei, sed tantùm accensionis solennis adhibitæ, 1. Maccabæor. *cap.* 4. *versu* 50. sunt etiam apud Hebræos, qui miraculo illi locum hic tribui nolint, ut R. Azarias Edumæus *Meor Enajim Part.* 3. *cap.* 51. *fol.* 163, 1. V. Joh. Seldenum *de Synedriis Vett. Hebraeor. Lib.* 3. *cap.* 13. §. 9.

Luna, adde: Et tauro litabant, sicut Junoni agnâ. Cœterùm, uti sub Solis nomine omnes Deos mares, ita sub *Luna* omnes Deos fœminas coluit antiqua superstitio. Docet id Apulejus *Metam. lib.* 11. cum ait: *cujus numen unicum multiformi specie, ritu vario, nomine multijugo totus orbis veneratur. Omnes enim Deos inde deducit, Cererem, Deûm matrem, Minervam, Venerem, Dianam, Proserpinam, Junonem, Bellonam, Hecatem, Rhamnusiam, Isidem.* Apud Sidonios culta est sub nomine *Astaroth*, 1. Reg. *cap.* 11. *vers.* 5. & 2. Reg. *cap.* 23. *vers.* 13. Unde Lucianus *de Dea Syria*, Ἀστάρτην δ' ἐγὼ δοκέω Σεληναίην ἔμμεναι, *Astartem Lunam esse opinor.* Nec obstat, quod Augustinus *super Judic. quæst.* 16. Astartem Junonem vocat: Juno enim cum *Luna* non raro confunditur. Hinc utraque *Uraniæ* nomine venit: & quemadmodum *Luna*, respectu luminis sui *Urania*, ita respectu minorum siderum Ἀστροάρχη dicitur, h. e. *Regina Planetarum*, seu, ut Hor. ait, *Siderum regina*; quemadmodum de Junone Virgilius,

— — *Divûm incedo Regina.*

Proin non immeritò creditur fuisse, *Regina cœli*, cujus mentio Jerem. *cap.* 7. *vers.* 18. & Jerem. *cap.* 44. *vers.* 17. Porrò, annon *Luna* erat, quam, dedicatis ei singulorum mensium Kalendis, venerabantur prisci: At Junoni illas dedicarunt, quæ proin *Kalendaris* dicta est, &c. Nec omittendum, quod Macrobius narrat de *Lunæ* cultoribus, *Saturnal. lib.* 3. *cap.* 8. viros illi fœmineo, fœminas verò virili habitu sacra fecisse, nempe ambigui sexûs *Luna* erat, unde modò *Lunus*, modò *Luna* priscis appellata. Non absimilem idololatriam in cultu Veneris prodidit Jul. Firmicus *de errore profan. Relig. cap.* 4. Quò respexisse Deum Deuter. *cap.* 22. *v.* 5. cum prohibuit, *Ne esto instrumentum virile super fœminam, neq; induito vir vestem fœminæ*, putat Majemonides *in More Nebochim part.* 3. *cap.* 38. V. Thom. Godwynum *de Ritibus Hebr. lib.* 4. *cap.* 6. De opinione verò vulgi, quâ in Eclipsi *Luna* avelli astris, & tinnitibus æris juvari, item quâ vapulare à Magis, credita. V. Casp. Barthium *Animadversion. ad Papin. Statium Theb. lib.* 6. *v.* 685. & *seqq.* Per tralationem Poëtis curvatura omnis *Luna* dicitur, ut *Patritia Luna*, in calceis Patriciorum, Statio *in Sylv. Lunata Liburna*, apud Lucanum *lib.* 3. *Lunata æquora*, in *Surrentino* Pollii: *Lunatum agmen* Amazonum, ab incurvis peltis, eidem Statio *Thebaid. lib.* 5. *Lunata eburneo dente monilia*, *lib.* 9. *Lunata ora aprorum lib.* 3. &c. Pulchre Propertius, in pugna Actiaca, *lib.* 4. *Eleg.* 6.

Tandem acies geminos Nereus lunarat in arcus,
Armorum & radiis picta tremebat aqua.

V. iterum Barthium *d. l. vers.* 207. & passim alibi.

Luna, nomen illustris in Hispania Familiæ, quæ Pimentelliæ stirpis ramus est. In qua Vasco inprimis Martinus Pimentellius, in præcipuo honoris gradu, apud Alfonsum III. Portugalliæ Regem, viguit, sed eo inimicorum odio dejectus est. Ejus pronepos Rodericus cognom. *Bonus* genuit Johannem Alfonsum, cui Henricus III. Castellæ R. Beneventum seu *Benavente*, cum tit. Comitis concessit: hoc Rodericus Alfonsus natus est, pater Johannis Alfonsi, in quo Com. *de Mayorga* titulus cœpit, atque Alfonsi. Alfonsus, ex minori filio Petro Dn. *de Villafafila*, avus exstitit Bernardini L. M. de Tabara & reliquorum satoris. Major verò ejus filius Rodericus Alfonsus Ludovicum March. *de Villa franca* (cujus filia, Maria, nomen Pimentellium & Villam Francam Toletanis intulit) atque Alfonsum Com. Beneventanum: hic, Antonium Alfonsum, reliquorum Comitum satorem atq; Petrum Philippi I. gratiâ Marchionem *de Viana*, in Gallæcia, creatum ac novæ lineæ caput, genuit. E quibus Antonius Alfonsus Pimentellius, primus *Comes de Luna & de Benavente* dictus est, utpote patri genitus ex Catharina *Quinnones* Com. *de Luna*, cujus Majores sic habent. Bernardinus *de Quinnones* Com. *de Luna*, ex Isabella (fil. Alvari Perezii Osorii March. *de Astorga*) pater fuit Francisci, mariti Mariæ Mendozæ, & ex ea patris Claudii: quo & Catharinâ Pimentelliâ (fil. Alfonsi, nepte Roderici Alfonsi) genitus Ludovicus Mariam sibi junxit Cortesiam (fil. Ferdinandi Cortesii March. *del Valle*) atq; ex ea suscepit præfatam Catharinam, quæ nupta Johanni Alfonso Pimentellio Antonium Alfonsum, de quo itidem dictum, genuit. Huic verò Maria Pontia *de Leon* (fil. Roderici Pontii *de Leon Dn. d'Arcos*) peperit, Johannem Alfonsum Pimentellium Com. *de Mayorga*, Rodericum Alfonsum Pimentellium, Claudium *de Quinnones* & Ludovicum Pimentellium, qui omnes circa A. C. 1618. floruere. V. Phil. Jac. Spenerum *Theatr. Nobil. Europ. Part. II p.* 83. De Alvaro verò *de Luna*, qui Johannis II. Castellæ R. gratiâ per 30. annos floruit, tandem verò e felicitatis hoc apice deturbatus, capite tandem plexus est, diximus suo loco.

Lunati Calcei, V. infrà in voce *Lunula*.

Lundia, adde: Hujus Episcopum Georg. Scheeburgium Vicecancellarium suum, ob literas ad Pontificem de minus honesto cum Sigbritta commercio, ac excommunicatione protinus tentanda scriptas, cùm persequeretur Christiernus II. Daniæ R. capitulum *Lundense*, ad tradendam Ins. Bornholmiam & alia ad patrimonium Cathedrale spectantia adegit: quæ non minima odii causa fuit, quod præfatus Rex, ingenti suo damno, incurrit. Phil. Jac. Spenerus *Sylloge Geneal. Histor. in Fam. Oldenburgo-Danica.*

Lungyen, h. e. *Draconis oculus*, dicitur in Imperio Sinensi fructus rotundus, cortice fructui *Lichi*, de quo suprà, non absimilis, nisi quòd paulo minor ac rotundior est, ut cerasa fere Europæ majora, & pelle aliquantulum duriore, quàm Lichi, magisque squamosâ tegitur. Exsiccant & hunc Sinenses, & per totum Imperium ad delicias etiam siccum distrahunt, qui tamen nullo modo cum recentibus comparari potest, cùm suavissimus ille succus totus fere exhalaverit. Exprimitur indidem succus, & liquor, quem vinum Sinenses vocant, suave satis, at rarius. Auctor. Anon. *Sina & Eur. cap.* 56.

Lunula, in calceis Senatorum, apud Romanos. Unde Juvenalis *Sat.* 7. *versu* 190.

——— ——— ——— *Nobilis & generosus*
Appositam nigræ Lunam *subtexit alutæ.*

Hinc *Lunata pellis*, Martiali *lib* 1. *Epigr.* 49. *Lunata lingula* eidem. *lib.* 2. *Epigr.* 29. &c. Sed non nisi in eorum, qui Patricii erant, unde *Patriciam Lunam* vocat Statius *Lib.* 5. *Sylv.* 2. reliquorum enim calceos non *Lunatos*, licèt diversos à plebejis, fuisse, constat ex Cic. 13. *Philippica*, donec sub Imperatoribus in caligas sunt mutati. Quare verò Patres illi, qui generis nobilitate aliis præstabant, hoc insigni in calceis uterentur, Plutarchus *in Romaicis* multas adfert rationes. Vel quòd signum id esset habitationis supra Lunam, quodque post mortem rursus animæ Lunam sub pedibus essent habituræ: Vel quòd Arcades, ad quos nobiles ii genus suum referebant, calceis ita insignitis usi fuissent, quòd ante Lunam natos se crederent: vel ut, secundis rebus elati ac superbientes, mutabilitatis rerum humanarum admonerentur: vel inde obedientiæ sumerent exemplum, neque præstantioribus parere recusarent, quemadmodum Luna Solis radiis perpetuo intenta, secundas ab illo partes in orbe illustrando agit &c. Isidorus addit *lib.* 19. *Orig. c.* 14. non sideris corniculantis effigiem *Lunulam* illam, sed numeri centenarii notam expressisse: ut nimirum inde posteri nossent, in ipsis nascentis Reipublicæ Rom. primordiis, Senatores tantùm centum numero fuisse. Quod Eruditis ac Zonaræ inprimis arrisit, qui Patricios ait in urbe calceos gestasse, corrigiarum inflexione & formâ literæ C. adornatos, ut sic à primis centum Senatoribus originem se ducere demonstrarent. Quid autem propriè in calceis esset illa *Lunula*, & cuinam illorum parti adsuta, multum ambigitur. Communis doctorum Virorum opinio est, insigne hoc Patricii calcei fuisse fibulam eburneam Lunæ corniculantis specie, in malleolo pedis. Sed assensum non impetrant ab Alberto Rubenio, qui in antiquis

statuis fibulas calceorum, non apponi malleolis pedum, sed in superiore parte pedis, observavit. Nonnulli per *Lunulam* patriciam uncinum intelligunt, in prima calcei fronte infixum, verùm hi uncinatos sive repandos cum lunatis calceis confundunt; Philostratusque *Lunulas*, non in anteriore calcei parte, sed circa talos pedis fuisse appositos, docet. Vocat autem is *Lunulam* istiusmodi ἐπισφύριον ἐλεφάντινον μηνοειδὲς, quod quidam reddunt, *Fibulam eburneam corniculantis Lunæ imagine*: Sed Grammatici veteres, vocem Græcam aliter plane capiunt. Didymus, Ἐπισφύρια, τῶν τῶν σφυρῶν καλύμματα, *malleolorum tegumenta*. Hesychius, Ἐπισφύρια· τὰ καλύπτοντα τὰ σφυρὰ ἐπισφύρια, *quæ tegunt malleolos* &c. Unde tum Heroum apud Homerum ἐπισφύρια fuisse ornamenta quædam ex argento vel auro, circa talos aut malleolos pedum: tum Patricios Romanorum calceos eodem in loco ornamentum eburneum, ad formam mediæ Lunæ, habuisse, colligit Alb. Rubenius præfatus *de Re vestiar. lib. 2. cap. 1.* His tamen non obstantibus, Balduinus, Tiraquellum *suis Annot. in Alexandrum Neap. lib. 5. cap. 8.* secutus, *Lunulas* illas fibulas fuisse, ornandis simul ac constringendis calceis idoneas, contendit. Unde signanter Statius *L. 5. Sylv. 2.*

Primaque Patriciâ clausit vestigia Lunâ.

Et Vopiscus *in Carino*, cum eum *fibulis gemmeis* usum fuisse notat, indigitare videtur fibulas ad modum crescentis Lunæ corniculantes, easque plures ac gemmeas, ad pompam ac ostentationem, sic forte dispositas, ut apte digestus earum ordo, ab extremo calceorum acumine, vel ab ea item parte, quâ pes tibiæ conjungitur, ad eam superiorem, quæ crus medium attingebat, recta per medium ascendens protenderetur. Putat ergo Balduinus, in ea parte calcei, quæ pedem operit, quaque pes anterius tibiæ committitur, *Lunulas* illas locum habuisse: Ubi nimirum tali eorum integumenta, cum iis, quæ reliquum pedem operiunt, juncta concurrunt, indeque, secundum anteriorem tibiæ partem divisa, in altum assurgunt, invicem vel corrigiis, vel etiam fibulis constringenda. Favet sententiæ icon calcei *Lunati*, quam è Catano idem exhibet: In illa namque *Lunula* visitur apposita illo loco, ubi extremitates calceorum inter se coeunt. Ipsorum enim id usus præstitisse videtur, ut transmissa per annulatum utrinque foramina calceum contineret, V. B. Balduinum *de Calceo cap. 9.* cui adde Andr. Tiraquellum præfatum *de Nobilitate cap. 37.* Thom. Dempsterum *Antiqq. lib. 5.* Lud. Cressolium *Vacationum Autumnal. lib. 1. cap. 5.* Just. Lipsium *ad Senecam de Tranquill. Animi cap. 11.* Anton. Popmam *Notis ad Historicorum vett. Fragmenta*, Dionysium Gothofredum *ad Pandecten Juris Civ. pag. 1933.* Salmasium *ad Aurelianum Vopisci*, Alios. In luxu Israelitidum *Lunularum* quoque meminit Esajas *cap. 3. versu 19.* quæ μηνίσκοι LXX. Isidoro *ornamenta* fuere *mulierum*, *in similitudinem lunæ*, *bullula aurea dependentes*, *lib. 19. cap. 31.* Ambrosio *crepundia collo gemmifera lunulis pendentia*: Hieronymo, *lunaris forma numismata*, *in fronte facinorarum pendula*; cujusmodi ornatu hodieque gaudere in Oriente mulieres, legas apud Macrum *Itinerar. ad montem Libanum*. Sed & formâ *lunatâ* fuisse Vett. fibulas, innuit Plautus *Epidico Actu 5. sc. 1.* ubi *Lunellam*, seu, ut alii legunt, *Lunulam*, natalitio die cum armilla & annulo, datam memorat, V. Thom. Bartholinum *de Armillis Veterum* &c.

Lunus, Carrenorum Numen. Æl. Spartianus de Caracallo Imp. *Quum iterum vellet Parthis bellum inferre, atque hybernaret Edessæ, atque inde Carras Luni Dei gratiâ venisset — interemptus est* Ex quo, *Quoniam Dei Luni fecimus mentionem, sciendum doctissimis quibusque id memoriæ proditum, atque ita nunc quoque à Carrenis præcipuè haberi, ut qui Lunam fœmineo nomine ac sexu putaverit nuncupandam, is addictus mulieribus semper inserviat. at verò qui marem Deum esse crediderit, is dominetur uxori — Unde quamvis Græci & Ægyptii eo genere, quo fœminam hominem, Lunam Deum dicant, mysticè tamen Deum dicunt.* Nempe Carreni Lunam marem esse censebant, adeoque masculino solum genere enuntiabant: quemadmodum in variis linguis Orientis, Judaica inprimis ac Arabica, nomina non fœminei solum, sed & virilis generis, id sidus habet. Unde factum, ut alii pro Deo, alii pro Dea, alii pro utriusque sexus Numine habuerint. Græci nomen non habent, quo *Lunum* appellent. nam quod Μηνὸς nomine apud Strabonem quidam hunc Deum velint intellectum, falluntur, ut videbimus infrà, in voce *Menis*. Interim ut fœminam ἄνθρωπον, sic Lunam θεὸν, fœminino quidem utrumque genere, sed enuntiatione masculinâ, appellant: quod dicere voluit Spartianus. V. Salmasium *ad l.* & suprà ubi de *Diis Gentilium*, nec non in voce *Luna*.

Lupanar. V. infrà, ubi de *Prostibulis*.

Lupanta, apud Peguanos, serpentis, à quo mulierum prima seducta, nomen, Pinto *Itinerar. p. 313.* ubi à Sacerdote quodam Peguano totam de Hominis lapsu historiam, mutatis fere tantùm nominibus, sibi ita relatam, ut ex ipsa historia sacra recitatam crederes, narrat Auctor, laudatus Tob. Pfannero *Systemate Theol. Gentil. purioris cap. 7. §. ult.*

Luparii, Gall. *Louvetiers*, in Gallia inprimis, appellati, qui *lupos* ex instituto, vel ex officio insectabantur ac venabantur. Cùm enim, Septentrionalium gentium crebris incursibus, magna vastitas Regno illata esset, tantopere hæ feræ multiplicatæ sunt, ut publicis Regum Edictis in eos populum armari semel atque iterum esset necesse. Nam præter quod habetur in *L. Burgund. tit. 46.* ita *Capitulare de Villis cap. 69.* *De lupis omni tempore nobis adnuntient, quantos unusquisque comprehenderit & ipsas pelles nobis præsentare faciant: & in mense Majo illos lupellos perquirant & comprehendant tam cum pulvere & hamis, quàm cum fossis & canibus* & *Capitulare 2. anni 813. cap. 8.* *Ut Vicarii* Luparios *habeant unusquisque in suo ministerio duos — & ipsa pelles luporum ad nostrum opus dentur*, V. infra *Lupina-Pellis*. Sed & proposita iis præmia, a quibus caperentur, docet ex *Computo* Ballivorum Franciæ C. du Fresne. Instituti dein *Luparii*, in singulis forestis: sed maximè in singulis provinciis; quibus præest Magnus Franciæ Luparius, *le grand Louvetier de France*, quâ dignitate cohonestari Magnates solent, ut *Luparitorum* in provinciis Viri etiam nobiles: V. de *Lupariorum* officio & juribus *Consuetudinem Hannon. cap. 99.* De *Lupis* in Anglia, ab Edgaro R. ita deletis, ut plane nulli ab eo tempore in illo Regno appareant, diximus *alibi*. Ethelstano R. id videtur adscribere *Historia* fundationis Hospitalis S. Leonardi, infra civ. Eboracensem *Monastic. Anglic. Tom. II. pag. 368.* Extitisse tamen *lupos* in Anglia, etiam longe post Edgarum, ex *LL.* Henrici I. Regis *art. 90.* arguit præfatus du Fresne, quem vide hanc in rem, in *Glossario*, ut & infrà, in voce *Lupus*.

Lupata, a; ut Martialem *lib. 1. Epigr. 105.*

Mordent aurea quòd lupata cervi,
Quod frenis Libyci domantur ursi &c.

genus freni asperrimi, à *lupinis dentibus* dicti, *qui inæquales sunt, unde etiam eorum morsus vehementior*, Servius. Hinc *dura*, Statio *Theb. l. 4.*

——— *non spumeus imber*
Manat equûm: duris illidunt ora lupatis.
Ora catenatas procul exertantia linguas &c.

Aliàs *lupi*, quoque. Ovidius *Trist. l. 4. Eleg. 6.*

Tempore paret equus, lentis animosus habenis,
Et placido duros accipit ore lupos.

Integrè *lupata frana*, Horatio *l. 1. Carm. 8.*

——— *Gallica nec lupatis*
Temperet ora frenis —

Fiebant nempe *Lupata* multis nodis ferreis olivarum instar, ac sibi cohærentibus, uti etiamnum fiunt. Pollux τοῦ χαλινοῦ τὰ ἐνδέχεται ἀκροφεῖ ἢ ἐχινῶδες τραχύ. A cujusmodi inæqualitate radici cyperi *curcuma* nomen indidere recentioris ævi Scriptores, quæ vox propriè frænum, seu *lupatum* denotat, ut suprà vidimus. Xenophon *de Re Equ.* hoc genus fræni dicit habere orbiculos & graves & breves, seu ἐχίνους ὀξεῖς, *asperos instar aculeatorum herinaceorum*: qui orbiculi & circuli dicuntur Platoni *de LL. lib. 3.* ψάλια, & tropicè sumuntur pro moderamine ferocientium animorum &c. Hinc equi, hujusmodi frænis tracti, λυκοσπάδες dicuntur Græcis, de quibus V. Plut. *l. 2. Symposiac. Quæst. 8.* V. quoque suprà, ubi de equorum *Frenis*.

Lupia, à Rege Salentino Malennio, Dasummi filio, conditæ, memorantur Jul. Capitolino *in Marco Antonino Philos.* ubi Regius codex *Lopias* habet: Λουπίαι dicuntur Straboni *l. 6.* in μεσογαίᾳ Salentinorum, Casaub.

Lupiferi, inter vexillarios Ecclesiæ Rom. recensentur Petro Diacono *Chron. Casin. l. 4. c. 37.*

Lupina-Pellis, vulgò *Pel de lou*, cognomen Nobilis cujusdam Radulfi, apud Albertum Aquens. *lib. 2. cap. 9.* de quo quædam Car. du Fresne adnotavit, *ad Alexiadem p. 240.* quòd tunicâ ex pelle luporum confectâ esset indutus. Ex pellibus enim *lupinis* non minùs, ac ex lutrinis, tunicas olim in Gallia fieri consuevisse, docet Landulphus de S. Paulo *in Chronico Mediolanensi c. 10.* quas proin servientibus *Luparii* fuisse imperatas, ostendimus suprà, ut & patet ex *Statuto* Forestarum A. C. 1397. *art. 37.* apud du Fresne.

Lupinarii, apud Lampridium *in Alexandro Sev.* *Corpora omnium constituit vinariorum*, lupinariorum, *caligariorum & omnino omnium artium: hisque ex sese defensores dedit & jussit quid ad quos Judices pertineret*: videntur fuisse *lupinorum* negotiatores. Sed cùm hujus negotiationis nullam Vett. mentionem faciant, nec *Lupinariorum* proin hocce corpus concoquere possit Casaubonus, quærit secum, an non *Popinariorum* sit scribendum?

Lupinum seu *Lupinus*, apud Horatium *Epist. 7.*

——— *quid distent æra lupinis:*

leguminis genus, quod Græci vett. θέρμον, recentiores λουπινάριον dicunt, juxta epitheton Virgilii,

——— *tristesque lupini*,

ab amaritudine, cujus siliqua solet quina vel sena ferre grana, dura, lata & rufa, quibus maceratis boves aluntur: pueri v. talibus granis utuntur lusitantes calculorum loco, nec multùm hæc ab æreis nummis distinguunt. Sed & Comicos olim in scena nummis ex *lupino* simulatè factis pro veris usos, hincque Plautum lupinos *aurum Comicum* appellare, notat Jac. Dalechampius, apud Chabotium *ad h. l.* Sunt tamen, qui *ervum* reponant, apud Horatium, qua de re alibi. Idem verò & Philosophorum olim, Cynicorum maximè, cibus fuit inprimis consuetus: quo horum proin pera semper referta. Versus Cratetis apud Aristotelem,

Οὐκ εἶδε πίσω οὔλησιν ἄλλων ἔχει
Θέρμου τε χύτης —

Unde detonsæ Stoicorum & Cynicorum juventuti *siliquas* & *polentam* pro cibo assignat Satyricus, ἄλφιτα καὶ θέρμους. V. Salmas. *ad Solinum pag.* 460. & suprà ubi de *Leguminibus*. Sed & *lupinum*, inter pondera, duo κεράτια pendebat, κεράτιον autem textam partem scripuli faciebat, Idem *p. seq.* &c. Plura de *lupino*, apud Plin. *l.* 18. *c.* 15. alibique passim.

Lupoldus, V. in vocibus *Leopoldus* & *Luitpoldus*.

Luppas, cognom. Hypatii, qui tyrannidem arripuerat; in cujus tumulo dicitur à Justiniano inscripta tabula, hisce verbis, Ἐνθάδε κεῖται ὁ βασιλεὺς λύππας, in *Chron.* Alexandr. *p.* 748.

Lupum, seu *Lupus*, fluvius Galliæ, à Provincialibus *le Loup* nuncupatus, non longe a Varo in mare Gallicum delabitur. *Fluvium Lupi in pago Vencensi*, vocant literæ datæ A.C. 1103. aliæ aliter, atque Monasterium S. Verani ac Puteum locum ita dictum, ad eum amnem ponunt. Quemadmodum Græci Ponti fluvium Λύκον *Lycum*, id est, *Lupum* vocavere: Byzantii similiter *Lycum* suum, amniculum urbi proximum, habuere. Hadr. Valesius in voce *Lupa*: item in voce *Vinticum*, ubi eum cis Varum in mare decurrere docet.

Lupus, Dux Severi Imp. ab Albini militibus victus, de quo V. Casaubonum *ad Severum Spartiani*.

Lupus, Græce λύκος, à verbo λεύσσειν, *video*; namque ὀξυωπέστατόν ἐστι ζῷον καὶ μὴν τῆς νυκτὸς, καὶ σελήνης οὐκ οὔσης, ὁ δὲ ὁρᾷ: *acutissimi visus est animal: quippe etiam noctu, & luna non lucente, videt*, Ælianus *Histor. lib.* 10. *cap.* 26. cujus causa ex Plinio patet, qui oculos *lupo* splendere & lucem jaculari asserit, *lib.* 11. *cap.* 37. Unde Apollini, ut Deo perspicacissimo, eum sacrum voluere Veteres. Quin ipsum Apollinem in *lupo* coli solitum, in Ægypti Thebaide, Macrobius asserit, *Saturnal. l.* 1. *c.* 17 ubi de Lycopolitanis. Inprimis verò sub vesperam acutissime videt. Habacuc *cap.* 1. *versu* 8. *Acutiores sunt lupis vespera*, i. lupis vespertinis. Hinc eo potissimum tempore se prædatum conferunt, ut ex sacris profanisque Scriptoribus passim liquet. Virgilius *Georgic. l.* 4.

Vesper ubi è pastu vitulos ad tecta reducit,
Auditisq; lupos acuunt balatibus agni.

Arabibus proin *alassaso*, i. *nocturnus erro*, lupus appellatus. Quamvis & alia causa subsit, cur lupo id magis proprium, ut noctu ad prædam divagetur, quam leoni, pardo aut urso, quia viz. ei, ut minus virium, ita minus audaciæ est. Interim, quidquid agendum sibi proponunt, acriter exequuntur & summa contentione. Virgilius,

——— *Et genus acre luporum.*

Quare & hanc ob rationem ὀξεῖς, i. *acres* dici potuerunt Prophetæ. Hebr. זאב *Zeeb*, q. *aureus*, vocatur, ab aureo colore: quo, e quinque luporum speciebus, quas Oppianus describit *Cynegetic. l.* 3. tertia insignis est, in Cilicia & prope Amanum degens, quam proin χρυσεῖα, i. *aurei*, epitheto ab incolis insigniri addit. Ex Hebræo deducta sunt, Chaldæum *deba*, Syrum *deba* vel *diba*, & Arabicum *dib*. Fortè etiam *Davus*, Græce Δάος, quâ voce Phryges lupum significasse, ex Hesychio discimus. Inde lux Sibyllæ oraculo, *de Lupis Byzantium invasuris*, quod refertur a Tzetze *Chil.* 9. *Histor.* 288 Lupi enim illi Turcæ sunt, oriundi à Dais circa Oxum, uti conjicit Bochartus. Etsi autem de *Lupo* pauca tradant Sacri Scriptores, tamen illius ingenium nobis graphicè describunt. Primò enim illum proponunt tanquam summè rapacem, Genes. *c.* 49. *v.* 27. Ez. *c.* 22. *v.* 27. Matth. *cap* 7. *versu* 15. & Joannes *cap.* 10. *versu* 12. Quod lupo maxime convenit, qui vulgò Poetis *rapax* & *raptor* Virgilio *Æn lib.* 2. Horatio *lib.* 4. *Ode* 4. Ovidio *Tristium lib.* 1. *Eleg.* 5. Aliis: hocque velut peculiare munus à Jove demandatum sibi vindicat, apud eundem Virgil. *Georg. l.* 1.

Ille malum virus serpentibus addidit atris,
Prædarique lupos *jussit* ——

II. Ut vastatorem & sanguinarium, Jerem. *c.* 5. *v.* 6. Ez. ubi suprà, & Actor. *c.* 20. *v.* 29. Unde Ovidius de Lycaone in lupum mutato, *Metamorph. l.* 1. *Fab.* 6.

—— —— *solitaq; cupidine cædis*
Utitur in pecudes, & nunc quoq; sanguine gaudet.

Nempe non solùm jugulant lupi, quantum sufficit, ad famem explendam, sed totum gregem passim interimunt, nisi latratu canum, aut clamore pastorum, absterreantur. III. Ut voracissimum atque avidissimum animal, Sophon. *cap.* 3. *vers.* 3. Unde *belluo* Arabibus, notumque Prov. *lupo avidior*. Ita enim vespertinam prædam absumunt, ut ad matutinum tempus nec ossa quidem relinquant: quod si totam per ventris angustias absumere nequeunt, partem inviti relinquunt. Quò respiciens Mithridates, Romanos, tanquam lupæ uberibus altos, luporum animos habere asserebat, *inexplebiles sanguinis, atq; imperii, divitiarumq; avidos ac jejunos*, apud Justinum *l.* 38. IV. Ut vespertinum, tempus sic, quo prædatum se confert, apertè designantes, inter alia Genes. *cap.* 49. *v.* 27. *Benjamin lupus rapiens* —— *ad vesperam dividit spolium*. De tempore aliquid jam diximus. Quod de *divisione* hic dicitur, non ad omnes lupos spectat. Quidam enim sunt μονόλυκοι, aliàs μονόλυκοι & μονιοί, Gall. *loupgarouk*, qui soli venantur, V. suprà in voce *Guaratores*. Alii gemini prædatum exeunt, Ælian. *libro* 15. *capite* 3. Unde Statius *Achilleidos l.* 2.

—— *procedunt gemini, ceu fœdere juncto,*
Hyberna sub nocte lupi ——

Sæpe etiam turmatim eunt, si majus periculum imminet, Xen. *Hipparchico*. Tumque prædam communi labore partam inter se dividunt, & quisque partem sibi sumit, voratque illico si potest, aut in posterum seponit, postquam abunde pastus est. V. Ut ὀξυωπέστατοι visu, qua de re aliquid suprà; cursuque, Habac. *d. l.* Hinc in variis luporum speciebus, unus τοξευτής, *jaculator*; alius κίρκος *circus* vel *accipiter*, uterque à velocitate cursus dicitur Oppiano ubi suprà. V. Ut ovibus infestissimum, Matth. *c.* 10. *v.* 16. alibique. Certe odium hoc acre adeò, ut illud nunquam deponant lupi, etiamque saturi totos greges jugulent: lupique hinc fidibus agninæ male obstrepant, quod Cardanus tanquam rem certam asserit, desumptum ex Oppiani *loco cit.* qua de re V. Vossium *de Idolol. l.* 3. *c.* 77. E quibus prædictis, inter Lupos & falsos Doctores, ut & inter Lupos & tyrannos plerumque persecutores, comparationem instituunt frequentissimam, V. Matth. *cap.* 17. *vers.* 15. Actor. *cap.* 20. *vers.* 29. Ez. *cap.* 22. *v.* 17. &c. At quod Benjamin lupo assimilatur, in ultimis Jacobi, a fortitudine est. Animo enim & robore lupi non parum valent, hinc & *Marti* dicati à Gentilibus, & propterea *Martii* ac *Martiales* passim appellati, Virgil. *Æn.* 9. Horatio *lib.* 1. *ode* 17. aliis. Unde & nonnullas gentes lupino ululatu, tanquam incentivo carmine, ad pugnam se incitasse, legimus; Abaros, apud Suidam: Cimbros Teutonosque, apud Plin. *l.* 16 *c.* 4. *luporum* quoque nomen fortissimis viris quandoque inditum, ut de Hercule habet Lycophron *Cassandrâ*. Etiam in signum militare Romanis antiquitus lupus placuit, tum ob causam dictam, tum in honorem Romuli Remique, quos aluisse lupam creditum. Et *lupo* armatum caput non pauci vett. Heroum habuere, uti docet Car. Paschalius *Coronar. lib.* 10. *cap.* 17. & *seqq.* De cultu quod ante dictum, confirmat id de Lycopolitanis Clem. Alexandr. *Recognitionum lib.* 10. & Ælianus *Histor. Animal. lib.* 9. *cap.* 18. quorum hic propterea illos venisse, ne quis in terras suas herbam λυκοκτόνον, i. *lupicidam*, propè Nilum crescentem, lupisque exitiosam, inferret, scribit. Sed & Delphis id animal πρεσβεύ... coli solitum, quia indicium sacri fecerit auri furto subrepti, inque Parnasso defossi, refert idem ex Polemone, *lib.* 12. *cap.* 40. qua de re V. Vossium, ubi suprà *c.* 75. Regiones quod attinet *luporum* feraces, Arabiam illis scatere notissimum est, ex Agatharchide *lib.* 5. *cap.* 45. Strabone *lib.* 16. Diodoro *lib.* 3. Aliis: ex quibus frequentem ibi lupum, & minimum centinomium esse discas. Unde ultra centum esse nomina, quibus hoc animal indigitent Arabes, docet Bochartus. Sed & aliæ iisdem refertæ fuere, unde omni nisu in id passim incubuisse incolas, ut ab hac peste liberarentur, legimus. Sic apud Athenienses, quorum terra melior pascendo pecori, quàm colendis agris, esset, legem tulit Solon, ut ei, qui *Lupum* attulisset, drachmæ quinque darentur, qui *Lupam*, una: Τῷ κομίσαντι λύκον, πέντε δραχμὰς δίδοσθαι· λυκιδεὺς δὲ μίαν. Quam Plut. refert in *Solone*, e Demetrio Phalereo, ubi verba Latinè sic habent: *Ei qui Lupum attulerit, quinque drachmas dedit: unam ei qui lupam. Quorum illud bovis, hoc ovis pretium esse ait Demetrius Phalereus. Antiquitus autem in more positum Atheniensibus fuit, contra lupos pugnare; quoniam regio eorum pecori magis pascendo, quàm frugibus serendis, apta.* Ejusdem meminit Scholiastes Aristophanis *ad Aves*: Ἐπεὶ τοὺς λύκους ἀπὸ τοσούτου τε παλαιοῦ ἐν τῇ Ἀττικῇ, καὶ τίμιος ἦν λυκοκτονεῖν. Διὸ ... τάλαντον ἐλάμβανεν ὁ δὲ τὸν λύκον, δύο. *Quoniam lupos occiderunt olim Athenienses, lexq; hac de re lata erat, ideò qui lupi catulum interemisset, talentum accipiebat, bina verò, qui lupum.* Ubi in præmio mendum esse, constat e Plutarcho. V. Sam. Petitum *Comm. in LL. Attic. lib.* 5. *tit.* 2. In Anglia eadem severitas circa hoc ferarum genus viguit, ut postea aliquamdiu circa vulpes etiam, catos sylvestres, mustelas, lutras, quadrupedes alios; item circa aves aliquot frugibus aut pullis infestiores, teste Guil. Malmesburiensi *de Regibus Angl. lib.* 2. *cap.* 8 *Escaetria Anno* 27. *Henrici III. Leycestria*. Unde *capitis Lupini* nomen usurpatum est pro eo, quem non solùm cuique licuerit occidere (quod seculis abhinc aliquot prorsus evanuit) sed ob cujus mortem sic inflictam laus saltem, ut præmium publicum, singularis debita eo nomine fuerit interfectori, Henricus Bractonus, vetustius apud Anglos JC. *de Corona lib* 3. *cap.* 13 § 3. anno Christi 1240. auctor est: *Item forisfacit Utlagatus* (quidem apud Anglos est, quod apud Venetos *Bannitus*, apud Hebræos, impunè à Zelotis occidendus, sic dictus, *quasi extra Legis protectionem positus*, etiam antiquis *forbannus*) *omnia quæ pacis sunt, quia à tempore, quo utlagatus est, caput gerit lupinum, ita quòd ab omnibus interfici poterit & impunè, maximè si se defenderit vel fugerit, ita quòd sit difficilis sua captio.* Quibus consonæ sunt Leges Edwardi Confessoris dictæ, *c.* 7. *Si repertus fuerit & retineri possit, vivus Regi reddatur, vel caput ejus, si se defenderit. Lupinum enim gerit caput: & hæc est lex communis, & generalis, de omnibus Utlagatis.* Duravit autem nomen hoc *capitis lupini* etiam in Henrici IV. tempora, in sensu pro *Utlagato* seu proscripto, ut elicitur ex Rogeri Coel Londinen-

us tabula, apud Galfredum Chaucerum, nec dum omnino edita, Joh. Seldenus: in qua Johanni cuidam de Bundis tres ascribuntur filii, Johannes, Anonymus & Gamelinus: atque de maximi & minimi circa patrimonium dissensu, hujusque virtute & illius vafritie summa, fabula satis ampla nec omnino contemnenda contexitur, desinens in Gamelini summæ, quam passus est, injuriæ ultionem, per mortem ignominiosam, fratri Johanni ut Judici & XII. Viris juratis, velut ex jure Zelotarum, illatam: nomen enim *Caputis lupini*, quod ibi habet, quasi Zelotarum jus designavit, ut dictum. Cujusmodi certè jus nonnulli etiam, apud Anglos, viguisse volunt, in eos, qui *extra pacem & protectionem Regis* ideo positi (juxta formulam Forensem *Præmunire* dictam, Statuto Parlamentario fundatam, *Stat* 25. Eduardi III.) quòd de re aliqua in Foro quocunque sive Romæ, sive Avenione sive intra Angliam agerent, cujus cognitio ad tribunalia spectaret regia, h.e. maxime in Ecclesiasticos, Majestatem Regiam, sic plane, auctoritatis Pontificiæ obtentu, lædentes. Sed sub Elisabetha Regina, Sancito Parlamentario, opinio illa abolita est *Statut.* 5. *Elizab. cap.* 1. V. Joh. Seldenum *de Synedriis Lib. II. cap.* 14. §. 3. & hic ubi de *Proscriptis, Utlagatis, Zelotis*. At veti. Romani *caput lupinum* villarum portis præfigebant, quod rostrum ejus veneficiis resistere crederetur, Plin. *lib.* 28 *cap.* 10. &c. Ut & hæc addam, *lupinam caudam* (cui amatorium quid inesse, scribit idem *lib.* 8. *cap.* 22.) apud Sueones & Gothos, tam in bellis, quàm in triumphis, hastis alligari consuevisse, discimus ex Olao *lib.* 8. *cap.* 14. De dentibus, exuviisque alibi. Sed & mactato tauro, & *lupo* & apro & ariete, sanguinique intincto ense & hastâ, Græcos, qui cum Cyro adversus Persas ascenderant, fœdus cum Barbaris percussisse, Suidas tradit. Iidem quoties ad domos urbemque accederent, in prodigiis Romæ habitum, refert Jul. Obsequens &c. Cæterum *Lupi* hostis vulpes, et verò similis admodum hyæna est: an & homines in eos transformari queant, dicemus infrà ubi de *Lycanthropia* &c. V. hanc in rem plura apud Salmasium *ad Solinum*, Gerh. Joh. Vossium *de orig. & progr. Idolol.* passim, inter alia de venatione eorum *l.* 3. *c.* 73. Sam. Bochartum *Hierozoici Parte prior. l. III. c.* 10. Alios.

Lupus, piscis, Græcè λάβραξ, Hebr. שבוט, inter mundos recensetur, in Sacris, quòd pinnas & squamas habeat. Est autem is paulo pinguior, quippe cui ἀπὸ τῆς λαβρότητος *ab immensa voracitate* nomen, hodieque inde λαυράκι Græcis; ventre prominet, capite est oblongo, cauda tenui: qui, cùm se retibus implicitum sentit, quanto potest impetu, in ea grassatur, ut discerpat sibique paret exitum, *quod magno consensu nostri piscatores se animadvertisse testantur*, inquit Cœl. Calcagninus *Epist. ad Joann. Bapt. Angarium.* Cerebrum illius potissimum commendant Talmudici, *Tr. cholin*, tanquam gratissimi saporis: quomodo λάβρακος κρανίον Græci Scriptores, in his Aristophanes *in Lemniis*, Eubulus *in Nutricibus*, & Eriphus *in Melibœa*, ubi inter eas dapes recenset, ἃς οὐδὲ μακάρεσσι θεοῖς εἴξειν οἴομαι, *quas*, inquit, *ne beatos quidem Deos aspernari puto*. Lactes item in deliciis, quibus rusticos pavisse Heliogabalum, inter cætera ejus portenta, memorat Lampridius. Duorum illos generum facit Columella *lib* 9. *cap.* 17. alios varios & maculosos, alios sine maculis; quorum illos Xenocrates vocat ἐπιστιγμένους, q. *maculis interpunctos*. Quò facit Hebræum nomen, non malè exprimens Gallorum, *bar*, & Italorum *varolo* q. varium vel variolum, à varietate colorum ducta. Porrò in mari reperitur hic piscis, & in fluviis, præcipuè circa ostia, quorum hi meliores. Plin. *lib.* 9. *cap.* 17. *E lupis in amne capti præferuntur.* Optimi habebantur apud Romanos, in Tiberi, duos inter pontes capti. Horatius *l.* 2. *Sat.* 2.

Unde datum sentis, lupus hic Tiberinus, an alto
Captus hiet, pontesne inter jactatus, an amnis
Ostia sub Tusci?

Cujusmodi piscem cum sibi appositum esse credidisset Philippus ille, quem unà cum Hortensio & Lucullo piscinarios inter reponit Plinius *lib.* 9. *cap.* 54. se verò, simul ac gustavit, deceptum sensisset, quem gustaverat, ne piscis quidem nomine dignatus est. *Lanatos* reliquis præfert Martialis *lib.* 13. *Epigr.* 89. ubi colore ne albus, an carne mollis, an mandendo araneolus, indigitetur, disquirunt Scholiastæ. Plinius idem rem expedit *lib.* 9. *cap.* 17. *cit. Luporum laudatissimi, qui appellantur lanati, à candore mollitiaq; carnis.* Cæterum cum acipenser antiquitus in pretio Romanis esset, postea præcipua auctoritas lupo & asellis esse cœpit, *Ibid.* &c. V. plura de hoc pisce, apud Gerhard. Jo. Vossium *de orig. & progr. Idolol. lib.* 4. *cap.* 14. 16. alibique, Sam. Bochartum *Hierozoici Parte prior. lib. V. cap.* 14. Alios.

Lupus, apud Vegetium *lib.* 2. *cap.* 25. & *lib.* 4. *cap.* 23. harpagonis species, *quo arietes avertuntur aut suspenduntur, ita ut impetum non habeant feriendi:* sic dictus, quòd velut *Lupus* dentes ferreos exerat, arietemque apprehendat, V. quoque Liv. *lib.* 28. *cap.* 3. A qua machina forte diversa illa, quam *Lupum belli*, Græce *Nicontam*, q. *omnia vincentem*, appellat Matth. Westmonasteriensis A.C. 1304. ubi Gallicum *Louvel* hac voce exprimi existimat C. du Fresne *Glossar.*

Lusatia, adde: Et à Carolo M. primùm subactæ, Henricus Auceps *Marchionis* titulo præfecit Geronem, Altenburgi & Mersburgi Comitem, tuendis maximè contra Bohemos, Polonos, & qui tum Polonis parebant, Silesios, finibus, ipsisque *Lusatis* in officio continendis, obsequii pariter religionisque impatientibus. Geroni suffectus Christianus, Wettini Comes, isque honor genti aliquantum duravit. At excidere posteri, Henrici nempe, Pater & Filius, *Lusatia superiore*, ab Henrico V. à quo defecerunt, Uladislao sive Wratislao Bohemo concessâ, A.C. 1075. Inter cujus posteros Wenceslaus II. eam Electori Brandeburgico dono dedit sec. 13. suffragium ejus in Comitiis Septemviralibus hoc munere sibi conciliaturus. At cùm, mortuo Woldemaro Brandeburgico A.C. 1319. de successione lites orirentur, *Lusati* Joannis Bohemiæ R. imperium sponte suâ, an jussu decretove aut assensu saltem Ludovici Bavari Imp. subiere. *Inferior Lusatia* postea quoque Wettinensibus seu Misnicis, ab Alberto Brandeburg. Adolphi Imp. contra illos partes sectante, adempta est A.C. 1296. Sed nec iste male partis diu est gavisus. Bohemi quippe, ab Alberto Imp. Adolphi, dum is regnaret, æmulo instigati, eam invadentes sibi asseruere ejusque possessio his pacto postea Henrici VII. Imp. & Bohem. R. cum Friderico Forti cogn. *cum admorsa gena*, Misniæ Marchione firmata. Tandem postliminiò velut, ad Wettinensium propaginem utraque *Lusatia* hoc seculo rediit, Cæsaris jussu, à Joanne Georgio I. Electore Saxon. occupata & ob navatam Ferdinando, Bohemorum defectione laboranti, operam, impensasque in rem istius 72. *Tonnas* auri, Domui hujus Feudi jure concessa. V. Tob. Pfannerum *de præcipuis Germ. Principp. gentib. c.* 2.

Lusci, ministerio Deorum plerunque deputati, apud Gentiles. Poeta,

——— *cum sistro* lusca *Sacerdos.*

Unde veteris de Alcmane *Epigrammatis* Auctor, apud Plut. περὶ φυγῆς, loquentem eum inducit, bene de se actum, quòd Sardibus in patria Lydia non fuerit educatus, in qua *luscus* si fortè *Sacerdos*, aut Gallus vestibus auratis indutus, tympana percutere potuisset, pervulgato sacrorum more.

Σάρδιες ἀρχαῖαι πατέρων νόμος, εἰ μὲν ἐν ὑμῖν
Ἐτρεφόμαν, κέρνας ἦν τις ἂν ἢ βακέλας κτλ.

Ubi κέρνας μονόφθαλμος Hesychio est, i. *luscus*, at βακέλας, *intestus*, uti docet Salmasius *ad Solinum pag.* 528. At Sacerdotes suos Deus extra omne corporis probrum existere voluit. Levit. *cap.* 21. *versu* 17. *In quocunq; è semine tuo — fuerit corporis vitium, ne accedito ad offerendum cibum Dei sui.* Utpote qui typum gererent Summi Pontificis nostri, agni illius ἀμώμου, & omni labe carentis. Quam ob causam & Rex David ad mensam tales non admisit. Admisit verò portentum illud hominis Heliogabalus, qui inter octonos illos, quos risus movendi gratiâ ad cœnam vocavit, etiam *octo luscos* invitasse legitur apud Lampridium. Idem per atrocem lasciviam *luscinios* vocavit, *quibus singulos tulisset oculos*, hoc est, quos ipse *luscos* fecisset, *Ibid.* Dicebatur autem *Luscinius & Luscinia*, ut ostendit *ad h. l.* Salmasius. Sic Phædrus *in Jocis*,

Pavo ad Junonem venit, indignè ferens,
Cantus luscinii sibi quòd non tribuerit.

Sed hac de voce jamjam plura.

Luscinia, an quòd *lugens* canit, an quòd canit ante *lucem*, ut Isidorus; an potius, quòd in *lucis* canit, ut Vossius vult? in cantatricibus avibus præcipua est. Sen. *Epist* 76. *Habet vocem sed quanto dulciorem, mobilioremq; luscinia:* Unde & Græcis ἀηδών, quia ἀείδει, & *philomela* (quæ in eam conversa fingitur) quia φιλεῖ μέλος. De ea certe Plinius *lib.* 10. *cap.* 29. *Lusciniis diebus ac noctibus continuis XV. garrulus sine intermissu cantus.* Hinc digna miratu referens, *Primùm*, inquit, *tanta vox tam parvo in corpusculo, tam pertinax spiritus. Deinde in una perfecta Musica scientiâ modulatus editur sonus: & nunc continuo spiritu trahitur in longum, nunc variatur inflexo, nunc distinguitur conciso, copulatur intorto, promittitur revocato, infuscatur ex inopinato* pluraq; ie inibi in hanc mentem, laudè eleganter. Postea narrat, quantum cantu certent majores natu. Tum subdit, *Meditantur alia juniores, versusq; quos imitentur, accipiunt. Audit discipula intentione magnâ & reddit, vicibusq; reticent. Intelligitur emendata correctio & in docente quædam reprehensio.* Sed & vocem humanam imitari discunt. Idem *lib. eod. cap.* 42. *Habuere Cæsaris juvenes sturnum, item* Luscinias, *Græco atq; Latino sermone dociles: præterea meditantes in diem, & assiduè nova loquentes, longiore etiam contextu.* Suntque inprimis miranda, quæ de sermonibus diu auditis, noctuque ab luscinia redditis, referuntur *Epist.* ad Conr. Gesnerum exaratâ & in 3. *Histor. Avium* insertâ. Unde facilior fides iis, quæ de pretio addit Plinius loco priori: *Servorum illis pretia sunt, & quidem ampliora, quàm quibus olim armigeri parabantur. Scio sestertiis sex, candidam alioquin, quod est prope inusitatum, venisse, quæ Agrippinæ Claudii principis conjugi dono daretur.* Eoque prodigiosior luxuria Æsopi Histrionis, *qui ex avibus ejusdem pretiositatis, ut cantribus & loquacibus quibusq; centum millium patinam consecravit*, Tertull. *de Pallio cap.* 5. Nullâ aliâ inductus suavitate, verba sunt Plinii, *nisi ut in his imitationem hominis manderet, ne quæstus quidem suos reveritus illos opimos & voce meritos. lib prædicto cap.* 51. Quem tamen vicit luxuriæ pancratiastes Heliogabalus, *lusciniarum linguis epulas instruendo*, apud Lampridium &c. V. plura hanc in rem, apud Plin. *d. l.* Ulyssem Aldrovandum *Ornithol. lib.* 18. *de Avibus*

Avibus cap. 2. Neandrum *in Physicis*, Wolfg. Franzium *Histor. Animal. Sacr. Part.* 2. *cap.* 26. Gerh. Jo. Vossium *de orig. & progr. Idolol. lib.* 3. *cap.* 88. alibique. Epitaphium *Lusciniæ*, in marmore antiquo, Romæ hodieque superstes, apud Cardin. de Maximis, referente Sponio *Itinerar. parte* 3 *pag.* 25. sic habet:

DIS AVIBUS

Luscinia Philumena ex aviario Domitiorum, selecta versicolori pulcerrima cantatrix suaviss. omnibus gratiis ad digitum pipillanti in poculo myrrhino caput abluens infeliciter summersa, heu misella avicula, hinc unde volitabas tota garrula, tota festiva, latitas modò inter pulla leptyna loculamenta implumis frigidula clausis ocellis. Licinia Filumena deliciæ suæ, quam in sinu pastillo alebat in proprio cubiculo alumnæ Kariss. lacrumans pos. Have avis jocundissima quæ mihi volans obvia blando per sonans rostello Salve totiens cecinisti, cave avis avia averna. Vale & vola per Elysium. In cavea picta saltans quæ dulce canebas, muta tenebrosâ nunc jaces in cavea

Lusshborovv & Lussi burne, vilius monetæ genus, quod in partibus transmarinis, ad similitudinem Anglicanæ, effictum, ævo Eduardi III. hic distrahebatur, prohibitum *Statuto* 3. anni ejusdem Regis. Knyghton apud C. du Fresne *Glossar.*

Lusius Quietus, inter Trajani Duces strenuissimus, memoratur Ammiano Marcellino *lib.* 29. Lusius, *Trajano rem regente Romanam, pluribus inclaruit fortibus factis.* Hunc postea, *sublatis gentibus, Mauris, quos regebat, quia suspectus Imperio fuerat, exarmavit* Hadrianus, apud Spartianum. Fuit autem *Lusia*, inter Romanas gentes, non incelebris. Apud Cæl. Aurelianum, est *Lusius* quidam Medicus. Lapis Comensis, LUSIÆ. L. F. QUINTÆ. UX. EJUS. ubi à quadratario QUINTÆ pro QUIETÆ, sculptum esse, censet Casaubonus. Est & *Lusius Lupus*, apud Marcum Antoninum *in libro* 12. V. omnino modo laudatum Casaubonum *Not. ad Spartianum.*

Lusoria, apud Flav. Vopiscum *in Bonoso*, *Hic idem quum quodam tempore in Rheno Romanas lusorias Germani incendissent, timore ne pœnas daret, sumpsit Imperium:* naves sunt, quæ in Rheno semper instructæ habebantur & paratæ ad arcendos barbarorum transitus, quod etiam in aliis locis, in quibus Barbari non limitibus, sed magnis fluminibus dividebantur, obtinebat: quemadmodum in mari easdem fere liburnas Romani adhibebant, de quibus duobus Classium generibus retro jam aliquid dictum est. Quia autem ad limites hosce, non tantum dispositæ & armatæ ejusmodi naves haberi solebant, sed etiam in ripa eorundem fluminum crebra erant extructa castella, per milites servanda, qui limitem tuebantur, hinc sæpe apud Auctores junctim mentio fit castrorum, lusoriarumque, V. inter alia *L.* 4. *Cod. de Offic. Jud. mil.* Porrò, qui in illis *Lusoriis* milites erant classici, *Lembarii* dicebantur, sicut, qui in castris, *Castriani* & *Castriciani*, quorum amborum meminit Aurelianus *in Epist. ad Ulpium Crinitum*: & qui in ripa, per cuneos dispositi, invigilabant, *Riparienses* vel *Ripenses*, *L.* 18. *Cod Theodos. de re mil.* Sed nec unius generis *Lusoria*, verùm aliæ *Judiciariæ*, aliæ *Agrarienses* fuere, *l. un. Cod. ejusd. de Lusoriis Danubii.* ubi jubet Imp. quotannis novas de integro constitui in Mœsiaco limite 4. Judiciarias, & decem Agrarienses; in Scythico v. quinque Judiciarias & 12. Agrarienses: ubi *Agrarienses* ex forte fuere, quarum quotidie usus erat ad agrarias, h. e. excubias, faciendas; *Judiciariæ* 2. quæ limitaneorum Ducum, qui & *Judices* dicebantur, inservire usibus, quoties limitem lustrare vellent & flumen decurrere, aut etiam in hostes transire. Vocis etymon hinc Salmasius arcessit, quòd nec ad usum belli, ut triremes & æratæ; nec ad merces vehendas, hæ naves factæ essent, sed ad *lusum* tantùm & solas circumvectationis delicias haberentur. Unde *Lusorias & cubiculatas & cætera Regum ludibria in mari lascivientium*, memorat Seneca, quas triremibus & æratis opponit. Et *Auriogam πλοῖον* Epiphanio dicitur illa navis, qua delicatus Hadriani Antinous per Nilum ultro citroque lasciviens vectabatur, quamque unà cum ipso in urbe Antinoi Hadrianus condidit & consecravit. Sed & *lusorias* posset aliquis appellare, quibus ludicra naumachiarum certamina, in lacubus aut fluminibus, aut etiam mari edebantur. Postea abusivè ad quaslibet minores naves denotandas, vox extensa, indeque *Lusoriæ* dictæ, in fluminibus, levissima & expeditissima navigia, quibus ultro citroque flumina decurrebant milites, ad tuendum limitem constituti, ut barbarorum excursus & excensiones in Romanum solum prohiberent &c. V. Salmasium *Not. ad Vopiscum in Aureliano & Bonoso*, nec non *de Jure Attic. p.* 740. 751. & Jacobum Gothofredum *ad d. tit. de Lusoriis Danubii.* Adde *Mosæ Lusorias*, ex Ammiano, *lib.* 17. & *Lusorias per Orientem*, in *Nov.* Theod. *de Ambitu*, suprà nominatis, de quibus omnibus idem Gothofredus agit.

Lustrale Aurum, de quo *tit. de lustr. auri collat. lib.* 11. *Cod.* *χρυσάργυρον* Græcis, Evagrio & Zonaræ, eleganter describitur, qui quinto quoque anno seu singulis *lustris* illud pendi solitum narrant. Onus erat Negotiatorum & Mercatorum (ob quod *Aurum Negotiatorum*, apud Lampridium *in Alexandro Sev.* dictum esse, suprà monuimus) quorum appellatione etiam tenuiores continebantur, quidquid corrogatâ stipe sibi comparabant; meritoriæ puellæ & fœneratores: non tamen qui vernacula distrahebant, vel qui manu sibi victum acquirebant, veluti figuli & fabri; non veterani, Clerici, copiatæ intra certum pecuniarum numerum. Eidem muneri obnoxiæ erant res quædam, ex lege testatoris vel fisci, ut constat ex *l. ult. Cod. Theodos. de lustral. conlat.* Habebatque pensitatio ista proprias sibi scrinia, *l.* 3. *Cod. de Episc. & Cler.* & *L.* 1. *Cod. de commerc. & mercat.* desumptâ ex *L.* 5. *Cod Theod. d. tit.* sicut & *L.* 1. *Cod. de Episc. aud.* quæ tamen ita à Treboniano composita est, ut ad aurariam pensionem referri nequeat. Sustulit tandem hanc collationem Anastasius Imp. J. Calvinus *Lex Jur.* V. & suprà *passim.*

Lustratio, apud Romanos, frequens. Hinc *Ambarvale* sacrificium, cùm ab iis, qui pro frugibus faciebant, circum arva, hostia divinæ rei causâ circumducebatur. De quo Virgilius *in Bucolicis*,

Hæc tibi semper erunt, & cùm solennia vota
Reddemus Nymphis, & cùm lustrabimus agros.

Ubi *lustrare*, per circuire exponitur. Fiebat autem id non à rusticis modò, sed & à Romanis, fines agri Romani *lustrantibus*, qui inter quintum & sextum lapidem erant, ut auctor est Strabo *lib.* 5. Sed & Patresfamiliâs, unusquisque in agro suo, fines fundi Suovetaurilibus *lustrabat*, qua de re sic Cato *lib. de R. R. cap.* 141. *Agrum* lustrare *sic oportet: Imperans Suovetaurilia circumagi cum divis volentibus, quodque bene eveniat, mando tibi Mani, ut illa Suovetaurilia fundum, agrum, terramque meam, quota ex parte sive circumagi, sive circumferenda censeas, uti cures lustrare. Janum Jovemque vino præfamino. sic dicit, Mars Pater te precor, quæsoque, uti sies volens, propitius mihi, domo, familiæque nostræ, quo jus rei ergo agrum, terram fundumque meum Suovetaurilia circumagi jussi. uti tu morbos visos, invisosque, viduertatem, vastitudinemque, calamitates, intemperiasque prohibessis, defendas, averruncesque, utique tu fruges, frumenta, vineta, virgultaque grandire, beneque evenire sinas. Pastores pecuaque salva servassis, duisque bonam salutem, valetudinemque mihi, domo familiæque nostræ. Harumque rerum ergò fundi, terræ agrique mei lustrandi lustrique faciendi ergò, sicut dixi, macte hisce Suovetaurilibus lactentibus immolandis esto. Item cultro facito struem & fertum uti adsiet: Inde obmoveto. Ubi porcum immolabis, agnum vitulumque sic oportet. Ejusque rei ergò macte hisce Suovetaurilibus immolandis esto, nominare vetat Martem, neque agnum vitulumque. Si minùs in omnes litabit sic verba concipito: Mars pater si quid tibi in illisce Suovetaurilibus piaculo. Si uno duobusve dubitaveris, sic verba concipito: Mars Pater, quòd tibi illuc porco neque satisfactum est, te hoc porco piaculo.* Erant & *Amburbia* sacra, quæ fiebant, cum urbs & pomœrium *lustrabatur*, ut apud Lucanum *lib.* 1.

Mox jubet & totam pavidis à civibus urbem
Ambiri, & festo purgantes mœnia lustro
Longa per extremos pomœria cingere fines,
Pontifices sacri quibus est permissa potestas.

Inde *Amburbiales* hostiæ, quæ circum terminos urbis ducebantur, Festo. Meminit sacri hujus Vopiscus *in Aureliano.* V. Turnebum *Adversar. lib.* 18. *cap* 17. Josephus tamen Scaliger, *Amburbia* ab *Ambarvalibus* non distinguit, *Castigat. in Festum*, ad vocem *Amtermini.* In Urbe & *Lustratio* quinquennalis à Censoribus, quinto quoque anno, perfecto censu, peragi solita legitur. Auctore instituti Servio Tullio R. de quo sic Dionys. Halicarnass. *lib.* 4. *Perfecto censu à Tullio R. omnes cives jussi sunt armati adesse in campo Martio, ibi instructos in sua quemque Centuria equites, pedites, velites lustravit Rex Solitaurilibus. Hostia taurus, aries & hircus ter circumducta sunt. Hoc modo etiam nostrâ ætate, post Censum, Romani lustrantur à Magistratu sanctissimo, quod Lustrum suâ voce nominant.* Patria Livius habet *lib.* 1. V. infrà, in voce *Lustrum.* Præterea *Lustratio* privatis hominibus frequens fuit, sed tribus præcipuè temporibus, quæ Ælianus indigitat *Var. Histor. lib.* 4. *cap* 1. cum ait: *Dardanenses Illyricos ter in tota vita ablui solitos, ἐξ ὠδίνων, ἐπὶ γαμήλιος ἐπὶ ἀποθνῄσκειν. Post partum, cùm nuptias ineunt, cùm mortem oppetunt.* Et infans quidem breviter lustrabatur: Postquam enim maribus nonus, femellis octavus, ultimus hebdomadis aliis, lustricus dies successit, infantes nomen adepturi, quemadmodum mortui, lustrabantur, aquæque lustralis aspersione per aniculas expiabantur, de quo ritu V. infrà in voce *Lustricus dies*: Longiores verò moras puerpera in purificatione trahit. Nulla enim prægnans ante 40. diem, qui Athenis [illegible], in Fanum prodit; nec ædes puerperarum Romanorum ullus ingressus est, vel egressus se purgavit, tanquam ex funestorum contactu. Item Æthiopes & Hebræi, hoc discrimine, ut pariens fœminam 80. masculum 40. dies expleret. *Lustrationis*, post conjugale commercium, meminit Suetonius *Augusto cap.* 94. De *Lustratione* funestæ domus, V. Joh. Rosinum *Antiq. Rom. lib.* 5. *c.* 9. Franc. Rossæum *Archæol. Attica lib.* 5. *cap.* 34. &c. Obibantur autem in orbem lustrantes, ne quâ viz. pars non participaret egregia illa expiamenta. Statius *Thebaid. lib.* 4. *vers.* [illegible]

[illegible]

Visceribus laceris & odori sulfuris aura,
Graminibusq; novis, & longo murmure purgat.

Idque dabatur operæ, *ut nomina victimas ducentium in publicis lustris prospera essent*, Plin. *lib.*28. *cap.*3. V. quoque Plut. *Quæst. Rom.* 30. & 31. Aliquando & per medium victimarum dissectarum transibant lustrandi homines, qua de re aliquid diximus suprà, in voce *Canis*: plura verò hanc in rem V. apud Casp. Barthium *Animadversion. ad Papinium Statium passim*, inprimis *Thebaid. lib.* 4. *vers.* 414. *& seqq. Commentarius* item *Superstitionum*; ut & hic non uno loco. De *Lustrationibus* verò *Hebræorum*, à quibus is mos ad Gentes defluxit, apud Thom. Godwynum *de Ritibus Hebr.* Franc. Burmannum *Synopsi Theol. Christ. part. prior. Lib. IV. cap.* 22. ubi *de Munditie & Immunditie, Purificationibusq; Legalibus*, itidemque hic passim, præcipuè ubi *de Aspergendi ritu* & *Lotionibus*, in quibus communis purificationum ratio & quasi caput consistebat. Hinc *Lustralis fax*, apud Claudium *Consul. Honor. VI.* quâ incensâ Gentiles *lustrabant* quidpiam: & *Lustralia*, cœtera, quæ talibus ritibus adhibebantur: ad extremum etiam vilis aliquis homo, cujus devoto capite expiabantur civitatum nonnullarum piacula, quem Gallicum morem vocat Lutatius *ad Statium Thebaid. l.* 10. *v.*787. Sed & prodigia ac imminentia infortunia homanis hostiis *lustrata* & aversa, Claudianus quoque indicat, *in Eutropium l.*1.

Consule lustrandi fasces, ipsoq; litandum
Prodigio ——

Lustrales animas sic devovendas & devotas, Lucanus vocat *l.*6.

—— *vidi Decios, natumq; patremq;*,
Lustrales bellis animas ——

V. quoq; ubi de *Vere sacro*. *Lustramina* verò, instrumenta sordesq; lustrationum dicta. Val. Flaccus *lib.* 3.

—— *ter tristia tangens*
Arma simul, vestesq; virûm, lustramina *ponto*
Pene jacis &c.

Hæc n. in aquas, imò & in trivia, projici solita, docet Meursius ad *Lycophr.* In quibus omnibus scintillæ quædam veritatis absconditæ, de nativa nostra immunditie, de necessitate satisfactionis purgationisque aliunde quærendæ, de salute per sanguinem humanæ victimæ recuperandæ, aliisque, de quibus alibi.

Lustrica, aliàs *Aspersorium* & *Aspergillum*, vas, quo aqua lustralis aspergi solebat, dicta est. Joh. Rosinus *Antiqq. Rom. lib.* 3. *cap.*38.

Lustricus Dies, apud Romanos, appellatus est is, *quo infantes lustrabantur ac nomen accipiebant*, teste Macrobio *Saturnal. L.*1. *c.*16. Is maribus nonus, femellis octavus fuit Festo, cujus rei caulam repete à Censorino, ex Plut. *in Quæst. Rom.* Aliis ultimus hebdomadis hic dies fuit, sunt etiam qui intra quintum diem substiterunt. Festo præerat Nundina Dea, quod Suovetaurilibus peractum & circuitione: Circumferebantur enim pueri per obstetrices vel ministros circa focum, unde Ἀμφιδρόμια, nec focus quidquam aliud erat, quam aræ Deorum hostiis calentes. Expiabantur deinde aquæ aspersione per aniculas lustrali ex sputo & pulvere, è balneis plerunque sumto. Unde Persius *Sat.*2. *versu* 31.

Ecce avia, & metuens divûm matertera, cunis
Exemit puerum: frontemq; atq; uda labella
Infami digito & lustralibus antè salivis
Expiat.

Hinc eodem die vario ferculorum luxu cōvivium agitatum. Apud alias gentes, *Lustrico* die, circumcisio pro lustratione fuit. Divinum id institutum, Judæis proprium, transiit postea ad alias gentes, Samaritanos, Æthiopes, Ægyptios, Colchos, Phœnices, Troglodytas, Macrones, Edomitas, Ammonitas, Arabes, Mahometanos hodiernos &c. cujus loco, apud Christianos, sacer Baptismus est. Post *lustrationem* nomen impositum, V. Thom. Bartholinum *de Puerperio Veterum.*

Lustrum, Romanis propriè quinque annos solidos significat, sine respectu præcedentis *Lustri*. Ovidius,

Hic anni modus est; in Lustrum accedere debet,
Quò consummetur partibus, una dies.

A' *lustrando*: quòd semel intra hoc tempus Exercitus Romanus à Censore lustraretur. Postquam enim civium census esset peractus, Censor somtis sue, ariete & tauro, ter exercitum circuire, hasque tandem victimas Marti offerre solitus est: id quod dixere, *Condere lustrum*, Varro *de L. L. lib.*5. & Suetonius *Octavio, cap.*97. Item *facere lustrum*, in *Monum.* Ancyrano. Atque hæc phrasis de solis Censoribus usurpata, cùm, censu peracto, frequentem populum lustrarent, Gronovius *ad Liv. lib.*1. *cap.*44. cùm *lustrum* etiam aliis interdum attribueretur, ut apud Lucanum *lib.*1. Pontifices *festo purgantes mœnia lustro* &c. Fiebat autem id, nisi funestus esset annus: Itaque census aliquando agebatur, *Lustrum* non condebatur. Livius *lib.*4. *Census actus eo anno*: Lustrum *propter Capitolium captum, Consulem occisum, condi religiosum erat.* Hinc *Lustri* condendi Ceremoniæ, cum instituto politico describendi subditorum fortunas, non sunt confundendæ; cùm duo hæc toties in Historia Romana tam expressè distinguantur. Unde observavit quidem Censorinus, post *lustrum* à Vespasiano conditum, desiisse priscum illud institutum, nempe oportebat paulatim exoriente Evangelio, ritus quoque paganicos paulatim contemni, & in desuetudinem abire: non tamen lustralis tum censûs cessavit exactio. Imò consuetudo agendi census per temporum intervalla, prout res exigeret, non solùm in vet. Romæ imperio, sed & novæ, semper est servata. Testis est Gregorius Nazianzenus *Orat. IX. ad Julian.* Ἐξισωτὴν, qui Julianus, ut & Hellenius, in Cappadociam missi fuerant, ut census agerent, & inter cives onera tributorum exæquarent: quod cum olim Censorum, postea Censitorum fuit munus. Idem *Carm. ad Hellenium* ait,

Εὖχ⊕ ὦ Ἀ᾽ ρμενίης Ε᾽ λλήνιε ὅς λάχες αἶψ
Στῆσαι ἡμετέρῃ μέτρῳ ἐξίσιον φέρειν.
Decus ô Armeniæ Helleni. cui obtigit terræ
Statuere nostræ modum justum tributorum &c.

V. Isaac. Casaubonum *Exercit. I. Num.*93. Porrò fiebat id in Campo Martio, Comitiis Centuriatis: dicebaturque sacrum id *Suovetaurilia*, seu *Solitaurilia*, quas voces infra vide. Nec omittendum, quòd prisco more Duces, cùm exercitum *lustrarent*, essent coronati. Unde Cassio exercitum lustranti lictor coronam inversam reposuisse legitur, apud Appianum Alex. *Bell. Civ. lib.*4. Et Statius inde *lib.*4. *Sylv.* *lustra* ipsa *coronata* vocat:

Sæpe coronatis iteres quinquennia lustris.

Quodque per *lustra* computarint vett. Romani, V. de *Lustro Juliano, Romanoq;*, Jo. Forbesium *Instructionum Historico-Theologic. lib IV. cap.*2. *num.*5. adde Casp. Barthium *ad Papinium l.* 3. *Sylv.*5. *vers.* 7. ubi *quatuor lustris* exponit *annis viginti absolutis*, & Jos. Castalionem *Observat. lib.*1. *cap.*10. Plura verò hanc in rem, apud Jo. Rosinum *Antiqq. Rom. l.*4. *c.*27. & alibi passim, Pancirolum *Rerum deperdit. cap. ac cibis cap. modo*, Alex. ab Alexandro *Genialium Dierum l.*5. *cap.*27. Pomp. Lætum *de Magistr. Rom. cap. de Censoribus*, Th. Godwynum *Anthologia Rom. L.*3. *sect.*2. *c.*5. Alios.

Lusu, ut aleâ, talis &c. lucrifacta pecunia, inter furta relata à Magistris, memoratur Maimonidi *halach Gazila Wabida cap.*6. & Mosi Mikotzi *Præcept. affirm.* 73. *fol.*151. *col.*1. Scilicet tametsi in certaminibus ejusmodi non deerat, tam victi, quàm victoris, prævius assensus, adeoque mutuus contractus interveniebat, unde, quantum ad jus sive Naturale, sive eorum in corpore Mosaico Civile spectat, ex victoria licite, ut in alienationibus cessionibusve Juris Naturalis permissivi aliis, lucrum acquirebatur: ita nihilominus certaminum ludicrorum mos ille displicuit eorum Majoribus, ut ex victoria ejusmodi ludicra nihil postmodum acquirere fas esset, furtumque ab acquirente committeretur. Quod binas ob rationes superinductum, tum ut doli mali, quo certamina ejusmodi minime carere solent, ansa præriperetur, tum ut artibus bonis, & quæ societati humanæ conducibiliores essent, non ludicris, homines sese exercerent &c. Joann. Seldenus *de Jure Natur. ac Gentium juxta Disciplin. Ebræorum lib.*6. *cap.*11. Alias non lucri cupiditate, sed ob oblectamenti solùm causâ, etiam Viri graves ludebant. Unde Augustus *Epist. ad Tiberium*, apud Suetonium *cap.*71. *Inter cœnam lusimus γεροντικῶς.—Talis enim jactatis, ut quisq; canem aut senionem miserat, in singulos talos singulos denarios in medium conferebat, quos tollebat universos, qui Venerem jecerat.* Liberaliores nempe potationes eâ lusuum institutis lusionibus distinguebant: hincq; inter apophoreta quoque tali dati. Idem apud eundem *cap.* 83. *Animi laxandi causâ, modò—talis aut ocellatis nucibusq; ludebat. cum pueris minutis.* Ubi *tali* alii à prioribus, & *ocellati*, globuli sunt vel lapidei vel eburnei, vel ex alia qua materia. quibus olim puellæ ludebant, Ovid. *Metamorph.* ut nunc quoque fit. Græci χαλκαλίζας appellabant: de *nucibus* verò res notissima. V. ad hæc loca Casaubonum, & de discrimine vocum *Ludus* & *Lusus*, deque *Lusuum* speciebus variis suprà in voce *Ludus*.

Lutatius Placidus, Statii Scholiastes, Grammaticus insignis, floruit ævo Theodosiano; Persei discipulus, cujus in *Octavio* Minucius Felix meminit. *Lactantius* vocatur in vet. Codice *MS.* nec semel Jo. Boccatius, solis *MSS.* antiquisque libris utens. *Lactantii Placidi* nomine illum appellat. Barthius tamen *Lutatium* dicere mavult, uti videre est apud eum, *Animadv. ad Theb.* 6. *Statii v.* 380.

Lutea Unctio Athletarum, memorata Tertulliano *de Pallio c.* 4. sub init. *Unde gentium in provinciis meliùs exercitu, quas natura agro potiùs eluctando commodavit, studia Palæstræ malè senescentia & cassum laborantia &* lutea unctio, *& pulverea volutatio & arida saginatio?* non fuit oleum virorum & ceroma puerorum in palæstra, ut Parisiensis Magister accipit, rectè sic Isidorum distinguere scribens *lib.*10. in voce *Delibutus*; ubi tamen Isidorus ceroma, pro loco, in quo Athletæ ceromate ungebantur, vel oleo, tam viri quàm pueri, posuit: sed vere *de luto unctio*, πηλῶ χρῖσις. Postquam enim legitimo oleo uncti erant Palæstrici, horum alii *luto* sese totos opplere solebant, alii pulvere sese adspergebant. Quem utrumque modum hîc Tertullianus complexus est, ubi *luteam unctionem* τὴν πήλωσιν vocat; *pulveream volutationem*, τὴν κόνισιν, Lucianus περὶ Γυμνασίων de Palæstricis: Post oleum igitur & ceroma, alii in *luto*, alii in pulvere, volutabantur: diverso utrique fini & respectu. Qui inliniebant sese luto, id eâ ratione faciebant, ut lubrica cute ansam non darent antagonistis, quâ prendi possent aut teneri, ut λαβὴν nempe effugerent. Illi è contra qui pulveris tactu se inspargebant, hoc captabant, ne manus laberentur in adprehendendo antagonistarum corpore: firmiorem enim λαβὴν præbebat pulveris conspersio: utrique tamen, ut dictum, oleo prius vel ceromate ungebantur. Græci πηλῷ χρίεσθαι id dicebant, quod *Luteam unctionem*, Tertullianus vocat. Vid. Lucianum *ibid.* Plutarchus

quoq; in *Symp.* palæstram scribit trib. constare; pulvere, luto & ceromate; [illegible Greek] Sic ceroma diversum ab unctione lutea & pulverea volutatione, adeoque à ceromate aut oleo legitimo, vel pulvis, vel lutum excipiebat palæstritas. Nec Senecæ omittendum illud *Epist.* 63. *Sed tantum luti totâ viâ fuit, ut possem videri nihilominus navigasse: totum Athletarum fatum mihi illa die perpetiendum fuit, à ceromate nos haphe excepit, crypta Neapolitana* &c. V. Salmasium *ad Tertullian. l. c.*

Luter, Græcè Λουτήρ, apud Anonymum *in Descript. S. Sophiæ*, & Auctorem *Hist. Miscellan. in Rhinotmeto anno* 10. baptisterium est. V. C. du Fresne *Glossar.* & Dominic. Macrum *in Hierolexico.* Aliàs *Luter*, animal amphibium est, quod *Lutra* Plinio, κύων ποτάμιος, *canis aquaticus* seu *fluviatilis*, Æliano & Aetio, Gallis *Loutre*: cujus pellibus thorace facto humeros ac pectus hyeme munisse Carolus M. legitur in *Vita* ejus. Sic *gunna de pellibus lutrarum*, memoratur *Epist.* 89. inter eas, quæ sub Bonifacii Archiep. Moguntini nomine sunt editæ. Origo vocis ex Græco, ἐνύδρις enim in hac lingua dicitur. Æolice & Attice ἐλύδρες, unde *lytra*, uti legitur apud Solinum & *lutra*. V. C. du Fresne, in *Glossario* & Claud. Salmasium *Exercitat. Plinian. ad Solinum p.* 187. *alibiq;*, nec non suprà ubi de *Fibris*. De *lutris* verò *Palladis*, seu elutione ejus nota superstes elegia Callimachi. Deos enim, pulchritudinis studiosos & perpetuos comas lavare charis sibi amnibus, fingebant Poëtæ. Uti Horatius modò Xantho, modò Castalio fonte, crines Phœbum lavare ait. Ad cujus lotionis æmulationem balnea simulachris quoq; instituta, & pecten adhibitus. V. Barthium *ad Theb.* 2. *Statii v.* 723.

Luteus Color, in flammeis nuptialibus olim usitatus, teste Plin. *lib.* 21. *cap.* 8. idem cum *flammeo* colore est, à quo id nuptiali huic velo nomen. Est autem color rufus, albo mixtus & quasi clarus, à *luto* herba dictus, ex Græco λευκός: de quo vide pluscula apud Salmasium *Exercit. Plinian. ad Solinum passim*, inprimis *p.* 256. & 1155. ut & suprà, in voce *Flammeum*. Ab eodem colore *Hoang*, h. e. *luteum*, dicitur Sinensibus, fluv. item piscis, qui adeò tenellus est, ut extra aquam ne ad horam quidem maneat incorruptus. Itaque, cum ob saporis suavitatem ac delitias ubiq; expetatur, glacie eum involvere atque ita divendere solent; in quem usum etiam glacies hyberna asservabatur, ut suprà diximus. V. Auctorem Anon. *Sina & Eur. cap.* 42. & suprà voce *Hoang*, item *Croceus*. At de homine, convitium vox sonat. Cic. 3. *Verr. Deinde in hoc homo* luteus *etiam callidus & veterator esse vult*. Idemque est, quod *è sterquilinio effossus*, apud Plautum. Quo modo *lutum, sanguine maceratum* dixit Tiberium Theodorus Gadareus, Præceptor ejus, apud Suetonium *in Tiberio cap.* 57. V. Casp. Barthium *ad Statium Theb. l.* 2. *v.* 665. ut & suprà in voce *Latrinarum Antistes*.

Lutra. V. supra *Luter*.

Lutum, prima generis nostri nobilitas. *Ex terra* enim *lutove*, primum hominem factum, e sacra Historia cuivis liquet. Cui consentienter Philosophi, [illegible Greek] ut Clemens 5. *Strom.* loquitur. Arnobiusque auctor est, alios ex Sapientibus dicere, Tellurem esse hominum matrem, Aquam alios, *c. Gent. l.* 2. quas duas sententias si conjungas, *lutum* habebis. Expressius Callimachus apud eundem Clementem,

> Ἦν χρόνος ... [illegible]
> Καὶ τὸ ... καὶ τὸ πετεηνὸν, ὥπως
> Ἐφθέγγεθ' ὡς ὁ πηλὸς ὁ Προμήθειος.
> *Erat tempus, cum volucrium secla,*
> *Et quadrupes, & quidquid occulit pontus,*
> *Vocem efferebat, ut* Lutum *Prometheum* &c.

Quam in rem V. plura egregia, apud Tob. Pfannerum *System. Theol. Gentil. pur. cap.* VII. §. 1. & 2. Ex eodem primæ habitationes factæ, cujus rei inventor Gellio *Doxius Cœli filius placet, exemplo sumto ab hirundinum nidis*, Plin. *l.* 7. *c.* 56. Postmodum *Luti* vice, bitumen in muris faciendis adhibitum, teste Herodoto *lib.* 1. [illegible Greek] Ubi πηλὸς *lutum* est. Pro calce nempe & arena (industriâ mortalium sensim crescente) multi utebantur *luto* subacto & paleis mixto, in parietum instructura: Unde vicem *luti* bitumine fartos Babylonis muros tradit idem. Palladius, *Quibus copia suppetit, macerias* luto *& lapide excitant, plerique sine luto congesta in ordinem saxa componunt*. Petronius,

> *Et paries circa paleâ satiatus inani*
> *Fortuitoq;* luto *clausos munibat agrestes.*

Cujusmodi *lutum* Festus intelligit, *Aceratum lutum & paleis mixtum*. Propriè autem loquutus est Petronius, *parietem luto satiatum & paleâ* dicendo, qui fartus erat luto. Vitruvius *l.* 2. *c.* 8. *Utraq; autem ex minutissimis sunt instruenda, uti materia ex calce & arena crebriter parietes satiati diutius contineantur*. Ita nempe & *luto* satiabantur. Sed & craticii parietes fiebant, qui inducebantur luto. Idem, *l.* 7. *c.* 3. *Cùm paries totus luto inquinatus fuerit, tunc in eo opere cannæ clavis muscariis perpetuò figantur, deinde iterum* luto *inducto, si priores transversariis ordinibus fixæ sunt, secundæ erectis figantur*. Ubi de craticiis parietibus loquitur, quibus *luto* inductis cannarum duplex ordo adfigebatur, ut tectorium superinductum firmius adhæresceret. In muris Babylonis, inter singulos ordines laterum texta cannarum stipata erant & bitumine adglutinata &c. V. Salmasium *ad Solinum p.* 1230. Inde & ad alios usus adhibitum. Namque *Luto inquinandi statuas Tyrannorum* mos, occurrit apud Æl. Lampridium *in Heliogabalo*, *Misit qui in castris statuarum ejus titulos* luto *tegerent, ut fieri solet de tyrannis*. Nempe in tyrannorum, eorumque omnium, quorum memoria damnaretur, statuis, usurpari solitum est, ut & detraherentur & *luto* oblinerentur, aut nigro colore deformarentur, ut de Maxentii imaginibus Eusebius scribit *lib.* 9. *sub fin.* Cùm erant fusiles statuæ, iis conflatis, vasa ad obscœnos usus interdum inde conficiebantur, ut Athenienses olim è statuis Demetrii Phalerei, teste Laërtio. Sed mos *luto* inquinandi antiquissimus est, &, si credimus Græcis Grammaticis, eosdem Athenienses auctores habet: Scribunt n. illi, solitos hosce damnatos alicujus criminis *lutulare*, & ita traducere, quod ἀποπηλακίζειν dixere, Casaubonus *ad Lamprid.* Similis apud Burgundiones pœna. *Luto vel cœno necandi*, L. Burgund. *tit.* 34. § 1. *Si qua mulier maritum suum, cui legitimè nupta est, dimiserit, necetur in luto*. Quò referendum illud Taciti *de Moribus Germ. Ignavos & imbelles & corpore infames cœno & palude, injectâ insuper crate mergunt*. V. supra in *Canitus*. Neq; verò eorum solùm, qui sententiâ Judicis extra fines exportabantur, faciem *luto* illinebant Athenienses, sed & in aliis, quos volebant ignominiâ affectos, eundem morem observabant, uti docet Auctor *Etymologici*, Οἱ ἀρχαῖοι, ὅτε ἤθελον ὑβρίσαι τινὰ καὶ ἀτιμάσαι, πηλὸν ἔχριον τὸ πρόσωπον αὐτοῦ. Sic odii & contumeliæ causâ, apud alios quoque, rapa jacta, fimus, lapides, aut lutum, uti discimus ex *l.* 1. *ff. de extraord. crim.* V. etiam suprà in verbo *Jacere*.

Lux, primæ diei Creationis opus, ubi triduo, præsens quidem diem, absens verò noctem præstitisset, quarto die Soli indita est, ad ornatum majorem, & lucem clariorem, tum etiam, ut non solùm dies noctesque alternaret, ad quod diei primæ lux suffecisset, sed ut præterea annos & menses aliaque tempora, discriminaret. Nam ad hoc quoque lucem illam discerpi, & magnitudine ac locis distingui, attinebat, eamque rationem adducit ipse Moses Genes. *cap.* 1. *vers.* 14. Quam *primæ Lucis* immutationem eleganter expressit Apollinaris, cum ait, [illegible Greek] *E primigenia luce, quidquid purissimum foret, indidit Soli, reliquum verò Lunæ & astris impertivit*. Unde Basilius sidera vocat *Lucis* ὀχήματα, *vehicula*, *Hexaëm. Homil.* 6. uti δοχεῖα, *conceptacula*, Damascenus. Maximus verò *in Dionysium Scholiis* id soli principi siderum vindicat, Τὸ χρονικὸν φῶς τῇ τετάρτῃ ἡμέρᾳ μετωχετεύθη εἰς ἥλιον, *prima die conditam lucem quartâ die in Solem transformavit*: A quo precarium habere lumen, cum Lunam, cum reliqua sidera, non pauci sentiunt. Atque hanc de *Luce prima* sententiam, etiam Gentilibus, Empedocli, Philolao, Anaxagoræ, Democrito & Metrodoro suboluisse, ex Laërtio & Plutarcho, quanquam obscurioribus locis, Grotius notat, *de Ver. Rel. Christiana lib.* 1. *ibiq; Annotat.* Est autem *Lux*, inter corporeas, pulcherrimum simul ac maximè admirandum opus Ejus, qui lucem habitat inaccessam: unde sidera, Solem inprimis, colendi, non minima miseris Gentilibus ansa fuit, ut suo loco videre est. Interim illa lugentibus exosa. Virgilius,

> — *Lucemq; perosi*
> *Projecere animas* —

Quasi luctu perculsam, ob interitum mariti, magnam sui temporis Reginam per aliquot menses adeò lucem fugisse, ut nec lucernam, aut cereum, candelamque ullam, nisi per velamen aliquod, non admodum tenue, conspexerit, refert C. Barthius *Animadvers. ad Statium Thebaid. l.* 10. *v.* 812. Morituros tamen ultimo obtutu *lucem* quærere, hincque faciem illorum cœlo obverti consuevisse, notant, qui *de Funeribus* scripsere. V. quoque hic passim.

Lux Dubia, nomen fani apud Gaditanos, Phosphoro sacri, quod à Romanis conditum hinc patet, quod Φωσφόρου hoc ἱερὸν, *Phosphori fanum*, aliter vocari Λουκεμδουβίαν, receptâ voce Latinâ, ait Strabo *lib.* 3. V. Gerh. Jo. Vossium *de Idolol. l.* 2. *c.* 31.

Luxuria, à *luxu*, quod propriè luxatio, ἐξάρθρωσις, inde intemperantia cupiditatum, cùm sc. ex *luxa* seu solutæ sunt, ἀσωτία, ἀκρασία: circa victum & vestitum inprimis, propriè profusa impensa. Sic in victu, *Luxuriosorum* principes, ex Græcis quidem Callias & Ctesippus; ex Romanis Apicius & Hortensius, memorantur Æliano *lib.* 10. *cap.* 10. Et Hortensium quidem Oratorem, *primum cibi causâ pavum occidisse*, narrat Tertullianus *de Pallio c.* 5. quem postea saginare primus instituit M. Aufidius Lurco, circa novissimum Piraticum bellum: ob quæ sic Publius Syrus, apud Petronium Arbitrum, qui hisce negat melius quid dici posse.

> *Luxuriæ rictu Martis marcent mœnia,*
> *Tuo palato clausus pavo pascitur,*
> *Plumato amictus aureo Babylonico* &c.

Verùm hos omnes immanè quantum superavit Æsopus Tragicus, vel ejus filius, cui Pater ex arte ducenties sestertium reliquerat, uti præter alios Macrobius narrat, *Saturn. l.* 2. *c.* 30. De filio ita Valerius Max. *l.* 9. *c.* 1. *Quem furiosa luxuria juvenem constat cantu commendabiles aviculas, immanibus emtas pretiis, in cœna pro ficedulis ponere, acetoq; liquatos magnæ summæ uniones potionibus adspergere solitum, amplissimum patrimonium, tanquam amaram aliquam sarcinam*

quibus

quàm celerrimè abjicere cupientem. Quod tamen Parenti liquidò tribuit Plin. *l.* 10. *c.* 51. *Maximè*, inquiens, *insignis est in hac memoria Clodii Æsopi, Tragici Histrionis, patina, sexcentis H-S. taxata: in qua posuit aves cantu aliquo, aut humano sermone vocales, nummis sex singulas coëmtas, nullâ aliâ inductus suavitate, nisi ut in his imitationem hominis manderet, ne quæstus quidem suos reveritus illos opimos & voce meritos: dignus prorsus filio, a quo devoratas diximus margaritas.* Sane filium fuisse, a quo comestas narrat margaritas, etiam Horatius testatur *lib.* 2. *Satyr.* 3.

Filius Æsopi detractam ex aure Metellæ,
Scilicet ut decies solidùm exsorberet, aceto
Diluit insignem baccam.

Similiter Tertullianus *de Pallio cap.* 5. At de patina adscribit Patri Histrioni hæc de utroq; verba: *Æsopus Histrio ex avibus e tiadem pretiositatis, ut canoribus & loquacibus quibusq;, centum millium patinam confiscavit* (h. e. consilcatam, seu repositam habuit; ut eam cùm vellet, avibus carissimè emtis plenam repræsentaret convivis.) *Filius ejus post tale pulpamentum potuit sumtuosius esurire: margarita namq;, vel ipso nomine pretio, a debausit. Credo, ne mendicius Patre cœnasset.* Sed de pretio patinæ fusius disserit Salmasius *ad Tertull.* quem vide. Quòd verò Plinium audivimus dicentem, *aves singulas sex nummis coëmtas*; quod pretium Belgis necdum adæquet stuferos quatuor, sive quintam floreni partem: mendum est. Quare Hottomannus *de Re Numm. p.* 257. pro *sex* legit *sexcentis*; id est, octodecim florenis Belgicis. Sed neque id justum fuerit pretium. Proin Salmasius, ex optimo & vetustissimo Rigaltii codice, reponit: HS. VI. *singulas coëmtas.* Nempe pro avibus singulis soluta sestertia sex, seu sex millia nummûm. Quam Plinii sententiam etiam Tertullianus expressit, scribens: *Asinius Celer mulli unius obsonium VI M. H S. detulit: Æsopus, ex avibus ejusdem pretiositatis, sexcentûm millium patinam confiscavit.* Ubi clare inter patinam & avium pretium distinguit: quæ Budæus *de Asse*, confudit. Ab Æsopo ad aliud *luxûs* exemplum, ducit Suetonius *lib.* 7. *Famosissima*, ajens, *super cæteras fuit cœna Vitellio data adventitia à fratre: in qua duo millia lectissimorum piscium septem avium, apposita traduntur. Hanc quoq; exsuperavit ipse dedicatione patinæ, quam, ob immensam magnitudinem, Clypeum Minervæ, Αἰγίδα Πολιούχου, dictitabat. In hac scarorum jecinora, phasianorum & pavonum cerebella, linguas phœnicopterûm, murænarum lactes, à Carpathio usq; fretoq; Hispaniæ, per Navarchos ac triremes, petitarum, commiscuit.* Porrò Romanorum luxum insigniter arguunt verba hæc Favorini apud A. Gellium *l.* 15. *c.* 8 *Negant ullam avem, præter ficedulam, totam comesse oportere: cæterarum avium atq; altilium, nisi tantum apponatur, ut à clunículis inferiori parte saturi fiant, convivium putant inopiâ sordere: superiorem partem avium atq; altilium qui edunt, illos palatum non habere.* Idem muntum comparuit, ex Aviariis sive Ornithonibus, in quibus tria inprimis admirationi erant; magnitudo earum, multitudo avium quas continerent & pretium ingens, quod inde quotannis perciperent: Verum cùm hac de re infrà dicturi simus, *suo loco*, hoc unum hic addam, quod Axius habet, apud Varronem *de R. R. l.* 3. *c.* 6. ubi, ex pavonibus M. Aufidium Lurconem supra sexagena millia nummûm cepisse, memorat. Idem *cap.* 7. ubi de columbis: *Parentes eorum*, inquit, *Romæ, si sunt formosi, bono colore, integri, boni seminis, paria singula vulgò veneunt ducenis nummis, nec non eximii singulis millibus nummûm: quas nuper cum Mercator tanti emere vellet à L. Axio, Equite Rom. minoris quadringentis denariis daturum negavit.* Quod de Axio referre etiam non piguit Plinium *lib.* 10. *c.* 37. Duceni autem nummi Belgis nunc fuerint sex floreni: mille nummi, triginta floreni: quadringenti denarii, 120. floreni. Causa *caritatis*, adiciales inprimis ac triumphales cœnæ: unde legas *lib* 3. Varronis *c.* 2. *Quotus quisq; enim est annus, quo non videas epulum, aut Collegia, non epulari; quæ nunc innumerabiles incendunt annonam,* &c. Plura hanc in rem V. apud Gerh. Joh. Vossium *de Idolol. lib.* 3 *passim.* In vestitu *luxuriem* Romanorum, matronarum inprimis, graphicè describit Plinius *l.* 9. *c.* 35. *l.* 33. *c.* 2. aliibiq; passim. Ut de *luxu* in supellectile, in ædificiis, aliisque sese exerente, nil addam: nisi versus hos Statii *lib.* 1. *Sylv.* 2. *vers.* 157.

——— ——— *hic Sirius alget,*
Bruma tepet versumq; domus sibi temperat annum.

Ubi delitias ubique sectando, ex hieme & æstate ver factum indicat, mutatasque Naturæ ipsius vices, temperatis luxuriæ artificio rigoribus & fervoribus: cujusmodi habitationem pulchrè *totius anni villam* vocat Seneca *Epist.* 55. Ut autem cordati homines temperatoriam hic quoque secuti sint, vides in ædificiis pulchre diligenterque conscriptis à minore Plinio *l.* 1. *Epist.* 17. & *l.* 5. *Epist.* 6. De *luxu* in cubando, V. aliquid infrà, ubi de *Lectis & Pulvillis*, sicut de reliquis luxuriæ speciebus, passim suis locis. Neque verò in pace solum, sed & militiæ, sequiori ævo, *luxuria* dominari cœpit, adeò ut inter sarcinas Ducum ipsa pavimenta fuerint. Hinc Plinius quoque Neronis *viatoria cubicula unionibus constructa* queritur; & indignatur *conopeum* Horatius, de castris loquens Antonii,

Interq; signa turpe militaria
Sol aspicit conopeum:

nec non *speculum* Juvenalis, de Othonis,

Res memoranda novis annalibus atq; recenti
Historia, speculum civilis sarcina belli.

Ut de *sigillis*, in Domitiani; deque *balinei instrumento*, in Tiberii castris, apud eundem Poetam & Vellejum, taceam. Unde prætorium in castris templo comparandi, ob magnificentiam, occasio Josepho. Transiit autem luxus uterque ex Oriente, post Asiam inprimis devictam, ad Romanos. Treb. Pollio de Herode Tyr. *homo omnium delicatissimus, & prorsus Orientalis & Græcæ luxuriæ* inter milites ex parte sublatus ab Adriano Imp. quemadmodum legibus *Cibariis, Vestiariis*, aliisque in urbe utcunq; eidem obviam itum est. V. quoque ubi de re *Censoria*, alibique passim.

Luxurius Epigrammatarius, Carthagine scripsit & floruit, sub Thrasemundo Vandal. R. de quo V. aliquid infra, verbo *Pasere*.

Luzelsteinum, castrum Germaniæ, in Austrasia, caput Comitatus cognominis: V. suprà *Lutelsteinum*.

L Y.

Lycabetus, adde: seu *Lycabettus*, à quo monte Phainus & Meto stellarum motus speculari solebant. Salmasius *ad Solinum p.* 742. V. quoque infrà *Parapegma*.

Lycanthropia, Græca vox, morbum notat, à copia atræ bilis proficiscentem, quo ita hominum depravatur phantasia, ut lupi sibi videantur; aliqui etiam lupino more, oves vel homines invadere studeant, V. Æginetam *l.* 3. *c.* 16. & Actium *l.* 6. *c.* 10. Talem se credidit pater Præstantii, apud B. Augustinum *de Civ. Dei l.* 18. *c.* 8. Item Borussus ille, de quo Georgius Sabinus *in Ovid. Metam.* 7. Præterea alius Joh. Ewichio *l. de Nat. sag.* memoratus; qui, cum sibi lupus videretur, sub fœnum se recipiebat & à rusticis nimis credulis jam cœperat excoriari, avidis cognoscere, an non quia *versipelles* dicantur (V. Plinium *l.* 8. *c.* 22.) pellem verterit, pilos interius haberet. Imo & hinc error dimanavit ad alios, etiam supra vulgus sentientes. Nam & Lactantius, de animis impiorum saltem id sensisse videtur, ut in quos potestatem habeat spiritus malignus, unde in Arte Magica verti possint in lupos. Cujusmodi conversionem non solùm agnoscunt, Maro *Ecl.* 9. & Poëtarum alii: sed Plinius quoque *lib.* 8 *cap.* 22. Sed parum ad rem facit, puerne an impii sint, quorum animæ in bestias, ex prisca Pythagoræorum disciplina, transeant. Omnino enim, ut ex perfecto animali aliud fiat animal perfectum, longè exsuperat vim creatam: quodq; Deus creaturis omnibus negavit, id non absque impietate illis adscribitur. Nec obstat confessio propria eorum, qui se *lupos* prædicant: Namque & morbo hoc tribuendum, uti dictum: nec pertinaciter inficias ivero, Spiritus malignos, ubi vident se nanctos decipi idoneos (ut fere sunt atrâ bile laborantes) formâ interdum lupi apparere; vel veros excitare lupos, qui oves dilanient, aut alia dent damna; interea verò in melancholicis illis, somno sopitis, sic phantasiam dirigere, ut hi omnia sibi agere videantur, quæ faciunt lupi, aut dæmones, formâ lupi adsumtâ. Etiam hoc dari potest, quandoq; homines ipsos in dilaniatione ovium esse præsentes: quin, quæ vulnera sint inflicta lupis, ea illis postea compareant corporis humani partibus ac locis, quæ lupinis respondeant. Ut dicendum videatur, homines à Dæmone lupinâ pelle circumvestiri, aut ex aere non absimile quid circumfundi, perque pellem lupinam, sic membris adaptatam, aut per aeream speciem facilè cedentē, ita ictus penetrare, ut reapse iis locis ferro vulnerentur. Vel, si hoc durius creditu est, saltem, dum à Dæmone, vel lupis veris, ista fiunt inter pecudes, mali Spiritus alto sopitis somno vulnera similia infligūt domi, quæ hi foris credunt accepta, quia, quę foris fierēt, in phantasia à Dęmone repræsentarentur domi. Utrūcunq; istorū placuerit, extra controv. poni debet, nec animas humanas in corpora migrare lupina, nec humana corpora in lupina cōverti. Quę objectantur, de Nabuchodonosoro, ex Dan. *c.* 4. *v.* 22. & 30. ac *c.* 5. *v.* 21. non tam significant, feram factum; quàm ita efferatum ut in figura humana feræ esset similis, temperamento immutato, corrupta imaginativa, sic ut morbo, eoque *Lycanthropia* non absimili, quadrupes sibi videretur, atque ejus instar, humani fugiens consortii, manibus & pedibus inter feras diu noctuq; sub dio reptaret, gramine etiam vesceretur, pilis & unguibus inhorresceret, nec loqueretur, sed potius inconditum strideret sono: Quo modo Rupertus Tuiciensis Prophetam interpretatus est *de Victor. Verbi Dei l.* 6. *cap. ult.* Ac sententiam hanc etiam admittunt, quæ de eo legas apud Gregorium M. *in Hiobum l.* 5. *c.* 6. Ubi priùs inquit, *In irrationale animal versus est.* Subjicit autem, *Quem communem cum hominibus habuit, sensum hominis amisit.* Planeq; repudianda est sententia, quam Flavio Josepho, sed perperam, tribuunt Nicolaus Lyranus & Dionysius Carthusianus. Item, quæ de ipso legere est, apud Dorotheum Tyrium *in Synops. de vita ac morte Prophetarum & Apostol* sed supposititium Scriptorem, judicio etiam Molani, Bellarmini, Possevini: fortasse Dorotheum Abbatem Romanum, ut visum Baronio *ad Martyrol. Rom.* Legitur quidem idem apud Epiph. *in vita Danielis*: Sed nec opusculum istud, de Prophetarum vita ac interitu, magno illo Salaminis apud Cyprios Episcopo satis dignum. Multa adeò ex Talmudinis hausit incerta, imò falsa: nec ejus libelli meminit Theologorum Vett. quispiam, V. Gerh. J. Vossium *de Idol. orig. & progr. l.* 3. *c.* 41. &c.

Lycaon, Indici lupi genus versipelle, de quo V. Plinium & Solinum, & *ad hunc Exercitationes* Salmasii.

Lycas, canis venaticæ nomen, in *Epigr* Simonidis apud Pollucem,

[illegible]
[illegible]

Lychnis vel *Lychnites* gema, memoratur Luciano in *Syria Dea*,

λίθον ἐπὶ τῇ κεφαλῇ φορεῖ, λυχνὶς καλεῖται — Ἀπὸ τούτου ἐν νυκτὶ οἶδας πολλὴν ἀπολάμπει· ὥστε δὲ οἱ καὶ ὁ οἶκος ἅπας εἶναι ὑπὸ λύχνοις φαίνεται· ἐν ἡμέρᾳ δὲ τὸ μὲν φέγγος ἀσθενεῖ, ἰδεῖν δὲ τῆς χρόας πυρώδης, *Gemmam in capite gerit, quæ* lychnis *vocatur. Nomen autem ex effectu sortita est. Ab ea n. noctu multus fulgor coruscat, unde tota ædes tanquam lucernis collucet* &c. Cui simile quid de lapide *dara*, scribunt Talmudici *inter. Megilla cap.1. fol. 12. a. Samuel dixit lapidem esse pretiosum—in maritimis urbibus, qui, si in medio cœnaculo constituatur, lucem præbet accumbentibus.* Hinc Dionysius Periegetes *versu* 329. πυρὸς φλογὶ πάμπαν ὁμοίην, *ignis flammæ omnino similem*, hanc gemmam facit. & Pisidas, de mundi opificio loquens, postquam cœlum stellis, tanquam margaritis, ornatum esse dixit, addit, Solem & Lunam, velut *lychnitas* in cœnaculo, illum diurnum lumen, istam nocturnum inferre. Sic de ciconia scribit Philostratus *in Apollonio lib.* 2. *cap.* 7. *Lychnitem* in nidum suum, tanquam facem, inferre. Unde dubium non est, quin de hoc eodem lapide sit accipiendum, quod ab Æliano narratur, *Histor. lib.* 8. *cap* 22. ciconiam, cujus crus fractum Tarentina mulier obligaverat & sanaverat, accepti beneficii memorem, anno sequente in ejus sinum lapidem conjecisse, cujus fulgore noctu splendebat domus, ὡς ἐπεισενεχθείσης δᾳδὸς, *tanquam illatâ face.* Videtur de hoc ipso lapide cogitasse Kimchius, cum scripsit *ad Ezech. cap.* 28. *vers.* 14. *Tyri Regem noctu ambulasse, in medio gemmarum & lapidum ardentium—quæ ante eum deferebant, ut loco facum essent, & noctu lumen præstarent.* Nec aliò referenda, quæ de corona Imperatoris, in palatio Blachernis, & gemmis in ea fulgentibus, tradit Benjamin *Itinerar. pag.* 26. Barbarique Scriptores, qui *orphanum* hanc gemmam vocant, quòd nunquam alibi, quàm in corona Imperatoris, reperiatur, uti scribit Pandectarius ex Alberto, qui ex Evace. Cardanus *lib. de gemm. Orphanus colore purpureo adeò eximio, ut referant parem non inventum: Lucet autem in tenebris. Hodie haberi à Regibus Camana, emporii Indiæ extra Gangem, quam urbem nunc Calechutam vocant, dicitur à pluribus. Honores Regios eo servari putant. Sunt qui pyropum esse velint. Alii album radios igneos emittentem* &c. Alii opali speciem esse dicunt. Noctu capi seu colligi, in Pselli *libro de lapidibus* legimus, ubi *Lychnitem* νυκτάλωπα vocat, quia, cum noctu multùm luceat, ad diei lumen hebescit ac proinde non reperitur, uti ex Luciano didicimus *loc. cit.* Inseri autem laquearibus consuevit, ut inde lumen undiquaque diffundat, quò referes Servatoris illud, cum λύχνον dicit, *non poni sub modio, sed in candelabrum, ut luceat omnibus, qui sunt in domo*, Matth. *cap.* 5. *vers.* 15. V. Sam. Bochartum *Hierozoici Part. poster. lib.* VI. *cap.*8. & Salmasium *ad Solinum passim.*

Lychnuchus, ex Græco λυχνοῦχος, instrumentum est, cui lucerna s. lychnus aptatur, sicut candelabrum, cui candela: In usu domi. Cic. *hanc scripsi ad lychnuchum ligneolum.* Et cum totas proditeri, V. Athenæum, pro quo obesse olychnion tulisse milites, docet ex Aristotele Casaubonus *ad Julium Suetonii cap.* 37. In sacris inprimis: Moris n. fuit prisci, ut Casaubonus ex Plinio *lib.* 34. *cap.*3. observat, delubra *lychnuchis pensilibus* ornare. Sic autem is: *Placuere lychnuchi pensiles in delubris, aut arborum modo mala ferentium lucentes: qualis est in templo Apollinis Palatini, quod Alexander M. Thebarum expugnatione captum in Cyme dicaverat eidem Deo.* Unà simul aliquot *Lychnuchorum vett.* formas nobis ingerit. Quemadmodum Statius *de Lychnucho*, Amphitheatrum illuminante, ei multas faces aut funalia plurima in orbem, coronæ instar distributa, ascribit, *lib.*1. *Sylv.*6 *versu* 87.

> *Vixdum cærula nox subibat orbem,*
> *Descendit media nitens arenâ*
> *Densas* flammeus orbis *inter umbras,*
> *Vincens Gnosiaca facem corona.*

V. de Spectaculis in noctem continuatis J. Cæs. Bulengerum *de Theatro lib.*1. *cap.*49. Et de *Lychnuchis* Alcinoi, eos ad humanam formam effigiatos, fingit Homerus *Odyss.* η. ubi de convivio regio, qualia in noctem prolata *ad lychnuchos* & lampades, apud reliquos etiam Poëtas, sæpe occurrunt. Dionysium verò Jun. in Tarentinorum Curia candelabrum posuisse, in quo tot arderent lucernæ, quot dies anni sunt, refert ex Euphorione Athenæus *l.*15. *cap.*19. in textu est, λυχνεῖον ἀνέθηκε. Ante omnes verò memorabilis est *Lychnuchus aureus*, in Tabernaculo V. Test. qui ad Australem ejus partem, in Sanctuario, collocatus, septem lampadas septenis brachiis sustinebat: quæ à Sacerdotibus sub vesperam accensæ oleoque purissimo nutritæ, totâ nocte in templo ardebant, Exodi *cap.*25. *vers.*31. & *seqq.* & *cap.*27. *vers.*20. & 21. Designabat is partim Christum, à quo solo Mundi & Ecclesiæ lux est, Joh. *cap.*8. *versu* 12. partim Ecclesiam, quæ instar *aurei candelabri* Apoc. *cap.*2. *versu* 11. & quidem una, in VII. periodis per ministerium suum Verbi Dei lucem huic mundo præfert. Auro suo, lucis hujus dignitatem, vividumque ac æternum fulgorem pingebat: Oleum exprimebat Spiritus S. dona: Lampades, rami ac calyces varii, donorum Spiritualium ubertatem & varietatem testabantur: Sacerdotum denique ministerium, in illis sub vesperam accendendis, Christi & Ministrorum ejus significabat curam, qui Ecclesiæ suæ perpetuam incubare noctem non sinit &c. Franc. Burmannus *Synops. Theol. Christ. lib. IV. cap.*14. §.9. & 10. V. quoque Fort. Licetum *de Lucernis Antiqq. lib.* 6. *cap.* 112. & suprà in voce *Candelabrum.* Addo saltem, quòd *Lychnuchi* fuere primitùs è testa. Unde Ausonius *Eidyllio* 2. *in Cupidine cruci affixo,*

> —— *fert fumida testâ*
> *Lumina Sestiaca præceps de rupe puella.*

Dein è ligno, quali Ciceronem usum legimus. E pelle, V. suprà, ubi de *Laternis.* Ex ære porrò, qualis *Lychnuchus* asservatur, in P. Petavii in Curia Paris. Consiliarii cimeliis. Ex auro tandem & argento, postquam se, luxus invaluit &c. Plura hic passim.

ad *Lychnum*, dicebatur apud Romanos, qui aliàs *ad Funale, ad Laternam, Lampadephorus* & *Tædiger* appellatus est. Nempe, qui præcinctus lumbos & *lychnos* ferens, dominum domi præstolabatur, à cœna revertentem: V. suprà in voce, *Funalia.*

Lychnus, apud Martialem *lib.*4. *Epigr.*89.

> *Dum parvus* lychnus *modicum consumat olivi:*

ex Græco λύχνος, *lucerna* est. Aliàs Luctatius Placidius Grammaticus *ad Statium Thebaid. lib.*1. *v.*521.

> *Ast alii tenebras & opacam vincere noctem*
> *Aggressi, tendunt auratis vincula lychnis:*

subtiliùs distinguens, privatorum usibus *Lucernas*; Principum *Lychnos* attribuit. Apud Lucretium *de Rer. Nat. l.*5. cùm ait,

> *Quin etiam nocturna tibi terrestria quæ sunt*
> *Lumina, pendentes* Lychni, *claræque coruscis*
> *Fulguribus pingues multâ caligine tædæ,*

Lychni à tædis: & apud Paulinum Epist. *D. Felicis Natali* 6.

> *Ast alii pictis accendunt lumina ceris,*
> *Multiforesque cavis* Lychnos *laquearibus aptant:*

iidem à cereis, clare distinguuntur; utpote in quibus nec cera, nec sevum, nec pix, sed oleum solùm arsit. C. Plinii extat apud Servium locus, *ad Georgic. lib.*1. *v.*391. & ipse Virgilius,

> *Nec nocturna quidem carpentes pensa puellæ*
> *Nescivere hyemem, testâ cum ardente viderent*
> *Scintillare oleum.*

Horum itaque usus mortalibus fuit, ante funalia, candelas & faces. Generali nomine *lumen* dicti Isidor. *lib.* 17. *cap.*8. Quorum ut alios usus taceam, hic saltem moneo, ex Dempstero: *Ignem Imperatoribus in Lucernis seu* Lychnis *prælatum esse.* Qua de re insignis locus est, apud Corippum Africanum, de Justino Principe, in ludos Circenses prodeunte, *lib.*2. *n.*8.

> —— —— —— *Prænuntius antè*
> *Signa dedit Cursor, positâ de more lucernâ.*

Signum ergo illud erat, Cæsarem adventare, quoties Cursores *lucernas* prætulissent, quas in Circo statuebant, veluti sacræ & non violandæ Majestatis indicium. *Lychnos* autem Veteres non extinguebant, sed sponte sinebant languescere. Petr. Arbiter *in Satyrico, Lucerna quoque humore defecta, tenue & extremum lumen spargebant.* Quo ritu accensi sint *lychni* festis diebus olim, ac coronati, & ante ostia in propatulo constituti, ut & plura hanc in rem, V. apud Thom. Dempsterum *Paralipom. in Joh. Rosini Antiqq. Rom. lib.*1. *ad reg.*11. &c. Hujusmodi *Lychnorum* conficiendorum [illegible] quædam ratio, innui nonnullis videtur verbis Prudentii *Hymn.* V. ἐπιλυχνίων, qui est *ad incensum Lucernæ*, cum ait

> *Sed ceràm teretem stuppa calens bibit.*
> *Nectar de liquido vertice fervidum*
> *Guttatim lachrymis stillat olentibus:*
> *Ambustum quoniam vis facit ignea*
> *Imbrem de madido flere cacumine.*

Hic enim Vir doctus jubet notare veterem & diversam à nostra *Lychnorum* conficiendorum rationem, quæ tam vivè vereque in nullo alio antiquitatis loco descripta reperiatur. Confectionem eam fuisse talem, ut ignis superpendentem ceram aut oleum calefaciendo redderet liquidum, quod guttatim per fabre appositum foramen angustiæ convenientis destillans aleret flammam eam, quæ ipsa sibi pabulum ita quæreret. Sed ubi accenderit ingeniosus Inventor ignem tam sapientem, ut ex impendente liquefacta cera non plus peteret, quàm quo alatur; ubi ceràm adhibuerit tam diligentem, ut lapsus suos dispenset, nec largior cadat, quàm sit utile igni; vas construxerit superiùs ex quavis materia, tam scito foramine, ut non plus ceræ demittat, quàm inferiori ad lumen pascendum sit necessarium: ubi, inquam, hæc omnia fecerit, ostenderitque rerum Naturam pati, quod ipse apud animum suum instituit; rogabimus, ut alibi, & tanquam propriè suum, callidissimum hoc inventum venditet. Nec verebitur illius soricis inventum: *Tuum hoc erat? vetus credidi.* Per Prudentium quidem: qui nihil aliud canit, quam quod videmus quotidie in cereis aut sebaceis nostris. Cùm incensi sunt, *de liquido vertice* (nam in summo accenduntur, quodque lumini proximum, ejus calore liquitur & liquefactum ducitur *à stuppa ardente*) *stillare guttatim fervidum nectar*, seu defluere ab hoc latere identidem guttulas ceræ calidæ & resolutæ aut sevi: tum videlicet, cùm liquefactum est plus, quàm trahendo in altum bibere potest ardens stuppa: primùm enim in umbonem collecta atque intumescens in medio materies liquida aliquandiu constat; dein, velut obice perrupto, quà data porta, ruit & candelabra, digitos, quocumque sustinetur, oblinit. Rectè autem membranæ, *olentibus*: Non quia odores adderentur, ut fragranti oleo jucundior usus foret; nihil enim hic de oleo,

oleo, totum de cereis est, nihil de odoramentis. Sed quia ipsæ lacrymæ cujusvis ceræ, ipsi incensi cerei sine accensione aliorum odorum, odorem olent non ingratum. Paulinus *Natali* 3. *Felicis*,

Clara coronantur densis altaria Lychnis.
Lumina ceratis adolentur odora papyris.

Nam quæ Prudentio *stuppa*, Paulino *papyrus*, *Natali* 7.

Ut spirante foris aurâ depelleret æstum,
Quem fumosa dabat ceratis cella papyris.

Servius *ad* 1. *Æn.* Funalia dicta à funibus, quos ante usum papyri cerâ circumdatos habuere *Majores*. Alcimus Avitus, de fatuis Virginibus *in Parabol.*

Sed virtute carens languentem lampada fervor
Deserit, & siccam percurrit flamma papyrum.

Paulinus alter, de vita S. Martini *lib.* 5.

Ast aliis deferre faces, atq; unguine multo
Inficere in longum contexta fila papyri,
Non ut discussas lux vinceret illa tenebras.

Aldhelmus *de Lampade*,

Jamq; latex lucens flammas pascebat edaces.
Papyrus in medio radiabat lumina centro,
Clarius & multo, quàm fomes pinguis olivi,
Aut certe in vitro splendens arvina scrofa.

Ita & membranæ Oxonienses: nec erat, cur versum mutilum daret Canisius, aut Spondaicum timeret. Margo habet: SINÆRESIS. Videtur voluisse *diæresis*, ut fuerit *scrofai*. Idem *Papyrum* mediâ correptâ repetit inferius: *ceu viridis lentescit papyrus amne.* At *scrofa arvina* suillus adeps, qui tamen hodie pretiosior & in cibis est. Prosa: *Ut latex lucernarum fundibulis infusus in olei crassitudinem verteretur & papyrus in centro positus, velut fomes, arvina vel sevo madefactus, solito clarius lucesceret.* Ut bene correxit Meursius. Quam lampadem prius, mox *sebalem facem* dicit Ammianus *lib.* 18. Vetus Epigramma:

Lenta paludigenam vestivit cera papyrum,
Luminis ut accenso det alimenta simul.

Et aliud:

Ut devota piis clarescant lumina templis,
Niliacam texit cerea lamina budam.
Congrua vestifera submittit pabula flammæ,
Quæ castis apibus præbuit ante domos.

Nam *buda* hic eadem, quæ illic *papyrus*, vel *stuppa*. Porrò in Prudentio *ambustum* intellige, quem dixerat *verticem*. Posteriores duo versus idem ferme dicunt, quod priores: nempe, vim igneam stuppæ incensæ facere, ut vertex ambustus fleat imbrem sive guttas illas destillantes de cacumine madido & liquefacto per ignem luminis. Quó igitur *arbustum*, ut nonnulli legunt? quó *verticem* cum stagno impendentis humoris? quó *nubem*? Imber est guttarum sive lacrymarum ceræ liquefactæ, ut oculorum imber dicitur genis defluens: & utrumque imbrem rectè dicitur *fleri*. At quis audivit, *fleri nubem*. Etenim activum ponit *flere*, ut ... Hymno 14.

Tenui rubebant sanguine uda vimina,
Quem plaga fierat roscidis livoribus.

Propter nempe vim igneam, ambustus ille vertex sive summitas cerei flet imbrem guttarum. Joh. Fridericus Gronovius *Observ. in Eccles. cap.* 5. Cœterùm *de Lucernis Vett.* diximus affatim suprà. Hinc *Lychnobii* dicti, voce itidem Græcâ, nepotes convivia in multam noctem, aliquando in alterum Solem, producere soliti, Seneca *Epist.* 122. de quibus dicemus plura infrà, ubi de conviviis *Tempestivis*.

Lyciarcha, Græcè Λυκιάρχης, apud Strabonem, Ἐν δὲ τῷ συνεδρίῳ πρῶτον μὲν Λυκιάρχης αἱρεῖται, εἶτα ἄλλαι ἀρχαὶ αἱ τοῦ συστήματος ... κοινῇ. *In Synedrio primùm quidem* Lyciarcha *eligitur, dein reliqui Magistratus* &c. Ubi *Synedrion* illud sive Concilium Lyciæ ex omnibus Lyciacis urbibus compositum intelligitur, quæ jus suffragii in illo consessu communi habebant; sic quidem, ut maximæ urbes trium suffragiorum potestatem obtinerent, mediocres duorum, cæteræ unius. Idem obtinuisse videtur in urbibus Asiæ & Syriæ: plures simul junctæ corpus unum & σύστημα faciebant, cujus consessûs & synedrii princeps erat; qui Ἀσιάρχης & Συριάρχης, adeoque in Lycia Λυκιάρχης dicebatur. Cujusmodi Magistratus præcipue creari solebant, ad munera ac ludos edendos in honorem Deorum, quorum & Sacerdotium simul capessebant: adeoque non Sacerdotum tantum erant Principes aut unius Civitatis, sed consessûs & consilii totius provinciæ Primares habebantur & Magistratum quoque gerebant: unde πρωτεύοντας κατὰ τὴν ἐπαρχίαν eos vocat Strabo, h. e. *provinciæ principes*. Annui autem creabantur &c. V. Claud. Salmasium *Exercitat. Plinian. ad Solinum pag.* 805. ut & in voce *Asiarcha*.

Lycomedius, nomen personæ Comicæ, à *cura*, & *astu* ductum. *Multa enim attingit, quorum satagit negotia: huic barba crispa, mentum oblongum, alterum supercilium protensum. Haud absimilem fecere hujus faciem lenoniam, diduxere tamen buccas, atq; etiam distorsere: contraxere præterea supercilia, ademere capillum, ita ut aut calvus aut recalvaster esset.* J. C. Scaliger *Poëtic. l.* 1. *c.* 14.

Lycorea, adde: Fuit autem is Apollinis, ex nympha Corycia, filius. Alii veró a Græco λύκος, *lupus*, illam dictam volunt. Delphorum enim urbe diluvio Deucalionæo mersá incolas, luporum ululatum secutos, in apicem montis Parnassi ascendisse, ibique conditam urbem *Lycorea* nomine ab iis mutuato insignivisse, tradunt. V. Jac. Sponium *Itinerar. Part.* 2. *pag.* 63. ubi hodieque apicem montis *Liacoura* incolis dici, voce à *Lycorea* parum abeunte, addit.

Lyde, adde: *Lyden* in pyxide à fœminis olim gestatam, innuit Thom. Bartholinus *de Puerperio Vett. Mutini fascino*, inquiens, *insident fœminæ, ut concipiant. Lupercis quoq; se offerunt & ferulâ cæduntur, caprina pelle corioq; tectâ. Gestant præterea pyxide Lyden immenso prolis desiderio, quo Reip. augendæ causâ, connubii retinendi & obsequio trium liberorum ardent.* Quem morem eleganter confirmat Juvenalis *Sat.* 2. *versu* 137.

— — *Quòd nil animis in corpora juris*
Natura indulget. Steriles moriuntur & illis
Turgida non prodest condita pyxide Lyde.

Lydeneus, Januarius mensis, apud Gazæos, dictus. V. Marcellum *Vita* S. Porphyrii, ubi de voce *Epiphania*.

Lydia, adde: Apud eosdem inaurium usus fuit. Unde apud Xenophontem Ἀνάβασ. 5. narrat quidam, se vidisse aures Apollonii, quæ ambæ essent, instar Lydorum perforatæ. V. suprà. Hinc *Lydiaca*, nomen libri gentis hujus historiam complexi, auctore Xantho Lydo, an Dionysio Scytobrachione? de quo V. Casaubonum *Animadversion. in Suetonium de Gramm. & Rhetor. pag.* 733.

Lydius Lapis, cognominatur *Magnes*, qui ferrum trahit, à Magnete quodam inventore; & qui dictus est *Heraclius* lapis, quo aurum probatur, in Tmolo *Lydiæ* amne primùm repertus. V. Salmasium *ad Solinum pag.* 1103.

Lymax, adde: Nomen habuit ἀπὸ τῶν λυμάτων, i. à *purgamentis*, quæ in eum Rhea, cum lustraretur, conjecerat, Pausanias *Archaicis*. V. Franc. Rossæum *Archæol. Attica lib.* 5. *c.* 6. ubi *de Puerperarum lustrationibus*.

Lyncestius, adde: Vossius aquam hanc, *aquam Lynci* seu *Lyncestis*, Epiroticæ urbis, *de Idolol. lib.* 2. *cap.* 72. ac nonnulli fontibus vinosis accensent, de quibus Vitruvius, æqualis Augusti Scriptor, ita *lib.* 8. *cap.* 3. *Sunt etiam fontes uti vino mixti, quemadmodum est unus Paphlagoniæ, ex quo etiam sine vino potantes fiunt temulenti.* Cui adde, potes ex Sotione, vetustissimo Eclogarum Scriptore, fontem Arabiæ Hodum, in quem si quis heminam vini infunderet, totus fons evadebat κεκραμένος, h. e. vinum dilutum, quale vulgò bibi solet. Item fontem Διὸς πλευρά dictum, in Insul. Andro, apud Plinium *lib.* 31. e quo statis diebus septenis æmulus vino liquor manavit. Sed male in hunc album aqua *Lyncestis* Casaubono refertur. Licet enim illi Tertullianus vinosam venam tribuat, ac Plinius ebrios effecisse scribat; Græci tamen eam inter ὀξίζοντας & Latini inter acidulas referunt; quo sapore aquas a vinosis recens distinguunt. Ita enim Theopompus, apud Antigonum Carystium *cap.* 80. Ἐστι ὕδωρ ὀξύ ... *addens*: *Aqua est acida: quiq; eam biberint, mente immutari, quasi vinum bibissent, ejusq; rei complures esse testes.* Et certe jam olim multis locis venas ejusmodi fuisse observatas, ostendunt ista Vitruvii, *Item sunt nonnullæ acidæ venæ fontium, ut in* Lyncesto, *& in Italia, Virena, Campania Teano, aliisq; locis pluribus.* Unde etiam de *Lynco* ipso hoc Plinius *lib.* 2. *cap.* 103. *Lyncestis aqua, quæ vocatur acidula* &c. V. Isaac. Casaubonum *Exercitat.* XIII. *ad Annales Ecclesiasticos Baronii, Num.* 33.

Lynx, Pani olim, cui pellem *lyncis* Homerus tribuit *Hymno* in eum, nec non Baccho, sacra. Ovidius passim, inprimis *lib.* 15. *fab.* 40.

Victa racemifero Lyncas *dedit India Baccho.*

Unde obiter colligere est, *lyncem* Indicum esse animal. Sed & in Æthiopia esse, apud Plinium habes *lib.* 8. *cap.* 21. Pantheræ simile animal esse, probat Bochartus ex Æliano & Arabicis Scriptoribus. Quam utramque feram in Oriente ad venationem institui, his verbis docet Paulus Venetus *lib.* 1. *cap.* 17. *Magnus Cham habet cicuratos leopardos, qui mirum in modum venationi inserviunt, multasq; capiunt bestias. Habet &* lynces *non minùs ad venandum industrios.* De quo genere venationis multa Arabes, & qui eorum scrinia compilarunt. Habet autem Eques Tartarus, ad venationem se conferens, pardum aut *lyncem* à tergo, qui, si aberraverit, redit ita iratus, ut nonnunquam interficiat institutorem suum: quod idem de pardo refert Albertus M. de panthera Leoni X. ab Emanuele Lusitaniæ R. dono missa, Osorius *l.* 9. &c. Cujus venationis auctorem hunc tradit Damir, *Primus eâ ferâ in venatione usus est Chalib, Wailu filius. Et primus illam in equo tulit Jazid, filius Muavia. Et è Poëtis Abu Muhallim Chorasanius eâ maximè lusit*, id est, hoc venandi genere maximè delectatus est, aut in hoc argumento inprimis se exercuit. Nec obstat, quod à Poëtis timiditatis & imbelliæ nota Lyncibus passim inuritur, Horatio *lib.* 2. *Od.* 13. & *lib.* 4. *Od.* 6. Statio *Achilleidos lib.* 2. Aliis: quod inde ortum, quia in Amphitheatris illæ fugere videbant, quoties cum leonibus & pantheris & ursis & majoribus feris committebatur; nam

ipsum pantheris objicitur, Aristotel. *de partibus animal. lib.3. cap.4.* & Plin. *lib.7. cap.37.* Bochartus *Hierozoici Parte prior. Lib.3. c.8.* V. quoque Salmasium *Exercitation. Plinianis ad Solinum p.* 88. & 389. Cœterùm perspicacissimi visus sunt, ob hoc Pani adscriptæ, uti placet Car. Paschalio *Coronar. lib.9. cap.13.* ubi *de notis nigris Pilei Ducalis.* Iisdem pellis varia. Poëta.

—— maculosæ tegmine lyncis.

Quam varietatem quòd ebriorum stultitia ferociaque exprimit, animal hoc Baccho quoque tributum est. Sed quòd liberos *lynces* Bacchi currum comitatos, eum autem traxisse tigres, Papinius innuit *Thebaid lib.4. vers.*658. quodque in marina Bacchi pompa eos iisdem liberos vagari facit Claudianus *de laud. Stiliconis lib.3.* videntur, ut formosa, & cùm mansueverint, admodum festiva animalia, lusui Baccho assignata. Nemesianus *Eclogâ* 3.

Qui etiam Deus ille, Deus, Jove prosatus ille,
Et plantis uvas premit, & de vitibus hastas
Ingerit, & lynci præbet cratera bibenti.

Nec omittendum, quod de *lyncurio* gemma Plinius sic habet *lib.8. cap.38. Lyncum humor—glaciatur arescitq; in gemmas carbunculis similes & igneo colore fulgentes lyncurium vocatas — Novere hoc sciuntq; lynces, & invidentes urinam terrâ operiunt.* Secutus Aristotelem, Theophrastum, Dioclem, Demostratum, Ovidium, Alios. Sed idem ipse falsum id totum se arbitrari, ait *lib.37. cap.3.* nec desunt, qui pro *lyncurio* λιγύριον vel λιγύριον scribant, ac si sit lapis ex *Lyguria* allatus. Quin apud eundem Plinium contendit Sudines, arborem esse, quæ *lyncurium* gignat in Liguria, qua de re V. Bochartum ubi suprà. Ut & hoc addam, *Lynx* Mexicana, animal est vulpi non absimile, solâ corporis mole minus, at ingenii agilitate, astutiâ ac procacitate, longe præcellens. Tam celeri saltu enim ex hominum conspectu rapi dicitur, ut tantùm non visum effugiat. Coloris atro-cinerei exuvium illius asservatur, in *Musæo* Kircheriano Romæ. V. Georg. de Sepibus *in Collegii Rom. S.J. Musæo pag.*31.

Lyra, instrumentum Musicum, cujus inventio Mercurio tribuitur, qui quum pedem in aridam testudinem, sic Varroni dictam, quod testâ tegatur, impegisset, animadvertit sonum reddi ex nervis illius siccitate intensis: quod tamen paulo aliter narratur contigisse, *in Hymno Mercurii*, qui Homero ascribitur. Proin cœpit postea lineas chordas intendere *Lyra*, cui Apollini datæ, unde *fraterna Lyra* dicitur Hor. *l.1. ode* 21. pro lineis chordis nerveæ septem annexæ sunt: ex quo Pindaro ἑπτάτονος, & ab ejus Scholiaste ἑπτάφθογγος est appellata. Octavam dein chordam Aristoteles scribit additam: neque propterea tamen eam, quæ *media* vocabatur antè, nomen amisisse. Alii ab Apolline novichordam *Lyram* scribunt editam, à Musarum numero, ut ait Interpres Arati: Tametsi cũ decachordo etiam pingebatur, quippe qui cum Musis ipse esset decimus. Decimam autem ac undecimam adjecisse Timotheus Musicus legitur. Dicta videtur, quasi λύτρον, quòd ea Apollini data fuerit, *ὡς τὸ λύτρον, ut pretium*, quo iram illius, ob surreptos boves, leniret. Tangebatur autem, non plectri percussione, sed setarum intentarum attritu, V. Jul. Cæs. Scaligerum *Poët. lib.1. c.48.* Quomodo à cithara, Apollinis invento, differat, Idem docet *in Notis ad Sphæram Barbar. Manilii* Aliàs de *Lyra*, cithara, chely, Poëtæ unam rem faciunt, cùm volunt: Sed *Citharam* aliam rem fuisse liquet, ex *Lyra* etiam figura, cujus picturam referunt imagines veteres Germanici *Arato* additæ. Vid. de hoc celebri organo plura apud Gerh. Joh. Vossium *libr. de Musica.* Circumferebatur illa in conviviis Vett. Græcorum post cœnam; cujus *cùm imperitum se Themistocles diceret*, verba sunt Tullii, *habitus est indoctior*: more postmodum ad Christianos quoque delato, ut Clemens 6. *Stromat.* testatur. Quemadmodum & Romanorum epulis fides ac tibias adhibere moris fuisse novimus; Imò & *lyram*. Unde *Lyristria* illæ, apud Juven. *Sat.* 11. *vers.* 160. ubi Gaditanas puellas, in Romanorum conviviis celebres, quas *tinnulas Gades* Statius appellat *lib.1. Sylv.6. vers.*71. intelligit. Sed hac de re infrà latiùs dicemus, ubi de *Myrti ramo, & Scoliis.* Cœterùm *Lyrâ* canebant Poëtæ, quum humiliore stylo res pertractabant, at tubâ ad sublimiora utebantur. Unde Statius *Theb.lib.*1.

Tempus erit, cùm laurigero tua fortior œstro
Facta canam. Nunc tendo chelyn ——

V. C. Barthium *Animadversion. ad eundem Poëtam Theb. lib.* 4. *vers.*37. &c. Hinc *Lyrica* Poësis, cui proxima Heroicæ Majestati nobilitas: *Ode*, & μέλος & μελῳδία dicta. Neque enim ea sine cantu atque *Lyra* pronuntiabant, unde & *Lyricorum* appellatio orta, quorum genera multa: *Melos* sive *Ode*, quibus curas amatorias decantabant, quod primus excogitasse Alcman traditur, aliis Amettor Eleutherneus. Alia genera in laudibus Heroum, locorum laudationibus, rerum gestarum narrationibus: Hilaritates, convivia. Iisdem numeris etiam Pæanes solis Diis dicti: & Hymni eodem argumento sed stylo demissiore: item ea, quæ σκολιὰ μέλη appellata sunt. Præterea Dithyrambica, & quæ ab auctore *Sotadica*, & Ithyphallica, & Choriambica, in Cybelem, Bacchum, Silenum, Pæana, Faunum, Priapum: & Epipompeutica, quæ in pompis accinebantur, cujusmodi seculare carmen Horatianum & Epinicia, haud absimilia Pæanibus, de quibus omnibus, V. Auctorem præfatum *libro de Poët.* 1. *cap.*44. Erant autem *Lyricis* quoque suæ saltationes atque harmoniæ, numero tres: Pyrrhichica, Gymnopædica & Hyporchematica: Canebanturque & ad *Lyram* & ad Citharam, & ad Barbiton, unde Pindaro dicti Ἀναξιφόρμιγγες ὕμνοι, Idem *cap.*48. Præmium, quo donabantur, qui Scolio vicissent, poculum erat, quod ob eam causam ᾠδὸς dictum est; in cœteris certaminibus, juvenca, quam & immolabant, quemadmodum hircum Tragici, & taurum Epici; Bucolici vero vel vini vel lactis libatione contenti erant, idque Apollini, Musis, Baccho, Jano & Gratiis. Nam cœtera præmia à victo auferebant, non ea ab Judice dabantur. Idem iterum *cap.*44. Omnium autem *Lyricorum* opera, uno volumine Græce λυρικῶν τεῦχος dicto, comprehensa, habuisse olim Eruditos, ex *Epigrammate* Græco antiquo constat. Sic Κύκλος Ἐπικός, syntagma fuit Mythologicum, ex variis poematis & Poëtis Heroicis collectum, qui historico more ac simplicissime μυθολογίαν expoluerant: quod syntagma in unum itidem τεῦχος ab aliquo antiquo Grammatico coactum verisimile est, ut alia pleraque vett. Poëtarum opera, quæ ob similitudinem argumenti pari ratione in unum congesta sunt. Sic Bucolica omnia carmina, in unum corpusculum collecta jam olim fuisse, ex Theocrito, Bione & Moscho, testatur hoc vetus *Epigr.*

Βουκολικαὶ μοῦσαι σποράδες ποκά, νῦν δ' ἅμα πᾶσαι
Ἐντὶ μιᾶς μάνδρας, ἐντὶ μιᾶς ἀγέλας.
Bucolica Musæ sparsæ olim, nunc omnes
In una caula & uno grege.

Quinetiam Homeri dispersa olim & per partes dissipata carmina in eum ordinem, quo leguntur hodieque, & seriem, collecta esse alibi diximus &c. Alii erant λυρῳδοί, qui viz. Lyrica carmina à Lyricis Poëtis composita decantabant; quemadmodum Ῥαψῳδοὶ dicebantur, qui Heroica carmina, quorum ipsi non Auctores sed Actores tantum erant, in Theatro recitabant; item Tragœdi & Comœdi, qui fabulas à Poëtis acceptas similiter agebant. Citharœdi, qui dithyrambica &c. Et quidem *Lyrœdi* ac Citharœdi nomos & cantica, quæ Poëta Lyricus aut Dithyrambicus ipsis composuerat, sicut erant ab Auctore facta, ad lyram vel citharam canebant. Tragœdi quoque Comœdique nihil de suo addebant: hæc enim carmina omnia, cujuscunque tituli aut argumenti essent, perfecta habebantur initio & fine. At qui Epica carmina rhapsodiabant, quia per partes ea sumebant cantillanda, quibus nec finis esset & initium sæpe aliunde penderet, ut perfecti operis imaginem haberent, ii plerunque de suo finem aut principium adhibebant, qua de re V. Salmasium *ad Solinum pag.* 851. & *seqq.* & plura apud Scaligerum ubi suprà passim, nec non Chabotium *Notis in Horatium lib.1. Carm. Od.1. ubi etiam de novem Lyricis Poëtis apud Græcos celebribus varia.* Fuere & *Lyristæ*, quæ cum Choraulis, Tibicinibus organarius, aliisque Artificibus, sive scenicarum, sive domesticarum oblectationum, in pulpitis sedere, atque inde audiri consuevere, Vitruvius *Archit. l.5. c.* 8. apud Th. Dempsterum *Paral. in Joh. Rosini Antiqq. Rom. l.5. c.* 19. V. quoque Laur. Pignorium *Comment. de Servis.* Item *Lyristria*, ut vidimus ex Juvenali. De *Lyra*, in annulo Polycratis, V. Clem. Alex. *Pædag. lib.3.* de *Lyra Davidis*, suprà in voce *Cinnor*; de *Lyra Paridis*, adhuc tempore Alex. M. superstite, Jo. Meursium *ad Lycophr.* de *Lyra pisce*, Vossium *lib.4. cap.25. de or. & pr. Idolol.* &c.

Lysander, adde: Ejus honori Samios festum agitasse, habet Plut. in *Vita* ejus, & Athenagoras *in Leg.*

Lysanias, Procurator Abylenes, seu Tetrarcha, memoratur Lucæ *c.3. vers.*1. ubi Evangelista rerum descriptionem aggressurus, quas Dominus noster toto Ministerii sui tempore gessit, temporis circumstantiam, quæ erat omnium maximi momenti, accurate sic designavit, ut parem diligentiam non temere alibi sit deprehendere. Hinc potestatis primum Civilis, atque *ejus* multiplicis; deinde Sacerdotalis; postremò ætatis Domini Nostri Jesu Christi notis, tempus hoc voluit insignire. Primo itaque Imperatoris nomen, annumque Imperii ejus ponit, *Anno 15. Imperii Tiberii Cæsaris.* Addit statim nomen Procuratoris Cæsaris, ἡγεμονεύοντος Ποντίου Πιλάτου τῆς Ἰουδαίας *procurante Pontio Pilato Judæam*: fuit autem is annus tertius currens procurationis Pilati. Parum hoc Lucæ visum, nisi etiam potestatum aliarum nomina adjiceret, quæ tum in Judæa & finitimis regionibus eminebant. Notum enim, amplissimum Herodis regnum mutatâ formâ divisum fuisse, ab Augusto, in Ethnarchias tres, quarum maximam & cœteris duabus parem Archelaus, eoque pulso Procurator obtinebat: reliquas duas, Archelai fratres, Herodes Antipas & Philippus. Quæ causa, quòd Imperatori statim subjecerit Lucas Procuratorem Judææ, huic Tetrarchas. Meminit deinceps Tetrarchæ *Lysaniæ*, καὶ Λυσανίου τῆς Ἀβιληνῆς τετραρχοῦντος, *Et Lysaniâ Abilenæ Tetrarchâ.* Erat nempe illis temporibus Tetrarchia, quæ dicebatur *Abilene Lysaniæ*: quam pro voluntate Imperatoris vel proprius obtinebat Princeps, vel major aliquis, accessionis loco, accipiebat. Quoniam igitur ineunte illo acceptabili ac verè magno anno Ministerii Domini Nostri, quidam *Lysanias* eum Principatum tenebat; ne hunc quidem Lucas putavit sibi esse prætermittendum: quum præsertim Judæi non pauci, in Tetrarchæ hujus ditione habitarent, in finibus Decapoleos, quò venisse Christum atque Evangelium ibi prædicasse & Decapolitanos plures ad ipsum ventitasse eique [illegible] Evangelistæ. Matthæus

cap.4. verſ.25. Marcus *cap. 5. verſ. 20.* & *cap.7. verſ.31.* Fuere autem diverſis temporibus *Lyſaniæ* duo, ejusdem Principatus Tetrarchæ; quorum prior ex hiſtoria illorum temporum notus eſt ſatis: poſterior verò alibi ſatis expreſſe nominatus non reperitur; ſed tantùm obiter. Ante natalem Domini quadraginta circiter annis, vivebat in Syria Ptolemæus Mennæi F. Tetrarcha ſive Regulus Ituræ, regionis parvæ in confinio Syriæ & Arabiæ. Strabo *lib.16.* auctor eſt, paruiſſe huic Regulo (cujus & Joſephus meminit) montana Ituræ, Marſyam, Heliopolim & Chalcidem urbem Syriæ, à qua nomen habuit Chalcidene, Plinio deſcripta *lib 5. cap.23.* Hunc *Lyſanias* filius excepit, qui Joſepho dicitur Patri ſucceſſiſſe, in ipſius Dynaſtia, *lib.14. cap. 23.* Cujusmodi Dynaſtæ dominationes has precariò obtinebant, quamdiu gratum erat rerum potientibus Romæ. Itaque Dio *lib.46.* beneficio Antonii *Lyſaniam* hunc factum Ituræ Regem ſcribit; & mox ab eodem, ut Cleopatræ gratificaretur, occiſum: quod Joſephus quoque docet *lib. 14. cap. 5.* Hic *Lyſanias* ſedem dominationis ſuæ collocavit Abilæ; quæ urbs Syriæ fuit, una ex ſex Tetrarchiis Plinio, quæ urbibus Decapoleos erant immixtæ. Quum autem plures in Syria Abanilæ fuiſſent, huic cognom. *Lyſaniæ* datum eſt, ut ab aliis ſepararetur. Ptolemæus, in deſcript. Cœleſyriæ, primam urbem recenſet Heliopolim, quam diximus hujus Patri paruiſſe & ſecundam Abilam, *Lyſaniæ* cognominatam, Ἄβιλα ἐπικαλουμένην Λυσανίου. Et ita apud Joſephum ille Principatus vocatur ſæpe, *Lyſaniæ Tetrarchia*, ut *lib.18.* & *20.* Ab utro verò *Lyſaniâ* id urbi cognomen hæſerit, non adeò certum eſt. Veriſimilius tamen Joſ. Scaligero, à priore ſic eſſe dictum: Namque & Joſephus *lib.15.* in reb. Herodis & *proximis temporibus à cæde Lyſaniæ* prioris, meminit hujus cognominis, *pag.474.* οἶκος τῆς Λυσανίου, ubi οἶκος idem, quod Lucæ τετραρχία. Incidit cædes illa in an. U.C.719. ante N.C. 33. à quo tempore Dynaſtiæ hujus varia fuit adminiſtratio. Cleopatra prima eam poſſedit, extincto legitimo Domino: poſtquam illa periit, videtur Auguſtus fiſco ſuo eam addixiſſe & certi pretii impoſitâ penſione, colendam tradidiſſe Zenodoro cuidam, de quo Joſephus: Ζηνόδωρός τις ἐμεμίσθωτο τὸν οἶκον Λυσανίου. Similes certè Cleopatræ locationes habes, apud Joſephum *lib.15.cap.5.* ubi Herodes Rex & alius Dynaſta Arabs, urbes Cleopatræ donatas ab illo redimunt, pacti annuam certæ pecuniæ penſionem. Quamdiu Zenodorus Tetrarchiam hanc in poteſtate habuit, *Zenodori Tetrarchia* vocata eſt: quam Herodi ab Auguſto fuiſſe donatam, Joſephus *lib.15.* & Dio *lib.54.* memorant, anno U. C. 734. ante N. C. 8. Mortuo Herode, Auguſtus partem illius, Philippo ejus filio attribuit; de reliqua parte quid ſtatuerit, neque dicit Joſephus, neque ullus alius Hiſtoricus. Sed docet nos Lucas *Lyſaniam* quendam parte præcipuâ illius, atque adeò ipsâ Abilenâ, fuiſſe donatum, vel à Tiberio, vel, quod potius putat Caſaubonus, Auguſto. Fuiſſe hunc prioris filium, ex communione ejusdem nominis, quidam hariolantur: Sed non fit veriſimile, filium Patri ſuo poſt temporis adeò longi intervallum ſucceſſiſſe. Nam à cæde *Lyſaniæ*, ad 15. annum Imperii Tiberii, anni intercedunt circiter ſexaginta. Proin verius videtur, caſu quodam contigiſſe, ut eadem Præfectura duobus concederetur, modico temporis ſpatio, qui appellarentur ambo *Lyſaniæ*, cujus συγκυρίας nonnulla exempla apud Veteres occurrunt. Hic igitur poſterior Lyſanias is eſt, quem Lucas appellat *Tetrarcham Abilenæ* & anno 15. Tiberii vixiſſe atque illi parti Cœleſyriæ eſſe dominatum, oſtendit: qui quo fato obierit, non conſtat; illud certum, paulo poſt, h. e. 10. fere poſt annis, rediiſſe ejus Tetrarchiam in poteſtatem filiorum Herodis. Scribit enim Joſephus *lib. 18.* Cajum Imp. dediſſe Agrippæ, inter alia plura, etiam τὴν Λυσανίου τετραρχίαν, h. e. *Abilenam Tetrarchiam*, quam olim Lyſanias Ptolemæi fil. obtinuerat, paulo ante Lyſanias Lucæ. Non tamen tranſmiſit ad filium Agrippa poſſeſſionem ejus, ſed Agrippa junior illam à Claudio impetravit, anno hujus Imp.12. V. Iſaac. Caſaubonum *Exercit.13.§.3.*

Lyſimache, ſacerdos Minervæ annis ſexaginta quatuor, inter celeberrima ex ære opera Demetrii, memoratur Plinio *lib.34. c.8.* Idem *Lyſimachum*, inter gemmas, habet *lib.37. cap.10.* *Lyſimachus Rhodio marmori ſimilis eſt aureis venis: politur ex marmore, amplitudine in anguſtias coëunte, ut inutilia exterantur.*

Lyſis, Poeta κιναιδολόγος: quod mimilogiæ genus cùm Sotades primus auſpicatus eſſet, eum ſequutus eſt Alexander Ætolus: qui ambo pedeſtri ſermone fuere uſi. Poſt eos *Lyſis* & Simus etiam carmine: unde Λυσῳδοὶ & Σιμῳδοὶ dicti, de quibus Athenæus *l. 14.* Erat a. Lyſiodo idem argumentũ cum Magodo, *modus diverſus. Iſte muliebribus perſonis virilia negotia, ille muliebria virilibus agebat; iſte ad tympanum, ille ad cymbalum. Quæ introducta quoq; inter fabulas à quibusdam, ſicut & Mimi & Satyri. Hilarodus à Tragœdo, Magodus à Comico*, J. C. Scaliger *Poëtices lib.1. cap.52.* ubi de *Hilarodis*. Salmaſio verò *Lyſiodi* iidem, cum *Magodis*, de quibus, ut & eorum argumentis, qualia erant, aliquando *mulier, mœchi & lenones*, aliquando *vir temulentus ad amicam comeſſatum vadens* &c. quas κορυφαῖς ὑποθέσεις ſuo modo moreque tractabant, omnia turpiùs & laſcivius, quàm in Comœdiis repræſentantes, V. eum *ad Solinum pag.* 108. ut & hic paſſim, inprimis infrà, ubi de Vett. *Mimologis*.

Lyſis, adde: Lyſidis Pythagorici omnium ſunt verſus illi qui vulgò *Aurei Pythagoræ carmina* appellantur, in quos pulcherrimus ſupereſt Hieroclis Commentarius, qui hactenus neglectui habitus eſt, Gerh. Joh. Voſſius *de Philoſophorum ſectis cap.6.*

Lytæ dicebantur, qui, triennio in LL. ſtudio exacto, quartum etiam annum adjungebant. Imperator *ad Antecesſores §.5. Sed quid ſolitum eſt anni quarti ſtudioſos Græco & conſueto quodam vocabulo* Λύτας *appellari: habeant quidem, ſi maluerint, hoc cognomen* &c. Ita autem vocabantur, tanquam Λυταὶ, i. *ſolubiles*, quaſi jamjam à certa illa & præſcripta ſtudiorum ratione ſolvendi, & legendi libertate ac licentiâ donandi quaſique miſſionem à Magiſtrorum ſuorum caſtris, i. ſcholis, impetraturi. Nam cùm ad finem libri Pandectarum 36. perventum eſſet, qui poſtremus anni quarti liber erat, ſtatuit idem Imp. ut reliquos 14. ſtudioſi per ſe domi legerent, neque ex Præceptoribus interpretantibus eos audirent, V. eum ubi ſuprà. Turnebus verò Λύτας exponere mavult, quaſi *Solutores* & quæſtionum Juris Interpretes. Ita *Additio ad Gloſſam ad Proœm. ff. Lytas*, inquit, *habet germana lectio, quæ vox Solutores ſignificat, nempe eos, qui civili ſapientia tantùm promoverunt, ut legum ænigmata poſſint ſubtiliter & accuratè diſſolvere. Quos autem ſequenti reſponſo* Προλύτας *appellant, poſſis interpretari eos, qui* τῶν Λυτῶν *Anteceſſores ſunt.* V. quoque Alciatum *Parerg. 8. cap. 10.* Jo. Seldenum *de Synedriis vett. Ebræorum lib. II. cap. 7. §. 7.* Alios. Sic *Lyta* fuerit,

Qui Juris nodos, legumq; ænigmata ſolvat,

finitore Satyrico *Sat.8.*

Lytierſa, Græcè Λυτιέρσης, meſſorum carmen, apud Theocritum, dictum à *Lytierſa*, filio notho Midæ Regis. Qui cùm Celænas habitaſſet, agrorumque cultui præter modum eſſet deditus, viatores ad convivia invitatos cogere ſolitus, ut ſecum eſſent in opere meſſorio, pigriores etiam verberibus afficere; imò &, ut nonnulli addunt, defatigatione ſopitos obtruncare, eorumque capitibus abjectis, tum inter manipulos conditis cadaveribus, canere, legitur. Alii in meſſe, nimio ſtudio captum atque delaſſatum labore interiiſſe: Quidam ab Hercule interfectum dicunt, quod temporum ſupputatione redarguitur. Quocunque fato uſus ſit, illud conſtat, colonos ad patris ſolatium lugubrem cantum condidiſſe, quem poſteri anniverſario cultu ad aras meſſorias, apud Phrygas, celebrarent. Quemadmodum Maryandeni ſimile quid fecere, in memoriam pueri Borei vel Borimi, Upii R. filii, qui à meſſoribus aquatum miſſus nuſquam comparuit. Vetuſtiſſimam nempe conſuetudinem tenuiſſe, quâ priſcorum Regum liberi armentorum cuſtodiis apponerentur, palàm eſt ex fabula de Paride & Ganymede; magis, ex Sacra Hiſtoria, de Patriarchis. V. Jul. Cæſ. Scaligerum *Poëtices lib.1. cap.5.*

FINIS TOMI PRIMI.



